Exeg
57/m

SIS & CHIENENSIS
PERTVS PRÆPOSITVS ET ARCHIDIACONVS CATHEDRALIS ET REGVLARIS ECCLESIÆ
In manibus Domini sortes meæ. ps: 30 Vers.
Wolfg. Kilian sculpsit.
A: 1654.

Ex libris Joan: Christophori Kögel
presbyteri indrejni 1664

R. P. IACOBI

TIRINI

ANTVERPIANI

E SOCIETATE IESV

COMMENTARIVS

IN

VETVS ET NOVVM

TESTAMENTVM.

TESTAMENTUM

NOVUM

SECUNDUM

IN

COMMENTARIUS

E SOCIETATE IESU

ANTVERPIANI

TIRINI

Biblioteca Gregoriana

R. P. IACOBI

TIRINI

ANTVERPIANI

E SOCIETATE IESV

IN

S. SCRIPTVRAM COMMENTARIVS

DVOBVS TOMIS COMPREHENSVS.

QVIBVS EXPLICANTVR

HOC PRIMO

POST VARIA PROLEGOMENA

VETVS FERE TESTAMENTVM.

Altero XII. Prophetæ Minores, Machabæorum liber Primus & Secundus, & Nouum Testamentum.

SVBNECTVNTVR INDICES QVINQVE.



ANTVERPIÆ,
APVD HENRICVM AERTSSENS.
M. DC. XLV.

Cum Gratiâ & Priuilegio.

Omnia WICHMANNI ne magni inſignia peccent,
Quam benè conveniant, parva tabella docet.
Quam volucrem ſpectas, inimica draconibus iſta eſt,
Et cœlo, pullos, regia monſtrat iter.
Proterit hic ſtygios, & SICVT REGIVS ALES,
Antè volans, ſanctas edocet ire vias.

Bayerische Staatsbibliothek München

AMPLISSIMO
ET PLVRIMVM REVERENDO DOMINO,
D. AVGVSTINO WICHMANS,
CELEBERRIMI MONASTERII IN TVNGERLO,
SACRI ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS,
PRAELATO
LONGE MERITISSIMO.

INTER fauſtas pro indeptâ dignitate adgratulantium voces, & nos, AMPLISSIME PRÆSVL AVGVSTINE, greſſum ad ſacras infulas Tuas, licet voto noſtro tardiùs, molimur. Néve *vacuæ manus*, quod aiunt, *temeraria petitio* ſit, vel minùs grata officia; munus hocce litterarium typis noſtris expolitum è loculis depromimus, & A.T. tholo venerabundi appendimus. Quod ne refigas, fruſtra rogemus, cùm humanitas Tua nulli non cognita aliud longè nobis perſuadeat. Commentarij ſunt in totam S. Scripturam, accuratè omnino, ſiue Chronologiam ſpectes, ſiue genuinam interpretationem, à R. P. IACOBO TIRINO elaborati. Lucem primùm paucis abhinc annis vidêre in tres Tomos tributi. Verùm cùm animaduerteremus eos in pretio apud quamplurimos eſſe, & ardenter expeti; nouam editionem, eamque priori longè emendatiorem adornare operæpretium duximus. Porrò cùm, auctore Comico,

Io. Sareſber. Policrat. lib. 5. cap. 10.

— *Res, ætas, vſus ſemper aliquid apportet noui*;

viſum fuit è doctiſſimorum virorum conſilio, merum & ſolum, reciſo Scripturæ textu, exhibere TIRINI Commentarium: cùm ne in tantam cum pretio molem excreſceret, tùm quòd Concionatorum & Studioſorum commodo & compendio dandum id videretur.

Terent. Adelph. act. 5. ſc. 4.

Nomini autem Tuo ſacrum eſſe volumen hoc voluimus, vt ſic Virtuti Tuæ cultum, Doctrinæ obſequium, amorem Humanitati exſolueremus. Quis enim neſciat, quàm luculenter triplici iſto Virtutis, Doctrinæ, Humanitatis radio reſplendeas? vt nobis iam pridem videare in exemplum potiùs pulcherrimæ Triadis, quàm encomium vocandus. Patere tamen, ANTISTES RELIGIOSISSIME, in ſingula liberiori ſtilo nos paullùm diffundamus. Et ſi enim

Fucati ſermonis opem mens conſcia laudis
Abnuit,

& vbi quis in laudes tuas fertur, modeſtiæ quaſi velum ſtatim oppandas; intereſt tamen poſterorum, intereſt candidiſſimi iitius, & angelici Ordinis, intereſt denique filiorum tuorum, ne quæ in luce à Te fiunt egregiè & prudenter, ſilentij tenebris inuoluantur. Nobis, curæ eſt eruditiſſimos aliorum labores immortalibus typis ab interitu vindicare, de republica bene mereri, omnes ad ingenij culturam, & ſtudia exſtimulare; & in poſtremis erit tanti Præſulis memoriam non maximè longam efficere? Non hoc ſiuerit Deus, qui Virtuti Doctrinæque ſua præmia eſſe voluit, æ-
Pſal. III. ternam famam. *In memoria æterna erit iuſtus*, qui non aliâ, quàm Virtutis viâ ad eam gloriam graſſatur. Hanc Tu à teneris ita inſtitiſti, vt ad ſacras præfecturas non tam gradum feciſſe, quàm natus, & ab alijs deſtinatus dici queas. *Mierloam* primùm ex Tungerloenſi alueari ad curandas animas emiſſus, *Helmondani* diſtrictus, & poſt *Hiluariſ-becani* Archipresbyterum ita egiſti, ſacra & religionem eâ curâ, induſtriâ & prudentiâ direxiſti, defendiſti, propagaſti; vt exemplum à nemine accepiſſe, poſteris tradidiſſe, ab æquis peritiſque arbitris iudiceris. Inſidiabatur fortè aliquis è proximâ SILVA ouibus tuis, vt incautis hæreſeos virus inſtillaret, & ſerpentis antiqui retibus implicaret? At tu illicò, SICVT
Plin. hiſt. nat. lib. 10. c. 4. AQVILA, cui, teſte Plinio, *acrior eſt cum dracone pugna*, ad tuendos pullos & oua, quæ hic *conſectatur auiditate maleficâ*, hoſtem inuadebas, pro ſalute tuorum corpus generosè obijciens, acriterque depugnans, donec prædam victor è manibus eruiſſes. Spectare interea agones Tuos Deus, applaudere & lætari Taxandri, fremere imbelles è SILVA lupi, palmas tuas Tungerloenſes numerare. Cùm & munerari eas viſum Superis, & optimo ſeni *Theodoro*, prædeceſſori tuo. Qui annuente Principe, Confratrumque ſuffragante cœtu, in partem oneris & curarum A.T. adſciuit, & lampada tandem, dum ad beatiores, vt ominamur, ſedes abiret,

tradidit.

tradidit. Hanc ab eo acceptam in hoc dignitatis laborioſo, ſed glorioſo curſu, indefeſſus retines ac præfers. Atque vt virtus Tua & hîc magis eluceret, Symbolum planè heroicum, *Aquilæ* ſe in cœlum ad ſolis radios vibrantis, & pullos excitantis, aſſumpſiſti. Sic nimirùm ad virtutis, quam ingenioſiſſimi poëtæ Heſiodus & Pindarus in arduo iugo ſitam poſuerunt, imitationem, filios tuos vocas & extollis. Planè exemplo illius, de quo Moyſes: SICVT AQVILA *prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans.* *Deuter.32.*

Iam verò quis Doctrinam, quod alterum in Te ſuſpicieba-mus, non ſuſcipiat & miretur? Norunt eruditi, quiq; Muſis operantur, quàm pectus tuum omni elegantioris doctrinæ & ſapientiæ genere madeat. Nam non ſolùm litteras & litteratos coliseximiè, ſed & ſtilo, latinitate, perſpicuitate, ordine vincis plurimos. Nimirùm SICVT AQVILA, quæ ingenij acumen & velocitatem optimè adumbrat. Obſeruauit ſanè Pindarus, auium illam reginam altiſſimè volare, viſuque ita pollere, vt profundiſſima quæque proſpectet, prædamque valde procul diſtantem mirâ pernicitate nanciſcatur. Non ſecus & Tu, PRÆSVL ERVDITISSIME, cum volatu ſublimi in ipſas cæli ſedes quaſi elatus fores, & oculorum aciem viſu præpollens, in admirandæ cœlorum reginæ B.V. MARIAE virtutes & pulchritudinem infixiſſes, Mariana illa opera tua aliaque nullo antea mortalium ingenio concepta ab alto detuliſſe videris. Tanta autem eſt eorum ſuauitas, vt quemadmodum Comicus ille ait, *Nil niſi mulſa loqui videantur:* tanta eruditio, vt non niſi MARIA fauente credamus exarata. Viuent porrò, ſiquid vota noſtra apud Superos valent, & in ijs *Brabantia Mariana*, ad teſtandam populis Belgarum pietatem, & nomen tuum latiſſimè celebrandum. Hoc illud opus erit *Pindar. in Nem.*

——— *Ære perennius*
Regalique ſitu pyramidum altius;
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum. *Horat. carm. lib. 3. od. 30.*

Sic vouemus: & ad Humanitatis tuæ commendationem tranſimus, qualem in Te admiramur omnes, & veneramur;

—— *Rigidi ſed plena pudoris* *Claud. de conſ. Mall.*
Elucet grauitas faſtu iucunda remoto.

Hæc eſt illa vultus & oris tui comitas, quâ ſic, ſaluâ auctoritate, vteris, vt in omnium pectora Te inſinues, & gratiâ impetres, quod nec imperio alius cogat. Hinc procedit ſingularis ille &

paternus in ſubditos amor, quo planè effeciſti, vt neminem magis illi reuereantur, minùs vereantur. Nimirum & hîc AQVILAM iterum exprimis, de qua ſic B. Hieronymus: *Inter ceteras animantes omnes Aquilarum quidem maximus in pullos eſt amor.* Perſpectum enim Tibi, quod à naturæ lumine omnibus quaſi dictatum: *Si vis amari, ama.* Quamquam & aliam machinam multò validiorem adhiberi abs A. T. videre ſit. *Prouocas* ſcilicet ad volandum, SICVT AQVILA, pullos tuos, non verbis modò, ſed quod efficacius eſt, exemplo. Optimè ſiquidem Velleius Paterculus: *Rectè facere Princeps ciues ſuos, faciendo docet.* Hominum ea conditio eſt, vt duci magis ament quàm trahi. *Exaſperat enim*, verba ſunt Latini Pacati, *imperata correctio*, BLANDISSIMÈ IVBETVR EXEMPLO. Et nos blandâ illâ Humanitate Tuâ excitati & quodammodo inuitati, AMPLISSIME PRAESVL, auſi ſumus magnam, pulchram, æternam noui muneris dignitatem A. T. gratulari, & hoc quidquid eſt libri dicare, conſecrare: vtinam Virtutis, Doctrinæ, Humanitatis Tuæ tam perpetuum, quàm noſtri cultus, obſequij, amoriſque ſincerum monumentum! Antuerpiæ 10. Decembr. M. DC. XLIV.

Hieron. in Iſai. c. 65.

Senec. epiſt. 9.

Velleius l. 2.

Pacat. Panegyr. ad Theod.

Ampliſs. & plurimùm R.de D. T.
Deuotiſſimi Serui

HIERONYMVS VERDVSSEN.
HENRICVS AERTSSENS.
GVILIELMVS LESTEENS.
FRANCISCVS VIVIEN.
PETRVS BELLERVS.

TYPO-

TYPOGRAPHVS
BENEVOLO LECTORI.

COMMENTARIVS hic in Vetus & Nouum Testamentum R. P. IACOBI TIRINI è Societate IESV anno M. DC. XXXII. à MARTINO NVTIO Tomis tribus excusus, à nobis in emptoris gratiam in duos contractus est omisso solo sacrorum Bibliorum textu, quod is aliâ commodiore formâ ab omnibus sacrarum scientiarum amatoribus haberi soleat: ideoque cùm antè in *Librum Iob* Tomus primus finiretur, nunc eidem Tomus ferè secundus adiunctus est, excepta nempe explicatione in *Duodecim Prophetas Minores*, & *Librum primum & secundum Machabæorum*, quibus tum secundus Tomus absoluebatur, nunc idem inceptus, continet præterea in *Nouum Testamentum* Commentarium, cui Indices subnectuntur, vt priori variæ Præfationes, Instructiones & Prolegomena præponuntur, hoc Ordine.

PRIMO TOMO
CONTINENTVR

1. *Præfatio ad Lectorem de Operis vtilitate & scopo.*
2. *Instructio pro studiosis S. Scripturæ, de Methodo & modo proficiendi.*
3. *De Canonicis Scripturis decretum Concilij Tridentini, quot & quibus libris comprehendantur Et de alijs huc spectantibus.*
4. *Charta topographica terræ Sanctæ cum adiacentibus regnis, quorum frequentius meminit S. Scriptura. Circum chartam delineantur nobiliores Ierosolymitani templi partes, vasa & ornamenta, quorum passim mentio in veteri & nouo Testamento.*
5. *Chronicon sacrum à mundo condito vsque ad excisam per Titum vrbem & templum Ierosolymitanum. Quænam hoc Chronico tractentur, habes in Indice, qui ad calcem illius subnectitur.*
6. *Prolegomena de antiquis Hebræorum, Græcorum; Romanorum Ponderibus ac Monetis, collatis cum modernis Italorum, Hispanorum, Gallorum, Belgarum, &c.*
7. *De Mensuris seu Vasis eorumdem.*
8. *De Mensuris Longitudinum.*
9. *Explicatio Idiotismorum seu proprietatum linguæ Hebraicæ & Græcæ, quæ sæpè lectori negotium facessunt.*
10. *Explicatio librorum ferè omnium veteris Testamenti:*

qui sunt

Pentateuchus, seu quinque libri Moysis.

Liber { *Iosue.* / *Iudicum.* / *Ruth.* }

Primus, secundus, tertius, quartus liber Regum.
Primus & secundus liber Paralipomenon.
Primus & secundus liber Esdræ.

Liber

Liber { *Tobiæ.* *Iudith.* *Esther.* *Iob.*

Psalmi 150.
Prouerbia Salomonis.
Ecclesiastes.
Canticum Canticorum.
Liber Sapientiæ.
Ecclesiasticus.
Quatuor Prophetæ maiores & Baruch.

SECVNDO TOMO
EXPLICANTVR
E VETERI TESTAMENTO:

Duodecim Prophetæ Minores.
Machabæorum liber primus & secundus.

NOVVM TESTAMENTVM;
nempe

Quatuor Euangelia.
Acta Apostolorum.
Quatuordecim Epistolæ S. Pauli.
Vna S. Iacobi.
Duæ S. Petri.
Tres S. Ioannis.
Vna S. Iudæ.
Apocalypsis S. Ioannis.

Indices quinque:

Primus, Auctorum toto Commentario citatorum, adnotato tempore & loco quo quisque vixit, & scriptis & officijs quibus claruit.

Secundus, Nominum & Rerum quæ totis duobus tomis pertractantur.

Tertius, Controuersiarum, seu Quæstionum fidei, quas vel hæretici, vel Iudæi, vel Mahometani, vel Politici in dubium vocant, sed ex SS. Scripturis toto hoc Commentario explicatis probantur ac stabiliuntur.

Quartus, Antilogiarum seu Contradictionum apparentium, quæ passim in Scripturis occurrunt, sed in hoc opere conciliantur.

Quintus, variarum Materiarum & Conceptuum pro Euangelijs totius anni, in gratiam & vsum Concionatorum.

Quia in primo Indice adnotantur tempus & locus, quo Auctores vixerunt, & officia quibus claruerunt, vt idem de operis huius Auctore Beneuolo Lectori constet, accipiat hoc breue elogium exceptum à Bibliotheca Scriptorum Societatis IESV *auctore R.P. Philippo Alegambe, cuius verba sunt:*

IACOBVS TIRINVS, natione Belga, patriâ Antuerpiensis, natus anno Salutis M. D. LXXX. In Societate magnâ virtutis commendatione vixit. Sacram Scriptu-

ram

ram tribus annis interpretatus est: totidem annis Antuerpiensi Collegio Vice-Rector præfuit; Domus verò Professæ Præpositus toto nouennio; & quadriennio Missioni Hollandicæ. Quatuor votorum professione se obstrinxit die 11. Iulij anno M. DC. XIV. atque anno mox insequenti Congregationi Generali satis iuuenis interfuit. Obijt Antuerpiæ die xiv. Iulij M. DC. XXXVI. Hæc ipse de Auctore, de eius verò Commentario hæc addit:

Opus est calculis Chronologiæ diligentissimè subductis, & variarum materiarum accuratis Indicibus illustratam.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS
PER FLANDRO-BELGIVM.

EGo infrascriptus Societatis Iesv per Flandro-Belgium Præpositus Prouincialis, pro potestate mihi facta ab Adm. R. P. Mvtio Vitellesco Societatis nostræ Præposito Generali, permitto Hieronymo Verdvssio & socijs Typographis Antuerpiensibus, vt Breuem Commentarium in sacram Scripturam Patris Iacobi Tirini è Societate Iesv, olim legitimè examinatum & approbatum recudere possint. Antuerpiæ 11. Octobris 1644.

Andreas Ivdoci.

APPROBATIO.

HÆc *Commentaria* R. P. Iacobi Tirini *Societatis* Iesv, *vtpotè clara, succulenta ac solida, magnoq; iudicio concinnata, vtilissima censeo tum ad S. Scripturæ intelligentiam, tum ad hæreticorum refutationem, tum ad morum reformationem, ac pietatis augmentum, adeóque ad magnum animarum fructum lucem aspectura. Datum Antuerpiæ 7. Decemb. Anno* 1644.

Gvilielmvs Bolognino S. Thel. Licent.
& Eccles. Cathed. Canonicus ac librorum Censor.

COPIA

COPIA PRIVILEGII SOCIETATIS IESV

PRO SACRO ROMANO IMPERIO.

CVM ex mandato Sacræ Cæsareæ Maiestatis, omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, atque alijs quibuscumque librariam negotiationem exercentibus, seriò strictèque inhibeatur, ne quis libros vllos à Societatis nostræ Patribus hactenus editos, aut edendos inposterum, intra Sacri Rom. Imperij, regnorumque & dominiorum Sacræ Cæsarææ Maiestatis hereditariorum fines, simili alióve charactere aut forma, siue in toto, siue in parte, excudere, vel recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impressos inuehere, vendere aut distrahere clàm, seu palàm, citra supradictorum Patrum consensum, ac testimonium audeat, vel præsumat; Ego Societatis IESV per prouinciam Flandro-Belgicam Præpositus Prouincialis ANDREAS IVDOCI, concedo HIERONYMO VERDVSSIO, & socijs Typographis Antuerpiensibus facultatem recudendi R. P. IACOBI TIRINI *Societatis* IESV *Theologi Commentarium in Vetus & Nouum Testamentum.* In cuius rei fidem litteras manu mea subscriptas, & sigillo officij mei munitas dedi. Antuerpiæ 11. Octob. 1644.

ANDREAS IVDOCI.

SVMMA PRIVILEGII

REGIS HISPANIARVM.

PHILIPPVS *Dei gratiâ Hispaniarum, Indiarumque, &c. Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimus Belgarum Princeps, diplomate suo sanxit, nequis* R.P. IACOBI TIRINI Societatis IESV Theologi Commentarium in Vetus & Nouum Testamentum, *præter* HIERONYMI VERDVSSII *& Sociorum Typographorum Antuerpiensium voluntatem, in toto Belgio intra duodecim annorum spatium imprimat, aut alibi locorum impressum in has Inferioris Germaniæ prouincias inferat, venalémve exponat. Qui secùs faxit, confiscatione omnium librorum, & triginta aureorum florenorum pro quoque exemplari illato per soluendorum pœnâ multabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, die 21. Ianuarij, Anno 1642.*

SIGNAT

STEENHVYSE.

PRÆFA-

PRÆFATIO AVCTORIS AD LECTOREM.

VT ſacrâ Scripturâ nihil vtilius eſt homini Chriſtiano, nihil iucundius, nihil Theologo ſcitu magis neceſſarium; ita nihil quoque difficilius, nihil obſcurius. Difficilem inter alia faciunt ipſa myſteriorum celſitudo & ſublimitas, vt quæ fidem humanam & captum naturalem plerumque excedunt, & ferè ſola Dei reuelatione nobis innoteſcunt. Obſcuram reddunt tum eadem illa myſteria miris tenebris inuoluta: tum phraſes & modi loquendi, vt antiquitate, ſic & ſingularitate ſuâ noſtris multùm diſſimiles. Idiotiſmi Hebraici & Græcanici penè vbique obuij: parabolæ, adagia, tropi admodum inſolentes: auxeſes, ironiæ, metatheſes, contradictiones in ſpeciem frequentes: nomina propria perſonarum, vrbium, regionum exſoleta: arbores, fructus, herbæ, aromata, gemmæ, lapides vix vllis auditi: denique inſtrumenta & lemmata geometrica, architectonica, aſtronomica, aliaq; aliarum artiū paucis explorata. Certè S. Auguſt. (& qualis ille quantuſq; Doctor?) *Publicè*, inquit, *profiteor*, *tantum* eſſe *Chriſtianarum profunditatem litterarum*, *vt in eis quotidie proficerem*, *ſi eas ſolas abiecunte pueritia vſque ad decrepitam ſenectutem*, *maximo otio*, *ſummo ſtudio*, *meliore ingenio contrer addiſcere*. Vnde alibi exclamat: *Mira profunditas eloquiorum tuorum! quorum ecce ante nos ſuperficies blandiens paruulis: ſed mira profunditas, Deus meus! mira profunditas. Horror eſt intendere in eam: horror honoris, & tremor amoris.* Similia habent Origenes, Ambroſius, Chryſoſt. Hieron. Gregorius & alij SS. Patres. Et velint, nolint, fateri coguntur ipſi quoque hæretici noſtri, quoties ad rem venitur & pugnam: licet extra puluerem, inter aniculas & pocula ſubinde deblaterent, Scripturam *per ſe apertiſſimam & clariſſimam* eſſe, ideoque etiam cerdonibus, & ſartoribus, & ſororibus in Chriſto non lectitandam modò, ſed & enucleandam ac diiudicandam. Sic paſſim clamitant, nempe, ne ſuas contriſtent delicias. Sed cùm manus operi admouenda, mox alitercantillant. Pro omnibus vnum audiamus omnium anteſignanum & principem Lutherum. Hic explicandos ſuſceperat Pſalmos Dauidicos. Sed primo ſtatim initio tam difficiles, tam obſcuros expertus eſt, vt publicè fateretur ſe ſuſcepto operi parem non eſſe: atque inter alia, *Nolim*, inquit, *ab vllo id de me præſumi, quod nullus adhuc præſtare potuit* etiam *ſanctiſſimorum & doctiſſimorum*, *id eſt*, *Pſalterium in omnibus ſuo legitimo ſenſu intelligere, & docere. Sat eſt aliquos* Pſalmos, *& eoſdem ex parte intellexiſſe. Multa ſibi reſeruauit Spiritus ſanctus, quò nos ſemper diſcipulos habeat: multa ſolùm oſtendit, vt allicias: multa tradit, vt afficiat.* Et infrà: *Scio eſſe impudentiſſimæ temeritatis eum qui audeat profiteri, vnum Scripturæ librum à ſe in omnibus partibus intellectum.* Magiſtro ſubſcribunt Brentius, Kemnitius, Centuriatores & alij complures. Si hæc de ſingulis libris ex animi ſententia, & meritò pronuntiant; quid ſenſiſſe putandum de omnibus ſimul voluminibus?

S. *Auguſt. epiſt. 3.*

Lib. 12. Confeſſ. c. 14.

Orig. lib. 7. contra Celſum.

Ambr. epiſt. 44. ad Conſtantium.

Chryſoſt. hom. 40. in Ioan.

Hieron. præfat. in epiſt. ad Epheſios.

Greg hom. 6. in Ezech.

Luth præfat. in Pſalmos.

Erent. in ſua Confeſſ. VVirtemb. cap. de S. Scriptor.

Kemnit. in Examin. 4. ſeſſ. Trid.

Magdeburg. cent. 1. l. 2. cap. 4.

Porrò pellendæ huic obſcuritati, & difficultatibus expediendis inſudauit omnis omnium Paſtorum Eccleſiæ, omnibus ſæculis, tum in antiquo, tum in nouo teſtamento labor & induſtria: tot verſiones Bibliorum, tot interpretationes, tot paraphraſes, tot ſcholia, tot commentarij, tot homiliæ, tot volumina, tum ſanctorum Patrum, tum Doctorum Eccleſiæ, vni illi rei, hoc eſt, tricis Scripturarum enodandis, inſeruiunt. Quin & Scholaſticorum, quos vocant, ſtudia conatuſque omnes, an non huc potiſſimùm tendunt, vt quæ in SS. litteris obſcura implexaque reperiunt, claris commentationibus illuſtrent & enodent, ſolidiſque rationibus ſtabiliant? Et eſt profectò pretium operæ. nam (vt aliquid etiam de *vtilitate neceſſitateque* dicam,) à S. Scriptura, vt fundamento, vt matrice, vt magiſtra pendent omnia. Sine hac nec Philoſophia conſtans, nec Theologia ſolida, nec aliæ ſcientiæ perfectæ: ſine hac nec cathedræ ſtant, nec pulpita: ſine hac, vaga & vana omnis diſputatio, inſulſa

omnis concio, insipida de diuinis colloquia: sine Scripturæ adminiculo nec turtò instruas proximum, nec sine periculo concurras cum hæreticis, cum Politicis, cùm Iudæis, cum Mahometanis, cum atheis. Quin & in amicis confabulationibus, maximè cum personis generosis & cordatis, quàm probrosum Theologo non ad vnguem callere S. Scripturam? Vidi ego non semel magno meo rubore cespitantes hæsitantesque etiam insignes Theologos, cùm à viris grauibus super mensa, vel in rheda vel naui rogitarentur varia ex Scripturis etiam sat obuiis, nec quidquam respondebant ad rem: v.g. ex Psalmis quis esset *ille draco, quem formauit* Deus *ad illudendum ei*: cuius *caput* contribulauit & *confregit in aquis, deditque eum escam populis Æthiopum?* Quid sibi velit, *Rex virtutum dilecti dilecti, & speciei domus diuidere spolia? Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri: dum discernit cælestis reges super eam.* Ex Ieremia, quæ ista tam terribilis *columba*, à cuius *facie gladij* fugiendum sit? Quod *cornu filius olei*, Isaiæ, *in quo vinea fuit* sponsi? Quæ *cornua*, qui *fabri*, quis *murus igneus*, quis *lapis stanneus* Zachariæ? & *duo filij olei? duæ spicæ olivarum iuxta duo rostra aurea, in quibus suffusoria ex auro?* Quis Iobi *Leuiathan?* quis *Behemoth?* Et possunt alia eiusmodi proferri millena ex Canticis, de *ferculo Salomonis* ex *lignis Libani, cuius columnæ argenteæ, reclinatorium aureum, ascensus purpureus, media charitate constrata. Corona* sponsæ *de capite Amana, de vertice Sanir, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* De *quadrigis Aminadab: equitatu in curribus Pharaonis.* De *acerno tritici*, de *cratere tornatili*, de *hinnulo capreæ*, de *turre eburnea*, de *piscinis Hesebon*, de *turre Libani respiciente Damascum*, de *purpura vincta canalibus*; & alia, quibus sponsæ *venter, vmbilicus, vbera, collum, oculi, nasus* & *coma capitis* comparantur. Item ex alijs Scripturæ libris, quid *gomor, hin, satum, cabus corus, ephi?* Quanti ponderis *siclus, mina, talentum, drachma, pondium, dipondium*, & alia, quorum toties meminit liber Exodi & Leuitici? Quis *tragelaphus, pygargus, oryx, camelopardalus, chærogryllus, gryps, haliætus, ixion, larus, porphyrion, onocrotalus, charadrius* in Deuteronomio? Quod *musach sabbathi*, in libris Regum? Qui Iudæi *principes in Moab*, quorum vnus (an instar Iosue;) *stare fecit* solem: alter *vir mendacij*; tertius *securus*; quartus *incendens*, in libris Paralipomenon? Quæ *regina*, ibidem, tam fœcunda, tam potens, vt *virum pepererit*, & quidem venustum ac *decorum?* Quæ Danieli *filia feminarum?* quæ Sapienti, *Verba Congregantis filij vomentis?* Quis *acernus Mercurij?* Quæ *lingua morti contraria?* Qua lingua *prophetet corpus mortuum?* Quando *florebit amygdalus, impinguabitur locusta, dissipabitur capparis: rumpetur funiculus argenteus, recurret vitta aurea, conteretur hydria super fontem, & rota super cisternam?* Quis impiorum *dulcis erit glareis Cocyti?*

Psal. 103. v. 27. Psalm. 73. v. 13. 14. Psalm 67. v. 13. 14. 15. Ierem. 50. v 16. Isaiæ 5. v. 1. Zach. 1. 2. & 4. v. 10. 14. & 11. Iob 3. v. 8. & cap 40. v. 10. Cant. 3. v. 9. & 10. Cant. 4. v. 8. c. 6. v. 11. & c. 1. v 8. cap. 7. vsque ad v. 6. Deut. 14. 4. Reg. 16. v. 18. 1. Paral. 4. v. 22. 1. Paral. 7. v. 18. Dan. 11. v. 17. Prouerb. 30. v. 1. Prou. 26. v. 8. Eccli. 23. v. 15. Eccli. 48. v. 14. Eccles. vlt. Iob 21. v. 33

Et similia infinita: quæ nisi promptè solidèque dissolueris, næ sannis exploderis & sibilis. Leuia tamen hæc. Graue, Theologum, animarum pastorem, verbi Dei præconem, ceteroqui feruidum ac zelosum, cum hæreticis compositum, ad manum non habere quo blasphema illorum ex corruptis vel mutilatis Scripturis deliria detegat, quibus cultum Dei, inuocationem Sanctorum, venerationem imaginum, necessitatem bonorum operum, iustificationem fidelium, vsum tot Sacramentorum, liberum hominis arbitrium, Romani Pontificis primatum, sacrorum Conciliorum, Patrum, Doctorum Ecclesiæ auctoritatem, sacerdotum cælibatum, Religiosorum vota, regulas & instituta, denique mysteria omnia Christianæ fidei conuellere nituntur. Et quis non ingemiscat, in solemni pugna blateronem hæreticum audacissimè quiduis effutire, Catholico Doctori aquam hærere? Quis non indignetur, eumdem cum Iudæis, cum Mahometanis in arenam delapsum, in limine cespitare, pallescere, balbutire, & quasi prodere causam Dei; cùm aduersus illos, seu ex *sceptro Iudæ*, seu ex *septuaginta hebdomadibus Danielis*, seu ex *quatuor monarchijs*, seu ex tot alijs antiqui Testamenti *mysterijs* & *figuris* demonstrandum est, *Messiam* cælitus promissum *aduenisse* iam pridem, & verum *Dei Filium esse* & *Patri* ac *Spiritui sancto consubstantialem* esse: aliaque fidei nostræ fundamenta ex alijs Scripturæ locis eruenda, firmanda, stabilienda sunt?

Ast, inquies, hæc omnia iam olim eruderarunt, stabilierunt, demonstrarunt Origenes, Tertullianus, Hieronymus, Ambrosius, Basilius, vterque Gregorius Nazianzenus & Nyssenus, Chrysostomus, Irenæus, Cyrillus, Augustinus, Theodoretus, Gregorius Magnus, & tot alij sancti Patres, tot Doctores omnium sæculorum: & nostris quoque temporibus penè infiniti, tum ex nostra Societate, tum ex alijs Religiosis Ordinibus, tum ex Clero sæculari, doctrina & sanctitate præclustres viri, quorum Commentarij ad manum sunt. Sunt, fateor, ad manum, sed non cuiuis: & vt essent, quoto cuique tantum otij est, quantum, illis euoluendis necessarium est? quotus quisque tanto tempore, tanta patientia (de opibus iam silco) abundat, vt perlegere

gere ſuſtineat, v.g. Benod. Pererij in ſolam Geneſin tomos in folio quatuor, & Alfonſi Toſtati totidem in ſolum Pentateuchum, eiuſdemque in vnius Matthæi Euangelium alios tomos quatuor? Quis alterius Alfonſi Salmeronis, in quatuor Euangelia & Acta tomos duodecim, Ioannis Villalpandi in Ezechielem tres, Ioannis Lorini in librum Pſalmorum duos, Franc. de Mendoça in octo prima capita libri primi Regum tomos item in folio duos? Quis denique Ioannis de Pineda, Martini Delrionis, Lud. de Puente, & tot aliorum craſſiſſima volumina euoluat, quò ſenſum genuinum hauriat vnius, & non prolixi, Cantici Salomonis?

At non omnes ita luxuriantur, non omnes tam prolixè ſcribunt. Franc. Ribera, Ferd. de Salazar, Corn. à Lapide, Nic. Serarius, Gaſpar Sanctius, Iacobus Bonfrerius, & plures alij tum noſtri, tum aliorum Ordinum, breuioribus commentarijs maiorem Scripturæ partem elucidarunt. Ita profectò eſt: atque vtinam ijs qui adhuc ſuperſunt, tamdiu vires ſuppetant, quoad opus perfectum dederint, totamque Scripturam ſimilibus commentarijs illuſtrarint! Verumtamen etiam hi ipſi commentarij, vt doctiſſimi, vt omni ex parte perfectiſſimi ſint, pleriſque occupationibus (vt ferè iam omnes ſunt, in omni vitæ ſtatu,) nimis adhuc prolixi ſunt. Et optant penè communibus votis alium longè breuiorem Commentarium, qui, quoad fieri poteſt, accuratè & perſpicuè, ſed ſuccinctè, non omnes (nam multi ſat faciles, ſat obuij ſunt) ſed difficiliores locos S. Scripturæ tali modo & methodo enodet, vt à lectore, ſine nauſea, breui temporis ſpatio, nec prolixiore quàm ipſe Scripturæ textus, euolui poſſit.

Hoc votum omnium, hoc commune deſiderium, prima mihi cauſa fuit præſentis Commentarij, quem hîc vides, de nouo concinnandi, quem nihilo prolixiore ſpatio, quàm ipſamet Biblia percurrere, Lector, poſſis, tantamque ſemeſtri vno, ſi binas ternaſue quotidie horas impenderis, ſcientiam Scripturarum haurias, quanta vel ad hæreticos, & ſimiles Eccleſiæ hoſtes refellendos, vel ad ſciolos, etiam curioſiſſimos, ſatiandos, vel ad plebem è pulpito, vel ad diſcipulos è cathedra inſtruendos, opus habueris. Et quanti eſt, tantam temporis iacturam prolixioribus commentarijs euoluendis, fuiſſe hac breuitate redemptam? Sed acceſſit & altera cauſa, ſpeſque alterius vtilitatis, nihilo præcedente leuioris. Nempe, ſi ad manum eſſet eiuſmodi breuis & concinnus commentarius, fore, vt ad menſas Prælatorum ac Religioſorum, vbi ex antiquo vſu, eoque laudatiſſimo, Biblia quotidie præleguntur, idem commentarius poſt ſingula capita Bibliorum, vel, vbi hæc prolixiora ſunt, poſt dimidiata ſubnectatur. Hac enim via (vt alia commoda taceam) nullo ſuo labore inſtruentur, etiam qui in SS. litteris alioqui rudes prorſus ſunt: cùm enim audient à lectore menſæ, S. Scripturam ſibi non modò prælegi, ſed & explicari, ſine moleſtia, ſine temporis iactura, magna voluptate haurient vnà cum cibo, ſenſum & myſteria eiuſdem Scripturæ: cùm nudum alioqui textum nullo vel exiguo fructu ſæpiùs & prælegi & relegi experientia doceat. Conſuletur etiam otio aliorum qui pertiores ſunt, ſed alijs occupationibus diſtenti, ſtudio S. Scripturæ vacare non poſſunt: nam his ſaltem memoria renouabitur, noui vtileſque conceptus ſuggerentur, & varia dubia ſubnaſcentia diſſoluentur. Omnibus denique occaſio & materia dabitur, mox à menſa loco inutilium colloquiorum, de S. Scriptura, rebuſque controuerſis agendi, diſquirendi, & amicè diſceptandi.

Sed ad hæc ſufficere forſan alicui videbuntur Notæ breuiculæ, quas in vniuerſa Biblia ſubminiſtrat Gloſſa Interlinearis, vel Ordinaria, vel Nic. à Lira, vel Vatablus, vel Emanuel Sà, vel Ioan. Mariana, vel Franc. Haræus, vel Ioan. Menochius, viri ab omni ſcientia inſtructiſſimi.

Verùm & hi quoque (fidenter dico,) vt ſcopum quem ſibi propoſuerant, ſeu breuitatis affectandæ, ſeu fontium Hebræorum Græcorumque obiter elucidandorum, ſeu ſententiæ ſanctorum Patrum orbi manifeſtandæ, probè conſecuti ſunt: ſic quem nos hîc ante oculos proponimus, ſatisfaciendi etiam curioſiſſimis ingenijs, inſtruendi omnibus neceſſarijs armis pugiles fidei, idque non minùs ſolidè, quàm ſuccinctè, &, ſi placet, etiam inter epulas; non pari modo attingunt. Tentet, & periculum faciat cuicumque lubet. Ex prima pagella, ex prima linea diſcet, noſtro huic inſtituto non æquè conuenire. Non placet, præſertim accumbentibus, nuda Grammatica, ieiuna Syntaxis. Diſplicet auribus tertio quoque verbo ingeminatum, *Id eſt, Scilicet, Quaſi dicas, Sic legit Theodotion ſic Aquila, ſic R. Kimchi, ſic Onkelos, ſic Græci, ſic Chaldæus Paraphraſtes, ſic Auguſtinus, ſic Chryſoſtomus, ſic Baſilius.* Neque grata tot cõmata, tot ſectiones. Et licet ab attento lectore forſan capiantur, ſitim tamen non reſtinguunt, ſed acuunt: ab auditoribus

toribus verò, vt nimis inciſa ſubinde & hiulca, nec ſi ſepties prælegantur, capi aut intelligi poſſunt. Magis ſapit illud commentandi genus quod partim hiſtoricum, partim didacticum ſit, neque poſt penè ſingula verba diſruptum: quodque vno quaſi filo plures, mutuoque iunctas ſententias ſimul explanet. Hoc modo conſulitur non minùs audientium voluptati quàm commodo.

His igitur vt faciam ſatis, atque imprimis vt obedientiæ nutibus obſequar, præſentem Commentarium concinnandum ſuſcepi, non ex proprio ſenſu vel ingenio (abſit in re tam ſacra, tam ſublimi:) ſed ex placitis SS. Patrum & Doctorũ Eccleſiæ, ex optimis & probatiſſimis quibuſque, tum veterum, tum recentiorum ſcriptis. Et licet non ſemper, neque vbique exprimam nomina ſingulorum: (nam cui id bono?) quando tamen probatio non ex ſola ratione, aut contextu, aut ex fontibus, aut ex locis ſimilibus, ſed etiam ab auctoritate petenda erit, ſaltem in re grauiore, tum nomina Patrum, Doctorum, interpretum è quibus hauſi, exprimam: ſed verba ipſa Auctorum, niſi (quod dici ſolet) *paucis obuia, multis neceſſaria* deprehenderim, non exprimam. Auctorum libros & capita ad marginem adnotabo: ſic tædium non pariam, & tamen fontes vnde hauſerim aperiam. Cùm verò nudum Auctoris nomen adſcribam, nullo notato libro, ſcias ipſum dixiſſe illud in commentarijs ſuis ad eumdem locum. nam ſi alibi dixerit, id in margine exponam. Stylo & phraſi (ne quid etiam inde moleſtiæ,) vtar vulgari. Verbis ſuperfluis & inaniloquentia abſtinebo. Quod vno dixi loco, alibi etſi recurrat, non repetam: quo verò faciliùs reperiri poſſit quod vno loco dictum, pluribus, vbi recurrit, ſubſeruire debebit, Indicem Nominum & Rerum ad calcem operis adijciam, è quo ſtatim primo inſpectu quid quo loco expoſitum fuerit, deprehendi poſſit. Adijciam & alium Indicem Auctorum toto Commentario citatorum, qui, quales, quando vixerint, quantæ auctoritatis ſint. Denique in gratiam Concionatorum, tota Biblia, materiaſque omnes, & vtiliores conceptus in Commentario expoſitos, ad Euangelia totius anni reuocabo, & ex ijs alium Indicem concinnabo, cuius vel ſolius ductu poterunt ex hoc Commentario pluribus etiam continuis annis (ni deſit ingenium) commodè ſuas conciones colligere, & pro dignitate dicere non modò ad plebem, ſed & ad doctos & principes viros. Sed hæc per digreſſionem. Redeo ad Commentarium: in cuius decurſu litteralem ſenſum, baſim & fundamentum reliquorum, ac primariò intentum à Spiritu ſancto, vbique vrgebo & pro viribus ſtabiliam: ſic tamen vt & allegorica, & anagogica, ſubinde & moralia, (ſaltem nobiliora) & hiſtorica, quin & controuerſa cum hæreticis, Mahometanis, Iudæis denique & ſcholaſtica dubia perſtringam ac diſſoluam, breuiter quidem, ſed clarè, ſed ſolidè, nihilque omittam vel neceſſariorum, vel inſtituto noſtro vtilium. Varias lectiones ex Hebræo, ex Chaldæo, ex Septuaginta & aliorum interpretum Græco textu, & ex Rabbinis quoque, cùm operæpretium fuerit, attexam. Ex hiſtorijs ſeu Eccleſiaſticis, ſeu politicis, quæcumque ad rem facient, adnectam.

Quæſtiones de Chronologia, de Genealogijs, de Ponderibus, de Menſuris, vti ad intelligentiam S. Scripturæ neceſſariò enodandæ ſunt, & lectoribus vtiliſſimæ ſimul ac gratiſſimæ; ita auditoribus, maximè ſuper menſa & inter epulas, ingratæ ac ieiunæ eſſe ſolent. Hinc non inferam Commentario, ſed præmittam. Præmittam quoque explicationem Idiotiſmorum, ſeu proprietatum Hebraicarum Græcarumque, quæ pluribus locis occurrunt & textum ſæpè obſcurant. Pro Chronographia ſeruiet ex parte *Tabula Terræ ſanctæ*, quam Chronico præfixi. Pro alijs regionibus videri poſſunt tabulæ Geographicæ Adrichomij, Ortelij, Mercatoris. Senſus myſticos, qui vel faciles & vltrò obuij ſunt, vel nimis abſtruſi aut longè petiti, quòd ſcopo noſtro minùs conueniant, vix attingam: attingam ſemper nobiliores, & ſi quando conſtabit (vt non rarò fit,) à Spiritu ſancto intentos fuiſſe.

Denique ſic breuitati ſtudebo, vt claritati nuſquam deſim, & nauſeam ſemper vitem, & numquam omittam quod aliqua ex parte in rem noſtram facturum deprehendam.

Porrò in hoc Commentario concinnando, quàm difficilem ſubeam prouinciam, non ignoro. Neque tamen deſpero fore, cum bono Deo, vt faciam hoc in genere pleriſque ſatis. Et quibus ſatis non fuerit, aut qui aliquod erratum deprehenderint, facilè (ſcio,) excuſabunt, ignoſcentque in opere tam prolixo, tam vario, tam moleſto. Atque vtinam qui ſcientia, viribus, eloquentia, ſtylo plus valent, ſuppleant quod defuerit, corrigant quod deuiarit, quod nimis rude expoliant! Mihi non leui ſolatio

fuerit,

fuerit,tale opus vel inchoasse. Faue quicumque es lector, & amico labore vtere,fruere,& Deum,à quo omnia,pro me ora.

Quo auctore singuli libri conscripti sint, quo item tempore, qua occasione,& quid summatim complectantur, in præfatione singulorum exponetur. Auctoritas etiam quorumdam,qui ab Heterodoxis in dubium vocantur,ibidem,sublatis dubitandi causis,comprobabitur ac stabilietur. Denique quo tempore,quo ordine singula quæ his libris enarrantur gesta sint, Chronicon primis 37. capitibus edocebit.

CENSVRÆ DOCTORVM, ET CVMPRIMIS S.ROM. ECCLESIÆ OMNIA SVBIECTA VOLO.

S. SCRIPTVRÆ
STVDIOSO.

COMMODIS *tuis vt consulam, breuis ero, nec tamen obscurus, saltem assuetæ simili studio. Sed tironibus quid faciam? quid insuetis eiusmodi palæstræ? quibus tamen, vtpote magis indigis, consultum præ alijs velim. Equidem pro virili conabor vt & his non inutilis sit hic labor, dummodò ipsi sua ex parte, cum sciendi auiditate & humili ad Deum prece, debitam afferant in legendo diligentiam, in studendo sedulitatem, in modo ac methodo discretionem. Ne cursim, ne saltatim, ne carptim, vt canis è Nilo: ne perturbatè, ne tumultuariè, vt vulpes Samsonis: sed sedato animo, sed tranquillo, sed serio, sed constanti rem aggrediantur: certam sibi horam quotidie vnam alterámve præfigant, quibus liberi ab alijs studijs & curis, vni S. Scripturæ vacent. Ante omnia suadeo, Chronicon euolui, (quod idcirco primo loco posui:) dein reliqua Prolegomena, eo ordine quo scripta vides. Chronicon enim breue compendium est totius S. Scripturæ: & in eo digestam per tempora reperies totius mundi historiam, ab illo primùm condito vsque ad excisum à Tito templum, & vrbem Ierosolymitanam, & extinctam Synagogam Iudaicam: nam ad illa vsque tempora sese extendit S. Scriptura. Experientiá verò disces quantam lucem pariat concinna temporum digestio.*

Quæ de Monetis, de Mensuris, de Dimensionibus notaui, in decursu S. Scripturæ passim vsui erunt, & hoc adminiculo facilè penetrabis quæ alioquin imperuia forent. Idiotismi Hebraici & Græci fundamenta ferè continent totius Commentarij: aperiunt quæ propria sunt illis linguis: explicant phrases & tropos quibus Hagiographi sua inuoluunt: modum etiam in genere docent, è tenebris eruendi genuinum Scripturæ sensum. Vnde non rarò deprehendes in decursu Commentarij te ad hæc consulenda remitti, tamquam ad capita, fontes & faces, è quibus optatam lucem haurias. Neque aliàs possibile esset, tam breui Commentario, tam multas difficultates & tricas non iam dico enodare, sed vel aperire vel indicare.

Porrò cùm hæc vtcumque callueris, ad textum accede, euolue sacram paginam, lege animo non minùs pio & attento, quàm sciendi auido. Vbi facilis est littera, nec latent sensus mystici, percurre, nec inhæreas. Vbi mysteria latent, vel littera obscura est, vel connexio difficilis, quære, si potes, tuo marte, cogita, recogita, volue, reuolue, saltem tenta & conare. Si quid occurrat quod adlubescit, vel si post serium conatum nihil occurrat, adi Commentarium, consule quid hic censeat. Et si quidem tibi satisfecerit, adquiesce, & manda memoriæ: sin minùs, conare meliora eruere. Non deerit suus conatui fructus, & facilè erit inuentis addere. Hoc conatu, hac animi contentione mirum quantum plurimi profecerint. Proderit & cum alio eorumdem studiorum socio conferre fabulando, disputando, certando, apparentes antilogias, quæ sæpiùs in Scripturis occurrunt, in medium producendo, vrgendo, conciliando, atque hunc in finem contexui quartum Indicem. Sed omnium maximè iuuerit, quæ legeris, alios docuisse, alijs exposuisse.

Vnum moneo, ne proprio ingenio, quantumuis excellenti, nimiùm indulgeas. Corrupit illud plurimos tum veterum, tum recentiorum. Neque enim semper is genuinus S. Scripturæ sensus est, qui primùm obuius, vel studio solertis ingenij deprehensus, vel ex sono verborum arte expressus est. Ad scopum Hagiographi ante omnia collimandum: dein antecedentia & sequentia probè excutienda, & cum ijs verborum sententiarúmque conne-

connexio. Deinque in dubijs ponderanda quoque auctoritas SS. Patrum & Doctorum, prote vel contrate sentientium; quos eum in finem, saltem in rebus alicuius momenti, semper adnotabo. Quòd si hæsitare contigerit, quis citandorum Patrum vel Doctorum præponi, quis cui præferri iure debeat, adi Indicem primum quem Commentario subnectam: ibi singulorum & ætatem qua vixerunt, & doctrinam qua floruerunt, & sanctitatem qua plerique excelluerunt, & ceteras qualitates quæ auctoritati pondus faciant, expressas reperies.

Atque hæc de modo & Methodo. Iam ad materiæ delectum quod attinet, quamuis cordatum virum, & cum primis Theologum deceat, omnia nosse quæ SS. Litteris continentur: ideoque maximè probem vt ab initio ad calcem omnia ordine euoluantur: quia tamen non omnium istud otium est, non omnium iste animus; suadeo, vt quibus quisque veleget, vel oblectatur, ea primùm arripiat. Ordinibus sacris initiatus es, Horæ Canonicæ tibi quotidie legendæ, Psalmos ante omnia percurre. Pastor es animarum, concionandum sæpiùs, Euangelia reuolue, & Acta & Epistolas Apostolicas: tum Prophetas Maiores & Minores. Historijs oblectaris & Chronicis & bellis omne genus, habes Genesim, Exodum, Numeros, libros Iosue, Iudicum, Regum, Paralipomenon, Iudith, Tobiæ, Esdræ, Danielis, Esther & Machabæorum. Philosophus es, philosophicis gaudes, Physicam reperies in Genesi, in Iobo, in Ecclesiaste; Ethicam & Politicam in Exodo, in Leuitico, in Deuteronomio, in Prouerbijs, in Sapientia, in Ecclesiaste, in Ecclesiastico, Metaphysicam in ijsdem illis, sed maximè in Iobo & in Psalmis; Geometriam, Arithmeticam & alias Mathematicæ partes sparsim hinc inde reperies; mystica & symbolica in Sapientialibus passim, sed maximè in Cantico Canticorum, in Prophetis, in Apotalypsi.

Vltimum adijcio, ad solidiores fructus ex studio SS. Litterarum colligendos, expedi-ri, quæcumque legis, ad praxin referas & ad institutionem, tui cum primis, dein & aliorum. Secundum lecta mores compone, ex ijs ad vitia arguenda, ad virtutes commendandas pia monita hauri: ex ijs meditationum, & concionum, & piorum colloquiorum puncta collige: subsidia ad profectum spiritualem, ad perfectionem adminicula quære, adnota, in manibus habe, tibi, tuis applica. Si res tibi cum hæreticis, in promptu sint, quibus seu te tuearis, seu illos ferias. In hunc finem, adornaui tertium Indicem, qui præcipua prodit Scripturæ loca quibus Ecclesiæ dogmata cum hæreticis controuersa stabiliuntur. Seruet ad eadem omnia iam dicta quintus quoque Index, quo S. Scriptura reuocatur ad Euangelia & mysteria quæ toto anno in Ecclesijs pertractantur. Seruire denique poterit etiam secundus Index, Nominum & Rerum, quæ toto Commentario explicantur. Nam hic scopus, hic finis est totius S. Scripturæ, sicut & totius Commentarij. Omnis enim scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. *Hanc perfectionem tibi, studiose Lector, ex animo voueo, & me tuis precibus humillimè commendo.* 2. Tim. 3. v. 16.

An sit aliquod verbum Dei scriptum, & quale illud sit, & quibus libris comprehensum, docebo in Indice Controuersiarum in fine Tomi secundi controu. II. num. 1. 2. 3. & 4. Hîc nobis sufficiat

DE

DE CANONICIS SCRIPTVRIS DECRETVM EX CONCILIO TRIDENTINO SESSIONE QVARTA.

SAcrosancta Oecumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, hoc ſibi perpetuò ante oculos proponens, vt ſublatis erroribus, puritas ipſa Euangelij in Eccleſia conſeruetur.

Et infrà:

Sacrorum verò librorum Indicem huic Decreto adſcribendum cenſuit, ne cui dubitatio ſuboriri poſſit, quinam ſint, qui ab ipſa Synodo ſuſcipiuntur. Sunt verò infraſcripti Teſtamenti veteris, Quinque Moyſi, id eſt, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium: Ioſue, Iudicũ, Ruth: Quatuor Regum: Duo Paralipomenon: Eſdræ primus, & ſecũdus, qui dicitur Neëmias: Tobias, Iudith, Eſther, Iob, Pſalterium Dauidicum centum quinquaginta Pſalmorum, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Iſaias, Ieremias cũ Baruch, Ezechiel, Daniel: Duodecim Prophetæ minores, id eſt, Oſea, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias: Duo Machabæorum, primus, & ſecundus: Teſtamenti noui: Quatuor Euangelia, ſecundùm Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem: Actus Apoſtolorum à Luca Euangeliſta conſcripti: Quatuordecim Epiſtolæ Pauli Apoſtoli; ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri Apoſtoli duæ: Ioannis Apoſtoli tres: Iacobi Apoſtoli vna: Iudæ Apoſtoli vna: & Apocalypſis Ioannis Apoſtoli. Si quis autem libros integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt, & in veteri Vulgata Latina editione habentur, pro ſacris & canonicis non ſuſceperit, & traditiones prędictas ſciens & prudens contempſerit, anathema ſit.

HIc *locus eſſet examinandi, quàm purus, & quantæ auctoritatis ſit textus Bibliorum* Hebraicus, Græcus, Chaldaicus, Syriacus & Latinus: *Quid item ſtatuendum de* Vernaculis *tranſlationibus, & alijs huc ſpectantibus. Sed quia in Indice Controuerſiarum ſub finem tertij Tomi controuerſ. II. à num.* 5. *vſque* 10. *Item in Indice Auctorum, verbo* Chaldæa, Thalmud, Syriaca, Arabica, *hæc neceſſariò explicanda ſunt; hoc labore iam ſuperſedebimus.*

De multiplici ſenſu variorum locorum S. Scripturæ, agam eadem controuerſia num. 11. *Et exemplis id patefaciet S. Paulus ad Galatas* 4. *v.* 30. *& ad Hebræos* 13. *v.* 11. *&* 12.

De infallibili interprete dubiorum S. Scripturæ, & ſupremo iudice omnium controuerſiarum fidei, videbimus in eâdem controu. II. à num. 12. *vſque* 17. *& controu. VI. num.* 15. *&* 16.

CHRO-

breuior vel longi

verò propriè *horæ* vocabantur.

A

CHRO-

CHRONICON SACRVM
A MVNDO CONDITO
VSQVE AD EXCISAM VRBEM
ET TEMPLVM IEROSOLYMITANVM
PER TITVM.

SACRÆ enim historiæ, quæ Bibliis continetur, illustrandæ potissimùm intendere decreui: neque alia quæ ad historiam profanarum gentium pertinent, attingam, nisi obiter, vel per transennam, aut quando sacræ chronologiæ stabiliendæ necessaria vel vtilia deprehendero.

χρόνος seu temporis partes, quarum præcipuus & perpetuus vsus est, sunt *dies*, *horæ*, *septimanæ*, *menses*, *anni*, & quæ ex pluribus annis componuntur, *periodi* variæ.

CAPVT I.
De Die.

DIes alius est *naturalis*, alius *ciuilis* seu Astronomicus. *Naturalis* est tempus ab exoriente sole vsque ad solis occasum. Cuius contrarium tempus est *nox*, ab occasu solis ad ortum eiusdem.

Ciuilis dies est tempus quod ex vno cæli circumactu resultat, quo dies *naturalis* simul & *nox* continentur: νυχθήμερον Græci vocant.

Ciuiles dies ferè æquales inter se sunt perpetuò, & vbique locorum. *Naturales* variis modis inæquales inter se sunt: nam crescunt perpetuò à brumali solstitio in solstitium æstiuum: ab hoc rursus decrescunt vsque ad brumale, idque eò magis quò ad polos propiùs accedis: minùs, quò ad Æquatorem. Sub Æquatore solo tota hæc inæqualitas tollitur, vbi dies *naturales* non minùs inter se æquales sunt, quàm *ciuiles*. Eademque *noctium* naturalium est ratio.

Porrò *naturales* dies omnibus hominibus incipiunt ab ortu solis, desinunt cum occasu. *Ciuiles* non item. Nam *Hebræi*, insistentes primæ rerum creationi, quâ *tenebræ* præcesserunt *lucem*, inchoabant diem ciuilem cum *occasu* solis. Et hos secuti sunt ex Græcis *Athenienses*, & plures alij. Contrà *Babylonij* inchoabãt illũ ab *ortu* solis. Veteres *Vmbri* à meridie: veteres *Romani* à media nocte. Et Romanos ferè sequuntur iam omnes aliæ gentes.

Ita Censorinus in libello de Die natali Vrbis.

Gen. 1. v. 2. 3. 5.

Est verò & alia *Dierum* diuisio, in *sacros* seu *festos*, & in *communes* seu *profanos* dies. Illi *rebus diuinis*, hi *politicis* seu *ciuilibus* curandis destinati erant.

Festi dies apud Hebræos erant omnia sabbatha, & post egressum ex Ægypto, Pascha, Pentecoste, Scenopegia, dies Tubarum, dies Expiationis, & Neomeniæ. Progressu temporis, etiam Encænia, & quidem triplicia, prima templi à Salomone constructi: secunda per Esdram instaurati: tertia per Iudam Machabæum repurgati. Item festum memorię filiæ Iephte, Iudithę, Esthere, & deuicti Nicanoris, & quædam alia, de quibus seorsim suis locis agemus. De festis Gentiliũ vide Macrobium, Censorinum, Varronem, Ouidium & alios.

Macrob. l. 1. Saturnali. Censorin. lib. de Die natal. Varro l. 1. de Re rustica c. 37. Ouid. in lib. Fastorum.

CAPVT II.
De Horis.

VIcenæquaternæ partes vnius diei ciuilis, *horæ* vocantur. Quarum *prima* à diuersis gentibus diuersimodè inchoatur, prout singulæ diem ciuilẽ diuersimodè inchoant, vt suprà dixi. Moderni Romani à solis occasu primam inchoant, & vigesimamquartam cum sequenti solis occasu finiunt. Germani, Galli, Hispani, ceterique Europæi in duas horarum *duodenas* diem dispescunt, quarum vnam *à media nocte*, alteram *à meridie* semper inchoant. Sed horæ omnes sunt vbique & perpetuò æquales. Olim tamen apud pleraque nationes horæ erant perpetuò inæquales, prout dies naturales, quos in duodecim partes secabant, vti & singulas noctes, inæquales esse contingebat. nam æstiuo tempore diurnæ duodecim horæ erant longissimæ, nocturnæ duodecim breuissimæ: hiemali contrà. Et his horis inæqualibus quas καιρικὰς Græci vocabant, vsa ferè omnis vetustas, non in Græcia modò & Italia, sed & in Ægypto, Asia, & toto Oriente, atque imprimis in Iudæa. Deque his intelligendæ *horæ* in sacris Litteris passim memoratæ. Earum prima diei incipiebat à solis ortu: sexta finiebatur cum meridie, duodecima cum solis occasu. Prima noctis incipiebat à solis occasu: sexta finiebatur cum medio noctis, duodecima cum ortu solis.

Sed erat apud Hebræos potissimùm, alia quoque ciuilis diei distributio. putà in partes octo, quarum quatuor erant diei, & aliæ quatuor noctis; eæque nunc breuiores, nunc longiores, prout dies naturalis & nox, breuior vel longior erat. Et noctis quidem partes illæ *vigiliæ* dicebantur, nomine à vigilibus mutuato. Diei verò propriè *horæ* vocabantur.

Vigilia *prima* incipiebat cum solis occubitu: *secunda* desinebat cum nocte media: & ab eadem deinde initium sumebat *tertia*: *quarta* cum solis seu diei ortu expirabat.

Horarum diurnarum *prima* principium ducebat ab ortu solis, complectebaturque horas χαιρικὰς communes tres. *Secunda* totidem χαιρικὰς complexa inchoabatur cum fine χαιρικῆς tertiæ, vocaturque hora *tertia*, & finiebatur cum meridie. Quæ deinde sequebatur totidem χαιρικὰς continens, quia incipiebat à meridie, in qua χαιρικὴ sexta numerabatur, *sexta* & ipsa *hora* vocabatur. Vltima denique, quòd inchoaretur à χαιρικῆ seu communi nona finiente, *nona* hora dicebatur, durabatque vsque ad finem duodecimæ communis, seu vsque ad solis occasum. ita Censorinus, Ianssenius, Maldonatus, Baronius, &c. Et secundùm hunc calculum dicit S. Marcus Christum Dominum crucifixum fuisse *hora tertia*, quem Joannes dicit *hora quasi sexta* à Pilato damnatum fuisse ad crucem. Nempe necdum effluxerat *tertia*, cùm penè instaret *sexta* hora.

Censorinus sup. c. 23. Iansen. in Concordia, cap. 142. Maldonat. in Euangel. — *Marc. 15. v. 25. Ioan. 19. v. 14.*

CAPVT III.

De Hebdomade.

Ἑβδομὰς, latinè *Septimana*, systema seu compositio est dierum septem perpetuò in orbem recurrens. Cuius vsus ab ipso Deo, sub prima mundi exordia institutus, ab Hebræis sanctè semper obseruatus, à multis etiam alijs gentibus, in Oriente præsertim receptus: cum christianismo verò per vniuersum penè orbem propagatus, festiuitate Sabbathi in sequentem diem translatâ. Eius dies *Feriæ* dici consueuerunt, hoc ordine, *prima, secunda, tertia, quarta, quinta, sexta, septima feria.* Quæ à Gentibus vocabantur *dies Solis, Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis, Veneris, Saturni.* Ab Hebræis subinde *Sabbatha* dicebantur. v.g. *vna sabbathorum*, Marci 16. v. 2. Subinde hebdomas ipsa *Sabbathum* vocabatur; hinc *Vna sabbathi, Prima sabbathi, Ieiuno bis in sabbatho.*

Baronius anno 34. Christi num. 163. — *Luca 24: v. 1. Ioan. 20. v. 1. Marci 16. v. 9. Luca 18. v. 12.*

CAPVT IV.

De Mense.

Censorinus sup.

ETiam *mensium*, inquit Censorinus, alij *naturales* seu *cælestes* sunt, alij *ciuiles* seu forenses. Naturaliũ species duæ: nam quidam *solares* sunt, quidam *lunares* menses. *Solaris* fit mensis dum sol vnumquodque in Zodiaco signum percurrit. estque pars anni solaris duodecima. & fit nunc 30. nunc 31. diebus, prout sol signa Zodiaci quædã citiùs, quædam seriùs permeat. *Lunaris* mensis est temporis spatium ab vno nouilunio ad alterum nouilunium, seu (vt alij loquuntur) à synodo seu congressu cum sole ad synodum. quod fit 29. diebus cum medio, plus minus. *Ciuiles* menses vocantur numeri dierum, quos quæque gens, imò quæque ciuitas pro placito vel ex veteri instituto obseruabat, v.g. Romani ab vnis Kalendis suis ad alias Kalendas, Græci à suis Neomeniis ciuilibus seu fixis ad similes Neomenias. De his, quia singularum gentium, imò penè singularum ciuitatum, proprij fuerunt, & pro ratione variorum temporum varij, frustra hîc dissererem. De solis ergo *naturalibus* agam, qui vt antiquissimi, sic omnium gentium communes sunt. Et quidem *lunarium* præcipuus vsus apud omnes fuit, quorum hæc nomina, & hic ordo,

	apud Hebræos ante captiuitatem Babylonicam.	apud Hebræos post captiuitatem.	Syros veteres.	Chaldæos & Ægyptios.	Atticos seu Athenienses.	Macedones & alios Græcos. *quorũ vsus est in libb. Machabæorũ & tota Syria.*	Arabes, & nunc quoq; Turcas, &c.	Romanos.
Hi tres primi mẽses respõdent veri.	Primus, qui & Abib, *Exod. 13. v. 4.*	Nisan.	Nisan.	Phanemoth.	Ἐλαφηβολιών.	Ξανδικός.	Muharram.	Martius.
	Secundus, qui & Zius. *3. Reg. 6. v. 1. & 37.*	Iiar.	Iiar.	Pharmuthi.	Μεσυνχιών.	Ἀρτεμίσιος.	Sephar.	Aprilis.
	Tertius,	Siuan.	Haziran.	Pachan.	Θαργηλιών	Δαίσιος.	Rabie prior	Maius.
Hi tres æstati.	Quartus,	Tamuz.	Tamuz.	Payni.	Σκιροφοριών.	Πάνεμος.	Rabie posterior.	Iunius.
	Quintus,	Ab non Abib.	Ab.	Epiphi.	Ἑκατομβαιών. *Ioseph. l. 12. Antiq. cap. 7.*	Λῶος.	Guimedi prior.	Quintilis, postea Iulius.
	Sextus,	Elul,	Ilul.	Mesori.	Μεταγειτνιών.	Γορπιαῖος.	Giumedi posterior.	Sextilis, postea Augustus.
Hi autumno.	Septimus, qui & Ethanim, *3. Reg. 8. v. 3.*	Thisri.	Thisrin prior.	Thoth.	Βοηδρομιών.	Ὑπερβερεταῖος.	Regab.	September.
	Octauus, qui & Bul, *3. Reg. 6. v. 37.*	Marchesuan.	Thisrin posterior.	Paophi.	Πυανεψιών.	Δῖος.	Schaben.	October.
	Nonus,	Casleu.	Conun prior.	Athyr.	Μαιμακτηριών.	Ἀπελλαῖος.	Ramadhan.	Nouember.
Isti hiemi.	Decimus,	Thebeth	Conun posterior.	Choiac.	Ποσειδεών.	Αὐδυναῖος.	Schevval.	December.
	Vndecimus,	Sebeth.	Aschbat.	Tybi.	Γαμηλιών.	Περίτιος.	Dulkaida.	Ianuarius.
	Duodecimus,	Adar.	Adar.	Mechir.	Ἀνθεστηριών.	Δύστρος. qui *2. Mach. 11. v. 21.*	Dulchagia.	Februarius.

Dioscorus, græcè Διοσκόρινθιος vocari videtur. Hunc mensem respondere Hebræo Adar affirmat Iosephus l. 12. Antiq. c. 17. Sic & Nisan Xanthico, &c. idem docet lib. 1. Antiq. c. 4. l. 2. c. 5. l. 3. c. 10. &c.

Consta-

ines duode-
ubinde for-
iora.
inares, putà
i menſes ſo-
ſomenias &
uoque anno
batur, erat-
abatur *Adar*
:us, ex hoc
rtius menſis
imili aliqua
. Et vtuntur
aulatim Pa- *Maffeius l.6.Hiſt. Indicar. ſolaribus. Nic.Tri-gaut. in biſt. Indica.*
qualis,non
ari
,vtſuprà di-
ſemper in-
parte,incur-
rè partibus
atè pertra-

Clauius de correct. Kalendarij. Scalig.de Emendat. tempor.

ſes cæleſtes
i & *Tropicus*
mnali;ſol-
lequein his
Hebræos,
Filium Dei,
roceſſerunt
identur ſeſe
thorh,qui li-
calationem
ium tempo-
egreſſi ſunt,
is principium
ſomeniæ &
ſſum ex Æ-
ũ Taberna-
ò iuxta cal-
bicus annus,
, & alios ſi- *Ioſeph.li.1. Antiq.c.3. Philo lib. de Mundi opificio & l.de Decalogo.*
is. Et de Iu-
inè,ſi à vere
per duobus
eſſis iam ad-
ne,atque ita
eu quinqua-
o quadrien-
eſſis peribat.
ti caſui pro-
bræorum.

ſitos menſes,Ianuariũ & Februariũ anno inſeruit. Nam antè videntur ſolùm decem menſes,ſed prolixiores,fuiſſe in anno Romano,vt facilè colligere eſt ex nominibus menſiũ *Quintilis* & *Sextilis*:item *September*,& *December*. Niſi dicas, vndecimum menſem tum vocatum fuiſſe *Vndecembrem*,& duodecimum *Duodecembrem*:

Vigilia
tium ſume
Horaru
munes tre
pertia, &
meridie, ir
à χαμηκῆ ſe
munis, ſeu
calculum
ſexta à Pil

Cenſorinus ſup. c. 23. Ianſen. in Concordia, cap. 142. Maldonat. in Euangel. Baronius anno 34. Chriſti num. 163.

EBδομὰς
Vſus at
iam alijs g
pagatus,
prima, ſecu
Mercurÿ, Io
Subinde l

Cenſorinus ſup.

ETiam
duæ: n
diaco ſign
Zodiaci q
terum nou
bus cum m
pro placito
ſuis Neom
larum ciui
ergo *natur*
puus vſus

ante cap
uitatem
Babylo

Hi tres primi mẽſes reſpõdent veri.
- Primu *Exo*
- Secun 3. *Re*
- Tertii

Hi tres æſtati.
- Quart
- Quint
- Sextus

Hi autumno.
- Septin nim,
- Octau 3. *Re*
- Nonus

Iſti hiemi.
- Decim
- Vndec
- Duode

Diosporus, græce διοσπολίτης vocatur. Vide-
tur. Hunc menſem reſpondere Hebræo Adar affirmat Ioſephus l. 12. Antiq. c. 17.
Sic & Niſan Xanthico, &c. idem docet lib. 1. Antiq. c. 4. l. 2. c. 5. l. 3. c. 10. &c.

Conſta-

Constabant porrò menses isti lunares ferè alternis nunc 29. diebus, nunc 30. vniuersim omnes duodecim simul 354. diebus.

Mensium solarium ferè eadem erant nomina apud easdem gentes: nisi quòd apud Græcos subinde sortirentur nomina duodecim signorum Zodiaci, quæ sunt:

Κριών.	Aries.	Καρκινών.	Cancer.	Ζυγών.	Libra.	Αιγων.	Caper.
Ταυρών.	Taurus.	Λεοντών.	Leo.	Σκορπιών.	Scorpius.	Υδρών.	Amphora.
Διδυμών.	Gemini.	Παρθενών.	Virgo.	Τοξών.	Arcitenens.	Ιχθυων.	Pisces.

Et iam ferè soli in vsu sunt menses solares. Qui quia paulò pluribus diebus constant quàm lunares, putà vel 30. diebus, vel 31. singuli: simul verò omnes duodecim conflant dies 365. atque ita duodecim menses solares totis vndecim diebus longiores sunt lunaribus; hinc veteres, vt suum annum lunarem & neomenias & Kalendas aliquo modo ordinarent cum cursu solis, adhibebant nunc secundo, nunc tertio quoque anno ἐμβολισμὸν seu intercalationem vnius mensis; & is annus inde ἐμβολιμαῖος seu intercalaris dicebatur, eratque tredecim mensium lunarium. Porrò decimustertius illius anni mensis apud Hebræos vocabatur *Adar secundus* vel *posterior*: vel *Veadar*, vel *Adar repetitus*. Quotus verò annus deberet esse emboliſmaticus, ex hoc Hebræorum canone colligi poterat: *Ter, ter, bis, ter, ter, ter, bis*. Id est, intercalandus est decimustertius mensis anno 3.6.8.11.14.17.19. Ergo annis nouemdecim inferebantur septem menses intercalares. Et simili aliqua intercalatione vtebantur etiam aliæ nationes, vt annum *lunarem* cum *solari* aliquando æquarent. Et vtuntur etiamnum *Chinenses*, teste Maffeio & Trigautio. Et verò nisi fieret similis aliqua intercalatio, paulatim Pascha & Pentecoste, & cetera festa æstiua in mediam hiemem demigrarent.

Maffeius l.6. Hist. Indicar. Nic. Trigaut. in hist. Indica.

Ceterùm, quia hæc intercalatio, & consequenter mensium *lunarium* cum *solaribus* æquatio talis qualis, non fiebat nisi secundo vel tertio quoque anno; hinc menses *lunares* non poterant ad amussim adaptari *solaribus*. v.g. mensis *Nisan*, qui primus erat Hebræorum, etsi responderet Martio Romano antiquo lunari, vt suprà dixi, tamen non poterat respondere per omnia moderno nostro mensi solari Martio, seu in quem semper incidit æquinoctium vernum: quia luna illa, cuius plenilunium afferebat Pascha, nunc maiore sui parte, incurrebat in Aprilem, nunc in Martium: vt etiamnũ incurrit. Vnde menses singuli lunares, duabus ferè partibus duorum mensium solarium perpetuò respondebant, vti etiamnum respondent. Vide hæc accuratè pertractata apud Christophorum Clauium, Josephum Scaligerum, & alios Mathematicos.

Clauius de correct. Kalendarij. Scalig. de Emendat. tempor.

CAPVT V.

De Anno, & multiplici Æra annorum.

VT iam vidimus, alius est *lunaris* annus, alius *solaris*. Annus *lunaris* est duratio quâ luna menses cælestes seu naturales duodecim conficit, id est duodecies cum sole congreditur. Annus *solaris*, qui & *Tropicus* dicitur, est temporis spatium, quo sol totum Zodiacum permeat.

Quatuor constat punctis notabilioribus: æquinoctio verno: solstitio æstiuo: æquinoctio autumnali: solstitio hiemali. A quibus punctis *ver*, *æstas*, *autumnus* & *hiems* secundum Philosophos inchoantur. Neque in his est vlla controuersia.

Solùm notandum, apud diuersas nationes à diuersis anni punctis annum inchoari solere. Apud Hebræos, qui veris mundi natalibus inhærebant, vti & nos in hoc Chronico, saltem vsque ad incarnatum Filium Dei, inhærere decreuimus, annus inchoabatur ab æquinoctio verno. Et secundùm hunc calculum processerunt omnes anni à condito mundo vsque ad ingressum Hebræorum in Ægyptum. In Ægypto verò videntur sese accommodasse calculo Ægyptiorum, qui annum suum inchoabant vnà cum Chaldæis à mense *Thoth*, qui licet (vt dicam c.34.) vagus ellet, & paulatim per totum annum discurreret (ob neglectam intercalationem vnius diei quarto quoque anno more nostri bissextilis) tamẽ cùm Hebræi in Ægypto degerent, tum temporis respondebat mensi septimo Hebræorum, & ferè nostro Septembri. Sed simulatque Ægypto egressi sunt, iussit Deus Hebræis, vt caput anni sui rursus à vere accerserent, Exodi 12. v. 2. *Mensis iste* Nisan *vobis principium mensium primus erit in mensibus anni*. Quod intellige de *anno sacro*, secundùm quem festa anni & neomeniæ & sacra omnia componi debebant. Nam *ciuilis* Hebræorum *annus* non minùs post, quàm ante egressum ex Ægypto, semper à *Thisri* seu septimo mense inchoari consueuit, vt colligitur Exodi 23. v. 16. vbi festũ Tabernaculorũ dicitur celebrandum *in exitu anni*, putà *ciuilis*: vel *redeunte anni tempore*, cap. 34. v. 22. Porrò iuxta calculum hunc anni ciuilis omnes ciuiles contractus ac politica negotia dirigebantur. Imò & *Sabbathicus* annus, & *Iubilæus*, etsi sacri, quia tamen etiam multos contractus ciuiles venditionis, elocationis, mutui, & alios similes tangebant, à mense Thisri seu septimo inchoabãtur, teste Iosepho, Philone, & alijs Rabbinis. Et de Iubilæo id expressè decernit Deus Leuitici 25. v. 9. & 10. De Sabbathico autẽ eadem est ratio. Et sanè, si à vere inchoati fuissent isti anni, cùm abstinendum tunc esset ab omni satione & messe, debuissent semper duobus continuis annis Hebræi sua messe carere. Nam inchoato anno Sabbathico à vere, non potuisset messis iam adulta demeti, sed in agris relinquenda fuisset: proximo quoq; autumno abstinendum erat à satione, atque ita sperari nõ poterat proxima seu æstate seu vere vlla messis. Quid si tunc sequenti anno Iubilæus seu quinquagesimus annus superueniisset, aut biennio Sabbathicum præueniisset, vt subinde fiebat; nonne toto quadriennio Hebræi messe caruissent; At incipiendo ab autumno, vna sementis, & vna solummodo messis peribat. numquam verò duæ, nisi quando Sabbathicus annus anno Iubilæo proximè iungebatur. Sed isti casui prospiciebat tum Deus inusitata fertilitate & prouentu anni præcedentis. Et hæc de initio anni Hebræorum.

Ioseph. li. 1. Antiq. c. 3. Philo lib. de Mundi opificio & l. de Decalogo.

Anni Romanorum inchoabantur à Kalendis Ianuarij, ex quo tempore Numa Romuli successor duos istos menses, Ianuariũ & Februariũ anno inseruit. Nam antè videntur solùm decem menses, sed prolixiores, fuisse in anno Romano, vt facilè colligere est ex nominibus mensiũ *Quintilis* & *Sextilis*: item *September*, & *December*. Nisi dicas, vndecimum mensem tum vocatum fuisse *Vndecembrem*, & duodecimum *Duodecembrem*:

quæ nomina Numa in *Ianuarium* & *Februarium* commutarit Quo casu saltem fatendum esset, annum Romanum ante Numæ tempora non post *Decembrem*, sed post *Duodecembrem*, putà à Martio, inchoatum fuisse. Nam alioqui nomina *Quintilis* & *Sextilis* in Iulium & Augustũ non quadrassent. A tempore ergo Numæ cœput anni Romani à primo die Ianuarij subdúci cœptum. A quo eodem & anni Iuliani exordiũ sumpserũt tempore quarti consulatus Iulij Cæsaris, quo Kalendarium Romanum iussu ipsius reformatum est, vt dicam c.44. Ab eodem die cœperunt & anni *Aera* Augusti *Hispanica*: quæ fluere cœpit ab anno Iuliano octauo Appio Claudio, & C. Norbano Coss. Cuius æræ sæpè meminerunt sacra Concilia in Hispaniis celebrata, & illustrissimus Cæsar Cardinalis Baronius, & Chronologi passim, de qua agam eodẽ c.44. Ab eodẽ die inchoati sunt quoque anni, qui dicebantur *Augustorum*, cùm Augusto VII. & Agrippa III. Coss. Octauianus Imper. primùm nomine Augusti decoratus est, anno Iuliano 19. vt dicam eodem c.44. Ab eodem incipiunt etiam Cycli solis & lunæ, & Epactæ. Ab eodem die placuit etiam Ecclesiæ Romanæ exordium Æræ vulgaris seu Dionysianæ Christi, & *Indictionis* Pontificiæ desumere. Et hanc sequitur iam orbis penè vniuersus.

Anni *regni Græcorum*, seu *Seleucidarum*, qui cœperunt duodecim annis & aliquot mensibus post mortem *Alexandri Magni* qui & *Alexandræi* subinde dicuntur, quorum frequens mentio in lib. 1. Machabæorũ, initium sumunt ab æquinoctio verno. fortè quia tunc diuictò Antigono rege Minoris Asiæ, Seleucus totius Syriæ imperium obtinuit. Vide c.40. Ab autumnali æquinoctio inchoabantur anni *Antiocheni*. (de quibus in eodem c.40.) qui post tredecim annos & 8. menses à morte Alexandri Magni cœperunt, nempe sesquianno seriùs quàm anni Græcorũ Alexandræi: & à Ptolemæo vocantur anni *Chaldæi* vel *Chaldæorum*: & illis vtitur auctor lib. 2. Machabæorum, qui ferè semper sesquianno posterior est auctore libri primi: nam hic, vt dixi, sequitur calculum Alexandrinorum, ille Antiochenorum & Chaldæorum.

Ptolem. l. 11. Almagesti c.7.

Simili modo anni *Hebdomadum Danielis*, de quibus c.38. inchoantur ab æquinoctio autumnali. A quo etiam inchoantur anni *Indictionis* Romanæ, seu Constantinianæ, vel Imperatoriæ. Quæ Pontificiam Indictionem toto semper trimestri & aliquot diebus præcurrit.

Initio mensis Octobris inchoantur anni imperij Domus Austriacæ, quod illa primùm adepta est anno Christi 1273.

Anni conditæ primùm vrbis Romæ, si quando secundùm illos calculi subducuntur, incipiunt à 21. die Aprilis, quando Palilia vrbis à Romulo primùm fixa fuere. Quod contigit secundùm Varronem, Olympiadis sextæ anno tertio exeunte. vide infrà cap. 32.

Anni Ipniti, & Olympiadum incipiebant à solstitio æstiuo, quo celebrabantur ludi Olympici. Porrò prima Olympias cœpit anno mundi 2250. vt dicam infrà c.31.

Initium annorum quartæ & vltimæ *monarchiæ*, putà *Romanorum*, est 29. Augusti. quando è viuis sublato Antonio cum Cleopatra, Augustus plenam nactus de reliquiis Græcorum victoriam, quam anno præcedente ad Actium inchoarat, florentissimam olim monarchiam Græcorum transtulit ad Romanos, anno 16. Iuliano, Augusto IV. & Crasso Coss. tum enim cœpit Augustus solus rerum potiri, & monarcha esse, vt dicam c.44. Idem dies 29. Augusti dedit initiũ annis *Aeræ Martyrum* seu *Diocletianæ*: quæ cœpit anno vulgaris æræ Christi 284. Plura de his qui volet, adeat suprà citatos, Ptolemæum, Censorinum, Macrobium, Scaligerum, Christophorum Clauium, & alios Mathematicos.

Porrò hæc diuersa diuersorum annorũ à diuersis anni punctis inchoatio facilè dissoluit nodos Chronologorum alioqui inextricabiles, dum vnus vno anno, alter altero, tertius tertio vnam eamdemq; rem consignat; verè tamen omnes, sed diuerso respectu. vt videre est in anno conditæ vrbis Romæ, infrà c.32.

CAPVT VI.

De Periodis annorum.

PERIODI vocantur certi annorum numeri, qui in orbem redeunt. Quos idcirco excogitauit antiquitas, vt certiùs de tempore rerum gestarum posteris constaret. In Græcia erant famosæ τετραετηρίδες, & in his celeberrimæ *olympiades* Eliacenses, de quibus vide infrà cap. 31. Erat & ἐννεακαιδεκαετηρὶς, annos complexa 19. solares, quam Metoni asscribunt; sed est Metone vetustior. Quâ etiamnum Ecclesia Romana vtitur, & vocat *cyclum decemnouennalem lunæ*, vel *aureum numeri*. Cuius vsus explicatur tũ apud suprædictos Auctores: tum initio Breuiarij, & Martyrologij Romani. Vti & *cycli solaris* 28. annorũ: & *Indictionis* Constantinianæ, ac Pontificiæ: & *Epactarum*, & plurium aliarũ periodõ, quibus tamquã fidis custodibus intacta seruatur temporum series.

Apud Hebræos duæ erant præ cæteris notabiles de quibus infrà cap. 21. vna quæ ἑβδομὰς *annalis* dici poterat, eratque circulus septem annorum, quorum vltimus erat *annus sabbathicus*, quo terra ab omni cultura quiescere iubebatur. Altera *Iobel* hebraicè vel *iubilæum* vocabatur, eratq; circulus 50. annorũ, quorũ vltimus annus erat *iubilæus*, quo non solùm terra à cultura quiescebat, sed insuper etiã æs alienũ remitti, & serui dimitti debebant. de quibus vide Exodi 23. Leuitici 25. Vtraque periodus cœpit ab eodem capite, nempe ab autumnali puncto primi anni, quo Hebræi terram Chanaan duce Iosue obtentam primùm colere cœperũt, id est anno mundi 2584. vt dicam eodem cap. 21.

Et si hæ periodi constanter à Iudæis obseruatæ, atque in historiis annotatæ fuissẽt, (vt annotatæ sunt paucæ, de quibus infrà in fine c. 21.) maximam chronologiæ veteri lucem afferrent. Sed cùm vix vmquam illarum fiat mentio, & Prophetæ nonnũquã redarguant Hebræos, quòd Sabbathicos annos negligerent; verisimile est, non nimis religiosè, potissimùm sub impiis regibus ac pontificibus quibusdam, prædictas periodos obseruatas fuisse.

De Romano *lustro*, *sæculo*, & *ludis sæcularibus*, aliisque eiusmodi etiam aliarum gentium *periodis*, vide suprædictos Auctores.

Michol, 1. Reg. 18. v. 27. *nullas suscepit proles, 2. Reg. 6. v. vlt.*

Achinoam *Iezraelitide, 1. Reg. 25. v. 43. genuit* Amnon *primogenitum suum, 2. Reg. 3. v. 2.*

Abigail *vidua Nabal, 1. Reg. 25. v. 42.* Cheleab *secundogenitum, 2. Reg. 3. v. 3. Qui 1. Par. 3. v. 1. vocatur* Daniel.

Maacha *filia Tholmai regis G 2. Reg. 3. v. 3.*

Absolon *tertiogenitum cui filij tres & Thamar so filia, 2. Reg. 14. v. 27.*

Simmaa *vel* Samua, *2. Reg. 5. v. 13.*

SALAMON, *ex vxore N*
ROBOAM, *3. Reg. 11. C*
ABIA, *c. 15. v. 2. ex Maa*
ASA, *v. 10. ex* Azuba *filia*
IOSAPHAT, *cap. vlt. v.*
IORAM, *ex* Athalia *filia*

Iosaba *que fuit vxor Ioiadæ pontificis, 4. Reg. 11. v. 2.*

OCHOZIAM, *4. Reg. 8*
IOAS, *4. Reg. 11. v. 4. ex*

Amos *fratrem Amasiæ, cuius filius* Isaias *Propheta, Isaiæ 1. v. 1.*

AMASIAM, *c. 14. v. 2.*
AZARIAM, *alias* Ozia
Ieruſa *filia Sadoc.*
IOATHAM. *cap. 15. v.*
ACHAZ. *cap. 16. v. 1. c:*
EZECHIAM, *ibid. v. 1*
MANASSEN, *c. 20. v.*

Ex fratribus Amon *prognati* Daniel, Ananias, Misael *&* Azarias *nepotes Ezechiæ, Isaiæ 39. v. 7.*

AMON, *cap. 21. v. 18. ex*
IOSIAM, *v. vlt. & c. 22*

Sellum, *qui & Ioachaz.*

Sedeciam,

IOAKIM, Iohanan.
IOAKIN, *seu* Iechonias
cap. 24. v. 6.

1. Paral. 3. v. 10.

Matth. 1. v. 6. & seq.

SALATHIEL.
|
ZOROBABEL, *1. Esd.*
ABIVD.
ELIACIM,
AZOR.
SADOC.
ACHIM.
ELIVD.
ELEAZAR.
MATHAN.
eius vxor Maria *de tribu Iuda.*
Proles b

Assir. Melchiram. Phadaia. Zorobabel { Mosolla. Hanania. Senneser. { Salomith. Iecemia. Sama. Nadabia.

1. Paral. 3. v. 19.

Maria *ex qua* Salome.

Sobe *ex qua* Elisabeth *vxor Zachariæ, mater Ioannis Baptistæ.*

Salome. *hæc fuit vxor* Zebedæi, *mater*

Maria. *Matth. 28. vers. 1.*

Iacobus. *Marc. 15. v. 40.* Minor *dictus. Actor. 1. vers. 13.* Iacobu Alphæi. *Ad Gal. 1.* Frater Domini, *Episcopus primus Ier*

Iacobi, *cognomento* Maioris. d

Ioannis *Euangelista.*

b *De his quatuor prolibus Mathan ita habent Menologia Græcorum 8. Septembris, quorum vsus apud ipsos est in communi Ecclesiastico Officio* Et *huic sententiæ subscribunt* * *Ioannes Annius Viterbiensis, Ioannes Lucidus, Petrus Galatinus, Georgius Vicelius, Caietanus, Liranus & aly. Secundum quos dicendum, S. Matthæum digessisse paternam genealogiam S. Ioseph, & maternam B. Virginis; S. Lucam verò (qui proprius est scriba B. Virginis) paternam eiusdem genealogiam contexuisse. Et sic Ioseph filius vocatur Heli, quia gener ipsius. Quamquam dici etiam posset, illud Lucæ 3.* Qui fuit Heli, *non referri ad Iosephum, sed ad Christum, hoc modo* ὢν, ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ, τοῦ ἡλὶ, *&c. id est,* qui erat (vt putabatur filius Ioseph) filius Heli, *&c. Sic Elizabeth & Salome consobrinæ fuerunt Deiparæ, neptes S. Annæ ex sororibus.*

* *Ioannes Annius in Comment. Philonis. Lucid. Galatin. &c. in lib. contra Iudæos. Caiet. Liran. & alij in cap. 3. Lucæ.*

c *De Cleophæ filiis ita docent Egesippus, Eusebius, Epiphanius, Chrysostomus, Theodoretus, Beda, Nicephorus & alij citati à Christophoro Castrio cap. 1. Historiæ B. Virginis.*

d *De Salome eiúsque marito & filiis ita tenent Origenes, Epiphanius, Auctor imperfecti, Theophylactus, Euthymius & alij apud Christophorum Castrium sup. pag. 39. Et S. Marcus c. 15. v. 40.* Salomen *nominat, quam S. Matth. c. 27. v. 56. vocarat* matrem filiorum Zebedæi.

ICON SACRVM.

DAVID REX
ex vxore

Haggith. | BETSABEE | Adoniam
2.Reg.3.v.4. | vxor Vriæ. | quartogenitum.
1 Paral.3.v.5.

NAT
MA
MEN
MEL
ELI
ION
IOS
IVDA
SIM
LEV
MAT
IOR
ELI
IESV
HER
ELM
COS
ADD
MEL
NER
SAL
ZOR
RES
IOA
IVD
IOS
SEM
MA
MA
NA
HES
NA
AM
MA
IOS
IAN
ME
LE
MA

Luc. 3.v.23.&seqq.

Anna, *quæ nupsit* HE
Ex his procreata est

Ioseph. *cui nupsit* MARIA,
ex qua
IESVS CHRISTV

Iudas. | Sim
Frater Iacobi, initio Epistolæ Iudæ & Actor.1. v.13. & Lucæ 6.v.16. cognomine Thaddæus *Matth.10.v.3. aliàs* Lebba | *Iacobi f vt Apol sti 109 celebre*

que mundi diem.
annis 1656.
annis 887.
Salomonis, quo condi
annis 480.
rauit vsque ad de-
annis 452.
d Messiæ aduentum,
annis 525.
4000.
ium, & interitum

sque in perpetuas

nem ant primi Adæ natus
iin, & soror eius Calmana.
o. natus ei Abel cum so-
Delbora.
9. vitæ suæ exacto occisus
à Cain.
15. Enochia ciuitas à Cain.
Ita Salianus, sed citiùs cõ-
volunt quidam Hebræi,
anus Massæus, & Scultetus.
ch viuus etiamnum super-
paradiso. vide Gen 5.v.24.
aundi 1556. fortè contigit
te diluuium grauiter que-

& Cham & Iapheth dein-
.10.v.21. vbi Sem frater
do biennio post diluuium
gi excepto Mariano, Scoto

cator initiũ Mun-
quod sciam) nemo
supercst dubita-
am rationẽ à Deo
abilis futura erat
oga, tunc Ecclesia
im denique, quia
illud Psal.73.v.12. *Ioseph l.1.*
n: in medio gentium Antiq.c.3.
em habitant, om- *Scalig.l.5.*
Ergo respectu no- *Emend. &*
sephus & quidam *sup.c.de cõ-*
Caluisius, & reli- *ditum mũ-*
t plenæ fructibus *di.*
it annum suum ab *Vbbo Tem-*
v.2. Tertiò, verisi- *perarius*
& inundationibus *Caluisius*
.8.v.5. & seqq. At- *in Chroni-*
rgo. *cis.*

Sed

Michol,1.Reg.1
nullas ſuſcepit prol
2.Reg.6.v.vlt.

b De *his quatuor pr*
8.*Septembris,quorum vſu*
huic ſententiæ ſubſcribun
Petrus Galatinus,Georgius
dicendum, S.Matthæum d
ternam B.Virginis; S.Luc.
nam eiuſdem genealogiam
generipſius. Quamquam
referri ad Ioſephum,ſed
οὐφ, τοῦ ἡλὶ, &c. *id eſt,*
Heli,&c. *Sic Elizabeth*
S.Anna ex ſororibus.

c De *Cleophæ fil*
Epiphanius,Chryſoſt
rus & alij citati à C
B.Virginis.

d De *Salome eiúſque*
Origenes,Epiphanius, Au
lactus,Euthymius & alij
ſtrium ſup.pag.39.Et S.I
S.Matth.c.27.v.56. voc

* *Ioannes Annius in Comment. Philonis. Lucid. Galatin. &c. in lib. contra Iudæos. Caiet. Liran. & alij in cap.3. Lucæ.*

CAPVT VII.

De sex ætatibus mundi.

SIc tempus omne distinguo, quod à condito mundo effluxit, effluetque ad vltimum vsque mundi diem.

Prima ætas mundi cœpit ab *Adamo*, & durauit vsque ad *finem diluuij*, annis 1656.

Secunda cœpit à *fine diluuij*, & durauit vsque ad *egressum Hebræorum ex Aegypto*, annis 887.

Tertia cœpit ab *egressu Hebræorum* ex Ægypto, & durauit vsque ad *quartum annum* regni *Salomonis*, *quo condi cœptum templum*, annis 480.

Quarta cœpit à *quinto anno* regni *Salomonis* seu secundo anno ab inchoato templo, & durauit vsque ad destructum & exustum idem templum; vel potiùs vsque ad *finem captiuitatis Babylonicæ*, annis 452.

Quinta cœpit à *relaxata captiuitate* Iudæorũ, & *initio monarchiæ Persicæ*, & durauit vsque ad *Messiæ aduentum*, seu incarnatum Filium Dei, annis 525.

4000.

Sexta cœpit à *primo Christi aduentu*, durabitque vsque ad *secundum* illius *aduentum* ad iudicium, & interitum vniuersi. De quo die nemo scit.

Septima non iam in *mundo*, sed in *cælo* inchoabitur ætas à die extremi iudicij, duratura vsque in perpetuas *æternitates*.

CAPVT VIII.

PRIMA MVNDI ÆTAS,

Ab Adamo, ad finem diluuij: durauit annis 1656.

	genuit cùm vixisset annis totis	Post superuixerunt alijs annis	Ergo vniuersim vixerũt annis vt patet exc. 5. Ge.	Mortui sunt ergo an. finiente à condito mundo	
Adam	130.	800.	930.	930.	Ante finem ann primi Adæ natus illi Cain, & soror eius Calmana.
Seth	105.	807.	912.	1042.	
Enos	90.	815.	905.	1140.	Anno 30. natus ei Abel cum sorore Delbora.
Cainan	70.	840.	910.	1235.	
Malaleel	65.	830.	895.	1290.	Anno 99. vitæ suæ exacto occisus Abel à Cain.
Iared	162.	800.	962.	1422.	
Henoch	65.	300.	365.	987.*	Anno 115. Enochia ciuitas à Cain. cõdita. Ita Salianus, sed citiùs cõditam volunt quidam Hebræi, Christianus Massæus, & Sultetus.
Mathusala	187.	782.	969.	Translatus in paradisum. 1656.	*Henoch viuus etiamnum superest in paradiso. vide Gen. 5. v. 24.
Lamech	182.	595.	777.	septẽ diebus ante diluuiũ. 1651.	Anno mundi 1556. fortè contigit bellum Atlanticum, Platonis. Nempe 100. annis ante diluuium grauiter queritur Deus de malitia mortalium, Gen 6.

Noë, annũ vitæ suæ 600. cum egit in arca, Gen. 7. v. 11. & c. 8. v. 13. & 14.

1656.

Sem primogenitus Noë nascitur anno Noë 503. & Cham & Iapheth deinceps. Colligitur ex Gen. 11. v. 10. collato cum Gen. 10. v. 21. vbi Sem frater maior Iapheth dicitur 100. annorum fuisse, quando biennio post diluuium genuit Arphaxad. Ita passim interpretes chronologi excepto Mariano, Scoto & chronico Alexandrino.

CAPVT IX.

Quo anni tempore mundus creatus est? autumnaline æquinoctio, an verno?

NAm de his solis duobus punctis est quæstio: Hiemis nemo Meminit, Gerardus Mercator initiũ Mundi refert in id tempus quo sol est in leone, nempe adulta æstate sed huic sententiæ (quod sciam) nemo suffragatur, neque vlla est ratio, quâ stabiliri possit, ergo de solis duobus æquinoctiis superest dubitatio: & quidem comparatione nostri, & habitationis Adami, & Palestinæ: cuius præcipuam rationẽ à Deo esse habitam in mundi creatione, prorsus verisimile est, tum quia potior pars orbis habitabilis futura erat cis Æquatorem, circa illam plagam: tum quia sedem istic fixura erat Hebræorum Synagoga, tunc Ecclesia & populus Dei: tum, quia mysteria redemptionis nostræ istic peragenda erant, tum denique, quia Palæstina in medio cogniti tunc orbis (quando Moyses scripsit) collocata est, iuxta illud Psal. 73. v. 12. *Deus autem Rex noster operatus est salutem in medio terræ.* Et Ezech. 5. v. 5. *ista est Hierusalem: in medio gentium posui eam, & in circuitu eius terræ.* Alioquí comparatione eorum qui trans Æquatorem habitant, omnia inuerso modo se habent, nempe autumnus illis est quando nobis ver est, & contrà. Ergo respectu nostri hemisphærij, mundum in autumnali æquinoctio primùm conditum fuisse docet Josephus & quidam alij Rabbini: quos mordicus sequitur Iosephus Scaliger, Vbbo Eminius, Temporarius Caluisius, & reliqui ferè Nouatores. Et probant Primò, quia, quando conditus est mundus, arbores erant plenæ fructibus iam maturis. Secundò, Patriarchæ omnes ante ingressum Iacobi in Ægyptum, inchoarunt annum suum ab autumno. Cur enim alioqui post egressum iussi essent à Deo ad ver recurrere? Exodi 12. v. 2. Tertiò, verisimile est, diluuium priore ac difficiliore sui parte occupasse tempus hibernum, pluuiis & inundationibus aptum. Quartò, ramum virentis oliuæ attulit columba in arcam vndecimo mense, Gen. 8. v. 5. & seqq. Atqui mense Ianuario, qui vndecimus esset si à vere annus inchoaretur, non virent oliuæ: ergo.

Ioseph l. 1. Antiq. c. 3. Scalig. l. 5. Emend. & sup. c. de cõditum mũdi.

Vbbo Temperarius Caluisius in Chronicis.

Torniell. Genebr. Salian. initio suæ Chronologiæ. Ascan. Delrio, à Lapide in Geneseos initium. Molina in opere sex dierum. Clauius in c. 2. Epheſ. Beda initio l. de sex ætatibus, & Epistola de Paschatis celebratione.

Sed his non obstantibus, dico, mundum conditum fuisse in æquinoctio verno. Primò, quia tempus vernum amœnius est, & æstas subsequens longè magis conueniebat orbis primordio, quàm autumnus & hiems horrida paulò pòst consecutura. Magis quoque conueniebat orbi æstas post diluuium immediatè subsequēs, vt aëris serenitas, & herbæ fructusque in hominū & bestiarum alimenta de nouo succrescere possent. Atqui diluuium finitum est cum initio anni, vt omnes admittunt, & patet Gen. 8. v. 13. ergo. Secundò, quia verisimile est, sub idem temporis punctum, primò conditum fuisse Adamum, quo postea Christus, secundus Adamus. Item, creatum primò mundum, quo fuit postea recreatus & redemptus per Christum. Atqui constat, Christum incarnatum, & mortuum esse, & resurrexisse, in æquinoctio verno: ergo. Et vt auctoribus auctores opponam; Tertiò, hæc est sententia ferè omnium SS. Patrum. Quos 20. numero citat Torniellus, 25. Ascanius Martinengus. Longè plures Molina, Genebrardus, Clauius, Delrio, à Lapide, & Salianus. Quin & in Synodo Palestina congregata à Theophilo Episcopo Cæsariensi, mandato Victoris Papæ, consensu omnium declaratum est, verno tempore mundum conditum fuisse, teste Venerabili Beda. Quin & Gentiles idem sensisse, patet ex l. 2. Georgicorum Virgilij. Denique Rabbinis aliis oppono Rabbinum Iosue, & illius sequaces, qui mundi exordium adscribunt mensi *Nisan*, id est veri.

Rationes quas afferunt pro altera sententia, quædam nihil probant, quædam potiùs nostræ fauent sententiæ. Nam quod ad Primam, in bene temperatis regionibus Orientis, vbi paradisum plerique constituunt, plurimæ arbores toto anno fructibus graues sunt, alijs incipientibus, alijs matureſcentibus, alijs omnino maturis, vt etiam videre est in Italia, Hispania, Gallia, & pluribus alijs Europæ regnis. Ex ijs verò quæ fructibus aliquando spoliantur, in Asia, totoque Oriente plures sunt quæ in verno, quàm quæ in autumnali æquinoctio maturos fructus habeant, vt experientia docet: nam ante finem æstatis penè omnes fructibus spoliatæ & nudæ sunt.

Ad Secundam iam respondi cap. 5. sub initium, rem prorsus aliter habuisse.

Tertia ratio de generali totius orbis diluuio nulla prorsus est, nulliusque momenti: siquidem cùm per totum mundum plueret, necesse est etiam pluisse ijs in locis, vbi æstas erat: ob idque, siue hieme, siue æstate diluuium acciderit ijs qui versus Arcticum polum habitabant, eodem res redibat, cùm pluuijs in omni terræ regione decidentibus, necesse esset, vbique pari modo inundationem crescere. Vt fileam, non esse difficile Deo, si velit, æstatem in hibernas pluuias commutare. Et forsan id quoque hîc ideo fecit Deus, vt manifestiùs diuina punitio eluceſceret.

Ad Quartam. Oliua hieme quoque media, adeoque toto anno viret, vt ad oculum patet. Teneriores verò illius ramusculi, qualem columba decerpsisse videtur, in calidioribus illis regionibus, exeunte potiùs hieme, quàm æstate succrescunt.

CAPVT X.

An hi omnes anni fuerint solares, & pleni

Solares fuisse, & duodecim mensium, docebo Genes. 5. v. 5. Plenos semper fuisse quidam negant, quòd putent non fuisse perpetuò integrum illum annū, quo quisque filium suum genuisse describitur. Sed vnde probant? Verisimile est, inquiunt. Atqui longè verisimilius, imò certum est, integrè semper (aut penè semper) completos fuisse annos quos Scriptura commemorat. Et si quid forsā vni deesset, alteri supereſſet, id vicissim compensatum fuisse, vt de certo aliquo annorum numero posteris constare posset. Alioqui si liceat, hac prima mundi ætate, ab integris quos Scriptura exprimit annis aliquid pro libito decerpere; idem sequētibus omnibus ætatibus licebit: atque ita erunt incertæ omnes omnium Patriarcharum, Iudicū & Regum chronologiæ. Dixi, *Penè semper*: nam vbi manifesta ratio aliud exigit, id libens concesserim. v.g. in *Mathusala*, qui Gen. 5. v. 26. dicitur, *postquā genuit Lamech, vixisse* 782. *ann.* & v. 27. *omnes vitæ ipsius dies fuisse* 969. *annos*. Atqui tot præcisè, nec pauciores sunt anni, à nato Mathusala, sicut sunt præcisè 782. anni à nato Lamech, vsque ad finem diluuij. Cùm ergo constet, Mathusalam in arca non fuisse, sed, vt tradunt Hebræi, septimo die ante initium diluuij vitâ excessisse; cogimur fateri, vltimum annum vitæ Mathusalæ, non completum fuisse, sed inchoatum tantùm. In reliquis reliquorum annis nulla est vel leuissima causa tale quid suspicandi.

CAPVT XI.

Quoto die quoti mensis cœperit diluuium? quoto finierit.

Ex Genesis 7. v. 11. constat, cœpisse *anno vitæ Noë sexcentesimo* (qui idem erat annus mundi millesimus sexcentesimus quinquagesimus sextus) *mense secundo, septimodecimo die mensis*. Tunc enim ingressus est Noë in arcā cum suis filijs, & cœpit pluere. Deinde cap. 8. v. 14. *aresactâ* iam *terrâ*, dicitur *Noë egressus ex arca anno sexcentesimo primo, mense secundo, septimo & vigesimo die mensis*. Ergo durauit diluuium, & Noë in arca conclusus mansit totis *duodecim mensibus*, seu lunationibus, & insuper *diebus decem*. Et hîc finitur prima ætas mundi, & incipit secunda. Incipit, inquam, non ab egressu Noë ex arca, sub finem secundi mensis: sed à *primo die primi mensis anni sexcentesimi primi*, quo *die* dicuntur v. 13. *aquæ imminutæ* fuisse *super terrā*, seu terra aquis plenè liberata fuisse. Tunc enim propriè desiit diluuium. quod verò Noë toto penè bimestri adhuc exspectarit in arca, non ob aliud factum fuit, quàm quòd terræ superficies adhuc humido limo oppleta, necdum pedibus calcari, aut manibus coli posset.

CA-

CHRONICON SACRVM.

CAPVT XII.

SECVNDA MVNDI ÆTAS.

A principio sexcentesimi primi anni Noë, vsque ad egressum Hebræorum ex Ægypto, durauit annis 887.

Sem, primogenitus Noë	genuit	2. post diluuiũ	Gen. 11. v. 10. 12.	500. Gen. 11. v. 11.	600	2158	502	Anno mundi 1862. diluuij 206. Saturnus qui & Chus, filius Chus alterius, qui primogenitus fuit Cham, Gen. 10. v. 6. &c. inchoauit regnum Assyriorum. Sed filius eius Nemrod, qui & Belus & Iupiter, inchoauit monarchiam Assyriacam, seu dominatum supra alias vicinas gentes, anno mundi 1932. diluuij 276. Cuius monarchiæ anno 43. inchoante natus est Abraham. Vide Eusebium in Chronico.
Arphaxad		35.		303. v. 13.	338	1996	340	
Cainan		30. Ita 70. Gen. 11. & 1. Paral. 1. v. 18.						
Sale		30.	Gen. 11. v. 14.	403. v. 15.	433	2156	500	
Heber		34.	Ibidem v. 16.	430. v. 17.	464	2217	561	
Phaleg		30.	v. 18.	209. v. 19.	239	2026	370	
Reu		32.	v. 20.	207. v. 21.	239	2056	400	
Sarug		30.	v. 22.	200. v. 23.	230	2079	423	
Nachor		29.	v. 24.	119. v. 25.	148	2027	371	
Thare		130.	vide quæ dicam c. 14. hîc	75. v. vlt.	205	2113	457	
Abram		100.	Gen. 21. v. 5.	75. Gen. 25. v. 7.	175	2213	557	
Isaac		60.	Gen. 25. v. 26.	120. c 35. v 28.	180	2318	662	
Iacob erat annorum		130.	cùm sisteretur regi Pharaoni	17. Genes. 47. v. 28.	147 ibid.	2345	689	

Ioseph tunc erat annorũ 39. nam nouennio antè, erat annorũ 30. cùm primũ & ipse staret in cõspectu regis Pharaonis, Gen. 41. v. 46. ex quo lapsi sunt deinde septem anni fertilitatis, ibidem v. 47. & quo anni sterilitatis, c. 45. v. 11. Mortuus est autẽ Ioseph cùm esset 110. annor. Gen. 50. v. 22. & vlt. Ergo postquã stitit patrem suum Iacobum regi Pharaoni, superuixit Ioseph annis 71.

Ergo Iosepho addũtur 71. anni vsq; ad mortẽ ipsius in Ægypto.	10.	2399
A morte Iosephi vsque ad natiuitatem Moysis fluxisse annos	64. docebo cap. 17.	2493
Moyses erat annorum 80. in egressu Hebræorum ex Ægypto, Exodi 7. v. 7.	Ergo natus est Moyses	2543

Hoc enim anno mundi finito, egressi sunt Hebræi ex Ægypto.

	887
His adde primæ ætatis annos	1656
reperies annos	2543

quot fluxerunt ante egressum Hebræorum ex Ægypto.

CAPVT XIII.

An Genesis 11. v. 12. inter Arphaxad & Sale interseri debeat Cainan.

OMittunt illum Hebræa & Chaldæa Biblia, & Chronologiæ Iudaicæ, quæ secuti sunt Iosephus, Beda, Addo, Isidorus, Eugubinus, Caietanus sextus, Senensis, Genebrardus, Driedo, Abulensis, Lucianus, & pœnè omnes sectarij, inter quos Beza *Cainan* sustulit ex Euangelio S. Lucæ, & tolli vult Capellus sed cõstanter illũ interserunt Septuaginta Interpretes tum hoc, tum præcedente cap. Geneseos, item 1. Paralip. 1. v. 18. & 24. hoc modo: *Arphaxad 35. annorũ genuit Cainan: Cainan 30. annorũ genuit Sale.* Et hos constanter sequitur S. Euangelista Lucas c. 3. v. 36. & SS. Patres Ambrosius, Nicephorus Constantinopolitanus, & in eum Contius. Item Caietanus, Lipomanus Canus, Toletus, Bellarminus, Salmeron, Barradius, Ribera, Gordonus, Samerius, Delrio, Raderus, Mariana, Salianus, Bonfrerius, qui etiam ostendit S. Epiphanium, & S. Hieronymum (de quibus id aliqui negant) *Cainan* interseruisse. Cur verò in Hæbræo & Latino textu Geneseos & Paralipomenon omissus fuerit, causa esse videtur, quòd nollet Moyses à Noë vsque ad Abram plures quàm decem generationes recensere, sicut non nisi decem recensuerat ab Adamo ad Noë. Simili modo S. Matthæus, cùm vellet in tres quaterdenas generationes Christi genealogiam distribuere, omisit in secunda tres reges Ochoziam, Ioas, & Amasiam; quos tamen constat ex Regum & Paralipomenon libris, inserendos esse. Quod cùm de *Cainan* quoque constaret ex antiqua & certa traditione, & publicis tabulis, & spiritu prophetico suggerente, Septuaginta Interpretes suæ illum editioni, & S. Lucas suo Euangelio inseruerunt: vt dubium ea de re nulli iam esse possit, máximè cùm Tridentinũ Concilium sub anathemate definierit, suscipiendos pro sacris & Canonicis omnes libros Bibliorum, integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt; & in veteri Vulgata editione Latina habentur. Atqui Lucę n. v. 36. habetur *Cainan*: ergo.

Euseb. in Chron. Aug. l. 16. de Ciu c. 3. & 10. Epiph. in Ancorato, & Christi 68.

Vide etiam alios citatos à Saliano, ad annum mundi 1694 & in præfatione Tom. 3. Annalium.

Trid. sess. 4.

CAPVT XIV.

Quoto anno Thare natus sit Abram?

*Iob l.1. art.cap.6. Lorin. in Actor.7. v.7. Alij in Gen. 11.v.26. Dionisius, Petauius, l.9.de doct. temporum cap.18. Gen.10. v.21. * Gen.10. v.21. Ioseph.1. Antiq.c.6. Aug.25.q. in Gen. & l.22.cont. Faustum cap.35. * Gen.11. v.29.*

SEDER Olam Iosephus & alij Rabbini, Genebrardus, Abulensis, Pererius, Delrio, à Lapide, Sà, Lorinus, Petauius, & quidã alij ex c.11. Gen.v.26. vbi dicitur, *Vixit Thare 70.annis, & genuit Abrã, & Nachor & Aran*; putant, Abrã natũ anno Thare vel 70.vel 71. Sed ex hoc loco nihil aliud colligi potest, quàm tres istos filios, ex Thare genitos fuisse post septuagesimũ ætatis illius annũ: quoto verò anno singuli nati sint, & quis primo, quis secundo, quis tertio loco natus sit, inde colligi non potest. Sicut ex illo Gen.5.v.vlt. *Noë cùm quingentorũ esset annorũ genuit Sem, Cham & Iapheth*, non colligitur, tres illos filios vno eodemq; anno genitos, sed neque vel vnum quidem illorũ præcisè anno 500.vel 501.patris genitũ esse: nam constat ex c.11.v.10. *Sem*, qui primogenitus erat, non nisi biennio post 500. parentis annũ in lucem editum fuisse. Et sunt argumenta alia, quibus conuinci videtur, Abram multis post id tempus annis natũ fuisse, nempe anno Thare 130. neq; primogenitũ fuisse Thare, sed tertiogenitum, licèt à Moyse ob dignitatem personæ primo loco nominetur, vtpote cuius vnius genus, prosapiam & præclara gesta prosequi Moyses decreuerat: Reuera autẽ primogenitum fuisse Aran, natum anno Tharæ circiter 70. secundogenitum Nachor, natum sub annum 100. Tharæ.

Sunt verò hæc argumenta, Primum, tam Nachor, quàm Abram duxit in vxorem filiam Aran, iste Saram (quæ antè vocabatur Iescha, Gen.11.v.29. & affirmat Iosephus, S.Augustinus, S.Thomas, Abulensis, Pererius, & communiter Interpretes.) ille * Melcham. Neque tamen Abram senior fuit Sarâ quàm decennio, vt dicitur Gen.17.v.17. Ergo Aran pater Saræ debuit senior fuisse Abramo. nisi fortè quis velit cũ Genebrardo dicere; Aran anno vitæ suæ octauo genuisse Loth, nono Saram. Sed hoc ridiculum, cùm neminem legamus isto æuo ante annum 29. vel 30. genuisse.

Secundũ, quo probatur, Abram non tantùm seniorẽ fuisse Aran, sed totis 60.annis seniorẽ fuisse, adeoq; natum Abramũm anno Thare 130.vel 131. colligitur ex Gen.11.v.31. & 32. vbi Abram dicitur cum patre suo Thare egressus de Vr Chaldæorum habitasse in Haran vel Charan. Et cùm istic habitasset vsque ad mortem Thare, dicitur cap.12.v.4. monente Deo egressus ex Haran anno vitæ suæ 75. Neque dici potest, inde egressus esse viuo adhuc patre, quia id repugnat S.Stephano, qui Actorum 7.v.4. disertè affirmat, Abrahamum ex Charan translatũ *postquam mortuus est pater eius*. Atqui pater vixit 205.annis, vt habetur Gen.11. v.vlt. Si ergo moriente patre non erat Abraham nisi 75.annorum, non potuit alio anno natus fuisse, quàm 130. Thare, vel circiter: nam ab illo solo anno, vsque ad 205. intersunt anni 75. Si enim natus fuisset anno 70. Thare, iam moriente Thare, quando egressus est de Charan, fuisset non 75. sed 135.annorum.

Dices, Et isto & illo anno, id est bis, egressus est Abram ex Charan. Et de prima vice agitur Genes.12.v.4. de secunda Actor. 7.v.7. Atque ita totis 60.annis peregrinatus est in Chanaan, relicto patre adhuc vtuo in Charan, quo mortuo vel moribundo, redit ad ipsum in Charan, & mox diuisâ cum fratre hereditate paternâ in solidum, concessit in Chanaan.

Respond. Repugnat Scriptura, tum Gen.11.v.31. vbi dicit, Abramum cum Thare simul habitasse in Haran, nec meminit nisi vnius egressus ex Haran, nempe post mortẽ Tharæ: tum Actor.7.v.7. vbi expressè dicit, translatum Abram ex Charan, postquam mortuus est pater eius: ergo illo viuente translatus non fuerat. Tum denique eodem Actorum loco v.5. vbi dicit, Abramo ex Charan in Chanaan translato factam eam promissionem à Deo quæ Genes.12.v.2.4. & 7. ei iam 75.annum agenti facta narratur. & addit, eam illi factam, *cùm nondum haberet filium*. Ergo tam Stephanus, quàm Moyses agunt de vna eademque egressione Abrahæ ex Charan, post mortem parentis, cùm necdum haberet filium, sed solùm esset 75.annorum.

Theod. in qq. sup. Gen. Liran. & Procop. Delrio & Bonfr. in c. 11. Gen. 26. Ia. Naclantus de arcanis Christi & de tertia ætate mundi. Cajet. Bed. & in 12. Gen. v. 4. Lipomã. in catena. Põtacus in Chron. Eusebij, Marzilla, Paraphrasi in Pentateuchum, Ferdin. in Thesauro dis. Script. l.1. c.16. §.2. Salian. an. mundi 1979. 2039.

Confirmantur hæc; & simul fit Tertium argumentum. Si Abram moriente patre suo, & Deo terram Chanaan illi promittente (nam tot habuisse oportuit, si natus est an.70. eius qui vixit 205.annis) ergo iam genuerat Ismaëlem & Isaacũ (nam priorẽ genuit an.86. posteriorẽ an.100. vitæ suæ, teste scrip.) at S.Steph. act.7.v.4. dicit eum *translatũ in terrã* Chanaan, eique promissionẽ terræ illius factã *cum nondũ haberet filium*.

Accedat 4.argumentũ, si Abram moriente patre suo fuit 135.annorũ, cum acceperit præceptum circumcisionis anno 100. vitæ suæ, cur parentem, qui totis 35.annis superuixit, non etiam circũcidit? cur nulla saltem mentio illius fit; cur nulla quoq; benedictionis mentio ab auo impertitæ nepotibus Ismaeli & Isaaco? Rursum si Abram iam 135.annorum, denuo redijt in Charan, quid ni tunc Rebeccam vel aliam cognatam suam inde filio Isaaco iam 35.annorum viro, vxorem desumpsit, potiùs quàm post quinque anno magnis impendijs eò suum œconomum ea de causa ablegaret; cur œconomus ille de rebus Abrahami, de eius opibus, de filio ex Sara suscepto, quasi de rebus ignotis loquitur, Genes. 24.v.35. si ante quinquennium Abram illos inuiserat, & hereditatẽ cum ipsis paternam diuiserat; Denique quomodo in fine c.22. dicitur, nuntiatũ Abrahæ de filijs quos Nachor susceperat, si ipse Abraham eos recèns adierat, & præsens omnia inspexerat?

†*Caluin. Caten. Mar. Coran. Codoman. & alij in Chron. Trudell in Gen.11.*

Porrò Auctoribus contrarię sententiæ suprà citatis, ne suo pondere vim nobis faciant, præter Moysem & S.Stephanum, iam citatos, oppono Theodoretum, Procopium, Liranum, Naclantum, Caietanum, Lipomanum, Pontacum, Marzillam Chronicon Alexandrinum, Torniellum, & è nostra Societate P.Ioannem Ferdinandum, Delrionem, Bonfrerium & alios: vt omittam sectarios eiusdem nostræ sententiæ assertores Caluinum †, Codomanum Beroaldum, Temperarium, Treudellium, Capellum, Bruchtomum.

CAPVT XV.

Distributio annorum Abrahæ.

	ANNO à nato Abramo	ANNO à mũdo cõdito	ANNO à diluuio
NAtus est Abram anno monarchiæ Beli seu Iouis seu Nemrod 42. finiente		2038	382
Ex Vr Chaldæorũ cũ patre suo Thare monitu Dei egressus in Haran,			
Iudith 5.v.9. & Actor.7.v.2. iã septuagenarius, vbi quinquennio substitisse videtur, nam Gen.12.v.5. dicitur *habitasse in Haran, & ibi substantiam possedisse & fecisse animas*, & Iudith.5.v.6. in græco, *habitasse dies multos*.			
Mortuo parente, ex Haran egressus monente iterũ Deo in Chanaan, cùm & promissio cælitus illi facta est de Chanaanitide posteris ipsius donanda, Genes.			
12.v.2.4.7. &c. anno, vitæ suæ finiente (vt ibid.v.4. dicitur)	75	2113	457

Et

	Anno à nato Abramo	Anno à mũdo condito.	Anno à diluuio
Et ab hoc anno, quo facta est Abrahæ ista promissio, subducendi sunt anni 430. vsque ad legem in Sinai Hebræis latam à Deo, Galat. 3. vers. 17. & Exodi 12. v. 40. Non verò quinquennio antè, vt vult Bonfrerius. Nam etsi tunc iussus fuerit à Deo excedere è Mesopotamia, seu Vr Chaldæorum; non accepit tamen tunc promissionem de semine & de Chanaanitide. Quia hæc promissio tum demum illi facta est, cùm egressus è Charan (vbi propter senium, forsan & morbum, decrepiti patris, substitit toto quinquennio) à morte patris migrasset in Chanaan, vt dicitur Genes. 12. v. 6. & 7. & Actorum 7. v. 4. & 5. Ab ista verò promissione, & non antè, inchoandos esse supradictos annos 430. patet tum ex ijsdem locis, tum disertè ex S. Paulo ad Galatas 3. v. 16. & 17.			
Mox ab hac promissione descendit Abram (finiente anno vitæ suæ. 76.) in Ægyptum, vbi Sara transfertur in domum Pharaonis, Genes. 12. v. 10. & seqq.			
Loth nepos Abrahæ, ob nimias vtriusque opes, ab eo seiungitur. Genes. 13. & Sodomam petit, v. 10.			
Abram cum 318. vernaculis suis cædit quatuor reges, & liberat Lot, & decimas dat Melchisedecho, Genes. 14.			
Iterat Deus promissionem de semine Abrahæ, & Chanaanitide illi danda, sed priùs peregrinaturum & affligendum prædicit totis 400. annis in aliena terra. Quorum 400. annorum meminit etiam S. Stephanus Actor. 7. v. 6. Incepit verò hæc seminis Abrahæ peregrinatio simulatque promissũ Abrahæ semen, putà Isaac, extare cœpit. A cuius ortu vsque ad egressũ ex Ægypto præcisè fluxerũt anni 405. vt ait S. Aug. q. 47. in Exod. At afflictio potest dici aliquo modo cœpisse præcisè ab anno 5. Isaaci, cùm is ablactatus à lacte affligeretur vexareturq; ab Ismaele: vnde & Ismael domo Abrahami expulsus est Deo iubente, Genes. 21. v. 8. & 9. & seqq. Propriè enim cœpit cũ seruitute Ægyptiaca, nec durauit nisi 91. annis, vt dicam c. 17.			
Porrò hæc iam iterata promissio, & prædictio peregrinaturi seminis contigit anno vno ante natum Ismaelem.			
Nascitur Abramo Ismael ex Agar, anno 11. habitationis in Chanaan, cùm Abram esset annorum. Genes. 16. v. 3. & 16.	86	2124	468
Abram nomen vertitur in Abraham, & Sarai in Saram, Genes. 17. v. 5. & 15. Eodem anno circumcisio instituitur, v. 10. & 24. Promittitur Isaac, v. 19. & c. 18. v. 10.			
Paulò pòst Sodoma euertitur, c. 18. v. 14. & 16. & c. 19. cum Abrahã expleuisset annos	99	2137	481
Nascitur Isaac, Genes. 21. v. 5. & circumciditur octauo die, v. 4. Eodem anno, sed sub initium, sublata fuerat Sara in domum Abimelech regis Gerarę Genes. 20.			
Nati sub finem anni Moab & Ammon, ex filiabus Loth, Genes. 19. in fine.	100	2138	482
Anno 5. finiente ablactatus est Isaac. Ita Hebræi apud S. Hieron. in Quæstionibus Hebraicis. Et Pererius, & Delrio, & Salianus. Erat enim tunc, vt vita, sic & infantia, longior. Nam & post 1600. annos, cùm multò contractior esset ætas hominum, tempore Machabæorum, ablactationis tempus triennio tamen definiebatur, 2. Machab. 7. v. 17. Et sanè non potuit in minorem quinquennio quadrare lusus seu pugna Ismaelis, Genes. 21. v. 9. Quæ causa fuit expulsionis eiusdem ex domo paterna paulò post ablactationem Isaac, v. 10. & seqq.	105	2143	487
Moritur Sem Abrahæ anno	120	2158	502
Jubetur Jsaac immolari, cùm esset 25. annorum, inquit Iosephus. Genes. 22.	125	2163	507
Sara vxor Abrahami moritur, cùm esset 127. annorum, Genes. 23. v. 1. & sepelitur in Hebron, v. 19.	137	2175	519
Rebecca nubit Isaaco, Gen. 24. & 25. v. 20. cùm Isaac esset 40. annorũ, Abraham	140	2178	522
Abraham accipit Cethuram in coniugem secundariam, quæ peperit sex filios, Genes. 25. v. 1. & 2.	142	2180	524
Ex Isaac & Rebecca nascuntur gemini Esau & Jacob: cùm Isaac esset 60. annorum, v. 26.	160	2198	542
Abraham moritur, cùm esset 175. annorum, Genes. 25. v. 7. & sepelitur in Hebron, v. 9.	175	2213	557

CAPVT XVI.

Distributio annorum Iacob, & Iosephi.

	Anno à nato Iacob.	Anno à mũdo condito.	Anno à diluuio
ANni Jsaaci includuntur partim annis Abrahæ, vti nunc vidimus, partim annis Iacob, vt iam videbimus.			
Natus est Iacob cum Esau, inchoante imperium suum Balaneo, Assyriorum septimo monarcha.	1	2198	542
Et sicut sepeliuit Abrahamum 15. vitæ suæ anno, ita quadriennio pòst luxit mortem Heber septimi aui sui.	19	2217	561
Anno vitæ Iacob, & suo 40. Esau binas ducit vxores, Iudith & Basemath, Genes. 26. v. 34.	42	2238	582
Iacob fratri suo Esau præripit benedictionem paternam, & mox fugit in Mesopotamiam anno vitæ penè exacto Isaaci 137. suæ	77	2273	619

		Anno à condito mũdo	Anno à diluuio
Id colligitur ex annis Ioſephi, hoc modo: Cùm Iacob ingreſſus Ægyptum ſiſteretur Pharaoni, Ioſeph erat 39. annorum, vt dixi cap. 12. §. Ioſeph. Eodem tempore Iacob erat 130. annorum, vt videtur Gen. 47. v. 9. Hos ergo 39. annos Ioſephi ſi demas ex 130. Iacobi, inuenies Ioſephum natum anno 91. Iacobi. Si deinde 14. anni demantur, quibus Iacob in Meſopotamia pro duabus vxoribus ſuis ſeruiuit auunculo ſuo Labano (nam poſt natum Ioſephum, exactis iam 14. annis quibus ſe Labano obſtrinxerat, voluit in patriam reuerti, Geneſ. 30. verſ. 26.) remanebunt præcisè 77. anni; quot iam dixi fuiſſe Iacobum cùm ſecederet in Meſopotamiam. Porrò Iacob natus erat anno Iſaaci 60. ergo cùm Iacob ſecederet in Meſopotamiam, & eſſet 77. annorum, Iſaac erat 137. annorum: nam 60. & 77. faciunt 137.				
Iacob cùm ſeptennio pro Rachele ſeruijſſet Labano, obtruditur illi Lia, Geneſ. 29. v. 14. 18. & ſeqq. ſed ſeptimo poſt Liæ nuptias die, copulatur etiam illi Rachel pro futuro ſeruitio alterius ſeptennij, v. 27. & 28. circa Octobrem naſcitur, &c.		finiente anno vitæ Iacob 84	2282	626
Nuptiarum anno vertente ex Lia naſcitur Ruben primogenitus Iacobi. Vixit annis	124. Ita Hebræi in Seder-olam	85	2283	627
Sequenti anno ſub finem æſtatis ex eâdem naſcitur Simeon: qui, ijſdem Hebræis teſtibus, vixit annis	120.	86	2284	628
Tertio Leui, finiente media æſtate. Vide Geneſ. 29. v. 32. vſque ad finem. vixit annis	137. Exod. 6. 16.	87	2285	629
Quarto anno natus eſt Dan ex Bala ancilla Rachelis. vixit an.	127			
Ita Seder-olam, & libellus de Vita Patriarcharum.				
Ex eâdem, ſed anno ſequenti, natus eſt Nephthali: qui, ijſdem teſtibus, vixit annis	132	88	2286	630
Et ex Lia Iudas ſub initium eiuſdem anni. vixit annis	119			
Sub finem quinti ſeruitutis anni pro Rachele, naſcitur Gad. ex Zelpha ancilla Liæ, Geneſ. 30. v. 9. & ſeqq. Hic in teſtamento Prophetarum dicitur mortuus anno vitæ ſuæ 100. Sed ſic obijſſet ante Ioſephum: quod tamen negat Seder-olam vlli fratrum contigiſſe. Quare malo dicere, ipſum penè cum Nephthali, vt natum, ſic & mortuum, & conſequenter vixiſſe annis	132	89	2287	631
Sexto anno finita æſtate ex Selyſa naſcitur Aſer v. 13. Teſtibus ijſdem Hebræis, vixit annis	125	90	2288	632
Et ex Lia, eodẽ anno naſcitur Iſſachar, Gen. 30. v. 18. vixit an.	122			
Septimo ſub vernũ tempus ex Rachele naſcitur Ioſeph, verſ. 24. Qui, vt dicitur Geneſ. vlt. v. 25. vixit annis	110	91	2289	633
Eodem anno ex Lia naſcitur ſextus ipſi filius, Zabulon, Geneſ. 30. v. 20. vixit annis	124			
Completis bis ſeptem annis, quibus pro duabus vxoribus ſuis Iacob ſeruierat Labano, petit ab eo miſſionem, & reditum in patriam: ſed Laban nouo pacto cum Iacob inito, detinet illum penes ſe altero ſexennio: ſub cuius initium naſcitur ex Lia filia Dina, Geneſ. 30. v. 21. & 25. & ſeqq.		92	2290	634
Expleto ſexennio redit è Meſopotamia in Chanaan. Accipit nomen Iſrael, Geneſ. 31. v. 38. & 41. & c. 32. v. 28. Pacificè excipitur à fratre ſuo Eſaũ, Gen. 33. v. 4. cuius vitæ annus inchoabatur		97	2295	639
Poſt ſeſquianni habitationem in Socoth (ita Hebræi in Seder-olam c. 2. Genebrardus, Liranus, &c.) Geneſ. 33. v. 17. tranſit in Salem, vrbem Sichimorum, vbi habitat octo annos cum medio, v. 18. Alexander Polyhiſtor. apud Euſebium, Toſtatus & alij.		98		
Finiente decennio violatur Dina cùm ageret annum 16. Ob hoc ſtuprum cæduntur Sichemenſes, Geneſ. 34. Euſeb. de Præparat. Euang. Eodem anno migrat inde Iacob in Bethel, Geneſ. 35. v. 6. Moritur Debora, v. 8. Item Rachel, v. 19. emiſſo priùs in lucem Beniamino, v. 17. qui vixit annis 111. Seder-olam. Eodem anno contigit & Rubeni cum Bala flagitium, v. 22. Et Iacob inuiſit patrem ſuum Iſaac in Hebron, v. 27. cum 6. menſibus habitaſſet in Bethel, teſte Seder-olam & Genebrardo. Venditur quoque Ioſeph, cùm eſſet ſexdecim annorũ, Geneſ. 27. verſ. 2. & ſeqq. Quod de completis annis intelligo. Ita S. Auguſtinus, Ioſephus, Euſebius, Marianus Scotus, Gordonus, Samerius & alij. Deniq; Iudas ducit vxorem, Geneſ. 38. v. 1. finiente anno	107		2305	649
Ioſephus poſt 11. annorum fidele ſeruitium Putiphari præſtitum, dolo vxoris eiuſdem compingitur in carcerem, vbi tribus annis hæſit.	118		2316	660
Moritur Iſaac cùm eſſet 180. annorũ, & ſepelitur ab Eſau & Iacob, Gen. 35. 28.				
Eodem anno ſecedit Eſau à Iacob, ob nimias vtriuſque opes, Geneſ. 36. v. 6.	120		2318	662
Ioſephus à regè Pharaone eductus è carcere, fit princeps totius Ægypti, Geneſ. 41. v. 1. & 46.	121		2319	663
Primo anno fertilitatis ducit vxorem. verſ. 45. & 47. Secundo, na-				

	finiente anno vitæ Iacob	mundi	diluuij
scitur ipsi Manasses.v.51. Tertio vel 4.Ephraim.v.50.&52.Quarto anno,Her primogenitus Iudæ,iam 17.annorum, accipit vxorem Thamar,anno vitæ Judæ 38 Genes.38.v.6.Quinto,Thamar occiso Her, nubit fratri eius Onan. v.8. Quo & ipso mortuo mansit toto biennio vidua,nempe 6.&7.annis sertilitatis.v.11.&12.			
Primo anno famis, Thamar per fraudem ex Iuda socero suo,v.18.concipit.	129	2327	671
Secundo anno parit Phares & Zaram. v. 29.& 30. Et sub finem anni Ioseph innotescit fratribus, & Iacob cum omnibus suis satrapis & anno sequenti descendit in Ægyptum,Genes.45.& 46.& 47.v.9.	130	2328	672
Iob eodem anno nascitur, iuxta Hebræos in Seder-olam, Genebrardum & Salianum,Pererium, Pinedam,Torniellum & alios. Vixitque 210. annos. Vide quæ dixi initio Commentarij in Iob.			
Eodem anno vt summùm, (secundùm Chronicon Alexandrinum) natus erat Caath,anno Leui patris sui 43.& vixit 133.annis.Exodi 6.v.18. Hic fuit auus paternus Moysis, ibid. & v.20. Hoc porrò vt summùm anno natum Caath, constat ex Genes.46.v.11. vbi simul cum Leui patre suo dicitur descendisse in Ægyptum:ergo seriùs nasci non potuit,etiamsi diceremus,Merari fratrem eius,in matris vtero conclusum,in Ægyptum ingressum esse,ibid.& v.8. Dixi, vt summùm; quia mallem cum S.Epiphanio & Saliano dicere natum Caath anno Leui 34. & iam decimum egisse annum cùm in Ægyptum demigraret.			
Decem & septem pòst annis in Ægypto moritur Iacob,Genes.47.v.28.	147	2345	689
Iob 30.iam annorũ in terra Hus vxorem ducit,quam LXX.vocant Bosorram,genere Arabissam, ex qua sequentibus annis suscepit ordine septem filios, & 3.filias, Iob 1.Forsan hoc tempore cœpit Iob, defuncto Balac, siue Bela, filio Beor, Genes.36. v. 32. regnare in Idumæa, vt habetur v.33.& apud LXX. in fine libri Iob.		2358	702
Ex Caath,anno vitæ eius (secundùm S.Epiphanium,)69.secundùm Chronicon Alexandrinum 60. nascitur Amram pater Moysis,14.annis ante mortem Iosephi,inquit Demetrius apud Eusebium de Præparat.l.9.c.vlt.Salianus & alij.		2384	728
Septuaginta annorum erat Iob, cùm fineretur ipsius cum dæmone luctа & tentatio. Quam S.Chrysost. homil. 5. ad populum Antiochenum, non toto anno circumscribit, vti & commentarius qui inscribitur Origeni in Iob, eamque sententiam confirmat ex illis Iobi verbis c.7.v.3.*Et menses vacuos habui.* Alij innominati,quos idem auctor ibidē refutat,ad tres annos cum medio extendunt. Cyrillus Alexandr. Olympiodorus, Suidas, & quidam alij, quos citant & sequi videntur Pineda, Torniellus, Pererius & Salianus, toto septennio durasse volunt.Sed probabilius videtur, non nisi paucis mensibus durasse, vt dicam c.vlt. Jobi v.10. Eligat tamen lector sententiam quam volet, dummodo septuagesimum annum faciat vltimũ luctæ & tentationis.Cùm enim post tentationem omnia acceperit Iob duplicia,ergo etiam annos vitæ: neque tamen vixerit nisi 210. annis,Iob vlt. non potuit tentatio post 70. annum vitæ eius extendi, quia maior septuagenario numerus bis reperiri non potest in minore numero quàm 140.Quot soli anni supersunt post 70.annum vitæ Iobi vsque ad 210.		2398	742
Ioseph sequenti anno moritur, nempe 54. annis post mortem Iacobi, 80. ab inchoato principatu Ægypti:71.à descensu Iacobi in Ægyptum:cùm vixisset annis 110.Genes.vlt.Ita Chronicon Alexandrinum, Eusebius & Salianus.		2399	743

CAPVT XVII.

Distributio annorum à morte Iosephi, vsque ad finem seruitutis Ægyptiacæ; & quo anno hæc cœperit, & quamdiu durarit.

EVSEBIVS statim à morte Iosephi inchoat illam seruitutem: & hunc sequitur Chronicon Alexandrinum. Marianus Schotus, Freculphus,Ado, & quicunque seruituti Hebræorum 144.annos attribuunt.Sed hos refellit Scriptura,Exodi 1.v.6.quæ seruitutem illam inchoatam dicit,non mortuo præcisè Iosepho,sed *& vniuersis fratribus eius,& omni cognatione illa.* Vt sentit etiam S.August. l.16. de Ciuit.c.43. &l.18.c.7. Atqui tradunt Hebræi in Seder-olam, Iosephum primum omnium fratrum, qui pluribus post illum annis vixerunt, è viuis excessisse: & ex Scriptura constat, Exodi 6.v.16. Leui, qui non nisi quadriennio senior erat Iosepho,vitam tamen protraxisse ad 137. annos: & consequenter 23. annis superuixisse Iosepho.Iam verò & aliud aliquod temporis spatium fluxisse oportuit,quo reliqua quoq; cognatio interiret, & ipsius Iosephi memoria, benefactaque omnia obliuioni traderentur, surgeretque rex nouus qui non nosset Ioseph: & filij Israel in tantum multiplicarentur, vt fortiores dici possent Ægyptijs,Exodi 1.v.9.Quibus omnibus puto vix sufficere alios 30.annos. Vnde cum Saliano, & ijs quos ipse citat, statuo, seruitutem Hebræorum non cœpisse nisi 52.anno à morte Iosephi: neque puto, repertum iri qui solidè id refellat.

Iam tempora distribuamus.

Ephraimitarum familia à prædonibus Gethæis penè extincta est,anno à morte Iosephi.	2	2401	745
1.Paralip.7.v.20. Ita Abulensis ibi, & Serarius initio Commentarij in Iosue.			

Simeon

	à morte Iosephi	à condito mundo	à diluuio
Simeon moritur,cùm esset annorum 120.	5	2404	748
Iudas,cùm esset 119.annorum. sub initium	6	2405	749
Ruben,annorum 124.	8	2407	751
Issachar,annorum 122.	11	2410	754
Dan filius Balæ ancillæ Rachelis,cùm esset annorum 127.	13	2412	756
Zabulon, annorum 124. Aser, annorum 125. Forsan & Dina, annorum 123. nam dies obitus nusquam traditur.	14	2413	757
Beniamin,annorum 111.	18	2417	761
Nephthali,annorum 132: & totidem etiam Gad.	20	2419	763
Leui, annorum 137.Exodi 6.v.16.	23	2422	766
Ephraim & Manasse, filij Iosephi,quamdiu vixerint,incertum. Si, vt vult Salianus,mortui sunt.	29	1428	772
Ephraim fuerit circiter 106.& Manasse 107.annorum.	51	2450	794
Caath iuxta calculum Epiphanij,moritur,cùm esset 133.annorũ, Exodi 6.v.18.	52	2451	795
Incipit dura seruitus Hebræorũ in Ægypto, quæ tenuit annos 92. Vide Salianum, à Lapide, Bonfrerium & alios. Initio instar mancipiorum coacti sunt partim lateres coquere, publica priuataque ædificia struere:partim Nilum in plures fossas diducere, & aggeres comportare, quibus inundationes fluminis arcerentur: partim mœnia exædificare,adeoque & vrbes,phiton & ramellem, inquit Iosephus li.2.Antiq.c.5.Philo in vita Moysis,& affirmat etiam Moyses Exodi 1.v.11. Addunt Hebræi,quod Liranus, Abulensis,Lorinus & Salianus notarunt,coactos fuisse miseros,fæces ac stercora ex vrbibus euerrere,& cophinis imposita,suis humeris exportare, vt insinuatur vers.13.*Affligebant illudentes eis.* Et psalm.80.*Diuertit ab oneribus dorsum eius,manus eius in cophino seruierunt.* Quod non de solo Iosepho, sed de omnibus Israelitis, exponit S.August.& Lorinus in eum locum.	53	2452	796
Amram Leuita filius Caath in vxorem accipit Iochabethã, Exodi 6.v.20.vbi vocatur patruelis seu cognata germana Amram, nempe filia patrui illius Geronis vel Merarij. Quod ergo Numerorũ 26.v.59.vocatur *filia* Leui, mediatè exponendum est,sicut Ephraim & Manasse dicuntur filij Iacob,Gen.48.v.5.& Christus vocatur filius Dauid,Matth.1.v.1. Hoc eodem anno, nempe 91. ante egressum Hebræorum ex Ægypto,dicit auctor libri Testamenti Patriarcharum,& insinuat Iosephus lib.2. Antiq.c.4. filios Israel ossa Patriarcharum (exceptis Iosephi,quæ in publico adseruabantur) ex Ægypto detulisse in Hebron : nempe occultè, & sine strepitu vel apparatu.Quod verisimile est curasse Hebræos inchoante iam afflictione,nequid probri ab Ægyptiis inferretur sacris lipsanis.Ossa verò Iosephi cùm simul omnes cum Moyse ex Ægypto migrarunt,secum extulisse constat Exodi 13.v.19.	54	2453	797
Pharao rex(Amenophin fuisse vult Eusebius, & Iosephus ex Africano) iam, toto quadriennio expertus,Hebræos tot laboribus & seruitijs non minui numero,sed crescere, Exodi 1.v.12. compendiosiore via ad eorum interitum progredi statuit:& vocatis duabus primarijs obstetricibus Ægyptijs Sephora & Phua, iubet masculos omnes Hebrẽorum in ipso matrum partu suffocari vel strangulari : v.16.	57	2456	800
Sequenti anno nata est Maria soror Moysis,septennio senior Moyse,vt volunt Hebræi.Et sanè non potuit septennali iunior esse, cùm reginam Ægypti de nutriendo infantulo Moyse tanta dexteritate interpellaret,Exodi 2.v.7.	58	2457	801
Quadriennio post Mariam, Aaron nascitur,triennio senior Moyse,Exodi.7.v.7.cùm Amram parens eius esset 72.annorum vt est in Chronico Alexandr.& Nicephoro Constantinop. Porrò non subijt Aaron demersionis in flumen periculum, sicut Moyses subiit,quia ipso nascente necdum latum erat ferale illud edictum, inquit Liranus:quod promulgatum fuisse ait Chronicon Alexandrinum eo ipso anno quo natus est Moyses, vel paulò antè, vt alij, eodem anno finiente.			
Pharao delusus ab obstetricibus, iubet publico edicto masculos omnes Hebræorum in Nilum demergi,Exodi 1.v.vlt.	62	2461	805
Moyses nascitur, anno vitæ Amrami patris sui 80.cõiugij 10.Exodi 2.2.& seq.	65	1464	808
Anno Moysis 28.nascitur Iosue, qui vixit totis 110. annis, Iosue vlt. v.31.& Iudicum 2.v.8.	92	2491	835
Moyses, iam quadragenarius,cùm à Pharaone quæreretur ad mortem, fugit in Madian, Exodi 2.v.15. Vbi ducta in vxorem Sephora filia Raguelis, filios ex ea suscipit Gersam & Eliezer.v.21.& 22.	104	2503	847
Caleb nascitur, 39.annis ante egressum Hebræorum ex Ægypto,Iosue 14.v.7. vixit vsque ad 85.annum,quando in sortitione terræ sanctæ accepit montem Hebron,v.10.13.&c. Quamdiu post id tempus superuixerit,incertum.	106	2505	849
Ad annum Moysis. 67. videtur referendum diluuium Deucalionis in Thessalia, quod omnia perdidit, præter pauculos homines qui nauigijs euaserunt in montem Parnassum,quos benignè excepit Deucalion.vide Orosium l.1.c.9.	1	1350	874

Sequenti

Sequenti anno fuit incendiũ Phaëthontis, id est, tantus æstus, vt ferè mundus arescceret.

Anno vitæ Moysis 75. secundùm Hebræos & alios cap. præcedẽte ad annum Iacobi 130. citatos, moritur Iob.

Moyses anno vitæ suæ 80. iubente Deo ex Madianitide redit in Ægyptum, & à Pharaone missionem populo postulat. Repulsam passus decem plagis flagellat Ægyptios, quæ duos posteriores anni menses occuparunt. Quibus exactis egrediuntur omnes Hebræi ex Ægypto, & finem accipit seruitus 92. annorum. Exodi 3. vsque ad c. 13. Eratque hic annus à descensu Iacobi in Ægyptum 215.

	à morte Ioseph	à condito mũdo	à diluuio
	139	2538	882
	144	2543	887

Petes, Quare non fuerunt 430. anni à descensu Iacobi, vsque ad egressum filiorum eius ex Ægypto, cùm Exodi 12. v. 40. expressè dicatur, *Habitatio filiorum Israel quàm fuerunt in Aegypto fuit 430. annorum?*

Respondeo, Quia illi 430. anni non sumunt suum initium à descensu Iacobi in Ægyptũ, sed ab initio peregrinationis Abrahæ partim in Ægypto, partim in Chanaanitide, vt dixi hîc initio cap. 15. & dicam in Cõmentario illius loci Exodi. Confirmatur primò quia S. Paulus ad Galatas 3. v. 17. dicit, legem, quæ tertio mense post egressum ex Ægypto data fuit Hebræis datam esse post 430. annos à promissione facta Abrahæ cùm esset 75. annorum, Gen. 12. vsque v. 7. Confirmatur Secundò, quia impossibile est tot reperire annos à descensu Iacobi in Ægyptum, etsi consuetos limites naturæ transilire vellemus. Nam constat, Moysen, cùm egressus est cum reliquis Israelitis ex Ægypto, non fuisse nisi 80. annorum. Ponamus illum natum fuisse vlt. anno vitæ Amram patris sui, (licèt contrarium ostenderim suprà in natiuitate Moysis) non reperiemus nisi anno vitæ Amram patris sui, (licèt contrarium ostenderim suprà in natiuitate Moysis) non reperiemus nisi 137. annos, quibus Amram vixit Exodi 6. v. 20. Ponamus & Amramum natum vlt. anno vitæ Caath patris sui (sed aliud docui cap. præced sub fi ẽ) non habebimus nisi 133. annos, quibus Caath vixit, Exodi 6. v. 18. Iam, cõiunge hos tres numeros, 80. 137. 133. non inuenies vniuersim nisi 350. Vnde ergo habebis reliquos 80? Nam vltra Caath prosilire non licet quem constat natum esse ante descensum Iacobi in Ægyptum. Gen. 46. v. 11. vbi dicitur, vnà cum Leui parente, & Iacob auo descendisse in Ægyptum etiam Caath. Cùm ergo numerus iste 430. annorum repugnet calculo Scripturæ, necessariò ab eo deflectendum, illique inhærendum quem suprà proposui, & ex certis tutatisque Scripturæ calculis stabiliui.

CAPVT XVIII.

TERTIA MVNDI ÆTAS,

Ab egressu filiorum Israel ex Ægypto vsque ad annum primum, quo condi cœpit templum à Salomone. Durauit annis 480.

vt dicitur 3. *Reg.* 6. *v.* 1.

ET ita habent omnia exemplaria sacra, Latina, Græca, Hebraica: & omnes loci illius interpretes, qui vno consensu dicunt cum sacro textu, Salomonem cœpisse suum templum anno 480. ab egressu Hebræorum ex Ægypto. Neque aduersus tam multos quidquam valet auctoritas vnius Iosephi, & qui hunc secutus est Sabellici & Melchioris Cani, qui ponunt annos 592. vel Nicolai Serarii, qui ponit 650. Quia sententiam hanc suam stabilire non possunt, nisi deuient a certo claroque Scripturæ asserto, quo longè pauciores effluxisse constat, nempe 480. vt iam dixi. nempe:

Ioseph. l. 8. Antiq. c. 2. & lib. 10. cap. 11. Sabell. Enneadis 1. l. 9. Canus l. 11. Locor. Theolog. c. 5. Serar. in 3. Reg. 7 propos. 2. Ioseph. l. 5. cap. 5.

	Ab egressu ex Ægypto	à mundo condito	à diluuio.
Moyses ab egressu filiorum Israel ex Ægypto vsque ad mortem præfuit totis annis, 40	40	2583	927
Deuteron. 31. v. 1. & c. 34. v. 7.			
Iosve, vt cap. 20. demonstrabo, 17	57	2600	944
Othoniel Iud. 3. v. 11. in cuius principatu includuntur anni 8. seruitutis, v. 8. sub rege Mesopotamiæ, vt probabo c. 23. item tempora Seniorum, qui Iudicum 2. v. 7. dicuntur longo tempore post Iosue vixisse. Sed inter eos erant etiam Othoniel & Aod. Neque enim tribuit Scriptura Senioribus alijs seu distinctis à Iudicibus, vllum certum tempus aut interuallum, quo ipsi præfuerint Israeli. 40	97	2640	984
Aod, computatis annis 18. seruitutis quæ contigit sub rege Moabitarum, Iud. 3 v. 14. item annus Iudicis Samgar, v. 30. & 31. Nam is etiam Iosepho teste vix anno vlt. Aod vertente vitam finijt, 80	177	2720	1064
Barac & Debbora, Iudicum 5. v. vlt. 40	217	2760	1104
Sed his includuntur 20. anni seruitutis regi Chanaan, Iud 4. v. 3.			
Gedeon, Iud. 8. v. 28. cum interregno 7. annorum sub Madianitis, Iud. 6. v. 1. 40	257	2800	1144
Abimelech tyrannus, Iudicum 9. v. 22. 3	260	2803	1147
Thola, Iudicum 10. v. 2. 23	283	2826	1170
Iaïr, Iudic. 10. v. 3. Cuius annis Cedrenus includit 18. annos seruitutis sub Philisthæis & Ammonitis, Iud. 10. v. 8. Seder-olam c. 12. duos postremos producit ad tempora Iephte. 22	305	2848	1192
Iephte, Iudicum 12. v. 7. 6	311	2854	1198
Abesan, Iudicum 12. v. 9. 7	318	2861	1205
Ahialon vel Helon Iudicum 12. v. 11. 10	328	2871	1215
Abdon Iudicum 12. v. 14. 8	336	2879	1223
336			

Mortuus est

	Ab egressu ex Ægyp.	à mundo condito	à diluuio
336			
Samson, Iud. 15. v. vlt. vbi etiam additur, in diebus Philisthijm iudicasse Israelem. 20	356	2899	1243
in est, eo tempore quo Philisthæi dominabantur Israelitis. Idem patet ex v. 11. & ex c. 14. v. 4. Vnde 40. anni seruitutis Philisthæis. Iudic. 13. v. 1. includuntur annis Samsonis, & quorũdã præcedentiũ Iudicum, & etiam ipsius Heli, qui secutus est Samsonẽ. ita Masius & alij. Quę fortè causa est, cur LXX. interpretes, teste Euseb. in chronico, tãtùm 20. annos dent Heli.			
Heli, 1. Reg. 4. v. 18. 40	396	2939	1283
Samvel & Saul simul, Actor. 13. v. 18. 40	436	2979	1323
David, 2. Reg. 5. v. 4. 40	476	3019	1363
Salomon vsque ad initia templi, quæ iecit quarto anno regni sui, 3. Reg. 6. v. 1. 4	480	3023	1367
480			

Mortuus est

CAPVT XIX.

Distributio vltimorum 40. annorum Moysis, seu peregrinationis Hebræorum in deserto. Vbi de 42. mansionibus in deserto: & 14. murmurationibus populi.

1. anno 1. mense Nisan die primo instituit Deus sacrificium agni paschalis, decimo die parandum, & 14. ad vesperam immolandum, Exodi 12. v. 3. & 6.

Die 15. (qui incidit in feriã 6. teste Seder-olam c. 5. & Genebrardo. ibid.) media nocte occisa sunt omnia primogenita Ægyptiorum, Exodi 12. v. 29. Primo diluculo cum spolijs Ægypti exeunt omnes Israelitæ, de Rameste in Socoth. v. 37. quæ fuit prima mansio, primo azymorum die.

Die 17. Dominico, tertio azymorũ transierunt in Etham secundam mansionẽ, Exodi 13. v. 20.

20. feria 4. sexto azymorũ reuersi castrametati sunt ad Phihahiroth iuxta mare rubrum Exodi 14. v. 2. & assequitur eos Pharao, v. 9. Et primùm murmurãt Hebræi, v. 11. in tertia mansione.

21. feria 5. septimo azymorum, nocte transierunt Hebræi siccis pedibus mare rubrum v. 22. Matutino tempore subsecuti eos Ægyptij, vndis maris inuoluuntur. v. 23. ita Seder-olã c. 5. etsi Synodus Cæsarien sis apud V. Bedam, dicat Hebræos die Dominico mare transisse. In solitudine Etham fuit quarta mansio. *Beda epist. de celebrat. Paschæ.*

24. Dominico, venerũt in Mara Exodi 15. v. 23. & Num. 33. v. 8. Ibi propter amaras aquas fuit secunda murmuratio, sed illis dulcoratis cessauit. Hæc fuit quinta mansio. *Hieron. epi. 127. ad Fabiolam de 42. mansionibus n. 7. & 8.*

30. Sabbathum istic egerunt. Nota. Plenus erat primus hic mensis, id est 30. dierum. Vt & alternis reliqui quinque: nam 2. 4. 6. 8. 10. 12. tantùm erant 29. dierum. Ita Seder-olam & alij.

2. mense Iiar die 1. Dominico, è Mara venerũt in Elim, Exodi 15. v. vlt. & Nũ. 33. v 9. Quæ fuit VI. mansio.

Die 12. feria 5. transierunt ad mare rubrum, Numer. 33 v. 10. in locum à S. Hieronymo vocatum Iam-suph. vbi septima fuit mansio. *Ioseph. l. 3. Ant. c. 1.*

15. Dominico, venerũt ad VIII. mansionem in deserto Sin, Exodi 15. 1. Num. 33. v. 11. vbi tertia murmuratio sedata est coturnicibus sub vesperã missis, & manna die sequẽti, Exodi 16. v. 13. Nam hactenus subcinericijs panibus victitarant per 30. dies, teste Seder-olam c. 5. & c. 10. & Iosepho.

16. feria 2. primùm manna pluit; quo vsi sunt totis 40. annis. Ita Ioseph. Hieron. Torniellus & Salianus: etsi Origenes, Ambrosius & Augustinus credíderint id die Dominica præced. accidisse.

17. feria 3. reseruatum manna in crastinum computruit, & vermibus scatere cœpit, Exod. 16. v. 20. Non ita.

20. Parasceue seu feria 6. quapropter Sabbathum sequens, colligebant duplicem mensuram, v. 22. & seqq.

29. & vlt. 2. mensis Dominico, progressi sunt in Daphca locum non r mansionis, Num. 33. v. 12.

3. mense Siuan die 1. feria 2. è Daphca venerunt in Alus. v. 13. vbi decima mansio.

Die 2. feria 3. de Alus in Raphidim, vndecimam mansionem. v. 14. & Exodi 17. v. 1. vbi ob sitim murmuratum est quartò: sed aquâ ex petra Horeb productâ sedatum murmur. v. 6.

3. feria 4 pugnatum contra Amalecitas à mane ad vesperam, Exodi 17. v. 10. & seqq.

4. feria 5. itum in vicinum Sinai, 12. mansionẽ, Exodi 19. v. 1. Num. 33. v. 15. Quo die Moyses bis montẽ ascẽdit. Iubeturq; populus sanctificari in diem 3. vt legem accipiat, Exodi. 19. v. 10. 14.

6. Sabbatho Pentecoste: dies datæ legis Exodi 19. v. 16. & c. 20. v. 1. Idẽ dies vocabatur Solennitas hebdomadarum. Exodi 34. v. 22 & Dies primitiuorum, Numer. 28. v. 26. & Leuit. 23. v. 16. Aprandio Deus Moysi, & Moyses populo explicat præcepta, quæ c. 21. 22. 23. Exodi continẽtur.

7. Dominico, ædificato altari sacrificatur, & fœdus Deum inter & Iudæos sancitur, Exodi 24. v. 4. A prandio quartũ ascendit Moyses in montẽ, Aarone, filijs & 70 senioribus comitantibus,

8. feria 2. Moyses quintùm ascendit cum Iosue, & sex diebus ibi manent, v. 13. & 16.

14. Dominico, septimo die ab ascensu cum Iosue in montem, euocatur Moyses in caliginem v. 16. mansitque ibi ieiunus, totis 40. diebus. v. vlt. Hîc accipit mandata de tabernaculo erigendo & alijs quæ habentur Exodi 25. vsque 32.

4. mense Tammuz die 14. feria 3. videns populus longam Moysis in monte moram, adit Aaronem, petens sibi fieri deos itineris duces. Sed, Aaron cunctatur ad aliquot dies, Exod. 32. v. 1.

Die

Die 17. Paraſceue, impatientes moræ vrgent Aaronem, ſeditione concitatâ. Et hæc dici poteſt quinta murmuratio contra Dominum. Porrò Aaron poſcit inaures, v. 2.

23. feria 5. conflato & expolito vitulo aureo, & erecto altari, indicitur voce præconis ſolennitas inſequentem diem, v. 5.

24. Paraſceue, hoſtiæ offeruntur idolo, v. 6. Id Moyſi reuelat Deus, v. 8. qui diſcẽdens de monte confringit tabulas, conterit vitulũ, corripit Aaronẽ, & 23000 idololatrarũ occidit, v. 19. vſq; 30.

25. Sabbatho, redarguit Moyſes populũ: rurſuſq; aſcendit in montẽ deprecaturus pro populo, v. 30. Sed populus peſtilẽtiâ punitur à Deo, v. vlt. Alios 35. dies impẽdit Moyſes partim tabernaculo è caſtris efferẽdo, Exodi 33. 7. partim populo caſtigando, partim ad montẽ ſæpiùs redeundo, v. 4. 5. &c. partim nouas tabulas dolando, c. 34. v. 1. Videt etiam tum tergum Domini, c. 33. v. vlt.

5. menſe Ab, die 30. ſeu vltimo Paraſceue, cum nouis tabulis aſcendit in montem, Exodi 34. v. 1. & 4. Ibique manſit alijs 40. diebus ieiunus, v 28.

6. meſem Elul totum tranſegit in monte cum Deo.

7. menſe Tiſri die 10 peracta 2. quadrageſima, deſcendit de monte cum nouis tabulis, obtentâ iam plenè veniâ populo, facie rutilante, &c. Exodi 34. v. 29. Vide quæ dicã in Commentario Exodi 40. v. 2.

Die 11. feria 4. congregato populo denũciat Moyſes, quæ à Deo præcepta acceperat, Exodi 35. nominatim de fabricando tabernaculo: ad quod ſequent. diebus contribuit vndique populus. Et fabricat illud Beſeleel, &c. c. 36. vſque 40. Et huic operi illaboratur vſque ad initium anni ſequ.

8. menſe Marcheſuan, die 2. feria 4. videtur Iethro Moyſen generum ſuum inuiſiſſe illiuſq; vxorẽ & filios è Madianitide (quò Moyſes eos ex itinere remiſerat) adduxiſſe. Videturque cum Moyſe manſiſſe vſque ad migrationẽ è Sinai. interim docuit eum inſtitutionẽ iudicum ſubalternorũ, Exodi 18.

12. menſe Adar, die 23. feria 3. perfecto iam opere ſanctuarij, Exodi 39. v. vlt. mandatum accipit de eodem erigendo prima die proximi anni Exodi 40. v. 1.

2. anno 1. menſe die 1. feria 3. erectum eſt tabernaculum, Exodi 40. Num. 7. & dedicatum: & Aaron & filij conſecrati ſacerdotes per ſeptiduum, Exodi 29. v 35. & ſeqq.

Die 8. Aaron celebrat primitias ſuas, quæ igne cælitus in victimas demiſſo comprobantur, Leuit 9. Sed filij eius Nadab & Abiu, quia profano vſi ſũt igne, cæleſti igne extincti ſunt. Leuit. 10.

14. ad veſperam phaſe celebrarunt Iudæi cum ſeptiduo azymorum, Num. 9. Blaſphemus paucis pòſt diebus lapidatur, Leuit. 24.

2. menſe die 14. ad veſperam iubentur paſcha ſuum celebrare qui priore menſe legitimè impediti fuerant, ibid. v. 10 Sed vt,

die 1. iuſſus fuerat totus populus numerari ab anno 20. & poſtea etiam Leuitæ ab anno 30. ita factum his duabus hebdomadis, Num. 1. & 3.

20 eleuante ſe columna nubis profecti ſũt de Sinai, vbi toto penè anno manſerãt. Redit Iethro in Madianitidem, ſed filius eius Hobab manet cum Moyſe, Numer. 10. v. 11. & 29. Poſt 3. dierum peregrinationem *Exodi 18. v. vlt.*

23. ventum ad Sepulchra concupiſcentiæ, decimamtertiam manſionem, verſus deſertum Pharan, v. 12. vbi ſextò murmuratũ eſt, ob laborẽ itineris, Num. 11. v. 1. Sed cæleſti igne murmur ſopitum, ibid. Paulò pòſt ſeptimũ murmur exortum, ſed coturnicibus ſedatum quas integro menſe eſitarunt, v. 20. Et ſeniores 70 inſtituti, qui Moyſi etiam in ſpiritualibus adeſſent, v. 24. qui initium fecerunt Sanedrij Judæorum. Loco verò nomen inditum Sepulchra concupiſcentiæ, quia concupiſcentes carnem iſtic occiſi à Deo & ſepulti fuerunt, v. vlt.

3. menſe die 26. inquit Torniellus, inde migratum, & quarto pòſt die ad decimamquartam ſtationem ventum in Haſeroth, v. vlt. & Numer. 33. v. 17.

4. menſe die 1. Maria & Aaron propter vxorem Moyſis Æthiopiſſam murmurant, Num. 12. v. 1. ſed Maria ſeptiduo leprâ punitur, v. 10. vſque finem. Quâ ſanatâ pergunt porrò Hebræi ad 15. manſionem

die 8. in Rethma, Num. 33. v. 18. quæ (vt & pleræq; ſequentium manſionum) pars erat immenſæ ſolitudinis Pharan, c. 13. 1. qui locus etiam Cadesbarne vocatur, Deut. 1. 2. 20. &c. quia Rethma non procul aberat ab vrbe Cadesbarne. Vnde miſſi exploratores, 40. pòſt die reuertuntur, & falſis criminationibus detrahentes terræ Chanaan, populum ad ſeditionẽ commouent, Num. 13. & 14. fruſtra obnitentibus Calebo & Ioſue. Et hæc dici poteſt 10. murmuratio, Nũ. 14. v. 22 ſi præcedentibus adnumeres eam quæ ante egreſſionẽ ex Ægypto coorta eſt, cùm grauiùs affligerentur à Pharaone, ob petitã miſſionẽ per Moyſen, Exod. 5. 21. & rurſus alterã, quâ ex diffidẽtia ſeruarũt mãna in ſequẽtẽ diẽ, & ipſum quoq; colligere voluerũt in Sabbatho, Exodi 16. v. 20. 27. & ſeq.

5. menſe die 19. cùm iniuſſu Dei pugnant contra Amalecitas cæduntur Hebræi, & reuertuntur in ſolitudinem Pharan. Paulò pòſt tendentes verſus mare rubrum, Num. 14. v. 44. & Deut. 1. v. 40. &c. damnati ad exiliũ à terra ſancta ferè ad 40. ann. Incertum ergo quo menſe peruenerint ad decimam ſextam manſionem in Remmomphares: vbi violator Sabbathi iuſſus eſt lapidari, Num. 15. v. 32.

3. anno ſequenti incertũ quibus menſibus, itum ad 17. manſionẽ, in Lebna, Num. 33. 20. inde ad 18. in Reſſa v. 21.

4. anno ad 19. manſionẽ, in Ceelatha v. 22. vbi ſeditio Core, Dathã & Abirõ nouas de cælo plagas accerſiuit, Num. 16. & Aaronis virga floruit, c. 17. occaſione duodecimæ murmurationis, c 16. v. 41.

De reliquis annis 35 altum in Scriptura ſilentium, niſi quòd interea temporis manſionem decies ter mutarint, nempe à 19. vſque 32. quæ deſcribuntur Num. 33. à v 23. vſque 36.

40. anno 1. menſis Niſan ſeu Xanthici Macedonici, inquit Ioſephus luna prima moritur Moyſis ſoror Maria, in deſerto Sin, vel Sem, in loco dicto Cades, Nũ. 20 v. 1. & c. 33 v. 36 Hæc eſt manſio trigeſima tertia. Et erat tum Maria annorum 126. completorum. Addit Ioſephus, ſepultã ibidem magnificè ſumptu publico, & menſtruum in eius morte luctum fuiſſe. *Ioſeph. l. 4. Ant. c. 4.*

2.mense fuit decimatertia(quantùm quidē ex Scripturis colligi potest)Hebræorū murmuratio ad Aquas contradictionis,Num.20.v.2.&c.Vbi & Aaron cespitauit,& etiam ipse Moyses,v.12.Ex eâdem in Cades mansione miserat hoc eodem anno Moyses legationem ad regem Edom,vt liceret Hebræis per medias terras illius impunè transire : sed repulsam passus,per Moabitidem profectus est,terminis tantùm Idumææ rasis, v.14.&.Deuter.2.4. Nempe moverunt castra versus montem Hor,in extremis finibus terræ Edom,Nu.33.v.37. Et hæc fuit mansio trigesimaquarta. In qua

5.mense die 1.mortuus est Aaron,Numer.33.v.38.cùm esset annorum 123. Vide etiam Deuter.10.v.6 & Numer.20.v.24.& Eleazar filius eius ei suffectus in pontificatu,ibidem,& luxit eum omnis populus dies 30.v.vlt.

6.mense relata insignis victoria de Arad,vno è Chananæis regibus,Numer.21.v.1.Mox itum ad 35.mansionem,in Salmona,Numer.33.v.41.Inde ad 36.in Phunon,v.42.vbi xiv.murmuratio populi ex fastidio mannæ,& tædio peregrinationis.Sed ignitis serpentibus & interitu plurimorum compescuit eam Deus,Numer.21.v.4.Inde perrexerunt ad 37.mansionē,in Obeth,v.10.Mox egressi fines Idumæorum,fixere tentoria in Iieabarim,in finibus Moabitarum,v.11.& cap.33.v.44.vbi fuit 38.mansio.39.fuit in Dibongad , transito torrente & valle Zared , Numer.33.v.45.&c.21. v.12.è regione seu iuxta fluuiū Arnon,in ijsdem finibus Moabitarū,v.13. Quadragesima in Helmondeblathaim,Num.33.v,46.iuxta eumdē fluuium Arnon, Num 21.v13. Quo traiecto,Deuter.2.v.24. missa legatio ad Sehon regem Amorrhæum;sed,illo transitum negante,vi occupatæ terræ illius,vti mox etiā Og regis Basan, Num.21.v.21.vsque finem.41.mansio fuit iuxta montes Abarim,è regione vrbis Nebo,sic dictę à vicino monte Nebo,cuius vertex vocabatur Phasga, Num.33.v.47.Vnde delapsi in subiectam his montibus regionem campestrem , dictam Campestria Moab,v.48.& c.22.v.1.fixerunt istic vltimam,id est 42.mansionem , in qua hæserunt toto reliquo huius anni, donec duce Iosue transirent Iordanem.Huc aduolat Balac rex Moabitarum cum Balaam ariolo,vt malediceret Israeli,Num.22.vsque 25.Hic fornicati sunt Israelitæ cum filiabus Moab,& adorauerunt Beelphegor.Et confossus est Zambri à Phinees,c.25.Numeratus de nouo populus,c.26.vt constaret , cui tribui maior terræ portio deberetur. Moysi mors sua denuntiatur,c.27.v.12.Iosue dux populi inauguratur,v.18.& eo duce Madianitæ cæduntur,c 31.& inter illos Balaam,v.8.Tribubus Ruben & Gad,& dimidiæ Manassæ datur regio cis Iordanem in possessionem,c.32.

11.mense die 1.Moyses iubente Deo exponit populo Deuteronomium c.1.v.3.toto mensis illius decursu. Ciuitates refugij decernit,cap.4.v.41.Leges futuro aliquādo regi præscribit,cap.17.v.14.Fœdus Deum inter & populum renouat,c.29.v.10.Deuteronomij librum in Arcæ latere reponi iubet, c.31.v.26.& septimo quoque seu Sabbathico anno recurrēte,præsente populo iubet,in solennitate Tabernaculorum,v.10.Dein cantico recitato,c.32.& benedictione tribubus singulis impertitā, c.33.Terrā sanctā desuper,è vertice Phasga,angelo demōstrante cōspectā c.34 v.1.felicissimè ibidem moritur,& ab eodem angelo sepelitur,v.6.cùm esset annorum 120. Hebræi omnes habent mortuum illum mense 12.Adar,& quidem Iosephus 1.die mensis , seu Rabbi Moyses & Seder-olam,septimam signant diem.Luctus verò Moysis tenuit populum 30.dies,Deuter.vlt.v.8.

Iosephus l.4. Antiq.c.10. R.Moyses proœmio in Misna.

CAPVT XX.

Distributio annorum & gestorum Iosue.

	an.egress. Hebr. ex Ægyp.	anno principatus Iosue	à condito mūdo
MOYSE die 7.mensis 12.vitâ functo , principatum populi capessit Iosue , & exploratores mittit eodem mense in vrbem Iericho , Iosue 2.	40		2583
Quibus sub initium sequentis mensis in castra reuersis, finito iam luctu,septima die mensis 1. iubetur populus parare in triduum cibaria, vt Iordanem traiiciant. Triduo exacto transeunt Iordanem sicco vestigio , decima die mensis primi,Iosue 4.v.19.& c.3.toto.	41	1	2584
11.die circumciditur populus in Galgalis,vbi primùm castrametabatur , Iosue 5.v.2.vsque 10.			
14.ad vesperam comederunt ibidem phase, v.10. Cumque iam fruges terræ sufficerent populo,desiit exinceps manna pluere,v.12.			
15.præcipitur Iosue,iubeat circuiri vrbem Iericho septem continuis diebus. Iosue 6.			
22.corruentibus muris Iericho expugnatur, v.20. & flammis absumitur in perpetuum anathema,v.24.Rahab cum omni sua familia saluatur.v.25.quæ nubit Salmoni filio Nahasson principi in tribu Iuda. Matt.1.v.4.& 5.vnde genitus Booz.			
Paucis pòst diebus progreditur Iosue ad vrbem Hai debellandam, c.7.v.2.sed infelici successu,v.5.propter sacrilegium Achan,v.11.& seqq.Quo lapidato,v,25. expugnatur Hai.c.8.			
Sub finem mensis 2. noua facta per Iosue promulgatio legis, & benedictionum in obseruatores, maledictionum in violatores super montibus Hebal & Garizim,Iosue 8.v.30.& seqq.			
Mense 3.Gabaonitæ imponunt Hebræis,Iosue 9.v.3.			

Dic

	egressus Hebr. ex Ægypto	anno principatus Iosue	à condito mũdo
Die 21. putat Salianus contigisse solstitium Iosue, & eædem 5. regum, Iosue 10. Secutæ dein expugnationes vrbium Maceda, v. 28. Lebna, v. 30. Lachis, v. 32. & aliarum vrbium, ibidem. A qua expeditione, cæsis in ea 12. regibus, pòst paulò reuersus est in Galgala v. vlt. nempe finita iam æstate, & ingruente hieme bellis gerendis per incommoda.			
Initio veris alia suscepta expeditio aduersus Iabin & confœderatos illi reges, & immensos exercitus, Iosue 11.	42	2	2585
Proximo triennio confectæ bellorum reliquiæ, v. 16. vsque finem, & c. 12. toto.			
Sequenti anno facta terræ diuisio per sortes, à c. 13. vsque 18. eáque facta castris adhuc in Galgalis cõsistentibus. Sed hæc partitio vltra tres tribus, Iuda I plaram & dimidiam Manasse, effectum sortita non fuit, ob causas quas attuli in Commentario Iosue 13. Itaque rursus conuentum fuit super eodem negotio, vt videtur, anno sequenti, translatis castris in Silo, Iosue 18. v. 1. vbi etiam reliquis 7. tribubus factum satis, c. 18. vsque 20. & designatæ vrbes refugij, c. 20. & Leuiticæ vrbes, c. 21. Tum remissi sunt ad suos trans Iordanem tribus Ruben, Gad & dimidia Manasse, c. 22.	46	6	2589
Deniq; conuocatis senioribus populi c. 23. & capitibus tribuum c. 24 in vrbem Sichem, renouat Iosue fœdus inter populum & Deum, v. 25. iubetque abijcere deos alienos, v. 23. & dimissis illis, v. 28 felicissimè moritur. v. 29. cùm esset annorum 110. Ibidem.	47	7	2590
Porrò 17. annos, nec plures, nec pauciores egisse Iosue in suo principatu, fusè docent Salianus, Torniellus, & alij contra Iosephum, Melchiorem Canum, qui dant illi annos 25 & Eusebium, qui 27. & Masseum, qui 26. & Caietanum, qui solùm 10. annos illi tribuit. Sed de 17. annis multò verosimilior est sententia: & huic subscribit etiam Ven. Beda, Adrichomius, Arias Montanus, Ioannes Lucidus, Hugo Bruchtonus, & plerique Nouatorum. Et secundùm hanc sententiam fuisset Iosue 53. annorum, quando militiæ primùm præfectus fuit à Moyse, Exodi 17. v. 10. Neque verisimile est, iuniorem ætate tanto muneri adhibitum fuisse.	57	17	2600

Salian. & Torniellus Annalib. Iosephus lib. 5. Antiq. c. 1. Canus l. 11. loc. Theol. cap. 5. Eusebius Chronic. Masius Iosuæ v. 31. Caietan. in Assor. 13. Ioan. Lucid. l. 1. de Emẽdat. temp. cap. 8. Bruchton. in suo Concord.

CAPVT XXI.

Vnde sumpserint initium anni Sabbathici & anni Iubilæi: de quibus Exodi 23. v. 11. & Leuitici 25. v. 2. & seq.

Scal. lib. 5. de Emend. temp. Emmius. Kreintzheim. chron. ex.

QVæritur Primò, de anno. Iosephus Scaliger, Ebbo Emmius, Leonardus Kreintzheim, & alij nonnulli volunt, tam primi Iubilæi seu quinquagenarij, quàm primi sabbathi seu septenarij annorum initium desumi à septimo anno Iosue, seu à partitione terræ sanctæ tum plenè perfecta. Quidam etiam à 14. anno.

Sed longè probabilior videtur sententia eorũ quos pro se citat Iacobus Salianus, qui exordium illud sumunt ab autumno primi anni Iosue quo Hebræi in terram sanctam ingressi sunt. Nam Leuitici 25. v. 2. manifestè exprimitur tempus ingressus: *Loquere filijs Israel*, (inquit Deus Moysi) *Quando ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, sabbathizes sabbathum Domino. Sex annis seres agrũ tuum: septimo autẽ anno sabbathum erit terræ.* Et hæc de anno Sabbathico. Mox de Iubilæo, v. 8. *Numerabis tibi* (vtique ab eodem primo in terram ingressu) *septẽ hebdomadas annorum, id est septies sep.ẽ, quæ simul faciunt annos 49.* Quibus finitis *clanges buccinã mense septimo* (qui respondet ferè nostro Septembri) *decima die mensis, in vniuersa terra restra, sanctificabisq; annum quinquagesimum: ipse est enim iubilæus.* Et verò nulla erat ratio diutiùs rẽ differendi. Nam prima ab ingressu æstate deuicti iam erant à Iosue & exciti Chananæi: nam 12. reges regnis & agris & vitâ cũ suis omnibus exuti fuerant, & recensentur Iosue 9. & 10. Et terras illorum iam occuparant Hebræi, vtique & colebant agros conserebant, vites putabant, saltem ijs locis in quibus suas tam cis, quàm trans Iordanem colonias collocarant cum vxoribus, liberis & seruis per quos poterant hæc commodè præstare, dum reliqui bellum armati prosequerentur. Alioquin vnde victum sibi parassent, cessante iam manna; Iosue 5. v. 12. Neque obstabat, quòd indiuisæ adhuc essent terræ. nam saltem in commune possidebant, colebant, inhabitabant terras, agros, vineas, pagos, vrbes. Confirmatur porrò hæc sententia ex eo quòd multæ aliæ cæremoniæ, quæ hactenus dilatæ fuerant, cœperint obligare cum primo ingressu in Chanaanitidem & transitu Iordanis, vt certum est de circumcisione, de Paschate, &c. ex c. 5. Iosue.

Quæritur Secundò, de mense. Sed de hoc dubitare non sinunt tũ citata iã verba Leuitici 25. v. 9. *Clanges buccinã mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempore*, id est ipso festo Expiationis, quod incidebat in 10. diẽ mensis 7. Tisri: tũ quæ suprà dixi c. 5. de distinctione anni sacri Iudæorum à ciuili. Ex quibus facilè refelles Abulensem, qui solus, quod sciam, contendit, hos annos à verno æquinoctio exordium sumpsisse. *Abul. in*

Quæritur Tertiò, de die. Iacobus Salianus putat à prima die mẽsis Tisri inchoatos fuisse. Alij quidã à 23. Sed quorsũ ille clangor buccinæ die decima mensis, ipso Expiationis festo? Neque enim recurrẽte quotannis illo festo, sed solùm post 49. annos exactos incipitur ille clangor illo die; vtique vt signũ detur inchoati tunc *Iubilæi*. Et licèt pro Sabbathico quoque anno non adhiberetur idem clangor, (quod sciam, saltem hic non præscribitur:) quia tamen eadem pro illo, quæ pro Iubilæo, die 10. inchoando ratio militabat; verisimilius est, eadem illa 10. die etiam Sabbathicum annum inchoari consueuisse. Ratio autem hæc erat, quòd vsque ad 10. diem vel circiter, adhuc occuparentur in vindemia, & arborũ fructibus colligendis. Vnde etiam festum Scenopegiæ, quod in gratiarum actionem pro collectis fructibus quotannis celebrabatur, non nisi

Leu. 25. Salian. a. 1. ann. mun. 2543.

Serar. in Iosue 13. medio mense institutũ fuit, nempe quia sub illud demum tempus absolui consuerat vindemia, vt iam dixi. Ita Serarius, Bonfrerius, & alij.

Bonfr. in Leuit. 25. v. 9. Quæritur Quartò, an annus Iubilæus concurrerit semper cum 7. Sabbathico anno, seu cum 49. an verò cum 50. Priorem partem mordicus tuentur Gerardus Mercator, Hugo Cardinalis, Scaliger, & cui hunc sequuntur Caluisius, Emmius, ceteriq; Nouatores. Sed verba Scripturæ suprà citata exprimunt diserte annũ qui sequitur 49. annos, nempe *quinquagesimum*, vti vocat: & hunc dicit esse *Iubilæum*, Leuit. 25. v. 8. vsque 12. Et ita affirmat Iosephus, qui praxin vidit: & confirmat Eusebius Beda, Ribera, Azor, Torniellus, Salianus, Serarius, Bonfrerius, & alij ab his citati. Vti & Leonardus Kreintzheim, & alij quidam Nouatores.

Ger. Merc. in Chronologia.

Hugo Card. in Leuit. 25.

Scal. & Emm. sup.

Caluis. in Chron.

Ioseph. l. 3. Antiq. c. 10.

Euseb. in Chron.

Ribera l. 5. de Templo. cap. 24.

Azor l. 6. Moral. c. 21.

Torn. ad annum mundi 2584.

Sal. ad annum mundi 2544.

Serar. in Iosue 13. q. 14.

Bonf. in Leuit. 25. 10.

Kreintzh. sup.

Trident. sess. 4.

Caiet. in eum loc.

Mercat. ad ann. mundi 2501.

Func. in sua Chronol.

Luth. in Actor. 13.

Germanic. versio.

Beda in Actor. 13. v. 22.

Kreintz. in suis obseruationibus Chronol. l. 1. c. 11.

Dispositio autem illa, de libertate seruorum, & restitutione agrorum, quæ in Iubilæo fiebat, non semper fiebat in anno Iubilæo, sed in anno sequente, qui erat primus septimanæ septimanarum. Quia in anno Iubilæo non licebat seminare, nec metere, nec vindemiare, vt patet Leuit. 25. v. 11. Ergo nec vendere agros, quia ex fructibus venditis emptor lucrum faceret. Quare in anno Iubilæo non fiebat restitutio agrorum, sed in anno sequente, qui erat primus septimanæ septimanarum. Ita Rabbini, Ribera, Azor, Bonfrerius, & alij.

Nota ex Scripturis colligi, Sabbathicos annos fuisse 13. Ezechiæ regis Iudæ, & 4. & 11. regis Sedeciæ. Cùm enim Isaias initio cap. 36. dixisset, annum aduentus Sennacherib regis Assyriorũ in Iudæam fuisse 14. regis Ezechiæ; mox cap. sequenti 37. v. 30. vocat annum illum, *primum*, sequentem, *secundum*, subsequentem, *tertium*, nempe hebdomadis Sabbathicæ, quia erat ann. 1. 2. & 3. à Sabbathico præcedente, qui fuerat finitus sub initium autumni anni 13. eiusdẽ Ezechiæ. Sic Ieremiæ 28. v. 1. primus annus regni Sedeciæ vocatur *Quartus*, nempe hebdomadis Sabbathicæ: ergo anno 4 eiusdem Sedeciæ finiebatur cum initio autumni annus 7. seu Sabbathicus. Item anno 11. vt euidens est. ita Vatablus & Corn. à Lapide ad versum 1. cap. 28. Ieremiæ & Scaliger. Qui etiam inde colligit & rectè, ab initio regni Ezechiæ, vsque ad excidium templi fluxisse præcisè 138. annos absolutos, vt 139. sit annus excidij. vt patebit ex dicendis infrà cap. 29. Sed insuper inde colligo, nostrum hunc de initio annorum Sabbathicorum calculum probum & iustum esse: nam ab autumno anni 1. Iosuæ, mundi 2584. vsque ad autumnum anni 13. Ezechiæ, mundi 3320. exclusi, reperies præcisè 107. hebdomadas annorum, & vsque ad 11. Sedeciæ, mundi 3446. hebdomadas 123.

CAPVT XXII.

Vnde exordium sumpserint anni 450. quos S. Paulus Actorum 13. v. 20. terminatos dicit cum sortitione terræ Chanaan per Iosue facta anno 6. ab ingressu in terram sanctam, vt suprà dixi cap. 20. ad annum 6. principatus Iosue.

REspondeo, Exordium sumpserunt à natiuitate Isaaci, vt docent Nicolaus Liranus, Iacobus Salianus & alij. Nam calculi exactè respondent, vno solùm anno excedente numerum Paulinum. Sed idcirco addit S. Paulus voculam, *Quasi*; ac si diceret, *Distributam* Israelitis *terram, quasi*, id est præter propter, *post 450. annos*: nam fuerunt 451.

Dices, Græcus textus Actorum 13. inchoat illos annos ab ipsa sortitione terræ sanctæ, finitúque cum Samuele Propheta.

Respondeo, Vel inde patet, textum Græcũ mendis non carere: & Concilium Tridentinũ meritò decreuisse, inhærendum Latinæ veteri Vulgatæ editioni: nam etiam secundùm ipsũ Græcum textum 3. Regũ 6. v. 1. patet, templũ Salomonis inchoatum 480. anno ab egressu filiorum Israel ex Ægypto: quo igitur modo fieri potest, vt à diuisa terra sancta fluxerint 450. anni vsque ad Samuelem; cùm ab egressu Israelitarum ex Ægypto vsque ad diuisionem terræ effluxerint vt minimum 46. anni: & à Samuelis morte ferè totidem alij anni? Quibus detractis ex summa 480. annorum, non supererunt nisi 388. anni; qui numerus procul abest à 450. Alij aliter respondent, & dicunt, in Græco mendosè positos annos 450. debuisse poni 350. Ita Caietanus, Mercator, Lutherus, & Ioannes Iunctius. Tot enim præcisè anni fluxerunt à 6. Iosue vsque ad 1. Samuelis.

Alij dicunt, nullum esse mendum, sed Apostolum ex vulgi opinione locutum esse, & summas annorum, prout in libro Josue, Iudicum, & libris Regum proponuntur, coaceruasse, nulla facta disquisitione, an seruitutum anni comprehenderentur annis Iudicum: de quo agam capite sequenti; atque ita ab Othoniele inchoando, & cum initio Samuelis finiendo, collegisse 450. annos. Nam sic numerando deprehendes Iudicum annos 339. & seruitutum 111. annos, qui iuncti prioribus faciunt simul 450. annos. Ita Ven. Beda, & Leonardus Kreintzheim, & quinam alij. Sed verius est, quod primo loco posui.

CAPVT XXIII.

An seruitutum anni 111. quorum mentio est in libro Iudicum, comprehendantur in annis Iudicum, an seorsim subducendi sint.

	Anni seruitutum
SVnt autem isti. Tempore Othonielis, 3. Iudicum v. 8. sub rege Mesopotamiæ	8
Sub tempora Aod, ibid. v. 14. sub Eglon rege Moab	18
Sub tempora Barec, Iudic. 4. v. 3. sub Iabin rege Chanaan, & Sisara	20
Sub Gedeone, Judic. 6. v. 1. sub Madianitis	7
Sub Iair & Iephte, Judic. 10. v. 8. sub Philisthæis & Ammonitis	18
Tempore Samsonis & Heli, Iudic. 13. v. 1. sub Philisthæis	40
	111

S.Hieronymus, S.Augustinus, Sulpitius, Nicephorus Constantinopolitanus, Cedrenus, Philastrius, & ex recentioribus Sigonius, Canus & Serarius volunt seorsim ab annis Iudicū subduci annos seruitutum. Sed hanc suam sententiam tueri non possunt, nisi exemplaria omnia Hebraica, Græca, Latina 3.Reg.6.v.1. vbi Salomon dicitur templum suum inchoasse anno 480 abegressu filiorum Israel ex Ægypto, corrupta esse affirment, vt dixi initio cap.18. Vndeputo certum esse, annos illos seruitutum comprehendi in annis Judicū. Et S.Scriptura hinc inde id ipsum insinuat, nam Iudicū 4.cùm v.3.dixisset, *Iabin regem Chananæum vehementer* Iudæos *oppressisse per viginti annos?* mox v.4.subdit: *In illo tempore* (nempe 20.istorū annorū seruitutis) *Debbora Prophetis vehebat populū*, seu iudicē agebat in Israele. Ergo 20.illi anni seruitutis includuntur 40.annis quibus ipsa iudicē egit. Rursum cap.15.in fine, dicitur *Samson iudicasse* quidē *Israel viginti annis*, sed *in diebus Philisthym*, id est quando Philisthæi dominabantur Israelitis, vt paulò antè expressum fuerat v.11.vbi Israelitæ dicunt Samsoni, *Nescis quòd Philisthym imperent nobis?* Et imperarunt sanè vsque ad mortem Samsonis, vt res gesta loquitur. Ergo 20.anni quibus iudicauit Samson Israelem, non sunt distincti ab annis seruitutis, quâ Israelitæ tum temporis seruiebant Philisthæis. Idem porrò de reliquis quoque seruitutum annis censendū, docet ex Hebræorum traditione Eusebius. Comestor, Liranus, & ex Philone, Beda & Isidoro Naclantus, Hugo Cardinalis, Carthusianus, Abulensis, Genebrardus, Torniellus, Salianus & alij.

S.Hieron. epist.132. ad Vitalem. S.Aug.l.15. de Ciuit. cap.13. Sulpit.in textu, & apud Sigonium. Nicephorus cap.4. Cedren.in Chronic. Philast.3.p. hæresi 63. Sigon.in Sulpitium Meleh.Canus Loc. Theol.l.11. c.5.ad 12. Serar.in 3.Reg.7. Euseb.& Genebr. in Chronic. Comestor. Liran. Carthus. & Abul. & Hugo in Iud.3. & 5. & in 3.Reg.6.1. Naclantus l.Arcanor. Christi. Torniell.ad ann.mundi 2591.

CAPVT XXIV.

Quo sensu dixerit Iephte, Iudic.11.v.26. Israelitas terram Chanaan per 300.annos possedisse, cùm ab vltimo anno vitæ Moysis, quo primum illam caperunt inuadere, vsque ad 1.annum ducatus Iephte, non intercesserint nisi 266.vel 267.anni.

RIspondeo, Iephte per modum amplificationis vtitur numero perfecto pro imperfecto; & quidē in rem suam potiùs 300 annos numerat quàm 200.quia verus numerus 267.annorū propinquior erat numero 300.quàm 200. Sensus ergo est, Israelitas terram Chanaam possedisse ferè 300.annis. Nisi malis dicere, Iephte exordium istorum annorū non accersuisse à tempore quo israelitæ actu inuaserunt Chanaanitidē, quod cœptū fuit vltimo anno vitæ Moysis: sed à tempore quo Deus eam ipsis donauit, & inuadere iussit, & ipsi inuadere quoque cœperunt missis exploratoribus Num.13.v.3. quod fuit secundo anno abegressu ex Ægypto. Nam ex tunc potest dici dominiū terræ Chanaan à Deo translatum in Israelitas: (de quo dominio hic agit Jephte v.24.) & per accidens fuisse quòd tempore peregrinationis per desertum illo dominio vsi nō sint: Sic enim distulerunt tantùm illo vti, sed non amiserunt illud.

CAPVT XXV.

Quo tempore contigerit historia Michæ, Iudicum 17. & expugnatio Lais, c.18. excidium penè integræ tribus Beniamin ob constupratam vxorem Leuitæ, c.19.20.21. quo item tempore historia Ruth.c.1.&c.

Dixi in Commentario eorumdem capitum.

CAPVT XXVI.

De annis Samuelis & Saulis.

IOsephus dicit Saulem viuente adhuc Samuele regnasse 18 annos, & eo mortuo 20. id est simul 38. annos Legionensis 39. S.Augustinus, Quintus Iulius Hilarion, Salmeron & Serarius 40.annos. Samuelem verò ante Saulem alijs totidē annis, vel certè paulò paucioribus iudicem egisse admittunt, & sanè vt admittant, Scriptura cogit.

Ioseph.l.6. Antiq.in fine. Legionens. in c.2.ad Gal. Aug.l.18. de Ciuit. c.20. & li.17.c.7. Q.Iu.Hil. de mundi durat.in Appendice Salm.prolog.14. formula 17. Seran.in

Alij communiter dicunt, ex principatu Samuelis, & regno Saulis nō nisi 40.annos simul conflari. Et Salianus quidem 22.annos dat Samueli, Sauli 18. Gaspar Sanctius 38. Samueli, Sauli non nisi duos: alij spatiū totum vtrique ex æquo diuidunt. Mihi quid videatur, paucis conclusionibus exponam.

I. CONCLVSIO. Certum est, Samuelem non tantùm 20. aut 22. sed minimum 38. annis, iudicem egisse, priusquam Saul regno admoueretur. Patet, quia ab ætate iuuenili, imò ab adolescentia sua, cœpit iudicem agere. vt docet ipsemet 1.Regum 12.v.2. vbi cùm vitam suam excutiendā traderet populo, vitam, inquam, ex quo iudex esse cœperat in Israel, (nam mox illa crimina à se repellit, quæ nō nisi à superioribus aduersus inferiores admitti solent, violentam extorsionem, tyrannicam oppressionem, munerum acceptionem;) sic loquitur ad populum: *Conuersatus coram vobis ab adolescentia mea, vsque ad hanc diem, ecce præsto sum.* Ex quo loco, Abulensis & Dionysius & alij plerique, confitare dicunt, Samuelem ab adolescentia sua gubernasse Israelē. Quod etiam colligitur ex cap.7.v.3. vbi Samuel 20.anno à morte Heli legitur iudicem egisse, populū conuocasse, instruxisse, ad pugnā direxisse, &c. quasi iam pridem munere iudicis fungi assectus. Item ex vers.15. ibid. vbi Scriptura dicit. *Samuelem cunctis diebus vitæ suæ iudicasse Israelem.* ergo saltem à iuuentute.

Dices, 3.Reg.7.

Ioseph. li.4. Antiq. c.14. Hebr. in Seder-olam cap.14.

Dices, Per illã ætatem inceptus erat imperio. Nam si Iosepho & alijs Hebræis, quos sequitur Abul. & alij, fides habenda, Samuel cùm primùm afflari cœpit spiritu Prophetico, 1. Reg 3. v. 11. nõ erat nisi 12. annorũ.

Respondeo. Sed id accidit aliquot annis ante mortẽ Heli: nam mox v. 19. subditur, *crevisse* ex eo tempore *Samuelem*, & alijs prophetijs paulatim innotuisse toti Israeli. Vnde constat, inter istud primum Samuelis vaticinium, & vastitatem domus Heli, quæ c. 4. subsecuta narratur, aliquot annorum spatium intercessisse, nõ tamen tam multorũ, quin adhuc Samuel intra terminos adolescentiæ hæreret, vt suprà dixi. Ponamus ergo ad 12. annos 8. 9 vel 10. alios accessisse; iam moriente Heli fuerit 20. vel 22. annorum: qua ætate non potest dici inceptus vel immaturus fuisse imperio. Quamquam vt paulò immaturior fuisset, adhibitum tamen nemo facilè mirabitur, qui quo in pretio Samuel etiam ante mortẽ Heli apud omnes palàm esset, expenderit: nam vt eodẽ cap 3. v. 20. dicitur, *Cognouit vniuersus Israel à Dan vsque Bersabee, auòd fidelis Samuel Propheta esset Domini.* Vt maxima quæque meritò de illo sperari possent. Vnde mirum non est, extincto Heli Samuelem, etsi adolescentem, votis totius populi in iudicem delectum fuisse. Iam pergo, & sic subsumo: atqui Samuel, priùs quàm Saul regno admoueretur, iã senuerat & incanuerat, vt dicitur 1. Regũ 8. v. 1. & 5. itẽ c. 12. v. 2. & senio fatigatus, duos filios suos sibi substituerat iudices, vt eodem cap. 8. narratur. Ergo priùs quàm Saul regno admoueretur, non tantùm 20. aut 22. sed 38. annis iudicem egerat: quia canus, & senex, imò fatigatus senio dici non posset qui nondum esse 60. sed summùm 40. vel 44. annorum. Tot enim, nec plures inuenies, si anno ipsius 20. vel 22. totidem, nec plures alios adieceris. Accedit, quòd post vigesimum annum à morte Heli, c. 7. v. 2. cùm iã totis 20. annis Samuel iudex fuisset, dicitur post illud tempus, v. 16 *per singulos annos circuisse Bethel & Galgala & Masphath, & Ramatha, & iudicasse Israelẽ in supradictis locis*, idque *cunctis diebus vitæ suæ.* Quæ omnia insinuant, post illos Samuelis priores 20. annos ipsum aliud notabile spatium annorum in eodem munere iudicis exegisse.

II. CONCLVSIO. Certum item est, Saulem non regnasse 40. annis.

Primò, quia plures alioquin anni, quàm 480. effluxissent ab egressu filiorum Israel ex Ægypto, vsque ad fabricam templi Salomonici, vt patet ex dictis suprà cap. 18. Atque ita mentiretur Scriptura 3. Regũ 6. v. 1. quæ dicit, anno 480. condi cœptum templum. Secundò, quia Dauid vnctus est in regem à Samuele simul ac reprobatus est Saul, 1. Reg. 15. v. 23. & 28. & c. 16. v. 13. Id verò ex communi sententia contigit secundo anno regni Saulis, (ego puto contigisse primo anno) ergo 38. annis ante mortem Saulis: ergo vnctus est Dauid in regem totis 8. annis antequam natus esset: nam in morte Saulis cùm Dauid regnum capesseret, non erat nisi 30. annorum, 2. Regum 5. v. 4. Rursum Saul cùm regnare cœpit, non potuit esse quinquagenario minor, cùm filium tunc habuerit tam robustum, tam prudentem, vt præfici posset mille viris, & propria manu sternere plurimos hostium, 1. Regum 13. v. 2 & 3. & c. 14. v. 14. Ergo fuisset 90. annorum Saul cùm moreretur. Atqui Scriptura de Saule etiam iam morituro loquitur vt de viro adhuc robusto vt qui pridie mortis tantum tãque periculosum bellum per se administrarit, & iter admodum longum pedes confecerit. 1. Reg. 28. v. 8 & 25. Quod in nonagenarium non cadit: nam Dauid eodem sæculo, Saule viribus nihilo inferior, tamen, cùm vix esset septuagenarius, iam tum erat inutilis bello, & indutus vestibus non poterat calefieri, 3. Reg. 1. v. 1.

III. CONCLVSIO. Sed neque 20. neque 18. annis regnasse Saulem verisimilius est. Tum propter rationes penè easdem quibus 2. conclusionem iam stabiliui. Tum quia vel sic nimis diu dilatum fuisset supplicium Saulis, quod illi per Samuelem inflixit Deus, nempe spoliationem regni. 1. Reg 13. v. 14. & cap. 15. v. 28. Imò quid supplicij subijsset, si iam septuagenario sublatum esset onus regni, cùm Samuel vix sexagenarius illi ferendo non esset? Denique quia Dauid alioqui tantùm fuisset 12. annorum, quando à Samuele vnctus fuit in regem, vt patet ex 2. ratione 2. conclusionis. Quod sanè videtur non esse credibile.

Dices, Cùm vngeretur Dauid 1. Reg. 16. v. 11. vocatur *Paruulus.*

Respondeo, sed comparatiuè respectu fratrum reliquorum, vt dixi in Commentario. Nam eodem cap. v. 18. vocatur etiam tum *Vir*, & quidem *bellicosus & fortiss. mus robore, & prudens.* Quæ in duodennẽ vel quindecennem nõ cadunt. Vnde Hebræi in Seder-olam c. 13. dicunt Dauidem, cùm vngeretur primo Saulis anno in regem, egisse tunc ætatis suæ annum 22. Ego puto egisse 28. Pro quo sit

Mercat. in Chronico. Arias l. de sæculis & in Act. Apostolorum. Adrichom. anno mundi 2850. Sanctius in 1. Reg. 13. 1.

IV. CONCLVSIO. Verisimillimum videtur, Saulem non nisi duobus integris annis regnum tenuisse. Ita Hebræi in Seder-olã c. 53. Rabbi Abrahã in historia Cabala, Cerardus Mercator, Arias Montanus, Adrichomius & Sanctius. Et probatur, 1. Reg. 13. v. 1. *Filius vnius anni* (ita Hebræi loquuntur, emissa nota similitudinis, pro eo quod dicerent, *Sicut filius vnius anni*, simplex & rectus) *erat Saul cùm regnare cœpisset, & duobus annis regnauit super Israel.* Quibus verbis nescio quid clarius esse possit. Et hoc est, quod Samuel statim ab inauguratione Saulis palàm cõminatus fuerat, versu immediatè præcedenti, nempe vltimo cap. 12. *Quòd si perseueraueritis in malitia, & vos, & rex vester peribitis.* Mox enim subdit, se nimis verũ fuisse vatem, nam, licèt Saul instar pueri vnius anni innocens & purus regnum inijsset, non diu tamen in innocentia perstitisse, ac proinde non nisi biennio regnum tenuisse.

Dices. Tot prælia à Saule pugnata non potuerunt confici spatio biennali.

Respondeo. potuisse, & quidem percommodè, vt in commentario declaraui.

Dices Secundò, Occiso Saulo suffectus est filius eius Isboseth iam quadragenarius, 2. Reg. 2. v. 10. Si ergo Saul non regnauit nisi biennio, ergo erat penè sexagenarius cùm ad regnum vocatus est: id est, eiusdem ætatis cum Samuele, qui tamen propter senium censebatur impar oneri illi diutiùs ferendo.

Respondeo, prorsus fuisse tantæ ætatis Sed in paribus annis impares sunt sæpè vires: & Saul, vt proceritate corporis, sic & viribus præcellebat penè omnibus. Quamquam in si premo duce non tam vires & lacerti, quàm prudentia, consilium & auctoritas quærantur, quæ in tali ætate plus vigent. Certum verò esse, prouectioris ætatis Saulẽ fuisse cùm in regẽ vngeretur, patet ex filio eius Ionatha iam tum viro, vt dixi in 3. ratione conclusionis 2.

Dices Tertiò. S. Paulus Actorũ 13. v. 20. dicit: *Post hæc dedit* Deus *iudices vsque ad Samuel prophetam. Et exinde postulauerunt regem, & dedit illis Saul filium Cis, virum de tribu Beniamin, annis quadraginta.*

Respon-

Respondeo, Illi anni 40. tam Samuelem respiciunt, quàm Saulem, cuius vtriusque præfecturæ tempora S. Paulus coniungit, neutri seorsim certos tribuens, sed vtriusque simul imperij tempus ad 40. annos extendens. Neque posse vni Sauli totos 40. annos concedi, præterquam quòd repugnet communi Interpretum & Chronologorũ sententiæ, notius est ex conclusionibus iam suprà stabilitis, quàm vt ab vllo cordato negari possit.

CAPVT XXVII.

Distributio annorum Samuelis & Saulis.

PRo filio Samuele suscipiendo orat Anna, 1. Regum 1. v. 11. sub tempus, vt puto paschale. Nascitur Samuel eodem anno iam finiente, v. 20. Et sub idem tempus etiam Saul natus est, vt patet ex dictis cap. præced. | Iudicis Heli anno 19

Tribus pòst annis ablactatus Samuel infans, vers. 23. offertur Domino in tabernaculo Silo, vers. 24. | 22

Monetur Heli per populi communem clamorem de sacrilegijs filiorum suorũ Ophni & Phinees, cap. 2. v. 22. Monetque eos. em, sed languidè, v. 23. | 26

Monetur rursum per Propheram cum minis seueriſſimis, v. 27. | 29

Per Samuelem quoque iam duodennẽ, cap. 3. v. 11. & 18. Et hoc primùm tempore cœpit Samuel afflari spiritu prophetico, v. 7. Ita Iosephus, Hebræi, Abulensis, & alij citati c. 26. præced. in obiect. contra primam conclusionem.

Bis cæduntur à Philistha is Hebræi, c. 4. v. 2. & 10. Arca capitur, v. 11. cæsis Ophni & Phinees. Heli 98. annorum fractis ceruicibus moritur, v. 15. & 18. | 31

In tanta rerum perturbatione Samuel, vtpote notus iam pridem Propheta, c. 3. in fine, eligitur in iudicem loco Heli iam mortui. Et hic est annus ipsius principatus | 40 Samuelis 1

Ita Abulensis, Liranus, Caietanus, & ferè alij in 1. Regum 7. Postquam arca fuisset apud Philistha os 7. mensibus, 1. Reg. 6. v. 1. redditur Israelitis in Bethsames tempore messis triticeæ, v. 13. id est circa Pentecosten. Vnde colligimus captam arcã, & cæsos Hebræos 9. menſe anni præcedentis, qui ferè respondet nostro Nouembri: nam inde numerando, deprehendes tertium anni Hebræorum mensem, qui cum nostro ferè Maio concurrit, septimum esse.

Anno eodem ex Bethsames translata est arca in Cariathiarim, vbi fuit penè 20. annis, 1. Reg. 7. v. 1. & 2.

Anno 10. Samuelis nascitur Dauid, vt patebit ex sequentibus. | 10

Anno 20. retulit Samuel insignem victoriam de Philisthæis, & oppida omnia nuper ablata recuperauit, à v. 10. vsque 15. | 20

Samuele iam senescente, vtpote 58. annorum, difficillimis reipublicæ temporibus transactorum, viribusque forsan & morbis fracto, filijeius iudices subalterni, & parenti subsidio futuri constituuntur, 1. Reg. à. v. 1. Sed malè fungebantur officio suo, v. 3. Hæc causa fuit Hebræis petendi regem, v. 5.

Saul Rex constituitur, cap. 9. & 10. initio anni. Post mensem vnum cæsis Ammonitis liberat vrbem Iabes Galaad, c. 11. & rursus inauguratur, ibid. in fine, & c. 12. toto. Mox remissis Israelitis, sed rursus, occasione ca sa stationis Philisthæorũ per Ionatham, c. 13. v. 3. omnibus ad arma reuocatis, v. 4. mouet bellum Philisthæis. v. 5. Cumq; Israelitæ metu paulatim dilaberentur, v. 6. & 11. Saul contra Samuelis imperium offert holocaustũ Deo, v. 9. Quare à Samuele reprehenditur, & sceptro priuatus dicitur, quod alteri (putà Dauidi) donatum iam sit à Deo, v. 14. Vrgent interim bellum Philisthæi, v. 5. sed mutuis vulneribus intereunt, cap. 14. v. 20. cùm Ionathas propter degustatũ mel, adit vitæ periculum, v. 43. Cumque iam paratas haberet copias & promptas, cæcidit eadem æstate Ammonitas, Moabitas, alioſque vicinos Iudæis hostes, qui Saulem recèns creatum regem conabantur ipso statim initio, priusquam inualesceret, opprimere, sed ipsi ab illo oppressi sunt v. 47. Æstate declinãte, iussus à Samuele inuasit quoque & exscidit Amalecitas, ibid. & cap. 15. vsque v. 8. Sed hîc secundò impingit, contra expressum Dei mandatum parcens optimis quibusque spolijs, v. 9. 23. & 28. Vnde & secundò reprobatur, & à regno repellitur, ibid. Et sub idem tempus Dauid in regem inungitur, c. 16. v. 13 Fit dein psaltes & armiger Saulis, v. 21. & 23. | 38 Saul

Initio 2. anni Saulis Dauid cædit Goliath Philisthæum, c. 17. & Ionathæ fit carissimus, c. 18. v. 1. Sed hæc inuidiæ & odij in Dauidem occasio facta est Sauli, v. 8. Qui submouit illũ ex oculis, & tribunũ cõstituit, v. 15. Subtractà Merob maiore natu filiâ Saulis, v. 19. datur ei vxor Michol minor natu, v. 27. quæ maritum morti subtrahit, c. 19. v. 12. Dauid fugit in Naioth, v. 18. Inde in Nobe, c. 21 vbi ab Achimelecho pontifice accipit gladiũ Goliath & panes sacros, v. 6. & 9. fugitque inde ad Achis regem Geth, v. 10. Vbi cùm tutò hærere non posset, v. 12. fugit in speluncam Odollam, c. 22. v. 1. Inde ad regem Moab, v. 3. vbi relictis parentibus, redit in saltum Haret terram Iuda, v. 5. Interea Saul ex Doëg cognito quod Achimelech faueret Dauidi, v. 9. iubet eum occisi cum omni sua familia, v. 17. solo Abiathar fugâ ad Dauidem elapso. v. 10. Dauid nihilominus, tempore messis, c 23. v. 1. Philisthæos magna clade affectos cogit ab obsidione vrbis Ceilæ facessere, v. 5. non instructus nisi 600. viris, v. 13. Vbi cùm Saul pararet obsidere Dauidem, v. 7. ipse vrbe excedit, v. 13 & in montem solitudinis Ziph secedit, v. 14. Hîc fœdus innouat cum Ionatha, v. 16. Sed proditur Sauli à Zipæis, | 39 1

v.19. Quorum indicio prosecutus Dauidem Saul, cùm iam in modum coronæ cinctum teneret, vt 26. subito nuntio euocatur, vt Philisthæis in Iudæam irrumpentibus occurrat, vers. 27. Quibus fugatis reuertitur Saul cum tribus millibus, vt Dauidem opprimat iam in Engaddi latitantem c. 14. v. 1. sed præcisa chlamydis suæ solâ laciniâ, cùm potuisset iugulari, v. 5. placatus Dauidi, domum regressus est, v. 19. & 23. Sub finem æstatis, quatuor mensibus ante mortem Saulis, vt Hæbræi tradunt in Seder-olam c. 13. mortuus est Samuel, c. 25. v. 1. Sub idem tempus contigit mors Nabal, cuius vxor nupsit dein Dauidi, v. 42. Item Achinoam, & ipsa vxor Dauidis, v. 43. Primâ vxore eius Michol traditâ alteri viro, v. 44. Rursum Saul persequitur Dauidem sub idem illud tempus, cap. 26. v. 1. Et rursum placatur Dauidi, quem vidit sublatâ solâ hastâ & scypho regio, peperciſſe vitæ suæ, v. 21. & 25. Sed Dauid metuens sibi ab inconstantia Saulis, recipit se ad Achis regem Geth, c 27 v. 2. vbi hæsit per 4 menses, vers. 7. nempe vsque ad mortem Saulis, quæ contigit vel vltimo mense huius anni, vel primo sequentis anni, c. 28. & 31. Quæ sic ordine digesta, clarè designant, omnia Saulis acta posse spatio biennij, vt cap. præcedenti dixi, commodissimè circumscribi.

anno Samuel.	Saul.
40	2

CAPVT XXVIII.

Distributio annorum regni Dauidis.

CÆso Saule, Ionatha, & penè tota regia stirpe 1. Reg. vlt. v. 2. Dauid à cæde Amalecitarum c. 30. reuersus in Siceleg 2. Reg. 1 v. 1. iussu Dei venit in Hebron, c. 2. v. 1. Vbi in regem vngitur super tribum Iuda, v. 4. cùm esset iam 30. annorum, c 5. v. 4. Isboseth verò filius Saul iam quadragenarius, c. 2. v. 10. imperauit reliquis tribubus, v. 9. Fuitque bellum inter Isboseth & Dauid totis 7. annis cum medio, c. 5. v. 5. Quibus elapsis,

Dauidis an.

1

curante Abner c 3. v. 9. & sublato Isboseth c. 4. v. 7. etiam reliquæ tribus omnes se subdunt Dauidi, c. 5. v. 1. Et tertiò vngitur in regem, v. 3. Eodemque tempore ductis Ierosolymam copiis expugnat arcem Sion, v 7. pulso inde Ieboiæo, v. 8.

Ioseph. li. 7. Antiq. c. 10.

8

Sequentis anni initio mouent aduersum Dauidem Philisthæi, c. 5. v. 17. Sed cæduntur in Baal Pharasim, v. 20. rursumque secundò ex aduerso pyrorũ, v. 23. quando tres fortes Dauidis aquam de cisterna Bethlehem, præsidio Philisthæorum tunc infestã, per medios hostes detulerunt ad Dauidem, 2. Reg. 23. & 1. Paralip. 11. Ita Iosephus, Adrichomius Serarius & Salianus.

Adrichom. in sua Chronol. Serar. in 2. Reg. 23. Salian. anno mundi 2988.

9

Ducit ex inceps varias vxores Dauid, c. 5. v. 13 Construit sibi palatiũ, v. 11. Transfert arcam è Cariathiarim, c. 16. Et ob cæsum à Deo Ozam, v. 7. non ausus est Dauid illã domi excipere, sed deposuit in domo Obededom, v. 10. Post trimestre tamen, v 11. transtulit eam inde in tabernaculũ domi suæ ad id instructum, v. 12. licèt tabernaculum Mosaicum remaneret in Gabaon, vt dicam 1. Reg. 21. v. 7.

10

Mox cogitat de templo Ierosolymis construendo, c 7 v. 2. Sed Deus iubet hoc reseruari Salomoni, v. 12. Et eodẽ tempore putat Abulensis, Pineda & Salianus perfectam futuræ fabricæ descriptionem cælitus Dauidi submissam, 1. Paralip 28. v. 11.

Abul in 2. Paral. 3. c. 8. Pineda in suo Salomone l. 5. c. 5. num. 31. Salian. anno m. 2990. num. 75. Abul. in 2. Reg. 8. q. 4. Ioseph l. 7. Antiq. c. 6. Abul. in 3. Reg. 3 q. 5. Massaus l. 6. Chronic. Torniell. an. Dauidis 15. Pineda li. 3. & 8. de Salomone. Salian. anno mũdi 2998. n. 2. 2999. n. 28 & 2989. d. 5. Liran. in 3. Reg. 11. Sanctius in 3. Reg. 3. 1.

11

Eripit Philisthæis noua clade cæsis vrbem Geth Frenum tributi c. 8. v. 1.

12

Incursionibus irritatus Moabitarũ, vt suspicatur Abulensis, etiam illos cædit & tributarios facit, v. 2. Tunc Banaias cecidit duos leones Moab, 2. Reg. 23 v. 20. & 1. Paralip. 11. v. 22.

13

Syriam quoque tum Sõba, tum Damasci subiugauit 1. Reg. 8. v 3. & 6.

14

Amalecitas quoque, v 12. & Idumæos, v. 13. & 14. Quod bellum duce Abisai gestum videtur, ex 1. Paralip. 18. v. 12. & ita sentit Iosephus, licèt etiam Dauidi 2. Reg. 8 v. 13. tamquã supremo Imp. & Ioabo, vt principi militiæ adscribatur, 3. Reg. 11. v. 16. Hoc anno (si non citiùs) adscribit familiæ suæ Miphiboseth nũ filium Ionathæ, 2. Reg. 9. v 12. vbi filium habuisse dicitur nomine Micham. ergo minimùm erat 20 tunc annorum: Atqui 2. Reg. 4. v. 4. dicitur quinquennis fuisse Miphiboseth moriente patre eius Ionatha, & auo Saule, id est inchoante Dauide regnum suum. Hoc ergo quinquennium detrahe 20. annis parentis, reperies 15. annum regni Dauidis.

15

Legatio mittitur à Dauide ad Hanon regem Ammonitarũ, vt eum soletur super patris interitu, c. 10. v. 2. Sed legati probrosè excipiuntur v. 4. Vnde nouum bellũ, cui conficiendo mittitur Joab, v. 7. Dauid verò aduersus Syros, qui Ammonitis se iunxerant, proficiscitur, v. 17. qui ineunt pacem cum Dauide, desertis Ammonitis, v vlt.

16

Initio sequentis anni ad conficiendas Ammonitarum reliquias, & expugnandam vrbem Rabbath mittitur Ioab, c. 11. v. 1. Dauid adulterium committit cum Bethsabee, v. 4 Iubet occidi maritũ eius Vriam, v. 15. Accersitus à Ioab occupat vrbem Rabbath, c. 12. v. 29. & crudelissimè sæuit in Ammonitas, v. 31. Reuerso regi parit filiolum iam vxor eius Bethsabee, c 11. v. 27. Ac tum demum, monitus à Nathan, pœnitet factorum, c. 12. vsque v. 14. moriturque filiolus, v. 18.

17

Initio sequentis anni concipitur Salomon, ibid. v. 24 & nascitur eodem anno, ibid. Abul. Massæus & Torniellus triennio citiùs natũ dicunt, anno Dauidis 15. Pineda vno anno seriùs, nempe anno 19 regni Dauidis: Salianus anno 20. vel 21. Mecum ferè sentiunt Lyranus & Sanctius & alij Post Salomonem genuit eadem Bethsabee Dauidi tres alios, filios. de quibus 1. Paral. 3. v. 5 & 2. Reg 5. v. 14. licèt inuerso ordine istic enumerati videantur. Nam Salomone, qui quarto demũ loco numeratur, primogenitum fuisse, clarissimè patet ex 2. Reg. 12. v. 24. & docent auctores citati à Saliano, Pineda, & alijs suprà recensitis.

18

Anno Dauidis 20. vel sequenti videtur fames illa triennalis Iudæam afflixisse, cuius mentio est 2. Reg. 21. v. 1. cui medendæ crucibus affigi debuerunt septem Saulis nepotes, v. 6.

20

Bellum

Bellum nouum contra Philisthæos, ibid. v. 15. anno Dauidis 24

Alia item tria aduersus eosdem, ibid. à vers. 18. vsque finem capitis, anno Dauidis 25. 26. & 27

videntur enim illa nõ suo esse loco posita, vt ferè censent interpretes. Et oportuit verificari reipsa quod per Nathan minatus fuerat Deus Dauidi, 2. Reg 12. v. 10. *Non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum.* Sed omnium sæuissimũ vulnus Dauidi inflixerunt intestinæ filiorũ discordiæ, quæ sub hoc tempus inchoatæ sunt. Nam mox

Amnon primogenitus constuprat Thamarem, 2. Reg. 13. v. 14. & 21. & constupratam ignominiosè expellit, v. 16. 28

Duobus pòst annis Absalon, v. 23. occidit Amnonem fratrem suum, v. 28. & fugit in Gessur, n. 37. ad auum suum maternum. c. 3. v. 3. & fuit cum eo tribus annis c. 13. v. 38. 30

Exacto triennio, operâ Ioabi redit Absalon ex Gessur Ierosolymam, 2. Reg. 14. Sed toto biennio non videt faciem regis, v. 28. 33

Tum demum plenè reconciliatur parenti, & osculo pacis excipitur, vers. vltimo. 35

Paulatim deinde solicitat corda filiorum Israel, c 15. v. 6. Conspirat cum primarijs ministris regijs, v. 10. & magis magisque insolescit in dies, v. 1. Tandem post 40. annos, v. 7. (nempe à mutata Reip. forma, & regibus loco Iudicum inductis, quæ dicebatur Æra regum. Ita supputant Rabbi Salomon & Rabbi Dauid, Abulensis, Sà, Mariana, Sanctius & alij in eum locum :) extorta à parente venia sacrificandi in Hebron, coniuratione ibi patefacta insurgit in parentem, v. 12. sub initiũ veris, cùm esset iam annorum circiter 33. Dauid verò 68. 39

Minor ætate Absalon esse non potuit, vtpote regno per se administrando iam pridem per ætatem idoneus (quomodo enim ausus fuisset alioquin id affectare?) & quatuor filiorũ à reditu, vt apparet, imò & à reconciliatione cum parente, natorum parens, c. 14. v. 27. & ab vndecim iam annis alens per se familiam, & distinctas habens opes, c. 13. v. 20 & 23. quod non cadit in minorennem. Secundo mense suspensus hærens è quercu Absalon occiditur, c. 18. v. 14. & Dauid regno suo restituitur, c. 19. Noua inde diuulsio reliquarum tribuum à Dauide per Seba, c. 20. v. 1. Sed morte eiusdem cessauit, v. 22. Eodem anno iam adulto iubet numerari populum Dauid, c. 24. v 1. sed peste punitur, v. 15.

Iam senex & fractis viribus Dauid 3. Reg. 1. v. 1. ducit vxorem Abisag Sunamitidem, v. 4.

Adonias secundus natu post Absalon affectat regnum, v. 5. Sed hac occasione iubet rex filium suum Salomonẽ inaugurari v. 33. & 39. cùm ageret ætatis annũ circiter 22. vel 23. vt patet ex dictis anno Dauidis 18. Denique paucis pòst mensibus felicissimè moritur. 40 41 Salomon

CAPVT XXIX.

QVARTA MVNDI ÆTAS,

A condi cœpto templo Salomonis, vsque ad exustum illud per Chaldæos, vel potiùs vsque ad finem captiuitatis Babylonicæ, & monarchiæ Chaldaicæ. Durauit annis totis 452.

Quo spatio regnarunt hi reges:

	inchoante anno mundi	
SALOMON à quinto an. regni sui (nam quartus fuit 480. tertiæ ætatis mundi:) regnauit, vt patet ex 3. Reg. 11. v. 4 annis totis		36
Tum facto schismate decem tribuum à domo Dauid. 3. Reg. 12. v. 19.	mortuus 3060	
regnault super Iuda & Beniamin		
ROBOAM filius Salomonis, 3. Reg. 14. v. 21.		17
ABIA, 3. Reg. 15. v. 1. & 2.	3077	3
ASA. ibid. v. 8. & seqq.	3080	41
IOSAPHAT, 3. Reg. 22. v. 42. dicitur 25. an. regnasse, sed solus nõ regnauit nisi an. nam tres vltimi ipsius anni adscribuntur filio eius Joramo, qui 4. Reg 8. 16. dicitur cœpisse regnare anno 5. Iorami filij Achab & regis Israel. Hic verò Ioram rex Israel cœpit regnare finiẽte anno 18. Iosaphat regis Iuda, 4. Reg. 3. 1. Et his 18. annis si superaddas 5. inuenies 23. annum regni Iosaphat, esse primũ Iorami eius filij: ergo soli Iosaphat nõ cedunt nisi 22. anni	3121	22
IORAM tribus, vt iam dixi, cum patre, dein aliis 4. a. solus regnauit, id est, simul.	3143	119
4. Regum 8. vers. 17. dicitur 8. annis regnasse, sed octauus tantũ fuit inchoatus: nã illo anno qui fuit 12. Iorã regis Israel.		7

IORAM

Super reliquas decem tribus	
IEROBOAM filius Nabat, annis plenis Dicitur quidẽ regnasse 22. annis, 3. Regũ 14. v. 20. sed vltimus tantũ inchoatus fuit. Nam 3. Reg. 15. v 28. & 33. dicitur Baasa cùm ex insidiis sustulisset Nadab filiũ Jeroboami, pro eo regnasse anno 3. Asæ regis Iuda, id est 23. anno ab initio regni Jeroboami & Roboami, vt dicitur ibid. v. 9. Ergo, vt vel vnus integer annus dari possit Nadabo, debent Jeroboamo non nisi 21. concedi	21
NADAB patri successit, & regnauit anno integro	1
alterum solùm inchoauit, 3. Regum 15. 25.	
BAASA, v. 33. regnauit integris annis & inchoauit tantùm 24. Nam cap. 16. v. 8. dicitur filius eius Ela regnasse super Israel anno 26. Asæ regis Juda. Atqui à 3. anno Asæ (quo cœpit Baasa regnare, c. 15. v. 33.) vsque ad 26. eusdem excluſum, non sunt nisi 23. anni.	23
ELA filius eius regnauit pleno anno	1
inchoato	46

	119	mortuus inch.	46
IORAM tribus, vt iam dixi, cum patre,	—	anno mundi	—
dein alijs 4. an. solus regnauit, id est, simul	7	3150	
4. Regum 8. vers. 17. dicitur 8. annis regnasse, sed octauus tantùm fuit inchoatus: nam illo anno qui fuit 12. Ioram regis Israel, regnauit Ochozias in Iuda, vt dicitur ibid. v. 25 Imò à fine præcedentis anni 11. vt habetur 4. Reg 9. v. 29. Sequenti verò			
Richard. in conciliatione Reg. & Paralip. Arias in Daniel. anno 12. tam Ioram rex Israel, quàm Ochozias rex Iuda occisus est à Iehu, ibid. v. 24. & 27. Notat Richardus à S. Victore, & Arias Montanus, Ioramum non hoc solo 23. anno Iosaphati, cùm is contra Moabitas vnà cum Ioramo rege Israel proficisceretur, 4. Reg. 3. v. 7. regem à patre nuncupatum fuisse, vt suprà dixi. sed etiam sex annis priùs, putà 17. Iosaphati, cùm is contra Syros vnà cum Achabo expeditionem susciperet, 4. Reg. 22. Titulum saltem regis à patre accepisse, de more, vt, si quid patri siniſtrum accideret, nihil turbarum in regno suboriretur. Et secũdùm hunc calculum 4. Reg. 1. v. 17. dicitur Ioram rex Israel (qui c. 3. v. 1. cœpit regnare anno 18 Iosaphat, vt suprà dixi,) cœpisse regnare anno 2. Ioram filij Iosaphat, regis Iuda.			
OCHOZIAS 4. Reg. 8. v. 26.	1	3151	
Vbi etiam expressè dicitur fuisse 22. ann. cùm regnare cœpit. Vnde cùm 2. Paralip. 22. v. 2. dicitur fuisse 42 annorũ, necessariò videtur mendum istic agnoscẽdum, ex notis numerorum in prioribus Hebr. exemplaribus vitiatis, & pro כב caph beth, id est 22. positum מב mem beth, id est 42. quæ notæ non multùm absimiles sunt. Ita Io. Mariana in illum locum. Nisi enim hoc dicamus, cogimur admittere, filium parente suo fuisse biennio seniorem, nempe Ochoziam 42. annorum fuisse, cùm parens eius Ioram moreretur quadragenarius, vt habetur 2. Paralip. 21. v. 20. & 4. Reg. 8. vers. 17. Nam quod ibi ait Sanctius, & probat alibi Suarez; Ioramum			
Suarez in 3. p. disp. 7. sect. 15. Ochoziæ patrem fuisse 32. annorũ ab anno 5. Iosaphati parentis sui, non potest subsistere; cùm Iosaphat anno 5. regni sui non ageret ætatis annum nisi 40. 3. Reg. 22. v. 42. vnde debuisset gignere Ochoziam anno 8. ætatis suæ.			
ATHALIA, 4. Reg. 12. v. 3. 4. vlt. tyrannice regnauit annis	6	3157	
IOAS filius Ochoziæ, v. 2. & c. 12. v. 1.	40	3197	
AMASIAS, 4. Reg. 14. vers. 2.	29	3226	
scilicet ab anno 2. Ioas regis Israel solitariè regnantis, ibid. v. 1. vsque ad annum 27. Ieroboami regit Israel, ex quo simul cum patre suo ille regnare cœpit, c. 15. v. 1.			
AZARIAS seu OZIAS, 4. Reg. 15. v. 2.	52	3278	
Huius Oziæ anno 5. cùm solstitio æstiuo cœpit initium Olympiadum, de quibus agam c. 37. Eiusdem anno 9. per Phul-belochum præfectum Babylonis, & Arbacen Medum superatus est Sardanapalus; & monarchia Assyriis erepta, vt dicam c. 33.	254		
Anno			

inchoato etiam secũdo. Nam sub initium illius occisus est à Zambri præfecto equitum, v. 10. & hic quoque post 7. dies, v. 15. successorem accipit Amri; & paucis pòst mensibus exussit se in domo regia, v. 18.	46
AMRI princeps exercitus, suffragiis illius electus v. 16. regnauit à 27. anno Asæ regis Iuda, v. 15. vsque ad 38. eiusdẽ, v. 29. id est integris 11. annis, inchoato 12. v. 23. quatuor in bellico strepitu cum æmulis Zambri & Thebni, v. 17. & 21. reliquis septem pacificè in regia vrbe Thersa, v. 23. sed sedem regiam transtulit è Thersa in Samariam, v. 24.	11
ACHAB filius Amri 3. Reg. 16. v. 29. dicitur regnasse 22. annis. sed duobus regnauit cum patre. Solus nam 1. Achabi annus concurrit cũ 38. Asæ regis Iuda vt ibid. dicitur. & Achabo mortuo successit eius filius Ochozias anno 17. Iosaphati filii & successoris Asæ, 3. Reg. 22. v. 52 Asa verò non regnauit nisi 41 annis: ergo non nisi 4. annis cum Achabo Quibus 4. annis adde 16. annos Iosaphati, non reperies Achabi regno nisi 20 annos.	20
OCHOZIAS filius Achabi, 3. Reg. 22. v. 52.	2
IORAM frater Ochoziæ, 4. Reg. 3. v. 1. regnauit annis	12
nempe à fine 18 anni Iosephati, vt ibidem dicitur, vsque ad Ochoziæ regis Iuda vitæ finem, nam vnà cum ipso occisus est à Iehu, 4. Reg. 9 v. 24. & 27.	
IEHV, 4. Reg. 10. v. vltimo, regnauit annis	28
IOACHAZ filius Iehu, 4. Reg. 13. v. 1.	17
IOAS filius Ioachaz, vers. 9. & 10. solus regnauit	16
nam tribus aliis regnauit cum parente. Cùm enim parens cœpisset regnare anno 23 Ioas regis Iuda, vt dicitur vers. 1. & 17 annis regnasset; filius tamen eius Ioas v. 10. inducitur regnasse 37. anno eiusdem Ioas regis Iuda. Atqui ab anno 23. vsque ad 37. non sunt 17. sed tantùm 14. anni intermedij. ergo tribus vltimis annis Ioachaz conregnauit illi filius eius Ioas.	
IEROBOAM secundus regnauit ab anno 15. finiente Amasiæ regis Iuda, 4 Reg. 14. v. 23. vsque ad 27. Ozię, ita Richardus, Liran. Abulensis, id est.	41
Ita etiam 4 Reg. 14. v. 23. nempe solus. Etiam cum parente suo Ioas videtur alijs 12. annis antè regnasse. & ita 4. Reg. 15. v. 1. dicitur, anno 27. Ieroboami regnasse Azarias filius Amasiæ regis Iuda.	
Post mortem Ieroboami vel interregnum fuit, vel per tutorem administratum fuit regnum, vel rebellio continua fuit per annos	11
Nam ex 4. Reg. 15. v. 8. constat, anno demum 38. Azariæ seu Oziæ regis Iuda Zachariam filium Ieroboami secũdi sceptrum tenuisse, id est post 11. annos à morte patris sui. ita ijdem.	204

	254	mortuus inchoante anno mũdi		204
Anno 2. vel 3. Oziæ regis cœpit prophetare Oseas primus omnium Prophetarum: anno 5. vel 6. Ioël & Ionas: anno 23. Amos: anno 25. Isaias, vt dicam capite sequenti. Eodem anno 25. Ozias rex ob vsurpatum munus sacerdotale percussus est diuturna 27. annorum lepra, 2. Paral. 26. v. 16. quando & terræ motus ille contigit, de quo Amos 1. v. 1. Et ab hoc temporis puncto sumunt initium illi 65. anni quos exscindendo regno Syriaco & Israelitico decem tribuum præfigit Isaias c. 7. v. 8. nam ab anno 25. Oziæ vsque ad 6. Ezechiæ habes præcisè annos 65.			ZACHARIAS filius Ieroboami regnauit tantùm 6. mensibus, 4. Reg. 15. 8.	
Anno 28. Oziæ Aprilis 21. condi cœpta vrbs Roma, vt dicam cap. 32.			SELLVM, qui occidit Zachariam, vno mense, ibid. v. 13. Reliqui 5. menses variis turbationibus trãsacti; ergo ann.	1
Anno 33. finiente, Februarij 26. cœpit æra Nabon-Assaris, de qua cap. 34.			MANAHEM, occiso Sellum, anno 39. Azariæ labente, ibid. v. 17. arripuit sceptrum, tenuitque totis 10 annis, ibidem. Putà vsque ad 50. annum Azariæ exclusiuè, v. 23. ergo.	10
IOATHAM filius Oziæ, 4. Reg. 15. v. 32. & 33. regnauit annis	16	3294	PHACEIA filius Manahem, ibid. regnauit annis.	2
Sub hoc prophetarunt Abdias & Michæas.				
ACHAZ, cap. 16. v. 1. & 2. regnauit annis.	16	3310	PHACEE filius Romeliæ, occiso Phaceia, vers. 25.	
EZECHIAS regnauit quidem 29. annis, 4. Reg. 18. v. 2.			regnauit ab ann 52. seu vlt.	
sed duobus primis cum patre suo Achaz. Solus	27	3337	Azariæ inchoante, per ann.	20
nam, vt ex v. 1. ibid. patet, cœpit Ezechias regnare anno 3. Osee pacificè regnantis, qui fuit tantùm 14. finiens annus Achaz, vt colligitur ex c. 17. v. 1. & c. 18 v. 9. & 10.			vt ibidem dicitur vers. 27. nempe vsque ad 20. annum exclusiuè, Ioathami filij &	
Sub Ezechia prophetare cœpit Nahum.			Azariæ, v. 30. Non quòd	
MANASSES, Ezechiæ filius, 4. Reg. 21. v. 1. regnauit annis	55	3392	Ioathã regnarit 20. annis	
Sub initium regni ob immania scelera vinctus catenis ductus est in Babyloniam, sed breui restitutus in regnum, 4. Reg. 21. & 2. Paral. 33. & 36.			(quem constat non excessisse annum 16 ex vers. 33.) sed	
AMON, 4. Reg. 21. v. 19. regnauit annis	2	3394	quòd annus ille esset 20. ex	
IOSIAS, cap. 22. v. 1.	31	3425	quo regnare cœperat Ioatham, eratque 4. ann. Achaz	
Sub Iosia prophetare cœperunt Sephonias, Habacuc & Ieremias.			filij Ioatham iam defuncti.	
IOACHAZ filius Iosiæ non nisi 3. mensibus regnauit, cùm Pharao Nechao rex Ægypti duxit eum vinctum in Ægyptum, 4. Reg. 23. v. 34. suffecto illi fratre eius			OSEE filius Ela, occiso Phacee, tyrãnicè vsurpauit sceptrũ per annos ferè.	9
IOAKIM. vel IECHIM, v. 36. regnauit annis	11	3436	nempe ab inchoante anno iã dicto 20. à morte Ioatham,	
Huius anni inchoantur à tempore quo accepit regnum à Nechao rege Ægypti, vt ex libris Regum constat & Paralipomenon. Nam quod Rabbi Saadias, Liranus, Dionysius Carthusianus Maldonatus, Sussyga & quidam alij volunt, aliquando etiam inchoari à tempore quo in eodem regno confirmatus est à Nabuchodonosore, eique vectigalis factus est, nempe anno 9. accepti regni ab Ægyptio: & sic Danielis 1. vers. 1. dicatur Nabuchodonosor obsedisse Ierusalem anno 3. Ioakim; nescio vnde hausisse potuerint. Maximè cùm constet ex Ieremiæ 25 vers. 1. & 3. initium 4. anni Ioakim non esse nisi 23. ab anno 13. Iosiæ: cùm secundùm hunc illorum Babylonicum calculum deberet esse 30. annus.			ibid. vers. 30. seu à 4 Achaz, vsque ad 12. finiente Achaz, c. 17. 1. Ex quo demũ anno (quia vel à populo legitimè admissus, vel à rege Assyriorũ vi intrusus, pacificè sceptrum tenuit.) Scriptura incipit annos Osee, ibidem, & tribuit illi alios annos cap. 18. v. 1. 9. & 10.	9
De eius captiuitate, vnà cum Daniele eiusque socijs, dein de infami morte, vide quæ dicam 4. Reg. 24.			Initio anni 7. obsedit Salman-Asar Samariam, & 9. cepit eã, transtulitq; Israelitas in Assyrios, ibid. v. 11. vbi perpetuam seruierunt seruitutem, c. 17. v. 23.	9
IOAKIN, vel IOACHIN, vel IECHONIAS, filius Ioakimi post tres menses & dies 10. regni, vltrò se dedidit Nabuchodonosori à quo cum matre, totaque aula sua, abductus est in Babylonem, 4. Regum 24. v. 6 8. 12. 15.			Sterit ergo regnũ Israeliticum à primo Ieroboami; vsque ad vltimum Osee	
SEDECIAS patruus Iechoniæ v. 17. regnauit totis annis	10	vsq; 3446. exclusum	annum, per annos.	256
vndecimo illius capta & incensa est vrbs cum templo: & fuit is primus annus captiuitatis eius & templi exusti, 4. Reg. 25. vsque ad v. 10.			A cuius regni excidio, vsque ad excidium vrbis Ierosolymæ & templi, 11.	
Ab exusto templo desolata fuit vrbs Ierosolyma per annos	30	vsq; 3446. exclusum	anno Sedeciæ fluxerunt anni	130
2. Paral. vltimo v. 21. & Chronici cap. 35. Etiam Philippus Melanchton à Templi primordiis vsque ad illius excidium non computat nisi 422. annos.	452			

CAPVT XXX.

Anni & gesta Prophetarum tum Maiorum, tum Minorum, per ordinem distributa.

anno mundi conditi	ante Verbum incarnatum	Reg. Juda Oziæ	Olymp.	Vrbis conditæ
3226	775	1		
			V.	
3250	751	25	anno 4	
			XII.	
3277	724	52	anno 3	25
		Achaz	XVII.	
3297	704	4	anno 3	45
		Ezechiæ	XX.	
3308	693	1	anno 2	56
			XXIII.	
3321	680	14	anno 3	69
		Manasse	XXVIII	
3340	661	4	anno 2	88

PRophetæ, qui Israelitis pro Philosophis erant, pro Theologis, pro doctoribus & concionatoribus; vt inquit S. Augustinus, 17. numero recensentur, quorum prophetiæ litteris consignatæ nunc exstant. *Augu. de Ciu. cap. 4*

Primus omnium fuit OSEE, vt colligunt ex 1. eius cap. v. 2. Cœpit prophetare sub initia regni Oziæ seu Azariæ regis Juda, ante initium Olympiadum, quæ cœperunt anno 5. Oziæ.

Secundus fuit IOEL, tertius IONAS: qui etiam cœperunt sub initium regni Oziæ, penè cum prima Olympiade. Quartus AMOS, qui cœpit anno 23. regni eiusdem Oziæ, vt ostendam Amos 1. v. 1. & tradunt Hebræi in Seder. olam c. 19.

Quintus ISAIAS, secundùm Eusebium cœpisse dicitur 17. anno. Sed verisimilius est quod tradit S. Hieron. cœpisse demum 25. anno eiusdem Oziæ. Saltem constat cœpisse ante conditam Romam, quæ anno demum 28. Oziæ condi cœpit. Et ante Nabon-Assarem, qui cœpit finiente anno 33. eiusdem Oziæ. *Euseb. Chron. Hieron. c. 6. Isa. v. 5. & v. 8. & epist. 1*

Anno 52. & vlt. Oziæ vidit Isaias c. 6. *Dominũ sedentẽ super solium excelsum*, à quo mittitur ad prophetandũ. Sub Ioatham filio Ozię prophetarũt ABDIAS sextus, & septimus MICHÆAS c. 1. v. 1.

Anno 4. Achaz filij Ioatham prædixit Isaias c. 7. Messiæ ortum ex virgine: simulque regnũ Israel & Syriæ breuî destruendum. quod sub exitum eiusdem anni compleri cœpit, vt narratur 4. Reg. 15. v. 29. & c. sed perfectè completũ fuit anno 6. Ezechiæ, 4. Reg. 17. v. 6.

Sub idem tempus etiam Sibylla Erythræa prædixit Christi natiuitatem, resurrectionem & iudicium. Versus eius recenset S. August. l. 8. de Ciuit. c. 23.

Anno 1. Ezechiæ prædixit Isaias c. 14. v. 28. victoriam Iudæorum & triumphum de Philisthæis. Paulò antè prædixerat c. 13. & 21. excidium Babylonis per Cyrum. Et paulò pòst excidium Moab c. 15. 16. Damasci, c. 17. Ægypti c. 18. 19. Æthiopiæ c. 20. Idumææ & Arabiæ c. 21. per Nabuchodonosorem.

Anno 12. regis Ezechiæ (ex quo primùm cũ patre suo Achaz regnare cœpit, (Isaias c. 20. v. 1. collato cum 4. Reg. 18. v. 13. & 17. & c. 19. v. 9. nudus per triduũ ambulauit Ierosolymis, portendens hoc suo facto spoliationem Ægypti & Æthiopiæ, quã cœpit eodẽ anno Sennacherib, diuertens à Iudæa in Africã, aduersus Tharacã regem Æthiopiæ, 4. Reg. 19. v. 9. quem cùm superasset, vastauit Ægyptũ & Æthiopiam per trienniũ, cùm reuersus anno 16. Ezechiæ, & rursus obsidere parans Ierosolymã, cæsis 185000. Assyriorum, iuxta promissa Isaiæ 37. fugit & redijt in Niniuen iramque suam istic euomuit in exules Israelitas cò nuper abductos, Tobiæ 1. v. 21. Sed ipse ibidẽ à proprijs filijs in templo Nesroch idoli sui iugulatus est, Tobiæ 1. Isaiæ 37. & 4. Reg. 19. Sed biennio antè, nempe sub finem anni 14. regni sui supradicti) ægrotans Ezechias, cataplasmate ficuũ curatus fuerat ab Isaia, sole per 10. lineas regresso, & promissi ei alij 15. anni vitæ, Isaiæ 38. A quo, cap. 39. reprehenditur quòd legatis Merodachi regis Babylonis clatiore animo suos ostentasset thesauros, quos prædicit, vnà cum filijs eius auferendos in Babyloniam.

Ab anno 16. Ezechiæ, iam abactis Assyrijs c. 37. vsq; ad vlt. regni & vitæ eiusdem, edidit Isaias omnes reliquas suas prophetias à c. 40. vsque 66. (inquit S. Hieron.) quibus præcipuè inculcat, Christũ, qui per Cyrum figurabatur, liberaturũ omnes homines è seruitute peccati & diaboli, ac reiectis Iudæis vocaturũ Gentes ad salutem pro eis moriturum, &c. Sub eodẽ Ezechia floruit *Hieron. c. 1. Isa.*

Octauus Propheta NAHVM.

Sub initia regni Manasse, quòd Isaias eius scelera liberiùs increparet, ab eo serrâ lignea dissectus est. Ponamus id factum *In prol.* anno 4. regni illius, & Isaiam cœpisse peophetare anno 25. *Isaiæ.*

Oziæ

anno mundi conditi	ante Verbum incarnatum	reg. Iudæ Iosiæ	Olymp. XLI.	Vrbis conditæ	
					Oziæ, vt suprà dixi, sequetur, Isaiam totis 90. annis Prophetam egisse, quod nulli alteri contigit.
3394	607	1	anno 4 XLIV.	142	Nonus fuit SOPHONIAS Proph. initio regni Iosiæ. Sophon. 1. 1.
					Decimus HABACVC.
	595	13	anno 4	154	Vndecimus IEREMIAS cœpit 13. anno eiusdem Iosiæ, Ierem. 1. v. 2. Qui est annus primus ex septuaginta annis quibus seruitus & captiuitas Babylonica durauit ex eiusdem Ieremiæ prædictione cap. 25. & 29. vt dicam infrà c. 35. huius Chronici. Hoc enim 13. anno Iosiæ vidit Ieremias c. 1. ollam succensam & virgam aduentantem ab Aquilone, per quæ portendi dicit aduentum Nabuchodonosoris è Babylone, qui Iudæam cum vicinis omnibus regnis euertat populum vel trucidet vel captiuum abducat, & terram desolet. Idem per Chaldæos excidium pergit sub eodem Iosia continuò inculcare Ieremias à c. 1. vsque 9. inclusiuè. rursum c. 11. 12. 14. 15. 16.
			XLIX.		
3424	577	31	anno 2	172	Anno vltimo Iosiæ, casum illum à Nechao rege Ægypti lamentatur Ieremias. 4. Reg. 23. v. 29. & 2. Paral. 35. v. 20.
					Sellum seu Ioachaz filio Iosiæ post trimestre captiuo in Ægyptum abducto, Ieremias c. 22. v. 10. dicit, numquã reuersurum ex Ægypto. De fratre quoque eius Ioakim prædicit carituru sepulchro, c. 22. v. 18. De Jechonia verò filio Ioakimi dicit captiuum abductũ iri in Babyloniam, v. 24. In vrbem quoque Ierosolymã & templum acerba prædicit, c. 26. vnde & apprehenditur, accusatur, & ad mortem deposcitur, sed absoluitur & liberatur, ibid. Sub idem tempus, c. 27. iubetur imponere collo suo vincula & catenas ferreas, quibus portendebat imminere tum Iudæis, tum Tyrijs, Sidonijs, Idumæis. Moabitis & Ammonitis vincula & captiuitatem. Iubeturq; eas catenas sub Sedecia mittere ad omnes reges illarum nationũ, ibid. v. 3. Sub idem tempus prophetat ea que habentur c. 17. nempe peccatum Iuda esse indelebile, &c.
		Ioakim 3	L.		
3427	574		anno 1	175	Anno 3. regni Ioakim, Dan. 1. v. 1. Nabuchodonosor obsidet Ierosolymam, capit regem cum multis nobilibus, inter quos Daniel, Ananias, Misael & Azarias.
					Anno 4. eiusdem cepit Nabuchodonosor regnum, vt patebit c. 34. Chronici. & Ieremias c. 46. v. 2. prædicit, quòd Chaldæi profligabunt regem Ægypti Nechao, qui se de Nabuchodonosore vindicatum venerat, quòd vectigales suos Iudæos oppressisset, spoliasset & captiuos fecisset. Ergo commisso ad Euphratem prælio, victor Chaldæus, occiso Nechao, recipit ab Ægyptijs quidquid illi abstulerant Assyrijs. Restituitque Ioakimum regno suo, sub conditione pendendi illi quotannis tributi, quod triennio illi persoluit.
					Hoc eodem anno 4. Ioakim, clamat Ierèmias c. 25. v. 1. se iam per annos 23. nempe à 13. anno Iosiæ vsque ad præsentem annum 4. Ioakim, prædixisse Iudæis imminentem à Chaldæis plagam: seque iterum eamdem seriò inculcare tum Iudæis, tum vicinis omnibus regnis. Atque expletis demum 70. annis ipsam quoque Babylonem à Medis & Persis euersum iri, Israelitas verò in Iudæam reducendos.
					Eodem anno 4. Ioakim rex conijcit Ieremiam in carcerem, c. 36. v. 5. Baruch à Ieremia pusillanimitatis reprehenditur. c. 45.
					Anno 5. mense 9. Baruch (Ierem. 36. v. 9.) prophetias & minas ex ore Ieremiæ conscriptas legit in templo coram omni populo. Dein & coram principibus. A quibus solui & liberari iussus Ieremias, sed abscondi, v. 19. Rex verò Ioakim librum exurit, v. 23. sed à Ieremia instauratur, v. 28.
			LI.		
3431	570	7	anno 1	179	Anno 7. Ioakim rex iterum fisus Ægyptiorum auxilio, negat tributum Chaldæis. Vnde inuaditur ab ipsis, & Syris, & Moabitis & Ammonitis. Ieremias laudat Rechabitas, c. 35. Prophetat lumbari lineo, & lagunculâ contritâ, imminentem Iudææ cladem, c. 13. vsque v. 18.
			LII.		
3435	566	11	anno 1	183	Anno 11. Ioakim occisus à Nabuchodonosore & extra Ierosolymam proiectus est, à bestijs deuorandus, iuxta prædictionem Ieremiæ c. 22. v. 18. Ioachin seu Iechonias filius eius post tres regni menses obsessus à Nabuchodonosore vltrò se illi tradidit, & vnà cum matre & primoribus regni abductus est in Ba-

an. mundi conditi	ante Ver-bũincarn.	reg. Iuda. Sedeciæ	Olymp.	Vrbis conditæ
3436	565	1	anno 2	184
3439	562	4	LIII. anno 1	187
3440	561	5	anno 2	188

bylonem, & cum eo Ezechiel, Mardochæus, & Iosedec pontifex, Ierem. 22. v. 24.

Anno 1. Sedeciæ inuehitur Ieremias cap. 23. in negligentiam regum Iuda, quæ causa fuit ruinæ & captiuitatis populi. Et nouam reipublicæ formam per Christum pollicetur. Videt duos calathos ficuum, c. 24. bonæ significabant bonam Iechoniæ & aliorum transmigrantium sortem: malæ miseriam Sedeciæ & aliorum Ierosolymæ manentium.

Sub id tempus contigit historia Susannæ, Danielis 13. Et duo iudices mœchi conuicti calumniæ à Daniele, Sedecias & Achab, cùm lapidandi essent à populo, iussu Nabuchodonosoris igne exusti sunt, Ierem. 29. v. 22. Ieremias missis litteris ad captiuos in Babylone, promittit ipsis, quòd completis 70. annis (de quibus anno 13. Iosiæ) reuersuri sint in Iudæã: eos verò qui Ierosolymis remanserant, fame peste, gladio prædicit consumendos, Ierem. 29. 30. 31. Vbi multa subiungit de plena & solida redemptione per Messiam.

Anno 4. Sedeciæ, mense quinto, c. 28. conuincit Ananiam pseudoprophetam falsitatis: & pro lignea catena, assumit ferream. Mittit etiã catenas ad reges Edom, Moab, Ammon, Tyri & Sidonis, per legatos eorumdem regum, qui excurrerant ad Sedeciam, c. 27. Prædicit ijsdem varias clades, c. 48. & 49.

Eodem anno confringit lagunculã in atrio templi, c. 19. docens, populum sic conterendum. Vnde c. 20. in carcerem compingitur à Phassur. Eodem anno prædicit c. 50. excidiũ Babylonis per Cyrum: idque per oratorẽ Sedeciæ iubet prælegi Iudæis Babylone captiuis, c. 51. Eodem anno minatur Sedeciæ iam rebellanti Chaldæis euersionem regni, c. 13. v. 18. & 4. Reg. 24. v. 20. & c. 25. v. 1. & ex Iosepho l. 10. Antiquit. c. 10.

Anno 5. Sedeciæ, qui fuit etiam 5. transmigrationis Iechoniæ in Babylonem, die 5. mensis 4. prophetare cœpit

Duodecimus Propheta EZECHIEL c. 1. v. 1. quando vidit currũ Cherubim. & prophetauit annis 22. vt colligitur ex cap. 40. v. 1. & c. 29. v. 17. nam vlteriùs nihil de illo legitur.

Eodem primo prophetiæ suæ anno Ezechiel deuorato libro cælitus submisso, c. 3. v. 1. iubetur domi suę cõcludi quasi vinctus & mutus, v. 24. & in tabula depingere obsidionẽ Ierosolymæ, cap 4. v. 1. & 390. diebus, & 40. cubare in latus nunc sinistrum, nunc dextrum, c. 4. v. 4. Quo modo reuera & de facto cubauit, vt patet ex v. 12. publicè Babylone in oculis Iudæorum, à 14. die 4. mensis anni 5. regni Sedeciæ, vt colligitur ex c. 1. v. 1. & 2. collato cum c. 3. v. 15. vsque ad 1. diem 6. mensis, anni sexti. Porrò quintus ille annus fuerat intercalaris, & 13. mensiũ, inquit Hieronymus Prado, Cornelius à Lapide & alij. Quinta verò eiusdem sexti mensis visus demum est à longa cubatione liberatus sedere domi suæ cum senibus Iudã, Ezech. 8. v. 1. Porrò his 390. diebus decubitus in latere sinistro portendebat & repræsentabat totidem dies obsidionis imminentis Ierosolymæ per Chaldæos, vt patet ex c. 4. v. 8. Vltimis verò 40. diebus in latere dextro, repræsentabat 40. dies quibus Chaldæi captam vrbem vastarunt, mulctarunt, incenderunt. 4. Regum 25. v. 8. & Ierem. 52. v. 12. Vnde pro 40. vltimis diebus nõ est iussus Propheta parare sibi panem, sed solùm pro 360. diebus quibus obsidio duratura esset: nam captâ iam vrbe nõ erat ampliùs à fame metuendum, sed alia subeunda erant supplicia.

Fluxerunt quidem plures quàm 390. dies à 10. die 10. mensis anni 9. Sedeciæ, quo primùm aduênit Nabuchodonosor in Iudæam, 4. Reg. vlt. v. 1. vsque ad 9. diem 4. mensis anni 11. Sedecię, quo capta fuit vrbs, ibid. v. 3. & Ierem. 52. v. 6. & 7. Sed non potuit statim ab initio accessus tam citò vrbs arctè concludi. Et forsan respirauit aliquot menses Ierosolyma, quibus nempe pœnituerunt Iudæi, & seruos anno Sabbathico iuxta legis præscriptum libertate donarunt; quando & Chaldæi omissa obsidione Ierosolymæ, obuiàm iuerunt Ægyptijs ad opem Iudæorum aduolantibus. Sed mox, cùm Iudæi ad pristina scelera redirent, & seruos suos in seruitutem retraherent, redierunt quoque Chaldæi ad continuandam finiendamque vrbis obsidionem, Ieremiæ

anno mundi conditi	ante Verbũ incarnatum	Imperij Nabuchodonosoris	Olymp.	Vrbis conditæ

anno mundi conditi	ante Verbum incarnatum	imperij Nabuchodonosoris	Olymp.	Vrbis conditæ

anno mundi conditi	ante Verbû incarnatum	imperij	Olymp.	Vrbis conditæ	
3463	538	Nabuchodonoſoris 36.	LIX. anno 2	211	li Iſraelitici, quòd eum de cultu idolorum arguëret, damnatus & martyrio affectus eſt. *Martyrol. Rom. 4. Idus April.* Anno 36. regni Nabuchodonoſoris (inchoati ab anno 4. Ioakimi) id eſt anno 2. monarchiæ eiuſdem, ſeu regni monarchici, vidit ipſe in ſomnijs ſtatuam quadrimateriatam, Dan. 2. quam ipſi valdè gratiosè exponit noſter Decimusquartus Propheta DANIEL, ideoque toti Babyloniæ præponitur à rege, v. 48. & ſub ipſo Sidrach, Miſach & Abdenago, qui ſub idem tempus, quòd ſtatuam auream regis adorare nollent, in fornacem conijciuntur, ſed illæſi educuntur, c. 3. Quo miraculo commotus Nabuchodonoſor benedicit Deum Iſrael, & edicto publico occidi iubet quiſquis eum blaſphemauerit. Eodem anno per arborem frondoſam vſque ad radices exſcindendam, cognoſcit ex Daniele, ſe toto ſeptennio eiectum iri regno, &c. Dan. 4. Quod 12. pòſt menſe cõtigit, v. 26. Nec niſi exacto inter feras ſeptennio, precibus Danielis, menti & regno reſtituitur, v. 31. Deum cæli, glorificat, & paucis pòſt menſibus moritur, vt opinio eſt, pius & colens Deum. Vide Pererium. *Perer. l. 5. in Dan.*
		Balthaſaris	LXI.		Mortuo Nabuchodonoſori ſuccedit filius Balthaſſar, qui & Euil-Merodach, qui ſtatim eduxit Iechoniam è carcere, & extulit ſuper omnes principes Babylonis, Ierem. vlt. v. 31. & 4. Reg. vlt. v. 27.
3473	528	1	anno 4	221	Anno 1. regni Balthaſſar vidit Daniel in ſomnio quatuor beſtias præſignantes 4. monarchias Et ſub idem tempus contigiſſe videtur hiſtoria Belis & draconis, & prior miſſio Danielis in lacum leonum, Dan. 14.
			IXII.		
5475	526	3	anno 2		Anno 3. Balthaſſar videt Daniel, arietem (id eſt Darium vltimum Perſarum monarcham) deuictum ab hirco, Alexandro Macedone, Dan. 8.
		Cyri Monarchæ			Eodem anno finiente Cyrus rex Perſarum, & Darius rex Medorum, poſt biennalem obſidionem potiuntur vrbe Babylone, eâdem nocte qua Daniel explicuit Balthaſſari myſterium verborum *Mane, Thekel, Phares*, Dan. 5. & diu antè prædixerat Ieremias cap. 51.
	525	1	anno 3	224	Anno 1. imperij Darij, & monarchiæ Cyri, Daniel cognoſcens ex libris Ieremiæ cap. 25. & 29. inſtare terminum 70. annorum deſolationis Ieruſalem & captiuitatis Iudæorum, orat Deum, promiſſa ſua complere dignetur, Dan. 9. Cui apparens angelus Gabriel, dicit, orationem eius exauditam eſſe à Deo. Inſuper v. 24. deſignat ei tempus venturi Meſſiæ, nempe ſub finem 70. hebdomadum ab inſtaurata vrbe Ieroſolyma, de quibus vide c. 38. huius Chronici. Mox iubente Cyro, facultas datur omnibus Iudæis redeundi è Babylonia in Iudæam, 2. Paral. vlt. in fine, & initio l. 1. Eſdræ. Cyrus deinde abit in Scythiam, vbi finito tertio monarchiæ ſuæ anno cæſus occubuit, vt dicam c. 37. Chronici. Interea Daniel ab æmulis expoſcitur ad mortem, fruſtrà repugnante Dario rege, & in lacum leonum ſecundò conijcitur; ſed poſtridie illæſus educitur, accuſatoribus vno momento deuoratis à belluis, Dan. 6.
			LXIII.		
3478	523	3	anno 1	226	Anno 3. & vlt. monarchiæ Cyri, menſe 1. die 14. videt Daniel c. 10. 11. 12. virum lineis veſtitum, à quo multa olim obuentura populo Dei edocetur: item de Michaele principe tutelari Synagogæ: de bellis ſuborituris inter Perſas & Græcos, inter reges Ægypti & Syriæ: de Antiocho Epiphane, eiuſque antitypo Antichriſto: de extremo iudicio, &c.
		Darij Hyſtaſpis	LXV.		
3486	515	2	anno 1	234	Anno 2. monarchiæ Darij Hyſtaſpis, qui Cambyſi ſucceſſit, prophetarunt in Iudæa Prophetæ Decimus quintus AGGÆVS, c. 1. v. 1. Decimus ſextus ZACHARIAS, c. 1. v. 1. Decimus ſeptimus MALACHIAS.

Ex dictis patet Primò, Prophetas omnes minori ſpatio quàm 270. annorum floruiſſe. Pauciores enim anni excurrunt ab initio regni Oziæ, vſque ad Darium Hyſtaſpis: ſeu ab anno mundi 3227. quo cœpit Ozias, vſque ad annum 3486. qui fuit ſecundus regni Darij.

Patet Secundò, Prophetas noſtros antiquiores eſſe ſeptẽ Græciæ ſapientibus, vt Euſeb. & Lactant. docent. Nam *ſub Cyro floruit Thales præceptor Anaximandri, hic Anaximenis, hic Anaxagoræ, hic Periclis: Anaxagoræ verò temporibus Xenophanes & Pythagoras fuerunt*, inquit Euſebius. De Socrate & Platone nullum poteſt eſſe dubium, cùm hi penè ducentis annis Cyro poſteriores ſint. Orpheus quidem, Linus & Muſæus priores ſunt Prophetis: ſed his *Euſ. l. 10. de Præpar. in fine. Lact. l. 4. Diu. inſtit. c. 5.*

Aug.li.18. de Ciuit. cap.37. Tertull.in Apolog.c.19 his antiquioré habemus Moysen & tot Patriarchas, inquit S. Augustinus, & Tertullianus; qui id Gentilibus palàm in faciem obijcit: *Ceteri*, inquiens, *Prophetæ, etsi Moysi posthumant, extremissimi tamen eorum non retrosiores* (seu posteriores) *deprehenduntur primoribus vestris sapientibus, & legiferis, & historicis.*

Hactenus de calculo Hebræorū: nunc etiam (quia frequens illorum vsus in Scriptura) aliquid de calculo Assyrio, Ægyptio, Babylonico, Romano & Græco.

CAPVT XXXI.

De Græcorum Olympiadibus.

OLYMPIAS spatium est quatuor annorū, quod duos inter ludos Olympicos Ioui Olympio, maxima totius Græciæ solennitate & concursu apud Pisam & Elidem fieri solitos ab memoriam diei intercalaris, labebatur. Erant quidem & alia publica ludorum certamina, (Græci ἀγῶνας appellabant) quibus tamquam certis characteribus anni quique signabantur, & temporum series digesta posteris tradebatur, scilicet Nemea, Pythia, & Isthmia: quæ qualia fuerint, ex Lactantio Placido in principio 9. Thebaidos apud Statiū cognoscere licet: sed omnium celeberrima erant Olympia, quæ dixi, quæ quarto quoque anno sub initium æstatis, seu æstiui solstitij, teste Liuio, Censorino, Pindaro, & alijs, celebrabantur, à luna 11. vsque ad 16. inclusiuè, quâ & iudicium & sententia de victoribus ferebatur. Prioribus autem vndecim diebus, athletæ varijs se prælusionibus exercebant.

Liuius l. 27. Censorin. l de Natali cap.8. Pindarus ode 3. strophe 2. & ibid. Scholiastes eius.

Olympiadibus singulis, peracto iudicio, pronunciatâ sententiâ, victoribus declaratis, victorum nomina statim per publicos sacerdotes ei curæ præpositos tabulis publicis inscribebantur, quibus ijsdem etiam alij notabiliores euentus ad singulos singularum Olympiadum annos summatim adnotabantur. Mox in fano Iouis Olympij apud Elidenses loco tuto atque inuiolabili seponebantur, custodiebanturque religiosè ab ijsdem sacerdotibus. Atque ita per annos plus mille publica cura continuatæ sunt illæ tabulæ vsque ad tempora Theodosij 11. Imper. ac deinde per eruditos chronologos in posteriora quoque sæcula extensæ, velut Fasti perpetui, actorum temporumque custodes.

Olympias prima quæ in numerum venit, ab Iphito celebrata est, anno mundi 3250. Oziæ regis Iuda 5. Ieroboami 2. regis Israelitici, ex quo solus regnauit, 19. cyclo lunæ 5. solis 18. epacta xviii. littera Martyrologij T. Quæ designant fuisse annum ante æram nati Christi Dionysianam seu vulgarem 776. ante Phul-Belochum, regem Assyriorum, & Arbacem Medorum (de quibus cap. 33.) annum 4. De quo ita Solinus Polyhistor: Certamen Olympicum (quod olim Hercules in honorum ataui sui materni Pelopis ediderat in omni genere certaminum victor, iam pridem intermissū, Iphitus Elidensis instaurauit post excidium Troiæ anno 408. Roma deinde condita, incipiente Olympiade 7. post excidium Troiæ anno 433. ita ille. Et idem scribunt Diodorus Siculus, Dionysius Halicarnasseus, Eratosthenes apud Clementem Alexandrinum, & ex his quidam alij. Vnde sequitur, initium Olympiadum totis 23. annis, & ferè 10. mensibus præcurrere æram conditæ vrbis Romæ, secundum iam dictos auctores. Quot nempe anni & menses fluxerunt à solstitio æstiuo anni 5. Oziæ seu Azariæ regis Iuda, quo celebrata est 1. Olympias, vsque ad 21. Aprilis anni 28. eiusdem Oziæ regis, quo die ponunt vrbem primò condi cœpisse. Dixi, Secundum iam dictos auctores: nam quot reuera effluxerint, dicam cap. sequenti.

Solin. Polyhistor c.2. & Vell. Paterculus. Clem. Alex. l.1. Strom.

Censorin. sup.

Porrò vsque ad Olympiadas, in Græcorum historia nihil certum, nihil exploratum reperitur, sed omnia confusis temporibus descripta sunt. Vnde ex M. Varrone Censorinus tria distinguit temporum discrimina. Primum ab orbe condito ad cataclysmum seu diluuium: & hoc vocat ἄδηλον, id est incertum & incognitum. Secundū à diluuio vsque ad primam Olympiadē, quod μυθικὸν, id est fabulosum dicitur. Tertium à 1. Olympiade deinceps, quod ἱστορικὸν & certum appellat. Quia post Olympiadas diligentissimè suis singula annis adnotabantur, vt suprà dixi: neque vlla fuit exinceps temporū confusio, inquit ex Iulio Africano Eusebius.

Euseb. l. 10. de Præpar. Euang.

CAPVT XXXII.

De anno, mense, die conditæ vrbis Romæ.

Ouid. l. 4. Fastorum.

DE mense & die constat, nempe 11. Kalendas Maias, id est 21. Aprilis, iacta fuisse à Romulo prima Vrbis fundamenta, testibus Ouidio, Propertio, Plinio, Tullio, & omnibus alijs. Ipsis nempe Palilibus, id est festo Palis deæ pastorum, quæ ad arcendos lupos, morbosque à pecore pellendos, & pro felici animantium partu in agris passim illo die à pastoribus colebatur. & ab hac Pale dea, Palilia, vel Parilia nomen sumpserūt.

De anno quæstio est inter Varronem & Catonem, & vtriusque sequaces. Nam M. Terentius Varro, qui Fastos Romanorum consulares conscripsit, prima Vrbis fundamenta iacta vult anno Iphiti 23. propè exspirante, seu anno 3. sextæ Olympiadis post bimestre finituro. Et hic calculus vulgò Varronianus appellatur.

M. Cato, qui & ipse Fastos concinnauit, iacta vult anno vno seriùs, nempe Iphiti 24. seu 4. anno sextæ Olympiadis. Et vt in exordio, sic & in progressu, & in Consulibus adnotandis, calculus hic Catonianus semper vno anno posterior est Varroniano.

Clem. Alex. sup.

Catoni subscribunt Clemens Alexandrinus, Onuphrius Panuinius, Ioannes Lucidus & quidam alij. Sed nobiliores quique Varroni adhærent Quinctilianus, Lactantius, M. Tullius Cicero, L. Calpurnius Piso, Pomponius Atticus, Velleius Paterculus, Plinius, Tacitus, Phlegon, Dio Cassius, Gellius, Censorinus, Plutarchus, Eutropius, Sext. Aurelius Victor, Iosephus, Zosimus, Eusebius, Augustinus, Orosius, Cardinalis Baronius, & penè omnes recentiores, qui in decursu historiarum suarum, aliorumque scriptorum, annum Vrbis conditæ non nisi 23. annis, posteriorem faciunt initio Olympiadum. Romani quoque Imperatores Augustus, Claudius, Domitianus, Seuerus, duo Philippi & Honorius in edendis Ludis sæcularibus, centesimo quoque

Onuphrius in Fastis suis Quinctil. l. 10. c. 2. Lactant. l. 1. Instit. c. 6. Cic. l. 5. Academ. quæst. S. August. l. 6. de Ciuit. c. 2.

quoque ab Vrbe condita anno ad Varronianum semper calculum respexerunt. Neque ausim ego ab illo deflectere, præsertim cùm Varroni testimonium à M. Tullio tribuatur, quod nemo vnquam illo doctior, neque apud Græcos, neque apud Latinos vixerit.

Dionysius Halicarnasseus & Eratosthenes volunt anno adhuc vno seriùs iacta illa fundamenta, nempe 1. anno 7. Olympiadis. Sed hi Græci erant, & in Græcia scripserunt: neque mirum est, non æquè perspectas habuisse res Romanas, atque tot alij Romani accuratissimi scriptores, quos suprà recensui. Maluit tamen Solinus Polyhistor, Diodorus Siculus (de quibus c. præcedenti) item Carolus Sigonius, & Stephanus Pighius in suis alioquin pereruditis & magno studio elaboratis Fastorum Commentarijs, Dionysij Halicarnassei calculo (quas ob causas nescio) inhærere. Vnde factum vt ne vel vnum quidem annum seu Vrbis, seu Consulum rectè digesserint, & sibi ipsis subinde contradixerint.

Nos recepto passim Varroniano calculo insistamus, quo penè finiente anno Iphiti 23. iacta sunt Vrbis prima fundamēta, ipsis Palilibus, quæ in 21. Aprilis tunc incidebant, ex quo dies ille quotannis exinceps habitus est natalis vrbis Romanæ.

Porrò fundamenta illa iecit Romulus anno ætatis suæ 18. cùm eclipsis esset solis iam in Tauro versantis. Ita notauit Terrutius vetus Mathematicus, vti & Plutarchus, & Dionysius Halicarnasseus, Solinus, & plures alij. Quæ eclipsis indicat fuisse annum illum ante vulgarem nati Christi æram 753. cyclo lunæ 9. solis 13. Epacta 2. & B. littera Martyrologij, Oziæ seu Azarię regis Iuda 28. à Ieroboami secundi regis Israelitici morte primum: Phul-Bel-Ochi regis Assyriorum, & Arbacis Medorum (de quibus, cap. sequenti) annum 20. ante æram Nabon-Assaris (de qua c. 34.) annum 6.

CAPVT XXXIII.

De monarchia & calculo Assyriorum. De regno Medorum. De Tobia, de Iudith, &c.

ASSyriorum monarchia, vt dixi cap. 12. à Nemrod, (qui & Belus seu Iupiter dictus fuit) inchoata anno mundi 1932. diluuij 276. ante ortum Abrahæ 43. inuicta stetit in 37. regibus per annos 1302. Singulos reges, & singulorum annos & acta recenset Eusebius, & ex eo Gerardus Mercator, Augustinus Torniellus, Jacobus Salianus, Ioannes Funccius & alij Chronographi. Horum vltimus fuit Tonos Concoleros, Amacynda axis filius, Græcis Sardanapalus, luxu & mollitie sua notissimus. Hunc in vrbe sua regia Niniue, anno regni ipsius 19. inchoante obsessum venerunt Arbaces Medorum rex, & Phul-Bel-Ochus Babyloniæ præfectus, antè ipsius subiectus, iam rebellis. Obsessus biennio Sardanapalus, cùm effugio nullus esset locus, nolletque hostibus esse ludibrio, pyram in regiæ suæ penetralibus erexit 400. pedes altam, in eaque mensas 50. aureas, totidemque lectos imponens, se, vxorem, pellices, libros, mille auri myriades, & decem millia argenti, denique quidquid pretiosum habuit, flammis in conspectu obsidentium tradidit, quæ totos 15. dies tenuerunt, teste Athenæo li. 12. c. 12.

Exinde diuisâ Monarchiâ

anno mundi	Oziæ regis Iuda	Vrbis Romæ	Olymp.		
3234	9		II. anno 1:	Regnum Assyriorum ex pacto cessit PHVL-BEL-OCHO. Cuius regni anno 32. Manahem rex Israel factus est, & stipendiarius illi fuit, 4. Reg. 15. v. 19. Regnauit an,	48
3296	Achaz 3	44	XVII. anno 3.	PHVL-ASSAR eius filius, vel TEGLAT-PHVL-ASSAR Hic anno regni sui 15. euocatus ab Achaz rege Iuda contrà Rasin Syriæ, & Phacee Israelis regem, venit Damascum, & occisis illis regibus, 4. Reg. 16. v. 7. & 9. etiã ipsum Achaz à quo auocatus fuerat, oppressit, eiusque terram vastauit 2. Paralip. 28. vers. 20. & Isaiæ 7. vers. 17. Ex Israele verò transtulit Galaaditas, Galilæos & Nephthalitas in Assyriam, 4. Reg. 15. v. 29. Quæ est prima Israelitarum captiuitas.	23
				SALMAN-ASSAR Hic anno suo 1. fecit sibi tributariũ Osee regẽ Israel, 4. Reg. 17. 3. Octauo autem anno regni sui, comperto quòd Osee adhæreret Sua regi Ægyptio, obsedit Samariam, eaque biennio pòst expugnatâ,	10

ARBACI regi Medorum cesserunt alia vicina Mediæ & Persidi regna, quæ tenuit per annos	28
MANDANES, vel Medidus Eusebio,	16
SARSOMENES, Eusebio Sosarmus,	16
CARDICEAS Eusebio, Arbianes Diodoro, Præmittitur à quibusdam parens Cardiceæ ARTECARMIS: sed hic perpetuo bello videtur occupatus fuisse vt filio suo regnũ stabiliret, neque putatur vmquam solus regnasse. quare neque Eusebius eius meminit.	5
DEIOCES Herodoto, Diocles Eusebio, Huius anno 16. Salman-Assar captiuos in Assyriam abduxit Israelitas; & inter alios Tobiam seniorem, iam 37. annorum, cum vxore & filio septenni, Tobiæ 1. Anno eius 38. Tobias iunior, circiter 30, annos natus, vxorem ducit Saram filiã Raguelis in Ecbatanis regia Mediæ, Tobiæ 7. & seqq.	53

anno mundi	Ezechiæ	Vrbis Romæ	Olimp.	
	7		XXII.	gnatâ, reliquas etiam tribus Israel, & simul Tobiam cum sua familia transtulit in Assyriam, & confœderatam adhuc Mediam, ibid. v. 6. (Hæc est secunda captiuitas Israelitarũ:) eductis è Babylone adhuc sibi subdita, & aliunde alijs colonis, quos misit in terrã Israel, v. 24. Et hę forsan causæ fuerunt tum Babylonijs rebellandi, tum Medis mouendi bellum regi Assyrio.
3314	inchoante	62	anno 1	
	Ezechiæ		XXIII.	SENNACHERIB 7
3321	14	69	anno 4.	anno 7. regni sui ab obsidione Ierosolymæ per angelum fugatus, 4. Reg. 19. v. 35. reuersus in Niniuen in templo dei sui Nesroch per proprios filios iugulatus est, v. 37. & 2. Paralip. 32. v. 21. & Isaiæ 37. v. 36.
				ASSAR-HADDON filius Sennacherib, Iosepho Asar-Acoldas, 4. Reg. 19. v. vlt. & Isaiæ 37. v. vlt. regnauit solus 13
				cum filio adoptiuo, vel genero potiùs suo, vel cognato, alijs adhuc 5. Colligitur ex textu Græco libri Iudith, qui semper quinquẽnio præcurrit textum Latinum. v. g. annũ Nabuchodonosoris 12. in Latino Græcus facit 17. annum 13. in Latino facit Græcus 18. cap. 1. & 2 Iudith.
				NABVCHODONOSOR, cognatus, vel filius adoptiuus, vel gener Assar-Haddonis, à deicto per Ben-Merodachum antecessore suo Assar-Haddone, cui si conregnarat 5. annos, solus alios 13. annos regnauit, vsque ad cæsum eius ante Bethuliam exercitum cum Holoferne, Iudith 15. v. 1. simul 18
	Manassis		XXXI.	
3351	15	99	anno 2.	Penultimo anno regni sui vincit, capit, iaculis configit Arphaxatum, aliàs Deiocem, regem Medorum, Judith 1. v. 5. & 11. in Græco. Ecbatanam vrbem & sedem regiam destruit. Quæ tamen post cæsum sequenti anno Nabuchodonosoris exercitũ in Iudæa cum Holoferne, paulatim (Medis in libertatem reductis.) instaurata fuit per Phraortem Deiocis successorem.
				Quinam deinceps in Niniue sederint reges, prorsus incertum. Hoc certũ, perpetua dissidia ipsis fuisse cum Medis & Babylonijs, qui iugũ Niniuitæ iam prorsus excusserant à tẽpore Ben-Merodach, de quo c. sequ. imò ex tunc Babylonij reges subinde titulum vsurpabant regis Assyriorum, vt dicam c. 1. Iudithæ v. 5. Donec tandẽ 13. anno Iosiæ iunctis viribus Babylonius & Medus Niniuen expugnarunt & exciderunt.
	Iosiæ		XLV.	
3406	13	154	anno 1.	

anno mundi	vsque	Vrbis Rom.	Olymp.	
2413	20 an. Iosiæ.	161	XLVI. anno 4.	
			LV.	
3448	vsque 3. excidij templi.	196	anno 3.	
			LV.	
3449	4	197	anno 4.	

seqq. Et Tobias senior visum recuperat iam sexagenarius, Tobiæ vlt. v. 3.

Anno regni sui 53. & vltimo à Nabuchodonosore Assyrio vincitur, capitur, iaculis configitur Deioces, aliàs Arphaxat, Iudith cap primo.

PHRAORTES, Diodoro Attines, 22

Hunc dicit Herodotus subegisse Persas, cumque vlciscivellet iniurias ab Assyrio illatas Medis, occisum in obsidione vrbis Niniuæ. Herod. li. 1.

CYAXARES, aliàs Artabanus vel Astibaros Diodoro, Stybaris Alexandro Polyhistori. Hunc Niniuen obsidere pergentẽ adorti Scythæ inde depulerunt, eiusque & vicinorũ Asiæ regnorum imperio potiti sunt annis 28. Tum rursus ipsi à Medis expulsi, liberum Cyaxari regnum reliquerũt. Qui maximis mox copijs Niniuen rursus aggreditur vnà cum filio suo Astyage, iunctis viribus cum Nabuchodonosore seniore seu Nabul-Assare iam tum vnà cum patre suo imperare incipiente: expugnataq; & euersa est Niniue anno 13. Iosiæ, Cyaxaris 33. Nabul-Assaris cum patre regnantis secundo. à tempore Ioatham regis Iuda 115. inquit Josephus. Et subscribũt Herodotus, & S. Hieronymus: & colligitur ex Tobiæ vltimo, vt ibi dicam. Eodem anno paulò post expugnatã Niniuen, mortuus est Tobias iunior anno ætatis suæ 99. quot fluxerunt à primo ann. Ezechiæ regis Iuda, quo natus est Tobias, vsque ad 13. annum Josiæ, quo excisa est Niniue.

Cyaxares autem regnauit vniuersum annos 40
ita Herodotus & alij.

ASTYAGES eius filius, Apanda Diodoro, 35
Is à Cyro nepote suo ex filia Mandane (quam Cambysi Persæ vxorem dederat) captus, teste Herodoto, & regno exutus est: Xenophon tamen dicit, morte naturali illum vitâ excessisse. Vt vt est, excessit (vt colligitur ex Daniel. 13. v. vlt.) anno ab exusta vrbe & templo Ierosolymorum

morum quarto : & regnum Medorum annexum est sceptro Persico, anno primo regni Cyri, qui suo loco Darium Medum auunculum suũ filium Astyagis, ibi regem constituit, cum quo postea Babylonem expugnauit. ita Torniellus Pererius, Maldonatus, à Lapide & alij ex Xenophonte, Iosepho, S. Hieron. & omnibus Græcis historicis.

Torniell. in Chron. l. S. Hieron. Pererius, Maldon. A Lap. in Dan. 5. Xenophon in Cyropæd.

CAPVT XXXIV.

De Æra Ægyptia & Babylonica seu Chaldæa.

ANtiquissimæ æræ Babyloniorum, quæ eadem fuit etiam omnium reliquorum Chaldæorũ, adeoque & Assyriorum & Ægyptiorum, Persarum, Medorum, ceterorumque Orientis populorum, meminit Callisthenes in epistola quam ad Aristotelem auunculum & præceptorẽ suum dedit, citata à Simplicio Aristotelis interprete. Nam quærenti Aristoteli, cùm Babylone ageret vrbs à cum Alexandro Magno, quorũ annum Chaldaicum supputarent, ab eruditis Babyloniorum instructus, per epistolam respondit, cum annum quo Alexander Babylonem occuparat, vetustissimæ Chaldæorum epochæ esse 1903 Erat autem is annus Olympiadis CXII. secundus, conditi mundi 3675. A quo retrò calculos reducendo, si sul traxeris 1903. annos, deprehendes, Chaldæorum epocham illam cœpisse ab anno mundi 1772. qui fuit annus à diluuio 116. Et fortè natalis vrbi Babylonicæ cuius fundamenta tum iacta cœpta.

Sed fluente hac Æra vetustissima, non rarò accidit, vt in honorem præclarissimorum regum nouæ subinde epochæ apud easdem nationes instituerentur. Cuiusmodi fuit apud Assyrios, æra Phul-Bel-Ochi apud Medos, æra Arbacis, cùm Sardanapalum euertissent, vt dixi c. præced. Sed omnium clarissima fuit æra Nabon-Assaris, Babyloniorũ primi regis. Cùm enim Babylonia adeoque Chaldæa vniuersa cum vicinis nationibus omnibus ad id vsque tempus paruissent regi Assyriorum, tamquam summo omnium monarchæ: & iã Phul-Bel-Ochus seu præfectus, seu sacerdos Babylonius, antiquæ pertæsus seruitutis, vi à cũ Arbace Medo mulierosum Sardanapalum throno & vitâ exussent, & iste regni Medorũ, ille regni Assyriorum sceptra rapuissent; vicarius Phul Bel-Ochi præfectus Babylone relictus quidam Baladan, fretus Chaldæorum fauore & potentiâ excussit & ipse iugum sui domini Phul-Bel-Ochi iam in regia Niniue residenti, & monarcham agentis: & relicto priuato ac gentilitio nomine Baladan, regium cum sceptro nomen assumpsit Nabon-Assar: & nouam à die enthronisimi sui, qui fuit 26. Februarij nostri epochã ordiri voluit, quæ Nabon-assaræa dicta fuit & gratissimis vbique animis excepta, nõ à vicinis modò, sed & ab Ægyptijs, & aliis remotioribus gentibus. Quæ cœpit fluente anno Phul Bel-Ochi Assyrij, & Arbacis Medi 25. Oziæ seu Azariæ regis Iudæ 31. à Roma condita cœpta 6 anno Ipbiti 29. seu VIII. Olympiadis anno 1. ita Censorinus, Ptolemæus, Scaliger & alij. Vnde æra Nabonassaræa semper sequitur æram vrbis Romæ circiter sexennio, æram verò Olympiadũ circiter 29 annis Dico, Circiter: quia cùm primùm hæc æra Nabon-assaræa constituta fuit, 26. Februarij nostri, vt dixi, deerant ferè duo menses anno sexto Vrbis complendo 21. Aprilis: & toti quatuor menses complendo 1. anno VIII. Olympiadis solstitio æstiuo proximè secuturo. Et quia Chaldæi atque Ægyptij carent intercalatione, & omnes annos suos solares omnino pares habent, constantes solidis dierus 365. omisso ac neglecto residuo circiter quarante illo, ex cuius collectione nos quarto quoque anno, id vnũ conflamus & addimus anno bissextili; hinc fiebat, vt initiũ seu caput anni Nabonassaræi (quod ipsi *Thoth* vocant, nomine desumpto à primo mense suo quẽ Θὼθ appellant) paulatim in anteriora recedens, singulis quadriennijs vno die longiùs deflecteret tum ab æquinoctio verno, tũ à Paliliis seu ara conditæ Vrbis, & consequenter etiã à solstitio æstiuo, seu ab initio anni Olympici. Cùm enim tempore enthronisimi Nabon-Assaris, annus eius primus inchoaretur à 26 Februarij nostri, vt dixi; post quadriennium annus regis eiusdẽ quintus inchoabatur à 25 Februarij: post aliud rursus quadrennium à 24 & sic deinceps semper in anteriora deflectens, & quidẽ apud Ægyptios, sine fine aut limite; adeò vt paulatim *Thoth* illorum totum annũ nostrum, totumque Zodiacum circuitum peramburet. Quam ob causã non immeritò Vagus annus Ægyptius à Scriptoribus appellatur, cuius menses, qui hiemales fuerant, paulatim autumnales, dein temporis circumactu æstiui mox verni quoque in orbem fiant. Et spatio 1460. annorũ, nostrorum quos Iulianos (quia à Iulio Cæsare correctos, vt dicã c. 44.) nominamus. Ægyptijs annus integer accrescit ex 365. diebus, quos spatio tanti temporis intercalare neglexerunt. Vnde 1461. anni Ægyptij nõ faciunt nisi 1460. annos Iulianos. Et secundùm hunc vagum Ægyptiorum calculum Ptolemæus Ægyptius Alexandrinus, qui sub Adriano Imperatore floruit, suas Obseruationes Astronomicas concinnauit. Chaldæi verò cum alijs Orientalibus populis, etsi pari modo negligerent intercalationem vnius diei quarto quoque anno, atque ita paulatim in anteriora deflecterent, non tamen vltra mensem Februarium nostrum, vel partem vltimam Ianuarij vmquam deflectebant: sed centesimo vicesimo quoque anno, ex neglectis tantisper intercalationum diebus mensem totum conflabant, reliquisque illius anni mensibus decimumtertium adijciebant mensem 30. dierum: atque ita redibant tum ad prius caput.

Porrò Nabon-Assar rex Babylonis imperauit annis	27. defunctan.	Joatham regis Iuda 8	Vrbis Romæ 33	Olymp. XIV. anno 4	mundi 3285
Successit parenti MERODACH BALADAN, filius Baladan, Isaiæ 39. v. 1. vel vt est in 4. Reg. 20. v. 12. Berodach Baladan, qui à Ptolemæo, Iunctio Mercatore. Buntingio Emmio & quibusdã alijs Mardo-Kempad. Hic munera misit & legatos ad Ezechiã regem Iuda, Isaiæ 39. & 4. Reg. 20. sup. Regnauit ann.	12	Manassis 1	85	XXVII. anno 4	3337

Hunc

	defũctus anno	Reg. Iuda	Vrbis Romæ	Olymp.	m cc
Hunc dicit Prolemæus 12. annis Babylone exactis occupasse Assyriam, quam tunc tenebat Teglat-Phul-Asar. atqui inde nouam æram inchoasse, totosque alios 40. annos imperasse. Quod si admittimus, dicendum, postea rursus ab eodem Teglat-Phul-Asar expulsum fuisse Merodach: nam constat ex Scripturis in locum Teglat-Phul-Asaris successisse non Babylonium Merodach, sed Assyrium Salman-Assar, 4. Reg. 17. & 18.					
Defuncto parenti suffectus BEN-MERODACH, qui præualuit Assar-Addoni, vt dicam 4. Reg. 20. in fine. vniuersim regnauit annis	44	Manassis 45	129	XXXVIII. anno 4	18
De annis horũ trium ita vt dixi rem se habere, testantur Eusebius de Præparat. Euang. lib. 9. Berósus apud Iosephum, Metasthenes Annij, & Josephus Scaliger lib. 5. Huius tempore contigit historia Iudithæ, vt dicam in Commentario. Et verosimile est, quod Josephus lib. 10. Antiquitatum cap. 5. insinuat, Nabuchodonosorem Judithæ 1. vers. 5. fuisse vel fratrem, vel saltẽ cognatum, Ben-Merodáchi, ab eodem suffectum deuicto Assar-Addoni. Licèt alij malint, ex Assyrio sanguine procreatũ, ab ipso Asser-Addone, vel à primatibus Assyrijs, in consortem imperij adscitum fuisse, vt dicam Iudith 1. v. 5.					
NABO-POL-ASSAR totius Syriæ & Asiæ domitor, nouam & ipse epocham Nabo-Pol-assaræam inchoauit à suo enthronismo. teste Beroso, Scaligero & alijs, anno 124. à primo Nabon-Assare. Imperauit solus annis totis	25. id est vsque ad ann. à primo Nabon-Assare 148	Iosiæ 13	154	XLV. anno 1	3
cùm expugnatâ per filium suum Nabul-Assat, seu Nabuchobonosorem seniorem, cum Cyáxare Medo vrbe Niniue, monarchiam Assyriorum transtulit ad Chaldæos, filio in consortem imperij adscito, vixit adhuc 4. totis annis imperans cum filio. Vide Iosephum Scaligerum: sed caue, dicenti hunc Nabo-Pol-Assarem, patrem fuisse magni Nabuchodonosoris, fidem habeas: nam teste Beroso & alijs, non fuit nisi auus illius.					
NABVL-ASSAR Beroso apud Iosephum, alijs Nabol-Assar, vel Nabuchodonosor senior, excisâ Ninive cum 1. anno monarchiæ Chaldaicæ, inchoauit (licèt superstite adhuc per quadrienniũ parente) etiam ipse annos imperij sui, quod produxit, teste Beroso, ad ann. 29. vel, vt alij, ad 35. Sed teste Beroso, apud Iosephũ lib. 10. c. 11. & lib. 1. cont. Apion. solùm regnauit annis	21 vsque ad an. Nabon-Assaris 169	Ioakim 3	275	Li anno 2	34
antequam consortem imperij assumeret filium suum Nabuchodonosorem iuniorem (cognomine Magnum,) anno 4. Ioakim regis Iuda, Ierem. 25. v. 1. & 4. Reg. 24. v. 12. & cap. 25. v. 8. Hoc assumpto in socium imperij, regnauit adhuc aliis 14. annis in Babylone, dum interea filius varias expeditiones susciperet in Syria, & vicinis regionibus, vt Berosus apud Iosephũ, Alexander Polyhistor apud Eusebium Præparat. Euang. li 9. sub finem, & alij testantur. Sed Nota, mortuo Nabo-Pol-Assare, initio 5. anni ab excisa Ninive, Nabul-Assarem eius filium, quia tunc solus imperare cœpit, nouã quoque æram sui imperij inchoasse, anno primi Nabon-Assaris 153. qui erat Iosiæ regis Iuda 18. Et secundùm hanc æràm, Chaldæis tum familiarem, (quia Babylone residebat & imperabat hic Nabul-Assar,) subducit calculos suos Exechiel Propheta, dũ initio primi capitis dicit 30. annum (nempe regis sui Nabul-Assaris ibi tum imperitantis) fuisse annum 5. transmigrationis Ioachin regis Iuda. Adde enim 5. annis Ioachini annos vndecim Ioakimi, & 14. postremos Iosiæ, deprehendes, hunc 30. annum esse 18. Iosiæ, vt dixi.					
NABVCHODONOSOR iunior, dictus Magnus, gener Cyaxaris Medorum regis, imperauit annis	45. vsque Nabon-Assaris 214	capti Iechoniç 37	220	LXI. anno 3	3
nempe à 4. anno regni Ioakim, Ieremiæ 25. vers. 1. vsque ad annum 37. transmigrationis Ioachin regis Iuda, 4. Regum vltimo vers. 27. Nam si 37. annis illis Ioachin addas 8. annos posteriores regni Ioakim, deprehendes præcisè annos 45. Et hunc calculum sequuntur Hebræi communiter, & Græci & Latini. Vnde corrigendi Berosus & Polyhistor suprà citati, cùm tantùm 43. annos illi tribuunt. Herodotus, teste quoque Scaligero, vocat hunc Labinitum seniorem: cuius vxor fuit Nitocris decantatissima illa Heroina, in cu-					

ius

defunctus an.	capti Iechoniæ	Vrbis Romæ	Olymp.	mundi condit

ius gratiam pensiles illos hortos maritus eius exstruxit. Fuit enim Meda,&,ni fallor, filia Cyaxaris, soror Astyagis. Quod etiam Scaliger notauit.

Sed & huius regis diuersæ sunt epochæ. Nempe prima ab anno 22. parentis sui, quando simul cum eo cœpit imperare, nempe anno 4. Ioakim regis Iuda Jerem. 25. v. 1. Secunda statim à morte parentis sui, quæ contigit anno 35. parentis ex quo is solus regnare cœperat, id est anno 18. Nabuchodonosoris iunioris vnà cum parente regnantis. Et hæc æra incidit in tempus captæ Ierosolymæ & exusti templi, sub finem regni Sedeciæ regis Iuda. Et secundùm hanc æram dicunt S. Chrysostomus & Theodoretus, Danielem cap. 3. scribere, Nabuchodonosorem 18. anno regni sui fecisse statuam auream ab omnibus pro Deo adorandam. Erat enim is 18. annus regni (vt sic dicam) secundi annus secundus monarchiæ illius. A quo cœpit æra eius tertia, nempe à propagata completaque monarchia, anno regni eius cum parente inchoati 31. qui erat transmigrationis Iechoniæ regis Iuda 27. vt habet Ezechiel cap. 29. v. 17. Ibi enim prædicit, Ægyptum tradendam in manus Nabuchodonosoris, & quidem in mercedem seruitutis qua seruierat Deo aduersus Tyrum. Et his consonat Iosephus lib. 10. c. 11. cùm ait Nabuchodonosorem quinto anno post excidium Ierosolymorum, qui fuit 23. regni eius primi, cum maximis copiis inuasisse Cœlesyriam, bellasse dein contra Moabitas & Ammonitas, & his perdomitis (adde, perdomitâ quoque Tyro, contra quam 13. annis illum dimicasse, idem ipse Iosephus ex Berosо auctor est li. 1. contra Apionem) Ægyptum hostiliter expugnasse, occisoque rege, repertos istic Iudæos duxisse Babylonem captiuos.

Chrys. serm. de 3. pueris Theodor. in Daniel.

Ergo 23. anno Nabuchodonosoris adde hos 13. annos quos subiugandis Tyrijs, Moabitis, Ammonitis & vicinis alijs impendit, habebis annum regni eius 34. quo Ægyptum debellauit, & monarchiam stabiliuit ac compleuit. Ita vt 36. annus regni Nabuchodonosoris sit primus annus monarchiæ eiusdem. Et secundùm hanc æram regni eius monarchici dicit tam Daniel cap. 2. & 4. quàm Iosephus suprà, Nabuchodonosorem anno secundo regni sui vidisse somnium, vnum de statua quadrimateriata, alterum de arbore frondosa vsque ad radices exscindenda, Inde mense duodecimo pòst, Danielis 4. v. 26. regno eiectum, toto septennio cum feris habitasse. Quo exacto, & sanitati & regno restitutus, sed paucis pòst mensibus vita exutus est vt probat Pererius.

Pere. l. 5. in Dan. pag. 250.

Nabuchodonosori extincto successit filius eius (sic enim semper à Daniele vocatur) BALTHASSAR, qui & Nabo, Isaiæ 46. v. 1. & Merodach, Ierem. 56. v. 2. & Euil-Merodach, 4. Reg. vlt. v. 27. & Labonidus Berosо apud Iosephum lib. 1. contra Apion. & ipsi Iosepho li. 11. Antiq. cap. 12. seu Labinitus Herodoto, teste quoque Scaligero. Qui primo regni sui initio eduxit Iechoniam regem Iuda è carcere, 4. Reg. vlt. v. 27. &, vt colligitur ex Dan. 8. v. 1. regnauit annis

3 vsque Nabonassaris 217	40		LXII. anno 2	3475

Sed de hoc fusiùs cap. sequ.

CAPVT XXXV.

Quando cœperint, quando finierint 70. anni Babylonicæ seruitutis, captiuitatis & desolationis, Ieremiæ 25. & 29. Danielis 9. & 2. Paralip. 36. & 1. Esdræ 1.

PRima sententia. Quidam distinguunt 70. annos seruitutis seu captiuitatis Iudæorum, à 70. annis desolationis templi & vrbis Ierosolymitanæ. Et annos captiuitatis cœpisse volunt vel à transmigratione Iechoniæ, 2. Paralip. vlt. v. 10. vel octennio antè, ab anno 4. Ioakimi patris Iechoniæ, ibid. v. 6. finisse autem anno 1. Cyri, ibid. v. 22. Annos verò desolationis templi & vrbis dicunt cœpisse ab anno 11. Sedeciæ,

*Clem. Alex. ibid. Euseb. Chron. & l. 10. Prepar. Euang. c. vlt. & l. 8. Demonst. Hieron. in præmis Aggæi. & in c. 1. Zachariæ & cap. 4. Ezechiel. Aug. l. 18. de Ciuit. cap. 26. Isid. l. 5. Etymologiar. cap. vlt. Theod. in c. 9. Daniel. Sà & Mariana in Scholijs. Corn à Lap. in c. 1. Zachariæ. Ferdin. visione 29. Scaliger. l. 6. Emēd. temp. † Liran. lib. Esdræ initio. Cajet. in 2. Paral. vlt. Genebr. in fine lib. 1. Chronic. Azor. to. 1. Moral l. 6. cap. 56. *Euseb & alij sup. cit. Perer. in c. 9 Dan. v. 2. Sanerius in Chronolog. A Lapide in Ierem. 29. v. 10. a Ambr. l. de Bono mort. Cyprian. ad Demetrian. Basil. epist. ad Chilonem Hieron. lib. contra Heluidium. Iren li. 3. contra Har. cap. 5. Tertull. l. de Habitu mul. Isidor. 6. Etymol. c. 1.*

ibid. v. 19. & finijsse anno 2. Darij, tertij Persarum monarchæ, 1. Esdræ 6. Ita sentire videntur (sed ex aliena magis, quàm sua sententia) Clemens Alexandrinus, Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Isidorus & Theodoretus. Sed apertè profitentur Emanuel Sà, Joannes Mariana, Cornelius à Lapide, Sanchez, à Castro, Fernandes, Scaliger & quidam alij.

Secunda sententia. Ceteri nō distinguunt ánnos desolationis ab annis captiuitatis: sed vtrosque inchoant vel ab 11. anno Sedeciæ? vt * Iosephus, Iulius Africanus, Cyrillus Alexandr. Lactantius, Nicephorus Callistus, Freculphus, Beda, Sigonius, Abulensis, Torniellus, Adrichomius, Mercator, Tursellinus, Villalpandus, Pererius, Serarius, Salianus: & ex hæreticis, Funccius, Phrygio, Kreintzheim.

Tertia sententia. Vel à cæso Ioakimo, anno regni eius 11. finiente, 4. Reg. 23. v. 36. Vel à transmigratione Ioakin seu Iechoniæ, quæ trimestri pòst contigit, anno 8 regni Nabuchodonosoris, ibid. cap. 24. vers. 12. Ita R. Salomon apud † Liranum, Caietan. Genebrardus. Azor: & ex Sectarijs Vbbo Emmius, & Ioānes Behin.

Quarta sententia. Vel octennio citiùs, nempe à 4. anno & prima captiuitate Ioakimi, 1. anno regni Nabuchodonosoris. 2. Paral. vlt. v. 6 & Ieremiæ 25. v. 1. Ita * Seuerus Sulpitius, Liranus, Vatablus, Christophorus à Castro, Ribera, Gordonus, Barradius, Petauius: & ex Nouatoribus Capellus & Beroaldus.

Quinta sententia. Vel denique; à 13. anno Iosiæ regis Iuda Ieremię 25. v. 2. Ita iam olim senserunt complures apud * Eusebium, quorum tamen nomina ipse non exprimit. Et re tenas, atque ex animi sui sententia idem tenuerunt Clemens Alexandr. Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Isidorus, Theodoretus & alij quos citat Pererius, & ego suprà citaui inter auctores primæ sententiæ. Ex recentioribus idem diserte docet Henricus Samerius: & probabile putat Cornelius à Lapide.

Porrò omnes hi secundæ, tertiæ, quartæ, & quintæ sententiæ auctores finiunt illos 70. annos tam desolationis, quàm captiuitatis, cum 1. anno monarchiæ Cyri. Vnde quo seriùs vel citiùs initium illorū figunt, eo plures pauciores ve annos ab excidio templi & vrbis Jerosolymitanæ vsque ad initium monarchiæ Cyri, pro commodo vel placito singuli suo disponunt, vt præcisè compleant numerum 70. annorum.

Porrò quænam ex his sententijs, quæ propter tantorum virorum auctoritatem omnes probabiles sunt, præferenda videatur, paucis conclusionibus aperire conabor, non tam asserendi, quàm disputandi studio.

I. Conclvsio. Certum videtur, 70. annos tam desolationis, quàm captiuitatis & seruitutis Iudæorum, finem cepisse, non anno 2. Darij Hystaspis, tertij Persarum monarchæ, sed anno 1. monarchiæ Cyri, qui vnà cum Dario Medo expugnata Babylone, & Balthasare vltimo Chaldæorum monarcha occiso, monarchiam à Chaldæis transtulit ad Persas, & statim primo initio suæ monarchiæ relaxauit captiuitatem Judæorum, & remisit quotquot redire vellent in Iudæā. Patet ex vltimis verbis l. 2. Paralipomenon, & primis l. 1. Esdræ. vbi Iudæi dicuntur *seruisse Chaldæis vsque dum complerentur 70. anni & donec imperaret rex Persarum. Anno* enim *primo* monarchię *Cyri regis Persarum ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Ieremiæ* (nota singula verba) *suscitauit Dominus spiritum Cyri*, &c. Deinde Ieremias illo ipso c. 25. quo toties & tam acriter captiuitatem seruitutem & desolationem illam inculcat. v. 12. expressis verbis dicit, Deum tum demum exciturum Babylonium regem & populum, cùm impleti fuerint 70. anni seruitutis & solitudinis terræ, de quibus antè egerat. Ergo nō possunt 70. anni isti extendi vltra excisā Babyloniā an. 1. monarchiæ Cyri regis Persarum.

II. Conclvsio. Hinc sequitur, non esse distinguendos 70. annos desolationis templi vel vrbis Ierosolymitanæ, ab annis 70. captiuitatis vel seruitutis Iudæorum: nec duo statuenda principia nec duos terminos quasi duplicis septuagenariæ calamitatis Iudaicæ à Prophetis prædictæ. Quia Prophetæ nusquam illos distinguunt.

Dices, Zachariæ 1. v. 12. angelus anno 2. Darij Hystaspis dicit: *Domine exercituum vsquequo tu non miserebris Ierusalem & vrbium Iuda quibus iratus es? Iste iam septuagesimus annus est.*

Respondeo Forsan hæc verba non assertoriè, sed interrogatoriè legenda sunt (vt legunt quædam correctiora Biblia Plantiniana,) & per modum admirationis exponenda, sic: Istene est septuagesimus annus libertatis Iudaicæ, à Ieremia c. 25. & Daniele c. 2. prædictus? q.d. Non solùm 70. anni, sed 80. & quod excurrit, iam lapsi sunt, & necdum finis est miseriarum. Licet enim iam à decennio redierint nonnulli è Babylonia in Iudæam, tot tamen ærumnis hîc affliguntur, vt satius penè esset, eisque optabilius mansisse in Babylonia. Ita Albertus, Hugo, Liranus & Mariana in eum locum. Et verò etiam Hebræa & Græca & Chaldaica interrogatoriè legunt, & connectunt cum verbo, *Iratus es*. q.d. Nondum misereberis eorum quos iam 70 annis itatus afflixisti? Sed demus, assertoriè legendum esse; non aliud significant, quàm terminum afflictioni Iudæorum præstitutum à Deo, iam effluxisse, & quidē iam pridem, nempe ab excisa Chaldæorum monarchia per Cyrū 11. abhinc anno. Iustum ergo esse, vt Deus misericordiam suam impertiri quidem cœpta tam sub Cyro, sed inuidorum maleuolentia toto Cambysis tempore suspensam, ipse iam potenti dextera prosequatur, & vel inuitis hostibus, vrbem templumque instaurari faciat.

III. Conclvsio, Verisimilius videtur, ab anno 11. Sedeciæ, quo excisum est templum & vrbs Ierosolymitana, vsque ad annum 1. monarchiæ Cyri, non fluxisse 70. vel 60. vel 52. annos, vt volunt auctores priorum quatuor sententiarum, sed solùm 30. annos, vt supponit quinta sententia.

Probatur Primò, ex 4. Esdræ 3. v. 1. & 29. itē c. 9. v. 44. vbi semper trigesimi anni ruinę ciuitatis, neq; vlterioris vmquam anni meminit: & c. 10. v. 27. *ciuitas* Ierosolymitana *ædificabatur* anno trigesimo ruinæ suæ: nam de hoc loquitur. Et quamuis liber iste Canonicus non sit, longè tamen maioris est auctoritatis quàm profanæ historiæ Titi Liuij, Curtij, Sallustij, Iosephi, & similiū. Citatur quoque à SS. Patribus *a* Ambrosio, Cypriano, Basilio, Hieronymo, Irenæo, Tertulliano, Isidoro. Imò & S. Ioannes Apostolus sæpe *b* ad hunc librum alludere videtur. Et Ecclesia nonnumquam sententijs inde depromptis vtitur etiam in *c* Missa.

Probatur Secundò, ex Canonicis scripturis, ex quibus constat, vt c. præc. expositi, Nabuchodonosorē Magnum non regnasse vniuersim nisi 45. annis ex quo vnà cum parente suo regnare cœpit anno 4. Ioakim regis Juda, Ierē. 25. v. 1. Nam anno 1. transmigrationis Iechoniæ, Nabuchodonosor eum regnabat anno 8. vt dicitur 4. Reg. 24. v. 12. Iechonias verò, vt habetur c. 25. v. 27. è carcere eductus est, mortuo iam Naduchodonosore *hic*, v. 36. &

* *Ioseph. l. 1. contra Apion. & l. 10 Antiq. c. 11 & l. 11. c. 1 & l. 20. &c. Iul. Afric. l. 5. Annal. Cyrill. l. 8. adu. Julian. Lact. l. 4. Diu. instit. cap. 5. Niceph. l. 1. cap. 6. Freculph. tom. 1. l. 3. cap. 17. Beda de sex ætatib. Sigon. in Sulpit. l. 2. S. historia Torniell. an. m. 3407 Tursell. in Chronolog: Villalp. to. 3. 1. p. l. 3. cap. 1. Perer. l. 10. in Daniel. Serar. in fin. 4. Reg. *Seuer. Sulpit l. 2. hist. Liran. in c. 1. l. 1. Esd. Vatabl in c. 9. Dan. A Castro in c. 29. Ierem. Ribera in c. 1. Zachar. Gordon. in sua Chronol c. 13. Barr. ad to. 1. l. 5. c. 17.*

a *Ambr. l. de Bono mort. Cyprian. ad Demetrian. Basil. epist. ad Chilonem Hieron. lib. contra Heluid. Iren li. 3. contra Har. cap. 5. Tertull. l. de Habitu mul. Isidor. 6. Etymol. c. 1.*

b *Apocal 6. alludit ad c. 4. Hic v. 35. 36. & ad c. 1. 5 v. 8. Apocal. 12. cum c. 9. Hic v. 38. Apocal. 18. cum 15. & 16. hic. &c.*

c *In introitu Missæ, feria 3. Pentecostes utitur sententia c. 2.*

sore,ab Euilmerodach eius filio & successore,anno 37.transmigrationis suæ iam finiente.Vnde cùm 8.anni superadditi annis 37.faciant 45.consequens est, Nabuchodonosorem non regnasse nisi annis 45.Et hæc est etiam sententia antiquorum Hebræorum.Atqui annus 11.Sedeciæ,quo excisũ est templum & vrbs Ierosolymitana,erat 19.annus regni Nabuchodonosoris,4.Reg.25.v.8.Ergo ab excisa vrbe & templo,non supersunt ex regno Nabuchodonosoris nisi 27.anni. Et filius eius ac successor Balthasar non nisi 3.annis imperauit,vt ex c.5.Danielis colligitur,& Hebræi tradunt:neque Scriptura vspiam meminit aliorum intermediorum regum,vsque ad cædem Balthasaris per Cyrum : ergo ab excisa vrbe & templo,vsque ad Cyrum non fluxerunt nisi 30.anni. *Hebræi in Seder-olam.*

Probatur Tertiò.Daniel cum rege Ioakim,anno regni eius 4.abductus est Ierosolymis Babylonẽ,Dan.1. v.1.vtique decẽ vt minimũ annorum:ergo si exinde fluxerint 70 80.vel 88.anni, quot ponũt isti auctores priorum 4.sententiarum,iam imperante Cyro & Dario fuisset Daniel penè centenarius. Atqui tantus senex non fuisset à Dario præpositus 120.satrapijs,Danielis 6.v.1.vt Darium regem sexagenarium c.5.v.vlt.subleuaret ipse penè centenarius.Similiter Mardochæus cũ Iechonia rege Iuda translatus est,Estheræ 2. v.6.Ergo si tot inde anni fluxerunt,iã centenarius fuerit,vel centenario maior,quando ab Artaxerxe tot imperiorum gubernaculis loco Amanis admotus fuit Estheræ 8.v 15.Simili modo Esdras, filius Saraiæ pontificis in excidio vrbis capite plexi:& tot alij ex Iudæis *Leuitæ,& principes patrum, & seniores*,qui sexto anno Darij Hystaspis tertij Persarũ monarchæ *flebant* cùm viderent *secundum templum* non respondere magnificentiæ & splendori *prioris templi* à Nabuchodonosore euersi,*quod* etiam *ipsi* oculis suis *viderant*, omnes centenarijs maiores fuerint oportet: cùm tamen constet,vix vllos ea mundi ætate ad tantam senectutem deuenisse. 1.*Esd.*3. *v.*12. 1.*Esd.*7.1. & 4.*Reg. vlt.v.*18. & 21. & *Aggæi* 2.

Probatur Quartò,ex profanis historijs.Nam si spectes reges Medorũ & Persarum;ab initio regni Astyagis qui vnà cum patre suo Cyaxare 13 anno Iosiæ regis Iuda expugnauit & excidit regiam Assyriorum vrb Niniuen,vt dixi c.33.vsque ad initiũ Cyri Persarum regis,qui diuicit Astyagem,non reperies nisi 35.annos Astyagis,& septem quibus cum Cyaxare patre suo regnauit,id est 42.quibus adde 27.regni Cyri in Perside priùs quàm Babylonem expugnaret & monarcha fieret,non habebis nisi 69.annos,à 13.Iosiæ,vsque ad primum annũ monarchiæ Cyri exclusum.Si reges Lydorum;inter Halyatten patrem Crœsi,vnà cum Astyage Medo Niniuen, eodem anno 13.Iosiæ expugnantem,& ipsum Crœsum nullus alius rex interceſſit:& tamen post necem adhuc Cambysis,ipso initio Darij Hystaspis erat Crœsus etiam tum in vigore ætatis,teste Herodoto l.1.& alijs.Si reges Ægypti;habes Vaphrien,qui multis annis teste Scriptura regnauit certauitque cum Nabuchodonosore Magno:& tamen filia Vaphries tempore Cambysis,cùm & ipse expugnaret Ægyptum,erat adhuc iuuencula,seu , vt Herodotus initio l.3.loquitur,puella quam Cambyses pro suis deliciis expetebat. Quæ omnia certò conuincunt,non potuisse à morte Nabuchodonosoris Magni vsque ad initium Persicæ monarchiæ,nisi paucos admodum annos effluere.

Probatur Quintò,ex æra primi Nabon-Assaris, infallibili, ni fallor,indice istorum temporum, de qua egi c.præced.Nam Ptolemæus (cui nemo fidem facilè negabit) l.5. Almagesti c.24.dicit annũ 5.Nabo Pol-Assaris regis fuisse 127.à primo rege Nabon-Assare; septimum verò annum Cambysis fuisse 225. ab eodem Nabon-Assare. Ergo inter vtrumque illum annum non habes nisi 98. annos intermedios. Hos colliges, si placet,ex cap.præced.ex vltimis 21.annis eiusdem Nabo-Pal-Assaris,ex 21.Nabul-Assaris,ex 45.Nabuchodonosoris Magni,ex 3.Balthasaris,ex 3.monarchiæ Cyri,ex 5. Cambysis quibus solus regnauit,vt dicam c. 37.Deprehendesque nec vnum quidem annum superesse qui tribui possit tot alijs regibus, Niglissari, Lab-Assardacho,& à Balthasare distincto Euilmerodacho,& nescio quibus alijs,qui fortè regnarunt in Babylonia, vel vicinis regnis tamquam vicarij Nabuchodonosoris perpetuo bello foris distenti: Sed auctores priorum 4.sententiarum,illos inter Nabuchodonosorem & Balthasarem medios faciunt , & singuli singulis plures pauciorsve annos adscribunt pro placito suo, vt lacunam 70.annorũ captiuitatis & desolationis Iudaicæ , citiùs vel seriùs, prout quisque statuit , saltem in speciem compleant. Et posset idem simili modo etiam ex annis Olympiadum,& conditæ Romæ,si necessum esset,comprobari.

Probatur Sextò,auctoritate SS. Patrum,quos pro hac conclusione proferre possumus è primis & nobilissimis, S. Augustinum, S. Hieronymum, Clementem Alexandrinum, & tot alios suprà citatos in prima & quinta sententia. Et licèt primæ sententiæ auctores in initio & fine 70.istorum annorũ statuendo dissideant ab auctoribus quintæ sententiæ , tamen in eo conueniunt , non fluxisse nisi 30.annos ab excidio templi & vrbis Ierosolymitanæ anno 11.Sedeciæ,vsque ad annum 1.monarchiæ Cyri. Et quia hîc non nisi 30.annos reperiunt,propterea plerique ad supplendum suum septuagenarium, 40 annos alios exinde conquirunt vsque ad 2. annum Darij Hystaspis , quo volunt desolationi Iudaicæ finem demum impositum fuisse. Sed de hoc,conclusione sequenti agemus

Dices,Ieremiæ 27.v.7 dicitur, quòd Iudæi & vicinæ gentes seruient Nabuchodonosori, & filio eius,& filio filij eius.Ergo Nabuchodonosori plures successerunt quàm vnus Balthasar.

Respondeo,Nego consequentiam,si de Nabuchodonosore Magno sit sermo,de quo solo nos loquimur. Nã Ieremias loquitur de Nabuchodonosore seniore , seu Nabol-Assare, cuius filius erat Nabuchodonosor iunior,postea dictus Magnus. Patet id eo initio eiusdẽ cap.27.vbi dicit,se hæc locutum fuisse *in principio regni Ioakim filij Iosiæ regis Iuda.* Atqui in principio regni Ioakim regnabat Nabol-Assar seu Nabuchodonosor senior,& quidẽ solus:nam anno demum 4.regni Joakim socium & collegam regni sui accepit filium suum Nabuchodonosorem iuniorem,vt habetur Ieremiæ 25.v.1.Alioqui,cùm mortuo iam Nabol-Assare,& imperante solo Nabuchodonosore iuniore,mentio eiusdem rei fit in Scripturis,non amplùs dicitur,*seruituros Nabuchodonosori,& filio eius & filio filij eius*:sed simpliciter , *Nabuchodonosori & filio eius Balthasar*. v.g.anno 23. Nabuchodonosoris,seu anno 5.post excisum templũ & vrbem Ierosolymitanam,Baruch 1.v.2.& 11.Iudæi in Chaldæa captiui petunt vt oretur *pro vita Nabuchododosor regis Babylonis & pro vita Balthasar filij eius*.& v.12. *Vt viuamus sub vmbra Nabuchodonosor regis Babylonis,& sub vmbra Balthasar filij eius*.Licèt enim plures essent Nabuchodonosori filij (nã 2.Paralip. vlt.v.20.dicitur,*Vt seruiant Nabuchodonosori & filys eius*:)Balthasar tamen

solus nominatur,quia primogenitus,& designatus iam tum à parente successor in imperio.Cur enim alioqui tot alij principes, si qui intercurrere debuerunt, silentio oppressi fuissent?Imò,quis ausus fuisset,tot alijs neglectis,vnum nominare Balthasarem,& quidem totis 21.annis antequam parens è viuis excederet ? Quo argumento,ni fallor,etiam de nouo comprobatur,alium neminem præter vnum Balthasarem Nabuchodonosori Magno successisse:ac proinde non nisi 30.annos inter excidium templi & monarchiam Cyri intercurrisse.Confirmatur,quia Danielis 5.Balthasar facilè septies vocatur *filius* Nabuchodonosoris, vel Nabuchodonosor *pater* Balthasaris.Idem videre est Baruch 1.v.11. & alijs locis,vt benè notat Cornelius à Lapide in illum locum Danielis.

Dices Secundò,Scriptura dicit,seruitutem Iudæorum sub Nabuchodonosore,item desolationem ac solitudinem terræ Iudaicæ,cum sibilo & stupore vicinorum,duraturam totis 70.annis.

Respondeo,Nego assumptum.Nam nō aliter id de Iudæis prædicit,quàm de alijs vicinis Iudææ populis Ammonitis,Moabitis,Cœlesyrijs,Tyrijs,Ægyptijs,&c.nam omnes hos pari modo dicit seruituros Nabuchodonosori & in stuporem,in sibilum,in solitudinē futuros 70.annis,& quidem ante excidium Babylonis.Ierem.15.à v.9.vsque 12.& à 18.vsque 27.Atqui certissimò constat ex omnibus historijs tum sacris,tum profanis,plerosque istorum populorum diu post excidium templi & vrbis Ierosolymitanæ subactos fuisse à Chaldæis,& paucis tantùm annis subiectos illis fuisse:Ægyptios v.g.vix 13.annis, Tyrios vix 14.vel 15. reliquos circiter 24.vel paulò pluribus annis, teste Iosepho, imò Ieremia & Ezechiele Prophetis, & alijs scriptoribus.Ergo neque de Iudæis potest illud de 70.integris annis, vi istorum verborū conuinci. Sensus itaque Scripturæ est, decursu 70.annorum,quibus duratura erat diuino decreto monarchia Chaldæorum, omnes illos populos subigendos & exscindendos à Chaldæis,sed quosdam citiùs,quosdam seriùs,prout res ferret & occasio:neque antè liberandos à Chaldæorum seruitute,quàm desineret imperium Chaldæorum, quod totis 70.annis duraturum erat.

Iosephus l.10. Antiq. cap.11. Ierem.43. & c.seqq. Ezech.29. 30.&c.

Dices Tertiò, Isti 70.anni à Prophetis & passim ab Interpretibus vocantur seruitutis & desolationis Iudaicæ,ac vicinorum populorum ; non verò solius imperij monarchici Chaldæorum. Ergo volunt, calamitatem illam durasse totis 70.annis.

Respondeo,Nego cons.Nā vt tales vocentur,sufficit quòd desolatio & seruitus ijs saltem ex parte coëxtendatur,nō requiritur verò vt totis respondeat.Vnde tales numeri nō debent simpliciter,vt sonare videntur,exponi,sed vt ordinem ad aliud initium designant.Nempe *septuaginta anni* desolationis,vt idem sit quod *septuagesimus annus*,nō ab inchoata desolatione,sed ab inchoata Chaldæorum monarchia.Simili phrasi Genesis 15.v.13.dicit Deus Abrahæ,*Semen tuum peregrinum erit,& subijcient eos seruituti,& affligent* 400.*annis* : id est,vsque ad 400.annum ab illa prædictione:nā certum est: posteros Abrahæ non fuisse afflictos in Ægypto,nisi vltimis 92.annis,vt dixi c.17.Simili modo,vt ibid.dixi,Exodi 12.v.40 dicitur,*Habitatio filiorū Israel in Aegypto fuisse* 430.*annorum* id est vsque ad 430.annū à promissione Abrahæ facta Genesis 12.Nam constat, à descensu Iacobi cum suis in Ægyptū non fluxisse nisi 215.annos vsque ad egressum Israelitarum ex Ægypto.Sic denique *Isaiæ* 7.v.8.dicitur destruendum regnum Israeliticum post 65.annos,nō inchoandos tunc cùm id Isaias inculcaret regi Achaz,sed ab initio suæ prophetiæ,vt dicam ibid.& suprà in hoc chronico c. 29.in Oziæ anno 25.

IV.Conclvsio. Ab anno 1.monarchiæ Cyri quo relaxata fuit Iudæorum captiuitas, (vt probaui prima conclusione) vsque ad 2.annū Darij Hystaspis,non fluxerunt anni 40.vt Eusebius,Hieronymus,Augustinus,Clemens Alexandrinus,Isidorus,Theodoretus, & alij quidam suprà pro prima sententia citati supponunt,sed vt summum anni vndecim.vt patebit infrà ex c.37.

Dices.Ex omnium Chronologorum sententia Cyrus regnauit totis 30. annis:his adde 8.Cambysis, & duos Darij Hystaspis,exsurgent anni 40.

Respondeo,Cyrus ab initio regni sui priuati in Perside,regnauit 30.annis.Sed illo initio regni sui Persici non cepit Babylonē,neque relaxauit Iudæos(vt vult Eusebius cum alijs iam citatis:) nām tunc procul adhuc aberat Babylone,& regnum eius erat admodum humile,neque dominabatur Judaeis. Sed hæc demum facta ab ipso Cyro, finiente iam 27.anno regni sui Persici, quando expugnatâ cum* auunculo suo Dario Medo Babylone,& occiso Balthasare,vltimo Chaldæorum rege,monarchiam in se transtulit.Nam ex illo tempore non nisi tribus annis superuixit : quibus adde sex Cambysis annos quibus à morte Cyri regnauit (nam ex octo annis,quot ei tribui solent,duobus cum patre suo Cyro aduersus Scythas tum mouente, regnauit,) & duos Darij;non reperies nisi 11. Confirmantur hæc ex vnanimi Chronologorum consensu,qui initium 30.annorum Cyri ex quo in sola Perside cœpit regnare,desumunt ab Olympiade 55. & quidem ab.anno 4 eiusdem Olympiadis.Ita Eusebius ex Diodoro Siculo, Polybio, Thalicastore & alijs:ita etiam Iustinus,Cicero & alij penè omnes. Cambysis verò 7.annū ex quo cum parente,seu quintum ex quo solus regnare cœpit,faciunt Nabon-Assaris annū 225.teste Ptolemæo & alijs Chronologis,qui fuit Olympiadis 64.annus 2.vt omnes fatentur. Vnde constat,ab initio regni Persici Cyri vsque ad quintū Cambysis non fluxisse nisi 35.annos,quot nempe fluxerunt à 4. anno Olympiadis 55. vsque ad annum 2. Olympiadis 64.seu ab anno Nabon-Assaris 191. vsque ad 225.eiusdem.Ex his da Cyro 27.annos pro regno Persico;non supererunt nisi tres pro monarchia eiusdem,si quinque vltimos Cambysi consignes. Porrò Cambysen non nisi vno insuper anno imperium protraxisse,atque ita nō nisi sex vniuersim annis patri superstitem regnasse, patet tum ex historijs tum ex simili Olympiadum & Nabon-Assaris annorum subductione. Nam 20. annū Darij Hystaspis successoris Cambysis idem Ptolemæus & alij Chronologi pariant cum anno Nabon-Assaris 246.& 3.anno Olympiadis 69.Ergo ab anno 5.Cambysis vsque ad 20.annum Darij non numerant nisi 21. annos ex quibus si 20.des Dario,non relinquetur Cambysi nisi vnus annus reliquus, qui sextus & vltimus illi fuit à morte Cyri.

**Vide c. 33. in fine,in Astyage.*

Euseb.l.10. de.Præpar. Euang.c.2. & 3. & de Demonst. l.8.c.2. Iustin.l.1. Cicero de Diuinat. lib.1.

V.Conclvsio.Decimustertius annus regni Iosiæ est quadragesimus ante annum 11. Sedeciæ. Nam, vt dixi c.29.Iosias regnauit annis omnino 31.Ergo à 13.supersunt ex eius vita anni 19.His adde 11.annos Ioakim.

kim,& 10.Sedeciæ,reperies præcisè 40.annos.Neque de hoc numero,certis clarisque Scripturis confirmato vllum dubium est apud Chronographos. Sequitur ergo ex omnibus iam dictis

VI.Conclvsio.Exordium 70.annorum seruitutis, captiuitatis, ac desolationis Iudaicæ, à nullo commodiùs,quàm à 13.anno regni Iosiæ accersi posse videtur. Nam cùm finem acceperint non cum secundo anno Darij,vt docet quarta conclusio,sed cum primo anno monarchiæ Cyri,vt constat ex prima conclusione: nec distingui possint anni desolationis ab annis seruitûtis,vt probaui secunda conclusione:& retrogradiendo ab anno 1.monarchiæ Cyri vsque ad excidium templi & vrbis Ierosolymitanæ,non reperiantur nisi 30. vt tertia conclusio demonstrat:ab excidio verò templi & vrbis retrò quadragesimus annus sit 13.Iosiæ,vt dixi quinta conclusione;non videtur aliunde quàm à 13.Iosiæ anno exordiũ 70.istorum annorum accersi posse.

Confirmatur.Quia ipsemet Ieremias c.25.v.3.disertè affirmat,se iam inde à 13.anno Iosiæ,virgam regiam seu sceptrum Aquilonare, id est Chaldaicum, & ollam quam inde succendi,id est,flammas bellorum quas cum excisa regia Assyriorum vrbe Niniue,è Babylonica fornace erumpere viderat eodẽ anno 13.Iosiæ,(Ieremiæ 1.v.2.11.13.) ex eo,inquam,tempore,se eamdẽ virgam & ollam perpetuò Iudæis inculcasse & minatum fuisse, semper hanc cantilenam Iudæis occinuisse, sed frustra: propterea se iam iterum post 23.annos, nempe anno 4.Ioakim (c.25.v.1.& 3.)iussu Dei seriò denunciare, sceptrum & ollam illam non esse alium quàm Nabuchodonosorem Babylonium monarcham,(v.9.)cui decursu istorũm 70.annorum tunc inchoatorum,traditi sunt puniendi & exscindendi non modò Iudæi,sed & omnes vicini populi,Moabitæ. Ammonitæ Syri,Tyrij,Ægyptij, vt dicitur sequentibus versibus eiusdem capitis. Vbi verò puniti omnes & excisi fuerint,& completi 70.anni ijs puniendis & excidendis destinati,tum demum (v.12.)etiam hanc ipsam virgam Aquilonarem,seu monarchiam Chaldæorum, alia Persica potentiore succedente,euersum & excisum iri. Et in his seriò inculcandis penè totum librum suum impendit Ieremias & aliquot alij Prophetæ.

Videat lector,an huic sic subducto calculo possit acquiescere:nã ego quæ dixi,non nisi disputandi gratiâ proposui:& quia nusquam firmiùs me pedem figere posse sentiebam. gratissimum acciderit si quis in re obscura vel paulò plus lucis attulerit.

CAPVT XXXVI.

QVINTA MVNDI ÆTAS

Ab initio monarchiæ Persarum, & relaxata per Cyrum captiuitate Iudæorum 1:Esdræ 1.vsque ad aduentum Messiæ, & incarnatum Filium Dei,duranit annis totis 525.

vsque ad annum mundi 3675 inclusum

NEmpè monarchia Persica durauit annis
teste Eusebio,Diodoro Siculo, Herodoto, Iustino, & Dionysio Halicarnassco,qui l.1.scribit, Regnũ Persarũ non vltra 200.annos in rerum fastigio permansit,ex quo per Cyrũ expugnatâ Babylone,ad illud fuit euectum.Et omnes consentiunt monarchiam Persarũ desijsse anno 3. Olympiadis 112.qui concurrit cum anno conditæ Romæ 424.& Nabon-Assaris 418.adhuc fluente.Iam verò ex ijs quæ cap.præcedenti dixi,constat Cyrum expugnatâ Babylone monarchiam suam Persicam inchoasse anno Nabon-Assaris 218.(nempe 8.anno,ante 5.annũ Cambysis à morte Cyri imperãtis.) id est anno conditæ Romæ 224.Olympiadis 62.anno 3.Vbi præcisè habes 200.annos intermedios.Sic Ptolemæus,à regno Nabon-Assaris vsque ad mortẽ Alexandri Magni computat annos 424.Ergo vsque ad excisam per Alexandrum monarchiã Persicam sexennio ante mortem vult fluxisse 418.annos ab initio Nabon-Assaris,vt iam dixi:ergo.Idem palàm fiet ex calculo annorum quibus singuli Persarũ reges monarchiam tenuerunt,cap.sequ. 200

Conclus.4. § Consum. Ptolem.l.3. Almagesti cap.8.

Deuicto Dario Codomanno, Persarum vltimo monarcha, per Alexandrum Macedonem, anno regni eius septimo inchoante,cœpit monarchia Græcorũ;& durauit vsque ad extinctam ictu aspidis Cleopatram vltimam Ægypti è sanguine Græcorum reginam, prima Augusti anni 16.Iuliani,vndecim mensibus post Actiacam Augusti victoriam,anno Vrbis conditæ 724.Nabon-Assaris 718.adhuc fluente.Durauit ergo annis
nempe per Olympiades 75.ab anno 3.Olympiadis 112.vsque ad annum 3.Olympiadis 187.Ita disertè affirmat Cedrenus in Compendio, Censorinus, & Halicarnasseus, & idem tenent Coperdicus, Ptolemæus, Eratosthenes apud Clementem Alexandr. lib.2.Stromatum, Dio,Iosephus & accuratiores quique Chronologi,qui conformiter docent,regnum Ptolemæorum à morte Alexandri vsque ad initium monarchiæ Augusti,extinctis Antonio & Cleopatra,stetisse annis 294.Quibus si addas 6.vltimos Alexandri annos,quibus à morte Darij & excisa Persica monarchia,ipse monarcha vixit,reperies omnino annos 300. Porrò Eusebius, Beda, Ado, Hermannus Contractus, Marianus Scotus & Conradus in Chronicis,& Pererius lib.11.in Danielem, etsi à morte Alexandri vsque ad extinctam Cleopatrã numerent annos 295.non tamen repugnant huic nostro calculo,quia ipsi includunt annũ mortis Alexandri,quem nos excludimus,ne bis in numerũ veniat.Sed neq; dissentit Nicephorus Callistus l.1.Hist.c.6.quandò tantùm numerat 293.annos;nã hic non in morte Cleopatræ,vt oportuit,sed vno anno citiùs,putà in Actiaca victoria, terminat regnũ Ptolemæorũ. Vide Dionem lib.51. Porrò rotundus ille 300.annorũ Græcæ monarchiæ numerus clariùs certiusq; innotescet ex annis singulorum regum tum Syriæ,tum Ægypti,tum Macedoniæ,tum Iudææ,de quibus infrà capp.39.40.41. 300 3975

Censorinus de die Natali cap.21. Halicarnas. lib.1. Eidem sup.

500

Extinctâ cum Cleopatra, vltima Ptolemæorũ regina, monarchiâ Græcorum, cœpit cum Augusto monarchia Romanorum: è qua fluxerunt anni 500 25
vsque ad aduentum Messiæ & incarnatum Filium Dei 25. Martij, anni 41. Iuliani, seu principatus Augusti à nece Iulij Cæsaris, 40. Vrbis conditæ 749. Si illi anno conceptum & natalem Christi affigere placuerit. Sed hoc exactiùs inquirémus infrà c. 47. 525

vsque ad annum mundi i cluſum 4000

CAPVT XXXVII.

Series regum secundæ orbis monarchiæ, nempe Persarum, quæ à Cyro post occisum Balthasar vltimum Chaldæorum regem, vsque ad Alexandrum Macedonem post deuictum Darium Codomannum vltimum Persarum monarcham, durauit annis integris 200.

Tull. l. 1. de Diuinat. ex Dionysio rerum Persicarum scriptore. CYRVS filius Cambysis Persæ, & Mandanes filiæ Astyagis regis Medorum, regnauit quidem totis 30. annis, vt Tullius, Clemens Alexandrinus, Iustinus, Eusebius, Hieronymus, Orosius, Seuerus Sulpitius, Beda & alij testantur, sed prioribus 27. non nisi Persarum rex fuit, vt ijdem scribunt, & dixi cap. 35. post conclusionem quartam. Extorsit quidem Astyagi auo suo materno regnum Medorum, sed tamen ipse sibi illud non vsurpauit: nam Dario Medo consignauit qui fortè fuit Harpagus, qui odio Astyagis coronam regni Medici Cyro procurarat. Cui & Babylonicum postea sceptrum cessit, Daniel. 5. v. vlt. imò collegam imperij habuisse videtur ex Daniel. 6. vltimo.

Clem. Alex. l. 1. Strom. A capta Babylone, vt dixi c. 35. suprà, non fuit monarcha nisi annis 3
& initio anni primi soluit captiuitatem Iudæorum, 2. Paral. vlt. in fine, & 1. Esdræ 1. v. 1.

Iustin. li. 1. Euseb. in Chronic. Hieron. in c. 1. Zachar. & c. 7. Daniel. CAMBYSES Cyri filius, duobus vltimis Cyri annis vnà cum parente, in Scythas (à quibus & cæsus est) abeunte, imperauit: vnde octennio à quibusdam imperasse dicitur. Sed à morte Cyri non nisi sexennio superuixisse, probaui cap. 35. suprà. Ergo 6
Hunc Eldras c. 4. v. 6. Assuerum vocat, v. 7. & 8. Artaxerxen. Quæ nomina fuisse communia omnibus regibus Persarum, testatur Herodotus, & dixi in Prolegomenis de idiotismis num. 19. Hic instauratio. nem templi à Cyro permissam inhibuit. 1. Eldræ 4. v. 23.

Orosius l. 2. cap. 7. Seu. Sulpit. li. 2. sacræ Histor. Beda l. de sex ætatib. Post Cambysen SMERDES Magus 7. mensibus imperauit. Sed hi eius successori
DARIO HYSTASPIS filio adscribuntur, qui his connumeratis regnauit annis 37
Fuit hic maritus Estheræ, vt dicam initio Commentarij in Esther. Anno secundo regni sui potestatem Iudæis fecit, intermissam templi fabricam repetendi & perficiendi, 1. Esdræ 6. v. 7. &c. Eodem anno vidit Mardochæus somnium suum, Esther 11. v. 2. Tertio anno repudiauit Vasthi, Esther 1. v. 3. &c. Septimo anno Esther coronatur, c. 2. v. 16. Nono vel 10. anno deteguntur insidiæ eunuchorum, v. vltimo. Anno 12. iaciuntur sortes quibus exploretur quo die Iudæi omnes iugulandi essent, cap. 3. v. 7. Et in fine anni 13. die vltimi mensis, loco Iudæorũ iugulati sunt hostes illorũ, c. 8. v. 12. & c. 9. v. 1. &c. suspenso priùs Aman cum sua familia, c. 7. v. 10. & c. 16. v. 18.

XERXES parenti succedit, qui cum ferè biennio regnarat. Solus postmodum alios 20
De Xerxe, & tribus præcedentibus prophetauit Daniel c. 11. v. 2. Hunc putant quidam fuisse Artaxerxen illum qui Esdram cum noua Iudæorum colonia remisit Ierosolymam anno regni sui septimo, 1. Esd. 7. v. 1. 8. &c. Ita Iosephus l. 11. Antiq. c. 5. Quo eodem teste, Xerxes anno 5. regni sui in Græcos expeditionem mouens, & Hellespontum traijciens, secundo mense ante Olympiadem 75. vt Herodotus & Thucydides scribunt, ob ancipitem belli aleam, sibi collegam assumpsit, & se absente vicarium in Perside constituit Artaxerxen Longimanum filium suum. Qui propterea ab hoc anno 5. parentis, initium sui imperij inchoare subinde solet, vt fusiùs patebit ca. sequenti: vbi docebo. Nehemiam ab hoc Artaxerxe anno regni eius, ex quo tum parente regnare cœperat, 20. missum in Iudæam, vrbis Ierosolymæ muros instaurasse, & toto triennio plateas, domosque tum publicas, tum priuatas exædificasse, atque anno 23. eiusdem, completâ vrbis & templi fabricâ, solenniter omnia dedicasse: ac proinde, initium 70. hebdomadum Danielis ab hoc illius anno 23. qui solius iam à morte paterna regnantis octauus erat, arcessendum esse. Ergo Xerxe per Artabanum militiæ præfectum occiso, & Artabano per Artaxerxen iugulato

Thucydides li. 1. Belli Peloponnesiaci.

ARTAXERXES ὁ μακρόχειρ seu Longimanus, præter 16. annos, quos cum patre in imperio transegerat, à morte patris imperauit alios annos 40
DARIVS filius NOTHVS Longimani 19
Huic Ægyptij, resumptis aliquando viribus rebellarunt.

Duo menses quibus XERXES, & octo quibus SOGDIANVS imperarunt, partim Darij Nothi, partim Artaxerxis Mnemonis annis includuntur.

ARTAXERXES Mnemon, Darij filius
DARIVS ARTAXERXES OCHVS, qui denuo subiugauit Ægyptum, 43
ARSES vel ARSAMES eius filius 23
DARIVS Arsamis filius, CODOMANNVS Iustino, regnauit ancipiti fortuna annis 3
Septimo anno ab Alexandro Macedone vincitur, imperio spoliatur, & Persicæ monarchiæ finem imponit. de quo Danielis 11. v. 3. & 4. 6
200

CA-

CAPVT XXXVIII.

De initio & fine 70.hebdomadum Danielis c.9.v.25.26.27.

PEr has 70.hebdomadas annorũ designari 490.annos non lunares,vt Iulius Africanus,Rupertus,Torniellus,Pererius,Gordonus,Salianus & quidam alij putarunt:sed solares & communes,quales tunc passim in vsu erant, optimè probant Liranus & Cornelius à Lapide in eum locum ,& Alfonsus Salmeron & Franc.Suarez & Galatinus & alij passim. *Iul.Afric. li.5. Ann. Salmer.tomo 1.prolog.43. Suarez in 3.p.tom.1. disput.1. sect.2. Galat.l.4. cap.14.*

Porro ex verbis illis,*Occidetur Christus,& in dimidio hebdomadũ*,scilicet vltimæ,*deficiet hostia & sacrificiũ*,&c. satis manifestum est,finem 70.hebdomadum istarum cum passione Christi,vel saltem paulò post concurrere,vt omnes sani interpretes explicant,& ostendam in Commentario illius loci:& certiùs patebit ex stabilito semel certo initio earumdem 70.hebdomadum,de quo est omnis quæstio.

Primò, Liranus,Burgensis, Vatablus,Galatinus & quidam alij , secuti Hebræos, volunt inchoandas esse ante captiuitatem Babylonicam,ab anno vel 4.vel 11.Sedeciæ

Hieron.in c.9. Dan. Tertull.lib. cont. Iudæos

Secundò,S.Hippolytus,teste S.Hieronymo,inchoat illas ab anno 20.captiuitatis Babylonicæ.

Tertiò,Origenes,teste eodem S.Hieronymo,& Tertullianus inchoant vno anno ante monarchiã Cyri.

Quartò,Clemens Alexandrinus,Io.Mariana ab anno primo Cyri & Darij Medi. *Clem.Alex. l.1 Strom.*

Quintò,Eusebius & Cyrillus Ierosolymitanus à secundo Darij Hystaspis. Itẽ Driedo, Corn.Ianssenius. *Euseb.l.8. de demonstrat. Cyrill. catechesi 12. Driedo l.3. de Dogma. c.5.p.4. Corn.Iansen.in c.122.*

Sextò,Seuerus Sulpitius,quem sequitur Scaliger,à Dario Notho,quem Ochum ipse vocat. *Concordæ. Seu.Sulpit. li.2.hist. Scalig.l.6. de Emend. temp.*

Septimò, Cedrenus,Corneliũs à Lapide,& ex Nouatoribus Heluicus,Bucholzerus,Capellus,Funccius, Angelocrator,à septimo anno Artaxerxis Longimani,quo Esdram l.1.c.7.v.8. dicunt è Perside Ierosolymam repetijsse. *Cedren.in Compendio, in Artaxerxe pag.119. Corn. à Lapide in 9. Dan. Heluic. &c. in suis Chronic.*

Iul.Afric. l.5 Annal. Theod. Rup. Carth. Per. in 9.Dan. Zonar. Torniel.Gord. Salian. in Annal. Beda l.3.in Esd.c.16.& de Ratione tempor. c.7. Comestor in hist. Daniel. c.10. Anton.1.p. Chron.tit. 3 c.8. Suarez in 3.p disp.1. sect.2.

Octauò, Iulius Africanus, Theodoretus, Rupertus, Carthusianus, Beda, Cõmestor, Zonaras, Antoninus, Pererius, Torniellus, Gordonus, Salianus & multi alij, ab anno 20. eiusdẽ Artaxerxis à morte Xerxis solitariè imperantis, quo anno putant Nehemiã vrbi perficiendæ extremam manum imposuisse, 2.Esdr.1.& 2.

Nonò, quidam alij, inquit Suarez, (neq; ipse omnino improbat,) ab anno 32. Artaxerxis initium desumũt.

Ratio vna omnium est, quia tunc temporis (vt singuli opinantur) exijt sermo de Ierosolyma restauranda, nempe vel diuina promissio hac de re, v.g. per os Jeremiæ Prophetæ, c. 29. vt aiunt auctores duarum priorum sententiarum: vel edictum regium eâdem de re, vt ceteri affirmant.

I. Conclvsio. Initium istarum 70. hebdomadum non potest desumi à tempore quo de Ierosolyma restauranda diuinitus facta fuit promissio. Nam cùm hæc facta fuerit varijs vicibus, & temporibus valdè distantibus, non posset vllum inde certum indicium desumi. Nam & per Isaiam c.44.v.26.& c.45.v.13. & per Ieremiam c.27.v.22.& c.29.v.10.& per Baruch c.2.v.34.& c.4.v.23.(vt iam de Daniele & alijs silẽa) facta fuit illa promissio. Et quidẽ Danieli facta fuit plus quingentis, Ieremiæ & Baruch plus 600. Isaiæ plus 800. annis ante Christi mortem; quæ tamen in medio 70. hebdomadis, id est sub finem 490. annorum hîc à Christo subeunda prænunciatur.

II. Conclvsio. Neque desumi potest à tempore quo de eadem vrbe rastauranda regium aliquod edictum emanauit. Nam & hoc varijs vicibus accidit, & temporibus valde distantibus.

Primò enim Cyrus audito oraculo Isaiæ (suprà citati) quo non templum modò, sed & vrbem Ierosolymitanam à Cyro nominatim instaurandam penè ducentis antè annis prædixerat, ex templò vt id fieret edixit, vt ex fine lib. 2.Paralip. & initio Esdræ colligitur: & c.4.l.1.Esdræ v.13. disertè asseritur Iudæos re ipsa vrbem Ierosolymam vi edicti Cyri ædificare. Et idem affirmant Iosephus, Iulius Africanus, Eusebius, Basilius Seleucienſis & alij complures.

Secundò, idẽ concessit Darius Hystaspis anno regni sui secundo, vt satis colligitur ex 1.Esdræ 4.5.9 Sed clarissimè 3.Esdræ 4.v.43.& seqq. dicitur rex Zorobabeli deposcenti vt votũ quo in die natali regni sui vouerat se reædificaturum Ierosolymam & templũ, facto ipso compleret, benignè annuisse, regioque rescripto ita fieri iussisse; & eo viso rescripto Judæos omnes Ingenti gaudio exultasse, versu vltimo. Eadem testatur Iosephus, Clemens Alexandrinus, Eusebius & Cyrillus suprà citati. *Ioseph.l.11. Antiq. c.1. Iul.Afric. lib.5.de temp. Euseb.sup. Basil.in apodixi cont.Iudæos.*

Tertiò, idipsum rursus concessum Esdræ, anno Artaxerxis 7. Denique & Nehemiæ, anno eiusdem Artaxerxis 20. Nam 1.Esdræ 7.v.7.& seqq. dicitur, Artaxerxes præter ingentes opes, omnem quoque petitionẽ cordis elargitus fuisse Esdræ. Quid verò poterat magis cordi esse Esdræ, quàm vt quidquid adhuc ad tẽpli & vrbis fabricam deesset, explere confestim liceret? De Nehemia ex toto libro ipsius, seu l.2.Esdræ, certius idem est, quàm vt in dubiũ vocari possit, aut ab aliquo vocetur. Itaque non potest ex aliquo horum regum edicto certum aliquod initij 70.hebdomadum indicium desumi. *Ioseph. l. 7. Antiq.c.4. & 5.*

III. Conclvsio. Sed initium desumi debet ab ædificata plenè & instaurata prorsus vrbe Ierosolymitana. Quando perfectâ omni fabricâ, Nehemias celebrauit dedicationem nouæ vrbis, & conglobati in vnum Iudæi *immolauerũt victimas magnas*, 2.Esdræ 12.v.42.*& lætati sunt lætitia magna: & audita est lætitia Ieruſalẽ procul.* Sed quàm procul? *Renunciatum est regi Persarũ*, inquit auctor l.2.Machabæorum c.1.v.33. Et vt addit ibidẽ v.31. cælitus cohonestatus est ille dies famoso illo miraculo, quo cùm *Nehemias* sacerdos *iussisset lapides* altaris *aquâ crassâ perfundi, flamma ex eis accensa est, sed ex lumine quod resulsit ab altari, consumpta est.* Possetne certius, euidentius, & omnium oculis expositum, totoque orbe celebrius indicium illo tam celebri, tot signis notato dedicationis die vel animo exoptari, ad rem de qua agimus, indicandam? Porrò ne cui dubium esse possit, an solenne hoc & cælesti igne decoratũ sacrificium, fuerit illud quod in die dedicationis à Nehemia oblatum est, subditur c.2.v.9. Nehemias *obtulit sacrificium dedicationis & consummationis templi* simul & vrbis, *& descendit ignis de cælo*, &c. sicut olim *Moysi, Salomoni*, & alijs acciderat.

Verba quoq; Danielis hunc sensum non admittunt tantùm, sed & penè extorquent. *Scito*, inquit, *& animaduerte:* *Dan.9. v.25.*

aduerte: Ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem, vsque ad Christũ ducem, hebdomades 7. & 62. erunt: & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum, &c. Audin' initium hebdomadũ desumendum non ab initio, sed *ab exitu* seu fine *sermonis*, non quo promittatur, iubeatur aut permittatur ædificari, sed quo reipsa *iterum ædificetur Ierusalem*: ædificetur, inquam, non inchoatè tantùm, (quo modo factum tempore Cyri & Darij Hystaspis:) sed completiuè (vt contigit sub Nehemia,) perfecto scilicet & *muro* ciuitatis, & *templo* & *platea*, seu foris omnibus & publicis ædificijs: neque enim potest antè ciuitas perfectè dici *ædificata*. Verbũ igitur *Exitus*, vt in Latino est, & ἔξοδος, vt in Græco, & *Mitza*, vt in Hebræo; verba item, *Ædificabitur platea & muri*, hunc sensum omnino deposcunt. Nam quòd *sermo* pro re, phrasi linguis illis vsitata poni consueuerit, nemo ausit in dubium reuocare.

IV. Conclvsio. Vrbs Ierosolymitana plenè demum ædificata atque integrè instaurata fuit anno Artaxerxis Longimani non 20. quo Nehemias murũ vrbis instaurauit: sed 23. quo completis interioribus quoque operibus, publicè solenniterque dedicationem celebrauit. Neque enim inchoandis 70. hebdomadibus satis fuit, *murum* seu extima mœnia vrbis instaurata esse, sed insuper etiã *plateã* (vt ait Daniel) cum ædificijs saltem publicis, & ciuium vsibus atque habitationi necessarijs, instauratæ esse debebant. Atqui Nehemia ipso teste, l. 2. Esdræ c. 7. v. 1. & 4. *Postquam ædificatus est murus* vrbis *& posita valuæ, ciuitas erat lata animis & grandis, & populus parvus in medio eius, & non erant domus ædificatæ.* Vnde paulatim prospectum vt è vicinis vndique locis & sacerdotes cum Leuitis, & de plebe saltẽ decima pars, in vrbẽ commigraret, vt dicitur cap. 11. Et vt principes nobiliorum familiarum de suo, & populus quoque quantum posset & vellet, in commune conferrent ærariũ, quo publica vrbis opera, fora & plateæ instaurarentur, c. 7. v. 70. Et instaurata fuisse de facto per Nehemiã, constat ex verbis Ecclesiastici 49. v. 15. *Nehemias erexit nobis muros euersos & stare fecit portas & seras, erexit domos nostras.* Triennium verò, vt minimum, tanto operi impensum fuisse, tum moles tanti operis clamat, tũ Iosephus apertè scribit, dum Nehemiam ait 25. anno ab exordio regni Xerxis Ierosolymã peruenisse, murumque vrbis instauraſſe, sed 28. demum anno (id est triennio pòst,) dedicationem vrbis & encænia celebrasse. Quod Iosephi, Iudæi & Christianis insensissimi tam clarum testimoniũ in re tanti momenti, Iudæis tantopere controuersa cum Christianis, in fauorem Christianorum, in exitium Iudæorum, quis vel per vmbram suspicari possit aut velit confictum ab ipso, vel studio suppositum fuisse? Beda, etsi triennium non exprimat, nihilo tamen breuius spatium indicat, cùm ait, *Iam dudum ædificata erat ciuitas, sed nondum decebat eam dedicari.* Et Glossa: *Non decebat ciuitatẽ dedicari priusquam habitatoribus aggregati ministri, templo idonei, & portis ac vestibulis custodes essent deputati.* Deputauit verò hos omnes, perfectis iam vrbis operibus Nehemias c. 11. & 12. lib. 2. Esdræ. Ac tum demum solenne simul tum muri, tum templi, tum interioris vrbis dedicationem, de qua præcedenti conclusione, publicè peregit, c. 12. v. 27. vsque 44. quo etiam mensis & dies dedicationis exprimitur, nempe *festum expiationis*, quod incidebat in 10. diẽ 7. mensis Tisri, qui nostro partim Septembri, partim Octobri respondet.

Ioseph. l. 11. Ant. c. 5.

Beda l. b. 3. expos. in Esdrã c. 33. Glossa Ordinar. in Esdr.

V. Conclvsio. Ille 20. annus Artaxerxis, quo Nehemias è Perside Ierosolymam excurrit & murum vrbis instaurauit, nõ est 20. ex quo à morte parentis sui Xerxis, solus imperiũ administrauit, vt volunt auctores octauæ sententiæ, sed est 20. ex quo ipse viuente adhuc parente suo Xerxe, simul cum eo regnare cœpit, cùm Xerxes ingentem illam aduersus Græcos expeditionem susciperet, anno regni sui quinto (vt dixi cap. præced. in Xerxe:) Et consequenter, 23. eiusdẽ Artaxerxis annus quo Nehemias solennem vrbis dedicationẽ celebrauit, est 23. ex quo simul cum Xerxe primùm imperare cœpit, qui est annus à morte Xerxis, ex quo solus imperauit Artaxerxes, 8. Neque enim Xerxes regnauit nisi 20. annis. Si ergo sub medium quinti anni ipsius cœpit vnà cũ illo imperare Artaxerxes, vtique 23. Artaxerxis annus ex quo cum parente cœpit, concurret cum 8. anno ex quo post mortem parentis solus imperauit. Et probatur ex Iosepho iam antè citato, qui dicit, annũ 20. Artaxerxis, (quo 2. Esdræ 1. v. 1. & c. 2. v. 1. & 11. Nehemias dicitur è Perside missus Ierosolymam) esse 25. ab exordio regni Xerxis, & triennio pòst fuisse celebrata encænia vrbis anno 28. ab eodẽ exordio eiusdem Xerxis. Et Iosepho ad verbũ subscribit Basilius Seleucensis, qui ideirco etiam ab illo anno 28. regni Xerxis, 70. hebdomadum Danielis initium deducit. Subscribunt reipsa etiam Cedrenus, Cornelius à Lapide, & alij suprà pro 7. sententia citati, qui 70. hebdomadũ initium ab anno 7. iam finito Artaxerxis à morte patris solitariè regnantis accersunt, ita vt 8. anno incipiant anni Danielis. Nam 28. annus ab initio regni Xerxis est 8. annus Artaxerxis à morte Xerxis iã solitariè imperãtis. Et his valdè faueret Esdras l. 1. c. 7. v. 8. vbi dicit se Ierosolymam è Perside secundò rediisse anno 7. Artaxerxis, si constaret, Artaxerxem illum fuisse nostrũ μακρόχειρα seu Longimanum: nam quòd septimus ille annus fuerit ipsius à morte Xerxis solitariè regnantis, vltro tum concederemus. Sed illud dubiũ reddit, ætas Esdræ iusto prouectior tum futura, nempe 103. annorum, etsi daremus cum, in morte parentis sui Saraiæ à Nabuchodonosore tempore excidij Ierosolymitani ferro iugulati, 4. Reg. vlt. v. 18. & 21. maternis adhuc visceribus conclusum & posthumum fuisse: tot enim, nec pauciores anni fluxerunt ab excidio vrbis vsque ad 7. annum Artaxerxis Longimani solitariè imperantis. Verùm vt vt de Esdra res habet, volunt illi nobiscũ, initiũ 70. hebdomadum ab 8. anno Artaxerxis solitariè regnantis accersi. Solum ergo superest, ostendamus, vnum eumdemque annum esse hunc 8. Artaxerxis solius, cum 23. eiusdem ex quo simul cum parente cœpit imperare: quo anno liquet ex 2. Esdræ 1. & 2. & seqq. capp. Nehemiam vrbi perficiendæ extremã manum imposuisse, & encænia celebrasse, vt suprà dixi. Vt verò id ostendamus, abundè ex omnium aduersariorum sententia fuerit, si certis & exploratæ fidei auctoribus probare possimus, Artaxerxen non à morte demũ patris, sed multis antè annis vnà cum patre imperium administrasse. Nam si id semel constiterit, omnes facilè admittent, id cœptum fieri anno 5. regni Xerxis, quando periculosam illam belli aduersus Græcos aleam subijt, & more Persis ceterisque Orientalibus regibus vsitatissimo, collegam tum & successorem in imperio filium adsciuit. Porrò certos & exploratæ fidei in rebus Persicis Græcisque auctores nemo, credo, inficiabitur Thucydidem, his de quibus nunc agimus σύγχρονον Charontem Lampsacenum, Phaniam, Eratosthenem, Ephorum, Dionem, Clitarchum & Heraclidem, quos citat & laudat Plutarchus: Athenæum item, Ciceronem, Eusebium, Hieronymum

Basil. in apodixi contra Iudæos.

Thucydides l. 1. Belli Peloponn. Charon, Phanias, &c. apud Plutarchum in Themistocle. Athenæus lib. 5. Cicero in Bruto. & l. 10. epistol. ad Atticum epist. 6. Euseb. in Chron. Hieron. initio c. 11. Danielis.

mum, Æmilium Probum, Philostratum, Suidam, Strabonem, Diodorum Siculum, S. Antoninum; vt Sigonium, Mercatorem, aliosque recentiores fileam. Atqui omnes isti dicunt; Themistoclem inclytum Athenensium ducem, cùm à suis ingratis ciuibus capitis condemnatus esset, in Asiam ad Artaxerxem μακρόχειρα Xerxis filium iam tum in Perside imperantẽ, velut ad asylum confugisse, ab Artabano militiæ præfecto ad Artaxerxen introductum, regem more patrio veneratum fuisse, & ab eo Lampsacum dono accepisse: sed paulò pòst hausto veneno sibi ipsi mortem conscisisse. At ijdem fugam hanc Themistoclis adscribunt alij 13. alij 14. anno Xerxis, 77. Olympiadis anno 1. mortem anno 2. Vicenis annis, inquit Cicero, post mortem Coriolani. Atqui constat ex Liuio, Halicarnasseo, Plutarcho & alijs, mortuum Coriolanum anno circiter primo 73. Olympiadis Coss. Sp. Nautio Rutilo, & Sex. Furio Medullino. Constat item, fugienti Themistocli Athenis suffectũ in eius locum Periclem, anno 1. Olympiadis 77. vt ex Athenæo colligere est. Atqui superuixisse tum & imperium administrasse Xerxen nemo negare potest, cùm ex omnibus penè iam citatis auctoribus in confesso sit apud omnes, Xerxen anno 5. imperij sui aduersus Græcos mouisse & Hellespontum traiecisse, cùm vix duo menses superessent ante Olympiadem 75. Post illud verò tempus totis alijs 15. annis superuixisse atque imperasse, donec anno primo 79. Olympiadis ab Artabano militiæ præfecto interemptus fuit, Artabano quoque mox ab Artaxerxe cædem patris vlciscente protinus interfecto. Ab aduentu igitur Themistoclis in viuis adhuc & in imperio fuit Xerxes totis 8. minimũ annis; nempe quot ab initio 77. vsque ad initium 79. Olympiadis effluxerunt. Idem, si opus esset, probare possẽ ex simili fuga Timagoræ ad eumdem Artaxerxen: Idẽ ex annis Hieronis, Gelonis & Thrasybuli regum Siciliæ, hoc ipso tempore fugæ Themistoclis, & imperij Xerxis, vt Athenæus & ex Stesimbroto Plutarchus, Diodorus, Aristoteles & Pausanias scribunt. Sed in re certa ac manifesta non ausim esse prolixior.

Æmil. Probus in vita Themistocl.
Philostr. l. 1. c. 19.
Suidas in Themistocle.
Strabo l. 14.
Diod. Sic. l. 11.
Antonin. 1. p. hist. tit. 4. c. 1. § 14.
Sigonius in tempor. Athenẽsium.
Mercator in Antelogio Chronol.
Cic. in l. de Amicitia, & Bruto.
Liuius l. 2.
Halic. l. 8.
Plutar. in Coriolano.
Athen.
Plut. Diod. sup.
Arist. l. 5. Politic. c. 12.
Pausan. l. 6. Eliacorum.

VI. Conclvsio. 23. annus ex quo simul cum Xerxe primùm imperare cœpit Artaxerxes μακρόχειρα, seu annus 8. ex quo solus imperauit, seu 28. ab exordio regni Xerxis, concurrit cũ anno 4. Olympiadis 80. & vrbis Romæ 297. Et ab huius anni mense 7. Tisri sumitur initium 70. hebdomadum Danielis. Est auctorum pro 7. sententia citatorum, insuper Basilij Seleuciensis: & fauet Chrysostomus: & quoad rem plerique alij id tenent, saltem qui *baptismum Christi* cum *S. Luca* consignant *anno 15. Tiberij Cæsaris*, quando Christus à Patre cœlesti ductor & doctor populi proclamatus est, & finem accepit 69. Danielis hebdomas, id est, anni 483. Nam 15. annus Tiberij concurrit cum 3. anno Olympiadis 201. & Vrbis 780. Iam subduc calculos, & reperies intermedios 483. annos ab 8. Artaxerxis solius, ad 15. Tiberij.

Chrysost. orat. 2. cõt. Iudæos.

Porro 70. & vltima hebdomade confirmauit Christus pactum seu fœdus suum, (putà nouum testamentum,) cœlesti sua doctrina, legibus ac miraculis; & in medio hebdomadis 70. hoc est, anno ab instaurata plenè Ierosolyma 487. anno 2. Olympiadis 202. vrbis Romæ 783. occisus est Christus, defecit hostia & sacrificium legis veteris, successit sacrificium legis nouæ, loco vitulorum & agnorum substituto sacrosancto corpore & sanguine Christi in sacrificio Eucharistico. Denique tribus & dimidio post Christi mortem annis finem accepit 70. hebdomada, seu anni 490. Danielis. Et quadrant hi calculi ad amussim, vt patet numerare volenti. Vnum hîc noto, & finio. Diuinâ prouidentiâ tot præcisè annos ab igne cœlitus dato Nehemiæ in dedicatione vrbis Ierosolymæ, vsque ad descensum Spiritus sancti in Apostolos in specie ignis die Pentecostes fluxisse, nempe 486. cum medio; quot fluxerant à die olim missi primùm de cœlo ignis Moysi totique populo in promulgatione legis ex monte Sinai, Exodi 19. vsque ad eumdẽ ignem cœlitus quoque Salomoni datum in dedicatione templi sui, anno 11. regni sui mense octauo, 3. Regum 6. v. 37. & 2. Paral. 7. Nam is erat annus 486. cum medio à data lege in Sinai, 3. Regum 6. v. 1. & 37.

CAPVT XXXIX.

Tertia monarchia, quæ fuit Græcorum, ab initio anni 7. Alexandri Magni, quo victus fuit Darius, vsque ad annum 1. monarchiæ Augusti, quæ capit extinctis Antonio & Cleopatra, 11. mense post Actiacam victoriam, Augusto IV. & M. Licinio Crasso Coss. stetit annis 300.
Ab anno 3 Olympiadis 112. (per Olympiades 75. integras) vsque ad 3. annum Olympiadis 187.
Ab anno vrbis Romæ conditæ 424. vsque 724.
Ab anno Nabon-Assaris 418. vsque 718. vt suprà dixi c. 36.

Series Ptolemæorum Ægypti regum.

Ex Iosepho l. 12. Antiquit. & alijs.

Alexander Macedo, à deuicto Dario Codomanno Persarum vltimo monarchâ, superuixit in summo rerum fastigio adhuc integris annis 6
mortuus anno 1. Olympiadis 114. Vrbis 430. Nabon-Assaris 434. inquiunt Ptolemæus, Plutarchus & alij, 4. Kalend. Quintiles, seu 28. Iunij. Successit ei in regno Ægypti
Ptolemæus Lagi antè gregarij militis filius, dictus *Soter*. Ab hoc omnes exinceps Ægypti reges nomen assumpserunt *Ptolemæi*, vt antè *Pharaonis*. Hic multa Iudæorum millia in Ægyptum captiua abduxit. Et de hoc prophetat Daniel c. 11. v. 5. vbi & consequenter de reliquis, vt explicat Pererius l. 13. in Danielem. Imperauit annis 40
Ptolemæus Philadelphvs eius filius, à morte patris (cũ quo regnârat biennio) regnauit annis 38
84

Hic

84

Hic ex Iudæis in Ægyptum à parente ſuo captiuis, abductis libertate donauit centum viginti millia. Idem ipſe miſſa legatione ad Eleazarum Oniæ primi filium, ſummum pontificem Iudæorum, petijt ab illo & obtinuit 72. Interpretes, qui ſacra Biblia ex Hebræo in Græcũ tranſtulerũt, teſte Ioſepho & alijs.

PTOLEMÆVS EVERGETES illius frater: ſic dictus, ob reſtituta Ægyptijs idola, quæ Cambyſes in Perſidem auexerat, & ob alia beneficia ijſdem collata. Seleucum Callinicum, eiuſque filium Ceraunum Syriæ reges bello ſuperauit. 26

Tot, nec pluribus annis regnaſſe cõſtat ex Chronicis Euſebij, Mariani & aliorum, item ex Strabone.

PTOLEMÆVS PHILOPATOR, per antiphraſin ſic dictus: nam patrem occidit & matrem, & fratrem & ſororem, & vxorem, captus illecebris Agathocleæ meretricis, noctes in ſtupris, dies in conuiuijs abſumebat, inquit Juſtinus l. 29. & 30. De hoc prophetat Daniel c. 11. v. 10. ſub nomine regis Auſtri: quia Ægyptus eſt ad Meridiem Iudææ. 17

PTOLEMÆVS EPIPHANES eius filius accepit in vxorem Cleopatram filiam Antiochi Magni Syriæ & Aſiæ regis, quam Daniel c. 11. v. 17. vocat *filiam feminarum*, id eſt formoſiſſimam: à qua deinceps omnes reginæ Ægypti nomen Cleopatræ ſumpſiſſe videntur. Regnauit totis 23

PTOLEMÆVS PHILOMETOR eius filius natu maior ex Cleopatra, variante fortuna regnauit annis 35

Tot illi annos tribuunt Clemens Alexandr. Euſebius, Tertullianus, Iſidorus, Baſilius Seleucienſis, Beda, Ado, Hermanus Contractus, Honorius, Nicephorus, Marianus Scotus, &c. contra Io. Azor. l. 6. Inſtit. Moral. qui ſolùm 25. annos ei attribuit.

Paulò poſt obitum Epiphanis cœpit ſchiſma, cuius etiam meminit Liuius l. 45. primatibus Ægypti, 2. Machab 4. v. 21. in Philometorem inſurgentibus, & loco illius ſubſtituentibus Euergeten ſeu Phiſconem fratrem Philometoris natu minorem. Hac occaſione Antiochus Epiphanes Syriæ rex ſpecie ferendæ opis Philometori, ſuo ex ſorore nepoti, eiuſque in regnum reſtituendi, ſemel iterumque ſuſcepit expeditionem in Ægyptum, 2. Machab. 4. v. 21. & l. 1. v. 17. Sed vera cauſa erat, vt regnum Ægypti ſuo Syriæ regno adiungeret. Vnde & Iuſtinus ſcribit lib. 34. Antiochum Epiphanem expulſſe Ptolemæum Philometora: atque hunc ad Phiſconem fratrem ſuum fugiſſe Alexandriam: & participato cum eo regno, legatos vnà miſiſſe ad ſenatum Romanum. A quo miſſus Pub. Popilius Lænas cùm videret cunctari Antiochum, virga eum circumſcripſit, iubens nõ priùs exiret illo circulo, quàm reſponſum ſenatui daret, an pacem vellet an bellum. Qua aſperitate territus Antiochus paruit Romanis, & fratres Ptolemæos in pace degere permiſit. Sed mox iram in Iudæos euomuit, 1. Machab. 1. v. 21. Poſt aliquot annos iterum Philometor à Phiſcone regno pulſus, iterũ miſſis legatis reſtitutus, hac lege, vt Ægypto Philometor, in Cyrenis Phiſcon præeſſet. Ita auctor Epitomes hiſtoriæ Liuij l. 46. Huius Philometoris permiſſu Onias Oniæ 3. pontificis filius, teſte Ioſepho l. 12. Ant. c. 6. & l. 13. c. 6. tempore Antiochi Epiphanis è Iudæa in Ægyptum profugus, templum ibidem in Heliopolitana regione celeberrimum & Ieroſolymitano æmulum conſtruxit, in gratiam Iudæorum in Ægypto degentium: quod à nomine auctoris ὀνείου, à loco Heliopolitanum dici conſueuit: ſtetitque vſque ad tempora Veſpaſiani, cuius iuſſu anno vno poſt exciſum templum Ieroſolymitanum, iſtud quoque Ægyptium funditus euerſum eſt, cùm ſtetiſſet annis circiter 233. quot effluxerunt à 18. anno Philometoris, non verò 333. vt vitiosè legitur in Ioſepho l. 13. ſup. & l. 7. Belli cap. 30. Huius quoque templi memini Deuter. 12. v. 17. Erant ergo hoc tempore Iudæis tria per orbem nobiliſſima templa, *Ieroſolymitanum*, *Garizitanum* † & *Heliopolitanum*. Cumque inter Iudæos & Samaritas aliquando ortis exoriretur de templi ſui ſanctitate & religione, Ptolemæus Philometor, teſte Ioſepho l. 13. cap. 6. Iudæis ex ſucceſſione pontificum Ieroſolymis numquã interrupta, cauſam adiudicauit, magno Samaritarum detrimento, imò & ſanguine. Denique cùm Ptol. Philometor Alexandro genero ſuo regnum Aſiæ perfidè tentat eripere, 3. Machab. 11. v. 1. ſubitò moritur anno regni Græcorum 167. ibid. v. 18.

† *De quo Eccl. 50. & Ionius Chronici c. 42. claſſe 2. in Manaſſe.*

PTOLEMÆVS EVERGETES, qui & *Phiſcon* Ioſepho & Straboni, poſt mortem fratris regnauit annis 29

Dicebatur filius, frater & maritus Cleopatræ, quæ vt genuerat vtrumque, vtrique etiam nupſerat. Vnde cùm ipſa pulſo ſemel filio ſola regnaret, Phiſcon proprium vtriuſque filium membratim diſſectum & ciſtæ impoſitum, matri die eius natali inter epulas apponi iuſſit. Vide Iuſtin. l. 38. & 39. & Epimen Liuij lib. 59.

PTOLEMÆVS LATHVRI, Epiphanio Soter, Euergetis filius 16

PTOLEMÆVS ALEXANDER frater Lathuri, vnà cum matre, quæ Lathurum expulerat, 10

LATHVRVS ob matris tyrannidem reuocatus, regnat iterum alijs annis 8

PTOLEMÆVS AVLETES pater Cleopatræ vltimæ ex Ptolemæis Ægypti reginæ, Regno pulſus Romam fugit, regnante interim filia eius Berenice. Vniuerſim annis 30

PTOLEMÆVS DIONYSIVS filius eius, ſed puer: omnia adminiſtrante ſorore eius Cleopatra: 5

ſubmerſo Dionyſio, & fratre eius natu minore minùs ad regnum idoneo, ſceptrum tenuit ſola

CLEOPATRA, M. Antonij Triumuiri amoribus tota implexa, annis 17

donec apud Actium primò (4. Nonas Sept. teſte Dione l. 51. id eſt 2. Sept. Auguſto 3. & M. Valerio Meſſala Conſſ. anno 15. Iuliano) dein 11. pòſt menſe rurſus apud Pharum (die 1. Auguſti Auguſto 4. & M. Licinio Craſſo Coſſ. anno 16. Iuliano) victo extinctoque Antonio, ne ipſa in poteſtatẽ C. Cæſaris Auguſti viua veniret, aſpidis (vt fertur) morſu interijt: & Alexandria, totaque Ægyptus Auguſto victori ceſſit. Qui ex eo tempore manarchiæ ſuæ, id eſt Romanæ, initium fecit, 1. Auguſti, anno Nabon-Aſſaris 718. Vrbis conditæ 724. Olympiadis 187. anno 3.

Porrò de Ptolemæis regibus vide Strabonem l. 17. Epiphanium, Euſebium, Iuſtinum, Bedam, & noſtrum Pererium in Danielem l. 13.

300

CA-

CAPVT XL.

Series regum Syriæ.

ALEXANDER MACEDO, iam à cæso Dario, mónarcha, superuixit annis 6
Lo seu crapula, seu veneno Babylone extincto, duces eius cæu catuli leonum, monarchiam in varias partes distraxere. Ptolemæo Ægyptus cessit: Seleuco Asia maior, seu Syria & Babylonia: Antigono minor Asia: Arideo & Antipatro (quasi tutoribus Alexandri iunioris, alterius Alexandri monarchæ ex Roxane filij) Macedonia cum bona parte reliquæ Græciæ, obuenit.

Seleucus æram nouam inchoauit non ab initio sui imperij, seu à morte Alexandri Magni, sed 12. annis & 8. mensibus post mortem Alexandri, in fine anni Vrbis 442. & anni primi Olympiadis 117. (teste Ptolemæo, Iosepho, Diodoro, Appiano, Eusebio, Hieron. Ottone Frisingensi, & Rabano) à mense primo Nisan, qui nostro ferè Martio respondet. Fortè quia illo anno & mense Seleucus deuicto Antigoni æmuli sui filio Demetrio, ex Ægypto quò profugerat, Babylonem reuersus, imperium totius Asiæ sibi vindicauit. Vocantur hi anni *Seleucidarum*, vel *regni Græcorum*, vel *Macedonici*, & ab Ægyptiis *Alexandræi*: quibus vtitur liber primus Machabæorum, & ferè Iudæi in Iudæa degentes, vnde & *Iudaici* à quibusdam vocantur. Sesquianno seriùs incipiunt anni vulgò dicti *Antiochem* vel *Syriaci* (forsan à reditu Seleuci triumphali ex Asia minore iam subacta in Asiam maiorem seu Syriam) Ptolemæo† *Chaldaici*, vel *secundùm Chaldæos*: alijs *Syro-Chaldaici*. Hi incipiunt à sexto mense *Elul*, sesquianno post Nisan prioris computus Alexandrini. His vtitur auctor libri secundi Machabæorum, qui insistens calculo Chaldaico, ferè semper sesquianno posterior est auctore libri primi qui Alexandrinam supputationem sequitur, id est Græcorum & Ægyptiorum, inter quos medij iacebant Iudæi. Est & tertia annorum Seleucidarum supputatio, qua etiam hodie in Syria vtuntur Antiocheni, toto biennio anterior Chaldaica, & medio anno anterior Alexandrina iam dicta, de qua Scaliger lib. 5. de Emendat. tempor. Sed huius nullus vsus est in Scripturis.

SELEVCVS NICANOR, à multis & illustribus victorijs sic dictus, ante deuictum Antigonũ regnauit 13
post illum deuictum, teste Appiano in Syriaco alijs 30

ANTIOCHVS SOTER eius filius. Cuius tempore obtinuerunt Judæi haud procul Babylone nobilissimam de Galatis victoriam, cuius mentio est 2. Mach. 8. v. 20. Regnauit annis 19

ANTIOCHVS Soteris filius, Θεὸς, id est *Deus*, à Milesijs appellatus, quòd Limarchum eorum tyrannum expulisset, inquit Appianus. De hoc incipit Daniel prophetare c. 11. v. 5. Sub hoc Parthi à Syriæ regibus defecerunt, bello primo Punico. Regnauit annis 15

SELEVCVS CALLINICVS, qui Berenicen nouercam cum infantulo interfecit. Sed neptem suam ♦Ius est Ptolemæus Euergetes, spoliauit regnum Callinici, iuxta prædictionem Danielis 11. v. 7. 20

SELEVCVS CERAVNIVS, id est fulmineus; quòd audaci & veloci ingenio præditus, quasi fulmen esse videretur. Filius erat Callinici, qui in pugna contra Ptolemæum Euergeten, teste Iustino, equo præcipitatus interijt; Ceraunius autem dolo à suis interemptus est cùm regnasset 3

Hunc describit angelus Dan. 11. v. 10. vnà cum fratre eius Antiocho Magno.

ANTIOCHVS MAGNVS Ceraunii frater, Callinici filius cæsus primùm à Philopatore Ptolemæo, pòst contra filium eius Epiphanem Ptolemæum, 4. annorum puerulum, vnà cum Philippo Macedonum rege castra mouit: sed à Romanis, pupilli tutelam suscipientibus, in Asia ad Thermopylas victus Antiochus Romanis & L. Scipioni inde Asiatico dicto Asiam cessit, pro obside Romam misso filio suo iuniore Antiocho Epiphane. Et postea ab Elymæis cum omni suo exercitu deletus est, iuxta vaticinium Daniel. 11. v. 10. vsque 20. & 11. 3. Machabæorum. 37

SELEVCVS PHILOPATOR, Iosepho Soter, Antiochi filius senior. Nullis prælijs, sola auaritia famosus, iuxta Dan. 11. v. 20. Nã licèt initio regni sumptus omnes suppeditaret sacrificijs templi Iudæorum, 2. Machab. 3. v. 3. postea tamen misit eò Heliodorum, v. 33. vt ærarium templi expilaret. Sed non ita diu pòst eodem Heliodoro occisus est, cùm regnasset annis 12

ANTIOCHVS EPIPHANES, id est Illustris seu Nobilis, à rerum gestarum gloria sic dictus, Philopatoris frater, Roma, vbi obses erat, profugit in Asiam: indeque pulso per Eumenem & Attalum reges Heliodoro regni inuasore; fraudato quoque Demetrio nepote suo ex Seleuco fratre, regnum dolo inuasit, anno regni Græcorũ 137. vt dicitur 1. Machab. 1. v. 11. Hunc viuis coloribus depingit Dan. c. 11. v. 21. &c. & c. 8. v. 9. vocat *cornu modicum*, & v. 23. *impudentem facie*, &c. Hic anno primo regni sui exauctorato Onia summo & sancto pontifice, impium Iasonem fratrem eius illi substituit, 2. Mach. 4. v. 7.

Anno 2. regni sui primam expeditionem suscipit in Ægyptum, ibid. v. 21. & Daniel. 11. v. 22. Inde Ierosolymam pacatus ingreditur, ibid.

Anno 5. submoto Iasone Menelaum Beniaminium in pontificatu substituit, 2. Mach. 4. v. 23. & c. 3. 4.

Anno 6. regni sui, Græcorum 142. bellum secundũ in Ægyptum instituit, 2. Mach. 5. v. 1. & li. 1. v. 18.

Anno 7. regni sui, Græcorum 143. Vrbis 585. Olympiadis 152. anno 4. post deuictum à L. Æmilio 11. Consule cum C. Licinio Crasso, Perseum regem Macedonum 3. Nonas Septembris, & Macedoniam in prouinciam Romanorum redactam, Antiochus Epiphanes eorumdem Romanorum iussu coactus est Ægypto quam inuaserat excedere. Vnde Ierosolymam reuersus effudit furorem omnem in Iudæos, Daniel. 11. v. 29. & 1. Machab. 1. v. 21. & lib. 2. c. 5. v. 11. & seqq. & dixi in Ptolemæo Philometore: & Iosephus, Liuius, Iustinus describunt. Triduo solo occidit Ierosolymis 80. millia Iudæorum, vendidit 40. millia. & totidem in carceres abripuit, 2. Mach. 5. v. 14. Mox per Apollonium plures alios de no-

155

NO

Ptolem. l. 11. Almag. c. 7. & l. 9. c. 7. Ioseph. l. 12. Antiq. c. 7. & l. 1. contra Apionem. Diod. Siculus li. 19. Appianus in Syriaco. Eusebius Chron. & l. 8. Demonst. Hieron. in Dan. 9. Otto Fris. li. 1. c. 42. Raban. in 1. Mach. 1. †Ptol. l. 11. Almag. c. 7. Iustinus li. 27. Ioseph. l. 12. Antiq. c. 6 & 7. Liuius l. 44. & 45. Iustin. l. 35.

155

uo trucidat,v.24.alios item per Philippum,c.6.v.11. Idolum Iouis abominabile collocat in templo, v.2.tunc & Eleazarus martyrio afficitur,v.18.& septem fratres Machabæi,c.7.

Anno regni eius 9. Græcorum 145.insurgit aduersus tyrannum Mathathias,1.Mach.2.Quo post aliquot menses defuncto filius eius Iudas Machabæus arma capessit,c.3.& sequenti anno Apollonium occidit,v.11.& Seronem alterum belli ducem prosternit,v.23.

Anno 11.regni sui, Græcorum 147.Antiochus in Persidem contendit, cap.3.v.37.Iudæi Gorgiam fundunt,fugant,c.4.

Anno 12.ipsum quoque Lysiam in fugam compellunt,templum Ierosolymitanum emundant,v.52.

Sub initium anni 13.regni sui,Græcorum 149.in reditu è Perside moritur Antiochus,c.6.v.16.cùm regnasset integris annis 12

ANTIOCHVS EVPATOR eius filius nouennis,à cuius tutore Lysia occisus est Cn.Octauius legatus à Romanis ad Eupatorem missus qui prohiberet illum alere elephantes, quorum mentio est 1.Machab.6.v.30.& seqq.ita Cicero, Appianus & Iosephus. Sed ipse mox Lysias cum Antiocho rege occisus est anno Græcorum 151.à Demetrio Seleuci Philopatoris filio,1.Machab.7.v.1.&c.Quo eodem anno L.Æmilius Paulus obijt vt habetur in Epitome Liuij li.46.Atqui constat(ex Fastis Capitolinis, & ex titulo Adelphon Terentij) L.Æmilium Paulum obijsse L.Anicio Gallo & M.Corn.Cethego Cos. anno Vrbis 593.Ergo vinculum hîc habes quo historiam Machabæorum & Græcorum cum Romana certò colligare possis.Regnauit annis 2

Cicero ad Q.Fratrem. & initio 9. Philippicæ Appian.in Syriaco.

DEMETRIVS SELEVCI filius, ab anno Græcorum 151. vsque ad 160. quo occisus est ab Alexandro Veles Antiochi Epiphanis filio (vnde & ipse nomen sumpsit Epiphanis) regnauit annis 10

Ioseph.sup.

1.Machab.1.v.7.& c.10.v.1.& 50. Eius anno 2. Iudas Machabæus occiditur à Bacchide & Alcimo ducibus Demetrij,1.Machab.9.v.1.3.18.cui mox Ionathas sufficitur,v.30.

ALEXANDER VELES Antiochi Epiphanis filius ab anno 160.Græcorum finiente vsque 167.inchoantem(1.Machab.10.v.1.& cap.11.v.17.)quo per Zabdiel Arabem,& Ptol.Philometorem regem Ægypti socerum suum(qui & ipse tertio pòst die mortuus est v.18.)occisus fuit; regnauit annis duobus postremis vnà cum Demetrio Demetrij Seleuci filio,1.Machab.10.v.67.&c.ergo 6

Ioseph.l.13. Antiq.c.8.

DEMETRIVS Demetrij Seleuci filius, dictus Iosepho Nicanor, ab anno Græcor. 167.(1.Mach.11. v.19.) vsque 172.(c.14 v.1.)quo captus est ab Arsace rege Persidis (v.3.) regnauit annis 6

Nam duobus alijs regnarat antè,in viuis adhuc agente Alexandro,vt patet ex c.10.v.67.

ANTIOCHVS Alexandri Velis filius ope Tryphonis (tutoris, postea tortoris sui,) euectus ad regnum,tenuit ex parte illud quadriennio,sed viuente Demetrio Nicanore,nempe ab anno Græcorum 168.vsque 172.Iosephus li.13.c.12.& 1.Machab.11.v.39.& 54.

TRYPHON extra ordinem & stirpem Seleucidarum,occiso per dolum Antiocho,1.Mach.13.v.32. regno Asiæ potitur. Antè quoque occiderat Ionatham & filios eius,3.12.in fine,& 13.v.12.& 23.occisus & ipse à Sedete. Ioseph.sup. 3

ANTIOCHVS SEDETES Eusebio, Iosepho Soter, alijs θεὸς id est *Pius*, dictus, filius Demetrij Seleuci,frater Demetrij Nicanoris,eo à Persis capto,1.Mach.14.v.2.oblatum sibi à Cleopatra fratris vxore regnum & coniugium capessit, occiso Apamææ Tryphone inuasore. Iosephus sup.Fœdus cum Simone Iudæ Machabæi fratre iniit & fregit, 1.Mach.15.v.1.& 27.Pòst interemptus à fratre suo Demetrio Nicanore,cùm regnasset 7

DEMETRIVS Nicanor dimissus à Persis recuperat regnum,interempto fratre,anno Vrbis 625. 3

Oros l.5. c.10.

Vide Orosium,Iosephum,Appianum & Iustinum,etiam pro sequentibus.

Ioseph.l.13. Antiq.c.17.

ALEXANDER SEBINA à Ptolemæo Physcone rege Ægypti tyrannus in regnum Syriæ intrusus, vitâ priuat Demetrium Nicanorem:sed vicissim ab Antiocho Grypho Demetrij filio,vitâ priuatur post annos 2

Appian.in fine Syriaci. Iustin.l.38. & 39.

ANTIOCHVS GRYPHVS Demetrij & Cleopatræ filius,occiso per Cleopatram fratre suo Seleuco, ope eiusdem matris suæ regnum capessit,occiso tyranno Sebina:Cleopatram tamen matrem venenum, quod ipsa filio pararat,specie officiositatis ebibere coëgit. Teste Eusebio, Mercatore, Azor & alijs. Regnauit annis 12

Sed alijs item 17.annis cum Cyziceno.Vnde à Iosepho li.13.cap,21.tribuuntur illi anni 29.

ANTIOCHVS CYZICENVS filius Antiochi Sedetis ex Cleopatra (hæc enim duobus fratribus nupserat) occiso Grypho fratre suo vterino,quem iam pridem regno exuerat,non nisi vno anno superuixit.Regnauit vniuersim 18

SELEVCVS Gryphi filius simul cum Antiocho fratre suo germano, interempto patruo suo Cyziceno, regnum capessit; sed superatur ab Antiocho Eusebe filio Cyziceni, & vnà cum regia domo à Mopseatis in Cilicia, vbi residebat,concrematur.His duobus fratribus è medio sublatis post annos circiter 7

ANTIOCHVS EVSEBES, seu Pius, Cyziceni filius, imperium capessit:sed dum duobus reliquis ipsorum fratribus Philippo & Demetrio Gryphi filijs resistendo non esset,breuî extinctus interijt, & Syriæ regnum

PHILIPPVS eiusque frater DEMETRIVS EVCERVS vnà primùm administrant: postea superato in pugna Demetrio, & ad Mithridatem Parthorum regem fugato, solus Philippus regno potitur, sola Damasci administratione concessa Antiocho Dionysio quinto suo fratri germano. Ita Iosephus sup. Appianus,&c.His impensi anni 6

TIGRANES rex Armeniæ, vsus occasione dissidij fratrum prædictorum, specie iuuandi illos con- 249

tra

	249
ra Euſeben, ipſe regnum Syriæ inuaſit, tenuitque donec Lucullus eum inde depulit, teſte Appiano, per annos	14
Alioqui quatuor adhuc alijs annis ſuperuixit, vt ait Iuſtinus. l. 40. Quo tempore	
ANTIOCHVS ASIATICVS (quia in Aſia minore enutritus) Euſebis filius, dum Tigranem & Mithridatem perſequitur Lucullus, Syriam auitum regnum recuperat, & permiſſu Luculli detinet annis Sed Pompeius Lucullo infenſior Syriam Antiocho adimit, M. Tullio Cicerone & C. Antonio Coſſ. anno Vrbis 691. cyclo lunæ 15. ſolis 3. quando totam Syriam vnà cum Iudæa in prouinciam Romanorum redegit. Ita Ioſeph. li. 13. c. 25. Appianus & Iuſtinus ſuprà.	4
Stetit ergo regnum Græcorum in Syria, ab initio monarchiæ Alexandri Magni, annis	267
vſque ad extinctos Seleucidas, & Syriam in prouinciam Romanorum redactam.	
Inde verò vſque ad initium monarchiæ Auguſti ſeu Romanorum, extinctis Antonio & Cleopatra, vt dixi c. 39. ſunt anni	33
Simul	300

CAPVT XLI.

Series regum Macedoniæ.

NOMEN & potentia Macedonum, vt & omnium Græcorum, famoſa iam inde ab initio & terribilis, (neque enim potuere vel Aſſyrij, vel Chaldæi, vel Perſæ, licèt tot tantarumque nationum victores, vnquam ſibi Græcos ſubiugare,) in immenſum creſcere cœpit Philippo regnante, qui anno primo Olympiadis 105. rex creatus, vicinos tum Græcos, tum alios populos paulatim Macedonico ſceptro ſubiecit. Sed poſt 24. regni annos Philippo à Pauſania interfecto ſuccedens filius ex Olympiade matre ALEXANDER, anno 1. Olympiadis 111. fortunam Macedonum ad ſummum faſtigium euexit, cùm poſt ſex annos regni ſui, quibus Perſarum tunc orbi imperitantium potentiam magis magiſque continuò attriuerat, tandem Dario Codomano Calendis Octobribus victo & extincto, monarchiam à Perſis ad Macedonas tranſtulit anno 3. Olympiadis 112. vrbis Romæ 424. Nabon-Aſſaris 418. Vixit poſtea monarcha Alexander alijs annis | 6 |
Verùm de fortuna Alexandri parum admodum adhæſit poſteris ipſius, filio nempe quem ex Roxane ſuſceperat, & nomine etiam Alexandri appellarat, puero tum, & rebus curandis adhuc inidoneo, facilè ab alijs ducibus tantæ fortunæ æmulis depreſſo, ac vix Macedoniæ ſceptro cum parte viciniæ illi relicto. Tutor pupillo donec adoleſceret, datus erat	
ARIDEVS PHILIPPVS Alexandri Magni frater, patruus pupilli. Sed odio & factione Olympiadis auiæ pupilli, occiſus eſt vnà cum Euridice vxore ſua, anno 6. cum medio à morte Alexandri Magni.	6
CASSANDER Antipatri & Theſſalonicæ (Philippi Amyntæ ex Nicaſipolide filiæ) filius, interfectâ poſt biennium Olympiade, tutelam ipſe ſuſcipit, ſibique ac filijs ſuis ſceptrum pupilli ſecretò è viuis vnà cum Roxane eique matre ſublati vindicans, tenuit annis	19
ANTIGONVS & ALEXANDER Caſſandri filij poſt mortem parentis aliis annis	4
DEMETRIVS POLIORCETES, à Pyrrho pellitur poſt annos regni	6
PYRRHVS EPIROTARVM rex non niſi 7. menſibus Macedoniam tenuit.	
LYSIMACHVS THRACIÆ rex annis	5
PTOLEMÆVS CERAVNVS, à Gallis cæditur, poſt annum	1
MELEAGRVS ſuccedit menſibus 2.	
ANTIPATER diebus 45.	
SOSTHENES Gallis ſe fortiter opponens, regno potitur annis	2
ANTIGONVS GONATA Demetrij Poliorcetis filius regnum paternum recipit. Sed eo abſente & alijs bellis præpedito, ALEXANDER EPIROTA Pyrrhi filius, regnũ inuadit. Simul rexerunt annis	36
DEMETRIVS Antigoni filius, Alexandro Epirota pulſo, regnum recuperat, ſimulque Epirum occupat,	10
ANTIGONVS DOSON, tutor Philippi filij Demetrij,	13
PHILIPPVS filius Demetrij	42
PERSEVS Philippi nothus, regno Macedonum finem fecit, inchoante anno 4. Olympiadis 152. regni ſui	11
tunc enim à L. Æmilio Paulo victus Perſeus, & in triumphum ductus eſt: & Macedonia in prouinciam redacta, non regem exinceps, ſed præſidem à Romanis accepit.	
Ad quod vſque tempus, iam inde ab initio monarchiæ Alexandri Macedonis fluxerunt anni	161
Exinde verò vſque ad initium monarchiæ Auguſti, vt ex ſupradictis capitibus patet, ſunt anni	139
Qui ſimul cum prædictis faciunt	300

CAPVT XLII.

Series summorum Pontificum Iudæorum ab exitu ex Ægypto anno mundi 2544. vsque ad destructionem Ierosolymæ per Titum & Vespasianum Imperatores anno mundi 4074 in tres classes distinctorum.

PRIMA CLASSIS

ab exitu ex Aegypto, vsque ad reductionem Iudæorum è captiuitate Babylonica, tertia & quarta mundi ætate.

AARON primus pontifex Mosaicæ legis, iubente Deo initiatus est à Moyse initio anni secundi exitus Israelitarum ex Ægypto, Exodi 29. Leuitici 9. tenuitque pontificatum per annos 38. & menses quatuor — 38

nam mortuus est 40. anno exitus ex Ægypto, prima die mensis 5. Numer. 33. v. 38.

ELEAZAR eodem die sufficitur parenti, ibid. & Numer. 20. v. 25. & Deuter. 10. v. 6.

PHINEES, ABISVE, BOCCI & OZI, Et *Zaraias*, & *Meraioth*, & *Amarios*, & *Achitob*. } 1. Paral. 6. 4. 5. & 6. & 1. Quamdiu singuli fuerint pontifices, incertum: simul præfuerunt } annis 297

Post hunc *Achitob* (nisi malis citius post *Ozi*,) cũ Iosepho l. 5. Antiq. & l. 8. alijsq; Hebræis à Lirano & Abulensi citatis, translatus est pontificatus à posteris Eleazari primogeniti Aaronis, ad posteros Ithamaris secundogeniti Aaronis; 1. Paralip. 6. v. 3. De causa agam 1. Reg. 2. v. 31. Ex Ithamaræis primus

HELI, vnâ cum principatu sæculari seu politico pontificatum tenuit, 1. Regum 4. v. 18. annis 40

Huic ex eadem familia successores fuerunt quatuor pontifices, nepotes Heli

ACHITOB nepos Heli ex filio Phinees, frater Ichabodi, 1. Regum 13. v. 3.
ACHIAS filius Achitob, 1. Regum 14. v. 3. 18. 19.
ACHIMELECH frater Achiæ, 1. Reg. 21. & 22. vbi à Saule occiditur
} hi tres simul annis 39

ABIATHAR filius Achimelech fugâ elapsus ad Dauidem, c. 22. v. 20. factus est summus pontifex loco parentis à secundo & vltimo anno Saulis, vsque ad primum Salomonis, à quo loco motus est, 3. Regum 3. v. 26. cùm præfuisset annis 41

SADOC ex posteris Eleazari, familiæ Ithamaræ pontificatum rursus eripuit, & quidem tempore Dauidis bonam sacerdotij summi partem permissu Abiathari administrauit apud tabernaculum fœderis in Gabaon. 1. Paral. 18. v. 16. & 2. Reg. 8. v. 17. Abiatharo ferè cum rege Dauide Ierosolymis manente: sed exauctorato demum Abiatharo solus per aliquot adhuc annos, id munus tenuit, 3. Reg. 2. v. 27. mansitque in ea familia pontificatus vsque ad natum Christũ, vt constat ex Josepho, qui plerosq; recenset li. 10. Antiq. c. 11. & patebit ex sequentib. — Hi 10. simul præfuerunt annis 206. ab initio Salomonis vsque ad Oziam regem.

ACHIMAAS parenti suo Sadoco successit: huic filius

AZARIAS primus, vt patet 1. Paral. 6. v. 9. vbi Azarias dicitur genuisse Johanan, sed verisimiliter mediantibus — 206

IORAM
ISVS
AXIORAM } quos Iosephus sup. dicit successisse Azariæ, filios singulos singulis parentibus.
PHIDEAS
SVDEAS } seu Ioiada, vt vocatur, 4. Reg. 12. & 2. Paral. 23.
IVLVS } seu Zacharias, filius Ioiadæ, 2. Paral. 24.

IOHANAN, 1. Paral. 6. v. 9. vocat Iosephus sup. Iothamum, Iuli filium.

AZARIAS secundus filius Iohanan, 1. Paral. 6. v. 10. Oziæ regi Iuda volenti incensum offerre in templo Domini viriliter restitit, & templo expulit, 2. Paral. 26. Iosephus vocat Vriam.

AMARIAS Azariæ filius, 1. Paral. 6. v. 11. à Iosepho vocatur Nerias
ACHITOB, v. 11. ibid.
SADOC, v. 12.
SELLVM, ibid. Baruch c. 1. v. 7. vocat Salom.
} hi tres omissi sunt à Iosepho.

Hic genuit Helciam, v. 13. Sed pontificatum inter hos duos gessit

SOBNA, Isaiæ 22. v. 15. & 20. Iosepho Odeas, sub Ezechia rege.

& ELIACIM, sub Manasse, Isaiæ 22. sup. & Iudith 4. v. 5. qui tempore Manasse, vt ibi probabo, administrauit etiam rem politicam & bellicam contra Holofernem. Hic Iudith 15. vocatur etiam Ioachim: & à Iosepho Saldumus. — 200

HELCIAS nepos Sellum, 1. Paral. 6. v. 13. Sub Iosia floruit, 4. Reg. 22. & 23. & 2. Paral. 24.

AZARIAS tertius, eius filius, 1. Paral. 6. v. 14. Omissus à Iosepho.

SARAIAS, ibid. v. 14. quem Iosephus Saream vocat, vsque ad excidium templi & vrbis Ierosolymitanæ pontifex fuit, & à Nabuchodonosore cum alijs 70. è primis Iudæorum, extremo supplicio affectus est, 4. Regum vlt. v. 18. & seqq. & Ieremiæ vlt. v. 24.

IOSEDEC Saraiæ filius translatus in Babylonem, 1. Paral. 6. v. 15. Istic pontificem egit 30. annis, nempe vsque ad reductionem captiuorum è Babylone Ierosolymam anno primo monarchiæ Cyri. — 30

SECVN-

SECVNDA CLASSIS

à reductione è captiuitate Babylonica vsque ad natiuitatem Christi quinta mundi ætate.

IOSVE, 1. Esdræ 3. v. 2. & 2. Esdr. 12. v. 10. vel IESVS, Aggæi 1. v. 1. filius Iosedeci remigrantibus Babylone Ierosolymã pontifex datus est à parente, vt verisimile est. Hic instaurauit templum vnà cum Zorobabele, 1. Esd. 5. v. 2. &c. Philo Annij dicit, eum egisse pontificem vsque ad 20. annum Darij Hystaspis, annis 29

IOACIM filius Iosue, 2. Esdr. 12. v. 10. Hunc dicit idem Philo præfuisse à 21. anno Darij Hystaspis vsque 11. Artaxerxis, annis 48

ELIASIB Ioacimi filius, ibid. Præfuit ab anno 12. vsque 33. Artaxerxis Longimani, 2. Esdr. 3. v. 1. & c. vlt. v. 4. & 6. annis 22

IOIADA eius filius. 2. Esdr. 12. v. 10. aliàs Iudas, vel Ioachaz. Huic Mercator dat annos 44

IONATHAN Ioiadæ filius, aliàs Ioannes (vt eum Iosephus vocat) vel Ioathan, vt vocat Gerardus Mercator, & dat ei annos 47

IEDDOA vel IADDVS eius filius, 2. Esdr. 12. v. 11. Eusebius dat illi annos 17

Hic occurrit Alexandro Magno, iratumque placauit Iudæis, teste Iosepho l. 11. Antiq. in fine, & l. 13. cap. vlt. Mortuus paulò post Alexandrum, eodẽ teste Iosepho. Huius frater Manasses fuit primus pontifex templi Samaritanorũ in mõte Garizim, vt dicã Eccli. 50. v. 28. & describit Iosephus l. 11. Ant. c. 6.

ONIAS 1. Ieddoæ filius, quibusdam *Priscus* dictus. Ei Mercator dat annos 23

SIMON Oniæ filius, dictus etiam *Priscus* Iosepho, & Eusebio *Iustus*, quòd Deum piè coleret, & eius summa potiretur beneficentia. Scaliger putat, & rectè, hunc esse Simonem qui laudatur ab Ecclesiastico c. 50. v. 1. vt ibidẽ probabo. Sed Eusebius, & Beda, & Serarius id secundo adscribunt, minùs rectè. Eusebius dicit hunc claruisse anno 1. Olympiadis 120. Philo dat Simoni annos 13

ELEAZARVS Simonis frater, quòd filius eius Onias adhuc esset paruulus, inquit Iosephus, & Eusebius, & dat ei annos 23

Hic misit 70. Interpretes ad Ptolemæum Philadelphum secundum regem Ægypti post Alexandrũ Magnum, teste Iosepho suprà. *

MANASSES patruus Eleazari, filius Ieddoæ, frater Oniæ primi, teste * Iosepho, etiam annos 23

In huius gratiam constructit Sanaballat socer eius templum in monte Samariæ Garizim, vt iam dixi & iterum dicam in Eccli. 50. v. 28.

ONIAS 2. Simonis Iusti filius, dictus Auarus, quòd tributum pendi solitum regibus Ægypti, 20. talenta auri, recusarit Ptolemæo Euergeti. Vnde grauia Iudæis mala parabantur, quæ Iosephus Tobiæ & sororis Oniæ Pontificis filius discussit. Præfuit annis 9

SIMON 2. Oniæ secundi filius. Ab Eusebio dicitur cœpisse anno 1. Olympiadis 137. A Iosepho dicitur, anno Græcorum 125. seu anno 2. Olympiadis 148. opem tulisse Hyrcano Iosephi filio, Tobiæ nepoti: ergo pontificem egit annis 46

ONIAS 3. cognomine Sanctus, filius Simonis 2. Huius mentio est 1. Machab. 12. v. 7. & 8. & 2. Machab. 3. toto, vbi Heliodoro vitam impetrat & sanitatem, v. 33. Pacificè regnauit totis annis 11

Sed exul superuixit alijs 4. vt colligitur ex 2. Mach. 4. v. 34. Huius Onię 3. filius, & ipse Onias dictus, in Ægypto construxit templum *Onion*, vt dixi c. 39. in Philometore.

IASON frater Oniæ 3. antè dictus Iesus, sed cum Menelao, eiusque fratre Simone, & Alcimo & alijs, teste Gorionide, factus Gentilis, Iasonis nomen assumpsit, & pecuniâ pontificatum sibi emit ab Antiocho Epiphane Syriæ rege, extruso fratre suo Onia sanctissimo viro, 2. Machab. 4. v. 7. &c. & cap. 5. v. 5. Ergo pseudopontifex fuit annis 3

MENELAVS Onias Simonis Beniaminitæ frater, cum pecunijs ad Antiochum Epiphanem ex Ægypto reducem à Iasone missus, eodem scelere ipsum è throno deturbauit, (pontificatu sibi à rege pecunijs impetrato,) quo ille fratrem suum Oniam sanctum expulerat, v. 23. Sed cùm promissam regi pecuniam Menelaus non persolueret, Lysimacho fratri suo iussus est pontificatum tradere, v. 27. Sed mox lapidato Lysimacho, v. 42. Menelaus nouis largitionibus pontificatum recuperat. v. vlt. Simul annis 6

Præfuit quidẽ annis 10. nempe donec ab Antiocho Eupatore, suasu Lysiæ occisus est, 2. Mach. 13. & Alcimus æquè impius (ex familia tamen Aaronis, 1. Machab. 7. v. 14.) ei suffectus, teste Iosepho, Serario & alijs: sed Mathathias, & post hunc Iudas Machabæus 4. illis vltimis vitæ Menelai annis, vti & toto tempore Alcimi, legitimus dux simul & summus pontifex iam tum erat: ac proinde ipsi tribuendi hi anni.

*Ioseph. l. 12. Antiq. c. 2. Euseb. in Chron. Scaliger l. 5. de Tempor. emendat. Serar. de Machabæis pag. 559. Beda de sex ætatib. * Ioseph. sup. cap. 3. Ioseph. sup. c. 4. & 5. Ioseph. sup. c. 15. Strarius f. 704.*

Pontifices deinceps simul & Duces Iudæorum.

MATHATHIAS sacerdos ex Asmonæis sub finem anni Græcorum 145. summum pontificatum & politicum populi ducatum paucis mensibus tenuit, 1. Machab. 2. v. 1. Quo defuncto, filius eius

IVDAS MACHABÆVS dux simul & pontifex aduersus Antiochum Epiphanem aliosque tyrannos rempublicam & religionem Iudaicam vi & armis tutandam instaurandamque suscipit anno Græcorum 146. Olympiadis 153. anno 3. Templum abominando idolo profanatum ab Antiocho Epiphane 25. Casleu, seu 13. Decembris, anno Græcorum 145. Vrbis 587. cyclo lunæ 6. solis 11. operâ Iudæ triennio pòst expiatum est eodem die eiusdem mensis anni Græcorum 148. cyclo lunæ 9. solis 14. Vi- 364 de

de 1.Machab.1.v.21.30,39.& 2.Machab.10.v.3.& 5.vbi quod dicitur, *post biennium*, expone, ab initio principatus Iudæ. Occisus est in prælio contra Bacchidem anno Græcorum 152. mense primo, 1. Machab.9.v.3.& 18. cùm præfuisset annis 6 — 1364

Interim Alcimus, qui & Iacimus, initio anni 5. Iudæ suffectus Menelao pseudopontifex, anno 1. à morte Iudæ, nempe 153. Græcorum, mense 2. (1.Machab.9.v.54. &c.) cùm præcepisset deijci muros templi, percussus à Deo paralysi moritur, v.56.

IONATHAS fratri suo substituitur, 1.Machab.9.v.30. Quam populi Iudaici electionem cõfirmauit octennio pòst, nempe anno 160. Græcorum, Alexander Veles Antiochi Epiphanis filius, 1.Machab.10.v.1.& 20. Et iterum septennio pòst, putà anno 167. huius Alexandri filius Antiochus, c.11.vers.19. & 27. Et hoc sensu dicit Iosephus, mortuum Ionatham exacto imperij simul & pontificatus sui anno 4. nempe ab vltima illa confirmatione. nam constat, occisum fuisse à Tryphone anno 170. Græcorum, 1.Machab.13.v.23.& 41. ideoque regnasse annis 19

SIMON fratri sufficitur à populo, 1.Machab.13.v.8.& 25. Occiditur à Ptolemæo genero suo, anno Græcorum 177. mense 11. vt habes 1.1.Machab.c.vlt.v.11. vsque 17. cùm dux & pontifex fuisset annis 7

Ioseph.l.20. Antiq.c.8. IOANNES, qui & Hyrcanus, Simonis filius, 1.Machab.vlt.v.vlt. pontifex fuit, teste Iosepho, annis 31

Sub hoc binæ Iudæorum Zach.12.v.13.& Matt.3.v.7. sectæ *Pharisæorum*, & *Saducæorum* exortæ, Pontifice Joanne Saduccæis mordicus adhærente, inquit Iosephus. Et in hoc Ioanne finitur tota veteris Testamenti historia.

Reges deinceps simul & Pontifices Iudæorum.

Ioseph sup. c. penult. & l.13.c.16. ARISTOBVLVS, Ioannis Hyrcani filius, Iosepho etiam *Iudæ* dictus, regium nomen & diadema primus assumpsit. Fratrem suum Antigonum ex insidijs occidit, & matrem è throno deturbauit, teste Iosepho, Nicephoro & alijs. Regnauit tantùm anno 1

Niceph.in Chron. ALEXANDER eius frater minor, IANNÆVS dictus, secundùm Iosephum sup. & alios, annis 27

Varia bella cum varijs varia fortuna gessit: duos filios reliquit, Hyrcanum & Aristobulum, qui ad

Ioseph.sup. cap.23. Egesip.l.1. cap.12. Herodis vsque tempora de regno disceptarunt, teste eodem Iosepho, Egesippo, Eusebio & S.Hieron.

ALEXANDRA vxor Alexandri, Eusebio Salma, vidua facta regnum sibi vsurpat, Hyrcanum filium natu maiorem præficit sacerdotio: Rempublicam verò Pharisæis administrandam committit. Ioseph. l.13.c.24.& in sua Vita dat ei annos 9

Euseb.l.8. Demonstrat. Hieron.in c.9. Daniel. Ioseph.l. 14 Antiq.c.8. ARISTOBVLVS 2. natu minor filius Alexandri, mortua matre seniorẽ fratrem suum Hyrcanum pontificatu spoliatum, viuere priuatum cogit. Ipso regnante templum à M.Crasso expilatum. Ipse verò à Cn.Pompeio captiuus Romã missus est cum Antigono & Alexandro liberis suis, cùm regnasset annis 3

Et ex hoc tempore Iudæa, vnà cum tota Syria, facta est prouincia Romanorũ, & vectigalis illis. Iosephus notat, vrbem Ierosolymorum captam manu Pompeij in die solennis ieiunij mensis 4. Tamuz, Olympiadis 179. anno 1. finiente (erat enim 4. Iulij nostri) vt vult Mercator: vel anno 2. inchoante, vt Eusebius. Cuspinianus, Onuphrius, & Fasti Siculi notarunt, Coss. M. Tullio Cicerone & C. Antonio.

HYRCANVS iterum sacerdotio præficitur à Pompeio & Gabinio: & variante fortunâ tenuit alijs annis 22

Ioseph.sup. c.13.& l.1. Belli c.7. Interim filiorum Aristobuli alter, nempe Alexander, Romanorum manibus elapsus, Iudæam inuadit. Sed exacto triennio se dedere coactus Gabinio, iussu Pompeij securi percutitur. ita Iosephus. Dehinc parẽs eius Aristobulus cum altero filio suo Antigono Roma profugus, auxilio Parthorũ Iudææ regnum inuadit, & pontificatum tenet annos 3.& menses 6. Sed Hyrcano C. Iulius Cæsar post obitũ Pompeij pontificatum confirmat: Antipatro autẽ Idumæo prouinciæ Iudææ tutelam tamquam procuratori committit, 16. anno ex quo cœperant Iudæi Romanis vectigales esse, Coss. Q. Fusio Caleno, & P. Vatinio Isaurico. Herodes autem & Phasellus filij Antipatri à M. Antonio Tetrarchæ creantur.

ANTIGONVS Aristobuli 2. filius, iterum ope Parthorum, regnum Iudææ & pontificatum sibi vindicat: Phasellum occidit: patruum suum Hyrcanum pontificem auribus mutilat: quem deinde Herodes occidit. Sed & ipse quoque Antigonus post annos 4

Ioseph.sup. c.24.& l.15.c.1. à M. Antonio ita petente Herode, securi percutitur vltimus Asmonæorum. Atque ita regnum Herodi cessit, pontificatus Ananelo. Ita Iosephus.

ANANELVS 1. Ab Herode pontifex creatus 3

ARISTOBVLVS 3

ANANELVS secundò. Præfuit vsque deuictum extinctumque Antonium cum Cleopatra, & finem monarchiæ Græcorum 1

IESV-PHABETIS 6

SIMON BOETHI socer Herodis præfuit vsque ad extremos ferè menses vitæ Herodis. Et huius anno penultimo, nempe 19

Christus ex virgineo sanguine conceptus & natus est, cùm iam exacti essent à reductione Iudæorum è Babylone, seu à quinta mundi ætate, anni 525

TERTIA CLASSIS

ab aduentu Christi vsque ad excidium Ierosolymæ per Titum, initio sextæ ætatis mundi.

SImoni Boethi sub finem anni 20. successor datus, cui etiam hic annus adscribitur, MATHIAS JOSEPHI 2 — 2

	2
IOAZARVS primò	1
ELEAZARVS	3
IESVS Sie filius	3
IOAZARVS secundò	3
ANNAS seu ANANVS	7
ISMAEL FABI seu PHABEZI à Grato præside Iudææ, 1. Tiberij anno, suffectus est Anano. Ioseph. l. 18. Antiq. c. 3,	1
ELEAZARVS Annæ filius	1
SIMON CAMITHI	1
IOSEPHVS CAIPHAS Annæ Gener. Huius anno 11. Christus baptizatus, anno 14 crucifixus est,	19
IONATHAS Annę filius à Vitellio Syrię præside substituitur Caiphę, anno vltimo Tiberij. Ioseph. lib. 12. Antiq. c. 3. & 6.	3
SIMON BOETHI CANTHARA primò	3
MATTHIAS	1
ELIONEVS	1
SIMON BOETHI CANTHARA secundò	2
IOSEPHVS CANAI primò, à iuniore Agrippa pontificatu exuitur, substituto ei Anania seu Anano, Anani senioris filio,	
ANANIAS NEBEDÆI, de quo Actor. 23. v. 2. & c. 24. v 1. Quo pontifice S. Paulus anno 25. a passione Christi Romani vinctus missus est à Porcio Festo præside, c. 25. 26. 27. anno Neronis 3. inquit S. Hieronymus & alij.	2
ISMAEL PHABÆI secundus	7
IOSEPHVS CANÆI secundò	2
ANANVS vno, IESVS DAMNÆI duobus. IESVS GAMALIELIS duobus, MATTHIAS THEOPHILI vno. Simul annis	3
PHANASIVS RVSTICVS tempore belli electus, cuius pontificatus exacto anno	6
vrbs Ierosolyma die 8. Septembris in Sabbatho per Titum capta & exusta est, cum iam inde à 14. Aprilis arctissimè conclusa vndique fuisset. Ita Iosephus, Dio Cassius, Hegesippus, Eusebius, Sigonius, Baronius, &c. anno 40. à morte Christi.	4
	75

CAPVT XLIII.

Quarta orbis monarchia, quæ est Romanorum, ab extinctis Antonio & Cleopatra, mense 11. *post Actiacam victoriam, Augusto* IV. *& M. Licinio Crasso Coss. anno 3. Olympiadis* 187. *Vrbis conditæ* 724. *& Nabon-Assaris* 718.

ROmanæ Reipublicæ varius subinde status fuit. Primus ab Vrbe condita anno 3 Olympiadis sextæ (vt dixi cap. 32.) vsque ad annum 3. Olympiadis 67. per integras 61. Olympiades, seu annos 244. sub regibus fuit:

ROMVLO annis	37
cum interregno anni	1
NVMA POMPILIO	43
TVLLO HOSTILIO	32
ANCO MARCIO	24
L. TARQVINIO PRISCO	38
SERVIO TVLLIO	44
L. TARQVINIO SVPERBO	25
	244

Secundus status à fugatis regibus per L. Iunium Brutum & L. Tarquinium Collatinum primos Consules, ab anno 3. Olympiadis 67. sub annuis Consulibus fuit vsque ad annum 4. Olympiadis 181. quo C. Iulius Cæsar perpetuam dictaturam sibi vindicauit. Et sic stetit per annos 461. vel, si mauis, vsque ad annum 3. Olympiadis 187. quo extinctis Antonio & Cleopatra, Augustus Cæsar liberam plenamque monarchiam adeptus est. & sic per annos 480. ab exactis regibus durauit.

Tertius fuit sub Imperatoribus, a 1. anno monarchiæ Augusti Cæsaris, vsque ad Augustulum Imperatorem anno 3. Olympiadis 313. quando Imperium Romanum Occidentale incidit in manus Odoacris regis Erulorum anno Vrbis conditæ 1228. anno Christi Dionysiano 476 cùm floruisset sub Imperatoribus, (initio ducto à monarchia Augusti) annis 504. Exinceps enim partim sub regibus fuit, partim sub Exarchis Græcorum Imperatorum per annos ferè 324. nempe vsque ad Carolum Magnum, qui anno Christi 800. finiente, ipso die Natalis Domini creatus est Romæ nouus Romanorum in Occidente Imperator, tenuitq; in posteris suis ad Francis vsque ad annum Christi 920. Tum enim à Francis ad Saxones, alioſque Germanos; atque ita tandem anno Christi 1273. per Rudolphum Habspurgensem Comitem ad domum Austriacam delatum est Imperium, in qua penè continuata Imperatorum serie hucusque perseuerat. Orientali interim Græcorũ imperio, (quod à morte Magni Constantini anno Christi 341. dissectum fuerat ab Occidentali,) Turcarum potentia penitus extincto, anno Christi 1452. Vide Baronium, Bzouium, Spondanum & alios Historiographos.

Primi Imper. Romani vsque ad excisam Ierosolymam, (horum enim solorum mentio fit in Scripturis) sunt isti:

			tenuit annis ferè				
C. IVLIVS CÆSAR perpetuus Dictator proclamatus anno, 4. Olympiadis 181. Vrbis conditæ	705.		5				
C. CÆSAR OCTAVIANVS AVGVSTVS, à 15. Martij qua cæsus est C. Iulius Cæsar, anno Vrbis conditæ	709.	finiente	57	mens.	5	dieb.	4
TIBERIVS, à 19. Augusti, qua obijt Augustus, teste Suetonio, Tacito, Dione, Iosepho & Velleio, anno Vrbis conditæ	767.	inchoante	22	mens.	6	dieb.	25
C. CALIGVLA, à 16. Martij, qua Tiberius obijt, testibus ijsdem,	789.	finiente	3	mens.	10	dieb.	15
CLAVDIVS, à 1. Februarij, qua obijt Caligula,	793.	finiente	13	mens.	8	dieb.	13
NERO, à 13. Octobr. qua obijt Claudius,	807.	medio	13	mens.	6		
GALBA, à 13. Aprilis, qua se occidit Nero, paulò post Pascha Iudæorum 4. Aprilis, teste Iosepho,	820.	finiente		mens.	6	dieb.	7
OTHO, à 20. Octobris, qua obijt Galba,	821.	medio		mens.	3	dieb.	5
VITELLIVS, à 25. Ianuarij, qua extinctus est Otho,	821.	finiente		mens.	8	dieb.	5
VESPASIANVS, ab vltima Septembris, qua Vitellius sublatus est, nempe vsque ad 24. Iunij, qua Vespasiano defuncto	822.	medio	9	mens.	8	dieb.	24
TITVS filius eius successit, anno Vrbis conditæ	832.	inchoante					

Vespasiani anno 2. nempe 8. Septembris, anno Vrbis 823. in Sabbatho expugnata est per Titum vrbs Ierosolyma, & in suis cineribus sepulta Synagoga. Ita Iosephus testis oculatus, Dio Cassius & alij apud Baronium.

imperauit annis

CAPVT XLIV.

De æra Iulij & Augusti Cæsarum Romanorum.

CAij Iulij Cæsaris,(vt de die natali,de Pompeio deuicto,de perpetua Dictatura,id est supremo & absoluto in omnes dominio,à senatu vltrò illi delato iam sileam,quæ ad rem nostram non faciunt,& à Suetonio,Tacito,alijsque sat accuratè annotantur;)vna illa æra correctiab ipso Kalẽdarij ibit in æternam memoriam.Nam inde omnes exinceps anni,etiam quibus hodie per vniuersum orbem Romanum vtimur,Iuliani vocantur.Res sic habuit:Incuria eorum qui intercalationibus ad annos lunares cum solaribus æquandos necessarijs præerant,enormiter admodum deflexerant menses à consuetis & debitis sedibus,& qui proprij erant solstitijs,iam penè ad æquinoctia migrarant:*Iul.Cæsar* ergo,suis vt singulos sedibus redderet,*cùm tertiùm esset consul* vnà *cum M.Aemilio Lepido*,simul & semel,*trium mensium intercalarium adiectione,correxit errata præcedentium annorum.Duos enim menses intercalares dierum 67.inter mensem Nouembrem & Decembrem interposuit: cùm iam antè mense Februario dies 23.intercalasset.Et hic dicebatur annus confusionis:eratque 447.dierũ.Simul prouidit in posterum,ne iterũ erraretur.Nam intercalari mense sublato,annum ciuilem ad solis cursum formauit.Itaque diebus 355.* (*quibus lunaris constat annus,*)*addidit* 10.*dies.Præterea pro quadrante diei, qui annum verum suppleturus videbatur, instituit,vt peracto quadriennij circuitu dies vnus post Terminalia*(id est,sub finem Februarij,vbi mensis quondam intercalari solebat)*intercalaretur:quod nunc Bissextum vocatur.Ex hoc anno ita à Iulio Cæsare ordinato cæteri ad nostram memoriam Iuliani appellantur: iique consurgunt ex quarto Cæsaris Iulij consulatu.*Hucusque verba sunt Censorini. Quibus omninò similia habent Plinius, Macrobius, Solinus Polyhistor, Dio Cassius, Appianus, Ammianus, Plutarchus, Suetonius,Beda & alij. Vnde tamquam certum supponendum,primum annum Iulianum nõ à tertio(vt vult Alexander Scultetus)neque à quinto(vt Paulus Middelburgensis,& hunc secutus Mercator)sed ex quarto Julij Cæsaris consulatu consurrexisse,qui cœpit medio anno 3.Olympiadis 183.Vrbis conditæ 708.cyclo lunæ 14.solis 21.initio ducto à Kalendis Ianuarijs. Ita Fasti Capitolini, & Mathematici passim.Porrò præpropera sacerdotum Romanorum, (quibus hæc erat cura demandata) festinatione, nouus mox error irrepsit,vt,cùm *peracto demum quadriennij circuitu dies vnus intercalandus esset*, ipsi post circuitum cuiusque *triennij* diẽ intercalarint primis 36.annis Iulianis.Quod vbi animaduersum à Cæsare Augusto,iussum vt dies illi tres superfluè intercalati deuorarentur,duodecim proximis annis absque vlla intercalatione edicto Cæsaris transigi iussis,ab anno 38.Iuliano vsque ad 49.quo rursum resumpta est intercalatio. Ex eo tẽpore nulla est alia adhibita anni correctio præter illam quæ anno Christi 1582.à Gregorio XIII. comprobante penè orbe vniuerso facta est, detractione decẽ dierum superfluorum initio Octobris. De qua fusè Clauius noster,& alij Chronologi.Ab eodem Augusto,ad perpetuandam ipsius memoriã,mensi *Sextili* nomen inditum *Augusti*,anno 20.Augustio,seu ex quo Ægyptus in potestatem venit Augusti,scilicet ab anno 16.Iuliano,cùm extinctis Antonio & Cleopatrâ in Ægypto,monarcha factus est.Id verò fecit exemplo C.Iulij Cæsaris,qui eamdem ob causam *Quintilem* de suo nomine *Iulium* vocitarat,anno 2.Iuliano,ipso Julio Cæsare V.& M.Antonio Coss.Ita Censorinus.

Censorin. de Die natali cap.8.

Plin.l.18. Nat. hist. cap.25. Macrob.l.1. Saturn.c.14 Solin.c.3. Dio Cas. l.43. Appian.in fine l.2. Bellor. ciuil. Plutarc.in Iul.Cæsar. Sueton.in eodem c.45. & in Aug. cap.31. Clauius de Correct. Calendarij. Censor. sup. cap.9.

Extincto Iulio Cæsari successit nepos eius ex sorore,Caius Octauianus,in infantia Didus *Thurinus*, deinde *Cæsar* denique,& *Augustus* cognominatus. *Cæsar* ex testamento auunculi : *Augustus* ex sententia Senatus. Et ab ipso Imperatores omnes subsecuti nomen assumpserunt *Augusti*,sicut nomen *Cæsaris* ab eius prædecessore, inquit Suetonius.

Sueton.in vita Augusti.6.7.

C.Cæsaris Octauiani Augusti æra multiplex est:

		Vrbis conditæ	anno Olympiad.
Prima,Principatus eius, quem plerique supputare incipiunt immediatè à cæde C. Iulij Cæsaris, die 15.Martij per Brutum & Cassium in senatu confossi, anno Iuliano	2	709 finiente	4. 183
licèt imperium non vsurparit nisi post cæsos Coss.Hircium & Pansam, cùm coëgit Romanos se Consulem designare,19.Augusti,& 27.Nouemb.Triumuir factus est cum M.Antonio,& M.Lepido,anno	3	711. inchoante	2. 184
Secunda,Hispaniæ per Domitium Caluinum(teste Dione l.48.)subiectæ.Quæ vulgò vocatur Æra Augusti Hispana,ann.	8	715 .n.	2. 185
Tertia,Victoriæ ad Actium, 2.Septembr.teste Dione,Iosepho,& alijs passim.Addit Iosephus,hunc fuisse annum 7.Herodis à capta Ierosolyma.	15	723	2. 187
Quarta, Plenæ monarchiæ, post nempe extinctos 1.Augusti Antonium & Cleopatram vltimam è sanguine Ptolemæorum reginam,	16	724	3. 187
Augusto IV.cum M.Licinio Crasso Coss. Ita Dio & Ioseph. supr.Qui addunt,Augustum eodem tempore confirmasse regnum Herodi obuiam sibi facto Rhodi,prospicientique ne per arida loca transeunti aquarum copia deesset.Idem affirmant Hegesippus,Dio,Paulus Orosius,Plutarchus,Torniellus & alij. Ptolemæus & anonymus auctor apud Clementem Alexandrinum signant regnum Augusti à nece Cleopatræ,anno Nabon-Assaris 718.à morte Alexandri Magni 294.			
Quinta,Nominis Augusti à S.P.Q.R.publicè ei VII.Consuli delati 17.Ianuarij	19	726 finiente	1. 188
Ita Censorinus,qui & annos Augustæos ab hoc 19.Iuliano enumerat:& annos Augustæos vel Augustanos Romanos toto triennio posteriores facit annis Augustorum Ægyptijs : nam Vlpij & Pontiani consulatum consignat anno Iuliano 283, Augustano 265.& Augustorum 268.			
Sexta,Tribunitiæ potestatis ab Augusto XI.Consule susceptæ 27.Iunij,	23	731. inchoante	2. 189
quam per integros 36.annos & ferè duos menses, nempe ad obitum vsque suum gessit,teste Velleio Dione,Tacito & alijs.			
Septima,Templi Iani rara felicitate ter clausi:Primò,anno Iuliano 17. proximè sequente extinctã Cleopatram cum Antonio.Secundò,post finitum bellum Cantabricum anno 21.Iuliano.Tertiò decretum quidem anno 35.Iuliano, vt clauderetur:sed Daci Istrum transgressi, & rebellantes Dalmatæ,ne id fieret obstitere.Neque enim illa Iani clausura nuptijs Tiberij cum Iulia Augusti filia, stupris postea tam infami,quæ hoc anno celebratæ sunt, sed vnigeniti Filij Dei cum humana natura sexto pòst anno in immaculatæ Virginis vtero perfectis nuptijs debebatur.Ergo tertia Iani clausura ab Augusto XII. Consule facta est anno demum Iuliano	41	749	4. 193

Dio l.51. Ioseph.l.1. Bell.c.14.& l.15.Antiq. c.6.& 7. Ioseph.l.1. Bellic.15. & l.15.Antiq.c.10. & 11. Hegesip.l.1. cap.31. Paul.Oros. l.6.c.19. Plutarch.in Antonio. Ptolem.l.3. Almag.c.8. Clem.Alex. l.1.Strom. Censorin. sup.c.8. Velleius l.2. Dio l.5. Tacit.1. Annalium.

Tribuni-

Tribūnitiæ ſuæ poteſtatis anno 18. vt habet vetus inſcriptio apud Plinium. Eadem docent Dio, Oroſius & Sigonius, vt Baronius teſtatur. Neque verò fuit ante annum illum 41. Iulianum pax generalis in orbe, vt norunt omnes periti hiſtoriarum: neque poſt illum diu perſeuerauit, Parthis & Armenijs (vt Dacos & Athenienſes reticeam) aduerſus Romanos tumultuantibus, vt ſcribunt Velleius, Dio, Oroſius, Tacitus & alij. Ad quos compeſcendos Auguſtus Caium M. Agrippæ generi ſui filium, nepotem ſuum & imperij heredem, cum plena poteſtate miſit in Orientem anno Iuliano

Tellius l.2.

quando prouincias varias bello turbatas tranquillauit, teſte Velleio eiuſdem Caij comite & militum Tribuno: item Suetonio, Dione, Floro, Zonara & alijs, qui addunt, Caium illum Cæſarem bellis illis gerendis occupatum vulnere ab Adduo quodam ſibi inflicto interijſſe, paulò poſt fratrem ſuum, Lucium, præpropera morte, dum ad Hiſpanicos exercitus properat, extinctum (dolis, vt credebatur, Iuliæ matris ſuæ, quæ iam ſecundas nuptias cum Tiberio contraxerat,) anno Iuliano

Iudæam quoque iam tum anno 43. Iuliano, ſtatim à morte Herodis, quadruplici bello arſiſſe teſtis eſt Ioſephus, Ioſippus, Hegeſippus, Tacitus & alij. Clauſum tamen reliquit Ianum Auguſtus annis totis 13. nempe vſque ad cladem Varianam, quæ annum 54. Iulianum funeſtauit, vt ijdem teſtantur.

Octaua, Luſtri ſeu Cenſus generalis ter ab Auguſto inſtituti, vicenis ſemper annis interiectis. Primum enim indixit in ſuo VI. conſulatu cum collega genero ſuo M. Agrippa, anno Iuliano

Secundum ſine collega, Coſſ. M. Marcio Cenſorino & C. Aſinio Gallo, anno Quæ fuit prima deſcriptio per Cyrinum ſeu P. Sulpicium Quirinium facta, ſaltem inchoatiuè: nam is coactus bellum ſuſcipere cum Homonadenſibus (ob quod etiam inſignia meruit triumphi) cenſum quaſi ſuo nomine perficiendum reliquit Sentio Saturnino cum collegis, qui Chriſtum in Bethlehem deſcripſit. & poſt Iudæam, Germaniam quoque deſcripſit & Africam, teſte Velleio & Tertulliano. Nam eiuſmodi luſtris ferè quinquennium impendebatur.

Tertium cum collega Tiberio genero ſuo, duobus Sextis Coſſ. Pompeio & Apuleio, vltimo vitæ ſuæ anno, inchoante Iuliano

Et hæc fuit ſecunda deſcriptio ab eodem Cyrino Syriæ præſide perfecta. Qua occaſione Iudæus Galilæus Iudæos ad defectionem ſolicitauit, vt Gamaliel loquitur in Actis Apoſtolorum c. 5. 47. Vide de his Ioſephum, Indiculum Ancyranum, Suetonium, & alios ſuprà citatos.

Nona, Mortis Auguſti, quæ contigit 19. Auguſti menſis, ann. Iul.

cùm imperaſſet à nece Iulij Cæſaris annos 57. menſes 5. dies 4. id eſt tres lunares cyclos decennouennales, cùm quartum cyclum vitæ iam antè peregiſſet. Vnde ortus & occaſus Auguſti, item cædes Iulij Cæſaris notantur cyclo lunæ XV. Expleuit enim annos vitæ ferè 76. (nam deerant ſolùm 35. dies:) natus anno Vrbis 691. Septembris 23. mortuus, vt dixi, 19. Auguſti, anno Vrbis 767. Triumuiratum tenuit penè 12. annis, nempe à 27. Nouembris anni 3. Iuliani, vſque ad deuictum Antonium apud Actium 2. Septembris anno 15. Iuliano. Poſtea ſolus imperium tenuit annis penè 44. deſunt enim 13. dies. Ita Suetonius, Eutropius, Tacitus, Dio, Velleius, Ioſephus, Caſſiodorus, Aurelius Victor & alij.

				Plin. l. 3. Natur hiſt. cap. 20.
				Dio Caſſ. l. 53. & 56.
44	758	2.	194	*Oroſ. l. 6. c. 21. & l. 7. cap. 3.*
				Sig. de reb. Iud.
48	755	2.	195	*Baron. initio primi anni Chriſti n. 10. &c.*
				Tacitus l. 5.
				Ioſeph. l. 17. Antiq. c. 12. & l. 2. Belli cap. 2. & 3.
18	725	4.	187	
38	745	4.	192	
				Ioſipp. Gorionides l. 5. Hegeſipp. in fine l. 1. & initio 2.
59	766	1.	198	*Tacitus l. 5. & 12.*
	Vrbis	anno Olympiadis		*Vell. ſup. Tertull. de Pallio, c. 1.*
59	767	2.	198	*Ioſeph. l. 17. Antiq. c. 3. & l. 18. c. 1. & de Bello l. 2. c. 7.*
				Sueton. in Auguſto. Suet. &c. ſup.
				Aur. Vict. in Epitome.
				Ioſeph. l. 14. Antiq. c. 17. 19. &c.
				Torniell. anno 4051.
				Io. Keppl. in Sylua chronologica
	Vrbis	anno Olimpiadis		**Ioſeph. ſup. c. 26. & l. 16. c. 9. & l. 17. c. 10. & l. 1. Belli c. 11. 16. 21. Ioſipp. l. 5. c. 9. 10. 11. 12. 41. 43. Hegeſip. l. 1. cap. 45. Dio Caſſ. li. 55. App. Alex. l. 5. Bellor. ciuil. Sulpit. l. 2. Euſeb. l. 1. Hiſt. c. 5. †Ioſep. l. 14. Antiq. c. 28. & vlt. & l. 1. Belli c. 13. & l. 6. c. 11.*
	681	4. 176		
	706	1. 183		
6	713 finiente	4.	184	
9	717 inchoante	4.	185	

CAPVT XLV.

De Herode Aſcalonita, eiuſq; filiis Archelao, & Herode Antipa, & nepote atque abnepote Herode Agrippa.

PRimò, natus Herodes nouennio ante Cæſarem Auguſtum in vrbe olim Philiſthæa Aſcalone, patre Antipatro Idumæo ex poſteris Eſau. Natus ergo eſt anno Vrbis conditæ

Secundò, huic Antipatro C. Iulius Cæſar, confecto bello Alexandrino, adminiſtrationē commiſit prouinciæ Iudææ, vt dixi c. 42. in pōtifice Hyrcano. Porrò filijs Antipatri, Herodi & Phaſello ſub idē tempus tetrarchias diuiſit M. Antonius, anno cùm Herodes eſſet annorum, non ıı, ſeu 15. (vt vitiosè ſcriptum eſt in Ioſepho, & qui ex Ioſepho deſcripſerunt, Gorionide, Photio, Nicephoro & Abulenſi,) ſed xx, id eſt 25. vt notant Torniellus & Kepplerus. Et colligitur ex eodem Ioſepho, qui dicit, Herodem tum temporis bello & militiâ clarum fuiſſe, & rebus arduis geſtis paſſim terrori omnibus, quem & Sextus Cæſar Syriæ tum præſes præfecit toti Cœleſyriæ: & iam nouennio antè, nempe Cornelio Lentulo & L. Marcio Coſſ. interceſſiſſe maximam familiaritatem inter M. Antonium & Herodem. An fortè cum pulſione ſexenni familiaritas tanta fuit M. Antonio?

Tertiò, regnū Iudææ cum regio diademate, per M. Antoniū, (Antiochiæ poſt trienniū ſecuri percuſſo Antigono vltimo Aſmonæorū pontifice & principe,) Herodi conceditur à S. P. Q. Rom. Caluino 2. & C. Aſinio Pollione Coſſ. anno Iuliano vt relatum eſt in tabulas æreas Capitōlij. Ita * Ioſephus, Ioſippus, Hegeſippus, Dio Caſſius, Appianus, Sulpitius, Euſebius & alij.

Quartò, regiam vrbem Ieroſolymæ oppugnare cœpit Herodes duce & opitulante Soſio, qui Orienti pro Romanis præerat, anno Juliano 8. & cepit anno ſequenti Sabbathico & in die Sabbathi, anno

Coſſ. M. Agrippa & Caninio Gallo, in ſolenni Judæorum ieiunio 4. menſis Tamuz, in quo & olim ante 17. annos eamdem interceperat Pompeius, vt dixi c. 42. in Ariſtobulo 2. Ita † Ioſephus, Dio Caſſius, & alij.

Quintò, regnum Iudææ, quod per M. Antonium à S.P.Q.Rom. Herodes obtinuerat, victo iam extinctoque Antonio, Augustus eidem confirmauit, vt dixi c.44.in æra 4.Augusti, anno Iuliano

Sextò, templum Ierosolymitanum, anno à capta Ierosolyma 18. regni verò sui 21.anno Iuliano

Herodes de nouò construere cœpit, quò sibi nomen Messiæ vendicaret. Et quidem bonam templi exterioris partem absoluit tot quot olim Salomon annis penè 8. interiorem sanctuarij fabricam, altero sesquianno. Tum dedicauit templum suum Herodes, anno Iuliano

& quidem ipso natali regni sui anniuersario die. Ita * Iosephus, Sigonius. Constantinus Phrygio, Mercator, Funccius & alij. Reliqua interim templi, iam quidem dedicati, sed nondum perfecti, constructio ad vsque Neronis tempora perseuerauit, 18000. opificum & pluribus in eo perficiendo quotidie laborantibus, inquit idem Iosephus & alij. Et anno 15. imperij Tiberij, id est 73. Iuliano, iam completi erant huius operis anni 46. Tot enim reperies à 27. Iuliano, quo cœptũ condi templum, vsque ad 73. qui fuit annus baptismi, & primus prædicationis Christi; quando Ioan. 2. dicebant Iudæi, *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc.*

Sed magno stetit Herodi Messiæ nomen affectasse: nam infelix exinde perpetuò fuit & foris, & domi conspirantibus in ipsum & fratre suo Pherora, & vtraque coniuge, Doride ac Mariamne; & tribus filijs Alexandro, Aristobulo, & Antipatro, cum plurimis è nobilitate Iudaica. Quos penè omnes crudeli morte de medio sustulit, nominatimque tres illos filios suos, obtentâ à Cæsare Augusto necandi illos facultate, paulò ante mortem suam, vt dicam c. 39.in 2. anno Christi. Et hæc erat Cæsari Augusto causa dicendi, *Malle se porcum Herodis esse quàm filium.*

Mortuus est Herodes exacto anno 37. regni sui (ex quo illud à S.P.Q.Rom. obtinuerat, anno Iuliano 6. vt suprà dixi,) mortuus, inquam, paulò ante Pascha anni Iuliani

Coss. Cornelio Lentulo & M. Valerio Messalino. Ita Iosephus, Iosippus, Hegesippus, Dio Cassius, Appianus, Seuerus Sulpitius, Euseb. Cæsariensis, Nicephorus Callistus, Cedrenus, Zonaras, Nauclerus, &c. Addit Sigonius, neminem veterum feciſſe Herodem superstitem post annum 43. Iulianum, qui est 37. regni Herodis, neque quidquam ab eo gestum commemorari post id tempus. Eidem calculo ex modernis subscribunt Massæus Cameracenas, Sabellicus, Genebrardus, Iansenius, Salmeron, Torniellus, Toletus, Funccius & alij.

Mortuo Herode filij eius & hęredes Archelaus & Antipas (nam tres alios, vt iam dixi, filiòs viuens adhuc parens è medio sustulerat) de regni successione litem mouerunt, & Romæ causam dicere iussi sunt coram designatis ab Augusto, Caio Cæsare nepote Augusti liti illi præsidente: qui mox à finita lite, & matre Iulia ob adulteria in exilium pulsa, in Syriam excurrit, & in reliquum Orientem) vt dixi c.44. in 7. æra Augusti) anno Iuliano

Lis verò sic decisa est, vt neutri regnum assignaretur, sed dissectũ in quatuor tetrarchias à 4. diuersis Tetrarchis administraretur: & Archelao quidem cessit Iudæa propriè sumpta, Herodi Antinæ Galilæa, Philippo fratri illorum regio Trachonitidis & Gaulanitidis; Lysaniæ Abilida, Lucæ 3.v.1.

Archelaus 9. annos impleuit in sua tetrarchia, & 10. inchoato vsque ad tempus messis, in exilium anno Iuliano

iussu Augusti, septennio ante mortem Augusti actus est, anno ab Actiaca pugna 37. Ita Iosephus, qui addit, parentem suum anno 10. tetrarchiæ Archelai natum esse, vt probat ex publicis tabulis, ad quas tum cùm scriberet adhuc extantes palàm prouocat suos & historiæ suæ obtrectatores. Eidem annorum Archelai numero subscribunt Eusebius, Zonaras, Photius, Beda, Haymo, Albertus Magnus, Abulensis, Marianus Scotus, Petrus Machado, Mercator, Ioannes Gagnæus, Salmeron, Toletus, Barradius, Scaliger. Neque quisquam hactenus negauit.

Archelao in exilium deportato, tres consequenter præsides dedit Iudææ Augustus, qui 7. integris annis, nempe vsque ad mortem Augusti præfuerunt, inquit Iosephus, nomina & gesta singulorum recensens. Primum, Coponium: qui vnà cum Quirinio Syriæ totius præside vendidit & confiscauit facultates Archelai; secundum, M. Ambiuium; tertium, Annium Rufum. Quo præside mortuus est Augustus anno Iuliano

Mortuo Augusto Tiberius quartum Iudææ præsidem dedit, Valerium Gratum qui vsque ad annum Iulianum

præfuit Iudææ per vndecim annos. Quintum deinde dedit, Pontium Pilatum anno imperij sui 13. qui præfuit Iudææ 9. annis & paucis mensibus, quando & ipse in exilium actus est iussu Tiberij, sub finem anni Iuliani

Huius anno secundo baptizatus est Christus, quinto crucifixus sententiâ per ipsum met Pilatum latâ.

Pilato suffectus est Marcellus, Cumanus, Claudius Felix (Actor. 23. vers. 24. &

16	724	3.	187	Dio C. sius l.
27	734 finiẽte	1.	190	
36	743	2.	192	* Iose. Antiq. & l.2 Sigon. tus ad picium Const. in Ch. Ger. cator. Funcc. Chron. Iosep. sup.
43	750	1.	194	Iosep. Antiq. l.17. & l.1 c.16. Iosip. sup.ci.
44	751	2.	194	
52	759	2.	196	Iosep. Antiq.
59	767	2.	198	Iosep. Antiq. & 3.
71				
80	788	3.	203	

c.24.

	incho-ante	finiente	
c.24.toto) Porcius Festus (Actor.24.v.vlt.& c.25.toto) Albinus, & Florus, cuius anno 2.cœpit bellum Iudæorum aduersus Romanos, Neronis 12. à morte Christi 35.mense Maio,anno Iuliano cùm quinto pòst anno 8.die Septemb.à Tito expugnata & excisa est Ierosolyma.	110	818.	4. 210
Interea sicut Herodi Antipæ olim in sua tetrarchia Galilææ concessum tandem fuit nomen regium cum diademate ceterisque insignibus regijs: sic concessum fuit id ipsum etiam à Caio Caligula Herodi Agrippæ seniori,Herodis Antipæ (ex Aristobulo fratre olim ab Ascalonita necato) nepoti. Idem nomen *Regis* tamen *Iudææ*, sed *Chalcidis, & Trachonitidis*, postea concessum huius filio Herodi Agrippæ iuniori ab Imperatore Claudio anno imperij eius octauo, Coss. Aulo Vitellio & L. Vipsanio Poplicola, Actor.25. &c. anno Iuliano	93	801	4. 206
Tenultque vsque ad excisam à Tito Ierosolymam; in qua oppugnatione iuuit hic rex Agrippa Romanos.			
Sed de duobus his Agrippis, quia res obscurior est, in gratiam Lectoris, paulò fusiùs agam ex Iosepho & alijs Historiographis.			
Erat senior iste Herodes *Agrippa* Aristobuli ab Herode Ascalonita necati filius, frater Herodiadis, quæ ex thoro Philippi Patrui sui (Marci 6.v.16.) Ad Herodis Antipæ, alterius Patrui sui thorum deuolarat, eratque hic Agrippa Caio *Caligulæ* Imperatori extremè in deliciis, quod cum Romæ degeret, eidem adhuc priuato Imperium prædixisset, & semper familiarissimè adhæsisset, ad inuidiam vsque Tiberij Cæsaris: cui dum aliquando celerem mortem imprecaretur, vt *Caius* nepos eius tanto citius ei in Imperio succederet; in carcerem à *Tiberio* detruditur. Sed pòst paulò moriente *Tiberio*, succedens illi Caius Agrippam carcere educit, donatum catena aurea pondere pari catenæ ferreæ, qua illum onerarat & vinxerat Tiberius.			*Ioseph.l.18. Antiq.c.8. & li.19.c.5.*
Erat autem Agrippa religionis Iudaicæ studiosissimus, inquit Iosephus; vnde mox atque Ierosolymam attigit, in gratiam Iudæorum, primas Ecclesiæ Christianæ columnas, *Iacobum & Petrum*, ad mortem deposcit [d]: sed ipse mox ab Angelo percussus lethali morbo interit, Actorum 12. vers. 23. Huic erant duo Filij, *Drusus & Herodes Agrippa* iunior; & tres filiæ *Drusilla, Berenice & Mariamne*.[e]			d *Acto.12.i v. 1.* e *Ioseph.l. 18.c.7.Gall. l.6.c.16.*
Porro *Agrippa* non Hebræum, sed Romanum nomen est deductum, vt ait Gellius, ab ægro partu: inditum verò his nepotibus *Herodis* Ascalonitæ in gratiam Marci *Agrippæ*, qui fuit Gener Augusti Cæsaris, à quo regnum Iudææ obuenerat familiæ Herodis. Sic *Druso* nomen datum in memoriam *Drusi*, Filij *Liuiæ*, & fratris Tiberij Cæsaris. *Drusillæ*, in memoriam *Liuiæ* vxoris Augusti, quę alio nomine *Drusilla* vocabatur: Item in gratiam familię Claudiæ, cui toti cognomen fuit *Drusus*, in memoriam parentis Drusi, ex quo genitus fuit Claudius Imperator successor Caligulæ.			
Drusus Agrippæ filius senior nulla re memorabili celebris fuit. Frater eius *Herodes Agrippa iunior*, morièntе patre suo *Agrippa seniore*, puer Romæ degebat; cumque adoleuisset, à *Claudio* Imperatore creatus est *Rex Chalcidis*; adiecta ei *Trachonitide*, tetrarchia olim Philippi [f]. Sed Iudææ mansit sub Romanis Præsidibus. Ius tamen in res Iudæorum sacras, puta in Templum & Sacerdotium, videtur illi, vtpotę Iudæo, (perinde atque antea parenti g eius) speciali gratia indultum: vnde & summum Iudæorum Pontificem *Ananum* loco mouit; teste Iosepho, qui suam quoque historiam Judaicam huic Agrippæ dedicauit. Erat bonæ indolis, sedatæ mentis, prudens, (etsi iuuenis,) & intelligens. Iudæis bellum contra Romanos omni ratione dissuadere conatus est [h] prædicens illud fore ipsis ruinæ & excidio, vti exitus demonstrauit.			f *Luce 3.v. 1.* g *Ioseph.l. 19.c.3.* h *Ioseph.l. 2. bellic.16.*
Trium eius sororum hæc fortuna fuit. *Drusilla* primum desponsata est *Epiphani*, Antiochi in Syria Regis filio: sed cùm nollet ipse circumcidi (quæ conditio ante nuptias expetebatur) subtracta illi fuit, & *Azizo* Emezæ Regi (qui circumcisionis conditionem, vt tam diuite & speciosa sponsa potiretur, libens subit) nuptui data est. Sed profligati pudoris & fidei femina, à marito Rege ad adulterum Præsidem Iudææ *Claudium Felicem*, blanditijs eius attracta transilijt, abdicata cum fide coniugali, etiam patria Religione. Hinc factum vt Drusilla passim diceretur *trium regum* vxor, & ter Regina. Et *Felix* trium Reginarum maritus, teste Suetonio.			i *Act.24.v. 24. & Iosseph. & Iosseph.l.20. ant.c.5.* *Sueton.in Claudio c.8.*
Berenice nihilo sorore continentior, etiam incesti cum fratre suo Rege Agrippa concubitus suspectam se reddidit nimia cum ipso familiaritate: nam adeo se inuicem diligebant, vt vix diuelli possent, ac penè semper sociati incederent Actorum 25. vers. 13. vsque ad finem cap. 15. 45. vnde & Iuuenalis *incestam sororem* vocat. Chrysostomus verò, *vxorem Agrippæ*. Quare *Berenice*, vt sanè suspicionem dilueret, nupsit *Polemeni Ciliciæ*, vel vt alij volunt, *Lyciæ* Regi, sed prius circumciso. Hoc tamen coniugium, inquit Iosephus, diuturnum non fuit; Berenice, propter intemperantiam, discedente à marito, qui desertus ab vxore, etiam ipse mox Iudaicæ Religionis desertor factus est. Eádem Berenicé postea placuit *Vespasiano*, inquit Tacitus, & nihil propius fuit, quam vt nuberet filio eius *Tito*.			*Iuuenalis Satyra 6.* *Ioseph.sup.* *Tacit.l.1. & 2.histor.*
De tertia sorore hæc addit Iosephus: eodem tempore etiam *Mareamne* dedignata *Archelaum*, migrauit in thalamum Demetrij, primi inter Alexandrinos Iudæos, & Alabarchæ, seu Salinarum principis, ex quo filium Agrippina suscepit.			
Si tantæ sordes familiam Regiam publicè occuparunt, quid de reliquis Iudæorum familijs statuemus?			

CA-

CAPVT XLVI.

Arbor Genealogiæ Patriarcharum veteris testamenti, & ex his prognati IESV *Christi Domini nostri.*

CAPVT XLVII.

SEXTA MVNDI ÆTAS,

Ab incarnato Filio Dei, seu ab aduentu Messiæ in mundum, vsque ad reditum eiusdem ad vltimum iudicium.

Couuar. l. 1. Variar. resolut. c. 12. num. 2. Henriquez l. 8. de Eucharist. c. 11. §. 10. lut. 1. Io. Lucid. de die Pass. Christi c. 3. & 5. Dion. Petauius l. 12. de doctr. tempor. c. 6. & 7. Keppler. in Silua Chronologica, & lib. de Vero an. Christi. Henric. Canis. tom. 1. Antiq. lection. &c. 19. Chron. Epiphan. hæresi 51. Laur. Suslyga de anno ortus & mortis Christi. Seuer. Sulp. l. 2. Sacræ Histor. Petauius sup. Epiph. sup. Oros. l. 1. c. 1. & l. 7. cap. 2. Paulus Middel. 2. part. Paulinæ l. 7. c. 2. Bellarm. tom. 1. Controu. li. 3. de cultu Sanctor. c. 11.

NOs hîc non progrediemur vltra excidium vrbis & templi Ieroſolymitani per Titum, id eſt non vltra 74. annos ab incarnato Filio Dei: niſi quòd reliqua quædam vſque ad mortem S. Ioannis Euangeliſtæ, quia etiam iſta SS. Scripturis elucidandis neceſſaria ſunt, paucis perſtringam, nempe vſque ad annum 68. à morte Chriſti, quo conſtat Ioannẽ demum è viuis exceſſiſſe. Porrò nemini mirum videri debet, nos ſextam mundi ætatem potiùs ab incarnatione ſeu conceptione Verbi diuini, 25. Martij quàm à natiuitate eiuſdem 25. Decembris inchoari: quia mundum ipſum ſuprà cap. 9. oſtendimus creatum fuiſſe menſe Martio, in æquinoctio verno; & annos omnes hucuſque (ijs exceptis quorum peculiaria initia ſubinde adnotauimus) ab æquinoctio verno inchoauimus. Et ſolent olim non modò Galli & Angli, ſed & complures aliæ nationes, annos Chriſti ab ipſa Verbi incarnatione 25. Martij inchoare, teſte Couarruuia, Henriquez, & Ioanne Lucido, & Dionyſio Petauio. Dicunturque Veneti & Piſani in Italia etiamnum initium anni Chriſti ab illo die accerſere. Neque obſtat, quòd ſoleant anni vulgò ſignari non concepti, ſed nati Chriſti. Quia Verbi incarnatio poteſt etiam non incongruè vocari natiuitas, non quidem ex vtero ſed in vtero Virginis. Et ita loquitur angelus Matthæi 1. v. 21. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.*

Tamen, quia Chronologi ferè à Kalendis Ianuarij, vel à fine Decembris, quo natus eſt Chriſtus, annos illius ordiuntur, vt & Iulianos, & Imperatorum Romanorum & Conſulum annos omnes, quorum frequens vbique erit vſus; nos quoque initium annorum deinceps (niſi ſecùs indicemus) ab ijſdem Kalendis ordiemur.

De anno Conceptus, Natiuitatis, Baptiſmi & Mortis Chriſti.

Primò, Ioannes Kepplerus Mathematicus Cæſaris Matthiæ vult conceptum Chriſtum initio, natum in fine anni

Secundò, vetus Chronicon Weingartenſis monachi vſque ad annum Chriſti 1197. apud Henricum Caniſium: item vetuſti Annales apud Epiphaniũ, & aliud Chronicon apud Euſebium: anonymus quoq; ſed peruetuſtus chronologus; qui ante 1400. ferè annos floruit; & ex his alijſque Laurentius Suſlyga Polonus

Tertiò, Seuerus Sulpitius, & cum eo ferè Irenæus, Tertullianus, Hieronymus, Iulianus Pomerius. & Petauius

Quartò, Clemens Alexandrinus, Zonaras, Caſſiodorus, Marianus Scotus: & cum his Ill^mus. Cardinalis Baronius, Genebrardus, Toletus, Salmerõ, Serarius, Samerius, Gordonus, Sethus, Caluiſius, Ioſephus Scaliger in editione ſecũda librorũ de Emendat. tempor.

Quintò, Epiphanius, Paulus Oroſius, Euſebius, Nicephorus, Hermannus Contractus, Maſſæus Cameracenas, Nicolaus Copernicus, Tabulæ Prutenicæ, Onuphrius, Gerardus Mercator, Antonius Magirus, Tycho Brahæus: & ferè Franc. Suarez, Alfonſus Ciacconus, Sigonius, Scaliger in editione prima, Pererius, Ribera, Maldonatus, Mariana, Salianus. Miræus, Haræus, Aubertus Miræus præfat. in Chronic. Franc. Haræus de an. Chriſti Natali.

Sextò, Joannes Lucidus, Petrus Pitatus, &, vt putatur, Dionyſius Abbas, dictus ὀλίγος ſeu paruus, cũ multis alijs Chronologis —

Septimò, Paulus Middelburgenſis Foroſempronienſis Epiſcopus, Petrus de Aliaco, Alexander Scultetus, Bellarminus, Azor. Et hæc fuit vera ſententia Dionyſij Abbatis, & Bedæ. Et horum calculo vtitur hucuſque Romana Eccleſia in ſuis Martyrologijs, Breuiarijs, &c.

Iuliani	Vrbis	Regni Herodis	Auguſti, à nece Cæſaris	ab Actiaca pugna	Olympiadis	Coſſ Læli Anti
40	748	35	39	27	193. 3	
41	749	36	40	28	193. 4	Augu ſto X & L. Su
42	750	37	41	29	194. 1	Calui Sab & Pai no Ri
43	751	38	42	30	194. 2	Corn Lentu & M. Va Meſſa
44	752	39	43	31	194. 3	Auguſt XIII. S M. Plau ro.
45	753	40	44	32	194. 4	Lentul & L. Pi ſone.
46	754	41	45	33	195. 1	C. Cæſa & L. Paulo

Sunt

de anno
mòrtem

it,eas aut
i quæ lu-

&oribus
epti.Nec
lus,ſi na-
natus eſſe
lè 39.an-
tantiſque
res,an et-
lia nepo-
:ius ſocio
iam mor-
, mortuus

rinius Sy-
dixi c.44.
ium: quo
illius 43.

las Chri-
ion fuerit
es,ſi annis
iberij,ſe-
,32.33.an-
is & com-

orum pla-
fauent.Et

, annorum
:d optimè
enit.I auct
to orbe,&
ſi tyranni-
: Iudæ ſce-
, & docent
.ucas cap.1.
rdine vicis
auctoritate
conceptus
innem ipſo
ia ſeu vices
:rias ſeu vi-
les,ex præ-
,teſte Ioſe- *Ioſeph.l.5.*
ſtri Auguſti *Antiq.c.11.*
liquis Rab-
orbes hiera-
em Abiæ in *Ioſeph.l.7.*
m, qui non *Belli c.9.*
itum in fine
è omnes, ſi
rum triginta;

:dem infan-
les Matth.2.
hanius, Au-
lus, Carthu-
ciſos eſſe in-

fantes,ſub idem tempus quo & filium ſuum Antipatrum Herodes occidi iuſſit,quinto priùs quàm morere- *Ioſeph.&c.*
tur die,anno 43.Iuliano ante Paſcha,vt Ioſephus,Ioſippus,Hegeſippus,Macrobius & alij teſtantur.Quin & *ſup.*
S.Lucas c.2.v.22.& 51.videtur huic ſententiæ aduerſari, cùm dicit oblatum in templo puerum die à natali *Macrob.l.2.*
cius 40.Indeque reuertiſſe in Galilæam,& habitaſſe in Nazareth:ac poſtea demum profugiſſe in Ægyptum, *Saturn.c.4.*

quando

✠

Counar.l.1. Variar. resolut.c.12. num.2. Henriquez l.8.de Eucharist. c.11.§.10. lit.I. Io.Lucid. de die Pass. Christi c.3. & 5. Dion. Petauius l.12. de doctr.tempor c.6. & 7. Keppler.in Sua Chronologica, & lib.de Vero an. Christi. Henric. Canis.tom.1. Antiq. lection. &c. 19.Chron. Epiphan. hæresi 51. Laur. Suslygæ de anno ortus & mortis Christi. Seuer. Sulp. l.2.Sacræ Histor. Petauius sup. Epiph.sup. Oros.l.1. c.1.& l.7. cap.2. Paulus Middel. 2. part. Paulinal.7.c.2. Bellarm. tom.1.Controu.li.2.de cultu Sanctor.c.11.

NOs hî
annos
etiam ista S
Christi,qu
ætatem po
cembris in
verno; & a
ctio verno
Christi ab i
Dionysio F
fere. Nequ
potest etiai
angelus M.
Tamen,
nos illius o
frequens vl
dis ordiem

Primò, I
Matthiæ vu
fine anni
Secundò
chi vsque ad
nisium:item
Chronicon;
uetustus chr
& ex his alij
Tertiò, S
Tertullianu
tauius
Quartò, C
dorus, Maria
Baronius, G
Samerius, Ge
liger in editi
Quintò, E
cephorus, He
cenas, Nicola
phrius, Gerar
Brahæus: &
Sigonius, Scal
Maldonatus, I
bertus Miræu
an. Christi Na
Sextò, Joan
tur, Dionysius
tis alijs Chron
Septimò, Paulus Middelburgensis Episcopus, Petrus de Aliaco, Alexander Scultetus, Bellarminus, Azor. Et hæc fuit vera sententia Dionysij Abbatis, & Bedæ. Et horum calculo vtitur hucusque Romana Ecclesia in suis Martyrologijs, Breuiarijs, &c.

46	754	41	45	33	195. Sunt	1	C. Cæsare & L. Paulo.

Sunt etiam alij qui vno alteroque anno seriùs natum contendunt. Neque minor est contentio de anno mortis (consequenter & baptismi,) Christi, alijs anno Iuliano 74. alijs 75.76.77.78.79.80.81.82. mortem eius consignantibus.

Rationes singulorum non profero in medium, quòd ad manum sint, neque huius mei instituti sit, eas aut refellere aut damnare. Solùm enim ex SS. Scripturis & probatioribus auctoribus adferre decreui quæ lucem aliquam in tantis tenebris dare possint.

Constat Primò, *natum* Christū *in diebus Herodis regis*, Matth. 2. v. 1. Atqui iam vidimus c. 45. ex auctoribus ferè 20. mortem obijsse Herodem paulò ante Pascha anni 43. Iuliani, & 37. regni sui à Romanis accepti. Nec quisquam veterum (ait Sigonius) Herodem magis longæuum fecit. Quomodo ergo potuit Christus, si natus est in fine anni 43. Iuliani, vel 44.45.46. vt habent sententiæ quarta, quinta, sexta, septima, dici natus esse in diebus Herodis regis, Herode iam pridem vitâ functo? Nam quod Scaliger dicit, Herodem facilè 39. annis regnasse, Gerardus Mercator & Henricus Buntingus 40. Baronius adhuc pluribus; vellem, tot tantisque testibus comprobare possent, quot qui solùm 37. annos illi consignant. Et vt in eo fallerent auctores, an etiam in hoc omnes fallant (quod hactenus à nullo negatum memini) Caium Cæsaris Augusti ex Iulia nepotē, anno 44. Iuliano ex vrbe Roma cum exercitu missū in Orientem? vt c. 44. ex Velleio itineris eius socio & tot alijs auctoribus probaui. Atqui Caius ille priùs quàm Vrbe excederet, præsedit ibidē liti, quam moriuo iam Herode, filij eius Archelaus & Antipas de regni successione sibi mutuo mouerunt. Ergo mortuus erat Herodes ante annum 44. Iulianum, qui futurus erat annus regni eius 38.

Constat Secundò, natum Christum, cùm primam descriptionem suam faceret Cirinus seu Quirinius Syriæ præses, Lucæ 2. v. 2. Atqui descriptionem suam primā inchoauit Cirinus anno 38. Iuliano, vt dixi c. 44. continuauitque seu per se, seu per vicarium suum Sentium Saturninum, de more per quinquennium: quo exacto successorem accepit Quintilium Varum initio anni 43. Iuliani. Ergo non potuit in fine illius 43. anni natus fuisse Christus.

Et hæc quidem aduersantur, vt dixi, quatuor vltimis sententijs, vti & istud, quòd secundùm illas Christus anno 15. imperij Tiberij, quo S. Lucas cap. 3. v. 23. dicit Christum fuisse circiter 30. annorum; non fuerit nisi 26.27.28. vel summum 29. annorum cùm baptizaretur à Ioanne. (Tot enim, nec plures reperies, si annis imperij Augusti, quos istæ sententiæ reliquos faciunt à nato Christo, adieceris annos 15. imperij Tiberij, secundum dicta suprà c. 44.) Et quòd Christus cùm pateretur in cruce, non inchoarit nisi 30. vel 31.32.33. annum: nisi faciant Christum pluribus quàm tribus cum medio annis prædicasse. quod Euangelistis & communi traditioni aduersatur.

Primæ sententiæ similiter officit, quòd secundùm illam Christus anno 15. Tiberij fuerit 32. annorum planè completorum: & 36. egerit cùm cruci affigeretur. Vt alia omittam, quæ opinioni illi minùs fauent. Et quòd auctoribus fautoribusque destituatur.

Secundæ sententiæ nocere videtur, quòd secundùm illam Christus anno 15. Tiberij fuerit 31. annorum completorum: & 35. inchoarit cùm cruci affigeretur. Alioquin hæc sententia in nullo pugnat, sed optimè quadrat cū omnibus sacris & profanis historijs ac chronologijs: quod nulli alteri sententiæ conuenit. Fauet eidem, quòd illo præcisè anno 41. Iuliano, quo ponit illa natum Christum, pax fuerit generalis toto orbe, & Ianus ab Augusto clausus, vt dixi c. 44. Quòd fuerit idē ille annus quo Iudæi, longa Herodis fessi tyrannide, sese tandem vltrò illius imperio & sceptro subdiderunt, fidei sacramentū præstando; atque ita Iudæ sceptrum ad alienigenam transtulerunt. quæ certa primi aduentus Messiæ indicia Patres assignant, & docent Driedo, Landus, Petrus Garsias, Salmeron, Ribera & alij. Denique fauet illi sententiæ, quòd S. Lucas cap. 1. v. 5. dicit in euangelismo Ioannis Baptistæ, *vicem* fuisse *Abia*: & Zachariam qui erat de vice Abia, ordine vicis suæ incensum tunc adoleuisse Deo in templo. Cùm enim ex certissima traditione, & SS. Patrum auctoritate constet, Ioannem conceptum in æquinoctio autumnali, natum in solstitio æstiuali, sicut Christus conceptus est in æquinoctio verno, natus in solstitio hiemali: imò plerique asserant, conceptum fuisse Ioannem ipso Scenopegiæ festo, 15. Tisri, 29. nostri Septembris, & quidem in Sabbatho; non potuit ephemeria seu vices Abiæ in mensem Septembrem incidere, nisi anno 40. Iuliano. Vt patebit, si cui libuerit, ephemerias seu vices omnes (quibus successiuo ordine seruiebant hebdomadatim in templo 24. familiæ sacerdotales, ex præscripto Dauidis 1. Paralip. 23. neque vlli vmquā interruperunt aut interpolarunt suum ordinem, teste Iosepho & alijs) retrogrado ordine, sed infallibili calculo supputare à 9. die mensis 5. Ab, seu à 4. nostri Augusti anni 115. Iuliani, quo die miles Titi potitus est tēplo, & ephemeria *Ioiarib*, teste Seder-olā, & reliquis Rabbinis cum Iosepho, inseruiebat tum templo. Si cui, inquam, libuerit, ab illo die per omnes retro orbes hieraticos istarum 24. familiarum regredi, comperiet, numquam sub id tempus ephemeriam seu vicem Abiæ in Septembrem mensem incidisse, nisi anno illo 40. Iuliano, quem dixi. Et consequenter, Christum, qui non nisi medio anno secutus est Ioannem, Lucæ 1. v. 36. conceptū fuisse initio anni 41. Iuliani, & natum in fine eiusdem. Hæc, inquam, & plura alia valdè commendant hanc sententiam. Et irent in illam penè omnes, si persuaderi ipsis posset, illud Lucę 3. v. 1. & 23. *Iesus* anno 15 imperij Tiberij *erat incipiens quasi annorum triginta*; exponendum esse de anno 32. inchoato.

Ioseph. l. 5. Antiq. c. 11.

Ioseph. l. 7. Belli c. 9.

Tertia sententia nihilo leuioribus incommodis, imò longè grauioribus, laborat. Nam & cædem infantium & mortem Herodis non differt vltra trimestre à nato Christo, cùm tamen iusserit Herodes Matth. 2. necari omnes infantes *à bimatu & infra, secundùm tēpus quod exquisierat à Magis*. Et Eusebius, Epiphanius, Augustinus, Nicephorus, Cedrenus, Eucherius, Anselmus, Haymo, Beda, Hugo Cardinalis, Liranus, Carthusianus, S. Thomas, Antoninus, Abulensis, & penè omnes alij auctores velint anno 2. Christi occisos esse infantes, sub idem tempus quo & filium suum Antipatrum Herodes occidi iussit, quinto priùs quàm moreretur die, anno 43. Iuliano ante Pascha, vt Iosephus, Iosippus, Hegesippus, Macrobius & alij testantur. Quin & S. Lucas c. 2. v. 22. & 51. videtur huic sententiæ aduersari, cùm dicit oblatum in templo puerum die à natali eius 40. Indeque reuertisse in Galilæam, & habitasse in Nazareth: ac postea demum profugisse in Ægyptum,

Ioseph. &c. sup. Macrob. l. 2. Saturn. c. 4.

quando

quando futurum adhuc erat, vt Herodes quæreret puerum ad perdendum eum, Matth. 2. vers. 13. Accedit quod de *rice Abia* paulò antè notaui, & alia quæ huic sententiæ incommodant.

Eligat lector quamcumque voluerit sententiam, & quam minoribus incommodis obnoxiam senserit: neque enim vlli certæ sententiæ adstringimur, vt ex iam dictis patet. Nam quod de vulgari Romanæ Ecclesiæ calculo, quem Dionysianũ vocant & quo vsa est hucusque Ecclesia, secundùm quem præsens hic annus quo hæc scribo est 1630. quidam arbitrari possent, eum iudicio Ecclesiæ comprobatum esse, nec licere ab eo deflectere; frustra est: neque enim ea mens est Ecclesiæ, quæ non aliter vtitur calculo Dionysiano, quoad tempora Christi, quàm calculo vtatur Eusebiano quoad tempora ante Christum (in quibus tamen peritiores quique Chronologi plus mille annis dissentiunt ab Eusebio) & vsa est Kalendario, Breuiario, imò & Biblijs nõ adeò correctis, vsque ad tempora Sixti V. Nempe solum vsum voluit, fortè quia tunc meliora ad manum non erant. Cæterùm vitia non probat; sed corrigit cùm commodum fuerit. Quòd haud dubiè circa Dionysianum quoque calculum (qui maximè inualuit 512. anno à nato Christo) iã pridem præstitisset, nisi vsus illius iam nimis inualuisset, & sine ingenti totius orbis incommodo mutatio illa fieri non posset, cùm publica instrumenta omnia iam à mille annis secundùm eum calculum confecta sint. Vnde & Illustriss. Annalium scriptor Baronius, licèt toto biennio præuertat calculum Dionysij quoad diem natalem Christi, ne tamen perpetuò dissideret à Dionysio, potiùs in progressu historiæ duo paria Consulũ ex Fastis erasit, Fuluiũ Æmilianum & Pomponium Bassum 2. anno Christi 259. & Cornelium Sæcularem cum Iunio Donato, anno Christi 260. quos tamen omnes alij agnoscunt & admittunt. Simili modo Onuphrius Panuinius, Mercator & alij, quo citiùs in eandem Dionysij æram deuoluantur, eradunt M. Aurelium Probum Augustum & Anicium Paulinũ Consules anni Christi 277. & alij alios. Ego malim ingenuè fateri, me in natali Christi, cùm quæstio de illo instituitur, toto biennio, triennio, quadriennio, prout exigit sententia quam sequi decreuerim, præuertere calculum Dionysij, quàm loco mouere Consules, & fæculo tot annos eximere. Ceterùm in subducendis annis sequentibus, rebusque toto orbe gestis recensendis insistam perpetuò Dionysij calculo, cùm is vsus iam inualuerit: hoc semel præmonuisse contentus, æram Christi quã mihi pro vera delegerim, toto biennio, triennio, vel quadriennio anteuertere æram Dionysianam: & annum Christi, qui secundùm Dionysium iam est 1630. secundùm verum calculum esse 1632. 1633. vel 1634. Nam annum primum à nato Christo Dionysianum ex æquo competere cum 46. anno Iuliano, Mathematicis ac Chronologis omnibus pro indubitato est. Vnde tot annis calculum Dionysianum in inchoanda vera æra Christi anteuerto, quot annis præuerto 46. annum Iulianum.

Manet ergo plena cuique libertas deligendi pro Christi natali qualemcumque voluerit annum. Ex suprà dictis solùm notandum, si quis natalem Christi, ac consequenter conceptionẽ, cum prima sententia affigat anno 40. Iuliano, cùm is sit annus conditi mundi 4000. secundùm calculũ cui hactenus institimus, conformiter dicat, conceptum Christum initio anni 4000. natum verò sub finem eiusdem. Qui cum secunda sententia delegerit annum 41. Iulianum, dicat conceptum initio 4001. lapsis præcisè 4000. annorum: natum verò sub finẽ eiusdem. Qui 42. 43. 44. &c. totidẽ annis seriùs natalem Christi cum natali mundi connectat. Nam

Ab orbe & primo Adamo condito vsque ad diluuij finem; quæ fuit prima mundi ætas,	anni 1656		cap. 8.
A fine diluuij vsque ad egressum Hebræorum ex Ægypto; quæ fuit secunda ætas,	anni 887		cap. 12.
Ab egressu Hebræorum ex Ægypto, vsque ad annum primum quo condi cœpit templum Salomonis; quæ fuit tertia mundi ætas,	anni 480		cap. 1[illegible].
A condi cœpto templo Salomonis, vsque ad finem captiuitatis Babylonicæ, & monarchiæ Chaldaicæ, fuitq; quarta mundi ætas,	anni 452		cap. 29.
Ab extincta monarchia Chaldaica, & relaxata captiuitate Iudæorum per Cyrum primum Persarum monarcham, vsque ad finem eiusdem monarchiæ Persarum,	anni 200		cap. 36. 37.
Ab extincta monarchia Persarum, & primo anno monarchiæ Græcorum, vsque ad finem eiusdem, & initium monarchiæ Augusti seu Romanorum, quæ cœpit à morte Cleopatræ, vltimæ Ptolemæorum & Græcorum reginæ,	anni 300		cap. 36. 39.
Denique à morte Cleopatræ, vsque ad 25. Martij anni 41. Iuliani; qui fuit 40. annus principatus Octauiani Augusti (inchoando hunc illius principatum à nece Iulij Cæsaris) effluxerunt	anni 25		c. 44. & seq.
	4000		

Quòd si ergo conceptum senseris Christum isto iam dicto anno 41. Iuliano, dic consequenter, ab orbe & primo Adamo condito, vsque ad secundum Adamum Christũ in vtero Virginis conceptum, fluxisse præcisè integros annos 4001

Quòd si anno 42. Iuliano; tum adiecto vno anno dic fluxisse annos 4002

Si 43. vel 44. consequenter adiectis tantò pluribus annis, dic fluxisse annos 4002. vel 4003. &c.

Hactenus de anno conceptus & ortus Christi: iam de anno baptismi, vbi nec tanta est opinandi libertas, nec tanta probatorũ auctorum dissensio, Frænos iniicit S. Lucas c. 3. v. 1. & 21. vbi dicit Christum à Ioanne baptizatũ esse *anno 15. imperij Tiberij Cæsarũ*, id est anno 73. Iuliano, Coss. Iulio Sylano & Silio Nerua, Olympiadis 201. anno 3. & Vrbis 780. Neque hac de re dubium vlli esse potest, tum ob vnanimem penè omnium auctorum consensum: tum quia solus annus iste est 484. seu annus primus 70. hebdomadis Danielis, initio ducto à reconstructa per Nehemiam Ierosolyma, dedicataque mense Tisri, seu nostro Octobri anni 4. Olympiadis 80, vrbis Romæ 297. vt docui cap. 38. Nam subductis calculis, deprehendes ab illo

Octobri

Octobri vsque ad Octobrem anni 72. Iuliani, 14. imperij Tiberij effluxisse præcisè hebdomadas 69. seu annos 483. cum trimestri pòst, nempe sub initium Ianuarij anni 73. Iuliani, 15. imperij Tiberij (nam semper anni illi inchoabaatur à Calendis Ianuarij) Christus à Ioanne baptizatus est, & prædicationem suam exorsus est. Denique hic annus 73. Iulianus is solus est, qui 46. à Iudæis dici potuit Ioannis 2. ex quo templum Ierosolymitanum ab Herode reædificari cœptum est anno 27. Iuliano, vt dixi cap. 45. Nec est quòd his probandis diutiùs immoremur. Vti neque alteri quæstioni, quæ hîc moueri solet, *Quoto ætatis suæ anno Christus baptizatus fuerit*. Hæc enim soluta mânet ex dictis de anno natali Christi. Quò enim viciniùs vel remotiùs anno 73. Iuliano fixeris natalem Christi, eò plures pauciores ve annos Christo cùm baptizaretur assignes oportet. Solùm curandum ne in figendo natali Christi longiùs abeas, quàm vt triginta annorum præter propter in baptismo dici possit. Nam S. Lucas eodem c. 3. v. 23. expressè dicit, cùm 15. anno imperij Tiberij baptizaretur, *Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta*. Etsi enim voculam illam, *incipiens*, non ad ætatẽ vel annos Christi cum Eusebio, sed ad manifestationem seu prædicationem Christi referas, cum Iustino, Tertulliano, Clemente Alexandrino, Epiphanio, Augustino aliisq; quos citat & sequitur Baronius, Toletus & Salmeron, vt sensus sit, Christus cùm iuxta vaticinium Danielis inciperet doctorem agere & prædicare verbum Dei, seque manifestare mundo, erat quasi 30. annorum. Et huic fauet textus Græcus, ἦν ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὢν, *ipse erat quasi annorum triginta incipiens* seu *cùm inciperet*: Tamen illud, *quasi triginta annorum*, nos ex parte coarctat, ne pro libito diuagari possimus: saltem non ausim vltra vnum annum ante vel post trigesimum exspatiari: hoc tamen liberè ausim. Neque enim posset meritò falsitatis argui, qui diceret, *quasi* vel *circiter triginta annorũ* esse eum qui 31. compleret, vel 30. solùm inchoasset: maximè cùm exempla similia existent quàm plurima, vt illud, quod in antiquis Breuiarijs de *S. Augustino* legebatur, *baptizatum* eum fuisse *anno ætatis circiter tricesimo*: cùm constet ipsiusmet Augustini confessione, id factum *anno vitæ* eius 33. quo etiam anno id factum iam quoque in modernis Breuiarijs signatur.

Iustin. in Dial. cum Tryphone. Tertull. lib. cont. Iudæos cap. 8. Clem. l. 1. Strom. Epiph. hæresi 51. Aug. l. 2. de Doct. Christiana c. 28. Baron. ad ann. Christi 31. & in Apparatu, num. 107. Toletus ann. not. 2. in c. 3. Luc. Salm. to. 12. Proleg. 38. conclus. 8. & to. 4. tract. 7.

Aug. l. 9. Confess. c. 11.

De anno mortis Christi multi multùm dissentiunt: sed stabilito anno baptismi, nempe initio 73. Iuliani, 15. Tiberij, &c. non video quomodo solidè quis possit dubitare de anno mortis, cùm tam ex Euangelistis, quàm ex perpetua traditione habeamus, Christum non nisi tribus annis cum trimestri prædicasse: seu à baptismo superuixisse, vt patebit ex cap. 49. Neque vllus est veterum qui prædicationi Christi solidum quadriennium tribuat. Et quomodo alioquin in medio 70. hebdomadis, quod prædixit Daniel, occisum Christum demonstrabimus? Accedit definitio Synodi Cæsariensis in Palæstina, à Theophilo Cæsariensi Episcopo, iussu Victoris Papæ Romani collectæ iam ante 1400. annos, cùm penè recens adhuc esset facti memoria. Definit enim, passum fuisse Christum 23. Martij, & 25. resurrexisse, qui sunt certissimi indices anni 76. Iuliani, 18. imperij Tiberij, Tiberio Cæsare V. & L. Ælio Seiano Coss: vrbis Romæ 783. finientis, Olympiadis 202. anni secundi. Neque enim potest alio anno 23. Martij in feriam sextam, quâ passum Christum constat: neque 25. in feriam primam hebdomadæ seu Dominicam diem incidere, quâ certũ est Christum resurrexisse, quàm illo quo cyclus lunæ 13. cum cyclo solis 12. concurrit: epacta XIX. littera Martyrologij u. Dominicali G. quæ soli anno Iuliano 76. seu Dionysiano 31. conueniunt. Idem comprobatur ex morte L. Ælij Seiani Consulis huius anni, qui collegæ suo Tiberio Imper. ad senatum referenti, de Christo Ierosolymis crucifixo sed mox rediuiuo, & tot miraculis coruscante, in Diuorum numerum referendo, pertinaciter restitit cum reliquo senatu: sed ante finem anni Consul ipse ab ipso Tiberio collega suo cum alijs pluribus Patricijs infami morte sublatus est anno 76. Iuliano, vt Tacitus & Dio annotarunt: & Iacobus Pamelius ait hanc cõstantem esse omnium historicorum narrationem. Ex qua saltem patet, Christum vltra annum 76. Iulianum non superuixisse. Sed neque antè mortuum fuisse constat ex suprà dictis de baptismo Christi, ergo. Denique ex infradicendis cap. 50. constabit diuisionem Apostolorum contigisse anno 87. Iuliano, 2. Claudij, 12. à morte Christi: Iacobum fratrem Domini martyrio affectum anno 105. Iuliano, 7. Neronis, 30. à morte Christi inchoato: Principes Apostolorum Petrum & Paulum cruce & gladio eiusdem Neronis necatos anno 112. Iuliano, 13. Neronis, 37. à morte Christi: Ierosolymam à Tito expugnatam anno 115. Iuliano, 40. à morte Christi: Ioannem Euangelistam obijsse anno 143. Iuliano, Traiani 1. à morte Christi 68. Atqui nullus alius quàm 76. annus Iulianus est inchoatus 12. ab 87. 30. à 105. 37. à 112. 40. à 115. 68. à 143. ergo.

Tacitus l. 5. & 6. Annal. Dio Cass. li. 58. Iac. Pamel. annot. 57. in cap. 4. Tertulliani Apologetici.

Apud Bedã in opusculo de Æquinoctio verno. & de Ratione temporũ c. 42 49. 65.

CAPVT XLVIII.

De mense & die & hora Conceptionis, Natiuitatis, Baptismi, Mortis & Resurrectionis Christi.

PRIMA CONCLVSIO. Conceptum Christum in æquinoctio verno, 25. Martij: natum in solstitio hiemali 25. Decembris, antiqua & constans est Ecclesiæ traditio. Sed displicet plerisq; Nouantibus. Inter quos Matthæus Beroaldus, hæreticus Caluinianus nostro æuo primus omnium illam conuellere conatus est, conceptionem Christi affigens solstitio hiemali in Decembri, natiuitatem æquinoctio autumnali in Septembri: Ecclesiam vniuersã pudendi erroris insimulans, quæ hucusque id non obseruarit. Beroaldo Caluinistæ subscripsit Andreas Ostander Lutheranus. Et vtrique Iosephus Scaliger, qui se id pro comperto habere iactat: additque, institutionem festi natalitij 25. Decembris nouam ac nuperam, & verò etiam erroneam esse, & paulò ante D. Ioannis Chrysostomi tempora exortam. Huic alter hæreticus chronologus Sethus Caluisius, & quidam alij manus dedere. Et ecce demonstrationem à priori, qua se rem hanc luce meridiana clariorem habere iactant: Lucæ 2. dicitur: *Pastores erant in eadem regione vigilantes*, græcè ἀγραυλοῦντες, id est, in pastorali vigilia excubantes. Nempe pastores non excubant media hieme.

Sethus Caluis. in Isagoge Chronolog. c. 46.

Id sanè de Caluinistis & Lutheranis pastoribus molliculis facilè concesserim, qui Borcales ferè plagas incolunt, nec frigora nocturna ferunt quæ locis istis maxima esse solent. At de Palæstina, ceterisque Orientali-

bus & Australibus regnis ita opinari stultissimũ est; cùm istic etiam media hieme & prata vireant,& campi floribus,& siluæ frondibus vestiantur,& arbores pomis onustentur, & greges sub dio pernoctent, & iuxta seu accubent,seu adsideant pastores. Sed pudet,in re tam clara,tam certa experientia vbique contestata tot verba commutare. Quid; quòd & hæreticos ipsos pudeat tam probrosi Symmystarum suorum erroris. E quibus vnus Henricus Buntingus: *Non satisfacit*,inquit,*nobis Beroaldi demonstratio: Plus enim tribuendum est tot SS. Patrum traditionibus, ab vniuersa Ecclesia Dei receptis & approbatis, quàm vnius Beroaldi coniectura, quæ SS. Literis non satis probari potest. Præsertim cùm SS. Patrum traditiones cum SS. Biblijs & mathematicis obseruationibus conueniant, à quibus Beroaldus interdũ satis procul abberrat.* Hæc ille. Qua verò fronte audent singere,natalẽ Christi in hieme non nisi paulò ante æuum Chrysostomi celebratũ fuisse;cùm ipse Chrysostomus,vbi dixisset, *Christũ natum 25. Decembris*; mox subdat: *Non sunt nostra quæ loquimur: maiorum sententia est.* Quorum verò maiorum? *A Petro*,inquit,*& Paulo, ceteriſq; discipulis Christi, ecclesia hoc didicerunt.* Quod autem ibidem ait: *Nondum decem elapsi sunt anni, ex quo nobis dies illa innotuit*;mox explicat adiunctis verbis: *Nouiter innotuisse Constantinopolitanis: sed Ecclesiæ Christi innotuisse ab ipso tempore Apostolorum.* Quibus etiam Clemens Romanus id ipsum adscribit.

Buntingus in sua Chronol.

Chrysost. homil. de natiuitate Domini.

Clem. l. 5. Apostolicarum tradit. c. 12 alias 13.

II. CONCLVSIO. Incarnatus est Filius Dei 25. Martij,ea nocte,seu vespera quæ lucem primæ feriæ (quam Dominicam diem vocamus) est consecuta,& secundæ feriæ lucem est antegressa:ita vt incarnatus dici possit die Dominica finiente (vt dicunt Patres infrà citandi conclusione 6.) vel inchoante feria 2. (nam Hebræi dies suos inchoabant à vespera, vt dixi c. 1.) Quota verò noctis hora fuerit,à nullo,quod sciam,definitur. Verosimile est sub medium noctis, vti natum, sic & conceptum fuisse Christum,vt nouem præcisè menses intercurrisse dicantur.

III. CONCLVSIO. Natus est Christus media nocte,quæ lucem feriæ 3. (quam diem Martis vulgò vocant) est consecuta,& 4. feriæ (seu diei Mercurij) lucem est antegressa. Vnde & feria 4. natus dicitur, quâ eâdem sol primùm illuxit mundo. Erat porrò tum 4. illa feria,25. dies mensis Decembris. Ita habet traditio Ecclesiæ.

Petes,an præcisè in ipso puncto æquinoctij conceptus, & solstitij natus fuerit Christus?

Respondeo, Verisimilius est,ita factum: nam licèt dicamus conceptum & natum 25. die,quæ facilè 50. vel 60. horis sequi debuisset verum punctum æquinoctij vel solstitij, si præscriptam à Iulio Cæsare nouam correcti anni formam, & debitam diei vnius post quartum quemque annum intercalationem sacerdotes, quorum hæc erat cura,obseruassent: quia tamen præpropera sua diei illius intercalatione post tertium quemque annum,rem totam turbarunt,totoque biduo, imò ferè triduo diem 22. mensis,quo verum punctum æquinoctij & solstitij occurrere debebat,à sede seu puncto vero æquinoctij & solstitij diiunxerunt, vt dixi cap. 44. inde factum vt verum æquinoctij & solstitij punctum illo anno non iam 22. vel 23. sed 25. diem Martij & Decembris occuparit. Similem errorem notant quidã accidisse,sed alio ex capite (nempe ex erroneo cyclo paschali,qui vt iam subinde in Ecclesia Romana,sic multò frequentiùs in Synagoga Iudaica,deuiasse vno altero ve die deprehensus est à vero & astronomico plenilunio) eo anno quo passus est Christus: putant enim feriam quintam,diem tum 14. mensis Nisan,quâ finitâ Christus ad vesperam secundùm præscriptũ synagogæ comedit cum discipulis suis agnũ paschalem,& instituit Ven. Eucharistiam,non fuisse secundùm verum calculum astronomicum nisi 13. lunam: & 14. demum illa vespera cœpisse,finijsseque die Veneris seu feria 6. ad vesperam paulò post mortem Christi. Vnde consequenter dicunt,etiam pontifices reliquosq; sacerdotes illâ demum vesperâ quæ mortem Christi consecuta est,comedisse agnum paschalem. Cùm enim solerent Iudæi,vt solent etiamnum hodie,propter illam cycli neomeniorum & pleniluniorum incertitudinem,duplicare sua festa,saltem præcipua (vt ex Rabbinis docent Epiphanius,Paulus Forosempronienſis, & Iosephus Scaliger) liberum erat cuique vtrũ vellet diem deligere. sed sacerdotes,qui videri volebant religiosiores,ferè deligebant sibi posteriorem diem,tum quia celebrioris erat (nam illo solo feriandũ erat ab opere:) tum quia sic meliùs populo subseruire poterant priore die,quem mactandis populi hostijs ad libitum cuiusque totum impendebant. Quod si ita fuit, (vt fuisse sentiunt Epiphanius & Græci omnes,Augustinus, Ioannes Hentenius, Marcellus Francolinus & quidam alij) figura agni paschalis concinnè admodum respondit suo figurato, putà Christo crucifixo & mortuo eâdem horâ & temporis puncto, quo agnus typicus immolabatur à sacerdotibus,putà in puncto horæ nonæ ante solemnem Paschæ diem.

IV. CONCLVSIO. Baptizatus est Christus die 6. Januarij,feria 3. nempe eâdem hebdomadæ die quâ olim *segregarat Deus aquas quæ sub cælo sunt in locum vnum, vt appareret arida*,Gen. 1. Eâdem quoque & mensis & hebdomadæ die, qua primo vitæ suę anno fuerat in stabulo Bethlehemitico adoratus à tribus Magis. Ita ferè Epiphanius,Eusebius, Cassiodorus, Cuspinianus, Hieronymus, Marcellinus Comes, Marianus Scotus, Chronicon Siculum, Arnoldus Pontacus,Beda,Mercator, Cedrenus,Ioannes Funccius & plures alij. Eratque annus baptismi Christi,bissextilis,littera Dominicali D. C. cyclo lunæ 10. solis 9. Epacta XVI. cum littera Martyrologij r. Quæ in solum quadrant annum 73. Iulianum,ac proinde illi solo,vt dixi cap. præced. potest consignari baptismus Christi.

Videtur verò Ioannes Baptista cum ipsis Calendis eiusdem anni 73. Iuliani inchoasse prædicationem & baptizationẽ suam: atque ita Christum ex primis fuisse qui ab eo baptizati sunt,iuxta illud Malachiæ 3. v. 1. *Ecce ego mitto angelum meum*,&c. *& statim veniet dominator quem vos quæritis*,&c.

Notã,cùm ex iam dictis constet,baptizatum Christum initio anni 73. Iuliani;& annus imperij Tiberij 15. (quo Lucæ 3. dicitur baptizatus Christus) non cœperit nisi 19. Augusti eiusdem anni,inchoando annos imperij Tiberij à morte Augusti Cæsaris; certum esse, S. Lucam non sic supputasse annos Tiberij, sed more Romanorum κατὰ πρόληψιν, à Calendis Ianuarijs annos principum semper inchoantium, etiamsi in medio anni decursu principes imperium suum inchoassent, vti inchoauit Tiberius,& alij. Quod notandum etiam pro anno 18. imperij Tiberij,quo cap præced. diximus (simili calculo) Christum fuisse crucifixum.

V. CONCLVSIO. Mortuus est Christus die 23. Martij, feria 6. horâ 9. secundùm computum Hebræorum, secundùm nostrum hora 3. post meridiem. Ita Synodus Cæsariensis suprà cap. præced. citata. Paulus Middelburgensis 2. p. Paulinæ l. 5. c. 1. & 2. plurimos pro hac die citat. & subscribunt Hippolytus in Chronico, Lactantius

ctantius l.4.de Vera sap.c.10.Beda,Ado,Cedrenus,Anselmus,Anastasius Antiochenus & alij complures.Et colligitur ex cyclo lunæ 13.solis 12. Epacta xix. littera Martyrologij u. Dominicali G. quæ indicant, 23. Martij anni 76.Iuliani incidisse in diem Veneris seu feriam 6.quâ constat Christum mortuum fuisse. Neque potuit hoc,vel alio anno,vel alio mense,vel alio accidisse die.Si enim mensis Aprilis diem aliquem fuisse dixeris,vt quidam dixere:vel Martij mensis diem 7.17.vel (vt dicebant Tessareskaidecatitæ hæretici sic dicti à 14.Luna,qua volebant Pascha quotannis celebrari,) vel 20.(vt dixit Epiphanius)vel 21.(vt innominati quidam apud Clementem Alexandrinum) vel 22.(vt dixisse Epiphanium putat Franciscus Suarez) vel 25.(vt dixit Tertullianus,Chrysostomus & Augustinus)vel 26.(vt Victorius Lemouicensis) vel aliũ quẽcumque à 23.Martij;numquam reperies hoc anno, vel etiam vicinis alijs annis,Parasceuen Paschæ Iudæorum,qua constat Christum mortuum esse,incurrisse in feriam 6.

Epiphan. hæresi 50. & 51.

Igitur mortuus est Christus tum die mẽsis,tum hebdomadæ feriâ(quidni & horâ?)eâdem,quâ Adam eiectus est de paradiso.Ita Irenæus,Origenes & Alcuinus.Sicut crucem ascendit eâdem meridiei horâ, forsan & puncto horæ,quo Adam ad pomum ligni vetiti manum extenderat:eodem quoque,quo Isaac à parente immolatus penè fuerat.Vide Petrum de Natalibus. Eodẽ die mensis,feriâ & horâ latro restitutus est paradiso, quo Adam inde iectus, inquit S.Chrysostomus.Eodem Eua væ audiuit, & Maria Aue,inquit idem Chrysostomus & Cyrillus Alexandrinus.Sed hoc intellige iuxta dicta suprà post 3.Conclusionem. Vtrumque enim accidit in verno æquinoctio. Rursus eodem die & hora clausus & apertus fuit paradisus, inquit Hugo Horiacensis.Porro Adamum & Euam eâdem die & creatos à Deo,& lapsos,& paradiso expulsos fuisse, nempe 23.Martij,docet Beda,Marianus Scotus & plurimi alij:licèt nonnulli velint octiduo antè creatos fuisse,quod non minùs probabile videtur.Denique eâdem die tum hebdomadæ,putà feria 6.tum lunæ, nempe 15.forsan & mensis Martij 23.(nam quidam id factum volunt 25.) egressi sunt filij Israel ex Ægypto, vt dixi cap.19.

Petr.de Natalib.l.3. Catalogi SS. c.88. Chrysost. homil.2.de cruce & latrone. & homil.de Annunciat. Cyrill.epist. ad Synodum Carthaginiensem. Hugo Floriac. apud Mart.Polonum l.4. Chronici. Beda in c.2. Genes. Mar.Scot. l.1.chronici c.8.

Anast.Nicenus Episcopus q.92. in S.Script. extatto.1. Biblioth. Sanct. Chrysost. serm.de natalitiis Baptistæ. Lactant. l.4 de Vera sapientia c.10. August. serm.22.de Tempore.

VI.Conclvsio.Resurrexit Christus die 25.Martij, feria 1.(quam inde Dominicam vocamus) cum aurora diei.Patet ex Synodo Cæsariensi supr.cit.& alijs iam dictis conclusione 5.Et expressè docet Anastasius Nicenus,Nicephorus Gregoras,Cedrenus,Chrysostomus,& ex Latinis Lactantius,Augustinus,Anselmus, Beda,Hermannus Contractus & alij,qui dicunt,eâdem die tum mensis,tum hebdomadæ conceptum Christum fuisse,& resurrexisse:sed cum aurora surrexisse,cum vespera seu nocte sequenti conceptum esse.Dicunt etiam, eâdem die, nempe prima hebdomadæ seu Dominica,mundum primò conditum fuisse, inchoando diem à prima vespera.Sed hoc de die mensis Martij 25.intelligi non potest,vt patet ex dictis in cõclusione 5.

Porrò vnanimem hunc SS.Patrum consensum de die resurrectionis Christi 25.Martij, agnoscit quoque, licèt non sequatur Iosephus Scaliger. Et certum est,inde originem traxisse priscum morem Christianorum, celebrandi semper Pascha 25.Martij,in quamcumque demum hebdomadæ feriam incidisset:vt de Ecclesijs omnibus Gallicanis testatur Beda & Martinus Dumiensis:de Cappadocibus alijsque populis Epiphanius:de Græcis,omnibusque Asianis,&c.Paulus Middelburgensis.Durauitque mos iste,donec Ecclesia iussit,prima semper Dominica post 14.lunam quæ æquinoctium vernum consequitur, Pascha celebrari. Ex eodem fonte etiam illa multorum coniectura promanauit,extremum iudicium & corporum resurrectionem 25.Martij,die quoque Dominica orbi obuenturam,nempe quia Christus primitiæ dormientium, illa die & illa feria resurrexit.

Beda de Rat.temp. c.45. Mart. Dumiens. l.de Paschate.

CAPVT XLIX.

Series annorum & gestorum Christi,à prima die qua conceptus est, vsque ad vltimam qua in cælum ascendit.

ANno primo,mensis Martij 25.die conceptus est } vt dixi cap.præced.
Decembris 25.die natus est }

Intermedio solstitio æstiuo natus est Ioannes Baptista,vt est communis traditio,de qua egi cap.47. in secunda sententia.

Octauo pòst die,feria 4.Ianuarij 1.circumcisus est Christus à Iosepho,ait Ephrem & in stabulo, inquit Epiphanius,& à Sentio Saturnino,nomine Quirinij Syriæ tum præsidis,descriptus est,inquit Tertullianus & alij,vt dixi cap.47.

Ephrem homil.de Transfiguratione. Epiph.l.1. de Hæresib. c.penult. Tertull.de Pallio c.1.

Decimatertia ab ortu Christi die,6.Ianuarij,in stabulo à Magis adoratus est,vt habet communis opinio,licèt Henricus Buntingus hæreticus Chronologus velit id factum anno ætatis Christi secundo inchoato.Neque verò stella in Oriente apparuit Magis ante ortum Christi. Et potuerunt dromedarijs suis facili negotio,paucis diebus,ex Arabia,quæ Orientalis est Iudææ, in Bethlehem aduolasse.Ita Iustinus, Tertullianus,Cyprianius,Epiphanius,Chrysostomus & alij.

Quadragesima ab ortu die,Ierosolymis in templo præsentatur,vlnis Simeonis excipitur,ciusque,vt & Annæ;prophetiis inclarescit.Inde Nazarethum concedit cum parentibus. Cum quibus pòst paulò fugit in Ægyptum: quo die, quo mense incertum: certum non hæsisse toto biennio. Et hanc communem esse sententiam,& antiquitus pro vulgari habitam concedit Maldonatus in Matth.2.v.14.Ipsique etiam hæretici,Ioannes Funccius & Henricus Buntingus,plus minùs anno 1. Christũ in Ægypto hæsisse affirmant.

Anno secundo Christi,sub initium Martij (quo tempore olim quoque mortua fuit Rachel) *occidi iussit Herodes omnes* Bethlehemiticos infantes *à bimatu & infra, secundùm tempus quod exquisierat à Magis*,Matth.2.Sub idem tempus,quinto die ante mortem suam,iussit Herodes etiam filium suum Antipatrum occidi, obtentâ priùs ab Augusto Cæsare facultate in eum animaduertendi,sicut antè in duos alios filios suos Alexandrum & Aristobũlum,cum eiusdem licentia animaduerterat. Eodem tempore etiam Synedrion Iudæorum, & Pharisæos complures, qui cum nollent regem agnoscere, de medio sustulit, reliquis metu com-

Ioseph.l.17. Antiq.c.3. & 7. Euseb.ad ann.1.& 2. Olymp.19.

compulsis in sua verba iurare. Vide Iosephum, Eusebium, & alios. Et facile id erat Herodi, cùm summus pontifex esset eius socer Simon Boëthi filius, ex æquo, vt credere par est, insidiator Messiæ, & gloriæ Herodis zelator. Et fiebant omnia conscio amico Herodis Quintilio Varo Syriæ tum præfecto, inquit Iosephus. Vnde etiam veritus non fuit Herodes, penè omnes proceres Iudæorum in carcerem rapere, & verò etiam necasset, nisi morte præuentus ipse fuisset. Sed eo defuncto, Salome, eiusque coniux Alexas, quibus cædem procerum demandarat iam moriens Herodes (vt vel sic saltem cogeret Iudæos omnes lugere, quos sentiebat sua morte & malis plusculum gaudere) proceres captos domum quemque suam remisere. Ita Iosephus, Iosippus & alij.

Ioseph.l.17. Bellic.21. Iosipp.l.5. cap.41.

Mense Martio, paulò ante Pascha, & paulò post infanticidium (vt Iosephus l.17. Antiq.c.8. insinuat, & hæretici Funccius, Buntingus, Chytræus, Caluisius, Scaliger fatentur) diuina vltione moritur Herodes, Iudææ totius simul & Samariæ rex. Cùm sub idem tempus obijt etiam Obodam rex Damasci Syriæ. Atque ita impleta fuit prophetia Isaiæ 7.v.16. *Antequam sciat puer* (Emanuel) *reprobare malum, & eligere bonum*, id est, antequam ad tantulam ætatem deuenerit, quâ solent pueri vel à longè discernere malum à bono, seu vti ratione etiam perobscura, *derelinquetur terra quam tu detestaris*, nempe Samariæ & Damasci, *à facie duorum regum suorum*, qui tunc erant Phacee filius Romeliæ, & Rasin rex Syriæ Damasci: sed adumbrabant Herodem nostrum & Obodam, de quibus dixi.

Circa idem tempus *defuncti* etiam *sunt* plures alij *qui quærebant animam pueri*, Matth.2.v.21. Nam præter tres Herodis filios, præter Synedrion Iudæorum, & complures Pharisæos ac Scribas, quos dixi, ab Herode occisos, occiderat idem ipse (vt suspicio fuit, veneno) Pheroram fratrem suum & regni consortem, quem Antipater, vt & reliquam Herodis familiam, scelestissima conspiratione in patrem concitarat. Pheroræ quoque vxor veneni marito propinati insimulata, seipsam detecto præcipitem dedit. Doris Antipatri mater & Herodis coniux; Mariamne quoq; altera Herodis vxor, Simonis pontificis filia, ambæ ex aula propulsæ: Simon pontificatu exutus, vti & mox successor eius Matthias, & Matthiæ Joazarus. Malthace mater Archelai, paucis post obitum Herodis hebdomadis ante Pentecosten è viuis sublata. Ciues Ierosolymitani complures Archelao, quòd ei restitissent, pœnas acerbas dedêre. Ex direptoribus aquilæ Herodis 40. viui vstulati. Et alij complures in Christum iniquiore forsan animo, iam defuncti erant, teste Iosepho & alijs: cùm Christus

Anno tertio suo 7. Januarij, anno 1. Archelai Tetrarchæ, Iuliano 44. monente angelo, ex Ægypto in terram Israel regreditur. In quo & antiqua Martyrologia, & moderni Chronologi ferè conueniunt.

Ioseph.l.17. Antiq.c.15. & l.2.Belli cap.6.&c.

Anno Christi vndecimo, Iuliano 52. Archelaus Tetrarcha sub tempus messis, iussu Augusti Cæsaris in exilium ablegatus est, cùm explesset à morte Herodis parentis sui annum 9. tetrarchiæ, & 10. inchoasset. Ita Iosephus, Hegesippus, Iosippus, Eusebius, Beda, Comestor, Albertus Magnus, Abulensis & alij, vt dixi cap.45. Et idem asserit Dio factum anno 37. à pugna Actiaca, qui concurrit cum anno 52. Iuliano. Extincta paulò antè fuerat vxor Archelai Glaphyra, quæ Iubæ regis Mauritaniæ anno 51. Juliano defuncti vxor antè fuerat. Ita ijdem auctores.

Anno duodecimo in Paschate, cùm Archelao in exilium acto, Coponius præses esset in Judæa, nihilque metuendum esset Christo, ascendit puer duodennis Ierosolymam, & in medio Doctorũ disputauit in templo, Lucæ 2. v.43. Ita passim Doctores, & subscribunt etiam hæretici Funccius, Buntingus, Magdeburgenses, Carion, Lucas Osiander & alij.

Anno trigensimo plus minùs vitæ suæ, initio anni 15. Tiberij, 73. Iuliani, qui bissextilis erat, 6. Ianuarij, Christus à Ioanne baptizatus est, vt dixi cap.47. & 48. Eademque die regressus à Iordane iciunium cœpit 40. dierum in deserto, Matth.4. Marc.c.1. Lucæ 3.

Decimaquinta Februarij, superato tentatore, & completo 40. dierum ieiunio, reuertitur in Galilæam, & 15. diebus manet in Nazareth, Ephiphanio teste.

Epiphan. hæresi 51.

Prima Martij, 56. die à baptismo (inquit Epiphanius) *legatis* Iudæorum Ioan.1.v.26. respondet Ioannes Baptista, *se non esse Christum.*

Secunda Martij, Ioannes *videns* IESVM *ambulantem, dicit discipulis suis, Ecce Agnus Dei*, Ioan.1.v.29.

Tertia Martij. *Andreas & Petrus* primũ *secuti sunt* IESVM, Ioan.1.v.35. Quarta die, *Philippus & Nathanael*, v.43.

Quinta Martij *die tertia* à vocatione Andreæ & Petri, *nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.* Ioan.2.v.1. Et quidem feria 6. & *sexagesimo die à baptismo*, inquit Epiphanius sup. Post nuptias *descendit* IESVS *cum matre*, cognatis *& discipulis suis Capharnaum: vbi mansit non multis diebus*, v.12.

Vigesimaoctaua Martij, die Dominica, 15. Nisan Pascha fuit, (primum tempore prædicationis Christi) quo, facta *de funiculis flagello eiecit* Christus *de templo vendentes.* Quo & dixerunt Iudæi, *Quadraginta sex annis ædificatum est templum hoc*, Ioan.2. Hoc enim anno 73. Iuliano complebantur 46. anni, ab inchoato per Herodem templo anno 27. Iuliano, vt dixi c.45. *Nicodemus venit ad* IESVM *nocte*, Ioan.3.v.1.

Initio Aprilis, *venit Iesus & discipuli eius in reliquam terram Iudæam: & illic morabatur cum eis, & baptizabat. Erat autem & Ioannes baptizans in Aenon, iuxta Salim*, Ioan.3.v.22.&c. Quamdiu tamen Ioannes baptizauit, IESVS non ita palàm se Messiam prædicauit, saltem vt plurimum. Miracula ergo quæ interea fecit Christus (Ioan. 4.v.45.) vsque ad captum ab Herode Ioannem, prætermissa sunt ad Euangelistis.

Sub finem Decembris, *Herodes* Antipas *cùm corriperetur à Ioanne de Herodiade vxore fratris sui* Philippi Tetrarchæ, *tenuit Ioannem & alligauit in carcere*, Matth.14 v.3. Marc.1.v.14. Lucæ 3. v.19. Tum cœpit IESVS publicè se Messiam prædicare. Et hæc de primo anno prædicationis Christi.

Secundus annus prædicationis Christi.

Initio anni 74. Iuliani, *cùm audisset* IESVS *quòd Ioannes traditus esset*, & indignarentur *Pharisæi*, *quòd* IESVS *plures discipulos facit & baptizat, quàm Ioannes; reliquit Iudæam, & abijt iterum in Galilæam: Oportebat autem eum transire per Samariam*, Ioan.4.v.1.&c. Matth.4.v.12. Marc.1.v.14. *Hora quasi sexta*, id est sub meridiem (vide sup.c.2.

collo-

colloquium habuit *cum Samaritana*, Ioan. 4. v. 5. Porrò ex eo quod ibidem v. 35. *Adhuc quatuor menses sunt, & messis venit*, colligo, tam incarcerationem Ioannis, quàm transitum Christi è Iudæa per Samariam in Galilæam, contigisse sub initium anni.

Post duos dies exijt è Samaria, *& abijt in Galilæam*, Ioan. 4. v. 43. *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens, Quoniam impletum est tempus*, Marc. 1. v. 14. Lucæ 4. v. 14. &c. *In Capharnaum* præclara edit miracula, Lucæ 4. v. 23. Inde venit in *Nazareth*, vbi è *supercilio montis eum præcipitare* voluerunt, v. 29. Ergo reuertitur *Capharnaum*: ibique moratur, v. 31. & Matth. 4. v. 13. *Exceperunt autem eum Galilæi*, Ioan. 4. v. 45. *Et ipse docebat in Synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus. Et fama exijt per vniuersam regionem de eo*, Lucæ 4. v. 14. & 15.

Initio Februarij *venit* IESVS *iterum in Cana Galilææ*, & ibi *filium reguli in Capharnaum* ægrotantem absens verbo liberat à morte, Ioan. 4. v. 46. &c. *Ambulans iuxta mare Galilææ vocat Petrum & Andream, mittentes retia in mare: Iacobum* item *& Ioannem reficientes retia sua*, Matth. 4. v. 18. Lucæ 5. v. 1. *Qui relictis omnibus secuti sunt eum.* Quod *tradito iam Ioanne* factũ fuisse, docet expressè Mar. c. 1. v. 14. Ingressus *Capharnaum* ciuitatem Galilææ, *in synagoga* liberat *dæmoniacum*, Marc. 1. v. 21. 22. &c. Surgens *de synagoga* venit *in domum Simonis & Andreæ, cum Iacobo & Ioanne*, & *socrum Simonis à febri* liberat. *Vesperè omnes malè habentes* curat, ibid. v. 29. &c. Matth. 4. v. 24. & c. 8. v. 14. Lucæ 4. v. 38. *Factâ autẽ die egressus abiit in desertum locum, ibiq; orabat.* Et iuit *in proximos vicos & ciuitates, & erat prædicans in synagogis eorũ in omni Galilæa, & dæmonia eijciens*, &c. Marc. 1. v. 35. Lucæ 4. v. 42. Matth. v. 23. *Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa & Decapoli & de Ierosolymis & de Iudæa & de trans Iordanem*, vers. 25. Quando & *leprosus mundatus* est verbo *Volo, mundare*, Marc. 1. v. 40. Lucæ 5. v. 12.

Sub initium Martij, tres volentes sequi Christum, partim reprehensi, partim moniti, Matth. 8. v. Lucæ 9. v. 57. Sedat tempestatem maris, Matth. 8. v. 23. Marc. 4. v. 36. Lucæ 8. v. 22. Dæmoniacum liberat, cui nomen Legio, Marc. 5. v. 1. Lucæ 8. v. 27. ciusque socium, Matth. 8. vers. 28. Capharnaum regressus Paralyticum per tegulas demissum sanat, Matth. 9. v. 2. Marc. 2. v. 3. Lucæ 5. v. 18. Matthæus vocatur à IESV, Matth. 9. v. 9. Marc. 2. 14. Lucę 5. v. 27. Filia Iairi à mortuis suscitatur, sed priùs hæmorrhoissa curatur, Matth. 9. v. 18. Marc. v. 22. 5. Lucæ 8. vers. 41. Transeunte inde IESV, duo cæci curantur, Matth. 9. v. 27. & dæmonium mutum expellitur, v. 32. & cap. 12. v. 22. Lucæ. 11. v. 14.

Aprilis 10. instante Pascha Iudæorum, *ascendit* IESVS *Ierosolymam*, Ioan. 5. v. 1. Aprilis 16. ipso festo Paschæ, quod secundum fuit tempore prædicationis Christi, & incidebat *in Sabbathum*. v. 10. (vnde certò colligitur, fuisse tunc annum Iulianum 74.) ad *Probaticam piscinam* sanat *paralyticum triginta octo annos habentem in infirmitate sua.* Tunc dixit de Ioanne Baptista, Ipse *erat lucerna ardens & lucens*, v. 35.

Aprilis 23. *Sabbatho secundo primo* (id est Sabbatho quod primum erat à secundo, seu altero die post Paschæ, quo manipulus primitiarum offerri debebat) Leu. 23. v. 10. *cùm transiret per sata, vellebant discipuli eius spicas*, Lucæ 6. v. 1. Matth. 12. v. 1. Marc. 2. v. 23. *Alio* rursum *Sabbatho* manum aridam sanat in synagoga, Lucæ 6. v. 6. Matth. 12. v. 10. Marc. 3. v. 1. Vnde statim

Maij initio, *Pharisæi cum Herodianis* conspirant aduersus IESVM: sed *ipse cum discipulis secedit ad mare Et multa turba à Galilæa & Iudæa secuta est eum, & ab Ierosolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem, & qui circa Tyrum & Sidonẽ*, &c. Marc. 3. v. 6. Matth. 12. v. 14. Comminatur spiritibus immundis ne manifestent illum, Marc. 3. v. 12.

Sub medium Maij, *exijt in montem orare, & pernoctans erat in oratione*, Lucæ 6. v. 12. Eligit 12. Apostolos, v. 13. Matth. 10. v. 2. Marc. 3. v. 13. Ibidem exhortationẽ ad discipulos suos prolixam habet in monte, Matth. 5. 6. & 7. Lucæ. 11. *Et descendens cum illis, stetit in loco campestri*, vbi *multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa & Ierusalẽ, & maritima, & Tyri & Sidonis.* Ad quam summatim pleraque quæ in monte discipulis proposuerat, repetit, Lucæ 6. v. 17. iuncto v. 1. c. 7. Sub idem tempus, *cùm descenderet de monte, Capharnaum redit leprosum sanat*, & *seruum centurionis* moribundum *sanat*, Matth. 8. v. 1. Lucæ 7. v. 1. Filium viduæ Naim suscitat, Lucæ 7. v. 11.

Medio Iunij, *duos ex discipulis suis mittit Ioannes è carcere ad Christum*, rogatum, *Tu es qui venturus es?* Matth. 11. v. 1. Lucæ 7. v. 17. *Mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, ingressa domum Simonis Pharisæi*, vti Christus discumbebat, *lacrymis suis rigat pedes eius*, & indulgentiam accipit *peccatorum*. Lucæ 7. v. 36.

Iulij initio *dæmoniacũ cæcum & mutũ* curat. Scribæ dicunt, *eum in Beelzebub eijcere dæmonia.* Et *signum de cælo petunt*: sed non accipiunt, *nisi signũ Ionæ*, &c. Matth. 12. v. 22. Marc. 3. v. 22. Lucæ 11. v. 14. *Adhuc eo loquente, mater & fratres eius quærunt ei loqui*, ibid. & Lucę 8. v. 19. *Iterũ de naucula ad mare docet turbas*, in parabolis Seminantis, Zizaniorum, Sinapis, Fermenti, Thesauri, Margaritæ & Sagenæ, Matth. 13. Mar. 4. *Cùm consummasset parabolas istas, transijt in Nazareth*, Matth. 13. v. 53. Vbi de eius *tanta sapientia* mirantur: *Nonne hic est fabri filius?* ibid. & Marc. 6. v. 1. Deinceps iter facit per ciuitates & castella, docens in synagogis, & curans omnem languorem. Matth. 9. v. 35. Dein mittit Apostolos binos quaquauersum (aptis admonitionibus antè instructos) ad prędicandum. Matth. v. 1. Marc. 6. v. 6 Lucæ 9. v. 1. Qui egressi ibant per castella, euangelizantes & curantes vbique, Lucæ. 9. v. 6. Marc. 6. v. 12. Ipse IESVS interim per ciuitates prædicat, Matth. 11. v. 1.

Augusti 29. die natali Herodis, *cùm saltasset filia Herodiadis* & petiisset caput Ioannis Baptistæ, rex *misso speculatore decollauit* Ioannẽ *in carcere: discipuli eius tulerunt corpus, & posuerunt in monumento*. Matth. 14. v. 7. Marc. 6. v. 21. Lucæ 9. v. 7. Continuant Apostoli in castellis missionem & prædicationem suam, & Christus in ciuitatibus, Matth. 11. v. 1.

Tertius annus prædicationis Christi.

Anno 75. Iuliano, sub medium Martij, *audiuit Herodes famam* IESV, & omnia quæ fiebant ab eo. *Et ait, Hic est Ioannes Baptista: ipse surrexit à mortuis. Et venientes nunciauerunt* IESV. Herodem sic opinari: ac proinde etiam Christo insidias fortè parare. *Quod cùm audisset* IESVS, *secessit inde naucula in desertum locum seorsum*, Matth. 14. v. 2. vsque 14. Marc. 6. v. 14. Lucæ 6. v. 7. *Aug serm. 1. de Epiphania Franc. Tol. in c. 6. Ioa annus.*

Vltima Martij, feria sexta (quia S. Augustinus & Toletus dicunt contigisse eodẽ die, scilicet hebdomadæ, quo factæ sunt nuptię in Cana Galilææ,) ex *quinq; panibus saturauit* 5000. Ioan 6. v. 4. Matth. 14. v. 13. Marc. 6 v. 32. Lucę 9. v. 10. Cùm paulò antè Apostoli *reuersi* è sua missione *narrassent illi quæcumque fecissent*, Lucę ibid. &

& Marc.6.v.v.30.*Erat autem proximum Pascha*(tertiù à prædicatione Christi,incidebatque in 5. Aprilis ferian quartam)*dies festus Iudæorum*,Ioan.6.v.4.A multiplicatis panibus,cùm *vellent eum facere regem,fugit in montem*, discipulis *nauicula transfretare* iussis,ad quos ipse eâdem *nocte* periclitantes,*supra mare ambulans* accessit & *Petrum* ne mergeretur eripuit,Matth.14.v.22.Marc.6.v.45.Ioan.6.v.14.vbi & de *corpore* suo *pane cæleſti* disserit,ferè vsque ad finem capitis.

Aprili mense medio *ambulabat* IESVS *in Galilæa:non enim volebat in Iudæa ambulare,quia quærebant eum Iudæi interficere.Tunc aduenerunt Ierosolymis Scribæ & Pharisæi,calumniantes discipulos eius quòd illotis manibus manducarent*, Ioan.7.v.1.Matth.15.v.1.Marc.7.v.1.

Maij initio,egressus Galilæa secessit in partes Tyri & Sidonis,vbi filiam Chananææ sanat,Matth.15.v.21. Marc.7.v.24 Inde ad mare Galilææ,inter medios fines Decapoleos,surdũ & mutum, & plures alios sanat, Matth.15.v.29.Marc.7.v.31.Rursum *septem panibus satiat* 4000.Matth.15.v.32.Marc.8.v.1.Dimissâ turbâ, conscensâ *nauiculâ venit in partes Dalmanutha,in fines Magedan*,Matth.15.v.vlt.Marc.8.v.10.Vbi *Pharisæi signum* rursus *de cælo quærunt*, sed reijciuntur,Matth.16.v.1.Marc.8.v.11.In *Bethsaida cæcum sanat*,Marc.8.v.22.

Sub finem Iulij,*venit* IESVS *in partes Cæsareæ Philippi*,vbi *Petrus* diuinitatem Christi confessus prædicitur fore caput Ecclesiæ,Matth.16.v.13.Marc.8.v.27 Lucæ 9.v.18.Inde *cœpit docere eos,quoniam oportet Christum pati,& occidi,& post tres dies resurgere.*Petrus deterrens eum à morte,increpatur,Matth.16.v.21.Marc.8.v.31.

Augusti 6.*Post dies* plenos *sex* nempe *octauo* pòst die,*transfiguratur Christus*,Matth.17.v.1.Marc.9.v.1.Lucæ 9.v.28.& quidem die Dominica.Postridie *dæmoniacum* sanat quem *discipuli sanare non potuerant*,Matth.17. v.14 Marc.9.v 16.Lucæ 9.v.38.Eodem Augusto mense *conuersantibus eis in Galilæa,omnibus mirantibus quæ faciebat*, prædicit *passionem suam & resurrectionem* Matth,17.v.21.Marc.9.v.29.Lucæ 9.v.44.Cetcrùm *transiens Galilæam*:nolebat id resciri,Mar.9.v.29.*Cùm venissent Capharnaũ*,Petrus *stateræ inuento in ore piscis soluit didrachma*,Matth.17.v.23.Marc.9.v.32.Apostolos de primatu contendentes compescit,Matth 18.v.1.Marc.9.v. 32.Lucæ 9.v.46.Etiam *septuagies septies* fratri ignoscendum docet,Matth.18.v.22.& quidem ex toto corde, vt docet exemplo *Regis rationem ponentis cum seruis suis*, vers.23.

Septembri medio,*erat in proximo dies festus Iudæorum,Scenopegia:& migrauit* IESVS *è Galilæa*,Ioan.7.v.2.Lucæ 9.v.51.*Dixerunt* enim *fratres eius*,*Transi hinc,& vade in Iudæã*,ibid.Cùm in transitu *non reciperetur à Samaritanis*, Iacobus & Ioannes rogant,*Domine,vis dicimus vt ignis descendat de cælo?*Lucæ 9.v.51.In eodem itinere *occurrunt ei decem viri leprosi*,qui *omnes mundati sunt*,Lucæ 17.v.11.IESVS *ascendit Ierosolymam ad festum* Scenopegiæ,*non manifestè,sed quasi in occulto.Iudæi autem quærebant eum in die festo*,Ioan.7.v.10.Erat hoc festum 15. Tisri, quæ tunc erat 29.Septembris feria sexta.

Octobris secunda,Tisri 18.*Iam die festo mediante*,id est quarta die festiuitatis,feria secunda,*ascendit* IESVS *in templum*,Ioan.7.v.14.Vbi inter alia,inquit : *Me quæritis interficere,quia totum hominem sanum feci in Sabbatho*, v. 20. &c. nempe, paralyticum ad Probaticam piscinam, quem curarat in secundo Paschate.Nam ab illo tempore hucusque non legitur Christus venisse Ierosolymam.*In nouissimo die magno festiuitatis*,id est in octaua scenopegiæ,feria sexta Octobris sexta,*stabat* IESVS *& clamabat.Si quis sitit,veniat ad me*,Ioan.7.v.37.*Iudæi quærebant eum comprehendere*,sed nondum venerat hora eius,v.44.Postridie *in templo liberat deprehensam in adulterio.* Ioan.8.v.1.*Egressus è templo illuminauit cæcum à natiuitate*,23.die mensis Tisri in Sabbatho,7.Octobris.Ioan.9. v.1.&c Qui sunt characteres anni 75.Iuliani.*Post hæc designauit Dominus alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciẽ suã*,Lucę 10.v.Quibus *reuersis* inculcat *humilitatẽ*,& *caritatẽ in proximos* exemplo Samaritani,v.17.&c.

Nouembri mense excipitur *à Martha in castello*,v.38.Docet *orare*,Lucę 11.v.2.in *Pharisæos* inuehitur,v.36. & Matth.23.v 13.*Mortem* negat timendam,Lucæ 12.v.4.in *auaritiam* & inanem *solicitudinem* inuehitur.*Stulte hac nocte*,&c v.15.*Pilatus sanguinem Galilæorum miscuerat cum sacrificiis eorum* Hac occasione hortatur omnes ad *pœnitentiam* Christus,additâ *parabolâ de arbore fici* quarto anno infrugifera,Lucę 13.v.1.&c & *mulierem contractã ab annis octodecim* sanat *in Sabbatho*.v.11.*Et ibat per ciuitates & castella docens, & iter faciens in Ierusalem*.v.22.

Decembris initio accesserunt quidam Pharisæorum dicentes illi:*Exi & vade hinc,quia Herodes vult te occidere*,v.31.Sabbatho hydropicum curat,Lucæ 14.v.1.Parabola de *loco* infimo *in nuptiis* docet humilitatem,v.7. Et de *cœna magna*,de *turri*,de *bello*,docet alias virtutes,v.16.&c.

Facta sunt encænia Ierosolymis 25. Casleu, 7. Decembris,*& hiems erat,& ambulabat* IESVS *in templo,in porticu Salomonis*;Quærunt *Iudæi an sit Christus*?Ioan.10.v.22.Cumque vellent eum *lapidare*,v.31.vel saltem *apprehendere*,v.39.*exiuit de manibus eorum,& abiit trans Iordanem*,v. 40. Comminatus prius vrbi Ierosolymitanæ excidium,Matth.23.v.33.vsque 39.Vbi murmurant Pharisæi, quòd *peccatores reciperet:* & ait ad illos parabolã ouis perditæ,drachmæ & filij prodigi,Lucæ 15.Et ad discipulos de villico iniquitatis:de diuite Epulone, Lucæ 16.v.1.& 19.Vbi & de indissolubilitate matrimonij,&c.v.18.sed fusiùs,Matth.19.v.3.Marc.10.v.2.

Quartus & vltimus annus prædicationis Christi.

Sub Ianuarij initium monet discipulos de cauendis scandalis,Lucæ 17.v.1.&c.De *fide* vt *grano sinapis*,v.5. De *seruo arante*,v.7.*Regnum Dei intra vos est*,v.21.vbi multa de die iudicij.

Februario.*Oportet semper orare.* Vbi de *iudice iniquo* & *vidua* ipsi importuna,Lucę 18.v.1.De *Pharisæo & Publicano*,v.10.*Afferebant autem ad illum & infantes vt eos tangeret*,v.15 Matth.19.v.13.Marc.10.v.13.*Magister bone quid boni faciam vt vitam æternam possideam?Si vis perfectus esse*,&c.Matth.19.v. 16.Marc.10.v.17.Lucæ 18.v.18. Tum Petrus,*Ecce nos reliquimus omnia*,&c. v.28. & Matth.19. v.27.Marc.10.v.28. De Patrefamilias conducente operarios in vineam suam, Matth.20.

Martij initio *Lazarum resuscitat*,Joan.11.Id *renunciatur Pharisæis*,vers.46.Qui *cum pontificibus colligunt concilium*.vbi Caiphas:*Expedit vobis vt vnus moriatur*,v.47.&c.*Ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum*,v.53.*Iesus secedit iuxta desertum in ciuitatem Ephrem*,v.54.*Proximum autem erat Pascha Iudæorum*(quartum & vltimum prædicationis Christi)A.55.*Quid putatis quia non venit* IESVS *ad diem festum?*v.56.Interim *ascendens* IESVS *Ierosolymam secretò,prædicit Apostolis mortẽ* suam & *resurrectionem*,Matth.20.v.17 Marc.10.v.32.Lucę.18.v.31.*Mater filiorũ Zebedæi* sit Christo supplex,Matth.20.v.20.Marc.10.v.35.*Egressus Iericho* sanat *Bartimæũ cæcum*,Marc.10. v.46.

v.46.cùm in *ingressu* alium *cæcum* sanasset,Lucæ 18.v.35.Matth.20.v.29.*Zacheus excipit* Christum *hospitio in Iericho*,Lucæ 19.v.1.Proponit parabolam *de decem minis* v.11.

Martij 17.Nisan 9.*ante sex dies Paschæ*,Sabbatho venit & cænat *in Bethania*,vbi *Maria vnxit pedes eius*,Ioan. 12.v.1.*& caput* quoque,Matth.26.v.6.Marc.14.v.3.

Martij 18.Nisan 10.*in crastinum* die Dominica vectus asina *ingreditur Ierosolymam*,Ioan.12.v.12. Matth. 21. v.1.Marc.11.v.1.Lucæ 19.v.29.*Et eodem die reuertitur Bethaniam*, Matth.21 v.12.& 17.Marc.11.v.11.

Feria 2.*manè redit Ierosolymam. Esurit,ac maledicit ficui.* Expellit vendentes è templo Marc. 11. v. 12.& 15. Deinde *docet in templo.* Vbi de parabolis *filii familias à vinitoribus occisi:Lapidis angularis:Nuptiarum filij regis*,&c. Matth.21.v.18.& seqq.Marc.11.v.12.vsque 19.

Feria 3. vident *ficum exaruisse*, Marc.11.v.20. Rursum *in templo cum summis sacerdotibus,Scribis & senioribus* agit,v.27.*de baptismo Ioannis*,v.30.Matth.21.v.23.*de tributo dando Cæsari*,Matth.22.v.15.Marc.12. v. 13.Lucæ 20.v.20.*Sadducæos* circa *resurrectionẽ* confutat,Matth.22.v.23.Marc.12.v.18. Lucæ 20.v.27.*De maximo mandato*,& *Christo Dauidis filio* disputat,Matth.22.v.35.Marc.12.v.28.Lucæ 20.v.41.De *Scribis & Pharisæis audiendis,non imitandis*,Matth.23.v.1.Marc.12.v.38.Lucæ 20.v.46.*Viduam minuta duo* offerentem collaudat, Marc. 12.v.41.Lucæ 21.v.1. De *excidio Ierosolymorum,& mundi,egressus templo* fusè agit *cum discipulis*, Matt.24. Marc. 13.Lucæ 21.v.5.Parabola de 10.virginibus:De talentis. De forma extremi iudicij, Matth. 25. *Erat autem diebus docens in templo,noctibus verò exiens morabatur in monte Oliueti*,Lucæ 21.v.37.

Feria 4.*Iudas triginta argenteis vendit* IESVM Iudæis, Matth.26.v.2.& 14.Marc.14.v.1.& 10.Lucæ 22.v.1.

Feria 5.*ad vesperam comedit agnum Paschalem*,& instituit *Ven.Eucharistiam*,Matth.26.v.20.Marc.14.v.12.Lucæ 22.v.14 & 19.Et longam exhortationem ad suos habuit,Ioan. 13.14 15.16.17. Eademque *nocte captus* à Iudæis,primùm *ad Annam* socerum Caiphæ,secundò *ad Caiphan* deducitur, vbi *reus mortis* pronunciatur: & *ter à Petro negatur.*

Feria 6.Martij 23.Nisan 15.secundùm vulgarem Synagogæ calculum, (sed secundùm verum & astronomicum,solum 14.Nisan,vt dixi c.48 post 3.conclusionem) *manè* in magno *concilio* iteratâ condemnatione, deducitur ad *præsidem* Iudææ *Pilatum.* Licèt enim possent Iudæi de ijs quæ ad legem suam spectarent, quæstionem habere ac pœnas sumere,vt patet ex cæde Stephani, & colligitur ex Ioan.18.v.31. *Secundùm legem vestram iudicate eum:* tamen in causa maiestatis, & alijs criminibus quæ ad rem politicam vel imperium pertinebãt,nihil poterant,vt ex Hebræis optimè probat Maldonatus & Petauius.Nã 40.circiter annis ante excisã vrbẽ Ierosolymitanã dicunt Hebræi ius id omne sublatum Iudæis à Romano Imperatore. Atqui Iudæi IESVM læsæ maiestatis reum faciebant;vnde subdunt,*Nobis non licet interficere quemquam*, talẽ scilicet.vers.32. *Petauius l.12.De doctrina temporum c.19:*

Hora tertia,Marc.15.v.25.*crucifixerunt eum.* Toletus & Petauius cum S. Hieronymo, item Caietanus & Melchior Canus putant corruptum locum,& pro 5.(quæ est nota senarij) positum Γ.quæ est ternarii nota. Sed potest tam antiqua lectio facilè à vitio excusari secundùm ea quæ ex Censorino,Ianseno,Maldonato & Baronio notaui sub initium Chronici cap.2.Qui dicunt, horam tertiam fuisse secundam partem diei è quatuor partibus in quas dies olim diuidebatur, durasseque vsque ad meridiem, qua propinquante constat Christum crucifixum fuisse,Ioan.19.v.14.vbi dicitur,*horam quasi sextam* fuisse, quando *Pilatus flagellatum Dominum Iudæis* stitit atque *damnauit.* *Hieron.in Psal.77. Canus l. 11.*

Hora sexta id est meridie,*tenebræ factæ sunt super vniuersam terram,vsque ad horam nonam* (quæ nostræ respondet tertiæ pomeridianæ) quando *Christus clamans voce magna exspirauit.* Vide cap.48.conclusione 5.

Ante vesperam à Ioseph & Nicodemo sepultus est,Ioan.19.v.38.Matth.27.v.57.Marc.15.v.42. Lucæ 23. v.50. Συσταδοχικῶς tribus diebus in sepulchro iacuit.Ita S.Hieronymus.Augustinus,Theophylactus & alij communiter.*Vespere autem sabbathi*,ὀψὲ δὲ τοῦ σαββάτων, id est sero sabbathorum; nempe confectis iam prioris hebdomadæ sabbathis seu diebus omnibus,vespera illa seu nocte,quæ lucescit,id est lucem finientem excipit & immediatè consequitur, estque initium primæ diei ciuilis proximæ hebdomadæ.Quod clariùs exprimit Marcus c.16.v.1.*Cùm transisset sabbathum,Maria Magdalene* cum alijs mulieribus,*emerunt aromata. Et valdè manè* vna,pro prima,*sabbathorum veniunt ad monumentum.* Et quidem in vrbis egressu *adhuc tenebræ erant*, Joan.20. v.1.albescente tamen cælo, vt loquitur S.Augustinus. Sed *ortus erat sol* cùm ad monumentum pertigerunt, Marc.16.v.1.Nisi malis dicere,initio ipso noctis mulieres,emptis aromatibus,versus locum sepulchri profectas esse,saltem aliquousque,& iuxta portam vrbis, vel in suburbio pernoctasse:diluculo autem progressas esse, &c. Cumque vidissent ab ostio reuolutum lapidem,consternata præ alijs Magdalena,relictis socijs mulieribus ad Apostolos currit,& furto corpus Christi sublatum nunciat. Quo nuncio Petrus & Ioannes ad monumentum euocantur, Ioan.20.v.1.& seqq.Absente Magdalena, reliquæ mulieres intrant sepulchrum. In anteriore parte angelum vnum vni saxo insidentem vident, Matth. 28. v.2. in posteriore seu interiore speluncæ parte, alteri saxo vident duos angelos insidentes,Lucæ 24.v.4.Quo spectaculo pauefactæ diffugiunt,& ad Apostolos properant nunciatum quæ viderant: Cùm Christus obuiàm ipsis procedens,consalutauit illas,ac pedes contrectandos præbuit,Matth.28.v.9. Interea Petrus & Ioannes cũ reduce Magdalena, ad monumentum adcurrunt. Sed digressis Apostolis,Magdalena sola iam ibi permansit: atque tum angelos primùm dein & Christum hortulani specie vidit,Ioan.20.v.10.& seqq. Ita Toletus,Petauius & alij. *Hieron.in Ioan 2.& Matth.12. Aug.l.3.de Consensu*

Surrexit ergo Christus prima feria (quæ inde Dominica exinceps dicta fuit) 25.Martij,summo manè, vt dixi c.48.in fine.& cùm primo loco matrem suam (vt piè credunt Catholici) reuisisset,secundò mulieribus apparuit in via,tertiò Magdalenæ ad monumentum, vt iam dixi.Eodem die apparuit quartò Simoni Petro, Lucæ 24.v.34.quintò euntibus in Emaus,Lucæ 24.v.13.sextò Apostolis sub vesperam domi simul collectis,Ioan.20.v.19.sed sine Thoma. *Euang.c.23. & lib.4. de Trinit. c.6.*

Prima Aprilis,*Post dies octo*,iterum ijsdem apparet,præsente quoque Thoma,Ioan.20.v.26.*Manifestauit se iterum* IESVS ad mare Tiberiadis piscantibus Apostolis.Ioan.21.v.1.vbi *Petro* trinam negationem trina confessione diluenti Ecclesiam suã Christus commendat, *Pasce oues meas*,v.17.*Deinde visus est plus quàm quingentis fratribus simul*,1.Corinth.15.v.6.Putaturque hæc fuisse celeberrima illa & toties à Christo antè promissa ap-

Hieron. q.7 ad Hedib. paritio in monte Galilææ. Ita S. Hieronymus & interpretes passim. *Visus est* etiam *Iacobo*, 1. Cor. 15. vers. 7. Sed quo die tres istæ apparitiones contigerint, incertum. Certum, *per quadraginta dies præbuisse seipsum viuum post passionem, & apparuisse* variis vicibus, & *locutum fuisse* discipulis *de regno Dei*, Actor. 1. v. 3.

Tandem 40. die à resurrectione, 25. Iiar, 3. Maii, feria 5. Christus *conuescens* Apostolis suis *præcepit eis ab Ierosolymis ne discederent*, donec implerentur *Spiritu sancto*. Et à mensa *eduxit eos foras in Bethaniam: & eleuatis manibus suis benedixit eis, & recessit ab eis, & ferebatur in cælum*, Actor. 1. v. 4. & Lucæ 24. v. 49. Marc. 16. v. 19. Et *nubes suscepit eum ab oculis eorum*, Actor. 1. v. 9. Et *sedet à dextris Dei*, Marc. 16. v. 19. sedebitque *usque in tempora restitutionis omnium*, Actor. 3. v. 21.

CAPVT L.

Acta Apostolorum, & alia quæ sub id tempus acciderunt, per annos digesta, vsque ad excidium templi Ierosolymitani per Titum, anno à morte Christi 40.

imò vsque ad mortem S. Ioannis Euangelistæ, anno 68.

ANNO Tiberij	Iuliano	à Christi morte
18	76	1
19	77	2
20	78	3
21	79	4
22	80	5
23	81	6

DEcima die ab ascensione Christi, 13. Maij, 6. mensis Hebræorum Siuan, Dominica die, hora 3. diei, dum esset Iudæorum dies Pentecostes, Spiritus sanctus in Apostolos aliosque vtriusque sexus discipulos Christi descendit, Actor. 2. Porrò non potuit Pentecoste Iudæorum sexta Siuan incidere in diem Dominicum, quin Paschalis Iudæorum solennitas in Sabbathum incideret, vide c. 48. Chron. concluf. 3. & oblatio manipuli primitiarum in Dominicum. Semper autem Pentecoste Iudæorum est sexta die 3. mensis Siuan, & eâdem feriâ cum feria quæ proximè sequitur solennitatem Paschæ, quando nempe offerebatur manipulus recentium spicarum.

Eâdem die S. Petrus prima sua concione conuertit *circiter tria millia*, Actor. 2. vers. 41. Et plures quotidie accedebant, vers. 47. Paulò pòst, occasione claudi, cap. 3. v. 7. sanati, conuertuntur secunda Petri concione alia quinque millia, c. 4. v. 4. Vnde incarceratur Petrus cum Ioanne, v. 3. & 13. Sed præter minas passus nihil, v. 21.

Post aliquot dies Ananiam & Sapphiram suffurantes de pretio agri, morte punit, c 5. v. 1. Mox crescente nimiùm numero Christianorum, incarcerantur plerique Apostoli, sed ab angelo liberantur, v. 17. & 19. Inde à pontificibus reprehenduntur, v. 28. causam illorum agit Gamaliel, vers. 34. Virgis cæduntur, v. 40. Eodem anno creantur septem Diaconi, cap. 6. 5. Quorum primarius Stephanus 26. Decembris lapidatur, c. 7. v. vlt.

Die sequenti, 27. Decembris, S. Iacobus frater Domini creatur primus Episcopus Ierosolymorum. Vide Baronium.

Dispergunturque, præter Apostolos, Christiani penè omnes, Actor. 8. v. 1. *Philippus Diaconus* conuertit *Samaritanos*, v. 5. Quò profectus *Petrus & Ioannes*, vt eos Sacramento Confirmationis communirent, primò certarunt cum *Simone Mago*, v. 9. &c. *Philippus* baptizat *Eunuchum Candacis reginæ Aethiopum*, v. 27. Magdalena cum Martha & Lazaro & Iosepho ab Arimathia Massiliam appellit, vt probat Baronius.

Die 25. Ianuarij *Saulus conuertitur*, Actor. 9. *Prædicat Christum Damasci*, v. 20. Inde *abit in Arabiam*: sed mox *Damascum redit*, Galat. 1. v. 17. manetque toto *triennio*. ibidem. *Tertull. in Apologet.*

Sedato primo Iudæorum furore, & Tiberio Imperatore accusatoribus Christianorum publico edicto mortem comminante, vt scribunt Tertullianus & Eusebius, *pacificè* degebant Christiani tota *Iudæa, Galilæa* & *Samaria*, Actor. 9. v. 31. *Petrus Lyddæ Aeneam paralyticum sanat*, v. 32. *In Ioppe Dorcam* suscitat *à mortuis*, v. 36. Visione *linteipleni serpentibus*, discit prædicandum Euangelium etiam *Gentilibus*. Act. 10. v. 9. Vnde vocatus à *Centurione*, baptizat eum cum *tota familia*, ibidem vsque ad finem capitis. S. Iacobus Zebedæi in Hispaniam excurrit. In autumno huius anni finiuntur 70. hebdomades Danielis, seu 490. anni, de quibus egi sup. c. 38. *Euseb in Chronico* *Ioseph. l. 1 Antiq. c 5* *Euseb. Ad & Cassiod in Chron.*

Aduentante in Syriã Vitellio præside, Marcellus Judææ præficitur, Pilatus exauctoratur, & Romam mittitur dicturus causam. Vbi mortuo post biennium Tiberio, à Caio Caligula condemnatur, & in perpetuum exilium Viennam Galliæ ablegatur: sed impatiens miseriæ, sua istic se manu transfuerberat. Ita Iosephus, Ado, Cassiodorus & Eusebius. Ab eodem Vitellio etiam Caiphas exauctoratus, vitæ & ipse pertæsus mortem sibi consciuit, inquit Clemens Romanus. Et Annas socer eius malè quoque perijt, teste Nicephoro, Vide etiam Iosephum. *Clem. l. 8. Constitut. cap. 1.* *Nuceph. l. Hist. c. 10.* *Ioseph. sup & l. 12. cap. 3. 6.*

Die 22. Februarij S. Petrus cathedram Episcopalem fixit Antiochiæ, ferè expletis 5. annis (neque enim deerat nisi vnus mensis) à morte Christi sedítque ibidem Episcopus septem annis, dempto mense 1. & diebus 5. Et

hanc

ANNO Tiberij	Iuliano	à morte Christi
Caij Caligulæ 1	82	7
2	83	8
3	84	9
4	85	10
Claudij 1	86	11
2	87	12
3	88	13

hanc antiquissimã esse traditionem docet Pererius: & fatetur etiam hæreticus Carion, additq; rectè, Petrum in Iudæa quinque annis sedisse, priùs quàm Antiochiæ Sedé figeret. In Chronico etiam Siculo, Sedes Petri Antiochiæ signatur Plautio Læliano & Sex. Papirio Gallieno Coss. id est, anno 81, Iuliano. Eumdem ferè quinarium annorum Petri in Iudæa, & septenarium Antiochiæ, ante 2. annum Claudij Imperatoris signauit Erasmus & alij complures. Paulus cùm toto triennio Damasci prædicasset Christum, quæsitus ad vincula à Iudæis & Areta rege, per murũ sporta demissus effugit, venitque primùm Ierosolymam, vt videret Petrum, cum quo mansit diebus 15. Galat. 1. v. 18. & 2. Corinth. 11. v. 32. & Actor. 9. v. 23. Venit ergo initio anni Ierosolymam Paulus, antequã Petrus Antiochiam demigrasset.

Perer. disp. 1. prolegom. in Epist. ad Romanos.

Carion l. 3. Chronolog.

Erasmus in Peregrinat. Petri & Pauli.

Decimasexta Martij, moritur Tiberius anno ætatis 78. Successit Caius Caligula, qui Herodem Aprippam, Antipæ (ex *a* Aristobulo fratre gladio Herodis Ascalonitæ necato,) nepotem *b*, à Tiberio (quòd ei celerem mortem precatus esset, quo citiùs Caius imperare posset) in vincula coniectum, honore summo liberauit, pro ferrea catena auream illi eiusdem ponderis inijciens, & regem Iudææ constituens. Ita Iosephus, Baronius, & alij.

a Vide c. 49. §. anno 2. Christi.

b Ita Syrus & Euseb. l. 2. c. 10. ex Ioseph. l. 18. Antiq. c. 8. & l. 19. c. 5.

Herodes Agrippa, dum Romã per Alexandriam in Iudæam tendit, ab Alexandrinis in publica scena eodem modo illusus est, quo Christus à Iudæis illusus fuerat. vide Iosephum. Vbi in Iudæam appulit, patruum suum Herodem Antipam apud Caium Imper. accusat, & tetrachia Galilææ, fortunisque omnibus spoliari curat, & cum impia Herodiade vxore sua in perpetuum exilium mitti Lugdunũ Galliæ, vbi vterq; mœrore contabuit.

c Euseb. in Chron.

d Euseb. l. 5. hist. c. 10.

Si (*c*) Eusebio & Baronio credimus, S. Matthæus hoc anno à morte Christi octauo adhuc fluente, suum Euangelium præcipientibus Apostolis hebraicè conscripsit. quod inde descriptum detulit secum S. Bartholomæus ad Indos, teste eodem (*d*) Eusebio & Hieronymo; & in Græciam, S. Barnabas (cum cuius etiam corpore repertum est sub Zenone Imperatore) & S. Marcus quasi compendiauit; S. Iacobus frater Domini Ierosolymitanis pro concione exposuit, teste S. Athanasio.

Hieron. de Scriptorib. Eccles. in Panteno cap. 36. Athan. in Synopsi & hæresi 51. Philo in Legat. ad Caium. Ioseph. l. 18. Antiq. c. 12.

Agabus propheta Antiochiæ famem toti orbi obuenturam prædicit, quæ sub Claudio cœpit; & diu duravit, Actor. 11. v. 28. Paulus & Barnabas ibidem per integrum annũ euangelizant. Et ibi discipuli primùm cognominati sunt Christiani, v. 26. Caius Cæsar statuam suam poni iubet in templo Ierosolymitano, vt in ea adoraretur etiam à Iudæis. Neque alio responso per Philonem legatum ob id à Judæis ad Cæsarem Romam missũ eos dignatus est quàm; *Vosne ille hostis inuisi, qui me omnium confessione deum soli aspernamini?* Ita Philo, Iosephus & alij.

Calendis Februarij Caius à militibus prætorianis occiditur, teste Suetonio, Tacito, Dione, Iosepho & alijs, ætatis anno 29. imperij quarto penè exacto. Succedit Claudius Drusi filius: qui Agrippæ regno etiam Samariã adiecit. Hoc anno 1. Claudij volunt quidam decollatum S. Iacobum. sed, alij verisimiliùs id adscribunt anno secundo.

Die 14. mensis Nisan, pridie Paschæ Judæorum, pridie Calend. Aprilis Iacobus Zebedæi ex Hispania redux, ab Herode Agrippa gladio feritur, eâdem die (mensis lunaris) & hora qua fuit Christus crucifixus, inquit Callistus Papa, vel quicũque est auctor libri de Miraculis S. Iacobi, Actor. 12. v. 2. Paulus secundò venit Ierosolymam, Actor. 11. v. vlt. idem Herodes in *diebus azymorum*, fluente octaua Paschæ, in *vincula* compegit *etiam Petrum*, Actor. 12. v. 3. Sed ab angelo liberatus, v. 7. varias euangelizando peragrat regiones *Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ*, &c. 1. Petri 1. v. 1. Reliqui quoque Apostoli occasione huius persecutionis Ierosolyma & Iudæa excedentes, per vniuersũ orbẽ diuisi, & ad suas singuli prouincias profecti sunt; priùs composito Symbolo, quasi communi fidei tesserâ, quod inde Apostolorũ Symbolũ vocatũ fuit. Porrò diuisos demũ Apostolos anno à morte Christi 12. docet * Beda, Vincentius Beluacensis, Genebrardus, Guilielmus Durandus, Nauclerus, Salmeron, Baronius, Martyrologiũ Romanũ, Vsuardi, Petri Canisij, & alia quæ 15. Iulij diuisos affirmant. Et Thraseas Martyr teste Apollonio apud Eusebiũ, dicit ex traditione maiorũ, Christũ suis Apostolis præcepisse, ne ante 12. annũ Ierosolymis dilaberentur ad alias nationes. Paulus à Spiritu sancto ad Gentes procul abiegandus, Act. 13. v. 2. rapitur in tertiũ cælũ, 14. annis antequã scriberet 2. ad Corinth. epistolã, vt ait c. 12. v. 2.

** Beda sup. diebus azymorum, 13. Actor. & in Martyrol. Vincent. in Speculo l. 8. cap. 9. Genebr. l. 3. Chronogr. Durand. l. 7. Diu. offic. cap. 15. Nauclerus 1. 2. genera. 1. Salmeron to. 12. tract. 37 & 60. Bzo. ad ann. Christi 44. Euseb. l. 5. hist. c. 18.*

Die 18. Ianuarij, necdum finito anno 2. Claudij, Petrus Romæ Cathedram suam constituit (Antiochiæ Euodio Episcopo relicto) anno Iuliano 8. Tiberio Claudio Cæsare III. & L. Vitellio Coss. & sedit Romæ ferè 25. annis. Ita † Eusebius, Hieronymus, Innocentius primus, Isidorus Hispalensis, Beda, Cassiodorus, Honorius Augustodunensis, Ado, Freculphus, Haymo, & passim Catholici. Paulus ordinatur Episcopus, Actor. 13. v. 5. &

a Colligitur ex cap. 16. v. 20. b Ita est in Syriaco, in fine.	ANNO Claudij	Iuliano	à morte Christi	
Ioseph. l. 20. Antiq. c. 3. & l. 2. Belli c. 13. c Ita Hier. Anselmus, Haymo, Catharin. Salmeron. Bellarmin. Franc. Turrian. &c.	4	89	14	v.3. & quasi *Apostolus cum Barnaba* mittitur euangelizatum *Gentibus* quaquauersum, v.4. &c. Petrus Romæ scribit primam suam epistolam, quia in fine, *Babylone*, id est *Roma*, *Marcus* salutem adscribit fidelibus. Atqui hoc eodem anno *Marcus* Româ abscessit. Cùm enim scripsisset mox à *dispersis Apostolis Marcus* suum (a) *Euangelium* (b) ibidem; inde Alexandriã Episcopus mittitur; anno 3. Olympiadis 205. inquit Eusebius. Herodes Agrippa Cæsareæ audiens acclamantem populũ, *Dei voces & non hominis*; quòd tacitè applauderet, ab angelo percussus, vermibus interit, Actor. 12. v. 21. anno 3. Claudij, vt passim historici: succedit illi filius Agrippa iunior, teste Iosepho l. 19. c. 8. sed non nisi post quadriennium.
	5	90	15	Paulus & Barnabas peragratâ Seleuciâ, Cypro, Salamina, Paphi Sergium Paulũ Proconsulẽ ad Christũ conuertunt, excæcato Elyma mago, Actor. 13. v. 4. &c. Et ab hoc Paulus nomen Pauli assumit qui antè Saulus dicebatur, v. 9. Inde abeunt Pergen Pamphyliæ, & Antiochiam Pisidiæ: sed à Iudæis expulsi conuertunt se ad Gentes, Iconij, &c. v. 13. &c.
	6	19	16	Iconij plurimos conuertunt tum Gentiles (inter quos & Theclam) tum Iudæos, donec ab eis lapidati fugerent in Lycaoniã & Lystrã, Actor. 14. v. 1.
Sethus Calvisius, Fumcius, &c.	7	92	17	Lystræ claudum sanat Paulus: hinc Mercurius acclamatur, & Barnabas Iupiter, v. 7. Pòst lapidatùs ibidem Paulus, peneque occisus, Derben secessit, v. 18. Inde Lystram reuertitur, Iconium & Antiochiam Pisidiæ, confirmans vbique Christianos, v. 20. Inde transitâ Pisidiâ, & Perge Pamphyliæ, ventum in Attaliam, v. 23.
d Actor. 18. v. 2.	8	93	18	Paulus peracto quadriennio in peregrinatione sua, cum Barnaba redit Antiochiam Syriæ, ibique biennium commoratur, v. 25.
	9	94	19	Paulus Antiochiæ, Petrus Romæ docet, indeq; per vrbes & prouincias totius orbis Episcopos mittit. Agrippa iunior, filius defuncti Agrippę obtinet regnũ paternum, an. 8. Claudij, 17. ante initium belli Iudaici. ita Ioseph.
	10	95	20	Ortâ Antiochię controuersiâ de circumcisione, &c. mittitur tertiò Paulus Ierosolymam cum Barnaba ad Apostolos, qui celebratò istic primo Concilio, (c) præside S. Petro (qui Claudio Imperatore Iudæos omnes Vrbe (d) expellente, Roma Ierosolymã excurrerat) definiunt, legales ceremonias Mosaicas non esse Christianis seruandas, Actor. 15. Galat. 2. v. 1. Hanc sententiam deferunt Antiochiam Silas & Iudas vnà cum Paulo & Barnaba, Actor. 15. v. 22. Quos paulò pòst subsequitur etiam S. Petrus, & à Paulo reprehenditur, Galat. 2. v. 11. Antiochia Barnabas cum Ioanne Marco pergit in Cyprum: Paulus cum Sila perambulat Syriam & Ciliciam, Actor. 15. v. 37. Cumque per Derben veniset Lystrã, circumcidit Timotheum, c. 16. v. 1. Cum quo transiens Phrygiam & Galatiam, vetatur à Spiritu S. loqui verbum Dei in Asia, v. 6. Transitâ verò Mysiâ, cùm esset Troade, in visione inuitatur à viro Macedone, vt in Macedoniã excurrat, v. 8. Ergo nauigat in Samothraciam, inde Neapolim, & Philippos, vbi Lydiam purpurariam conuertit, & dæmonem Pythonem à puella expellit, v. 11. &c. Qua occasione flagellatur Paulus, sed agnitus ciuis Romanus, liber dimittitur. v. 19. &c. & per Amphipolin & Apolloniam venit Thessalonicam, Act. 17 v. 1. Sed seditione à Iudæis excitatâ, à fratribus noctu Beroeam dimittitur, & inde Athenas, v. 5. vsque 15. relictis Sila & Timotheo Beroeæ, v. 14.
	11	96	21	Paulus Athenis in Areopago prædicans conuertit Dionysium Areopagitam, v. 16. &c. Inde Corinthum pergit, c. 18. v. 1. vbi conuertit Crispum principem Synagogæ, v. 8. Corinthi post aduentum Silæ & Timothei scribit priorem epistolam ad Thessalonicenses.
	12	97	22	Corinthi secundum annum agens Paulus, v. 11. secundam inde scribit epistolam ad Thessalonicenses. Paulus ad tribunal trahitur Proconsulis Gallionis, (qui frater fuit Senecę:) sed dimittitur intãctus, v. 12. Post *multos* inde *dies, abiturus in Syriam totondit sibi ex voto* (Nazaræorum) *in Cenchris* portu Corinthi, *caput*, v. 18.
Euseb. in Chron. Solinus Polyhistor c. 2.	13	98	23	Ephesum appulsus, v. 19. parum ibi moratus, v. 20. relictis ibi Aquila & Priscilla, soluit Cæsaream, indeque Ierosolymam (vbi sub id tempus mortua videtur Deipara, vt innuunt Epiphanius, Cedrenus & alii apud Baronium, anno Christi 48. Vide Canisium; Christophorum à Castro, Franciscum Suarez, & Act. 17. v. 34.) Inde redit Paulus Antiochiam, v. 22. & perambulans Galaticam regionẽ & Phrygiam, confirmat vbique discipulos, v. 23. Apollo Ephesi ab Aquila & Priscilla instructus in fide, Corinthi conuincit Iudæos, v. 24. & c. 19. v. 1. Eodem anno 12. Claudij, Olympiadis 207. anno 4. Philippus Apostolus apud Hierapolin Phrygiæ in Asia, cruci affixus, lapidibus obruitur, inquit Eusebius; & Solinus annum quoque 9. Claudij pariat cum anno 1. Olympiadis 207.
				Paulus *peragratis superioribus* Asiæ *partibus* redit *Ephesum*, ibique *per bien-*

nium,

ANNO Claudij	Iuliano	à Christi morte
14 Neronis 1	99	24
2	100	25
3	101	26
4	102	27
5	103	28
6	104	29
7	105	30

nium, Actor. 19 v. 10. cum tribus mensibus prædicat: vnde c. 20. v. 31. dicit se *per triennium* istic mansisse. Ibi bestijs obijcitur, 1. Corinth. 15. vers. 32. Per sudaria & semicinctia sua curat quosuis languores, dæmones expellit, &c. Actor. 19. v. 11.

Occasione Iudæorum exorcistarum, in quos dæmon insilijt, multi Ephesi ad Christum conuertuntur, v. 13. Die 13. Octobris mortuo Claudio, anno ætatis 64. imperij 14. per octo menses continuato, teste Suetonio & Dione, agente Agrippinâ secundâ eius vxore (quæ matrimum veneno sustulerat) sufficitur Nero filius Agrippinæ anno ætatis 18. excluso, & pòst etiam veneno sublato, Britannico Claudij ex priore vxore Messalina filio, legitimo imperij herede. Ita Iosephus. Ab hac Agrippina, cùm in oppidum Vbiorum, ante quadriennium colonia deduceretur, nomen vrbi datum Colonię Agrippinę, quòd ipsa in eo oppido nata fuisset, agente ibi cum exercitu Germanico illius patre.

Sueton. in Claudio cap. 45. Dio l. 60. Ioseph. l. 20. Antiq. c. 5.

Paulus scribit primam epistolam ad Corinthios. Et sublato cum morte Claudij edicto de Iudæis Roma exigendis, cogitat transitâ Macedoniâ & Achaiâ & Iudæâ, Romã excurrere, Actor. 19. v. 21. Concitata per Demetrium seditio Ephesi, occasione templi argentei Dianæ, suasit Paulo excedere Epheso, & in Macedoniam concedere, relicto Ephesi Timotheo primo Episcopo, v. 24. & c. 20. v. 1. & 2. Corinth. 2. vers. 12. Ex Macedonia primam ad Timotheum scribit epistolam. Inde Cretam venit, & Titum ibi creat & relinquit Episcopum, ad Titum 1. v. 5.

Paulus peragrans Græciam venit Nicopolin, vbi statuit hiemare Actor. 20. v. 3. Vnde scriptâ ad Titum epistolâ vocat illum ad se, ad Tit. 3. vers. 12. Nicopoli quoque videtur scripsisse ad Galatas, & epistolam secundã ad Corinthios: eosdémque mox adijsse, & ex portu Cenchrensi scripsisse epistolã ad Romanos. Inde Philippos abit, & post Pascha Troadem, Actor. 20. v. 6. Ibi à morte suscitat Eutychũ, vers. 9. Inde Asson, Mitylenen, Chiũ, Samũ, Miletum, v. 13. Quò euocatis maioribus Ephesi vltimum valedicit, vers. 17. Mileto nauigat Coum, Rhodum, Pataram, Tyrum, Ptolemaidem, Cæsaream, c. 21. vbi Agabus propheta Paulo vincula Ierosolymitana prædicit, v. 10. Sub Pentecosten (vti decreuerat c. 20. v. 16.) pro quarta vice venit Ierosolymam: vbi quantumuis purificatus in templo, occisus fuisset à Iudæis, nisi tribunus eum eripuisset, c. 21. v. 17. 26. 33. A quo vinctus mittitur Cæsaream ad Felicem præsidem, Actor. 23. vers. 23. quem sua oratione percellit Paulus, c. 24 v. 25. Felici succedens Portius Festus cùm propenderet Paulum Ierosolymã deducere, Paulus Cæsarẽ appellat, c. 25. v. 9. Sed antequã Romam mitteretur, causam corã Agrippa rege (hic erat defuncti Agrippæ senioris filius, & in regno successor, teste Iosepho & alijs) & Berenice agit, v. 13 & c. 26. Dein cum centurione nauigat Sidonem, Cyprum, Lystram, c. 27. Paulò pòst naufragium patitur, v. 9. vsque 41. Sed cum omnibus socijs saluis Melitam tenet, v. vlt. & c. 28. v. 1.

2. Cor. 12. v. 2.

Eodem anno S. Lucam suum conscripsisse Euangelium censet Baronius. Sed citiùs scriptum vult Cornelius à Lapide.

Corn. Act. 16. v. 10.

Paulus post tres menses ex Melita deuehitur Syracusas, Actor. 28. vers. 11. inde Rhegium & Puteolos, v. 13. Atque ita terrestri itinere Romam, v. 14. Idque 6. Iulij, vt docet Cornelius à Lapide. *Romæ* in domo conducta permittitur suo arbitratu *manere cum custodiente se milite*. Quæ domus pòst conuersa est in ecclesiam S. Mariæ in via lata. *Biennũ* sic *mansit*, liberè *prædicans Christum*, v. 30. Esto ob metum Neronis, *omnes* sui eum *deserereni*: sed *astitit* ei *Christus*. eripuitque eum *de ore leonis*, 2. ad Timoth. 4. v. 16. Româ scripsit epistolam ad Philippenses, per Epaphroditum eorum Episcopum. Item epistolam ad Ephesios, quam misit per Tychicum.

Anno secundo captiuitatis suæ Romæ scribit epistolam ad Colossenses, ad Philemonem, & ad Hebræos.

† *Ioseph. l. 20 Antiq. c. 5.*

Biennio in captiuitate exacto Paulus à Nerone liber dimittitur. Inde varias prouincias euangelizando peragrat, ac nominatim Hispanias. Sed S. Lucas Actis Apostolorum fine priùs impositio, Româ in Græciam reuertitur; Dalmatiam tamen, & Galliam & Italiæ varias partes euangelizando obit, vt & Libyam, &c. ac tandem Carthaginem, anno 84. ætatis, apud Patras vrbẽ Achaiæ, anno 6. Vespasiani Imp. apostolatũ suum nobili martyrio concludit. Ita Baronius. Hoc anno Nero Agrippinã matrẽ suã crudelis filius occidit: *Hanc illi gratiã* (inquit † Iosephus) *nõ pro naturitate solũ referens, verùm Antonii n. p. etiam quòd eius artibus ad imperium prouectus fuisset*, vt dixi anno 1. Neronis.

* *Hieron. de Viris illust. Euseb. & Freculp. in Chronic. suo Niceph. l. 2. hist. c. 38.* † *Ioseph. l. 20 Antiq. c. 8. §. 1.*

Iacobus frater Domini in Paschate, anno 7. Neronis, post 30. annos à morte Christi, à Judæis è pinna templi dejectus fullonis vecte occiditur. Ita * Hieronym. Eusebius, Freculphus. Nicephorus, Antoninus, Petrus de

Petrus de Natal. l. 4. Nata- cap. 103

	ANNO		
	Neronis	Iuliano	à morte Christi
Herm. & alij in Chronic. Ludolph. de Vita Christ. Platina & alij, de Rom. Pontific. Galarza l.7. Euang. Instit. c.9. Vorag. ser. de S. Iacobo Minore. Io. Lucid. & Sculf. in Chron.	8	106	31
Tacit. l.15.	9	107	32
Ioseph. l.7. Belli c.12.	10	108	33
Tacit. sup.	11	109	34
Hieron. epi. 30. ad Oceanum.	12	110	35
*Ioseph. sup. Ioseph. l.2. Belli c.17. 24. Hegesip. in anacephal. & de Excidio Ieros. cap.44. Epiph. l. de Mensuris. Hieron. ad c.9. Dan. Ioseph. sup. c.13. & l. 20. Antiq. cap.3. *Arnob. l.2. contra Gentes. Hegesip. l.3. de Excid. Ieros. c.2.*	13	111	36

Natalibus, Hermannus Contractus, Conradus, Fasciculus temporum, Genebrardus,, Ludolphus, Platina, Onuphrius, Adrichomius, Ciacconus, Petrus Galarza, Iacobus de Voragine, Baronius, Breuiarium Romanum, & Martyrologia Bedæ, Notkeri & Petri Canisij. Hæreticus quoque Ioannes Lucidus, Alexander Scultetus & alij. Extincto Iacobo sufficitur in episcopatu Ierosolymitano frater eius germanus Simeon, de quo egi in fine c.46. S. Andream hoc etiam anno crucifixum Patris Achaiæ notat Onuphrius.

S. Barnabas in Cypro occiditur, teste Onuphrio & alijs. item S. Marcus Alexandriæ, non ipso die Paschæ, sed in octaua, 25. Aprilis, Dominica (vt apparet) in Albis, cùm pridie ad altare sacris operans comprehensus esset. Ita Menologia Græcorum, & Latina Martyrologia, & Eusebius, Hieronymus, Isidorus & alii scriptores. Hic est alter *S. Marcus* ab illo *Ioanne Marco* consobrino Barnabæ, Actor. 15. vers. 39. & 2. Timoth. 4. vers. 10. & Coloss. 4. vers. 10.

Eodem anno Simon & Iudas Apostoli occisi sunt in Persida, ait Onuphrius: seriùs volunt Baronius & Cornelius, sed non conuincunt. Nero vxorem simul & sororem (sed ex Messalina matre, de qua anno 1. Neronis) Octauiam, in insulam relegatam, mori tandem balnei vapore compulit 10. Iunij, teste Tacito.

Rusticus quidam, Iesus nomine, clades Ierosolymæ imminentes prædicit, 4. annis ante initium belli Iudaici, 8. ante vrbis obsidionem: nec flagellatus à magistratu, cessauit inclamare, *Væ, væ Ierosolymis*: continuauitque vsque ad octauum annum, quando in mœnibus consistens, & maxima voce clamitans, *Væ, væ ciuitati, væ templo, væ populo*, denique *& mihi væ*, lapide è tormento Romanorum misso, interijt. ita Iosephus.

Roma horribili conflagrat incendio, cuius causam Nero per calumniam conijcit in Christianos, eoque nomine grauissimis supplicijs illos enecat, *vt ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent: aut crucibus affixi, aut flammandi, in vsum nocturni luminis vrerentur*, inquit Tacitus, & Martyrologium Romanum 24. Iunij. S. Matthiam Apostolum hoc quoque anno occisum scribit Onuphrius.

Nero primam in Christianos persecutionem, priuatim hinc indè nuper inchoatam, nunc publico edicto instituit. Quando etiam complures ex ipsius Neronis familia, quorum meminit S. Paulus ad Philipp. 4. v. 22. martyrio affecti sunt. Plurimi quoque senatores, quòd in necem eius coniurasse dicerentur, occisi: inter quos & Seneca præceptor Neronis, & Lucanus poëta nepos Senecæ, & Plautus Lateranus Consul designatus. A quo nomen loco in Cælio monte, vbi pòst exstructa est à Constantino basilica Lateranensis, teste S. Hieronymo, Poppæam denique Sabinam Augustam, licèt sibi charissimam, irâ percitus Nero, ictu calcis percussam occidit, teste Tacito, Dione & alijs.

Mense Maio Iudæi ob Cestij Flori præsidis auaritiam & tyrannidem, à Romanis desciscentes, bellum aduersus illos ordiuntur. Cùm Pascha Iudæorum eò anno incideret in 8. Aprilis, media tunc nocte circa altare & templum effulsit tantum lumen, vt clarissimus dies putaretur: bos ad hostiam ductus agnum in medio templi peperit: porta ænea templi sponte sua noctu aperta est, &c. 21. Maij in aëre visi sunt currus ferrei & armatæ acies vrbi circumfusæ. in Pentecoste audita vox in templo, *Migremus hinc*. ita Iosephus. Vnde & Christiani memores monitorum Christi, Ierosolyma excedentes, in vrbem Pellam, & alias remotiores se contulere. 7. Septembris in Sabbatho fœdissima cæde occisus est summus pontifex Ananias cum alijs innumeris Iudæis. ita Iosephus, Hegesippus, S. Epiphanius (qui dicit fuisse annum Christi 65. nempe Dionysianum) S. Hieronymus (qui annum 35. à morte Christi) & alij. Hæc verò omnia designant, fuisse tunc annum Iulianum 110. & Neronis 12. Addit Iosephus, fuisse secundum annum Cestij Flori, 17. regis Agrippæ iunioris: & exinceps numerat quinquè alia Paschata, ante deletam à Tito vrbem.

Eodem anno Petrus, & mox etiam Paulus, vt labenti penè Ecclesiæ ob crudelem Neronis persecutionem succurrerent, Romam redeunt. vbi Petrus Simonem Magum volare conantem ex alto precipitat. ita *Arnobius, Hegesippus, Epiphanius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & alij. Paulus Neroni pellicè subtrahit & Christo adiungit. Has ob causas vterque à Nerone in carcerem Mamertinum compingitur. ita iidem. S. Petrus secundam scribit epistolam, S. Paulus item secundam ad Timotheum, eumdemque ad se vocat. Apollonius Tyanæus Simoni Mago successurus Romam venit.

Iubente Nerone Vespasianus ex Achaia migrat in Iudæam, mense Maio Iota-

ANNO Neronis	Iuliano	à morte Christi	
14	112	37	Iotapatam obsidet, & Kalendis Iulij expugnat. Ioseph. Nero hoc adhuc anno in Septembri Isthmum in Achaia fodi curat. *Ioseph.l.3. bellic.4.*
			Hic est 14.annus Neronis, si non à die capessiti imperij 13.Octobris, sed à præcedentibus Kalendis Ianuarij, more Romano, inchoes annos illius, vt inchoant Hieronymus, Beda, Hermannus Contractus & alij, & ipse etiam Euangelista Lucas, (vt dixi c.47.) cùm Christum dicit baptizatum anno 15. Tiberij. Hoc igitur calculo, 14. Neronis anno (nam à die inchoati imperij labebatur tantùm 13.annus.) Iuliano 112. à morte Christi 37. Capitone & Rufo Coss. sancti Apostoli Petrus & Paulus martyrium subeunt Romæ, vno eodemque die 29.Iunij, ille cruce, hic gladio. Hunc annum 37. à morte Christi, &c. martyrio illorum adsignāt scriptores totius orbis. In Palæstina † Eusebius & Hieronym. plus nouies variis in locis: & Baronius dicit; illum id ex traditione Romanę Ecclesię hausisse. In Græcia Nicephorus Callistus & alii. In Italia Damasus, Ciacconus & Platina. In Anglia Beda. In Hispania S. Isidorus, Salmeron, Bened. Pererius. In Polonia Martinus Polonus. In Gallia Freculphus, Honorius Augustodunensis, S. Thomas, Ioannes Lucidus, Genebrardus, Ioannes Gagnæus qui citat alios 28. In Belgio Erasmus Roterodamus. Ipsi quoque hæretici idem affirmant, Ioannes Carion, Dauid Chytræus, Ioannes Funccius & alii. Ierosolymæ ciues mutuò inter se digladiantur, & Zelotę maximas strages edūt, quas Iosephus recēset. *† Euseb. in Chronico. Hieron. in Catalogo Script. & de Vir. illustr. Baron. ad annū Christi 34. Niceph. in fine l.2. hist. Eccles. Damas. in Pontificali. Ciacc. & Platina de Rom. Pont. Beda ad fin. Iunij in Martyrol. Isidor. in catalogo 55. c.69. Salmer. to. 12. tract 69 Erasmus in peregr. Petri & Pauli. Pererius l.11 in Daniel. q.7. Mart. Polon. lib.4. Chronici. Freculphus to.2.l.1. c.17. Honorius August. in catal Scriptor. Eccles. S. Thom. ad c.21. S. Ioannis lect.4. Io. Lucidus l.8. chronici. & in c. de Romano Pont. f. Genebr. l.2. & 3. chronolog. Gagnæus ad vlt. c. Actor. Carion. Chytr. & Funcc. in chronicis Iosephus l.5. Bellic.1 &c. † Ioseph l.6. Bellic. c.4. & l.7. cap 16. & 17. Dio l.66. Hegesipp. (& alij) suprà. & l.5. cap.49. Euseb. l.3. hist. c.7. & l.6. Demonstrat. c.18. Scaliger l.5. vltimæ editionis. Viegas in c.6. Apoc.*`
vltimo. Galbæ 1	113	38	Nero, 12.mense post necem Apostolorum ob nimiam tyrannidem à senatu damnatus, & ex vrbe profugus, in spelunca sibi manus infert, sed ægrè moriens, ab Epaphrodito liberto suo conficitur die 10. Iunij (eādem die qua ante 7. annos Octauiam vxorem suam interfecerat) agens ætatis annum 32. imperij 14. Atque in eo omnis Augusti familia extincta est nam Seruius Sulpitius Galba mox à militibus, quibus prærat, Imperator acclamatus est, tenuitque imperium menses 6. dies 7. Vide Tacitum, Dionem, Suetonium, Eusebium & alios, quos citat & sequitur Arnoldus Pontacus.
Othonis, Vitellij & Vespasiani 1	114	39	Sub idem tempus Vespasiano, dum circumsidere parat Ierosolymam, mors nunciatur Neronis. Et quia Iosephus sacerdos Iudæus & belli dux, captus à Romanis, prædixit Vespasiano, successurum illum in imperium, vita ab illo donatur. ita Euseb. Galbæ à militibus occiso surrogatur in imperio M. Saluius Otho, qui cùm imperasset menses 3. dies 5. rebellante Vitellio mortem sibi consciscit. Imperium ergo capessit Vitellius, tenetque menses 8. dies 5. Vespasianus interea plurimas Iudæę vrbes subigit, & Kalendis Iulij ab exercitu Imperator acclamatur, ac trimestri pòst Vitelliū imperio simul & vita priuat vltima Septembris. Ab adulatoribus iactatur, ipsum esse Messiam Iudæorum, & præstigijs Apollonij Tyanęi visus est cęcum illuminare, & ægro manum restituere. Ita ex * Tacito & Suetonio Baronius.
Tacitus l.4. cap.4. Sueton in Vespas.c.7.	Vespasiani 2	115	40	Tito filio suo ad conficiendum bellum Iudaicum in Palæstina relicto Vespasianus Romam nauigat, Capitolium ciuili bello conflagratum restituit &c. Titus in Paschate, cùm vndequaque Iudæi eò ad festū confluxissent Ierosolymam obsidere cœpit 14. Aprilis: atque ita vrbē vndique duplici muro cinxit, vt nullis effugiū patuerit. 9 die Ab, id est quarta Augusti mensis, interceptum est à Romanis templum Ierosolymitanum, in die Sabbathi, familia seu vice Ioiarib finiente Liturgiam. ita Iosephus, Sederolam, & Hebræi passim. Sequenti die, nempe 10. mensis Ab (5. Augusti) incensum est templum, eādem fatali die, quâ olim sub Nabuchodonosore per Nabuzardan 4.Reg.vlt.v.8. conflagrarat, inquit idem Iosephus: ephemeria Ioiarib inquiunt Hebræi, vtriusque cladis tempore Liturgiā finiente, & cantoribus eumdem quem olim sub Nabuchodonosore, iam quoque sub Tito versum psalmi 93. succinentibus, *Reddet illis iniquitatem ipsorum, & in malitia eorum disperdet eos: disperdet illos Dominus Deus noster.* Denique perrupta & capta est vrbs Ierosolyma, & fuga atque dispersio Iudæorū facta die 8. Septembris in Sabbatho quinque hebdomadis à capto templo. Confignat hæc omnia tēpora † Iosephus oculatus testis, Dio Cassius, Hegesippus, Xiphilinus, Eusebius, Sulpitius, Glycas, Sigonius, Baronius, Scaliger, Viegas, & alij. E quibus constat, annum fuisse Iulianum 115. Dionysianum à nato Christo 70. à mortuo 40. cyclo lunæ 14. solis 23. Epacta * cum littera Martyrologij P. Dominicali G. Subscribunt eidē calculo Alexander Monachus, Rupertus, Cedrenus, Marianus Scotus, Beda, Otho Frisingensis. Vincentius, Antoninus, Abulensis, Nauclerus, Hermannus Contractus & passim alij. Item hæretici Ioannes Carion, Eberus, & eius generis plures. Ita cum excisō templo & vrbe sepulta est sine honore Synagoga. Nam & alterum templum, quod Iudæi in Ægypto habebant æmulū Ierosolymitano, ab Onia Oniæ tertij Pontificis filio antè 233. annos exædificatum (vnde &

	ANNO Vespasiani	Iuliano	à morte Christi
Ioseph l.7. Belli c.17.	3	116	41
	4	117	42
	5	118	43
	10	123	48
	Domitiani 6	131	56
Censor.de Die natali cap.14. Ptolem.l.7. Almagesti cap.3. Tertull.de Præscript. cap.26. Euseb.l.6. cap.13.	12	137	62
Dio in Domitiano.	13	138	63
	14	139	64
Sueton.in Domit. c.15.& 17. Philostrat. l.8.Vitæ Apollonij Tyanæi. Dio in Domitiano & Nerua. Euseb.l.3. c.15.17. & l.5.c.17. Philost. sup.	15 Neruæ 1	140 141	65 66
Plinius in Panegyrico Traiani. Iren.lib.2. c.9.l.3.c.3. Euseb.in Chronico. Epiph.hæresi 66. Hieron.de Viris illust.	Traiani 1	143	68

ὀνεῖον dicebatur) Iudæis iam ibi quoque tumultuantibus, Vespasianus anno insequenti funditus exscindi iussit. Vide quæ dixi cap. 39. in *Ptolemæo Philometore.*

Titus de subacta Iudæa Romæ triumphat. E Iudæis toto belli tempore occisi sunt vndecies centena millia, capti 97. millia, inquit Iosephus. S. Bartholomæus apud Persas excoriatus, capite plectitur. ita Onuphrius.

Ebion & Cerinthus hæresiarchæ negant diuinitatem Christi. Quibus se S. Ioannes opponit cum Dionysio, Ignatio, &c.

S. Thomas apud Indos occiditur, inquit Onuphrius. S. Lucas an. sequenti apud Patras vrbem Achaiæ.

Vespasianus anno ætatis 69. imperij 10. moritur 8. Kalendas Iulij. Succedit ei filius Titus: qui amphitheatrum Romę construit, quod etiamnum hodie visitur. Tertio anno imperij moritur, Idibus Septembr. ætatis 41. veneno (vt fama fuit,) à Domitiano fratre suo & successore sublatus.

Domitianus XII. Consul cum Ser. Corn. Dolabella, agones instituit Capitolinos, qui instar Olympiadum continebant quatuor annos: & ab hoc anno initium sumpserunt. Ita Censorinus.

Domitiano XVI. Cos. & A. Volusio Saturnino II. (quem annum Ptolemæus comparat cum 840. anno Nabon-Assaris à 31. Iulij inchoato) Ioannes Apostolus Epheso à Proconsule Asiæ Romam vinctus missus, ibi ante portam Latinam in feruentis olei dolium immittitur, teste Adrichomio, 6. Maij die Dominica; sed illæsus egressus à Domitiano relegatur in insulam Pathmos. ita Tertull. Sub Domitiano cœpit altera post Neronem in Christianos publica persecutio, de qua Eusebius & alij. Sub hoc tempus Antipas (Apocal. 2. v. 13.) martyrium subijt Pergami in Asia. & M. Acilius Glabrio Romæ, superioris anni Consul. Ita Dio.

Iosephus historicus, sacerdos & belli dux Iudæorum, toties à nobis citatus, finem imponit operi suo de Antiquitatibus Iudaicis, in 20. libros diuiso. In cuius l. 18. c. 4. istud de Christo testimonium perhibet: *Eodem tempore fuit* IESVS, *vir sapiens; si tamen virum eum fas est dicere. Erat enim mirabilium operum patrator & doctor, &c. Christus hic erat. Quem accusatum à nostræ gentis principibus, Pilatus cùm addixisset cruci, apparuit tertia die viuus, ita vt diuinitus de eo Vates hoc, & aliâ multa miranda prædixerant.* Quis clarius optet testimonium ab homine Judæo?

Ioannes in Pathmos, cuius insulæ accolas omnes ad Christum conuerterat, scribit Apocalypsin eorum quæ Ecclesiæ & orbi vniuerso obuentura erant, præsertim in fine mundi. Vt sic fideles aduersus venena Ebionis, Cerinthi, aliorumque hæreticorum communiret, & ad reliquas octo generales persecutiones à totidem Imperatoribus concitandas roboraret. In eumdem finem scripsit sequentibus annis ternas Epistolas Canonicas, & maximè contra Basilidem & alios, qui veram Christi carnem negabant, vt patet ex initio epistolæ 1. & decursu reliquarum.

T. Flauius Clemẽs Consul, cognatus & collega Domitiani XVII. Consulis, ab eodem ob fidem Christianã occiditur. Eius ex sorore Plautilla neptis Flauia Domitilla, quòd Aurelianũ sponsũ respueret, in insulam Pontiam relegatur, vbi post longum exilium Martyr sub Traiano obijt. Ita Eusebius & Acta Nerei & Achillei. Sed 14. Kalendas Octobris, à Stephano S. Flauiæ Domitillæ procuratore alijsque coniuratis tyrannus confoditur, exactis imperij annis 15. vitæ 45. Ita Suetonius, Dio, Philostratus & alij. Successor eius Nerua, rescissis Domitiani actis omnibus, vetuit quemquam accusari causa religionis. ita Dio. Quam ob rem etiam Ioannes Apostolus è Pathmos Ephesum reuertitur, omnesque Asię Ecclesias gubernat, teste Eusebio, Baronio & alijs.

Ioannes rogatu Episcoporũ Asiæ scribit Euangeliũ suũ græcè, quo aduersus Ebionẽ & Cerinthũ alios que tunc temporis hæreticos, diuinitatem Christi fortissimè adstruit, teste S. Hieronymo & alijs. Apollonius Tyanæus Ioannis Apostoli perpetuus antagonista, quò credi posset immortalis & in cælum translatus, occultam mortem oppetiit. Ita Philostratus in eius Vita.

Nerua senio fatiscens, vt Imperio consulerat, præteritis sibi sanguine iunctis, M. Vlpium Traianum Hispanum in filium & successorem adoptatum anno præcedenti, iam 6. Kalendas Februarias vitâ functus successorem habuit, magnum deorum cultorem. ita Dio, Plinius & alij. Sub quo Flauia Domitilla cum Euphrosyna & Theodora, incenso cubiculo martyrium consummarunt, anno 1. eius imperij, ipso Traiano secundùm Consule. Cuius item anno 1. finiente, Decembris 27. feria 5. defunctus est Ioannes Apostolus anno vitæ suæ 99. à morte Christi 68. vt habet antiqua traditio: & docent Irenæus, Eusebius, Epiphanius, Hieronymus, Isidorus, Beda, Ado,

Vsuar-

ANNO		
Traiani	Iuliano	à emort Christi
1	143	68

Vsuardus, Honorius Augustodunensis, Nicephorus, Conradus Abbas Vrspergensis, Abbas Stadensis, Chronicon Norimbergense, S. Bonaventura & alii: quorum aliqui expressè dicunt, illum 31. annorum fuisse cùm Christo sub cruce adstaret. Addit (a S. Hieronymus, Augustinus. Beda, Alcuinus, Liranus, Vincentius (& nemo veterum refragatur, imò ipse hoannes ita reuelauit S. Gertrudi) Ioannem fuisse sponsum illum in nuptiis Canæ Galilææ. Barradius dicit, sponsam quoque Ioannis se pariter virginem consecrasse Christo, & lateri B. Virginis adhæsisse.

Porrò Ioannes vltimus est cuius mentio fit in Scripturis: vnde & cum Ioanne Chronicon nostrum concludo, quod SS. Scripturis illustrandis maximè subseruit.

a *Hieron. in prologo in Ioannem. August. prolegom. in Ioannem. Alcuin. comment. in Ioannem. S. Gertrud. l. 4. Insinuationum diu. pietatis c. 4.*

INDEX CAPITVM CHRONICI SACRI.

CAPVT I.	*De Die.*	pag. 1
CAPVT II.	*De Horis.*	*ibid.*
CAPVT III.	*De Hebdomade.*	2
CAPVT IV.	*De Mense.*	*ibid.*
CAPVT V.	*De Anno, & multiplici æra annorum.*	3
CAPVT VI.	*De Periodis annorum.*	4
CAPVT VII.	*De sex ætatibus mundi.*	5
CAPVT VIII.	*Prima mundi ætas, ab Adamo, ad finem diluuij, per annos 1656.*	*ibid.*
CAPVT IX.	*Quo anni tempore mundus creatus sit? Autumnaline æquinoctio, an verno? ibidem.*	
CAPVT X.	*An hi omnes anni fuerint solares & plani?*	6
CAPVT XI.	*Quoto die quoti mensis cœperit diluuium? quoto finierit?*	*ibid.*
CAPVT XII.	*Secunda mundi ætas, à principio sexcentesimi primi anni Noë vsque ad egressum Hebræorum ex Aegypto, durauit annis 887.*	7
CAPVT XIII.	*An Genesis 11. v. 12. inter Arphaxad & Sale interseri debeat Cainan?*	*ibid.*
CAPVT XIV.	*Quoto anno Thare natus sit Abram?*	8
CAPVT XV.	*Distributio annorum Abrahæ.*	*ibid.*
CAPVT XVI.	*Distributio annorum Iacob & Iosephi.*	9
CAPVT XVII.	*Distributio annorum à morte Iosephi, vsque ad finem seruitutis Aegyptiacæ, & quo anno hæc cœperit, & quamdiu durarit?*	11
CAPVT XVIII.	*Tertia mundi ætas, ab egressu filiorum Israel ex Aegypto vsque ad annum primum quo condi cœpit templum à Salomone, durauit annis 480. vt dicitur 3. Reg. 6. v. 1.*	13
CAPVT XIX.	*Distributio vltimorum 40. annorum Moysis seu peregrinationis Hebræorum in deserto: vbi de 42. mansionibus in deserto: & 14. murmurationibus populi.*	14
CAPVT XX.	*Distributio annorum & gestorum Iosue.*	16
CAPVT XXI.	*Vnde sumpserint initium anni Sabbathici & anni Iubilæi? de quibus Exodi 23. v. 11. & Leuitici 25. v. 2. & seq.*	17
CAPVT XXII.	*Vnde exordium sumpserint anni 450. quos S. Paulus Act. 13. v. 20. terminatos dicit cum sortitione terræ Chanaan per Iosue facta anno 6. ab ingressu in terram sanctam.*	18
CAPVT XXIII.	*An seruitutum anni 111. quorum mentio est in libro Iudicum, comprehendantur in annis Iudicum an seorsim subducendi sint?*	*ibid.*
CAPVT XXIV.	*Quo sensu dixerit Iephte, Iudic. 11. v. 26. Israelitas terram Chanaan per 300. annos possedisse, cùm ab vltimo anno vitæ Moysis, quo primùm illam cœperunt inuadere, vsque ad annum ducatus Iephte, non intercesserint nisi 266. vel 267. anni?*	19
CAPVT XXV.	*Quo tempore contigerit historia Michæ. Iud. 17. & expugnatio Lais, cap. 18. excidium penè integræ tribus Beniamin ob constupratam vxorem Leuitæ, cap. 19. 20. 21. Quo item tempore historia Ruth?*	*ibid.*
CAPVT XXVI.	*De annis Samuelis & Saulis.*	*ibid.*
CAPVT XXVII.	*Distributio annorum Samuelis & Saulis.*	21
CAPVT XXVIII.	*Distributio annorum regni Dauidis.*	22
CAPVT XXIX.	*Quarta mundi ætas, à condi cœpto templo Salomonis, vsque ad exustum illud*	

per

per Chaldeos; vel potiùs vsque ad finem captiuitatis Babylonicæ, & monarchiæ Chaldaicæ. 23

CAPVT XXX. *Anni & gesta Prophetarũ, tum Maiorum, tũ Minorum, per ordinem distributa.* 26

CAPVT XXXI. *De Græcorum Olympiadibus.* 32

CAPVT XXXII. *De anno, mense, die conditæ vrbis Romæ.* *ibid.*

CAPVT XXXIII. *De Monarchia & calculo Assyriorũ. De regno Medorũ. De Tobia, de Iudith, &c.* 33

CAPVT XXXIV. *De æra Aegyptia & Babylonica seu Chaldæa.* 35

CAPVT XXXV. *Quando cœperint, quando finierint 70. anni Babylonicæ seruitutis, captiuitatis & desolationis, Ieremiæ 25. & 29. Danielis 9. & 2. Paralip. 36. & 1. Esdræ 1.* 37

CAPVT XXXVI. *Quinta mundi ætas, ab initio monarchiæ Persarum, & relaxata per Cyrum captiuitate Iudæorum, 1. Esdræ 1. vsque ad aduentum Messiæ, & incarnatum Filium Dei, durauit annis 525.* 41

CAPVT XXXVII. *Series Regum secundæ orbis monarchiæ, nempe Persarum; quæ à Cyro post occisum Balthasar vltimum Chaldæorum regem, vsque ad Alexandrum Macedonem, post deuictum Darium Codomannum vltimum Persarum monarcham, durauit annis 200.* 42

CAPVT XXXVIII. *De initio & fine 70. hebdomadum Danielis, cap. 9. v. 25. 26. 27.* 43

CAPVT XXXIX. *Tertia monarchia, quæ fuit Græcorum, ab initio anni 7. Alexandri Magni, à quo victus fuit Darius, vsque ad annum 1. monarchiæ Augusti, quæ cœpit extinctis Antonio & Cleopatrâ, 11. mense post Actiacã victoriam, Augusto IV. & M. Licinio Crasso Coss. Stetit annis 300. nempe ab anno 3. Olympiadis 112 (per Olympiades 75. integras) vsque ad 3. annum Olympiadis 187. Ab anno vrbis Romæ conditæ 424. vsque 724. Ab anno Nabon-Assaris 418. vsque 718.* 45

Series Ptolemæorum Aegypti Regum. *ibid.*

CAPVT XL. *Series Regum Syriæ.* 47

CAPVT XLI. *Series Regum Macedoniæ.* 49

CAPVT XLII. *Series summorum Pontificum Iudæorum, ab exitu ex Aegypto vsque ad destructionem Ierosolymæ per Titum & Vespasianum Imperatores, anno mundi 4074. in tres classes distinctorum.* 50

CAPVT XLIII. *Quarta orbis monarchia, quæ est Romanorum, ab extinctis Antonio & Cleopatra, mense 11. post Actiacam victoriam, Augusto IV. & M. Licinio Crasso Coss. anno 3. Olympiadis 187. Vrbis conditæ 724. & Nabon-Assaris 718.* 53

CAPVT XLIV. *De æra Iulij & Augusti Cæsarum Romanorum.* 54

CAPVT XLV. *De Herode Ascalonita, eiusq; filiis Archelao & Herode Antipa; item de eiusdem nepote atque abnepote Herode Agrippa.* 56

CAPVT XLVI. *Arbor Genealogiæ Patriarcharum veteris Testamenti, & ex his prognati* IESV *Christi Domini nostri.* 58

CAPVT XLVII. *Sexta mundi ætas, ac primùm, de anno Conceptus, Natiuitatis, Baptismi & Mortis Christi.* *ibid.*

CAPVT LVIII. *De mense & die & hora Conceptionis, Natiuitatis, Baptismi, Mortis & Resurrectionis Christi.* 61

CAPVT XLIX. *Series annorum & gestorum Christi, à prima die quâ conceptus est, vsque ad vltimam quâ in cælum ascendit.* 63

CAPVT L. *Acta Apostolorum, & alia quæ sub id tempus acciderunt per annos digesta, vsque ad excidium templi Ierosolymitani per Titum, anno à morte Christi 40. imò vsque ad mortem S. Ioannis Euangelistæ anno 68.* 68

PROLEGOMENA

DE ANTIQVIS PONDERIBVS ET MONETIS

HEBRÆORVM, GRÆCORVM, ROMANORVM,

collatis cum modernis Italorum, Hiſpanorum, Gallorum, Belgarum, &c.

ex Roberto Cenali, Q. Rhemn. Fannio, Aulo Gellio, Columella, Agricola, Budæo, Alciato, Clauio, Villalpando, Mariana, Alcazario, & aliis.

AERE appenſo vtebantur antiqui, non ſignato (vt modò ſit,) ſed rudi: hinc pondere æſtimabant æs, argentum, aurum, non formâ aut figurâ. A tempore tamen Patriarchæ Iacob iam tum videtur vſus aliquis fuiſſe æris ſignati. Nam quòd Gen. 33. v. 19. dicitur Iacob emiſſe partem agri *centum agnis*; S. Stephanus Actor. 7. v. 16. exponit emiſſe *pretio argenti*. erat enim *agna* nummus forma *agnæ* ſignatus, pondere ſat magnus. Et eodem modo Iobi vltim. v. 11. pro eo quod Noſter habet ſingulos cognatos Iobo dediſſe *ouem vnam*, alij vertunt, *nummum vnum*, nempe formâ *ouis* ſignatum. Ita Hebræi paſſim. Quin & *pecunia* in genere ſic dicta videtur à *pecude* nummo impreſſa. vide Plutarchum in vita Publicolæ, & alios.

De Aſſe,

Vulgatiſſimum pondus *as* erat: vnde & generali nomine *pondo* (neutrius generis & indeclinabili) vel *pondium* (declinabili) vocari ſolebat. Conſtabat autem *libra æris*: vnde quidam putant dictum fuiſſe *as*, quaſi dicas *æs*, ſcilicet librale. Hanc libram æris, pondo, ſeu aſſem ſecuerunt Romani in duodecim partes, ſecundùm duodecim menſes anni, inquit Fannius: quarum ſingulas vocarunt *vncias*, quaſi *vncius* vel *vnas*. *Vncia* ergo erat duodecima pars libræ, pondo, aſſis. *Sextans* erat ſexta pars: *quadrans*, quarta: *triens*, tertia: *ſemis*, ſeu *ſemiſſis*, dimidium aſſis. *Quincunx*, erant quinq; vnciæ: *ſeptunx*, ſeptem: *bes*, vel, vt olim, *des*, octo erant vnciæ: *dodrans*, nouem: *dextans*, decem: *deunx*, vndecim. Dicitur verò *deunx*, quia ab vnciis duodecim, quot ad aſſem ſeu libram requiruntur, *deeſt* vna *vncia*. Sic *dextans*, quaſi dicas *deeſt ſextans* libræ, ſeu duę vnciæ. *Dodrans*, pro *deeſt quadrans* libræ, ſeu tres vnciæ. *Des* (ſeu, vt alij, *bes*) pro *deeſt triens* libræ, ſeu quatuor vnciæ.

PARTES ASSIS ſeu LIBRÆ

vncia	ſextans	quadrans	triens	quincunx	ſemis	ſeptunx	bes	dodrans	dextans *vel* decunx	deunx	as
ſunt vnciæ											
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12

Duo aſſes vocabantur *dupondium*, duo pondo, vel duo pondia: tres aſſes, *tripondium*: centum aſſes, *centumpondium*, &c.

Succeſſu temporis inualeſcente mercatura, cùm pondus æris pluſculum grauaret, & moleſtum eſſet ſemper adhibere bilancem, loco æris appenſi cœperunt vti ære ſignato longè leuioris ponderis, forma plana, ac ferè rotunda, vt videre eſt ex nummis etiam antiquiſſimis. Pretium verò ſeu valor cuiuſque nummi non tam à materia deſumebatur, quæ paulatim magis magiſque minuebatur, quàm à figura nummo impreſſa. Et hic vſus, vtpote percommodus, ſemper exinceps continuauit.

Ergo *as* ſeu pondo non iam ampliùs erat libræ æris 12. vnciarũ, ſed nec vncia quidem æris; verùm paruus nummus æreus, cui nunc valore ſeu æſtimatione reſpondet *vn baiocho d'Italia*, *medius ſtuferus* Belgicus, *medius obolus* Hebræus: eratque *decima pars denarij*, vel *Iulij* Italici, vel *regalis* Hiſpanici argentei: *centeſima pars ducati*, ſeu *ſcuti* Italici: *milleſima minæ argenti Attica* vel *Romanæ*, *bis milleſima minæ Hebræa*.

Sed Nota, cùm *ſtuferi* Belgici mentionem facio, me non intelligere *modernum*) nam hic apud varios varius eſt etiam in Belgio, & fortè cras alius erit, vt indies mutantur pretia nummorum, nõ ſine graui patrię damno & turbatione:) ſed *priſcum* ſtuferum, qui ferè quadrante maior eſt moderno, eſtque quinta pars Iulij Itali-

Italici,ſeu regalis Hiſpanici argentei. Vnde & *florenus* priſcus quo hîc vtemur, vulgari floreno argenteo, prout nunc in Belgio cuditur, maior eſt quarta parte eiuſdem vulgaris : eſt enim quatuor regalium Hiſpanicorum argenteorum, qui faciunt ſtuferos priſcos 20.

Quamuis ergo minueretur materia æris, manſit tamen valor idem & pretium aſſis: vti & partium ſingularum aſſis, de quibus ſuprà, quæ proportione aliæ alijs minores ſunt, minorisque valoris, prout minùs de aſſe participant, ſeu pauciores vncias continent. Sunt alij variarum nationum nummuli æreiaſſe minores. Habent Hiſpani *quartillos, quartos, ochauos, marauedizos* & *blancas*; Itali ſuos *quatrinos*; alij alios. *Vn quartillo* ferè quarta pars eſt *regalis Hiſpanis*, ſeu *ſeſtertius Romanus*. *Vn quarto* ferè quarta pars eſt *medij regalis Hiſpanici argentei* : ſeu *media* ferè pars *ſeſtertij Romani*. *ochauo*, octaua propè pars eſt *medij regalis* quarta pars *ſeſtertij Romani*. *Marauedizis* æſtimatur in Hiſpania valor omnium aliorum nummorum in omnibus archiuis, in omni commercio, in omni contractu. eſtque minima ferè moneta, nam *octo marauedizi cum dimidio* non faciunt niſi *quatuor ochauos*: vel *duos quartos*: vel *vnum ſeſtertium*. *Triginta & ferè quatuor marauedizi* faciũt *decem aſſes* ſeu *baiochos*: vel *quatuor ſeſtertios*: vel *regalem* vnum Hiſpanicum, vel *Iulium* Italicum. Dixi, *ferè*, quia rigido calculo ſufficiunt 33. marauedizi ad regalem Hiſpanicum æquandum, vt vult Villalpandus. *Blanca* eſt media pars *vnius marauedizi*. Nota. Cùm in regnis Hiſpaniæ valor æneæ monetæ iniuria temporum paulatim creſceret in triplum vltra valorem materiæ, idque maximo regnorum illorum damno; placuit Regi Catholico Philippo IV. ſanè prudentiſſimo conſilio, dimidium valoris monetæ prædictæ detrahere, vt v.g. fruſtulum æris quod valebat octo marauedizos, ſeu *vn quartillo*, deinceps non valeat niſi quatuor marauedizos; & ſic conſequenter quod valebat vnum marauedizum, deinceps, non valeat niſi blancam. Ita perpetuo edicto ſanctum ac promulgatum Madriti 7. Auguſti 1628. *Quatrinus* eſt quinta pars vnius *baiochi* ſeu *aſſis*: quinquageſima vnius *Iuly* ſeu *regalis*: quingenteſima *ſcuti de moneta* ſeu *ducati*.

De Obolo.

Dupondium ſeu *duo aſſes*, vel *duo baiochi* faciũt *obolũ Hebræũ*, qui æquiualet ſtufero priſco Belgico, ſeu quintæ parti denarij, vel Iulij, vel regalis argentei. *Atticus* verò *obolus* quinta parte minor eſt *Hebræo*: nam *Hebræus* erat vigeſima pars *ſicli* argenti, quadrageſima *vnciæ* argenti : *Atticus* verò *obolus* erat vigeſima quarta pars *ſicli*, quadrageſima octaua *vnciæ*. Vnde *aupondium* ſeu *duo aſſes* faciebant *obolum Atticum vnum cum quinta parte*. Exodi 30. v. 13.

De Seſtertio.

Dupondium cum ſemiſſe ſeu *duo aſſes cum medio* faciunt vnũ *ſeſtertium*, maſculini generis: qui ſic dictus eſt quaſi *ſemis tertius as*. Eſt verò *quarta pars denarij*, ſeu *Iulij*, ſeu *regalis* argentei, ſeu *drachma Attica argenti*.

Octo ſeſtertij faciunt *drachmam Hebræam argenti*.

Sedecim ſeſtertij faciunt *ſtaterem* ſeu *ſiclum argenti*, ſeu *florenum* Belgicum.

Seſterij 48. faciunt *drachmam auri Atticum*, ſeu *ſcutum d'oro in oro*.

Seſterty 96. faciunt *drachmam auri Hebræam*, ſeu *doppia d'Italia*.

Seſtertij 400. faciunt vnam *minam Atticam argenti*: ſeu vnam *libram & mediam vnciam*: decem ducatos: 25. argenteos ſiclos: 50. drachmas argenti Hebræas: 100. Atticas. Continent obolos Hebræos 500. Atticos 600. aſſes 1000.

Seſterij faciunt vnum *ſeſtertium* in neutro genere.

Seſtertij 2000. faciunt duo ſeſtertia, & ita conſequenter. Singula ſeſtertia continent duas minas cum dimidia Atticas: ducatos 25. ſiclos argenti 62. drachmas Atticas argenti 250. Et ſunt 24. pars Attici talenti argẽti.

Seſtertia 24. faciunt talentum Atticum argenti: quod eſt 60. minarum argenti Atticarum, ſiclorum 1500. drachmarum 6000.

Seſtertia 48. faciunt talentum Hebræum argenti : quod eſt 120. minarum Atticarum : 60. Hebræarum: ſiclorum 3000. drachmarum 12000. Atticarum: 6000. Hebræarum: librarum argenti 125.

Seſtertia 288. faciunt talentum auri Atticum, quod eſt 60. minarum auri Atticarum: ſiclorum auri 1500. drachmarum 6000.

Seſtertia 576. faciunt talentum auri Hebræum, quod eſt 60. minarum auri Hebraicarum: 120. Atticarum: ſiclorum auri 3000. drachmarum auri Hebraicarum 6000. Atticarum 12000. librarum auri 125. vt ex textu Hebræo, Græco & Latino Exodi 38. v. 24. & 25. manifeſtè colligitur. Et continet ducatos 14400. flor. 36000. regales Hiſpanicos argentos 144000.

Mille ſeſtertia (quæ ſunt decies centena millia, id eſt millio nummulorum ſeſtertiorũm) compendij cauſa vocantur & ſcribuntur Decies HS. vel decies ſeſtertium. & faciunt talenta argenti Hebræa 20. cum minis 50. auri verò talentum vnum cum minis Hebraicis 44. & vna ſexta parte ſimilis minæ. libras verò auri faciunt 217. cum ſexta parte vnciæ auri. ducatos faciunt 25000. florenos 62500. regales Hiſpanicos 250000.

Vicies HS. vocantur viginti millia ſeſtertium, ſeu duo milliones nummulorum ſeſtertiorum, & faciunt duplum ſummæ iam dictæ.

Centies HS. ſunt centum millia ſeſtertium, ſeu decem milliones nummulorum ſeſtertiorum, & faciunt decuplum talentorum, librarum, ducatorum, florenorum, & regalium iam dictorum.

De Drachma, Siclo, Mina & Talento.

Non eadem erant pondera apud Hebræos & Græcos: ſed *Hebræa* (quibus Iudæi vtebantur) ſemper ſuperabant *Attica*, quibus Græci reliqui, & ferè omnes aliæ nationes, etiam Romani, vti ſolebant. Et de *obolo* quidem iam ſuprà vidimus. In alijs ponderibus exceſſus erat in duplum : nam drachma vna Hebræa valebat drachmas duas Atticas. Didrachmum Hebræum erat tetradrachmum Atticum: *mna* vel *mina Hebraica* pendebat *duas minas Atticas: talentum Hebræum duo talenta Attica*; &c. Id tamen in *ſiclo* & *vncia* locum non habebat:

nam hæc duo, vtpote mundo penè coæua, vnius eiusdemque ponderis apud omnes erant. *Libra* multiplex erat, & apud diuersas nationes diuersa: nos hîc de sola *communi* agemus de qua suprà, quæ est *duodecim unciarum*. Vncia argentea constat duobus siclis, drachmis verò Hebraicis 4. Atticis 8. solidis sex, sestertijs 32. obolis Hebræis 40. Atticis 48. assibus 80.

Sexta vnciæ pars vocabatur *solidus*, qui inde & *sextula* dici solebat. Vnde. 72. solidi faciebant libram 12. vnciarum. Tres solidi, seu semuncia, siclum faciunt.

Siclus est vigesima quarta pars libræ: 25. pars minæ Atticæ: 50. Hebraicæ: 1500. talenti Attici: termillesima Hebraici. Continet drachmas Hebræas duas, Atticas 4. vnde & tetradrachmum Atticum vocatur, & didrachmum Hebræum.

Siclus argenti est semuncia argenti: estque idem quod *stater*, vel *florenus Belgicus*, 30. stuferorum, seu obolorum Hebraicorum, qui faciunt obolos Atticos 24. & asses 40. Continet tres solidos, batzios Germanicos octo, drachmas argenti Hebræas duas, Atticas quatuor, sestertios sexdecim. Quoties legitur *argenteus* sine adiuncto, subintelligitur *siclus*. Simili modo quoties *aureus*, subintelligendus *siclus*. Duodecim sicli argentei faciunt vnum siclum aureum: nam *proportio* pretij, valoris & æstimationis *auri præ argento* est *duodecupla*.

Drachma argenti Attica est quarta pars sicli argentei. Continet 4. sestertios, 5. stuferos seu obolos Hebræos, sex obolos Atticos, asses 10. Vnde & *Denarius* vocatur. Appendit regalem Hispanicum argenteum, vel Iulium Italicum. Est media pars drachmæ Hebrææ, decima philippici, centesima minæ Atticæ, sexciesmillesima talenti Attici argentei.

Drachmam Hebræam, seu dimidium sicli argenti conferebant Deo iubente capitatim singuli filiorum Israel in vsum tabernaculi fœderis, Exodi 30. v. 13. Dicebaturque hebr. *Beca*, id est diuisum, quia erat siclus dimidiatus. Idem tributum pendebant posteà Iudæi quotannis in vsum templi, etiam extra ordinem, quotiescunque ferè lustrum instituebatur. Et hoc quoque erat numisma census, quod Cæsaribus Romanis pependerunt, etiam post excisum templum à Vespasiano.

Exodi 38. *v.* 25.

Ex prædictis patet *siclum* continuisse *drachmas* Atticas seu Romanas quatuor, Hebræas solùm duas. *Minam Atticam* continuisse *siclos* 25. sed *Hebræam siclos* 50. *Talentum* continuisse minas 60. Atticum Atticas, Hebræum Hebræas. sed Atticum siclos 1500. Hebræum siclos 3000. *Minam* aliquando pro *siclo* vsurpari, ostendam 2. Paralip. 9. v. 16. Et multiplicis generis ac valoris *minas* fuisse, probabo Ezechielis 45. v. 12. Sed talentum non fuisse minoris ponderis aut valoris post, quàm ante tempora Dauidis, contra Ioannem Marianam & quosdam alios, planum faciam 2. Paralip. 25. v. 6. vbi *rex Iuda* Amasias *centum millia robustorum de Israel* mercede *conducit centum talentorum argenti*, id est mercede aurei vnius in singula seu ducum, seu vulgarium militum capita, si pristinum valorem Mosaici talenti reserues. Sin minuas, quo vis, quæso, pretio, militem generosum & externum euocare? Sic 3. Reg. 16. v. 24. Amri rex Israel emit duobus talentis argenti, id est bis mille aureis nummis, integrũ montem Samariæ, id est tantum spatij, quantum vastissimę vrbi regię condendę, & suburbijs, pomerijs atque arcibus vndique cingendę satis esset. An viliori pretio posset tantum spatij comparari? 4. Reg. 18. v. 15. vt summa trecentorum talentorum argenti, & triginta talentorum auri confletur, id est sexcenta sexaginta millia aureorum (si valori pristino Hebraici talenti insistat; cogitus pijssimus rex Ezechias expilare omnes thesauros tam templi, quàm palatij regij, adeoque & laminas aureas à valuis templi reuellere. An verosimile videtur, tantum strepitum à tanto rege edendum fuisse, si talenta illa, quæ postulabantur, longè minoris erant ponderis aut valoris quàm nunc exposui; Denique 4. Reg. 24. v. 33. vt centum talenta argenti & vnum talentum auri; (quæ rex Pharao mulctæ nomine ab Israelitis exigebat, & secundùm nostrum calculum, si Hebræa fuerint, vt summum faciunt centum & duodecim millia aureorum,) colligerentur, indicitur census publicus, & singuli Iudæi *iuxta vires* seu facultates suas contribuere iubentur. Quòd si vilioris pretij fuerit talentum, qualis, obsecro, fuit illa integri vnius populi mulcta; quid opus publico & generali censu tantillæ pecuniæ colligendæ; Plura in hanc rem vide apud Villalpandum tom. 2. in Ezechielem.

Porrò supradictis ponderibus clariùs explicandis seruiet subiecta tabella.

DE

n *duode-*
irentur.
cyatho-
n sexta-
uinque,
uncem.

am 1½.
batque

iusmo-

isi cya-
sto cya-

è caph,
ij, vo-

m vnâ
ias 16.
at cya-
ias 20.
iæ 40.
stitan-
ati vel
cijs ʒj.
llos, id
cijs 4.
iæ 80.
quan-
bras 8.
tricon-
. Con-
as 10.
est li-
s 160.
s 168.
os ve-
320.
s 384.
as 37½.

as 40.
Itali-
s 42½.
Dice-
e qua-
stitu-
Con-
12. vr-
as 80.
ydria:
s 120.
s 125.
s 133⅓.
s 160.
s 168.
Item

nam hæc
erat,& a
rum. Vn
obolis H
Sexta
vnciarut
Siclus
ma Hebr
drachmu
Siclus.
rum Heb
octo,drac
adiuncto
faciunt v
Drachi
sex obol
lium Ital
ma talen
Drachi
Exodi 38. in vsum t
v.25. diatus. Ic
que ferè
runt,etia
Ex pr
Atticam c
brẹum H
dam 2.P
tum non
& quos
cede *con*
tum capi
cosum &
le aureis
& suburl
parari?
est sexce
chias ex
reueller
bantur,
talenta
noſtrum
rentur,i
si vilior
generali
lem.
Porrò

DE MENSVRIS SEV VASIS

ex ijſdem Auctoribus.

ROmani ſicut *aſſem* ſeu *libram* in *duodecim vncias*, vt ſuprà vidimus, ita *ſextarium* ſuum diuidebant in *duodecim cyathos*, ſic græcè dictos à *ſumendo* vel *hauriendo* vino, quòd cyatho pocula in conuiuijs dimetirentur. Iiſdem quoque nominibus quibus ſingulas libræ partes, nuncupabant etiam *calices* qui conſimilem cyathorum numerum continerent. v.g. *Sextantem*, vocabant calicem duorum cyathorum, qui faciunt ſextam ſextarij Romani partem; calicem trium cyathorum, vocabant *quadrantem*; quatuor cyathorum, *trientem*; quinque, *quincuncem*; ſex, *ſemiſſem*; ſeptem. *ſeptuncem*; octo, *beſſem*; nouem, *dodrantem*; decem, *dextantem*; vndecim, *deuncem*.

Capiebat *cyathus* vnus *vnciam* vnam *cum duabus tertijs*.

Huic proxima, ſed paulò minor menſura erat *digitus cubicus*, capiens vnciam 1 $\frac{1}{4}$.

Minimum vas ſeu menſura erat *cochlear*, ſeu *ligula*, vel, vt imperitè quidam ſcribunt, *lingula*: ſeruiebatque ad ieſcula in menſis & liquidiores cibos hauriendos: eratque quarta pars cyathi.

Duo cochlearia faciebant *cyanem*, quæ erat dimidium cyathi.

Vnus cum dimidio cyathus faciebat *oxybaphum*, ſeu *acetabulum*, ab ὄξος, id eſt aceto, ſic dictũ, quòd eiuſmodi vaſculis acetum & alia ſimilia condimenta apponi in menſis ſolerent.

Nota, *ſextarium Atticum* ſeu ξέστην, *quarta parte minorem* fuiſſe ſextario *Romano*: neque enim capiebat niſi cyathos *nouem*, cùm *Romanus* 12. caperet. Superabat tamen *ſextarium Hebraum* cyatho *vno*: quia is non niſi *octo* cyathos capiebat, vocabaturque hebraicè *log*.

Semis, ſeu medium ſextarij Romani, conſtans cyathis ſex, alijs nominibus vocari ſolebat hebraicè *caph*, græcè *hemina*, *cotyla*, vel *tryblion*. Cuius pars media, ſeu *quadrans*, vel *quartarius*, id eſt quarta pars ſextarij, vocabatur *dimidium heminæ*, *cotylæ*, &c.

Libra conſtabat vncijs duodecim, vt ſuprà dixi.

Sextarius Atticus capiebat libram vnam & quartam partem, id eſt, vncias 15. Ergo ſextarium Atticum vnã vnciã ſuperat *foglietta* d'Italiã, vel *quartillo* de Spagna: nam continet libram 1 $\frac{1}{16}$. id eſt, vncias 16.

Sextarius Romanus ſeu *Italicus*, ſic dictus, quia ſexta congij pars; eratque quaſi magnus ſcyphus: capiebat cyathos 12. vel libram 1 $\frac{1}{4}$. id eſt vncias 20.

Quarta pars hin, erant tres ſextarij Hebræi, vel duo Italici, libræ 3 $\frac{1}{3}$. id eſt vnciæ 40.

Cabus Hebræorũ, & *chœnix* Græcorum, eſt menſura victus diurni: ſed hominis parcè & tenuiter victitantis. Qualem villicis ſuis præſcribit Cato l. de Re ruſtica, c. 56. Aliàs dictus, *palmus cubicus*. Sexta pars ſati vel modij. Capiebat quatuor logos ſeu ſextarios Hebræos, id eſt libras 4. cum vncijs 5 $\frac{1}{3}$.

Huic ferè par eſt *boccale* Italicum, & *açumbre* Hiſpanicum, continens quatuor ſogliettas ſeu quartillos, id eſt libras 5. cum vncijs 4.

Media pars hin, erant ſex logi ſeu ſextarij Hebræi, vel quatuor Italici, id eſt libræ 6 $\frac{2}{3}$. id eſt vnciæ 80.

Gomor ſeu *Aſſaron*, (quem quotidie ex manna colligebant Iudæi Exodi 16. eratque tanta menſura, quantam quis etiam valdè edax & robuſtus, vno die edere poſſet) eſt decima pars ephi, continens libras 8.

Congius, *chus*, vel *choë*, erat octaua pars ephi, quarta vrnæ. A *congio* Nouellius Torquatus dictus eſt *tricongius*, quòd vnico hauſtu coram Tiberio Cæſare tres vini congios exhauſerit, teſte Plinio lib. 14. c. 22. Continebat verò congius ſextarios Italicos ſex, ſeu libras 10.

Hin erat ſemimodius Romanus continens logos ſeu Hebræos ſextarios 12. Italicos verò octo, id eſt libras 13 $\frac{1}{3}$. ſeu vncias 160.

Huic penè ſuppar eſt *celemin* Hiſpanicum continens libras 14. ſeu vncias 168.

Satum æquale erat *modio* Romano, tertia pars ephi: continens logos ſeu ſextarios Hebræos 24. Italicos verò 16. libras 26 $\frac{2}{3}$. ſeu vncias 320.

Hoc paulò maius eſt *ſcortium*, continens libras 32. ſeu vncias 384.

Palmus extenſus (qui eſt trium palmorum communium) *cubicus*, qui & *ſpithama* dicitur, continet libras 37 $\frac{1}{2}$. ſeu vncias 447.

Vrna erat dimidium ephi ſeu amphoræ Romanæ, continens ſextarios Romanos 24 id eſt, libras 40.

Huic ferè par eſt *aroba*, ſiue cantharus Hiſpanicus, qui eſt quarta pars barilç, continens octo bocalia Italica, vel açumbres Hiſpanicos, id eſt, libras 42 $\frac{2}{3}$.

Ephi vel *epha*, *batus* communis, *metreta*, *amphora Romana pes cubicus Romanus* æquales erant capacitatis. Dicebatur amphora ab ἀμφὶ καὶ φέρω, quòd duas haberet anſas quibus vtrimque ferebatur. Dicebatũr & *quadrantal*, quia erat quadratura pedis Romani, ſeu vas quod tam in longitudine, quàm in latitudine, & altitudine, ſeu profunditate habèbat pedem Romanum. Erat decima pars cori, ſeu Gomer, Ezech. 41. v. 11. Continebat congios octo, modios ſeu ſata tria, vt dicitur Ruth 2. v. 17. ſextarios Romanos 48. Hebræos 72. vrnas duas, libras 80.

Attica amphora, ſeu *pes cubicus Græcorum* erat Romano media parte maior. Huic æqualis eſt *culus* & *hydria*: continens vrnas tres, congios 12. &c. libras 120.

Talentum continebat libras 125.

Artaba Aegyptia continebat veroſimiliùs modios quinque, id eſt libras 133 $\frac{1}{3}$.

Medimnus continebat modios ſeu ſata ſex, libras 160.

Huic ferè par eſt *faneca* ſeu *quintal* Hiſpanicum, continens libras 168.

Item

Item *barila*, constans boccalibus 32. quæ faciunt libras 170½.
Lethec (id est eleuatio: quia est onus, quod vegetus adolescens eleuare, & asino imponere potest,) est media pars cori. sunt 5. ephi, 15. modij libræ 400.
Homer Hebræum, *corus* Græcorum continet 10. ephi vel amphoras Romanas, 30. modios. (eratque maxima mensura Hebræorum) libras 800.
Rublum Hispanicum 20. libris maius est coro: continet enim libras 820.
Botta Romana seu Italica continet barilas 8. boccales 256. libras 1365.⅓.
Culeus, maxima Romanorum mensura, constabat amphoris 20. sextarijs Italicis 960. libris 1600.
Sed clariùs hæc omnia constabunt ex tabula subnexa.

Nota, nos tum hîc, tum in tabula agere de vasis seu mensuris quoad capacitatẽ aquæ vel vini, quibus impleantur: nam si ferro, plumbo, vel auro impleueris, v.g. sextarium, vel metretam, vel quoduis aliud vas; erit pondus longè aliud & maius, licèt eadem maneat capacitas & ambitus vasis. Si oleo, frumento, farina; erit pondus paulò minus.

Nam sextarius Romanus plenus farina non ponderat nisi		vncias 9.
Idem plenus oleo ponderat		vncias 18.
Plenus frumento	Italico vel Belgico	vncias 15.
	Palæstinæ & Asiatico	vncias 20.
Plenus aqua, vino, aceto (horum enim æquale est pondus)		vncias 20.
Plenus melle		vncias 30.
Stanno		vncias 150.
Ferro		ferè vncias 162.
Ære cupreo		vncias 182.
Argento		vncias 208.
Plumbo		vncias 223.
Argento viuo		vncias 300.
Auro		vncias 375.

Plinius l. 33. c. 3. Talis enim est proportio inter hæc metalla: licèt Plinius putarit (sed falsò) aurum non esse omnium ponderosissimum.

Hinc facilè colligitur, fieri potuisse, quod Exod 16. vers 16. dicitur, filios Israel in singula capita pro victu diurno eguisse *gomore* mannæ: manna enim cùm esset longè leuius frumento, ferè æqualis ponderis cum farina; gomor manna plenum vix superabat vncias 50. Et simili modo de simili materia pro diuersitate ponderis philosophandum.

Dixi suprà cùm de *bato* agerẽ, me non nisi de *bato communi* loqui seu vulgari: nam batus *sacer* videtur tertia parte maioris fuisse capacitatis, ita vt tres vulgares non facerent nisi duos sacros. Quod colligo ex l. 2. Paralip. c. 4. v. 5. vbi mare æneum Salomonis dicitur continuisse *3. a millia metretas*, seu *batos*: & 3. Reg. 7. v. 29. dicitur solùm cepisse *duo millia batos*.

bagh, græcè

inet digitos *v. Ezechiel.*
4. 43. *v.* 13.
3. digitis 12.
d est dig. 16.
d est dig. 24.
iti longioris
i sua quatuor
n latum ex-

rio, ex Eze-
unem *& pal-*
zalis illa cu-
eque debuit
Sanctium in

noribus seu
st digitis 40.
dig. { 80. 96. 144. 9600.

. Reg. 5. v. 19.
ere licebat:

anis; 3000.

Digitus

Item *barila*,con
Lethec (id eſt cl
dia pars cori. funt
Homer Hebræui
ma menſura Hebr
Rublum Hiſpani
Botta Romana
Culeus,maxima
Sed clariùs hæc

Nota,nos tum l
pleantur: nam ſi fe
pondus longè aliu
pondus paulò mir
Nam ſextari
Idem plenus

Plenus frum

Plenus aqua,
Plenus melle
Stanno
Ferro
Ære cupreo
Argento
Plumbo
Argento viu
Auro

Plinius Talis enim eſt p
l. 33. c. 3. ponderoſiſſimum.
Hinc facilè coll
diurno eguiſſe *gom*
rina; gomor manna
deris philoſophan
Dixi ſuprà cùm
tia parte maioris fi
raiip. c. 4. v. 5. vbi n
citar ſolùm cepiſſe

DE MENSVRIS LONGITVDINVM,

ex ijsdem Auctoribus.

MInima mensura est *digitus* transuersum positus, seu latitudo digiti, Hebraicè vocatur *Ezbagh*, græcè ῥάχτυλος.

Palmus minor, contractus seu transuersus, hebraicè *tophiach*, græcè παλαιὴ vel δοχμὴ continet digitos transuersim positos 4. 43. v. 13.

Palmus extensus seu maior, hebraicè *zereth*, græcè σπιθαμὴ, constat palmis minoribus 3. digitis 12.

Pes Romanus constat communibus, transuersis seu minoribus palmis 4. id est dig. 16.

Cubitus Romanus, Græcus, & vulgaris Hebræorum est sesquipes, seu transuersi palmi 6. id est dig. 24. vel duo palmi extensi. Istę ea longitudo quę est à flexu brachij medij vsque ad extremũ digiti longioris extensi. Denique est quarta pars staturæ hominis benè formati. quisque enim habet in statura sua quatuor sui cubitos, seu pedes sex. Totidem etiam & pedes & cubitos sui corporis facit quando brachia in latum expandit Ita S. Hieronymus, Vitruuius & alij passim.

Cubitum sacrum Hebræorũ facit Villapandus vno palmo contracto maiorem cubito ordinario, ex Ezechielis 43. v. 13. *Ista mensura altaris in cubito verissimo* (seu legali & sacro) *qui habebat cubitum* communem *& palmum*. Et de tali cubito legali putat Scripturam passim & Iosephum loqui. Et ratio fauet, quia legalis illa cubiti sacri mensura eo tempore fuit constituta, quo statura hominum maior & procerior erat: neque debuit deinceps immutari; cùm Græci & Romani sint tempore posteriores. Vide etiam Gasparem Sanctium in 3. Reg. 6. v. 2.

Duo pedes cum medio faciunt *gressum* seu *passum* Romanum *simplicem*, qui constat palmis minoribus seu transuersis 10. id est digitis 40.

Duo gressus, seu quinque pedes faciũt *passum* Romànum *compositum*, palmorum 20. 80.
Dixi *Romanum*: quia passus Græcus compositus constabat 6. pedibus, palmis 24. 96.
Sex cubiti *calamum* faciunt, qui constat pedibus 9. spithamis 12. palmis min. 36. dig. 144.
Stadium Græcum iustis 100. passibus Græcis, id est pedibus 600. cubitis 400. palmis 2400. 9600.
Stadium Romanum constat passibus Romanis compositis 125. pedibus 625.

Chibrath terræ Hebræis erant mille cubiti. Vide P. Bonfrerium Exodi 20. v. 8. sub mediũ. & 4. Reg. 5. v. 19.

Qniuque stadia Græca, seu 2000 cubiti faciebant *iter sabbathi*, seu quod sabbatho conficere licebat: quod Hebræi definiebant duobus *chibrath terræ*.

Milliare Italicum constat octo stadijs Romanis; mille passibus compositis; 8000. pedibus.

Leuca seu milliare Gallicum vnius horæ, constat tribus milliaribus Italicis; 24. stadijs Romanis; 3000. passibus compositis; 15000 pedibus.

Digitus transversus. 1	Palmus minor, cõtractus *seu* transversus.	Palmus maior, *seu* extensus.	Pes Romanus.	Cubitus Roman, Græcus & vulgaris Hebræorum.	Cubitus sacer Hebræorum.	Gressus *seu* passus simplex Roman.	Passus Romanus compositus.	Passus Græcus compositus.	Calamus.	Stadium Græcum.	Stadium Romanum.	Chibrath terræ.	Iter Sabbathi.	Milliare Italicum.	Leuca.
4	1														
12	3	1													
16	4	1¼.	1												
24	6	2	1½.	1											
28	7	2⅓.	1¾.	1⅓.	1										
40	10	3⅓.	2½.	1⅔.	1.&3.pal. minores.	1									
80	20	6⅔.	5	3⅓.	2.& 6. palmi.	2	1								
96	24	8	6	4	3. & 3. palmi.	2.& pes 1.	1.& pes 1.	1							
144	36	12	9	6	5.& 1. palmus.	3.& 1½. pes.	1. & ped. 4	1½.	1						
9600	2400	800	600	400	342.& 6.palmi.	240	120	100	66. & cubiti 4.	1					
10000	2500	833⅓.	625	416⅔.	357. & 1.palmus.	250	125	104.& pes.1.	69. & ped.4.	1.& ped. 25	1				
24000	6000	2000	1500	1000	857.& 1.palmus.	600	300	250	166. & cub.4.	2½.	2½.	1			
48000	12000	4000	3000	2000	1714.& 2.pal.	1200	600	500	333. & cub.2.	5	4⅘.	2	1		
80000	20000	6666⅔.	5000	3333⅓.	2857.& 1.pal.	2000	1000	833. & 2.ped.	555. & ped.5.	8.& ⅓.seu 200.ped.	8	3⅓.seu 500.ped.	1⅔.	1	
240000	60000	20000	15000	10000	8571.& 2.palmi.	6000	3000	2500	1666.& ped.6.	25.	24	10	5	3	1
600000	150000	50000	37500	25000	21428.& 4.palmi.	15000	7500	6250	4166.& ped.6.	62½.	60.tot stadiis aberat Emaus à Ierusalem. *Luca* 24.v.13.	25	12½.	7½.	2½.

EXPLICATIO
IDIOTISMORVM
SEV
PROPRIETATVM
LINGVÆ HEBRAICÆ
ET GRÆCÆ
QVÆ SÆPIVS IN SCRIPTVRIS OCCVRRVNT.

Primò. EST Hebræis, Græcis, Chaldæis vsitatissimum, vt libros suos ab *&, autem, igitur, ergo,* vel simili particula ordiantur, vt patet initio Leuitici, Numerorum, Iosue, 2. 3. & 4. Regum, secundi Paralipomenon, 2. Esdræ, Iudith, Threnorum, Baruch, Ezechielis, Ionæ, prioris Machabæorum, &c. Nempe scriptores isti contemplabantur animo rem aliquam antegressam, cum qua istud quod iam scribebant, colligatum per eiusmodi particulas volebant, siue ea res scripta iam esset in alio volumine, siue mente tantum modò comprehensa.

Secundò. Quia hagiographi omnes Hebræi fuerunt, & Hebræis scripserunt, & plerique hebraicè, ideo interpretes tum Græci, tum Latini, stylo, & phrasi Hebræa plusculum inhærentes, sapissimè hebraizant, & subinde solœcismos admittunt, teste S. Hieron. l. 2. comment. in epist. ad Ephes.

Tertiò. Et quia casibus carent Hebræi, eodemq; nomine inuariato per omnes casus vtuntur, hinc & interpretes subinde per Antiptosin casum pro casu vsurpant. vt 2. Cor. 8. v. 23. *Siue pro Tito, siue fratres nostri,* pro, fratribus nostris, & Ephes. 2. v. 2. *Spiritus,* pro spiritum & alibi.

Quartò. Subinde pro verbo indicatiuo præsenti & imperfecto (quo carent Hebræi) vtuntur præterito. Psal. 115. *Credidi,* id est credo, *propter quod locutus sum,* id est loquor. Subinde participio 1. Cor. 12. v. 2. *Ad simulacra euntes* id est, ibatis.

Quintò. Sic pro comparatiuo & superlatiuo quia Hebræi carent his gradibus, vtuntur positiuo. Vt ps. 117. *Bonum* (id est, melius) *est confidere in Domino, quàm confidere in homine.*

Sextò. Vel cùm volunt vnum per comparationem alteri præferre, id quod præferunt affirmant, alterum negant. Veluti gratiâ, Isaiæ 63. v. 16. *Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos: Tu Domine pater noster,* &c. Osee 6 v. 6. *Misericordiam volui, & non sacrificium,* id est, misericordiam malo quàm sacrificium. Psal. 21. *Vermis, & non homo,* id est, potiùs quàm homo. 1. Cor. 3. v. 7. *Non ego, sed gratia Dei,* id est, non tam ego, quàm gratia Dei, quamquam & ego cum gratia Dei. Matt. 23. v. 9. *Patrem nolite vocare vobis super terram,* &c.

Septimò. Vel vtuntur epitasi, seu verbo vehementiori pro minùs vehementi, verbi gratiâ, Malachiæ 1. & ad Rom. 9. *Iacob dilexi, Esau odio habui:* vbi *odio habui,* idem est quod, minùs amaui, postposui, neglexi. Simili epitasi vtuntur verbo *omnis* pro magno & excellenti v. g. psal. 106. *Omnem escam abominata est anima eorum,* id est nobilissimam & excellentissimam, videlicet cœleste manna. Psal. 28. *Vniuersa,* id est, mera, summa, *vanitas omnis homo viuens.* Eccles. 12. v. 13. *Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo,* id est, qui hoc fecerit, optimus est & præstantissimus homo. 1. Regum 4. v. 8. *Hi sunt Dy qui percusserunt Aegyptum omni,* id est grauissima, *plaga in deserto:* neque enim *in deserto* alia plaga afflicti sunt Ægyptij, quàm demersione in mari rubro. Eccli. 25. v. 17 *Omnis plaga* pro summa plaga.

Octauò. Aliquando contrà per Liptoten verbo minùs vehementi vtuntur quàm intendant significare, verbi gratiâ, 1. Reg. 12. v. 21. *Nolite declinare post vana* (idola) *quæ non proderunt vobis,* id est, quæ maximè oberunt, eruntque valdè noxia vobis. 1. Machab. 2. vers. 21. *Non est vtile nobis relinquere legem,* id est, perniciosissimum erit. Sic Prouerb 18. v. 5. & c. 24. v. 23. Eccli. 7. v. 14. *Non est bonum,* pro, est valde malum.

Nonò. In comparationibus subinde non apponunt particulam comparationis vel similitudinis. Vt Prouerb. 16. v. 24. *Fauus mellis, composita verba.* Psal. 67. v. 31. *Increpa feras arundinis: congregatio taurorum in vaccis populorum,* &c. pro, increpa tyrannos, qui sicut feræ in arundineto, & sicut tauri in grege vaccarum, excitant strepitum & horrorem, ita faciunt ipsi in congregatione populi sibi subditi.

Decimò. Vnâ eâdemque sententiâ diuersis locis subinde diuersa & ferè contraria designant. Verbi gratiâ *Portare iniquitatem,* Exodi 28. v. 38. Leuit. 10. v. 17. & 1. Reg. 15. v. 28. sumunt pro ignoscere, vel veniam impetrare. Sed Leuit. 17. versu vltimo, & cap. 24. v. 15. & alibi, idem ipsis est quod, puniri pro peccato.

Vndecimò. Apud Hebræos propter exiguum numerum radicum, quæ non sunt nisi 1022. à quibus omnia nomina deriuantur, sæpè vnum idemque nomen, vel verbum vel etiam sententia, pluribus diuersisque rebus designandis adhibetur. Et ex hac silua ambiguorum nominum atque verborum haud rarò natæ sunt diuersæ diuersorum interpretum, vel etiam eius-

ciusdem, sed diuerso tempore & loco, interpretationes, dum quisque inter dubia, quod sibi conuenientius videtur, hoc transfert. Ità sese excusat S. Hieronymus libro 1. Apologiæ aduersus Ruffinum, qui ei exprobrarat, quòd psal. 2. vers. 12. pro eo quod Septuag. interpretes dixerunt, *Apprehendite disciplinam*, ipse in Commentarijs vertisset, *osculamini* vel *adorate filium*, & postea nihilominùs vertendo Psalterium, transtulisset, *adorate purè*. Nam Hebræa נשקובר *naśiku bar*, ambigua sunt ad omnia tria signanda. Sic Hebræum צינה *tsinah*, quod videtur commune esse nomen armorum quæ vel inferunt vulnus, vel auertunt, Ezech. 26. v. 8. Vulgatus transfert *clypeum*: cap. 23. v. 24. *loricam*: c. 28. v. 4. *basilam*; Amos 4. v. 2. *contum*: 3. Reg. 10. v. 16. & 17. *scutum* & *peltam*. Simili modo חשישה *hasisah* valet idem quod exhilarat reficitque seu conuiuia, seu geniales dies, cumque multa id præstent pro varia rerum ac temporum natura, variè quoque id ab Interprete conuertitur; modò enim redditur *flos*; Cant. 1. v. 5. *Fulcite me floribus*; modò *vnguentum*) modò *lagena vini*; modò *similà frixa oleo*. Sic חשידה *chasidah* significat quod sublimem habet rapidumque volatum. quare interdum *miluus*, vt Zachar. 4. v. 9. interdum *ciconia*, vt Iob 39. v. 13. & psal. 183. v. 17. aliàs *herodius*; subinde *vpupa* conuertitur. Sic Hebrçũ צחק *tsachaq*, & Latinum *ludere*, præter vulgarẽ lusũ subinde significat *duellum committere*: 2. Reg. 2. v. 14. *Surgant pueri & ludant*. Subinde *persequi* & *vexare*: Gen. 21. v. 9. *Vidit Sara ludentem Ismael cum Isaac*, id est persequentem Isaac, vt explicat Apostolus ad Galat. 4. v. 29. Subin. de *idola colere*, vel *saltationes* ac *tripudia instituere*: Exodi 32. v. 6. *Surrexerunt ludere*. Sic Græcum προφητεύειν & Latinum *prophetare*, præter communem notionem quæ est futura prædicere, aliquando significat, *prophetiam confirmare*, vt Eccli. 49. v. 18. ossa Iosephi dicuntur post mortem prophetasse. Aliquando significat *laudare Deum*, vel psallere laudes Dei. 1. Reg. 12. v. 5. 10. 11. 13. Aliquando ex afflatu spiritus mali *insana loqui*, 1. Reg. 18. v. 10. & 3. Reg. 18. v. 29. Ieremiæ 29. v. 26. Aliquando ex interna illuminatione Spiritus sancti *scripturas interpretari*. 1. Cor. 14. v. 3. Aliquando miraculum patrare. Eccli. 48. v. 14. *Mortuum prophetauit corpus eius*, Elisæi.

Duodecimò Sic præpositionum & coniunctionum vis & significatio admodum varia est. *Ad* sæpè idem valet quod *de*: 2. Regum 3. v. 8. *Dominus locutus est ad Dauid*, id est *de* Dauid, *dicens*, *In manu serui mei Dauid*, &c. Lucæ 19. *Ait* IESVS *ad eum*, pro *de eo*, *quia hodie salus domui huic facta est*. Ad Hebræos. 1. *Et ad angelos quidem dicit*, pro *de* angelis. Et cap. 4. *Ad quem nobis sermo*, id est *de* quo.

Præpositio *à*, & Græcum παρὰ sæpè pro *apud*, vel *coram* vsurpatur. Eccli. 41. v. 21. *Erubescite à patre & matre*, &c. pro, coram patre, &c.

Præpositio *in*, hebraicè ב. v. g. *In Christo*, *in domino*, ad Ephes. 1. & κατὰ seu *secundùm*, ferè omnium aliarum præpositionum vicem & significationem induunt. Sæpè *in* redundat. Lucæ 22. v. 49. *Si percutimus in gladio?* Gen. 48. v. vlt. *Tuli in gladio & arcu meo*. Verba contactus tam corporalis, quàm spiritualis (qualis v. g. est visio, quæ rem visam suo intuitu quasi attingit) construi solent cum ב *beth*, id est *in*, & cum ablatiuo casu, vt Isaiæ vlt. v. 1. *Videbimus in lætitia vestra*, id est, videbimus lætitiam vestram.

Hebræum ו *ve*, & Latinum *&*, nunc pro copulatiua, nunc pro disiunctiua *vel*, *aut*; nunc pro causali *enim*, *quia*; nunc pro aduersatiua *sed*, *autem*, A nunc pro *vt*, *sic*, *sicut*, *id est*, *etiam si tamen*, *ideo*, *præterea*, *ergo*, *quinetiam*, sumi solet, aliquando prorsus redundat. Pari modo voculæ *tamen* & *sed*, pro *immò*, *quinimmò* sumuntur. *Enim* pro *autem*, ad Galat. 2. v. 6. Hebr. כי *ki*, & Latinum *vt*, *quia*, *propter quod*, *propterea*, sæpè non causam, sed solùm euentum seu consecutionem significant: subinde tantùm continuant præcedentia cum sequentibus. Particulæ, *eò quòd*, *quoniam*, *quia* subinde idem valent quod *quamuis* vel *etsi*. Psal. 77. v. 19. *Numquid poterit Deus parare mensam in deserto*, *quoniam* (id est quamuis) *percussit petram*, *& fluxerunt aquæ?* Isaiæ 12. v. 1. *Confitebor tibi Domine quoniam* (id est etsi) *iratus es mihi*. Ierem. 7. v. 10. *Liberati sumus*, *eò quòd* (id est etsi) fecerimus abominationes, &c.

Vocula *si* est admirantis vel stupentis: subinde *Decimò* tamẽ est negantis, vt Iudic. 5. v. 8. *Si apparuerint*, id est *tertiò*. non apparuerunt. & 3. Reg. 17. v. 1. *Si erit annus his* B *pluuia*, id est, non erit pluuia. Et quidem plerumque est nota iurantis, v. g. in exemplo iam allato, *Viuit Dominus si erit pluuia*, id est, iuro quòd non pluet, adeoque si pluat, non habear Deus viuus aut verax. Et cùm post verba iurandi sequitur vocula *si*, tunc si oratio sit affirmans, vertit in negantem; si sit negans, vertit in affirmantem. Prioris exemplum est, psalm. 94. v. 11. *Sicut iuraui in ira mea*, *si introibunt in requiem meam*, id est, quòd non introibunt. Posterioris, Isaiæ, 14. v. 24. *Iurauit Dominus*, *si non vt putaui*, *ita erit*, id est, iurauit, quòd vti ipse putauit, ita erit. Simili modo particula *nisi* est vox iuramenti execratorij. Isaiæ 5. v. 9. *Nisi domus deserta fuerint*, subaudi per Aposiopesin, *non habeat Deus*, aut *verax*, sicut Latini dicunt, *nisi hoc fecero*, *dispeream*. Subticent verò Hebræi ipsam imprecationem, vtpote horrendam auditu & effatu, & cuius præ reuerentia diuinæ maiestatis nemo vel meminisse audeat. *Leuare manum*, C sæpè significat *iurare*, Genesis 14. v. 22. Exodi 6. v. 8. Numer. 14. v. 30. quia manum attollere solent qui iurant.

Vnam eamdemque rem cùm plures habet pro- *Decimò* prietates & conditiones, pluribus etiam nominibus *quartò*. explicant. Ita *leges Dei* psalmo 118. vocant Primò, *præcepta*, *mandata*, *statuta*, *custodiam*, quia custodienda vel cauenda præcipiunt, mandant & statuunt. Secundò, *iudicia*, quia diiudicant & dirimunt lites. Tertiò, *iustitiam*, *æquitatem*, *veritatem*, quia statuunt & docent quod iustum, quod æquum, quod verum est. Quartò, *testimonia*, quia testantur nobis voluntatem Dei, & quia cum contestatione Iudæis data sunt Deut. 4. v. 27. 28. Quinto, *testamentum*, id est fœdus & pactum, seu conditiones pacti initi cum Deo: nam hac conditione pepigit Deus tam cum Iudæis, quàm cum Christianis, se fore eis Deum & patrem, si videlicet ipsi leges eius seruent. Sextò, *vias Domini*, *iusti-* D *ficationes Domini*, *verbum*, *eloquia*, *sermones Domini*, &c. quia ex ore Dei processerunt, nosq; iustos faciunt, & ad Deum deducunt. Sic redemptionem Christi, quia in ea cæsi hostes (dæmon, peccatum, mors,) & subditi liberati & saluati fuerunt, nunc vocant *stragem* simul & *salutem*, nunc *vltionem* & *redemptionem*, nunc *indignationem* & *pacem*, nunc *cædem*, *protritionem* & *victoriam*, &c. Isaiæ 59. & 63.

Quia Hebræi pauca habent nomina plantarum, *Decimoquintò*. arborum, gemmarum, animalium, specifica, seu quæ vnam aliquam speciem determinatè designent, sed hæc vt plurimum generica sunt, & multas sub se & diuersas species complectuntur, vel certè æquiuoca sunt: neque semper apud Latinos Græcosve extant nomina æquè generalia; hinc factum vt vnum idemque

que nomen Hebraicum à diuersis interpretibus, vel etiam ab eodem interprete diuersis locis diuersimodè expositum fuerit. v. g. תנין *tannin*, Hebræi vocant quidquid in quoque animalium genere monstrosum est, præsertim magnitudine. Hoc nomen Genes. 1. v. 21. Latinus Vulgatus vertit *cetum* seu balænam, marinam belluam; sanctus Hieronymus & Septuaginta vertunt *draconem*; iidem alibi *sirenem*, vel *Faunum*, vel *Struthiocamelum*, vel *passerem*-(ironicè) *camelum* interpretantur. בדולח *bedolach* Hebræi vocant quidquid aqueum vel viscosum lucet, vel fulgurat, & in lapidem indurescit. Hanc vocem Genesis 2. v. 12. Noster vertit *bdellium*, genus gummi siue lacrymæ pellucidæ, quam stillat arbor nigra eiusdem nominis, magnitudine oleæ, folio roboris, fructu naturaque caprifici, inquit Plinius & Dioscorides. Eamdem vocem Vatablus & Eugubinus vertunt *vnionem*, Septuag. *carbunculum*: ijdem Num. 11. v. 7. vertunt *crystallum*. אלה *ela* Hebræi vocant omnem glandiferam arborem, vel quæ quid glandibus ferè simile profert. Hanc voculam Noster & S. Hieronymus & Septuag. vertunt nunc *quercum*, nunc *ilicem*, nunc *terebinthum*, nunc *castaneam*. Cùm enim non inuenirent apud Græcos Latinosve voces tam latè patentes, satis illis fuit, vnam aliquam speciem magis familiarem, magisque loco quem exponebant conuenientem, sua versione efferre.

Plin. l. 12. cap. 9. Dioſc. l. 1. cap 69.

Quia etiam apud Hebræos quædam erant seu animalium, seu arborum, seu aliarum rerum species, quas apud Græcos Latinosve reperire non erat, atque ita apud hos nomine carebant; interpretes, ne lacunam in sua versione relinquerent, ipsum subinde Hebræum nomen, vt erat, intactum retinuerunt, vt in Exodo passim ligna *setim*, in Leuitico *bin*, *gomer*, *satum*, *cabum*, *ephi*: quæ Hebræorum erant mensuræ propriæ, neque apud alias nationes reperiebantur quæ eiusdem præcisè essent capacitatis. Subinde tamen, ne barbaram ignotamque vocem lectoribus obtruderent; maluerunt Græcam Latinamque aliquam potiùs vsurpare, quæ speciem affinem, & Hebrææ penè similem significat. v. g pro mensuris iam dictis posuerunt modium, sextarium, choën seu cõgium. Pro שטים *schittim* seu *setim*, quæ est arbor spinæ albæ similis (teste S. Hieronymo) colore & solijs, non magnitudine: nam & latissima tabulata ex illa cæduntur: lignumque fortissimum est, & incredibilis læuitatis ac pulchritudinis, sed non nisi in desertis Arabię proueniens. Pro hac arbore, quia prorsus ignota Europæ, S. Hieronymus Isaiæ 41. v. 19. ponit *spinam*, Septuaginta *buxum*. Similiter Ioël. 3. v. 18. S. Hieronymus vertit torrentem *spinarum*, Septuaginta φοίνων, id est *funiculorum*, vel potiùs φίνων id est *lentiscorum*, nempe arborum sua læuitate nobis sat notarum. Iidem Septuaginta in Exodo passim pro *setim* ponunt *ligna imputribilia*. Sic שפן *saphan* animalculum est Palæstinæ proprium, muris & vrsi similitudinem habens, maius ericio, cauernis petrarum & terræ foueis assuetum, vt ait S. Hieronymus. Pro hoc animali, quod apud Græcos Latinosque nomine caret, S. Hieronymus & Septuaginta ponunt nunc *chærogryllum*, id est rupium porcellum, Leuitic. 11. v. 5. & Deuter. 14. v. 7. nunc *erinacium*, psalmo 103. v. 18. nunc *leporem*, Prouerb. 30. v. 26. Rabbini & hebraizantes *cuniculum* malunt. Eodem modo de קיקיון *kikaion*, ait S. Hieron. *Genus est virgulti vel arbuscula, lata habens folia in modum pampini, & vmbram densissimam, suo trunco se sustinens absque vllis calamorum & hastilium adminiculis, quibus & cucurbita & hedera indigent, in Palæstina creber-*

Hieron. in Ioel 3. v. 18.

Decimo septimò.

Hebræi nominibus proprijs vel gentilitijs sæpè mysterium aliquod, vel rem particularem designãt. Hinc interpretes, ne mysterium illud, vel allusio vocis occulta remaneat, pro nomine proprio vel gentilitio, quod est in Hebræo, sæpè eius interpretationem ponunt. Vt Genes. 26. pro nominibus puteorũ proprijs ponunt significatum eorumdem, vnum pro *esec*, vocantes *calumniam*; alterum pro *sitna*, *inimicitias*; tertium pro *rechobot*, *latitudinem*; quartum pro *sabea*, *abundantiam*. Iob vltimo v. 14 filias Iob vnam vocant *diem*, alteram *cassiam*, tertiam *cornu stibij*. Osee 1. v. 6 & 9. filiam suam vocat *lo rachuma*, id est, *absque misericordia*; filium, *lo ammi*, id est, *non populus meus*. Ad quem locum simili modo interpretantes alludunt Paulus Rom. 9. v. 25. & Petrus 1. epist. c. 2. v. 10. Sic Sophoniæ 2. v. 13. pro *ponet speciosam*. Hebræa, Chaldæa & Septuaginta habent, *ponet Niniuen*, (quæ hebraicè *speciosam* significat) *in solitudinem & in inuium, & quasi desertum*. Michææ 1. v. 10. 11. 12. 14. pro *Aphra*, *Sapir*, *Maroth* & *Aczib*, quæ sunt nomina propria vrbium, ponit Interpres *puluerem*, *pulchra*, *amaritudines*, *mendacium*. 2. Regum 8. v. 1. *Tulit Dauid Frænum tributi* (Hebr. *methegamma*, & est cognomen vrbis Geth) *de manu Philisthijm*. 2. Reg. 21. v. 19. pro *Elcanan filius Iaare*, Noster ponit, *Adeodatus filius Saltus*. 1. Paralip. 4. v. 22. pro *Ioakim & viri Zosba*, *& Ioas*, *& Saraph*, (quæ sunt propria nomina principum in Moab, vt sequitur, & Septuag. illa retinuerunt) in Latino est, *Qui stare fecit solem*, *viriq; Mendacij*, *& Securus*, *& Incendens*. Prouerb. 30. v. 1. pro, *verba Agur filij Iake*, Interpres habet, *verba congregantis filij vomentis*. Sic Ezech. 25. v. 16. pro *interfectoribus*, & Sophoniæ 2. v. 5. pro *perditoribus*, hebraicè est *cherethim*: quod plerique putant proprium nomen esse gentis ad mare. Psal. 75. vers. 3. *Factus est in pace locus eius*, hębraicè est, *in* שלם *schalem* seu Ierusalem: de qua vrbe loqui Prophetam patet ex vocula *Sion*, quæ immediatè subnectitur.

Decimo octauò.

Vni eidemque personæ non rarò plura nomina indebantur: vnde vnus idemque nunc vno, nunc alio nomine in Scripturis appellatur. Sic vxor Abrahæ vocatur *Sarai* Genesis 16. v. 1. *Sara* cap. 17. v. 15. & *Iescha* cap. 11. v. 29. Sic vxor Esaũ quæ Genes. 26. v. 34. vocatur *Iudith filia Beeri Hethæi*. Genes. 36. v. 2. appellatur *Ada filia Elon Hethæi*. & altera eius vxor, quæ Genesis 26. v. 34. dicitur *basemath filia Elon*, Genesis 36. v. 2. vocatur *Oolibama filia Ana*. Sic lib. 1. Paralip. per decem prima capita sæpè viris & mulieribus alia dantur nomina ab ijs quæ habent in Genesi, Iosue, Iudicum & libris Regum. Sic vna eademque est *Esther & Edissa*, Estheræ 2. v. 7. idem *Abimelech* & *Achimelech*: *Iob* & *Iobab*: *Achar* & *Achan*: *Arãi* & *Ram*: *Ornan* & *Areuna*: *Iethro* & *Raguel*.

Decimononò.

Sæpè nomina propria Hebræa cùm in aliam linguam transferuntur, ita mutantur, vt vix eadem esse videantur, maximè cùm interpretes ad aliud ety-

mon suæ linguæ alludunt. Sic qui hebraicè & chaldaicè vocatur *Aschasueros* (id est, magnum caput, seu magnus capitaneus) & latinè *Assuerus*, perficè nominatur *Ochosoarses*, *Ochsoarses*, *Xerxes* (id est bellator,) *Axurxes*, *Artaxerxes* (id est magnus bellator, teste Herodoto) græcè verò *Oxyares*, id est acer Mars.

Vigesimò. Idē contigit multis nominibus Hebræis, quę Hebraica, vt erant, in Græca aut Latina translatione, posita sunt: v.g. pro *Tsophnat Paneach*, id est saluator mundi, Genes. 41. v. 44. corruptè Septuag. habent ψονθομφανήχ. Pro Hebræo חוה *chasa*, latinè & græcè est *Eua*; pro *Iesua* vel *Iehosua*, est IESVS; pro *Maschiach*, *Messias*; pro *Tsor*, *Tyrus*; pro *Casdim*, *Chaldæi*; pro *Pesach*, *Pascha*.

Vigesimo-primò. Decem tribus Israel, prout tempore Roboam distinctæ erant ab alijs duabus, & sub diuerso rege, vsque ad captiuitatem Babylonicam sæpè à Prophetis vocantur *Ephraim*, subinde *Ioseph*, subinde *Samaria*, quia sedes regum Israel erat in *Samaria*, & in tribu *Ephraim*: & quia ex *Ephraim* filio *Iosephi* ortus est Ieroboam, qui primus schisma illud fecit, & decem tribus à domo Dauid abduxit, sibiq́ue ascivit, iuxta vaticinium Ahiæ, 3. Reg. 11. v. 29. Subinde etiam vocantur *Israel* vel *Iacob*, quia erant maior pars filiorum Israel. Duę verò reliquę tribus vocantur *regnum Iuda*, *domus Dauid*, *Ieruſalem*, vel *Sion*. Sed post captiuitatem Babylonicam *Israel* & *Iuda* pro eodem populo accipiuntur, scilicet pro Iudæis è Babylone reductis in Iudæam, qui maiori ex parte erāt de tribu Iuda: & si qui alij ex alijs tribubus hinc inde eodem reuersi sunt, iunxerunt se tribui Iuda, & suum ei nomen transcripserunt. Vnde omnes indiscriminatim nunc Israelitę, nunc Iudæi vocabantur.

Vigesimo-secundò. Oriēs, Occidēs, & reliquæ orbis plagę seu climata assignantur in Scripturis comparatione vrbis Ierusalē vel terræ sanctæ. Hagiographi enim Iudęi fuerunt, & Iudæis scribebant, & Iudæa sita quasi in medio orbis habitati, erat singulariter cara Deo, & peculium illius. Sic Daniel capite vndecimo prædicit *reges Austri*, id est Ægypti, conflicturos cum *regibus Aquilonis*, id est Syriæ, putà Ptolemæos cum Antiochis. Sic Assyrij & Chaldæi vocantur Aquilonares, scilicet respectu Iudææ. Ieremiæ 1. v. 14. *ab Aquilone*, id est, è Babylone, *pandetur omne malum*. Sic Occidens sæpè in Scriptura vocatur *mare*, eò quòd mare Mediterraneum, quod Palæstinam attingit, Iudææ sit maiori ex parte ad Occidentem. Quia tamen idem ex parte eidem est ad Austrum, hinc subinde *mare* significat etiam Australem plagam. vt psalm. 106. v. 3. *A solis ortu & occasu, ab Aquilone & mari*, id est Austro. Subinde Meridies vocatur *dextra*; Septemtrio, *sinistra*; eò quòd conuertenti faciem ad Orientem talis sit partium illarum situs.

Vigesimo-tertiò. Cùm *Deus* apparuisse dicitur alicui, id de *angelis* intelligi volūt SS. Patres, quia angeli in corporibus assumptis personam Dei gerebant. Sic etiam illum qui apparuit Moysi, dixitque: *Ego sum Deus Abraham*, S. Stephanus Actor. 7. v. 30. dicit *angelum* fuisse. Et qui Exodi 19. & 20. tradidit legem Moysi in Sina, à S. Paulo Gal. 3. v. 19. *angelus* vocatur.

Vigesimo-quartò. Quæ de Christo dicuntur, non semper ei in persona conueniunt, sed subinde ei tamquam capiti, subinde eius corpori Ecclesiæ, subinde vtrique. Vt Zach. 2. v. 8. dicit Christus *se missum esse ad Gētes*, quod fecit non in se, sed in Apostolis suis. Simili modo Gen. 13. v. 27. 49. Abrahæ, Iacob, & duodecim Patriarchis multa promittuntur, quæ non ipsis, sed illorum *posteris* obuenerunt.

Vigesimo-quintò. Synecdochicè per Philistinos, Arabes, Ægyptios, A Moab, Ammon, Idumæos, & alias gentes barbaras Iudæis vicinas & notas, significant Prophetę omnes gentes impias subigendas à Christo, totumque mūdum ad eum conuertendum. Ita S. Hieron. in c. 60. Isaiæ. Sic ex vna persona aut gente, omnes alias similes intelligunt, inquit S. August. lib. 4. Doctrinæ Christianæ c. 7.

Vigesimo-sextò. Eodem modo numerum plenum & rotundum sæpè ponunt neglecto minore qui aliquantulùm excrescit, vel deficit. v.g. Numer. 11. vocantur *septuaginta* seniores, & alibi septuaginta Interpretes; cùm fuerint vtrique *septuagintaduo*. Et Iudic. 9. v. 18. dicuntur *septuaginta filij Ierobaal* ab Abimelech interfecti, cùm tamen duo deessent huic numero, scilicet ipse *Abimelech* qui eos interfecit, & *Ioatham* natu minimus, qui euasit.

Vigesimo-septimò. Voculæ, *non amplius, non vltrà, æternum, sæculum, generatio generationis*, sæpè non significant absolutam B æternitatem, seu durationem interminabilem; sed solùm diuturnam durationem, & quasi humanam æternitatem, id est, longum tempus, cuius finis ab homine iam viuente non videtur. Sic Isaias cap. 23. v. 12. de Tyro, ait, *Non adijcies vltrà vt glorieris*: & Ezechiel de eadem c. 26. v. 14. *Non ædificaberis vltrà*, scilicet ad longum tempus: nam postea reædificata est, & pristinam gloriam resumpsit, vnde ab Alexandro Magno rursum vastata est. De *æterno* exempla habes, 1. Paralip. 15. v. 2. & 1. Machab. 2. v. 54. Aliquando nihil addunt sententiæ præter epitasin, quæ rem valdè exaggeret. Quomodo dixit Petrus Ioan. 13. *Non lauabis mihi pedes in æternum*, id est, nullo modo id patiar. 2. Reg. 3. v. 28. *Mundus sum in sempiternum*, id est, toto cælo absum à cæde tam impia, tam perfida. Ionæ 4. *Bene iracor ego vsque ad mortem*, id est, vehe- C mentissimè.

Vigesimo-octauò. Etiam in numeris annorum vel dierum exprimendis subinde vtuntur synecdoche, totum ponendo pro parte, vel contrà. v.g. Christus dicitur tres dies fuisse in sepulchro, è quibus tamen primus & tertius fuerunt incompleti. Sic in annis vitæ variorū hominum, vel regnorum consignandis, nunc completos ponunt, nunc incompletos. Sic vna pars hominis physica, vt caro, vel anima, vel sanguis, nō rarò pro toto homine ponitur. Sic *caput* pro homine, 2. Reg. 1. v. 16. *Super caput tuum*, pro *super te*. Isaiæ 35. *Lætitia sempiterna super capita eorum*, pro *super eos*. Sic *caput canis*, *caput colubri*, *caput meum*, idem sunt quod *canis*, *coluber*, *ego*. Sic psalm. 65. v. 12. *Posuisti homines super capita nostra*, id est, super nos. Genes. 40. v. 19. *Auferet Pharao caput tuum*, id est, te: neque enim D præcisum est illi caput, sed (vt mox subditur) *suspensus est in cruce*. Prou. 15. v. 22. & inde S. Paulus ad Roman. 12. v. 20. *Carbones ignis congeres super caput eius*, id est, super ipsum. Vel etiam pars logica, vt genus pro specie, v.g. tempus pro anno. Dan. 7. v. 25. *Tempus & tempora, & dimidium temporis*, pro tribus annis & medio. Vel contrà, species, pro genere. Isaiæ 1. v. 15. *Sanguis* seu homicidium, pro quouis peccato. *Pestis* & *gladius*, pro quauis clade. *Iustitia* aut *misericordia*, pro quauis virtute. ps. 111. v. 9. Vel materia pro re ex ea confecta. 2. Regum 6. v. 5. *Ludere in omnibus lignis fabrefactis*, vel, vt est in Hebræo, *omnibus lignis abietum*, pro, ludere omnibus instrumentis musicis. Subinde pars vna pro altera ponitur, vt anima pro cadauere: Numer. 9. v. 6. 7. 10. & Aggæi 2. v. 14. *Immundi super anima hominis*, id est, propter cadauer.

Vigesimo-nonò. Alios quoque tropos seu figuras omnis generis frequentissimè vsurpāt. v.g. Metonymiam, cùm *Samariam* capiunt pro Samaritis, *idolum* pro idololatris,

tem-

templum pro sacerdotibus. Sic elegãter ludunt in voce *peccatum*, quo aliquando denotant culpam: aliquando pœnam vel effectum culpæ, v. g. concupiscentiam: aliquando hostiam quæ offertur pro peccato, 2. Corinth. 5. v. 21. aliquando nudam immunditiam legalem ex menstruo, ex lepra, ex contactu mortui contractam. vt videre est Leuit. 12. v. 6. & c. 14. v. 13. vbi puerperium & lepra vocantur *peccatũ*, scilicet *legale*, id est, immunditia. Item Rom. 8. v. 3. & 2. Corinth. 5. v. vlt. Sic *caro* aliquando corruptionem carnis, aliquando concupiscentiam, aliquando homines carni deditos significat: aliquando exteriorem hominem, vel externam speciem & gratiam, quæ opponitur spiritui, id est, internæ gratiæ, & interiori homini, 2. Corinth. 10. v. 2.

Trigesimò. Per Antonomasiam *fluuius* vel *flumen* absque addito ponitur pro *Euphrate*.

Trigesimo primò. Per Antiphrasin subinde *benedicere* ponitur pro *maledicere*. Iob 1. v. 11. & c. 2. v. 5. & 9. item 3. Reg. 21. v. 13. Sic *sanctificari* pro *pelli*, Deuter. 22. v. 9.

Trigesimo secundò. Per Euphemismum, quod durum & infaustum sonat, à se remouent Hebræi in hostes suos. 1. Regum 23. v. 21. *Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat.* Voi Dauid cùm sibi imprecaretur malum, nisi graue de Nabal supplicium sumeret, loco sui substituit inimicos suos. Similem profanorum imprecandi modum vide apud Brissonium lib. 1. Formularum.

Trigesimo tertiò. Ironiam & Sarcasmum habes Genesis 3. v. 22. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.* Et Eccles. 11. v. 9. *Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua*, &c. Et Zachariæ 11. v. 13. de triginta argenteis dicit Dominus, *decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis.*

Trigesimo quartò. Catachresis est Matth. 9. v. 31. cæci curati *diffamauerunt* Iesum *in tota terra illa*, id est, famam eius celebrarunt cum magna laude. Sic *fœnerari* ponitur pro mutuare Deut. 15. v. 6. & Lucæ 6. v. 34. *Penna solis*, Malach. 4. pro radijs. Sic Deus *pluuiæ pater*, id est auctor; dæmon *mendacij pater* vocatur, id est auctor; Tubalcain *pater*, id est primus (quia inuentor) *canentium organo. Domum* alicui *ædificare* vel *destruere*, est proles & posteros dare vel adimere: nam ex filijs quasi lapidibus viuis construuntur familiæ. *Reuelare aurem alicuius*, est admonere & alteri indicare quod ignorabat, 1. Regum 9. v. 15. & c. 20. v. 13.

Trigesimo quintò Per Hyperbolen, Genesis 41. v. 49. frumentum coæquatur *arenæ maris*. 3. Reg. 10. v. 27. *argentum lapidibus*. & Ioann. vlt. v. vlt. *mundus* negatur *capere posse libros.*

Trigesimo sexto. Metaphora omnium frequentissima. *Lupi, serpentes, dracones, leones*, &c. Isaiæ 11. v. 6. sunt barbaræ & feræ nationes. Sic homines virtuosi vel vitiosi Isaiæ 35. comparantur *deserto aride, campis, arboribus, vineis, montibus, fluminibus, vrbibus.* Calix sors est cuiusque seu bona seu mala. *Gladius* est quidquid pungit, torquet, vel cruciat. *Sagitta* quidquid nocet aut lædit. Sic *ignis, turbo, tempestas, grando, procella*, est quodquis tormentum, clades, vel strages. *Adeps frumenti, medulla olei, vini*, vocatur quod in frumento, oleo vel vino est præstantissimum. *Baculus panis, scipio, fulcrũ, robur panis*, est alimentum, quo quis ita indiget ad sustentationẽ, sicut senes auxilio baculi, Leuit 26. v. 26. Isaiæ 3. v. 1. Ezech. 4. v. 16. & c. 5. v. 16. & c. 14. v. 13. *Pactum salis* Num. 18. v. 19. & 2. Paral. 13. v. 5. est pactum firmum & incorruptum, quia sal à corruptione præseruat. *Cornu* est potentia, eò quòd cornutorum animalium robur sit in cornibus, Deuter. 33. v. 17. psalm 43. v. 6. psal. 74. v. vlt. Hinc etiam pro regno subinde accipitur, quòd in regnis & regibus maximè spectetur potentia, psal. 131. v. 17. Eccli. 47. v. 13. Daniel. 7. & 8. Ezech. 29. v. vlt. Lucæ 1. v. 69. *cornu salutis*, &c. *Esse in caput*, vel *in caudam*, Deut. 28 v. 13. & 44. est primum, vel vltimum fieri. *Onus*, maximè apud Prophetas, est prophetia quæ afflictionem & punitionem prænuntiat. *Manus* idem aliquando quod littus, vel latus, Eccli. 14. v 25. *Statuet casulam suam ad manus illius. Pingues* sunt homines potentes & diuites, psalm. 77. v. 31. Isaiæ 10. v. 16. *Caput canis* est res vilissima, 2. Reg. 3. v. 8. *Os gladij* vocatur eius acies. *Fodere*, Osee 3. v. 2. significat emere & pretio comparare. *Sacerdos*, 2. Regum 8. v. vlt. idem est quod princeps. *Indui re aliqua*, est illam in se habere, ac possidere, psal. 92. v. 1. Rom. 13. v. 14. *Funis* vel *funiculus* est hereditatis portio, quę alicui obueniebat: nam funibus mensurari solebant prædia diuidenda: psal. 15. v. 6. Deut. 32. v. 9. Iosue 17. v. 5. *Vasa* sunt quæuis instrumenta. sic *vasa mortis*, id est omnia, quibus mors infertur: *vasa belli*, arma & instrumenta quæuis bellica: *vasa psalmi* & *cantici*, instrumenta omnia musica. *Animam suam habere in manibus*, vel *ponere in manibus*, est exponi, vel exponere vitam suam periculo: quia quæ manibus imposita habemus, facilè excutiuntur. *Suscitare verbum*, 2. Regum 7. v. 25. est præstare promissa. *Suscitare arcum, gladium, iuramentum, pactum*, est facere ne otiosa sint aut vacua pacta, promissa, minæ. *Reuelare auriculam.* 1. Reg. 9. v. 15. & 2. Reg. 7. 27. item *aperire alicuius aures*, est aliquid alicui prædicere, præcipere, præmonere.

Trigesimo septimò. Subinde ab vna metaphora immediatè transeunt ad aliam. Sic Zachar. 3. v. 8. & 9. Christus nunc *oriens*, nunc *lapis* vocatur. Oseæ 2. Synagoga *mulier*, mox *vinea* vocatur. Isaiæ 27. diabolus *leuiathan*, id est balena, mox *vectis*, mox *draco*, vocatur. Isaiæ 45. v. 7. Cyrus comparatur *luci* & *soli*: c. 46. v. 11. *aui & aquilæ.*

Trigesimo octauò. Vel à metaphora aliaue figura transiliunt ad rem significatam. v. g. à *flore* ad *Christum*, Isaiæ 11. v. 1. & 2. & c. 7. à liberatione Achaz & Iudæorum de manu Rasin regis Syriæ, & Phacee regis Samariæ, subitò transit ad partum virginis, & ortum Emanuelis, & liberationem hominum è potestate diaboli per Christum, cuius illa typus erat. Sic à vastitate Babylonis, Ierosolymæ, vel Samarię sæpè transitur ad excidium orbis & diem iudicij, cuius illæ fuerunt speculum & figura & præludium. Simili modo à *meretrice* ad vrbem *Ninuen* transit Nahum c. 3. v. 4. & seq. Ab *erucis, locustis & bruchis* ad *milites terram vastaturos*, Ioël c. 1. & 2. &c. Similiter Isaias c. 14. à casu Luciferi, ad casum Baltassaris regis Babylonis, per alterum significatum: & Ezech. 28. à Cherubino ad regem Tyri.

Trigesimo nonò. Nomen figuræ subinde tribuitur rei figuratæ, & nomina parentum sæpè patronymicè sumuntur pro filijs & posteris. Sic Christus vocatur *Dauid*, Ezechiel. 34. v. 23. & Osee 3. vers. 5. Sic Israelitæ passim vocantur *Israel*, Idumæi *Esau*. Simili modo, cùm quis alteri confertur ob morum alterius similitudinem, ipsum sæpè alterius nomen quasi proprium & gentilitium illi datur. Sic Isaiæ 1. v. 10. Ezech. 16. v. 45. Daniel. 13. v. 56. Israelitę impij vocantur *Chananæi, semen Chanaan, Amorrhæi, Sodomitæ, Gamorrhæi*: Iudas ab ipsomet Christo *diabolus*. Sic *Samson*, quiuis fortis: *Daniel*, quiuis sapiens: *Salomon*, quiuis potens & opulentus: *Rex Assur*, quiuis monarcha & tyrannus vocari subinde solet, Isaię 8. v. 4. Impia Ierosolyma à S. Ioanne Apoc. 11. v. 8. appellatur *Sodoma* & *Aegyptus*: & cap. 18. v. 2. impia Roma, *Babylon*. Sic etiam idololatria *fornicatio*, & idololatræ *adulteri* vocantur.

Quadragesimò. Vrbes, quasi mulieres essent, ab Hebræis passim *filiæ* vocantur, & quidem *meretrices* si quando illas de idololatria notare volunt: aliàs *virgines* vocantur, verbi gratiâ, *Virgo filia Sion*, 4. Reg. 19. v. 21. pro Ierosolyma. Sic Babylon Isaiæ 43. vers. 6. Sidon c. 23. v. 13. & Ægyptus c. 46. v. 11. *filiæ virgines* appellantur, & aliæ alibi: idque vel quòd passim ab hominibus, vel etiã à Deo instar sponsæ amarentur, vel quòd numquam in captiuitatem fuissent abductæ: vel quòd opulentæ essent atque instar virginum speciosæ & comptæ. Simili modo *filios* vel *filias* alicuius vocant quod ex alio extrahitur, & quasi paritur. Sic sagittas vocant *filias pharetræ*, Threnor. 3. v. 13. frumenti grana excussa, *filios areæ*, Isaiæ 21. v. 10. insulam Tyrum, *filiam maris*, Isaiæ 23. v. 10. pinguedine plenos, *filios olei*, Zachar. 4. Ob similem eductionem, vel arctam connexionem passim in Scripturis vocantur *filij superbiæ*, *filij iniquitatis*, *filij sponsi*, *filij gehennæ*, *filij regni*, *filij pacis*, *filij mortis*, *filij Prophetarum*, &c. Sic Rabbini acetum vocant *filium vini*.

Quadragesimoprimò. Frequens etiam Hebræis & Græcis est Hendyadis, quâ vnum in duo diuidunt. sicut Virgilius Æneidos 1. *Molemq; & montes insuper altos imposuit*, id est molem altorum montium imposuit. & alibi, *Aurum frænosq; momordit*, id est frænos aureos. Sic Genes. 1. v. 14. *Sint* (sol & luna) *in signa & tempora, & dies, & annos*, id est, sint in signa temporum, dierum & annorum.

Quadragesimo secundò. Hypallagen habes Isaiæ 1. *Cognouit bos præsepe domini sui*, id est, dominum præsepis sui, seu dominum alentem se in præsepio. Exodi 3. v. 2. in Hebræo, *Rubus ardebat in igne*, id est, ignis ardebat in rubo. Iudicum 1. v. 8. in Hebr. *Ciuitatem miserunt in ignem*, id est, ignem miserunt in ciuitatem. Psal. 18. v. 5. *In sole posuit tabernaculum suum*, id est, solem posuit in tabernaculo suo: vel, vt est in Hebræo, soli posuit tabernaculum suum in cælis. Sic Eccli. 36. v. 14. *Miserere plebi tuæ super quam inuocatum est nomen tuum*, id est, miserere populi qui vocatur *tuo nomine*, scilicet *populus Dei*, vt Græca habent.

Quadragesimotertiò. Enallage generis & suppositi vtitur Isaias c. 27. v. 3. 5. & 6. vbi de eadẽ re loquens, nunc masculino genere vtitur, subaudiens populum: nunc feminino, subaudiens vineam vel Synagogam. Sic cap. 3. v. 12. *Et mulieres* (id est mulierosi principes seu effeminati) *dominatæ sunt eis*.

Quadragesimoquartò. Enallagen personę, vbi à prima vel secunda transitur ad tertiam: item temporis, vbi præteritum ponitur pro futuro, vel futurum pro præterito, vt Habacuc 3. 6. 7. 9. 11. item numeri, vbi à singulari transitur ad pluralem, & contrà, videre est Deut. 32. & 33. & in Prophetis & in Psalmis passim. Rursum modi imperatiui, pro futuro indicatiui, maximè in promissionibus. v. g. Eccli. vlt. v. 36. *Possidete aurum*, pro possidebitis. Idque vt significetur promissionem certissimò completum iri: quasi nihil superst aliud quàm manum extendere ad rem promissam capiendam. Denique enallage verbi, vel participij pro aduerbio: *Conuertor, reuertor, addo, adjicio*; pro aduerbijs, Rursus, iterum, vltrà. Psal. 77. v. 41. *Conuersi sunt & tentauerunt Deum*, id est, iterum tentauerunt. Psal. 84 v. 7. *Deus tu conuersus viuificabis nos*, id est, iterum viuificabis. Isaiæ 6. vers. 13. *Conuertetur & erit*, id est, rursus erit.

Quadragesimoquintò. Eadem figura sæpè sensum vnum, vel sensus actum cum alio sensu commutant. Et in primis visum, vtpote omnium præstantissimum, pro quouis sensu accipiũt. Vt *videre voces*, pro, audire, Exod. 20. v. 18. *Quia vidisti* (pro, quia tetigisti) *me Thoma, credidisti*, Ioan. 20. v. 29. Pro *olfactu*. Exodi 5. v. 21. in Hebræo, *Fœtere fecistis odorem* (id est, famam & nomen) *nostrum in oculis*, vt Chaldæus vertit, pro in naribus, *Pharaonis*. Pro *gustu*, psal. 33. v. 9. *Gustate & videte* (id est, ex sapore probate) *quoniam suauis est Dominus*. Sic quemlibet sensum externum sumunt pro intellectu, & quamlibet sensationem pro intellectione, propter vniuersalitatem huius potentiæ, quæ in omne ens, etiam sensibile, cognoscendo fertur. Patet ex v. 9. psalmi 33. iam citato: & 1. Corinth. 14. v. 2. *Nemo audit*, id est, nemo intelligit. Hebr. 5. v. 11. *Imbecilles ad audiendum*, id est, ad intelligendum.

Quadragesimosexto. Sæpè potentiam, vel actum potentiæ pro obiecto ponunt, vt *Visionem* pro re ipsa, Isaiæ 1. v. 1. & Danielis 8. v. 13. *Aspectum* pro colore qui aspicitur, Leuit 18. v. 10. *Auditũ* pro re audita, Isaiæ 53. v. 1. *Spem* pro re sperata, Prouerb. 13. v. 12. *Timorem* pro re quę timetur, Genes. 31. v 42. & 53. *Concupiscentiam* & *desiderium* pro re concupita & desiderata, psal. 105. v. 14. psal. 77. v. 29. *Deprecationem* pro eo quem deprecamur, Eccli. 34. v. 20. *Patientiam* pro re quæ patienter exspectatur, Ierem. 29. v. 11. *Ebrietatem* pro eo quod inebriat, Isaiæ 5. v. 22. *Custodiam* pro re custodienda, Habacuc 2. v. 1. & Zachariæ 3. v. 7.

Quadragesimoseptimò. Non rarò per Heterosin vtuntur abstractis pro concretis. v. g. *circumcisione* pro circumciso, id est Iudæo: *præputio* pro præputiato seu Gentili: *sanctificatione* pro sanctificatore: *redemptione* pro redemptore, 1. Cor. 1. 3. Sic *dominationes* ponũt pro dominantibus: *virtutes* & *potestates*, pro virtute & potestate prędi tis. Isaiæ 60. v. 17. *Ponam visitationem tuam* (id est visitatores tuos) *pacem* (id est pacificos,) & *præpositos tuos iustitiam*, id est, iustissimos & normam iustitiæ.

Quadragesimooctauò. Et quidem abstracta hæc pro concretis sic posita, subinde vna eademque, nunc actiuè sumuntur, nunc passiuè. v. g. *iustitia* pro iustificatore sumitur 1. Cor. 1. v. 30. vbi *Christus* dicitur *factus nobis iustitia*. Pro iustificato verò 2. Corinth. 5. v. vlt. vbi dicimur *facti iustitia in Christo*.

Quadragesimononò. Idem verbum geminatum, semel in gerundio vel participio, & semel in alio tempore positum, plerumque emphasin & exaggerationem in asseuerando habet. v. g. 1. Reg. 26. v. 25. *Faciens facies*, id est expeditè, facilè & certo successu facies. & *Potẽs poteris*, id est, potentissimus eris, & quidquid occurret difficultatis superabis. Sic *faciendo faciam*, vel *faciens faciam*, 2. Regum 9. v. 7. hoc est, certissimè faciam. *Castigans castigauit me*, psal. 117. v. 18. hoc est, vehementer castigauit me. *Plorans plorauit*, Thren. 1. v. 2. id est, vehementer & amarè fleuit. *Veniens veniet*, Habacuc 2. id est, certissimè veniet. Sic etiam extra gerundium vel participium, *Morte morieris*, id est certissimè morieris. Similem auxesin significat negatio contrariæ rei quando affirmationi subnectitur. v. g. Isaiæ 38. v. 1. *Morieris, & non viues*, id est, certò morieris. Threnor. 2. v. 17. *Destruxit, & non pepercit*, id est, integrè destruxit. Ezech. 18. v. 21. *Vita viuet, & non morietur*, id est, omnino viuet. Ioan. 1. v. 20. *Confessus est, & non negauit*, id est, planè, disertè & apertè, sine vllis ambagibus confessus est, se non esse Christum.

Quinquagesimo. Idem substantiuum geminatum, sed semel in genitiuo plurali positum, excellentiam in eo genere significat, & superlatiui (quo carent Hebræi) vicem & vim obtinet: vt, *Sancta sanctorum*, id est sanctissima: *Canticum canticorum*, id est excellentissimum canticum: *Vanitas vanitatum*, id est res vanissima. Quod subinde habet locum etiam in diuersis substantiuis, vt Daniel. 11. v. 17. *filiam feminarum*, id est filiam

liam pulcherrimam. *Viri virtutum*, id est viri fortissimi.

Quinquagesimoprimò.

Eadem vox substantiua in eodem casu geminata (siue interposita particula copulatiua, siue non) multitudinem seu vniuersitatem eius rei significat. Psal. 86 *Homo & homo natus est in ea*, id est, multi homines nati sunt in ea, scilicet Ecclesia. Psal. 144. *Generatio & generatio laudabit opera tua*, id est multæ vel omnes generationes. Ioël. 3. v. 14. *Populi populi*, id est omnes populi. Psalm. 121. v. 4. *Tribus tribus Domini*, id est omnes tribus. *Vir vir*, id est quilibet vir. Simili modo vniuersitatē designat genus femininum iunctum masculino eiusdem rei: vt Ierem. 7. v. 34. *Auferetur vox sponsi, & vox sponsæ*, id est, omnis nuptialis plausus. Eccles 2. v. 8. *Feci mihi cantores & cantatrices*, id est, omnis generis musicos mihi paraui. Isaiæ 3. v. 1. *Auferet validum & validam*, vt est in Hebræo, id est omne validum. Simili modo Oseæ 2. v. 1. *Dicite fratribus vestris & sororibus*, id est, omnibus Israelitis.

Quinquagesimosecundò.

Subinde gerundium ponitur cum nominatiuo vel accusatiuo, quod habeat vicem suppositi, pro subiunctiuo cum nominatiuo. Psal. 125. *In conuertendo Dominus captiuitatem*, pro, cùm conuerteret Dominus, &c. Psal. 141. v. 4 *In deficiendo ex me spiritum meum*. id est cùm deficeret spiritus meus.

Quinquagesimotertiò.

Ἀνθρωποπαθῶς siue humano more loquuntur sæpè Scripturæ de Deo, cùm ei tribuunt humanam formam, os, oculos, manus, pedes: item amorem, gaudium, exultationem, iram, indignationem, aliasque passiones hominis. Qui affectus licèt verè sint in Deo respectu obiecti boni vel mali; non sunt tamen sicut in nobis sunt, verbi gratiâ accidentales, aut alterantes, vitiosi, excessiui, turbidi, aut præter rationem.

Quinquagesimoquartò.

Nonnumquam hieroglyphicis vtuntur, & symbolis, & ænigmatibus. Plurima habes Ecclesiastæ vltimo, quæ mortem repræsentant. Habes in Ieremia *iram columbæ*, *gladium columbæ*: quæ designant iram & gladium Chaldæorum, in quorum labaro erat columba argentea pennis inauratis, Semiramidem repræsentans, psal. 67. v. 14. Ita Danielis 4. per ænigma *arboris* describitur imperium Nabuchodonosoris: cap. 2. per *statuam* quadrifidam. & cap. 7. per *quatuor bestias* repræsentantur quatuor monarchiæ: cap. 8. per *hircum* & *arietem* Alexander Magnus & Darius. Ezech 1. per *quatuor animalia* & *currum Cherubim* depingitur Dei magnificentia, potentia & vindicta: cap. 5. per *nouaculam radentem pilos & barbam*, Chaldæi iugulantes plebem & principes Iudæorum: cap. 17. per pugnam *duarum aquilarum*, pugna Nabuchodonosoris & Pharaonis: cap. 19. per *leones* & *leunculos*, regnum & tyrannis Ioachaz, Ioakim & Sedeciæ; cap. 23. per *meretricium Oollæ & Ooliбæ*, idololatria Samariæ & Ierusalem. Similia Moysen in suis legibus subinde vsurpasse declarat Clemens libro 6. Stromatum.

Quinquagesimoquintò.

Subinde etiam per μίμησιν seu imitationem citant fabulas Gentilium, vt fabulam *Titanum* Iudith 16. v. 8. *glareas Cocyti*, Iob 21. vers. 33. *Cornu Amalthea*, Iob 42. vers. 14. iuxta Septuag. noctem *Orci filiam*, Sap. 17. v. 13. fabulam *Centaurorum*, Isaiæ 34. v. 14. de *Arcturo* & *Orione*, Amos 5. v. 8. Non quòd fabulas approbent Prophetæ, sed vt modo loquendi vulgi se se accommodent.

Quinquagesimosexto.

Verba sua non semper in actu perfecto sumunt, sed subinde in fieri seu actu continuato, subinde tantùm in inchoato: vt *facere* idem sit quod *conari*, *moliri*, *incipere* aliquid facere. Sic Hebræi dicuntur egressi ex Ægypto *vespere*, Deuter. 16. v. 6. alibi *noctu*, Exodi 12. v. 42. alias *manè*, Num. 23. v. 3. Nempe *vespere* immolarunt comederuntque agnum, suaque conuasarunt, quod fuit initium egressus: *noctu* cassis Ægyptiorum primogenitis acceperunt à Pharaone veniam, imò mandatum exeundi, & itineri se accinxerunt: manè facto, reipsa & plenè & perfectè egressi sunt. Non rarò etiam inchoationem actus ponunt pro ipso actu, Canticorum 1. v. 6. *Ne vagari incipiam*, pro *ne diuager*. Sap. 18. v. 4. *Incipiebat dari lumen*, pro *dabatur*. Lucæ 13. v. 25. *Incipietis foris stare*, pro *stabitis*. Apoc. 3. v. 16. *Incipiam te euomere* pro *euomam te*.

Quinquagesimoseptimò.

Subinde verbis non actum, sed agendi debitum vel officium designant. vt Hebr. 13. v. 17. *Ipsi enim peruigilant*, id est, ex officio peruigilare debent Subinde solam agendi virtutem, & conatum quantum ex se est. vt Ioan. 1. *Lux in tenebris lucet. Illuminat omnem hominem. Agnus qui tollit peccata mundi.* Marci vlt. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*, scilicet, quantum est ex vi fidei & baptismi: & si seruentur quæ fides præscribit. Sic Prophetæ passim dicunt, sub Christo abolenda omnia peccata; iustitiam, pacem, sanctitatem, omnemque virtutem toto orbe germinaturam: quia scilicet Christus, quantum est ex parte sua, ita fecit, facitque quotidie, dans nobis lytrum sanguinis sui, & gratiam suam potentem ad hæc omnia præstanda si velimus.

Quinquagesimooctauò.

Verba realia non rarò accipiunt pro mentalibus vel verbalibus. Rom. 2. v. 4. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* hoc est, adducere decreuit, vel optat. Leuit. 20. v. 8. & cap. 21. v. 8. 15. 23. *Ego Dominus qui sanctifico vos*, id est, iubeo vos esse sanctos. Leuit. 13. v. 6. 11. 20. 27. 30. dicitur quòd sacerdos *leprosũ mundabit*, vel *contaminabit*, id est, mundatum vel contaminatum declarabit suâ sententia, scilicet vt reliquorum cõuictui restituatur, vel ab eo arceatur. Ierem. 1. v. 10. *Constitui te super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes*, id est, vt prædices & prædicas, has gentes euellendas & destruendas esse; illas verò ædificandas & plantandas.

Quinquagesimononò.

Subinde vice versa, verba mentalia, vel vocalia accipiunt pro realibus: v. g. *vocari* pro *esse*, vt cùm Christus Isaiæ 7. v. 14. dicitur *vocandus*, id est futurus, *Emmanuel*: & ca. 8. v. 3. vocandus *Accelera spolia detrahere, festina prædari*, id est, erit celer spoliator hostium, & festinus eorum prædo. Sic Ieremiæ 4. v. 12. *Loquar iudicia cum eis*, id est, infligam eis iustas pœnas.

Sexagesimò.

Verba neutra subinde actiuè exponenda sunt, & verba actiua per duplicem actionem, more coniugationis Hebrææ *hiphil*. Sic psal. 51. v. 7. *Emigrabit te*, id est emigrare faciet. Ionæ 3. v. 7. *Et clamauit* rex, id est clamare fecit. Oseæ 8. v. 4. *Ipsi regnauerunt*, id est regem sibi constituerunt. Rom. 8. v. 26. *Spiritus postulat pro nobis*, id est postulare facit. 2. Corinth. 2. v. 14. Deus *triumphat nos*, id est triumphare facit.

Petes, qua via, in tanta verborum ambiguitate, tanta Scriptorum licentia, tot tropis, tot dubijs, constare nobis poterit de vero & genuino Scripturæ sensu intento à Spiritu sancto?

Respondeo Primò, Quandocumque verba Scripturæ sine aliquo incommodo possunt propriè, vt sonant & iacent, accipi, ita accipienda sunt: neque ad metaphoras, aut alios tropos, aut sensus improprios inflectenda, nisi quando ex ijsdem propriè acceptis absurdus aliquis sensus eliceretur. Ita S. Augustinus.

Secundò, Si locus aliquis subinde obscurior occurrat, sed alibi per verba clariora non rarò proponatur; ad hæc recurrendum, vt prior elucidetur.

Tertiò, Ex scopo & intentione scribentis sæpè colligitur mens & sensus verborum illius: verbi gratia, quorsum, quibus, contra quos, ex cuius persona scribat.

Quartò, Ex traditione, vel interpretatione S. Ecclesiæ, ex decretis Conciliorum, vel Summorum Pontificum, ex consensu SS. Patrum, & horum vel multorum, vel paucorum, sanctitate & eruditione præclarissimorum, ex vnanimi conspiratione Doctorum & Interpretum, sæpè constare potest de vero & literali sensu S. Scripturæ.

Quintò, Conferre antecedentia & consequentia cum loco, cuius sensus est dubius, plurimùm iuuat ad eumdem elucidandum: &, si quidem omnia A rectè congruant, sensum habebis genuinum & litteralem. Quòd si omnia cum pluribus sensibus rectè conueniant, plures erunt loci illius sensus litterales: & vel omnes æquè immediatè intenti à Spiritu S. vel vnus primariò, & alij secundariò, seu mediante priore sensu, cuius quodammodo sunt appendices.

Vbi hæc omnia adminicula vel desunt, vel non iuuant, ex idiotismis Hebraicis Græcisue, quos iam exposui, subsidia quærantur: quærantur etiam ex decursu Commentarij. Spero, nullum Bibliorum locum non sat enodatum elucidatumve, quantum fert humani ingenij tenuitas, ab accurato Lectore deprehensum iri.

LIBER

REVERENDI PATRIS

IACOBI TIRINI
E SOCIETATE IESV
COMMENTARIVS IN VETVS TESTAMENTVM.

LIBER GENESIS.

SIc vocatur, eò quòd enarret generationem, ſeu creationem mundi, ac præſertim hominis, qui dominus & rector eſt mundi. Vnde mox lapſum primorum hominum, dein propagationem, & multiplicia ſcelera poſterorum, & ſcelerum pœnam diluuium commemorat: denique geſta & heroica facinora Patriarcharum, maximè Noë, Abrahæ, Iſaac, Iacob & Ioſephi. Complectitur ergo Geneſis annos 2399. quot fluxerunt à creato mundo vſque ad mortem Ioſephi.

CAPVT I.

CReatur ex nihilo cælum & terra & lux die primo. Secundo firmamentum factum eſt; tertio mare & arida cum herbis & plantis; quarto ſol, luna & omnes ſtellæ; quinto piſces & aues; ſexto iumenta, reptilia & homo, qui & dominus cæterorum conſtituitur.

a *Baſil. & Ambroſ. homilia 1. Hexameron.*

¶. 1. IN PRINCIPIO vniuerſitatis rerum, ſeu temporis, vt exponit S. Baſilius, (a) Ambr. & (b) Concilium Lateranenſe, nempe primo temporis momento: ante omnia alia creata, inquit S. Auguſtinus; *Creauit*, id eſt, ex nihilo produxit; *Deus* eſſentiâ vnus, ſed perſonis trinus (& hoc innuit Hebræum plurale nomen *Elohim*,) Pater, Filius & Spiritus ſanctus. ita Magiſter ſententiarum, Lyranus, Gallatinus & Doctores alij contra Caietanum & Abulenſem. *Creauit*, inquam, *Cælum*, id eſt extimum totius vniuerſi ambitum ſeu orbem, quem cælum empyreum vocamus. Ita ijdem Doctores cum Diodoro Tharſenſi, Theodoreto, Alcuino, Rabano & Beda. *Creauit* autem non vacuum, ſed cæleſtibus incolis plenum, nempe ſpiritualibus ſubſtantijs, quas Philoſophi *intelligentias*, Scriptura *angelos* vocat. Ita definit iam Concilium dictum Lateranenſe, angelos non antè, neque poſt mundum, ſed ſimul cum mundo creatos eſſe. Creatos vtique vt numero, ita & perfectione atque ornatu maximo, ſeu naturalia ſpectes, ſeu ſupernaturalia dona. Carebant tamen initio *lumine gloriæ*, nec videbant eſſentiam diuinam; volebat enim Deus vt gloriam illam, quaſi brauium, à diuino agonotheta propoſitum, exercitio virtutum fidei, ſpei, caritatis promererentur, ſibique compararent qui & quotquot vellent. Et quidem voluerunt ac promereruntur: A riti ſunt plerique: atque hoc ipſo primo mundi die æternâ gloriâ donati. Non pauci tamen, ſiniſtris affectibus ſuis & φιλαυτίαις pluſculum indulgentes, (quam ob cauſam, & qua ratione vide apud Molinam, & alios Scholaſticos) duce Lucifero rebelles facti Deo, & in rebellione pertinaces, eodem illo primo die è cælis detruſi ſunt in infernum quem ſub idem tempus ipſis in centro terræ cum ſuo igne & ſulphure Deus apparauit. Vnde quod hîc ſubditur v. 3. *Fiat lux*, & v. 4. *Diuiſit Deus lucem à tenebris*; quam lucem Doctores ad litteram explicant fuiſſe non in ſole (qui quarto demum mundi die creatus eſt) ſed in alio corpore ſubcæleſti, ceteris vniuerſi partibus B lucidiore, quod primo mundi triduo 24. horis, eodem modo quo nunc ſol, vtrumque hemiſphærium circumgyrabat & illuminabat, & ſic diem viciſſim ac noctem conſtituebat: & è quo poſt triduum in partes diſſecto, compacto & compreſſo, ac velut in igneos globos conflato, fabricata ſunt ſol, luna & aſtra reliqua; Hugo Victorinus allegoricè de angelis exponit: *Quod*, inquit, *agebatur in mundo ſenſibili, imago erat eorum quæ in intelligibili agebantur: nam ſicuti primo die Deus diuiſit lucem à tenebris, ita tunc ſimul angelos à dæmonibus, gratiam à peccato, gloriam à* C *pœna, cælum ab inferis diſpeſcuit.*

Molina in 1. p. de Opere ſex dierũ, & Scholaſt. ibid.

Hugo Vict. l. 1. de Sacr. p. 1. cap. 10.

¶. 2. *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas*] *Spiritus Dei*, id eſt ventus, inquiunt Hebræi antiquiores, & Tertullianus & Theodoretus. Sed meliùs S. Baſilius, Hieronymus, Chryſoſt. Auguſtinus, & pæne omnes Patres Græci & Latini, & recentiores Rabbini (quos citat Aſcanius (c) Martinengus, & Martinus (d) Delrio) Tremellius etiam & Iunius, alijque hæretici, id exponunt de Spiritu ſancto, qui *ferebatur ſuper aquas*; hebraicè, inſtar volucris dum oua excludit, *incubabat aquis*, non motu locali, ſed voluntate ſua & potentiâ diuinâ, quâ illas fœcundabat, calorem

Tertull. cõt. Hermo. c. 23

c *Martinengus tom. 1. Catena in Geneſ.*

d *Delrio & alij hic.*

quasi vitalem aspirans, vim seminalem ac prolificam A indens, & aptas procreationi reddens, vt inde mox, obstetricante eodem Spiritu & *pisces*, & *germina*, & *aues*, quin & *cœli*, producerentur. Nam vt sequitur:

℣. 7. *Fecit Deus firmamentum*, seu orbes omnes cœlestes, *in medio aquarum*, vtique & ex *medio aquarum*, seu ex vasta illa *abysso* & mole aquarum, quibus totum spatium à terra vsque ad cœlum empyreum complebatur. Nam partem aquarum, instar crystalli, conglaciando, & vt æs fusum consolidando, *cœlos* efformabat, reliquis *aquis* naturæ suæ relictis, subtilioribus quidem *supra cœlos*, crassioribus *sub cœlis*: quas mox partim in *aëra*, & si quis supra *aera* sit *ignis*, conuertit: partim in *maria*, & *flumina*, & subterraneas *abyssos* distribuit.

An ergo *naturales* & nostris similes *aquæ* sunt *supra* a *Daniel.* 3. *cœlos* propriè dictos? Ita affirmat pluribus locis (*a*) S. *v.* 59. & *psal.* 148. *v.* 4. Scriptura, sed hîc (*b*) omnium clarissimè, vbi non B tantùm supra cælum (quo nomine forsan aër intelligi posset;) sed & *supra firmamentum*, in quo *sol*, *luna* & b *Gen.* 1. *stellæ* sunt, *aquas* statuit. Neque alias sanè aquas quàm *v.* 7. 16. 17. quæ & quales primo die orbis conditi, totum interuallum inter cælum empyreum & terram occuparant, & quas secundo die firmamentum ex ijsdem productum, à se mutuò separârat. Sola verò separatio alicuius totius homogenei non potest efficere vt pars altera naturam mutet, aut in aliud genus transeat. Ita S. Augustinus, & ferè omnes sancti Patres, & plurimi Doctores. (*c*) quorum aliqui volunt *aquas* illas *supra cœlos* relinqui, & diuina virtute incorruptas seruari, partim ad ornatum vniuersi: partim ad præripiendum nobis adhuc exulibus prospectum cœli empyrei cæteroquin splendissimi, & sole nostro lucidioris. Plura de his aquis vide psal. 148. v. 4. De C abysso verò subterranea, Eccles. 1. v. 7.

c *Quos contra Caluinū aliosq; Sectarios citāt & sequuntur Corn. à Lapide, Delrio, Iac. Bōfrerius in suis cōment. in Gen & Iac. Salianus initio suorum Annalium.*

℣. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit.* &c.] Hebraica hendyadi, id est, ad imaginem nobis simillimam. Alloquitur Deus Pater filium suum & Spiritum sanctum eiusdem secum naturæ, potentiæ, operationis. Quare ex hoc loco (vbi inducuntur in vno Deo plures personæ agentes, sed per vnicam agendi potentiam, & actionem,) colligunt Patres mysterium trium personarum SS. Trinitatis: & tam illius, quàm *diuinitatis imaginem*, æquiuocam quidem, sed veram, *in homine* agnoscunt, non secundùm corpus, nisi impropriè & remotè (quatenus in corpore præstantia animæ elucescit, v. g. in vultu, in erecta statura:) sed *secundùm animam*. In qua duplex est *imago Dei*, vna *naturalis* & *essentialis* homini, quæ nullo casu, nullo peccato deperditur. D hæc consistit in ipsa animæ substantia & potentijs, præsertim in mente, in libertate arbitrij, in dominio, &c. Nempe sicut Deus est ens incorporeum, spirituale, indiuisum, immortale; est eminenter omnia; totus præsens in toto, totus in qualibet parte vniuersi; intellectu producens Verbum, voluntate amorem diuinum; est auctor, dominus, finis omnium; est liberæ electionis & arbitrij; est inuisibilis & incomprehensibilis; tamen omnia regens, vegetans, sustentans: ita suo modo, & in suo ordine est & in corpore agit anima hominis. Altera *imago* est *supernaturalis* & *accidentalis* homini, & consistit in gratia iustificante, qua teste S. Petro, anima *consors* fit *diuinæ naturæ*. Hæc imago, quoties mortaliter homo peccat, prorsus deperditur ac deletur: sed eodem pœnitere, tota redditur atque instauratur. (*d*)

2. *Petri* 1. *v.* 4.

d *Fusè hac tractat Bellarm. to.* 4. *de gratia*

℣. 28. *Crescite & multiplicamini*] Non est præceptum, vt somniant hæretici: sed his his verbis *benedixit illis Deus*, inquit hîc Moses. Et v. 22. eadem verba dixerat Deus *piscibus* & *auibus*, quæ non sunt capaces præcepti. Hac verò benedictione virtutem illis indidit prolificandi, & simile sibi procreandi. *primi homines: & DD. Scholastici.*

Quo die, quo mense, quoto antè Christum anno creatus sit mundus, dixi in Chronico, cap. 7. 9. & 47.

CAPVT II.

Quiescit Deus die septimo; vnde & Sabbathum vocatum, & ab hominibus cessatione ab opere seruili sanctificari iussum. Plantatur paradisus, è quo quatuor flumina scaturiunt. Formatur Eua ex costa Adami. Et matrimonium institutur.

℣. 7. INspiravit in faciem eius, Hebraica synecdoche, id est, in ipsum hominem, *Spiraculum vitæ*, hebraicè *vitarum*. Id est, animam rationalem triplici vita præditam, plantarum, brutorum, angelorum, seu vita vegetatiua, sensitiua, rationali. Hanc animam non educit Deus ex materia prædisposita, seu ex corpore organizato (vt fit in plantis & brutis;) sed *inspirat* & deforis inducit, de nihilo creatam infundendo. Ita omnes Patres & Doctores. Formatus est autem Adam corpore & statura, quæ solet esse viri ætate perfecta: altiore haud dubiè nostra vulgari, non tamen gigantæa, vt vult Ioannes Lucidus, & quidam alij: nam gignantes multò demum pòst tempore nati sunt, vt patet Genesis 6. v. 4.

℣. 8. *Plantauerat autem Deus* tertia die conditi mundi, *paradisum voluptatis*, id est, hortum delicatissimum: *à principio*. Septuaginta vertunt, *ad Orientem*, siue ad Orientalem plagam, nempe respectu Palæstinæ & Iudæorum. Quo verò præcisè Orientis loco fuerit vel sit paradisus (nam probabile est, etiamnum extare) (*e*) voluit Deus hominē latere in pœnam peccati: Origo quatuor fluuiorum, *Phison*, id est *Gangis Gehon*, id est *Nili*: (*f*) *Tigris*, & *Euphratis*, quos Moses hîc dicit è paradiso scaturire, nullo vno terrarum loco reperitur. Nam Ganges oritur ex Caucaso monte Indiæ: Tigris & Euphrates ex montibus Armeniæ: Nilus ex montibus Lunæ versus promontorium Bonæ spei: vel, si mauis, ex lacu quodam regni Congi, (*g*) vt notant qui ea loca lustrarunt. Sed non est impossibile, neque improbabile, quod S. Augustinus & alij Patres dicunt (nam est ferè omnium antiquorum communis sententia) hos fluuios verè ex vno eodemque paradisi fonte scaturire primùm, sed mox subterraneis cuniculis & meandris etiam longissimis abscondi, atque ijs demum locis, quibus nunc se produnt, rursus emergere: (vt de Alphæo, Arethusa, Hispano Ana, & alijs quibusdam fluminibus constat:) Deo sic occultante primam scaturiginem, ne locus paradisi hac via mortalibus innotescat. (*h*)

e *Vt dicam c.* 3. *v.* 24.

f *Vt probabo Eccli.* 24. *v.* 35. & *docent Ioseph.* 1. *Antiq. c.* 1. *Epiphan. in Ancorato. Hieron. in qq. Hebr. in Gen. Aug. l.* 8. *de Gen. ad lit. c.* 7. *Thomas Malvenda lib. de Paradiso. Bonfrer & alij.*

g *Vide Du Iarric l.* 3. *Hist. Indic. cap.* 1.

℣. 9. *Lignum etiam vitæ*, id est, arborem excellenter viuificam: cuius fructus vel semel degustatus vitam hominis ad plures centenos annos porrogasset, idque vi naturali sibi à Deo insita: & subinde repetitus porrogasset etiam *in æternum*, quoad nempe Deo placuisset hominem sine morte in cælum transferre. Neque solùm reddidisset hominē longæuum, sed sanum insuper, valentem ac robustum, à morbis, à languore, à tristitia & melancholia immunem. Habebat enim vim non modò nutritiuam, & sed medicam præ omnibus pharmacis, quâ & substantia corporis, & vires nutritiuę, & calor naturalis integrè restauratus fuisset. (*i*) Hanc arborem statuerat Deus *in medio Paradisi*, Hebraicâ phrasi, id est, inter alias arbores

h *Vide Conimbricenses in Meteora tract.* 9. *Franc Ribera in c.* 6. *Amos, Bellarm. suprà, Delrio, Greg à Valentia, & DD. alios in S. Thom.* 1. *p. q.* 102. *art.* 1 *ad* 2.

i *Ita Scotus, Durandus,*

Caiet. Strabus, Hugo. S. Tho. suprà, Franc. Valesius sacra Philosophia p.6 Perer. à Lapide, Salianus. Bonfrerius.

arbores magis eximiam, magis speciosam & procera. Allegoriam & tropologiam huius arboris, paradisi & quatuor fluminum, vide Prouerb. 3. vers. 18.

Lignumque scientiæ boni & mali] Hebraismo, id est, omnium omnino rerum. Hæc erat altera è præcipuis paradisi arboribus, & ipsa specie visenda, & quæ fructus non minùs suaues quàm pulchros proferret. Sic dicta, non quòd comedenti de fructu eius verè tribueret aliquam scientiam (nisi quòd Adamo & Euæ practicam & experimentalem notitiam dederit magni mali, & reipsa docuerit quantum intersit inter bonum & malum, obedientiam & inobedientiam, inter meritum & pœnam, inter felicitatem & miseriam:) sed quòd mendax dæmon fallaciter promisisset transgressoribus datum iri scientiam boni & mali; & quidem scientiam non communem aut vulgarem, sed excellentissimam, humanâ maiorem, similem diuinæ. Patet ex cap. 3. v. 5. *Aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* Et Deus ibidem v. 22. decepto Adamo, scientiam quâ Deo similis fieret, frustra experitam, pulchrâ ironiâ & sarcasmo exprobrat: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.* Vnde etiam hicà Mose arbor hæc ironicè vocatur *scientia boni & mali.* q.d. Arbor illa egregia scilicet, quam mendax dæmon promiserat daturam scientiam quasi diuinam omnis boni & mali. (*a*)

a Ita Rupertus, Tostatus Pererius, Salianus.

Petes, Cuius specie fuerit hæc arbor? Respondeo fuisse malum, seu pomum, vt colligi videtur ex Cantic. 8. v. 5. *Sub arbore malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Sed verosimile est, specie diuersam fuisse ab omnibus malis nostris, seu cytreis, seu aureis, seu Persicis, seu vulgaribus. Nam si fuisset eiusdem speciei & naturæ cum alijs aliquibus paradisi arboribus; cùm certum sit, non nisi vnius arboris vsum, quæ erat circa medium paradisi, fuisse protoplastis inhibitum; potuisset facili negotio, in altera eiusdem speciei arbore impunè & sine periculo ab ijsdem & Dei prohibitio eludi, & Satanæ tentatio vinci, & ipse mendacij conuinci. (*b*)

b Salianus, à Lapide, Bonfrerius.

℣. 17. *Quocumque die comederis ex eo, morte morieris* tu cum omni stirpe tua: nam voluntates omnium posterorum posuerat Deus in voluntate vnius Adami, vtpote omnium parentis ac principis. Ergo illo peccante, peccarunt etiam illi omnes. (& hoc est peccatum originale:) illo mortis reo facto, facti sunt rei omnes. Et quidem morte animæ mortuus est Adam actu & reipsa simul atque de pomo gustauit: morte quoque corporis quoad debitum & necessitatem, etiam eodem momento; quoad actum verò, ea hora & momento quo collibitum fuit Deo sententiam mortis antè latam exequi. Quamquam & quoad actum dici possit. Adamum eodem quo peccauit momento, sublatis iam à Deo omnibus aduersus mortem remedijs, cœpisse mori corpore, nempe longa illa phthiseos seu internæ corruptionis morte, quâ, pugnantibus inter se perpetuò elementis & humoribus, & se mutuò corrumpentibus, vix nati morimur, & ad interitum ducimur. (*c*)

c Vide fusius Bellarm. & DD. Scholast. de peccato orig. & pœna eiusdem.

CAPVT III.

Serpens Euam tentat, & seducit, ad comestionem de pomo vetito: & ipsa ad eamdem inducit quoque Adamum. Vterque increpatur à Deo, & serpens maledicitur. Simul Messias orbi redemptor promittitur. Adam & Eua damnantur ad labores, dolores & mortem: & paradiso expelluntur, cui custos præponitur Cherubim cum flammeo gladio.

℣. 1. SERPENS *erat callidior cunctis animantibus*] Loquitur de vero & naturali serpente. Quem Eugubinus putat fuisse basiliscum; Pererius scytalem, tergi varietate & squamarum nitore insignem; Delrio viperam, ex illo Lucæ 3. *Genimina viperarum.* Hoc animali, vtpote naturâ callido, malitioso & homini noxio, voluit dæmon, imò dæmonum princeps Lucifer, (*d*) vti tamquam instrumento ad fallendum aptissimo. Non quòd serpens vim haberet loquendi, vt vult Josephus, (*e*) Plato, S. Basilius: sed dæmon serpentem ingressus, vt solet energumenos, in eius ore, quasi in organo, aëre moto, collisо & modulato, vocem humanam, vt facilè potuit, effinxit, (*f*) non virali actione, sed artificiali. Et non latebat Euam, has voces supernaturali virtute formari, sed non satis attendit, vti debebat, & facilè poterat, sui tentandæ fallendæque gratia confictas esse: atque ita sese duci passa fuit.

d Ita quidã apud Magistrum sent. in 2. dist. 6.

e Ioseph. in Antiquit. Plato in Politico. S. Basil. homil de paradiso.

℣. 5. *Aperientur oculi vestri*] non corporis, sed mentis. q. d. Adeò clari ingenij, adeò perspicacis intelligentiæ efficiemini, vt meritò existimaturi sitis, vos hactenus nihil sciuisse, & quasi cæcos fuisse, (*g*) Et verò mox ab esu fatalis pomi,

f S. Aug. l. 14 de Ciuit. c. 11. & DD. Schol. cum Magistro suprà.

℣. 7. *Aperti sunt oculi amborum*] sed vt viderent, *se nudos esse.* Tantum enim abest, vt senserint accessisse sibi de nouo, quam mendax serpens promiserat, sublimem illam & quasi diuinam rerum omnium scientiam; vt potiùs experti sint se nudatos etiam ijs ornamentis quibus antè gaudebant: putà Primò, in anima, ornamento gratiæ iustificantis, & omnibus præsidijs iustitiæ originalis; Secundò, in corpore, motuum omnium internorũ & humorum debita compositione, & compressione concupiscentiæ. Hinc Tertiò, senserunt tristem iacturam tum sibi, tum posteris, incredibilium bonorum quibus in statu innocentiæ vix octiduo fruiti fuerant: nam tantum spatij intercessisse à creatione ad lapsum plerique (*b*) existimant. Quartò, senserunt iisdem intolerabilium malorum, fractis innocentiæ repagulis, iam incursantem in orbem; inde Quintò, maximam in se confusionem, pudorem, mœrorem; Sextò, acerrimum conscientiæ stimulum, qui animum arrodebat. Denique senserunt, sed malo suo, & serius; nimis veras certasque fuisse minas Dei (contrà quàm præsumpserant:) dæmonis verò promissa, vana & fallacia.

g Rupertus l. 3. de Trin. c. 7. 8. 9. Delrio & alij.

h Pererius, Delrio, Tornielius, Salianus & alij.

℣. 14. *Maledictus es inter omnia animantia*] Hæc & sequentia in sensu allegorico, sed præcipuè intento à Spiritu sancto, accommodantur dæmoni: litteraliter serpenti naturali, cui tamquam organo malesuado dæmonis Deus meritò maledicit, & punit: vt solet pius parens & iudex, etiam ficam quâ latro filium occidit, execrari & exurere. Neque tamen tollit hîc Deus aut mutat naturales serpentis proprietates: (cur enim tollat serpenti, qui non peccarat, cùm dæmonibus & hominibus grauissime lapsis, nulla naturalia sustulerit?) Sed quæ antè fuerant serpenti naturalia, scilicet humi reptare, antra sequi, terram cõedere, venena spargere; iam eidem destinantur in pœnam & in probrum: & qui antè nec odio, nec horrori, nec pudori, nec nocumento erat hominibus (diuinâ prouidentiâ tunc arcente omnia noxia;) post peccatum, præ cæteris animalibus factus est noxius, inuisus, probrosus, execrabilis. Sic paulò pòst Adamo quoque & Euæ quædam deputantur in pœnam, quæ etiam in statu innocentiæ fuerant ipsis naturalia, v. g. vxorem subdi marito, herbis vesci, terram germinare ipsis spinas, & alia. Ita S. Chrysostomus, Augustinus, Rupertus, & reliqui Patres. (*i*)

i Citati à Pererio, à Lapide, Saliano, Bonfrerio.

℣. 15. *Ipsa conteret caput tuum*] Ita in fœminino lege-

legerunt olim (a) SS. Chrysost. Ambrosius, Augustinus, Marius Victor, & plerique Catholici. Nec repugnat textus Hebræus, qui ambiguus est, vt bene ostendit Bellarminus. Vnde apparet, ita olim etiam in LXX. lectum fuisse, cùm isti Patres non sint vsi alia versione. Nunc in recentioribus LXX. editionibus habetur masculinum *ipse*, supp. filius mulieris. & huic fauet Arabicus & Chaldæus, qui id asscribunt semini mulieris. Sed in idem redit: cùm enim Deus hîc quasi antagonistas opponat mulierem cum semine suo, serpenti cum suo semine; verissimè dici potest tam *ipsa*, mulier, quàm *semen* seu posteri mulieris, conterere caput serpentis, putà tam naturalis serpentis, (quem homo vix visum, ex innata antipathia, conatur conterere:) quàm allegorici & infernalis serpentis, quem, vt dixi præcipuè hîc designat Spiritus sanctus. Vti & per *mulierem* præcipuè designatur B. Virgo *Maria*, quæ pariendo nobis (hristum (primarium & nobilissimum *semen* seu filium mulieris) vt facta est verissima *Eua*, id est *mater viuentium* (idque vita longè præstantiore, scilicet spirituali & æterna in cælis:) ita penitus contriuit caput & potentiam huius serpentis. Primò, quia nullum peccatum, ne quidem originale (quod primum & quasi *caput* est omnium peccatorum) in se admisit. Deinde, quia nullum etiam peccati fomitem, vel prauam cogitationem (quæ principium seu *caput* est actualis peccati) in se habuit. Denique, quia hæreses & tyrannides omnes (quæ præcipua capita & cornua sunt serpentis infernalis,) per virtutem Christi, seminis & filij sui, tam ipsa, quàm Christiani omnes, qui illius quoque semen & filij sunt, perfectè deuicit ac profligauit. Ita (b) Theodoretus, Rupertus, Beda, Augustinus, Epiphanius.

a *Chrysost. hom. 17. in Genes. Ambros. de fuga seculi cap 7. Aug. l. 2. de Gen c. 18. Marius l. 1. in Gen. Bellarm. in Controu. de verbo Dei, l. 1. &c.*

b *Theodor. Rupert. Beda in hunc locũ S. Aug. l. 11. de Ciuit c. 36. Epiphan. li. 2. contra Antidico-Marianos. & alij SS. Patres.*

℣. 24. *Et collocauit ante paradisum Cherubim*, id est angelos ex ordine Cherubinorum, qui sic vocantur à *scientia* excellentissima qua dotati sunt à Deo: & ideo peraptè ponuntur hìc quasi vindices omniscientiæ Dei, quam Adam & Eua ambierant: & *custodes ligni vitæ*, vt nempe ab illius accessu, imò conspectu, arceant non solos homines, sed & dæmones: (nam hi tali amuleto, & spe æternæ seu immortalis vitæ, vecordes homines nimis facilè ad suum obsequium & ad idololatriam pertraxissent.) Arceant, inquam, *Flammeo gladio*, id est, tam splendente & acuto, vt vibratus flammas & fulmina vomere videatur: *& versatili*, hoc est, apto facillimè verti in omnem partem, vtpote ancipite & vtrimque secante. (c) Sed hæc de gladio non materiali, sed metaphorico intelligenda sunt, nempe de potentia & viribus angelicis.

c *Ita S. Chrysost. Aug. Rup. & alij citati à Corn. à Lapide, Delrione & Saliano.*

Qua die, qua hora, Adam & Eua comederint de pomo vetito; qua item expulsi sint è paradiso, dixi in Chronico cap. 48. conclusione 5.

CAPVT IV.

Adam ex Eua gignit Cain & Abel. Cain occidit Abel: ideoque à Deo maledicitur, & fit profugus. Recensetur progenies Cain. Porrò in locum occisi Abel, substituitur Adamo alius filius Seth, qui gignit Enos.

℣. 1. PEPERIT *Cain, dicens, Possedi hominem.* *Cain* enim hebraicè idem est quod possessio. q. d. Natus est mihi filius, qui erit possessio & hereditas mea. *Per Deum*] Vox est gratulantis, & Deum auctorem generationis agnoscentis. Hæc mystica & pia nominum impositio statim ab ipso mundi exordio, insinuat curam studiumque primorum parentum, vt simul ac liberi in lucem essent editi, expedirentur à culpa originali, remedio à Deo designato, scilicet fide parentum in Deum, signo aliquo externo expressa, quale pro adultis erat sacrificium, pro posteris Abrahæ masculis circumcisio saltem post octauum diem. (d)

d *Ita S. Gregor. l. 4. Moral. c. 3. S. Thom. 3. p. qu. 70. art. 2. & 4.*

℣. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*] Respexit fauendo, probando, & pecora terrasque illius fœcundando. (e) Theodotion vertit, *inflammauit Dominus*, nempe igne de cælo misso absumpsit sacrificium Abelis: Caini reliquit intactum. Quæ est sententia communis ferè omnium SS. Patrum. (f) Respexit verò Deus priùs ad personam Abelis, quàm ad eius munera; vt doceamur, sacrificia vetera non placuisse Deo ex opere operato (vti placet illi sacrificium nouæ legis) sed tantùm ex opere operantis.

e *Ita Chrysost. & Lipomanus apud Salianum anno 130.*

℣. 7. *Nonne si bene egeris, recipies*, scilicet, etiam tu fauorem meum, & benedictionem similem fratri tuo? vt & simili signo, putà igne cælitus immisso, tester, te quoque tuaque sacrificia mihi placere. *Sin autem malè* egeris, *statim in foribus peccatum*, id est pœna peccati, *aderit*, quasi canis & cerberus præ foribus animi instar vindicis culpæ accubans. Ita sonat Hebræum *robets*. Hic canis est vermis conscientiæ, ira Dei capiti peccatoris imminens, omnesque pœnæ præsentis & futuræ vitæ.

f *Citant illos à Lapide & Salianus suprà.*

רובץ

Sed sub te erit appetitus eius, scilicet peccati, *& tu dominaberis illius*] q. d. Facilè euaseris omnem pœnam; si, vt liberi es arbitrij, volueris concupiscentiæ & appetitui tuo, tamquam mancipio rebelli, dominari & resistere: nam inuitare te possunt passiones & appetitus tui ad culpam, sed cogere non possunt. (g)

g *Ita contra Caluinũ Bellarm. & à Lapide, qui citãt SS. Patres.*

℣. 8. *Interfecit eum*] non mandibula, vt fingunt pictores, sed rustica furca, seu lignea, seu ferrea, quam manu secum sine suspicione de more ferre solebat. Interfectus est autem Abel, verosimillimè anno ætatis suæ 129. mundi 130. Nam natum anno 2. mundi conditi, & occisum eodem anno quo natus & illi substitutus est Seth, hoc est, 130. ex Scripturis deducunt Caietanus, Pererius, Torniellus & alij.

℣. 14. *Ecce eiecis me hodie à facie terræ*, id est, à patria mea amœnissima & fertilissima, (h) quin & à tota terra, dum exulem me & profugum nusquam vno eodemque loco consistere permittis. *Et à facie tua abscondar*] Id est quasi reus præsentiam irati iudicis & vindicis Dei horrebo & fugiam, & latibula quæram, q. d. Exosus ero Deo & hominibus, vt nec ego illos aspicere ausim, nec illi me ferre sustineant: vnde quisquis *me inuenerit*, quasi erronem & fugitiuum & omnibus exosum, *occidet*. (i)

h *Ita Oleaster & Pererius.*

i *Ambros. Oleaster, Lipomanus apud à Lapide.*

℣. 15. *Posuit Dominus Cain signum*] Ex communiori sententia signum hoc fuit *tremor corporis* & maximè *cauitis* ac *cõsternatio vultus* (k) Dat ergo hoc supplicio Deus Caino vitæ fidem publicam, sed altiore consilio, partim in pœnam illius, cui celerior mors commodior accidisset: partim in aliorum exemplum, quo à simili scelere deterrerentur. Vnde & grauius supplicium minatur hîc Deus secundo homicidæ, licet ipsiusmet Caini omnibus inuisi; *Septuplum*, inquit, *punietur*, id est, multipliciùs & longè grauiùs. quia nempe grauiùs etiam peccabit: quippe & alieno doctus exemplo & malo, & præcepto meo de non occidendo tam graniter, tam seriò iterato rebellis. Sic Lamech secundus, imò tertius homicida, nam & *virum*, inquit, *occidi* (quem, incertum, nisi quòd Rabbini velint fuisse Cainum, atauum Lamech: vt etiam S. Hieron. S. Anselm. Raba-

k *Ita LXX. & tradunt Hebræi, Hieron. Procopius, Eucherius, Theodoret. Rupert citati à Saliano, & à Lapide.*

Rabanus, Strabus, Comestor, Liranus, Abulen- A sis, Lipomanus, Caietanus, Genebrardus, & alij, quos citant & sequuntur Delrio, Salianus, Pererius & Bonfrerius) & alterum quemdam *adolescentulum, in vulnus & liuorem meum.* Hebraismo, id est, liuore & vulnere à me ipsi inflicto. Hic, inquam, Lamech, cùm infrà vers. 23. suum hoc geminum scelus cum simplici scelere Caini contulisset, mox se præ illo longè grauiùs ex duplici iam dicto capite punitum ita ominatur, *Septuplum*, inquiens, *vltio dabitur de Cain*, id est grauis valdè & multiplex: *de Lamech verò septuagies septies*, id est, longè grauior & multiplicior. Similis phrasis est Matth. 18. vers. 22. Quasi dicat, Si Cain, qui non nisi semel, & sine exemplo aut expressa prohibitione deliquit, tam grauiter punitus est; ego qui duos occidi, quique pœnam Caini vidi, Dei expressam inhibitionem audiui, nec tamen ab eodem scelere abstinui, longè B grauius meritò puniendus sum. (a)

a *Ita Chrysost. & Theodoretus, apud à Lapide.*

℣. 26. *Iste cœpit inuocare nomen Domini*] scilicet publicè per cœtus & Ecclesias. Cùm enim, crescente numero hominum, cresceret etiam obliuio & contemptus Dei, videtur Enos auctore & monitore Adamo publicos piorum conuentus cogere cœpisse, partim ad augendam, stabiliendam & propagandam religionem: partim ad preces & conciones publicas, & cultum Dei per sacrificia, aliosque ritus & cæremonias inducendum.

CAPVT V.

Texitur genealogia Adami per Seth, vsque ad Noë. Primò, vt constet genealogia Christi, de qua Luca 3. v. 35. Deinde, vt palàm fiat, Deum omni tempore suam Ecclesiam, sui cultum, fidem ac pietatem in aliquibus conseruasse, v. g. hic in Seth, & posteris illius. Denique vt de primordijs mundi, primaque eius propagatione aliquid certi habeamus, neque enim vlli sunt alij libri, à quibus de gestis ante diluuium vel tantillum haurire possimus.

℣. 5. OMNE *tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta*] Non fuerunt hi anni menstrui seu 30. dierum, vt quidam putarunt: (nam inde sequeretur, Malaleel & Henoch, qui hîc dicuntur filios genuisse anno ætatis suæ 65. genuisse illos anno sexto solari.) sed fuerunt veri & pleni anni, singuli 12. mensium; vt dixi in Chronico, & parebit infrà cap. 8. v. 5. vbi decimo anni mense, prima die mensis dicuntur apparuisse cacumina montium. (b) Sed vnde tunc homines tam longæui?

Chron. c. 10.

b *Est communis sententia.*

Respondeo Primò, ex meliore complexione & temperamento corporis humani. Secundò, ex sobrietate, quâ quidam (c) putant, plerosque etiam carnibus & vino, etsi prohibita non essent, abstinuisse ante diluuium. Tertiò, ex primæuo vigore terræ, fructuum & alimentorum. Quartò, experitia & scientia Adami, quam & posteris communicauit; qua longè melius quàm omnes nostri medici norant vim singularum herbarum, fructuum, metallorum, &c. Quintò, ex Dei voluntate, & arcana cooperatione, idque vt & homines citiùs propagarentur, & scientias artesque certiùs perdiscerent, & posteris etiam remotissimis cognitionem & cultum veri Dei commodiùs inculcarent.

c *S. Chrys. Tertullus Bonfrerius & alij citati à Perrio, à Lapide & Saliano.*

An Adamo & Euę peccatum suum, quatenus ipsis personale erat, remissum fuerit, dubitare nefas est, cùm Sapientiæ 10. v. 2. dicatur Deus eduxisse Adamum à delicto suo, seu, vt Græcè est, à lapsu suo. Quin & traditio est, ambos saluatos esse, tam certa, vt Irenæus, Epiphanius, Philastrius, Augustinus

& alij Tatianum einsque discipulos Encratitas id negantes damnent erroris. (d) Adamum Jerosolymis saltem sub finem vitæ vixisse, & mortuum ac sepultum ab Henocho esse, & ossa illius in arca asseruata fuisse tempore diluuij, fusè docent Cornelius à Lapide & Iacobus Salianus.

d *Vide Alfonsum à Castro verbo Adam.*

℣. 22. *Ambulauit Henoch cum Deo*] Id est, Deum ita præsentem præ oculis ac familiarem habuit, Deique nutui ac placito in omnibus ita sese accommodauit & conformauit, vt videretur perpetuò & indiuulsè cum Deo inambulare, & illi tamquam summo amico ac domino suo, omni studio vbique defere.

℣. 24. *Tulit eum Deus*] id est, de terra transtulit viuum in paradisum. Ita ad Hebræos 11. vers. 5. *Henoch translatus est ne videret mortem.* Et de paradiso disertè id affirmat Ecclesiasticus cap. 44. vers. 16. Vbi cum Elia vitam quasi beatam agit, corpore quidem ex se corruptibili ac mortali, sed diuina virtute incorrupto, & immuni à concupiscentia & à nostris ærumnis; in statu quodam medio viatores inter & Beatos, in altissima Dei contemplatione, non tamen visione, iucundissimè tempus transigendo. Qui putant paradisum terrestrem, & in eo arborem vitæ etiamnum superesse (e) (quod est probabile; cur enim nobilissimum arboris genus Deus perdidisset, aut interire permisisset; qui virentem oliuam & alias arborum etiam vilissimas species à diluuio tanta cura conseruauit?) ij dicunt Henochum & Eliam vsu eiusdem arboris & aliarum frui pro libito, atque ita vitam continuò prorogare. Alij dicunt, sine esu aut potu, aut eorum apperentia vel indigentia, suspendente Deo actionem caloris naturalis consumptricem humidi radicalis, integros incorruptosque manere. (f) Thomas Maluenda l. de Parad. c. 84. & P. Iacobus Bonfrerius, dicunt probabile esse, paradisum in quo est Henoch, tempore diluuij ab aquis imbribusque seruatum immunem, aquis vndique ad latera sese attollentibus, & quasi in murum solidatis: vt contigit Israelitis in mari rubro, & in Iordane: & Iosepho nostro Anchiętæ in mari Brasiliseo, & quibusdam alijs Sanctis. Cur verò Henoch translatus sit, explicat Sapiens cap. 4. v. 10. quia *placens & dilectus Deo*, scilicet præ omnibus alijs eius sæculi, & *ne* in tanta mundi corruptela *malitia mutaret intellectum eius.* Cur verò viuus translatus sit indicat Ecclesiasticus c. 44. v. 16. *Vt det gentibus pœnitentiam*, id est, vt in fine mundi, quando cum Elia orbi restituetur, traducat tam lingua, quàm exemplo suo populos tum superstites ab adoratione dæmonis & Antichristi ad verum Christum & Deum. Et apud multos quidem filiorum seu nepotum suorum fidem parens sanctus inueniet: (omnes autem & quotquot iam viuimus, & quotquot sub finem mundi supererunt, ex Henoch linea recta prognatos constat, cùm sit ipse abauus Noë, parentis omnium nostrûm.) Sed à spurio suo Antichristo vnà cum Elia martyrio afficietur Ierosolymæ, relictis cadaueribus in publica platea insepultis: sed triduo pòst rediuiui & gloriosi tota vrbe spectante in cælum conscendent; vt dicitur Apocalypsis 11. & est communis Patrum ac Doctorum sententia. (g)

e *Vt Sixtus Senēsis l. 5. Biblioth. Delrio in c. 3. Genes. Bellarm. & Adamus Contzende gratia primi hominis. Greg. à Valētia, Maluenda de Paradiso, Suarez to. 2. p. 1. disp. 5. sect. 1. & ferè omnes tum veteres, tum recentiores Theologi, vt etiam fatentur Pererius & Viegas.*

f *Cornel. à Lapide, Salianus.*

g *S. August. l. 20. de Ciuit. c. 29. Iren l. 5. c. 5. & alibi citat. à Delrio, Bellarmino, à Lapide & Saliano.*

CAPVT VI.

Omnes penè homines, sed pre omnibus gigantes, fœdis libidinibus, aliisque sceleribus se corrumpunt. Hinc Deus minatur orbi excidium per diluuium, quod centesimo post anno immittit. Interim iubet Noë fabricare arcam, in qua tam ipse eiusque familia, quàm reliqua animalia bina cuiusque speciei, in semen posteritatis asseruentur.

℣. 2. VIDENTES *filij Dei filias hominum*] Non est hîc sermo de angelis aut dæmonibus, incubis aut succubis: (a) sed de filijs & posteris duorum fratrum Seth & Cain. Et quidem filij Seth vocabantur filij Dei, Primò, ob sanctitatem, iustitiam, temperantiam aliasqu: virtutes, quibus toti mundo testatum faciebant se e Ie veros filios Dei. (b) Secundò, quia robusti erant, & viribus, forma, statura eximij. Nam Hebræa phrasi, omnia fortia, magna, egregia dicuntur esse Dei, vt *cedri Dei*, *montes Dei*, id est cedri & montes altissimi. (c) Filij verò & posteri Cain, mali parentis peior soboles, dicebantur filij & filiæ hominum, Primò, quia moribus peruersi, & animo toti terræ affixi. Secundò, quia corporis robur, formam ac staturam eneruarant nimis profusa libidine & luxu. Cùm ergo, mortuo iam Adamo, translato Henocho, mortuo quoque Setho, non pauci ex posteris Seth, qui viribus erant integerrimis, spretâ parentum monitione de non miscendis connubijs cum Cainitis, summo ardore libidinis adglutinarentur pulchrioribus & selectioribus filiabus Cain, ex hac commistione (naturâ vim suam omnem, & extremum potentiæ exserente) prognati sunt gigantes, seu homines monstrosa statura, robore, latrocinijs & tyrannide insignes: qui suis sceleribus maxima potissimaque causa diluuij fuerunt, vt hîc Moses insinuat, & Iob 26. vers. 5. & Sap. 14. vers. 6.

a *Vt sensêre Ioseph Philo, Iustinus, Tertull. Lactantius, Burgensis, Franc. Valesius, & alij apud à Lapide.*

b *Ita Chrysost. Cyrill. Theodoret. Rupertus, Hilarius, apud eund. & Salianus.*

c *Ita Oleaster.*

℣. 3. *Spiritus meus*, id est, anima & vita homini à me inspirata, Genes. 2. vers. 7. *non permanebit in homine in æternum*, Hebraica phrasi, id est, in longum tempus, quale sibi quisque imaginatur & promittit. Sed *erunt dies illius centum viginti annorum*, id est, non dabo vlteriores mundo inducias quàm ad 120. annos, quibus tentabo num destituri sint à malo, necne: nam si tempus hoc, quod ad agendam pœnitentiam ipsis indulgeo, negligant, eo exacto omnes delebo per diluuium quod orbi inducam. Non ergo statuitur hîc singulis hominibus certus vitæ terminus, vt vult Iosephus, Lactantius, Procopius apud Salianum, quia plurimi deinceps longè diutiùs superuixerunt, vt patet Genes. 11. Sed toti tunc generi humano, (vt dixi) (d) spatium pœnitentiæ præscribitur. Et hoc ipsum reuelat hîc Deus Noë, vt ipse illud toti mundo palam faciat non solo verbo, sed & longa arcæ inusitatæ fabrica quâ diluuium orbi ob infanda scelera imminens & prædicebat omnibus, & publicè, ni pœniterent, comminabatur.

d *Ita Chaldæus & LXX. Hieron. Chrysost. August. l. 15. de Ciuit. c. 24.*

℣. 16. *Deorsum, cœnacula, & tristega facies in arca*] *Deorsum*, id est, infima tabulata: *cœnacula*, id est, media tabulata: *tristega*, id est, tertia seu suprema tabulata. Ita Hebræa & Chaldæa. Erant enim in arca tres contignationes seu tabulata, quæ discriminabant quaterna spatia. Primum & infimum spatium erat sub infimo tabulato, scilicet locus saburræ ad librandam arcam in aquis, & sentina ad sordes vndique excipiendas, quæ postea per antlias, vel sportas & funes in altum reductæ, per fenestram A superiorem ejiciebantur. Secundum spatium erat supra infimum tabulatum, seu in prima contignatione: vbi erat locus omnium animalium, in cellas vtrimque distinctus. Tertium erat supra medium tabulatum, seu in secunda contignatione, vbi distinctæ erant apothecæ, quibus includebatur omne genus annonæ pro hominibus & animalibus, etiam dolia aquæ dulcis ad potum & ad lotionem. Quartum spatium erat in summo tabulato sub tecto, vbi ex vna parte locus erat hominum cum sua culina, foco, furno, mola, lignili & penu. ex altera erant caueæ & nidi singularum auium cum suo pabulo. Nota. In singulis contignationibus erant ambulacra media, & in his scalæ, quibus ex vna in aliam ascendebant & descendebant. In pauimentis erant foramina & tubi, quibus & pabulum, & sordes, & quæcumque vellent, ad inferiora demittebant. In latere arcæ, à medio circiter vsque ad verticem, erant passim foricæ seu foramina, tum ad respirationem, tum ad lumen hauriendum, tum ad sordes egerendas necessaria. (e)

e *Fusè hæc Ioannes Buteo libro de Arca: ex eo Pererius & alij*

℣. 20. *Bina de omnibus*, id est mas & femella *ingredientur tecum*] Hebraicè *venient ad te*, scilicet sponte sua, feritate ad tempus depositâ, vel saltem mitigatâ, adcurrent, idque vel Dei instinctu, vel angelorum impulsu: vti olim ad Adamum Genes. 2. vers. 19. cùm Adam illis omnibus sua nomina inderet. (f)

f *Ita S. Augustin. supra c. 27.*

CAPVT VII.

Noë cum vxore, tribus filijs, & filiorum vxoribus, & cum delectis ex singulis animantibus ingreditur arcam: diluuio mox totam terram inundante.

℣. 2. EX OMNIBVS *animantibus mundis tolle septena & septena*] Nam ex mundis debebant plura adseruari non solùm ad speciei propagationem, sed etiam ad sacrificium, & ad esum post diluuium. Nota, hinc patere, distinctionem mundorum animalium ab immundis non fuisse à Mose primùm inuectam Leuitici 11. sed fuisse etiam in lege naturæ, ab ipso verosimiliter Adamo, qui à Deo acceperat, filijs traditam, non tam ad esum (quia probabile est, saltem pios non edisse carnes ante diluuium) quàm ad sacrificium. Ita S. Chrysost. Didymus & alij.

Nota Secundò, terrestrium animalium species ab Aria, (g) Gesnero & Vlysse Aldrouando enumerari 150. exceptis serpentibus & reptilibus, quorum Pererius numerat species 25. Ergo vniuersim fuissent in arca 175. species terrestrium: inter quæ tantùm sunt sex species maiores equo, paucæ æquales, multæ minores oue, vt facilè potuerint omnia in vno arcæ tabulato stabulare. Amphibia, & quæ ex putrefactione, & hybrides, id est, quæ ex diuersarum specierum commixtione gignuntur, non fuerunt in arca.

g *Lib. de Arca.*

℣. 11. *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ.* Id est, omnia ostia voraginis illius subterraneæ profundissimæ & aquis initio mundi in ea à Deo reconditis (h) plenissimæ, vnde & maria quædam, & flumina omnia & fontes scaturiunt. Ita ex S. Hieron. Basilio, Damasceno, Philone, Platone, Plinio, S. Bernardo, Isidoro, S. Thoma docent Conimbricenses (i) & Franciscus Valesius. (k) Triplex hîc designatur causa diluuij, Prima infera, nempe eruptio & inundatio tum maris, tum abyssi, quæ non ampliùs coercita riuis, venis, alueis suis, ripas, littora, aggeres, aliaque obstacula omnia vndique perrumpentia, obruebant totam terram. Cessante verò diluuio, aquis iterum

h *Gen. 1. v. 9.*

i *Conim. tract 9. in Meteora cap. 4.*

k *Vales. Sacra Philosophia c. 63.*

in suas cauernas & abyssum reductis, ibiq́ue reclusis, dicuntur cap. 8. v. 2. *clausi fontes* huius *abyssi*. Secunda causa diluuij, supera fuit. *Et cataractæ cæli apertæ sunt. Ianuas cæli* vocat Dauid psalmo 77. Est catachtesis, quâ significatur, ex media regione aëris (qui cælum in Scripturis vocatur) tanto impetu & fragore maximam aquarum vim in terras deiectam, vt totus aër per vastissimas scissuras quodammodo hiare videretur, & iam non guttatim aut stillatim, sed more torrentium flumina & fluctus effundere. Ita S. Chrysost. Rupertus & alij. Tertia causa etiam supera fuit, duratio pluuiæ & imbrium per 40. continuos dies: Deo vapores & aërem in aquas assiduè conuertente, vel etiam aliquas de nouo producente: donec consumptis omnibus & hominibus, & animantibus terrestribus & volucribus, altiùs quindecim cubitis omnes montes, etiam Olympum, etiam Atlantem, aquæ transcenderent.

Petes, An omnes homines vt corpore, ita & anima perierint in diluuio? Respondeo, ex epistola 1. S. Petri c. 3. vbi dicit, Christum à morte, cùm anima ad inferos descenderet, *prædicasse* (seu lætum redemptionis & eductionis è limbo nuntium attulisse) etiam *hu spiritibus qui increduli fuerant aliquando in diebus Noë, cùm fabricaretur arca*; certum videri, resipuisse non paucos, qui irruente diluuio, & per 40. dies paulatim ingrauescente, cùm viderent iam factis ipsis impleri quæ Noë diuino iussu prædixerat, animo ad Deum conuerso pœnituere seriò, & veniam impetrauere. Ita Liranus, Caietanus, Sà, Serarius, (*a*) Bellarminus, (*b*) Turrianus, (*c*) Henriquez, (*d*) Suarez, (*e*) Torniellus, Salianus.

a In 1. Pet. 3. v. 20.

b Bellarm. Lib. 4. de Christo cap. 13.

c Turr. pro epist. Pont. cap. 12.

d Henr. lib. 21. c. 19.

e Suarez to. 2. in 3 p. disp. 43. sect. 3.

CAPVT VIII.

Sensim minuitur, ac tandem cessat finiturq́; diluuium: quod Noë discit ex ramo oliuæ, quem attulit columba. Mox iussu Dei egreditur ex arca cum omnibus suis. Et in gratiarum actionem Deo sacrificium offert; quo placatus Deus, promittit numquam deinceps fore simile diluuium.

Porrò cum diluuio finitur prima mundi ætas, quæ fuit annorum 1657. Et post diluuium inchoatur secunda, quam finiemus cum egressu filiorum Israël ex Ægypto.

℣. 1. ADDVXIT, Dominus, *spiritum super terram*] Non dicit, *Spiritum suum*, vel *spiritum Dei*, vt Genes. 1. vers. 2. sed in genere *spiritum*, id est ventum, putà validum & vrentem, qualem emisit cùm aperuit mare rubrum filijs Israël, Exodi 14. qui vna nocte tam vastum maris spatium vertit in siccum. Sed hic ventus non tam naturali, quàm diuina vi siccauit & absumpsit aquas diluuij. Adde, magnam aquarum partem, vt inchoante diluuio de nouo producta fuerat à Deo, siue ex aëre, siue ex alia materia (vt facillimum est Deo quiduis in quoduis commutare:) ita nunc cessante diluuio rursus in aërem, & primæuam materiam conuersam fuisse. Reliquæ rursus incluse & concluse in abysso sua subterranea, & littora posita mari & ripæ fluuijs, ne transiliant fines suos.

℣. 13. *Sexcentesimo primo anno*, scilicet vitæ Noë, vsque eò *imminuta sunt aquæ*, vt appareret *exiccata superficies terræ*] id est, nudata iam aquis. Quia tamen limosa adhuc erat, neque pedibus peruia, post alios demum 56. dies dicitur versu sequenti prorsus *arefacta* & siccata: & Noë cum suis iussus *egredi*, & *super terram ingredi*. Nota. Diluuium cœpit *anno sexcentesimo vitæ Noë, mensis secundi die septimodecimo*. (*f*) Finitur verò cum egressu Noë ex arca *anno* eiusdem 601. *mensis secundi die vigesimo septimo*. (*g*) Ergo durauit annum integrum solarem: (*h*) lunarem verò annum integrum, & insuper decem dies.

f Ca. 7. Genes. v. 11.

g Hic v. 14. & Chron. cap. 11.

h Chronici c. 4. & 5.

℣. 21. *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt*] Hebraicè est, *figmentum cordis humani malum est*. Infert Lutherus & Caluinus; Ergo ipsa natura seu essentia hominis putà ratio & voluntas, mala est, neque aliud potest quàm peccare. Sed quàm ineptè, nemo non videt. Nam *ratio & voluntas* hominis, seu essentia, non est *figmentum cordis humani*, sed *Dei* ipsius. Figmentum verò, seu quod fingitur & producitur à corde humano, est *sensatio & cogitatio*, vt Noster cum LXX. & Rabbinis optimè vertit. Quæ *mala* sunt *non necessariò*, au aliqua necessitate, *sed liberè*, ex libero cordis seu voluntatis humanæ decreto: vt dixit suprà cap. 4. v. 7. Quia tamen cor, seu voluntas, etsi libera, promior tamen in malum erat, quàm in bonum, & sæpiùs mala fingebat quàm bona, quæ, hinc Noster benè vertit, *prona in malum*.

CAPVT IX.

Deus Noë eiusq́; posteris benedicit. Esum carnis indulget, non tamen sanguinis. Homicidij pœnam sancit. Iridem tesseram dat pacti de non inducendo vterum diluuio. Noë obriatur. Cham maledicitur.

℣. 4. CARNEM *cum sanguine non comedetis*. Sed neque sanguinem seorsim. Prohibet enim omnem esum seu sumptionem sanguinis, siue liquidus is sit & porabilis, siue factus & coagulatus, vt est in farciminibus: siue adhuc in animali existat, vt in morticiniis & suffocatis. Ita Eucherius, Liranus, Tostatus & alij. (*i*) Rationem dat S. Chrysostomus. (*k*) Vt nempe, etiam post diluuium, mortales intelligerent, habere se Dominum, qui pro arbitrio iubere & vetare possit quod lubeat. Deinde, vt comprimat peruersum impetum & propensionem ad homicidia, ne scilicet assuescendo sanguini bestiarum, tandem nec humano parcerent. Denique vt ostendat Deus quàm sibi cordi sit sanguis & vita hominis, subdit, *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum*] Id est, puniri volo etiam bestiam, si illa hominem occiderit. Ita iussit etiam Exodi 21. vers. 28. (*l*) & Leuit. 17. vers. 11. vbi & duas alias causas vetiti esus sanguinis exponit Deus.

i Carthusianus, à Lapide.

k Homil. 27.

l Ita Abulensis, Oleaster & alij.

℣. 13. *Arcum meum ponam in nubibus*] id est, iridem. Non quòd illa ante diluuium in nubibus non apparuerit, (*m*) (cùm naturaliter radij solis reuerberentur in nube rorida, vnde iris exsurgit, quando sol, oculus, & centrum iridis in eamdem lineam rectam concurrunt:) sed quia non apparuit tamquam *signum fœderis* diuini. Nam antè tantùm erat naturale signum pluuiæ, præsertim si matutino tempore appareat: post diluuium verò assumpta est à Deo in *signum* ex beneplacito numquam ampliùs futuri diluuij. (*n*) Hoc verò *signum* Deus aptissimè potuit *in nubibus*, quia è nubibus aquæ delapsæ fuerant, & inde rursus metuendum erat diluuium.

m Vt vult Alcuinus, & Glossa.

n Vide Valesium c. 9.

℣. 25. *Maledictus Chanaan*. In filio sceleris conscio, forsan & auctore & indice (vt volunt Hebræi &

Theodoretus) punitur parens: sed maximè in posteris illius Chanauæis, qui à Iosue & Israëlitis expulsi & exciſi sunt. Nam propter hos maximè scripsit hæc Moses, vt doceat iustè expulsos fuisse. *Erit seruus seruorum*] id est, infimus & (a) vilissimus seruus fratrum suorum. Id impletum partim Iosue 9. cùm, exciſis Chananæis; Gabaonitæ, qui dolo mortem euaserant, perpetuo seruitio Iudæorum tamquam mancipia, addicti fuerunt. partim 2. Paral. 1. v. 7. & 8. vbi Salomon reliquias Chananæorum Iudæis *tributarios* & seruos fecit.

a *Prolegom. decimi septimi Hebr. n. 30.*

℣. 27. *Iapheth habitet in tabernaculis Sem*] Benedictio hæc Iapheti & temporalis fuit, & spiritalis. Nam posteri *Iapheti*, putà Gentiles Europæi, & maximè Romani, imperium temporale suum extenderunt in Iudæos posteros & filios *Sem*, & in omnia loca quæ tam ipsi incoluerunt, quàm reliqui filij & posteri Sem & Chanaan, ferè ad Indiam vsque. Spirituale quoque imperium, cùm ad Christum illi conuersi sunt & veram religionem & Ecclesiam (è qua isti exciderunt) amplexi, per primarum Ecclesiæ & sedem Pontificiam longè latiùs extenderunt. (b)

b *Vide S. Hieron. Chrysost. hom. 29. & Rupertum l. 4. c. 30. à Lapide & Bonfrerii.*

℣. 28. *Vixit Noë post diluuium trecentis quinquaginta annis*] Vidit ergo turrim Babel: vidit posteros suos numero immenso auctos per orbem dispergi: vidit inualescente idololatria penè omnes à vero Dei cultu deflectere: vidit denique cum prima Assyriorum monarchia filiorum & nepotum suorum assidua & horrenda bella, eductis subinde à Nino in aciem, (c) equitum ducentis millibus, peditum decies septies centenis millibus, aduersus Zoroastrem regem Bactrianorum, qui & ipse supra quadringenta millia sub signis habebat. Neque id mirum, cùm plurium simul vxorum esset vsus; & omnes & toti vacarent generationi: vno tamen excepto Noë, qui insigni continentiæ exemplo totis his 350. annis quibus à diluuio superuixit, & verosimillimè etiam alijs centum immediatè ante diluuium, quibus in fabrica arcæ occupabatur, nullos prorsus liberos suscepit. Nam ex nullis alijs quàm ex *Sem*, *Cham* & *Iaphet* (vt hîc vers. 19. dicit Scriptura) *disseminatum est omne genus hominum super vniuersam terram.* Hi verò tres nati fuerunt centum circiter annis ante diluuium, vt dicitur cap. 5. vers. vlt.

c *Ita ex Ctesia Diodorus l. 3.*

CAPVT X.

Catalogus texitur filiorum & posterorum Iapheth, Cham & Sem, è quibus orti sunt omnes qui nunc viuunt mortales.

℣. 8. NEMROD *cæpit esse potens*, scilicet tam mole corporis, quàm robore, audacia, crudelitate. Vnde LXX. pro *potens* legunt gigas. Hic *erat robustus venator*; non tantùm ferarum, sed & hominum, quos instar prædonis & tyranni partim vi & armis, partim & insidijs dolo captabat, spoliabat, sibi subijciebat & seruire cogebat. Et quidem *coram Domino* erat talis, id est, reuera & eximiè, vtpote etiam iudicio Dei qui falli non potest.

Petes, quis hic Nemrod? Respondeo fuisse Iouem seu Belum Saturni filium, patrem Nini. Nam in vtrumque quadrant quæ de tempore, quæ de loco, quæ de tyrannide & imperio, quæ de prauis moribus vtriusq; Eusebius, Hieronymus, Augustinus. (d) & alij scriptores tradidere. Vtrumque faciunt primum monarchiæ Assyriacæ auctorem, vtrumque primum regem & conditorem turris & vrbis Babel seu Babylonis: vtrumque primum auctorem idololatriæ: vtrumque regnasse 65. annis. Huic in imperio & tyrannide successit filius Ninus, qui patrem suum Belum seu Bel & Baal (nam hęc erant Nemrodis & Iouis cognomina. q. d. *Dominum & dominatorem*;) constructo illi templo & sepulchro magnificentissimo, iussit publicè pro Deo coli; & morum ferocia ac gentium deuictarum fama etiam superauit, teste Iustino, Strabone, Diodoro Siculo & alijs. Hic Ninus infrà vers. 11. vocatur *Assur*, quia dominus & monarcha Assyriorum, in quorum à se subactorum finibus, sibi cognominem condidit Niniuen, seu Ninam, regia sua & sede imperij in eam translata. Et *plateas* in ea construxit, scilicet illas latas & longas Ionæ 3. *itinere trium dierum.* Ita S. Hieronymus (e) & Diodorus Siculus, qui addit, ambitum murorum Niniues fuisse 480. stadiorum, hoc est, 60. milliarium Italicorum. (f) Probabilius tamen putarim, *plateas* hîc accipi pro nomine proprio vrbis: Nam in Hebræo, Chaldæo, Græco & Arabico legimus *Plateas ciuitatem*. Et 1. Paralip. 1. vers. 48. etiam Hebręum nomen *Rohoboth* retinetur in Latino textu, vti & Genes. 36. vers. 37. & pro ciuitate ponitur.

d *Eusebius in Chron. Hieron in 22. Hebr. August. l. 16. de Ciuitat. c. 7.*

e *S. Hieron. suprà. Diod. l. 2.*

f *Vide Pererium, à Lapide, Bonfrerium.*

℣. 14. *Caphtorim*] Hebræum nomen Deuter. 2. v. 23. vertitur à Nostro vulgato *Cappadoces*. Qui quales fuerint, ibidem exponam.

Reliqua huius capitis vide 1. Paral. 1. & Chronici nostri c. 46. vbi ponitur *arbor genealogiæ* omnium Patriarcharum veteris testamenti.

CAPVT XI.

Construitur turris Babel. Linguæ diuiduntur, & gentes dispergunturin omnes partes orbis. Texitur genealogia Sem vsque ad Abraham: qui ex Vr Chaldæorum migrat in Haran & Chanaan.

℣. 5. DESCENDIT *Dominus, vt videret ciuitatem & turrim*] Anthropopathōs, quia tunc primùm Deus patefecit miraculo confusionis linguarum, & pœna inflicta, se præsentem esse, & videre insanam substructionem, qui dissimulando hucusque videri poterat quasi absens, & non videre quæ gerebantur. Iosephus & Sanctus Augustinus Nemrodum faciunt auctorem huius fabricæ: nam, vt dicitur cap. præced. vers. 10. *principium regni eius fuit Babylon.* Nempe voluit, æternum extare superbiæ suæ monumentum: simulque illudere Deo, vt, si rursus tentaret immittere terris diluuium, esset quò se impij ab aquis tutos reciperent. Hic Nemrod insana hac fabrica sua typum gessit Antichristi, qui in Babylonia, forsan & eodem loco quo fuit hæc turris, primariam regni, monarchiæ, ac tyrannidis suæ sedem figet, impiamque theomachiæ turrim eriget, vt insinuatur in (g) Apocalypsi, & docent Ribera, Emmanuel Sà, Franciscus Suarez & plures alij. Addit auctor operis de Antichristo (apud S. Augustinum,) S. Hieronymus & Anselmus, Antichristum etiam Babylone nasciturum.

g *Apoc. 9. v. 14. & c. 16. v. 12. &c. Rib. & Sà in Zachar. 5. v. vlt. Suarez 3. p. q. 59. disp. 54. a. 6. sect. 5. Hieron. in c. 11. Dan. Anselm. in Elucidario.*

Petes, an Noë tum adhuc (h) superstes, non adfuerit fabricæ turris Babel: Respondeo, Adfuit verosimillimè, vt & alij viri pii, qui hanc fabricam iuuerunt, (i) sed bono fine, v. g. vt hæc turris omnibus vndique conspicua seruiret pro specula, pro loco publici commercij, pro communi memoria, ornatu, gloria. S. Hieronymus (k) ex traditione refert turrim, iam tùm cùm opus intermissum est, euectam fuisse ad quatuor millia passuum, seu ad milliare Germanicum: & reliquias ad sua vsque tempora

h *Gen. 9. v. 28.*

i *Abulensis, Delrio, Pererius, à Lapide, Bonfrer.*

k *Lib. 5. in Isaiam, ad cap. 14.*

pora perduraſſe, Euſebius (a) ex Abydeno & Sibylla dicit, fabricam non ſolùm confuſione linguarum interruptam, ſed etiam vi ventorum pro maiori parte euerſam fuiſſe. Semiramis vxor Nini poſt centum annos vrbem mira magnitudine & incredibili magnificentia inſtaurauit: turrim non extulit quidem altiùs, ſed concinnè ornauit, & templo Beli eiuſque ſepulchro adaptauit. S. Auguſtinus, (b) Origenes & alij paſſim, volunt, diſſectis linguis in 55. diuerſas, (vt ex totidem familijs poſteriorum Noë c. 10. Geneſeos colligit Cornelius à Lapide, in ſolo *Heber* eiuſque poſteris ab eo dictis *Hebræis*, cum vera fide, religione & pietate manſiſſe primæuam orbis linguam, indeque pòſt nominatam Hebræam: in cæteris habitu illius linguæ prorſus deleto, & nouo promptiſſimoque nouæ linguæ & cuique genti propriæ diuinitus infuſo.

a *Lib 9. de Præparat. Euang. c. 4.*

b *Lib. 28. de Ciuit. c. 39.*

Quoto anno ætatis Thare ſit natus Abram, eiuſque fratres, vide in Chronico c. 14.

CAPVT XII.

Abram cum ampla promiſſione vocatur à Deo ex Chaldæa patria ſua, & peregrinatur in Chanaan, nempe in Sichem & Bethel. Cogente fame deſcendit in Aegyptum: vbi Sara coniux illius rapitur à Pharaone, ſed mox ob flagella cælitus immiſſa, reſtituitur intacta marito.

℣. 3. IN *te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ*] Quia ratione ſeminis tui, qui eſt Chriſtus, vt explicat Apoſtolus ad Galatas cap. 3. verſ. 16. iuſtitia & gloria & ſalus & omne bonum conferetur omnibus omninò gentibus. Hæc tertia apparitio & promiſſio facta eſt Abrahamo non in Charan (vrbe Meſopotamiæ, vulgò dicta Charræ, vbi Craſſus cladem accepit:) ſed in Chanaanitide iam exiſtenti, vt in Chronico probaui cap. 15. Primò ergo apparuit Deus Abrahamo in Vr ciuitate Chaldæorum, vt patet Actor. 7. verſ. 2. & Judith 5. v. 9. Secundò, apparuit eidem in Charan, mortuo iam parente, & iuſſit pergere in Chanaanitidem, Geneſ. 12. verſ. 1. Porrò ciuitas illa Chaldæorum, vnde primùm exceſſit Abram, vocabatur *Vr*, quod hebraicè ignem ſignificat, quia Chaldæi ignem ibi pro Deo colebant: ſicut & vicini illis Perſæ ſolebant in locis, quæ inde pyrea dicta vult Procopius & alij. Hinc iubetur Abram inde abſcedere, ſcilicet ad declinandam idololatriam, & forſan etiam perſecutionem ea ipſa de cauſſa à Chaldæis excitatam. Nam vt demus, Abramum in pueritia ſua prauа parentum quorumdam & cognatorum inſtructione idola quoque (c) coluiſſe, (vt de patre illius *Thare*, & fratre *Nachor* conſtare videtur:) (d) verosimile tamen eſt, meliore mox auorum inſtitutione (nam & *Sem*, & *Sale*, & *Heber* & multi alij pij ac conſtantes viri etiam tum ſupererant;) vel priuata aſtrorum creaturarumque conſideratione (vt vult Philo,) & peculiari inſtinctu Dei, ad veram illius fidem cultumque traductum, multa hoc nomine tam ab amicis, quàm hoſtibus pati coactum, forſan etiam ſupplicij ignis (quod Hebræi tradunt) periculum adijſſe. Cui vt eriperetur, iuſſiſſe Deum vt inde in Chanaanitidem profugeret. Vnde Eſdræ lib. 2. cap. 9. verſ. 7. dicitur Deus *eduxiſſe Abramum de igne Chaldæorum.*

c *Iſaiæ 43. v. 1.*

d *Ex Ioſue vlt. v. 2. & Iudith 5. v. 7. & Gen. c. 31. & de Abrahamo idem affirmant Hebræi, Philo l. de Abrah. Auguſt. 10. de Ciuit. vbi Cyrill. to. 3. contra Iulian. l. 3. in fine. Genebrardus in Chronol. Meſſius & Suarius in Ioſue vlt. & alij.*

℣. 13. *Dic, quod ſoror mea ſis*] Ita verè poterat & licitè: nam apud Hebræos nepotes & qui eiuſdem ſanguinis ſunt, vocantur *fratres*, & neptes *ſorores*. Sic cap. 13. verſ. 8. & 11. vocat *Loth* ſuum *fratrem*, cùm ſolùm eſſet nepos illius, ſcilicet filius Aran fratris Abrahæ; vt patet c. 11. v. 27. ergo poterat & Saram ſororem Loth vocare ſuam quoque ſororem. Ante coniugium vocabatur illa Jeſcha, c. 11. v. 29. ſed poſt nuptias voluit illam Abraham vocari *Sarai*, id eſt *domina mea*, quia vxor: ſicut illa Abrahamum vocabat *dominum meum*, c. 18. v. 12.

Petes, An licuerit Abrahamo exponere Saram periculo adulterij? Reſpondeo, Formaliter id intendendo neque licuit; neque expoſuit: materialiter, permittendo ſi vis inferretur, potuit. Sed fidebat Deo cui ſe ſuaque, dum prudenter cauet, curæ fore ſciebat iuxta promiſſa ſibi facta. Ita S. Auguſt. (e) Fidebat etiam caſtitati, prudentiæ & conſtantiæ vxoris ſuæ. Addit Peretius, etiam Dei inſtinctu ita feciſſe.

e *Aug. 22. cont. Fauſt. cap. 33.*

℣. 17. *Flagellauit autem Dominus Pharaonem*] Ægyptiaca lingua Pharao regem ſignificat, inquit Iosephus. (f) Vnde omnes Ægypti reges, vſque ad imperium Græcorum dicti ſunt Pharaones: ſed exinde à Græcis *Ptolemæi*. Vt hi apud Syros, omnes dicebantur *Antiochi*; apud Parthos, *Arſacidæ*, apud Philiſthijm, *Abimelech*. nam omnia hæc dignitatis regiæ nomina ſunt. Ita Euſebius, (g) S. Hieronymus & alij.

f *Ioſeph. l. 8. Antiq. c. 2.*

g *Euſebius in Chronic. Hieron. in Iſaiæ 10. & Ezech. 29.*

Flagellauit autem *plagis maximis*] nempe peſte, tumultu & ſeditione populari, inquit Joſephus. Morbis inſolentibus & horrendis cruciatibus, ait Philo. Alij, concluſione vuluæ & ſterilitate: vt ex ſimili caſu c. 20. v. vlt. colligi poteſt.

CAPVT XIII.

Abram à nepote ſuo Loth ſe ſeparat, & Chanaanitidem incolit, Loth Sodomam petit. Porrò Chanaanitis hereditaria promittitur poſteris Abræ.

℣. 13. ERANT *peccatores coram Domino*] Id eſt, eximij & maximi (h) peccatores: neque ſolùm iudicio hominum tales, ſed & ipſiuſmet Dei, qui falli non poteſt. Ezech. 16. verſ. 49. *Ecce*, ait, *hæc fuit iniquitas Sodomæ, ſuperbia, ſaturitas panis & abundantia, & otium, & abominationes coram me*, id eſt maximæ: *& manum egeno & pauperi non porrigebant.*

h *Gen. 10. v. 8.*

℣. 18. *Iuxta conuallem Mambre.* Id eſt iuxta vallem quercubus conſitam, quæ erat cuiuſdam viri Amorrhæi, nomine Mambre, de quo cap. ſeq. verſ. 13. *Quæ eſt in Hebron*] non in vrbe, ſed in vicinia, ſeu in agro & ditione Hebron, quæ antea Arbee, vel Cariatharbe dicebatur. Vide Joſephum (i) & S. Hieronymum.

i *Ioſeph. l. 5. Belli c. 7. Hieron. de Locis Hebr. & Num. 13. v. 23.*

Quoto anno vitæ Abrahæ euerſa fuerit Sodoma, dixi in Chronico cap. 15.

CAPVT XIV.

Babylonij bello ſuperant Pentapolitas: & inter hos etiam Loth captiuus abducitur: ſed caſis ab Abram Babyloniis, Loth quoque liberatur. Lætus pro victoria Abram, decimas dat Melchiſedecho, & ab eo benedicitur.

℣. 17. IN *valle Saue, quæ eſt vallis regis*] Septuaginta addunt, *Melchiſedechi*. Quia fortè iſte rex in ea valle hortos ſuos & loca ad delicias facta habebat: fortè etiam ludicras & militares exercitationes. Nam Chaldæus habet, *ipſe erat locus refrigerij* vel *ſtadij regis*. Huius etiam vallis fit mentio 2. Reg. 18. v. 18. Hic Melchiſedech non fuit Sem, primogenitus Noë, vt tradunt Hebræi & nonnulli Catholici; (k) nam licèt hic etiam tum in viuis eſſet, ſaltem non regnabat in Chanaanitide, neque erat *ſine patre & matre, & ſine genealogia*, cùm Scriptura diſertè affirmet

k *Rupert. l. 5 de Trin. Iſidorus de Vita Prophetar. Toſtatus, Liran. Gloſſa, Genebrardus in Chronolog.*

affirmet fuisse *filium Noë*, & ex proauis *Abrahæ*. Quæ omnia contraria sunt ijs quæ Apostolus ad Hebræos cap. 7. Melchisedecho propria facit. Sed fuit princeps aliquis & regulus Gentilis è gente Chananæa: rex Salem, seu Ierosolymæ, vt est in Chaldæo, quam & illum condidisse Iosephus (*a*) affirmat. & fidelium (qui tum ipsius, tum aliorum operâ istic reperiebantur) doctor, sacerdos, pastor. Ita S. Dionysius, (*b*) Hieronymus, Hippolytus, Irenæus, vterque Eusebius, Apollinarius, & alij, cum plerisque recentioribus. (*c*) Addunt S. Ignatius (*d*) & Suidas, Melchisedech semper virginem permansisse. Vnde & in hoc typum gessit Christi, vti & in nomine & nominis etymo, in officio, in sacerdotio, in sacerdotio, in sacrificio. De quibus fusè Hebr. 7 psalm. 109.

a *Lib. 7. Belli c. 18.*

b *Dion. Calest hie. c. 9. Hieron. epi. ad Euagriũ. Hipp. & alij citati à Bonfrerio.*

c *Pererio, Delrio, à Lapide hic, Ribera in Hebr. 7. Torniello in Annal. & Saliano, Sigonio l. 1. de Rep. Heb.*

d *Ignat. epi. ad Philadelphios.*

✝. 18. *Proferens panem & vinum*] non ad cibum militum, vel epulum, vt ex Iosepho contendunt hæretici. quia tot spolijs onustis hæc non deerant: sed ad sacrificium pacificum in gratiarum actionem Deo pro victoria Abrahæ à Babylonijs parta. Solebat enim Melchisedech pro materia sacrificij sui vti pane vino, & quidem ordinariè ac publicè, sic edoctus & iussus à Deo. Et in eo differebat illius sacerdotium tum à sacerdotio reliquorum in lege naturæ, (qui vel primogenitura, vel principatus iure sacerdotes erant, vti erat etiam ipse Abraham:) tum ab Aaronico sacerdotio pòst instituto: quia hæc ferè omnia cruenta erant; istud verò Melchisedech incruentum. Vnde & Christus, vt palàm faceret se *sacerdotem* esse *secundùm ordinem* & ritum *Melchisedech*, (vti Deus per Dauidem de illo prædixerat) (*e*) sub ijsdem speciebus panis & vini suum quoque sacrificium in vltima cœna incruentum instituit. Ita omnes tam sancti Patres, quàm Doctores Scholastici.

e *Psal. 109. v. 4.*

Erat enim Sacerdos Dei altissimi] Hæretici vertunt, *& erat princeps Dei*. Sed imperitè: nam *&* copulatiuum apud Hebræos frequentissimè vsurpatur pro causali *enim*, vel *quia*. Et Hebræum *cohen* magis propriè & sæpiùs sacerdotem significat: nec nisi vno alterove loco, si rectè memini, principem in Scriptura designat, putà 2. Reg. 8. v. 18 vbi filij Dauid dicuntur fuisse *cohen* seu principes: & Isaiæ 61. vers. 6. *Vos autem sacerdotes Domini vocabimini*. quamuis etiam illis locis Latinus interpres *sacerdotes* verterit, neque incongruè, vt ibid. ostendemus. Sed centenis alijs locis vsurpatur pro *sacerdote*. Et ita hunc locum explicat S. Paulus ad Hebræos 7. & LXX. & SS. Patres, adeoque ipse Iosephus, (*f*) & Philo, & plures alij Iudæi. Et quid noui hîc alioqui diceret Moses, si quem antea regem vocarat, iam principem faceret? Aut quæ ratio proferendi vel offerendi Deo panis & vini, quia princeps erat? neque enim principis est sacrificare, sed sacerdotis. Vnde etiam subditur, vers. 19. *Benedixit ei*, Melchisedech Abramo, maiot minori. Et decimas ab Abramo accepit, scilicet intuitu sacerdotij sui, & sacri ministerij quo publicè fungebatur. Vnde & Apostolus Hebr. 7. colligit, tam Abramum, quàm Aaronem & omnes Aaronicos sacerdotes, minores fuisse Melchisedecho, quandoquidem isti omnes per parentem suum Abramum, in cuius lumbis continebantur, tamquam inferiores & benedictionem à Melchisedecho acceperint, & decimas eidem persoluerint.

f *Ioseph. suprà. Philo, l. de Abrahamo.*

CAPVT XV.

Deus promittit Abra semen numerosum instar stellarum cæli, simulq; terram Chanaan. Et fœdus cum eo sancit, victimis offerri iussis, quibus quasi symbolis præmonstrat Abra, quæ & quanta posteris eius obuentura sint.

✝. 2. FILIVS *procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer*] id est, Eliezeri filius, scilicet, erit mihi heres, quia ob defectum verorum filiorum, hunc mihi adoptaui. Notat S. Hieronymus, Tostatus & alij, ab hoc Damasco conditam & nuncupatam vrbem Damascum.

✝. 5. *Numera stellas, si potes*] Hinc patet, stellas tanto numero esse, vt ab homine numerari non possint. Nam quantò quisque acutiùs cælum intuetur, maximè opticis recèns inuentis perspicilijs, tantò plures deprehendit. Ita S. Augustinus, (*g*) Basilius, Eusebius, imò & Aristoteles, Plato Seneca. (*h*) Quando ergo Ptolæmeus & Astrogi dicunt non esse nisi 1022. stellas fixas, agunt de ijs solis quæ visu facilè & distinctè possint ab homine percipi.

g *Aug. l. 16. de Ciuit. cap. 23.*

h *Citati à Pererio, & alijs.*

Sic erit semen tuum] tum carnale, tum spirituale. q. d. Posteri tui instar stellarum erunt innumerabiles, sublimes, æterni, potentes, famosi, splendidi, glorioli. Sed his tam lætis mox tristia quædam miscet Deus.

✝. 9. *Sume mihi vaccam triennem, & capram trimam*, &c.] Hæc enim adhiberi iubet Deus non solùm fœderis cum Abrahamo eiusque posteris sanciendi gratiâ, quo promittebat se illis perpetuò protecturum, & in promissam Chanaanitidem inductorum: neque solùm sacrificij caussâ, quo volebat ab Abrahamo honorari: sed etiam, & quidem præcipuè, ad mysterium Abrahamo patefaciendũ. nam omnia hęc erant symbola earum rerum quæ posteris Abrahæ infra v. 13. & sequentibus obuenturæ prædicuntur. Tria enim animalia, *vacca, capra, aries*, & hæc ipsa *trima* seu *triennis*, præsignabant *tres generationes*, quibus Israelitæ in Ægypto exulaturi & seruituri essent, videlicet tempore *Caath*, *Amram*, & *Moysis*. Quo tempore Ægyptij mulgebant Iudæos tamquam vaccas & capras; illorumque, tamquam opimorum arietum, velleribus & carnibus sese pascebant. *Dissectio animalium* in frusta, *afflictio* erat & dura *tyrannis* Ægyptiaca. *Volucres* infestantes horum animalium cadauera, erant Ægyptij & Og, & Seon, & Amalec, & alij hostes *affligentes* & deuorantes Iudæos. *Abraham abigens* volucres significabat *Deum* tutelarem & liberatorem Iudæorum. *Turtur & columba non dissecta* præsignabant *quartam generationem*, quâ Iudæi euolaturi erant ex Ægypto liberi & integri. Et *turtur* quidem gemebunda significabat 40. *annos luctus* in deserto. *columba*, animal sociale, *tempus Iosue*, quo Iudæi terram promissam lætè & placidè incoluerunt. *Horror magnus & tenebrosus*, id est, qualis obuenire solet homini densis tenebris immerso: item *clibanus fumans*, symbola erant *fornacis & seruitutis* Ægyptiacæ. *Sopor Abrahami sole occumbente* significat Deum, mortuo Josepho, quasi dormientem & dissimulantem duram Hebræorum afflictionem. *Lampas ignis*, id est fax ardens, quæ *transijt inter* dissecta cadauera, (& illa forsan incendit atque absumpsit ad complendum sacrificium,) significabat *iustitiam diuinam*, quâ & puniti Ægyptij, & Israelitæ saluati: item *columnam ignis & nubis*, quâ Deus in mari rubro diuisit Hebræos ab Ægyptijs, Exodi 13. vers. 21. eosque deinceps

deinceps per desertum deduxit in terram promis-
sam. (a)

a Vide Peretium, à Lapide, Salianum, Bonfrerium.

℣. 13. *Et affligent quadringentis annis*] Hi 400. anni non referuntur ad solum *affligent*, sed ad omnia tria præcedentia, scilicet, *peregrinum erit semen tuum*, &, *subijcient eos seruituti*, &, *affligent*. Hæc enim tria durarunt simul 400. annis. Nam ex quo semen Abrahæ cœpit extare, putà ab ortu Isaac, cœpit peregrinari in terra non sua. Et hæc peregrinatio vsque ad egressum ex Ægypto durauit præcisè 405. annis.

Vide in Chronico cap. 15. distributionem gestorum Abrahæ per annos quibus singula peracta sunt.

℣. 16. *Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum*] Supple, & reliquorum Chananæorum. Voluit enim Deus tantisper tolerare horrendam idololatriam, incestus, & tyrannidem Chananæorum (nam hæ erant illorum iniquitates quas notat Scriptura) (b) donec impleretur mensura illa tum scelerum, tum vindictæ, quam Deus cuique nationi, imò cuique familiæ, forsan & capiti, priùs quàm insigne aliquod supplicium irroget, ab æterno præfixit. Vnde Matth. 23. Christus dicebat Iudæis, *Implete mensuram patrum vestrorum.*

b *Leuit. 8. Deut. 9. & 12.*

CAPVT XVI.

Agar secundatia vxor Abræ concipit ex eo filium: hinc superbit. affligitur à Sarai, fugit in desertum: sed redire eam iubet angelus, simulq; filium Ismaelem promittit.

℣. 3. TVLIT *Agar Ægyptiam ancillam suam, & dedit eam viro suo* non concubinam, sed *vxorem*, vt habetur hic. Neque enim erat tunc polygamia illicita; & in tantâ paucitate fidelium ita expediebat. Et Deus in iure naturæ dispensabat, ius vxoris, quod ex prima coniugij institutione non nisi vnius esse debebat, in plures vxores diuidens. (c) Sic Deus summus naturæ dominus, dedit Abrahamo ius occidendi Isaac: & Hebræis, ius spoliandi Ægyptios.

c *Vide S. Th. & DD. Scholast. in 4. dist 33.*

℣. 11. *Vocabis nomen eius Ismael.* quod hebraicè significat, *audiuit Deus*, scilicet *afflictionem tuam*: & iuuit & liberauit te. Vnde & Agar mox gratias agens v. 13. *vocauit*, seu inuocauit, *nomen Domini*; Chaldæus, *orauit*, dicens: *Tu Deus qui vidisti me*, id est, prouidisti, & curam mei in hoc terribili deserto gessisti. *Profecto* enim *vidi posteriora*, seu dorsum, *videntis me*] Id est, vidi angelum, qui humana specie mihi apparuit, meque adiuuit, sed non vidi nisi abeuntem & à tergo. sicut & Moysi contigit, Exodi 33. v. 23. Quo significatur, quamdiu in hac vita sumus, nos non posse claram angelorum, multo minùs Dei, cuius vices hi angeli gerebant, cognitionem habere, sed tantùm obscuram, imperfectam & confusam.

CAPVT XVII.

Deus nomine Abram mutato in Abraham, nouum cum illo fœdus init, & fœderis signum instituit circumcisionem. Nomine quoque Sarai mutato in Saram, promittit ex illa filium Isaac.

℣. 5. NEC *vltra vocabitur nomen tuum Abram*, id est, pater excelsus: *sed appellaberis Abraham*] id est, pater multitudinis. Sic infrà, ℣. 5. *Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai*, id est dominam meam; *sed Saram* absolutè, id est dominam, quia plurium *nationum & regum* erit domina & mater: imò cunctarum gentium per Isaac & Christum filium suum erit spiritualis mater. Ita S. Hieronymus, Ambrosius & alij.

℣. 7. *Vt sim Deus tuus; & seminis tui*] Hoc est, fœdus quod ineo vobiscum, ex vestra parte requirit, vt me perpetuò pro Deo habeatis colatisque: ex parte verò mea continet tria quæ vobis præstabo. Primum, vt in immensum *multiplicemini*, vt dicitur v. 2. 4. 6. Secundum, vt *terram Chanaan tradam* vobis possidendam, v. 8. Tertium, vt *ex semine tuo Messias* procreetur, v. 16. hîc, & cap. seq. v. 18. *Erit* verò hoc *pactum meum*, seu *signum* huius mecum *fœderis*; *in carne vestra* quam *circumcidetis* in *omni masculo*, etiam *vernaculo*, etiam *emptitio*, & quicumque de familia vestra esse & manere voluerit. Volebat enim Deus non solos posteros Abrahæ, sed etiam totam illorum familiam, adeoque totum populum per circumcisionem Deo consecrari, & hoc signo ab alijs seu impijs, seu idololatris secerni, ne qua fortè eiusmodi contagio per seruos alienæ religionis inueheretur in populum Dei. Vnde patet, circumcisionem non fuisse tantùm signum memoratiuum pacti hic ab Abraham initi cum Deo: sed etiam Secundò, signum repræsentatiuum veræ fidei & religionis, propriæ in adultis, alienæ in infantibus. Hinc Tertiò quoque, erat signum demonstratiuum simul & purgatiuum peccati originalis, in posteris Abrahæ. Quartò, erat distinctiuum populi Dei ab omnibus alijs. Denique, præfiguratiuum baptismi Christianorum. Ita SS. Patres & Doctores.

℣. 14. *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo*] id est, occidetur morte corporali. neque enim aliter ea phrasis sumitur in Scripturis. (d) Hæc pœna solos adultos tangebat, & infantes postquam adoleuissent. Præceptum tamen erat parentibus, vt octauo die infantem circumcidi curarent. Ante illum diem non licebat, quia infans nimis tenellus. Post illum iusta de causa poterat differri, vti in deserto per 40. annos nemo circumcisus fuit, quòd omni hora incerti essent de itinere prosequendo. Ita Iosephus, Theodoretus & alij. Quòd si mortis interea periculum ingrueret, poterat priuilegio & ritu antiquo iuuari infans, & quocumque alio externo actu fidei per parentes vel amicos exhibito, expediri à peccato originali: vti poterant fœminæ Iudaicæ, & alij omnes aliarum nationum populi. Nam præceptum circumcisionis tangebat solos illos Abrahæ posteros qui erant & habebantur filij promissionis, seu semen Patriarcharum: quales fuerunt soli filij & posteri Iacob. Vnde Ismaëlitæ seu Agareni, iam Saraceni, item Idumæi posteri Esau, filij Cethuræ, & alij, etsi ex Abrahamo prognati; quia tamen non habebantur filij promissionis, non obstringebantur aliter huic præcepto, quàm vernaculi vel serui, nempe non nisi quia, & quamdiu cum semine promissionis habitabant, vnamque cum illis familiam conflabant. Vnde separatione factâ, poterant omittere circumcisionem, etiam retento apud se vero Dei cultu. Plures tamen illorum, vti etiam Ammonitæ, Moabitæ & Ægyptij, teste (e) Philone, Iosepho & Herodoto, eam ex pia consuetudine retinuerunt; non omnes generaliter, sed plurimi: neque vt cæremoniam sibi præceptam, neque vt Sacramentum ad expiandum originale peccatum; neque vt signum fidei vel obedientiæ erga Deum, multò minùs vt professionem venturi Messiæ, sicut Iudæi faciebant: sed vt liberum morem & sanctum ritum, à Deo acceptum, à maioribus obseruatum, atque id temporis passim laudatum & honora-

d *Num. 9. v. 13. Exodi 12. v. 15. & c. 31. v. 14. &c. Vide Cajet. & Bonfrer.*

e *Philo l. de Circumcisione. Ioseph. l. 13. Antiquit. c. 10. Herodot. in Clio.*

honoratum, ita Suarez.(a) Qua eâdem de causa etiam Mahomet suis sectatoribus circumcisionem præscripsit. Putat S. Augustinus, Bernardus & Magister sententiarum, circumcidi solitos cultro lapideo, quia illo vsa est Sephora Exodi 4. & Iosue c. 5. Sed nihil tale præscriptum fuit. Imò Iustinus(b) testatur, Hebræos sua ætate vsos cultro ferreo. Ita etiam sentit Hugo Victorinus, S. Thomas, Liranus, Tostatus, & alij. Poterant etiam à quolibet, & quouis loco circumcidi.

a *Suarez 3. p. q. 70. d. 29. sect. 2.*

b *Iust. contra Tryphon.*

CAPVT XVIII.

Abraham tres angelos hospitio & conuiuio excipit. Qui promittunt ei filium ex Sara. Deinde reuelant ei imminens excidium Sodomæ & vicinarum vrbium: pro quibus orat & interpellat Abraham, sed frustra.

¥.22. CONVERTERVNTQVE *se*] Scilicet duo angeli, (vt patet c. seq. v. 1.) relicto apud Abrahamum tertio, qui maiestate vultus, & imperandi ac iudicandi auctoritate spectabilior erat, Deumque referebat. de quo mox dicitur, *Abraham adhuc stabat coram Domino.* & vers. vlt. demum, finito colloquio *abijt* seu disparuit. Liranus & Tostatus dicunt Hebræos trádere, hos tres fuisse Michaêlem, Gabriêlem & Raphaêlem, quorum primus Dei vicem & personam gessit in Sodomæ sceleribus inuestigandis & puniendis, duo posteriores tamquam à primo(c) missi euerterunt Sodomam, & Loth eduxerunt. Abraham quidem & Sara initio nesciebant esse angelos. patet Hebr. 13. v. 2. vnde & epulo illos tamquam homines exceperunt. neque alia adoratione eos *adorauit Abraham*, quàm quâ infrà c. 23. v. 7. dicitur adorasse *filios Heth*. Sed sensim cum illis agendo, ex splendore, futurorum prædictione, & alijs signis certò deprehendit angelos legatos Dei esse, imò Dei vicem & personam gerere, maximè medium, qui instar iudicis excidium Sodomæ intentabat. Vnde vt talem longè maiori reuerentia ac submissione deinceps compellat, honorat, & pro Sodomis interpellat. Ita SS. Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus.

c *Zach. 3. v. 1.*

CAPVT XIX.

Loth hospitio excipit angelos, quos Sodomitæ expetunt ad scelus nefandum. Sed angelis educto Loth cum vxore & filiabus, igne cælesti cremant Pentápolim, exceptâ Segor, cui Loth veniam impetrat. Vxor verò Loth contra mandatum angelorum retro respiciens, vertitur in statuam salis. Filiæ ex patre concipiunt, & pariunt Moab & Ammon.

¥.1. HABEO *duas filias: abutimini eis*] Verosimilius est, Loth hac oblatione filiarum non peccasse: quia à Scriptura, etiam post hoc factum vocatur *iustus*.(d) Sicut enim quis placare volens offensum, subinde nudum pectus pugionemq; offert, dicens, *Occide me*, non animo vt ita fiat, sed vt hac submissione placetur iratus: ita videtur hic Loth obtulisse filias suas ad stuprum, non animo vt id fieret, & ita flagitium flagitio redimeretur, sed animo placandi hac tanta submissione furentem populum. Sibi enim persuadebat, & rationabiliter (vt euentus ostendit) quòd populus non admitteret eam oblationem, (maximè cùm constaret, illas filias iam desponsatas esse ciuibus Sodomæ, quorum haud dubiè aliqui amici istic aderant) sperabatque tam liberali oblatione destituros impios à cœpto scelere. Ita S. Chrysostom.(e) & Caiet.

d *Sap. vlt. v. 16.*

e *Chrysost. homil. 43.*

¥.11. *Vt ostium inuenire non possent*] Sapientiæ vlt. dicuntur *subitaneis cooperti tenebris, vnusquisque transitum ostij sui quæsiuisse.* Græcè est, *transitum suarum portarum.* Non ergo solius domus Loth, sed & suarum propriarum domorum ostia reperire non poterant, quantumcumque quærerent. Non erat tamen absoluta cæcitas (vt est in Latino,) quæ est carentia potentiæ visiuæ (quia sic non fuissent vltrà soliciti de ostio Loth & suis ostijs quærendis: sed desistentes à facinore duces potiùs viarum inclamassent;) sed erat ἀνοησία (vt est in Græco) seu non videntia, quam alij ἀνοησίαν vocant, quâ quis, licèt videre possit, & quædam alia videat, hæc tamen hic & nunc non videt, vel saltem non distinctè discernit. Sic nimirum contigit his Sodomitis, Deo non concurrente cum oculis ad receptionem specierum ab ostijs emissarum, aut ad actum visionis eliciendum. Ita Iosephus, S. Ambrosius, Chrysostomus, (f) Augustinus.

f *Chrys. homiliâ de Elisæo. Aug. quæst. 41. & l. 22. de Ciu. c. 19.*

¥.22. *Idcirco vocatum est nomen vrbis illius Segor*] id est *parua*. Quia enim Loth veritus ne non posset in montem euadere, vt angelus monuerat, petijt & impetrauit vt posset pro asylo habere vicinam vrbeculam, idque vel hoc solo nomine petijt quia *parua* erat, idcircò nomen illud *Segor* seu *parua* illi inditum est, & remansit. Alioquin antè vocabatur Bala: (g) & erat quinta vrbs Pentapoleos iam igni destinata cum Sodoma, Gomorrha, Adama & Seboim: (h) sed precibus Loth erepta & conseruata. Ita Iosephus, S. Hieronymus, & Borchardus.

g *Cap. 14. Genes. v. 2.*

h *Deut. 29. v. 23.*

¥.24. *Pluit Dominus à Domino sulphur*, &c.] Hebraismo, id est, Dominus à seipso pluit, vi & potentiâ propriâ, non intercurrentibus causis naturalibus, vt solet in alijs incendijs. Ita Caietanus, Pagninus, Vatablus, Oleaster. Licèt etiam cum antiquoribus Patribus, (i) & Concilio Sirmiensi (k) dici possit, Deus Filius pluisse à Deo Patre, seu virtute Patris; quia Pater non operatur nisi per Filium, qui est eius Sapientia & æternum Verbum. Vnde & contra Photinum hæreticum probant hinc Patres diuinitatem Filij, & pluralitatem personarum in Deo.

i *Hilarius de Trin. l. 4. Irenæus l. 3. cap. 6. Cyprian. lib. 3. ad Quirin. cap. 31. Ambr. l. 1. de fide c. 2. Hier. in cap. 1. Osee.*

¥.26. *Versa est in statuam salis*] Ita merebatur inobedientia & incredulitas ipsius. Nam ita dicitur Sapientiæ 10. *Incredibilis animæ*, id est incredulæ, *memoria stans figmentum salis.* Et licèt verosimile sit, illam non nisi venialiter peccasse, atque ita saluatam esse & Purgatorio expiatam animam: voluit tamen seuerius punire Deus, & nouo salis exemplo fatuos docere, credendum in omnibus & obediendum Deo, nec in sancto proposito respiciendum retrò aut tergiuersandum. Ita Rupertus, Prosper (l) & alij. Vnde & Christus Lucæ 17. v. 31. in eamdem sententiam ait: *Mementôte vxoris Loth.* Nota, corpus retentâ figurâ femineâ conuersum fuisse in sal, non illud molle, quale nostrum est marinum sal: sed in aliud lapideum & quasi metallicum, quod ex montibus marmorum instar exscindi solitum & olim, & etiamnum, testes sunt Plinius, (m) Solinus, Isidorus, Aulus Gellius, Olaus Magnus, Petrus Hispanus & alij. Borchardus (n) & Adrichomius dicunt, hoc quoque tempore illam statuam extare inter mare Mortuum & montem Engaddi, in quem Loth confugit. Mare verò Mortuum vocatur lacus ille qui, exustis funditus his quatuor oppidis, & terrâ quasi ad inferos depressa, emersit, putridis & crassis & salsis aquis plenus, quibus innatant vbique moles bituminis, quas putei, quibus antè vallis erat plena, (o) ex imo euomunt.

l *Prosper l. 1. de Prædict. & promiss. c. 16.*

m *Plin. l. 31. c. 7. Isid. l. 16. c. 2. Gel. Noct. Att. l. 2 c. 2. Olaus l. 13. c. 5. Petr. Hisp. in hist.*

n *Borch. p. 1. c. 7. Adrich. in Descr. terræ sanct.*

o *Genes. 14. v. 10.*

Vnde

Vnde à bitumine dictus est *lacus Asphaltites*: & quia A nullos ferè pisces, aliave animalia, *mare mortuum* vocatur: & à salsedine, *mare salis*, vel *salsissimum*. Est & fumans perpetuò & tenebrosum, sicut os inferni, vti oculis meis vidi, inquit Borchardus. Vicina verò ad 5. vel. 6. leucas sterilia prorsus & cinerulenta sunt. Poma quidem hinc inde videas, ad speciem pulchra, sed si tangas in fauillam vertuntur. Ita Philo, (a) Iosephus, Strabo, Solinus, Plinius, Tacitus, Tertullianus, Augustinus, & alij iam dicti.

a Philo l. de Abraham. Ios. l. 5. Bell. c. 5. & 16. Strabo l. 7. Geograph. Solin. c. 37. Polyhist. Plin. l. 5. c. 16. Tacitus l. 5. hist. Tertull. de Pallio c. 2. Aug. 21. de Ciu. c. 5.

¥. 37. *Vocauit nomen eius Moab*, id est, ex patre, scilicet meo concepi hunc filium. *Ammon*, in Hebræo & Chaldæo est, *Ben-ammon* seu *Ben-ammi*, id est filius populi seu cognationis meæ, quia in vnico patre putabat esse vniuersum populum suum, seu spem totius stirpis. Voluit verò Deus in detestationem huius incestus manere æternam memoriam eius infamis criminis, etiam in ipsis nominibus *Moabitarum* & *Ammonitarum*. vt item Hebræos deterreret ab illorum connubijs: & omnes, quanta ex ebrietate nascantur mala, edoceret. Ita SS. Chrysostomus, (b) Hieronymus, Ambrosius & alij.

b Chrysost. hom. 37. ad pop. Huron in vita S. Paule. Ambr de Elia & ieiunio.

CAPVT XX.

Rex Gerari rapit Saram vxorem Abrahæ: sed punitus & reprehensus à Deo, expostulat cum Abrahamo, quod non indicasset suam esse vxorem. Tandem orante pro eo Abrahamo sanatur.

¥. 12. VERE *soror mea est*: quia cum veritate dicere possum, esse sororem meam. est enim *filia Patris mei, & non filia matris meæ*] Erat nempe Sara filia Aran fratris Abrahę, neptis verò Tharę patris Abrahę, quem Tharam post mortem Aran patris C sui. Sara & Loth tamquã patrem habebant, colebant, adeoque & vocabant: (vti & apud Gallos & Belgas auus vocatur Magnus pater.) Quia tamen non vna & eadem fuit mater Aran & Abrahę, nam hi ex diuerso thoro prognati erant) idcircò hîc dicit Abraham, *Saram esse filiam patris sui, non matris suæ*. Ita S. Augustinus (c) & alij.

c Aug. l. 22. contra Faust. c. 35.

¥. 16. *Ecce mille argenteos*, scilicet siclos, vt vertit Chaldæus: & probant Delrio (d) & Mariana, quoties in Scriptura ponitur *argenteus* vel *aureus*, intelligi *siclum*. Siclus verò est florenus Belgicus, constans quatuor regalibus Hispanicis. Ergo, mille argentei, erant mille floreni (e) Belgici.

d Delrio hic. Mariana c. 6. de Ponderib. Bonfr. hic, & alij.

Hoc erit tibi in velamen oculorum] Id est, hac summa ematur tibi, si desit, velum seu flammeum, quo, vtpote iam pridem nupta, more matronarum, veles oculos D & faciem tuam. Reprehendit enim Saram, quòd nudo capite (vt solent virgines) incedendo, simulauerit se necdum nupsisse, atque ideo multis & erroris & adulterij occasionem præbuerit. Monetque, se deinceps cautiùs tegat apud omnes qui cum illa familiariùs versabuntur, ne scilicet adspectu vultus illius ad illicita moueantur. Vide de hoc velo Pinedam, (f) Alexandrum ab Alexandro & alios.

e Prolig. de Ponderib.

f Pined. in Salom. prouol. 5. c. 3. n. 10. Alex. l. 2. Genial. c. 5.

CAPVT XXI.

Nascitur, circumciditur, ablactatur Isaac. Ismael & Agar domo pelluntur: quos in deserto solatur angelus. Abraham arctius fœdus init cum Abimelech.

¥. 9. CVM *vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ* Ismaelem *ludentem*. Cum quo luserit, non exprimunt Hebræa & Chaldæa: sed LXX. & nostra Vulgata addunt, *cum Isaac*] id est illudentem, insultantem Isaaco, eumdemque vexantem & persequentem, vt ait S. Paulus ad Galatas 4. v. 29. Sic 2. Regum 2. v. 14. *Surgant*, inquit Abner, *pueri & ludant*, id est, pugnent inter se. Nempe Ismael iure primogenituræ superbiens, & tredecim annis senior Isaaco, cùm videret illum parentibus plusculum in delicijs esse, (vtpote in cuius ablactatione tam solemne conuiuium instruxerant, & ex quo semen promissum cælitus sibi spondebant, passimque gloriabantur;) oderat illum, & tam verbis quàm verberibus malè subinde mulctabat. Quod cùm Sara obseruasset, & tulisset aliquamdiu, verita tandem ne occasione eius iurgij, & prauo exemplo Ismaelis efferaretur etiã animus Isaaci: & ne, mortuo olim Abrahamo, Ismael Isaacum vel hereditate extruderet, vel saltem nonnisi æquali iure secum pateretur succedere patri; diuino instinctu postulat à marito, vt exheredetur improbus filius, & cum superba matre in exilium pellatur. Aliegoricè hæc applicat Synagogæ Iudaicæ S. Paulus suprà, illudenti & persequenti Ecclesiam Christi.

B

¥. 31. *Vocatus est locus ille Bersabee*, id est puteus iuramenti, *Quia ibi vterque*, Abraham & Abimelech, *iurauit* fœdus & fidelitatem mutuam. Ab hoc puteo vrbs vicina dicta fuit *Bersabee*, quæ vltima erat Iudeæ ad Meridiem, sicut *Dan* vltima erat ad Septemtrionem. Et per hos duos terminos exprimi solet longitudo Iudææ, *à Dan vsque Bersabee*. Tempore S. Hieronymi erat *Bersabee* vicus insignis, in eoque præsidium Romanorum. Nunc *Gibelina* vocatur, inquit Adrichomius.

Adrichom. in Descript. terræ sanctæ.

¥. 33. *Plantauit nemus in Bersabee*] id est, lucum seu arboretum, vtique adiunctis amœnis hortis, vbi & animum oblectabat, & sacrificium Deo offerebat, & familiam diuini verbi pabulo reficiebat. Erat enim ibi quasi oratorium, ad quod subinde à curis & negotijs se recipiebant ad agendum cum Deo, & de Deo. Posteri Abrahami sub Ieroboamo alijsq; regibus, quasi imitatione patriarchæ sui, erexerunt pari modo altare & fanum in *Bersabee* non Deo cæli (vt fecit Abraham) sed idolis suis, vt testatur Regum historia & Prophetæ Amos.

4. Reg 23. v. 8. Amos 5. v. 5.

CAPVT XXII.

Abraham iussus à Deo immolare filium suum Isaac, obedit ad litteram: sed inhibetur ab angelo: & arietem fortè obuium immolat pro filio. Tam prompta verò obedientia mercedem accipit amplissimas benedictiones. Texitur progenies Nachor fratris Abrahæ: nam neptis illius Rebecca futura erat vxor Isaaci filij Abrahæ.

¥. 2. TOLLE *filium tuum vnigenitum*] scilicet ex Sara, & vnicum repromissionis filium; & quia expulso iam Ismaele & exheredato, vnicus Isaac domi supererat.

Et vade in terram visionis. Hebraicè Moria, id est, visibilem, & facilè conspicuam, etiam eminus, quia alta & montosa erat terra: hinc eodem sensu Septuaginta vertunt, in terram excelsam. *Ibi offeres eum* (me iubente, cui ius vitæ & necis est in omnes) *Super vnum montium quem monstrauero tibi*, signo columnæ ignis desuper apparituræ, inquiunt Rabbini.

Nota. Mons in plures colles dissectus erat. In vna parte erat *Sion*, in qua *arx Dauid*; iuxta quam in *area Ornan Iebusæi* à Dauide coëmpta, Salomon templum construxit. (g) Alia pars montis Moria extra vrbem Ierusalem mansit, posteaque dicta est *mons Caluariæ*, in quo tam *Isaac*, quàm *Christum* præfiguratum, immolatum fuisse docet S. Hieronymus ex traditione Iudæorum. (h)

g Patet 2. Paralip. 3. v. 1.

h Ita S. Augustinus l. 16. de Ciuit. c. 32. Diodorus Tarsensis & alij.

¥. 5. *Postquam adorauerimus*, id est sacrificauerimus, reuerte-

reuertemur ad vos] Nam Abraham, vt patet ex epistola ad Hebræos, (*a*) credens, *quia à mortuis resuscitare potens est Deus*, certò sibi persuadebat, quod Deus Isaacum vel non pateretur occidi, vel occisum resuscitaret. Sciebat enim fallere non posse qui promiserat ex Isaac nasciturum Christum, & innumerabilem posteritatem *sicut stellas cæli, & sicut pulverem terræ*. (*b*) Ita Origenes, S. Augustinus, & alij.

a *Hebr.* 11. v.19.

b *Gen.* 13. v.16. & c. 15. v.5.

℣. 9. *Cumque alligasset Isaacum*] Haud dubiè Abraham, cùm ad rem veniendum esset, exposuit filio diuinam voluntatem. Ille verò, vt refert Iosephus, nullo modo reluctatus, vltrò alacriterque sese obtulit immolandum, ac, ne fortè in ipsa iugulatione vel inuitus renitereretur, etiam se vinciendum dedit. Nam si reluctari voluisset robustus, vt minimum 25. annorum iuuenis, Abraham iam longè centenario maior numquam illum alligare potuisset. S. August. (*c*) Nyssenus & Procopius, putant matrem quoque *Saram* consciam fuisse, & consensisse immolationi filij. Sed negat hoc Josephus, Chrysostomus & Pererius.

c *Aug serm.* 73. *de Tẽp. Nyssen. & alij apud Corn. à Lapide.*

℣. 14. *Appellauit nomen loci illius, Dominus videt.* quasi dicat, Deus clementer respicit cultores suos, & prospicit illis: vt iam opportunè prospexit ne filius meus occideretur, sed loco filij aries substitueretur. Ita Hebræi, Chaldæus, Pererius & alij. *Vnde vsque hodie* in prouerbio, afflictis vulgò *dicitur*, *In monte Dominus videbit*] q.d. Sitis magno & constanti animo, credite, fidite, obedite Deo, qui Abrahæ & Isaaco in monte tam opportunè per angelum, per arietem prospexit, is idem & vobis aderit, dabitque pijs conatibus felicem euentum. Ita S. Hieronymus, Caietanus & Delrio.

CAPVT XXIII.

Moritur Sara iam 127. annorum: cui sepeliendæ emit Abraham agrum cum duplici spelunca, ab Ephrone Hetbæo (vt addunt Hebræa, Chaldæa & Græca) filio Seor. A cuius nomine locum & vrbem vocat Hebron.

℣. 4. DATE *mihi ius sepulchri vobiscum*] Non petit Abraham facultatem, se suosque post mortem miscendi cadaueribus Chananæorum: sed vult, pecuniâ sibi vendi locum aliquem, sibique proprium fieri, in quo mortuam coniugem suam sepeliat. Patet ex v. 16. vbi 400. argenti siclos (seu florenos Belgicos) appendit Ephroni pro agro ipsius. Nota. Videtur Abraham in grati animi signum, ab hoc *Ephrone*, nomen vrbi, in qua mortua & sepulta est Sara, indidisse: licèt malit Serarius, ab hac potiùs amica societate, quam inijt Abraham cum eius loci viris principibus, vrbem illam vocatam Hebron, à *cheber* quod Hebræis *societatem* significat. nam antè vocabatur *Arbee*, vel *Cariatharbee*, id est ciuitas Arbee, gigantis vnius è maximis & famosissimis illius terræ, qui domicilium istic habuerat. Vocabatur subinde etiam Mambre, à principe Amorrhæo domino eiusdem loci & vallis vicinæ, qui vnà cum Abrahamo pugnauit aduersus 4. reges, Genesis 14. (*d*) In hoc Saræ sepulchro sepultus est quoque Abraham, (*e*) Isaac, (*f*) Rebecca, (*g*) & Lia. (*h*) Et Iacob quoque ex Ægypto in illud idem transferri voluit. (*i*)

d *Gen.* 14. v. 13. & vltimo.

e *Gen.* 25. v. 9.

f,g,h,i, *Genes.* 49. v. 31.

CAPVT XXIV.

Adiurat Abraham œconomum suum, vt Isaaco filio suo vxorem quærat ex cognatis suis in Haran. Adducit ille Rebeccam: adductam Isaac vxorem capit.

℣. 2. PONE *manum tuam subter femur meum vt adiurem te*] Hic ritus vt peculiaris Patriarchis, ita prorsus arcanus erat & mysterij plenus, quo designabant, Messiam ex suo femore ac semine iuxta diuina promissa nasciturum. Hinc per eumdem Messiam (quem hìc agnoscit *Dominum*, *Deum cæli & terræ*) *adiurat* Abrahamus procuratorem suum, id est obtestatur, etiam addita maledictione, (*k*) etiam iuramento ab illo postulato, ne aliam filio suo vxorem, & consequenter nasciturо ex illa Messiæ matrem, quàm ex sua cognatione & familia, fideli tum & benè morata desumat. Ita SS. Hieronymus, (*l*) Ambrosius, Augustinus, Gregorius.

k *Infrà*, v. 41.

l *Hieron. in Trad. Heb. Ambr. l. 1. de Abrah. c. vlt. Aug. serm. 75. de Tempore. Greg epist. ad Pammachium.*

℣. 14. *Igitur puella, cui ego dixero, Inclina hydriam tuam vt bibam: & illa responderit, Bibe,* &c.] Ex instinctu Dei vel angeli (quem præmonuerat Abraham vbique in hoc negotio affuturum) seruus sibi signum hoc constituit; quo alioquin etiam humanitus internosci ab alijs posset puella bonæ indolis, prouida, & hospitalis, qualem norat placituram tum sponso Isaaco, tum socero Abrahamo, hospitalitati extremè addictis. Et euentus ex voto secutus docet id à Deo suggestum fuisse. alioqui non licet temerario omine, aut diuinatione tentare Deum. Simili instinctu Gedeon ex somnio Madianitæ, & Ionathas ex verbis Philisthinorum captarunt omen victoriæ, Iudicum 7. & 1. Regum 14.

℣. 27. *Deus non abstulit misericordiam & veritatem*, seu fidelitatem in promissis complendis. Sic enim passim accipitur in Scripturis. Quamquam hoc loco possit etiam dici esse hendyadin, de qua in Prolegomenis. q d. Non abstulit Deus veram misericordiam seu beneficentiam *suam à Domino meo* Abraham; sed verè misericordem ac beneficum se exhibet hero meo, quòd ita prosperet iter meum, negotiumque mihi ab illo commissum. Sic infrà v. 49. idem seruus simili phrasi vtitur apud fratres Rebeccæ: *Si facitis misericordiam & veritatem cum domino meo*, id est, si vultis verum beneficium præstare hero meo, & Rebeccam filio eius nuptui dare; *indicate mihi, vt vadam ad dexteram, siue ad sinistram*] idiotismo Hebraico, id est, vt sciam qua via mihi eundum sit: vtrùm in Rebecca sistere, an ad aliam Isaaco sponsam quærendam pergere debeam.

Prolog. de Idiotismis Hebr. n. 41

℣. 62. *Deambulabat Isaac ad puteum, cuius nomen est viuentis & videntis*] Id est, quem Agar ab Abrahamo expulsa, sed ab angelo recreata, vocauit puteum *viuentis*, scilicet Dei, *& videntis*, scilicet miseriam ancillæ, illique misericorditer prouidentis & opitulantis, vt dixit suprà cap. 16. vers. 14.

℣. 63. *Egressus ad meditandum in agro*] Chaldæus, *ad orandum*; Græcus, *ad se exercendum*, scilicet spiritali exercitio orationis, agendo & colloquendo cum Deo de rebus tum naturalibus & terrenis, tum supernaturalibus, cælestibus & diuinis. Ita S. Ambrosius, Augustinus, Hebræi, Liranus & Tostatus. (*m*)

m *Citati à Cornelio à Lapide.*

CAPVT XXV.

Abraham ex Cetura secundaria vxore suscipit sex proles; & moritur cùm 175. annorum esset, & apud Saram sepelitur. Recensentur proles Ismaelis, eiusq; obitus. Rebecca parit Iacob & Esau: quorum minor maiori præfertur à Deo. Esau pro pulmento vendit primogenituram Iacobo.

℣. 6. FILIIS *concubinarum*] Id est filijs Agar & Ceturæ: quæ licèt veræ, legitimæ, & propriè dictæ essent vxores, vt hîc dicitur v. 1. quia tamen ignobiliores erant & seruæ, vocabantur *concubinæ*, quasi concumbentes secundatiæ vxores. cauebaturque pactis dotalibus, ne filij earum ius haberent ad hereditatem paternam, sed hac integra relicta filijs primariæ

primariæ vxoris, quæ erat domina totius familiæ, iubebantur certis muneribus seu donis pro arbitrio patris designandis esse contenti. Ita Pererius, Serarius * & alij.

* Serar. in Iud. 19. q. 2.

Ὁδοιπορικὸν totius vitæ Abrahæ habes in Chronico nostro c. 15. Arborem verò genealogiæ parentum eius & filiorum vsque ad Christum, c. 46.

℣. 8. *Congregatus est ad populum suum*] Phrasis Hebr. qua significatur Abraham translatum eò quò maiores eius transierant, scilicet à statu viuentium in terris, ad statum degentium in altera vita. Sic infrà v. 17. dicitur eadem phrasi *Ismael appositus ad populum suum*. Notat Burgensis, in veteri testamento, cùm statim à morte etiam iustissimi ad limbum transirent, dici solitum, eos *cõgregari ad populum suũ*. in nouo verò, cùm animæ puræ mox in cælum auolant, dici, *Transire ad Dominum, In Domino mori, Intrare in gaudiũ Domini*, &c.

℣. 22. *Collidebantur in vtero eius paruuli*] Symmachus vertit, *colluctabantur*. scilicet, vter superior esset & prior exiret. Hæc lucta non vi naturæ aut casu, sed Dei nutu contigit: vti mox matri ab angelo indicatum est; cùm enim illa vitæ suæ proliumque metuens, *pergeret*, (verosimiliter ad oratorium & ad aram domesticam, in qua sacrificium Deo offerebatur) (a) *vt consuleret Dominum* de tam insolitæ rei successu & euentu; hoc *responsum* accepit.

(a) alia Theod. qu. 75. in Genes.

℣. 23. *Duo populi ex ventre tuo diuidentur*] id est, duæ proles, à quibus duo populi, scilicet Israelitæ & Idumæi, ex vno hoc tuo partu nascentur, habitatione, moribus, religione prorsus inter se contrarij & diuisi, & ob id etiam perpetuò discordes.

Et maior seruiet minori] Id est populus qui ex *maiori* seu primogenito tuo procedet, (putà Idumæi,) *seruiet* alteri populo, qui ex minori nascetur (scilicet Israëlis.) Quod factum tempore Dauidis & Salomonis, 2. Reg. 8. & rursus tempore Hyrcani (b) filij Simonis Machabæi, vt Iosephus (c) & alij describunt. Ex his patet, à Deo reuelatum Rebeccæ, Iacobum diuino decreto prælatum esse fratri suo Esau; illique deberi iura primogenituræ, etsi posterior gigneretur: vnde etiam licitè potuit suadere Iacobo, eidemq; cooperari ad benedictionem paternam astu & solertia, fratri præripiendam. Ita S. Augustinus, Rupertus, & alij; qui allegoricè cum S. Paulo ad Romanos 9. vers. 10. volunt hîc designari Christianos Iudæis præponendos quoad gratiam, fidem & salutem æternam.

b Genes 27. v. 40. Abdiæ v. 18. & Chron c 42. post med. dass 2.

c Ios l. 14. Antiquit. c. 17.

℣. 25. *Vocatum est nomen eius Esau*] id est factus, perfectus; quia cùm toto corpore pilosus esset & hirsutus, non tam tener infantulus, quàm vir perfectus videbatur. Hinc & alterum illi nomen fuit *Seir*, hoc est pilosus: & tertium, *Edom*, id est rufus, tum à rufo pilorum colore, vt hoc versu dicitur: tum à *coctione lentis rufæ*, pro qua vendidit primogenita sua, versu 30.

Protinus alter egrediens vtero materno, *plantam fratris tenebat manu*, vt eum nascendo præuerteret.

Idcirco appellauit eum Iacob] id est tenens plantam, vel *supplantator*, vt infrà dicitur c. 27. v. 36. *Iustè vocatum est nomen eius Iacob: supplantauit enim me* (inquit Esau) *in altera vice.*

℣. 31. *Vende mihi primogenita tua*] seu ius primogenituræ tuæ.

Petes, Quodnam fuit in lege naturæ ius primogenituræ? Respondeo, Præter ea quæ nostrorum temporum primogenitis communia sunt, vt quòd reliquis *honore, dignitate, loco* in publicis consessibus præferantur: peculiare ipsis erat, Primò, *duplicem in hereditate* paterna *portionem* accipere. Colligitur ex Deuter. 21. v. 17. item 1. Paralip. 5. v. 1. vbi cùm duæ tribus conceduntur Iosepho, & consequenter duæ portiones in partitione terræ sanctæ; dicuntur primogenita Ruben translata fuisse in Ioseph. Secundò, peculiari *benedictione* à patre morituro *benedici*: quæ vt magnæ erat efficaciæ apud Deum, ita maximi æstimabatur. Tertiò, dignitas *sacerdotij*: quod tamdiu primogenito soli competebat, quamdiu fratres illi cohabitabant. Nam cùm quis emigraret, & aliam conflaret familiam, vti caput fiebat illius nouæ familiæ, ita & iure sacerdotij illi adnexi statim gaudebat. Quartò, moriente patrefamilias, primogenitus in locum illius succedebat, & ceterorum fratrum quasi *parens* erat, & *dominus* & *princeps*. Patet infrà c. 27. *Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres eius seruituti illius subiugaui.*

Petes Secundò, an Esau vendendo sua primogenita peccarit; & quo genere peccati? Respondeo, Peccauit Primò, gula. nam quod dicit, *En morior*, non nisi falsus prætextus fuit quo Iacobum induceret ad lentem donandam. Et vt verè egerit, & valdè, quis credat, in tam diuite Isaaci domo vel carnem, vel alios cibos, vel saltem panem defuisse, quo Esau, si voluisset, vires instaurare potuisset? Secundò, irreligiositate peccauit, & contemptu rei sacræ, quasi nihili æstimans etiam ius sacerdotij quo vnà cum primogenitura sese spoliarat. Vnde & *profanus* vocatur Esau à S. Paulo ad Hebræos 12. v. 16. Et quidam volunt, etiam simonia peccasse, vendendo rem sacram.

Petes Tertiò, an etiam Iacob ex eodem capite non peccarit simoniâ, emendo rem sacram? & simul iniustitiâ, emendo tam vili rem tam pretiosam? Respondeo, Neutrâ peccauit, tum quia hoc ius primogenituræ sciebat Jacob suum esse, sibique etiam gratis deberi, ex diuino decreto & oraculo, v. 23. matri reuelato. Vnde bene prudenterque occasionem vltrò hîc oblatam amplectitur, qua à fratre volente & orante obtineat, quod etiam inuito potuisset iure & vi extorquere. Tum quia ius sacerdotij non erat nisi accessorium ad ius primogenituræ, quod in se, & in reliquis etiam accessorijs erat temporale, & pretio æstimabile. Talia verò emi & vendi possunt: vt fit quotidie in varijs dominijs temporalibus, quibus annexum est ius patronatus. Et facile erat Iacobo iuueni pio ac sagaci sacrum à profano mente ac intentione secernere: licèt fortè Esau profanus & sacrorum contemptor nihil hæc curaret, & tam sacra quàm profana ridens, vtraque venderet, atque ita simoniâ peccaret. Ita Caietanus (d) & alij Theologi.

d In 2. 2. q. 100. a. 4.

CAPVT XXVI.

Isaac de nouo confirmatur heres omnium bonorum Abrahæ à Deo promissorum: benedicturq; ac ditatur vehementer: vnde Gerarita inuidentes illi, puteos eius obstruunt. Sed confortatus Isaac à Deo pacem & fœdus in Bersabee renouat cum Gerarita. Esau vxores Hetheas ducit.

℣. 19. FODERVNT *in torrente*, id est, iuxta torrentem, *& repererunt aquam viuam*,] putà fontanam perpetuò scaturientem.

℣. 33. *Appellauit eum* puteum *abundantiam*. Scilicet, ominabatur Isaac, ex hoc puteo, vti pacificàm, ita & copiosam pecoribus ac familiæ adaquationem futuram. *Et nomen vrbi* puteo illi vicinæ *impositum est Bersabee*] id est puteus saturitatis seu abundantiæ. Idem tamen verbum *Bersabee* paulò vehementiore aspiratione significat etiam *puteum iuramenti*. Vnde ex vtroque capite vrbi illi impositum est nomen *Bersabee*: prius ab Abrahamo c. 21. Genes. v. 31. quia ibi Abraham & Abimelech mutuo fœdus & fidem

fidem iurarunt, vti & hoc cap. Isaac eidem Abimelecho, vel potiùs successori eius, simile fœdus ad eumdem puteum iurauit. Posterius ab Isaaco, hoc loco & hoc versu, vbi ex copia aquarum vocauit *puteum abundantiæ*. ita Caietanus & Tostatus.

℣.35. *Ambæ* vxores Esau *offenderant animum Isaac & Rebeccæ*] In Hebræo, Chaldæo & Græco est *offendebant*, nempe quotidie & continuò: cùm enim essent ex Hethæis impijs & idololatris oriundæ, verosimile est etiam Ethnicis & superstitiosis illius gentis ritibus magis quàm veri Dei cultui addictas fuisse. Fortè etiam, quia primogenito nupserant, cui imperium in alios iure debebatur, superbiâ tumidæ non modò spernebant Iacobum, minorem natu, eiusque modestiæ ac pietati quotidie insultabant: sed socerum quoque ac socrum, subinde se monentes ac corripientes, ridebant & contemnebant. Vnde in Hebræo est, *erant amaritudo spiritus Isaaco & Rebeccæ.*

CAPVT XXVII.

Iacob astu præripit fratri suo Esau benedictionem patriæ: vnde Esau mortem illi minatur. Sed Iacob suasu matris secedit in Haran.

℣.3. CVM *venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum*] id est, obsonium, edulium. Nam pulmentum in Scriptura denotat id omne quod pani additur.

℣.19. *Dixitque Iacob: Ego sum primogenitus tuus Esau*, scilicet figuratus & personatus. Nam & decreto diuino,(*a*) & iure emptionis (*b*) sum primogenitus tuus. & vt priuilegio primogenituræ mihi debito nunc fruar, & solemniter à te benedicar, cùm id alia ratione non possim sperare (te nimis propenso in Esau,)(*c*) indui personam eius quem putas esse primogenitum tuum, & *feci sicut præcepisti mihi*, scilicet vero primogenito tuo. nam licet materialiter & ex errore præceperis Esau vt pararet tibi grata cibaria, & ita sese ad benedictionem accipiendam compararet; formaliter tamen intendisti id ei præcipere qui voluntate & decreto diuino primogenitus tuus esset: cùm autem ego is sim, & iam tibi hæc eadem in eumdem finem parârim, verè affirmare possum *fecisse* me *sicut præcepisti mihi.*

Surge, sede, & comede de venatione mea, quam non in agro, non in saltu, sed in stabulo venatus sum. ita S. Augustinus. (*d*) Simili modo Matthæi 11. vers. 14. *Ioannes Baptista* etiam à Christo vocatur *Elias*, non quoad personam, sed quoad spiritum, & Tobiæ 5. v. 18. angelus *Raphael* dicit se esse *Azariam*, id est adiutorem Dei, *filium Ananiæ*, id est gratiæ Dei. Nam certum est ex communi Doctorum sententia, cùm iusta & prægnans causa subest, licere personam simulare, & mentali restrictione vti: Et cùm possit hac ratione sanctus Patriarcha, in re tanta cõmodè à peccato excusari, nõ libenter eum cũ nonnullis (*e*) mendacij vel venialis arguerim: maximè cùm iam non puer esset, sed prouectæ ætatis vir, vtpote 77. annorum; (*f*) neque à patre, etiam re deprehensa, arguatur: quin potiùs magis magisque stabiliatur, dicente patre, *Benedixi ei, & erit benedictus.* Neque obstat, quod paulò pòst subiungit, *Venit germanus tuus fraudulenter*, quia non agit de mala & illicita fraude, sed de astutia, vt idem sit quod astutè, seu callidè: vnde & Chaldæus vertit, *in sapientia* seu *sapienter venit.* Allegoricè S. Augustinus & Prosper (*g*) vestes Esau, collare & chirothecas hœdinas, interpretantur peccata nostra, quæ Christus in se assumpsit & luit.

℣.40. *Viues in gladio*, id est, in continuis ferè bellis, q. d. Posteri tui erunt bellicosi & rapaces. Nihilominus *fratri tuo seruies.* Ita seruierunt Idumæi Iudæis tempore Danidis, Salomonis, (*h*) & aliorum regum. (*i*) *Tempus* tamen *veniet, cum excutias & soluas iugum eius de ceruicibus tuis*] Excusserunt enim tempore Ioram (*k*) filij Iosaphat regis Iudæ, per 800. circiter annos, nempe vsque ad Hyrcanum Simonis Machabæi filium, à quo rursus attriti & subacti sunt, & etiam circumcisionem religionemque Judaicam suscipere coacti. (*l*) Caput tamen iterum erigere cœperunt per Herodem Ascalonitam ex Idumæis oriundum, qui cum filijs & nepotibus suis annos plusquam centum Iudæis imperauit vsque ad excidium Ierosolymæ: quin & Tito Imperatori in hac vrbe expugnanda, magnis copijs adfuerunt, teste Iosepho (*m*) & alijs.

a *Gen.* 25. *v.*23.

b *Gen.* 25. *v.*31.

c *Gen.* 25. *v.* 28. & *c.*27. *v.*1. & *seqq.*

d *August. l. contra mendacium c.*10.

e *Chrysost. hom.* 53. *in Genes. Lipomano in Catena. Scoto in* 3. *sent. dist.*38. *Adriano quodlib.* 1. *Lirano, Caiet. Delrio, à Lapide, Bonfrerio hic.*

f *Vt probat Bonfr. hic v.*1. *& alij.*

g *Aug. sup. Prosper* 1. *p. prædict. c.*21.

h 2. *Reg.* 8. *v.* 14. 1. *Paral.*18. *v.* 13. *Ioseph. l.*7. *Antiqu. c.* 6.

i 3 *Reg.* 11. *v.* 15. 4. *Reg.*14. *v.*7.

k 4. *Reg.*8. *v.* 20. 2. *Paral.*21. *v.* 8. *Ioseph. l.* 9. *Antiq c.*2.

l *Ioseph. l.*13. *Antiquit c* 17. *Vide etiam* 1. *Mach.* 1. *v.* 65.

m *Ios. l.*14. *Antiquit. initio & l.* 1. *Belli.*

CAPVT XXVIII.

Iacob proficiscens in Mesopotamiam, obdormiscens in via, videt Deum innixum scalæ, per quam angeli ascendebant & descendebant, se solantem & roborantem: vnde loco nomen dat Bethel. Et voto facto Deo, iter prosequitur.

℣.12. VIDIT *in somnis scalam*] Litteraliter voluit Deus mœsto & anxio Iacobo, iamque exuli, per hanc scalam significare, diuinam prouidentiam & opem de cælo illi vbique affuturam: & angelos, qui continuò è cælis in terram, & è terra in cælum commeant, ipsi speciatim tum in descensu seu abitu in Mesopotamiam, tum in ascensu seu reditu in Palæstinam, auxilio & solatio futuros: denique Deum perpetuò spectatorem & fautorem itineris & negotiorum ipsius futurum. Ita Theodoretus, (*n*) Gennadius & alij.

Allegoricè, scala hæc est Christus, eiusque ex Iacob secundum carnem generatio. cuius tot sunt gradus, quot personæ intermediæ. huius vna pars in terris stans denotat humanam naturam Christi: altera cælum contingens, eiusdem diuinam naturam. Per hanc scalam non angeli, sed & omnes fideles (qui & ipsi, saltem in futura vita, sunt *sicut angeli Dei* Matt. 22.) continuò ascendunt & descendunt, id est familiarem accessum habent ad Deum & ad vitam æternam. Ita Rupertus, Vatablus, & passim Doctores. Et de hoc aliquid iterum dicam Sapientiæ 10. v. 10.

Tropologicè, scala hæc est via ad perfectionem cuius varij gradus, incipientium, proficientium, perfectorum, quibus Deus in vertice sese vnit, suauiatur & deliciatur. Ascensus est cælestium contemplatio: descensus, vita actiua. Ita S. Greg. (*o*) & S. Thomas.

℣.17. *Quàm terribilis est locus iste!* Id est, quàm venerandus, quàm religiosus! nempe propter Dei & angelorum præsentiam. Verè *non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli.* q. d. Deus hîc præsentem se & familiarem quasi in domestico suo palatio exhibet: hîc facilis per ipsum, seu per opem & prouidentiam ipsius, (allegoricè per Christum) quasi per apertam portam, aditus patet in cælum, & ad Thronum Dei. Vnde & nomen loco illi, & vrbi vicinæ indidit *Bethel*, id est *domus Dei.* ita Rupertus, & Caietanus. Et ne locus memoria excideret, *lapidem, quem* noctu capiti *suppposuerat, erexit in titulum*, id est, posuit in signum & indicium rei ibidem sibi cælitus demonstratæ: & etiam vt hoc signo posset olim in reditu locum agnoscere, ibidemque tam insignis beneficij memoriam recolere. quod & fecit cap. 35. constructo illic altari, & sacrificio Deo oblato. Itaque *titulus* hîc non significat *inscriptionem*, (vt vulgò vsurpatur) sed neque columnam aut piramidem, (quo sensu dicitur Absalon sibi fecisse titulum;)(*p*) multò minùs

n *Theodor. q.*82. *in Genesin. Gennad. in Cat. Græc. Diodorus Tarsensis. à Lapide, &c.*

o *Gregor. l.* 5. *Moral. S. Tho.* 2. 2. *q.*18. *art.* vlt.

p 2. *Reg.* 18. *v.* 18. & *apud Iosephi l.* 7. *Antiq. c.* 9.

minùs significat statuam vel idolum (qua ratione prohibentur tituli Leui. 26.) Sed idem est quod signum seu indicium rei gestæ: quale hic erat ipsemet lapis cui antè vt cerni ali indormierat Quem tamen etiam *oleo* vnxit, vt hac cęremonia designaret, se illum ipsum lapidem olim erigendo ibidem altari, & locum circumuicinum diuino cultui & sacrificio tamquam domum Deo propriam & dicatam destinasse, quod metonymicè hîc versu vltimo indicat, cùm dicit, *Lapis iste vocabitur domus Dei*, id est, locus in quo erexi hunc lapidem, erit Deo dicatus Ita Chaldæus, Lipomanus, & alij. Et res postea sic gesta docuit cap. 35. v. 7.

CAPVT XXIX.

Iacob peruenit in Haran ad Laban: cui pro Rachele & Lia seruit 14 annis. Lia parit Ruben, Simeon, Leui & Iudam.

V. 20. VIDEBANTVR *illi pauci dies præ amoris magnitudine*] Nam licèt amanti omnis mora longa & grauis esset, quatenus retardabat optatum vsum rei amatæ: breuis tamen & leuis videbatur quatenus eam conferebat cum excellentia & nobilitate rei quam sibi interea comparabat. Nota, more prisco emi solitas pretio vxores, non solùm apud Hebræos, sed & apud Græcos & Romanos, vt fusè declarat Brissonius. (a) Sic Dauid, (b) *Centum*, inquit, *præputia Philisthiim despondi mihi Michol* filiam Saulis. Et Oseas Propheta (c) vxorem sibi comparauit *quindecim argenteis, & hordei coro cum dimidio.* Iacob verò cùm aliud pretium ad manum non haberet, septem annorum seruitutem promittit. Debebat vicissim Laban filiabus do ẽ de more dare: sed vt minùs amans illatum, minuíque curans, id neglexit. Quo nomine vtraque inf. à cap. 31 vers. 15. grauiter queritur, & meritò.

a Briss. l. de ritu nupt. ver.

b 1. Reg. 3. v. 14.

c Osee 3. v. 2.

V. 27. *Imple hebdomadam dierum huius copulæ*] In Hebræo, Chaldęo & Græco solùm est, imple hebdomadam huius: id est, exspecta donec transeant septem de more dies festi, quibus tui cum Lia coniugij solennitas celebratur. Ijs exactis, tradam tibi quoque Rachelem mox in vxorem; sed ea lege, vt pro ea seruias mihi alios septem annos. Turpe enim nimis esset & probrosum Lię si, durantibus illius diebus nuptialibus, sororem eius superinduceres. Septem verò dies solennia nuptiarum celebrari solita patet etiam ex nuptijs Samson, Iudicum 14. v. 12. Fallitur ergo Iosephus, cùm dicit, post hebdomadam annorum, seu post septennium à nuptijs Liæ, ductam demum Rachelem. Nam præter clara verba textus huius, etiam anni, quibus Iacob non pluribus quàm viginti mansit apud Laban in Mesopotamia, non patiuntur tantas nuptiarum moras. (d)

d Vt ostendit Bonfr. in tit. c. 27.

Tropologicè, Rachel & Lia sorores, duæ sunt vitæ, contemplatiua & actiua. Primò ducenda est Lia, id est laboriosa (hoc enim hebraicè significat Lia) sed fœcunda, vita actiua. Dein speranda Rachel, id est ouis, quæ est symbolum quietis & contemplationis Ita SS. Augustinus (e) & Gregorius. Allegoricè, Lia designat Ecclesiam Christi militantem: Rachel triumphantem.

e Aug. l. 22. contra Faustum c. 52. Gregor. l. 6. Moral. c. 28.

V. 32. *Vocauit nomen eius Ruben*] Id est filium visionis, seu prouidentiæ diuinæ, quâ Deus videns me contemptui esse marito meo, prouidit mihi de filio, æmulâ sterili relicta: hoc nomine haud dubiè me præ illa diliget deinceps maritus meus. Ita grata in Deum mater, voluit etiam in ipso nomine filij perennem beneficij diuini memoriam extare, vt, quoties illum videret vel nominaret, toties recordaretur, & gratias ageret diuinæ erga se beneficentiæ. Idem A obseruauit in nominibus sequentium prolium suarum, nempe *Simeon*, id est *audito*, Quia (inquit) *Dominus audiuit me contemptui haberi*, & ideo exaudiuit me. *Leui*, id est, *copula, coniunctio*. q. d. Hoc quoque pignore à Deo per me accepto, *copulabitur mihi* maiore affectu *maritus meus. Iuda*, id est, *confessio, laus* sit Deo. Et sic capite sequenti de alijs.

CAPVT XXX.

Septem alia proles nascuntur Iacobo. Vnde patriam cogitat. Sed nouo pacto & mercede à socero detinetur: quem dolosum expertus, astu per decorticationem virgarum decipit, & ita seipsum ditat.

V. 2. NVM *pro Deo ego sum?*] Id est, an putas me esse Deum, vt ex sterili te faciam fœcundam? Pulchrè Hebræi notant, Deum sibi soli quatuor B claues naturæ reseruasse Prima est clauis vitæ seu generationis, vt ex hoc loco patet. Secunda, clauis alimoniæ, psalmo 144. v. 16. Tertia, clauis pluuiarum, Deuter. 28. v. 12. Quarta, est clauis sepulchrorum, seu resurrectionis, Ezechielis 37. vers. 12.

V. 14. *Reperit mandragoras*] Pulchra sunt poma mandragoræ, & odorifera, præsertim quæ masculæ sunt, teste S. Ambrosio, (f) Augustino, Cassiodoro & Leuino Lemnio. Formam habent vberum, quo etiam nomine hebraicè hîc & in Canticis, appellantur. Et quia frigidæ admodum, ideo somno conciliando seruire, maximè verò menstruis ciendis, matrici purgandæ, profluuio sistendo, refrigerando humectandoque feminarum vtero, (qui in calidis regionibus, vt erat Mesopotamia & Iudæa, feruidior iusto siccioríque est) adhiberi solitas, testatur (g) Dioscorides, Theophrastus, Epiphanius & alij. Qui addunt ex plurium opinione mandragoram vim philtri habere, & ideirco circeam vocari, & pomum amoris. Et hæ videntur causæ fuisse cur Rachel eam tam auidè à sorore expetierit, licèt frustra: nam, vt ex versibus sequentibus patet, tres adhuc annos sterilis mansit: quibus exactis reddita est fœcunda non virtute mandragoræ, sed beneficio solius Dei.

f Ambros. serm. 19. in psal. 118 August. supra c. 56. Cassiod. in Cantic. 7. vers. vlt. Lemn. c. 2. de Herbis Biblicis.

g Dioscor. l. 4. c. 71. Theophr. l. 9. plant. 17. c. 10. Epiph. in Philologo c. 4.

V. 32. *Respondebitque mihi cras iustitia mea*] Quasi dicat: Tibi fauebit natura pecorum, quæ albæ ex albis, nigra ex nigris procreare solet: quæ omnia ex pacto tibi cedere debent. Sed *mihi* quoque (vti certò confido) fauorabiliter *respondebit*, seu fauebit *iustitia mea*, id est Deus intuitu iusti laboris mei.

Cras, id est futuro tempore: *quando placiti tempus aduenerit*] id est, quando iuxta placitum tuum & pacta iam conuenta, in fine anni fœtus diuidendi erunt, vt tibi cedant omnes vnicolores, vel toti albi, D vel toti nigri: mihi soli *furui*, id est subnigri, vel *sparsi*, id est varij seu diuersicolores: quos spero singulari Dei prouidentia etiam ex vnicoloribus, licèt contra consuetudinem naturæ, procreatum iri. Id verò ne fieret, astu prouidere conatus est Laban, hac ratione. omnes diuersicolores sibi pascendos desumpsit, & itinere tridui segregauit ab vnicoloribus, ne forsan illorum præsentia & aspectu vel coitu vnicolores conciperent parerentque diuersicolores. Dein parum fidens Iacobo, cui greges omnes vnicolores reliquerat, exploratores ei apposuit *filios suos*, titulo tenus vt subessent Iacobo, eumque iuuarent in gregibus custodiendis; sed re vera, vt inuigilarent ne quæ aliunde diuersi coloris animantia à Iacobo admiscerentur vnicoloribus. Sed astutior fuit Iacob, vel potiùs ab angelo nouam artem edoctus, vt ipsemet affirmat cap. 31. vers. 11. & sequentibus, virgultis semi decorticatis decepit Labanum, & licèt quidem,

quidem ; non solùm quia Deus, cuius sunt omnia, A ita volebat: sed etiam quia debitam sibi multis nominibus mercedem, vxorumque dotem, ab auaro Laban iniustè detentam poterat iustè Iacob arte & astu sibi vindicare & clàm compensare. Ita SS. Hieronymus(a)& Augustinus(b) Vi naturali hæc facta fuisse, egregiè & fusè docent(c) Tostatus, Franciscus Valesius, Leonardus Vairus, Lequinus Lemnius, Delrio & alij. Licet S.Chrysostomus(d)& Theodoretus id miraculo adscribant, velintque angelos phantasiam pecorum vehementiùs applicasse ad virgarum variegatarum attentiorem apprehensionem, vt colligi videtur ex cap. 31. iam citato. Et his fauet experientia, qua multi cùm idem tentarent quod Iacob, successu tamen frustrati sunt.

a *Hieron. in Quæst. Heb.*

b *Aug. l. 18. de Ciu. c. 5.*

c *Tostat. in hunc locũ. Vales. de Sacra philos. c. 11. Vair. l. 1. de Fascino. Lemnius, l. 1. de Occultis naturæ mirac. c. 4. Delrio l. 1. Disquis. magic. c. 3. quæst. 3.*

d *Chrysost. homil. 57. in Genes. Theod. q. 88. in Genes.*

CAPVT XXXI.

Fugit clam Iacob cum tota familia ex Haran in Chanaan. Insequitur eum Laban, sed ne noceat, inhibetur à Deo. Itaque cum Iacobo fœdus amicitiæ init, & redit in Haran.

℣. 19. RACHEL *furata est idola patris sui*] ex auro, argento, aliave materia pretiosiore conflata. Primò, vt hac via saltem ex parte compensaret damnum dotis sibi iniustè ex parente subtractæ: nam paulò antè querebatur v. 15. Etiam *comedit pretium nostrum.* quasi dicat, Tantum abest, sperare possimus aliquam pro dote pecuniam, vel portionem hereditariam paternam & maternam, vt ne pretium quidem, quo nos *quasi alienas*, seu tamquam mancipia, tibi vendidit in vxores, potuerimus ex vnguibus crudelis & auari parentis vlla arte extorquere: nam maluit ipse illud abligurire & decoquere, quàm filiabus alendis ornandisve impendere. ita Pererius. Addit Aben-Esra, Rachelem ideo furatam esse hæc idola; ne pater illa consulendo resciscere posset, per quod iter Iacob fugam suam instituisset. Itemque, vt occasionem & materiam vlterioris idololatriæ parenti subtraheret, inquiunt Basilius, Nazianzenus, Theodoretus. Fortè etiam id fecit Rachel, vt deos illos penates haberet secum, sui, suæque fugæ tutelares: nam licèt ex marito cognitionem aliquam veri Dei hausisset; more tamen & vitio gentis illius, & in gratiam parentum suorum, simul cum vero Deo colebat etiam idola, quæ Iacob in Chananæa demum sustulit cap. 35. vers. 2. Et hanc rationem maximè probant Chrysostomus, Rupertus, Gennadius, Caietanus & Oleaster.

℣. 42. *Nisi timor (e) Isaac affuisset mihi*] Est metonymia, actus potentiæ pro obiecto. *Timor*, id est, is quem timet *Isaac*, scilicet Deus. Patet infrà vers. 53. *Iurauit Iacob per timorem patris sui*, id est per Deum quem timet, colit ac reuereretur pater. Laban verò ibidem iurat per *Deum Abraham*, & per *Deum Nachor* fratris Abrahæ, hoc est, per Deum verum quem colebat Abraham, simul & per falsos deos quos colebat Nachor idololatra parens Laban. Hoc exemplo Jacob docent Theologi, licere fidelibus excipere iuramentum, imò in necessitate etiam exigere, ab infidelibus, licèt sciant iuraturos per falsos deos: quia non nisi permissiuè se ad hoc habent fideles.

e *Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 46.*

CAPVT XXXII.

Iacob videt binas angelorum acies, sibi in tutelam à Deo submissas. Reconciliando fratri suo Esau, mittit obuiam munera. Cum angelo luctatur, & præualet: & nomen accipit Israël.

℣. 1. FERVNT *ei obuiam angeli Dei*] Quinam isti angeli? Respondeo, Præsides & custodes Chananææ, duce S. Michaele Archangelo, inquit Diodorus Tarsensis. Sicut enim aduersus Laban habuerat Jacob in Mesopotamia comites & tutelares angelos illius regionis: qui iussu Dei saluum & incolumem iam illum deduxerant ad confinia Chananææ cis *amnem*, scilicet Euphraten: iam in confinio Chananææ, cùm maior exinde metus periculumque immineret ab offenso iratoque fratre suo Esau; occurrit noua angelorum Chanaanitidis custodia, qua etiam aduersus hunc, omnesque alios hostes suos perpetuò defenderetur. Vnde Iacob conspectis binis his angelorum castris, scilicet aliorum redeũtium in Mesopotamiam, & aliorum excipientium sese in Chanaanitide, *appellauit nomen loci illius Mahanaim*, id est, *bina castra Dei*. Ita Hebræi, & passim interpretes.

℣. 24. *Vir luctabatur*] Id est, angelus specie & habitu viri: sed qui personam Dei repræsentaret. Patet Oseæ 12. v. 3. vbi vocatur *angelus*: & hic v. 28. vbi *Deus* appellatur. Addit Oseas ibidem, fleuisse Iacob cùm luctaretur cum angelo.

Petes, Quis hic angelus? Origenes, (f) Hieronym. (g)& alij quidam, teste Procopio Gazæo, putarunt fuisse dæmonem. Sed dæmon personam Dei non repræsentat: neque Jacob petijsset à dæmone sibi benedici. Georgius (h) Venetus putat fuisse angelum Custodem Esau, qui Iacobum vi cogere voluerit ad restitutionem primogenitorum olim fratri subtractorum. Sed absit ab angelo sancto, vt repugnet decreto diuino, quo cesserant Iacobo primogenita. Dico ergo, fuisse angelum Custodem Iacobi. Ita Patres Græci & Latini.

f *Orig. l. 3. Periarchon.*

g *Hieron. in c. 6. Ephes.*

h *Georgius Ven. tom. 1. sect. 3. problem. 234.*

Petes Secundò, Cur ille luctatur cum cliente suo? Respondeo, Vt hac lucta & victoria spem anxio illi faciat, fratrem quoque suum Esau faciliùs superandi: nam nihil ab homine metuendum ei qui etiam Deum superare posset.

Petes Tertiò, an fuerit corporalis lucta? S. Hieronymus & Glossa interlinearis dicunt, spiritualem fuisse; S. Thomas & Rupertus, imaginariam. Sed reliqui Patres veram & corporalem luctam fuisse affirmant. Et verbum *luctandi*, & neruus femoris contractus, & stupor tibiæ, & claudicatio Iacobi id prorsus euincunt.

Hieron. suprà.

Petes Quartò, Cur *tetigit*, seu tangendo læsit, *neruum femoris* Iacobi; vel (vt habent Hebræa, Chaldæa, Græca) iuxta curuaturam femoris Iacob? Respondeo, Vt ipsa læsione certus redderetur primò de veritate luctæ & victoriæ: deinde se non suis, sed solius Dei viribus angelo præualuisse.

Petes Quintò, an manserit perpetuò claudus? Respondeo, verosimilius non nisi ad aliquod tẽpus claudicasse. Quia vel sic fiebat abundè satis intentioni & scopo angeli iam dicto. Ita Hebræi & Tostatus.

Petes Sextò, Quid sibi vult nomen Israel ab angelo inditum Iacobo? Respondeo, idem quod *dominans* seu *præualens Deo*. Ita enim hîc explicat ipsemet angelus, & S. Hieronymus cum Theodotione, Symmacho & Aquila, & Septuaginta interpretibus Neque verò patiuntur litteræ Hebrææ, vt idem significet quod *vir videns Deum*. licèt Philo, Nazian-

Nazianzenus, Hilarius, Chrysostomus, Eusebius, Augustinus, Prosper & alij quidam sic exposuerint.

Gregor. homil 14. in Ezech. & in psal. 6. pœnitent.

Tropologicè, S. Thomas, & S. Gregorius hanc luctam dicunt esse orationem, qua videmus Deum quasi *facie ad faciem*, seu verè nobis præsentem, ac vim illi facimus, eidemque prævalemus ac dominamur: atque omnibus hostibus superiores reddimur.

Aug. serm. 8. de Tempore.

Allegoricè, claudicauit Iacob, id est posteri Iacob Iudæi post tragicam cum Christo luctam: nam pars vna credens & inhærens Christo, sursum iuit; altera incredula & rebellis, deorsum. Ita S. Augustinus. Potest & allegoricè hæc lucta Iacobi cum Deo, dici figura fuisse Christi, totas sæpè noctes in oratione luctantis cum Deo, maximè verò in *horto Gethsemani.*

CAPVT XXXIII.

Iacob humili submissione & muneribus placat & sibi deuincit fratrem suum Esau. Habitat in Socoth & in Salem, vbi Deo liberatori suo altare erigit & sacrificat.

B

℣. 10. VIDI *faciem tuam, quasi viderim vultum Dei*] scilicet speciosissimum, longeque gratissimum. Nam quæ excellentissima in vno quoque genere sunt, Hebræi dicunt esse Dei. v.g. montes Dei, id est celsissimi, &c. vt alibi (*a*) dixi. Non ergo adulatio hæc est, sed vt summum hyperbole, quâ Iacob significat, conspectum fratris sibi iucundissimum optatissimumque accidisse. Et verò cùm præter omnem exspectationem eum benevolo in se animo comperisset, à quo non nisi omnia hostilia metuerat, cum veritate poterat dicere, se vultu conspectuque illius placido & amico non secùs recreari, quàm si Dei ipsius benigno aspectu fruitus fuisset. Ita Tostatus & alij.

a *Cap. 13. v. 13.*

Acta omnia Iacobi & Esau ordine annorum digesta habes in Chronico c. 16. Posteros verò amborum, cap. 46.

C

CAPVT XXXIV.

Dina filia Iacob rapitur & violatur à Sichem. Quam iniuriam vlcisci volentes eius fratres persuadent Sichem vt ipse omnesque eius subditi circumcidantur. Circumcisos verò & ex vulnere etiamnum decumbentes, infestis armis inuadunt, omnesque trucidant, magno Iacobi dolore ac mœrore.

℣. 25. DVO *filij Iacob, Simeon & Leui*] tamquam principes & auctores crudelis & nefandi consilij, manu famulorum stipati patrarunt hanc cædem.

Vbi Nota multiplex istorum peccatum. Primum, imprudentiæ & temeritatis, cùm adolescentes vix annorum viginti, inscio & inuito patre rem tam arduam, tam periculosam in medio vicinorum hostium aggressi sunt. Secundum, iniustitiæ, & vsurpationis iuris alieni, cùm priuata auctoritate, nullo iusto titulo, bellum mouerunt, principe familiæ suæ nec probante, nec consulto; penes quem tamen vnum illud ius erat. Tertium, perfidiæ & proditionis, cùm vlciscuntur iniuriam iam à se condonatam, & iusta satisfactione abolitam, mutuoque fœdere, quin & connubio extersam. Quartum, sacrilegij, cùm ad dolos & fraudes suas, & iniustam cædem abutuntur circumcisione, re apud ipsos sacratissima. Quintum, crudelitatis & tyrannidis, cùm grauiter læsos & afflictos, idque ex suggestione sua & in gratiam sui, iamque quasi moribundos, hostiliter inuaserunt & iugularunt. Sextum, oppressionis innocentum: neque enim solum raptorem, eiusque familiam, sed & omnes vrbis masculos, etiam innoxios & omnium insçios, iugularunt: pueros & feminas captiuas abduxerunt, agros & domos spoliarunt, greges prædati sunt, mœnia suffoderunt. Vnde & grauissimè eos reprehendit Iacob, & moriturus etiam maledixit. Genes. 49. vers. 5.

D

Dices, Iudith 9. v. 2. dicitur *Deus dedisse Simeoni gladium in* vltionem horum Sichemitarum: *& vxores horum ac filias dedisse seruis suis in prædam qui zelauerunt zelum Dei.* Respondeo, Non aliter fecit hæc Deus, quàm sicut Nabuchodonosori præcepit expugnare Tyrum, & alijs tyrannis dat vires, animos, opes & arma ad puniendum rebelles; vt scilicet vindicta iusta sumatur, quam illi promeriti fuerant. Cumque huic voluntati Dei parent tyranni, subinde etiam præmijs afficiantur à Deo, licèt alioquin & ipsi tyranni, & actus tyrannici, quibus in hoc exequendo vtuntur, extremè displiceant Deo. Sic enim & in præsenti factum. Volebat Deus vlcisci probrosum raptum & stuprum Dinæ vix quindecim annorum puellulæ. Vsus ad id est zelo Simeonis & Leui, qui totis animis eò ferebantur. Et in hoc seruiebant nutui & intentioni Dei, quòd zelo pudicitiæ vltionem ex raptore eiusque complicibus sumptum ibant, & ex hoc capite digni erant laude ac præmio. Sed quatenus zelus hic imprudens ac perfidus fuit, & limites excessit modestiæ ac iustitiæ, eatenus non seruierunt nutui & voluntati Dei, sed grauissimè peccarunt, & puniri meruerunt ac puniti sunt. Simili modo obstetrices Ægyptiæ, quæ mendacio suo tutari sunt vitam infantium Hebræorum, benedictæ fuerunt à Deo, non propter mendacium, sed propter pium affectum, & beneficium Hebræis impensum. Nam potest in vno eodemque opere aliquid esse boni, quod præmiet Deus: & aliquid mali quod oderit & puniat.

Chronic. c. 16.

Exod. 1. v. 20.

CAPVT XXXV.

Iacob familiam suam idolis expurgat, aram Deo ædificat in Bethel: vbi rursus à Deo cohonestatur nomine Israël. Nascitur Beniamin: sed mater eius Rachel moritur in partu. Moritur etiam Debora, & Isaac, cùm esset annorum 180.

℣. 4. INAVRES *quæ erant in auribus eorum*] scilicet idolorum, putà anathemata, monilia, variaque ornamenta alia statuis appendi solita, quæ S. Augustinus vocat, deorum phylacteria. Voluit enim Iacob in plenam idololatriæ detestationem hæc omnia confracta in terra defodi, neque vllis vsibus adhiberi permisit. Sic & posteris Iacobi præcipit Deus Deuter. 7. *Sculptilia eorum igni combures: non concupisces argentum & aurum de quibus facta sunt: neque assumes quidquam ex eis.*

Augustin. in Gen. q. 116.

℣. 21. *Trans turrem gregis*] Locus erat pascuis vberrimus, vnico milliari distans Bethlehemo, sic verosimiliter dictus quòd ibi Patriarcha suos greges pascere soleret. Estque idem locus, in quo angeli pastoribus nato Christo apparuerunt, Lucæ 2. Ita Hieronymus & Tostatus. Vnde & Helena templum ibidem sub nomine sanctorum angelorum constituit, teste Adrichomio. (*b*)

Hieron. hic, & de Locis Hebraicis.

b *Adrich de locis sanctis.*

CAPVT XXXVI.

Duces & reges prognati ex Esau recensentur: vt constet, benedictionem Isaaci illi datam cap. 27. v. 39. reipsa fuisse adimpletam.

℣. 4. ELIPHAZ] Hic, ex plurium sententia, est ille Themanites, seu Themanorum rex, amicus & magnus (vt vocant) patruus Iobi: vel (vt verisimilius existimo) hic Eliphaz est auus alterius Eliphaz, qui in tertio gradu cognatus Iobo (vt dixi in eius Genealogia) ipsum accessit, & cũ duobus alijs solatus est

Chronici c. 46.

est afflictum & vlceribus plenum. Erat autem noster hic senior *Eliphaz* primogenitus Esau: Iob verò, seu Iobab: abnepos fuit Esau, tertius ab illo, quintus ab Abrahamo: secundus à morte Esau rex Idumææ, vt hic patet vers. 33 Et expressè affirmant LXX. Interpretes in fine libri Iob: & ferè omnes Patres ac Doctores, præter S. Hieron. qui cum Rabbinis quibusdam mauult, Iobum fuisse filium Nachor fratris Abrahæ. Sed altera opinio vt communior, ita & verosimilior est: quam tenent Philo, Aristæas, Athanasius, Chrysostomus, Augustinus, Theodoretus: & ex recentioribus Abulensis, Pererius, à Lapide, Pineda, & alij. Secundùm quam sententiam dicendum, Iob natum esse sub id tempus quo mortuus est Isaac eius abauus: & pertigisse ad tempora Mosis: nam vixit ducentis & pluribus annis. Iob cap. vltimo vers vltimo.

Philo citatus ab Abulensi hic. Aristæas apud Eusebium l. 9 de Præparat Evang c vlt. Athanas in Synopsi. Chrysost. homil. 2. de patientia Iob. Aug. l. 18. de Civit. c. 47. Theodor. & reliqui hic. Pineda in c. 1. Iob v. 2.

Petes, qua ætate mortuus sit Esau? Respondeo, B id nusquam ex Scripturis colligi posse. Sed verosimile est, supparem fuisse Iacobo fratri suo.

Petes secundò an damnatus sit? Respondeo, verosimilius videri, non fuisse damnatum. Nam delicta iuuentutis facilè expiauit maturior ætas. Et amicus ille occursus quem fratri è Mesopotamia reduci exhibuit hic c. 33. communis sepultura Isaaco parenti exhibita c 35. forsan & conuictus cum Iacobo communis apud senem parentem: saltem pacificus à fratre recessus post obitum parentis c. 36. certò declarant, ipsum se ad meliorem frugem recepisse. Et vnde alioquin abnepos eius Iob virtutum exemplar, vnde amici Jobi suam hauserunt pietatem, si non à parente & auo suo Esau? Quod Malachiæ 1. dicitur, *Esau odio habui*; non ad personam, sed ad posteros Esau maximè spectat. estque sermo de reiectione non à salute æterna, sed à temporali benedictione paterna C & iure primogenituræ, vt diximus cap. 27.

℣. 24. *Qui inuenit aquas calidas in solitudine*] Hébræum *Iemim*, quo modo legunt Rabbini recentiores, Eugubinus, Vatablus, Caietanus, Pagninus, Forsterus & Tigurini vertunt *mulos*, quasi hic *Ana* primus mulorum procreationem adinuenerit, adactis asinis in equas: Chaldæus *fortes* vel *gigantes* vertit. Sed dico cum S. Hieronymo *iamnim* (sic est in Hebræo) *Hieron. in Qq. Heb.* propriè significare collectionem aquarum: & hic de verè calidis seu tepentibus, ac consequenter medicam vim habentibus aquis, Scripturam intelligendam esse: quales etiam hodie in thermis Aquensibus & alijs quibusdam locis reperiuntur. Quas quia primus hic Ana deprehendit ac prodidit; earumdem inuentor hîc dicitur, & rei nouæ auctor perhibetur. D

℣. 37. *De fluuio Roboboth*] Hebræa, Chaldæa & Græca legunt, *de Roboboth fluuij*, id est de ciuitate Rohoboth sita iuxta fluuium Euphraten, de qua dixi Genes. 10. vers. 11. & rursus dicam 1. Paral. 1. v. 48.

CAPVT XXXVII.

Ioseph narrat sua somnia. Quorum occasione inuidi fratres, necem illi machinantur. Sed liberat eum Ruben primò, deinde & Iudas: quo suadente venditur Madianitis, & ab his Putipharis in Aegypto.

℣. 3. TVNICAM *polymitam*] Septuaginta & Tigurini, tunicam variam, nempe licijs & filis varij coloris eleganter distinctam.

Tropologicè, Ruperrus hac veste polymita vult vitam omni virtutum varietate ornatam designari.

℣. 9. *Vidi solem, & lunam, & stellas vndecim adorare me*] Philo ait, ipsum vid sse, venientem ad se solem, lunam, & stellas, fortè humano corpore & facie indutas, vt à pictoribus depinguntur. Nam quomodo aliàs vel phantasia, vel mente concipere potuisset Ioseph adorationem sibi ab illis exhiberi?

Allegoricè, per Iosephum & manipulum Iosephi designatur Christus, quem omnes angeli & Sancti, omnis lex & Prophetæ, omnis potestas in cælo & in terra, vt dominum suum & principem circumstant & adorant, inquit Rupertus.

Nota. Nomine matris Iosephi non intelligitur Rachel, quæ haud ita pridem mortua fuerat, neque vmquam adorauit filium: sed Bala Rachelis ancilla, quæ Iosepho mater nutritia fuerat, & iam mortua Rachele in matris locum successerat. Ita Liranus & Tostatus.

℣. 36. *Putiphari eunucho Pharaonis*] Id est, ministro Pharaonis, scilicet magistro militiæ illius. Vnde & Chaldæus, *principem* vertit; & Oleaster, custodem domus seu personæ regiæ. Neque enim solet semper hac voce in Scripturis significari verus spado: sed ij omnes qui officijs illis quibus spadones olim præfici solent, in aula regia fungebantur. Cùm enim securitatis caussa solerent spadones præfici cubiculis reginarum & heroinarum, atque, exploratâ eorumdem fide & industriâ, postmodum alijs quoque admoueri, etiam primis aulæ officijs, maximè verò custodiæ regiæ; hinc nomine eunuchorum postea dicti sunt quotquot illis officijs fungebantur, etsi veri eunuchi seu spadones non essent. Patet ex hoc Putiphare, qui licèt vxorem haberet & liberos, tamen eunuchus hîc vocatur. Et infra cap. 40. pincerna regis, & pistorum præfectus eunuchi vocantur: & alij alibi.

CAPVT XXXVIII.

Iudæ generat Her & Onan, quos Deus ob malitiam, & retractum in actu coniugij, morte plectit. Thamar dolosè ex Iuda grauidatur gignitq; Phares & Zaram.

℣. 7. FVIT *Her nequam in conspectu Domini, & occisus est*] Quæ fuerit hæc eius nequitia, vide 1. Paralip. 2. vers. 3.

℣. 9. *Sciens onan non sibi nasci filios*] Id est, sciens quòd is qui primo loco ex se nasciturus esset, non computaretur suus, sed fratris sui defuncti filius. Ita clarè exprimunt LXX. & Chaldæus. Ex hoc capite patet, etiam ante legem Moysis permissum, imò in more fuisse, vt frater vxorem fratris sine liberis defuncti duceret, & primogenitum suum nomine fratris sui nominaret. Sic sabbathum, discretio mundorum animalium, circumcisio, & alia plura quæ postmodum lege Moysis præscripta fuerunt iam antea à Patriarchis vsurpata.

℣. 29. *Quare diuisa est propter te maceria?*] Id est, quare tu prior ante fratrem tuum, perrupisti claustrum vteri materni, diuidendo membranam seu secundinas quibus inuoluebaris? quasi dicat, Quare tu fratri primogenituram præripis? Notat Chrysostomus, id præter naturam contigisse: & allegoricè præsignasse *Zaram* populum Iudaicum, qui prior manum protulit, accipiendo legem à Deo, atque ita imperfectè secundùm spiritum natus est: sed vbi sensit se coccineo Christi sanguine inquinatum, retraxit manum, & recessit à Deo. Mox subingressus *Phares*, id est Gentilis populus, & prior nascendo perfectè secundùm spiritum, seu credendo in Christum, ius primogenituræ præripuit Iudæis, maceriamque inimicitiarum inter se & Deum generosè

generosè distrupit. Ita Cyrillus, Jsidorus, Rupertus. Aliam huius coccini explicationem dat Rabbi Raschi apud Serarium: nempe, eo præfiguratum fuisse sacrilegium *Achan* abnepotis huius *Zare* Iosue 7. dum pallium *coccineum* è spolijs Jericho suffurarus, causa fuit fœdæ cladis & fugæ totius exercitus Israelitici.

Serar. in c. 7. Iosue quæst. 2.

CAPVT XXXIX.

Iosephi castitas tentatur ab hera: sed is relictâ chlamyde in manibus hera, fugit: ideoq; per calumniam ab illa accusatus incarceratur.

¥.6. NEC *quidquam aliud nouerat, nisi panem quo vescebatur*] Prouerbio hoc significatur, patremfamilias ita omnia sua commisisse Josepho, vt ab eo nullam rationem dati vel accepti reposceret: sed contentus frui partis labore Iosephi, dormiebat in vtramque aurem, sollicitus solùm edere & bibere. Notat Rupertus præcellentiam hîc virtutum Josephi, & maximè cardinalium. Primò, iustitiæ, quâ bona domini sui tot annis tanta integritate, sine vlla fraudis aut negligentiæ suspicione administrauit. Secundò, temperantiæ, quâ iuuenis vix 27. annorum, & seruus, & formosus, ab hera propria, & ampla pollicente, secretò adamatus, & sæpiùs interpellatus ac rogatus, numquam redamarit. Tertiò, prudentiæ, quâ dissuadere conatus, cùm vidit frustra esse, etiam veste apprehensus aufugit. Quartò, fortitudinis, quâ & blanditias & furias insanæ amasiæ constanter repulit, & carceres & mortem subire maluit, quàm vel Deum, vel herum suum offendere. Hinc Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus & Philo, Magis, inquiunt, miramur factum Josephi, quàm tres pueros in fornace Babylonia illæsos permansisse: nam sicut illi pueri, sic magis Joseph in medijs ignibus illæsus, non adustus, sed clarior effugit.

CAPVT XL.

Iosephi pincerna & pistori Pharaonis exponit somnia quæ habuerant: & expositionem probat euentus.

¥.5. VIDERVNT *ambo somnium, iuxta interpretationem congruam sibi*] Id est, iuxta id quod ipsis euenturum erat conformiter interpretationi subsecutæ.

Petes, an ex somnijs liceat diuinare? Respondeo, Licet Primò, ex ijs quæ verosimile est, à Deo, vel bono angelo immissa esse: quod ferè colligitur ex adiunctis circumstantijs, & peculiari lumine quo manifestum faciunt, à se somnium vel reuelationem proficisci. Secundò, licet etiam ex somnijs naturalibus, seu quæ nascuntur ex humorum in corpore temperamento, coniecturam facere, vt medici faciunt, de statu corporis, eius temperie vel intemperie, de morbo vel præsente, vel imminente, &c. Nam ex effectibus prudenter inquiritur de caussa, & contrà, ex caussa de effectibus. Vnde Hippocrates & Galenus libros scripserunt de præsagijs sumendis ex insomnijs. Tertiò, ex diabolicis seu à diabolo immissis somnijs, quæ tempore tentationis subinde permittit Deus, & prudentum iudicio facilè dignosci possunt, non licet coniecturam facere, cùm inhibitum nobis sit omne commercium cum dæmone, capitali Dei hoste, & ruinæ nostræ semper insidiante. Quartò, ex naturalibus somnijs aliud quàm naturale corporis temperamentum, aut valetudinis statum coniectare velle, v.g. de fortuitis euentibus, vel actionibus causarum liberarum, alijsve contingentibus vel casibus futuris; vanum, superstitiosum, & à Deo prohibitum est Deuteronomij 18. vers. 10.

CAPVT XLI.

Iosephi somnium septem vaccarum & septem spicarum explicat Pharaoni fore septennium vnum fertilitatis, & alterum sterilitatis. Hinc à Pharaone præficitur vniuerso regno Aegypti: à quo suâ prouidentiâ famem depellit.

¥.16. ABSQVE *me Deus respondebit*] Est hebraismus, pro, *non ego*, sed *Deus*. q.d. Non ego ex mea sapientia (vt vertit Chaldæus) aut mea solertia vel sagacitate naturali, vt tu putas ô Pharao; sed Deus per me respondebit, & somnia explicabit. *Proleg. de Idiotism. Hebr. n.6.*

Nota, cùm fertilitas maximè consistat in frugibus & pecoribus, aptè illam prædici his duobus somnijs, vno boum, altero spicarum. Hæc fertilitas omnis in Ægypto nascebatur ex inundatione fluminis Nili, qui quò magis & longiùs exundabat, eò maiorem inducebat fertilitatem. *Duodecim cubitis* (inquit Plinius) *si Nilus exundet, famem sentit Aegyptus: si tredecim, etiamnum esurit: quatuordecim cubiti hilaritatem afferunt: quindecim securitatem: sexdecim delicias. Maximum incrementum ad hoc æui fuit cubitorum octodecim.* Hæc Plinius. Quòd verò macræ boues non nisi in ripa Nili pasci viderentur, portendebant exiguam Nili exundationem, & consequenter exigua pascua, & ferè tantùm ad ripam ipsam, toto septennio futura. Pingues verò in remotis à Nilo palustribus locis pasci visæ, maximam fluminis exundantiam fertilitatemque altero septennio præsignabant. Sed hæc continua tot simul annorum vniformis Nili exundatio, consecutaque vel fertilitas vel sterilitas non occultæ alicui astrorum virtuti, aut alteri naturæ beneficio, sed vnius Dei potentiæ ac prouidentiæ Nilum pro suo placito laxantis vel stringentis adscribi potest: vnde nec ab Astrologis, nec à diuinis Ægyptiorum, sed à solo Deo præsciri & prædici potuit. *Plinius l. 5. cap. 9.*

¥.43. *Super currum suum secundum*] Id est, super eum currum, quo solebat vehi secundus à rege. Hac ergo cæremonia palàm toti regno fecit Pharao, Josephum proximum à rege dignitatis locum obtinere. Præeunte & *clamante præcone* Abrech; quæ, si non Ægyptia, sed Hebræa vox est, à radice *barach*, in *hiphil* significat genuflectite, vel adgeniculando salutate. Ita hîc vertit S. Hieronymus, Aquila, & quidam alij. Notant Philo & Rupertus, Josephum pro carceris squalore, euectum in *currum* & thronum regium, pro habitu sordido, induisse *stolam byssinam* seu togam oblongam & talarem holosericam, pro compedibus, accepisse *torquem aureum*: pro seruili nomine, regium annulum, & titulum *saluatoris mundi*, quo titulo rex illum cohonestauit, eò quòd sua prudentia ac prouidentia extremam mundi famem & inopiam, & hinc imminentem interitum præuertisset ac depulisset. Ex quo eodem ingenti beneficio, putant Ruffinus, Iulius Firmicus, Pierius & Baronius, Josephum sub nomine *Serapidis* & *Osiridis* ab Ægyptijs cultum fuisse & pro Deo habitum. Et patet tum ex nomine Serapis, quod idem videtur esse quod Sar, seu Ser, id hebr. est dominus, & Apis, id est bos ægyptiacè. tum ex nomine *Arsaph*, quo, teste Plutarcho, Osiris vocabatur, quod leui commutatione ex *Joseph* promanasse non videt. tum ex hieroglyphicis quibus Osiridem designabant, putà figura bouis seu vituli, notis lunæ & solis insigniti; item iuuenis imberbis cum modio

Ruff lib. 2. hist. c. 23. Pierius l. 3. Hieroglyph. fol. 25. Baronius. 4. pag. 520. Plutarch. l. de Isid.

mo lio vel calatho in capite, &c. quæ in Ioſephum, eiuſque boues & ſpicas, & ætatem, & Aſtrologiæ peritiam ad amuſſim quadrant. Subſcribit his Clemens Alexandrinus, Auguſtinus, à Lapide & Bonfrerius.

Aug. l 18. de Ciu. c. 4.

℣. 45. *Filiam Putiphare*] Petes, an Ioſeph in vxorem duxerit filiam primi heri ſui Putipharis, qui ob ſuſpicionem adulterij compegerat eum in carcerem? Affirmant Hebræi, S. Hieronymus, Rupertus & Abulenſis. Sed verius eſt, hunc Putipharem diuerſum ab illo fuiſſe. Nam hic ſacerdos erat, ille princeps militiæ: hic Heliopoli, ille Memphi degebat in aula regia. Et in Hebræo ſunt nomina ſaltem ex parte diuerſa. Ita S. Auguſtinus, Chryſoſtomus, Liranus, Lipomanus, Oleaſter, Pererius & alij.

CAPVT XLII.

Ioſeph decem fratres ſuos, in Aegyptum frumenti cauſſâ venientes, agnoſcit, & durè compellat. Tandemq; retento in vinculis Simeone, ceteros dimittit, ſed ea lege, vt Beniamin ad ſe deducant.

℣. 16. PER *ſalutem Pharaonis*] In Hebræo & Chaldæo eſt, *viuit Pharao*. Formula iurandi tam Gentilibus, quàm Iudæis vſitata. Poteſtque iuxta S. Thomam duobus modis intelligi. Primò, aſſertoriè, quaſi dicat, Iuro per Deum, qui vitæ & ſalutis regis mei Pharaonis auctor & cuſtos eſt. Secundò, execratoriè, vt idem ſit quod, adiuro, obteſtor & rogo Deum, vt Pharaoni ſalutem & vitam adimat, ſi non conſtet vos eſſe exploratores. Nota tamen cum eodem S. Thoma & Bonauentura, Ioſephum non aſſertiuè vocare fratres ſuos exploratores; nam ſciebat non eſſe tales: ſed ſolùm tentatiuè, & probandi gratiâ. Cuiuſmodi locutionum formulæ vſurpantur à iudicibus de crimine aliquo inquirentibus: ſed ſolùm vim habent interrogationum.

S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 6.

℣. 25. *Tollens Simeon, & ligans*] Cur hunc præ reliquis fratribus? Reſpondet Gennadius & Hebræi, quia Simeon præcipua cauſſa & auctor alijs fuerat necis Ioſepho inferendæ. Vel ſaltem, vt ait Philo, plus cæteris vtpote iunioribus peccarat: nam, cùm ætate poſt Ruben maximus eſſet, & auctoritate valeret, maluit cum illis in perniciem adoleſcentuli conſpirare, quàm Rubeno pro eo liberando ſatagenti ſe coniungere. An verò Ioſeph toto tempore abſentiæ fratrum, Simeonem in vinculis perpetuò habuerit, incertum eſt. Veroſimilius, non niſi vſque ad abitum illorum habuiſſe in vinculis: in carcere tamen, vel alio honeſtiore loco concluſum, ad reditum vſque aliorum tenuiſſe.

Philo l. de Ioſeph.

Petes, Quare Ioſeph totis 23. annis, quibus fuit in Ægypto, nihil de ſe nunciauit tam mœſto parenti? Reſpondet S. Thomas, Deum id noluiſſe. Cur autem noluit? Rationem dat Auguſtinus, vt hoc quaſi purgatorio tam parens, quàm filius purgaretur in hac vita: & virtus vtriuſque tanto ſpectatior orbi fieret, vt facta fuerat etiam Abrahami & Iſaaci per immolationem in monte Moria, ſuprà c. 22. Addit Theodoretus, ita Deum voluiſſe, vt ſomnia Joſephi ad amuſſim complerentur: & ne Iacob filium, vbi reſciuiſſet in Ægypto degere, pretio quantocumque redemptum, in Chanaanitidem ad propria reduceret, atque ita occaſionem nanciſcendi principatus in Ægyptios, adeoque & in fratres ſuos, præriperet. Denique ne impedirentur mira illa & ſtupenda opera; quæ per & poſt Ioſephum in Ægypto patrata narrat tum Geneſis, tum Exodus multis & prolixis capitibus.

Petes Secundò, Vnde Ioſepho conſtitit de hac Dei voluntate? Reſpondet Pererius, Partim ex circumſtantijs ſomniorum ſuorum: partim ex inſtinctu & reuelatione interna, vt erat Propheta: forſan & ex remoris, & varijs impedimentis, quæ, cùm quid tale tentaret, injici cælitus animaduertit, vt accidit in re longè leuiori, cùm egredienti principi pincernarum è carcere commendaſſet etiam ſui liberationem: ſed ille per integrum biennium ne ſemel quidem meminerat interpretis & clientis ſui, nolente Deo medijs eximi humanis quem ſua ſolius manu iuuare decreuerat.

CAPVT XLIII.

Fratres ſuos cum Beniamino in Aegyptum redeuntes, vt emant frumentum, Ioſeph benignè excipit, & lauto conuiuio exhilarat.

℣. 11. MODICVM *reſinæ, ſtoracis, ſtactes, & terebinthi*] *Reſina* vocatur humor ille tenax & viſcoſus qui ex arboribus qualibuſcumque defluit & adhæreſcit. In Iudæa & Syria ferè pro *galbano* ſumi ſolet, qui ſuccus eſt arboris quę ferula vocatur, inquit Plinius & Dioſcorides. *Terebinthus* eſt reſina vel ſuccus qui ex arbore terebintho diſtillat, & vulgò *Terementina* vocatur. *Storax* lachryma eſt arboris quę ſubinde *Styrax* dicta reperitur, teſte eodem Plinio & Dioſcoride. Vnde vnguentum ſtyracinum, quo capilli & bene olentes & colore flaui redduntur. *Stacte* eſt lachryma myrrhæ, ſeu liquor myrrhæ ſubtiliſſimus & puriſſimus.

Plin l. 12 c. 25. Dioſcor. l. 3. c. 81. Plin. ibid. Dioſcor. l. 1. c. 78.

℣. 16. *Occide victimas*] Eſt catachreſis, id eſt beſtias, quæ cùm jugulantur, victimæ more priſco vocantur, etſi non ad ſacrificium, ſed ſolùm ad eſum jugulentur. Neque enim erat tam impius Ioſeph, vt juberet hoſtias immolari dijs Ægyptijs. Quin &, ſi Macrobio credimus, non erat moris Ægyptijs, vt pecudibus aut ſanguine, ſed precibus & thure dumtaxat ſacrificarent dijs.

Macrob. l. 1. c. 7.

℣. 32. *Seorſum Ioſeph*] Id eſt, ſolus in peculiari menſa, vtpote totius Ægypti prorex.

Seorſum fratribus, & Ægyptiis quoque ſeorſum] Cauſſa additur, quia *illicitum Aegytijs comedere cum Hebræis & profanum*. Cùm enim ſolerent Hebræi paſſim comedere boues, tauros, oues & hircos, quæ erant Ægyptiorum numina, qui in ariete colebant Jouem, in tauro & vitulo Apin, teſte Philone & alijs, ac proinde nec occidere, nec comedere illa animalia licebat, Exodi 8. v. 26. licèt hîc illa ipſis à Ioſepho non apponerentur, ſed alia ſolùm animalia quibus liceret veſci in Ægypto, v.g. pullos, capones, lepores, perdices, &c. quia tamen norant eos ſolitos illa cædere, illiſque veſci, tamquam à profanis conuiuis abhorrebant, ſibique ſuperſtitioſè cauebant.

℣. 34. *Biberunique & inebriati ſunt*] Id eſt, ſatiati vino, & exhilarati, incaleſcentes mero, ſed citra crapulam aut temulentiam. Sic pſalm. 64. *Viſitaſti terram, & inebriaſti eam*. Et in hoc ſenſu plerumque vtitur Scriptura verbo *inebriandi*, Ita S. Auguſtinus & alij.

S. Auguſt. in Geneſ. q. 144.

CAPVT XLIV.

Vt, quo animo ſint fratres ſui in Beniaminum, reſciſcat Ioſeph, ſcyphum ſuum occultari iubet in ſacco Beniamini: eumdemq; ob furtum iſtud ſibi in ſeruum depoſcit: ſed Iudas ſe pro eo in ſeruum offert.

℣. 5. IPSE *eſt ſcyphus, in quo augurari ſolet Dominus meus*] An ergo Ioſeph magum aut ariolum ſe profitebatur? Affirmat Calvinus, ſed impius in ſanctiſſimum Patriarcham. Reſpondeo ergo, cum S. Augu-

S. Augustino, hæc ioco dici; &, vt ait S. Thomas, ex A vulgi & Ægyptiorum opinione. Nisi malis dicere *augurium* hic non accipi pro vero & propriè dicto, quod ex volatu, tripudio, vel garritu auium, vel alio aliarum rerum motu captabatur, sed pro coniectatione quauis, etiam licita, quæ vel ex instinctu Spiritus sancti, vel ex naturali sagacitate & solertia procedit. Sic enim & à Cicerone, & à Plinio, & ab Aristotele vsurpatur. Et Hebræum quoque *nachas* vtrumque significat. Hoc sensu dici posset; solitum Iosephum hoc scypho coniectare, vt erat sagacissimus, de indole, prudentia & arcano mentis hospitum suorum: nam in vino veritas vltrò se prodit. Et nunc per scyphum hunc coniectare volebat & rimari, quis fratrum animus esset in minorem natu Beniaminum. An fortè, quia plus ceteris à patre diligebatur, vtpote ex eadem qua Iosephus matre natus, & iam recèns à protege Ægypti, quintuplicis portionis B prærogatiua publicè omnibus prælatus; odio & inuidia ipsum quoque prosequerentur, atque ita deprehensum in furto facilè negligerent ac deserterent: an verò seria anxietate & cura ipsum excusandi & liberandi, solidum erga ipsum affectum amoremque testaturi essent. Nam quo casu deprehendisset, odio haberi, aut saltem paruipendi; decreuerat apud se retinere, ne quid sinistri per viam contra eum, vt olim contra se, molirentur. Ita Philo, Iosephus, Chrysostomus, Theodoretus.

Plinius l. 7. epist. ad Tacitum. Arist. problem. 9. sect. 33.

CAPVT XLV.

Ioseph se fratribus prodit, eosq; cum muneribus ad patrem remittit, iubetq; ad se in Aegyptum adduci. Iacob pra gaudio vix se capit.

C

℣. 8. NON *vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum*] Id fusiùs declarat cap. 50. vers. 20. vbi ait: *Vos cogitastis de me malum.* Ergo vestri consilij non erat, me exaltare: sed solius Dei, qui tamen vestro malo consilio vsus est in bonum commune & meum & vestrum. Ergo obiectum voluntatis diuinæ in hac Iosephi tragœdia non erat peccatum fratrum, vt impiè blasphemant Melanchthon, Caluinus & alij hæretici, sed Primò, missio & exaltatio Iosephi in Ægypto, vt obuenturæ toti orbi fami prospiceret, & stirpem Iacobi in Ægyptum tranferret. Secundò, cùm ad id exequendum infinita Deo media ad manum essent, maluit vno illo vti quod fratres Iosephi sua malitia suggessérunt, nempe proditione & venditione Iosephi: quam licèt facilè impedire potuisset, ideo noluit, vt ingens illud bonum quod prædecreuerat, inde eliceret. Ergo ob- D iectum diuinæ in hoc voluntatis non fuit nisi permissio & non impeditio nequitiæ fratrum. Tertiò, suppositâ permissione hac nequitiæ illorum, voluit Deus vt Ioseph quoque patienter ea omnia ferret, & impunè fratribus esse sineret quæcumque ipsi molesta inde obuenirent. Et ad hoc tertium obiectum voluntatis diuinę specialiter respexit Iosephus, cùm infrà cap. 50. dicit, *Num Dei possumus resistere voluntati?* quasi dicat, Etsi ex vestra malitia venditus sim, & passus quæcumque passus sum: quia tamen Deus, suppositâ vestrâ hac malitiâ, voluit me patienter ferre omnia quæ inde consecuta sunt, neque vos à me puniri; non possum non promptè obsequi illi Dei voluntati, cui & ego & omnes creaturæ debent sese promptissimè accommodare. Absit ergo, puniam illos quos Deus per me saluos esse voluit, & quorum occasione ad sublimem hunc thronum euectus sum. Quin potiùs de tam felici euentu, qui, Deo disponente, ex vestro scelere tam mihi quàm vobis obuenit, gaudendum nobis & exultandum. Ita Molina & alij Doctores.

Molina 1. p q 29. a. 6. disp. 2.

CAPVT XLVI.

Iacob cum tota sua prosapia, quæ ordine recensetur, in Aegyptum descendit: cui in occursum venit Ioseph, & patrem cum lacrymis excipit.

℣. 26. CVNCTÆ *animæ, quæ ingressa sunt in Ægyptum, sexaginta sex*] Huic numero non includũtur Jacob & Ioseph, & huius duo filij Ephraim & Manasse, quos quatuor si addas numero prædicto, reperies 70. quot dicuntur versu sequenti 27. ingressæ Ægyptum, partim ante Iacobum, partim cum Iacobo: item partim per se, partim per parentes, seu in lumbis parentum. Quod dico partim propter Hesron & Hamul filios Phares necdum tunc natos: partim propter quosdam filios Beniamin, qui hic decem numerantur, cùm ipse Beniamin hoc tempore vix 23. esset annorum. Nisi malis cum LXX. interpretibus, quosdam horum decem fuisse filios filiorum, seu nepotes Beniamini. Idem LXX. interpretes loco quo Latinus & Hebræus textus habet hîc & Exodi 1. v. 5. & Deuter. 10. vers. vlt. filios vel nepotes Iacobi 70. ingressos Ægyptum, ipsi habent hîc & in Exodo ingressos 75. Et hunc illorum numerum sequitur etiam S. Stephanus Actor. 7. v. 14. Et rectè: nam ipsi prædicto septuagenario addunt nepotes quinque Iosephi, puta Machir filium Manasse, & Galaad filium Machir; item Sutalaam & Taam filios Ephraim, denique Edom filium Sutalaam. Quos desumpserunt partim ex Num. 26. partim ex 1. Paralip. 7. Nam, vt rectè notat S. Augustinus, ingressus Iacobi in Ægyptum complectitur omne tempus vitæ eius in Ægypto, imò & reliquos annos vitæ Iosephi, in cuius gratiam descenderat Iacob in Ægyptum. Non tamen complectitur omnium filiorum Iacob toto illo tempore natos nepotes, sed trium dumtaxat, Iudæ, Iosephi & Beniamini: quia posteri horum erant omnium honoratissimi, & ex his exorti reges Israëlis, Saul, Dauid, Ieroboã & alij sequaces.

Chronici cap. 46.

CAPVT XLVII.

Ioseph patrem & fratres suos regi Pharaoni sistit, qui eis dat terram Gessen. Porrò Aegyptij coacti fame, pecora sua & agros Iosepho & Pharaoni pro frumento duendunt. Iacob moriens adiurat Iosephum vt se sepeliat in terra Chanaan.

℣. 22. PRÆTER *terram sacerdotum*] Horum enim erat cultui diuino, & virtutum ac sapientiæ studio integrè vacare: vnde meritò ab omni tributo, vectigalibus, alijsque oneribus publicis eximebantur, & à principe ex publico alebantur, testibus Herodoto, Hieronymo & Diodoro Siculo: ratione naturali id docente & exigente. Quanto ergo maiori iure id veris sacerdotibus noui testamenti à principibus Christianis præstandum? inquit Chrysostomus & Theodoretus.

Herod. in Euterpe. Hieron. l. 1. aduersus Iouinian. Diod. Sic. l. 1

℣. 30. *Condas me in sepulchro maiorum meorum*] Id est, in Hebron terræ Chanaan, vbi Abraham, Sara, Isaac, verosimiliter & Rebecca, sepulti fuerant. Idem fuit votum & præceptum Iosephi morituri, infrà cap. vlt. & verosimiliùs etiam reliquorum duodecim Patriarcharum, quos Iosephus scribit *Hebrone* esse sepultos: S. Hieronymus, in *Sichimis*. & hoc insinuatur Actorum 7. vers. 16.

Ioseph. l. 2. Antiquit. cap. 4. Hieron. in epitaphio Paulæ, & epist. 101. ad Pammachium.

Petes, Quare adeò horrebant sepeliri in Ægypto? Respondet Rupertus, vt filiorum suorum animos

mos ab Ægypti delicijs & vitijs alienos redderent, A certamq; ipsis postliminio in Chanaanitidem reditus spē facerent. Secundò, vt in terra sancta tot alijs Sanctorū corporibus iúngerentur, & maximè Christo in Chanaan nascituro & morituro: cum quo se quoque resurrecturos fortè præuidebant aut sperabant. Tertiò, vt posteri parentum suorum ossa sanctasque exuuias apud se, & quasi in sinu suo haberent, tamquam perpetua monimenta & stimulos virtutum parentum. Ita S. Augustinus, Tostatus & alij.

℣. 31. *Adorauit*, id est laudauit, gratias Deo egit, *Israel*, de tot tantisque beneficijs in Iosephum, & per Joseph um in suos omnes collatis. *ad lectuli caput*] Pro *mitta* Hebræo, quod *lectulum* significat, quo modo vertit S. Hieronymus, Aquila & Symmachus; mutatis punctis legerunt LXX. interpretes *matte*, quod *virgam* seu *sceptrum* significat. Dicunt ergo Iacob adorasse seu honorasse caput, id est summitatem vel verticem virgæ, seu sceptri regij, quod Ioseph tamquam muneris sui insigne manu de more tenebat. Et hanc versionem sequitur Apostolus ad Hebræos 11. v. 21. & Synodus septima generalis, & multi antiqui. Vtraque lectio bona, proba, & vera est, vtraque verosimiliter à spiritu sancto intenta, etiam litteraliter. Et forsan hæc est ratio, cur S. Scripturam ea lingua & litteris conscribi voluerit, quibus in scriptione deessent puncta, vt sensuum diuersitas ex diuersorum punctorum appositione nasci posset, qui simul à Spiritu sancto intenderentur.

מטה
מטה
vtrumque à radice
נטה

CAPVT XLVIII.

Iacob duos Ioseph filios Ephraim & Manassen sibi adoptat in filios, eosq; benedicens, iuniorem Ephraim praponit Manasse seniori. Et agrum Sichemiticum extra ordinem donat Iosepho, in communi hereditatis partitione.

℣. 14. COMMVTANS *manus*] Nempe decussatim in modum crucis, ita vt dexteram suam imponeret capiti Ephraim stantis ad sinistram: atque ita prætulit minorem natu maiori Manasse stanti ad dexteram suam. Quod & comprobauit euentus: longè enim maior celebriorque fuit tribus Ephraim tribu Manasse. Nam & ager Sichemiticus, quem extra ordinem cessit Iacob Iosepho, obuenit filio eius minori Ephraim: & Josue tantus dux, & typus Christi, ex Ephraim natus fuit. Et Ieroboam eiusque successores ex Ephraim oriundi, imperium in reliquas tribus per plurimos annos obtinuerunt.

Allegoricè, Rupertus per manus Iacob decussatas intelligit crucem Christi, & per Ephraim minorem natu populum Gentilem, qui maiori natu populo Iudaico per Manassen designato præpositus fuit. Vt solet diuina prouidentia: cùm per se specialem delectum facit, ferè semper iuniores, quia viliores in oculis hominum, præponere senioribus: v. g. hominem angelo, Abelum Caino, Isaacum Ismaeli, Iacobum Esau, Phares Zaræ, Iosephum Rubeno, Ephraim Manasse, Mosen Aaroni, Dauidem 7. fratribus. Ita Theodoretus.

Petes, Quomodo dicit Jacob, se *agrum* illum Sichemiticum, quem hîc dat Iosepho, *tulisse de manu Amorrhæi in gladio & arcu suo*, seu vi & manu armatâ: cùm id nusquam in Scripturis legatur; imò constet ex Genes. 33. v. 19. & Josue. vlt. v. 32. hunc agrum emptum fuisse à Iacob pretio centum agnorum? Respondeo, Emit primò hunc agrum: sed post stragem Sichimis illatam à Simeone & Leui, metu ne Chananæi factum vlciscerentur, agro excesserat Iacob: tunc inuaserũt agrum Amorrhæi vicini, quos rediens Iacob vi & armis expulit, sibique postliminio vendicauit. Ita ex Andrea Masio Perer. à Lapide, Bonfr.

Ὁδοιπορικὸν totius peregrinationis Patriarchæ Iacob vide in Chronico nostro cap. 16.

CAPVT XLIX.

Iacob moriturus conuocatis filijs suis, ordine singulis benedicit, prædicens qua cuiusque posteris bona malaq; olim euentura sint. Iubensq; se sepeliri in terra Chanaan, moritur, cùm esset 147. annorum.

℣. 3. RVBEN *prior in donis, maior in imperio*] Chaldæus sic habet, *tu Ruben accepturus eras partes tres*, scilicet, *primogenituram, sacerdotium, & regnum: sed quia secutus es* peruersam *voluntatem tuam, sicut aqua effusa, non proficies, neque accipies portionem superexcrescentem.* Simile quid imprecatur Moyses eidem Rubeno, Deuter. 33. *Viuat Ruben, & sit paruus in numero.* Et satis patet ex publico lustro tribum Ruben plerisque alijs tribubus etiam numero inferiorem fuisse: vt sileam de exili gloria, potentia & dignitate illius tribus.

Nota, tria illa quæ *Rubeno* debebantur ratione *primogenituræ* (vt probabo 1. Paralip. 5. v. 2.), quibus ipse suo scelere se priuauit, data fuisse partim Josepho, partim Iudæ, partim Leui. Nam duplex hereditatis portio, seu duplex tribus cessit Iosepho, vt dicitur 1. Paralip. 5. vers. 1. Sacerdotium accepit Leui, in nepote suo Aarone. Regnum quoad nobiliorem partem accepit Iudas in Dauide & posteris: quoad decem tribus, accepit Ephraim filius Iosephi, in Ieroboamo, & alijs regibus Israel.

℣. 9. *Requiescens accubuisti vt leo*, &c.] Alludit ad Dauidem & Salomonem, qui, debellatis Ammonitis, Idumęis, omnibusque Syriæ populis, iam prædarum saturi quiescentes, erant nihilominus terrori omnibus: vt solet leo etiam dum humi profusus quiescit, terrori esse reliquis animalibus.

℣. 10. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius*, id est, tribus Iuda simulatque regium sceptrum acceperit, tamdiu illud retinebit, *donec veniat qui mittendus est*] scilicet Messias, seu Christus, *cuius est regnum*, habet Chaldæus, *cui repositum est*, LXX. verterunt, & legit S. Ignatius Martyr, Irenæus, Tertullianus, Ambrosius & quidam alij. Nam sceptrum seu imperium regium tam temporale, quàm spirituale in vniuersum orbem, Christo debebatur & reseruabatur. Et spirituale quidem per se administrauit; temporale solùm per vicarios. Hanc verò vicariam operam in Iudæa seu inter Hebræos dicit hîc committendam tribui Iudæ, non aliquo exiguo tempore (vti etiam tribui Ephraim in Ieroboamo eiusque posteris committenda fuit) sed vsque ad ipsius Christi aduentum in terras. Et ita contigit de facto. Nam Dauid eiusque posteri ex Iuda oriundi, Iudæis titulo regio præfuerunt vsque ad captiuitatem Babylonicam. Ea durante, Iechonias etsi in carcere, rex erat tamen Iudæorum, & eductus è carcere, etiam regijs vsus est insignibus. Finita captiuitate, ex eadem tribu Iuda, titulo ducis præfuit Iudæis (a) Zorobabel nepos Iechoniæ: & illum secuti alij eiusdem familiæ duces vsque ad Machabæos seu Assamonæos: qui ad Herodem vsque, sub quo natus est (b) Christus, sceptrum Iuda tenuerunt. quo iure, dicam (c) cùm ad eos ventum fuerit. Et licèt ex Leui essent oriundi, vtpote sacerdotes & filij Aaron; tamen censebantur vocabanturque filij Iuda, partim ob genus maternum, quod trahebant ex femore Iudæ: partim ob insitionem & quasi adoptionem in tribum Iuda. Nam à reditu è Babylone, licèt

a *Aggæi 1. v. 1.*
b *Matth. 2. v. 1.*
c 1 *Machab. 2. v. 1.*

licèt plurimi ex alijs tribubus reuerterentur in patriã, A non tamen aut regno, aut loco, vt antè, distincti fuerunt, sed vni regno & tribui Iudæ adscripti, & quasi insiti: imperium verò in omnes vni soli tribui Iudæ cessit, & penes hanc vnam remansit: omnesque *Iudæi* seu *tribus Iudæ* vocati sunt. Vnde licèt in ea sceptrum tenuerint Machabæi ex alio sanguine prognati; quia tamen illud ipsum accepetunt ab eadem tribu Iuda, & in eadem tribu, in quàm *insiti* fuerant, & nomine eiusdem tribus (nam omnes vocabantur Iudæi,) verè proprieque dici poterat, sceptrum teneri à Iuda, & à femore Iudæ. Sicut olim Romani dicebantur imperare, licèt non rarò exteri, v.g. Traianus Hispanus, & alij sceptrum apud illos tenerent. Et in Polonia, vbi haud ita pridem Stephanus Battoreus Transiluanus, & Henricus Valesius Gallus præfuerunt, & nunc præest Serenissimus Sigismundus non è Polonia, sed Suecia oriundus; dicitur tamen sceptrum Poloniæ teneri à Polonis, & gente Polonica: quia nempe & Stephanus & Henricus & Sigismundus electione statuum regni, insiti & incorporati sunt genti Polonicæ. Secùs esset, si vel à Turca vel à Mosco tyrannicè oppressi cogerentur alienigenam in regem accipere: tum enim censeretur sceptrum Polonis ereptum, & translatum ad exteros. Pari ergo ratione dicitur sceptrum regium Hebræorum mansisse in tribu Iuda, vsque ad Herodem, cuius anno 36. natus est Christus. Hic enim & alienigena erat, scilicet Philisthæus Ascalonita, & per vim à Romanis intrusus in solium. ac proinde non poterat tum dici sceptrum teneri à tribu Iuda. Ita Suarez 3. p. disp. 3. sect. 1. Pererius & alij.

Petes, Quare ergo, Herode intruso non statim aduenit Christus, sed exspectauit vsque ad annum C Herodis 36? Respondeo, Quia ferè toto illo tempore sola vi & armis tenebat imperium Herodes, viuentibus sub initium adhuc Aristobulo & Hyrcano legitimis regni heredibus: & his dolo & nequitia ipsius occisis, repugnabant nihilominus Herodi primores Iudæorum cum Pharisæorum & sacerdotum principibus, detrectantes imperium Herodis, & suæ genti id vendicantes, atque ita sceptrum, quod re ipsa non poterant, saltem iure retinebant: donec tædio & malis artibus victi, ac resistendo lassi, tandem vltimo Herodis anno manus illi dedere, & fidei iuramento dato acceptoque colla imperio eius subdidere: atque ita sceptrum tribui Iudæ subtractum, ipsimet ad alienigenam transtulere. Ita Philo & Iosephus, & Emmanuel Sà. Sed iam paucis antè mensibus Christus in Bethlehem natus fuerat. D

Philo l. 2. de Tempor. Ioseph. 17. Antiqu. c. 3.

Vide de his etiam Chronicon cap. 45.

℣. 11. *Ligans ad vineam pullum suum*, &c.] Hæc & sequentia Chaldæus, Rabbini & plures alij litteraliter exponunt de fertilitate terræ quæ obtigit tribui Iudæ. Et verè alludit huc Patriarcha: sed principaliùs respicit ad Christum, illiusque passionem, & fructus inde toti orbi consecutos: vt eleganter exponunt Ambrosius, Augustinus & alij SS. Patres.

Hieron. in Quæst. Heb. Iren. l. 5. c. vlt. Ambr. de Benedict. Patriarch. August. in Iuc. q. 22. Tostat. qu. 103. in Genes. Gregor. 31. Mor. c. 18.

℣. 17. *Fiat*, pro *fiet*, *Dan coluber in via*, &c.] Chaldæus, Hebræi, * Hieronymus, Procopius, Liranus, Tostatus, Pererius, Delrio & quidam alij litteraliter hæc applicant Samsoni: Irenæus, Ambrosius, Augustinus, Theodoretus, Gregorius & ferè omnes antiqui Patres, explicant de Antichristo. Et vtrique rectè. Nam & vterque oriundus erat ex Dan: & simili genere stratagematum, putà nunc aperta vi, instar colubri; nunc dolis & fallacia, vt cerastes, vterque vsurus erat in suos hostes; sed Samson in Philisthæos, Antichristus in Christianos. Danitæ quoque in expugnatione Lais, siue vrbis Dan, quæ pòst Cæsarea Philippi dicta fuit, simili calliditate vsi sunt, Iudicum 18. Et vtentur passim ministri & asseclæ Antichristi ad inducendum in fraudes vniuersum mundum.

℣. 22 *Filius accrescens*] Id significat nomen *Ioseph*. Nam pæne in omnibus his benedictionibus alludit Iacob ad nomina singulorum propria, olim propheticè imposita, quibus quasi totidem litteris præsignabatur, qualis futura esset & indoles animi, & conditio terræ singularum tribuum, itemque heroum ex singulis nasciturorum: ac denique Christi Domini pæne per singulos præfigurati. v. g. per Iosephi ingentes opes, gloriam, fortitudinem, formamque speciosissimam, (adeò vt passim filiæ Ægypti ad eum contemplandum per compita B discurrerent, fenestras murosque conscenderent, vt hic dicitur;) præsignificabatur quales futuri essent Ephraimitæ & Manassæi, ac nominatim Iosue, Debora, Jephte, Gedeon, Lair, & Ieroboam cum alijs regibus decem tribuum: (qui allegoricè Christum & principes Ecclesiæ Christi præsignabant:) nempe florentissimi opibus, splendore regni, robore & gloria; seu allegoricè fide & cultu Dei optimax.

Petes, Quomodo hæ *benedictiones* dicuntur hîc futuræ *in vertice Nazarei*, id est Iosephi, à fratribus *separati* & *coronati* (nam vtrumque significat *Nazaraus*:) *donec veniret* seu veniat *desiderium collium æternorum*, id est Christus, quem & angeli, & Patriarchæ, & orbis vniuersus summo desiderio, si non omnes rationali, saltem naturali, tamquam redemptorem, dominum, gaudium, deliciasque suas optabant & præstolabantur: cùm constet, posteros Iosephi, simul ac sceptrum regium in Ieroboamo adepti sunt, à vero Dei cultu ad vitulos aureos deflexisse: & diu ante natum Christum, putà 687. annis, à Salman-assare Assyriorum rege in perpetuum exilium abductos fuisse 4. Reg. 17? Respondeo, non esse absolutam promissionem, sed solùm conditionatam, nempe, si & quamdiu Deo fidi permanserint. Adde, semper aliquos & sub idololatra Ieroboam, & sub tyranno Salman-assare, & post reditum è Babylone cum tribu Iuda, repertos fuisse è posteris Iosephi, qui vt Deo fidi permanserunt, ita benedictionibus cœlestibus, forsan & terrenis (nam Ephraimitæ cæteris dignitate præcellebant) vsque ad aduentum Christi abundarunt. Vide Ambrosium, Rupertum, Caietanum & Lipomanum.

℣. 27. *Beniamin lupus rapax*, &c.] Patuit in stupro Gabaa, & raptu virginum Siluntinarum, Iudicum 19. & 20. Patuit in Saule ex Philisthæis & Amalechitis prædas agente: in Mardochæo & Esthere) qui omnes fuerunt de tribu Beniamin. Verissimè clarissimeque, sed allegoricè, completum fuit in Paulo Beniaminita, qui *manè* seu priùs, putà ante conuersionem, instar lupi rapacis infestabat Christianos: *vespere* verò, id est post conuersionem, cùm esset Apostolus & doctor Ecclesiæ, toti orbi pabulum sanæ doctrinæ verbo & exemplo suo distribuit. Ita Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Rupertus, Eucherius, Beda.

Hieron. in Quæst. Heb. Aug. ser. 1. de conuers. S. Pauli.

CAPVT L.

Ioseph cum fratribus & Aegyptiis plangit patrem defunctum, eumque sepelit in Hebron. Fratres ob admissum olim in se crimen pauidos consolatur. Et cùm esset 110. annorum moritur: iubetque sua ossa in Chanaan deferri.

¥. 10. PLANCTV *magno atque vehementi*] Solemnia Iudæis in funere erant, Primò, ieiunium vsque ad vesperam. Secundò, fletus publicus. Tertiò, virtutum defuncti commemoratio & laudes. Quartò, lamentationes, & lessi, voce & cantu lugubri: & hic proprie planctus dicebatur. Accedebat plerumque manuum complosio, pectoris & femoris percussio, vestium conscissio, iniecti cineres capiti, saccus cilicinus, capita terræ allisa, &c. fortè etiam corporis incisio cultellis, pilorum capitis euulsio adusque caluitium. Nam licèt hæc postea Iudæis inhibita fuisse videantur Leuitici 19. vers. 28. & Deuter. 14. vers. 1. iam tamen verosimile est, more & exemplo Ægyptiorum adhibita fuisse in tam celebri funere. Habent hæc fusiùs Herodotus & Diodorus Siculus, qui etiam varios modos condiendorum & sepeliendorum cadauerum apud Ægyptios fuisse docent, quibus incorrupta longissimo tempore asseruabantur. *Herod in Euterpe. Diod. l. 1.*

¥. 19. *Num Dei possumus resistere voluntati?*] Hoc iam suprà explicui c. 45. v. 8.

Acta Iacobi Patriarchæ & Iosephi ordine annorum digesta, vide in Chronico c. 16. Genealogiam verò posterorum vtriusque cap. 46.

LIBER EXODI

NARRAT seruitutem Ægyptiacam, ac tandem egressum Moysis & Hebræorum ex Ægypto, versus terram promissam Chanaan. Complectiturque gesta annorum 145. puta à morte Iosephi, vsque ad alterum annum ab egressu Hebræorum ex Ægypto. Ergo enarrat Primò, Patriarcharum, seu filiorum Iacobi mortem, secutamque Hebræorum ab Ægyptijs oppressionem, duramque seruitutem. Secundò, Moysis natiuitatem, gesta & decem plagas Ægypti. Tertiò, exitum Hebræorum ex Ægypto & transitum per mare rubrum, mersis in eo Ægyptijs. Quartò, manna cæleste, & in deserto copiam aquarum, & cædem Amalec. Quintò, legem datam in monte Sinai. Sextò, adorationem vituli, confractas legis tabulas, & idololatras trucidatos. Septimò, fabricam tabernaculi, & variam eius supellectilem. Porrò singularis in his omnibus eluxit diuina prouidentia tum in exercendo, tuendo, erudiendoque populo suo; tum in hostibus illius domandis ac debellandis.

CAPVT I.

NOuus Pharao immemor beneficiorum Iosephi, timensque regno suo à nimia Hebræorum multiplicatione, modis omnibus conatur illos opprimere, Primò, onerum impositione: sed exinde magis crescunt. Secundò, masculorum recèns natorum suffocatione per obstetrices: sed ha facinus detrectant. Tertiò, demersione infantulorum in Nilum.

¥. 7. QVASI *germinantes multiplicati sunt*] Hebraicè, *ebullierunt*, & *in morem ranarum aut piscium maxima copia effusi sunt*. Insinuant hęc, partus Israëlitarũ non tantùm sæpiùs repetitos, sed etiam cuiusq; partus plures fœtus fuisse. Quod in Ægypto familiare esse, notat Aristoteles. & ex illo A. Gellius, refert vnam matrem quatuor partubus viginti proles enixam esse. Quinimò & septenas proles vno partu in Ægypto editas sæpè fuisse, testes sunt Plinius, Solinus Polyhistor, Paulus Iurisconsultus, & Maiolus. Hinc nemini mirum videri debet, si spatio 210. annorum, quot effluxerunt ab ingressu Iacobi in Ægyptum, vsque ad egressum filiorum eius ex Ægypto, ita creuerit numerus Israëlitarum, vt facto lustro, ad bellum idonei à vigesimo anno ætatis & supra reperirentur sexcenta tria millia, quingenti & quinquaginta; exceptâ tamen totâ tribu Leui, & omnium tribuum feminis, infantibus ac pueris omnibus infra vigesimum annum, qui prædictum numerum armatorum (a) facilè triplo superabant. Nam vt omittamus prodigiosam Ægypti fœcunditatem, & etiam extraordinariam Dei benedictionem promissam toties Patriarchis; potuit sola via naturali, spatio tot annorum, numerus Israëlitarum in tantam multitudinem, & etiam maiorem, excrescere: vt benè demonstrat Bonfrerius.

Aristot. l. 7. Animal. c. 4 *Gellius Noct. Att. l. 10. c. 2.* *Plinius l. 7. cap. 3.* *Solinus c. 2.* *Paulus in Pandect. l. 1. to 4.* *Maiolus Canicul. to. 1. colloquio 3.*

a *Armato exisse dicitur Exodi 13. v. 18.*

¥. 8. *Rex nouus*] seu alterius nouæ familiæ, vt ait Iosephus. Nam frequens erat apud Ægyptios regiarum familiarum mutatio, vt patet ex tot tamque diuersis dynastijs, quas Eusebius & alij recensent. Caietanus dicit, hunc fuisse natione *Assyrium*. Et probari videtur ex Isaiæ 52. v. 4. & Ezech. 31. v. 3. vbi Pharao *Assur* vocatur. *Ioseph. l. 2. Antiquit.*

Nota, Iosephum à septimo rege 18. dynastiæ, nomine *Themosi* constitutum fuisse proregem Ægypti: sub huius successore *Amenophi*, huius nominis in hac dynastia secundo, Iacobum cum suis omnibus in Ægyptum demigrasse: sub *Armesesmiamo*, seu *Rameſſe* rege 17. eiusdem dynastiæ, cœptam esse persecutionem & duram seruitutem Israëlitarum. Et iste *nouus* hîc *rex* vocatur, & inter alia nouam de nomine suo vrbem *Ramessen* (b) ab Israëlitis construi iussit. Huius diuturnum fuit imperium, ad annos circiter 66. *Amenophis* verò eius nominis tertius, successor

b *Exodi 1. v. 11.*

Rameſſis,

Rameſſis, is eſt qui plagis Ægyptiacis punitus, tandem in mari rubro ſubmerſus eſt. Ita Gerardus Mercator ex Manethone & Boroſo apud Ioſephũ.

Petes, quando cœperit, & quot annos durarit hęc dura ſeruitus Iſraëlitarum in Ægypto? Reſpondeo, Certum eſt, cœpiſſe ante ortum Moyſis, qui fuit natus anno octogeſimo (a) ante egreſſum ex Ægypto. Certum quoq; videtur, non diu ante ortum Moyſis cœpiſſe, ſaltem non totis viginti annis: nam cœpit, mortuâ demum *omni cognatione illâ* (b) Ioſephi, quę ingreſſa fuerat Ægyptum cum Iacob: atqui Caath filius Leui, qui inter hos fuit, facilè ad id tẽpus ſuperuixit, (c) vt alios omittam. Gerardus Mercator vult cœpiſſe anno quinto ante ortum Moyſis: Epiphanius, Genebrardus, Pererius, & Hebræi, ſeptimo anno, quo eodem nata eſt Maria ſoror Moyſis, quæ & inde ſortita ſit nomen ſuum, quod amaritudinem ſignificat.

a *Exodi 7. v. 7. & Deuteron. vlt. v. 7.*

b *Exodi 1. v. 6.*

c *Exodi 6. v. 16.*

Vide in Chronico cap. 17.

℣. 21. *Ædificauit eu domos*] Id eſt, auxit earum familias non ſolùm opibus, ſed & prole copioſa. Proles enim ſunt quaſi lapides viui, quibus parentum domus ſeu familiæ conſtruuntur. Sic vers. 1. dicebantur filij Iacob *ingreſſi Aegyptum ſinguli cum domibus ſuis.* Quin & Ariſtoteles definit, domum eſſe œconomicam communicationem ex viro, vxore, filijs, ſeruis, ſupellectili, & iumentis.

Ariſt. 1. Polit. c. 1.

Nota, non placuiſſe Deo, neque remunerari hîc mendacium obſtetricum; ſed ſolam pietatem Hebræas exhibitam: nam erant hîc varij actus boni, prorſus diſtincti ab illo mendacio. Quos S. Gregorius & Hugo putant ſolùm ex naturali affectu profectos fuiſſe: ſed S. Hieronymus, S. Thomas, Rupertus & Pererius volunt etiam ex ſupernaturali timore & amore Dei promanaſſe, ideoque illas his actibus etiam cælum promeruiſſe.

CAPVT II.

Moyſes naſcitur, in Nilo exponitur, à filia Pharaonis aſſumitur & adoptatur. Occidit Aegyptium: fugit in Madian: vbi ducta Sephora gignit Gerſam & Eliezer.

℣. 5. FISCELLAM, id eſt arculam, *in papyrione*] id eſt, in parua cymba ex papyro efformata. Ægyptij enim ex *papyro* arbore tum naues & cymbas conficiunt, teſte Herodoto, Plinio, † Lucano, Theophraſto: tum etiam chartam, tenuiore arboris filurâ per folia acu diductâ, teſte * Plinio eodem. Et hinc charta noſtra, quæ non ex arbore, ſed ex linteis contuſis confecta eſt, propter ſimilem tamen vſum, papyrus vocatur. Ergo cymbæ vel arculæ *ſcirpeæ*, id eſt ex ſcirpo ſeu iunco paluſtri contextæ, ſed *bitumine ac pice* oblitæ, impoſitus erat infantulus, atque ita *flumini* Nilo expoſitus, ſed *in carecto*, id eſt, in loco caricibus & arundinibus, ſeu iuncis conſito, vt ferè fit ad ripas fluminum. Nam ſi arcula à ripa ſoluiſſet, à flumine in altum abrepta & euerſa fuiſſet.

† *Plin. l. 7. c. 56. Luc. l. 4. Theophraſt. l. 4. hiſt. Plantar.*

* *Plin. l. 13. c. 11.*

℣. 10. *Vocauit nomen eius Moyſes, dicens, quia de aqua tuli eum*] Lingua enim Ægyptiaca *mos* aquam, *is* vel *iſes* ſeruatum ſignificat. Ita Philo, Ioſephus, Rabanus, Clemẽs Alexandrinus & Procopius. Sed eadem vox Ægyptiaca videtur etiam in Hebræum idioma tranſlata: nam ſignificat *eductum ex aquis.* (d) Et quaſi prognoſticè deſignabat, filios Iſraël per hunc Moyſen ex aquis miſeriarum Ægypti, itemque maris rubri olim eductum iri. Hunc *in locum filij adoptauit filia Pharaonis*, quam Artapanus apud Euſebium vocat *Merin*: Ioſephus *Thermuth*. Addit Philo, eam vnicam fuiſſe Pharaonis heredem, & ſine prole, licèt diu nuptam. Vnde & Moyſes regio more in aula educatus

Philo l. 1. de Vita Moyſis. Clem. l. 1. Strom.

d *Vide Bonfrerium.*

Euſeb. de Præp. Euang. l. 9. c. 4. Ioſ. & Philo ſuprà.

A fuit, &, vt ait S. Stephanus Actorum 7. *eruditus omni ſapientia Aegyptiorum*, putà Geometria, Arithmetica, Aſtrologia, Muſica, ſecretioribuſque Ægypti (quæ hieroglyphicis notis continebantur) & politicis artibus. Addit Philo, etiam omnibus ſcientijs Chaldæorum, Aſſyriorum & Græcorum inſtructum fuiſſe, vtpote deſignatum regni ſucceſſorem. Nimirum ita diſponente diuina prouidentia, vt à puero artes omnes moreſq; regios & regendi populi praxim addiſceret. Sed licèt in aula educaretur, tamen à puero in veri Dei cultu per piam matrem inſtructus, aulicis delicijs aut vitijs effeminari ſe paſſus non eſt, aut à virtute diuelli, multò minùs ad idololatriam abduci.

℣. 11. *In diebus illis*] anno Moyſis 40. vt aſſerit S. Stephanus (e) Act. 7. *percuſſum*, id eſt occiſum, *Aegyptium*, clàm arena contexit.

e *Actor. 7. v. 23.*

Petes, Quo iure occidit Ægyptium? Nullo, inquit B S. Auguſtinus contra Fauſtum. (f) Sed poſtea (g) re meliùs expenſâ, iure, inquit, diuino, & poteſtate iam tum Moyſi collatâ à Deo, à quo vindex & liberator populi Iſraëlitici conſtitutus fuerat. Et ſatis conſtabat id Moyſi, ſed incertum an externa & ſenſibili reuelatione, an verò ſola inſpiratione ſeu ſuggeſtione interna. Certè S. Stephanus Act. 7. diſertè ait, *exiſtimaſſe* Moyſen conſtare Judæis, *quòd Deus per manum ipſius daret ſalutem illis; licèt illi id non intellexerint.* Ita S. Thomas, Rupertus, Toſtatus, Caietanus. Addit Ioſephus & Artapanus, Moyſen ante fugam ex Ægypto, præfuiſſe regijs exercitibus, & bellum contra Æthiopes feliciter geſſiſſe. Fides ſit penes auctores.

f *Auguſt. l. 22. cont. Fauſt. c. 70.*

g *Aug. QQ. ſuper Exod. c. 2.*

S. Tho. 2. 2. qu. 60. a. 6. ad 2.

CAPVT III.

Moyſes paſcens oues ſoceri ſui Iethro, vocatur à Deo ex rubo ardente, ſed incombuſto: inbeturque adire Pharaonem, & ab eo miſſionem Hebræis depoſcere.

℣. 2. VIDEBAT *quod rubus arderet*] nempe vero & materiali igne per angelum producto ex vicino aëre. Concurrebatque Deus cum hoc igne vt luceret, ſeſeque diffunderet, ſed non vt vreret, afflaret aut exſiccaret rubum. vti etiam contigit in fornace Babylonica. A *rubi* verò in eo monte frequentibus mons ipſe vocatus eſt *Sinai*, quod hebraicè *rubum* ſignificat. Vocatur & *Horeb*, id eſt ſiccitas, ſolitudo, propter loci ſolitudinem & ariditatem. Erat enim vnus idemque mons, ſed duo eiuſdem montis iuga, in radice cohærentia diuerſis illis nominibus diſtinguebantur. Ita Adrichomius & Serarius.

Adrich. de Locis SS. Serar. l. 1. Ioſue c. 4. q. 4.

Petes, Quid litteraliter ſibi voluit rubus ardens incombuſtus? Reſpondeo. Igne ſignificabatur tyrannis Ægyptiaca: rubo Iſraëlitæ; qui diuina ope illæſi, imò ſplendidiores ex hoc igne egreſſuri eſſent, ſed antea ſpinis ſuis, id eſt decem plagis, puncturi & perdituri Ægyptum. Ita Philo & Theodor.

Allegoricè, ignis in rubo eſt Verbum Dei in humana carne, inquit S. Gregorius & Cyrillus. Vel in vtero Virginis illæſa virginitate, vt Theodoretus & S. Bernardus. * Moraliter, flammæ perſecutionum aut tentationum, etiam internæ concupiſcentiæ, non lædunt iuſtos, ſed clariores reddunt. Ita Pererius.

Greg. 28. Moral. c. 2.

* *Bern. ſer. de B. Virgine & verbis Apoc. 12.*

℣. 5. *Solue calceamentum*] Idem iniunctum Ioſue cap. 5. Nempe, vt maiori veneratione ad locum illum accederet, quem Deus iam ſua præſentia ſanctificarat. Ita Euſebius, Hugo, Rupertus, Caietanus. Hinc veriſimiliter mos ille ad Iudæos, aliaſque gentes emanauit, pedes excalceandi in ingreſſu templi. Quod de ſacerdotibus Iudæorum certò conſtat ex cap. 30. & 40. Exodi. De Pythagoræis quoque & Spartiatis, Turcis, alijſque Saracenis, de Æthiopibus etiam Chriſtianis, teſtes ſunt

Theodoretus, Procopius, Ioſephus, Hermippus, & alij earumdem gentium ſcriptores. Moraliter verò ſignificatur, eum qui per orationem vel contemplationē vult accedere ad Deum, debere & maxima reuerentia id facere, & carnales omnes curas cogitationeſq; ac mundi affectus ſeponere. Ita Nazianzenus, (a) Epiphanius, Nyſſenus, Procopius, Bernardus.

(a) *Nazianz. orat. 2. de Pascha. Epiph in calce Anchorati. Nyſſen. l. de Vita Moyſis. Procop. hic. Bern. ſuper Apoc. 11.*

Signum magnum.

℣. 12. *Et hoc habebis ſignum*] Particula *hoc* probabiliùs non demonſtrat hîc ſequentia, *immolabis*, vel, vt eſt in Hebræo Chaldæo & Græco, immolabitis, *in monte hoc*; quia ſignum hîc datur miſſionis diuinæ ad populum Iſraëliticum & ad Pharaonem: quod certè præcedere vel ſaltem comitari debuit miſſionem, non ſubſequi. Sed demonſtrat præcedentia, nempe *ego ero tecum*, id eſt, ſingulari aſſiſtentia vbiq; adero tibi, nempe per varia prodigia & miracula, quibus facilè conſtabit omnibus, te fuiſſe à me miſſū. B

℣. 14. *Ego ſum qui ſum*] q. d. Nomen proprium diſcriminans nullum habeo, ſed quod generaliſſimum eſt *ens* ſeu *eſſe*, mihi vni reuerâ eſt proprium. nam ego ſolus à meipſo, ſeu vi meæ ſolius eſſentiæ ſum: ac proinde neceſſariò & eſſentialiter, & infinitè & illimitatè, idque ab æterno, & immutabiliter: à quo, & ex quo, tamquam immenſo eſſentiæ pelago, & primo eſſendi principio, cetera omnia creata entia promanarunt. Vnde *eſſe* meum infinitis modis excellentius eſt *eſſe* omnium etiam nobiliſſimarum creaturarum: & harum *eſſe* reſpectu mei *eſſe*, potiùs cenſetur *non eſſe*, quàm *eſſe*; quippe quæ ex ſe nihil ſint, & ſine me numquam eſſent; & licèt acceperint iam *eſſe*, non tamen permanerent vel ad momentum, ſi manum meam conſeruatricem aliquando retraherem. Sed & hoc ipſum *eſſe* quod à me habent, quantillum, quàm limitatum eſt, reſpectu mei *eſſe* C quod in omni genere entis infinitum & illimitatum eſt! Nonne vnaquæque creatura pro vno *eſſe* paruulo quod habet, infinita habet *non eſſe* aliarum rerum, quæ ipſa non eſt? Ergo *ſic dices filijs Iſraël* de nomine meo te interpellaturis: *Qui eſt*, ſcilicet modo tam excellenti, tam ſublimi, quo nulla creatura eſt, aut eſſe poteſt; qui eſt ipſummet *eſſe* tum ſuum formale, tum cauſale rerum omnium: qui eſt plenitudo & vniuerſitas totius *entis eſſentiæ & exiſtentiæ*, *miſit me ad vos.*

יהוה *vel* יהוה

Nota. Ex quo Deus hoc ſibi nouum nomen indidit, cùm antea non niſi *Elohim* diceretur, exinceps ſemper in Scripturis vocatur nomine tetragrammato *Iehoua* vel *Iiheue*, quod & re, & ſignificatione, & radice, & litteris, & punctis idem eſſe quod *ſum qui ſum*, demonſtrant Genebrardus, Bellarminus, Angelus Caninius, Galatinus, & Arias Montanus, à Lapide, Bonfrerius & alij. D

Genebr. & Bellarm. in pſal. 33. Ang. Can. de Locis Hebr. Galat. l. 2. c. 10. Arias libro de Ioſeph.

CAPVT IV.

Quòd Moyſes à Deo mittatur, triplici miraculo comprobatur, putà conuerſione virgæ in colubrum, manus diuinitus leproſa & ſanata, mutatáq; aquâ in ſanguinem. Porrò miſſioni huic poſt multam tergiuerſationem acquieſcit tandem Moyſes, reditque in Aegyptum cum vxore & filiis. Sed, quia vnus necdum circumciſus erat, mortis adit periculum: quod euadit, circumciſo filio. Reduci fratri in Aegyptum occurrit Dei monitu Aaron.

℣. 4. APPREHENDE *caudam eius*] Hæc tria portenta, colubri, lepræ, & ſanguinis primariò & per ſe adhibebantur ad probandum populo & Pharaoni, hanc Moyſis miſſionem à Deo proficiſci, ipſumque iuſſu Dei poſtulare quæ poſtulaturus veniebat. Simul tamen myſticè deſignabant ſtatum Iſraëlitarum in Ægypto, & miſeram eorumdem afflictionem, ac poſtliminio redemptionem. Nam virga ſeu ſceptro ſignificabatur Primò, Ioſephi proregis dominatio, & florens Iſraëlitarum in Ægypto ſtatus. Secundò, deiectione virgæ in terram, & in colubrum conuerſione, deiectio eorumdem & afflictio. Denique reſtitutione eiuſdem virgæ ex colubro, rediuiua libertas, potentia & florentior ſtatus deſignabatur. Simili modo per leproſam manum, & aquam ſanguineam, miſera illa & crudelia tempora figurabantur, quibus & valetudinem, & vires, adeoque & ſuccum, & ſanguinem Iſraëlitarum tyrannicè exhauriebant Ægyptij, etiam infantulos aquis præfocantes; quam crudelitatem Deus aquâ in ſanguinem mutatâ portendit, ſe nunc acriter vindicaturum. Ita Liranus, Toſtatus, Pererius ex Origene & S. Auguſtino.

℣. 13. *Mitte quem miſſurus es*] Iuſtinus Martyr, Cyprianus, Tertullianus, Baſilius, Cyrillus, Rupertus, & plerique veterum Patrum, hæc de Meſſia ſeu Chriſto intelligunt, & rectè: quia ipſe aptiſſimus erat illi rei, & ab æterno deſignatus populi liberator. Phraſis tamen Hebraica non aliud exigit, quàm vt quiuis demum alius magis ad id idoneus pro Moyſe mitti poſtuletur. Et fauet verſio LXX. & Vatabli: & ſic exponunt Toſtatus, Caietanus, Oleaſter.

℣. 16. *Tu eris ei in his quæ ad Deum pertinent*] Hebraicè, *tu eris ei in Deum*. Id eſt, volo vt Aaron te conſulat quid & quo tempore loqui & agere debeat, & tibi quaſi Deo obediat: nam tibi ego, non verò illi, immediatè pandam voluntatem meam.

℣. 25. *Circumcidit præputium filij ſui*] Nempe, monitu angeli cognorat Sephora, ideo Deum iratum eſſe Moyſi, quòd filium ſuum iuniorem hucuſque, itineris fortè prætextu, circumcidere neglexiſſet. Nam dedecebat, legiſlatorem futurum, in lege (b) ſeruanda videri ſegniorem. Ergo periculo mariti territa Sephora, cultello lapideo, qui fors ad manum erat, arrepto, circumcidit filium, reſectumque præputium humi ante Moyſen abiecit. b *Geneſ. 17. v. 10.*

Tetigitque pedes eius, & ait: Sponſus ſanguinum tu mihi es] q. d. Mi marite, ego te morti deſtinatum ab angelo, redemi ſanguine filij mei: atque ita iam ſecundò te mihi ſponſum coëmo. nam nuptiæ ſolebant olim coëmptione fieri tum apud Hebræos, tum apud Romanos. Ita Tertullianus, Iſidorus Peluſiota, Rupertus, Liranus, Toſtatus, Caietanus, Pererius.

CAPVT V.

Moyſes cum Aarone adeunt Pharaonem, petuntque vt Hebræis permittat ire ſacrificatum in deſerto. Sed Pharao preces illorum contemnit, grauiuſq; hoc nomine premit Hebræos: qui eam ob cauſam cum Moyſe expoſtulant.

℣. 12. AD *colligendas paleas*] In Hebræo, Chaldæo & Græco, *ad colligendas ſtipulas pro paleis*, quæ comminutæ, & luto commiſtæ reddebant duriores & firmiores lateres. Nam vbi figularis & pinguior eſt terra, minimeque poroſa, vt in Ægypto, niſi paleas ſeu ſtipulas eiuſmodi commiſceas, quibus lutum poroſius fiat; non poterit ferre vim ignis; ſed magno crepitu lateres in fruſta diſſilient & diffringentur. Ita Philo, Liranus, Toſtatus, Oleaſter.

Tropologicè, quomodo Pharao, id eſt dæmon, ſuos occupet paleis & luto, & terrenarum rerum ſordibus, ex SS. Gregorio, Auguſtino, Bernardo, vide Pererium.

℣. 21. *Videat Dominus & iudicet*] Formula eſt exprobrandi; quaſi dicant: Deus qui omnia videt, ob iniuriam quam nobis facitis poſtulando miſſionem

nem à Pharaone, vos puniat & castiget.

Quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone] Id est, qui antea grati eramus Pharaoni, iam odiosos & execrabiles illi fecistis.

Et præbuistis ei gladium vt occideret nos] Id est, importuna vestra solicitatione dedistis regi occasionem nos durius affligendi.

Nota. Cùm Deus aliquid prædicit, aut promittit futurum, ferè solet quædam mox subiungere contraria, quæ spem futuri videantur quasi tollere: idque vt nostram probet constantiam, & acuat fiduciam: ac re ipsa discamus, cùm vehementissimæ ingruunt tentationes, tum proximam esse salutem & liberationem; vt hic magno suo bono experti sunt Israëlitæ.

CAPVT VI.

Deus de nouo animos addit Moysi, eique reuelat nomen suum Iehoua. Retexitur genealogia Ruben, Simeon & Leui vsque ad Moysen & Aaron.

℣. 3. APPARVI *Abraham, Isaac & Iacob, in Deo omnipotente*] Id est, declaraui patribus tuis me esse omnipotentem, quando nempe tantis benedictionibus illos cumulaui, & quantis volui opibus ditaui. Sed tamen familiarius me tibi aperui, cùm *nomen meum* mihi maximè proprium *Adonai* (hebraicè est *Iehoua*) quod numquam illis *indicaui*, tibi manifestum fecerim: simulque deitatis seu diuinæ essentiæ meæ, hoc nomine significatæ, notitiam clariorem tibi, quàm patribus tuis dederim: tibi nomine illo meo manifestè declarans, me esse primum, summum, æternum, & omni modo infinitum ens, atque immensum essentiæ pelagus, causamque & principium quorumcumque voluero entium. q. d. Debes ergo meritò etiam præ alijs Patriarchis, quibus tanta lux non obtigit, mihi credere, mihique fidere, certoque tibi & alijs persuadere, nihil eorum omnium quæ promisi, mihi impossibile, difficile, aut minùs cordi futurum: &, aduersetur quantum volet Pharao, me vos ex ergastulo Ægypti certissimò educturum Ita Philo, Theodoretus, Cyrillus, Procopius, Liranus, Tostatus, Caietanus, Eugubinus. Hoc nomen Dei *Iehoua* summus Iudæorum pontifex lamina aurea gestabat in fronte. Et sic Iaddus pontifex occurrit Alexandro Magno, qui licèt offensus Hebræis, hac tamen maiestate diuini nominis perculsus, humi se prostrauit & pronus adorauit, teste Iosepho. Idem nomen dicebatur *ineffabile*, non quòd nemo id effari possit (nam & Moyses coram Hebræis, & coram Pharaone, vti iussus erat, ita effatus est;) sed quia religionis causa, ab eo quasi sacratissimo, temerè effando abstinebatur: & non nisi in templo, cùm pontifex populo benediceret, (*a*) & cùm Sanctum sanctorum ingrederetur, (*b*) publicè pronunciari solebat, teste eodem Iosepho & Philone, & S. Hieron. (*c*) qui decem diuersa Dei nomina pulchrè explicat & distinguit.

Ioseph. l. 11. Antiquit. in fine.

(a) *Numer. 6. v. 24.*

(b) *Leuit. 16.*

(c) *S. Hieron. ep. 135. ad Marcellam.*

℣. 12. *Incircumcisus labiis*] id est, rudis, impeditus labijs & lingua, in loquendo rusticus, infacundus, & ad persuadendum ineptus. Metaphoricè enim Hebræi vocabant *incircumcisos lingua, corde, mente, auribus*, (*d*) quotquot horum aliquo vitio aut defectu aut excessu quasi callo laborabant.

(d) *Act. 7. v. 51.*

CAPVT VII.

Remittit Dominus Moysen ad Pharaonem, coram quo virgam suam Moyses vertit in colubrum: & omnes aquas Aegypti conuertit in sanguinem. Sed cùm similia signa facerent etiam malefici, obduratur Pharao ne dimittat Hebræos.

℣. 1. CONSTITVI *te Deum Pharaoni*] scilicet participatione diuinæ meæ potentiæ, in puniendo Pharaone, & affligenda Ægypto. Quasi dicat: Tantum abest, tibi metuendus sit Pharao, vt ille potiùs cogendus sit te tamquam Deum metuere, & vel inuitus tibi pariturus. Atque vt maiori apud eum sis auctoritate, nolo per te multa illi loquaris, sed *Aaron erit propheta tuus*, id est interpres, per quem quæ vel illi, vel populo dicta voles, exponi & promulgari facies. Ita S. Augustinus, Theodoretus, Rupertus. Sic 1. Corinth. 14. *prophetare* significat, interpretari, docere, prædicare verbum Dei.

℣. 3. *Ego indurabo cor eius*] Non directè id volendo, intendendo, aut agendo; multò minùs impellendo vel cogendo, vt impiè blasphemat Caluinus & alij nostri temporis hæretici: sed solùm indirectè causando. & per accidens, nempe non impediendo, sed permittendo, neque iuuando indignum speciali ore gratiâ, vel etiam iustè quædam ponendo eique immittendo, per quæ suamet malitia sit indurandus. Vnde passim vbi nos habemus, *Ingrauatum*, vel *Induratum est cor Pharaonis*, in Hebræo est, *Indurauit Pharao cor suum: Ingrauauit cor suum.* Et c. 10 vers. 16. Pharao minùs impius quàm Caluinus, non Deo, sed sibi culpam omnem adscribit, *Peccaui*, inquiens, *in Dominum Deum*, &c. Itaque Deus non voluit peccata vel indurationem Pharaonis: sed neque plagas Ægyptiacas immisit in eum finem, vt his ipse indurarctur (absit hoc ab infinita illa bonitate:) sed potiùs vt illis emolliretur, & ad diuina iussa complenda flecteretur. Tamen, suppositâ ipsius pertinaciâ & obstinatione in malo, voluit Deus consequenter, punitionem illius, atque ex ea manifestationem suæ potentiæ & iustitiæ diuinæ ac gloriæ. Et sic infrà c. 9. v. 16, dicit Deus Pharaoni: *Idcirco posui te*, LXX. seruaui, & hucusque in vita & regni solio stare te feci licèt indignum, *vt ostendam in te* pro meritis puniendo, *fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Nam hos fines, suppositâ Pharaonis pertinaciâ, consequenti voluntate intendit Deus in huius tyranni seu ad solium promotione, seu in eo conseruatione. Antecedente verò voluntate non intendebat nisi Primò, vt illi, & per illum alijs benefaceret, & vt his prolixioribus beneficijs tandem resipisceret. Secundò, vt hac beneficentia & longanimitate bonitas & misericordia diuina magis eluceseeret. Tertiò, vt per tyrannidem illius magis exercerentur amici Dei, & & horum virtus ac corona, simulque Dei gloria augeretur. Cùm verò nequitiâ Pharaonis Deus non omnes hos fines, quos antecedenter intendit, consecutus sit, in locum successit punitio (*e*) tyranni, & quæ ex hac consecutæ sunt, iustitiæ diuinæ declaratio, & potentiæ manifestatio, quas consequenter solùm Deus intenderat. Atque ita semper infallibiliter consequitur Deus scopum & finem à se intentum, nempe declarationem & extensionem gloriæ suæ, via misericordiæ, si velint homines obsequi voluntati antecedenti Dei: sin nolint, saltem via iustitiæ, quam vult exercere voluntate consequente nequitiam eorumdem. Fusiùs hæc Ludouicus Molina, Vasquez, Valentia, Suarez & alij Scholastici Doctores.

(e) *Zachar. 11. v. 7.*

CAPVT VIII.

Secunda Ægypti plaga, ranarum: Tertia, ciniphum: Quarta, omnis generis muscarum. Sed post singulas indurat ur Pharao.

℣.19. DIGITVS *Dei est hic*] Id est, potentia & virtus hîc se prodit longè maior omni nostra & dæmonum magistrorum nostrorum virtute: nempe virtus solius omnipotentis Dei, qua nos præpedimur & quasi ligamur. Ita Chaldæus, Rabbini, Tostatus, Lipomanus. Græci legũt, *digitus Dei* hoc *est*.

Petes, Cur Deus permittere noluerit dæmoni, vt *sciniphes* seu culices, rem vilissimam facillimamque præstigijs efformaret: cui indulsit longè grauiora, scilicet ranas, sanguinem & dracones? Respondeo, vt tam Ægyptijs, quàm toti orbi palàm faceret, à se solo pendere omnia: se permittente, dæmonem quiduis posse in his sublunaribus: se nolente, nec culicem mouere posse.

Petes Secundò, An magi præstigijs suis veras produxerint ranas, verum sanguinem, veros dracones? Respondet Iosephus, Tertullianus, Iustinus, Ambrosius, Hieronymus, Rupertus & Hugo, magos nihil produxisse, sed oculos intuentium ludificasse, obijciendo illis speciem seu figuram draconis, sanguinis, vel ranarum; cùm tamen virga maneret virga & aqua pura aqua, &c. Sed probabilius puto, dæmonem subtractâ oculis virgâ, & aqua, &c. veros dracones, & sanguinem, & ranas aliunde allatas (vt potest celerrimè) substituisse: sicut Albertus Magnus refert, & vitulos & boues in aëra à dæmone sublatos fuisse, vt plueret vitulos & boues. Ita S. Augustinus, Theodoretus, Liranus, Burgensis, Caietanus, Tostatus, à Lapide, & alij. Et patet, quia Scriptura æquè hos magorum, atque illos Moysis, dracones vocat. Et quomodo alioqui draco Moysis diceretur deuorasse dracones magorum? an baculos deuorauit? &, si solis spectris oculos ludificassent, an Moysi promptum non fuisset fraudem detegere, & magos & dæmonem confundere?

Nota, magos hos fuisse *Iannes* & *Mambres*, vt constat ex 2. Timoth. 3. v. 8.

Nota Secundò, miracula hæc omnia à Moyse patrata fuisse in *campo* seu prouincia *Taneos*, quæ erat vrbs regia Ægypti, vt dicitur psalmo 77. v. 43. nempe, vt vbi hominum, maximeque aulicorum, & consequenter vitiorum, erat copia, ibi & plagæ inundarent. Sed mox ex regia peruaserunt totam Ægyptum, penetraruntque omnium Ægyptiorum domos etiam in terra Gessen in qua habitabant Hebræi: sed in domibus Hebræorum nulla erat plaga. Patet ex v. 22. hîc, & c. 10. v. 23. Adeò vt Philo, Iosephus & alij affirment, ex vno eodemque fonte Hebræos aquam puram hausisse, Ægyptios sanguinem: in eodem loco Hebræis claram fulsisse lucem, Ægyptijs depsissimas tenebras fuisse. Ita Abulensis, Pererius, & à Lapide.

Nota Tertiò, has decem plagas non annum integrum tenuisse, vt quidam opinantur: sed verosimilius, spatio mensis vnius alteriusve, vel paulò ampliori, omnes inflictas fuisse, putà medio Ianuarij vsque ad medium Martij, seu Pascha, quando egressi sunt Ægypto Hebræi, vt dixi in Chronico cap. 17.

Nota Quartò, Moraliter decem plagas Ægypti accommodat transgressoribus decem præceptorum decalogi, singulas singulis S. Augustinus: Orosius, decem persecutionibus primitiuæ Ecclesiæ, & plagis immissis earumdem persecutionum auctoribus.

S. August. tom. 9. Orosius l. 7. hist. c. 27.

℣.26. *Abominationes Ægyptiorum immolabimus*] Id est, arietes, vitulos, tauros, quos Ægyptij tamquam deos colunt, ac proinde iugulari apud illos nefas est & abominatio seu abominabile scelus. Ita Philo & Iosephus, Diodorus Siculus, Plutarchus, Strabo & Macrobius.

Philo l. de Decalogo. Ioseph. l. 1. contra Apionem. Diod. Sic. l. 1. Plutarch. de Iside. Strabo l. 17 Macrob. l. 7. c. 7.

CAPVT IX.

Quinta plaga, pestis: Sexta, vlcerum: Septima, grandinis, fulminum, tonitruorum. Quibus cessantibus, iterum Pharao obduratur.

℣.24. GRANDO *& ignis mista pariter*] Ita Hebræus, Chaldæus & LXX. & Sapientiæ 16. v. 17. pro re mirabili commemoratur, quòd ignis de cælo fulminatus inualescceret magis in aqua, & quòd grando igne non liquescceret. Nempe mole & crassitie sua resistebat igni. erant enim quasi frusta glaciei, quibus & homines & iumenta, quæ varijs locis peste absumpta non fuerant, quin & arbores & ædes hinc inde prosternebantur. Vt & sub Iosue in Chanaanitide, & anno Christi 824. in Gallia, & aliàs in Germaniæ varijs locis horrendæ magnitudinis grandinem etiam nostro sæculo incredibilia damna intulisse; commemorant Bonfinius, Gaguinus, Olaus Magnus, Krantzius, & Surius.

Bonfinius dec. 1. l. 1. & dec. 4. l. Gaguin. l. Olaus l. 1. c. 22. Krantzius l. 9. c. 3. Surius ann. Christi 1507.

Nota, tantò admirabiliora hæc visa Ægyptijs, quantò minùs hæc illis videre consueta. Nam teste Philone, Iosepho, Plinio & Claudiano, nullæ solent aut pluuiæ, aut grandines in Ægypto decidere, neque fulmina, aut fulgura aut tonitrua sentiri. Quod cum Seneca & Andrea Theueto intelligo de interioribus & altioribus partibus. Nam in maritimis Ægypti regionibus, & qua Æthiopiam respicit, certum est nonnumquam pluere & grandinare; sed paruis & raris pluuijs, & grandine rariore. Omnis verò terræ rigatio fit à Nilo exundante, qui aquis suis terram humectat, & limo aducto stercorat. Incipit autem hæc inundatio à solstitio æstiuo, & desinit cum æquinoctio autumnali: quia tum temporis in vicinis locis Ægypto altioribus hiems est, & aquæ partim è pluuijs hiemalibus, partim ex liquatis niuibus auctæ in Nilum illabuntur, eumque exundare faciunt. Ita Aristoteles, Scaliger, & Conimbricenses, & experientia docet.

Seneca præfat. in l. 4. Naturalium quæst. Theuetus Cosmographia.

Aristot. in Meteorolog. Scaliger exercit. 47. Conimbric. tract. 9. in Meteora c. 10.

CAPVT X.

Octaua plaga, locustarum. Nona, densissimarum tenebrarum. Quibus territus Pharao, Hebræos abire permittit sed pecora comitari non vult. Vrgenti id Moysi mortem minatur.

℣.21. TENEBRÆ *tam densæ vt palpari queant*] Est hyperbole, quasi dicas, Maximæ; & quę omnem omnino lucem, etiam astrorum, etiam ignis & facularum, excluderent, vt habetur Sapientiæ 17. v. 5. Vnde Philo, *Ignis*, inquit, *quo vtimur, vel aëre turbato extinguebatur, vel à crassissimis tenebris vincebatur*. Vbi tenebras vocat *crassissimas* ratione vaporum & nebularum spissarum quæ tenebris coniunctæ erant. quarum ratione vult idem Philo & Tostatus tenebras hîc palpabiles vocari. In libro Sapientiæ suprà citato, additur, *Ægyptijs flammas ignis, & horribiles sonitus, animalium mugitus, serpentum sibilos, fragorem petrarum ac ventorum, & spectra terrifica* apparuisse: & *vinculis tenebrarum ac longa noctis* (nempe integri tridui) *compeditos, in carcere sine ferro reclusos* fuisse. Quo toto tẽpore nec edere, nec bibere, nec somnum aut quietem capere vllus Ægyptiorum potuit; quin *nec loco* quis *suo se mouit*, sed timore quasi exanimati, & stupore immobiles, extremum in horas exitiũ præstolabãtur. Hebræis interea suis in domibus lux erat. imò in ijsdẽ ædibus tenebrę Ægyptijs erant, lux Hebræis, Deo concursum suum quem Ægyptijs subtra-

subtrahebat, non denegante oculis Hebræorum. Ita Liranus, Toſtatus, Caietanus, Caſtrius & Pererius. Addit S. Bernardus, Deum tantas tenebras Ægyptijs immiſiſſe, vt ex hac quaſi imagine diſcerent Primò, tenebras ſuæ conſcientiæ: Secundò, tenebras inferni ſibi imminentes: vt innuitur Sap. 17. verſ. 20.

Caſtrius in Sapient. 17. in fine. Bern. ſerm. 72. in Cant.

CAPVT XI.

Decima & vltima Aegypti plaga, ſtrages omnium primogenitorum. Iubentur & Hebræi ſpoliare Aegyptum.

V. 2. POSTVLET *vir ab amico ſuo vaſa argentea*, &c.] His verbis Deus, qui rerum omnium dominus eſt, innuit Hebræis, ſe dono illis dare vaſa pretioſa & theſauros Ægyptiorum: vt ſic idololatriam horum, & luxum, & iniuſtitiam caſtiget. Quamquam & ſine expreſſa Dei licentia potuerint Hebræi iuſtis titulis eadem ſibi vindicare. Primò, titulo compenſationis pro laboribus, quibus iniuſtè oppreſſi gratis ſeruierant Ægyptijs. Secundò, titulo iuſti belli, quo Ægyptios hoſtes ſuos & tyrannos inuadere poterant & ſpoliare. Ita Philo, & S. Auguſtinus, & inſinuatur Sapientiæ 10. v. 17. Quare licèt per ſpeciem accommodati acceperint ad ſacrificia & diuinam ſolemnitatem peragendam, potuere nihilominus tamquam iuſtam mercedem, & iuſto bello parta ſpolia, & cælitus ſibi donata retinere.

S. Auguſt. Lib. contra Fauſtum c. 71.

V. 5. *Ad primogenitum ancillæ quæ eſt ad molam*] Idem eſt cum eo quod c. ſeq. v. 29. dicitur, *Ad primogenitum captiuæ quæ* eſt *in carcere*. Per *carcerem* enim deſignatur ergaſtulum & piſtrinum in quod mancipia compingebantur, & ferè ad molam cogebantur: ſicut Judicum 16. v. 21. de Samſone habetur, quòd Philiſthæi carcere concluſum molere fecerint. Plura de his ergaſtulis Lipſius & Bonfrerius. Porrò cauſas & conuenientiam harum decem plagarum cum ſceleribus Ægyptiorum inſinuat partim Moyſes hinc inde, partim Sapiens cap. 11. & 18. Verbi gratia Ægyptij fuderant ſanguinem tot infantium quos in Nilo demerſerant: Deus aquam Nili in ſanguinem conuertit. Ægyptij miſero innocentium eiulatu, & luctuoſis Hebræorum lacrymis commoti non fuerant: Deus horrendo ranarum clamore & fœda ſpurcitie aures, oculos & ollas illorum complet. Ægyptij moleſtis iniuſtiſque laboribus ac flagellis ſæuierant in miſeros, nec quietem capere ſuerant: Deus ſciniphes immittit & muſcas, quæ morſu & punctione continua, & inde naſcente pruritu, etiam ipſis quietem adimant. Ægyptij pecudes & iumenta Hebræis ademerant, imò pecudum inſtar abuſi illis fuerant, & onera & ſarcinas ſuomet corpore ferre coëgerant: Deus immiſſa peſte pecudes illorum omnes abſumit. Ægyptij immanitate flagellorum & verberum ſæpè corpora Hebræorum liuida & tumentia fecerant: Deus illos vlcere peſſimo à capite ad pedes flagellat. Ægyptij fulminibus verborum, minarum, conuiciorum; grādinibus pugnorum, calcium, vulnerum ſæuierant in Hebræos: Deus horrendis viciſſim fulminibus, tonitruis, grandinibus ſata, iumenta, mancipia ipſorum proſternit & necat. Ægyptij oppreſſione Hebræorum res ſuas augere voluerant: Deus locuſtas mittit quæ omnia depaſcuntur. Ægyptij tenebris & cæcitate mentis obſtinatè inuolui cupiebant, neque Hebræos iniuſto carcere liberare volebant: Deus etiam palpabilibus tenebris, & infernali nocte ac carcere eoſdem inuoluit. Ægyptij populum Iſraeliticum, Dei *filium primogenitum* (vt loquitur Deus Exodi 4. v. 22.) contra expreſſam Dei voluntatem tam impiè, tam iniuſtè, tanto tempore afflixerant: Deus omnia illorum primogenita nocte vna iugulat, & pòſt paulò omnem regni florem, & decus, & robur omne in mare præcipitat.

Lipſius l. 2. Elect. c. 15.

CAPVT XII.

Ritus immolandi & comedendi agnum paſchalem. Cædes omnium primogenitorum Aegypti. Hebræi vbique intacti: qui ab Aegyptijs Aegypto egredi compulſi, ſecum deferunt ſpolia & opes Aegyptiorum.

V. 5. IVXTA *quem ritum tolletis & hædum*] Id eſt, eadem omnia quæ de *agno* præſcripſi, ſeruabitis etiam in *hædo*, ſi eum loco agni pro paſchali victima aſſumatis: quod omnibus licebat, & deficientibus agnis, ſubinde neceſſum erat. Siue ergo ſumeretur *agnus*, ſiue *hædus*, debebat eſſe *anniculus*, hoc eſt, non exceſſiſſe annum. Nam poterat ſumi etiam ſemeſtris, vel bimeſtris, vel minoris ætatis: dummodo tamen ſeptem dies expleſſet; hæc enim ætas vt minimum neceſſaria erat in omni victima, vt patet Leuit. 22. Secundò, debebat eſſe *ſine macula*. Hebraicè, chaldaicè & græcè eſt, *perfectus integer*. Ergo *macula* hîc ſumitur pro vitio ſeu defectu, vetaturque ne aſſumatur agnellus cæcus, claudus, mancus, mutilus, æger, ſcabioſus, vlceroſus, aut alio vitio laborans, vt explicatur Leu. 22. v. 22. Et ideo iubebatur decima die menſis primi *Niſan* in domum cuiuſque induci, ſcilicet toto quatriduo ante tempus immolationis: vt ſpatium eſſet ſufficiens commodè explorandi an omni vitio careret. Non requirebatur autem vt omni ex parte candidus, aut vnicolor eſſet, aut nulla nigroris alteriuſue coloris macula reſperſus, vt quidam imaginantur.

Leuit. 22. v. 27.

Nota Primò. Paſchalis huius ſacrificij ſeu immolationis agni miniſter ſeu ſacrificus non debebat eſſe *ſacerdos Aaronicus*, ſed quiuis paterfamilias id muneris ſubibat nomine omnium qui erant illius familiæ: & ſic dicitur hic *vniuerſa multitudo filiorum Iſrael* agnum *immolare*. Et licèt pòſt paulò decreuerit Deus, vt non niſi vno certo in loco ad id deſignando, v. g. Ieroſolymis, vel vbi eſſet arca fœderis, (a) liceret immolare aut edere agnum paſchalem: non tamen iuſſit id per ſacerdotes Aaronicos fieri; ſed priuilegium hoc, vtpote antiquius ſacerdotio Aaronico, reliquit iuxta primæuam ſuam inſtitutionem, omnibus & ſingulis patribus familias, cuiuſcumque demum tribus aut conditionis eſſent. Et hoc nomine dici poſſet, omnes patresfamilias, etiam inſtituto iam Aaronico ſacerdotio, manſiſſe quales antè fuerant *ſacerdotes*: non quidem abſolutè, neque reſpectu alicuius publici ſacrificij (nam hoc ſolis Aaronis filijs conceſſum erat) ſed ſolùm diminutè, quoad hoc vnicum dumtaxat in anno ſacrificium paſchale, quod domeſticum erat & priuatum. Ita Philo oculatus teſtis, Liranus, Dionyſius Carthuſianus, Emmanuel Sà, à Lapide, Bonfrerius & alij. contra Serarium & Toſtatum.

(a) *Deut. 16. v. 6.*

Philo l. 3 de Vita Moyſis & l. de Decalogo.

Nota Secundò. Cęremonias & circumſtantias omnes huius ſacrificij paſchalis, & abſumptionis eiuſdē, v. g. quòd *nocte*, quòd *aſſum igni*, quòd cum *azymis*, *cum lactucis agreſtibus*, vt endiuia vel cichorio, aliſve amaris herbis, vt vertit Chaldæus. quòd item *cum pedibus & inteſtinis*, antè tamen purgatis & exſecto felle: quòd *ſuccinctis renibus*, cum *calceis* & *baculis*, &c. adhiberi iuſſit Deus etiam ſecuturis ſæculis, Primò, ad indicandam feſtinationem qua contigit illa ex Ægypto migratio. Secundò, ad repræſentandam æternùm

magnitudinem & celebritatem tanti beneficij. Tertiò, & præcipuè, ad præfigurandum Christi veri & immaculati agni sacrificium tum incruentum SS. Eucharistiæ in vltima cœna: tum cruentum passionis in ara crucis. Nam vt erat figura vtriusque, ita circumstantiæ & cæremoniæ omnes vtrumque ad amussim allegoricè repræsentant, vt SS. Patres, adeoque & Ioannes (a) Euangelista S. Paulus (b) aptissimè exponunt.

a *Ioan.19. v.36.*

b *1.Cor.5.*

Ṽ. 40. *Habitatio filiorum Israel in Ægypto fuit quadringentorum triginta annorum*] Scilicet, inchoando non à descensu Iacob in Ægyptum, sed ab initio peregrinationis Abrahæ partim in Ægypto, partim in Chanaanitide. Cœpit enim hæc peregrinatio anno 75. vitæ Abrahæ, quando & promissio de Isaaco cæ-

c *Genes. 15. v. 13.*

litus illi facta; (c) & prædictum, posteros eius peregrinos fore 400. annis. Nam ab illa promissione & prædictione vsque ad ablactatum Isaac, fluxerunt anni 30. inde ad egressum Hebræorum ex Ægypto, alij 400. anni, qui simul faciunt 430. Ita Iosephus, Eusebius, Athanasius, Cyrillus, Rupertus, Abulensis, Caietanus. Et ita habent LXX. qui disertè addunt, hunc esse numerum annorum quibus *habitarunt filij Israel & patres eorum in terra Aegypti, & in terra Chanaan.* Vide Serarium & Bonfrerium.

Iosephus l.2. Antiquit. c.6.

Serar. in Proleg. Biblior. c. 17. q.23.

Nota, egressos filios Israel ex Ægypto 25. Martij: nempe eodem mense & hebdomadæ die, quo ante annos 2543. creatus fuerat mundus: & post annos 1457. incarnatus est Christus, & quo 34. pòst annis resurrexit à mortuis: & quo putatur in fine mundi venturus ad iudicium extremum, nempe 25. Martij die Dominica.

Vide Chronicon nostrum c. 48. in fine. Item Eugubinum, & Andream Masium, & Chronographos.

C

Ṽ. 43. *Omnis alienigena non comedet ex* Phase, seu victima paschali: neque *aduena*, neque *mercenarius*, v. 45.] Subaudi, nisi vestram velint religionem suscipere, & circumcidi: tum enim, neque antè, permitto illis esum agni. Sed hæc omnia libera ipsis relinquo. Sed *seruis* vestris *emptitijs* seu mancipijs, si apud vos permanserint, nolo libera relinqui, sed illis omnia eadem præcipio: neque enim cupio vos alios emere seruos, quàm qui parati sint religionem vestram amplecti, & circũcidi: &, cùm circumcisi fuerint, volo & illos ad esum agni admitti. Ita Abulens. & alij.

CAPVT XIII.

Iubet Deus sibi offerri omnia primogenita hominum & pecorum. Hebræi secum efferunt ossa Ioseph. Dux itineris Hebræorum est columna ignis & nubis.

D

Ṽ. 2. SANCTIFICA *mihi omne primogenitum*] Id est, consecra & offer mihi; & quidem primogenita hominum, in perpetuum mei seruitium, applicando eos obsequio templi mei: primogenita verò animalium mundorũ, offer in hostiam pacificam. (d)

d *Num. 18. v. 15.*

Nota. Loco primogenitorum totius Israelis, qui tota vita sua debuissent alligari seruitio templi, selegit & substituit Deus solam sed totam (e) tribum *Leui.*

e *Num. 3. & 8.*

Nota Secundò, ex illo, *quod aperit vuluam*, colligi, non omne *paternum* primogenitum, sed solum *maternum* offerendum fuisse Deo. Hinc ex vidua quæ antè pepererat, susceptus filius; vel ex non vidua, sed quæ femellam antè perpererat; non erat Deo offerendus, quia non ipse, sed alia præcedens proles vuluam matris aperuerat. Qui tamen plures (vti tum licuit) habebat vxores, debebat singularum vxorum primum fœtum, si masculus erat, Deo consecrare.

Nota Tertiò, Christum, quia nascens vuluam matris non reserauit, sed penetrauit, hac lege non fuisse comprehensum. Ita Cyrillus Ierosolymitanus, & Hormisda Papa: licèt contrà sentiant Rupertus, Iansenius, Tostatus.

Cyrill.hom. de occursu Domini. Hormisda epist.1.c.3.

Ṽ. 21. *Columna nubis*] Vna eademque erat cum *columna ignis*, quæ mota & directa ab angelo quasi à nauclero, interdiu speciem nubis, noctu ignis seu flammæ referebat: & instar altissimæ columnæ ad cælum protensæ, vt à totis castris cerni posset, præcedebat vniuersum agmen cùm iter faciendum esset: cùm verò quiescendum, supra locum tabernaculi immota hærebat. Tantum verò luminis noctu subministrabat, vt, cùm omni alia luce carerent Hebræi, solis radijs illius sat iuuarentur, etiam in suis tentorijs, ad omnia quæ necessaria essent videnda & peragenda. Et totis quadraginta annis hoc modo adfuit continuò Hebræis, vsque ad mortem Moysis, cùm nempe iam in proximo esset vt Iordanem traijcerent. Nam tum defeciisse columnam, vel ex eo patet, quòd in traiectione Iordanis iubeantur Hebræi non iam ampliùs columnam ducem viæ aspicere & sequi, sed arcam à sacerdotibus baiulatam eminus præeuntem: cùm alioqui longè facilius fuisset columnam ducem intueri & sequi, quàm arcam. Ita S. Augustinus, Abulensis, Masius, Serarius. Neque sine mysterio nam cum Iosue, figura & antitypo Christi, cessare debebant nubes & velamina Moysaica. Quamquam & hæc columna typus quoque fuerit Christi, vti & Spiritus sancti, vt fusè demonstrant Ambros. Gregorius & Rupertus.

B

S. Aug. q.3. in Iosue. Abul. Mas. Serar. in Iosue 3.

Rup. l.2. in Exod. c.28.

CAPVT XIV.

Rex pharao cum suis insequitur Hebræos. Sed angelus per columnam nubis medium sese interponit. Moyses virgâ diuidit mare rubrum, quod sicco pede transeunt Hebræi: Ægyptij aquis inuoluuntur & suffocantur.

Ṽ. 20. ERAT *nubes tenebrosa illuminans noctem*? Quomodo ergo Respondeo, migrarat angelus cum columna nubis à fronte castrorum, ad tergum, positaque erat nubes media inter Hebræos & Ægyptios insequentes: & parte sui posteriore, qua respiciebat Ægyptios, densior & latior erat, atque ideo tenebrosa, præpediens & aspectum ipsis, & accessum ad Hebræos; anteriore verò sui parte lucida erat & flammea, radios lucis suæ emittens vltra omnia castra vsque ad primam Hebræorum aciem, & hoc nouo modo viam illis per mare demonstrans. Ita Tostatus & Pererius.

Ṽ. 22. *Ingressi sunt filii Israel per medium ficci maris*] Præibat Moyses, & vsque in aduersam ripam saluos omnes & sicco vestigio deduxit: nempe per spatium trium leucarum seu milliarium horariorum. Ita Iosephus, Adrichomius & Ioannes de Barros ex Philone, Gregorio Nysseno, Lirano & Caietano. Addunt Hebræi, tribum Iuda duce Aminadab cæteris trepidantibus primam post Moysen inijsse mare, ideoque deinceps fuisse perpetuò primam & ducem reliquarum, promeritamque regium sceptrum quod Iudæ promissum erat Genesis 40. v. 10.

Iosephus l.2. Antiquit. in fine. Adricho. de terra sancta. Barros in Hist. Asiæ dec.2.l.8. c.1. Philo l.3. Vita Moysis. Greg. Nyss. de Vita Moysis.

Ṽ. 24. *Vigilia matutina* est quarta & vltima noctis vigilia, (f) quæ auroram & diluculum aduehebat.

f *Chronici c.2.*

Et ecce Dominus interfecit exercitum Ægyptiorum] Nempe emicabant è nube fulgura, tonitrua, & lapides & tela ignita vibrabantur, quibus & rotæ curruum confractæ, & equi deiecti, & *in profundum* seu in terram deorsum præcipitati sunt. Et hæc ab angelo facta

facta priùs quàm mare in suum locum reuoluereturqua deinde reuolutione, reliqui à priori clade exempti Ægyptij, aquis obruti sunt omnes ad vnum. Numerus pereuntium hic Ægyptiorum, ex calculo Iosephi, fuit quinquaginta millium equitum, & ducentorum millium peditum, præter sexcentos currus falcatos, seu falcibus vndique armatos, de quibus hic versu 7. Vestigia verò curruum istorum, & orbitas rotarum perpetuò conspicua deinceps remansisse non solùm in littore, sed etiam in ipso rubro mari, tradunt Orosius & Diodorus Tarsensis.

Iosephus suprà

Orosius l.1. hist c.10. Tarsensis Chrysostomi praceptor, in Catena.

Nota, mare hoc in sinu Arabico situm non vocari rubrum à sanguine Ægyptiorum, quo submersis illis fuerit quasi rubricatum; vt quidam opinati sunt: sed neque aquam illius esse natùra sua rubram: nam pellucida prorsus est, instar alterius cuiusuis aquæ, vt haurientibus patet. Sed rubrum colorem repræsentant pluribus locis arenæ rubeæ seu corallinæ quibus maris illius fundus scatet. Ita Barrius, Andreas Masius. & Conimbricenses.

Conimbr. in Meteora tract 8 c.2.

Allegoricè mari huic comparat baptismum Apostolus Paulus 1.ad Corinth.10.& fusè exponunt Origenes, Theodoretus, Rupertus.

CAPVT XV.

Moyses & Hebrai canunt epinicion Deo, vti & Maria cum feminis. Veniunt Hebrei in Mara vbi Moyses amaras aquas insperso ligno dulces reddit. Inde pergunt in Elim, vbi erant 12 fontes, & 70.palma.

¥.13. PORTASTI *eum.* Enallage temporis præteriti pro futuro, est enim prophetia: id est portabis. *ad habitaculum sanctum tuum*, seu in terram sanctam, putà Chanaanitidem; quam versu 17. vocat *montem hereditatis* & *sanctuarium* Dei: quia Deus illam terram peculiariter designarat sanctificare non solùm inhabitatione Patriarcharum, totiusque populi sui sancti, qui erat *hereditas* Dei: sed & templo suo istic exædificando, & cultu diuino publicè ibi excitando. Vocat verò *montem*, quia vt plurimùm montuosa & cliuosa erat terra Palæstinæ: & quia in ea erat mons Sion vel Moria, in quo prænidebat Moyses constructum iri templum Domini à Salomone. In hoc templo *regnabit Dominus*, seu rex ab omnibus agnoscetur, coletur, laudabitur, adorabitur, *in æternum & vltra*] Hyperbolè, id est perpetuò, scilicet quamdiu synagoga stabit, & quamdiu Ecclesia Christi durabit, tum militans in terris, quæ aliegoricè; tum triumphans in cælis, quæ anagogicè per synagogam & templum Ierosolymitanum significatur. Ita S.Augustinus: Rabbi Salomon & Liranus etiam ad literam hæc omnia exponunt de patria cælesti seu Ecclesia triumphante.

¥.20. *Maria prophetissa*] Nam reuelationes ipsi peculiariter à Deo factas constat ex verbis Num.12. v.2. *Nonne & nobis similiter locutus est Dominus?*

Nyss l de virg nit. c.1. Ambr de Virginibus l.2 c.1. Magd in Exodum Mosis Seraria l.2 q.30. Iansen l Antiqu. c.2 & 4.

Petes, an Maria soror Moysis virgo permanserit, an verò fuerit matrimonio copulata? Virginem mansisse censet Gregorius Nyssenus, Ambrosius, Cosmas Magallianus, fuisseque instar Sibyllæ. Nam si coniugata fuisset, iam non *soror Aaronis* aut Moysis, sed vxor talis, more S.Scripturæ hoc cap.& alibi vocaretur. Nolim tamen contendere cum Seratio, & alijs qui secuti Iosephum censent nupsisse *Hur*, auo *Beseleelis*, cuius mentio fit Exod.24.v.14. vt fusè demonstrat Bonfrerius, & ex eo maximè quòd illo tempore virginitatis studium & rarum esset, & laudi non daretur.

¥.25. *Ostendit ei lignum*] Verisimillius est fuisse certam speciem ligni, cui naturalis inesset virtus dulcorandi, (vt solet glycerizæ,) & adustas terræ partes quæ reddunt aquas amaras, secernendi ac fugandi. Quod colligitur ex 38.cap.Ecclesiastici v.5. vbi ex professo deprædicans vim medicam variarum rerum naturalium, pro exemplo dat id de quo hic agimus lignum, cùm ait: *Nonne à ligno indulcata est aqua amara?* Certè si solo miraculo id huic ligno obtigisset, nulla esset vis exempli ad commendandas aut comprobandas res medicas naturales. Ita Caietanus, Liranus, & Franciscus Valesius.

Valesius de S.Philosophia c. 15.

Allegoricè adumbratur virtus crucis Christi. Sicut versu vlt. per 12.fontes 12.Apostoli, per 70.palmas 70. discipuli Christi designantur, quorum opera totius mundi sitis & fames spiritualis depulsa fuit. Ita SS, Patres omnes & Doctores.

CAPVT XVI.

Deficiente farina Hebrai fame pressi murmurant. Deus mittit coturnices, & pluit manna, quo illos aluit per 40. annos.

¥.9. ACCEDITE *coràm Domino*] Id est, conuenite ad tabernaculum, vbi Deus publicè colebatur, & quò omnes statis temporibus conuenire solebant religionis & precationis causa. Nam tale aliquod tabernaculum fuisse in castris iam inde ab initio, etiam antè quàm extaret illud maius, quod paulò pòst Deo ex Sinai iubente constructum fuit, patet ex Exodi 33.v.7.& sequentibus. Super hoc tabernaculo, cùm Deus Moysi loqui vellet, apparebat *gloria Domini in nube*: id est, ex nube admodum lucida & splendida emicabat gloria & potentia diuina, obumbrans verosimiliter Moysen istic orantem.

¥.14. *Quasi pilo tusum*] Id est, quasi in mortariolo in minuta grana redactum decorticatum. Ita Chaldæus; LXX. *quasi crystallus*, quia erat colore albicante, (*a*) & instar pruinæ, vt hîc (*b*) dicitur, concretæ & conglaciatæ. Numerorum tamen vndecimo dicitur fuisse coloris bdellij, hoc est albi ad flauedinem tendentis. Fortè splendor albedini adiunctus flauum ex parte apparere faciebat. Licèt etiam, teste Francisco Valesio, manna reperiatur nonnihil reuera flauescens.

a *Hic v.31.*

b *v.14.*

Vales.suprà c.57.

Petes, An cæleste illud manna fuerit eiusdem speciei cum nostro manna vulgari, quod in monte Libano, (*c*) & in Arabia (*d*) passim, & etiam in Calabria (*e*) colligi solet? Respondeo, quoad substantiam videri fuisse eiusdem speciei. Ita Franciscus Valesius, Leuinus Lemnius, (*f*) & Conimbricenses. Sed accidentarijs præcellentijs longè nobilius erat nostro: nam vt de quantitate taceam, quæ vicies aut tricies centenis hominum millibus quotidie pascendis sufficeret; præter morem vulgaris mannæ, quod solis diebus æstiuis, serenis & rorulentis generatur; istud Moysis manna quotidie depluebat, tam hieme, quàm æstate, idque totis quadraginta annis: solis Sabbathis exceptis: sed tunc pridie, scilicet die Veneris, duplum depluebat, quantum nempe biduo nutriendis omnibus necessum & satis esset. Secundò, manna Moysis asseruatum in alterum hebdomadæ diem quàm Sabbathum, putrescebat, angelo materiam dissoluente, cùm tamen naturâ suâ posset diutiùs asseruari. Tertiò, sole liquescebat quod in agro remanserat: cùm quod in vasis collectum erat, vsque eò durum esset, vt & pilo & mola tunderetur, nec igne liquesceret, sed in tortulas formaretur, Num.11. v.8. Quartò, æquali apud omnes mensura *gomor* (scilicet quæ cuiuis, etiam edaciori stomacho sufficeret) colle-

c *Galenus l 3. de alimentis.*

d *Iosephus suprà c.1.*

e *Matthiolus in Dioscoridem l.1. c.73.*

f *Lemnius de Herbis Biblicis c.3. Conimbric. tract. 7. in Meteora c.1.*

collectum domi reperiebatur, quantumcumque quis ex agro seu plus seu minus corrasisset. Quintò, sapore erat præstantissimo: nam præter melleum, qui mannæ congenitus est, ad vitandam nauseam indiderat Deus supra naturam, illi omnem saporem, quem comedentium quisque optabat. ita Sapientiæ 16. vers. 20. & 21. Vnde ibidem c. 19. v. 20. in Græco manna vocatur ambrosia, quæ ob delicias à Poëtis fingitur esse cibus deorum, & ferculum immortalitatis. Ita Abulensis, Hugo Cardinalis & alij. Sed hoc non murmuratoribus aut dyscolis, qui nauseabant *super cibo isto leuissimo*, Numer. 11. sed solis *filijs* Dei, seu iustis, priuilegium concessum erat, inquit S. Augustinus.

Qui & allegoricè hæc omnia applicat Venerabili Eucharistiæ. Tropol. S. Gregor. gratiæ & consolationi diuinæ. Anagogicè vterque delicijs Beatorum; vt etiam insinuatur Apocal. 2. v. 17. Vide etiam Cyrillum, Chrysostomum, Theophylactum & Rupertum. Non tamen ideo manna istud *panis cæli & panis angelorum* vocatur, quasi eo vescerentur & angeli, sed quia ope angelorum ex vicino aëre, qui nomine *cæli* intelligitur, quotidie producebatur: vel per catachresin, *panis angelorum*, id est panis optimus & angelis dignus. Simile manna simili miraculo post Christi tempora, Honorio & Theodosio Imperatoribus, in insulis Balearibus depluit rursum Deus in gratiam Iudæorum qui tum plurimi ad fidem Christi accedebant. Et aliàs iterum eodem manna pauit aliquamdiu decem illa Martyrum millia, de quibus Serarius noster c. 5. in Iosue q. 37.

Baron. Tom. 5. ex Seuero Episcopo Minoricensi.

CAPVT XVII.

Ob sitim murmurat iterum populus: sed Moyses iussu Dei percutiens petram in Raphidim, copiosas inde aquas elicit. Amalec inuadit Hebræos, sed orante Moyse caditur à Iosue.

℣. 11. CVM *leuaret Moyses manus*] scilicet in cælum ad Deum, supple, cum feruenti prece, & contentione animi. Oleaster & Caietanus volunt Moysen ita eleuasse manus, vt eas inuicem coniungeret, & inter vtramque tenuisse *virgam Dei*, id est, illam thaumaturgam qua ope Dei patrabantur tot miracula. Sed Iustinus, Tertullianus & Prosper dicunt, expandisse vtrimque manus in formam crucis. Ac primò sic stantem orasse vult S. Chrysostomus, Hugo de S. Victore, & Serarius: deinde cùm *graues* fierent *manus*, id est cùm diuturna expansione grauarentur, & præ lassitudine subsiderent, saxo impositum sedisse, atque ita brachia sedentis commodè ab Aarone & Hur sustentari potuisse. Hoc verò publico symbolo protestabatur Moyses, se non ab imbelli suorum turba, sed cælitus à Deo sperare & orare victoriam. Dicit Iosephus, ex Hebræis eo bello ne vel vnum cecidisse. Sed hoc verisimile non videtur: cùm hìc expressè dicatur, Moyse remittente manus, superasse Amalec Hebræos, quod insinuat, saltem aliquot ex Hebræis cæsos fuisse. Narrat Baronius ex Niceta Choniata similes victorias complures ex Scythis retulisse Calo-Ioannem Alexij Comneni filium in Oriente Imperatorem, cùm simili brachiorum expansione Deum exoraret. Narrat & Pater du Iarric, pauculos Lusitanos in Africa duodecies centena millia Angolanorum incredibili celeritate fudisse fugasseque, cùm Pater Barreira è Societate IESV manus ex vibis vicinæ mœnibus, instar Moysis, ad cæ ũ protenderet, non nisi pauculis suorum amissis, qui dum idem Pater manus nõnihil remisisset, prostrati fuerãt.

Iust. contra Tryphonẽ.

Serarius l. 1. Iosue c. 3. q. 11.

Baron. tom. 12. ad annũ Christi 1123.

Iarric in hist. Indic.

℣. 14. *Scribe hoc ob monimentum*, hoc est, in memoriam perpetuam, *& trade auribus Iosue*, seu refer & indica Iosue reliquorum bellorum duci futuro. Refer, inquam, quod sequitur, nempe delendam *memoriam Amalec sub cælo.* vnde versu vlt. additur *Quia malus solij Domini*, id est potentia seu virtus diuina, à solio maiestatis eius protensa, *& bellum Domini*, id est bellum (a) sæuissimum crudelissimumque, *erit* perpetuò Hebræis cum Amalecitis. Ita Liranus & Dionysius Carthusianus. Cuius eiusdem rei præceptum Israelitis datur Deuter. 25. v. 17. Exterminati verò sunt de facto à Saule 1. Reg. 15. cùm iubente Deo internecione deleti sunt Amalecitæ. Erant hi oriundi, & denominati ab Amalec nepote Esau Genes. 36. v. 12. & 1. Paral. 1. v. 36. Causæ belli erant vetus odium posterorum Esau in posteros Iacobi, quodque ob ereptam olim primogenituræ prærogatiuam, ab illis sibi metuerent.

(a) Genes. 10. v. 8. & c. 13. v. 13.

Tropologicè, egressis ex Ægypto vitiorum occurrent Amalecitæ, seu hostium & tentationum omne genus: sed virtute crucis Christi omnia facillimè dissipantur.

CAPVT XVIII.

Iethro socer Moysis, vxorem eius Sephoram cum filijs ad eum reducit: eiusq; monitu Moyses cum pluribus aliis regimen populi partitur, creatq; magistratus varios & iudices.

℣. 1. IETHRO *cognatus Moysi*] In Hebr. Chald. & Græco est, *socer Moysi*; vt constat ex cap. 3. vers. 1. suprà.

℣. 11. *Nunc cognoui quia magnus Dominus*] Id est, certa clarāque experientia didici potentiam diuinam. Vnde patet, hinc non sat solidè collegisse Rabbi Kimhi, Tostatum & Pererium; huc *Iethro* non fuisse hucusque cultorem veri Dei, sed *sacerdotem* idolorum. Nam simili modo colligere liceret, Deum nesciuisse Abraham timere Dominum, quia Genes. 22. simili phrasi ait, *Nunc cognoui quòd timeas Deum.* Et verosimile est, hunc Iethro, qui & Raguel vocatur, fuisse ex filijs Abrahæ è Cethura prognatum, vt vult Demetrius historicus & alij apud Eusebium, qui illum ab Abrahamo quintum faciunt, & veri Dei sacerdotem, simul & suæ gentis principem vocant. Et vt daremus fuisse aliquando idololatram, ante Moysis ad eum accessum; quis credat, quadraginta annorum spatio, quibus apud eum Moyses permansit, non fuisse à Moyse instructum in cognitione & cultu veri Dei?

Euseb. l. 9. Præparat. Euang. c. 4.

CAPVT XIX.

Hebræi veniunt in Sinai. Iussu Dei Moyses in montem ascendit: populus sanctificatur, præparaturq; ad legem Dei reuerenter excipiendam. Quo verò maiore Dei metu & religione percellantur, Deus montem replet fumo, igne, fulguribus, tonitruis, terræ motu & buccinæ clangore.

℣. 1. IN *die hac*] scilicet eadem, siue eiusdem numeri cum mense tertio: id est, tertia die tertij mensis. Hinc & ex v. 11. colligitur, legem è monte Sinai Iudæis datam quinquagesima die post egressum ex Ægypto, nempe sexta die mensis Seuan: qua die Hebræi in memoriam tanti beneficij quotannis celebrabant festum Pentecostes, notat Genebrandus ex Calendario Hebræorum.

Nota. Hęc mansio in Sinai fuit duodecima. In qua mansērunt immoti toto reliquo primo anno egressus sui ex Ægypto. Quo tẽpore composuit formauitque Deus Synagogam seu Ecclesiam Iudæorum, leges di-

ges dictando, sacerdotium, sacrificia, & varias cęremonias instituendo. Nam omnia quæ ab hoc c. 19. vsque ad finem Exodi conscripta sunt, item quæ toto Leuitico, & libro Numerorum vsque ad medium cap. 10. gesta sunt vno hoc loco in Sinai. Ita S. Hieronymus.

Vide Chronicon cap. 19.

℣. 4. *Super alas aquilarum*] Hebræi sæpè omittunt particulas similitudinum, quæ nihilominus subaudiendæ sunt. Vult ergo dicere, quòd instar aquilæ, quæ pullos suos suis alis altissimè sed securissimè vectat, & ad solis intuitum assuefacit, & prædam de longè prospicere atque inuadere docet: ita Deus alis suæ potentiæ & prouidentiæ Hebræos ex nido Ægypti sustulit ad sui cognitionem & cultum, & ad prædam Amalecitarum & Chananæorum.

℣. 5. *Eritis mihi in peculium.* Id est, eritis mihi peculiaris hereditas, præ omnibus electa & dilecta. *Mea est etiam omnis terra*] q. d. Etsi enim omnis terra, pari iure mea sit, attamen vobis peculiariter hoc beneficij præstabo, vt sitis & vocemini passim *populus Dei*; & *regnum sacerdotale*, id est, non laicum aut profanum regnum, sed sacrum, meoque cultui & sacrificijs peculiariter astrictum. LXX. & ex eis S. Petrus, pro *peculio & regno sacerdotali*, vertunt, *populus acquisitionis, & regale sacerdotium.* quasi dicant, Populus quem Deus eruendo ex Ægypto sibi vt proprium acquisiuit & vendicauit, & vsque eò honoris ac dignitatis extulit, vt ex mancipijs reges ac sacerdotes fecerit, vt habet Chaldæus, quæ vtraque dignitas omnium suprema est, maximeque sublimis in orbe terrarum. 1. Pet. 2. v. 9.

℣. 10. *Sanctifica illos hodie & cras*] Hebraismo. Id est, separa, seiunge populum ab omni sorde; quod fiebat lotione corporum, vestium, vasorum, emundatione castrorum, continentia ab vxoribus, &c. Sic vers. 23. dicitur mons Sinai fuisse *sanctificatus*, id est, termino separatus ab accessu populi, vt ita quasi soli Deo dicatus videretur, & nemo illum tanquam rem profanam contingeret.

℣. 13. *Cùm cœperit clangere buccina.* In Hebræo, Chaldæo & Græco additur, *prolixius.* q.d. Cùm Israelitæ altiorem & prolixorem è monte Sinai audierint sonum ab angelis edendum, qui sonus sonum buccinæ referet, *tunc ascendant in montem*] non in cacumen, quia id omnibus præterquam vni Moysi vetitum fuerat: sed ad radices montis, vbi termini statuti erant, quos transire nemini licebat. Ergo strepitu buccinæ angelicæ euocandi dicuntur è castris ad radicem montis Sinai, è quo Deus augusta & maiestatis plena voce Decalogum toto audiente populo detonabat.

CAPVT XX.

Angelus vice Dei ex monte Sinai proclamat & promulgat Decalogum toti populo Hebraorum. Sed hi maluntur, internuntio Moyse mandata Dei sibi exponi. Moyses ergo ascendit ad Deum, in caliginosiore montis loco latentem: iubeturq; ante omnia facere altare ex terra vel lapide infecto.

℣. 4. NON *facies tibi sculptile*] LXX. *idolum*, id est, imaginem Dei falsi & ficti. Non ergo prohibetur hîc quæuis imago, vt vult Caluinus & alij nostri hæretici: sed sola imago alterius Dei, vel, si veri Dei, sola imago qua diuina natura ex se incomprehensibilis, ad viuum repræsentetur (vt idololatræ fingebant) idque siue ea per se, vel in se repræsentetur, siue per aliquam creaturam, v.g. solem, lunam, vitulum, bouem, &c. Et sic explicans infrà v. 23. quid intelligat per *sculptile*, dicit, *Non facietis deos argenteos, nec deos aureos.* Et patet clarissimè ex eo quod hic subdit: *Non adorabis ea, neque coles*, vel, vt clariùs in Leuitico c. 26. v. 1 *Non facietis vobis idolum & sculptile, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum.* Vbi plura vide hac de re. Ergo secluſa adoratione, & periculo idololatriæ non vetatur hic vsus imaginum seu Dei veri, seu creaturarum; nam Deus ipsemet, etiam post hoc præceptum, iussit *serpentem aneum* (*a*) fieri: iussit *duos Cherubinos*, etiam in Sancto sanctorum collocari. Quibus plurimos alios Cherubinos (*b*) in omnibus parietibus templi Salomon adiecit: itemque 12. boues æneos (*c*) qui sustinerent mare æneum: & in solio suo leones, (*d*) & leunculos, &c. Quin & ipse Deus imaginem quoque sui corpoream humanamque obiecit oculis Moysis, (*e*) Iosue, (*f*) Isaiæ, (*g*) Ezechielis, (*h*) Danielis, (*i*) & S. Ioannis, (*k*) non spectandam modò, sed & venerandam. Vnde constat, hæc per se illicita aut prohibita non fuisse. Iudæi tamen, maximè posteriores sæculis, conscij suæ infirmitatis & in idololatriam pronitatis, quo remotiores essent ab omni periculo, omnem imaginum vsum sibi vltrò interdixisse videntur. & hoc est quod Philo (*l*) & Iosephus & Origenes & alij (*m*) subinde insinuant, illicitum fuisse Iudæis habere statuas vel imagines. Illicitum, inquam, non lege naturali, aut positiua Dei, sed proprio decreto, & maiorum traditione vbique receptâ. Cogebantur tamen subinde imperio tyrannorum numos admittere Cæsaris imagine notatos, vt colligitur ex Matthæi 22. *Cuius est imago hæc & superscriptio? Dicunt ei, Cæsaris.* Nihil ergo hinc erui potest contra vsum vel cultum imaginum inter Christianos, qui periculo tali idololatriæ obnoxij non sunt, & apud quos numquam lex eiusmodi fuit: neque Christiani adstringuntur traditionibus Iudaicis, aut legibus cæremonialibus eorumdem; qualis vt summum esset illa lex diuina positiua, si quæ aliquando fuisset, quæ illis imaginum vsum inhibuisset.

a *Num.* 21.
b 3. *Reg.* 6.
c 3. *Reg.* 7. v. 25.
d c. 10. v. 20.
e *Exodi* 33. & 34.
f *Iosue* 5. v. 13.
g *Isaiæ* 6. v. 1.
h *Ezech.* 1. v. 26.
i *Daniel.* 7. v. 9.
k *Apoc.* 1. v. 13.
l *Philo in Flaccum: & in legat. ad Caium. Iosephus l.* 15. *Antiquit. c.* 11. *l.* 17. *c.* 8. *lib.* 18. *c.* 4. *& de Bello l.* 1. *c.* 21. *& l.* 2. *c.* 8. *& l.* 2. *contra Apionem. Orig. l.* 4. *contra Celsum.*
m *Tertull. l.* 4. *contra Marcionem c.* 22. *& alij apud Vasquez to.* 1. *in* 3. *p. disp.* 104. *c.* 1. *Hieron. in Ezech.* 18. *Aug in Qq. veteris & noui testam. c.* 14. *Gregor.* 15. *Moral. c* 22. *Chrysost. in psal.* 48. *Theod. q.* 40 *in Exod. S. Tho.* 1. 2. *q* 87. *a.* 8.

℣. 5. *Visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem*] si nempe filij sequantur & imitentur peccata patrum. Ita Chaldæus, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Chrysostomus, Theodoretus, S. Thomas & alij. In quo sanè nihil notari potest inclementiæ aut seueritatis. Quin potiùs maximæ clementiæ est, cùm quis pœnam meretur, non statim punire, sed eousque differre, vt, si posteri se corrigant, nec parentum scelera imitentur, paratus sit pœnam omnino tollere: sin pergant in parentum impietate, tamen non nisi post aliquot generationes pœnam irrogare.

Nota, Deum tali casu non grauiùs filios punire quàm propria ipsorum peccata mereantur: sed tamen grauiùs punire quàm solos filios peccantes puniuisset, si parentum & auorum peccata non præcessissent. Tunc enim cõpletâ peccatorum mensurâ à se prædefinita, ad plenam vindictam prosilit, aliàs vindictam maiore misericordia temperaturus. Quòd subinde quidam filiorum etiam innocentes inuoluantur ijsdem malis quibus nocentes, id non nisi in corporalibus & temporalibus locum habet: neque pœnæ sunt illis, sed solùm pœnalitates seu molestiæ quædam, & materia maioris virtutis ac meriti: qualem etiam iustissimis & maximis amicis suis sæpenumerò Deus immittit, ad maius illorum bonum & gloriam.

CA-

CAPVT XXI.

Sicut cap. præced. sanxerat Deus præcepta moralia, nempe Decalogum: sic hoc capite sancit iudicialia, circa seruos, ancillas, furta, homicidia, maledicta, rixas, legem talionis, &c.

℣.6. OFFERET *eum diis*] Id est, iudicibus seu magistratibus, qui participant aliquid diuinitatis, nempe iudiciariam potestatem, dum exercent iudicium & iustitiam nomine & vice Dei. Volebat autem Deus in re tanti momenti, quanti est perpetua seruitus, nihil temerè aut inconsultò fieri, sed rem per iudices publicos cognosci, & non nisi ex illorum sententia constitui. Cognita verò serui voluntate, *applicandus* erat *ad ostium* domus heri sui, vt habetur expressè Deuter. 15. (a) & *ad postem perforanda auris subula.* idque non tam in pœnam aut ignominiam, vt qui negligeret recuperare libertatem, quæ beneficio legis illi offerebatur, vt putat S. Thomas, Caietanus, Abulensis, & Liranus: quàm in signum perpetuæ seruitutis, & renunciationis iuris sui: vt explicat Theodoretus, Rupertus & Lipomanus. Nam hac cęremonia designabatur, seruum debere domino suo perpetuam obedientiam, atque ita posti domus affixum, & ostio conclusum esse, vt illo egredi non possit nisi voluntate aut iussu domini sui.

a *Deut 15. v. 17. & ita explicat Glossa ordinaria Caietan. Lipomanus, Bonfrer.*

Nota tamen, quod hîc dicitur, *Et erit ei seruus in sæculum*, non necessariò intelligendum de toto tempore vitæ serui illius: sed ab interpretibus limitari vsque ad annum Iubilæum, qui erat quinquagesimus cuiusque sæculi: siue is adhuc procul, siue parum abesset. Erat enim adhuc alia tum lex Leuitici 25. quæ hanc rursus seruitutis obligationem relaxari iubebat, additis etiam alijs quibusdam serui manumittendi priuilegijs, vt exponit Iosephus, & alij passim.

Iosephus l. 4. Antiquit. c. 8.

CAPVT XXII.

Pergit sancire leges iudiciales de furto, de deposito, de commodato, de fornicatione, de maleficijs, de charitate in peregrinos, viduas, pupillos: de vsura & pignore: de decimis & primitijs.

℣.1. QVARE *fur quinque boues pro vno boue restituet*, & solùm *quatuor oues pro vna ouc?* Respondet Theodoretus & S. Thomas, quia maius furtum & damnum est bouis subducti, nam bos etiam arationi seruit, non item ouis: ergo etiam maiori pœna plectendum, cùm simul eo furto impediatur agricultura.

S. Tho. 1. 2. q. 105. a. 1. ad 9.

Nota, has & sequentes leges iudiciales positiuas vsque ad c. 25. quia pœnales ferè sunt, non obligasse nisi post sententiam iudicis, qua quis damnabatur ad tale auctarium, vel aliam pœnam subeundam.

CAPVT XXIII.

Leges alia iudiciales circa caritatem erga proximum, & personarum ac munerum acceptionem. Mox subdit quasdam cæremoniales leges de sabbatho seu quiete septimi anni, & tribus præcipuis anni festis. Denique promittit Deus Hebræis angelum ducem perpetuum & custodem, aliaque bona, si legibus suis obediant.

℣.11. ANNO *septimo dimittes eam*, (terram) *& requiescere facies.*] Nota. Sicut septima hebdomadæ dies ex decreto Dei erat sabbathum hominum, ita septimus annus erat sabbathum terræ, id est plena quies terræ, vt eam nec aratro subigere, nec conserere, nec demetere liceret, Leuitici 25. v. 4. Hinc & *sabbatichus* vocabatur hic annus: inchoaturque non à mense Nisan seu Martio nostro (vnde exordium sumebat annus sacer,) (b) quia sic perijssent messes duorum annorum: sed à mense *Tisri*, (c) seu Septembri nostro, à quo ciuilem annum suum more Ægyptiorum & aliarum gentium etiam Iudæi inchoabant: vti & annum suum Iubilæum, qui mense septimo, die decima, cum festo expiationis, ex præscripto Dei inchoabatur, Leuit. 25. v. 9. Ita Burgensis. Caietanus, Scaliger, Torniellus, Serarius, Pererius, contra Abulensem. Sed erant alia quoque eiusdem septimi Sabbathici anni priuilegia. Nam & serui omnes Hebræi natione, perfectè liberi reddebantur, si volebant, vt patet hîc c. 21. v. 2. Et ijsdem Hebræis, si qui fortè ratione egestatis mutuum ab alio Hebræo accepissent, nec haberent vnde tum redderent, debebat illud debitum ipsis remitti, etiam sine obligatione reddendi in posterum, si fortè ad lautiorem fortunam deuenire contigisset: vt colligitur ex Deuter. 15. Neque durior censebatur illa creditorum seu mutuantium conditio, cùm & antè præsciretur, & non nisi in mutuo ratione egestatis (quod parcè dari solet) locum haberet: & Deus vicissim amplam mercedem ei qui has charitatis leges seruaret, pollicitus esset. Denique debebat sub initium eiusdem anni Sabbathici legi publicè toto audiente populo Deuteronomium, scilicet in festo scenopegiæ seu Tabernaculorum, die decimaquinta mensis *Tisri*, id enim præcipitur Deuter. 31. v. 10.

b *In Chronico, c. 21.*

c *Exod. 23. v. 16. vbi mensis hic vocatur exitus anni. Burgens. ad Exodi 12. Caiet. in Leuit. 25. Scaliger de Emendat. tempor. de anno Sabbathico. Torniellus ad annum 2584. Serarius ad Iosue 13. q. 14. Pererius l. 1. in Genesin. Abulens. in Leu. 25. q. 8.*

Causa verò motiua cur Sabbathum hoc, seu quietem septimi anni instituerit Deus, fuisse videtur, Prima, vt debitus Deo honor & cultus exhiberetur, vt fiebat etiam quiete Sabbathi cuiusque hebdomadæ. Secunda, vt discerent Iudæi fidere Deo, & à nimijs vitæ huius curis auaritiaque abstraherentur, dum experientia docerentur, Deum sibi etiam non serentibus aut metentibus, posse, si vellet, de omnibus necessarijs abundè prospicere, vt prospiciebat sexto anno, quo duplam vel triplam messem præter solitum metebant. Tertia, vt Hebræos clementiæ admoneret, etiam erga inanima, multoque magis erga animata, & omnium maximè erga fratres suos Hebræos. Quarta, vt pauperes septimo illo anno pomis arborum, & fructibus agrorum, saltem ex granis anno sexto deciduis, vel sponte nascentibus gauderent; vt hîc expressè decernit. De Iubilæo vide Leuit. 25.

℣.17. *Ter in anno apparebit omne masculinum*] A vigesimo anno vsque ad quinquagesimum, inquit Caietanus; vel, vt quidam alij, vsque ad sexagesimum, (d) comparebit in loco qui publico Dei cultui destinabitur, vt pòst destinata fuit Ierosolyma. *Ter in anno*, tribus scilicet iam dictis celeberrimis festis: solemnitate azymorum seu Paschа: solemnitate messis primitiuorum, id est Pentecoste, quâ panes duo primitiarum è recenti frumento confecti debebant Deo offerri: (e) & solemnitate in exitu anni, id est scenopegiæ (f) seu Tabernaculorum, decimaquinta mensis septimi, anni sacri; vltimi verò mensis, anni ciuilis.

d *Colligitur ex Leuit. vlt. v. 3.*

e *Leuit. 23.*

f *Deut. 16.*

℣.19. *Non coques hœdum in lacte matris suæ*] id est, dum adhuc sugit lac matris suæ, inquit Vatablus, & Arias Montanus, ex Chrysostomo & Augustino: qui addunt, hac figura designari, Christum non occisum iri infantem, quantumcumque id acturus esset Herodes & Iudæi. Sed malo cum Philone, domestico teste, Clemente Alexandrino, Lirano, S. Thoma, Caietano, Tostato & Oleastro propriè, vt verba sonant accipere, nempe vetari, ne quis carnes hœdi, vel agni (vt habent LXX.) *in lacte matris* vice aquæ decoquat in olla. Idque ad auertendam speciem omnem crudelitatis, qualis esset haud dubiè, cùm quis

Chrysost. homilia de Innocent. Aug. q. 90. in Exod. Philo. l. de Charitate. Clem. l. 2. Stromat.

quis in condimentum occisi verteret, quod illi à natura concessum erat in nutrimentum.

CAPVT XXIV.

Moyses leges Domini ad populum refert. Populus eas acceptat, & fœdus æternum sancitur inter Deum & populum. Iubetur rursum Moyses in montem ascendere, vt tabulas legu à Deo conscriptas accipiat. Ascendit, manetq; in monte quadraginta diebus.

V. 6. DIMIDIAM *partem sanguinis misit in crateras*] vt ea populum postea adspergeret, vt sequitur vers. 8. Hîc Deus fœdus init cum Hebræis, & vetus testamentum seu pactum more prisco sancit sanguine victimarum, volens ostendere se cum illis quàm humanissimè agere, nec nisi consentientibus legem dare velle. Hinc vt par cum pari fœdus init, quo non minùs se quàm ipsos in- B uoluit & obstringit. Ergo ex parte Dei stat *altare ad radices Montis* Sinai: ex parte Hebræorum stant *duodecim tituli*, seu rudia saxa in titulos seu statuas erecta: itemque *duodecim iuuenes* è primogenitis, vt habet Chaldæus, principum duodecim tribuum. nam primogeniti erant adhuc tunc sacerdotes, necdum instituto sacerdotio Aaronico. Hi offerunt holocausta & victimas pacificas Deo. Mox ad fœdus sanciendum pars vtraque sanguine victimarum adspergitur: scilicet tam Deus, quàm populus. Sed quia Deus incorporeus non poterat in se, aut per se conspergi, hinc pro Deo altare, & volumen fœderis adspergitur.

Allegoricè, Christus nouum testamentum sanxit effusione veri sanguinis sui, incruenta in vltima cœna: cruenta in ara crucis. Ita Apostolus ad Hebræos 9. vbi addit Moysen hic ad adspersionem po- C puli & altaris adhibuisse etiam aquam, lanam coccineam & hyssopum.

V. 9. *Nadab & Abiu* (duo Aaronis maiores natu filij) *& septuaginta de senioribus Israel*] nempe ijdem illi qui Numer. 11. prophetasse dicuntur: *ascenderunt* vltra præstitutos plebi terminos, in montem Sinai, cum Moyse & Aarone, scilicet aliquousque.

V. 10. *Et viderunt Deum Israel*, humana & augusta specie, iudicis vel principis, sese ostentantem: & scabellum pedum eius quasi *sapphirinum*. Nam ferè vbicumque Dei thronus describitur, quasi ex lapide sapphiro compactus exhibetur, sicut *cælum, cùm serenum est*.

Nota. Hanc Dei speciem non vidit plebs, ne eius idolum aliquod fingeret, sed soli seniores à plebe remoti, & in montem aliquousque euecti: qui cùm Dei legislatoris maiestatem penitiùs intuiti essent, populo meliùs eamdem inculcare potuerunt. Subditur verò:

Et comederunt ac biberunt, nec super eos qui procul recesserant de filiis Israel, misit manum suam Deus] Id est, Deus principes illos, quià plebe procul aberant, etsi ex monte Deum viderint, nulla calamitate affecit, sed sanos incolumesque ad propria remisit. quod vel ex eo patuit, quòd reuersi ad suos, comederint & biberint, vt solent perfectè sani. Quæ res visa est omnibus admirabilis, cùm passim inualuisset opinio, ei qui Deum videret moriendum esse.

CAPVT XXV.

Iubet Deus arcam fœderis construi cum propitiatorio & duobus Cherubim, item mensam propositionis parum, & septiceps candelabrum. Itaque prosequitur hic Deus tertium legum genus, nempe cæremoniales, & continuat etiam sequentibus capitibus.

V. 4. PER *hyacinthum, & purpuram, & coccum*, intelligit fila seu lanea, seu linea coloris hyacinthini seu ianthini, purpurei & coccinei. Porrò hyacinthinus color idem est qui violaceus, vel cæruleus & cælestis, cuiusmodi colorem tam flos, quàm gemma *hyacinthus* refert: quem *amethystinum* Plinius vocat, & dicit confici ex *purpura* & *buccino* commixtis. *Purpura* succus seu sanguis est ostrei vel conchæ, quæ *purpura* aliàs *pelagia* vocatur. *Buccinum* quoque B alterius conchæ etiam *buccinum* dictæ succus est, sed duplò pretiosior & carior purpurâ, quo regiæ vestes tingi solebant. *Coccus* granum est fruticis cuiusdam, ilici breuiori non absimilis, in Armenia, Asia, Lusitania sat frequentis. Et quia species vna huius cocci seu grani est, maximè in Asia, vt inquit Plinius, in quo, nisi maturè fumo exsiccetur, innascitur vermiculus eiusdem coloris, qui vino albo forti immersus, ac postea arefactus, atque in puluerem redactus, etiam ipse rubricat pannos; hinc pro *coccineo* colore sæpè noster Interpres reddit *vermiculum*: & Galli *vermeillon*: nos *scarlatium* vel *cramesinum* vocamus. Sed huius *cocci* vix vllus hoc tempore vsus est, ex quo aliud grani genus è Brasilia & alijs Indiarum locis, quod *cochenille* vocant, ad nos delatum est, omnium penè colorum tincturæ subseruiens.

Plin. l. 9. c 36. 38. 40. 41. & l. 2. c. 8.

Byssus est lini genus subtilissimum & candidissimum, qualis est Cameracensis vel Hollandica tela subtilior. Et à *serico* distinguitur, quòd istud ex vermibus colligatur: illa è terra proueniat. Ita Hebræi omnes, & cum his Oleaster, Liranus, Abulensis, Carthusianus in hunc Exodi locum: item P. Ferdinandus, Forsterus, Kirckerus & alij. *Byssus* verò hæc, vti & sericum, & telæ bombycinæ relinquebantur subinde colori suo naturali, qui est candidus: aliquando tingebantur aliquo ex prædictis coloribus. Quin &, vt pulchrior & splendidior esset color, bis eidem tincturæ immergebantur, & coccus cocco, & purpura purpuræ superinducebatur: & hoc vocat hîc Noster *coccum bis tinctum*.

Plin. l. 16. c 8. & l 24. c. 4. & Dioscoridis l. 4. c. 43.

Ferdin. in Thesauro diuinæ Scripturæ §. Byssus. Forster. in Dictionario Hebræo. Kircher. in Concordantijs Latino-Græco-Hebraicis.

Atque ex his iam dictis quatuor coloribus, quatuor elemẽta mundi repræsentantibus, omnes vestes sacerdotales, omniaque ornamenta tabernaculi concinnari iussa, vt maiestas Dei creatoris omnium ele- D mentorum vndique eluceret: monerenturque ministri tabernaculi continuè pro toto mundo, quem repræsentabant, Deo supplicare. Ita S. Hieronymus.

Hieron. ad Fabiolam.

V. 16. *Pones in arca testificationem*] Id est, legem diuinam tabulis lapideis inscriptam. Quæ quia Dei voluntatem populo testatam faciebat, (a) & fœdus quoque inter Deum & populum initum contestabatur; (b) nunc Testificatio, nunc Testimonium, nunc Fœdus appellari consueuit. Et *arca*, quæ legem inclusam asseruabat, inde dicebatur arca testimonij, arca testamenti, arca fœderis, &c. Vnde & summa erat arcæ huius religio. Erat autem arca cistula quadrata ex lignis *setim*. locus est in eremo Sinai sic dictus, vnde & arbori huic inditum nomen *setim*, quæ similis est, teste Hieronymo, spinæ albæ, reddit- que ligna durissima, leuissima, pulcherrima & *imputribilia*, quo modo & LXX. vertere solent. Hæc arcula lignea tegebatur ab intus & deforis lamellis aureis.

a *Ita Vatablus, Sà, Torniellus.*

b *Oleaster, Cajetanus, Tostatus, Arias Montanus.*

Longa erat duos cubitos & semis, alta & lata cubitum vnum & semis.

Per circuitum arcæ *supra*, id est in superiori parte, erat *corona aurea*, seu limbus prominens: qui *corona* dicebatur, non quòd rotundus esset, (nam erat, sicut & ipsa arca, forma quadrangulari) sed quòd totam arcam cingeret & ambiret. Arcæ operculum, quod nullo ligno, sed solido constabat auro, dicebatur *propitiatorium*: quòd Deus, cuius illud quasi sedes erat & thronus, cùm inibi exoraretur, propitium se & placatum exhiberet, respondendo Moysi, vel sacerdoti se consulenti. vnde & *oraculum* hîc vocatur. Vtrimque ad arcæ latera *Cherubini* erant *productiles*, id est non solidi, aut arte fusoria facti, sed auro ductili, & malleorum ictibus extenso. forma iuuenum speciosissimorum quaternis alis, quarum binis corpora sua tegebant, binis verò alijs, vti & brachijs totiusque corporis compositione, se Deo, quasi regi suo in throno sessitanti, humillimum obsequium exhibere simulabant. De quibus vide Villalpandum, Alcazar & alios.

Allegoricè, S. Gregorius & Isidorus per arcam intelligunt Ecclesiam Christi, maximè triumphantem: S. Bernardus beatissimam Virginem Mariam: Rupertus & Beda humanam naturam Christi. Nam omnibus his omnia aptissimè quadrant.

℣. 30. *Ponesque super mensam panes propositionis*, seu quos proponi iubeo *in conspectu meo semper*] id est, in conspectu arcæ, ante Sanctum sanctorum. Hinc Hebræi & LXX. verterunt, *panes faciei*, seu ante faciem positos. Erant hi panes azymi numero duodecim, ex publico præberi, & Sabbathis semper renouari soliti: quibus duodecim tribus publicè significabant se à Deo continuò ali, & gratitudinis ergò perpetuum quasi sacrificium illi offerre, & vicem referre. Nam & thus panibus istis imponebant, vt dicitur Leuit. 24. & solis sacerdotibus in esum cedere poterant. Thuri verò imponendo seruiebant *thuribula*, sicut *phiala* sali, *crateres* & *cyathi* libaminibus, seu vino libando. Nam speciem conuiuij præferebat hæc mensa.

Nota ex Leuit. 24. panes singulos fuisse *duarum decimarum* ephi, (a) seu modij maioris, id est duorum *gomor*: seu quantum pro diurno victu duorum sufficeret. Et hos panes coqui solitos forma planiore quàm nostrates, vt seni supra se inuicem duobus ordinibus imponi possent mensæ bicubitali. E qua ne quid fòrs è mensa in terram decideret, impediebat *labium aureum*, id est limbus aureus planus mensulam ex omni parte terminans: itemque alius limbus illi plano superimpositus, & ad quatuor digitos sursum assurgens: qui quia non planus vndique & æqualis erat, sed hinc & inde cauitatibus artificio incisis, & emblematis exornatus, vocatur hîc *corona interrasilis*. Et huic coronæ interrasili ac palmari superinducta erat tertia *corona aureola*, id est limbus paruus ex auro circumcirca ductus, qui secundum illum limbum clauderet & finiret: quem LXX. vocant *vertibilem vndulam*, quòd etiam hic limbus supernè esset vndulis distinctus & interciſus.

Allegoricè, designatur hîc mensa Eucharistica, secundùm S. Hieronymum, Cyrillum, Rupertum, Damascenum: Tropologicè opera misericordiæ. Ita Beda & alij.

℣. 31. *Facies & candelabrum ductile*] Non fuit ergo *fusile* vel *conflatile*, vt ait Iosephus, sed ex lamînis aureis per malleorum ictus attenuatis confectum. Hastile candelabri tres vtrimque habebat calamos seu ramos, quorum singuli in summitate habebant lucernam: vnde lucernæ erant septem. Singuli rami ornati erant triplici ordine *scyphorum, sphærularum & liliorum*, vicissim sibi succedentium & coniunctorum: hastile verò seu stipes rectus quadruplici serie eorumdem ornabatur. Totum candelabrum vno constabat auri talento. Lucernæ illæ septenæ simul omnes tota & sola nocte locum tabernaculi, & mensæ panum propositionis, quæ erat in Sancto, ante Sanctum sanctorum, illuminabant. Manè quaternæ extinguebantur, sed tres reliquæ manebant etiam per diem accensæ. vt ex Iosepho &, SS. Scripturis optimè demonstrat P. Bonfrerius c. 27. Exodi.

Mysticè candelabrum hoc septifidum, Imago erat cælestis sphæræ septiluſtris, siue septem planetarum: Tabernaculum typus mundi: Sanctum sanctorum typus cæli empyrei Beatorum. ita Philo.

Allegoricè candelabrum est diuina sapientia ac prouidentia, vt patet ex Zach. 4. vers. 6. vel est Christus, vel Ecclesia Christi, Apoc. 1. vers. vlt. vel fides & doctrina Ecclesiæ, cuius septenæ lucernæ, id est Doctores, tota præsentis sæculi nocte lucent coram Deo & hominibus. ita S. Gregor. Beda & Ribera. *Ribera l. 2. de Temp. c. 13.*

CAPVT XXVI.

Præscribitur fabrica tabernaculi: nempe quatuor eius tegumenta. Primum & infimum decem cortinarum polymitarum: Secundum, sagorum cilicinorum: Tertium, ex pellibus arietum rubricatis: Quartum, & supremum, ex pellibus ianthinis. Deinde describuntur tabernaculi tabulæ cum suis basibus: Vectes stringentes hasce tabulas: Velum vnum oppansum Sancto, & alterum Sancto sanctorum.

℣. 1. TABERNACVLVM erat templum mobile & portatile, inquit Iosephus, cum Hebræis ambulans per desertum: eratque quasi tentorium castrense, quod per partes soluebatur & conuasabatur cùm castra mouerentur. In longum habebat *cubitos triginta*, in latum *decem*, in altum *decem*. (b) Compactum erat ex tabulis lignorum *setim* (c) inauratis, quarum quæque lata erat *cubitum & semis*, (d) & duabus *argenteis basibus* (e) terræ affigebatur. Ergo viginti erant tabulæ in longum ex vna parte: & totidem ex altera: quæ in latum transuersim ad Occidentalem plagam similibus octo alijs (f) *tabulis* iungebantur. Tabulæ sibi mutuò *incastraturis* (g) seu commissuris iungebantur, attenuato latere vnius tabulæ, & in vicinæ tabulæ concauitatem immisso. A fronte, ad ingressum tabernaculi in parte Orientali, loco tabularum erant *quinque columnæ setim inauratæ*, (h) & tectæ *tentorio*, (i) id est velo oblongo, sed non ad terram vsque deciduo, quo & lumen hauriri posset, & sacerdotibus (quibus solis ingredi licebat) accessus daretur. Hæ columnæ & tabulæ sic vndique compactæ tegebantur supernè. Primò, *cortinis decem*, (k) contextis *plumario*, (l) id est polymito seu phrygio ad instar plumarij, seu quòd plumas nobiliorum auium referret: contextis, inquam, ex *byſſo*, & alijs filijs *hiacinthinis*, *coccineis*, & *purpureis*: ijsque non simplicibus, sed duplicatis aut triplicatis, adeoque & *retortis* (m) & inter se conuolutis: quo spissius & durabilius esset opus. Hæ cortinæ ad modum tentorij supernè distendebantur, & pro cælo seu testudine erant: vnde & *tentoria* (n) hîc vocantur. Secundò, cortinis istis superinducta erant vndecim *saga cilicina*, (o) id est vndecim cortinæ è pilis caprarum contextæ. His Tertiò, *pelles arietum rubricatæ*, (p) id est, rubro colore tinctæ. Quartò, denique pellibus istis rubris aliæ rursum *pelles ianthinæ* (q) coloris superinductæ

b *Exod.* 26. v. 16. 18.
c v. 15.
d v. 16.
e v. 19.
f *vsq;* v. 24.
g v. 17.
h v. 37.
i v. 36.
k v. 1.
l v. 31. 36.
m v. 1. 36.
n v. 2.
o v. 7.
p v. 14.
q v. 14.

ductæ erant, contra pluuias & procellas. Et his quatuor cortinis constabat *tectum*, (a) seu operculum tegens tabernaculum.

a v. 12.

Ab intus tabernaculum in duas diuidebatur partes. Prior siue anterior erat viginti cubitorum, dicebaturque *Sanctũ*, vel *Sancta*, vel *Sanctuariũ*: (b) Posterior & interior erat decem cubitorum in longum, totidemque in latum, vocabaturque *Sanctum sanctorum*, vel *Sanctuaria sanctuarii*, (c) id est sanctissima pars tabernaculi: eratque quasi chorus sacelli. In hunc locum soli summo pontifici licitum erat ingredi, nec nisi *semel in anno*, nempe die *expiationis*, Leuit. 16. Diuidebatur autem *Sanctum* à *Sancto sanctorum* per *velum*, (d) quod moriente Christo scissum est, quia Christus morte sua *Sanctum sanctorum*, id est cælum & claram Dei visionem, reserauit. In *Sancto sanctorum* non erat aliud quàm *arca* cum *propitiatorio* (e) & *Cherubinis*, *tabula legis* in arca; *virga Aaron*, & *vrna cum manna* vtrimque ad latera arcæ. In *Sancto* (f) autem erat *mensula panum propositionis* ad latus Aquilonare: *candelabrum* septifidum ad Meridionale: in medio *altare thymiamatis* obuersum arcæ & propitiatorio, vt eò ascenderet fumus thymiamatis, quod Deo adolebant in hoc altari. Ad hanc tabernaculi formam solitas olim construi ecclesias Christianorum docet Cæsar Baronius.

b v. 33.

c v. 33. 34.

d v. 33.

e v. 33. 34.

f v. 35.

Allegoricè tabernaculum applicat Cyrillus naturali *corpori Christi*, conformiter verbis eiusdem, (g) *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*. Ahj cum S. Paulo, & Ioanne Euangelista, (h) mystico corpori Christi, id est *Ecclesiæ*. Origenes cum eodem S. Paulo (i) applicat cuiuis *animæ fideli*.

g Ioan. 2. v. 19.

h 1. Tim. 3. v. 15. Apoc. 21. v. 3.

i Ephes. 3. v. 17. Orig. hom. 9.

CAPVT XXVII.

Describitur altare holocaustorum cum suis vasis, craticula & vectibus. Dein atrium tabernaculi cum suis columnis & velis quibus cingebatur. Deniq; oleum lucernarum, & accensio earumdem.

℣. 1. FACIES *& altare*] Duplex erat altare, vnum *thymiamatis*, de quo c. 30. & hoc erat intus in Sancto, seu anteriore parte tabernaculi. Alterum *holocaustorum*, (k) de quo hîc agitur, in quo & holocausta, & quæuis aliæ victimæ immolabantur & cremabantur: eratque positum ante tabernaculum in medio *atrij* sub dio, nempe propter ignem, fumum, & nidorem victimarum. Compactum erat ex lignis *setim*, (l) quæ ne ab igne læderentur, *aneis* (m) laminis exteriùs tegebantur: interiùs verò cespite, vel rudi lapidum & cæmẽti cõpagine aduersus eumdem ignem muniebantur circumcirca. In medio verò *cauum* erat *altare*, & supernè apertum, cui in medio *craticula anea in modum retis* (n) foraminata, ambitu vndique seu limbo latiore non pertuso (quem *arulam* (o) hic vocat) cincta superponebatur, per quam cineres, fauillæ & prunæ minores deciderent: victimæ verò superimpositæ sustentarentur, & ab igne subiecto cremarentur. Hæc *craticula* cum sua *arula* seu limbo poterat separari à reliquo altari: erantque diuersi *vectes* (p) craticulæ & altaris, quibus vtrumque seorsim, cùm mouenda essent, attolli & deuehi possent. Fusiùs hoc altare descriptũ habes apud Ezechielem. Morale & Allegoricam ex S. Gregor. & Beda, qui animæ fideli, & cruci Christi accõmodant, vide apud Franciscum Riberam.

k Exod. 27. v. 1.

l v. 1.

m v. 2.

n v. 4.

o v. 5.

p v. 6.

Ezech. 43. v. 13.

Leuit. 2. v. 11.

℣. 9. *Facies & atrium*] Erat area sub dio quadrangularis ambiens tabernaculum & altare holocaustorum, tum reuerentiæ, tum ornatus causâ. *Centum cubitos* (q) in longum habebat, scilicet *ab Oriente* versus Occidentem: *quinquaginta* (r) verò in latum, *ab Aquilone* ad Austrum. Ergo duplo longior quàm lata. Tota verò area circumcirca claudebatur *sexaginta* (s) *columnis aneis*, sed *argenteis* flosculis, ramis, vel emblematis vndique vestitis: singulis columnis spatio quinque cubitorum à se inuicem distantibus. *Viginti columnæ* faciebant latus *Australe*, totidem latus *Boreale*: decem claudebant latus *Occidentale*, & decem reliquæ *Orientale*. Ex his columnis vela *byssina*, sed absque opere phrygio, circumcirca dependebant, quæ hîc *tentoria* (t) vocat, & instar murorum sepiebant & claudebant atriũ: quod nulli præterquàm sacerdotibus & Leuitis, ingredi licebat. Vnicum *velum viginti cubitorum*, quod erat in fronte seu *aditu atrij* à parte Orientali, eratq; quasi porta atrij, *plumarium* (u) erat, id est acu pictum, & opere phrygio seu polymito variegatum. Huius atrij pars media, seu quinquaginta priores cubiti ab Oriente in quadrum, deputati erant sacrificijs; vnde & in medio illius spatij erat *altare holocaustorum* ante frontem tabernaculi. In altera medietate atrij, quæ tota dicata erat tabernaculo, *tabernaculum* ipsum figebatur, eo situ, vt à columnis atrij lateralibus ad Austrum & Septemtrionem vtrimque distaret viginti cubitis: ab Occidente verò decem cubitis à columnis posterioribus; & totidem cubitis versus Orientem, à septo anterioris partis atrij sacrificijs deputatæ abessent. Morale vide apud S. Gregor. Bedam & Riberam.

q Exod. 27. v. 9. 11.

r v. 12. 13.

s v. 10. 11. usque 17.

t v. 9. usque 16.

u v. 16.

CAPVT XXVIII.

Describuntur vestes sacræ summi pontificis, & aliorum quoque vulgarium sacerdotum.

℣. 4. HÆC *erunt vestimenta*] Vulgarium sacerdotum vestimenta, quibus in tabernaculo ministrabant Deo, erant hæc quatuor. Primò, *femoralia* (x) *linea* seu *byssina*. Secundò, *tunica* talaris, etiam *linea* seu byssina, sed *stricta* (y) id est sine laxitate aut fluxu superfluæ materiæ, sine rugis, sinubus aut plicis, sed corpori vbique decenter adaptata. Tertiò, *zona* seu *balteus* (z) opere phrygio contextus ex varijs coloribus, inquit Iosephus *, Hieronymus & Isidorus, sed sine auro: latus quatuor digitis, texturâ præ se ferens exuuium serpentis. Quartò, *cidaris* (aa) seu tiara in capite, & quasi pileus, è byssо, rotundus instar mediæ sphæræ, per vittam occipitio adstrictus. Præter hæc omnibus sacerdotibus communia, habebat summus pontifex alia quatuor sibi propria. Primò, tunicæ strictæ albæ, de qua iam dixi, superinduebat aliam *tunicam* ferè talarem, sed *hyacinthinam* (bb), è qua infernè *aurea* (cc) *tintinnabula*, & *mala punica* opere phrygio contexta, numero septuaginta, inquit Iosephus, alternis dependebant. Secundò, *zona* altera & priore nobilior, quâ vestis hæc hyacinthina adstringebatur. Tertiò, *superhumerale* vestis erat extima, eademque pretiosissima, *polymito* (dd) seu phrygio *opere* contexta, græcè ἐπωμὶς dicta, quòd humeros tegeret: hebraicè *ephod*. Erat instar interulæ ad cingulum vsque porrectæ, quæ duabus constabat partibus, anteriori & posteriori: quæ duæ partes *in vtroque latere summitatum* (ee), id est, in vtriusque partis summitate, iungi debebant in humeris, vt è duabus vnus quasi thorax efficeretur. Et habebat hic thorax in anteriore pectoris parte superassutum aliud pretiosioris operis phrygici ornamentum *quadratum* (ff) *palmare*, dictum græcè λόγιον, latinè *rationale* (gg) *iudicij*: quòd per illud, quasi esset rationale seu ratione præditum, redderentur oracula & responsa diuina, quibus *iudicia* seu sententiæ Dei hominibus manifesta fiebant. Pontifex enim indutus *ephod*, & ornatus hoc *rationali*, consulebat Deum de futuris & dubijs: Deus verò voce aliqua vel interna, vel externa respondebat consulenti. Huic rationali intextæ erant *duodecim* (hh) pretiosæ diuersi generis gemmæ, & cuique gemmæ in sculptum nomen vnum *duodecim Patriarcharum* vel

x Exodi 28. v. 42.

y v. 4.

z v. 4.

* Iosephus l. 3. Antiquit. c. 8.

aa Exod. 28. v. 4.

bb v. 31.

cc v. 33. 34.

dd v. 6.

ee v. 7.

ff v. 14.

gg v. 15.

hh v. 17. usque 27.

tribuum Israel. Eadem nomina erant etiam insculpta A iam ratione *arcæ* fœderis seu *propitiatorij*, cui specialiter
a v.9. duobus *lapidibus onychinis*(a) eximiæ magnitudinis, quibus quasi nodis nectebantur in humeris summitates *ephod*. Et horũ singulis artè gemmaria insculpta erant
b v.10. *sex nomina*(b) sex tribuum. Idque in *memoriale* (c) *filijs*
c v. 11. *Israel*, & *ob recordationem*, id est, vt meminerit & recordetur pontifex, suum inunus esse, subditos suos ferre non solùm in *pectore* per amorem, sed etiam in *humeru*, eorum onera & peccata ferendo, ac Deum pro ipsis deprecando & sacrificijs placando. Ita S. Hieronymus & Beda, Oteaster, Caietanus, & Torniellus, qui cum Aria Montano, sub *pala* horum duorum *onychinorum* in humeris pontificis collocat *aureos* illos *uncinos* quorum hîc(d) fit mentio, qui mordebant *catenas aureas* insertas in summitate annulis *rationalis*, atque ita retinebant rationale in sua lacuna, in qua ad pectus pontificis recipi debebat.

Hieron. epist. ad Fabiolàm.

d *Exod.* 28. v. 13 14.

Quartum pontificis peculiare ornamentum erat
e v.36. 37. 38. *lamina aurea* (e) tiaræ pontificiæ *in fronte* affixa cui in- B sculptum erat *Sanctum Domino*, id est *Iehoua*, de quo egi Exod. 3. vers. 14. quod inter cetera nomina resque diuinas erat sanctissimum, summeque reverendum. Ita Iosephus Philo, Hieronymus, Augustinus, Beda, Sixtus Senensis & Torniellus.

Ioseph. l. 6. Belli c. 6. Philo l. 3. de Vita Moysis. Hieron. sup. Aug. q. 120. in Exod. Beda in Catena. Sixtus l. 2. Bibliot. l P. Torniellus in Annal.

V. 30. *Pones autem in rationali iudicii Doctrinam & Veritatem*] Hebraicè, *pones vrim & tummim*, id est, pones illuminationes & perfectiones.

Petes, quid hæc fuerint? Respondent Liranus, Abulensis, Ribera, Serarius, Delrio, Pererius, Barradius, Villalpandus, Bonfrerius, Genebrardus, Torniellus, ipsas duodecim gemmas rationali infixas, *vrim & tummim* vocatas fuisse, quatenus per illarum insolitum splendorem, vel aliam notabilem mutationem Deus oracula reddebat consulentibus, ita *docens* seu *illuminans* illos, ac *perfectam veritatem* manifestans. Sed saluâ tantorũ Doctorum reverentiâ, iubet hîc Deus, præter lapides pretiosos iam dictos, imponi rationali etiam *vrim & tummim*: ergo erat quid diuersum à gemmis. Neque verum est, semper oracula captata fuisse ex splendore aut immutatione gemmarum. Quis enim aut splendor, aut alia immutatio potuit Dauidi suggerere 2. Regum 5. & 1. Paralip. 14. *Ne ascendas contra* Philistæos, *sed gyra post tergum eorum, ex aduerso pyrorum: & cùm audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium*, &c. Dico ergo cum Philone (f) S. Augustino, Rabbino Kimhi, Ruperto, Hugone Victorino. Hugone Cardinali, Magistro historiæ Scholasticæ: Emanuele Sà, Bellarmino, Azor. & Cornelio à Lapide, has voces *vrim & tummim* inscriptas vel insculptas fuisse ipsi rationali in medio gemmarum: idq; vt designaretur, pontificem indutum ephod & rationali, ornamentis ipsi proprijs, accipere à Deo *vrim & tummim*, id est claram *doctrinam* & perfectam *veritatem* dubiorum de quibus consulebatur. Tropologicè verò, in pontifice reperiri debere *doctrinam* legis, & *veritatem* vitæ, seu morum sanctitatem.

Serar. l 1. Iosue c. 9. q. 24. Delrio l. 4. Magic. c. 1. q. 2. Perer. in Gen. tom. 4. ad c. 25. Barrad to. 2 Concord. l. 2. c. 46. Villalp. ad Ezech. 28. Genebr. anno 3640. Torn. anno 2544. n 86.

f *Philo sup. & l. de Iudic. Aug q. 117. in Exod. Bellar. l. 4. de Pont. c. 3. Azor. to. 1. Moral. l. 6. c. 42. Iosephus 3. Antiqu. 3. Iosephus Gorion. c. 5.*

Notat Delrio ex Iosepho, hoc oracului, seu responsa per *vrim & tummim* cessasse, centùm vel paulò pluribus annis ante natum Christum. Serarius verò, diu antè. nempe à Babylonica captiuitate: quòd ex eo tempore non legatur vspiam Iudæis id obtigisse. Et Iosephus Gorionides affert in hanc rem testimonium Iaddi summi pontificis tempore Alexandri Magni. Cùm enim, inquit Iosephus, *optaret Alexander Magnus de Persi belli si euentu numen consuli per vrim & tummim de quibus inaudierat, à Iaddo pontifice* responsum accepit, *A die quo domus* Israël *deportata est in Babylonem, absconditi fuerunt ab ea vrim & tummim.* Ratio afferri posset, quòd hoc oraculi priuilegium nõ ratione solius *ephod* aut *rationalis iudicij* competeret Iudæis, sed simul etiam ratione *arcæ* fœderis seu *propitiatorij*, cui specialiter Deus adesse, & exinde responsa reddere volebat: vnde etiam *Sanctum sanctorũ* passim vocabatur *oraculum*. Et disertè dicit S. Chrysostomus: *Si quando cognoscendum erat aliquid, è propitiatorio vox quædam è medio Cherubim prodibat prædicens futura.* Non quòd semper sacerdos *propitiatorio* præsens adesse deberet, sed saltẽ quando commodè posset, cùm illud fons esset & scaturigo oraculi. Iam verò cùm constet, subductam fuisse *arcam* (g) cum *propitiatorio* Iudæis in Babylonem transmigrantibus, verosimile est, etiam hoc oraculi priuilegium eodem tempore ijsdem subtractum fuisse.

g 2. *Machab. 2. v. 4.*

V. 38. *Erit autem lamina semper in fronte* Aaron, scilicet quotiescumque sacrificandum illi esset: vt significetur, peccata omnia populi, quæ pontifex pro illo oraturus & sacrificio expiaturus ferre debebat, illi remittenda virtute Iehoua, quod nomen laminæ aureæ in fronte pontificis insculptum erat. Ita Liranus & Abulensis. Hæc aurea pontificis *lamina* Ecclesiastici 45. v. 14. *corona* vocatur, & Sap. 18. v. 24. *diadema*. Nam teste Iosepho non erat simplex *lamina*, sed verè *corona* aurea. & quidem *triplici ordine*, quali & nunc ferè Romani Pontifices tiara vtuntur. Et *conflabatur hic triplex ordo, è calyculis aureis, non absimilibus ijs calyculis quos herba hyoscyamus profert: sic tamen vt calyculi isti frontem pontificis non ambirent, sed tempora tantùm & occiput: frontem enim tegebat eiusdem corona pars altera ijsdem calyculis adhærens, qua lata ac plana nomen Iehoua incisum gestabat.* Ita Iosephus. Porrò eodem versu addit Sapiens, *In veste podoris, quam habebat* pontifex, *totus erat orbis terrarum*, id est, repræsentabatur totus orbis. putà, per byssum seu *linum, terra*, è qua nascitur: per *Zonam, oceanus* terram cingens: per tunicam *hyacinthinam, aër* cærulei coloris; è qua prodeunt *mala punica*, id est fulgura; & *tintinnabula*, id est tonitrua. *Purpura* & *coccus ignem* repræsentant: *ephod* & *rationale cælum* sidereum: *onychini duo solem & lunam*, vel duo hemisphæria: duodecim *gemmæ* duodecim *signa Zodiaci*: *tiara* cælum *empyreum*: aurea *lamina Deum* omnibus supereminentẽ & præsidentem. Voluit inquam, Deus hoc habitu hæc omnia repræsentari, quo certiùs sciret & meminisset pontifex se locum tenere eius qui dominus esset totius mũdi. Item, se pro vniuerso mundo deprecatorem non minùs voce & mente, quàm habitu agere debere apud Deum: simulque totum mundum quasi adiutorem sibi in hoc munere aduocare. Ita Philo, Iosephus, S. Hieronymus, S. Thomas & alij.

Ioseph. l. 3. Antiq. c. 8.

S. Tho. 1. 2. q. 102. a. 5. ad 9.

CAPVT XXVIII.

Consecratio sacerdotum fieri iubetur hoc ritu. Primò, lauentur. Secundò, induantur vestibus sacerdotalibus. Tertiò, pro iis offeratur vitulus pro peccato, & duo arietes, vnus in holocaustum, alter in hostiam pacificam cum panibus azymis. Quartò per dies septem quotidiè vngantur tam ipse, quàm altare. Sub finem capitis præscribitur ingo sacrificium agni tam manè quàm vespere immolandi.

D V. 2. PANES, *crustulam, lagana quoque azyma*] Quas hîc S. Hieronymus *crustulas* vocat, alibi *collyridas* vertit: eratq. species panis delicatioris oleo subacti, & alijs materijs permixti quæ gratum saporem reddebant: ferè vt apud nos sunt ij panes, quorum farinæ, dum ea subigitur, mel, oua, saccarum vel quid simile additur. Porrò collyræ & lagani inter panum delicatorum genera meminit & Athenæus. Distinguuntur verò, vt ex Leuitico colligitur, quòd *lagana* in clibano coquerentur, collyrides in sartagine, panes azymi vulgares etiam in clibano.

Athen. l 3. Dipnosoph.

Leuit. 7. v. 12.

V. 10. *Imponentque manus super caput illius*] Hoc ritu impositionis manum super caput victimæ significabat sacerdos vel quicumque offerens, se victimam tradere quæ ipsius locum subiret, siue ad cultum & hono-

honorem Deo deferendum, vt fiebat in holocaustis: siue ad deprecandum Deum, vel ei gratias agendum, vt in pacificis & eucharisticis, seu sacrificio laudis: siue ad peccatum suum, peccatique pœnam quodammodo in victimam transferendam, vt fiebat in hostia pro peccato vel delicto.

℣.38. *Per singulos dies iugiter*] Inde dictum est *iuge sacrificium*, quòd iugiter quotidie offerretur, neque vnquam intermitteretur. Materia erant *duo agni*, vnus *manè* sub ortum solis, alter *vespere* sub occasum, vterque in holocaustum. Addebatur (ad complēdum conuiuium) *decima pars* ephi, (*a*) seu gomor *simulæ oleo conspersæ*, & *quarta pars hin*, seu tres sextarij, *vini ad libandum*, id est libatione seu effusione offerendum Deo.

a Prolegom. de Mensur.

Allegoricè hoc iuge sacrificium significabat sacrificiū Christi, maximè Eucharisticum, quo immaculatus Agnus, quotidie in speciebus panis & vini immolatur in Missa, quod iuge sacrificium auferet Antichristus, sicut Antiochus Epiphanes figura Antichristi sustulit illud Iudaicum, Dan. 12. v. 11.

CAPVT XXX.

Describitur altare thymiamatis. Et quoties continget, populum capitatim censeri, iubetur quisque soluere dimidium sicli in vsus templi. Describitur labrum aneum pro lotione sacerdotum. Item compositio vnguenti sacri, quo vngendi erant sacerdotes & vasa templi. Denique compositio thymiamatis in eo altari quotidie adolendi.

℣.8. THYMIAMA *sempiternum* vocat, non quòd totum diem vel noctem ille odorum suffitus perduraret, sed quòd singulis diebus adolendus esset, *oriente & occidente sole, ante matutinum & post vespertinum iuge sacrificium*, inquit Philo: neque vllo die intermitti posset. Vnde colligo, tria quotidiana sacerdotum officia. Primum, erat iuge sacrificium, de quo cap. præced. Secundum, oblatio hæc thymiamatis super altari aureo ante velum Sancti sanctorum, vt hoc cap. præcipitur. Tertium, accensio lucernarum in aureo candelabro septifido: quam vesperè semper faciebant; manè verò quaternas extinguebant, & omnes nouo oleo complebant, vt suprà diximus c. 25.

Philo l. de Victimis.

℣.10. *Deprecabitur Aaron super cornua eius semel per annum*] Hoc erat proprium summi pōtificis munus, *semel in anno*, nec nisi semel, *die* scilicet *expiationis*, intrare *Sanctum sanctorum*, & delato secum *sanguine expiationis* seu victimarum pro peccatorum expiatione immolatarum, cornibusque seu angulis altaris incensi eodem sanguine tinctis, deprecari pro peccatis suis ac populi, Deumque placare.

℣.12. *Dabunt pretium pro animabus suis*] Id est, offerent pro animæ seu vitæ suæ redemptione, ne scilicet, vt sequitur, *plaga* aliqua vel peste percutiantur.

Nota, sicut hic census populi, & tributum dimidij sicli, seu duorum regalium Hispanicorum in singula capita masculorum à viginti annis & supra, hoc loco institutus est ad expensas fabricæ tabernaculi colligendas; sic noluisse Deum deinceps citra iussum suum vel necessitatem, v.g. belli imminentis, similem indici censum, ac ne tum quidem, nisi oblato à singulis capitibus censis simili tributo semisicli in vsus eiusdem tabernaculi vel templi: quo constaret, eū censum in honorem Dei, & agnitionem supremi dominij illius fieri. Quare cùm vtrumque horum neglectum esset in eo populi censu, quē Dauid fecit 2. Regum vltimo, pestilentiâ à Deo immissâ, septuaginta virorū millia extincta sunt.

Nota Secundò, solitos Iudæos etiam extra census tempora, quotannis persoluere idem tributū, vbicumque gentium vel terrarum morarentur. vt de Iudæis Babylone habitantibus testatur Iosephus. Qui etiam addit, destructo licèt iam templo, deletis Hierosolymis, ac dispersis vndique Iudæis, Vespasiani iussu idem illud sacrum tributum, quod anteà Hierosolymis templo Dei pendebant, Romam ad capitolium mittere quotannis coactos.

Iosephus l. 18. Antiquit. c. 13. & l. 7. Belli c. 15.

℣.13. *Transit ad nomen*] supple recensitorum, id est, refertur in catalogum iam recensitorum. Vnde quidam putant, loco *nominis* legendum *numerum*, vt legitur versu præced. & sequente.

Mensuram templi] Infrà v. 24. vocat *pondus sanctuarij*, id est, pondus quod in sanctuario templi adseruabatur; quasi dicat, Pondus iustum & legitimum. Nam eum in finem sacerdotes adseruabant in sanctuario pondera, (*b*) vt reliqua quæ in vsu vulgi erant, ad illorum normam exigi & examinari possent, quo iusta censerentur. Hinc Leuitici 27. v. 25. iubet Deus, vt *omnis æstimatio ficlo sanctuarij ponderetur*, id est, vt omnes contractus, venditiones, & emptiones, iuxta pōdera in sanctuario asseruata fiant. Non ergo erant alia pondera publica (vt quidam opinati sunt) alia templi: sed omnia debebant vnius esse modi & normæ, cuius erant illa quæ in sanctuario quasi sacrosancta reposita manebant, ad quę reliqua omnia priuatorum pondera, vt iusta censerentur, exigi debebant. Vti etiam apud Romanos factitatum testis est Fannius, & probant Villalpandus, ac Mariana. Iubebatque etiam in templis Christianorum primarijs pondera & mensuras adseruari Imperator (*b*) Iustinianus.

b 1. Par. 23. v. 29.

Villalp. in fine Apparatus. Mariana de Ponder. & mensuris c. 25.

c Iustin. in Authentica, de collatoribus. §. Eos autem.

CAPVT XXXI.

Beseleel & Ooliab designantur à Deo architecti tabernaculi. Iterato inculcatur cultus Sabbathi. Et Moysi dantur à Deo duæ legis tabulæ.

℣.2. VOCAVI *ex nomine Beseleel*] Id est, ad hoc nominatim elegi Beseleel nepotem Hur mariti Mariæ, vt suprà c. 17. diximus probabile esse.

℣.3. *Et impleui eum spiritu Dei*] Id est, infudi illi omnem necessariam scientiam.

℣.6. *Et in corde omnis eruditi posui sapientiam*] Id est, omnes viros ingeniosos & artium peritos perfectiore impleui scientia, addens quod illis deerat. Itaque Beseleel & Ooliab præerant omnibus operibus, eaque dirigebant tamquam primi & supremi architecti: præter hos tamen, & sub his, alij multi ad res tabernaculi conficiendas euocati fuerunt.

℣.16. *Celebrent sabbathū in generationibus suis*, id est, & nunc & deinceps per omnes posteros. *Pactum* enim *est sempiternum inter me & filios Israel*] quasi dicat: Inter alia pacta, etiam de hoc æternùm seruando inter nos conuenit; & non nisi hac lege promisi me fore illis protectorem ac remuneratorem. Insuper erit & *signum perpetuum inter me & vos*, quo nempe ostendetis vos esse peculiarem populum meum, meque Deum vestrum: nam Sabbathi obseruatione nō minùs quàm circumcisione palàm dignoscētur Iudæi à ceteris nationibus. Plures quidem aliæ gentes religioso etiam cultu diem Sabbathi, vti & circumcisionem seruarunt, teste Philone & Eusebio: sed hos ritus à Iudæis acceperunt, quorum exempla imitati sunt.

Philo l. 2. de Vita Moysis. Euseb. l. 13. de Præpar. c. 7.

CAPVT XXXII.

Hebræi Moyse absente vitulum aureum conflant & adorant. Hinc Deus vult illos disperdere: sed retinetur precibus Moysis. Qui de monte descendens tabulas legis confringit, vitulum combussit, idololatras occidit. Dein iterum in montem ad Deum pro populo supplicaturus conscendit.

℣.15. DVAS *tabulas scriptas ex vtraque parte, & factas opere Dei*] Tam enim contemnatio tabularū, quàm ipsa scriptura erat à Deo seu angelo profecta. ET erant *ex vtraque parte*; LXX. *ex priscq; partibus hinc & hinc* cōscriptæ. vt scilicet vtrimque ab omnibus siue antè, siue pòst stantibus omnia præcepta cerni & legi possent, Ita Liran. Lipomanus, Dionysius Carthusianus.

℣. 20. *Vitulum combussit*] In hoc vitulo colebant Judæi Apin seu Serapin, exemplo Ægyptiorum, apud quos id didicerant. de quo plura dixi Genesis 41. Ad huius verò vituli imitationem suos fecit postmodum vitulos Ieroboam in Dan & Bethel. 3. Regum 13. Quod v. 24. dicit Aaron, *Proieci aurum in ignem, egressusque est hic vitulus*; non significat, arte magica productum hoc idolum, vt quidam opinantur: sed arte & *opere fusorio*, vt v. 4. dicitur, egressum seu conflatum fuisse. Haud dubiè mouerit omnem lapidem Aaron ad populum à tam fœda idololatria diuertendum, priùs quàm iniquæ illorum postulationi cederet, ideoque & *inaures* illorum in id opus depoposcit, quòd speraret numquam eos inductum iri, vt vxores & liberos suis ornamentis, quorum sunt tenacissimi, spoliarent. Diodorus Tarsens. dicit, Hebræos interminatos fuisse mortem Aaroni, ni faceret. Addunt Rabbini, alterum è duumuiris, scilicet *Hur*, socium (quin & sororium (a)) Aaronis, cùm tam impium scelus disturbare conaretur, à populo interfectum fuisse. Hæc si vera sint, minuerunt quidem peccatum Aaronis, vtpote vi ad id inducti & coacti: vnde & Ambrosius eum condemnare non audet. Sed certè non excusant etiam à graui excessu. nam quęuis etiam mors subeunda potiùs, quàm in re tam impia impijs obsequamur. Vnde & Moyses hîc (b) *peccatum* fratris *maximum* vocat: & Deus (c) *iratus vehementer aduersum Aaron voluit eum conterere.*

Diodor. in Catena.

a *Vide Exodi* 15.

Ambros. epist. 56.

b *versu* 21.

c *Deuter.* 9. *v.* 20.

Contriuit autem Moyses vitulum *vsque ad puluerem*] Solet aqua forti aurum redigi in lutum. Et Alchymistæ iactant etiam virtute ignis se id in puluerem redigere posse. Atque hac arte vsum fuisse Moysen videntur velle Emanuel Sà & Torniellus. Sed conformius Scripturæ est, Moysen in re propera vitulum igni non nisi in massam conflasse, hanc deinde in partes confregisse, ac denique mola, cui infixa erat lima ferrea, per vehementem affrictum in puluerem redegisse, Id insinuant LXX. Hebræa & Chaldæa. Puluerem mox quasi rem abominandam abiecit in torrentem qui è monte delabebatur, ne & vllæ idoli reliquiæ superessent, inquit Caietanus. & Oleaster cum S. Hieronymo addit, id etiam factum, vt populus disceret contemnere & execrari, quod tam vili modo tractari cerneret. Quia verò hic torrens è monte delabebatur in subiecta castra Hebræorum, hinc additur, Moysen *ex eo* puluere torrenti insperso dedisse *potum filijs Israel.* Neque enim alia erat in castris aqua quàm quæ ex hoc torrente delabebatur.

℣. 32. *Si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti*] Id est, de serie, seu catalogo iustorum, & alibo amicorum tuorum. Horum verò duplex est album, seu liber, inquit S. Thomas. Vnus omnium eorum qui pro præsenti tempore iusti sunt, & quibus ratione præsentis iustitiæ debetur vita æterna, licèt per peccatum possint ab hac iustitia & vita excidere. Alter est eorum qui pro æternitate prænoscuntur à Deo iusti futuri, & vita æterna reipsa potituri. Hi sunt soli prædestinati, qui numquam eradi possunt. De vtrouis libro potest hîc Moyses intelligi, nempe tam de carentia beatitudinis æternæ, quàm de iactura iustitiæ præsentis. Non quòd efficaciter alterutrum vellet, (id enim secundùm præsentem rerum statum sciebat vel impium esse, vel impossibile:) sed solùm hypotheticè, casu quo citra culpam vllam illud posset vtile medium esse ad veniam populo obtinendam. Et si vnum sine altero obtineri non posset, malebat ipse sic iacturam beatitudinis & gratiæ amicitiæq; diuinæ facere, quàm totus ille populus in perpetuum à Deo abijceretur & disperderetur. Et huiusmodi desideria, licèt ineffieacia ad agendum, maximi sunt meriti & efficacia ad impetrandum. Et solent amici similibus precibus vim quodammodo amico facere, & quod volunt extorquere: vt si filius patri charissimus culpam fratris immorigeri à parente deprecetur hoc modo: Vel fratri ignosce, vel occide me, vel hereditate priua me. Scit enim parentem quilibuis potiùs quàm illud posterius facturum. Simile est illud Pauli ad Romanos 9. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Ita Chrysostomus, Origenes, Ambro. Theophyla. Oecumenius in c. 9. ad Romanos. Et hinc colligi potest. Moysen reuelationem habuisse de sui prædestinatione & salute.

S. Thom. 1. p. q. 24. a. 3.

CAPVT XXXIII.

Dum adhuc minatur populo Deus, & ille luget peccatum suum, Moyses impensissimè orat plenam perfectamq; reconciliationem, & eandem impetrat. Familiaritas Moysis cum Deo: & quomodo viderit gloriam Dei.

℣. 11. MINISTER *eius Iosue non recedebat de tabernaculo*] Hinc patet Primò, antequam iussu Dei constructum esset *tabernaculum* maius quod Moysi in monte Sinai à Deo propositum fuit, fuisse in castris aliud paruum quasi publicum sacrarium, quò & Moyses & ceteri orationis, & Dei consulendi caussâ conuenirent: forsan etiam, vt vult Abulensis, ibidem seniorum conuentus & concilia cogebantur. Hæc enim apud antiquos olim ferè in templis habebantur, vt apud Romanos in æde Iouis Capitolini, Iouis Statoris, Bellonæ, &c. Videtur autem hoc *tabernaculum* à Moyse tum constructum, cùm suprà c. 24. fœdus Deum inter & populum publico sacrificio, & pactis vtrimque conuentis sanciret: atque inde nomen indidisse *tabernaculi fœderis*; quod deinde eamdem ob caussam, etiam alteri tabernaculo maiori perpetuum remansit. Iam tabernaculum hoc prius, quasi domicilium suum, iubet Deus in pœnam idololatriæ, è medio populi, adeoque & è castris efferri, & *procul* efferri, *ad bis mille cubitos.* ita habet Thalmud. Vt ostenderet, sese inter eos tam infami idololatria contaminatos nolle diutiùs habitare. Iussit etiam verosimiliter, vti tabulæ lapideæ confractæ fuerant, etiam volumen legis quod Israelitis prælectum fuerat c. 24. publicè disrumpi. Nam c. 34. iubet rursus idem illud à Moyse rescribi, v. 27.

Patet Secundò, Iosue, cùm noctes & dies tabernaculo huic adesset, nempe quamdiu Moyses illic hæreret, functum illic officio non tam æditui, ne qua fortè bestia locum conspurcaret: quàm præfecti vigilum, ne qui seu fures, seu hostes quidquam damni loco sacro, aut corpori Moysis inferrent; quod erat officium magistri militiæ, quo Iosue iam tum fungebatur. Vocatur tamẽ hîc *puer*, iã quinquagenario maior. Sed *puer* pro iuuene hîc ponitur; iuuentutem autem ad 45. annum producit Varro, (d) ad 46. Seruius Tullius. Quod magis locum habebat eo Moysis sæculo, quo, cùm hominũ vita esset productior, etiã iuuentus ad plures annos quàm æuo posteriore extendebatur. Nisi malis phrasi vulgari *puerũ* hîc Iosue dici, quia cælibem, neq; matrimonij vinculis vmquã irretitũ, vt fusè probat Serarius. Et hoc significat *bullema* Chaldæum, quo nomine hîc Iosue vocatur: sicut *halma* puellam virginem designat.

d *Apud Cl. forium de Die natali.*

℣. 13. *Ostende mihi faciem tuam.* Et vers. 14. *Facies mea praecedet te*] Per *faciem* hîc intelligitur persona propria. Cùm enim vers. 3. dixisset Deus, *Non ascendam tecum, sed mittam praecursorem tui angelum*; noluit acquiescere Moyses, sed tamdiu supplicauit Deo, donec promitteret se per semetipsum eis ducem affuturum. Sed huius voti iam compos factus, maiori audacia Moyses vlteriùs postulat, vers. 18. *Ostende mihi gloriam tuam*: non essentiam diuinam, vt S. Basilio, Augustino, D. Thomę, Lirano, Ruperto, Lipomano, & alijs quibusdam placet; sed excellentiorem illam formam corpoream, quam induerat exteriùs angelus dum ageret cum Moyse, neque vmquam illi spectandam exhibuerat.

Licèt

Licèt enim *facie ad faciem* vers. 11. Deus vel angelus vice Dei loqueretur cum Moyse, *neque hic per anigmata aut figuras Dominum videret, sed ore ad os ei loqueretur*, Numer. 12. id tamen non aliud arguit, quàm familiarem & amicam consuetudinem, vt, quoties liberet Moysi, etiam sensibili allocutione cum Deo ageret, sed quasi in tenebris & nube interposita: vel vt summùm perfectiorem distinctioremque de Deo & rebus diuinis cognitionem, quàm alijs Prophetis obtigisset, sed tamen non nisi abstractiuam & obscuram in se ipsa habuit. Et certè ex Ioannis 1. v. 17. & 18. vbi comparatio instituitur inter Moysen & Christum, expressè dicitur, neminem præter Christum vidisse Deum; ac ne Moysen quidem. Et hæc est sententia S. Dionysij, Euaristi, & omniam ferè aliorum SS. Patrum, quos recenset & sequitur Vasquez, Molina, Suarez & plerique alij.

Dionys. de Cal. hier. l. 4. de Myst. Theol. c. 1. Euarist. epist 1. Decretal. Vasq. in 1. p. disp. 15. c. 3. Mol. Suarez in 1. p.

Petes, Quid ergo sibi vult istud v. 19. *Ego ostendam omne bonum tibi*? Respondeo, non id intelligi posse de diuina essentia: nam mox subdit, *Non poteris videre faciem meam*, seu meipsum in gloria mea, quam videre appetis: *non enim videbit me homo & viuet*. Quasi dicat, Nemo mortalium, saltem de lege ordinaria, capax est visionis mei prout in me sum. Quare etiamsi anteà petijsset Moyses videre essentiam diuinam, non tamen inde colligi posset, ipsum eam vidisse, quandoquidem quod hic petit, disertè illi negetur; etiam visio gloriæ illius corporeæ excellentioris, quâ fulgebat angelus externâ apparentiâ. Ergo per *omne bonum*, quod hic promittit se ostensurum Moysi, non intelligit nisi gloriam externam tantam, quantam mortalis oculus admitteret, & quâ voto ac petitioni Moysis abundè futurum esset satis. Hæc verò erat gloria & fulgor posterioris partis, seu tergi angelici; quam attemperabat imbecillitati corporei oculi Moysis: nam anterior faciei pars radiantior fulgidiorque erat, quàm vt infirmitas illius humana ferre posset. Ita S. Dionysius, alijque Patres Græci. Item Hieronymus; Gregorius & alij multi Latini.

Symbolicè Moysi & Apostolis non *facies*, id est deitas, sed *dorsum*, id est humanitas Christi, videnda promittitur in monte Thabor, inquit Tertullianus, Origenes, Nazianzenus & Augustinus.

Tertul. c. 4. contra Marcionem. c. 22

CAPVT XXXIV.

Moyses cum nouis tabulis redit in montem, videt tergum Dei. Renouatur fœdus Dei cum populo, & tabulis digito Dei Decalogus de nouo inscribitur. Moysis cornuta facies terret & fugat populum: quem propterea velata semper facie deinceps alloquitur.

¥. 15. NE *ineas pactum* connubij *cum hominibus illarum regionum*] Chanaan. Neque tamen id peculiare erat Chananæis, licèt de his solis hîc præceptum loquatur, quòd ab his propter viciniam plus periculi Iudæis immineret: sed vniuersim cum omnibus alienigenis vetita erant connubia Iudæis, propter idem prorsus idololatriæ periculum quod inde imminebat. Vnde & Salomon à Scriptura reprehenditur quasi legis diuinæ transgressor, quòd Moabitidas, Ammonitidas, Idumæas, vxores duxerit. Et Esdras eiusmodi connubia vocat *abominationes*, *transgressiones*, *preuaricationes*, vtique non alterius legis quàm quæ hic, & Exodi 23. & Deuter. 7. lata fuit, quæ licèt tantùm nominet Chananæos, ad omnes tamen alienigenas tam ex intentione Dei, quàm ex recepta apud Iudæos opinione, vt Philo & Iosephus testes sunt, sese extendebat. Hæc tamè intellige, ita fuisse vetita, si vxores in patria superstitione permanere vellent. Nam si ad Iudaicam religionem transire cuperent, licitum erat, tum alterius cuiuslibet gentis, tum etiam Chananæas ducere. sic enim cessabat ratio legis. Et Deuter. 21. vers. 11. permittitur expressè Hebræis, vt è captis in bello mulieribus vnam ducant vxorem. Et exempla etiam proborum virorum, id licuisse manifestum faciunt: nam Salmon tribus Iudæ princeps meretricem Chananæam Rahab (*a*) vxorem duxit: Booz Ruth (*b*) Moabitidem: rex Dauid Macham (*c*) filiam Tholmai regis Gessur è genere Chananæorum.

3. Reg 11. v. 1. &c.

1 Esdr. 9. v. 1. &c. & c. 10. v. 1. 10.

Philo libro de Specialibus legibus. Iosephus l. 8 Antiquit. c. 2 & l. 11. c. 5 & l. 14. c. 18.

Dices, Etiam Samson cum Philistea, (*d*) & Esther cum Alueto (*e*) in infidelitate permanentibus matrimonium contraxerunt. Respondeo, Id peculiari Dei instinctu & dispensatione factum, qui & periculum omne auertebat, & ingens inde bonum eliciebat.

a Matth. 1. v. 5.
b Ruth 4. 13.
c 2. Reg. 3. v. 3.
d Iudic. 16. v. 1.
e Esther 2. v 17.

¥. 29. *Ignorabat quod cornuta esset facies*] Non quòd vera cornua Moyses haberet in fronte, vt pictores illi affingunt: sed quòd facies eius ita luceret, vt etiam lucis radios, qui metaphoricè *cornua* vocantur, è vultu vibraret. Vnde Chaldæus vertit, *splendor gloriæ vultus Moysis multiplicatus erat*, & LXX. *glorificatus erat aspectus faciei eius*. Et ex his hunc eumdem locum sic citat S. Paulus 2. ad Corinth. 3. v. 7. Hos radios Moysi afflauit Deus in *consortio sermonis*, id est cùm sermonem cum illo misceret, & ex ingenti illa luce, quâ ante *foramen petræ* transiens, plus solito fulgebat, particulam aliquam vibrabat in faciem Moysis. Et hæc etiam est ratio, cur potiùs Moyses secunda hac vice splendidis cornibus irradians visus fuerit, quàm priore vice, quando etiam cum Deo quadraginta diebus in monte fuerat: nam priore illa vice non tanto splendore radiarat angelus, quanto hac posteriore. Abulensis censet, hos radios totâ vitâ Moysi adhæsisse: ac proinde post primum hoc cum populo colloquium, (quo, dum legem Dei aperta detectaque facie promulgat, primùm animaduersum fuit faciem eius radijs coruscare,) semper exinceps quoties populo loqueretur, faciem velasse. Idem docent Ambrosius, Lipomanus & alij. Qui & addunt, Deum hos radios Moysi perpetuos affixisse, Primò, amoris affectusque sui in Moysen testandi gratiâ; Secundò, vt vim & fructum orationis seu colloquij cũ Deo manifestum faceret; Tertiò, vt Moysi auctoritatem apud populum conciliaret; Quartò, vt hoc quasi charactere testatum palàm faceret, Deum esse legislatorem; & licèt à Moyse promulgaretur, tamen à Deo promanasse; denique, vt his cornibus terroré Hebræis incuteret, ne legem iterum violare auderent. Allegoriam exponit S. Paulus 2. ad Cor. 3. de lege veteri, quam dicit semper habuisse velamen: neque hoc sublatum nisi tempore Iosue, id est IESV, in lege noua.

f Num. 15. g Matt. 13. Marc 2. Luca 6. h Philo l. 2. de Vita Moysis. i 2. Esd. 19. & 13. k Exodi 16. v 13. & Philo l 3. Vita Moysis. l Philo in Legat. ad Caium & de Mundi opificio. m Philo in Legat. ead. n Ierem. 17. v. 21. 22. 24. 27. & 2. Esdræ 13. v 15. 19. o Ioan. 5. v. 10. p Exodi 16. v. 29. & Iosephus l. 14. Antiq. c. 17 q Rabbini à Bonfr. citati in c. 20. Exodi v. 8. §. 5. r Philo l. 3. Vita Moysis Ioan. 19. v 31. t Ioseph 14. Antiquit. c. 17. & l. 2. Belli c. 16. u Ioseph. ibid. & l. 18 Antiquit. c. 2 & in Vita sua.

CAPVT XXXV.

Exponit Moyses populo mandata Dei de Sabbatho, de primitiis, de oblatione munerum, de fabricatione tabernaculi. Ad omnia prompti Hebræi, liberaliter offerunt omnẽ materiam tabernaculo necessariam. Cuius architecti designantur Beseleel & Ooliab.

¥. 3. NON *succendetis ignem per diem Sabbathi*] nempe ad cibos parandos aut coquendos: nam ad calefaciendum, aut lumen præbendum non erat prohibitum ignem succendere. Sic & alia omnia quæ ad quærendum parandumque victũ pertinebant, v.g. ligna colligere, (*f*) poma excutere vel decerpere (*g*) herbas euellere, (*h*) emere, vendere, (*i*) coquere, (*k*) & similia (*l*) vetita erant Sabbatho. Quin & dare & accipere, (*m*) si ad victum vel quæstum faciendum spectaret, & alicuius ponderis aut sarcinæ rationem haberet, publicè vetabatur. Item de loco in locũ transferre, (*n*) baiulare, (*o*) iter facere (*p*) negotiorum caussâ, vel ad longius spatium, scilicet vltra *bis mille cubitos*, (*q*) quod erat iter Sabbathi. Vetitum quoque *morti* quemquam publicâ sententiâ, quamuis sontem, *addicere*, vel *afficere*: (*r*) *funera curare*: (*s*) hostem in militia *aggredi* (*t*) *vltrò*, aut alia *bellica* (*u*) citra necessitatem agere. Denique quidquid aliquam speciem haberet operum seruilium, vt scribere, rationes subducere, & similia

lia, si quomodo differri possent. Nam quæcumque ex A omnibus iam dictis necessaria erant, nec poterant differri sine periculo sui vel rerum suarum, nec anticipari potuerant, vt quia præuisa nõ fuissent, licita erant Sabbatho. Vnde & opera necessaria chirurgiæ, pharmacorum apparatio, ciborum & iusculorum coctio necessaria pro ægrotis, vel alijs qui pridie cibos sibi parare nõ potuerant: item pecorum adaquatio, pabuli suministratio, eorumdem eductio si in aquas, puteum vel foueam delabi contigisset, licita (a) erant: multoque magis, *hosti resistere*, (b) vim vi repellere, oppugnantium machinationes præpedire, &c. Quamquam nonnulli in eiusmodi necessarijs plus æquo religiosi subinde fuerint, etiam vsque ad superstitionem, Vt exemplo Iudæi nauarchi Sabbatho *clauum regere* nolentis, docet Synesius: (c) & alterius è *cloaca educi* recusantis, Volaterranus: aliorum non audentium *calceos clauis compactos* gestare, *aluum leuare*, *certos emungere*, *litteras referare*, produnt Origenes, (d) Iosephus, Serarius. Certè constat Iudæi fuisse, quod quidam Iudæi 1. Machab. 2. ausi non sunt, Sabbatho a Iuersus hostes se defendere, vim vi repellere, loca occulta oppilare per quæ hosti ad ipsos aditus dabatur.

a *Matt* 12. *Marci* 2. *Luca* 6 13. & 14.
b 1. *Mach.* 2 v. 41. & *Ioseph.l.* 14. *Antiqu.c.*8. & *l.*1. *Belli c* 5.
c *Synesius ad Euoptium in sua nauigatione*
d *Orig. l.* 4. *Periarchon. Iosephus l.* 2 *Belli c.*7. *Serarius l.* 1. *Iosue c.*4 q 12.

Nota, non omnia quę Sabbatho prohibita erant, etiam festis, licèt solemnioribus, prohibita fuisse. Nam quæcumque ad cibos seu coquendos, seu emendos spectabant, licita erant diebus festis, vt habetur Exodi 12. v.16. Et primo summoque anni festo, scilicet Paschæ, Iosephus mercatus est sindonem, mulieres aromata; Christus captus, damnatus, sepultus est: Tobias (e) quoque *die festo Domini* mortuos sepeliebat.

e *Tobiæ* 2. v.1. & 4.
f *Philo locis omnibus suprà citatis, & alijs ab Eusseb. citat. l.* 1. *de Præpar. Euang. c.*2 & *c.*4. *de Essæis. Ioseph. suprà, & l.*16. *Antiqu. c.*4. & *l.*1. & 2. *contra Apionem ex Agatharchide.*

Nota Secundò. Etsi sola cessatio ab operibus seruilibus lege præcepta fuerit Iudæis Sabbatho, nulla verò religiosa actio positiua: tamen, quia diuinus cultus erat finis præcepti de cessatione à seruilibus, solebant Iudęi totum illum diem valdè religiosè diuino cultui tribuere, vacantes vel orationi in templo, aut proseuchis seu synagogis suis, vel lectioni vel auditioni legis: & quidem tantâ curâ, vt plerique ferè totam legem memoriter tenerent, teste Philone, (f) Iosepho, & Rabbinis.

CAPVT XXXVI.

Plus offerunt Hebræi quàm opus esset ad perficiendum tabernaculum: vnde vetantur plura offerre. Fabricatur ergo tabernaculum, iuxta Dei præscriptum.

℣.3. QVOTIDIE *mane vota populus offerebat*] Id est, *oblationes spontaneas*, vt est in Hebræo. Ita enim præscripserat Deus Exodi 35. v. 5. & alibi: neque volebat quidquam ab inuito extorqueri, aut exigi. Hæc vltronea donaria, quia ex præstantiori sorte seu specie cuiusq; materiæ fieri debebant, *Primitiæ* sæpè (g) vocantur: quia solebant primitiæ esse eiusmodi. Quamquam dici etiã potest, hæc donaria hîc *primitias* vocari quòd essent prima dona quæ Hebræi ex spolijs tum Ægyptiorũ, tum Amalecitarũ Deo obtulerunt in deserto.

g *Exodi* 35. v.5. & *alibi.*
h *Eod.*25.

℣.18. *Fibulas quibus necteretur tectum*] Per *tectum* tabernaculi intelligit duo illa maiora saga cilicina, (h) quæ fibulis æneis 50. inter se connexa, & duobus alijs opertorijs pelliceis, vno rubricato, altero ianthino cooperta, vice tecti erant tabernaculo.

℣.38. *Columnas cum capitibus suis quæ operuit auro*] Ita habetur in Hebræo, Chaldæo & LXX. non verò, *quas operuit*, vt est in nostra Vulgata Latina. Vnde colligimus capitella planè cooperta fuisse laminis aureis, ita vt in illis nihil præter aurum exteriùs appareret; vnde etiam *aurea* vocantur cap. 26. At columnæ auro quidem tectæ erant, non tamen per totum, sed sic tantummodò, vt zonis quibusdam, spiris & emblematis aureis circumcingerentur & ornarentur magis quàm tegerentur: nam inter has zonulas lignum columnarum passim apparebat.

CAPVT XXXVII.

Fabricatur arca, propitiatorium, Cherubim, mensa, candelabrũ, altare thymiamatis: atq; adolendum in eo thymiama cõponitur.

℣.1. ARCAM *habentem duos semis cubitos*] Id est, duos & semis cubitos, vt patet ex v. 6. hîc & c. 25. suprà. Vbi & reliqua huius capitis explicantur.

℣.14. *Quatuor circulos posuit in quatuor angulis mensæ contra coronam*] Id est, subter coronam, vt habes in simili hîc v. 27. & expressè dicitur c. 25. v. 27.

CAPVT XXXVIII.

Fabricatur altare holocaustorũ: labrum æneum ex speculis mulierum. Atriũ cingitur suis columnis & velis. Numerantur talenta auri, argẽti & æris, in fabricã tabernaculi oblata & insumpta.

℣.3. FECIT *labrum æneum*] Græcè λουτῆρα, id est *lauatorium*. Erat vas ingens æneũ aquâ plenum, ex quo per fistulas defluente aqua, lauabant sacerdotes victimas, & etiam manus ac pedes suos: nam reuerentiæ causa nudis pedibus in tabernaculo ministrabant. Ita Caietanus, Lipomanus, & Ribera. Conflatum autem erat hoc *labrum* ex *speculis mulierum*. Petit Oleaster, Abulensis, Liranus, Caietanus, Lipomanus, quomodo labrum *æneum* ex speculis *vitreis* confici potuerit? Respondeo, Specula illa non vitrea, sed ænea fuisse, teste Philone, cuius hæc sunt verba: *Extra vestibulum tabernaculi in primo aditu labrum erat aheneum, non ex rudi materia vt ferè fit, fabrefactum ab opifice, sed ex vasis iam antè expolitis, in vsum tamen alium, qua mulieres mira animi alacritate certatim contulerant: specula enim, ad quæ formam curare solita fuerant, sponte, nemine iubente, Deo dicauerant: hæc ad se delata opifex in vnam massam confudit.* Et Rabbi Abraham disertè affirmat, morem fuisse Iudææarum mulierum, aptare tiarã manè ad specula ænea. Idemq; etiam alijs gentibus in more fuisse testes sunt Vitruuius, Plinius, & Zonaras, qui addit, Archimedem ex muris Syracusanis, & dein eius exemplo Proclum ex mœnibus Byzantinis, cùm prælium nauale instaret, eiusmodi æneis speculis vstorijs è regione nauium hostilium suspensis, cùm in ea radij solares incidissent, reflecterenturque in naues, has omnes igne correptas exussisse. Quin & hoc tempore videmus, è polito chalybe, non puro eo quidem, sed certa aliarum rerum mixtione temperato, terssissima confici specula; vt mirum videri non debeat, si & olim apud Ægyptios, vnde Hebræis obuenerant, è metallis illa conflarentur.

Philo l. 3. *de Vita Moysis.*
Vitr. l. 7. c. *Plin. l.* 33. *c.* 9. & *l.* 3. *c.* 17.

Hęc ergo sua specula pię *mulieres*, quæ antè illis vtebantur ad crines concinnãdos, inquit Aben-Esra, iam spreta hac vanitate, diuino cultui consecrarunt. *Mulieres*, inquam, *quæ in ostio*, seu circa ostium, *tabernaculi excubabant*; chaldaicè, orabant; græcè, ieiunabant; hebraicè, excubabant & militabant. Erant enim deuotæ mulieres diuini cultus studiosiores, quæ certatim ac turmatim, ferè ad modum cohortium militarium, ex singulis tribubus per vices ad tabernaculum confluere quotidie solebant, partim orandi, & ieiunia celebrandi, aliaque pia opera exercendi caussâ, partim legis audiendæ & exequendæ gratiâ: vel etiam vt manuali opere, nendo, texendo, acu pingendo, lauando, verrẽdo iuuarent opifices & ministros tabernaculi. Nam *militare* Hebræis significat omne genus famulatus seu ministerij. Hinc Epist. 1. ad Tim. v. 18. & alibi, Leuitæ, angeli, cæli, sidera, omnisque creatura vocantur *milites* vel *militia* Dei. Non ergo perpetuò manebant hæ mulieres circa tabernaculum, saltem non eædem, sed aliæ atque aliæ per vices. Licèt posterioribus temporibus, cùm fixo loco hæreret tabernaculum, v.g. in Silo, non negarim, constructa fuisse vicina quædam tabernaculo ædificia, quibus eiusmodi mulieres necessario loci illius seruitio deputatæ excipiebantur, quarum mentio fit 1. Reg. 2. v. 22. Et 2. Macha. 3. v. 19. mentio fit virginum illic conclusarum. Et talibus verosimiliter præerat Anna Prophetissa Lucæ 2. Et inter tales enutrita fuisse

Ambr l 2. de Virgin. Nyſſen. orat. de Chriſti Natiuit. Euod. apud Nicephorũ l.12.c.3. Damaſcen. l 4.c 13. Baron. in Apparatu Annal. Eſpenceus l.3. de Continentia c 7 Caniſ l.1. de B.Virg. c.12. Suar. in 3.p. Sera. in 2.Mach 3. Caluin. hic. Beza in Luca 2. Clem.Alex. l.5. Strom.

fuiſſe dicitur B. Virgo vſque dum matrimonio iungeretur Ioſepho. Ita de virginibus iſtic ac viduis ſentiunt S. Ambroſius, Gregorius Nyſſenus, Euodius, Damaſcenus, Baronius, Eſpencæus, Caniſius, Suarez, Serarius; imò & Caluinus ac Beza, licèt hic ad ſolas viduas malit reſtringere: iſte virginibus etiam ad nuptias tranſitum licuiſſe contendat.

CAPVT XXXIX.

Veſtes ſacerdotales conficiuntur, completurq; tota fabrica tabernaculi cum omni ſua ſupellectili.

℣.24. TINTINNABVLVM *aureum, & malum punicum*] Subaudi, ſibi mutuò per vices, & alterna iungebantur, ſcilicet, nunc tintinnabulum vnum, dein malum punicum vnum: mox tintinnabulum alterum, & alterum malum punicum, & ſic conſequenter, vt expreſsè iubetur cap. 28. vbi etiam reliqua huius capitis omnia explicata habes. Notat Clemens Alexandrinus, per 366. *tintinnabula*, quæ pendebant ex veſte talari pontificis, deſignari *annum byſſextilem* (qui 366. *diebus* conſtat,) quo Chriſtus cœpit prædicare in mundo, & reſonare verbum Dei. Nam xv. *annis imperii Tiberij*, quo cœpit Chriſtus prædicare, *biſſextilis* erat, vt patet ex ijs quæ dixi in Chronico cap. 49.

CAPVT XL.

Tabernaculum erigitur, & per omnes partes ac membra diſponitur. Quod mox nubes gloriæ Domini operit, eidemq; deinceps incumbit.

℣.2. MENSE *primo prima die menſis*] ſcilicet anni 2. ab egreſſu ex Ægypto, vt dicitur infrà v. 15. Ergo lapſus iam erat penè integer annus, demptis nempe 14. diebus, antequã erectum eſt tabernaculum. Si rationem temporis poſtulas, en tibi ante oculos: A 15. die menſis primi quâ egreſſi ſunt ex Ægypto, vſque ad legis promulgationem per angelum in monte Sinai, fluxerunt dies 50. Inde Moyſes ſex diebus in monte fuit, non tamen ieiunus, neque intra nubem: ſed mox 40. diebus (*a*) ieiunus, & intra nubem in qua Deus erat. His exactis ad vitulum conflatilem deſcendit, & 36. dies impendit partim tabernaculo è caſtris efferendo, partim populo caſtigando, ſæpiuſque inſtruendo partim ad montem aliquoties adeundo, (*b*) redeundoque, & tabulas nouas lapideas dolando, & alijs eiuſmodi. Deniq; alteram quadragenam dierum cum Deo ieiunus in monte tranſegit, ſcilicet vſque ad decimam diem menſis ſeptimi, quo cum poſterioribus tabulis Moyſes de monte deſcendit, populumq; certũ ac ſecurũ reddidit de peccato idololatriæ illorum iam plenè expiato: qua ei in memoriam tanti beneficij diem illum quotannis feſtum, & quidem titulo Expiationis perpetuò egerunt. Tertiæ Moyſis Quadrageſimæ, quam Hebræi fingunt, & Caietanus, Liranus ac Salianus probare videntur, nullum hoc temporis interuallo reperire ſpatium poſſumus. Iam verò à die expiationis iam dicto vſque ad primum diem primi menſis anni proximè ſequentis, nempe totis quinq; menſibus cum dimidio, occupati fuerunt Hebræi conſtructione tabernaculi, & vtenſilium illius, quæ hoc & præcedentibus capitibus ordine recenſentur. Omnibus verò perfectis, & ſuo quibuſque loco erectis

a Exod. 24.

b Exod. 33.

Caiet. in Deuter. 10. Liranus in Deuter. 9. Salianus in Annalibus.

℣.32. *Operuit nubes tabernaculum teſtimonii, & gloria Domini impleuit illud*] Nempe columna nubis, quæ anteà ſuper paruo tabernaculo extra caſtra conſtiterat, iam nouo prodigio ad illud poſterius tranſmigrauit: & quæ minùs antè lucida erat, ſaltem per diem, iam tota ſplendens apparuit: & ob id *gloria Domini* vocatur, quia glorioſa luce ſua ſignificabat, diuinam maieſtatem illic præſentem adeſſe, inquit S. Auguſt. Ideoque

Aug. q. 173.

℣.33. *Nec poterat Moyſes ingredi tectum fœderis*] id eſt, tabernaculum teſtimonij: idque tum ob reuerentiam maieſtatis diuinæ iſtic præſentis, inquit Caietanus: tum quia nubes ſpiſſitudine ſua & fulgore oculos perſtringebat, & omnium aliarum rerum conſpectum eripiebat.

Allegoricè, Nubes legalium cæremoniarum, licèt illis veletur Chriſtus & veritas Euangelica, impedit tamen Iudæos quò minùs illa videant, credant & amplectantur. Ita S. Auguſtinus & alij.

LIBER LEVITICVS

a *Vide initium & finem Leuit. & confer cum capite vlt. Exodi v. 15 & c. 1. Numer. 1. v. 1. b cap. 9. v. 1. & c 10. v. 1. & c 16. & 1. Leuit. c cap. 1. Leuit. v. 1. S. Aug. l 17. de Ciuit. c. 2 S. Leo ſer 8. de Paſſione. Euſeb l. 1. Demonſt 10. Trident ſeſſ. 22. c 1. & Clem. l 1 Recognit. Tertul l. 2. contra Marcion c 18. Hiero. in 1. Iſaiæ. Chryſoſt. homil. 6. in Matth.*

LEVITARVM ſacrificia muniaque deſcribit. Nam vſque ad cap. 8. agit de qualitate & varietate ſacrificiorum. Inde vſque ad cap. 23. de ſacerdotibus, & inferioris notæ Leuitis, eorumdemque conſecratione & officiis. Exinde vſque ad finem libri, de temporibus ſacrificio deſtinatis, putà de feſtis diebus. Et hîc de votis votorumque redemptione quædam inſeruntur. Porrò quæcumque toto Leuitico præſcribuntur à Deo, vno omnia menſe, putà primo, Niſan, & quidem ſecundi anni ab egreſſu Hebræorum ex Ægypto, præſcripta (*a*) ſunt: varia quidem variis (*b*) diebus, tamen vnius & eiuſdem menſis Niſan. Item omnia præſcripta ſunt in manſione in Sina, non in monte, ſed in tabernaculo (*c*) recèns erecto.

Cauſa inſtituendorum tot & tam variorum ſacrificiorum videtur fuiſſe Prima, quòd vellet Deus ab illo populo coli non ſolùm interno cultu, ſed etiam externo. Secunda, vt illis typis ac figuris adumbraret dignitatem & præſtantiam, atque efficacitatem ſacrificij Chriſti tum incruenti in Euchariſtia, tum cruenti in ara crucis. Ita S. Auguſtinus, S. Leo. Euſebius, & omnes antiqui Patres, ac nouiſſimè ſacroſanctum Concilium Tridentinum. Tertia, vt hac tam ſeria, tam multiplici cæremonia Hebræos à pernicioſo otio, & idololatria (quò valdè propendebant) ſeuocaret & alienaret. Ita S. Clemens *, Tertullian. S. Hieronymus, Chryſoſtomus & alij.

CAPVT I.

Præſcribit: Deus ritum holocauſti: idq; triplicis generis. Primò, boum; Secundò ouium vel caprarum; Tertiò, auium, nempe turturum & columbarum.

℣.2. DE BOBVS *& ouibus Holocauſtum*] V. 10. addit; *ſiue capris.* Hîc determinat Deus materiam ſacrificiorum ex animalibus quadrupedibus, ſicut infrà verſ. 14. *ex auibus*, quarum duas tantùm ſpecies deligit; *columbam & turturem.* Cur verò has quinque animantium ſpecies potiùs ad vſum ſacrificiorum adlegerit Deus, quàm alias complures, etiam mundas; rationem affert Philo, quòd hæc animalia in communiore

Philo l de Victimis.

muniore sint hominum vsu, sint mansuetiora, minore difficultate haberi possint, denique maximè apta sint, Christo, eiusque vero sacrificio tum cruento, tum incruento ad viuum repræsentando. Significat enim Allegoricè bos fortitudinem & labores Christi; ouis innocentiam; caper peccata nostra; columba mansuetudinem; turtur contemplationem. ita Theodoret. Cyrillus, Procopius, Beda.

Tropologiam horum sacrificiorum, imò & totius Leuitici vide fusè apud Origenem, Hesychium, & Radulphum Radiacensem, qui omnium apriſſimè exposuit.

Nota Primò, sacrificia quamdam analogiam habuisse cum conuiuijs: nam in ijs Deo quasi conuiuium apparabatur, quod vice Dei ignis quasi à Deo immissus deuorabat. Vnde Malachiæ 1. v. 7. & alibi *altare* sacrificiorum *mensa Domini* appellatur: hinc ad sacrificia non adhibebantur nisi quæ in mensas hominum inferri solerent. Quæ ab hominibus edi non consueerunt, debebant etiam à victimis separari, vt pellis, plumæ, ilia, vesica fellis, & vrinæ, *vesicula gutturis* hic v. 16. quam Latini *ingluuiem* vocant, Græci πρόλοβον, estque laccus seu vesica iuxta guttur auium, in quam primùm cibus recipitur, antequam in stomachum transmittatur, vbi & grana mollescunt, macerantur ac corrumpuntur. Hæc enim omnia cùm ab hominibus comedi non soleant, etiam à mensa Domini semoueri iubentur. Quia verò nullæ hominum mensæ sine pane, potu, sale, & aliquo condimento, ratæ etiam sine re aliqua odorifera; hinc in omni sacrificio iussa adhiberi *panis* vel *similæ*, *vinum*, *sal*, *oleum* & *thus*. (a) Morale vide apud Riberam l. 4. c. 3 &c.

a *Leuit.* 2. v. 2. 13. & vlt. *Num.* 15.

Nota Secundò, apud Hebræos plura fuisse sacrificiorum genera. Primum erat *holocaustum*, quod totum in Dei honorem igne cremabatur. Secundum *pacificum*, & hoc vel ad aliquid à Deo impetrandum, vel ad gratias Deo agendas: vnde & *eucharisticum* vocabatur. Tertium erat *pro peccato*, seu in expiationem alicuius peccati. In his verò tam *pacificis*, quàm *pro peccato*, non nisi pars vna victimæ cremabatur: reliquum vel ad sacerdotes, vel ad offerentes redibat.

Nota Tertiò, maximam differentiam inter sacrificia illa antiqua, & nostrum sacrificium Eucharisticum, quod omnem vim in se vno complectitur, quam illa vetera diuisim habebant, eamque longè excellentiori modo. Nam ex opere operato, & per se, ratione victimæ oblatæ, vim habet infinitam Deum honorandi: estque proinde holocaustum perfectissimum. Nihil etiam illo efficacius vel ad impetrandum, vel ad gratias agendas, vel ad expianda peccata, vel ad satisfaciendum. Cùm hæc omnia in priscis illis Iudæorum hostijs omni ex parte essent valdè accisa & tenuia: neque ab ipsis hostijs, sed ex opere operantis, seu offerentium deuotione vim suam desumerent. Ita S. Thomas & alij Doctores passim.

CAPVT II.

Describit secundam speciem sacrificij, scilicet mincha, seu sacrificium farreum. Quod item triplex erat. Primum, similæ; Secundum, panum coctorum seu in clibano, seu in sartagine: seu in craticula; Tertium, spicarum.

¶. 1. ANIMA, id est homo quispiam, *cum obtulerit oblationem sacrificii*, id est, cùm offerre voluerit oblationem Deo de rebus inanimatis; *similæ erit eius oblatio*] Id est, poterit offerre similam, seu florem farinæ purissimum, inquit Isidorus. Inferiùs etiam *panes* coctos (b) & *spicas virentes* (c) offerri permittit; nempe ne deesset etiam pauperrimis quod Deo in sacrificium offerre possent. Et hæc oblatio rei inanimatæ, quia simplicissima, hebraicè *mincha*, latinè hîc *sacrificium* generali nomine vocatur.

Isid. l. 10. Originum c. 2.
b *hic v. 4.*
c *v. 14.*

מנחה

Petes, Cuius sortis erat hoc sacrificium; Respondeo, In Hebræo vocatur hic v. 2. & vlt. *issche*, id est *holocaustum*, nempe secundùm quid, seu pro parte vna, non enim totum in altari adurebatur, vt fiebat in holocausto: *pugillus* ex eo, seu quantum manu capi poterat, in honorem Dei cremabatur, *in memoriale* (d) seu *memoriam* (e) totius *muneris*, quia nempe monumentum seu signum erat, reliquam totam vel *similæ* vel *panum*, vel *frugum* massam Deo consecrari. Vnde & *Sanctum sanctorum* (f) hîc vocatur, id est sacrosanctum seu tota sacra oblatio, quæ à nullo alio quàm à sacerdotibus comedi poterat, nec nisi *in loco sancto atrij tabernaculi* (g) : ita scilicet, vt nihil ex eo domum suam, nihil extra atrium efferre, aut vxoribus aut liberis suis communicare possent. Hoc enim proprium erat ijs sacrificijs quæ *sancta sanctorum* seu sacrosancta vocabantur, vt solis sacerdotibus cederent, nec nisi in atrio sancto absumi possent. Ex alijs verò communibus sacrificijs vesci etiam domi suæ poterant vxores, liberi & alij domestici sacerdotum.

אשה

d *v. 2. & 9.*
e *v. vlt.*
f *v. 3. & 10.*
g *Leuit. 6. v. 16.*

Nota. Hæc oblatio similæ duplex esse poterat, vna *similæ* incoctæ & crudæ: altera coctæ, cuius tres itemrum species hîc facit. Primam *panum* coctorum in *clibano*; (h) Secundam in *sartagine*; (i) Tertiam in *craticula* (k) Omnibus admiscendum erat *oleum*, *thus*, & *sal*. quod v. 13. *sal fœderis Dei* vocatur, id est symbolum fœderis æterni cum Deo iniri. Sal enim quia præseruat à putrefactione, symbolum est perpetuitatis: & ideo ad perpetuum incorruptumque fœdus designandum, etiam in ipso fœderis sacrificio iussum fuit adhiberi. Et Numer. 18. v. 19. pro designando pacto æterno, ponit *pactum salis*. ita Philo, Oleaster & Caietanus. Olim etiam sal amicitiæ, & prudentiæ seu sapientiæ symbolum habebatur: vnde & hospitibus primum apponi solitum: & profana ea mensa, etiam apud Ethnicos teste Arnobio censebatur, quæ salinum non haberet. Vide Iustum Lipsium. Certè in sacrilegis nocturnarum lamiarum ac veneficarum orgijs sal semper deesse dicitur.

h *Leuit. 2. v. 4.*
i *v. 5.*
k *v. 7.*

Lipsius l. 1. Saturn. c. 2.

Nota Secundò, vetari hîc v. 11. ne vnquam fermentum aut mel in sacrificijs admisceatur. nempe ob rationem contrariam: quia fermentum cùm ex corruptione fiat, symbolum est corruptionis, & ideo significat tropologicè peccatum, 1. ad Cor. 5. v. 8. Deus autem non nisi sincera, integra atque incorrupta sibi offerri volebat. Mel verò ideo à sacrificijs reijciebatur quòd apud viros cordatos non esset vsus illius in conuiuijs, solosque pueros aut mulieres deceret: & quia symbolum erat voluptatis ac deliciarum, quas Deus abominatur, maximè in sacrificijs. Deinde quia mel coctum contrahit acorem, panem cui miscetur fermentat, ventrem inflat, combustum fœtet. Quæ vt symbola sunt variorum vitiorum, debent à sacrificio & sacrificante quàm longissimè abesse. Ita Procopius, Rupertus, Radulphus, Oleaster.

CAPVT III.

Describitur tertia species sacrificij, nempe hostia pacifica, eaque triplex. Prima, bouis; Secunda, ouium; Tertia caprę. Adipem omnem & sanguinem sibi Deus deposcit.

¶. 1. MAREM *siue feminam*] Hæc est prima differentia inter holocaustum, & hostiam pacificam, quòd in holocaustis tantùm victimæ masculæ, in pacificis etiam femellæ immolari possent. Et ratio erat, quia holocausta primariò Dei honorem spectabant: Deus autem sibi optimum ex quoque genere & meritò volebat: Pacifica verò primaria

ria intentione spectabant vtilitatem offerentium: quare etiam arbitrio offerentium relinquebatur vt vel optimas, vel mediocres victimas, id est vel masculas, vel femineas offerrent.

Secunda inter hæc differentia, etiam quoad materiam erat, quòd in holocaustis præter boues, oues & capras, etiam columbæ & turtures sacrificari possent, vt dicitur c. 1. in pacificis verò tantùm boues, oues & capræ. Cùm enim hostiæ pacificæ in tres partes diuiderentur (& hæc est tertia differentia;) nam vna Deo, altera sacerdoti, tertia offerentibus in epulum cedebat, vt cap. 7. dicetur; facta hac triplici diuisione in exiguis volucribus, præter molestiam, ieiuna admodum fuisset ex ijs epulatio. In holocaustis verò, cùm igni omnia absumerentur, cessabat hæc & omnis alia molestia.

Quarta differentia erat quoad locum immolationis. Nam cùm omnia holocausta, (a) & etiam victimæ pro peccato (b) ad *latus* atrij *dextrum*, sed respiciens ad Aquilonem immolarentur; soli hostiæ *pacificæ* peculiare erat vt in introitu tabernaculi, id est, ad partem Orientalem atrij, offerretur. Cuius ratio (simul quinta inter hæc differentia) erat, quia pars vna hostiæ pacificæ, putà adeps & pectusculum, debebat imponi manibus illius qui venerat oblaturus hostiam pacificam, & ipse illa Deo offerre debebat, dein *ex ipsius manibus ea desumebat sacerdos*, vt dicitur infrà c. 7. v. 30. Atqui non licebat laicis intrare atrium sacerdotum: ergo ad ingressum atrij, quò accedere licitum eis erat, immolatio ista fieri debebat.

a *Leuit.* 1. v. 11.
b *Leuit.* 6. v. 25. & c. 7. v. 2. & 6. 14. v. 13.

℣. 16. *Omnis adeps Domini erit iure perpetuo: nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis*] An ergo omnis adipis esus Hebræis interdictus? & an omnis Deo consecrandus? Respondeo, Certum est, Deo consecrari non debuisse, sed nec potuisse, adipem animalium immundorum: vti nec mundorum quæ ad sacrificia assumi non poterant, v. g. ceruorum, bubalorum, &c. Certum item est edi potuisse adipem illum qui carni mundorum animaliũ passim permiscetur: quia solùm vetabatur esus adipis *qui operit vitalia*, id est, qui ambit & contegit partes illas vitales interiores, cor, hepar, pulmonem, renes, ilia tractu continuo, qui proinde facilè à reliqua carne separari potest. Hic verò adeps ita vetabatur Iudæis, vt nullo casu comedi ab eis posset, ne quidem si domi suæ animalia mactassent: quia non minùs adeps, quàm sanguis hîc (c) illis absolutè vetatur, iure perpetuo, non solùm in templo immolatorum, sed & in habitaculis. Hoc tamen intelligo de solo adipe *caprino, ouino & bouino*, vt inquit Iosephus, hoc est, de adipe illorum animalium quæ aliàs potuissent Deo offerri: nam de adipe ceruino, bubalino, aut aliorum animalium mundorum venatione captorum, sed quæ Deo immolari non poterant, puto comedi potuisse: quia nusquam id vetat Scriptura, quæ præceptum hoc vbique restringit ad adipem qui offerri potest Domino, vel qui *offerri debet in incensum* (d) *Domini*. Atqui talium adeps nec debebat, nec poterat Deo offerri: ergo comedi poterat, Eorum verò quæ poterant Deo offerri, comedi non poterat, & quidem sub *pœna mortis*: (e) non tamen debebat Deo consecrari, quia id nusquam præcipitur. Sed sicut sanguis in terram effundi debebat, ita adeps ille profano igne cremandus erat; nisi fortè licuerit adhibere ad candelas sebaceas inde formandas, aut ad alios profanos sed honestos vsus: vt in re penè simili conceditur cap. 7. vers. 24.

c *Leuit.* 3. v. 16. & vlt. *Ioseph. l.* 3. *Antiquit. c.* 10.
d *Leuit.* 7. v. 25.
e *Ibid.*

Allegoricè quæ hoc & sequentibus capitibus præscribuntur, aptari omnia possunt sacrificio Christi tum cruento, tum incruento. Moraliter virtuti religionis, quæ hominem immolat Deo. Vide Gregorium, Radulphum & alios. Rationem cur esus adipis vetaretur, afferam in fine c. 11. Cur verò & sanguinis, c. 17. v. 11. & Genes. 9. v. 4.

CAPVT IV.

Quarta species sacrificij, nempe hostia pro peccato per ignorantiam commisso. Et erat hæc hostia quadruplex. Prima; pro peccato summi pontificis, quæ erat vitulus. Secunda, pro peccato populi; item vitulus. Tertia, pro peccato principis, & erat hircus. Quarta, pro peccato alicuius plebeij; & erat capra vel ouis.

℣. 3. SACERDOS *qui vnctus est*] nempe solemni illa vnctione, de qua Exodi 29. v. 7. Ergo solus pontifex seu summus sacerdos hîc intelligitur, vt etiam verterunt LXX. & Chaldæus; & explicant Abulensis, Liranus, Vatablus, Caietanus, Ribera, & Sà.

Nota, in hoc differentiam fuisse inter hostiam pacificam; & hostiam pro peccato: quòd ex pacificis tertia pars rediret ad offerentes; ex hostijs verò pro peccato nihil ad offerentes redibat, sed, adipe cum renibus & sanguine litatis Deo, vel exustis, cetera omnia cedebant sacerdoti: erant enim *sancta sanctorum*, id est, Deo tota sacra, vnde nec ex sancto loco efferri, nec ab alijs quàm à sanctis sacerdotibus, nec alibi quàm in atrio sancto comedi poterant, vt dicitur c. 6. v. 26. vnde & sacerdotes dicebantur *comedere peccata populi*, Osee 4. v. 8. Sed hoc solùm fiebat victimis quæ pro peccato priuatorum hominum, vel principum politicorum offerebantur. Nam quæ pro peccato summi pontificis, vel totius populi immolabantur, totæ debebant extra castra comburi, præter sanguinem & adipem, quæ priùs in sancto atrio libabantur & adolebantur Deo; ad maiorem maioris peccati horrorem ac detestationem. Rursus differebant, quòd hostia pro peccato deberet absumi eodem die quo oblata fuerat: pacifica verò poterat subinde in crastinum seponi, vt dicitur c. 7. Item hostijs pro peccato, vt patet ex c. 5. v. 11. non poterat admisceri oleum aut thus, vt ordinariè fiebat in pacificis. Et ratio erat, quia oleum & thus ad delicias & iucunditatem faciunt, quæ procul abesse debent à peccatore pœnitente. Denique sacrificijs pro peccato proprium erat, quòd sanguine hostiæ illinierentur cornua altaris: sed hac differentiâ, quòd in victimis pro peccato pontificis vel totius populi, quarum sanguis inferebatur in Sanctuarium, tingerentur cornua *altaris incensi*: (f) in alijs, cornua altaris holocausti (g)

f *Leuit.* 4. v. 7.

Nota Secundò, passim hîc & seqq. capp. distingui hostiam pro peccato ab hostia pro delicto. Vbi per *peccatum*, hebraicè *chattath*, græcè ἁμαρτίαν, videtur designari quod ex genere suo, vel ex circumstantia aliqua minùs malum est, v. g. ex ignorantia, (h) minore aduertentia, (i) vel sola omissione (k) contractum, maximè contra proximum. Per *delictum* verò, hebraicè *ascham*, græcè πλημμέλειαν, id quod ex se, vel circumstantijs grauius est, v. g. quod contra Deum vel res diuinas, etsi ex ignorantia (l) commissum: vel quod contra proximum; sed ex malitia, vt periurium, rapina, fraudatio (m) depositi, &c. Vnde & *delicta*, vtpote grauiora, ad sui expiationem requirebant etiam in priuatis personis victimam nobiliorem, videlicet arietem masculum: cùm ea quæ peccata dicebantur, capella vel agnella expiarentur. Ita ferè Philo, Iosephus, & Bonfrerius. Allegoriam & tropologiam horum capitum explicat Apostolus ad Hebræos 13. v. 12. & 13.

g *v.* 25.

חטאת

h *Leuit.* 4. *toto.*
i *c.* 5. *v.* 2.
k *c.* 5. *v.* 1.
l *c.* 5. *v.* 15. *& seqq.*
m *Leuit.* 6. *v.* 2 *& seq.*

Philo l. de Victimis. Iosephus l. 3. *Antiquit. c.* 10.

CA-

CAPVT V.

Docet qua ratione peccata aliena, & alia ex obliuione, errore vel ignorantia commissa expiari debeant. Ne quis fortè putaret propria dumtaxat peccata & studio admissa sacrificiis expianda esse.

℣. 1. SI *audierit vocem iurantis*] pro adiurantis, scilicet iudicis. Sensus est, si quis flagitium aliquod patrauerit, & alius quispiam euocatus à iudice sub adiuratione in testem, vt id quod vel visu, vel aliter de flagitio cognouit, testetur; si talis seu metu, seu amore eius, de cuius crimine inquiritur, siue alia ex caussa testimonium ferre subterfugerit, non erit immunis à crimine. Ita Liranus, Abulensis, Oleaster, Vatablus, Arias Montanus, & Sà.

℣. 5. *Agat pœnitentiam pro peccato*] Hebraicè & Chaldaicè, confiteatur peccatum quod peccauit. Sic Numer. 5. v. 7. expressè dicitur, *Confitebuntur peccatum suum*, scilicet sacerdoti, cuius muneris erat, diiudicare non solùm inter *lepram & lepram*, sed etiam inter *peccata & delicta*, seu inter leuiora & grauiora crimina, de quibus cap. præced. & *vt iuxta mensuram æstimationemq; delicti* (a) minor vel melior victima præscriberetur. Non enim hoc cuiusque priuati hominis arbitrio decernendum relinquebatur: sic enim facilè accidisset vt vna victima pro altera supponeretur. Iam verò non poterat hoc discernere sacerdos, nisi priùs alter crimen suum eiusque circumstantias ipsi detegerer. Hanc confessionem tradunt Hebræi sic institui iussam: Tale peccatum sic vel sic feci, pudet me & pœnitet: numquam ad rem istam reuertar. Et addit Philo rationem cur sacerdotes quod reliquum erat victimæ pro peccato, soli comedere iussi sint, idque intra atrium, ne admissis quidem domesticis, hanc fuisse, ne forsan hac via innotescerent aut euulgarentur offerentium peccata, quæ sacerdoti clàm aperuerant. Ita ex pluribus Rabbinis Galatinus, & Thomas Waldensis, qui addit, Hebræos etiamnum huius confessionis morem retinere: & per illam adumbratam fuisse nostram nouæ legis confessionem Sacramentalem.

a *Leuit. 5. v. 18. & 6. 6. v. 6.*

Philo suprà.

Galat l. 10. c. 3.

VValdensis tom. 2 de Sacramentis c. 137.

CAPVT VI.

Qua hostia offerri debent pro eluendo peccato iniuria in proximum. Quo ritu inge holocaustum quotidie offerendum Deo. vbi & de igne perpetuo. Quo ritu mincha offerenda. Qua hostia in consecratione sacerdotum, &c.

℣. 9. HÆC *est lex holocausti*] scilicet iugis & quotidiani, in quo *manè, agnus vnus, alter* item *vesperè* (b) immolabatur. De vespertino dicitur, *In altari tota nocte cremabitur*, nempe lento igne & vsque ad cineres. Id de matutino sacrificio alterius agni præscribere necessum non fuit; quòd alia multa holocausta, præter adipes pacificorum & pro peccato, in eodem altari continua serie essent cremanda, quæ totum diem occupabant: vnde matutinum illud agni sacrificium, non lento, sed celeri ac feruenti igne erat absumendum, quò locus fieret alijs sacrificijs eadem in ara vstulandis.

Ceterùm *ignis ex eodem altari erit*] Id est, ad victimarum crematione non assumetur ignis alienus, extraneus aut profanus: sed eo solo vtendum, qui in altari holocaustorum continuè lignis additis fouendus erit. Nam in Hebræo, Chaldæo & Græco legitur, *ignis in eodem altari ardens erit*, supp. continuò & perpetuò Erat porrò hic ignis *sacer*, tum, quia de cælo à Deo missus, Leuit. 9. v. vlt. tum quia contactu & crematione victimarum sanctarum erat sanctificatus. Nam, vt v. 18. hîc, & Exodi 29. & alibi sæpè dicitur, *omnis qui tetigerit*, vel, omne quod tetigerit (nam vtroque modo verti potest ex Hebræo, & hîc v. 27. in neutro genere Noster vertit:) *sanctificabitur*. q. d. Tantam sanctitatem habent hæ victimæ Deo oblatæ, vt non tantùm sint ipsæ sanctæ, sed etiam res alias quantumuis profanas contactu suo, etiam fortuito & casuali, sanctas vel sanctiores efficiant, vt deinceps non possint in vsum profanum assumi, sed vel confringendæ, vel certè expiandæ. Quod tamen limitatim ad eas res quæ sanctitatis capaces essent, & saltem non immundæ. Nam immundæ sanctificari non poterant, quin potiùs si quis homo immundus, vel bestia immunda, tale quid sacrum attigisset, idque de industria & scienter factum esset, morte luendum erat sacrilegium. Alioquin expianda erant datis hostijs pro delicto, & vasa abluenda in atrio sancto, vel etiam confricanda, vt hoc & præced. cap. præscribitur.

b *Exodi 29, & Num. 28.*

CAPVT VII.

Ritus hostiæ pro delicto, & hostiæ pacificæ. à quibus, & quando vtraque absumenda. Vetatur esus adipis, omnisq; sanguinis. Ex hostia pacifica pectusculum & armus dexter cedebat sacerdoti sacrificanti.

℣. 13. PANES *quoque fermentatos, cum hostia* actionis *gratiarum, quæ immolatur pro pacificis*] Hoc est, quæ pacificorum nomine offertur, non pro pace seu prosperitate aliqua impetranda, sed pro ea iam impetrata. Nam duplex erat genus hostiæ pacificæ, vnum pro re impetranda à Deo: & vocabatur hostia *salutaris*: & huius carnes aliæque reliquiæ non necessariò absumendæ erant eâdem illâ die quâ oblatæ fuerant, sed poterant etiam in crastinum, non tamen diutiùs, seponi. vt hîc expressè Deus decernit v. 16. & seqq. & cap. 19. v. 6. & Philo suprà ita factitari solitum testatur. Alterum erat pro re iam impetrata, & dicebatur εὐχαριστικὸν, seu actionis gratiarum: debebatque necessariò *eadem* (c) *die* absumi. Si quis pòst ex ea comedisset, *irrita* (d) seu infructuosa reddebatur *oblatio*; & qui comederat, *præuaricationis reus*, & *profanus* (e) seu immundus fiebat, & insuper morte plectendus erat.

Petes, Quo in loco comedi debebant carnes pacificorum? An in solo atrio templi? ita vult Abulensis. Sed Respondeo, potuisse tum à sacerdotibus, tum à laicis quouis loco comedi, dummodò *mundus* esset, seu, vt cap. 10. vers. 14. dicitur, *mundissimus*, id est, omni pollutione & immunditia legali carens. ita Philo, Iosephus & alij. Solebant ergo offerentes, commissis igni quæ Deo adolebantur, v.g. adipe, cauda, &c. & traditis sacerdoti quæ ipsi debebantur ex victima, putà armo dextro ac pectusculo, reliquas carnes elixas (nam nihil assabatur in atrio templi) domum suam referre, vbi cum domesticis, & quibuscumque alijs quos inuitare voluissent, dummodo ij *mundi* essent, epulabantur. Addit rationem Philo, cur esus harum carnium non posset vltra secundum vel tertium diem differri: Quia, inquit, iam non sunt offerentis, sed Dei, cui oblatæ fuerunt; qui cùm sit beneficus ac munificus, non vult eas in penum retrudi, sed conuiuis, & maximè egentibus, communicari.

c *Leuit. 7. v. 15. & c. 22. v. 30.*

d *v. 18.*

e *Leuit. 19 v. 7. & 8.*

Abulens. in Leuit. post quæst. 14.

Philo l. 2. de Victimis. Iosephus l. Antiquit. c. 10.

℣. 24. *Adipem cadaueris morticini* & à bestia iugulati, applicare poteritis *in varios vsus*] sed profanos, v.g. ad vsus medicos, vel ad lumen domesticum, &c. Addunt Hebræa, Chaldæa & Græca, *sed non comedetis*, vt alibi (f) dicitur.

Leuit. 7. v. 19. Philo suprà.

f *c. 3. v. 16 & c. 17. v. 12.*

℣. 30.

℣. 30. *Tenebit manibus adipem & pectusculum*] Loquitur de laico offerente: cuius manibus imponebat sacerdos pectusculũ victimæ cum adipe, forsan & cum armo & pane azymo, vt dicitur Exodi 29. v. 22. & seqq. Imponebat, inquam, manibus, mediante verosimiliùs acetabulo, vel alio aliquo vasculo argenteo, vt vult Caietanus. Dein sacerdos supponens manus suas manibus offerentis sic onustis, eleuabat illas sursum, mox detrahebat deorsum: rursumque ducebat eas ab Oriente ad Occidentem, ac demum à Meridie ad Septemtrionem, formam sic exprimens trinæ crucis; vnde & ab Hebræis vocabatur sacrificium *agitationis*. Allegoricè figura erat crucis Christi; & signũ divini imperij non solùm in quatuor orbis plagas, sed & in cælum sursum, & in infernum deorsum, inquit Rabbi Salomon, Pagninus, Vatablus, Abulensis, Liranus & Lipomanus.

Caiet. in Leuit. 7.

CAPVT VIII.

Aaron consecratur à Moyse pontifex & filij Aaronis consecrantur sacerdotes.

℣. 6. OBTVLIT] scilicet adductos publicè ad tabernaculum; nempe Moyses Deo in sacerdotes obtulit Aaronem & filios eius, id est consecrauit & initiauit sacerdotio, his ritibus. Primò, *lauit* (a) *eos*. Secundò, *vestibus sacris* (b) *induit*, de quibus Exodi 28. Tertiò, sacrificauit *pro peccato* (c) *vitulum*, & *arietem* (d) vnum, alterumque *arietem* (e) *in holocaustum*: Quartò, vnxit *per septem* continuos *dies* (f), *aspergens* tam illos, quàm vestes illorũ quotidie oleo *mixto sanguine* (g) *arietis* prioris. vngebat verò *aurem* illorum *dexteram*, *& pollicẽ manus ac* (g) *pedis dextri*. Quintò, durante hoc septem dierum consecrationis tempore, debebant *noctes & dies excubare* (h) in atrio tabernaculi, more custodum fixè ibi manentes, non sic tamen vt somnus eis vetaretur. Et hæc communia erant omnibus sacerdotibus dum consecrarentur. Ceterùm consecrationi *Aaronis*, & cõsequenter cuiusuis summi sacerdotis successoris Aaronis, peculiare erat, quòd totum etiam *caput illius* (i) vngeretur. Quo designabatur, à pontifice tamquam à capite deriuari potestatem consecrandi & offerendi ad alios omnes sacerdotes. Aurium vnctione tropologicè indicabatur, eos legem Domini audire, eidemque obedire debere præ cæteris: manus verò ac pedis dextri; eos audita fortiter constanterque exequi teneri. Ita Radulphus.

Nota, eodem die primo hebdomadę consecrationis horum sacerdotum, qui erat dies primus mensis primi anni secundi egressionis Hebræorum ex Ægypto, Moysen simili *septena* (k) *vnctione*, sed continuò vnâ eâdemque hora adhibita consecrasse quoque *altaria* holocausti & thymiamatis, adeoque totum *tabernaculum cum omnibus* vasis & *supellectili sua*.

a *Leuit. 8. v. 6.*
b *v. 7. 8. 9. 13.*
c *v. 14. vsque 17.*
d *v. 22. &c.*
e *v. 18.*
f *v. 30. 33.*
g *v. 24.*
h *v. 33. 35.*
i *v. 12.*
k *v. 10. & 11.*

CAPVT IX.

Aaron iam consecratus celebrat primitias suas, & præter iuge sacrificium matutinum, offert vitulum pro peccato suo, & arietem in holocaustum. Deinde offert etiam populi victimas, hircum pro peccato, vitulum & agnum in holocaustum, bouem & arietem in hostiam pacificam. Quæ omnes hostiæ igne cælitus emisso absumptæ sunt.

℣. 17. ABSQVE *cæremoniis holocausti matutini*] scilicet iugis & quotidiani. Quasi dicat, Omnia hæc sacrificia & holocausta Aaronis & filiorum eius non fuerunt impedimento, quo minùs offerretur eodem quoque tempore matutino iuge holocaustum agni: quod nullo casu, sicut nec vespertinum, poterat ob vlla alia sacrificia intermitti. Hinc patet, illo primùm die, scilicet octauo mensis primi, & post completos septem dies consecrationis Aaronis filiorumque illius die primo, cœptum ab Aarone offerri in altari iam sanctificato *iuge sacrificium*, idq; ante sacrificium *pro peccato* (l) & *holocaustum* (m), aliaque quæ hic pro primitijs suis offerre iubetur. Nã iuge sacrificiũ manè omnia alia sacrificia anteibat: sicut & vespere omnia eius diei sacrificia terminabat. Ita Philo, Iosephus & alij.

l *Leuit 9. v 7.*
m *v. 7. & 12*

℣. 23. *Ingressi Moyses & Aaron in tabernaculum*] Nempe vt Aaron thymiama in altari incensi offerret Deo ante cremationem holocausti matutini. Id enim thymiama semper matutinum holocaustum anteibat: quocirca etiam nunc præire debuit immissionem illam sacri ignis à Deo cælitus, vel è columna nubis submissi, quo cremanda erant tum iuge, tum alia iam parata sacrificia. Aaroni autem iunctus ibat socius Moyses, vt eum doceret modum huius thymiamatis offerendi.

Mox apparuit gloria Domini] scilicet cælestis ignis emissione, quâ Deus gloriam seu præsentiam suam, potentiam & fauorem singularem, tum erga populum vniuersum, tum maximè erga nouos sacerdotes palàm comprobauit, sacerdotium illorum tam celebri prodigio honorando.

Nota. Hoc igne cælesti semper deinceps vsi sunt Hebræi, eumque lignis iniectis continuò nutrire iussi, Leuitici 6. v. 12. Quo quia *Nadab & Abiu* filij Aaronis vsi non fuerant, sed *alieno*, seu aliunde desumpto profano igne, idcircò igne cælitus immisso absumpti sunt cap. sequenti. Quare maxima sacerdotum vicissim templo deseruientium curâ fouebatur sacer hic ignis: & quidem per desertum cùm proficiscerentur, in vase ad id deputato; cùm verò subsisterent, in altari ipso holocaustorum adseruabatur, perpetuoque fomento nutriebatur. Ita Philo, & Iosephus. Similis ignis de cælo ad victimas absumẽdas missus est cùm Salomon templum suum dedicaret 2. Paral. 7. v. 1. Item cùm Elias cõuicit sacerdotes Baal 3. Reg. 18. v. 38. Adseruatus est autẽ hic sacer ignis in templo vsq; ad euersionẽ eiusdem templi, & captiuitatem Babylonicam. Ac ne tum quidem neglecta illius cura: nam à sacerdotibus in puteo ignis ille absconditus est, sed soluta pòst captiuitate, dum ignem requirunt, loco ignis aquam crassam repererunt, quæ mox tempore sacrificij in ignem miraculosè conversa fuit, 2. Machabæorũ 1. Quo igne vsi sunt exinceps in secundo templo: & in tanti miraculi memoriam festum dati ignis perpetuò celebre habuerunt.

Nota. Hanc ignis sacri continuò fouendi religionem dæmon, vt simius, apud Ethnicos varijs locis æmulari voluit, vt apud Persas, qui & pro Deo illum colebant: apud Delphos item, & Argiuos in templis Apollinis: apud Romanos, qui illum sub nomine Vestæ colebant, & virginibus Vestalibus custodiam illius committebant: quod si quando contingeret extingui, fatale vrbi censebatur. Vide Rhodiginum, & Lilium Gyraldum.

Rhodigin. l. 1 c. Antiquar. lect. c. 14. Gyrald. in Syntagm. Deorum. in Vesta Dea. Greg. l. 25. Moral. c. 7.

Allegoricè ignis hic cælestis est Spiritus sancti gratia, quæ continuo fomento piarum meditationum, & bonorum operum foueri debet. Ita S. Gregorius.

CAPVT X.

Nadab & Abiu filij Aaronis igne profano thurificantes, igne cæleſti occiduntur. Ploratu eos à parente & fratribus conſacerdotibus vetat Deus. Vetat & vini & ſicera vſum ſacerdotibus quamdiu in tabernaculo deſeruiunt.

¶.1. QVOD *eis præceptum non erat*] Liptote, id eſt, quod eis prohibitum erat. Veroſimile tamẽ eſt, quod Radulphus & Abulenſis aiunt, illos non niſi venialiter peccaſſe, utpote partim lætitia, partim timore ignis cæleſtis perturbatos, nec ſat memores præcepti diuini. Et facile erat, neomyſtas in primitijs errare.

¶.3. *Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi*] Id eſt, in ſacerdotibus qui altari meo & Sanctuario deſeruiunt. Quaſi dicat, Iuſtũ me declarabo, puniendo peccata etiam ſacerdotum, ſcilicet, ne populus ſperet me ſibi, ſi peccet, parciturum, dum videt, me ne quidem ſacerdotibus peccantibus ignoſcere.

Petes, quale fuerit horum ſacerdotũ peccatum? Reſpondet Rabbi Salomon & alij Hebræi, fuiſſe ebrietatem. Et colligunt ex eo, quòd ſtatim ab hac clade Deus nouũ illud præceptũ ſacerdotibus dederit de abſtinendo à potu vini, quamdiu in atrio tabernaculi deſeruirent. Sed quidquid de hoc ſit, certum eſt, eos inobedientiâ peccaſſe, quòd thuribulis ſuis non ſacrũ ignem ex altari, ſed profanum è culina imponerent, atque in Sanctuarium inferrent, vt eo thymiama in altari incenſi adoleretur.

Tropologicè ignis profanus eſt amor proprius, igni ſacro ſeu amori diuino contrarius, olim puniendus igne vel purgatorio vel infernali. Ita Radulphus, & inſinuatur 1. Corinth. 3. v. 13.

Philo l. 2. de Monarchia. Notat Philo, quatuor ob cauſas omnem vſum vini inhibitum fuiſſe ſacerdotibus quamdiu in tabernaculo deſeruirent, ſcilicet vt effugiant Primò, pigritiam; Secundò, obliuionem; Tertiò, ſomnum; Quartò, amentiam: quæ ſolent à vino progigni. Eaſdem ob cauſſas vetatur hîc illis etiam aliud

שכר *omne quod inebriare poteſt*, hebraicè, *ſchechar*, græcè ſicera: quâ voce ſignificatur omnis potio quæ ebrietatem inducere poteſt, teſte S. Hieronymo. Vnde complectitur omnia illa vini factitij genera, quæ Plinius l. 4. c. 16. recenſet, ex loto arbore, è palmis, ficis, pyris, & malis, omne genus: item hydromeli ex aqua & melle, vel ex aqua & ſaccaro: item cereuiſia noſtra, & omnis ei ſimilis potio, è tritico, hordeo, auena, apud varias nationes etiam olim vſurpata, teſte Plinio; & aliis ab Hadriano Iunio, Dalechampio, & Antonio Balinghem citatis. Ergo ſacerdotibus iſtis quamdiu in templo deſeruirent, (quod poſterioribus temporibus, ob ingentem illorum multitudinem, admodum rarum fuit,) vtendum erat ſi non pura aqua, certè nõ alio miſta ſucco, quàm qui ebrietati inducendę par non eſſet. Simile quid etiam dæmon, ſimius in ſacris, à ſuis Ethnicorum ſacerdotibus aliquando exegit. Nam ex præſcripto Amphiarai vatis, ſacerdotes qui clara reſponſa accipere & reddere vellent, integrum diem à cibo, à vino autem triduum abſtinere iubebantur, teſte Volaterrano. Iouis ſacerdoti apud Romanos ne ſub vitem quidem venire fas erat, inquit Plutarchus. Ægyptijs verò ſacerdotibus vino, vti & carnibus, perpetuò abſtinendum fuiſſe teſtes ſunt Cheremon Stoicus, & S. Hieron. Quanta ergo ſobrietatis cura eſſe debet Chriſtianis ſacerdotibus, qui tam tremenda tractant myſteria?

Hier. epiſt. ad Nepotianum, & in Iſaiæ 28.

Plin. l. 14. cap. vlt. Iunius Animadu. l. 2. c. 12. Dalechamp. annot. in l. 22. Plinij c. vlt. Balinghem in Pomeridianis colloquijs.

Volaterr. l. 13. c. 4.

Cheremon apud S. Hierõ l. 2. adu. Iouinian.

¶.6. *Capita veſtra nolite nudare*] putà, cidarim ſeu tiaram detrahendo, vt habent LXX. & Philo: vel

Philo ſuprà.

A etiam capillos more Gentilium abradendo, luctus teſtandi cauſsâ. Quod non ſolis ſacerdotibus, ſed & laicis promiſcuè vetitũ erat in funere; Deuter. 14. v. 1. Idq; ne more Ethnicorum, immoderatum animi affectum hoc ſigno proderent, parum conuenientem ijs qui crederent futuram aliquando reſurrectionem. Sed eam legem Iudæos non ſemper obſeruaſſe colligimus ex Ieremiæ 16. v. 6. vbi prædicitur, tantam fore morientium turbam, vt ſuperſtitibus etſi moribus Gentilium aſſuetis, non libeat toties ſe incidere aut caput decaluare. Extra tempus funerum non fuit capitis abraſio laicis prohibita: ſed neque ſacerdotibus, cùm non miniſtrarent in templo. Semper tamen excipio Nazaræos: quamquam & hi quoque completo nazaræatus tempore capillos abradebant.

Et veſtimenta nolite ſcindere] Id ſummo ſacerdoti in funeribus vetitũ fuit Leuit. 21. verſ. 10. quia ſciſſio illa impotentiam quamdam animi demonſtrat, quæ pontificem minimè decet. Alijs ſacerdotibus id nuſquam prohibitum legimus. Ergo hoc ſolo caſu proſtratorum miſerè fratrum Moyſes id hîc peculiariter vetat filijs Aaronis, tum propter recentem illorum conſecrationem, vt dicit verſu ſequenti; tum propter paucitatem illorum, quòd ſi tum ſimili ceremonia funebri contaminari contigiſſet, nulli alij fuiſſent qui ſacrificia peragere, aut victimas ſacras abſumere potuiſſent. Eadem de cauſſa vetat hîc ijſdẽ Moyſes, egredi atrio ſancto, ſcilicet ad planctum fratrum ſuorum & funus peragendum: nam etiam funeris deductio & parentatio afferebat immunditiam legalem. Ita Ioſephus.

Ioſephus l. 2. Antiquit. apud Euſeb l. 8. de Præpar. Euang. c. 2.

CAPVT XI.

Lex de animalibus mundis, ſeu quibus veſci licet: & immundis, quæ comedi vetat. Munda decernit terreſtria, quæ vngulam diuidunt, ſimul & ruminant: piſces, qui pinnulas habent & ſquamas. Auium genera; reptilia omnia immunda.

¶.5. CHOEROGRYLLVS] Ita etiam Græci. Et ſatis conſtat porci genus aliquod ſignificari, cùm tam χοῖρος, quàm γρῖλλος, ex quibus hæc vox componitur, porcum ſignificet. Sed Hebræũ

שפן *ſchaphan*, teſte S. Hieronymo, animal eſt in Palæſtina frequens, hericij, ſeu erinacei magnitudine, habens ſimilitudinem muris & vrſi, ſemper inſtar cuniculi in cauernis petrarum & terræ foueis habitans. Ob hanc verò huius animaculi cum alijs iam dictis ſimilitudinem factum eſt vt pro eo interpretes verterint nunc *chærogryllum* (*a*), nunc *herinaceum* (*b*) nunc *cuniculum* (*c*).

S. Hier. ep. ad Suniam & Fretellam.

a *Noſter hic. & LXX. item ipſi Deuter. 14.*

¶.13. *Gryphem*] Ita etiam LXX. & Pagninus & Vatablus. Eſt veroſimiliùs ex genere aquilarum, vt magnitudine & viribus, ita rapacitate monſtroſũ, ab Ariſtophanis interprete γυπάετος, ſeu *gryphaquila* dictum. Certè Aldrouandus ex Paulo Veneto & regis Æthiopum litteris docet, ex aquilarum ſpecicbus nonnullas tantæ magnitudinis & roboris reperiri, quę integrũ bouem vel equum pullis ſuis alendis in nidum deferant: & elephantũ in ſublime tollant, quem deinde ipſo in terram lapſu occiſum devorent. Ex eodem aquilarũ genere eſt auis illa quæ hîc ſubiungitur *haliæetus*, quod latinè ſonat *marinam aquilã*. Eſtq; piſcibus imprimis inſidioſa, quos ipſa, licèt altiſſimo ex aëre, & nubibus proxima, perſpicaciſſimè videt, magnoque impetu in eos ſeſe præcipitat. Vide eumdem Aldrouandum. Porrò quæ de gryphe paradoxa ſcribunt Herodotus, Pauſanias, Pomponius Mela, Solinus, Ælianus, Philoſtratus, & noſtri pictores effingere ſolent, quaſi

b *Pſal. 103. v. 18. noſtra Vulgata & S. Hieron.*

c *Prou. 10. v. 26 Noſter. Vlyſſes Aldrouandus in Ornithologia. Herodotus l. 3. Pauſanias in Atticis. Pomp. Mela l. 2. Solinus c. 19 Ælianus l. 4. c. 26. Philoſtratus l. 3. de Vita Apollonij.*

quasi sit animal quadrupes, auritum, pennatum, alis & vultu aquilino, leoninis vnguibus ac iubis, totoque reliquo corpore, in Scythicis ac Hyperboreis Asiæ montibus frequens, aurum quod ibi nascitur, à rapina Arimasporum, qui monoculi sint populi, custodiens, ob idque cum illis perpetuum bellum gerens; meritò fabulis accensentur à Plinio, Alberto Magno, & alijs recentioribus.

Plin l. 11. c.29. Aristoteles suprà l.9. c.6. Item l. de Mirabilibus auscultationibus.

℣. 16. *& seq.* De Struthione, Laro, Mergulo, Ibi, Onocrotalo, Porphyrione & Charadrio vide infrà Deuter. 14. v. 15.

℣. 22. *Attacus*] Species est locustæ, modicis alis, vti *& ophiomachus*; sed hæc alis caret: sic dicta, quod cum serpente bellum gerat, apprehēsisque mordicus faucibus, quoties libet, necat, inquit Plinius, Aristoteles, Hesychius & Suidas. Addit Plinius, eiusmodi locustas in India etiam ternûm pedum longitudinis reperiri. Porrò, cùm & ista, & alia omnia locustarum genera præscribat hic Deus Hebræis in escam; satis credo hinc constare, non opus esse ad cancros marinos vel ad pyra siluestria confugere, vt Ioanni Baptistæ Marci 1. & Mathæi 3. cibus ex locustis paretur, vt finxit Beza, & alij quidam delicatuli Nouantes. Quin & Æthiopibus, & Parthis, & multis alijs populis solemne esse vesci locustis, vti & cicadis, testes sunt Aristoteles, (a) Plinius, Diodorus Siculus & alij.

℣. 30. *Mygale*] Sic dicitur, quasi mus & mustela; quòd magnitudine murem referat, colore mustelam. Eius meminit Dioscorides, (b) Plutarchus, Aëtius & Nicand. Latini *murem araneum* vocant, ob venenum præsens quod morsu infigit, teste (c) Plinio, & Antonio Nebrissensi.

a Arist. l.6. Hist. anim. c.30. Plin. l.6. c.30. l.7. c.2. & l. 11. c.26. & 29. b Diod. Sic. l.4. c.3. b Dioscl.2. 7. & 8. Plutar. sup. l.4 c.5. Actius apud Matthiolum l. 2. Nicander in Theria. c Plin. l. 8. c.58. Nebriss. Quinquag. c.31. d Aristoteles l.2. c.11. Plin. l. 8. c.33. e Aristot. l.9 c.1. Plin. l.29. c.4.

Chamæleon serpit instar lacertæ, cui admodum similis est. Huius meminit Aristoteles, (d) Plinius, & omnes alij: notantque chamæleontem solo aëre pasci, & colorem rei cui adhæresci induere, maximè si metu corripiatur. Est & *Stellio* animalculum simile lacertæ: cuius ijdem Aristoteles (e) & Plinius & alij meminerunt.

℣. 34. *Omnis cibus, si fusa fuerit super eum aqua*, scilicet ex vase aliquo polluto, *immundus erit: & omne liquens, quod bibitur de vniuerso vase*, similiter polluto, *immundum erit*] Talia autem vasa morticinio seu cadauere aliquo polluta, *siue clibani* fuerint, quibus panes coquuntur, *siue chytræ*, id est ollæ, *siue chytropodes*, id est ollarum sustentacula, quibus tamquam pedibus ollæ sustentantur; cùm hæc omnia fictilia sint, teste Athenæo, Polluce & Suida, *destruentur* & confringentur.

℣. 39. *Si mortuum fuerit animal quod licet vobis comedere*] Mortuum scilicet naturali morte, vel suffocatum, remanente ac concreto in venis sanguine: itemque à bestia captum. Nam hæc omnia immunda erant, & ad esum illicita Iudæis.

Pro quo Nota, licèt hæc omnia & quæcumque creauit Deus, suâpte naturâ munda essent, teste Apostolo: prouidè tamen statutum fuisse à Deo, vt à quibusdam, quasi ab immundis, abstinerent Iudæi. Primò, vt hac viâ populus isto rudis, sicut in sacrificijs, sic & in cibarijs haberent continuum exercitium obedientiæ, religionis, latriæ, & temperantiæ. Secundò, vt ab immundis idololatrarum epulis ac superstitionibus arcerentur, ad quæ alioquin imitanda propensiores erant. Tertiò, vt ex munditie & sanctitate hac legali discerent assurgere ad internam munditiem & veram animi sanctitatem, quæ mystic è hîc præfigurabatur.

Rom. 14. & 1. ad Tim 4 & ad Titum 1.

Nota Secundò, licèt in his mundis & immundis cibis ita decernendis satis esse posset vna Dei sic iubentis voluntas; Deum tamen non nisi iustas & manifestas ob causas voluisse quosdam præ alijs immundos declarare, & has vel naturales causas, v.g. quòd eiusmodi cibi venenosi essent, vt sunt reptilia vel saltem distemperatæ complexionis & mali succi, vt noctuæ, ciconiæ, vpupæ, porci, &c. vel saltem difficillimæ digestionis, vt adeps, sanguis, &c. Vel denique ob mysticas & morales causas, v. g. quòd in quibusdam animalibus prauæ quædam inessent conditiones ac proprietates vitiorum, crudelitatis in coruo, ingluuiei in onocratalo, rapinæ in vulture, impietatis in crocodilo, superbiæ in aquila, luxuriæ in sue, & aliorum in alijs istiusmodi symbola: per quæ Deus innuebat, ad obtinendam veram animi munditiem, ab illis vitijs abstinendum esse, alioqui coram Deo nos immundos esse iudicandos, & à diuino sanctuario, id est cælo, arcendos. Ita Tertullianus, Origenes, Aristeas apud Eusebium, Cyrillus Alexandrinus, Augustinus, & S. Thomas.

Tertul. l. de Cibis Iudaicis. Orig. hom. 7 Euseb. de Prepar. l. 8. c. 3. Cyrill. l. 9. contra Iulianum. Aug l 31. contra Faustum cap. vlt. S Tho. 1. 2. q. 102. a. 6.

CAPVT XII.

Purificatio, & oblatio faciendæ puerperæ. Nempe agnus in holocaustum, & columba pullus vel turtur pro peccato: sin pauper sit, duo pulli columbarum, vel duo turtures.

℣. 2. MVLIER, *si suscepto semine pepererit*] Ita etiam verterunt LXX. & Vatablus & SS. Patres (f) etiam communiter ita exponunt, docentque B. Virginem, quia sine suscepto semine peperit, hac lege comprehensam non fuisse, neque immunditiem legalem incurrisse. Idē fatentur Philippus Melanchthon, Artopœus, & alij quidam hæretici à P. Canisio citati. Vnde consequenter dicunt ijdem Patres, in partu B. Virginis nulla fuisse menstrua, nullas secundinas, aliasve sordes quæ partum vulgarem consequi solent.

f Patres citati à Suarez tomo 2. part. 3. disp. 13. sect. 2. Canis. l. 4. Mar. l. cap. 12.

℣. 5. *Iuxta ritum fluxus menstrui*] Id est, eo ritu & ratione erit immunda, quibus quæ menstrua patitur. Neque enim omnes legis immunditiæ pares erant, sed quędam *grauiores*, quędam *minùs graues*. Grauiores erant: quibus qui tenebatur, non solùm longiori tempore excludebatur à templo & rerum sacrarum participatione, sed insuper etiam ab hominum consortio: neque licebat vel atrium templi profanum Gentilium & vulgarium immundorum ingredi, teste Iosepho, eò quòd homines quoslibet, & quælibet instrumenta quæ contingebat, suo contactu quoque polluebat & immunda reddebat. Eiusmodi erant tria illa immundorum genera, Numer. 5. qui iubebantur excludi castris & vrbibus, videlicet leprosi, seminiflui, & polluti super mortuo. Eiusdem generis erant etiam menstruatę, quæ etsi non excluderentur ciuitate, tamen domi ita recludebantur, vt cum nemine commercium haberent, nisi cum eo qui cibum & necessaria afferret, qui tamen vel ob hoc ipsum legaliter immundus existebat. Huius ergo eiusdem generis decernitur hîc fore immunditia mulieris parientis, si masculum, septem diebus: si femellam, quatuordecim. Ceteræ immunditiæ *leuiores* etsi arcerent à templo & rebus sacris, non tamen nisi ad breue tempus, neque excludebant ab hominum consortio, aut ab atrio templi profano, eò quòd per contagionem & contactum non communicarentur alijs, & faciliore ritu citiusque tollebantur: cùm *grauiores*, vti diuturniores erant, ita etiam difficiliùs tollerentur, nec nisi peculiaribus ritibus, de quibus c. 15. & alibi. Et huiusmodi leuior erat hæc ceterorum dierum immunditia in ijs quæ pepererant, post septimum vel decimumquartum diem. Quæ immunditia etsi eo casu diuturniore tempore duraret, non tamen per se, aut ex

Ioseph. l. 2. contra Apionem.

ratione talis immunditiæ id habebat; sed solùm per A accidens, eò quòd causa illius diutiùs duraret, nempe naturalis purgatio parientis, & euacuatio tum sanguinis, tum aliarum sordium, quæ ferè 40. diebus in partu masculi, & 80. in femellæ durare solent. Qua de re vide, si lubet, Hippocratem & Franciscum Valesium.

Hippocr. l. de Natura pueri. Valef. de Sacra Philosophia c. 18.

Nota licèt hæc lex, cum alijs ceremonialibus antiqui testamenti iam sit abolita, possintque puerperæ Christianæ sine peccato statim à partu gratias acturæ templum ingredi, vti respondit Innocentius III. tamen ob munditiam, venerationemque sacrorum, & ad imitationem purissimæ Virginis, solent ab ingressu ecclesiæ 40. diebus abstinere, inquit Radulphus & alij.

Innoc. cap. vnico. de Purificatione post partum.

CAPVT XIII.

Septem species lepræ: eiusdemq; signa. Quinque verò præcipiuntur leproso. Primò, vt habeat vestes dissutas; Secundò, caput nudum; Tertiò, os tectum; Quartò, clamet se sordidum esse; Quintò, habitet extra castra. B

Prolegom. de Idiotism. Hebr. n. 58.

¶. 6. MVNDABIT *eum*] Hoc est, mundum à lepra pronuntiabit. Sic v. 11. & alijs, *contaminabit eum sacerdos*, id est, contaminatum leprâ declarabit. Vbi typum videre est insignem eius iurisdictionis Ecclesiasticæ, quam nostri sacerdotes in tribunali pœnitentiæ circa peccata seu lepram animi quotidie exercent.

Valef. de Sacra Philosophia c. 19.

Notat Franciscus Valesius, hanc Judæorum lepram non fuisse *elephantiam*, qualis ferè iam nostra est, quæ & carnem & ossa depascitur, & est incurabilis, sed fuisse lepram Galeni & Græcorum, quæ cutis vitium est: & scabiei simillima. Vnde & à Christo mundati dicuntur leprosi, non verò sanati, inquit, S. Augustinus. Nascitur autem ex redundantia pituitæ, vel bilis atræ, seu melancholiæ. E quibus varię admodum species enasci solent, quæ partim hîc à Scriptura, partim à medicis recensentur. Sed præter illam vulgarem cutis lepram, erat & alia quæ in ipsâ carnem sæuiebat, eratque sicut nostra *elephantiasis*. Alia quoque quæ intra pilos barbæ aut capitis innascitur, de qua v. 29. Alia quæ in vestibus reperitur, v. 47. Alia denique quæ in domibus, de qua c. sequenti v. 34. Possunt enim hæc vel halitu, vel sudore, vel sanie alicuius leprosi infici, vt ex scabiosis & peste infectis quotidiana docet experientia. Ex morbis quoque animalium, quorum lanæ & pelles ad vestes assumuntur, posset in ijs gigni putredo, & maculæ, quę etiam contagio suo proserpant ad alias partes. Quin & à sola aëris intemperie, vel putrefactione, vti corpora hominum & animalium, ita & vestes & domus possunt similes putrescentias lepræ affines & quasi pestes haurire. Hebræi, teste Oleastro, tradunt, hanc vestium & domorum lepram, peculiarem Judææ fuisse: nec alibi vsquam apparuisse: neque inter Iudæos, nisi quum à diuinis legibus recederent. Theodoretus omnem lepræ morbum vult peculiari Dei prouidentiâ Iudæis peccantibus immissum fuisse, maximeque ijs qui sacerdotibus rebelles essent, vt futurum prædicitur Deuter. 24. v. 8. & patuit in Maria sorore Moysis Numeror. 12. & in Ozia rege 2. Paralipom. 26. Iudęam verò, reliquamque Syriam multis quoque pòst sæculis eiusmodi morborum ac fœditatum feracem fuisse, & ab ipsa quasi terra vel aura affiari solere, vel inde colligas, quòd tam multos ex Europæis, qui eò ad bellum sacrum profecti fuerant, ibidem infici contigerit, in quorum gratiam tot vbique tota Europa leprosotrophia construi debuerunt. C D

CAPVT XIV.

Ritus lustrationis, quo legaliter expiandus erat leprosus, leprâ iam curatâ: siue illa in cute fuisset hominis siue in vestibus, siue in domibus.

¶. 4. EX fusto *ligni cedrini*, *vermiculo*, (a) hoc est filo coccineo, & *hyssopo* aspergillum conficiebatur, cuius manubrio cedrino hyssopum adnectebat filum coccineum. Videtur etiam ex v. 6. passerculus viuus eodem filo eidem manubrio in medio hyssopi alligatus fuisse, & leprosi adspersio non minùs à plumis passerculi, quàm ab hyssopo, postquam ambæ aquas sanguinolentas combibissent, fieri debuisse. Cùm enim lepra quatuor ingętia mala secum traheret: Primum, cutis ac carnis putrefactionem; Secundum, colorem luridum ac horridu; Tertium, grauem fœtorem; Quartum, tabem aut etiam mortem; voluit Deus quatuor illa quasi horum remedia, vel saltem remediorum indicia, mundandis adhiberi. Primò, lignum cedrinum, quod putrefactionem non admittit, imò & ab alijs rebus arcet. Secundò, filum coccineum, coloris viuacissimi ac gratissimi. Tertiò, hyssopum, herbam apprimè odoriferam. Quartò, passerem viuum, vigoris & vitæ symbolum, quare & liber in agrum deuolare sinebatur. Ergo ad litteram designabatur, hæc omnia iam mundato à lepra postliminio reddita esse. Et Tropologicè, peccatori pœnitenti, virtute crucis & passionis Christi, omnia antè deperdita etiam cum fœnore redhibęda. B

a *Exodi* 25. v. 4.

¶. 54. *Percussuræ* nomine hîc intelligit scabiem seu lepram capitis vel barbæ, vti Chaldæus interpres, & Arias Montanus hîc vertunt, quam cap. præcedenti *conuulsionem* vocabant, sic dictam quòd capillos conuellat, imò euellat, maximè si perduret. Per *cicatricem* v. 56. designat hîc maculosam diuersi coloris lepram seu vitiliginem. Per *erumpentes papulas* seu pustulas, scabiem asperam. Per *lucentes maculas*, candorem cutis, lucem aliquam emittentem, quæ certum lepræ indicium est. Vide de his fusè Franciscum Valesium.

Valef. sup.

CAPVT XV.

Immunditia & purificatio: Primò seminiflui; Secundò, concumbentis; Tertiò, menstruata, Quartò, hæmorrhoissa.

¶. 9. SAGMA, *super quo sederit*] Id est ephippium, seu quidquid equo vel iumento insternitur ad equitandum. Hinc *sagmarius equus* apud Lampridium, & *mula sagmaria* apud Rhodiginum.

Lamprid. Heliogabalo.

Nota. non esse hîc sermonem nisi de fluxu seminis, qui *gonorrhœa* vocatur, estque morbus, cùm inuito semen quasi continuè defluit ex naturæ debilitate, & facultatis retętiuæ imbecillitate. Nam de *voluntaria* emissione in actu coniugali, infrà agitur v. 16. De *casuali* in somno, Deuter. 23. v. 10. Nam vtraque etiam immundum hominem faciebat. Voluntaria autem extra actum coniugalem, non immundum modò, sed & detestabilem Deo reddebat.

Tropologicè seminiflui sunt doctores impuri. Ita S. Gregorius & Radulphus. Addit Theodoretus, idcircò voluisse: Deum, etiam actũ matrimonij quantumuis licitum, instar peccati seu immunditię legalis haberi, & *aquâ viuente*, id est fluuiali vel fontana (quia hęc quasi more viuentium se mouet) ad vesperam expiari; vt assiduitatem frequentiamque actus matrimonij cohiberet, purificandi sui pigritia: atque ita ad honestam decentemque continentiam petulantiores induceret.

CA-

CAPVT XVI.

Ritus seruandus in festo Kippurim, id est Expiationis, decima die mensis septimi.

℣.2. NE *omni tempore ingrediatur Aaron Sanctuarium, nisi ante hæc fecerit* Id est, ne vnquam ingrediatur pontifex Sanctum sanctorum, etiam cùm licebit illi ingredi, nisi cæremonias istas præmiserit. Porrò non nisi semel in anno, idque solo *expiationis* die, scilicet decimo die septimi mensis, nec nisi semel illo die, licuisse pontifici eò ingredi sub pœna capitis, certissimò patet ex libro Exodi, epistola ad Hebræos, Philone, Iosepho & alijs. Erat autem festum istud vnum è tribus celeberrimis totius anni, quo (si verum est quod Hebræi tradunt) Moyses de monte Sinai cum tabulis secundis descendens, lætum Hebræis nuntium attulit peccati idololatriæ illorum iam expiati & condonati à Deo. Quo item fiebat quotannis *expiatio* solemnis omniũ peccatorum, quæ toto anno fuerant à populo admissa, & forsan nullo alio particulari ritu expiata. Denique expiabatur & sanctuarium, adeoque & ipsum Sanctum sanctorum, quasi polluta peccatis populi & sacerdotum. Sed ante omnia se expiare debebat ipse summus pontifex, oblatis suo sumptu *vitulo pro peccato* suo, & ariete *in holocaustum*. Quia verò tum personam rei sustinebat, eratque actus pœnitentiæ, & humiliationis coram Deo, in reuerentiam quoque diuinæ maiestatis, in Sancto sanctorum quasi in solio suo residentis; non induebatur tum temporis aurea stola, rationali, lamina aurea, alijsve ornamentis pontifici proprijs, sed solis vestibus lineis (a) seu byssinis vulgarium sacerdotum, vt notant Abulensis, Caietanus, Liranus, Sà, & Ribera. Fiebat autem ea expiatio partim immolatione victimarum hîc præscriptarum, putà vituli, arietis & hirci: partim oratione pontificis & precibus ad Deum: partim aspersione septena sãguinis victimarum iam dictarum: partim denique (b) *afflictione animarum*, seu publico totius populi ieiunio vsque *ad vesperam*, teste etiam Iosepho, & S. Hieronymo, & Rabbinis: qui addunt, abstinendum eo die omnibus fuisse non tantùm à cibo, sed & à potu, ab vxoribus, à balneis, ab vnguentis.

Exod. 30. v.10. Hebr.9. v.7 Philo l.2. de Monarchia. & l.de Legat. ad Caium. Ioseph.l.6. Bellic.6.

a *Leuit. 16. v.4. Ribera l.3. de Templo c.14.*

b *Leuit. 23. v.32. Ioseph.sup. Hieron.l.2. cont. Iouinianum.*

℣.20. *Tunc offerat hircum viuentem*] Alterum scilicet pro emissario reseruatum: *offerat* non immolando, sed coram Deo & tabernaculo viuum sistendo.

Nota, populum pro expiatione peccatorum à se commissorum toto anno, in communi debuisse ære publico duos deferre põtifici hircos vel capros. Huic vtrique pontifex sortes iaciebat. Ille *cuius sors Domino exierat*, immolabatur Deo pro peccato. Super alterum, in quem sors *capri emissarij* ceciderat, *confitebatur omnes iniquitates filiorum Israel*, nomine totius populi agnoscens publicè coram Deo, sæpiùs & in multis & grauiter peccatum fuisse, seque egere diuinâ misericordiâ, veniam rogare, &c. Tum *peccata* omnium, id est peccatorum pœnas, *imprecabatur capiti* hirci, deuouendo illum debito omnibus supplicio, Deumque orando vt exitium illius pro populi exitio admittere vellet. Mox *per* certum *hominem* ad id *paratum* hircus, quasi publicum catharma, piaculum & anathema, luiturus omnium pœnas, *extra castra in desertum* abducebatur à fera primùm obuia dilaniandus.

Allegoricè, duo isti hirci sunt Christus & Barabbas, inquit Origenes & S. Hieronymus. Vel Christi humanitas & diuinitas, vt Hesychius & Theodoretus. Vel secundùm S. Paulum, Christus vt cruenta, & vt incruenta hostia, peccatis nostris onusta à Patre. Tropologicè boni omnes, & mali. Anagogicè, electi & reprobi in die iudicij declarandi sorte prædestinationis vel reprobationis æternæ. Ita Beda & Radulphus. Reliquæ etiam cæremoniæ expiationis iam dictæ figura erant spiritalis animarum emundationis non solùm annuè, sed sæpiùs, imò quotidie, nobis procurandæ.

Hebr.9. v.12.& 13. & 14.

Nota Secundò, dæmonem vt simium Dei, similem subinde expiationem suis iniunxisse sacrificulis. nam teste Herodoto solebant Ægyptij imprecationes & maledicta congerere in caput victimæ ad id delectæ, vt si, quid sibi, vel Ægypto aduersi impenderet, id omne in caput victimę conuerteretur. Tum illud vel in Nilum demergendum præcipitabant: vel Græco seu profano alicui homini in foro venale proponebant, credo vt in illius ventrem omnia illa maledicta deriuarent.

Herod. in Euterpe.

CAPVT XVII.

Soli Deo sacrificare iubentur Hebræi, idq; non in quouis loco sed in solo tabernaculo. Vetaturq; omnis esus sanguinis & morticini.

℣.3. HOMO *si occiderit bouem aut ouem extra castra*] Loquitur de occisione non profana ad esum, quia hæc poterat quouis loco fieri: sed de sacra, nempe ad sacrificium, quę non poterat fieri nisi in atrio tabernaculi vel templi: nec nisi à sacerdotibus. Ratio inhibitionis huius erat: Prima, ne quis laicus sacrificandi munus sibi arrogaret. Secunda, ne idololatriæ pateret via, & ne mere Gentilium sacrificaretur in excelsis montibus, lucis aut cauernis. Vnde cessantibus his caussis, cẽset S. Augustinus, aliquos Prophetas licitè, quin & inspirante Deo, alibi sacrificasse, v.g. Samuelem (c) in Maspha, Eliam (d) in monte Carmeli.

Aug.q.56. in Leuit.

c *1.Reg 7. v.9.*

d *3. Reg 18. v.23.*

Tropologicè, extra atrium templi, id est, extra veram Ecclesiam, nullum sacrificium aut martyrium Deo placere potest, inquit Radulphus.

℣.11. *Anima carnis in sanguine est*] putà tamquam in sede sua. Nam sanguis est proximum alimentum quo *anima*, seu vita animalis, fouetur & conseruatur: estque instrumentum necessarium animæ ad functiones illius vitales. Defert enim sanguis per totum corpus spiritus vitales, sine quibus actio vitalis exerceri nulla potest, sed illis interceptis anima prorsus iners & inepta est ad omnes functiones. Et hæc est prima ratio cur sanguis hîc prohibeatur comedi: nempe species crudelitatis est, vitam cum animali comedere, & quasi viuum animal deuorare. Id enim facere videtur, qui sanguinem comitem animæ necessarium, & in quo tamquam in sede anima conquiescere solet, quique illi ad functiones vitales vnicum & necessarium est instrumentum, edit & absumit. Altera quoque hîc ratio additur, quòd sanguis Deo speciatim dicatus sit, & diuina lege sancitum, vt is in expiationem peccatorum humanorum fundatur, vt sic sanguis & mors animalis suppleat vicem hominis, qui per peccatum mortem promeritus erat. Plures caussas vetiti esus sanguinis protuli Genesis 9. vers. 4.

CAPVT XVIII.

Determinantur gradus consanguinitatis & affinitatis, in quibus matrimonium contrahere non licet. Vetatur omne adulterium & coitus nefandus: & infantium immolatio idolis.

℣.16. TVRPITVDINEM *vxoris fratris tui non reuelabis*] Id est, rem cum illa non habebis,

ſupple, ſi frater defunctus liberos ex vxore reliquerit. Nam ſi abſque liberis decederet, non tantùm poterat frater, ſed etiam lege cogebatur, ſub pœna infamiæ, vxorem fratris defuncti ducere, & ſemen illi ſuſcitare, Deuter. 25. v. 5. Hinc patet, non omnes gradus hoc capite vetitos, iure naturæ illicitos eſſe, & irritare matrimonium. Nam Doctores communiter id reſtringunt ad omnes & ſolos gradus in linea recta, etiam probabiliter in infinitum: idque propter ſubiectionem, tamquam effectus ad ſuam cauſam & principium, quam deſcendens & inferior debet aſcendenti & ſuperiori ſuo. in tranſuerſa verò linea non extendunt illud vltra primum conſanguinitatis gradum. ceteros ſolo iure poſitiuo ſeu diuino olim, ſeu Eccleſiaſtico nunc, matrimonium dirimere volunt: ac proinde poſſe per Eccleſiam in ijs diſpenſari. Ita Tridentinum, & Doctores Scholaſtici. Et verò quæ iure naturæ hîc vetita dixi, turpia admodum eſſe, & rectæ rationi aduerſari, non ſolùm exemplo Gentilium, etiam barbarorum, ſed & brutorum & ferarum probant † Ariſtoteles, Albertus Magnus, Pierius, Plinius, Ælianus, Catullus, & alij apud Alexandrum ab Alexandro, Tiraquellum, Ioannem Lopez & Sanchez de matrimonio.

Trident. ſeſſ. 24. c. 3. † *Ariſt. l. de Admiranda c. 2. & l. 9. Hiſt. anim. c. 47. Alb. Magn. de Animalibus l. 8. tract. 5. c. 2. Pierius in Hieroglyph. cameli. Plin. l. 8. c. 42. Ælian. l. 3. c. vlt. Catullus in Gellium. Alex Genial l. 1. c. 24. Tiraquellus de legibus connubial. l. 7 n. 32. Lopez de matrim. & legitim Sanchez de Matrim. l. 7 diſp. 51. n. 6. & 7.*

Potrò maioris lucis cauſâ, adnotaui in ſubiecta tabella gradus omnes hoc cap prohibitos. Adnotaui Secundò, qui & quales contra hæc aliquando peccarint. Tertiò denique, quinam ex his gradibus in noua Chriſti lege prohibiti, quinam permiſſi ſint.

Leuitici 18. vetatur coniugium	Contra hoc peccarunt	In noua Chriſti lege, ſeu in Eccleſia Chriſtiana
℣. 7. Filij cum matre. Filiæ cum patre. (a)	(a) Filiæ Loth, *Gen. 19. v. 33 & 35.* Ptolemæus Philcon & Philometor cum Cleopatra, *Chron. c. 39.* Semiramis cum filio, *Iuſtin. lib. 1.* Eiud cõuentum fuiſſe apud Perſas docet Theodo. & Plutarch.	Vetantur Primò, quæcumque olim primis quinque verſiculis vetabantur, vtpote iuris naturæ.
8. Priuigni cum nouerca (b) vel ſecundaria (c) coniuge parentis, ſi is plures ſimul vxores habeat.	(b) Ille ab Apoſtolo excommunicatus 1 *Corinth. 5. v. 1. & 5.*	Vetantur item quæ reliquis 7. verſiculis, vetabantur. Non quòd legibus illis cæremonialibus obſtringamur, quas conſtat abolitas eſſe: ſed quòd Eccleſia nouis legibus eadem omnia inhibuerit; neque ſolùm in ſecundo gradu, vt olim; ſed vſque ad quartum gradum incluſiuè. Ita definitum ſub Innocentio III. in Concilio Lateranenſi. Et habetur cap. *Non debet.* de conſangu. & affinib.
17. Vitrici cum priuigna, ſeu cum filia vxoris ex priore illius marito concepta.	(c) Ruben cum Bala concumbens, *Gen. 35. v. 22.*	
9. & 11. Fratris cum ſorore, ſiue ex vtroque (d) parente, ſiue ex altero (e) tantùm progenita.	(d) Aſſyrij, teſte † Luciano; Perſæ, teſte Herodoto, Curtio & Plinio; Ægyptij, teſtibus Diodoro & Theocrito; Indi, Æthiopes, Medi, teſte S. Hieron. & alij Barbari, de quibus Alexander ab Alexandro. & ſubinde etiam Romani, inquit S. Gregorius.	
10. Aui cum nepte, ſiue ex filia, ſiue ex filio procreata. Auiæ cum nepote ſimili. Idem coniugium Romanis quoque † legibus vetatur inter deſcendentes, non ſolùm vſque ad neptes, ſed in infinitum in linea recta.	(e) Amnon cum Thamar, 2 *Reg. 13. v. 14.* Nero Imper. cum Octauia. *Tacit. l. 15. & in noſtro Chronico cap. vlt. ad annum 8. Neronis.*	Neque permittit coniugium neptis, abneptis vel proneptis cum patruo vel auunculo.
12. Nepotis ex fratre cum amita. 13. Nepotis ex ſorore cum matertera. Hæc ſolùm lege poſitiua vetabantur.		Neque fratris cum fratria, etſi frater ſine liberis defunctus fuerit.
		Denique neque cum ſorore vxoris defũctæ. Nam, vt dixi, affinitas omnis, vt & conſanguinitas, dirimit vſque ad quartum gradum. In his tamen quæ ſolius iuris poſitiui ſunt, diſpenſare poteſt Eccleſia, vt definit Trident. ſeſſ. 24. can. 3.

Et hæc omnia vetita ſunt etiam iure naturæ.

† *Inſtitut. de Nuptijs.* § Ergo non omnes. & *l.* Nuptiæ conſiſtere. & *l. vlt. ff. de ritu nuptiarum.*

Tiraquellus de legibus connubialib. l. 9. n. 104.

An etiam neptis cum patruo vel auunculo?

Affirmare videtur S. Ambroſ † Liranus, Abulenſis & Bonfrerius. Sed Reſpondeo negatiuè cum Caietano, à Lapide, Sanchez & alijs ab eo citatis Et patet ex praxi Hebræorum tum ante, tum poſt hanc legem latam: Nachor enim duxit Melcham, Abram Sarai, Amram matrem Moyſis, ſinguli neptem ex fratre. Et vſque hodie vſitatiſſimum iſtud apud Iudæos.

† *Ambroſ. epiſt 66. Lir. Abul. Bonfr. in Leuit. 18. Caiet à Lapide ibid. Sanchez de Matr. l. 7. diſp. 52. nu. 1. & 6. Tiraquel. de legibus cõnubialib. l. 9. n. 104.*

14. Nepotis cum vxore patrui.		
15. Soceri cum nuru. (f) Et pari modo generi cum ſocru. Quod etiam Romanis turpe viſum, teſte Tiraquello.	(f) Thamar cum Iuda, *Gen. 38.*	
16. Fratris cum fratria, ſeu cum vxore fratris, (g) ſupple ſi frater ſuperſtes ſit: vel defunctus liberos ex vxore reliquerit. Nam ſi nullos reliquit, tenebatur frater, (h) ſub pœna infamiæ, ducere vxorem defuncti, *Deut. 25. v. 5.*	Antiochus Sedetes Aſiæ rex cum Cleopatra fratris ſui captiui vxore, *Chronici cap. 40.* (g) Herodes Antipas cum Herodiade, *Marci 6. v. 18.*	
17. Vitrici cum filia priuigni vel priuignæ.		
18. Cum ſorore vxoris adhuc viuentis. Id ante hanc legem licuiſſe patet ex Iacobi exemplo *Gen. 29.* qui duas ſorores Liam & Rachelem ſimul habuit. Mortua vxore, licebat ſororem illius ducere.	(h) Propinquus Booz, *Ruth 4. v. 6.*	

Hæc ſola lege poſitiua vetabantur.

℣. 21.

℣. 21. *De semine tuo*: id est, de filijs tuis, *non dabis vt consecretur idolo Moloch*] Erat hæc immanis & barbara idololatria, quæ ab Ammonitis & vicinis Phœnicibus primùm inuenta, & ad Chananæos propagata, etiam apud Iudæos, non obstante tam seuera prohibitione hoc & 20. cap. penè semper locum inuenit, vt passim ex libris Regum, (*a*) ex Psalmis, (*b*) & Prophetis (*c*) constat. Porrò idolum *Moloch* non alium fuisse quàm Saturnum, filiorum etiam proprio rum voracem, ex Platone, Macrobio, Tertulliano Lactantio Eusebio, Cyrillo, Augustino, Orosio, Plutarcho, Minutio Felice & alijs benè probat Bonfrerius Et ex Hebræorum traditione narrant Liranus, Abulensis, Oleaster & Adrichomius, (*d*) & Torniellus, idolum Moloch fuisse æneum & concauum, capite vitulino, reliquo corpore hominis forma, regijs insignibus ac regio in throno considens, brachia ac manus protendens quibus pueros oblatos exciperet, quos pyra intus accensa miserum horrendumque in morem concremabat. &, ne puerorum vlulatus in diris illis cruciatibus audirentur, atque his parentum animi tangerentur, sacerdotes idoli tympana quatiebant, tubisque clangebant. Similem per omnia statuam, & similem puerorum carnificinam nostro quoque sæculo in insula *Carolina*, à barbaris factitatam scribit Ludouicus Viues: vt satis appareat, dæmonem semper sui manere similem, & æquè semper sitientem sanguinis humani.

2 4. *Reg.* 16. 17. 21. 23.
b *Psal.* 105. *v.* 37. *&c.*
c *Isaiæ* 30. *Iere.* 19. 32.
d *Adrich in sua Ierusalem. Torniel ad annum* 346
Viues in 7. *de Ciuit. Dei c.* 19.

CAPVT XIX.

Præcepta quædam moralia & cæremonialia antè recensita rursus inculcantur, additis de nouo aliis, de non serendo agro diuerso semine: de veste ex lana & lino non induenda: de præputijs arborum circumcidendis de coma in rotundum non attondenda. de barba non radenda, &c.

℣. 19. AGRVM *tuum non seres diuerso semine*] In agro conserendo, in veste consuenda, & in iumentis committendis non vult Deus commisceri quæ diuersæ sint speciei.

Litteraliter ad detestandam omnem auaritiam, ex nimis crudeli plurium simul fructuum exactione, petulantiam, ex insolito vestium apparatu, spurcitiem, ex adspectu violenti coitus animantium. Ita Philo, Josephus S. Thomas.

Philo l. de Creatione principu. Ioseph l. 4. Antiqu c. 8. S. Tho. 1. 2. q. 102. a. 6. ad 8.

Moraliter, vt doceat, cum vna & sincera fidei doctrina aliam hæreticam aut erroneam non esse admittendam. crudelitatem & omne genus tyrannidis erga subditos & seruos fugiendum. non serendas discordias, tollendam omnem duplicitatem. nullam ineundam familiaritatem cum dissimilibus hominum ingenijs, maximè qui nobis nocere possint. Ita Cyrillus, Oleaster, Caietanus.

Aristot l. 1. Hist. animal c. 6. & l. 6 c. 24 & cap. 36. Plin. l. 8. c. 44. ex Theophrast. Forster in Dictionario. Kircher in Concordan. Pineda in Salom. prou. l. 2 c. 5. Sanctius in 2 Reg. 18. v. 3.

Petes, Vnde ergo Iudæis muli & mulæ, quarum tanta apud ipsos copia? Respondeo Primò, Poterant ex alijs regionibus importari: nam vt equi, sic etiam muli ad nundinas deuehebantur, vt constat ex 3. Reg. 10. v. 28. & Ezechielis 27. v. 14. Respondeo Secundò, Poterant non ex vario asinorum & equarum concubitu, sed ex suimet generis animantibus nasci. Nam mulas parere, maximè in Syria Iudææ vicina, itemque in Cappadocia, vulgò notissimum est, & docet Aristoteles, Plinius, Forsterus, Conradus Kircherus, Pineda, Sanctius, & alij.

℣. 23. *Auferetis præputia* arborum. Hebraicè, de-præputiabitis præputium eius, fructum eius. Ergo metaphoricum præputium arboris nihil est aliud, quàm trium primorum annorum fructus præcoces, si quos forte arbor proferebat qui reuellendi erant A ab arbore, & velut profanum atque immundum corporis præputium, abijciendi. Ita LXX. Chaldæus, & Iosephus *: & patet ex hic sequentibus eodem versu. Proderat, inquit Philo, ea res ipsis arbusculis: proderat & hominibus, quibus ij fructus, vtpote nimis aquosi & indigesti, salubres esse non solent. Et Deo, cui primitiæ fructuum debentur, non decebat offerri quod intempestiuum atque imperfectum adhuc esset.

** Ioseph. l. 4. Antiqu c. 8. Philo suprà.*

℣. 24. *Quarti anni fructus omnis sanctificandus* erat *Domino*, id est, vt idem Iosephus explicat, debebat *in sanctam ciuitatem deferri*, & postquam oblatus esset Deo *cum decimis aliorum fructuum*, debebat *in epulum* dari *cum orphanis & vidua*, sed cui etiam *amici* poterant adhiberi. Pro quo Nota, præter *primitias*, quæ *sacerdotibus* dabantur; & vulgatas *decimas*, quæ *Leuitis*; & *decimas decimarum*, quas *Leuita* dabant *sacerdotibus*; fuisse vlteriùs alias duplicis generis *decimas* B Iudæis præscriptas. Vnum genus fuit etiam annuarum decimarum, cuius mentio fit Deuter. 12. v. 12. & 17. & c. 14. v. 22. Et ex his *epulum sacrum Ierosolymis* (*e*) fiebat, cui adhibendi erant Leuitæ, & orphani & viduæ, sed poterant insuper adhiberi etiam domestici & amici Et his decimis accensebantur hæ fructuum primitiæ, de quibus iam dixi. Alterum erat genus decimarum, quod tertio quoque anno iuxta decreta Deuter. c. 14. v. 18. & c. 26. v. 12. & Tobiæ 1. v. 7. separabatur, sed in vsum & epulas solorum pauperum, viduarum, orphanorum, & aduenarum indigentium, itemque Leuitarum: vnde & *pauperum decimas* vocat S. Hieronymus. Et hæ non Ierosolymis, vt illæ priores, sed in propria cuiusque vrbe (*f*) seponebantur & absumebantur.

e Deut 12. *v.* 14.

f Deut. 14. *v.* 28.

℣. 27. *Neque in rotundum attondebitis comam*] more C Gentilium (Jeremiæ 9. v. vlt.) vos ipsos hoc ritu idolis deuouentes: vel saltem vana superstitione formantes & alentes cincinnos: suo tempore detondendos & idolis offerendos: vt adolescentuli excedentes ex ephebis solebant detonsæ comæ primitias Apollini consecrandas Delphos mittere, teste Plutarcho: vel dijs *fluminibus*, vel deabus *Horis*, vel Æsculapio, vel Syriæ Deæ, vel alijs, teste Homero, Luciano, Martiali, Papinio. Et Festus Pompeius scribit, etiam Romæ capillatem arborem fuisse, sic appellatam, quòd ex ea iuuenes detonsũ sibi capillum Deo consecratum suspenderent. Neque verò capitis comam tantùm, sed & barbam, ac maximè primam barbæ lanuginem, dijs consecrabant, testibus iam dictis, atque insuper Suetonio *, Petronio & alijs. Quo sensu etiam hic vetat Deus Iudæis, *ne barbam radant*, vtique ex simili superstitione, & more Ethnicorum: vt sic nulla pateret illis ad idolomaniam fenestra. Nam vti in præcedenti versu & sequenti, ita etiam hoc intermedio totus est in prohibendis superstitijs Gentilium ritibus. Ita Theodoretus, Scholiastes, Eugubinus, Glossa ordinaria, & ferè Liranus, Abulensis, Vatablus, Caietanus, & Emanuel Sà.

Plutarc. in Theseo. Hom. Iliad ℣. *in Achille. Lucian. in Dea Syria. Mart. l. 1. epigrammaton. & l. 9. epigr. 18. & 17. Papin. in Stiua.*
** Suetonius in Nerone c. 12. Petronius de Trimalcione.*

Nota, peculiari insuper præcepto, vetuisse Deum sacerdotibus Aaronicis in luctu funebri radere caput aut barbam, Leuit. 10. v. 6. & cap. 21. v. 5. Idque quia id sapiebat immodicum animi affectum, qui à sacerdote præcone & exemplo patientiæ, debet esse remotissimus. & quia volebat Deus sacerdotes suos à profanis illis Gentilium sacerdotum ritibus prorsus abstinere. Alioqui licuisse ceteris Iudæis, laicis etiam in luctu funebri abradere pilos omnes & capitis, & barbæ, & reliqui corporis totius, ex Scriptura (*g*) passim constat: neque nisi ex superstitione (*h*) vetabatur, vt iam dixi. Quare nihil hinc eruere hæretici

g Leuit. 14. *v.* 8 9. *Num.* 8. *v.* 7 *Ier* 41. *v.* 5. 1. *Esdr* 4. 9. *v.* 2.
h Deut. 14. *v.* 1. *Baruch* 6. *v.* 30. & *Ezech.* 44. *&c.*

possunt contra Clericorum aut monachorum tonsuram, quam piè suscipiunt in vnius veri Dei honorem, exemplo Christi spinis coronati, & principis Apostolorum sic in vertice abradi soliti, in speciem regalis sacerdotij noui testamenti. Vide Radulphum & alios.

CAPVT XX.

Pœna mortis, eaq; lapidationis decernitur idololatris, consulentibus magos, maledictis in parentes, incesta & præposlera libidini.

V.9. PATRI, vel *Matri maledixit, sanguis eius sit super eum*] Id est, pœna sanguinis, seu morte multetur. Quasi dicat, Aliud facinus, aliam mortis causam ne require: satis est hæc vna, quòd patri vel matri maledixerit. Et verosimile (*a*) est, *lapidatione* necari debuisse, quod supplicij genus apud Iudæos vsitatissimum erat. Vti & *viui-combustio*, in incestis, & peccatis contra naturam, v. 14. & sequentibus, *Suspensionis* in patibulo meminit Scriptura Deuter. 21.v.22. Pro homicidis, inquit Philo. His tribus capitalium suppliciorum generibus, quæ fola ferè apud Iudæos in vsu esse solebant, accessit posterioribus temporibus, exemplo Romanorum, etiam *decollatio*, quâ Iacobus Maior Actorum 12. ab Herode Agrippa de medio sublatus est. Post capitalia supplicia fuit vnica mitior pœna, *flagellatio*, de qua c.19.v.20.

Notat Petrus Damianus & Abulensis, Iudæos ad maius probrum nudos consuecuisse tum *lapidari*, tum *suspendi*.

V.18. *Ipsaque aperuit fontem sanguinis sui*] Hoc est, membra genitalia (ex quibus tamquam ex fonte profluuium sanguinis manat) *aperuit*, scilicet ad concubitum voluntarium.

Nota, accedere ad menstruatam hîc prohiberi sub pœna mortis, quia valdè inhonestum id est, & noxium tum accedenti, propter tabem & infectionem ex menstruis: tum proli, quæ ferè leprosa, vel monstruosa, vel saltem debilis, ex tali coitu enasci solet. Non tamen sola lege naturę, sed & positiua & cęremoniali tam graue tum erat: sicut & esus adipis & sanguinis simili præcepto mortalis erat. Vnde sublatis illis in lege gratiæ, iam non nisi veniale peccatum censent Theologi accedere sine vrgente causa ad menstruatam. Vide Nauarrum, & Sanchez.

CAPVT XXI.

Vetantur sacerdotes lugere mortuum, vel funeri interesse, nisi primorum consanguineorum. Pontifex verò ne patrem quidem vel matrem lugere poterat: neque in vxorem ducere nisi virginem & nobilem. Sacerdotes omnes maculis seu vitio corporis careant oportet.

V.1. NE *contaminetur sacerdos in mortibus*, id est per cadauera, *ciuium* seu popularium *suorum*] tangendo scilicet cadauer, vel ingrediendo domum in qua iacuerit mortuus, feretrum vel sepulchrum tangendo, funeri assistendo, vel illud sequendo, vel aliud faciendo quod ad planctum luctumve funebrem pertineret: nam his omnibus modis contrahebatur *immunditia super* (*a*) *mortuo*. Vti etiam contrahebatur cæde hominis, etiam licita in bello (*b*), etiam casuali.

Nota, discrimen hîc duplex constitui inter summum pontificem, & alios vulgares sacerdotes. Primò, quòd vulgaribus sacerdotibus liceret interesse funeri proximorum saltem *consanguineorum*, putà *patris, matris, filij, filiæ, fratris, & sororis innuptæ*. verùm summo pontifici nullo casu liceret vlli funeri interesse, aut quidquã circa vllum mortuum, ne proprium quidem patrem suum, facere ex omnibus ijs quæ iam dixi contaminare ratione funeris: nam id hîc v.10. & sequentibus expressè illi vetatur. adeò vt *nec caput* quidem *discooperire* aut cidari spoliare possit ratione funeris aut luctus; nec *vestimenta* sua *scindere*, in funere, vel ex luctu; nec *de atrio sancto* pedem efferre, causa mortui liceret. Alijs verò de causis hęc ipsi vetita non erant. Ratio quoque additur tam rigidæ inhibitionis: quia specialis vnctio quâ vnctus est, specialem quoque munditiam in eo, reuerentiamque sacrorum quæ continuò tractat, exigit: cumque populo debeat ipse esse exemplar perfectionis, & omnibus prælucere maximè constantiâ & animi fortitudine, ad fidem alijs faciendam resurrectionis, & vitæ æternæ, debet à luctu & cura ratione funebrium quàm longissimè abesse, & à cadaueribus, quæ symbola sunt peccati & mortis, prorsus abhorrere. Hunc ritum etiam dæmon, vt simius, ęmulari voluit in suis Romę & alibi pontificibus, & Flaminibus Dialibus, vt testes sunt Seruius, Gellius, Festus & Tacitus. Secundum discrimen erat quoad matrimonium, quòd vulgares sacerdotes, licèt non possent in vxorem ducere antè ab alio *corruptam* aut *repuditatam* (*a*), sed neq; seruam vel captiuam, vel cauponariam, inquit Iosephus, & Philo, licèt conversam & mundatã, quòd illæ omnes de pudicitia sint ferè suspectæ: poterant tamen ducere viduam, vel ignobilem, dummodò Hebræam & de stirpe esset Israelitica. Verùm summus pontifex vetatur hîc (*b*) aliã quàm *virginem* ducere, & *nobilem* seu ex illustri familia: quin nec *stirpi suæ*, id est filijs suis, poterat è *vulgo* aut fæce populi vxores accipere, quòd hoc in contemptum & ignominiam pontificiæ dignitatis cedere videretur. Poterat tamen ex alia quàm Leuitica tribu, dummodò ex illustri familia, quamcumque vellet vxorem accipere. Patet exemplo Ioiadæ sancti pontificis qui vxorem duxit Iosabeth de tribu Iuda, filiam regis Ioram. 2. Paralip. 22. v. 11.

Moralia huius capitis vide apud S. Gregorium.

CAPVT XXII.

Immundi & alienigenæ arcentur ab esu victimarum pacificarum quæ sacerdoti cedunt. Describuntur macula seu vitia quibus victimæ carere debebant.

V.10. OMNIS *alienigena non comedet de sanctificatis*] id est, de carnibus Deo sacris, quæ ex *hostia pacifica* cedebant in partem sacerdotis. Et in hoc differebant hæ partes ab alijs etiam ejusdem victimæ partibus quas laici offerentes secum domum referebant. Nam ad has laicorum partes absumendas adhiberi poterant quilibet Hebræi, si modò mundi essent. Ad partes verò quæ sacerdoti cedebant, putà ad armum dextrum & pectusculum, solus sacerdos, & omnes eius domestici, vxor, filij, filiæ, serui seu vernaculi, seu emptitij, poterant adhiberi. nullus verò *alienigena*, seu de alia quàm sacerdotali gente, & qui non sit de familia domestica sacerdotis: nullus item *inquilinus*, id est, qui in eadem quidem sacerdotis domo, seu eiusdem domus parte aliqua, tamquam in conducto habitet, sed aliam familiam conflet, vt sæpè fit, in eadem domo plures esse familias. nullus denique *mercenarius*, seu qui ad tempus operas suas locat sacerdoti. Ratio horum est, quia hi omnes, licèt aliquo modo videantur ad sacerdo-

Ex simili casu Deuter. 21. v. 20. filij consumacis.

Philo l. de Specialib. legib.

Petr. Damian. serm. de S Stephan. Abul. hic.

Nauar. c. 16. Manua. n. 32. Sanchez de Matrimon. l. 9. disp. 21.

a *Leuit. 10. Numer. 19. Philo & Iosephus suprà pass.*

b *Num. 31. v. 19. & Philo de Vita Moysis, l. 1. &c.*

Seruius ad 6. Æneidos. Gell. l. 10. c. 15. Festus. l. 6. Tacitus l. 1.

c *Leuit. 21. v. 7. Ioseph. l. 3. Antiq. c. 10. Philo l. 2. de Monarchia. d v. 14. 14. 15.*

Greg. 1. p. Pastor. cap. vlt.

cerdotem pertinere, tamen non sunt de familia sacerdotis, cui familiæ soli esus illarum carnium permissus fuit. nec potuit cõmodè vlli de familia etiam seruo aut ancillæ, esus illarum vetari, propter periculum nimis alioqui magnum furti & sacrilegij: quod à mercenarijs, inquilinis, & alijs ad familiam non spectantibus nullum imminebat. Ita Philo, Josephus & alij.

Philo & Ioseph. sup.

℣.21. *Omnù macula non erit in victima*] Per *maculam* intelligit hic & alibi passim non colorem infectum, sed omne vitium seu defectum in substantia, v.g. *si* (vt subdit) animal *cæcum fuerit, si fractum*, mutilum vel mancum, *si cicatricem* deformem *habens, si papulas* seu verrucas, *aut scabiem aut impetiginem*, offerri Deo non poterat. *Aure & caudâ* mutilatum, quòd hi defectus censerentur exigui esse momenti, poterat offerri in vltronea seu spontanea oblatione: sed in votiua, seu quæ ex voto debebatur, ac proinde debebat meritò perfectior esse, non poterat offerri.

Tropologicè, per *aurem* obedientia, per *caudam* significatur perseuerantia: quæ licet in opere libero sæcularium, vt Deo placeat, abesse possint; certè in ijs qui vouent perfectionis statum, abesse non possunt, inquit Radulphus.

Allegoricè mundities illa omnis tum victimarum, tum comedentium victimas antiquæ legis, significabat insignem puritatem ab ijs exactum iri in noua lege, qui participes futuri essent sacrificij pretiosissimi corporis & sanguinis Christi, inquit S. Basilius.

Bas. ser. 2. de baptismo c. 2 & 3.

℣. 25. *De manu alienigenæ non offeretis panes Deo, & quidquid dare voluerit*] Latiùs hîc sumitur *alienigena* pro omni eo qui non esset de genere aut religione Iudaica: à quali manu, quia immunda, vetantur hîc sacerdotes vllam oblationem ad altare Dei offerendam accipere. Subintellige, *immediatè*. Nam mediatè id licuisse fusè docet Josephus, & exemplis S. Scripturæ passim comprobatur. Nempe pecunias à Gentilibus accipiebant, quibus per Iudæos victimæ coëmebantur, etiam pro ipsis Gentilibus offerendæ in templo. Ita 2. Machabæorum 3. Seleucus Asiæ rex præstabat de suis redditibus omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum necessarios. Et de Augusto Cæsare idem testatur Philo, & de alijs Romanis Iosephus.

Ioseph l. 2. Bell. c. 17.

Philo l. de Legat. ad Caium. Ioseph sup.

CAPVT XXIII.

Sex genera festorum, quæ Deus præscripsit Hebræis.

℣.2. HÆ *sunt feria Domini*] hoc est, festa diuino cultui dedicanda. Erant hæc numero sex, instituta à Deo, & recensita hoc cap. Primũ erat *sabbathum*, seu septimus cuiusque hebdomadæ dies, de quo diximus c. 35. Exod. Secundum festum *Paschæ & azymorum*, de quo Exodi 12. Porrò secundo die hebdomadæ azymorum, iubetur hîc, v. 10. *Cùm messueritis segetem*, seu metere incipietis, &, vt Deuter. 16. v. 9. dicitur, *die quâ falx in segetem mittetur*; offeretis *manipulos spicarum*, non singuli singulos, sed nomine totius pópuli vnum aliquem, quasi *primitias* totius *messis*. Et hic manipulus, teste Josepho, è vicina Ierichuntina regione ferè peti solebat, vbi facilè diebus quindecim antè matureſcebãt segetes, quàm vel in agro Ieroſolymitano, vel alio terræ Iudææ tractu. Addit idem Josephus, ex hordeacea messe, quæ citiùs matureſcit, desumi solere. Et hac oblatione Domino facta, neque antè, omnibus licuisse publicas vel priuatas messes demetere. Certè non antè licuisse panem vel pultem ex noua segete coquere, patet ex vers. 14. huius capitis. Porrò manipulus ille non offerebatur ad altare vnà cum spicis & paleis, sed, vt ait Josephus, siccabatur primùm, dein pilo tundebatur, mox furfurum excretione repurgatus, sola simila seu flore reliquo, mensura assaronis seu gomor vnius, vt est in Hebræo, Deo offerebatur.

Ioseph l. 2. Bell. c. 17.

A die oblati huius manipuli numerabant eo dies, & quinquagesima erat tertium illorum festum, quod inde vocatur *Pentecoste*: incidebatque in septimum diem tertij mensis. Ita Serarius, Lorinus, Bonfrerius. Quo festo fermentatos duos panes à singulis familijs Ieroſolymam deferri, & sacerdotibus quasi primitias offerri debuisse colligitur ex v. 17. huius capitis: qui panes primitiarum vocabantur, quia ex primis seu nouis frugibus confecti, & in eum finem delecti vt Deo offerrentur.

Sequitur quartum festum v. 24. nempe *tubarum*, die prima mensis septimi, & ideo maximè sacri: sicut & septimus hebdomadæ dies, & septimus quisque annus, & septies septimus seu Iubilæus, propter septenarij sanctitatem peculiariter sancti erant. Vnde & hic solus mensis quatuor celebertima complectebatur festa, plura nempe quàm totus reliquus annus simul. Addunt Hebræi, diem primum huius mensis festum maximè fuisse in memoriam liberati tum Isaac à morte, & in eius locum suffecti arietis: quam etiam ob rem solere tum inflari cornua arietina. Sed cur non potiùs in memoriam & gratiarum actionem tam nobilis ad Iericho victoriæ in primo promissæ terræ ingressu, cùm tubarum seu cornuum clangore mœnia sponte corruerunt? Nam licèt id tum, cùm festum hoc indiceretur, necdum completum esset, at certè sat præuisum fuit à legislatore. Quamquam, vt dixi, sanctitas sola mensis huius sufficere potuerit, vt, sicut sabbathum quodque, & annus septimus & Iubilæus, teste Josepho, à sacerdotibus tuba indicebatur, ita & hic primus dies mensis septimi, peculiari tubarum clangore promulgaretur.

Ioseph. l. 3. Bell. c. 9.

Quintum festum erat eiusdem mensis septimi *die decimo*, nempe *expiationis*. de quo fusè cap. 16. egimus.

Sextum erat decimo quinto die eiusdem mensis, *Scenopegia*, id est festum *tabernaculorum*, quod durabat septem integros dies, non quòd tanto spatio vacarent ab operibus seruilibus, sed quòd lætis conuiuijs & sacrificijs (*a*) eos transigerent, extra propriàs ædes in tabernaculis ex pellibus, linteis, vel arborum ramis subito opere constructis toto illo tempore degentes, in memoriam quadraginta annorum quibus per desertum in eiusmodi tabernaculis egerunt. Porrò hæc tabernacula non necessariò extra vrbes, sed solùm extra domos, quo quisque vellet loco, dummodò sub dio, figi poterant: vnde quidam in hortis suis, vel domorum atrijs, quidam in tecto domorum, quidam in plateis illa figebant, vt habetur 2. Esdræ 8. v. 16.

(*a*) *Num. 29. & Ioseph. l. 3. Antiquit. c. 10.*

Porrò primo die Scenopegiæ iubet hîc Deus v. 40. vt singuli *sumant* seu manu gestent, *fructus arboris pulcherrimæ*, putà citri, id est ramusculos cum annexis malis citreis. ita Chaldæus, & Rabbini cum Josepho. Et quis nescit, ramos citri vt admodum amœnos, ita & pulcherrimos esse, quibus non folia modò perpetuò virentia, & flores semper purpurascentes, sed & fructus aureo colore flauescentes toto anni decursu adhærent? Quin & lignum ipsum citri arte dedolatum eximiè pulchrum esse, & mensam citrinam aureæ mensæ prælatam scribunt Cicero, Martialis, Plinius, & Dalechampius. *Spatulæ palmarum*, quas ijdem iubentur tum quoque in manus sumere, sunt propriè ramusculi illi teneriores vnde dactyli seu fructus palmarum dependent.

Cic. act 6. in Verrem. Martial. l 14. Plin. l. 13. c. 15. & ibid. Dalechamp.

Rami

Rami ligni denſarum frondium, erant rami ex myrto,vt vertit Chaldæus, & Ioſephus teſtatur. Qui & addit, his ramis quos *hoſannas* vocabant,inſtructos Iudæos feſtiuè circa tabernaculum vel templum ſolitos ſaltitare: & octaua ſeu vltima die frequentes,imò omnes quotquot poſſent, ad templum conuenire debuiſſe, vnde & *cœtus* & *collecta* vocatur hîc v.36.& alibi ſæpiùs, non à pecunia colligi tum conſueta(nam id ex nullo Scripturæ loco conſtat) ſed ex populi totius conuentu:neque hoc ob alium finem, quàm vt gratias vnanimiter agerent Deo, Primò, pro obtenta terra ſancta; Secundò, pro frugibus eo anno collectis; Tertiò, pro feſto feliciter exacto.Quibus gratijs peractis, omnes è tabernaculis ad propria domicilia remeabant. Ita S. Thomas, Burgenſis, Ribera & Sanctius.

Ioſeph.ſup.

S.Tho. 1.2. q.102.a.4. Burgenſis hic. Ribera l. 5. de Templo c.18. Sanctius in 3.Reg.8. v. vlt.

Tropologiam vide apud Rupertum, Heſychium & Radulphum.

CAPVT XXIV.

Quale debeat eſſe oleum in lucernis templi:quales panes in menſa propoſitionis. Blaſphemus iuſſu Dei lapidatur.

℣.10. EGRESSVS *filius mulieris Iſraelitidis, de viro Ægyptio*]Nam multi Ægyptij cũ Hebræis egreſſi fuerant ex Ægypto, nempe qui veri Dei cultum & circumciſionem ſuſceperãt, & affinitate coniuncti illis fuerant, vt inſinuatur Exodi 12. v.38.vbi *vulgus promiſcuum innumerabile cum eis aſcẽdiſſe* dicitur.

℣.14.*Ponant omnes qui audierunt* blaſphemantem, *manus ſuas ſuper caput eius*]Hac ceremoniâ teſtabantur verum eſſe quod retulerant: & quaſi proteſtabantur, velle ſe,ſi falſa teſtarentur, vt ſanguis innocentis in ipſorum caput redundaret. Hac eâdem cęremoniâ indicabatur, publico nomine ob peccatum in populo admiſſum, vnam hanc quaſi hoſtiam Deo immolandam conſecrari: &, ſi quid vindictæ ob idem peccatum in populum eſſet venturum, id totum in caput hominis nocentis conuerti. Habuitque hæc cæremonia locum non modò in blaſphemia, ſed etiam veriſimiliter in quouis alio crimine, vt patet ex hiſtoria Suſannæ, cuius capiti duo ſenes manus impoſuerunt Danielis 13.v.34.

CAPVT XXV.

Annus ſeptimus quiſque, Sabbathicus, quinquageſimus, Iubilæus eſſe iubetur. Ritus vtriuſque & priuilegia.

℣.5. VVAS *primitiarum tuarum non colliges quaſi vindemiam*]Id eſt, fructus quos ſoles tibi primo loco, & quaſi primitias tibi debitas colligere per modum vindemiæ vel meſſis,putà per conſuetos meſſores & vindemiatores, anno Sabbathico non colliges ex ijs quæ ſponte illo anno, vel fortè ex granis anno præcedente deciduis terra proferet: ſed relinques omnia primò colligenti, in cibum ſeu vſus domeſticos, ſic tamen vt & tibi cedere poſſint in eumdem vſum.Vnde patet,etſi non potuerint à domino fundi anno Sabbathico colligi vuæ vel alij fructus,quaſi è fundo proprio,& ſeorſum iure herili,eo modo quo fiebat quando vindemia vel meſſis peragebatur; potuiſſe tamen ad cibum & vſus domeſticos colligi,quaſi è fundo communi & iunctim cum alijs ſeu peregrinis,ſeu iumentis eumdem agrum depaſcentibus. Porrò alia Sabbathici anni priuilegia propoſuimus ſuprà Exodi 23.

Præter annum ſeptimum Sabbathicum, præſcribebatur inſuper Iudæis poſt ſepties ſeptem annos, alius annus quietis ac remiſſionis, nempe Iubilæus, cuius omnia eadem erant priuilegia quæ anno 7. Sabbathico, & inſuper alia quædam maiora, teſte Philone, Ioſepho, S.Hieronymo & alijs.Nam præter ſabbatiſmum terræ,& remiſſionem omnis debiti, quæ erant communia cum anno ſeptimo, inſuper agri omnes frugiferi, cum domibus in agro ſitis, etſi centies diuenditi, anno Iubilæo redibant ad dominum ſuum primum ſine vllo pretio reddito. Neque enim poterant eiuſmodi agri à Iudæis *in perpetuum vendi*: (*a*)ſed tantùm quaſi elocari,ſeu in emphyteuſin dari vſque ad annum 50. qui erat Iubilæus. Sed neque poterant quidem ad illum vſque annum niſi *ſub redemptionis conditione* (*b*) vendi: hoc eſt,non niſi ea lege,vt poſſint quouis tempore redimi vel ab eo qui vendiderat, vel à propinquo illius. Secùs erat de domibus vrbanis, vel agris ſuburbanis non frugiferis, ſed ad hortos potiùs deliciarum vel ſepulchrorum facientibus, aut alijs ſimilibus vſibus ſubſeruientibus: qualis erat hortus Ioſephi ab Arimathia, ager figuli 30. argenteis Iudæ coemptus in ſepulturam peregrinorum. Hi enim & ſimiles agri non frugiferi, vti & domus omnes vrbanæ vel ſuburbanæ, poterant in æternum alienari, neque facultas erat *ea redimẽdi*, (*c*) niſi *primo anno* à venditione: & ne quidem anno Iubilæo ad antiquum dominum reuertebantur, vti ruſticani agri & domus villicæ. Ratio diſcriminis erat,quòd agri frugiferi & domus ruſticæ cenſebantur propria cuiuſque tribus hereditas, ac ſtabilis à Deo donata poſſeſſio, quam non expediebat confundi ac permiſceri, ne tandem multi cum ſuis integris familijs ad inopiam delaberentur. At verò domus & ſuburbana cenſebantur adiectitia tantùm bona, & pro libito cuiuſque conſtructa, & allectiua potiùs incolarum. Quare cùm expediret vrbes à quibuſuis, etiam diuerſæ tribus hominibus, adde & à proſelytis, frequentes incoli. expediens quoque erat, vt domus poſſent in emptoris perpetuam ac firmam poſſeſſionem tranſire. Quia tamen Leuitæ nullam aliam ab initio poſſeſſionem inter Hebræos acceperunt quàm propriarum domorum quas poſſidebant in vrbibus Leuitarum; hinc domus illæ ipſorum fruebantur eadem de cauſa iure poſſeſſionum ſtabilium quas alij Iudæi habebant,poterantq́;*quouis tempore redimi*, & *anno Iubilei* primo domino *reddi debebant*. (*d*) *Suburbana* verò *Leuitarũ nullo caſu vendi poterant*.(*e*) quia hæc non erant ſingulorum Leuitarum, vti erant domus vrbanæ, ſed *integra* alicuius *familiæ*: (*f*) vnde nimis graue incommodum fuiſſet, tam multos vſu rei neceſſariæ priuari vel ad tempus. Et hæ ſunt rationes à congruo, quæ Deum mouiſſe videntur ad ſic ſtatuendum: ſed ſcopum quem primariò intendit, ipſemet explicat v.23. *Quia mea eſt terra, & vos aduenæ & coloni mei eſtis*. Quaſi dicat, Volo vos eſſe non tamquam terræ dominos & proprietarios (nam hoc ius mihi omniũ ſupremo domino reſeruo) ſed tamquã colonos,quibus gratis vſumfructum præſto.Vſufructuarius verò fundi dominium, quod ſuum non eſt,non poteſt in alium transfundere: ſed neque diutiùs aut alijs pactis elocare poteſt, quàm quibus à domino permittatur.Ita Philo & alij. Similem ob cauſam v. 41.vult peculiari priuilegio ſeruis Hebræis anno Jubilæo concedi non ſolùm vt ipſi liberi fieri poſſint, vt poterant ſeptimo quoque anno Sabbathico: ſed inſuper, vt & debeant liberi fieri, etiam qui ſeptimo anno liberari noluerant, & ſubulâ ſtigmatici facti fuerant quaſi perpetui ſerui. Poterant tamen poſt recuperatam Iubilæo libertatem, iteratò ſe ſub-

Philo l. de Decalogo. & lib. de Charitate. Ioſeph. l. 3. Antiquit. c. 10. Hieron. in c. 1. epiſtolæ ad Galat.

a Leuit. 25. v 23.

b v. 24.

c v.29.

d v. 32.

e v. 34. & Num 35.

f Colligitur ex 3. Reg 2. v.26. & Ieremiæ 32. v.7. & ſeq.

subdere nouo seruitio. Quin nec soli serui tunc manumitti debebant, vt septimo quoque anno, sed præterea etiam *proles illorum*(e), &, si Iosepho credimus, etiam vxor: *Mei enim serui sunt*(f), inquit Deus, id est, meo seruitio peculiariter addicti sunt: quos proinde non decet, aliorum mancipari seruitio aliter vel diutiùs, quàm mihi visum fuerit omnium supremo domino.

e Leuit. 25. v. 41. Ioseph l. 4. Antiqu c. 3. f Leuit. 25. v. 42.

Anagogicè annus Iubilæus symbolum erat futuræ resurrectionis, qua plena fiet omnium remissio, manumissio, paradisi restitutio, quies & sabbathũ æternũ. Ita ex Radulpho & Hesychio Ribera.

Ribera l. 2. c. 25.

CAPVT XXVI.

Promittit Deus viginti octo benedictiones Hebræis, si leges suas seruent: totidem, & plures maledictiones, si leges non seruent.

℣. 1. NEC *tumulos erigetis, nec insignem lapidem, ut adoretis eum*] Vnde clarissimè patet, hæc per se non fuisse illicita, neque prohibita, sed solùm adorationis & idololatriæ caussà. Vnde nec Iacob (a), nec Moyses (b), nec Iosue (c), nec Machabæi (d) peccarunt, qui titulos publicos erexerunt, sed in veri Dei honorem, & in memoriam acceptorum ab illo beneficiorum. De sepulchris quoque constat, licitè erecta & exornata fuisse, neque id vel hic vel alibi prohibitum fuisse. Cætera dixi Exodi 20. Quidam non improbabiliter hic quatuor diuersi generis simulacra à Deo distingui censent, per *idolum*, statuam è metallo: per *sculptile*, è ligno: per *titulum*, è marmore vel alio lapide cælatam statuam: per *lapidem insignem*, è marmore quoque, sed pictam, vel picturis ornatam.

a Gen. 28. v. 18. & c. 31. v. 45. & c. 35. v. 14 & 20 b Exodi 24. v. 4. c Iosue 4. d 1 Mach. 13. v. 27.

℣. 26. *Baculum panis confregero*, id est, omne subsidiũ cibi & nutrimenti abstulero; *ita vt decem mulieres in vno clibano coquant panes*] quarum singulis antè vix sufficiebat clibanus vnus, iam decem familijs ad coquendos quos modicos habent panes abundè sufficiat. Extremæ id inopiæ signum: vti & istud, *Et reddant eos ad pondus*, id est, certo pondere cibum domesticis distribuant. Sed exitiale prorsus id quod sequitur v. 29. *Ita vt comedatis carnes filiorum vestrorum.* Quod tamen ad litteram impletum fuit in obsidione Ierosolymæ (e) quæ Babylonicam captiuitatem antecessit, item in obsidione Samariæ (f), & altera Ierosolymitana (g) facta per Titum, vt disertè narrat Iosephus & alij. Et dũ hæc scribo, etiam factum narratur ab Hugonottis in vrbe Rupellana anno Christi 1628. à Ludouico XIII. Rege Christianissimo vndique obsessa. nam & ancilla ab hera, filia à matre, fraterculus à sorore deuorati nunciantur, & plusquam octo millia hominum fame exstincta.

e Thren. 4. v. 10. f 4. Reg. 6. g Ioseph l. 7 Bellic. 8.

℣. 34. *Tunc placebunt terræ sabbatha sua cunctis diebus solitudinis suæ*] Pulchra metaphora tribuit rei inanimatæ sensum & gaudium suum: quasi dicat, Si vos terræ negetis quietem suam septimo quoque anno Sabbathico, & quinquagesimo Iubilæo, prout lege iam lata decreui; fiet vt, vobis terræ incolis in exilium pulsis, vel morte mulctatis, terra in solitudinem redacta, fruitura sit vltronea quiete & sabbathis suis; vt contigit tempore captiuitatis Babylonicæ, cui neglectus harum diuinarum legum in particulari causam dedisse, sat manifestè indicatur 2. Paralip. vlt. v. 21.

CAPVT. XXVII.

Varia sanciuntur leges de votis, siue vocantur homines, siue bestia, siue domus, siue agri, siue alia anathemata, item de decimis templo donandis.

℣. 2. HOMO *qui spoponderit Deo animã suam*] Id est, qui vouerit seipsũ mãcipare cultui & seruitio Dei.

Nota, duplicis generis voto potuisse aliquem *deuouere* se vel suà cultui & seruitio diuino, seu *consecrari* Deo, aut *sanctificari*. Primò, generaliter (h) & indefinitè, quo modo qui vouerat, poterat pretio hîc à Deo præscripto se suaque redimere. Secundò, specialiter, & absolutè, & determinatè, vt ipsa *per se* in perpetuum applicarentur cultui & seruitio Dei, nulla potestate facta ea redimendi, aut in profanum vsum denuò reducendi. Et hoc votum Hebræi *cherem* (i), Græci *anathema* vocabant. Quæ sic Deo consecrabantur, mori debebant, putà vel naturali morte, vel ciuili. Naturali per sacrificium, si erant animalia ad id idonea: vel per similem sacram immolationem, si erant homines Dei hostes aut eximij peccatores. Sic vrbs Iericho iubebatur esse anathema Iosue 6. & aliæ idololatricæ Deuter. 13. & Amalecitæ 1. Reg. 15. Et tali etiam voto sese obstrinxerunt Israelitæ ad excisionem vrbium Chananæarũ Numer. 21. v. 2. Morte ciuili id fiebat per applicationem ad perpetuum seruitium tabernaculi vel templi, & separationem perfectam ab vsu & dominio profano. Sic Nazaræus perpetuus (k), cuiusmodi Samuel fuit, cherem & anathema dicebatur. Et quotquot simili voto sese obstrinxerant, obligati æternùm erant ad quælibet etiam infima templi ministeria, iuxta placitum & imperium sacerdotum vel Leuitarum. Itaque viri cineres efferre, ligna conuehere, sordes euerrere, aquas comportare, aliaque his similia præstare debebant: sicut Gabaonitæ seu Nathinæi in perpetuũ seruitijs illis addicti fuerunt Iosue 9. v. 21. Feminæ verò ea quæ isti sexui conuenientia erant, vt nere, telas texere, sacerdotales & Leuiticas vestes confi-
cere, lauare, reparare. Simili modo ager hereditarius Deo sic deuotus, si heres absolutus redimere noluerit, ita manebat Deo consecratus, vt ne quidem *in Iubilæo* (l) ad priorem heredem reuerti posset. Et hæc figura erat Religiosorũ noui testamenti, quorum & personæ per professionem, & fundi per amortizationem, quasi cherem & anathemata, ab omni iurisdictione sæculari æternùm succidũtur, & diuino seruitio mancipantur. Hæc tamen nomina solent non rarò etiam in malam partem accipi, tum olim, vt suprà dixi de urbibus idololatricis, & eximijs peccatoribus: tum etiam hodie, vt patet in excommunicatis, qui *cherem* & *anathemata* dicuntur, eò quòd ab Ecclesiæ consortio per censuram illam Ecclesiasticam & quasi mortem spiritualem separantur. Et tunc solet græcè ἀνάθεμα per ε scribi: nam alias cùm in bonam partem sumitur, solet fere η scribi, ἀνάθημα.

h Vt hic sumitur. vsque ad v. 28.

חרם

i Vt à v. 28. & deinceps.

k Vide Numer. 6.

l Hic, v. 20.

Vers. 23. *Supputabit iuxta annorum numerum vsque ad iubilæum, pretium*] Vt pretium agri semel voto generali Deo consecrati, sed pòst à possessore redimendi, iustum constitui posset, tria voluit Deus attendi. Primò, an is qui vouerat, iure hereditario à maioribus ad se deuoluto agrum possederit. Secundò, quantum sementis capiat dum conseritur. Tertiò, quot anni supersint vsque ad proximum Iubilæum. Nam talis pro singulis annis adhuc reliquis, si ager 30. modijs hordei conserereretur, iubebatur sacerdoti appendere 50. siclos argenti: & insuper, si fortè redimere vellet agrum suum, cogebatur addere quintam partem pretij æstimati agri: sin nollet redimere, numquam deinceps, etsi à sacerdotibus alteri vendi contingeret, ad priorem dominum redire aut reuolui poterat, ne quidem in Iubilæo. Sin verò is qui agrum vouerat, non possederit illum iure hereditario,

reditario, sed solùm iure emptionis, & iam Deo A deuotum pretio redimere vellet; non debebat nisi nudum pretium sementis iuxta numerum annorum vsque ad Iubilæum præstare, non addita parte quinta supra æstimationem: deinde siue is redimeret à sacerdotibus, siue non, Iubilæo adueniente redibat ius possessionis ad priorem dominum cui iure hereditario debebatur, non secùs ac si nullo facto voto remansisset apud emptorem. Ratio erat, quia emptor ille, vt non erat absolutus dominus agri, sed solùm ad tempus, ita non poterat suo voto agrum nisi ad idem tempus obstringere Deo, neque aliud quidpiam facere in præiudicium hereditarij domini.

LIBER NVMERI.

SIc à Græcis & Latinis vocatur, quòd varias populi Hebræi numerationes percenseat à primo statim sui exordio, vt cap. 1. & sequentibus patebit. Continet alioquin historiam & gesta Moysis atque Hebræorum à secundo mense anni secundi egressus eorum ex Ægypto, vsque ad finem penè vitæ Moysis, siue peregrinationis 40. annor. in deserto: nempe vsque ad initium mensis vndecimi, anni *quadragesimi. Ergo continet liber Numerorum, gesta annorum ferè 39.

* *Num. 1. v. 1. & Deuter. 1. v. 3.*

CAPVT I.

INitur numerus filiorum Israel, à vigesimo anno & supra, per singulas tribus. Inuenti sunt vniuersum 603550. exceptis Leuitis.

¥. 3. NVMERABITIS *eos per turmas suas*] Et in hoc distinguitur istud lustrum ab altero priore quod factũ est Exod. 38. paulò ante erectum tabernaculũ, vltimo mense anni prioris ab egressu ex Ægypto: quòd illud prius lustrum institueretur ad censum per capita pendendũ pro sumptibus fabricę tabernaculi: istud verò secundo mense post erectum iam tabernaculum, proprie ad militarem delectum C spectabat, & causâ belli, atque exercitus ordinandi. Hinc numerando, in turmas, chiliarchias & centurias distribuebantur, & singulis harum sua capita, duces seu principes præficiebantur, non tam iure primogenituræ, (quamquam cæteris paribus ratio illius haberetur,) quam tribuum electione secundum merita & res fortiter gestas singulorum.

Nota. Ab hac enumeratione bellatorum, à qua hic liber initium sumit, & alijs pluribus enumerationibus, partim Leuitarum, partim primogenitorum, partim itinerum & mansionum in deserto, quæ sequentibus capitibus recensentur, idem liber accepit nomen græcè ἀριθμοὶ, latinè *Numeri*: licet plura alia tum historica, tum cęremonialia, tum iudicialia illo contineantur.

¥. 49. *Tribum Levi noli numerare*] Quia Leuitæ à D militia erant exempti, teste Iosepho, non quòd arcerentur, si vel necessitas id postularet, vel sponte militare vellent, sed quòd cogi non possent. Patet: nam & Machabæi sacerdotes, & qui deinceps fuerunt pontifices simul ac populi duces, plurima bella gesserunt: & ipse Flavius Iosephus, quem iam testem citaui, sacerdos idem & militum præfectus fuit, vt ipsemet passim scribit.

Ioseph l. 3. Antiquit. c. 11. & l. 4. c. 4.

Iosephus libris de Bello.

CAPVT. II.

Disponit Deus ordinem castrorum duodecim tribuũ Israel circũ tabernaculũ, in quatuor acies, per quatuor plagas mundi.

¥. 3. AD *Orientem Iudas figat tentoria*] Hebraicè, *ad Orientem, ad anteriorem* tabernaculi *partem vexillum* sit castrorum Iuda. B

Vbi Nota Primò. Sub vno eodemque vexillo suo labaro latebant tres tribus diuersæ, ita vt duæ quæ ad singulas plagas latera tenebant, ei quæ media erat aliquo modo subiectæ essent, vel saltem ad eam tamquam ad præcellentiorem reduci solerent (*a*). Sic in parte Orientali, quæ erat anterior tabernaculi pars, eaque dignissima, in medio expansum erat vexillum Iudæ: cui tribui tum hîc, tũ alibi semper primus locus defertur tamquam nobilissimæ, vtpote cui ius primogenituræ quoad regnum & imperium à patriarcha (*b*) Iacob collatum erat, & Messias ex ea nasci debebat. Ad latus dextrum Iudæ sub eodem ipsius vexillo castrametabatur Issachar: ad sinistrum Zabulon. Ad Meridianum tabernaculi latus in medio erat Ruben cum suo vexillo, sub quo ad vtrumque illius latus erant Simeon & Gad. Ad plagam Occidentalem vexillum Ephraim cum sua tribu: & vtrimque Manasse & Beniamin. Ad Septemtrionem in medio erat vexillum Dan cum eadem tribu, & ad eius vtrimque latera Aser & Nephthali.

a Patet hic v. 9. 16 24. & 31.

b Gen. 49. & 1. Paral. 5.

Nota Secundò, has duodecim tribus paulò remotiùs à tabernaculo castrametari solitas: nam intra illas omnes tribus in totius tabernaculi circuitu stationẽ suam habebant Leuitæ, vicini planè atrio sancto. Et quidem ad Orientem, qua ingressus erat in atrium, Moyses & Aaron cum filijs suis: ad Occidentem Gersonitæ: ad Meridiem Caathitæ: ad Aquilonem Meraritæ, vt dicitur cap. sequenti.

Nota Tertiò, ex traditione Hebræorum, teste Andrea Masio, & Villalpando, quatuor illa primaria vexilla & coloribus distincta fuisse, nempe ijsdẽ quos habebant lapides illarum quatuor tribuum in *rationali*: & insuper etiam certis notis ac signis: videlicet vexillum Iudæ signo *leonis*: Rubeni *hominis* cum mandragoris, quas ad matrem attulerat Ruben Genesis 30. v. 14. vexillum Ephraim signo *bouis*: Dan, *aquilæ*. Quibus Allegoricè significabatur, tabernaculum, id est, Ecclesiam Christi, inter hęc quatuor vexilla sitam, per quatuor Euangelistas, ad omnes mundi plagas deuehendam ac diffundendam.

Masius in Iosue 6. v. 9. Villalpan. in Ezechiel. tom. 2. p. 2. l. 5. disp. 2. c. 29.

CA-

CAPVT III.

Leuitas omnes loco primogenitorum totius Israelis sibi depoſcit, ſuoq; cultui mancipat Deus. Numerantur Leuitæ, & viginti duo millia deprehenduntur: quibus in varias claſſes diuiſis diſtribuitur cuſtodia ſacrarum ſupellectilium tabernaculi.

℣.25. HABEBVNT *excubias in tabernaculo fœderis*] Non quòd vel illi, vel vlli alij Leuitæ excubarint actu in ipſo tabernaculo: nam ne ingredi quidem illud licebat Leuitis, ſed ſolis ſacerdotibus qui per vices miniſtrabant. Ergo *in tabernaculo* hic idem eſt quod ſuper tabernaculum & res tabernaculi, quæ ſingulis Leuitarum familijs diuerſæ diuerſis commiſſæ erant. Neque enim hic per *excubias* & *cuſtodias* intelligitur actus ſolus excubandi & cuſtodiendi, ſed inſuper officium & onus curandi vt omnia benè cuſtodirentur: neque id ſolùm cùm erectum ſtaret tabernaculum, ſed etiam cùm in itinere deportandum eſſet, itemque cùm diſſoluendum, rurſuſque cùm figendum eſſet. Ita vt ſingulis Leuitarum familijs incumberet rationem reddere earum rerum, inſtrumentorum, ac partium tabernaculi, quæ iuſſu Dei cuique hoc capite cuſtodiendæ committuntur.

℣.28. *Caathitæ habebunt excubias Sanctuarii*] Id eſt, curam eorum, quorum vſus eſt in Sanctuario. Ergo Caathitis, vt dignitate inter Leuitas primis, committebantur quæ maximè diuina erant & ſacroſancta. Ratio autem cur illi cæteris præferrentur, erat, quòd Moyſes & Aaron, & conſequenter ſacerdotes omnes ex vna illa Caathitarum familia prognati eſſent.

℣.39. *Omnes Leuitæ fuerunt viginti duo millia*] præciſo & rotundo numero, vt patet ex ſequentibus.

Petes, quomodo id conſtet, cùm ex tribus antè ſubductis trium familiarum particularibus calculis colligatur ſumma maior alio trecentenario? Reſpondeo, trecentos illos non debuiſſe, ſed nec potuiſſe, reliquo Leuitarũ numero accenſeri, quòd totidem eſſent inter ipſos Leuitas primogeniti (putà poſt egreſſum ex Ægypto procreati) qui ratione ſuimet iam erant proprij Dei: quocirca non poterant venire in numerum aliorum Leuitarum, qui pro primogenitis aliarum tribuum commutandi eſſent, & illorum loco ſubſtituendi ac Deo appropriandi. Ita Petrus Comeſtor, Abulenſis, Liranus, Dionyſius Carthuſianus & Caietanus.

Comeſtor in hiſtoria Scholaſtica.

CAPVT IV.

Numerantur Leuitæ ab anno ætatis trigeſimo 8580. quibus portanda committitur ſupellex tabernaculi cùm mouenda ſunt caſtra. Et Caathitis quidem aſſignatur arca, menſa, candelabrum & altare vtrumque: Gerſonitis vela & cortina omnes: Meraritis autem tabulæ, columnæ & baſes.

℣.3. A TRIGESIMO *anno vſque ad quinquageſimum*] Hæc ætas hîc præſcribitur filijs Caath non quâ poſſent miniſtrare in tabernaculo, (nam hoc citiùs licuit illis, putà ab anno 15. vt dicitur infrà cap. 8. v. 24. Et tempore Dauidis, ſaltem in leuioribus ſeruitijs, & quaſi in nouitiatu, ſeruire poterant ab anno 20. vt conſtat ex 1. Paralip. 23) (*a*) ſed de ætate qua, dum iter agendum eſſet, res tabernaculi deferre, ac manibus tractare poſſent. Hæc enim ſacrarum ſarcinarum baiulatio vt maiorem reuerentiam, ita & ætatem firmiorem ac robuſtiorem depoſcebat.

(*a*) 1.Par. 23.14.27. & 23.

℣.4. *Sanctum ſanctorum ingredientur Aaron & filii eius*] Etſi enim ſoli Aaroni, & ſummo pontifici licitum eſſet ſemel per annum in ſancta Sanctorum ingredi, fixo & ſtabilito tabernaculo: licuit tamẽ etiam inferioribus ſacerdotibus, quamdiu per deſertum vagabantur, vrgente neceſſitate, cùm reſigendum alioqúe transferendum eſſet tabernaculum, illuc ingredi ad inuoluendam efferendamque arcam.

Allegoricè Innocentius III. ex officijs ſacerdotum & Leuitarum veteris legis, docet diſtinctaque fuiſſe miniſteria Acolythorum, Diaconorum, Presbyterorum, & Epiſcoporum nouæ legis. Tropologiam vide apud Rabanum.

Innoc. l. 1. de S. Altaris myſterio, à c. 2. vſque ad 7.

CAPVT V.

Immundi caſtris ejici iubentur. Sancitur lex Zelotypiæ, quâ mariti vxores ſuas de adulterio ſuſpectas expiorent per aquas maledictas.

℣.7. REDDENT *ipſum caput*] Id eſt capitale ſeu principale, nempe quod primò & ante omnia reddi ratione damni proximo illati, & iniuriæ factæ: quodque etiam ſepoſito iure poſitiuo, ex ſola iuris naturalis obligatione reſtitui debet. Agitur enim hîc manifeſtè de delictis quæ in proximum, rem eius ſcienter & fraudulenter vſurpando, committuntur. Itaque per *negligentiam* hîc intellige neglectum præcepti diuini, nõ quòd contemnat formaliter, ſed ſciat tamen & non curet implere. Rurſus intellige hæc de peccatis occultis: quæ qua ratione ſacerdoti aperienda & confitenda eſſent, dixi Leuitici 5. v. 5.

℣.15. *Non fundet ſuper oblationem oleum, nec impones thus*] His enim carere debebant oblationes omnes vbi de peccatis agebatur, Leuit. 5. v. 11. nempe quia ſymbola ſunt lætitiæ & virtutis; quæ in peccatis locũ nõ habent: hîc præſertim vbi de crudeli zelotypiæ pœna & infami vltione agebatur.

Totius rei ordinem explicant Ioſephus, Philo & alij Rabbini. Primò, maritus zelotypus vxorem Ieroſolymæ, vel vbicumque tabernaculum erat, ſiſti curabat ad oſtium atrij ſacri. Secundò, dicebat ſacerdoti, iudici ad id deputato, ſe ſuſpectam habere vxorem de adulterio. Tertiò, negante vxore, ſacerdos è labro ſeu mari æneo hauriebat pauxillum aquæ, quæ ideo ſancta hic vocatur, quia diuino cultui ac templi vſibus deſeruiebat. Ita Chaldæus, Rabbi Salomon, Oleaſter, Vatablus, Sà, Abulenſis, Liranus. His aquis inſpergebat aliquid puluiſculi de pauimento atrij ſancti: & maledictiones in eaſdem aquas congerebat: vnde & *amariſſimæ* hîc vocantur, non à ſapore, ſed ab effectu quem virtute morali, ſed infallibili, ex Dei promiſſione & potentia aſſiſtente producturæ erant. Quartò, proferebat maledictiones in ipſam quoque mulierem, quæ hîc recenſentur v. 19. & ſequentibus: vt & ipſa mulier totidem verbis, ſi rea eſſet, eadem maledicta ſibi imprecaretur: cogebatur enim ſingula comprobare, dicendo *Amen, amen*, id eſt *fiat*, ita mihi *fiat*. Stabatque mulier nudo capite, more omnium reorũ, & quaſi ſpoliata inſignibus pudoris ac pudicitiæ: &, vt ait Theodoretus, ad deſignandum, omnia nuda & aperta eſſe in oculis Dei, cui ſiſtebatur. Quintò, has poſteriores maledictiones ſcribebat ſacerdos *in libello* ſeu charta, ſeu membrana: mox inſcriptas eluebat aquis illis maledictis. Excipiebat Sextò, de manu mulieris *oblationem Zelotypiæ*, putà farinam hordeaceam, quam paulò antè (*b*) in vaſculo collectam manibus illius impoſuerat, & pugillum ex ea cremabat ſuper altari holocauſtorum: reliqua portione ſibi in cibum retenta. Vocabaturque hoc

(*b*) *hic v. 18.*

Ioſeph. l. 3. Antiq. c. 10. Philo l. de Sponſalibus legibus. Rabbini apud Oleaſtrum hoc loco: & Sixtum Senenſ. l. 2. Bibliotheca, 5. zelotypiæ liber.

sacrificium recordationis, nempe respectu Dei: quem A hoc sacrificio rogabant, vt vellet exhibito certo signo ostendere se recordari vel adulterij, vel innocentiæ mulieris. Denique Septimò, ex aqua maledicta potum dabat mulieri, quæ, si rea erat, intumescente mox ventre, & computrescentibus verendis, pòst paulò extinguebatur, ait Iosephus: qui addit, inflari solitam aqua intercute, quâ tam horrificè venter intumesceret, vt tandem disrumperetur. Sin innocens esset mulier, nihil illi aqua nocebat, sed erat innocentiæ illius testis & custos. Addit Iosephus, & colligitur ex v. 28. huius capitis, illam tum certò atque infallibiliter è primo cum marito congressu procreaturam decimo mense proximo prolem, & quidem masculam, quantumcumque anteà fuisset sterilis & infœcunda, Deo singulari cura sic comprobante mulieris innocentiam. Et hac quidem occulti adulterij certa exploratione, cùm cuique ad manum esset, sapientissimo consilio consultum volebat Deus incolumitati mulierum Iudaicarum, quas alioqui mariti zelotypi facilè de medio violenta manu tollebant: simul etiam infami hac pœnâ deterrebat vxores ab omni adulterio quantumuis occulto. Ita Philo & Iosephus.

CAPVT VI.

De voto, consecratione & cæremoniis Nazaræorum. Forma benedictionis, quâ sacerdotes benedicant populo.

¥. 2. VIR, *siue mulier, cùm fecerint votum vt sanctificentur*] Hebraicè est, *vir vel mulier, cùm admirabilem se præstiterit vouendo votum Nazarei ad separandum se Domino.* Hinc patet Primò, etiam è sexu femineo Nazaræas fuisse. Secundò, votum nazaræatus *admirabile* & valdè excellens apud Judæos fuisse, vnde à LXX. *egregium*, à Philone & alijs passim *magnum votum* vocatur. Tertiò, *Nazaræum* nomen seu *nazir*, vt est in Hebræo, significare *separatum* ab alijs, non qualicumque modo, sed peculiari professione sanctimoniæ & religionis, ac dignitate status. Qua ratione Nazaræi erant à communi aliorum hominum statu ac genere vitæ separati.

Philo l. de Temulentia. & l. de Victimis.

נזיר *à radice Hebræa* נזר

Sed Nota Primò, duplicis generis fuisse Nazaræos. Quidam perpetui erant, qui per totam vitam hoc institutum vel Dei iussu, vel voto seu proprio seu parentum suorum tenebant, v. g. Samson, Samuel, Ioannes Baptista, Iacobus Minor. Alij solùm erant temporales, & de his agitur hoc capite.

Nota Secundò, cæremonias nazaræatus fuisse; Primum, *nec vinum*, nec siceram, *nec* quidquam *quod inebriare posset, bibere*, quin *nec de vua*, seu *recente*, seu *sicca*, seu *passa* comedere: vt sic palàm faceret se sobrietati studere, omnemque crapulam auersari, ex qua tot pullulant vitia, & religionis pietatisque omnis neglectus. Secundam, non poterant illi crines præscindi, *vsque ad completum diem quo Domino consecratur*, id est toto tempore quo ipse ex voto debet manere consecratus. Tertiam, *super mortuum non ingredietur*, morticinum humanum contingendo, vel morienti astando, ne patri quidem vel matri. Et in hoc Nazaræus æquabatur (*a*) summo pontifici. Et par ratio quoad vtrumque redditur, cur id illis specialiter inhibitum sit, *Quia consecratio Dei sui super caput eius est.* hoc est, quia speciali valdè consecratione est Deo consecratus, vt suprà diximus: & Nazaræus nominatim etiam caput, adeoque & capillos capitis habet consecratos Deo, vtpote in Dei honorem nutritos, & completo nazaræatu, in eiusdem honorem detondendos & cremandos. Nam Quartò, finito iam voti tempore, post oblatum Deo agnum, ouem & arietem, sacra Nazaræo cæsaries ante ostium atrij detondebatur, & à sacerdote mittebatur in ignem non altaris, vt vult Abulensis; sed culinæ, in qua carnes pacificorum coquebantur, vt habet Chaldæus, & docet Liranus. Atque ita expleto voto *poterat bibere vinum*, hoc est, desinebat esse Nazaræus.

2 *Leuit.* 21. v. 11.

Allegoricè Rupertus hæc omnia aptat Christo Nazareno: Tropologicè Religiosis noui testamenti Cyrillus, Gregorius, Innocentius III. S. Thomas, & eleganter Hieronymus Platus. Plura vide de his Leuit. vlt. v. 2.

Cyr. lib. 16 de Adorat. in spiritu. Greg. l. 32. Mor. c. 17. Innoc. III. suprà c. 4. citatus. S. Tho. 2. q. 186 a. 6. Platus l. 2. de Bono fi. tus Religi. c. 19.

CAPVT VII.

Principes duodecim tribuum offerunt tabernaculo recèns erecto sua singuli dona & victimas.

¥. 1. IN *die qua compleuit Moyses tabernaculum*] Dies Hebræis idem sæpè est quod tempus. Et certum est ex v. 84. tempus vt minimũ duodecim dierum comprehendi nomine *diei*. Ceterùm videntur hæc principum donaria facta priùs tempore quàm reliqua quæ primis huius libri capitibus totoque Leuitico recensentur.

¥. 13. De *acetabulo* alijsque vasis, hoc capite recensitis vide notas nostras de mensuris in Prolegomenis Commentarij.

Petes, ad quos vsus seruierint hæc vasa argentea, cùm omnia Sanctuarij vasa debuerint esse aurea? Respondeo, Non seruierunt vsibus Sanctuarij, sed altaris holocaustorum in atrio ante Sanctuarium: v. g. *Acetabula*, vt in ijs armus coctus, & libamina è farina & oleo offerrentur, *phiale*, vt ex ijs vinum in altari libaretur, &c.

CAPVT VIII.

Præscribit Deus candelabri & lucernarum situm in tabernaculo: & ritum consecrationis Leuitarum.

¥. 7. ASPERGANTVR *aquâ lustrationis*] cuius descriptio habetur c. 19. commixtis scilicet illi cineribus vaccæ rufæ combustę pro peccato. Vnde in Hebræo & Chaldęo vocantur *aquæ peccati*. His ijsdem aquis purificabantur ij qui contactu cadaueris, vel simili *super mortuo* pollutione contaminati erant. Et Allegoricè adaptat illas S. Paulus sanguini Christi, ad Hebræos 9. v. 13. Et hæc insperso aquæ lustralis, erat Prima cęremonia quâ consecrabantur Leuitæ. Secunda, erat abrasio pilorum omnium totius corporis: vt designaretur, resecandas ijs esse omnes rerum sæcularium superfluitates, omniaque mortua & malè olentia opera, inquit Theodoretus. Tertia, lotio vestimẽtorum, quæ puritatis affectuum morumque index erat. Quarta, oblatio bouis pro ipsis, vnius in holocaustum, & alterius pro peccato. Quibus designabatur ipsos Deo totos immolari tum in laudem & honorem Dei, tum in expiationem peccatorum totius populi. Vnde Quintò, ponebãt principes, totius populi nomine, *manus suas super Leuitas*, hoc ritu donantes illos & consecrantes Deo, & vice sui tranferentes illos in perpetuum obsequium illius. Denique Sextò, *eleuabat*, hoc est offerebat, *illos Aaron* Deo, tamquam hostiam sacram & perpetuos ministros. Tum demum licebat illis *ingredi tabernaculum fœderis*, non illud presbè sumptum, quod *Sanctum* vel *Sanctuarium* vocabatur, (nam in illud non nisi sacerdotibus ingredi fas erat:) sed *atrium*, quod sub dio erat ante Sanctuarium: nam in hoc solo atrio Leuitæ sua ministeria sacerdotibus præstabant.

CA-

CAPVT IX.

Iubet Deus in Sinai celebrari secundum Pascha. Dein nubis columna describitur, qua fuit dux itineris & quietis populo Israel totis 40. annis.

¥. 2. FACIANT *Phase*, seu celebrent pascha: primum scilicet post egressum ex Ægypto. *Iuxta omnes iustificationes eius*] id est, iuxta omnes ritus à Deo præscriptos Exod. 12. qui dicuntur hic *iustificationes*, quia sine his nihil justè seu rectè ac legitimè fiebat. Igitur pueri ab egressu Ægyptiaco nati, quia necdum circumcisi erant, festi hujus epuli participes esse non poterant. Et quia deinceps annis sequentibus quotquot nascebantur in deserto, non circumcidebantur, & seniores paulatim moriebantur, hinc toto illo tempore omissum fuit Pascha vsque ad ingressum in terram promissam.

Petes, vnde habuerint Israelitæ farinam hoc Paschate, ex qua panes azymos coquerent, cùm victitarent manna cæleſti? Respondeo, Sicut ad panes propositionis, & ad varia sacrificia farinam tum hordeaceam, tum triticeam (vt patet ex præcedentibus capitibus) habuerunt ex vicina Madianitide: ita ex eádem facilè tantum farinæ comparari potuit, quantum sufficeret exiguo pani azymo singulis familijs conficiendo: nam satis erat, si singuli exiguum panis istius frustulum esui agni adhiberent, ceteraque ex manna supplerent.

¥. 10. *In gente vestra*, conjunge cum *homo*. q. d. Homo de gente vestra, si primo mense *fuerit immundus super anima*, id est pollutus ex contactu cadaueris, vel curatione funeris: vel si *fuerit in via procul*] seu in remota peregrinatione; celebret is pascha suum mense secundo.

Petes Primò, an idem faciendum fuerit etiam omnibus alijs aliâ immunditiâ, aut alio legitimo impedimento, primo mense detentis, v.g morbo, peste, bello: vel puerperis, menstruatis, seminifluis, vel contactu morticini bestiæ immundæ pollutis? Negat Serarius. Sed Respondeo, verosimilius esse, omnibus illis, & quotquot alio rationabili impedimento inuoluntario prohibiti fuissent primo mense, id secundo mense præstandum fuisse. Ita Philo. & eadem erat omnium ratio. Et exemplum Ezechiæ regis ita docet 2. Paralip. 30. celebrantis cum toto populo pascha mense secundo, sed longè alijs impedimentis quàm quæ hìc recensentur præpedito quo minus celebraret primo mense. *Serar. in E. Iosue q. 23.*

Petes Secundò, Quòd si quis etiam secundo mense legitimè præpediretur, an poterat tertio vel quarto mense pascha celebrare? Respondeo, non potuisse, neque ejus rei vel exemplum exstat, vel mentio fit vspiam in Scripturis, vel historijs.

Petes Tertiò, Quid si quis nullo legitimo præpeditus impedimento neglexisset mense primo pascha celebrare? Respondeo, publicâ judicis sententiâ occidendus erat, ut hîc dicitur v. 13.

¥. 15. *De columna nubis* vide Exodi 13.

CAPVT X.

Iubet Deus fieri duas tubas argenteas, docetque earum vsum. Mox enim inflatis tubis, mouente se columna nubis, iubentur Hebræi mouere castra ex Sinai in Pharan, arcâ præeunte.

¥. 2. DVAS *tubas argenteas*] scilicet ut sint magis sonoræ. Hæ 1. Mach. 16. & à Iosepho passim vocantur *sacræ tubæ*, quòd vsibus sacris essent A deputatæ, nec nisi *à sacerdotibus* (*a*) inflarentur, Primò, ad convocandum *populum* (*b*) ad concionem *circa tabernaculum*. Secundò, ad *castra mouenda* (*c*); Tertiò, ad *pugnandum* (*d*) *cum hoste* tempore belli; Quartò, in *epulo* (*e*) sacro, & publica populi lætitia, v.g. ob victoriam obtentam, aliave insignia beneficia. Item in festis maioribus (*e*), quibus totus populus Ierosolymã, vel vbi tabernaculum erat, confluebat. Deniq; & in Calendis (*e*) seu nouilunijs, quæ & festa erant Iudæis cessatione ab operibus seruilibus, & peculiarem in templo habebant solemnitatem & victimas speciales. Harum sacrarum tubarum numerum auxit postèà Salomon, teste Iosepho, ad viginti myriades, seu ad ducenta millia. *Ioseph l. 8. Antiqu. c. 2.*

¥. 21. *Caathitæ portantes Sanctuarium*] Hoc est, res Sanctuarij, mensam, candelabrum, altare incensi, &c. Hæc humeris suis deferebant semper Caathitæ in medio duodecim tribuum, quarum sex præcedebant illos, sex aliæ sequebantur. Porrò reliqua tabernaculi supellex, & eiusdem structura, à Gersonitis & Meraritis deuehebatur plaustris post tres primas tribus, nouem reliquis subsequentibus. Deuehebatur, inquam, *donec veniretur ad erectionis locum*, nubis columna iam quiescente. In Hebræo, Chaldæo, & LXX. est, *erigebant tabernaculum*, scilicet Gersonitæ, *quoadusque venirent ipsi* Caathitæ, qui res Sanctuarij in illud iam erectum inferrent. Et hæc videtur ratio fuisse, cur Gersonitæ & Meraritæ non cum Caathitis in medio castrorum incederent, sed præirent, vt interea dum hi aduentarent cum sacratiore supellectili, tempus illis supperetet erigendi tabernaculum in quod illa inferretur. Cæterùm ipsa arca sub columna nubis semper tota castra præcedebat, quæ dum quiescerent, referri debebat à primis initijs castrorum, post priores tribus ad locum tabernaculi à Leuitis interea erecti.

¥. 29. *Dixit Moyses Hobab filio Raguel*] seu filio Iethro soceri sui sacerdotis Madian, qui & Raguel vocabatur, Exodi 2. & 3. Non ergo erat ipsemet Iethro, vt vult Abulensis, Liranus & Scaliger ex traditione Rabbinorum: sed filius Iethro cognatus Moysis, cuius sororem Moyses in coniugem acceperat. Ita Theodoretus, Paulus Burgensis, Caietanus, Oleaster & alij.

Petes Primò, Quomodo Moyses audet hunc petere ductorem in desertis locis, cùm nubes à Deo dux ipsis viarum assignata esset? Respondeo, Non petit illum habere ducem viæ, sed ducem consiliorum in varijs & anxijs dubijs quæ per viam occurrere solent, v. g. vbinam essent fontes, quâ parte firmanda adversus vicinos hostes castra, &c.

Petes Secundò, an manserit Hobab cum Moyse? Respondeo, ita prorsus videri. Quin & triginta octo post annis, cùm exscindendi essent Madianitæ, euocauit inde Moyses etiam reliquos filios Iethro affines suos, qui cum Hebræis deinde ingressi sunt terram promissam, vt patet Iudicum 4. v. 11. vocabanturque Cinæi Iudicum 1. v. 16. à cognomine Iethro qui Cinæus vocabatur. Et hi inter Iudæos sedem stabilem fixerunt, non tam in domibus, quàm in tabernaculis, ac ferè in solitarijs locis piam religiosamque vitam ducentes, à vino & alijs delicijs abstemij, continua legis diuinæ meditatione ac contemplatione occupati. Vt colligitur ex Iudicum 1. & 4. clariùs ex 1. Paralip. 2. vers. vlt. clarissimè ex Ieremiæ 35. vbi Rechabitæ vocantur à *Rechab*, qui erat vel hic Hobab, vel parens eius Iethro, vt fusè docet Serarius: vel, vt meliùs à Lapide & quidam alij, erat parens Ionadabi socij regis Iehu, 4. Reg. 10. v. 23. *Corn. à Lapide in Ierem. 35. v. 2.*

huius enim Ionadabi parens disertè vocatur Rechab, Ieremiæ 35. v. 6. Rectè verò probat idem Serarius ex S. Nilo & Suida, Rechabitas eósdem fuisse cum Essenis: & ab his vitam anachoreticam ac monasticam ad Christianos deriuatam esse; vt non iam ab Elia, sed ab hoc Hobab viro pio ac sancto, initium vitæ Religiosæ peti possit. Iidem hi Cinæi cum Iudæis, inter quos morabantur, & reliqui quoque Cinæi Iethronis posteri, qui in Madianitide remanserunt, post multa sæcula vastandi, & ab Assyrijs in captiuitatem abducendi prædicuntur Numer. 24. v. 22. Ex ijsdem ortus erat Haber Cinæus Iudicum 4. cuius vxor Iabel Sisaram occidit.

Serarius in Tribæresio l. 3. c. 9. 10. &c.

CAPVT XI.

Murmurat populus primùm ex fatigatione: dein ob carentiam carnium & cæparum Ægypti. Immittuntur coturnices pro integro mense. Leuando quoque oneri Moysis, prophetico Spiritu donantur septuaginta viri, qui initium fecerunt Synedrio Iudæorum. Qui ob murmurationem plectuntur igne cælesti & aliis plagis.

A

B

C

D

℣. 4. VVLGVS *promiscuum*] scilicet Ægyptij, & si qui fortè aliarum nationum alij, qui Israelitis ex Ægypto recedentibus se coniunxerant, Exodi 12. vers. 38. Hi, inquam, huius murmurationis auctores & incentores fuere. Et erant hi in extrema castrorum parte, vt ferè vulgus solet: vnde mirum non est, *ignem Domini*, id est ignem maximum à Deo derepentè excitatum, extremam potiùs castrorum partem, vtpote in qua murmuratores isti restiterant, quàm aliam quamuis partem corripuisse.

℣. 14. *Non possum solus sustinere*] Quomodo queri poterat Moyses se solum sustinere totum pondus, cùm iam anteà consilio Iethro Exodi 18. iunctos sibi haberet tot millenarios, centenarios, quinquagenarios, decanos, iudices, qui eum subleuabant, & minores causas iudicabant? Respondeo, Omnes isti solùm in ciuili administratione ac forensibus negotijs Moysen iuuabant. sed curam spiritualium solus ipse sustinebat, vt erat Deum consulere, legis difficultates explanare, populum docere & instruere, &c. Et defectui institutionis populi videtur hîc Moyses adscribere hanc populi murmurationem & carnium expostulationem. Cui proinde, vti iustæ, Moysis querelæ obsecutus Deus, dispertiuit onus illius in 70. seniores, quos eodem spiritu prophetico instruxit, quo Moyses instructus erat, vt exemplo Moysis populum ipsi quoque instruerent, & occurrentes difficultates partim suâ prudentiâ, partim recursu ad Deum componere studerent. Vnde non alia ratione dicit hîc Deus, *Auferam de spiritu tuo, tradamq; eis*, quàm sicut ab vna candela lumen aufertur quo plures aliæ candelæ accenduntur, nihil tamen luminis priori candelæ detrahendo. Ita Origenes, Augustinus, Theodoretus. Addit Liranus; Moysen etiam morali influxu, licèt imperfecto, nempe per desiderium ac preces suas, ad huius spiritus in alios effusionem concurrisse.

Orig hom. 6. in Num. Aug. qu. 18. in Numer. Theod. etiã q. 18.

Petes Primò, qualis fuerit hæc prophetia horum septuaginta? Respondeo, mixtam fuisse ex propriè & strictè sumpta prophetia, quâ futura & occculta panduntur: & latiùs atque impropriè sumpta, quâ qui diuinas laudes canunt, vel Scripturas interpretantur, vel diuina mysteria exponunt, prophetare dicuntur. Et quidem de Eldad & Medad, qui ex humilitate se subduxerant, (a) neque ad tabernaculum cum reliquis à Moyse designatis accurrerant, nonnulli Hebræi tradunt, prophetasse de Moysis morte, & Iosue in principatum successione. Similia habes in Thargo (b) Ierosolymitano. Et hanc dicunt rationem fuisse cur Iosue à Moyse petierit duos istos præ ceteris prohiberi. Quamuis alij velint, id Iosue ex metu petijsse, ne Moysis auctoritati ex horum duorum prophetatione aliquid decederet, eò quòd non isti ad Moysis præsentiam & præsentationem, ac fortè etiam deprecationem, vt ceteri, apud tabernaculum accepissent spiritum propheticum, sed quasi independenter à Moyse, cui illum acceptum ferre non deberent.

a Ita Hieron ep. 127. Strabus, Caietanus, Abulensis, Liranus, Sà, Bonfrer.

b Apud Serarium in l. 1. Iosui c. 7. q. 4.

Petes Secundò, an hic spiritus in omnibus illis continuò permanserit? Respondeo, Ita noster Interpres affirmat v. 25. & Oleaster, & Fursterus, & Tigurini, & Chaldæus. sed LXX. interpretes cum Caietano & Vatablo ibidem versione planè contraria dicunt, illos quidem eo die prophetasse, at postea desisse prophetare. Sed vtramque versionem (quam vtramque fert verbum Hebræum *iasaph*) commodè conciliabis, si dicas, non cessasse vmquam in eis spiritum prophetiæ in actu primo, & etiam quoad ordinarios actus secundos, quibus ad iudicandum & instruendum populum diuinis illustrationibus sæpè indigebant: cessasse tamen quoad actus illos extraordinarios, & insolentem prophetandi modum, quo prima illa die correpti fuerunt, vt quasi entheati, & alieno potiùs quàm proprio spiritu acti, mira stupendaque proderent: vt Sauli pòst, & alijs pluribus accidit.

יסף

1. Reg. 10. & 19.

Nota, hos 70. seniores non solùm separatim, necessitate sic exigente, vt iam dixi, populum docuisse, ac iudicasse, sed etiam communi subinde consilio res maioris momenti definiisse, & vice Moysis difficultates dissoluisse, tamquam supremum quoddam Iudaicæ monarchiæ concilium ac senatum, à quo nulla deinceps esset appellatio. Vnde *Sanedrim* Iudæorum exordium sumpsit.

℣. 31. *Coturnices*] Septuaginta & liber Sapientiæ habent *ortygometram*, quam Hesychius vocat *coturnicem maximam*; Galli & Itali, *regem* vel *matrem coturnicum*, hæc enim reliquis coturnicibus dux esse solet cùm ad calidiores regiones agminatim deuolant, teste Aristotele, Solino, Plinio & alijs. Verùm, quia dux & imperator numquam est sine exercitu, hinc Septuaginta & alij, cùm dicunt delatam in castra ortygometram, innuunt etiam aliarum coturnicum ingentes copias eodem delatas fuisse. Certè ducentis hominum myriadibus, quot erant tunc temporis in castris, toto mense alendis, opus fuit innumeris coturnicum myriadibus. Vnde meritò Dauid ad hanc ipsam copiam indicandam ait: *Pluit super eos sicut puluerem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata.* Sed immensæ copiæ miraculum augebat etiam ipsa qualitas & præstantia horum volatilium: nam coturnices Iudæis in delicijs fuisse, testis est Philo: & Athenæus inter lautiora mensæ fercula recenset, Aristoteles perdicibus eas comparat: & nostri sæculi mores idem probant.

ὀρτυγομήτραν. *Sap. 16. & 19. Arist. l. 8. Hist anim. c. 12. Solin. c. 17. Plin. l. 10. c. 23.*

Psal 77.

Philo l. 1. de Vita Moys. Athen l. 9. Dipnosoph. Arist. sup.

CAPVT XII.

Maria ob murmur contra fratrem suum Moysen lepra corripitur, & castris ejicitur. Sed orante pro ea Moyse, post septem dies sanatur & in castra reducitur.

℣. 1. PROPTER *vxorem eius Æthiopissam*] quæ erat Sephora Madianitis filia Iethro. Pro quo Nota, duplicem esse Æthiopiam: Occidentalem vnam in Africa remotiùs vltra Ægyptum porrectam, zonæque Torridæ subiectã: cui nunc imperat Presto-

Presto Ioannes, Alteram Orientalem, quæ aliàs Arabia dicitur, certè Arabiæ pars est, complectiturque Madianitas alios que populos qui ad Arabicum sinum vergunt versus Austrum. Ita Herodotus, Plinius, S. Augustinus, Theodoretus & alij. Et ex hoc capite vocatur Sephora *Aethiopissa*, quia Madianitis. Æmula hæc erat & exosa Mariæ sorori Moysis, quam verò ob rem, incertũ. An fortè, quia vxor erat Moysis, principis omnium suprem; voluit præferri Mariç, quæ non nisi soror erat? ita censet Abulensis. An, vt Theodoretus, quod deformis esset? An denique vt alij, quòd alienigena esset? ac proinde conuenire iudicarent tam Aaron quàm Maria, vt à thoro principis abesset quæ vel forma vel natalibus suis tam sublimi officio ac dignitati mariti non parùm detraheret. Moysè verò hæc & similia illis vrgentibus, forsan & exprobrantibus, mansuetè respondẽte, se saluâ conscientiâ non posse sine iustiore causa illam dimittere, certòque sibi ex Dei reuelatione constare, id nequaquam licere, verosimile est, illos regessisse, se æquè Prophetas esse, & cum Deo collocutos, vt scire possent quid liceret. Quin & inter notos ac familiares hac de re sæpiùs questos esse colligitur ex versu 2. Moysè incredibili mansuetudine omnia dissimulante; donec Deus iniuriæ amico suo illatæ iudex ac vindex palàm docuit, donum prophetiæ concessum Moysi multùm præcellere dono quod Aaroni, Mariæ, alijsve Prophetis communicatum esset: scilicet quòd his tantùm reuelatio fieret per imagines seu formas rerum sensibilium in phantasia repræsentatas, siue ea dormientibus fieret, siue vigilantibus & sensu vtentibus. sic currum Cherubinorum vidit Ezechiel, ollam succensam & virgam vigilantem Ieremias, Daniel tot bestias, &c. at Moysi reuelatio fieret per intellectualem visionem absque interuentu phantasmatum & formarum sensibilium, & quidem de rebus maximè arcanis prorsusque diuinis. quod est nobilissimum prophetiæ donum quod in hac vita Deus communicat, nec nisi intimis amicis suis. Et Aaron quidem his auditis videtur resipuisse, ac proinde pœnam euasisse. Maria verò pertinacior in scelere, lepra sub tò perfusa fuit, & castris expulsa.

Herod. l. 7. *Plin. l. 5. c. 8.*

Ezech. 1. *Ierem. 1.* *Dan. 7.*

✠. 14. *Si pater eius* grauiter iratus filiæ, *spuisset in faciem illius*] *nonne deberet* illa præ *rubore* aliquot *diebus* vitare conspectum patris quem tam grauiter offendisset? Subaudi, multò magis debet pudefieri & confundi Maria ob indignationem meam, & à conspectu meo refugere, qui non sputo, sed leprâ faciem eius perfudi. Vnde & mox subdit: *Separetur septem diebus extra castra*, & à conspectu meo arceatur, ac pudore tantisper suffundatur.

CAPVT XIII.

Moyses mittit duodecim exploratores in Chananæam. Referunt illis post 40. dies ingentis ponderis botrum in veste: sed falsò exaggerantes vrbium & incolarum robur, Hebræos ab ea occupanda deterrent, & ad seditionem excitant, frustra renitente Caleb & Iosue.

✠. 17. VOCAVITQVE Moyses *Osee Iosue*] nimirum additione Iod, quæ prima est littera in nomine Dei tetragrammato, quæ subinde pro toto nomine proprio poni solet, vt sit in alijs etiam nominibus, v.g apud Romanos, C. pro Cuio: P. pro Publio: M. T. C. pro Marco Tullio Cicerone. Addit verò Moyses hanc nominis illius litterulam, vt quod anteà significabat *saluatorem*, iam significaret *Domini saluatorem*, nempe destinatum à Deo saluatorem, & per quem Deus populum saluare decreuisset. Vt sic typus per omnia congrueret veritati, & Iosue non tantùm rebus gestis, sed & ipso suo nomine referret verum IESVM nostrum Saluatorem. Vnde & LXX. pro *Iosue* vbique vertunt, Ἰησοῦν *Iesum*. Videtur verò hoc nomen illi à Moysè mutatum fuisse non modò, (cùm nulla iam adesset occasio id honoris illi præ ceteris principibus exhibendi,) sed paucis ante mensibus, cùm debellando Amalecitas Exodi 17. saluatoris officio iussu Dei primùm fungi cœpit: nam ex tunc, & semper deinceps vocatur non Osee, sed Iosue. Ita Origenes, Augustinus, Theodoretus, Caietanus, Oleaster, Serarius, contra Iustinum, Liranum & Abulensem.

Orig. hom 11. in Exod. *Aug. ser 93. de Temp.* *Theod q. 34 in Exod.* *Caiet. hic & Oleaster.* *Serar. l. 1. Iosue c. 2. q. 6.* *Iustin cont. Triphon.*

✠. 23. *Filii Enac*] Id est posteri illius famosi gigantis *Enac*, qui vrbem *Hebron* incolebant. Quod nomen licèt vni proprium fuerit, subinde tamen appellatiuè in Scripturis ponitur pro quouis gigante: & sic ferè vsurpant LXX. & Chaldæus. Huius *Enac* parens *Arbe* dictus fuit Iosue 15. v. 13. & ipse gigas vnusque è maximis, à quo *Hebron* priùs dicta fuit *Cariatharbe*, id est *ciuitas Arbe*, Iosue 14. v. vlt.

✠. 24. *Palmitem cum vua sua*] Hebraicè, cum botro vuarum, *portauerunt in veste duo viri*, fortè Iosue & Caleb. Nam reliqui iam tunc videntur patùm propensi fuisse ad regionis fertilitatem vel verbis deprædicandam, quantò minùs ad tanto labore comprobandam. Vide Serarium. Porrò ingentis magnitudinis botrum hunc fuisse Scriptura indicat, cui deportando & vectis, & duo robustissimi viri necessarij fuerint. De similibus quibusdam ingentis ponderis botris, etiam qui currui iustum esset pondus, vide Plinium & Serarium.

Serar. sup. c. 8 q. 7.

Plin. l. 14. c. 1.

✠. 33. *Terra deuorat habitatores suos*] Quo rictu? quo dente? an terræmotu? an latrocinijs, aut ciuilibus atque intestinis bellis? Non ita intellexerunt exploratores: sed aëre noxio ac pestilente plurimos confici fingebant, vt hoc terrore populum magis ab ea regione auerterent. Quid enim magis horrent mortales quàm aërem infestum & insalubrem? Et hoc erat splendidum istorum explotatorum mendacium. In ceteris, licèt vera dicerent maiori ex parte, peccabant tamen etiam grauissimè, quòd quæ laudanda essent, oculis, gestu, modo referendi minuerent ac deprimerent: contrà verò, pericula omnia, oculorum, vultus, gestus acrimoniâ in maius extollerent. Addit Iosephus, acerbè inculcasse, magnos & profundos amnes esse superandos, arduos montes transcendendos, &c. Et licèt falsæ horum depositioni fortissimè sese opponeret *Caleb* non solus, licèt hìc solius ipsius fiat mentio, sed vnà cum *Iosue*, vt ex sequentibus, (a) patet, & Ecclesiasticus expressè affirmat; non tamen creditum fuit paucis contra multos testantibus.

Serar. sup. c. 12.

(a) *Num. 14. v. 6. & 30. & c. 32. v. 12. & Deuter. 1. v. 36. Eccli. 46. v. 9.*

CAPVT XIV.

Murmurantes Hebræos & in Ægyptum regredi volentes, perdere vult Deus: sed orante Moyse, parcit quidem, sed cum hac pœna, vt nemo murmurantium ingrediatur terram promissam; Cumque facti pœniteret Hebræos, & contra Dei iussum in hostes pugnatum irent, cæduntur à Chananæis.

✠. 18. NVLLVMQVE *innoxium derelinquẽs: qui visitas peccata patrũ in filios in tertiam & quartam generationem*] Vide hæc explicata Exodi 20. Sed hinc patet, non intendisse Moysen, neque petijsse à Deo, vt hoc tam enorme scelus maneret impunitũ: sed solùm, ne Deus totum populum simul & semel dele-

deleret, vti visus fuerat comminari. Itaque hoc erat Moysis argumentum: Tu Deus, qui nosti neminem per se innocentem esse, sed omnes in peccata pronos: qui etiam dum punis soles misericordiam tuam admiscere, tardè & quasi inuitè puniendo, nec nisi post tertiam ferè vel quartam generationem pœnam infligendo, neque etiam vlteriùs protrahendo; non enim soles ob quantumcumque enorme scelus integrum populum ad internecionem perdere. Id experti sumus toto tempore quo ex Ægypto egressi sumus, & in deserto sæpius ad iracundiam te prouocauimus, nunc vitulum adorando, nunc cepas & allia expetendo. Quare precor vt eâdem misericordiâ vtaris etiam nunc in hoc rebellionis nouo scelere puniendo.

℣. 22. *Tentauerunt me iam per decem vices*] id est, sæpiùs: licèt & hic denarius numerus tentationum facilè ab illis completus fuerit, vt enumerat Bonfrerius & alij. Et ostendi in Chronico. *Chron. c 10. in fine anni secundi.*

℣. 25. *Quoniam Amalecites & Chananæus habitant in vallibus*] id est, castrametantur in vallibus his vobis vicinis, vobisque inde insidiantur; ne quid fortè periculi ex ea parte obueniat, festinate hinc recedere, cras mouete castra, & in desertum redite. q.d. Si enim vlteriùs progrediamini, vel hic hæreatis, eorum gladio corruetis, propterea quòd ego vobis non adero, nec defendam. Vt res ipsa pòst docuit, versu vltimo. Hinc patet, non agi hoc v. 25. de habitatione firma ac stabili Amalecitarum, (nam talem habebant in montibus, vt dicitur in fine capitis) sed solùm de habitatione castrensi, pro tanto tempore quanto opus esset ad præpediendum Israelitis ingressum in terram sanctam.

℣. 37. *Mortui sunt atque percussi in conspectu Domini*] Hoc est, subitâ morte prostrati sunt, gloriâ Domini sese adhuc visendam exhibente insolito horrifico que splendore supra tabernaculum. Quidam volunt, peste illos extinctos: alij igne cælitus misso: Rabbini quidam, linguæ tumore quo respiratio præpediretur. Sed nil opus erat Deo eiusmodi telis, vt repentina morte illos extingueret, cùm vel sola concursus sui ad vitam vnionemque animæ necessarij subtractione id efficere potuerit. Et hoc fuit publicum ac subitaneum mendacium exploratorum supplicium. Ceterorum verò murmuratorum ac rebellium Israelitarum vt lentum, ita magis occultum fuit: omnes tamen illud subierunt, pura sexcenta tria armatorum millia, quingenti & quinquaginta, quot nempe à vigesimo vitæ anno vsque ad quinquagesimum numerati fuerant ab egressu ex Ægypto. Nam omnes paulatim in deserto, spatio 40. annorum extincti sunt, solis Josue & Caleb exceptis. Neque hoc numero comprehensi fuerunt senes vltra quinquagesimum tunc annum: neque Leuitæ vlli, neque mulieres, neque pueri vel adolescentes infra vigesimum annum: licèt multi etiam horum, vt rebellionis socij, ita rebellantium pœnæ participes fuerint. verisimile tamen est, multos quoque horum fuisse innoxios, & terram sanctam ingressos.

CAPVT XV.

Mensura libaminum singulis hostijs præscribitur: Item lex de primitijs panum, messis & vuarum. De fimbrijs in extremitate vestium. Denique colligens ligna in sabbatho, iubetur lapidari.

℣. 3. OFFERENTES *odorem suauitatis Domino*] Hoc est, offerentes *holocaustum* vel *victimam pacificam*. Nam neutrum horum offerri Deo poterat absque *libamine*, quod erat quasi condimentum sacrificij & conuiuij Dei. At in sacrificijs *pro peccato* vel *delicto* nulla adhibebantur libamina, propter rationẽ supià allatã c. 4. Leu. Nisi fortè in casu particulari ex causa peculiari Deus aliqua subinde adhiberi iussisset.

Nota, quinque fuisse genera libaminum, putà *similam*, *oleum*, *vinum*, *sal* & *thus*. Et solent hæc omnia in Dei honorem integra vel cremari vel libari, etiam Iosepho teste. Secùs erat cùm aliquid horum non per modum libaminis aut accessorij, sed per se solitarium, & in modum principalis hostiæ seu oblationis Deo offerretur, vt sæpè similia offerebatur: tunc enim parte dumtaxat modicâ in altari crematâ, reliquum sacerdoti cedebat. *Ioseph. l. 3. Antiquit. c. 10.*

℣. 19. *Primitias de cibis vestris*] Hebræus, Chaldæus & LXX. primitias conspersionis, seu massæ farinæ conspersæ & subactę, quam v. 21. *pulmentum* vocat. Iubet enim hîc Deus, quòd, quemadmodum *de area* seu messe vt minimum sexagesimam partem, teste Hieronymo, seponebant primitiarum nomine sacerdotibus offerendum, quibus iussu Dei cedebat in cibum: sic etiam, quoties panem in clibano coquerent, de massa farinacea subacta panem vnum vel torrulam ante omnia pro ijsdem separarent. Non ergo debebant hi panes mitti Ierosolymam, vti nec primitiæ messis: sed tantùm dari sacerdotibus, qui per singulas vrbes mixtim dispersi erant. *Hieron. in Ezechiel. 45*

℣. 38. *Fimbrias per angulos palliorum*] Deuteron. 22. dicit, *per quatuor angulos pallij tui*. Vnde colligitur, *pallium* Iudæorum non abhimilis formæ fuisse à pallio Græcorum & philosophorum, de quo Tertullianus, nempe formâ quadratâ, quatuor oris seu extremitatibus constans: quali ferè Apostoli depingi solẽt. Erin hoc differebat à *toga Romana*, quę, teste Isidoro, Quinctiliano & Dionysio, Halicarnassęo forma erat rotunda seu semicirculari, vt sunt chlamydes nostrorum Europæorum. His quatuor pallij extremitatibus iubet Deus assui *fimbrias*, quales solent textores, in extremitatibus telæ suæ relinquere, & constabant filis seu funiculis *hyacinthini* coloris, non simplicibus, sed crassioribus & intortis: quas proinde nostri Interpres hic *vittas* per catachresin vocat, non quòd fasciarum haberent speciem, vel planæ essent, sed quòd funiculis istis non secùs quàm vittis res aliqua colligari posset. Hoc fimbriarum signo omnibus conspicuo voluit Deus Iudæos à Gentibus palàm distingui. Tropologicè, vt meminissent se in peculiarem Dei populum delectos fuisse; & vitam cælestem (quam hyacinthus repræsentat) integrâ mandatorum Dei obseruatione agere debere. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Liranus & Burgensis. Christum quoque more totius gentis suæ fimbrias tales gestasse constat Matthæi 9. & 14. Sed Pharisæos, ad ostentationem accuratioris studij legis solitos *fimbrias* suas *magnificare*, hoc est maiores facere quàm vulgò moris esset, patet ex Matthæi 23. Et insuper, addit Hieronymus, inserebant Pharisæi fimbrijs acuras spinas, à quibus inter ambulandum pungerentur, atque ita ad memoriam officij sui ac diuinorum mandatorum crebriùs acriusque excitarentur. *Tertull. de Pallio.* *Isidor. l. 19. Orig. c. 24.* *Hieron. in Matt. 23.*

CA-

CAPVT XVI.

Core, Dathan, Abiron & socij 250. rebellant Moysi & Aaroni, ambiuntq; ipsi principatum & sacerdotium: sed viui à terra absorbentur, socius igne cœlesti sublatis. Ea occasione rursus murmurat populus, & 14700. igne absumuntur, quem, ne vlterius grassetur, oratione sua Aaron compescit.

¥. 2. SVRREXERVNT *contra Moysen.* Causa, totius seditionis fuit *Core* Leuita patruelis Moysis & Aaronis: nam ægrè ferens sese Aaronis eiusque filiorum ministrum esse, contendebat sibi non minùs quàm ipsis sacerdotium deberi, siue ortum & stirpem, siue opulentiam spectes. Exasperabat eumdem quòd in designandis Leuitarum principibus, ipse ne quidem constitutus esset Caathitarum princeps, sed ei in hac dignitate prælatus esset *Elisaphan* (*a*) filius Oziel, non nisi è quarto filio Caath oriundus, cùm Core esset è secundo. Et simili prætextu videtur *Core* etiam Rubenitarum principes *Datan*, *Abiron* & *Hon* aduersum Moysen concitasse, quòd ipsis potiori iure, vtpote oriundis ex *Ruben* primogenito Iacobi, deberetur supremus principatus, quàm Moysi. Vnde mox Moysi & Aaroni exprobrant, quòd qui vix alijs æquari merebantur, iam principatum & sacerdotium supra ceteros affectarent. *Sufficiat* inquiunt, *vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus*] Sensus est, Sufficiat vobis, quòd pares sitis alijs, & pars illius multitudinis quam sibi Deus sanctificauit, & in populum suum secreuit, inter ipsos habitans: neque est quòd maiora affectetis, & omnibus dominari velitis.

a *Num.* 3.

¥. 14. *Reuera induxisti nos in terram, quæ fluit riuis lactis & mellis*] Per ironiam & sarcasmum exprobrant Moysi quòd imposuerit populo: quasi dicant, Reuera egregiè præstitisti quod promiseras, & iactare solebas.

An & oculos nostros vis eruere?] Idque vel morali effossione, vt sit sensus: An existimas te tuis artificijs posse etiam nobis imponere, sicut ceteris imposuisti, vt cæcutiamus etiam in meridie? Vel physica euulsione, hoc sensu: An vsque eò ascendet tua tyrannis, vt etiam oculos nobis effodias, si minùs promptè tibi in omnibus obsequamur?

¥. 33. *Descenderuntque viui in infernum*] id est in locum subterraneum, quo scelerati illi hiatu facto, & occlusâ rursum terrâ, viui excepti & absorpti sunt, exindeque mortui, tum demum secundùm animam ad inferos damnatorum delapsi. Ita Abulensis, Liranus, Hugo, Dionysius Carthusianus. Simili modo plectendus creditur Antichristus, cuius hi rebelles typus fuerunt, Apocalypsis 19. versu 20.

Nota ex Numeror. 26. v. 10. *factum* esse *grande miraculum*, nempe, quòd Core cum tabernaculo totaque familia hiatu absorptis, *filij illius non perierint*, sed in aëre pendulj tam diu diuinitus sustentati fuerint, donec hiatus iterum sese occluderet. Hi postea tabernaculo & templo (*b*) constanter cum reliquis Leuitis seruierunt: & multos ex nostris psalmis (*c*) composuerunt, decantaruntque: & ex illis oriundus Samuel, (*d*) rexit vniuersum Israelem. Cur verò *filij Core* ab hoc exitio immunes manserint præ *filijs Dathan & Abironis*, inter quos etiam fuerunt aliqui infantes innoxij, & alij non conscij, aut saltem non consentientes sceleri parentum; verosimile est causam fuisse, quòd *filij Core* non solùm innoxij essent, sed quòd parenti res nouas molienti etiam positiuè se opposuerint, & quantum in se fuit, dissuadere atque impedire conati fuerint.

b 1. *Paral.* 6. v. 31. *&c.*
c 49. v. 19. *&c.* 26. v. 1. *&c.* *Paralip.* 29. v. 30. *&c.* *Psal.* 41. 43. 84. 85. *&c.*
d 1. *Paralip.* 6. v. 33.

CAPVT XVII.

Duodecim virgæ seu scipiones à duodecim principibus tribuum coram Domino in tabernaculo ponuntur. Ex eis floret & germinat sola virga Aaronis: eoq; miraculo & in locis Aaroni sacerdotium à Deo consignatur & confirmatur.

¥. 4. PONES virgas *coram testimonio*, id est, coram arca testimonij, *vbi loquar ad te*] non tam ore, quàm signo, certoque testimonio quo palàm faciam voluntatem meam. Nempe, curabo vt ex tredecim virgis planè nudis & effrondibus, subitò frondeat, floreat, fructificetque illa vna cuius cortici inscriptum est nomen eius cui sacerdotium designaui. Tradunt Hebræi, & Cyrillus, omnes has tredecim virgas ex vna eademque arbore *amygdalo* fuisse: LXX. & Hieronymus alibi, & Philo ἀμύγδαλα id est *nucem*, fuisse dicunt, quæ genus est respectu amygdali.

LXX. *hic & Genes.* 43. *v.* 11. *Hiero. Exodi* 25. *v.* 33. *Philo l.* 3. *vitæ Moysis.*

Allegoricè, amygdalus, quia prima inter arbores floret ac fructum profert, significabat ius primogenituræ, putà sacerdotium, dono & electione Dei deferri illi cuius virgæ id primùm obtigisset. Rupertus virgam florentem facit B. Virginem Mariam; florem & fructum eius Christum nascentem: Rabanus & Bernardus Christum resurgentem: S. Augustinus per virgam florentem anagogicè intelligit resurrectionem corporum nostrorum.

Bern. ser. 2. *super Missus.*

Nota, virgam hanc Aaronis aliam prorsus fuisse à prodigiosa virga Moysis, iussamque asseruari iuxta arcam fœderis (*e*) perpetuoque virentem mansisse, vt inquit Tostatus, appendentibus etiam floribus & fructibus. Neque enim ob alium finem adseruari iubebatur, quàm vt perpetuo isto miraculo fides posteris fieret sacerdotij Aaroni diuinitus collati ac confirmati.

Aug. to. 10. *serm.* 99 *de Temp.*

e *Ad Hebr.* 9. *v.* 4. & 3. *Reg.* 8. *v.* 9

CAPVT XVIII.

Loco sortis hereditariæ, sacerdotibus in alimoniam & stipendia consignat Deus victimas, primitias, ceteraq; oblationes; Leuitis verò decimas: sed ea lege, vt ex suis decimis decimas dent sacerdotibus, & quidem meliores ac selectiores.

¥. 1. TV & *filij tui portabitis iniquitatem Sanctuarij.* Hoc est, si quid contra reuerentiam Sanctuarij à laicis, accedendo, vel tangendo illud, commissum fuerit, vobis sacerdotibus, ac *sceptro* seu ramo, id est tribui vel *domui patris tui*, id est, ceteris quoque Leuitis, imputabitur, vtpote quibus ex officio incumbit arcere laicos. Sic etiam *sustinebitis peccata sacerdotii vestri*] Hoc est, si quid delictum fuerit in functionibus sacerdotalibus, quæ vobis propriæ sunt, pœna commissi per incutiam vestram delicti repetetur non à populo, neque etiam à Leuitis, quorum non est id officij, sed à te pontifice, & à filijs tuis sacerdotibus, quibus ex officio incumbit eiusmodi inuigilare.

¥. 8. *Dedi tibi custodiam primitiarum mearum*] id est, omnium quæ mihi instar primitiarum debentur & offeruntur, siue sint propriè dictæ primitiæ, siue sacrificia, siue alia, quæ lege ac decreto meo mihi seponenda sunt. horum, inquam, *custodiam* non nudam, sed cum iure vtendi & consumendi dono tibi, tuisque filijs sacerdotibus; & dono *pacto salis*, (*f*) id est firmo, inuiolabili ac *sempiterno*: est enim sal symbolum incorruptionis, ac consequenter perpetuitatis. *Ego* ergo ero *pars* (*g*) *& hereditas tua*, quia quæcumque mihi offerentur, vobis sacerdotibus in ius & alimentum cedent: neque volo vos habere

f *v.* 19.

g *v.* 20.

aliam *partem inter filios Israel*, seu agros frugiferos aut vineta in vrbibus Israelitarum. nam proprias etiam habebant vrbes & suburbana sacerdotes; & in his agros suos & pascua & vineta: sed in vrbibus aliorum Israelitarum proprijs, in quibus etiam sacerdotes permixti alijs habitabant, vetantur hîc, vti & Leuitæ cæteri, vllam habere agrorum aut vinearum possessionem, tum quòd ipsis necessaria non esset, dono Dei iam sat opulentis: tum quòd consecratos Deo, & totos legi eius ac Scripturæ, seruitioque tabernaculi deditos dedeceret culturâ agrorum vinearumque implicari. Ex dictis collige quàm ampli, quàm diuites fuerint Leuitarum, & cum primis sacerdotum, prouentus annui. Erat Leuitica tribus inter tredecim omnium minima: neque enim erat vlla tribus quæ non in triplum vel quadruplum (a)eam superaret. Et tamen hîc (b) iubetur accipere decimas ab omnibus filijs Israel, id est, ex decem partibus prouentuum annuorum totius terræ sanctæ vna pars illi debebatur: reliquæ nouem partes in duodecim tribus dispertiendæ erant. Itaque plus ipsa sola, etsi longè minore numero, recipiebat, quàm vlla alia tribus licèt numerosior. Iam verò sacerdotum quantæ fuerint opes, vel hinc coniicere licet, quòd, cùm hoc tempore non essent nisi tres numero, saltem adultæ ætatis, putà Aaron & duo eius filij, Leuitæ verò à triginta annis & suprà essent 8580. (c) tamen decimam partem omnium decimarum quas accipiebant Leuitæ ab omnibus filijs Israel, debebant date his sacerdotibus. (d) Ergo tribus personis dabatur centesima pars omnium fructuum quos colligebant sexcenta & plura millia armatorum: & successiuè crescente numero sacerdotum, crescebat etiam numerus reliquorum Israelitarum, ac proinde etiam copia prouentuum annuorum, qui Leuitis ac sacerdotibus pendebantur. Sed neque in solis decimis consistebant opes sacerdotum: nam illorum insuper erant omnes primitiæ prouentuum annuorum, quæ, si S. Hieronymo credimus, minimùm conficiebant sexagesimam partem omnium quæ annuè proueniebant per totam Palæstinam: Qui prouentus maior erat prouentu decimæ decimarum iam prædicto. Insuper sacerdotibus cedebant omnes oblationes votiuæ & spontaneæ; item pecuniæ quæ ex personarum ac rerum Deo per votum consecratarum redemptione (e) conflabantur. Omnia item ouium, boum, caprarum primogenita, quæ in specie reddebantur: itemque iumentorum ac hominum primogenita, (f) quæ vel permutabantur, vel pretio redimebantur. Omnes item victimæ pro peccato & delicto; pectus & armus omnium pacificorum: holocaustorum saltem pelles, primitiæ omnis cocturæ panum, etiam domesticorum: quæ omnia ex tam numeroso populo innumeros conflabant sacerdotibus thesauros. Habebant hi præterea proprias sibi ciuitates aliquot ac suburbana, atque in his armenta & greges suos. Adde, quæcumque vel primitiarum vel decimarum, vel oblationum nomine sacerdotibus offerebantur, ex optimis pinguissimisque esse debuisse, ita Deo iubente: (g) atque ideo per Ieremiam gloriante, *Inebriabo animam sacerdotum pinguedine*: vt tantò seruirent alacriùs Deo, & ab omni cura rerum terrenarum remotiores essent.

a *Num.* 3. & 4.
b *Num.* 18. v. 21.
c *Num.* 4.
d *Num.* 18. v. 26.
Hieron. in Ezech 10. & 10. 45.
e *Leuit. vlt.*
f *Num.* 18. v. 15. 16. &c.
g v. 12. *Ierem.* 31. v. 14.

CAPVT XIX.

Ritus parandæ aquæ lustrationis, ex cineribus vitulæ rufæ combustæ.

℣. 12. *Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari*] Poterit tamen vel quarto, vel quinto, vel alio die aspergi pro prima vice, & sic dies ille numerabitur ipsi pro tertio die: atque ab hoc deinde ad septimum vsque exspectandum erat priùs quàm emundari posset.

Nota. Vaccæ huius seu vitulæ rufæ extra castra seu vrbem exustæ cineres, per singulas Palæstinæ vrbes quotannis distribuebantur, & in loco ad id designato adseruabantur: cumque contingeret aliquem ex contactu cadaueris, vel morticini, vel alterius rei immundæ contaminari, pauxillo huius cineris in aquam viuam immisso, statis diebus aspergebatur & sic mundabatur. Nec persona sola, sed & omnia vasa, saltem apertæ, quæ in tabernaculo vel domo alicuius defuncti reperiebantur, eâdem aquâ lustrari & expiari debebant. Secùs erat de vasis opertis & clausis: cùm enim in eiusmodi vasis sæpè pretiosi liquores contineantur, neque physica aliqua corruptio possit illis à mortuo afflari, nullam ex præsentia illius immunditiam contraxisse censebantur. Eugubinus vult hanc aquam typum fuisse aquæ nostræ lustralis: sed meliùs S. Augustinus, Theodoretus & alij SS. Patres dicunt præfiguraſſe Baptismum, vel lauacrum Pœnitentiæ.

Vacca rufa Allegorice est caro Christi, secundùm Apostolum ad Hebræos 9. v. 13. Tropologicè est lasciuia carnis. Ita S. Gregorius.

CAPVT XX.

Moritur Maria soror Moysis & Aaronis. Murmurat ob sitim populus, vnde irritati Moyses & Aaron, dum ad aquas contradictionis offendunt Deum, in pœnam offensæ arcentur ingressu terræ promissæ. Et Aaron pòst paulò moritur in monte Hor. Rex Edom Hebræis transitum per medias terras suas pertinaciter negat.

℣. 1. MENSE *primo*] scilicet anni peregrinationis per desertum quadragesimi, seu vltimi. Ita Iosephus, Abulensis, & alij passim.

℣. 12. *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me*, id est gloriam meam celebrem & palàm faceretis, *coram filijs Israel*] Hinc & ex alijs locis (h) patet, Moysen & Aaronem non solùm incredulitate vel hæsitatione interna peccasse, dubitando de effectu promisso, sed insuper etiam exteriùs aliquo signo prodidisse hanc suam dubitationem, atque ita gloriam Dei coram populo minuisse. v. g. Ob continuum populi murmur & strepitum turbati percusserunt petram; sed eo gestu ac modo quo proderent se dubitare de successu, maximè si prima percussione dicamus, Deum, vt fidem illorum constantiamque magis probaret, non dedisse aquas. Tunc enim probabile est aliquid humani passos, gestu vel etiam verbis indicasse nonnullam animi titubationem, atque ita populo adstanti occasionem dedisse etiam ridendi vel explodendi promissa Dei: cùm tamen ipsi, vtpote principes & capita populi, debuissent etiam mortem potiùs subire, quàm tale offendiculum dare, & gloriæ Dei detrahere. Vide S. Cyrillum, Augustinum, Theodoretum, Rupertum, Rabanum, Caietanum & alios.

Nota tamen, verosimillius esse, illos ex nimia pertur-

h *Num.* 27. v. 14. & *Deuter* 1. v. 37. & c. 3. v. 26. & c. 4. v. 21. & cap. 32. v. 51.
Cyr. in Ca Græc. PP. Aug. q. 19. in Num. l. 16. contr Faustum c. 16.

perturbatione non nisi venialiter peccasse: vt diserte S. Augustinus & plerique DD. morte nihilominus luisse hanc culpam; quòd diffidentia de Deo, & scandalum proximorum, in Prælatis, quantumcumque per accidens sint exilia & leuia ob varias circumstantias, per se tamen & ex se sint valdè noxia & iniuriosa Deo.

1. Cor. 10. Allegoricè secundùm Apostolum *petra erat Christus*, crux virga: dat aquam gratiæ & sanctitatis fidelibus: incredulis contradictionis. Ita S. Augustinus.

℣. 25. *In montem Hor*] Dices, Deuter 10. v. 6. dicitur *Aaron mortuus ac sepultus in Mosera*. Respondeo, mons *Hor*, & *Mosera* idem locus fuit, sed mons ipse vocabatur *Hor*, locus verò adiacens, in quo castra Iudæi metabantur, dicebatur *Mosera*. Et bis ad hunc eumdē locum venerunt Israelitæ, vt patet Numeror. 33. v. 30. & 37. Cùm enim totis 40. annis eamdem solitudinem peruagati sint, & quadragesies stationem mutarint, quid mirum si ad eadem loca subinde reuersi sint?

Nota, nec Mariam, id est Prophetas; nec Aaronem, id est sacerdotes; nec Moysen, id est legem scriptam; sed solum Iosue, id est Jesum Christum, nos in terram promissam, id est cœlum, inducere potuisse. Ita S. Hieron. Theodoretus, Rabanus.

℣. 28. *Eleazarum filium eius*] Non mansit tamen pontificatus semper in *Eleazari* familia: nam constat, tempore Iudicum translatum fuisse (qua de causa, incertum) ad *Ithamari*, (a) alterius Aaronis filij, posteros. Rursum tamē sub Dauide & Salomone redijt ad Eleazari familiam. Posterioribus temporibus, cùm pretio vel fauore regum aut præsidum Iudææ venalis esset pontificatus, verosimile est, mixtim ex vtrauis familia fuisse assumptos: sed numquam, ne quidem iniquissimo tempore, pontificatum fuisse extra *Aaronis* familiam, affirmat Iosephus, (b) cui potiùs in hac re crediderim, quàm Sigonio (c) contrarium sustinenti. Sed in pontificum numerum non veniunt Menelaus, (d) Lysimachus (e) & Alcimus (f) pseudopontifices tempore Machabæorum, de quibus ibidem, (g) & in Chronico c. 42.

a *Ioseph. l. 5. Antiq. c. vlt. & l. 8 c. 1. & colligitur ex 1. Par. 24. v. 3.*
b *Iosephus l. 20. Antiquit. c. 8.*
c *Sigon. l. 5. de Rep. Hebraor. c. 2.*
d *2. Mach. 4. v. 13.*
e *Ibid. v. 29.*
f *Ibid. c. 14. v. 3.*
g *1. Mach. 2. v. 1.*

CAPVT XXI.

Israelita cadunt Arad regem Chananæum: mox etiam Sehon regem Amorrhæorum & Og regem Basan. Sed in murmurantem populum ob aquæ penuriam & nauseam mannæ Deus ignitos serpentes immittit, à quibus morsi sanantur per aspectum serpentis ænei.

℣. 6. IGNITOS *serpentes*] Deuteron. 8. v. 15 dicitur fuisse *serpens flatu adurens, & scorpio ac dipsas* sic dictus à siti, quam morsu suo intolerabilem creat. hunc *causlon & presterem* vocat Dioscorides & Ælianus. LXX. hîc vertunt, *serpentes mortiferos*: liber Sapientiæ c. 16. vocat *venenatos dracones*. Non erant ergo propriè *igniti*, quasi igneæ naturæ vel ignem spirantes, vt quidam opinati sunt: sed solùm metonymicè, ab effectu, quòd morsu vel afflatu suo tantum æstum inducerent, vt adurere viderentur. Porrò venenatis horum morsibus remedium non naturale, sed supernaturale præscribit Deus, aspectum serpentis ænei pro signo in pertica vel alta furca expositi: quo viso læsi miraculosè curabātur à Deo. R. Dauid Kimhi refert, medicos asserere, eum qui serpentis morsu ictus æs aspicit, illico mori. Hoc si verum est, iam maius & euidentius illud miraculum fuit, contrario remedio læsos Israelitas sanare.

Dioscor. in fine lib. vlt. Ælianus l. 6. Anim. c. 50.

Allegoricè per serpentem hunc designari Christum, Christus ipsemet affirmat Ioannis 3. v. 14. & fusè exponunt S. Augustinus & Theodoretus.

Nota, hunc æneum Moysis serpentem Hebræos secum in Chanaanitidem deuexisse, & fuisse apud eos vsque ad tempora Ezechiæ, qui eum, quòd pro Deo à plebe coli inciperet, confringi iussit, 4. Regum 18. vers. 4.

℣. 14. *In libro bellorum Domini*] Hic liber, vt plures alij, cum tempore intercidit. Videtur autem metrico versu conscriptus fuisse, vt patet ex pauculis versibus qui hîc ex eo citantur: & continuisse prophetias de prælijs admirandis; alijsque diuinæ virtutis operibus, quæ in posterum apud Hebræos patranda essent. Versuum verò ex illo hîc citatorum iste est sensus: Qualia prodigia Deus fecit in mari rubro Ægyptios subuertendo, talia faciet etiam in torrentibus Arnon. Nam sicut mare rubrum Hebræis se transmeabile exhibuit, Ægyptios verò suis vndis oppressit; ita rupes Arnon, in quibus & sub quibus Amorrhæi latitabant, inclinatæ sunt, & in planitiem deuolutæ oppresserunt Amorrhæos, & viam apertā ac facilē Hebræis exhibuerunt. Ita Rabbini, & ex his Lirānus, Hugo, Tostatus, Adrichomius.

℣. 17. *Ascendat puteus*] Videtur fuisse intercalaris versiculus cantici Israelitarum, quo designare volebant, quàm facilè & quàm prodigiosè summam aquæ copiam in deserto reperissent, scilicet principibus tantummodò terram leuiter excauantibus suis scipionibus seu baculis viatorijs, *datore legis*, id est Deo, cetera perficiente: vel Moyse precibus suis id beneficium cælitus impetrante. Procul ergo fabellam, quam hinc falsò procudit Chaldæus paraphrastes. *Puteus*, inquit, *iste ex eo tempore, descendit cum Israelitis ad torrentes, & de torrentibus ascendit cum eis ad collem, & de colle ad vallem*, &c. Quæ sunt mera commenta Rabbinorum.

℣. 27. *In prouerbio*] Hoc est, in poemate seu cantico sequente, quod Amorrhæi deuictis Moabitis, in gratulationem sibi & memoriam victoriæ obtentæ composuisse videntur, quo rident, & insultant iam victis. Porrò Moabitæ vocantur hîc *populus Chamos*, ab idolo *Chamos*, quod Moabitæ colebant, de quo vide 3. Reg. 11. v. 7.

CAPVT XXII.

Balac rex Moab vocat Balaam ariolum, vt maledicat Israelitis. Sed hunc prohibet Deus ne maledicat; maledicendi tamen animo illuc proficiscentem angelus per os asinæ loquens seuerè reprehendit.

℣. 5. ARIOLVM] In Hebræo *Pethora* intelligunt LXX. Pagninus, Oleaster, Caietanus, Vatablus, Sà, Mariana, & Tigurina nomen proprium loci, nempe *Mesopotamiam Syriæ*, vt Deuteronomij 23. v. 4. expressè etiam Noster dicit, cùm de hoc eodem Balaam agit. Quia tamen idem nomen appellatiuè significat *ariolum*, *coniectorem*, vel *somniorum interpretem*; & constabat ex historiæ progressu hunc *Balaam* talem esse; maluit Noster appellatiuè potiùs, quàm propriè nomen illud vsurpare. פרוחה

Petes, qualis ariolus, seu diuinator fuerit hic Balaam? Basilius, Chrysostomus, Origenes & Augustinus: item Procopius, Liranus, Abulensis, Paulus Burgensis dicunt magum fuisse, & cum dæmone consortium habuisse. Malim tamen cum Josepho, Eugubino, Caietano, Oleastro, & alijs dicere, fuisse verum Prophetam, vti fuerunt Sibyllæ. Nam veri Dei nomen vbique inculcat, & c. 24. v. 13. vocat eum *Deum suum*. Concedo tamen, hominem impium fuisse, qui pecuniæ cupiditate nihil non faceret,

Basil. ep. 50. Chrysost. homil. 21. in Gen. Orig. hom. 3. in Num. August. serm. 103. de Temp. Iosephus l. 4. Antiquit. c. 6.

ceret, nihil non suaderet, etiam contra Deum & conscientiam: quique in consulendo Deo impijs quoque & superstitiosis ritibus subinde vteretur, vt patet ex initio cap. 24.

℣. 22. *Iratus est Deus*] Quomodo irascitur eunti cùm veniam eundi concesserit? Respondeo, Non concesserat alia lege, quàm vt nihil faceret nisi quod præcepturus esset Deus, vt expressè addiderat. Sed Balaam inter eundum auaritiâ victus statuebat animo, si quo modo posset, maledicere Hebræis, quod erat contra voluntatem & præceptum Dei. Vnde v. 32. ait angelus, *Peruersa est via tua, mihiq; contraria.*

℣. 28. *Locuta est asina*] angelo linguam eius mouente, & per eam voces articulatas efformante, sicut dæmon mouit os serpentis vt loqueretur Euæ; aërem vicinum quoad opus collidendo, & sic supplendo quod organis bestiæ deerat. Ita Abulensis & alij. Non ergo loquebatur asina, nisi admodum improprie, maximè cùm nec vitalis esset illa actio, (nam non fiebat vi animæ, sed à mouente extrinseco,) neque vllo præuio conceptu, aut intellectu verba proferrentur. Procopius & quidam alij apud Theodoretum dicunt angelum hunc fuisse Michaelem Hebræorum tutelarem, atque vnum eumdemque fuisse qui domi Balaam vice Dei concesserat vt iret ad Balac: eumdem qui armatus restitit eidem in via: eumdem qui eodem tempore per os asinæ locutus est: eumdem denique qui in Moabitide per os Balaam prophetauit.

Tropologicè, S. Gregorius, asina, id est caro flagellata, sæpe Balaamo, id est menti, Deum ostendit. Et aptè bruta mens, per brutum edocetur, 2. Petri 2. v. 15.

Greg. 3. p. Pastoralis, admonit. 13

CAPVT XXIII.

Balaam maledicturus, vt putabatur, Israelitis eis prater mentem benedicit: laudatq; à religione, fortitudine, præsidio diuino: eorumq; victorias prædicit.

℣. 2. SEPTEM *aras*] Qui cap. præcedenti censebant Balaam verum magum fuisse, ijdem dicunt, eum septem has aras dæmonibus septem planetarum præsidibus, augurum patronis construxisse. Sed malim cum alijs, qui Prophetam, licèt impium, fuisse dicunt, consequenter dicere has aras & hæc sacrificia in veri Dei honorem ab eo apparata fuisse, & his vijs illum sibi demereri studuisse.

℣. 7. *De Aram*] Id est, ex *Syria*, & nominatim ex *Mesopotamia*, vt habent LXX. & insinuatur in eo quod sequitur, *de montibus Orientis*. nam Mesopotamia est Orientalis Moabitidi & Palæstinæ.

℣. 9. *Populus* Israeliticus *solus habitabit*] Id est, religione & cultu veri Dei segregabitur ab alijs omnibus populis idololatris. Hinc *moriatur anima mea*, id est, vtinam vita mea finiatur fine simili iustis, hoc est Iudæis, qui meliorem vitam post hanc sibi repositam habent. Nimirum solent mali iustorum mortem sibi exoptare, vitam non sectari.

℣. 20. *Ad benedicendum adductus sum*] à Deo scilicet vel angelo. Neque enim alio fine permissus sum huc ad te excurrere, licèt & tu, ô rex, & ego aliud intenderimus. Quare & *prohibere non valeo benedictionem*, quam mihi Deus imperat; Licèt enim non eriperetur impio Prophetæ libertas physica, tamen intellectus eius tam claro lumine collustrabatur & voluntas tam efficaciter impellebatur, vt moraliter impossibile sibi putaret aliter facere. Sed hæc collustratio & impulsus non diu durabat, vnde & subtractis illis, ad priorem cordis dutitiem impietatéque redibat. vti & Sauli, & pluribus alijs contigit.

℣. 22. *Cuius fortitudo similis est rhinocerotis*] Hoc est, maxima. Porrò quanta sit rhinocerotis fortitudo, colligere licet ex Iob 39. ex Martiali, Plinio, Solino, Diodoro Siculo, Pausania. Æliano, Pierio, Radero, qui addit, toto corpore squamis durissimis esse loricatum, eiusque pellem tanta esse spissitudine, vt ægrè iaculo penetrari queat. Est autem ei innata discordia, & pugna perpetua cum elephanto: cum quo pugnaturus, cornu suum (quod vnicum in nare habet, vnde & nomen sumpsit) ad saxa limat & exacuit: quo deinde mollioré elephanti partem, putà aluum, infestat, habet & alterum, sed longè breuius cornu, paulò supra nares, vt ex iam dictis auctoribus patet. Et licèt ijdem auctores distinguant *rhinocerota* à *monocerote* seu *vnicorni*, quòd ille in nare, iste in fronte cornu habeat: tamen vsu Scripturæ videntur hæc nomina confundi. nam pro eodem nomine Hebræo *reem* nunc vertit tam Noster, (a) quàm Septuaginta, (b) *rhinocerota*; nunc *monocerota* (c) seu *vnicornem*. Neque hoc mirum, cum *monoceros* genus sit respectu *rhinocerotis*. Porrò de vno genere seu specie monocerotis narrat Plinius, (d) animal esse corpore equino, capite ceruino, pernicitate incredibili, feritate tanta, vt nulla venantium vi aut arte viuum capi possit, nisi adhibita puella virgine sinum pandente, in quem quasi iam victum ac mansuetum caput immittit, & mox soporatur, & quasi inerme capitur. Sic Deus verè vnicornis, id est singularis potentiæ & comprehendi nescius, Hebrææ virginis tractus odore vteri, sese illi inclusit, & ex eo comprehendi potuit & occidi, inquit Rupertus, Gregorius, Tertullianus, Iustinus, Isidorus & Pierius.

Martial. l. Spectaculor & in Apopheretis. Plin. l. 8. c. 20. Solin. c. 43. Diod. l. 4. Pausan. l. 9. Ælian. l. 17. c. 40. Pierio l. 2. Hieroglyphicorum. Radero in Martial.

רְאֵם
a *Hic & c. seq. v S. Deuter. 33. v. 17. Psalmo 28. v. 6. Iob 39.*
b *Iisdem omnibus locis.*
c *Psal. 21. v 22. Ps 77. v 69. Ps. 91. v. 11. Isaiæ 34. v. 7.*
d *Plin. sup. c. 21. Gregor. 31. Moral. c. 15. Tertull. cõtra Iudæos c. 10. Iust. cons. Tryphonẽ. Pierius in Hieroglyph. rhinocerotis.*

℣. 23. *Temporibus suis dicetur Iacob*, id est Israelitis, *quid operatus sit Deus*] pro, quid operari decreuerit. Laudat hîc Israelem, non solùm quòd nulla colat idola, sed insuper quòd nulla quoque captet augurria vel diuinationes, quibus mirè dediti erant Gentiles: sed, cùm res exigeret, & negotij magnitudo postularet, à Prophetis & pontificibus responsa peteret acciperetque certissima de rebus quas Deus facturus esset.

CAPVT XXIV.

Balaam tertiò & quartò benedicit Israeli: prædicitq; Christum ex eo instar stellæ exoriturum. Varia quoque de Amalecitis exscindendis: de Cinæis per Assyrios abducendis: de Hebræis per Romanos vastandis: de Romanis quoque ad extremum perdendis.

℣. 1. VT *augurium quæreret*] Solebat ergo impius Balaam, etiam cùm à vero Deo responsum quæreret, adhibere superstitiosos quosdam ritus, vt hîc septem præcisè aras, septem arietes: & forsan certo situ, v. g. ad Orientem vel Meridiem: certo statu corporis, certis instrumentis, certis vocibus, &c. vt solent profani augures captare auguria. Quæ quia iam omnia spernit, solique spiritui diuino attendit, ideo dicitur ampliùs *augurium quærere.*

℣. 3. *Homo, cuius obturatus est oculus*] scilicet internus mentis oculus, qui obturatus, id est clausus & obtenebratus, in Prophetis dicitur, quamdiu reuelatio diuina illis non innotuit: tamdiu enim circa futura nihil omnino vident aut norunt. Patet ex adiunctis versu sequenti, vbi etiam exponit qua ratione *aperiantur oculi eius*, seu quo modo diuinâ visionem

sionem & reuelationem accipere soleat putà *cadendo* primùm: addunt LXX. *in somnis*, non propriè dictis, sed in ecstasi, quæ est quasi soporatio seu suspensio sensuum exteriorum, spiritu prophetico totam mentem ad se rapiente, nec nisi clausis externis sensibus, internos oculos aperiente ad reuelationem excipiendam.

℣. 7. *Fluet aqua de situla eius.* Parabola est, quam mox sequentibus verbis explicat, *& semen* Israelis *erit in aquas multas*] id est in populos (*a*) multos. q. d. Numerosissima erit posteritas, & multi quasi populi viâ generationis procedent ex hoc iam vno populo. ita Oleaster, Abulensis, Sà. Mox de primo Israelitarum rege subdit, *Tolletur, propter Agag, rex eius*, putà Israelis, nempe Saul, cui sublatum est regnum propter non occisum Agag Amalecitarum regem, quem à Deo iussus fuerat occidere, 1. Reg. 15. Ita omnes SS. Patres & Doctores.

(*a*) *Apoc. 17. v. 15.*

℣. 14. *Dabo* tibi *consilium*] Quale id fuerit, hîc non exprimitur, sed cap. sequenti factum narratur: & licèt consilio Balaam id factum ibi non referatur, refertur tamen disertè c. 31. v. 16. & Apocalypsis 2. v. 14. Iam enim non ampliùs actus spiritu Dei, sed à mammona infestus Balaam, vt auro Moabitico potiretur, gratiam regis Balac, quam non potuit maledicendo Israeli, conatur demereri suggerendo prauum consilium ad Israelem euertendum. Erat autem istud consilium, de pertrahendis Israelitis in idololatriam per speciosas virgines Moabiticas, quæ suis blanditijs iuuenes Hebræos ad idolorum sacrificia pellicerent, vt factum capite sequenti.

Extremo tempore] Id est tandem post alia omnia remedia frustrà à nobis tentata. q. d. Hoc saltem vltimum succedet ex voto. Sed hoc consilium ipsimet Balaamo exitium attulit, vt c. 31. v. 8. patebit.

℣. 17. *Videbo eum*, scilicet Messiam de quo nunc ago, *sed non modò, sed non prope*] nam quæ de illo iam prædico, non tam citò euenient, sed longiùs absunt à nostris temporibus. Addunt quidam, Balaam hîc insinuare, visurum se Christum non suis, sed posterorum suorum oculis, hoc est Magorum trium, qui ductu stellæ adorarunt Christum recèns natum in Bethlehem. Sed incertum est, an hi Magi fuerint è posteris Balaam.

Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel] Rabbini, & ex eis Abulensis, hæc de Dauide ad litteram accipiunt, quia hic subegit Moabitas & Idumæos, de quibus pòst agit Balaam. Et verò ad Dauidem alludi non libenter negarim: primariò tamen de Messia filio & herede Dauidis, & per Dauidem tamquam per typum & figuram repræsentato, certum est ad litteram hæc exponi debere. Et ita exponit Chaldæus, & ferè omnes SS. Patres. Erat enim Christus ex Israele oriundus vera *stella* mundi, luce doctrinæ suæ; & *virga* seu sceptrum, regia sua potestate quâ toti mundo dominetur. Atque ita huic propriè quadrat, quòd aduentu suo *percussurit duces Moab, vastaritque omnes filios Seth*, id est *omnes homines*, inquit Chaldæus: quia omnes quotquot ex Noë prognati sunt, à *Seth* atauo Noë processerunt. Omnes ergo non solùm Moabitæ, id est idololatræ & iurati hostes Israelitarum, sed etiam alij populi, à Christo subijciendi hîc dicuntur, more Prophetis vsitato, qui aduentum Christi tum primum, tum secundum solent describere ad modum atrocissimi cuiusdam belli in omnes nationes gerendi, propterea quòd omnium gentium idololatriam, impietatè & scelera destructurus sit. Ita Eugubinus, Liran°, Abulèsis, Oleaster, Vatablus, Caietanus & Sà.

A ℣. 19. *Et perdat reliquias ciuitatis*] putà Romæ, quæ antonomasticè *ciuitas & vrbs* vocatur, tamquam præcipua totius orbis vrbs, inquit Abulensis. Haec perdita est à Constantino Magno, cùm hic conuersus ad Christum totam quoque Romam, & reliquias Gentilium vnà secum ad Christum traduxit. Sic infrà.

℣. 24. *Venient in triciibus* seu triremibus, *de Italia*, &c.] Plurimis ante Romam conditam annis, prædicit potentiâ Romanorum superatum iri Assyrios. quod factum Primò, tempore Augusti Imperatoris, cùm Ventidius Bassus de ipsis & vicinis Parthis triumphauit. Secundò, tempore Traiani, à quo rursum subiugati Assyrij & in prouinciam redacti sunt, teste Dione, Cassiodoro, Festo Rufo & alijs. Ab ijsdem Romanis prædicit hîc vastatum & excisum iri etiam Hebræos, alludens ad clades à Pompeio ipsis inferendas, & ad excidium vrbis imperijque illorum per Titum & Vespasianum Imperatores Romanos. Denique Romanos quoque ipsos, euerso excisoque illorum imperio, stirpitus perituros prænunciat eodem versu. quod futurũ in fine mundi, sub initium monarchiæ Antichristi, constans est sanctorum Patrum & Doctorum sententia. Idem prædixit Daniel cap. 2. v. 40. & sequentibus. Vide Bellarminum de Pontifice l. 3. c. 5.

Dio l. 6°. Rom histor. Cassiod. in Chronico.

B

De Cin & Cinek v. 22 vide cap. 10. v. 29.

CAPVT XXV.

Fornicantur Israelitæ cum Madianitis, & colunt Beelphegor. Vnde principes suspenduntur è patibulis, & è plebe 24. millia iugulantur. Phinees filius Eleazari pontificis, quia zelosè occidit principem fornicarium, pro mercede accipit pontificatum sua familia hereditarium.

C ℣. 1. FORNICATVS *est populus*] vtraque fornicatione, corporali, & spiritali, id est idololatriâ, inquit Liranus & Oleaster. Addit Villalpandus, vno eodemque actu physico fornicationis coluisse idolum: nam tali turpitudinè colebatur *Beelphegor*, id est *Priapus*, teste S. Hieronymo, Isidoro, Theophylacto, Adrichomio, Masio, Aria, Ribera, Lorino. Dicitur autem *Beel-Phegor* hebraicè, id est *dominus operationis*, id est obscœnitatis, q. d. Deus *nuditatis*. ita auctores iam citati. Ab hoc idolo nomen idem Phogor monti, & vrbi, in quibus maximè colebatur, inditum fuit Numer. 23. v. 28. & Iosue 13. vers. 20. Vsque eò autem inualuit subinde etiam apud Hebræos pudendus huius Dei cultus etiam per feminas principes, vt mater quoque Asa regis Iuda sordibus illis præesse vellet, 3. Reg. 15. v. 13 sed rex illam vi dimouit, & Priapum euertit. Porrò lenocinia & artes quibus Madianiticæ puellæ deceperunt hîc Hebræos, D fusè enarrat Iosephus.

Villalp. in Ezech. 43. l. 4. cap. 79. Hieron. l. 1. aduer. Iouinian. & in Isaiæ 25. Osee 4. 9. Isidor. l. 5. Originum c. 11. Theophyl. in Osee 4. & 9. Adrich. in Theatro, in Ruben. Lorinus in psal. 105. Iosephus l. 4. Antiquit. c. 5.

℣. 12. *Do ei pacem fœderis mei*] Hoc est, ineo cum Phinees fœdus pacificum, quo securè & pacificè perfruetur, nempe quòd in posteris suis perpetuò fungetur sacerdotio, scilicet summo.

Petes, Quomodò hoc subsistit, cùm post pronepotem Phinees translatus fuerit pontificatus ad Heli, qui erat de familia Ithamari patrui Phinees? teste Iosepho & Scriptura. (*b*) Respondeo, fœdus hoc conditionatum fuisse, si nempe posteri ipsius in fide & cultu Dei constantes perseuerarent. Sic enim fœdera, quia mutua, obligationem vtrimque inducere solent. Vi tamen huius fœderis factum videtur, quòd, resipiscentibus posteris, Phinees tempore Dauidis & Salomonis recuperarint pontificatum, quem per Heli amiserant: semperque deinceps retinuerint in sua familia, saltem vsque ad tempora Herodis, cùm iam non ampliùs iure successionis,

Ioseph. l. 5. Antiquit. c. vlt. & l. 8. c. 1.

(*b*) *1. Paralip. 24. v. 3.*

sed

sed vel pretio, vel gratia principum, pontificatus obtineretur(a).

a Supra c 20.v. 21.

CAPVT XXVI.

Israelita terram promissam ingressuri, de nouo numerantur à 20.annis & supra, per singulas tribus. Et secundùm hanc dinumerationem iubetur illis terra diuidi, & maiori tribui maior portio, minori minor consignari.

✠.1. NVMERATE *omnem summam filiorum Israel à viginti annis*] Mortuis iã omnibus qui prima populi lustratione Numerorum 1.recensiti fuerant, *sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta*; nouus hîc census iubetur institui, cò quòd iam in procinctu essent vt ingrederentur in terrã promissam, & hæc ipsis diuidi deberet. Quo lustro reperti sunt *sexcenta millia, mille septingenti triginta*. Vnde patet, summam pugnatorum hoc quadragesimo anno initam non æquasse summã censorum primo censu anno secundo egressus ex Ægypto, sed inferiorem illâ fuisse *mille octingentis* viginti capitibus. B

✠.53. *Istis dividetur terra iuxta numerum vocabulorum*] id est *nominum*, vt est in Hebræo, Chaldæo & LXX. id est, per singula capita nominatim recensita. Sensus est, tribui vni plus, vel minus terræ donandũ esse, quò plura vel pauciora essent in tribu capita: nam sequitur, *Pluribus maiorem partem dabis, & paucioribus minorem.* Sic tamen vt in diuisione terræ, nõ solius mensuræ haberetur ratio, sed etiam, & quidem ante omnia, fœcunditatis soli, ut factum ait Iosephus. Indeque contigisse, quòd tribus Beniamin, licèt numero multis alijs tribubus esset maior, tamen angustissimam sortem acceperit, quòd optimum fertilissimumque totius Chananææ tractum nacta esset, Ierichuntẽ putà & Ierosolymam. C

Iosph. 5. Antiqu.c.1.

✠.55. *Ita dumtaxat vt sors terram tribubus diuidat & familus*] Petes, Quomodo sors hîc habere potuit locum, cùm iubeatur ratio haberi capitum plurium pauciorumve, & præterea bonitatis ac fertilitatis soli? Respondeo, haberi potuisse hoc modo: Geometræ diuidebant cis Iordanem terram in nouem partes æquales cum dimidia: nam reliquæ duæ tribus cum dimidia iam sine sorte terras suas trans Iordanem (*b*) acceperant. Super his nouem cum dimidia vel decẽ partibus iaciebantur sortes quæ cuique tribui pars cederet: sed post iactas sortes contrahebatur ea pars à Geometris, quæ obuenerat vni tribui in qua pauciores erant numero bellatores, quàm pars tanta requireret. dilatabatur verò ab ijsdem, si in ea plures essent, idque iuxta numerum capitum, & qua parte commodiùs dilatari vel contrahi posset. D

b Num. 32.

CAPVT. XXVII.

Propter filias Salphaad, lex fertur, ut, deficiente prole masculâ, filia parentibus succedant in hereditatem. Iubetur Moyses ex monte Abarim contemplari terram promissam: sibique in ducatu populi substituere Iosue.

✠.3. IN *peccato suo mortuus est*] Peccatum hoc fuit commune cum reliquis murmur post exploratorum reditum suprà cap. 14. Cuius peccati pœnam Deus ibidem statuit mortem singulis oppetendam in deserto. Et quia hanc pœnam voluit in parentibus, qui soli peccauerant, hærere, neque ad filios extendi, idcircò dicunt *filia Salphaad* parentem in *suo* peccato mortuum esse.

✠.12. *Ascende in montem Abarim*] Est continuatio plurium montium in confinibus Amorrhæorum & Moabitarum: cuius pars vna, seu iugum vnum quod Moyses conscendit, dicebatur *Nebo* vel *Nabab*, eiusque vertex *Phasga*, vti habes Deuteronomij 32. & 34. De peccato Moysis, ob quod exclusus est à terra sancta, dixi suprà cap.20. vers.12.

✠.18. *Pone manum tuam super eum*] Hoc ritu significabatur Moysen resignare & transmittere potestatem suam in Iosue. Eratque hæc non nuda externa cæremonia quâ inauguraretur Iosue princeps populi, sed eâdem insuper conferebatur illi Spiritus sapientiæ, qui principi ad regendum est necessarius. Conferebatur, inquam, morali quadam efficientiâ, Moyse id à Deo conceptis precibus expetente. Sic enim dicitur Deuteron.vlt. *Iosue filius Nun repletus est Spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas.*

✠.20. *Et dabis ei præcepta*] vtique ad principis officium ritè obeundum spectantia: maximè verò, vt strenuè aduersus hostes rem gerat, Deo fretus nihil metuat, populum in officio suo, & Dei cultu contineat, vt Philo exponit, & colligitur Deuteronomij 3.v.21.& sequentibus. Philol. de Charitate

Et partem gloriæ tuæ] seu dignitatis & auctoritatis tuæ communicabis Iosue, vt in posterum tibi non tamquam minister adsit, vt hactenus, sed tamquam princeps assideat, insignia principatus eadem quæ tu gestet, frequenti famulitio cingatur, denique pro principe se gerat in omnibus, & Moysi dignitate sit proximus. Idque *vt audiat eum omnis synagoga*, hoc est, vt hac viâ concilietur ei auctoritas apud populum, & omnes paulatim etiam te viuente, illi parere discant. Ita S. Augustinus, Caietanus, Abulens. Serarius. Aug.qu. 55.in Num

CAPVT XXVIII.

Statæ victimæ præscribuntur partim quotidie, partim in festis offerendæ. Quotidie agnus vnus manè, & alter vespere. eratque hoc iugi sacrificium. In sabbathis duo agni manè. In neomenijs vituli duo, aries vnus & agni septem in holocaustum, & hircus vnus in hostiam pro peccato. Et eadem victimæ iubentur offerri in festo Paschatis & Pentecostes.

✠.11. IN *calendis*] Hebraicè, in capite mensium: græcè, in neomeniis: latinè nouilunia vocamus, à quibus Iudæi suos menses inchoabant, qui proinde alterni erant 29. & 30. dierum: nam ab vno nouilunio ad alterum sunt dies 29. cùm dimidio. Voluit autem Deus has calendas seu nouilunia esse sacra, quia primitiæ erant mensium. Sicut ergo initium finisque cuiusque hebdomadæ per sabbathum Deo consecrabatur, & initium totius anni per Pascha: sic initium cuiusque mensis Deo similiter consecrandum erat, & quidem per festum propriè dictum, quo & seruilia opera, & iter prolixius inhibebatur, ut patet 1.Reg.20.v.19. quo item specialia sacrificia, quasi mensis totius primitiæ, in templo, nomine publico offerebantur. ita Sanctius in 1.Reg.20.v.19.& Abulensis ibid. licèt hîc contrariũ insinuet. S. Thomas & Liranus dicunt, sicut *sabbathis* iussi fuerant Hebræi celebrare memoriam *creationis*, ita *neomenijs* memoriam *gubernationis* diuinæ: nam luna corporibus omnibus sublunaribus dominatur, & illa maximè in nouilunio immutat. De festis calendis apud Romanos, vide Macrobium, & alios. Macrob.1. Saturnal.

Petes, an singulæ neomeniæ clangore tubarum indici consueuerint apud Iudæos? Respondeo cũ Sanctio, id probabilius esse, ex Numeror.10.v.10. quàm quod volunt Ribera, à Lapide & Bonfrerius, in sola mensis septimi neomenia id factitari solitum, quasi ob id *festum tubarum* dicta fuerit. de quo Sãctius in Ribera l.5 de Templ. 2. A Lapide & Bonfr. hic.

quo fusè Leuitici 23. vbi & de alijs huius & sequentis capitis festis egimus.

V. 13. Per *decimam decimæ* intelligit eam mensuram quæ *Assaron* debetur, quæ erat decima pars ephi: ac proinde vocatur *decima minor*, nempe ad distinctionem *decimæ maioris*, quæ erat ipsum *ephi*. nam *ephi* erat decima pars *cori*, quæ erat omnium maxima mensura apud Hebræos.

CAPVT XXIX.

In festo Tubarum prima Tisri, & in festo Expiationis decima eiusdem mensis iubentur offerri vitulus vnus, aries vnus, & agni septem. In festo Tabernaculorum, decimaquinta eiusdem mensis per integrum octiduum varia victima prescribuntur.

V. 12. CELEBRABITIS *solemnitatem* tabernaculorum *Domino septem diebus*] Non quòd totis septem diebus vacandum esset ab opere seruili (nam de solo primo die id præceptum fuit), sed quòd totidem diebus manendum esset in tabernaculis: & quòd peculiaria singulis diebus sacrificia publico nomine offerenda essent, quę hìc etiam sigillatim recensentur. Non quòd specie differrent, sed numero solo: nempe, è vitulorum numero quotidie vnus detrahebatur, ita vt primo die offerrentur tredecim, secundo die duodecim, tertio undecim, & sic consequenter; donec die septimo ad vitulos septem deuentum esset. Alioquin in arietibus, agnis, libis seu libamentis, & alijs, idem numerus & mensura eorumdem omnibus septem diebus seruabatur, vt patet consideranti singula.

V. 38. *Absque holocausto sempiterno*] Hoc est, præter iuge sacrificium duorum agnorum, qui quotidie indefectibiliter offerri debebant, non obstante omni alio horarum numero. Sensus ergo est, omnia iã dicta sacrificia & libamina singulis suis diebus offerenda esse, vltra iuge sacrificiũ cum suo libamine: & vltra quoque alia omnia sacrificia quæ quis vel ex voto, aut priuata aliqua culpa tenetur, vel ex peculiari deuotione, vel pietate volet vltrò offerre.

Cura huius sacrificij.

CAPVT XXX.

Indulget Deus, vt pater votum filiæ, maritus vxoris irritare possit, dummodò illi contradicat statim, id est, primo die quo illud resciuit.

V. 16. SIN *autem contradixerit postquã resciuit*] Agit de patente puellæ, vel marito, qui cognito voto filiæ vel vxoris tacuit tota die, atque ita sua taciturnitate votum reddidit ratum, post illum nihilominus diem repugnat filiæ vel vxori, neque vult votum ab illis impleri: quid tali casu faciet filia vel vxor? Respondet hic Deus, obediendum esse parenti & marito etiam illo casu: neque enim decet vnquam, filiam aut vxorem parenti vel marito in dubijs reluctari. Atque ita liberat Deus tali casu filiam & vxorem ab impletione voti. Quia tamen iniquè facit parens vel maritus impediendo completionem voti, quod suo silentio semel cõfirmarat; hinc addit Deus, tali casu parentem & maritum portaturum hanc iniquitatem, hoc est, obnoxium fore diuinæ pœnæ, propter talis voti omissionem debitæ & infligendæ: sicut enim tota culpa est penes parentem & maritum, ita penes eosdem fore & pœnam. Putarim tamen, quòd hic dicitur, tali casu liberam esse filiam & vxorem, limitari debere ad vota quæ commodè impleri non possunt quin parens vel maritus id resciscat, v. g. ieiuni, peregrinatione, & simili afflictione corporali. Nam si quæ alia vouisset, quæ parente vel marito inscio & absque iusta offensione il-

A lius exequi potest, v. g. orare ad breue tempus, leuem eleemosynam dare, &c. poterat ipsa etiam prohibente parente vel marito clàm votum implere, & verò etiam debebat. Ita S. Augustinus, Liranus, Oleaster, Caietanus. Hinc patet, has leges non esse prorsus iuris naturæ, sed diuini positiui, & cęremoniales (saltem pro maiore parte) legis veteris, atque ita pro ea parte iam abrogatas esse, neque obligare in lege noua.

CAPVT XXXI.

Iussu Dei exscinduntur stirpitus Madianitæ, solis virginibus vitâ donatis. Præda diuiditur cum ijs quoque qui remanserant in castris. Et sua etiam portio cedit sacerdotibus ac Leuitis.

V. 6. VASA *sancta*] Pùtà *arcam* cum suis appendicibus. Ita Rabbini, & Liranus, Abulens. Caietan. & Serarius. Solebat enim arca passim ad bellum deferri à Iudæis, vt idola à Gentilibus: idque vt pugnaturi firmum haberent aduersus hostes præsidium, & certam spem victoriæ. *Tubas* quoque, scilicet argenteas illas sacras, de quibus suprà c. 10. v. 2. ad animos pugnantibus addendos, inflabant sacerdotes in bello, & hoc officium erat illis proprium. Et hæc erat causa cur *Phinees* sacerdos pugnaturis Israelitis iunctus fuerit à Moyse: non verò vt ducem supremum belli ageret; quod vult Liranus. Cur enim id Iosue recèns inaugurato principi, cui id ex officio incumbebat, negatum fuisset, ipso maximè præfecturæ initio, quo concilianda illi erat apud populum auctoritas? Ita Doctores suprà citati. *Serar. l. 1. Iosue c. 10. q. 1.*

V. 8. *Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio*] Hærebat ergo adhuc Balaam in parte aliqua Madianitidis. Et hic locus illius dici potest, ad quem c. 24. v. vlt. reuersus fuisse dicitur; nempe ex confinijs & montibus, è quibus prospexerat castra Hebræorum, descenderat in interiora regni, & apud amicos adhuc hærebat hospes, inde in Mesopotamiam commodo suo traiecturus. Sed diuino consilio ac prouidentia factum, vt hæsitans in via, cum pereuntibus Madianitis ipse auctor & totius flagitij architectus simul periret.

V. 16. *Super peccato Phogor*] Idololatriæ scilicet, de quo c. 25. cuius auctor & incentor fuerat Balaam. Iubet ergo hîc occidi mulieres omnes quotquot viros expertę essent, eò quòd hæ vel ad flagitium concurrissent sese prostituendo, & Israelitas ad idololatriam pertrahendo: vel saltem consensissent vt filiæ suæ id facerent. Virginibus, quia innoxijs, vitam condonat, & vt vel vxorum, vel ancillarum loco sint Hebręis, permittit. Filios autem masculos, quantumcumque paruulos & innocentes, occidi iubet, non solùm in detestationem facinoris parentum, eorumdemque maiorem punitionem, sed etiam vt gens omnis Madianitica stirpitus exscinderetur, posteritatis spe omni recisa: & ne parentum aliquando vltores filij exsurgerent. Ita Theodoretus.

V. 50. *Murænulas*] Colli sunt ornamenta, vel strictè illi circumposita, vt ferè vniones solent; vel in pectus defluentia, vt torques. Sic *periscelides* crurum: *dextralia* dextri: *armillæ* vtriusuis brachij ornamenta sunt.

V. 52. *Pondo*] Id est pondere, non verò libra. Et certum est ex Hebræo, pondus omne auri, quod hîc ex spolijs & manubijs hostium Deo dedicatur, non fuisse nisi *sicios sedecim millia septingentos quinquaginta*: qui conflabant talenta Hebraica quinque cum dimidio, & insuper sicios 250. nam talentum Hebraicum constabat ter mille sicis.

CAPVT XXXII.

Tribubus Ruben & Gad & dimidiæ Manasse, quòd pecoribus abundarent, terra Galaad in sortem hereditariam conceditur, ea lege vt ceteras tribus præeant armati.

a *Iosue* 15. *v.* 17. & *Iudic.* 1. *v.* 13. & *c.* 3. *v.* 9.

℣.12. CALEB *filium Iephone Cenezæum*] Cùm Scriptura (*a*) etiam *Othonielem* dicat *filium* fuisse *Cenez*, eumdemque *fratrem Caleb*; videri quibusdam posset, & visum fuit Emanùeli Sà, *Iephonen* patrem fuisse tam *Othonielis*, quàm *Caleb*, & alio nomine vocatum fuisse *Cenez* vel *Cenezæum*. Verùm, cùm 1. Paralip. 4. v. 13. vbi filij *Cenez* ex professo recensentur, non adnumeretur Caleb: cùm item Iosue 15. v. 17. filia Caleb nupserit *Othonieli*; non video quomodo *Othoniel* possit dici *frater Caleb* ex vno eodemque parente *Cenez*, si eorum sequamur sententiam, qui censent lege Mosaica prohibitum esse matrimo-

b *Leuit.* 18. *v.* 12. & 14. nium (*b*) patrui cum nepte. Cum quibus conformiter Respondendum, *Othonielem* non absolutè dici fuisse B *fratrem Caleb*, sed cum additamento *fratrem iuniorem*,

c *Iosue* 15. *v.* 17. d *Iudic.* 1. *v.* 13. & *c.* 3. *v.* 9. (*c*) vel *minorem*, (*d*) hoc est, *nepotem ex fratre*, vt vult Oleaster & Eugubinus: vel potiùs, vt alij, fratuelem. In Scriptura enim nepotes, fratrueles, cognati passim vocantur *fratres*. *Cenez* ergo auus fuit tam *Othonielis* quàm *Calebi*, vt videre est ex eius stirpe quam recen-

Chron. c. 46 sui in Chronico. Itaque ab vno eodemque auo vterque nomen habuit *Cenezæi*.

℣.21. *Omnis vir bellator armatus Iordanem transeat*] *Omnis*, scilicet, à me, vel à Iosue designandus. Neque enim poterant tot vrbes, in quas Rubenitæ, Gaditæ & Manassitæ paruulos, & vxores, & omnes suos thesauros intulerant, sine necessario præsidio relinqui: neque erat opus, tot millia Iordanem traijcere. Quin ex Iosue 4. patet, vix tertiam partem armatorum ex duabus his cum dimidia tribubus superiore lustro c. 26. recensitorum, Jordanem traiecisse. Reliqui C ergo citra Iordanem remanserunt partim præsidio suis futuri, partim vrbes *exstructuri*, id est, ex parte dirutas vel collapsas instauraturi, & nouis munimentis firmaturi. Porrò de his, & alijs passim in Scriptura vrbibus, vide Adrichomium de Locis terræ sanctæ, & alios interpretes.

CAPVT XXXIII.

Recensentur 42. *mansiones Israelitarum in deserto. De quibus egi in Chronico cap.* 19.

℣.2. MANSIONES *quas descripsit Moyses iuxta castrorum loca*] hoc est, iuxta numerum castrametationum. Has mansiones enumerat *quadraginta duas* S. Hieronymus, & explicat in epistola ad Fabiolam. & illas descripsi in Chro. c. 19. Rabanus & Rupertus Tropologicè applicant itineribus in cælũ.

℣.55. *Sin nolueritis interficere habitatores terræ, erunt vobis quasi claui in oculis, & lanceæ in lateribus*] Hoc est, erunt vobis admodum infesti, & continuis bellis omnem vobis adiment quietem: non secùs ac si latus vel oculi stimulis configerentur. D

Petes, an ergo vicinæ omnes gentes vno impetu delendæ fuerint? Respondeo negatiuè. Tantùm

e *Exodi* 23. *v.* 29. & *Deuter.* 7. *v.* 22. enim iussi (*e*) sunt Hebræi paulatim eas delere. Vnde & Iosue non deleuit nisi eas gentes quæ occupabant interiora terræ sanctæ: reliquas consultò debellandas posteris reliquit. (*f*) Cùm verò posteri id negligerent, imò data operà nonnullas gentes delere nollent, factum quod hîc prædicitur, & plurimę maximæque calamitates inde subortæ, & bella ex bellis prognata. Quibus tamen ex altera parte hoc boni effectum, quòd Iudæi hoc fræno continerentur in of-

f *Iosue* 23. g *Iudic.* 2. *v.* 20. h *Iudic.* 3. *v.* 1. & 2. ficio, vel deuiantes hoc flagello (*g*) punirentur: saltem quòd otio ac desidiâ non diffluxerint. (*h*)

CAPVT XXXIV.

Describuntur quatuor termini terræ promissæ. Et duodecim principes designantur qui terram istam Israelitis sorte diuidant.

℣.3. MARE *salsissimum* est mare mortuum, seu lacus Asphaltites, seu Sodomorum. In Hebræo vocatur *mare salis*, quòd cetera matia Iudaica salsedine multùm superet. Causa tantæ salsedinis est sulphur, bitumen & sal, quæ in incendio Pentapoleos è cælo deciderunt, & quorum regio illa ferax (*i*) est. Plura de hoc mari vide Genesis 19. v. 26. Ab i *Sophoniæ* 2. *v.* 9. hoc mari seu lacu desumebantur termini Orientales Iudææ, quæ ad Septemtrionem habebat mare Cenereth, quod à regione Cenneroth ei lacui adiacente 3. Reg. 15. v. 20. vel ab vrbe eiusdem nominis vicina in tribu Nephthali (*k*) sic nominatur. Sed in E- k *Iosue* 19. *v.* 35. uangelijs alia subinde sortitur nomina; vocatur enim stagnum Genesareth, mare Galilææ, mare Tiberiadis à regione Genesareth & Galilææ, & vrbe Tiberiade, eidem lacui adiacentibus. Dico hos fuisse terminos Aquilonares & Orientales Iudææ. Nam si totam terram sanctam spectemus, prout illa possessionem vniuersam Israelitarum complectitur, cùm Rubenitæ, Gaditę & dimidia tribus Manasse vltra Iordanem versus Orientem, & tribus Nephtali vltra mare Cenereth versus Aquilonem habitarint, alij termini necessariò assignari debent. Itaque terra sancta ab Aquilone terminatur Phœniciâ, Syriâ Libanicâ, & Syriâ Damasci, ab Ortu Arabiâ, ab austro deserto Sin, regione Cedar, & Ægypto, ab Occidente mari magno seu Mediterraneo. Quantus autem fuerit hic terræ tractus, quæ nomina prouinciarum & vrbium totius terræ sanctæ, vide in tabula quam libro præfiximus, & apud Adrichomium, qui hæc accuratè prosequitur. Hoc constat, amplitudine sua non excessisse Belgium nostrum, ferè tamen æquasse.

℣.4. *Per Ascensum Scorpionis*] Hebraicè *Acrabbim*, nomen proprium est loci, à multitudine scorpionum ibi degentium sic nominati, inquit Abulensis & Liranus: vel à collium & cacuminum curuitate, vt Emanuel Sà, & Mariana. Vnde Andreas Masius *Ascensum scorpionis* vertit, *collem Acrabin*; Arias Montanus & Serarius, *montes Acrabin*. Et certum est, etiam vrbem eiusdem nominis fuisse in Idumæa adipsa confinia Iudææ Acrabata dictam, vt ex lib. 1. Machabæorum, (*l*) Hieronymo & Iosepho patet, à qua Acrabatena toparchia nomen accepit.

℣.11. *In Rebla*, aliàs *Reblatha*: vbi Nabuchodonosor aliquando statiua sua fixit 4. Reg. vlt. *contra fontem Daphnim*] Ne putes hîc agi de Daphne Syriæ Antiochena, seu de ambitioso Antiochiæ suburbano perennibus irriguo fontibus, omnium historicorum scriptis celebri, licèt id putarit S. Hieronymus (*m*) & Antonius Nebrissensis: nam illa Daphne procul est extra limites terræ sanctæ, intra quos tamen hæc nostra statuitur. Itaque cum Iosepho & Adrichomio dic Daphnim esse illam quæ sita est ad lacũ *Semechonitem* (qui in tabulis geographicis *aqua Meron* dicitur, & à Iordane intersecatur) estque ad instar alterius Daphnes Antiochenæ, delicioßissimus locus, fontibus vbique irriguus, & lauris ac cupressis pulcherrimè consitus. Neque mirum, pluribus & valdè difficilis locis, ob similitudinem quarumdam rerum, vnum subinde & idem nomen impositum fuisse, cùm in plurimis regnis id vsu venire etiamnum cernamus: v.g. Vienna Austriæ, & Galliæ: Lugduno Galliæ, & Batauiæ: Valentia Hispaniæ, & Galliæ, &c.

Masius in Iosue 15. *Arias Mõt. in Chanaan. Serarius in Iosue* 15. & *Iudicum* 1. *l.* 1. *Mach.* 5. *v.* 3. *Hieron. in c.* 1. *Abdiæ. Iosephus l.* 12. *Antiquit. c.* 11. & *l.* 3. *Belli c.* 2. m *Hieron. in Ezech.* 47. *Nebrissens. c.* 14. *Quinquagena. Iosephus l.* 4. *Belli c.* 1. *apud Bonfrerium: vbi vide plura de hac re.*

CA-

CAPVT. XXXV.

Iubet Deus 48. vrbes dari Leuitis ad inhabitandum, cum suburbanis ad alenda eorum pecora. Ex iis omnibus vrbibus iubet sex designari pro azylo homicidis inuoluntariis, in quibus maneant vsque ad mortem pontificis.

℣.6. SEx vrbes *erunt in fugitiuorum auxilia*] cum iure scilicet azyli. Quænam verò sex illæ vrbes fuerint, explicatur Iosue 20. nempe tres cis Iordanem, & aliæ tres vltra Iordanem. Hinc patet non omnes Leuitarum vrbes, quæ erant 48. (*a*). habuisse ius azyli, sed solùm sex illarum; quę æquali spatio distabant (*b*) à se mutuò, ne nimis coniunctæ vel disiunctæ essent, vtque omni ex parte commoditas esset ad vnam aliquam istarum confugiendi, cùm necessitas premeret.

a Num. 35. v. 7.

b Deut. 19. v. 3. & 7.

Nota Primò, ob nullum crimen seu voluntarium seu inuoluntarium ius refugij datum fuisse Iudæis, præterquam ob homicidium casu patratum. Puto tamen, id etiam locum habuisse, cùm quis studio, sed vim vi repellendo, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, alterum occidisset, sed id publicè necdum liquebat: tum enim necesse erat ad azylum confugere, donec iudicum sententijs de inculpata defensione constaret. Ita Serarius.

Serar. in Iosue 20. q. 2.

Nota Secundò, ob Iudæorum duritiem permisisse Deum (*c*) omnibus occisi cognatis, impunè quoad forum tam externum, quàm internum, occidere percussorem sui cognati, extra azylum deprehensi, etiam ante omnem iudicis sententiam: post sententiam verò, etiam coactos (*d*) fuisse occidere, si iudicatum esset homicidium studio & iniustè patratum fuisse. Quin etsi iudicatum esset, inuoluntarium & innoxium fuisse homicidium, si tamen extra locum azyli deprehenderetur homicida, censent aliqui (*e*), coactùm fuisse lege diuina cognatum occisi occidere occisorẽ, eò quòd prætergressus legem diuinam de remanendo in azylo, iam innocens esse desineret. Crediderim tamen, non fuisse obligatum occidere, licet posset: quia possunt permissiuè exponi verba legis, in casu innocentis homicidij. Hoc saltem certum, nullo casu licuisse cognatis prece vel pretio transigere (*f*) cum homicida, etiam innocente, vt impunè ex vrbe azyli excedere, & ad propria redire posset, idque ad maiorem homicidij horrorem omnibus incutiendum, cùm viderent, nolle Deum ne quidem homicidio inuoluntario perfectam securitatem præstari, saltem ante mortem summi pontificis.

c Num. 35. v. 19.

d v. 21. & 31. item Deuter. 19. v. 12.

e Bonfrerius hic.

f d. 31. 32. &c.

Nota Tertiò, confugientis ad azylum causam ventilari & iudicari debuisse in porta ciuitatis, nõ refugij, vt volunt Masius, Serarius & Arias Montanus in c. 20. Iosue: sed vrbis in qua cędes patrata fuerat, vbi ad manum erant testes & indicia criminis vel innocentiæ. Ita Rabbini, Abulensis, Liranus & Caietanus. Iudicari, inquam, debebat à iudicibus eius vrbis, sed *in conspectu multitudinis*, seu propalam & publicè. sic enim solebant olim iudicia in portis vrbiũ exerceri. Huc ergo è loco azyli fidâ septus custodiâ reus deducebatur: & innocens iudicatus, ad idem zylum eadem securitate reducebatur (*g*). Sin noxius iudicaretur, tradebatur propinquis occisi, qui statim illũ occidere (*h*), & latam in eum à iudicibus sententiam exequi cogebantur, neque poterant vitam homicidæ donare.

g Num 35. v 25.

h v 19. 21. 31. & Deut. 19. v. 12.

Nota Quartò. Quantumcumque innocens deprehensus ac declaratus, debebat in vrbe azyli manere vsque ad mortem summi pontificis. quo sublato, ad propria remeabat. Causas huius rei varias profert Serarius (*i*). Vera & solida & litteralis est, vt significaretur, non nisi Christi morte peccatori perfectam libertatẽ obuenturam, reditumque in patriam seu cælum concessum iri: interea in vrbe azyli, hoc est in Ecclesia, sacerdotum tutelæ committi debere. Quæ enim figuræ tantùm seu signa sunt rei futuræ, vix aliam litteralem causam habent, quàm quæ ex analogia & ordine ad rem figuratam desùmitur.

i Serar in Iosue 20. q. 5.

Nota Quintò, etiam templum, seu locum tabernaculi fuisse pro azylo, sed iis solis qui iam à cæde commissa expiati essent (*k*). Sed quemadmodum qui homicidium certò ac scienter patrasset, poterat vi ex vrbibus refugij extrahi, vel in eis occidi: ita etiam potuit fieri in templo (*l*), & reipsa factum fuit Ioabo. 3. Reg. 2. ob geminum homicidium dedità operà ante admissum.

k Philo l de Specialibus legibus & l de Sacerdotum honoribus. l Exod 21. v. 14.

CAPVT XXXVI.

Occasione filiarum Salphaad, (de quibus c. 27.) lex fertur, vt quæcumque filia hereditatem paternam adeunt, nubant contribulibus suis.

℣.7. OMNES *enim viri ducent vxores de tribu & cognatione sua*. Non omnes absolutè. neque enim tale hîc omnibus præceptum datur, licèt id censeant Abulensis & Liranus. Nam constat permissu diuino, & varijs sanctorum virorum exemplis licuisse Iudæis; & ex aliena tribu, & ex aliena gente vxores ducere. Ita permittitur expressè Deuteronomij 21. v. 12. Et *Dauid* vxorem accepit filiam Saul è tribu Beniamin: *Ioiada* sanctus pontifex filiam regis *Ioram* de tribu Iuda. Salmon Rahab Chanaanitidem: *Booz* Ruth Moabitidem: *Dauid* Maacham filiam regis Gessur: *Salomon* filiam Pharaonis, & alij alias. Ergo præceptum quod hic datur, particulare est, & eos solos concernit de quibus quæstio mota fuerat, putà ratione quorum hereditas deuoluenda esset ad alienam tribum, vel saltem ad alienam familiam: nam & hoc caueri voluit Deus. Quare reciprocam hîc imponit eo casu obligationem: sicut enim puellæ ad quam deuoluebatur hereditas, iubet suæ tribus & familiæ maritum accipere; ita iubet quoque viro qui talî puellæ erat cognatione proximus, eamdem in vxorem vnà cum hereditate accipere, nisi fortè iure suo cedere vellet, & alteri eiusdem familiæ illam ambienti transcribere, vt factum vidimus Ruth c. 4. Constant hæc non modò exemplis iam allatis; sed etiam ex textu huius loci Hebræo, Chaldæo, & Græco, vbi id disertè affirmatur. & insuper ex scopo & fine legis, qui (vt subditur) erat, *vt hereditas* quæque *permaneat in* sua *familia*. Ergo vbi periculum non erat transferendæ aliò hereditatis, locum ea lex non habebat. Ita Burgensis, Oleaster, Vatablus & Masius. Hinc patet, quomodo Elisabeth Lucę 1. licèt esset de tribu (*m*) Iuda, maritum habere potuerit Zachariam sacerdotem de tribu Leui.

m Chronici c. 46. in fine

Nota, occasione legis iam dictæ, puellas Hebræas, quandocumque vel ob morbum, vel ob imbecillitatem fratrum, aliorumve propinquorum, spem habebant futuræ successionis, ne hereditate frustrarentur, vel illi renuntiasse censerentur, solitas suæ tribus & familiæ viris nubere: nam quo casu nupsissent alienis, etsi postea sublatis fratribus & propinquis, fortè deuolueretur ad ipsas hereditas, non succedebant tamen in hereditate, quia matrimonio suo cum extraneis censebantur iuri suo successionis renuntiasse: & tunc hereditas illa ad alios propinquos, eiusdem tribus & familiæ transibat perinde ac si nullæ tales puellæ superfuissent.

LIBER DEVTERONOMII.

VNde dictus; quando, à quo, quem in finem conscriptus sit, exponitur initio capitis primi.

CAPVT I.

Moyses incipit relegere iter, casus & gesta 40. annorum quibus vagati sunt per desertum. Primò, recenset acta in Sinai & in Cadesbarne; vbi ob perfidiam exploratorum seniores omnes ad mortem, iuniores ad peregrinationem 40. annorum damnati sunt à Deo.

¶. 1. HÆc sunt verba] Referuntur hæc ad sequentia, quæ toto hoc libro recensentur. q.d. *Hæc sunt verba quæ Moyses* iam pridem *locutus* fuerat *in* vasto illo *deserto*, vbi per 40. annos peregrinati sunt Israelitæ, incipiendo à monte Horeb seu Sinai è regione *maris rubri, vsque ad Cadesbarne.* Quæ eadem verba rursum postea, *quadragesimo* & vltimo peregrinationis *anno*, *mense vndecimo* eodemque vltimo vitæ suæ, elocutus est, & repetijt *in* campestribus *Moab.* Et ab hac repetitione liber hic vocatur græcè *Deuteronomium*, hoc est, *secunda lex*, seu secundò explicata lex. Neque enim est nuda repetitio præceptorum seu legum, tribus præcedentibus libris expositarum: sed repetitio simul & explicatio, quin multæ etiam leges, quarum nulla facta libris præcedentibus mentio, hîc adferuntur. Ita S. Athanasius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus. Cùm enim populus Israel totus iam esset nouus, mortuis omnibus qui ante 38. annos priori legis promulgationi interfuerant, & iam iam instaret transitus Jordanis, & ingressus in terram promissam; ne quid fortè contra legem ex ignorantia peccaretur, fuit secundò lex promulganda & explicanda. Et hæc eadem est ratio cur de nouo etiam fœdus Dei cum populo sancitum sit cap. 29. & cur septimo quoque anno, in festo Tabernaculorum, totum hoc Deuteronomium (quo breui compendio omnia scitu necessaria complexus est Moyses) toto audiente populo prælegi iubeatur cap. 31. vers. 10. cur item iubeantur noui reges seu principes Hebræi, mox vt inaugurati essent, Deuteronomium sibi describere, & quotidie aliquid ex eo lectitare, cap. 17. vers. 18. cur denique iussum sit, totum lapidibus seu lapideis tabulis inscribi, cap. 27. vers. 3. & Iosue inscripserit de facto, Iosue cap. 8. vers. 32. nempe ad æternam memoriam, & ne legum ignorantia posset vllo vnquam casu prætexi.

¶. 7. VSQVE AD FLVMEN MAGNVM EVPHRATEN] Hîc quatuor termini seu fines terræ promissæ secundùm quatuor mundi plagas designantur.

Dices, Numerorum 34. & alibi longè angustioribus terminis terra promissa definitur: & satis constat, Hebræos numquam ne Salomonis quidem tempore sedes suas aut habitationem ad Euphratem vsque protulisse. Respondet S. Augustinus, duplicem fuisse terram Hebræis promissam: vna fuit quasi hereditaria, quamque vt propriam inhabitarunt: hæc strictioribus terminis finiebatur, *à Dan vsque Bersabée, & ab introitu Emath vsque ad riuum Aegypti.* Altera vltra hos fines protendebatur vsque ad Euphratem, sed erat tantùm tributaria seu vectigalis Hebræis sub Dauide & Salomone, qui eò vsque dominabantur. (a) Vel etiam dici posset, hanc quoque vsque ad Euphratem terram omnem Hebræis quasi hereditariam & propriam fuisse à Deo promissam; sed sub conditione, si in fide & cultu Dei constantes permanerent, vt expresè cauit Deus Deuteronomij 19. vers. 8. & 9. quod quia non fecerunt, mirum non est, promissionem etiam hanc completam reipsa non fuisse: quin potiùs, ob tam frequentem in idololatriam relapsum, vix vnquam angustiores illos fines integros plenè possedisse. Ita S. Hieronymus, (b) Andreas Masius & Serarius.

August. l. Quæst. in Iosue c. 21.

(a) 2. Reg. 8. v. 3. 1. Par. 18. v. 3. 3. Reg. 4. v. 21. & Ioseph. l. 6. Antiq. c. 2.

(b) Hieron. ep. 129. ad Dardanum & in Ezech. 20. v. 8. Masius & Serarius in Iosue 1.

CAPVT II.

Transitus Israelitarum per extremos fines Idumææ, Moabitidis & Ammonitidis, incolis earum intactis. Bellum & victoria de Sehon rege Amorrhæorum.

¶. 4. TRANSIBITIS PER TERMINOS ESAV] id est, per extremas Idumææ oras accines. Nam per interiora regni, aut viscera terræ, vt transirent, negarunt Israelitis Idumæi, Numerorum 20. vers. 21.

¶. 10. EMIM] Id est terribiles, nempe robore & proceritate sua gigantes. Meminit enim hîc quadruplicis generis gigantum: Primò, *Emim*; Secundò, *Enacim*; (c) Tertiò, *Heuæorum* (d) seu *Raphaim*; (e) Quartò, *Zomzommim*, (f) vel *Zuzim.* (g) Hos gigantes dicit, initio tenuisse terram Palæstinæ, sed ab Amorrhæis, Moabitis, Ammonitis, & Cappadocibus inde vi pulsos fuisse. Quod idcircò hîc narrat Moyses, vt fiduciam etiam Israelitis faciat occupandæ, Deo duce, eiusdem Palæstinæ. Nam si tam proceri, tam validi gigantes potuerunt armis & vi humana superari, quid erit impervium aut impossibile militantibus Deo, & fultis ope diuina?

(c) Deut. 2. v. 10. & Iosue 21. v. 11.

(d) Deut. 2. v. 23.

(e) 1. Par. 20. v. 6. & ibid. And. Masius. Gen. 14 v. 6. Isaiæ 26. v. 14

(f) Deut. 2. v. 20.

(g) Gen. 14. v. 5.

¶. 23. CAPPADOCES, EGRESSI DE CAPPADOCIA] Hebraicè est *Caphtorim.* Non enim agit hîc Moyses de *Cappadocibus* qui in Asia Minore, in continente, ad Pontum Euxinum degunt, quorum regio passim à Geographis *Cappadocia* vocatur. Nam hi ab Iapheth oriundi sunt teste Josepho: cùm alij de quibus hic Moyses, à Misraim, qui Ægyptum propagauit, filio Cham prosemineti fuerint, vt dicitur Gen. 10. v. 14. Vnde & verosimile est, *Cappadociam*

Ioseph l. 1. Antiq. c. 6.

padociam seu locum è quo hi in Chananæam venerunt, vel Ægypti partem fuisse, vel Ægypto conterminum, putà *Mareöin*, *Syenen*, vel ipsum etiam *Deltæ*, aliasque insulas Nili, quæ vt numero plurimæ, ita magnitudine vastissimæ sunt. Supra septingentas esse Diodorus Siculus affirmat, & quasdam vix quinque dierum cursu permeari posse, Iustinus & Plinius. Quare meritò à Ieremia cap. 47. & Amos 9. dicuntur Palæstini, *Cappadocum reliquiæ*, venisse *ex insulis Cappadociæ*. Et videntur hi non alij fuisse quàm *Philisthæi*, & loca quæ in Palæstina occuparunt, esse quinque illæ Philistinorum satrapiæ, *Accaron*, *Geth*, *Azotus*, *Ascalon* & *Gaza*: quas omnes simul Noster hîc complectitur duabus vocibus *Haserim* seu villarum, & *Gaza*.

Diod. Sicul. l. 1. Iustinus l. 2. historiæ. Plin. l. 5. c. 9.

CAPVT III.

Victoria de Og rege Basanitidis. Quæ, vt & ditio regis Sehon, cessit tribubus Rubin & Gad & dimidiæ Manassæ. Orat Moyses Deum, vt sibi quoque detur ingredi in terram promissam. Sed Deus id ill. negat, iubetque silere hac de re.

¥. 11. SOLVS OG REX BASAN RESTITERAT DE STIRPE GIGANTVM] Hebraicè de stirpe *Raphaim*. Itaque solùm hîc negatur, quemquam superfuisse de vna illa & particulari stirpe gigantæa Raphaim, cùm antea tempore Abrahami Genesis 14. Raphaim totam illam regionem occuparent. Cui non obstat, quòd alij gigantes ex alia triplici stirpe, cap. præced. eodem tempore & diu pòst superstites extiterint, vt patet ex Iosue, Iudicum & Regum libris. Quin neque obstat, quòd vel tunc, vel postea etiam, aliqui Raphaim superfuerint, sed extra terminos Basanitidis, in qua sola regione hîc dicitur, nullos ex ea stirpe superfuisse. Patet: nam 1. Paralip. 20. mentio iterum fit Raphaim.

¥. 25. TRANSIBO IGITVR. Hoc est, precor vt transire mihi liceat, ET VIDERE MONTEM ISTVM EGREGIVM] Fortè designat montes *Berbel*, qui viciniores erant Iordani, nec multùm à Iericho remoti, mirum in modum amœni, fœcundi, nemorosi, arboribus consiti, odoriferis herbis referti, teste Adrichomio. Nisi malis cum Oleastro dicere, per *montem egregium* designari *Libanum*, vt copulatiua *&* pro exegetica ponatur, significetque *id est*, vt aliàs subinde.

¥. 26. IRATVS EST MIHI DOMINVS PROPTER VOS] hoc est, occasione vestri peccati & murmurationis; quia illa occasio fuit, vt ego, dum aquas de petra conarer educere, in aliquam incredulitatem, etiam externo signo scandalosè (*a*) vobis patefactam, inciderim, atque ita iram Dei incurrerim. Ergo per accidens saltem & remotè populus causa fuit iræ diuinæ in Moysen: propria & propinqua causa fuit Moysis incredulitas, vt suprà dixi Numer. 20.

a Num. 20. v. 12.

¥. 29. MANSIMVS CONTRA FANVM PHOGOR] Hebraicè, contra seu iuxta *Bethphogor*, id est domum Phogor. Erat autem *Phogor* nomen idoli, vt dixi Numeror. 25. hinc domus in qua adseruabatur, fanum propriè verti potuit. Quin & vrbs ipsa in qua id fanum erat, vel vicina erat fano, *Bethphogor* dicta fuit, Iosue 13. vers. 20. cessitque tribui Rubeu, vt ibidem narratur.

CAPVT IV.

Ampliscat beneficium data de cœlo legis in Sinai, cum igne & fumo. Designat tres vrbes refugij trans Iordanem pro homicidis casualibus.

¥. 2. NON ADDETIS AD VERBVM QVOD VOBIS LOQVOR] Ergo, inferunt hæretici, non sunt admittendæ vllæ *traditiones*, aut *leges humanæ*, seu *ciuiles*, seu *Ecclesiasticæ*. Respondeo, Deus hîc non vetat omne additamentum: nam alioquin omnes etiam Prophetarum & Apostolorum libri vetiti essent, cùm in his omnibus multa addantur dogmata & præcepta dogmatibus & præceptis Moysi. Neque vnquam putarunt Iudæi inhibitum sibi à Moyse, ne leges nouas, si reipublicæ vtiles vel necessariæ essent, instituere aut admittere possent: quin plurimas pro ratione temporum instituerunt de nouo, & religiosè obseruarunt. Patet tempore Saulis, (*b*) Dauidis (*c*) Salomonis & aliorum regum, qui varias leges: item Mardochæi, (*d*) & Iudith, (*e*) & Machabæorum, (*f*) qui festum sortium, festum victoriæ, festum encæniorum, & alia festa Mosaicis festis addiderunt. Certum ergo, verba Moysis cum limitatione intelligenda esse de additamento contrario, repugnante, vel adulterante ea quę hîc proponuntur. Patet hoc ex scopo Moysis quem hîc intendebat, & ex circumstantijs in quibus hæc loquebatur. Quia enim Hebræi procliues admodum erant in cultus idololatricos, & superstitiosos ritus seu cæremonias Gentilium, v. g. vt asinum Beelphegor seu Priapo immolarent, canem Hecatæ, porcam Cereri, proles viuas Moloch cremarent, & alia alijs dijs; hinc vetatur hîc (*g*) illis tale quid attentare, etiamsi id vellent facere in honorem veri Dei: iubenturque solas oues, capras, boues, & pauca altilia statis temporibus & casibus Deo offerre: nullâ relictâ ipsis potestate alia ab illis diuersa animalia in sacrificium etiam vero Deo immolandi, aut alium aliquem nouum numinis cultum publicum inducendi, qui præscriptis hîc à Deo repugnet, aut noceat. Atqui tantum abest, his repugnent aut noceant leges ciuiles aut Ecclesiasticæ, aut traditionis sinceræ, vt potiùs includere, atque in his quæ Moyses hîc proponit, comprehensæ sint. Nã c. 5. huius libri v. 16. & c. 17. v. 10. disertè iubet Deus, etiam sub pœna mortis, vt sacerdotis imperio, & iudicum præceptis seu legibus omnes pareant, consequenter & traditionibus, quia hæ nihil aliud sunt quàm instituta seu leges non scripto, sed viua voce primò euulgatæ. Quas Moyses hîc etiam comprehendit, cùm dicit, *Non addetis ad verbum quod loquor*; & infrà, *Quæ ego præcipio*: loquebatur autem viua voce, & viua voce quoque præcipiebat, non minùs quàm scripto. Ita Bellarminus, Vasquez & alij Doctores.

b 1. Reg. 14. v. 24.
c 1. Reg. 30. v. 24.
d Esther 9.
e Iudith vlt.
f 1. Mach. 4.
g Deut. 12. v. 30. & 6.

Bellarm. de verbo Dei non scripto. Vasquez t. 2. q. 95. a. 1. disp. 132. cap. 4.

¥. 48. MONTEM SION, QVI EST ET HERMON] Hic idem mons *Hermon* cap. præcedenti (*b*) vocatur lingua Sidoniorum *Sarion*, Amorrhæorum *Sanir*. Ergo quadruplex illi nomen erat, fortè secundùm diuersa iuga eiusdem montis: nam totus tractus illius montis vocabatur *Galaad*, cuius extrema pars trans Iordanem dicebatur *Hermon*, vel *Sarion*, vel *Sanir*, vel *Sion*: sed tunc Sion per *sin* scribitur, non verò per *tsade*, vt scribitur alter mons *Sion*, in quo arx & ciuitas Dauid, seu Ierosolyma constructa erat. Sic psalmo 132. dicitur, *Ros Hermon, qui descendit in montem Sion*. Et ratione

h Deut. 3. v. 9.

שיר.יד

Ierem. 22. v. 6. Hieron. in Locis Hebraicis. Adrich. de Terra sancta.

tione huius partis montis vocatur à Ieremia *Galaad a capite Libani*, quia videlicet hac parte *Hermonis*, mons *Galaad* cum *Libano* iungitur, & inchoat quasi tractum montium *Libani*. Ita S. Hieronymus & Adrichomius.

CAPVT V.

Moyses iteratò explicat populo decalogum. Narrat populi pauorem cùm ex ardente monte S. nata lex promulgaretur.

℣. 1. VOCAVIT MOYSES OMNEM ISRAELEM] putà sexcenta pugnatorum millia, insuperque senes, feminas, proselytos, adolescentes & pueros. nam omnes adfuisse patet Deuteronomij 29. v. 10. Et verò expediebat omnes ex ipso Moysis ore instrui, & ad fœdus cum Deo denuò instaurandum præparari. Sed quomodo vnus Moyses à tanta turba potuit exaudiri? Respondeo, Deus voci illius vim quamdam sonoram addidit, quâ fiebat vt ea ad omnes peruaderet. Quod Vincentio Ferrerio, Francisco Xauerio, & alijs quibusdam sanctis viris etiam nostro seculo concessam legimus. Et alia certè magis miranda in Moyse, & à Moyse in gratiam istius populi facta constat.

℣. 3. NON CVM PATRIBVS NOSTRIS INIIT Deus PACTVM, hoc est, non cum Abrahamo, Isaaco, Iacobo, alijsve Patriarchis: SED NOBISCVM] Quia multi adhuc eorum superstites erant qui fœderi icto in Horeb præsentes fuerant, vt patet ex dictis c. 14. Numerorum: saltem vnus idemque erat populus cum quo & tunc, & modò fœdus inibatur. Sed nónne Genesis 15. dicitur, *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham?* Respondeo, Non illud, neque tale fœdus, quale hîc initum fuit. Ibi enim Abrahamo tantùm promittit Deus terram Chananæam. hîc verò acceptat posteros Abrahæ in populum suum, peculiaribus legibus ac cæremonijs sibi adstrictum: & illi vicissim ipsum acceptant in Deum suum, eiusque legibus ac cæremonijs sese adstringunt.

℣. 15. IDCIRCO PRÆCEPIT TIBI VT OBSERVARES DIEM SABBATHI] Vt scilicet memor durissimæ seruitutis Ægyptiacæ, quâ nulla tibi quies vmquam dabatur, tu vicissim iam seruis tuis aliquid libenter indulgeas quietis, & post multorum dierum labores saltem septimo quoque respirare permittas.

S. Thom. Opusculo hac de re.

Notat S. Thomas, præceptum hoc, quâ diem & tempus aliquod indefinitum cessationi à seruilibus, & vacationi diuino cultui, etiam publico & externo, dandum præcipit, esse morale, imò naturale, ac proinde meritò ab Ecclesia Christiana diem Dominicum ei rei destinatum esse. quatenus verò dies Sabbathi præcisè ad hoc deputatus erat, fuisse tantùm cæremoniale: ideoque potuisse aboleri à Christianis, & in alium diem transferri. Vide plura de Sabbatho suprà Exodi cap. 35.

CAPVT VI.

Inculcat præceptum diligendi Deum ex toto corde. Quo præstito, promittit perpetuam in terra promissa fertilitatem & prosperitatem.

℣. 5. DILIGES DOMINVM DEVM TVVM EX TOTO CORDE TVO, ET EX TOTA ANIMA TVA, ET EX TOTA FORTITVDINE TVA] A Potest per *cor* intelligi voluntas seu appetitus rationalis: per *animam* appetitus sensitiuus: per *fortitudinem*, seu vires (vt citat S. Lucas cap. 10.) facultas executiua. Sed verisimilius est, simplici hebraismo, hæc omnia idem prorsus significare, & posteriora non alium ob finem addita fuisse, quàm vt eamdem rem magis exprimerent & inculcarent, nempe *amorem* nostrum erga Deum debere *summum* esse. Vbi Nota contra hæreticos, præcipi hîc amorem *summum*, non *intensiuè*, aut *extensiuè*, & multò minùs *continuè*: sed solùm *appretiatiuè* vel *comparatiuè*, vt nempe Deum rebus omnibus creatis anteferamus, nec quidquam illius amacitiæ præponamus. Vnde potest hoc præceptum in hac vita etiam facilè impleri: & de Iosia (a) rege, & alijs legimus, impleuisse illud, vti & alia omnia præcepta. Simile est quod de Dauide, (b) Asa, (c) Ezechia, (d) Zacharia, (e) Elisabeth & alijs habemus, *cor eorum* fuisse *perfectum cum Deo*, vel *incessisse in omnibus mandatis Dei.*

a 4. Reg. 23. v. 25.
b 3. Reg. 11. v. 4.
c 3. Reg. 15. v. 11.
d 4. Reg. 18. v. 6.
e Luc. 1. v. 6.

Dices, S. Augustinus dicit, neminem in hac vita posse Deum ex toto corde diligere: sed hoc à solis Sanctis in cælo præstari. Respondeo, S. Augustinus non explicat ibi litteraliter illa verba, *ex toto corde*: sed anagogico sensu, vt idem sint quod, intentissimo, perfectissimo, ac continuo amoris actu. quod profectò non est huius viæ, sed solius patriæ. Alioquin posse, imò debere hominem ita ex toto corde diligere Deum, vt nihil aliud illo charius habeat; (qui est sensus litteralis huius præcepti) ex pluribus S. Augustini locis (f) certissimò constat. Tropologicè vide S. Bernardum. (g)

August. l. de perfect. iustitiæ c. 7.

℣. 8. ERVNTQVE ET MOVEBVNTVR INTER OCVLOS TVOS, &c.] Loquitur non propriè, sed parabolicè. q. d. Curabis & efficies ne mandatorum meorum obliuiscaris, sed sæpè & manu, & oculis & animo illa peruolues; atque ita præsentem omnium memoriam habebis, ac si frontalibus, dextralibus, & liminaribus inscripta haberes. Pharisæi tamen & crassiores aliqui Iudæi, hæc ad litteram vsurpantes, dilatabant ea occasione phylacteria sua & fimbrias, vt ijs legem inscriberent, Matthæi 23. v. 5. Alij saltem omni studio connitebantur, vt legem Moysis, totumque Deuteronomium memoriâ tenerent. Traduntque Rabbini, hunc in finem vel in sola vrbe Ierosolymitana fuisse supra quadringentas scholas & synagogas, in quibus lex Dei traderetur & explicaretur.

f Vide Vasq. 1. 2. q. 109. a. 3. & alios DD.
g S. Bern. ser. de dilig. Deo. & de triplici dilectionis modo. & tract. de Diligendo Deo.

CAPVT VII.

Iubet stirpitus exscindi Chananæos & idola eorum. Vetat inire cum ipsis nuptias aut alia fœdera.

℣. 3. NEQVE SOCIABIS CVM Chananæis CONIVGIA] Quousque hæc illicita fuerint, dixi Exodi 34.

℣. 10. REDDENS ODIENTIBVS SE STATIM] scilicet debitam scelerum pœnam. Non loquitur de Ethnicis aut infidelibus, sed de solo populo Dei, vt benè explicat auctor libri 2. Machabæorum c. 6. v. 12. Neque enim solet Deus diu dissimulare cum suis quos chariores habet, maximè quando punitio non est ad interitum, sed ad correptionem, vel purgationem: vel certè ad interitum tantùm paucorum, inprimisque eorum qui grauiùs deliquerunt, vt ceteri à peccato deterreantur.

℣. 14. NON ERIT APVD TE STERILIS VTRIVSQVE SEXVS] Ex toto contextu manifestum est, hæc

hæc verba non continere præceptum (vt voluit S. Hieronymus) sed ad solam benedictionem pertinere. Et quod hic additur, apertè id indicat, nempe, *Tam in hominibus, quàm in gregibus tuis.* Neque enim brutorum animantium greges præcepti capaces sunt: neque etiam hominibus vetari potest *sterilitas*, quia non est in hominum potestate fœcunditas. Erat quidem nota aliqua & quasi infamia apud Hebræos, si quis coniugatus liberis careret, quasi in pœnam sceleris alicuius admissi priuaretur hac benedictione, & spe Messiæ ex se procreandi: tamen numquam præceptum legimus Hebræis matrimonium inire, aut inhibitum virginitatem seruare. Ita Vasquez, & alij Doctores.

Vasq. to. 2. p. 3. disp. 124. c. 2.

CAPVT VIII.

Hortatur ad accuratam legis diuinæ custodiam, ob multiplicia à Deo beneficia partim accepta in deserto, partim accipienda in terra Chanaan. Transgressoribus excidium comminatur.

℣. 3. IN OMNI VERBO QVOD EGREDITVR DE ORE DEI] Hebraismus est pro, quacumque re quâ Deus nos voluerit & iusserit vesci. Nulla igitur res est, inquit Abulensis, tam venenata, tam inepta ad nutritionem, quam si Deus nos iusserit in cibum sumere, non sit nobis magis profutura, quàm quiuis alius ad delicias paratus cibus, Deo occulta ratione & noxias qualitates prępediente, & facultates nutritiuas adiuuante & corroborante: adeoque, si vellet, sine omni cibo viueremus, vt vixit Moyses, Elias, ipseque Christus totis quadraginta diebus in deserto nihil vel manducans vel bibens.

℣. 4. VESTIMENTVM TVVM NEQVAQVAM VETVSTATE DEFECIT] Illustre miraculum, quo diuinâ potentiâ factum, vt annorum quadraginta spatio vestes omnium, & calcei, non modò non corrumperentur, sed neque veterascerent aut deteriores efficerentur. Accessit & aliud miraculum, inquit Abulensis, quòd vestes & calcei puerorum vnà cum incremento corporum, etiam ipsa incrementum caperent: aliàs enim non fuisset de vestibus aut calceis sat cautum crescentibus. Sed vnde vestes pueris in deserto per quadraginta annos de nouo natis? Respondeo. Desumi poterant & consui ex demortuorum exuuijs: maximè cùm constet, quadragesimo anno non plures extitisse Israelitas pugnatores, quàm primo anno.

Nota, hoc priuilegium vestium non detritarum omnibus commune fuisse, tam malis quàm bonis, vti & manna, & aqua de petra, &c. Ita Abulensis.

שרף ℣. 15. SERPENS FLATV ADVRENS] Hebraicè *sataph*, vnde *seraphim*, (*a*) id est igniti, vrentes. Verosimile est designari *basiliscum* seu *regulum*: sic enim eamdem Hebræam vocem vertit Noster Isaiæ 30. vers. 6. Et huic serpenti omnium venenatissimo maximè competit, quòd afflatu suo & herbas, & homines, & serpentes alios adurat, & venenum adspiret, teste Plinio & Æliano. Addit Galenus, (*b*) regulum solo sibilo siue serpentes, siue homines, siue alias animantes occidere: quin & à multis creditum, solo visu enecare.

a Isaiæ 6. v. 2.

Plin. l. 8. c. 21. & l. 29. c. 4. Ælian. l. 2. c. 5.

b Galen. l. de Theriaca ad Pisonem

DIPSAS] Et hic serpens est à διψᾶν, id est sitire, sic dictus: & ab eadem *siti*, latinè *situla* vocatur, teste Isidoro, qui dicit aspidis speciem esse, & quotquot admorsi sunt ab hoc serpente, tanto *sitis* ardore cruciari, vt vel eodem moriantur, vel eousque bibant donec medij disrumpantur, vt exemplo significri Catonis demonstrat Lucanus, & alijs Ælianus, Aëtius, Dioscorides, Pierius & Galenus, qui addunt theriacam huic malo præsens remedium esse.

Lucan. l. 9. Ælian. l. 6. c. 50. Aëtius l. 13. Dios. l. 2. c. 1. Pierius in Hieroglyph. de Dipsade. Galenus suprà.

CAPVT IX.

Refricat Hebræis sua murmura & peccata, maximè adoratione vituli aurei; vt exinceps sibi à talibus caueant.

℣. 23. CONTEMPSISTIS IMPERIVM DOMINI DEI VESTRI | Dices, Nusquam legimus, Deo iubente noluisse Iudæos ascendere aduersus Chananæos. Respondeo, noluisse ex Cadesbarne eò ascendere nisi præmissis exploratoribus, Deuteron. 1. vers. 22. cui illorum consilio licet Deus tandem assensus sit Numeror. 13. v. 3. posteà tamen multiplici vltione sat manifestum fecit, quàm periculosum sit diuinis imperijs reluctari.

℣. 25. ET IACVI CORAM DOMINO QVADRAGINTA DIEBVS AC NOCTIBVS] Id iam tertiò repetit hoc eodem cap. Vnde Rabbini, & ex ijs Liranus & Oleaster, cum Caietano, Saliano & quibusdam alijs, colligunt, Moysen tres omninò quadragenas in monte Horeb seu Sinai exegisse. Verùm tertiæ quadragenæ tempus quo exigi potuisset, nullum reperiri, capite vltimo Exodi fusè demonstraui. Porrò non aliam hoc cap. vers. 25. quadragenam designari, quàm cuius anteà vers. 18. per hysteron proteron meminerat, clarius est quàm vt probatione egeat: nam vtrobique se pro eodem populi peccato prostratum iacuisse, Deumque exorasse narrat. Quid verò opus fuisset, Deo semel exorato placatoque, rursus eumdem in finem aliam quadragenam ordiri?

CAPVT X.

Commemorat tabulas digito Dei inscriptas & arcam fœderis: Tribum Leuiticam à Deo specialim delectam pro cultu tabernaculi: Israelitas multiplicatos sicut astra cæli.

℣. 6. MOVERVNT CASTRA EX BEROTH FILIORVM IACAN IN MOSERA] nempe cùm secunda vice in *Mosera* reditum fuit, (nam subinde, per spatium quadraginta annorum redibatur ad eadem loca:) quando etiam contigit Aaronem eodem in loco mori ac sepeliri: mons enim *Hor*, vbi sepultus dicitur Numerorum 20. & 33. & Deuteron. 32. erat pars vna regionis *Mosera*, seu *Moseroth*, vt vocatur Numeror. 33. Nam hæc nomina vnum eumdemque locum significant: sicut & *Beroth filiorum Iachan*, idem est locus qui *Beneiáacan* Numer. 33. vocatur. Vnde quod hîc sequitur, Ex *Mosera venerunt in Gadgad*, inde *castrametati sunt in Ietebatha*, intelligendum id factum cùm prima vice in *Mosera* seu *Moseroth* appulissent, & inde excederent: tunc enim inde profecti sunt in *Gadgad*, & vlteriùs in *Ietebatha*. Ergo præteritum *venerunt*, & *castrametati sunt* ponitur hic pro pluſquam perfecto *venerant*, & *castrametati fuerant*. Quod perfamiliare est Hebræis qui cùm vnicum habeant præteritum, coguntur vno illo iam pro perfecto, iam pro imperfecto, vel pluſquam perfecto subinde vti; vnde necessum est,

similes sententiarum ambiguitates non ratò subnasci.

℣. 8. EO TEMPORE, non quo mortuus est Aaron, cuius immediatè hîc antè facta mentio, sed quo Moyses de monte Sinai cum secundis tabulis descendit, vt dixerat vers. 5. SEPARAVIT Dominus TRIBVM LEVI] à reliquis tribubus, sibi eam suoque diuino seruitio appropriando, nempe triplici, vt sequitur: Primò, *vt portaret arcam fœderis Domini*, cum reliquis omnibus quæ arcæ & tabernaculo annexa erant. Secundò, vt *staret coram eo in ministerio*, omni scilicet quod ad Deum & ad tabernaculum spectat, maximè verò in *sacrificio*, quod nobilissimum erat illorum ministerium, & nobilissimæ partis Leuiticæ tribus, putà sacerdotum, de familia Aaron. Tertiò, vt *benediceret in nomine Domini*, scilicet populum, eidemque benè precaretur inuocato Dei nomine, &, vt LXX. vertunt, pro eodem deprecaretur per nomen Dei. Quæ omnia solis sacerdotibus propria erant: vti & publicè, seu cum solemni ceremonia benedicere nomini Domini, quod 1. Paralip. 23. v. 13. Aaroni eiusque filijs adscribitur. Quamquam benedicere simpliciter nomini Domini in quotidiano templi officio dum sacrificia peragerentur, quod fiebat hymnis, psalmis, & alijs canticis atque instrumentis musicis, conueniret etiam Leuitis inferioribus, è quorum numero cantores & lusores desumebantur.

℣. 16. CIRCVMCIDITE PRÆPVTIVM CORDIS VESTRI] LXX. vertunt, *duritiam*; Chaldæus, *insipientiam*. Potest & luxuria, & idolomania, & quæuis alia malitia designari: & in genere, noxia quæque & impia desideria. nam sicut carnale præputium in humano corpore, sic illa in corde superfluunt, & illud dehonestant.

CAPVT XI.

Terret Hebræos per pœnas Pharaoni, Core, Dathan & Abiron ob sua scelera inflictas. Præfert Chananæam Ægypto. Pias benedictionem, impijs maledictionem intentat.

℣. 10. VBI IACTO SEMINE, quod in Ægypto fit post Nili inundationem, IN HORTORVM MOREM AQVÆ DVCVNTVR IRRIGVÆ] Ergo præter inundationem Nili spontaneam, quæ incipit à solstitio æstiuo collecta iam messe, duratque ferè centum diebus, nempe vsque ad æquinoctium autumnale, teste Plinio, Diodoro Siculo, & Herodoto; alia opus est Ægyptijs irrigatione, sat molesta & laboriosa, qua delapsis iam Nili aquis, & nouo semine terræ limosæ commisso, necessum est agros subinde arte irrigari. Hunc in finem fossæ vbique ductæ, quibus varias in partes per totam Ægyptum Nilus deriuatur, testibus iam citatis, itemque Iustino, & nuperrimè Duce Radziuilio inspectore oculato: qui addit, traditionem esse, fossas illas ab Hebræis cùm in Ægypto seruirent, effossas esse, & quidem aggeribus & cataractis ita munitas, vt aquas Nili præproperè, vt subinde fit, defluentes retinere possint quamdiu libuerit; quin & insigni artificio ad altiora etiam remotioraque Ægypti loca, quò exundatio fluminis alioqui non pertingeret, aquas transmittunt, quæ absque illis exsucca & prorsus sterilia permanerent. Porrò has fossas, in quas Nilus ita exæstuat, longa vetustate oblimatas Augustus Cæsar militari opere detersit, inquit Suetonius. Ex his ergo fossis hausta aqua sæpiùs irrigandi sunt agri semine iam consiti. hauriunt autem varijs instrumentis seu machinis, quas

Plin. l. 5. c. 9. & l. 18. c. 18. Diod. l. 1. Herodot. in Euterpe.

A Diodorus Siculus dicit ab Archimede Syracusio adinuentas fuisse, & à figura *cochleas* vocari. Sed posteris hæ cochleæ deseruire potuerunt. Hebræorum tempore, & quod ad Archimeden vsque excurrit, videntur Ægyptij alio vsi instrumento seu trusatili, seu rotatili, quod manibus pedibusve impellerent ad irrigationem illam perficiendam: nam in Hebræo, Chaldæo & LXX. hîc additur, irrigationem illam *pede* fieri, hoc est, instrumentis *pede* adactis. Sed quid opus hac artificiosa laboriosaque irrigatione, saltem ijs Ægypti locis quæ Nilus antea sponte sua inundarat & oblimarat? Respondeo, Quia limus ille quem recedens Nilus relinquit, etsi sat humidus sit vt semen iniectum excipere, fouere & aliquanto tempore nutrire possit, pòst paulò tamen per ardorem solis humore exsucto, cùm raræ admodum, & si Platoni, Plinio, Straboni, Herodoto, Philoni, Claudiano, Philostrato & Pierio credimus, nullæ sint pluuiæ, saltem in illa Ægypti B regione; limus nimis induresceret, neque semina excludere posset, nisi eiusmodi irrigatione subinde humectaretur.

Sueton. in Aug. c. 18.

Diod. sup. vbi de Aegypto.

Plato in Epinomide. Plin. in Panegyr. ad Traianum, & suprà. Strabo l. 2. Herod sup. Philo l. 1. & 3. de Moyse. Claud. carmine de Nilo. Philost. apud Pierii in Hieroglyph. l. 46. de Nilo. a Herod. sup. Macrob l. 7. Saturnal. c. 8. b Aphrodis. Problem. l. 1

Petes; Quando vuas colligunt Ægyptij, & vindemiam faciunt, cùm à solstitio æstiuo vsque ad æquinoctium, saltem tempore vindemiæ, teste Ecclesiastico c. 24. vers. 37. aquæ omnem terram obtineant? Herodotus (*a*) dicit Ægyptum vitibus vinoque carere. Sed verisimilius est, vina aliqua, sed minùs generosa istic colligi, & saltem lintribus ac cymbis vites adiri posse. Vide Macrobium; (*b*) & Alexandrum Aphrodisæum.

℣. 24. OMNIS LOCVS, QVEM CALCAVERIT PES VESTER, VESTER ERIT] Ex hoc & simili loco Iosue 1. v. 3. Thalmudici Rabbini somniarunt, C voluisse Deum possessioni Iudæorum adscribi quidquid vbiuis terrarum vestigio suo premerent. Sed certum est ex ijs quæ mox subduntur, id restringi intra terminos illis in terra promissa assignatos: & quidem non nisi sub conditione, si diuinis mandatis essent obsequentes, vt dixi c. 1. v. 7.

℣. 29. PONES BENEDICTIONEM SVPER MONTEM GARIZIM] Hoc est, eos qui benedictionem proclamabunt, pones à dextris in monte Garizim: qui verò maledictionem, à sinistris in monte Hebal. Qua ratione id factum, vide infrà cap. 27.

℣. 30. IN CAMPESTRIBVS CONTRA GALGALAM] seu è regione & iuxta Galgalam, vbi Iosue secundam fecit Hebræorum circumcisionem, & Pascha celebrauit tertium ab egressu ex Ægypto, D Iosue 4. & 5. Erat hæc iuxta Iericho, & *iuxta vallem tendentem & intrantem procul*: hebraicè est, *iuxta Elon More*, id est, iuxta Aulon vallem in ingentem quamdam longitudinem protensam. Hæc vallis Genesis 12. v. 6. vocatur *Conuallis illustris*.

CAPVT XII.

Iubet, non in montibus & lucis, sed in loco ad id designando à Deo offerri victimas, decimas, primitias & vota. Sanguine & omni immundo cibo vult abstineri.

℣. 6. PRIMITIAS MANVVM VESTRARVM, hoc est, laborum vestrorum, OFFERETIS IN LOCO QVEM ELEGERIT DOMINVS, VT PONAT NOMEN SVVM IBI] Hoc est, vbi fuerit tabernaculum vel templum; quia illud vocabatur *domus Dei*, & ibi continua erat memoria *nominis diuini*, & cultus & inuocatio *Dei*.

℣. 7.

℣.7. *Comedetis ibi in conspectu Dei*, Hoc est, in ea vr- A
be in qua erit tabernaculum vel templum, agitabi-
tis solemnes epulas vestras & conuiuia, scilicet ter
in anno, tribus primarijs festis, quibus eò vobis conue-
nendum. *Comedetis*, inquam, *ac lætabimini in cunctis*,
seu ex cunctis *ad quæ miseritis manum*] Hoc est, ex
decimis prouentuum annuorum qui de manuum
vestrarum labore prouenerunt. Nam his præcipuè
secundarijs decimis constabant istæ epulæ, & alijs
insuper quibusdam de quibus hic v.17. Ad has epu-
las præter domesticos & amicos inuitabantur et-
iam Leuitæ, viduæ, pupilli & aduenæ: vt dixi Leui-
tici 19. & Numer. 18. Non tamen debebant in spe-
a *Deut. 14. v. 24.* cie Ierosolymam omnia deferri; (*a*) sat erat, pecu-
niam inde redactam tranferre, quâ deinde victimæ
pacificæ & cetera ad epulas necessaria Ierosolymæ
comparatentur. B

℣.15. *Siue immundum fuerit*, &c.] Hinc patet, ani-
mal aliquod solitum dici *mundum & immundum*, vel
absolutè, vel tantùm *secundùm quid*. *mundum absolutè*
erat illud, quod & comedi passim licebat. & etiam in
sacrificijs offerri: cuiusmodi sola erant bos, ouis, ca-
pra, turtur & columba; si modò tamen maculam
non haberent, id est, si non essent mutila, neque man-
ca, neque ægra, neque alio corporis vitio affecta, vt
explicatur Leuitici 22. v.21. *Mundum secundùm quid*,
itemque *immundum secundùm quid* erat illud, quod
comedi quidem poterat, non tamen in sacrificijs of-
ferri: cuiusmodi erant bubalus, cervus, tragelaphus,
oryx, pygargus, camelopardalus, & alia de quibus in-
frà c.14 Item munda alioquin, capra, ouis, bos, &c.
sed quæ vitio aliquo laborabant. *Immundum absolutè*
erat quod nec immolari liceret, nec comedi, imò cõ-
edentem polluebat, vti & tangentem, si morticinum esset. Talia erant lepores, sues, chœrogrylli, & C
alia eiusmodi quæ describuntur Leuitici 11. & Deu-
teronomij 14.

℣.17. Per *primogenita armentorum & pecorum* quæ
hic iubentur ab Israelitis comedi non in vrbibus
proprijs, sed in loco tabernaculi vel templi, non in-
telliguntur *primogenita masculà*, quia hæc integra Deo
b *Deut 15. v.19. & Exodi 3. v. 12. & c.34. v.19. & Num. 3. v.40.* sanctificanda (*b*) erant, & integrè sacerdotibus cede-
bant, si tamen sine macula & immolatitia essent, vt
patet Exodi 13. & 34. Numeror. 3. & 18. Sed intelli-
guntur vel *feminei sexus primogenita*, vel *masculini*, sed
maculata vitio aliquo corporis. quæ, cùm nulla ma-
culata Deo offerri possent, debebant saltem vel ipsa,
vel pretia ipsorum in sacras illas Ierosolymis epulas
conuerti. Vti etiam præcipitur c.14. v.23.

Nota, solitos Iudæos hanc legem religiosè ob- D
seruare non tantùm quando intra terminos terræ
promissæ sedes suas habebant, sed etiam cùm in re-
motissimas regiones deduxissent colonias. Neque
nisi vnum sub cælo locum, ad hunc finem à Deo
delectum, v.g. Ierosolymis, agnoscebant: vt patet
c *Baruch 1. v.6.* ex votiuis quæ etiam captiui è Babylonia (*c*) mitte-
bant statis temporibus Ierosolymam, etiam cùm
destructum esset templum Domini. Et licèt tem-
poribus Machabæorum Onias pontifex Oniæ fi-
d *Chron. c.39 in Phi-lometore.* lius Ierosolymis fugatus in Ægypto templum (*d*)
aliud annuente Ptolemeo Philometore, æmulum
Ierosolymitano; & quidem in honorem veri Dei
Ioseph. l 13. Antiq c.5. & l.1. Belli c.10. construxerit; numquam tamen à religiosioribus
Judæis extorquere potuit, teste Iosepho, vt eò vel
ipsi sacrificiorum caussâ concederent, vel decimas
primitiatve suas destinarent.

CAPVT XIII.

Pseudoprophetam, & quicumque suaserit cultum idolorum, iubet lapidari: vrbem quæ idola coluit, funditus exscindi vsque ad pecora: omniumq; supellectilem cum vrbe flammis absumi.

℣.1. PROPHETES] Siue à Deo is sit, siue à dæ-
mone afflatus: siue falsa edat prodigia &
ficta ad suæ impiæ doctrinæ confirmationem, siue
vera olim ediderit ad veritatem confirmandam,
atque his nomen & auctoritatem veri Prophetæ sibi
compararit; si tamen pòst contingat, idololatriam
suadere; qualiscumque tandem ille Propheta sit,
quantacumque signa ediderit, & quantumcumque
portenta quæ prædixerat eueniant, nullo modo au-
diendus, sed mox interficiendus est.

℣.9. *Statim interficies*, non priuata auctoritate, sed
accusatione & denuntiatione apud iudicem. Vnde
mox additur, *sit primum manus tua super eum*] Hoc est,
tu delator vel testis incipies primus lapidationem.
Sic enim expressè decreuerat Deus, vt infrà c.17.v.
7. dicetur. Et hoc intellige, si solicitatio ad idololà-
triam occulta esset: nam, si publica, licuit verisimiliùs
solicitatorem illum ex templo occidere, non exspe-
ctata iudicis auctoritate. vt de idololatra publico li-
cuisse docet Philo, & probat exemplo Phinees, & *Philo l de Monarchia.*
Mathaniæ & aliorum.

℣.12. *Filii Belial*] Hoc est. valde impij, facinoro- בל יעל
si, diabolici. *Belial* enim significat, *sine iugo*, (*e*) quod
κατ' ἐξοχὴν diabolo conuenit, qui primus sua re- *e Iudic.19. v. 22 &*
bellione iugum Dei excussit. hinc nomen *Belial* pro- *S Hieron. in Tradit Hebraic. & in init. l.1. Regum & in Isaia 27. & in Ephes 4.*
prium diabolo facit S. Hieronymus, (*f*) & alijs, sicut
& nomen *Satàn: vnde & Belial* sæpè *diabolum* verti (*g*)
secutus Apostolum 2.Cor. 6.v.15. Chaldæus tamen
& LXX. & plerique Rabbini ferè appellatiuè eam vo- *f Ibid. & 3. Reg.21. v. 13. Psal.17.v.5. Psal.41.v.9.*
cem accipiunt pro quouis rebelli, facinoroso, seu dia-
bolico homine.

℣.17. *Non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua*] hoc est, nihil ex eo tibi vel in vsus tuos re-
seruabis. Debebant enim eiusmodi vrbes idololatri-
ce, instar victimæ immolati diuinæ iustitiæ quasi in
holocaustùm, nec poterat quidquam exitio subtrahi,
nisi si quid peculiari indulto Deus subtractum vo-
luisset, vt indulsit Rahab meretrici eiusque familiæ
in anathemate Iericho: etiam aurum, argentum, æs
& ferrum omne, si non flammis semper absumi, sal-
tem vsibus profanis subtrahi & Deo consecrari
iussa. Hinc Iosue 7. grauiter totis castris turbatum
est ob sacrilegium *Achan*. Et *Saul* etiam regno exu-
tus à Deo 1. Reg.15. quòd iussus anathemate disper-
dere Amalecitas, regem & optima quæque spolia
exitio subtraxisset.

CAPVT XIV.

Explicat quæ munda sint animalia, & quæ immunda. Præter primas decimas, de quibus Numerorum 18, indicit etiam secundas & tertias.

℣.1. DE *incisione* super mortuo, itemque de
caluitio ex superstitione non inducen-
do vide Leuit 19.v.27.

℣.5. *Tragelaphus*, id est *hircoceruus*, ab Aristotele *Arist l 2. Histor. animal c.1. Plin. l 8. c.21. Diod. sup.*
vocatur *hippelaphus*, hoc est *equocervus* quia *tuba* refert
equum, cornibus & barba hircum, reliqua *corporis* forma
ceruum. Vide Plinium & Diodorum Siculum.

Bubalus non est bos ille Italiæ quem vulgus *bu-*
falum appellat: sed neque *bos silvester*, vt Vatablus
& Sà putant: neque enim hi inter delicias reponi
solent

solent aut cibos regios, vt bubali 3. Regum 4. v. 23. A inter cibos Salomonis regios & venatione captos reponuntur. Quales bubalos agnoscunt Plinius & Aristoteles dum eos aiunt esse de genere *cervorum*: Gesnerus item & Hesychius, qui eos referunt ad genus *caprearum*. Et fortè melius ex mente Scripturæ, quæ tam hic, quàm 3. Regum 4. *bubalum caprea* coniungit.

Plin. sup. c. 15.

a *Plin sup. c. 53.*

Pygargum quoque *capreis* adnumerat Plinius (a), & *damæ* similem facit. Quamquam & aquilæ genus sit eodem Plinio (b) & Aristotele (c) testibus, quod ab *albicante cauda pygargus* quoque vocatur.

b *Plin. l. 10. c. 3.*

Denique & *orygem* in *caprarum* siluestrium genere reponunt ijdem Plinius (d) & Aristoteles, (e) eamque vnicornem ac bisulcam faciunt, & contrario pilo, nempe ad caput verso, vestiri dicunt.

c *Arist. l. 6. sup.*

d *Plin. l. 8. c. 53. & l. 11. c. 45.*

Camelopardalus camelum & pardalim aliquo modo refert: *camelum* capite & oblongo aliquantum collo, *pardalim* seu *pantheram* macularum toto corpore varietate. Vide Plinium (f). Oppianus (g), Heliodorus, & Angelus Politianus dicunt, camelopardalim habere crura anteriora multò altiora quàm sint posteriora crura: item duo parua in capite cornua: neque tamen animali illi quidquam inesse feritatis.

e *Arist. l. 2. c. 1.*

f *Plin. sup. c. 18.*

g *Oppian. l. 3. de Venatione, Heliod l. 10. Æthiopica hist. Aug Polit. apud Gesnerum & Anton. Nebrissensem in Quinquagena c. 8.*

✠. 15. *Struthio* auium maxima, non tamen per aëra volat, sed alis se ad cursum, quem perniciissimum habet, iuuat. In nonnullis naturam quadrupedum refert, putà vngula pedũ, quam bisulcam habet vt ceruus. Solidissimũ est animal, solitudinis amans, voce lugubri, &c. teste Iob, Isaia, Ieremia, Michæa.

Plin. l. 10. c. 49. Albertus Magnus. Iob 30. Isaiæ 13. 34. 43. Ierem 50. Michæa 1. Plin. l. 10. c. 46. Gesnerus in Paralipom. Nebrissens. c. 36. Quinquagena. Ælian. lib. 5 c. 28.

Larusè miluorum est genere, piscibus quos prædatur victitans. Ex eodem genere videtur esse & *mergulus*, de quo vers. 17. quem alij ardeam esse volunt, dicique mergulum, quòd se in aquas ad piscículos capiendos immergat.

Plinius l. 10. c. 47. Gesnerus supr.

✠. 16. *Ibis* Ægypti auis est, serpentibus infesta: estque duplicis generis, vna candida, altera nigra.

Aristl. 8. de Histor. animal. c. 3. & l. 9. c. 11.

✠. 17. *Porphyrio* venustissima auium à purpura nomen accepit: *rostrum* illi *& prælonga crura rubent*, inquit Plinius, *cæruleus toto corpore color, media extrema cauda pars in cinereo albicat*, inquit Gesnerus. In Bętica patria sua frequentem hanc auem esse ait Antonius Nebrissensis. Addit Ælianus, amicissimè cum alijs domesticis animalibus conuiuere: &, cùm gallum fortè herus epuli caussa iugulasset, porphyrionem præ dolore sibi ipsi inediâ mortem attulisse.

Plutarch. in Sympos. l. 5. q. 7. Ælianus l. 5 c. 23. Suidas in Hipponact.

✠. 18. *Onocrotalus*, id est asini crepitaculum, ob inconditam & absonam vocem quam emittit. Hęc auis in Heluetia & ad lacum Lemannum frequens, rostro admodum longo, magnitudine corporis & & pennarum candore, cygno ferè similis, teste Plinio. Gesnerus narrat eum qui Mechliniæ totis 50. annis nutritus nostro sæculo fuit, alarum extrema habuisse nigra. In faucibus ingluuiem habet amphorę capacem, quam aquâ implet, sicque in eam piscículos recipit: quos vbi sat multos receperit, aquam euomit retentis piscículis quos vorat.

Charadrionis seu *Charadrii* meminere Aristoteles, Plutarchus, Ælianus & Suidas, sic dictus, *quod circa fluminum alueos, & riuorum* χαράδρας, *seu hiatus ripa-rum versari soleat.* Vnde & latinè *hiatiola* dici posset, inquit Gaza (a). Tribuunt ei hanc virtutem, quòd ictericis seu regio morbo affectis solo suo aspectu medeatur. Licet alij velint non tam sanitatem adferre, quàm futuram sanitatem prænuntiare, si ægrum defixis oculis intueatur; mortem verò, si oculos auertat.

h *Gaza interpres Aristot. suprà.*

De Chœrogryllo, Gryphe & Haliæeto, vide quæ dixi Leuit. 11. De *hædo* verò *nõ coquendo in lacte matris*, vide Exodi 23. De triplici genere decimarũ quæ ab Israel pendi debebant, dixi Leu. 19. v. 23.

CAPVT XV.

De anno sabbathico, seu septimo remissionis, quo iubet remitti Iudæis debita, seruos & ancillas dimitti liberos, nec sine viatico. Item de primogenitis pecorum Deo offerendis.

✠. 4. ET *omnino indigens & mendicus non erit inter vos*] Ex versione LXX. patet esse præceptum, quo inhibet Deus ne quem Iudæum patiantur apud se egenum, quin ei petenti subueniant saltem mutuando. Et hoc præceptum v. 7. dilucidius explicatur.

Dices, v. 11. prædicitur, numquam defuturos pauperes in terra promissa. Respondeo, Aliud est conari & operam adhibere; quod solum hic præcipit singulis: aliud, perficere, & finem consequi; quod non erat in potestate singulorum. Sic alibi prohibetur, ne sit vlla meretrix ex filiabus Israel; quis tamen audeat dicere defuisse vmquam de facto?

B

✠. 6. *Fœnerabis gentibus multis*, &c.] Hinc Iudæi putant sibi licere ad vsuram dare Christianis. Sed Respondeo, In Hebræo, Chaldæo & LXX. tantùm est, *mutuabis* & Latinum *fœnerabis* idem hîc significat, vt patet ex antithesi mox adiuncta, *A nullo accipies mutuum*. Ergo nulla hîc vsuræ est permissio, aut mentio, multò minus præceptum: sed solùm promittitur benedictio, quâ sibi obedientibus addicit Deus, tantam fore facultatum copiam, vt ipsi possint non solis contribulibus suis, sed alijs quoque gentibus passim mutuas dare pecunias sine damno suo, ipsi verò à nemine compellantur mutuum accipere. An autem licuerit Iudæis ad vsuram dare Gentilibus, dicemus infrà c. 23.

C

✠. 17. *Ancillæ similiter facies*] Non refertur hoc ad auris perforationem, licèt hæc immediatè præcedat, quia hæc in ancillis locum non habebat: sed ad viaticum, & alia donatiua, quibus vers. 13. & 14. iubet donari seruos quando liberi dimittuntur. Ceterùm de hoc, alijsque priuilegijs anni septimi Sabbathici, vide quæ dixi Exodi 23. vers. 11.

✠. 19. *Non operaberis in primo genito bouis*, &c.] Agit hîc de primogenito, non illo masculo & immaculato, de quo paulò antè, quia hoc totum Deo & & sacerdotibus cedere debebat, vt expressè ibidem iubetur: sed de primogenitis feminei sexus, quæ postquam immolata essent more pacificorum, vti licuisse constat ex Leuit. 3. v. 1. poterant postea ab ipsomet offerente eiusque familia in solemnibus Ierosolymæ epulis absumi. vti etiam absumi in ijsdem epulis poterant si quæ primogenita maculosa seu vitio alicui obnoxia obuenissent: non poterant tamen hæc Deo, ne quidem in hostiam pacificam (a) offerri. Vide suprà, cap. 12. v. 17. & Leuitici 19. v. 23.

D

i *Deut. 15. v. 21.*

CAPVT XVI.

De festis Paschæ seu Azymorum, Pentecostes & Tabernaculorum. Iubetq; tribus illis festis omnem masculum comparere coram Domino in tabernaculo, iudices quoque per singulas vrbes constitui.

✠. 2. IMMOLABIS *Phase de ouibus & de bobus*] Hinc constat, per *Phase* seu Paschа non semper designari agnum solum paschalem, qui ad vesperam diei decimæ quartæ à tota multitudine per singulas familias immolari & comedi debebat: quia hoc *Phase* non poterat *de bobus* esse: sed solere designari hoc eodem nomine sacrificia omnia, quæ

ex

ex legis præscripto totis illis septem Paschæ diebus A offerebantur. Sic Joannis 18. v. 28. recusant sacerdotes introire in prætorium Pilati, ne contaminarentur, sed vt manducarent pascha, id est paschales victimas eius diei & sex sequentium. Pari modò sumitur 2. Paralipom. 35. v. 8. 9. & alibi.

℣. 3. *Septem diebus comedes absque fermento, afflictionis panem*] Hoc est, affligentem panem, puta *azymum*, qui non solùm index & monimentum erat afflictionis Ægyptiacæ, vt exponit Vatablus & Arias Montanus; sed verè etiam *affligebat* stomachũ & corpus, eò quòd insuauis, insipidus & grauis esset. Et phrasi Hebræa omnis abstinẽtia pœnitẽtiaque *afflictio* vocatur.

℣. 6. *In loco quem elegerit Dominus*, &c.] Hoc est, in loco vbi tabernaculum erit vel templum: nusquam verò alibi immmolabis aut edes agnum paschalem. Ex qua lege liquet, Iudæos modò, cùm templo carẽt, non posse agnum paschalem edere aut immmolare. B

Immolabis autem *vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto*] inchoatiuè scilicet, quia vespere egressum apparasti, sed eadem nocte finiente reipsa egressus es.

℣. 7. *Maneque consurgens*, sed post septimam azymorum diem, *vades in tabernacula tua*] hoc est, redibis in vrbem & domum propriam. Verisimilius enim est, Israelitas totos illos septem dies Ierosolymis permanere debuisse, vti & in Scenopegiæ festo, eosque in sacris epulis, (de quibus hic & c. præced. v. 20. & c. 12. & Leuiti 19.) absumere consueuisse.

Nota, cùm iubeat hic Deus, vt ter in anno omne masculinum accedat ad locum tabernaculi, solitum fuisse diuinâ suâ prouidentiâ sic peregrinantium rebus & commodis consulere, sic desertas domos & vrbes tueri, vt numquam magis essent ab hoste securæ, quàm cùm, absentibus viris, ab omni humano præsidio desertæ videbantur. Ita Sanctius in 1. Regum 1. Reliqua huius capitis vide exposita Exodi 11, & Leuitici 23.

CAPVT XVII.

Iubet occidi idololatras: causas dubias referri ad sacerdotes, eorumq; decretis obediri sub pœna mortis. Si quando rex deligendus fuerit, vult ex ipsorum gente deligi: legesq; à rege obseruandas præscribit.

℣. 8. SI *ambiguum iudicium*, &c. *inter sanguinem & sanguinem*] Interpres Noster 2. Paralipom. 19. v. 10. verba Hebræa quæ hîc habentur, vertit, *inter cognationem & cognationem*. hoc est, inter eos qui vel diuersæ vel eiusdem cognationis seu familiæ sunt, inter quos ratione possessionum & aliarum rerum solent frequentes & longę lites esse. quamquam etiam cum Tostato, Vatablo & Lirano per *sanguinem* hic D intelligi possit *homicidium* patratum, sitne voluntariè, an casu factum. Vel cum Caietano & Oleastro *crimen* quoduis *capitale*, ratione cuius dubitetur an auctor morte plectendus sit, necne. Sic aptè sequitur. *Inter causam & causam*, q.d. Vel alia qualibet de causa & lite, etiam nõ capitali aut criminali. Etiam *inter lepram & lepram*, an scilicet vera sit & contagiosa, propter quam quis debeat ab hominum contubernio semoueri, quod pluribus erat molestissimum, & lepræ species poterat subinde fallere. Si talis, inquam, dubius casus obueniat, & *iudicum* particularium *intra portas tuas*, hoc est, in vrbium vel tribuum singularum tribunalibus, *verba* seu sententias *variari videris*; confer te ad locum in quo erit tabernaculum vel templum, & defer causam ad sacerdotes & iudicem supremum qui præsunt illi loco. Vbi re euentilata & diiudicata, stabitur illorum sententiæ, neque vlli licitum erit ei refragari, etiam sub pœna mortis. Erat enim hoc supremum & vltimum Iudæorum tribunal, à quo nulla vel alia appellatio vel declinatio dabatur: ad illud verò vndiq; & ab omnibus appellari poterat. Constabat hoc tribunal seu concilium supremum summo pontifice tamquam capite & præside, & 70. senioribus tamquam assessoribus: qui licèt initio promiscuè ex omnibus tribubus, paulatim tamen ex solis sacerdotibus, saltem pro maiori parte desumebãtur. Et hi delatas ad se causas grauiores vel communi consilio simul omnes, vel certo numero à pontifice deliguati, prout causæ erant maioris vel minoris momenti & difficultatis, cognoscebant & decidebant.

Dices. Ex 1. Paralipom. 19. v. 10. & 11. & aliunde constat, distinctos fuisse limites iudicum & politicorum, & Ecclesiasticorum seu sacerdotum; & politicos quidem iudicasse omnia ciuilia, v.g. quæ patem, quærela, quę contractus, quæ possessiones bonorũ, furta, homicidia, similesque iniurias concernebant: sacerdotes verò ea quæ sacra erant iudicasse, v.g. quæ legem diuinã, quę religionem, quę cęremonias spectabant. Respondeo, Hæc quidem præcipuè ad sacerdotes spectabant, sed non sola. Cùm enim politici iudices, adeoque & ipsi reges non possent suis legibus aut arbitratu rempublicam Iudæorum administrare, sed diuinis legibus, quæ ferè continentur hoc Deuteronomio (quod idcirco rex ipse perpetuò penes se habere iubetur:) (*a*) hinc fiebat, vt etiam a *Hic v.* 18. politicum tribunal in multis casibus à sacro sacer- & 19. dotum tribunali dependeret: cogerenturque etiam principes in casibus eiusmodi dubijs seu iuris, seu facti, ad sanedrim confugere. Vnde infrà c. 21. v. 5. expresse & generaliter dicitur, *omne negotium* esse *ad verbum sacerdotum*, idest, omnem litem & controuersiam C (sic enim est in Hebræo) verbo ac sententia sacerdotum decidi debere: & Numerorum 27. v. 21. Iosue iam designato principi totius populi iniungitur, vt nihil maioris momenti aggrediatur, nisi per pontificem consulto Deo. Ex hac ergo dependentia laicorum tribunalium à sacro, si quid in iudicando à rege vel alio politico tribunali peccatum esset contra legem diuinam, poterat imò debebat à pontifice & sacro tribunali corrigi. Quod si locum habebat in lege Mosaica & republica Iudæorum, longè rudiore minusque composita; quantò magis in Ecclesia & lege Christiana, quæ cultissima est, optimeque ordinata?

Obijcit Caluinus, per *iudicem* hîc intelligi non pontificem, sed principem politicum: nam qui in politicis præerant Hebræis vsque ad tempora regum, non alio quàm Iudicum nomine vocabantur. Respondeo, Deum hîc loqui non de quouis *iudice*, sed de illo solo qui præerat loco in quo tabernaculum erat vel templum, vt hîc dicitur v. 10. Atqui nullus iudicum politicorum præfuit vnquam illi loco, sed soli pontifici & sacerdotibus id competebat: ergo & his solis vltimum illud controuersiarum iudicium hîc defertur.

Replicat Lucas Osiander: Iudæi tantùm hîc iubentur facere quæ sacerdotes illi decreuerint *iuxta legem Dei*, hoc est, conformiter legi diuinæ: non verò si quid extra hos limites decernant. Respondeo vt summum excludi his verbis, quod manifestè pateret contrarium esse legi diuinæ. v. g. quòd ex mero odio vel animo hostili decerneretur contra ius & fas, vt fieri potuisset in rebellione, cui etiam pontifex subscripsisset; & fortè ita factum ab *Abia-* b 3. *Reg.* 2. *thar* summo sacerdote consp. irante (*b*) cum Adonia & 2.

contra

contra Salomonẽ: Alioquin omni alio casu, etiam maximè dubio an verbis legis comprehenderetur, necne; imò etsi expressè constaret non comprehendi, dummodò tamen constaret manifestè non contrariari; censebantur sacerdotes iudicare *iuxta legem Dei*: quia lege diuina, vt suprà dixi, potestas ipsis facta erat omnia controuersa ad se delata diiudicandi. ad quod præsidio illis erant leges cælitus acceptæ, totoque Pentateucho comprehensæ, sed non nisi casibus ibidem expressis, in alijs verò ibidem non expressis debebant consulendo Deum, vel inuicem conferendo, vel pluralitate suffragiorum, vel alia commodiore via sententiam curare: cui omnes omnino parere hîc iubentur, non minùs his posterioribus casibus lege non comprehensis, quàm prioribus in lege expressis.

Ex quibus omnibus patet, quàm procul à diuina lege deuient, qui supremum iudicem omnium controuersiarum etiam fidei, & interpretem S. Scripturę conantur nobis obtrudere vel principem politicum, vel magistratum ciuilem, vt Anglo-Caluinistæ & Arminiani: vel priuatum spiritum cuiusque, etiam plebeij, vt Puritani, Gommaristæ, & alij hæretici.

CAPVT XVIII.

Non vult sacerdotes aut Leuitas vllam portionem hereditariam habere in diuisione terræ Chanaan, sed victimis decimis & oblationibus contentos esse. Vetat consuli diuinos aut maleficos: sed Prophetas audiri iubet.

℣.11. PYTHONES, *diuinos, ariolos*, &c.] Possunt hi, si velis, sic distingui, vt *python* sit qui dæmonem in se inhabitantem & è ventris specu exili voce responsantem habet. *Diuinus*, qui dæmonem quoque in se inhabitantem habet, sed ex ore & per linguam clara voce loquentem: quâ ratione phœbades olim entheatæ & à maligno spiritu in furorem actę responsa dabant. *Ariolus* verò, qui dæmonem non inhabitantem, sed extrinsecus assistentem consulit, vel ex alijs rerum superstitiosis notis aut coniecturis res futuras coniectat, v.g. ex horoscopi inspectione, lauri crepitu, manuum lineamentis, vel similibus diuinans. De his & alijs vide Plinium, Iulium Obsequentem, & similes à Delrione citatos. An autem licita sit aliqua alterius generis diuinatio, & qualis, dixi Genesis 40. & 44.

Delrio de Magia.

℣.15. *Prophetã de gente tua, &c. sicut me, suscitabit tibi Dominus*] Loquitur non de solo Christo (vt Eusebius vult & Strabus, & Caietanus, & Iosephus Acosta.) neque de solo Iosue ad litteram, & allegoricè de Christo (vt exponunt Vatablus & Emanuel Sà:) sed ad litteram de omnibus Prophetis qui Moysen consecuti sunt, simul & de Christo: præcipuè tamen ac primariò de Christo. Ita S. Augustinus, Liranus, Abulensis, Oleaster & alij. Nam scopus tam Dei, quàm Moysis hoc loco est, inculcare Iudæis, nihil necesse esse consulere diuinos vel augures, quia nempe numquam defuturi sunt illis veri Prophetæ, quos vrgente necessitate consulere possint: & suo tempore affuturus quoque illis Prophetarum princeps Christus, à quo quidquid optare possint, clarè & apertè resciscent. Ita de Christo hunc quoque locum exponit Petrus Actorum 3. vers. 22. & alij (a) alibi. Dicitur autem hic Propheta futurus similis Moysi, non omnimoda similitudine, quia *non surrexit vltrà propheta in Israel sicut Moyses.* Deuter. vlt. v.10. Et Christus longè Moysi præcelluit. Sed magna tamen similitudine similes dici possunt omnes fuisse Moysi: in eo nempe: quòd diuinam voluntatem & imperia populo aperuerint, & interpretati sint. Christus insuper, quòd, sicut Moyses Israelitas ex seruitute Ægyptiaca, per mare rubrum submersis Ægyptijs traduxit ad terram sanctam: dedit illis legem in Sinai, pauit in deserto manna cælesti, & aquâ de petra: & tot patrauit stupenda miracula: denique debellauit hostes illorum Moabitas, Chananæos, &c. ita Christus mundum è seruitute diaboli, per lauacrum baptismi deletis peccatis traduxit in cælum: dedit nouam legem Euangelicam, sanxitque innumeris miraculis, pascit suos suomet corpore & sanguine: debellat omnes hostes salutis nostræ, &c. Neque, vt Propheta Christus nominetur, obstat quòd nulla fuerit in eo cognitio *obscura*, vti in ordinariis Prophetis: quia hæc obscuritas non est de essentia *Prophetæ* aut *prophetiæ*: sufficit enim futurorum prænotio & prædictio. Ita Suarez & alij.

Enf. Cæsar. l.3. de demonstrat. c.2. & l.9. c.11. Acosta l.3. de Christo reuelato. Aug. l.16. contra Faustum c.15. & alibi.

℣.22. *Hoc habebis signum: Quod non euenerit, hoc Dominus non est locutus*] Et hoc quidem extra dubium est, & infallibile signum pseudoprophetæ. Sed quid si euenerit quod prædixit? tum ad alia signa confugiendum. v. g. Si ad idololatriam pelliciat, vt suprà initio cap. 13. aut alia ratione conetur à Deo vel lege Dei homines auertere, certum signũ habes fictæ vel diabolicæ prædictionis. Quòd si nil tale ex verbis Prophetæ possis elicere; tum vel ex alijs miraculis, vel ex patefactione secretorum cordis, vel ex sanctimonia vitæ, vel ex præcedentium prophetiarum euentu, vel ex testimonio aliorum qui vitæ sanctitate, scientiaque & spirituum discretione præstant, argumenta veræ vel falsæ prophetiæ petenda sunt. Si nihil horum omnium sufficienter rem elucidare possit, suspende fidem, euentum exspecta prophetiæ, & Deo omnia committe, qui numquam patietur fraudem si quæ subsit, diu latere.

CAPVT XIX.

Iubet designari in Chanaanitide tres vrbes refugij, in asylum homicidæ inuoluntarij: quibus tres alias, crescente populo, vult adiici. Homicidam voluntarium iubet ex asylo extrahi & occidi. Falso testi pœnam talionis decernit.

℣.9. ADDES *tres alias ciuitates*] Iam antè cis Iordanem designatæ erant à Moyse tres ciuitates refugii *Bosor*, *Ramoth* & *Colan* Deuter. 4. v. 43. hîc initio capitis iubentur Iudæi, tres quoque trans Iordanem designare scilicet intra limites Chananææ, postquam expulsis hostibus illam obtinuerint. Præter has sex vrbes iubenter hîc v. 9. tres iterum alias designare, non intra, sed extra terminos Chananææ, nempe si contingat vsque ad *Euphraten* habitationem Iudæorum (vt ipsis & patribus promissum erat) extendi.

Dices, Numquam fuerunt nouem vrbes refugii. Respondeo, Neque vmquam fuit habitatio Iudæorum vsque ad Euphraten extensa. Nam licèt sub Dauide & Salomone, cùm longissimè imperarunt, fuerint eæregiones Iudæis vectigales, non tamen ab ipsis insessæ aut inhabitatæ. quo solo casu designandæ ibi erant & seruire poterant vrbes refugij. Promissio autem diuina de finibus Iudæorum eò vsq; extendendis non absoluta, sed solùm conditionata fuerat, vt hîc dicitur v. 9. scilicet si legem & mandata diuina seruarent. Quam conditionem ipsis non seruantibus, non tenebatur etiam Deus fines illorum vsque eò protendere.

℣.12.

a Phillipus Nathanaeli Ioan. 1. v. 45. & Iudæi, Ioan. 6. v. 14. & ipse Christus, Ioan. 5. v. 46.

¥. 12. MITTENT SENIORES seu magistratus ciVITATIS ILLIVS] non ciuitatis refugij, sed *occisi*, seu eius cui versu præcedente dicuntur structæ insidiæ, vt notat Caietanus. Debebant enim magistratus loci, in quo cædes patrata fuerat, argumenta & indicia saltem probabilia culpæ admissæ ad iudices vrbis refugij mittere: quæ si iusta comperirentur, tradebatur homicida *prioribus* magistratibus, à quibus deinde causa dicutiebatur, & veritate comperta, si mero casu *homicidium* patratum constabat, ad ciuitatem *refugij* tutò remittebatur reus, vt dixi Num. 35. *sin studio factum*, proximo plectendus dabatur. Atque ita, *innoxius sanguis* occisi *auferebatur de Israel*, hoc est, culpa & reatus cædis innocentis iusta homicidæ morte tollebatur ab humeris vniuersi populi: nam reatus criminis tam scelesti tamdiu adhæret populo, quamdiu crimen impunitum manet.

CAPVT XX.

Iubet è castris tempore belli domum remitti nouos ædificatores, vinitores, sponsos & pauidos: In vrbe bello capta, masculi occidi, infantibus parci, sed in Chananitide, omnes etiam infantes & femellas occidi: Arbores hostiles infrugiferas exscindi, frugiferis parci.

¥. 5. NON DEDICAVIT] Hebraicè, *non initiauit* domum, scilicet eam inhabitando. Dedicari enim res dicitur, quando cum solemni aliquo ritu, vel conuiuio, rei vsus inchoatur. Tribus hîc hominum generibus ex legis præscripto, priusquam belli duces *cuncos præparent*, hoc est, ordines ad prælium disponant, edici iubetur vt domum reuertantur. Primum, eorum qui *nouam sibi domum ædificarant*, necdum tamen eam incoluerant. Iosephus vult anni vnius inhabitationem præscriptam fuisse, quâ scilicet iam expletâ censeatur vehementior cupiditas. Secundum, eorum *qui vineam plantarant*, necdum tamen fecerant eam *communem*, hoc est profanam, seu quæ profanis vsibus seruire posset. quod anno demum quinto fiebat. Nam & vitis & cuiusuis alterius arboris fructus trium primorum annotum, tamquam præmaturos & insalubres abiicere iubebantur Hebræi Leuit. 19. fructus verò quarti anni Deo primitiarum nomine consecrare debebant, vt ibidem decernitur. Ergo quinto demum anno communes fiebant domino & familiæ, & ad profanum esum vsumq; transibant. Tertium genus erat, eorum *qui sibi vxores desponderant*, & necdum eas domum duxerant, necdum nuptias celebrarant, quibus & anni integri inducíæ concedunrur infrà c. 24. v. 5. Causas huius legis, ob quas triplex istud hominum genus castris abire iubeatur, duas assignat Philo & Iosephus. Vna est, quia iniquum videbatur non permitti è proprijs seu ædibus, seu vinea, seu vxore fructum saltem aliquem percipere. Altera, ne desiderio rerum adeò expetitarum, remissiùs agerent in prælio, sibique parcentes, vel etiam fugam capessentes, alijs & scandalo essent & damno. Eadem de causa iubentur hîc v. 8. etiam è castris facessere quicumque *formidolosi* essent & *pauido corde*. Praxin huius legis habes in Iuda Machabæo, 1. Machabæorum 3. vers. 56.

CAPVT XXI.

Homicidium occultum quo ritu expiandum. Femina captiua, quibus legibus in vxorem sumenda. Filius odiosæ vxoris, si fuerit primogenitus ne iure primogenitis priuetur. Filius cõtumax lapidetur. Cadauera suspensorum sepeliantur eodem die.

¥. 5. ACCEDENTQVE SACERDOTES] eiusdem vrbis incolæ. Iubet ergo, Deus, si patrata fuerit in agro cædes ignoto auctore, post sedulam inquisitionem, (etiam indici præmijs propositis, inquit Iosephus) magistratum vicinioris vrbis tàm sacrum, quàm politicum, cæsâ vitulâ, fractaque eius ceruice, quasi vmbratile supplicium de homicida sumeret; quale nimirum de ipsomet, si reperiri posset, reuerà sumerent: simulque lauare manus super cæsa vitula, & hac ceremonia protestari sese innoxios esse, & auctoris ignaros. Addit Abulensis, sed parergõs, id ideo quoque iussum, vt auctor sceleris, si forsan adesset, hac viâ proderetur, putà naturali sanguinis antipathia, quâ fit vt propinquante homicida, vulnera cadaueris vel ossa, etiam post plures dies sanguinem exsudent, Deo sceleris auctorem tali signo subinde prodente: vt alijs quoque mirabilibus signis etiam apud Gentiles prodidisse, pluribus exemplis probant Cicero, Plutarchus & Ælianus. *Iosephus sup.* *Cicero l. 1. de Diuinat.* *Plutarch. de Numinis vindicta.* *Ælianus l. 13.*

¥. 12. RADET CÆSARIEM, CIRCVMCIDET VNGVES, ET MVTABIT VESTEM] His cæremonijs captiua puella, & Judaicam religionem complecti parata, priusquam marito Iudæo iungeretur, permittitur lugere toro mense mortem parentum suorum in bello occisorum. Licèt enim Iudæis huiusmodi luctus genus in more non fuerit, fuit tamen plurimis gentibus, & verisimiliter etiam his Iudææ vicinis. Radere etiam vxorum & filiarum caput in luctu celebriore funebri, varijs variarum gentium regulis in more fuisse, testis est Suetonius, in morte Germanici. Idem Græcos actitasse docet Plutarchus: Persas Curtius: Romanos quoque Propertius, Seneca, Virgilius & Ouidius. Resectionem vnguium nusquam legi in funebri luctu vsurpatam: in alio luctu & graui calamitate, v.g. in naufragio, vsurpari solitam testes sunt Iuuenalis, Propertius, & Petronius Arbiter. Et quid vetat, quemadmodum modò Sinenses vngues prolixos ingenuitatis nobilitatisque indicium amant, ita & olim alios fuisse tales: qui proinde resectionem eorumdem vnguium in funere carorum, tamquam extremi doloris indiciũ adhibere consueuerint? Saltem constat, id eiusmodi puellis Gentilibus patrio & Gentilitio ritu, priusquam ad Iudæorum mores & religionem transirent, in funere parentum hîc permitti. De vestium mutatione nihil attinet dicere, cùm omnium ferè gentium mos semper fuerit, peculiares in funeribus vestes assumere. Sinenses, (a) &, ni fallor, etiam Ægyptij, albati lugent hoc tempore, vt olim Romanæ matronæ. Sed alijs ferè omnibus gentibus pullus color siue olim, siue modò magis in luctu placet. *Suet in Caligula c. 5.* *Plut. in Problem. c. 13.* *Curtius l. 10. in Alex. morte.* *Propert l. 1. eleg 17.* *Seneca in Phædra, actu 1.* *Virg Æneidos l. 9.* *Ouid. l. 3. Metamorphoseon.* *Iuuenal. satyra 12.* *Petronius in Satyrico* a *Trigaut. in hist. Sinensi.*

Nota, præter circumcisionem maribus necessariam, & alias supradictas cæremonias, debuisse quoque tam feminas, quàm mares, quotquot è gentilitate in Iudæorum religionem transibant, baptizari, seu toto corpore ablui, & holocausti insuper victimam Deo offerre. Ita Rabbini à Serario citati. *Serar. in c. 1 Ruth fine.*

¥. 23. MALEDICTVS A DEO] Hebraicè est, *maledictio Dei* vel *maledictum* est *suspensus* in patibulo, idque vel in cruce, vel in furca, vel ex trabe aut quouis alio

alio palo. Nam omne suspendij genus, etiam patibularis quæ fune fit strangulatio, non minùs apud Iudæos, quàm apud Romanos; extremæ erat infamiæ & probri, cunctis exosum & execrabile. Testes Seneca, Liuius, Lactantius, Philo, Iosephus, & S. Scriptura pluribus locis (*b*). Vide Lipsium & Gretserum de Cruce. Ratio infamiæ videtur fuisse, quòd qui suspenditur in altum, quodammodo iudicetur indignus qui terram pedibus premat, aut sanguine suo contaminet, atque ita quasi toto mundo extruditur & eliminatur. Quare & Christus, vt maximè se abijceret, vilissimumque mortis genus subiret, crucem delegit: vnde & ab Apostolo (*c*) dicitur factus pro nobis *maledictum*, iuxta sensum huius loci.

Seneca epistola 101. Liuius l. 14. Lactantius l. 4. c. 25. Philo l. de Mundo. & de Special. lib. legibus. Ioseph. sup.

b *Hic. & Sap 2. v. 20 & ad Gal. 3. v. 13. Lipsius l. 3. de Cruce c. 7 Gretserus l. 1. c. 60.*

c *Ad Gal. 3. v. 13.*

CAPVT XXII.

Misericordia etiam in bestias exercenda. Pœna falsi accusatoris, adulteri & adulteræ, etiam sponsæ; & constupratoris virginis.

℣. 5. NON INDVETVR MVLIER VESTE VIRILI] neque contrà. Tum vt nequitijs ansa præcidatur: tum vt decentiæ consulatur, nam, teste Philone, vt insigne dedecus est masculo sexui, seu habitu capitis, seu vestitu, seu molli fractoque incessu, seu alijs effeminatis moribus ad femineum quasi sexum se abijcere: ita dedecet etiam femineum sexum, si plus æquo virilis appareat. Vide de his etiam Senecam, Clementem Alexandrinum, & Saluianum. Et hoc nomine pessimè audierunt Sardanapalus apud Diodorum Siculum, Caius Caligula apud Suetonium, Dinocrates Messenius apud Volaterranum, Clisthenes & alij apud alios. Excipe tamen casum necessitatis, vel alias similes iustas & graues causas, v. g. in Ioanna quæ virili habitu & armata Anglos Gallia expulit. Sic Theodora (*d*) virgo Antiochena, & altera Corinthiaca (*e*), lupanar veste virili euaserunt, Eugenia, Euphrosyna, Apollinaris, Pelagia, Antonina, Theodora, Athanasia, Susanna, Anastasia Patricia, Poppula (*f*), Iachelina (*g*), Hildegundis (*h*), quæ instinctu Spiritus S. virginitatis tutandæ causâ se claustris cœnobiorum virili habitu incluserunt, quod deessent tunc mulierum cœnobia in quibus occultari possent. Quo defectu iam cessante, facinus istiusmodi probrosum prorsus & illicitum est.

Philo l. de Fortitudine. & de Special. legib.

Seneca controuers. 1. Clem. Pædagogi l. 3. c. 3. Saluian. l. 7. de Vero iudicio & prouidentia Dei.

d *Ambr. l. 2 de Virginib.*

e *Palladius in Lausiaca hist. c. 149.*

f *Apud Gregor. Turonens.*

g *Apud Thom. de Cantiprato in l. Apum.*

h *Raderus in Viridario SS. p. 1.*

℣. 8. FACIES MVRVM TECTI PER CIRCVITVM] LXX. facies *coronam solario tuo*. Omnis enim limbus prominens, in Scripturis *corona* vocatur, etsi non rotundæ, sed quadratæ vel alterius figuræ sit.

Nota, solitos Iudæos, & reliquos Orientales tecta domorum suarum non supina ad morem nostratem erigere, sed fere plana constituere, in ijsque solaria ad deambulandum & auram captandam habere. Quocirca ne quis inambulans per imprudentiam è sublimi loco decideret, iubentur hîc addere circum circà *peribolum septum*, quo lapsus impediretur quod noster hîc Interpres vocat *murum tecti*. Vide 4. Reg. 1. v. 2.

℣. 9. NE SANCTIFICENTVR] Hoc est, ne polluantur, vt vertit Chaldæus. vtrumque enim contrariorum significat Hebræum *cadasch*. Polluere autem significat *contaminare*, non solùm *contaminatione legali*, sed etiam *physica*, quod est *corrumpere* & *perdere*. Sic Latinè quoque sicut *sanctum* & *sacrum* sumitur subinde antiphrasticè pro *re detestanda*, & *perdita*; potest etiam & solet *sanctificari* & *sacrari* simili modo vsurpari pro *perdi* & *inutile reddi*, à quo perinde abstineatur propter physicam corruptionem, atque abstinetur à re Deo consecrata propter moralem ab vsu profano separationem. Sensus ergo est, cauete ne vites & fruges in vno eodemque fundo mixtim conseraris, ne vtrumque tam racemi, quàm sementis pereant, seu naturaliter dum vnum alterum impedit, suffocat, aut etiam succo terræ exhausto interimit: seu diuinitus, Deo vos propter vestram auaritiam & legis huius transgressionem puniente. ita Iosephus. *Ioseph. sup.*

כדש

℣. 15. SIGNA VIRGINITATIS] Quænam hæc sint, explicatur v. 17. nempe *vestimenta* vel linteamina, in quibus concubuerunt noui coniuges, tincta sanguine rupti hymenis seu vteri virginalis. De quo vide Franciscum Valesium. Quo solo signo voluit Deus falsitatis conuinci maritum, pudicitiæ coniugis ante nuptias perditæ iniustum accusatorem. Secundò, iubet eumdem *verberari*, nempe more Iudæorum, inflictis quadraginta vno minus flagellorum ictibus: vt explicat Iosephus. Tertiò, pro mulcta pendere socero suo centum siclos argenti, seu florenos Belgicos. Quartò, vult eum vel inuitum vxorem illam retinere in coniugio: vxori tamen eo casu liberum erat vel recedere, vel remanere, inquit Philo.

Valesf de Sacra philosophia c. 25.

Proleg de Ponderibus.

Philo de Special. legibus.

CAPVT XXIII.

Eunuchus, Ammonites & Moabites æternùm arcentur ab ecclesia Dei: Idumæus & Ægyptius vsque ad tertiam generationem: Mamzer vsque ad decimam. Iubet castra munda seruari à sordibus. Vetat scortationem & fœnus. Votum sine mora solui iubet.

℣. 1. NON INTRABIT ECCLESIAM DOMINI] Per *ecclesiam* hîc non intelligitur religio Iudaica, aut locus tabernaculi vel templi, quia ad hæc patebat statim aditus cuiuis alienigenæ dummodò circumcisus esset, & proselytus: sed *ius ciuium* seu populi Israelitici. Sicut enim apud Romanos maximi fiebat *ius ciuium*, quo speciali gratia subinde exteri donabantur, atque ita capaces fiebant munerum & dignitatum publicarum perinde atque si Romæ nati fuissent: ita voluit Deus etiam apud Iudæos esse peculiaria iura & priuilegia ciuium Iudæorum, quibus alienigenæ subinde donari quidem possent, sed certis tantùm casibus: ac tum perinde accensebantur illi Iudæis, ac si ex illis aut patriarchis oriundi fuissent, atque adeò instar reliquorum ciuium adibant hereditatem & possessionem agrorum in terra sancta, & capaces erant omnium munerum publicorum ac dignitatum. Et quidem *Idumæi*, propter consanguinitatem, vtpote ex eodem communi cum ipsis parente Isaaco prognati: item *Ægyptij*, propter peculiaria beneficia olim Israelitis collata, permittuntur *tertia generatione* (*i*) à suscepta religione Iudaica, hoc modo adscribi populo Dei. *De scorto & publico nati* alienigenæ (de quibus solis hîc agitur) quia etiam apud suos hoc nomine viles & contemptibiles esse solent, non nisi post longum tempus, abolitâ iam maculâ & infamiâ, nempe post *decimam* demum *generationem* (*k*), adscribi permittuntur. *Moabitæ* & *Ammonitæ*, propter frequentia maleficia, & eamdem verisimiliter ob causam Amalecitæ quoque, & omnes Chananæi, numquam (*l*) abscribi potuerunt: vti neque *eunuchi* (*m*), quocumque demum casu virilitatem exuissent. Sed & hoc ad alienigenas solos spectabat. Nam Iudæis, licèt omnis ipsis castratio seu hominum, seu animantium vetita esset, teste Iosepho, si quo tamen casu vel à natura, vel à latrone aut tyranno castrati contigissent, id fraudi non erat.

i *Hic v. 7. & 8.*

k *v. 2.*

l *v. 3.*

m *v. 1.*

Ioseph. sup. l. 4. c. 8.

Intellige verò prædicta cum hac exceptione, Nisi

tam

tãm præclara essent alicuius alienigenæ merita, vt populo Dei adcensendus iure videri posset. Sic contigit Rahab meretrici Iosue 6. & Achior Ammonitæ Iudith 14. & alijs, qui subinde iura ciuium adepti sunt.

℣.17. NON ERIT MERETRIX, NEC SCORTATOR] Putà publici, seu auctoritate publica constituti aut permissi, quæstus gratiâ corpora sua vulgantes. Alioquin ex *matre Iephte*, (a) & illis *apud Salomonem* (b) *litigantibus*, & alijs Scripturæ locis (c) sat constat, non defuisse priuatas apud Iudæos meretrices & scortatores. Nisi cum Procopio, Theodoreto, Serario, (d) & Bonfrerio dicere malis, hic solùm vetari Iudæis, ne in honorem Dei, vt solebant Gentiles in honorem idolorum, euulgent sua corpora. Neque EX MERCEDE PROSTIBVLI, id est, pretio meretricis occultæ, vel saltem in prostibulo delitescentis, neque EX PRETIO CANIS] Id est, ex canina seu publica, & in propatulo scortatione collecto, quidquam offerant Deo, aut ad offerendum coëmant victimam. Nam & hoc apud Gentiles ex eiusmodi sordibus factitari solitum patet ex Baruch & Michæa Prophetis, Herodoto, Strabone, Athenæo, Clemente Alexandrino, Augustino, Athanasio & Villalpando. Et ad Iudæos quoque dimanasse eiusmodi tum puellarum, tum puellorum prostibula, colligitur ex 3. Reg. 14. v. 24. & 4. Reg. 23. v. 7. & 2. Machab. 4. v. 12. Et verò, si Seuerus Imperator indecorum putauit tributa quæ ex meretricio quæstu colligebantur, in sacrum ærarium inferri; quantò magis probrosum sit ea Deo offerri?

(a) *Iudic. 11.* (b) *3. Reg. 3.* (c) *Leuit. 21. v. 7. & 14. & Iosepho supra.* (d) *Serar. in c. 2. Iosue.*

℣.19. NON FOENERABIS FRATRI TVO, SED ALIENO] Hoc ex priuilegijs ciuium Iudaicorum vnum erat, quòd indigentibus illis mutuum gratuitò dandum esset sine vsura: ab alijs verò non ciuibus, etsi proselyti essent, etiam vsuras accipere possent Iudæi. Licèt enim iure naturæ sit illicita vsura, vtpote quæ ex re per se infrugifera, & sub alterius dominio existente lucrum quærit & colligit, Deo tamen potestate supremi dominij sui supercrescens fœnus largiente Iudæis, factum vt id licitè accipere possent ab alienigenis: eodem modo, quo volente Deo licuit Iudæis, Ægyptum spoliare: licuit libellum repudij dare: licuit plures simul vxores habere. Quæ omnia alioqui repugnant iuri naturæ. concessa tamen Iudæis à Deo ob duritiem cordis eorum, ne, vt erant lucro nimis inhiantes, extorquerent fœnus etiam à fratribus suis Iudæis. Qua concessione iam cessante, & sublatis omnibus Synagogæ priuilegijs, imò extinctâ sepultâque Synagogâ, manent quoque iure naturæ prorsus illicitæ omnibusque vetitæ vsuræ. Quod addo propter modernos Iudæos perpetuos vsurarios, & Caluinum, qui permittit fœnus à diuitibus exigi. Quàm verò semper id detestata sit natura, docent exempla penè omnium nationum, etiam Gentilium, quæ strictissimis legibus vsuras omni tempore (e) vetuerunt.

e Vide exempla apud Ciceronem à Lapide.

CAPVT XXIV.

Permittitur libellus repudij. Variæ leges circa pignora, & pauperum subuentionem sanciuntur.

℣.1. LIBELLVM REPVDII] Hoc est, chartam seu schedam quâ maritus vxori potestatem faciebat abeundi quò vellet, & alteri nubendi cui vellet. Hac enim lege concedebat Deus non solius thori disiunctionem, sed etiam matrimonij dissolutionem, vt vterque alteri nubere posset. Colligitur ex v. 2. & Malachiæ 2. v. 16. & Matthæi 19. v. 9. & testatur Josephus eam fuisse praxin Iudæorum. Consulebatur autem hac viâ maximè feminarum bono, quæ alioqui sæpiùs ab iratis maritis necatæ fuissent. Continebantur nihilominus eædem quoque in officio, ne quid admitterent quod repudio causam daret. Neque enim licebat repudiare nisi iustam ob causam: scilicet ob aliquam *fœditatem*: hoc est, si vxor displiceret marito propter rem aliquam fœdam. Tertullianus & Burgensis id restringunt ad adulterium durante coniugio, vel fornicationem ante commissam, sed post initum coniugium detectam. Verùm hæc non diuortio, sed morte plectebantur, vt patet cap. 22. v. 21. & 22. Sola verò adulterij suspicio purgabatur haustu poculi zelotypiæ. Numeror. 5. Ergo fœditatis nomine hic generaliter intelligitur id omne quod meritò censeatur deuenustare & turpem reddere vxorem, siue id physicum quid sit, v.g. epilepsia, lepra, frequens mania, perpetuus aliquis morbus, sterilitas: siue morale quid, vt inobedientia, pertinacia, dicacitas, iurgia perpetua, furta, veneficij, vel grauioris criminis suspicio probabilis, & quidquid iure reddat vxorem valdè exosam marito.

Nota, quòd dato libello repudij, si maritus redire vellet in gratiam cum coniuge repudiata, priusquam illa alteri iungeretur, poterat id facere: at post coniunctionem cum altero non poterat redire ad priorem maritum, etsi fortè contingeret illam simili repudio ab illis secundis nuptijs exsolui. Ratio hic additur vers. 4. *Quia* iam *polluta est*, scilicet semine secundi viri & macula seu indecentia ex copula cum secundo marito: *& abominabilis facta est coram Domino*: hebraicè est, *abominabile hoc*, seu transcursus iste de thoro in thorum, *coram Domino*, id est verè & à parte rei, & Dei ipsius iudicio; cui meritò displicet turpis illa species vagi repetitique concubitus, & orbicularis nuptiarum regressus.

℣.6. NON ACCIPIES LOCO PIGNORIS INFERIOREM ET SVPERIOREM MOLAM] seu lapidem molarem; quia scilicet pauperculi absque illis frumentum commolere non possunt: atque ita *animam*, id est vitam ipsorum, quam tibi *opposuerunt* seu oppignorarunt, miselli intercluderes, id ipsis auferendo sine quo victum sibi parare non possunt. Simili de causa vetat v. 10. ne creditor pro libito suo, etsi fretus publica iudicis auctoritate, vel stipatus ministro iustitiæ, deligat sibi in pignus quidquid è supellectili debitoris arriserit: sed iubet designationem pignoris totam permitti arbitrio debitoris. Quin & v. 12. si debitor fortè præ inopia cogatur in pignus dare vestimentum aut stragulum, quo ad se tegendum indiget, iubet id illi reddi ante solis occasum: hoc ipso inhibens, ne huiusmodi reculæ pauperi quotidie necessariæ accipiantur quouis modo in pignus.

℣.7. HOMO SOLICITANS FRATREM SVVM] Hebræa, Chaldæa & LXX. habent, *furans*, nempe vel aperta vi, vel dolo & promissis falsis pelliciens vt se ei subijciat, & sequatur ad alienigenas, quibus eum tunc vendat. Iubet ergo hîc *plagiarium* vel euidentia facti, vel in iudicio conuictum, capite plecti.

℣.8. OBSERVA NE INCVRRAS PLAGAM LEPRÆ] diuina vltione infligendam, si Superioribus inobediens fueris, maximeque si sacerdotum imperijs obgannieris; exemplo Mariæ sororis Moysis, vt sequitur vers. sequenti; & Oziæ regis Iuda, 2. Paralipom. 26. *Num. 12.*

CAPVT XXV.

Iubentur iudices iustè iudicare: Frater fratri defuncto semen suscitare: Nomen Amalec penitus deleri.

℣. 3. QVADRAGENARIVM NVMERVM NON EXCEDANT] Iudæi legis huius seruandæ studio, metune, si quadragenarium numerum complerent, forsan obliuione, inaduertentia, vel impetu animi excederent, in more habebant non nisi triginta nouem ictus infligere, teste Iosepho. Vnde & Apostolus in suo illo exantlatorum laborum catalogo, *A Iudæis*, inquit, (a) *quinquies quadragenas vna minùs accepi*. Infligebantur autem hæc verbera flagello seu scutica ẽ neruis aut pelle confecta, teste eodem Iosepho.

Ioseph. l. 4. c. 8. Antiquit.

a 2. ad Cor. 11. v. 24.

℣. 4. NON LIGABIS OS BOVIS, &c.] Ad litteram prohibet Deus ne vel capistro, vel alio impedimento prohibeatur bos vesci ex manipulis, in quibus triturandis reipsa laborat: quia *æquum non est*, inquiunt Iosephus & Philo, *vetare laboris socios, quo minùs & fructuum sint participes*. Sed allegorico sensu (quem Deus hîc primariò intendit, & quem Paulus (b explicat) docentur homines non negare victus stipendium ijs qui ipsorum causâ laborant; maximè verò Euangelij ministris. Bobus autem triturari solitum non solùm apud Iudæos, sed & apud Romanos, & Græcos, & alias gentes, ex Varrone, Columella, Homero & Athenæo constat: & etiamnum in Canarijs insulis in vsu esse perhibetur.

Ioseph. sup. Philo l. de Charitate.

b 1. ad Cor. 9. v. 9.

Varro l. 1. de Re rustica c. 52. Columella l. 2. de Re rustica c. 21 Homer. Iliade Y. & E. Athen. l. 12

℣. 5. QVANDO HABITAVERINT FRATRES SIMVL. Hoc est, quando eiusdem tribus & familiæ fuerint, qui ferè in eodem loco habitare solent, vbi familiæ est hereditas: ET VNVS EX EIS ABSQVE LIBERIS MORTVVS FVERIT] vel, si quos moriens habuit liberos, ij ante initum matrimonium extinguantur; *vxor defuncti non nubet alteri* quàm qui sanguine propinquior defuncto fuerit. Hoc solùm tangit vxorem primariam: vel si plures primariæ defuncto fuissent, eam quam ex omnibus propinquior sibi delegisset.

Petes, quid agẽdum, si frater defuncti, vel alius quicumque propinquus cui successio debebatur, adhuc infans esset vel impubis? Respondeo, exspectandam eo casu viduæ fuisse adultam pueri ætatem. vt in simili ante legem fecit Thamar Genesis 38. v. 11. Hoc tamen intellige, si modò spes esset, quòd per diuturnum ætatis lapsum ipsa non fieret ad generandum impotens. Nam si eius rei periculum esset, poterat illa, imò debebat, relicto puero, alteri propinquo defuncti iam maturo nubere, & defuncto semen suscitare.

Petes Secundò, quanta fuerit obligatio vel viduæ nubendi propinquo: vel propinquo ducendi viduam à defuncto relictam? Respondeo, Ante legem Mosaicam videtur apud Chananæos id strictæ iustitiæ fuisse, vt patet ex casu Thamar Gen. 38. v. 26. Sed tanta obligatio non videtur lege Moysis admissa fuisse; imò pœna hîc v. 9. apposita non arguit vllam grauem obligationem. Quin ex facto Ruth constat, nullam prorsus obligationem fuisse, si quis alius è fratribus vel propinquis paratus esset id officium charitatis defuncto exhibere.

Ruth 4.

Petes Tertiò, An, si defunctus nullum quidem filium, sed tamen filiam reliquisset, nihilominus vidua etiam tunc tenebatur nubere fratri vel propinquo defuncti? Respondeo, Nec debebat, nec poterat: quia extra casus hîc exceptos erat illicitum viduas nubere fratri mariti defuncti, vt patet Leuit. 20. v. 21. Atqui hic casus non excipitur hoc loco, nam & filiæ inter liberos censentur; & eo casu aliter ex lege, Numeror. vltimo prospectum erat continuationi nominis & familiæ defuncti. Nam filia sic sola relicta hereditatem patris adibat; sed hac conditione, vt ipsa vni de tribu & familia nuberet, cuius prima proles mascula, filius dicebatur non patris ex quo genitus esset, neque eius fiebat heres, neque in eius genealogia nominabatur: sed aui materni & filius censebatur, & heres fiebat, & in genealogia ab auo ad nepotem immediatè transibatur.

CAPVT XXVI.

Primitiæ frugum iubentur offerri Deo: & tertio quoque anno tertia etiam decima dari pauperibus.

℣. 5. SYRVS (hic est Laban) PERSEQVEBATVR PATREM MEVM] Iacobum è Mesopotamia redeuntem in Chananæam, Genes. 31. Nam *Mesopotamia*, in qua *Laban* habitabat, est pars *Syriæ*, vnde & passim in Scripturis (c) vocatur *Mesopotamia Syriæ*.

c 1. Reg. 11. v. 16. &c.

℣. 13. QVOD SANCTIFICATVM EST, hoc est, omne genus decimarum, quæ iussu Dei separandæ erant à reliquis, quasi sanctæ à profanis, ABSTVLI DE DOMO MEA] hoc est, integras extuli & huc attuli, nec quidquam ex his domi remansit. Hæc & sequentia continent gratiarum actionem atque in ea protestationem, qua, peractis iam suis sacrificijs & sacris epulis, domum regressuri Iudæi, teste Iosepho suprà, publicè remouebant à se suspicionem omnem defectus alicuius admissi, aut immunditiæ quæ timeri posset in rebus hisce sacris, seu ex parte offerentis, seu ex parte rei oblatæ, seu ex parte vsus, v.g. comestionis rei sacræ. Vnde subdebant, *Non comedi ex eis in luctu meo*, scilicet funebri existens, atque ideo immundus ex mortuo: neque enim talibus qui funeri interfuissent licebat vesci sub pœna capitis ex hostijs pacificis, Leuit. 7. v. 20. Addunt, *Nec separaui ea in qualibet immunditia*, hoc est, nihil etiam eorum quæ Deo offerenda seposui, pollutum aut immundum fuit. Denique, *Nec expendi ex his quidquam in re funebri*, hoc est ad rem quampiam immundam. Et verò vetitum erat vniuersim, ex decimis Deo semel sepositis, ad vsum profanum aliquid detrahere: quantum ergo flagitium fuisset, si quis quid ex his in rem immundam expendisset? v.g. in pompam funebrem, vel conuiuium funebre, vel sepulchri erectionem: nam totum negotium funebre immundum erat, & omnibus vsurpantibus summam immunditiam afflabat. Portrò de varijs decimarum generibus, & sacris epulis inde solitis instrui, vide Leuit. 19. & Deuteronom. 12.

CAPVT XXVII.

Cæremonia benedictionis publicè instituenda in monte Garizim, & maledictionis in monte Hebal.

℣. 2. ERIGES INGENTES LAPIDES, tot quot inscribendo toti Deuteronomio (d) necessarij fuerint. Andreas Masius & (e) Serarius duodecim fuisse volunt. ET CALCE LEVIGABIS EOS] Neque enim in lapidibus impolitis conscribi lex potuisset, nisi priùs calce obliti, aut simili alia incrustatione leuigati forent: opera verò mallei eos leuigare, nimis longæ & difficilis operæ fuisset.

d Patet ex Iosue 8. v. 32.

e Ad c. 8. Iosue.

Nota. Præter hos lapides quibus inscribi iussum Deu-

Deuteronomium, iussi quoque sunt componi alij rudes lapides ad altare construendum, non in monte seu iugo *Garizim*, sed in *Hebal*, altero eiusdem montis iugo, iuxta Sichimam, in ea parte Chananææ, quæ obtigit tribui Ephraim. In hoc altari iubentur holocausta & pacificas hostias immolare Deo, & de immolatis epulari. Interim tribus sex nobiliores, putà Simeon, Leui, Iudas, Issachar, Ioseph (duplicata ex Ephraim ac Manasse) & Beniamin, constituuntur à dextris in monte Garizim & in confinijs illius: reliquæ sex à sinistris in monte Hebal: sacerdotibus cum arca in media valle consistentibus, qui mox instar fœcialium ad innouandum firmandumque fœdus Deum inter & Israelitas, primò versus montem Garizim conuersi, *voce excelsa* intonabant conceptis verbis benedictiones seorsim singulas: ad quas respondebant *Amen*, seu fiat, omnes ij qui ad montem Garizim stabant. Deinde conuersi ad Hebal, simili modo pronunciabant singulas maledictiones seu execrationes, quibus respondebant qui erant in & circum Hebal. Et quidem maledictiones sigillatim hîc exprimuntur numero duodecim, forsan primariæ & præcipuæ, sed benedictiones nusquam disertis verbis expressas habes: facilè tamen ex maledictionibus colligere est, quales illæ benedictiones fuerint, nempe quæ contrarijs virtutum actionibus bona & præmia decernerent.

Petes Primò, Quorsum hæ cæremoniæ? Respondeo *ad litteram*, vt hoc nouo ritu fœdus cum Deo instauraretur in primo terræ promissæ ingressu: & Israelitæ his solemnibus benedictionum pollicitationibus, ac maledictionum interminationibus, ad accuratiorem legis diuinæ obseruationem excitarentur. *Anagogicè* verò, vt typus esset extremi horrendique iudicij, quòd verus Iosuè, seu Iesvs Christus, in ingressu futuræ vitæ inter oues à dextris, & hœdos à sinistris instituet, vt ait Rupertus.

Rupertus l.2. c.5.

Petes Secundò, Quando vsurparit hanc cæremoniam Iosuè; Respondeo, Quinto anno ab ingressu terræ sanctæ, inquit Iosephus. Sed ex vers. 12. huius capitis patet, statim *Iordane transmisso* id peragendum fuisse: & liber Iosuè satis indicat, post Ierichuntinam & Haiensem expugnationem mox peractum fuisse.

Iosephus l.3. Antiquit. c.1.

CAPVT XXVIII.

Bona, quæ legem seruantibus promittuntur: & mala, quæ violantibus.

℣. 17. MALEDICTÆ RELIQVIÆ TVÆ] hoc est, quæ ex bonis tuis asseruanda in futurum reliquisti vel sepositi.

℣. 22. PERCVTIAT TE ÆSTV, græcè, φόνῳ, id est *cæde*: AC RVBIGINE] quæ est morbus segetum & herbarum, cùm defectu humoris flauescunt & exsiccantur. Alibi tamen LXX. eamdem, quæ hîc est, vocem Hebræam vertunt, ἴκτερον, qui in hominibus morbus est, & latinè, *aurugo* vocatur; gallicè, *la Iaulnisse*; flandricè, *de Geelsucht*.

יקרקון *iraion.*

℣. 24. DE CÆLO DESCENDAT CINIS] Eiusmodi cineris imber ad extremam terræ sterilitatem inducendam valet: & vel miraculo immittitur à Deo, vel ex montium exspirationibus etiam naturaliter prouenit. Sic Seneca, Cicero, Plinius & alij meminerunt Ætnæ cineres euomentis, & totam circumquaque regionem desolantis, cinere in lapideam duritiem concrescente, omniaque adurente. Memorabilis item illa Vesuuij montis iuxta Neapolim Campaniæ expiratio, qui cinerem Romam, imò Constantinopolim vsque euomuit. Et alàs rursum Constantinopoli ex alterius montis vomitu cinerem tam copiosum pluisse, vt palmi propè minoris altitudine in tegulis iaceret, testes sunt Zonaras, Nicephorus & Procopius. Et à paucis iam annis, vt Mexico scribitur, in Peruano regno ex simili monte erumpens, sed ope dæmonum dispersus, cinis ad quadraginta dies depluit, die in noctem verso, totamque regionem ad ducentas ferè leucas texit, omniumque frugum prouentum sustulit.

Zon. in Leone l. Niceph. l.15. c.25.

℣. 36. DVCET TE, ET REGEM TVVM IN GENTEM QVAM IGNORAS] Ad litteram id contigit sub Manasse, Ioakim & Sedecia regibus Iuda per Nabuchodonosor in Babylonem, & regibus Israel cum decem tribubus per Teglatphalasar & Salamanasar in Assyriam abductis.

℣. 49. ADDVCET SVPER TE GENTEM DE LONGINQVO, IN SIMILITVDINEM AQVILÆ VOLANTIS CVM IMPETV] q.d. Celerrimè, derepentè & improuiso aduolantis. Et verò Apuleius aquilæ perniciitatem, qua supernè in prædam ruit, fulmini comparat. Graphicè hîc depingit *Chaldæos*, de, quibus Ieremias ad hunc locum alludens, in Threnis c. 4. *Velociores*, inquit, *fuerunt persecutores nostri aquilis cæli*. Et cap. 4. propheriæ suæ, *Velociores aquilis equi illius*, Nabuchodonosoris. Et hunc nominatim etiam Ezechiel aquilæ comparat cap. 17. Quamquam etiam dici possit, Moysen hîc quoque ad *Romanos* alluisse, aquilis suis notissimos. Neque enim ab his minùs quàm à Chaldæis passi sunt Iudæi, quæ infrà (a) de comedendis proprijs fœtibus, de venditione in mancipia, & alijs horrendis afflictionibus proponuntur.

Apul l.1. Floridorũ.

a *Hic v. 53. & Leuit. 26. v.29.*

℣. 66. ERIT VITA TVA QVASI PENDENS ANTE TE] nempe periculo semper exposita, & quasi in dubio suspensa. Imò *non credes*, seu non fides, *vitæ tuæ*, sed de ea tuenda desperabis.

Allegoricè, S. Augustin. S. Leo, & Procopius per vitam intelligunt hîc Christum in cruce appensum.

Augustin. 16. contra Faustum c.22. Leo serm.8. de Passione. Ioseph. l.7. Belli c.16.

℣. 68. REDVCET TE CLASSIBVS IN ÆGYPTVM] Id factum esse sub Tito, docet Iosephus, cùm scribit Iudæos captos, qui minores essent septemdecim annis, in Ægyptum deuectos, ibique venditos, sed vix inuentos emptores.

Nota, hinc patere, classes iam tunc à tempore Moysis notas fuisse Hebræis: falsumque esse, quod fingunt Poëtæ, primas naues fuisse Iasonis & Argonautarum, qui non nisi 40. annis ante vltimum bellum Troianum in Colchum nauigarunt; nam Moyses plus quàm ducentis annis mortuus est ante illam Argonautarum in Colchum expeditionem.

CAPVT XXIX.

Ad legem Dei studiosius obseruandam excitat Hebræos partim beneficijs & promissis amplissimis: partim terroribus & minis seuerissimis.

℣. 4. DOMINVS NON DEDIT VOBIS propter vestra demerita & peccata, COR INTELLIGENS diuinorum beneficiorum magnitudinem & præstantiam: neque animi vestri OCVLOS vel AVRES aperuit, quibus attenta consideratione penetraretis eadem beneficia, monitaque diuina, & ijsdem obediente aure obsecundaretis, nempe lumini interno & gratiæ vos excitanti semper rebelles obstitistis.

℣. 19. ET AMBVLABO] pro, licèt ambulauero. q.d. Licèt transgrediar mandata Dei, maledictiones hæ mihi non nocebunt.

ET ABSVMAT EBRIA SITIENTEM] Prouerbium est Hebræis familiare: quod LXX. vertunt, *perdat peccator innocentem*, dum scilicet ebrius idololatriâ alios quoque seu suasione, seu exemplo suo in idem scelus, & consequenter in eamdem secum ruinam trahit. Vide Delrionem in Adagijs sacris. Nisi fortè malis (a) ad vnam eamdemque personam peccantem vtrumque referre, quæ sitire dicitur, cùm aliquid vehementer appetit: ebria verò esse, cùm quod appetiuit, abundè consecuta est. tum verò absumit ebria sitientem, tùm quod appetijt, & iam consecuta est, illi causa est ruinæ. Sic enim, inquit Moyses, continget idololatris, cùm vehementer desiderarint solui legibus diuinis, & idolis prostitui, compotes iam facti votorum & sceleribus ebrij, sentient se sibi extremam perniciem accersiuisse.

Adagio 138 a Cum P. Bonfrer.

℣. 29. ABSCONDITA, supple, O vtinam æternùm sint, DOMINO DEO NOSTRO, hæc quæ antè minatus est supplicia! ita nempe, vt numquam cogatur ea inferre. q.d. Moyses: Precor vt populus ita legibus Dei custodiendis insistat, vt numquam cogatur Deus supplicia quæ transgressoribus minatus est, de facto infligere, sed ita se gerat ac si ea omnia mala ignoraret. Interim MANIFESTA sint hæc NOBIS ET FILIIS NOSTRIS] vt eorum metu à transgressione legum arceamur. Ita Caietanus.

CAPVT XXX.

Lapsis, sed pœnitentibus promittit reditum à captiuitate, & liberationem ex aliis miseriis. Docet legem obseruatu facilem esse. Dat optionem vitæ aut mortis, boni aut mali.

℣. 11. MANDATVM HOC toto Deuteronomio contentum, NON SVPRA TE EST, SED IVXTA TE EST VALDE] Hoc est, ad manum tibi est, & admodùm facile, vt, si velis vel tantillam adhibere diligentiam, possis illud *& in corde* seu memoria discendo habere, *& ore* pronuntiare, &, vt addunt LXX. *in manibus* quoque *tuis* habere, hoc est opere complere. Neque enim defutura erat illis diuina gratia quâ etiam totam legem implere possent.

Dices, Actorum 15. Petrus ait: *Iugum* legis *neque patres nostri, neque nos portare potuimus.* Respondeo, Significat illis verbis non impossibilitatem (nam teste S. Scriptura semper aliqui reperti qui totam legem impleuerunt) sed solùm magnam difficultatem: tum ob præceptorum multitudinem & grauitatem: tum ob gratiæ parcitatem: neque enim ex opere operato annexa hæc erat Sacramentis aut sacrificijs veteris legis, vt iam contingit in noua lege: sed internis fidei, spei, contritionis, charitatisque actibus emendicanda erat à Deo. Quod quia pauci constanter præstabant, hinc factum, quòd reipsa pauci quoque legem totam impleuerint: & verum esset quod scribit Apostolus ad Romanos 3. *omnes sub peccato fuisse*, etiam Iudæos, & eguisse *gloriâ Dei & gratiâ Christi.* Et hæc erat ratio præcipua cur Deus illos tanto tempore in sua infirmitate egestateque hærere permiserit, nempe vt imbecillitatem legis suæ quâ plusculum superbiebant, & auxilij diuini, gratiæque necessitatem agnoscentes, vtpote experimento edocti, promptiùs ardentiusque ad Deum confugerent, & ad promissum Messiam suspirarent; cuius opera meritoque & legem perfectiorem, & auxilia ampliora certò sibi obuentura præscirent.

Obijcit Secundò Brentius: ex hoc loco saltem constare, tam claram esse vbique Scripturam, vt nullo nobis sit opus interprete: multò minùs trans mare aut Alpes Romam hoc nomine mittendum. Respondeo, Nego consequentiam, quia hîc nulla fit mentio reliquarum Scripturarum, sed solius Deuteronomij, seu legum illarum diuinarum quæ omnem populum concernebant. Sed quid hæ tantillæ ad omnes reliquas Scripturas? quæ vt numero plurimæ sunt, ita plurimis locis admodum obscuras esse, ipsi quoque hæretici tot tamque varijs suis commentarijs apertè demonstrant.

CAPVT XXXI.

Moyses animos addit populo, & præsertim Iosuæ duci iam populi: scripto consignat Deuteronomium, iubetque illud publicè populo prælegi septimo quoque anno remissionis; interim in latere arcæ adseruari.

℣. 2. NON POSSVM VLTRA EGREDI ET INGREDI] Hoc est, non possum deinceps fungi officio supremi ducis, partim præsenio, cùm iam centum viginti sim annorum: partim voluntate & nutu Dei vetantis mihi diutiùs in viuis esse.

℣. 14. STATE IN TABERNACVLO, hoc est, in atrio ante ostium tabernaculi, vbi Deus in columna nubis sese manifestabat. neque enim licebat Iosuæ intrare intus in Sanctuarium. VT PRÆCIPIAM EI] Hoc est, vt supremam populi præfecturam, & aliarum rerum gerendarum præcepta, quæ per te hactenus tradidi Iosuæ, iam ipsemet per me eidem tradam. Ita enim fecisse narratur infrà v. 23. Et hæ sunt primæ vices quibus Deus locutus est Iosuæ, vt, morituro iam Moyse, auctoritatem illi apud populum conciliaret.

℣. 25. PRÆCEPIT LEVITIS] hoc est, *sacerdotibus filijs Leui*, vt dicitur vers. 9. Horum enim erat ex officio deferre arcam, vt fecerunt in transitu Iordanis, Iosuæ 3. in euersione murorum Ierichuntinorum, Iosuæ 6. in dedicatione templi Salomonici, 3. Regum 8. & in quauis alia actione celebriore. Licèt possent in hoc munere etiam ab inferioribus Leuitis, putà Caathitis, tamquam ab ordinarijs ministris suis adiuuari, vt frequentiùs factum in delatione arcæ per desertum.

℣. 26. TOLLITE LIBRVM ISTVM, scilicet Deuteronomium, ET PONITE IN LATERE ARCÆ] scilicet extra arcam, vbi etiam reposita erat *vrna aurea* plena *manna*, & *virga Aaron* quæ fronduerat, vt habetur ad Hebræos 9. Et constat ex 3. Regum 8. v. 9. nihil aliud in ipsa interiore arca fuisse, nisi duas *tabulas lapideas*, quibus arcæ impositis à Moyse, verosimilius est eam occlusam fuisse, neque vmquam deinceps reclusam. Quin & ex 4. Regum 22. & 2. Paralip. 34. colligitur, hunc librum Deuteronomij, non amplius in Sanctosanctorum, sed neque in Sanctuario adseruatum, sed in gazophylacium relegatum fuisse vbi thesauri asseruabantur: nam expressè dicitur *repertus in gazophylacio*, & inde *ad regem delatus.*

CA-

CAPVT XXXII.

Canticum eycnaum Moysis iamiam morituri. quod Rabbini vocant summarium seu compendium totius legis: meminit enim potentiæ, sapientiæ, magnificentiæ Dei, creationis cæli & terræ, diluuij, diuisionis linguarum & terrarum, electionis populi Israel, cultus solius Dei, beneficiorum toties præstitorum, & præstandorum, resurrectionis mortuorum, &c.

℣. 8. QVANDO DIVIDEBAT ALTISSIMVS GENTES] in Babylonica linguarum confusione, *quando* per varias orbis regiones, diuersas *filiorum Adæ* familias iuxta linguarum varietatem ab inuicem *separabat*; iam tum, etsi Israeliticus populus necdum existeret, de eo Deus cogitabat, & commodam ei habitationem præparabat, certosque *terminos* & terræ fines, qui à Chananæis *populis* habitari cœperunt, *constituit* destinauitque, *iuxta numerum filiorum Israel*, hoc est, tot & tantos, quot & quanti necessarij essent ad omnes Israelitas excipiendos, cùm eò habitatum veniissent. Ita ferè Oleaster. Et causam tam citæ, tam singularis prouidentiæ mox subnectit, quia ex tunc erat Israel à Deo delectus ac designatus in *partem* seu *funiculum* Dei, id est in portionem eius hereditariam: quæ quia funibus diuidi solebat, *funiculus* seu funis sæpè vocatur in Scripturis. (*a*) Sensus ergo est, Israelem è tot populis vnicum à Deo electum iam inde ab initio fuisse, qui esset quasi proprium Dei peculium, regnum & hereditas: vt ceteri populi præ Israelitico videri possint quasi à Deo relicti, & idololatriæ ac falsis dijs tamquam dominis permissi.

a *Psal 15. 77. &c.*

℣. 13. MEL DE PETRA, OLEVMQVE DE SAXO] Indicat, montes Palæstinæ tam fertiles esse, vt apes etiam in petris sponte mellificent, & oliuæ inter saxa mirè fructificent, adeoque nulla terræ pars fertilitate careat, quandoquidem quæ loca alibi ferè sunt infœcunda, ibi eximia fœcunditate præstent.

℣. 14. CVM ADIPE AGNORVM. Adipem separatim comedere numquam poterant Iudæi, lege (*b*) id vetante. Sed hic nomine *adipis*, vt & alibi passim, intelligitur quidquid in quaque re est pinguissimum & optimum. Ergo *adeps agnorum*, idem est atque agni pinguissimi, optimi. IT ARIETVM ILLIORVM BASAN] hoc est, arietum electissimorum, præstantissimorum. Nam in *Basan* regione trans Iordanem, quæ olim Og regis Basan fuerat, & postmodum cessit dimidiæ tribui Manasse, erant vbertima & pinguissima pascua: vt proinde qui ibi pascebantur greges & armenta, ceteris pinguiores essent. Hinc *tauros*, (*c*) *vaccæ*, (*d*) *aries Basan*, vti passim est in Hebræo, Latini & LXX. vertunt ferè semper, *pingues* tauros, vaccas, arietes.

b *Leuit. 3. v. vlt. & 6. 7. v 23.*

c *Psal. 21. v. 13.*

d *Amos 4. v. 1.*

℣. 20. ABSCONDAM FACIEM MEAM AB EIS] scilicet in bonum: hoc est, desinam misereri & benefacere illis. sed non abscondam in malum eorum, quia *considerabo nouissima eorum*, non purè speculatiuâ consideratione, sed etiam practica, disquirendo mecum, quonam supplicij & calamitatis genere eos perdam. q. d. Calamitosissimos exitus eis immittam, & eorum interitu contemplando me pascam.

℣. 21. PROVOCABO EOS ad iram & indignationem IN EO QVI NON EST POPVLVS meus] Id est, Judæos indignari & inuidiâ tabescere faciam super Gentilium populo, qui nunc non est meus populus, imò est populus stultus & fatuus ob cultum idolorum: sed quem ego reiectis Iudæis in populum meum assumam, & faciam longè doctiorem ac sapientiorem quàm vmquam Judæi fuerint. Ita exponit hunc locum S. Paulus ad Romanos 10. vers. 19.

℣. 24. TRAHENTIVM SE SVPER TERRAM] Periphrasis est *serpentium*, vt sequitur.

℣. 28. GENS ABSQVE CONSILIO EST, ET SINE PRVDENTIA] Spectant hæc ad hostes Israelis, quibus Deus vsurus esset ad puniendum Israelem. q. d. Stultè sibi arrogant eiusmodi vltionem de Israelitis sumptam, quasi suis viribus, & non meo iussu ac permissu. Quàm verò stultè id sibi arrogent, vel ex ipso successu ac fine colligant licet. qui enim naturaliter fieri posset, vt vnus ex hostibus mille Iudæos persequeretur ac superaret, & duo decem millia fugarent? Quòd si suis id viribus factum arbitrentur, v.g. Assyrij & Chaldæi, cur sese ijsdem aduersus suos quoque hostes tutati non sunt? Nam & Assyrij mox à Chaldæis, & Chaldæi, à Persis pari facilitate deuicti, fugati & absorpti sunt.

℣. 32. DE VINEA SODOMORVM, &c.] Hic redit ad Israelitas, causamque reddit, cur iussu Dei sint tam grauiter puniendi. quia nempe *vinea, tua, & vinum* omne, hoc est omnis illorum vita, omnia studia & actiones, quibus Deum oblectare deberent & homines; iam execrationi sunt omnibus & horrori, quia sunt similes Sodomitarum ac Gomorrhæorum vitæ, studijs & actionibus, hoc est, turpissimæ & fœdissimæ.

℣. 34. NONNE HÆC CONDITA SVNT APVD ME?] q. d. Ne idcircò, quia vltionem differo, existimate me scelerum vestrorum oblitum esse. Sunt enim omnia in mente mea recondita, & quasi sigillo *obsignata in thesauris meis*, seu in gazophylaciis diuinæ prouidentiæ & iustitiæ meæ: vnde ea, cùm præfinitum vindictæ tempus adfuerit, opportunè depromam.

℣. 36. ET IN SERVIS SVIS MISEREBITVR. Hoc est, ita puniet noxios, vt tamen innoxiorum rationem sit habiturus, & aliorum quoque si resipiscere & pœnitere voluerint, alioqui, si pergant esse noxij, perget & ipse punire, nec commiseratione vel tantilla mouebitur, quin potiùs, quando VIDEBIT QVOD INFIRMATA SIT MANVS, seu quòd penitus afflicti sunt & prostrati, & viribus ad resistendum destituti: ET CLAVSI QVOQVE DEFECERVNT, hoc est, quòd etiam milites & nobiles, qui se vrbium & arcium muris tutabantur, perierint; & his pereuntibus RESIDVI quoque de imbelli populo, (quos hi antè protexerant,) CONSVMPTI sint; insultabit tum rebellibus & idololatris Deus, ET DICET, VBI iam SVNT DII vestri?] adsint nunc vobis si possint. Pro *miserebitur*, LXX. verterunt, *consolabitur* (& ita citatur hic versiculus 2. Mach. 7. v. 6.) id est, subsidio & solatio ipsis erit. Vel, si malis passiuè accipi, *consolabitur*, idem erit quod *recreabitur*, nempe beneficentia seruis suis exhibenda, ex hostibus verò vindicta sumenda. Sequitur,

℣. 42. ET GLADIVS MEVS, seu vindictæ meæ DEVORABIT CARNES, hoc est, euertet, absumet omnes: neque tamen vno omnes modo, sed partim DEVORABIT CARNES, hoc est cruenta occisione, confossione, iugulatione: partim DE CAPTIVITATE, id est, abductione in captiuitatem, exiliũ, carcerem: partim NVDATI INIMICORVM CAPITIS] hoc est, denudatione & decaluatione capitis hostilis. Solebant enim olim victores victis, domini mancipijs, capita in ludibrium decaluare. vnde illud de Scipionibus dictum: *Sub quorum titulis Africa*

Michæe 1. vers. 16. Isaiæ, Ierem. &c.

tonsa iacet. Et Prophetæ toties minantur Israelitis A calvitium, tamquam extremum ludibrium.

℣. 50. IVNGERIS POPVLIS TVIS] Hoc est, morieris: quia morientes adgregantur alijs qui prioribus temporibus è populo vixerunt. De montibus Abarim & Nebo, vbi mortuus est Moyses, vide Num. 27. v. 12. De *præuaricatione* verò & peccato, ob quod excluſus est à terra sancta, vide Num. 20. 12.

CAPVT XXXIII.

Moriturus Moyses benedicit Israeli, & singulis tribubus, eiusq; obuentura olim prædicit.

℣. 2. DOMINVS DE monte SINAI VENIT, quia in illo monte requieuit gloria Dei, ipseque Deus ex vertice eiusdem montis legem suam promulgauit. ET DE SEIR monte Idumææ B ORTVS EST NOBIS, quasi nouus sol nos viuificans, cùm ab ignitis serpentibus læsos serpente æneo nos curauit, Numeror. 20. & 21. Denique nouo rursus beneficio APPARVIT nobis DE MONTE PHARAN, submittens coturnices, & 70. iudices populo constituens, Numerorum 11. ET CVM EO SANCTORVM angelorum MILLIA; Hebræa, LXX. & Aquila habent, *myriades angelorum*, latera eius stipantium. IN DEXTERA EIVS insigne nobis paratum donum, IGNEA LEX decalogi] Ignea, inquam, quia ex igneo seu ardente monte promulgata: ex igne diuini amoris & fauoris profecta: & quasi igne excocta, pura, omniq; sorde & scoria carens: denique instar ignis intellectum nostrum illuminans, & cor accendens atque inflammans.

℣. 3. DILEXIT POPVLOS, nempe duodecim tribus Israel. Hæc verò *dilectio* causa est omnium beneficiorum partim iam commemoratorum, partim commemorandorum. Ex hac enim dilectione factum, quòd OMNES SANCTI, scilicet Israelitæ, in sanctum à Deo populum ex toto orbe selecti, IN MANV ILLIVS SINT, hoc est, in Dei fida certaq; protectione. ET QVI APPROPINQVANT PEDIBVS EIVS, hoc est, qui se præbent obsequentes discipulos, ACCIPIENT DE DOCTRINA ILLIVS, qua plenè instruentur ad omnem vitæ honestatem ac sanctitatem. q. d. Non auscultabunt doctrinæ vanæ aut profanæ, sed soli *legi* diuinæ, *quam* iubente Deo PRÆCEPIT explicuitq; populo MOYSES, HEREDITATEM MVLTITVDINIS IACOB: hoc est, quæ tam cara, tam pretiosa debet esse omnibus filijs Iacob, quàm solet esse hereditas filijs à parente relicta: & sicut REX solet esse APVD populum RECTISSIMVM, seu recta politia institutum. Qualis *rectitudo* apud Israelitas, semper ERIT, quamdiu vnanimiter in diuinæ legis obseruationem conspirabunt PRINCIPES POPVLI CVM TRIBVBVS ISRAEL] Hæc præfatus Moyses de singularibus Dei beneficijs in vniuersum populum, mox singulis seorsim tribubus benedicit, & prophetice olim obuentura singulis prænuntiat. De primogenito Ruben vide dicta Geneſis 49.

℣. 7. AVDI DOMINE VOCEM IVDÆ, hoc est precem & supplicationem tribus Iudæ, quâ promissum à te in omnes Israelitas principatum postulat sibi concedi, ET AD POPVLVM SVVM sibi subiectum tamquam princeps & rex *introduci* solemni inauguratione. Nam sic à te decretum est, VT MANVS IVDÆ PVGNENT PRO populo vniuerso, tamquam vindices communis omnium salutis. Et de facto tribus Iuda ferè semper, etiam ante designatos reges, principatum in bellis obtinuit, vt Iudicum 1. vers. 2. & c. 20. vers. 18. & alibi dicitur.

℣. 8. Tribui LEVI AIT: PERFECTIO TVA, ET DOCTRINA TVA: hebraicè, *tummim* & *urim*, VIRO SANCTO TVO Aaroni data sunt à te. Erant hæ gemmæ pretiosæ in pectorali summi pontificis collocatæ, de quibus vide Exodi 28. v. 30. Per quæ sacra pontificatus insignia metonymicè intelligit ipsummet pontificatum Aaroni collatum. QVEM PROBASTI IN TENTATIONE AD AQVAS CONTRADICTIONIS Numer. 20. ET IVDICASTI] ac puniuisti exclusione à terra promissa, adeoque & morte. q. d. Non obstante tamen hac Aaronis offensa, voluisti summi pontificatus honorem penes illius familiam, atque omnia sacerdotalia munia, & sacra templi ministeria penes hanc vnam tribum perpetuò remanere, scilicet propter alia eiusdem tribus merita: ac præsertim propter insignem zelum Phinees, & egregium omnium Leuitarum facinus, cùm Exodi 32. cultores vituli aurei, nullo facto delectu seu fratrum, seu filiorum, seu parentum, cæco diuinæ iustitiæ zelo contrucidarunt.

℣. 11. PERCVTE DORSA INIMICORVM EIVS] q. d. Tu Deus vicissim sterne inimicos illorum, qui tanto zelo persecuti sunt inimicos tuos. Præsignat his Moyses præclara facinora & victorias sacerdotum Machabæorum, quorum robur bellicum planè fuit admirabile, & triumphi supra modum illustres.

℣. 12. BENIAMIN, vt Iacobo patri suo AMANTISSIMVS fuit, ita & Deo opt. max. tribus illa erit charissima. Patet ex singularibus in eum collatis beneficijs: nam & pinguissimam totius terræ promissæ regionem accepit, in qua erant Iericho & Ierosolyma: & primum Israelitarum regem, Saulem ex sua tribu habuit, & in eadem tribu templum C Dei Ierosolymis exstructum fuit: in quo Deus CONFIDENTER, TAMQVAM IN THALAMO SVO, INTER HVMEROS dilecti sui MORABATVR ET REQVIESCEBAT] Licèt enim pars Ierosolymæ superior Australis, vbi erat mons Sion, pertineret ad tribum Iuda: pars tamen inferior & Septemtrionalis cùm intermedio monte Moria, in quo templum exstructum fuit, spectabat ad tribum Beniamin. (a) Neque aliter in Scripturis dicitur *Deus habitasse in monte Sion*, vel *templum fuisse in monte Sion*, quàm quòd synecdochicè *mons Sion* sumatur pro tota vrbe Ierosolymitana: & quia coæquata à Salomone voragine *Mello*, quæ inter montem *Sion* & montem *Moria* interiacebat, vterque mons videri vnus potuit, maiore communicante minori nomen suum.

(a) *Liranus in Gen. 28.*

℣. 13. De benedictione Ioseph dixi Genes. 49. D Hîc per POMA CAELI, & POMA FRVCTVVM SOLIS AC LVNAE] intelliguntur optimi fructus, planeque delicioſi, ob clementem cæli & astrorum influxum in eam regionem quæ obtigit tribubus Ephraim & Manasse; designaturque maxima terræ fœcunditas non solùm in planicie & vallibus, sed etiam in *vertice colliũ & montiũ*, & quidem *æternorum*, hoc est, ab ipso mundi exordio sic factorum. q. d. Hæc amœnitas & fertilitas non arte aut industria hominum inducta fuit, sed ab ipso Deo datâ operâ à primo mundi exordio concreata. Sic *pulchritudine primogeniti tauri, & cornibus rhinocerotis*, regni Ephraimitici sub *Ieroboam* eiusque successoribus, gloria, decus & robur designatur; vt in simili dixi Num. 23.

℣. 18. LAETARE ZABVLON IN EXITV TVO, id est exportatione & importatione mercium omnis generis. ET ISSACHAR IN TABERNACVLIS TVIS,

TVIS, in quibus quietè degendo, & agriculturæ vacando, feliciter quoque augebis res tuas. POPVLOS reliquarum tribuum VOCABVNT AD MONTEM Dei, seu ad templum. idque duplici via, Prima, studio sao *astrologiæ*, quod cum agricultura maximè quadrat. Vnde 1. Paralip. 12. v. 32. dicuntur fuisse *de filijs Issachar viri eruditi, qui nouerant singula tempora, ad præcipiendum quid facere deberet Israel.* Videtur enim Issacharis cura demandata fuisse ephemerides, & stata per annum festa describendi, ordinandi neomenias, &, cùm opus esset, emboliſmalem mensem intercalandi: atque ita passim indicandi quibus temporibus ter per annum ad montem sanctum & templum omnibus conueniendum esset. quod ipsum erat tacitè inuitare & *vocare ad montem*. Altera via quoque vocabunt, exemplo alijs præeundo: nempe copiosas *victimas iustitiæ*, seu lege debitas, ex fructuum suorum vbere prouectu, quotannis immolando, quoties ad templum ascenderent; q.d. In eo reliquis præcellent, & præibunt. Sed vicissim Deus illis quoque copiosiùs benedicet: nam *inundationem maris quasi lac sugent*, hoc est, opibus ac delicijs externis, quas mare nauibus affundet illis, affluent, *& thesauris absconditis arenarum*, id est, auro, argento, gemmis aliundè inuectis, quæ è terra vel arenis effodi solent, mirè abundabunt.

℣. 20. BENEDICTVS GAD, Primò, IN LATITVDINE] hoc est, propter latam & spatiosam regionem, quam trans Iordanem obtinuit. Secundò, ob fortitudinem bellicam, & deuictis hostibus securitatem, quia *quasi leo* victor & dominator omnium securus & neminem timens *quiescet*; & leonis in morem, qui prædæ quam cepit, *brachium* seu armum, simul *& verticem* seu caput, vno impetu & vnguium impressione à reliquo corpore diuellit, Gaditæ aduersarios suos eorumque duces ac reges discerpent. Tertiò, ob *principatum suum*, hoc est, singularem excellentiam quâ præ reliquis tribubus gaudet: *quòd in parte sua doctor* totius populi, putà Moyses, *esset repositus*, quia mons Nebo, vbi sepultus est Moyses, intra terminos Gaditarum continetur.

℣. 22. DAN fortis erit & audax vt CATVLVS LEONIS. Patuit exemplo Samsonis. FLVET LARGITER] Hoc est, largissimum maximumq; fluuium subministrabit reliquæ terræ sanctæ. Nam ex hac tribu ad radices Libani duo fontes ac riui oriuntur *Ior* & *Dan* dicti, qui prope vrbem *Dan* coëuntes *Iordanem* efficiunt. Qui tamen *de Basan* quoque profluere hic dicitur, quia primam suam originem per subterraneos meatus accipit ex *Basan*, putà ex *Phiala* fonte seu lacu, vt experimento deprehendit etiam Philippus Tetrarcha, sarcinulis in eum lacum conIoseph. l. 3. Bell. c. 18. Adrich. in Iordane & Phiala.

iectis, & postea in fonte *Dan* repertis, teste Iosepho, Hegesippo, Adrichomio & alijs.

℣. 24. ASER BENEDICTVS erit Primò, IN FILIIS, nempe prolibus quæ ob eximiam formam FRATRIBVS, seu ceteris reliquarum tribuum futuræ sint in amore & delicijs: eritque hęc forma non fluxa, nec imbellis, sed constans & robusta, SICVT DIES IVVENTVTIS TVÆ, ITA ET SENECTVS TVA, hoc est, perduratura in longam senectutem. Secundò, copia *olei*, vt præ abundantia possit etiam IN OLEO quasi aquâ PEDES quotidie lauare. Huc etiam alluſit Iacob Genes. 49. eidem tribui benedicens, *Pinguis*, inquit, *panis eius, & præbebit delicias regibus*. Tertiò, fodinis *ferri & æris*, tam copiosis, vt etiam calceos inde cõficere possent si vellent. Fortè etiam moris apud eos fuit, calceorum fulmentis ac soleis tum subtus, tum ad latus clauos A impingere, ferreos pro rusticis ac plebeijs, æneos pro honestioribus. Nam id olim etiam apud Rom. & Syros, & alios populos vsitatissimum fuisse testes sunt Iuuenalis, Iosephus, Plinius, Valeri⁹ Maximus. *Iuuenalis satyra 3. Ioseph. l. 7. Belli c 3. Plin. l. 33. c. 3. Valer Max.*

℣. 28. OCVLVS IACOB IN TERRA IRVMENTI ET VINI. Hoc est, oculi posterorum Iacob contemplabuntur terram sibi datam frumenti & vini supra modum feracem: CÆLIQVE CALIGABVNT RORE.] nempe tam copiosus ros decidet, vt caligine densaque nebula solem cælumque nobis obtegat Quæ res ad frugum & fructum abundantiam mirè confert.

CAPVT XXXIV.

Moyses è Phasga, vertice montis Nebo contemplatus terram Chanaan, iussu Dei moritur, ab angelo sepelitur, à populo plangitur. Cui Iosue succedit in munere.

℣. 3. CIVITATIS PALMARVM] Sic passim in Scripturis (*a*) Iericho vocatur, quòd palmis abundaret, teste Iosepho. (*b*)

a *Iudic. 1. v 16. & c. 3. v. 13. & 2. Paralip. 28. v. 15.*

b *Ioseph. l. 4. Antiquit. c. 5. & l. 5. Belli c. 4.*

℣. 5. MORTVVSQVE EST IBI MOYSES] Prima die mensis duodecimi, inquit Iosephus, (*c*) vel septima die, vt in Seder-Olam (*d*) notatur. Atque ex his verbis constat, Moysen non seruari etiamnum in viuis, vt cum Enoch & Elia prodeat contra Antichristum, vti sensit Ambrosius Catarinus, Arboreus, & alij citati à Suarez 3. p. q. 45. a. 3.

c *Ioseph l. 4. Antiquit. c. vlt.*

d *Chron. c. 19. in fine.*

Petes, Cur ergo sepulchum eius hucusque incognitum? cur neminem morti illius adesse voluit Deus? Respondeo, Ne Israelitæ ad idololatriam procliuiores, virum tam admirabilem ac propè diuinum pro Deo haberent, illiusque cadauer pro numine colerent. Et hæc erat etiam altercatio Michaelis Archangeli cum diabolo de Moysis corpore, cuius meminit S. Iudas v. 9. suæ epistolæ: nempe volebat diabolus, vt Moysis sepulchrum innotesceret Israelitis, atque ita in idololatriam pellicerentur: Michaël verò, ne quid tale contingeret, voluit occultum seruari.

IN TERRA MOAB] Quomodo mortuus & sepultus est Moyses *in terra Moab*, cùm Moabitarum regionem non occuparint Israelitæ, Deo id vetante Deut. 2. v. 9. Respondeo, Vetuit Israelitas Deus eam Moabitarum regionem occupare quam tum temporis illi pacificè incolebant. Sed non vetuit, imò iussit, occupari eam ex qua fuerant iam pridem ab Amorrhæis eiecti; quæ tamen passim antiquo adhuc nomine etiam in Scriptura, *terra Moab* vocatur: & in hac erat mons Nebo altissimus montium *Abarim*, in cuius vertice omniũ sublimissimo *Phasga* mortuus & sepultus est Moyses, Numer. 21. & 27.

℣. 6. ET SEPELIVIT EVM] Quis? cùm nullus hominum præsens adesset? Respondeo, Deus ope angelorum, vt habent LXX. secundùm explicationem Philonis, & Epiphanij. Idque ob causas iam dictas. quia aliàs innotuisset locus sepulchri: cùm tamen hîc dicatur, *Non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem*. Ex quibus etiam verbis patet, hæc non à Moyse, sed ab alio quopiam huic libro inserta fuisse, & verisimiliùs à Iosue successore illius, & rerum post mortem eius gestarum accurato scriptore, vt patebit ex libro sequenti. Quin imò totum hoc caput, & plura quoque alia loca ab eodem Iosue hinc inde in Pentateucho, maximè vbi Moyses effusè laudatur, inserta fuisse, plurimorum est opinio, quòd censeant, virum tam modestum in laudes proprias numquam tam amplè excursurum.

Philo l. 3. de Vita Moysis. Epiph. hæresi 9.

LIBER

LIBER IOSVE

Ab ipsomet Iosue conscriptus, gesta ipsius per annos 17. complectitur.

CAPVT. I.

CORroboratus à Deo Iosue monet populum, vt ad Iordanem traiiciendum se paret in diem tertium: & tribus Ruben. Gad & dimidiam Manasse, vt fratres suos armati precedant ex condicto.

¥. 1. AD IOSVE FILIVM NVN.] De nomine hoc ipsi per Moysen imposito vel potiùs immutato dixi Numeror. 13. v. 17. Vbi & exposui, quomodo Iosue typus fuerit Christi, non modò nomine suo, sed & rebus in bello præclarè gestis. In hoc verò libro, ex transitu Iordanis, ex Chananæorum subuersione, ex plurimis stupendisque prodigijs, ex distributione terræ populo iam victori, longè id clariùs certiusque innotescet. Scripsit autem hunc librum verisimiliùs ipsemet Iosue, si pauculas exceperis lineas cap. 10. v. 13. *de libro iustorum* (qui posterior est temporibus Dauidis, cuius, vti & Saulis & Ionathæ (*a*) in eo fit mentio:) & c. 15. v. 16. de *Axa* filia Caleb, & c. 19. v. 47. de *Lesem* expugnata; (quæ contigerunt post mortem (*b*) Iosue:) & cap. vlt. à v. 29. vsque ad finem, de morte Iosue: nam hæc vel ab Eleazaro pontifice, vt volunt Thalmudici; vel ab Esdra, vt alij, adiecta fuerunt: vt etiam Pentateucho quædam post mortem Moysis inserta hinc inde fuisse, dixi in fine vlt. cap. Deuteronomij. Ita (*c*) Iunilius, Dorotheus, Vatablus, Abulensis, Driedo, Pineda, & Hebræi. Quin & cap. vlt. vers. 26. disertè dicitur Iosue *scripsisse omnia verba hæc in volumine legis Domini.* Hoc est in codice qui in arca erat, & legem Domini à Moyse conscriptam complectebatur. Denique occasione huius libri ab ipsomet Iosue conscripti, dicit Ecclesiasticus cap. 46. vers. 1. *Iosue successorem* fuisse *Moysi in prophetiis*, vt est in Græco. *In prophetijs*, inquam, id est in SS. Scripturis concinnandis, & non ore solo, sed & calamo exprimendis, posterisque tradendis.

¥. 4. A DESERTO ET LIBANO] Termini hîc describuntur terræ promissæ: de quibus egi Deuteronomij 1. vers. 7.

¥. 11. POST DIEM TERTIVM TRANSIBITIS IORDANEM] Petes, Quomodo id subsistit, cùm capite demum sequenti sint missi exploratores in Iericho, & hi triduo latitarint in montibus: & post reditum illorum hæserint adhuc tres dies Hebræi apud Iordanem, vt dicitur cap. 3. v. 1. Respondeo, Hæc per hysteron proteron hic dicuntur anticipatiuè: nam missio exploratorum, adeoque totum caput secundum præponi debet huic Iosue præcepto per castra diuulgato: ita vt tres dies, quorum hîc fit mentio, sint ijdem cum illis tribus diebus qui habentur cap. 3. vers. 1. Ita Abulensis & alij Doctores.

a 2. Reg. 1. v. 18.

b Vt patet ex Iudicum c. 1. & 18.

c Iunil. l. 1. de partibus diu. legis c. 8 Doroth. in Synopsi. Driedo l. 1. c. 3. Pineda præfat. 3. in Iob

CAPVT II.

Missi exploratores in vrbem Iericho, à meretrice Rahab occultantur: & promissa omni familiæ ipsius indemnitate, per fenestram domus eius fune demissi, redeunt incolumes in castra.

¥. 1. MVLIERIS MERETRICIS] An ergo propriè dictum scortum fuit Rahab? Negant quidam Rabbini, & cum his Liranus, Vatablus, Pagninus, Arias Montanus, & Titelmannus, qui nomine *meretricis cauponariam* vel *hospitam* intelligunt, quo modo etiam Chaldæus vertit. Ratio horum præcipua est, quòd, si scortum fuisset, numquam eam duxisset vxorem *Salmon* vir amplissimus, & tribus Iudæ princeps nobilissimus: multò minùs voluisset Christus (*d*) ex ea procreari. Sed verisimilius est, fuisse publicum *scortum*, & forsan ex ijs *sacris scortis*, quæ in honorem deorum, (v. g. *Lunæ*, quæ in *Iericho* maximè colebatur,) corpora sua prostituebant, de quibus egi Deuter. 23. v. 17. Et quomodo aliàs tulissent parentes filiam suam adhuc iuuenculam, sine marito, sine liberis, seorsim extra domum paternam, iuxta vrbis portam habitare? nisi & sibi & filiæ suæ id honorificum putassent, vtpote in obsequium & cultum magnæ deæ. quomodo item satellites regij tam facilè fidem habuerunt verbis Rahab, neque irruperunt vi in domum? nisi quòd reuererentur illam tamquam sacram. Ita Serarius, qui plurimis rationibus, & patrum auctoritatibus id probat. Et certè Hebræum *zonah*, Græcum πόρνη, & Latinum *meretrix* non nisi in malam partem pro *scorto* sumi solent. Ad factum *Salmonis* Respondeo, eiusmodi sacra scorta non solere ex vilioribus esse, sed sæpè ex nobilissima stirpe, & opibus & honore præcelluisse. Testes sint Megarensis illa *Nicarete*, & Argiua *Bibliſtiche*, & aliæ apud Athenæum, Villalpandum, & Martinum de Roa. Quidquid verò sordium ex hoc meretricio in cæca illa gentilitatis nocte contraxit, sua ad Deum conuersione totum eluit: & insigni sua in Hebræos exploratores (quorum forsan vnus fuit hic *Salmon*) pietate, obsequio ac fide, torum principis huius promerita fuit. Quòd si Abydeni tantoperè adlaborarunt, vt meretrici, cuius indicio seruitutem depulerant, gratiam referrent, teste Athenæo; an mirum videbitur, etiam Israelitas, qui non minori à Rahab beneficio affecti fuerant, omni studio conatos esse se gratos eidem exhibere? Pro Christo respondet S. Hieronymus, in genealogia Saluatoris Scripturam non meminisse sanctarum mulierum, sed solùm illarum quæ alicuius turpitudinis labe insignes fuissent, v. g. *Thamar*, *Rahab*, *Ruth* & *Bethsabee*. Vt, qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, se omnium peccata delere velle demonstraret. Idem tradunt S. Ambrosius, Chrysostomus, Euthymius & alij.

Titelmann. in Matth. alij in hunc locum.

d Matth. 1. v. 5.

Athen. l. Villalp. in Ezech. 4. c. 79. Martin de Roa l. 2. Singular. c. 9. & 10. & l. 3. c. 9. &c.

¥. 4. NESCIEBAM VNDE ESSENT] Ioseph Abbas apud Cassianum, Ioannes Caluinus & Dauid Chytræus volunt *Rahab* hîc sæpiùs mentiri quidem, sed non peccare: Tremellius & Iunius Caluini asse-

Hieron. Matth.

Cassian. collat. 17. c. 17.

clæ

clæ,ne quidem mentiri illam volunt,ſed,quaſi de alijs qui antè ad ſe diuerterant,loqui. Verùm nimis aperta ſunt hìc quatuor illius mendacia , quàm vt celari vel excuſari poſſint : minuta ſunt tamen & venialia, quia officioſa. Ita S.Auguſtinus, Rupertus, Abulenſis, Liranus & alij. Nam licèt in temporalem perniciem & proditionem ſuæ gentis mentiretur , tamen, quia Dei ſeu reuelatione,ſeu inſtinctu ſciebat gentem ſuam à Deo iam proſcriptam , & Hebræis deditam, certoq; ab ipſis capiendam,vt patet v.9.& 10. potuit huic Dei decreto cooperari , ac ſaltem ſe ſuoſque parentes amicoſque in tuto collocare voluit,fortiſſima fide ac pietate pro Deo , pro Hebræis , pro parentibus morti ſeſe obijciens , ad Hebræos 11. v. 31. Qua fide,ac pio fortitudinis , chariratis & obedientiæ opere docet eam S. Iacobus fuiſſe iuſtificaram, c. 2. ſuæ epiſtolæ v. 25. Quomodo verò potuerit vno eodemque opere , qua parte malum fuit,Deum offendere ; qua parte bonum , promereri mercedem , oſtendi in ſimili obſtetricum Ægyptiarum facto,Exodi 1. v. 22.

Auguſt. lib. cont. mendacium c 15. & 17. Rupert. l. 1. c. 11.

CAPVT III.

Siccatum miraculo Iordanem, praeunte arcâ , tranſeunt Iſraelita.

¥.4. SIT INTER VOS ET ARCAM SPATIVM CVBITORVM DVVM MILLIVM] ſeu pedum trium millium. Hoc ſpatium erat *iter ſabbathi*, Actor. 1. inquit Joſephus, Clemens Alexandrinus, Oecumenius, Theophylactus,& ex his Suidas.

Ioſeph. l. 20. Antiqu. c. 6. Clem. l. 5. Stromat.

Petes,Cur tantum voluit Deus intereſſe ſpatium ſeu interuallum? Reſpondeo , Primò , vt honos ipſi arcæ, ſacerdotibuſque ipſius baiulis à populo maior eſſet.Secundò,vt Deus,qui per arcam deſignabatur, omnibus palàm faceret , ſuâ ſolius potentiâ ſiccari Iordanis alueum , & ingreſſum in Palæſtinam patefieri: ſe nullius egere auxilio aut præſentia: nullum quoque timere mortalium,etſi ſolus præcederet,&c. Tertiò,vt Hebræi viam quâ gradiendum eſſet, viderent eminus,non ſimpliciter , ſed cum admiratione, animorum exultatione , diuinæque maieſtatis veneratione & deprædicatione. Quartò , ne quis laicorum ſe ſacerdotalibus officijs vllo modo ingereret. Quintò , Allegoricè , vt ſignificaret, quàm procul à Chriſti per arcam deſignati perfectione ac præſtantia nos homuli & peccatores abſimus.

Petes Secundò , An columnam nubis non ampliùs habuerint itineris ſui ducem? Reſpondeo , cum Auguſtino, Abulenſi, Hugone , Caietano & Serario, non amplius habuiſſe : ſed illam quaſi iam perfunctam officio ſuo , quo in inuio deſerto deſeruierat Hebræis , ipſos ad Iordanem deſeruiſſe. Myſticè , in veri Ioſue ſeu IESV Chriſti principatu nulla ampliùs eſt nubes, nulla caligo.

¥. 5. SANCTIFICAMINI]Exterius,*lotione veſtium,& ſecubitu ab vxoribus* ; hunc enim ſanctificationis externum ritum præſcripſerat illis Deus Exodi 19. v. 10.& 15. Interiùs verò, firma fide , certaque ſpe obtinendorum à Deo quæ ipſe promiſerat. Hanc enim rationem cur *ſanctificari* eos velit,dat continuò Ioſue, *Cras enim*,inquit,*faciet Dominus inter vos mirabilia.*

¥.15. IORDANIS RIPAS ALVEI SVI IMPLEVERAT TEMPORE MESSIS] putà hordeaceæ iam matureſcentis : erat enim decimus dies Niſan , (qui noſtro ferè Martio reſpondet ;) cùm Iordanem tranſirent (*a*) Hebræi.

a Ioſue 4. v. 19.

Nota. Sicut Nilus & Tigris , ita etiam Iordanis exundare ſolet, vt dicitur Geneſis 13. v. 10. Et hic quidem menſe Martio,ob niues quæ ſub id tempus è vicinis montibus liquatæ defluunt. Elegit verò Deus traiectui Hebræorum tempus iſtud exundationis. vt tantò maius & patentius eſſet miraculum. *Steterunt* ergo *aquæ* Iordanis quæ à capite fontis defluxerant, *in loco vno* ſeu tumulo vno, putà à *Beth-abara* , id eſt à *domo* ſeu loco traiectus Hebræorum,vſque ad vrbem *Adom* ; hebraicè *Adam quæ eſt à latere Sarthan*, hoc eſt, ex eodem ſita eſt Iordanis latere vrbs ignota *Adam*, ex quo notior *Sarthan* , putà circa mare Tiberiadis, ſeu ad lacum Genezareth. Intumuit ergo & immotus ſtetit Iordanis ferè à mari Mortuo vſque ad mare Galilææ,hoc eſt,per viginti circiter milliaria: retento impetu aquarum,inquit Theodoretus,inſtar montis intumeſcentium; qui a terminum ponebat aquis ipſe aquarum opifex , qui quouis adamantino muro fortiùs ipſas retinebat.

Theod. q. 1

Nota. Hoc eodem loco , quo Hebræi tranſierunt ſicco veſtigio Iordanem , baptizauit poſtea Ioannes, putà in *Beth-abara* , Ioan. 1. v. 28. ſic enim ibi , pro *Bethania* legendum volunt Chryſoſtomus, Epiphanius , Theophylactus , Oecumenius & plures alij. Scilicet, vt quo loco baptiſmus prodigioſo Hebræorum tranſitu primùm fuerat adumbratus , eodem quoque perficeretur à S. Ioanne & Chriſto.Ideoque multi quoque Chriſtiani , teſte S. Hieronymo , voluerunt poſtea eodem in loco ſacris baptiſmi aquis renaſci. De *mari Mortuo*, de mari Galilææ ſeu Tiberiadis , ſeu ſtagno Genezareth vide quæ dixi Geneſis 19. & Numerorum 34.

Epiph. hæreſi 15.

Hieron in Locis Hebr.

CAPVT IV.

Duodecim lapides è fundo Iordanis ad poſterorum memoriam efferuntur, locanturque in Galgalis ; & alij duodecim in ipſo Iordanis alueo, vbi arca ſteterat, erigunt ur.

¥. 10. DONEC OMNIA COMPLERENTVR, &c.] Ex his colligitur , ducem Ioſue intra alueum Iordanis iuxta ſacerdotes & arcam conſtitiſſe , tranſeuntique populo memoriam tum præſentis beneficij,tum præteritorum omnium, vnaque legis diuinæ cuſtodiam ſeriò & acriter inculcaſſe , iuxta monita Moyſis Deuteron. 3. in fine , & quarti initio.

Nota. Arca , quæ Deum deſignabat quaſi regem ſolio ſuo inſidentem , prima omnium tranſitum per Iordanem aperuit , prima ingreſſa eſt : ſed in medio aluei tanti ſper immota ſubſtitit , humeris innixa ſacerdotum , quoad omnis populus cum omnibus proſelytis & aduenis , (qui pluſquam tricena hominum millia conflabant) cum gregibus & impedimentis omnibus in aduerſam ripam euaſiſſet. Tum rurſus vltra ripam populum ad bis mille cubitos præceſſit , & ducem viæ ſe præbuit vſque in Galgalam.

Allegoricè hæc Chriſto omnia, & S.Baptiſmi, & pœnitentiæ lauacro : quin & morti hominis Chriſtiani pulchrè applicant Origenes,Hieronymus,Rupertus , Theodoretus. Nempe ſi Deo nos regenti, probanti , manuducenti obſequentes fuerimus , ſi magno animo,ſi generoſa conſtantia ad finem vſque ei ſeruierimus , etſi millenis cingamur hoſtibus,ipſe tutos nos & illæſos non modò per aquas , ſed & per aera in cælum rapiet , per medias flammas in Beatorum regionem tranſuehet.

Origen. homil. 3. & 4.

Nota Secundò , quàm facilè , quàm promptè pareant creaturæ omnes nutui creatoris ſui. Vt *Gyndem* fluuium ſiccaret Cyrus(*a*),vt *Euphraten*(*b*)Semiramis, & rur-

b Herodotus l. 1. & Freculphus Lexouienſis, & Seneca l. 3. de Ira c. 21.

c Iulius Frontinus l. 3. c. 7. Curtius l. 5.

a *Iulius Frontinus l. 3. c. 7. Curtius l. 5.*

& rursus idem Cyrus, & tertiò Alexander Magnus a siccatum penetrarent, quot opus habuerunt cuniculis? quot fossis & riuis? quot machinis? quot manibus? quot mensibus? Deus vix quarta diei vnius parte, nemine manum, nemine machinam vllam admouente, sine fossis, sine mæandris, sine cuniculis, solo verbo & imperio suo sistit aquas Iordanis, exsiccat alueum, traducit innumeras Hebræorum copias, & in conspectu innumerabilium hostium incolumes statuit & intactas. Quin nec in gratiam solùm tanti tamque copioli exercitus tam stupendo prodigio stirit fidit-que aquas has Dominus, sed, quod magis stupeas, etiam in vnius Eliæ gratiam, & rursus in vnius Elisæi, 4. Reg. 2. v. 8 & 14. idem miraculum solo Eliani pallij alliu in eodem Iordane repetijt: repeterique iterum in *fluuio magno Euphrate* sub tempora Antichristi, Apocal. 16. vers. 12.

CAPVT V.

Circumcisio fit in Galgalis; & Pascha celebratur. Deficit manna, de fructibus deinceps edunt. Angelus apparet Iosuæ armatus.

¶. 2. FAC TIBI CVLTROS LAPIDEOS. Hebraicè & chaldaicè, *cultros cote acutos*: neque verò necessum erat adhiberi semper lapideos cultros, vt dixi Genesis 17. v. 14. ET CIRCVMCIDE SECVNDO FILIOS ISRAEL] id est, instaura morem circumcidendi, primò inchoatum à patribus vestris, & continuatum perpetuò à posteris vsque ad egressum ex Ægypto, sed iam per quadraginta annos intermissum. Neque enim potuerant natos in deserto circumcidere propter euidens mortis periculum, cùm nullam haberent vspiam certam quietem, sed ad omnem columnæ motum vasa colligere & subitò castra mouere deberent. Id verò ijs qui fortè tunc recèns circumcisi fuissent, vitæ periculum maximum creasset. ita S. Thomas, Abulensis, Masius, Pererius, Serarius. Ad primum verò ingressum terræ promissæ voluit Deus omnes circumcidi, vt sic pio hoc ritu *inchoarēt possessionem* terræ illius. Secundò, vt possent statim *comedere pascha*, cui præfixus erat dies decimusquartus ad vesperam seu occasum solis iam iam imminens. Tertiò, vt hac viâ *tolleretur* à Iudæis *opprobriū Aegypti* seu Gentilium, id est *præputium*, quod magno suo probro ex Ægypto pleriq; secum detulerāt, scilicet qui sub vltima tempora cùm indies vrgeretur egressus, in Ægypto nati fuerant: reliqui qui in deserto nati, quia ratione eiusdem egressus ex Ægypto & perpetui itineris ad hæc vsque tempora continuati, circumcidi non potuerant, eodem quoque Ægypti probro dicebantur onerati. Iam verò hoc probro remoto ab illis, seu reuoluto, per circumcisionem, nomen inde loco inditum *Galgala* à *galal*, seu *gilgal*, quod reuoluere seu remouere significat. Cetera quæ spectant ritum *circumcisionis*, eiusque mysteria & causas, & effectus, explicui Genes. 17. quæ verò solemnitatem *paschæ*, Exodi 12. & Deuteron. 13. Denique de *manna*, quod iam demum post transitum Iordanis defeciisse dicitur, fusè egi Exodi 16.

S. Tho. 3 p. q. 70 a. 4. Abulens. q. 20. 57. 59. Perer. in Genes. &c.

Theod. l. 4. Pantaleon orat. in S. Michael. Viegas in Apoc. c. 12. Villalp. in Ezech. 40. c. 7. Scher. conc. 2. de S. Michaele.

¶. 13. NOSTER ES, AN ADVERSARIORVM? hoc est, an è nostris es castris? an de numero es Chananæorum? Hinc aptè respondet, NEQVAQVAM. q. d. De neutro sum grege: SED SVM PRINCEPS EXERCITVS DOMINI] id est, sum *Michael* princeps Synagogæ, vt dicitur Danielis 10. v. 21. & cap. 12. v. 1. Ita Theodoretus, Pantaleon, Liranus, Caietanus, Viegas, Villalpandus, Schererus, Serarius.

¶. 14. ET NVNC VENIO] scilicet iussu & missu Dei, vt singulari præsentia mea licèt inuisibili vobis perpetuò adsim aduersus hostes vestros. q. d. Ne metuatis, bello non interero tantùm; sed & præeuntem me duce, terrebuntur, fugabuntur, prosternentur hostes omnes: hic gladius quem districtum teneo, certissimam vobis opem, hostibus extremam afferet perniciem.

¶. 16. SOLVE ERGO CALCEAMENTVM TVVM DE PEDIBVS TVIS] vt Deo, cuius ego personam refero, debitam reuerentiam exhibeas. De quo vide Exodi 3. v. 5.

CAPVT VI.

Post variot septem dierum circuitus cum arcâ, vrbs Iericho collapsis vndique muris euertitur funditus. Sola Rahab seruatur cum suis. Readificatori vrbis maledicitur.

¶. 3. SIC FACIETIS SEX DIEBVS] In speciem oppugnationis, sed vmbratilem, iubentur B *per sex dies* quotidie *semel* circuire Iericho, & buccinis clangere tum sacerdotes, tum reliquus populus, vt dicitur v. 9. sed *septimo die* iubentur *septies* circuire & clangere. Causæ fuerunt: Prima, vt sic fides Hebræorum exerceretur, ad Hebræos 11. v. 30. Secunda, vt pateret, non humana arte vel armis, sed vnius Dei nutu ac potentia vrbem expugnari. Tertia, vt significaretur, iam tempus iubilæi instare, quo Chananæa ab iniquis possessoribus ad verum dominum transferretur, & melioribus colonis traderetur. Hinc tempore iubilæi buccinis clangere iubentur. ita Abulensis, Masius, Arias. Erant hæ buccinæ partim *argenteæ*, vt patet Numeror. 10. v. 2. partim *corneæ*, & quidem *arietinæ*, vt dixi Leuitici 25.

Allegoricè, quomodo mundum expugnarint Apostoli Christi: & tropologicè, quomodo nos eumdem expugnare nobisque subijcere debeamus, explicat fusè S. Augustinus & Serarius: qui idem docet, hanc septem dierum circuitionem inchoatam fuisse postridie octauæ Paschæ, feria prima; & sabbatho proximo captam vrbem, sed sequenti demum die igne succensam. C

S. August. serm. 106. de Temp. & epist. 119.

Notant Espencæus & Lipsius, simili ferè modo, cùm *Robertus Francorum rex Aquilionem* obsideret, ipseque precibus vt plurimùm vacaret, & cum sacerdotibus psalleret, vrbis muros sponte sua subitò corruisse, & regijs aditum vndique pandisse.

Espencæus tractatu de Eucharist. Lipsius in Exempl. polit. l. 2.

¶. 17. SIT CIVITAS HÆC ANATHEMA] Primò, vt has vrbium primitias Deo darent. Secundò, vt in prima vrbe exemplum alijs statuerent; terrorem incuterent, ad deditionem & ad pœnitentiam prouocarent. Tertiò, & primariò, quia sic Deus per angelum fieri iusserat, conformiter ijs quæ habentur Deuteron. 13. v. 16. Vnde & 3. Regum 16. *in fine* Deo tamquam auctori adscribitur. De modo huius anathematis vide quæ dixi Leuitici 27. D

¶. 26. IN PRIMOGENITO SVO FVNDAMENTA IACIAT] Id est, quisquis instaurare voluerit Iericho, ille maximum natu liberorum suorum perdet cùm fundamenta iaciet vrbis: in progressu verò ædificij ceteros paulatim omnes: ita vt minimum omnium perdat cùm iam absoluto opere portas vrbis locabit. Ita ad litteram euenit inobedienti *Hiel 3. Regum 16. in fine*. Nempe, voluit Deus in ruderibus & busto Iericho æternum exstare monumentum diuinæ potentiæ, & vindictæ in impios, & maximè in idololatras, & benignitatis in pios. Ita Rabbi Moyses, Masius, Arias.

Allegoricè, Eucherius & Angelomius & Origenes extremam mundi conflagrationem hîc designari notant: Serarius, quàm detestabilia peccata sint,

sint, quæ pœnis tantis in hoc etiam sæculo punit Deus alioqui benignissimus.

CAPVT VII.

Explorata vrbe Hai, & tentata, caditur populus Israel, propter furtum ex anathemate Iericho. Iosue lamentatur. Achan sorte deprehensus iussu Dei lapidatur, & omnis familia, omnisq; supellex igni crematur.

℣.9. ET QVID *facies magno nomini tuo?*] q.d. Quòd nos omnes pereamus, & nomen nostrum funditus exstirpetur, cùm viles simus homunciones & terræ filij, paruum fortassè detrimentum censeri posset, imò nullum, si per se ipsum spectetur: tuum verò nomen, ô Deus, quod verè magnum est, debita gloria & honore non celebrari, quin verò contemni, derideri & exterminari, eiusmodi est, vt damnosius, exitialius & luctuosius esse nil possit. & tamen ita futurum, si tua contra nos ira peritet, nosque, vt iam incipis, metu, fuga, cæde pergas coram Chananæis affligere. Deinde, si omnino nos propter scelera nostra punire decreuisti, mille alij modi ad manum tibi sunt, quibus id citra iacturam tui honoris facere possis. tuæ saltem consulas gloriæ diuinæ, vt fidelis & constans habearis in promissis tuis de Chananæa nobis donanda. Denique, si Hebræos penitus deleas, quæ alia gens colet nomen sanctum tuum, cùm omnes illud ignorent?

℣.14. *Quamcumque tribum sors inuenerit*] Ex his verbis patet, non solùm instinctu, sed & iussu diuino adhibitas hîc fuisse sortes. quo casu non licitum modò, sed & infallibile est tale scrutinium. Aliàs, licèt sortes naturâ suâ malæ aut veritæ non sint, nisi forsan ex fine malo, vel materia vel forma, vel modo superstitioso vitientur, tamen semper incertæ atque fallibiles sunt. Hinc Iure(*a*) tam Ecclesiastico, quàm ciuili prohibentur adhiberi ad exquirenda furta, scortationes, vel alia crimina incerto auctore commissa: Item ad Ecclesiæ Præsules eligendos. (*b*) Neque enim vlla in sortibus vis est seu naturalis, seu supernaturalis, ad tale quid indicandum. Vnde, nisi constiterit Deum speciali modo ijs sese admiscere, frustra & vanæ sunt.

a causa 26. q.5. capit. Sortes. & seq. de Sortilegijs. c. Inter nos. b c. Ecclesia vestra. 31. de Sortilegijs.

℣.19. *Fili, da gloriam Deo, & confitere*, &c.] Confessione peccatorum ab Achano verè Deo gloria tribuitur, Primò, fatendo, monstrandoque, eum esse rerum omnium etiam occultissimarum scientissimum, omnia eius oculis esse apertissima, cuius sorte ignotum omnibus scelus certissimò proditum fuerit, ipseque auctor inter tot myriades vnus deprehensus & conuictus. Secundò, commonstrando eum esse iustissimum, qui non temerè, neque absq; causa Israelitas fœda clade affici passus esset. Tertiò, esse sanctissimum, cui res quæcumque dicatæ, non possint aliò diuerti. Quartò, esse potentissimum, omnique reuerentia dignissimum, cuius præcepta nemo impunè violet: cuius sententiam & pœnam nemo vlla vi, arte, fuga, latebra euadere possit. Hæc Allegoricè S. Augustinus applicat confessioni sacramentali.

Aug orat. in Psal 95.

℣.21. *Pallium coccineum*, seu purpureum, *abstuli*, &c.] Hoc furtum coccini videtur præfiguratum olim fuisse in ortu *Zaræ* abaui (*c*) huius *Achan*, dum illi iamiam oriturо; & è matris vtero manum protendenti obstetrix coccinum alligauit, Genesis 38. v.27. quia scilicet ex posteris eius futurus erat hic Achan, abnepos illius, qui coccineam vestem sacrilegè furaretur, atque ita publici luctus causam daret. ita Rabbi Râschi & Serarius.

c Iosue 7. n.1.

℣.25. *Lapidauitq; eum omnis Israel*] Quomodo potuit lapidare, quem vers.15. iusserat Deus comburi? Respondet Serarius, priùs viuum exustum, postea in cadauer lapidibus sæuitum. Masius, & lapidatum viuum, & exustum viuum arbitratur. Dum, inquit, Achan deducitur, dum rogus struitur, incenditur, conscenditur, populus placandi Numinis auidus, à iaciendis lapidibus non continuit manus.

Et cuncta quæ illius erant, etiam filij & filiæ, *igne consumpta sunt*] idque vt salutari metu castra omnia percellerentur, & à simili crimine deterrerentur. Deus verò absolutus est dominus vitæ omnium, etiam innocentium, & saltem ob culpam originalem omnes debito subeundæ semel mortis, quocumque tempore, loco & modo placuerit Deo, subiecti sumus. Ita S. Augustinus, S. Thomas & alij.

S. Aug. q.8. S. Thom. 2.2 q.108. a.4.

Petes, An damnatus sit Achan? Dubitat S. Augustinus. Affirmat Cassianus, & Concilium Aquisgranense sub Pipino. Sed verisimilius est, saluatum esse, ob insignem pœnitentiam, & sceleris humilem confessionem, & quia, cùm posset, occultare sese, & iudicium pœnamque fugere noluerit. Ita Rabbini omnes, & Caietanus, Tostatus, Masius & Serarius.

CAPVT VIII.

Expugnata vrbe Hai, rex eius suspendio necatur. Deuteronomium lapidibus inscribitur. Benedictiones è monte Garizim, maledictiones è monte Hebal proclamantur.

℣.18. LEVA *clypeum*] Ita vertunt & LXX, sed Chaldæus & recentiores habent *lanceam* seu *hastam*. Et verò Hebræum *cidon* vtrumque significat. Et verosimile est, quod Theodoretus & Abulensis rectè notarunt, Iosue clypeum suum hastâ in altum sustulisse, vt ex loco insidiarum conspici procul posset, signumque haberent illi quo monerentur urbem hostibus vacuam inuadere. Sed non huius solius rei signum hoc erat. Insuper denotabat præsentem virtutem & vltionem diuinam: sicut extensio virgæ Moysis in mare rubrum Exodi 14. & eleuatio manuum in monte aduersus Amalecitas Exodi 17. Hinc continuauit Iosue in altum extollere lanceam & clypeum suum, quousque Haienses planè fusi essent & deleti v.26. ne scilicet retrahendo manum, victoriam populi Dei remoraretur aut præscinderet.

כידון

Allegoricè, S. Augustinus applicat hæc verò IESV Christo, qui aduersus *Hai*, quod *vastitatem* designat, id est aduersus mundum tyrannide Satanæ vastatum, manus in cruce tamdiu extendit, quoad omnia subiugasset. Et eamdem hanc crucem suis omnibus assectis, in omni terrarum parte, omni tempore, tamquam certissimum clypeum, tutissimamque lanceam suadet: ea nos tuetur, ea hostes omnes conficit, ea victorias omnes parat.

Aug. serm. 93. de Temp.

Notat auctor Traditionum Hebraicarum, locum hunc vbi Iosue clypeum iam extendit in altum, fuisse aream in qua nutantem arcam tetigit infelix *Oza*, 2. Regum 6. Vnde 1. Paralip. 13. v.9. vocatur *Area Chidon*.

De *benedictione* in monte *Garizim*, & *maledictione* in monte *Hebal*, totaque rei hîc iam peractæ cæremonia vide quæ dixi Deuteronomij 11. & 27.

CAPVT IX.

Gabaonitæ simulatione longi itineris imponunt Iosue & principibus Israel, qui interposito iuramento spondent ipsis incolumitatem. Infecuto tamen populi murmure perpetuo famulitio adstringuntur.

¥.3. *Gabaon*] Hæc ciuitas describitur infrà cap.10.v.2. *Vrbs magna erat Gabaon, & vna ciuitatium regalium, & maior oppido Hai, omnesque bellatores eius fortissimi.* Addit Hieronymus, fuisse *metropolin Heuæorum* iuxta Rama, in sorte tribus Beniamin, pro Leuitis separatam: *Ierosolyma* non nisi 50. *stadijs*, seu tribus leucis distantem, Iosephus, & Beniaminus: *in Silo monte* sitam fuisse Adtichomius & Burchardus affirmant.

Hieron. de Locis Hebraicis. Iosepho. l.2. Antiquit. c.22. Beniamin in Itinerario. Adrich. & Burchar. de terra Sancta.

Petes Primò, An Israëlitæ cum Gabaonitis fœdus percutere potuerint? Negat Caluinus, & ex eius assecla Albericus Gentilis (*a*) Iurisconsultus: & Abulensis: quia cum septenis Chananæorum gentibus, è quibus erant Heuæi isti, vetitum erat inire fœdus, Exodi 34.v.12. Respondeo, vetitum non fuisse, si pacem ab Israelitis peterent, suamque terram, vrbes & fundos illis tamquam veris à Deo constitutis dominis vltrò concederent: atqui hæc omnia faciunt hîc Gabaonitæ, cùm toties se profitentur *seruos Israelitarum*, illis supplices fiunt, illorum sacra suscipiunt, &c. Quin Deuteron.20.v.10. expressè mandat Deus, *pacem offerri vrbibus* priusquam expugnentur: quod etiam ad Chananæos extendendum fuisse fatentur Rabbini, adeoque & ipse Caluinus, & alij. Ita S.Augustinus, Liranus, Caietanus, & è Iurisconsultis Decianus, ex Calustis Tremellius & Iunius.

a Gentil.l.3. de Bello c.19

Aug.q.13. 14.&c. Decian.3. cons.20. Trem. & Iunius hic.

Petes secundò, Cur ergo hîc vers.14. reprehenduntur, quòd *os Domini non* antea *interrogauerint?* cur vers.18. multitudo contra id factum murmurat? Respondeo, Quia licèt fœdus cum illis inire licuerit, nimis temerè tamen & præcipitanter in re tanti momenti, non satis excussa & explorata legatorum fide se gessisse, & iureiurando obstrinxisse videntur.

Petes tertiò, An hoc tale iuramentum obligarit Israelitas ad fidem datam Gabaonitis præstandam? Affirmant Liranus, Hugo, Dionysius, Caietanus. Sed Respondeo, non obligasse, tum quia fraude & dolo extortum fuerat: tum quia erat hîc error personæ. Putabant enim se non cum vicinis Chananæis, sed cum extraneis & valdè remotis, putà Arabibus aut Syris, quales illi suis *pittacijs*, id est frustis vestium consutis, se mentiebantur, fœdus inire & iurare, iisque solis se obstringere intendebant. Ita S.Augustinus, Abulensis, Masius, Arias, Serarius. Videntur tamen principes v.19. sibi persuasisse, teneri se hoc quali quali iuramento. Vnde colligas, quanta tunc fuerit nominis diuini reuerentia & religio.

Nota tamen, Hebræos, cùm fraude cognita primum nihilominus pactum ratum esse voluerunt, vt licitè poterant, exinceps verè obligatos fuisse. Vnde & postea, cùm Saul hoc fœdus violasset, grauissimè id vltus est Deus, 2.Regum 21.

¥.21. *Ligna cædant, aquasque comportent*] Hæc erat mulcta fraudis Gabaonitarum. Et primò quidem toti populo, totisque castris ligna & aquas afferre cogebantur, etiam facta iam terræ diuisione, vnde & à Iosepho δημόσιοι, id est, *serui publici* seu calones vocantur. Sed successu temporis, maximè sub Dauide & Salomone, solius tabernaculi & templi vsibus subseruisse leguntur: & *Nathinæi* (*b*) vocati sunt, id est *donati*, scilicet Leuitis, vt essent ipsis quasi subdiaconi. Ita S.Hieronymus, Innocentius, Liranus, Sigonius, Masius, Ribera & Abulensis: qui etiam hinc constare dicit, Gabaonitas circumcisionem & reliqua sacra Iudaica suscepisse: neque enim potuissent aliàs his templi seruitiis adhiberi. Constat secundò, illos vrbibus suis, in quibus vsque ad terræ diuisionem manere permissi sunt, eâ peractâ eductos, & per varia loca distributos fuisse, saltem tabernaculo propinquiora, è quibus ad suam lignationem aquationemque per vices statis temporibus accurrerent. Et sicut sacerdotibus ac Leuitis erant assignata certa iura è quibus sustentarentur, vt dixi Numeror. 18. ita & Gabaonitis de commoda sustentatione prospectum per principes fuit, forsan ex eleëmosynis & donarijs Sanctuarij, quæ ad id abundè sufficere poterant. ita Abulensis.

b 1.Esdr.2. v.43. & 1.Paral.9. v.2.

CAPVT X.

Quinque reges oppugnantes vrbem Gabaon, immoto sole integri diei spatio deuincuntur, & ex spelunca extracti suspendio necantur. Sed & plures alij reges & vrbes excinduntur.

¥.11. *Lapides grandinis* valdè *magnos*, angelorum manu formatos in aëre, & destinato ictu vibratos *misit Dominus* super Amorrhæos, nil tactis Israelitis. De simili grandine vide quæ dixi Exodi 9. Porrò Iosue precibus hanc quoque ruentium saxorum procellam à Deo impetratam esse, affirmat Ecclesiasticus c.46.v.6. *Inuocauit Iesus Altissimum in oppugnando inimicos vndique, & audiuit illum Deus in saxis grandinis.*

¥.12. *Sol contra Gabaon ne moueatur, & luna contra vallem Aialon*] Erat vallis hæc media inter duas illas vrbes, & in hoc prœlio certabatur.

Petes Primò, Quoto mense, & die contigit hoc portentum? Respondeo, cum Serario, 27. die 2. mensis qui dicitur *Iiar*, & respondet nostro partim Aprili, partim Maio.

Petes Secundò, quota hora diei steterit sol? Liranus, Vatablus, Arias & Serarius volunt *in meridie* id factum, quia hîc dicitur *stetisse in medio cæli*. Sed medium cæli potest vbique constitui. Respondeo ergo, id contigisse verisimiliùs hora vespertina sub occasum solis: hîc enim expressè dicitur, *Non festinauit sol occumbere.* Cùm ergo vereretur Iosue ne hostes propter instantes tenebras effugerent, orauit Deum vt solem sisteret. ita Caietanus & Abulensis.

Petes Tertiò, quamdiu steterit? Integris 24. horis, seu die vno naturali, inquit Rabbi Eliezer, & Iustinus Martyr. Quibus si addas 12. priores horas quibus ordinarium suum circulum sol iam pererat, fuerit hic dies Iosuanus integrarum 36. horarum. Sed verisimilius est, solem non stetisse nisi diem vnum artificialem, hoc est 12. horas: vnde Ecclesiastici 46. v.5. dicitur, *Vna dies facta est quasi duo.* ac si dicat, Dies quæ solet esse 12. horarum, facta est 24. horarum.

Iustin. contra Tryphonem.

Nota, stetisse tanto quoque tempore immotam etiam *lunam*, vt hîc dicitur, & consequenter omnia reliqua astra, omnesque cælos, iubente Deo angelos cælorum motores tantisper subsistere. Neque enim expediebat, vt constitutus à Deo iam inde ab ipso rerum ortu perpetuus inter cælos & sidera ordo, tenor ac consensus, inæquabili vnius aut duorum progressione turbaretur. ita Abulensis, Masius, Conimbricenses & Serarius. Qui etiam docent, cessante cælorum motu cessasse quoque naturali-

Conimbr. l.2.

ter

ter ea omnia quorum is motus est causa particularis, v.g. reciprocationem æstus maris, quæ à luna dependet: item tempus, cuius mensura est motus primi mobilis. Vnde dies illa non durauit alia duratione, quàm quæ rem quamuis existentem naturaliter consequitur: vt durabunt omnia post extremum iudicij diem. Non tamen cessante cælorum motu cessabunt tunc alia omnia sublunaria, quorum is motus solùm est causa vniuersalis: quia inter cælorum vniuersalem influxum, & hæc inferiora non est connexio essentialis, vt copiosè & subtiliter exponit Suarez.

Suarez to.1. Metaphys. disp.22. de causa prima sect.5.

Nota, simili miraculo 4.Reg.20. petente Ezechia retroactum subitò solem, totamque cælorum machinam ad 10.gradus, hoc est ad decem medias horas, vt ibidem videbimus. Et tempore nouæ legis, de *Mutio* Eremita legimus, stetisse ad horas aliquot solem, donec ægrum, quem curatum ibat, visitasset. Quod verò de simili solis portentosa statione per triduum scribit Turpinus in Vita Caroli Magni: (*a*) & Solias ille apud Plautum, (*b*) & alij Ethnici de conceptu Herculis sui trinoctiali nugantur, non nisi fabulæ sunt & somnia.

a *cap.28.*
b *in Amphitruone.*

Allegoricè, pugnante vero Iesu & in cruce peccatum, mortem, totumque infernum debellante, sol in medio cæli & luna continuerunt radios suos, & totum vniuersum obstupuit. ita Theodoretus.

✠.42. *Vniuersos reges & regiones vno impetu cepit*] id est, vna hac paucorum dierum expeditione: & quidem, ne vel vno Israelitarum in tot prælijs desiderato. Quàm felix, quàm certa panoplia, Dei auxiliaris manus! Pleni sunt historici libri cælestibus id genus auxilijs. Et vt Moysis, vt Samuelis, vt Dauidis, vt Ezechiæ, vt Machabæorum, aliaque veteris testamenti miracula fileam; quis non stupeat in noua lege præsentem Dei dexteram in subministrandis ad primam precem pluuijs & aduersus hostem fulminibus legioni (*c*) Christianorum inde dictæ *fulminatrici?* & orante S. Iacobo Nisibensi Episcopo à muscis & culicibus fugatas Persarum formidabiles copias? à S. Amiano Aurelianensi Præsule tonitruis & fulminibus abactum Attilam? Nónne & Gentilis Poëta (*d*) Theodosio adgratulatur?

c *Euseb.l.5. Hist.c.5. & Tertull. in Apol. & ad Scapulam.*

d *Claudian. lib.1.de Honorij Consulatu. & Sozomen.l.7.*

O nimium dilecte Deo! cui fundit ab antris
Æolus armatas hiemes: cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Neque desunt nostro quoque tempore seu per Europam, seu per Indias complura eiusdem rei & stupenda documenta, quæ Maffeius, Iarricus & alij Historiographi recensent.

CAPVT XI.

Etiam rex Iabin, cum pluribus aliis regibus, vrbibus ac populis expugnatur à Iosue.

✠.4. POPVLVS *multus nimis*] Iosephus dicit fuisse *peditum myriades triginta* seu trecenta millia: *equitum vnam myriadem*; *curruum* falcatorum armatis grauidorum *duas myriades*.

✠.6. *Equos eorum subneruabis*] Hoc est, incisis crurum neruis, quasi vinculis dissectis, prorsus inutiles reddes. quòd latinè dici solet, *subpernare*, vel *suffraginare equos*.

Petes, Quare noluit Deus Israelitas vti his equis? ne quidem ad diuendendum aliis, & pretium inde conflandum? Respondeo Primò, ne equis ad bella percommodis, vtpote generosis & pugnacibus, (de quo vide Lipsium) paulatim confiderent Iudæi, & his potiùs, quàm Deo victorias suas adscriberent. Secundò, ne, si eos Chananæis aut alijs victis hostibus reuenderent, ab ijsdem noua rursus damna acciperent. Et has etiam ob causas iubet hîc Deus currus omnes bellicos seu falcibus armatos igne cómburi. Tertiò, voluit Deus ab omni superbia, ferocia, libidine & salacia, quarum symbolum est equus, Iudæos auocare. ita Origines, Theophylactus, & Serarius.

Origen. hom.15. Theophyl. in Act.10.

✠.16. *Montem Israel*] Id est, montem *Samariæ*, qui, fictâ postea secessione decem tribuum à tribu Iuda sub Ieroboamo, vocatus est *mons Israel*.

✠.20. *Domini sententia fuerat, vt indurarentur corda eorum*] Hebraicè est, *à Domino erat, vt indurarent cor suum*. Quomodò autem non Deus, sed homo se ipsum induret & excæcet, contra Caluini blasphemias fusè exposui Exodi 7.

CAPVT XII.

Enumerantur reges 31. citra & vltra Iordanem, quos Moysis & Iosue deuicerunt.

✠.24. OMNES *reges triginta vnus*] Non vno die tot reges confecit Iosue, licet id affectat Genebrardus, sed *multo tempore pugnauit Iosue contra reges istos*, inquit hic Scriptura c.11.v.18. Et Iosephus quidem dicit *quinquennale* fuisse bellum: Theodoretus, Abulensis, Masius, Arias, Serarius *septennale*.

Genebr. in Psal.134. n.10. Ioseph.l.5. Antiq.c.1. Theodor. qu.16.&c.

Notat S. Hieron. (*e*) Palæstinam, vbi longissima est, putà *à Dan vsque Bersabee*, non extendi nisi ad *centum sexaginta millia passuum*: vbi latissima, non nisi ad *sexaginta millia passuum*. Recentiores verò Cosmographi, vt Borchardus & Adrichomius & alij, angustioribus adhuc terminis eamdem definiunt. Ergò longè angustior erat nostro Belgio. Quare in terra tam angusta tot dominari reges, vt iam fileam alios populos seu respublicas in eadem habitantes, de quibus cap.seq. arguit stupendam soli illius vbertatem, & iure merito vocari terram lacte & melle manantem. In sola Galilæa, inquit Iosephus, ducentæ & quatuor visuntur vrbes ac vici. Minima vrbs aut vicus habet plusquam quindecim millia capitum. Quot in ergo erunt tota reliqua Iudæa? Quamquam ex Aristotele, Strabone, Plinio & Genebrardo meminisse oporteat, reges olim vocari solitos singularum ferè vrbium maiorum dominos, maximè si municipia quædam accessissent.

e *Hieron.ep. ad Dardanum.*

Iosephus in Vita sua.

Aristot. Polit. Strabo l.16. Plinius l.6. c.9. Genebr. sup.

Notat verò Procopius, & ex hoc Euagrius, plures ex his Chananæorum populis, cùm viderent se Iosue resistendo non esse, relicto patrio solo, in Ægyptum, indeque in Africam & Libyam profugisse, ibique excitatis nouis vrbibus, omnem eum tractum vsque ad *Herculis columnas* tenuisse. Et idem sentire videtur S. Augustinus. In Germaniam quoque & alia Europæ regna non paucos penetrasse tradit Abenesra, & alij Rabbini, & Genebrardus.

Procop.l.4. de Bello VVandalico Euagr l.4. Hist. Eccles. c.18. S. August. in epist. ad Romanos. Genebrar. in Chronol.

CAPVT XIII.

Iubet Deus Iosue vt terram iam occupatam diuidat Israelitis. Recensentur etiam portiones iam antè assignatæ tribubus Ruben, Gad & dimidiæ Manasse trans Iordanem.

✠.3. A FLVVIO *turbido*] Id est à *Nilo*, qui hebraicè *Sichor*, id est *turbidus*, dicitur, græcè μέλας, id est *niger*, quia aqua eius limo est *turbida* & quasi *nigra*. Ita S. Hieronymus, Vatablus, Liranus & Masius. Puto tamen hîc non tam ipsum Ni-

lum designari, quàm riuum *Nili* seu torrentem illum qui de *deserto* venit, & inter *Rhinocoluram* fluuium & *Peluſium* vrbem in mare delabitur: vnde alibi *torrens Ægypti*, (a) alibi *torrens deserti* (b) vocatur: estque ex ea parte limes terræ sanctæ; sicut versus Syriam limes alter erat *Emath* minor, aliàs *Epiphania*. Nomen verò *Rhinocolura* accepit (vt vult Strabo) à ῥὶς, id est *nasus*, & κόλαρος, id est truncus: eò quòd Ægyptij eò aliquando duxerint coloniam facinorosorum, naribus truncatorum, vt hac sua deformitate alijs exemplo essent & terrori.

a Iosue 15. v. 4.
b Amos 6. v. vlt.
Strabo l. 16.

℣. 5. *Eiusque confinia*] In Hebræo, Chaldæo & Græco additur, *terræ Gibli*, de qua 3. Reg. 5. v. 18. & Ezech. 27. v. 9. Porrò quæ hîc dici possent de diuisione terræ sanctæ in partes æquales, item de sortitione tribuum, & cetera huc spectantia, vide Numer. 26. v. 53. vbi illa explicui.

Tantùm hîc notandum, eam diuisionem quæ sexto hoc ab ingressu terræ sanctæ anno facta fuit in Galgalis, vt hoc cap. & sequentibus describitur, vltra tres tribus progressam aut effectum sortitam non fuisse. Solæ enim tribus Iuda & Ephraim cum altera dimidia Manasse, sedes quæ sibi sortitione obuenerant, de facto adierunt: reliquæ septem tribus adire seu noluerunt, seu neglexerunt, fortè metu vicinorum hostium, quibus putabant singulas tribus iam per domicilia dispersas resistendo non fore, proindeque consultius putarunt, castra ad tempus collecta manere, etiam Iosue & principibus approbantibus. Fortè etiam inæqualitate sortium offensi, maximè in re non sat comperta, voluerunt rem tantisper differri, donec accuratiore studio Geometrarum, oculari inspectione legatorum, & imprimus fluxu temporis, ipsaque experientia certiùs omnia innotescerent. Nam hæ dilationis causæ videntur insinuari c. 18. v. 3. & sequentibus, vbi narratur perfectam demum post alterum annum fuisse in Silo sortitionem terræ quæ hîc inchoatur: nam septem reliquæ tribus adierunt tunc etiam ipsæ suam singulæ hereditatem.

Nota tamen Secundò, neque ab hac posteriore tribuum sortitione in Silo, neque à priore in Galgalis cœpisse subduci annos Sabbathicos & Iubilæos, quos Leuitici 25. Deus inchoari præceperat posteaquam ingressi fuissent terram. Nam primo ab ingressu anno, deuictis iam Chananæis, ac cæsis 12. regibus cap. 10. v. 42. & occupatis omnium terris, vtique & cultis, saltem magna ex parte, quid dici potest defuisse quo minùs à Tisri seu Septembri mense (nam ab illo auspicabantur Hebræi suos annos Sabbathicos & Iubilæos, vt dixi in Chronico, cap. 5.) terram incolere & possidere dicerentur? Nam quòd tribus mallent adhuc ad aliquod tempus suas in commune terras possidere, non impediebat possessionem, aut inhabitationem, aut vsum, sed solam diuisionem inter tribus. Vide plura hac de re in nostro Chronico, c. 21.

CAPVT XIV.

Caleb ex diuino promisso accipit Hebron in portionem hereditariam.

℣. 12. DA *mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus*] Quæritur vbi pollicitus sit? Respondeo, Numeror. 14. v. 24. cùm, murmurantibus alijs exploratoribus, ob gigantes *Enacim* quos viderant in monte *Hebron*, Caleb illis fortissimè resistente, & horribilem illam atque, vt mentiebantur, inexpugnabilem terram sibi expugnandam incolendamque deposcente, respondit Deus id sibi placere: *Inducam*, inquit, *Calebum in terram hanc quam circuiuit, & semen eius possidebit eam.*

Porrò *Hebron* Numer. 13. v. 23. dicitur, *septem annis ante Tanim Ægypti condita* fuisse, hoc est, non multò post diluuium. Sed ante tempore Abrahami vocabatur *Cariath-Arbe*, vt hîc dicitur vers. 15. Quod Rabbini, S. Hieronymus, Liranus, Hugo, Abulensis & Adrichomius vertunt, *ciuitatem quatuor*. quòd eo loci sepulti sint *quatuor* nobilissimi *patriarchæ Adam, Abraham, Isaac & Iacob*, cum *quatuor vxoribus* suis *Eua, Sara, Rebecca & Lia*, Genesis 47. v. 30. Sed de *Adamo & Eua* iltic sepultis est incertissimum. nam quod hîc dicitur, *Adam maximus ibi inter Enacim situs est*, nil ad primum humani generis parentem spectat, sed ad alium diluuio posteriorem, qui vocatus est *Adam* hebraicè, id est *homo, maximus inter Enacim*, quia fortè inter hos primus origine, statura præcellens, potentia ac dignitate clarissimus. ita Masius, Caietanus, Vatablus, Arias & Serarius. Qui & Hebræa hoc loco sic vertunt, *Hebron antè vocabatur Cariath*, id est vrbs, *Arbe; ù* Arbe *homo maximus fuit inter Enacim*. Et cap. sequ. vers. 13. expressè dicitur, hunc *Arbe* fuisse *patrem Enac*, à quo alij *Enacim* gigantes prognati sunt, vt dixi Numer. 13. v. 23. Igitur *Arbe* hîc non sumitur pro *quatuor*, sed est nomen proprium famosi illius gigantis, qui eo loci, vbi nunc *Hebron*, sedem sibi viuenti regiam, & morituro sepulchrum delegerat, vnde dicta est *Cariath*, id est ciuitas, *Arbe*. Quo verò tempore, quave occasione, aut à quo dicta fuerit *Hebron*, prorsus obscurum atque incertum est. S. Hieronymus à filio Calebi, (non huius, sed antiquioris in Ægypto,) qui 1. Paralip. 2. v. 42. *Hebron* vocatur, sic dictam putat. Sed hic in Ægypto seruiebat, non verò dominabatur in Palæstina. Serarius putat à *societate* seu *amicitia*, quam cum eius loci principibus inijt Abraham Genes. 14. v. 13. ita vocatam fuisse: nam *chebron* significat latinè *societatem & coniunctionem*, vt etiam notat Origenes. Non est improbabile sic dictam fuisse ab Ebrone, à quo Abraham locum coëmit, vt ibidem dixi. Fuit hæc Hebron vna ex ciuitatibus sacerdotalibus & refugij, inquit S. Hieronymus: & ex ea Dauid (c) ex hostium manubijs ad amicos munera misit, & ipse rex ibidem per annos (d) septem resedit: in eâdem rebellionem suam orsus est Absalon: (e) denique domicilio Zachariæ patris Ioannis Baptistæ eamdem nobilitatam fuisse censet Baronius (f) & Delrio.

Hieron. de Locis Hebr.
Origen. hom. 17. & 18.
c 1. Reg. 30. v. 31.
d 2. Reg. 3. &c.
e 2. Reg. 15.
f Baron. to. 1. Annal. Delrio in Panegyrico visitationis B. Virgin.

CAPVT XV.

Sors tribus Iuda. Othonieli in vxorem datur Axa filia Caleb, ob expugnatum Cariath Sepher.

℣. 2. LINGVA *maris* vocatur *sinus maris*, quo specie *linguæ* angustior maris pars in continentem excurrit. Sinus verò cuius hîc fit mentio, est iuxta Idumæam. Simile de *lingua maris* habes Isaiæ 11. v. 15. Quale dicatur hîc *mare salsissimum*: & quis sit *Ascensus Scorpionis*, dixi Numer. 34.

℣. 14. *Ex Cariath-Arbe, ipsa est Hebron, deleuit Caleb tres filios Enac*] Dices, Suprà c. 10. v. 36. & c. 11. v. 21. dictum fuit, Iosue cepisse Hebron & Dabir, & percussisse in ore gladij vtramque vrbem, & interfeciisse quotquot de Enacim in iis reperti fuerunt: quomodo ergo hîc iam dicuntur hæc omnia

patrata

patrata à Caleb? Respondeo, Post primas Iosue victorias, cùm nullum in hisce captis vrbibus posuisset præsidium, sed in Galgalæis ferè castris iuncti hærerent Israelitæ, vel alus alibi bellis distinerentur, iterum in eas irrepserant Chananæi & filij Enacim è vicinis ciuitatibus Philistinorum Gaza, Geth & Azoto, in quibus relicti fuerant, vt dicitur c.11.v.22. cumque natura loci & arte munitissimæ essent vrbes, facilè eas tutari poterant. Certè, dum Hebronem à Iosue peteret Caleb c.14.v.12. constat ibi iterum fuisse Enacim: quare & bellum aduersus eos parabat Caleb, sed post mortem demum Iosue arma sumpsisse, feliciterque expugnasse narratur c.1. libri Iudicum, à v.10. vsque 20. Vnde quod hîc de ijsdem expugnatis habemus, per prolepsin seu anticipationem refertur. ita Masius, Serarius, & alij.

℣.17. *Othoniel frater Caleb*] Petes, Si Othoniel fuit frater Caleb, quo iure dedit illi Axam filiam suam vxorem, si nuptiæ neptis cum patruo fuerint prohibitæ lege Mosaica? Ad hanc quæstionem respondi Numeror.32 v.12.

℣.19. *Da mihi benedictionem*] Chaldaicè, *possessionem*, & *hereditatem*, scilicet ampliorem. Nam hereditatis assignatio, quæ per modum dotis liberis fiebat ab antiquis patribus, *benedictio* vocabatur. Ex his verò constat, cùm filiæ nuptui darentur viris ex sua tribu, dotem ipsis dari solitam etiam ex prædijs & agris: quod non licebat cùm alteri ex alia tribu nuberent, vt patet Numer. vlt.

Dedit & irriguum superius & inferius] Hebraicè, dedit ei *gullot mahim*, id est, *vortices aquarum*, seu scatebras è quibus quasi terræ venis ebullientes aquæ volutatim protrudi videntur, vt fit in scatebris quorundam fontium. ita Masius, & Magalianus. Et quidem duplicis generis scaturigines eiusmodi dedit filiæ suæ Caleb, vnas *superiores*, quibus clinosa; alias *inferiores*, quibus planiora loca irrigari possent. Quod sanè non exiguum donum æstimari debet, maximè in Chananæa, quæ ob nimium solis ardorem aquis assiduò egeret, & pluuialibus subinde destitueretur. Sed gratificari volebat Caleb Othonieli, & quem præsagiebat ducem Israel olim futurum, voluit è vulgi numero vel ex nunc eximere, opibusque & gloria quanta posset augere. Tropologicè, Procopius, irriguum superius; est oratio & contemplatio; inferius, humiliatio & mortificatio.

גלת מים

CAPVT XVI.

Sors & limites tribus Ephraim.

℣.8. PER *vallem arundineti* intelligitur vallis arundinibus abundans, eò quòd scateat aquis stagnantibus, limosis ac torpidis, in quibus ferè arundines succrescunt. Et propter has aquas subindè (sed impropriè) vertitur *torrens cannæ* seu *arundinis*, vt cap.sequ.v.9. Quidam putant hunc esse torrentem *Carith*, apud quem latuit Elias 3.Regum 17.

℣.9. *Vrbesque separatæ sunt à filijs Ephraim in medio possessionis filiorum Manasse*] Id est, præter eas vrbes quæ Ephraimitis in proprio circulo, à circulo fratrum suorum Manassensium diuiso obtigerant, insuper aliæ quædam vrbes, intra circulum Manassensium sitæ, (notæ quidem tum, sed hîc non nominatæ,) communi consensu, ob amplitudinem illius tribus, separatæ & adscriptæ sunt Ephraimitis. Hinc sequ. cap. vers.9. vrbes istæ Ephraimitarum dicuntur fuisse *in medio vrbium Manasse*. Similia etiam in alijs circulis aliarum tribuum visu subinde venisse, vt quædam ijs oppida concluderentur, quæ tamen ad alienam tribum spectarent, ex seqq. capp. manifestum est, & causam alibi assignaui. (a)

a *Num.26. v.55. & 56.*

℣.10. *Et non interfecerunt filij Ephraim Chananæum qui habitabat in Gazer tributarius.* Præignauia & auaritia tolerarunt Ephraimitæ Chananæum contra expressum Dei mandatum Deuteron.20. Idcircò & hîc & Iudic.1. & 3.Regum 9. & Oseæ 7. id illis vitio vertitur: maximè ob scelera Chananæorum, quibus, vt fit, vicini Ephraimitæ facilè contaminabantur. Duo genera scelerum mercatoribus familiarium notat Oseas: *Chanaan*, inquit, *in manu eius statera dolosa, calumniam dilexit.* Quæ cùm tolerari non debuissent, turpis tamen lucri causa tolerarunt Ephraimitæ. en contagium eorumdem scelerum. *Et dixit Ephraim, Verumtamen diues effectus sum.* q.d. Nil moror scelera, dummodò tributis illorum ditescam. Sed non hîc statum. *Didicerunt opera eorum*, inquit Psalmista, *& seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum.* Hos fructus referunt politici ex commercio infidelium: mores illorum imbibunt, superstitionibus eorum & impijs nuptijs implicantur, à cultu veri Dei, veraque fide diuelluntur: atque ita ruinam sibi non præsentem modò, sed & æternam accersunt. Simile peccatum filiorum Manasse habes cap.sequenti v.13.

Psal.105. v.36.

Nota, Chananæos hos progressu temporis vsque eò sese communiuisse, præsertim ad littus maris, quod ferè incolebant, mercaturæ faciliùs exercendæ causa; vt à Iudæis cùm vel maximè vellent, expugnari non possent. Exemplo sit hæc ipsa Ephraimitarum vrbs *Gazer*, quam ne Dauid quidem suam facere potuit: sed Pharao demum rex Ægypti destitutam iam externo auxilio vi cepit, incendit, & filiæ suæ, quæ Salomoni nupserat, in dotem dedit, 3.Regum 9. Quam ipsam historiam LXX. Interpretes, vt in quibusdam codicibus reperitur, huic Iosuano textui hîc, teste Magalliano, subnectunt.

CAPVT XVII.

Sors & limites mediæ tribus Manasse, & in ea filiarum Salphaad. Murmurantibus Ephraimitis ob nimias sua sortis angustias, iubet Iosue, vt arma producant terminos sibi congruos.

℣.5. CEciderunt funiculi Manasse, decem] nempe *quinque filijs* Manasse *maribus* vers.2. obuenerunt sortes quinque: aliæ quinque obtigerunt *quinque filiabus Salphaad*, qui filius fuerat sexti filij Manasse. Sed hæ quinque posteriores partes filiarum simul iunctæ non plus agri complectebantur, quàm vna priorum quintarum quæ maribus obtigerant: in quinque tamen partes hîc dispescitur quæ non erat nisi vna, & *sexta* dici potuisset, quia iam tum ab initio in quinque partes secundùm numerum quinque filiarum diuersis viris nuptarum dirempta fuit. ita Masius & Serarius. De his filiabus Salphaad vide Num.27. & 36.

℣.14. *Filij Ioseph*, hoc est, duæ tribus Ephraim & Manasse, cùm iam residerent in circulo suarum possessionum, experirenturque se nimis angustè habitare; queruntur apud Iosue, Eleazarum, & reliquos principes: *quare dedisti mihi possessionem sortis*

tis & funiculi vnius, cum sim tantæ multitudinis, & in duas tribus dissectus? Non queruntur hæ duæ tribus, quòd pro vna tantùm sumptæ essent, vel quòd in generali sortitione non obtigisset illis nisi portio vnius tribus: sed quòd ambæ simul in Cisiordana regione non plus agri iam de facto possiderent quàm vni tribui satis esset. Nam licèt sat amplæ portiones, & quæ duabus tribubus sufficerent, ipsis sorte obtigissent; quia tamen hæ maiori ex parte adhuc à Chananæis occupabantur, vsui ipsis non erant: hinc pro dilatandis spatijs suis instant apud Iosue & alios principes populi.

¥.15. *Ad quos Iosue ait: Ascende in siluam, & succide tibi spatia.* & vers.18. *Transibis ad montem*, seu ad regionem montanam, quæ adhuc est in potestate *Pherezæorum & Raphaim* gigantum. q.d. Habebis sat spatij si siluas illas exscindere volueris, & vicinas solitudines cultas reddideris.

¥.16. *Responderunt filij Ioseph, Non poterimus*, neque auderemus saltus illos & siluas in montanis exscindere, cùm pertineant ad *Pherezæos & Raphaim, in* vicinis *campestribus* degentes, quos diffidimus nos superare posse, *cum* & vrbes incolant munitissimas, *Bethsan & Iezrael*, & *ferreis* seu falcatis *curribus vtantur*] quibus nos caremus. Sed perstitit Iosue in sententia, hortatus eos in Deo confidere: cuius ope non modò montes illos & siluas, sed & vrbes omnes campestres Pherezæorum quantumuis munitissimas expugnent, faciantque suas, atque ita de angustioribus spatijs queri desinant.

CAPVT XVIII.

Mittuntur Geometræ qui terram accuratiùs dimetiantur, vt reliquis etiam tribubus sua detur portiones. Describitur sors & limites tribus Beniamin.

¥.1. CONGREGATIQVE *sunt omnes filij Israel in Silo*] Post bella enim confecta, obtentamque tranquillitatem, è primo Chananææ vestibulo, id est è Galgalis, castra mouerant, & ad interiora terræ progressi, iubente vtique Deo, in Silo, seu Siluntem transtulerant, vnaque cum castris *tabernaculum fœderis*, quod istic remansit fixum vsque ad tempora Dauidis, quo fugiente Saulem translatum videtur in *Nobe*, 1.Regum 21. & 22. Sed quo anno, & qua de caussa è Silo translatum sit est incertum, nisi quod Ierem.7.v.12.& psal.77. v.60. insinuetur id factum propter idololatriam, & alia scelera populi Israelitici. Erat verò *Silo* in sorte tribus Ephraim, (*a*) loco pulchro & peramœno *b*, distans Ierosolyma trium fortè horarum itinere, Septemtrionem versus. Vrbs in monte sita, & robustissimarum circumpositu tribuum, Iudaicæ, Manassææ & Ephraimiticæ, ab omnibus hostium incursibus vndique tuta. Hodie vocatur *mons Samuelis*, & à Borcardo & Breitenbachio *Rama*.

a *Psal.77. v.67.*
b *Ioseph. l.5.Antiq. cap.1.*

¥.2. *Septem tribus necdum acceperant possessiones suas*] Causam tantæ moræ suprà exposui cap.13.

¥.28. *Iebus, quæ est Ierusalem*] Varijs hæc nominibus olim vocabatur, quæ vide exposita apud Liranum & Vilalpandum, Serarium, & Sanctium. Eius primum conditorem Iosephus facit nunc *Melchisedech*, nunc *Dauidem*: sed Dauidi non potest nisi ea pars vrbis adscribi, quæ in monte Sion

Liran. in Gen.28. Serar. in c.10.Iosue q.2. Sanctius in 1.Reg.5.v.6.

ab eo constructa postmodum *ciuitas Dauid* vocata fuit. Porrò Ierusalem hîc statuitur in *tribu Beniamin*, cùm tamen suprà cap.15.vers.8. & 63. dicta fuerit esse in *tribu Iuda*. Nimirum vtriusque tribus fuit secundùm diuersas sui partes, vt dixi Deut.33. v.12. Nam pars superior Australis, vbi erat mons Sion, ad tribum *Iuda* spectabat: pars inferior Septemtrionalis cum intermedio monte Moria, ad tribum *Beniamin*. Sed Beniaminitæ cùm desperarent se posse partem suam Iebusæis extorquere, cesserunt eam tribui Iudæ si eam armis obtineret, vti postmodum obtinuit Dauid, & regni sui caput constituit, & de suo nomine *ciuitatem Dauid* vocari iussit. ita Abulensis. Hanc Tacitus vocat *vrbem famosam & arduam situ*; Plinius, *longè clarissimam vrbium Orientis*; Ieremias, *vrbem perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ*. De cuius amplitudine, splendore, rebusque bello gestis nihilo minùs *admiranda* conscribi possent, quàm de vrbe *Roma* conscripsit Lipsius & Stapletonus. Sed iam pro his remitto lectorem ad Ariam, Adrichomium, Abulensem, Salmeronem & Villalpandum.

Tacitus initio l.5.Historiæ. Plin. l.5. c.14. Ieremias Threnor.2.

CAPVT XIX.

Sortes sex reliquarum tribuum, Simeon, Zabulon, Issachar, Aser, Nephthalim & Dan. Sua quoque portio Iosue conceditur.

¥.8. HEREDITAS *filiorum Simeon in possessione & funiculo* erat *filiorum Iuda, quia* funiculus Iuda *maior erat* quàm ei conueniret: sicque abscissa ab eo particula, quæ Simeonitæ tribui sedem præberet. Videtur enim, inquit Abulensis, errore priorum Geometrarum, putantium sat esse spatij in Palæstina omnibus tribubus ad habitandum laxissimè, tribui Iudaicæ, quæ prima suas terras inhabitatum erat, plusculum spatij concessum fuisse. Qui errot à secundis Geometris penitiùs omnia explorantibus, ac pro septem reliquis tribubus iussu principum rursus terram metientibus, mox deprehensus ac correctus fuit. Atque ita contigit diuinâ prouidentiâ, impleri prophetiam Iacobi Patriarchæ, qua non minùs de *Simeone*, quàm *Leui* prædixerat, Genes.49. *Diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel*. Nam sacerdotes & Leuitæ per omnes tribus dispersi habitabant: Simeonis verò posteri licèt certam sedem sortiti sint, quia tamen hoc quem iam dixi errore aliquo modo proprijs sedibus primò priuati sunt, nec nisi correcto errore, tribu Iuda sinum suum pandente, illoque inuitante & excipiente, in alienæ tribus terminis, quasi in alieno hospitio collocati fuerunt, possunt etiam aptissimè dici inter Israelitas dispersi fuisse.

¥.50. *Thamnath-Sarae in monte Ephraim*] Vni eam imperatori suo Iosue vrbem hanc iure hereditario possidendam dederunt Israelitæ, non amplam, vberem aut amœnam, sed angustam, aridam, ac penè dirutam: quæ ab arborum graueolentia & soli sterilitate cognomẽtum *Sarah* sortita videtur, inquit Arias Montanus. Et sita erat in *monte Gaas*, Iosue vlt. v.30. & Iudicum 2. v.9. & 2.Regum 23.v.30. id est, *in monte tempestatis, commotionis & procellæ*. In cuius Septemtrionali latere etiam sepeliri voluit. Hanc Iosue tanti imperatoris animi modestiam non sat mirari potuit S.Paula, teste S.Hieronymo, cùm sacra Palæstinæ loca *Hieron. in* viseret: videretque, tam præclarum ducem, tot *Vita Pauli.*

tantisque

tantisque rebus gestis, tot & tantis victorijs insignem, tam modestè ac demissè seipsum in diuisione terræ tam nobilis, tam fœcundæ gessisse, nec sibi suæque familiæ nisi locum perexiguum, vilem, asperum, ruinosum, vel potiùs dirutum delegisse: sed neque pro sua auctoritate delegisse, verùm à populo vt sibi daretur petijsse, & quidem vltimo loco, dum iam tam abundè prouisum, & omnibus ex voto factum esset satis. In quo sanè veri IESV Domini nostri figuram gessit, cui cùm omnia tradita essent à Patre, delegit sibi semper locum vilissimum in Bethlehem, in stabulo, in præsepi, in cruce.

Nota. Hæc eadem vrbs, quæ hîc vocatur *Thamnath-Sarai*, vel *Serach*, vt est in Hebræo, posteà, vt patet c.2. Iudicum v.9. traiectis ac rogratè litteris, in honorem Iosue vocata fuit *Thamnath-Cheres* (sic enim est in Hebræo) id est *imago solis*: quia Israelitæ super monumento Iosue imaginem solis collocarant, vt *solis situs* eius apud posteros iugis esset memoria. ita Rabbini, & Mutius & Adrichomius, & Arias. Posterioribus temporibus videtur locus celebrior redditus, imò ex celeberrimis totius Palæstinæ: nam cùm in decem Toparchias Iudæam totam diuideren Romani, ab hac vrbe vnum legimus, teste Plinio, nomnatam fuisse *Thamnitarum*.

Plin. l. 5. c. 15.

CAPVT XX.

Sex designantur ciuitates refugij cis & trans Iordanem, & priuilegia eo confugientium.

¥.2. VRBES *fugitiuorum*] De his vrbibus egi fuse Numeror. 35. Hic solùm aduersus Andream Masium, qui sceleru n odio, iustitiæque zelo videtur Christianorum azyla improbare. Nota, grauissimas vrgentissimasque ob causas, sicut olim vrbes quædam refugij erant apud Iudæos, sic etiam modò apud Christianos, templa, cœmeteria, cœnobia, religiosasque domos pro azylis concedi. Primò, quia sic diuini Numinis summa monstratur maiestas, dum ei dicata loca & domus adeò habentur sacrosanctæ, vt, etiamsi hominibus illatum sit damnum, & vel publicum, vel priuatum bonum pœnas exigat, ob illius tamen reuerentiam securus quis in illis sit: neque audeat illum quispiam indè extrahere, ibi attingere, aut violare. Secundò, maior quædam & sublimior de diuinis rebus vulgo conciliatur opinio, dum vident in aris, templis, & religiosis domibus tantum esse miseris mortalibus opis ac præsidij. Tertiò, consulitur multorum innocentiæ: iniicitur quoddam veluti frænum incitatæ aduersariorum iracundiæ ac furori: tempus datur & ei qui ad azylum venit, subeundæ pœnitentiæ, & alijs qui eum insequuntur & ad necem deposcunt, maturioris consilij capessendi. Et vt nulla esset alia vtilitas, hæc sanè perinsignis est, per azylorum religionem etiam in bellis & vrbium expugnationibus cohiberi ac retundi, si non omninò & semper, saltem vt plurimùm & maiori ex parte, hostiles mucrones, bacchantésque in cæde & sanguine: alibi dextras hîc mitescere; ac veluti fractas & debilitatas elanguescere. Vnde S. Augustinus Dei Christique gloriam etiam apud Gentiles maximè illustratum fuisse sentit, cùm captâ à Gothis barbaris vrbe Româ, in Christianorum templis tuti manerent & intacti quotquot ad ea sese contulissent. Vide plura de his apud Azorium nostrum: & de azylis Gentilium, Ciceronem, Iustinum, Pausaniam, Gellium, Vlpianum, Tiraquellum, & Alexandrum ab Alexandro.

Azor l. 8. Moral. c. 9. Cicero in Verrem. Iustin. l. 23. Pausanias in Atticis, Corinthiacis, Laconicis, Achaicis. Gellius l. 10. c. 15. Vlpian. in l. Quid fugitiuus, & in Pandectas, &c. Alex. l. 3. c. 20.

Moraliter tot vrbes refugij & azyla significant multiplex pœnitentiæ post peccata confugium, tum in hac vita ad Sacramenta & opera pia: tum in altera, ad Purgatorium. ita Serarius & alij.

CAPVT XXI.

Leuitis assignantur ciuitates 48. cum suburbanis earundem. Et complet Deus vndequaque quidquid olim Patriarchis promiserat, pace & plenâ quiete vbique concessâ Israëlitis.

¥.36. MISOR] Redundat, vel adnectendum *Iaser*, vt vnam eamdemque cum ea vrbem constituat. Alioquin vrbs vna redundaret.

¥. 39. *Ciuitates Leuitarum fuerunt quadraginta octo*] Totidem enim iusserat eis dari dominus Numerorum c. 35. v. 6. & 7.

Nota, penes Leuitas fuisse plenum ius & dominium vtile in has vrbes: vnde statuebant ibi magistratus & alios officiales. Sed dominium supremum directum manebat penes singulas tribus, vnde vrbes illæ decerptæ erant. Quibus proinde cedebant portoria, vectigalia, & alia Regalia quæ vocant.

Sed petes, Quare tribui Leui, quæ numero erat omnium penè minima, dandæ fuerunt 48. vrbes, id est duplò & triplò plures quàm quibusdam alijs tribubus longè numerosioribus obuenerant? (a) Respondeo Primò, Quia diuinam benignitatem decebat, erga ministros suos sacrorumque antistites in rebus ad victum habitationemque necessarijs subministrandis esse liberalem: vt illi exempti & liberati importuna earum rerum curâ, se totos in Dei cultum, cærimonias & obsequium impenderent. ita Philo. Respondeo Secundò, Quia alijs tribubus, etsi paciores quibusdam obuenissent vrbes obuenerant, tamen plurimi quoque *pagi & vici*: quorum nullos acceperunt Leuitæ, sed solis suburbanis ad mille passus, seu bis mille cubitos circum singulas vrbes contenti esse debebant, vt dicitur Numeror. 35. v. 4. & 5. ita Abulensis. Sed aliam hîc notare est diuini Numinis prouidentiam simul & clementiam. Genesis 49. in pœnam euersæ tyrannicè Sichem patriarcha Iacob irrogarat filio suo Leui pœnam dispersionis inter fratres suos. Sed Deus ob merita posterorum, & præsertim Moysis, Aaronis & Phinees, hanc ipsam pœnam conuertit in laudem & præmium, effecitque vt qui dispergendi erant per omnes tribus, honorifico sacerdotij & sacri ministerij titulo dispergerentur, neque probro id illis esset, sed summo honori. Vnde & hoc consequebatur commodi, quòd, dispersis per omnia loca sacerdotibus ac Leuitis, omnes reliquæ tribus faciliùs ab ipsis sanæ doctrinæ morumque præcepta haurirent: nam ipsorum erat, vtpote legis peritorum, docere & erudire fratres suos. Denique & hoc notandum, diuina prouidentia factum, quòd ex omnibus Leuiticis vrbibus totâ Palæstinâ dispersis eæ sacerdotibus sorte obuenerint, quæ tabernaculo ac templo, adeoque & futuræ vrbi regiæ, putà Ierosolymæ, proximæ essent; vt sic commodiùs cum Iudaica tribu connubia inire possent. *Nam*, inquit Theodoretus, *has duas tribus permisit misceri Dominus, eò quòd Christus qui è tribu Iuda*

(a) a Serario *hic q. 3.*

Philo l. de Profugis & l. 2. de Monarchia, & l. de Sacerdotum honoribus. Abulens. quæst. 9. in Num. 35.

Theodor. hic q. 18.

Iuda nasci debebat, non rex solùm, sed & pontifex erat futurus.

CAPVT XXII.

Remissa ad suam possessionem trans Iordanem tribus Ruben, Gad & dimidia Manasse, exstructo ad Iordanem altari suspicionem noui criminis incurrunt, sed causis consilij sui expositis innoxij declarantur.

¶.8. DIVIDITE *prædam cum fratribus vestris*] Caluinus vult id solùm fuisse consilium. sed præceptum fuisse patet ex Numerorũ c.31.v.27. vbi iubet Deus, *diuidi ex æquo prædam inter eos qui pugnauerunt, & inter omnem reliquam multitudinem.* Hanc legem fortè successu temporis neglectam rursus instaurauit Dauid 1.Regum 30. vt *æqualis* esset *portio proficiscentium ad bellum, & remanentium ad sarcinas.*

¶.24. *Cras*, seu futuris temporibus, *dicent filij* B *vestri filijs nostris: Quid vobis & Domino Deo Israel?*] Chaldæus, *non est vobis verbi diuini communitas*: id est, non estis de populo Dei, neque promissiones de terra sancta & Messia ex Abraham orituro, factæ olim patribus nostris, ad vos tamquam veros heredes spectant: & consequenter, ius non habetis ad altare & sacrificia quæ in tabernaculo fœderis cis Iordanem apud nos peraguntur. Ne ergo hæc & similia posteri vestri posteris nostris toto Iordane à vobis seiunctis exprobrent aliquando, idcirco exeximus trans Iordanem hoc vastum & nobile altare, non vt eo ad proprium & primarium altaris finem vtamur, putà ad sacrificia in eo offerenda (nam probè scimus lege diuina vetitum esse nobis sacrificia offerre extra tabernaculi locum à Deo designandum, Leuit.16.) sed solùm ad secundarium finem, nempe ad æternum monimentum eiusdem vobiscum auitæ religionis & cultus diuini, sicut & stirpis paternæ: vtque omnibus perpetuò testatum maneat, nos ad eadem vobiscum cis Iordanem sacra priuilegiaque omnia ius habere. ita Abulensis. Et hoc altari typico, & ex altero simili à patriarcha Iacob *in titulum* erecto Genesis 28.vers.18. contra Iconoclastas colligit etiam Lutheranus Chytræus, posse imagines & statuas erigi, qui Christi, & Sanctorum, & diuinorum beneficiorum memoriam conseruent, fidem accendant, & imitationem suadeant. ita Serarius, & Vasquez, & Bellarminus.

Serarius hic, & in præfatione librorum. Vasquez de Adorat.

CAPVT XXIII.

Iosue senex, iamque moribundus, hortatur filios Israel ad seruanda religiosè diuina præcepta: nominatim, de cauenda societate cum Gentilibus.

¶.2. PRO *duces*, lege ex Hebræo, Chaldæo & Græco, *iudices*. vti legitur cap. seq. vers.1.

¶.7. *Ne iuretis in nomine deorum earum*] In Hebræo additur, *Non memorabitis nomen deorum gentium illarum.* Vnde pij Iudæi vix, aut non nisi cum detestatione, solebant nominare falsos deos: quod etiamnum obseruant qui inter ipsos volunt religiosores videri. Quin nec hæreticorum vsurpant nomina, etiam scribendo, nisi priùs *pacem veniamque* sua illa symbolica breuitatis notula, Chas veschalom, id est, *ignosce & pax esto*, precati fuerint. Quod ijs obseruandum, quibus semper in

ore, *Mehercule, Mecastor, Medius fidius, Dies Iouis, Dies Veneris*, &c.

De benedictionibus & maledictionibus, quas hic moriturus Iosue populo imprecatur, vide Deuteron.27.& 28.

CAPVT XXIV.

Renouat Iosue Israelitis memoriam beneficiorum à Deo acceptorum, & fœdus populi cum Deo. Moritur Iosue 110. annorum. moritur & Eleazar pontifex. Ossa quoque Iosephi patriarchæ ex Ægypto ejecta sepeliuntur in Sichem.

¶.1. IN *Sichem*] Sic etiam Hebræus textus habet, & Chaldæus, & quidam Græci. Sed LXX. legunt, *in Silo*: Nimirum comitia hæc indicta fuerunt *in Silo*, quomodò enim alioqui dicemus eos *stetisse in conspectu Domini?* & *Iosue posuisse lapidem in Sanctuario Domini?* vers.26. Quia tamen *Silo* erat in agro *Sichemico*, idcircò verè quoque dicuntur *tribus omnes congregatæ in Sichem.* Sicut infrà vers.32. Iosephi ossa dicuntur sepulta fuisse *in Sichem*: cùm tamen constet ex Genesis 33.vers.18.& 19. sepulchrum hoc Patriarcharum fuisse extra vrbem Sichem, in agro: ita Serarius.

¶.2. *Abraham* an in adolescentia sua coluerit falsos deos, dixi Genesis 12.v.3.

¶.9. De *maledictione Balaam* vide Numer.22. & sequentibus capitibus.

¶.12. *Misi ante vos crabrones*] Si ergo constat impleuisse Deum quod Iudæis promiserat se facturum Exodi 23.v.28.& Deuteron.7. v.20. Et quidem non *metaphoricos*, vt vult S. Augustinus, sed *veros* ac reales *crabrones* hos fuisse, certissimò patet ex Sapientiæ c.12.v.8.& 9. vbi *vespæ* vocantur, & *bestiæ*. *August. hic q.27. & in Exod.q.93.*

¶.14. *Auerte deos quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia & in Ægypto*] Ex hoc loco conuincitur S. Epiphanius, aliquos Israelitarum etiam *in Ægypto* idola coluisse. Item hoc tempore Iosue, licèt nullus esset publicus idolorum cultus, tamen non defuisse qui secretò idola retinerent & colerent, vana superstitione vicinarum gentium paulatim corruptos. Vnde v.23. tam disertè mandat, *Nunc auferte deos alienos de medio vestri.* Licèt enim in particulari nesciret quinam essent tanti scelcris rei, longa tamen experientia sat norat, in tanta multitudine, tanta irritamentorum copia, tanta in id crimen propensione, non deesse improbos aliquos qui sese eiusmodi crimine obstringerent. ita Masius & Serarius. *Epiph.l.1. post principium.*

¶.19. *Non poteritis seruire Domino*] Non est absoluta præcisaque negatio, sed quæ certas conditiones requirit, maximeque optat & vrget. q.d. Nisi magnos induatis animos, decretumque ac fixum habeatis omnes idololatriæ occasiones & incitamenta procul arcere; *non poteritis seruire Domino* prout oportet, purè, castè, integrè, diu & constanter.

¶.26. *Tulit lapidem pergrandem*, in quo summatim verba fœderis huius iam tertiò publicè innouari descripserat Iosue, *posuitque eum subter quercum, quæ erat in* atrio *Sanctuarij*] vel iuxta atrium, vt Rabbini exponunt. Qui etiam docent, hanc ilicem seu quercum fuisse illam eamdem numero sub qua Iacob idola Laban defodit, Genesis 35. & iuxta quam Abrahamo Genesis 12. Deus apparuit, terramque Chanaan primò promisit.

promisit. Ita etiam Masius & alij. Sed quó iure A passi sunt Iudæi quercum illam iuxta Sanctuarium, cùm Deuteronomij 16. v.21. seuerè inhibeatur, ne *lucus* sit *& omnis arbor iuxta Domini altare?* Respondeo, non vetari istic vnius vel alterius arboris seu plantationem seu conseruationem, sed eas solas arbores quæ pars luci aut siluulæ sint. Patet ex Hebræo & Græco textu, vbi habemus, non facies *lucum ex omni arbore*, seu ex quocumque arborum genere.

℣.27. *En lapis iste erit vobis in testimonium, quod audierit omnia verba Domini*] tatropicè lapidi tamquam testi auditum tribuunt etiam Hebræa & Græca, idque propter inscriptionem seu incisionem in lapide. Quod Chaldæus clarè exponit: *En lapis iste erit nobis, quasi duæ tabulæ lapideæ fœderis. Facimus enim ipsum pro testimonio: verba enim quæ in eo sunt inscripta, referunt omnia verba quæ Dominus locutus est ad nos.*

℣.29. *Mortuus est Iosue*] ætatis anno *centesimo decimo*, iam completo. Qua etiam ætate mortuus fuerat *Ioseph* in Ægypto, Genesis 50. v.25. Quoto principatus sui anno mortuus sit, dixi in Chronico cap.20. *Mensis* verò & *dies* mortis Iosue memoratur in Hebræorum Kalendario, *vigesimus sextus Nisan.* Quo eodem mense etiam mortuus est verus IESVS Dominus noster. Ad cuius etiam mortis similitudinem, tradunt in Seder-Olam ijdem Hebræi, cùm sepeliretur Iosue in monte Ephraim, terræmotum extitisse, excidisse montem illum vocatum *Gaas*, id est commotionis ac tremoris.

Petes, quid de filijs aut posteris Iosue? Respondeo, De his nulla vsquam mentio vel in Scripturis, vel in SS. Patribus, vel probatis Rabbinis. Vnde omnino videtur dicendum, liberos nullos reliquisse, sed tota vita cælibem permansisse, vt propiorem veri IESV nobis imaginem præferret. Ita S. Ignatius Martyr, Hieronymus, Chrysostomus, & alij.

S.Ign.ep.ad Philadelph. Hieron.l.1. contra Iouinianum. Chrysost. serm. de Martyribus.

LIBER IVDICVM.

CAPVT I.

TRibus Iuda cum tribu Simeon plurimas Gentium vrbes expugnant. Othoniel obtentâ Cariath Sepher, in præmium accipit Axam filiam Caleb. Chananæi plurimis locis contra Dei decretum non expelluntur, sed tributarij conseruantur.

℣.1. POST *mortem Iosue*, cùm nullus illi successisset qui tribubus omnibus vt generalis dux præesset, sed *maiores* administrarent rempublicam: per quos intelligo tum *Principes* & magistratus supremos *singularum tribuum*: tum etiam *Sanedrim* 70. seniorum, de quibus vide Numerorum 11.v.14. communi omnium consensu coacta sunt *comitia* in *Silo*, teste Procopio, vbi erat tabernaculum fœderis, Iosue 18. Et quia satis constabat, Chananæos residuos debere à singulis tribubus bello paulatim excindi, dubitabatur tamen, quænam id tribuum prima aggrederetur; prudentissimo consilio decreuerunt, consulendum super hac re Dominum. Itaque per *Phinees* sacerdotem summum, inquit Iosephus, seu per *vrim & thummim*, de quo dixi Exodi 28. consulunt Deum, *quis ascendet ante nos*, seu quænam tribuum prima bellum inferet Chananæo? *& erit dux*, id est auctor & inchoator *belli?* Respondet per eumdem internuntium Dominus, *Iudas*, seu tribus Iuda, primo loco *ascendet*] Dictum factum: sed in belli societatem vocauit *Iudas Simeonem fratrem suum*, hoc est tribum Simeonis, quia hæc tribus intra sortem & sinum tribus Iudæ recepta fuerat, Iosue 19.vers.1. ac proinde D communes erant vtrique tribui hostes. Prima expeditio & victoria fuit aduersus vrbem *Bezec*, quæ fulgur & coruscationem significat. Cuius regem seu dominum, *Adonibezec* ex fuga retractum, quo alios ipse mulctarat olim infami supplicio, ipsum quoque iam mulctant Iudæi. Nam 70. reges seu regulos diuersarum prouinciarum vel vrbium, diuersis bellis sibi subiugatos, ad ostentationem potentiæ, victoriarumque suarum; simul & ad oblectationem crudelis animi

Ioseph.l.5. Antiq.c.1.

B sui suorumque conuiuarum, coëgerat ille sub mensa sua, præcisis antè pedum manuumque supremis digitis, instar canum decidua fragmina ore colligere, atque ita conuiuantibus ludos dare. Sed crudeli & sæuo tyranno iustam hîc talionem reddit Deus: qua resipuisse eum, veramque Dei fidem amplexum esse probabiliter putat Seratius. Sed multo animi dolore ex tanta fortunæ mutatione mortem citò oppetijt, in obsidione vrbis Ierosolymitanæ paulò pòst ab ijsdem Iudæis vi captæ, & ob nuperam defectionem (nam capta semel fuerat à Iosue sub initium ingressus in terram sanctam, Iosue 12.v.10.) promiscua omnium incolarum cæde atque incendio pessimè mulctatæ. Quod intellige non de arce Ierosolymitana in monte *Sion*, (nam hæc ante tempora Dauidis numquam potuit Iebusæis extorqueri 2.Reg.5.vers.7.) sed de inferiore vrbe: C de qua plura dixi Deuteron.33.v.12. & Iosue 18. v.28.

De Hebrone, de Caleb, & Othoniele quæ hîc dicuntur, exposui Iosue 14.& 15.vbi per prolepsin narrabantur. Porrò Othoniel videtur in omnibus his expeditionibus primas in tribu sua Iuda partes egisse. vnde & tempus præfecturæ illius 40. annorum inchoatur à morte Iosue.

℣.11. *Ciuitas litterarum*] Sic vocabatur quòd inibi tamquam in celebri Academia, *litteræ* egregiè *tractarentur*, inquit Liranus, Abulensis & Driedo. Addit Arias, ibi publicam fuisse *bibliothecam*: Masius, etiam *archiuum* veterum à diluuio monumentorum. Sic hodie celeberrima Hispaniæ regum sedes cùm *Mantua* diceretur, iam Arabico nomine vocatur *Madrid*, id est *mater scientiæ*, quia Mauri illic celeberrimas scholas olim habebant. ita Franciscus Lopez.

Abulens. in Ios.15.q.5. Masius in Ios.15. Lopez in Funebribus Hispanicis Imperatricis pag.87.

℣.16. *Filij Cinæi cognati Moysi*, (quinam hi sint dixi Numeror.10. sub finem) *ascenderunt de ciuitate palmarum*, id est, ex agro *Iericho*; (a) *in desertum sortis eius*] Sed cur ex amœnis palmetis & agro fœcundo migrant in solitudinem? Nempe inchoabant ex tunc vitam solitariam, quæ veteris testamenti monastice quædam & anachoretice fuit, quæque

a Deut.34. v.3. & 2.Par.28.

quæque Ieremiæ 35. à Deo valdè laudatur & & ſtabilitur, vt dixi Numeror. 10. ità S. Hieronymus, & Serarius.

Hieron ep. 8. ad Paulinũ. Serar. l. 3. Trimarchion c. 9. & l. 5. Mineral. c. 13. & ſeq.

✠. 35. *Et aggrauata eſt manus domus Ioſeph*] nempe ſupra Amorrhæum. Cùm enim hic non pateretur Danitas ſat anguſtè commorantes quietè agere, neque hi reſiſtendo illi eſſent; auxilio Danitis fuerunt Ephraimitæ & Manaſſæi filij Ioſeph, & compreſſos Amorrhæos ſibi tributarios fecerunt, fœdi lucri cupiditate, cùm ex diuino decreto debuiſſent eos ſtirpitus exſcindere. In quo etiam reliquæ omnes tribus peccarunt, ideoque & per eoſdem quibus ignauè pepercerunt, puniti ſunt

✠. 36. De *Aſcenſu Scorpionis*, vide quæ dixi Numeror. 34. v. 4.

A ſtocraticus, vt patebit ex ſequentibus. A Ioſepho nunc *Archontes*, nunc *Monarchi*, nunc *Imperatores* vocantur. A S. Scriptura ſubinde *Saluatores* dicuntur, vt hîc c. 3. v. 9. & 15. & 2. Eſdræ 9. Fuerunt porrò iudices vniuerſim quatuordecim, Othoniel, Aod, Samgar, Barach, Gedeon, Thola, Iair, Iephte, Abeſan, Ahialon, Abdon, Samſon, Heli, Samuel. iudicaruntque populum Iſrael per annos 377. (a)

Ioſeph. l. 5. c. 2. & 9. & l. 11. c. 5.

a *Chron. c. 18.*

Petes, an omnes hi iudices ſancti ſint ac beati? Ambigit Feuardentius: ſed ambigere nos non ſinit Eccleſiaſticus, qui c. 46. v. 13. dicit *iudices* hos *ſingulos ſuo nomine laudandos, & cum viris glorioſis ac ſanctis* habendos. Et Apoſtolus ad Hebræos 11. v. 32. quatuor *iudices* de quibus dubitari potuiſſet, de eximia fide egregiè commendat.

CAPVT II.

Angelus diuina beneficia propalam Iſraeli commemorat. Flet populus, eumque pœnitet ingratitudinis. Sed à morte Ioſue & ſingulorum Iudicum relabitur ſemper in peiora.

✠. 1. *Aſcenditque angelus Domini de Galgalis*] Veriſimillimè idem qui in *Galgalis* apparuerat Ioſue c. 5. putà Michael princeps Synagogæ & Eccleſiæ Dei. ita Theodoretus, & Serarius. Ideoque aptiſſimè, ex Galgalis aſcendiſſe videri voluit, vt tot tantorumque beneficiorum illic acceptorum, & renouati per circumciſionem fœderis memoriam refricaret ingratis.

Ad Locum flentium] Hebraicè *Bochim*, quod *flentes* ſignificat: nempe à fletu, quem angelus ſua cohortatione excitarat, inditum nomen loco, vt patet v. 5. Quem locum in vicinia *Silo* fuiſſe colligitur ex eod. verſu, quo dicitur, populum *ibi hoſtias immolaſſe Domino*: atqui non licebat tunc temporis alibi quàm in *Silo* hoſtias immolare, cùm eſſet ibi tabernaculum fœderis: ergo.

✠. 13. *Baal*] Ab alijs *Bal*, vel molliùs *Beel*, *Bel*, *Belus* vocatur, ſignificatque *Dominum* vel *dominatorem*: & accommodatur ſæpè cuilibet falſo deo. Subinde tamen pro vno particulari ſumitur, ſicut *vrbs* commune nomen, *Roma* proprium factum videmus. Apud *Tyrios Hercules* per *Baal* deſignari videtur ex 2. Machab. 4. v. 19. Aliàs ferè *Iupiter* ſic vocatur, qui & *Nemrod Saturni* filius, vt dixi Geneſ. 10. Sed ordinariè, vt dixi, eſt commune nomen omnium deorum. Sæpè tamen pro varietate vel locorum, vel euentuum, vel etiam deorum, aliquid additur illi communi nomini, quo vnum ab altero diſtinguatur, v. g. *Beel-phegor*, *Beel-zebub*, *Baal-pharazim*. Aliquando plurali numero vnus idemque Deus *Baalim* vocatur, ob ſimulacrorum eius multitudinem, inquit S. Auguſtinus: vel potiùs, honoris cauſa, more Hebræorum, qui etiam verum Deum plurali nomine *Elohim* vocare ſolent. Sic *Aſtaroth* plurali numero hîc vocatur vel *Venus*, vt vult Sanctius ex Macrobio & Giraldo: vel potiùs *Iuno* regina dearum, ſecundùm S. Auguſtinum, pro *Aſtoreth* vel *Aſtarthe*. De hac plura vide apud Serarium hîc quæſt. 2. qui etymologiam eius nominis ab *aſtris* deducit, & *Eſther* reginam idem eſſe vult quod *ſtellam*.

S. Auguſt. q. 16.

Sanctius in 3. Reg. 11. v. 5.

Macrob. l. 1. Saturnal. c. 21.

Lilius Girald. ſyntagm. 13.

✠. 16. *Suſcitauit Dominus iudices*] id eſt vindices populi ac defenſores. Erat enim primarium iſtorum apud Iudæos officium, ferè vt Dictatorum apud Romanos, bella aduerſus hoſtes gerere. nihilo tamen minùs etiam ius populo dicebant. Eratque hic magiſtratus perpetuus, ſeu ad vitam: monarchicus quidem, ſed magna ex parte etiam ariſtocraticus, vt patebit ex ſequentibus. A Ioſepho nunc *Archontes*, nunc *Monarchi*, nunc *Imperatores* vocantur. A S. Scriptura ſubinde *Saluatores* dicuntur, vt hîc c. 3. v. 9. & 15. & 2. Eſdræ 9. Fuerunt porrò iudices vniuerſim quatuordecim, Othoniel, Aod, Samgar, Barach, Gedeon, Thola, Iair, Iephte, Abeſan, Ahialon, Abdon, Samſon, Heli, Samuel. iudicaruntque populum Iſrael per annos 377. (a)

Ioſeph. l. 5. c. 2. & 9. & l. 11. c. 5.

a *Chron. c. 18.*

Petes, an omnes hi iudices ſancti ſint ac beati? Ambigit Feuardentius: ſed ambigere nos non ſinit Eccleſiaſticus, qui c. 46. v. 13. dicit *iudices* hos *ſingulos ſuo nomine laudandos, & cum viris glorioſis ac ſanctis* habendos. Et Apoſtolus ad Hebræos 11. v. 32. quatuor *iudices* de quibus dubitari potuiſſet, de eximia fide egregiè commendat.

CAPVT III.

Iſrael dum Gentibus, quibus pepercerat, ſociatur, ſceleribus earundem contaminatur: & etiam per eaſdem affligitur. Sed reſipiſcens ſemel iterumque per Othoniel, & Aod, & Samgar liberatur.

✠. 8. *Chuſam Raſathaim*] q. d. *Chuſam* regem *duplicis mali* Iudæis auctorem: nam & corpus libertate, animum religione ſpoliabat. A Ioſepho vocatur *Chuſarthes rex Aſſyriæ*, pro eo quod Notter habet, *rex Meſopotamiæ*, vel, vt Hebræus, *Syriæ duorum fluminum*: quia *Meſopotamia* duos inter fluuios *Tigrin* & *Euphraten* iacet, vnde & *Interamnis Syriæ* vocari ſolet. Procopius vult hunc regem non ſolius Aſſyriæ aut Meſopotamiæ, ſed & totius Syriæ dominum fuiſſe. De *Othoniele*, qui tyrannum hunc deuicit, vide Numer. 32. & Ioſue 15.

Ioſeph. l. 5. Anti. c. 3. 4.

✠. 12. Mortuo *Othoniele* deflexerant iterum ad idola Hebræi: & *confortauit Dominus aduerſum eos Eglon regem Moab*] non iubendo, ſuadendo, impellendo, aut ſimili modo excitando ad iniuſtum bellum, vt volunt Caluiniſtæ; ſed primò, augebat illi vires, animos, conſilium, arma, ſocios, milites, & alia quibus alioquin inferior erat Hebræis. Secundò, minuebat ex altera parte vires & animos Hebræorum, eiſque terrorem ac formidinem immittebat: & fortè hoc ipſum innoteſcere fecit regi Moab. Tertiò, ſubmouebat impedimenta omnia quæ à bello Hebræis inferendo Moabitas remorari potuiſſent. dabat proſperos belli ſucceſſus, deſtituendo Hebræos ſolita ope cœleſti, &c. Quæ omnia iuſtis de cauſis, & in bonum finem faciebat Deus: & erant ex ſe indifferentia, poteratque & bene & malè illis vti rex Moab. Et licèt præuideret Deus, illum pro mala ſua voluntate, & alieni imperij ambitu malè vſurum, ad bellum Hebræis iniuſtè inferendum; voluit tamen illum ſibi ſuæque malitiæ relinquere, vt hac via Hebræi debitas luerent pœnas. Potuiſſet quoque Deus apertè ac directè illi tamquam tortori vel militi ſuo præcipere, vt bellum Hebræis inferret, eoſque puniret: ſed tunc debuiſſet ei ſuam hanc voluntatem indicare; neque fuiſſet bellum iſtud iniuſtum. Ita de Nabuchodonoſore docet Abulenſis ex S. Auguſtino & S. Thoma. Vide quæ de Pharaonis induratione dixi Exodi 7.

S. Auguſt. de Gratia & lib. arb. c. 20. 21. &c.

✠. 15. *Filij Iemini*] Id eſt Beniaminij, ſeu de tribu Beniamin, vt alibi (*b*) probabo.

b *Eſther 11. v. 2.*

✠. 28. *Occupauerunt vada Iordanis quæ tranſmittunt in Moab*] Vtili ſanè prudentique conſilio, ne Moabitæ, qui in tractu Ierichuntino (vbi aula erat Eglonis regis) habitabant, in Moabitidem profugere, & inde ſubſidia accerſere poſſent.

Nota,

Nota, pro tyrannicidio probando, quasi cuius priuato liceat, frustrà allegari hoc Aodi exemplum: cùm constet Primò, hunc non fuisse hominem priuatum, sed principem populi Israelitici, à Deo omnium Domino ad id munus euectum, vt dicitur hic v.15. Deinde, iussum ab eodem Deo occidere publicum hostem, & violentum regni inuasorem. Vide & verum dixit vers. 20. *Verbum Dei habeo ad te, ô Rex*, te Ite S. Augustino, Lirano, Arboreo, & alijs. Et S. Thomas dicit, *Aod hostem potiùs interemisse, quàm populi rectorem tyrannum.* Porrò (b) alibi diserte docet, *non licere priuata præsumptione* occidere tyrannũ, *sed* solùm *publica auctoritate.* Et articulus ille Hussiticus, *Quilibet tyrannus licitè potest à quocunque subdito interfici*, damnatus est à Concilio Constantiensi: & iam damnatur ab omnibus Orthodoxis.

S. August. q.20. Io. Arbor. Theosophia l.1. c.24
S. Thom. l.1. de Regimine principũ c.6.
b Opusc.20.

A

¥.31. Samgar] Hic est tertius iudex: sed breuissima fuit eius principatus duratio, vt patet ex initio cap. seq. Occasionem inchoandi belli Philistæis ortam fuisse putat Serarius ex morte fortissimi principis *Aodi*, cuius, quamdiu vixit, metu numquam ausi fuerant se mouere: iam mortuo, tentare voluerunt variis latrocinijs Iudæos, ecquid ipsis animi superesset. Ergo prædas ex insidijs agere, homines in seruitutem abripere, & fortè *Samgari* in agro aranti boues eripere. Ipse strenuè obniti, vim vi repellere, cumque alia ad manum arma non essent, *vomere sexcentos viros* humi sternere, vti postea *Samson* mandibula asini millenos viros. Atque ita compressa Philisthæorum in ipso limine audacia.

B

Notat Eusebius, tempore Aodi *Troëm* condidisse vrbem Troiam: *Minoëm* regnasse in Creta: *Erichthonium* Athenis: *Pelopem* apud Argos: *Rhadamanthum* in Lycia: *Cadmum* Thebis: huiusque nepotem *Bacchum* in India.

C

CAPVT IV.

Debbora prophetissa & Barac aduersus Sisaram principem militiæ Iabin regis Chanaan feliciter dimicans. Profugum Sisaram occidit Iahel vxor Haber Cinæi.

¥.4. Debbora prophetis iudicabat populum] An ergo etiam illa de numero Iudicum fuit? Affirmant SS. Hieronymus, & Ambrosius, Caietanus, Genebrardus & quidam alij. Sed Respondeo, ius quidem populo dixisse, sed absque iurisdictione seu potestate iudiciaria. Non enim princeps erat aut domina populi, sed solùm prophetissa: quo nomine plurimi responsa ab illa quærebant, & litium suarum compositionem: eoque magis, quòd reliquos Israelitarum iudices solijs suis deturbassent Iabin & Sisara tyranni, feminam verò eamque simplicem & laudatam facilè tolerabant. Ita Rabbini, Abulensis, Arias, Munsterus quoque & Tremellius. Ita de Deioce scribit Herodotus, ex sola sapientiæ opinione iudicem apud Medos egisse prius quàm rex fieret.

Hieron. ad Furium. Ambros. de Viduit.

Herod. l.1.

D

¥.5. Hæc sedebat pro tribunali, vel etiam habitabat *sub palma* aliqua famosa *inter Rama & Bethel*] quæ ex eo tẽpore dicta fuit *palma Debboræ*, vel *Debbora.* Porrò viduáne fuerit Debbora quum ibi iudicaret, an adhuc coniugata, disputant S. Ambros. & S. Hieron. illo vrgente *viduam* fuisse, hoc negante. Quid si dicamus, inquit Serarius, fuisse tum à viri thoro seiunctam? Sic quoad vinculum matrimonij verè fuisset *vxor*: quoad vsum verò, potiùs vidua. Ita sentiunt quidam citati ab Aria & Abulensi.

¥.6. Quæ misit & vocauit Barac] qui diuinitus illi per angelum, cuius mentio cap. seq. v.23. vel per propheticum lumen, dux populi designatus fuerat. Sed quis iste *Barac? Maritus Debboræ*, inquit ex Rabbinis Nangiacus, & compilator historiæ Ecclesiasticæ. Genebrardus *patrem*; S. Ambrosius *filium* Debboræ facit. Sed facilè hi omnes refelluntur, quòd *Barac Nephthalita* fuerit: *Debbora* verò *Ephraimitis*, vt hîc dicitur v.5. & 6. Et cur rem tantam tacuisset Scriptura? Virum priuatum fuisse, nec magnæ potentiæ affirmat Abulensis: crediderim etiam pium fuisse. Sed an sat forti animo, ferè dubitem, maximè cùm videam aduersus diuinum imperium per Debboram ipsi expositum nonnihil hæsitasse, & forsan ex nimia prudentia humana in obediendo cunctatum esse. Quare meritò etiam à Debbora reprehenditur, & magna gloriæ suæ parte ad *feminam Iahelem* deuoluenda puniendus prædicitur. Sed hanc qualemcumque, certè leuem culpam facilè mox aboleuit tot alijs insignibus obedientiæ fortitudinisque actibus, qui hoc & sequenti capite commemorantur.

¥.17. Erat pax, sed coacta metu potentissimi tyranni, *inter Iabin regem, & domum Haber Cinæi*] Quinam sint Cinæi vide suprà cap.1, & Numeror.10.

Sed vnde familiæ huic religiosæ pax à barbaro & impio tyranno? Nempe stupebat rex ad tantam illorum virtutem, morum innocentiam, animi in aduersis tranquillitatem. Et vel sic ostendere voluit Deus, vnde Israelitis tot tantæque aduersitates & plagæ, cùm proximi tyranno Cinæi, quòd à cultu Dei non recessissent, plena pace, magnoque regis fauore atque amicitia florerent: Israelitæ verò, etsi à tyranno remotiores, quia tamen à diuinis legibus auulsi essent, durissimo tyranni iugo & mille iniurijs opprimebantur.

Petes Secundò, *Si pax erat inter regem & domum Haber*, quo iure *Iahel* vxor *Haber* occidit *Sisaram*? Sed iam dixi, non nisi coactam fuisse pacem. Deinde arctior sanctiorq; pax erat Cinæis cum Israelitis à quibus tot beneficijs aucti fuerant. Denique sat constabat Iaheli hanc esse Dei voluntatem tum ex arcano eiusdem instinctu, tum ex prophetia Debboræ, v.6. & sequentibus: tum ex recenti & prodigiosa victoria. Vnde tenebatur communem reipublicæ suæ hostem quem sinu fouebat, vel prodere, vel perdere. Ita Abulensis, Arias, imò & Iosephus.

CAPVT V.

Canticum triumphale & gratiarum actionis Debboræ & Baraci post victoriam.

¥.4. Domine cum exires de Seir] id est Idumæa. q.d. Quando tu Deus insidens arcæ quasi throno tuo nobiscum ambulabas in deserto, cui Idumæa adiacet, statim ad conspectum tuum tantus passim metus ac tremor omnibus incussus est, vt non homines modò, sed & cæli & nubes & ipsi montes, ac præ omnibus mons Sinai, metu tui tremuerint, dissoluti ac liquefacti sint. Vide Exodi 19.

D

¥.6. In diebus Samgar, seu ex eo tempore, quo, mortuo Aod, iudex fuit Samgar, vsque ad *dies Iahel*, hoc est, vsque ad præsens tempus, quo Sisara occisus est manu Iahel, *quieuerunt semitæ*] publicæ, id est, viæ rectæ & regiæ teri non potuerunt, propter cædes & latrocinia quibus infestabantur.

¥.8. Si

℣. 8. *Si apparuerint*] Hebraismo, pro, *non apparuerint*. q.d. Vsque eò nos oppresserat tyrannis Iabin, vt *in quadraginta millibus Israelitarum*, qui partim è tribu Nephthali & Zabulon collecti erant à Barac, partim ex reliquis tribubus, vix inuenire esset *clypeum* aut *hastam*: sed debuerint armari fustibus, ligonibus, vomeribus, & quasi inermes aduersum Sisaram prodire. Vnde & soli Deo, quo duce ille profligatus est, omnis victoria & triumphus debetur.

℣. 14. *Ex Ephraim*] Id est, Iosue, qui erat Ephraimita, primus superauit Amalecitas, Exodi 17.

Et post eum futuro tempore surget alius *ex Beniamin*] puta Rex Saul, qui eosdem deleat. ita Chaldæus & Rabbini. Nisi malis, duas hasce tribus hic specialim laudari, quòd, pugnantibus aliis aduersus Sisaram, ipsæ irruerint in Amalecitas, qui Sisaræ suppetias ferre tentabant. Sic laudantur & *principes Machir*, id est præcipuæ familiæ *Manassæorum* (*a*): & aliæ tribus, quòd strenuam huic bello operam nauarint. Soli perstringuntur Danitæ, Aseritæ, Galaaditæ seu Rubenitæ, quòd studiis propriis & commodis priuatis vacarint, neglecto communi bello.

a Gen. 50. v. 22. & Num. 26. v. 29. & Deut. 3. v. 15. & Iosue 13. v. 31. &c.

℣. 16. *Quare*, ô Ruben, *habitas inter duos terminos?*] Chaldaicè, quare medius hærebas & dubius inter terminos hostium & Israelitarum, exspectans belli euentum; vt, si vinceret Sisara, te illi coniungeres: sin Barac, illi adhæreres? Nempe diuisio seu dissensio fuit inter principes tuos: magnanimos scilicet illos, qui *sibilos* & balatus *gregum* suorum *audire* maluerunt, quàm sonitum buccinæ Barac.

℣. 20. *De cælo dimicatum est*] q.d. Licèt deessent hæc humana subsidia, non defuerunt cælestia.

Stellæ manentes in ordine & cursu suo] id est, non turbatæ, vt nuper imperante iis stationem Iosue, sed prosequentes ordinarium cursum suum, causarunt tantas tempestates ac procellas grandinum, ventorum, fulgetrorum, vt omnes copiæ hostiles turbarentur, frangerentur ac contererentur: Deo interim & angelis, quorum operâ hæ tempestates ciebantur, Iudæos vbique protegentibus & in hostem animantibus. Simile habes sub Samuele 1. Reg. 7. & Imp. Theodosio contra Eugenium & Maximum tyrannos, teste Eusebio. Et similia fingit quoque Plato in suo bello Atlantico. Ita Iosephus, Abulensis & Liranus. Addunt Rabbini (*b*), *omnia & quæ in cælis, & quæ in terris, pugnasse contra Sisaram* pro Iudæis.

Iosue 5. 10. v. 11.

Plato initio Timæi, & in Critia.

b *In tract.* Beracoth, *qui est Thalmudici Sederis primi primus.*

℣. 23. *Maledicite terræ Meroz*] Vrbs erat prælij loco vicina, fortissimis viris referta: quibus, quia ad sacrum hoc bellum iuuare noluerunt, dira iubet ab omnibus imprecari: iubet, inquam, non tam sua, quàm *angeli Domini* auctoritate, qui Debboram ipsam afflabat, & cantici huius auctor & dictator erat, inquit Arias. Abulensis S. Michaelem intelligit, qui toti bello tamquam princeps præfuit, & hostes contriuit; & iam maledicta iacit in eos qui iuuare debuerant, sed metu vel malitia detrectarant. Huius verò maledictionis effectus nullus quidem memoriæ proditus est: sed videtur locus ingratitudine tanta infamis, vel stirpitus excisus, vel saltem æternâ obliuione sepultus fuisse: nam nulla deinceps vel in sacris, vel in profanis historiis mentio fit vrbis *Meroz* aut *Merozitarum*; vt videantur simul cum suo scelere sepulti fuisse.

CAPVT VI.

Relapsis in priora scelera Israelitis, & iam à Madian oppressis, Gedeon varys signis à Deo decernitur liberator: qui occasione destructæ aræ Baal, nomen inde Ierobaal sortitur.

℣. 17. *Da mihi signum quod tu sis*] Hoc est, signo aliquo, proba te talem esse, cui diuinam opem, victoriamque tam nobilem promittenti fides haberi meritò debeat. Nesciebat enim angelũ esse: sed neque an Propheta esset, certò constabat. Porrò signum quod hîc petit Gedeon, dedit illi paulò pòst angelus, nempe ignem tactu scipionis sui miraculosè è petra productum, quo sacrificium quod Gedeon attulerat, absumptum fuit. Patet ex Hebræo.

Petes, an licuerit Gedeoni non sacerdoti, vtpote ex tribu Manasse, sacrificium offerre, & quidem extrà locum tabernaculi? Respondeo, Gedeonem hîc non sacrificasse, sed solùm ministrum egisse, asferendo & componendo victimam in altari ex imperio & præscripto angeli, qui scipione suo ignem è petra educens, vltimam proximamque operam sacrificio impendit. Ac proinde sacerdotis partes hîc egit angelus. Deo omnium Domino sic iubente. Vnde, quod v. 18. Gedeon dicit, se *sacrificium* allaturum & *oblaturum* angelo; non nisi materialiter accipi potest: nam formaliter afferebat illud Gedeon pro munere conuiuali, quod ex intentione Gedeonis seruiret pro prandio, sed voluntate angeli conuersum fuit in sacrificium. Ita Theodoretus, Caietanus, Arias & Serarius. *Theod. q. 12.*

Nota tamen, cùm nocte sequenti iussit Deus Gedeoni vt taurum sibi in eâdem petra (*c*) immolaret, cum ipso etiam *Gedeone* dispensasse, vt sacerdotij munere fungeretur, offerretque holocaustum procul à loco tabernaculi: sicut postea dispensauit cum Samuele (*d*) Elia (*e*) & alijs quibusdam. Nam, vt optimè notat S. Augustinus, *Ita Deus legitima illa sacrificiorum constituit, vt leges non sibi, sed hominibus daret.* Vnde poterat, quandocumque placeret, extra legis suæ limites, ius sacrificandi dare quibus vellet seu hominibus, seu angelis, & quocumque loco aut tempore aut modo vellet.

c v. 25. & 26.

d 1. Reg. 9. & 16.

e 3. Reg. 18. *Aug. qu. 36.*

℣. 25. *Taurum annorum septem*] Chaldaicè, *taurum pinguefactum annos septem.* fortè vt mactandus apud Ægyptios *Apis* plures annos saginari consuerat. ita Rabbini, Theodoretus & Isidorus. Addit Arias, priorem *taurum* vocari hîc *patrii Gedeonis* taurum, quòd ei proprius esset, eiusque solius nomine destinatus sacrificio Baal. Posteriorem vocari *alterum taurum*, scilicet publicum, & publico totius vrbis nomine in sacrificium ei demum Deo deuotum, cuius ope iugum Madianiticæ seruitutis depelli contingeret: vnde & tot præcisè annis saginatus fuerat, quot eadem seruitus durarat; saginandus quoque diutiùs, si hæc diutiùs duraisset. vnde & *annuarius* taurus vocabatur, eò quòd seruitutis annos annis æquaret suis.

℣. 37. *Si ros in solo vellere fuerit*] Duo noua signa petit Gedeon, non ex infidelitate, vt putat S. Thomas & Abulensis, (iam enim *Spiritus Domini*, nempe fortitudinis, *induerat* cum v. 34.) sed ex magna in Deum fiducia, ad suorum quoque commilitonum ad se vndique confluentium fidem & spem erigendam. ita Origenes, Isidorus, Liranus, Arias, Caietanus, & colligitur ex epist. ad Hebr. 11. v. 32. *S. Tho. 2. 2. q. 97.*

Symbolicè, Gedeon petit primo loco, *sibi* tamquam vili velleri *rorem* gratiæ & opis cælestis: posteriore,

posteriore, eamdem gratiam petit & *terræ* reliquæ, id est, suis omnibus commilitonibus.

Allegoricè, ros cælestis doctrinæ, electionis & gratiæ, quæ priùs solum vellus Iudaicæ Synagogæ humectarat, postea exsiccatis & reprobatis Iudæis humectauit fœcundauitque vniuersam gentilitatis terram. Ita Origenes, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus & Theodoretus. Aliter alibi S. Ambrosius (*a*), Rupertus & Procopius, conformiter psalmo 71. v. 6. *Ros in vellere* est Christus in vterum Virginis sine huius corruptione aut dolore, silenter & tranquillè Spiritu sancto irrorante delapsus. Vide de his fusiùs *Guilielmum Mennens* toto libro tertio *Aurei velleris*, qui putat *Philippum Burgundiæ* Ducem cognomento *Bonum*, cùm nobilissimum *Aurei velleris Equitum* Ordinem tertio Idus Ianuarij anno Christi 1430. institueret, non minùs ad hoc *Gedeonis vellus*, quàm ad illud *Iasonis* fabulosum è *Colchide*, mentem intendisse. nimirum vt nobilissimi Heroes illi Ordini adscripti meminissent se veros præstare Gedeones, & Baalis aras ac lucos, Turcicas moscheas & hæretica conuenticula exscindere, & Madianitas omnesque Dei hostes exstirpare debere. Idem innuit Franciscus Haræus, & apertè affirmat Adrianus Barlandus.

Orig hom. 8. Hier. ad Paulinum. S. Ambros. proœmio in l. 1. de Spiritu sancto. Augustl. l. de Vitt. Eccl. c. 5. Theod. q. 14. a S. Ambr. de Viduis, post initium

Haræus l. de Ducibus Brabantiæ. Barland. lib de Duc. Brabant. c. 90.

CAPVT VII.

Probatis ad aquas militibus quibuscum ad bellum progrederetur, Gedeon omine bono ex Madianitæ cuiusdam somnio animatus, noctu irruit in confertos hostes, non nisi trecentis socijs comitatus, solisque tubis, lagenis ac lucernis armatus: fugat omnes mutuis se vulneribus confligentes. duces principes Oreb & Zeb captos interficit.

℣. 7. IN *trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos*] Vt antea timidi, sic nunc intemperantiores reiecti à bello, certissima impedimenta victoriarum, & pestes castrorum. Cùm enim duo sint modi è fluentibus aquis bibendi: vnus, vt commodè in genua procumbat bibiturus, & prostrato corpore caput in ipsas aquas inclinet, sicque instar bouis vno quasi spiritu, quantum libuerit potet. alter, vt pedibus erectis, sed corpore incuruato bibiturus, vola manus quantum potest aquæ hauriat, & id sursum ad os ferat, & lingua instar canis tum elambat; certum est, qui posteriore hoc modo bibunt, fortiores sese magisque temperantes præbere, eò quòd in defatigatione & siti, quâ non minùs quàm alij torquentur, ne hoc quidem sibi pauxillulæ aut quietis, aut refocillationis indulgere velint, vt genibus inflexis, & ore propiùs admoto aquas commodiùs, quietiùs, abundantiùs hauriant. Ita ferè Liranus, Arias, Serarius.

℣. 14. *Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis*] Vti somnium Madianitæ non fuerat humanum, fortuitum aut naturale, neque à dæmone, sed à Deo immissum: ita & explicatio illius non nisi angelicæ suggestioni aut diuinæ reuelationi asscribenda est. quia alioqui non potuisset Gedeon illâ solidè niti, aut per illam certò confirmari. ita Arias & Abulensis. Est alioquin inter hunc panem subcinericium, & Gedeonem nonnulla quoque similitudo, inquit idem Arias: nam vt *panis hordeaceus*, qui ex vilioribus est, sub cinerem citò coctus, visus est è terra & statione Israelitarum sublime raptim tolli, voluique identidem ac reuolui; tandemque in Madianitarum castra deuolui, regium tabernaculum petere, ferire, prosternere ita Gedeon in speciem abiectus, & vix de nomine no-

tus, subitò & tumultuariè paucu'is in vnum coactis copiis, exitio certissimo Madianitis futurus prænuntiatur. Et Hebræi, qui hactenus fuerant quasi panis & esca Madianitarum; deinceps gladius eorumdem & exitium deuorantium se futuri dicuntur. Ita S. Augustinus, Abulensis & Liranus.

℣. 16. *Dedit lagenas vacuas* (has v. 20. vocat *hydrias*, putà testaceas) *ac lampades*] Sic vocantur omnes lucernæ, non modò quæ oleo, aut alia humida materia constant, sed etiam quæ dura & concreta, vt sunt cereæ, oleaginæ, piceæ faces aut tædæ. Erant ergo *lampades* Gedeonis, lignei torres ex pino, cedro vel cypresso, pice, cerâ vel resinâ obliti, qui facilè ignem fouebant, & vento magis accendebantur. ita Arias & Serarius.

℣. 22. *Immisit Dominus gladium in omnibus castris*] Hebraicè, *immisit gladium vnicuiusque in proximum suum, in totis castris.* Madianitæ enim putantes iam Hebræos in mediis suis castris grassari, præ pauore, mœrore & ira quisque sibi vicinum hostem esse existimans, gladio aut hasta traijciebat, & qui fugiebant, alios quoque sequentes fugientes arbitrabantur hostes esse, suoque iugulo imminere. Insequebantur enim Hebræi continuo tubarum vndique personantium clangore, & ignium collucentium fulgore, & conclamantium ex omni parte strepitu: neque vllum turbatis Madianitis aut disquirendi, aut quid agendum esset, statuendi spatium dabatur. Simili penè stratagemate narrat Dio, Pompeium in nocturna cum hoste formidolosissimo Mithridate pugna, innumerabiles illius copias turbasse, fugasse, contriuisse. Et etiamnùm in bello moris est, quàm potest quisque maximum terrendo turbandoque hosti ciere strepitum, armorum concussione, manuum pedumque pulsu, tympanorum, tubarum, bombardarum minorum maiorumque mugitu ac reboatu.

Dio lib. 36.

℣. 25. *Oreb & Zeb*] Hi duo è quatuor Madianitarum regibus seu ducibus capti ab Hebræis circa vada Iordanis, nomen ab infelici morte suæ locis vbi occisi sunt indiderunt; *Oreb in Petra*, *Zeb in Torculari*, ad quod fortè latebræ causa confugerat. Reliqui duo principes *Zebee* & *Salmana* cap. sequ. capti & occisi sunt. Hanc victoriam comparat Abulensis cum ea quæ Iosaphato regi cælitus data fuit 2. Paralip. 20. Multisque nominibus præferenda illi cæteroqui glorioſissimæ pugnæ illorũ etiam *trecentorum Lacedæmoniorum*, qui *Leonida* duce ad Thermopylas numerosissimo sese *Xerxis* exercitui obiecerunt, & viginti millibus contrucidatis, morti demum omnes ad vnum ipso in loco succubuerunt. Nam nostri trecenti Gedeonij supra centum hostium millia, vt cap. seq. dicetur, & quidem solis tubis ac tædis internecioni dederunt, ne vel vno suorum desiderato aut læso.

Allegoricum de Christo & SS. Eucharistia, & moralem de virtutibus heroicis sensum Gedeonicæ victoriæ, lampadum, tubarum & panis subcinericij vide apud Origenem, Gregorium, Leonem Castrium, Ioannem Osorium & Serarium.

Orig ho. 9. Greg. l. 30. Moral. c. 17. Leo Cast. in c 10. Isaiæ. Osor serm. de expedit. contra hæret. & de reditu Hispan è bello Anglic.

CAPVT VIII.

Tribum Ephraim, quòd putaret se contemptam, in Gedeon insurgentem blandis ipse verbis compescit. Intolus Soccoth & Phanuel sibi insultantes malè perdit. Conflat Ephod aureum. Generat filios 70. ex diuersis vxoribus: & vnum Abimelech ex concubina. Relabitur Israel in idololatriam.

℣. 2. NONNE *melior est racemus Ephraim vindemiis Abiezer?*] Id est, pauculæ personæ

personæ à vobis Ephraimitis captæ & cæsæ, puta *Oreb & Zeb*, reges Madianitarum, nónne iure merito pluris æstimandæ sunt, quàm omnes reliqui Madianitæ quos ego cum meis contribulibus cecidi? Ita Abulensis & Arias. Ergo blandè, humiliter ac modestè se suosque deprimens vir sapientissimus æquè ac fortissimus, & quiritatores rixatoresque illos extollens, sedauit iras, compescuit iurgia, conciliauit offensos.

¶. 5. *Soccoth.* & *vers.* 8. *Phanuel*] Erant hæ duæ ciuitates in tribu *Gad*. Prior *Soccoth*, id est *tabernacula* vocabatur, quòd *Iacob* è Mesopotamia rediens, suique fratris Esau gratiam quærens, *tabernacula* ibi fixisset, Genesis 33. v. 17. Posterior *Phanuel*, id est, *videns Deum*, quòd idem *Iacob* ibidem Dominum vidisset, cum eoque luctatus fuisset, Genesis 32. v. 30. Iustissimè autem puniuit horum incolas Gedeon, quòd barbara immanitate etiam frustum panis negassent duci militique tam præclarè de ipsis merito, iam fame penè deficienti. Neque hoc modò, sed insuper amaro quoque sarcasmo ridebant ducem suum, quasi obtenta iam victoria, & quidquid anteà fecisset, nihil aut leue foret: quod verò adhuc tentabat, nempe assequi & capere duces Madianitarum fugitiuos, inane ac ridiculum esset.

¶. 23. *Non dominabor vestri*] Negat se admissurum dominatum regium, quem illum tertiam vsque stirpem offerebant. *Iudex* ergo esse non detrectabat Gedeon, imò mansit tota vita: sed huius erant limitata iura: neque enim quidquam publicum (si bellum excipias) suo solius arbitratu, sine consensu synedrij agere aut decernere poterat *iudex*. At qui dominium habet absolutum, quale hic deferebat populus Gedeoni, nullis nisi diuinis adstrictus legibus, quidquid collibitum esset, immensa quadam licentia statuebat ac faciebat. Sed maluit princeps prudentissimus, ius & imperium diuinum in populo Dei inuiolatum illibatumque seruare, & odiosum regni munus, quod iam tum à nonnullis appeti fortè cœperat, & Samuelis (*a*) æuo palàm postulatum fuit, magno excelsoque animo repudiare; maior sanè repudiato diademate, quàm arrepto vel admisso euadere potuisset. Et notat prudenter Plato, *vbi viri boni sunt, non secùs illic pugnari ne quis princeps fiat, quàm alibi vt quis fiat.*

(a) 1. Reg. 6. & 8.

Plato in Politia sua.

¶. 27. *Fecit Ephod*] De forma & materia huius vestis dixi Exodi 28. Sed cùm varij essent *Ephodes*, putà vel *politicus*, quo Dauid (*b*) indutus tripudiauit ante arcam, vel *Ecclesiasticus* aut sacer: & hic vel *pontificialis*, (*c*) vel *sacerdotalis*, (*d*) vel *Leuiticus*; (*e*) quæritur; qualis hic fuerit quem fecit Gedeon? Respondeo, *Ecclesiasticum* fuisse, & *pontificali* similem quoad formam, sed materia solidiore: nam ex auro totus erat, & gemmis. Videtur verò Gedeon in publico eum posuisse, vt esset monimentum victoriæ per Dei oraculum & opem cælitus acceptæ. Fortè etiam in memoriam sacerdotij sibi extra ordinem à Deo concessi, c. 6. v. 29. quando iussus est erigere altare iuxta domum suam, & tauros in eo immolare, voluit hanc vestem pontificalem in familia perpetuò extare. Forsan & per Ephod significatur hîc omne genus vestium sacerdotalium cum omni supellectile ad sacrificandum necessaria. Et his vestibus etiam ipse subinde vsus est in sacrificiis Deo istic offerendis. frustra enim calceus, cuius nunquam est vsus. Vide Serarium ex S. Augustino, Theodoreto & Abulensi.

(b) 2. Reg. 6. v. 14. & 1. Par. 15. v. 27.
(c) Exodi 28. v. 6.
(d) 1. Reg. 22. v. 18.
(e) 1. Reg. 2. v. 18.

Aug. q. 41. Theod q. 16. Abul. 23. & 24.

Fornicatusque est omnis Israel in eo] Hebraica & Græca, *post Gedeonis mortem* id factum dicunt, cùm posteri eius illud tam nobile monimentum vel adorarunt quasi idolum, vt & æneo serpenti (*f*) Moysis pòst contigit: vel certè transtulerunt ad Baal eo exornandum, & oracula sic ab eo exprimenda: vt solebat pontifex Iudæorum suo *Ephod* indutus oracula reddere. De quo vide Exodi cap. 28.

(f) 4. Reg. 18. v. 4.

Et factum est Gedeoni in posteris eius seu *omni domui eius in ruinam*] Vt patebit cap. sequ. Neque enim peccauit in his ipse Gedeon, vt patet ex iam dictis: sed peccarunt posteri illius, qui re adiaphora & optima, & optimo fine constituta, impiè abusi sunt. Hinc v. 32. dicitur Gedeon *quieuisse in senectute bona*: & arguuntur Iudæi ingratitudinis erga illum, v. 34. & 35. & Apostolus ad Hebræos 11. Gedeonem inter sanctos ac beatos recenset, & expressum Christi typum gessisse docent S. Augustinus, Isidorus, & alij.

August. serm. 108. de Temp. Isidor. c. 3. 4. 5. 6.

CAPVT IX.

Abimelech occisis 70. fratribus suis, imperium sibi tyrannicè vindicat: seu in expugnanda turri Sichem, à mulicre fragmine mola opprimitur.

¶. 1. ABIMELECH *filius* Gedeonis, non ex primaria aliqua vxore quæ familiam administraret, & cuius filij paterna gauderent hereditate: sed ex secundaria vxore & inferioris ordinis, quæ aliàs concubinæ vocabantur, vt dixi Genesis 25. v. 6. Cùm enim Gedeon, tamquam *iudex & princeps* totius populi, sæpiùs ab vrbe sua *Epra*, vbi præcipuæ illius vxores degebant, abesse, & in Sichimis adesse cogeretur, delegit & in Sichimis sibi vxorem, sed, vt dixi, secundariam, seu concubinam, quam Iosephus *Drumam* vocat: quæ quia ex ea vrbe oriunda erat, ibique parentes suos propinquosque omnes habebat, & reliquis vxoribus non æquè cara futura esset; relicta est à Gedeone in Sichimis in domo paterna. Ex hac matre natus *Abimelech*, maxima crudelitate & tyrannide iugulatis 70. fratribus suis principatum vi rapuit: neque contentus titulo iudicis, etiam rex audire voluit, v. 6. 18. & 22. Sed reuera non nisi tyrannus fuit, typus Antichristi, & aliorum hostium Ecclesiæ Dei.

Ioseph. l. 5. c. 9.

¶. 5. *Occidit fratres suos super lapidem vnum*] Putat Arias, lapidem hunc idolo *Baalberith*, id est *Deo fœderis* (*g*) seu *pacti*, velut altare, sacrum fuisse; statutum verò seu erectum, & dedicatum à tyranno Abimelech eodem loco, quo antè fuerat eiusdem idoli ara, quam confregerat ac disturbarat pater eius Gedeon cap. 6. Nempe vlcisci voluit Abimelech dæmoni factam iniuriam, & sacrilegij paterni damnatos publica iudicum sententia 70. filios, ad numen læsum hac sacra victima placandum, omnes in eo altari iugulatos immolauit. In eumdem finem videntur Sichimitæ eidem Abimelecho præcisè 70. *argenti pondo*, veriùs *talenta*, ex sacro eiusdem idoli thesauro appendisse, vt ad singulorum fratrum, qui erant 70. caput demetendum, cederet talentum vnum. Habes de similibus fratricidis Ocho Persarum rege, qui 80. fratres suos, & Phrahate Parthorum qui 30. fratres vnà cum patre suo iugulauit, apud Iustinum: & nostra ætate de Othomannis Amurathe, Selymo, Baiazethe & aliis apud Bozium.

(g) Inf. v. 46.

Iustin. l. 10. & 42. Thom. Bozius de Signis Eccles. l. 12. c. 6. & 9.

¶. 8. *Ierunt ligna*] Pulchro hoc apologo docet *Iotham*, quàm stultè egerint Sichimitæ, cùm sceptrum

sceptrum regium, quod pij prudentesque omnes hucusque meritò recusarunt, in impium parricidam contulerunt, à quo nihil præter spinas & flammas & extremum interitum exspectare possint.

Nota, *arborem* hic esse *hominem*, sed *inuersum*, & consilij ac rationis capacem: *Oliua, ficus, vitis*, inter bonas laudatasque arbores omnium præstantissimæ ac fœcundissimæ, designant homines *imperio* omni ex parte *dignos*, sed qui zelo perfectioris cultus Dei, & studio propriæ salutis, illud contemnunt, sibique vacare præoptant. *Rhamnus* verò, qui vix lignum est, sed spinæ tantùm exiles & pungentes, significat *imperio ineptos*, sed superbiâ ac sæuitiâ plenos tyrannos: qui cùm nil norint nisi pungere, stimulare & affligere subditos, simulant tamen se velle suâ vmbrâ eos protegere, solari ac refocillare. Quòd si quis vel tantillum contrà mutiat, subitò flammas iaculantur & ignes, etiam in *cedros Libani*, id est, in nobilissimos, in potentissimos, in optimos quosque. Sed ferè tum contingit, vt tyranni eodem quod in suos excitant incendio, etiam ipsi afflentur & pereant. vti hîc Abimelech & Sichimitis euenturum Ioatham ominatur & minatur. Pro morali vide Basilium & Theodoretum.

Basil hom. de humilitate. Theo. q. 16.

℣. 23. *Misit Dominus spiritum pessimum*] dissensionis, inquit S. Augustinus: adeoque & ipsummet diabolum, quem non permissiuè tantùm, sed & imperatiuè potest dici misisse Deus, tamquam lictorem suum, vt & Abimelecho regnum eriperet & vitam, simulque Sichimitas debitis pœnis plecteret. ita S. Augustinus, Caietanus & Arias.

Aug. q. 45.

CAPVT X.

Exstincto Abimelech, Thola dux creatur. Huic quoque defuncto Iair succedit. Israelitæ in idololatriam relapsi traduntur puniendi Philisthæis & Ammonitis. Sed mox pœnitentibus opitulatur Deus, exprobratâ prius fœdâ ingratitudine eorum.

℣. 1. SVRREXIT *dux Thola*] non proprio marte, vel vi, vel fraude, vt tyrannus *Abimelech*, sed solemni populi electione. Qua via & alij deinceps hunc subsecuti, *iudices* facti sunt. ita Abulensis. Sub huius iudicis annum 3. notat Eusebius, Herculem, in Libya regnantem, Antæum Neptuni filium, qui hospites secum palæstra dimicare compellebat, vlnis elisum interemisse: & hydram quoque (quam Plato callidissimam sophistriam fuisse asserit) confecisse: aliaque heroica certamina consummasse, de quibus fusè Apollodorus, Hyginus & Pausanias.

Plato in Eutydemo. Apolled. l. 2. Hygin. c. 31. Pausanias l. 5. &c.

Vir de Issachar] Petes, Quomodo ergo *Thola* dicitur hîc fuisse nepos *Gedeonis* ex fratre *Phua*, cùm constet Gedeonem fuisse de tribu Manasse? (a) Respondeo, cum S. Augustino, *Gedeonem* & *Phuam* ex diuersis quidem patribus diuersarum tribuum datos fuisse, sed ex vna eademque matre. Potuisse enim feminas nubere viro alterius tribus, quando ea occasione hereditates non transferebantur in alteram tribum, dixi Numerorum vlt.

(a) *Iudic. 5. Aug. q. 47.*

℣. 4. *Iair. Ex nomine eius sunt appellata oppida Iair*] Dices, Numer. 32. v. 41. dicitur *Iair filius Manasse* occupatis vicis *Galaaditidis* eos appellasse *villas Iair*. Respondeo, Senior ille *Iair* prior indidit istis vicis illam nomenclaturam, & fortè villas vt erant sine muris reliquit. posterior, qui murisillas cinxit & in oppida euexit, eamdem comprobauit ac roborauit, & celebriorem fecit.

℣. 6. *Diis Sidonis*, putà *Astarthe*, (b) & *Moabitarum Chamos*: (c) & *Ammonitarum*, itidem *Chamos* (d) & *Molech*: (e) denique & *Philistheorum Dagon*. (f) Horum omnium idolorum nefario cultui se manciparunt Israelitæ ante tempora *Iephte*.

(b) *Iud. 2. v. 13. & 3. Reg. 11. v. 5. & 33.* (c) *Ibid. & Num. 21. v. 29.* (d) *Iudic. 11. v. 24.* (e) *3. Reg. 11. sup. Ierem 49. & Amos 1.* (f) *Iudic. 16. & 1. Reg. 5.*

℣. 18. *Qui primus cœperit dimicare, erit dux*] non in bello hoc solo, sed & postea super tota *Galaaditide*. Et sic quidem decreuerant hi principes, & primo bellum aggredi ausuro principatum quasi præmium proposuerant. Sed cùm ne hoc quidem præmio quisquam præsentium auderet adire tantum discrimen, communi consensu *Iephte* iam factis recentibus & fama clarum ad id munus euocandum censuerunt.

CAPVT XI.

Iephte Iudex deligitur. Hic legatione missâ ad regem Ammonitarum, conatur variis rationibus ab iniusto illum bello deterrere: sed cùm frustra id fieret, armis eum aggreditur, & superat. Mox voti reus, filiam suam vnicam Deo sacrificat.

℣. 2. DE *altera matre natus*] Id est, non ex vera & legitima vxore, sed *meretrice*, vt dicitur v. 1. Erat ergo *Iphte* nothus & spurius: diuino tamen instinctu, vt effecta monstrarunt, ad principatum à Galaaditibus electus fuit, atque ita per dispensationem in lege Deuteron. 23. in Ecclesiam Dei, seu ad iura populi Israelitici admissus. Id merebatur pietas illius & morum probitas, animi magnitudo, rerum gerendarum industria, &, qua præ omnibus tunc egebant Israelitæ, bellandi peritia. Exempla plurium spuriorum qui non obstante vitio natalium, egregia fuerunt indole, factisque clarissimis ac dignitatibus insignes, habes apud Laërtium, Plutarchum, Athenæum & Serarium.

Athen. l. 13. Serar. hic q. 1.

℣. 11. *Locutus est Iephte omnes sermones suos coram Domino in Maspha*] Id est, repetiuit solemne pactum, de expeditione aduersus Ammonitas suscipienda, si populus vicissim, vt promiserat, ipsum in posterum pro suo duce & principe admitteret. Repetiuit, inquam, *coram Domino*, id est, in publico populi conuentu, qui locum Dei tenet. Pacto hoc solemniter confirmato, mox per legatos expostulat cum rege Ammonitarum de iniusto aduersus Iudæos bello.

℣. 23. *Deus Israel subuertit Amorrhæum*] Prima hæc est ratio quâ conatur Iephte deducere regem Ammonitarum ab iniusto bello: quia nempe terras Amorrhæorum, quas Iudæis Ammonita volebat eripere, dono dedit Iudæis Deus tetrarum & regnorum omnium dominus. Secunda erat, præter istas Amorrhæorum terras nihil obtinebant Iudæi quod esset Ammonitici vel Moabitici regni. Vetuerat enim Deus terras horum occupari Numerorum 21. & Deuter. 2. & 3. Tertia, istas Amorrhæorum terras à Iudæis occupatas, numquam vel amica, vel armata manu repetit rex Moabitarum *Balaac*, qui tamen apud eos optimus, & potentissimus, & sapientissimus habebatur, & ad quem longè potiori iure spectare videbantur, quàm ad Ammonitas. Quarta, quia præscriptione ferè trecentorum (g) annorum iam stabilitum erat ius & possessio Israelitarum. Sed frustra argumentis disceptabat cum armato. Itaque & ipse militem colligit, neque exspectat vt Ammonita transeat in fines Israeliticos, sed præoccupat ipse, & suos in Ammonitidem inducit. Sed prius quàm manus consereret.

(g) *Chron. c. 24.*

℣. 30. *Votum vovit Domino*] nempe instinctu Spiritus sancti, quo dicitur hîc dotatus fuisse. Vnde dico cum S. Anselmo & Serario & Saliano, non peccasse Iephte cùm vouit se in holocaustum vera & perfecta crematione immolaturum Deo, quicumque victori domum reduci primus gratulabundus occurreret, etsi foret domesticorum gratissimus, etsi foret vxor, etsi filia vnigenita. Et verò victoria tam illustris intuitu & merito huius voti cælitus concessa, indicio est votum istud Deo singulariter placuisse. Ob easdem causas, & quia nemo dissuasit, nemo sese opposuit, nemo contradixit, imò S. Paulus ad Hebræos 11. probat & laudat, videtur Deo eximiè placuisse ipsa etiam expletio voti & realis immolatio filiæ, quam fecit parens per ignem. Neque enim possum comprobare sententiam quorumdam Rabbinorum, & nostri sæculi hæreticorum, quos secutus est Liranus & Mariana, qui dicunt non occisam, sed metaphoricè immolatam fuisse, id est virginitatem toto vitæ tempore ad instar Nazarææ seruare iussam. Timent enim, inquit Genebrardus, isti Rabbini, ne, si realem hic mactationem admittant, typum dent Christianis Filij Dei à Patre cælesti in monte Caluariæ sacrificati. qualis olim eiusdem typus fuerat Isaac in monte Moria ab Abrahamo immolandus si neci subtractus non fuisset. Nempe voluit Deus auctor & dominus vitæ omnium, etiam extare in re difficillima exemplum plenæ obedientiæ, & quidem in sexu fragiliore, non solùm quoad voluntatem & resignationem animi, vt fuerat illud Isaaci, sed etiam reipsa & quoad executionem. Voluit item Christo filio suo, non solo affectu, sed & reipsa morituro, præire typum, in quo realis & vltroneæ mortis tolerantia omnibus conspicua & illustris esset. Et hæc de reali filiæ immolatione, est sententia veterum Iudæorum, Chaldæi Paraphrastæ, Iosephi, Tertulliani, Ambrosij, Augustini, Hieronymi, Nazianzeni, Epiphanij, Chrysostomi, Theodoreti, Sulpicij, Isidori, Procopij, S. Thomæ, Caietani, & ferè omnium Christianorum. Et licèt quidam Patrum, vt Tertullianus, Ambrosius, Procopius & S. Thomas censeant peccasse hîc Iephte, S. Augustinus verò & Hieronymus dubitent; reliqui tamen constanter laudant & probant ob rationes suprà dictas. Quin & ob tantam animi fortitudinem, qua tenera hæc virguncula, solo religionis amore, & in patrem, in patriam pietate, grataque victoriæ cælitus partæ memoriâ, crudeli gladio iugulum, flammis corpusculum tam prompta, tam læta tradidit, immensis eamdem laudibus omnes extollunt: & illi tam celebratæ *Iphigeniæ*, Marcellique & Marij & Erichthæi immolatis (*b*) filiabus, omnibusque illis virginibus quas ἀρητευομένας (*c*) vocabant: item Pyladi & Oresti, & inuidendis Dionysio tyranno Pythagoræis (*d*) illis, reo & vadi, ambobus pro altero mori certantibus, longè præferunt hanc *Seilam* (sic enim à Philone vocatur.) quin & *Isaaco* ipsi eam conferunt Seuerus Sulpicius, Ambrosius, (*e*) Serarius & alij.

Ioseph. l. 3. c. 9. Tertull. l. 3. cōt. Marcio. Ambr. l. 3. de Virginit. August. hic q. 49. Hieron. in c. 7. Ierem. Nazianz. orat. 20. Epiph. hæres. 55. Chrys. hom. de Iephte. Theod. q. 19. Seuer. Sulpicius l. 1. Isidor. c. 7. Procop. hic. S Thom. 2. 2. q. 84. a. 2. Caiet hic.

b *Plutarch. in Parallelis.*

c *Rhodiginus l. 26. c. 19.*

d *Cicero Tusc. 5.*

e *Ambr. l. 3. Offic. c. 12.*

CAPVT XII.

Ephraimitæ iniustè aduersus Iephte tumultuantes ad 42. millia cæduntur. Vitâ functo succedunt Iudices Abesan, Elon, & Abdon.

℣. 1. IN *Ephraim orta est seditio*] In Hebræo insinuatur, omnes Ephraimitas ad sedi- A tionem & bellum conuolasse. Nempe, nimia gloriæ cupiditas, & rerum benè à Galaaditis gestarum inuidia Ephraimitas ad hæc arma concitarunt, vt nuper eosdem contra Gedeonem c. 8. Et mox addunt turpe mendacium, cùm fingunt se in societatem Ammonitici belli vocatos non fuisse: cùm vocati à Iephte fuissent, sed ipse ipsi venire detrectassent, ipsumque in magno vitæ periculo fœdè desertum reliquissent. Vnde coactus sum, inquit Iephte, *animam* seu vitam *meam ponere in manibus meis*, id est maximo discrimini (*f*) exponere. Nihilominus insultabant Ephraimitæ, & amaro sarcasmo exprobrabant Galaaditis, *Fugitiuus est Galaad de Ephraim*, id est, Galaaditæ non possunt resistere solis Ephraimitis, sed eos primo aspectu fugiunt viles, ignaui serui, nulliusque aut animi aut roboris; quid facient miselli, vndique concluſi duabus nobilissimis potentissimisque eorum fratrum tribubus, Ephraim & Manasse? Ita ferè Liranus, Vatablus & Caietanus. Facile fuit Ephraimitis sic insultare Galaaditis necdum bello accinctis, sed inexspectato illorum incursu ex agris ad oppida fugere coactis: sed postquam armatos senserunt, & suorum quadraginta duo millia prostratos viderunt, citò fastum suum arrogantiamque & audaciam, sed magno suo damno & luctu posuerunt. Ab hac Ephraimitarum insigni clade videtur loco vbi illa contigit, nomen inditum, *Sylua seu saltus Ephraim*, 2. Regum 18. vers. 6.

f Simile 1. Reg 19. & Iob 15. & Psal. 118.

℣. 8. *Post* Iephte *iudicauit Israel Abesan de Bethlehem*] Maldonatus putat hîc agi de *Bethlehem Zabulonia*, de qua Iosue 19. v. 15. Sed alij verosimiliùs dicunt, è *Bethlehem Iudæ* oriundum fuisse hunc Iudicem. Non tamen inde necessariò sequitur, quod tradunt quidam Rabbini, hunc Abesan esse *Booz* maritum Ruth, abauum Dauidis regis. Licèt facilè admittam coæuum illi fuisse, sicut eidem etiam coæuus fuit Priamus, Troianorum rex ultimus: & vt Abesan 60. proles, sic Priamus 50. numerabat: & ferè sub idem tempus, quo & Troia secundò excisa à Græcis fuit, vterque exstinctus videtur.

Maldon. in c. 2. Matth. v. 1.

CAPVT XIII.

Israelita rursus in idolatriam lapsi, Philisthæis serui fiunt. Samson nascitur, vitæ Nazaræa, & incipit vltiones iniurias illatas Israeli.

℣. 4. CAVE *ne immundum quidquam comedas*] Iubet angelus vt etiam ipsa Samsonis mater Nazaræam agat vitam vsque ad filij partum. Vnde iubet abstinere non solùm à *vino & sicera*, sed etiam ab omni cibo vinoso, v. g. vuis, vel coctis aut conditis cum vuis: nam hæc omnia Nazaræis erant inhibita, ac proinde respectu illorum *immunda*. Vide plura Numeror. 6. & Leuit. vltimo.

℣. 16. *Si vis holocaustum facere, offer illud Domino*] An ergo licuit *Manue* homini profano, vtpote de tribu *Dan*, holocaustum offerre Domino, & offerre extra atrium tabernaculi; in loco profano? Respondeo, cum Abulensi, Deum hic dispensasse in vtroque, vt suprà cap. 6. cum Gedeone. Dispensationis verò interpres & nuntius erat angelus: quem licet Manue etiam tum ignoraret angelum esse, credebat tamen *sanctum* ac *Dei Prophetam* esse, cui meritò fides habenda esset. Putat probabiliter Serarius hunc angelum fuisse *Michaelem*, & plurimas ob causas quas enumerat, nomen eius

Serar. hic c. 5. Iosuæ, & c. 13. Iudicum.

(Quia

(*Quis vt Deus?*) esse *admirabile*; chaldaicè, *arcanum*: & sanè talia sunt omnium angelorum nomina. Addit Caietanus, Angelum non nomine solo, sed magis re ipsa se hic valdè *mirabilem* exhibuisse, ac proinde vers. 19. ipsum vocari *Qui facit mirabilia*. Nam Primò, angeli ministerio, inquit Caietanus, & Scipionis contactu, inquit Iosephus, erupit è saxo ignis vehemens, & absumpsit hœdum & libamina apposita. Secundò, qui homo putabatur, subitò sursum in cælum ascendere visus est. Tertiò, cum voraci flamma ex saxo sursum elata simul in cælum illæsus ascendit. Quartò demum, abiecto quod assumpserat corpore, vel in elementa è quibus illud compegerat resoluto, intuentium oculis se subtraxit. Cur verò hæc omnia? Varias congerit causas Serarius: sed hæc potissima. Vt re ipsa indicaret angelus, se sacrificium illorum piorum coniugum in cælum quasi secum deferre, vt Deo, cuius vnius honori oblatum fuerat, repræsentaret. Simulque Allegoricè præsignaret Christum, cuius etiam nomen Isaiæ 9. v. 6. est *admirabilis*: & non solùm offerret ipse sacrificium, sed etiam offeretur ipsemet in sacrificium tum cruentum in flamma & tormentis crucis: tum incruentum & illæsum in Eucharistia.

¶. 24. *Samson*] Id est *sol lætitiæ*, vt exponit Arias: vel, vt alij, *paruus sol*. Sicut enim ab *isch*, id est *vir*, deriuatur *ischon, paruulus vir*: ita à *schemesch*, *sole*, deducitur *schimson*, *paruus sol*. Hoc nomen dicit S. Chrysostomus puero inditum *à Deo*; nempe mater admonitu angeli, vel interna inspiratione didicit, gratum Deo fore si hoc nomine puer vocaretur; præsignabatur enim isto nomine, Israeli altissimis inuoluto tenebris peccati, mœroris & seruitutis, ortum iam esse solem, paruulum quidem, sed lætum, qui noua luce omnes recreet, tenebras pellat, omnia viuificet. Vnde & aptè *Samson* typus est Christi, veri & magni Solis iustitiæ, Malachiæ 4. v. 2. Ita S. Augustinus, Beda, Arias & Serarius.

CAPVT XIV.

Samson vxorem ducit Philisthæam: leonem dilacerat: in cuius ore postmodùm reperto melle, fingit ex eo anigma, quod in nuptiis proponit sodalibus. Hi solutionem expiscantur ex vxore Samsonis qui ansam inde arripit hostilitatis exinceps in Philisthæos exercendæ.

¶. 3. HANC *mihi accipe, quia placuit oculis meis*] Hebraicè & græcè, *quia hæc recta est in oculis meis*. Recta, inquam, ad finem mihi à Deo propositum assequendum: placetque mihi non quoad corporis speciem dumtaxat, sed quoad quæsitam etiam populi mei libertatem, ac rixæ, & inde vindictæ occasionem. Sciebat enim Samson seu monitu angeli, seu interno Dei instinctu, diuinam esse voluntatem, vt hanc ex Philisthæis vxorem posceret, vt indicatur v. 4. & explicant S. Ambrosius, Caietanus, Arias, & ex hæreticis Vermilius, Chytræus, Iunius & Tremellius. Dispansabat ergo hîc Deus in lege *de alienigena non ducenda*. (a) neque peccabat Samson alienigenam exposcendo. Parentes tamen non tenebantur primo statim initio fidem habere filio, hoc Deo placitum esse asserenti: sed cùm tandem sua constantia, aliisque argumentis plenam parentibus fidem eius rei fecisset, nec iustam vltrà haberent ansam de filij vanitate aut falsiloquentia metuendi, desiderio illius, & diuino nutui obsecuti sunt. Ita Abulensis. Addit Guilielmus Alabaster, legem illam quę Iudæorum cum alienigenis nuptias vetabat, mysticè per *leonem*

S. Ambr. initio l. 2. de Spiritu sancto, & epist. 30.

a *Num. 36.*

Alabaster c. 17. Apparatus.

A designatam, & à Samsone dilaceratam fuisse vers. 6. dilaceratam, inquam, quoad verba, & *mel*, id est spiritalem sensum & fructum inde collegisse.

¶. 18. *Qui dulcius melle? quid fortius leone?* Addit ex Iosepho S. Ambrosius, subiecisse Samsonem, *Qui mulieri es perfidius? Si non arasses in vitula mea*] Id est, si non inuestigasses astutia & dolo explicationem ænigmatis mei ex vxore mea, quæ iuuenili lasciuia, imprudentia & inconstantia sua secretum vt proderetur effecit; numquam id assecuti fuissetis.

Nota, solere etiam naturaliter apes enasci ex boum peremptorum cadaueribus, teste Democrito & Magone & aliis apud Columellam, item Plutarcho, Virgilio, Ouidio & Eusebio. quid ni potuerint & ex leonis cadauere subnasci? maximè si dicamus, vim diuinam concurrisse, ad materiam mysterio subministrandam? Allegoricè enim S. Augustin. (b) per *mortuum leonem* intelligit *Christum mortuum*, è quo & examen *apum* seu *Christianorum*, & nobilissimum *redemptionis* humanæ, & dulcissimum *Eucharistiæ mel* prognatum est.

Columella l. 9. c. 14. Plutarch. in Cleomene. Virg. 4. Georgic. Ouid. l. 15. Metamorp. Euseb. in Chronico de Eumelio.

b *S. August. serm. 107. de Temp.*

¶. 19. *Iratus nimis Samson*] nimirum & *vxori* suæ, à qua nefariè proditus: & *sodalibus*, à quibus vafrè circumuentus fuerat: & *ciuitati* toti, à qua prætextu honoris fuerant ei dati tales nuptiarum socij, & tam egregij simplones: sic enim tales vocat Fulgentius, fortè à *συμπολεῖν, circuire*, quòd cum sponso mensas & conuiuia toto nuptiarum tempore simul obirent. Hos Scriptura nunc *amicos*, (c) nunc *filios sponsi*, (d) nunc *filios nuptiarum* (e) vocat: & Arias dicit, *toto nuptiarum tempore ab omni publico onere, atque etiam ab indicto ieiunio immunes fuisse*. & Christum huc alludisse cùm Matth. 9. dicit, *Numquid possunt filij sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus?* Et sunt isti ijdem quos v. seq. Noster vocat *pronubos*.

Fulg. l. de Prisci verbis.

c *Ioan. 3. v. 29.*

d *Matth. 9. v. 15.*

e *Marc. 2. v. 19.*

Allegoricè verus Samson Christus propter perfidiam iratus synagogæ meritò illam deseruit.

CAPVT XV.

Trecentis vulpibus & faculis Samson Philisthæorum segetes succendit. Ligatus dum traditur Philistæis, fractis funibus sola asini maxilla mille viros prosternit in loco. Sitì enectò dens maxillæ copiosam aquam subministrat.

¶. 4. CEPIT *trecentas vulpes*] Et facile fuit, in regione vulpium feraciissima, tempore anni commodissimo, à iuuene robustissimo & venandi peritissimo, iunctis sociorum operis, vno alterove die trecentas capere vulpes. Si potuit Iulius Cæsar Romæ in spectaculum dare leones quadringentos, Pompeius sexcentos: Probus Imp. mille struthiones, mille damas, mille ceruos, mille apros, mille ibices, mille oues feras, tot vrsos, tot leones, leænas, leopardos Libycos, Syriacos, & tot alia monstra. Si ad vnius monstri Heliogabali monstrosas delicias ex vna vrbe Roma breuissimo tempore colligi potuerunt decem millia pondo aranearum & muscarum, decem millia murium, mille mustelæ, mille sorices, teste Lampridio, Plinio & Vopisco; difficile fuerit Samsoni cogere trecentas vulpes?

Lamprid. in Heliogab. Plinius l. 8. c. 16. Vopisc. in Probo.

Et faces ligauit in medio] Hebraicè, *respicere fecit*, id est obuertit, *caudam ad caudam, & inter duas caudas facem vnam posuit*, seu finibus alligauit. Binas ergo & binas iunxit vulpes suas Samson, & ignitis titionibus piceis, cedrinis vel cupressinis armatas, ex opportunis hinc inde locis immisit in segetes

iam maturas Philisthinorum: & hoc stratagemate A
pene totam illius anni messem absumpsit vnà cum
vinetis & oliuetis. Vna vulpecula Carseolana, si
Ouid. l. 4. Fast. Ouidio credimus, errore puerili paleaceo igne se-
getibus illato; integros agros iam ad messem albos
exussit; quid tot vulpium paria tot titionibus ar-
mata feciss putamus? Videntur verò Philisthæi
in execrationem tanti facinoris non solùm in
sponsam Samsonis adulteram, eiusque parentes
igne sæuiisse, vt hoc cap. narratur: sed etiam in
vulpes ipsas exinceps quotannis animaduertisse, &
ardentes faces tergis illarum adligasse, cum risu &
sannis totius populi, donec, post multam in circo
cursitationem facibus iisdem præustæ concide-
rent. Et hunc eumdem morem Romæ quoque in
Serar. hic q. 7. Aprili seruari solitum, Serarius non ab illa Car-
seolana, vt vult Ouidius, sed ab his Samsonis vul-
pibus ortum traxisse putat, atque ex Oriente (vt
pleraque alia) in Occidentem, è Palæstina Ro- B
mam translatum fuisse.

S. Ambr. & S. August. supra. Tropologicè SS. Ambrosio & Augustino, vul-
pes sunt fraudes hæreticorum: qui blanda facie
promittunt salutem; sed caudis suis ignem æter-
num secum trahunt.

℣. 8. *Percussit eos ingenti plaga*] Nempe, insidia-
batur Philisthæis quocumque poterat loco, irrue-
batque in obuios quantumcumque multos, & pro-
sternebat & iugulabat omnes promiscuè: *ita vt*
stupentes suram femori imponerent. quod intensæ &
anxiæ cogitationis signum est. Cumque cernerent
Philisthæi se quantumcumque multos vni Sam-
soni prævalere non posse, collecto maximo exer-
citu, tribum Iuda aggrediuntur, quòd eò diuer-
tisset Samson, nimirum ad *petram* seu rupem vici-
nam vrbi *Etam*, quæ erat in tribu Iuda, quam post-
2. Paralip. 11. v. 6. ea Roboam (a) nouis ædificiis ac propugnaculis C
auxit.

℣. 16. *In maxilla asini percussi mille viros*] Hæc est
tertia clades illata Philisthæis à Samsone. Notat
Liranus, Caietanus, Abulensis & Arias (& patet
ex versu sequenti) Samsonem canticum hic con-
cinnasse pulcherrimum, cuius initium fuerit hic
versus, & aliis subsequentibus intercalatus.

℣. 19. *Egressæ sunt aquæ* ex dente molari man-
dibulæ. Nempe, fluebant è terra aquæ, sed per lo-
culamentum seu mortariolum dentis molaris. Et
quia orante & Deum inuocante Samsone obtentæ
fuerant hæ aquæ, vocatus est locus ille *Henhakore*,
id est *fons inuocantis*. Et ita vocatur *vsque in præsen-*
Glycas 2. p. Annal. *tem diem*, quo liber hic Iudicum conscribebatur.
b S. Aug. l. 4. Doct. Christiana c. 15. Quin verosimile est, extare etiam hoc nostro sæ-
culo eumdem fontem. Nam certum est, quingen-
tis abhinc annis adhuc extitisse, vt testis est Mi-
chael Glycas, qui vixit tempore Ioannis Comneni, D
Alexij Imp. filij: & disertis verbis affirmat, hunc
fontem in hodiernum vsq; diem in Eleutheropolis subur-
bano conspici, & fontem maxillæ nuncupari. Quis verò
ex eo tempore fontem illum vel arefecit æstus? vel
quod lutum obstruxit? vel quæ manus euertit?
c Gen. 21. v. 19. Exodi 15. v. 25. Num. 20. v. 8. 11. Sap. 11. v. 4. Psalm. 77. & 104. &c. d Euseb. l. 5. c. 5. Tertullian. Apolog. c. 5. Orosio l. 7. c. 5. Xiphilino in Antonino. & Baronio Tom. 2. &c. Tropologicè, etiam vilissimo instrumento posse
& solere Deum, si seriò inuocetur, maxima quæ-
que patrare, neque vnquam in necessariis deesse,
docet S. Augustin. (b) ex SS. Scripturis (c) & hi-
storiis (d) passim obuiis.

CAPVT XVI.

Portas vrbis Gaza Samson suis humeris in montem defert: à Dalila sua proditur, excæcatur, illuditur: sed iniuriam hanc merituris vltiscitur morte 3000. Philisthæorum.

℣. 4. AMAVIT *mulierem, in valle Sorec*] quod
significat *vitem*, sed *lectissimam* ac *gene-*
rosissimam; vnde Ierem. 2. v. 21. *Plantaui te Sorec*, No-
ster vertit, *vineam electam*. Et hæc vallis eadem est
quæ Numer. 13. vocatur *vallis botri*: & est vicina
torrenti Sorec, qui duas tribus *Dan* & *Simeonis* inter-
secat. in quo torrente eunuchum Candacis bapti-
zatum narrat Adrichomius. Iuxta hunc torrentem, *Adrichom. in Dan num. 37.*
& in hac valle *Sorec* habitabat meretrix *Dalila*. Ne- *c Chrysost. hom. 17. ex variis in Matth. Cassian. collat. 17. c. 20. Ephrem sermone adu. improbas mulieres, tom. 1. Seu. Sulp. in hist. Sacra. Pererius in Gen. 31. disput. 1. f Ambros. epist. 70. Hieron. epist. 126. ad Euagrium. Ioachim p. 3. in Apocalyps. Abul. q. 7. & 10. Serar. q. 9.*
que enim ausim cum S. Chrysostomo, (e) Cassia-
no, S. Ephrem, Seuero Sulpicio & Pererio affir-
mare, eam fuisse Samsoni vxorem. Quomodo enim
ausi fuissent Philisthæi principes tam fidenter, & B
primo aggressu, & sola spe lucelli solicitare vxo-
rem ad prodendum maritum, & talem, tantum-
que maritum? quomodo toties & tam diu latuis-
sent tot armati, in domo propria Samsonis, nec
ipso, nec vllo familiarium aut famulorum conscio?
quare ad illam excurreret Samson, & non potiùs
illam ad se domum suam traduceret tantus prin-
ceps? Hæ & aliæ rationes conuincere videntur,
non vxorem fuisse, sed meretricem, & quidem è
pauperioribus. Ita Iosephus, Ambros. (f) Hierony-
mus, Abbas Ioachim, Abulensis & Serarius, & alij,
qui ob easdem pæne rationes dicunt eam natione
non Iudæam, sed Philisthæam fuisse.

℣. 17. *Si rasum fuerit caput meum*, &c.] Hinc
patet, fortitudinem Samsonis fuisse qualitatem su-
pernaturaliter membris illius inditam, sed à crine
tamquam à signo dependentem: nam hoc expres-
so pacto eam illi Deus donarat, si Nazaræus per-
seueraret & comam aleret. Idque resciuerat ipse
vel ex parentibus, vel ex angelo, vel ex interno Dei
afflatu. Et certè ad comprimendam animi super-
biam securius latebat tam eximium robur sub cri-
nibus, hoc est sub re vilissima, debilissima, stupi-
dissima. Ita S. Chrysostomus, Ambrosius, S. E-
phrem, Ioachim Abbas, Auctor mirabilium S. Scri-
pturæ, qui falsò putatur esse S. Augustinus, & Sera-
rius & alij.

Petes, Si Samsoni absque sua culpa, per vim, vel
per morbum inuito ac nolenti fuissent adempti
crines, an Deus robur illud supernaturale membris
eius nihilominus subtraxisset? Respondeo, nega-
tiuè: cùm enim crines in Nazaræis non nisi exterior
Dei cultus essent, & interioris cultus, deuotionis
& consecrationis nudum indicium ac signum;
quamdiu interiora illa perstabant integra, non au-
ferebantur dona ea, quæ propter interiora illa po-
tissimùm dabantur. Cùm igitur non propter si-
gnum, sed propter rem signatam; non propter ca-
pillos, sed propter interiorem animi religionem ac
cultum, datæ Samsoni vires fuerint; mansissent illi
saluæ, si absque illius assensu & peccato (quod hîc
intercurrit) ablati fuissent capilli, & ipse animo
constans in cultu nazaræatus perstitisset, quod quia
miser meretriciis inductus blanditiis non præstitit,
meritò viribus illis spoliatus est. ita Caietanus, A-
bulensis, & ferè alij iam citati auctores. Pater Mar-
tinus de Roa & Serarius putant, hanc Samsonis co-
mam à Dalila præfectam, Gentilibus occasionem
dedisse comminiscendi fabulam de purpurea Nisi
Megarorũ regis sub hoc idem tempus imperitantis
De Roa l. 5. Singularium c. 7. Serar. hic q. 10.

cæsarie

cæsarie seu *coma*, adeò (vt fingebant) diuina, vt quãdiu eam retineret, vinci ipse non posset, neque regnum eius ab alio occupari. Sed *Scylla* eius filia, turpi *Minois* vrbem *Megara* tum obsidentis amore capta, dormienti patri comam abscidit, & sic patrem & patriam hosti prodidit. En ouum duo similius? Vide Pausaniam, Seruium, Ouidium, & Apollodorum, qui & aliam similem tragœdiam narrat de *Comethone* Pterelai filia, quæ & ipsa *Amphitryonis* amore infatuata, aureum de patris capite capillum prosecuit, & fœda perfidia parentem & solum natale perdidit. Neque tamen Amphitryon Comethonem, neq; Minos Scyllam ad nuptias suas, quas parricidali suo scelere ambæ venabantur, admiserunt; sed pedibus vinctam hanc in mare præcipitem, illam pluribus aliis tormentis excruciatam commeritæ neci dederunt. Quid nostræ acciderit Dalilæ post fœdam proditionem incertum: Depensæ quidem illi pecuniæ à quinque satrapis v. 18; Sed quis dubitet, quin diris agitata conscientiæ furiis, suorum pœnas dederit flagitiorum, & vel propriis manibus, exemplo proditoris Iudæ, cuius typum gessit; vel alienis, vt facilè se dare potuit occasio, neque solent amati proditores.

Pausan. in Atticis. Seruius in 1. Georgicorum. Ouid. lib 8. Metamorphos. Apollod. l. 2. & 3. Bibliotheca.

¥. 19. *Septem crines*, id est, septem *cincinnos*, quibus constabat, & in quos distincta erat vniuersa Samsonis cæsaries, *rasit* Dalila, sed manu *tonsoris*. Narrat Herodotus, manu vnius rasas multorum vnà dormientium maxillas: quanto faciliùs radi potuit vnius in septem quasi catenulas collectus capillus? Et fortè in cibis papauerea & soporifera quædam ei miscuit perfidum scortum, vel alia carotica & somnifica adhibuit; vt sæpe ab eiusmodi mulierculis factitatum, ex Apuleio, Virgilio, Cæsario & aliis demonstrat Martinus Delrio.

Herod. l. 1.

Delrio l. 3. Disq. Magic. p. 1. q. 2.

¥. 30. *Moriatur anima mea cum Philisthiim*] Oratio hæc partim *votiua* est, partim *concessiua*. Nam vouet vt moriantur Philisthæi qui è porticibus & tecto seu solario templi prospectabant. Concedit autem, vt ipse eadem cum ipsis ruina templi obruatur. q. d. Opto & rogo Philistæos obrui ruina templi: & hoc vt fiat, non recuso quin & ego cum iis simul obruar: *Quemadmodum princeps exercitus prostraturus hostes, mortem propriam concomitantem non respuit*, vt inquit Caietanus. Vnde patet, non peccasse hîc Samsonem; sed egregium heroicæ fortitudinis actum exercuisse: & hoc nomine meritò laudari à S. Paulo ad Hebræos 11. Neque etiam propriè aut directè sese occidit: sed solùm indirectè & permissiuè; eàdem clade, quam iustè inferebat hostibus & ipse euadere non poterat, sese inuolui permittendo. ita Caietanus, Liranus, à Victoria, Soto, Lessius, Serarius & alij Doctores. Addit S. Augustinus, ipsum speciali Dei instinctu id fecisse: vt colligitur ex pristino supernaturali robore hunc in finem illi iam pœnitenti cælitus restituto. Quin & Martyrem facit sanctus & vetus auctor Bachiarius. Quòd verò collisu duarũ tantummodò mediarum columnarum prosterni potuerit tam vastum templum, nulli mirum videbitur, qui meminerit theatri Curionis vni solummodò nixi columnæ, & alterius amphitheatri non nisi duabus suffulti: de quo Plinius, *Quid enim*, ait, *miretur quisquã in hoc primum? Inuentorem, an inuentum? Artificem, an auctorem? Ausum aliquem hoc excogitare & iubere, an suscipere & parere? Super omnia erit populi furor, sedere ausi tam infida instabiliq; sede. Ecce populus vniuersus binis cardinibus sustinetur, periturus momento laxatis machinis.* Hæc Plinius. Et viderat sæpiùs

Vill. relatione de Bello. Lessius de Iustitia. Aug. l. 1. de Ciuit. c. 26. Bachiarius epist. ad Laurentium de recipiendis lapsis.

Plin. l. 36. c. 15.

A olim Samson formam illius templi, noratque columnarum & crassitiem & interuallum. Et iustus erat prætextus quo à famulo peteret, illis potiùs crassioribus columnis, quàm alijs tenuioribus inniti: nam homini fesso, quò crassius, in quod recumbat, fulcrum occurrit, eò gratius & ad quietem aptius est.

Allegoricè Samsonem in ortu, in pueritia, nuptiis suis, leone, apibus, asini maxilla, & fonte ex ea prognato, Gazæis portis, coma detonsa, exoculatione, pistrino, templi Dagon euersione, & omnibus vitæ suæ gestis, & maximè vltronea stupendaque morte Christum præfiguraſſe, notius est quàm vt debeam commemorare. Sed fusè commemorat Serarius ex S. Augustino, Ruperto, Beda & aliis SS. Patribus. Idem (*a*) ex eodem S. Augustino, Eusebio, Philastrio & aliis, docet, *Herculem*, de quo tam multa, tam stupenda Gentiles, non alium fuisse, quàm nostrum Samsonem. Sanè tempus quo fuisse Herculem Plutarchus (*b*) Apollodorus, Diodorus Siculus & pene omnes Græci affirmant, item rerum gestarum similitudo, vt alia omittam, illi sententiæ valdè fauent. Vide etiam Pererium in Genesis 49. vbi etiam exponit qua ratione Samson ex vaticinio Patriarchæ Iacob, fuerit Philisthæis *coluber in via, cerastes in semita*, &c. vt ibidem explicui.

Serar. hic q. 40 & seq.

a Serar. hic q. 36. S. Aug. l. 18. de Ciu. c. 19. Eusebius in Chron. Philastr. de Hæres. c. 8.

b Plutarch. in principio Thesei. Apollod. l. 2. Diodor. l. 4. c. 3.

CAPVT XVII.

Mater Micha conflat filio idolum: cui ille primò filium suum deinde Leuitem Bethlehemiticum præficit sacerdotem.

¥. 1. EO *tempore*, scilicet, quo aliquid horum contigit quæ toto libro Iudicum recensentur. Nam secundùm Iosephum, Liranum, Abulensem, Masium & Riberam hæc Michæ historia contigit paulò post mortem Iosue, ante primum iudicem Othonielem. & colligitur ex cap. sequenti v. 30. Et hoc verisimilius est, quàm quod Arias, & Gramaye, & Serarius cum plerisque Nouatoribus volunt, accidisse post mortem Samsonis, eodem ordine quo hîc recensetur. Est verò hæc historia. Vidua quædam diues, sed superstitiosa & idololatrica, certo domus loco sepoluerat, vel (vt Serarius putat verti posse) filio in depositum tradiderat mille & centum siclos argenteos, seu florenos Belgicos, qui faciunt scuta Italica vulgatæ monetæ 440. Hanc pecuniam filius eius Michas vel clam surripuerat, vel depositam apud se nolebat matri reposcenti reddere. Mater in furem acriùs inuecta, *iurat*, id est diris deuouet furem, mille capiti ipsius pestes, ærumnas, mortes ac gehennas imprecando. Michas his territus, matri nummos redhibet: sed mox ipsâ iubente, curat inde confici *sculptile atque conflatile*] hoc est, statuas duas argenteas, vnam sculptam & dolatam: alteram opere fusili conflatam. Curat item *ephod*, id est vestem sacerdotalem, sub qua comprehenduntur omnes aliæ vestes sacræ & supellectilia ad sacrificium necessaria. Atque ita fecit sibi *theraphim*, id est idola è quibus diuinatio & futurorum prænotio petebatur. Colligitur ex vers. 5. cap. sequ. & Ezech. 21. v. 21. Zach. 10. v. 2. Et Rabbini passim explicant, *theraphim* esse *imagines futura prænuntiantes*. Ita Serarius.

Ioseph. l. 5. c. 2. Liran. & Abul. hic q. 1. & 16. Masius in 19. Iosue v. 47. Ribera in Osee 10. Serar. hic, q. 14.

Serar. q. 5.

Porrò ad sacrificia his idolis offerenda Michas duorum dicitur hîc *impleuisse manus*, id est duos creasse sacerdotes. Nã vtex Leuitico colligitur, vt quis sacerdotio initiaretur, opus erat duplici manus impletione, vna *oleo* sacro, quo manus inungebantur.

Leuit. 8. v. 24. & 27. & cap. 9. v. 3. 9. 13.

gebantur. altera *sacrificio* seu victima, quam manu tenebat & Deo offerebat qui sacerdos initiabatur. Porrò primo loco in sacerdotem delegit Michas *vnum* seu primum *filiorum suorum*, id est primogenitum suum, cui iure naturæ deberi videbatur hæc prærogatiua. Secundò, ad idem munus pretio conduxit Leuitam quemdã nomine Ionathan (*a*) habitatione Bethlehemitam, ex cognatione Iuda, vt est hic in Hebræo; nam maternum genus trahebat ex tribu Iuda, conformiter iis quæ dixi cap. vlt. libri Numerorum. Eratque hic Ionathan (quod magis mirere) nepos Moysis, filius Gersam, (*b*) vel, vt iam Hebræa & Chaldæa legunt, Gersom, primogeniti filij Moysis, vt patet Exodi 2. v. 22. nobilissimi ac sanctissimi ducis impius & degener nepos: vt solent summorum quandoque virorum filij aut nepotes euadere perditissimi. Exempla vidimus in Cain, Ismaele, in filiis Heli, Samuelis & aliis. Vide Lampridium. Porrò cùm sacrificus hic idolatra nepos Moysis dicatur fuisse etiam tum *adolescens* (*c*) cùm hæc acciderent; colligi inde videtur, hæc non diu post mortem Iosue contigisse, vt Iosephus & alij suprà citati contendunt.

a *c.* 18. *Iudic. v.* 30.

b *Exod. c.* 18. *v.* 3.

Lamprid. de Commodo. in principio.

c. 17. *v.* 7.

CAPVT XVIII.

Sexcenti viri de tribu Dan dum sua dilatatum eunt pomœria, ex itinere suum Michæ idolum cum sacerdote eripiunt, & in capiam recèns vrbem Lais transferunt.

¶. 1. TRIBVS *Dan vsque ad illum diem non acceperat sortem*] nempe satis amplam, & tantæ multudinis capacem: nam Amorrhæi bonam partem sortis Daniticæ etiam tum occupabant, vt dicitur Iudicum 1. v. 34. Alioqui certum est ex Iosue 19. v. 40. non minùs Danitas, quàm reliquas tribus suam in Palæstina sortem accepisse, sed, vt dixi, magna ex parte adhuc habitatam ab Amorrhæis.

¶. 7. *Iuxta consuetudinem Sidoniorum*] Id est, Sidoniis similes quoad opes, delicias, altam pacem & securitatem. forsan etiam moribus & institutis Sidoniorum vtebantur *Laitæ*. Alioqui *procul à Sidone* aberat *Lais*, vtpote sita ad radices Libani cis *Orientalem* Iordanis fontem, vt alibi dixi: *Sidon* verò ad *Occidentis* latus maritimum. Et quia rerum omnium ferax erat terra, nec vicinorum indiga, ideo dicitur hîc *populus Lais à cunctis hominibus separatus* fuisse, seu nihil cum aliis populis negotij aut commercij habuisse, cùm omnibus carere posset, quod extremæ felicitatis indicium est. Porrò quæ hîc vocatur *Lais*, Iosue 19. v. 47. dicitur *Lesem*: cùm verò à Danitis occuparetur, ab ipsis dicta fuit *Dan*. (*d*) Posterioribus temporibus, è fonte *Paneade*, vocata fuit *Paneas*: à *Philippo* Herodis Ascalonitæ filio, qui illam amplificauit & exornauit, in Tiberij *Cæsaris* honorem appellata est *Cæsarea Philippi*: paulò pòst à rege Agrippa, cùm & ipse illius proferret pomœria, in *Neronis* honorem dicta fuit *Neronia* & *Neronias*, teste Iosepho, & S. Hieronymo: hodie à Turcis vocari solet *Belina* vel *Belinas*, inquit Adrichomius. (*e*) Estque eadem vrbs, in qua ab Hæmorrhoissa tactu fimbriæ Christi curata, Matthæi 9. in eius beneficij memoriam excitata fuit Christi statua, tot postmodum nobilitata miraculis, quæ narrant Eusebius, (*f*) Nicephorus & alij.

¶. 30. *Posuerunt sibi* Danitæ *sculptile* Michæ *in Dan, vsque ad diem captiuitatis suæ*] Id est vt versu, sequenti dicitur, vsque ad tempus quo arca Dei A Silunte educta fuit, & magna cum Israelitarum strage, à Philisthæis capta & abducta. Nam tunc temporis vt cæsi, ita & capti plurimi ex omnibus, tribubus, vt patet ex 1. Regum 4. vers. 10. psalmo 77. v. 61. vbi de hac Israelitarum clade loquens, *Tradidit*, inquit, *in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.* Ita Liranus, Abulensis, Vatablus, Arias, Ribera, Genebrardus, Moncæius, Emanuel Sà, Serarius, & etiam plerique Nouatores cum Rabbinis.

Ribera in Osea 10. Genebr. in Chronico. Moncæius l. 1. de Victoria, c. 16.

Nota, in locum idolorum Michę, quæ Samuelis tempore verosimiliter euersa & confracta sunt: post mortem Salomonis surrogasse impium Ieroboam *vitulum* suum *aureum* in eadem vrbe Dan metropoli eiusdem tribus: quæ tantorum monstrorum sedes & thronus fuit.

CAPVT XIX.

Vxore Leuitæ Ephratæi, à Gabaonitis, qui erant tribus Beniamin propudiosa libidine exstincta, maritus, cadauere in 12. partes dissecto, reliquas omnes tribus euocat ad infandum facinus vlciscendum.

¶. 2. QVÆ *reliquit eum*] scilicet maritum, cuius zelotypiam ferre nolebat diutius, inquit Iosephus. S. Ambrosius putat, familiari re aliqua, vt in matrimoniis frequenter accidit, offensam *concubinam* (sic enim vocari solent secundariæ vxores, vt dixi Genesis 25.) noluisse diutiùs illius coniugium: ac proinde paternas ædes repetiisse, vt alterum à parente maritum deposceret. Ita etiam Liranus, Serarius & alij.

S. Ambros. l. 3. Officior. cap. de fortitudine.

Nota ex cap. sequenti v. 28. quo dicitur, *Phinees filius Eleazari filij Aaron præpositus fuisse domus Dei*, seu pontifex, tum cùm hæc contingerent, certò colligi, hæc contigisse paulò post mortem Iosue, ante Mesopotamicam seruitutem. Ita (*g*) Hebræi, & Iosephus, Genebrardus, Abulensis, Liranus, Vincentius & Serarius.

g In Seder-Olam. Vincent. in Spec. Histor.

¶. 16. *Erant filij Iemini*] Id est Ben-iamitæ. Nam Ben-iamin sæpe vocatur *Iemini* in Scripturis. (*h*)

h Iud. 5. v. 15. & 1. Reg. 9. &c.

¶. 25. *Eduxit ad eos concubinam suam*] Et quidem licitè, vt olim *Loth filias* obtulit *suas*, Genes. 19. nempe vt maius fœdiusque peccatum euitarent. Non tamen id eis licuisset, si vxor vel filiæ non consensissent vt sic traderentur. Vide Caietanum, Abulensem & Serarium.

¶. 29. *Cadaver vxoris in duodecim partes concidens*] Neque in hoc peccauit Leuita, cùm non ad dehonestandum corpus, sed ad honorem defunctæ resarciendum, id fecerit, nempe vt hac via prouocaret 12. tribus ad tanti sceleris vindictam. ita Abulensis & alij.

CAPVT XX.

Infandum scelus vlcisci volentes vndecim tribus à Beniaminijs semel iterumq; caduntur, fuganturque: sed tertiò committentes, tribum Beniaminiam penitus exscindunt solis sexcentis reliquis qui in solitudinem profugerant.

¶. 1. EGRESSI *sunt filij Israel in Maspha*] Quadruplex erat *Maspha*, inquit hîc Serarius. Hoc loco de Beniaminia sermonem esse totus contextus demonstrat. Nam & Silo, vbi tabernaculum fœderis erat, quò & Israelitæ iam conuenisse dicuntur vers. 18. vicina erat illi *Maspha*: eidem quoque vicina erat *Gabaa* quam bello petebant. Solebatque Beniaminia hæc *Maspha* frequen-

ter

d Hic v. 29. & Iosue 19. v. 47. Ioseph. l. 18. Antiqu. c. 3. & l. 2. Belli c. 8. Hieron. in Isaiæ 24. Ierem. 49. Ezech. 27. & 28. Daniel. 11. & Amos 8.

e Adrichom. in Nephthalim nu. 37.

f Euseb. l. 7. Hist. c. 14. Niceph. l. 7. c. 15.

ter comitium esse, 1. Reg. 7. & 10. Ierem. 40. & 1. Machab. 3. Vbi etiam propter hanc *Masphat* & *Siluntu* vicinam, vnus locus pro altero vsurpatur, dum dicitur, *Locus orationis erat in Masphat antè in Israel*. Fortè etiam ex Masspha videri eminus poterat tabernaculum Siluntinum: vt qui istic adessent, censerentur coram tabernaculo adesse, & ante arcam orare.

℣. 10. *Sic fundis lapides iacientes, vt capillum quoque possent perstringere*] Licèt hæc hyperbolica videantur Caietano & Abulensi: facilè tamen credet qui meminerit quæ de *Cambyse* tradit Herodotus: de *Indo* Arianus: de *Merione Cretensi* Themistius: de *Perse*, & *Lydio iaculatore* Zosimus, de *Commodo* Imp. Herodianus, de *Beatricis* Strabo, de aliis Lipsius, Villalpandus & alij.

Herodot l. 3. Arianus in Alexandro Themist. orat. 6. Zosimus in Aureliano, & in Tacito. Herodian. in Commodo. Strabo l. 3. Lipsius l. 4. Pelior. dial. 2. Villalp. to. 2. f. 2. &c.

℣. 21. *Filij Beniamin occiderunt de Filiis Israel viginti duo millia*] sequenti die rursus alia 18000. Cur verò permiserit Deus, etiam ritè consultus, tanta strage affligi Israelitas tam æquam causam fouentes: cur sanctissimos reges Iosiam, Oswaldum Anglorum, Ludouicum Gallorum, Sebastianum Lusitanorum, tam infeliciter pugnare sit passus: & in genere, cur toties permittat variis aduersitatibus & ærumnis affici etiam maximè probos & iustos, pulchrè explicant Origenes, (*a*) Augustinus, Saluianus, Gregorius, Ephrem, Bernardus, S. Birgitta, Antonius Genara & Serarius. In particulari de his Israelitis videtur Scriptura quatuor insinuare causas tantæ cladis. Prima est, vt scelera quibus iam varij contaminati erant, priùs expiarentur: inter alia, etiam idololatria, non illa Michæ tantùm cap. 17. & 18. sed longè vulgatior & plurium, suprà cap. 2. & 3. explicata. ita Procopius. Secunda, quia filij Israel *sua fortitudine ac numero* nimis *confidebant*. vt hîc dicitur vers. 22. Quo eodem & Tertia indicatur causa, nempe *temeritas* maxima, dum contempto hoste, & neglectâ disciplinâ militari, locum ad pugnam ineptum deligunt, vtpote inferiorem ipsa vrbe Gabaa: & sequenti nihilominus die, in eodem loco, stulta vel audacia, vel contumacia pugnare voluerunt. Et has ob causas notat Plutarchus etiam cæsum à Iulio Cæsare Pompeium, viribus alioquin & numero longè superiorem. Quarta denique indicatur v. 26. & sequentibus, vt maior in populo excitaretur erga Deum religio, pietas, & animi demissio. Quod notant etiam ipsi Rabbini: & luculentè comprobauit euentus.

a Orig. hom. 14. in Num. Augustl. l. 5. de Ciu. Dei. Saluian. de Prouidentia. Gregor. l. 5. epist. 51. & l. 7. ep. 3. & l. 21. Moral. c. 3. Ephrem to. 1. ser. de Patientia. Bern. serm. 27. in Cant. S. Birg. l. 4. c. 15. & l. 5. passim. Genara in fine tom. 2. Epist. Serar. in 6. 2. Tobiæ

℣. 45. *Petra Remmon* [Ioseph dicta *Roob*, vrbs erat in prærupta petra, distans Ierosolymis 15. milliaribus, non longè à *Gabaa* Saulis patria, inter Septemtrionem & Orientem. ita S. Hieronymus, Adrichomius & alij. Erat & altera *Remmon*, in tribu Simeonis, Iosue 19. v. 7. quæ limes erat tribus Iudæ ad *Austrum*, sicut altera limes erat ad *Aquilonem*, vt alibi (*b*) dicam.

b Zach. 14. v. 10.

CAPVT XXI.

Ne prorsus interiret tribus Beniamin, instaurari iubetur ex 400. virginibus in cæde ciuium labes Galaad reseruatis, & ex alijs ducentis virginibus Siluntinis.

℣. 4. EXTRVXERVNT *altare* (vtique alterum ac diuersum ab altari Moysis & Siluntino,) *obtuleruntque ibi holocausta & pacifica victimas*] Sed quo iure, cùm ex Leuitici 16. & Iosue 22. constet non licuisse aras erigere & sacrificare extra locum tabernaculi fœderis? Respondeo, Hoc altare in ipso tabernaculi loco erectum fuit. Et hoc licuisse, docet rectè Abulensis. Poterant enim, etiam ordinariè, plura altaria in loco tabernaculi erigi, si victimarum numerus ita exegisset. vti legimus fecisse Salomonem 3. Regum 8. vers. 64. Extra verò locum illum id non licuit, nisi ex priuilegio & speciali dispensatione, qua subinde viris sanctitate ac prophetia spectatissimis id indultum legimus, v. g. *Gedeoni*, Iudicum 6. *Manue*, Iudicum 13. *Samueli* in Ramatha, in Galgala, in Bethlehem 1. Regum 7. 11. & 16. *Dauidi* in area Ornan Iebuzæi 2. Regum 24. *Eliæ* in *Carmelo* monte 3. Regum 18. & aliis, in quibus locum non habebat ratio legis id vetantis, putà periculum idololatriæ, cùm essent viri sanctitate ac prophetiâ spectatissimi, vt dixi. ita Abulensis, Caietanus & Serarius.

℣. 7. *Omnes in commune iurauimus, non daturos nos* Beniaminitis *filias nostras*] singulis nostrum proprias. sed non iurauimus, non daturos nos illis communi decreto filias aliorum: aut non permissuros, vel non suasuros, vt vi vel dolo rapiant. Hinc neque Beniaminitis peccatum fuit hic raptus, partim quia consilio vel decreto superiorum ob finem honestum factus est: partim quia non valdè inuitis filiabus aut illarum parentibus contigit. Quin nullo modo inuiti fuissent, si periurij periculum abesse sciuissent, vt reuerà aberat. Nam iuramentum, cùm non obstringat vltra mentem iurantis, certumque sit hunc necessitatis casum, quo defectu sponsarum integra tribus excidenda esset, Israelitis cùm iurarent, non venisse in mentem; certum item est, eo casu illos ad id obstrictos non fuisse. Quia tamen erronea conscientia putabant sese obstringi, prudenter ad raptum suadendum diuerterunt ita Liranus, Caietanus, Arias & Serarius.

Nota, raptum Siluntinarum præcessisse raptum Sabinarum à Romanis circiter annos 700. quot scilicet ab Othoniele primo Iudice effluxerunt vsque ad Romulum, cuius tempore Sabinas rapuere Romani. Et videtur vterque raptus contigisse paulò ante æquinoctium autumnale, Sabinarum 14. Kalendas Septembris, vt tradit Liuius & Plutarchus: Siluntinarum verò in Scenopegiis, mense quoquo Septembri; nam tum temporis commodum erat propter latas frondes *latitare in vineis*; quod hîc v. 20. raptoribus præscribitur.

LIBER

LIBER RVTH.

CAPVT I.

Elimelech Bethlehemita urgente fame, cum & Noemi & duobus filijs in terram Moab concedit. Eo mortuo cum utroque filio, vidua Noemi cum Ruth nuru sua in Bethlehem remigrat

VETERES Rabbini, B. Isidorus, Abulensis, Eugubinus, Arias, Genebrardus, Driedo, Sixtus Senensis, Feuardentius & Serarius faciunt huius libelli auctorem *Samuelem*, quòd vellet, posteris constare de Dauidis à se in regem vncti prosapia, simulque & *Christi* ex *Dauide* orituri. Recenset autem hîc patrem, auum & proauum Dauidis, putà *Iesse*, *Obed* & *Booz*. Cuius parens cùm fuerit *Salmon*; & hic cum Iosue & reliquis Israelitis ingressus sit terram sanctam: subducto, temporum calculo, dicendum videtur hanc Ruth historiam contigisse sub tempora *Barach & Debbora*, vt colligunt Abulensis Vigeneratus, Torniellus & Funccius. Vel potiùs sub *Abimelecho* tyranno, vt optimè probat Salianus, (*a*) qui cum Lirano, Genebrardo, Catharino, Iansenio, Rabbinis, & aliis citatis à Serario, tres dicit sibi mutuo succedentes eodem nomine Booz vocatos fuisse.

Isid c.11. de Offic. Eccles Abul. hic c.4.q.28. Eugub Feuard. Serar. hic. Arias in c.5 Isaiæ. Genebr. l.1. Driedo l.1. de Catal. S. Scriptur. c.3. Sixtus Sen. l.1. Biblior.

(a) Sal. anno mundi 2741. Catharin. l. cent. Caietanum. Iansen. c.6. Concordiæ. Serar. in c.4.q.19.

¥. 4. *Vxores Moabitidas*] Moabitis est Arabiæ pars, teste Plinio: cuius metropolis hebraicè *Selha*, græcè & latinè *Petra* vocabatur, quòd rupibus ac præcipitiis extrorsum muniretur. eam hodiernam esse Turcarum *Mecham* opinatur Bellonius. ab ea metropoli nomen regioni toti fuit *Arabia Petræa*. Ex hac vrbe *Petra* Ruth & Orpham oriundas fuisse affirmant quos citat Abulensis, Vatablus, Arias, qui proinde cum S. Hieronymo, illud Isaiæ 16. v. 1. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de Petra deserti*, explicant de nostra *Ruthæ*, quæ oriunda ex vrbe *Petra* produxit *Obed* auum Dauidis & Christi.

Plin. l.5. c.11. & 24. Bellon. l.2. c.53. & l.3. c.5 Abul. q.16. Hieron in illud Isaiæ.

Petes, An filii Noëmi potuerint sine peccato vxores ducere Moabitidas in idololatria perseuerantes, vt has perseuerasse colligitur ex vers. 15. Respondeo, cum Ruperto Tuitiensi, illos non lege, sed necessitate excusatos fuisse à peccato. Iuuenes erant: ætatis feruor, prolisque amor coniugium suadebant: & in peregrino solo Israelitides nullæ, sed solæ Moabitides. Et sperare poterant, successu temporis ad Iudaicam religionem conuersum iri.

Rupert. l.1. in Matth.

¥. 11. *Reuertimini filiæ meæ*] Non iubet, sed solùm ex vrbanitate id eis liberum esse vult. q. d. Nolo, meâ vnius causâ, è solo patrio, è domibus, à parentibus, ab amicis & notis in alienam terram ad alienos & ignotos emigretis; & pauperiem, liberorum orbitatem, & alios casus, qui peregrinantibus ac inopibus comites esse solent, subire cogamini. Nolo etiam, meâ solius causâ religionem mutetis, ne fortè malorum, quæ Iudaicam fidem amplexis, sed minùs in ea constantibus, euenire solent, ignaræ, & scandalum aliis, & vobis exitium, & mihi probrum creetis. ita Abul. Caiet. & Serarius.

¥. 21. *Egressa sum plena*] scilicet liberis, marito, nummis, vigore, pulchritudine, honore, gratia & fauore. His omnibus iam *vacuam reduxit me Dominus*. Pia matrona piè admodum vacuitatis seu orbitatis omnis suæ, Deum, à quo omnia pendent, auctorem agnoscit: ideoque, vt decebat, æquo animo, patienter atque hilariter fert omnia.

CAPVT II.

Ruth pressa egestate, spicas in agro Booz affinis sui colligens gratiam apud eum inuenit: & lata vespere ad socrum reuersa frumentum, & reliquias ciborum ei affert.

¥. 1. ELIMELECHO *erat consanguineus Booz*] Rabbi Iosue apud Raschi dicit, Booz fuisse Elimelechi nepotem ex fratre illius. Sed malè addit, eumdem esse cum *Abessan* nono in ordine Iudicum. vt fusè refellit Abulensis & Serarius.

Raschi c.3.

¥. 2. *Colligam spicas*] Nota ex Leuitici 19. & 23. item Deuteron. 24. Iudæis præceptum fuisse, dum segetes demeterent, aliquid spicarum in vsus pauperum relinquerent, quæ fiebant primi pauperis occupantis, siue indigena is esset, siue aduena. Voluit tamen Ruth v. 7. rogare præfectum agrorum, id sibi bona ipsius gratia liceret. Sed hoc fecit ex singulari modestia & humanitate: forsan & ignara erat eiusmodi priuilegij, inquit Abulensis. Apud Christianos, ad quos sola moralia transierunt, neque vlla spicarum iussa relictio, neque ipsis agrorum dominis, aliisve diuitibus vetita relictarum collectio. licèt probrosum atque inhumanum foret, eas pauperibus quando adessent, præripere. ita S. Thom. & Institutiones Iuris, & Digesta. Erat ergo spicilegium istud inopiæ certum argumentum: honestum tamen, minimeque probrosum, quia laboriosum. Et verò suadet ratio, dum vites annique sinunt, omnem adhibendum laborem & industriam ad vitæ necessaria conquirenda, priùs quàm ad mendicandum sese accingat egenus & pauper, vt pulchrè docet Muretus.

S. Tho. 1.2. q.103. 104. 105. Instit. l.2. tit.1. §. Hoc amplius. &, qua ratione. Digest. l.4. tit.7. Ere delicto. Muret. l. 13. c.1. Ver. lection. de robustis mendicis.

¥. 12. *Sub cuius confugisti alas*] Rectè sub Dei Israel alas confugit Ruth, cùm relictis diis Moab, in Iudæorum religionem transiit, vt velut implumis & tenella auicula in nido Dei confoueretur, contra solis seu tentationum æstus, contra rapacissimos inferiorum vultures ac miluos, contra omnes aërias tempestates protegeretur.

¥. 14. *Intinge buccellam tuam in aceto*] Iam antè de potu prospexerat Booz Ruthæ. Neque leue munus erat, in calida regione, vbi magna dulcium aquarum (*b*) penuria, tempore messis torrido & siticuloso, quantum vellet frigidæ aquæ concedere. Sed hîc non stetit liberalitas; etiam *panem* addit, quo designatur omne genus cibi; & *acetum*, seu embamma vel pulmentum aceto conditum. Sic enim Chaldæus vertit. Quamquam & merum acetum ad stomachum iacentem, fastidientem, aut naúseantem recreandum, vel ad æstuantem refrigerandum, fessumque refocillandum valeat plurimum, teste Plinio, & medicis. Ac verò id etiam hodie in deliciis habent Italiæ Hispaniæque rustici

(b) *Patet Genes. 26. & 28. Exodi 2. Num. 20. Deut. 2. & 6.*

Plin. l.23. c.1.

iustici & messores, quibus *posca* (acetum est aqua mixtum) etiam gratissima & vtilissima: & in nauibus ac triremibus etiam nautæ vtuntur. Vide Christophorum à Vega, Aëtium, Bellonium & alios medicos. Pro *polenta*, cuius partem detulit Ruth socrui suæ Noëmi, vertunt aliqui *far tostum*, seu *aristas tostas*; Liranus *granatum*, id est cibum è nouis granis tostis vel frixis confectum: quem qui gustarunt palato gratissimum asserunt.

Vega l. 2. de Arte medend. Aetius serm. 1. Tetrall. 6. Bellon l. 2. Obseruat. c. 69.

℣. 20. *Eandem gratiam*, id est beneuolentiam & beneficentiam, *quam præbuerat viuis*, Elimelecho eiusque filiis, *seruiuit & mortuis*] cum illorum memoriâ & intuitu, nobis eorum vxoribus tam benignè facit.

CAPVT III.

Ruth obsecuta socrus sue consilio, ad pedes affinis sui Booz dormientis recumbit, & nuptias verecundè postulat: latoq; responso accepto, sex modios hordei ad socrum defert.

℣. 2. HAc *nocte* sequenti *ventilat*, pro ventilare decreuit, *aream hordei*] id est hordeum quod in area iam tritum & aggestum iacet. Nam *messione*, peracta, & siccatis manipulis succedebat *excussio* seu *tritura*: deinde *ventilatio*, qua à palea grana secernantur. & fit vel triturâ ad ventum expositione, vel vannatione, vel è latere in latus, per palas ac ventilabra deiectione, vt ex Homero docet Eustachius, Varro & Columella. Solent autem, inuecta penè messe in horrea, epulæ quædam exhiberi operariis ad eos excitandos recreandosque: de quibus Cato (a) ait: *Eo die quo daps fiebat* (sic vocabatur eiusmodi epulum) *feriæ bobus & bubulcis, & qui dapem facient*. Vnde & ab Ouidio *vacuna* appellantur, quòd post inuectos fructus vacarent tum agricolæ à laboribus. Hanc verò feriarum & epularum occasionem putabat Noëmi opportunam Ruthæ fore ad animum Booz iam exhilarati commodiùs expugnandum.

Eustach. in Iliad. 7 Varro l. 1. c. 51 & 52. Colum. l. 2. c. 21.

a Cato c. 131. de Re rust. Ouid. 6. Fast.

℣. 4. *Ipse autem dicet tibi quid agere debeas*] Sperabat enim Noemi, quòd Booz, audita Ruthæ iustissima nuptiarum postulatione, concessurus eas esset extemplo, etiam ipsa illa nocte. Vult tamen, ex sapienti sapientis Boozi consilio totam pendere, vt non nisi legitimè seu ex legum præscripto res peragatur.

℣. 9. *Expande pallium*, seu stragulum, *tuum super famulam tuam*] Hebraicè & græcè est, *extende alam tuam*. estque prouerbium, quo implorat Boozi auxilium, defensionem ac tutelam, non qualemcumque, sed matrimonialem, quæ vxori à marito debetur. Et verò solent tum olim, tunc nunc quoque, Iudæi in nuptiis suis, cùm sponsus fidem dat sponsæ, partem vestimenti sui imponere sponsæ. ita Liranus, Vatablus & Serarius. Est ergo modesta verecundaque petitio coniugij. Vnde Chaldæus vertit, *vocetur nomen tuum super ancillam tuam, vt accipias me in vxorem.*

℣. 10. *Priorem misericordiam posteriore superasti*] Priorem misericordiam Ruthæ vocat Booz eam benignitatem quam in defunctum maritum, & viuentem adhuc socrum contulit hactenus: posteriorem verò, quam conferre nunc satagebat, nouis nuptiis filios defuncto excitando, nomenque ipsius ad posteros propagando. Nam hoc in magnis bonis, sicut contrarium in magnis malis, tum ponebatur. Addit & nouum aliud encomium, quòd vidua iuuencula non virum aliquem marito defuncto superinduxerit in patria sua, iuuenem siue diuitem, siue pauperem: sed, relictis omnibus, exulatum in Iudæam venerit, ibidemque se matrimonio iungere studuerit non cuilibet, sed ei à quo posset restitui in familia exstinctum alioqui mariti nomen.

Petes, An Noëmi & Ruth non peccarint tam periculosis vtentes modis ad nuptias Boozi extorquendas. Liranus Noëmi grauiter accusat, Rutham propter solam ignorantiam excusat. Sed Respondeo, neutram peccasse, eò quòd hoc omni apparatu & lenocinio non aliud quàm legitimum matrimonium aut intenderint, aut postulârint, confisæ sat probatæ tum senis Boozi, tùm Ruthæ continentiæ. Fas autem est, aptis verborum, gestuum, aliorumque generum signis ad matrimonium ineundum honestè inuitare, vt docet S. Thomas, Caietanus, Abulensis & alij. Ferebat quoque tunc matrimonij natura, tuli-que etiam diu apud Christi nos ante Tridentinum Concilium, vt occulto consensu seu clandestino posset contrahi. Eaque propter potuisset illa ipsa nocte inter Booz & Ruth matrimonium conciliari & consummari, nisi remoram iniecisset alterius maior propinquitas.

S. Tho. 2. 2. q. 154. a. 4. & q. 169. a. 2. & Cajet. ibid.

Petes Secundò, Quomodò saltem in eo non peccauit Noëmi, quòd alterius propinquioris nuptias non priùs solicitarit? Respondeo, Fortè ipsa hoc ignorabat: vel, si sciuit, omnabatur, quod euenit, eam illius propinquioris vel duritiam, vel fastum fore, vt, etiamsi ei deferretur, recusaret tamen & aspernaretur pauperculæ Ruthæ coniugium. Vide S. Ambrosium, S. Hieronymum, Auctorem opetis imperfecti in Matthæum, Theodoretum, Feuardentium & Serarium.

Ambr. l. 3. de Fide c. 5. Hieron. & Auctor imperf. in 1. c. Matthæi. Theod. apud Feuard. hic pag. 236.

CAPVT IV.

Booz coram iudicibus ciuitatis, euocato altero affine propinquiore, & illo iuri propinquitatis renunciante, ante possessionem Elimelechi defuncti, & Ruth nurum illius accipit in vxorem, ex qua gignit Obed auum Dauidis regis.

℣. 1. CVm *vidisset propinquum præterire*] fortè in agrum ad messores exeuntem; vel inde redeuntem.

Petes, Quare Samuel libelli huius auctor nominare illum noluit? Respondeo, Videtur hac nominis æterna obliuione meritò voluisse mulctare virum ingratum ac superbum & qui sui nominis adeò studiosus esset, vt de propinqui defuncti nomine nihil omninò laborarit, ipsamque illius viduam Ruth contempserit, indignus ipse censetur qui proprio nomine posteris innotesceret.

℣. 3. *Partem agri fratris*, id est, propinqui, *nostri Elimelech vendet*, necessitate coacta *Noemi*] scilicet nomine Ruthæ nurus suæ, quòd vellet secundùm legem Deuteron. 25. mariti vitâ functi cognatorum alicui nubere, atque ita filios illi suscitare, poterat vel ad vitam suam prouentibus agri frui, vel ea conditione vendere, vt saltem quamdiu primogenitus ex ipsa nasciturus, eius agri possessionem non adiret, esset dominium vel vsusfructus penes emptorem.

Petes, Quis peregrinante Elimelecho in Moabitide, agrum illum tenebat, colebat, metebat? Respondeo, verisimiliter alicui elocatum fuisse, qui pro annorum illorum sterilitate aliquid saltem quotannis penderet: ita Abulensis & Liranus.

℣. 6. *Cedo*

℣.6. *Cedo iuri propinquitatis: neque enim prosperitatem familiæ meæ delere debeo*] Hebraicè, chaldaicè & græcè, *corrumpere*. q.d. Mihi & vxor, & filij multi sunt, qui possessiones meas & posteritatem ac nomen satis tuebuntur: ad hos si è iuuencula Ruth plures accederent filij (nam præter primogenitum, propinquo substituendum, reliqui omnes pari cum prioribus iure censebuntur mei filij & heredes,) iam meæ possessiones nimiùm dissecarentur & disperderentur, forsan & litibus inuolue.entur.

℣.7. *Soluebat homo calceamentum suum*] Nota. Præter *excalceationem religiosam*, qualem præcepit angelus Moysi ad rubum, Exodi 3. itemque Iosuæ prope Iericho, Iosuæ 5. duplex reperitur in Scripturis *excalceatio politica*. Vna *in pœnam*, quæ describitur Deuter. 25. quæ ex lege præscripta erat, cùm nollet frater germanus fratri defuncto semen suscitare: nam inter solos fratres propriè dictos locum habebat: fiebatque etiam inuito, & cum consputatione facici; & erat valdè probrosa. Altera non in pœnam aut probrum, sed in contractus solemnitatem ac firmamentum adhibebatur, vt apud nos *clauium traditio*. Et talis fuit hæc propinqui Booz *excalceatio*, ad confirmanda hæc sua pacta conuenta. Neque fiebat hæc ex legis præscripto, sed ex sola *consuetudine*, vt hîc dicitur. Et loco illius iam in contractibus maioris momenti vtuntur Iudæi *symbolo lintei*, teste Rabbi Elia, qui emptionem sic initam dicit inde vocari *emptionem sudar*, vel emptionem *linteatam*. Vide de his fusè Abulensem & Serarium.

R. Elias in Thisbi, verbo Kanah.

A Petes, Quomodo licuit Booz ducere Rutham Moabitidem, cùm Deuter. 23. Moabitis *in æternum* negetur aditus in Ecclesiam Dei? Hanc ob causam dicit Beza Boozum peccasse. Sed Respondeo, legem illam non de feminis, sed de solis viris ita statuisse. Nam solorum virorum, inquit S. Augustinus, culpa fuerat, ob quam pœna ista Moabitis inflicta esset, vt colligit ex Num. 22. Addit Abulensis & alteram causam, nempe, quòd nati ex matre Moabitide, sed patre Iudæo, non erant nec censebantur Moabitæ, sed Iudæi: nam filij referri solent ad genus & stirpem patrum, non verò matrum suarum.

Beza l. de Repudijs.

August. in Deut. q 35.

℣. [illegible]. *Isai patris Dauid*] non primo, septimo, loco ex eo prognati, vt dicitur 1. Paralip. 2. v. 13. Vide quàm promptum sit Deo, plebeios vulgaresque homines, etiam ad summum euehere fastigium dignitatis, cum è paupercula extera & obscurissima muliercula, Ruth, tot tantosque reges, adeoque & ipsum quoque Regem regum Christum proseminari voluerit? Vnde & ab Hebræis *Ruth* vocari solet *Emah malcuth*, id est *mater regni*, putà Iudaici.

Hebr. in Iucbasin fol. 10. 4.

Allegoricè Booz Christum Dominum, Ruth Ecclesiam præfiguraſſe: Moraliter, perfectissimarum virtutum exemplar fuisse, docent Dionysius Carthusianus, Hugo Victorinus, Feuardentius & Serarius ex SS. Ambr. Hieron. Chrysost. Petro Damiano & Isidoro. Sed præ omnibus elegantissimè Lud. de Puente, in priori parte Ducis sui spiritualis.

Ambr. l. 3. de Fide c. 5. Hier. præmio in Ose. & l. 5. in Isaiæ c. 16. Chrysost. homil. 3. in Matth. Damian. l. 8. epist. 14. ad soror.

LIBER I. REGVM

Continet stirpem, gesta & mortem Prophetæ Samuelis & regis Saulis: & pleraque Dauidis. Quæ per tempora ordine distributa videre licet in Chronico cap. 26. & 27.

CAPVT I.

Stirps Samuelis, quem Anna mater voto & precibus obtinet à Deo: & ablactatum offert pontifici Heli in Silo, vt seruiat æternùm Domino.

℣. 1. VIR *Ephrateus* vocatur Elcana, seu Ephraimita (a), non quòd genus duceret ex tribu *Ephraim*, (nam erat ex tribu *Leui*, vt apertè dicitur 1. Paralipomenon 6. vers. 33.) sed quia in ciuitate Leuitica *Ramà*, sita in tribu *Ephraim*, natus erat & educatus. Quo modo in Actis Apostolorum multi Iudæi appellantur *Cretes*, *Arabes*, *Græci*, &c. ea solùm de causa, quòd in *Creta*, *Arabia*, *Græcia* nati vel educati essent, vel domicilium fixissent. Ponitur verò *Rama* hîc in numero duali *Ramathaim*, quòd duplex esset ciuitas, seu duabus constans partibus, quarum vna videtur inferiori loco sita fuisse, altera superiori, & quasi in monte, vnde additur hîc *Sophim*, id est *specula*, vt designetur, Elcanam ex ea vrbis parte ortum traxisse quæ superior erat, & quasi *Specula*, longè lateque quidquid circum aditaretur, detegere posset. Stephanus Ragusinus citatus à Duce Raziuilio, putat hanc *Ramatha* illam esse ciuitatem, quæ subsecutis tempo-

a *Patet Iudic. 12. v. 5.*

Dux Razin. & Olica epist. 2. f. 129.

C tribus, præfixà litterà A, dicta fuit Arimathia, cuius ciuis fuit ille Ioseph, qui Christum Dominum è cruce deposuit. tempore S. Hieronymi nominabatur *Remphis*, hodie *Ramula* à Turcis vocatur, in qua præcelsæ turres, in quibus lampades perpetuæ, inquit Saligniacus, & ex eo Serarius.

Hieron. l. 1. cont. Iouinian. Salign. c. 3. tit. 6.

℣. 3. *Ascendebat statutis diebus*] ter in anno, putà in festo *Paschæ*, *Pentecostes* & *Scenopegiæ*, vt statuit Deus Deuter. 16. *Ascendebat*, inquam, etiam propriè dicto *ascensu*: nam licèt *Ramatha* in monte sita esset, vt iam dixi; *Silo* tamen, vbi tabernaculum erat iam inde à temporibus Iosuæ, longè altiori loco erat, teste Adrichomio, qui ait, *Silo mons altissimus est omnium in circuitu Ierusalem; atque adeò supereminet vniuersis terræ sanctæ montibus.*

℣. 4. *Venit ergo dies*] vnus ex tribus iam dictis.

Et immolauit Elcana] scilicet hostiam *pacificam*: nam ex ea sola redibat bona pars ad offerentem. In *holocausto* totum igni absumebatur: *hostiam pro peccato* totam sibi sacerdotes ex lege vendicabant: ex *pacifica* verò solus adeps Deo adurebatur, armus & pectusculum sacerdoti cedebat; quidquid erat reliquum, reddebatur offerentibus, vt ex eo epularentur cum quibus vellent, dummodò in vrbe sacra, & loco mundo, vt dixi Leuit. 7. & Deuteron. 12. Ex his victimis pro numero capitum diuisis distribuebat paterfamilias cuique conuiuæ partem

tem seu portionem suam. Sed hanc suam portionem *Annæ*, licèt primaria vxor Elcanæ & domina familias, quia à Phenenna secundaria vxore, & perpetua æmula, ob sterilitatem (vt olim *Sara* ab *Agar*) amaris probris lacessita, animo indignante, stomacho fastidiente capere non poterat.

℣. 11. *Dabo eum Domino*] At Leuitæ, qualis futurus erat quicumque nasceretur Annæ masculus, de iure addicti erant ministerio Domini, vt sacerdotibus ministrarent in templo. Respondeo, Sed non nisi à 25. ætatis anno, vsque ad 50. vt expresè decernitur Numerorum 4. & 8. Anna verò filium suum æterno deuouet templi seruitio, seu *omnibus diebus vitæ eius*. Insuper addit, *Nouacula non ascendet super caput eius*, id est, perpetuò erit Nazaræus, instar alterius Samsonis, Iudicum 13. Sed de Nazaræorum institutis vide Leuitici vlt. & Numeror. 6. Porrò potuit Anna suo voto perpetuam sibi necessitatem imponere, numquam filium à templi seruitio vel nazaræatu reuocandi; sed non potuit cogere filium, ne, cùm plenum habuerit rationis vsum, si vellet, aliter de se, vitæque modo statuere posset. Neque enim filij tenentur vota parentum, quæ personalia dicuntur, implere. Vnde prudens mater infrà v. 28. dicit, se *eum commodasse* seu dedisse *Domino cunctis diebus quibus fuerit commodatus*, id est, quamdiu vita & voluntas eius tulerit.

שמואל ℣. 20. *Samuel*] q.d. *Sam ou El*, id est, *posuit ipsum Deus*, scilicet in rerum natura, & quasi genuit; cùm nempe fœcundam reddidit Annæ vuluam ante prorsus sterilem; vocauit autem eum hoc nomine mater, *eò quòd à Domino postulasset eum*, & consequenter *impetrasset eum*. q.d. Eò quòd nullo humano, sed solo diuino beneficio sibi obtigisset. Simulque intendebat pia mater: vt *Samuel*, quoties suum hoc audiret nomen, recordaretur se Deo tamquam præcipuo parenti debere & quòd esset, & quòd viueret; atque ita libentiùs perpetuas Nazaræi status molestias sustineret.

CAPVT II.

Anna cantitum in gratiarum actionem: quæ tres alios filios & duas filias generat. Porrò Heli Pontifici ob scelera filiorum, nimiamq; ipsius in illos indulgentiam prædicitur excidium domus, & pontificatus amissio.

℣. 1. EXALTATVM *est cornu meum*, id est potentia, pulchritudo & gloria mea, metaphora ab illis animantibus sumpta, quibus hæc omnia præstat præfixum fronti cornu.

Dilatatum est os meum super inimicos meos. Hactenus pudor sterilitatis, cùm hæc illi exprobraretur, Annæ linguam constrinxerat, & os obstruxerat: iam cùm se tam nobili prole decoratam videt, lætata *in salutari Dei*] id est, ob salutem à Deo sibi concessam; liberrimè linguam expedit, fauces & os dilatat, non solùm ad depellendam à se contumeliam, sed & ad insultandum, si vellet, hostibus suis. Quia cælitus aucta tanto filio, multò potiori iure poterat suam commendare fortunam, quàm posset suis omnibus prolibus æmula Phenenna.

℣. 3. *Nolite multiplicare loqui sublimia*] Iubet, ab insolenti spiritu, inflatisque verbis, quibus hactenus assueuerunt, imposterum abstineant, & *veteres* seu antiqua dicteria, nescio quid superbum resonantia, commutent cum noua cantilena, quâ Deo laudem & gloriam omnem transferibant.

Quia Deus scientiarum, Dominus est, id est; exactissimè nouit omnia cognoscibilia: *& ipsi præparantur cogitationes*] Id est, diuinis eius oculis omnia etiam intima cordium perinde patent, atque patere posset oculis regis imago aliqua in eius gratiam viuis expressa coloribus, vel ludi theatrales ipsi oblectando præparati. Neque oculis tantùm diuinis, sed & manibus, seu potentiæ ac prouidentiæ diuinæ patent & subiacent omnia: neque enim solùm intuetur, sed & appendit & numerat, & condignis præmiis prosequitur omnia, nihil impunitum relinquens quod malum, nihil non numeratum quod bonum deprehenderit. Quod mox probat exemplis. Primò, ab *arcu* seu robore militari, v.g. in Iosuè, Sampsone, Goliath & Dauide. Secundò, à *repletione* seu diuitiis, v.g. Iob & Ruth. Tertiò, à fœcunditate miraculosa, v. g. Saræ, Rachelis & Annæ. Vnde pro *donec*, in Hebræo est, *vsque adeò vt & sterilis pariat*, &c. Tradunt verò Hebræi, (vt refert S. Hieron. & ex eo Vatablus, Abulensis, Iansenius & historia Scholastica) cùm primùm natus est Samuel, interisse Phenennæ primogenitum, & alios eodem ordine deinceps omnes. Quartò, exemplum desumit à *morte*. Quintò, ab *inferis*, vel propriè sumptis: vel pro extrema miseria & calamitate, quæ morti vel inferis opinione vulgi comparari solent. Sextò, à *paupertate*. Septimò ab *humili* seu vili statu. Octauò, à *puluere & stercore*, seu sordido & hominibus execrabili vitæ genere: vt Iosepho, Dauidi, Mardochæo, & mille alijs ad *solium* inde euectis contigit. Quarum omnium mutationum & quasi metamorphoseon hæc verissima proprijssimaque causa est, quæ hîc insinuatur.

Hieron. in Tradit. Hebr. super l. 1. Regum.

℣. 8. Quia *Domini sunt cardines terræ*] Id est, à diuina potentia sic omnia humana facillimo nutu vertuntur, & sus deque feruntur, ac si terra suos haberet cardines super quos nullo negotio illam, & omnia in illa contenta, Deus quamcumque vellet in partem raperet ac versaret: sicut in cælo, quia cardinum illius Dominus est, pro libito illud, & omnia in illo fixa astra, perpetuo rotatu circumfert & voluit, quæque manè vel meridie attollit, vesperè deprimit.

℣. 22. *Cum mulieribus*, quæ consecratæ Deo *obseruabant ad ostium tabernaculi*, nutus & imperia sacerdotum, quid nempe per ipsas curatum vellent. De his egi Exodi 38. v. 8.

℣. 25. *Si autem in Dominum peccauerit vir*, eo præsertim modo quo vos peccatis, profanando tabernaculum Domini incesto concubitu & meretricijs sordibus, conculcando sacrificia, legesque omnes diuinas, atque ita, quantum in vobis est, tollendo è medio omnia præsidia, quibus ex instituto Dei, venia & misericordia peccatoribus extorqueri solet; his, inquam, sublatis, & à vobis penitus euersis, *quis orabit pro* vobis, id est, quis subministrabit aliud sacrificium, aut orationem solemnem, qua vobis placetur Deus, & à peccatis expiemini? ita Gaspar Sanctius.

Et non audierunt: quia voluit Dominus occidere eos] Particula *quia*, non denotat hîc propriè dictam causam, vel directam & absolutam intentionem Dei: sed solùm conditionatam, indirectam, & impropriè dictam. Neque enim impulit illos Deus in peccatum aut vi præcipites egit (vt blasphemant Caluinistæ,) sed tantùm subtraxit illis, vtpote indignis, extraordinaria & indebita auxilia, quibus peccatum quod punire voluit, & peccato debitum decretumque supplicium effugerent. Ita S. Hieron. S. Augustinus, S. Thomas, & Doctores Scholastici, & nos in cap. 45. Geneseos.

S. Hieron. epist. ad Hedibiam. to. 3 qu. 10. & in cap. 1. ad Rom. S. Aug. to. 10. serm. 88. de Temp. S. Thom. 1. p q. 23. n. 3. DD. Scholastici ibid.

℣.29. *Quare calce abiecisti*, id est, pro vili & abiecto habuisti victimas in sacrificia mihi consecrata? nempe, Tu per filios tuos. Vt *comederetis primitias omnis sacrificij*] id est, prima omnia & præcipua, seu optima & pinguissima, quæque Deo adoleri debebant: hæc enim puer sacerdotis fuscinula ex ollis præripiebat, neque sinebat Deo offerri, sed in liberos sacerdotis vsus secernebat.

℣.31. *Præcidam brachium tuum*] Id est, robur & potentiam sacerdotalem, qua tua Ithamaris familia nunc præualet cognatæ & æmulæ familiæ Eleazari, recèns ea gloria spoliatæ. Pro quo

Ioseph.l.5. Antiquit. c.vltimo. Nota ex Iosepho, dignitatem pontificiam, quæ in posteris Eleazari primogeniti Aarônis hæserat vsque ad quartam stirpem, puta *Phinees*, *Abizue*, *Bocci*, & *Ozi*; sub tempora parentis Heli, (fortè propter inertiam aliorum in administrandis rebus sacris) ita Deo per expressum Prophetam (vt v.30. insinuatur) iubente, translatam fuisse ad alteram Aarônis secundo geniti putà Ithamaris, stirpem: è qua primus *Heli* eam assecutus est, tenuitque etiam manu posterorum suorum vsque ad initium regni Salomonis; nam Heli successerunt *Phinees*, *Achitob*, *Achimelech*, & *Abiathar*. Hunc verò *Abiathar* ob conspirationem cum Adonai Salomon Pontificatu exuit, & Sadoco, qui erat ex posteris Eleazari primogeniti Aaraônis eamdem dignitatem restituit, *vt impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo*. Et de hoc Sadoco loquitur hîc Deus v.35. cùm dicit. *Suscitabo mihi sacerdotem fidelem coram Christo meo*, id est, coram Salomone, ceteris q; regibus cum secuturis: Et *ædificabo ei domum fidelem*; seu constantem: id est efficiam, vt in eius familia & posteris dignitas pontificalis stabiliter permaneat.

3 Reg. 2. v.27.

Ezech. 40. v.47. Et sanè permansit, vt ex Ezechiele, & Iosepho constat, saltem toto tempore regum Iudæ, vsque post

Ioseph.l.10. Antiq. c.8. euersam à Chaldæis Ierosolymam, & verosimiliter vsque ad tempora Herodis; cuius tempore quia omnia erant venalia, fortè etiam ex posteris *Ithamaris* aliquis rursus irrepsit. Vide quæ dixi Num.25. v.12. Ex quibus patet, nullum hîc sermonem esse de Samuele, quia licèt hic speciali indulto Dei (*a*) sacerdos fuerit, tamen cùm non nisi Leuita natus esset, hinc summus sacerdos seu pontifex numquam fuit, multò minùs eius filij vel posteri: vt prolixè probat Abulensis, Genebrardus, Hugo, Dionysius, Liranus, Caietanus, & ex antiquis

Hieron. l.1. contra Iouinian. August lib. Retract. c.44. & in Quæst. veter. & noui Testam. q.46. S. Hieron. & S. Augustinus, licèt hi aliquando (*b*) etiam putarint Samuelem fuisse summum pontificem: vti & putarunt Gregorius, Euchérius, Angelomus, Primasius. & Haymo in hunc locum.

a *Vide Iudic.6.v.17.*

b *Hieron in 1 ad Cor.1. Aug ibid. c.55. & in Psal.98. & contr. Faustum c.33. & de Ciuit. Li.7. c.5.*

CAPVT III.

Samuel quater, à Domino euocatus, etiam ipse admonetur de malis domui Heli imminentibus. Quæ mox Heli refert Samuel, & paulatim toti Israeli prophetiæ suæ innotescit.

℣.3. LVCERNA Dei, seu candelabrum tabernaculi septiceps, *antequam extingueretur*] Periphrasis est noctis, q.d. Cùm adhuc lucerent omnes lucernæ in tabernaculo: nam hæ tantùm noctu omnes ardebant, manè pleræque extinguebantur, vt dixi Exodi 25. Porrò sic distinguenda hîc Scripturæ verba, vt noua clausula inchoetur ab his verbis, *Lucerna Dei*, &c. vt nunc distinguunt Biblia Sixtina, patet ex editione LXX. Interpretum, & Chaldaica paraphrasi, & antiquioribus Latinis & Græcis exemplaribus: item S. Hieronymo, Abulensi, Lirano, & Historia Scholastica. Innuit verò Scriptura, tempus quo Samuel à Deo

Hieron in Tradit. Hebr. ad hunc locum.

A vocatus, & spiritu prophetico primùm afflatus est, fuisse post mediam noctem, seu ante auroram, cùm nemo adhuc ne sacerdotum quidem ingressus esset tabernaculum, seu Samuel solus adhuc cubaret in parte templi, seu ædificij vicini templo, vnde prospectus patebat in templum. Cùm ergo sciret Heli, nullum eo temporis articulo in templo adesse, qui vocare posset Samuëlem, quòd lampades necdum essent extinctæ, quas sacerdotes ad primum suum ingressum sub auroram extinguere debebant; rectè coniectauit v.9. Samuëlem non ab alio, quàm à Deo vocatum fuisse.

℣.7. *Porrò Samuel necdum sciebat Dominum*] ea scilicet scientia seu cognitione, qua Prophetæ solent, qui Deum peculiari quodam modo familiarem habent, eiusque vocem etiam sensibiliter audiunt, & vt talem agnoscunt.

℣.13. *Iudicaturus domum eius in æternum*] Id est, B punituros peccata, & vlturus iniurias ab Heli & filiis eius mihi illatas.

℣.14. *Iuraui, quod non expietur iniquitas domus eius victimis vsque in æternum*] Hîc *iniquitas* sumitur pro *pœna iniquitatis*: quæ in tribus quatuórve consistebat, vt patet ex cap. præced. Primò, quòd qui orti essent vel orituri ex Heli, non peruenturi essent ad annos seniles, sed plerique morituri etiam antequam illis accederet virile robur. Id impletum non modò in *Ophni* & *Phinees*, filiis Heli, sed & vel maximè in Achimelech eius pronepote, qui vnà cum 85. alijs sacerdotibus & tota vrbe sacerdotali Nobe 1.Reg.21. iubente Saule gladio excisi sunt. Secundò, quòd dignitate pontificali spoliandi essent, eamque ad æmulam sibi familiam postliminio remigraturâ visuri essent, sine spe vmquam eius recuperandæ. Tertiò, quòd, licèt in minorum sacerdotum numero ipsi adhuc censendi essent, id tamen non tam honori ipsis, quàm dolori & probro futurum: neque ad aliud magis seruiturum, quàm vt doleant *oculi*, & *inuidiâ* contabescant, alienam nunc spectantes gloriam quæ sua antè fuerat, nec recuperari posset. Quartò, quòd ex tantis opibus ad eam indigentiam deuoluendi essent, vt æmulis suis mendicato supplicaturi essent pro *buccella panis*. Hæ, inquam, pœnæ, quas cap. 2. recensuit, hoc iam 3. cap. dicuntur æternùm adhæsuræ posteris Heli, neque vllis *muneribus* aut *victimis* diuertendæ. Vsque adeò displicet Deo sacrorum contemptus, maximè in sacerdotibus.

CAPVT IV.

Israelita à Philisthæis semel iterumq; caduntur; arca capitur: duo filij Heli occiduntur: & ipse Heli fractis ceruicibus occumbit, & nurus eius in partu extinguitur.

D ℣.1. IVXTA *lapidem adiutorij*] Id est, ad eum locum qui paucis pòst annis ex ope cælitus submissa vocatus est *Lapis adiutorij*, vt dicitur infrà c.7. v.12. quo eodem nomine per Prolepsim hîc iam quoque vocatur.

℣.7. *Venit Deus in castra*] Sic de *arca* censent Philisthæi, quia Deus supra arcam, quasi supra solium regium residere vulgò spargebatur, vt dixi. Vel quia imaginabantur virtutem diuinam arcæ inclusam aut affixam esse, vt de spiritu in idolis suis viuente nugabantur. ita Abulensis. Versu sequenti vocant *deos sublimes* alio duplici errore; vno, quo pro multitudine & varietate operationum fingebant multos & varios deos: altero, quo æstimabant, Deos Iudæorum ideò sublimiores ac potentiores esse, quòd locis sublimibus & monto-

sis

sis præessent. Sicut & Syri 3. Regum 20. v. 23. dicebant, *Dij montium sunt dij eorum, ideo superauerunt nos.* Vbi vide plura hac de re.

℣. 12. *Currens vir de Benjamin*] Pseudo-Philo Biblicus & Abulensis, ex traditione Hebræorum scribunt, hunc tam tristis cladis primum nuntium fuisse Saulem filium Cis. Addit idem Philo, duos *Heli* filios *Ophni* & *Phinees* occisos à *Goliath Hethæo*, quem postea singulari certamine *Dauid* prostrauit.

℣. 13. *Heli sedebat super sellam*] vtique pontificiam, *ante postes* tabernaculi, seu in vestibulo, vbi thronus erat pontificius, è quo ipse tamquam summus pontifex & iudex totius Israëlis, solebat populo responsa dare. Ex hac sella v. 18. resupinus excidens Heli, fregit sibi ceruices.

S. August. l. 17. de Ciuit c. 4. Gregor l 2. c. 3 & Pastoral. p. 2. c. 6.

Petes, An cum morte temporali, mortem quoque subierit æternam? Ita videntur sentire S. Augustinus, Gregorius, Eucherius & Beda. Sed Respondeo, contrarium verisimilius esse. Quia, vt ait Theodoretus & Abulensis, fuit vir eximius, toti populo carus ob vitæ morumque integritatem: qua factum, vt & diuino decreto (quod audiuimus c. 2. v. 30.) & populi communi conspiratione, suprema pontificatus simul & iudiciariæ potestatis dignitas illi vni extra ordinem collata sit, cùm neutra deberetur familiæ illius. Quòd verò nimia conniuentia ab illo peccatum est, id tunc factum videtur cùm ad eam ætatem esset prouectus, in qua neque rem sacram, neque politicam curare posset: cùm & filij quoque ea essent ætate, qua non facilè à parente iam decrepito sese officij sui seuerius admoneri paterentur. Quòd si etiam tum desierat per ætatem aut iudicis, aut pontificis officio fungi, & iam filij tam nomen, quàm munus sibi à parente transcriptum publicè obibant; leuior hoc quoque ex capite fuerit culpa parentis. Vt vt est, in senili ætate sat superque otij habuit, vt dolere de peccatis, & vitam in melius commutare potuerit. Quod & feciſſe, vel inde patet, quòd æquo animo per Samuelem corripi se passus sit, & vir tantus, tam grandis ætate ac dignitate tantillum puerum non respuerit: quòd item cùm durum sibi suæque familiæ vaticinium audisset, in nutum placitumque Domini totum se religiosissimè consignarit. Denique quòd cùm audijt cæsum populum, & mortes filiorum suorum, tulerit fortissimè; cùm verò intellexit arcam testamenti captam à Philisthæis, exanimatus dolore deciderit è sella: quod signum est, bonum senem nihil habuisse pietate ac religione charius. ita Theodoretus, Abulensis, Liranus, Dionysius, Serarius & Sanctius.

℣. 21. *Vocauit puerum Ichabod*] Id est, *Vbi gloria?* scilicet Israelis? q. d. Captâ arcâ, perijt omnis nostra gloria, quâ præ omnibus gentibus gloriabamur Deum nobis singulariter adesse, & ad præsentiam arcæ certissimò opitulari: nunc translatâ ad hostes arcâ, simul omne præsidium, omne robur, omnis bona fortuna, omnis spes libertatis ab Israële translata est.

CAPVT V.

Dagon coram arca semel iterumq; corruit, præcisis in limine capite ac manibus: Philisthæi verò grauissimis plagis, vbicumque arca esset, puniuntur.

℣. 2. STATVERVNT arcam *iuxta Dagon*] Vtique honoris ac religionis ergo: quia magnum in arca numen latere existimabant, vt cap. præced. ex illorum met verbis audiuimus.

℣. 5. *Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo*] non illo sublimi, è quo solebat adorari: sed humi seu in pauimento, in quod deiectus erat: cùm enim è graui collisu à trunco corpore resilijssent manus & caput versus limen templi rotata, truncus tamen ipse in eo loco mansit quem cadens primùm occupauit.

Nota. *Dagon* Hebraicè piscem significat. Erat enim idolum ab vmbilico ad imas vsque partes specie piscis: superiore verò parte, specie humana: quales in femineo sexu *Nereides* seu *Sirenes*, in virili *Tritones* descripserunt Poetæ, quorũ vnus ita canit:

Horat. in Arte Poetica.

Desinit in piscem mulier formosa supernè.

An verò Dagon muliebrem habuerit, an virilem formam, incertum est. Qui putant, *Iouem* fuisse quem *Arotrium* vocant seu *Aratorium*, ab aratro, quod adinuenisse dicunt, vt Eusebius, Arias, & quidam alij; *virilem Tritonum* formam illi concedunt. *Femineam* verò *Sirenum* habuisse contendunt quotquot *Venerem* fuisse autumant, v.g. Abulensis, Liranus, Scaliger, Serarius, Sanctius, & alij complures à Cælio Rhodigino citati: qui ex Plinio, Ouidio, Manilio, Luciano & Herodoto docent, Venerem, vtpote è mari ortam, vbi pisces degunt (vnde & *Aphroditis* vocatur) ſæpè in piscem figmento Poetarum conuersam fuisse: & apud *Ascalonios* in Palæstina pro primario numine, & nobilissimo templo coli solitam, alio nomine *Derceto, & Atergatis* dictam, quòd esset facie hominis, reliquo corpore in piscem desinente, quod & nomine *Dagon* significatur. Neque ab hac sententia (quam probabiliorem puto) dimouere nos debet, quòd *Dagon* hic & alibi non *Dea*, sed *Deus* dicatur: quia vsitatum est, vt per Syllepsin terminatio virilis femineam quoque in se concipiat. Et ipsa Venus apud Virgilium libr. 2. Æneid. *Deus* vocatur.

Euseb. l 1. de Præparat. c. 7.

Scaliger in Manilij l. 4. Calius Rhodig. l. 23. Antiquat. lect. c. 5. Plinius l. 9. c. 23. Ouid. l. 4. Metamorp. Manilius l. 4. Lucian. l. de Syria Dea. Herodot. l. 1. & 2.

Deſcendo, ac ducente Deo tela inter & hostes, Experior.

Et pluribus exemplis idem docent Macrobius, Horus Apollo, & Ammonius: qui addunt, etiam nonnullos deorum γυναῖκας creditos fuisse, id est qui viri simul essent atque mulieres.

Macrob. l. 3. Saturnal. c. 8. Horus Ap. l. 1. c. 12. Ammon. l. de Interpretatione.

℣. 9. *Fecerunt sibi sedes pelliceas*] Id est, puluillos, è pellicea materia, plumis & simili mitiori tomento suffartos, vt & sine dolore commodiùs sederent, & extantia seu effluentia intestina colligerent ac sustentarent. Hos enim puluillos pro subligaculis (quibus alioqui carebant & Hebræi (a) & Palæstini,) læso corpori adnectebant, tum ob rationes iam dictas, tum vt emplastra, & alia medicamenta cohiberent ne decidirent.

a *Vide Sanctium hic.*

CAPVT VI.

Philisthæi arcam cum votiuis donarijs ad Israelitas remittunt. Quâ exceptâ à Bethsamitis, nec sat reuerenter inspectâ, plurimi etiam illorum puniti sunt morte.

℣. 5. SI FORTE *relleuet manum suam à vobis, & à dijs vestris*] Hinc conjicere posse videmur, non solos homines à fœdis hæmorroidibus, excidentibusque intestinis vexatos, neque solos agros à muribus exesos; neque solum *Dagon* primarium Philistinorum numen terræ allisum & confractum fuisse: sed insuper etiam alios Philistinorum deos promiscuè ad aduentum arcæ ex loco suo deturbatos, in humum deiectos, mutilatos, contritos fuisse. Sicut & olim, cùm tot plagis flagellaret Deus Ægyptum, non in homines solos, sed & in *deos* eorum seu in idola seuijt. Nam vt patet Num. 33. v. 4. etiam in dijs eorum exercuit vltio-

vltionem. Quo sensu Exodi 12. v.12. etiam dicitur, A *In cunctis dis Ægypti faciam iudicia.* Et Christo ingrediente Ægyptum, corruisse dicuntur omnia idolorum simulacra, vt Isaias prædixerat cap.19. Porrò quod hic dicitur, *muros demolitos* fuisse *terram*, nulli supra fidem videbitur, qui apud Plinium legerit pluribus alijs gentibus idem ex simili *murium* incursione contigisse, & ex Gyaro Cycladum insula incolas à *muribus* esse fugatos: & a *talpis* (quod magis mirandum) vrbem integram in Thessalia suffossam fuisse.

Plin. l 8. c.29. & l. 10.c.65.

℣. 18. *Secundum numerum vrbium Philistiim*, puta quinque vrbium iam antè nominatarum, *quinque Prouinciarum*] id est, quæ vrbes præerant quinque prouincijs seu satrapijs Philistinorum. Porrò aurum vnde mures hi conflati sunt, corrogatum fuerat *ab vrbe murata vsque ad villam*, id est ex omnibus totius Palæstinæ ciuitatibus ac vicis, siue vallati essent mœnibus siue à muris nudi, & aperti. Cùm enim nullus locus à murium strage fuisset immunis, nullus etiam à sacro donatio ad communem pestem delendam secludi aut volebat, aut debebat. Sicut olim cùm in deserto Hebræi conflarent aureum vitulum, ex omnium promiscuè mulierum inauribus id conflari voluerunt, Exodi 32. v.2. B

Hieron. in Trad. Hebr.

Vsque ad Abel magnum] Abel *luctum* significat. A subsecuto enim Bethsamitarum luctu, ob ingentem cæsorum stragem versu sequenti, sic vocatur hic lapis iste in agro vrbis sacerdotalis *Bethsames*, in quo primùm ex plaustro deposita est arca, & in quo super ligna plaustri combustæ sunt vaccæ. Erat autem hic lapis non mobilis, aut è latomijs erutus, sed viuus, & terræ è qua emerserat adhuc infixus, vel rupi (cuius pars erat) affixus. Hunc lapidem tradunt, teste S. Hieronymo, Hebræi fuisse aram in qua sacrificarat olim Abraham. Vnde Bethsamitæ sacerdotes iure putarunt, sibi quoque licere in eadem iam sacrificare, ob antiquam loci sanctitatem, & recens miraculum, quo vaccæ nullo nisi Deo ductore, ad eum locum arcam detulissent. Et verisimile est, licuisse sacerdotibus coram arca quocumque illa loco esset, sacrificium offerre. Sed *vaccas* hîc offerunt, quod in holocausto non licuit. Respondeo. Non licuit in solemni & ordinario sacrificio, loco & tempore à lege definitis. Sed hîc omnia fiebant extra & præter ordinem: & Deus hoc ipso quo vaccas ductu suo solus eò adegerat, censebatur eas ad victimam sibi delegisse, & ad aram destinasse. C

Petes, Quod ergo fuit Bethsamitarum peccatum, propter quod à Deo mox cæsi hîc dicuntur quinquaginta millia & septuaginta de plebe? Respondent Hebræi, eò quòd aperuerint arcam, & in eamdem inspexerint, (sic enim habet textus Hebræus, & ita vertit Pagninus, & Tigurini.) & fortè explorandi causa, an Philisthæi, apud quos toto septimestri exularat, nihil ex arca sustulissent, nihil indecens intulissent. Sed quia istud videndi studium plus curiosæ intemperantiæ, quàm pietatis habebat, neque debebat nisi à primis sacerdotibus adhiberi, propterea tam severo tam multorum supplicio punitum meritò fuit. Sed puto, inspectionem arcæ non potuisse tam breui tempore in tam multos cadere: & tanto supplicio dignos etiam fuisse quotquot arcam, quæ à Philisthæis cooperta suis velis vt capta, ita iam remissa fuerat, denudarunt, & denudatam curiosiùs aspexerunt. Nam sub pœna mortis id vetitum erat etiam Leuitis, D Num.4. & alibi. Ita Liranus, Hugo, Dionysius, Abulensis, Caietanus & Sanctius.

CAPVT VII.

Deducitur arca in domum Abinadab in Gabaa. Et Samuele hortante Israelita toto animo addicunt se cultui diuino: vnde praclaram de Philisthæis victoriam referunt orante pro ipsis Samuele.

℣. 1. IN GABAA] Hebraicè, id est *in colle*, seu loco sublimi, in ciuitate *Cariathiarim*. Patet ex 1.Paralip. 13. v.6. vbi quæ hîc *Gabaa* dicitur, *Collis* appellatur.

Eleazarum filium Abinadab iam decrepiti, *sanctificauerunt, vt custodiret arcam*] Cùm enim *Achitob* seu *Abiathar* (erat enim binominius filius Phinees, nepotulus Heli,) cui pontificatus debebatur, esset admodum infantulus, elegerunt vnxeruntque hunc *Eleazarum*, qui vices illius tantisper suppleret. Erat enim & ipse Leuita, vt inquit Iosephus, & fortè ex nobilissimo Leuitarum trunco, ex Aaronis posteris sacerdos.

℣. 2. *Et requieuit omnis domus Israel post Dominum*] id est, nouo fœdere sociata est Domino (a.) Cùm enim variis hucusque animorum motibus agitarentur Iudæi, & quidam in hanc, quidam in alias religiones propenderent, tandem opera Samuelis, cuius apud omnes erat singularis auctoritas, quique totis viginti annis in id omnibus persuadendum incubuerat, effectum vt omnes vno animo, vno studio, vnum Deum cæli delegerint, in cuius obsequio & cultu gradum figerent stabilem & certum. Et hoc protestantur insigni hieroglyphico.

a *Simile habes Isai.7. vs.*

℣. 6. *Hauserunt aquam, & effuderunt in conspectu Domini*] designantes, ita à se abijci antiquam impietatem, & omnem *Baalim & Astaroth* (de quibus dixi Iudicum 2. v. 13.) id est, omnium idolorum execrandam memoriam, vt non minùs excedant ab animo, quàm aqua ex vase, ex quo ita defluit, vt nullus eius vel sapor, vel odor, vel color, vel humor vasi adhærescens maneat; sed tota perit & vanescit. Symbolum hoc est animi verè pœnitentis, qui nihil apud se residuum manere patitur vitæ morumque priorum, quorum jam pœnitet & pudet. ita Sanctius.

℣. 10. *Intonuit Dominus fragore magno*] Addit Iosephus: *Terra sub pedibus intremuit, nonnullis in improuisos hiatus prolapsi: alij fulminibus crebris attoniti: & ignitis fulguribus oculos ac manus semiustulati, vt ne arma quidem retinere possent.* Ex Ecclesiast. 46. vbi de hac re sermo est, colligimus etiam *Tyrios* & qui Tyriorum fuberant imperio; hac eâdem clade inuolutos fuisse, quos nempe Philistæi viris & viribus vtcumque exhausti, in subsidium aduocarant. *Intonuit* enim *de cælo Dominus, & contriuit principes Tyriorum, & omnes duces Philisthiim.* Ex hoc tempore, anno à reducta arca vigesimo, ætatis verò suæ 32. Samuel stabilem sibi sedem in Masphath constituit, vbi iudex ius diceret, & princeps rempublicam moderaretur: sic tamen vt subinde per annum pro commodo reliquarum tribuum, excurreret in *Bethel & Galgala*, vt & ibi conuentus ageret, ius diceret, lites componeret, vt infrà v.16. insinuatur.

Ioseph. l.6. Antiq. c.2.

Eccles.46. v.20.

℣. 14. *Etatq; pax inter Israel & Amorrhæum*] Neque enim solum Philistæorum iugum excussit Samuel, recuperauitque oppida antè deperdita: sed insuper, omnes etiam alios vicinos populos, qui hîc Amorrhæorum, quasi reliquis præcellentium, nomine

mine comprehenduntur, coegit à bellis abstinere, A quibus pæne omnibus sæculis Israelem infestare solebant. Et ex hac tam alta pace & aureo otio fortè contigit, quòd, cessante vbique bellico timore, armorum quoque vt vsus, ita & fabricatio cessaret, nullaque noua arma conflarentur, & veterain rem rusticam conuerterentur: vt mirum non fuerit, sub initium regni Saulis nulla pæne toto Israele arma reperta fuisse. Neque verò permiserunt Philisthæi, cùm subid tempus iterum Israelitis à Deo delapsis prævalere inciperent, vt armis semel nudati, rursus noua cuderent: quin nec fabrum vllum ferrarium ipsis permisêre, nonmodò qui lanceas, hastas aut enses cuderet, sed neque qui rustica instrumenta, ligonem putà, falcem, securim aut vomerem vel de nouo conficeret, vel obtusa acueret, vel confracta instauraret: sed cogebantur in oppida Philisthinorum ad ea curanda excurrere, vt infrà habemus in fine c. 13. Sed frustra fuisset omnis hæc inhibitio, nisi longa pace B iam antè desijssent sponte & arma cudi, & fabrilia exercerí.

℣. 17. *Ædificauit* Samuel *ibi altare Domino*] quia ibi plerumque morabatur, & frequentiùs sacrificabat. Id verò quo iure licuerit Samueli, dixi cap. vlt. libri Iudicum.

CAPVT VIII.

Occasione auaritiæ filiorum Samuelis, petunt Israelitæ regem sibi præfici, more Gentilium. Et licèt ex Samuele intelligerent quàm dura sint regum imperia, persistunt tamen in petitione sua.

℣. 3. FILII Samuelis *peruerterunt iudicium*] muneribus & auaritia corrupti. Timebant, credo, ne in se vnis verum non esset vetus prouerbium, *Heroum filij noxæ*. quo significatur, magnorum parentum filios valdè ab illorum moribus vt plurimum degenerare, seque *indignos* præstare (vt aiebat Demosthenes) *qui ex illustri stirpe procreentur*: *&*, quod Ælius Spartianus dicebat, *melius parentibus* fuisset, *de rebus humanis sine posteritate discedere*.

Ælius Spartianus in Seuero.

Petes, Cùm vsque adeò in Heli punierit Deus filiorum peccata; cur non etiam à Samuele exegit pœnas eorum quæ filij in subditos sibi populos admiserunt? Respondeo, cum S. Gregorio & Theodoreto, quia plura & grauiora fuerunt peccata filiorum Heli: nam templum profanabant, religiosas feminas constuprabant, sacrificiorum ritus & ordinem peruertebant: at Samuelis filij non nisi munera accepisse dicuntur, &, dum suis commodis & auaritiæ student, iudicia peruertisse. Accedit, quòd Samueli peccata filiorum comperta aut nota non fuerint, quemadmodum Heli. Nam Samuel in *Ramatha* ius dicebat, illam Aquilonarem Iudææ D partem sibi reseruans administrandam: filios verò in Bersabee collocarat, & Australem illis plagam demandarat, vt hîc dicitur v. 2. Vnde facilè poterant illorum procul absentium scelera parentem optimum latere.

℣. 7. *Audi vocem populi in omnibus*] Id est, conniueas postulatis à populo: neque grauiter feras, te ab illis, quorum saluti tanto studio, tanto zelo hactenus seruijsti, iam videri contemptum: cùm ego ipse qui Deus illorum sum, nihilo minùs ab ipsis contemnar, quia nempe spreta ratione illa gubernationis quam ipse præscripsi, aliam ipsi vrgent ad exemplum & imitationem Gentilium, vt postularant v. 5. Qua ratione nolunt am-

pliùs *me* regnare super Israelem, sed diabolum, quo auctore leges illæ barbaræ Gentilium regum & tyrannorum in orbem inuectæ sunt. Vnde patet, non peccasse Iudæos, quòd regem peterent, nam Deuteronomij 17. facta illis fuerat eius petendi potestas: sed quòd peterent *regem*, qualem *vniuersæ habent nationes*, id est, qui populum regat non ex nutu Dei, seu illis legibus, quas regibus Israelitis si quando crearentur, Deus præscripserat Deuteron. 17. sed pro suo beneplacito, & peregrinis alijs institutis quæ auctore diabolo barbaræ & idololatræ nationes vsurpant. Hoc est enim quod exprobrat ipsis tum hoc & sequ. cap. tum vel maximè c. 12. v. 12. *Videntes*, inquit, *quòd Naas rex filiorum Ammon venisset aduersum vos, dixisti mihi: Ne quaquam, sed rex imperabit nobis.* id est, nolumus exinceps legibus aut optimatum, aut tuis, aut diuinis regi, sed vnius arbitrio & placito, prout moris est apud Ammonitas & alias gentes. His conformiter iubet Deus:

℣. 9. *Prædic eis ius regis*] Hoc est, explica cæco populo, quale *ius* vsurpaturus sit rex quem similem regibus aliarum nationum sibi præfici postulant. Nempe qui non communi consilio, sed suo solius arbitratu rem versaret publicam: non tam populi commodis, quàm suæ gloriæ, suo lucro, suæ libidini studeret. Et verò tales Hebræis reges vt plurimum obtigisse, nimis manifestum est ex iugo grauissimo, quod & Salomon & Roboam & Ieroboam, & ferè omnes alij reges subditis impo- *S. Tho. l. 3. de Regim. princip. c. 11. & 12. q. 105. a. 1. & 2.* suere. Hinc optimè docet S. Thomas, non agi hic de iure vero, aut iusto, sed de iniusto & vsurpatitio, quali solent vti qui nullis legibus frænati, sed omnia pro libito facere volunt. ita S. Gregorius, Caietanus, Abulensis & Vatablus.

CAPVT IX.

Stirps Saulis; qui dum de perditis asinis consulit Samuelem, ab ipso intelligit, se regem fore Israelis.

℣. 6. SAmuel vocatur *vir nobilis*, non tam natalibus, quàm prophetiâ, & iudiciaria dignitate: famosus quoque & illustris rebus bene gestis, vt domitis Palæstinis, pace & otio reipublicæ partis, &c.

℣. 7. *Quid feremus ad virum Dei?*] An ergo talis erat de Samuele opinio, vt non putaretur gratis officio suo fungi velle? ita ex sententia Hebræorum sentit Iosephus, S. Hieronymus & Theodoretus. Sed indignum hoc, nimisque probrosum viro tam integro, tam continenti. Quare dico, Saulem quæsiuisse munusculum Samueli, non vt pretium diuinationis aut prophetiæ, sed vt signum subiectionis & obseruantiæ erga superiorem suum. Quo modo nemini ad Persarum reges vacuis à dono manibus accedere licebat. ita Caietanus & Sanctius. Vnde & modestiam notare est Samuelis, qui cùm Iudex & princeps esset totius populi, sic ta- *Proleg. de Ponderibus.* men sese gerebat, vt neminem accedere volentem puderet cum munusculo quantumcumque vili & tenui accedere; v.g. cum modico panis è *sitarciis*, vel simili xenio in *sportula*, vel *quarta parte stateris* argentei, id est *denario*, seu drachma vna, quæ æquiualet regali argenteo Hispanico, vel vni Iulio Italico. Longè aberat Samuel vt à subditis optima quæque sibi dono afferri iuberet; longius, vt immania imponeret tributa ad domos eburneas excitandas, ad regias mensas fouendas; longissimè verò, vt agros, vineas, messes decimaret, raperet, vi faceret suas. quod nonnulli regum subsecutorum fecisse leguntur.

Nota. *Sitarcia* Græcis significant demensum illud quod vel militibus, vel viatoribus, vel operarijs, in certos dies vel hebdomadas dari solet. Sed hîc metonymicè ponitur res contenta pro continente, nempe pro mantica vel sacculo viatorio cui tale demensum imponi solet. Sic è contra, *sportula*, quæ propriè, vt sonat, est fiscella aut cistula, accipitur hîc & alibi passim pro *xenio* seu *munere* sportula contento. Sic in Iure vocantur *sportulæ* illa donaria quæ iudicibus offerri solent à litigantibus, quia moris erat ea in sportulis offerri. ita Abulensis.

A

℣. 12. *Sacrificium est hodie in excelso*] Erat hoc excelsum extra vrbem Rama, vrbi tamen vicinum, vt patet ex v. 25. vbi dicitur, de excelso descendisse in vrbem.

Nota. Pro varijs occasionibus, vt in Gedeone, (a) Manue (b,) & aliis (c) vidimus, etiam Deo probante varijs locis erecta sunt varia altaria, in quibus non rarò sacrificia offerri consueuerant, vt dixi Iudicum vlt. Vt plurimum tamen ad id deligi solebat locus non in valle, depressus aut obscurus, aut arboribus opacus, more Gentilium, qui lucis ac tenebris gaudebant: sed in colle, aut simili loco sublimi & excelso; vnde & *excelsum* vocabatur eiusmodi locus, vt *excelsum Gabaon* 3. Regum 3. & alia alibi.

a *Iudic.* 6.
b *Iudic.* 13.
c *Iudic. vlt.*

B

℣. 16. *Quia respexi populum meum: venit enim clamor eorum ad me*] At cap. præced. vers. 18. negarat Deus, auditurum se populi clamorem, cùm in afflictione ad se clamarint. Respondeo: Cùm clamarint *à facie regis* nimis duri & violenti, negat se illos auditurum: id est, cùm durè & asperè habendi erunt à regibus, quos instar aliarum nationum sibi deposcebant: ipsis enim *quod intriuerant* meritò *exedendum*. Sed numquam negarat se populo suo ab externis hostibus afflicto vel periclitanti, cælesti ope affuturum, vt hîc fiebat: iam enim finibus imminebat *Naas* rex Ammon, & *Philisthæi* præualebant Israëli.

C

℣. 21. *Filius Gemini*] Id est, ex tribu Ben-Ieminia: quam hîc vocat omnium tribuum *minimam*, scilicet numero capitum. nam propter infandum scelus quod in vxorem Leuitæ admiserant in Gabaa, pæne excisa fuerat tribus Ben-Ieminia, Iudicum 20. adeò vt vix nomine *tribus* inter cæteras exinceps censeatur. Cùm enim diuulsæ essent decem tribus & secutæ Ieroboamum, & duæ tribus adhærerent Roboamo, scilicet *Iuda & Beniamin*, 2. Paralip. 11. neque tribus Beniamin vnquam diuulsa fuerit à tribu Iuda: passim tamen omnibus ferè Scripturæ locis dicitur *sola tribus Iuda* secuta domum David, v. g. 3. Reg. 11. & 12. & 4. Reg. 17. & alibi; Ben-Ieminia tribu nomine suo quasi exutâ, & tribui Iudæ insertâ.

D

CAPVT X.

Vngitur Saul in regem à Samuele: prophetat inter Prophetas: sorte declaratur rex: plerisque adgratulantibus: reliquis obloquentibus.

℣. 1. LENTICVLA, Græcè *lecythus*, significat quodcumque vas seu guttum, oleo aut alteri liquori effundendo aptum. Sic *cornu* designat omne vas, in quo liquor aliquis continetur, quacumque illud sit forma, quacumq; ex materia. Neque inter *cornu* Samuelis 1. Regum 16. quo vnctus est Dauid, & *lenticulam*, qua hîc Saul, vllum fuit discrimen; neque plus olei in vngendo Dauide, quàm in Saule absumptum; neque ex alio aut maiore vase Dauid inunctus, quàm Saul: vt fusè probant Abulensis & Sanctius.

Nota, regum vnctionē, licèt nulla (quod sciam) lege in Scripturis imperetur, adhiberi tamen solitam passim etiam ante hæc tempora, vt colligitur ex parabola Ioathan, Iudicum 9. *Ierunt ligna, vt vngerent super se regem*. Quin & Deo iubente adhibitam hîc Sauli constat ex initio cap. 15. huius 1. libri Regum, vbi dicit *Samuel ad Saul: Me misit Dominus vt vngerem te in regem*. Sic & Dauid c. 16. & Iehu l. 4. c. 9. eodem iubente inuncti sunt: & alij omnes reges inungi consueuerunt, & quidem, cùm haberi poterat, *oleo sacro*, quod in tabernaculo asseruabatur, & quo summus sacerdos seu pontifex inungi debebat. Patet 3. Reg. 1. *Sumpsit Sadoc sacerdos cornu olei de tabernaculo, & vnxit Salomonem*. Designabatur autem hac cæremonia, non minùs reges, quàm sacerdotes, Deo sacros, & cælestium donorum vnctione plenos esse debere.

℣. 5. *Venies in collem Dei*] Hebraicè, *in Gabaa*, quod collem significat. Hæc ciuitas erat in colle sita, tribus Benia-miniæ, in qua ciuitate natus & educatus erat Saul. (a) Patet ex adiuncta hîc *statione* seu præsidio militari *Philisthinorum*, quam stationem Ionathas filius Saul infrà c. 13. dicitur percussisse *in Gabaa Beniamin*. Ad distinctionem verò, alterius ciuitatis *Gabaa*, vocatur hæc patria Saulis *Gabaa* seu *collis Dei*, verosimiliter quia in ea erat cœtus & veluti schola Prophetarum; qualis erat etiam in *Naioth*, in *Ramatha*, vt infrà cap. 19. dicitur, itemque in *Bethel*, & *Iericho*, vt patet lib. 4. Regum cap. 2. & 6.

a 1. Reg. 11. v. 4.

Petes, Quinam dicuntur hîc *Prophetæ*? Respondeo, qui diuinis laudibus celebrandis vacabant. Patet ex 1. Paralip. 15. vbi *Chonenias* dicitur præfuisse *prophetiæ ad præcinendam melodiam*, & vocatur *princeps prophetiæ*, id est melodiæ, *inter cantores*. & cap. 25. dicitur rex Dauid & magistratus politicus varios constituisse, *qui prophetarent* seu canerent *in citharis, & psalteriis & cymbalis*. Ex quibus vel solis instrumentis patet hîc agi non de *prænunciatoribus futurorum aut absentium*, sed de cantoribus musicis & psaltis. ita Chaldæus hîc, Abulensis, Liranus, Caietanus, Torniellus, Hugo, Historia Scholastica, & Sanctius. Quia tamen in eiusmodi prophetantium seu diuina psallentium collegijs erant etiam plerumque aliqui, qui diuino Spiritu afflati futura prædicebant, absentia & occulta reuelabant, aliaque stupenda patrabant; hinc meritò S. Augustinus, Theodoretus & S. Thomas putant hîc agi de talibus propriè dictis Prophetis. Sed alterum est verisimilius.

Torniell. anno 2545. *num.* 14.
S. August. in Psal. 103.
Theod. q. 14.
S. Tho. 2. 2. *q.* 172.

℣. 11. *Num & Saul inter Prophetas?*] tam rusticus, tam incultus, tam peritè iam tractat musica instrumenta?

℣. 12. *Et quis pater eorum?*] scilicet Saulis & famuli eius, & fortè etiam aliorum quorundam qui se illi ex via socios iunxerant, & simul cum ipso prophetabant: vt pluribus se accidisse etiam impiis, legimus infrà c. 19. Stupent ergo & attoniti quærunt, vnde illis hæc ars & scientia? quasi dicant: Non habent eam à parentibus ignaris musicæ, rusticis, incultis, & longè alienis ab omni ingenua atque vrbana disciplina. Vnde res admiratione est plena, & prodigio similis, nec nisi de cælo profecta, quòd filij illorum iam ad psalterium & sonos musicos rusticam manum suam & agrestem vocem tam concinnè, tam suauiter attemperent. ita Hugo, Caietanus & Liranus.

CA-

CAPVT XI.

Saul impulsu Dei populum aduersus Ammonitas conuocat: vincit regem eorum Naas, liberat Iabes Galaad, & iteratò rex inauguratur.

℣. 1. NAAS *pugnare cœpit*] Iam antè in Iudæos expeditionem pararat, vt patet ex cap. sequ. v. 12. Sed videntur Iudæi tunc cum illo talibus qualibus conditionibus transegisse. Iam mense vno post electum Saul in regem, forsan arrepta hinc occasione, bellum redintegrat tyrannus.

℣. 2. *Eruam*, inquit, *omnium oculos dextros*] Cur potiùs, quàm *sinistros?* Respondet Iosephus, Vt omnes ad bellum redderet inutiles; ad colendos verò agros, ad pecora pascenda, ad alia viliora ministeria relinqueret vtiles. Nam ad hæc sufficit oculus sinister: in bello autem prorsus necessarius est dexter, cùm scuto dum pugnant sinistrum B milites tegant, nec nisi dextro hostem videre, declinare, aut ferire possint. Non ergo probri solius illorum, sed & sui commodi causa volebat Naas Iudæos dextro oculo priuare. *Ioseph. l. 6. Antiq. c. 5.*

Tropologicè S. Gregorius, oculum dextrum, quo cælestia & æterna intueamur, eruere studet diabolus, relicto solo sinistro, quo carnalia & peritura spectemus.

℣ 5. *Ecce Saul veniebat sequens boues de agro*] Quid regi cum bobus & aratro? Respondeo, Nihil illo mense occurrerat quod regiam sedulitatem aut præsentiam requireret. Et propter obmurmurantes non paucos, fortè regij sceptri æmulos, voluit re ipsa docere, sese, quantumcumque electum ac designatum regem, magis delectari rusticana vita, quàm regia: neque nisi necessitate coactum, ab aratro ad sceptrum prosiliturum. In quo sanè heroicus & verè regius eluxit animus, quòd fortunæ adeò blandienti non succubuerit, sed forti constantique robore dominari perrexerit.

℣. 6. *Insiliuit Spiritus Domini in Saul*] *Spiritus* in Scripturis ferè accipitur pro affectione animi, siue in bonum, siue in malum. Hinc sæpè audimus, spiritum ardoris, iræ, furoris, fornicationis, zelotypiæ, obstinationis, &c. Hoc verò loco sumitur pro dono Spiritus sancti, putà virtute fortitudinis & zeli pro patria. Vnde Chaldæus dicit, *Spiritum fortitudinis indiuit illi à Domino*. Quo impulsus, vtrumque bouem, quo ararat, concidit in frusta, ad exemplum Leuitæ qui cadauer vxoris à Gabaonitis compressæ in duodecim partes dissecuerat, Iudicum 19. & simili pæne consilio ac successu omnes tribus Israel aduersus insolentem & barbarum hostem breuissimo tempore ad arma coegit.

℣. 8. *In Bezech*] Hæc est illa vrbs, in qua Iudic. 1. regnabat ille tyrannus, qui ab eadem vrbe vocatus fuit *Adoni-Bezech*, id est *dominus Bezech*.

CAPVT XII.

Samuel coram vniuerso populo suam probat innocentiam vitæq; integritatem: sed populum insignis erga Deum ingratitudinis arguit: & cælesti prodigio dicta sua confirmat: hortaturq; omnes vt Deo constantes adhæreant.

℣. 2. NVNC *Rex graditur ante vos*] q.d. Ego iam nunc personam publicam exui, & in Saulem *Christum* Domini, seu recèns vnctum regem transtuli. Porro defunctus magistratu, rationem eiusdem obiti iam publicam constare volo, vosque vt idem velitis, adiuro: sic enim habet Iosephus. Inquirite, num quid contra ius & æquum A fecerim: num lucri cupiditate vitulum aut bouem, addunt LXX. *vel calceamentum*, cuiusquam acceperim. Tantum enim abest, talia amem vel retinere studeam, vt prorsus horream & contemnam, velimque integrè restitui. Et quamuis ego iam senuerim & incanuerim, & mors breui immineat; tamen *filij mei vobiscum sunt* & mihi superstites manent, qui quod mearum est partium, ij si præstabunt, & si quid cuipiam debere deprehendar, meo nomine redhibebunt.

Nota. Samuelem, dum vitam hîc suam frequenti populo, palàm iudicijs omnium examinandam præbet, non hoc solùm spectasse, vt ipse innocens comprobaretur, sed insuper, vt formam nouo regi Sauli tum præsenti, rempublicam benè administrandi præscriberet: & vt maior quoque sibi libertas esset, populum ob sua flagitia & in Deum ingratitudinem seueriùs increpandi; quod facit à v. 7. vsque ad finem cap. Vide S. Chrysostomum. *Chrysost. homilia in illud Apostole, Vtinam tolerasset aliquantulum tomo 3.*

℣. 11. *Misit Dominus Badan*] vel, vt in Hebræo est, *Bedan*, seu *Ben Dan*, id est *filium Dan*, vel *Danitam*. Sic vocabatur *Samson*, per antonomasiam, quasi Danitarum omnium præstantissimus. Sicut Aristoteles vocatur *Philosophus*, & Paulus *Apostolus*. Ita Chaldæus, Hieronymus, Angelomus, Liranus, Abulensis, Vatablus, Caietanus.

℣. 17. *Numquid non messis tritici est hodie?*] nempe circa Iunium, quo, vti & Iunio mense, numquam in Iudæa pluit, teste S. Hieronymo. *Hieron. in c. 4. Amos v. 7.*

℣. 18. *Dedit Dominus voces*, id est tonitrua valdè sonora, & *pluuias*] & quæ tonitrua comitari solent fulgura & fulmina, quæ vocantur *tela Dei* seu à diuina manu excussa. Certè ex illo v. 19 sequentis, *Vt non moriamur*, clarè patet, non leuem fuisse hanc, ad comprobanda dicta Samuelis, immissam C à Deo tempestatem, cùm & præsentem mortem toti populo intentaret, & vel inuitos fateri cogeret, se in tali regis postulatione grauissimè peccasse. De quo peccato dixi cap. 8. v. 7.

℣. 21. *Nolite declinare post vana*] id est, ad idola, quæ verè *vana* imò *nihil* sunt, teste Apostolo 1. Corinth. 8. *Scimus quia nihil est idolum in mundo.* Licèt enim sit aliquid secundùm materiam, tamen nihil est formaliter, seu in repræsentando; nam quod repræsentat, nihil est, quia falsum est: ac proinde nec verè nec verum repræsentat: & consequenter, vanum & nihil est. Hinc S. Scriptura & SS. Patres numquam tribuunt nomen *idoli* vlli veræ imagini, sed solis statuis falsorum deorum: imò Synodus septima dicit anathema ijs qui *imagines* Christi vel Sanctorum vocant *idola*, vti illas vocant passim Caluinus, Martyr, Illyricus & alij hæretici.

CAPVT XIII.

Victi à Saule Philisthæi maximas copias aduersus eum educunt: quibus territi Hebræi sese in antris occultant. Saul, quia non exspectato Samuele holocaustum obtulit, reprobatur à Deo.

℣. 1. FILIVS *vnius anni*] Id est, sicut paruulus infans vnius anni, innocens & sine culpa fuit Saul cùm ad solium regni eueheretur: & in eadem innocentia regnauit duobus annis super Israel, nec nisi duobus annis. Ita Chaldæus, Hieronymus, Gregorius, Eucherius, Petrus Damianus, Angelomus, Abulensis, Caietanus, Liranus, Procopius, Emanuel Sà, Torniellus, Salianus. Sed simplicior, & Hebraico textu confirmior videtur aliorum expositio, qui dicunt his verbis nihil aliud designari, quàm Saulem, quum hoc primum mouit

bellum Philisthæis, egisse adhuc primum regni sui annum: nam in Hebræo est, *Filius anni*, scilicet vnius seu primi, *erat Saul in regno suo: & altero anno regnauit in Israel*, q.d. Hic erat prior annus è duobus, quibus vniuersim regnauit in Israële. Nam biennio solo regnasse, & solo biennio contingere commodè potuisse quæcumque toto primo libro Regum recensentur, & legenti patet, & fusè & doctè demonstrat Gaspar Sanctius. Et hæc est expositio Hebræorum in Seder-Olam, & Ariæ Montani, Gerardi Mercatoris, Adrichomij, Constantini Phrygionis, Marianæ & quorumdam aliorum. Argumenta quæ in oppositum afferuntur, vide soluta apud Sanctium, & in Chronicis nostris, c. 26 & 27.

Seder-Olam c. 13. & 53
Mariana in 2. Reg. 15. v. 7.

¥. 3. *Percussit Ionathas stationem*, seu militare præsidium *Philisthinorum, quæ erat in Gabaa*] Hæc Gabaa erat patria Saulis, de qua dixi c. 10. v. 5. eademque illa erat in qua constuprata fuerat olim vxor Leuitæ, Iudicum 19. quæ causa fuit excidij totius pæne tribus Beniaminicæ. Hoc verò militare præsidium tum illo, tum alijs pluribus locis in Israelitide dispoſuerant Philisthæi, quo cauerent ne qua ibi vel arma, vel alia bellica instrumenta cuderentur à Iudæis. Id enim prudenter inhibuerant, ne fortè rebelles, si armis clàm fabricatis instrui licuisset, nouum quid aut inopinatum molirentur. Hinc vetitæ erant Iudæis omnes officinæ ferrariæ, etiam ad rustica instrumenta paranda vel reparanda. Neque tales officinæ permittebãtur nisi Philisthæis, qui in varijs Iudææ locis stationes suas habebant, ad quas se conferre cogebantur Israelitæ si quando vellent retusos ligones, vomeres aut secures recudi, aut nouos cudi. Vide quæ suprà dixi c. 7. v. 14. Fuit durum hoc, prudens tamen, Philisthinorum consilium, ad Iudæos compescendos, & in perpetua seruitute continendos. Eodem consilio pòst vsum legimus Nabuchodonosorem, ad eosdem Iudæos in officio continendos, quando cum Iechonia rege, *omnem* etiam *fabrum* seu lignarium, seu ferrarium, omnemque *incluſorem*, seu ingeniarium, qui nosset aut vrbes munire, aut castra metari, è Iudæa transuexit in Chaldæam. Simili consilio dicit Plinius, Porsenam regem *in fœdere, quod expulsis regibus populo Romano dedit, nominatim* cauisse, *ne ferro nisi in agricultura vterentur.*

L. 4. Reg. c. 24. Ierem. 24. & 29.
Plin. l. 34. c. 14.

¥. 13. *Iam nunc præparasset*, Hebraismo. pro confirmasset, stabiliuisset, *regnum tuum*] Sic Psal. 23. dicitur Deus *super maria fundasse* terram, *& super flumina præparasse eam.*

Petes, Quo sensu dicit hîc Samuel, Deum Sauli, si iussis suis paruisset, cõfirmaturum fuisse regnum in posteris *in æternum*: cùm illud iam multis antè sæculis promissum fuerit tribui Iudæ? Respondeo, Solùm conditionatè id de Saule dicitur, absolutè verò de tribu Iuda. Et quia præuidit Deus, Saulem à conditione deflexurum, potuit certò antè prædecernere ac prædicere, sceptrum ab eo tollendum, & in tribum Iuda transferendum, & in ea hæsurum ad vsque Messiam. Ita DD. Scholastici.

Petes Secundò, Quod fuerit tantùm Saulis peccatum? & quidem primum peccatum viri anteà tam innocentis? Respondeo, Inobedientia, qua, cùm iussus esset à Samuele, nihil aduersus Philisthæos vel sacrificando, vel Deum consulendo, vel pugnando tentare ante expletum diem septimum, quo se Samuel certò affuturum addixerat, seque diuinam voluntatem ei manifestaturum; ipse metu inutili præuertit aduentum Samuelis. Sed an hoc tam ingens crimen, vt ob hoc priuari regno debuerit? quo supplicio in humanis vix vllũ grauius habetur? Respondeo, In mandatis diuinis non tam spectari debet qualitas vel quantitas materiæ, quam præcipientis maiestas ac voluntas. Et verò cùm expediret, vt reges quotquot futuri erant in posterum, certò persuasum haberent, in administrando regno, ne vel in re minima à Dei iussis recedẽdum esse; voluit Deus primum in eo genere peccatum primi regis, ad omnium posterorum exemplum tam graui supplicio mulctare. Sic primum peccatum primorum parentum; primum primorum sacerdotum, duorum filiorum Aaron profano igne sacrificantium, primum primorum Christianorum Ananiæ & Saphiræ sacrilegium & voti violationem, tam seueris pœnis punire voluit, vt quotquot in eo statu secuturi sunt posteri, grauitate pœnæ à simili scelere deterreantur. Ita notauit Isidorus Pelusiota, Angelomus, Abulensis & Caietanus.

Genes. 3. Leuit 10. Actor. 5.
Isidorus epist. 181.

CAPVT XIV.

Ionathas cum solo armigero suo Philisthæorum stationem aggreditur, cadit & dispergit. Verùm post victoriam melle (contra prohibitionem patris quam ignorabat) degustato, vix mortem euadit.

¥. 2. SAVL *morabatur* fixo tentorio *sub malogranato*] Hebraicè est *Remmon*, quod *malogranatum* significat. Estque idem locus, ad quem Iudicum 20. v. 47. dicuntur confugisse sexcenti viri, qui ex clade Beniaminia soli reliqui manserant. Erat enim prope *Gabaa*, & locus munitissimus.

¥. 3. *Achias*] Hic erat tunc summus sacerdos, & alio nomine vocabatur Achimelech, pronepos Heli: pòst paulò à Saule occisus, c. 22. Hic verò, cùm in angustijs esset res Israelitica, iussu Saulis adue-xerat arcam in castra, vt infrà dicitur v. 18.

¥. 10. *Si dixerint, Ascendite ad nos; ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manus nostras*] Ex hac ratione, simul & ex constanti Ionathæ assertione, adeoque & ex euentu rei videtur colligi, ipsum ex diuino instinctu *signum* hoc, quasi certum victoriæ omen præscripsisse. Ita Liranus, S. Thomas, Hugo, Abulensis, Caietanus. Simile habes Genes. 24. v. 13. in seruo Abrahæ: & Iudicum 6. in Gedeone: & in profanis historijs apud Herodotum principio l. 5. Virgilium 9. Æneidos & alios.

S. Tho. 2. 2. q. 95. a. 7.

¥. 18. *Applica arcam*] Id est, adhibe, admoue præsidium quod arca fœderis subministrat. q. d. Indue ephod, quod iuxta arcam adseruatur, & per *vrim & tummim* (*a*) coram arca consule Dominum, quid facere debeamus.

(*a*) *Exodi 28. v. 30.*

¥. 19. *Contrahe manum tuam*] Id est, extensas manus & ad Deum eleuatas remitte & contrahe. q. d. Desine sollicitus inquirere de voluntate Dei: iam res ipsa & hostilis clamor loquitur, opem nostram certò deposci, vt & Ionatham periculo, si in aliquo est, eruamus, & hostes turbatos opprimamus. ita Abulensis. Putat tamen Gaspar Sanctius, aliquid inurbanæ impietatis intercurrisse in hoc facto Saulis, dum responsum diuinum quasi minùs necessarium non exspectat, sed negligit: & inde natos errores non paucos, nec leuia incommoda. Primò, stultum edictum, ne quis ante noctem cibum sumeret, quo lassas exhaustasque cursitando & pugnando vires vel tantillum instauraret: quo factum, vt non posset populus diu persequi fugientes Philisthæos & illo die debellare. Secundò, immeritam iniustamque in filium suum Ionatham mortis latam sententiam. Tertiò,

sementem infinitorum obloquiorum famelici & A murmurantis populi, dum per prata & saltus melle plenos deducuntur ieiuni, nec cibo tamen obuio refici vel inter currendum sinuntur. Quartò, grauius aliud peccatum aduersus legem Genes 9. & Leuit. 17. admissum, videlicet, quòd fame pressi, moram non ferentes, carnem animalium nondum expresso sanguine deuorarint. Vnde S. Chrysost. illud edictum & iuramentum Saulis dicit, opus fuisse diaboli, qui illa regis adiuratione laqueos toti populo iniecerit, & plenam de hoste victoriam præpedierit. *Chrysost. homil. 14. ad popul.*

Verùm, si Saul stultè ieiunium hoc indixit, cur probauit illud Deus, dum per sortes, violati edicti reum Ionatham manifestauit? Respondeo, hac manifestatione non probauit Deus stultum edictum, neque etiam reum aut nocentem probauit B Ionatham, nisi materialiter tantùm: sed primariò voluit patefacere, quanta sit vis præcepti & maledictionis, quæ est à superiore potestate, & locum Dei tenente: nam licèt iniusta & irrationabilis sit, semper tamen suspicienda est & meritò timenda. Sic legimus, propter excommunicationem & similes Ecclesiæ minas consenuisse non semel arbores, aruisse segetes, extinctas locustas, lupos fugatos. Secundariò voluit etiam hac via partim castigare Ionathæ leuitatem, qua & patrem suum & legem à patre latam liberiùs apud populum incusarat v. 29. partim populo toti declarare manifestum tyrannidis exemplum in rege à se recèns expetito, vt qui iubeat laborare, & tamen à cibo abstinere: quod ab alio nullo factitatum scirent tyranno. Qui rursum nec proprio parceret filio tam vtili, tam necessario reipublicæ: sed propter nullam penè causam vellet illum de medio tollere. Vt ita reipsa C discerent, quàm stultè regem depoposcerint, qui nutu non Dei, sed suo solius, ceterarum gentium more omnia administrare vellet. Porrò de sortibus, an & quando liceant, vide quæ dixi Iosuæ 7. v. 14. & dicam Prouerb. 16. v. 33. Actor. 1. v. 26.

℣. 27. *Illuminati sunt oculi eius*] Nempe, qui longa fame & labore caligarant, debilitatis defectisque spiritibus opticis, iam ijsdem nouo cibo restauratis, etiam ipsi oculi refocillati & sibi redditi sunt: vt quotidie accidit ijs qui prolixiore inedia & lassitudine languentibus oculis sentiunt tenebras offundi, sed cibo potúve etiam exiguo statim dispelli. ita Angelomus, Vatablus, Caietanus.

℣. 35. *Aedificauit autem Saul altare Domino*] non solùm ad tantæ victoriæ tanto miraculo partæ æternam memoriam, vt vult Abulensis, sed D etiam ad sacrificium Eucharisticum, seu gratiarum actionis, Deo offerendum pro re tam feliciter gesta. Sic Moyses Exodi 17. v. 15. cùm Amalechitas bello superasset, *edificauit altare, & vocauit nomen eius, Dominus exaltatio mea*. Et ipse Saul cap. seq. cùm eosdem Amalechitas iterum subegisset, fornicem extruxit, de quo ibi agemus.

Tunc primum cœpit ædificare altare Domino] Id est, istud fuit primum altare inter ea quæ Saul in finem iam dictum plura pòst construxit, licèt Scriptura illorum non meminerit. ita Hugo, Liranus, Abulensis & Caietanus. Et ad præsentiam arcæ fœderis, cum cœtu sacerdotum, id omninò licebat.

℣. 47. *Saul confirmato regno*] Hac noua insperataque victoria, benè vsus occasione, & accensis omnium animis ad submouendos subiugandosque reliquos omnes vicinos hostes, continuauit tota æstate bellum, & eodem impetu superauit quod supererat Ammonitarum, Moabitarum & Idumæorum, cum Sobæis & Philisthæis: & quod se 3. cap. narratur confectum bellum contra Amalechitas, (qui pars quædam sunt & ramus Idumæorum. vt patet Genesis 36. v. 12. & dixi Exod. 17. v. 14. & docent Iosephus & alij Hebræi, cum S. Hieronymo, Abulensi & Lirano;) hac ipsa quoque prima, vel summum inchoante secunda, æstate confectum fuit. Neque difficile erat semestri spatio tot bella conficere, cùm promptas volentesque copias ad manum haberet, & hostes essent vicini, neque ad resistendum sat parati. ita ferè Gaspar Sanctius. *Ioseph l. 2. Antiqu. c. 1. Hieron. in Tradit. Hebr.*

CAPVT XV.

Saul iussus exscindere funditus Amalec, Agag regem viuum, multamq; pradam reseruat: vnde secundò reprobatur, & regno spoliandus predicitur.

℣. 5. CVM *venisset ad ciuitatem Amalec*] Hæc regia ciuitas videtur fuisse, vbi Agag suam aulam habebat. Iosephus dicit ex posteris huius Agag procreatum Aman, quia is Esther 3. dicitur fuisse *de progenie Agag*. Quod si verum est, dicendum, posteros *Agag* metu Iudæorum profugisse *in Macedonians*. nam Aman iste cap. vlt. Esther v. 10. dicitur fuisse *gente Macedo*. De *Cinæis* ex Iethro socero Moysis prognatis dixi Numer. 10. & Iudicum 1. *l. 10. c. 6.*

Petes, Quam misericordiam fecit Iethro filijs Israel cùm ascenderent de Ægypto? Respondet Abulensis, occurrisse gratulabundum Moysi, Exodi 18. tradidisseque commodam gubernandi formam: quin & hostias subministrasse quas offerret Moyses Deo, & alia etiam quædam in epulum & viæ solatium saltem genero suo eiusque familiæ. Neque enim verisimile est, virum copiosum ac potentem, ad generum suum, quem per desertam regionem incedere cognouerat, accurrisse vacuum sed ex gregibus, quos haud procul inde copiosos alebat, subsidium aliquod attulisse. Accedit & aliud beneficium, quod *Hobab* filius Iethro toti Israeli præstitit Num. 10. cùm se comitem ducemque viæ tam molestæ, tam tædiosæ præbuit per tot annos. Ita Hebræi, teste S. Hieronymo. *Hieron. in Tradit. Hebr.*

Petes Secundò, An restitisse Israeli in via, fuerit tam enorme peccatum Amalechitarum, vt funditus exscindi præ alijs Idumæis ipsi mèruerint? Respondeo, Non restiterant tantùm via belli consueta, sed valdè duriter & inhumanè se erga Israelitas habuerant: cùm enim commune haberent cum illis genus (vtpote ex Esau fratre Iacob procreati) rogarentque illi vt compendij causa per fines ipsorum transire liceret, hostiliter sine iusta vlla causa id negarunt, & magno dispendio procul circuire coëgerunt Num. 20. Quin & perfidè ac fraudulenter aggressi sunt fame enectos & labore confectos, extremum agmen ex insidijs carpentes, Deuteron. 25. v. 18. Quæ ipsorum malitia & crudelitas tantoperè Deo displicuit, vt ex tunc mandarit in annales referri istud impium ipsorum facinus, Exodi 17. præceperitque Israelitis, si quando tranquillè possiderent terram Chanaan, Amalechitas stirpitus perderent & exterminarent, Deuteron. 25.

℣. 12. *Et erexisset sibi fornicem triumphalem*] cum inscriptione victoriæ recèns partæ ex Amalechitis. Erexit autem hunc arcum triumphalem in ca

in ea parte montis Carmeli, qui ad funiculum pertinet tribus Iuda. Sed Nota, Saulem hunc arcum non Deo auctori victoriæ, sed sibi erexisse, quasi suæ industriæ bellicæque virtuti victoriam adscriberet. ita Liranus. En indolem animi Deo rebellis. Primò, detrectat parere Vicario Dei; Secundò, ipsi quoque Deo se præstat inobedientem; Tertiò, gloriam soli Deo debitam sibi vendicat; Quartò, excusat omnia etiam deterrima, aut in alios transfert; Quintò, solo populi plausu, & vana gloriola pascitur; Sextò, aliena gloria in rabiem, in furorem agitur; Septimò, ad cædes promiscuas, etiam suorum intimorum, rapitur; Octauò, sacra omnia profanat; Nonò, dæmoni totus mancipatur; Decimò, desperatus, manu propria occumbit.

A

¥. 22. *Melior est obedientia, quàm victimæ*] Quia *per victimam aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur*, inquit S.Gregorius. Sed causa à priori est, quòd per obedientiam pareamus voluntati diuinæ, quæ regula est omnium actionum bonarum; à qua proinde deflectere non licet vllo prætextu, ne quidem sacrificij, aut alterius etiam sanctissimi operis nobis liberi. Hinc inobedientia comparatur *ariolationi*, imò *idololatriæ*, hoc est rei summè Deo execrabili, maximeque detestandæ. Nam inobedientes, inquit idem S.Gregorius, *velut contempto diuino altari, ad aras dæmonum responsa captant, dum cordis sui præstigiosis ac superbis adinuentionibus credunt, & salubribus Prælatorum consiliis contraria sentiendo refragantur.* Vide de hoc etiam S.Basilium, & S.Bernardum.

B

Gregor.l.33. Moral.c.10.

Greg.supr.

Basil. in Constitut. Monast. c.23. Bern.l.de Dispensat. & præcepto & l. de Ordine vitæ, & ser. 3. de Resurrect.

C

¥. 28. *Scidit Dominus regnum à te hodie*] Nempe diuino decreto suo ac sententia irreuocabili, ex nunc statuit te regno priuare. Alludit Samuel ad discissam chlamydis suæ laciniam, dicitque sic discindendum à Saule regnum, & ad alium transferendum. Quin & Hebræi, teste Lirano, putant, his verbis datum Sauli à Samuele signum, quo nosse aliquando posset, quisnam esset ille, ad quem sceptrum transferretur: nempe illum qui è regia chlamyde partem aliquando abscinderet. quare cùm Dauid id postea fecerit in spelunca, cap.24. dicunt, Saulem memorem mox vaticinij Samuelis exclamasse, *Nunc scio, quòd certissimè regnaturus sis.*

¥. 35. *Et non vidit Samuel vltra Saul*] Id est, numquam ampliùs inuisit aut adiuit, officij vel amicitiæ gratiâ, quo modo anteà ipsum videre solebat. Alioqui vidit rursus eum coram se prophetantem infrà cap.19. ita Vatablus & alij Doctores.

D

CAPVT XVI.

Reprobato Saule, Dauid fratrum suorum minimus, in regem vngitur: à Saule euocatur, vt citharæ suæ spiritum malum qui exagitabat Saulem, compescat.

¥. 5. SANCTIFICAVIT *Isai, & filios eius*] Id est, mundari seu purificari iussit: quod fiebat se:ubitu, & lustratione ab irregularitate, si quam fortè contraxissent. De quibus sæpiùs in Leuitico.

¥. 11. *Adhuc reliquus est paruulus*] non quòd ætate puerili esset, aut exiguo corpore, (nam mox v.18. vocatur *Vir bellicosus, & fortissimus robore.* erat enim tunc Dauid 28. annorum: vt tradunt Hebræi in Seder-Olam cap. 13.) sed quia fratrum erat minimus, & comparatione illorum paruus ætate. Sic Ben-iamin Genesis 43. v.29. à Iosepho fratre suo vocatur *paruulus*, cùm tamen iamtum decem suscepisset filios, vt constat Genesis 46.v.21.

¥. 13. *Directus est Spiritus Domini in Dauid*] Dirigi vox est militaris, & significat *intendere aciem*, vel *impetum facere* in aliquem. Ergo *directus est*, idem valet quod *insiliit. Spiritus Domini* sanctus, cum omnibus donis suis, ac nominatim *dono prophetiæ*, & canendi psallendique peritia. item dono fortitudinis tum animi, tum corporis. Nam ab hac demum vnctione Dauidem & psallere cœpisse, & leonem atque vrsum nudis manibus prætocasse, docent S.Gregorius, Rupertus, Pseudophilo, & Abulensis. Idem verò *spiritus Domini* cum donis suis *recessit à Saule* iam sententia diuina reprobato, & à regno depulso. Vnde nihil ex hoc tempore egit egregium vel rege dignum, quin potiùs panico suo timore, imò stupore, ad vnius Goliath Philisthæi conspectum tota castra compleuit.

Gregor. Homil. in Ezechielem. Rupert. in l.1 Reg. c.28.

¥. 14. *Et exagitabat eum spiritus nequam*] Id est *melancholia*, inquit Caietan. & Genebrard. ex traditione Hebræorum. Sed communis est Patrum Doctorumque sententia, Saulem verè fuisse energumenum, id est, obsessum & intus exagitatum à dæmone: qui quia *malus* in se est, vocatur *spiritus nequam*; quia tamen etiam seruus & mancipium est Dei, meritò quoque *spiritus Domini* dicitur hic v.16. Ita Iosephus, S.Gregorius, Theodoretus, Isidorus, Rupertus, Eucherius, Liranus, Abulensis, Dionysius, Hugo, Vatablus, Mariana, Vallesius, Serarius, & Sanctius.

Genebr. ad annũ mundi 3066.

Greg.l.2. Moral. c.6.

¥. 23. *Dauid citharam percutiebat, & refocillabatur Saul: recedebat enim ab eo spiritus malus*] Sanè vim ad sedandas componendasque passiones tum animi, tum corporis, magnam esse in concentu & numeris musicis, sicut est in lituis & tubis ad easdem excitandas inflammandasque, plurimis rationibus & exemplis docent Plutarchus, Seneca, Basilius, Cassiodorus, Vallesius, Martiolus, Abulensis, Serarius, & Delrio. Consequenter etiam valent ad compescendam agitationem dæmonis, qui pãssionibus istis & humorum commotionibus sese ingerit, ijsdemque vtitur ad animum vel occupandum, vel magis exagitandum vt patet cap.18. v.10. Sed hæc Saulis refocillatio non à sola melodia proficisci potuit, cùm *spiritus malus* dicatur etiam *recessisse* à Saule, seu fugatus fuisse per Dauidem. quod nullis sonis quantumcumque numerosè modulatis conuenire potest. Putarim ergo id potiùs adscribendum sacris psalmorum & hymnorum verbis, quin & pijs precibus ac votis, quibus Dauid pro regis incolumitate Deum interpellabat: pæne eo modo quo nunc Ecclesia per preces & sacra verba, per adiurationes & exorcismos expellit cacodæmonas ex energumenis. Ita ferè Theodoretus, & alij iam citati.

Plutarch. l.de Musica Seneca l.3. de Ira c.9 Basil de Libris Gentilium. Cassiod l.2 Variarum, c.40. Vallef.Sacr Philos.c.28 Delrio l.3. Disquis. Magic.

Allegoricè S.Prosper & Angelomus per Dauidem Christum, per citharam crucem, & neruos seu fides extensa Christi in cruce brachia reliquaque membra intelligunt. Tropologicè, dulcedo & suauitas prædicantium peruersos animi motus compescit & sedat.

CAPVT XVII.

Gigantem Goliath sola funda superat Dauid. Fugiunt, caduntur & castris exuuntur Philisthæi.

¥. 4. VIR *spurius*] seu illegitimus, ex incerto patre gigante, verosimiliter *de stirpe Enakim*, & matre Gethæa. Nam reliquias Enakim seu gigan-

gigantem permansisse in Geth, constat ex cap. 11. Aposue. Et incertum ignotumque fuisse illius patrem vel inde colligitur, quòd, cùm generis illius & parentum fit mentio in Scripturis (*a*,) numquam patris nomen exprimitur, sed solius matris, nempe *Arapha*. Quod nomen quia videtur aliquam habere similitudinem cum *Orpha* nuru Noëmi, hinc Thalmudistæ & quidam alij Rabbini occasionem fingendi ceperunt, hunc Goliathum fuisse filium *Orphæ*. Sed neque nominum magna est similitudo, neque temporum ratio id permittit, cùm secundùm hunc calculum Goliath esse centenario iam maior, vt patet ex dictis c. 1. libri Ruth.

2 1. *Reg.* 21. v. 19. & 1. *Paral.* 20. v. 4.

הרפה ערפה

¥. 5. *Lorica squamata*, seu thorace ex æneis laminis squamatim contextis, *induebatur*] Eratque pondus loricæ *quinque millia siclorum æris*, id est librarum ducentarum & octo (*b*,) cum vncijs quatuor, computatis in singulas libras vncijs duodecim. Hastæ verò illius *hastile* æquabat crassitie *liciatorium*, seu iugum circa quod textores telam circumuoluunt, sexcentorum siclorum, seu viginti quinque librarum mucrone præferratum.

b *Prolog. de Ponderib.*

B

¥. 15. *Dauid reuersus est à Saul, vt pasceret gregem patris sui in Bethlehem*] Cùm psaltes esset regius, & tam necessarius, tam carus Sauli, imò armiger iam illius, vt constat ex cap. præced: cur iussus vel permissus est aulâ excedere & ad pascua reuerti? Respondeo, ex parte Dauidis facile est coniectare, pertæsum illum vitæ aulicæ, & impietatis Saulis, quàm primùm potuit occasionem captasse subducendi se, & ab aulæ strepitu, ad pristinam nemorum quietem reuertisse. Ex parte etiam Saulis iam melius sæuè habentis, vt putat Serarius, facilè fuit veniam obtineri. Et forsan vti morosо & mutabili erat ingenio, iam amorem conuerterat in odium, & abscedere coegerat Dauidem non satis suo genio respondentem. ita Sanctius. Qui etiam hinc & ex sequentibus colligit, nescisse fratres Dauidis, quando viderunt eum à Samuele inungi, quem in finem adhiberetur illa vnctio, sibique persuasisse, inunctum fuisse in Prophetam aut in aliquod aliud sacrum ministerium: Et licèt Iosephus asserat, saltem vni parenti eius Isai Samuelem de regno filij consilium communicasse, negat id tamen Caietanus, qui vult soli Dauidi id innotuisse. Et hoc puto longè verisimilius.

C

Ioseph. l. 6. Antiq. c. 9.

c *Prolog. de Sanctuar.*

¥. 17. *Accipe Ephi* (*c*) *Polentæ*] Polenta est hordeum adhuc viride, vel certè madefactum, deinde siccatum & tostum, denique molis contusum & in farinam comminutum. Ex hoc solent matres familias domi, milites in castris, pastores ruri, & viatores per iter liba, placentas, & alios varios sibi, recentesque ac delicatos cibos facili negotio parare, admixta vel aqua, vel lacte, vel butyro, vel melle, vel saccaro, vel oleo, vel alio simili condimento. Est verò *ephi* mensura quæ decem viris pro victu diurno sufficiat.

D

¥. 18. *Et decem formellas caseï*] Id est decem caseolos recentes, qui ex forma vasis plus minúsve concaui, in quod compinguntur, vti formam, seu figuram, sic & nomen suum acceperunt; vocanturque *formæ* seu *formellæ*. De quibus Virgilius:

Sunt & caseoli, quos iuncea fiscina siccat.

Quos Hispani *requesones* vocant, Itali *ricottas*. Ex hac tam sedula Isai cura, vt filijs suis de alimentis prospiciat, colligi posse videtur, Israelitas primis illis regij imperij temporibus non regio sumptu, sed proprijs stipendijs militasse. Secùs est de Machabæorum temporibus, & deinceps, quibus stipendia à regibus fuere militibus constituta. 1. Machabæorum 14. v. 32. & Apostolus dicit, neminem suis stipendijs militare. 1. *Corint.* 9. v. 7.

¥. 29. *Numquid non verbum est?*] Id est, imperium & mandatum parentis, quo mittor ad castra.

¥. 33. *Quia puer es*] non ætate, sed vsu & peritia rei militaris. Patet ex antithesi, *Hic autem vir bellator est ab adolescentia sua*. vbi ætati Dauidis opponitur peritia & diuturnus vsus rei militaris. Patet Secundò, ex v. 38. vbi Saul induit Dauidem suis quibus ipsemet vti consueuerat vestimentis & armis: Atqui Saul procero erat corpore, *altior vniuerso populo ab humero & sursum*. ergo & Dauidem matura quoque ætate, & corpore procero tum fuisse fateamur necesse est, cui tum proceri hominis vestes & arma aptarentur. Neque Dauid cùm illa exueret, negabat quadrare suo corpori, sed solùm se non assueuisse eiusmodi armis, neque incedere posse grauatum tanto pondere, & quasi ferreis quibusdam vinculis constrictum. Denique idem colligitur ex eo quòd gladio Goliæ h, vtique valdè longo & graui, Dauid expeditè vteretur, neque inconcinnè cingeretur, infrà c. 21. v. 9. ita S. Chrysostomus, Abulensis, Dionysius & Hugo. 1. *Reg.* 10. v. 13.

Chrysost. to. 1. homil. de Dauid & Goliath.

¥. 49. *Infixus est lapis in fronte*] Iosephus dicit, tam valido ictu adactum lapidem, vt ad cerebrum vsque gigantis penetrarit: vnde læso cerebro concidit è vestigio exanimis & sine motu, ita Abulensis. Verisimile est superbum gigantem contempsisse quidquid moliretur Dauid, neque curasse galea clausa frontem contegi; cùm ab inermi & belli inexperto nihil sibi metueret. Alioqui non erat prudentis sine omni metu esse, frontemque nudam obijcere fundæ; cùm constaret, inter Israelitas non paucos esse fundibularios qui tam certo ictu lapidem iacerent, vt ne vel ad capillum à scopo aberrarent, vt patet ex Iudicum 20. vers. 16.

Allegoricè per Dauidem Christum, per Goliath diabolum, per baculum & fundam crucem intelligunt communiter SS. Patres. Moraliter Goliath symbolum est superbiæ, luxuriæ, aliorumque in singulis prædominantium vitiorum, quibus quantumcumque gigantæis prævalere, si vis, potes solo obnisu & meritis Christi. Vide S. Augustinum, Ambrosium, Chrysostomum, Rupertum, Eucherium, Bernardum, Angelomum, & fusè S. Gregorium.

S. August. Dominic 1. post Trinit. serm. 2. Ambr. l. 1. Offic. c. 35. Chrysost. tom. 1. hom. 46. in Genes. & hom. de Dauid. Rupert, Eucher. Angelomus hic. Bern. Dominica 4. post Pentecosten. Gregor. l. 3. Mor. c. 31.

¥. 54. *Caput Philisthæi* per plures ciuitates, quas victor exercitus transibat, circumtulit Dauid, gladio eiusdem aut hastæ infixum. Tandem in vrbe Ierosolymitana, quæ iam pridem Iudæorum (*d*) erat, nobile illud trophæum reliquit, vt Iebusæi, qui vrbis illius arcem etiamtum obstinatè tuebantur, ex hoc spectro discerent, se quoque ab eodem duce, eadem manu, eadem arte, expugnari posse, vti post nouennium expugnata est arx illa ab eodem Dauide, 2. Reg. 5.

Iosue 10. v. 23. Iudic. 1. v. 8.

¥. 55. *De qua stirpe descendit hic adolescens?*] Quomodo id potuit ignorare Saul, cùm Dauidem haud ita pridem psaltem suum & citharœdum, & armigerum habuerit? Respondet Primò, Procopius, Dionysius Carthusianus & Liranus, phantasiam Saulis, cùm Dauid illi in aula adesset, ex frequenti dæmonis vexatione & vehementiore melancholia perturbatam fuisse: ac proinde nullam eius memoriam retinuisse. Respondet Secundò, Abulensis, id prouenisse ex mutatione habitus

habitus & vestium: nam qui priùs lautiore vteba- A
tur cultu, more aulicorum, iam rusticis pellibus, & pastoritio sago indutus erat cum baculo, funda & pera, alius planè ab eo qui fuerat antè. Addit Sanctius reges non solere vel propè, vel attentè, vel otiosè intueri, ac consequenter neque nosse famulos suos, neque vllius rei faciliùs obliuiscì, quàm obsequij sibi præstiti, maximè si contingat famulos non diu in famulatu perseuerare, vti contigisse in Dauide diximus v. 15. Nam reipub. cura, bellorum perturbatio, & aliæ infinitæ occupationes mentes regum aliò rapiunt. Denique responderi posset, non ignotam fuisse Sauli personam Dauidis, sed solam stirpem, tribum & familiam: nam de his solis iam inquirit.
Et verò intererat plurimum Saulis hæc nosse, cùm B
ex pacto filiam illi suam daturus esset vxorem. ita Mariana & Sanctius.

CAPVT XVIII.

Ionathas arctissimo fœdere iungitur Dauidi: sed Saul pestimè illum odit: vnde & lancea configere nititur, sed frustra. Porrò Merobem filiam suam Dauidi antè promissam elocat alteri viro: loco tamen illius dat illi iuniorem filiam suam Michol.

ỳ. 3. INIERVNT *Dauid & Ionathas fœdus*] scilicet arctissimæ amicitiæ, quam duo isti principes inter se habere voluerunt perpetuam. De quo fœdere pluribus infrà cap. 20. Sed quæ causæ tanti amoris inter filium regis & vilem opilionem? Respondeo, Virtutes insignes atque heroicæ quas Ionathas suspiciebat in Dauide. Aderat inter illos duos morum studiorumque similitudo maxima. vterque fortis erat & strenuus: vterque patriæ, religionis & Israelitici nominis ac gloriæ studiosus: vterque ingenio candido, non inuido, C
non æmulo, non malo. Neque dubitabat Ionathas sceptrum Israeliticum à suo iam reiectitio patre & familia ad alios breui transferendum: & verò ad quem potiùs quàm ad Dauidem, quem Deo tam carum esse sentiebat? Id certè sibi conflare clarè dicit Ionathas cap. 23. v. 17. & Saul quoque apertè affirmat cap. 24. *Scio quòd certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel.*

ỳ. 6. *Egressæ mulieres de vniuersis vrbibus*] nempè quæ in transitu erant inter vallem Terebinthi, vbi duello victus fuerat *Goliath*, & Ierosolymam, vbi pro trophæo fixum fuit caput gigantis, vt vidimus cap. præced. Porrò virginibus proprium erat, si quid lætum esset, v. g. nuptias & victoriam, vel si quid triste, v. g. funus, vel acceptam cladem; cantu solenni celebrare seu læto, seu lugubri; læta, epithalamio vel epinicio; tristia, epicedio, lesso, nænijs. D

ỳ. 7. *Dauid decem millia* percussisse dicitur, quia sublato gigante, reliqua Philisthinorum agmina, quæ multis millibus constabant, abiectis animis, & viribus, & armis, vel internecioni data sunt, vel turpi fuga dilapsa. Neque solùm tot millibus hostium ademit animos Dauid, sed & suorum plurimis millibus, quibus metu gigantis animi defecerant, ijsdem prostrato gigante eosdem reddidit: vt constat ex cap. præced, atque ita vt hostium mors, sic ciuium suorum vita fuit Dauid.

ỳ. 10. *Inuasit Spiritus Dei malus Saul*] nempe inuidia, ira, furore turbatum, quæ passiones viam dæmoni sternunt. Vide cap. 16. v. 14. & 23.

Et prophetabat] Id est, more prophetantium, carmina & psalmos seu sacros, seu profanos, sibi antè nec notos, nec auditos, fortè etiam lingua ignota, & gestibus inconcinnis, decantabat, vt solent insani & energumeni nunc cantores, nunc concionatores, nunc comœdos agere. Vnde Chaldæus vertit, *& insaniebat Saul.*

ỳ. 19. *Cùm deberet dari Merob filia Saul* ex pacto & condicto *Danidi*, sub tempus nuptiarum *data est Hadrieli*] Quæ sanè singularis fuit iniuria & perfidia, cùm sponsam iure belli debitam, & toties vltrò oblatam, non iam à spe coniugij, sed ab ipso pæne sponsi complexu tyrannus distraheret, & alteri nescio cui in sinum daret. Quæ quidem in casu simili sic affecerunt Sampsonis animum, vt non nisi exustis frugibus, oliueris, vineis, & ingenti hostium edita strage conquiescere potuerit, Iudic. 15. Sed Dauid prudenter compresso dolore, dissimulata iniuria, deuorata ignominia, vindictam vni Deo transcripsit. Quam & suo tempore sumpsit iustus iudex, cùm Saulis omnem familiam excindi passus est, & nominatim filios omnes huius *Merob* & *Hadrielis* è patibulis suffigi voluit, 2. Reg. 21. v. 9.

ỳ. 21. *Dabo ei* Michol secundò genitam meam, *vt fiat ei in scandalum*] instar alterius *Dalilæ*, quæ suis illecebris prodidit amasium suum Philisthæis. Mihi enim vt obnoxia, sic fida erit filia in Dauide prodendo, & quibus voluero vijs perdendo. Sic postea Antiochus rex Asiæ filiam suam Cleopatram Ptolemæo regi Ægypti vxorem dedit, vt per eam aditum sibi ad alienum regnum aperiret, Danielis 11. v. 17. *Filiam fœminarum* pulcherrimam *dabit ei, vt euertat illud*. Sed & Cleopatra maluit videri Ptolemæi vxor, quàm Antiochi filia: ita quoque apud Michol plus valuit coniugis amor, quàm patris obseruantia.

In duabus rebus gener meus eris hodie] Id est, duplici titulo, duplici merito. Primò, quia gigantem strauisti, cuius præmium erat regia sponsa. Secundò, quia noua victoria ex Philisthæis quærenda, quorum opto cæsorum centum videre præputia, eamdem sponsam tibi quasi dote coëmes: neque aliam abs te volo harum nuptiarum dotem. ita Rupertus, Angelomus, Hugo, Dionysius, Abulensis, Emanuel Sà & Sanctius.

Nota, vt apud Romanos, ita & apud Hebræos, nuptias coëmptione fieri solitas. Sic Osee emit fornicariam sibi vxorem quindecim *Osee 3. v. 2.*
argenteis: Iacob Liam & Rachelem duplicis septennij seruitute: Christus sanguine suo & 34. annorum labore Ecclesiam sibi sponsam emit Actorum 20. Sic modò iubet Dauidi tyrannus, vt sanguinis & vitæ suæ pretio sponsam sibi secundò emat Michol: neque enim poterat sine præsenti vitæ periculo centum Philisthinorum præputia, quæ petebantur in dotem, appendere. Sed cur præputia deposcit Saul, & non capita? Respondeo, ne qua fraus irreperet, néve pro Philisthæis hostibus Israelitas aliósve amicos inuaderet Dauid: quod iam facere non poterat, quia Israelitæ carebant præputio. ita Sanctius.

CA-

A

CAPVT XIX

Iubet Saul occidi Dauidem, sed voce Ionatha placatus reconciliatur illi: pòst paulò tamen lancea rursus configere conatur Dauidem. Is ope & industriâ Michol uxoris suæ è manibus satellitum elapsus ad Samuelem profugit, quem prosecutus Saul prophetat cum Prophetis.

¥.13. STATVAM *posuit super lectum*] Hebræum *Theraphim* non solùm idolum significat, neque semper in malam partem accipitur, vt fingunt hæretici: sed sæpè pro vulgari imagine vel statua seu sacra, seu profana sumitur, vt pluribus exemplis probat Ribera, & alij in illud Osee 3. *Et sine theraphim.*

Et pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius] Nota. Capræ in Palæstina fuluas alunt lanas, seu villos. Vti & de ouibus quæ ad Bætin, Sibarim, Cratin, Xanthum & Scamandrum fluuios pascuntur, tradit Plinius, Martialis, Ouidius & Aristoteles. Vnde pellis illa villosa capræ, quæ caput statuæ cingebat, suluam Dauidis cæsariem naturaliter referebat. Addit Iosephus, stragulis quoque subiectum fuisse iecur capræ, quod postquam excisum est, solet adhuc aliquamdiu palpitare, vt ex illius motu regij satellites cubare ibi Dauidem suspicarentur. Idem tenent Procopius, Theodoretus, Magister historiæ Scholasticæ & Hugo.

Plinius l.11 c.103. & l.8 c.48. Martial. l.12. epigram.100. & l.14 epigram.133. Ouid.15. Metamorp. Arist. l.3. histor. Animal.c.12.

Nota Secundò. Etsi sciret Michol non posse diu latere has fraudes, voluit nihilominus eis vel ad breue tempus vti, vt Dauidi spatium interea fugiendi daret. ita Abulensis.

¥.20. *Samuel stantem super eos*] Id est, præpositum & præsidentem choro prophetantium. Nam vt suprà vidimus c.10. Samuel certis locis instituerat sacros cœtus & quasi scholas prophetantium, id est Deum sacris hymnis & canticis laudantium, vt ibidē exposuimus. Et videtur Samuel illorum Religiosorum cœtuum non præses modò, sed & primus parens & auctor fuisse. Ita Sanctius.

¥.24. *Et expoliauit etiam* Saul *ipse se vestimentis suis*] non interioribus, sed exterioribus regijs, quibus à vulgo secernebatur. Et hoc sensu dicitur *nudus tota die illa & nocte* coram Samuele *cecidisse*. Nudus enim verè dicitur tum apud sacros, tum apud profanos auctores, qui sui ordinis ac dignitatis ornamentis exutus est. Sic Isaias c.20. nudus incessisse dicitur, quia abiecerat vestem prophetalem, seu cilicinam, sine qua citra notam incedere non poterat. Sic Dauid 2.Reg.6. dicitur nudus ante arcam saltasse, quia paludamento regio spoliatus. Nam nudum omninò omni veste non fuisse vel inde patet, quòd ibidem dicatur indutus fuisse *lineo ephod*. Sic Seneca dicit, *malè vestitum & pannosum, nudum vocari* solitum: *Sicut*, inquit, *illiteratum* dicimus *non ex toto rudem, sed ad litteras altiores non perductum*. Et sicut Isaiæ 19. *siccus* vocatur *Nilus*, quādo minus habet aquæ quàm soleat, aut quàm exigat agri Ægyptij necessitas. Et Actor. 27. *ieiuni* fuisse scribuntur socij S. Pauli totis quatuordecim diebus, eò quòd toto illo nauigationis tempore, famem tenui admodum cibo sustentassent. Vnde patet, familiari phrasi sæpè aliquem dici talem, cùm parum abest ab ea forma, à qua verè & propriè soleat quis talis vocari. ita Lirānus, Abulensis, & alij auctores recèns citati, v.13. Porrò *cecidisse* hîc dicitur *Saul* tota die ac nocte, quia *more adorantium* sæpè *procidebat* in terram, venerationis & honoris ergò, vt solebant illi prophetantes. ita Sanctius.

Seneca l.3. de Beneficijs c.13.

CAPVT XX.

Ionathas repetito fœdere cum Dauide, ipsum cum Saule reconciliare conatur, sed frustra. Ergo sagittarum inditio euocatum è latebris Dauidem complexus cum lacrymis vltimum ei vale dicit.

¥.3. VNO *tantum gradu ego morsi, dimidior*] Prouerbialis est locutio, qualis apud nos, *Quatuor solis digitis à morte dsto*. q.d. Quęcumque incuria vel error, etsi leuissimus, à me committatur, inferet mihi mortem Saul, cuius tot sunt lictores, tot manus, quot habet suæ potestati atque
B imperio obsequentes.

¥.19. *In die, in qua operari licet*] & consequenter, quâ liceat tantum itineris ambulando conficere, quantum vel sabbathi, vel alterius diei festi solemnitas non permitteret. Hinc patet Primò, lapidem hūc *Ezel* (hebraicè & chaldaicè *viatorium*, id est, ad milliare quodque viatoribus indicādum, vt moris in Italia) longiùs ab vrbe abfuisse quàm bis mille cubitis, quod sabbathi erat iter. Secundò, *Calendas* seu *neomenias*, id est, primum cuiusq; mensis lunaris diem, apud Iudæos *festum* fuisse, neque illo licuisse seruile aliquod opus facere, aut iter sabbathino prolixius instituere, vt dixi Num. 28. Vbi etiam præscribuntur variæ & luculentæ
C oblationes, de quibus non nisi mundi comedere poterant. Et hæc erat causa quæ Saulem contineret, quò minùs de causa absentiæ Dauidis Calēdis ipsis inquireret; cùm enim maculæ plurimæ, quæ à sacra mensa remouent, intercurrere possent, suspicabatur Dauidem ab illarū aliqua pollutum domi suæ remansisse. Vnde Tertiò, patet conuiuium hoc Saulis fuisse de sacrificijs pacificis, quæ fortè singulis Calendis, pro felici totius mensis decursu Deo offerre consueuerat. Nam si communibus cibis mensa instructa fuisset, cùm etiam immundis liceret talibus vesci, nullum absentiæ Dauidis prætextum ex defectu munditiei vel purificationis habuisset Saul. ita Abulensis.

D ¥.42. *Quæcumque iurauimus*] supple, rata æternùm sunto. Vis enim doloris, intercluso spiritu, plura eloquendi facultatem ademit. Similes apoſiopeses seu reticentiæ sunt in Scripturis frequentissimæ. vt, *Si Dauid mentiar. Si introibunt in requiem meam. Si dedero somnum oculis meis*, supple, perfidus habear, aut plectar. & apud profanos, *Dij vestram fidem*, nempe, obtestor vel imploro. *Mehercule. Mecastor. Medius fidius*, subaudi amet, iuuet. Addunt Hebræi, Dauidem vim huius adiurationis & fœderis hîc initi, sed postea ex parte læsi, sensisse in nepote suo Roboam. Quia enim Dauid Miphiboſetho Ionathæ filio dimidiam hereditatis partem
E citra certum ius contra pacta hîc conuenta ademit 2.Reg.19. dissecuit Deus Roboami regnum, & transtulit maiorem partem ad Ieroboam. ita illi.

CAPVT XXI.

Dauid profugus in Nobe vrbem sacerdotalem, fame cogente postulat ab Achimelech pontifice panes sanctificatos & gladium Goliath, præsente ibidem Doeg Idumæo. Inde apud regem Achis dementiam simulat ne pereat.

¥.1. AD *Achimelech Sacerdotem* summum. Apparet, tum tēporis parenti adfuisse *Abiathar* filium Achimelechi. Namquòd hîc de Achimelecho dicitur, idem dicit Christus Marci 2. 26. factum ab *Abiathar* principe sacerdotum,

quia iugulato mox parente ipse factus est princeps sacerdotum: & propter hunc magistratum valdè diu obtentum notior erat suo parente. ita Beda, Salianus, Mariana & Emanuel Sà. Nisi malis cum Iansenio, Toleto, Salmerone & Sãctio dicere, tam parẽtem, quàm filium binomium fuisse, & vtrumque nomen (vt & nunc sæpissimè fieri videmus) vsurpare consueuisse. Quod confirmatur ex 1.Paralip.15.& 18. vbi regnante Dauide dicuntur sacerdotes fuisse, nunc Sadoc & *Abiathar*: nunc Sadoc & *Achimelech*. Sic *Abiathar* pater huius Achimelechi, c.22, iam sequenti v.9. vocatur *Achitob*.

Iansc.c.37. Concord. Tolet. in Luc.6. Salmeron tom.8. tr. 14.

℣.2. *Pueris condixi in illum & illum locum*] Hebr. *Pelonì almoni* nihil significat certum: sed vtuntur ijs vocibus cùm volunt indeterminatum quid significare: sicut Hispani per *fulano y Zutano*: & Iuristæ per *Caium* & *Titium*. Porrò quod hîc dicit Dauid, se *pueris* seu famulis suis *condixisse in* certum *locum*, videtur indicare, monitos iussu Dauidis per Ionathan tres quatuorve domesticos præcæteris fidos, vt exemplo Dauidem in vrbem Nobe sequerentur, reperturi ipsum tali tempore, tali loco. Atque ita conciliatur hic locus cum Matth.12.Marci 2. & Lucæ 6. vbi dicitur Dauid etiam socijs suis de sacris propositionis panibus dedisse. Nam licèt solus Dauid pontificem accesserit, quo meliùs res lateret, non tamen solus comedit panes, sed diuisit cum socijs. Ita S.Hieron. S.Thomas & Maldonatus in Matthæum, Ambrosius & Toletus in Lucam, & Abulensis & Sanctius in hunc locum.

℣.5. *Et fuerunt vasa*, id est corpora, *puerorum sancta*, phrasi Hebræis familiari. Sic Apostolus 1. Thessal.4. *Vt sciat vnusquisque vestrùm vas suum possidere in sanctificatione*: id est, corpus suum. Corpora verò seruorum dicit hîc Dauid *sancta* esse, nempe ea sanctitate quam sacrificia in comedente requirunt, id est, nulla macula vel labe polluta. *Porrò via hac polluta est*, nempè qua iam (licèt te adhuc inscio) tendo ad Philisthæos, quia speciem externam habet fugæ ad profanos & Gentiles vti homines, sic & ritus & religionem, quæ omnia polluta sunt. *Sed & ipsa* hæc via *hodie*, seu hac vice, *sanctificabitur in vasis*] id est, sancta & munda manebit de facto & reipsa *in* talibus *vasis* seu personis, quæ non animo maligno, sed bona intentione viâ hanc ineunt, & numquam ad ritus aut religionem Philisthinorum deflectent, licèt tutandi sui causa coganturad illos diuertere. Summa ergo verborum Dauidis est, nullam prorsus immunditiâ in se vel in seruis suis esse, quâ meritò repelli debeant ab esu panis sancti. Nam quòd sacerdotes non essent, quibus solis licebat vesci illo pane, vt dicitur Leuit.24.v.9. ex alio capite iam constabat impedimento ipsis non esse, putà propter præsentem egentiam & necessitatem, quâ aliàs prępedirentur muneri suo valdè vrgenti facere satis. Ita ferè Sanctius ex S.Hieronymo, Abulensi & Lirano.

℣.7. *Intus in tabernaculo Domini*] Hinc colligitur, *tabernaculum Domini* è *Silo* & tribu *Ephraim* sub hoc tempus translatum fuisse in sacerdotalem vrbem *Nobe* tribus Beniaminiæ, è qua tribu ortus erat Saul. Porrò excisa à Saule vrbe Nobe, tabernaculum translatum fuit in *Gabaon*, vt constat ex 1.Paralip.21.v.29. & 2.Paralip.1.v.3. vnde pòst à Salomone translatum est in templum Ierosolymitanum, 3.Regum 8. v.4. Quod priusquam exscinderetur à Chaldæis, permissus est Ieremias efferre tabernaculum cum arca, & in speluncam posteris ignotam inferre, lib.2.Machab. 2. Ita Iosephus, Ribera, Abulensis, Serarius & Sanctius, qui etiam notat, præter hoc *Mosaicum tabernaculum* subinde aliud constructum fuisse ad *arcam* decore conseruandam: quod verisimiliter longè minoris molis erat, v.g. in domo *Abinadab*, vbi fuit arca annis 20. vt dicitur 1.Reg.7.v.2.& posteà aliud rursus tabernaculum Ierosolymis à Dauide constructum fuit 2.Paralip.1.v.3.& 4 (ad quod asyli causa confugerunt Adonias & Ioab 3. Reg.1.& 2.) manente tamen eodem illo tempore in *Gabaon* tabernaculo Mosaico. (*a*)

Ioseph. l.8. Antiqu.c.2. Ribera l.1. Templi c.2. Abulens.in 2.Paral.15. Serarius & Sanct.in 3. Reg.8.v.3.

21.Paral. 16.v.39.& 3.Reg.3.v. 4.

CAPVT XXII.

Dauid socijs augetur primùm in spelunca Odollam: deinde in Massepha Moab: denique in Haret Iuda. Quo cognito Saul eum quærit ad necem. Sed priùs manu Doeg Idumæi iugulat pontificem Achimelech & omnes sacerdotes Nobe, præter vnum Abiathar qui clàm ad Danidem profugit.

℣.2. *Et oppressi ære alieno*] Quo iure hos admisit Dauid in præiudicium creditorum? Respondet Caietanus, eos soluendo non fuisse.

℣.4. *In præsidio*] Id est, in arce, loco munito, quem à rege Moab acceperat in finibus terræ Moab. Et fortè idem erat locus qui hîc vocatur *Massepha*, id est *specula*, sed terræ *Moab*, ad distinctionem alterius *Massepha* in tribu Iuda, vbi Samuel & conuentus habuit, & iudicium exercuit, suprà c.7. Salianus putat Dauidem ideo dici *in præsidio* istic fuisse, eò quòd ibi à rege Saule tutus esset, simul etiam quòd Moabitas à Saule tutaretur. Tostatus arbitratur, Dauidem ibi cum suis ex præda vixisse, sicut vixit postea cùm secundò ad regem Achis in Geth confugisset. excurrisse autem in vicinos Moabitarum inimicos, aduersus quos iustum ipsis bellum erat, v.g. contra Arabes, Madianitas, Amalechitas, vel Idumæos.

Nota. Dum Dauid in hoc Moabitico præsidio cum suis 400. socijs moratur, en adcurrunt alij ducenti è primis præstantissimisque bellatoribus partim tribus Beniaminiæ, partim tribus Iuda, è quibus etiam mox *constituit principes turmarum* suarum, vt dicitur 1.Paralip.12.

℣.5. *Dixitque Gad propheta*, à Deo submissus, *ad Dauid: Noli manere in præsidio: vade in terram Iuda*] Suspicatur Abulensis, cœpisse regem Moab commoliri dolum aliquem ad euertendum Dauidem, & nec opinantem tradendum in manus Saulis, vt capite innocentis fugitiui, mercaretur regis amicitiam. Ex altera parte Deum quoque voluisse Dauidem pluribus in terra Iuda casibus exercere, & in oculis omnium suorum illustriorem reddere. Forsan etiam voluit, tot Dauidis socijs occasionem præripere declinandi ad idola & vitia Moabitarum.

℣.18. *Trucidauit octoginta quinque viros vestitos ephod lineo*] id est, sacerdotes vel Leuitas: nam tales soli ordinariè gestabant *ephod lineum*, de quo vide Exodi 28. Et licèt extra locum tabernaculi non solerẽt indui vestibus in quibus Deo ministrabãt, vt docet Abulensis & alij: videntur tamen suo ephod, seu alba tunica illa linea, quam sub alijs sacerdotalibus vestibus indutam habebant in tabernaculo, extra illud subinde etiam in publico vsi fuisse, maximè cùm paulò decentiùs prodire vellent; vti iam prodibant, cùm summum pontificem ad palatium & thronum regium comitarentur.

Notan-

Notanda verò mirabilis sacerdotum horum patientia, qui neque aduersus impia tyranni mandata vel linguam acuerint, vel aduersus perfidum proditorem Doeg, cùm is solus gladium in eos stringeret, ipsi numero 85. ne vel manum vnam sui tutandi causa extẽderint; sed tamquam sacræ Deo victimæ pro Dauidis innocentia, iugulum vltrò carnifici præbuerint. Vnde & S. Bachiarius non dubitat hos sacerdotes in Martyrum numerum referre. Sed altiùs etiam oculi diuinam prouidentiam hîc considerent, quæ tyrannidem Saulis ita sæuire permisit in innoxios, vt tamen eo ipso puniret peccata nocentis Heli & Ophni & Phinees parentum illorum, iuxta vaticinium Prophetæ suprà cap.2.v.31. *Præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua.*

Bachiar. to. 1. Bibliot. Sacra.

¥.22. *Et ait Dauid, Ego sum reus omnium animarum patris tui*] cò quòd ex me licèt inscio & innocente sumpsit Saul occasionẽ cædis illorum. Ita insinuant Hebræa, Chaldæa & LXX. *Bonarum mentium est*, inquit S. Gregorius, *ibi culpam agnoscere vbi culpa non est.* Cùm enim nullam ex rei natura sat idoneam vel Sauli, vel Doego, vel vlli mortalium causam tam crudeliter sæuiendi dedisset Dauid; nullam tamẽ vel vocem iracundioré in quemquam illorum tyrannorum immittit, sed sibi soli, qui tamen non nisi per accidens, & prorsus innocenter occasio fuisset, culpam omnem adscribit.

Nota, iugulatis omnibus sacerdotibus familiæ Ithamaris, iure propinquitatis summum sacerdotium deuolutum tunc fuisse ad Abiathar filium Achimelechi. Sed quia is æquè exosus erat Sauli, & iam fugerat ad Dauidem, probabile est quod ait Abulensis, Saulem hanc dignitatem restituisse familiæ Eleazari primogeniti Aaronis; & summum pontificem constituisse Achitobum patrem Sadoc. Qui mortuo Saule receptus quidem est à Dauide in gratiam, sed in pontificatu non est permissus nisi vicariam operam in Gabaon præstare Abiatharo, qui perpetuò cum Dauide Ierosolymis apud arcam mansit: donec à Salomone exauctoratus successorem accepit eumdem Sadoc, qui sibi vicarius antè fuerat. Patent hæc ex 1. Paralip. 12. & 16. & 29.

CAPVT XXIII.

Dauid liberat Ceilam à Philisthæis obsessam: &, ne prodatur Sauli à Ceilanis, profugit in desertum Ziph: vbi à Ziphæis proditur. & verò captus fuisset à Saule, nisi is propter subitam Philisthæorum irruptionem, copias suas inde abducere coactus esset.

¥.3. ECCE *nos hîc in Iudæa consistentes timémus*, arma nempe & Philisthæorum, & regis Saulis: *quanto magis si ierimus in Ceilam?*] Dices, Etiam Ceila erat oppidum tribus Iuda, octauo milliari ab Hebron, septimo ab Eleutheropoli, teste libro Iosue, S. Hieronymo, & Adrichomio. Respondeo, erat, sed in finibus terræ *Iuda*. Vnde non opponuntur hîc loca quasi in diuersis sita tribubus, sed quia periculis diuersis exposita. quasi dicant: Hîc in media Iudæa procul à Saule, procul à Philisthæis positi, timemus tamen vtrosque; quanto magis si viciniora vtrorumque hostium istorum exercitibus loca adierimus? nam Philisthæi iam obsident Ceilam: & copiæ Saulis cò mox ad vrbem tutandam aduolabunt.

Iosue 15. Hieron. in Locis Hebr. Adrich. in descriptione Iudæ.

¥.9. *Cùm Dauid resciisset, quia præpararet ei Saul clam malum*] Quomodò *clam*, cùm vniuersum Israelem armaret in Dauidem? Respondeo, Intentio Saulis clàm erat alijs & occulta. Nam vulgò præ se ferebat Saul, se arma sumere contra Philisthæos: re verò ipsa contra Dauidem ibat.

¥.12. *Si tradent me viri Ceilæ? Tradent*] supple, Nisi inde excesseris. Sed excessit Dauid, atque ita traditus non est. Certissimò tamen sciebat Deus, qui nihil ignorat, & ideò disertè affirmat, traditum iri si in Ceila maneat. Vnde colligunt Theologi, Deum certissima scientia ab æterno præscire non solùm quæ reipsa & absolutè futura sunt, sed etiam quæ quauis conditione posita aliquando futura essent.

Petes, An Ceilani salua conscientia potuerint innocentem Dauidem tradere furenti Sauli, ne is Ceilam ferro & igni vastaret, vt paulò antè vastarat Nobe sacerdotalem vrbem? Respondeo, Vltrò vel sponte tradere non poterant: alioqui contra iustitiam & gratitudinem grauiter peccaturi, qui mortem innocentis ac benè de se totoque populo meriti directè procurarent. Sin autem in eam necessitatem veniissent, vt vel toti ciuitati pereundum esset, vel Dauid Sauli tradi deberet; tum oportuisset rogare Dauidem vt se ipse sponte dederet, & morte sua vrbem totam à regis ira & extrema miseria redimeret. debuissetque Dauid in eam deditionem consentire, publicum bonum priuato anteferendo. quòd si recusasset, iam non innocens, sed impius Sauli traderetur. Ita ferè Scholastici.

Petes Secundò, Quomodo tyrannus pepercit Ceilanis, qui Dauidem scientes hostem esse Saulis, ad se tamen euocarant, vrbe sua cum honore exceperant, cademque rursus excedere permiserant: ac proinde maiore in culpa esse videbantur, quàm sacerdotes reliquique ciues *Nobe*, quos tamen omnes ferro iam recèns exsciderat? Respondeo, Quia Sauli constabat, *Ceilanos* sola necessitate coactos feciisse quæ fecerant. At verò sacerdotes in *Nobe* suspicabatur vltrò cum Dauide sibi rebelli collusisse, eumdemque armis & commeatu aduersus dominum suum instruxisse. Accessit & diuina prouidentia, quæ passa non est Saulem excandescere in *Ceilanos*, sicut in ciues *Nobe*, quòd in hos, non item in illos incumberet pondus domus Heli. ita Sanctius & Salianus.

CAPVT XXIV.

Dauid in spelunca Engaddi oram chlamydis Saulis, iterum se persequentis, abscindit, Saule saluo abire permisso. Quo nomine reconciliatur Sauli, & liber dimittitur, iuramento priùs obstrictus de non exscindenda Saulis familia, cùm sceptro potitus fuerit.

¥.1. LOCIS *tutissimis Engaddi*] Fuit teste S. Hieron. *Engaddi* vrbs olim nobilissima, non longè à mari Mortuo. A qua vrbe ager vicinus & adiacens desertum vocantur etiam *Engaddi*. Et in hoc solo agro crescunt frutices illi, quos Cypros vocant, balsamum stillantes pretiosissimum: & quia hi frutices ferè similes sunt vitibus, licèt viniferi non sint, vites tamen subinde vocantur: vnde habes Cantic. 1. de vineis Engaddi. Porrò ex huius agri vbertate simul & amœnitate coniectare licuit quàm verè de vicino agro Pentapolitano dictum fuerit Genes. 13. *similem fuisse paradiso Domini*. Desertum verò adiacens illi

Hieron. in locis Hebr.

illi agro Engaddino, ad quod Dauid hîc dicitur secessisse, plenum est altissimis montibus præruptisque, imò ita prominentibus, vt ruinam minari videantur, & transeuntibus metum afferant, ne in se immania saxa præcipitent. ita Borcardus & Adrichomius. *Andrich. in topographia Iuda.*

℣.4. *Venit ad caulas ouium*] Has puto esse speluncas, in quas turbidis temporibus sua pastores pecora cogebant. Erantque eiusmodi speluncæ valdè frequentes in terra Iudææ: ad quas confugere solebant tempore incursus hostilis, etiam integri vici vel vrbeculæ. Et licèt intus essent latissimæ ac profundissimæ, ad primum tamen ingressum subinde sat arctæ erant: vnde & difficilis ac periculosa erat in eas irruptio, & pauci plurimos B excludere nullo negotio poterant. Et hæc quoque est ratio cur Saul vnam illarum ingressus, nullum tamen sexcentorum sociorum Dauidis intus latitantium, vel oculis vel auribus perceperit. Nempe intrantibus obscurum locum non videntur neque apparent qui intus latent, etsi qui recèns intrant facilè ab illis videantur. Collocutionem verò seu potiùs mussitationem illorum ne percipiperet Saul, impedichat strepitus transeuntis exercitus, & equorum & currûm. ita Iosephus, Theodoretus & Abulensis.

℣.5. *Ecce dies de quâ locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum*] Liranus & Abulensis id volunt per Samuelem dictum Dauidi, C quando primùm noctu ope Michol vxoris suæ effugerat manus satellitum Saulis. Fortè etiam ipsimet Dauidi, vtpote Prophetæ, Deus id immediatè reuelauit. quasi diceret: Non est quòd desperes, te posse euadere manus Saulis: ego potiùs illum tradam in manus tuas, vt in eum quidquid libuerit facere possis. Quæ verba videtur Dauid etiam socijs quibusdam suis retulisse, confirmandi illos ac benè animandi gratia.

Petes, An illis verbis data illi fuerit à Deo potestas sine peccato occidendi Saulem? Respondeo, ita sentit Caietanus: & vult Dauidem hoc maximè casu quo illum hostiliter ad necem quærebat Saul, anteuertere potuisse facinus, & violentum iniu- D stumque inuasorem de medio tollere. Non tamen minùs probabiliter Dionysius, Tostatus & Salianus negant, moralem eam potestatem fuisse Dauidi datam. Nam verba solam physicam potestatem innuunt, qualem habet vigilans in dormientem, vel armatus & liber in inermem & vinculis astrictum. Neque regia auctoritate, nisi post alterius mortem, neque alia in Saulem iurisdictione fungi poterat Dauid. Sed neque debebat, latens in spelunca, ibique quietus remanens, censeri actu inuadi à Saule, nam tutus iam erat ab illius manibus: vnde præuertere tum temporis non fuisset inculpata sui tutela seu defensio, sed hostilis & E non necessaria domini sui inuasio. Certè Dauid id sibi non licere credidit, etsi Saulem totum esse in quærenda sua morte exploratissimum haberet: nam nec oram quidem chlamydis regiæ præcidit nisi conscientia remordente v.6. Porrò S. Chrysostomus in laudem huius facti pulcherrimam homiliam conscripsit, cuius titulus est, *Quòd Dauid magnificentius sibi trophæum erexerit parcendo Sauli, quàm occidendo Goliath.* S. Ambrosius virtutem hanc Dauidis maiorem esse ostendit quàm philosophia Ethnicorum vel optare vel suspicari posset. Et iudicio etiam M. Tullij, qui parcit hosti, non cum summis modò Heroibus conferendus, sed & Deo quàm simillimus censendus, qui improbos homines sibique inimicos grauissimis quotidie casibus erit, nec tamen ipsi vel gratias habent, vel beneficium agnoscunt. Agnouit tamen hîc Saul, & addit: A

Chrysost. in fine tom.1.

Ambr.l 3. Offic.c.2. Cicero pro Marcel. de Iulio Cæsare.

℣.21. *Nunc scio quod certissimè regnaturus sis*] Sciebat verò, non tam ex præcisa ora chlamydis suæ, vt suprà c.15.v.28. dixi Hebræos opinari, quàm ex singulari illa Dei erga Dauidem prouidentia, quâ ipsum & regijs virtutibus dotabat, & vbique in aduersis tutabatur, omnibusque hostibus superiorem, Israelis verò admirabilem, carum ac desiderabilem reddebat. ita Abulensis.

CAPVT XXV.

Moritur Samuel. Dauid ingrato Nabal mortem minatur, sed egregia Abigail vxoris eius oratione placatur. Quæ mortuo deinde marito fit vxor Dauidis, vti & Achinoë. Michol verò prima Dauidis vxor, à Saule alteri marito Phalti traditur.

℣.1. MORTVVS *est Samuel*, quatuor mensibus ante obitum Saulis, inquiunt Hebræi in Seder-Olam. & *congregato* ad eius funus *vniuerso Israele*, id est, pluribus ex singulis tribubus, post solitos planctus *sepelierunt eum in domo sua*, seu solo natali, *in Ramatha*] Vnde diu pòst, viri sancti ossa Constantinopolim translata, ibidemque in magna veneratione habita, scribit S. Hieron. Nicephorus & Procopius, qui addit, à Iustiniano Imperatore magnificum ibidem monumentum in honorem Samuelis constructum fuisse. *Seder-Olam c.13.* *S. Hieron. contra Vigilant.* *Niceph.l.14. c.10.* *Procop.l.5. de Ædificijs Iustiniani.*

℣.18. *Quinque sata polenta*] Quid sit *polenta*, dixi c.17.v.17. De *sato* vide Prolegomena de Mensuris.

℣.22. *Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat*] Hæc imprecationis apud Hebræos frequentissima est formula, quâ hîc videtur Dauid imprecari aliquid sibi valdè aduersum, hostibus verò suis prosperum ac lætum. q.d. Det hostibus meis Deus, vt sint in acie aduersum me superiores, vt me de vitæ statu deijciant, &c. nisi totam hodie familiam Nabal exscidero. Peccat, haud dubiè Dauid, sic iurando, magisque peccasset iuramentum complendo. Neque enim capite luere debebat Nabal seu inciuilitatem & ingratitudinem in negandis alimentis Dauidi: seu contumeliam tam in ipsum, quàm in socios, quasi fugitiuos & rebelles, sparsam. Et vt scelus fuisset capitale, non debebat à Dauide, sed à publico & legitimo magistratu puniri: Dauid enim licèt iussu Dei iam priuatim vnctus esset, & designatus in regem à morte Saulis, nondum tamen publicè à populo admissus vel acceptatus erat. Quòd si Dauid præter Nabalem, etiam innocentem illius familiam ferro, vt iurarat, delere constituerit, quenam, obsecro, species honestatis obtendi poterit tantæ crudelitati? Ita Caietanus, Dionysius, Abulensis & Sanctius contra Theodoretum, qui contendit abfuisse peccatum ab hoc Dauidis & consilio & iuramento.

℣.28. *Faciens enim faciet*, id est certissimè faciet, *Dominus tibi domum fidelem*] id est, familiam & stirpem regiam tibi stabiliet. q.d. Non solùm tu rex futurus es, sed & stabile manebit regnum in tua familia. Atqui minimè decet, regem ac personam tam sublimem, priuatas persequi inimicitias aduersus impotentes subditos, aut iniurias proprias

prias vleiſci. Sic Imperator factus Hadrianus, à vindicta mox deſtitit illius, quem priuatus inſectabatur. vnde occurrēti dixit, *euaſiſti:* neque enim poteſt priuatas iniurias honeſtè perſequi Imperator. Et Ludouicus XII. ex Duce Aurelianēſi factus rex Galliæ, cùm quidam ſuggereret, vt vindictam ſumeret de acceptis antè iniurijs, ſapienter magnificéque reſpondit, Non pertinet ad regem Galliæ iniurias vleiſci quas Dux Aurelianenſis accepiſſet.

¥.29. *Erit anima*, ſeu vita tua *cuſtodita quaſi in faſciculo viuentium*] ſeu in numero & congregatione eorum quos Deus tutela ſua conſeruat viuos & incolumes aduerſus quamuis machinationem aut vim hoſtilem. Et quidem ita contigit Dauidi: nam & innumeris prælijs implicitus, & infinitis variorum inſidijs appetitus, ſemper ope diuina incolumis euaſit.

Porrò inimicorum tuorum anima rotabitur, quaſi in impetu & circulo funde] Id eſt, quicumque tibi & Deo (cui tu militas) aduerſantur, quantumcumque ſibi potentes ac ſapientes videantur, quia tamen deſtituti ſunt tutela diuina, ſtabiles numquam erunt aut ſecuri: ſed ſicut lapis aut excutitur ex funda & procul abijcitur, aut, ſi in funda maneat, continuò in ea rotatur, & ſus deque voluitur: ſic impij iſti in perpetua anxietate ac turbine verſantur, ac tandem eò proijciuntur, vbi mortem ſubeant ſempiternam.

¥.37. *Emortuum eſt cor* Nabal *intrinſecus*] quia nempe, cognito ex vxore malo, quod ſibi ipſe ſua imprudentia accerſiuerat, vixque prudentia vxoris depulerat, tanto correptus eſt horrore ac ſtupore, vt omnem ſenſum amiſerit, & inſtar lapidis obriguerit. Quod ſæpè in ſubito metu aut dolore contigiſſe legimus; & Poëtæ de *Niobe* fingunt, quòd, auditâ cæde filiorum, conuerſa ſit in lapidem, id eſt inſtar lapidis obriguerit, ſenſu & mente deſtituta. Poſtquam verò Nabal totos decem dies alienus à ſenſibus, caudex potiùs quàm homo transegiſſet, noua alia plaga, putà morbo maligno ac lethali, à Deo percuſſus, infelix interijt. Sideratum fuiſſe dicit Ioſephus, ſeu noxij ſideris afflatu extinctum, nullâ morbi causâ extrinſecus apparente.

CAPVT XXVI.

Dauid iterum à Ziphæis apud Saulem delatus, haſtam & ſcyphum dormientis regi ſubducit, rege intacto. Quod vbi Saulis innotuit, culpam agnoſcit, ſpondetq; Dauidi omnem ſecuritatem.

¥.10. *Niſi Dominus percuſſerit eum*] morbo ſcilicet. Tria genera mortis hîc tangit Dauid, ex morbo, ex ſenectute, ex caſu, v.g. in bello. Sic Cicero, ſic Seruius ex triplici cauſa mortem contingere dixerunt, natura, fato (ſecundùm Stoicos) & caſu.

Cic. in Conſolat. Seruius in 4. Æneidos, ſub fin.

¥.19. *Si Dominus incitat te*] Id eſt, ſi non malus genius quo agitaris, ſi non inuidia & æmulatio qua tu cum tuis laboras; ſed voluntas & nutus ſummi Dei te mouent ad me perſequendum; per me licet, nihil abnuo, non recuſo mortem.

Odoretur Deus *ſacrificium*] quod ipſi de me, tamquam expetita ab ipſo victima lubens & vltrò offero in odorem ſuauitatis. Volupe erit mihi, ſi ita Deus exigat, ad aras regio cultro iugulari. Verùm hoc Deus non exigit, ſed filij hominum maledicti; v.g. Doeg Idumæus, & Ziphæi, & ſimiles alij, qui me modis omnibus perditum vellēt: & iam *eiecerunt me* ab *hæreditate Domini*, id eſt ex terra Iſrael, quam Dominus populo ſuo in hæreditatem dedit. Et dicunt, *Vade, ſerui dijs alienis.* Non quòd diſertis verbis id dicerent, ſed re ipſa cogebant ita facere, ſaltem quantum ex ſe erat. Cùm enim per ipſos nuſquam Dauidi liceret in toto regno Iſraelitarum tutò conſiſtere, cogebatur vel ad Philiſthæos, vel ad Ægyptios, vel ad Moabitas confugere. quod erat ex natura rei, præſens diſcrimen adire deſerendi Deum verum, & idololatriam amplectendi. Neque tamen hac tanta impietate, & ſpiritali meo meorumque exitio contenti, inſuper odio acti diabolico, vrgent te vt gladio tuo ſanguinem haurias meum. Sed quo tuo bono, quo honore, ô Rex? quin potiùs quanto tuo probro ac dedecore? Perinde enim eſt ac ſi ſordidum *pulicem* manu regia conteras, vel imbellem *perdicem* tremulam & pauitantem per auia & inuia proſequaris. Carpunt hîc hæretici Latinum Interpretem, quòd voculam *perſequitur* hîc paſſiuè vſurpet, vt idem ſit, quod *perſecutionem patitur.* Sed hoc ipſo produnt ſuam antiquitatis ignoratiam; nam conſtat multa verba *deponentia* apud priſcos Grammaticos terminationē habuiſſe *paſſiuam.* Sicut enim teſte Sanctio & Serario, Ennius apud Nonium dicere auſus eſt, *Criminat*: Accius, *Miſerarent & Contempla*: Turpilius, *Proficiſceret*: Pacuuius, *Moderant*: alij, *Miro, oſculo, tuto, populo, perſcruto*, &c. ita videntur ijſdem & ſimilibus vocibus in terminatione paſſiua, paſſiuè quoque vti conſueuiſſe. Vnde patet, noſtrum Interpretem, quando *perſequitur* paſſiuè vſurpat, non maiorem ſibi licentiam aſſumpſiſſe, quàm in alijs verborum ſimilium ſignificationibus aut formis antiqui aſſumpſerunt.

Serar. in c. 2. Iudith.

CAPVT XXVII.

Dauid inconſtantiæ Saulis fidere non auſus, ad Achis regem Geth reuertitur, à quo vrbem Siceleg impetrat, à qua plurimas annos prædas ex Amalecitis & alijs vicinis locis agit.

¥. 3. VIR *& domus eius*] Apud Hebræos *vir* aliquando valet vniuerſale ſignum, vt idē ſit quod *quilibet.* Ergo *vir & domus eius*, idem eſt quod, *omnes ſocij Dauidis cū familijs ſuis.* Quas vnà ſecum ad Philiſthæos traduxerunt, quòd putarent, eas parum tutas fore in Iudæa ab ira, furore & inſidijs Saulis, qui commodè in vxores & liberos acerbitatis ſuæ virus euomuiſſet, quod in abſentes coniuges & parentes concepiſſet.

¥.6. *Dedit ei Achis Siceleg* vrbem, & quidem non ad inhabitandum ſolùm, ſed & vt in Dauidis dominium cederet. Vnde ſubditur, ideò *Siceleg factam eſſe regum Iuda.* Ex quo apparet eximia huius regis liberalitas & humanitas: vt non ſine cauſa Dauid iam ſecundò ad hunc potiùs, quàm ad alium quempiam Philiſthinorum ſatrapam, ſibi confugiendum putarit. ita Salianus.

Salian. anno mundi 2979.

Petes, Cur potiùs ad Philiſthæos iuratos Iſraelitarū hoſtes, quàm ad Ammonitas, Idumæos, Tyrios vel Sidonios Iſrachitis tunc cōfœderatos transfugit Dauid? Reſpondeo, Quia cōfœderati noluiſſent hominem fugitiuum regi Sauli repetenti denegare, ne fortè molē belli in ſe traherent. At verò à Philiſthæis, quibuſcum acre Sauli bellū erat, nec petere tale quid auſus fuiſſet, nec ſi peteret, impetraſſet. Imò vel ea maximè de cauſa Dauidem Philiſthæi libenter excepturi erant, & armis defenſuri, quòd Saulis eſſet inimicus. ita Abulenſis.

℣.8. *Agebant prædas de Geſſuri,& de Gerzi,& de Amalecitu*] Non in has vrbes inuolabant, ſed in *pagos*, vt ſequitur, harum vrbium.

Nota, non agi hîc de *Geſſur* trans Iordanem, contermina Syriæ, ac propterea vocata *Geſſur Syriæ*: cuius regis filiam Dauid poſtea duxit vxorem, ex eaq; ſuſcepit *Abſaloue* & *Thamarem*. 2.Regum 3.v.3.ad quem vt auum maternum confugit etiam Abſalon c.13.& 15.Sed de altera Geſſur cis Iordanem vicina Amalecitis, Meridiem verſus.

Petes, Quo iure apud hos populos prædas agebat Dauid, imò & promiſcuas cædes, nullo ſexus aut ætatis diſcrimine? Reſpondeo, Iure legis diuinæ, quâ & Amalecitæ, & omnes incolæ terræ promiſſæ, etiam paruuli & fœminæ, occidi iubentur. 1.Reg.15. Deut.20. 15 &c.

Dices, Dauid necdum erat rex. Reſpondeo, Sed erat dux & chiliarcha conſtitutus à Saule. Et licèt Saul Dauidem odiſſet & perſequeretur, gratum tamen & ratum habebat tum Saul, tum omnis populus, quòd Dauid communes hoſtes exſcinderet. ita Caietanus & Abulenſis. Poſſet etiam cum Saliano dici, Dauidem, qui pontificem & ephod apud ſe habebat, conſulto Domino ſpeciale ab eo mandatum de vicinis illis Iudææ hoſtibus exſcindendis accepiſſe.

℣.11. *Non viuificabat*] Idem eſt, quod *occidebat*. Phraſi Hebræorum, apud quos ille dicitur aliquid accipere, qui nihil amittit: & contrà. Sicut latrones dicunt ſe vitam dediſſe cui illam non ademerunt. Sic Actorum 7. *Vt exponerent infantes ſuos, ne viuificarentur*, id eſt, ne in vita ſeruarentur. & 2.Regum 8. *Menſus eſt Dauid duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum*, id eſt, Dauid ſententiâ latâ definiuit, quinam eſſent vel occidendi, vel in viuis conſeruandi. Sic ſæpè in Scriptura *ſanctificari* ponitur pro *non polluere*, &c.

CAPVT XXVIII.

Philiſthæi ingentes copias aduerſus Saulem armant. Dauid ſe iungit Achis regi Geth. Saul per pythoniſſam iubet ſuſcitari Samuelem. ex quo mortem ſuam ſuorumq; in craſtinum diſcit.

℣.2. NVNC *ſcies*, ſeu experientiâ diſces, *quæ facturus eſt ſeruus tuus*] Conſulto nil certi affirmat Dauid regi Achis, eò quòd necdum ſtatuiſſet, quid in prælio facturus eſſet, ſed rem totam diuinæ voluntati (quam per pontificem Abiathar & ephod inquiſiturus eſſet) permittere decreuiſſet. ita Burgenſis, Toſtatus, Sanctius & Salianus. Deus verò ſua prouidentia ſic conſuluit famæ & conſcientiæ ſui clientis, vt vtrâque ſaluâ, neque pugnarit contra Saulem, neque datam Palæſtino regi fidem violarit, vt videbimus cap.ſeq.

℣.6. *Non reſpondit ei* Dominus, *neque per ſomnia*] De his reſponſis vide quæ dixi Geneſis 40.

Neque per ſacerdotes] Hebraicè, *neque per vrim*, de quo vide Exodi 28. Non reſpondit, inquam, Dominus, ſeu quòd *ephod* pontificale tum deeſſet, ſublatum ab Abiatharo, & ad Dauidem delatum, cap.23.v.6. Seu quòd (ſi aliud poſtea *ephod* concinnarunt, vt vult Abulenſis) Deus tam impium hominem reſponſo ſuo dignatus non ſit.

Neque per prophetas] quia iuxta *Gabaa* patriam Saulis plurimi erant, c.10.ſuprà:

℣.7. *Mulierem habentem Pythonem*] id eſt, dæmonem familiarẽ, à quo impetret ex pacto quid-quid petat. *Pythius* proprie Apollo vocabatur, quòd Pythona ſerpentem ſagittis confeciſſet. Vnde quotquot ab Apolline quaſi afflati ſeu illuſtrati ſecreta ſuis maleficijs reuelabant, *Pythij*, vel *Pythia* vel *Pythoniſſæ* vocabantur. Id verò faciebant varijs modis, vt docet Abulẽſis, putà vel per ſigna, ſine verbis, v.g. exhibendo in ſpeculo, vel in circulo effigiem eius quem quæris. Vel per nuda verba, ex pala annuli, vel alia ex recula reſponſando. Vel per cadaucra, vel per arreptitios, vel per ventrem proprium oracula fundendo, dæmone in concluſo ibi aëre voces quas vult efformante. Vnde & *Ventriloquæ*, & *Necromantici*, & *Magi* vocantur. Vide de his plura apud Delrionem. *Delrio l.4. Magic c.2. q.6. ſect.2. &c.*

℣.9. *Tu noſti quomodo Saul eraſerit Magos & hariolos de terra*] Præluſtre & laudandum factum: ita lege iubente Exodi 22. v.18. Suſpicor autem vel Samuelis auctoritate & conſilio eos à Saule ſublatos fuiſſe ſub initium regni illius: vel certè, cùm iam ipſe à maligno exagitaretur ſpiritu, voluiſſe hac maleficorum victima placare ſibi Deum, dæmonemque ex ſuo corpore exigere. Et verò videtur Deus in mercedem eius operis, Saulem poſteriori vitæ tempore ab obſidente cacodæmone liberum reliquiſſe: neque enim mentionẽ amplius audimus iſtius maligni ſpiritus, in Saulem anteà toties irruentis. Congruum quippe videtur eum à dæmone liberari, qui regnum totum ab illis infernalibus mancipijs expurgaret. ita Salianus.

℣.12. *Tu es Saul*] Vnde hoc reſciuit pythoniſſa? Reſpondeo cum Ioſepho & Abulenſi, Samuelem id ei indicaſſe.

℣.13. *Deos vidi aſcendentes de terra*] Hebraica phraſi pluralis numerus pro ſingulari ponitur, ad deſignandam perſonæ de quâ agitur dignitatem. Sic Exodi 32. de vitulo aurco, qui vnicus erat, dicitur, *Hi ſunt dij tui*. & paſſim *Elohim* ſeu *dij* pro vno *Deo* in Scripturis ponitur. Inſinuat ergo pythoniſſa, eum qui apparebat, tanto eſſe ſplendore, vt non aliquis ex hominum numero, ſed Deus ipſe eſſe videretur. Quod & Saul optimè intellexit, cùm in ſingulari rogat, *Qualis eſt forma eius?* Et mulier quoque relicto iam plurali numero reſpondet, *Vir ſenex aſcendit amictus pallio*, nempe prophetico, quale dudum lacerarat Saul, cap.15. v.27. Dubitare an verus fuerit Samuel, ſaltem ſecundùm animam, pene temerarium iam putarim, cùm Eccleſiaſtici 46. diſertè dicatur poſtquam *dormiuit, notum feciſſe regi* Sauli *finem vitæ ſuæ, & exaltaſſe vocem ſuam de terra in prophetia*, &c. Quæ in hunc ſolum locum quadrare poſſunt.

Petes, an probabile ſit, arte magica ſuſcitatum fuiſſe verum Samuelem? Reſpondeo, Nulla ratione; ſed ſola virtute & imperio Dei id factum, præueniente Deo conatus mulierculæ. Sicut volente Balaamo maleficis ſuis à dæmone reſponſa extorquere, præuertit Deus, & per os illius benedixit Iſraeli. Sic Ochozia mittente qui cõſulerent Beelzebub idolum Accaron, præuenit Deus reſponſionem diaboli, miſſo Elia qui mortem regi prædiceret. Ita plerique; Hebræi apud Abulenſem. & S. Ambroſius, Baſilius, Iuſtinus, Tertullianus, Ioſephus, Auguſtinus, Iſidorus, S. Thomas, Liranus, Bellarminus, Suarez, Delrio, Serarius & alij. Non ergo obſecutus eſt Deus magiæ, ſed impediuit: nam ne dæmon reſponderet, præuenit Samuel. Quin & in punitionem tentatæ magiæ videtur Deus tam triſtem tamque vicinam cladem Sauli manifeſtari iuſſiſſe. Quæ vtinam ille ad reſipiſcentiam ſeriamque pœ-

Ambr.c.1. in S.Luc. Baſil.ep.80. Iuſtin. cum Tryphone. Tertull.L3. carm. cõtra Marcion. Ioſeph. 6. Antiq.c.15. Auguſt.ad Simplicianum l.2.q.3. S.Tho.1.p. q.89. ar.8. Bell.de purgat.l.2.c.6. & de Chriſto l.4.c.11. Suarez 10. 2.diſp.42. Delrio ſup. & q.26.

que pœnitentiam, vt poterat, vsus fuisset! Porrò *de obitu suo* (verba sunt Iosephi) *præmonitus* Saul *à propheta* Samuele, *noluit tamen* mortem *vitare, & ob vitæ cupiditatẽ exercitum hosti prodere, atque hoc modo regiam maiestatem dehonestare: sed cum liberis totaque familia periculo se obiiciẽs, pulchrum existimauit in prælio pro subditis pugnando cadere, & filios in eiusdem laudis societatem assumere, potiùs quàm superstites relinquere, incertum qualesnam futuros*, regno in aliam familiam translato. *Existimauit enim, loco posteritatis perpetuam laudem & immortalem memoriam sibi futuram.*

CAPVT XXIX.

Cùm Dauid se suosque iunxisset copijs regis Philisthæi Achùs, ægrè id ferunt reliqui satrapæ, iubenturq; domum remitti & in Siceleg reuerti.

¶. 1. SVPER seu iuxta *fontem Iezrahel*] Castra Israelitarum erant in monte Gelboë è regione *Sunam*, in tribu *Issachar* ad plagam Meridionalem, & protendebantur vsque ad *fontem Iezrahel*, qui erat ad radicem montis: Philisthæorum verò castra erant ad Septemtrionalem plagam circa montes *Hermon*, & vrbes *Sunam* & *Aphec*. Vallis autem *Iezrahel* intermedia erat inter vtrumque exercitum. Cetcrùm cùm & *vniuersa* 1 c.29.v 1. *Philisthæorũ agmina* (a) ex vna parte, & *vniuersus* (b) b c.28.v.4. *Israel* ex altera parte hîc conuenisse dicantur; certò colligitur, supra quadringenta vtrimque millia, id est simul octingenta millia, conuenisse. Nam contra solos Ammonitas gentem multò minorem, haud ita pridem eduxerat Saul *trecenta* (c) c c.11.v.8. *millia filiorum Israel, & virorum Iuda triginta millia.* Nequevllam ex eo tempore cladem Iudæi acceperant.

¶. 2. *Dauid & viri eius* sexcenti *erant in nouissimo agmine cum Achis*] Erat hoc non ignauiæ, sed virtutis & auctoritatis signum. Propriæ enim imperatoris cohortes posteriora in exercitu loca tenent, Et apud Romanos Triarij, viri fortissimi spectatæque virtutis, in quibus summum robur exercitus, & spes suprema victoriæ, vltima loca occupabant. Et satis constat Gethæos, quorum satrapa seu rex erat Achis, omnium Philisthæorum fortis- *Ioseph.l.6. Antiquit.c. 14.in fine.* simos fuisse, teste Goliath Gethæo, & alijs. Sanè Iosephus non obscurè indicat, hunc *Achin* supremum fuisse inter quinque satrapas seu reges imperatorem.

¶. 3. *Dauid est apud me multis diebus, vel annis*] Cap.27.vers. 7. dicitur *quatuor mensibus* & aliquot *diebus* Dauid hæsisse apud Philisthæos. Quod ergo hîc dicit *Achis* de annis, (nisi velimus, mentitum fuisse, vt fidem Dauidis magis exploratam redderet Philisthæis, vt vult Sanctius) vel de partibus duorum annorum intelligendum est: vel de tempore quo Dauid prima vice venit ad *Achis*, sed mox simulatâ stultitia discessit. q.d. Iam pridem, ab annis circiter duobus (vt est in LXX.) mihi adfuit & notus est Dauid.

¶. 6. *Exitus tuus & introitus tuus*, (id est, conuersatio & consuetudo tua, adeoque omnia opera tua) *mecum in castris rectus est & bonus*] id est, mirè mihi placent probanturque vehementer.

¶. 9. *Bonus es tu sicut angelus Dei*] Hic Philisthæus cùm sæpiùs cum Dauide sociisque egisset, accommodat se ad Hebræorum consuetudinem, modumque loquendi. Nam & paulò antè, vers. 6. iurat more Hebræorum, *Viuit Dominus*, vsurpato A etiam nomine tetragrammato, sicut à Dauide & socijs audierat subinde vsurpari. Vide Abulensem.

CAPVT XXX.

Absente cum suis Dauide, Amalecitæ vrbem Siceleg inuadunt, spoliant, igne succendunt, ablatâ inde omni prædâ. Sed Dauid prosecutus illos, penè omnes occidit, prædamq; recuperat: quam ex æquo diuidi iubet etiam ijs qui ad sarcinas lassi subsiderant.

¶. 1. AMALECITÆ iam à biennio pæne à Saule exciti, recenterque iterum à Dauide varijs prædationibus exhausti, cùm iam scirent tam Saulem, quàm Dauidem in agrum con- B cessisse, neque ab ipsis quidquam iam sibi metuendum, vtpote bello cum Philisthæis prorsus implicitis; vsi occasione, iniurias acceptas ex parte vlcisci, ac vicem rependere statuerunt.

Sed Nota hîc diuinam prouidentiam, & in Israelitas clementiam, quòd, cùm Dauid, dum ex Amalecitis prædas ageret, nullos seu viros, seu mulieres, seu infantes in viuis reliquisset, vt dicitur c.27.v.9.& 11. tamen horum barbarorum iam ad acceptas illas iniurias vindicandas accurrentium furorem ita mitigarit, & paris vltionis seu memoriam, seu appetitum vsque cò extinxerit, vt neminem ex omnibus Hebræis captiuis aut occiderint, aut læserint.

C ¶. 6. *Volebat eum populus lapidare*] dolore nimio rationem obruente. Accedebat innata Hebræis animi leuitas, qua huc atque illuc facili momento flectebatur. Vti & Moysen olim tam præclarè de se meritum toties voluit nulla de causa lapidare, Exodi 17. & alibi. Sed aliquam hîc causam prætexere potuisse videtur, quòd ex vrbe Siceleg propugnatores omnes eduxisset, imbelli tantùm turba in ea relicta. Et quamuis indigenæ Philistæi in ea remansissent, illi tamen inundanti barbarorum multitudini pares non fuerant, & fortè non assueuerant armis. Sed Dauid dum prudenti consilio suadet, à luctu ad vindictam & prædæ recuperationem properare, exacerbatos animos D paulatim compescuit: & mox *applicato ephod* (de quo modo consulendi Dominum vide Exodi 28.) & indicio seruuli Ægyptij deprehensis latronibus, tanta cæde in eos grassatus est, vt totis viginti quatuor horis aliud nihil egerit, nec nisi quadringẽti ex toto numero, salui beneficio camelorum euaserint. Videturque Deus non alia de causa permisisse hanc Amalecitarum aduersus Hebræos expeditionem, quàm vt fæcem illam perpetuò repullulantem, & malè à Saule reseruatam, Dauidi ad victimam, ad lanienam obijceret: vt à nouo rege sub initium regni sui, iusta vltione corrigeretur, quod Saul initio sui principatus, per in- E obedientiam peccarat, ita Theodoretus. *Theodor.q. vlt.in hunc librum.*

¶. 14. *Ad Australem plagam Cerethi*] Regio est Palæstinæ, sic dicta à robore & vi bellica incolarum. ita ex S. Hieron. Ribera. *Cerethim* enim He- *Ribera in* braicè significat *exscindentes*: sicut *Phelethim, liberatores*. Hinc à robore vocatæ sunt duæ legiones, *c.2.Sophonia.* seu prætoriani milites Dauidis passim libro sequenti *Cerethi* & *Phelethi*. ita Iosephus.

¶. 20. *Hæc est præda Dauid*] Intercalaris est versiculus in epinicio, quod Dauidi duci suo, & tantæ victoriæ auctori decantabant eius socij.

¶. 25. *Factum est hoc quasi lex in Israel*] Ita quidem iusserat semel Deus Num. 31. v. 27. *ex quo prædam* Madianiticam *diuidi inter eos qui pugnauerunt,*

uerunt, egreſſiq; ſunt ad bellum, & inter omnem reliquam multitudinem, qui quo minùs pugnarent, & cum hoſte manus conſererent, delecti non fuerant. His enim omnibus voluit ex æquo diuidi mediam prædæ partem: reliqua medietate promiſcuo vulgo permiſſa. Hoc exemplo decreuit Dauid vt lex eſſet perpetua populo Iſraelitico, de præda ex æquo diuidenda inter eos qui & manum cum hoſte conſeruiſſent, & qui ad ſarcinas cuſtodiendas relicti eſſent. Eamdem hanc legem poſt hæc tempora induxerunt quoq; Romani, vt exemplo Scipionis & aliorum docet Polybius.

Polyb. l.10.

CAPVT XXXI.

Saul cum filijs in pugna caditur à Philiſthæis. Truncum corpus in muro Bethſan ſuſpenditur: caput reciſum in triumphum circumfertur: arma in templo Aſtaroth ſuſpenduntur. Viri Iabes Galaad corpora Saulis & filiorum eius de muro detracta ſepeliunt in Iabes.

¥.4. ARREPVIT *Saul gladium, & irruit ſuper eum*] Petes, An ex hoc vulnere à ſe inflicto extinctus fuerit Saul? Ioſephus & nonnulli Hebræi id negant, voluntque alienæ Amalecitæ manu interijſſe, vt narratur l. 2. Regum c. 1. Sed Reſpondeo probabilius eſſe, Amalecitam illum ſplendidè mentitum fuiſſe, vt eo artificio ac ſimulato ſtudio maiorem à Dauide gratiam iniret. Saulem verò ex ſuo vulnere interijſſe, loquuntur clara Scripturæ verba: quæ etiam inſinuant, extinctum fuiſſe ſimulatque in gladium incubuit. Neque priùs voluit armiger Saulis ſe quoque interficere; quàm vidiſſet iam mortuum eſſe Saulem. 1. Paralip. 10. v. 5. Neque vmquam permiſiſſet armiger manu vilis Amalecitæ regem ſuum occidi. Ità Theodoretus, Aubulenſis, Angelomus, Liranus, Dionyſius, Serarius, Torniellus, & Sanctius.

Hieron. in Ezechiel. c.10. Ambroſ. in c.9. ad Rom. Aug. l.1. de Ciuit. c.17. & l.2. ad Simplicianum c.1. Bern. ſerm. 26. in Cant. Pineda in Salomone. Salian. anno mundi 2979. n.128.

Petes Secundò, An Saul æternam quoque mortem ſubierit, & ſit damnatus? Negant iam dicti Hebræi, & dubitat Liranus. Sed omnes pæne SS. Patres id diſertè affirmant, vt SS. Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, Bernardus, & Doctores recentiores iam citati, & inſuper Caietanus, Pineda, Salianus, & alij pæne omnes. Neque eſt vel leuiſſima coniectura, qua de tot, tamque horrendis ſceleribus pœnitentiam egiſſe colligamus.

Dices, Propheta Samuel c.28. v.19. dicit Sauli, *Cras tu & filij tui mecum eritis.* Atqui Samuel erat in ſinu Abrahæ: ergo. Reſpondeo, Samuelem illis verbis nihil aliud ſignificaſſe, quàm in genere exceſſurum Saulem è viuis, ſicut ipſe exceſſerat, & in altera vita aggregandum numero reliquorum defunctorum. De loco verò particulari cuiuſque nihil affirmat, ſed hoc iudici definiendum relinquit. ita S. Auguſtinus ſuprà, & alij. Sed quid alia damnati Saulis argumenta requirimus, cùm Scriptura id ſatis inſinuet? nam 1. Paral. 10. vbi nos legimus, *Mortuus eſt Saul propter iniquitates ſuas, eò quòd preuaricatus ſit*, &c. in Hebræo & apud LXX. habetur, *Mortuus eſt in iniquitatibus ſuis quibus preuaricatus eſt.* Et ſanè pridianum iſtud ſcelus, quo pythoniſſam, id eſt diabolum, cõſuluit, & vltimum facinus, quo violentas ipſe ſibi manus intulit, (quod timidi, mollis & abiecti animi eſt, vel Ariſtotele teſte) non ſunt ſigna pœnitentiæ, ſed extremæ malitiæ & obſtinationis argumenta. Et putat Sanctius, iſtud conſultę pythoniſſæ peccatum, quod genus quoddam eſt idololatriæ, mortem Sauli acceleraſſe; & hoc inſinuari 1. Paralip. 10. v. vlt. vbi dicitur, *Propter hoc interfecit eum* Deus. Sicut Ochoziæ quoque propter ſimile conſulti Beelzebub peccatum prædicit Elias 4. Regum 1. *De lectulo non deſcendes, ſed morte morieris*, deſcenſurus vtique, & diutiùs victurus, ni conſuluiſſet, vt v. 16. inſinuatur.

Ariſtot. 5. Ethicor.

¥.6. *Mortuus eſt ergo Saul, & vniuerſi viri eius*] non, quotquot in exercitu erant milites (nam ex ijs multi fugiſſe dicuntur:) ſed quotquot erant domeſtici & familiares Saulis, vt viri aulici, milites prætoriani, & quibus circa regiam perſonam vel cuſtodiendam, vel ornandam, aliquid erat muneris demandatum.

¥.7. *Viri Iſrael qui erant trans vallem*, nempe vel *Iezrael*, vbi pugna commiſſa fuerat; vel omnium nobiliſſimam *Engaddi*, de qua c.24. *& trans Iordanem*] Hi erant tribus *Ruben, Gad*, & dimidia *Manaſſe*, Numeror. 32. Qui videntes Iſraelitarum caſtra aut exſa, aut fugata, neque ſe Philiſthæis reſiſtendo eſſe, deſeruerunt vrbes ſuas, & in tutiora loca commigrarunt.

¥.9. *Caput Saul miſerunt in terram Philiſthinorum*] ad exhilarandum populum. 1. lib. Paralip. c. 10. dicitur, in templo Dagonis fuiſſe propoſitum, nempe vt triumpharet Dagon de ſubacto Iſraelitarum rege.

¥.10. *Et poſuerunt arma eius in templo Aſtaroth*] de more, pro ſpolio & æterno victoriæ monumento. De Aſtaroth vide quæ dixi Iudicum 2. v. 13.

Corpus verò ſuſpenderunt in muro Bethſan] loco ſublimi ac publico, vnde ab omnibus prætereuntibus ſpectari poſſet, nempe, vt ſolent latronum cadauera rotis imponi in triuijs, vt omnibus innoteſcat illorum turpitudo, fœditas & nequitia. Et erat ſanè inſigne iſtud ludibrium regij cadaueris. neque tamen illius ſolius: nam & trium filiorum eius cadaueribus eamdem inflictam ignominiam patet ex v. 12.

¥.11. *Quod cùm audiſſent habitatores Iabes Galaad*] Erant hi quos ante biennium Saul initio regni ſui liberarat à tyranno Naas Ammonitæ, qui non niſi effoſſis omnium oculis dextris pacem illis dare voluerat. c. 11. Cuius beneficij cùm grata eſſet recenſque apud ipſos memoria, in vicem acceptæ à Saule & libertatis & vitæ, voluerunt ſaltem cadauer ſui benefactoris, cùm aliud non poſſent, ab illa patibulari ignominia vindicare, & more regio comburere, ſepelire, ceteraque iuſta perſoluere.

Nota. Hæc Saulis & filiorum eius oſſa, ex nemore *Iabes Galaad*, vbi iam condita fuerunt, tranſtulit poſtea Dauid in terram Beniamin, in ſepulchrum paternum *Cis* patris Saul, 2. Reg. 21. v. 12.

LIBER.

LIBER II. REGVM

Recenſet acta Dauidis iam regis, quæ ordine temporum digeſſi in Chronico cap.28.

CAPVT I.

Dauid occidi iubet Amalecitam, qui iactabat ſe ſua manu occidiſſe Saulem. Luget deinde caſum regem, & carmine lugubri deflet communem cladem.

℣.16. SANGVIS *tuus ſuper caput tuum*] Id eſt, ſanguine tuo effuſo ſuper te, pœnas dabis effuſi ſanguinis è regio corpore, quod impia & ſacrilega manu violaſti.

Notat Abulenſis & Caietanus, Dauidem mortuo iam Saule, ex Dei diſpoſitione habuiſſe auctoritatem poteſtatemque regiam, quâ iuſtè occidit hunc iuuenem, qui iactabat, & quidem falsò, (vt dixi cap.vlt.libri præced.) ſe occidiſſe Saulem.

℣.18. *Et præcepit Dauid, vt filios Iuda* (in qua tribu ipſe auctoritate valebat) *docerent arcum*] id eſt, artem ſagittariam, qua Philiſthæis eius artis ſcientiſſimis opponi poſſent. De quâ arte, & quo modo tirones in ea exercendi, vide Vegetium. Sed hîc per *arcum* ſynecdochicè *omne armorum genus* intelligendum videtur: nam volebat Dauid indicare, grauiſſima à Philiſthæis bella imminere Hebræis, atque ideo debere vndique comparari inſtrumenta bellica omne genus, & omnes bello idoneos in armis exerceri. Et hæc eſt communis Interpretum expoſitio. Videtur tamen hîc per *arcum* deſignari titulus *epicedij* ſeu carminis lugubris, quod mox ſequitur, quia ſæpiùs mentio fit *arcus* in illo cantico ferali. Sicut Pſalmus 44. à *Lilijs*: Pſalmus 21. à *cerua matutina*, & alijs præfixis titulis nomen acceperunt. ita Mariana, & Sanctius. Et fauet huic expoſitioni, quòd LXX. nullâ factâ mentione *arcus*, tantùm dicant, Dauidem lamentatum fuiſſe hanc lamentationem, *ad docendos filios Iuda*. Et ſimili occaſione Ieremias, cùm inſtarent alia infortunata tempora, monet parentes vt *filias ſuas doceant lamentum & planctum*, ſeu carmen lugubre & lamentabile.

Veget. de Re militari l. 1. c. 15.

Ierem. 9. v. 20.

Sicut ſcriptum eſt in libro iuſtorum] Hebraicè, *in libro iuſti*; LXX. *in libro recti*. Id eſt in libro qui de *iuſtitia* ſeu *rectitudine* tractat, ſeu, in quo leges & ritus ac ceremoniæ ſacræ continentur. In quo *rituali libro* ſeu *Directorio* inter cetera habebatur quoque hoc Dauidis epicedium; quod Ioſephus teſtatur ſuo adhuc tempore in vſu fuiſſe. Continebatur & illud epinicium Ioſue 10. de ſole per illum ſtare iuſſo, & alia. Sed iam liber ille (vt plures alij,) temporum iniuriâ perijt.

Initium carminis eſt, *Conſidera Iſrael pro his*, &c.] Id eſt, accuratè & diligenter expende, quales illi & quanti ſint viri quorum ſanguine montes Gelboë tincti ſunt, nempe, non ſunt terræ filij, aut è media turba, ſed rex & regia ſoboles, & præſtantiſſimi quique duces Iſrael.

℣.19. *Quomodo ceciderunt fortes?*] Intercalaris eſt verſiculus, & in threnis vſitatiſſimus, quem & repetit verſ.25. & 27. Et ferè ſolent Hebræi ſic ſuos planctus exordiri. Ieremiæ 1. *Quomodo ſedet ſola ciuitas?* & c.2. *Quomodo obtexit caligine?* & c.4. *Quomodo obſcuratum eſt aurum?* Et Iſaiæ 14. *Quomodo cecidiſti lucifer?*

℣.21. *Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniant ſuper vos*] conſequenter, nec vllus ex vobis fructus ad hominum vſus proueniat: atque ita nec vllæ primitiæ ſeu frugum, ſeu pecorum è vobis æternum ſterilibus ad templum Domini deuehantur. Non maledicit ſeriò montibus, vtpote innocuis & irrationabilibus, ſed more militari & Hebræis vſitato ita ludit in re funebri. q.d. Æquum eſſet vt in memoriam tantæ cladis priuaremini omni rore & pluuia, ita Abulenſis & Caietanus.

℣.22. *A ſanguine, ab adipe fortium*, quem Saul & Ionathas ſuo gladio & ſagitta in bello hauſtum ibant, *gladius & ſagitta numquam rediere retrorſum*] id eſt, irrito conatu, aut ſucceſſu fruſtraneo. Hoc ſtrenui & periti militis eſt, nullum torquere telum, quod non aut ſanguinem aduerſarij effundat, aut animam letali vulnere hauriat.

CAPVT II.

Dei monitu Dauid migrat in Hebron, vbi à tribu Iuda vngitur in regem: laudatâque ciues Iabes Galaad, quòd ſepeliſſent Saulem. Cuius filium Iſboſeth in regem ſuper reliquas tribus euehit Abner: vnde bellum continuum inter domum Dauid & domum Iſboſeth.

℣.9. SVPER *Galaad, Geſſuri, Iezrael*] &c. In his locis priùs acclamatus fuit rex *Iſboſeth*, ideoque & hîc prius nominantur. Vt verò *regem Geſſuri Tholmain*, in Syria, haud procul Damaſco, Iſraelitis (vt puto) vectigalem Dauid ſibi deuinciret, & æmulo ſuo *Iſboſetho* aduerſarium faceret, filiam illius *Maachan* ſibi in vxorem depoposcit, ſed prius ad veri Dei cultum conuerſam. Vnde licuit Dauidi id facere; maximè cùm Geſſur ad fines Chananæorum, certè ad Chananæos populos non ſpectaret, cum quibus ſolis vetita erant Iudæis connubia Deuter.7. Vide quæ de Geſſur dixi 1.Reg.27.v.8. Erat ergo hæc iam quarta Dauidis vxor: mox verò etiam quintam ſuperinduxit, dein & ſextam & ſeptimam, vt plures principes & familias ſibi affinitate obſtringeret. Ex ſingulis verò vxoribus exceptâ Michol, ſingulos liberos in Hebron ſuſcepit.

2.Reg.3.v. 4.& 5.

℣.10. *Duobus annis regnauit* Iſboſeth, nempe, antequam bella inter ipſum & æmulum eius Dauidem exorirentur. Nam pòſt adhuc alijs quinque annis cum medio regnaſſe, clarè docent Genebrardus, Abulenſis, Serarius, Torniellus & Salianus. Primo biennio videntur hi duo reges (nam vterque erat legitimus, vtpotè legitimè creatus) ſat negotij cû Philiſthæis victoriâ inſolentioribus habuiſſe.

Genebr. in Chronicis. Abulenſ. & Serar. hic. Torniell. anno mundi 2980. Salianus anno mundi 2979. fine.

habuisse. Quibus demum seu vi coercitis, seu inducijs ad quietem reductis, *Abner* princeps militiæ Isbosethi, etiam de pace cum Dauide, & æterno inter vtramque domum fœdere conciliando, si posset: sin minùs, de re bello dirimenda actitare cœpit. Ergo cum lectissima militum manu ex regia in *Gabaon* vrbem tribus Beniamin, Iudæ conterminam progressus, Ioabo Dauidis copiarum duci ex condicto occurrit. Sed antequam pacis aut fœderis mentionem injiceret, ostentare cupiens militum suorum fortitudinem, ne fortè suis partibus diffidere aut desperare videretur,

¥.14. *Dixit Abner ad Ioab, Surgant pueri* seu milites, *& ludant coram nobis*] nempe ludo gladiatorio, & duello, vt solent in theatris, cùm non B fictè, sed seriò; non obtusis, sed acutis gladijs res geritur. Neque abnuit Ioab, ne sui viderentur audacia & alacritate aduersarijs cedere.

Notat hîc Abulensis, non leuiter ab vtroque duce peccatum fuisse, quòd non belli dirimendi, vel causæ decidendæ, sed solus animi & vanæ virium ostentationis gratia sanguinolentum certamen oblatum atque admissum sit. Et licèt culpam Ioabi minuerit metus, ne, si recusasset, dedecore afficeretur cum suis, & simul audaciores fierẽt Israelitæ; ad Iudæos deinceps crebrioribus damnis afficiendos; culpam tamen non planè delet: quia pudor & metus ille non tanti erat, vt ad eum euitandum, in tot fortissimorum virorum quasi certam, saltem iniustam mortem consentiret, cùm non deessent alia media, pudoris metusque illius, etiam aperta vi depellendi. Ipsos gladiatores excusare potuit cæca obedientia, qua legitimis ducibus suis, penes quos esse debet examen causæ, prompti paruerunt. Si tamen non obediendi causa, sed tantùm ostentandarum virium gratia ad certamen concurrerunt, vtique & ipsi peccarunt, & infelici morte defuncti sunt, vt solent qui in vltroneo duello cadunt. Et forsan ideo permisit Deus, vt omnes vtrimque mutuis vulneribus confossi interierint, vt apertè colligitur ex textu, non Latino solùm, sed & Græco, & Hebræo, & Chaldæo, & ferè omnium interpretum vnanimi consensu. Et Iosephus idem disertè affirmat, quamuis Comestor, Liranus & Dionysius decepti versione Rufini, putarint Iosephum voluisse, solos Abneris milites occubuisse, & omnes Ioabi mansisse superstites. Cetera cùm accẽsis hoc cruento spectaculo vtrimque tam ducum, quàm militum animis, cùm dubiam adhuc fortitudinis laudem suo quisque exercitui promereri, simul & sociorum mortem vlcisci vellet, extemplò totis aciebus concursum. Et quia maior fuerat Abneris culpa primò prouocantis, permisit Deus iusto iudicio ipsum vinci, & magna clade affici, cum non minore probro damnoque Isbosethi, à quo paulatim ex varijs tribubus multa millia ad Dauidem transfugerunt, vt habes 1. Paralip. 12. v. 22.

CAPVT III.

Abner ob concubinam reprehensus ab Isboseth, transit ad partes Dauidis, cui reducit vxorem Michol sed proditorie confoditur à Ioab. & amarè defletur à Dauide.

¥.8. NVMQVID *caput canis ego sum aduersum Iudam hodie?*] Exprobrat Abner regi Isbosetho ingratitudinem, & obliuionem tanti in se collati beneficij, vtpote quem propter mulierculam sic tractet quasi foret vilissimum A mancipium & fœtus canis: cùm tamen contra tribum Iuda, omnesque Isbosethi aduersarios se vt acerrimum leonem semper exhibuerit.

¥.9. *Quomodo iurauit Dominus Dauidi, sic faciam cum eo*] nempe, vt te depresso, Dauid omni Israeli dominetur. Non apparet ex Scripturis vbi id iurauerit Dominus Dauidi. Vti nec quod paulò pòst idem Abner dicit v. 18. *Dominum locutum esse ad Dauid*, seu de Dauide, (a) *in manu serui mei Dauid saluabo populum meum Israel de manu Philisthiim.* Sed Iosephus dicit, hoc oraculum à Samuele Propheta editum fuisse. Iuramento verò significabatur diuini promissi firmitas & certitudo. a *Prolegom. de Idiotism. Hebræorum num. 12.*

¥.12. *Cuius est terra?*] Insinuat Abner, se totam terram, totamque rem Israeliticam in sua manu ac potestate habere, & nullo negotio posse in quam voluerit partem inflectere. Et quidem promptum paratumque se, vt ab Isbosetho totam in Dauidem transferat, si ille secum *amicitias facere*, id est, obliteratis antiquis simultatibus, habere se inter amicos suos, & quidem primos ac regi proximos, vt explicat Iosephus, &, quod consequens est, præcipuis dignitatibus atque officijs regni condecorare voluerit. Et Dauid quidem fœtus conditionem admisit, neque tamen Abneris culpæ aut proditionis particeps fuit; vt qui iure sibi cælitus concesso vteretur. Cùm enim sciret Dauid vniuersum C regnum diuino decreto sibi deberi, poterat illud sibi quacumque via commoda licitaque vindicare. Et quamuis nollet aut cruenta victoria, aut inuitis subditis id rapere: volentibus tamen ab æmulo desciscere & ad se transire, deesse non voluit. Ad voluntatem quoque peruersam Abneris non nisi permissiuè se habuit, eamque in rem suam conuertit, ferè sicut Deus studijs impiorum vtitur ad bonos inde effectus eliciendos.

¥.19. *Et abijt* Abner, specie deducendæ Micholis, *ad Dauid in Hebron, vt loqueretur*] id est, exponeret ei mentem totius populi Israelitici iam persuasi vt vltrò regnum totum in Dauidem transferret. Et iam transegerat Abner cum Dauide, ibatque collectum capita populi & exercitus, D vt publicum nouo cum rege fœdus & pacta de more inirentur. Sed nequitia & dolis Ioabi ex itinere reuocatus, in ingressu vrbis Hebron ab eodem proditorie confossus interijt, Abisai fratre Ioabi adstante, & opem, si Ioab eguisset, parante. vnde v. 30. tam Abisai quàm Ioabo cædes hæc adscribitur.

¥.27. *In vltionem sanguinis Asael fratris* Ioabi & Abisai. Nempe hæc causa publicè spargebatur, etiam ab ipsis homicidis. vera tamen causa, quæ maximè Ioabum ad id facinus impulit, videtur fuisse inuidia, æmulatio, & timor, ne sibi Abner in E principatu militiæ sufficeretur. ita Iosephus, Magister (*b*) Historiæ Scholasticæ, Procopius, Dionysius, Liranus, Serarius, Salianus. *Sciebat enim fore* (inquit Theodoretus) *vt ille præesset exercitui, qui vniuersum Israelem adducebat ad regem.* Et verò eamdem ob causam idem Ioab, eâdem perfidiâ occidit etiam *Amasam*, quòd & illum timeret sibi ducem successurum, infrà cap. 20. b *Comestor.*

¥.28. *Cùm audisset Dauid rem iam gestam*] vt tanti sceleris suspicionem à se amoliretur. Primò, publicè protestatur, id se inconsulto atque inscio patratum. Secundò, diuinam vltionem in Ioab, totamque patris eius familiam imprecatur & prædicit, nempe posteros eius alios fore *gonorrhœos* seu sc-

seu seminifluos, qui morbus apud Hebræos erat fœdissimus, maximeque abominabilis, Leuitici 15.& Numeror.5. Alios *leprosos*, nihilominùs detestandos, Leuit.13. Alios *tenentes fusum*, quod mulieroforum & imbellium est, & viris cordatis extremè probrosum; vt patuit in Sardanapalo (*a*) Hercule (*b*) Narsete (*c*) & similibus. Alios *cadentes gladio*, seu aperto marte, seu struendis pari dolo insidijs. Alios denique *indigentes pane*, quod apud Hebræos inter maxima quoque infortunia numerabatur. Neque tam dira execratione contentus, Tertiò, iubet ipsi etiam homicidæ Ioabo, totique aulæ suæ, & toti populo, vt scissis vestibus & saccis induti prosequantur funus Abner, eaque signa publici luctus edant, quæ non nisi in maximorum principum exequijs præstari solent. Quartò, ipse quoque rex idem funus sordidatus sequitur, & lugubri planctu ac ferali epicedio, tanti principis miserrimum casum simul & heroicas virtutes prosequitur. Quintò, noluit interesse publico epulo funebri, quod Hebræi (quos postea secuti sunt Athenienses, & Romani, & penè omnes aliæ gentes) maximo sumptu instruere solebant: sed totum diem ieiunus transegit. Denique nihil omnium prætermisit quæ vel fratri defuncto, vel patri proprio, vel integerrimo amico, cui quàm optimè vellet, deflendo, lugendo, parentando præstare aut debuisset aut potuisset. Quibus omnibus id saltem obtinuit, vt omnis populus iam certus esset, regem ægerrimo animo mortem Abneris ferre, nedum illius auctorem esse, aut conscium fuisse. Verùm cur passus est Ioabum tanti sceleris auctorem viuere, & quidem impunitum, & ne vel minima seu honoris, seu dignitatis parte minutum? Respondet ei obiectioni Dauid:

a Iustinus l.1.& Herodotus in Clio.
b Ouidius in epistola Deianira.
c Baronius.
Ioseph.l.1. Belli c.1.

¥.39. *Ego autem adhuc delicatus*, seu tenellus, in primis regni incunabulis, *& vnctus* quidem *rex*, sed necdum sat stabilitus sum.

Porrò viri isti filij Saruiæ, putà *Ioab & Abisai*, ne- 1.Paral.2. potes mei ex sorore, *duri* ac molesti *sunt mihi*, vt- v.16. pote ingenio duro & feroci. & quia præsunt exercitui, possent facili negotio omnia turbare, meq; & regnum meum euertere. Nolo tamen impune illis esse tantum facinus, sed pœnam in tempus opportunius differo, dum interim stabiliendis rebus meis vtilem ipsi operam nauant.

CAPVT IV.

Isboseth à duobus militum præfectis in thalamo suo iugulatur. Sed præfecti vicissim, dum caput ad Danidem deferunt, pro mercede iugulantur.

¥.2. DVo *principes latronum*] Sic olim milites omnes, sed maximè prætoriani, vocabantur, teste Varrone, quasi *laterones*, quòd latera stiparent principum. Vnde LXX. vertunt, *principes turmarum*; Chaldæus, *principes exercituum*. Sic 4. Reg.24. dicitur Deus Ioakimo immisisse *latrunculos* Chaldæorum, & latrunculos Syriæ, & Moab & Ammon, *vt disperderent Iudam*. Et Virgilius quoque & Plautus per *latrones* non rarò milites intelligit, teste Festo, & Seruio & alijs. Hi *erant filio Saul*, nempe Isbosetho, regiæ cohortis præfecti: qui, qua de causa incertum, *fugerunt* ante id tempus ad Philisthinos *in Geth*, forsan vt procul essent ab Abnere sibi ob rem aliquam malè gestam infenso. Nunc verò, cuulgata morte Abneris, cùm vident nutare totum Israelem, & singulos rebus suis prospicere: animaduertentes Saulis familiam in certum iam interitum ruere: neque ex ea superesse quempiam in quo spes suas figere possent, cùm rex Isbosceth imbellis totus, Miphiboseth verò Ionathæ filius & mutilus & puer adhuc esset, alij autem filij Saulis *ex Respha*, vtpote ex concubina nati, non possent ad regnum aspirare; decreuerunt exemplo Abneris, gratiam Dauidis, in quem omnium & oculi & animi conuersi erant, insigni aliquo facinore demereri, putà cæde regis Isbosceth vnici æmuli Dauidis.

Virg.12. Æneid. Plaut. in Militeglorioso, actu 1.scena 1. in fin.

¥.6. *Ingressi sunt* ergo *domum latenter, assumentes spicas tritici*] nempe vel instar *villicorum* triticum ex agro deferentium: vel, vt Chaldæus habet, instar *mercatorum* tritici, id venale afferentium, & specimen aliquod manu præferentium.

Petes, quæ fuerit illa purgatio tritici per ostiariam in aula regia, vbi & strepitus omnis & sordes rurales procul abesse solent? Respondeo, Non fuit excussio granorum ex spicis, quæ tribula fiebat, vel mola, vel vngulis equorum aut boum. Neque etiam excussio palearum, lapillorum, aliarumve sordium, quę vanno fiebat. Sed erat exfollificatio granorum è spicis adhuc virentibus, quæ ferè manibus fieri debebat, vel pectine, aliove simili instrumento dentato: fiebatque sine strepitu, nec magno labore: vnde & ab honestis, imò & aulicis ac delicatis feminis, exerceri poterat. Porrò ex his granis virentibus, ac deinde tostis, piloque contusis conficiebant *polentam*, gratam ac delicatam farinam, è qua fiebant arte pistoria varia edulia ac dulciaria, Hebræis admodum vsitata, & etiam regijs mensis non indigna, ita Sanctius. Vide quæ dixi l.1.c.17.v.17.

CAPVT V.

Dauid omnium tribuum rex declaratur & vngitur: pulsis Iebusæis capit arcem Sion, in qua sibi palatium construit: superinduxit alias vxores: & Philisthæos bis prosternit.

¥.2. *Tv pasces populum meum*] Verosimile est, vt dixi cap.3.v.9. hæc dicta Dauidi per Samuelem Prophetam. vt Iosephus affirmat.

Nota. Tertia fuit hæc & vltima vnctio Dauidis, facta decreto & in præsentia *vniuersarum* tribuum, id est capitum & principum vniuersarum tribuum: qui 1.Paralip.8.v.27. *Patriarchæ* vocantur, & *cognationum principes*. Quibus accesserunt etiam *seniores Israel*, id est sanedrim, seu septuaginta viri, quos Moyses Numeror.11. iubente Deo ex toto Israele selegit, & antè inductos reges præerant toti populo. Hi nomine totius populi inierunt fœdus cum nouo suo rege, seu pacta & conditiones, quibus de more & ipsi fidum regi obsequium, & rex ipsis paternam tutelam iuramento promittebat, *coram Domino*, id est Deo in testem inuocato, forsan etiam coram tabernaculo Domini, quod Dauid in Hebron, quo tempore istic resedit, construxisse videtur, vbi oblatis sacrificijs coleretur Deus. Neque enim consultum erat, vt qui Dauidi adhærebant, in Gabaon Isbosetho subiectam vrbem, vbi tabernaculum Moysis Saul collocarat, ter in anno se transferrent. Et verò solitum in Hebron offerri sacrificium, probat illud cap.15. quòd Absalon à parente petierit, sibi vt liceret in Hebron sacrificij causa secedere. Qua autem ratione licuerit tum pluribus locis sacrificare, dixi cap. vlt. libri Iudicum.

¥.6. *Abijt rex ad* expugnandum *Iebusæum* habitantem adhuc in meditullio terræ Hebræis promissæ.

missæ. Nam licèt filij Iuda iam pridem expugnas- A
a *Iosue 15. & Iudic. 1.* sent (*a*) inferiorem partem Ieroſolymorum, ſuperiorem tamen, quæ erat arx munitiſſima, num-
b *ibid.* quam (*b*) Iebuſæo extorquere potuerant. Hanc ergo ignominiam, & quaſi ſeruitutem, quam tot antea duces magno Iſraelitici nominis dedecore tamdiu pertulerãt, vult Dauid initio regni ſui, pro felici reliquarum expeditionum auſpicio tollere & abolere. Verùm cùm arx tam natura loci, quàm arte eſſet munitiſſima, & humano iudicio inexpugnabilis, Iebuſæi ridebant omnes Dauidis conatus, iactabantque hoſtili ſarcaſmo, *Non ingredieris hùc, niſi abſtuleris cæcos & claudos.* quaſi dicant, Ne ſperes te priùs arce potiturum, quàm cæcos illos & claudos, qui ſoli arci tutandæ, & tibi reſiſtendo B ſunt, è propugnaculis ſubmoueris: quod tuarum, quantarumcumque, non eſt virium. Scribit enim
Ioſeph. l. 7. Antiqu. c. 2. Ioſephus, Angelomus Procopius, Theodoretus, & alij, Iebuſæos præfiſos munitioni loci, veros ac propriè dictos *cæcos & claudos* in quibuſdam propugnaculis aduerſus Hebræos expoſuiſſe, iocantes inſultanteſque, arcem alijs propugnatoribus aduerſus talem hoſtem non egere. Sicut Liranus di-
Liran. in Ezech. 27. cit, *Tyrios* in mœnibus ſuis diſpoſuiſſe Pygmæos, ſeu homines cubitales & omninò nihili, quaſi non egerent alijs propugnatoribus. Et erant fortè tum in arce plures milites vel claudi, vel deſioculi, vel alio infortunio inutiles facti bello, qui ſumptu publico, (vt Athenis factum in Prytaneo) alebantur. Hi ad inſultandum Dauidis conatibus in muris diſpoſiti, ſubſannabant & ipſi nimis libero ac petulãte conuitio Hebræos, quaſi minùs audaces, minùs potentes ad ſe, qui *cæci & claudi* eſſent, de muro deturbandos; quid ergo ſperarent victoriæ ex integris robuſtiſſimiſque Iebuſæis qui arcem inſiderent? Verùm Dauid inſolente conuitio non deterritus, ſed magis accenſus atque inflammatus, cùm ſciret ambitioni nihil imperuium eſſe, præmium proponit audaciſſimo cuique, qui primus propulſatis Iebuſæis, *fiſtulas domatum*, id eſt aquarum de tecto emiſſarios canales manu cõtingeret, atque ita in verticem propugnaculi euaderet, indeque *cæcos & claudos* pugione (vt habent LXX.) D deturbaret *odientes animam Dauid*, quod odium ſat
1. *Paral. 11. v. 6. &c.* prodiderant tam amaris ſannis & ſarcaſmis. Præmium verò fuit ducatus ſeu præfectura totius exercitus Iſraelitici, quæ morte Abneris iam pro maiori parte vacabat. Porrò Ioab, vt Dauidem ſibi non leuiter recenti cæde offenſum nouo facinore conciliaret, ſimulque virtutem ſuam toti Iſraeli teſtatam faceret, primus murum conſcendit, & propoſitum glorioſæ victoriæ brauium abſtulit, 1. Paralip. 11. atque ita bona regis, bona omnium gratia in officio & dignitate priſtina multis iam partibus aucta ſtabilitus fuit. Ceterùm Hebræi ſarcaſmum ſarcaſmo commutantes, exinceps Iebuſæos, E quòd ſæpiùs ingeminarent hæc nomina, omnes lepido cognomine, *cæcos & claudos*, vocarũt: addentes, *cæcos & claudos* tales numquã ingreſſuros templum ſeu tabernaculum, quod in ea arce conſtructum fuit. Quaſi dicant: Vos *cæci & claudi* iactaſtis, Dauidem numquam ingreſſurũ in arcem: Dauid verò ita ingreſſus eſt, vt vos deinceps numquã ampliùs in eam ingreſſuri ſitis. Et pòſt in prouerbium abijt, vt quoties quis indicare vellet, Iebuſæos ſtultæ iactantiæ ſuæ meritas luiſſe pœnas; vulgò vſurparet illud Leuitici, *Cæcus & claudus non intrabunt*
Leuit. 21. v. 18. *in templum.* Cetera huius capitis vide 1. Paralip. 11 & 14.

CAPVT VI.

Educit Dauid arcam è domo Abinadab: ſed ob caſum in itinere Ozam, non audet eam in ſuum palatium deducere: ergo diuertit in domum Obed-Edom. E quâ poſtea reducit eam Ieroſolymam in tabernaculum iſtic erectum. Cumq; ludens coram arca rideretur à Michol vxore ſua, ſterilitatis pœnâ illa mulctatur.

¶. 3. *De domo Abinadab, in Gabaa*] Id eſt, in colle ſeu arce, loco editiore vrbis *Cariathiarim*, vt dixi c. 7. l. 1. Regum v. 1.

¶. 6. *Ad aream Nachon*] Is quicumque eſt, binomius fuerit oportet: nam 1. Paralip. 13. v. 9. vocatur *Chidon*. Qui, vt & *Obed-Edom*, & *Areuna*, domicilium habebat in inferiore Ieruſalem, vel in ſuburbio. Vt fusè probat Abulenſis.

¶. 7. *Percuſſit Dominus Ozam ſuper temeritate*] Tradũt Hebræi, vt refert S. Hieronymus, primùm exaruiſſe manum Ozæ, deinde brachium, denique humerum, quo arca Domini portanda fuerat. Et videtur *temeritas* Ozæ, propter quam morte punitus eſt, in eo fuiſſe, quòd deterritus labore baiulandi humeris arcam, vel certè non ſat excuſſa lege Numer. 4. auctor fuerit, vt plauſtro deueheretur: quod cùm ſciret à Philiſthæis, cùm nuper arcam reueherent, impunè factitatum, putauit etiam nunc licere. Sed Hebræis inſiſtendum erat non exemplo Philiſthæorum Leuitis carenC tium, & legem ignorantium, neque ea obſtrictorum: ſed legi diuinæ per Moyſen diſertè præcipienti, tam *arcam*, quàm *altaria*, *menſam & candelabrum*, ceteraque *vaſa ſanctuarij* humeris Leuitarum *Num. 4. v. 5. &c.* Caathitarũ baiulari: propterea enim annulos habebant affixos, vt immiſſis vectibus commodè humeris deferri poſſent. Hanc cauſam cædis Ozæ *Hieron. in Tradit. Hebraic. & a Sabiniano.* cenſet fuiſſe S. Hieronymus, Theodoretus Procopius, Liranus, Abulenſis, Sanctius & Salianus, qui dicunt communem eſſe Doctorum. Et ipſe rex Dauid, cùm correcturus hunc ſacerdotum errorẽ, trimeſtri pòſt iubet arcam, non iterum plauſtro, ſed humeris deferri, apertè ſignificat, eam mortis Ozæ cauſam fuiſſe, 1. Paralip. 15. verſ. 2. & 12. Addit D Caietanus, hoc peccatum, etſi commiſſum ſit cùm arca plauſtro imponeretur, nihilominus punitum non fuiſſe priùs, quàm effectus peccati ſenſibiliter & palàm innoteſceret: quando ſcilicet laſciuientibus bobus, & à via plana in aſperam deflectentibus arca inclinari cœpit, & excuſſa terræque alliſa fuiſſet, niſi manibus eam Oza fulciuiſſet. quod præter decorum, & contra tanti Numinis maieſtatem eſſe videbatur. Vnde & ad tale periculum euitandum, ſimul & ad arcam magis honorandam, iuſſerat eam Deus humeris, non plauſtro deferri. Similia ferè habet Liranus & Sanctius. Qui tamen cum Toſtato, Angelomo, Dionyſio, & alijs iam E citatis putãt, peccatum iſtud Ozæ vel veniale tantùm fuiſſe, vtpote non ex malitia profectum: vel, ſi mortale, pœnituiſſe eum facti, maximè cùm calcitrantibus iam bobus, reipſa ſentiret videretque, ſe ſua culpa tanti ſcandali periculum creaſſe, quo parum abfuit quin arca in terram coram omni populo corrueret.

¶. 12. *Nuntiatum eſt regi, quod benedixiſſet Dominus Obededom, & omnia eius, propter arcam*] Certè fœcundam & largam oportuit fuiſſe eam benedictionem, quam ſpatio tam breui, puta trimeſtri, promiſcuè omnes, etiam externi palparunt. Quare puto, non ſolos greges (quod volunt Hebræi) *Hieron. in Tradit. Hebr.* multiplici fœtura, & familiam totam maſcula ac robuſta

robusta prole auctam esse, vt colligitur ex 1. Paralip. 26. v. 24. & seqq. sed insuper agros omnes segetibus, arbores pomis, vites vuis ad miraculum graues fuisse. Si quid contraheret aut negotiaretur cum aliquo, si quid acquireret, venderétve, omnia felicissimè cedere, nullas à cælo, nullas ab hominibus iniurias pati. Adde, si placet, effossos thesauros, contractas suprà spem affinitates, amicitias, clientelas: statum, honores, gloriam, famam amplificatam: & alia quæ id temporis beatum omni ex parte fortunatumque quempiam reddere censebantur.

Nota, fuisse hunc *Obed-Edom* Leuitam, vt dicitur 1. Paralip. 15. v. 19. & c. 26. v. 4. Vocatur tamen hîc *Gethæus* à loco habitationis: quia vel pater illius, vt vult Serarius cum Vatablo: vel etiam ipsemet exulauit apud Philisthæos in Geth, fortè cum Dauide & Abiathare pontifice. Ita Abulensis & Salianus.

℣. 20. *Nudatus est*] pro, spoliatus paludamento & veste extima regali: & indutus *ephod lineo*, id est, *stola byssina*, qualis erat Leuitarum, vt expressè habetur 1. Paral. 15. v. 27. Vide quæ de *ephod* dixi Exodi 28. & 1. Regum 22. v. 18.

CAPVT VII.

Dum meditatur Dauid templum Domino construere, à Nathan Propheta primùm collaudatur: sed mox iubente Domino per eumdem prohibetur, promissione acceptâ, quòd filius ex ipso nasciturus templum illud construeret.

℣. 3. OMNE *quod est in corde tuo, vade, fac*] Hinc probant S. Gregorius, & S. Thomas, non omnia quæ loquuntur Prophetæ, spiritu semper prophetico didicisse, sed interdum, sicut ceteros hominum, suis duci solitos cõsiliis, imò & à vero abduci. Exemplo sit *Ionas*: & hic noster *Nathan*, qui idcircò sequenti nocte meliùs à Deo edoctus, reuocauit postera die quæ pridie probarat. Epiphanius, Isidorus, Theodoretus & Chronicon Alexandr. notant, hunc Nathan oriundum fuisse ex Gabaath Galilææ, & Dauidi regi propter donum prophetiæ perfamiliarem atque à consiliis fuisse. Causa verò cur Deus nolucrit à Dauide templum ædificari, vna profertur à Salomone 3. Regum 5. v. 3. *propter bella eminentia per circuitum*. Altera ab ipsomet Deo 1. Paralip. 22. vers. 8. *Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti*. Vsque adeò displicent Deo cædes hominum, vt cædes sunt; quò altiùs nobis imprimat affectũ mansuetudinis ac lenitatis. Itemque vt præsignaret, Ecclesiam construendam non ab aliquo bellatore, aut vi aut armis, sed agnina mansuetudine, & à Salomone, id est, pacifico Christo. Ita Angelomus, Glossa ordinaria, Serarius & alij. Simile quid legimus in vita S. Stephani Hungariæ regis, cuius parenti licet Christiano, dictum in visione nocturna, *Non fiet per te quod meditaris: habes enim manus sanguine pollutas*, &c.

S. Gregor. homil. 1. in Ezech. *S. Tho. 2. 2. q. 171. a. 5.* *Isid. c. 52.* *Theod. in Synopsi.*

℣. 13. *Stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum*] id est, *in* tempus *longinquum*: sic enim id explicat ipsemet Dauid infrà vers. 19.

℣. 14. *Ipse erit mihi in filium*] Id est, talem ex ipso, ipsiusque posteris voluptatem hauriam, qualem ex charissima sobole parentes haurire solent.

Qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum] Hebræi, teste S. Hieronymo, *Virga virorum*, inquiunt, *gladius est inimicorum: plagæ verò filiorum hominum sunt* morbi, egestas, infamia, aliæque *incommodi-*

Hieron. in Trad. Hebr.

tates humanæ, *quibus propter peccatum suum homines à Domino meritò flagellantur*. Ita etiam Caietanus, Dionysius, Liranus, Abulensis & Sanctius.

℣. 15. *Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul, quem amoui à facie mea*] id est, cuius promouendi, aut stabiliendi curam omnem abieci, & stirpem totam à spe regni recuperandi prorsus excluси. Non ita facturus sum cum stirpe tua, quantumuis & ipsa me non rarò offendet. Nihilo enim minùs efficiam vt ex ea continuò noua pullulent germina regia, donec tandem ex ipsa prodeat virga, ex qua protuberet flos ille, qui toti mundo salutem afferet. Ita Doctores suprà citati, qui vnà cum S. Augustino notant, quædam hîc de Salomone prædici, prout est particularis persona & filius Bethsabee. & hæc ita illi propria sunt, vt nullo modo debeant aut possint Christo aptari, v. g. si peccarit, (vt re vera peccauit idola colendo, libidini intemperantiùs obsequendo) virga & plagis arguendum esse. Quædam verò de illo prædici prout fuit typus & imago Christi. & hæc in Salomone inchoatiuè & imperfectè locum habuerunt: sed in Christo plenè & perfectè completa sunt, v. g. regnum eius fore pacificum, æternum: ipsum ædificaturum domum Domini: domum illius fore *fidelem*, seu firmam & stabilem: Deum illi patrem fore, &c.

August. l. 17 de Ciu. c. 8. & 9.

℣. 19. *Ista est enim lex Adam*] Id est, hic vsus & mos hominum est, & rationali naturæ insita lex, vt, quantiscumque polleant opibus, honoribus, commodis, non tamen putent sibi plenè satisfactum, nisi posteris quoque suis pari modo prospectum sit. Tu verò, ô Deus, etiam quoad istud abundè iam mihi prospexisti. Ita Abulensis & alij iam citati.

℣. 23. *Poneret sibi nomen Deus*] Id est, compararet sibi illustre, admirabile atque æternum nomen, scilicet potentiæ stupendæ, qua hostes Israëlis contriuit: & munificentiæ, qua Israëlitas prosecutus est.

Faceretq; magnalia & horribilia super terram & Ægypti & Chanaan super *gentem*, quæ illam incolebat; & super *deum eius*] Et sanè in his tribus maxima patrauit prodigia. De *terra* patet exsiccato mari rubro, itemque Iordane: ex lapsu murorum Iericho, ex solstitio Iosue, &c. De *gente* Ægyptia loquuntur decem plagæ: de Chanaanitica, tot victoriæ Moysis, Iosue, Debboræ, Gedeonis, Samsonis, Samuelis, &c. De diis constat ex *vltione* quam Numer. 33. v. 4. dicitur Deus *exercuisse in diis* Ægypti, in puluerem eos comminuendo, vt ait Abul. item ex fœda truncatione *Dagon*, & aliorum idolorum, partim à Gedeone, partim ab aliis Israelitis iubente Deo confractorum & comminutorum, Iosue 20. & Iudic. 6. & 10.

CAPVT VIII.

Varia Dauidis victoriæ, quibus & Philisthæi, & Moabitæ, & Syri, & Ammonitæ, & Amalecitæ, & Idumæi cæsi sunt & tributarij facti Dauidi: cuius deinde officiarij recensentur.

℣. 1. TVLIT *Dauid frænum tributi de manu Philisthiim*] 1. Paralip. 18. dicitur tulisse *Geth & filias eius de manu Philisthiim*. Nam ciuitas *Geth* caput vnius è quinque satrapiis Philisthinorum, vnà cum vicinis vrbeculis & arcibus, vocabatur *Methegamma*, id est, *frænum tributi*, quia, cùm in confinio essent terræ Israeliticæ & Palæstinæ, imposuit eis Dauid validum præsidium,

quo tamquam fræno compescuit Philisthæos, & A tributum pendere coegit. Neque enim aliud videtur hîc dici fecisse Dauid cum Philisthæis, quàm quod mox v.2. & 6. traditur fecisse cum Moabitis, & Syris, & v.14. cum Idumæis : nempe præsidium posuisse in opportunis earum regionũ locis, & illas omnes gentes fecisse sibi vectigales.

℣.2. *Mensus est* Moabitas *funiculo, coæquans terræ*] Id est, sicut metator funiculo metitur agros, & pro placito suo quosque suis vsibus destinat, hos armentorum pabulo, illos serendis frugibus, alios vincarum plantationi; agri verò illi, quamcumque in sortem dati contingat, neque metatori, neque aratori resistunt : sic Moabitæ bello fracti à Dauide, & omninò prostrati ac velut B terræ coæquati, nec vel mussitare ausi, subiiciebantur illius imperio quasi funiculo mensorio, siue ad mortem destinarentur, siue ad vitam; siue ad seruitutem, siue ad libertatem. Ita Sanctius, & ferè etiam Vatablus, Caietanus ac Liranus. Vnde & pro libito suo designauit, quasi tensis funiculis, quosnam ex Moabitis, etiam in acie adhuc stantibus (inquit Abulensis) vellet ferro absumi, v.g. primos & proteruiores : quosnam verò *viuificari*, seu in viuis conseruari, vt dixi 1.Reg.27.v.11. Sed plures conseruatos fuisse & redditos vectigales, quàm occisos, indicat textus Hebræus, qui funiculum eorum quibus vita concessa est, dicit *plenitudinis* fuisse, seu plenum.

Tropologicè, Angelomus accommodat hæc duabus sortibus hominum in extremo iudicio, putà saluandorum, & damnandorum.

Ioseph. l.7. Antiq. c.5. ℣.3. *Regem Soba*] Iosephus *Sophenorum* regem vocat, regnabatque in *Syria* non procul ab *Euphrate*. Cui fluuio adiacentes vrbes, & ad Hebræorum fortè ex diuina donatione Deuteron. 1. & 11. spectantes, dum vel ipse *Adarezer* vult sibi subiicere, (vt putat Dionysius & Hugo) vel Dauidi eas Hebræis vindicare volenti (vt sentiunt Abulensis, Vatablus, Mariana & Sanctius.) armis resistit, omnem belli molem in caput suum traxit, & ad internecionem cæsus est : paucis qui superfuere millibus in seruitutem abreptis. Et hac occasione D contingit ex parte compleri diuinum promissum, quo termini terræ promissionis extendendi dicuntur vsque ad flumen Euphratis, Deut. 1. v.7. vbi pluribus egi hac de re.

℣.13. *Fecit quoque sibi Dauid nomen*] Id est, arcum triumphalem, inquit Liranus ex Hebræis & Glossa interlineari. Sed id ambitiosius videtur, quàm Dauidis modestiam deceret. Quare malim cum Abulensi, Vatablo, Dionysio, Hugone & Sanctio per *nomen* intelligere *famam & opinionem* magni ducis & potentis imperatoris. Sicut cap.7. v.9. dicit ei Deus, *Feci tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum qui sunt in terra.* Et v.23. dicitur Deus *sibi posuisse nomen*. Et illi 1.Machab.5. E *Faciamus & ipsi nobis nomen.* Cùm enim Dauid pluribus bellis antehac gestis magnum sibi apud omnes nomen peperisset fortitudinis, potentiæ, prudentiæ, &c. nusquam tamen maius aut glorioſius acquisiuit, quàm in *Valle Salinarum.* Causam vide 1.Paralipomen. 18. vbi & de reliquis huius capitis.

כהן ℣.18. *Filij autem Dauid Sacerdotes erant*] *Cohen* Hebraicè ferè semper *sacerdotem* propriè dictum significat, vt dixi Genesis 14. v.18. subinde tamen vsurpatur pro principe seu magnate, qui apud regem tali ferè est familiaritate & ministerio, quali sacerdos apud Deum. Nam & rex est quasi Deus terrestris : vnde per catachresin familiares & primi ministri regis vocantur subinde sacerdotes. Et hoc sensu *filij Danidis* dicuntur hîc fuisse *sacerdotes*; 1.xx. *Aularcha*, id est, *aulæ principis*; &, vt 1.Paralipomen.18. explicatur, *primi ad manum regis.* Ita Forerius. ἀυλάρχαι

Forerius in Isa.61.v.6.

CAPVT IX.

In gratam memoriam Ionathæ, quondam sibi amicissimi, benefacit Dauid filio eius Miphiboseth, redditis ei omnibus agris Saul, & reliquis bonis hereditariis.

℣.3. FACIAM *cum eo misericordiam Dei*] Id est, eximiam, excellentem, sicut sunt omnia *Dei*. Vel misericordiam similem misericordiæ diuinæ, quæ scilicet etiam complectitur indignos & ingratos, imò rebelles : quales se Saul & Isboseth exhibuerant erga Dauidem. Vel denique misericordiam debitam propter Deum, quem interposito iuramento testem inuocaui cùm fœdus pangerem cum Ionatha, promitteremque me non *ablaturum misericordiam à domo illius*, 1.Reg.20.& 23. Hoc enim sensu dicit ibidem Ionathas Dauidi, *Faciesmihi misericordiam Domini.*

℣.7. *Restituam tibi omnes agros Saul patris*, seu aui, *tui*] & omnium filiorum eius, vt v.9. indicatur. Nempe quæcumque illi aliquando priuato nomine, tamquam familiæ suæ propria possederunt, & iam fisco regio, propter rebellionem fuerant adscripta, tibi integrè reddi volo. C

℣.10. *Filio domini tui*, scilicet *Michæ* filio Miphiboseth, iam domini tui, *cibos inferes*] ex prouentu agrorum Saulis. Id est, tuæ curæ committo, vt paruulo de rebus omnibus necessariis ex fructibus agrorum prospicias : nam parentem paruuli, putà ipsum Miphiboseth, volo meæ mensæ perpetuum conuiuam adhibere.

Petes, Quid ergo sibi vult, quòd mox respondens regi *Siba* dicat : *Et Miphiboseth comedat super mensam meam* ? Respondeo, *Et*, valet idem quod, *imò etiam*, quasi dicat, Si tibi rex placeat, non soli filio, sed & parenti prospiciam abundè de rebus omnibus necessariis, *quasi vni de filiis regis.* Sed rex in sententia perstitit, voluitque secum in sua mensa habere *Miphiboseth, claudum vtroque pede :* cuius infortunij causa narratur suprà, cap.4. v.4. vbi, cùm quinquennis esset moriente Saule & Ionatha, & nutrix eum ad locum tutiorem deferre properaret, fallente vestigio corruit cum paruulo, & tibias illius contorsit. Porrò ex eodem illo loco colligitur, quindecim iam minimum à nece Saulis annos effluxisse, cùm in Dauidis familiam transfertur Miphiboseth. Nam quinquennis erat moriente auo & patre : & iam filium Micham ex vxore nactus erat cùm in Dauidis aulam commigrat : ergo vigesimum, præter propter, agebat ætatis annum : cui numero si quinque priores infantiæ annos præscideris, supererunt quindecim. Ita Sanctius & alij Doctores.

CAPVT X.

Legatos mittit Dauid ad Hanon regem Ammonitarum, qui super morte patris illum solentur : sed ille legatos quasi exploratores contumelioſè excipit, & mox contractis quinque regum Syriæ copiis aduersus Dauidem contendit : à quo semel iterumq; profligatur.

℣.2. PATER *eius*, nempe Naas, *fecit mecum misericordiam*] inquit Dauid. *Quando enim*

fugit

fugit à facie Achis regis Geth, venit ad Naas regem Ammon, qui fecit cum eo misericordiam, multa impertiens et bona. De Naas venit in Odolam: inde ad Moab. Ita ex Hebræis S. Hieronym. Historia Scholastica, Angelomus, Glossa & Abulensis. *Hieron. in Trad. Hebr.*

¥. 5. *Donec crescat barba vestra, & tunc reuertimini*] 1. Paral. 19. dicuntur hi legati etiam *decaluati* fuisse: nempe vt dimidia tantùm barba rasa fuit, sic etiam dimidium quoque caput videtur ad cutem vsque detonsum fuisse; nouo sanè & ad sannas adornato spectaculo. Cur verò hanc potiùs quàm aliam iniuriam legatis Hebræis irrogarint Ammonitæ, causa fuisse videtur in genere, quòd, sicut cæsaries apud omnes penè gentes decorierat, etiam Aristotele teste: sic ea luities summo probro. Nominatim verò Hebræi, saltem hoc tempore (nam posterioribus sæculis ad Gentilicios ritus plusculum deflexere) à radendo capite aut barba extra tempora luctus valdè abhorrebant, ne mores Gentilium (qui in honorem falsorum deorum suorum id factitabant, vt dixi Leuitici 19.) imitari viderentur. Hinc voluerunt Ammonitæ illo Hebræos probro afficere, quod scirent ipsis maximè exosum esse. Neque enim turpitudo hæc tota fuit in dimidiata seu coma, seu barba: nam potuisset facilè etiam altera pars, quæ intacta supererat, abradi, neque necessum fuisset in Iericho hærere donec pili rursus excreuissent; quod tamen hîc iubet Dauid:) sed probro erat Hebræis, vt dixi, caput vel mentum habere nudum à naturali vestitu, nisi fortè in ingenti dolore ac luctu, quando id honestum faciebat familiaris vsus & populi consuetudo. *Aristot. l. 2. Rhet.*

¥. 8. *Ante introitum portæ*] vrbis *Medaba*, vbi pugna commissa fuit, 1. Paralip. 19. v. 9. Vnde patet, Ammonitas sic acies suas instruxisse, vt conductum militem ex Syria in campum educerent, patrium verò exercitum ad portam ciuitatis considere iusserint, vt Hebræos, qui intermedij erant, & à fronte & à tergo adoriri possent. Sed cautior Ioab, diuisis aciebus, prior ipse vtrosque simul aggressus est.

¥. 18. *Occidit Dauid de Syris septingentos curRus*] equitibus nobilioribus graues, *&* insuper *quadraginta millia* vulgarium *equitum*, qui partim ex equis, partim è curribus pugnabant. Vnde 1. Paralipom. 19. vers. 18. dicuntur hoc bello *interfecti septem millia curruum*, metonymicè re continenti posita pro re contenta. Nam etiam ex illis 40. millibus equitum multi curribus inuecti pugnabant.

Nota in dicto Paralipomenon loco suppleri quod hîc deest de *peditibus*, nempe cæsos etiam *quadraginta millia*. Ita vt vniuersim cæsa sint hoc secundo bello ex Syriacis castris octoginta armatorum millia, præter nobiliores illos qui septingentis prioribus curribus inuecti & cæsi fuerant.

CAPVT XI.

Dum Ioab obsidet Rabba ciuitatem regiam Ammonitarum, Dauid domi residens, adulterio Bethsabee pollui-tur: cuius marito Vria fraudulenter occidi iusso, ducit illam vxorem, filiumq; ex ea procreat.

¥. 1. VERTENTE *anno*] Id est, exacto iam mensium circulo, in se ipsum recurrente anno, & nouum cursum inchoante: quod apud Hebræos vti & Astrologos, fiebat in æquinoctio verno, iuxta illud Exodi 12. *Mensis iste* Nisan (qui nostro Martio & Aprili respondet) *vobis principium mensium, primus erat in mensibus anni.* Vnde & Iosephus dicit, Ioabum incunte vere missum ad conficiendas illas reliquias Ammonitarum. Et tempus illud anni commodissimum est ad bella ordienda, & obsidiones vrgendas, quæ subinde in multos menses protrahi solent. *Ioseph. l. 7. Antiq. c. 7.*

¥. 3. *Vxor Vriæ Hethæi*] ex Heth oriundi, sed ad religionem Hebræorum traducti, atque, vt apparet, in numerum *Cerethi & Phelethi*, qui è regio satellitio erant, ob eximium robur ac fidem, adscripti. Vnde & domum habuit regio palatio vicinam: & iussus à Dauide, cùm redux esset è castris, captare delicias ex vxorio complexu, maluit officij potiùs sui, quàm voluptatis memor, ad portam domus regiæ cum reliquis regij corporis custodibus pernoctare. Porrò *Eliam* patrem Bethsabee vxoris Vriæ, dicit S. Hieronymus ex traditione Hebræorum, fuisse filium Architophel: & patet ex 2. Reg. 23. vers. 34. & ea fortè de causa coniurauit hic posteà cum Absalomo contra Dauid, vt illatam neptiac nepoti suo iniuriam vlcisceretur. *Hieron. in Trad. Hebr.*

¥. 4. *Missis nuntiis tulit eam*] non vi aut armata manu, sed suasione ac prece, qualibus ferè vtuntur quos cæcus stimulat amor. Atque ita, prô pudor! muliebri succumbit formæ, quem neque leo, neque vrsus, neque terror Israelis Goliath, neque mille tela frangere aut domare potuerant. Tantum est, oculos vel semel in feminam lasciuiùs coniecisse. Allegorias & moralia huius loci vide apud S. Ambrosium, Gregorium, Rupertum, Isidorum, Dionysium & Angelomum. *Ambros. de Apol. Dauid. c. 3. Gregor. l. 3. Mor. c. 21. Rup. l. 11. de Div. offic. c. 1. & in l. 2. Reg. c. 34. Isidor. l. 2. Reg. c. 1. Dionys. hic. Angelomus hic.*

Statimq; sanctificata est ab immunditia sua] Id est, ex eo tempore non est ampliùs passa de more menstrua: seu purificata est à sanguine menstruo, qui fœtu iam in vtero concepto cessat infallibiliter: vnde & imprægnationis certum est signum. Ideoque mittit statim ad Dauid, dicens, *Concepi*; vide consulas & nomini tuo, & saluti meæ.

¥. 15. *Ponite Vriam ex aduerso*, &c.] Quasi magnum aliquod in Vria deprehendisset flagitium, quod tali mortis genere expiari deberet, iubet Dauid illum hostibus obiici, & à suis perfidiosè deseri. En nouam iniuriam: nam non contentus abstulisse vxorem per adulterium, deinde & mentem per inebriationem: nunc etiam honorem innocenti adimit, quasi in maximo crimine deprehenso. Mox eumdem vitâ quoque spoliari curat. Et nouo miseriæ genere vult ipsummet suæ sibi necis cooperatorem esse, dum proditoriis litteris, quas ad Ioabum defert, se ipsum in insidias, in laqueos, in enses hostiles inducit. Putat Sanctius, fabulam de litteris Bellerophontis, quibus quasi commendatitiis à rege Prœto ad Iobatan acceptis, simili modo in mortem præcipitatus est, ab Vriæ historia principium duxisse. Iobatas enim non procul dissidet à Ioab: neque infrequens est, Poëtas in suis fabulis veras, imò canonicas historias includere: vt in diluuio, in Samsone & aliis vidimus, & Clemens Alexandrinus pluribus demonstrat. *Clem. l. 2. Stromatum.*

¥. 21. *Filium Ierobaal*] id est, Gedeonis. Historiam hanc vide Iudicum 9.

CAPVT XII.

Parabola ouiculæ correptus à Propheta Nathan rex Dauid, culpam suam agnoscit, & veniam obtinet, pœnis tamen acerbis plectendus. Mortuo mox puero, Salomon ex eadem matre nascitur. Rabba expugnatur & diruitur, in Ammonitas crudeliter sæuitur.

¶. 4. PEREGRINVS hospes, cui Dauid comedendam obtulit alienam ouiculam, fuit libido & pruriens appetitus intemperantis concupiscentiæ. Hunc hospitem diabolus ad Dauidem misit cum mandatis, ne aliis quàm furtiuæ veneris, & à lege atque pudore naturali prohibitis ferculis se sineret saturari.

¶. 8. *Dedi tibi vxores domini tui* Saulis *in sinu* B *tuo*] nempe *Michol*, *Aeglam* & *Resphan*, quas Hebræi, iam viduas dicunt à Dauide acceptas in vxores. Sed hoc meritò refutat Abulensis. Neque enim aliud hîc significatur, quàm, potestati Dauidis traditas illas Saulis viduas, & quantumcumque vellet numerosum feminarum gregem, è quo quot vellet sibi vxores deligere posset; vt opus non fuerit, ad miscellam Bethsabee miselli Vriæ charissimam coniugem tam indignis modis, tam crudeli via deflectere.

Adiiciam tibi multò maiora] v. g. stabile in domo tua regium sceptrum: nasciturum ex te Messiam, &c.

¶. 11. *Tollam vxores tuas, & dabo proximo tuo*] C Nemo Dauidi propinquior aut sanguine coniunctior fuit, quàm genitus ex ipso Absalom, qui vt hîc prædicitur, violauit paternum thalamum, cùm decem patris secundarias vxores seu concubinas fœdissimè constuprauit, infrà c. 16. Idque *in oculis solis*, id est, ita palàm & apertè, vt nemo
Infr. c. 16. non aspicere potuerit. *Tetenderunt* enim *Absalom tabernaculum in solario* (eodem crediderim, ex quo lasciuiùs ante Dauid viderat Bethsabee se domi suæ lauantem) *ingressusq; est* in eodem solario Absalom *ad concubinas patris sui coram vniuerso Israel.*

¶. 13. *Peccaui Domino.*] q. d. Peccaui, fateor, in Vriam, cuius & torum violaui, & necem pro- D curaui: peccaui in socios Vriæ quos eadem cum ipso morte perfidiosè sustuli: peccaui in Bethsabee, quam ad fœdum adulterium pellexi, & extremæ infamiæ exposui: peccaui in populum, cui plurimùm exemplo malo nocui. Sed hæc omnia comparatione offensi Dei tam in me munifici, tam à me dilecti, quasi nihili pendo. Plus ergo me torquet & animum exulcerat offensa Dei, quàm damna omnia & infamia, & alia mala quæcumque ex meo peccato vel iam consecuta sunt, vel adhuc consecutura timentur. Et hoc est, quod in psalmo 50. (quem hoc tempore composuit, vt, sicuti peccatum, ita & pœnitentia eius toti mundo innotescceret,) clariùs affirmat, *Tibi soli peccaui.* Quia comparatione offensionis diuinæ, offensiones aliæ alioqui grauissimæ quasi nullæ existimantur.

Dominus quoque transtulit, Hebraicè, *transire fecit à te*, id est, fecit ne subires, *peccatum*] id est, peccato tuo debitam pœnam, putà mortem corporalem pro expianda per talionem morte Vriæ & totaliorum innocentum iussu tuo cum ipso iugulatorum. Sed hanc pœnam, quia seriò te pœnitet, à capite tuo iam tollo: *Non morieris.* Ita Abulensis, Liranus, Caietanus & Sanctius.

¶. 14. *Verumtamen, quoniam blasphemare fe-* A *cisti inimicos Domini*] Id est, qui de Deo, diuinaque prouidentia minùs piè sentiunt, minùs religiosè loquuntur. Neque enim secretum esse poterat quod & nuntij & administri sceleris Dauidis, & tota familia Bethsabee, & Ioab, & ex hoc forsan alij complures iam pridem compertum habebant. Hi ergo cùm viderent à Dauide tam multa, tam fœda scelera impunè patrata, cùm meminissent Saulis ob leuiora regno excussi, impiè iactabant vel acceptorem personarum esse Deum, vel humana negligere, vel non omnia videre, vel etiam scelera comprobare. His ergo blasphemiis vt maturè obuiem,

Filius qui natus est tibi ex adulterino complexu, *morte morietur*] & sic à iugulo tuo gladium depellam, vt toti mundo constet, tua scelera non impunita mansisse, sublato è viuis pignore tibi longè carissimo.

Nota, quæcumque toto hoc capite de Nathan, de pœnitentia Dauidis, de morte infantuli, de ortu Salomonis dicuntur, accidisse multis mensibus post captam *Rabbath* regiam vrbem Ammonitarum, quam vers. 27. Ioab vocat *vrbem aquarum*, quia vndique cincta ac munita erat aquis seu stagnantibus, seu iugiter manantibus. Hanc S. Hie- *Hieron. in*
ronymus dicit suo tempore appellatam *Philadel-* *Locis Hebr.*
phiam. Reliqua huius capitis vide 1. Paralip. 20.

CAPVT XIII.

Amnon primogenitus Dauidis, ob incestum cum sorore sua Thamar, ab Absalome inter epulas iugulatur: Absalom autem profugit ad regem Gessur, auum suum maternum, apud quem triennio exulat.

¶. 13. LOQVERE *ad regem, & non negabit me tibi* vxorem dare. Nata fuerat Thamar matre Gentili, nempe filia regis *Gessur*: vbi eiusmodi connubia inter fratrem & sororem ex diuersa matre, non putabantur illegitima: hinc ignara legis Iudaicæ, putabat simplex puella etiam Hebræis idem licere. Ita Abulensis & Caietanus. Posset etiam dici, cautam puellam id effugij quæsiuisse, & promissione nuptiarum eludere voluisse, D aut saltem retardare prurientis fratris insaniam. Ita Sanctius.

¶. 15. *Et exosam eam habuit Amnon odio magno nimis*] & quidem statim ab ipso complexu. Sed quæ causa tam subiti, tam intensi odij? An quia fratrem *stultitiæ* accusarat & *insaniæ* v. 12. & 13. An iusta Dei vindicta, qui breuem & momentaneam voluptatem æterno dolore & implacabili inimicitia non rarò punit? Experientia sanè constat, ex nimis lasciuo amore & turpi consuetudine plerumque nasci horrenda odia & simultates. Exemplo fuit (vt alios iam sileam) Semiramis, quæ plerosque amasios suos, & in iis etiam proprium filium, crudeliter interfecit. Docetque Ari- *Aristot.*
stoteles, hoc odium ex impuro amore esse natura- E *sect. 4. Pro-*
le & frequentissimum; rationes ipse profert non *blemat.*
paucas, & ex ipso Abulensis. *q. 11.*

¶. 16. *Maius est hoc malum*] Id est, hæc publica & probrosa expulsio. Violatio enim, licet in se turpior esset & fœdior, quia tamen occulta, censeri poterat minùs noxia. At violenta & turpis expulsio, quia palàm fiebat & in oculis totius aulæ, reddebatque illam apud omnes infamem, extremè contumeliosa illi erat.

¶. 18. *Quæ induta erat talari tunica*] Hebraicum *pasim* significat polymitam vestem, seu operè pictam Phrygio atque plumario: qualis fuisse dicitur פַּסִּים

dicitur tunica Ioſephi Geneſ.37.verſ.3.verſicolor, & variis intexta florum fructuumque figuris.

Huiuſcemodi enim tunica *filiæ regis virgines vtebantur*] eratque illatum inſigne, quo ab aliis virginibus dignoſci poſſent. Quo ſanè illuſtrior fuit ignominia, quam Thamar ſubiit à fratris ſui ſeruulo palàm extra domum expulſa.

¥.19. *Impoſitis manibus ſuper caput ſuum*] Quod naturale ſignum eſt ſeu pudoris ſeu doloris, vt patet in ætate tenella & rudi, qua pueri, cùm aliquid accidit cuius ipſos pudet & dolet, nec celare poſſunt, ſolent faciem vel etiam caput totum manibus operire. Sic Ieremiæ 2. Iudææ dicitur, *Ab Ægypto confunderis, ſicut confuſa es ab Aſſur, & manus tuæ erunt ſuper caput tuum.* & cap.14. *Confuſi ſunt, operuerunt capita ſua.*

¥. 29. *Fecerunt pueri Abſalom aduerſum Amnon, ſicut præceperat eis*] nempe *temulentum* ſeu vino prorſus exhilaratum ſicis & gladiis confoderunt.

Notat Dionyſius, ſeruos illos fuiſſe Gentiles ex Geſſur ſubditos Tholmai aui materni Abſalomi, quibuſcum etiam mox ad eumdem auum ſuum profugit.

¥.39. *Ceſſauitq; rex Dauid perſequi Abſalom*] ſatis eſſe ratus, animum erga eum exhibuiſſe indignationis & iræ plenum: malebatque filium in longo exilio reſipiſcere, quàm recenti adhuc delicto impœnitentem armis obrui.

Conſolatus ſuper Amnon interitu] tempore dolorem mitigante, & furorem ſedante; maximè cùm expenderet, Amnonem iuſtas ſuæ necis cauſſas dediſſe; neque toto biennio vel ſemel verbis à ſe reprehenſum, v.21. multò minùs condigna pœna caſtigatum fuiſſe.

CAPVT XIV.

Ioab Thecuita mulieris ſolertia impetrat à Dauide reditum Abſalomo in Ieruſalem: ſed redux biennio toto non admittitur in conſpectum patris, donec incenſa meſſe Ioab illius interuentu oſculum impetrauit à parente.

¥. 4. SERVA *me rex*] Familiaris ſupplicum, & quaſi legitima hæc erat formula. Hinc etiam monet Dauid 1.Paralip.16.verſ.35.vt omnes Deo ſupplices eadem vtantur formula, *Salua nos Deus.* Et frequentiſſimum erat in Hebræorum orationibus *Oſanna*, id eſt, *ſalua obſecro.*

¥. 9. *In me ſit iniquitas*] q.d. Si quis fortè ſcrupulus peccati, ô rex, te retardet, quo minùs filium meum fratricidam à debito legibus ſupplicio liberes, illud omne in caput meum deriuari volo. Sic & Abigail 1.Regum 25.v.24. mariti ſui peccatum: ſic Rebecca Geneſ.27. v.13. maledictionem Iſaaci in ſe recepit.

¥.13. *Quare locutus eſt rex verbum iſtud?*] Id eſt, quare decreuit, quòd *non reducet eiectum* filium *ſuum* Abſalomum? quod & *contra populum Dei* eſt, id eſt, contra omnium vota, & bonum totius regni: & *peccatum* in Deum, qui vult offenſas etiam hoſtibus remitti: quod ni faciat Abſalomo Dauid, plurium toti populo & grauiſſimorum malorum cauſa erit, cùm Abſalom (vt pòſt euidentiùs apparuit) multorum ad ſe ſtudia atque animos, qua erat morum ſuauitate, pellexerit, qui cauſa illius reducendi arma libenter ſument, ſicut fecere poſteà in cauſa, quæ nullam præ hac videbatur habere ſpeciem æquitatis.

¥.14. *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram*] Non eſt ergo cur Abſalomum præpropera morte de medio tollere feſtines, cùm vita illius ſponte ſua properet celerrimè ad mortem. Et quid proderit Amnoni vindicta ſui cauſa quæſita, cùm non poſſit quantumcumque magnâ reuocari in vitam qui iam mortuus eſt, & inſtar aquæ in terram diſperſæ euanuit? Ita Vatablus & Sanctius.

¥. 17. *Fiat verbum Domini mei*, putà promiſſum de indemnitate fatricidæ curanda, *fiat*, inquam, *ſicut ſacrificium*] id eſt, ſacroſanctum, ratum, inuiolatum, & cui nihil vlla ex parte deſit quod non perfectè compleatur. Et licet fortè defuturi non ſint, qui vel odio, vel peruerſo ſtudio id diſſuadeant; hos rex morari non debet, vtpote qui *eſt ſicut Angelus Dei*, neque de verbis aut opinione hominum quidquam laborat, neque ab illis vel *maledictionem*, vel *benedictionem* aut quærit, aut curat: ſed ſolùm quid religio, quid diuina voluntas exigat, inquirit.

¥.26. *Ponderabat* Abſalom, id eſt, appendebat venales, *capillos capitis ſui ducentis ſiclis*] ſeu florenis Belgicis, id eſt, ducatis ſeu ſcutis aureis octoginta, monetæ Romanæ (*a*). Tanti fiebant vel pauculæ vnciæ tam nobilis capillitij. Neque enim hîc de pondere agitur (vt putat Mariana, & quidam alij,) ſed de pretio. Nam prodigioſum eſſet, imò ridiculum, capillis vnius hominis anniuerſaria tonſione tantum ponderis ineſſe, quantum non habent bina ouium aut caprarum vellera: nempe octo libras Romanas cum triente. Non eſt tamen veroſimile, Abſalomum regis tanti filium, quæſtum ex capillis ſuis publicè venum propoſitis quæſiuiſſe: ſed dono dabat cui volebat è ſuis; qui deinde pretium quale dixi, à puellis Solymitanis, flauos illos ac rutilos capillos in ſui capitis adſcititium ornatum magna contentione ambientibus, facillimè extorquebant. Ita Sanctius, & alij.

(*a*) *Proleg. de Ponderibus.*

CAPVT XV.

Abſalom conciliato ſibi variis fraudibus fauore populi, aduerſus patrem ſuum coniurat in Hebron. Dauid vrbe excedit cum ſuis, remiſſo eò Chuſai, vt conſilium Achitophel ſubuertat.

¥. 2. IVXTA *introitum portæ*] putà ciuitatis Ieroſolymitanæ, vbi publicæ diſceptabantur cauſæ, & frequentes erant populorum conuentus.

¥.3. *Non eſt qui te audiat conſtitutus à rege*] q.d. Iudices quos rex conſtituit, omnes corrupti ſunt, neque fauebunt cauſæ tuæ licet æquiſſimæ, vtpote muneribus in tranſuerſum acti. Neque enim iam religio aut iuſtitia, ſed ſola largitio ac priuata commoditas dominatur in foro.

¥.7. *Poſt quadraginta annos*] æræ vulgatæ regum in Iſraele: quæ cœpit ab electione Saulis. Solet enim calculus annorum inchoari ab aliqua magna & notabili reipubl. mutatione. Sic æra Græcorum, ſeu Seleucidarum, ab occupata Syria, anno 12. poſt mortem Alexandri (*b*) Magni. æra Auguſti, ab occupato Imperio Romano (*c*) poſt expugnatam Ægyptum. Erant ergo iam tranſacti in regno à Dauide 37. anni, præter propter: quibus ſi addas biennium Saulis, habebis annum 40. quo rebellaſſe hîc dicitur Abſalom parenti ſuo. Ita ex Hebræis R. Salomon & R. Dauid, & ex ijs Abulenſis, Ioannes Mariana, Emanuel Sà, & Gaſpar Sanctius: licet horum quidam arceſſant hanc æram à prima vnctione Dauidis per Samuelem

(*b*) *Chronici* c.40.
(*c*) *Ibid.* c.44.

facta. Sed hæc, vt suprà docui 1. Reg. 13. v. 1. paucis A mensibus post prima Saulis initia contigit, atque ita ferè in idem recidit cum æra Saulis.

℣. 11. *Cum Absalom* inter alios *ierunt ducenti viri simplices corde, & causam* conspirationis filij in patrem *penitus ignorantes*] Hos secum traxit callidus adolescens, partim vt parenti subtraheret etiam istud tot fortium virorum subsidium: partim, vt populo fucum faceret, omnia ista fieri, adcoque & inaugurari se, & regem proclamari volente ac iubente patre, à quo in eam rem submissi essent tam multi, tam notæ fidei ministri. Et verosimile id faciebat, quòd Absalom præ omnibus aliis regis filiis etiam ex materno genere, regia proles esset, ex filia regis Gessur procreatus: in quem, vt- B pote omnium nobilissimum, rex Dauid iam ætate grauis, ac penè septuagenarius, sceptrum haud dubiè transcripsisse iactabatur.

℣. 14. *Surgite, fugiamus*] Fugiet tantus bellator? & ex vrbe fugiet adeò munita, vt à solis *claudis & cæcis* (*a*) propugnari possit? Verùm fuga hæc non à timore fuit, sed à solerti prudentissimi ducis ingenio. Sciebat enim placandum sibi ante omnia humili pœnitentis animi obsequio iratum Numen, à quo hæc omnia mala sibi immitti sentiebat: nam per Prophetam Nathan audierat, *Ego suscitabo super te malum de domo tua*, c. 12. v. 11. Deinde nolebat optimus princeps, ciuitatem regiam sui causa quidquam aduersi ab infesto hoste pati. C Neque erat vrbs tanta, tot incolis referta, commeatu necessario instructa, quo vel paucis diebus obsidionem tolerare posset. Ergo vrbe egreditur pius senex cum domesticis, & prætorianis cohortibus, & pedes egreditur, imò nupides, & *operto* præ confusione *capite* (vt dixi c. 13. v. 19.) & flens, & orans: atque ita publicæ pœnitentiæ armis Deum sibi suisque ante omnia placare contendit, donec per torrentem Cedron ad *summitatem montis* oliuarum *ascendit*, *in quo adoraturus erat Dominum*, nempe sacrificio solemni pro sua suique populi incolumitate; quod recepto tum more in excelsis montibus offerri consueuerat.

2. Reg. 5. v. 6.

Nota hîc typum & figuram Christi per eum- D dem torrentem Cedron ad villam Gethsemani in pede montis oliuarum cum discipulis suis ad orandum exeuntis, seque ad cruentum crucis sacrificium accingentis.

℣. 19. *Etbai Gethæus*] Id est, è Geth Palæstinorum transfuga nuper ad Dauidem, & nunc eidem fidus fugæ comes: princeps fuit admodum bellicosus, cui & tertiam exercitus sui partem aduersus Absalomum in aciem educendam rex commisit, infrà cap. 18.

℣. 27. *O videns*] Id est, ô sacerdos, qui vides, id est, prophetas per vrim & tummim (*b*).

b *Exodi* 28. v. 5.

CAPVT XVI.

E

Siba procuratori Miphibosethi, quòd cibaria fugienti submministraret in via, confert Dauid omnia bona heri sui: Semei maledicum vetat occidi. Absalom ingressus Ierusalem, consilio Achitophel decem uxores Dauidis publicè constuprat.

℣. 1. CENTVM *massis palatharum*] Id est, *caricarum*, vt transtulit Chaldæus, id est, ficuum aridarum.

℣. 10. *Dominus præcepit ei*, tamquam lictori suo, *vt maledicat Dauidi*] Id est, sua Dauidi scelera olim admissa exprobret, & publicè coarguat. Sciebat enim Dauid se suis sceleribus commeritum esse eiusmodi exprobrationem seu maledictionem: neque posse sat multa, sat acerba in se probra & conuicia iaci. Persuadebat etiam sibi, Deum, vtpote omnium dominum, isto *Semei* tamquam instrumento suo vti voluisse ad insultandum Dauidi, & exprobrandum admissa antè scelera, atque hoc sensu maledicendum Dauidi. De quo aliquid dicam in re pene simili, Iob 3. v. 1. Poterat ergo Dauid iustè sibi quoque persuadere, Deum id Semei tamquam suo lictori præcepisse: licèt ipse limites excederet mandati diuini, & veris criminibus inter exprobrandum multa falsa admisceret. Vnde licet nihil tale Deus illi præcepisset, poterat tamen Dauid piè id credere, & consequenter etiam affirmare. Et sic in significatione propria posset hîc accipi verbum *præcepit* & *præceptum*. Vel, si mauis, dic impropriè accipi, vt idem sit quod *permisit cùm posset impedire*, iuxta ea quæ dixi Genes. 45. Simili modo exponendus S. Au- *August. de* gustinus cùm dicit, *Deum voluntatem Semei vitio Gratiâ & suo malam inclinasse in hoc maledictum*, id est, incli- *lib. arb.* natam ad maledicendum impediuisse ne in aliud *c. 20.* maledicti genus se flecteret, dimisisse tamen vt in hæc talia ferretur. Sicut immisisse diceretur leonem, qui vinctum catena detinens, rugientem sæuientemq; promiscuè in omnes, detineret ne in amicos incurreret, dimitteret vt in furem aut hostem ferretur. Quacumque autem ratione vsurpes hîc vocem *præcepit*, cùm ex parte Dei & intentione ipsius non feratur in rem per se malã, sed indifferentem, si priore modo vsurpes; aut, si posteriore, non se habeat nisi permissiuè: malitia verò omnis à sola voluntate Semei promanarit; non potest ipse vlla ex parte à peccato, & quidem grauissimo, excusari. Vnde & Dauid 3. Regum 2. vers. 8. illam eamdem, quam hîc in Deum refert videtur, *maledictionem* vocat *pessimam*, vtpotè à pessimo Semei corde & pessima intentione profectam.

Vbi Nota, pro eo quod Vulgatus habet *pessima*, in Hebræo esse *nimretset*. Quam vocem Hebræi נמרצת teste S. Hieronymo dicunt componi ex quinque *Hieron. in* litteris acrostichis seu initialibus, quæ quinque *Quæst.* dictionum vim obtineant, & totidem conuicia *Hebr.* designent à Semei in Dauidem iniecta. Per primam *nun* designatur *noeph*, id est, *adulter*, propter נאף adulterium cum Bethsabee. Per secundam *mem*, Moabita, eò quòd Dauid ex ignobili Ruth Moabitide genus duceret. Per tertiam, *resh*, *rotseach*, id רוצח est, homicida, propter Vriam, & tot alios è medio sublatos. Per quartam, *tsade*, *tsaruaah*, id est, lepro- צרוע sus, eò quòd Dauid iam non aliter eiectus ex vrbe videretur, quàm soleant leprosi, quorum consortium omnes horrent & execrantur. Per quintam *tau* designatur *tohebah*, quod abominabile signi- תועבה ficat. Simile habes Danielis 5. in illo *Mane*, *thekel*, *phares*.

CAPVT XVII.

Alterum Achitophelis consilium de obruendo statim Dauide, dextrè subuertit Chusai: quare laqueo se suspendit Achitophel. Dauid Iordanem transit cum suis, cui tres eius amici necessaria per viam subministrant.

℣. 11. ET *tu eris in medio eorum*] Petierat inter alia *Achitophel*, vt ipse præficeretur exercitui imperator, dum ait; *Eligam mihi duodecim millia, & persequar, & percutiam Dauid.* Id verò improbat quoque *Chusai*, & vult ipsummet regem Absalomum bellis interesse, illiusque auspiciis

ciis omnia administrari, vtpote quem milites pluris essent facturi, & qui incommodis omnibus facilius occurrere posset. Vt optimè declarat Onosander Strategicus, & Synesius in oratione ad Imperatorem Arcadium: & experientia sæpè docuit. Accommodat verò Chusai totam orationē suam ad insani Absalomi vanissimum ingenium, vt rationibus suis fidem & pondus conciliet. *Onosand. c. 42.*

¥. 17. *Iuxta fontem Rogel*] Is, vt patet ex Iosue 15. erat prope Ieruſalem, ſeeernebatque tribum Iudæ à tribu Beniamin ad plagam Meridionalem. Et putatur is esse, qui à nonnullis vocatur *fons fullonis*: à quo & *ager fullonis* nomen acceperit. Ad hunc fontem ancilla quædam, ſpecie lauandi pannos (vt Iosephus & Hebræi, teste S. Hieronymo tradunt) missa est, vt quid in vrbe gestum esset, duobus adolescentibus haud procul à fonte præstolantibus aperiret. *Hieron. in Trad. Hebr.*

¥. 19. *Siccans ptisanas*] id est, grana hordei decorticata, vel etiam frumenti, orizæ & alia grana, ad polentam inde conficiendam. Quæ cùm siccari soleant ad solem dum is maximè feruet, hinc colligi videtur, bellum istud Absalomi sub æstatem contigisse.

¥. 24. *Dauid autem venit in Castra*] LXX. Hebræum *Mahanaim* seruarunt, quod *castra* quidem significat, sed hîc est nomen ciuitatis iuxta regionem Galaaditidem, haud procul ab Ammonitide, vt colligitur ex v. 27. Porrò nomen vrbi illi imposuit olim Iacob Genesis 32. v. 2. *Cùm vidisset Iacob* obuiam sibi angelos Dei, *ait, Castra Dei sunt hæc: & appellauit nomen loci illius Mahanaim, id est, Castra.* Et forsan spe similis de cælo adiutorij Dauid hunc sibi locum præcipuè delegit. Verùm & ciuitas ipsa, iuxta nomen suum, satis videbatur ad resistendum munita. Interim magna hominum vis ad Dauidem vndique confluxit, vnde tres acies pòst paulò conflatæ sunt, quæ innumeris Absalomi copiis oppositæ fuerunt.

¥. 25. *Ietra de Iesraeli*] Id est, Iesraelita. 1. Paral. 2. v. 17. idem hic parens Amasæ vocatur *Iether Ismaelites.* Quod nomen sortitus videtur ab habitatione inter *Ismaelitas*, sicut sexcenti viri præsidiarij Dauidis dicebantur *Gethæi*, quia aliquamdiu commorati fuerant in *Geth.*

Qui ingressus est, non legitimè, sed furtiuè, *ad Abigail filiam Naas*] seu *Iesse*, quia hic binomius erat, vt constat ex 1. Paralip. 2. vers. 13. vbi iidem filij, filiæ & nepotes tribuuntur *Iesse* seu *Isai*, qui hoc loco dicuntur esse *Naas.* Ex dictis colligi videtur, Amasam ex illegitimo thoro prognatum fuisse.

¥. 27. *Sobi filius Naas*] regis Ammonitarum. Erat hic frater *Hanon*, eius qui legatis Dauidis barbā ignominiosè præcidit & vestes. Hunc enim Dauid loco fratris regem constituerat, inquit S. Hieronymus. Cuius beneficij ille memor, iam exuli & fugitiuo Dauidi ea defert vitæ subsidia, & dignitatis ornamenta, quæ hîc Scriptura commemorat, putà frumentum, pecora, obsonium omne genus, stratoria, tapetia, & reliqua supellectilia.

CAPVT XVIII.

Absalom prælio victus, ex fuga quercui innectitur, & pendulus à Ioab transfoditur: quem amarè deflet Dauid.

¥. 6. FACTVM *est prælium in saltu Ephraim*] Certum est commissum esse prælium vltra Iordanem, in terrā Galaaditide, iuxta *Mahanaim.* Nam ex cap. sequenti vers. 15. constat, peracto bello Dauidem vt Ieroſolymam rediret, rursus *traiecisse Iordanem.* Qua ergo ratione locus in quo commissum est prælium, vocatur hîc *saltus Ephraim*, cùm tribus Ephraimitica cis Iordanem tota consideret? Emanuel Sà dicit, Ephraimitas Iordane transmisso solere pecora istic sua pascere: Ioannes Mariana, Ephraimitas saltum illum possedisse; forsan enim sibi pretio coemerant. Sed malim cum Abulensi & Sanctio dicere, *saltum* illum dictum fuisse *Ephraim*, ab insigni illa clade quam Ephraimitæ cùm rebelles essent Iephte, istic acceperunt, cæsis ex illa tribu quadraginta duobus millibus in eodem loco, vt narratur Iudicum 12. à vers. 1. vsque ad 6. Quæ sanè clades sat habuit causæ, cur (more etiam nunc recepto) saltus ille, qui tot millium ex illa tribu sanguine commaduit, exinceps *saltus Ephraim* appellari potuerit.

¥. 8. *Multò plures saltus consumpserat, quàm vorauerat gladius*] Nempe præcipitia & fossæ occultæ in quas corruerunt fugientes, inquit Abulensis & Vatablus: vel etiam bestiæ saltus è latibulis prorumpentes, vt ex traditione Hebræorum docet S. Hieronymus, Angelomus, Caietanus, Sà, Mariana, & Chaldæus, plurimos è loco prælij profugos absumpserunt. Nisi malis cum Sanctio dicere, cæsis iam in loco prælij *viginti millibus*, è reliquo fugientium numero longè plures hinc inde palantes, labore, fame, siti, adde & insequentium ferro, confectos fuisse; dicique *saltum consumpsisse*, pro eo quod diceretur *in saltu consumptos esse*: vti dicitur. Talis vrbs cecidit hostem, id est, talis vrbis incolæ: Talis vrbs triumphauit, id est, in tali vrbe triumphatum est.

¥. 18. *Porro Absalom erexerat sibi titulum*] id est, monumentum sui pro posteris. Hunc titulum dicit Iosephus marmoream fuisse columnam. Ego mausolæum fuisse crediderim, in quo cadauer defuncti regio more olim conderetur. Vt, quando nullos suscepisset filios, qui parentis memoriam continuarent, saltem lapides illi muti, signis notati hieroglyphicis, de suâ vitâ, rebusque gestis ad posteros loquerentur. Et ideò forsan mentionem hîc istius tituli inducit Scriptura, vt ostendat, longè aliter Absalomo contigisse, quàm ipse secum anteà meditabatur: nam loco superbi mausolæi, quod condendo cadaueri suo magnis impensis pararat, vili ac probroso lapidum aceruo tectus fuit: qui ipsi apud posteros non laudi vel honori, sed horrori est & execrationi, etiam Mahometanis, vt testantur qui loca terræ sanctæ peragrarunt. *Ioseph. l. 7. Antiqu. c. 9.*

Hic titulus *appellatur Manus Absalom, vsque ad hanc diem*] *Manus*, id est, opus eximij artificij. Sicut statuam vocamus manum statuarij: scripturam vel picturam manum scriptoris vel pictoris. Sic Martialis,

Quis labor in phiala? docti Myos, anne Myronis?
Mentoris hæc manus est, an Polyclete tua? *Mart. l. 8. epigram. 51.*

Sic 1. Reg. 15. v. 12. vbi de Saule legimus, *Erexit sibi fornicem triumphalem*; in Hebræo est, *statuit sibi manum.* Porrò tam Saul, quàm Absalom dicuntur sibi *manum erexisse*, non eo sensu quasi propriam ipsi manum ad tituli sui constructionem admouerint, sed quòd alienam peritorum artificum manum ære suo in id conduxerint. *Vallis* verò *regis*, in quâ suum hunc titulum erexit Absalom, videtur

esse *Topheth* seu *gehenna*, quæ posteà dicta fuit *vallis regis Iosaphat*.

Dixerat enim Absalom, *Non habeo filium*] Ergo vel mortui iam tum erant tres illi Absalomi filij, de quibus suprà c.14.v.27. vt plerique volunt. Vel certè titulum hunc erexit cùm nullum adhuc filium haberet, & omnem futuræ prolis spem abiecisset, vt Sanctius opinatur.

CAPVT XIX.

Dauid monitu Ioab cessat plangere Absalomum, & vniuersas tribus Israel sibi reconciliat: reducitur cum triumpho in Ierusalem: Semei veniam precanti ignoscit: Miphiboseth se excusanti dimidiam bonorum partem restituit. Israel cum Iuda pro Dauide acriter contendit.

¶. 4. REx *operuit caput suum*] Quod erat ingentis seu mœroris, seu pudoris signum, vt dixi c.13.v.19.

¶. 11. *Cur venitis nouissimi?*] Nempe viros Iuda domi continebat conscientia sceleris & perfidiæ, qua præ reliquis tribubus peccarant, & fortè primi rebellionis Absalomi fautores ac sequaces fuerant, vt qui perdito iuueni propius frequentiusque assueuerant. Quâ re cognitâ Dauid, simulque metuens, ne desperantes de gratia recuperanda, vrbem regiam aduersus se defendere statuerent, atque ita restitutionem ac reditum suum præpedirent; omni studio per principes sacerdotum, qui Ierosolymis aderant, illos sibi conciliare conatur: eademque operâ ipsum quoque principem aduersarij exercitus Amasam, oblato ei militiæ suæ imperio, loco Ioab, sibi demereri, totumque cum ipso exercitum suas ad partes traducere studet.

¶. 20. *Hodie primus veni de omni domo Ioseph*] Atque Semei erat de tribu Beniamin, vt constat ex c.16.v.5. quomodo ergo hîc dicitur venisse *de domo Ioseph?* Respondeo, Tota *domus Israel* in Scripturis vocari solet *domus Ioseph*. Psal.79. *Qui regis Israel, intende: qui deducis velut ouem Ioseph.* Similia habes psal.76.v.16. & psal.80.v.7. Zachar. 10.v.6. Cuius ratio est, quòd in Ægypto celebrius esset nomen Iosephi, quàm Israelis aut Iacobi: & quia Ioseph in Ægypto fratribus suis pro parente fuit alimenta gratis omnia illis præbens; denique quia Ioseph loco Ruben nactus est primogeniti dignitatem, à quo sæpè tota familia denominari solet. 1. Paralip. 5. *Ruben fuit primogenitus: sed, cùm violasset thorum patris sui, data sunt primogenita eius Iosepho.*

¶. 23. *Et ait rex Semei, Non morieris*] Supple hoc die, aut mea manu, aut quamdiu viuam. Hinc non obstante hoc promisso etiam iurato, potuit Dauid filio suo Salomoni præscribere 3. Regum 2. ne pateretur illius scelus abire impunitum. Ita Abulensis, Sanctius & alij.

¶. 29. *Fixum est quod locutus sum.* Id est, ratam volo esse sententiam qua Saulis bona tibi antè concessa donaui Sibæ. Sic tamen illam nunc tempero, vt non, nisi pro medietate maneant Sibæ: altera medietas reddatur tibi. *Tu & Siba diuidite possessiones*] Facilè cognouit Dauid, nullam in Miphiboseth hæsisse culpam, tum ex eius illuuie & sordibus iam pridem contractis: tum ex silentio Sibæ adstantis, nec contradicentis, vt colligitur ex v.17. Noluit tamen vel ex verecundia, vel ne ingratus in Sibam videretur, prorsus reuocare sententiam: sed partiri ex æquo iussit. In quo putat Abulensis & Caietanus grauiter peccasse Dauidem dum iniustè spoliat bonis suis innocentem. Et Hebræi, teste S. Hieronymo, putant, ob eam causam diuisam posteà fuisse regnum Israeliticum, & maiorem partem à Roboamo diuulsam & ad Ieroboamum translatam fuisse, vt dixi 1.Reg. 20.v.42. Sed alia fuere grauiora peccata posterorum Dauidis, propter quæ diuisum fuit regnum. Imò propter merita Dauidis factum, ne totum regnum à familia Dauidis ad alienam transiret, 3. Regum 11. vers. 32.34.& 36. Deinde crediderim, Dauidem, vt erat ingenio admodum liberali, Miphiboseth o iacturam illam dimidiæ partis bonorum, alia via abundè compensasse, vt etiam Abulensis suspicatur. *Hieron. in Trad. Hebr.* *Abulens. hic qu.30.*

¶. 37. *Seruus tuus Chamaam*] Addunt LXX. *filius meus.* Suo enim loco voluit filium suum substitui apud Dauidem.

¶. 41. *Quare te furati sunt fratres nostri?*] Id est, quare sola tribus Iuda, insciis reliquis tribubus, quasi furtiuè solemnem hanc regis reductionem sibi vendicauit? Non quòd nulli adessent ex reliquis tribubus: nam & Semei secum habebat *mille viros de Beniamin* vers.17. & *media pars de populo Israel*, dicitur vers.40. regi *affuisse*. Sed quòd maior pars comitantium regem esset de tribu Iuda, vtpotè duplo maior, quàm ex aliis simul omnibus tribubus Israel: & quod auspiciis ac nomine tribus Iuda omnia gererentur quæ triumphalem regis reductionem concernebant. Id verò ægrè tulerunt reliquæ tribus, & occasionem inde sumpserunt sese à tribu Iuda hostiliter seiungendi. Aliquid simile olim acciderat tribui Ephraim Iudicum 12. cùm Iephte deuictis Ammonitis lætus rediret & triumphans: nam Ephraimitæ, quòd ad illud bellum inuitati non essent, seditionem concitarunt, quæ non nisi cæde quadraginta duorum millium sedata fuit.

CAPVT XX.

Tribus Israelitica duce Seba secessionem faciunt à domo Iuda & Dauide; sed capite minuto Seba cessat rebellio. Ioab Amasam, vt olim Abnerem, proditoriè occidit.

¶. 1. NON *est nobis pars in Dauid, neque hereditas in filio Isai*] Prouerbialis est locutio, qua significatur, non esse necessariam connexionem cum altero, qualis esse solet membri cum corpore, aut filiorum cum parente à quo hereditatem præstolentur. Vtebantur ergo Hebræi hac formula, quasi solemni & legitima, dum negarent, sibi cum altero futurum commercium aut consortium. Sicuti Romani in repudio ferè simili formula vti solebant, *Res tuas tibi habeto, & res tuas tibi agito.* Hinc simili prorsus phrasi repudiarunt posteà Hebræi imperium Roboami 3.Regum 12. *Quæ nobis pars in Dauid, vel quæ hæreditas in filio Isai?* Et S. Petrus excommunicauit Simonem Magum Actor.8. *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto.* Contra voluptuarij de luxu dicunt Sapientiæ 2. *Hæc est pars nostra, & hæc est sors* (seu hereditas) nostra.

¶. 8. *Iuxta lapidem grandem*, seu iuxta collem saxeum præaltum, *qui est in Gabaon*] in quo erectum erat altare, & vocabatur *excelsum Gabaon*, vbi & Salomon immolauit 3.Reg.3.v.4. *Illud quippe erat excelsum maximum.*

¶. 9. *Manu dextera tenuit Ioab mentum Amasæ, quasi osculans eum*] Vrbanitatis id olim erat & officij, non solùm apud Hebræos, sed & apud Græcos,

Plin. l.11. c.45. Homer. l.1. Iliad. sub finem.

Græcos, teste Plinio, & simili gestu Homerus *Thetim* supplicaturam *Ioui*, dicit, *dextera apprehendisse mentum eius.*

¥. 19. *Nonne ego*, vrbs Abela, *sum quæ respondeo veritatem in Israel?*] Id est, sum academia celeberrima, & quasi commune totius Israelis oraculum: abundans viris sapientissimis, qui dubia nodosque omnes seu de religione, seu de politia dissoluere solent. Vnde sermone prouerbiali, si quando occurreret quæstio difficilior, dici solet, *Ad Abelam: Interroga in Abela.* Vt alibi dicere solent, *Ad Oedipum: Interroga Oedipum. Et sic perficiebant*, id est, edocti ab Abelanis quid facto opus esset, securi aggrediebantur quidquid suasum fuerat, & felici successu perficiebant B quod volebant.

Et tu quæris subuertere armis hanc *ciuitatem* tam benè de publico meritam, tam vtilem, tam necessariam? q. d. Egregiè scilicet de publico mereri studes, dum ciuitatem exscindis, quæ vtilior magisque necessaria est toti populo, quàm mater filiis suis: quâ excisâ, populum vniuersum eodem ictu exscindes. Hoc enim est quod addit, *Præcipitas hereditatem Domini.*

¥. 21. *Seba de monte Ephraim*] Beniaminita erat *Seba*; vt patet vers. 1. sed ex monte sito in finibus Beniamin, qui quòd ex sorte Ephraim radices traheret, respiceretque tribum Ephraim, vocatus fuit *mons Ephraim.* Sicut apud nos porta fluminis C vocari solet quæ ducit ad flumen & respicit flumen. Ita Sanctius.

¥. 26. *Ira erat Sacerdos Dauid*] Chaldaicè, *erat princeps*, & inter primos maximè familiaris regi Dauidi. Quo eodem sensu dixi cap. 8. versu vltimo *filios Dauidis* fuisse ipsi *sacerdotes.*

CAPVT XXI.

Ob Saulis in Gabaonitas iniustam olim sæuitiam, Deus triennali fame punit Israelem. Cui diuertendæ deposcuntur traduntur q; noxæ septem nepotes Saulis, qui crucibus omnes affixi sunt: sed ossa eorum, vnà cùm ossibus Saulis & Ionathæ iubet Dauid honorificè sepeliri. Recensentur quaterna Dauidis prælia contra Philisthæos. D

¥. 1. DOMVM *eius sanguinum*] Id est, sanguinariam, quia sanguinem iniustè effudit Gabaonitarum.

¥. 2. *Porrò Gabaonitæ erant reliquiæ Amorrhæorum*] Erant propriè ex Heuæorum genere, Iosue 11. vers. 18. Sed Amorrhæi, vtpote omnium habitatorum terræ promissionis potentissimi, reliquis nationibus suum indiderant nomen. Hinc omnes Palæstinæ incolæ vocari solent Amorrhæi, Genesis 15. *Nondum impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum.* Amos 2. *Ego autem exterminaui Amorrhæum*, &c.

Filij quippe Israel iurauerant Gabaonitis] pacem & fœdus incolumitatis, vt narratur Iosue 9. vers. 15. E

Sed *Saul zelo* motus *quasi pro filiis Israel & Iuda*] Id est, quasi suppleturus id quod illi omiserant. *Putabat enim* Saul (inquit Abulensis) *quòd Iosue & principes populi non potuerint dimittere viuentes Gabaonitas, in eoq; peccasse* tam ipsos, quàm sequaces ipsorum *omnes, qui Gabaonitas pepercerunt:* (vt ipse Saul peccauit parcendo Amalecitis quibusdam.) *Ideò vt ipse vindicaret Israelitas ab illo peccato*, nihil pensi habens iuramentum quo cauerant dedititiis, *occidit* quot potuit *Gabaonitas* zelo non minùs iniusto, quàm indiscreto.

¥. 8. *Quinque filios Michol, quos genuerat Hadrielı*] Caietanus & Canus dicunt locum hunc esse corruptum, (licet omnia exemplaria sic habeant: & pro *Merob* quæ hos genuerat, suppositam esse sterilem *Michol.* Alij dicunt, hos quinque filios *Merob* iam defunctæ, adoptatos fuisse ab illius sorore *Michol*, ac proinde hîc vocari *filios Michol, & genitos à Michol*, quia non aliter ab illa tractabantur, quàm si ex ipsa concepti & geniti forent.

Petes, Quo iure potuit Dauid filios istos innoxios tradere Gabaonitis crucifigendos? Respondeo, Instinctu, imò monitu Dei (vt ex v. 1. colligitur) & tamquam executor iustitiæ diuinæ, quâ puniuntur subinde peccata in tertiam & quartam (*a*) generationem. Non solet tamen a *Exod. 20.* id facere Deus, nisi etiam filij, maximè adulti, pro- *v. 5.* priis peccatis eam pœnam promeriti fuerint: vti *Num. 14.* de his verisimillimum esse docent Caietanus & *v. 18.* Abulensis.

¥. 10. *Respha* concubina Saulis *cilicium*, seu rude stragulum, *sibi* in *petra* seu rupe vicina, *substrauit*, vt ibi quiesceret subinde, dum auibus & feris abigendis inuigilat: idque *donec stillaret aqua super eos de cælo*] Id est, donec Deus, expiato iam peccato Saulis morte tot filiorum eius, redderet terris pluuiam quam triennio iratus subtraxerat. Plus quàm virili pectore erat hæc femina, quæ nil territa sanie taboque cadauerum, & fœtore inde exhalante, etiam belluas à præda famescentes arcet noctu diuque. *Audacem faciebat amor.*

Petes, Quomodo tanto tempore cadauera ista crucibus inhærere permissa, cùm Deuter. 21. v. 23. iubeatur, *cadauer*, crucifixi *eadem die sepeliri?* Respondeo, Crucifixio hæc non ab Hebræis fiebat, sed à Gabaonitis, qui lege Hebræorum non tenebantur; quo modo Christus, & duo latrones cum illo crucifixi, quia non à Iudæo, sed à Romano iudice damnati fuerant, non fuissent iuxta legem Iudæorum è crucibus eodem die depositi, nisi Iudæi precibus id à Pilato impetrassent, Ioan. 19. v. 31. *Iudæi rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.* Causa verò cur Gabaonitæ voluerint istorum cadauera tam diu in patibulis hærere, fuit, quòd vellent publicum diuinæ vltionis, & patrocinij sui documentum quàm diutissimè extare, & quaquauersum propalari, ne quis in posterum quid Sauli simile aduersus suam gentem attentare auderet. Ita Sanctius.

¥. 19. *Adeodatus filius saltus polymitarius*] Vulgatus, vt alibi (*b*) millies appellatiua ponit no- b *Proleg. de* mina pro propriis, seu nominum significationes *Idiotism.* pro ipsis nominibus. Nam nomen viri illius erat, *Hebr. n. 17.* *Elchana* filius *Iaëre Orgim:* quod appellatiuè significat *Adeodatum filium Saltus* seu siluæ, *polymitarium*, id est, tinctorem variis coloribus. Ita habent LXX. Chaldæus, Pagninus, Tigurina, Isidorus, Caietanus, Sanctius & alij. Hic *percussit Goliath Gethæum*, id est, *fratrem Goliath Gethæi*, vt expressè dicitur lib. 1. Paralipom. c. 20. fratrem, inquam, si non sanguine, certè similitudine roboris & staturæ: sicut Prouerb. 18. v. 9. *Qui mollis est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.*

Nota, bella hæc cum Philisthæis gesta, vt & famem triennalem, de qua initio huius capitis, & quæ duobus sequentibus capitibus continentur, probabiliùs videri ante rebellionem Absalomi contigisse, nempe post violatum Vriæ thalamum,

cuius

cuius tamen violati pœnas voluit ordine recenſere ſcriptor ſacer: reliquis, quæ eò non ſpectabant, in hæc capita reiectis. Ita ferè Abulenſis. De *Araphæ* matre iſtorum gigantum, vnde ſtirps *Raphaim*, vide quæ dixi 1. Regum 17. v. 4.

CAPVT XXII.

Canticum euchariſticum ſeu gratiarum actionis, quo rex Dauid pro ſua ab omnibus hoſtibus liberatione debitas Deo grates perſoluit.

HOc caput continet pſalmum 17. Pſalterij: niſi quòd in illo multa verba, etiam in textu Hebraico, mutata legamus. Id verò inde accidit, quòd Dauid priùs hunc pſalmum rudiore quodam modo & ſtylo compoſuerit, vt Deo pro tantis tamque frequentibus ab eo acceptis beneficiis gratias ageret: & talem habemus hunc pſalmum hoc capite. Poſteà verò limatum magis nitidiuſque concinnatum tradidit ſacerdotibus, vt in templo deinceps cantaretur: & talis extat in libro pſalmorum, vbi & illum explicabimus.

CAPVT XXIII.

Summarium totius Pſalterij Dauidis: & catalogus virorum ipſius illuſtrium.

¥. 1. HÆc *ſunt verba Dauid nouiſſima*] ſcilicet quæ Pſalterio ſuo ſubtexuit prorſus vltimo loco. Sed poſſent non incommodè primo loco collocari, cùm ſint quaſi titulus & præfatio totius Pſalterij, & ſumma quædam eorum quæ in Pſalterio toto pluribus locis digeſta ſunt. Prima enim verba vſque ad v. 3. explicant nomen auctoris, & notas ac ſigna quibus ab aliis hagiographis diſcerni poſſit: *Dixit Dauid filius Iſai, egregius pſaltes Iſraël: Vir cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei*, id eſt, cui à Deo conceſſum eſt vt rex conſtitueretur & vngeretur. Cuius ore & lingua *Spiritus* ſanctus *locutus eſt*. A verſ. 3. vſque ad 8. explicatur generale argumentum vel ſumma eorum quæ in decurſu totius Pſalterij Deus Dauidi inſpirauit: putâ Primò, attributa ſeu proprietates Dei, vt quòd ſit per excellentiam *fortis*, & *iuſtus*, quòd *dominator omnium*, ſed maximè *in timore Dei*, id eſt, eorum qui Deum timent: quia his tam clementer, tam largiter præ aliis indulget, vt horum quaſi ſolorum curam, neglectis ferè aliis gerere videatur. Secundò, explicatur in pſalmis excellentia *domus* ſeu familiæ Dauidis, quæ propter illuſtres principes inde exorituros, nominatimque propter Meſſiam, *rutilat* toto orbe *ſicut lux auroræ, oriente ſole, manè abſque nubibus*, &c. Et quia hæc omnis felicitas à Deo obuenit, tertiam Pſalterij ſui partem conſumit in Deo laudando, & omni ſua proſperitate eidem adſcribenda, verſ. 5. *Cuncta ſalus mea* ipſe eſt, *& omnis voluntas mea* ipſe eſt, id eſt, Deum ſolum volo, ſolum amo ſuper omnia, in ipſo ſolo ſpero, de ipſo ſolo gaudeo. Et iure quidem merito, cùm familiam meam ſolus ipſe tam crebris, tam fœcundis donis irrigarit, vt *non* ſit *quidquam ex ea, quod non germinet*, & læta florum fructuumque varietate gaudeat. Quartum genus materiæ pſalmorum ſunt iudicia & plagæ impiorum, qui *quaſi ſpina euellentur vniuerſi*, &c. v. 6. vſque ad 8.

¥. 8. *Sedens in cathedra ſapientiſſimus*] Res ſignificata ponitur pro nomine viri proprio, quod erat *Ieſbaam filius Hachamoni*, vt vocatur 1. Paralip. 11. verſ. 11. quod teſte S. Hieronymo idem eſt atque *ſedens in populo* ſeu in cathedra *ſapientiſſimus*. Ita ferè LXX. & Ioſephus, Hugo, Vatablus, Caietanus, Gloſſa, & Sanctius. Huius principis omnium primi tum ſapientia, tum robur bellicum in eo maximè enituit, quòd, cùm eſſet opinione aliorum *quaſi tenerrimus ligni vermiculus*, à quo parum ſibi hoſtes metuerent, tam ſtrenuè tamen ac ſolerter rem geſſerit, vt maximam inopinatò ediderit ſtragem, & ſolus ipſe ſemel *trecentos* (vt habetur 1. Paralipom. 11. iam citato) & aliàs rurſus *octingentos* ſua manu proſtrarit, ad inſtar alterius *Ionathæ* 1. Regum 14. aut *Samſonis*, Iudicum 15. vtique cæleſti ſubſidio extra ordinem adiutus. Ita Eucherius, Beda, Liranus, Abulenſis & Sanctius. *Ioſeph. l. 7. Antiq. c. 10.*

¥. 9. *Eleazar filius* Dodo, id eſt, (a) *patrui eius*, ſcilicet, Ieſbaam: *cùm aſcendiſſent*, id eſt, *fugiſſent* (ſic enim habetur 1. Paralipom. 11. v. 13.) *viri Iſrael, ſtetit*, immotus aduerſus *Philiſthæos*) non ſolus, ſed vnà cum *Ieſbaam*, (vt habetur dicto loco Paralip.) fortè & cum *Semma*, de quo idem hîc aſſeritur v. 12. Et hi ijdem Ioanni Marianæ & quibuſdam aliis videntur eſſe tres illi, de quibus v. 13. dicitur, quòd per medias Philiſthæorum acies attulerint Dauidi *aquam de ciſterna Bethlehem*. Quod videtur contigiſſe eo tempore quo Dauid Iebuſæis extorſit arcem Sion, 2. Reg. 5. verſ. 7. Tunc enim *deſcendit Dauid in Præſidium*, (b) *& Philiſthæi diffuſi ſunt in valle Raphaim*, id eſt, *gigantum*. ibid. v. 17. quæ duæ notæ hîc expreſsè ponuntur v. 13. & 14. Allegoricè ſitiebat Dauid ſanguinem & ſacrificium Chriſti ex Bethlehem naſcituri, inquit, Angelomus, Eucherius & Beda. Morale vide apud S. Ambroſium, Chryſoſtomum, Gregorium & alios. Gaſpar Sanctius putat, Dauidem hîc non ſitiuiſſe naturalem aquam de ciſterna Bethlehem, nimis hoc muliebre eſſe atque animi effeminati: ſed recuperationem patriæ ſuæ, quam Philiſthæi cæſo Saule, inuaſerant, & valido præſidio detinebant. Hæc ſanè regio animo digna erat ſitis: quam etiam pòſt paulò, vi pulſis inde hoſtibus, illorum ſanguine reſtinxit.

(a) Proleg. de Idiotiſ. Hebraic. n. 17.

(b) Prolegom. ſuprà.

Ambroſ. Apol. Dauid. cap. 7. Chryſoſt. in Pſal. 50. Gregor. in Regiſtro l. 9. epiſt. 39.

CAPVT XXIV.

Iubet Dauid cenſeri populum. Quo nomine corripitur à Gad Propheta: ex tribus flagellis eligit peſtem triduanam, qua 70000. cadunt. Porrò Dauid oblato in area Arevnæ ſacrificio Deum placat, ceſſatq; peſtis.

¥. 1. ADDIDIT *furor Domini iraſci*] 1. Paralip. 21. dicitur, *Conſurrexit autem Satan contra Iſrael & concitauit Dauid, vt numeraret Iſrael*. Vtrumque enim factum, ſed prior *Satan concitauit* commouitque *Dauidem*, vt populum capitatim cenſeri iuberet. Dein *iratus* eſt *furor Domini*.

¥. 3. *Quid ſibi rex vult in re huiuſcemodi*] Ioab deterrere vult regem ab inutili, imò perniciоſo conſilio. In quam rem duobus vtitur argumentis, quæ 1. Paral. 21. explicantur. Vnum oſtendit inutilem fore hunc cenſum: *Nónne Domine mi rex omnes ſerui tui ſunt?* Nullus tibi rebellis, nullus inuidus, aduerſarius nullus: ad quid ergo hæc populi importuna numeratio? Alterum argumẽtum declarat fore etiam noxium & pernicioſum: *Quare hoc quærit dominus meus, quod in peccatum reputetur*, non tibi ſoli, ſed & *Iſraeli* toti? Sed quodnam hoc tam graue hîc peccatum? Reſpondeo, In

Dauide

Dauide peccatum fuit, quòd citra iussum Dei, & citra necessitatem censum eiusmodi instituerit; solùm ad ostentandam suam potentiam: vnde S. Ambrosius & Seuerus Sulpicius *ambitionis* Dauidem accusant, quòd nempe sibi arrogarit eiusmodi censum instituere, suo nomini celebrando, suoque in omnes dominio ostentando, quem Deus suo solius nomini dominioque celebrando reseruarat. In populo verò peccatum fuit, quòd tributum semisicli, seu duorum regalium Hispanicorum, quod in eiusmodi censu in vsus templi Dei capitatim pendi debebat, in agnitionem supremi dominij Dei, à plurimis, fortè à plerisque (conniuente rege regiisque ministris) persolutum non fuerit. Vide Exodi 30. v. 12. vbi hæc præscribuntur: & ni seruentur, *plaga* certa qualem hîc experti sunt, intentatur. Ita Sanctius & Bonfrerius ex S. Augustino, Beda, Lirano, Abulensi & Caietano.

Ambr. l. de Pœnitentia c. 9. Sulp. l. 1. Historia.

Bonfr. in Exod. 30. Aug. q. 134. in Exod.

¥. 8. *Et lustrata vniuersa terra*] sed necdum omnibus numeratis, *nam Leui & Beniamin non numerauit, eò quòd Ioab inuitus exequeretur regis imperium*, vt habetur in loco Paralip. suprà citato; & alibi (*a*) dicitur, *Ioab cœperat numerare, nec compleuit, quia super hoc ira* Dei *irruerat in Israel.* Nempe plures hinc inde qui tributum neglexerant, subita morte prosternebantur, aut alia ignominiosa plaga cælitus immissa puniebantur, vt dicitur 1. Paral. 21. v. 7. Quo comperto Ioab territus ad regem excurrit, detulitque numerum censorum ad id tempus capitum, de Iuda quingenta millia, de reliquo Israële octingenta millia. Tum *percussit cor Dauid eum*, id est, aculeo peccati compuncta est conscientia Dauidis, vt explicat Chaldæus: cò quòd censum illum alieno tempore ac modo peractum sentiret ex plaga consequente grauiter displicere Deo. Vnde & supersederi iussit: vetuitque (*b*) *numerum eorum qui fuerant recensiti, referri* (vt moris erat) *in fastos regios.* Sed interea pergebant adhuc alij principes, qui in remotioribus tribubus censui præerant; & antequam his innotuit regis inhibitio, collegerant adhuc alia trecenta millia ex Israel: vnde 1. Paralip. 21. vers. 5. dicitur numerus recensitorum Israelitarum fuisse *vndecies centum millia*, præter propter. Ita Caietanus in eum locum.

a 1. Par. 27. v. 24.

b Ibid. cap. 27. v. 24.

¥. 15. *Immisit Dominus pestilentiam de mane vsque ad tempus constitutum*] Simulatque enim ex tribus propositis plagis Dauid pestem triduanam delegerat, eodem manè, eodem temporis vestigio grassari cœpit vbique contagio: durauitque vsque ad prandium eiusdem diei, inquiunt Lxx. & Iosephus, Origenes, Ambrosius, Theodoretus, & Historia Scholastica. Hebræus textus insinuat, durasse vsque ad tempus sacrificij vespertini. Et ita sentit S. Hieronymus secutus Hebræos, & Liranus, Hugo, Dionysius, Emanuel Sà, Mariana & Sanctius. Et hoc verisimilius est, quàm quod ait Abulensis, durasse toto triduo. Quia credibile non est, Dauidem toto triduo distulisse, pœnitentiam agere, & pro populo deprecari.

Ioseph. l. 7. Antiq. c. 10. Orig. hom. 16. in Num. Ambros. in psal. 37. Theod. q. 37. Hieron. in Trad. Hebr.

¥. 17. *Cùm vidisset Dauid Angelum*] Ex 1. Paralip. 21. vers. 16. colligi videtur, præter Dauidem etiam seniores populi eumdem Angelum cum euaginato gladio vidisse: vnde etiam vnà cum rege, *vestiti cilicijs ceciderunt proni in terram.* Et ibidem vers. 20. dicitur etiam ab *Areuna Iebuseo, & à quatuor ipsius filijs visus* fuisse. Denique vers. 18. ibid. dicitur, idem *Angelus præcepisse* Prophetæ *Gad*, vt, ad auertendam pestem, moneret *Dauidem* de *altari in area* Arcuna construendo. De quo vide plura ibid.

LIBER III. REGVM.

In quo recensentur mors Dauidis, inauguratio Salomonis, eiusque acta: diuulsio decem tribuum, à tribu Iuda: & acerba dissidia prælia que regum Israel & Iuda.

CAPVT I.

Abisag Sunamitis Dauidem iam senio confectum fouet & calefacit, nec tamen ab illo cognoscitur. Adonias maior natu filiorum Dauid regnum occupat clam patre. Sed huius iussu vncto mox Salomone Adonias fugam capessit: quem tamen Salomon iubet securum domi degere.

¥. 4. REx *verò non cognouit eam*] Vel hinc ergo patet, hanc *Abisag Sunamitidem*, id est, de *Suna* ciuitate tribus Issachar oriundam, non ancillam fuisse Dauidi, sed veram vxorem. Vt quid enim diceretur, tamquam res admodum miranda, hæc virgo à Dauide non fuisse cognita, nisi legitimè cognosci potuisset? Et cur Adonias, eò quòd ipsam in vxorem mortuo Dauide expetiit, interfici iussus est? an viam sibi sternebat ad regnum per nuptias ancillæ parentis sui? Abulensis concedit fuisse concubinam, seu ex secundarijs vxoribus. Sed S. Hieronymus, Theodoretus, Procopius, Liranus, Dionysius, Caietanus, & alij dicunt è primarijs fuisse. Addit S. Hieronymus, Tropologicè per Sunamitidem intelligi *sapientiam*, quæ, vbi omnia alia naturæ adiumenta ornamentaque deficiunt, comitatur, recreat, solatur & fouet senectutem. Qua verò ratione corpus senile flaccescente naturali calore, vegetari roborarique possit halitu iuuenili, fusè demonstrat Valesius, & alij medici.

Hieron. epist. 2. ad Nepotianum. Theodor. & alij in hunc locum.

Valesius de sac. Philosophia c. 19.

¥. 9. *De fonte Rogel* vide quæ dixi 2. Regum 17. v. 17.

¥. 17. *Tu iurasti ancillæ tuæ, Salomon filius tuus regnabit post me*] Verisimile est, Dauidem id addixisse Bethsabee, quando mortuo iam paruulo ex adulterio concepto, illam extremè dolentem solatus est, 2. Reg. 12. vers. 14. Cùm enim timeret Bethsabee, se ob præteritum crimen repudiandam à rege, vel saltem proles, quas ex eo susceptura esset, exosas regi futuras, vel vt minimum postremo loco habendas in domo regis; creditur rex ei respondisse, longè aliter actum iri; quia

quinctium, qui ex ea nasciturus esset filius, præferendum aliis omnibus, & regium solium occupaturum. Ita S. Hieronymus ex Hebræorum traditione, Abulensis, & Sanctius. Putatur verò diuina reuelatione id indicatum Dauidi etiam antequam natus esset Salomon, imò antequam conceptus esset. Nam id insinuat ipsemet 1. Paralip. 28. v. 5. cùm in publico procerum consessu, ait, cogitanti sibi de templo construendo dixisse Deum: *Salomon filius tuus ædificabit domum meam & atria mea: ipsum enim elegi*, &c. Item, *Elegit Dominus de filiis meis Salomonem filium meum, vt sederet in throno regni.* Atqui cogitarat Dauid de templo construendo, diu antè quàm vel nosset, vel incautis oculis è solario vidisset matrem Salomonis: ergo. B Et vt non expressisset tum Deus nomen Salomonis, hoc ipso tamen quo dicebat, *Semen quod egredietur de vtero tuo*, 2. Reg. 7. v. 12. id est, filius non iam natus tibi, sed adhuc nasciturus, *ædificabit domum nomini meo:* cùm primus post id tempus Dauidi filius natus sit & in viuis conseruatus Salomon, facilè colligebat Dauid, diuino decreto Salomonem ad regnum fuisse destinatum.

Hieron. in Trad. Hebr.

¥. 21. *Erimus ego, & filius meus Salomon peccatores*] Id est, habebimur passim, & publicè traducemur ego vt adultera, & Salomon filius meus vt *mamzer* (*a*) hebraicè, id est, de scorto & adulterio natus: & quia constat omnibus, Salomonem designatum fuisse à te successorem regni, si iam C contingat, Adoniam regno potiri, certo certiùs coget nos tamquam reos affectati sceptri, indigna morte perire. Ita Sanctius.

a Deut. 23. v. 2.

¥. 33. *Ducite eum in Gihon*] Fons hic est autrius oppositus fonti *Rogel*, vbi Adonias ex aduerso inaugurabatur. Hunc *Gihon* interpretes volunt esse *Siloë*, cuius aquas *Ezechias* rex postea in vrbem induxit, vt dicitur 2. Paralip. 32. v. 30. & Ecclesiast. 48. v. 19. Ideò ergo iubet Dauid Salomonem inaugurari ad fontem *Gihon*, id est, procul & ex opposito loci, vbi erat Adonias, ne duo duorum istorum principum exercitus, ob diuersa in diuersos reges studia, si in vicina loca coijssent, manus inter se conserrent, & inaugurationem D ciuili sanguine cruentarent.

¥. 36. *Respondit Banaias: Amen.* Id est, Fiat sicut rex iubet, & Salomon sit princeps Israelis. Et *sic loquatur Dominus Deus*] id est, etiam Deus idem velit, iubeat, ratum habeat & confirmet.

CAPVT II.

Dauid datis Salomoni variis præceptis feliciter moritur. Adonias, dum petit Abisag Sunamitidem in vxorem, propter affectatum eo dolo regnum occidi iubetur à Salomone. Abiathar pontificatu priuatur. Ioab in tabernaculo Domini occiditur. Et Semei quoque, quòd contra regis præscriptum Ierosolyma excessisset, triennio post interficitur.

¥. 3. OBSERVA *custodias Domini*] Id est, mandata, quæ Deus *custodiri* iussit. Et idem valent prorsus, quæ explicandi gratia, cum epitasi mox subiungit, *Viæ Domini, cerimonia, præcepta, iudicia, testimonia*, vt alibi (*b*) dixi.

b *In Prolegom. de Idiotism. Hebr. n. 14.*

Sicut scriptum est in lege Moysi] nempe Deuter. 17. vbi traduntur præcepta, quæ rex recèns designatus seruare debet: & inter alia, vt transcribat Deuteronomium, illudque familiare habeat & assiduè legat.

¥. 5. *Nosti quid Ioab fecerit mihi*, id est, aduersum me, mihique noxium, & toti meo regno perincõmodum, cùm duos principes tam vtiles, tam necessarios perfidè sustulit: *& effudit sanguinem belli in pace*] id est, pacatis publicis rebus, & priuata insuper amicitia simulata, non secùs occidit istos principes, quàm si bellum aduersus ipsos adhuc viguisset, quando honestè & laudabiliter licet sanguinem hostilem profundere. Cur Dauid ad hoc vsque tempus pepercerit Ioabo tot scelerum reo, causam insinuauimus 2. Reg. 3. ad illud, *Ego delicatus rex.* Quia Ioab princeps totius exercitus Dauidici, potentior erat, quàm vt posset à Dauide coërceri, vt etiam affirmat hîc Iosephus. Et in continuis grauissimisque bellis, quibus perpetuò exagitatus fuit Dauid, egebat illius operâ & industriâ. At Salomon, quiete iam à bellis vbique partâ, & Ioabo per senectutem minùs publico vtili, facilè potuit & opera illius carere, & exauctoratum condigno supplicio castigare.

Ioseph. l. 7. Antiq. c. 12.

¥. 9. *Vir sapiens es*] Si Salomon tunc *vir* erat, & vir *sapiens*, ergo *non octo* annorum puer, vt vult S. Ignatius Martyr: *neque vndecim vel duodecim*, vt S. Hieronymus: sed vt minimum viginti circiter annorum fuit cùm regnum suscepit; quod vnà cum parente paucis mensibus administrauit. Idem colligitur ex c. 11. v. 4. vbi senex vocatur, necdum exactis quadraginta regni sui annis. Et confirmatur ex Seder-Olam Chronico Hebræorum c. 16. vbi dicitur, Dauid antequam è viuis excederet, vidisse nepotulum suum Roboamum ex Salomone procreatum. Ita Liranus, Abulensis, Pineda & Sanctius.

Ign. ad Magnesianos. Hieron. epist. 132. ad Vitalem.

Liran. in l. 3. Reg. c. 11. Abul. & Sanct. in c. 3 Pineda in Salom. prælio l. 8. c. 2. n. 6.

¥. 10. *Et sepultus est in ciuitate Dauid*] Id est, in ea parte Ierosolymæ, quam ipse à Iebusæo abstulerat, & à suo nomine vocarat *ciuitatem Dauid*, 2. Reg. 5. v. 9. Iosephus, Comestor, Abulensis & plures alij putant, Dauidem cum palatium sibi regium construeret, etiam sepulchrum cadaueri suo condendo exstruxisse, sed satexile & moderatum: Salomonem verò id auxisse & in magnificum mausolæum commutasse, in quo & ipse recondi voluit. Hoc mausolæum ad tempus vsque Apostolorum durasse, constat ex c. 2. Actuum v. 29. dicente Petro, *Sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem.* Tempore Adriani Imperatoris sponte corruit magna ex parte, vt scribit Dion in vita Adriani. S. Hieronymus affirmat, illud suo etiam tempore perstitisse, seque ad mausolæum istud precari cõsueuisse. Sebastianus Serlius dicit, ipsum illud hoc quoque nostro æuo superstes esse. Mirum sanè, & instar prodigij, post vrbem Ierosolymam toties expugnatam, toties excisam, mausolæum istud nihil à Chaldæis (qui tamen reliquorum regum Iuda ossibus non pepercerunt (*c*) nihil à Græcis, nihil à Romanis, nihil ab aliis barbaris passum fuisse. Quod verò Iosephus addit, Salomonem in Dauidis sepulchrum vnà cum cadauere multa talentorum millia intulisse, quæ multis post sæculis Hyrcanus inde extulerit, merum ipsius figmentum est.

Hieron. ep. ad Marcellam. Serlius l. 3. de Architect.

c *Ier. 8. & Baruch 2.*

¥. 22. *Postula ei & regnum*] Cùm Adonias primogenitus esset filiorum regis, & toti populo non ingratus, imò rex haud ita pridem ab omnibus pene conclamatus: honesta insuper ac liberali esset forma, quæ blanda multitudinis conciliatrix est: si ad hæc iam accederent nuptiæ Sunamitidis nuper reginæ, & populo propter formæ venustatẽ & honestos mores admodum gratæ; proculdubio fuissent Adoniæ, mortuo iam Dauide, ad regnum obtinendum promptæ facilisque viæ. Et

hoc

hoc erat callidum & fraudulentum Ioabi, (de se A suisque rebus alioqui desperantis,) itemque Abiathari pontificis & aliorum Adoniæ fauentium consilium. Sed fraus statim suboluit Salomoni, qui seuero supplicio, ne altiores radices malum ageret, primùm in Adoniam, dein & in Ioabum, denique & in Abiatharum animaduertit.

℣.27. *Eiecit Salomon Abiathar, vt non esset sacerdos Domini*] Nempe cùm reus esset capitis propter conspirationem cum Adonia contra Salomonem iam à Deo & à patre regem designatum, mulctauit illum Salomon solo exilio: & consequenter impediuit ne deinceps pontificatu fungeretur, sed is transferretur ad *Sadoc*, id est, referretur ad rectam lineam *Eleazari* primogeniti Aaronis, à quo antè iubente Deo migrarat per Heli ad familiam *Ithamari*, secundogeniti eiusdem Aaronis. Atque ita impleta iam fuit prophetia viri Dei B 1.Reg.2. qui pontifici *Heli*, propter scelera filiorum eius prædixit, sacerdotium summum ab illo ad æmulam familiam transferendum. Vide quæ ibidem dixi ad v.31. (*a*)

a Et 1.Reg. 22. v.22. & Chron. c.42.

Nota. Ex hoc Salomonis facto Doctores colligunt, in lege veteri, vtpote temporalia magis, quàm spiritualia spectante, pontificem in politicis & criminalibus regi subiectum fuisse: sicut rex in sacris suberat pontifici. Bellarminus tamen & quidam alij dicunt, Salomonem non vt regem, sed vt Prophetam & executorem diuinæ iustitiæ, Abiatharum exauctorasse.

℣.31. *Fac* Ioabo *sicut locutus est*] Id est, non obstante perfugio ad altare, occide eum. Nam Exodi 21. v.14. expressè iubet Deus: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias; ab altari meo euelles eum, vt moriatur.* Et credibile est non in ipso loco tabernaculi iugulatum esse Ioabum, sed quantumcumque reluctantem, à Banaia C per prætorianam cohortem auulsum ab altari extra tabernaculum supplicio affectum fuisse; vt pòst etiam *Athalia*, iubente *Ioiada* pontifice 4.Reg.11. v.15. Nam in ipso sacrario non videtur citra necessitatem humanus sanguis profundi potuisse. Vnde & Sanctius damnat hîc Salomonem & Banaiam non leuis peccati, quòd putet, Ioabum in ipso sacrario iugulatum fuisse. Sed Abulensis id excusat, eò quòd supplicium de impio sumptum etiam in loco sacro, non minùs grata sit hostia Deo, quàm arietum aut vitulorum, qui quotidie istic mactabantur.

CAPVT III.

Salomon in vxorem accipit filiam Pharaonis: sapientiam in somno postulat à Deo. Quam vnà cum diuitijs & gloria mox accipit in summo gradu: cuius specimen exhibet in lite meretricum dirimenda. D

℣.3. EXCEPTO *quod in excelsis immolabat*] Hic vsus in locis editioribus sacrificandi Deo inualescebat paulatim, eò quòd non esset certus vnus locus designatus, sed partim in Gabaon, partim Ierosolymæ sacrificaretur; à Prophetis verò in graui necessitate pluribus etiam alijs locis, ex singulari Dei dispensatione, vt dixi Iudic.vlt.v.4. Horum imitatione populus, ad ritus Gentilium plus æquo propensior, idem sibi arrogabat hinc inde. Sed Dauid toto regni sui tempore fortiter sese huic abusui, toties in lege (*b*) vetito opposuit: & filio suo Salomoni, vt sese pari modo opponeret, in mandatis reliquit: vnde hîc dicitur *ambulasse*

b Leuit 17. v.4. & Deut.12. v.5 & 13.

in præceptis patris sui Dauid, excepto quòd in excelsis immolaret. Et hoc est peccatum quo omnes reges Israel & Iuda peccasse dicuntur, præter *Dauid, Ezechiam & Iosiam*: Eccli.49.v.5. Nam alij omnes aut immolauerunt in excelsis, aut certè cùm possent & deberent, non sustulerunt excelsa. Dauid verò, vt iam vidimus, non tolerauit excelsa: *Ezechias* & *Iosias* illa etiam *dissiparunt*. (*c*) Porrò hanc rationem sacrificandi in excelsis displicuisse Deo etiam in Salomone, vel inde colligitur, quòd obeunti varia excelsa, & in singulis plurimas hostias immolanti nusquam apparuerit aut fauerit de cœlo Deus: sed tunc solùm cùm in *Gabaon*, hoc est, in legitimo loco, legitimum obtulit sacrificium, vt hîc dicitur vers.5. Nam *in Gabaon ea tempestate erat tabernaculum Domini, quod fecerat Moyses in deserto, & altare holocaustorum*, 1.Paralip.21.v.29. Idcirco *excelsum Gabaon* vocatur hîc v.4. *Excelsum maximum*, non tam mole, quàm dignitate. Et is erat proprius designatus sacrificijs locus. Vnde simulatque ibi sacrificauit Salomon, Deus id sibi gratissimum accidisse, nocturna visione, donisque nobilissimis ei collatis testatum fecit.

c 4.Reg.18. v.4. & 23. v.8.

℣.11. *Quia postulasti verbum hoc*] Salomon sæpè ante id tempus, quin & eâdem illa nocte proximè ante somnum orationi intentus, immemor aliarum rerum solam sapientiam à Deo postulasse videtur. Quod cùm fecisset toto animo in eam curam intento, nil mirum, si quod proximè meditabatur vigilans, idem dormienti statim occurreret. Deus verò cùm tam ampla hîc promittit Salomoni dormienti, non respondet orationi aut electioni ipsius quam habuit, aut habuisse sibi visus est, in somnis, sed quam vigilans antè habuit huic simillimam. Vnde non opus est affirmare quod affirmant Dionysius, Liranus & Salmeron, Salomonem in somnis absque operatione phantasmatum, vsum fuisse libero arbitrio & meruisse, (licèt ex diuino priuilegio id fieri potuisse sentiant Richardus de Media villa & S.Bonauentura:) nam ante somnum ea omnia præstiterat quæ hîc de illo commemorantur. ita S.Augustinus, S.Thomas, & ferè alij Doctores.

Salmer.to.3. tract.22. Richard. quodlib.1. q.17. Bonauent. dist.25.q.6. S.Aug.l.12. in Genes. ad litt.c.14. S.Tho.1.2. q.113.a.4. & 2.2.q. 154.a.5. ad 1.

℣.12. *Dedi tibi cor sapiens, in tantum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit*] Comparatio fit non cum solis regibus Israel, (vt putant Liranus, Vatablus, Caietanus & Emanuel Sà) sed cum omnibus prorsus totius orbis hominibus, sed vulgari modo procreatis. Et sermo est de sapientia omni naturali, quæ hîc infusa fuit Salomoni: non verò de omni supernaturali. Vnde non est necessum præferre Salomonem Adamo, vel Moysi, vel plerisque Prophetarum, aut Apostolorum: multò minùs B.Virgini vel Christo Domino. ita SS. Iustinus, Clemens Alexandrinus, S.Augustinus, Philo, Pereira & Sanctius. Nolim tamen ad solam *œconomicam* & *politicam* sapientiam id restringere cum Caietano, nam cap.sequ.vers.33. dicitur etiam de plantis disseruisse, *à cedro quæ est in Libano, vsque ad hyssopum*: item *de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus*. Item Sap.7.v.17. de se ipse testatur, datum sibi à Deo *vt sciat dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, & consummationem & medietatem temporum, anni cursus, & stellarum dispositiones: naturas animalium, iras bestiarum, cogitationes hominum, virtutes radicum, & quæcumque sunt absconsa*. Quibus verbis medicam & physicam omnem scientiam, item geometricam, chronicam, astronomicam etiam coniecturalem com-

Iustinus Martyr. q.25.ad Orthodoxos. Clemens l.1. Stromat.sub fin. Aug.l.8. de Ciuit.c.40. Philo in Vita Moysis l.1. Pereira in c.1.Exodi q.7.

 plectitur.

plectitur. ita præter iam dictos etiam Abulensis & Pineda. Addunt Iosephus, S.Hieronymus & Epiphanius, Salomonem etiam gratiam gratis datam à Deo habuisse, qua & exorcismis, & herbis quibusdam ac radicibus dæmones vnde vellet expelleret. Qua de re vide S.Thomam, & Victoriam, & Delrionem de Magia.

Pineda sup. Ioseph. l.8. Antiqu.c.5.

S.Thom.q.6. de potentia, a.10.ad 3.

¥.15. Euigilauit Salomon, & intellexit quod, seu quodnam, *esset somnium*] scilicet diuinitus immissum, quale subinde Prophetis & Patriarchis immitti solet, vt Adamo, (a) Abrahamo, b) Iosepho: (c) vel etiam alijs, vt Laban, (d) Pharaoni, (e) Nabuchodonosori. (f) Intellexit verò id Salomon ex ipso effectu & fructu indè consecuto, nempe maxima sui mutatione; ex sapientia quam sibi infusam sensit: quæque instar lucis, suo splendore seipsam statim prodidit.

a *Genes.2. v.21.*
b *Gen.15. v.12.*
c *Genes.37. v.5.*
d *Genes.31. v.24.*
e *Genes.41. v.1.*
f *Dan.2.v.1 & 4.v.2.*

CAPVT IV.

Recensentur principes & præfecti Salomonis: mensæ apparatus, gloria, splendor, opes, sapientia.

¥.4. SADOC *& Abiathar sacerdotes*] nempe summi. Act cap.2. audiuimus deiectum pontificatu Abiatharem, & in exilium ablegatum. Vnde patet, non hîc recenseri ordinem ministrorum à solo Salomone constitutorum, sed quosdam interseri, qui à patre eius Dauide designati fuerant, licèt pòst à Salomone à suo gradu deiecti sint: vti contigit huic Abiathari pontifici, & quibusdam alijs. Quidam etiam per anacephalæosin repetitis nominibus & ministerijs: quidam denique per prolepsin, anticipata narratione commemorantur, v.g. Ben-Abinadab v.11. dicitur *Taphath filiam Salomonis habuisse vxorem*: & Achimaas v.15. *habuisse Basemath* alteram *Salomonis filiam in coniugio*: quæ non nisi multis pòst annis contigisse potuerunt.

¥.21. A flumine terræ Philisthiim, hebraicè est, *à flumine*, scilicet Euphrate, & *terra Philisthiim*, quæ adiacebat *mari magno* seu Mediterraneo; *vsque ad terminum Ægypti*] nempe fluuium *Rhinocoruram* (g) seu *Rhinocoluram*; qui & *Sihor* (h) *Ægypti*, & *torrens Ægypti*. (i) & *torrens* (k) *deserti* vocari solet. Habes ergo hîc tres terminos extremos terræ promissæ, vnum à parte *Australi*, fluuium *Rhinocoruram*, sicut à *Septemtrionali* erat mons *Libanus*: ab *Occidentali*, terram Philisthinorum seu *mare Mediterraneum*: tertium ab *Orientali*, flumen *Euphraten*. Atque ita completam hîc vides diuinam promissionem factam Abrahæ, Genesis 15.v.18. *Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Ægypti, vsque ad fluuium magnum Euphraten.*

g *Iosue 13.*
h *1.Par.13.*
i *2.Par.7. v.8.*
k *Amos 6. v.15.*

¥.26. Quadraginta millia præsepia equorum currilium] seu iugalium, quia iuga subeunt, & currus trahunt. Cùm enim *Philisthæi* subinde *triginta millia curruum* ad bella secum traherent, 1.Regum 13. v.5. nolebat Salomon vel illis, vel vllis qui bellum aliquando mouere possent, ea ex parte cedere. Deinde ad rem rusticam, ad templi, ad tot palatiorum constructionem, ad fixa, ad ligna, ad annonam conuehendam egebat ingenti numero tum equorum, tum curruum. Ad fastum verò seu pompam regiam, ad deuehendas pro dignitate tot reginas, tot concubinas, seruiebant alij currus nobiliores, quorum numerum habes 2.Paralip.1. v.14. *Facti sunt ei mille quadringenti currus*, qui *erant cum rege in Ierusalem*, vti *& duodecim* (l) illa *millia* equorum nobiliorum, quibus & honorarij regis & familiares vehebantur in comitatu regis saltem solemniore. Tanto equorum numero coaceruando putant plerique peccasse Salomonem, cùm id diserte vetitum esset Deuteron.17.vers.16. *Cùm fuerit constitutus rex, non multiplicabit sibi equos.* Et ideo tam *Iosue*, (m) quàm *Dauid* (n) subneruabant quos ex hoste nacti sunt equos, & currus incendio dedebant. Et fortasse sumptus nimij, de quibus Israelitæ mortuo iam Salomone apud Roboam conqueruntur 3.Regum 12.v.4. ex pabulo tot equis subministrando, magna ex parte ortum habuerunt. Vide Serarium, Pinedam & Sanctium. Abulensis tamen & nonnulli alij Salomonem à peccato, saltem grauiori, vindicare conantur, partim ob bonam intentionem qua id fecit: partim ob necessitatem, vt antè exposui.

3.*Reg.4. v.26. & 2.Paral.1. v.14.*

l *3.Reg.4. v.26. & 2.Paral.1. v.14.*

m *Iosue 11. v.9.*

n *1.Par.18. v.4.*

Serar. in Iosue 11.q.7. Pineda sup. l.7.c.14.

¥.29. Et latitudinem cordis] Id est *magnanimitatem*, qua quæ sapientia & prudentia suggerebant ex vsu seu communi, seu proprio fore, audebat confestim in opus conferre, nullo metu, nullo scrupulo retardante. Quomodo & de Alexandro Magno scribunt Historici, ipsum & in dubijs enodandis sapientissimum solertissimumque fuisse, & quod semel decreuisset, strenuè, statim atque constanter executioni mandasse. Et sanè absque hac dote frustra videri possit omnis & prudentia, & solertia, & sapientia: nam cui hæ bono, si non audeat quis vti?

¥.31. Sapientior Ethan Ezrahita] Qui & poëta & musicus erat præcellentissimus, vt colligitur ex 1.Paral.15.v.19. & ex titulo psalmi 88. qui inscribitur, *Intellectus Ethan Ezrahitæ.* Et hinc verosimile est, vt etiam ex nominibus patet, tam hunc *Ethan*, quàm reliquos, quibus hîc Salomon præfertur, Hebræos fuisse. Et ita docet Iosephus, & communiter interpretes dicunt fuisse nepotes patriarchæ Iudæ, vti dixi in eius (o) Genealogia.

Ioseph.l.8. Antiq.c.2.

o *Chronici cap.46.*

CAPVT V.

Hiram rex Tyri submittit Salomoni ad templum Domino construendum cæsores lignorum: quorum numerus recensetur, vti & latomorum, & baiulorum, & præfectorum.

¥.4. NON *est satan*] id est, aduersarius, qui conatibus meis obsistere aut possit, aut velit. Sic suprà 2.Regum 19.vers.22. Ioabum & Abisai vocabat Dauid *Satanas: Quid mihi & vobis filij Saruiæ?: cur efficimini mihi hodie in satan?* id est, cur importuno studio vindictæ de maledico *Semei* sumendæ, aduersamini mihi, quo minùs populariorum animos parcendo ignoscendoque mihi demerear?

¥.7. Benedictus Dominus Deus] 2.Paralip.2.v.12. expressè additur, *Deus Israel, qui fecit cælum & terram.* Ergo laudat rex Gentilis verum Hebræorum Deum. Putabant enim plerique Gentiles plura esse vera Numina ac veros deos: ac proinde ita colebant singuli suos patrios deos, vt tamen etiam alienos non contemnerent. Sic Philisthæi 1.Reg.4. v.8. de arca dicebant: *Hi sunt Dij, qui percusserunt Ægyptum omni plaga. Quis nos saluabit de manu Deorum sublimium istorum?* Sic Darius Medorum & Babyloniorum rex Dan.6.16. *Deus tuus, quem colis semper, ipse liberabit te.* Et 2.Machab.cap.3.vers.3. *Seleucus Asiæ rex de redditibus suis præstabat omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum* in templo Ierosolymitano necessarios. Et Athenienses etiam ignotis sibi dijs (p) aras ponebant: & Romani suo πανθεῶν templo cauebant, ne vlli vspiam deorum

p *Act.17. v.23.*

ſuus etiam Romæ cultus deeſſet. Pari ergo animo Tyrius rex Hiram, licèt *Herculem & Aſtarthen* coleret tamquam patrios deos, quia tamen in Deo quoque Hebræorum reperit aliquid eximium & veneratione dignum, voluit etiam ipſum hîc laudare ac glorificare.

℣.8. *In lignis cedrinis & abiegnis*] 2. Paralipom. 2. v.8. plura petit Salomon, *Ligna*, inquit, *mitte cedrina, & arcuthina, & pinea, de Libano.* Nempe Libanus, vt aromatibus, ſic & arboribus varij generis abundabat. Sed præ alijs petit Salomon *pinos* ſeu abietes; *arcuthos* LXX. vertunt *iuniperos*: ſed omnium maximè *cedros*: quæ vt roboris ac proceritatis ſunt eximiæ, & odoratæ materiæ, ſic ad venuſtatem dignitatemque palatiorum, quæ ſibi viri principes ad ſplendorem atque delicias conſtruebant, aptiſſimæ atque optatiſſimæ erant. Et licèt Dauid ingentem iſtarum cedrorum copiam, vti & marmorum, ad templi fabricam comparaſſet, vnde 1. Paralip. 22. v.4. dicitur. *Ligna quoque cedrina non poterant æſtimari, quæ Sidony & Tyrij deportauerant ad Dauid.* Quia tamen Salomon longè ampliora & magnificentiora ædificia animo iam ſuo deſignarat adijcere tum templo, tum palatio ſuo, ſuarumque vxorum, quàm forma ſibi à parente tradita requirebat, ideo & trabibus pluribus, & alijs nouis marmoribus eguit.

℣.13. *Elegit operarios de omni Iſrael*] ſed præfectos & præpoſitos operum, quibus incumbebat curare nequando ceſſaret vel frigeret opus. nam vt dicitur cap. 9. v. 22. *De filijs Iſrael non conſtituit Salomon ſeruire quemquam, ſed erant viri bellatores, & miniſtri eius, & principes, & duces, & præfecti curruum & equorum.* Vnde qui hoc cap. v. 15. dicuntur *onera portaſſe*; *& latomi* tot millia, erant ex *proſelytis* omnes, vt expreſsè affirmat liber 2. Paral. cap. 2. verſ. 17.

℣.17. *Lapides pretioſos*] non quales annulis aut coronis includuntur: ſed quales ab architectis ad ſplendida & lauta ædificia adhibentur, vt Parij lapides & porphyritici, & marmora omne genus. Quàm *magni* fuerint eiuſmodi lapides colligere licet ex c. 7. huius libri v. 10. vbi *fundamenta* dicuntur fuiſſe *de lapidibus pretioſis magnis decem ſiue octo cubitorum.* Quam magnitudinem etiam auget Ioſephus: additque ſtructuram totam etiam palatij Salomonis & filiæ Pharaonis ex marmore candido conſtitiſſe. *Ioſeph l. 15. Antiquit. c. 14. & c.*

℣.18. *Porro Giblij*] Hi orti videntur à *Gibal.* de quibus pſalmo 82. v.8. *Gebal, & Ammon, & Amalec, cum habitantibus Tyrum.* Hi ſerrandi & quadrandi lapides, & dolandi ligna peritiam præ alijs habebant, ac proinde à Salomone pretio conducti ſunt è Phœnicia, inquit Emanuel Sà.

CAPVT VI.

Forma & fabrica templi Salomonis.

ACcuratam templi formam, ſi lubet, vide apud Ariam Montanum, Franc. Riberam, & Ioannem Baptiſtam Villalpandum, & alios interpretes S. Ezechielis prophetæ. Hic obiter ſolùm indicatur, qua ex parte diuerſum fuerit hoc Salomonis templum à tabernaculo Moyſis. Cùm enim tabernaculum Moyſis non haberet in longitudine niſi 30. cubitos, in latitudine 10. in altitudine 10. templum Salomonis duplicatis omnibus longum erat 60. (a) *cubitos*: latum 20. (b) altum in Sancto ſanctorum etiam 20. (c) in Sancto verò, ſeu in anA teriore templo 30. (d) Ad inſtar tabernaculi diſtinguebatur in duas partes; non ſolo velo, (e) ſed & muro ſolido, in quo *duo oſtia* maiora, (f) & in maioribus iſtis *duo* minora *oſtiola*, quibus ex anteriore templo, (quod Sanctum vel Sanctuarium vocabatur, eratque in longitudine 40. cubitorum) ingreſſus patebat in interius templum, quod erat *Sanctum ſanctorum*, ſeu *oraculum* (g) & longum, & latum, & altum erat 20. cubitos, hoc eſt perfectè quadratum. Ante ingreſſum Sancti *porticus* (h) erat coëxtenſa fronti templi, profunda 10. cubitos. hæc porticus inſtar turris attollebatur ad *centum* (i) *viginti cubitos.* Addit Ioſephus, etiam reliquam templi ſtructuram, impoſitis varijs aulis alijſq; cubiculis, in eamdem 120. cubitorum altitudinem, paulatim in arctum tendendo elatam fuiſſe. Totum templum ex marmore erat ſolido, iam antè in lapidicinis quadrato, dolato, (k) & ad menſuram debitam comparato: vnde cùm in loco templi componerentur lapides, nullus auditus eſt malleorum, ſecurium, ferrarum aut aliorum ferramentorum ſtrepitus. Hæc tamen marmora abintus nulla ex parte (l) apparebant, ſed *tabulis & laquearibus* (m) *cedrinis*, (& *abiegnis* (n) hinc inde,) contecta erant vndique etiam in *fornice & pauimento.* (o) Hæ tabulæ in parietibus & fornice non erant planæ, ſed varijs *cælaturis* (p) *extrorſum protuberantibus* (quæ hîc *anaglypha* vocantur) ornatæ, v.g. figuris *Cherubinorum*, (q) & ſimilium rerum. Sed neque hæ tabulæ aut cælaturæ cedrinæ vſpiam patebant oculis: nam *aureis vbique laminis* (r) tegebantur, ita inflexis, molliterque inductis, vt formas ſubiectarum cælaturarum ad viuum exprimerent. Et ne quid appareret toto templo non aureum, etiam *aureis clauis* (ſ) *laminas affixit* tabulis, quorum *ſinguli appendebant ſiclos quinquaginta.* (t) Quin & altare marB moreum ſeu menſam, cui arca & Cherubini in oraculo inſiſtebant, veſtiuit ſimili modo primùm tabulis *cedrinis*, (u) deinde laminis aureis. Duobus Cherubinis à Moyſe iuxta arcam ex ſolido auro poſitis, adiunxit Salomon duos alios longè maiores *Cherubinos ex ligno* (x) *oliuarum*, ſed laminis *aureis* vndique tecto. Pondus verò auri, quod in ſola domo interiore, ſeu in Sancto ſanctorum, laminis aureis contegendo abſumpſit, erat 600. (y) *talentorum.* Vnde coniecturam facere licet de domo anteriore duplò alterâ maiore, in qua etiam pro vno candelabro poſuit *decem candelabra*, (z) pro vna menſa *decem* (Aa) *menſas propoſitionis panum*, vt docet Ribera & alij.

Nota. Licèt hæc omnia ſic auxerit Salomon, nihil tamen contra diuinum præſcriptum egit: nam vt olim Moyſes formam tabernaculi, ſic Dauid huius templi ideam à Deo acceperat, 1. Paralip. 28. v.19. *Omnia*, inquit, *venerunt ſcripta manu Domini ad*
D *me.* Et huic ideæ inſtitit Salomon. Porrò de *tabulatis* tribus ſeu contignationibus circum latera templi, vbi *exedræ* erant, & *gazophylacia*, & *paſtophoria*, ſeu cubiculà ſacerdotum pro cuſtodia templi excubantium, item receptacula vaſorum templi, & theſaurorum, & veſtium ſacrarum, quas illic induebant, exuebant & reponebant ſacerdotes: de tribus atrijs, ſub dio, vno ſacerdotum, in quo erat *altare holocauſtarũ* decem cubitis (Bb) altum, & *lutero* ſiue labrum æneum, in quo ſacerdotes & victimæ lauabantur: ſecundo, laicorum mundorum: tertio, immundorum & Gentilium: denique de palatijs plurimis vaſtiſſimiſque tria illa atria cingentibus, quæ tempore obſidionis per Titum & Veſpaſianum

a v.1. *bis.* b v.1. c v.20. d v.2. e 2. *Par* 3. f v.31. & 32. *hic.* g v.19. & 20. h v.3. i 2. *Par.* 3. v.4. *Ioſeph l.* 8. *Antiq. c.* 2. k v.7. *hic.* l v.9. & 18. m *Ibid.* n 2. *Par.* 2. v.5. o v.15. *hic.* p v.18. & 29. & 32. q v.29. r v.20. 21. & 22. ſ v.21. t 2. *Paral.* 3. v.9. u v.20. & 22. & 1. *Paral.* 28. v.18. x 23. & 28. *hic.* y 2. *Par.* 3. v.8. z 3. *Reg.* 7. v.49. Aa 2. *Par.* 4. v.8. & 1. *Par.* 28. v.16. Bb *Ezech.* 43. v.13.

sianum binos capiebant Iudæorum dissidentium A exercitus: de infinito numero vasorum & supellectilium templi: deque alijs eò spectantibus, quorum hîc nulla iam mentio, vide quos suprà dixi, Villalpandum, Riberam & alios. Quamquam etiam ex ijs quæ de tabernaculo Mosaico dixi, & in Ezechiele de templo dicturus sum, pleraque sat intelligi possint. Hoc solùm hîc adiungo, templum hoc à Salomone, in monte Moria, qui & Sion dictus fuit, eodem loco constructum fuisse, in quo iam olim Isaac à parente iugulandus procubuit Genes. 22. & recèns Dauid in area Arcuna sacrificium Deo ad pestem à populo diuertendam obtulit, 2. Paralip. 3. v. 1. Id figurabat, Christum, qui per templum designabatur, esse verum Isaacum, qui mortis suæ sacrificio nocentissimam animarum pestem, peccatum, à populo diuertit. ita Venerabilis Beda, Angelomus & alij.

CAPVT VII.

Palatium regium Salomonis. Domus saltus Libani. Domus filiæ Pharaonis. Et sumptuosissima singularum supellex: & vasa templi.

¶.2. DOMVM *saltus Libani*] Chaldæus vertit, *domum refrigerij regum*. Erat domus suburbana & siluestris, cincta arboribus & viridarijs, & amœnitate sua referens *Libanum*. Sic *Tempe* seu Hesperidum horti dicuntur loca etiam alia, quæ mira florum aromatumque suauitas, & aura salubris perflat. Sic *Euripi* vocantur omnes aquarum sinuosi decursus. Sic *Academia*, locus Athenis litteris & litteratis illustrior, nomen dedit & villæ Ciceronis, vbi de rebus philosophicis frequens disputatio, & tot alijs per orbem locis, in quibus doctorum virorum publici conuentus. Ad eumdem modum *saltus Libani*, quia ceteris præclustrior ac celebrior, nomen suum suburbano Salomonis attribuit. ita Caietanus, Abulensis, Procopius & alij, quorum nonnulli addunt, Salomonem istic suum *armamentarium* constituisse. quod colligitur ex c. 10. v. 17. collato cum cap. 14. v. 28.

¶.13. *Hiram*] Hic erat alter *Beseleel*, de quo Exodi 31. Quem, quòd in ære conflando, cudendo, formandoque princeps ac magister esset, tam Salomon, quàm Hiram rex Tyri *patrem* suum vocitare solebant, vt patet l. 2. Paralip. c. 2. v. 13. & c. 4. v. 16. Erat hic natus matre *de* tribu *Dan*, vt dicitur lib. 2. Paral. c. 2. v. 14. & patre *de tribu Nephtali*, vt hîc (& in Hebræo expressiùs) dicitur: qui tamen *Tyrius* vocabatur, ob diuturnam istic habitationem, & artis suæ exercitium. ita S. Hieronymus ex traditione Hebræorum, & Ioannes Mariana.

¶.15. *Finxit duas columnas æreas, decem & octo cubitorum altitudinis*] Numerus perfectus pro imperfecto: nam singulæ tantùm erant 17. cubitorum cum medio, vt constat ex 2. Paralip. 3. v. 15. vbi hæ *columnæ* simul ambæ dicuntur habuisse *triginta quinque cubitos altitudinis*. ita Vatablus, Abulensis, Ribera: Mariana & Sanctius.

Linea duodecim cubitorum ambiebat columnam vtramque] Hîc *linea* ponitur non pro fascia vel spira, quæ fuerit columnarum ornamentum: sed pro *mensura*, quæ vt totam columnæ peripheriam seu circumferentiam amplecteretur, necesse erat, haberet 12. cubitos longitudinis: vt explicat Iosephus, dum ait, singularum ambitum seu circumferentiam fuisse 12. cubitorum. Vnde etiam colligitur quanta fuerit columnarum crassities; nempe quatuor circiter cubitorum, quæ est tertia pars 12. cubitorum: diameter enim ferè tertia pars est circuli. Ierem. 52. v. 21. dicuntur hæ columnæ intrinsecus concauæ fuisse, & spissitudinem seu grossitiem habuisse 4. digitorum. Columnis capitella imposuit operis sane elegantissimi, quod nos Ionicum vocamus; & singulis appendit binos ordines malogranatorum, in quorum singulis erant malogranata 96. vt expressè habet Ieremias suprà v. 23. licèt hoc loco numerus perfectus pro imperfecto ponatur, & in singulis ordinibus dicantur fuisse *centum malogranata*. Porrò formam horum capitellorum graphicè describit, & iconibus exprimit Villalpandus, vti & alia huius capitis. *Villalp. l. 2. in Exech.*

¶.21. Has *duas columnas statuit in porticu* seu vestibulo *templi*. Eam quæ *à dextris* erat, *vocauit Iachin*, id est, firmiter directam seu stabilitam: quæ *à sinistris, Booz*] id est, *in eo fortitudo*. Quasi dicat, Hęc duo maximè exopto atque à Deo posco, tum templo, tum mihi meisque successoribus, tum populo vniuerso.

¶.26. *Grossitudo*, seu spissitudo, *luteris*, id est lauatorij, (quod v. 23. propter ingentem capacitatem vocarat *mare* æneum, *erat trium vnciarum*] 2. Paralip. 4. v. 5. dicitur *vasitas eius* habuisse *mensuram palmi*, nempe minoris seu contracti, qui constat quatuor digitis. Porrò *tres vnciæ*, seu quarta pars *pedis*, erant *quatuor digiti* seu *palmus*. Ergo crassities huius maris æneis eadem erat cum crassitie columnarum supradictarum. Reliqua huius capitis ad architectonicam spectantia vide Exodi 38. & Ezechiel. 40. & seqq. capp. & apud Villalpandum. *Proleg. de mensuris.*

Duo millia batos capiebat] At in l. Paral. suprà dicitur. *Capiebat tria millia metretas*: quæ eadem est mensura cum *bato*. Nimirum erant illi *bati vulgares*, tertia parte minores *batis sacris*. ita Mariana. Nisi malis dicere cum Emanuele Sá, solere infundi solùm *bis mille batos*, licèt capere posset *tria millia*.

¶.28. *Interrasile* vocatur *opus*, quod ita sculptum est, vt aliquid in eo sit planum & rasum, & deinde reliquæ cælatæ rerum formæ emineant, v. g. lilia, palmæ, aliaque emblemata.

¶.29. *Coronulæ* sunt illæ quasi fasciæ & limbi, qui abacos concludunt & continent: quæ *plectæ* tum vocantur cùm varijs aut intexuntur floribus, aut lineis & loris laqueantur. Latini *plexas* dicunt, seu nexas coronas, aut sutiles seu nexiles flores. De quibus l. 1. Machabæor. cap. 4. v. 57. *Ornauerunt faciem templi coronis aureis & scutulis.*

¶.40. *Fecit quoque scutras*] Genus est vasis profundi & circularis: vnde *scutella* diminutiua forma deriuatur. Differt autem *scutra* à *lebete*, quòd *scutra* latior sit quàm profundior: *lebes* non item, vt videre est in nostris ollis, chytrapodibus, &c.

Hamulæ, vel, vt alij, *amulæ*, vas est ad ferendam aquam vel vinum, cuius erat vsus in sacrificijs. Latini *vrceolos* vocant: quales sunt quibus in sacrificio Missę aquam & vinum subministramus 2. Paralip. 4. vers. 16. adduntur etiam *phialæ & creagræ*. Phiala vas erat latum & amplum, ad excipiendum victimarum sanguinem. Creagra vncinus est seu tridens, quo (vt nomen Græcum indicat) ex olla seu lebete carnes extrahuntur.

¶.45. *Omnia vasa quæ fecit Hiram, de aurichalco erant*] Liber Paralip. loco iam citato, dicit, *ex ære mundissimo* facta omnia. Et ita etiam hîc est in Hebræo. Erat species æris nobilioris, quale postea *Corinthium* fuit, admistione argenti, forsan & auri, notissimum. De hoc legimus 2. Reg. 8. v. 8. *Regem Dauidem*

Ioseph. l. 8. Antiq. c. 2.

Dauidem de Bete & de Beroth ciuitatibus Adarezer tu- A *liſſe æs multum nimis:* de quo fecit Salomon omnia vaſa ærea in templo, & mare æneum, & columnas, & altare. Quòd ſi Ioſepho fides habenda, genus illud æris maiori erat in pretio, quàm vulgare aurum. Et fauet quod 1. Eſdræ 8.v.27. dicitur, *Vaſa æris* fuiſſe *pulchra vt aurum.*

Ioſeph.l.7. Antiqu.c.8.

CAPVT VIII.

Solemnis dedicatio templi. Oratio Salomonis. Numerus holocauſtorum & aliarum victimarum

℣.2. CONVENIT *vniuerſus Iſrael in menſe Ethanim*] id eſt *fortium*, quia menſe Septembri, (qui reſpondet magna ex parte illi ſeptimo menſi Hebræorum) fructus ſunt fortes, ſeu maturi. Solebat is menſis eſſe primus totius anni, vt habet hîc Chaldæus: ſed ex quo menſis *Niſan* in æquinoctio verno, egredientibus ex Ægypto Hebræis, iuſſus eſt eſſe primus, factus eſt *Ethanim* menſis ſeptimus: & poſt captiuitatem Babylonicam dictus eſt *Tiſri*. Hic menſis, quia propter plurium ſolemnitatum concurſum celebris admodum erat Hebræis, vt dixi Leuitici 16. & 23. idcircò à Salomone delectus eſt dedicationi templi ſui. Cumque cogerentur omnes è *maſculino ſexu* Hebræi *decimaquinta die menſis huius ſeptimi* (*a*) ad feſtum *tabernaculorum* toto octiduo celebrandum conuenire in *Gabaon*, (*b*) vbi tum temporis erat *tabernaculum fœderis à Moyſe conſtructum* in deſerto Sinai; vſus hac occaſione Salomon, iuſſit, loco Gabaon, conuenirent omnes in Ieruſalem, ſed octiduo ante feſtum *ſcenopegiæ*: ſe enim decreuiſſe, tam tabernaculum, quàm arcam transferre in templum recèns à ſe conſtructum, vt iſtic in ſtabili ac fixa ſede æternùm manerent. ad hanc ſolemnem tranſlationem, & noui templi inaugurationem, octaua die menſis ſeptimi adeſſent omnes. Colligitur ex vltimis duobus verſibus huius capitis, vbi dicitur populus totis quatuordecim diebus hæſiſſe Ieroſolymæ: & *die* demum *octaua* ſcenopegiæ, qui erat vigeſimus ſecundus menſis ſeptimi, facta *collecta* (de qua vide Leuit.23. v.36.) remiſſum populum ad propria: quod ſequenti die, nempe vigeſima tertia contigiſſe affirmat liber 2.Paralip.c.7.v.10. Iam verò à viginti duobus diebus tolle quatuordecim, deprehendes, octauo die illius menſis populum conueniſſe, & templum dedicaſſe.

a *Deut.16. v.16. & Leuit.23. v.34.*
b *2.Par.1. v.3.*

℣.3. *Tulerant arcam Domino* ex domo & ciuitate Dauid, (*c*) quæ & Sion dicebatur. *& tabernaculum fœderis*] nempe *Moſaicum*, quod hucuſque fuerat in *Gabaon*: & iam decenter conuolutum, religioſè aſſeruari iuſſum in templo Salomonis, loco aliquo penitiore, vbi reliqui ſacri theſauri recondebantur, ad latera ſanctuarij, vt dixi c.6. Hîc verò aſſeruatum fuit donec à Ieremia inde ſublatum eſt permiſſu Chaldæorum, vt dixi 2.Regum 21. verſ.7.

c *2.Par.5. v.2.*

℣.12. *Dominus dixit, vt inhabitaret in nebula*] 2.Paralip.6.v.1. *in caligine.* Id dixiſſe Dominum collegit Salomon ex Leuit. 16.v.2. *In nube apparebo ſuper oraculum.* Idem didicit ex cap.40. Exodi v.32. vbi dicitur, *Poſtquam omnia* circa tabernaculum à Moyſe *perfecta ſunt, operuit nubes tabernaculum teſtimonij.* Vnde prudenter collegit Salomon, iam quoque, cùm perfecto templo, ſimilis nubes appareret, illam diuinæ præſentiæ, fauoriſque ſingularis ſignum eſſe certiſſimum. Reliqua huius capitis vide 2.Paralip.5.

℣.31. *Si peccauerit homo in proximum ſuum.* ſed in ius vocatus, negauerit ſe peccaſſe, ſuique purgandi cauſa *habuerit iuramentum*] id eſt, iuramento (de more) depulerit à ſe ſuſpicionem ſceleris; tu Deus rerum detege, inſontem abſolue. Ita enim hæc eadem explicantur 2.Paralip.6.v.22.

℣.54 *Surrexit* Salomon *de conſpectu altaris Domini*] Eodem loco Paralip.v.13. dicitur, Salomon *feciſſe baſim æneam in medio baſilicæ* ſeu porticus, quæ erat circum atrium Iſraelitarum. Eratque hæc baſis haud procul ab introitu atrij ſacerdotalis. *Steritq;* orauitque *ſuper eam.* nam iſtic erat locus regis & & principum, vt ex Ezechielis 46.v.12 colligitur. In libro Paralip.2.c.7.v.1. additur, *Cùm compleſſet Salomon fundens preces, ignis deſcendit de cælo, & deuorauit holocauſta, & victimas.* Quod idem repetitur 2.Machab.2. v.10. Quo ſigno teſtabatur palàm Deus, placere ſibi iſta ſacrificia & ſacrificantes. B Vti teſtatus etiam fuit in Abelo, (*d*) Moyſe, (*e*) Gedeone, (*f*) Elia (*g*) & Nehemia, (*h*)

d *Geneſ.4. v.4.*
e *Leuit.9. v.24.*
f *Iudic.6. v.21.*
g *3.Reg 18. v.38.*
h *2.Mach.1. v.22.*

CAPVT IX.

Deus ſecundò apparens Salomoni, iubet ſua complere præcepta: minùs additis ni compleat. Salomon plures exſtruit ciuitates: populos vincens facit ſibi tributarios: ex Ophir aurs plurimum quotannis recipit.

℣.13. APPELLAVIT *eas terram Chabul*] quod Phœnicum, id eſt Tyriorum & Sidoniorum lingua ſignificat *Vile*, inquit Ioſephus: hebraicè ſignificat *compedes*, inquit Mariana: quòd ager ciuitatum illarum nimijs arenis, vel nimio luto ſuo, quaſi compedibus detineret viatores. ita ex Rabbinis Liranus. Hæc viginti oppida conceſſerat Salomon regi Tyrio pro viginti annorum operis & impenſis. Conceſſerat, inquam, non quoad dominium (quia ex funiculo Iſraelitico, vtpote hereditate Domini Dei, non poterat quidpiam perpetua dominij tranſlatione abalienari, Leuit.25. v.23. *Terra non vendetur in perpetuum, quia mea eſt, & vos aduenæ & coloni mei eſtis: vnde cuncta regio poſſeſſionis veſtræ ſub redemptionis conditione vendetur.*) Sed ſolùm quoad vſumfructum: vt nempe fructus illius regionis tamdiu perciperet, quoad impenſas factas recuperaſſet. Et erant hæc oppida in ea regione Galilææ quæ Tyro vicina eſt, quæque exinde *Galilæa Gentium* appellata eſt Iſaiæ 9.v.1. Verùm cùm Hiram per otium ea oppida contemplatus eſſet, neque talia putaret, ex quibus niſi longo tempore & graui moleſtia ſumptus factos recuperare poſſet; noluit ea admittere, (*i*) ſed aliam prompto ære ſolutionem depopoſcit. ita Ioſephus. Et Salomon, vt animo erat generoſo, præſtitit extemplò quod petebatur. *Summa* verò *expenſarum*, vt hîc dicitur, *quam* Hiram repetebat, & quam *Salomon* ei promptam *obtulit*, erant *centum viginti talenta auri*, (*k*) quæ ſubciſiuis temporibus antè *miſit* ſeu miſerat *Hiram ad regem Salomonem, ad ædificandam domum Domini, domum* regiam & alia ædificia.

Ioſeph.l.7. Antiqu.c.2.

i *Colligitur ex 2.Paral. c.8.v.2.*

k *Vide Prolegom. de Ponderibus.*

℣.19. *Muniuit* validis muris *omnes vicos*, non quotquot in Iudæa erant, (quia fruſtraneum hoc & immenſi operis eſſet) ſed quotquot in finibus erant, & contermini hoſtibus. Item *ciuitates curruum & equitum*] id eſt, in quibus currus & equites fouebantur, nouis mœnibus ſepſit, vt non ſolùm ornamenta Iſraeli, ſed & præſidio ac munimento eſſent aduerſus hoſtium incurſiones.

℣.24. *Tunc ædificauit Mello*] Erat hæc publica Ieroſolymis area, & pars profundior vallis latiſſimæ *Mello* monti Sion ſubiecta, quæ quòd frequenti hominum

Sophon.1. v.11.

minum multitudine incoleretur, dicta fuit *Mello*, quæ vox *multitudinem* indicat. Hanc arcam Salomon, vt vxoris suæ, filiæ Pharaonis commodo deliciisque subseruiret, publico ereptam, & ædificijs varijs constructam vicino vxoris palatio adiecit. Quæ populo, & imprimis Ieroboamo, murmuris primùm, dein & rebellionis occasio fuit, vt infrà c.11.v.26. videbimus.

℣.25. *Offerebat Salomon tribus vicibus per annos singulos holocausta*, &c.] Putà in Paschate, Pentecoste, *& Scenopegia*, vt explicatur 2.Paralip.8.v.13. non quòd alijs diebus nihil offerret (nam ibid. dicitur *obtulisse Salomonem* templo quæ necessaria erant, vt *per singulos dies* holocaustum *offerretur*:) sed quòd illis tribus primarijs festis maiori solemnitate & pompa hostias rege dignas offerret.

De *classe Hiram*, & de *Ophir*, vide 2.Paralip.8.

CAPVT X.

Venit regina Saba ad regem Salomonem. Annui Salomonis prouentus, vasa, scuta, thronus eburneus, supellex omnis aurea, currus, equi, & opes immensa.

℣.1. REGINA *Saba*] Duplex est *Saba* seu *Sabæa*: vna in *Æthiopia* propriè dicta, quæ & *Meroë* dicitur, in regione *Abyssinorum* siue *Preto-Ioannis*, & hæc scribitur per ש *scin*. Altera est in *Arabia Felici*, & hęc scribitur per ס *samech*. Vtraque exprimitur illo versiculo psalmi 71. *Reges Arabum & Saba*, hebraicè est, reges *Seba & Sceba*. Vbi per priorem *Sebam* seu *Sabam* dum *Arabiam* intelligit, videtur & hoc loco, vbi eisdem litteris scribitur *Saba*, vrbs vel regio Arabiæ intelligenda. Et hæc eadem est ex qua etiam tres *Magi* ad Christum in Bethlehem munera detulerunt. Et subinde etiam vocatur *Æthiopia*, vt dixi Numer.12. cùm explicarem, qua ratione vxor Moysis ex Arabia progenita, vocetur tamen Æthiopissa. ita S.Hieronymus, Sanctius, & alij. Et confirmatur ex Iobo & Isaia, qui quando *Sabæ* meminerunt, eam coniungunt ijs regionibus quas nemo negat esse in Arabia, vel saltem Arabiæ vicinas. Iob enim cap.6. vers.19. eam iungit cum *Theman*: Isaias cap.60. vers.6, & 7. *cum Madian, Epha, Cedar*, & *Nabaioth* coniungit, quæ sunt partes *Arabiæ*. Et quis nescit, *Sabæos*, qui Iobi armenta deprædati sunt, ex vicina Arabia fuisse? Atqui omnibus illis locis *Saba* hebraicè ijsdem quibus hîc litteris conscribitur. Et *Petrus Pauli* ex nostra Societate, litteris ex ea Æthiopia quæ ad *sinum* est *Arabicum*, haud ita pridem datis, affirmat, prope eumdem *sinum Arabicum* ciuitatem ab indigenis ostendi, in qua nata creditur hæc de qua nunc agimus *regina Saba*. Confirmatur Secundò, quia munera quæ seu Magi ad Christum, seu regina hæc ad Salomonem detulisse dicuntur, putà aurum, thus, myrrha, gemmæ pretiosæ, cinnamomum aliaq; aromata, non nascuntur in Æthiopia, sed in Arabia Felici maxima copia, teste Diodoro Siculo, Herodoto & alijs. Additque Herodotus, *Arabiam ad Meridiem*, (nam eò ex parte vergit, licèt alioqui sit *Orientalis* respectu Ieroslymæ,) *vltimam è regionibus esse quæ habitantur*. Et hæc fortè ratio est, cur hæc *regina Saba* à Christo vocetur *regina Austri*, & ad Salomonem dicatur venisse *ab vltimis finibus terræ*, Matthæi 12. & Lucæ 11. Allegoricè secundùm Eucherium, Ecclesia Gentium adcurrit ad Christum. Et sanè videtur hæc regina dum gryphorum & ænigmatum suorum, seu subtilium quæstionum solutiones quæsitum venit, ne-

סבא ושבא

Hieron. in c.60. Isaiæ & in Trad. Hebr. & in c.10. Genes.

Diod.l.3. c.11.

Herod.l.3.

A que altiùs curiosam mentem attolleret, ea occasione cognitionem veri Dei reperisse, eademque populos sibi subditos imbuisse. Sed quod tradit Ioannes Barrus Lusitanus, hanc reginam Salomoni consortem thori fuisse, ex eoque filium *Meleich* genuisse, à quo propagati sint omnes ad hoc vsque æuum Abyssini reges Æthiopiæ: qui etiam idcircò se scribunt *filios Salomonis, & filios columbæ Sionis, filios Dauidis ex semine Iacob, ex stirpe Iuda*, &c. præterquam quòd aduersetur probatæ iam à nobis sententiæ de regione *Sabæa*, quæ non ex *Æthiopia* Abyssinorum, sed ex *Arabia* hanc reginam ad Salomonem misit: probrosum nimis est tantis regibus: nec nisi ex Abyssinorum lacunis haustum, in quibus parum veri, nihil certi, inquit Sanctius. *Barrus de Abyssinis.*

℣.11. *Ligna thyina*] id est odorata, & ad suaue suffimentum idonea; à verbo Græco θύω, quod B suffire significat. talia enim ligna etiam hodie ex Orientali India à Lusitanis plurima comportãtur. Ribera vult ex arbore *thya*, quæ incorrupta & similis est *cypresso*, nomen hoc deriuatum: Chaldæus cum Rabbinis vertit *corallium*: LXX. *pinum*, vti & Iosephus: alij *ebenum* putant: quidam ex Hebræis *lignum Brasilium* ebeno splendidius. Vnde nihil hîc certi, nisi hoc vnum; *citharas* inde & *psalteria* seu nablia, & *gradum* inuestitiones confectas fuisse: quod *corallio* non conuenit. Certum item, non fuisse lignum Iudæis antea seu visum, seu notum: nam, vt est in 2.Paral.9.v.11. *Numquam visa sunt in terra Iuda ligna talia*. Et hoc de *pino* affirmari non potest. De *Tharsis* vide 2.Paral.9.v.21. *Ribera in Apoc.18.* *Ioseph.l.8. Antiqu.c.2.*

CAPVT XI.

Salomon ab vxoribus alienigenis infatuatus, adorat ipsarum idola, & singulis templa construit. Cui iratus Dominus suscitat aduersarios Adad, Razon & Ieroboam: & huic per Abiam Prophetam promittit regnum decem tribuum Israelis. Mortuo Salomoni succedit Roboam.

℣.1. FILIAM *quoque Pharaonis*] Potuit hanc, vtpote quæ Hebræorum religionem complecteretur, vxorem accipere Salomon, vt dixi Exodi 34. Sed videtur mulier callida, ne tanti regis thoro frustraretur, simulasse potiùs, quàm ex animo complexa fuisse veram religionem. Postea verò cùm ad thalamum regium aduocari vidit tot alias peregrinæ religionis feminas, laruam deposuit, & Ægyptiacas superstitiones publicè professa fuit. Quare etiam propter ipsam hîc arguitur Salomon, non minùs quàm propter alias idololatrides: nam sicut has assumere non poterat, lege id seuerè vetante, ita neque istam in coniugali consortio retinere, quamprimùm resciuit ipsam publicè alienam ab Hebræorum religione mentem prodidisse. *Exodi 34. & alibi.*

℣.5. De *Astarthe dea Sidoniorum*, id est, *Venere*, vt hîc Sanctius: vel, vt alij, *Iunone*, dixi Iudic.2.

Moloch, vel, vt hebraicè est, *Melchom*, id est, rex eorum; à Sanctio putatur *Sol* esse, vtpotè rex astrorum: ab Oecumenio *Mercurius*: à Caietano *Priapus*: à Ribera *Iupiter*: à Mariana verò & Vatablo & pleriisque alijs dicitur fuisse *Saturnus*, qui vt filios suos deuorasse scribitur, ita statua sua ænea candente & caua excipiebat oblatos sibi infantulos, & igni absumebat. vt dicam 4.Regum 23.v.10. *Ribera in Barrus de Templo.*

℣.7. *Chamos idolo Moab*] Hic vel *Bacchus* erat, vel *Priapus*: qui Græcis (à quibus Hebræi & Syri accepisse videntur) κῶμος dicebatur, vnde *comessatio*, quam sequitur omnis intemperantia. Certè dei istius

istius sacra tam impura erant & fœda, vt non nisi in tenebris obiri possent, vtpote ingenuis oculis indigna. His aliisque pluribus idolis Salomon & aras & templa posuit complura, & thus adolcuit, & victimas immolauit. Et continuata sunt hæc templa vsque ad tempora Iosiæ, qui ea omnia stirpitus excidit, 4.Reg.23.v.14.

Petes, An in illa peccatorum abysso Salomon amiserit omnem sapientiam illis cælitus antea infusam? seu, an laborarit errore intellectus quando tot coluit idola? Affirmant SS. Ambrosius, Gregorius, Prosper, Basilius, Bernardus & Isidorus. Negant S.Augustinus, Abulensis, Pineda, Del-Rio, Barradius, & quotquot putant Salomonem, post peractam tot scelerum pœnitentiam conscripsisse librum Ecclesiasten: nam c.2. illius libri vers.9. de seipso dicit Salomon, *Sapientia perseuerauit mecum.* Et hoc puto probabilius esse. Neque enim verisimile est, eò dementiæ delapsum, vt putarit, idolis illis aliquid diuinum inesse: sed opere externo colere illa voluit mulierosus & delicijs fractus senex, ne vxores & concubinas suas, quæ tam illi dominabantur, contristaret.

Ambros. Apol.2. pro Dauide c.6. & 7. Gregor.3.p. Pastoral. art.27. Prosper de Predicat. c.27. Basil. ad Chilonem. Bernard. epist.129. Isidor.lib.de Vita & morte Sanctorum c.33. S.Aug.l.14. de Ciu.c.11. & l.11. de Gen ad lit. c.42. Pineda præfat.in Ecclesiast.c.3. Del rio præfat.in Cant. Barrad.to.1. l.5.c.9.

Petes Secundò, An pœnituerit Salomonem tam fœdæ idololatriæ? & an saluatus sit? Respondeo cum iisdem posterioribus auctoribus, pœnituisse, & verisimilius saluatum esse. Nam cap.24. v.32. libri Prouerbiorum (secundùm versionem LXX. Interpretum) post enarratas omnes suas vanitates, addit, *Post hæc ego egi pœnitentiam.* Plura in hanc rem argumenta vide apud Pinedam, Del-Rio, & Barradium, qui acriter pro salute sui Salomonis decertant.

℣.13. *Tribum vnam dabo filio tuo*] scilicet *tribum Iudæ*: cui tribus Beniamin, vtpote vicina & implexa, constanter adhæsit: sed, quia haud ita pridem numero valdè accisa fuerat, & ad sexcenta virorum capita delapsa, comparatione reliquarum numerosissimarum tribuum, vix nomen *tribus* retinuerat; in nomen *tribus Iudæ* quasi transijt, & sub illa perpetuò comprehensa fuit: sicut & alij plurimi aliarum tribuum, qui vel ante captiuitatem (*a*) Assyriacam, vel post Babylonicam se tribui *Iudæ* coniunxerunt, relicto propriarum tribuum nomine, omnes vocati sunt *Iudæi.*

(a) 3.Reg.12. v.17. & 2.Paral.11. v.13.16.

℣.15. *Cum esset Dauid in Idumæa*] & subactis Idumæis apposuisset hinc inde præsidiarios ex Iudæis. Sed cùm Idumæi, reuerso ad suos Dauide, præsidiarios illos seu vi, seu dolo de medio sustulissent, & mortuorum cadauera insepulta, forsan in rotis aut furcis reliquissent; remissus eò Ioab cum exercitu, ante omnia honestæ sepulturæ mandauit occisos: dein, ne quid iterum noui tentarent Idumæi, masculinum omne genus de medio sustulit. Sed cædi subtractus est *Adad* puerulus Idumæi regni legitimus heres, qui cum paucis suorum fugit ad regem Ægypti. Iamque grandior factus Idumæam quidem repetijt, sed non recuperauit, (*b*) eò quòd firmiore Hebræorum præsidio, quàm ipse expugnando esset teneretur: *Syria* tamen, cuius caput est *Damascus*, ope *Razonis*, (*c*) qui & ipse profugus erat, potiri contigit, & rex *Syriæ* factus est, vnde Israeliticos fines turbauit *omnibus diebus Salomonis*, ex quo is à Deo defecit, & in idololatriam prolapsus est. ita Caietanus, Dionysius, Liranus, Abulensis & Sanctius cum LXX.

(b) 1.Par.11. v.8.& 10.

(c) Hic v.23. 24.25.

Nota. Huius *Adad* filius fuit *Benadad*: à quo omnes alij reges Syriæ dicti fuerunt *Benadad.*

℣.27. *Causa rebellionis* Ieroboam *aduersus* Salomonem, fuit, quia *Salomon voraginem Mello* ope Ieroboami ruderibus impletam, & reliqui valli atque inferiori ciuitati *coæquatam*, & publico propter ascensum in templum valdè opportunam, eripuerat vsibus publicis, & in vxoris suæ *Ægyptiæ* priuatas delicias conuerterat. quod & Ieroboam, & reliquus populus permoleste tulit, & ansam inde rebellionis sumpsit: vt dixi c.9.v.24.

CAPVT XII.

Roboam iuuenum secutus consilium perdit regnum decem tribuum. Quod cùm vellet vi armata recuperare, iussu Dei coercetur per veterem Prophetam. Ieroboam verò nouus rex Israel erigit duos vitulos in Dan & Bethel.

℣.25. ÆDIFICAVIT *Ieroboam Sichem*] Id est, nouis splendidisque, imò regijs ædificijs instruxit & auxit, vt nomen conciliaret vrbi, in qua ipse proclamatus fuit rex, & in qua sedem regni figere decreuerat, & quæ ad suam (*d*) tribum Ephraim spectabat, quam alijs prælatam voluit: de ique quæ fines attingeret vicini & æmuli regni, quam omninò expediebat aduersus quotidianas hostium irruptiones munitam habere. Notat Abulensis, licuisse Israelitis hanc à tribu Iuda secessionem seu schisma facere: neque id solùm ex Dei decreti per *Abiam Silonitem* manifestato, suprà c.11. v.31. sed etiam ob tyrannidem Roboamij qui Hebræos liberos volebat in seruitutem redigere, vt patet ex hoc c.12.v.10.& sequentibus.

(d) cap.11. v.26.

℣.28. *Fecit duos vitulos*] LXX. vertunt δαμάλεις in genere femmino, id est *vitulas.* Et ita legit Iosephus, Clemens Romanus (*e*) Tertullianus, Epiphanius & Theodoretus. Quin & Vulgatus noster Oseæ 10.v.5. vocat *vaccas Bethauen.* Sed hoc irrisionis gratia, inquit S.Hieronymus. Nam in omni idiomate familiare est, cùm aliquem mollem aut ignauum significare volumus, vt id muliebri compellatione faciamus. Vt ergo designetur nihil ab his *vitulis* magnum sperari posse, vocantur subinde non *vituli* vel *tauri*, sed *vitulæ* seu *vaccæ* imbelles. ℣.42. Quid verò per hos vitulos repræsentaretur, dixi Gen.41.& Exodi 32. nempe *Apin*, vel *Serapin* deum Ægyptiorum. Sed aliorum quoque deorum, seu potiùs dæmoniorum, simulacra Ieroboamum finxisse, pro libito subditorum, prout quisque in hos vel illos Gentium deos esset propensus, colligitur ex 2.Paralip.11.v.15. vbi dicitur *constituisse sibi sacerdotes excelsorum*; non *vitulorum* tantùm, sed & aliorum *dæmoniorum.* Sacerdotes, inquam,

(e) Clem.l.8. Const.c.52. Tertull. l. cont.Iudæos c.1. Epiph.de Vita Prophet. in Ioam. Theod. hic

℣.31. *De extremis populi*, seu de fæce populi, *qui non erant de filijs Leui*] multò minùs de tribu Aaron. Non, quòd nulli Leuitæ adhæserint Ieroboamo (nam Ezechiel.44.v.10. dicuntur aliqui *in* hoc *errore filiorum Israel recessisse à* Deo, *& ministrasse idolis*:) sed quòd admodum pauci, ac pene nulli, respectu reliquæ multitudinis Leuitarum, qui, vt 2 Paral.11.v.13. habemus, ex *vniuerso Israel venerunt ad* Roboam, *relinquentes suburbana & possessiones suas, & transeuntes ad Iudam.* Quin & v.16. ibidem audimus, complures laicos *de cunctis tribubus Israel*, relictis vitulis Ieroboami, *venisse in Ierusalem ad immolandum victimas suas coram Domino Deo patrum suorum*: qui *& roborauerunt regnum Iuda, & confirmauerunt Roboam.*

℣.32. & 33. ter dicitur *Ieroboam* ipse *ascendisse super altare, vt immolaret vitulis, & adoleret incensum.* Nempe, vt nouis illis sacris auctoritatem conciliaret, ipse voluit omnium sacrificulorũ esse antistes, & regium nomen cum sacerdotali consociare. Ita Sanctius: & clariùs confirmatur ex initio cap. sequ.

CAPVT XIII.

Ieroboamo, dum vitulo thus adolet in Bethel, Propheta prædicit, altare illud à rege Iuda Iosia olim nascituro profanatum & excisum iri. Manus Ieroboami exaresc it, sed orante Propheta sibi redditur. Propheta verò quòd minùs obediens Deo fuisset, à leone occiditur.

¶.1. VIR *Dei*, id est Propheta, *venit in sermone*, seu verbo, *Domini*] id est nomine & iussu Dei. Tertullianus hunc Propheta vocat *Sameam*; Epiphanius *Ioam*. Sed communior opinio est, fuisse *Addo*, ex 2.Paralipom.v.29.vbi *Addo* dicitur *videns* fuisse, id est prophetasse, *contra Ieroboam filium Nabat*. Non fuit tamen hic *Addo* idem cum illo qui auus *Zachariæ* Prophetæ fuisse scribitur Zachar.1.v.1. Nam & aliud (*a*) ab illo (*b*) nomen habet in Hebræo, & ferè 480. annis illum præcedit, ita S.Hieronymus.

a עדי Ieh di.
b עדו Ghido. *Hieron. in c.1.Zachariæ.* c 1.Reg.21. v.5.

¶.9. *Nec reuerteris per viam quâ venisti*] Quia enim via in Bethel (vbi omnis impietatis barathrum & abyssus est) (*c*) polluta & execranda cuique iusto habetur, idcircò nolo repeti illam, aut à te frequentari. Vult ostendere Deus, quanto horrori nobis esse debeant omnia quæ quoquo modo ducunt ad peccatum.

¶.11. *Propheta quidam senex.* (in Chaldæo vocatur *Michal* vel *Micheas*) de Samaria venerat, vt habetur 4.Reg.23.v.18. & iam *habitabat in Bethel*] & Ieroboamo carus erat, & inter primos intimosque ministros. ita Glossa Ordinaria, & Abulensis & alij. Quidam putant, vel ea sola de causa tantopere hunc Prophetam fatigisse, vt *Addonem* è via contra expressum Dei mandatum, ad mensam suam retraheret, vt, cùm postea is suæ inobedientiæ pœnas lueret (facilè enim coniectare poterat, id illi non impunè cessurum;) eo argumento faciliùs, Ieroboamo regi suo persuaderet, impostorem fuisse *Addonem*, ac propterea cælitus punitum: atque ita Ieroboamum propter minas *Addonis* iam fortè nutantem, deque abolendis *vitulis* agitantem, in priori impia sua sententia confirmaret ac stabiliret. Vnde non immeritò post hanc decepti Prophetæ tragœdiam, mox hîc additur, v.33. *Post verba hæc non est reuersus Ieroboam de via sua pessima*. Erat ergo senex veterator hic impius & peruersus homo, licèt *verus propheta*, per quem verè locutus est aliquando Deus, de numero eorum qui in iudicio dicturi sunt Deo, *Nónne in nomine tuo prophetauimus?* & ipse respondebit, *Quia numquam noui vos*. ita Theodor. Liranus, Caietanus, Abulensis & Sanctius.

Matth.7. v.22.

¶.21. *Quia non obediens fuisti ori Domini*] Absolutum acceperat *Addo* præceptum nec reuertendi in Bethel, nec quidquam ibi gustandi: vnde peccauit peccato inobedientiæ, nimis leuiter, nec consulto Deo, propter alterius Prophetæ dicta non sat excussa, delectando à præcepto diuino. Sed verisimilius est, non nisi veniale fuisse peccatum: Primò, quia deceptus fuit ab eo quem Prophetam verum & veracem putabat; deinde, quia norat, Deum subinde mutare aut moderari quæ antè præceperat: denique, quia non sponte, sed quasi vi retractus videtur, cùm priùs quoad potuit recusasset. ita S.Augustinus, Gregorius, Cassianus, Eucherius, Angelomus, Caietanus, Abulensis, à Lapide, Sanctius & alij, qui comparant hoc peccatum cum peccato Moysis Numer.20. & vxoris Loth, Genes.19. quæ licèt seueriſſimè castigata sint, non tamen nisi venialia fuisse existimantur.

¶.28. *Non comedit leo de cadauere, nec læsit asinum*] Vnde patet Primò, non casu leonem occurrisse, sed immissum à Deo, quandoquidem à præda abstinuit, neque famem carnibus seu Prophetæ, seu asini exsaturare permissus sit. Secundò, placuisse Deo defunctum Prophetam, cuius cadaueris tantam curam gesserit.

¶.30. *Planxerunt eum, heu, heu, mi frater*] Erat hæc familiaris apud Hebræos lugendi forma. Sicut & illa Ieremiæ 22.v.18. *Væ frater, væ soror, væ Domine, væ inclyte.* Vide S.Hieron.

Hieron. epist.25.ad Paulam.

¶.31. *Sepelite me in sepulcro, in quo vir Dei sepultus est*] Id iubet idcircò, ne ossa sua olim sub Iosia, simul cum aliorum impiorum ossibus extraherentur è tumulo, & cum ludibrio abirent in cineres, quod *Addo* Propheta futurum prædixerat. Vnde ossibus illius, quæ præsagiebat loco motum non iri, sua ossa iungi mandauit. Neque spe sua frustratus est, vt patebit 4.Reg.23

¶.33. *Quicumque volebat*, nullo delectu seu probitatis, seu aptitudinis, quisque pro libito suo *implebat manum suam*, putà oleo sacro, & victimis seu libaminibus: atque ita, more iam pridem in consecratione sacerdotum recepto, imò præscripto Exodi 29.v.24. *sacerdos fiebat*] non Dei, sed idolorum quæ in profanis excelsis colebantur.

CAPVT XIV.

Consultus Abias Propheta ab vxore Ieroboami de filij sui salute, dicit illum mox moriturum, totamq; familiam Ieroboami stirpitus exscindendam. Morto Ieroboamo succedit Nadab. Rex Ægypti diripit thesauros templi Ierosolymitani. Morto Roboamo succedit filius Abia.

¶.2. DIXIT *Ieroboam vxori suæ*] Cùm enim de certo puero consulendus esset Propheta, occultato patris nomine, non poterat commodiùs quàm per *matrem* citra suspicionem consuli, hac vel simili forma, *Quære, obsecro, à Domino, an filius meus, qui morbo pene extinguitur, ab illo liberandus sit?*

¶.3. *Tolle decem panes & crustulam*; LXX. collyria; Chaldæus, placentas, *& vas mellis*] Et plebeias istas ac rusticas delicias defer Prophetæ, quo faciliùs ipsi imponas, putetque te rusticam esse: nam si persona tua ipsi innotesceret, aut nulla, aut non nisi dura responsa ab illo (plusculum mihi ob idololatriam irato) referres. Quin & in vrbe *Silo*, etsi meæ tribus Ephraimiticæ oppido, mihi tamen, seu propter spretam à me arcæ istic olim asseruatæ religionem, seu propter sancti Prophetæ ibi commorantis & populum in vero Dei cultu continentis præsentiam, non satis addicto, periculum tibi, si innotesceres, immineret, ne minùs honestè quàm regium nomen & dignitatem deceat, à populo tractareris.

¶.10. *Clausum*] scilicet carcere: (*d*) vel arcium & vrbium muris quantumuis altis & validis, vt dixi Deuter.32.v.36. Prouerbialis est sermo, quo significatur, omnia prorsus deletum iri, etiam illa quibus aliàs parci solet; vt solet plebeculæ, canibus, captiuis, qui arma aduersa non tulerunt: Item in arce vel vrbe munita degentibus, quibus solet à victore honestis conditionibus vltrò tutus exitus concedi. Ast hîc nulli prorsus de familia Ieroboam parcitum iri affirmat. Simili phrasi dicit Isaias c.9.v.14. *Disperdet Dominus caput & caudam, incuruantem & refrænantem*, id est tam summos quàm infimos, tam robustos quàm infirmos.

d 4.Reg.14. v.26.

Et

Et mundabo reliquias domus, seu familiæ, *Ieroboam, sicut mundari solet fimus vsque ad purum*] Id est, mundabo regnum Israel à posteris Ieroboami, non secùs quàm solet ancilla munditiæ studiosior mundare domum suam à *fimo*: quem, quia aspectu fœdus, & odoratu grauis est, ad vltimum vsque puluisculum euertit. En regiam stirpem Ieroboami comparat Deus *fimo* & stercori, vtpote idololatria alijsque sceleribus fœdatam. Porrò ad litteram penitus sic euersum fuisse, patet ex cap.seq. v.29. vbi *Baasa percussit omnem domum Ieroboam: non dimisit ne vnam quidem animam de semine eius, donec deleret eam, iuxta verbum Abiæ Silonitis.*

¥.17. *Vxor Ieroboam abiit* cum hoc tristi nuntio *in Thersa*] Hîc nempe, relicta *Sichem*, fixerat Israelitici imperij sedem Ieroboam. vbi & mansit, donec ab *Amri* ædificatâ *Samariâ*, sedes eò translata fuit, vt dicetur cap.16.v.24.& 29. Fuisse autem *Thersa* ciuitatem eximiæ amœnitatis, etiam ante hæc tempora, vel inde colligo, quòd Salomon Cantico r.6.v.3. pulchritudinem sponsæ perinde comparet cum *Thersa*, atque cum *Ieroselyma*. Nam vbi Vulgatus habet, *Pulchra es amica mea, suauis & decora sicut Ierusalem*; pro *suauis*, in Hebræo est, *sicut Thersa*.

¥.24. *Sed & effeminati fuerunt*] Id est, non tantùm feminarum, sed & (prô pudor!) etiam masculorum prostibula instituere Iudæi, & quidem publica, & ex spurcissimo vicinarum gentium ritu, in honorem idolorum suorum; quibus solebant vtriusque sexus mercede prostituti emporia varijs in locis constitui, vt dixi Deuter.23. Quæ Ierosolymis paulò pòst euertit *Asa* rex, vt habes c.seq.v.12. & rursus *Iosias*, 4.Regum 23.v.7. vbi *destruxisse* dicitur *aediculas effeminatorum, quæ erant* etiam *in domo Domini*. Porrò ad tantas sordes, tantamque impietatem pellexisse *Roboamum*, (& cum eo vniuersum regnum *Iuda*) creditur impia illius mater *Naama* Ammanitis; idque regni *Roboami* anno tertio finiente, vt habetur 2.Paralip.11.v.17.

CAPVT XV.

Impio Abia regi Iuda succedit pius filius Asa: qui aduersus Baasam regem Israel feliciter praliatur, auxilio Benadad regis Syriæ. Asa morienti succedit filius Iosaphat. Inde narratur quomodo Baasa occiderit Nadab cum vniuersa stirpe Ieroboami.

¥.2. MAACHA *filia Abessalom*] seu *Absolomi*, vt dicitur 2.Paralip.11,v.21. qui Dauidi parenti suo rebellis fuit: licet S.Hieron. velit hæc de alio Abessalomo intelligi. Huic erat filia proprio nomine *Thamar*, 2.Reg.14.v.27. sed cognomine *Maacha*: quod videtur filiæ primogenitæ in regno Gessur fuisse commune seu appellatiuum. Nam & *mater* Absalomi 2.Reg.3. v.3. & *filia* hîc, & *neptis*, infrà vers.10. *Maacha* singulæ vocantur.

Hieron. in Trad.Hebr.

¥.5. *Eò quòd non declinasset* Dauid *ab omnibus quæ præceperat ei, excepto sermone*, seu facto, *Vriæ Hethæi*] An ergo non peccauit Dauid cùm necì destinauit vniuersam familiam Nabal? 1.Regum 25. v.34. Non peccauit, cùm tanta crudelitate sæuijt promiscuè in Ammonitas, vt super prostratos *circumageret ferrata carpenta, & cultris, & serris*, & alijs inusitatis tormentis miseros discruciaret? 2.Regum 12. v.vlt. Non peccauit dinumerando populum contra diuinum præscriptum 2. Regum 24. quo tot millibus hominum exitium creauit? Nonne v.10. palàm ipse de se fatetur, *Peccaui valdè in hoc facto?* Quomodo ergo dicitur hîc non peccasse, nisi in *Vria Hethæo?* Respondeo, Deum hîc loqui & iudicare more humano, quo peccata non censentur quæ honesto aliquo prætextu, vel virtutis saltem apparentis velamine conteguntur: supponendum enim benè fieri, quæ non constat manifestè mala esse. Cùm ergo sæuitia Dauidis exercenda in Nabalitas, & exercita in Ammonitas tegmine iustæ vindictæ; numeratio populi, prætextu religiosi tributi pro templo construendo velarentur; non censebantur passim ab hominibus peccata, saltem grauia: quare nec Deus vult illa passim euulgare vt talia, contentus suo iudicio, propriæque peccantis conscientiæ, talia censeri & vt talia puniri. Sed adulterium cum Bethsabee, & infanda cædes innocentis Vriæ, quia nullo virtutis velamine, nullo honesto prætextu tegi vel excusari poterant, passim ab omnibus hominibus, ideoque etiam palàm hîc à Deo, tamquam enormia scelera Dauidi impinguntur: adeoque & hæc sola illi impinguntur, quia reliqua omnia quæ vel publicè, vel priuatim peccauit, honesto prætextu, vt dixi, poterant coram hominibus à peccato & culpa grauiore excusari.

¥.7. *Nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Iuda?*] Erant isti libri quasi *annales & fasti publici*: è quibus in libros Paralip. plurima translata sunt & ad nos deuenerunt. cetera temporum iniuria perierunt. Sic quod hoc ipso versu vix tangitur, *prælium inter Abiam & Ieroboam*, fusè explicatur 2.Paralip.13. dicunturque cæsi ex Ieroboami exercitu supra *quingenta millia virorum fortium*.

¥.13. *Rex Asa Maacham matrem suam, filiam* seu neptem *Absalomi, amouit*, vtique cum ignominia, *ne* diutiùs *esset princeps* & antistes *in sacris Priapi*] Neque solùm ab hoc spurcissimo principatu semouit impiam matrem pius rex, sed & ob eamdem spurcitiam exuit illam regia dignitate, vt habetur hîc in Hebræo, & 2.Paralip.15. v.16. Noster etiam Vulgatus, *Machan*, inquit, *matrem Asa rex ex augusto depositit imperio, eò quòd fecisset in luco simulacrum Priapi*. De quo vide quæ dixi Num.25.v.1.

CAPVT XVI.

Iehu Propheta predicit excidium Baasæ & vniuersæ domus eius. Cui mortuo succedit filius Ela: quem Zimbri occidit, sed præualentis mox Amri scipsum cum palatio regio succendit. Mortuo Amri succedit filius impiissimus Achab, qui sceleratam Iezabelduxit vxorem. Instauratur hoc tempore Iericho, sed non impunè.

¥.7. BAASA *occidit Iehu filium Hanani prophetam*] Ergò filium illius prophetæ, qui *Asæ* regi Iuda 1.Paralip.16. dirum à Deo nuntium attulit, propter quod & *in neruum* ab eo compactus est. ita Abulensis, Liranus, Dionysius, Hugo & Sanctius. Sed alius fuit hic Iehu, & alius Hanani ab illo Iehu filio Hanani 2.Paralip.19. vers.2. qui multò pòst tempore occurrit regi Iosaphat. Neque nouum, plures parentes cognominis habuisse filios quoque eiusdem nominis. Ita Sanctius.

¥.18. *Succendit se* Zambri *cum domo regia*] Ita quoque Sardanapalum(a) fecisse, tradit Iustinus, & exstructa in palatio ingenti pyra, immensas diuitias vnà secum flammis absumpsisse. Verùm cur non gladio potiùs, aut reste, aut veneno? Respondet Abulensis, Ne cadauer in hostis potestatem veniret, & ludibrio afficeretur. Quod etiam Sylla exhorrescens,

a *Chron. c.33. sub init. Iust.lib.1.*

Cic.l.1.de Legib.sub finem.

exhorrescens, teste Cicerone, primus omnium è familia Corneliorum, igni voluit cremari.

℣.24. Amri iam pacificus rex Israelis, *emit montem Samariæ.* Sic vocatur per prolepsim: vt & c.13. v.11.suprà ex 4.Regum 23. dixi, Prophetam illum senem qui decepit *Addonem* Prophetam, de *Samaria* venisse, id est, ex eo loco qui paucis pòst annis vocatus est *Samaria*, à possessore & domino illius loci, *Somer*, qui dicitur hîc illum vendidisse regi

Vide Proleg. de Ponderibus.

Israelis *duobus talentis argenti*, id est sex millibus florenorum Belgicorum, seu duobus millibus aureorum nummorum. Hanc vrbem excidit funditus Salmanassar Assyriorum rex occiso illius rege vltimo Osee, & incolis in exilium (*a*) abactis: sed successu temporis paulatim restauratam post varios alternantis fortunæ casus tandem Herodes Ascalonita, teste Iosepho, (*b*) Adrichomio, (*c*) & alijs pristino splendori restituit, amplissimo illam muro per 20. stadia, (*d*) communiens, & præter innumera palatia, vastissimum in ea templum ponens nongentorum pedum, in honorem Augusti Cæsaris: à cuius etiam nomine vrbem ipsam vocari voluit Sebasten, id est Augustam: vt in Germania ex simili occasione habemus Augustam Vindelicorum, in Hispania Saragossam seu Cæsaris Augustam, & alias alibi.

a 4.Reg.17. v.6.

b Ioseph. lib.15 Antiquit.c.10. c Adricho. in Samaria. d Prolegem. de Mensuris longitud.

℣.31. *Insuper* seu supra alia scelera suorum parentum, adiecit *Achab*, quod nemo ante illum ausus fuerat, *vt filiam* idololatræ *regis Sidoniorum Iezabelem* sibi iungeret vxorem, non eiuratâ patriâ religione, (vt Dauidis, (*e*) Salomonis, (*f*) & aliorum regum Gentiles vxores hucusque fecerant) sed illâ retentâ, publicéque euulgatâ; quin & in locum veræ ac sinceræ religionis, quam procul exulare iussit, perfidè surrogatâ.

e 2.Reg.2. v.9. f 3.Reg.11. v.1.

℣.34. *In diebus* Achab *ædificauit Hiel Iericho*] non obstante edicto ac maledictione Iosuæ. Ma- *Iosuæ 6. v.26.*
lebat omnium prolium suarum homo stolidus iacturam facere, quàm non obsequi seu priuato affectui suo, seu regis sui delitæ cupidini, optantis instaurari vel inuito Deo tam nobilem olim & famosam vrbem. Idcircò autem commemoratur hîc illa tragœdia, vt palàm omnibus fiat, quàm perdita fuerint omnia in Israele hoc tempore Achabi, quo ipse ad vxoris libidinem rempublicam moderabatur, quàm profligata fides, quàm procul abactus pudor omnis & timor Dei, quàm alta cælestium minarum inducta obliuio & contemptus, vt, quod tot sæculis nemo ducum vel regum ausus fuerat tentare, iam audeat priuatus homo, isq; impius & idololatra, vtpote ex *Bethel*, fonte & barathro omnis idololatriæ: & audeat, vidente, inspectante, laudante rege, & vniuerso Israele. Et forsan id audeat solùm in gratiam regis, & ad eius amicitiam aucupandam, cui sciebat id gratum fore, & quem videbat eiusmodi cælestium minarum & prædictionum contemptorem atque irrisorem. ita Abulensis.

CAPVT XVII.

Elias cælum triennio claudit. Pascitur primùm à cornis; deinde à muliere Sarephtana, cuius hydria farina, & lecythus oleî non minuuntur. Filius etiam ipsius ab Elia resuscitatur.

℣.1. ELIAS *Thesbites*] ex oppido *Thesbi* in terra *Galaad* vltra Iordanem oriundus. Eam sacerdotalem ciuitatem fuisse, & *Eliam* ex familia *Aaron* sacerdotem natum, volunt Epiphanius, Isidorus, Ioannes Episcopus Ierosolymitanus, Si- *Epiph. de Vita & interitu Sanctorum.*
meon Metaphrastes & Dorotheus. Sed cur id Scriptura tacuisset? Iidem patrem *Eliæ* vocant *Sabacha*, qui *puerulum* recèns natum *viderit igne tamquam fascijs inuolui, & flamma veluti cibo ali.* Cæ- *Isid de Vit. & morte Sanctorum. Ioannes c.1. tom.9. Biblioth. Metaphrast. apud Surium. Doroth.in Synopsi.*
libem perpetuò vitam egisse docent S.Hieronymus, Ambrosius, Ephrem & alij. Postquam adoleuit, discipulos (qui filij Prophetarum dicti sunt) collegit non vno loco, & illis monasticæ vitæ nouam formam, ferè ad instar Rechabitarum indixit, qui diuinis ex professo laudibus canendis toti vacarent, vt vidimus etiam in alijs Prophetis tempore Samuelis, 1.Regum 19. v.20. In hos maxim è grassata fuit, (crediderim odio Eliæ) ira & furor Iezabelis, & illorum magnam stragem & in proxima triennali fame, & exinceps edidit. Non ergo vna erat & certa sedes Eliæ, sed pro varia discipulorum suorum necessitate vel solatio nunc in *Galgalis*, nunc in *Bethel*, nunc in *Iericho* (vt colligitur ex 4.Regum 2. vers.1.3.5.) nunc alijs locis degebat: sed omnium frequentissimè in *monte Carmelo.* Vbi & *Eliseus* Eliæ primarius discipulus commorari solebat: & vterque montem illum pluribus miraculis celeberrimum reddidit. Ibi Elias igne cælesti victimas absumpsit, & 450. sacerdotes Baal neci dedit, c.18.v.38.& 40. Ex eodem monte bis 50. milites *Ochoziæ* regis eodem igne cælesti prostrauit, teste Abulensi. Eumdem montem Eliseus frequentissimè adibat, vt patet 4.Regum 2.& 4. & alibi: nempe vt creditum istic sibi gregem discipulorum foueret, instrueret, roboraret. Et videtur hæc in Carmelo Prophetarum colonia, ob frequentiorem istic Eliæ atque Elisei præsentiam, & præclustriora ibi patrata miracula, inter reliqua eorumdem cœnobia principem locum tenuisse: vnde & nomen illis adnatum *Carmelitarum*, quod idem nomen etiam in Euangelica lege vsque eò placuit viri feminisque sub nomine & auspicio B.Virginis in Ecclesia Christi hucusque magna vitæ sanctitate ac religionis gloria militantibus, vt plurima alia ad speciem nobiliora nomina vni illi posthabenda putarint, vel eam maximè ob castam, ni fallor, vt etiam ipso suo nomine palàm orbi facerent, sacrum hunc Ordinem suum ab Eliæ atque Elisei disciplina institutioneque exordium habuisse. Quod & Sixtus IV. & Iulius II. & Gregorius XIII. & Clemens VIII. & alij Pontifices suis bullis, vt historicos & alios auctores nunc omittam, apertè profitentur. *Abulens in 4.Reg.c.1. & 4.*

Dixit ad regem *Achab*, *Si erit*, id est, *non* (*g*) *erit, annis hîs ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba*] id est, nisi cùm ego voluero & iussero. Ex cap.5. v.17. epistolæ Canonicæ S.Iacobi patet, *Eliam* pio zelo puniendi idololatras, popposcisse à Deo claues cæli. *Elias oratione orauit, vt non plueret super terram*, scilicet Israeliticam, & alias vicinas, *& non pluit annos tres & menses sex.* Cùm enim Deuteron.28.vers.24.& alibi sæpiùs minatus fuisset Deus Israelitis, si quando ad idololatriam deflecterent, hac siccitatis, sterilitatis & famis certissimas pœnas, petijt Elias ex condicto eâsdem nunc in idololatras Israelitas immitti. Et hæc est ratio, cur Elias hîc quasi ex abrupto, illas minas regi Achabo, totique Israeli iam à fide apostatanti palàm intentet. ita ferè Liranus, Caietanus & Sanctius. *g Proleg.de Idiotism. Hebr.n.13.*

℣.6. *Corui deferebant* Eliæ *panem & carnes mane & vesperi*] Et quidè ex regis Achabi culina, eâsdemque ex optimis & optimè coctis, inquit Abulensis.

Quod

Quod si verum fuit, mirifica fuit illa Dei prouidentia: & interceſſit haud dubiè aliqua angelorum cura, comos ceteroqui crudeles & in proprios quoque pullos improbè auaros, ad id miniſterium ſtatis horis impellentium, à voracitate compeſcentium, & ad condictum locum conducentium.

℣.21. *Menſus eſt ſe* Elias *ſuper puerum*] Id eſt, pronus incubuit cadaueri pueri. Primò, vt hoc ſupplici corporis habitu Hebræis vſitatiſſimo facilius exoraret Deum. Secundò, vt contracto ſic arctatoque corpore ad menſuram puerilis corpuſculi, palàm faceret, ſe animo quoque eſſe dolore prorſus contracto, & humili æſtimatione ſi quoad poſſet acciſo. ferè vti nos ideo vel de geniculis vel cernui oramus, vt illo ſitu deſignemus, nos & de corporis proceritate, & de animi elatione, quantum poſſumus, remittere in diuinæ maieſtatis præſentia. Tertiò, vt affectum prodat ſuum erga mortuum, cui tali incubatione & inhalatione videtur ſuummet ipſe halitum, ſpiritumque ſeu animam, etiam cum propriæ vitæ diſpendio immittere velle. Quartò, vt, quantum in ſe eſt, cooperetur Deo, flatu ſuo corpus exſangue calefaciendo, & membra ſic ad vitam recuperandam diſponendo. ita Abulenſis, Sanctius & alij.

Allegoricè, Chriſtus in incarnatione, & in cruce accommodans ſe noſtræ puſillitati, nos ab æterna morte ſuſcitauit. ita S. Auguſtinus, & S. Bernardus. Moraliter, ſacerdos vt peccatorem ad pœnitentiam, vitamque animæ reducat, totus illi molliendo calefaciendoque incumbat.

Aug. ſer. 201 de Temp. Bern. 16. in Cant.

CAPVT XVIII.

Increſcente fame, Elias cum Abdia adit regem Achab, eumque ſeuerè corripit: pſeudoprophetas Baal 450. ſolus ad certamen prouocat, & vincit igne de cælo impetrato: mox omnes ingulari iubet, & pluuias terræ reddit.

℣.1. IN *anno tertio*] ſcilicet famis vbique graſſantis. Et erat iam elapſum ſpatium trium cum medio annorum negatæ pluuiæ, quæ paucis poſt menſibus cœpit cauſare famem.

℣.3. *Vocauit Achab Abdiam diſpenſatorem domus ſuæ*] ſeu œconomum aulæ regiæ. Hunc *Abdiam* putat ex Ioſephi & aliorum Hebræorum ſententia Theodoretus, Comeſtor, Abulenſis & Liranus, maritum fuiſſe illius viduæ cuius inopiæ proſpexit Eliſeus multiplicando oleum in vaſis 4. Regum 4. Iidem & plures alij dicunt fuiſſe vnum ex duodecim Prophetis minoribus, nempe qui quarto loco recenſetur. Quod ſi ita eſt, ducentis propè annis anteceſſerit omnes alios minores Prophetas. Ioannes Epiſcopus Ieroſolymitanus tradit, eumdem Abdiam fuiſſe illum quinquagenarium, qui tertio loco miſſus à rege Ochozia 4. Reg. 1. v. 13. Eliam ad regem deduxit, ac deinde relictâ aulâ, reliquis Eliæ diſcipulis ſeſe adiunxit. Ita ille & plures alij, neque omninò improbat Sanctius. Sed nos in procœmio Abdiæ Prophetæ id examinabimus.

Ioſeph. l. 9. Antiquit. c. 2.

Ioannes Ieroſol. de Inſtit. Monach. c. 15. num. 7. Bibliotb. SS. Patrum.

℣.24. *Deus qui exaudierit per ignem*] Id eſt, qui miſſo cælitus igne, victimam abſumpſerit, atque ita vota preceſque ſacrificantium exaudierit, is pro vero Deo ab omnibus habeatur, & publicè colatur. Hoc enim ſigno ſolebat Deus pæne omnibus ſæculis iam inde à primo mundi exordio teſtatum facere, gratum ſibi accidere ſacrificium; vt patuit in *Abel*, (a) *Aarone*, (b) *Gedeone*, (c) *Dauide*, (d) & recens in *Salomone*. (e) Vnde & audacter illud hîc

a *Gen. 4. v. 4*
b *Leuit 9. v. 24.*
c *Iudic. 6. v. 21.*
d *1. Par. 21. v. 26.*
e *2. Par. 7. v. 1.*

A proponit *Elias*, & ab omni populo facillimè admittitur.

℣.26. *Tranſiliebant altare*] inter diſſectas victimæ partes; quaſi ipſi quoque ſeipſos pro victima darent. Et priùs quidem incruenti tranſiiſſe ac tranſiliiſſe videntur: at poſtea, cùm ſentirent *Baalem* ad ſe audiendos tardiorem, *cultris & lanceolis* ſcapulas humeroſque cruentatos in medium protulerunt, & inter fruſta victimæ identidem tranſilientes, ſanguinem ſuum ſanguini bouis admiſcuerunt, triſti ſanè & miſerando ſpectaculo. Sed gaudet eiuſmodi ſæuitia crudelis dæmon: quin & humanas frequenter victimas depoſcere, vidimus in idolo Moloch, ſuprà cap. 11. v. 5. & docent *Dianæ Tauricæ*, & Idææ, & Bellonæ cruenta & verè belluina ſacra, apud Tibullum, Alexandrum ab Alexandro, Tiraquellum, Lactantium, & Prudentium. Et fidem faciunt etiam noſtro ſæculo regiones in Indijs, & alijs vltra Oceanum locis nuper ab Hiſpanis & Luſitanis derectæ, in quibus paſſim humanæ victimæ cacodæmoni immolantur, etiam vltrò, nec repugnantes.

Tibullus à Sanctio citatus. Alex. l. 6. Genial. c. 26. & ibi Tiraquell. Lact. l. 1. de Falſa religione c. 21. Prud. in hymno de S. Romano.

℣.30. *Elias inſtaurari curauit altare quod deſtructum fuerat*] putà à ſacerdotibus Baal. Cùm enim viderent hi ſe clamando ſacrificandoque nihil à Baale obtinuiſſe, certoque ſcirent extremam ſibi ignominiam ex Eliæ ſacrificio, ni præpediant, imminere, ira & furore rabidi in aram ab Elia paulò antè ritu Hebræorum conſtructam, agmine facto proſiliunt, diſturbant, diſijciunt. Sed Elias vi & armata populi manu ſacrificulos compeſcens, aliam extemplò aram ſibi excitat ex *duodecim lapidibus*, quaſi nomine, & pro ſalute duodecim tribuum iſtic præſentium. ita Serarius & Sanctius.

℣.32. *Fecitque aquæductum*, &c.] nempe vt certius illuſtriuſque eſſet in humentibus tam victimis, quàm lignis miraculum ignis cælitus euocari: & omnis abeſſet ſuſpicio fraudis, quâ quis forſan cauillari potuiſſet, ignem non ſupernè, ſed infernè ex ſubterranea fouea, vbi clauſus aſſeruabatur, artificio prorupiſſe. Nam *vidi ego ipſe*, inquit Chryſoſtomus, *in idolorum altaribus foramina quædam & foueam obſcuram ex inferiori parte altarij. Deſcendunt autem erroris artifices in foueam illam, & ex foraminibus quæ dixi, ignem ſufflant ad ſacrificium conficiendum, ita vt multi decepti ignem illum cæleſtem eſſe exiſtiment. Ne igitur & Elias in ſimilem ſuſpicionem veniret, aquam effudit*, quâ foramina, ſi quæ eſſent, complerentur. ita Chryſoſtomus, Liranus & Sanctius.

Chryſ. apud Metaphraſten & Surium to. 4. ad vincula S. Petri.

CAPVT XIX.

Elias fugiens Iezabelem in deſerto, pane & aqua cælitus miſſis recreatur. In ſpelunca montis Horeb timoris arguitur à Deo, remittiturque in Paleſtinam ad vngendum Iehu in regem Iſrael, Eliſeum in Prophetam & Hazaël in regem Syriæ

℣.3. TIMVIT *ergo Elias*] Qui pridie nec regem iratum, nec regios ſatellites, nec populum offenſum, nec furentes ſacerdotes timuerat, nunc ad vnius feminæ minas timet, horreſcit, fugit: nec vno alteróve die fugit, ſed totis quadraginta diebus: neque ad *Berſabee* ſolùm fugit, hoc eſt, ad vltimos Iſraeliticæ terræ fines, ſed & procul extra fines, in *deſertum*, in *Horeb*, ſeu montem (f) *Sinai*, cuius Septemtrionalis pars vocabatur *Horeb*. Et quaſi nec ibi quidem tutus eſſet, in ſpeluncam iſtic ſeſe abdit. Voluit nempe Deus palàm facere *Eliæ*, quàm nullus eſſet ex ſe, quàm nihil poſſet per ſe: quæcumque ſtupenda patraſſet, & patraturus eſſet,

f *Sinai Eccli. 48. v. 7.*

esset, à sola esse gratia, fauore & potentia diuina. hac vna etiam infirmum homuncionem contra reges tyrannosque omnes instar leonis fortem & imperterritum reddi: absque hac, nerobustissimum quidem vni femellæ aut puello resistere posse. ita S.Chrysostomus, Theodoretus, Rabanus, Angelomus & Sanctius. *Chrysost. sup.*

℣.8. *Ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus*] Id est, vi panis istius subcinericij non solùm nutritus, sed & ad iter totis 40. diebus agendum corroboratus fuit. Hinc patet, vim istam extraordinariam pani isti manibus angelorum confecto supernaturaliter inditam fuisse à Deo; inquit S.Augustinus, Caietanus & alij. *S August. l.2. de Mirabilibus S. Script.c.19.*

Allegoricè, vi *Eucharistiæ* tendimus in cælum ad claram visionem Dei, inquiunt Rupertus, Paschasius, Algerus, Lanfrancus contra Berengarium.

℣.9. *Quid hic agis Elia?*] q.d. Non hîc in obscuro antro, procul à tuis ciuibus, in hoc horrido monte egeo operâ tuâ, sed in Iudæa, in regia vrbe Samaria, in regia Damasco. B

℣.11. *Egredere, & sta in monte coram Domino*] Id est, prodi è tuis latibulis in lucem: & in ipso latebratum adhuc ostio senties præsentem tibi Dominum, viresque animosque pristinos reddentem, simulque noua in rem tuam documenta, noua in bonum publicum mandata proferentem. R.Salomon apud Liranum putat Eliam non in eodem solùm monte, sed & in eâdem spelunca latuisse, in qua Moyses olim inclusus vidit gloriam Dei Exodi 33. Et Iosephus tradit, eumdem locum etiam *ante Moysis ætatem ita antiquis visum sacrum, vt pastores religione quadam prohiberentur, greges eò appellere, quia ibi diuinum esse aliquid opinabantur.* *Ioseph.l 2. Antiq.c.12.*

℣.12. *Sibilus auræ tenuis*] Scopus Dei in hac visione fuit, Eliam tædio ac mœrore deiectum, ira quoque & zelo vehementiore inflammatum ob Iezabelis ceterorumque idololatrarum impunitatem solari simul & erudire. Vnde obijcit oculis illius Primò validissimum *ventum, terræmotum* & *ignem*: quo designet, sibi omnia elementa, ceteraque creaturas, imas, medias, summas, ad manum esse, vt idololatras reliquosque impios perdat, si velit. at non esse hunc vsitatum suæ prouidentiæ & misericordiæ modum, nec velle se iam vti: vnde addit, *Non in spiritu Dominus, non in commotione, non in igne Dominus.* Igitur secundo loco affert auribus eius *spiritum lenem*, quo designet diuinam patientiam, mansuetudinem & lenitatem ad punienda peccata, quam imitari & induere oporteat Eliam & omnes electos. ita Tertullianus, Irenæus, Chrysostomus, Macarius, Gregorius. Theodoretus, Procopius & alij. Tertiò, spiritus hic etsi lenis, efficacem tamen se prodit, & omnia aduersa penetrantem ac superantem. Quare & modum suggerit vindictæ aduersus idololatras breui exercendæ per *Hazaël* regem Syriæ, per *Iehu* regem Israel, per *Eliseum* Prophetam. simulque erigit afflictum, pusillanime ac turbatum cor Eliæ, qui putabat se vnum ex tot millibus, Dei cultorem superesse. *Derelinquam* enim *mihi septem millia*, &c. ita Caietanus. *Tertull.l.de Patientia c.15. Chrys.sup. Macarius homil.6. Greg.l.8. Moral.c.28. Theod.hic q.57. &c.* C D

℣.18. *Quorum os non adorauit* Baal, *osculans manus*] Neque enim sola genuflexione colebantur idola, sed & osculo: & hoc vel ore applicito proximè simulacro; vel manu ad simulacrum seu verè, seu simulatè admotâ ac deinde ad os relatâ, osculoque exceptâ, tanquam ex contactu rei sacræ iam sanctificatâ. Cuius ritus etiam Plinius meminit, & Minutius, & alij Gentiles. Et hoc indicat Iob cap.31. cùm ait, *Si vidi solem cùm fulgeret & osculatus sum manum meam ore meo*, nempe priùs ad solem quasi contingendum protensam. *Plin. l.28. c.2. Minutius in Octauio.*

℣.19. *Misit* Elias *pallium super* Eliseum. Hoc signo illum vocat ad suum institutum & cœtum discipulorum suorum, quasi inuestiens illum habitu monachali: sed vnctione seorsim adhibita Prophetam consecrauit. Ita Innocentius III. Gaspar Sanctius & alij. *Innoc.III. cap.vnico de sacra vnctione.*

CAPVT XX.

Syri Samariam obsidentes bis ab Achab cæduntur, qui quòd Benadad regem Syriæ viuum dimiserit, à Propheta corripitur.

℣.9. OMNIA *propter quæ misisti ad me in initio, faciam*] nempe, vt tibi sim seruus & tributarius. hanc autem, quam nunc postulas, actualem spoliationem ferre non possum.

℣.10. *Si sufficerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi qui sequitur me*] q.d. Exscindam stirpitus Samariam, nec vel puluisculum in ea relinquam, neque aliud quidquam præter nudum saxum, super quo fundata est. Eritque hoc mihi factu facillimum, qui tantam mecum traho militum copiam, vt, si illorum quisque pugillum rapiat pulueris, res momento temporis peragenda sit. Simile exitium vrbi *Tyro* minatur Ezechiel c.26.v.4. *Radam puluerem eius de ea, & dabo eam in limpidissimam petram.* ita ferè Abulens. & Sanctius.

℣.11. *Ne glorietur accinctus* adhuc baltheo & armis, *æquè vt discinctus*, qui parta iam victoria deposuit arma. q.d. Ne triumphum canat ante victoriam. valdè anceps est fortuna belli, & ab exiguis sæpè copijs victi prostratique sunt ingentes exercitus.

℣.14. *Per pedissequos principum*] Id est, per seruos honorarios & principibus familiares, qui propriè vocantur *pedissequi*.

Quis incipiet præliari?] Hebraicè, græcè, chaldaicè, *quis instruet aciem? quis ordines constituet?* Tu ipse rex Achab.

℣.23. *Dij montium sunt dij eorum, ideo superauerunt nos*] Adulatorum ea vox est, qui nolunt regem Syriæ victum videri ab hoste mortali, quod erat ei probrosum, sed à sola manu diuina. nituntque vulgato illo Gentilium errore, quo credebant, pro locorum & operationum varietate, varias etiam Numina constituta esse, quæ in isto certo loco, in isto rerum genere cui præsunt, valeant plurimum: extra verò vel nihil prorsus, vel parum admodum. Exemplo sit terræ filius Antæus, qui cùm terræ allideretur ab Hercule, superari non poterat, matre terra vires semper nouas ei sufficiente: at sublatus à terra, cùm in aëre non haberet qui opitulari posset, facili compressione exstinctus est. Sic Faunos & Syluanos syluis, montium iugis *Iugatinum* deum, collibus *Collatinam*, vallibus *Vallonianam* deam præficiebant, teste S. Augustino & alijs. Nominatim verò Hebræorum Deum vocant montium deum, partim quòd terra Israelitica cui dominabatur, montosa ferè esset: partim quòd prodigia ferè omnia populo Israelitico exhibita, quæ vicinis passim innotuerant, in montibus contigissent: v.g. fulmina, tonitrua, ignis, &c. in monte *Sinai* dum lex promulgaretur. & recèns in monte Carmelo ignis in sacrificium Eliæ delapsus, &c. Partim denique quòd Israelitæ vel in monte Moria, *August.l.4. de Civ.c.8.*

ria, vbi erat templum, vel in alijs montibus, vbi erant excelsa, solerent Deo suo sacrificare.

¥.24. *Amoue reges singulos ab exercitu tuo*] Erant hi numero *triginta duo*, qui vel prece, vel pretio inducti fuerant, vt cum auxiliaribus copijs suis in hoc bello adessent. Verùm cùm iam experientia doceret, reges illos & in aliena causa negligentiores esse, & in re bellica minùs expertos: quin potiùs assuetos molliori vitæ, & mensæ lautiori, militibus malo exemplo atque impedimento esse; suadetur regi Syriæ, vt, *illis domi relictis, illorum loco principes*, hebraicè *duces*, in re bellica præstantes, ferendo oneri, & bello administrando assuetos, exercitui præficiat.

¥.26. *In Aphec*] non illa Iudæ, Iosue 15. & 1.Reg.4: sed altera in tribu Aser, Iosue 19.

¥.30. *Et cecidit murus* ciuitatis, vel diuina virtute, vt olim in Iericho, vel arietum impulsu; *super viginti septem millia hominum*] qui propugnatores pro mœnibus stabant, vt Hebræos irruentes submouerent.

Porro Benadad ingressus in cubiculum quod erat intra cubiculum] id est, in abditissimum cubiculum. Hac phrasi designant Hebræi quasuis secretiores latebras, etiam in specubus & foueis subterraneis. Et eâdem phrasi vtitur infrà Michæas c.22.v.25. *Videbis in die illa, quando ingredieris cubiculum intra cubiculum; vt abscondaris.*

¥.32. *Accinxerunt saccis lumbos suos*] Seruili signo profitentes se seruos esse velle, & quodque seruile officium subire paratos.

Et posuerunt funiculos in capitibus suis] Id est, laqueos collo indiderunt: quo signo fatebantur se promeritos infamem strangulationis vel suspendij mortem. Haud dubiè addiderunt & alias consuetas supplicum cæremonias, vt, ambarum manuum coniunctionem, (vt nos inter orandum solemus,) qua designatur, quasi vltrò ligari & spontaneis vinculis constringi nocentes & impias manus. Incuruationem ceruicis, ad serilem subiectionem contestandam, promptitudinemque ad iugum & onus, quodcumque victor imponere voluerit, acceptandum. Humi prostrationem, & terræ quam victor calcat exosculationem, qua fatean-

Ioseph.l 8. Antiqu.c.4. Tertull.de Corona c.7. Nic.ad Cõstantinum Bulgarorũ.

tur, se ne quidem terra & aqua & aëre communi dignos, & pro magno beneficio habituros, si vel pedibus victoris conculcati sinantur vitam ignobilem & sordidam sub eius imperio ducere. Vide hac de re Iosephum, Tertullianum & Nicolaum Papam.

¥.34. *Plateas fac tibi in Damasco*] In regia vrbe Syriæ, totiusque regni metropoli, habeas & tu, tanquam alter Syriæ rex, *fora* publica, è quibus & vectigalia tibi quotannis & alia emolumenta: & in quibus Israelitis tuis sua sint tribunalia, sui iudices. Multa promittit captiuus Benadad: sed liber fidem fefellit: tantumque abest, regalia illa iura concesserit Israeli in Damasco, vt nec erepta quidem eis oppida reddere voluerit. Vt patet ex *Ramoth Galaad*, in tribu Gad, pro qua vrbe recuperanda, iterum Achab eidem Benadad nouum bellum intulit, c.22.v.3.

¥.35. *Vir quidam de filijs Prophetarum*] Sanctius putat hunc fuisse *Michæam* filium Iemla, quem ob audaciorem hanc reprehensionem videtur Achab in vincula compegisse: è quibus triennio pòst eductus stitit se duobus rebus Iosaphato & Achabo de Ramoth Galaad recuperanda deliberantibus, c.22. v.8. & sequentibus.

Iac. Tirin. Tom. I.

Percute me] seu vulnera faciem meam. Causæ cur id expetat Propheta, sunt hæ. Prima, vt quasi miles in prælio de rege benè meritus, accessum obtineat ad regem: nam si agnitus fuisset Propheta, non fuisset admissus ad Achab. Secunda, vt proprij capitis vulnere repræsentet regi vulnus ipsius animæ, adeoque & toti populo inflictum, partim ex idololatria, partim ex dimissione Benadad iurati hostis Israelitarum. ita Caietanus, & Abulensis, qui ex S. Chrysostomo, addit verisimile esse, quòd Deus vulnus inflictum Prophetæ, paulò pòst supernaturali virtute curarit, vt palàm fieret quanti meriti sit cæca obedientia.

Chrysost. orat.1.cõtra Iudæos 10.5.

¥.42. *Quia dimisisti virum dignum morte*] Hebraicè, virum *anathematis mei*: seu quem volueram de medio tolli tamquam anathema mihi offerendum.

Petes, Vbi id præcepit Deus? Respondeo, Non leginus vspiam id expressè præcepisse. Sed v.28. videtur id insinuasse; cùm dicit, se propter insignem Syrorum blasphemiam, *daturum omnem multitudinem* illam *grandem in manu* Achab, vtique pro meritis plectendam. Quod quia neglexit Achab, censetur diuinam voluntatem sibi sat perspectam contempsisse, saltem neglexisse. ita Hebræi, Rupertus, Dionysius & Liranus.

Rupert.l.5. c.13.

CAPVT XXI.

Naboth ob negatam regi Achab vineam iussu Iezabelis per falsos testes læsæ maiestatis accusatur & lapidatur. Quo facto Elias grauissima denunciat Achabo mala: quæ tamen ipse sunt temporis ja humiliando euadit.

¥.1. VINEA *erat Naboth, qui*] hebraicè, chaldaicè & græcè *quæ*; refert enim non *virum*, sed *vineam*.

¥.3. *Ne dem hereditatem patrum meorum tibi*] Nempe Leuit.25. vers.23. lege expressa cautum erat, ne venderentur hereditates, sed semper remanerent apud dominos primos. quin & venditæ cogente necessitate, debebant anno iubilæi ad primos dominos reuerti. At *Naboth* nulla tum premebatur necessitate: neque venditam semel Achabo vineam spes erat in posterum recuperandi. Hinc patet, hunc *Naboth* vt legis diuinæ, ita sinceræ quoque religionis in medio idololatrarum tenacem fuisse, vt qui mallet à vita, supplicio perinfami (cuius sciebat se certum adire periculum) quàm à diuina lege & patria religione vel tantillum decedere. Diuus Ambrosius *sanctum* eum appellat, & miris laudibus extollit.

Ambr.l.3. Offic.c.9.

¥.9 *Praedicate*, id est publicum indicite, *ieiunium*] vt fieri solet, cùm graue aliquod flagitium admissum, & Deum grauiter offensum constat. q.d. Iniusto sceleratoque homicidio, quod vobis impero, prætexite pietatem, & zelum diuini honoris offenso Numini redhibendi: quasi *Naboth* Deum *benedixerit*, Euphemismo pro (a) *maledixerit* & blasphemarit. En quo in vno facto crimina; hypocrisis, mendacia, periuria, empta testimonia, corrupti iudices, inuersa iudicia, innocenti per summam iniuriam sublata hereditas, honor ademptus, vita subtracta. Quis hæc auderet nisi femina, quam inflat potentia, audacem facit superbia, rapit cupiditas, inflammat iracundia, deserit pudor? Vide S. Ambrosium, Chrysostomum, & Senecam contra diuites, auaros, rapaces. Libri 4. Regum c.9.v.26. insinuatur, non solitarium *Naboth*, sed simul cum *filijs suis* necem illam indignam subijsse: vt factum vidimus in *Achan* Iosue 7. & Deo iubente subin-

(a) *Prolog. de Idiot. Hebr. n.31. & 32.*

Ambr l.de Naboth c.2. Chrysost.de Herodiade. Seneca l.2. de Benefic. c.27.

de fieri solebat in scelcribus horribilioribus, ne-
qua remaneret ex impio ac maledicto semine po-
steritas.

℣.15. *Posside vineam Naboth*, quia *mortuus est*] reus læsæ maiestatis tum regiæ, tum diuinæ: vnde & vinea, & reliqua illius bona ad regium fiscum deuoluta sunt. ita Caietanus. Porrò ex 4. Regum 9.vers.26.constat, sequenti die à cæde *Naboth* egressum Achab ad possessionem vineæ capessandam: cùm ei in curru regio sedenti occurrit *Elias*, & præsente *Iehu* atque *Badacer* (qui postea funditus exsciderunt domum *Achab*) tristem talionem ipsi eodem in agro reddendam denuntiat. *Pro sanguine Naboth, & pro sanguine filiorum eius, quem vidi heri, ait Dominus, reddam tibi in agro isto.*

℣.24. *Si mortuus fuerit Achab in ciuitate, comedent eum canes: si in agro, volucres cæli*] Id est, regium cadauer manebit insepultum. At cap.seq. v.37. dicitur *sepultus* fuisse *rex in Samaria*. Respondeo, Remisit Deus aliquid de seueritate iudicij propter subsecutam pœnitentiam Achab: nam quòd minatus ei fuerat malum in propria persona, distulit in personam filij illius Ioram, vt hîc dicitur v.vlt. Nam Ioram in *agro Iezrahel* occisus est, & canibus obiectus, &c. vt dicitur 4.Reg 9. v.24. & sequentibus. ita Sanctius.

℣.25. *Venumdatus est* Achab *vt faceret malum in conspectu Domini*] id est palàm, manifestè, inuerecundè.

Concitauit enim eum Iezabel vxor sua] cui se vendiderat Achab, non secùs ac vile mancipium, nec audebat præceptis illius vel in minimo reluctare. Vnde & *annulo regio* signatorio vtebatur illa pro libito, v.8. & amaro sarcasmo insultat regi tamquam vecordi & ignauo, v.7. *Grandis auctoritatis es, & bene regis Israel.* Nihilque imperauit marito suo, quantumcumque absurdum & impium, v.g. de sacris Sidoniorum & Chananæorum adiungendis idololatriæ vitulorum, &c. quod ipse tamquam obsequentissimus seruulus non promptè exequeretur. Quin & vsque eò obstrictum sibi habebat maritum, vt, cùm territum illis minis Eliæ pœniteret, vtpotè *coram Domino*, & *causâ Domini*, vt hîc dicitur v.vlt. iamque agitaret secum de restituenda vinea & honore innocenti Naboth sublato, de Michæa vinculis eximendo, de confringendis idolis alijsq; accuratè præstandis, quæ exigeret seria pœnitentia; nihil tamen eorum quæ meditabatur exequi sit ausus, quia ex transuerso statim incurrit Iezabel, quæ suo herili imperio vetuit, decreta semel statutaque dissolui aut aboleri. ita S.Ambrosius, Hieronymus, Chrysost. Vatablus, & Abulensis.

Ambr.l.de Naboth c.17 Hier.ep.30. ad Oceanũ. Chrysost.ep. ad Theodorũ lapsum. & habetur de pœnitentia, dist.3. Item homil.22. ad populum.

CAPVT XXII.

Pseudoprophetarum vaticinio decepti Achab & Iosaphat reges, ad pugnam proceduntaduersus Syros pro Ramoth Galaad, vbi occiditur Achab, & patescit veritas oraculi Michææ, qui quòd mortem ei prædixisset, in vincula compactus fuerat. Impio Achab succedit impius Ochozias, pio Iosaphat impius Ioram.

℣.2. DESCENDIT *Iosaphat rex Iuda ad regem Israel*] occasione recentis amicitiæ & affinitatis paulò antè contractæ: nam Ioram filius Iosaphat filiam Achabi & Iezabelis duxerat vxorem, 2.Paralip.18.

℣.11. *Sedecias*, qui inter pseudoprophetas Baal principem tenebat locum, *fecit sibi cornua ferrea*] Quibus hieroglyphicis signis designare volebat, A duorum istorum taurorum seu regum in expugnanda Syria eam futuram esse potentiam, vt nihil sit in ea tota ditione quod in illorum potestatem venturum non sit.

℣.15. *Ascende, & vade prosperè*, &c.] Ironicè loquitur Michæas, quod vel ex gestu, vel ex modo illius loquendi statim percepit Achab. Vnde grauissimè adiurat Prophetam, vt, sepositio ioco, apertè loquatur *in nomine Domini*, id est responsum det quodcumque demum à Deo acceperit.

℣.17. *Vidi cunctum Israel dispersum, quasi oues non habentes pastorem*] Indicat moriturum Achab pastorem populi Israelitici, & quidem in primo congressu & certamine; nihilque grauius passurum Israelem à Syris: sed amisso rege suo, cunctos pacificè ad propria regressuros. Quod vt hîc prædictum, ita præcone iubente, & quidem ijsdem prorsus verbis vers.36. completum fuit.

℣.20. *Quis decipiet Achab?*] Visio hæc omnis imaginaria fuit, & in sola Prophetæ phantasia. Deinde accommodata fuit hominum captui, qui priusquam quid serium statuant, deliberationem ac consultationem præmittunt, in qua variæ sententiæ dicuntur, varia media proponuntur. Quia ergo decreuerat Deus, impium, ingratum, & post nuperam veniam recidiuum Achab, violenta morte de medio tollere, sedere fingitur tamquam iudex, cui & consiliarij, & lictores necessarij ad manum sint, boni quidem angeli *à dextris*, mali *à sinistris*. De modo tollendi de medio regem inquiruntur sententiæ: varijs varia suggerentibus, mali spiritus suadent decipiendum Achab, vt bello lacessat regem Syriæ, prætextu recuperandæ *Ramoth* vrbis *Galaad*, nuper quidem promissæ, sed necdum redditæ Israeli. Hoc verò belli suscipiendi consilium ideo vrgebant dæmones, quòd hac viâ præter vnum regem, multa insuper millia, (vt fit in bello) interitura sperarent. Iudex, non reiecto consilio, rogat, quis id executurus sit, & quâ viâ? vtroque comperto, permittitur ita fiat. *Egredere*, per me licet, & *fac*: non impediam.

℣.22. *Decipies, & præualebis*] Sed nolo, præter vnum *Achabum*, quemquam aliorum neci dari. illo occiso, *reuertatur vnusquisque in domum suam.*

℣.30. *Sume arma, & ingredere prælium, & induere vestibus tuis*] In Hebræo, Chaldæo & Græco est, *Sumo arma & ingredior prælium: tu autem induere vestibus tuis*, &c. Et ita cohærent sequentia.

℣.31. *Rex autem Syriæ* (en diuinam prouidentiam, quâ parcitum fuit toti reliquo populo) *præceperat principibus, Non pugnabitis contra quempiam, nisi contra regem Israel solum*] Videtur eò spectasse Benadad, vt, capto rege Achabo, labem sibi ante triennium inustam, cùm captus & precariò dimissus, libertatem vitamque gratis accepit, simili iam modo Achabum, si viuum nanciscì potuisset, tractando detergeret. Hinc ducibus seuerè indicit, conentur, neglectis alijs omnibus, vnum Achabum in suam redigere potestatem. Suboluit haud dubiè imperium istud Achabo: quare non regio, sed vulgari habitu in prælium descendit; Iosaphato affini, suo regijs armis & insignibus conspicuo cedens primas in exercitu administrando partes. Et hoc quidem stratagemate eluſit Syros, sed diuinam vltionem non effugit Achab, incerto telo, & quasi à ludibundo sagittario in altum emisso, sed à Deo qui numquam à scopo aberrat, in impium pectus directo, miserabiliter in oculis suorum trajectus.

℣.32.

¥.32. *Et exclamauit Ioſaphat*] vtique *ad Deum* vt habes 2.Paralip.18.v.31. *& auxiliatus eſt ei, atque auertit* Syros *ab illo. Cùm* enim, vt ibidem dicitur, *vidiſſent duces equitatus* regem *Ioſaphat*, dicerentque, *Rex Iſrael eſt iſte*, & ſæpiùs idem ingeminantes *circumdarent eum* vndique, & iam iam potituri viderentur; ipſe, veriſimiliter inſpirante, quem inuocabat, Deo, perſonam ſuam detexit, clamans ſe non eſſe quem quærerent, ſe non eſſe regem Iſrael, ſe non eſſe *Achab*: atque ita deſertus à Syris periculum euaſit.

¥.39. *Domus eburnea, quam ædificauit* Achab, ſicut Salomon ſuprà c.10.v.18. fecille dicitur *thronum de ebore grandem*. Et Amos c.3.v.15. de domo item eburnea prædicit funditus perituram. Non erant hæc ædificia è ſolido ebore, ſed eburneis cruſtis aut tabellis hinc inde ornata, opere vermiculato. Quo ſenſu Plinius, Strabo, Plautus & alij eburneos vocant lectulos & vehicula, portas & tecta, quia ebore ſectili diſtincta, & cruſtis laminiſque eburneis tecta, auro ſubinde, vel argento, vel marmore interludente:

Plin.l.16. c.43. *Strabo l.16. de Arabibus.*

¥.47. De *reliquijs effeminatorum* dixi cap.14. v.24. De *auro Ophir* dicam cap.2. Paralip.8.v.18. De *Tharſis* 2.Paralip.9.v.21.

¥.48. *Nec erat tunc rex* proprius *conſtitutus in Edom*] In Hebræo, Chaldæo & Græco additur, *ſed præfectus*, ſeu gubernator, qui nomine regis Iuda eos gubernabat: Tunc enim ſuberant Idumæi Iudæis, iam pridem ſubiugati per Dauidem 2.Regum 8. v.14. vbi etiam dicitur, *præſidium & cuſtodes* ſeu præfectos ex Iudæorum gente conſtituros fuiſſe in Idumæa: quia (iuxta oraculum Geneſis 25. v.23. *Maior ſeruiet minori*,) vniuerſa Idumæa ſeruiebat Iudæis vſque ad tempora *Ioram* filij Ioſaphat. nam regnante Ioram *receſſit Edom, ne eſſet ſub Iuda, & conſtituto ſibi* proprio *rege*, Iudæorum iugum excuſſit, 4.Regum 8.v.20.

LIBER IV. REGVM

Recenſet acta reliquorum regum Iſrael & Iuda, vſque ad extremum excidium eorumdem regnorum. Ordinem temporum vide in Chronico cap.29.

CAPVT I.

Ochozias rex Iſrael ſuper valetudine ſua conſuli iubet Beelzebub: ſed frauerititur ab Elia, & morituros prædicitur. Duos quinquagenarios principes ad Eliam cum omnibus ſuis militibus abſumit ignis cæleſtis, tertio principe ſuâ modeſtiâ ſermato, cum quo Elias ad Ochoziam deſcendit. Mortuo Ochozia ſuccedit frater Ioram.

¥.1. RÆVARICATVS *eſt Moab*] Chaldaicè, *rebellarunt Moabita* Iſraeli. Diuiſo regno Iſraelitico ſub Roboamo, diuiſæ quoq; fuerunt regiones quas rex *Dauid* (a) & *Salomon* fecerant ſibi vectigales: & *Moabita* quidem Ieroboamo ceteriſque *regibus Iſraelis* (b) tributa pendebant, de quibus infrà c.3.v.4. *Idumæi* verò (c) *Iuda*. Sed acciſis paulatim vtriuſque regni viribus, maximè à nupera Syrorum expeditione, quando *Achab* occubuit, & *Ioſaphat* re infecta domum regreſſus eſt, cœperunt & *Moabita* (d) Iſraeliticum, & *Idumæi* (e) Iudaicum iugum excutere.

a 2.Reg.8. b 4.Reg.3. v.4. c 2.Par.21. v.8. d Hic & c 3.v.5. e 4.Reg.8.

¥.2. *Ochozias* filius & ſucceſſor Achab *cecidit per cancellos cœnaculi ſui*] En incipit vindicta ſumi de poſteris Achab. Vix regnum inierat Ochozias, & penè fractis ceruicibus, ſine liberis moritur. *Cœnaculum* pars eſt domus ſublimior, eaque vel *tecto operta*, vt apud Hiſpanos & Italos ceteroſque Europæos: vel *ſine tecto* ſub dio, vt apud Palæſtinos, omneſque Aſianos: dicitúrque latinè *ſolarium*, vel *doma*, vel *tectum*, græcè ὑπερῶν. Huic circumcirca inducere ſolebant, & verò Iudæis vt inducerent præceptum erat Deuter.22.v.8. cancellos, ſeu murum cancellatum, qui deambulantibus in tecto pro lorica erat, & incautos vendicabat à lapſu. ita S.Hieronymus, Sanctius & alij.

S.Hieron. epiſt.151.ad Suniam & Fretellam.

¥.3. *Beelzebub*] Id eſt, *Dominus muſca*, vel *Deus muſcarum*: quòd muſcas locis iſtis admodum frequentes & infeſtas arcere crederetur: qui Græcis, teſte Pauſania, Ἀπόμυιος & μυίαγρος, & Plinio *Myiodis*, id eſt, *Iupiter Muſcarius* dicebatur: ſicut Apollo, teſte eodem Pauſaniâ, *Parnopius* vocabatur & *Sminthæus*, quòd parnopas, id eſt *culices*; & ſminthas, id eſt *mures* Cretenſi idiomate, ab illis finibus arceriſſet. Porrò hunc *Beelzebub*, Plinius ſubinde etiam *Achorem*, (f) quaſi *Accaron* deum vocat, quia in Syria nomen iſtud notius vulgo erat, quòd deus ille in *Accarone* ſolemniùs coleretur. Veroſimile ergo eſt, deum hunc muſcarium non alium eſſe, quàm qui erat alijs Gentilium populis *Iupiter*, vt dixi Iudic.2. v.13. & fusè probat Lilius Gyraldus. Quare cùm Iupiter princeps cenſeretur deorum, nihil mirum ſi muſcarum deus *Beelzebub* Matthæi 12. & Lucæ 11. vocetur *princeps dæmoniorum*.

Pauſanias in Arcad. & Atticis. Plin. l.29, c.6. f *Plin.l.8. c.29.* *Gyrald ſyntagmate 2. de Ioue.*

¥.8. *Vir piloſus*] non ſolùm alienis pilis, nempe ouina pelle & zona pellicea: ſed etiam propriis. cùm enim eremita vitam profiteretur non vrbanam & cultam, ſed ſilueſtrem & aſperam, ſinebat excreſcere incompoſitam cæſariem & barbam. ita Gregorius Nyſſenus, Hugo, Emanuel Sà & Sanctius. Quia verò multis pòſt ſæculis etiam Ioannes Baptiſta ſimili & veſte, & victu, & zelo prodijt quo Elias, ideircò etiam nomine Eliæ compellatur à Chriſto, & *in ſpiritu at virtute Eliæ* (g) veniſſe affirmatur. Neque enim magis ille timuit Herodem & Herodiadem, quàm hic reges Achab, Ochoziam vel Iezabelem. ita Theodoretus, Ioannes Epiſcopus Ieroſolymitanus, Caſſiánus, Dionyſius, Abulenſis & Liranus.

Nyſſen. de laudib. Baſilij. g *Luæ* 1. v.17. *Ioannes Ieroſol c.37. Caſſian. Inſtit.l.1.c.2.*

¥.10. *Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cælo*] q.d. Vos me ironicè *hominem* ſeu ſeruum illius *Dei* eſſe dicitis, quem nihil poſſe exiſtimatis: ſed re ipſa experiemini iam, terribilem illum atque omnipotentem eſſe: nam ignem de cælo in vos immittet, quo blaſphemos momento abſumet. ita Liranus, Dionyſius, Hugo, Caietanus & Emanuel Sà.

¥.13. *Tertius quinquagenarius princeps curuauit genua*] Ex multorum ſententia, quam in proœmio

Abdiæ Prophetæ examinabimus, hic existimatur A fuisse Abdias ille, qui centum Prophetas gladio Iezabelis subtraxit, vt dixi 3.Regum 18.vers.3. Sed quisquis fuit ille, certè prudens fuit, qui maluit supplex orare Eliam, quàm pro imperio iubere, vt ad regem accedat. Interim Deus iratum regis animum, & Iezabelis, vtique regi filio suo in tanto vitæ periculo coràm adstantis, immane in Prophetam odium furoremque compescuit, ne quid durius in aduentantem Eliam statuere vel proloqui auderent, quin potiùs minas reprehensioneque illius acerrimas æquis auribus exciperent.

CAPVT II.

Eliâ in cælum igneo curru rapto, duplicem eius spiritum accipit Eliseus. Eliæ pallio aqua Iordanis bis diuiduntur, & siccum transitum præbent. Aqua Iericho & terræ sterilitas immisso per Eliseum sale curantur. Pueri 42. Eliseo insultantes, ab vrsis dilacerantur. B

¥.9. OBSECRO *vt fiat in me duplex spiritus tuus*] Duplex non comparatione *Eliæ* (hoc enim vt postularet Eliseus non siuisset verecundia) sed respectu aliorum Prophetarum, quorum Elias pater spiritualis & magister erat, ac proinde duplicem meritò portionem supra reliquos acceperat, quorum respectu non solùm censebatur primogenitus (cui duplex hereditatis portio iure debebatur) sed & pater erat, vt dixi, cui longè plura præ filijs propria esse solent. Et verò præter *spiritum prophetiæ*, quo etiam Eliseus, & plures alij gaudebant, habebat Elias etiam *spiritum miraculorum*; quo Eliseus ad id vsque tempus caruit, sed, quia iam petijt, impetrauit. ita S.Thomas, Comestor, Eucherius, Angelomus, & penè omnes interpretes. C

S.Thom.4. contra Gentes c.11. Comest.in hist.Scholastica.

¥.11. *Ecce currus igneus, & equi ignei*] id est splendidi instar ignis. Erat enim nubes splendidissima, in currus equorumque similitudinem manu angeli efformata, quæ excepit Eliam, mediumque amplexa est, vt in eo sedere ac vehi videretur. ita Caietanus, Abulensis, Sanctius & alij. Porrò ex hac historia Eliæ occasionem sumpsisse putantur poëtæ Gentiles, solem currui igneo imponendi, & equis igneis circumagendi.

a Iren.l.5. contra hæres.c.5. August.l.2. de peccato orig.c.23. Isid.de Vita & obitu SS. c.3. Hier.ep.61. ad Pammachium. Iust. q.85. ad Orthodoxos. S.Thom.3. p.q.49.a.5. ad 2. & 1.p.q.102. a.2. ad 3. Genebr.in Chronico. Iansen. in Concordia c.143. Oleaster in 2.cap.Gen. Perer.l 3. in Genes.q.5.

Ascendit Elias per turbinem in cælum] nempe aëreum. Sed ex regione aëris mox translatus est in paradisum terrestrem, si is adhuc supereset, vt probabile dixi Genes.3.& 5. Et tenent præter ibi citatos, (*a*) S.Irenæus, Augustinus, Isidorus, Hieronymus, Iustinus, S.Thomas, & Abulensis. Vel si paradisus interijt (vt volunt Genebrardus, Iansenius, Oleaster & Pererius) translatus est in alium illustrem & delicioſum locum, nulli mortalium notum, in quo vnà cum Henocho in magna spiritus & carnis quiete viuit sine peccato, sine nouo merito, sine concupiscentia, sine morbo, sine corruptione, sine ærumna, sine mœrore, quousque ad finem mundi aduersus Antichristum redeant, & mortis debitum soluant. (*b*) ita Tertullianus, Augustinus, Rupertus, & Franciscus Suarez. An aliquo cibo vtantur, & quomodo istic suum tempus transigant, dixi Genes. 5.v.24. De reditu aduersus Antichristum vide Malachiæ 4. & Matth.17. & Apocal.11. D

b Tertull.de Resurrect carnis c.58. Aug.sup. & l.1.de Peccat.meris. c.3.

¥.12. *Currus Israel, & auriga eius*] Prouerbio isto significant Hebræi summum in aduersis præsidium & columen: sicut & Latini cùm vocant aliquem *anchoram reipublicæ*, columen patriæ, *columnam de-*

mus. Porrò sermo hîc est de curru non rustico vel vrbano, sed militari seu falcato. Vnde pro *auriga* hebraicè est *perasau*, id est, *equites eius*, nempe qui ex curribus in acie depugnabant: quasi vnus *Elias* (sicut & olim vnus Moyses, Exodi 17.) esset Israeli pro integro apparatu militari, qui tropicè significatur symbolo currus *falcati* ad stragem hostium instructi. Vnde Chaldæus & Vatablus vertunt, *Tu melior eras Israeli oratione tua curribus & equitibus.* & eodem modo exponunt Theodoretus & Caietanus. Iam verò *per turbinem* subducto Elia, *Eliseus vestimenta sua* extima, nempe pallium & penulam, *scidit in duas partes*, mœroris sui & luctus testandi causâ, (more gentis suæ,) ob sublatum tam carum parentem. Rupert.l.3. de Trin.c.13. Suarez in 3.p S.Tho. to.2.q.59. disput.55. sect.1 פרשין

¥.14. *Vbi est Deus Eliæ etiam nunc?*] Non dubitat de præsentia vel potentia Dei: sed miratur, queriturque amicè de negata sibi cælesti ope. q.d. Quid causæ esse potest, cur Deus qui paulò antè in diuidendis aquis Iordanis tam promptus adfuit Eliæ, nunc mihi nolit adesse, tamen spiritu Eliæ certo certiùs donato? Nempe vel plusculum sibi blanditus fuerat Eliseus de duplicato spiritu: vel curiosiùs explorare voluit quantum spiritus nouus posset. Vnde dum mox correcto errore suo, suis diffisus viribus, vni innixus Deo nutuique diuino, *percutit* secundò eaſdem *Iordanis aquas*, subitò diffiliunt & in partes abeunt, & transitum sicco vestigio in vlteriorem ripam præbent.

¥.19. *Ciuitatis huius* Iericho *aquæ pessimæ sunt*] ob frequentes per quas colantur venas salis, quod in agro Ierichuntino fossile est, vel ex aqua salsa concretum. Vnde & *Vallis salis* appellatur Genes.14.v.3. & *mare* mortuum vicinum *salsissimum*. Vnde cùm salsugine ista redderetur ager exsuccus & infœcundus, nil mirum, hîc *terram sterilem* vocari. Nolim tamen hoc intelligi de omni terra Ierichuntina, quam constat maiori ex parte pinguem & fertilem fuisse, vt benè probat Abulensis: sed de illa sola quæ *Vallis salis* versus mare Mortuum adiacebat, in qua fortè domicilium fixerant *filij Prophetarum* & discipuli Elisei qui hîc apud Eliseum questi sunt: nam & illi hîc intelligi possunt per *viros ciuitatis* Ierricho, ob habitationem quam istic sibi delegerant. ita Abulensis & Sanctius. Qui addunt, Eliseum ad aquas has in posterum dulcorandas *sal* expetijsse, & quidem *ab* Ierichuntinis *ipsissimet* conquisitum, & *vasi nouo* commissum, non aliam ob causam, quàm vt palàm faceret, se non magicis quibusdam præstigijs, herbis veneficis, aut vase intoxicato: neque etiam physico remedio vel naturali arte, sed sola virtute diuina miraculum istud perfeciſſe. Porrò ex hoc exemplo Elisei desumpsit Ecclesia *sal*, quod in *aquæ lustralis* benedictione admiscet, teste Abulensi & Guilielmo Durando. Durand.de Rat.diuin. officiorum l.4.c.4.

CAPVT III.

Desciscente rege Moab à fœdere quo obstringebatur regibus Israel, bellum illi mouet Ioram rex Israel, Iosaphat rex Iudæ, & huic vectigalis rex Edom. Quibus penè sitis enectis Eliseus aquam curat, & victoriam promittit. Rex Moab immolato primogenito suo excidium vrbis arcet.

¥.2. FECIT Ioram rex *malum coram Domino*] dum *vitulos aureos* in Dan & Bethel retinet & adorat. Non tamen peccauit tam grauiter & impudenter *sicut Achab & Iezabel* parentes eius, qui pristinæ *vitulorum* idololatriæ superinduxerant nouam *Sidoniorum* superstitionem, nempe sacra *Baal.*

Baal. Nam *statuas* illius *sustulit* Ioram. Quod sanè mirum, viuente videnteque matre Iezabele filium ausum fuisse. Verùm cùm bellum cogitaret aduersus Moabitas, quos rumor erat, in pœnam nouæ idololatriæ per Iezabelem inductæ, permissu Numinis rebellasse Israeli, voluit offendiculum tollere priùs quàm belli aleam subiret.

℣.9. *Et rex Edom*] Potiùs *prorex*, vt patet ex ijs quæ dixi in fine libri 3. & huius libri 4. c.1.v.1. Nam vicarium sibi substituebat rex Iuda in Idumæa quem volebat, iam inde à tempore Dauidis. Vnde & *Iosaphat* hîc compellit eumdem seu regem seu proregem, cum subiecto sibi populo arma sumere, secumque aduersus Moabitas in bellum venire. Rursum hæsitante Ioramo quâ viâ ducendus esset exercitus in terram Moabitidem, Iosaphat decernit, per *Idumæam*, regionem sibi iam pridem subditam traduci.

℣.11. *Est hic* in castris *Eliseus, qui fundebat aquam super manus Eliæ*] id est, qui famulus fuit Eliæ. Est enim familiare non modò sacræ, sed & profanæ literaturæ, vt actio aliqua singularis totum officium seu ministerium designet. Sic *soluere corrigiam calceamenti*, (a) idem quoque est quod *seruire*. Notas pecoribus inurere (b) quibus distinguantur ab alijs, est pastoritium opus exercere. *In militum capita frangere vites*, est tribunum agere. *Cubito sese emungere*, est salsamentarium esse.

a Ioan.1. v.27.
b Virg.1. Georgic. & Festus ibid.

℣.15. *Adducite mihi psaltem*] Lenitam aliquem accitum dicit Theodoretus, qui suaui psalmorum Dauidicorum modulatione excitaret animum Prophetæ ad internam recollectionem, pietatem ac deuotionem: atque ita disponeret ad diuinas inspirationes ac reuelationes excipiendas. Quantum in hoc genere valeat musica, testatum in se reliquit S. Augustinus, & fusè probant quæ dixi 1. Regum 16. vers. 23. de Dauide suâ citharâ furibundum Saulem refocillante.

August. l.9. Confess. c.6.

℣.16. *Facite alueum torrentis huius fossas & fossas*] Id est, in sinu isto aridi torrentis fodite foueas plurimas & scrobes, quibus aquæ miraculo mox submittendæ excipiantur & detineantur.

℣.22. *Orto iam sole viderunt aquas rubras quasi sanguinem*] nempe ex reflexione radiorum solis matutini, qui ob vapores accensi videntur & rubri, sicut cùm transeunt per vitrum rubrum. ita Hebræa, Chaldæa, Iosephus, & ex eo Abulensis. Et 2. Regum 23. v.4. expressè dicitur, *lux auroræ oriente sole manè* etiam *absque nubibus rutilare*, seu *rubricare*.

℣.25. *Vt muri tantum fictiles remanerent*] Nomen est regiæ ciuitatis Moabitarum, *Kir Chareseth*, (c) quod significat *murum lateritium*. Et forsan ob ingentes è cocto latere moles pro muris erectas, nomen hoc inditum fuit regiæ vrbi. Idem nomen habes etiam Isaiæ 16. v.7.

c Proleg. de Idiotism. Hebraic. n.17.

℣.27. *Primogenitum suum obtulit holocaustum*] nempe idolo suo Moloch, seu Saturno, vt dixi 3. Reg. 11. v.5. Quod teste Eusebio familiare erat Gentilibus. Et tentauit etiam *Sennacherib*, infrà c.19. Voluit verò rex Moabitarum ferali hoc holocausto partim offensum sibi placare idolum, eiusdemque opem aduocare: partim infestos reges & exitio vrbis imminentes ad misericordiam prouocare, aut certè desperatione percellere. Ideo *super murum* ciuitatis obtulit & exussit filium suum videntibus Israelitis.

Euseb. l.4. de Præpar. c.7.

Et facta est indignatio magna in Israel] Nempe subirati sunt reges sibiipsis, quòd miserum patrem A coëgissent in filium tam indignè sæuire, & in sua pænè viscera ferrum adigere. Vnde miserti illius, ne ad vlteriorem desperationem & suimet necem cogerent, ab vrbis obsidione recedunt, innouatoque cum rege fœdere de tributo pristino ex fide pendendo, ad sua redeunt. ita Iosephus, Vatablus, Abulensis & Liranus.

CAPVT IV.

Vidua debitis oppressa oleum multiplicat Eliseus, quo creditoribus faciat satis: Sunamitidi hospitæ suæ filium impetrat, quem & mortuum postea suscitat. Farinâ pulti infusâ, illius aufert amaritudinem, & paucis panibus multos satiat.

℣.1. VIR *meus*] Hunc fuisse Abdiam, qui centum Prophetas capitis sui periculo aduersus Iezabelis furorem occultauit, suoque ære nutriuit, vnde & debita contraxerit, quibus immortuus est, & vidua soluendo non fuit; putant Iosephus & alij à me citati 3. Reg. 18. v.3. Sed hoc examinabimus in proœmio prophetiæ Abdiæ.

B

Et ecce creditor venit, vt tollat filios meos ad seruiendum sibi] ita moris erat tum apud Hebræos, vt patet Isaiæ 50. v.1. & Matth. 18. v.25. tum apud Athenienses & Romanos, teste Plutarcho, Dionysio Halicarnassæo, & S. Ambrosio, qui & oculis id suis spectauit; & Iustiniano in codice.

Plut. in Vita Solonis: qui legem illam abrogauit. Halicarn. l.2. Antiquit. Rom. Ambr. l. de Iob, c.8. Iustin l.4. Cod. tit.43. l.2. de patribus qui filios distraxerunt. August. serm.206. de Temp. Bern. ser.6. de Ascens.

℣.2. *Parùm olei, quo vngar*] non elegantiæ studio aut philocalia (procul id ab honesta vidua, & inope) sed valetudinis causâ, inquit Abulensis: nam id visitatissimum erat in Iudæa, & omnibus Syriæ locis. Quamuis illud, *quo vngar*, non sit in Hebræo vel Chaldæo, sed in solo Græco & Latino textu.

℣.6. *Stetitque oleum*] Tropologicè, Charitas, quæ in se crescit dum alijs erogat, non crescit sed C stat, quando non erogat, inquit S. Augustinus. Oleum cælestis suauitatis & spiritualis gratiæ tum cessat influere, ait S. Bernardus, cùm vas animæ non vacuum, sed plenum est vanis desiderijs & curis.

℣.8. *Transibat Eliseus per Sunam*] Hæc patria erat adolescentulæ Abisag, quæ suo complexu senilia Dauidis membra vegetabat 3. Regum 1. v.3. Oppidum erat in tribu Issachar, ad radices montis Carmeli. Colligitur ex v.23. vbi insinuatur, visitatum fuisse personis pijs, & salua religione licuisse, Sabbatho & Calendis ex *Sunam* proficisci ad cœnobium Elisei in Carmelo; vtique vt diuinis istic laudibus & sanctis exhortationibus interessent: ergo interuallum non erat nisi *sabbathi iter*, scilicet bis mille cubitorum. (d)

d Proleg. de Mensur. longitud.

Erat ibi mulier magna] id est locuples & nobilis, & magno loco inter suos. Vnde meritò de se dicit:

℣.13. *In medio populi mei ego habito*] Id est, non D peregrinor in terra aliena, sed in propria domo & ditione, in medio amicorum, affinium & cognatorum potentium & diuitum, quorum ope ac patrocinio, si quæ molestia ingrueret, tutari me commodè possem.

℣.29. *Accinge lumbos tuos*] Phrasis est Hebræis quasi prouerbialis, quâ strenuam expeditamque operam ab aliquo exigunt, quasi à seruo, qui, dum maturandum est, accingit se arctiùs, & lacinias ad cingulum reducit, ne properantem morentur aut impediant. Similis est & illa quæ sequitur, *Si occurrerit tibi homo, non salutes eum*. q.d. Ne tantillum quidem volo interponas moræ, quanto opus esset ad aliquem ex itinere salutandum. Simili

phrasi vsus est Christus Lucæ 10. *Neminem per viam salutaueritis*, iubens Apostolis, à reliquis omnibus negotijs abstinere, & vni Euangelio prædicando totos incumbere. ita S.Ambrosius, Augustinus & Theodoretus: qui addit, idcircò Elisæum tantam à Giezi famulo suo accelerationẽ exegisse, Primò, vt res secretò perficeretur, & priùs puer reuiuisceret quàm mors patri innotuisset. Secundò, vt ne vanâ suâ gloriolâ, quam Giezi captare narrando obuijs causam sui itineris adeò speciosam potuisset, impedimentum afferret perficiendo miraculo. Et quidem de facto attulisse, idem affirmat, vti & Rabbi Salomon apud Liranum: dicuntque hanc causam fuisse, cur baculo Elisæi puer non reuixerit. Verùm potuit ad hoc impediendum sufficere, quòd Elisæus prece Sunamitidis inductus mentem mutarit de modo resuscitandi pueri, reuocatoque instrumento baculi, decreuerit id per se & proprijs manibus perficere. Portò de applicatione singulorum membrorum ad membra pueri, aliaque huc spectãtiâ, vide in simili facto Eliæ 3.Reg.17.v.21.

Ambr.l.1. in Lucam. Aug ser.42. de Sanctis. Theod. hic ℣ 18.

℣.39. *Colocynthidas*] Herba est agrestis, admodùm similis labruscæ, seu viti syluestri: fructus habet rotundos, qui proximè ad cucurbitæ similitudinem accedunt; qui sanè amarissimi sunt. Sed hi Prophetarum discipuli ex insolito sapore suspicati sunt etiam mortiferas esse herbas: vnde clamant, *Mors in olla.* Sed mortem illam & omnem amaritiem pauxillo farinæ hordeaceæ Propheta momento sustulit, non vi farinæ naturali, vt vult Læuinus Lemnius; sed virtute supernaturali, vt optimè ex subita mutatione probat Franciscus Valesius, & est communis interpretum.

Lau.Lemnius c.7. Vales Sacra Philosophia c.37.

CAPVT V.

Elisæus Naaman leprosum septena in Iordane lotione mundat à lepra: qua Giezi, ob munera mendacio extorta, perpetuò adhæsit.

℣.1. NAAMAN *princeps militiæ regis Syriæ*] putà Benadad, qui bellum variâ fortunâ sæpiùs gessit cum Achab, & tandem, vt habes infrà cap.8.ab Hazaele strangulatus interijt.

Per illum (Naaman) *dedit Dominus salutem Syriæ*] Quia ipse is fuit, qui excusso in incertum telo, regem Achab in vltimo bello prostrauit, 3.Regum 22.v.34.inquit Rabbi Salomon: qua fide, ipse viderit.

℣.2. *Latrunculi* idem hîc significant quod *milites*, vt dixi 2.Reg.4.v.2.

℣.5. *Mutatoria vestimentorum* sunt vestes elegantes & lautæ, quibus homines in splendida vtuntur fortuna, & festis diebus: & mutant cum vilioribus, quando feriatis diebus ab otio & nitore se rursus ad laborem expediunt.

℣.12. *Abana & Pharphar fluuij Damasci*] Abana enim, teste Beniaminio, *Damascum influit*, eiusque *aquæ per trabes* (seu tubos) *in omnes magnatum domos, atque etiam in forum & plateas deducuntur. Pharphar vrbem ipsam præterfluit, & hortos paradisosque omnes irrigat.*

Beniamin. in suo Itinerario.

℣.17. *De terra* Israelitica *onus duorum burdonum*] seu quantum ferre possunt duo muli: scilicet vt ex terra sancta, & à Deo benedicta, construam in Syria altare, & in eo per legitimum sacerdotem sacrificium offeram Deo Israelis soli & vero Deo. Neque enim illicitum hoc erat Gentilibus extra terram sanctam ad Deum conuersis, qui, nisi vellent, cæremonijs Iudaicis non adstringebantur. Vide Abulensem.

℣.18. *Si adorauero*, id est, me incuruauero, seu corpus inclinauero, *in templo* idoli *Remmon*] q.d. Liceat, quæso, mihi, dum rex meus Benadad sese curuabit ad adorandum idolum *excelsum* (hoc enim significat *Remmon*) id est, primarium totius Syriæ, Venerem, vt puto, iuxta ea quæ de Dagon dixi 1.Reg.5.v.5.) liceat, inquam, mihi tum in obsequium non idoli, sed regis mei, etiam me incuruare, quia rex mihi solet inniti partim commodi sui, partim decoris gratiâ. Non ergo vult Naaman cooperari ad adorationem idoli, sed ad solam curuationem physicam regis. Quod omninò licebat, inquit Caietanus & alij.

℣.19. *Abiit ab eo electo terræ tempore*] Hebraicum *kibrath*, *electum* significat, & potest designare vel electam anni tempestatẽ, vt hîc *vernam* aut *æstiuam* (nam alio anni tẽpore non res leuis, sed *grandis* fuisset Naamano septies aquis immergi.) Et sic vertit hanc vocem Vulgatus noster Genes.35.v.16. *tempus vernum*. Vel electum temporis spatium, quo potest certa viæ portio confici: quale antonomasticῶs erat designatum seu electum à lege spatium magni quadrantis horæ, quo iter Sabbatho licitum (*a*) conficiposet. Et secundùm hunc sensum dicetur hîc Naaman ab Eliseo recessisse quadrante vnius horæ, cùm simoniacus *Giezi* assecutus est abeuntem. Vnde Chaldæus, Pagninus, Tigurini & alij recentiores vertunt, *milliare terræ*, putà Italicum, quod quadrante horæ percurri potest.

כברת

(a) *Prolog. de Mensur. longit.*

℣.27. *Egressus est leprosus quasi nix*] id est, quasi niue fuisset consparsus. Quæ erat lepra omnium teterrima, ad dolorem acerbissima, & curatu difficillima: vt medici docent.

Micheæ c.3.v.11. Ezech.c.22. v.27.

Petes, Cur tam iniquè tulit Elisæus, quòd nomine suo lucrum aliquod per famulum peteretur? Respondeo, Quia eo ipso suspicionem mouebat famulus, herum suum non esse sinceruum veri Dei Prophetam, nam hi numquam solebant miracula pretio venditare: sed esse vnum è pseudoprophetis, qui venalem habebant omnem suam operam, etiam prophetalem, non secùs atque aliud quoduis artificium quæstuarium, vt ipsis exprobrat *Micheæ*, *Ezechiel* & alij Prophetæ. Quocirca verisimile puto, Elisæum curasse quamprimum, vt causa scandali tolleretur, & Naaman intelligeret, infidi & auari serui illam fuisse calliditatem, non suum mandatum.

CAPVT VI.

Elisæus ferrum securis natare facit: regis Syriæ milites quasi excæcatos inducit in mediam Samariam. Quâ post à Syris obsessâ, matres vrgente inediâ filios suos comedunt. Qua de causa iubet rex occidi Elisæum.

℣.15. MINISTER *viri Dei* hîc non erat iam Giezi, propter lepram procul ab hominum conuictu relegatus, sed alius puer, cui, vt apparet, nondum sat erat explorata virtus & potentia Elisæi.

℣.17. *Ecce mons plenus equorum & curruum igneorum*] id est, instar ignis fulgentium, vt dixi cap.2. v.11. Erant enim vel acies angelorum, qui igneum seu splendidum corpus assumpserant, vel erant ipsæ nubes splendidissimæ, in curruum equorumque similitudinem manibus angelorum efformatæ.

℣.18. *Percute gentem hanc cæcitate*] non plena, sed partiali, quam Græci ἀορασίαν vel ἀνοψίαν vocant, id est, *non videntiam*, vel *non distinctionem* certi obiecti, licèt circa alia obiecta non cæcutiant: vt

dixi

dixi in casu prorsus simili de Sodomitis ostia quærentibus nec reperientibus, Genes.19. v.11. Ita enim & iam his accidit *militibus* Syris, qui solum *Eliseum* quem quærebant, & vrbem *Dothan*, ac *Samariam* non agnoscebant, cetera omnia optimè agnoscebant. Nempe species longè alia oculis ipsorum obijciebatur, quàm esset vera forma Elisei vel ciuitatis quam quærebant: alia etiam signa viæ quæ ad illam vrbem duceret. Vnde meritò & cum veritate Eliseus mox ait: *Non est hæc* quæ oculis vestris obijcitur, *via* quam vos quæritis, *neque ista est ciuitas*. ita Sanctius.

Tropologicè, imaginem in his videre est cæcitatis mortalium circa res diuinas ac cælestes, quas tum demum à se neglectas agnoscent ac dolebunt miseri, cùm in extremo vitæ suæ, ab hostibus vndique concluſi, & coram tribunali Dei toties contempti, toties offensi seriùs oculos mentis aperient.

℣.22. *Non percutias*] Non erat ex se illicitum, B copias illas Syrorum, prodigioso Elisei ductu in Samariam inuectas, neci dare, atque ita vires hostiles debilitare, & spiritus insolentes frangere: quia non semel penè simili casu id aliàs factum legimus Iudic.7. sub Gedeone, & 1.Regum 14. sub Ionatha, cùm Deus vel Madianitas, vel Philisthæos panico metu cælitus exanimatos, ac penè constrictos, ferro Israelitico iugulandos obiecit. Sed hac vice Deus parcitum illis voluit, vt suam potentiam, ipsis etiam hostibus præconibus, vbique per Syriam vicinasque regiones manifestiorem redderet. ita S.Chrysostomus, Theodoretus & alij.

Chryst.1. hom de Eliseo & Syrorũ insidijs.

℣.23. *Vltra non venerunt latrones Syriæ in terram Israel*] Isti nempe iam deliniti tanto beneficio: sed neque alij milites prædandi causá, & paucis C turmis; (quod proprium est *latronum*, seu militum latrocinantium) ausi fuerunt excurrere. Vel simpliciùs, *vltrà non venerunt*, id est, eo tempore vltrà non processerunt Syri in isto bello prosequendo; sed copias omnes ex Israele reduxerunt in Syriam. Paucis verò pòst annis alio integro exercitu rursus accurrit idem ipse Syriæ rex Benadad, & obsedit regiam vrbem Samariam, vt habes versu sequenti; compulitque obsessos ad *obscœnam* & *malesuadam famem*, vt cum Virgilio loquar, quæ & *carnes asininas*, alioqui lege prohibitas, Leuitici 11. v.26. & *stercus columbarum* sanè triste obsonium, in delicijs haberet, & incredibili pretio comparari iuberet. De simili fame pluribus alijs locis scribunt Plinius & Valerius Maximus, & narrant exempla stupenda. Inter alia, dum *Annibal Casilinum* obsideret, *murem* vnum *ducentis* D *denarijs*, seu regalibus Hispanicis vel Iulijs Italicis venijsse.

Virg.3. & 6.Æneid.

℣.28. *Da filium tuum, vt comedamus eum hodie*] Exemplum hoc famis est extremè abominandæ. Quam vt minatus fuerat Deus Israelitis, si quando à legis obseruatione recederent, Deuteron.28. v.53. ita de facto nunc recedentibus immittit. Immittque rursum, cùm à Chaldæis tempore Sedeciæ obsessa fuit Ierusalem, quando non solùm parentes ex filiorum, sed etiam filij ex parentum carnibus sibi diras epulas pararunt, Ezechielis 5.v.10. Denique ijsdem tertiò immisit, cùm à Tito & Vespasiano in easdem angustias redacti sunt, teste Iosepho & alijs.

Ioseph.l.7. Bellu c.8.

℣.31. *Si steterit caput Elisei*, &c.] Cur verò rex audita tam horrenda fame, irascitur, mortemque minatur Eliseo? Respondet Sanctius, ex solo fu-

A rore & præcipiti dolore id egisse: S. Ambrosius, eò quòd Eliseus, cùm posset vrbem fame & obsidione liberare miraculo vel prece, ad id vsque tempus noluisset. Sed verisimilius est, Elisæum regi fortè minùs cordato, & cum Syris paciscì volenti etiam iniquis conditionibus, perpetuò id dissuasisse, atque opem è cælo, & solutionem obsidionis addixisse. Quam quia rex æquo diutiùs differri, & omnia interim perditum ire videt, neque vllum præsentis exitij remedium apparet, idcircò in Eliseum tamquam mendacem, perfidum, & auctorem pessimi, vt putabat, consilij, & patriæ proditorem tam grauiter excandescit. *Ambros.l.3. de Offic.*

CAPVT VII.

Eliseus prædicit ingentem crastino in Samaria frumenti copiam fore abundantiam. quæ contigit, Syris obsidionem subitâ fugâ soluentibus, & omnibus suis prædis relictis. Dux autem, qui Eliseo prædicenti minùs credulus fuerat, à turba conculcatur in porta Samariæ.

℣.2. SI *Dominus fecerit etiam cataractas in cælo*] vt ex eo tanquam horreo vastissimo depluat frumentum vel farinam in terras, vt olim pluit *manna*; non poterit tamen tanta esse frumenti abundantia Samariæ die crastino, quantam prædicis futuram, ita Iosephus & alij.

℣.6. *Dominus sonitum audiri fecerat in castris Syriæ currum & equorum, & exercitus plurimi*] Ope angelorum factus hic sonitus: sed verisimile est, eorundem ope etiam speciem aliquam exercitus apparuisse oculis Syrorum, (vt cap. præced. v.17. contigit ministro Elisei.) Vnde subito terrore consternati, & mox in præcipitem fugam acti sunt Syri.

℣.8. *Leprosi illi*, inquit R. Salomon, teste Lirano, erant *Giezi* (seruus olim Elisei) & tres illius filij, qui propter fœdam lepram exulabant ab vrbe regia, sibique in vicinia tentorium fixerant. Sed hoc non placet Abulensi: fauet tamen familiare, quod initio cap. seq. instituitur, colloquium regis cum eodem *Giezi*, qui forsan occasione tam læti istius nuntij, carior familiariorque regi factus erat. Neque colloquium cum leprosis lege veritum erat, neque noxium esse poterat, cùm debita adhiberetur distantia. Nauseam verò, quæ ex aspectu lepræ timeri à delicatulis solet, viri cordati nihili faciunt; & rei nouæ atque iucundæ voluptas, quæ ex alloquio quæritur, graueolentiam omnem, si quæ à leprosis est, facilè absorbet.

CAPVT VIII.

Sunamitis hospita Elisei, eo suadente peregrinatum profecta, septennem famem euasit. reuersa suos agros recuperat. Eliseus Benadad regem Syriæ prædicit moriturum, & impium Hazaelem illi successurum. Ioram rex Iuda percutit Idumæos rebelles. Mortuo succedit Ochozias.

℣.7. VENIT *Eliseus Damascum*] Vtique vt *Hazaelem* vngeret in regem Syriæ, iuxta mandatum Dei 3.Regum 19.vers.15. Eliæ quidem tum datum, sed ad hoc vsque tempus, eodem Deo inspirante dilatum. Sicut & alterum de *Iehu* in regem Israel vngendo, ibidem v.16. eidem Eliæ commissum, sed hoc demum tempore per Elisei discipulum executioni mandatum, vt patet ex initio capitis iam sequentis. ita Caietanus, & auctor Historiæ Scholasticæ. Sanctius vult, vtrumque ab Elia tunc vnctum fuisse, non vt sceptrum tunc vsurparent, sed multis pòst annis; vt Dauidi à Samuele primùm vncto contigit: iam verò secundò ab Eliseo seu vngi, seu moneri de regno.

Benadad rex Syriæ ægrotabat] ægritudine corporis ex animi ægritudine, vt fit, enata, propter nuperrimam ex Israelitide fugam, maximè cùm intellexit vana omnia terriculamenta fuisse, quæ de recentibus ex Ægypto aut aliunde missis auxilijs sparsa, ipsum in fugam egerant. ita Iosephus, Liranus, Comestor, Dionysius, Abulensis.

Ioseph l.9. Antiq.c.1.

℣.10. *Vade, dic ei, sanaberis*] Vel ironicè loquitur Propheta Elisæus, sicut in simili Michæas 3.Reg. 22.v.15. Vel potiùs ad mentem interrogantis, quà quærebatur, an morbus esset *lethalis* regi; respondet Propheta, *non esse lethalem*, sed sanatum iri quantum est ex parte morbi. Neque verò morbo extinctus fuit rex, sed violenta suffocatione, vt dicitur v.15. ita Caietanus & Sanctius.

℣.13. *Quid enim sum canis?*] Videtur *Hazael*, vtpotè è primis regni proceribus, nomine *canis* non tam vilitatem & abiectionem suam insinuare, quàm feritatem & crudelitatem caninam, sibi à Propheta propositam execrari, & cum admiratione ac stomacho repellere. q.d. Procul à me tanta impudentia, tanta barbaries: ferinum opus est, non humanum, infantes dilacerare, & ad saxa allidere, euiscerare matres, prægnantes ferra diuidere medias, &c. Sed subdit Propheta:

Ostendit mihi Dominus te regem Syriæ fore] & cum regio sceptro, non solùm potentiam & vires regias accepturum, vt possis & audeas quæ dixi, sed & innatum Syris aduersus Israelem odium crudelitatemque hereditaturũ. ita ferè Liranus, Sà, Mariana & Sanctius. Ergo audacior hoc Prophetæ vaticinio factus *Hazael*,

℣.15. *Tulit stragulum*] seu mappam aquâ frigidâ madefactam, & prætextu refrigerij domino suo regi, sic iubenti, ex officio procurandi, ita *expandit super faciem eius*, vt simul obstructis clàm & cautè faucibus, quasi aliud agens, spiritum præcluderet. ita Iosephus. Porrò quàm facili negotio hac viâ suffocetur æger, testes esse possunt qui torturæ causâ similem subinde mappam vultui obductam habuerunt: nam aqua paulatum mappæ superinfusa copiam respirandi penitus tollit. estque id torturæ genus omnium sæuissimum. Huius tyranni nomen non minùs quàm *Benadad*, celebre perpetuò apud Syros permansit, adeò vt Syriæ regnum Amos 1. vocetur *domus Hazael*, perinde atque *domus Benadad*. Iosephus addit, *vtrumque diuinius, ad Syros coli* solitum *honoribus*, & vtriusque *effigiem quotidianis pompis honorari, tum propter aliam beneficentiam, tum quia magnificè templis exstructis Damascenorum vrbem ornatiorem reddiderunt.*

Ioseph.l.11. Antiq.c.2.

℣.18. *Filia Achab*, nempe *Athalia* Gentilis & impia, *erat vxor* Ioram regis Iuda, quæ v.26. vocatur *filia*, id est neptis, *Amri* patris Achab. Huius vxorijs illecebris inductus rex Ioram, *fecit quod malum est in conspectu Domini*: nam & *idola* coluit, & *sex fratres suos* occidit, & alia infanda patrauit, quæ habes 2.Paralip.21. Hinc subsecutæ plagæ; quæ partim hoc capite, partim illo loco Paralip. explicantur.

CAPVT IX.

Iehu in regem Israel inunctio per Prophetam mandat Deus vt deleat domum Achab. Occidit ergo Ioram filium Achab regem Israel, simulq; Ochoziam regem Iuda. Corpus Iezabel à fenestra præcipitatæ canes deuorant.

℣.5. O PRINCEPS] Absente rege Ioram, cura belli & expugnandæ arcis Ramoth Galaad penes principes erat, inter quos præcellebat *Iehu*: qui hîc in regem inungitur, iubeturq; exscindere stirpitus familiam *Achab*, etiam *clausum & nouissimum*. De qua phrasi vide 3.Regum 14.v.10. De *lenticula* dixi 1.Regum 10.v.1.

℣.11. *Quid venit insanus iste ad te?*] Sic *Prophetæ* non loco tantùm aut conuitio, sed & seriò subinde vocabantur: quia quibusdam quasi pythonico & fanatico spiritu putabantur instincti, & velut arreptitij, atque humanò sensu destituti. Patet exemplo Ieremiæ cap.29.v.26. vbi *arreptitius* vocatur à *Semeia*. Et Cicero, *Vaticinari idem esse* dicit *quod insanire*: sed *insanire diuino beneficio*, vt ait Plato.

Cic.l.2 de Diuinat. Plato in Phædro.

℣.15. *Nemo egrediatur profugus de ciuitate* Ramoth, *ne nuntiet in Iezrahel* Ioramo inaugurationem meam. Ex his colligo, vrbem Ramoth iam tum ab Hebræis occupatam, & castra in ea locata fuisse, neque nisi arcem interiorem expugnandam superfuisse.

℣.22. *Fornicationes & veneficia Iezabel*] His figuratè significatur idololatria, quæ est instar adulterij: & prouocatio aliorum ad idem scelus: quæ dolis malis & furtiuis irritamentis, quasi philtris quibusdam, aut veneris poculis, aut alijs sagarum lenocinijs procurari solet. Porrò quæ Iehu hîc exprobrat Iezabeli, eadem Nahum Propheta c.3.v.4. de *Ninive* affirmat.

℣.25. *Dominus onus hoc leuauerit super* Achab, id est, prophetiam hanc tristem pronuntiarit aduersus eum.

℣.27. *Ochozias rex Iuda fugit per viam domus horti*] vbi antè fuerat vinea *Naboth*. fugit, inquam, *in*, seu versus, *Mageddo*, indeque *Samariam*: vbi *latitans comprehensus* est, 2.Paralip.22.v.9. *adductusq;* ad Iehu *occisus* est *in ascensu Gaver, & ibi mortuus est*. Binomius hic fuit, nam qui hîc & l.2.Paralipom. c.22.v.1. vocatur *Ochozias*, idem eodem libro Paralipom. c.21.v.17. *Ioachaz* appellatur. Et vtroque loco dicitur fuisse *minimus natu filiorum* Ioram, & solus subtractus furori & cædi *latronum Arabum*. Vnde & stirps Iosaphati defecisset in hoc Ochozia, ni soror eius Iosabeth prospexisset, vt ibidem additur c.22.v.9. & sequentibus. Quòd verò miser in has calamitates inciderit, vni debet matri suæ Athaliæ, *quæ impulit eum vt impiè ageret*, ibid.v.3. & malis *consiliarijs* de domo Achab, qui idem ei suaserunt *in interitum* & exitium ipsius v.4.

℣.30. *Iezabel, introitu* Iehu noui regis *audito, depinxit oculos suos stibio*] quo & dilatantur, & recreantur, atque à suffusione humorum purgantur oculi, teste Plinio: & communiter ab alijs *antimonium* vocatur. Eratque meretricium hoc blandimentum perfamiliare non modò Hebræis, sed & alijs nationibus, vt ex Ieremia & Ezechiele colligitur. Et acriter id reprehendunt S.Cyprianus, & Hieronymus, & etiam Ethnicus Iuuenalis. Sed mirum merito videatur, Iezabelem tunc lætum & elegantem cultum assumpsisse, cùm ob cæsum filium, & regnum amissum, sordes & lachrymæ potiùs decerent. Respondet Abulensis, voluisse hoc lenocinio perstringere oculos noui regis, animumque ira inflammatum temperare, atque ita à iugulo suo ferrum illius auertere. Nam ostentatione pulchritudinis suæ feminas omnia posse, plurimis exemplis docent Paulanias, Plutarchus & alij. Sed malim cum Sanctio dicere, ambitiosam & superbissimam feminam præ se ferre voluisse pristinos, constantes & regios animos, & licèt confossum iam sciret filium & regnum perditum.

Ierem.4. v 30. Ezech.23. v 40. Cyprian de Opere & eleemosynis, sub medium. Hieron.ad.1. epist.ad Furiam. Iuuenal. satyra 2. Pausan.l.1. in Atticis. Plutarch.in vita Hyperidu.

ditum,licèt hostem videret intra mœnia ob oculos suos exultantem;numquam tamen induci se passam vt vel minimam ederet mœrentis animi significationem, vel tantillum de solito fastu remitteret. Quod magnis heroibus solemne esse docet Valerius Maximus. *Valer Max. l.5.c.10.*

Nota, sub hoc ipsum tempus Iezabelis, (quam Hispani interpretes Isabellam vocant) vixisse & Carthaginem suam condidisse *Didonem* Virgilij: quæ cùm & ipsa Sidonia fuerit, & regio genere, videtur huius *Iezabelis* si non soror, certè cognata fuisse.

℣.31. *Numquid pax potest esse Zambri?* Id est, an ergo tam prosperè cedent omnia tyranno Iehu, qui, vt alter *Zambri*, regem suum & dominum suum proditoriè iugulauit, & vi regnum illius inuasit? 3.Reg.16.v.10. Nomen enim Zambri iam apud Hebræos in prouerbium abierat pro omni eo qui infidus cuadit in illum quem modis omnibus B obseruare ac tueri debuisset:sicut nomen *Iudæ* apud nos *proditorem* designat.

CAPVT X.

Iehu 70 filios Achab,& 42.cognatos Ochoziæ necari iubet,totamq; Achabi progeniem delet: omnes sacerdotes Baal callidè euocatos occidit: inculta tamen vitulorum aureorum persenerat. hinc caditur ab Hazael rege Syriæ. Eo mortuo succedit Ioachaz eius filius.

℣.9. IVSTI *estis*] quia diuinæ voluntatis administri fuistis, quicumque hos 70.filios Achabi morte mulctastis. Sed ex hoc facto facilè diiudicabitis, non me solum (vt passim spargitur) in excidium stirpis Achabi insurrexisse: sed insuper primos quosque totius regni,qui filios omnes regis in manu sua habebant, & iam tam malè mulctarunt, in idipsum vnanimiter conspirasse.

℣.12. *Cumque venisset* Iehu *ad cameram pastorum*] Chaldæus, *ad domum congregationis pastorum*; Hebræus,*ad domum colligationis pastorum*; alij,*ad domum tonstrinæ*. Rectè & aptè omnes: erat enim publica & ampla ruri domus, in qua congregari solebant statо tempore pastores, & colligatas de more oues tondere, ac deinde geniales lætosque conuiuijs dies transigere. Talis erat domus, in qua Nabal 1.Reg.25. & Absalom 2.Regum 13. oues suas tondebant, & mox regio simile conuiuium instruebant.

Propè hanc pastorum domum, *in via* publica Iehu *inuenit fratres Ochoziæ*] non germanos aut vterinos ex Athalia, (nam hos omnes iugularant Arabes, 2.Paralip.22. vers.1.) sed vel ex alijs minoris notæ vxoribus aut concubinis; vel *fratres*, Hebræa phrasi,id est *cognatos*. Et licèt hi forsan non essent de sanguine Achab, neque affinitatè illi coniuncti, voluit tamen omnes sublatos, ne quis superesset, qui occisos vlcisci aut vellet, aut posset, atque ità primis imperij sui iam nascentis incunabulis motam aliquam vel offendiculum crearet. Quæ etiam causa fuit, cur paulò antè idem Iehu horum eorumdem Ochoziæ fratrum seu cognatorum filios, qui pro ephebis vel pediseguis eidem Ochoziæ ministrabant, in Iezrahele ad vnum omnes occisos voluerit, 2.Paralip.22.v.8.

℣.14. *Ionadab filium Rechab*] Vir potens hic erat & sanctus, vt patet Ierem.35. qui more reliquorum Rechabitarum (de quibus dixi Numerorum 10.v.29) ruri in tabernaculis degebat, & copiosos alebat oulum greges,verisimiliter haud procul à iam dicta *camera pastorum*. Hunc vt suis Iehu A partibus quamprimùm iungeret,sua plurimùm interesse putabat.

℣.18. *Ego colam Baal amplius* quàm Achab coluit. Facilè cum S.Augustino concesserim, mentitum officiosè Iehu, sed non ausim damnare peccati mortalis, à quo eum excusant S.Hieronymus, Caietanus & Abulensis. Primò, propter rectam intentionem, quâ voluit astutè colligere in vnum & exstirpare omnes sacerdotes Baal; quod alioqui non potuisset. Secundò, quia tantùm iussit, vt, quod priuatim faciebant isti sacrificuli, facerent iam publicè, vt hoc illos signo deprehendere atque opprimere posset. Tertiò,quia per *Baal*, quod dominum significat, potuit intellexisse verum *cæli ac terræ dominum*. Quartò, scandalum,si quod fuit in tanta rerum & religionis perturbatione, breue & leue fuit,statimque se prodidit veritas. Denique, quæcumque fecit,bona fidè & bono zelo fecit, & præsente atque iuuante, forsan & probante, Ionadab viro religioso & sancto,vt iam dixi. *August.lib. cons.mendacium c.4.*

℣.28. *Verumtamen non dereliquit vitulos aureos*] Etsi Iehu exstirparet statuas & cultum omnem Baal idoli Sidoniorum; à Iezabele recenter inductum: non tamen sustulit *vitulos aureos* Ieroboami, sed ijsdem thura & sacrificia obtulit, partim animi mollitie & magnatum precibus, partim peruersis politicorum consilijs (ijsdem quibus olim Ieroboam) ad eam impietatem amplexandam fouendamque impulsus, vt fusè explicat Oseas cap.7. qui non longè post hæc tempora prophetauit.

CAPVT XI.

C *Athalia mater Ochoziæ audità filij morte reliquum omne semen regium ferro exstinguit,& sibi sceptrum vindicat: sed agente Ioiada pontifice occiditur, & Ioas filius Ochoziæ tyrannidi matris clàm subtractus,rex Iudæ constituitur, destructis aris & statuis Baal.*

℣.4. ANNO *autem septimo* vitæ Ioas, *misit Ioiada* pontifex *ad cunctas vrbes* (a) *Iudæ*, a 2.Par.23. v.2. qui Leuitas vndique Ierosolymam accerserent, quorum ingens erat numerus. Ex his *assumpsit centuriones & milites*, & *introduxit ad se in templum*: nam solis istis licebat atrium sacerdotale intrare. Ex his ergo clàm & statо die collegit quantum potuit numerum. insuper ex classibus eorumdem sacerdotum & Leuitarum,quæ erant numero *viginti quatuor*, & per vices ita ministrabant templo, vt ante (b) quodque Sabbatum prioribus abeuntibus alij perpetuò succederent. Ioiada vt numerum augeret suorum, iussit *cum his qui ingrediebantur* (c) *Sabbatum*, manere etiam priores *qui egrediebantur Sabbato*. b 2.Par.23. v.25. c Hic v.9.

℣.10. *Qui dedit eis hastas & arma regis Dauid*] seu quæ rex Dauid ad excubias *in domo Domini* agendas istic in armamentario iuxta *portam* (d) *scutariorum* in eos vsus constructo, iam olim reposuerat. Nimirum, vitandæ suspicionis causâ nolebat pontifex armatos in templum adcurrere, sed ex templi armamentario necessarijs omnes armis instruxit. Instructis paratisque omnibus, d Hic v.19.

℣.12. *Produxit filium regis* in publicum, & *posuit super eum diadema* regium,*& testimonium*] id est legem Moysis, Deuteronomio comprehensam. quod 2.Paralip.23.v.11. clariùs sic exprimitur: *Dederunt in manu eius tenendam legem*. Erat enim hæc decreto diuino necessaria cæremonia, vt patet Deuter.17.ita S.Hieronym.Abulensis & Caietan.

℣.16.

✠.16. *Per viam introitus equorum*] Id est, ad auersam portam palatij regij, protracta est Athalia, vbi equorum stabula erant: & in area ista, quæ
a Hic v.20. etiam pars erat palatij, *gladio*(a) interfecta est.

✠.19. De legionibus *Cerethi* & *Pheleti* (quæ nomina in Hebræo, Chaldæo & Græco hîc omittuntur) vide quæ dixi 1.Regum 30. v.14. Erant hi prætoriani milites, quibus credebatur regij corporis custodia. Prima huius capitis vide 2.Paralip.22.

CAPVT XII.

Ioas sarta tecta templi instaurat: Hazaelem regem Syriæ bellum Iudæis paranteм, obuiàm missis templi & palatij thesauris placat: tandemq; à seruis suis occiditur. Occiso succedit filius Amasias.

✠.4. OMNEM *pecuniam sanctorum*] id est sanctificatorum: id est, omne æs Deo consecratum, seu à populo in vsus sacros collatum. Quale erat Primò, didrachma seu semisiclus, id est duo argentei regales Hispanici, vel Iulij Italici, qui pendebantur *à pretereuntibus*, id est excedentibus annum ætatis vigesimum, vt Exodi 30. præscribitur. Pendebantur, inquam, *pro pretio animæ*, id est, pro capite ipsorum, seu pro ipsismet redimendis. Nam cùm quis annum implesset vigesimum, solebat offerri seu præsentari Deo, quasi iam ætate idoneus ad ipsi militandum: illo verò semiscio redimebat sese qui priùs libertatem à seipso abdicasse videbatur. Vel simpliciùs potest tributum istud semificli vocari *pretium animæ*, quia ideo pendebatur, vt Deus vitam cuique longam & felicem largiretur: alioquì plagis sæuiturus in fraudatores illius tributi, vt insinuatur Exodi 30.v.12. Et experientia docuit in censu per Dauidem instituto, vt dixi 2.Regum 24.v.3. Solebat hoc tributum per singula oppida quotannis per destinatos quæstores exigi ab omnibus qui eo anno vigesimum ætatis suæ complessent annum. Et ita iubet hîc rex Ioas, vt quotannis deinceps fiat, 2.Paralip.24.v.5. Solebat quoque subinde, bello nouo, vel alia necessitate publica, seu templi, seu reipublicæ, cogente, extra ordinem ab omnibus omninò Hebræis qui ætatem illam excessissent, quantumcumque adulti essent, idem census exigi: & vt iam fiat ad restauranda sarta tecta templi, mandat hîc rex Ioas, loco iam citato v.6. & 9. Postea verò sub extrema Iudaici regni tempora in morem inductum fuit, vt quotannis idem tributum ab omnibus per orbem Iudæis persolueretur in vsus templi Ierosolymitani. quod Vespasianus destructo iam templo, voluit nihilominus ab iisdem mitti Romam ad Capitolium, teste Iosepho. Secundum genus æris sacri, quod populus conferre solebat, erat *spontaneum* & vltroneum pro libito & *arbitrio* cuiusque in vsus templi impendendum.

Iosephi.l.7. Belli c.26.

✠.7. *Nolite amplius accipere pecuniam iuxta ordinem vestrum*] putà, non ad vestros priuatos, aut etiam profanos vsus, sed ad communes & sacros dumtaxat templi vsus; *ad instaurationem templi.* Nam vt idem rex Ioas subdit 2.Paralip.24.vers.7. *Athalia impissima, & filius eius* Ochozias *destruxerunt* magnà ex parte *domum Dei, & de vniuersis, quæ sanctificata fuerant in templo Domino, ornauerunt fanum Baalim.*

✠.13. *Non fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi*, &c.] aut alia supellex: nisi cùm, iam perfectâ omni instauratione templi, deprehensum fuit, ex illa collatitia pecunia plurimum adhuc supereſſe: nam tunc iussa sunt ex reliqua illa fieri *vasa templi aurea & argentea*, 2.Paralip.24.v.14.

✠.15. *Et non fiebat ratio ijs hominibus*] Id est, non cogebantur quæstores ad rationes accepti vel expensi reddendas. Tam erant omnes certæ, tam exploratæ fidei.

CAPVT XIII.

Syri deuastant Israelem sub Ioachaz: cui defuncto succedit Ioas, qui iuxta vaticinium Eliſei iam moribundi, Syros ter grauissimâ clade afflixit. Mortui verò Eliſei sepulchro inuctus quidam alius defunctus, extemplò reuixit.

✠.3. CVNCTIS *diebus* quibus vixit *Ioachaz*] vt hîc dicitur v.22. Vnde *fortitudo* Ioachaz, cuius mentio est v.8. non se prodidit in vlla victoria aut prospero successu aduersus Syros, sed in varijs generosis conflictibus, quos cum ijsdem habuit. Neque enim fortuna à fortibus stat semper, sed aliquando ad infirmiorem partem declinat: & multi casus non rarò intercurrunt, qui fortioribus eripiunt victoriam.

✠.5. *Dedit Dominus saluatorem Israëli*] nempe *Eliseum* Prophetam, inquit Caietanus. Vel potiùs regem *Ioas*, filium Ioachaz, qui monitu & prædictione Eliſei excitatus est ad bellum aduersus Syriam resumendum, & resumpsit gessitque feliciter. ita Abulensis, Vatablus, Mariana & Sanctius.

✠.14. *Currus Israel & auriga eius*] Quid sibi velit hæc phrasis, dixi c.2.v.12.

✠.15. *Affer arcum & sagittas*, &c.] Hoc signo hieroglyphico emissionis sagittarum, partim iubet Propheta indici de more bellum: quod fieri solitum vel iaculi missione, vel hastæ vibratione docent Virgilius, Seruius, Gellius, Valerius, Statius, Rosinus, & Alexander ab Alexandro. partim prædicit felicem expeditionis aduersus Syros successum, vt qui hactenus illorum telis prostrati fuerant, exinceps suis vicissim illos prosternerent. Vnde subdit Propheta: *Sagitta salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam*, supple contorta, quæ Syris exitium, Israelitis autem salutē portenderet. Quòd verò *manui regis* arcum tendentis *suam Propheta manum superimposuit*, designabat, conatibus regis affuturam præsentem *manum* seu opem Dei, cuius Propheta personam hîc gerebat: vel etiam, opem ipsiusmet Prophetæ, quantumuis iam breui è viuis abituri, numquam tamen regi defuturam: nam ex limbo quoq; sanctorum patrum decreuerat suis ad Deum precibus regi & Israeli deinceps opitulari.

Virg.9. Aeneid. & Seruius ibid. c.14. Valer. l.3. vbi de Argonautis. Stat.l.4. Rosin.l.5. Antiquit. Rom c.1. Alex l.4. c.30.

✠.18. *Percute iaculo terram*] Quod antè præsignarat emissione sagittæ, iam idem designat Propheta percussione terræ, seu iaculo ad terram allisō: nempe victoriam aduersus Syros; & quidem toties, quoties rex iaculo terram continuata allisione tangeret. Non tamen præscripsit certum regi numerum percussionum, Deo id nolente: neque expossuit antè regi, toties victoriam obtentum iri, quoties iaculo terram tangeret: sed in genere præcepit regi, vt sæpiùs tangeret. Vnde cùm vidit non nisi tertiò tangentem,

✠.19. *Iratus est vir Dei contra* regem, *& ait: Si percussisses quinquies aut sexies* terram, (*siue septies*, omittunt Hebræi & Græci) *percussisses Syriam vsque ad consumptionem.*

Dices, At iam antè v.17. dixit Propheta, *Percuties Syriam, donec consumas eam.* Respondeo, Id Propheta solùm conditionatè dixit, casu quo faceret rex id quod quasi futuræ rei signum Deus prærequirebat,

quirebat, nempe frequentem, id est septenam, terræ percussionem. Quam quia rex neglexit, satisque habuit tertiò percussisse, non nisi tertiò victor à Syris redijt: *consumptionem* verò, seu plenam Syrorum exstirpationem non obtinuit, quia septenam percussionem, (conditionem à Deo prærequisitam) adhibere neglexit: ita Abulensis, Caietanus, Suarez, Vasquez, & Arrubal. qui etiam hoc exemplo probant Deum ab æterno certâ scientiâ prænosse non solùm ea quæ de facto futura sunt, sed & omnia quæ quâque conditione posità futura essent, licèt numquam de facto futura sint, vt dixi 1.Regum 23.v.11.

Suarez tom.1. de gratia. prolegom.2. Vasquez to.1. in 1,p disp.67. Arrubal 1. p.disp.46 & 47.

CAPVT XIV.

Amasias rex Iuda interfectis qui occiderant patrem suum Ioas, victoriam refert ex Idumæis: quâ factus elatior provocat ad bellum Ioas regem Israel, à quo vincitur, capitur, & Ierosolyma diripitur. Porrò Ioas regi Israel succedit filius Ieroboam, & huic Zacharias. Amasias verò a suis occiditur, cui in regno Iuda succedit Azarias.

¥.3. FECIT Amasias *rectum coram Domino*] ex vna parte, quòd idola sub initium regni sui non coluerit. *non tamen corde perfecto*, vt legimus 2.Palip.25.v.2. quia *excelsa non abstulit*, atque ita permisit saltem aliis vt idola colerent: & ipsemet etiam postea delapsus est ad cultum idolorum, vt mox dicam. Vnde procul abfuit à perfecta & constante pietate ataui sui *Dauidis*: sed imitatus est imperfectam & inconstantem vitæ rationem patris sui *Ioas*, qui sub initia regni pius vtcumque, & patriæ, patriæque religionis zelator fuit, sed mortuo Ioiada pontifice, ad pessima quæque deflexit.

¥.7. *Ipse percussit Edom*, seu Idumæos, *in Valle Salinarum*] Rebellarant enim Idumæi, & iugum excusserant regum Iuda sub Ioramo, vt vidimus cap.8.v.20. Quos vt iteratò subiuget Amasias, ex suis copias quantas potuit collegit, & ex vicino Israelis regno mercede centum talentorum multas quoque legiones conduxit. Sed mox hortatu Prophetæ cuiusdam, conductitios istos domum remisit: qui remissione illa quasi sibi iniuriosa & probrosa plusculum offensi, arma in ipsos Iudæos conuerterunt, & occisis tribus hominum millibus opimas è Iudæa prædas abstulerunt, 2.Paralip.25. à v.6. vsque 14. Porrò *Vallis Salinarum*, à copia *salis* sic dicta, (quod istic ex vicino mari mortuo & salsissimo defluente aqua continuò concrescit,) eadem illa vallis est in qua Dauid eosdem Idumæos primùm contriuit & subegit 2.Regum 8.v.13. & 1.Paralip.18.v.12.

Et apprehendit petram in prælio] id est vrbem vel arcem in ardua & prærupta *petra* sitam, verisimiliter ad fauces & aditus tutandos. Ex hac rupe seu petra iam capta, in subiectam vallem præcipitarunt Iudæi ex Idumæis decem millia, præter alia decem millia in prælio cæsa, 2.Paralip.25.v.12. Ceterùm arcem illam vocauit *Iectehel*, id est *obedientiam* vel *expectationem Dei*, vt toti orbi notum esset iussu & potentia Dei Idumæos expugnatos & subactos esse, inquit Caietanus. Et hoc quidem piè, sub initia victoriæ. Sed paulò pòst, occasione eiusdem huius victoriæ Amasias valdè impiè, primò in idolomaniam, quâ deos Idumæorum à se subiectorum coluit, & populo suo colendos proposuit: deinde in stultam elationem animi lapsus est, quâ regem Israel vltrò ad bellum prouocans, cæsus, captus, thesauris spoliatus ab eo, denique à suis iugulatus est.

¥.25. *Per Ionam*, &c.] De hoc Ionæ vaticinio (quod inter illius prophetias iam non reperitur) ita scribit Iosephus. *Ieroboamo* regi *Propheta Ionas prædixit, quòd deuicto Syrûs ditionem suam esset amplificaturus, prolatis eius terminis ad Septemtrionem vsque Emathan vrbem: ad Meridiem verò vsque ad Asphaltitem lacum*, seu mare mortuum, quod hîc *mare solitudinis* vocatur. *Quo oraculo excitatus Ieroboamus, totos eos tractus ademptos Syris ad suum regnum addidit*. Ex hoc loco apertè colligimus, Ionam (a) σύγχρονον fuisse Isaiæ patrueli Oziæ seu Azariæ regis Iuda, vt tradunt Hebræi: item Prophetis Oseæ, Ioeli, Amos, Nahum, qui sub eodem Ozia rege Iuda & Ieroboamo rege Israel prophetarunt, teste S.Hieronymo.

Ioseph. l.9. Antiquit. c.11.

a *Chronici cap.30. & Præfat. in Ionam.*

¥.28. *Damascum & Emath*] Has easdem vrbes ceperat olim Dauid 1.Paralip.18.v.3. & 6. & suæ tribui Iudæ vectigales annexas voluerat, sicut & *Siceleg*, (b) & totam *Idumæam*: vnde vocare solebant vrbes vel prouincias Iuda. Et ideo hîc dicitur Ieroboamus rex Israel eas vrbes Syris ereptas *restituisse Iudæ, in Israel*, seu iunxisse alijs ciuitatibus iure spectantibus ad tribum Iudæ, sed quas rex Israel vi subditas sibi tenebat in terminis regni sui Israeliticis: sicut & vrbem *Siceleg* tenebat in finibus tribus Simeon, & alias plures vrbes, quæ licet nomen retinerent *Iudæ*, fuberant tamen dominio regum Israel.

b 1.*Reg.27. v.6.*

CAPVT XV.

Azaria leproso succedit Ioathan: Zacharia verò Sellum, & huic Manahem, qui regnum Israel tributarium fecit regi Assyriorum. Illi succedit Phaceia, & huic Phacee. Quo regnante Teglat-Phul-Assar magnam partem Israelitarum transtulit in Assyrios. Phacee succedit Osee. In Iuda verò mortuo Ioathan succedit filius Achaz.

¥.3. IVXTA *omnia quæ fecit Amasias pater eius*] fecit Azarias seu Ozias rex. Vterque enim initio pius, ac proinde in bello felix: sed occasione victoriæ vterque elatior factus, ille ad idola deflexit, vt vidimus cap. præced. iste vetitum sibi munus, *thymiama* ad altare incensi offerendo, vsurpauit. Sed scelerum pœnas vterque mox dedit, ille ab hoste prostratus, hic lepra percussus, vt habes 2.Paralip.26. Vbi & victorias illius celeberrimas ex Philisthæis, Ammonitis & Arabibus relatas, & alia certè illustria ab eo gesta leges, vti & apud Iosephum.

Ioseph. sup. c.12.

¥.7. *Sepelieruntque eum in ciuitate Dauid*] *In agro regalium sepulchrorum*, 2.Paral.26.v.vlt. id est, prope quidem sepulchrum regum, sed non in communi regum sepulchro, *eò quòd* fuisset *leprosus*; quasi lepram, etiam in regio corpore & cognato cadauere, mortuorum ossa refugerent & horrerent.

¥.14. *Ascendit Manahem de Thersa*] quam nomine regis sui Zachariæ obsidebat, inquit Iosephus. Cumque post occisum *Sellum* rapuisset sibi sceptrum, & ad *Thersam* redijsset non iam dux, sed rex, nollentque *Thersani* eum regem agnoscere, expugnauit eam vi, & cùm in totam ditionem furibundus sæuiret, tum maximè in *Thapsam* illa edidit crudelitatis exempla, quæ hîc describuntur. Et quia hoc nomine, alijsque compluribus valdè exosus esset Israelitis tyrannus, vt regnum sibi stabiliret, ad externa confugit auxilia, ad *Phul* regem Assyriorum tum temporis admodum celebrem, recentibusque victorijs maximè formidandum. Hic enim est ille *Phul-Belochus* Babyloniæ præfectus, qui sub hoc tempus iunctis cum *Arbace*

Ioseph. c.11.

Mede

Medo viribus (a) Sardanapalum vltimum Assyriorum Monarcham post biennalem obsidionem in eas adegit angustias, vt, constructâ in regiæ suæ penetralibus altissimâ pyrâ quadringentorũ pedum, in eaque mensis aureis quinquaginta, cum totidem lectis, seipsum, vxores, pellices, liberos, mille myriades auri, & decem mille myriades argenti, & quidquid pretiosum supererat, flammis absumpsit; quæ videntibus deforis hostibus totos quindecim dies durarunt. ita Athenæus & alij. Extincta his flammis regiâ Assyriorum stirpe, quæ mille trecentis & duobus annis, ducto à Ioue Belo exordio monarchiam tenuerat; *Phul-Belochus* ad Chaldæos sceptrum transtulit; in Niniue tamen, vtpote vrbe regia, & capite Assyriaci imperij, sedem fixit: vnde & nomen gerere voluit regis Assyriorum tam ipse quàm posteri illius *Teglat-Phul-Assar*, *Salman-Assar*, *Sennacherib*, & *Assar-Addon*, &c. vt dixi in Chronico. E quo etiam patet, annum primum regni *Phul-Belochi* concurrere cum 9. anno regni Oziæ regis Iuda: cuius quinto anno cœpit initium Olympiadum, 23. annis ante conditam vrbem Romam.

(a) *Chron. c.33. sub initium.*

Athen. l.12. c.12.

Chron. c.11. & 14.

℣.29. *Thelath-Phalasar cepit Abel-Domum Maacha*] Nomen est vrbis vnius vel prouinciæ, vt patet ex Hebræo, Chaldæo & Græco. Cepit & *Galaad* trans Iordanem, in qua regione erant Ruben, Gad & dimidia tribus Manasse, vt dicitur 1.Par.5.v.6. Cepit & *Galilæam*, quæ magna ex parte constabat *Zabulonitica* tribu & *Nephthali*, de quibus Isaias c.9. v.1. *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephthalim: & nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanem Galilææ Gentium*, id est Galaaditis regio, quæ trans Iordanem opposita iacet Galilææ. Et hæc est prima translatio Israelitarum in Assyriam, quando ferè dimidia pars eò aucta fuit, nempe quinque ferè integræ tribus, quas tyrannus primò sibi obuias, magisque propinquas habuit. Quod contigit *anno quarto* regni *Achaz* regis Iudæ, & *anno primo Osee* filij Ela regis Israel. Cùm paulò antè idem *Theglath-Phul-Assar* occiso *Rasin* rege Syriæ, etiam habitatores Damasci transtulisset Cyrenem, vt habes cap.seq. v.9. & 2.Paralip.28. Prædixerat autem Amos cap.1.vers.5. & Isaias Propheta c.7. v.16. aliquot annis antequam id fieret, tam *Damascum* quàm *Samariam* suis regibus spoliandos per regem Assyriorum.

CAPVT XVI.

Achaz filium suum per ignem immolat idolis: euocat regem Assyriorum aduersus reges Syriæ & Israel obsidentes Ierosolymam. Mortuo succedit Ezechias.

℣.3. ACHAZ *filium suum consecrauit, transferens per ignem*] Theodoretus putat solùm afflatum leuiter, atque ita lustratum igni fuisse, ritu Gentili, vt Virgilius, Ouidius & Tibullus testantur; & Abulensis dicit *Tartaris* etiamnum in vsu esse. Sed verisimilius est, quod Iosephus, Hugo, Comestor & Abulensis tradunt, Chananæorum ritu holocaustum ab Achaz oblatum fuisse filium idolo Moloch, & totum igne absumptum fuisse; vt & Manasses fecit infrà, c.21.v.6. & familiare erat tum temporis, teste Ieremia c.7. v.31. & psalmo 105.v.37. Vide infrà cap.21. Liranus putat, præter vnum istum filium verè exustum, reliquos etiam omnes filios Achaz piacularibus flammis, vt suprà Theodoretus censebat, lustratos fuisse, quia 2.Paralip.28.v.3 in plurali dicitur, *Lustrauit filios suos in igne iuxta ritum Gentium.*

Virg.6. Æneid. Ouid. in Fastis l.4. Tibull l.2. elegia 5. Ioseph.sup. c.12.

℣.5. *Tunc ascendit Rasin*] Sed antequam hi duo reges, putà *Syria & Israel*, iunctis viribus obsiderent *Ierosolymam*, iam antè seorsim & diuersis prælijs grauissimè afflixerãt *Iudæam*, vt fusè narratur 2.Paralip.28.vers.5.& sequentibus. Et rex quidem *Syriæ*, qui paulò antè recuperarat *Damascum* à Ieroboamo interceptam 4.Reg.14. v.28. recuperauit quoque hoc prælio *Ailam* ab Ozia Syris ereptam, 2.Paralip.26.v.2. eãmdemque *Idumæi* Iudææ iam rebellibus incolendam tradidit, vt hîc dicitur v.6. Qui ijdem *Idumæi*, sicut & *Philisthini*, sub idem tempus multas alias vrbes *Iudæ* subtraxerunt, 2.Paralip.28.v.17. Quin & ipse rex Assyriorum *Theglath-Phul-Assar*, multis precibus maximisque impensis euocatus à rege *Achaz* vt sibi succurreret, ita morem illi gessit, vt, occiso rege Syriæ *Rasin*, & incolis *Damasci* in *Cyrenem*, nõ illam Libyæ vel Moabitidis, sed aliam Mediæ, translatis, & paulò pòst etiam de *Israele* ferè *quinque tribubus* eodem abductis, vt vidimus c.præc. nihilominus etiam arma mox in eumdẽ à quo euocatus fuerat, regem *Achaz* & in terram illius Iudaicam tyrannus conuertit, eamdemq; *nullo resistente vastarit*, 2.Paral.28.v.20. Et hoc prædixerat Isaias c.7.v.17. vbi inter alia, quibus ab euocando rege Assyrio deterrere regem *Achaz* Propheta conabatur, minando prædicit: *Adducet Dominus cum rege Assyriorum*, non tam subsidium quod exspectas, quàm exitium & pestem *super te, & super populum tuum, & super domum patris tui*, quales *dies non venerunt à diebus separationis Ephraim à Iuda.*

Act.2.v.1 Isa.16.v.7 Ioseph.l.9. Antiq.c.1

℣.18. *Musach quoque sabbati*] Ità est hebraicè, & significat tentorium sabbatinum, seu theatrum regium, iuxta portam atrij interioris sacerdotalis, splendidè constructum, & pretioso conopæo desuper coopertum, in quo sedebat rex in Sabbatis & alijs solemnioribus diebus, & audiebat hymnos, spectabatq; sacrificia, vt colligitur ex Ezechiel.46. v.1. Et hoc est *tribunal*, in quo 4.Regum 11.v.14. Athalia vidit regem Ioas in templo stantem *iuxta morem*, id est eo loco & modo, quo reges solerent communiter in templo sedere. Porrò ad theatrum istud seu tribunal regium ingressus patebat ex ipso regis palatio per intermedia atria. Achaz verò in gratiam regis Assyriorum, qui probro sibi duxisset, foris cum populo stare, musach istud seu tribunal regium *conuertit in templum Domini*, seu in interius atrium sacerdotum, iuxta ipsum Sanctuarium, vt nempe conspicere cominus posset omnia, etiam quæ intus in Sancto seu Sanctuario fiebant. Iam verò promoto musach, promoueri quoque seu protendi debuit per transuersum atrium sacerdotale illa fabricæ pars, qua rex è suo palatio ad musach descendebat: & hîc vocatur *ingressus regius*, qui antè *exterius*, seu extra atrium sacerdotale terminabatur, nunc verò ad vsque ipsum templum seu Sanctuarium pertingebat. Ita ferè ex Rabbi Salomone Liranus & Sanctius.

CAPVT XVII.

Osee recusante conditum Assyrio pendere tributum, Salmanasar transfert reliquum Israelem in Assyrios: Assyrij in Israelitarum regiones demigrant in Samariam, qui idolis ibidem, & simul Deo seruiunt.

℣.2. FECIT *malum* Osee rex Israel, *sed non sicut alij reges Israel*] quia licèt idola coleret, tamen, vt aiunt Hebræi, non inhibuit subditis suis adire, si vellent, Ierosolymam & templũ Domini, & sacra

In Sed olam c.

ſacra iſtic obire quod alij reges ſeuerè inhibuerant, etiam diſpoſitis per vias cuſtodibus, ne cui aditus eò pateret.

¶. 3. *Factus eſt Oſee ſeruus* Salman-aſſari regi Aſſyriorum, qui defuncto Theglat-Phul-Aſſari recèns ſucceſſerat. Cùm enim res Iſraelitica, abductis ferè quinque tribubus, admodum acciſa eſſet, & Oſee rex initio regni imparatus ab inſtrumentis bellicis, reſiſtendo non eſſet tam potenti Monarchæ, maluit ſe ſuoſque vltrò dedere, & vectigales facere Aſſyriis, ſaltem ad tempus, & quoad euocaſſet aliunde auxilia, quàm vires hoſtiles cum certo regni ſui exitio fruſtra experiri. Hæc eſt ſecunda Aſſyriorum expeditio aduerſus Iſraelitas, itemque ſecunda Samariæ ceterarumque vrbium captiuitas; toto octennio poſterior alterâ priore, quando ferè media incolarum pars in Aſſyriam adducta fuerat, vt dixi cap. 15. Sed in hac ſecunda, quia vltronea deditione contigit, nulla facta fuit abductio: ſolùm tributa imperata, & alia quæ ſubditis præſcribi ſolent. Et præſtita hæc ex fide ad quinque vel ſex annos; quando fultus auxilijs *Sua* regis Ægypti conatus eſt Oſee iugum & ſeruitutem Aſſyriorum excutere: ſed fruſtra. nam mox reuerſo Salman-aſſare, obſeſſa iam tertiò Samaria, ac poſt triennium capta ſpoliataque fuit, & rex in compedes coniectus, & reliquæ tribus Iſraeliticæ in *Halam & Habor ciuitates Medorum*, in perpetuum exilium abductæ ſunt. Et hæc eſt tertia & vltima captiuitas domus Iſrael, nouem annis poſterior ſecundâ: nam contigit anno 6. Ezechiæ regis Iuda, & anno 9. Oſee, ex quo ipſe à Salman-aſſare ſubactus, ipſique vectigalis, & ab eo rex Iſraeliticus confirmatus fuit. Stetit ergo regnum Iſraelis, à primo anno Ieroboami, ſeu à morte Salomonis, vſque ad præſentem annum abducti Iſraelis in regionem Medorum, totis 256. annis: vt patet ex noſtro Chronico. Ab hoc verò anno vſque ad exuſtu n templum & vrbem Ieroſolymitanam, quando etiam tertiò capta, & in Babyloniam abducta fuit tribus Iuda; vndecimo anno regis Sedeciæ, fluxerant anni 130.

Chron.c.29.

¶.9. *A turre cuſtodum*] non ſpeculatoria militum, ſed ruſtica paſtorum vel agricolarum, ad quam, ſeu hoſtibus, ſeu imbribus ingruentibus, haberent paratum & familiare refugium. Alio nomine *caſtella* vocant: & ſunt ruſticanæ villæ, horreis & ſtabulis inſtructæ. Tales enim ipſis *turres* complures & caſtella exſtruxit *Ozias* rex Iuda 2. Paralip. 26.v.10. Hæ turres ciuitatibus munitis ac frequentibus in Scriptura opponi ſolent: & prouerbiali phraſi, cùm omne habitationum genus Hebræi complecti volunt, *turres cuſtodum* cum *ciuitatibus munitis* coniungunt, vt videre iterum eſt cap. ſequenti v.8. & aliis locis.

¶.24. *Adduxit rex Aſſyriorum de Babylone*, &c.] Hinc patet, hoc adhuc tempore Babyloniam ſubiectam fuiſſe regibus Aſſyriorum in Niniue imperantibus. Sicut ex v. 6. ſuprà conſtat, regionem Medorum eidem tunc paruiſſe. Neque enim aliàs potuiſſet tantam Iſraelitarum cateruam in ciuitates Medorum tranſmittere: neque incolas Babylonis in terram Iſrael euocare. Sed paucis poſthac annis & Medi, auctore *Deioce*; & Babylonij, duce Merodach, rebelles facti ſunt Aſſyriis, ferè ſub idem tempus quo *Ezechias* rex Iuda ab iiſdem defecit & *Merodacho* regi Babylonis nouo fœdere ſociatus eſt.

Collocauit item *rex Aſſyriorum in ciuitatibus Samaritanorum*] etiam euocatos *è Cutha*. Et fortè nobiliores, fortè etiam plures ex illa, quàm ex aliis regionibus, eò traducti ſunt. vnde *Samaritani* multis ſæculis etiam *Cuthæi* vocati fuerunt, teſte Ioſepho, Ephiphanio, & ex his Abulenſi, Toleto & Pereira. Porrò ex tot gentium, tot religionum; tot deorum colluuie, tanta legum, tanta morum confuſione, id conſecuti ſunt Samaritani, vt monſtrum quoddam eſſent ex variis variorum maximèque diſſidentium rituum aſſumentis compactum. A Iudæis habebant circumciſionē & Sabbatha, & alias pleraſque cæremonias Pentateucho Moyſis comprehenſas; neque alios Scripturæ libros admittebant, teſte Origene, Ambroſio, & aliis iam citatis. Ab aliis gentibus mutuabantur ingentem farraginem vti falſorum & ignotorum deorum (qui hîc v.30. & 31. recenſentur) ita etiam vanarum religionum ac rituum ſacrorum & profanorum. Vnde & vicinis omnibus contemptui ac riſui erant, maximeque exoſi; ſed præ omnibus, nationi Iudæorum, in qua qui maximè odioſus alicui foret, *Samaritanus* vocabatur, neque induci potuerunt vmquam *Iudæi* vt couterentur *Samaritanis*, Ioan. 4. Et viciſſim *Samaritani* vbicumque poſſent, officiebant Iudæis, vt patet Eſdræ 2. cap. 4. vbi remigrantes Iudæos ab exilio in patriam conantur impedire ab inſtauratione vrbis & templi. De hoc odio mutuo vide S. Hieronymum, & alios iam citatos. Interim *Samaritani* pro temporum & rerum varietate, ſic ſuadente ſeu neceſſitate, ſeu publica vtilitate, fingebant modò ſe Iudæos eſſe, vt qui ſaltem in paucis cærimoniis cum Iudæis conuenirent: modò ſe prorſus alienos eſſe, (vt erant reuera) à genere & religione Iudæorum: vſi eodem artificio, quo apud Æſopum *veſpertilio*, qui quòd alas geſtaret inſtar *volucris*, reliqua forma *muri* ſimilis eſſet, modò *volucrem*, modò *murem* ſe nominans, bis periculum mortis effugit. Sic Samaritani cùm didiciſſent, Alexandrum Magnum Iudæis amicum, & in ipſos admodum beneficum eſſe, vt ſimilem ab Alexandro gratiam beneficiaque referent, ortos ſe ex Iudæis, & iiſdem cum ipſis inſtitutis vti iactabant. At verò cùm ſentirent Antiochum Epiphanem infenſum eſſe Iudæis, & peſſima quæque aduerſus ipſos moliri, Iudæos ſe palam negabant. ita Ioſephus.

Ioſeph ſup. Abul hic q 24. Iolet. & Pereir. in c.4. Ioannis.

Orig.tom.4. in Ioannem. Ambroſ. in 1. Cor.9.

Hieron.ep. ad Algaſiam q.5.tom 3.

Ioſeph.l.11. Antiquit 8. & l.12.c.7.

CAPVT XVIII.

Ezechias diſſipat idolorum delubra; æneum Moyſis ſerpentem confringit: vincit Idumæos: iugum excutit Aſſyriorum: qui mox ingenti exercitu accurrunt Ieroſolymam, multis probris in Ezechiam & blaſphemiis in Deum iactatis.

¶. 4. EZechias *confregit ſerpentem æneum quem fecerat Moyſes*] De hoc vide Numero 21.

Vocauitq; nomen eius Nohеſtan] vel, vt in Hebræo eſt, נחשתן *Nechuſtan*, id eſt, *paruum æs*, ſeu *æruluſ*, vel *metallulum*, nempe vile ac nihili. q. d. In illo ſerpente nihil eſt magnum, nihil viuum, quod ab homine prudente obſeruari, multoque minùs quod pro Deo (vt factum hactenus) coli debeat. Vide plura apud Philaſtrium, in hæreſi de *æneo ſerpente*. Chronicon Alexandr. & Euſebius tradunt, ab eodem Ezechia etiam *libros* aliquos *Salomonis*, quòd quidam illis abuterentur, *de medio ſublatos* fuiſſe, vt *quos de omni genere morborum curando* conſcripſerat, & *de natura plantarum*, & *de omni genere animalium*: idque *quia populus hauſtâ inde ſufficienti morbo-*

Chronicon Alexandr. ad Olympiadem 9. Euſeb.citatus ab Anaſtaſio Niceno.

rum medelâ, negligebat petere à Deo curationem. A Quod in rege Asa reprehenditur 2. Paral.16.v.12. Sanè S.Franciscus Xauerius,cùm Euangelij gratia in regionem barbaram ingrederetur, vbi frequens erat venenorum vsus, & quotidianæ cædes, noluit tamen antidota ab amicis oblata admittere, ne quid de spe, quam in Deo semper collocarat, vel tantillum ea ratione remittere videretur.

¥. 5. *Post* Ezechiam *non fuit similis ei de cunctis regibus Iuda, sed neque in his qui ante eum fuerunt.*] Idem de Iosia dicitur cap. 23. vers.25. Et quidem verè ac propriè: nam licèt Dauid sanctitate præcelluerit, vt est communis opinio, morum tamen innocentia non præcelluit, propter adulterium, homicidia, &c. In aliquo etiam deliquit Iosias, in quo Ezechias non deliquit, quòd bello non necessario aduersus regem Ægypti sese implicuerit, & se & suos perdiderit. In pluribus quoque *Ezechias* cessit *Iosiæ*, v.g. cùm se vectigalem & tributa- B
a *Hic v. 14.* rium (*a*) fecit regi Assyriorum, cùm ex iactan-
b *2.Par.32. v.25.* tia (*b*) legatis Babylonici regis suos ostentauit thesauros, &c. Itaque æqualitas sanctitatis inter hos tres hîc non negatur: sed sola similitudo morum gestorumque, quibus sanctitatem nacti vel promeriti fuerunt, propter diuersos modos,occasiones & tempora, in quibus suam singuli probarunt vel patientiam, vel magnanimitatem, vel zelum, vel fortitudinem, vel morum innocentiam. Simili prorsus modo Ecclesia de singulis Confessoribus Pontificibus canit: *Non est inuentus similis illi, qui custodiret legem Excelsi.* Quia singuli habuerunt aliquid peculiare, quod non inueniretur in aliis. Porrò præclara Ezechiæ gesta, quæ hîc non nisi obiter insinuantur, fusè expressa habes 2. Paralipom.29.30.& 31.

¥.7. *Rebellauitque quoque contra regem Assyriorum*] Iam enim à tempore Achaz patris Ezechiæ C dediderant se Iudæi Assyriis, vt patet ex 4. Reg. 16. vers. 7. Vnde vsque ad hoc tempus Ezechias subditus illis & tributarius fuerat: sed iam vrgenti Assyrio vt consuetum tributum penderet, negabat Ezechias bellumque ni faxit minanti, resistere & bellum bello propulsare parabat. Nam, vt habes infrà cap. 20.vers. 20. & 2. Paralip. 32. & Ecclesiast.48. muros vrbis instaurauit, militem vndique euocauit, & ad Assyriorum impetus retardandos *obturauit capita fontium*, & perfossa rupe riuum *Gihon* ita detorsit, vt aquæ illius, quæ extra vrbis Ierosolymæ muros latè vagabantur, & obsidentibus maximè vsui futuræ erant, omnes in vrbem cogerentur & obsessis seruirent. Sed breui concideruntanti animi. Nam vt primùm sensit Assyrium tyrannum ferro flammaque vicinam vastare, non ausus aleam belli exspectare, misit obuiam in D vrbem *Lachis* haud procul Ierosolyma legatos, qui suo nomine sponderent vltroneam subiectionem, & tributi quantumcumque imperaret pensitationem. Quin & imperanti submisit statim *trecenta talenta argenti, & triginta auri.* Neque tamen hac via quidquam profecit: nam tyrannus etiam accepto tributo, nihilo moderatiùs aut mitiùs se gessit, quàm si repudiatus aut hostiliter reiectus fuisset.

Ioseph. l.10. Antiq c.1. Torniellus anno mundi 3322. Pradus in Ezech.17. v.23.

¥. 18. *Præpositus domus*] supple regiæ, vt Iosephus habet & Abulensis & Torniellus & Vatablus & Arias & Pradus. Potest nihilominùs etiam admitti fuisse præpositum *domus Domini*, nempe vel thesaurarium templi vt habent LXX. & tenet Forerius: vel vnum ex 24. principibus sacerdotum,vt volunt S. Hieronymus, S. Thomas, Dionysius & alij.(*c*)Nam plures fuisse præpositos domus Domini patet infrà c.22. v.5. Et fortè præerat hic militari custodiæ templi,sicut 2.Machab.3. vers.4. Simon Beniaminita præpositus templi fuisse dicitur. *Scriba*, est doctor in lege. Porrò de *Sobna* & *Eliacim*, qui hîc legati designantur, qui & quales fuerint, vide Isaiæ 22. vbi alteri *Sobnæ* à præpositura ob nimiam animi superbiam depositò alius Eliacim successisse scribitur. *Scriba* is est, qui res gestas & præclaria facinora publicis monumentis consignat, & regi commodo tempore in memoriam reuocat.patet Esther 6.v.1.Reliqua huius cap.vide exposita Isaiæ 36. c *In Isaia 22.*

CAPVT XIX.

Ezechia rege & Isaia Propheta Domino supplicantibus, angelus occidit 185000. Assyriorum. Quare fugiens Sennacherib, à proprijs filijs in templo idoli sui obtruncatur.

¥. 2. FILIVM *Amos*] Non est hic *Amos* is Propheta qui inter minores numeratur, sed alius,vt dicam Isaiæ 1.v.1.

¥. 3. *Dies*, seu tempus, iam est *tribulationis* populi; *increpationis*, seu punitionis, Dei; *& blasphemiæ* Sennacherib,ita S.Hieron.

Venerunt filij vsque ad partum, & vires non habet parturiens] & consequenter, vehementissimo cruciatu torquetur, propter rupturam vuluæ, cuius os, dum angustius est, à fœtu disrumpitur. Videtur Ezechias alludere ad apparatum quem fecerat bellicum: nam vt summis animis pararit omnia tum ad vrbis defensionem, tum ad hostis inuasionem necessaria, tamen, cùm ad rem iam ventum est, ipsa experientia deprehendit se tantæ potentiæ parem non esse. ita Theodoretus, Procopius, Eucherius, Abulensis & Caietan.

¥.7. *Ecce ego*, dicit Dominus, *immittam ei spiritum*] id est affectum, seu internum in animo motum,putà *timoris* ingentis; fortè ne rex Æthiopum, quem iam pridem aliquid noui moliri audierat, se absente res turbaret Assyrias: atque ita dum aliena venatur in Iudæa,ipse propria sua sede spolietur in Assyria. Hoc anxius metu, ecce *nuncium* trepidum *audit, Tharcas rex Æthiopum egressus est vt pugnet aduersum te.* Rex hic erat *Æthiopiæ*, non illius in deserto Sinai, in regione Madianitarum, vnde erat vxor Moysis *Æthiopissa*: sed alterius quæ post Ægyptum sita est, & nunc *Abyssina* vocatur. ita Io- *Iosephus l.10. Antiquit.c.1.*
sephus,& apud eum Berosus: itemque Herodotus, *Hieron.in Isai. 22.*
vt citat S.Hieron. Et idem sentiunt alij Patres. Et colligitur ex Isaiæ 20.vers.3.4.5. vbi *Æthiopiam & Ægyptum* Propheta tertiò simul coniungit;dum de hac eâdem agit Sennacheribi expeditione.

¥.23. *In multitudine curruum meorum ascendi excelsa montium*] id est, loca inaccessa, & vix pedibus peruia, disiectis scopulorum & syluarum obstaculis,sic aperui & complanaui, vt etiam quadrigis commodus pateat transitus. Eadem hæc loca aperuit etiam postea Vespasianus, teste, Iosepho, *Iosephus l.3. Belli c.5.*
cùm per eadem Libani fauces exercitum traduceret,iuxta illud Zachar. 11. *Aperi, Libane portas tuas.* Idem in Alpibus fecit Annibal, vt Iuuenalis canit, *Iuuenal. satyra 10.*
& historici describunt.

¥. 24. *Bibi aquas alienas*, id est, quas vos Iudæi vobis vestrisque familiis asseruabatis more patriæ in cisternis vestris ego per meos milites exhausi: *& siccaui omnes aquas clausas*] scilicet aggeribus: nam Isaiæ 37. v.25. dicit siccatos à se *omnes riuos aggetum,*

rum, id est omnia *stagna & fluuios*. Sic Xerxem cùm copias in Græciam traduceret, flumina siccasse testantur Herodotus, Iustinus & Iuuenalis.

Herod l 7. Iustin. l. 2. Iuuenal. sup.

℣. 25. *Numquid non audisti*, &c.] q.d. Ignoras, ô stulte Sennacherib, quòd quæcumque fecisti seu aduersus Iudam, seu aduersus alias gentes iam subactas, mea vnius potentia ac decreto feceris? An nescis, me iam inde ab initio conditi vniuersi solitum scelera mortalium punire gladio aliunde immisso? De te certè iam pridem *illud* statui, & in mente mea quasi *plasmaui*, quin & per Prophetam meum Isaiam non obscurè, prædixi quòd tu *Assur virga* esses *furoris mei*. *Et nunc* te eò *adduxi*, vt colles sterneres, & vrbes quamcumque munitas subuerteres, quæ contra me pugnant, & me sceleribus suis offendunt: has enim omnes per te quasi per flagellum meum corripere volui, & *humiles manu*, seu, vt habet Isaias c. 37. *breuiata manu*, id est, destitutas viribus & potentia resistendi, *contremiscentes* subtus tibi.

℣. 27. *Habitaculum tuum, & egressum tuum, & introitum tuum ego præsciui*] Id est, quæcumque molitus es hactenus, siue in intimis regiæ tuæ penetralibus, siue in eductione copiarum, siue in expugnatione vrbium, omnia à me præcognita, à me permissa, pleraque & à me prædecreta sunt: nec sine me potuisses mouere vel manum, vel pedem. At tu tuis omnia viribus insigni superbia adscribis: quin & stupendo furore & bruta insania meam ausus es blasphemare potentiam. Ego quoque te instar bruti tractabo, & naribus hamum ceu bubalo infigam, & ori blasphemo frænum injiciam; neque te patiar ad vlteriores triumphos, vt ardes, prouehi, sed in infamem fugam, in tristem cladem, in horrendam mortem te cogam. ita ferè S. Hieronymus, Abulensis, Vatablus & Liranus.

℣. 29. *Tibi autem Ezechia, hoc erit signum*, omnia quæ iam dixi, à me profecta fuisse, ac prædisposita: meoque vnius nutu ac potentia abactum è Iudæa tyrannum Sennacherib. *Signum*, inquam, istud *tibi* manifestum *erit*, quòd licèt iam tyrannus immensis copiis suis segetes omnes protriuerit, arboresque viteque pæne totiùs regionis tuæ succiderit, neque spes hoc anno videatur alicuius messis aut vindemiæ: insequens quoque annus, eò quòd sabbathicus sit, non permittat aut serere, aut metere; tamen reipsa deprehendes, nihil tibi tuisque defuturum: sed benedicente & multiplicante me colliges etiam huius anni reliquum ex relictis stipulis & truncis, proximo verò anno sabbathico ex deciduis granis tantam copiam frumenti, vuarum & pomorum, vt abundè sufficiat omnibus toto regno alendis vsque ad tertij anni messem & vindemiam. Quod certè miraculum esse cuidenissimum nemo negarit.

Reliqua huius capitis de fuga, de cæde Sennacherib, vide 2. Paralip. 32. & Isaiæ 37.

CAPVT XX.

Ægrotanti Ezechiæ Isaias mortem denuntiat. Sed precibus ille vitam ad alios 15. annos impetrat, accepto signo per vmbra solis regressum ad decem lineas. Babylonius verò de recuperata valetudine congratulatum missis omnes suos thesauros ostendit; sed ab Isaia audit eos omnes in Babyloniam deuehendos. Mortuo succedit impius Manasses.

℣. 3. FLEVIT *Ezechias fletu magno*] non tam quòd moreretur (vti comminando prædixerat Isaias) quàm quòd illiberis, & sine herede, ex quo nasciturus esset Christus, moreretur. Nam Manasses successor Ezechiæ, moriente patre non erat nisi duodecim annorum: Ezechias verò ab hoc morbo superuixit totis quindecim annis: ergo Manasses non nisi tertio anno ab hoc patris morbo natus est. ita Iosephus, Augustinus, Abulensis, Caietanus.

℣. 6. *Sed & de manu regis Assyriorum liberabo te*] Cùm ex Isaiæ 36. constet, regem Assyriorum Sennacherib venisse in Iudæam anno decimoquarto regis Ezechiæ: & Ezechias post morbum suum superuixerit quindecim annis: (*a*) neque pluribus vniuersim regnarit quàm viginti nouem (*b*) annis; certò colligitur, hunc morbum regi Ezechiæ obuenisse cùm primùm Sennacherib in Iudæam ascendit: idque, vt ait Hieronymus, ne rex Ezechias prodigiosa clade & fuga Assyrij tyranni, & tam glorioso rerum euentu nimis insolesceret.

a *Hic v. 6.*
b 4. *Reg. 18 v. 2. & 2. Par. 29. v. 1.*

℣. 7. De *ficorum* cataplasmate, quo vlcus regis sanauit Propheta Isaias, an vi naturali potuerit afferre sanitatem, vide Franciscum Valesium & alios medicos. Ego supra naturæ medicinæque vires accidisse certum habeo, quòd tam breui spatio, rex à morbo secundùm naturæ cursum lethali, non modò conualuerit, sed & tanto robori redditus sit, vt tertio pòst die templum se conferret.

Valesius de Sacra philosophia c. 39.

℣. 9. *Vis vt ascendat vmbra decem lineis?* quibus vel horæ in horologio notantur, vt vult Chaldæus, S. Dionysius, Beda, Eucherius & Angelomus; vel potiùs mediæ horæ, vt putat Abulensis, Caietanus, Cornelius à Lapide, & Aluarez. Nam cùm daretur optio Ezechiæ, vt aut progressum vmbræ, aut regressum ad decem lineas eligeret; erat sine dubio talis descriptio linearum in horologio, & talis iam situs solis, vt vtrumque fieri, & ab Ezechia spectari posset. Ergo sol momento isto vt minimum decem post se lineas ad ortum, totidemque ante se versus occasum designatas relinquebat. At verò dies, etsi longissimus, in climate Iudææ, numquam extenditur ad horas viginti. Quare ad semihorarum lineas confugiamus necesse est.

Dion. epist. ad Polycarpum. Eucherius & alij hic. A Lapide in Isaiæ 38.

Petes Primò, An sola vmbra retrocessit? Ita censet Vatablus, Paulus Burgensis, Arias Montanus, & probabile putant Emanuel Sà & Gaspar Sanctius. Sed communis est SS. Patrum sententia etiam solem ipsum retroactum fuisse: & consequenter, prodigium hoc toti orbi patuisse. Probatur ex Isaiæ 38. v. 8. vbi expressè dicitur, *Reuersus est sol decem lineis per gradus quos descenderat*. Et Ecclesiast. 48. *In diebus ipsius retrò rediit sol*. Et cur alioqui 2. Paral. 32. vers. 31. è Babylone submissi legati inquirerent de hoc portento, si istud vmbratile tantùm, nec nisi Ierosolymis in vnico regis horologio spectatum fuisset?

Petes Secundò, An solus sol, an verò etiam reliqua astra & cœli omnes retrocesserint? Respondeo, simul omnia retrocessisse: sicut Iosue 10. simul omnia steterunt. Nam alioqui, maiori nec necessario miraculo totus cælorum ordo perturbatus fuisset. ita Abulensis, & subindicat S. Dionysius.

Petes Tertiò, An hæc retrogressio facta sit subitò, an successiuè & lentè, motu solis ordinario? Caietanus cum quibusdam aliis vult, subitò, & quasi in momento, vel saltem velociori motu quàm solet, retrogressum solem. Sed probabilius cum Chaldæo & S. Dionysio putarim, motu prorsus ordinario retrocessisse, & decem lineas mediarum singulas

Dionys. ep. ad Polycarpum.

singulas horarum percurrendo, impendisse in regressu quinque horas, & rursus alias quinque in secundo progressu : atque ita totis decem horis auctum fuisse hoc miraculo diem. Patet, quia lentiore illo solis regressu certius, euidentiusque redditum fuit miraculum. Addit S. Dionysius, Persas in memoriam tanti prodigij solitos triplicem solem celebrare, putà progredientem, regredientem, ac rursum progredientem.

S. August. de Mirab. Script. l. 2. c. 48. & c.

Notat S. Augustinus & Angelomus, hoc signum litteraliter significasse, retexendam esse telam vitæ regi Ezechiæ. Tropologicè, conuertentibus se cum Ezechia ad Deum per pœnitentiam, redditum iri pristina merita & gratiam. Allegoricè, Christum in passione totis decem lineis, id est, summè, infra nouem choros angelorum, & decimum hominum, descendisse: rursumque inde longè altiùs ascendisse ad Patrem. Denique Nota, Herodotum quoque in sua Euterpe mentionem fecisse tum cædis Sennacheribi, tum solaris huius prodigij, sed veris multa falsa permiscuisse, vt ait Iosephus.

Ioseph. l. 10. Antiq. c. 1.

℣. 12. *Berodach*] Isaiæ 39. *Merodach* vocatur, filius *Baladan*. Hic enim parens eius, cùm adhuc priuatam degeret vitam, *Baladan* vocabatur : sed cùm prorex Babylonis à rege Assyriorum constitueretur, dictus est *Nabon-Assar*, à quo nomen sumpsit celebris *æra Nabon-Assarij*. Huius nepos & successor Ben *Merodach* occasione prostrati Sennacheribi, cui vectigalis factus fuerat, excussit iugum Assyrium, seque suumque regnum Babylonicum rursus in libertatem asseruit. Et ideo iam ad Ezechiam, quem norat hostem quoque esse eiusdem Assyrij tyranni, solemnem hanc legationem mittit. Paulatim verò in tantam creuit potentiam, vt paucis pòst annis ab excusso iugo Assyrio, Assyrium ipsum imperium, deuicto Assar-Haddone non parum labefactarit.

Chron. c. 33. & 34.

CAPVT XXI.

Propter abominanda scelera Manassis praedicit Deus se Iudam quoque ac Ierusalem deleturum. Mortuo succedit Amon. Cui à seruis occiso succedit Iosias.

℣. 7. IDOLVM *luci*] Id est, idolum, quod antea colebatur in luco à Manasse constructo, transtulit è luco publico, & *posuit in templo Domini*. Erat idolum istud, qualecumque fuerit, luco minore ex argento, ligno, vel ære, affabrè ab instar natiui luci, conflato circumdatum, vt patet ex cap. 23. v. 6. & 7.

℣. 10. *Locutus est Dominus in manu seruorum suorum Prophetarum*] id est, per Prophetas suos, putà *Ioelem, Oseam, Amos, Nahum, Ionam, Abdiam, Michæam*, & præ omnibus *Isaiam*, regi Manasse sanguine & affinitate quoque iunctum, imò *socerum* ipsius: qui quòd liberiùs in impios regis mores inueheretur, ab illo ferrâ dissectus fuit, vt tradunt Hebræi. De reliquis Prophetis Isaiæ coætaneis, eamdem ob causam scribit Iosephus, *ex eorum numero per singulos dies aliquem supplicio affectum fuisse à Manasse*. Porrò scelerum illius farraginem habes fusiùs expressam 2. Paralip. 33. vti & pœnam subsecutam, nempe captiuitatem Manasse, & abductionem in Babylonem. Seriam deinde eiusdem pœnitentiam, & restitutionem in regnum : restitutionem quoque cultus per eumdem diuini, & omnis impietatis exstirpationem : denique longum & felix regimen, & mortem felicem graphicè ibidem descriptam habes. Sub hæc tempora, reducto iam Manasse è carcere Babylonico, contigisse historiam Iudith existimat Cardinalis Bellarminus, Serarius, Bonfrerius & quidam alij.

Ioseph. sup. c. 4.

Bellarm. to. 1. l. 1. c. 12., Serar. in Iudith 1. q. 2. Bonfrer. post Pentateuchum.

℣. 13. *Extendam super Ierusalem funiculum Samariæ, & pondus Domus Achab*] id est, eamdem mensuram, idem genus pœnæ. Sicut enim eadem fuerunt vitia *Samariæ*, seu decem tribuum Israelis, & *Ierusalem* seu tribus Iudæ & Beniaminiæ, idcircò idem etiam vtrisque exitium minatur. Metaphora sumpta à fabris vtentibus perpendiculo, seu filo quod extenditur pondere plumbeo, vt iuxta normam & mensuram ædificent, vel restaurent. ità Caietanus. Aliâ simili metaphora desumpta à ceratis tabulis, subdit: *Delebo Ierusalem, sicut deleri solent tabulæ: & delens vertam, & ducam crebriùs stylum super faciem eius.* Solet enim stylus, qui olim pro calamo erat, vna parte acutus esse, & notas in cerata tabula exarare : altera verò parte obtusior & latior; qua, si scripta minùs probarentur, subitò delebantur, complanata cera, vt rursus nouæ notæ vel imagines induci possent. Quòd si vox vna alterave, vel breuis versus obcæcandus esset, semel inducebatur aduersus stylus : si plures versus, sæpiùs, donec deletis omnibus litteris; pura restitueretur tabula. Quod sanè accidit in hac Ierosolymæ vastatione, in quam hostilis primùm inductus est stylus, quando Babylonius rex captiuum inde Manassen (*a*) regem cum magna nobilitatis parte in carcerem Babylonicum abduxit. Secundò, quando Pharao Nechao, occiso Iosia rege, regem Ioachaz (*b*) in Ægyptum misit exulatum cum suis. Tertiò, & Quartò, quando Nabuchodonosor nunc Ioakimum (*c*) subiugauit, nunc Ioachinum (*d*) eius filium & successorem in Babylonem abduxit cum aliis decem millibus nobilium & militum, & octo millibus opificum captiuis. Quintò, quidquid reliquum fuerat, erasit funditus idem Nabuchodonosor anno vndecimo Sedeciæ, quando & vrbem & templum (*e*) flammis exussit, & incolas omnes in Chaldæam captos transmisit.

a 2. Par. 33. v. 11.
b c. 23. v. 33.
c ibid. & c. 24. v. 1.
d c. 24. v. 14. 16.
e c. 25. v. 9. &c.

℣. 18. *Et sepultus est in horto Oza*] Nam loco nomen fecerat infelix casus Oza sacerdotis, ob extensam temerè manum in arcam fœderis, morte mulctati, 2. Reg. 6. v. 8. Hic locus Ierosolymæ vicinus erat, & iam regiis hortis adiunctus : vbi Manasses redux Babylone, mausolæum sibi construxerat, dignum regio cadauere : in quo mausolæo tam ipse, quàm filius eius *Amon* sepultus fuit. Porrò *Amon* iam rex creatus maluit parenti suo iuueni, & in omnem impietatis turpitudinem abiecto similis esse, quàm eiusdem senis & resipiscentis vestigiis inhærere. Fortè etiam, quod ait Glycas, animo sic constituerat: *Pater meus à puero multa scelerata fecit, ac in senecta pœnitentiam egit : quare & ego in hac ætate pro animi libidine me geram, & deinceps ad Dominum me conuertam.* Et hæc præsumptio illius videtur mouisse Deum, ne perinde exspectaret pœnitentiam ipsius, atque exspectarat pœnitentiam Manassis, quia paternis calamitatibus, & domesticis exemplis nullo modo melior aut prudentior euaserat: hinc iusta Numinis vindicta ipso in pæne regni sui limine exstinctus est, cùm biennio solo regnasset, & violenta seruorum manu de medio sublatus est.

CAPVT

A

CAPVT XXII.

Iosias diuinum cultum instaurat. Reperto fortè libro Deuteronomij, prædicta in eo pœnis & minis territus, ex Prophetide audit, ipsius tempore mala illa super Iudam inducta non iri, sed eo defuncto omnia certò obuentura.

℣.7. NON *supputetur eis argentum*] Idem est quod cap.12.vers.15. dixerat *Ioas* rex, *Non fiat ratio hu hominibus*, id est, ne cogantur quæstores reddere rationem accepti vel expensi, sed credatur ipsis per omnia. Vide ibidem exposita reliqua huius capitis ad sarta tecta templi spectantia: nam Ioæ vestigijs institit Iosias, & eumdem quem ipse tunc præscripsit, etiam nunc seruari modum iussit in instaurandis quæ diruta vel corrupta fuerant.

℣.8. *Librum legis*] putà *Deuteronomium*, vt censet Chrysostomus: vel etiam reliquos Pentateuchi libros, vt vult Iosephus: qui addit, repertos inter promendum aurum ex gazophylacio. Sed R. Salomon, quem citat & sequitur Lyranus, vult omnes libros legis combustos iam pridem fuisse ab impio Achaz, vt omnes impietatis suæ testes & syndicos amoueret, qui ipsum violatæ legis diuinæ, & abiuratæ patriæ religionis arguere possent: cùm verò sacerdotes aliqui religiosiores nollent legem diuinam sic ex hominum memoria prorsus perire, libros legis in muro templi hinc inde perfosso, id est in secretis loculamentis, abscondisse: quæ iam per cæmentarios, dum sarta tecta instaurant, aperta, & libri in lucem producti fuerint.

Chrysost. homil.9. in 2.Matth. & homil.in 1.Cor.2.

℣.11. *Scidit vestimenta sua rex, cum audisset verba libri Legis Domini*] v.g. minas Deuteron.28. & Leuit.26. quæ meritò terreant legentem, & tinnire faciant ambas aures.

℣.14. *Ierunt ad Holdam*, aliàs *Oldam*, *Prophetidem uxorem Sellum*] sed tum verosimiliter viduam, vel saltem toro viri iam abstinentem. Nam quæ toro adhuc vterentur (vnà demptà Annà Samuelis matre, 1.Regum 2.v.20.) nullas legimus spiritu prophetico afflatas. Certè quatuor Philippi filiæ Actorum 21. virgines erant. De Sibyllis, aliisque Gentilium vatibus idem docet S. Hieronymus. Debboram, quo tempore prophetauit, Iudicum 4. viduam fuisse affirmat S. Ambrosius. Elisabetham à conceptu Ioannis Baptistæ, toro marti abstinuisse, putat Sanctius. & ita de reliquis.

Hieron. l.1. adu. Iouinian. Ambr. l.de Viduis.

Porrò hæc nostra *Holda* Prophetissa *habitabat in Ierusalem in secunda*, scilicet *parte ciuitatis*, q.d. In secunda seu exteriore ciuitate: quam nempe secundus & extrarius murus vallabat ad munitionem ciuitatis obductus ab Ezechia rege, 2. Paralip. 32. v. 5. S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis. Alibi tamen *secundam* mauult *portam* exponere, nempe quę erat in illo secundo ciuitatis muro. Sed eodem redit. Domicilium verò Prophetidis idcircò videtur sacer scriptor voluisse hîc exprimere, vt causam haberemus cur ad illam potiùs missum fuerit à rege, quàm ad *Ieremiam*, vel *Sophoniam*, vel alium quempiam eo tempore florentem Prophetam. Nempe, *Holda* vicina erat, eiusdem vrbis incola, & omnibus notissima: alij vel vrbe aberant, vel necdum innotuerant. Reliqua huius capitis vide 2.Paralip.

Hieron. in Sophoniæ 1. v.10.

CAPVT XXIII.

Iosias innouat fœdus Deum inter & populum: Pascha celebrat maxima solemnitate à rege Ægypti in Mageddo vulnerato. Mortuo ipso, statuit populus Ioachaz filium natu minorem: sed Pharao eum captiuum abstulit in Ægyptum, regno Iuda tradito seniori filio Eliacim, quem Ioakim nominauit.

℣.3. SETIT *rex* Iosias *super gradum*] 2.Paralip. 34. v. 31. dicitur stetisse *in tribunali suo*: quod, vt dixi cap. 16. v. 18. vocabatur *Musach sabbathi*: quod ex interiori sacerdotum atrio, in quod *Achaz* illud inuexerat, ad exterius atrium iubente *Ezechia* iam reductum erat in locum stationis regis ordinarium.

℣. 4. *Sacerdotes secundi ordinis* hîc vocantur principes sacerdotum, qui à summo pontifice seu *primo* sacerdote *secundi erant*, & præerant reliquæ turbæ sacerdotum per 24. classes distributorum.

℣. 6. De simulacro *luci* vide cap.21. vers.7. Huius idoli & luci flammis absumpti *cineres* sparsit super *sepulchra vulgi*, id est, in locum vbi vulgares homines tumulari solebant: qui erat *in conualle Cedron*, cuius pars vna vocabatur *Topheth*, de quo mox vers.10.

℣. 7. *Effeminati* quinam fuerint dixi 3. Regum 14. vers.24. Quorum turpitudini in loco sacratissimo saltem ad speciem tegendæ, texebant meretrices seu ex filis, seu ex ramis opertoria quædam instar tentoriorum vel *domunculorum* siluestrium, vt in templo lucum aut siluam, si non natiuam, saltem factitiam haberent, ad sua scelera quadantenus tegenda.

℣. 9. *Sacerdotes excelsorum*] Id est, qui ex posteris Aaron, impuris sacris operam aliquando dederant *in excelsis*, iam conuersi *non* permittebantur *ascendere ad altare Domini in Ierusalem*, nempe ad sacrificandum. Ne tamen omnibus vitæ necessariis destituerentur, permissum fuit vt *in medio fratrum suorum*, id est, inter reliquos Aaronis posteros, *comederent azyma*. Synecdochicè species pro genere, q.d. Participes essent omnium eorum, quibus alij sacerdotes vesci poterant. Simile habes Ezech. 44. v.10. de Leuitis, qui in Bethel aureis vitulis sacrificarant.

℣.10. *Moloch*] Idolum hoc erat Ammonitarum: idemque quod *Melech*, id est rex, quia erat forma regis. Huic idolo Iudæi per fœdam mollitiem semen humanum, per abominabilem idololatriam filios suos filiasque in holocaustum viuas offerebant. Siquidem cauæ æneæ statuæ, sed intus ab igne substructo candenti puerulos in manus dabāt, sacerdotibus interim psallentibus altissima voce, tubisque tympanisque (vnde & loco nomen *Topheth*, id est *tympanum*, hîc & Isaiæ 30. v. vltimo) perstrepentibus, ne miserorum puellorum eiulatus audiri posset à parentibus vel affinibus, quibus persuadebant, infantes hac via à diis ad æthera rapi. Porrò *Topheth* istud, & infernalis carnificina erat in *Ge-Ennon*, id est *valle Ennon* veteris cuiusdam Iebusæi, quę pars est vallis *Cedron*. Vnde *gehennæ* nomen desumptum ad infernum designandum: nam crudelis illa laniena, & horrendum incendium typus erat tormentorum infernalium. ita S. Hieronymus, Abulensis & alij. Quis deorum hoc idolo repræsentatus fuerit, dixi 3. Regum 11. v. 5.

Ioſue 15. v.8.

℣.11. *Abstulit*, & publicis vsibus reddidit, *equos*, Persarum deo *Soli* à regibus Iuda deuotos. Sicut enim *tauri* Ioui, sic *equi* Soli à profanis immolabantur,

bantur, & in sacrificio flammis absumebantur, A testibus Xenophonte, Strabone & Ouidio. Hi equi stabulabantur tantisper *in Pharurim*, quod Pagninus vertit *in suburbanis*: iuxta *exedram Nathan-melech*, id est, iuxta aulam publicis concurrentium ad deum Solem colendum confessibus destinatam, cuius curam habebat *eunuchus* iste seu minister aulicus *Natan-melech*, & præerat tum curribus, tum equis Soli sacris.

Xenophon l.8 Cyropæd. Strabo l. 15. Ouid. l. 1. Fastorum.

✱. 20. *Vniuersos sacerdotes excelsorum, qui erant* (in Samaria) *occidit super altaria*] Sic enim de Iosia prædixerat ille Propheta, qui olim ad corripiendum Ieroboamum, à Deo missus fuerat in Bethel 3. Regum 13. vers. 2. Sed hinc patet Primò, post abductas decem tribus in Assyriam, remansisse nihilominus, aut certè ex latebris reuertisse in Samariam & Bethel plures ex genere Israelitico cum suis sacerdotibus & sacrificulis, quos hîc B *Iosias* ferro iugulatos, loco brutarum victimarum, in suismet profanis altaribus immolauit. Secundò, *Iosiam*, collapso iam Assyrio imperio, *Samariam, Bethel*, & alias antea *Israelitarum vrbes*, seu vi, seu vltronea deditione redegisse in suam potestatem: neque enim aliàs potuisset tam liberè in illas vrbes sæuire.

Chron. c 33. in Cyaxare & c. 34. in Nabo-Pol Assare.

✱. 22. *Nec factum est Phase tale à diebus Iudicum*] Non est hic sermo de immolatione solius agni Paschalis 14. lùna ad vesperam: quia certum est, abductis iam in Assyriam decem tribubus, pro ratione capitum tum Ierosolymæ præsentium longè tenuiorem fuisse, multoque minori numero agnorum Paschalium immolationem, quàm fuerit omnibus anteactis tot sæculorum annis, cùm omnes duodecim tribus ad illius agni immolationem concurrerent. Sed *Phase* hîc vocatur illa omnis hostiarum copia, quæ totis septem azymorum diebus offerebantur Deo, & pleræque spontanea & C libera oblatione. Vti hoc anno Iosias obtulit pecorum *triginta millia*: & alij principes pro rata, vt habes 2. Paralip. 35. Ex quo loco elucidatur istud Ioan. 18. v. 28. *Ipsi* principes sacerdotum *non introierunt in prætorium* Pilati Gentilis hominis, *vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha*, id est, sacrificia quæ septem illis azymorum diebus immolabantur: nam agnum Paschalem iam pridie comederant, vt est communis sententia.

✱. 25. *Similis illi* (Iosiæ) *non fuit ante eum rex*] Quomodò id verum sit, dixi cap. 18. v. 5.

✱. 29. *Ascendit Pharao contra regem Assyriorum*] & quidem iubente ac mittente Deo, vt dicitur 2. Paralip. 35. v. 21. & 22. Ii qui putant historiam Iudith contigisse tempore Manassis regis, putant hunc *regem Assyriorum* eumdem fuisse qui Iudith 1. & sequentibus capitibus vocatur *Nabuchonosor*, qui ob deuictum *Arphaxat* regem Medorum factus D insolentior, non solùm rebellis factus fuit regi Babylonio, cui videtur fuisse cognatus (vt dixi in Chronico.) sed insuper omnia alia Orientis regna suo voluit vnius imperio subiicere. Verùm fractus à Iudæis per Iuditham, ab aliis dein, & nominatim ab Ægyptiis & Chaldæis, lacessitus & pluries attritus, iterum Babylonio iugo collum subdere coactus est. Fortè tamen probabilius est per *regem Assyriorum* non alium hîc intelligi quàm *regem Babylonis*, vt colligi videtur ex cap. 24. vers. 7.

Chron. c. 33.

✱. 30. *Tulit populus terræ*, plebs nempe promiscua, *Iochaz filium Iosiæ*] alio nomine vocatum *Sellum* Ieremiæ 22. vers. 11. & *Iechoniam*, Esdræ 3. c. 1. v. 34. Hunc 23. annorum iuuenem videtur populus ideo præposuisse *Eliacimo* fratri eius seniori qui annum 25. iam excesserat, quia magis strenuus & acrior futurus credebatur aduersus recentem hostem regem Ægypti. Sed in suos magis sæuiit hic leunculus, quàm in hostes, à quibus trimestri pòst prælio victus, captus & in Ægyptum adductus est, vt hîc habes v. 33. & Ezech. 19. v. 3. & 4. & Ierem. 22. vers. 11.

CAPVT XXIV.

Ioakim subiugatur à Nabuchodonosore rege Babylonis. Defuncto succedit filius Ioachin, qui vltrò se suosq; dedit Babylonio, à quo translatus est Babylonem, suffecto ei Sedecia patruo illius.

✱. 1. IN *diebus eius*] Putà *tertio anno* Ioakim iam completo, Dan. 1. v. 1. & anno quarto inchoante, Ieremiæ 25. v. 1. *ascendit Nabuchodonosor rex Babylonis*, anno primo regni sui: *& obsedit* (*a*) *Ierosolymam*, & capta vrbe *vinctum* Ioakim (*b*) *catenis duxit in Babylonem*, cum Daniele, (*c*) eiusque soeiis & aliis pluribus *de semine regio*. Sed supplex tyranno factus mox à vinculis exsoluitur Ioakim, & libertati regnoque suo redditur: nobilibus Babylone pro obsidibus relictis. Ioakim redux Ierosolymam iam *seruus*, id est subditus & tributarius, regi Babylonis, tribus annis ex fide tributum nec pluribus pependit. Quod cùm grauiter ferre Babylonius, neque tamen bellis aliis implicitus ipse in Iudæam recurrere posset, misit nihilominus quantas potuit copias ex *latrunculis*, id est militibus (vt dixi 2. Reg. 4. vers. 2.) *Chaldæe, Syriæ, Moab & Ammon* raptim collectas, à quibus subinde variis cladibus affecti Iudæi; denique finiente anno vndecimo (*d*) regni Ioakim, planè subacti, & rursum seruituti subiecti sunt, rege Ioakimo morte infami sublato, & *cadauere* illius *sepultura asini* (*e*) *sepulto, & extra portas Ierusalem proiecto* (vtique à Chaldæis) *ad æstum per diem*, (*f*) *& ad gelu per noctem*, ibidemque *putrefacto*. (*g*) ita ferè Iosephus, Comestor, Dionysius, Caietanus, Hugo, Vatablus, Barradius, Emanuel Sà, Serarius & Sanctius. De sceleribus Ioakimi vide Ieremiæ 22. v. 13. & sequentibus.

a *Dan. 1. v. 1.* b *2. Par. 36. v. 7.* c *Dan. 1. v. 3. &c.* d *4. Reg. 23. v. 36.* e *Ierem. 22. v. 19.* f *Ierem. 36. v. 30.* g *Ierem. 22. sup. Ioseph. l. 10. Antiqu. c. 3.*

✱. 6. *Et regnauit Ioachin filius eius pro eo*] iure ad se deuoluto sceptro. Sed non placuit regi Nabuchodonosor, vt filius parenti tam indignis modis à Chaldæis tractato, paternarum verisimiliter iniuriarum futurus vltor succederet. ita Iosephus. Eodem ergo *tempore illo*, nempe *octauo* (*h*) *anno regni Nabuchodonosoris*, cùm *Ioachin*, qui & *Iechonias* nonnisi *trimestri* (*i*) regnasset, cum infestis copiis iterum *Ierosolymam* (*k*) Babylonius recurrit. Sed Ioachin diffisus viribus suis, & persuasus à *Ieremia* Propheta, noluit incertam belli aleam experiri: & *egressus* (*l*) obuiam Nabuchodonosori seipsum sucsque, suaque omnia vltrò illi dedidit; ea tamen conditione, vt ait Iosephus, ne quid mali inferret seu vrbi seu ciuibus. Verùm Nabuchodonosor putauit magis expedire rebus suis, si regem Ioachin cum vniuersa aula & nobilitate, omneque ciuitatis robur in Babyloniam deuecheret, & vrbem Ierosolymam à ciuium splendore nudam, fabrorum aliorumque artificum & *cluforum*, seu, vt est apud Ieremiam, *incluforum*, id est, claudentium castra, & metantium, & vallis fossisque cingentium, quos *metatores* iam, vel *architectos*, vel *ingeniarios* vocamus ope & industria spoliatam, omnique robustiorum militum præsidio destitutam relinqueret.

h *Hic v. 12.* i *v. 8.* k *v. 10.* l *v. 12.* *Ioseph. ibid.* *Ierem. 4.*

Sicut

Sicut enim olim 1. Regum 7. & 13. cauerant Philisthęi, ne Hebræi vllos haberent penes se fabros ferrarios, qui gladios, lanceas, aliaue arma ad rebellandum cuderent: ita nunc sagunt Chaldæi, vt nullus in Iudæa maneat faber, nullus artifex, nullus architectus, qui vel mœnia vrbium aut arcium componere vel arma aliaue instrumenta bellica conficere posset, inquit Angelomus.

℣. 17. *Et constituit Matthaniam patruum eius* regem *pro* Ioachino: &, quod suprema in alium potestatis, & planè paternæ auctoritatis est, *Matthaniæ* nomen mutauit, & *Sedeciam* vocitari iussit: quod idem valet, atque *iustitia Dei*. Quo nomine præmonuit & quasi præsagiit Nabuchodonosor, in rege Iudaico, si à fœdere & iurata fide deflecteret, exemplum statutum iri diuinæ iustitiæ: quod reuera contigisse sequ. cap. patebit.

CAPVT XXV.

Sedecias rebellio Nabuchodonosori, ab eo obsidetur, expugnatur, capitur, excæcatur, occisis coram eo filiis omnibus, & vinctus in Babylonem abducitur cum reliquo populo. Templum, omniaq; palatia vrbis flamma absumuntur, mœnia solo æquantur. Godolias plebecula reliqua præfectus occiditur ab Ismaele. Rex Ioachin Babylone mortuo Nabuchodonosore exaltatur.

℣. 2. CLAVSA *est ciuitas atque vallata*] Tamen ad tempus interrupta fuit obsidio, Pharaone ex Ægypto cum innumeris copiis in Iudæam aduersus Nabuchodonosorem excurrente, & Chaldæis, intermissa tantisper obsidione Hierosolymorum, Ægyptio obuiam profectis, vt habes Ieremiæ 37. v. 4. Sed exiguum respirandi spatium fuit, Pharaone (vt ibidem v. 6. prædicitur) præmetu in Ægyptum recurrente, & Chaldæis ad intermissam obsidionem mox reductis.

℣. 3. *Præualuitq; fames in ciuitate*] vsque eò vt & parentes (*a*) carnibus filiorum vescerentur, & filij (*b*) carnibus parentum.

(a) Thren. 4. v. 10. & Baruch 2. v. 3.

℣. 4. *Et interrupta est ciuitas* crebris ictibus arietum & catapultarum hostium.

(b) Ezech. 5. v. 10.

Fugit itaque Sedecias.] media nocte inquit Iosephus, cùm iam in vrbem irrupissent Chaldæi. Sed transfugarum indicio proditus, desertus à suis, ex fuga retractus, *in Rablatha ad regem Babylonij* adductus est. Hic v. 21. & cap. 39. Ieremiæ v. 5. *Reblatha* dicitur esse *in terra Amath*, quæ teste S. Hieronymo, eadem est quæ *Antiochia Syriæ*, seu *Epiphania*, ab Antiocho Epiphane sic postmodum nominata: estque in confiniis Iudææ, qua via eò descendendum ex Chaldæa. Ibi enim cum magna parte copiarum hærebat Nabuchodonosor, vt propriùs absens à Chaldæa, si quid ibi fortè turbarum moueretur, faciliùs commodiusque occurreret: simul etiam vt ex pingui vicinia, commodius de supplemento militum, & commeatu necessario suis Hierosolymam cingentibus præuideret.

Ioseph. l. 10. Antiq. c. 11.

℣. 6. *In Reblatha* adducto Sedecia, *Rex Babylonis locutus est cum eo iudicium*] id est, curauit solemni iudicio disceptari diiudicarique eius causam, & quid supplicij commeruerit, publicè pronunciari.

℣. 7. *Filios* ergo *Sedeciæ*, quibus nihil illi carius erat, iussit in conspectu parentis omnes iugulari. Vbi verò parentis oculos tam acerbo spectaculo pupugit, mox stylo ferreo eosdem illi oculos expunxit, & vinctum catenis in Babylonem abduxit. Scribit Iosephus, Sedeciam regem, postquam Ieremias Propheta prædixisset, (*c*) *adductum iri* illum *in Babylonem*: & Ezechiel, ipse quoque Propheta, constanter affirmaret, (*d*) numquam visurum illum Babylonem; cùm hæc duo putaret simul conciliari non posse, vtrumque vaticinium contempsisse, atque ita in rebellione, & obstinata vrbis defensione perstitisse. Nec intelligebat miser, abduci posse in Babylonem, sed oculis priùs captum, quibus illam licèt captiuus inueheretur, videre tamen non poterat. Porrò quando, aut qua morte defunctus sit Babylone Sedecias, non liquet ex S. Scriptura, quæ solùm affirmat *in carcere* fuisse *vsque ad diem* (*e*) *mortis eius*. Post mortem verò, regij funeris honore condecoratum fuisse, vt ei Ieremias prædixerat, (*f*) & Nabuchodonosorem iussisse, testatur Iosephus, & Hebræi in Seder-olam: qui addunt, inter consuetas nænias & planctus, Iudæos in funere Sedeciæ, etiam hoc miscuisse: *Heu! qui mortuus est rex Sedecias, bibens fæces omnium ætatum?* id est, luens peccata omnium superiorum ætatum, inquit Genebr.

(c) Ezech. 12. v. 13.

(d) Ezech. 12. v. 13.

(e) Ierem. 52. v. 11. & Ioseph. sup.

(f) Ierem. 34. Ioseph sup. Seder-Olam c. 28.

Genebrard. ibid.

℣. 21. *Interfecit eos*] Cur summum pontificem, aliosque hîc commemoratos interfecerit Nabuchonosor, in causa fuit, quòd regi suo Sedeciæ familiares & à consiliis fuerint, auctoresque rebellionis & violatæ fidei crederentur. Ex Threnis Ieremiæ colligi videtur, suspendio necatos fuisse, cap. 5. v. 12. *Principes manu suspensi sunt*. Erat enim istud supplicij genus Chaldæis, Persis & Medis vsitatissimum, vt patet ex patibulo Aman Esther 7. vers. 10. & litteris Darij 1. Esdræ 6. vers. 11. Alij tamen malunt, capite plexos fuisse tam hos principes, quàm filios regis, de quibus vers. 7. Porrò hic *Saraias sacerdos primus*. id est summus pontifex, pater fuit *Esdræ* & fratris eius *Iosedec*, vt dicitur 1. Esdræ 7. v. 1. & 1. Paralip. 6. v. 14. *Sophonias* verò vocatur *sacerdos secundus*, id est vnus ex sacerdotibus secundi ordinis, qui erant principes sacerdotum & capita familiarum sacerdo alium in 24. classes distributarum, vt dixi c. 23. v. 4.

℣. 22. *Populo præfecit Godoliam*] tamquam viceregem, & Chaldæis stipendiarium. Hic, (vt ex Hebræorum traditione docet Liranus) ex obsessa vrbe, ad Chaldæorum castra, hortante Ieremia transfugerat, vtilemque in multis operam præstiterat Chaldæis, vtpotè locorum peritus, & secretorum hostilium conscius. Quæ res vti fauorem ipsi apud Chaldæos, ita odium extremum apud Iudæos peperit, & intempestiuæ mortis occasio fuit.

℣. 27. *Euil-merodach rex Babylonis*, filius & successor Nabuchodonosoris, quamprimùm extinctus fuit parens, *subleuauit caput Ioachin Regis Iuda de carcere*] in quo iam 37. annos egerat. Notant ex Rabbinorum scriptis Liranus, Abulensis & Sanctius, ipsum hunc quoque *Euil-merodach* à parente in eundem cum *Ioachino* carcerem vltimo regni & vitæ Nabuchodonosoris anno, cùm hic iam sibi regnoque redditus esset, compactum fuisse, quòd cùm septennio illo, quo Nabuchodonosor maniacus cum bestiis ageret, & filius regnum administraret, multa visus fuerit in eo administrando secùs quàm parenti placeret, peccasse, forsan & parenti detraxisse, sibique de mania illius, & intempertis applaudisse. In communi ergo carcere amicitia hęc inter *Euil-merodach* & *Ioachinum* conciliata fuit. Hic *Euil-merodach* alio, & quidem proprio nomine *Baltassar* dictus fuit. vt patet ex Danielis 5. & ex nostro Chronico. *Merodach* verò commune Chaldęis regibus nomen fuit, à primo illo, qui iugum Assyriorum excussit, in re-

Chron. c. 34. & 35.

liquos successores deriuatum, sicut nomen *Pharao* apud Ægyptios, *Cæsar* apud Romanos, &c. Vide Chronicon nostrum cap. 35. in quæstione *De initio & fine septuaginta annorum Babylonicæ captiuitatis.*

LIBER PRIMVS
PARALIPOMENON.

Hieron. in Prologo priori ad Domnionem. Rabbini Moses Kimhi & Salomon. Sixtus l. 1. Biblioth. SS. Pp. Driedo l. 1. de Scriptoribus Ecclesiasticis.

HIs duobus libris Paralipomenon seu derelictorum, supplentur ex actis publicis quæ in Regum libris hinc inde deesse deprehensa sunt, vel non nisi leuiter tacta; vel quæ obscuriùs ibi dicta, magis hîc explicantur. Videntur compendium esse eorum librorum qui subinde in iisdem citantur, *verborum dierum regum Iuda*, vel *Israel.* Olim non nisi vnus liber erat, ex his duobus conflatus, inquit S. Hieron. Auctor seu compendiator putatur fuisse Esdras, eò quòd vltima verba libri 2. Paralipomenon, prorsus eadem sint cum primis Esdræ 1. c. 1. Ita plerique Rabbini, & ex iis Sixtus Senensis, Ioannes Driedo, Mariana & alij.

CAPVT I.

Genealogia ab Adamo vsque ad Abraham, & Abrahæ posteros, maximè Idumæos; quorum reges ac duces recensentur.

℣. 4. NOE, supple genuit, *Sem, Cham, & Iapheth*] Nota ex S. Hieronymo, Iosepho, Oleastro, Aria, Cornelio à Lapide, Emanuele Sà & aliis, à Iapheti primogenito *Gomer* prognatos Comaros siue Cimbros, qui nunc Dani & Holsatij dicuntur. A *Magog*, Getas & Massagetas. A *Madai*, Medos. A *Iouan*, Ionas & reliquos Græcos. A *Thubal*, Iberos, seu Tiberos, qui in *Asia* sunt iuxta Pontum *Euxinum*: ex quibus orti, & coloniâ tradu- C &tâ propagati sunt Iberi Europæi, seu Hispani. Ex *Mosoch* sunt Mosci. Ex *Thiras*, Thraces.

℣. 6. Ex *Ascenez*, orti sunt Ascanij seu Tuiscones, id est Germani. Ex *Riphath*, Riphæi & Paphlagones. Ex *Thogorma*, Phryges, seu Turcæ.

℣. 7. Ex *Elisa*, Æoles. Ex *Tharsis*, Cilices; & etiamnum Ciliciæ metropolis Tharsus vocatur, patria Apostoli Pauli. Ex *Cethim*, Cyprij & Cretenses. Ex *Dodanim*, Dodonæi in Chaonia, regione Epiri, vbi olim Iouis Dodonæi oraculum fuit, omnium apud Græcos vetustissimum. Sed fortè legendum *Rodanim*, à quo Rhodij processerint, & ita vertunt LXX. & explicant Hieronymus & Isidorus.

LXX. in Genes. 10. v. 4. & alij ibid.

℣. 8. Ex *Chus*, Æthiopes. Ex *Mesraim*, Ægyptij. D Ex *Phut*, Afri, Et *Chanaan*, Chananæi.

℣. 9. Ex *Saba*, per samech, Sabæi in Arabia Felici. Ex *Saba*, per scin, Sabæi Æthiopiæ. Ex *Heuila*, Indi. Ex *Sabatha*. Sabatheni: & sic de ceteris. Has omnes generationes ordine digestas habes in nostro Chronico c. 46.

℣. 10. De *Nemrod* vide dicta Genesis 10. v. 8. Porrò

℣. 19. *In diebus* Phaleg (quod diuisionem significat) *diuisa est terra*] Præuiderat enim sanctus pa- B rens eius *Heber*, tempore filij sui *Phaleg*, diuisum iri linguas & gentes. Vnde non ait Scriptura, diuisionem hanc factam *in ortu Phaleg*, sed *in diebus eius*, seu in decursu vitæ illius, nempe regnante & turrim Babel moliente Nemrodo. ita S. August. Dio- *In Gen. 10*
dorus Tarsensis, Liranus, Pererius & alij.

℣. 32. *Cetura concubina Abraham*] Id est, vxoris legitimæ quidem, sed minùs principalis. Hæ ducebantur sine solemni apparatu, & dote: neque ad illas spectabat administratio familiæ: neque ius hereditatis competebat illarum filiis, vt dixi Genes. 25. v. 6.

℣. 36. *Thamna Amalec*] *Thamna* genitiui casus est: quia Genesis 36. v. 12. dicitur, *Eliphaz de Thamna concubina* sua *genuisse Amalec.*

℣. 38. *Seir*, non est hîc *Esau*) licèt etiam ipse hoc nomine vocatus fuerit: (neque filius Isaaci: sed ex C alia gente *Horræus*, qui ante Esau Idumæam tenuit: cuius genealogia describitur Genes. 36. v. 20. Et hîc mentio fit illius, tantùm vt innotescat *Thamna* genus, ex qua processit *Amalec.*

℣. 43. *Isti* qui sequuntur, *sunt reges qui imperauerunt in terra Edom* cum titulo & diademate regio, *antequam esset rex super filios Israel*] id est; antequam in Israele constitutus esset aliquis cum titulo regis: nempe diu ante tempora Saulis. Sicut enim inter Israelitas primùm fuerunt duces seu Iudices vsque ad Saulem: dein reges, à Saule, vsque ad captiuitatem Babylonicam: exinde rursus duces, à Zorobabele vsque ad Machabæos. ita etiam in Idumæa republica, vt constat ex Genes. 36. primùm fuerunt D duces, vsque ad *Bale*. Dein reges, à *Bale* vsque ad mortem secundi *Adad*. Tum rursus, mutatâ reipublicæ formâ, duces successerunt.

℣. 44. *Pro Bale*, primo Idumæorum rege, regnauit *Iobab*, seu Iob *filius Zare*] non ergo hæreditaria regni successione, sed vel electitia, vel iure belli parta. Porrò hunc Iobab eumdem esse cum Iobo illo patientiæ typo, docui Gen. 36. 4. Licèt ergo *Esau* non rex, sed dux solum modò fuerit, pronepos tamen illius, *Iob*, (qui erat filius Zaræ, filij Raguel, filij Esau) regiam dignitatem obtinuit.

CAPVT

A

CAPVT II.

Genealogia Iudæ Patriarchæ vsque ad Isai patrem Dauid. fratrumq; eius ac sororum.

Chronici c. 46.

℣. 3. FVIT *Her primogenitus Iudæ, malus coram Domino, & occidit eum*] præmatura morte, in ipsa iuuentute: & fortè dæmonis interuentu: sicut contigit septenis *Saræ* maritis Tobiæ 6. Quale id fuerit Her scelus, Scriptura nusquam exponit. Sed Rabbini ex maiorum traditione dicunt, Thamaram, quam *Her* vxorem habebat, formâ pulcherrimam fuisse, cui ne gestatio uteri & dolores partus aliquid detraherent, atque ita uinus ipse Her voluptatis ex defloreſcente vxoris venustate caperet, ita cum illa consueuisse, vt ex illa consuetudine non sequeretur generatio. ita Cassianus & alij interpretes.

Cassianus collat. 8. c. 11.

℣. 7. *Achar*, id est, *qui turbauit*, vt ibidem additur, *Israel*] furto subducens aliquid de anathemate Iericho, Iosue 7. vbi *Achan* vocatur. Sic v. 9. ponitur hîc *Ram*, pro *Aram*, vt est Matth. 1. & alibi. & *Calubi*, pro *Caleb*. Frequens enim est Hebræis partem aliquam nominum propriorum seu præscindere, seu mutare.

℣. 15. *Septimum Dauid*] Quomodo septem hîc solummodo filij tribuuntur Isai, cùm ex 1. Regum 16. v. 19. constet octo habuisse? Respondet Magister Historiæ Scholasticæ, & Rupertus, Isai præter septem hîc numeratos vnum habuisse filium adoptiuum, nempe *Ionathan* filium *Samaa* 2. Regum 21. vers. 21. id est, nepotem suum ex tertio suo filio *Samma*. Fortè etiam dici posset, ex octo propriis & naturalibus filiis vnum præmatura morte sublatum in ipso adolescentiæ flore, nulla dum re gesta, quæ memoriæ mandari meretur: ac proinde silentio hîc suppressum fuisse.

Comestor & Rup. in l. 1. Regum.

℣. 34. *Sesan autem non habuit filios sed filias*] Ergo *Obolai* nomen, quod suprà v. 31. tribuitur proli *Sesani*, non est masculinum nomen sed femininum.

℣. 52. *Qui videbat dimidium requietionis*] Id est, tamquam propriam possidebat, & tam oculis, quàm pedibus vsurpabat, dimidiam partem regionis, in qua requieuerant seu quietè habitarant parentes eius: & hanc dimidiam partem hereditatis *Sobal* transscripsit filiis suis. Eadem phrasis recurrit iterum post duos versus. Et eadem phrasi dicitur de *Issachar* Genes. 49. vers. 15. *Vidit requiem, quòd esset bona* id est, (vt per epexegesin mox additur) vidit *terram* requietioni seu inhabitationi suæ assignatam, *quòd* esset *optima*. Psalmo quoque 131. v. 8. *Surge Domine in requiem tuam*. & v. 14. *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hîc habitabo*. Et alibi frequentissimè *requies* pro *loco habitationis* vsurpatur.

℣. 54. *Coronæ*, id est gloria & decus, *domus Ioab*] q.d. Præcipui familiæ istius heroes.

℣. 55. *Cinæi*, de quibus dixi Numeror. 10. & Iudicum 1. *venerunt de Calore patris domus Rechab*] Hebraicè, venerunt de *Chamath patre familiæ Rechabitarum*. Est enim nomen parentis illorum proprium; ideoque & LXX. illud retinuerunt, sed Noster quid significaret exposuit, & interpretatus est *calore*. Sic pro triplici *Cinæorum* familia habitantium in Iabes, puta *Thiratheorum, Simatheorum, & Sucotheorum*, (a) vt est in Hebræo, Noster nomina Hebraica explicans vertit *Canentes, Resonantes, & in tabernaculis commorantes*.

a Cinæi e 4. Tom. 1. in fine Cur.

CAPVT III.

Posteri Dauidis, reges Iuda, cum filiis ac filiabus.

℣. 1. IEZRAHELITIDE] Duplex erat in terra promissionis *Iezrael*, vna in tribu *Iudæ*, Iosue 15. v. 55. prope montem *Gelboe*. Altera in tribu *Manasse*, Iosue 17. v. 16. vbi occisus Naboth. (b)

b 3. Reg. 21. v. 1.

℣. 3. *De Egla vxore sua*] Id est, etiam vxore sua. Vel dic cum Sanctio, illud, *vxore sua*, per zeugma seu adiunctionem, referri ad omnes feminas præcedentes, hoc modo: *De Achinoam* vxore sua: *de Abigail* vxore sua: *de Maacha* vxore sua.

℣. 5. *Quatuor* filij *de Bethsabee*] Dices, Prou. 4. v. 3. dicit Salomon se *vnigenitum* fuisse *coram matre sua*. Quidam Respondent, Ex Dauide vnigenitus fuit; vnde & vltimo loco hîc numeratur. Nam tres priores susceperat Bethsabee ex priore suo marito *Vria* Hethæo: sed illos Dauid ad compensandã misellis iniuriam adempti parentis, sibi adoptauit, inquit Mariana. Sed verisimilius Salianus cum pluribus aliis à se citatis, censet, omnes hos quatuor ex Bethsabee & Dauide procreatos fuisse: & Salomonem istic vocari *vnigenitum*, id est *vnicè dilectum*, vt ibidem transtulerunt LXX. Alioqui *Nathan*, ad quem Christi genealogiam Lucas deducit, non fuisset filius Dauidis, sed Vriæ. Denique filiolus ex adulterio Bethsabee susceptus, impedit quo minùs Salomon absolutè dici possit vnigenitus fuisse matri suæ, etiam ex Dauide. Porrò *Bethsabee* parens, hîc *Ammiel* vocatur, 2. Regum 11. vers. 3. dicitur *Eliam*, nempe binomius erat, ita Emanuel Sà.

℣. 15. *Primogenitus Iosiæ Iohanan*, ad regni solium non ascendit, fortè viuo adhuc patre decessit. *Secundus Ioakim* ætate: sed in regno præcessit illum qui hîc quarto loco numeratur *Sellum*, vt patet Ieremiæ 22. v. 11. qui alio nomine *Ioachaz* dicebatur, 4. Regum 23. v. 30. itemque *Iechonias*, lib. 3. Esdræ cap. 1. Hic cùm toto biennio iunior esset *Ioakimo*, prælatus tamen à populo fuit ob causam quam dixi 4. Regum 23. vers. 30. Nempe 25. (c) ætatis annum agebat *Ioakim*, cùm *Ioachaz* seu *Sellum* sub idem tempus non ageret nisi 23. (d) Omnium iunior erat *Sedecias*: nam, inchoante regnũ *Ioakimo* iam 25. annorum, ipse non nisi decimum excesserat ætatis annum: nam vndecim pòst annis, cùm succederet Ioakimo, loco filij illius Ioachini, non erat nisi viginti & vnius (e) annorum.

c 4. Reg. 23. v. 36.

d ibid. v. 31.

℣. 19. *De Phadaia orti sunt Zorobabel & Semei*] Hic *Zorobabel* non est iste qui Matthæi 1. recensetur in genealogia Christi, sed patruelis illius: nam iste genitus est ex *Salathiele*, vt ibidem dicitur; hic verò ex *Phadaia* fratre Salathielis. Nisi malis dicere, vnum eumdemque, naturâ fuisse filium *Phadaiæ*, adoptione *Salathielis*; cuius, eò quòd sterilis esset, nulli hîc filij recensentur. Sed tunc consequenter dicendum erit, aliquem filiorum Zorobabel, qui hoc & sequenti versu recensentur, cognomen habuisse *Abiud*: nam hic Matthæi 1. inter progenitores Christi ponitur filius *Zorobabelis*. Quod de *Hanania* suspicatur Mariana & alij quidam, eò quòd inter omnes Zorobabelis filios, huius solius posteri hîc recensentur. Sed malim ego priori sententiæ adhærere, quæ duos Zorobabeles distinguit. Et ita sentit Sanctius.

e 4. Reg. 24. v. 18.

Petes. Quo modo *Iechonias* dicitur hic pater fuisse Salathielis, & tot insuper aliorum filiorum, cùm Ieremiæ 22. v. 30. vocetur *vir sterilis*? Respondeo, Sterilis fuit non respectu omnis prolis aut seminis

(nam

(nam ibidem v.28. dicitur *ipse & semen eius proiecti in terram* Babylonis) sed respectu *prolis regiæ & seminis regalis*, seu quod regnum obtineat paternum. Sic enim sese explicat ibidem Ieremias, cùm dicit ita sterilem futurum, vt *non* sit *de semine eius* futurus *vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltrà in Iuda.*

CAPVT IV.

Posteri Iudæ ac Simeonis Patriarcharum: eorumdemque victoriæ & præclara gesta.

¶.1. NOmen *filij* in his capitibus non semper propriè sumitur, sed sæpe pro *posteris*: nam *Esron* nepos fuit Iudæ, *Charmi* fuit pronepos: & sic de ceteris. Tantùm enim intendit hic sacer scriptor commemorare quinam ex quaque familia insignes fuerint seu virtute, seu prolixa posteritate. Pari modo neque nomen *patris* semper propriè accipitur, sed subinde pro principe: v. g. *Hur* v.4. vocatur *pater Bethlehem*: *Assur* v.5. *pater Thecuæ*: v.14. *Ioab, pater Vallis artificum*, id est *princeps* loci sic nominati.

¶.8. *Cos* (vt ex affinitate nominis apparet) idem videtur esse cum Cenez vers. 13. frater Ethnani, pater Iephone v.15. auus Calebi secundi & Othonielis vers.13. vnde vterque à communi auo dictus fuit Cenezæus. vt dixi alibi. (*a*)

a *Num.32. v.12.*

¶.9. *Iabes* significat *dolorem*. Quo nomine voluit filium mater vocari, eò quòd exequisitissimis doloribus partus illum enixa esset. Quis hic *Iabes* fuerit, non constat: sed neque quis pater illius, quis auus: solùm constat, ex posteris Iuda fuisse, ac præ contribulibus suis inclytum & præclarum. Verisimile autem est filium fuisse Arum, fratrem Aharelis v.8. & Othonielis v.13. nepotem Cenez seu Cos, de quo suprà.

¶.15. *Caleb filij Iephone*] Quo sensu id verum sit: itemque quis fuerit hic *Caleb* & *Othoniel*, dixi *Chron.c.46. in genealog. Iuda.* Numeror.32.v.12. & in Chronico.

¶.21. *In domo iuramenti*] Hebraicè *Esbaa*: estque nomen proprium: Sed Noster pro nomine proprio significationem nominis posuit, vti sæpissimè facit his decem primis huius libri capitibus. Simili modo:

¶.22. *Qui stare fecit*, supple *Solem*, significatio est nominis proprij *Iockim*. Sic *viri Mendacij*, pro *viris* oppidi *Cozeba*. Rursum *Securus & Incendens*, pro *Ioas & Seraph*. Hi enim quatuor fuere principes ex posteris Iuda per *Selam* propagatis, qui peregrinati fuerunt in *Moabitica* regione, fortè cum *Elimelech & Noemi*, Ruth 1. occasione famis in Iudæa: *sed reuersi sunt* postea in *Lahem*, seu *Bethlehem*. Nam Hebræi sæpe partem alteram nominum proprio- *Prolog. de Idiotism. Hebræor. n. 17.* rum abijciunt, vt vidimus suprà cap. 2. v. 9. *Ram*, pro *Aram*. Et Ruth 1. vbi Noëmi & Ruth simili modo reuersæ dicuntur *in Bethlehem*, hebraicè est, *in Lehem*. Et 1.Paral.20.v.5. vbi Adeodatus vocatur *Bethlehemites*, hebraicè est *Lehemetes*. Et Ieremiæ 22.v.24. *Iechonias* rex, in Hebræo vocatur *Chonias*. Ex his clarissimè patet, fabulosum esse, quod *Hieron. in Tradit. Hebraicis. Feuard. in c.1. Ruth. Alij hic.* S. Hieronymus, Dionysius, Hugo, Liranus, Feuardentius, Abulensis, & Glossa Ordinaria, ex Hebræorum somnijs tradunt, ad preces *Elimelechi*, vt suos Bethlehemitas conuerteret, *stetisse solem* vt steterat tempore Iosue. Nam *Iockim* nomen proprium est, & significat *stare fecit*, sed non *solem*, cuius neq; mentio est in Hebræo: neque videtur ad Latinum textum adiungi debere: forsan ab aliquo sciolo ad marginem primò, deinde etiam in textum insertum fuit. Certum de Elimelecho nullam hîc mentionem esse, vbi de quatuor illis agitur, qui è Moabitide *in Bethlehem reuersi sunt*: Atqui constat ex Ruth 1. Elimelechum in Moabitide defunctum esse neque vnquam *in Bethlehem reuertisse*.

¶.40. *De stirpe Cham*] nempe Chananæi, posteri *Chami*. Cùm enim sentirent Simeonitæ se nimis angustis finibus arctari, Chananæis è vicinia, vbi hactenus substiterant, vi submotis, eorum vrbes & agros & pascua sibi vindicarunt initio regni Ezechiæ, vt hîc dicitur versu sequenti. Sed amplificatis ita finibus non diu vti potuerunt: nam anno sexto regni Ezechiæ, captâ Samariâ, tribus Simeonis cum reliquis nouem Israelitarum tribubus captiua in Assyriam abducta est, 4.Regum 17. v.6. & c.18.v.10.

CAPVT V.

Posteri Ruben, Gad, & dimidia tribus Manasse. Qui etiam Ismaelitas expulerunt propriis sedibus, tempore Ioathan regis Iuda: sed tandem ob idololatriam ab Assyriis in captiuitatem abducti sunt.

¶.2. PRIMOGENITA Ruben *reputata sunt Ioseph*] Id est, duplo maior pars hereditatis paternæ, quàm cuius aliorum fratrum obtingeret, quæ Rubeno iure natiuitatis primogenito debebatur, propter incestum sublata illi, & fratri eius Iosepho concessa est. Fuit verò duplex illa portio à Iacobo consignata Iosepho, partim in proprio peculio & parua sua hæreditate, quando Genes. 48. v. 22. ait Iosepho, *Do tibi partem vnam extra fratres quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Partim in communi & magna hereditate, id est in terra cælitus ipsi promissa, quando ibidem vers. 5. duos filios Iosephi Ephraimum & Manassen sibi in immediatos filios adoptat: nam eo ipso duas sortes, seu ex duodecim partibus terræ promissæ duas portiones vni Iosepho consignat. Porrò *duplex* illa *portio* hereditatis cedebat olim primogenito, Primùm solo nutu & voluntate parentum, & quia consonum id videbatur rectæ rationi. Deinde consuetudine, & quasi communi nationum consensu. Denique etiam lata lege Hebræis Deut. 21. vers.17. *Dabit ei* parens *de bu quæ habuerit cuncta duplicia: iste est enim principium liberorum eius, & huic debentur primogenita.* Sed præter duplicem illã hereditatis portionem debebatur primogenito etiam locus primus inter fratres, & quasi *dominium* in illos & *regnum*: vt patet ex benedictione Isaac Genes.27.vers.29. *Seruiant tibi populi, & adorent te tribus: esto dominus fratrum tuorum & incuruentur ante te filij matris tuæ.* Hoc verò dominium & regnum Rubeno ablatum, & concessum partim Iudæ, partim Iosepho, vt dixi Genes.49. v. 3. Denique præteriam dicta pertinebat quoque ad primogenitum ante legem Mosaicam *dignitas sacerdotalis*, vt docet S. Hieronymus, S. Thomas, & reliqui Doctores. Hæc dignitas translata fuit in *Leui*, quando solus Aaron eiusque posteri iussi sunt sacerdotio fungi in Israele. *S.Hieron. ep. 26. ad Euagrium. S.Tho. 2. q.100. a. & in epist. ad Hebr.*

¶.8. *Bala* pronepos *Ioel*, magnus & potens fuerit oportet, quando dominatus fuit ab *Aroer* vrbe totius terræ promissæ maximè Orientali, Deuter. 2. & Iosue 13. *vsque ad* montem *Nebo* qui adiacet Iordani, Deuteron. vltimo.

¶.12. *Ioel in capite*] Id est, caput & princeps, (vt est in Hebræo & Græco) totius tribus *Gad* fuit *Ioël*: qui sequuntur, secundas, tertias & quartas

partes

partes tenuerunt. Erant hi non filij, sed nepotes Gad, vt patet Genes. 46. v. 16.

¥. 17. *In diebus Ieroboam regis Israel*] non primi, nempe filij *Nabat*: sed secundi istius nominis, putà filij *Ioas*: nam iste coæuus fuit Ioathano regi Iuda, cuius hîc fit mentio.

¥. 19. *Contra Agarenos*] Id est *Ismaelitas*, qui & *Agareni* dicebantur ab *Agar* matre Ismaelis. *Iturai verò & Nephisi & Nodabæi* (sic habent Hebræa & Græci) *præbuerunt* Agarenis *auxilium* aduersus *Rubenitas*: sed fœdè ab his cæsi, bonis omnibus & agris exuti, & v. 22. *Vulnerati multi corruerunt: fuit enim bellum Domini*, id est, Deo auspice susceptum, & singulariter adiuuante confectum.

CAPVT VI.

Posteri Leui. Et quos ex iis constituerit rex Dauid cantores ac ministros templi. Speciatim recensentur posteri Aaron sacerdotes cum urbibus sacerdotalibus & refugij.

Chronici c. 46.

¥. 5. OZI] Post hunc *Heli* fuit summus sacerdos, translato pontificatu à posteris *Eleazari* primo geniti Aaronis, ad posteros *Ithamari* secundogeniti, vt dixi 1. Regum 2. v. 31. Heli in pontificatu successerunt quatuor eius posteri, vsque ad *Abiathar*, quem Salomon loco mouit, 3. Regum 2. v. 26. reddito in *Sadoc* pontificatu posteris Eleazari, penes quos mansit vsque ad captiuitatem Babylonicam, vt hic recensetur. Itaque quatuor isti, nempe à Zaraia filio Ozi, vsque ad *Sadoc* v. 8. non fuerunt summi pontifices: ceteri vsque ad *Iosedec* v. 15. omnes fuerunt.

Chronici c. 46.

Chronici c. 42.

¥. 10. *Azarias* secundus, *ipse est qui sacerdotio functus est*] egregiè scilicet & excellenter: nam muneri suo præclarè satisfecit, quando regi *Oziæ* volenti incensum offerre viriliter restitit, & è templo expulit, vt habes infrà 2. Paralip. 26.

¥. 14. *Saraias* summus pontifex fuit quo tempore templum & vrbs Ierosolymitana à Nabuchonosore euersa sunt, & ipse ab eodem cum aliis 70. è primis Iudæorum extremo supplicio affectus est 4. Regum 25. v. 18. & sequentibus.

¥. 22. *Core* contra Moysen excitante seditionem, & terra dehiscente, ipsumque *Core* absorbente, filij eius ingenti miraculo seruati sunt, Numeror. 16. & per posteros propagati, qui hîc recensentur: inter quos

¥. 17. *Elcana*] quartus eius nominis, parens *Samuelis*. Cùm enim mox additur, *filij Samuel*, &c. nullo *Samuelis* patre designato; intelligitur, filium fuisse eius qui proximè nominatus est, putà *Elcanæ*, vt dixi, & constat ex 1. Regum 1.

¥. 28. *Filij Samuel, primogenitus Vasseni, & Abia*] Dices; 1. Regum 8. vers. 2. dicitur, *Nomen filij eius primogeniti Ioël, & nomen secundi Abia*. Et hîc quoque vers. 34. filius Samuel vocatur *Iobel*. Et eodem nomine etiam hoc vers. 28. vocant primogenitum LXX. Respondet Mariana, binomium fuisse. Fortè dici posset, incuria librarij excidisse nomen *Ioel*, qui fuit primogenitus: & *Vasseni*, idem esse quod, *Et Seni*, q. d. Secundò genitus. Porro *Ioel & Abia* sunt duo isti *Samuelis* filij, qui non bene præfuerunt reip. & occasionem populo dederunt, regem loco Iudicum postulandi, 1. Regum 8.

¥. 34. *Filij Eliel, filij Thohu*] Ne nos turbet, quòd hæc & sequentia quædam nomina cum superiori genealogia Samuelis non per omnia videantur concordare; Nam multi apud Iudæos erant binomines, & interdum quædam personæ, quòd minùs claræ fuerint, in catalogo familiarum vno loco reticentur, altero recensentur: quod sæpe contingit in his decem primis Paralipomenon capitibus.

¥. 54. *Hæc habitacula* sacerdotum. De vrbibus sacerdotalibus & Leuiticis vide quæ dixi in Chronico cap. 46. & Iosue 21. vbi pæne eodem ordine quo hîc recensentur.

CAPVT VII.

Posteri Issachar, Beniamin, Nephthali, Manasse, Ephraim & Aser.

¥. 3. FILII OZI] Pro *filius Ozi*: neque enim numeratur alius præter *Izrahiam*: non quòd nullus alius fuerit, sed quòd hic solus præclaris fuerit, & huius solius posteros recensere decreuerit scriptor sacer. Simili modo

¥. 6. Soli tres *filij Beniamin* recensentur; cùm tamen cap. sequ. v. 1. & Numer. 26. v. 38. quinque illius filij: & Genes. 46. vers. 21. multò plures nominentur.

¥. 18. *Regina peperit virum decorum*] Hebraicè *Molecheth* (græcè *Malchath*) peperit *Ishod*: quorum prius significat *reginam*, posterius Is, *virum*; Hod, *decorem*. Vide suprà c. 4. v. 22.

Proleg. de Histor. sin. Hebr. n. 17.

¥. 21. *Occiderunt* Ephraimitas *viri* Palæstini *indigenæ* vrbis *Geth*, *quia descenderant* in loca vicina terræ *Gessen* ad confinia Ægypti, *vt inuaderent possessiones* Ephraimitarum: hebraicè, *greges*; Septuaginta, *pecora*, quæ possidebant filij Ephraim: vel etiam terras Ephraimi filiis proprias. quis enim dubitet, *Ephraimo* Iosephi proregis, seu vicedomini totius Ægypti filio terras aliquas proprias in Ægypto fuisse? Porrò huius inuasionis Palæstinorum, & infelicis belli Ephraimitici meminit fusiùs Paraphrastes Chaldæus Canticorum 2. v. 7. Sed veram historiam multis fabulis more suo respergit.

¥. 24. *Filia autem eius*, id est, vna ex neptibus seu posteris Ephraim, *fuit Sara*] Vide c. 4. v. 1. Neque enim potuisset filia propria Ephraim, dum moratur cum parente in Ægypto, ædificare in Chanaanitide tres vrbes, *Bet-Horon inferiorem, & superiorem, & Ozen-Saram*.

¥. 38. *Iephone*] Hic de tribu *Aser* est: ergo alius ab illo *Iephone*, qui c. 4. v. 15. vocatur pater *Caleb*, quia ille erat de tribu Iuda.

CAPVT VIII.

Rursum posteri Beniamin, & primi Iudæorum regis Saul.

¥. 7. NAMAN] primogenitus Ahodi. Ergo redundat coniunctio *autem*, vti in Hebræo & Græco copula, Et. Et ea sublata constat sententia, alioquin obscura. Et *Gera* tertius Ahodi filius, *transtulit eos*, nempe Ahoditas *è Gabaa in Manahath*.

¥. 8. Idem Gera *genuit Saharaim, in regione Moab*] vbi sedem fixerat, fortè vt famem Iudaicam fugeret: vt de *Elimelecho* eiusque matre *Noëmi* legimus c. 1. libri Ruth.

¥. 28. *Hi patriarchæ*] Hebraicè *capita patrum*, seu principes.

Habitauerunt in Ierusalem] quæ erat pro magna parte in tribu *Beniamin*. Quo modo verò tribus *Iuda* illam sibi vindicarit, dixit Iosue 18. v. 28. Sequitur:

¥. 33. *Ner autem genuit Cis*] Vers. 30. dicitur *Cis* fuisse filius *Abigabaon*, id est principis Gabaon, putà *Iehielis*, cuius nomen hîc omissum, sed exprimitur cap. sequ. vers. 35. Vnde colligit Mariana & Emanuel Sà, eumdem *Iehiel* esse cum *Ner*, sic dictum

dum à nobilitate, quòd instar *lucernæ* esset in sua familia. Id enim significat *Ner*. Sed ex c. sequ. v. 36. constat, *Ner* fuisse filium *Iehiel*. Porro *Esbaal* filius hîc Saulis, idem est qui *Isboseth*, qui ferè septennio regnauit à morte *Saulis*, 2. Reg. v. 8. Eodem modo.

℣. 34. *Meribbaal* filius Ionathæ, idem est qui *Miphiboseth*, 2. Regum 9. vers. 6. vt constat ex eodem & parente Ionatha, & filio *Michal*, qui vtroque loco ei sub vtroque nomine *Meribbalis* & *Miphiboseth*, tribuuntur.

CAPVT IX.

Principes Israelitæ qui è Babylone remigrarunt Ierosolymam cum sacerdotibus & Leuitis & Nathinæis. Recensentur iterum Beniaminitæ & parentes ac posteri Saulis.

℣. 1. VNIVERSVS *Israel dinumeratus est*, nempe iubente Dauide, 2. Reg. 24. *translatus est in Babylonem*] Huc vsque ergo, præcedentibus omnibus capitibus recensiti sunt qui captiuitatem Babylonicam antecesserunt: hoc verò 9. cap. recensentur ij principes qui soluta iam captiuitate ad suas sedes in Iudæam remigrarunt. Et plurimi ex his sacerdotibus, Leuitis & aliis qui hoc c. enumerantur, etiam libro 2. Esdræ c. 11. iisdem nominibus recensentur.

℣. 2. *Nathinæi*] Sic etiam vocantur 2. Esdræ 11. v. 21. q.d. *Donati*, seu dono dati templo. Erant hi Gabaonitæ, qui, quòd Israelitis imposuissent, ad aquam & ligna in vsus templi conuehenda perpetuò damnati fuerunt, Iosue 9. v. 23. Hi ergo ex Babylonica captiuitate reduces cum *Israel*, id est Israelitico populo: nempe qui euaserant manus Assyriorum, cùm decem tribus à *Theglath-Pul-Assar*, & *Salman-Assar* in Assyriam & Mediam captiuæ abducerentur, & sese subiecerant vmbræ ac protectioni regum Iuda, sed pòst vnà cum ipsis Babylonem auecti fuerunt. Hi, inquam, etiam cum tribu Iuda è Babylone in Iudæam reuersi sunt ad possessiones suas & vrbes, in quibus *primi*, seu priùs *habitarant*.

℣. 5. *Et de Siloni*] supple filiis. Vir erat olim nobilis & famosus è tribu Iuda, sed non ex posteris *Phares* aut *Zare*.

℣. 11. *Azarias pontifex domus Dei*] non primarius aut summus (nam is in reditu Babylone erat Iesus, vel Iosue, filius Iosedechi, 1. Esdræ 3. v. 8.) sed ex secundariis, nempe capitibus 24. familiarum sacerdotalium, qui & *principes sacerdotum*, & *pontifices* templi vocabantur.

℣. 15. *Bachacar quoque carpentarius*] seu præfectus fabrorum templi.

℣. 16. *In atriis*] Hebraicè *in villis*, quæ vocabantur *Netophati*.

℣. 18. *Vsque ad illud tempus*, nempe à prima ianitorum templi institutione, vsque ad euersum templum à Nabuchodonosore; *obseruabant* hi Leuitæ *per vices suas*] Hebraicè, *excubabant per turmas suas* vicissim, tum in aliis atriorum templi portis, tum vel maximè *in porta regis ad Orientem*, id est quæ vicinior erat palatio regio, & per quam rex in templum, cùm palàm vellet, introire solebat.

℣. 22. *Descripti in villis propriis*] v. 25. dicitur, *In viculis morabantur*. Neque enim Leuitæ omnes habitabant Ierosolymis, sed in propriis morabantur villis, viculis, vrbibus. Omnes tamen per classes descripti & destributi erant, vt suis singuli temporibus ad sua ministeria Ierosolymam conuenirent: prout *constituerant*, & singulis suas vices distribuerant rex *Dauid*, & ante ipsum *Samuel Videns*, seu Propheta: distribuerant, inquam, *in fide sua*, id est fide seu commissione sibi credita tam à Deo, quàm à republica.

℣. 33. *Principes cantorum* erant certi Leuitæ designati, *qui in exedris morabantur*] In Hebræo additur *liberi*, nempe ab omni alia cura & ministerio, vt solis laudibus diuinis decantandis, & populo docendo vacarent. *Exedra* quidem omne cubiculum & aulam significat sed hîc videtur pro iis solis locis vsurpari, quæ psalmis & hymnis publicè decantandis, populoque instruendo in anterioribus atriis deputata erant, quæ & *Synagoga* postea vocatæ sunt, & *pastophoria* antè vocabantur.

℣. 35. *In Gabaon autem*] Iam à Leuitis redit ad Beniaminitas, ad familiam & parentes & filios primi Israelitarum regis *Saul*. de quo plura cap. seq.

CAPVT X.

Rex Saul reprobatus à Deo in monte Gelboë à Philisthæis occiditur cum filijs suis: eiusque caput resectum affigitur in templo Dagon, reliquum corpus cum cadaueribus filiorum suorum sepelitur à viris Iabes Galaad.

℣. 4. TIMORE *perterritus* cur fuit *armiger*, nec morem gerere ausus est *Sauli* domino suo iubenti vt ad euadendos hostiles sannas, se interficeret? Nempe, horrebat ad immane facinus, quo iubebatur vnctum Domini interficere. Fortè etiam timebat, ne vel apud Israelitas, si euaderet: vel apud Philisthæos, si caperetur, fraudi sibi esset, regem iugulasse, qui tanti ab omnibus fieret. Hunc Saulis armigerum dicunt Hebræi, teste S. Hieronymo, fuisse *Doeg* Idumæum, qui Dauidem prodiderat Sauli, & sacerdotes Domini iugularat 1. Regum 22. & in tanti obsequij compensationem, primarij armigeri & custodis corporis regij dignitate condecoratus sit. *Hieron. in Trad. Hebr.*

℣. 9. *Vt* caput Saulis *ostenderetur idolorum templis*] tamquam nobilissimum spolium, quasi ope idolorum ex hostibus relatum, & iam illis victoribus oblatum.

℣. 10. *Arma autem eius consecrauerunt in fano Dei sui*] puta *in templo Astaroth*, vt habetur 1. Regum vlt. v. 10. vbi reliqua omnia ad Saulis mortem spectantia fusiùs explicui.

CAPVT XI.

Vngitur Dauid in regem ab omnibus tribubus Israël: expellit Iebusæos ex arce Ierusalem. Nomina & heroica gesta fortium virorum Dauid. Allatam è cisterna Bethlehem per medios hostes aquam noluit bibere.

℣. 2. TV *pasces populum meum*] De his vsque ad vers. 8. egi 2. Reg. 3. vers. 9. & toto cap. 5.

℣. 11. De primo ternione fortium Dauidis, vide 2. Reg. 23. v. 8. & 9.

℣. 15. *In valle Raphain*] id est gigantum, vt habetur 3. Regum 23. vers. 13. Forte istic gigantes aliqui famosi olim perierunt, aut aliquid memorabile patrarunt. Sicut à simili casu locus ille, vbi duodecim ex parte Dauid, & totidem ex parte Isboseth congressi perierunt 2. Reg. 2. v. 16. appellatus est *ager robustorum*.

℣. 20. *Abisai*, frater Ioabi senior, vt constat ex 1. Paralip. 2. v. 16. ponitur primus in secundo ternione fortium Dauidis. Secundus *Banaia*, qui & *robore*

robore præcelluit, & prætorianis cohortibus *Cerethi & Pelethi* præpositus fuit, & *consilio* valebat in paucis: vnde & *posuit eum Dauid ad auriculam suam*, id est, habuit eum pro vno è primis consiliariis suis. Tertius secundi ternionis nullus à Scriptura nominatur: sed verosimile est, Ioabum, suprenum militiæ regiæ principem, eum locum tenuisse, & ex eo ad primum istum dignitatis gradum sua virtute euectum fuisse, vt insinuatur hîc v. 6.

Nota, fuisse Ierosolymis in arce Sion particularem fortium istorum Heroum domum, dictam *domum fortium* 2. Esdræ 3. vers. 16. in qua conuentus suos & priuata exercitia habebant, teste Adrichomio. Allegoricè de *fortibus Christi*, Primò Apostolis, Secundò Martyribus, Tertiò Confessoribus, Quartò Virginibus, vide Rupertum & alios.

℣. 22. *Ipse* (Banaias) *percussit duos ariel Moab*] seu *duos leones Moab*, vt est 2. Reg. 23. v. 20. *Ariel* enim significat *leonem Dei*, id est præferocem & magnitudinis inusitatæ. Fortè leones, quos alunt Moabiticæ siluæ; ferociores & robustiores aliis sunt: sicut leones Punici sæuiores sunt, quàm quos alit India, & aliæ regiones magis temperatæ. Vide Conradum Gesnerum, qui ex Alberto, Auicenna & Aristotele id demonstrat. Abulensis & Sanctius putant, hos à Banaia confectos leones, fuisse veros, propriè dictos & naturales leones. Sed S. Hieronymus ex Hebræorum traditione, Iosephus, Liranus, Glossa, Historia Scholastica & Caietanus dicunt, fuisse duos potentissimos duces, instar leonum truculentos & robustos, qui subsidio accurrerunt Moabitis tum cùm Dauid illos expugnaret, 2. Regum 8. vers. 2. Sed quidquid sit de duobus istis leonibus, certum est, tertium, cuius hoc eodem versu mentio fit, verum fuisse & naturalem *leonem*, quem idem Banaias *in media cisterna interfecit tempore niuis*, id est hiemali & niuoso tempore, cùm membra contracta minùs apta sunt ad arma tractanda, maximè in siluis, vbi nullum est ad fouendum frigidum & contractum corpus adiumentum: cùm interim leo natura calidissima & quasi ignea, nihil, aut certè parum, à frigore patiatur; & hic lateret in profuda cisterna, quasi in tuto nido. Vnde Banaiæ robur tum animi, tum corporis, maximè commendatur, qui non veritus est foueam subintrare, in qua non tam expedita esset armorum tractatio aduersus truculentissimum hostem, & è qua tamen nullum nisi victori effugium pateret.

Gesner. l. 1. tit. de leone. Aristot. l. 8. Hist. animal. c. 28.

CAPVT XII.

Catalogus eorum qui adhæserunt Dauidi cùm fugeret Saulem. Item, qui primi ex omnibus tribubus venerunt ad Dauidem in Hebron, vt eum regem constituerent.

℣. 2. DE *fratribus Saul*] Id est, de cognatis & contribulibus Saulis regis, etiam tum Dauidi se iunxerunt tot principes; cùm fugeret *Saulem* & latitaret in *Siceleg*. Quod sanè stupendum fuit diuinæ prouidentiæ miraculum. Vti & istud infrà, v. 29. quòd tria millia de Beniamin & fratribus Saul, maluerint Dauidi regi de aliena tribu Iuda, quàm *Isbosetho* de sua propria tribu Beniaminia subesse.

℣. 6. *De Carehim*] Id est, hebraicè & græcè, de *Coritis* seu posteris *Core*, Leuitis.

℣. 8. *Sed & de Gaddi*] Id est, *de tribu Gad*.

Chronic. c. 4.

℣. 15. *Mense primo*] putà Nisan, qui nostro Martio & Aprili respondet, *quando enundare consueuit Iordanis super ripas suas*, quod fit tempore messis, Iosue 3. vers. 15. In qua Gaditarum audacia eluxit, quos fluminis quaquauersum inundatio non impediuit, quo minùs & traiicerent, & hostes suos fugarent.

℣. 21. *Aduersus latrunculos*] scilicet Amalecitas, 1. Regum 30. v. 8.

℣. 22. *Exercitus Dei*] Id est, maximus: vt maxima sunt quæcumque Dei sunt.

℣. 28. *Sadoc*] Hic videtur fuisse tum summus pontifex, à Saule constitutus loco Abimelechi ab eodem Saule occisi: de quo 1. Regum 22. Quis enim credat, cùm tanto pæne totius gentis concursu regnum Dauidi deferretur, summum pontificem abfuisse? Et quis præter pontificem duxisset secum de domo Aaron principes viginti duos? Nam *Ioiada*, cuius mentio fit versu præcedenti, etsi sacerdos, militaris tamen princeps erat & dux agminis quod ad Dauidem deducebat. ita Mariana.

℣. 32. *De filiis Issachar viri eruditi, qui nouerant singula tempora, ad præcipiendum quid facere deberet Israel*] Erant enim, vt teste S. Hieronymo tradunt Hebræi, ex ea tribu *doctores & computatores ad festiuitates* per annum occurrentes, populo denunciandas. Vel potius, astrologica scientia pollebant, qua ex vario siderum aspectu variæ temporum tempestatumque mutationes colliguntur. Qua scientia ferè præcellere solent qui ruri vitam quietã agunt, vel solis agris colendis, aut gregibus pascendis vacant, vt faciebant *Issacharitæ*: & prædixerat patriarcha Iacob Genes. 49. v. 14. & Moyses Deuter. 33. v. 18. Et solet hæc rustica Astrologia sæpe certior esse illâ quam etiam peritiores Astronomi scriptis tradiderunt: & in militia quoque non exiguos vsus & commoditates habet. Nam experientia constat, magnas subinde, tum olim, tum recèns quóque in Indiis & alibi, ex eclipsi seu solis, seu lunæ, aliisque temporum tempestatumve mutationibus opportunè prædictis, & ex occasione obseruatis, mutationes rerum etiam in militia factas. ita Sanctius ex Abulensi & aliis.

Hieron. in Trad. Hebr.

CAPVT XIII.

Cariathiarim reducitur arca fœderis: rex Dauid ante eam ludit & psallit. Oza quia arcam contingit, à Deo occiditur. Arca in domum Obededom deflectit, magno illius gaudio & bono.

℣. 2. AD *Leuitas qui habitant* etiam *in suburbanis vrbium*] nam in Hebræo est, *in vrbibus* (&) *suburbiis ipsarum*, id est, ad omnes, quocumque in loco habitent, mittamus nuncios.

℣. 3. *Non enim requisiuimus* arcam *in diebus Saul*] Id est, non magna nobis cura fuit, imò nulla, collocandi arcam fœderis loco decenti: præpedientibus id continuis bellis ab initio regni Saulis vsque ad præsens tempus.

℣. 5. *A Sihor Ægypti* fluuio. *Sihor* hebraicè *Nigrum* significat. Vnde putant quidam *Nilum* hîc designari, quòd eius aqua, quia turbida, vocari soleat *Nigra*. Et Ieremiæ 2. v. 18. vbi nos habemus, *Quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam* turbidam? hebraicè est, *aquam Sihor*? Ego malim de *Rhinocorura* altero fluuio Ægypti, & termino Palæstinæ, hunc locum intelligere, iuxta dicta Iosue 13. v. 3. Nam *Nilus* non *Sihor*, sed *Gehon* vocari consueuit, Genes. 2. v. 13.

℣. 7. Oza, & *frater eius*] 2. Reg. 6. vers. 3. vocatur

Proleg. de Iatorijm. Hebr.n.17.

catur *Abio*,quod idem est ac *frater eius*.

Minabant plaustrum]Id est,deducebant & obseruabant plaustrum quo arca vehebatur.

℣. 9. *Chidon*] 2. Regum 6. v.6. *Nachon* vocatur, qua binomius.

℣. 11. *Diuisisset*] nempe animam separando à corpore. Reliqua huius capitis expositi 2. Regum 6.

CAPVT XIV.

Hiram rex Tyri ligna & opifices mittit Dauidi,qui regium illi palatium struunt. Dauid ex pluribus vxoribus plurimos gignit liberos : bis ingenti strage cadit Philisthaos.

℣. 1. MISIT *Hiram rex Tyri*] An requisitus à Dauide, vti pòst à Salomone 3. Reg. 5. v.2. An vltrò & sponte sua fœdus amicitiamque obtulit, ne forsan & ipse aliquando aduersarium pateretur, quem videbat tam prosperis initiis, & felicibus successibus vti?

℣. 2. *Cognouitq; Dauid quod confirmasset eum Dominus in regem*] Non potuit id certò nosse ex primis adeoque prosperis regni initiis : nam & Sauli obtigerant similia, nec tamen confirmatum aut stabilitum fuerat regnum ipsius: sed *propheticè*, & reuelante Deo id cognouit.

℣. 11. *Baal-Pharasim* significat vel *vallem diuisionis* seu occisionis,vt dixi cap.præced. v. 11. Vel *idolorum diuisionem*. Sic enim voluit hanc vallem antè dictam *Raphaim*,id est gigantum, vocare Dauid occasione huius nouæ victoriæ,qua & *hostes diuisi*, & instar aquæ ruptâ hydriâ, dispersi in terram: & *idola quoque diuisa* sunt, tum ab ijs qui illa coluerant: nam, vt subditur, *Dereliquerunt ibi deos suos*;tum à seipsis & in seipsis: nam *Dauid iussit exuri* ad vnum omnes,iuxta præceptum Domini, Deut. 7.vers.25.

℣. 14. *Non ascendas post eos*]2.Reg. 5. v.23. dicit, *Non ascendas contra eos*,nempe rectà in aduersos hostes irruendo:sed *recede ab eis*, & capto circuitu mitte qui illos à tergo aggrediantur:sed ne priùs vel inde quis irruat in hostem, quàm cælitus signum dederim. consistant ergo tui istic immoti *ex aduerso pyrorum*, quoad audiant strepitum auræ tenuis, qua arborum cacumina, sine alio vento moueantur. Hoc enim certum erit tibi signum,adesse tum præsentem opem Dei, qua roboratus sternes omnes acies hostiles, cohorte angelica præcunte & territante ac turbante hostes, eosdemque fugante, & vnà vobiscum cædente.ita Iosephus, Theodoretus & alij. Cur ex illa aduersa parte iusserit Deus castra Philisthinorum inuadi, causam dant Hebræi, teste S.Hieronymo : neque improbat Angelomus, & Magister Historiæ Scholasticæ, quòd collocassent in ea castrorum parte idola sua, quæ secum præsidij causa aduexerant. Quasi hoc facto voluerit Deus indicare,nullum totis castris locum,quàm quem idola tuerentur, expugnatu faciliorem esse: imò per illam præcisè partem, tamquam minimè omnium munitam, aditum apertum iri ad facilem illustremque victoriam.

CAPVT XV.

Parato Ierosolymis tabernaculo, arcam in illud inducit rex Dauid comitante omni Israele. Michol filia Saul,quòd despexisset regem Dauid coram arca saltantem,sterilitate punitur.

℣. 12. AFFERTE *arcam*, humeris vestris,& non plaustro:illicitum enim portari arcam ab aliis quàm à Leuitis,vt v. 2. dixerat:& Numer. 4.v.15.expressè decernitur.

℣. 13. *Ne vi à principio*] cùm nempe ex *Caristhiarim* nuper arcam deduximus c.13.*quia* vos Leuitæ *non eratis præsentes*, nempe baiulando arcam humeris vestris, vt oportebat; *percussit nos Dominus*, occidendo *Ozam*:*sic & nunc fiat*.Hinc,& ex v.sequ. patet, causam percussi *Ozæ* fuisse neglectum legis diuinæ, quæ iubebat arcam, cùm transferenda esset,non aliis quàm Leuitarum humeris transferri, vt fusiùs dixi 2. Regum 6.

℣.18. *Obededom & Iehiel ianitores*]V.24.vocantur ijdem *ianitores arcæ*:& vers.23. duo alij illis in eodem munere iunguntur. Nempe hi quatuor designati iam erant *ianitores* & custodes introitus ad locum arcæ,seu ad tabernaculum, quod rex Dauid in arce Sion pro custodia arcæ tetenderat, vt dicitur v.1. huius capitis. Sed ex nunc in deuehenda quoque arca, iubebantur obire idem suum munus, nempe submouere alios, alios admittere ad arcæ viciniam, prout cuiusque dignitas aut ordo postularet:simili ferè modo quo solent œconomi regis in publica pompa à regis lateribus arcere arcendos,admouere admouendos.

℣. 19. *Cymbala ænea* vocantur quæ ex solo ære, sine admixtione alterius materiæ conflata sunt, & artificioso concussu vel collisione concrepant: qualia sunt *sistra*,*crotali*,& alia his similia. Quò etiam refero *tintinnabula* & *pelues*, quæ percussione resonant. De *tubis* agitur v.24. & sequenti.

℣. 20. *Nablum*, seu *nablium*, instrumentum est quod aërem excipit ab vtriculo, & eumdem per fistulam reddit cum modulato sono, sine inflatu cuiusquam.*Vtriculum* Latini vocant, Græci ἀσκὸν: & qui eo vtitur *Ascaules*, & *Vtricularius* vocatur. Fortè istud Dauidicum pluribus compactum erat fistulis,vt sonum magis varium ederet: videturque idem esse cum eo, quod S. Hieronymus *Symphoniam* vocat. *Hieron. epist.ad Dardanum tom.4.*

℣. 21. Per *arcana*, & *octauam* indicantur illi psalmi qui talibus titulis insigniti erant : qualis est psalmus 9. & psalmus 45. quorum titulus est *Alamoth*,quod Noster nunc *arcanà* vertit,nunc *occulta*. Et sunt illi duo psalmi ad illum temporis articulum, quo solemniter translata est arca, sic accommodati, vt in illam rem videantur à Dauide ex professo compositi fuisse. Psalmus 4.6. & 11.titulum habent *super Seminith*, quod Noster vertit, *in Octaua*, vel *pro Octaua* : videturque instrumentum fuisse *octachordum*,v.g.cithara *octo chordis* instructa: sicut erant aliæ *heptachordæ*, & *decachordæ*. In his *octachordis* cani iubebatur *epinicium*, id est *carmen triumphale*, seu *pro victoria*: quale continent psalmi iam citati. עלמות שמינת

℣. 22. Per *prophetiam* intelligitur *melodia*, seu *laudes Deo decantandæ*.vt dixi 1.Reg.10.vers.5. Sequitur

℣.26. *Cumq; adiuuisset Deus Leuitas* in deferenda arca ; vt nempe sine vlla offensione ad fastigium vsque arcis Sion,per viam sat accliuem deferretur. Nam quod Hebræi dicunt, arcam nulli oneri Leuitis fuisse, reliquis illorum fabulis adiungendum. ita Abul.& Sanctius. *Sanctius in 2.Reg.6. v. 13.*

℣.27. *Stola byssina* eadem est cum *ephod lineo*, vt alibi (*a*) dixi. Vnde LXX. verterunt *ephod byssinum*: byssus autem est linum subtilius. *a Exodi 28. & 1.Reg. 22.v.18.*

CAPVT

CAPVT XVI.

Coram arca victimæ offeruntur Deo. Populo benedicitur à rege, & epulum præbetur. Leuitarum ministeria coram arca decernuntur, cum cantico laudam diuinarum.

℣.2. BENEDIXIT Dauid *populo*] duplici benedictione; vna spirituali, dum bene illi precatur, Deumque rogat, vt populi pietatem, cælestium terrestriumque rerum abundantia compenset. Altera corporali, cùm discedentem populum xenio & hospitali ferculo prosequitur. Ita 1. Regum 25. v. 27. munera quæ Abigail ad Dauidem offert, *benedictionem* vocat. Simili modo v. 43. dicitur Dauid *benedixisse* etiam *domui* seu familiæ & aulæ *suæ*.

℣. 3. *Diuisit vniuersis tortam panis*] Hebræum *chala* Noster interpres vertit subinde *tortam*, vt hîc: subinde *collyridam*, vt 2. Regum 6. vers. 19. subinde *crustulam*, vt Exodi 29. vers. 2. Erat verò genus *placentæ*, cui ad conciliandum saporem, admixtum erat aliquid dulciarium. De quo vide Rhodiginium. חלה

Rhodig. l. 9. Lect. antiq. c. 16.

Et partem assæ carnis bubulæ] Ex 2. Reg. 6. v. 19. patet legendum *bubulæ*. Hebr. *Espar*, quod *frustum carnis* significat, videtur Noster in duas partes dissecuisse, hoc modo *Espar*, id est, *bos ignitus*, seu *assatus*; ideoque reddidit, *assam carnem bubulam* seu vitulinam. Similis ratio excipiendi cum xenio populi apud multas nationes olim in vsu fuit, & est etiamnum hodie apud nonnullas, vt in Hispania pluribus locis, cùm ad festum aliquod solemnius celebrandum populus concurrit. Quod officium vulgò *charitatem* vocant: vt Græci olim Agapen. אשפר אשפר

Et similam oleo frixam] Hebr. *hassab* solùm in genere significat id *quod hominem exhilarat*, maximè in conuiuio. Vnde pro rerum ac temporum opportunitate variè interpretes vertunt, nunc *similam oleo frixam*, vt hîc; nunc *laganum*, vt hîc LXX. vel *artolaganum*, vel *lalangium*, (sunt ex secundarum mensarum bellariis, ex pane, saccaro, aliisque palato demulcendo idoneis confecta:) nunc *flores*, vertunt, vt Cant. 2. v. 5. *Fulcite me floribus*: nunc *lagenam*, supple vini: vt hîc plerique recentiores vertendum contendunt, credo, ne vinum mensæ Dauidicæ defuisse videatur. *Proleg. de Idiotis. Hebr. n. 11.* השישה

℣.8. *Confitemini Domino*: & *Vers.* 23. *Cantate Domino omnis terra*] duo psalmi sunt, rudiori primùm opere in hac arcæ translatione compositi à Dauide: sed postmodum magis expoliti, numerisque suauioribus donati, in Psalterium translati sunt, prior ordine 104. posterior 95. Vbi eosdem explicatos inuenies.

℣. 39. *Sadoc autem sacerdotem*] scilicet summum nuper à Saule constitutum, iussit Dauid eo munere fungi, non in arce Sion coram arca fœderis: sed *in Gabaon, coram tabernaculo Domini* à Moyse olim concinnato in deserto Sinai: Abiatharum verò iussit sacerdotio fungi Ierosolymis coram arca. Cùm enim iure successionis deberetur eà dignitas Abiatharo, vtpote filio *Achimelechi* iniustè à Saule occisi: nollet tamen Dauid Sadoco, recèns sibi conciliato, vt dixi cap. 12. vers. 28. & forsan ex pactis conuentis, & propter egregia merita, in eodem munere, quo à Saule condecoratus fuerat, publicè per Dauidem continuato, non posset quidquam derogare; sic minus vtriusque distribuit pacis & concordiæ causa, vt vnus A pontificatu fungeretur in *Gabaon*, alter in vrbe *Ierosolymis*.

CAPVT XVII.

Parandi Dauidi ædificare templum Domino, cælitus id inhibetur: sed filius ei promittitur, qui id facturus sit, cum longa posteritate. Vnde Dauid prolixas Deo gratias agit

℣.9. ET *dedi locum*, supple stabilem, *populo meo*] Commemorat beneficia tum Dauidi eiusque familiæ, tum reliquo omni populo cælitus collata: spondetque, eadem diuina manu ac potentia, qua subacti fuerunt Israelis hostes, conseruatum quoque iri Israelitas in læto otio & stabili pace. Non quòd omnimoda libertas & integra pax, plenumque otium concedendum sit: (nam sæpe id non expedit: & constat, non rarò posthac tum à vicinis hostibus, tum ab inquilinis turbatum fuisse Israelis imperium:) sed non esse affligendum populum *sicut à principio, cùm iudices populo præessent*, id est, eo modo quo Iudicum temporibus subinde affligebatur, v.g. à Madianitis, Ammonitis, Moabitis, & Philisthæis: quæ afflictio pæne similis videbatur Ægyptiacæ seruituti. Porrò, quod hîc dicitur, Israelitas *vltrà* non sic afflictum iri, intelligendum de tempore longissimo: & sub conditione, si de nouo Deum non prouocent suis sceleribus ad similes aut maiores plagas infligendas: vti prouocarunt tempore sequentium regum, atque ita meritò similes, si non grauiores, pœnas dederunt Assyriis & Chaldæis.

Reliqua huius cap. explicata habes 2. Regum 7.

CAPVT XVIII.

Victoria Dauidis de Philisthæis, Moabitis, Syris, Idumæis, Ammonitis, Amalecitis: cum catalogo officialium Dauidis.

℣.3. REGIO *Hemath* est Antiochia Syriæ. Ideo autem hîc exprimitur, vt differentia notetur inter hanc Syriæ partem cuius metropolis est *Antiochia*, ab alia cuius caput est *Damascus*, cuius propterea rex hîc vers. 5. vocatur *Syrus Damascenus*. Sed huic præualuit Dauid, & tributum iniunxit, vt dicitur vers. 6. Altero *vsus est amico* & confœderato, vt patet ex vers. 9. licèt partem regni ipsius, quam tyrannicè sibi vsurparat *Adar-ezer*, eo deuicto Dauid iure belli expilarit, vers. 8. Cap. seq. vers. 6. habes aliam Syriæ partem dictam *Maacha* item aliam *Mesopotamiam*: de quibus vide Geographos.

℣. 12. *In valle Salinarum*] Hæc vallis inter Syriam est & Palæstinam, non longè à *mari mortuo* quod & *salsissimum* appellatur, ob salsuginem & salis ex ea aqua concrescentis abundantiam. Et spectat ad terminos *Idumæorum*, quibus locus ille fatalis fuisse videtur, ob crebram istic cladem ab Israelitis acceptam: nam, vt hanc omittam Abisai victoriam, quà cæsa sunt *octodecim millia*; Ioab in eâdem valle cecidit alia duodecim millia Idumæorum, vt ex titulo psalmi 59. colligit S. Hieronymus, vbi id de Ioab expressè affirmatur. Deinde Amasias rex Iudæ 4. Regum 14. vers. 7. dicitur percussisse filios *Seir*, seu Edom, vel Esau, id est Idumæos, *decem millia in valle Salinarum*, præter alia eorumdem decem millia, quos è rupe in subiectam vallem præcipites dederunt, 2. Paralip. 25. vers. 12. *Hieron. in Trad. Hebr. ad libros Regum.*

℣.16. *Abimelec filius Abiathar*] In Hebræo, Chaldæo & Græco est *Abimelec*: & hîc est genitiui casus,

21.Reg 12. v.20. ius,& nomen parentis *Abiathari*; (a) quia *Abiathar* manſit vnà cum Sadoco ſacerdos ſummus vſque ad initium regni Salomonis, à quo demum priuatus eſt ea dignitate,3.Regum 2.v.27. Niſi malis dicere, hunc *Achimelech* eumdem eſſe cum *Abimelech* filio *Abiathari* infrà,c.24.v.6. & parentem filio ſuo eumdem ſecum honorem communicaſſe, vt olim Heli fecerat,& Samuel, 1.Reg.2.v.12.cap.8.v.1. ita Mariana.

Reliqua huius cap.explicui 2.Regum 8.

CAPVT XIX.

Hanon rex Ammon,ob iniuriam & contumeliam, quæ legatos Dauidis affecerat, bello inuaditur & ſuperatur, vnà cum Syris auxiliaribus.

¶.4. DECALVAVIT] Id in Hebræo, Chaldæo & Græco non habetur, ſed ſolùm,*raſit*, nempe dimidiam capitis partem & *barbæ*, vt habes 2.Reg.10.v.4. Neque ibi dicitur, præſcidiſſe veſtes *à natibus vſque ad pedes* ſed præſcidiſſe *veſtes medias vſque ad nates*: nempe à pedibus vſque ad cingulum,ita vt nates detegerentur. hoc enim maiori probro erat ac dedecori.

¶.7. *Triginta duo millia curruum* (metonymicè continens pro contento) ſunt totidem millia equitum è curribus pugnantium, pro more illius temporis. Nam equites vocabantur non ij ſoli qui equis inſiderent, ſed etiam qui equis currum cui armati inerant protrahentibus veherentur. Patet Iſaiæ 21.v.7. *Vidit currum duorum equitum*, id eſt, in quo duo vehebantur.Et v.9.*Vir bigæ equitum*. Et c.22.v.6. *Currum hominis equitis*. Et quis alioquin Cantic. 1. eſſet *equitatus in curribus Pharaonis*? Aut quo ſenſu diceretur hîc v. 18. Dauid *interfeciſſe de Syris ſeptem millia curruum*?

Reliqua huius cap.habes 2. Reg. 10.

CAPVT XX.

Supplicia quibus affecti Ammonitæ.Terna prælia contra Philiſthæos.& prodigioſos gigantes.

¶.2. TVLIT *Dauid coronam Melchom*] Quod nomen quia eſt *idoli*, putant aliqui, non fuiſſe hoc diadema *regis*, ſed *idoli* Ammonitarum. Sed quomodo auſus fuiſſet Dauid ex auro idoli ſibimet diadema conficere? cùm Deuter.7.diſertè caueatur. *Sculptilia eorum igne combures, non concupiſces argentum & aurum, de quibus facta ſunt, neque aſſumes quidquam ex eis*.Ergo *Melchom*,ſeu, vt in Hebræo eſt,*Malcham*,idem eſt quod *regis eorum*. Neque eſt quòd quemquam terreat pondus *talenti*, quod erat 125.librarum Romanarum;quale nemo facilè patietur capiti ſuo imponi. Nam non debebat immediatè capiti infigi, ſed ſupra caput in throno, & conopæo regio affigi: quod inde ſublatum iuſſit Dauid ſuo deinceps throno & conopæo alligari,vt vertici ſedentis perpetuò immineret.

¶.3. *Tribulas & trahas & ferrata carpenta fecit tranſire ſuper* Ammonitas. *Tribula* & *traha* inſtrumentum illud eſt quo ſegetes teruntur in area. Quin & plauſtris & rotis ferratis teri fruges, colligo ex illo Iſaiæ 41. v. 15. *Poſui te quaſi plauſtrum triturans nouum, habens roſtra ſerrantia*. Eo igitur modo egit Dauid in Ammonitas humi ſtratos rotas & plauſtra ſerrantia, & tribulas ferreis cuſpidibus horrentes, quo modo agricola tribulas immittit in fruges,quas in area triturat.Hebraicè & græcè eſt,*diſcerpſit eos ſerris & raſtris ferreis*, & 2. Regum 12.v.31.*Serrauit, diuiſitque cultris, & traduxit in typo laterum*;græcè,*per fornacem*, nempe vt ſolent lateres. q. d. Ammonitæ coniecti ſunt in ignitum ẽlibanum ſeu fornacem, ſicut in illum conijciuntur lateres, prorſus ad illorum typum ſeu exemplar: nam & talia ibi patiebantur, qualia lateres igne coquendi: neque magis ex eorum dolore & cruciatu dolebat aut curabat Dauid, quàm doleret aut curaret figulus, qui formatos è luto lateres in fornacem coquendos immittit.

Sic fecit Dauid non vni ciuitati *Rabba*, ſed *cunctis vrbibus filiorum Ammon*] Crudelia profectò & horrenda ſupplicia,& fortan ad id tempus ſine exemplo: niſi quòd aliquid ferè ſimile præceſſerit in Gedeone, qui, vt eſt Iudic. 8. v. 16. *Tulit ſeniores ciuitatis,ſpinas deſerti ac tribulos, & cum eis contriuit atque comminuit viros Socoth*. Sed poſterioribus ſæculis talia frequentiùs vſurpata legimus: nam Prouerb.20.verſ.26. mentio huius fit tamquam vſitati ſupplicij,& Manaſſes ſerra diſſecuit Iſaiam, *& Hazael* rex Syriæ mulieres prægnantes 4. Reg.8.Et Ammonitæ eadem quæ iam à Dauide paſſi ſunt, exercuerunt pòſt in Iſraelitas Galaad, Amos 1. verſ. 13. forſan id numquam facturi, niſi prius in Dauide exemplum habuiſſent.

Petes, An peccarit Dauid ita ſæuiendo in Ammonitas? Negat Abulenſis, eò quòd grauem iniuriam contra ius gentium intuliſſent legatis Dauidis. Sed hoc crimen ad ſolum regem & aulicos ac conſiliarios illius ſpectabat: non item ad omnes reliquas vrbes filiorum Ammon, quas tamen eodem ſupplicij genere omnes inuoluit Dauid.Vnde probabilius eſt,peccaſſe hîc Dauidem,& quidem grauiſſimè. Quod minùs mirabimur,ſi conſideremus, hæc tam crudelia patraſſe Dauidem eo tempore quo adhuc hærebat in luto adulterij Bethſabee, & homicidij Vriæ, neque pœnituerat de tantis ſceleribus. Solent verò tales ex vno in aliud ſcelus ruere, & magis magiſque ſordeſcere in dies, vt docet Concilium Tridentinum, & Doctores paſſim. atque ita fuerit enormis hæc ſæuitia appendix quædam *ſermonis* ſeu hiſtoriæ *Vriæ*, qua ſpeciatim *peccaſſe* dicitur *Dauid* 3.Regum 15.v.5.

CAPVT XXI.

Dauid populum numerando Deum offendit: pro expiando delicto, à tribus propoſitis pœnis peſtem deligit, quâ plurima millia intereunt; donec oratione & ſacrificio placaretur Deus.

¶.12. AVT *tribus annis famem*] 2. Regum 24. v.13.dicitur,*Aut ſeptem annis veniet tibi fames*.& ita etiam ibidem eſt in Hebræo. niſi dicas ex ſimilitudine vocum Hebraicarum quibus ternarius & ſeptenarius ſignificantur,errore poſitos eſſe *ſeptem* annos loco *trium*. Certè LXX. etiam ibi non niſi trium annorum meminerunt: & , cùm in diebus ac menſibus per ternarium procedatur, veriſimile eſt etiam in annis ita factum fuiſſe. Qui tamen errorem excuſare volet, dicat cum Sanctio, Prophetam initio comminationis propoſuiſſe famem *ſeptem annorum*,vti in libris Regum habetur; ſed,cohorreſcente Dauide, mitioremque pœnam vrgente, eamdem ad triennij ſpatium contractam fuiſſe,vt hîc legimus. Simile habes Gen. 18. vbi à 50. iuſtis delabitur angelus ad 10. Et Ezechielis 4. pro *fimo humano* ob preces Prophetæ indulgetur ei *bouinus*.

Sanct. in 2.Reg.24 v.13.

¶.13. *Melius mihi eſt.vt incidam in manus Domini*] Atqui Suſanna,Dan.13.v.23. ait impiis iudicibus:

Melius

Melius mihi est incidere in manus vestras. Et Eccli. 2. A vers.22.idem comprobatur. Respondeo, *Dauid* loquitur de sola *pœna corporali & temporali*, in qua infligenda Deus longè magis misericors est, quàm solent homines, & maximè hostes: *Susanna* verò & Ecclesiasticus agunt de *pœna æterna & malo etiam spirituali*, putà morte animæ per adulterium: & præ illis prudenter eligunt potiùs quoduis malum corporale & temporale, putà mortem corporis, item infamiam, &c. Aliæ sunt ergo manus Dei quas optat Dauid; aliæ quas fugit Susanna & Ecclesiasticus: optat Dauid *paternas* ex amore castigantes, fugit Susanna & Ecclesiasticus *iuliciales* æternis flammis scelera punientes.

℣. 14. *Misit ergo Dominus pestilentiam in Israel*] 2.Regum 24.v.15. additur, *de mane vsque ad tempus constitutum.* Nempe cœpit sæuire pestis ipso illo articulo, quo illâ prælegit Dauid, putà à summo *mane*, quo ibidem v.11.dicitur *surrexisse Dauid*, & à Propheta Gad iussus est vnum è tribus eligere. Durauitque eadem plaga *triduo*, ait Abulensis, quia triduanum spatium fuerat à Deo per Prophetam illi pœnæ præfixum & præstitutum. Vel vsque ad vesperam primi diei; quod tempus præstitutum à Deo erat sacrificio iugi & quotidiano à meridie offerendo. ita Hebræi, teste S. Hieronymo. Cui ex parte subscribunt Dionysius, Caietanus, Hugo, Liranus & Emanuel Sà. Nam sub id tempus videtur Dauid sacrificio suo in area *Areunæ* Iebusæi placasse iratum Dominum, neque verisimile est exspectasse secundum vel tertium diem.

Hieron. in Trad.Hebr.

℣. 18. *Ornan Iebusæi*] Hic in 2.libro Regum cap.24.vocatur *Areuna*, & quidem *rex* v. 23.Nempe fuerat *regulus* inter Iebusæos, priusquam Ierosolymam expugnasset Dauid.ita Mariana.

℣.25. *Dedit Dauid Ornan pro loco siclos auri sexcentos*] id est bis mille quadringentos aureos. Atqui C
2. Reg.vers.24.dicitur emisse aream & boues, argenti siclis quinquaginta, id est florenis Belgicis 50. qui non conficiunt totos 17. aureos. Respondeo; pro parua area condendo altari necessaria, itemque pro bobus dedit 50. *argenteos*: neque enim latiore spatio tunc egebat. Ast verò pro reliqua area, quam templo condendo destinauit, quæ vasta erat & ampla, addidit postmodum sexcentos siclos aureos. Prius illud pretium expressit liber Regum, posterius Paralipomenon. Tradunt Hebræi, hanc *Areunæ aream*, in qua templum conditum fuit à Salomone, fuisse non solùm in monte *Moria*, quod certum est ex 2. Paral.3. ver.1. sed etiam eo loco, vbi Abraham filium suum Isaac iussus fuerat immolare. Et ita sensit etiam Iosephus, S. Hieronymus, & pæne omnes antiqui Patres.

Troleg.de Ponderibus.

Ioseph. l.7. Antiq c.14.

℣. 26. *Et exaudiuit eum Dominus in igne de cælo* D
super altare holocausti] Solebat enim Deus igne cælitus in hostiam immisso testari, gratum sibi accidere sacrificium, vt docui variis exemplis 3. Reg. 81. v.24.

Hieron.in Trad.Hebr.

CAPVT XXII.

Præparatis omnibus necessarijs ad construendum templum, Dauid filio suo Salomoni formam modumque celitus sibi reuelatum tradit, hortaturque vt Deum semper sedulò colat: & principes, vt illi sint auxilio.

℣.1. HÆc *est domus Dei*] Id est, hoc loco condi debet templum Domini, nempe in area Areunæ Iebusæi, in monte Moria. Ita *dixit*,

id est decreuit, *Dauid*, nempe reuelatione & iussu Dei.

℣. 5. *Salomon puer paruulus est*] Ita potuisse vocari Salomonem, qui tunc annum vitæ agebat circiter vigesimum primum, (loquor de tempore quo iam nunctus erat rex viuente adhuc & iubente patre, anno regni eius vltimo,) docui 1. Regum 16. vers. 14.

℣. 14. *Auri talenta centum millia* faciunt mille ducentos septuaginta quinque milliones aureorum in specie.

Mille millia talenta argenti totidem milliones aureorum conficiunt, vti docui in tractatu de monetis. Ergo in solis duabus istis speciebus, putà *auro & argento*, reliquit Dauid Salomoni *bis mille quingentos & quinquaginta milliones aureorum.*

Æris vero & ferri non poterat *pondus* æstimari: vti nec copia lignorum *setim* & *marmorum.* B

Ad vniuersa impendia] In Hebræo, Chaldæo & Græco est, *Hu adde vniuersa impendia*, seu res alias necessarias, quæ impendi debebunt tanto operi perficiendo, præpararat enim Dauid quæcumque poterant præparari.

CAPVT XXIII.

Dauid senex, iamque moriturus. Salomone rege designato, officia quoque Leuitarum & classes distribuit, etiam filiis Moysis inter Leuitas annumeratis.

℣.6. DISTRIBVIT *Dauid* Leuitas *per vices*] per 24. classes, sicut distributi erant sacerdotes: vt sic bis quotannis recurrerent singularum classium vices, quibus *à sabbatho ad sabbathum*, id est, integra vna hebdomada deseruiebant in templo. Vide cap.seq.v.31.

℣. 11. *Iaus & Baria non habuerunt plurimos filios*] Id est, duo isti simul non habebant plures filios, quàm vnus solus ex prænominatis: *idcirco* cùm alij singuli, seu singulorum filij constituerent singulas classes, horum duorum familiæ simul iunctæ non nisi vnam classem confecerunt.

℣. 13. *Separatusque est Aaron*] olim iussu Dei segregatus ex omni Israele, vt sacerdotio fungeretur: & nunc quoque eius filij & posteri à Dauide ad idem munus segregati sunt.

℣. 14. *Moysi filij annumerati sunt in tribu Leui*] Magna Moysis modestia, nihil sibi suisve posteris præ reliquis suæ tribus arrogantis. Iosue relinquit regiam potestatem, fratri suo Aaroni eiusque filijs sacerdotalem dignitatem: proprios filios suos in communi Leuitarum grege relinquit. Idem quoque institutum tenet hoc loco Dauid.

℣.24. *Filij Leui, à viginti annis & supra*] Bis ergo numerari iussit Dauid Leuitas, semel *à triginta annis & supra*, vt patet vers.3. Et hi erant qui actu seruiebant templo in præcipuis muneribus. Iterum *à viginti annis & supra*, vt dicitur hoc vers. & 27. Et hi parabantur vt in locum aliorum paulatim succederent, interim ritus necessarios & cæremonias addiscebant, exercebanturque in minoris momenti ministeriis, ad nutum & præscriptum aliorum.

℣. 26. *Nec erit officij Leuitarum vt vltra portent tabernaculum, & omnia vasa eius*] propediem nempe, quando templum stabile constructum fuerit. quare qui talibus solebant ministeriis vacare, ni velimus otiosos esse, aliis seruitiis impendamus oportet, quæ v.28. & sequentibus recensentur.

℣. 29. *Sacerdotes autem*] Hæc verba neque in Hebræo sunt, neque apud LXX. Sed omnia ministeria, quæ hîc quasi pro solis sacerdotibus subijciuntur, etiam Leuitis ibi assignantur, quia muneris horum erat ea parare: sacerdotum verò, iam parata offerre Deo in sacrificium.

Super. omne pondus atque mensurum] Id est, quæcumque ad certum pondus aut mensuram in templo offerenda erant, ea omnia mensurare debebant Leuitæ. Quamquam etiam ad eosdem spectaret, (vti olim ad Ædiles Romæ) iusta & ex legis præscripto pondera mensuraſque adseruare in templo, vt, si successu temporis à populo fraude aliqua vitiari contingeret, ad horum collationem instaurari perpetuò possent. ita Villalpandus, Mariana & alij.

CAPVT XXIV.

Sacerdotum classes seu vices 24. ac totidem reliquorum etiam Leuitarum, qui sacerdotibus in ministerio sacrificiorum assisterent.

℣. 2. MORTVI *sunt Nadab & Abiu* filij Aaronis, igni cęlesti absumpti, eò quòd vterentur igne profano, Leuitici 10. v. 2. & Numeror. 3. v. 4. Reliquos Aaronis posteros

℣. 3. *Diuisit Dauid*] per 24. classes distribuendo sacerdotes omnes, & singulis classibus suas vices assignando, idque per sortes, vt hic dicitur v. 5. ne quid fauori datum videretur, nec quisquam queri posset se aliis postpositum fuisse.

℣. 5. *Erant enim* pari iure, pari decreto, omnes *principes Sanctuarij, & principes Dei*] id est maximi, quia in iis quæ ad Deum pertinent, seu in rebus diuinis. Vnde & *principes sacerdotum* vocabantur capita 24. istarum classium. Et hoc sensu S. Dionysius *Zachariam* vocat *principem sacerdotum*. Extra has classes, & supra omnes classes erat *summus sacerdos*, qui & *pontifex* dicebatur.

Dion. Cal. Hierar. c. 4.

℣. 6. *Ahimelech filio Abiathar*] Hinc apparet *Abiatharum*, summum tunc pontificem vnà cum *Sadoco*, magnam partem functionum suarum subinde transscripsisse filio suo Achimelecho, ac nominatim curam huius distributionis sacerdotum in suas classes & vices: fortè quòd ægrotaret tum temporis, vel aliis negotiis magis vrgentibus distineretur.

℣. 10. *Octaua Abia*] De hac sorte fuit Zacharias pater Ioannis Baptistæ, Lucæ 1. v. 5. Verùm, *princeps* ne fuerit *sacerdotum* suę sortis seu vicis, vt voluit S. Dionysius, incertum est: vt &, an ex *Eleazari* primogeniti Aaronis posteris esset, an ex *Ithamari* secundogeniti.

℣. 27. sic lege ex Hebræo, Chaldæo & Græco: *Filius quoque Merari* fuit prædictus *Oziau*: cuius filij, præter *Bennonem*, fuerunt *Soam & Zachur & Hebri*.

℣. 31. *Contra fratres suos*] Id est, ex altera parte, seu ad exemplum & imitationem cognatorum suorum. ita LXX. nam sicut posteri Aaronis distributi in 24. classes, sortem iecerant, quo quique ordine in templo deseruirent, ita etiam Leuitæ sorte distributi sunt.

CAPVT XXV.

Cantorum, Psaltarum ac Citharædorum ex Leuitis 24. classes.

℣. 1. MAGISTRATVS *exercitus*] Id est principes tam politici, quàm Ecclesiastici, de quibus c. præced. v. 6. ex Leuitis (*a*) *segregauerunt in ministerium* canendi & modulandi in templo: hoc enim significat hîc *prophetare in psalterio*, &c. Potrò *psalterium* videtur lyra fuisse 7. 8. vel 10. chordarum, quæ plectro pulsabatur. ita Lucas Tudensis in Chronico. (a) Sup. c. 6. v. 33. 39.

Secundum numerum suum] Id est, tanto numero quanto ad id munus destinati fuerunt, & eo ordine quo sunt sorte designati cantores.

℣. 2. *Prophetantu*, id est, laudes diuinas decantari curantis, *iuxta regem*] id est, iuxta regis præscriptum. nisi velis per hoc indicari, hos non in *Gabaon*, (vbi alij erant constituti) sed in arce Sion, tunc. s esse cantorum officio, vbi rex suam sedem habebat: vel in separato loco templi, vbi rex adorare & laudibus diuinis vacare solebat. Nam in vastissimo loco templi, vt plura atria, ita etiam plura erant loca in quibus laudes Deo decantabantur. Mundi enim habebant sua loca separata ab immundis: item rex à plebe, &c.

℣. 5. *Videns regis* est Propheta, seu curator laudum diuinarum apud regem, vt iam exposui.

In sermonibus Dei] Id est, cùm rex vacaret *sermonibus*, id est negotiis, non suis profanis aut politicis, sed *Dei*, id est diuinis & sacris. q. d. Rex pro se suaque familia habebat quidem in sua aula musicos excellentes qui inter epulas vel choreas profana & ludicra caneret. Sed de his nulla hîc mentio, vbi de solis *Leuitis* agitur qui sacros hymnos & psalmos præcinebant regi in loco & negotio sacro.

Vt exaltaret cornu] Id est, vt curaret eos psalmos præsente rege cani, in quibus de *exaltatione cornu* agitur, quales multi sunt psalmi. Per *cornu* verò in illis intelligebatur regnum Dauidis, & Christi filij Dauidis: de quo augendo exaltandoque pluribus psalmis agitur, & accidebat ea materia regiis auribus certè gratissima & optatissima. Ad populum verò ea præcinebantur, & concione quoque exponebantur, quæ ad officium & solatium illius maximè spectabant. Quales psalmi etiamnum plures extant.

℣. 7. *Qui erudiebant canticum*] Id est, ceteros in canticis tum canendis, tum concinnandis instruebant.

℣. 8. *Doctus pariter*, de quo v. præced. iam actum, *& indoctus*] id est, qui instruebatur à doctis. q. d. Distributi sunt cantores per 24. classes, in quarum singulis erant duodecim magistri seu periti eius rei: ceteri adhuc discipuli, qui ad nutum & præscriptum doctorum seu magistrorum suorum canere debebant laudes diuinas, singuli per vices & classes suas.

℣. 9. *Sors prima Ioseph*] supple, cum duodenario suorum seu filiorum, seu cognatorum, qui reliquis eius sortis, seu classis, cantoribus tamquam magistri præerant, vt iam dixi. Nisi enim hunc duodenarium hîc suppleas, non inuenies inter cantores summam 288. doctorum seu magistrorum, qui v. 7. dicuntur designati fuisse.

CAPVT

CAPVT XXVI.

Ianitorum templi ex Leuitis etiam variæ classes: itemq; custodum thesaurorum templi, tum regis.

℣. 5. QVIA *benedixit ei* (Obededom) *Dominus*] scilicet multitudine & robore prolium, in compensationem arcæ tam religiosè exceptæ & custoditæ domi suæ, 2. Reg. 6. v. 12. Superat enim hic numero prolium omnes alios Leuitas ianitores hîc recensitos, vt patet ex v. 8.

℣. 10. *Non enim habuerat*] pro, non habebat tum temporis in viris qui *primogenitus* fuerat: quare constituit in locum ipsius suum secundogenitum *Semri principem* & caput familiæ suæ.

℣. 12. *Ianitores*] Non erat hoc vile ministerium, sed quale est prætorianorum militum, vel potiùs aulicorum etiam è primis, qui excubant in palatio regis. Tale, imò longè nobilius, erat horum Leuitarum munus excubantium in domo Domini, Regis regum, & Domini dominantium. Vnde & subditur hîc, fuisse *principes custodiarum*. Iisdem credebatur & custodia thesaurorum tum templi, tum regis, vt dicitur v. 20. 26. 30. & 32. Ijdem præerant sartis tectis templi, v. 27. & *operibus forinsecus* v. 29. v. g. lignis cædentibus, lapicidis, cultoribus agrorum templi, &c. Ex iisdem etiam doctores desumebantur, & præfecti & iudices populi tum in sacris, tum in policitis, v. 29. 30. & 32.

℣. 14. *Selemiæ*] Hic idem est qui v. 1. 2. & aliis vocatur *Meselemias*, iuxta consuetudinem Hebræorum sæpe capita nominum præcidentium, vt suprà docui c. 4. v. 24. Porrò

℣. 15. sic verba construe: *In qua parte* palatij *erat domus seniorum*, nempe *concilium* magnum Sanedrim 72. iudicum, de quo Numerorum 11. Hi solebant in eam domum conuenire.

℣. 16. *Via Ascensionis* vocatur accliuis illa via, qua ex subiecta vrbis parte ascendebatur, Primo, ad tabernaculum in arce Sion: deinde etiam ad templum in Monte Moria constructum.

Custodia contra custodiam] q. d. Gemina, seu duobus locis, ibi debebat esse custodia: fortè propter aduentantium frequentiam, & maius periculum. Patet ex v. sequ. 18. vbi ad hanc portam Occidentalem dicuntur *quatuor* Leuitæ, principes custodiarum excubasse *in via* illa accliui publica: præter *binos* alios qui *per cellulas*, id est in consuetis ædibus excubitorum templi, excubabant cum subiectis sibi cohortibus.

℣. 18. *In cellulis quoque ad Occidentem* (sic enim est in Hebræo & Græco) erant *ianitorum*, seu ianitores, *quatuor in via*, vel versus viam publicam.

CAPVT XXVII.

Duodecim principes militiæ regiæ ex variis tribubus, quorum singuli suo mense præerant 24. millibus armatorum. Item alij principes singularum tribuum, & officialium regiorum.

℣. 1. QVI *ministrabant regi*] Præcedentibus capitibus recensuit omnes principes qui de tribu Leui templo Domini deseruiebant per vices & classes suas in variis ministeriis: hoc nunc cap. recenset principes qui selecti ex omnibus tribubus seruiebant regi, tum in negotiis domesticis, tum in re militari, etiam pacis tempore, vt & armis magis assueti, & notiores essent regi, & familiariores, & ad omnem casum semper parati. Hi distributi erant in duodecim classes, & in vnaquaque classe 24. millia bellatorum, qui toto mense vno lunari erant in armis, eo in loco, eo in munere seu officio, quo rex pro temporum necessitate præscribebat. Reliquis dein vndecim mensibus quiescebant hi ab armis, & alij totidem in locum succedebant post singulos quosque menses. Hac ratione nec grauis cuipiam erat militia, nec admodum sumptuosa, licèt sine stipendiis militarent: neque præpediebat rei domesticæ aut propriorum negotiorum curationem; cùm facile cuique esset, vno mense per annum domo abesse, & sub signis ære proprio degere. Interim regi prospectum semper erat de recenti & tamen veterano milite; & quidem adeò numeroso, vt quibuslibet hostibus resistendo esset: nam pro multitudine hostium poterat quot vellet millia ex singulis pro rata classibus euocare: quin & poterat, si opus esset, in singulis classibus numerum duplicare vel triplicare. Principes qui præerant his turmis menstruis, nominatim hîc recensentur vsque ad v. 16. & habebant singuli vicarium vnum generalem, qui absente vel impedito principe præerat toti illi exercitui. Et hoc est quod v. 4. dicitur, *post se alterum* habuisse: & v. 7. *post eum* fuisse.

℣. 16. *Porrò tribubus præerant* alij, qui mox recensentur. Hi erant iure primogenituræ principes singuli suarum tribuum. At qui militiæ præerant, designabantur à rege pro robore, prudentia, experientia & talento cuiusque.

℣. 23. *Noluit Dauid numerare* Israelitas *à viginti annis inferius*] id est, qui nondum essent viginti annorum: *quia* hi, vti *dixerat*, seu promiserat, *Dominus*, erant *multiplicati quasi stellæ cæli*, hoc est, innumerabiles, seu qui præ multitudine numerari non possent. Quin nec reliqui qui excedebant vigesimum annum, omnes numerati sunt: licèt enim *Ioab cœperit numerare*, ita iubente Dauide, 2. Regum vlt. *non* tamen *compleuit*, *quia*, vt ibidem dicitur, *ira* Dei & sæuissima punitio *super hoc*, id est propter eam numerationem, *irruerat in Israelitas*. Quare & cessatum est mox ab vlteriore numeratione, *neque numerus recensitorum relatus est in fastos* regios, Dauide vtrumque inhibente.

℣. 34. *Post Achitophel* laqueo exstinctum, *Ioiada & Abiathar*, hic pontifex, iste è primis sacerdotibus, erant Dauidi ab intimis consiliis.

CAPVT XXVIII.

Dauid conuocatis omnibus regni principibus, tam Salomonem, quàm reliquos omnes hortatur ad sedulò semper custodienda mandata Dei, præscribitq; formam templi traditam sibi à Deo.

℣. 1. EVNVCHIS] Id est, officialibus aulæ regiæ seu palatinis, vt dixi Genes. 37. vers. 36. Porrò

℣. 2. *Scabellum pedum Dei nostri*] Sic vocabatur arca fœderis. Quia Deus qui inter alas Cherubinorum supra propitiatorium sedere credebatur, pedibus suis *arcæ* quasi scabello inniti, atque ita responsa petentibus dare dicebatur. Vide Exodi 25.

℣. 4. *De Iuda elegit principem*: sic enim in singulari legunt Hebræa, Chaldæa & Græca. Noster Latinus vertit in plurali *principes*] q. d. Deus voluit è tribu Iuda principes populi sui, id est reges, deligi, non modò iam, sed & deinceps. Id verò se velle significauit primùm Genesis 49. v. 10. *Non auferetur sceptrum de Iuda*, &c. Dein Iudicum 1. v. 2. *Iu-*

das erit dux belli. Denique 1.Reg.16.v.1.& 2.Reg. A 3.v.18.& c.5. v.2.c.7.v.13.& alibi sæpiùs.

℣.9. *Scito Deum*] Id est,certa & firma fide cognosce Deum : nam absque eo nemo potest aut seruire,aut placere Deo; quod hîc intendit Dauid persuadere Salomoni.

℣.11. *Domus propitiationis* , est locus in quo erat figendum propitiatorium , putà *Sanctum Sanctorum.*

℣.12.*Thesauri sanctorum*, sunt æraria, in quibus ea quæ Deo consecrabantur, & sic sancta fiebant, adseruabantur.

℣.13. *Diuisiones sacerdotales & Leuitica*, sunt distributiones sacerdotum & Leuitarum per classes & vices,de quibus cap.23.& sequentibus.

℣.18. *Similitudo quadrigæ Cherubim*] Cùm enim anteà in tabernaculi propitiatorio per Mosen facto non essent nisi duo Cherubini , qui quasi bigam faciebant,cui Deus insideret:iam iubetur quadriga fieri,duobus aliis Cherubinis adiectis,vt dixi 3.Reg.6.& dicam Ezech.1. B

℣.19. *Omnia venerunt scripta manu Domini ad me*] seu descripta & delineata manu angeli , vicem Dei supplentis. Hinc patet,sicut olim Moysi tradita ab angelo fuit idea tabernaculi , & omnis ornatus illius , ita nunc Dauidi formam templi, & omnis supellectilis illius , quia in multis magna fiebat mutatio, cælitus traditam fuisse. Vide 3.Reg.6.

CAPVT XXIX.

Impensa quas Dauid in ædificium templi seposuit ; quas item principes ac populus de suo adiecerunt. Salomon secundo ungitur in regem. Dauid post 40.annos regni felicissimè moritur.

℣.2. QVASI *stibinos*] Id est, similes fuco. Hebraicè *fuci* , idque propter *diuersitatem* seu varietatem *colorum*,vt sequitur: quia lapides isti varietate colorum fucum faciunt videntibus,vt apparet in iis quos vocant *Agathes* , vbi & vndulatum mare , & natantes insulas,& omne genus imagines vltrò innatas quasi penicillo expressas videre est, quæ fucum faciant imponantque etiam oculatissimis. D

Marmor Parium] Hebraicè tantùm est *marmor.* Sed LXX. & Latinus , vt exponant quale fuerit *marmor*,adiecerunt epitheton *Parium*, ab insula *Paro*,vna ex Cycladibus,sic dictum:quod *album* erat, & ceteris marmoribus præcellebat.

℣. 3. *Exceptis his*] Seu præter ea, *quæ* ex variis bello subactis prouinciis sepositi in fabricam *ædis sanctæ*, quæ sunt vt minimum *auri talenta centum millia*,& decuplo plus *argenti*, vt dictum cap. 22.vers.14. Insuper *in* eandem *domum & templum Dei mei de meo peculio* , id est ex priuatis thesauris meis,*do decem* alia *millia talenta auri probatissimi ex insula Ophir.* (*a*) Neque his tantis thesauris puto sat a 2. Par.8. adhuc prospectum necessarius templi , quod Deo opt.max.maximè splendidum construendum est, ornamentis. Ideircò desidero , vt & vos principes populi de vestro peculio , quantum cuique *sponte* libuerit , in id conferatis , & liberali manu *Domino* offeratis. Obtulerunt ergo hi principes de suo simul omnes

℣.7. *Auri talenta quinque millia , & solidos decem millia*,&c.] Vide quæ dixi de ponderibus.(*b*) Porrò per *principes possessionum regis* intelliguntur præfecti gazæ regiæ, præpositi agrorum , vinearum & gregum regiorum,de quibus suprà cap. 27.v.25.& sequentibus. b *In Prolegomenis.*

℣.17. *Simplicitas*,hebraicè, rectitudo; græcè,iustitia;designat candorem animi, & rectam puramque intentionem , quæ à Christo vocatur *oculus simplex*,Matth.6. v.22.

℣.21. *Tauros mille*,&c.] Refer non ad sola *holocausta*,quæ proximè præcedunt , sed ad omnes *victimas Domino* die illa *immolatas*, vt antè dicitur, v. g. in *hostias pacificas*,quæ non totæ igni absumebantur , vt fiebat in holocaustis , sed pro maiori parte cedebant offerentibus in epulum:Vnde & hîc subditur , *victimas* illas *abundantissimè* fuisse *in omnem Israel* , id est , omni populo qui tum conuenerat, abundè suffeciisse,scilicet ad lautum epulum.

C ℣.22. *Vnxerunt secundo Salomonem*] Prior enim vnctio , quæ ad preces Bethsabee facta fuerat *in Gihon*,3.Reg.1.vers.45. tumultuario & subitaneo opere & coram paucis facta fuerat. Itaque conueniebat, eamdem publicè & solemniter institui toque Israele præsente & consentiente iterari. Eadem opera etiam *Sadocum* solemniter inunxerunt in summum pontificem : fortè ne quis locus esset cauillationi , non esse legitimum pontificem , qui à Saule tyranno potiùs quàm rege intrusus esset in munus sibi non debitum , vtpote viuente legitimo pontificatus herede Abiatharo, pontificis tum defuncti filio. Et verisimile est , Abiatharum eiusque sequaces sparsisse eiusmodi rumores , sub id maximè tempus publici schismatis , quo alter *Adoniæ*, alter *Salomoni* palàm fauebat. Vnde Salomon , qui suggerente Dauide iam tum decreuerat exauctorare *Abiatharum*, solumque *Sadocum* eiusque posteros pontificatui adhibere , ne quis exinceps de illius vnctione scrupulus cuipiam inhæreret , voluit eamdem hac occasione coram vniuerso Israele seu iterari,seu comprobari.

LIBER

LIBER SECVNDVS
PARALIPOMENON.

CAPVT I.

Obtulit mille hostias à Salomone in Gabaon. Deus illi nocte apparens offert ei quod sapientiam, cum immensis diuitiis & gloria. Numerus curruum eius & equitum.

¶. 5. ALTARE Moysis *aeneum requisiuit Salomon*] adeundo illud in Gabaon, vt super eo sacrificaret Domino.

¶. 10. *Vt ingrediar & egrediar coram populo*] scilicet vt regem decet. Ea phrasi explicant Hebræi omne genus publicæ actionis & conuersionis.

¶. 13. *Coram tabernaculo fœderis*] Hebraicè, *de coram tabernaculo*; LXX. *à facie tabernaculi*. Nam *tabernaculum fœderis*, vt hîc dicitur vers. 3. non erat tum *Ierosolymæ*, sed *in Gabaon*, vnde Salomon rediB bat.

¶. 15. *Sycomorum*, arbor est Palæstinæ familiaris, plebeiorum ædificiorum fabricis subseruiens, parum ad firmitatem & speciem idonea: vsitata tamen, quia exiguo parabatur impendio. Opponitur *cedro*, nobili, speciosо & firmo admodum ligno, principum regumque palatiis adhiberi consueto.

¶. 16. *Adducebantur* Salomoni *equi de Ægypto, & de Coa*] Cùm enim in Israelitide terra pauci ad id tempus equi procrearentur, necesse fuit vt Salomon, si quos præstantes optarer, aliunde accerseret. Ægyptum verò plurimis ac generosis equis abundasse, vel ex illo Cantic. 1. vers. 8. colligere est, vbi cùm sponsus sponsæ suæ robur egregium depinC gere vult, comparat illam *equitatui* suo *in curribus Pharaonis* regis Ægypti.

Porrò *Coa*, hebraicè *Kueh*, non est *Goa* Lusitanici imperij in India Orientali caput, vt nonnemo somniauit: nimis enim difficilis & sumptuosa vectura fuisset è regionibus vsque adeò remotis. Sed si proprium est ciuitatis nomen, est emporium particulare aliquod vel Ægypti, vel Ægypto confine sic nominatum. ita Mariana. Sin verò appellatiuè sumatur; (nam Hebræum *kueh* significat *congregationem*:) tum *emporium* in genere denotabit ad quod mercatorum *congregatio* vndique confluit: eritque sensus, quòd ex Ægypti emporiis equi maximo numero Ieroſolymam statoque certoque pretio ad Salomonem quotannis aut quot mensibus adduceD retur.

CAPVT II.

Decernit Salomon pro templo struendo architectos & operarios: transigit cum Hiram rege Tyri de perito artifice transmittendo, ligniſque ad templum necessariis.

¶. 2. NVmerauit non de Israelitis, sed de *proselytis*, vt dicitur v. 17. id est, de aduenis ad Iudaismum conuersis. Vide dicta 3. Regum 5. vers. 13.

Præpositos] Hebraicè *menazeah*, quod sæpe positum habes in titulis psalmorum. Et hinc patet, nihil aliud ibi designare, quàm *præpositum* vel *præfectum* cantorum. Porrò dicuntur hîc operibus Salomonis præpositi fuisse 3600. cùm 3. Regum 5. v. 16. vbi eidem agitur, non numerentur nisi 3300. Respondeo, ibi prætermissos fuisse *præpositos* superiores *præpositorum* inferiorum: qui erant *trecenti*, & hîc supplentur.

¶. 13. *Hiram patrem meum*] In Hebræo Chaldæo & Græco est *Hiram patris mei*, supple seruum vel architectum. Quo modo autem (vt Noster vertit interpres) eumdem Hiramum possit etiam vocare rex *patrem* suum, dixi 3. Reg 7. v. 13.

CAPVT III.

Construitur templum, cum porticu, & duabus columnis aneis ante foras templi.

¶. 1. IN *monte Moria*] Ibi Abraham olim obtulit filium suum, Genes. 22. v. 14. eratque ex aduerso montis Sion, in quo arx constructa fuit. *Area Ornan* erat in *monte Moria*, vt dixi 1. Paralip. 21. v. 25. Erat verò

¶. 3. *In mensura prima*] Id est, ea specie mensuræ qua primò tabernaculum à Moyse constructum fuit. Cùm enim progressu temporis & *cubiti*, & *palmi*, & aliæ mensuræ mutentur, Salomon in templo suo construendo voluit vti eâdem prorsus *cubiti* mensura qua Moyses vsus fuerat, sed duplum numerum cubitorum adhibuit, vt dixi 3. Reg. 6. vbi vide reliqua huius capitis.

¶. 5. *Domum maiorem* (putà *Sanctum* seu, Sanctuarium, quod medium est inter *porticum* & *Sanctum sanctorum*) & maius vtroque: *texit tabulis ligneis abiegnis*, sed immixtis *laquearibus cedrinis*, vt dicitur 3. Reg. 6. v. 9.

Aurum obrizum ex S. Hieronymo quidam putant dictum quasi *Ophirizum*. Vide infrà cap. 8. vers. 18.

¶. 15. *Duas columnas*] Istas descripsi 3. Reg. 7. v. 15. & sequentibus.

¶. 16. *In oraculo*] Pro *sicut in oraculo* ita Mariana & Sá.

CAPVT IV.

Altare holocaustorum aeneum, mare fusile, decem concha aneæ, decem candelabra aurea, mensa, phialæ, & cetera supellectilia sacra.

¶. 2. FVNICVLVS *triginta cubitorum*, &c.] Id est circulus seu peripheria maris ænei erat triginta cubitorum, nempe triplo maior diametro eiusdem. ita LXX.

¶. 3. *Similitudo boum*, &c. Id est præter 12. boues, quibus tamquam fulcris mare insistebat, erant in anteriori parte maris, spatio decem cubitorum, (quæ erat tertia pars peripheriæ maris) alia capita boum prominentia: fortè per illa, tamquam per epistomia, aqua educebatur. Erantque

hæc

hæc *duobus versibus*, Hebr. & LXX. *duobus ordinibus*, distincta, vno infra labium, altero versus fundum. Hæc capita *erant fusilia*, hebraicè *fusa in fusura eius*, scilicet maris. neque enim erant seorsim adiecta, sed simul cum *mari* ex eâdem forma prodierant.

¶. 9. *Basilicam grandem*] Hebraicè & græcè, *atrium magnum*, scilicet pro populo porticibus vndique circumdatum.

¶. 13. *Malogranata quadringenta*] Quomodò ergo cap. 3. vers. 16. tantùm dixit *centum malogranata*? Respondeo, Quaterni erant ordines malogranatorum, bini in singulis columnis. In quoque ordine erant *centum malogranata*: vel, si præcisum vis numerum, *nonaginta sex*, vt dicitur Ierem. 52. vers. 23. At 3. Reg. 7. vers. 20. dicuntur fuisse *malogranatorum ducenti ordines* in vnoquoque capitello. Respondeo, Per *ordines* ibi intelliguntur *areolæ* vel *annuli*, reticulato opere confecti, & ordine in orbem dispositi, qui in singulis capitellis erant ferè ducenti, in quibus totidem pendebant malogranata.

¶. 21. *Florentis*] Hebraicè, *flores*; nempe opere fusili imitabatur flores liliorum, vel etiam alios.

CAPVT V.

Illatis in templum vasis sacris, variisque donarijs, arca solemniter in Sanctum sanctorum inducitur. Et gloria Domini implet templum.

¶. 9. VECTES *paululum longiores erant*, quàm ipsa arca. 3. Reg. 8. v. 8. simili modo dicitur, *Cùm eminerent vectes*, &c. non à Sancto sanctorum) nam murus interiectus id impediebat) sed ab ipsa arca, vtpotè multò longiores quàm arca: *& apparerent summitates* seu capita *eorum foris Sanctuarium*. hebraicè, *ex sanctuario non apparebant vltrà*, seu magis vltrà, *extrinsecus*, id est extra locum *oraculi*, putà ab iis, qui paulò remotiùs stabant ab ostio, quo ex Sancto ibatur in Sanctum sanctorum. Vult dicere, vectium arcæ extremitates illis solis conspicuas fuisse qui ad ipsum oraculi ostium propiùs accessissent, non item iis qui paulò remotiùs constitissent. ita Sanctius.

¶. 10. *Nihilq; erat aliud in arca, nisi duæ tabulæ lapideæ*] Nam licèt à tempore Moysis huc vsque, dum in tabernaculo nullus alius esset locus in quo tutò ac religiosè possent reponi, *virga Aaron* (a) *quæ fronduerat, & vrna* (b) *aurea cum manna, & Deuteronomium Moysis* reposita fuerint, vel *intra arcam* (vt insinuat S. Paulus ad Hebræos 9. v. 4. & docet S. Augustinus, S. Thomas, Theophylactus, Oecumenius, Arias Montanus, Salmeron & Sanctius:) vel saltem *ad latera arcæ* (vt de Deuteronomio diserte iussit Moyses, Deuteron. 31. v. 24. & tenent Liranus, Abulensis, Caietanus, Burgensis, Ribera, Azor & alij.) tamen, ex quo conditum fuit stabile templum, & in eo varia ad latus vtrumque gazophylacia, in quibus res illæ sacræ possent commodè decenterque asseruari, videntur ab arca semotæ, & in vicinum aliquod conclaue traductæ. Sanè de libro Deuteronomij constat, paucis pòst sæculis, inter alios templi thesauros fuisse repertum, 2. Paral. 34. v. 14. vbi *Helcias sacerdos cùm efferretur pecunia, quæ illata est in templum Domini*, dicitur *reperisse librum legis Domini per manum Moysi*.

a *Num.* 17. v. 10.
b *Exod.* 16. v. 33.
S. Augustin. q. 105. in Exod. S. Thomas. Theophyl. Oecum. & Salmer. ep. ad Heb. c. 9. Arias in Apparatu libro de Sicle. Liran. & Abul. hic. Caiet. & Burg. in ep. ad Hebræos c. 9. Ribera l. 2. de Templo c. 2. Azor to. 1. l. 6. c. 47.

¶. 11. *Nec adhuc in illo tempore* encæniorum, *vices & ordo inter* sacerdotes *diuisus erat*] Hebraicè, *non obseruabatur*. Nempe confluxerant non ij soli quibus ministerium ea septimana incumbebat) neque enim hi sufficiissent: sed omnes quotquot ex toto Israele haberi poterant. Quod idem mox de Leuitis & cantoribus subiungit. Cetera huius capitis vide 3. Reg. 8.

CAPVT VI.

Rex Salomon populo publicè benedicit, Deoque gratias agit de promissis olim Dauidi factis iam opere completis: orat enixè vt populi in templo precantis vota semper Deus exaudiat.

¶. 13. FECERAT *Salomon basim æneam*] Hebraicè *labrum* seu *concham*, scilicet in vsum suggestus. Nisi malis de theatro regio id interpretari, quod 4. Reg. 16. vers. 18. *musach* sabbathi vocatur. *In medio basilicæ*, id est in atrio populi, vt dixi c. 4. vers. 9.

¶. 28. *Ærugo* propriè *æris rubigo* est: *aurugo*, vitium coloris in homine, quod *ictericia* dicitur, ab *auri* colore sic nominatum. Sed vtrumque hic pro *segetum* vitio poni videtur; LXX. tamen verterunt, *æris corruptionem & ictericiam*.

¶. 41. *Consurge Domine in requiem tuam*, id est, hìc requiesce: mane in templo hoc, quod elegisti vt in eo quiesceres. *Tu & arca fortitudinis tuæ*] Sic vocat, ob miracula stupenda, quæ ad arcæ præsentiam facta sunt aduersus Chananæos, Philisthæos, & alios hostes.

Sacerdotes tui induantur salutem] id est, à te seruentur. Psal. 131. v. 9. *Induantur iustitiam*, id est sanctitate & innocentia vitæ floreant.

¶. 24. *Ne auertas faciem christi tui*] id est, *mei* qui christus, id est in regem vnctus sum. q. d. Ne repellas preces meas; ne patiar à te repulsam.

CAPVT VII.

Igne cælitus demisso absumuntur parata iam sacrificia. Dedicatio templi diebus septem celebratur: die octauo fit collecta. Deus Salomoni revelat, se ipsius orationem exaudisse.

¶. 6. MAIESTAS, hebraicè & græcè *gloria Domini*] scilicet nubes splendida, quæ Dei præsentiam, gloriam & maiestatem repræsentabat.

¶. 6. *Sacerdotes stabant in officiis suis*] Hebraicè & græcè, *per custodias suas*. nempe distributi per turmas suas fungebantur singuli officijs suis. Simili modo *Leuitæ* stabant *in organis carminum Domini*, id est, cum instrumentis omne genus musicis, quibus *canebant per manus suas*, id est manibus & plectris pulsantes psallebant *carmina* in honorem & laudem Dei à Dauide composita.

¶. 8. *Fecit Salomon solemnitatem in tempore illo*] Id est, peractâ dedicatione templi per octiduum, celebrauit consequenter alio octiduo festum scenopegiæ, quod eodem illo mense celebrari debebat. Hæc & reliqua huius capitis explicui 3. Regum 8. vers. 2. Vti & de *collecta*, Leuit. 23. vers. 36.

CAPVT VIII.

Etiam sibi nouum construit palatium Salomon, variasque exædificat ciuitates: reliquias Gentium facit Israelis tributarias: statas holocausta nomine & sumptu regis efferenda decernit: sacerdotum ac Leuitarum ministeria, iuxta designationem Dauidis, constituit: mittit classem in Ophir, vnde plurimum ipse auri.

¶. 1. EXPLETIS *viginti annis, postquam ædificauit*] LXX. *in quibus ædificauerat*.

¶. 2. Ci-

℣. 2. *Ciuitates, quas dederat*, id est reddiderat, *Hiram Salomoni*] vt dixi 3. Reg. 9. v. 13. vbi & reliqua vide huius capitis. A

℣. 4. *Palmiram*] Sic à Græcis vocatur ciuitas sita supra *Syriam superiorem* itinere duorum dierum, vnius ab *Euphrate*. Vnde oriundus *Odenatus Palmirenus*, Zenobiæ maritus, in historia Romana notus.

Ioseph. l. 8. Antiq. c. 2. Hæc, teste Iosepho, à Syris vocabatur *Thalamora*, & in Hebræo & apud LXX. est *Thadmor*.

℣. 17. *Abiit Salomon*, vel per se, vel per suos, *in Asiongaber*] Portus est in dorso *maris rubri*. tempore Iosephi vocabatur *Berenice*, à regina sic dicta: hodie *Suez* nominatur à Turcis & Persis.

℣. 18. *Misit ei Hiram naues*] istic in ora maris Rubri fabricatas vel coemptas. Neque enim è portubus *Tyri* transtulit classem in *Asiongaber*: hæc enim ex mari Mediterraneo in mare Rubrum seu Erythræum per tanta locorum spatia transferri debuisset, sed è Tyro misit solos *nautas suos*, qui in classe Salomonis, eius sumptibus in Idumæa, ad litus maris Rubri seu constructa, seu coempta, vnà *cum seruis Salomonis*, in *Ophir* nauigarent. B

Gnaros maris] imò primos, vt creditur, inuentores rei nauticæ. Nam teste Tibullo;

Prima ratem ventis tradere docta Tyrus,

Et Pomponius Mela dicit Phœnices (qui ijdem sunt cùm Tyriis & Sidoniis) primos artem nauigandi commentos esse. Sed de hoc fusiùs Sapientiæ 14. v. 6.

In Ophir] Quidam per *Ophir* putant designatam *Zophalem*: quidam *Angolam* in Æthiopia: quidam *Hispaniam*: plures *Peruanum* regnum in India Occidentali haud ita pridem ab Hispanis detectum. ita Vatablus & Arias Montanus. Et his fauere videntur Hebræa & LXX. lib. 2. Paralip. c. 3. v. 7. vbi pro eo quod Vulgatus legit, *Aurum erat probatissimum*, ipsi habent, *aurum erat Paruaim*. Sed ibi non est C sermo de hoc auro *Ophir*, sed de auro quod Dauid è vicinis gentibus bello subactis maxima copia collegerat, & filio suo Salomoni in thesauris reliquerat.

Dico ego per *Ophir* verosimillimè designari *auream Chersonesum*, quæ complectitur regnum *Peguanum*, *Malacam* & *Sumatram*, in India Orientali. ita Iosephus, S. Hieronymus, Gaspar Varrelius, Sanctius, & alij plerique. Fauet huic sententiæ Primò, quòd circa ea loca putetur habitasse *Heuila* frater *Ophir*, Genes. 10. v. 29. Ibi enim est fluuius *Phison* seu *Ganges qui circuit terram Heuilath* Gen. 2. v. 11. Deinde classis Salomonis soluebat *ex Asiongaber* portu *maris Rubri*, viciniore Indiæ Orientali & Peguano regno, cùm *Peru* toto cælo inde distet, vt patet intuenti mappam mundi. Tertiò, quia neque Salomonis tempore, neque multis pòst sæculis explorata fuit à quoquam nostri orbis regio Peruana D propter Zonam torridam interiectam, quæ suo ardore aditum ad vlteriora præcludere putabatur. Quartò, quia non in *Peru*, sed in *Pegu* reperiuntur ea omnia quæ hîc ad Salomonem ex *Ophir* vnà cum auro *obriso* seu *Ophiriso* adducta dicuntur c. 9. v. 21. putà *ebur*, *simiæ*, *paui*, *gemmæ*, *aromata*, *ligna odorata*. Denique Maffæus tradit, *Peguios* stirpem suam referre ad exules Iudæos, qui ad *aurifodinas Ophir* à Salomone damnati fuerunt.

Ioseph. sup. Hieron. epi. 140. Varrel. l. de Ophir.

Cf. Lus. l. 1. Ind.

CAPVT IX.

Aduentus reginæ Sabæ. Prouentus annui Salomonis. Hasta, scuta, omniaque conuiuij vasa aurea. Solium eburneum auro intertextum. Mors denique post annos regni 40.

℣. 5. VERVS *est sermo quem audieram de virtutibus tuis*] Hebraicè, chaldaicè, *de verbis*, id est de rebus à te gestis, vel te concernentibus. Et sic etiam legitur 3. Reg. 10. vers. 7. vbi omnia quæ reginam Sabæ spectant, fusè exposui.

℣. 16. *In armamentario, quod erat constitum nemore*] seu circumdatum nemore. id est, *in domo saltus Libani*, vt vertunt LXX. ibi enim erat armamentarium Salomonis.

Nota. Pro trecentis aureis, quibus singula scuta hîc tecta dicuntur, 3. Reg. 10. v. 17. habes *tres libras* seu *minas auri* in Hebræo & Græco. Nempe *mina* continebat *centum drachmas* seu aureos. Sed interpres Latinus cùm dicit, *trecentas* fuisse *minas*; per *minam* intelligit *siclum*. Quomodo & Iosephus nomen *minæ* vsurpat, cùm dicit Iosephum à fratribus venditum Ismaelitis pretio viginti minarum, id est siclorum argenti.

℣. 21. *In Tharsis*] Inter filios *Iauan* Gen. 10. vnus fuit nomine *Tharsis*, qui in diuisione gentium sortitus putatur eas insulas, quæ à *Cypro* ad Orientalem & Aquilonarem plagam spectant: quibus & nomen suum indidit *Tharsis*. Vnde *Cilicia* tota dicta fuit *Tharsis*, quasi regnum *Tharsis*: & primaria Ciliciæ vrbs sita in littore maris, nomen illud retinuit, dicta *Tharsus*: vt ex 2. Iudith & 2. Machab. 4. colligit Sanctius. Porrò ab insulis illis *Tharsis* etiam mare vicinum eodem nomine vocatum est *Tharsis*. Quod mare quia Hebræis ob frequentia commercia erat notissimum, aliorum verò remotiorum mariuum nomina neque nota, neque audita ipsis; hinc factum, vt quodcumque aliud *mare*, etiam Oceanum, vocarint *Tharsis*: & similiter ignotas sibi insulas mari instar Ciliciæ adiacẽtes vocarint *Tharsis*. sicut & Latini nomen *Ponti*, quod est proprium maris Pontici, commune fecerunt cuiuis etiam alteri mari. & *Indias* vocamus non eas solas regiones, quas Indus fluuius perluit, sed & quasuis alias nostro hemisphærio oppositas. & *Mauros* dicimus non solos ex Africa Mauritanos, sed & quosuis alios Mahometanos, quorum propria nomina nos latent. Simili modo factum, vt & Hebræi regioni *Ophir*, sibi minùs adhuc notæ, notum sibi *Tharsis* nomen inderent, vt 2. Paral. 20. vers. 36. & omnes similes insulas sibi ignotas, omnia maria, quorum peculiare nomen ignorabant, *Tharsis* vocarent. Hinc psalm. 47. Isaiæ 23. Ezech. 1. & alibi, vbi Noster, nunc *naues Tharsis*, nunc *nec maris* vertit, in Hebræo vbique est *naues Tharsis*.

CAPVT X.

Filius & successor Salomonis Roboam spreto seniorum consilio, iuuenili fastu populum contemnens, discindit regnum Israelis in duas partes. Ipse non nisi duabus, reliquis decem tribubus Ieroboam imperat.

℣. 4. PATER *tuus* Salomon *durissimo iugo nos pressit*] Non fuerant antè conquesti Israelitæ, tum quia minùs graue fuerat vectigal: tum quia ad templi & regiæ domus frabricam, & Israelitici imperij præsidium atque ornamentum, denique ad communes & publicos ac necessa-

necessariòs vsus impendi videbant. At cùm sub extrema illius tempora suas potiùs spectaret delicias mulieroſus senex, & tot feminarum gregibus delicatè ac fastuosè alendis extortam à subditis pecuniam impenderet; id ferre vltrà populus nec voluit, nec valuit. & Salomoni quidem non nisi obmurmurare quotidie: Roboamo verò palàm quoque obsistere, ac, nisi immanes illos & impudicos sumptus minuat, obedientiam denegare ausi sunt.

¶. 14. *Pater meus cecidit vos flagellis, ego verò cædam vos scorpionibus*] Prouerbiali sermone significat stultus Roboam, à se populum multò quàm à Salomone dùriùs affligendum. Nempe videri voluit ad minas subditorum impauidus, & potiùs minari ipsis & insultare, quàm obsequi & delinire. Vnde comprobatur verissimum fuisse illud Eccli. 47. vers. 27. *Dereliquit post se* Salomon *de semine suo, gentis stultitiam, & imminutum à prudentia, Roboam, qui* stulto *consilio suo gentem* suam *auertit* à se: & propterea 2. Paral. 13. v. 7. dicitur *rudis* fuisse & *corde pauido*: nam si generoso & forti animo fuisset, puerile coætaneorum suorum consilium spreuisset & repulisset, & sanis seniorum monitis acquieuisset. Porro natus erat *Roboam* matre Ammonitide, quæ Naama dicebatur. ità habetur 3. Reg. cap. 14. vers. 21.

Nota, *scorpiones* hîc vocari plantas spinosas, vel etiam lora quæ aduncis aculeis seu stimulis armantur sicut scorpius, & ita corpus pulsant, vt etiam lacerent ac discerpant. & in hoc à flagellis distinguuntur, qualia sunt nuda lora, vel taureæ, vel virgæ ex lentis seu arborum seu fruticum ramis, quibus corpus solùm pulsatur seu tunditur, non verò etiam discerpitur. Vide Columellam.

Columella l. 3. cap. 10. de vitibus.

¶. 15. *Erat enim voluntatis Dei*] Hebraicè, *erat causatum à Deo*; nempe permittente Deo, nec impediente cùm posset, vecordiam & stultitiam *Roboami*. De qua re fusiùs egi Genesis 45. vbi Ioseph dicit, se Dei voluntate venditum fuisse à fratribus suis.

CAPVT XI.

Roboam, dum vult armis integrum regnum paternum recuperare, à Deo per Prophetam Semeiam inhibetur. Interim sacerdotes ac Leuitæ, plurimique alij ex decem tribubus Ieroſolymam confluunt deserto Ieroboamo. Roboam ex pluribus vxoribus plurimas proles gignit.

¶. 1. ELECTORVM *atque bellantium*] Id est selectorum bellatorum. Hebræum *bahur* & *electos* significat & *iuuenes*.

¶. 11. *Posuit in eis principes*]. Hebraicè, *duces*, militares nempe, cum iusto præsidio, aduersus recentem, vicinum, potentemque hostem Ieroboamum. Vnde & de sufficienti commeatu *frumenti, olei & vini*, itemque de *armamentario* benè instructo prospexit *singulis vrbibus*, nempe limitaneis: vt, si qua subitò ingrueret obsidio, aut vis hostilis, resistendo essent.

¶. 14. *Eò quòd abiecisset eos Ieroboam*] scilicet à munere sacerdotali & Leuitico. Cùm enim nollent ipsi sacrificare aut seruire in idolis, neque Ieroboam permitteret eos Ieroſolymam adire ad sacrificandum aut seruiendum vero Deo; fiebat vt omni prorsus sacro munere priuati manerent. Maluerunt tamen proprias sedes & vrbes relinquere, & ad tribum Iuda transmigrare, quàm sacris suis functionibus ita priuari. Vide 3. Reg. 12. v. 31. Hi verò transfugæ

¶. 17. *Roborauerunt Roboam per tres annos*] q. d. Hoc vndique tam multorum piorum accursu factum est, vt staret in auita pietate & robore regnum Roboami, saltem *per tres annos, in vijs Dauid, & Salomonis*, supple, priusquam hic in senio peccaret.

¶. 22. *Constituit Abiam in capite*] id est, caput & primum seu supremum omnium. Neque enim erat maior natu, sed ob singularem illius prudentiam prætulit illum parens reliquis omnibus filiis suis, qui erant numero 28. Et ne quod ab his periculum ipsi creari posset, en nouum tyranni inuentum.

¶. 23. *Potentior super omnes filios eius*] supple, vt esset *Abias*: id est, vt commodè præualeret omnibus fratribus suis; captiuos constituit, hebraicè *diuisit*, Roboam *omnes* filios suos seorsim *in cunctis finibus Iuda & Beniamin, & in vniuersis ciuitatibus muratis*, quasi in honestis carceribus, nempe ne possent capita conferre, & conspirare contra *Abiam*. Sed vt carcerem hunc calamitatemque ex parte leniret, regia munificentia abundantissimè prospexit omnibus de *alimentis*, ceterisque necessariis, adeoque & de *vxoribus*, quot & quales vellent; hebraicè, *petiuit* ipsis *turbam vxorum*. Nempe diligentia magna opus erat, forsan & ingenti dote, vt tot nobiles sponsæ & regio thalamo dignæ reperirentur, quæ tali carcere conclusis iungi vellent.

CAPVT XII.

Post tres annos Roboam, delapsi in idololatriam etiam Iudæi, quinto anno regni eius spoliantur à Sesac rege Ægypti, & fiunt illi serui ac tributarij, Mortuo Roboamo succedit filius Abia.

¶. 2. SESAC *rex Ægypti.* vigesimæ primæ dynastiæ rex quintus: qui ab Herodoto & Diodoro Siculo nunc *Sasochis*, nunc *Sebacus*, nunc *Asychis* vocatur: ab Eusebio & LXX. *Susachis*: ab aliis *Osochor*. Iosephus huic *Sesaco* illa attribuit quæ Herodotus, Diodorus Siculus & alij *Sesostri*, nempe, si quando nactus esset in bello aduersarium regem imbellem & timidum (qualem certè nactus est Roboamum, teste vel ipso filio eius Abia, c. seq. v. 7.) eo deicto statuam seu momumentum erigi iubebat, in quo muliebre potiùs aliquid appareret, quàm virile: vt posteris palàm faceret, se cum muliere potiùs, quàm cum viro certamen habuisse. Reges item quos bello superarat, solebat ad currum suum triumphalem iungere, vt inusitata illa pompa se supra reges esse, imò supra homines, declararet. Tale quid Roboamum à Sesaco passum esse non insinuat S. Scriptura. si tamen passus est, extremæ id illi ignominiæ fuit. Et vnde alioqui tam vile, tam sordidum illi deinceps nomen *rudis & pauidi cordis*, etiam inter suos, vt non vereatur filius eius & successor Abias id publicè parenti opprobrare? Et sicut tyrannus Sesacus pactis conuentis, quibus Roboam se illi suosque dediderat, & saluis omnibus fortunis stipendiarios fecerat, barbara fide non stetit, sed thesauros templi & regis funditus expilauit; ita etiam potuit eâdem perfidiâ circa publicam ignominiam regi, vt pauido nimis & pusillanimi inurendam aliquid seuerius statuisse. Expilatâ Ieroſolymâ, dicit Iosephus regem Ægypti domum suam reuersum esse. Sed hoc Scriptura non indicat, & Herodotus ac Diodorus aiunt, ad reliquam *Asiæ* expeditionem progressum, & quidem

Euseb. in Chronico. Herod. l. 2. Diod. Sic. l. 2. Ioseph l. 8. Antiq. c. 4.

dem tam mari quàm terra pugnando vincendoque, vltrà quam pòst Alexander Macedo attigerit, peruenisse.

¥.3. *Troglodytæ*] Hebraicè *Sukkijm*, id est tabernacula incolentes. Sunt verò *Arabes*, qui in tentoriis more Numidarum habitabant, nullam certam sedem vspiam figentes.

¥.7. *Non stillabit furor meus*] supple, ampliùs vel vlteriùs. Exemplum citò conciliati & placati Dei.

¥.14. *Non præparauit cor suum*] scilicet, per idoneam pœnitentiam: etiam pòst tanta flagella manu regis Ægypti ijnmissa. Quod est extremæ impœnitentiæ non obscurum indicium, vt putat Abulensis. Et fortè quod suprà dictum fuit, vers. 6. & 7. *Consternatum humiliatumq; fuisse*, non nisi ex seruili timore pœnarum incurrendarum factum fuerat: aut, si seriò tum pœnituit, non vltra abitum Sesaci regis Ægyptij sese extendit pœnitentia: vt in simili dixi de Achab rege Israel, 3. Regum 21. v. 24. & 25.

CAPVT XIII.

Abia rex Iuda de Ieroboamo rege Israel nobilissimam refert victoriam, cæsis quingentis millibus Israelitarum, multisq; captis ciuitatibus: ex 14. vxoribus prolem procreat 38.

¥.2. MICHAIA *filia Vriel*] LXX. *Maacha filia Abessalom*. & ita legitur 3. Reg. 13. v. 2. Erat enim etiam *Absalom* binomius, pro more gentis & temporis istius.

¥.4. *Stetit Abia super montem*] nempe, vt ex edito loco meliùs vndique posset exaudiri eius oratio, qua conabatur persuadere sequacibus Ieroboami, vt eo relicto ad antiquam religionem, & obedientiam legitimi sui regis redirent, subderenturque rursus imperio posterorum Dauidis, cui Deus regnum Israeliticum (*a*) dedit *in pactum salis*, id est pacto æternùm duraturo. Quòd verò, factâ diuulsione Israelis à Iuda, non fuerit curæ *Roboamo* parenti suo vt diuulsas partes quacumque demum via iterum coadunaret; id stupori & ruditati illius, & cordi nimis pauido adscribendum, nec sibi iam fraudi esse debere, cui & sat animi consilijque ad id tentandum, & sat virium esset ad cogendum vel inuitos.

(a) 2. Par. 7. v. 18. & alibi.

¥.9. *Quicumq; initiauerit* (LXX. *impleuerit*, id est consecrauerit) *manum suam in tauro de bobus*; hebraicè, *in vitulo filio bouis, & in arietibus septem, fit sacerdos*. q. d. Non nisi falsi sacerdotes apud vos sunt, sicut non sunt nisi falsi dij; quid ergo vobis præsidij ab his sperandum? Eodem spectant ceremoniæ, quas dicit illibatas à suis obseruari.

¥.11. *Proponuntur panes in mensa mundissima: estque apud nos candelabrum aureum, & lucernæ eius*] Ex hoc loco, & quia deinceps numquam nisi vnius mensæ, & vnius candelabri fit mentio, colligit Torniellus, Sesacum regem Ægypti, cùm expilaret thesauros templi, ex *denis mensis*, & *denis candelabris*, quæ rex Salomon in templo collocarat, (*b*) non reliquisse nisi vnam mensam, vnumque candelabrum, eoque Iudæos deinceps contentos fuisse, sicut fuerant antequam templum à Salomone exstaretur.

(b) 2. Par. 4. v. 8. & 20.

¥.20. *Quem percussit Dominus, & mortuus est*] scilicet *Ieroboam*, qui duobus tribusve post infelix hoc prælium annis extinctus est. *Seder-Olam* Hebræum exponit percussum *Abiam*, qui toto biennio ante *Ieroboamum* occubuit, nec nisi tribus annis vniuersum regnauit, vt dicitur v. 2. huius cap. Forsan ingratior fuit erga Deum pòst obtentam nobilissimam victoriam, quà prostrauerat ex Israelitis æmulis suis *quingenta millia virorum fortium*, v. 17. atque ita indignum se præbuit longiore vita: cùm nihil æquè displiceat Deo, atque animi ingratitudo.

CAPVT XIV.

Defuncto Abia succedit filius Asa, qui, euerso idolorum cultu, corroboratus à Deo, Zaram regem Æthiopum cum mille millibus armatorum ad internecionem concidit.

¥.2. REX *Asa subuertit altaria peregrini cultus, & excelsa; & confregit statuas, lucosq; succidit* Atqui 3. Reg. 15. v. 14. dicitur, *Non abstulit excelsa*, quomodo hæc conueniunt?

Respondeo. Duplicis generis erant apud Iudæos *excelsa*, quo nomine altaria & templa in locis altioribus erecta designantur: quædam profanis idolis erant erecta, *cum statuis & lucis & peregrino cultu*: hæc omnia euertit Asa. quædam vero Deo erant erecta, sed loco non debito: hæc non euertit Asa, vt habetur 3. Reg. 15. v. 14. Neque tamen hoc illi vertitur hîc magno vitio, quia plurimi putabant id adhuc licere condito iam templo, & certo loco Ierosolymis statuto pro publico cultu diuino & sacrificiis; sicut licuerat plerisque ante conditum templum, cùm nullus dum vnus certus locus talis designatus esset. Quia tamen prudentiores sciebant, id illicitum esse, neque hoc poterat regem latere; hinc saltem pro næuo notatur tum in *Asa*, tum in aliis quibusdam etiam piis regibus, quòd seu metu popularis offensionis, seu neglectu accuratioris disciplinæ toleraverint eiusmodi *excelsa*, quæ vero Deo subseruiebant. Et idcirco Ecclesiastici 49. v. 5. *præter Dauidem, Ezechiam* & *Iosiam omnes* alij reges Iuda peccasse dicuntur, nempe excelsorum vel vsu, vel tolerantia culpabili.

Nota, regem Asam hîc dici excelsa, quæ profanis diis erecta fuerant, hoc sensu subuertisse, quòd statuas & altaria sustulerit, lucos exciderit, peregrinum omnem cultum inhibuerit: non verò quòd ipsa quoque *templa* seu *fana* vbique à fundamentis exciderit, nam plurimis pepercisse, & cultui veri Numinis accommodari permisisse, ac nominatim in monte Oliuarum, patet ex 4. Regum 23. v. 13. vbi rex Iosias illa *excelsa quæ* ibi *ædificauerat Salomon* variis *idolis*, ab Asa quidem iam expurgata, sed ab aliis postmodum idolorum cultui restituta, rursus dicitur polluisse.

¥.6. *Nulla temporibus eius bella surrexerant*] nempe, ad id vsque tempus, quo de muniendis vrbibus suis consultabat: nam pòst ingruit horrendum bellum, cùm anno decimo quinto regni Asæ, vt notat Salianus, & colligitur ex vers. 10. cap. sequentis, *Salian. anno mundi 3094.*

¥.9. *Egressus est contra* Iudæos *Zara Æthiops*, cum *decies centenis millibus* armatorum; qui tamen opitulante suis Deo, *& exercitu illius*, id est populo Iudaico, vel etiam angelico cœtu, *præliante ad internecionem* omnes cæsi sunt. Hunc Æthiopem vult Torniellus non ex Africa prodiisse, sed ex Asia, nempe ex Madianitide Iudæis vicina, vnde originem traxit vxor Moysis, quæ propterea *Æthopissa* dicta est. Emanuel Sà & Ioannes Mariana pendent, vt Æthiopem hunc faciant regem Ægypti, qui contemptim vocetur Æthiops. Et huic sententiæ fauent Hebræi in suo *Seder-Olam*, vbi aiunt, hunc *Zaram* restituisse *Asæ* prædam omnem *Torniell. an. 5. an 71.*

Seder-Olam c. 16.

nem quam Ierosolymis viginti sex antè annis *Sesacus* abstulerat. Sed verisimilius est,quòd Abulensis, Serarius, & alij tenent, ex propriè dicta Æthiopia in Africa,Ægypto & Libyæ contermina prorupisse. Nam cap.16.v.8.vbi certum est de his *Æthiopibus* agi,disertè coniunguntur Æthiopes *Libyis*,quos nemo extra Africam collocarit. Quid mouerit hunc Æthiopem ad hoc bellum, incertum; forsan & ipse totius Asiæ inhiabat imperio, vt nuper Sesacus. Forsan è sterili & arente solo aspirabat ad terram lacte & melle manantem, cuius reges animis inter se armisque dissidentes, nullo negotio putabat opprimi posse.Et erat in oculis exemplum nuperæ expeditionis *Sesaci*, cuius in castris hic forsan Æthiops tunc adolescens militarat,& maximam spoliorum partem Ierosolymis adhuc relictam meminerat.Sed vanam spem superbi Æthiopis eluit Deus, & ipso cum centum myriadibus suis prostrato,spolijs Æthiopum ditauit Iudæos:& hac ratione compensauit iacturam quam nuper à Sesaco acceperant. Quæ fuit fortè Rabbinorum mens, quum dixerunt, *Zaram Sesaci* prædam *Iudæis* restituisse.

¶.13.*Gerara*]Vnde nunc *Geraritica*, ait Hieronymus,regio est trans *Daroma*,id est, ad Australem plagam, à *Maresa* in finibus Iudææ, vbi nunc *Eleutheropolis*, distans viginti millibus. Eratque olim terminus Chananæorum ad Austtralem plagam,& metropolis Palæstinæ. Scriptura ponit eam inter *Cades* & *Sur*, hoc est inter duas solitudines, quarum vna, *Sur*,Ægypto iungitur:altera,*Cades*, vsque ad *Saracenorum* eremum protenditur. hæc Hieronymus. E quibus patet, Iudæos, non leui terrarum tractu,fortè continuis aliquot diebus,Æthiopas insecutos fuisse, & fugientes cecidisse.

CAPVT XV.

Azarias Propheta predicit destituendum Israelem multo tempore,veri Dei cultu, lege & sacerdotio. Eiusdem Prophetæ monitis excitatus Asa rex, reliquias exscindit idololatriæ,propriamq; matrem idololatram imperio priuat.

¶.1. AZARIAS *filius Obed*] Nomen parentis additur, vt hic Propheta distinguatur ab *Azaria* pontifice, qui sub idem tempus summo sacerdotio fungebatur.ita Mariana.

¶.3. *Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero, doctore, & lege*] id est, absque cultu & cura veri Dei, doctoris & legis diuinæ. Designat præsens tempus in regno *Ieroboami* & successorum illius : & etiam in regno *Iuda* futura tempora sub impijs regibus, Ioramo,Ochonia, Athalia, Achaz, Manasse, & filijs Iosiæ Ioakimo & Sedecia : sed omnium maximè quæ post occisum Messiam sæcula iam labuntur, quibus Iudæi sine cultu & cura veri vnius & trini Dei, suique Messiæ, sine vllo legitimo sacerdote & sacrificio, sine lege ad salutem idonea miserrimi degunt toto orbe dispersi.

¶.10. *Mense tertio*] Siuan, in quem incidit festum *Pentecostes*: vt re ipsa demonstrarent, se acceptam ferre Deo omnem victoriam de Æthiopibus partam. *Immolauerunt in die illa Domino, de manubiis*, id est, de pecunia quam ex vendita præda collegerant.

¶.17. *Cor Asa erat perfectum cum Domino cunctis diebus eius*] Sed sermo est de sola perfectione quoad externum cultum vnius veri Dei & exstirpationem idololatriæ : nam in quibusdam aliis peccasse certum est ex sequentibus,& ex cap. seq.v.7.10.& 12.Vbi,cùm graui podagra per triennium laboraret, reprehenditur quòd non tam Deo,quàm medicorum industriæ *confisus* sit : sicut & contra regem *Baasa* potiùs à *Benadad rege Syriæ*, quàm à *Deo rege cæli & terræ* auxilium quæsierit : quòd item *Prophetam Hanani*, qui hoc nomine illum arguebat,& quidem iussu Dei,stomachabundus non audierit, imò *in neruum* miserit, id est in carcerem compegerit:quòd denique *de populo*, dum suo indulget furori, multos occiderit. Sed hæc peccata, quantumuis grauia,quia tamen cultui externo Dei, de quo solo hîc iam agitur, non aduersantur, non etiam obstiterunt, quo minùs *eo* regis *Asæ* in aliis quę cultum veri Numinis concernebant, integrum perfectumque mansisse censeretur.

¶.19. *Vsque ad trigesimum quintum annum regni Asæ*] id est regni Iudaici, quod à morte Salomonis,vti ab Israelitico reliquarum decem tribuum solemni schismate seiunctum fuit,hîc potest dici tum cœpisse. ita Hebræi, Torniellus, Salianus, Sanctius & Mariana. Sic initio c. sequ. 16. v. 1. dicitur, *Baasa rex Israel ascendisse in Iudam anno trigesimo sexto regni Asæ*, id est regni Iudaici quod tunc administrabat *Asa*,cuius annus regni proprius tum voluebatur decimus sextus, proximus ab Æthiopica victoria. Patent hæc ex 3. Reg. 16. vers. 8. vbi dicitur *Baasa* è viuis excessisse anno 26. regis *Asæ*: quomodo ergo potuit 36. anno regis Asæ, id est nouennio post mortem suam, cum *Asa* prælio decertare? *Hebr.sup. Torniell. anno 3094. Sanctius in 3.Reg.15. v.16. Mariana c.16.v.1.*

CAPVT XVI.

Rex Asa territus copijs Baasæ, regis Israel, in auxilium aduocat Benadad regem Syriæ. Quo nomine reprehensus ab Hanani Propheta, eum coniicit in carcerem. Inde podagrâ extinguitur anno regni 41.

¶.1. VRbem *Rama* in tribu Beniamin (a) vi Iudæis extortam Baasa rex Israel *circumdabat muro*] nempe in faucibus & in primo introitu sitam muniebat nouis muris & propugnaculis, vt sic obstrueret Iudæis aditum omnem & exitum ex illa parte. (a) *Iosue 18. v.25.*

¶.7.*Idcirco euasit Syriæ regis exercitus de manu tua*] Nam si Deo nixus fuisses, non solùm *Baasam* regem Israel, sed & *Benadad* regem Syriæ ipsi confœderatum, vicisses eiusdem Dei ope, qua antè vicisti Æthiopes longè his numerosiores & potentiores.

¶.10. *Interfecit de populo plurimos*] nempe qui ægriùs ferebant vincula Prophetæ *Hanani*,& præferuidæ regis iræ ac furori audaciùs obloquebantur.

¶.12.*Ægrotauit Asa dolore pedum vehementissimo*] In Hebræo & Græco additur,*vsque ad supra*, nempe ad caput.Cùm enim podagricus humor caput impetiit, & dolorem ciet vehementissimum, & mortem accelerat.

¶.14. *Sepulchro quod foderat sibi in Ciuitate Dauid*] Aliud nempe à sepulchro Dauidis & Salomonis : vt solent ferè principes in eâdem quidem cum proauis basilica, sed singuli separatum sibi ab aliis monumentum & mausoleum construere.

Plenum aromatibus cadauer, putà balsamo, myrrhâ & aloë, quibus aduersus putrefactionem infarciri cadauera solent. Vti ad præpediendum fœtentem halitum, quem ex se caro exanimata reddit,

reddit, inungitur tam ipsa, quàm vicina omnia, A *vnguentis meretricis*, id est valdè fragrantibus, qualibus meretrices vti consueuerunt, partim vt fœtentem halitum suum, quem confectæ stupris non secùs ac sanioſa cadauera exhalant, ex parte contegant: partim vt stultorum procorum naribus sese insinuent. & incautos capiant.

Et combusserunt super eum] Hebraicè, *ei combusserunt*, supple aromata, quæ supra & iuxta cadauer continuò exurebantur. Vnde patet non tam ipsum cadauer apud Iudæos, quàm iuxta cadauer *aromata* comburi *consueuisse*, vt multis exemplis docet Gaspar Sanctius & alij.

Sanctius 1. Reg. vlt. v. 12. & 4. Reg. 8. v. 24.

CAPVT XVII.

Filius Iosaphat patri Asa succedit, potens armis & opibus: mittit doctores legis per vniuersam Iudæam vt populum instruant. Opera eius & gesta egregia: Principes & numerus militum.

¶. 2. IN *ciuitatibus Ephraim*] supple, & aliis aliarum quarumdam tribuum: nam *& de Manasse & de Simeon* plures relicto rege Israelitico *confugerant ad* regem *Iuda*, vt dictum fuit cap. 15. vers. 9. Vt mirandum non sit, Iosaphatum sub signis recensere potuisse vndecies centena & sexaginta millia bellatorum: vt habemus in fine huius capitis. B

¶. 6. *Cumq; sublimasset cor eius audaciam propter vias Domini*] q. d. Animos ad præclara quæuis audenda pio regi dabant non militares copiæ, licèt innumeras haberet: non thesauri, quantumuis essent immensi: sed sola obseruatio mandatorum Dei, quâ & inuictus & imperterritus reddebatur. Hanc ergo vt non in se modò, suaque aula & vrbe regia promoueret, sed & per totum regnum quàm latissimè propagaret, (quæ cura bono principi vel maximè cordi esse debet,) delectu habito eorum qui & industriâ valerent, & zelo promouendæ salutis aliorum flagrarent, C

¶. 7. *Misit de principibus suis* politicis, quaquauersum in omnes ciuitates Iudaicas, *& cum eis Leuitas* ac *sacerdotes, vt docerent populum leges Domini.*

¶. 12. *Ædificauit* passim *in Iudæa domos ad instar turrium*] Hebraicè, palatia tam alta, tam splendida, tam munita, vt turres viderentur & castella. Nempe cùm *infinita* illi essent *diuitiæ*, v. 5. egebat plurimis & ærariis & gazophylaciis, & armamentariis omne genus.

¶. 16. *Amasias consecratus Domino*] Hebraicè & græcè, *voluntarius Domino*: fortè sine stipendio aliove emolumento, solùm vt Deo placeret, & publico commodaret, se *militiæ deuouerat* Amasias. ita Mariana. Fortè *Nazaræus* erat. ita Emanuel Sà. Fortè *Leuites* vel *sacerdos* erat. nam & ex hoc ordine præfuisse militiæ, patet ex 1. Paral. 27. vers. 5. & 6. Qui verò hîc vers. 17. ab eximio robore commendatur *Eliada*, in Hebræo, Chaldæo, & Græco dicitur fuisse de tribu Beniamin. D

CAPVT XVIII.

Iosaphat filio suo Ioramo sumit vxorem filiam impij Achab regis Israel: cum eodem ascendit in bellum contra Syros, 400. pseudoprophetis victoriam promittentibus, solo Michea contrarium prædicente. Ex cuius vaticinio occiditur Achab.

¶. 1. AFFINITATE *coniunctus est Iosaphat Achab*] quia *Ioram* filius *Iosaphati*, ductâ in vxorem filiâ *Achabi* Athaliâ, *generi illius factus* erat, vt est in Hebræo: & habetur c. 21. v. 6.

¶. 20. *Processit* in medium *spiritus* quidam malignus, seu Satan. Rabbini somniant hunc *spiritum* fuisse animam *Naboth*, tyrannicè nuper iussu Iezabelis lapidati, 3. Reg. 21.

¶. 25. *Ad Ioas filium Amelech*] Ita est in Hebræo: sed LXX. verterunt, *ad filium regis*. Hic forsan erat ex filiis Achabi vnus, cui cum aliquibus aliis rex iturus ad bellum aduersus Syros custodiam vrbis *Samariæ*, & partis regni administrationem ad tempus demandarat.

¶. 27. *Et ait* Michæas: *Audite omnes populi*] q. d. Vtinam omnibus innotescant quæ iam prædixi futura! & omnes memores sint me sigillatim omnia prædixisse!

¶. 34. *Porrò rex Israel*, etsi grauiter vulneratus, ne tamen milites deficerent animis, si viderent regem saucium excedentem prælio, suosque deserentem; præsens mansit quamdiu potuit, & vsque ad vesperam *perstitit in curru suo*, compresso tantisper vulnere. Sed sanguine paulatim prorumpente, & viribus deficientibus, excedere coactus sub vesperam finem fecit & bello, & vitæ.

Reliqua huius cap. exposui 3. Regum vltimo.

CAPVT XIX.

Iosaphat ex infelici prælio domum reuersus incolumis, à Iehu propheta corripitur ob præstitum Achabo auxilium. Ipse iudices monet de seruanda iustitia: sacerdotes & Leuitas de cultu Dei promouendo, & populo recte instituendo.

¶. 2. IMPIO Achabo *præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitiâ iungeris*, & affinitate: à cuius conuersatione decebat te, quantum fieri posset, alienum esse. Cum hostibus enim Dei nimis familiariter agere citra necessitatem, aut publicam vtilitatem, valdè displicet Deo, vt colligitur ex psal. 138. & 139. & patet ex hîc adiunctis, *Idcirco iram quidem Domini merebaris*, id est, dignus eras, quem Deus iratus grauiter puniret: *sed bona opera inuenta sunt in te*, quorum intuitu peccatum hoc omne, & pœnæ peccati omnes tibi à Deo condonantur. Quod Nota pro merito bonorum operum aduersus hæreticos.

¶. 4. *Egressus est*, lustraturus ditionem suam, *ad populum de Bersabee*, id est ab vna regni extremitate, *vsque ad montem Ephraim*, alteram regni extremitatem.

¶. 6. *Non enim hominis exercetis iudicium, sed Dei*] Quia iudices sunt vicarij Dei, & Deo rationem sunt reddituri. Quòd si diuinum officium est ius dicere, & Deus à nobis id exigit; cur negant Anabaptistæ, pio & Christiano homini id licere bonâ conscientiâ?

¶. 7. *Non est apud Deum iniquitas*, seu iniustitia, *nec personarum acceptio, nec cupido munerum*] q. d. Ergo nec apud vos, qui Dei vicarij estis, quidquam istiusmodi residere potest. Digna sententia, quæ omnium curiarum parietibus, vel potiùs omnium iudicum cordibus inscribatur.

¶. 11. *Amarias sacerdos*, summus, *in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit*, id est, in Ecclesiasticis negotiis & causis. *Porrò Zabadias super opera, quæ ad regis officium*, id est, causas & negotia politica curabit.

Vbi Nota distinctionem fori seu magistratus Ecclesiastici & ciuilis, contra Anglocaluinistas & nostros Arminianos.

CAPVT XX.

Aduersus Moabitas, Ammonitas & Syros ieiunio & oratione dum pugnat Iosaphat, ipsi mutuis cadunt vulneribus: spolia cedant Iudæis. torrò ob fœdus initum cum Ochozia impio rege Israel, corripitur à Propheta, & punitur à Deo.

¶.1. FILII *Ammon, & cum eis de Ammonitis*] Hi habitabant in montanis Seir, vt patet ex ex seq. vers. 10. & 23. erantque mixti ex Idumæis posteris Esau, & Ammonitis, vnde nunc hoc, nunc illo nomine vocitantur.

¶.2. *De locis quæ sunt trans mare*] putà mortuum: iamque traiecto illo mari seu *lacu Asphaltite*, castrametantur in *Engaddi*, in finibus regni Iuda.

¶.5. *Atrium nouum*] seu innouatum, & ad vsus populi vndique accurrentis de nouo adaptatum. ita Liranus. Cùm enim atrium in loco templi multiplex esset à Salomone constructum, & vnumquodque maximæ capacitatis, vtpote tot hominum myriadibus vndique ex omnibus tribubus ter in anno simul Ierosolymam accurentium: cùm sub Roboamo facto schismate desinerent decem tribus eò accurrere, superfluum erat tantum spatij: vnde videntur partes quædam atriorum tum temporis vel occlusæ, vel desertæ, vel aliis vsibus applicatæ. Verùm cùm tempore Iosaphati, vt vidimus c. 17. ex pluribus tribubus plurimi recurrerent in Ierusalem, debuerunt laxari rursum spatia, & partes atrij vnius alteriusve, quæ aliò conuersæ fuerant, vsibus populi nimis ingenti numero confluentis restitui. Vnde *nouum* dicitur hîc *atrium*, quia de nouo ad vsus populi reclusum & adaptatum.

¶.13. *Omnis Iuda stabat coram Domino cum parvulis, & vxoribus, &* grandioribus *liberis suis*] Solemne enim erat tam Hebræis, quàm Gentilibus, cùm grauis immineret calamitas, ad preces publicas adhibere etiam vagitus infantium, quo faciliùs placarent offensum Numen. Sic Iudith 4. v.9. *Infantes prostrauerunt contra faciem templi.* Et suadet Ioël c.2.v.16. *Coadunate senes, congregate paruulos & sugentes ubera.* Idem fecêre Niniuitæ (*a*) & alij, teste S. Basilio & Ambrosio.

a *Ionæ 3.v.5. S. Bas. ho.8. in anaros. S. Ambr. serm.40.de Niniuitis.*

¶.33. *Populus non direxerat cor suum ad Dominum*] scilicet *perfectè*. Nam diuelli non poterat ab excelsis, quo minùs ibi quoque sacrificaret Deo, licèt præceptum (*b*) esset, vtin solo templo Ierosolymitano (quia is locus erat quem Deus ad id delegerat) sacrificia offerrentur.

b *Leuit. 17. v 1. Deut.12. v. 6.*

¶.34. *Quæ Iehu digessit in Libros regum Israel*] Hebraicè, *in librum*; græcè, *in libro*. Hinc patet, Iehu Prophetam auctorem esse, saltem partis alicuius, libri toties citati, seu *fastorum* regum Israel: & hunc librum esse prorsus alium à libris his Paralipomenon, cùm ab his ad illum remittamur.

¶.35. *Iuiit amicitias*] Hebraicè, *societatem*. Qualis hæc fuerit, sequitur.

¶.36. *Et particeps fuit vt facerent naues in Asiongaber, quæ irent in Tharsis*] Ex his constat, *Tharsis*, cuius hîc mentio, non esse aliquam ex vrbibus aut portubus maris Mediterranei, (nam *Asiongaber* portus est maris Rubri:) sed Oceano adiacere. de quo pluribus suprà cap.9. v.21.

CAPVT XXI.

Pio parenti succedens impius filius Ioram occidit fratres suos, & quosdam principes Iuda. Sed Elias Propheta missis regi è paradiso literis minatur pessimum regi morbum ac mortem, ac regni cladem quæ omnia mox consecuta sunt.

¶.4. OCCIDIT *omnes fratres suos gladio*] Forsan opponebant illi se Ioramo, ne à paterna & auita religione ad Achabi soceri sui idololatriam defleeteret. Et eadem potuit fuisse causa necis *principum*, quos etiam hîc occidisse perhibetur. Sed en mox vindicem Dei manum, & horrendas plagas. Quarum prima

¶.8. *Rebellauit Edom*, seu *Idumæa*, ne amplius esset sub regibus Iuda: cumque ad id vsque tempus paruisset vicè-regibus à Iudæa submissis (vt alibi (*c*) dixi) iam facta rebellis proprium *sibi*, neque amplius Iudææ subiectum, *regem constituit*. pudebat enim Idumæos tam *fœdo* monstro, & in suos tam crudeli subesse: & licèt mox *Seira*, id est terra *Seir*, seu Idumæa, mouente aduersus ipsam Ioramo, succubuerit in prælio, vt habes 4. Regum 8. vers. 21. coactique singuli *refugerint in* propria *tabernacula*; Ioram tamen vel conscientiâ scelerum animos adimente, non est ausus vti victoriâ, & fugitiuos ad tributa rursus pendenda cogere: vel nouis Philisthinorum, Arabum & Æthiopum bellis impetitus, vt hîc dicitur vers. 16. non potuit persequi fugientes Idumæos, atque ita continuauit rebellionem suam Idumæa *vsque ad hanc diem*, id est perpetuò exinceps, vsque dum hæc à sacro Scriptore litteris mandarentur. Tunc impleta est Isaaci patriarchæ prophetia Genes. 27. vers. 40. de iugo Iudaico ab humeris Idumæorum excutiendo, vt ibidem exposui.

c *In fine lib.3.Reg. & initio lib.4. item. c.3. v.9.*

¶.10. sequitur secunda plaga, *Eodem tempore & Lobna recessit*. ciuitas erat ex regiis Chananitidis vna, Iosue 12.v.15. quæ in funiculo *tribus Iuda* assignata fuit Leuitis: non ergo soli vectigales defecerunt à Ioràmo, sed & ex domesticis & contribulibus non pauci.

Tertia plaga continetur litteris Eliæ Prophetæ iam à nouennio ex hominibus abrepti curru igneo, sed è paradiso ad regem Ioram angelo vel homine quopiam internuncio transmissis. ita Hebræi, Liranus, Bellarminus, & alij. Vide quæ dixi 4. Regum c.2.v.11. Litteras ipsas habes hîc v.12. quibus exprobrat Elias regi fœdam idololatriam & fratricidia, prædicitque ei cladem publicam, bonorumque suorum rapinam, vt & vxorum & filiorum: quam mox (vt subditur v.16.) intulerunt Arabes, Æthiopes & Philisthini.

Hdr. in Seder-Olam cap.17.

Iisdem litteris continetur & quarta plaga, nempe mors probrosissima, per lentam viscerum egestionem, post tabem duorum annorum v.18.

Quinta plaga, denegatus illi honor sepulturæ regalis vers. 19. hîc, & 4. Regum 8 vers. 21. *Sepelierunt eum in Ciuitate Dauid, verumtamen non in sepulchro regum: neque fecit ei populus secundùm morem combustionis, exequias, sicut fecerat maioribus eius.* Non quòd moris esset apud Hebræos *cadauera* comburere, sed in cadauerum exequiis comburebant varia aromata, vt fusè probat Sanctius hîc & 1. Regum vltimo.

De *lucerna* domus Dauid hîc v.7. vide ps. 131. vers. 17.

CAPVT

A

CAPVT XXII.

Impium Ochoziam filium Ioram regem Iuda occidit Iehu, simul & Ioram regem Israel. Impia Athalia occidit omnes filios Ochoziæ, vnico Ioas natu minimo per Iosabeth amitam suam neci subtracto.

¶.1. OCHOZIAS] Hic *minimus natu* filiorum Ioram, c. præc. v. 17. *Iochaz* vocatur.

¶.2. *Quadraginta duorum annorum erat Ochozias*] Quomodo, cùm pater eius, dum moreretur, non fuerit nisi quadraginta annorum? vt dicitur in fine cap. præced. Respondeo, mendosè hic legi, 42. *annorum*: legendum 22. *annorum*, vt legitur 4. Regum 8. v. 26. Vnde verò mendum irrepserit, dixi in Chronico cap. 29. in Ochozia. Porrò mater Ochoziæ Athalia vocatur hic *filia Amri*, phrasi Hebræa, id est *neptis*. Nam erat filia *Achab* filij *Amri*, vt patet ex cap. præced. v. 6. & 4. Reg. 8. v. 18.

B

¶. 10. *Siquidem Athalia interfecit omnem stirpem regiam*] nempe filios omnes Ochoziæ, quos ex variis vxoribus & concubinis (vt ferebat illius temporis consuetudo) plures susceperat. neque aliam illos occidendi causam habuit, quàm vt, sublatis omnibus nepotibus, ad quos hereditario iure regnum pertinebat, auia sola regnaret, & suo arbitratu omnia administraret.

¶.11. Porrò *Iosabeth*, vel *Iosaba*, *filia regis Ioram*, *soror Ochoziæ* (sed ex alia matre quàm ex Athalia) vxor (a) Ioiadæ summi pontificis, *tollens Ioas filium Ochoziæ*, vnius anni puerum, quem *inter cæsorum cadauera* fratrum, inquit Iosephus, opinione omnium mortuum, *nutricis operâ* deprehendit, *ablatum furtim domi suæ abdidit*, *& solo marito conscio sex annis abscondit* in templo, *in cubiculo lectulorum*, id est in vno *triclinio* seu *pastophorio*, qualia plurima erant circa ædem sacram, in quibus degebant qui excubiarum, vel custodiæ, vel alterius ministerij causa templo adesse debebant.

(a) 4. Reg. 11. v. 2. Ioseph. l. 9. Antiq. c. 7.

Cetera huius cap. vide 4. Reg. 9.

CAPVT XXIII.

Ioiada pontifex vngit septennem Ioas in regem Iuda, præcisis Athalia cervicibus: cultum diuinum restituit: domum, aras & simulacra Baal destruit.

¶.5. QVI *veniunt ad sabbatum*] scilicet, ordine vicis suæ ad ministrandum quaque hebdomada in templo, vt patet 1. Paralip. 23. & 24.

Porta fundamenti, hîc vocatur præcipua porta quæ plagam respiciebat Orientalem. De qua vide Villalpandum.

¶. 6. *Reliquum vulgus*, nempe tum Leuitarum, tum aliorum, *obseruet custodias Domini*] id est præcepta diuina. q. d. Fungatur quisque solito officio suo: cuncta vt aliis diebus procedant: nil insolens aut nouum fiat. D

¶. 10. *Coram altari*] scilicet holocaustorum æneo; quod erat in atrio sacerdotum ante frontem templi. Populus tamen hic cum armis non intrabat hoc atrium: sed ante illud stabat in alio communi atrio Israelitarum.

¶. 13. *Regem stantem super gradum in introitu*] id est super basim æneam, seu in theatro regio, quod alibi *Musach* (b) *sabbathi* vocatur.

(b) 4. Reg. 16. v. 18. & c. 23. v. 3.

Reliqua huius cap. exposui 4. Regum 11.

CAPVT XXIV.

Rex Ioas, quamdiu vixit Ioiada pontifex, bonum se pium se præbet eo mortuo desertâ pietate Zachariam filium Ioiadæ, quòd ab eo reprehenderetur, in atrio templi lapidibus obrui iubet. Anno mox insequenti Iudæa tota Syris in spolium datur: & Ioas rex à proprijs seruis occiditur

¶.6. PECVNIAM, *quæ constituta est à Moyse*] nempe Exodi 30. Sed de his fusè egi 4. Regum 12.

¶.23. *Ascendit contra Ioas exercitus Syriæ*] 4. Reg. 12. v. 17. dicitur, *Ascendit Hazael rex Syriæ*. vtique flagellum Dei ad punienda scelera regis Ioas & populi Iudaici. Nam à morte Ioiadæ pontificis, qui quamdiu vixit regem in officio continebat, perditis consiliariorum suorum. suasionibus in transuersum actus rex Ioas, primò ad idola deflexit, coluitque quæ antè destruxerat; secundò Zachariam filium Ioiadæ auunculi sui, cui post Deum debebat & regnum & vitam, cùm ob tam fœdum idololatriæ scelus tam regem, quàm principes (vti summum decebat pontificem) acriter reprehenderet, in ipso sacerdotali atrio templi iussit lapidibus obrui. sed, en mox diuinam vindictam: vix annus ab occiso Zacharia pontifice lapsus erat, cùm adest Hazael Syriæ rex, qui exiguis copiis infinitam pæne Iudæorum multitudinem concidit & prosternit, omninoque thesauros tum templi, tum regij palatij in Syriam abripit, & in *Ioas ignominiosa exercet iudicia*, vt pòst in Sedeciam Nabuchodonosor 4. Regum 25. nempe acriter & probrosè increpando de ingratitudine, de perfidia, de animi vilitate. Neque ibi stat malum: rex acerbissimo mox corporis dolore cruciatur, lecto affigitur, in regem insurgunt & coniurant serui, decumbentem in lecto trucidant *in domo Mello*. vicina hæc erat C palatio, constructa à Salomone pro filia Pharaonis, & iam fortè regio palatio adiuncta, vide 3. Reg. 9. v. 24. & c. 11. v. 27. Iosephus hos coniuratos dicit amicos fuisse Zachariæ. quod probabile facit illud hîc vers. 25. quo qui in regem *insurrexerunt*, dicuntur insurrexisse in *vltionem sanguinis* Zachariæ, *filij Ioiadæ*. S. Hieronymus putat hunc Zachariam illum esse, de quo Christus Matthæi 23. dicit, occisum fuisse à Iudæis *inter templum & altare*. S. Hieronymum sequuntur D. Thomas, Albertus, Maior, Abulensis, Gagnæus, Iansenius, Salmeron, Maldonat. Barradius & quidam alij. Sed non minùs probabile est, Christum alludisse ad alterum Zachariam, qui in minorum Prophetarum catalogo vndecimus numeratur, vt ibidem probabo.

Ioseph. l. 9. Antiq c. 9.

CAPVT XXV.

Amasias rex Iuda vltus se de cæsoribus parentis sui, de Idumæis quoque victoriam refert: sed in idololatriam delapsus, à Ioas rege Israel bello superatur & capitur direptâ Ierosolymâ: tandemque in Lachis occiditur à suis.

¶.6. MERCEDE *conduxit de Israel centum millia robustorum, centum talentis argenti*] Hinc, ni fallor, clarè colligitur, *talentum* sub hoc tempus non minoris fuisse ponderis quàm *trium millium siclorum*, vt fuit tempore Moysis, etsi daremus Ioanni Marianæ solis ducibus cessisse hoc argentum: milites verò ex præda victitasse. Nam quantilla merces tribuno vni ter centum floreni Belgici? Neque enim pluris fuisse talentum argenti hoc tempore, contendit Mariana. Scilicet, hæc esset ingens illa summa, quæ ne periret,

regium animum adeò solicitum habuit vers. 9. *Quid fiet de centum talentis* argenti, *quæ dedi militibus Israel?*

℣. 7. *Homo Dei* autem seu Propheta, cuius hic fit mentio, in Seder-Olam dicitur fuisse *Amos Isaiæ* pater, *frater* ipsius regis *Amasiæ*.

Filij Ephraim hic vocantur omnes tribus Israeliticæ quæ sub Ieroboamo Ephraimita secesserant à tribu Iuda.

℣. 17. *Veni, videamus nós mutuo*] Simili modo dicitur 4. Regum 14. vers. 8. *Veni, & videamus nos.* Prouocatio est ad bellum, quo disceptetur de dominio regni Israelitici decem tribuum, quas volebat Amasias rursum coniungi sceptro Iudaico, vti coniunctæ fuerant tempore Dauidis & Salomonis proauorum ipsius. ita Iosephus, Comestor & Abulensis.

℣. 18. *Carduus Libani*] quia fortè fortuna prætereuntis incautè viatoris pedem læserat, atque vnam alteramve sanguinis guttam extorserat, quasi re maxima gesta insolescens, & aliis longè præcelsioribus parem se, imò fortiorem ratus, legatione *missa* ad primam & celsissimam omnium arborum *cedrum*, expetijt non rogando, sed imperando, *filiam illius filio suo vxorem*: & quidem primum in ea affinitate locum sibi deposcit, sicut maritus in nuptiali fœdere superior est vxore. Verùm impudentia ista cardui offensæ *bestiæ* quæ ad vmbram cedri stabulari consueuerant, à carduo verò nihil vmquam vtilitatis, vel acceperant, vel sperabant, vt cedro factam iniuriam vindicarent, spinosam & vilem plantam pedibus ita protriuerunt, vt deinceps neque virere, neque sursum attollere se posset. Latini breuiùs, vt talem notent disparem congressum, dicunt leonem ab hinnulo, equum à testudine, aquilam à scarabeo, lusciniam, à pica prouocari ad pugnam, ad cursum, ad volatum, ad cantum. Porrò prouerbium hoc Amasias magno suo damno & probro verissimum esse & sensit, & toti orbi testatum fecit.

CAPVT XXVI.

Ozias seu Azarias pius ac religiosus, de Philisthæis, Arabibus & Ammonitis triumphat: sed animo elatiore dum incensum adolere præsumit in templo, lepra percutitur, filio eius Ioatham regnum administrante.

℣. 5. IN *diebus Zachariæ intelligentis & videntis Deum*] id est, experti & periti in visionibus propheticis. ita insinuant Hebræa & Græca. Hunc Prophetam putant Caietanus & Dionysius fuisse filium alterius *Zachariæ*, quem impius rex Ioas lapidibus obrui iussit in templo cap. 24. v. 21. Hic dum vixit, regique Oziæ familiaris fuit, illum in officio continuit: vbi vita excessit, etiam Ozias à recto deflexit.

℣. 9. *Ædificauit turres in Ierusalem*, &c.] Crediderim, nouis substructionibus impleuisse illam murorum partem, quam cap. præced. vers. 23. Ioas rex Israel *destruxerat à porta Ephraim vsque ad portam anguli*, sic dictam, quòd vrbs ex ea parte *angulum* haberet. Sicut *porta Ephraim* illa vocabatur, quæ sortem tribus Ephraim respiceret.

℣. 10. *Turres in solitudine*, sunt domus rusticæ, vbi conduntur agrorum fructus, & pecora stabulantur, & qui illis præsunt commorantur, quæ & *castella* vocari solent. Sic Christus discurrisse dicitur per *vicos & castella*, id est per rusticorum villas, & mapalia pastorum.

℣. 22. *Reliqua sermonum*, seu rerum gestarum, *Oziæ scripsit Isaias*] Horum tamen nihil iam extat in prophetia Isaiæ, sed prorsus interierunt omnia. Bis tantùm illius obiter meminit, semel c. 6. vers. 1. *In anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super montem excelsum.* Vbi S. Hieronymus, Origenes, Cyrillus & Chrysostomus notant, ideo vsque ad mortem Oziæ distulisse Deum per Prophetas agere cum populo Iudaico, quòd hic contaminaretur consortio & præsentiâ leprosi regis: debuissent enim illum non in vrbe detinere, sed extra mœnia exturbare, vt lege cautum fuerat. Addi posset, debuisse occidere: nàm proposito capitali supplicio vetitum fuerat Numeror. 12. & 18: ne quis præter sacerdotes incensum adoleret: quod tamen fecerat Ozias. Iterum meminit illius Isaias c. 14. vers. 28. cùm Philisthæos ab Ozia sæpiùs attritos, vt hîc habes v. 6. & 7. & iam comperta morte illius vehementer exultantes, sic minabundus alloquitur: *Ne lætetur Philisthæa omnis tu, quoniam comminata est virga percussorù tui* Oziæ: *de radice enim colubri egredietur regulus*, nempe *Ezechias* pronepos *Oziæ*, qui tantò grauiùs vos affliget, quantò grauior est *reguli*, quàm *colubri* morsus. Eodem Ozia adhuc viuente accidit magnus ille terræmotus, cuius meminerunt Amos & ex quorumdam sententia Zacharias Prophetæ: qui tunc contigisse videtur, quando rex attentauit sceleratis manibus incensum offerre Deo. ita Iosephus, & alij Hebræi: neque abnuit S. Hieronymus & Cyrillus. Verba Iosephi sunt: *Ecce tibi terra vehementer concutitur, fissoq; supernè templo, radius Solis, os regis improbum ferit, quod è vestigio lepra contactum est. Accessit & aliud prodigium, quòd eodem terræ motu, ad vrbem, in loco qui dicitur Eroge, dimidium montis ad Occidentem vergentis reuulsum, & per quatuor stadia volutum, obiectu tandem Orientalis montis constitit, obstructa via publica, & oppressis ruina hortis regijs.* Vt mirum non sit, ciues (quod ait Propheta Zacharias) ex vrbe Ierosolymitana profugisse: & regem extemplo ab impio facinore destitisse, territumque loco cessisse, vt hîc dicitur v. 20.

Amos 1. v. 1. *Zach.* 14. v. 5. *Ioseph. l. 9. Antiq. c. 11.*

CAPVT XXVII.

Ioatham pius ac zelosus, egregiam de Ammonitis victoriam refert, quibus mulctam annuam imponit. Sed pio parenti succedit filius impius Achaz.

℣. 2. EXCEPTO *quod non est ingressus templum*] scilicet, ad thus Deo adolendum, q. d. Filius noluit imitari temeritatem patris.

Et adhuc populus delinquebat] delicto tum temporis vulgato, nempe, *sacrificando in excelsis*. Neque ausus fuit rex Ioatham populum ab illis diuertere. Iosephus præclarum huic regi testimonium dat: *Nulla*, inquiens, *ei virtus defuit, erga Deum pio, iusto prò erga homines, & reipublicæ studioso.* *Ioseph. sup.*

℣. 3. *Ipse ædificauit*, seu instaurauit & splendidiorem construxit, *portam domus Domini excelsam*] id est *Orientalem*, quâ ingressus à fronte patebat in templum: eratque hæc omnium præcipua, maximeque *excelsa*. Hanc illam crediderim *portam* esse *nouam*, cuius Ieremias & alij meminerunt.

Ophel vertit Rabbi Kimhi & Pagninus, *arcem*. Sed S. Hieronymus ex LXX. & traditione antiquorum Hebræorum ait duas fuisse præcipuæ altitudinis turres Ierosolymis, vnam *Hophel* dictam à *caligine*, quòd ad nubes pertingeret: alteram *Bahan*, à *probando*, quòd in contemplando culmine probaretur num oculi sat probi & perspicaces essent. Vtriusque meminit Isaias c. 32. v. 14. Et prope alteram

Ierem. c. 26. v. 10. & c. 36. v. 10. Hieron. in Isaiæ 32. v. 14. עפל בחן

ram harum dicitur hic *Ioatham* rex magnam *muri* partem construxisse, cum opportunis propugnaculis & vrbis ornamentis.

CAPVT XXVIII.

Propter scelera Achaz in prædam datur Iudæa, primò Syriæ, secundo Israelitæ (qui tamen monente Propheta prædam relaxant.) tertiò Idumæis, quartò Philisthæis. Impio Achaz succedit pius Ezechias.

℣.4. SVB *omni ligno frondoso*] Id est, sub quauis arbore præcelsiore, & frondibus magis insigni, solebant Gentiles erigere altaria, ibique sacrificare: quòd crederent, singularem aliquam vim Numinis in talibus plantis latere, quæ illas in eam altitudinem & egregiam formam extulisset. ita Mariana.

℣.5. *Regis Syriæ*] Hic est Rasin, de quo 4. Reg. 16. v. 5. Vbi etiam vide reliqua huius cap.

℣.19. *Eò quòd Achaz* impius *rex nudasset* populum. Nihil amplius est in Hebræo; Chaldæo, & Græco: sed Hieronymus explicationis causâ addidit, *auxilio*, scilicet diuino. Videtur alludi ad vestium denudationem, quibus spoliabantur qui idolorum cultui vacabant, v.g. in Bacchanalibus: vt eo ritu demonstrarent, se omni humano naturalique præsidio destitutos, spem omnem in ope solius idoli repositam habere. Simili phrasi Exodi 32. v. 25. dicitur Moyses *populum* vitulo sacrificantem inuenisse *nudatum*.

℣.20. *Thelgathphalnasar*] Alibi *Theglatphalazar*, vel *Theglath-Phul-Assar* vocatur, de quo dixi 4. Reg. 15. & 16. Porrò impius Achaz

℣.24. *Clausit ianuas templi Dei*] ne quis ad sacrificandum vel adorandum eò ingredi posset: Vsque eò enim vrgebat Achaz cultum idolorum, vt nollet vero Deo supplicari: quod nullus ante eum vetarat regum Iuda.

CAPVT XXIX.

Ezechias abolitum Dei cultum, reserato templo Domini, restitutisq; sacerdotibus, Leuitis & cantoribus, instaurat, & plurimis holocaustis Deum placat.

℣.1. FILIA *Zachariæ*, nempe summi pontificis & Prophetæ, qui c. 24. v. 21. à rege *Ioas* interfectus est, fuit mater Ezechiæ, inquit S. Hieronymus. *Hieron. in Trad. Hebr.*

℣.4. *Platea Orientalis* erat quæ ante portam templi Orientalem procurrebat.

℣.15. Per *Domum Dei* intelligitur *atrium sacerdotale*, quod Leuitæ ad iuuandos sacerdotes intrare poterant: sed *templum Domini*, seu sanctuarium, intrare non poterant nisi soli sacerdotes: vnde & hi soli dicuntur hîc *ingressi templum*, & *sanctificasse*, id est mundasse, *illud*, vt habent Hebræa & Græca: efferentes sordes è sanctuario *in vestibulo*, LXX, *in vestibulum*. vnde dein Leuitæ efferebant illas *ad Torrentem cedron*.

℣.17. *Cœperunt prima die mensis primi*, Nisan: & octo priores dies impenderunt *exedris & atriis* sanctificandis, id est mundandis, & pristino nitori restituendis: posteriores alios octo dies *templo*, seu sanctuario purgando insumpserunt. De *Pascha* hîc Scriptura non meminit, quia eo mense iuxta legis præscriptum celebrari non potuit; sed dilatum est in mensem secundum, vt dicitur initio capitis sequentis.

℣.24. *Pro peccato*] Id est hostia seu sacrificium *pro peccato*. de quo vide Leuitic. 4.

℣.30. *Sermonibus*, seu psalmis, *Dauid* regis, & *Asaph Videntis*] id est Prophetæ. Vnde colligimus, psalmos quos iam habemus, non omnes esse vnius Dauidis, sed quosdam ab aliis compositos fuisse, ac nominatim duodecim illos qui *Asaph* inscribuntur, ipsi acceptos ferri debere.

℣.31. *Implestis*, id est consecrastis, *manus vestras Domino*] Nam *implere manum*, est consecrare in sacerdotem, vt alibi (*a*) dixi. (a) 3. Reg. 13.

℣.33. *Sanctificauerunt Domino boues sexcentos*] Id est, donarunt & appropriarunt vsibus templi, non præcisè ad holocausta, vt factum præcedenti versu: sed ad quæuis alia sacrificia, pacifica, pro peccato, &c. v. 33.

℣.34. Per *antistites* intelliguntur *sacerdotes*, qui Leuitis præerant quasi *antistites*. De quorum consecratione vide Leuitici 6. 8. & sequentibus.

CAPVT XXX.

Ezechias missis quaquauersum nuntiis non modò per Iudæam, sed & per reliquas tribus Israel, omnes inuitat Ierosolymam ad Phasc celebrandum. Quod factum maxima solemnitate totis 14. diebus.

℣.1. MENSE *secundo*, debebant iuxta legem (*b*) celebrare *Phasc* quicumque mense primo fuerant impediti vel immundi. Sicut hîc impediti fuerant Iudæi, quia, vt dicitur, (b) Numer. 9. v. 10.

℣.3. *Sacerdotes qui posent sufficere, sanctificati non fuerant*] Neque enim, vt Deo possent sacrificare & fungi muniis sacerdotalibus, sat erat quòd essent de genere sacerdotali: sed singuli debebant initiari & consecrari iuxta ritus præscriptos Leuiti. 8.

℣.6. *Reliquiæ quæ effugerunt manum regis Assyriorum*, vocantur quinque tribus Israeliticæ, quas abductis in Assyriam aliis quinque tribubus quarto anno regis Achaz, reliquerat Teglat-Phalasar in sedibus suis. è quibus tamen sexto anno Ezechiæ etiam ipsæ à Salmanasar eodem abductæ sunt, vt dixi 4. Reg. 15. & 17.

℣.18. *Magna pars populi, quæ sanctificata*, id est mũdata, *non fuerat, comedit Phasc, non iuxta quod scriptum*, seu à Deo per Moysen præscriptum fuerat, nempe, necdum ab immunditiis suis expiata. S. Hieronymus ex sententia Hebræorum ait, eos qui Phasc comederunt immundi, magna ex parte cœlitus immissa plaga occisos fuisse: sed precibus Ezechiæ, sinceram populi intentionem vixque culpabilem ignorantiam allegantis, mox cladem cessasse, & ideo v. 20. dici, *Deum populo placatum esse*.

℣.22. *Locutus est ad cor Leuitarum*, id est, solatus est & laudauit eos, *qui habebant intelligentiam bonam super Domino*] id est *in canticis Domini*. q.d. Peritos canendi laudes Dei, & in hoc suo officio strenuos. Et hęc erat materia & occasio cur à rege collaudarentur.

CAPVT XXXI.

Populus idola lucosq; & aras totâ Iudeâ, & in reliquo Israele demolitur. Ezechias templi munia ordinesq; instaurat.

℣.2. IN *portis castrorum Domini*] Id est, in portis templi, ad quas solebant sacerdotes & Leuitę per vices & turmas conuenire, instar militum.

℣.3. *Pars autem regis erat*] Id est, rex pro parte sua curabat. q.d. Ita diuisit rex ministeria templi, vt ipse non maneret immunis: nam in se suscepit curam prouidendi de suo, vnde iuge holocaustum fieret & aliæ hostiæ: populo verò Ierosolymitano imposuit onus alendi sacerdotes & Leuitas. Cùm enim redditus & rationes templi, ob perturbationem temporum essent admodum impediti, necessum

sum fuit aliundè prospicere necessitatibus templi, & ministrorum illius : *vt possent vacare legi Domini*] Id est, vt expediti curâ rerum temporalium, totos se impendere possent sacro templi ministerio, iuxta præscriptum legis diuinæ.

℣. 6. *Decimas sanctorum quæ vouerant*] Hebraicè, *decimas sanctitatum sanctificatarum*. Id est, decimas rerum omnium ex præscripto legis (a) consecratas addictasque Deo.

(a) *Leuit.19. v.23. Num.18. v. 8. Deut.14. &c.*

℣.11. *Horrea in domo Domini*] LXX. *pastophoria*: erant cubicula, in quibus fruges condebantur.

℣.16. *Exceptis maribus ab annis tribus & supra*] Id est, præter pueros triennes, quibus etiam, vt & aliis omnibus vsque ad annum vigesimum, subministrabantur omnia necessaria. q.d. Non solis sacerdotibus & Leuitis iam vigesimum annum egressis, & in grauioribus templi ministeriis re ipsa occupatis, dabantur à præfectis templi omnia necessaria: sed etiam si quis eorum iam liberos haberet, iisdem quoque de alimentis prospiciebatur: neque maribus tantùm, qui mox ab anno ætatis tertio inscripti catalogo ministrátium puellorum, intrabant cum parentibus templum, deseruituri & ipsi in rebus leuioribus, (quo titulo pars aliqua stipendij deberi ipsis videbatur :) sed & femellis, adeoque & pueruli in cunis, sua quotidie portio tribuebatur de communi. Tanta erat rerum templo oblatarum copia. Et rex nolebat quemquam ministrorum templi distineri curâ rerum necessariarum sibi suisve conquirendarum. Quod vtinam imitentur omnes principes & magistratus Christiani!

CAPVT XXXII.

Sennacherib rege Assyriorum inuadente Iudæam, & Deum cæli blasphemante, Ezechia interim cum Isaia Propheta Deum precibus solicitante, angelus cædit ex Assyrijs 180. millia. Sennacherib à propriis filijs occiditur. Ezechias animo elatiore Deum offendit, & successorem accipit impium filium Manassen.

℣.1. POST *huiusce modi veritatem*] nempe rerum iam narratarum : vel post tam insignem Ezechię iustitiam vitęque integritatem, subsecutæ sunt tentationes.

℣.3. *Capita fontium*] Hebraicè, *aquas fontium*, id est puteos, scaturigines & riuos omnes, maximè *riuum* illum maiorem.

℣.4. *Qui fluebat in medio terræ*] scilicet vicinæ Ierosolymis. Hic riuus infrà vers. 30. vocatur *fons Gihon*, putaturque idem esse qui *Siloe:* & alluit rupem in qua sita est Ierosolyma : inde latè per vicinam regionem quaquauersus excurrebat. Sed Ezechias, vt aduentanti Assyrio subtraheret has aquas, ad fundamenta istius rupis amplam effodit piscinam, quæ præterfluentem aquam contineret tali modo, vt ad eam accedere & inde haurire non posset Assyrius. Deinde persodit eamdem rupem, & per eam decliui lapsu deriuauit aquam in puteos vrbis, quos ad obsessorum vsus intra mœnia effoderat. Habes hæc omnia 4. Reg. 20. v. 20. & Eccli. 48. v. 19. Et *aqueductus regis* mentio fit 2. Esdræ 2. v. 14.

℣.5. De *Mello* vide 3. Reg. 9. v. 24. & c. 11. v. 27.

Herod.in Euterpe, ad finem.

℣.21. *Misit Dominus angelum*, &c.] Ex hac historia desumpsit Herodotus fabellam suam, qua fingit hunc eumdem *Sennacherib* in Ægypto à sacerdote Vulcani fugatum, eò quòd effusa subitò vis murium aggrestium, pharetras, arcus & habenas omnes Assyriorum obedisset. Vbi pro Iudæa substituit Herodotus Ægyptum, pro rege Ezechia sacerdotem, pro Deo Vulcanum, pro angelo mures.

Cumq; ingressus esset Sennacherib *domum*, seu fanum, *Nesroch dei sui* in Niniue, *filij eius, Adramelech & Sarazar, interfecerunt eum gladio*] Rationem dat Rabbi Salomon, quam non improbat Liranus: Quòd Sennacherib ad placandos tum deos suos, tum suorum animos, qui grauiter ferebant filios & amicos in Iudæa tam miserè extinctos, decreuerit more Gentium victimam filiorum propriorum offerre, & suo sic sanguine diis litare. Sed rem subodorati filij, præuerterunt consilia parentis, ipsiusque cædem maturè occupauerunt. Contigit hoc fortè secundo vel tertio mense à reditu in *Niniuen*, vt patet ex Tobiæ 1. vbi dicitur reuersum è Iudæa, ad vlciscendam ex parte quam ibi acceperat cladem, vexasse vehementer Hebræos nuper eò translatos, & eorum plurimos occidisse: ita vt Tobias, bonis omnibus spoliatus, cum vxore aufugere coactus sit. A qua fuga post 40. dies tyrannus à filiis obtruncatus fuit.

℣.31. Per *portentum super terram*, intelligit solem decem lineis retrogressum, de quo dixi 4. Reg. 20. v. 9.

CAPVT XXXIII.

Manasses ob impia scelera captiuus in Babylonem abducitur: sed mox pœnitens regno suo redditur, & Dei cultum instaurat. Defuncto succedit impius Amon: sed huic pius Iosias.

℣. 3. & 5. PER *militiam cæli*, & *exercitum cæli*] intelligebant Hebræi, teste S. Hieronymo, *signa Zodaici, septem planetas*, & reliqua *omnia sidera*. *Hieronim in Trad.Hebr.*

℣. 6. De *Valle ben-Ennom*] dixi 4. Regum 23. v. 10. Vbi & de lustratione filiorum per ignem.

℣. 8. *Moueri non faciam pedem Israel de terra*] Id est, non patiar eijci populum Israeliticum de Chanaanitide optima & fertilissima terra: *si custodierint*, seu diligentissimè studuerint, *facere quæ præcepi eis*.

℣.10. *Locutusque est Dominus ad eum*] scilicet per suos Prophetas, vt dixi 4. Reg. 21. v. 10. Vbi vide reliqua huius capitis.

℣.14. De *Gihon* dixi cap. præced. v. 4.

De *Ophel* c. 27. v. 3.

Porta piscium Ierosolymis ad Aquilonem erat illa per quam ex Ioppe portu maris vicino Ierosolymæ inferebantur pisces, & in vicinia vendebantur. ita S. Hieronymus, & quia prope erat arx Sion, vocabatur etiam *porta Dauid*. Hæc est porta per quam postea Chaldæi irruperunt, vt ex Sophonia colligitur. *Hieron. suprà. Sophonia 1. v.10.*

℣. 16. *Immolauit pacificas* hostias, *& laudem*] id est eucharisticas hostias, in gratiarum actionem & laudem Dei. De quo genere sacrificij vide Leuit. 1. & seqq. capitibus.

℣.19. *Hozai*] Quidam Hebræi, teste S. Hieronymo, putant esse *Isaiam*, quem Manasses serrâ medium dissecuit, vt dixi 4. Reg. 21. v. 10.

CAPVT XXXIV.

Iosias, omni idolorum cultu sublato, templum Domini instaurat: reperto legis libro conterritus, ex illius præscripto omnia constituit, & conuocato omni populo, fœdus renouat cum Deo.

℣. 3. DVODECIMO *anno mundauit*] Hebraicè, & græcè, *mundare cœpit*. Nam sexto demum pòst anno perfecit mundationem, vt dicitur vers. 8.

℣. 5.

℣. 5. Ossa *sacerdotum* idololatrarum *combussit in altaribus idolorum*] nempe vt contactu cadauerum altaria contaminarentur. Neque verò solorum iam olim mortuorum ossa cremabat in illis aris Iosias, sed & cadauera recèns à se hoc nomine occisorum, vt dicitur 4. Reg. 23. vers. 20. Vbi etiam, vt & c. 22. vide reliqua huius capitis.

℣. 12. *Scientes organis canere*] q. d. Præerant operibus & operariis non otiosi homines, & qui nulli alteri rei vacarent, qui magnis conducti stipendiis, maiori subinde sunt dominis suis dispendio: sed ipsi Leuitæ, *qui* stans temporibus canebant seruiebantque *in templo*, subeisiuis horis per vices inuigilabant operi, illudque vrgebant & promouebant, magno & operis & templi compendio.

℣. 22. *Custodu vestium*] seu publicarum quarumdam, seu fortè regiarum.

℣. 28. *Inferetu in sepulchrum tuum in pace*] Atqui Iosias in bello, sagittâ traiectus obiit. Respondeo, non hîc agi de pace priuata & propria regi Iosiæ, qui non pacifica sed violenta morte decessit: sed de publica regni pace & prosperitate, quæ tum quoque vigebat, quando rex Iosias extra regni sui septa profectus est cum copiis suis obuiam Pharaoni regi Ægyptio, & sagittâ læsus fuit. Sed defuncto Iosia, & regiâ pompâ sepulto, statim potentissimorum regum armis turbari regnum cœpit, & omnes miseriæ calamitatesque, quarum hîc mentio, in Iudæos irruerunt. Patet hæc expositio ex immediatè sequentibus verbis, quibus *pacem* hanc exponit per immunitatem ab iis malis, quæ inducturus erat Deus in Iudæam. quæ mala non nisi post mortem Iosiæ, vt iam dixi, inducta fuerunt.

CAPVT XXXV.

Maxima solemnitate celebrat Phasc Iosias: regem Ægypti bello lacessit infelici successu: nam ictus sagitta interijt, maximo suorum luctu, & cumprimis Ieremiæ Prophetæ.

℣. 3. PONITE *arcam in Sanctuario*] Hæc enim tempore vel Manasse, vel Amon subinota fuerat è templo, ne simul cum idolis esset. Tra- *Vatab. sup.* duntque Hebræi, teste S. Hieronymo, illam in domo *Sellum* auunculi Ieremiæ; & mariti *Oldæ Prophetidu*, cap. præced. vers. 22. tantisper depositam fuisse, sed nunc à Iosia iussam templo restitui per sacerdotes & Leuitas. Quibus perfunctis eo officio rex ait: *Nequaquam eam vltrà portabitis*, seu è templo efferetis: quare liberi ab illo onere & cura, totos vos impendite ministerio sacrificiorum & instructioni populi.

℣. 11. *Asperserunt sacerdotes sanguinem* in altari, vt moris erat. *& Leuitæ detraxerunt pelles holocaustorum*] Sicque præparabant hostias, vt à sacerdotibus tantùm demembrandæ essent & ignibus immittendæ. Et

℣. 12. *separauerunt ea* (holocausta) *vt* integrè *offerrentur* & cremarentur *Domino* à reliquis hostiis, quæ *duda* erant *singulis* offerentium, *per domos & familias*] Postquam enim secreuissent ex omni numero tot quot opus erat ad holocausta, reliqua, pecora dederunt populo, vt inde immolarent Phase, & conuiuia celebrarent.

℣. 15. *Prophetæ regis*, hebraicè, *Videntes regis*, vocantur tam ij per quos rex consuerat consulere Deum, quàm ij qui coram rege canere in templo *Vatab.* solerent. ita ferè S. Hieronymus.

℣. 21. *Contra aliam pugnaturum*, (nempe *contra regem Assyriorum*, vt dicitur 4. Reg. 23. vers. 29.) *ad quam me Deus festinatò ire præcepit*] S. Hieronymus putat, Ieremiam Prophetam sic faciendum monuisse, simulque Iosiam ne resisteret Ægyptio, deterruisse. Quod cùm Ægyptio innotuisset, repetit hic & inculcat Iosiæ, sed frustra. Reliqua huius cap. vide 4. Reg. 23.

℣. 25. *Quasi lex obtinuit in Israel*] Id est, in stabilem consuetudinem, imò quasi in legem abiit, vt *omnes cantores & cantatrices*, quoties lugubri carmine volunt aduersum casum aliquem lugere, vtantur verbis eius næniæ seu lamentationis quam Ieremias in morte Iosiæ composuit. Quam si nosse vis qualis sit, *ecce scriptum fertur*, seu scripto extat, *in Lamentationibus* Ieremiæ, quarum postrema pars tota est de morte Iosiæ.

CAPVT XXXVI.

Ex tribus Iosiæ filijs, primus Ioachaz à rege Nechao in Ægyptum, secundus Ioakim cum filio suo Ioachin, & tertius Sedecias à Nabuchodonosor rege in Babyloniam captiui abducuntur, cum omnibus alicuius vota Iudæa. Vrbs & templum Ierosolymitanum flammis euertitur. Iudæa deserta manet vsque ad annum primum Cyri primi monarchæ Persarum.

℣. 6. NABVCHODONOSOR *rex Chaldeorum* Ioakimum *vinctum catenis duxit in Babylonem*] sed mox remisit Ierosolymam in regnum suum: vt colligitur ex 4. Regum 24. vbi & de infami eiusdem morte ac sepultura: itemque de *Ioachini* filij eius successione, & in Babylonem translatione pluribus egi.

℣. 9. *Octo annorum erat cum regnare cœpisset*] vnà cum patre suo: sed iam eo defuncto, cùm solus regnare cœpit, erat octodecim annorum, vt habetur 4. Reg. 24. v. 8. ita Hebræi. Solus autem non regnauit nisi tribus mensibus & decem diebus. Vnde quod sequitur, abductum fuisse in Babylonem,

℣. 10. *cum anni circulus volueretur*] intelligendum est, non ex quo regnare cœpit Ioachin, (neque enim tamdiu regnauit:) sed ex quo annus Iudaicus de more inchoatus fuerat, putà à mense Nisan. Vt idem sit atque, sub finem eiusdem anni, cùm duodecimus finiretur mensis anni, & quartus inchoaretur mensis regni Ioachin.

℣. 13. Nabuchodonosor *adiurauerat* Sedeciam *per Deum*] nempe vt fidelis esset regi Babylonio, comminatus illi, si secùs faxit, iram non suam modò, sed & iusti vindicis Dei. In cuius etiam rei memoriam nomen illi nouum indiderat *Sedecia*, quod significat *iustitiam Dei*: vt dixi 4 Reg. 24. v. 17.

℣. 15. Porrò *de nocte consurgens*, hebraicè *manicando*, id est, maturè, tempestiuè ac diligenter, instar soliciti patrisfamilias, commonebat suos Deus, *eò quòd parceret populo*] id est parcere vellet & extremè optaret. Sed

℣. 16. *nulla erat curatio*] seu remedium. q. d. Frustra erat omnis cura & labor: nec vlla remanebat spes melioris vitæ. Vnde mox subsecutæ pœnæ, de quibus 4. Reg. vlt. & abducti omnes in Babylonem, vel vitâ priuati.

℣. 21. *Donec celebraret terra sabbatha sua*] id est, quiesceret seu feriaretur ab aratione, sulcatione & messione.

Cunctis enim diebus desolationis egit sabbathum] id est, quieuit iam dicto modo: quia desolata & inculta vt plurimum iacuit. Notant Hebræi, noluisse non rarò Iudæos sabbathum ex præscripto legis sanctificare seu obseruare: atque ideo iusto Dei iudicio in pœnam eiusce rei passos esse, vt terra to-

to ca-

to captiuitatis illorum tempore sabbathizaret, non reperto qui colere aut vellet aut posset. Quando cœperint septuaginta captiuitatis & desolationis anni, & quando finierint, dixi in Chronico. Cetera huius cap. vide initio seq. libri 1. Esdræ: nam vltimi versus huius cap. quibus hic liber clauditur, initio illius libri ad verbum repetuntur: argumento, vnum eumdemque Esdram vtriusque libri auctorem seu collectorem esse.

Chron. x. 35.

LIBER I. ESDRÆ.

ESDRAS filius fuit (*a*) Saraiæ summi pontificis, à Nabuchodonosore capite plexi 4. Regum vltimo v. 21. frater (*b*) Iosedeci, & cum eo translatus in Babylonem. Narrat hoc libro, completis iam septuaginta captiuitatis annis, indulto Cyri primi Persarum monarchæ reductos Iudæos Ierosolymam, quam vnà cum templo cœperunt instaurare: sed præpediti aduersariorum calumniis coacti sunt supersedere. Et hæc summa est totius libri.

a 1. Esdræ 7. v. 1.
b 1. Par. 6. v. 14.

CAPVT I.

Cyrus Persarum monarcha verum Deum Israelis agnoscit: Iudæis redisum in patriam concedit: præfectis suarum prouinciarum mandat, vt Iudæos in vrbe & templo Ierosolymitano instaurandis liberaliter iuuent: sacra vasa 5400. à Nabuchodonosore è templo sublata restituit. Quibus instructi principes tribuum Iudæ & Beniamin cum Leuitis remigrant in Iudæam.

¶. 1. ANNO *primo Cyri*] non quo cœpit in Perside regnare, sed quo in Babylone. Neque enim prius potuit Iudæos Babylone captiuos dimittere liberos, quàm ipse Babylone dominaretur: nempe, quando superato & occiso Balthasare rege Babylonis & vltimo Chaldæorum monarcha, Dario quoque Medo socero suo, & imperij consorte, iam è viuis sublato, Cyrus monarchiam totius Orientis solus administrauit. Erat is annus regni Persici ipsius vigesimus septimus. Monarcha verò factus, non nisi triennio in viuis permansit, vt passim Hebræi affirmant & Iosephus, & colligitur ex 3. Esdræ 5. v. vlt. Vide de his nostrum Chronicon.

Hebræi in Seder-Olam Ioseph. l. 11. Antiq. c. 3. Chronicon c. 36. & 37.

Suscitauit Dominus spiritum, id est cor seu voluntatem, *Cyri regis*; *& traduxit* Cyrus *vocem* præconis *in omni regno suo, etiam per scripturam*] seu litteras quaquauersum missas. Quibus Primò, accepta fert *Deo cæli omnia* recèns parta *regna*. Secundò, dicit, eumdem Deum sibi præcepisse vt templum Ierosolymitanum instauraret. Tertiò, iubet id instaurari, omnesque tum Iudæos, tum alios subditos suos ad id excitat & hortatur.

Petes, Vnde hæc regi Gentili tam pia mens? Respondet Iosephus & Theodoretus, quia, suggerente vel Esdra, vel potiùs Daniele, vt antè Dario, sic nunc etiam Cyro perfamiliari, imò conuiua, didicerat, à Deo Iudæorum per Isaiam Prophetam iam ante centum & viginti annos, sibi etiam proprio nomine *Cyri* expresso, addictum prædictumque Orientis imperium, Isaiæ 44. in fine & 45. initio capitis. Vbi etiam templum & vrbem Ierosolymitanam ab eo instaurandam dicit. Quod cùm sine euidenti miraculo prædici tanto tempore non posset, facilè aduertit *Cyrus*, non posse quoque non verum Deum esse à quo id promanasset. Vnde & gratum se illi præstare, & cultores illius insignibus beneficiis prosequi voluit.

Ioseph. sup. c. 1. Theod. in Dan. 1. & vlt.

¶. 4. *Et omnes reliqui*, non Iudæi solùm, qui in Chaldæa permanebant: sed & alij quoque præfecti prouinciarum regiarum, vt colligitur ex v. 6. sequenti, & c. 3. v. 7, quos Iosephus *amicos regios* vocat, iubentur edicto regio ad instaurandum templum quidquid commodè possent, conferre: &, *excepto*, seu præter id *quod voluntariè offerunt templo Dei*, id est præter donaria spontanea in holocausta vel alias hostias, quæ quisque pro placito subministrabat; videtur saltem aliquo modo taxatum fuisse à Cyro, quantum quisque de suo, & etiam de ærario regio in instauranda ædificia conferre deberet: vt fecit etiam postea Darius & Artaxerxes successores Cyri. Imò Cyrum voluisse totum templum suis vnius sumptibus exædificari, patet ex c. 6. v. 4.

Ioseph. sup.

¶. 8. *Vasa templi per manum Mithridatis Gazabar*] id est thesaurarij. Sic enim legendum (omissâ vocula *filij*,) patet ex textu Hebræo, & Græco, tum hîc, tum in alijs (*c*) Scripturæ locis, vbi idem verbum Hebræum *Gazabar*, non vt proprium nomen, sed vt appellatiuum, pro thesaurario vsurpatur. Porrò *vasa* hæc *annumerauit* rex Cyrus *principi Iuda Sassabasar*, id est Zorobabeli, nepoti Iechoniæ regis Iuda nuper è Babylonico carcere per Balthasarem educti, (*d*) & nunc (quia nulla illius exinceps mentio) verisimiliter defuncti. Neque enim alius hoc tempore *princeps* erat *Iudæ* præter *Zorobabelem*, vt colligitur ex c. seq. v. 2. & c. 3. v. 8. collato cum c. 5. v. 16. vbi fundatio templi nunc *Zorobabeli*, nunc *Sassabasari* adscribitur. ita Iosephus, Lyranus, Dionysius, Vatablus, Sà, Mariana, Torniellus & Salianus. Familiare autem fuisse Chaldæis mutare nomina, & vni plura indere nomina, tum aliunde, tum ex Danielis 1. manifestum est. Cùm ergo nepoti regis captiui nomen à tristi parente inditum esset *Zorobabel*, quod *peregrinum in Babylone* significat; vt primùm è tristi carcere contigit regem cum omni familia educi, & mensæ regiæ adhiberi, mutarunt adolescentis nomen in *Sassabasar*, quod *gaudentem in tribulatione* designat. ita ferè Eusebius.

c 1. Esd. 7. v. 21. & 3. Esdræ 2. v. 11. &c.

d 4 Reg. vlt. v. 27.

Euseb. l. 11. de Præpar. Euang. c. 3. & 4.

¶. 10. *Scyphi secundi*] supple, ordinis & generis. Nam primi & præcipui erant *aurei*: secundi *argentei*.

CAPVT II.

Numerus & nomina reuertentium cum Zorobabele in Iudæam. Item munera & donaria in instaurationem templi oblata.

¶. 1. PROVINCIÆ, nempe *Iudææ*, iam in prouinciam Chaldæorum & Persarum redactæ,

dactæ, *filij*, sunt incolæ inde oriundi. Nota, Hebræos, etsi in patriam remitterentur, non tamen ita factos sui iuris, quin serui manerent & tributarij Persarum. vt colligitur ex cap. 4. v. 13. & disertè affirmatur 2. Esdræ 9. v. 36. Vnde nec *duces* habebant in Iudæa, nisi ex voluntate regis, qui primò Zorobabelem constituit 1. Esdræ 5. v. 4. dein *Esdram* & *Nehemiam*, &c. 1. Esdræ 7. v. 14. & 2. Esdræ 5. v. 14.

¶. 2. *Mardochai*] An hic patruus *Esther*? ita sanè potuit. Et, sicut de *Nehemia* dicam v. 36. forsan ad recuperandas possessiones paternas, hac tam commoda occasione excurrit in Iudæam, rediturus pòst paulò in *Chaldæam*, vbi sedem figere decreuerat.

¶. 6. *Filij Phahath* (id est, ducis) cognominati *Moab*, forsan à victoria inde relata, vel exilio ibi acto. Item *filij Iosue*, & filij *Ioab*, posteri duorum insignium ducum. Hi tres ordines simul confecerunt numerum 2812. B

¶. 21. *Filij Bethlehem*] Id est ciues vel è ciuibus eius vrbis oriundi. Cùm enim hactenus per familias distinxerit capita: deinceps per vrbes distinguit, vsque ad vers. 31. forsan quia familiæ erant ignotæ.

¶. 31. *Filij Ælam alterius* ab illo de quo suprà vers. 7. Sed quis non miretur, vtriusque *Ælami* posterorum parem prorsus esse numerum? nempe 1254.

¶. 36. *Sacerdotes*] Hactenus è tribu Iudà & Beniaminia oriundos recensuit: iam ad *sacerdotes* transit: & v. 40. ad *Leuitas*: v. 43. ad publicos *seruos* templi.

¶. 43. *Nathinæi*] Hi erant Gabaonitæ, qui quòd populo imposuissent, publicis templi ministeriis à Iosue c. 9. addicti sunt, vt lignatores essent & aquatores. Inde nomen illi *Nathinæi*, id est, *donati*, scilicet Leuitis & templo in seruos. Sicut autem *Iosue* illos donauit, sic *Dauid* quoque rex alios plures in eumdem vsum bello verisimiliter captos, templo donauit, vt patet ex c. 8. infrà v. 20. Itemque *Salomon* alios, qui hic v. 58. vocantur *filij seruorum Salomonis*. qui ex proselytis erant, & eos Salomon addixerat structuræ templi, 1. Paralip. 22. & 2. Paralip. 2. v. 17. Porrò C

¶. 59. *Thelmala, Cherub*, &c. nomina sunt vrbium Chaldææ, vnde plures emigrarunt in Iudæam, qui tamen probare non potuerunt originem suam ex Iudæis. Sicut nec de *sacerdotibus*,

¶. 61. *Filij Accos*] qui, quòd accepisset *de filiabus Berzellai* sacerdotis vxorem, *nomen* gerebat *filij Berzellai*, sed publicis tabulis probare non potuit, se de recta sacerdotum linea processisse: vnde filij eius ad sacerdotalia munia admissi non sunt. imò & à *sancto* cibo *sanctorum*, seu sanctificatorum ministrorũ templi, id est à sacrificiis & panibus Deo (a) sacris, tantisper reiecti, *donec* v. 63. *surgeret sacerdos doctus atque peritus*, qui nomine Dei pronuntiaret, quid illis facto opus. Hebraicè est, *donec staret sacerdos cum Vrim & Thummim*, id est, donec esset qui ex *rationali* responsum consultus redderet. In *rationali* enim pontificis erant insculpta *Vrim* & *Thummim*. quæ quid essent, dixi Exodi 28. v. 30. Sed illud iam ad manum non erat: & verosimiliter ab *Ieremia* simul cum *arca* fœderis & *tabernaculo* absconditum erat in monte *Nebo*, sed loco omnibus ignoto. 2. Machab. 2. v. 4. & sequentibus. D

(a) Leuit. 21. 22. & 10. & Num. 18. 11.

¶. 63. *Atherfatha*, Chaldaicè vocabatur *Nehemias*, vt dicitur 2. Esdræ 8. v. 9. forsan à Chaldæo *therfa*, id est aluit: & *fatha*, id est bibit, seu potauit. q. d. *Aluit potu*, seu *pincerna* erat *regis*. Nam hic Nehemias, licèt publici boni causâ nunc in Iudæam excurrerit, tamen rediit postea in Persidem, vbi officio *pincernæ* functus est, vt de se ait ipse 2. Esdræ 1. versu vltimo. A

CAPVT III.

Conuocato populo in Ierusalem, extruitur altare holocaustorum: in eo victimæ offeruntur: celebratur festum tabernaculorum: & templi fundamenta instauruntur.

¶. 1. MENSIS *septimus* est *Tisri*, cuius die 15. celebrandum erat *festum tabernaculorum*, vti iam celebrasse reduces è Babylone Iudæos dicitur hîc v. 4. *secundùm præceptum* à Domino *opus diei in die suo*, id est, tot quotidie, tota octaua *Scenopegiæ*, victimas obtulerunt, quot, & quo ritu præceptum erat Numerorum 29. Hinc videmur posse colligere, Iudæos Babylone egressos sub veris initium mense Martio, & in iter impendisse circiter quatuor menses; tum enim supererant illis adhuc duo menses, quibus & altare erigere, & ad septimi mensis celebritatem omnia parare possent.

¶. 5. *Holocaustum iuge* quale sit, vide Numeror. 28. v. 3. &c.

¶. 7. *Ad mare Ioppe*] Pro *ad portum Ioppis*, qui Ierosolymæ vicinus, & etiamnum totius Palæstinæ celeberrimus est.

¶. 8. *Zorobabel filius Salathiel*, filij Iechoniæ regis Iuda, de quo egi cap. 1. v. 8. Hic erat supremus princeps politicus: Ecclesiasticus summus erat *Iosue*, aliàs *Iesus*, filius *Iosedec*, filij *Saraiæ* summi pontificis occisi à Nabuchodonosore, 4. Regum vlt. Eratque & ipse hic *Iosue* summus iam pontifex in Iudæa, nepos *Esdræ* ex fratre, vt dixi in summario huius libri.

¶. 10. *Laudarent Deum per manus Dauid*] id est, per opera Dauid, putà *psalmos* à Dauide compositos, & instrumenta musica ab eodem rege concinnata.

¶. 11. *Eò quòd fundatum esset*] Id est, fundamenta instaurata essent templi. Nam superstructio impedita fuit, vt videbimus capite sequenti.

¶. 12. *Flebant voce magna*] propterea quòd initia huius ædificij non responderent pristinæ amplitudini & maiestati prioris templi. Flebant quoque vestigia calamitatum præteritarum, quæ se vndique in oculos ingerebant. Lætabantur nihilo minùs de tam felici rerum mutatione: de propensa tanti monarchæ erga se voluntate & beneficentia: de templo Domini iam quasi reuiuiscente: &, quod caput est, de diuino Numine sibi reconciliato. Itaque tot animi motus maximum excitabant populi clamorem, gemitu, lachrymis, lætitia & iubilo confusum. Verùm lætitia hæc non admodum diuturna fuit.

CAPVT IV.

Samaritani inducunt præfectos regios, vt impediant instaurationem templi & vrbis Ierosolymitanæ. Qui, obtento à Cambyse Cyri successore rescripto regio, illam iubent intermitti.

¶. 1. HOSTES *Iudæ*] Hi sunt Samaritani, vt constat ex v. 2. & 10. De quibus egi 4. Regum 17. v. 24.

Filij captiuitatis, Iudæi vocantur, quia olim captiui, & recèns è captiuitate reduces.

¶. 2. *Asor Haddan*, filius est *Sennacheribi* regis Assur,

sur,vt dicitur 4.Reg.19. v. vlt. Respondet Esdras A Samaritanis:

℣. 3. *Non est vobis & nobis*] supple, quidquam commune in hac fabrica.

Petes, Cur noluerunt Iudæi iuuari à Samaritanis? Respondeo, Verebantur, ne quid forsan illi, vt iurati hostes, admiscerent seu doli, seu damni: item, ne postea vel sibi templum quasi à se constructum vendicarent, vel eò sacrificulos suos & idola introducerent. Vel saltem iactarent, Samaritanorum operis & impensis assurrexisse templum Iudæorum. Quo sanè facto suo Iudæi Christianos docent vitare commercium cum hæreticis in omni re quæ religionem vel cultum Dei concernit.

℣.4. *Factum est igitur*, cùm non succederet simulationis artificium, *vt populus terræ*] id est Samaritani, aliam tentarent viam, quâ instaurationem templi de facto præpediuerunt: nempe B

℣. 5. *Conduxerunt* pretio & muneribus *consiliatores*] id est præfectos regios, de quibus v.7.& sequentibus: nempe præsides prouinciarum & quæstores, vt non nisi tardè & malignè sumptus subministrarent: atque ita variis fraudibus quamdiu Cyrus, quem sciebant operi fauere, in viuis esset, remorati sunt fabricam. Vbi verò mortuum acceperunt, aperto marte sese Iudæis oppossuerunt, cùm datis ad Cambysen Cyri filium & successorem accusatoriis litteris, abeo rescriptum extorserunt, quo Iudæi ab omni fabrica supersedere iuberentur. *Chron.c.37.*

℣.6. *Assuerus* chaldaïcè *Artaxerxes* persicè, vocabatur *Cambyses*, eratque commune omnium regum istarum gentium nomen, sicut Ægyptiis *Pharao*, & Romanis Imperatoribus *Cæsar*, & *Augustus*. Id colligo tum ex hoc cap. Esdræ, tum ex c. 1. Esther v.1. collato cum c. 13. v. 1. & c. 16. v. 1. Facile verò fuit, extorquere à Cambyse inhibitionem fabricæ, quia is non amabat Iudæos. Sed cur viuente adhuc Cyro, non recurrerunt ad ipsum Iudæi, quem scirent ei operi extremè fauentem esse? Respondet Iosephus, Cyrum tum temporis vrbe regia & domo abfuisse, belloque partim contra Lydos, qui iam secundò rebellabant, partim contra Massagetas & Scythas, vbi & periit, occupatum perpetuò fuisse. *Proleg. de Idiotism. Hebr.n.19.* C

℣. *Beel-teem*] Interpres Latinus & LXX. putant nomen esse proprium. Alij dicunt *Beel* Chaldaicum, vel Hebræum *Baal*, significare dominum, præfectum, vel præsidem: *teem*, vel *taam*, concilium. Vnde volunt eo nomine designari *præsidem concilij*, seu cancellarium, cuius erat, ad regem omnia referre. ita Iosephus.

℣.10. *Asenaphar* est *Assar-Addon*, de quo v.2. vel *Sennacherib*, aut alius ex parentibus illius. D

℣. 13. *Si muri ciuitatis* (Ierusalem) quam Iudæi ædificant, *instaurati fuerint, tributum & vectigal, & annuos reditus non dabunt, & vsque ad reges hæc noxa perueniet*] id est, ita regiis prouentibus tantumdem decedet. Ex his patet Primò, Iudæos non modò templum, sed & vrbem instaurare cœpisse iam inde à temporibus Cyri. Secundò, non fuisse prorsus liberos & sui iuris, sed tributarios & vectigales regibus Persarum, vt dicebam initio cap. 2.

℣. 14. *Memores Salis*] Sic *sportulas* vocant quas aulici accipiunt. Et à sale *salarium* est dictum: quæ vox in Plinio & Trebellio frequens.

CAPVT V.

Hortatu Prophetarum Aggæi & Zachariæ repetunt Iudæi instaurationem templi sub Dario rege, quæ super eo consulitur à præfectis regiis trans Euphraten, an bona illius venia id permitti possit.

℣.1. PROPHETAVERVNT] Id est, Deo inspirante hortati sunt populum, vt fabricam templi sub Cambyse intermissam, animosè resumerent, & strenuè promouerent. Conciones & argumenta quibus ad id vsi sunt, exstant in prophetris eorumdem *Aggæi*, & *Zachariæ filij*, id est nepotis, *Addo*: nam *Zacharias* erat filius *Barachiæ*, filij *Addo*, Zachariæ 1.v.1. Phrasi enim Hebræa omnes *nepotes* vocantur *filij*. patet Matthæi 1.v.1. Iudith 8.v. 1. & primis decem capitibus libri 1. Paral. passim.

℣. 4. *Nomina auctorum* ædificationis petebant præfecti regij, vt ea mitterent ad Darium, vt patet ex vers. 10. Non ausi fuerunt inhibere progressum operis vi edicti *Cambysis*, quia is iam obierat, & incertum erat qua mente esset eius successor *Darius*, quem fortè inaudierant plusculum fauere Iudæis. Sed super omnia

℣. 5. *Oculus Dei*] Id est, diuina prouidentia, fauor & auxilium. Accessit denique, quòd hi præfecti, vtpote necdum à *Samaritanis* conuenti vel corrupti, vt illi priores, nullam habuerint peculiarem causam, cur se Iudæis hostiliter opponerent. Vnde nec in scribendo quidem ad regem nocere voluerunt progressui operis, contenti solam regis mentem inquisiuisse.

Nota, hunc *Darium* non fuisse *Nothum* illum, sextum à Cyro regem Persarum, vt voluit Seuerus Sulpitius & Iosephus Scaliger: sed Darium Hystaspis filium, tertium à Cyro; & Cambysis ac Smerdis Magi (qui tantùm septimestri præfuit) successorem. ita Eusebius, Iosephus Hieronymus, & alij passim. Vide Chronicon nostrum. *Seuer.Sulp. l.2 hist. & Scaliger de Emend. tēp.* *Euseb. in Chronico. Ioseph.l.11. Antiq. c.4. Hieron. in c.9.Daniel. Chron.c.37.*

℣.11. *Rex Israel magnus*, est Salomon.

℣.17. *In bibliotheca*] Græcè & chaldaicè, *in domo thesaurorum*, vel in gaza *regia*. Nempe intelligitur de archiuo scripturarum, in quo adseruari solent quæ spectant ad opes & prouentus & census regios: & authentica exemplaria legum ac decretorum regiorum.

CAPVT VI.

Iuxta decretum Cyri iubet Darius perfici sumptibus regijs templum Ieroseymitanum. Quo perfecto, cum ingenti lætitia, plurimisq; victimis dedicatur anno sexto Darij: eádemq; operâ celebratur septiduo solemnitas Paschalis.

℣.2. MEDENA] Hebraicè *Madai*, est Media seu Medorum regnum, iam à Persis superatum, & in prouinciam redactum.

℣.3. Per *latitudinem*, vt etiam habent LXX. intelligitur hîc interuallum quod est à *frontispicio*, vsque ad extremitatem *Sancti sanctorum*, quam nos *longitudinem* templi vocamus: sed cùm delineatur idea seu fabricæ figura in chartis, non infrequenter, neque ineptè *latitudo* vocari solet.

℣. 5. *In templo* necdum constructo non poterant vasa reponi: sed bene in *thesauris templi*, quibus certa loca designata erant, quæ hîc intelliguntur.

℣. 15. *Mensis Adar*, est duodecimus & vltimus mensium anni Hebræorum, respondetque nostro partim Februario, partim Martio.

Petes

Petes, quomodo dicatur hic, Iudæos *compleuisse domum Dei anno sexto regni Darij regis*, cū versu præcedenti dicantur ijdem ędificasse non modò *iubente Dario*, sed & *Artaxerxe* Longimano rege Persarū quinto? Respondeo, sub *Artaxerxe* non templum ædificarunt, sed vrbem Ierosolymitanam. sub *Dario* verò compleuerunt fabricam templi: & hoc quidem anno regni eius sexto compleuerunt *sanctuarium & Sanctum sanctorum*, (quod propriè templum vocatur) sed non nisi ad altitudinem 60. cubitorum, vt hîc insinuatur vers. 3. cùm Salomonis templum fuisset duplo altius, vt dixi 3. Reg. 6. Porrò in atriis & porticibus instaurandis alio integro triennio occupati fuerunt: nam, teste Iosepho, protracta fuit ea fabrica vsque ad *annum nonum Darij*. *Ioseph. sup.*

℣. 20. *Quasi vnus*] Id est, vnanimi consensu & animorum conspiratione, ad vnum omnes.

℣. 21. *Qui se separauerant à coinquinatione Gentium*, erant proselyti.

℣. 22. *Regis Assur*] Sic vocatur hîc Persarum monarcha *Darius*: quia *Assyriorum* monarchia olim vt toto orbe celeberrima, sic Iudæis notissima erat, à qua toties vexati, ac demum etiam captiui abducti fuerant. Deinde, quia rex Persarum, vti alia Orientis regna, sic & Assyriam olim omnium dominam, nunc suo subiectam habebat imperio: eratque & vocabatur non minùs rex *Assyriorum*, quàm *Chaldæorum*, *Medorum*, vel *Persarum*: vt solent potentiores monarchæ varios variorum regnorum, quibus imperant, titulos, nunc hos, nunc illos, nunc simul omnes vsurpare:

CAPVT VII.

Esdras sacerdos & legis doctor mittitur ab Artaxerxe rege Persarum in Iudæam, Iudæos nomine regis visitaturus, docturus & recturus.

℣. 1. POST *hæc verba*] seu gesta cap. præced. mortuo iam *Dario*, eiusque filio *Xerxe*, & regnum administrante Darij nepote *Artaxerxe*, qui *μακρόχειρ*, id est *Longimanus*, vocitari consueuit, quòd vnam haberet altera longiorem manum. Porrò *à sexto anno Darij*, quo dedicatum fuit templum, vsque *ad annum septimum Artaxerxis Longimani*, quo missus est Esdras in Iudæam, v. 8. effluxerunt anni 57. vt videre est in Chronico nostro. *Chron. l. 37.*

Erat tum Babylone *Esdras filius Saraiæ*] auctor & scriptor huius libri, vt dixi in summario.

℣. 6. *Et ipse scriba velox in lege Moysi*] Id est, legis diuinæ peritissimus, & in ea seu scripto, seu viua voce exponenda promptissimus. Id enim officij habebant *Scribæ*: qui apud Iudæos idem erant, quod *Philosophi* apud Græcos, *Magi* apud Chaldæos. Sic qui Matthæi 22. v. 35. & Lucæ 10. vers. 25. dicitur *legis doctor* & *legis-peritus*, Marci 12. vers. 28. *Scriba* vocatur. Præter hoc commune omnibus *Scribis* officium, etiam alio particulari titulo nomen illud per excellentiam debetur *Esdræ*, quòd totam S. Scripturam, negligentiâ sacerdotum, temporibus præteritorum regum Iuda multis locis corruptam & collapsam instaurarit, correxerit, in concinniorē ordinem redegerit, aliisque characteribus descripserit, antiquos characteres Samaritanis relinquens, & alios quibus iam descripta sunt Biblia, substituens, vt sic Iudæorum animos à Samaritanis longiùs alienaret. Ita SS. Patres: & Rabbini Hebræorum, qui etiam dicunt, se traditione

SS. Patres citati à Bellar. l. 2. de verb. Dei c. 1.

A accepisse, hunc *Esdram* eumdem esse cum *Malachia* Propheta. Et idem tenent S. Hieronymus, Rupertus, & quidam alij Patres. Et verò materia quam vterque tractat, eadem pæne est: & tempora consonant, inquit Ribera. Sed alia quædam obstant, quo minùs id ausim asserere, vt dicam in proœmio Malachiæ. Esdram sub hoc tempus fuisse vt minimum centum & trium annorum, videre est ex Chronico suprà citato. *Hieron.* *Ribera in c. 1. Malachiæ.*

Per *manum Domini*, intellige hîc fauorem Dei, eiusque potentem operationem, quâ faciebat Esdram gratiosum regi Persarum. Idque quia, vt sequitur,

℣. 10. *Præceptum & iudicium*, id est legem Domini, inuestigare, & solicitus complere satagebat, tum per se, reipsa illam obseruando; tum alios docendo, & in ea instruendo.

℣. 14. *A facie*, id est iussu & auctoritate, *regis missus es, vt visites Iudæam, in lege Dei tui*] Hebraicè, *iuxta legem Dei tui*, supple, videas, an Iudæi illam obseruent. En, mittitur Esdras nomine regis Persarum ad visitandam Iudæam, vtpotè prouinciam Persis adhuc subiectam & tributariam, vt dixi initio cap. 2. & in fine 4. & etiam colligitur ex v. 24. huius capitis, vbi soli sacerdotes & ministri templi iubentur à *vectigalibus & tributis* immunes esse: reliquis omnibus Iudæis ea pendere coactis. Item v. 26. iubentur omnes non modò *legem Dei*, sed & *legem regis* sub pœna capitis *diligenter implere*. quod absolutæ subiectionis & seruitutis certissimum est argumentum.

CAPVT VIII.

Catalogus eorum qui cum Esdra à Babylone venerunt in Iudæam: vasa & munera quæ attulerunt, & victimæ quas Deo obtulerunt.

C ℣. 4. DE *Phahath Moab*, vide quæ c. 2. v. 6. dixerim.

℣. 13. *Qui erant nouissimi*] Id est, qui postremo loco se Eldræ adiunxerunt.

℣. 15. *In populo* lustrando, *& in sacerdotibus* lustrandis, *quæsiui de filiis Leui, & non inueni* vllos. *Itaque misi* v. 17. *ad Eddo, qui* erat *primus*, seu princeps, *in Chasphia loco*] Vicus erat in Babylone, fortasse Iudæorum habitationi designatus, cuius vici princeps erat *Eddo*.

℣. 16. *Misi* ad *Eliezer*, *&* ad *alterum Elnathan*] Ita enim est in Hebræo & Græco.

℣. 20. De *Nathinæis* dixi c. 2. v. 43.

℣. 23. *Rogauimus Deum per hoc*] In Hebræo & Græco est, *pro hoc* seu *propter hoc*.

℣. 27. *Crateres aurei*, seu phialæ singulæ, pendebant *solidos millenos*] Hebraicè & græcè, *drachmas mille*. Sed est aliqua in his ponderibus differentia, vt dixi in prolegomenis de Ponderibus. D

Vasa æris pulchra vt aurum] Hebraicè *expetibilia vt aurum*. Forsan ex tali ære fecit Salomon vasa templi, de quibus 3. Regum 7. v. 45. Denique

℣. 36. *Satrapæ eleuauerunt populum*] Hebraicè, *exaltauerunt* Iudæos, nempe eximio fauore & ope: promouendo conatus illorum, *& domum Dei* magis magisque exornando in dies, & muneribus cohonestando, vt rex Persarum præscripserat cap. præced.

CAPVT IX.

Esdras peccatum populi Israelitici (quòd cum Ethnicis feminis matrimonia contraxissent) scissis vestibus & euulsis crinibus luget: & Deum precatur, vt iram suam à populo auertat.

¶.2. MANVS *principum fuit prima*, seu præcipua, *in hac transgressione*] legis diuinæ, quâ vetamur cum *terrarum* harum Gentilibus connubia iungere, Exodi 34. & Deuteron. 7. q. d. Principes & primarij, qui suo exemplo & auctoritate deberent alios ab illicitis connubiis deterrere & abstrahere, primi & præcipui sunt qui in hoc genere deliquerunt. Porrò quâ ratione vetita fuerint Iudæis connubia cum *Moabitis*, *Ammonitis* & *Ægyptiis*, non minùs quàm cum *Chananæis*, si in patria superstitione, vt hîc fiebat, perseuerarent; secùs si in Iudæorum religionem transirent, dixi Exodi 34.

¶.7. *Sicut & die hac*] Id est, etiamnum, & ad hanc vsque horam omnes illæ calamitates nos premunt.

¶. 8. *Et nunc quasi parum ad momentum*; hebraicè, *nunc quasi paruo momento*, id est, pro exiguo tempore, grata *facta est deprecatio nostra apud Dominum*, obtinuimusque vt in Iudæam remitterentur Iudaici seminis *reliquiæ*, *& daretur nobis paxillus in loco sancto eius*] id est, rursus figeremur in Iudæa. Sed hac metaphorâ præcipuè designat magistratus & principes, à quibus quasi *à paxillis* (*a*) dependent publica negotia & salus reipublicæ. Pro magno beneficio reputat Esdras, & meritò, in communi seruitute proprium de sua gente habere magistratum. Et insperato hoc beneficio dicit *illuminari oculos*, id est recreari & refici animos Iudæorum. Sicut enim *tenebræ* significant *mœstitiam*, ita *lux lætitiam* animi designat. Rursum pro magno ducit, vel *modicum* saltem *vitæ* lætæ *in* tristi *seruitute* concedi. Et rursum

(*a*) Isaiæ 22.

¶.9. gaudet *vitam* permitti, nempe lætam & prosperam, & saltem ex parte liberam: nam seruitus & captiuitas, in quibus fuerant Iudæi, mors potiùs censebantur quàm vita. Per *solitudines* templi, intelligit *ruinas*, quæ iam instauratæ erant. Per *sepem* tutam & securam in Iudæa habitationem, vtpotè præsidio tam potentis Persarum monarchę vallatam.

¶.11. *Ab ore vsque ad os* implere, est totam omni ex parte implere, more vasis, ab imo vsque ad summum, ab vna oræ extremitate vsque ad aliam.

¶. 12. *Non quæratis pacem eorum & prosperitatem*] Id est, non sit vobis curæ salus aut prosperitas Gentilium vobis vicinorum, nempe si in suis erroribus obstinarint. q. d. Potiùs omnem mouete lapidem ad illos pessumdandos & exscindendos: tantum abest, velim vos illis matrimonio vel alijs fœderibus coniungi.

¶.13. *Et post omnia*, supple, quæ transgressoribus legum tuarum iustè minatus fueras, iam in nobis septuaginta & pluribus annis completa: *quia tu Deus noster*, quo es animo plusquam paterno in tuos, rursum misericorditer minuisti flagella, & *liberasti nos* iterum, *sicut est hodie*] & de facto experimur: idque prouidè fecisti, *vt* illecti noua & insperato beneficio, & sic magis magisque tibi obstricti, *non* iterum ad pristina scelera *conuertemur*. Nos nihilominus obliti iam omnium tum veterum pœnarum, tum beneficiorum recentium, A (quæ humana est fragilitas & ingratitudo;) relapti sumus in pristina scelera, & cum Gentilibus populis istis abominandis matrimonia iunximus.

¶. 14. *Numquid* meritò igitur *iratus es nobis vsque ad consummationem*] id est, vt consummatè & plenè nos deleas de terra?

¶. 15. *Iustus es tu*. q. d. Exigebat sanè iustitia tua, vt funditus nos exscinderes: sed misericordiâ vti maluisti, quâ saltem paucos relinqueres è nobis saluos, qui hac die præsentes hîc adsumus, in conspectu tuo, sed *in delicto nostro*, id est rei grauissimi criminis. *Neque stari potest coram te super hoc*] Id est, non potest hoc vlla ratione negari, neque excusari, neque iure defendi.

CAPVT X.

Esdras conuocatis omnibus Iudæis præcipit repudiari vxores alienigenas. Deputantur qui præsint huic operi exequendo. B *Et recensentur qui talia matrimonia contraxerant.*

¶. 2. SI *est pœnitentia*] Hebraicè & græcè & chaldaicè, *si est spes*, scilicet, Deum per pœnitentiam placandi.

¶. 3. *Proiiciamus vniuersas vxores*] Putant aliqui, legem Exodi 34. & Deuteron. 7. quæ prohibet matrimonia cum alienigenis, fuisse legem irritantem: atque ita matrimonia illa omnia fuisse iure irrita & nulla. Sed probabiliùs censet Caietanus & alij, non fuisse irritantem, sed solùm vetantem. Neque aliud ex verbis legis elici potest.

Petes, Quo igitur iure hîc omnia iubentur solui? Respondeo, Priuilegio libelli repudij Iudęis permissi. quo iam meritò iubentur vti ad matrimonia tam periculosa, & contra legem inita, dissoluenda.

Petes Secundò, An saltem non nimis durum, abiicere etiam *filios* proprios *qui de* vxoribus alienigenis *nati erant*? Respondeo, cum eodem Caietano, non abiiciebant prorsus & absolutè filios illos suos, quasi nullam eorum curam deinceps habituri: sed *iuxta voluntatem*, hebraicè & græcè *consilium*, *Domini*, *&* piorum virorum *qui timent legem Dei*. Nempe ex horum præscripto dimittebant à se filios ad aliqua pædagogia, vbi à probis præfectis instituebantur, pauperes è publico ærario, diuites è peculio parentum. Et sanè sic expediens erat, ne, si liberi penes parentes remansissent, assiduo eorum intuitu & amore inde exardescente, animi parentum ad matres repetendas accenderentur.

¶.7. Igitur *missa est vox*] nempe præconum, qua iubentur omnes Iudæi intra triduum Ierosolymis se sistere, sub pœna confiscationis omnium bonorum, & publicæ excommunicationis.

¶.9. *Conuenerunt* autem *omnes in platea*, seu area ante templum, *trementes propeccato*] & pœna peccati transgressionis legis.

¶.11. *Nunc date confessionem Deo*] Id est, opere ostendite & re ipsa fateamini vos velle obedientes & obsequentes esse Deo & legi ipsius.

¶. 16. *Omnes per nomina sua*, id est nominatim lecti, *sederunt*] ad hæc diiudicanda & executioni mandanda: & in his occupati fuerunt toto trimestri. Erant verò hi iudices, qui versu precedenti dicuntur *super hoc* negotio *stetisse*, seu constituti fuisse publica auctoritate.

¶. 17. *Consummati sunt omnes*] Id est omnium summa collecta fuit qui duxerant alienigenas.

¶. 19. *Et dederunt manus suas*, seu porrecta ma-

nu con-

nu consenserunt, promiseruntque quòd *eiicerent uxores suas.*

✠. 25. *Et ex Israel*] Id est, ex aliis tribubus præter Leuiticam, de qua sola hactenus, complures habebebant uxores alienigenas.

A ✠. 44. *Et ex eis* uxoribus alienigenis *fuerunt* non paucæ *mulieres, quæ* iam *pepererant* maritis *filios*] Sed & hæ nihilominus eiectæ sunt è toro maritali: & filij seorsim quoque positi, vt dixi v. 3.

LIBER II. ESDRÆ.

ESDRÆ inscribitur à Latinis etiam hic liber, licet à Nehemia conscriptus fuerit, quia olim vnus idemque liber, teste S. Hieronymo, erat, qui in duos nunc dissectus est. Et secundus continet gesta non minùs Esdræ, quàm Nehemiæ: narratque quo pacto, reductis in Iudæam exulibus, & iam instaurato templo; & constitutâ ex parte republicâ (quæ primo libro recensentur) etiam vrbis Ierosolymitanæ, murorumque & turrium & palatiorum eiusdem instauratio, vel inuitis, & repugnantibus hostibus, à Nehemia procurata sit, & respublica optimis legibus stabilita. Nehemiam sacerdotem fuisse manifestum est ex 2. Machabæorum 1. v. 21. Vt genere & sanctitate, sic & naturæ dotibus excelluisse, vel inde colligimus, quòd potentissimo Persarum monarchæ Artaxerxi Longimano & carus admodùm, & pro *pincerna* fuerit, seu à poculis: quod officium non nisi primæ notæ Aulicis concedi solet. *Hieron. epist. ad Paulin.*

CAPVT I.

Nehemias audito Iudæorum in patriam reductorum infelici statu & conditione, sortem illorum defiet coram Deo, eiusq; opem multis ieiuniis ac precibus efflagitat.

MENSE CASLEV] Nonus hic erat Iudæorum mensis lunaris, (vt erant omnes illorum (*a*) menses) respondebatque nostro partim Nouembri, partim Decembri. *a Chron. c. 4.*

ANNO VIGESIMO] nempe regni, non Xerxis, vt quidam volunt, (*b*) sed Artaxerxis Longimani, filij Xerxis, & quinti à Cyro monarchæ Persarum. Patet ex v. 1. cap. sequ. & cap. vlt. vers. 6. vbi Artaxerxi dătur anni 32. quot certũ est non regnasse Xerxem. *b Chron. n. 37.*

Nota, duplex solere notari exordium regni huius Artaxerxis. Vnum à morte Xerxis, ex quo solus regnare cœpit. alterum à 5. anno finiente regni Xerxis patris eius. Cùm enim tunc (*c*) Xerxes Hellespontum cum infinitis copiis traiiceret, & incertam aduersus Græcos aleam belli tentaret, filium suum Artaxerxem (more recepto (*d*) Persarum) regni socium adsciuit, & successorem sibi designauit. Et ab hoc tempore supputantur hic anni Artaxerxis. Quando ergo hîc passim dicitur, Nehemias, anno vigesimo Artaxerxis instaurasse vrbem Ierosolymam, id intelligitur de anno vigesimo ex quo in viuis adhuc agente parente, simul cum eo regnare cœperat, sub finem anni 5. eius regni. Cumque Xerxes vniuersim viginti annis imperarit, sequitur id Nehemię factum contigisse sub finem anni 5. eiusdem Artaxerxis, à morte parentis iam solitariè regnantis. *c Iustinus l. 2.* *d Herodot. l. 6. & 7.*

Nota Secundò, instaurationem vrbis eo anno à Nehemia factam non intelligi nisi inchoatiuè, putà de decreto regio eo anno expedito, & vt summum de instauratione muri seu mœnium Ierosolymæ, quæ, vt dicitur c. 6. v. 15. subitaneo opere facta est spatio 52. dierum. Nam reliquis vrbis munitionibus, turribus, propugnaculis, ædibus (*e*) tum *e 2 Esdr. 7. v. 4.*

B priuatis, tum publicis, erigendis instaurandisque (vt iam sileam de tot mensibus itineri è Perside in Iudæam conficiendo, lapidibus cædendis, aliisque materialibus tanto operi parandis, necessariis) totum aliud triennium cum trimestri impensum fuit, teste Iosepho ex maiorum suorum traditione, & antiquis monimentis, quibus constat, anno 25. ab initio regni Xerxis, id est, anno 20. ab exordio primi regni Artaxerxis, concessam Nehemiæ facultatem instaurandæ vrbis Ierosolymæ, sed 28. demum eiusdem Xerxis, seu 23. Artaxerxis completum opus, & dedicationem vrbis solemniter celebratam fuisse. *Ioseph. l. 11. Antiq. c. 5.*

Nota Tertiò, ad hoc 23. Artaxerxis anno quo completa fuit vrbis instauratio, desumendum initium LXX. hebdomadum Danielis, vt fusè docui in Chronico cap. 38. C

✠. 3. RELICTI IN PROVINCIA, nempe Iudææ, vt dixi 1. Esdræ 2. vers. 1. IN AFFLICTIONE MAGNA SVNT] propter vicinos Ammonitas, Arabes, aliosque hostes & æmulos Iudæorum: qui licèt antiquas iam sedes incolerent, & templi ruinas instaurassent, tamen, quòd mœnibus nudatæ essent vrbes, patebant omnium iniuriis: neque hactenus obtineri, metu nouæ rebellionis, potuerat à regibus Persarum, vt bonâ illorum gratiâ liceret mœnia instaurare. Inter alia ergo nuntiatum quoque Nehemiæ, quòd *murus Ierusalem dissipatus* adhuc iaceret, *& portæ eius combustæ*, à tempore quo combusserat eas & dissiparat Nabuchodonosor, vt 4. Regum vlt. v. 10. dicitur.

✠. 9. EXTREMA CÆLI, vocat extremas seu vltimas terræ regiones, quæ, quia in nostro horizonte extremæ sunt, videntur etiam cæli extremitatem contingere. D

✠. 11. VIRVM HVNC] Intelligit Artaxerxem regem, cuius ipse Nehemias *pincerna* erat: & occasione tam familiaris obsequij benè vsus est, ad impetrandum à rege quod optabat nouum contribulibus suis beneficium.

CAPVT II.

Nehemias impetrat facultatem excurrendi Ierosolymam, eiusque mœnia instaurandi. Cui operi strenuè incumbit, frementibus nequidquam hostibus.

¶.1. ERAM QVASI LANGVIDVS ANTE FACIEM regis. Id est, videbar illi subtristior esse, & animo præter solitum languere. Cui rex,

¶. 2. NON EST HOC FRVSTRA] seu de nihilo. q.d. Non soles extra morbum tristis apparere: vnde colligo, te animo coquere aliquod graue malum: quod volo statim mihi pandas. Quo audito,

TIMVI VALDE AC NIMIS] tum ne quid sinistri de me rex suspicaretur, si silerem: tum ne votis frustrarer meis, si tempore importuniore; vtpote inter epulas, & in præsentia multorum mihi non optimè volentium, petitionem meam plerisque B odiosam, & quæ publico noxia videri posset, regi exponerem. Sed metum vicit pareudi necessitas:

¶. 3. ET DIXI REGI, CIVITAS Ierosolymæ, quæ est DOMVS, seu locus, SEPVLCHRORVM, in quibus conditi sunt maiores mei, DESERTA iacet, Et non ego contrister? Hinc colligo, non Iudæis modò, sed & Persis quoque, valdè commendatam fuisse sepulchrorum curam: neque enim aliàs quæsisset ex eo capite Nehemias præcipuum causæ suæ patrocinium. Iam verò exemplum vide orationis eiaculatoriæ, quam vocant, in iuuene aulico. Nam roganti regi, quid sibi vellet gratiæ de nouo concedi Nehemias, antequam responsum daret, tacita prece, inquit:

¶.4. ORAVI DEVM CÆLI] vt & verba congrua suggereret, & causæ faueret. Et fauit profectò. nam votis extemplo rex annuit. Solùm petiit tam *rex*, quàm *regina*, (nam vtrique carissimus eram, neque C volebant diu carere meâ præsentiâ) vt certum temporis spatium, quo abessem, idque quàm breuissimum, constituerem.

¶. 6. ET CONSTITVI TEMPVS] quo lapso, me rursus eis affuturum spopondi. Quantum illud fuerit, non exprimitur. Verosimile est, non excessisse terminum vnius anni. Licèt postea, nouo indulto eiusdem regis, permissus sit totis (*a*) duodecim annis ducem populi agere in Iudæa, in qua rex operam eius & præsentiam sentiebat non vtilem modò, sed & necessariam esse.

a *Infr. c. 5. v. 14. & c. 13. v. 6.*

¶.8. CVSTODEM SALTVS REGIS, qui in Libano erat, inquit Villalpandus. E quo saltu enim *Dauid* & *Salomon* suas trabes & tigna petierant. Vnde & sibi *Nehemias* quoque eadem à rege petit, VT TEGERE POSSIT PORTAS TVRRIS DOMVS, hebraicè, *portas palatij* regij, quod erat iuxta templum: D ET MVROS CIVITATIS] nam & illis inædificandæ erant portæ & turres, ad quarum contignationes opus erat multis trabibus: denique *& domum quam ingressus fuero*, nempe futuram mihi meisque propriam. Volebat enim palatium vel antiquum maiorum suorum iam dirutum instaurare, vel aliud sibi de nouo construere, in quod olim commigrare posset, cùm perfunctus officio pincernæ, vel rege è viuis sublato, in Iudæam remigrare contingeret.

Villap. tomo 3 l. 3.

¶.10. SERVVS] Id est cliens & beneficiarius regum Persarum: vel etiam, ex seruo seu mancipio ad eam dignitatem, atque Ammonitidis præfecturam euectus.

¶. 12. IVMENTVM NON ERAT MECVM, NISI ANIMAL, CVI SEDEBAM] Id est, ego solus equitabam, socij omnes pedites aderant: ne nocturnus A equorum strepitus silentio & secretò quod quærebam, officeret: propter quod & noctem delegeram & modicum comitatum.

¶.13. PORTA VALLIS erat, non illa Orientalis, quæ ducebat ad *vallem Iosaphat*: sed altera Occidentalis, quæ respiciebat valles cadauerum & Caluariæ, cui proxima erat. Nam LXX. habent *portam Golila*, quæ *Caluariæ* vel *stercorum* exponi potest.

FONS DRACONIS ad radices montis Caluariæ scaturiebat & scaturit etiamnum, (inquit Adrichomius) in ipsi *valle cadauerum* seu *sterquilinij*, haud procul ab vrbe, inter *portam sterquilinij* & *portam fontis Draconis*: quem sic dictum arbitror, inquit Salianus, propter figuram *draconis* seu lapidei, seu æhei, aquam euomentis. Vide Villalpandum. *Adrich. in sua Ierusalem.* *Villalp. sup.*

¶. 14. De *aquæductu regio*, putà Ezechiæ, dixi 2. Paralip. 32. v. 4.

ET NON ERAT LOCVS IVMENTO, VT TRANSIRET] quia ruderibus vel aquis plena erant omnia: vnde pedibus mihi eundum, vel circumeundum fuit.

¶.16. Per eos QVI FACIEBANT OPVS, intelligit opifices & præfectos operarum non quòd de facto operarentur, sed quòd ex officio ad operandum destinarentur.

¶.20. VOBIS NON EST PARS ET IVSTITIA, ET MEMORIA IN IERVSALEM] Id est, nihil vobis commercij nobiscum: neque ius vobis vllum in hunc locum: neque memoria aut vestigium alicuius iuris in eum aliquando vsurpati. q.d. Vobis Samaritanis cura sit de vestra Samaria, in quam ab Assyriis inducti estis. Rebus Iudaicis, & maximè vrbis Ierosolymæ, in quam nihil iuris vmquam habuistis, aut habetis (nam nobis à rege Persarum pleno iure concessa est) non est quòd vos immisceatis.

CAPVT III.

Describitur, quam quisque muri partem, quas turres, quas portas instauraverit.

¶.1. ELIASIB SACERDOS MAGNVS] Hic erat nepos *Iesu*, seu Iosue, (*b*) de quo 1. Esdræ 3. v. 8. Hoc enim mortuo sub annum Darij Hystaspis (*c*) 20. successerat in pontificatum filius eius *Ioacim* vel *Eliacim*, vsque ad 12. annum *Artaxerxis Longimani* vnà cum Xerxe regnantis: cui tunc defuncto successit iste eius filius *Eliasib*, & præfuit vsque ad annum 33. Artaxerxis sine patre regnantis. Vide Chronicon, & quæ dixi hîc c. 1. v. 1. b *Infr. c. 12. v. 10.* c *Ita Philo Annius.* *Chron. c. 42.*

IPSI sacerdotes SANCTIFICAVERVNT PORTAM GREGIS] Id est, mundarunt à ruinis & ruderibus, & profanatione incendij, & restituerunt pristino nitori & vsui. ita Vatablus, Isidorus Clarius, & Villalpandus.

VSQVE AD TVRRIM CENTVM] Ex Hebræo & Græco patet esse nomen proprium *turris*, nempe *Meah*. neque ibi additur *cubitorum*, licèt subintelligendum videatur. Porrò notat hîc Emanuel Sà, Mariana, & Salianus, sacerdotes hos, vt initium faciebant instaurationis muri, ita solemni aliqua precc, sacrificio ac benedictione locum murorum, totamque vrbem Deo, cuius erat quasi peculium, dedicasse, & innuitur cap. seq. v. 2 Quem ritum seruat iam quoque Ecclesia in inchoatione templorum, & positione primi lapidis fundamentalis. Et imitabantur etiam olim Gentiles, vt colligere est ex Virgilio & aliis. *Virg initio l. 3 Æneid. & l. 7.*

Porrò quod ad *portas* attinet, quarum hoc cap. frequens mentio, Nota, duodecim fuisse Ierosolymis

mis primæ notæ portas ex tribus lateribus. Nam ad quartum latus, nempe Meridionale, in quo præruptæ rupes montis Sion nullum aditum aut exitum dabant, nullæ etiam portæ fuerunt. reliqua verò latera singula quaternas habuerunt. *Orientale* latus *portam gregis*, (a) per quam pecora inducebantur, vt abluta in vicina Probatica piscina, inferrentur in templum immolanda. *Portam* (b) *equorum*, per quã equi ducebantur aquatum in torrentem Cedron. *Portam* (c) *aquarum*, sic opinor dictam à collectione aquarum iuxta eam detentarum à rege Ezechia, vt dixi 2. Paral. 32. v. 4. Et *portam* (d) *fictilem*, à figulis & agris figlinis vicinis sic nominatam, quâ descendebatur ad *natatoriam Siloe*, seu ad stagnum Salomonis. Ad Aquilonare latus vrbis erant *porta Beniamin*, versus eam *tribum* ducens: *Porta piscium*, de qua 2. Paral. 33. v. 14 *Porta iudiciaria*: aliàs *porta* (e) *vetus* dicta, quòd vestigia eius apparerent à tempore Iebusæorum & Melchisedeci. Ex ea enim patebat aditus ad *Acra* montem, & veterem vrbem *Salem*, quæ posteà Ierosolymæ pars fuit. Et *porta* (f) *Ephraim*, ad eam tribum ducens. Sed hic non nominatur, vti nec porta anguli quia non egebant reparatione. Vnde v. 8. dicitur, *Dimiserunt Ierusalem vsq; ad murum platea latioris*, id est intermiserunt ædificationem per spatium 400. cubitorum, quod erat inter *portam Ephraim* & *portam anguli*. Nam recenter & valide id instaurarat Ozias (g) rex, neque Chaldæi demoliti id fuerant. Ad latus Occidentale erat *porta anguli*, sic dicta, quòd in angulo vrbis Septemtrionali & Occidentali sita esset. *Porta* (h) *vallis*, *porta* (i) *sterquilinij*, & *porta* (k) *fontis*, de quibus egi præced. c. v. 13. Aliæ verò portæ, quas Adrichomius alijque afferunt, vel pertinent ad vnam è duodecim iam dictis portis: vel extra vrbem non ducebant: vel nouæ Ælię, qualis post Vespasianum fuit, conueniunt, non verò veteri Ierosolymæ, de qua sola nunc agimus. Vide Villalpandum.

a *Hic v. 1. & vlt.*
b *Hic v. 28. & Ier. 31. fin.*
c *Hic v. 26. & c. 8. v. 1.*
d *Ierem. 19. v. 2.*
e *Hic v. 6.*
f *4. Reg 14. v. 13. & 2. Esd. 12. v. 38.*
g *2. Par 25. v. 23. & c. 26. v. 9.*
h *Hic v. 13.*
i *Ibid.*
k *v. 15.*
Villalp. sup. c. 26.

℣. 16. De domo fortivm, vide quæ dixi 1. Paralip 11. v. 20. In Hebræo & Græco vocatur *Bethhangarim*.

℣. 26. De turri Ophel, 2. Paralip. 27. v. 3. De *Nathinæis*, Iosue 9. & 1. Esdræ 2. v. 43. Denique

℣. 30. Porta ivdiciaris] seu iudiciaria ea vocatur, in qua iudicia publica instituebantur, quæ vt nunc in curiis, ita olim in aliqua *portarum* vrbis celebrari solebant. Erat hæc Ierosolymis propinqua templo, & portæ gregis, & eadem esse videtur cum *porta custodiæ* 2. Esdræ 12. vers. 38. Neque ducebat extra vrbem, sed in *vicum Nathinæorum*: qui iuxta turrim *Ophel* erat vnus è maioribus vicis seu regionibus, in quas Ierosolyma diuisa erat, ad instar Romanæ vrbis; & cuilibet regioni seu vico suus præerat *princeps* seu præfectus.

CAPVT IV.

Irridentibus & aduersantibus Samaritanis, aliisq; vicinis hostibus, Iudæi altera manu ædificant, altera gladium tenent, & Nehemia Deum orante, & suos strenuè vrgente, opus tandem perficitur.

℣. 2. Nvm dimittent Iudæos gentes? Id est, permittemusne vt Iudæi sua mœnia restaurent? Nvm sacrificabvnt, et complebvnt in vna die? Id est, putantne, tanta se celeritate expedire posse illud opus, vt vna eademque die qua inchoabunt, etiam compleant illud, & dedicent? quod fiebat sacrificando & festiuè epulando. Quasi dicant, Sat tempestiuè aderimus ad eos impediendos, & opus disturbandum. Et vt sineremus eos agere, nvmqvid ædificare potervnt lapides de acervis pvlveris, qvi combvsti svnt?] Hebraicè, *num viui facient lapides*, id est, restituentne in pristinum statum, in primam duritiem & formam lapides incendio redactos in puluerem?

℣. 3. Si ascenderit vvlpes, transilivit mvrvm lorvm] Agant quidquid volunt, quidquid possunt, structura tam erit infirma, tam humilis, vt vel à vulpe transiliri, quin & euerti possit. Amara irrisio: de qua Nehemias apud Deum expostulat.

℣. 5. Nè operias iniqvitatem eorvm] scilicet obliuione aut impunitate. q. d. Recordare & ob oculos semper habe peccatum eorum, & consequenter etiam puni. Cùm enim parcit Deus peccatori, dicitur *tegere peccata*, vel *delere*: *detegere* verò & *aperire*, vel *statuere peccatum*, cùm punit peccantem. Non ergo petit hîc Nehemias, vt Deus non ignoscat culpam pœnitentibus: hoc enim impium esset: sed ne pœnam impœnitentibus condonet.

℣. 8. Congregati svnt hostes, vt pvgnarent contra Iervsalem] quasi è cineribus reuiuiscentem. Non quòd auderent Iudæos aperto marte obruere, quos sciebant regia auctoritate fulciri; sed per *insidias* & clàm conabantur imparatos inuadere, disturbare & perdere.

℣. 10. Dixit avtem Ivdas, id est Iudæi: nam & hi obmurmurare cœperunt operi. Atque ita non à foris modò, sed & ab intus nouæ remoræ. Debilitata est longo & molesto opere fortitvdo portantis, id est operarum & baiulorum, qui lapides & intritum portabant. Et nvmvs nimia est] nempe rudera quæ exportari, & terra quæ è fossa circumducta muro effodi & efferri debebat, omnes lassabat. Sed & hæc superata molestia: & hostium insidiæ, quantumuis tectæ, per vicinos ipsis Iudæos nobis detectæ sunt.

℣. 12. Per decem vices, id est pluries delato ad nos indicio, ex omnibvs locis] Nam licèt ex variis & valdè dissitis locis indices venirent, omnes tamen consona voce nuntiabant insidias quæ nobis parabantur. Sic ergo & his elusis, perrexerunt omnes nouis animis in opere.

℣. 16. Et principes post eos] Nam ne principes quidem erant exempti: sed populi exemplum imitati, instabant operi, hortando, animando, excubias agendo, &, vbi res ferebat, etiam operi manus admouendo.

℣. 21. Donec egrediantvr astra] Id est, vsque ad noctem, quando sidera, quasi excubias actura in tenebris, videntur prodire è suis cubilibus, quæ manè repetunt cœlo albescente, & Lucifer *statione nouissimus erit*.

℣. 22. Qvisqve cvm pvero, seu famulo, svo maneat etiam nocte in medio Iervsalem] neque aliò discedat aut diuertat. Neque enim minùs noctu opus est continuis excubiis aduersus hostes, quàm interdiu. vnde & vestiti pernoctabant.

℣. 23. Vnvsqvisqve tantvm nvdabatvr, seu vestibus subinde exuebatur, ad baptismvm] id est, ad lauandum & purgandum seu corpus, seu vestes à sordibus, quas continuato opere & vigilia paulatim contrahebant.

CAPVT V.

In magna pauperiorum inopia Nehemias diuites auaros increpat, usuras prohibet, sua egentibus vltrò largitur. Atque ita etiam hanc operis remoram submouet.

℣. 3. DOMOS NOSTRAS OPPONAMVS] Id est, oppignoremus fœneratoribus.

℣. 4. IN TRIBVTA REGIS] Id est, vt habeamus vnde regi Persarum tributa pendere possimus.

℣. 5. ET NVNC, supple, valdè miserè, imò iniquè nobiscum agitur. SICVT CARNES, seu corpora, FRATRVM NOSTRORVM ditiorum, SIC CARNES NOSTRÆ SVNT] licèt pauperum & egentium. Id est, pari iure liberi omnes nati sumus, ex ijsdem auis & parentibus : interim cogimur alij aliorum æqualium fieri serui & mancipia neque id aliam ob causam, quàm ob illorum auaritiam & crudelitatem, qui cùm diuites sint, iubeanturque lege Domini (a) gratuitò fratribus mutuum dare in necessitate, ipsi tamen nolint nisi magno cum fœnore id præstare.

a Deut. 23. v. 19.

℣. 7. CONREGAVI ADVERSVM ditiores CONCIONEM MAGNAM] nempe totius populi. Vt qui priuatim à me moniti noluerant vsuras remittere, in conspectu totius Ecclesiæ pudefacti cogerentur.

℣. 11. CENTESIMAM PECVNIÆ, FRVMENTI, VINI, ET OLEI, QVAM singulis mensibus pro fœnore EXIGERE SOLETIS AB EIS, DATE PRO ILLIS] seu condonate: vel, vt in Hebræo est, reddite illis. Dabant enim pauperculi sua omnia fœneratoribus oppignorata, donec pretium quod ab illis acceperant, integrum redderent : interim singulis mensibus *centesimam* illius pretij partem, seu fructus centesimæ parti respondentes cogebantur iisdem subministrare. Et hęc vsura, *centesima* vulgò vocabatur; frequens Romanis, & apud Iudæos, vt hinc patet, vsitata: quâ singulis annis octaua pars summæ capitalis soluebatur pro fœnore, v.g. pro singulis centum aureis duodecim aurei. Cùm verò solùm dimidium eius fœnoris penderetur, id est, sex pro centum, vocabantur *vsuræ semisses*, seu dimidiatæ. Cùm solùm quatuor soluerentur pro centum, *trientariæ*. Cùm non nisi vnum, *unciales* dicebantur; & erat hæc vsura benignissima.

℣. 12. ET DIXERVNT omnes isti fœneratores, seu pudore, seu metu instigati, seu publici boni studio permoti, REDDEMVS omnia pignora pauperibus, ET AB EIS NIHIL vsuræ exinceps QVÆREMVS. En quàm facilè, quàm placidè nouas in Iudæam vniuersam tabulas inducit Nehemias. quod Romæ tantis cum tumultibus toties tentatum, numquam plenè perfectum fuit.

ET VOCAVI SACERDOTES, nempe quotquot eiusdem sceleris participes erant. Et hos propter reuerentiam ordinis sacerdotalis nolui publicè coram populo confundere : sed priuatim *adiurani eos*, *vt* idem *facerent*, addita hac imprecatione, quam EXCVSSO SINV vestis meæ extimæ, scriò ipsis imprecatus sum:

℣. 13. SIC EXCVTIAT DEVS DE DOMO SVA, &c.] Familiare enim Iudæis erat, gestu corporis exprimere quod verbis indicatum volebant. Imprecatur ergo hîc Nehemias, vt, sicut vestis, cùm excutitur, libera & vacua manet à puluere, sic qui nollet vsuras condonare pauperibus, omni fructu prouentuque laborum suorum *vacuus fiat*, & *de domo* quoque *sua excutiatur*, id est, profugus & extorris à patria, & omnium egenus fiat.

℣. 16. IN OPERE MVRI ÆDIFICAVI] Nullus tamen cap. tertio, vbi omnes ædificatores recensentur, locus apparet in toto opere relictus Nehemiæ. Respondeo, Nullum ipse sibi particularem locum desumpsit in opere, sed omnibus vbique aderat, omnibus inuigilabat, omnes, vbi opus esset, iuuabat per se, per suos, neque alienis, sed propriis sumptibus.

ET AGRVM NON EMI] q.d. Non studui augendis mihi opibus; sed quidquid habui seu ex proprio peculio, seu ex ærario regio; impendi in publicos vrbis & egentium vsus.

℣. 17. Ad MENSAM MEAM gratis admisi quotidie præfectos omnes operum, qui excedebant centum quinquaginta capita : item legatos omnium nationum; & quotquot negotiorum publicorum causâ ad nos ventitabant.

℣. 18. ET INTER DIES DECEM VINA DIVERSA. Id est, decimo quoque die conuiuium celebrabam splendidius, vina varia, & copiosè curabam : *& alia multa* exhilarandis animandisque omnibus opportuna *tribuebam* de meo. Neque enim vel ANNONAM DVCATVS MEI] seu mihi ratione ducatus mei debitam, depoposci vel admisi, ne populum magis grauarem, qui solâ murorum structurâ sat grauabatur, imò *valdè attenuabatur*, cùm & sine stipendiis vacarent operi, & domestica tantisper curare non possent.

CAPVT VI.

Hostes Iudæorum Nehemiam sub specie fœderis cum eo feriendi conantur in insidias pertrahere : minantur accusationem de affectato regno : per pseudo-prophetas pecuniâ corruptos, alios q; proditores nouas ei fraudes adornant, sed frustra omnia.

℣. 2. IN VICVLIS. Fortè Hebręum *Chephirim*, est proprium nomen loci. IN CAMPO ONO. Is erat in tribu *Beniamin* ad Iordanem, vocabaturque *vallis artificum*. ita Adrichomius. & colligitur ex c. 11. v. 31. & 35. Huc prætextu fœderis euocabant Samaritani Nehemiam, VT FACERENT ipsi MALVM] nempe vel mortem inferrent, vel saltem vincula injcerent.

℣. 7. ET PROPHETAS POSVERIS] Id est, concionatores constituisti, qui ad populum te regem in Iudæa pronuncient. Calumniâ hac terrere & ex vrbe pellicere conantur Nehemiam, prætextu tutelæ & opis ipsi præstandę, si velit sua secum consilia communicare. Sed ipse, contentus negasse calumniam, persistit in sua vrbe, & cœpto opere. Sed en alias magis occultas fraudes.

℣. 10. Vocatur à *Semaia filio Dalaiæ* pseudopropheta. Hic, vt apparet ex 1. Paralip. 24. v. 18. sacerdos erat de *vice Dalaiæ*, quæ erat *vigesima tertia*: & domi suæ se continebat quasi vir sanctus. Iamque consulturus incolumitati Nehemię, vocat eum secretò ad se, quasi aliquid ei indicaturus nomine & iussu Dei. Paret Nehemias, adit secretò : audit, *Tractemus nobiscum in domo Dei, in medio templi.* id est, consulamus incolumitati nostræ, & recipiamus nos in templum. Insidiantur enim vitæ tuæ Samaritani, multis nominibus iam pridem tibi infensi. Et cùm valuæ nondum sint affixę portis, facilè noctu irrumpere possent, & domi tuæ te iugulare. Sed in templo, quod instar arcis est munitum, tutus eris: & ego tibi perpetuus adero comes & laborum & periculorum. Sed suboluit fraus Nehemiæ, seu quòd diuina reuelatione resciscceret, seu quòd humanâ solertiâ conjectaret.

℣. 12.

℣. 12. Hunc pseudo-vatem ab ipsismet Samaritanis *pretio* subornatum esse, & vt me meis exosum & contemptibilem redderet, non verè, sed *quasi vaticinando*, ista mihi suggessisse.

℣. 13. VT TERRITVS instãte periculo FACEREM quod suasisset: ET sic PECCAREM, tum in honorem meum, cui tum maximè temporis consultum oportuit: tum in Deum meum, diffidendo illius prouidentiæ: tum in rempublicam, territando omnes meos subditos pauore & pusillanimitate mea. Vnde dixi, v. 11. *Num quisquam similis mei*, vir militaris & princeps, simili de causa *fugit* vmquam? Quis tantæ dignitatis, & à quo pendent animi omnium, recipiet se *in templum*, quasi fugitiuus & malè sibi conscius in azylum, *& viuet*, seu *vt viuat*? q.d. Ne vitæ quidem suæ tutandæ causa id facere decet.

℣. 14. SED ET NOADIÆ PROPHETÆ] vel, vt hebraicè est, *prophetissæ*, & plurium aliorum pseudo-prophetarum opera ad me terrendum, atque à cœpto opere abstrahendum vsi fuerunt. Sed & falsos fratres subornarunt eumdem in finem etiam è primatibus Iudæis, de quibus v. 17. qui subdolè & proditoriè adblandiebantur mihi, sed cum hostibus aduersum me conspirabant, vt remora fieret operi. Sed in vanum omnia. Nam

℣. 15. COMPLETVS EST MVRVS VIGESIMO QVINTO DIE MENSIS ELVL] Is est mensis sextus Hebræorum, & respondet nostro partim Augusto, partim Septembri. non impensis toti operi ab initio vsque ad finem, nisi *quinquaginta duobus diebus*. Quod in opere tam vasto sanè meritò miratæ sunt omnes gentes vicinæ. *& concidentes intra semetipsos*, id est stupore simul & timore exanimatæ, palàm professæ sunt, *à Deo factum esse hoc opus*. Sed & *Nehemiæ* studio ac vigilantiæ plurimum hîc debebatur, qui quotquot idonei essent operi promouendo admouerat, & noctes diebus iunxerat, & nullis sumptibus pepercerat. Simile quid legimus in gestis Alexandri Magni, qui ad Tanaim nouæ Alexandriæ muros 60. stadiorum longitudine excitauit spatio 17. *dierum*, vt vult Curtius, vel, vt Arrianus, 20.

Q. Curt. & Arrian. in vita Alex. Magni.

CAPVT VII.

Cincta iam manibus vrbi custodes designat Nehemias. Retensset qui olim cum Zorobabele è Babylone Ierosolymam redierant: & donaria in fabricam collata.

℣. 2. HANANI FRATRI, seu cognato, MEO. Videtur is idem esse qui initio huius libri, è Iudæa in Persidem ad Nehemiam venisse memoratur.

ET HANANIÆ PRINCIPI, id est præfecto, DOMVS, seu palatij regij, vt est in Hebræo. His, inquam, duobus, vtpotè PLVS CETERIS (quod experientiâ didiceram) TIMENTIBVS DEVM, & fidelibus tam mihi, quàm reipublicæ, PRÆCEPI DE IERVSALEM] supple, bene & accuratè custodiendâ. Hos enim præfeci illi muneri.

℣. 3. CVMQVE ADHVC ASSISTERENT] Id est, non nisi præsentibus illis & assistentibus, *clausæ sunt* vesperi *portæ*; *& oppilatæ*, nimirum *vectis* & cratibus seu cuneis, vt est in Græco.

℣. 5. DEVS DEDIT IN CORDE MEO, id est, mihi suggessit, VT RECENSEREM, seu inuestigarem, EOS] Hebraicè, genealogias eorum, id est, catalogum Iudæorum è Babylone reductorum, quot & qui essent è quaque familia. Nimirum, vt viderem an ex tam numerosis familijs possem curare vrbi A Ierosolymę nouos incolas, & ciuium supplementa. Quod tandem factum per sortem, infrà docetur cap. 11.

ET INVENI LIBRVM CENSVS, seu consignationem quamdam, in qua annotati erant, QVI ASCENDERANT PRIMVM cum Zorobabele è Babylone Ierosolymam anno primo monarchiæ Cyri regis Persarum. Habes hanc consignationem seu catalogum libro 1. Esdræ cap. 2. sed verbis hinc inde mutatis: numeris verò pæne vbique diuersis. Quæ diuersitas inde promanasse videtur, quòd sæpiùs recensita sint capita, v.g. Primò, cùm è Babylone demigrarent: Secundò, cùm in Iudæam appellerent: Tertiò, cùm instaurato iam templo dedicationem illius celebrarent. Vnde & diuersi catalogi confecti sunt, & diuersi numeri notati, prout decursu temporis alij aucti fuerant liberis, alij orbati. Ex vno ergo illorum catalogorum potuit Esdras sua B excerpsisse: Nehemias ex alio. Vide Franciscum Lucam. *Fr. Lucas hic notat.*

CAPVT VIII. 79.

Prima die mensis septimi Tisri, conuocato omni populo Ierosolymam, Esdræ sacerdos prælegit explicatq; legem Dei. Quam lectionem resumit 15. eiusdem mensis, & continuat tota octaua solemnitatis Tabernaculorum, quam splendidissimè celebrarunt.

℣. 1. DIXERVNT ESDRÆ, VT AFFERRET LIBRVM LEGIS MOYSIS] Hoc nomine intelligunt Pentateuchum: & præcipuè Deuteronomium. Non dicunt, Instaura librum de nouo: vel, recèns ede in lucem: sed, Affer è scrinio vel gazophylacio. Neque enim, vt quidam imaginati sunt, perierant & flammis absumpti fuerant omnes libri legis in excidio templi & vrbis Ierosolymitanæ, vt opus esset, de nouo eosdem instaurari per Esdram: sed, vt dixi 1. Esdræ 7. v. 6. solùm correxit C illos Esdras, & in meliorem ordinem redegit, & aliis characteribus descripsit,

℣. 3. ET LEGIT IN EO APERTE: & vers. 8. DISTINCTE ET APERTE AD INTELLIGENDVM] Hebraicè, *ponendo intellectum*. Ita vt vulgus intelligeret quod legebatur. Nam quæ hebraicè scripta erant, ipse lingua vulgari Syrorum pronuntiabat. Neque enim Iudæi ex quo Babylone redierunt, ampliùs locuti sunt hebraicè, sed syriacè, mixta nempe lingua ex Hebraica & Chaldaica. Puræ verò Hebraicæ linguæ vsus in sacris tantùm libris & diuinis officiis permansit. Vnde vt à vulgo intelligerentur libri Moysis, opus fuit vt Syriacâ, id est vulgi linguâ prælegerentur.

℣. 4. SVPER GRADVM LIGNEVM] Hebraicè, *turrim ligneam*. Sic suggestum vocat, quòd instar turriculæ emineret à terra.

℣. 10. NOLITE CONTRISTARI] Et vers. 9. *Nolite lugere, Nolite flere*. Tristabantur verò, & flebant, & lugebant iure merito, quòd ex lectione libri legis audirent, prædicta iam olim patribus suis, quo casu deflecterent à lege Dei, omnia miseriarum & calamitatum genera quæ ipsi vno alteroque sęculo iam patiebantur. Hunc tamen luctum & fletum inhibent hîc Leuitę, quòd importuno tempore & lŏco ederentur, putà in concione, & solemni die festo Neomenię, quo propter memoriam acceptorum cęlitus tum ab antiquo, tum de nouo beneficiorum publicè gaudendum erat, & festum celebrandum.

GAVDIVM ENIM DOMINI EST FORTITVDO NOSTRA] Id est tali gaudio in Domino, & festiua celebratione diei huius ob beneficia accepta à Do-

mino, fortiores efficiemur, nempe noua ope diuina, nouisque benedictionibus, ob exactè seruatam legem Dei, nobis cælitus impertiendis.

℣.13. PRINCIPES ab *Esdra* petunt, VT INTERPRETARETVR EIS VERBA LEGIS] Nempe ex pridiana lectione subortæ fuerant inter illos aliquæ quæstiones non de verbis (nam versu præced. dicitur etiam vulgus ea intellexisse) sed de sensu & intelligentia rerum quarumdam: & nominatim de ritibus & cæremoniis quibus celebrandum erat instans festum Scenopegiæ seu Tabernaculorum, vt mox subditur. Sed de ritibus istis egi fusiùs Leuitici 23.

℣.15. DIVVLGENT VOCEM] nempe præconis: quâ denunciari iubetur, vt in 15. diem eiusdem mensis Tisri omnes vndique Ierosolymam confluant, ad festum Scenopegiæ per octiduum celebrandum.

AFFERTE FRONDES LIGNI PVLCHERRIMI] Hebraicè, *ligni (a) olei* seu pinguis. quod LXX. verterunt Cypressum: Pagninus *pinum*: Mariana *balsamum*: alij *cedrum*. Sed ex omni genere frondium seu ramorum poterant illa construi tentoria.

(a) *Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 11.*

℣.16. FECERVNTQVE SIBI TABERNACVLA IN DOMATE SVO] id est in tecto domus suæ, seu solario. Nam omni loco poterant ea tabernacula figi, dummodò sub dio.

℣.17. A DIEBVS IOSVE FILII NVN, seu à primo ingressu terræ sanctæ, NON FECERANT TALITER FILII ISRAEL] nempe tantâ lætitiâ, tanto apparatu, tam celebri, tam prolixa lectione & explicatione legis diuinæ.

℣.18. *Collecta* quid sit, explicui Leuit. 23.

CAPVT IX.

Populus iteratò se separat à commercio cum alienigenis. Leuitæ confitentur Dei beneficia, & populi scelera: & fœdus cum Domino instaurant.

℣.1. HVMVS, id est puluis & cinis, SVPER EOS] Nam puluere caput conspergebant. Et hoc publicæ pœnitentiæ signum erat, vt & *saccus* cilicinus, & solemne ieiunium.

℣.2. SEPARATVM EST SEMEN FILIORVM ISRAEL AB OMNI FILIO ALIENIGENA] Id est, purè Israelitæ, seu nati ex parentibus fidelibus, seiuncti & separati sunt ab aliis qui ex altero infideli parente prognati fuerant. Nolebant enim vlteriùs habere cum illis commercia. Vide dicta 1. Esdr. 10. v. 3. At verò

℣.3. CONSVRREXERVNT Leuitæ AD STANDVM, Id est, ascenderunt in locum aliquem sublimiorem, in quo tamquam in theatro vel suggestu stantes, vt videri & exaudiri vndique à circumstante populo possent, LEGERVNT IN VOLVMINE LEGIS DOMINI, QVATER IN DIE, seu quatuor diuersis horis per diem: ET QVATER CONFITEBANTVR] nempe singulis lectionibus seu exhortationibus subnectebant hymnos & psalmos, quibus Deo quidem laudem iustitiæ, veritatis & misericordiæ; sibi verò confusionem, ob scelera admissa, tribuebant, ac veniam humillimè deposcebant.

℣.6. CÆLVM CÆLORVM, omnium maximum ac nobilissimum, putà empyreum. ET OMNEM EXERCITVM EORVM] Id est, omnes stellas, & omnes angelos. *Eccli. 43. v. 9.*

℣.7. IGNE] Hebraicè, *Vr Chaldæorum*. Videtur enim proprium esse nomen vrbis sic dictæ ab *igne*, qui istic, vt & in Perside, pro Deo colebatur, teste S. Hieronymo super Geneli, vbi nomen proprium *Vr* retinuit. Sed hîc maluit interpretationem illius nominis ponere, propter *emphasin* quam explicatam voluit: nempe, subductum Abrahamum ab *igne*, id est, tribulatione (*b*) & afflictione quam illic à Chaldæis, quòd nollet *ignem* adorare, perpeti solebat, teste Iosepho, S. Augustino & Hieronymo: qui addit, Hebræorum traditionem esse, Abrahamum ea de causa coniectum in ignem à Chaldæis, sed à Deo miraculosè ereptum fuisse. Vide quæ dixi Genes. 11. *Hieron. Quæstion. in Genes. 11. v. 31.* (b) *Psal. 16. v. 3. & Psal. 65. v. 12.* *Ioseph l. 1. Antiqu. Augustin. 16. de Ciu. c. 13. Hieron. sup.*

℣.12. De *columna nubis & ignis* vide Exodi 13.

℣.15. PANEM DE CÆLO] Id est *manna*. Vide Exodi 16.

LEVASTI MANVM TVAM] Id est iurasti, vt dixi in Prolegomenis. *Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 13.*

℣.17. DEDERVNT, seu retrò verterunt, CAPVT] Vel, vt alij, ducem seu principem sibi statuere decreuerunt, qui reduceret eos in Ægyptum, vt habetur Numerorum 14. Sic infrà v. 29. *Dederunt* retrò, id est auerterunt, *humerum* ab onere *recedentem*.

℣.32. NE AVERTAS A FACIE TVA; id est, ne contemnas, ne negligas, OMNEM LABOREM, seu molestiam & miseriam nostram, A DIEBVS REGIS ASSVR] cùm decem tribus abductæ sunt captiuæ in Assyriam.

℣.33. VERITATEM FECISTI] Id est, quod promiseras, quodque minatus fueras, præstitisti.

℣.37. FRVGES MVLTIPLICANTVR REGIBVS] seu in regum vtilitatem. q.d. Multos & vberes fructus profert quidem terra nostra, verùm illi non nobis cedunt, sed externis regibus Persarum, quibus subdimur, & seruire & tributa pendere cogimur.

℣.38. SVPER OMNIBVS ERGO HIS, Id est, propter hæc omnia, vt nostri deinceps misereri pergas; en nouo *fœdere* fideli & constanti *nos* tibi obstringimus, quòd velimus mandatis tuis æternùm parere. ET SCRIBIMVS] Id est, litteras huius fœderis testes obsignari omnium nomine curabimus ab iis qui in republica nostra & Ecclesia primas tenent, quorum nomina sequenti cap. recensentur.

CAPVT X.

Recensentur qui fœdus cum Deo initum signarunt, quo promittunt se seruaturos vniuersa Dei præcepta, maximè de vitando commercio cum alienigenis, de seruando Sabbatico, & anno septimo Sabbathico, de oblationibus, primitijs ac decimis.

℣.28. QVI SE SEPARAVERVNT DE POPVLIS TERRARVM AD LEGEM DEI, sunt proselyti.

℣.29. OMNES QVI POTERANT SAPERE] Id est, quotquot in ea ætate constituti erant, vt sui compotes essent.

SPONDENTES erant PRO FRATRIBVS SVIS OPTIMATES] Neque enim omnes de populo, neque omnes sacerdotes & Leuitæ obsignarunt propria manu pactum: sed qui in quoque ordine principes erant, signarunt nomine & vice aliorum.

ET QVI VENIEBANT, hebraicè, *venientes* erant, id est venerunt, AD POLLICENDVM ET IVRANDVM. Hebraicè additur, *cum execratione*. Iurant autem se AMBVLATVROS IN LEGE DEI] id est, seruaturos legem, & omnia illius *mandata*. Atque inter alia,

℣.31. DIMITTEMVS liberum ANNVM SEPTIMVM] non colendo agros eo anno, sed sponte nata pauperibus permittendo. Vide dicta Exodi 23. v. 11.

Dimit-

Dimittemus etiam EXACTIONEM VNIVERSÆ MANVS] Id est, non repetemus illo anno debita, quæ per syngraphas manu signatas nobis debentur à pauperibus. Vt enim ibidem dixi, remittenda erant debita anno Sabbathico.

℣. 33. In SANCTIFICATIS, videtur intelligere *hostias pacificas*, ad differentiam aliarum quæ *pro peccato* offerebantur. De quibus Leuitici 3. & 4.

℣. 34. A TEMPORIBVS ANNI VSQVE AD ANNVM]id est, annuatim.

℣. 37. DECIMAM PARTEM TERRÆ] id est decimas fructuum terræ. Sic *decimæ operum*, id est decimas fructuum ex operibus nostris resultantium. Porrò de lege decimarum vide Leuit. vltimo & alibi. (a)

a *Num.* 18. *Deuter.* 18. &c.

℣. 28. SACERDOS FILIVS AARON, seu sacerdotes posteri Aaron, erunt CVM LEVITIS IN DECIMIS LEVITARVM] Id est, partem suam habebunt ex decimis quæ Leuitis à populo dabuntur: putà *decimam* omnium *decimarum*. De qua ibidem B iusiùs.

℣. 39. ET IBI ERVNT, pro, ibi adseruantur, VASA templi: & habitant SACERDOTES, quo tempore per vices ministrant. Ad hæc enim gazophylacia debebant sumptu colonorum & Leuitarum deferri primitiæ quæ sacerdotibus cedebant.

ET NON DIMITTEMVS DOMVM DEI, seu cutam domus Dei, & quæ ad cultum diuinum, & ad ministrorum alimenta spectant. Hæc omnia iurant se ex fide præstiturós. Verosimile autem est, hæc ideo præ ceteris præstanda iurari, quòd hactenus vel neglecta fuissent, vel negligenter admodum obseruata.

CAPVT XI.

Instauratâ iam vrbe Ierosolymâ, recensentur incolæ illius, & reliquarum ciuitatum Iudæ.

℣. 1. VNAM PARTEM DE DECEM ex omnibus familijs sorte delegerunt, vt vrbem muris quidem cinctam, sed incolis adhuc vacuam, & à domibus nudam incolerent, & ædificiis instruerent. Erat enim, vt cap. 7. v. 4. dictum fuit, *ciuitas lata nimis & grandis, & populus parum* numero *in medio eius, & non erant domus ædificatæ.* Sed has ædificare cœperunt, & plateas, & fora, & regiones vrbis paulatim instaurarunt, partim qui sorte delecti fuerant, partim qui sponte sua vrbem incolendam ceperant. Et biennium totum ei rei impen-
Ioseph. l. 11. *Antiq. c.* 5. sum testatur Iosephus, & Venerabilis Beda.

℣. 3. De *Nathinæis*, & *seruis Salomonis* vide 1. Esdræ 2. v. 43. & 1. Paralip. 9. v. 2.

℣. 9. SVPER CIVITATEM, seu ciuitatis præfecturam, SECVNDVS dignitate erat IVDAS] Id est, C post *Ioel præpositum* proximus.

℣. 11. ACHITOB PRINCEPS DOMVS DEI] id est, procurator, vel fabricæ magister. Nam non fuisse summum pontificem, patet ex cap. seq. v. 10. vbi recensentur omnes summi pontifices qui in Iudæa præfuerunt spatio ducentorum annorum, quibus durauit monarchia Persarum, putà à primo anno Cyri, vsque ad Alexandrum Magnum, qui monarchiam Persis ereptam transtulit ad Græcos.

℣. 14. FILIVS POTENTIVM] Id est, vnius è potentibus & magnatibus. Sic enim sæpe apud Hebræos genitiuus pluralis distributiuè accipitur.

℣. 16. OPERA, QVÆ ERANT FORINSECVS IN DOMO DEI, sunt ea quæ culturam prædiorum, & concinnationem vasorum templi concernebant, quæ *à principibus Leuitarum* curari debebant.

℣. 17. PRINCEPS AD LAVDANDVM est præpositus cantorum, & præfectus instrumentis musicis. De his vide 1. Paralip. 25.

℣. 19. Qui *Ianitores*, vide 1. Paralip. 26. vers. 12. Sic.

℣. 21. De *Ophel* dixi 2. Paralip. 27. v. 3. 2. Esdræ 3. v. 30.

℣. 22. EPISCOPVS LEVITARVM] Ita etiam LXX. Sed hebraicè est, *princeps* seu præfectus primarius Leuitarum.

℣. 23. PRÆCEPTVM REGIS, hempe Artaxerxis, ERAT SVPER EOS] Id est, rex præceperat vt *Leuitæ* seruato antiquo ordine laudes Deo quotidie per vices in templo decantarent.

℣. 24. IN MANV REGIS, IVXTA OMNE VERBVM POPVLI] Hebraicè, *erat ad manum regis, ad omne negotium populi.* Id est, à rege constitutus erat *Phathahias*, vt regis homine, vnà cum duce populi determinaret causas populi Iudaici. Sic solet subinde aliquis legum peritus iungi ei qui pro rege præest in prouincia.

℣. 25. ET IN DOMIBVS] Hebraicè, *& in villis*, seu agro extra vrbem Ierosolymam. Hactenus enim de incolis egerat vrbis Ierosolymæ: nunc recenset, quinam extra illam in aliis seu vrbibus, seu pagis, seu villis, *per omnes regiones* Iudææ tum temporis habitarint.

De *Cariatharbe* dixi Iosuæ 14. v. 12.

De vibe verò *Lachis*, cuius hîc v. 30. fit mentio, vide Iosuæ 10. v. 32. & 2. Paral. 11. v. 9.

De *valle Ennom*, 4. Reg. 23. v. 10.

De *Ono valle artificum*, cuius hîc mentio. v. 35. vide hoc libro cap. 6. v. 2.

℣. 36. ET DE LEVITIS PORTIONES erant, Id est, pars quoque Leuitarum obtinebat *portiones* suas inter reliquos Israelitas per totum circulum tribus. IVDÆ ET BENIAMIN] Quia non in sola vrbe Ierosolyma, sed & extra illam immixti ceteris Leuitæ degebant.

CAPVT XII.

Nomina & officia sacerdotum ac Leuitarum tempore Iesu, & Ioacimi, & sequentium summorum pontificum vsque ad Darium Codomannum, vltimum Persarum monarcham. Celebratur dedicatio vrbis nouæ Ierosolymæ, euocatu ad eam vndique Leuitis & aliis omnibus Iudæis.

℣. 7. PRINCIPES SACERDOTVM vocabantur qui in quoque ordine seu vice primi vel primarij erant. Cumque ordines eiusmodi essent 24. vt habes 1. Paralip. 24. etiam *principes sacerdotum* erant 24. vt dixi in Chronico. *Chron. c.* 46.

℣. 10. & 11. recensentur sex summi pontifices, D quorum primus *Iosue* vel *Iesu* præfuit tempore Cyri Persarum primi monarchæ: vltimus *Ieddoa*, seu Iaddus, (b) tempore *Darij* Codomanni, vltimi Per- b *Chron.*
sarum monarchæ: & ideni occurrit Alexandro *c.* 42.
Magno, & dira Iudæis minantem placault, teste *Ioseph. l.* 11.
Iosepho. Sed id contigit facilè centum annis post *Antiq. c.* 8.
hæc Artaxerxis tempora, & diu post mortem Nehemiæ. Vnde constat, versiculum hunc vndecimum, & etiam vigesimum. secundum, ab aliquo alio scriptore hagiographo insertum esse huic libro Nehemiæ, vt posteris constaret de successione pontificum Synagogæ, per omne tempus monarchiæ Persicæ, quæ stetit ducentis (c) annis. Sic vi- c *Chron.*
dimus adiecta Moysi vltima verba Deuteronomij; *c.* 37.
& Iosue, & Samueli quoque, quæ suis locis notauimus.

℣. 12.

℣.12. PRINCIPES FAMILIARVM, scilicet sacerdotalium, vocantur ijdem qui v. 7. *Principes sacerdotum*. Vnde quod hîc dicitur, *Saraia Maraia*, idem est ac si dicas, In vice seu ordine, qui à Saraia nuper familiæ seu ordinis illius principe nomen habuit tempore *Iesu* pontificis, vt habetur v. 1. iam tempore filij illius *Ioacimi* primarius & princeps erat *Mataia*. & sic de ceteris.

℣.22. IN REGNO, hebraicè, *vsque ad regnum*, DARII PERSÆ] putà Codomanni, (*a*) vltimi monarchæ, qui septimo monarchiæ suæ anno ab Alexandro Magno pluribus præliis deuictus, ac tandem etiam captus est.

a *Chron.* c. 37.

℣. 23. IN LIBRO VERBORVM DIERVM] Id est, in annalibus (*b*) pontificum Iudæorum. Nam annales suos accuratissimè semper conscripsisse Iudæos, ex Iosepho constat, & ex libris Paralipomenon, vbi passim ad illos annales remittit Scriptura.

b *Chron.* 42.

℣.27. DEDICATIONE MVRI] adde & vrbis *Ierusalem*. Vel dic, per *murum* hîc non sola *mœnia* intelligi, sed etiam muros ædium, palatiorum, platearum & vicorum vrbis Ierusalem. Nam his instaurandis statim à confectis mœnibus totum incubuisse Nehemiam colligitur ex cap. 7. v. 4. & 70. & cap. seq. Et ea mente venerat è Persida Ierosolymam, vt habes c. 2. v. 3. 5. & 8. Vnde solemnis dedicatio facta non fuit statim ab instauratis mœnibus, vt vult Salianus: cur enim Nehemias, qui longè minutiora tum temporis acta commemorat, tam celebrem dedicationem, si tum contigit, prætermisisset? Sed facta demum est, cùm reliquæ etiam vrbis munitiones, propugnacula, turres, publica fora, plateæ & vici, cum palatiis, aliisque ædibus ad excipiendum incolas necessariis, saltem maiori ex parte instauratæ essent: cui rei biennium aliud cum tribus mensibus impensum scribit Iosephus, vt dixi initio huius libri. Et adstipulatur Venerabilis Beda, cuius hæc verba sunt: *Iamdudum edificata erat ciuitas*, scilicet quoad muros suos seu mœnia: *sed non decebat eam dedicari, priusquam habitatoribus aggregatis, & ministri templo idonei, & portis ac vestibulis essent custodes deputati*. Porrò ab hac solemni vrbis dedicatione, & ædium ac platearum illius instauratione, desumitur initium 70. hebdomadum Danielis, vt dixi initio huius libri. Quia tum demum, & non antè verum fuit, *exitum* habuisse *sermonem*, seu completum fuisse decretum de *iterum edificanda Ierusalem*, & non muro vno, sed *muris* omnibus, adeoque *& platea*, id est interiori habitatione, de nouo instaurandis: à quorum omnium instauratione dicit angelus, Danielis 9. v. 25. initium 70. hebdomadum desumi debere. Et secundùm hunc calculum respondent ad amussim omnes anni vsque ad passionem Christi, vt videre est in nostro Chronico. Crediderim verò dedicationem eam factam mense Tisri, quo eodem & Salomõ (*c*) olim dedicarat templum suum, & nuper Salathiel nouum altare (*d*) Domini. Et colligitur ex initio capitis sequentis, vbi dicitur, *In die illo lectum* fuisse *in volumine Moysi*, *audiente populo*. Quod fieri solebat, imò debebat, in festo Scenopegiæ, vt præcipitur Deuter. 31. Crediderim quoque eodem dedicationis tempore contigisse insigne illud miraculum conuersæ aquæ in ignem, itemque absorptæ aquæ ab igne cælesti, cuius meminit liber 2. Machabæorum c. 1. v. 18. dum coniungit diem accepti cælitus *ignis* cum festo *Scenopegiæ* à Nehemia celebrato, nempe sub tempus huius dedicationis. Licèt aliqui malint id miraculum accidisse vel 25. die mensis

Salian. an. mũdi 3609. *num.* 66.

Ioseph. l. 11. *Antiqu. c.* 5.

Chron c. 38.

c 3. *Reg.* 8. *v.* 2.

d 1. *Esdr.* 3. *v.* 1.

A *Casleu*, vt ibidem notatur: vel certè altero illo festo Scenopegiæ biennio ante eam dedicationem ab eodem Nehemia celebrato, suprà c. 8.

℣. 30. MVNDAVERVNT PORTAS ET MVRVM] nempe aqua (*e*) lustrali, oratione solemni & sacrifi- e *Num.* 19: cio. Quod Nota pro antiquitate ritus dedicationis vrbium & ædium.

℣. 31. *Portam sterquilinij* descripsi 2. Esdræ 2. v. 13 & c. 3. v. 1. Rursum

℣. 35. *Portam Fontis*, ibid.

℣. 36. *Portam Aquarum*, ibid.

℣. 38. *Portam Antiquam; Piscium: Gregis: Custodiæ*, ibid. c. 3. v. 1. & 30.

℣. 46. SANCTIFICABANT LEVITAS: id est Leuitis (vt est hebraicè) dabant Iudæi partes sanctificatas, nempe *decimas*. Et ex his decimis SANCTIFICABANT LEVITÆ FILIOS AARON] id est, dabant sacerdotibus suam *decimam*, vt dixi Num. 18. v. 8. & 2. Esdr. 10. v. 38. *Sanctificare* ergo hîc sumitur pro *dare quod sanctum* seu *sanctificatum est*.

B

CAPVT XIII.

Lecto de more Deuteronomio, rursus separantur à Iudæis alienigenæ; etiam Tobias, etsi affinis summo pontifici. Decimæ Leuitis instaurantur. Sabbathi violatores, & qui Gentilibus matrimonio iuncti erant, puniuntur à Nehemia è Persida iterum reuerso.

℣.1. AMMONITES ET MOABITES NON DEBENT INTROIRE IN ECCLESIAM DEI] scilicet cum iure ciuium, ad officia publica & honores suscipiendos, vt dixi Deuter. 23. Alioqui poterant ad iudaismum conuerti, & proselyti fieri.

℣.4. SVPER HOC, id est, his alienigenis arcendis ab omni munere publico præerat ratione officij summus pontifex ELIASIB, QVI etiam FVERAT iam pridem PRÆPOSITVS & superintendens GAZOPHYLACIORVM templi, & ipsius erat administrationem illorum committere cui committi debebat. Sed in hoc ipso præ alijs ipse quoque peccauit, plus fauens carni & sanguini, quàm legi diuinæ. Cùm enim esset *proximus*, seu affinitate coniunctus, *Tobiæ* (*f*) *Ammonitæ*, primarium officium ei detulit: nam

C

f 2. *Esdr.* 4. *v.* 3.

℣.5. FECIT SIBI; hebraicè, & græcè, *fecit illi*, scilicet *Tobiæ*, vt dicitur hîc v. 7. habitationem, seu palatium, in vestibulis templi, quod v. 7. vocat *thesaurum*, seu thesaurorum receptaculum: hîc appellat GAZOPHYLACIVM GRANDE] nempe constituebat illum loco & nomine suo præpositum omniũ decimarum & primitiarum quæ Leuitis & sacerdotibus aduehebantur. Sed tanto malo it obuiam Nehemias, simulatque è Persida, quò recurrerat, in Iudæam reuersus est. Et amoto Tobia, etiam

D

℣. 8. VASA DOMVS. id est suppellectilem omnem domesticam illius, foras eiecit: & mundatis gazophylacijs à sordibus profanorum supellectilium, pristinis illa vsibus restituit, asseruandis nempe vasis sacris templi, & SACRIFICIO] id est, rebus ad sacrificium offerendum spectantibus, putà simile, vino, oleo, thuri, & similibus.

℣.11. FECIT STARE IN STATIONIBVS SVIS, id est, restitui in pristinum gradum suum, CANTORES ET LEVITAS.

℣. 19. CVM QVIEVISSENT PORTÆ IERVSALEM] nempe ab officio suo diurno, emittendi ex vrbe, & immittendi in vrbẽ transeuntes. q.d. Cùm vespera iam aduenisset, vt hebraicè insinuatur.

IN DIE SABBATHI] iam inchoante. Nam sabbathum inchoabatur (*g*) à vespera feriæ sextæ, seu

g *Chron.*

diei

diei Veneris. Iussit Nehemias claudi portas, clausasque detineri vsque post finitum sabbathum. atque ita impediuit, ne quæ onera possent in vrbem inuehi die sabbathi. Mox etiam edicto cauit, ne eadem ad vrbem, seu ante portas vrbis, eo die afferrentur.

℣. 21. MANVM MITTAM IN VOS] Id est, puniam vos, & fisco meres addicam.

℣. 24. FILII EX MEDIA PARTE, hebraicè, medietas, id est media pars filiorum, LOQVEBANTVR IVXTA LINGVAM POPVLI ET POPVLI] Id est, singulorum populorum, vnde matres erant oriundæ, lingua loquebantur filij.

℣. 25. ET MALEDIXI] Id est, anathema dixi, & excommunicaui tales parentes. Quosdam etiam ob enormem legis sat notæ contemptum & transgressionem, flagellis cecidi: quosdam impudentiores etiam *decaluaui*, seu depilaui, quod extremæ ignominiæ erat apud Iudæos, vt dixi 2 Regum 10. v. 4. Inter alios

℣. 28. Vnus etiam DE FILIIS IOIADA, summi tunc pontificis, GENER factus ERAT hominis Gentilis & Iudæis infensissimi, (a) putà SANABALLAT HORONITÆ: est enim genitiui casus, vt ex Hebræo & Græco patet. Hunc quoque sacerdotem *fugaui à me*, simulque priuaui munere sacerdotali.

Narrat Iosephus, centum circiter post annis Sanaballat non hunc, sed huius fortè nepotem vel abnepotem, tempore Alexandri Magni, in odium Iudæorum & templi Ierosolymitani, aliud huic æmulum in regione Samariæ, in monte (b) Garizim templum exstruxisse. Vnde lis illa solemnis inter Samaritanos & Iudæos, etiam tempore Christi, vtro in loco & templo sacrificandum esset Deo? Ioan. 4. v. 20.

a 2. *Esdr.* 4. & 5.

Ioseph. l. 11. *Antiqu. c.* 7. & 8.

b *Chron. c.* 39. *in Philometore. & Chron. c.* 42. *in Manasse, & Eccli.* 50. *v.* 28.

LIBER TOBIÆ.

Hieron. epist. 100. *quæ est ad Chromatium & Heliodorũ.* c *Andreas Masius in epist. deuocat in Iosue. Hieron. ep.* 110. 115. *& in prologo gal. ato.* d *Iren. l.* 2. *c.* 34. *Isidor l.* 6. *Originum, c.* 1. 2. *Ambr. libro de Tobia. August. de Doct. Christian. l.* 2. *c.* 3 *& l.* 18. *Ciuit. c.* 36. *& in Speculo & ep.* 235. e *Cyp. l.* 3. *ad Quirinum c.* 16. *& ep.* 62. *Chrysost. hom.* 12. *in ep. ad Hebr. Clem. l.* 1. *Stromat. Cassiod. de diu. lectionibus c.* 6. *Rhaban. l.* 2. *de Instit. Cler. c.* 15. *Amal. de Ord. Antiphonar. c.* 23. f *Inn. in ep. ad Exuperium. Gelas. decreto de libris Sacris. Conc. Carthag. III. can.* 43. *Trid. sess* 4. *Paul. Phas. in proœmio versionis Tobiæ ex Hebræo*

SCRIPTVS est primùm chaldaicè, ait S. Hieron: qui ex ea lingua illum conuertit in Latinum. Et scriptus est ab ipso Tobia seniore vsque ad finem cap. 12. A iuniore scriptum est caput 13. vsque ad v. 16. vt ibidem ostendam. Inde vsque ad finem libri alius quispiam incertus suppleuit. Vt alijs etiam libris contigisse dixi 2. Eldræ 12. v. 11. Idem hic liber etiam in Hebræam, Græcam, & Syriacam (c) translatus extat. Sed præter Hebræam & Græcam illam quæ nostræ huic Latinæ versioni respondet, alia extat Hebræa & Græca paulò amplior & fusior, in qua Tobias semper ἀνωπροσωπως, seu in prima persona loquitur. Vnde meritò putant aliqui, Tobiam bis eamdem historiam conscripsisse, semel succinctè, quam hîc habemus: iterumque fusiùs, quæ græcè etiamnum extat, vt dixi.

Porrò de libri auctoritate dubium aliquando fuit, eò quòd, cùm initiò non extaret hebraicè, etiam in canonem Hebræorum receptus non fuerit: vnde & à S. Hieron. & quibusdam alijs olim apocryphus, id est, occultæ & incertæ fidei, & necdum iudicio Ecclesiæ probatus habebatur. A pluribus tamen Patribus, imò pæne ab omnibus qui S. Hier. aliquanto posteriores sunt, pro Canonico habitus fuit, vti & liber Iudith, Esther, & vterque Machabæorum. Vide (d) S. Irenæneum, Isidorum, Ambrosium, Augustinum, qui id disertè affirmant. item S. Cyprianum. (e) Chrysostomum, Clementem Alexandrinum, Cassiodorum, Rhabanum, Amalarium, & alios, qui hos libros omnes passim vt Canonicos citant. Et pro talibus habendos iamà 1200. annis decreuerunt varij Pontifices & Concilia: nominatim Innocentius I. (f) Gelasius I. Concilium Carthaginiense III. ac nouissimè Tridentinum. Vt iam nulli ampliùs liceat de auctoritate librorum illorum dubitare.

Quod ad materiam attinet, Paulus Phasius, & quidam hæretici putant librum Tobiæ non esse aliud quàm drama vel comœdiam (instar Cyropædiæ Xenophontis) quâ boni patris ac filij-familias typus ob oculos ponatur. Sed veram historiam esse clamant omnes circumstantiæ locorum, temporum, personarum ac rerum gestarum: quæ si falsæ essent ac fictæ, non posset Scriptura à mendacio excusari.

CAPVT

CAPVT I.

Tobiæ genus, patria, iuuenilis ac & virilis ætas & virtutes: & gesta in Ninive, & aula regis Assyriorum.

Chron t.46. tabula 2.

℣.1. TOBIAS] Id est bonus Deus, vel bonitas Dei. In Hebræo & Græco additur Tobiæ pater *Tobiel*, auus *Ananiel*, proauus *Aduel*, abauus *Gabiel*, tritauus *Asiel*, filij *Nenathiel*. Auia paterna *Tobiæ* vocatur infrà v.2. *Debbora*. Porrò natus est Tobias

EX TRIBV ET CIVITATE eiusdem nominis cum tribu, putà NEPHTHALI, sita IN SVPERIORIBVS partibus GALILÆÆ] quæ & *Galilæa Superior* vocari solet, eò quòd versus eam partem vergat, vnde tamquam è superiore loco celeberrimus Palæstinæ fluuius *Iordanis* defluit. Sicut ex *Rheno Germania* eamdem ob causam alia *Superior*, alia *Inferior* nominatur. Eadem *Galilæa Superior* vocari

Ioseph. l.3. Belli c.2. aliàs solebat *Galilæa Gentium* Isaiæ 9. & Iosepho passim: idque à *Gentilibus* Tyriis & Sidoniis, quos rex Tyri in eam à Salomone sibi donatam, incolas immiserat, 3.Regum 9.v.11.

Nota, hîc in Hebræo, loco *Galilææ*, esse *Samariam*. Quia *Samaria*, licèt inter Galilæam sita & Iudæam, tamen dominabatur *Galilææ*: erat enim vrbs regia eorum qui Galilææ domini erant. Sic quos

Ioseph. l.18. Antiq. c.5. Christus Lucæ 13. *Galilæos* vocat, Iosephus nominat *Samaritanos*.

℣.2. IN DIEBVS SALMANASAR] Græcè *Enemessar*. Anno sexto *Ezechiæ* regis Iuda, & nono atque vlt. *Osee* vltimi regis Israel, cùm decem tribus

a 4. Reg.18. transferrentur (*a*) captiuæ in Assyriam, etiam Tobias cum vxore sua & filio, eodem translatus est.

℣.4. IVNIOR OMNIBVS, pro *ferè iunior*. Hebraicè & græcè, *cùm esset iuuenis, & omnis tribus Nephthalim* cum aliis nouem apostaticis *recessisset à cultu Dei*. A septem rebus commendatur hic Tobiæ adolescentia. Primò, à senili modestia: nam *iunior* ceteris, *nihil tamen puerile gessit*. Secundò, à vitæ innocentia in medio malorum.

b 3. Reg.12. v.28. ℣.5. CVM IRENT OMNES AD VITVLOS (*b*) AVREOS Ieroboami adorandos, HIC SOLVS PERGEBAT IN IERVSALEM] Infrà cap. 5. in Hebræo & Græco, dicit Tobias *secum iuisse Ananiam & Ionathan*; non tamen semper, sed *sæpe*. Et vocula, *solus*, non excludit pauculos viæ comites. Tertia laus, à fuga consortij malorum, qui solent esse instar picis aterrimæ & tenaciſſimæ, Eccli. 13. 1. Simile quid

Nazianz. orat.20. Nazianzenus de se & socio suo Basilio: *Si quis fluuius per salsum mare dulcis fluere: si quod in igne, quo omnia consumuntur, animal saltitare creditur, id nos eramus inter omnes adolescentes* in Academia Athenensi, dyscolos scilicet & corruptos.

℣.6. PERGEBAT IN IERVSALEM] festis à lege statutis ter per annum, in Pascha, Pentecoste & Scenopegia, vt est in Hebræo & Græco. Quarta hæc laus est, obseruantiæ legis diuinæ. Quinta, pietatis:

IBI ADORABAT DOMINVM] Et tu quoque, cùm alij feriantur, epulantur, venantur, &c. perge ad templum, exemplo Hyacinthi.

OMNIA PRIMITIVA SVA ET DECIMAS FIDELITER OFFERENS] Sexta laus. Ita vt

℣.7. IN TERTIO ANNO] seu tertio quoque anno, tertium quoque genus *decimarum* pauperibus exactissimè subministraret. De triplici genere decimarum, quas pendebant Iudæi, vide Deut. 14.

℣.8. HIS SIMILIA alia pia instituta OBSERVABAT PVERVLVS, seu adolescens *Tobias*, quæ 7. illius laus est. nempe maiores natu reuerebatur, minores instruebat, à voluptatum illecebris cauebat, legem Domini (vt pueris Iudæis imponebatur, teste Iosepho) memoriæ mandabat, &c. Et hæc in adolescentia sua, ante coniugium. In coniugio autem & virili ætate, en alia encomia. Primum, cura bene instituendi liberos.

Ioseph. l.2. cont. Appionem.

℣.10. FILIVM suum AB INFANTIA TIMERE DEVM DOCVIT, ET ABSTINERE A PECCATO] Quam curam parentibus adeò exactè commendat Dauid, Salomon & Ecclesiasticus. Secundum encomium, abstinentia à cibis vetitis.

Ps.33.v.12. Prou.4.v.4. Eccli.30.

℣.12. CVM OMNES EDERENT EX CIBIS GENTILIVM, putà idolo immolatis, vel lege vetitis, v. g. porcina carne, &c. ISTE NVMQVAM illis CONTAMINATVS EST] Et huius exemplum secuti sunt postea Daniel cum sociis, Eleazarus, Machabæi, & alij.

Daniel 1. 2.Mach.6. & 7.

℣.13. ET MEMOR FVIT DOMINI (& omnium mandatorum eius) IN TOTO CORDE SVO] Tertium encomium. Quartum, quintum, sextum, & septimum, habes versibus 15.17.19.20. quoad varia opera misericordiæ erga proximum tam spiritualia, quàm corporalia.

Hinc DEDIT ILLI DEVS GRATIAM IN CONSPECTV SALMANASAR REGIS] vt, videlicet, ei præ reliquis placeret, & eximiè gratus esset. Sunt autem Tobiæ tria præsertim à rege concessa: Primum, *potestas eundi quocumque vellet, & faciendi quæcumque vellet*, v.14. Secundum, munera, eaque amplissima à rege ipsi donata, v.16. Addunt Hebræa & Græca Tertium, nempe officium aulicum seu palatinum: nam dicunt fuisse ἀγοραςὴν regis, id est emptorem seu procuratorem domus regiæ, & omnium ad regiam spectantium, putà annonæ, vestium, equorum, armorum, prædiorũ, &c. vt olim fuerat Ioseph in Ægypto, Genesis 41. Vnde & dicunt, constitutum fuisse Tobiam supra omnia quæ habebat Salmanasar. Vnde facillimum illi fuit, *decem talenta argenti* Gabelo egenti *dare* non mutuò, sed in depositum, vt tamen pro libito vteretur, quoad repeteret Tobias. Atque hæc tam prospera fortuna adhæsit Tobiæ toto tempore regni Salmanasar. Quo defuncto, cùm Sennacherib eius filius & successor Iudæos omnes iam inde ab exordio regni sui exosos haberet, sed tum maximè omnium cùm horrenda clade ab ijsdem in Iudæa, seu potiùs ab angelo, sed in Iudæorum gratiam, affectus esset, vt narratur 4.Reg.19. (*c*) & Eccli. 48. (*d*) ideoque in omnes promiscuè vt primùm Niniuen reuersus est, crudeliter sæuiret; etiam Tobias ad mortem deposcebatur, & omnia illius bona fisco addicta sunt. Sed *quadragesimo quinto die* à reditu Niniuen occiso à proprijs filiis tyranno, (*e*) Tobias sua quoque bona, sed non pristinum officium, recepit. Addunt Hebræa & Græca, ipsum ea recepisse precibus & operâ Achiachari (quem Noster cap. 11.v.20. *Achior* vocat) nepotis sui ex fratre Anaele. Nam hunc in primis charum habebat Assar-Addon filius & successor Sennacheribi, feceratque eum *pincernam* suum, & ab *annulo regio*, & *rationibus regiis* præfectum, & totius *regni* διοικητὴν seu *gubernatorem*, denique *secundum à se*, seu vicarium suum. ita Hebræa & Græca.

c v.15. d v.14. e 4.Reg.19. & 2. Paral. 32.v.21. & Isaiæ 37. v.38.

CAPVT

CAPVT II.

Tobias ex cadauerum sepulsura fatigatus obdormiens, hirundinum stercore excæcatur, & ab vxore & amicis probris exceptus, instar Iobi patientissimè tolerat.

¶.1. CVM ESSET DIES FESTVS] nempe Pentecostes, vt habent Hebræa & Græca.

¶.10. QVADAM DIE; græcè *eâdem illa nocte*, quæ scilicet festum Pentecostes consecuta est: A SEPVLTVRA redieńs DOMVM SVAM] neque tamen ingredi volens, quòd contactu cadaueris immundus factus esset, iuxta legem Numerorum 19.(a) extra domum in porticu vel propylæo iuxta parietem se abijciens, supinus obdormiuit.

a v.11. & 16.

Petes, Cur, sicut priore vice, cùm cadauer è platea sustulisset, reuersus lauit & mundauit sese, vt est in Græco, atque ita prandium relictum resumpsit, (b) non etiam hac secunda vice, simili lotione sese emundauit, & ita domum & stratum suum ingressus est? Respondeo, Fatigatio & somni appetitus non ferebant eiusmodi moras: & volupe erat nocturno tempore sub medium æstatis in aperto aëre somnum capere.

b Hic v.5.

Petes Secundò, Quæ tanta seu necessitas, seu vtilitas sepeliendi cadauera, vt tantis propterea periculis vir prudens hîc sese exponat? An fortè nocet mortuo, quòd cadauer iaceat insepultum? Respondeo, Non nocet absolutè aut simpliciter, sed tamen per accidens & ex parte, vt cum S. Thoma loquar: Primò, propter affectum & amorem quem in corpus suum habuit viuens, & mortuus adhuc retinet. Secundò, propter honorem, quem omnibus pæne gentibus persuasum est afferri defuncto per sepulturam. Tertiò, propter infamiam & iniuriam quæ non mortuo tantùm, sed & communi hominum naturæ irrogari censetur, cùm pars altera hominis in oculis omnium computrescere, & à canibus & alitibus dilacerari permittitur. Neque solet ea infamia irrogari nisi de communi bono pessimè meritis. Vide hac de re Alcimum, Stobæum, & S. Augustinum, qui cadauera iustorum hoc quoque nomine studiosiùs curanda monet, quòd ijs tamquam organis suis Spiritus sanctus ad omnia opera bona vsus fuerit. Et quòd precibus quoque fidelium, quæ in sepultura adhibentur, mortui, si forsan in Purgatorio sint, iuuentur: quibus incommodè priuantur, cùm id officij negligitur.

Alcimus l. ad sororem. Stobæus serm. 122. Aug. l. de Cur. c. 12. & l. de Cura pro mortuis.

¶.11. HIRVNDINVM CALIDA STERCORA vim habent excæcandi naturalem, inquit Plinius, & Franciscus Valesius: tum ex hirundinum occulta proprietate: tum ex manifesto calore & vi adustiua sordibus illis inexistente, quæ pupillas & oculorum hirquos nimis calefacit, exsiccat & exurit: & ex sordibus subitò concrescente membranula, qualis est in talpis, oculi prorsus excæcantur. Non tamen casu id euenisse viro sancto putandum, maximè vt vtroque simul oculo priuaretur, sed singulari Dei prouidentiâ, ob fines qui versu sequenti explicantur. Sed & medicorum opem, vt est in Hebræo & Græco, adhibuit Tobias, vt faciendum monet Ecclesiasticus: verùm illi nihil ei profuerunt. Vide Chrysostomum, qui hac occasione recenset vndecim causas, cur Deus iustis tot calamitates immittat. Porrò calamitatis non leuis exasperatio Tobiæ fuit

Plin. l. 11. c. 37. Vales. Sacra Philosophia c. 22.

Eccli. 38. Chrysost. homil. 1. ad populum.

¶.15. *Irrisio & insultatio parentum*, seu affinium & familiarium, ac præ omnibus etiam propriæ vxoris.

A SICVT BEATO IOB INSVLTABANT & VXOR & REGES] Id est, tres illi amici & cognati Iob, qui cap. 2. & vlt. Iobi, vocantur reges in editione LXX. non quales hodie reges in Europa, sed quales in India & Iaponia, non paucos habemus: & quales olim triginta & vnum deuicit Iosue; & LXX. reges sub mensa Adonibezec (c) analecta ciborum carpebant: nempe domini paucarum vrbium, vt patet ex dictis Iosue 12.

Iosue 12. c *Iudic. 1.*

Petes, Quomodo dicuntur hîc tres isti amici *insultasse* Iobo, cùm constet ex c. 2. Iobi v. 11. consolandi illius causâ accessisse? Respondeo, Hac quidem mente accesserunt, & initio quoque cum dolente doluerunt: sed in decursu colloquiorum plurima postmodum peccauerunt, afflictos integerrimi viri casus importunè exagitantes, & misero insultantes. Nam queritur ipse Iob cap. 6. v. 26. ipsos *tantùm ad increpandum eloquia continuasse, super pupillum irruisse, & amicum subuertere voluisse.* Similia habet cap. 19. v. 2. & alibi. (d) & confirmat ipse Deus cap. vlt. v. 7.

d *cap. 13. v. 4. & c. 16. v. 9.*

B ¶. 20. HOEDVM ACCIPIENS Anna, dono scilicet, & gratuito, supra debitam mercedem, vt habent Hebræa & Græca. Cumque Annæ id affirmanti non tam citò crederet maritus, illa irata risit virum sanctum. In Græco additur, *Achiacharum* nepotem Tobiæ *nutriuisse* patruum suum, *vsque dum abiret* Tobias, vtique periculi vitandi causâ, *in Elymaida.* Causam abitus vide infrà in fine cap. vltimi.

CAPVT III.

Tobias ob vxoris, Saræ ob ancillæ suæ conuitia, mori exoptant: ad preces confugiunt, quæ mox exaudiuntur à Deo, & angelus Raphael ad virumque curandum mittitur.

¶.2. OMNES VIÆ TVÆ] Duplex est *via Domini.* Vna quam ipse ambulat: & sunt actiones ipsius seu opera, quibus ad præstitutum sibi finem, sui videlicet nominis gloriam, adeoque ad seipsum (e) tendit. Altera, quâ nos ad ipsum ambulamus: & sunt ipsius mandata, monita, consilia, quorum obseruatione ad vltimum finem nostrum, seu ad æternam felicitatem deducimur. Ambæ viæ sunt *misericordia, veritas* & *iudicium* (phrasi Hebraica ponuntur abstracta pro concretis) id est, sunt misericordes, veræ & iustæ.

C e *Prou. 16. v. 4.*

¶.7. SARA IN RAGES CIVITATE MEDORVM] Hebræa & Græca habent, *in Ecbatanis.* Quia *Rages*, vt infrà dicitur c. 5. v. 8. *posita* erat *in monte Ecbatanis*, seu regionis quæ vocabatur *Ecbatanis*, vbi erat regia sedes Medorum & Persarum. Et addit ibidem Hebræus, iter esse duorum dierum ab vrbe Ecbatanis vsque Rages: & hanc quidem *in monte*, illam *in planitie* sitâ esse. Idem docet Castalio apud Ortelium. Vide etiam Diodorum, & Ptolemæum.

Diod. l. 19. Ptol. in Asiæ tabul. 5.

D ¶. 8. DÆMONIVM, græcè, *pessimum dæmonium*, NOMINE ASMODÆVS, ab *Esch*, id est ignis, & *Medai*, id est *regni Mediæ*, quia toto illo regno *ignem* libidinis excitabat. Hebraicè additur, *Melech hasschedim*, id est, rex prædonum, seu dæmoniorum: nam dæmones in Scripturis prædones vocantur. Nomen autem sortiuntur in hoc mundo, vel *à locis* in quibus grassantur, vel *à vitiis* ad quæ potissimùm impellunt. A locis vocantur ignei, aërei terrei, aquei, Septemtrionales, Australes, Persici, Africi, tenebriones, σποδαίμονες seu sepulchrales, &c. vt videre est apud Rhodiginum, Scaligerum, Cantipratanum & alios. Sic noster hic à regno *Medorum*, & tota vicinia vbi dominabatur, dictus est *Asmodæus.*

Cæl. Rhodig. l. 2. c. 4. §. 7. Iul. Scaliger. exercit. 355. Tho. Cantipr. l. 2. c. 57.

Sic S. Hieronymus, (a) Rupertus & Cassianus putant, illum *Persarum principem*, cuius meminit Daniel c. 10. fuisse vel hunc vel huic Asmodæo similem *principem diabolorum*. A vitiis verò vocantur *spiritus* vel etiam *reges* superbiæ, xenodoxiæ, accidiæ, iræ, philargyriæ, gastrimargiæ, fornicationis, &c. vt fusè docet idem Cassianus. (b) Vnde hic Asmodæus dici poterat rex omnium eorum dæmonum qui toto regno Medorum, totaque vicinia, vel etiam omnium qui per vniuersum orbem terrarum (vt vult S. Bernardus) (c) homines ad libidinem inflammant. Possetque etiam modò quiuis *dæmon princeps* huiusce vitij in quaque regione orbis, v.g. in Italia, Gallia, Hispania, Germania, non incongruè vocari Asmodæus: sicut quiuis tyrannus iam *Nero* vocatur vel *Phalaris*. Porrò principis seu regis istius currum triumphalem describit idem Bernardus in hunc modum: *Luxuriæ currus quadriga voluitur vitiorum, ingluuie ventris, libidine tactuum, mollitie vestium, otij soporisq; resolutione. Trahitur equis duobus prosperitate vitæ, & rerum abundantiâ. Et qui his insident duo, ignauiæ torpor, & infida securitas. Hi calcaria non habent, neque flagella: sed pro his vtuntur paruulo papilione, ad faciendam vmbram; & flabello, ad ventum excitandum.* A tali principe, tali curru, missus est ille dæmon Cypriani magi ad Iustinam: & alter, de quo in vita S. Basilij: & alius, de quo S. Antonius, vt est apud Athanasium, & Nazianzenum, & alios.

a *Hieron. in Dan. 10. & in Isaiæ 24. Rup. l. 9. de Victoria c. 6. Cassian. collat 8. c. 13.*

b *Cass. collat. 5. & l. 5. Institut.*

c *Bernard. serm. 39. in Cantica.*

Bern. ibid.

Athan. in Vita S. Antonij. Nazianz. orat. 18.

✠. 17. NVMQVAM MISCVI ME CVM LVDENTIBVS] putà lasciuè. Sicut Exodi 32. & 1. Corinth. 10. *ludere* vsurpatur.

✠. 19. AVT EGO INDIGNA FVI ILLIS] septem viris ab Asmodæo strangulatis. Hos verisimile est fuisse, si non palàm, occultè saltem impios, quibus noluit Deus Saram connubio iungi. Certum ex c. 6. v. 17. extraordinaria leuitate ac lasciuâ proteruiâ, repentinæ suæ mortis causam dedisse. Sed Sara, dissimulatis illorum vitiis, quâ erat humilitate & modestiâ, culpam omnem cladis illorum in se vnam coniici permittit. Orat tamen Deum, vt, si placuerit illi, morte liberari possit à molestis improperiis, quibus *ab ancilla*, vel, vt græcè est, *ab ancillis* quotidie infestabatur: & idem etiam suprà (d) orarat Tobias. Neque in hoc est peccatum, cùm prudenter liceat mortem, tamquam minus malum desiderare, etiam simpliciter quoad appetitum inferiorem: quoad superiorẽ, saltem cum conditione, vt dixi, si Deo sic placuerit. Sic fecit *Moyses* Exodi 32. *Iob* c. 3. & *Elias* 3. Reg. 19. & *Paulus* 2. Cor. 1. Et de *S. Augustino* idem narrat Possidonius, & de alijs alij. Porrò quod hîc de Sara additur in Græco, ipsã ad *suspendium* vsque *tristatam* fuisse, adeò vt *quæreret seipsam strangulare*, vt est in Hebræo; non *deliberatè* ab ipsa, sed inaduertenter factum fuit. Quod vel inde patet, quòd mox vt aduertit, correxerit hunc animi impetum & primum motum, dicens: *Vnica patri meo sum: illud si faciam, dedecus illi sempiternum erit, & præsentissimæ mortis eius occasio.*

d *Hic v. 6.*

✠. 15. ANGELVS RAPHEL] à *Rapha*, id est, curare, mederi: & *El*, id est Deus. q. d. Deus curans, vel medicina Dei. Vnde in Hebræo additur, fuisse *princeps curationibus præpositus*, siue præses sanitatum. Hunc principem cælestem opponit Deus tartareo principi Asmodæo. Et ipse tamquam patronus inuocandus est à medicis & ægris. Vide infrà c. 12. v. 15. Mysticè Raphaël est Christus magni consilij angelus, qui venit in mundum curaturus in vtroque sexu genus humanum.

CAPVT IV.

Tobias moriturus, vt sperabat, piis monitis instruit filium suum.

SVnt ea numero quatuordecim. Primum, *vers.* 3. CORPVS MEVM SEPELI. Pietatis erga parentes, etiam mortuos. Secundum, HONOREM HABEBIS MATRI TVÆ: & mortuam SEPELIAS CIRCA ME] Hebraicè & græcè, *in vno mecum eodemq; sepulchro*. Indicat Tobias insignem in vxorem suam affectum, à qua tantis conuitiis lacessitus fuerat.

✠. 6. IN MENTE, id est cogitatione & memoria, HABETO DEVM] Tertium monitum, continuæ memoriæ & laudis Dei.

✠. 7. & 17. EX TVA, non ex aliena, SVBSTANTIA FAC ELEEMOSYNAM. Quartum, misericordiæ in pauperes. Huic quadruplicem assignat fructum. Primum, NON AVERTETVR A TE FACIES & fauor DOMINI. Secundum, PRÆMIVM BONVM, seu insigne, TIBI THESAVRIZAS IN DIE, pro in diem, NECESSITATIS, vt est græcè: id est, in diem mortis. Tertium, ELEEMOSYNA AB OMNI PECCATO, ET A MORTE LIBERAT æterna, ET NON PATIETVR ANIMAM IRE IN TENEBRAS, id est, in gehennam, inquit S. Cyprianus & Augustinus. Quartum, FIDVCIAM MAGNAM præstat CORAM DEO] Porrò dupliciter intelligi potest, eleëmosynam hæc omnia præstare. Primò, dispositiuè, quia impetrat maiorem gratiam, quâ sensim peccator prouehatur ad illa omnia consequenda. Sicut enim *fides*, *timor* & *spes*, sic etiam *eleëmosyna*, & alia misericordiæ opera disponunt ad vlteriorem gratiam, & quidem per se, & proximè, & de congruo, si etiam ipsa fiant ex fide & ob motiuum supernaturale, aut saltem ex gratia præueniente. alioqui si solis naturæ viribus; solum remotè, per accidens, & ex mera liberalitate Dei, tamen certò & infallibiliter, si faciat homo quod in se est. Ita suadebat Daniel Nabuchonosori, *Peccata tua eleëmosynis redime*. Ita S. Thomas, Albertus Magnus, Scotus, Gabriel, Durandus, Tapperus, Caietanus & alij citati à Molina. Secundò, intelligi potest, eadem omnia præstare etiam formaliter, nempe si cætera omnia adsint, quæ Scriptura ad talem effectum alibi requirit, nempe fides, spes, pœnitentia, charitas. Vide S. Augustinum.

S. Tho. & alij in 2. dist. 28. Tapperus & Caiet. in 1. 2. q. 109. Mol. in 1. p.

August. de Verbis Domini in Lucam ser. 30. & Enchiridij c. 69. & 21 de Civ. c. 27.

✠. 13. ATTENDE TIBI AB OMNI FORNICATIONE] Quintum monitum.

✠. 14. SVPERBIÆ fuga. Sextum. IN IPSA ENIM INITIVM SVMPSIT OMNIS PERDITIO] tùm in Lucifero & Adamo: tum in quouis peccante, etiam minimi præcepti diuini transgressione, dum nempe homo, qui Deo totus & ex asse subditus esse deberet, super ipsum it (id est superbit) præcepti illius transgressione. ita S. Prosper.

Prosper. l. de Vita contemplatiua c. 2.

✠. 15. MERCEDEM MERCENARIO RESTITVE] Septimum monitum. Octauum; *vers.* 16. *Iustitiam* erga omnes alios.

✠. 18. PANEM TVVM ET VINVM SVPER SEPVLTVRAM IVSTI CONSTITVE] Nonum, de conuiuio sepulchrali in morte amicorum *Hebræorum*, quos hîc nomine *iustorum* intelligit, ad distinctionem impiorum Gentilium, inter quos tum viuebant Hebræi. Porrò solebant veteres, non Gentiles modò, sed & Iudæi, mortuorũ suorum sepulchris cibum potumque superponere, Eccli. 30. *Appositiones epularum circumpositæ sepulchro*. Vel domi saltem amicis, aut pauperibus apponere. Quæ Festus & Ouidius, *feralia* & *inferiæ* vocant; Nonius, *silicernia*; Plautus, *pollincturas*; Liuius, *viscerationes*. Id autem

fiebat

fiebat à Gentilibus quibusdam, stulta persuasione, quasi iis epulis egerent & vescerentur defuncti, teste S. Augustino. Et idem sibi etiam nostro sæculo persuadét Peruani & Iapones non pauci, vt Gaspar Villela scribit. Sed Iudæi id faciebant Primò, vt honor aliquis haberetur mortuis. Secundò, vt isdem hæc eleëmosyna pro ipsis facta, auxilium aliquod impetraret à Deo putà pœnarum Purgatorij relaxationem. Tertiò, vt in eumdem finem eodem epulo excitarentur conuiuæ ad orandum pro defuncto. Quartò, vt idem epulum saltem alicui solatio esset: amicis mortuum lugentibus, & eius absentiam dolentibus. Et has easdem ob causas etiam Christianos habuisse hanc consuetudinem stipes & sportulas in amicorum funere dandi pauperibus, & ad epulas conuocandi cognatos & affines, testantur Clemens Romanus, Chrysostomus & Gratianus. Et durat etiamnum hæc consuetudo toto orbe Christiano. Consuetudo tamen apponendi epulas ipsi sepulchro, vt hoc quasi contactu sanctorum cadauerum etiam ipsæ sanctificarentur, quia nimis accedebat ad superstitionem Gentilium, qui suorum manibus hoc ferè ritu parentabant, itemque propter abusum in publico comessandi; iure merito à S. Ambrosio è templis & cœmiterus sublata est. cuius exemplum S. Augustinus & reliqui Prælati secuti intulerunt eiusmodi epulas domi institui, & esculenta pauperibus ibidem erogari. Vide Franc. Turrianum & Robertum Bellarminum. Talem ergo eleëmosynam sepulchralem iubet hic Tobias per filium institui more patrio: sed vetat, pro decimo monito, *ex eo* epulo *manducare cum peccatoribus*, quo nomine Assyrios, reliquosque Gentiles notat, cum quibus consortium omne & conuictum seu familiaritatem prohibet.

Aug ser. 11. de Sanct. & Conc. Carthag III. Villela l. 2. epist. Indic.

Augustin. l. 6. Confess. c. 2. & epist. 64. in tom. 2. Turrianus l. 4. Pro epist. Pontif. c. 15. Bellarm. de Purg. l. 1. c. 15.

✠. 19. CONSILIVM SEMPER A SAPIENTE PERQVIRE] Vndecimum monitum. Duodecimum versu seq. de conformitate voluntatis cum Deo.

✠. 22. PERQVIRE QVO MODO AD GABELVM PERVENIAS, ET RECIPIAS DECEM TALENTA] Est hoc 13. Decimumquartum & vltimum,

✠. 23. De constanti spe in Deum, etiam in extrema paupertate. Cuius rei præclarum narrat exemplum Sophronius de adolescente, qui facta sibi à parente optione, an mallet omnes parentis hereditare thesauros, an Christum solum sibi curatorem relinqui, spretis thesauris Christum prælegit. Ergo inops primùm & mendicus (nam parens omnia sua pauperibus erogarat) pòst tamen paulò extremè ditatus est.

Sophron. in Prat.

CAPVT V.

Socium ac ducem itineris in Rages Medorum quærenti Tobiæ ignotus occurrit angelus Raphael, cui pater filium committit: sed mater deflet filij absentiam.

✠. 5. INVENIT singulari Dei prouidentiâ IVVENEM SPLENDIDVM seu eleganti forma. Iuuenilem formam, eamque elegantissimam solent boni angeli adsciscere, dum hominibus apparent, vt illâ formâ designent inditam sibi à natura pulchritudinem, robur ac vigorem, qui nullo vnquam senio marcescit, inquit S. Dionysius. Reliquus verò habitus, iis ad quas mittuntur, functionibus aptari solet, v. g. ad læta nuntianda, ad spectatores exhilarandos, splendidam assument vestem, ad terrendos vel puniendos malefactores, gladium stringent, hastam vibrabunt, equos agitabunt. Raphael ergo, vt omni ex parte commodum ducem expeditumque ad iter se exhibeat, speciem & iuuenilem & mercenariam assumit.

✠. 8. RAGES IN MONTE ECBATANIS] Vide c. 3. v. 7.

✠. 12. QVALE GAVDIVM MIHI ERIT?] Est naturalis & moderata querela. Vt erat *Gedeonis* Iudicum 6. v. 13. & *Berzellai* 2. Reg. 19. v. 35. Respondet angelus

✠. 18. EGO SVM AZARIAS ANANIÆ MAGNI FILIVS] Witackerus dicit, angelum hîc mentiri. Sed absit. nam præferens formam & similitudinem Azariæ, verè poterat dicere, se esse Azariam. Sicut Genesis 31. & alibi, quia angelus præferebat personam Dei, verè dicebat, *Ego sum Deus*: vt ibid. agnoscit Witackeri magister Caluinus. Et S. Petri imago vocari solet S. Petrus. Deinde, significatione etiam nominum verè angelus erat is quem se esse dicebat: nempe *Azarias* significat *auxilium* Dei; *Ananias*, vel *Hananeel*, vt est in Hebræo, significat *gratiam* seu *donum Dei*. Afferebat enim angelus iste Tobiæ *auxilium Dei*: eratque verissimè *filius gratiæ* seu *doni Dei*. Vbi notat S. Gregorius, angelos ex se nulla habere nomina, sed ea sortiri solùm ratione ministerij quo aliquando funguntur.

Witack. l. 1. contra Edmundum Campianũ.

Gregor. hom. 34. in Euang.

✠. 19. EX MAGNO GENERE, seu ex stirpe valdè nobili, ESTV] Hebræus & Græcus addunt, Tobiam subiunxisse: Se *iam olim nouisse Ananiam, & eius fratrem Ionathan* (ita Græcus: Hebræus enim *Nathan* legit, sed vtrumque nomen idem prorsus significat, nempe *donum Dei*:) *nouisse*, inquam, *quando vnà cum illis* è Nephthali *Ierosolymam adorandi causâ proficisceretur: neque enim abducti fuerant illi in errorem reliquorum cognatorum* seu contribulium, qui ad vitulos Ieroboami adorandos pergebant.

✠. 21. In Hebræo & Græco additur, parentem decreuisse filio & Raphaeli victum diurnum, & drachmam vnam in singulos dies. Et insuper vltra condictam mercedem aliud honorarium promisisse.

✠. 27. ANGELVS COMITETVR EI] Vers. 21. dixerat, *Comitetur vobiscum*. Duriuscula videtur locutio: sed eam Cicero defendit Tusculana 5. In memoriam huius prosperi conductus Tobiæ per Archangelum *Raphaelem*, voluit religiosissimus Lusitaniæ rex Ioannes duas primas in Indiam à se missas naues, nominibus *Raphaelis* insigniri anno 1497. vt refert Maffeius. Baronius verò narrat de alio mirabili conductu & custodia, quam angelus exhibuit duci exercitus Theodosij Imperatoris anno Christi 425.

Maff. l. 1. hist. Indic. Baron. to. 5.

CAPVT VI.

Tobias insilientem in se piscem branchiâ hortatu angeli apprehendit & exenterat: cor eius, fel & iecur ad medicamenta seponit: monetur vt in coniugem deposcat Saram filiam Raguelis consanguinei sui.

✠. 1. IVXTA FLVVIVM TIGRIS] cui adiacet Niniue vnde illo die excesserant. ita Plinius. Non quòd sub dio pernoctarint, sed in caupona flumini vicina. Vbi cùm pedes, fatigationis minuendæ gratiâ, abluerent,

Plin l. 6. c. 13.

✠. 2. ECCE PISCIS IMMANIS] Quidam putant *balenam* fuisse. Sed balena, teste Plinio, branchias non habet: neque in Tigri versari solet, neque potuisset ingens bellua ab vno adolescente in terram extrahi. Alij volunt *crocodilum* fuisse. Sed *crocodilus*, teste eodem Plinio, potest totos dies in terra im-

punè agere, & pedibus ingreditur, vnde & *terrestre* nonnumquam *animal* ab eodem vocatur. At noster hic piscis, simul ac branchiâ à Tobia in terram attractus est, *cœpit ante pedes eius palpitare*, vt solent qui pedibus destituuntur, & terræ non assuerunt. Itaque cum Francisco Valesio putò *callionymum* fuisse, qui, vt ipse ex Plinio, Menandro, Anaxippo & aliis probat; & vasto est corpore, & carniuorus, & voracissimus, dentibus serratis, oculis in summo vertice (vnde & ὑρανοσκοπος seu *cælum intuens* vocatur:) & teste Aristotele, littoralis est, & ἡμεροκοιτος, id est inter diu dormiens. Itavt tam locus *littoris*, quàm vespertinum tempus, optimè congruat nostræ historiæ. Denique fel habet copiosius quàm alij eius magnitudinis pisces: & fel eius naturalem vim habet albugines oculorum detergendi, teste eodem Plinio & Galeno.

Vales. Sac. Philos. c. 42.

Plin. l. 32. c. 4 & 7. Galen. l. 10. Simplicium medicamentor.

℣. 8. CORDIS eius, adde, vel *iecoris* (ex vers. 19.) exusti FVMVS EXTRICAT OMNE GENVS DÆMONIORVM] non interna vi propria naturali (nam sic vt summum potuit remouisse occasionem aliquam, quâ inductus esset dæmon, v.g. extinguere vel debilitare pruritum carnis: sicut musica Dauidis minuebat melancholiam Saulis.) sed neque vi supernaturali (vt vult Valesius,) cælitus tali cordi vel fumo perpetuò affixa, qualis est in aspersione aquæ benedictæ, ad fugandos dæmones, vel in baptismali lotione ad remittenda peccata. Nullo enim ex loco colligi potest, tale instrumentum à Deo in eum finem vim illam specialem accepisse. Sed *extricat* dæmones sola vi extrinseca, nempe angelica, ad talis signi positionem producente talem effectum, & dæmonem in perpetuum fugante: idque non intuitu fumi, sed obedientiæ Tobiæ in illo fumo, vt iussus erat, excitando, & precum piarum eiusdem, quibus dæmonem fugari à Deo postulabat. Patent hæc ex c. 8. v. 3. vbi facta suffumigatione Tobiæ, dicitur *Raphaël angelus apprehendisse dæmonium, & religasse*. Simili ratione Christus (*a*) luto illuminauit oculos cæci nati. Et magi per herbas & signa malefica dicuntur occidere, cùm tamen eiusmodi signis nulla insit efficacia, nulla vis seu naturalis, seu supernaturalis ad productionem eiusmodi effectuum: sed vt summum *moralis* & extrinseca, ex pacto, seu deputatione libera dæmonis, quâ se sagis obstringit, quòd positis illis signis ipse producet tales effectus. ita Abulensis, Liranus & quidam alij.

1. Reg. 16. Vales. sup.

a *Ioan. 9. v. 6.*

Abulens. in 1. Reg. 16. q. 46.

℣. 9. ET FEL VALET AD OCVLOS AB ALBVGINE SANANDOS] Hoc facilè concesserim, naturali vi fieri, secundùm iam dicta v. 2. & colligitur ex c. 11. v. 14. vbi dicitur, *finitis* hoc *felle oculis* Tobiæ, *post dimidiam ferè horam, cœpisse albuginem quasi membranam oui, egredi*; quâ *detractâ visum recepit*. Quæ omnia indicant, naturali via curationem illam peractam fuisse. Vnde etiam patet, stercore hirundinum non fuisse in oculis Tobiæ extinctum humorem crystallinum, aut vim visiuam internam: sed sola pelliculâ seu membranulâ exteriùs obductos fuisse oculos. Alioqui non potuisset vel illo felle, vel alio medicamento naturali, sed sola virtute diuina (vt de fugato dæmone iam dixi) visum recuperare.

℣. 12. TIBI DEBETVR Sara vxor, & OMNIS SVBSTANTIA EIVS] Quia secundùm legem Domini, Numerorum 27. (*b*) & 36. proximo cognato nubere debebant filiæ, quæ fratribus orbatæ heredes erant bonorum paternorum.

b *v. 8. vtriusque.*

℣. 20. IN COPVLATIONE] Pro, in copulatione, A nem, &c. q. d. Orandum tibi secunda nocte, vt particeps fias meritorum, sanctitatis, & priuilegij Patriarcharum: sicut tertia nocte, vt proles ex vxore suscipere possis. Prima enim orandum tibi, vt dæmonium fugetur. Ergo trinocturna prece præmissâ, cognosces demum vxorem tuam.

CAPVT VII.

Tobias petit à Raguele Saram filiam eius sibi tradi vxorem & impetrat: & scriptis coniugij tabulis nuptias celebrantur.

℣. 2. ANNÆ] In Græco & Hebræo est *Edna*. CONSOBRINVM hîc vocat Raguel patruelem suum *Tobiam* seniorem, quem v. 4. *fratrem* suum nominat, more Hebræorum, qui *cognatos* omnes *fratres* appellant.

℣. 3. EX TRIBV NEPHTHALI SVMVS] Hoc Tobias respondit, non angelus. Quamquam etiam hîc, vt personam gerebat Azariæ, potuisset idem cum veritate respondere, vt suprà dixi c. 5. v. 18. vel de solo Tobia in plurali numero loqui.

℣. 6. ET MISIT SE RAGVEL] supple *in collum Tobiæ*. Græcè *exiliit Raguel*. Eamdem phrasin habes c. 9. v. 8. Porrò

℣. 11. SEPTEM isti VIRI INGRESSI dicuntur ad Saram, scilicet in thalamum nuptialem, sed non in complexum coniugalem. Nam cap. 3. v. 8. in Hebræo & Græco expressè dicitur, *dæmonium illos* septem *occidisse priusquam cum ea ipsi fuissent, vt in mulieribus*, id est, priusquam vxoriam cum ea consuetudinem habuissent.

Petes, Quid sibi vult quod c. 6. v. 14. dixit Tobias, *dæmonium illos occidisse, quòd adamaret Saram*. Respondeo, Tobias ibi narrat quod ex vulgi fabulis hauserat. Vnde verum est, Tobiam ita audiuisse narrari: sed non est verum ita rem habuisse. Falsissimum enim est, dæmonem humani generis capitalem hostem adamasse Saram, cùm neque animo tam casto delectaretur: neque sancta ipsius opera, verba, cogitata ei placerent: neque ex corpore illius quidquam ipse voluptatis haurire posset. Nam etsi negare nolim, dæmones cum aliquibus feminis incubi vice nonnumquam fungi: numquam tamen concesserim, verum istic amorem intercedere, aut dæmoni voluptatem afferre: quin potiùs odij lethiferi, & tormenti genus id esse crediderim. Erga Saram verò tam castam, tam piam, nihil etiam eiusmodi licuit dæmoni; qui pudicitiæ per seipsum tali modo vim afferre, aut corpus alicuius subagitare numquam potest, cuius non priùs animum obscæna libidine contaminarit, ex eoque vel tunc, vel antè, flagitiosi operis consensum non impetrarit. Sic enim exigit ratio diuinæ bonitatis & prouidentiæ, vt docet Cæsarius, Thomas de Cantiprato, & Martinus Delrio.

Cæsarius l. 1. c. 9. Cantipr. de l. 2. Apum c. 57. n. 14. &c. Delrio de Magia.

Petes Secundò, Quid pellexit tam multos procos ad expetendas nuptias Saræ, quas norant prioribus illis tam infelices accidisse? Respondeo Primò, eximia virginis forma; Secundò, hereditatis, quæ illi, vtpotè vnigenitæ, tota debebatur, auiditas; Tertiò, ius propinquitatis: neque enim verisimile est, parentes voluisse eam alteri, quàm propinquiori tradere, Quartò, ardentissimus erga illam amor: de quo Ouidius, *Insanos fateamur amores.*

Ouid. lib. 3 Metamorp.

℣. 16. FECERVNT CONSCRIPTIONEM CONIVGII, tabulis de more expeditis, quibus pacta conuenta continebantur.

Petes, Quo modo tam citò persuasum parentibus,

bus, vt primâ aduentus Tobiæ horâ nuptias Saræ addicerent? Respondeo Primò, ob ingens nuptiarum filiæ desiderium, ac sobolis ex ea procreandæ, & sic familiæ suæ conseruandæ ac propagandæ affectum. Secundò, ob conditionem sponsi, quo meliorem nec sperare poterant, nec optare. Tertiò, quia ex lege debebatur illi, vt dixi c.6.v.12. Quartò, ob Raphaelis qui patanymphum agebat, insignem suadelam, sermonis grauitatem, personæ maiestatem. Quintò, & maximè, ob vim internam quâ Deus mentes parentum ad eas nuptias probandas impellebat. ita Dionysius Carthusianus.

CAPVT VIII.

Corde & iecore piscis à Tobia prunis impositio, fugatur Asmodæus, & in Thebaidem ablegatur. Tobias cum Sara nuptias consummat: & heres scribitur omnium bonorum Raguelis.

Budæus de Asse. ℣.2. CASSIDILE, teste Budæo, Lirano & Carthusiano, vocatur pera in modum retis facta. Estque diminutiuum à *casse* seu reti. Talibus reticulatis sacculis sæpe vtuntur venatores, piscatores & obsonatores.

PARTEM IECORIS] Adde & *cordis*, vti hîc additur in Græco & Hebræo: & suprà c.6.v.8. de *corde* expressè præceperat angelus. Porrò qua vi iecur illud dæmonem fugarit, dixi c.6. v.8. Ex Græco hîc videtur Tobias primò *thymiama* seu suaues aliquos odores adoleuisse Deo: deinde *cor & iecur* piscis imposuisse prunis. Quæ vt odoratus est Asmodæus, dicitur fugisse in Ægypti fines & loca editissima. In Hebræo additur, egrediente Asmodæo, thalami ostium patuisse. Fortè certam egressionis suæ notam edere iussus erat dæmon. In Latino clariùs dicitur, corde seu *iecore prunis impositio*,

℣. 3. RAPHAEL ANGELVS APPREHENDIT DÆMONIVM] non manibus visibiliter, sed inuisibili virtute atque imperio, & si lubet, etiam qualitate illi impressa per vim angeli apprehensiuam ac detentiuam. Sicut Apocal.20. *Angelus habens clauem abyssi apprehendit draconem.* Simili etiam modo *reliquit* dæmonem *in deserto*: ita affigendo ipsum illi loco, vt inde ne pilum quidem abscedere possit, subtracto fortè concursu diuino, ad omnes creaturarum actiones necessario. Huius enim concursus subtractio, item imperium Dei, angeli, vel hominis, vice & nomine Dei, in dæmones, denique vis spiritualis detentiua dæmonum, subinde metaphoricè vocantur *vincula, rudentes, catenæ*, 2. Petri 2.& Iudę v.6.& Apoc.20.v.2.& alibi. (a) Hęc verò vincula nonnumquam solo spirituali & inuisibili modo dæmonibus inijciuntur: nonnumquam additis quibusdam corporalibus symbolis quæ sub sensum cadunt. Vt hîc contigit: & de pluribus casibus narrat Delrio & Cæsarius, apud quem dæmon fatetur, *Luciferum* principem suum, tribus illis verbis, *Per ipsum, cum ipso, & in ipso*, id est vi atque imperio Sanctissimæ Trinitatis, apud inferos constrictum iacere.

(a) Matth.12. vers.43. Marc.3.

Delrio sup. Cæsar. l.5. c.13.

DESERTVM SVPERIORIS ÆGYPTI, secundùm Ptolemæum est desertum Thebaidos: nempe Australior & superior Ægypti pars, è qua Nilus delabitur: montibus aspera, arenis plena, pluuiis destituta. Hodie *Sahid* vel *Sait* vocatur, teste Io. Leone, Leunclauio & aliis. S. Hieron. sic eam describit: *Thebais in extremis terminis Ægypti, Æthiopæ, Blemmiarumq; in confinio est, vbi Nilus innauigabilis est, & cataractarum fragor, & omnis inuia, plenaq; serpentum*

Ptolem. l.4. Geograph.

Io. Leo l.8. de Africa c.2. Leunclau. in Turcico Pandect.

& venenatorum animantium. En locum Asmodæo dignum: in quo verisimillimum est, toto vitæ tempore Tobiæ & Saræ religatum mansisse. Et talem locum subindicat quoque Christus Matth. 12. per *loca arida & inaquosa*, in quibus dicit inambulare dæmonium, *cùm exierit ab homine.* Verùm etsi tam asperis Ægypti montibus coercitus teneretur libidinum rex, non desijt tamen interea suos, quos innumeros habet, & qui numquam feriantur, emissarios, impudentissimos ganeones & cupidines, si non in Tobiæ familiam, quæ numquam talibus patuit, certè in reliquum orbem continuò immitteret, quemadmodum solet ex orco Lucifer. Et de ebriis lasciuisque dęmonibus Andrum proficiscentibus narrat lepidè Philostratus.

Philost. In Iconibus.

℣. 15. ANCILLA REFERIT EOS SECVM PARITER DORMIENTES] Nempe, post diuturnam comprecationem, ploratione, vigilationem fatigati, ad quiescendum nonnihil sese teclinarant noui coniuges, super eodem quidem lecto, sed vestiti, & sine vllo Veneris commercio, quo totis tribus hoctibus abstinere iussi fuerant à Raphaele. Quod exemplum coniugibus seu sponsis omnibus imitandum suadet Euaristus Papa: & Tridentinum monet, vt saltem triduo ante consummationem matrimonij peccata sua diligenter confiteantur, & Sacrosancto Eucharistię Sacramento reficiantur.

CAPVT IX.

Angelus Raphael rogatu Tobiæ ad Gabelum pergit in Rages: & receptâ pecuniâ eumdem in Ecbatanas secum deducit ad nuptias Tobiæ, quibus ille benedixit.

℣.2. NON ERO CONDIGNVS PROVIDENTIÆ IVÆ] Id est, non condignè satisfecero tuis in me meritis, & curę de me.

℣.3. VADAS IN RAGES] Atqui ex c.3.v.6. patet, *Saram* Tobię iam sponsam habitasse *in Rages*: & illi nunc aderant tam Raphael, quàm Tobias: quomodo ergo iam rogat Tobias Raphaelem, vt in Rages excurrat? Respondeo, Tota illa regio, etiam *Ecbatanis*, vbi Sara degebat, ab antiquo vocabatur *Rages*: sed erat in eâdem tamen regione etiam particularis ciuitas eodem nomine dicta *Rages*. Sic *Neapolis* in Italia & ciuitas est, & regnum, *Brunswicum* in Germania & vrbs & Ducatus: *Lutzenburgum, Geldria, Limburgum, Namureum*, in Belgio vrbes sunt, & integrę prouinciæ. Sara ergo eiusque parentes habitabant Ecbatanis in regione seu *prouincia Rages*: sed Gabelus in ipsa *vrbe Rages*.

ANIMALIA SIVE SERVITIA] Græcè & hebraicè, *animalia & seruitia*. Et ita factum constat ex v.6. sequenti.

℣.5. ADIVRAVIT] Id est, per diuini nominis reuerentiam me obstrinxit, vt quatuordecim diebus cum ipso permaneam. Simile est Numer.5.& 1.Reg.14.& 3.Reg.22.& Matth.26. *Adiuro te*, &c. Et licet ea adiuratione, presse loquendo, non teneretur Tobias, quia socer tantam potestatem, in re tam graui generum obligandi, non habebat: ille tamen prudenter ac religiosè parere voluit adiuranti. quia quando non prorsus incommodè fieri potest, religiosi modestique animi est, adiuranti-bus cedere & obsequi, ob reuerentiam Numinis diuini.

℣. 12. CVM TIMORE DOMINI NVPTIARVM CONVIVIVM EXERCEBANT] cap 7. vers.7. additur, *Benedicentes Dominum*. Quàm procul inde omnis ebrietas, omnis vociferatio, lasciuia, rixæ!

quàm aliæ illæ nuptiæ à nuptiis & conuiuiis hodiernis! Plato, Gentilis Philosophus, nuptiarum modum & impensas sic præscribit: *Impensa secundùm diuitias fiat. Bibere vsque ad ebrietatem, ne alibi quidem vnquam decet, neque verò tutum est. Maximè tamen connubio coniuncti, & cumprimis sponsus ac sponsa, tunc mentis compotes esse debent, vt ex quàm maximè moderatis generatio fiat, & solidus, stabilis ac quietus conceptus sit.*

Plato l. 6. de Legibus.

CAPVT X.

Parentes Tobiæ contristantur ob diuturnam filij absentiam, quem Raguel cum vxore, & dimidia parte bonorum suorum tandem dimisit. Docetur & Sara officium honesta matru-familias.

℣.10. TRADIDIT EI DIMIDIAM PARTEM OMNIS SVBSTANTIÆ SVÆ IN PVERIS, IN PVELLIS, &c. Hebraicè *& seruos, & ancillas, & greges, & boues, & asinos, & camelos, & vestes lineas & pretiosas, & vasa argētea & aurea.* Græcè pro *pueris*, habes *corpora*: sed per *corpora* intelliguntur *serui* seu *mancipia*. Et sic intelligunt Aristophanes, Demosthenes & Strabo, citati à Mariana. Qui etiam illud Danielis 14. vers. 31. *Dabantur* leonibus *duo corpora quotidiè*, exponit de *seruis* seu *mancipiis*.

℣. 13. MONENTES EAM HONORARE SOCEROS scilicet *tamquam parentes suos*, quia græcè additur: *Nam ipsi nunc parentes tui sunt.*

ET SEIPSAM IRREPREHENSIBILEM EXHIBERE] non modò per coniugalem castitatem, vt ait Liranus; sed & per linguæ continentiam ac totius vitæ disciplinam, tam cum domesticis, quàm cum externis. Simlia prorsus monet matresfamilias S. Paulus Tit. 2. (*a*) & S. Petrus 1. epist. c. 3. (*b*) Hîc in Græco & Hebræo, sic Tobię valedicit *Edna* Saræ mater: *Dominus cæli, frater dilecte, te tuis restituat: mihiq; concedat, vt filios tuos ex Sara filia mea videam, & coram Domino gaudeam. Ecce ego tibi filiam meam, quasi quoddam depositum committo, ne vllâ eam afficias molestiâ.* Mox subditur: *Ipse verò Tobias post hæc profectus est, Deo gratias agens, quòd iter prosperum sibi dedisset: Raguelemq; & Ednam eius vxorem benedicebat* (seu sancta omnia precabatur) *& pergebat, quoad Niniuen appropinquarent.*

(a) v. 4. & 5. (b) v. 1. & seqq.

CAPVT XI.

Felicitis in Charan Sara reliquaq; familia Tobiæ & Raphael præcurrunt in Niniuen, vbi lætè à parentibus Tobiæ excipiuntur. Felle piscis restituitur visus cæco Tobiæ. Gratiæ Deo aguntur, & aduentante Sara nuptialia festa per septem dies instaurantur.

℣.1. CHARAN] Hebraicè *Acrim*. Vnde non videtur esse illa Abrahami patria Genesis 11. v. 31. quæ erat in Mesopotamia cis Tigrin. Nam hæc Tobiæ *Charan* sita erat trans Tigrin, inter *Ecbatanas Mediæ*, & *Niniuen Assyriæ* vrbem: & fortè est *Chatra* de qua Ptolemæus.

Ptol. in Asiæ tab. 4.

IN MEDIO ITINERE] Id est, in itinere interiecto. Nam à Niniue non aberat nisi itinere dierum quatuor, si quis expeditus pedes esset. Vnde in Græco dicitur, prope Niniuen fuisse. Hoc quatriduum Raphaelis & Tobiæ, vel si properantibus des solum triduum, adde vndecim diebus quos ab *Ecbatanis* impendisse hîc dicuntur in *Charan*; habebis duas hebdomadas: da totidem itineri in eundo, propter ætatem & valetudinem teneram Tobiæ: totidem mansioni apud Raguelem in Ecbatanis; vt constat ex c. 8. v. 23. & cap. 9. v. 5. reperies totas sex hebdomadas toti itineri impensas. His adde septimam hebdomadam, quâ Sara subsecuta hîc v. 18. dicitur maritum suum; deprehendes, certò in quinquagesimum diem incidisse initium festæ & lætæ illius instauratarum nuptiarum hebdomadis. cuius mentio fit hoc cap. v. vlt. Atque hinc explica locum S. Augustini alioqui perobscurum, quo dicit *Tobiæ quoque Scripturam testari, festum Pentecostes diem de septimanis constare*, nempe septem illis quas iam recensui.

Aug. l. 22. contra Faustum c. 87.

℣. 5. ANNA SEDEBAT IN SVPERCILIO MONTIS, VNDE RESPICERE POTERAT DE LONGINQVO] Allegoricè, Synagoga per suos Patriarchas & Prophetas, è sublimi & longinquo prospectabat, & vidit Dei filium Messiam aduentantem.

℣. 7. VBI INTROIERIS DOMVM TVAM, STATIM ADORA DEVM] Vnde & mos ille vetus, vt vrbem aliquam ingressi non modò Prælati, sed & principes politici, ante omnia rectà ad templum deducantur. Et S. Benedictus in regula sua iubet, vt hospites simulatque excepti fuerint, ad orationem ducantur.

℣. 9. CANIS, qui comes it angelo, Doctores exprimit Ecclesiæ, qui confligendo cum hæreticis lupos arcent ab ouili Dominico. Vide Isaiæ 56. & ibidem S. Hieron. Vide etiam Pierium.

Pierius in Hieroglyphicis l. 5.

℣. 10. CÆCVS PATER OFFENDENS PEDIBVS] Ingens indicatur lætitia, & ex ea festinatio boni senis ad filium reducem excipiendum & amplexandum.

℣. 15. APPREHENDENS membranulam oculi TOBIAS TRAXIT AB OCVLIS] In nostro Latino dicitur *Tobias iunior* eam abstraxisse ab oculis parentis: in Græco tam hoc verso, quàm octauo id senioti tribuitur, qui vt sensit acrimoniam fellis quo filius oculos inunxerat, dicitur confricasse albugines, detriuisse, & abiecisse. Id naturaliter contingere potuisse, docui c. 6. v. 2. & 9. Moraliter autem *fel* pœnitentiam designat. Mordet & vrit: sed sustine vel mediâ horulâ; videbis. Quid? Deum, teipsum, præterita, præsentia, futura, sed longè alio quàm soles oculo. Ceterùm quanto tempore cæcus manserit Tobias, indicatur cap. vltimo vers. 3. nempe *quadriennio*.

CAPVT XII.

Septem ingentia beneficia per Raphaelem accepta recenset Tobias. Dum verò ingrati animi signum offertur medietas omnium allatorum bonorum, Raphael seipsum, quis sit, manifestat: post & exposita alia in cælum redit.

℣.7. SACRAMENTVM, id est mysterium, arcanum, *à rege* tibi creditum, ABSCONDERE BONVM, imò necessarium EST] propter fidem regi datam, & quia alioqui grauissima emergerent incommoda. ita Gellius. Et ex sententia Capitolini, *taciturnitas, consiliorum thesaurus*. E contrario, *Dei opera reuelare, honorificū est*. Vnde Stephanus Papa: *Sicut nemo se debet iactare de suis meritis: sic opera Dei, quæ in illo per Sanctos fiunt sine eius meritis, non debent fileri, sed prædicari: sicut angelus monet Tobiam, hoc v. 7. & suo præit exemplo v. 11.* Subdit Angelus.

Gell. l. 20. c. 55. Capitol. in vita Gordianorum. de Senatus consultis tacitis. Steph. Papa apud Rhegionem. anno Christi 753. Ev. Georgius tom. 6. sect. 9. problem. 417.

℣.8. BONA seu melior, EST ORATIO CVM IEIVNIO ET ELEEMOSYNA] Neque enim sine illis comitibus mala est oratio: sed cum illis valdè bona & efficax redditur. Vnde Franc. Georgius cùm ex S. Damasceno explicasset, *Orationem* esse *mentis elenationem in Deum*, subdit: *Tantò magis mens eleuatur, quantò orans à grauaminibus magis expeditur. Duo verò sunt grauamina meritis, oblectamentum carnis, & terrenorum affectus. Illud grauāti corpori animam subij-*

cit: hic fœcibus terrenis animã suffocat. Ab hoc per eleëmosynam: ab illo per ieiunium anima expeditur. A

℣.13. QVIA ACCEPTVS ERAS DEO, non modò congruum, vtile, decens, sed planè NECESSE FVIT, VT TENTATIO PROBARET TE] Alia è diametro mundanis ratiocinatio. Sed S. Paulus totidem verbis idem inculcat Actorum 14. v. 21. *Per multas tribulationes* (non dicit, expedit, aut decet, sed) *oportet nos intrare in regnum Dei.* Idem repetit 2. ad Timotheum 3. vers. 12. Et ipse de se Christus Lucæ vlt. v. 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Porrò de fructibus eleëmosynæ, quos hic cõmemorat angelus, dixi c. 4. v. 11. suprà.

℣. 15. EGO SVM RAPHAEL ANGELVS, VNVS EX SEPTEM QVI ASTAMVS ANTE DOMINVM] Hebraicè, *ego sum ex principibus vnus, qui ministrant ante solium gloriæ.* græcè additur, *Qui offerunt preces Sanctorum*, (id est, eorum qui professione, voto, aut (*a*) proposito sancti sunt) *& ambulant ante maiestatem sancti.* Videntur ergo hi *septem angeli*, seu, (vt B eos vocant S. Prosper, Isidotus, Seuerus Minoricensis, & alij,) hi *Archangeli* singularem præ ceteris angelis vt functionem externam, sic & internam præcellentiam obtinere, quæ consistat, vel in gratiarum eminentia, vel potiùs in principatu oppositio principatui regum dæmoniacorum, de quo suprà c. 3. v. 8. vt præsint septem precipuis virtutibus: v. g. tribus Theologicis, & quatuor cardinalibus, vel virtutibus oppositis septem vitiis capitalibus: vel septem donis Spiritus sancti. Sic Isaiæ 33. quidam dicuntur *angeli pacis.* Alibi (*b*) *angelus*, præpositus *pœnitentiæ.* Et hi septem principes per *candelabrum septiramum* Exodi 25. & per *septem candelabra* Apoc. 1. designari videntur, quasi qui virtutum suarum splendore totum orbem collustrent. Cetera decuplex ex hac Tobiæ historia munus horum angelorum, & per consequens etiam reliquorum nobis tutelarium, colligere possumus. Primum est, adstare solio Dei, eumdemque contemplando, summam æternamque exinde felicitatem haurire. patet ex hoc v. 15. Secundum, preces hominum Deo offerre, suas ipsis addendo commendationes, v. 12. ex quo & Tertium, bene agentibus adesse. Quartum, ad opera pia hortari, v. 6. 8. & sequentibus. Quintum, docere mortales, non solùm quæ ad Theologiam, seu fidem & bonos mores spectant, vt hoc cap. passim, sed etiam quæ ad physicam & medicinam, si quando res vsusque ita postulat, vt c. 6. & 11. de felle, corde, iecore vidimus. Sextum, dæmones propulsare, nosque contra illos tueri, cap. 8. v. 3. Septimum, à pluribus corporum periculis nos liberare, hîc v. 3. Octauum, opes quoque, & splendidas subinde (cùm sic expedit) nuptias, & honestas affinitates procurare, cap. 6. v. 11. Nonum, interdum etiam nos probare & aduersis exercere, hîc vers. 13. Decimum, suauissimè postea consolari, pæne toto hoc cap. Sed id maximè experiemur, cùm ex hac vita & exilio nos reuehent in patriam, & supremi iudicis tribunali sistent. Vide Vinc. Brunum, & Serarium. Porrò tam euidens hinc ducitur argumentum pro cultu & inuocatione angelorum, vt etiam Caluinus, alioqui iuratus eiusce rei hostis, id vltrò admittat.

℣. 20. NARRATE OMNIA] Græcè & hebraicè, *scribite in libro hæc omnia quæ facta sunt.* Vnde in procœmio huius libri dixi, Tobiam suamet manu hunc librum conscripsisse: cùm præsertim in prima persona vbique loquatur in eodem Græco & Hebraico textu.

a *Ita S. August. ser. 3. de Natiuitate. Prosper. l. de Promissionib. p. 2 c. 39 Isidorus l. Originum 7. c. 5. Seuerus apud Baronium anno Christi 418.*

b *l. 1. c. 12. Herma, quē S. Paulus ad Romanos 19. salutasse putatur.*

C

D

CAPVT XIII.

Tobias senior Deum laudat & gratias agit: vaticinatur quoque de instauratione & summa felicitate ac gloria Ierusalem. Primò, corporalis & terrena, quæ erat in Iudæa; Secundò, spiritualis seu mystica, quæ est Ecclesia; Tertiò, cælestis, quæ est habitatio angelorum & Sanctorum.

℣.4. DISPERSIT VOS INTER GENTES] nempe quando per reges Assyriorum Salmanasar & Theglat-Phalassar abducti estis è terra Israel, & dispersi per omnia regna Orientis.

℣. 7. OSTENDIT MAIESTATEM SVAM IN GENTEM PECCATRICEM] id est, in Iudæos, qui in Deum peccarant, inquit S. Cyprianus. Sed malim exponere de *Assyriis*, quorum deleto exercitu in Iudæa, & tyranno quoque *Sennacherib* recèns ense filiorum è viuis sublato, Deus potentem *maiestatem* suam manifestè declararat. *Cypr. l. de Mortalitate.*

℣. 11. IERVSALEM, CASTIGAVIT TE] Græcè, *castigabit.* sicut cap. seq. v. 7. *Domus Dei quæ incensa est*, græcè, *quæ incendetur.* Sed quia propheticè hîc loquitur, ideirco ob rei certitudinem, vsurpat præteritum pro futuro. q. d. Tam certò futurum vides, ac si iam factum esset. ita Liranus. Similia habes in cantico Moysis Exodi 15. v. 14. & 15. *Conturbati sunt principes Edom, obriguerunt omnes habitatores Chanaan*, &c.

Nota. Quia propheticè hîc loquitur Tobias, ideo more prophetico, dum agit de vrbe Ierosolyma, non de sola terrestri Ierosolyma agit, sed ab illa paulatim assurgit ad allegoricam Ierosolymam, quæ est Ecclesia sancta Dei: & ab hac rursus ad anagogicam Ierosolymam, quæ est gloriosa Sanctorum Ecclesia in cælis. Sicut etiam Isaias facit cap. 60. 65. & 66. & alij Prophetæ. Ergo sub typo Ierosolymæ terrestris partim iam afflictæ sub *Manasse*, vt colligitur ex 2. Paralipom. 33. v. 9. partim affligendæ, imò desolandæ atque euertendæ sub *Sedecia*, sed iterum instaurandæ sub *Esdra* & *Nehemia*, & quidem *maiore gloria*, vt patet Aggæi 2. v. 10. prædicit Tobias Synagogæ Iudaicæ, seu Ecclesiæ veteris (nam vna est omnium ætatum Ecclesia Dei, licèt varios habuerit status) iam vtcumque collapsæ, sed sub Herode magis collapsuræ, innouationem, & maiore cum gloria instaurationem sub Christo & per Christum. Vnde mox subdit,

℣. 12. REVOCANDOS Ierosolymam OMNES CAPTIVOS] nempe quantum est ex parte reuocantis, *omnes*, nullo excluso. Sed multi vocati, pauci reducti, quia noluerunt reduci. Vel dic, vniuersalem particulam, *omnes*, hîc distribui non pro *singulis generum*, sed pro *generibus singulorum*: nam & ex singulis tribubus aliqui regressi sunt Ierosolymam, & ex singulis nationibus vniuersi orbis aliqui ingressi sunt Ecclesiam Christi. Quæ tantò aptiùs hîc significatur allegoricè per Ierosolymam, quòd in ea vrbe fuerint iacta prima illius fundamenta.

℣. 14. NATIONES, (græcè ἔθνη, vnde Ethnici) EX LONGINQVO AD TE VENIENT, etiam ab extremis terræ finibus. En vocationem Gentium ad Ecclesiam Christi. Cur autem venturi sint, subiungit: ET ADORABVNT IN TE DOMINVM, ET TERRAM TVAM IN SANCTIFICATIONEM HABEBVNT] id est, veluti sanctam, & sanctitatis fontem complectentur & venerabuntur, vt nempe veram sanctitatem inde sibi hauriant, per Sacramenta, & gratiarum fontes, qui in illa sola, neque alibi reperiuntur.

℣. 21. PORTÆ IERVSALEM EX SAPPHIRO ET

SMARAGDO] Hîc anagogicè rapitur ad Ierosolymam cælestem. Et ad hæc Tobiæ verba videtur alludere S. Ioannes Apocal. 21. v. 18. vbi pene ijsdem verbis eamdem describit.

℣. 22. EX LAPIDE CANDIDO ET MVNDO OMNES PLATEÆ EIVS STERNENTVR] Græcè, *platea eius tessellabuntur in beryllo, & carbunculo, & lapide ex souphir*, id est *sapphiro*, seu ex venis sapphiri, vt Noster vertit Thren. 4. v. 7. vel, vt alij (*a*) volunt, *ex Ophir*. de quo egi 3. Regum 9. Porrò de his lapidibus vide Plinium à S. Hieronymo laudatum, item Epiphanium & Isidorum.

a Serar. hîc. Hieron. in Isaiæ 54. Epiph. l. 16. de lapidibus Isidor. l. 37. Hieron. ep. 136. & 137.

Nota, per hos lapides pretiosos metaphoricè designari pulchritudinem, claritatem, maiestatem & æternitatem beatæ illius patriæ cælestis.

ALLELVIA] Id est, laudate Deum, cum iubilo, cum lætitia, cum magna contentione & intensione. Sic enim laudes diuinas intonant æternùm Sancti. Videtur alludere ad Gentilium *io Pæan, io Pæan*, (inquit S. Hieronymus) cuius loco Ierosolymis cantandum dicit perpetuum *Allelvia*.

CAPVT XIV.

Æras & mors vtriusque Tobiæ. Praditur euersio Niniue & Ierosolymæ, & huius rursus instauratio, & Gentilium ad Ecclesiam vocatio. Filijs ac nepotibus pia monita traduntur. Excedit è Ninive Tobias iunior, & ad Gabelum cum familia demigrat in Ecbatanam, vbi & moritur & sepelitur.

℣. 6. NON EXCIDIT VERBVM DOMINI] Græcè additur, *per Ionam* prædictum, diu ante Tobiam: nam Ionas prophetauit sub Ieroboam filio Ioas rege Israel, 4. Regum 14. & tum minatus fuit & prædixit excidium *Niniue*. Sed Niniuitis pœnitentiam agentibus Deus tum pepercit, vltione in aliud tempus dilatâ. Nam relapsis iterum in pristina scelera superuenit vltor Phul-Bel-Ochus, & multis post annis Deus iterum per alium Prophetam, nempe *Nahum*, prædixit & denouo minatus est ijsdem excidium, putà sub finem regni *Ioathan* regis Iuda. De facto verò & reipsa tandem euersa fuit anno 13. *Iosiæ* regis Iuda. Idque à *Nabuchodonosore seniore*, qui 25. anno patris sui *Nabopolassaris* adhuc viuentis & imperantis, nomine ipsius aduersus Niniuen caput regni Assyriorum, vnà cum *Cyaxare*, seu potiùs *Cyaxaris* filio *Astyage*, expeditionem suscepit: & vrbe potitus, excidit illam & funditus euertit, ac monarchiam Assyriorum transtulit ad Chaldæos. Ita S. Hieron. cuius hæc sunt verba: *Reuera, quantum ad historias tam Hebraas, quàm Græcas pertinet, & maximè Herodotum; legimus, Niniuen regnante apud Hebræos Iosia, apud Medos Astyage fuisse subuersam.* Nam Astyages iam tum regnabat vnà cum parente suo *Cyaxare*, cuius etiam nomine videtur bellum istud administrasse: sicut *Nabuchodonosor*, vt dixi, nomine *Nabopolassaris* etiam parentis sui. Similia habet etiam Eusebius in Chronico & alij. Quin & Iosephus ipsum pæne annum euersæ *Niniuæ* digito demonstrat, nam ait: A tempore Ioathan regis Iuda, quo regnante *Nahum* Propheta prædixit excidium Niniuæ, vsque ad realem euersionem illius effluxisse annos centum quindecim. Atqui decimustertius annus *Iosiæ* est præcisè centesimus decimus quintus ab vltimo vel penultimo anno regni Ioathan. Idem colligere licet ex annis vitæ Tobiæ iunioris: nam ex v. 16. huius capitis habemus, ipsum compleuisse 99. annos vitæ: sed in Græco additur, antequam moreretur, audiuisse, destructam esse Niniuen à *Nabuchodonosore* & *Assuero*, seu Cyaxare, quem Græci vocant *Axuares*. Ergo Niniue excisa videtur vltimo vitæ anno Tobiæ. Iam verò ab anno sexto Ezechiæ regis Iuda, quo vnà cum patre & matre sua puerulus sexennis vel septennis à Salmanasar in Assyriam (*b*) abductus, vsque ad 13. annum Iosiæ, fluxerunt anni 93. quibus additi sex anni infantilis ætatis ipsius ante captiuitatem, complent numerum 99. annorum: ergo. Sed vide fusiùs hæc in Chronico nostro. Ex quo etiam videbis, hunc eumdem Tobiæ mortis annum, nempe 13. Iosiæ regis Iuda, initium facere septuaginta annorum seruitutis & captiuitatis ac desolationis Iudææ, ceterorumque Iudææ vicinorum populorum. Sed de hoc pluribus Ieremiæ 1. & Chronici nostri cap. 35. Hîc tantùm Nota insignem Dei prouidentiam circa Tobiam, Raguelem, & Gabelum, quorum frequens mentio in hac historia. Nam antequam exscinderetur vrbs Medorum regia *Ecbatana* & *Rages*, alta adhuc pace inter Medos & Assyrios, effecit vt Tobias suam inde sponsam è domo Raguelis cum dimidia parte bonorum illius, insuper & decem argenti talenta à Gabelo reciperet atque in tutum deucheret. Cùm verò deinde *Ecbatana* à tyranno Niniuita & Medorum hoste vi & armis subiugaretur Iudith 1. v. 5. effecit rursus, vt Raguel cum vxore, familia, & altera bonorum omnium medietate, in mediis bellorum flammis saluus & intactus conseruaretur. Denique cùm excidium immineret *Niniuæ*, iamque instaurata esset *Ecbatana*, & indies magis magisque reflorescceret, curauit Tobiam cum omni sua familia & substantia è *Niniue* in *Ecbatanam* demigrare. *Quoniam ipsi cura est de nobis.*

Ion. 3. & Chronic. 35. in Cyaxare.

Hieron. præfat. in Ionam.

Herodot. l. 1.

Ioseph. l. 9. Antiq. c. 11.

b 4. Reg. 18. v. 10.

Chron. c. 35.

1. Petr. 5.

℣. 6. FRATRES NOSTRI, QVI DISPERSI SVNT. ET DOMVS DEI, QVÆ INCENSA EST] Propheticè vtitur præteritis pro futuris, vt dixi capite præcedenti v. 11. Vnde & in Græco est, *dispergentur*, & *incendetur*. Videtur enim Tobias propriè loqui de duabus tribubus *Iuda* & *Beniamin* in Iudæa adhuc relictis: quamquam etiam verum sit, ex aliis omnibus tribubus plurimos è captiuitate Ierosolymam redijsse, vt constat 1. Esdræ 3.

v. 7.

℣. 8. RELINQVENT GENTES IDOLA SVA] De traductione Gentilium ad Ecclesiam Christi, vide quæ dixi cap. præced. v. 14. Denique

℣. 10 Hic in Græco additur: Achiacharum Tobiæ ex fratre nepotem, quem *Assur-Addon* domui suæ præfecerat, vt dixi in fine capitis 1. æmulatione & insidiis *Amani* cuiusdam deturbatum loco suo, & vnà cum *Manasse* quodam in carcerem detrusum: sed merito eleëmosynarum suarum breui eductum vtrumque; & *Amanum* vicissim in tenebras compactum fuisse. Et hæc Achiachari incarceratio fortè causa fuit cur Tobias patruus eius, qui à nepote sustentabatur, è *Niniue* in *Elemaida* profugere coactus sit; vt vidimus suprà in fine c. 2. Vti deinde restitutio eiusdem Achiachari in pristinum statum causa fuit reditus Tobiæ ex *Elemaide* in *Niniuen*.

LIBER

LIBER IVDITH

PRIMVM chaldaicè conſcriptus, vtſi etiam Tobias & Eſther, lingua nempe regionis in qua hiſtoriæ iſtæ contigerunt. Ex Chaldaico S. Hieronymus Latinum fecit, non verbum verbo, ſed ex ſenſu ſenſum reddendo, vt ipſemet ait. Iam tamen etiam hebraicè extat, teſte Munſtero; & græcè & ſyriacè, teſte Maſio: ſed ex alio, vt apparet, exemplari, quàm ex quo S. Hieron. ſuam Latinam verſionem collegit. Certè Græca potiùs paraphaſticè hiſtoriam exponunt, quàm ad litteram. Primus ſcriptor & auctor Chaldaici textus, ex communi ſententia eſt Ioacim vel Eliacim (nam idem prorſus ſunt hæc duo nomina, & vtrumque nomen noſtro huic tribuitur in hac hiſtoria Iudith:) ſummus Synagogæ pontifex, non tamen ille filius Ieſu, (filij Ioſedec,) qui cum Zorobabele reduxit Iudæos è Babylone Ieroſolymam 1. Eſdræ 2. & 3. ſed alius tempore *Manaſſis* regis Iuda, cui Iſaias Propheta ſummum pontificatum nomine Dei promiſerat c. 22. v. 21. Nam anno circiter 10. Manaſſis hanc hiſtoriam contigiſſe probaui, ni fallor, ſat clarè in (*a*) Chronico. Et huc inclinant poſt complures veteres Genebrardus, Canus, Pererius, Chriſtophor. à Caſtro, Cardinalis Bellarminus, Serarius, Salianus & Bonfrerius.

Hieron. in prologo Iudith & epiſt 111. Munſterus præfat. in Hebraum Tobiam. Maſius ep. dedicat. in Ioſua.

a Chronic. c. 33. Genebr. l. 2. Chronolog. Canus l. 11. de Locis. Pererius in caput 1. Dan. el. A Caſtro in Oſee 2. v. 20 Hieron. ſup. & ep. 140. Baron to. 3. & in appendice to. 4. Bellarm. de verbo Dei. Caniſ. Mariani operis l. 1. c. 2.

De libri huius auctoritate idem prorſus dico, quod ſuprà de libro Tobiæ: nam ab iiſdem Auctoribus, quos pro Tobia iſtic citaui, etiam liber Iudith pro Canonico admittitur. Et inſuper *à Nicæna Synodo I.* Generali, *in numero SS. Scripturarum computatur*, inquit S. Hieron. qui tantâ motus auctoritate, deſiit exinde ea de re dubitare. Vide Baronium, Bellarminum & alios.

Materia libri eſt victoria Iudith de potentiſſimo tyranno Aſſyrio; Tropologicè, victoria piæ animæ de diabolo, mundo, carne & omni vitiorum colluuie. ita Rabanus & Gloſſa. Allegoricè, triumphus B. Virginis Mariæ de capite ſerpentis infernalis, inquit S. Fulbertus Carnotenſis & Petrus Caniſius.

CAPVT I.

REx Medorum Arphaxad conſtruit vrbem Ecbatanis: prælio ſuperatur, capiturq; à Nabuchodonoſore. Qui dum reliquis quoque regnis inhiat, ab illis ſpernitur, nec admittuntur eius legati.

¶. 1. ARPHAXAD, nomen erat generale omnium *regum Medorum*, deſumptum ab *Arbace*, primo *Niniues* expugnatore, & *Sardanapali* triumphatore. Nam is alia inflexione *Arpacad* dicebatur, & pinguiore ſono *Arphaxad*: & hoc ſuum nomen ad omnes ſucceſſores ſuos tranſmiſit. ſicut & *Merodach* Babylonius ſuum ad omnes Babylonios reges: *Syluius* ad omnes Latinos: *Pharao*, *Ptolemæus* ad Ægyptios: *Cæſar* & *Auguſtus* ad omnes Romanos Imperatores. Cæterùm hic *Arphaxad*, ex communi eorum ſententia qui Iudithæ hiſtoriam tranſmigrationi Babylonicæ præponunt, fuit *Deioces* ſeu *Diocles*. Cuius regni initium Euſebius confert in decimam octauam Olympiadem, & ex Herodoto docet, ſubiugaſſe *Buſas*, *Paratacenos*, *Struchates*, *Arizantos*, *Budios*, *Magos*, & alias Medis vicinas gentes, vt hîc dicitur. ET ÆDIFICAVIT ECBATANIS] ſeu, vt in Græco eſt, *in Ecbatanis muros* & noua palatia *conſtruxit*. Nam teſte Diodoro, *Ecbatana* iam 1300. annis, nempe ante Semiramidem, extiterat. Nam Semiramis conſtructa Babylone, dicitur in *Ecbatanam* excurriſſe, & magnifica ibi palatia excitaſſe, cumque aquarum inopiâ vrbs laboraret, in eam *Oronte* monte, qui duodecim ſtadiis abeſt, perfoſſo, aquæ abundantiam deriuaſſe. Dicitur tamen hic *Arphaxad* eamdem *edificaſſe*, quia de nouo inſtaurauit, amplificauit, exornauit.

Euſeb. in Chronico. Herod. l. 1. Diodor. l. 2.

¶. 5. NABVCHODONOSOR REX] Hic prognatus è Chaldaico ſanguine regum Babylonis, videtur caſu aliquo delapſus in Aſſyriam, factuſque fuiſſe filius adoptiuus, vel certè gener, aut alio modo affinis *Aſſar-Haddoni* (*b*) Aſſyriorum tunc monarchæ, atque ita ſucceſſor eiuſdem in imperio: Chaldaicum tamen nomen regum Babylonicorum, *Nabuchodonoſor*, retinere voluit in æternam ſuæ familiæ & ſanguinis memoriam. Ioſephus indicare videtur, quòd victo per *Merodach Baladan* Babyloniæ regem *Aſſar-Haddone* Aſſyrio monarcha, *Nabuchodonoſor* vi intruſus fuerit in regnum Aſſyriacum. Alij malunt, ipſum non è Chaldaico, ſed ex Aſſyriaco ſanguine procreatum, è cognatis fuiſſe *Aſſar-Haddonis*, vel ſaltem è primoribus regni, qui vel regis adoptione, vel procerum factione, vel populi electione ſceptrum adeptus Aſſyriacum, etiam vſurparit nomẽ Chaldaicum regũ Babyloniæ,

b *Chron. c. 33.* *Ioſeph. l. 10. Antiq. c. 5.*

vt

vt palàm hoc ſuo nomine faceret, ſe regem quoque eſſe *Babyloniæ*, non minùs quàm *Niniues* & *Aſſyriæ*.

Pro quo Nota, poſt cladem *Sennacherib* ab angelo in Iudæa acceptam 4. Reg. 19. v. 35. cœpiſſe vileſcere potentiam regis Aſſyrij, atque inter alios qui ſe ab illius imperio diuellebant, fuiſſe *Merodach Baladan* regem Babylonis, antè ſtipendiarium regis Aſſyrij. Et optaſſet quidem illato bello illum ſibi ſubiugare; ſed non potui: tam citò tanto regi præualere. Continuit ergo ſeſe, contentus iugum excuſſiſſe, vſque dum multis pòſt annis, nepos eius Nabuchodonoſor ſenior, 13. anno Ioſiæ regis Iuda, iunctis cum *Cyaxare* Medorum rege viribus, Niniue expugnatà & exciſà, monarchiam Aſſyriorum integram ad Chaldæos tranſtulit. Sed antequam eò calamitatis deueniret *Aſſyrius*, integris adhuc rebus, etſi iam rebellione deſciſceret ab illius imperio Babylonius, Babylonici tamen regni titulo numquam renuntiare voluit: quin potiùs, vt omnium animis atque auribus eumdem imprimeret, regium Babylonici ſceptri nomen *Nabuchodonoſor* vſurpare etiam publicè cœpit, & ab eo denominari voluit. Et ferè moris eſt iis, qui ius alieni regni, quod ſibi vi vel fraude ſubtractum queruntur, ſtabilitum volunt. Sic rex Hiſpaniæ regem ſe ſcribit Ieroſolymorum, rex Anglorum ſe dicit regem Galliæ, &c. Id verò eò propenſiùs fecit rex Aſſyriæ, quòd Babylonius rex iam ſpe deuorans ſceptrum Aſſyriacum, cœpiſſet quoque vſurpare ſibi titulum & nomen *regis Aſſyriorum*, vt patet ex dictis 4. Regum 20. & 23. in fine capitum. Aſſyrius ergo vt ægrius faceret Babylonio, nomen vicißim *regis Babylonici* publicè præferre voluit, nempe *Nabuchodonoſor*, antiquum *Nabonaſſaris*, & ſecutorum in Babylone regum Chaldæorum nomen, teſte Albategnio, & eo vetuſtiore Arabe Ptolemæi paraphraſte, qui *Nabonaſſar* ſemper vertunt *Bechatnezer* ſeu *Nabuchodonoſor*. Vide Ioſephum Scaligerum.

Scaliger l. 5. Emendat. temp.

ANNO DVODECIMO REGNI SVI ſuſcepit bellum aduerſus Medum: ſed quinto demum anno pòſt, nempe 17. regni ſui, *in campo Erioch regis Elicorum* (græcè *regis Elymorum*:) collatis cum Arphaxado ſignis illum ſuperauit, captiuum habuit, & iaculis confodi iuſſit, Ecbatanam vaſtauit, & omnes illius portas, turres ac palatia ſolo æquauit. Ita Græcus hîc v. 1. & vltimo.

℣. autem 9. pro TERRA IESSE, idem Græcus legit *terram Geſſen*, vt eſt Geneſ. 46. & 47. Porrò Nabuchonoſor repulſam paſſus,

℣. 12. IVRAVIT QVOD DEFENDERET SE] id eſt, vlciſceretur ſe. Simili modo ſumitur infrà cap. ſeq. v. 1. & c. 9. v. 2. & ad Romanos 12. v. 19. Et ſic à Virgilio aliiſque priſcis auctoribus vſurpari ſolitum notat non incurioſus Latini ſermonis cuſtos Nonius.

CAPVT II.

Concilio bellico adſtipulante ambitioni Nabuchodonoſoris, Holofernes cum validiſſimis copijs mittitur verſus Occidentem, vbi variæ gentes vi & armis ſubiicit imperio regis ſui.

℣. 4. HOLOFERNES Perſicum eſt nomen vt *Artaphernes, Tiſaphernes, Intaphernes*. Et verò hunc Nabuchodonoſoris archiſtrategum Perſam fuiſſe, ait Cedrenus. Et hoc nomine faciliùs inducti fuerunt Perſæ, de quibus inf. à c. 16. v. 12. vt ſe huic militiæ ſocios iungerent. Vnde, ni fallor, euidenter patet, hanc Iudithæ hiſtoriam ante inchoatam monarchiam Perſarum contigiſſe. Nam illà ſtabilità, quomodo vel ſub Cambyſe, vel ſub Xerxe, vel ſub alio quopiam rege induci potuiſſent Perſæ, tunc rerum domini, & totius Orientis monarchæ, vt rebelli vni Aſſyrio, neſcio vnde prorepenti Nabuchodonoſori, iunctis copijs adeſſent, ad imperium totius orbis ipſi parandum, ſibi verò ſubtrahendum? Porrò *Holoſernes* hic, qui in Latino vocatur *princeps militiæ*, in Græco dicitur fuiſſe *ſecundus poſt Nabuchodonoſorem*. Qualis in Ægypto poſt *Pharaonem* (a) fuerat *Ioſephus*: poſt *Aſſuerum* (b) in Perſide *Aman*: & nuper poſt *Aſar-Addon* in Aſſyria (c) *Achiacharus*. Vnde etiam *Holoſernes* à Zonara vocatur *archiſatrapa*; à Tertulliano & Auguſtino etiam *rex*, tum ob potentiam & opes pæne regias: tum ob regium imperium & poteſtatem, qua præditus erat. Neque ægrè ferebant magni monarchæ, quòd minores quoſdam reges ſibi haberent miniſtros.

a *Geneſ. 41. v. 40.*
b *Eſther 3. & 4.*
c *Tobiæ 1. in fine.*

℣. 12. VENIT AD MAGNOS MONTES ANGE, QVI SVNT A SINISTRO CILICIÆ ſuperioris, additur in Græco. Veroſimile eſt deſignari hîc *Taurum* & *Antitaurum*, quia & hi *magni* ſunt *montes*, & his adiacet *Cilicia*. Et hi tot admittunt nomina, quot gentes illos vel incolunt, vel accolunt, vel deſcribunt, teſte Plinio & Dionyſio. Et forſan ob tot montium *vaſtos & deſolatos aceruos*, quos in Taurinis iſtis iugis reperiuntur, ab Hebræis vel Chaldæis dicti fuerunt *Ange* ab *Hai*, & quod *acerumum* (d) ſignificat, & *vaſtitatem & deſolationem*. Forſan & à populo, vel à loco vicino: nempe, vnde dux ille *Philotas* apud Curtium dictus fuit *Angeus*: vel mons apud Herodotum *Rangæus*, apud alios *Pangeus*.

Plin. l. 5. c. 27. Dionyſius Periegeſ. d Num. 21. v. 12. Iob 30. v. 24. Pſal. 78. v. 1. Iſaiæ 17. v. 1. Mich. 1. v. 6. & c. 3. v. 12. & Curtius l. 5. Herod. l. 7. Plin. lib. 6. c. 3. Ptolem. l. 6. c. 7.

℣. 13. EFFREGIT, ſeu perfringendo expugnauit, CIVITATEM OPINATISSIMAM, id eſt, fameſiſſimam, MELOTHI de qua 2. Mach. 4. v. 30. vbi etiam cũ *Tharſi* coniungitur. Et videtur ea eſſe quæ à Plinio *Melita* vocatur, à Ptolemæo *Melitena*, à *Semiramide* olim *condita haud procul Euphrate*. Putaturque ſic dicta à *plenitudine* (hoc enim ſignificat *melothi*) id eſt opulentia & abundantia omnium rerum. De *Tharſis* vide quæ dixi 2. Paral. 9. v. 21.

PRÆDAVIT] pro *deprædatus eſt*. Sed hoc Interpreti noſtro non minùs licuit, quàm Ennio *crimenat*, Turpilio *proficiſceret*, Næuio *minitas*, Pomponio *mirabu* & *conuiuant*, Titinnio *oſculaui*, Varroni *imitat*, Virgilio *populat*, Ciceroni *augurat*, Plauto *vagat, perſcrutaui*, & aliis alia.

Apud Nonium.

CAPVT III.

Vniuerſæ vrbes ac prouinciæ territæ tantis copijs vltrò ſe dedunt Holoferni: ex quibus auxiliares ipſe ſibi aſſumit, vrbes munitiores deſtruxit, arces cum idolis & fanis exſtruit, vt ſolus Nabuchodonoſor Deus habeatur.

℣. 1. SYRIÆ] nempe preſsè acceptæ, cuius caput *Damaſcus*. Syriæ *Sobal* mentio fit 1. Reg. 14. v. 47. & 2. Reg. 8. v. 3. 5. 12. & Plinio, Straboni ac Ptolemæo dicitur *Sophene*. Alioqui *Syria* latiſſimè ſumpta complectitur non ſolam *Damaſcenam & Sophenem*, ſed & *Paleſtinam*, *Iudæam*, *Cœlen*, *Phœnicen*, *Babyloniam*, *totamq́*, *Meſopotamiam*, *Comagenem*, *Aſſyriam*, *Antiochiam*, vt docet idem Plinius.

Plin. l. 5. c. 12. Strabo l. 12. Ptolem. l. c. 13.
Plin. ſup.

PRO LIBYA, quia procul à *Syria*, imò vltra *Ægyptum* in *Africa* ſita eſt. mallent aliqui legi *Lycia*, vel *Ligya*, quam Herodotus circa *Syriam* collocat, & à *Libya* diſtinguit. Sed quid abſurdi, ſi dicamus etiam ex remotiſſimis orbis partibus, tempori, vt longè poſitum periculum auerterent, legatos ad Holofernem

Herod. l. 7.

fernem missos fuisse? Vt olim Gabaonitæ se missos mentiebantur Iosue 9. & ad Alexandrum Magnum ex omnibus vndique terrarum partibus aduolasse, testatur Curtius.

Q. Curtius l.10.

℣.7. TVNC HOLOFERNES DESCENDIT DE MONTIBVS] Casio, Libano, Antilibano, qui in Syria sunt, inter quorum duos *postremos Damascus* est, in cuius ille felices campos iam descenderat c.2.v.17. Porrò Holofernes

℣.12. CIVITATES, putà munitiores, & à quibus timeri posset aliquando rebellio, DESTRVXIT, ET LVCOS EXCIDIT] vtique cum aris & fanis deorum, quæ *lucu* ferè cingebantur, ad maiorem loco venerationem conciliandam, & ad sordes illorum sacrorum saltem ex parte tegendas. Atque vtinam solis idolis, seu falsis diis, hoc bellum mouisset Holofernes, & non etiam verum Deum cæli & terræ suo è solio deturbare voluisset!

℣.14. VENIT AD IDVMÆOS IN TERRAM GABAA] id est montanam vel cliuosam. Græcè est, *venit in planitiem Esdrelon, prope Dotæam* (a) (vnde fortè legendum, *ad Dotæos*, pro Idumæis) *e regione terræ Iudæ* (id est, tractus in Iudæa perpetuò cliuosi & editi, quæ Lucæ 1.v.39. *montana* Iudææ vocantur:) *& castrametatus est inter Gabe & Scythopolin*. De *Gabe* verò vel *Gabe*, dicit Plinius, *vrbem* esse *instar regni*. Non video tamen, cur cum Latino non retineamus ipsum *Idumæorum* nomen, cùm ex Iosepho & aliis constet, *Idumæam* quandoque tam amplè sumi, vt *Gazam* quoque & *Gaben*, & *Ascalonem*, & omnia vicina comprehendat.

a Gen.37. v.17. Dothain vocatur. & his c.4.v.5.

Ioseph.l.4. Antiq.c.16. & l. contra Apionem.

CAPVT IV.

Metu propinquantis tyranni perterriti Iudæi, media omnia expediunt, quibus se aduersus illum tueantur, nec solùm humanam adhibent industriam, sed & ieiuniis, & humillima prece, diuinum auxilium hortatu summi pontificis implorant.

℣.3. MISERVNT IN OMNEM SAMARIAM] Vrgebat enim vel sola magnitudo instantis belli, vt socias vires iungerent Samaritani Iudæis aduersus communem hostem

℣.4. MVRIS CIRCVMDEDERVNT non solas vrbes, sed & VICOS & pagos SVOS] Nisi malis vrbes iam pridem à Salomone aliisque regibus Iuda muris sat probè cinctas & munitas fuisse. Quod in tempus Manasse optimè quadrat: at post reditum Esdræ è Babylone, cùm pæne omnes vrbes desertæ iacerent, ipsaque Ieroſolyma mœnibus careret, (b) affirmari nulla ratione potest.

b 2.Esdr.1. &c.

ET CONGREGAVERVNT FRVMENTA IN PRÆPARATIONEM PVGNÆ, & vt obsidionum moras ferre possent. Addit Græcus, *Iudæa agros* sub id tempus προσφάτως, id est *recèns*, *demessos* fuisse: vnde commodè poterant frumentationi vacare.

℣.5. SACERDOS, nempe *summus*, vt v.11. innuitur, seu *pontifex summus*, vt c.15.v.9. dicitur ELIACHIM SCRIPSIT AD VNIVERSOS QVI ERANT CONTRA ESDRELON, IVXTA DOTHAIN (huc enim iam accesserat *Holofernes*, vt dixi c. præced. v.14.) VT OBTINERENT ET CVSTODIRENT ASCENSVS & angustias MONTIVM] Hic est iste *Eliachim*, seu, vt c.15. vocatur, *Ioachim*, (nam adiecto EI nomini *Ioachim*, fit *Eliachim*:) qui medius intercessit pontifex inter *Sobnam*, qui tempore Ezechiæ, & *Helciam*, qui tempore Iosiæ floruit: & abducto *Sobna* vnà cum rege *Manasse* in carcerem Babylonicum, ipse ei in pontificatu successit, vt ex S. Cyrillo, Hieron. Procopio, Nicephoro Constantinopolitano & aliis contra Wittakerum & similes Nouatores probat Cardinalis Bellarminus & Serarius. Et ita futurum prædixerat Isaias c.22. vbi pontificis ornamenta & insignia detrahenda *Sobnæ*, & in humeros *Eliachim* transferenda dicit, *tunicam*, *balteum*, seu *stolam*, *coronam gloriosam*, *nomen patris*, *clauem domus Dauid*, id est, supremam auctoritatem & potestatem in omnes Iudæos, non solùm spiritualem, quæ illi propria fuit tamquam summo pontifici: sed & temporalem, quæ tamquam vicario regis Manasses, concessa publicè fuit. Quin & Reineccius hæreticus, vt de aliis taceam, apertè scribit, huic *Eliachim summum pontificem* fuisse: & obiicientibus, illum in Iosephi catalogo summorum pontificum non reperiri, respondet: *Sadocus*, vel *Saldumus* Iosephi, *absque dubio Eliacimus est*. Et infrà, *Sadocus secundus sub Ezechia & Manasse, ipse est qui à Iosepho Odeas, à Nicephoro Callisto Ioes, à Nicephoro Constantinopolitano Eliacim vocatur*.

Bellarm.l.1. de verbo Dei c.12. Serar. hic q.1.

Reinec. to.2.f.253.

Sed hîc quæritur, cur, reducto iam in regnum Manasse rege, bellicam rem aduersus Holofernem non rex ipse, sed pontifex administrat? Respõdeo, quia Manasses recèns è carcere Babylonico redierat, & tantâ perculsus calamitate, publico ad tempus abstinebat, totus in Dei cultu occupatus, forsan & morbo ex miserijs vix præteritis præpeditus, omnem reipublicæ administrationem penes pontificem & senatum regium reliquit, penes quos ipso absente fuerat. Imò, si Iosepho credimus, ex quo Babylone rediit Manasses, *in vnare*, nempe *vt omni religione Deum prosequeretur, totum vitæ residuum ipse occupabatur: in hac vna tantùm re erat*. Et S. Scriptura idem innuit, cùm 2. Paralipom. 33. v. 13. de reduce Manasse ait, *Egit pœnitentiam valdè coram Deo, deprecatusq; est eum, & obsecrauit intentè*. Nec tamen concesserim, ita prorsus ab hoc bello Holofernico manus continuisse Manassen, vt non etiam, quantum in præsenti posset, intenderit, quin & superintenderit. Nam cuius, obsecro, alterius, aut hostis, aut belli metu, *ædificauit* ipse (vt ibidem v. 14. additur) *murum extra ciuitatem Dauid, ad Occidentem: Gibon in conualle, ab introitu portæ piscium per circuitu vsque ad Ophel, & exaltauit illum vehementer*? quando item, & contra quos alios hostes *constituit* ipse *principes exercitus in cunctis ciuitatibus Iuda munitis*? An ex his verbis colligere non licet, Manassen regem sumpsisse sibi Ieroſolymam vrbem tuendam, mœnibusque propugnaculisque nouis communiendam? Reliquam verò prouinciam, & ante omnia primos aditus prouinciæ, summo pontifici ceterisque principibus suo nomine tuenda gubernandaque commisisse?

Ioseph.l.10. Antiq.c.4.

CAPVT V.

Achior Ammonitarum dux rogatus ab Holoferne de Iudæis, enarrat publicè stupenda Dei opera circa istum populum: monetq; ne temerè contra illos pugnet. Sed ob hæc indignantur Achiori principes omnes Holofernis.

℣.3. QVIS POPVLVS ISTE? QVÆ CIVITATES? QVIS REX] Istæ Holofernis interrogationes non sunt omninò ignorantis (quomodo enim Assyriorum dux tantus ignoret, quæ paucis antè annis ex gente Iudæa retulissent, seu trophæa, seu clades potentissimi reges Assyriorum Theglat-Phalasar, Salmanasar, & Sennacherib?) Sed sunt militares interrogationes superbissimi ducis mirantis, stupentis, irascentis, indignantis & hostes vilipendentis. Sicut olim Pharao Exodi 5. *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius?* & Nabal 1.Reg.

Orig. & Hieron. in Ioan. 22. Nicepho. lib. Chronolo. 4.

1.Reg.25.*Quis est David, & quis est filius Isai?* & Nabuchodonosor Danielis 3.*Quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea?* Hic nempe loquendi modus est istorum tumidorum, verbisque ipsos pæne cælos territantium Pharaonum, Nabalium, Nabuchodonosorum, plenus fastu, sui solius admiratione, aliorum omnium contemptu.

℣.22. ANTE HOS ANNOS EXTERMINATI SVNT PRÆLIIS A MVLTIS NATIONIBVS, ET PLVRIMI EORVM CAPITIVI ABDVCTI SVNT] Vbi certum est, non loqui de captiuitate Babylonica. Nam tunc non *plurimi*, sed *omnes* abducti sunt; neque *à multis*, sed ab vnica *natione* Chaldaica. Hîc ergo respicit Achior ad Æthiopes, ad Ægyptios, ad Syros, ad Assyrios, qui plurimas clades vastitatesque intulerunt Israelitis, affligentes ac diripientes eos, vt dicitur 4.Regum 17.v.20. Sed omnium recentissimum fuerat exterminium totius regni Israelitici decem tribuum per Salmanasar regem Assyriorum: & rursus etiam Iudææ non minima ex parte vastatio per Chaldæos, quando 2.Paralip.33.v.11. rex ipse Manasses cum Sobna pontifice, & plerisque regni principibus vincti catenis in carcerem Babylonicum abrepti fuerunt.

Dices, In Græco textu additur; *templum Ierosolymitanum euersum & solo æquatum fuisse*. Quod à solo Nabuchodonosore factum sub Sedecia: nullo verò modo à Chaldæis sub Manasse. Respondet Bellarminus, verba illa *supposititia videri, quandoquidem S. Hieronymus, qui fidelissimè transtulit ex Chaldæo sermone in Latinum, nihil de euersione templi in sua editione posuit*. Et certum est, Græcum textum in multis mendosum deprehendi. Sed agedum, demus, nullum hîc mendum esse; an nullo sano sensu, saltem morali, & prudẽti æstimatione, potest dici *euersum & solo æquatum*, vel, vt verba sonant, *in pauimentum factum*, id est conculcatum, esse templum, quod subtractum cultui diuino, profanæ dæmonum seu idolorum latriæ consecratum est? hoc est ex vero *templo* factum est *non templum*, sed spelunca dæmoniorum? Aut fortè non censebis euerti templum, si, relictis parietibus & tecto, stabulum inde feceris aut haram porcorum, vel, si lubet, fornices meretricum? At simili, imò turpiori profanatione Manassen euertisse templum Domini, constat ex 4. Regum 21. & 2.Paralip.33.

At facilè, inquies, concesserim, tali profanatione *euersum* fuisse, saltem *formaliter* templum Dei Ierosolymitanum: sed inde non patet, etiam *solo æquatum*, vel *in pauimentum factum* fuisse, quod Græcus affirmat. Respondeo Primò, posse *formaliter*, & saltem *metaphoricè* etiam ob easdem causas, dici *factum in pauimentum*, imò *solo æquatum* fuisse, sicut dici posset, *funditus & stirpitus excisum, euersum*, &c. Respondeo Secundò, posse quoque *physicè & materialiter* idem de templo dici, cuius magnas partes constat cùm ab *aliis regibus Iuda*, tum ab ipso *Manasse*, dissectas, dissolutas, & solo æquatas fuisse, vt profanis plurium simul idolorum altaribus, v.g. Baalim & Astaroth, soli, lunæ, & vniuersæ militiæ cœli, tum templo ipso, tum in atriis omnibus templi, locus commodus patefieret, vt constat ex capitibus libri Regum & Paralipomenon iam citatis, & etiam ex immediatè sequentibus, vbi de Iosia Manassis nepote, narratur, quòd *ingenti vi pecuniæ* curarit *instaurari templum Domini, & commissuras ac contignationes quas destruxerant reges Iuda*. Aut fortè *solo æquatum* fuisse negabimus, quod adeò deiectum multis partibus complanatumque iacuit, vt & Manasses, quantumuis seriò pœnitens, & cultui diuino totus addictus, vt vidimus cap. præced. toto reliquo tempore regni sui, & Iosias, & ipse cultus diuini zelosissimus, primis imperij sui annis, eidem restituendo, & quidem tot tantisque thesauris regiis pares non essent; sed totius Israelis collectis impensis, vt ibidem narratur, instaurari debuerit? Quamquam de *physica* seu *materiali demolitione* templi, & *solo æquatione* sermonem non esse in hoc textu Græco, vel inde certissimò patet, quòd c.4.v.2. cùm de vastatione templi, qua de hîc agitur, sermonem facit, indicet *mansisse* integra *vasa, altare, templum*, sed *profanata ac polluta*. Vnde dicit, eadem omnia recèns ante accessum Holofernis, *mundata, expiata* & rursus *sanctificata* fuisse. Dixisset verò *readificata* vel *de nouo rursus constructa* fuisse, si de *physica* seu *materiali destructione*, qualis fuit tempore captiuitatis Babylonicæ, locutus esset.

℣.23. NVPER, putà reducto è vinculis Manasse, REVERSI EX DISPERSIONE, QVA vel metu Chaldæorum vltrò fugientes horsum, istorsum: vel vi fugati ab iisdem, aut in Babylonem cum rege suo & pontifice abducti, & sic DISPERSI FVERANT extorres à patria & vagabundi, vrbe Ierosolyma, vicinisque omnibus hostiliter direptis à milite Chaldæo: sed iam, placato rursum Deo, & propitio rege Chaldæo, receptâ libertate pristinâ, recurrerunt vndique in Iudæam, & iterum in sua patria ADVNATI SVNT, ET deserta priùs MONTANA HÆC OMNIA incolenda repetierunt, ET ITERVM POSSIDENT IERVSALEM, è qua fugati fuerant.

CAPVT VI.

Oratione Achioris commotus Holofernes iubet eum ad hostes transferri Bethuliam, vt eâ denicta simul intereat: quare arbori alligatus, à Iudæis in vrbem recipitur, & benignè habetur; ipsis interim Dei opem humillimè imploranibus.

℣.4. DONEC EXTERMINERIS] coniungendum non cum proximo verbo, *respirabis*: sed more Hebræo, cum remotiore *transiet*.

℣.7. BETHVLIA significat *virginitatem* (a) Dei. Ciuitas est *Galilææ*, in tribu *Zabulon*, sita in monte: tribus leucis à *Dothain* versus Austrum, de qua c.3. v.14. itemque à *Scythopoli* versus Septemtrionem: vna leuca à *Tiberiade* versus Occidentem: & à *Diocæsarea* versus Orientem. Vide Brocardum & Adrichomium, qui addit, etiamnum hodie conspici istic vestigia castrorum Holofernis.

(a) *Deut.21. v.14. & 15. Iudic.11. v.36. & 37. Leuit 21. v.14. Ezechiel.23. v.3. Brocard.l.de Terra sancta. Adrichom. lib. eod.*

℣.11. ERANT ILLIC (in Bethulia) PRINCIPES, OZIAS DE TRIBV SIMEON CHARMI] ergo aderat *Ozias*, vtpote ex tribu *Simeon* oriundus, sed qui Bethuliæ, in vrbe Zabulonicæ tribus, principem agebat, fortè ciuitate iam pridem donatus: fortè post abductas decem tribus in Assyriam, casu vel consilio (nam liberum cuique tunc erat, vbicumque vellet, sedem figere) eò delatus: fortè etiam recèns occasione belli huius Holofernici Ierosolyma à rege Manasse, vel à pontifice Eliacim Bethuliam submissus. Cui postremo fauet, quòd in decursu huius historiæ, non *Bethuliæ* tantùm princeps, sed subinde etiam *princeps Iuda* vocetur, vt cap.8.v.34. imò etiam *princeps populi Israel* cap.13. v.23. Alteri principi *Charmi* hîc in Græco, cognomen additur *Melchiel*: & cap.8.v.9. etiam in Latino iungitur ei socius *Chabri*: aliàs *Gothoniel*, quos Liranus & Carthusianus ex eo putant *sacerdotes* fuisse, quòd in hac historia subinde *presbyteri* vocentur: & soleant *sacerdotes* sæpe præfici etiam rebus bellicis,

bellicis, vt Iosephus suo pluriumque aliorum exemplo docet. Sed infirmum hoc est argumentum, cùm *presbyterorum* nomine designari constet *seniores* quosuis: & in singulis vrbibus essent ex institutione Moysis, vt alibi tradit Iosephus, septem designati, qui *principes & iudices* populi essent, & *seniores & presbyteri* (a) vocari solerent, vel *maiores natu*; (b) vel (c) *optimates*. Et licèt his assiderent semper aliqui ex Leuitis, poterant tamen ipsi ex quauis tribu desumi: & ferè desumebantur ex ea tribu cuius ciuitas esset. quamquam, vt dixi, in ea quæ tunc erat tribuum dispersione is ordo læpe seruatus non fuerit.

Iosep.l.2. Bellic.c.42.

Iosph.4. Antiq.c.vlt.

a *Libri Ruth c.4.v.2. 1.Reg.30. v.26.*

b *3.Reg.21. v.8.*

c *4.Reg.10. v.1.*

℣.15. FACIEM SANCTORVM TVORVM ATTENDE] Græcè, *sanctificatorum tibi hoc ipso die*, id est miserere & opitulare populo tuo non solùm ab antiquo per circumcisionis sacramentum sancto, sed iam recentissimo rursum fœdere tibi deuincto, & nouo fidelitatis iuramento tibi adstricto, atque ita plurimis titulis sanctificato, tibiq; plenè dedicato.

℣.19. TVNC OZIAS SVSCEPIT EVM IN DOMVM SVAM] non quidem vinctum, aut custodiâ septum: sed tamen aliquantulum obseruatum, & semper in plurium oculis detentum. Vnde & postea, victrice *Iudith* Bethuliam reuersâ, & Holofernis caput inferente, cùm ad spectaculum omnes concurrent, *Achior* tamen non nisi vocatus accessit, c.13. Procul verò erat, vt ad remp. ipsum adhiberent, aut munus aliquod demandarent. Transfugis enim non facilè credendum. Et meminerant exempli *Chusai*, qui *Absalomi* rem consilio suo euertit 2.Regum 17. Forsan etiam audierant qua vafricie *Sinon* olim *Troianos* Græcis prodidisset. Certè maximo suo malo crediderunt Assyrij *Iuditha*, Babylonij *Zopyro*, & Gabini *Tarquinio*, qui paulò post hæc tempora, illa à Bethuliis, ille à Persis, iste à Romanis transfugerant, & adepti summam gerendi seu priuatim quidquid vellent, seu etiam publicè aduersus hostes belli administrandi potestatem, vrbes & copias sibi creditas hosti prodiderunt.

Virg. Æneid.2.

CAPVT VII.

Bethulia obsidetur: aquæductui præciditur: à fontibus arcentur obsessi, qui siti nimia cruciati deditionem vrgent: sed Ozias princeps populo persuadet vt ad quinque dies differatur.

℣.2. EQVITES VIGINTI DVO MILLIA] Acceserunt ergo *ex Assyria* de nouo *decem millia* ad illa *duodecim millia*, quæ Holofernes cap.2. v.7. ex Assyria secum eduxerat. Submittebat enim *Nabuchodonosor* statis temporibus nouas legiones ex ipsa Assyria, nec volebat, nec verò tutum erat, solis auxiliaribus copiis rem geri. Quin & ipsemet parabat paulatim subsequi cum flore totius imperij, vt promiserat abeunti Holoferni c.2. in Græco.

℣.3. BELMA, à Brocardo vocatur *Abelina*: vrbs est ad radices montis *Bethuliæ*, non nisi leucâ vnâ inde dissita: à *Dothain* verò non nisi mediâ leucâ. Ibidem in vicino etiam est vrbs *Chelmon*, quæ in Græco vocatur *Cyamon*. His in locis dicit Græcus Assyrios *castra metatos* fuisse: Latinus, *se ad pugnam* accinxisse. Vtrumque factum.

Brocard. sup.

℣.6. FONS, QVI ex valle *Iustrali* (de qua c.12. v.7.) per tubum seu canalem in vrbem INFLVEBAT, AQVÆDVCTVM DIRIGEBAT] id est, per canalem rectà destinabat aquam in vrbem Bethuliæ. Hoc canali inciso per *Holofernem*, non supererat obsessis aqua, nisi quæ

℣.7. NON LONGE A MVRIS ex fonticulis modicè scaturiebat: quam *furtim* subinde haustum veniebant. Sed & has scatebras, appositis vbique custodiis, eripuit mox Holofernes, v.10. Neque verò molestius quidquam obsessis, aut ad deditionem accelerandam opportunius esse solet siti & aquæ penuria: vnde plurimas vrbes arcesque munitissimas, & viris aliisq; re rebus omnibus instructissimas, hac viâ dedi coactas, ostendit enumeratque Polybius, Lucanus & Iosephus: qui addit, hoc ipsum, quòd *ad mensuram aqua diuiditur*, vt hîc factum à Bethulienſibus v.11. *ipsa penuria videri molestius*: nam *appetitum magis proritat, quod liberum non est*.

Polyb.l.7. c.5. Lucan.l.4. Ioseph.l.13. Antiq.c.8. & l.1. Captiu.c.14. & l.3.c.13. & Matt.13. Mar.13. Luc.4.& 7. Ioseph de Vita sua.

℣.18. FACTVS EST FLETVS MAGNVS IN ECCLESIA] id est, in *Synagoga*, (d) quæ in singulis vrbibus æquè *orationis* ac *concionis* locus erat. Et alio nomine *Proseucha* vocabatur, deducto à *precibus & votis* quæ inibi fiebant, & *Euchæ* dicuntur, Iosephus dicit, *ædificium* fuisse, *quod maximam hominum multitudinem capere posset*. Ceterùm ex hoc populi ad Synagogam adcursu, ex humillimis precibus ibi profusis, ex fletu, & opis diuinæ tam seria imploratione, patet, industria & suadela principis Oziæ sedatum fuisse priorem populi tumultum, & iam animæquiores factos omnes non ampliùs vrsisse deditionem, sed à diuina manu subsidium præstolari decreuisse. Et verò quàm triste negotium fuisset tum Bethuliæ, tum Iudææ vniuersæ, si primo populi furori, & ardentissimę siti princeps cessisset, deditionemque fecisset! in quantas se coniecissent isti cives ærumnas! quàm insigni victoria & triumpho se spoliassent! Exemplo sit Lysimachus Macedonum rex, qui cùm in Thracia, cum toto suo exercitu, siti pæne enectus, hosti se dedidisset, & iam optato potu se refecisset, O *Dij*, exclamabat, *quàm paruæ voluptatis causâ, meipsum ex rege seruum effeci!* Caueamus & nos, exiguę voluptatis appetentiâ, cęlestis regni hereditate priuati, & tartareo Holoferni mancipia fieri.

CAPVT VIII.

Iuditha stirps, laudes & encomia. Principes nimiùm trepidantes ipsa obiurgat, vacillantes confirmat: patrum exemplo ad patientiam & diuinæ opis imprecationem hortatur, & bono animo omnes esse iubet.

℣.1. IVDITH, id est *laudans* vel *confitens* Deo, à radice *Iadah*, quod significat *laudare, confiteri, gratias agere*. Porrò etiam vxorem vnam Esau Genesis 26.v.34. legimus vocatam fuisse *Iehudith*. Et *Iehudi* nomen viri proprium Ieremiæ 36. Erat hæc nostra *Iudith* oriunda ex tribu *Simeon*, vt constat ex c. seq. v.2. vbi *Simeonem* patriarcham vocat *patrem suum*. Quòd ergo hîc vocetur filia *Simeon filij Ruben*; vel mendum est, & pro *Ruben*, legendum *Israel*, vt Græcus legit. Et ita sentit ex S.Fulgentio & aliis Bellarminus, Serarius & Mariana. Vel intelligendum de *Simeone* & *Rubeno* non patriarchis, sed aliis quibusdam viris illustribus intermediis, non deducta stirpe vsque ad primos patriarchas. Certum enim, ex omnibus *Rubeni patriarchæ* filiis nullum habuisse nomen Simeonis. vt patet ex Gen. 46.v.9. & 1.Paralip.5.v.3. vbi omnes Rubeni filij recensentur. ita Liranus. Et vt aliquis illorum tale nomen habuisset, certò constat ex initio cap. sequentis Iuditham non *Rubeni*, sed *Simeonis* patriarchæ filiam fuisse.

Fulgentius ep.2.c.14. Bellarm. l.1.de verbo Dei, c.12. argum.12.

℣.2. VIR EIVS MANASSES in Græco dicitur eiusdem cum *Iuditha* tribus fuisse & patriæ. Qui

℣.3. INSTABAT, tamquam summus præfectus, vt

vt Græca significant, *super* omni messorum multitudine *in campo* illo magno Bethuliæ vicino. Videtur enim Manasses non priuatis tantùm & propriis agris inuigilasse, sed & publicis, cum publico præfecti munere. Nam eiusmodi præfecturas apud Hebræos fuisse, testis est Iosephus, qui de *Æbutio Decadarcho* scribit, *magni campi præfecturam illi commissam fuisse.*

Ioseph. in Vita sua

℣. 5. IN SVPERIORIBVS DOMVS SVÆ, id est, in suprema parte domus, quod *solarium* vel *doma* vocabant, vt dixi Deuter. 22. v. 8. & 4. Reg. 1. v. 2. FECIT SIBI Iudith SECRETVM CVBICVLVM, seu *precatorium tabernaculum*, vt est in Græco. Sed *clausum*, & IN QVO CVM PVELLIS SVIS, seu cognatis, seu ancillis, quas eadem pietatis exercitamenta docebat, omnibus feriatis diebus CLAVSA MORABATVR] Neque ex sublimi isto sacroque lararío vel ipsa, vel ipsius gynæceum descendere solebat, nisi diebus sabbathi & festis, vt est in Græco c. 10. v. 2. quando ad Synagogam, vel ad coniunctum Synagogæ gynæcona, vt legis diuinæ explicationi interesset, se transferre consueuerat.

℣. 6. IEIVNABAT OMNIBVS DIEBVS, PRÆTER SABBATHA, NEOMENIAS, ET FESTA alia DOMVS ISRAEL] Cùm enim Iudæis dies isti essent publici gaudij, nullum tunc ieiunium suscipiebant. Imò vetitum id illis pœnitentiæ causà tum facere scribit Rabbi Moyses Ægyptius. Saltem consuetudine receptum erat, sabbathis & festis otio epulisque ab hora sexta seu miridie vacare, vt ex illorum traditione docent S. Hieron. Socrates & alij: cùm diebus ieiunij solerent ad vesperam vsque, seu stellarum aspectum refectione abstinere. Huic ergo iam ab antiquo receptæ honestæque consuetudini se accommodans Iudith, etiam ipsa festos dies & sabbatha hilariùs transigebat. In Græco dicitur, etiam *ante sabbathis & ante neomenis* à ieiunio abstinuisse. Quia dies illi pridiani, licèt festi non essent, nisi sub vesperam: quia tamen vel sic videbantur iam tum aliquid festi habere, ideo etiam illis diebus ieiunia minùs admittebat mos publicus; à quo noluit *Iudith* familiã suam dissentire. Cur verò Ecclesia Christiana à primo sui exordio, prorsus contrario Iudæis ritu, præceperit, iisdem duobus illis *sabbathi & ante sabbathi* diebus ieiunari, *Dominico* verò die non ieiunari, originem & causas vide apud Baronium & Bellarminum.

R. Moys. l. 3. de Temp. cap. de sabbatho, & c. de ieiunio. Hieron. in Isaiæ 15. Socrat. Eccl. hist. l. 7. c. 23.

Baron. anno Christi 57. & 58. Bellarm. l. 2 de bonis operibus c. 18. & seq.

℣. 15. NON QVASI HOMO, scilicet vanè & inaniter, solis sæpe verbis aut vultu, SIC DEVS COMINABITVR, & AD IRACVNDIAM INFLAMMABITVR] Sed reipsa quoque infliget quæcumque iratus minatur, nisi, vt sequitur,

℣. 16. HVMILIEMVS ILLI ANIMAS NOSTRAS] seu humili pœnitentia & pœnarum deprecatione nobis illum propitium reddamus.

℣. 27. NON VLCISCAMVR NOS] Id est, non irascamur, non obloquamur, non indignemur, quasi volentes nos vlcisci de Deo ob flagella quæ patimur.

℣. 31. PROBATE] non discutiendo, sed ratum & gratum habendo. Id est, *approbate*, quando quidem quod facere decreui, non minùs *ex Deo est*, seu ex Dei instinctu, quàm fuit oratio hæc mea, quam *cognoscitis Dei esse*, & vltrò fatemini, à Deo mihi suggestam esse.

℣. 32. EXEAM, pro *exibo*, CVM ABRA, id est ancilla, MEA] est enim appellatiuum, (a) non proprium nomen. Sed ex Græco hîc vers. 9. patet, *ancillam* fuisse non vulgarem, sed *quæ omnibus illius facultati-*

(a) *Gen. 24. v. 61. Exodi 2. v. 5. & Esther 2. 4. 5. vbi latinè est* ancilla, *græcè semper est* abra.

hus totique familiæ præposita erat.

CAPVT IX.

Iudith cinere & cilicio sese affligens orat Deum pro nouo robore, quo prosternat Holofernem, & ab illius tyrannide patriam liberet.

℣. 2. DEVS PATRIS MEI SIMEON, QVI DEDISTI ILLI GLADIVM IN DEFENSIONEM, id est vltionem, (b) ALIENIGENARVM] (puta Sichem & Hemor & complicum) propter Dinam violentè constupratam. Quomodo factum hoc Simeonis ac Leui, & Deo ascribi possit, vti hic adscribit Iudith, & nihilominus iustè reprehensum, & meritò punitum fuerit à patriarcha Iacob, dixi Genesis 34.

(b) *Sup. c. 1. v. 12.*

℣. 4. ET ILLA POST ILLA, id est, alia post alia exempla tuæ vindictæ, COGITASTI præbere, seu decreuisti exhibere. Parat enim viam Iudith ad Pharaonis exemplum proponendum.

℣. 9. CONTI sunt hastæ oblongæ, venabula, &c.

℣. 11. Per CORNV designatur gloria & maiestas *altaris* seu sacrificiorum, quæ in altari offerebantur Deo.

℣. 13. LABIA CHARITATIS suæ vocat blandiloqua labia, è quibus verba elegantia & ad *charitatem* seu amorem allicientia profluunt. An ergo intendit vel optauit Iudith pellicere Holofernem ad libidinem? Respondeo, Nullo modo; vt patet ex cap. seq. v. 4. sed solùm intendit & optauit pellicere illum ad amorem sui honestum & castum, quo v. g. poterat Holofernes prosequi Iuditham vt futuram coniugem. Et licèt probabilibus coniecturis præsciret, illum non ad castum, sed ad turpem amorem pellectum iri; quia tamen id non ex natura facti Iudithæ, sed vitio ipsius Holofernis futurum erat, & Iuditha iustissimas haberet causas faciendi quod faciebat, putà ad liberandam patriam suam, & fugandos hostes; poterat negatiuè seu merè passiuè se habere ad peccatum Holofernis, & eo non obstante, curare modis omnibus vt is ad sui amorem pertraheretur. ita ferè S. Ambrosius & Doctores scholastici. Et placuisse hoc eius factum Deo, patet ex eo, quòd singulari modo eidem cooperatus sit, vt habes cap. seq. vers. 4. Sed subdit Iudith:

Ambr. l. de Viduis.

℣. 16. NON IN MVLTITVDINE EST VIRTVS TVA] Idem agnoscebat *Asa* rex Iuda 2. Paralip. 14. v. 11. cùm Æthiopum *Zara* decies centena armatorum millia in Iudæam duxisset. Idem etiam *Artabanus*, licèt Gentilis, inculcabat *Xerxi*, pluribus adhuc millibus dum Græciam peteret, stultè glorianti, *Ingens*, inquit, *exercitus ab exiguo profligatur, quoties Deus iis quos detestatur, aut metum aut tonitruum incutit.*

Herod. l. 7

℣. 17. DE Dei MISERICORDIA PRÆSVMERE tum in malam partem quis potest, quando illi soli inniti vellet, aliis omnibus quæ Deus simul requirit, neglectis. In bonam verò partem, quando adhibitis adhibendis, ob nullam vel rei difficultatem, vel postulantis indignitatem, diffidit de potentia & bonitate Dei. Et sic facit hîc Iudith; & suprà c. 6. v. 15. fecerunt etiam reliqui Bethulienses.

℣. 18. DOMVS TVA, seu templum, IN SANCTIFICATIONE TVA, id est, in religione & cultu tui, quo solo verè sanctificatur, PERMANEAT.

CAPVT

CAPVT X.

Iudith pulcherrimè exornata exedit Bethuliâ cum vna ancilla, & ab exploratoribus deprehensa ducitur ad Holofernem, qui mox eius formâ capitur.

℣.3. VNXIT SE MYRO, id est vnguento, OPTIMO] quia admodũ delectante. ita Plin. MITRA capitis ornamentũ est, inquit S. Hieronymus, quod Itali *cuffia*, Galli *coiffe* vocant. Nempe fascia byssina gemmis & bracteolis aureis tremulisque collucens.

Plin. l. 13. c. 1. 2. 3. Hieron. in Isaiæ 3.

LILIA, græcè ψέλια, vocantur *armillæ*, vel colli ornamenta, specie & forma liliorum contexta.

℣. 5. ASCOPERA est saccus vtricularis & coriaceus, ex ἀσκὸς, id est vter, & *pera*, id est saccus seu marsupium.

POLENTA est farina hordeacea, vt dixi 1. Regum 17. v. 17.

PALATHÆ sunt ficus, seu pingues caricæ. Vide Plinium. Cur verò proprios ipsa cibos secum detulerit Iudith, explicat ipsamet cap. 12. v. 2. Quia, nempe, putabat per legem diuinam non licere tibi vesci de cibis Gentilium. vti & Daniel eiusque socij, Danielis 1. v. 8. eò quòd Gentiles solerent pleraque sua esculenta & poculenta, quibusdam deorum suorum imprecationibus contaminare, etiam in macello: vnde suspecta erant omnia Iudæis, inquit Theodoretus.

Plin. sup. c. 5.

Theod. l. 3. hist. c. 14.

℣. 12. FVGI A FACIE Hebræorum, QVONIAM FVTVRVM AGNOVI, QVOD DENTVR VOBIS IN DEPRÆDATIONEM] Liranus, Abulensis, S. Thomas, Emanuel Sà, Mariana, & quidam alij, putant Iudith in decursu historiæ huius sæpiùs mentitam esse, sed officiosè, & in bonum patriæ. Quod, teste S. Augustino, multi veterum, etiam post] Christum passum, secuti Platonem putarunt sine peccato licuisse. Sed hoc meritò refutat S. Augustinus toto libro quem de *mendacio* conscripsit. vbi & negat mentitam fuisse Iudith, & idem negant Rabanus, Glossa, Carthusianus, Hugo & Serarius. Et certè, cùm ex v. 4. huius capitis constet, facta hæc *Iudith*, & omnem *compositionem* ipsius, vtique non solarum vestium, sed & totius, tragœdiæ, quam præ manibus habebat, *ex virtute pependisse*, & ideo speciali Dei fauore & ope *ampliatam* fuisse ac promotam: cùm rursus ipsa cap. 13. v. 20. disertè affirmet quòd *sine pollutione peccati* custodita fuerit: & cap. 11. v. 16. *hæc* ipsa quæ exponit Holoferni, fateatur sibi *dicta per prouidentiam Dei*: & v. 4. promittat, se *nihil falsi enunciaturam*: & possint omnia quæcumque dixit, sano & vero sensu, quantum est ex mente loquentis, exponi: vt deinceps ostendam: & certum sit, ipsam ius habuisse vt non adeò simpliciter & apertè cum Assyriis ageret, sed veritatem prudenter ipsos celaret; non video qua ratione pia laudataque ab omnibus matrona meritò possit (absit debeat) mendacij redargui, imò tot mendaciorum rea constitui. Ergo quod primo loco hîc dicit, *se fugisse ab Hebræis*, idem est, atque celeriter ab eis abscessisse, vel fugientis instar ad Assyrios transiisse. Secundò addit, *Futurum agnoui, quòd dentur vobis in depræ-dationem*, scilicet viâ naturali & ordinariâ, & nisi præter communem rerum ordinem Deus quasi è machina succurrat, & malum istud præpediat. Tertiò, *Vadam, vt indicem secreta illorum*, nempe de extrema siti & fame Bethulienſium, & aliis quæ seq. cap. exponit Holoferni.

Liran. hic. & Sà, & Mariana. Abulensis in Exod. 1. S. Tho. 2. 2. quæst. 110. art. 3. ad 3.

℣.16. DVXERVNTQVE ILLAM. In Græco addi-

A tur, *cum ancilla sua, iunctoq; curru, & centum virorum* præsidio, AD TABERNACVLVM HOLOFERNIS, ANNVNTIANTES EAM adesse; græcè, *annuntiauerunt ei de ipsa*. Et addit, *ipsius* interim *pulchritudinis famâ, totis è castris ad eam videndam concurrisse* quamplurimos, omnesque *formam* illius *stupuisse*. Et cùm ex ipsa cõiecturam facerent de reliquis omnibus Hebræis, dixisse tum mutuò inter se, tum ad ipsum Holofernem, *meritò pro tam decoris mulieribus* pugnandum aduersus Hebræos. Neque hoc solùm, sed & *non expedire, vel virum vnum ex Hebræis residuum fieri*, seu viuum relinqui, *quia si qui dimittantur* viui, *poterunt vniuersam terram decipere*, id est, illecebrosâ feminarum suarum formâ totum terrarum orbem in fraudem ac perniciem pellicere. Denique subiungit, Holofernis prodromos, *qui apud ipsum* in interiori aula *dormiebant, & omnes famulos eius* aulicos foras *prodijsse*: tandemque & ipsum *Holofernem in proscenium*, seu tentorij vestibulum, maximo fa-

B stu *progressum, cui argentea lampades* seu candelabra *præferebantur*: & sub nobilissimo *conopæo*, quale hîc describitur, se Iudithæ visendum præbuisse. Est verò *conopæum* cortina sursum in conum acutum desinens, inferiùs in rotundum expansa, parui instar tentorij. Quales cortinæ lectis castrensibus induci solent, vulgò *Pauillon*.

CAPVT XI.

Iudith ab Holoferne rogata, causam exponit aduentus sui: promittit certam victoriam: laudatur non modò à pulchritudine, sed & à sapientia: & vicissim maxima illi præmia promittuntur.

℣.4. PERFECTAM REM FACIET DOMINVS TECVM] Id est, bellum hoc perfecta & gloriosa victoria citò concludet Deus. Quod per deditionem vel expugnationem Hebræorum putabat futurum Holofernes: sed Iudith intellexit id

C fore per necem Holofernis, & cædem ac fugam Assyriorum.

℣. 5. VIVIT ENIM NABVCHODONOSOR] Iurandi formula Hebræis & Gentilibus vsitatissima, de qua Genesis 42. v. 16. q.d. Tam verè quàm viuit Nabuchodonosor; tuque Holofernes, in quo præcipuè viget potentia Assyrij imperij, tam vera sunt quæ loquar. nempe, vos non solis hominibus dominari, sed & bestiis. Item

℣.6. INDVSTRIA ANIMI, BONITATE morum, POTENTIA armorum, & DISCIPLINA militari te omnibus præcellere, notum est OMNI SECVLO, id est toti mundo, vt est in Græco.

℣.8. DEVM PECCATIS Hebræorum OFFENSVM, PER PROPHETHAS MANDASSE dici POPVLO, QVOD TRADET EVM hostibus. Quod verissimum esse docuerunt decem tribus nuper in Assyriam abductæ: & ex residuis duabus tribubus non

D pauci quotidie nouis, vt fit, sceleribus prouocabant in se nouam iram (*a*) Dei.

a 4. Reg. 17. v. 18. 19. & c. 21. v. 13.

℣. 11. Siti cogente, decreuerunt BIBERE SANGVINEM PECORVM SVORVM] Lege id expresè vetante. (*b*) In Græco additur, *etiam vetitis lege carnibus, aliisq; cibis vti decreuisse* Bethulienses, *& super hac re Ierosolymam misisse, qui huius rei licentiam à senatu afferrent*. Nam Ierosolymis residebant qui *Sanhedrin* seu *magnum Synedrion* constituebant, à quo, si quæ certis casibus necessariæ viderentur, legum quarumdam solutiones, siue dispensationes peti debebant, vt monet apud Iosephum ipse legislator Moyses.

b Leuit. 17. v. 10. Deut. 12. v. 16. & c. 15. v. 23.

Ioseph. l. 4. Antiquit. c. vlt.

℣.12. ET SANCTA DOMINI] Id est, consecrata Deo, putà primitias & decimas: quæ cùm Deo sacrè es-

cræ essent, non poterant à laicis vel manu contingi: iam tamen etiam ore absumere statuerunt, contra expressum legis suæ (a) mandatum. Et verisimile est, non paucos priuatim & clàm, etiam nondum obtentâ Ierosolymis facultate, similia patrasse, aliaque his similia & peiora: propter quæ meritò punitum eos, imò *perditum* iri prædicere potuit Iudith, nempe, si Deus pro meritis quemque perdere velit.

a *Deut.12. v.6.7.17.*

¥. 15. EGO ADDVCAM TE PER MEDIAM IERVSALEM] Triumphabundum putauit Holofernes, sed triumphatum ac iugulatum intelligebat Iudith. Quod factum, cùm caput tyranni secum in triumphali curru per vrbem Ierosolymam, & fortè per Iudæam quoque vniuersam, circumduxit.

ET HABEBIS OMNEM POPVLVM ISRAEL, SICVT OVES QVIBVS NON EST PASTOR] cùm nempe, occiso Holoferne, Iudæi nullo seruato ordine Assyrios huc illuc fugientes palantesque persequentur, & castra diripient.

ET NON LATRABIT VEL VNVS CANIS CONTRA TE] putà iam mortuum, cùm desines omnibus esse molestus. Sic enim partim ironicè, partim amphibologicè, partim propheticè exposita veritati per omnia quadrant. Quamquam & in proprio verborum sensu, & vt ipsimet interpretabantur Assyrij, potuerunt hæc omnia à Iudith cum veritate promitti, sed conditionatè, & secundùm præsentem rerum statum. Si nempe noluerit Deus peculiari prouidentia & ope statum præsentem commutare. Nam tunc ad litteram certissimò euentura erant, quæcumque hîc promittuntur Holoferni.

CAPVT XII.

In loco thesaurorum Holofernis excipitur Iudith: toto quatriduo permittitur sibi, & ieiunio, & orationi vacare, & noctu quoque foras, quoties vellet, egredi: quarto demum vespere in eodem cœnaculo cum Holoferne, sed alia in mensa, conuiuatur; quando Holofernes amore Iudithæ inflammatus vino totus inebriatur.

¥. 2. NE VENIAT SVPER ME OFFENSIO] græcè scandalum. Id est, ne, dum vescar cibis lege mea vetitis, offendiculum seu peccatum aliquod ex eo esu suscipiam; (vt dixi c. 10. v. 5.) atque ita impediam ne per me possit confici quod Deus in publicum bonum per me facere decreuit.

¥. 7. BAPTIZABAT SE IN FONTE, qui erat in valle Bethuliæ, cuius *aquæductum* seu canalem c. 7. v. 6. præciderat Holofernes, & Bethulienfibus aquam subtraxerat. In hoc fonte, ritu Iudaico manus pedesque abluebat Iudith, vt mundaretur à profanatione seu immunditia si quam forsan ex consortio Gentilium contraxisset. Nam Iudæis omnibus solemne erat baptizari, teste S. Marco, cùm vel *à foro*, vel ex alio loco publico, ad quem Gentiles etiam conueniebant, domum rediret, vt ea lotione purgarentur ab immunditia, si quam fortè ex contactu alicuius Gentilis contraxissent. Iudith verò iam in medio Gentilium morabatur, ideoque noctu, si quam fortè labem incurrisset, ablui volebat: saltem honestum hunc Iudaicæ religionis ritum prætexuit, vt absque suspicione posset nocturnis horis foras extra tentorium ad fontem, quoties vellet, prorepere, & liberè per castra transire.

Matt. 7. v. 3. & 4.

¥. 9. ET à fonte regressa, in tentorium suum INTROIENS, munda à consortio & conuictu Gentilium MANEBAT ieiuna, & orationi intenta, IN TABERNACVLO SVO VSQVE AD VESPERAM] Sanè oportet illa Assyriorum castra, disciplinamque militarem, adeoque & Holofernis familiam vtcumque probam fuisse, in qua talis formæ & elegantiæ puella (sic enim vocabant Iuditham) totò quatriduo, etiam nocturnis horis illæsa & intacta vagari quocumque vellet, liberè posset: neque esset vel ex gregariis militibus, vel ex principibus, qui formæ tam excellenti apud se, suaque in potestate positæ vim aliquam pararet: vel noctu saltem ad preces & baptismata exeuntem insidiosè captaret. Sed neque Holofernes, cuius dominatui omnia subiacebant, voluit aliâ viâ, quàm precum & blanditiarum, ipsam sibi demereri.

¥. 10. QVARTO DIE HOLOFERNES FECIT COENAM SERVIS SVIS] Et, vt in Græco est, *solùs* seruis seu domesticis suis: nempe excluſos voluit proceres omnes, quò liberiùs posset Baccho & Veneri se totum mancipare, & pro voto cum sola Iuditha deliciari.

ET DIXIT AD VAGAO] Græcè est Βαγώας, quo nomine apud Persas designabatur is *eunuchus* qui præ ceteris in aula dominabatur, teste Plinio, Quin & Alexandro Magno suus erat nequissimus *Bagoas*, & Herodi etiam suus, vt scribunt Curtius & Iosephus. Porrò Holofernes hoc Bagoa suasore & perductore, obtinuit à Iuditha vt volens lubensque ad se cœnatum veniret, sed in alia mensa, vicina tamen mensæ Holofernis, in tapetio humi ante Holofernem strato, cui Iuditha insidebat, vt est in Græco. Cùmque frequentibus blanditiis Iuditham Holofernes ad genialem vitam prouocaret, & ipsa ex composito non minùs blandè responderet prouocanti, contigit vt oblitus sui Holofernes vsque eò se vino ingurgitaret, vt prorsus à mente dimoueretur; atque ita iugulandi sui potestatem Iudithæ plenam & pro voto daret.

Plin. l. 13. c. 4. Curt. l. 10. Ioseph. l. 17. c. 3.

CAPVT XIII.

Ebrij Holofernis caput acinace præscindit Iudith, & Bethuliam defert ad suos conciues, & omnes ad Deo gratias agendas hortatur: ipsa verò ab omnibus benedicitur & laudatur. Achior viso capite Holofernis pene exanimatur.

¥. 4. HOLOFERNES IACEBAT IN LECTO] nempe vino nimio mersus obrutusque penitus, designati cum Iuditha flagitij & immemor & impos, cùm neque mente, neque pedibus consistere, *in lectum* non iuit, sed *cecidit*, vt ait Græcus: qui & addit, præmonuisse Iudith tam eunuchum *Bagoan* dum ostia obseraret, quàm *abram* suam, se more suo, etiam illa ipsa nocte, foras ad orandum & lauandum egressuram: quare iussit ancillæ, vt tantisper præ foribus staret, & egressum suum obseruaret. Mox Iudith

¥. 8. Cùm breui & quasi *eiaculata* in cælum oratione (sic vocat S. Augustinus) opem à Deo postulasset, PVGIONEM Holofernis EXOLVIT à COLVMNA LECTVLI EIVS] Græcus *acinacem* fuisse dicit, seu *ensem Persicum*, qui quia breuior esse solet, teste Iosepho, Curtio & Diodoro, propterea *pugio* hic vocatur.

Ioseph. l. vlt. Antiquit. c. 7. Curtius l. Diodor. l.

¥. 10. PERCVSSIT BIS IN CERVICEM EIVS, nempe *totis viribus*, vt addit Græcus: ET ABSCIDIT CAPVT EIVS, & abscissum inuoluit parti *conopæi* à columnis detracte. ET CORPVS TRVNCVM, seu cadauer, EVOLVIT] id est è lecto deiecit in terram, vt patet ex cap. seq. v. 14. Nempe volebat vt ingressuris manè in cubiculum, statim in oculos incurreret cadauer, neque celari posset cædes ducis, sed innotesceret

teſceret è veſtigio totis caſtris, quæ volebat hac viâ turbari, tumultuari & diſſipari.

℣.11. POST PVSILLVM, deterſo ſi quid adhæreſceret cruoris, & gratiis Deo pro felici ſucceſſu humillimè actis, reſerato oſtio EXIVIT, CAPITE HOLOFERNIS immiſſo IN PERAM ANCILLÆ SVÆ] quâ *cibos* antè *attulerat*, vt ait Græcus. de qua dixi c.10.v.5. O quàm lætum Bethulienſibus & toti Iudææ cibum hac ſuâ perâ defert ancilla Iudithæ! At illi

℣.15. SPERABANT, id eſt timebant, EAM IAM NON ESSE VENTVRAM] ob nimias moras de reditu deſperantes. *Sperare* enim pro *timere* vſurpauit etiam Virgilius, vt & ἐλπίζειν Herodianus, Sophocles, Thucydides, teſte Serario, & alij.

Virgil. 4. Æneid. Herodian. l. 8.

℣. 20. CVSTODIVIT ME, & quoad animum & quoad corpus, ANGELVS Domini: quicumque is demum fuit, ſeu cuſtos mihi proprius; ſeu publicus Synagogæ Iudaicæ præſes *Michael* (vti nunc præſes idem eſt Eccleſiæ Chriſtianæ, quod docent S. Hieron. Theodoret. & auctor Operis imperfecti:) ſeu quicumque alius è principibus aulæ cæleſtis. Per eum, inquit Iudith, ego conſeruata ſum à peccato, & vos omnes ab hoſte teterrimo liberati. Cuſtodiæ & tutelæ angelicæ exempla habes in S. Cæcilia, SS. Iuliano & Baſiliſſa, & aliis apud Cæſarium.

Hieron. in Daniel. 10. Theod. ibid. Auctor Imperf. homil. 48.

Cæſar. l. 8. c. 42.

℣.25. PRO QVIBVS (hebraiſmus eſt, pro *eo quòd*) NON PEPERCISTI ANIMÆ, id eſt vitæ, TVÆ.

℣.29. ÆSTVAVIT ANIMA] Græcè *defecit*, ſeu *exſolutus eſt ſpiritus*, id eſt, deliquium animi paſſus eſt *Achior*, mox vt vidit caput funeſtum Holofernis. Quomodo enim credidiſſet id fieri poſſe, præſertim feminea manu?

CAPVT XIV.

Achior ad fidem veri Dei convertitur & circumciditur. Iudæi ſuſpenſo capite Holofernis de muro Bethuliæ, irruunt in Aſſyrios: qui compertâ cade Holofernis, incredibili timore atque animi turbatione concutiuntur.

℣.2. NON VT DESCENDATIS DEORSVM, putà ad veram & ſeriam pugnam: SED QVASI IMPETVM FACIENTES] ſeu impreſſionem in proximas hoſtium ſtationes ex compoſito parantes. q.d. Nolite vos ſeriò pugnare, ſed ſimulate tantùm. Vnde in Græco eſt, *Quaſi deſcendentes, & non deſcendetis*. Nolebat enim venire Iudæos ad manus cum Aſſyriis priùs, quàm mors Holofernis totis caſtris percrebuiſſet, & animos omnium conſternaſſet. Tum demum tempus eſſe irruendi, cùm deſtituti capite & conſilio & animo fugam pararent.

℣.6. TVNC ACHIOR CREDIDIT DEO, ET prima opportunitate CIRCVMCIDIT, ſed aliena manu, CARNEM PRÆPVTII SVI, ET, relicta gente ſua Ammonitica, APPOSITVS, ſeu aggregatus, EST AD POPVLVM ISRAEL] De circumciſione vide Geneſis 17. Sed numquid Ammonitæ ex poſteris erat Loth, qui veriſimiliter vnà cum Abraham patruo ſuo circumciſus eſt? Et docet Origenes, Cyrillus, Euſebius & alij, pleraſque Orientalium nationum circumcidi ſolere, putà Phœnices, Arabes (in Arabia verò degebant Ammonitæ) Ægyptios, Æthiopes, Chaldæos, Saracenos. Reſpondeo, rarum id erat, & omnibus illis liberum, vt dixi Gen. 17. v. 14. Et vt initio viguerit fortè hæc cerimonia apud poſteros Loth, ſucceſſu tamè temporis, vti à fide veri Dei, ſic ab hac pia quidem, ſed dura, conſuetudine deflexiſſe videntur. Sed alia ſupereſt quæſtio de noſtro *Achiore*, quo iure aggregetur hîc populo Iſrael, & iure ciuium donetur, cùm Deut. 23. v. 3. diſertè vetarit Deus, ne vmquam *Ammonitis* id beneficij præſtetur *in æternum*? Reſpondeo, id Achiori conceſſum propter inſignem ipſius coram Holoferne profeſſionem potentiæ & prouidentiæ diuinæ, aliaque inſignia merita, propter quæ potuiſſe in ea Deuteronomij lege diſpenſari, ibidem dixi, & exemplis probaui.

Origen. in ad Rom. 2. S. Cyrill. l. 9. cont. Iulian. Euseb. l. 9. de Præpar. Euang. c. 4.

℣.10. VIRTVS ASSYRIORVM, ſeu potentia & maieſtas Aſſyriaca, ſumitur pro eo in quo eſt & reſidet illa potentia & maieſtas, putà pro ipſo *Holoferne*. Sic & nos *Regem* ipſum vel *Ducem* ſolemus vocare *Suam Maieſtatem*, *ſuam Celſitudinem*, *ſuam Excellentiam*.

℣.12. EGRESSI MVRES DE CAVERNIS SVIS] Hoc ſarcaſmo deridebant etiam olim Philiſthæi Hebræos 1. Regum 14. v. 11. Sed hi mures pòſt paulò facti ſunt leones: vel, ſi mauis, mures iſti proſtrauerunt Aſſyrios Nabuchodonoſorianæ ſuperbiæ elephantos, vt patebit cap. ſeq.

CAPVT XV.

Cade ducis ſui perculſi Aſſyrij, relictis caſtris, gazis, impedimentis omnibus, in effuſam fugam ruunt, ſed ab Hebræis vndique inſequentibus & occurrentibus miſerrimè cæduntur. Caſtrorum ſpolia totis triginta diebus vix exhauſta poſſunt. Decantatur omnes Bethulienſes. Iudith à ſummo pontifice totoque populo laudatur, benedicitur, & omnibus quæ Holoferni propria fuerant, condecoratur.

℣.2. ITA VT NVLLVS LOQVERETVR CVM PROXIMO SVO] Panicus ſanè terror, ſed Numinis prouidentiâ multùm auctus. *Nec* tamen *adunati* fugiebant, ſed ſociis quoque ſuis diffiſi, ſingulares & diſperſi, atque ita opportuni iniuriæ, palantes horſum, iſtorſum ſine ordine ferebantur, nulloque negotio paſſim cædebantur. Porrò quantum terroris ſoleat inopina cædes ducis afferre etiam integris ac potentibus caſtris, docuit caput *Aſdrubalis* à Romano *conſule* reſectum, & ante ſtationes *Hannibalis* fratris ejus proiectum. Item *Halis Baſſæ* iam nuper in nobiliſſima *Ioannis Auſtriaci* ad Naupactum victoria, deſectum & malo nauis præfixum caput, vt graphicè deſcribit Io. Baptiſta Lambertinus in fine ſui Theatri regum Hiſpaniæ.

℣.4. DEBILITABANT, pro mactabant, OMNES. Nam vtrumque ſignificat Chaldæum *chalas*. חלש

℣.7. ONVSTATI] pro onerati. Sed Mariana legendum putat, *honeſtati*. Græcè eſt, *ditati ſunt valdè*.

℣.9. IOACIM, qui c.4. v. 11. *Eliachim*, SVMMVS PONTIFEX, CVM VNIVERSIS PRESBYTERIS, ſeu ſenioribus, fortè qui de *Sanedrim* erant: nã Græcus dicit, *cum Ieroſolymitano ſenatu*, VENIT VT VIDERET IVDITH, ſimulque ei de victoria gratularetur: ipſam etiam Ieroſolymam deduceret ad publicas in ſacratiſſimo Iſraelis loco gratias Deo agendas, vt dicitur cap. ſeq. v. 22. nempe poſt collecta diuiſaque Aſſyriorum ſpolia: quæ cùm plurima eſſent, vtpote ex plurium ditiſſimarum vrbium, imò prouinciarum & regnorum, opibus in vnum corraſa, totos triginta dies occuparunt Iudæos. Quibus exactis, Ieroſolymam itum eſt eo apparatu & pompa, quem Noſter v. vlt. breuiter perſtringit, ſed Græcus fuſiùs exponit. *Concurrerunt*, inquit, *omnes feminæ Iudææ, & fecerunt ipſi Iudithæ*, ſeu in honorem Iudithæ, *choros* triumphales, *coronantes tam ipſam, quàm abram eius, coronis oleaginis*: reliquæ verò matronæ & puellæ cum *thyrſis in manibus* præeun-

A tem *Iudithan sequentes, ducebant choreas cum organis & citharis, & sequebantur omnes viri armati, coronis* rediniti, *hymnos* concinentes, &c. Vbi figurā habes *processionum* à Christianis institui solitarum, cum aliqua etiam vestium, florum, ramorum, musicæ, cereorum, subinde & armorum & chorearum pompa. Debent enim Creatori laudando creaturæ omnes, quoquo modo fieri potest, subseruire. De *oleaginis coronis* multa Petrus Faber. De *thyrsis* Iosephus: *Apud Iudæos lex est, quemlibet in scenopegia, thyrsos* seu ramos *ex palmis & citriis habere.* Et horū meminit lib. 2. Esdræ c. 8. v. 16. Et Baccho consecrati erant à Gentilibus, teste Virgilio, Dionysio & aliis: & inde prouerbium, *Thyrsigeri multi, Bacchi pauci.*

Pet. Faber l. 2. Agonist. c. 22. Ioseph. l. 13. c. 21.

Virg. eclog. 5. Dionys. in Periegest.

Nota, solemnem hanc & festiuam processionem Iudithæ Ierosolymam cum celebri tum mulierum, tum virorum comitatu, non hac sola vice, sed quotannis deinceps, imò sæpiùs quotannis, iterari consueuisse, vt dicitur cap. seq. v. 27.

CAPVT XVI.

Epinicion canit Iudith. Populus holocausta offert Deo in gratiarum actionem pro tanta victoria. Iudith plena dierum moritur. Et dies victoriæ ipsius perpetuò celebrari iubetur.

℣. 2. INCIPITE, supple psallere, DOMINO.

℣. 4. QVI POSVIT CASTRA SVA, id est cæleste præsidium & auxilium, IN MEDIO POPVLI SVI Israelitici.

℣. 5. VENIT ASSVR, seu exercitus Assyriorum, a *Item* 1. AB AQVILONE, vnde *pandetur* (a) *omne malum super omnes habitatores terræ.* Nam *Iudææ* comparatione *Assyria* partim ad *ortum*, partim & magis ad *Aquilonem* seu *Septemtrionem* est.

℣. 7. DOMINVS AVTEM NOCVIT EVM] Græcismus est, pro *percussit eum.* Et sic etiam loquitur Plautus in Milite, actu 5. Sed qua manu percussit? C

℣. 8. NON FILII TITAN PERCVSSERVNT EVM] id est *excelsi gigantes*, vt mox sequitur. Porrò *Titanes*, secundùm fabulas Gentilium, sunt *dæmones subterranei*, inquit Hesiodus, seu *quos contra superos deos irata terra in vltionem effudit.* Vnde Seruius vult *Titanes* dictos ἀπὸ τῆς τίσεως, id est ab *vltione.* Sed mox à Ioue deuicti, in tartara deiecti sunt, vt Virgilius describit. Et videtur hæc fabula sumpsisse originem ex historia & gestis gigantum ante diluuium, de quibus Genesis 6. v. 4.

Hesiod. in Theogonia.

Virgil. l. 6. Æneid.

Petes, An ergo S. Scriptura fabulas narret aut probet? Respondeo, nequaquam. Nam nomen *Titanum*, etsi à Gentilibus applicetur ad fabulosos illos terræ filios, generatim tamen vsurpari solet pro quibusuis vastæ & proceræ staturæ hominibus, id est, pro omnibus gigantibus. Et quia nomen hoc nobis notius & familiarius est, vtpote quod cum lacte combibimus; & vsu perpetuo didicimus; idcircò noster Interpres illo potiùs, quàm alio minùs noto vsus est, & alias subinde utitur. v. g. Threnorum 4. v. 3. pro *draconibus* seu *immanibus monstris*, vt est in Hebræo, Noster *Lamias* vertit. Et idem subinde solent etiam LXX. Interpretes facere. v. g. Iob vlt. v. 14. vbi in Latino est *cornu stibij*, ipsi LXX. habent *cornu Amaltheæ.* Simile est de Arcturo, Orione, & aliis. Ergo *filij Titanum* hîc sunt qui Hebræis dicuntur *filij Raphaim*, id est *filij gigantum*, hominum robustissimorum & bellicosissimorum, id est, ipsi *gigantes.* nam per indolem parentum designatur indoles filiorum. Itaque non manu gigantæa prostratus est Holofernes, sed feminea, puellari & imbelli dextera.

S. Hieron. in 3. Amos v. 8

℣. 13. QVANDO armati ARPERVERVNT. HVMILES antè ciues MEI Bethulienses, ARESCENTES præSITI] Id factum initio c. 15. vbi dicitur, Assyrios compertâ cæde Holofernis, in effusam fugam actos metu instantium Hebræorum.

℣. 14. FILII PVELLARVM, id est parui pueri, & teneriores adolescentuli, quales solent esse qui matres habent iuuenculas; COMPVNXERVNT EOS gladiolis & cultellis suis, & pæne inermi manu OCCIDERVNT EOS.

℣. 17. MISISTI SPIRITVM TVVM, id est, *vocem* oris tui, vt sequitur, id est, præcepisti, ET MOX CREATA SVNT omnia.

℣. 18. MONTES MOVEBVNTVR, seu transferentur quocumque vult Deus, VNÀ CVM AQVIS, quas quasi in sinu perpetuò fouent, adeò vt ne guttula quidem reliqua maneat in priori loco. Et PETRÆ SICVT CERA LIQVESCENT, si tantùm iusserit Deus. Metaphoricè significantur superbi, præ- B fracti & duri homines, qui vnà cum opibus, cum seruitiorum gregibus, cum exercituum suorum millibus, Deo iubente funditus exscindentur, tabescent, exterminabuntur.

℣. 20. IN DIE IVDICII] Id est, quando vt iudex voluerit quemque iudicare, & pro meritis punire: & præsertim in extremo mundi totius iudicio.

℣. 21. DABIT ENIM IGNEM ET VERMES IN CARNES EORVM] Idem habes Ecclesiastici 7. v. 19. & cap. 10. v. 13. Isaiæ vlt. v. 24. & Marci 9. v. 46. &c. Et potest intelligi partim de metaphoricis, partim de propriè dictis *igni & vermibus*, tum in hac, tum in futura vita. Nam in *inferno* propriè dictum *ignem* esse, communis est Theologorum (b) sensus. b *In 4. dist. 50.* Et de *vermibus & nidibus & sulphure* idem docent S. Hieron. S. Augustinus, Liranus, Carthusianus, Glossa interlinearis, Abulensis, Haymo, Ribera, Serarius, & teste Maldonato etiam Chrysostomus, Theophylactus, & multi alij, vt inquit Suarez. Et confirmatur, quia vocantur *vermes carnis*, ergo erunt carnei. Et hanc fœdam sensuum pœnam promerita fuit fœda carnis concupiscentia. Sicut carnis maceratio & mortificatio in Beatis promereretur oblectationem corporalem sensuum externorum in cælo per suauissima mixta, quæ sensus omnes mirificè oblectabunt.

Hieron. in Iob 24. Aug. 21. de Ciu. c. 9. Lir. Carthus. Glossa hic. Abulens. in Matth. 25. q. 553. Haymo in Isaiæ 66. Ribera in Apoc. 19. Serarius in Iudith vlt. q. 2. Maldon. in Marci 9. Suarez in 3. p. tom. 2. disp. 56. sect. 3.

℣. 22. MOX VT PVRIFICATI SVNT, ab immunditia ex cæde Assyriorum & contactu cadauerum contracta. Nam, vt insinuatur Numeror. 31. v. 24. *lauanda* erant & *corpora* & *vestimenta.*

℣. 23. ANATHEMA OBLIVIONIS, vocatur donum *sepositum*, & æternùm dicatum Deo, ad arcendam beneficij accepti obliuionem: & hebraicè dicitur *cherem.* Quamquam in nullo exemplari D Græco reperiatur hæc vocula, *obliuionis.* Vnde suspicor à Vulgato positum, *oblationis*, quod deinde in *obliuionis* commutatum sit.

℣. 24. ERAT POPVLVS IVCVNDVS SECVNDVM, seu ante, FACIEM SANCTORVM] id est, coram templo Domini, vel coram tota Synagoga seu collectione Iudæorum.

℣. 28. MANSIT, græcè consenuit, Iuditha IN DOMO VIRI SVI Manassis ANNOS CENTVM QVINQVE] seu vsque ad annum vitæ suæ *centesimum quintum.* Vt in simili dixi Exodi 12. v. 40. Addit Græcus, Iuditham, *antequam moreretur, diuisisse substantiam suis & viri sui cognatis.* Vnde colligitur, liberis caruisse. Quo magis admiranda illius *in viduitate* constantia v. 26. Denique

℣. 30.

¥.30. IN OMNI SPATIO VITÆ EIVS NON FVIT QVI PERTVRBARET ISRAEL, ET POST MORTEM EIVS ANNIS MVLTIS] Videtur quadragenaria fuisse præter propter, quando ceruices Holoferni præcidit. Quod puto contigisse secundùm nostrum Latinum textum anno 11. sed secundùm Græcum anno 16. regni Manassis. ex quo superuixit Iudith annos 65. Res verò Israeliticæ manserunt quietæ & pacatæ totis exinde 73. vel 78. annis, nempe vsque ad mortem Iosiæ regis Iuda. Vide Chronicon.

LIBER ESTHER.

AVCTOR eius Mardochæus, vt dicitur c. 9. v. 20. & c. 12. v. 4. videtur tamen ipsa quoque Esther quædam inseruisse: cùm id in Græco textu ibidem disertè affirmetur. Scriptus est primùm hebraicè, & à S. Hieron. inde verbotenus in Latinum translatus: à LXX. in Græcum: ab aliis in alias linguas.

Hieron. in prafat. in Esther.

De nouem prioribus capp. & initio 10. vsque ad v. 4. quia in Hebræo reperiebantur, nullum fuit vmquam dubium. Sed reliqua etiam huius libri residua prorsus canonica esse, docet S. Hieronymus, Athanasius, Origenes, Ruffinus, Cyrillus, S. Augustinus, Hilarius, Innocentius I. Alcimus, Concilium Laodicenum, Carthaginiense III. & nouissimè Tridentinum: citanturque passim vt canonica ab vtroque Iosepho & à SS. Patribus, quos recensent Bellarminus, Serarius & alij. Extant etiam in in editione LXX. Interpretum, & olim etiam extabant in veteri Vulgata, non seorsim, vt modò in nostra Latina; sed suis quæque locis inserta, ordine seruato historiæ. Nam S. Hieronymus suo demum tempore, quòd illa hebraicè non reperiret, seiunxit à reliquis, & ad calcem libri reiecit.

Hieron sup. Athan in Synops. Origen. in psal. 1. & apud Euseb. l. 6. Hist. c. 25. Ruffin. in Symbol. am. Cyrill. catechesi 4. August. l. 2. Doct. Christiana c. 4. Hilarius in psal. 1. Inn. I ep. 3. Alcim. ad fororem. Conc. Laod. can. 59. Carth. III. can. 47. Trid sess. 4. Bellarm. de verbo Dei l. 1. c. 7. a S. Hier. sup. Canis. l. 1. de b. V. c. 2. & l. 5. c. 23. Delrio in Floridu Mariani, in psalm. Assumpt. Euard. Genebr. in 3. Esdr. Carion in Chronico. Osiander &c. Herod. l. 4. & 7.

Argumentum libri est depressio Vasthi & Amani: exaltatio Esther & Mardochæi; & liberatio Iudæorum. Allegoricè, Christus per Assuerum. B. Virgo Maria vel Ecclesia per Estherem: pij cuiusque anima per Mardochæum: diabolus, mundus, caro per Amanum & Vasthi designantur. Vide (*a*) S. Hieron. Petrum Canisium, & Martinum Delrio.

CAPVT I.

ASsuero ad potentiæ & gloriæ suæ ostentationem toto semestri splendidissimum celebrante conuiuium, regina Vasthi accersita venire recusat, ideoq; repudiatur.

¥. 1. IN DIEBVS ASSVERI] Putà Darij filij Hystaspis, tertij Persarum monarchæ. Ita Megasthenes, Ammianus, Rabbi Salomon, Ioan. Benedictus, Liranus, Feuardentius, Cornelius à Lapide; & ex hæreticis Carion, Lucas Osiander, & alij. Et patet ex 3. Esdræ 3 v. 1. & 2. Vbi quod hîc de amplitudine imperij *Assueri* dicitur, idem prorsus totidem verbis de Dario Hystaspis affirmatur. Et patet Secundò, ex ætate Mardochæi hîc cap. 2. v. 6. qui alioqui nimis longæuus, & multò maior centenario fuisset. Tertiò, quia Dario Hystaspis soli ab Herodoto tribuitur subactio Indorum. Denique quòd cap. vlt. huius libri v. 16. Assuerus hic agnoscat, beneficio Dei Israel tráditum sibi, suisque maioribus, & conseruatum imperium, optimè conuenit cum voto quod fecit Deo cæli Darius Hystaspis, vt obtineret regnum, 3. Esdræ 4. v. 43. & narrat Iosephus, & ad amussim quadrat cum edicto eiusdem Darij de instaurando templo Ierosolymitano, 1. Esdræ 6: Nec quemquam mouere debet, quòd hîc vocetur *Assuerus*: nam hoc commune erat nomen omnium regum Medorum, sicut *Artaxerxes* omnium regum Persarum. Vtriusque verò regni, & tot aliorum regnorum rex erat *Darius Hystaspis*: vnde & *Artaxerxes* vocatur hîc cap. vlt. v. 1. Vide quę dixi de proprietatibus Hebraicis.

¥. 2. SVSAN REGNI EIVS EXORDIVM FVIT] quia in ea Persidis metropoli solemnissimè coronari voluit, anno ab electione sui tertio. Sicut Imperator Romanus primò, Francofurti; secundò, Aquisgrani; tertiò, in Italia coronari solet: & tum demum dicitur incipere perfectè suum imperium. Sic *Darius* anno regni sui tertio, relictis aliis aliorum regnorum sedibus regiis, in Susan voluit públicè inaugurari & coronari, exhibito per integrum semestre nobili epulo, quod hoc cap. describitur. Est verò *Susan* vrbs ad *Choaspen* fluuium, situ amœnissimo: sic dicta à *lilio*, quæ istic plurima. Ita Athenæus, Eustathius, Lexicon magnum & alij. Nam Persis, Phœnicibus & Hebræis *Susan* vel *Sussanna* significat *lilium*. Vnde & vnguentum *Susinum*, cuius præcipua materia de *lilio* est, teste Hesychio & Plinio. (*b*) Sic *Rhodus* à rosa: *Florentia* à floribus

Athenæus l. 12. Eustathius in Dionysium, de Situ orbis. Hesych. in verbo Σούσινον b Plin. l. 13. c. 1.

ribus dicta. Idem Plinius(a) dicit *Susan conditam* ab hoc *Dario Hystaspis*, id est, vt Ælianus explicat, valdè amplificatam, lautiùs ædificatam, nouisque palatiis & regia sede ornatam. Nam, teste eodem Æliano, Herodoto, Strabone & Cassiodoro, *Memnon* Titoni filius, primus eius conditor fuit, quem dicunt; illigatis hinc inde auro lapidibus eam exædificasse: & ab eius nomine *Memnoneam* dictam fuisse. Beniaminius dicit, palatij *Assueri* in *Susan*, etiam hodie superesse non exiguas partes verè admirandas. Bòderianus ex Iudæorum opinione putat, eam esse quæ hodie *Taurus* nominatur, & Magni Sophi Persarum Imperatoris regia sedes est.

a *Plin. l. 6. c. 27. Ælianus de Anim. l. 13. c. 18. & 59. Herod. l. 5. Strabo l. 15. Cassiod. l. 7. epist. 15. Beniamin. fol. 78. Itinerarij. Boderian. in suo Syro-Chaldæo. Ionius l. 14.*

¶. 6. LECTVLI AVREI] non ad dormiendum, sed ad epulandum. Licèt enim more iam nostro solerent etiam prisci sedibus vti & assidere mensæ, vt patet ex Genesis 43. v. 33. Philone, Athenæo, Homero & alijs; postea tamen mollitie & luxu inualescentibus cœperunt Persæ, Græci, Romani, Iudæi, & pæne omnes Orientales, vti accubitu ad mensam, hac ferè formâ: Accumbebant reclinata supera parte corporis in cubitum sinistrum, infera in longum porrecta & iacente in lecto, capite leniter erecto, dorso puluillis fulto. In singulis lectulis accumbebant terni vel quaterni, ita vt eius qui summus accumberet pedes pone secundi dorsum porrigerentur: & secundi post tertium. Rursus eius qui secundus accumberet occiput ad vmbilicum aut pectus primi obuersum esset, & sic deinceps. Atque ita Ioannes in sinu Christi, vltimâ cœnâ recubuit: & Christus pedes suorum Apostolorum lauit ac tersit. Et quia ferè bini aut terni erant in singulis cœnaculis lecti, hinc *Triclinium*, *Biclinium*: inde etiam *Thori*, *Thoralia*, *Discubitus*, *Accubitus*, *Accubitalia*, apud Ciceronem, Athenæum, Senecam, Virgilium. Vide Manutium & Lipsium.

Manut. libello de Accubitu. Lipsius l. 3. Antiquar. lection. c. 1.

MIRA VARIETATE PICTVRA PAVIMENTVM DECORABAT] nempe opere insititio, seu *musiuo*, vel *mosaico*, ex lapibus diuersicoloribus tam concinnè iunctis, vt picturam etiam nobilissimæ manus subinde mentiantur. Testis Florentia, Roma, Neapolis, vbi plurima eiusce generis vidi sanè elegantissima.

¶. 9. VASTHI REGINA quæ fuerit incertum. Suspicatur Serarius, sororem fuisse ipsiusmet *Assueri* regis, idque ex fratris ipsius Assueri *Oudisti*, & parentis *Hystaspis* nominibus vtcumque affinibus *Vasthi*: itemque ex Persarum consuetudine, quâ cum sororibus, vt in Cambyse ostendit Herodotus, Curtius & Plinius; imò & cum filiabus nuptiæ permittebantur, teste Plutarcho.

Herod. in Cambyse. Curtius l. 8. Plin. l. 36. c. 8. Plutarch. in Artaxerxe.

¶. 10. Pro MAVMAM in Græco est *Aman*. An ille patibularius? Sed Hebræi volunt Amanem illum fuisse *Mamuchan*, de quo v. 14. & sequentibus. Et fieri potuit, vt improbo repudiandæ Vasthi consilio gratiam principis cœperit nanciscì.

SEPTEM EVNVCHIS] Id est, curialibus ministris, etsi non essent euirati, vt dixi Genes. 37. v. 36. Vnde Chaldæus hîc pro eunuchis habet *satrapas*.

¶. 22. VIROS, seu maritos, ESSE debere PRINCIPES AC MAIORES, seu dominos, IN DOMIBVS SVIS] nec famulos modò ac filios, sed & vxorem dominio mariti subiacere. Quod quia *Vasthi* recusasset, & thoro regio, & regia dignitate meritò excidisse.

CAPVT II.

In locum repudiatæ Vasthi reginæ surrogatur Esther: cuius operâ Mardochæus indicat regi Assuero insidias quæ regi struebantur à duobus palatij ministris. Hi in crucem aguntur: & factum hoc Mardochæi in regios annales refertur.

¶. 1. REX RECORDATVS EST VASTHI, exclusæ nuper vxoris, deturbatæ reginæ, tam speciosæ, tam gratiosæ. Fortè iam facti pœnitebat. Sed ne reuocaret sententiam, obstabat & facti illius indignitas, quo non sua modò, sed & omnium maritorum auctoritas læsa fuerat: & irreuocabile decretum Persarum, quo ipsa iam *passa erat* damnationem, & iussa exulare. Ergo quærenda alia quæ in locum surrogetur.

¶. 5. MARDOCHÆVS] Id est *amara contritio*, vel *myrrha contrita*. Iam redierat Ierosolymâ (vt tradunt Hebræi,) (a) quò cum Iesu & Zerobabele l. 1. Esdræ c. 2. v. 2. primo anno Cyri negotiorum causâ, & ad contribules suos animandos ad breue tempus excurrerat. Neque enim poterat diu ab aula regis abesse, cùm, vt hic cap. 11. v. 3. dicitur, *vir magnus* esset, *& inter primos aulæ regiæ*. Nempe, officium eius erat, vt hoc c. 2. v. 19. habetur, *manere ad ianuã regis*: quod solis regij corporis custodibus, qui è primis erant principibus, concedi solebat, teste Herodoto & Xenophonte. Et verò erat ex regia oriundus stirpe Mardochæus, putà ex familia *Cis*, vt hîc dicitur, & forsan ex posteris erat Saulis regis, per Ionatham & Miphiboseth.

a *Rabbi Aben-esra, & Ioseph. l. 11. Antiq. c. 4.*

Herod. l. 3. Xenoph. l. 1. Anabaseos.

¶. 6. QVI TRANSLATVS FVERAT] nempe Mardochæus, non in parente vel auo suo, sed in propria persona. Nam c. 11. v. 4. dicitur *Mardochæus* fuisse *de eo numero captiuorum, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis de Ierusalem cum Iechonia rege Iuda*. Vnde palàm fit, non potuisse hanc Estheræ historiam serius contingere quàm sub Dario Hystaspis. Vt dixi in Chronico.

Chron. c. 37.

¶. 7. NVTRITIVS FILIÆ FRATRIS SVI) in Græco est, *filiæ patrui sui*) EDISSÆ] Hebraicè & chaldaicè *Hadassa*, id est *myrtea*, ob eximiam pulchritudinem. Postquam verò adscita fuit in thorum regium vocata est *Esther*, quod Persicâ linguâ fortè idem sonat quod Græcum ἀστὴρ, & Germanicum *sterre*, putà *stellam*; eò quòd ipsa instar lucidioris *stellæ* præcelleret ceteris omnibus puellis regiis. Herodotus inter vxores Darij Hystaspis numerat præ ceteris *Atossan* & *Artystonam*, viduam illam Cambysis & Smerdis Magi, hanc virginem, ideoque etiam plus adamatam; vtramque filiam *Cyri*, vt ipse ait. Videat Lector, an istud nomen nõ possit quadrare in nostram *Esther*; & an pro filia *Cyri*, non debuerit poni filia *Cis*. Cùm enim constaret, Estherem esse filiam regis, & simul filiam, seu ex posteris, *Cis*, ignoti Persis, putarunt fortè filiam Cyri esse; & hoc inseruit chartis suis Herodotus.

Herod. l. 7.

¶. 9. EGEVS eunuchus PRÆCEPIT alteri eunucho inferioris ordinis, & sibi subdito, cui peculiaris incumbebat cura seruiendi Estheræ, VT ACCELERARET ei præ ceteris puellis omnem MVNDVM MVLIEBREM, v. g. torques, armillas, inaures, vnguenta, specula, tiaras, & cetera ad cultum corporis spectantia: ET TRADERET EI PARTES SVAS] Id est *dimensum* ciborũ & epulas, quæ de mensa regia singulis præbebantur, vt & adolescentulis illis Danielis 1. Verisimile quoque est, Estherem ab immundis cibis, qui Hebræis lege vetiti erant, tam ante quàm post nuptias regias abstinuisse exemplo eorum

eorumdem adolescentum. (a) Et facile erat delicatæ puellæ apud famulos sui amantissimos prætexere, se non oblectari his vel illis ferculis: & in tanto ciborum delectu nunquam deerat quo liceret vesci. Certè de idolothytis nunquam se gustasse, ipsamet affirmat c. 14. v. 17 & sequentibus.

a Dan. 1.

¥. 12. MENSIS DVODECIMVS VERTEBATVR, antequam pollet aliqua puellarum istarum parata esse pro thoro regio. Vide singulari beneficio accelerari iussum quidquid ad Estherem parandam requirebatur. Ut tamen quarto (b) demum à repudiata Vasthi anno, vices Estheræ, quantumcumque accelerata, adolescentulæ fuerunt.

b Hic v. 16.

¥. 16. DVCTA EST ITAQVE AD CVBICVLVM REGIS MENSE DECIMO TEBETH] quinti respondet nostro partim Decembri, partim Ianuar. Græcus dicit, ductum *mense duodecimo Adar*: sed exponendus est de solemni deductione ad nuptias regales, quæ binis circiter post annis accidit.

Nota, virgines istas omnes, cùm ad regem venirent, eius vxores fictas fuisse, sed mundos principales, vnde & concubinæ vocabantur, vt alibi dixi. Non ergo precauit Esther, illis se aggregando. Sed licitúmne erat Hebrææ virgini matrimonio copulari Gentili marito? Respondi Exodi 34. id hoc saltem casu licuisse, propter rationes ibidem allatas. Porrò ad regias *Estheræ nuptias* celebriores reddendas,

Genes. 25. v. 6.

¥ 18. DEDIT rex inter alia REQVIEM, id est immunitatem à quibusdam tributis, vt est in Græco, VNIVERSIS PROVINCIIS suis. Alioqui malè audierat Darius Hystaspis à rigidiore tributorum exactione, inquit Herodotus.

Herod. sup.

¥. 19. CVM SECVNDO QVÆRERENTVR VIRGINES] Nempe ad insatiabilem Assueri libidinem explendam; non sufficiebant tot concubinarum greges ex 127. prouinciis semel collecti: oportuit etiam secundò colligere: forsan collectæ fuissent iterùm tertiò & sæpiùs, nisi piis Estheræ monitis paulatim ad modestiam, vt credere fas est, deductus fuisse.

¥. 21. IRATI SVNT in regem DVO EVNVCHI, præsides custodum palatij regij. Iarum causam dicit Græcus, quod *Mardochæus* in officiis palatinis *prælatus illis esset* à rege. Hi duo eunuchi erant intimi Amani, imò consiliarij, inquit Iosephus Gorion, & qui rebus illius per omnia studerent, forsan & occiso Assuero, sceptrum ad Amanem transferre cogitarent. Vnde supplicium de illis sumptum, præcipua dicitur cap. 12. v. 6. causa fuisse tantarum irarum Amanis in Mardochæum, qui illos prodidisset.

Gorion. l. 2. c. 2.

CAPVT III.

Aman omnibus Medorum Persarumq; principibus antepositus à rege, cùm à Mardochæo Iudæo non adoraretur, omnes Iudæos internecioni dari postulat ab Assuero, & impetrat, & mandat.

¥. 1. AMAN, id est conturbans DE STIRPE AGAG, Amalecitarum regis à *Saule* capti, à *Samuele* confossi, 1. Regum 15. Ita vterque Iosephus, & Flauius, & Gorion, Hebræi omnes, & Thargum vterque; quorum alter ipsius etiam *Amanis* genealogiam ad *Esau* vsque deducit. Idem sentiunt Rupertus, Liranus & Caietanus. At LXX. hîc cap. 9. & Noster cap. 16. v. 10. & 14. *Macedonem* fuisse disertè affirmant: Sulpitius mauult *Persam* vocare. Quid si dicamus, maiores eius ex strage Amalecitarum profugos Macedoniam petiisse, indeque parentes Amanis paulò ante hæc tempora in Persidem demigrasse? Sic poterit ex omnibus illis gentibus verè prognatus dici Aman.

Rupert. l. 8. de Vict. c. 4. Caet. in 2. 2. q. 84 a. 2.

¥. 2. SOLVS MARDOCHÆVS NON FLECTEBAT GENV, NEQVE ADORABAT Aman. *Timebam enim* (inquit ipse Mardochæus infrà cap. 13. v. 13. & 14.) *ne, si superbissimum Aman adorarem, honorem Dei mei transferrem ad hominem.* Alioqui, si sola ciuili adoratione adorari voluisset, *libenter pro salute Israel, etiam vestigia pedum eius deosculari paratus fuisse.* Verùm cùm publicè constaret, eum diuinos sibi honores deposcere, non volui, non potui saluâ conscientiâ, signum aliquod talis honoris ei exhibere, *ne* cum scandalo plurimorum *quemquam adorarem, excepto Deo meo.* Et verò Persarum reges, sibi tamquam diis quibusdam, diuinos honores vendicasse, & alios quoque quos eximiè honoratos vellent, deferri iussisse; tot testimoniis & exemplis astruunt etiam Ethnici scriptores, Isocrates, Strabo, Heliodorus, Herodianus, Aristoteles, Seneca, Lampridius, Martialis, Curtius, &c. nullus vt dubitationi locus esse possit.

Isocr. in Panegyrico. Strabo l. 10. Heliod. l. 7. & 9. Herodian. l. 1 Aristot. 1. Rhetor. Seneca l 3: de Benefic. c. 12. l. 3. de Ira c. 17. Lamprid. in Alex. Severo. Mart. l. 10. epigr. 22. Curtius l. 5. & 8.

Petes, Qua ratione ergo licuit Mardochæo, Estheri, Esdræ, Nehemiæ, & tot aliis sanctis Iudæis agere cum regibus Persarum? An fortè numquam illos adorabant aut honorabant? Respondeo, Honorabant profectò, sed honore ciuili ac politico. Nam diuinos honores non sibi deposcebant isti reges quouis loco, quouis tempore, quauis occasione (nam id permolestum fuisset ac pæne impossibile:) sed in solis publicis solemnibusque actibus, cùm venditantes sese pro diis, diuinos petebant cultus; vti hîc in publico solemnique per vrbem progressu fiebat ab Amane: & id spargebatur vbique, & ipse palàm præ se ferebat. Alioquin in familiari conuictu, in quotidianis negotiorum vel animi causa congressibus, vt summum non nisi ciuilis honor & adoratio deposcebatur ac deferebatur. Et talem deferebant istis regibus Iudæi, quando cum ipsis agendum erat: fortè etiam numquam reges aliam ab ipsis deposcebant. Vide S. Thomam, & Caietanum, & Suarez & Vasquez.

S. Thom. 2. 2. q. 84. a. 1. & Cajet. ibid. Suarez de religione. Vasquez de adoratione.

¥. 7. PHVR] In Hebræo additur, *Ipsa est goral*, id est sors. Vtrumque est Hebraicum, vt optimè Fursterus ostendit. Vnde & dies Hebræorum festus *Phurim*, id est *sortium*, nempe is quo à funestis Amanis *sortibus* operâ Estheris & Mardochæi liberati sunt Iudæi.

פוּר

Fursterus in Lexico.

¥. 9. DECEM MILLIA TALENTORVM] scilicet argenti, vt est in Hebræo, Chaldæo & Græco. Id est, quinque milliones aureorum in specie, si de Atticis (c) talentis (vt probabile est) sit sermo: sin de Hebræis, dupla erit summa. Ingens certè vis pecuniæ, & quam verisimiliter ex præda Iudæorum collegisset: nam disertè iubebantur ministri regij *bona* Iudæorum *diripere*, vt hîc dicitur v. 13. Callido consilio defert eam summam Aman regi Assuero: nam sciebat, regem vtcumque ad rem attentum, nullo alio argumento detineri posse, quo minùs consentiret suæ petitioni de Iudæis simul omnibus iugulandis, quàm quòd ingens quotannis summa regiis prouentibus, ex tributo Iudæorum colligi consueta, deinceps deperiret. Huic malo medendo summam offert, quæ multorum annorum damnis instaurandis sufficeret, nempe ex spoliis eorumdem Iudæorum. Quòd si fortè rex seu pudore præpeditus, seu affectu in Amanem compulsus, oblatam summam non admitteret, in promptu esse sciebat,

c *Prolog. de Ponderib.*

sciebat, vt ea omnis in se vnum deuolueretur. Et ita accidit ex regis quidem animi sententia: sed quo minùs reipsa frueretur Aman, intercurrit è machina cælestis manus, quæ pessimi hominis pessima consilia in ipsiusmet caput retorsit.

¶. 10. TVLIT REX ANNVLVM DE MANV SVA, ET DEDIT EVM AMAN.] nempe ad omnia obsignanda quæcunque scripta, quæcunque facta vellet. Erat is annulus symbolum datæ potestatis, à rege proximæ. vt habes etiam Genes. 41. & 1. Machab. 6. & Tobiæ 1 in fine.

CAPVT IV.

Ob crudele regis edictum luget publicè Mardochæus & omnes Iudæi. Esther quoque regina cum suo gynæceo precibus toto triduo & ieiunio se dat ad exorandum Deum, vt ingressura ad regem cum vitæ suæ periculo, (quia non vocata) possit per eum cladem Iudæis impendentem depellere.

¶. 1. IN PLATEA MEDIÆ CIVITATIS] Id est, in foro seu loco patente publico, vt dixi 3. Reg. 20. v. 34.

VOCE MAGNA CLAMABAT MARDOCHÆVS] Quid clamarit explicat Græcus, nempe populum innocentem, qui nihil improbi commiserit, tolli de medio. Videri posset quibusdam valdè insolens hic publicus luctus & clamor viri tantæ dignitatis, & è primis aulæ regiæ principibus, vt vidimus cap. 2. v. 5. Sed erat mos iste apud Persas magnis in malis vsitatissimus, vt Herodotus & Curtius ostendunt.

Herod. l. 3. & 8. Curtius l. 4. & 5.

¶. 2. NON ERAT LICITVM, INDVTVM SACCO, seu cilicio, AVLAM REGIS INTRARE] Nempe, ne quid triste aut miserabile incurreret in oculos regis. Sic in Iosaphati & Barlaam historia narrat Damascenus, à palatij limine, à regis oculis communes etiam humanæ naturæ miserias arceri iussas, vt nullus mendicus, æger, senex, cæcus, claudus, aliúsve id genus malis obsitus videri à rege posset.

¶. 3. CRVDELE REGIS DOGMA] id est, decretum seu edictum. Simili modo vsurpatur Actorum 15. v. 16. & apud Demosthenem, Iosephum & alios.

¶. 11. ATRIVM REGIS, seu regiarum ædium, *duplex* erat, teste Plutarcho, Xenophonte, Philostrato & alijs. Vnum *exterius*, in quo satrapæ morabantur, de quo cap. 6. vers. 4. licèt ibi vocetur *interius* atrium, respectu plurium aliorum exteriorum, in quibus fatui, & vxores quoque regis degebant. Alterum ergo ex ijs quæ regi propria erant, *interius atrium regis* vocabatur, & erat auro vndiq; tectum, & in eo distinctum quoddam spatium aulæis pretiosissimis circumdatum, quod c. 5. v. 1. vocatur *basilica*, & *consistorium palatij*: in Hebræo, *domus regni*. In illo atrio thronus erat aureus, in quo rex, dum externos admitteret, residebat aureo in manu sceptro: coruscabantque auro & gemmis omnia, pænè vt Oui diana *solus regia*. Vide c. 15. v. 9. & præter suprà citatos auctores etiam Æschylum, Dionem Chrysostomum & Iosephum Gorionidem.

Plutarch. in Themistocle. Xenophon l. 8. Philost. l. 2.

Æschylus in Persis. Dion Chrysost. orat. de regno. Gorion. l. 2. c. 4. Herod. l. 1. & 3. Ammian. l. 14. Xenoph. l. 7. Athen. l. 12. Iosephus Flau. l. 14. 15. 16. Ant. Gorion. sup.

HOC ATRIVM si quis NON VOCATVS INTRAVERIT, ABSQVE VLLA CVNCTATIONE STATIM INTERFICIATVR] Hunc in finem, inquit Flauius Iosephus, *circumstabant* perpetuò *regem* lictores cum *securibus* & aliis spiculis, *ad eos qui inuocati venissent, plectendos*. Ita lege cautum erat apud Persas, inquit Herodotus, Ammianus, Xenophon, Athenæus. Addit vterque Iosephus, eam legem ab hoc ipso Assuero latam fuisse, & quidem, vt nonnulli alij volunt, *Amani* instinctu, ne quâ viâ vlli pro Iudæis rogaturo pateret. Sic enim solent subinde quidam aulici potentiores, omnia ad regis oculos & aures itinera intercludere & obsepire. Prout de Comite Candidiano aliisque palatinis ad Ephesinam Synodum à Theodosio missis, refert tom. 5. Baronius. Rupertus dicit, Amanem legis huius suasorem regi fuisse, non vt tum primò ferretur, sed vt olim lata seuerè seruaretur. Et præter causam præsentem Iudæorum, quæ tum mouit *Amanem*, addit & aliam, quæ primos mouit legis eiusce latores, nempe *vt persona regis occultaretur sub specie Maiestatis* non omnibus pro libitu accessæ: *putaretur q; aliquid habere plus homine, nec vilior fieret ex vsu publica visionis*. Idem de regibus quibusdam Sinarum Nicolaus Trigautius, & de quibusdam aliis narrat Damianus Goes.

Rup. l. 8. de Vict. c. 10.

Trigaut. in Hist. Sinēsi. Goes in suâ Legatione.

CAPVT V.

Esther contempto vitæ periculo, non vocata ingreditur ad regem, à quo demum comiter excepta postulat vt cum Amane ad suum veniat conuiuium: quo impetrato, rogat vt & secundò cum eodem veniat. Interim Aman indignatus se à Mardochæo non honorari, crucem illi parat.

¶. 1. DE *basilica*, & *consistorio palatij contra ostium*, id est è regione portæ quâ in basilicam ingrediebatur, dixi cap. præced. v. 11.

¶. 2. PLACVIT ESTHER OCVLIS regis, Placuit certè, sed non primò statim ingressu: nam, vt dicitur cap. 15. v. 9. & seq. rex visâ Esthere, *terribilis aspectu, & ardentibus oculis furorem pectoris indicabat*. Nempe putabat, illam reginæ libertatem ad suæ maiestatis contemptum spectare, nimiæque vel arrogantiæ esse, vel audaciæ. Ita Iosephus Gorionides, qui addit, regem ægrè admodum tulisse, quòd regina vltrò irrepens, violasset legem suam. Forsan & è vestigio, eam satellitibus obtruncandam dare cogitabat: cùm metu perculsa Esther, linqui cœpit animo, & spiritu destitui. Sed rex (cuius cor extemplò mutauit Deus) reginæ suæ periculo territus, è solio desiliens, suis labentem vlnis excepit, vt ibidem narratur.

Gorion sup.

¶. 3. ETIAMSI DIMIDIAM PARTEM REGNI PETIERIS, DABITVR TIBI] Reges vt magnifici & liberales viderentur, sic loqui solebant. Vt etiam in *Herode* patuit, Matthæi 14. & in *Xerxe* apud Herodotum, à quo *aurum*, quidquid vellet, petere iussa *vrbes, thesauros & exercitum* petiit & impetrauit.

Herod. l. 9.

¶. 8. VENIAT REX ET AMAN etiam CRAS] Magnæ prudentiæ fuit in Esthere, non statim sua vota pandere. Primò, quia consultum non erat in circumfusa satellitum & aulicorum turba, genus suum, gentemque, patriamque euulgare. Secundò, aberat initio *Aman*, & accepto nuntio forsan elabi potuisset. Tertiò, propensum in se regis animum nouâ subinde morulâ, magis magisque stabilire, quin & augere studebat. Quartò, obseruat Liranus, Esthere solum semper *Amanem* cum rege inuitasse, vt apud reliquos optimates maiorem inuidiam subiret. Quintò, addi posset, ideo Esthere voluisse præsentem adesse Amanem, vt palàm regi faceret se candido sinceroque animo ad hostem suum accusandum venisse, vtpote quem vellet coràm adesse, & facinus quâcumque vellet aut posset, viâ excusare. Longè aliter quàm solent viles animi, qui quos exosos habent, clàm & furtiùs apud principes accusant, cauentque studiosè (quia cau-

sæ sus

sæ suæ plerumque diffidunt) ne vel accusator innotescat vel accusato locus purgandi se detur.

CAPVT VI.

Ex annalibus innouatâ regi Assuero memoriâ detectarum olim per Mardochæum insidiarum quas eunuchi regi struxerant, iubet ipsum regius honoribus affici, idq; per Amanem iuratum & capitalem ipsius hostem.

¶. 1. NOCTEM ILLAM DVXIT REX INSOMNEM] si non totam, saltem postremam illius partem. Neque id ex corporis inualetudine aut dyscrasia, vel nimis animi curis, sed Numinis solius prouidentiâ, vt aiunt LXX. & Iosephus. Vbi aduerte Primò, quàm mirabiliter oculus ille qui numquam dormit, & omnia gubernat, afflictis desperatisque, vt videbatur, Iudæorum rebus adesse & subuenire contendat, præter opinionem, præter exspectationem omnium. Secundò, mirum, tantum monarcham, cui tot suppetebant voluptatum illecebræ, tot vxores, tot concubinæ tot psaltriæ, & musurgi, qui noctis molestias pellere possent, nihil horum omnium adhibere voluisse, sed pro omni suo solatio *historiales* & *annales* popposcisse. Sed sapiebat profectò ille supra vulgus, sciebatque historias iucundissimam viro cordato oblectationem, & maximam ad res gerendas prudentiam, multiplicemque vtilitatem suppeditare, teste Liuio, Cicerone, Diodoro, Eusebio & aliis.

Liuius initio Decadis 1. Cicero 2. de Orator & 2. de Finib. Diodor l. 11 Euseb. l. 4. Vita Constantini c. 13.

¶. 3. NIHIL OMNINO MERCEDIS ACCEPIT] Atqui cap. 12. v. 5. dicitur, *Præcepit* Mardochæo *rex, vt in aula palatij moraretur; datis ei pro delatione muneribus.* Respondeo, Munera quædam leuiora donata fuerant Mardochæo, sed quæ non respondebant meritis ipsius, vnde nec *merces* vocari poterant tanti meriti, multò minùs *præmium* vel *bonos*, de quibus solis rex interrogabat. Verisimile quidem est, regem iuxta notam satis celebremque Persarum gratitudinem, de qua Herodotus, etiam tunc temporis de condigno honore, præmio ac mercede Mardochæo decernenda cogitasse: sed operâ *Amanis*, qui ægerrimè ferebat istorum eunuchorum per Mardochæum detectorum supplicium, vt dixi in fine cap. 2. id omne vel impeditum, vel astutè dilatum primò, dein etiam obliuioni prorsus traditum fuisse.

Herod. l. 4.

¶. 4. INTERIVS ATRIVM] Hebraicè & chaldaicè vocatur *exterius*. Sed vtrumuis dici posse, ostendi cap. 4. v. 11. nempe diuerso respectu.

¶. 7. QVEM REX HONORARE CVPIT] nempe singulari modo, & pro insignibus meritis.

¶. 8. DEBET IMPONI SVPER EQVVM, QVI DE SELLA REGIS EST] Id est, iubeatur per vrbem regiam deuehi solemni pompa, & eodem quo rex comitatu, eodemque equo cui rex insidere solet, eodem diademate, &c. nempe paria cum rege ornamenta testentur, talem non solùm à rege secundum esse, sed parem regi, & quasi alterum regem. Porrò *diadema* dicit Curtius, fuisse *insigne purpureũ, albâ fasciâ* & pretiosis lapidibus *distinctum: & cidari* seu *mitræ* capitis erat intextum: vnde subinde pro ipsa cidari vsurpatur apud Iustinum & Diodorũ. Neque vlli præter regem, licebat *diademari*, inquit Liranus: sicut neque coronari. Quod intellige, nisi rex singulari vellet alicui, tamquam alteri sibi, id honoris indulgeri: vt hîc Mardochæo indulsisse, patet ex hoc versu & cap. 8. v. 15. Pergit Aman:

Curt. l. 3. c. 4. Iustin. l. 10. Diod. l. 16.

¶. 9. EQVVM manu ducat PRIMVS DE TYRANNIS] Hebraicè, *satrapis*, seu *regiis principibus*, vt præcessit. Nam sic olim vsurpabatur ea vox, *tyrannus*: quæ postea propter abusum potestatis, ad eum solum designandum abhiberi consueuit, qui iniustè ac violentè dominatur.

¶. 10. SVMPTA STOLA, id est veste regia, ET EQVO regio, vtique *& regio diademate*: nam mox sequitur: CAVE NE QVIDQVAM DE HIS, QVÆ LOCVTVS ES, PRÆTERMITTAS] Sic à matutino pæne diluculo, ferè vsque ad conuiuij tempus, coactus est superbissimus Aman vice stratoris fungi, & fræno equi arrepto deducere per vniuersam vrbem regiam iuratum suum hostem Mardochæum, & tamquam domino ac regi suo deseruire, adeoque & præconis instar, laudes illius & merita vbique intonare. O quantum modesto Mardochæo decus! quantum tyranno arrogantissimo dedecus! *Deponit potentes* quando vult *Deus, & exaltat humiles.*

Sed Nota, quàm ad omnia regum istorum iussa paratos esse quoslibet principes oportuerit, cùm hic omnium primus ac supremus in re tam ardua, tam sibi probrosa, non ausus sit aduersus subitum regis imperium, vel verbum vnum commutare.

¶. 12. OPERTO CAPITE] Nempe solent tristes & irati pallium capiti obuoluere, quasi non ferentes intuentium se conspectum.

CAPVT VII.

Esther in conuiuio regem iam exhilaratum interpellat pro sua & populi totius Iudaici vita, & Amanem accusat: quem rex eâdem horâ è sublimi cruce, ab illo parata Mardochæo, publicè suspendi iubet.

¶. 4. NVNC AVTEM HOSTIS NOSTER EST, CVIVS CRVDELITAS REDVNDAT IN REGEM] id est, non sat illi fuit, nobis nocuisse; voluit etiam in te, ô rex, crudelitatem suam redundare. Nam si solùm in seruos & ancillas commutati fuissemus, ingens prouentus ex opere manuum nostrarum tibi regi obueniret; neque ego, charissima tibi vxor, à tuo latere necessariò diuellerer: nam posses etiam tum meis, licèt ancillæ, complexibus frui pro voto. Sed iam cùm iubeamur omnes ad vnum iugulari, perire tibi vult prouentus istos omnes, & te quoque priuare conatur optatissimo complexu meo. Non poterat prudentissima Esther telo magis acuto ferire cor regis, reginæ suæ & opum appetentissimi.

¶. 8. REPERIT rex Amanem SVPER LECTVLVM epularem CORRVISSE; IN QVO accumbentium more IACEBAT ESTHER] cuius genua comprehendebat Aman, & supplex fiebat reginæ, inquit S. Athanasius. De *lectulis* vide quæ dixi cap. 1. v. 6.

Athan. in Synopsi.

STATIM OPERVERVNT FACIEM EIVS] scilicet ministri regij. Nam moris erat, inquit Aben-Esra, vt cui rex iraceseeretur, eius statim vultum ministri obnuberent, quasi indignus foret qui regem aspiceret. Sed Gretserus mauult, Amani, tamquam iam iam crucifigendo, caput de more obnubi, & faciem velari iussam, iuxta antiquum & ferale carmen, de quo Liuius & Tullius, *Caput obnubito, infelici arbori suspendito.*

Gretser. de Cruce l. 1. c. 21.

¶. 9. DIXITQVE HARBONA: EN LIGNVM, QVOD PARAVERAT MARDOCHÆO, QVI LOCVTVS EST PRO REGE, id est, pro regis salute, prodenti paratas insidias. Hic eunuchus missus fuerat c. 5. v. 8. ad Amanem, vt ad conuiuium Estheræ properaret, & tunc patibulum domi Amanis viderat, & Mardo-

Mardochæo paratum, ex aliquo domesticorum intellexerat, inquit Iosephus.

℣.10. SVSPENSVS EST ITAQVE AMAN] & quidem clauis affixum fuisse, extra dubium esse dicit Gretserus. Porrò crux quidem illa 50. cubitorum, domi Amanis erecta fuerat Mardochæo: sed iam iussu regis videtur inde exempta, & ante portas vrbis fixa fuisse, vt habetur infrà cap. 16. v. 18. & in Græco c.8. prorsus vti idem Darius lege sanxerat, 1. Esdræ 6. v. 11. *Tollatur lignum de domo eius, & erigatur, & configatur in eo.* Sic in fossam cecidit miser quam Mardochæo pararat. *Neque enim lex iustior vlla est, Quàm necis artifices arte perire sua:* vt ait Sulmonius & Claudianus, & confirmant exemplis *Thrasij* & *Perilli*, quorum ille à Busiride primus in ferali ara excarnificari; iste à Phalaride primus in candenti suotauro mugire iussus est. Tertium addit S. Paulinus de Euthymio, qui eodem carpento, quo Episcopum decreuerat auehere, ipse in exilium abreptus & deuectus fuit. Erat porrò apud Persas in more, vt, cùm quis criminis alicuius reus agebatur, bona illius facta omnia simul & mala conferrentur, teste Herodoto & Diodoro, & si quidem præponderarent bona, liberari iubebatur; vt Sandaci & Tiribazo accidit: sin mala, plecti debebat, vt Amani hîc factum, cuius scelera multis millibus præponderabant. Sed an talis circa ipsum comparatio instituta fuerit, non ausim affirmare.

Gret. sup. c.19.

Sulmonius l.1. de Arte. Claudian. l. in Eutrop.1.

Paulin. in vita S. Ambros.

Herodot. l.7. Diodor. sup.

CAPVT VIII.

Suffecto Mardochæo in locum Amanis, Esther à rege postulat & impetrat vt ferales Amanis litteræ de iugulandis vbique Iudæis irritentur, & noua in ipsos Iudæorum hostes conscribantur. Vnde maxima vbique lætitia.

℣.1. DEDIT REX ESTHER REGINÆ DOMVM AMAN] non vacuam aut inanem, sed omnibus Amanis facultatibus, omni supellectili, omni instrumento instructam, simulque omnes opes, thesauros, fundos, possessiones, quas vsquam ille habuerat, prout LXX. explicant & Iosephus. Porrò hanc donationem vers. seq. transfert Esther in Mardochæum.

ET MARDOCHÆVS INGRESSVS EST ANTE FACIEM REGIS] id est, ad intimam regis consuetudinem familiaritatemque admissus est. Hoc enim est videre faciem regis. Et eâdem metaphorâ dicuntur *angeli semper videre faciem Patris* cælestis, Matth. 18. vt ibidem explicat Maldonatus.

℣. 2. TVLIT QVE REX ANNVLVM, QVEM AB AMAN RECIPI IVSSERAT, ET TRADIDIT MARDOCHÆO] Symbolum hoc erat dignitatis Amanis iam translatæ in Mardochæum. Vnde & vestibus regiis, & corona aurea decoratus dicitur v. 15. & *princeps palatij* vocatur c.9. v.4. & secundus à rege c.10. v.3. Vbi LXX. dicunt, Mardochæum *successisse regi*, nempe vt vicarium: & Iosephus, *simul cum rege gubernasse imperium. Ad tantam* verò *dignitatem voluit Deus euehi Mardochæum*, inquit S. Hieron. *vt sicut* olim *in Iosepho*, Genesis 41. *&* recèns *in Daniele*, cap. 2. *sic* iam *in Mardochæo haberent captiui & exules Iudæi solatia, videntes hominem gentis suæ* nunc *Ægyptiorum esse principem*, nunc *Chaldæorum*, nunc *Persarum.*

Hieron. in 2. Dan. sub finem.

℣.5. VETERES AMAN LITTERÆ] Inuidiosum fuisset vocare *regias litteras*: nam illæ erant, more Persico *irreuocabiles*, vt insinuatur hîc v. 8. & expressè affirmatur c.1. v.19. & exemplis docet Diodorus. Quare Esther ferales illas, quas abolitas volebat, non *regis*, sed *Amanis* litteras vocat, vt, cùm illas reuocaret rex, non suum, sed *Amanis* edictum reuocasse videatur. Et ità affirmat ipse rex cap. 16. v. 17. Missæ ergo sunt nouæ litteræ

Diod. l.14. vbi de Charidemo, &c.

℣. 9. ETIAM IVDÆIS, PROVT LEGERE POTERANT] Nempe, singularum litterarum regiarum, quæ ad præsides & præfectos singulatum prouinciarum mittebantur lingua cuique prouinciæ propria, exemplar vnum lingua Hebraica mittebatur ad Iudæos ibidem degentes, vt scirent quid illis contineretur. Quin &

℣.11. IMPERAVIT REX, VT veredarij seu cursores, qui litteras regias quaquauersum deferebant, primò & ante omnia CONVENIRENT IVDÆOS PER SINGVLAS CIVITATES] nec nisi cum illorum scitu ac placito traderent litteras magistratibus: vt sic nullus ignorantiæ locus esse posset, cùm, poscentibus postea Iudæis opem militarem ad obruendos delendosque hostes suos, ipsi fortè dissimularent sibi tale quid à rege præscriptum fuisse. Addunt hîc LXX. & Latinus infrà c. 16. v. 19. Iudæis insuper regio edicto concessum, *vt suis ipsi legibus vbique viuerent.* Quod vnicè semper optarunt Iudæi, & ab omnibus aliarum quoque gentium regibus, vbicumque degerent, obtinere conati sunt, inquit Iosephus.

Ioseph. l.11. 12.16.17. Antiq.

CAPVT IX.

Iudæi hostes suos eodem, quem ipsi Iudæorum cædi præstituerant, die passim trucidant, & decem filios Aman è patibulis suspendunt. Et dies plurim, seu sortium, 14. & 15. mensis duodecimi Adar perpetuò solemnes & festiuos esse iubent.

℣. 10. PRÆDAS DE SVBSTANTIIS EORVM TANGERE NOLVERVNT] neque in Susan, neque vllo alio loco, licèt edicto regio potestas vbique facta esset Iudæis spolia hostium diripiendi, c.8. v.11. Nempe, palàm facere voluerunt, se non opes, sed solam vitam & incolumitatem optare. Et ne dici posset, propter fortunas suas aliquem innocentem iugulatum fuisse, prudenter ab omnium fortunis sibi temperarunt. Ah, quàm sæpe Christianos milites, adeoque & ipsos duces, præda nimiùm excæcat!

℣.13. ET DECEM FILII AMAN IN PATIBVLIS SVSPENDANTVR] Nempe iugulati fuerant hoc ipso die, & verisimiliter in publico theatro: atque ita cædes hostium Iudæorum ab Amanis filiis, tamquam primitiis cœperat, qui ad eum vsque diem, per nouem circiter menses in carcere & vinculis detenti fuerant.

Dices, cap. 16. v.18. in litteris quibus iubentur omnes prouinciarum omnium præsides auxilio Iudæis esse, ad cædendos condicta die suos hostes, dicit rex, *Amanem & omnem cognationem eius ante portas Susan pendere in patibulis.* Atqui litteræ istæ missæ sunt nono mense ante promiscuam hanc cædem, vt dicitur c.8. v.9. Quomodo ergo ad tempus promiscuæ huius cædis adseruatos dicimus decem filios Aman? Respondeo, Quia ibi per *cognationem* Amanis, non filij, sed *cognati* & alij similes propinqui intelliguntur. Nam si etiam filij in patibulis tunc suspensi fuissent, hoc ipsorum filiorum nomen, ad rei exaggerationem expressum fuisset. Iam verò voluerunt Iudæi filios tyranni tantisper in vinculis detinere, vt postmodum maiori pompa, ab illis tamquam primitiis, vt dixi, publicæ cædis initium fieret. Atque ita factum constat ex hoc loco. Postridie tamen quàm iugulati essent, cadauera trucida-

trucidatorum patibulis affixa sunt, partim ad maiorem contumeliam, partim ad seueriùs longiusque duratutum exemplum.

¥. 16. *Pro animabus suis*, id est pro vita sua, à paratis hostium seu insidiis, seu violentia in posterum vindicanda, atque in tuto locanda, *steterunt Iudæi*] & fortiter constanterque egerunt, occidendo à quibus sibi iure metuere poterant.

¥. 17. *Quæque sustinuerunt* Iudæi ab Amane eiusque complicibus: *& quæ deinceps immutata sunt*, versa sorte in ipsorummet hostium capita: supple, *continentur* hoc *volumine*. In quorum gratam memoriam lege perpetua *susceperunt Iudæi super se & semen suum*, id est, obstrinxerunt se tum suo nomine, tum filiorum & posterorum, imò & omnium proselytorum, seu *qui religioni Iudaicæ voluerint copulari*: horum, inquam, omnium nomine *susceperunt festum* hoc *sortium* deinceps celebrare quotannis *neque vlli licet duos hos dies absque solemnitate transigere*. Non quòd singuli tenerentur vtrumque diem solemnem habere; sed
a Hic v.29 ex duobus singuli (*a*) vnum: nam qui Susis in vrbe regia degebant, quia non vacarant à cæde hostium, nisi quindecim die mensis Adar, ipsum illum diem (*b*) habebant festum: reliqui,
b v.18. quia vno die citiùs à cæde abstinuerant, vno quo-
c v.17. que die citiùs, nempe decimoquarto (*c*) eiusdem mensis, idem festum celebrabant. Vnde vniuersim dicebantur Iudæi duos illos dies celebrare, quia vnum idemque festum vtroque die non in eodem, sed varijs in locis celebrabant. *Quos* duos dies *scriptura*, seu epistola per Mardochæum primò conscripta, sed postea per capita Synagogæ confirmata, celebrandos *testatur*, seu contestatur & præcepit, *& tempora certa*, per legem publicam decreta, ita *expetunt*, non à Iudæis modò,
d v.31 quibus id Mardochæus (*d*) & Esther primò, deinde tota Synagoga præscripsit: sed ab omnibus quoque Gentilibus, qui sub imperio regis Darij per omnes 127. Prouincias degebant: nam omnibus sub pœna capitis id iniunxit idem rex publico suo rescripto, cap. 16. vers. 22. & 24. Monent denique Esther & Mardochæus Iudæos,

¥. 30. *Vt omnes haberent pacem, & susciperent veritatem*] Hebraicè, *precati sunt eis pacem*, id est, salutem & prosperitatem: *hortantes ad veritatem*, id est, fidelitatem & constantiam in seruandis promissis de festo *phurim* seu *Sortium* quotannis celebrando.

¥. 31. *Et illi susceperunt obseruanda ieiunia & clamores*] Nempe, more aliorum festorum præmittebatur solemni festo *ieiunium*. Quòd si 13. mensis Adar institutum fuit, à Iuda Machabæo posteà antiquatum fateamur oportet: nam is, vt patet ex 2. Machab. vlt. vers. 37. die illa 13. festum aliud indixit, ob nobilissimam victoriam de Nicanore tunc obtentam Festo verò diei ieiunium non conueniebat, vt colligitur ex 2. Esdræ 8. vers. 10. Porrò ieiunio publico coniungi solebant publicæ quoque preces, quæ hîc *clamores* vocantur, quòd *clament ad Deum*. Sed huic profesto maximè quadrabant, ob ingentes fletus, eiulatus & clamores in cælum, quos olim ante sui liberationem Iudæi profuderant. Solent verò etiamnum, hoc tempore Iudæi magnum in suis synagogis hoc festo, dum Amanis historia prælegitur, strepitum excitare, malleolis & pugnis scamna & pulpita ferientes, inscriptumque Amanis nomen eradentes, vt notat Antonius Margarita, & Gregorius Tholosas. Vnde forsan ille mos Christianorum, vt, dum redemptionis nostræ memoria, & Christi cruciatus quotannis repetuntur, strepitus aliquis in Ecclesia, post eas quæ Tenebrosæ dicuntur, Matutinas excitetur. Denique solebant olim Iudæi, in memoriam crucifixi Amanis, crucem ligneam, contumeliæ causa, in Ambarualibus quibusdam publicè præferre, eamdemque postea, vt & effigiem Amanis, flammis exurere, teste S. Athanasio. sed quia plerique ficta illa comœdia, sanctissimam Christi passionem irridebant, ab illis titibus per Honorium & Theodosium Imperatorem superfedere iussi sunt.

Ant. Marg. l. de Ritib. Iudæor. *Greg. Theolos. Syntag. l. 2. c. 16. n. 10.* *S. Athan. in Synopsi.* *Cod. de Iudæis & Cælicolis. l. Iudæis.*

CAPVT X.

Maiestas, dignitas, gloria Mardochæi: & explicatio somnij eiusdem de rebus in Persida obuenturis genti Iudaicæ tum aduersis, tum prosperis.

¥. 3. OMNEM *terram & cunctas insulas*] supple, imperio suo subiectas, *tributis* vtique nouis grauauit. Qua de causa, incertum. Nisi quòd diuina prouidentia videatur hac via punire voluisse istas prouincias, quæ paulò antè nimis auidè inhiarant facultatibus & sanguini miserorum Iudæorum.

¥. 3. *Loquens ea quæ ad pacem seminis sui pertinerent*] Id est, Mardochæus erat studens commodis & quieti populi sui Iudaici. Plura de gestis Mardochæi & Esther non habemus in historiis, quæ quidem exstent: sed remittit nos Scriptura ad Annales *Medorum & Persarum*. Ben-iaminius dicit, vtrumque sepultum fuisse in principe vrbe Medorum *Hamida magna*, in qua *Israelitarum* suo tempore fuerint *millia* circiter *quinquaginta*. Et forsan à *Mardochæo* nomen sumpsit illa regio, quæ inter Babyloniam & Sinum Persicum iacet *Mardochæa*, vel, vt in Græco Ptolemæi textu est, ἀμορδαχία.

Biniamin. in itinerario. *Ptolem. Geograph. l. 5. c. 20 & Asiæ tabula 4.*

¥. 4. *Dixitq; Mardochæus*, cùm apud se expenderet tragœdiæ Amanis catastrophen.

¥. 6. *Paruus fons, Esther est*] cuius aquis ingens ab Amane excitatum incendium, restinguendum, cum lachrymis Numen propitiandum, cuius opera, studio & industria tot aduersariorum myriades (*e*,) quasi amne & torrente demergendæ, penitusque obruendæ essent. Et hic idem fons, qui
e c. 9. v 16. antè erat *in (f) tenebris*, id est, in maximis ærumnis, mox *in lucem solemq; conuersus est*] Est hendyadis, pro, *in lucidum solem*, seu in maximam lætitiam felicitatemque *conuersus est*, cùm nempe Iudæi suos
f c. 11. v. 8. sub pedibus hostes habuerunt.

¥. 7. *Duo dracones, ego sum & Aman*] Draco enim iam ab antiquo hieroglyphicum symbolum est tum regum, tum militiæ præfectorum, teste Pierio. Et nominatim apud Persas, ferociores & instructiores milites *draconum* nomine appellabantur, vt ait Lucianus. Quæ in Amanem & Mardochæum optimè quadrant.

Pierius in Hierogl. l. 15 *Lucian. l. de conscribenda historia.*

¥. 10. *Duas*, seu duplicis generis, *sortes* constitui voluit Deus, *vnam populi Dei*, id est, Iudæorum: *& alteram cunctarum gentium*, inimicarum & hostium Iudæis. *Et venit vtraque sors*, id est vtriusque partis sors incidit, *in* vnum eumdemque *diem, ex illo iam tempore*, imò ab æterno, *statutum coram Deo*, seu à diuina prouidentia, nempe in 13. *diem*
(*g*) *mensis duodecimi Adar*. Sed venit hic dies infe-
g cap. 9. v. 1. stus & exitialis *vniuersis gentibus*: lætus verò & festus *populo Dei*, quia *recordatus est* illius *Dominus ac misertus*

misertus est hereditatis suæ, vt vidimus cap. præced. A Hæc est somnij interpretatio, quam Mardochæus tum demum plenè assecutus est, quando ipso rerum euentu, & euidentia facti, quid sibi vellet, persensit. Ipsum verò somnium narratur c. seq.

CAPVT XI.

Somnium Mardochai. Quod secundum ordinem temporis deberet primo loco huius libri Esther poni: vt ponunt LXX. Romana

¥. 1. REGNANTIBVS *Ptolemæo & Cleopatra*] Reges omnes Ægypti à primo *Ptolemæo* Lagi filio, communi nomine vocabantur *Ptolemæi*: & reginæ omnes *Cleopatræ*, vt alibi dixi.(a) Vnde non potest ex his nominibus aliud colligi, quàm post tempora Alexandri Magni hanc epistolam Ierosolymis in Ægyptum delatam fuisse. Crediderim tamen id accidisse tempore *Ptolemæi Philometoris*, sextì à morte Alexandri Magni, regis Ægypti. Nam is extremè fauebat & addictus erat Iudæis; imò, si Iosepho credimus, omne regnum suum commisit Iudæis administrandum: totius quoq; militiæ suę duces fecit Oniam & Dosithæum Iudæos. Sed an hic Dosithæus idē sit cum illo sacerdote, qui hîc dicitur hanc epistolam attulisse, non ausim affirmare. Nam etiam sacerdotes rem bellicam administrasse, certissimum est tum ex Banaia, 1. Paral. 27. v. 5. tum ex Mathathia, eiusque filijs Iuda, Ionatha, Simone, & alijs Machabæis, 1. Machab. 2. & seqq.

(a) *In Chron. c. 39. in Ptolemæo Lagi & Epiphane.*

Ioseph. l. 2. cont Apionem.

Epistolam phurim] id est *sortium*. quia continebat historiam Estheris, quæ à catastrophe feralium *sortium*, subinde *historia sortium*, vel *liber sortium* vocari solebat. Porrò hanc historiam dicitur hîc *Lysimachus Ptolemæi*, non regis, sed sacerdotis antedicti, *filius*, ex Hebræo vel Chaldæo *interpretatus esse*, seu conuertisse in Græcum.

¥. 2. *Anno secundo, regnante Artaxerxe maximo*] id est Dario Hystaspis, vt dixi c. 1. v. 1. Erat is idem annus, quo idem Darius potestatem fecit Iudæis templum Ierosolymis instaurandi, quod antè concesserat Cyrus, sed inhibuerat Cambyses. 1. Esdræ 4. & 6.

Mardochæus filius Cis. Vide cap. 2. Esther v. 5. *De tribu Beniamin*] Ibi dicebatur esse *de stirpe Iemini*. E quibus duobus locis patet, *Iemini* idem prorsus esse quod *Beniamin*. De cetero somnium quod hìc narrat Mardochæus, iam ipsemet exposuit cap. præced.

¥. 12. *Cogitabat & fixum habebat in animo scire*, seu resciscere, *quid significaret somnium*] Sciebat à Deo sibi immissum; quid ni ad seriam eius intelligentiam attenderet? Vide de somnijs quæ dixi Genes. 40. & S. Thomam, Caietanum, Rupertum & Pererium. Porrò Mardochæus etsi solicitus fuerit de somnij sui significatione, non videtur tamen, vt dixi in fine cap. 10. priùs quid sibi vellet resciuisse, quàm ipso rerum exitu & experientia id didicerit. Semper tamen memoria illud tenebat, & subinde tàm se, quàm suam neptem Estherem, recordatione eiusdem animare solebat: nominatim verò, inquit Iosephus Gorionides, *cùm Aman Mardochæo tam infensus esset, ait ad suam Esther? Impletur somnium quod narraui tibi in diebus iuuentutis tuæ.*

S. Tho 2. 2. q. 95. a. 6. & Caiet. ibi. Rup. l. 9. de Victoria c. 22. Perer. to. 7. qq in c. 1. Daniel.

Gorion. l. 2. c. 2.

CAPVT XII.

Mardochæus detegit regi insidias ipsi structas per eunuchos, Nempe fusius explicatur quod cap. 2. versu 21. descriptum fuit.

¥. 1. BAGATHA & *Thara*] Cap. 2. vocantur *Bagathan & Thares*. Ianitores palatij. Quale officium id fuerit, colligere licet ex officio ianitorum templi, quod exposui 1. Paral. 26. vers. 12. Mardochæus structas insidias

¥. 2. *Nuntiauit regi*] non per se immediatè, sed per Estherem suã iam reginam, vt dicitur c. 2. v. 22.

¥. 6. *Aman* porrò *Bugæus* vocatur] pro *Agageus*, (vt est in Hebræo & Latino suprà c. 3. v. 1.) Nam Græci subinde vsurpant *beth* pro *gamma*, teste S. Hier. Et causa cur ita hîc fecerint Græci fuisse videtur, quòd vellent alludere ad mores superbos Amanis: nam *Bugæus* significat *magnum iactatorem*, composito verbo ex βῦς, quod Græcis auxesin affert, (à βῦς, q. d. *bouis* magnitudine) & γαίω, id est *glorior*, *iacto*.

Hieron. de Locis Hebr.

Voluit nocere Mardochæo & populo eius, seu Iudæis omnibus, vt dicitur cap. 3. v. 6. *pro duobus eunuchis*] Quid his cum Amane cõmune fuerit dixi in fine c. 1.

ET *diripuerunt*, &c.] S. Hieron. monet, post ea verba, scilicet, *& bona eorum diriperent*, quæ sunt in c. 3. v. 13. collocatam fuisse in Vulgata Græcorum seu LXX. Interpretum editione, epistolam regis qua Iudæi vnà omnes die iugulari iubebantur; quæ epistola hic cap. seq. recitatur. Et de facto eam ibidem positam videbis in Græcis codicibus qui nunc extant. Citat eamdem epistolam Iosephus quam ex LXX. Interpretibus deprompsit, verbis quidem à nostra Vulgata nonnihil dissidentem, sed sensu concordantem.

CAPVT XIII.

Exemplar epistolæ regiæ, quam misit Aman ad principes & præsides omnium prouinciarum super cæde & excidio Iudæorum. Inseri deberet cap. 3. post vers. 13. Oratio verò Mardochai pro Iudæorum liberatione, ponenda est post cap. 4.

¥. 2. VITAM SILENTIO, id est quietè, *transigentes*] procul ab omni strepitu bellorum & turbarum.

¥. 6. *Deleantur quartadecima die duodecimi mensis Adar*] Ita habent etiam LXX. & Iosephus.

Dices, Cap. 3. v. 13. præscribitur huic cædi Iudæorum *decimatertia dies* illius *mensis*: & ita habet ibidem etiam Hebræus & Græcus textus. Respondeo, Iubebatur *inchoari* cædes die *decimatertia*, sed consummari die 14. Patet ex strage & cæde Persarum, quam ediderunt Iudæi eadem illa die, seu diebus, quas Aman antè pro cæde Iudæorum designarat. Nam vt dicitur c. 9. v. 17. *Dies decimus tertius primus apud omnes interfectionis fuit & quartadecima die cædere desierunt*, nempe qui plures quos occisos vellent, non habebant: nam qui in Susan vrbe regia degebant, etiam *decimoquarto die in cæde versati sunt, & trecentos* hostium *occiderunt*, vt ibidem dicitur vers. 15. & 18.

¥. 7. Porrò hanc orationẽ Mardochæi dicit S. Hieron. *non haberi in Hebraico*, scilicet quo ipse vtebatur exemplari: *& apud nullũ penitus interpretũ reperiri*, putà Symmachum, Aquilam, Theodotionẽ & similes. Nam apud LXX. *Interpretes* repertam fuisse, ipsemet hîc affirmat, cùm ait, se eam in Vulgata editione scriptam reperisse, vbi legitur in finem c. 4. Atqui LXX. Interpretum versio est ex Hebræo, vt omnibus notissimum est. Porrò hanc orationem Mar-

Mardochæi iam ab antiquo legit Ecclesia in sacro Missæ officio feria quarta Dominicæ 2. Quadragesimæ, & in Missa contra Paganos, & Dominica 21. post Pentecosten. Vnde constat, etiam has particulas, ex decreto SS. Concilij Tridentini *pro sacris & canonicis* habendas esse, vt dixi initio huius libri.

℣. 13. *Libenter vestigia pedum* Amanis *deosculari paratus essem*] Iosephus Gorionides profundam hanc Mardochæi humilitatem significantiùs sic exprimit: *Fuissem paratus lingere calceum qui in eius pedibus, & puluerem quem ipse calcasset.* Alludere videtur ad illud Isaiæ 49. vers. 23. *Vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.*

℣. 14. *Sed timui ne honorem Dei mei*, id est soli Deo debitum, putà *latriæ, transferrem ad hominem*] Nam Amanem sibi diuinum honorem poposciisse, suprà demonstraui cap. 3. v. 2. Subdit Mardochæus.

℣. 16. *Ne despicias partem tuam*] scilicet hereditariam, id est populum Israeliticum, quem tibi quasi hereditarium delegisti ex omnibus populis totius mundi.

CAPVT XIV.

Planctus Esther, & eiusdem oratio ad Deum. Subiungitur in Græco orationi Mardochæi, post cap. 4.

℣. 1. PAVENS *periculum*] LXX. *in agone mortis comprehensa.* Nempe in quali fuit etiam *Iaddus* pontifex, cum Alexander Magnus infesto agmine peteret Ierosolymam, teste Iosepho. Item *Onias*, 2. Machab. 3. adeoque & Christus ipse in horto.

Ioseph. l. 11. Antiq. c. 8.

℣. 2. *Corpus suum humiliauit*] nempe *ieiuniis*, vt Noster explicat; quod in Græco non exprimitur, sed includitur: quia Iudæi sua *ieiunia* vocare solent *thaanin*, id est *humiliationes*. Et ieiunium Esther, quod celebrare consueuerunt 13. die *Adar*, vocant *thaanith Esther*. *Crinium laceratione* testabantur olim ingentem animi luctum. Vt de nobilibus matronis testatur Curtius & Diodorus: de Alexandra Hyrcani filia, socru Herodis, & Salome sorore eiusdem Herodis, narrat Iosephus: & de seipso Esdras l. 1: cap 9. & de alijs pluribus Adrianus Iunius.

תענין
תענית
אסתר

Curtius l. 5. Diod. l. 17. Ioseph. l. 15. c. 15. & l. 16 c. 11. Adr. Iunius de Coma, l. 5. Gorion. c. 3.

℣. 3. *Adiuua me solitariam*] id est, vt sequitur, omni ope & auxilio humano destitutam. Gorionides sic loquentem facit: *Ego sola hic habito: sola ego in domo regis, absq; patre & absq; matre sum. Sicuti pupilla paupercula, quæ ostiatim mendicat, ita ego mendico miserationes tuas fenestratim*, seu ex vna fenestra vadens ad aliam. Solent enim Iudæi seriò oraturi, loca superiora & fenestras captare, è quibus patentior prospectus in cælum, exemplo Iudith c. 8. v. 5. & Danielis c. 6. v. 10. & aliorum.

℣. 4. *Periculum meum* (ita etiam LXX. Gorionides habet, *anima* seu vita *mea*) *in manibus meis est*] id est, præstò & in promptu est, sicut est id quod manui impositum quis habet. Vnde eadem phrasi significari solet etiam præsentissimum perdendæ rei periculum, quia quod manui superimponitur, casui vel profusioni expositum est. Sic Psal. 118. v. 109. *Anima* seu vita *mea in manibus meis*, quasi iamiam profundenda. & 1. Regum 19. v. 5. *Animam suam posuit in manu sua.*

℣. 7. *Coluimus deos eorum*] Non loquitur de se, vel de populo qui iam in Persida vel Chaldæa erant: nam isti numquam leguntur coluisse deos alienos: sed scelera parentum & maiorum suorum confitentur, qui sua idololatria causam dederunt Babylonicæ captiuitati. ita Gorionides. *Gorion. sup.*

℣. 8. *Robur manuum suarum, idolorum potentiæ deputantes*] Gorionides clariùs exponit: *Ecce ipsi hostes nostri*, Aman & complices, *non dicunt, te*, ô Deus, *nos in suas manus tradidisse: sed idolus suus id acceptum ferunt.*

℣. 9. *Voluntas tua promissa* Deuteronomij 7. & alibi, *mutare*, seu inuertere, *& delere hereditatem tuam*, quam ibidem promisisti te perpetuò conseruaturum, *& claudere*, Græcè delere, *ora laudantium te: atque extinguere gloriam Templi & Altaris tui*] quod recèns iam instauratum erat Ierosolymis, indulto huius eiusdem Darij Hystaspis, mariti Estheræ, vt dicitur 1. Esdræ 6.

℣. 11. *Ne tradas Domine sceptrum tuum his qui non sunt*] id est idolis, vt dixi. q.d. Ne permittas tantam dæmonibus adscribi potentiam.

℣. 12. *Rex deorum*] id est regum, iudicum, principum omnium, qui etiam Ioan. 10. & Psalm. 81. Dij vocantur.

℣. 13. *Tribue sermonem compositum in ore meo* (LXX. benè concinnèq; constructum) *in conspectu leonis*] Sic vocat regem Assuerum, in eius animositatem & feritatem. Quam eamdem ob causam S. Paulus etiam *Neronem* vocat leonem 2. ad Timoth. 4. Gorionides facit Estherem hic tremente quasi *capellam* ante *leonem.*

℣. 16. *Tu scis necessitatem meam*, quâ nempe cogor me regio more ornare, quod alioqui nollem: *quod abominer signum superbiæ & gloriæ meæ*] id est, regium diadema seu cidarim.

In diebus ostentationis meæ, cùm publicè mihi prodeundum, vel coram rege comparendum est. neque enim *porro* illud *in diebus silentij mei*; id est, cùm domi quiesco, à publico seiuncta.

CAPVT XV.

Mandante Mardochæo Esther cum vita sua periculo ingreditur ad regem, vt dictum est cap. 5. vers. 1. & 2. sed hic fusius enarratur.

℣. 4. VESTIMENTA *ornatus sui* vocat hîc, non quibus ad splendorem, sed ad mœrorem, & ad Dei cultum ornata fuerat Esther. Græcè vocantur *vestimenta luctus.*

℣. 8. *Animum nimio timore contractum* habebat Esther. Primò, propter ingens periculum tum sibi, tum Iudæis omnibus impendens, casu quo non succederet quod tentatum ibat. Secundò, propter ancipitem dubiumque rei euentum. Tertiò, propter regis Assueri in throno suo, tanto cum splendore & apparatu maiestatem: nam vt v. 9. dicitur, *erat terribilis aspectu.* Quartò, propter subitam ingentemque regis iram ac furorem, quem subintrante reginâ *iuuicabat* toto vultu, *oculis ardentibus* ipsam prosequens, vt habetur v. 10. & dixi c. 5. v. 2. Putabat enim ad suæ maiestatis contemptum spectare, quòd regina tam liberè accederet non vocata. Sed iram regis compescuit mox Deus.

℣. 12. *Noli metuere, Ego sum frater tuus*] Blandientis vox est, & intimæ amicitiæ ac familiaritatis. Et solent coniuges ita sibi mutuò blandiri: & sponsus Canticor. 4. *sponsam* sæpè *sororem* suam vocat.

℣. 13. Lex, ne quis non vocatus ad me veniat, *non est pro te constituta*, quæ regnum totum commune mecum habes, & non minùs tua lex est,

quàm mea: vnde tu illa lege non obstingeris, A multoque minùs pœna legis teneris. *Sed* solùm *pro omnibus* sub ditis nostris, *hæc lex constituta est.*

℣. 16. *Vidi te Domine quasi angelum Dei*] id est angelica maiestate, splendore, terrore. Et credibile est, id dixisse ex parœmia seu similitudine non solis Hebræis, sed & Persis, alijsque gentibus vsitata. Vt colligere possumus ex tam frequenti angelorum mentione, quam faciebant Hebræi etiam cùm loquerentur Gentilibus: v. g. Dauid cum Achis (a) rege Geth Philisthæo.

a 1. *Reg.* 29. *v.* 9.

Et quidem de Persis narrat Cedrenus, in admirabili illa *Cosdroæ* regis Persarum ab *Heraclio* deuicti sphæra angelos fuisse, qui regem circumstabant: & tamen Gentilis erat *Cosdroas*. Vnde constat, non ignotos fuisse angelos Persis, etsi Gentilibus. Reliqua vide suprà cap. 5.

CAPVT XVI.

Exemplar epistolæ Darij Hystaspis, qua reuocat ferale rescriptum Amanis: iubetq; vice versa, à Iudæis quoscumque hostes ipsorum occidi, & diem istum toto imperio suo festum deinceps haberi.

℣. 9. SI *diuersa iubeamus*, antiquantes prius Amanis decretum de Iudæis vna omnibus die iugulandis, *non ex animi nostri venit leuitate*] neque hoc repugnat antiquæ *Persarum & Medorum* consuetudini, quia hæc solùm iubet irreuocabilia esse decreta, quæ surrepticia non sunt, vel fraude extorta, sed sano sinceroque consilio constituta.

℣. 10. *Aman gente Macedo, alienus à Persarum sanguine*] Nam licèt ipse forsan in Perside natus esset, tamen parentes constabat esse alienigenas, & ex Macedonia aduenisse, vt dixi initio cap. 3. suprà.

℣. 12. *Vt regno priuare nos niteretur & spiritu*] id est vita. De quo dixi in fine cap. 2.

℣. 14. *Vt interfectis* Mardochæo, Esthere, & omnibus Iudæis, *insidiaretur nostræ solitudini*] Id est, mihi tam cauis, tam fidis præsidiarijs orbato commodiùs insidias strueret, ac throno regio & vita exturbaret.

Et regnum Persarum transferret in Macedonas] Ita etiam habent LXX. Sed vnde regi Dario hic de *Macedonibus* metus? An non plusculum videtur suspicionibus suis indulgere, & verisimilia potiùs, quàm certa testataque scribere? Respondeo, Certa testataque fuisse nemo negare poterit, qui quæ suprà de eunuchorum Amanis perfamiliarium insidijs, cap. 2. in fine dicta sunt: quæque suspenso Amane, ex chartis domi eius repertis, secretisque eiusdem consilijs per complices detectis, regi innotuerunt, animo expenderit: simulque cogitarit, litterarum harum auctorem qui id diserte affirmat, non esse solum regem, licèt iam ad Deum conuersum, vt constat ex v. 16. sed ipsam quoque Estherem & Mardochæum, id est mendacij hostes, & veritatis amantes; qui numquam id affirmassent, nisi certò compertum habuissent. Sed quis, obsecro, metus sub Dario Hystaspis de regno ad Macedonas transferendo, cùm hi sub tempora demum Philippi patris Alexandri Magni claescere, viribusque inualescere cœperint? Respondeo, falli egregiè qui sic sentiunt: nam Græcos, quorum pars non minima erant Macedones, iam tum à tempore Darij Hystaspis metuendos fuisse Persis, *Herod. 7.* deque ijsdem valdè malè meritos, testis est Herodotus. Et Iustinus ait, Darium hunc bellum cum *Iustin. l. 1.* Atheniensibus gessisse, in quo iam tum emicuit industria & gloria Themistoclis adolescentis. Et quis nescit, Darium Hystaspis quarto ante mortem anno pugnam illam apud *Marathonem* pugnasse Græcis Romanisque historijs celeberrimam? de qua vide Sulpicium, & alios. Denique Diodorus Sicu- *Sulpic. l. 2. hist.* lus scribit, *Xerxem olympiade 75. mouisse arma contra Græcos*, nõ iam recèns, sed ab antiquo, imò *perpetuos* *Diod. l. 11.* *infestissimosq; Persici nominis hostes*: additque, *patrem Xerxis*, nempe Darium Hystaspis, *magnam materiam ad classis aduersus Græcos instructionem præparasse*, & filio reliquisse. Ex quibus clarissimè patet, Dario Hystaspis iure merito, si de vllis, certè de Græcis, metuendum fuisse. Iam verò si metuit transferendum imperium ad Græcos, idque opera Amanis *animo & gente* (a) *Macedonis*, qui sceptrum sibi (b) ipsi vindicare studebat; nonne potuit iustè affirmare, mentem Amanis fuisse, *transferre* sceptrum Persicum *ad Macedonas*?

a *Hic v.* 10. b *Hic v.* 12. *& cap.* 2. *in fine.*

℣. 18. *& omnis cognatio eius pendet in patibulis*] Hoc expolui cap. 9. v. 13. Notat Ammianus, *leges* *Ammian. l. 23.* *apud Persas impẽdio formidatas* fuisse, *per quas ob noxam vnius, omnis propinquitas periret*, Sicut etiam de filijs Intaphernis narrat Herodotus, & de alijs Iustinus. *Herod. l. 3. iustin. l. 10.*

℣. 22. *Inter ceteros festos dies*] qualis v. g. τῆς Μαγοφονίας, seu cædis Magorum, quem diem idem hic Darius qui in locum cæsorum successerat, æternùm iusserat festum esse, teste Herodoto. Et familiare erat Gentilibus, certa tempora Numini dicare, quibus illud ob præstita beneficia publicè laudarent & gratias agerent, teste Plutarcho, & alijs. *Herod. l. 3.* *Plutarchus in Nicia.*

LIBER

LIBER IOB.

VERAM hanc esse historiam, non autem parabolam, vt quidam Iudæi voluêre, patet ex Tobia, Ezechiele, & Iacobo Apostolo, qui eam vt historiam citant. Conscripta fuit primùm ab ipsomet Iobo, vt vult S. Gregorius, Albertus Magnus, Suidas & alij: & quidem lingua Syriaca, seu Arabica, vel Idumæa: nam, teste S. Hieronymo, syrismis passim & arabismis inspergitur. Ex Syriaca verò in Hebræam linguam conuertit eam Moyses, fortè dum soceri sui Iethro oues pasceret in Madianitide. Vnde Moysen ipsum auctorem libri faciunt Origenes, Philippus presbyter, Isidorus, Abulensis & quidam alij. Causa scribendi finalis fuit, vt omnibus, & maximè Hebræis, sub id tempus in Ægypto grauiter afflictis viuum daretur exemplum patientiæ. Graphicè enim hîc depingitur duellum pœnarum & tolerantiæ: naturæ & gratiæ: dæmonis & viri iusti, vt pulchrè explicat S. Prosper & alij Patres in Catena Græcorum. Porrò præcipua toto libro quæstio agitatur, an soli peccatores à Deo aduersis affligantur in hac vita: an verò etiam pij & iusti, qui nil tale meruerunt. Priorem partem & falsam tuentur amici Iobi: posteriorem & veram ipse S. Iob. Vnde verba tum Dei, tum Iobi, quæ Deus cap. vlt. probat, infallibilem habent veritatem Canonicæ Scripturæ: non item verba amicorum Iobi, vt passim patebit. ita S. Gregorius, Augustinus, Chrysostomus & Polychronius in Catena. Qui idcirco dicunt, hos tres gessisse typum hæreticorum Ecclesiam & pios impugnantium. Allegoricè & Anagogicè, Christi & cuiuslibet patientis victoria ac triumphus in resurrectione adumbratur.

Tobia 2. v. 12. Ezech. 14. Iac. 5. v. 11.

Suidas, &c. in Iob. Hier. Prologo in Iob.

Isidor. lib. 1. Offic. c. 12. Abulens. in Prologo Genes.

Prosper l. 1. de Promiss. c. 22.

Catena c. 9.

Catena c. 7.

CAPVT I.

Iobi pietas insignis, diuitiæ, & proles commemorantur. Conuiuia vicissim celebrant: Iob pro ipsis sacrificat Deo. Satan impetrat vt Iobum liberis & opibus omnibus exuere liceat. Iob omnia patientissimè tolerat.

v. 1. IN *terra Hus*] Id est, in Idumæa, vt habetur in Threnis Ieremiæ. Fuit autem *Hus* filius *Aram* filij *Sem*, Genesis 10. v. 23. Hussitis verò vel Ausitis terra sita est vltra Iordanem, inter montem *Hermon* & *Trachonitidem*; quæ postea cessit in sortem *dimidiæ tribui Manasse*: vbi etiamnum visitur pyramis sepulchri S. Iob, inquit Adrichomius. Hinc Patres passim nunc *Idumæum*, nunc *Arabem* vocant, prout terminos *Idumææ* vel *Arabiæ* latiùs aut longiùs extendunt.

Thren. 4. v. 22.

Nomine Iob] vel *Iobab*: quod, vt S. Gregorius, Philippus Presbyter & Chrysostomus in Catena exponunt, significat vlulantem, vel eiulantem. In appendice libri Iob, (quam habent LXX. & Theodotion, & S. Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Polychronius, & alij SS. Patres in Catena, & à Bellarmino citati, passim vt legitimam admittunt,) dicitur *Iob* natus matre *Bosra*, patre *Zara* vel Zareph *Isaaci* pronepote: nam *Abrahã* genuit *Isaac*: hic *Esau*, hic *Rauel*, hic *Zara*. hic *Iob*. Genesis 36. Fuit ergo *Iob* quintus ab *Abrahamo*. In eadem appendice additur, habitasse in *Ausitide*, *in finibus Idumææ & Arabiæ*: & vt *regem imperasse in Edom, post Balac* seu *Bela*, vt in Genesi nominatur. Ex quibus patet, *Iob* non ex *Hus* filio *Nachor* fratris Abraham, Genes. 22. v. 21. oriundum esse, vt volunt quidam Hebræi, & cum his S. Hieronymus, Rupertus, Rabanus, Isidorus & Liranus: sed ex ipsomet *Abrahamo*, *Isaaco* & *Esau*. ita Origenes, Gregor. Volaterr. & alij quos citat noster Pineda. Secundò patet, Iob *regem* fuisse, vt ipsemet fat innuit c. 19 v. 9. & alibi. Imò *regem regum* fuisse, probat Pineda ex v. 3 huius cap. vbi dicitur, *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales*. Fuit idem etiam *sacerdos*, vt patet ex *sacrificio* quod obtulit v. 5. Fuit & *Propheta*, inquit S. Hieron. Augustinus & Gregorius; & colligitur ex c. 40. v. 1. Denique *Martyrem*, imò multis Martyribus maiorem vocat S. Chrysost. & alij quos citat Pineda & Salianus. Tertiò patet, vixisse Iobum sub tempus habitationis Hebræorum in Ægypto. Et quidem natum ipso anno quo Iacob cum suis in Ægyptum descendit: trigesimo post anno vxorem duxisse Bosorram Arabissam, ac sub idem tempus regnum administrasse: septuagesimo luctam cum dæmone compleuisse: denique anno vitæ Moysis 75. quinquennio ante egressum Hebræorum ex Ægypto vitâ functum esse, ex probatis auctoribus docui in Chronico, cap. 16. & 17.

Hier. Q. Hebr. in Genes. Rupert. & Raban. in Genes. 36. Isid. de Vita & morte SS. Pineda in c. 1 Iob v. 1. n. 12. Heron. ep. ad Euangelium. Aug. ser. 6. de Tempore. Gregor. l. 14. Moral. c. 27. Chrysost. hom. 25. ad pop. & hom. 1. & 5. de laudib. Iob.

Vir simplex] Id est, simplici & candida mente, omnis falsitatis, duplicitatis, simulationis & peccati experte. Ita vocem hanc vsurpat Cicero, & alij auctores. Hebraicè est, *perfectus*; Græcè, *verus*, veritate

Cat Græc. in fine libri. Bellar. l. 1. de verbo Dei c. 4. Genes. 36. v. 10. 13. 17. 33.

ritate non doctrinæ tantùm, sed & vitæ. ita S. Chrysostomus & alij Patres in Catena.

℣. 5. *Sanctificabat eos*] id est, iubebat sanctificari (a) seu mundari & præparari ad fructus sacrificij percipiendos.

(a) *Vide Paral. 29. v. 15 & c. 30. v. 18. & 2. Esdr. 3. v. 1. Aug. Leont.*

Ne forte benedixerint Deo] pro maledixerint, per antiphrasin, vt ait S. Augustinus: vel per euphemismum: de quo in idiotismis Hebraicis n. 31. & 32. In LXX. est, *ne mali quidpiam cogitarint contra Deum*, id est, peccatum aliquod admiserint. Hebræis enim *dicere* vel *cogitare* idem est, quod *agere*. ita Origenes, Basilius, Polychronius, Olympiodorus, & alij in Catena.

mendacium c. 10.

℣. 6. *Cum filii Dei*, seu angeli, *assisterent coram Domino*] non parabolicè, vel per prosopopœiam, quasi solum hic significetur omniscientiam Dei, & machinationes seu bonæ angelorum, seu malæ dæmonum, vt volunt Origenes, Caietanus, Emanuel Sà, Mariana & quidam alij; non etiam per solam visionem seu reuelationem scriptori huius libri factam, vt vult Eusebius & Hugo: sed verè ac realiter. Fuit enim hoc quasi *iudicium*, vt ait Chaldæus, aut *concilium magnum*, in quo sancti angeli referebant Deo sua ministeria. In quo *affuit & Satan*, quasi lictor & satelles Dei, visus à Deo & angelis, non tamen vicissim videns ipse Deum, sed solos angelos, & quasi cæcus respectu Dei: sola locutione mentali cum Deo & angelis colloquens, hominesque accusans, & ad pœnam deposcens. Ita sonant simpliciter verba Scripturæ: & ita explicant Athanasius, Lactantius, Saluianus, Augustinus, Nazianzenus.

B

Athan. q. 8. in S. Script. Lactant. l. 1. c. 1. Salvian. l. 1. Anticimen.

℣. 11. *Nisi in faciem*] id est, palàm impudenter in tua præsentia maledicat tibi. Supple, Dispeream vel mentiar. ita Chrysostomus, Olympiodorus & alij in Catena.

C

CAPVT II.

Satan permittente Deo, Iobum pessimis vlceribus morbisque excruciat. Vxor maritum videt, eique insultat. Iob eius impietatem redarguit. Tres amici Iobi solandi causa adeuntes; sed magnitudine mali perculsi, toto septiduo illum adire non audent.

℣. 3. VT *affligerem eum frustra*] id est, immerentem. Vel frustra, id est, absque eo quòd spe & intentione tua potiaris. ita Origenes, Olympiodorus, S. Thomas.

℣. 4. *Pellem pro pelle*, id est omnem pellem, id est, omnes *opes*, quæ inde vocantur *supellex*, eò quòd *sub pellibus* adseruari solerent. Sic Ioan. 1. v. 16. *Gratiam pro gratia*, id est, omne genus gratiarum. Chaldæus hîc vertit, *membrum pro membro*, seu omne membrum. Sed aptiùs, *pellem*, nempe alienam, boum, camelorum, mancipiorum, & etiam filiorum, libenter *dabit* quis *pro pelle* propria: vt idem sit quod mox sequitur, *Cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua*] seu pro vita & valetudine salua. Similis phrasis est Exod. 21. v. 23. Origenes, Hieronymus, Gregorius, Apollinaris, Iuranus & alij.

D

Hieronym. c. 11. 34. Apollinar. in Catena.

℣. 7. *Vlcere pessimo*] id est, fœdissimo simul & acutissimis doloribus referto. Chaldæus vertit, *scabiem*, lepræ & elephantiasi conjunctam, inquit Chrysostomus & alij in Catena. *Arthritide* & *podagra* laborasse, consequenter etiam chiragra & ischiade, colligitur ex c. 16. v. 8. & c. 13. v. 27. *phthiriasi* seu pediculari morbo ex c. 30. v. 17. *dysenteria*, ex c. 16. v. 14. *marasmo* seu totius corporis marcore ex siccitate & febri hectica, ex c. 19. v. 20. & c. 30. v. 16. *incubo* quoque, ex c. 7. v. 4. & 14. Denique ex alijs locis coniectat Pineda, Iobum laborasse etiam *lue venerea, angina, fame canina, igne sacro, cancro* seu crisypelate per totum corpus, *asthmate*, &c. Neque dubium est, cùm Deus in hoc duello Iobum in potestate dæmonis posuerit, dæmonem ex innato odio & superbia, omnes quas viuès ferre potuit, in eũ plagas immisisse. Addit Chrysostomus cum S. Athanasio, lethales fuisse hos morbos, & mortem illaturos fuisse, si Deus eos ad cor, aliamue principem partem proserpere permisisset. Et consequenter, Iobum Martyrem vocat: sicut plerique Patres B. Virginem & S. Ioannem Martyres faciunt.

℣. 8. *Sedens in sterquilinio*] nempe extra ciuitatem, eò quòd elephantiacus esset, ideoque seiunctus à solio suo & palatio regali, & à cœtu hominum, inquiunt Apollinaris, Polychronius & alij. In quo typus Christi fuit, vulneribus pleni, extra vrbem in Caluaria crucifixi.

℣. 9. *Benedic Deo, & morere*] Sarcasmus est, q. d. I nunc, serui Deo, benedic & lauda Deum, tam tibi amicum, vt te iam iam morte perditurus sit.

℣. 11. *Tres amici Iob*] Hi *reges* vocantur Tob. 2. v. 15. & hic apud LXX. & in appendice, de qua cap. 1. vers. 1. vbi *Eliphaz* vocatur *Themanorum rex*, *Baldad Sauchæorum tyrannus*, & *Sophar Minæorum rex*. Porrò *Eliphazi* mentio fit Genesis 36. vers. 4. & eius filij *Theman*, v. 11. *Baldad* ex nepotibus fuit *Abrahæ* ex *Cetura*, cuius filius fuit *Sue*, Genes. 25. v. 2. & 1. Paral. 1. vers. 23. Vnde *Baldad* dicitur *Suites*. Porro *Sophar Naamathites* verisimiliter est filius *Nahath* Genes. 36. v. 13. (quod per *trasin* videtur idem nomen esse cum *Nahamath*) fratruelis Eliphazi. Vide Chronicon nostrum c. 46.

Notat verò Origenes, Olympiodorus, Chrysostomus & Gregorius, hos amicos Iob fuisse *viros sanctos*, vtpote sanctissimi hominis amicos & familiares. Dum igitur arguunt Iobum, peccant non malitia, sed ignorantia.

Orig. initio l. 3. Olymp. & Chrysost. in Catena. Gregor. in præfat. c 5. Iob.

CAPVT III.

Iob laxatis naturæ habenis, maledicit diei suæ natali & præsenti vitæ: pulcherrimo carmine describens mortalium miserias, & à quantis malis liberentur qui tam misera vita subtracti sunt.

Nota, à vers. 2. huius cap. vsque ad vers. 7. vltimi cap. omnia carmine conscripta sunt, teste S. Hieronymo, Isidoro & alijs.

Hieron. in Præfat. Isidor. l. 6. Etymol. c. 1.

℣. 1. MALEDIXIT *diei suo* natali. Maledixit eidem etiam Habacuc & Ieremias. Id est, optarunt eum numquam fuisse in rerum natura, seu numquam se natos fuisse: idque iustissimas & grauissimas ob causas: nempe quia dies ille natalis, adeoq; ipsa natiuitas & vita fuit ipsis infinitarum ærumnarum exordium & causa, vt iam omittam *peccatum originale*, aliaque inde consequètia mala, v.g. periculum æternæ damnationis: Iob enim hîc ab illis abstrahit, & solas naturales ærumnas attingit. Porrò cùm subest iusta causa, licet vouere & optare irrationabilibus creaturis malum, nempe, vt non sint, aut vt careant aliquo suo ornamento. Neque verò læditur hîc claritas, cùm aduersus irrationabilia non sit charitas. Suppono autem non maledici eis quatenus creaturæ Dei sunt, neque in odium proximi, sed solùm vt causant vel comitantur malum. Quin & maledicere ex zelo iustitiæ, creaturis rationalibus non quà tales, sed quà impiæ sunt, & ob ingentia quæ procreant mala, peccatum non est. Vnde & Christus non soli *ficui* infru-

Habac. 3. v. 16. Ierem. 20. v. 14.

infrugiferæ *maledixit*, Marc. 11. vers. 14. sed & *reprobis hominibus*, Matth. 25. v. 41. *Discedite à me maledicti*. Item maledictus omnis qui pendet in ligno. Vnde non est quòd hìc confugiamus ad locutionem indeliberatam, quasi hæc Iobi verba fuerint solius sensus aut affectus inferioris: nam etiam rationis & partis superioris verba esse constat ex prædeliberato exordio, totoque orationis decursu. Neque verò ex impatientia animi (vt quidam Hebræi, & hæretici nostri volunt) hîc loquitur patientissimus Iob, vt patet ex 1. 2. & vlt. capp. sed ratio & pars animi superior laxat consulto habenas parti seu appetitui inferiori, vt dolor internus in verba & querelas erumpat, quibus tam amicis præsentibus, quàm posteris omnibus testata fiat dolorum suorum & ærumnarum acerbitas, vtpote quibus mortem, & ab vtero carentiam vitæ longè præoptet. ita (*a*) Origenes, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Hilarius, S. Thomas, Bonauentura, Scotus & alij. Porro licere inefficaci volitione & conditionata desiderare *se natum non esse*, vel in genere *non esse*, dummodo absoluta & efficaci voluntate resignatus sis in omnem voluntatem Dei (vt erat Iob,) patet etiam ex ipsius Christi exemplo, Matth. 26. *Transeat à me calix iste.* Damnandis quoque melius esse, numquam natos fuisse, de fide est ex Matth. 26. v. 24. Quid ni possint etiam alij, qui multis magnisque æruminis tum animi, tum corporis inuoluuntur, prudenter idem exoptare, si Dei voluntas ea fuisset? maximè, cùm præstet numquam fuisse, quàm Deum, vel semel offendisse. Deumque in genere melius esse homini mori, quàm viuere, non soli Gentiles apud (*b*) Herodotum & Ciceronem: sed & SS. Patres, Cyprianus, Ambrosius, Gregorius, & alij docuerunt.

Deut. 21. v. 23. & c. 23. v. 4.

a Orig. hic. Chrysost. in Caten. Ambr. l. de Bono mortis c. 2. Hieron. in c. 20. Ierem. Hilarius in Psalm. 119 S. Thom. Bonauen. & Scotus in 4. dist. 50.

b Herod. l. 1. de Solone & Croeso, & l. 7. de Artabano & Xerxe. Cicero in fine 1. Tusc. Cyprian. de Mortalitate. Ambros. de Bono mortis. Gregor. hic.

¥. 3. *Pereat dies*] Pro, vtinam perijsset! numquam fuisset! Est enim enallage temporum, Hebræis familiaris, quæ & in sequentibus frequens occurret.

¥. 5. *Obscurent eum tenebræ & vmbra mortis*] id est densissimæ tenebræ, adeoque ipsa nocte & morte obscuriores. Nihil porrò morte, seu mortuis obscurius, quia nihil ampliùs vident omnium quæ in mundo sunt.

Inuoluatur amaritudine] Id est densissimis nebulis, tempestatibus ac procellis, quæ diem faciunt homini amarum. Pergit enim in carmine, Poëticè loqui de die præterita, quasi adhuc existente & præsente.

¥. 8. *Maledicant ei qui maledicunt diei*] scilicet sibi infausto & infesto. Vt solent Æthiopes, qui iuxta Atlantem Æthiopiæ montem habitant. hi enim, teste Herodoto, Plinio, Solino & Mela, solem, & dum oritur, & dum occidit, execrantur, eò quòd nimio suo calore ipsos ipsorumque terras perdat, quasi dicat: Iob, Illi potiori iure meum natalem diem, multò nocentiorem, maledictis prosequantur.

Qui parati sunt suscitare Leuiathan] Aquila, Simmachus, Theodotion vertunt *draconem*, nempe cetum magnum seu balænam, de qua infrà cap. 40. Solent enim nautæ in maledicta proni, tum maximè in ea prorumpere, cùm, expeditis magno molimine omnibus ad venandas capiendasque belluas illas marinas necessarijs, turbo vel procella ex improuiso superuenit, quæ omnia disijcit, discerpit & irrita reddit. ita communiter Interpretes. Chaldæus non propriè, sed appellatiuè exponit *Leuiathan*, vt significet lamentationem seu luctum. ita Aben Esra, Leui Ben Gerson, Kimchi, & ferè Hebræi recentiores apud Pagninum & Vatablum. Et solent subinde in nostra Vulgata retineri nomina peregrina quasi propria, cùm sint appellatiua. v. g. Psal. 73. v. 15. *Fluuij Ethan*, id est potentes & perennes: sic *Maranata*, *Racha*, &c. Vnde putat Mariana hîc alludi ad *planctores* & *planctrices*, quas Festus Pompeius & Varro *Præficas* (*a*) vocat. & *Leuiathan* significare canticum execrationibus refertum; quod suscitari dicitur quando intonatur & canitur. Additque, prouerbio Hebræis vulgari, prohiberi mulieri in die festo *Leuiathan suscitare*.

c Ierem. 9. v. 17.

¥. 17. *Ibi*, post mortem, *impij* tyranni, *cessauerunt à tumultu*] seu tumultuari, metumque & plagas alijs incutere.

Et requieuerunt fessi robore] Id est, quorum robur & vires morbo vel labore exhaustæ fuerant. Est enim mors, vel Seneca teste, *portus æternæ placidus quietis*: & Sophocle, *extremus morborum medicus*.

Plutarch. in consolat. ad Apollon.

¥. 23. Cur data lux vitæ *viro*, cui *circumdato* miseriarum *tenebris*, *abscondita est* & inaccessa *via*; qua possit ad lætam felicemque vitam pertingere?

¥. 26. *Nónne dissimulaui*, &c. patienter ferendo omnia priora mala, quæ seu ab hominibus, seu à Deo mihi illata fuerunt c. 1. ita Chaldæus. Quæ ergo causa tam grauiter me affligendi?

CAPVT IV.

Eliphaz arguit Iobum impatientiæ: conaturque ei persuadere, quòd propter peccata sua flagelletur à Deo, qui nulli innocenti aduersa immittat.

¥. 3. MANVS *lassus*, Id est, eos qui nimio labore, morbo, dolore, vel aduersa fortuna fracti, tardiùs aut segniùs officio suo fungebantur, opportunis monitis, alijsque remedijs excitatis & *roboratis*.

¥. 6. *Vbi est timor tuus*] nempe filialis ille, quo Deum, præ rerum omnium iactura constanter timere, eiusque placitis acquiescere solebas?

¥. 9. *Flante Deo*] seu naribus iram efflante, & immittente celerem vindictam. Solet verò *ira Dei* comparari *spiritui* seu vento, tum ob facilitatem, inquit Polychronius: tum ob vehementiam & celeritatem, inquit Chrysostomus. Simile habes Exodi 15. v. 10. Porrò

¥. 10. *Per leonem, leænam & tigridem* potentes & tyrannos designat, qui ciues & subditos suos deprædantur: sed tandem, Deo puniente, etiam ipsi ab alijs spoliantur, & non rarò cum filijs fame quoque consumuntur.

¥. 12. *Venas susurri eius*] Hebraicè, tenue quiddam & modicum ex eo, puta leuem sibilum vel auram tenuem. Significat Eliphaz se quidem de lapsu Angelorum accepisse diuinum oraculum, sed clanculum, & valdè accisum seu breue. Nam de diuinis ac cælestibus pauca nouimus, & paruas subinde guttas, non integra pocula haurimus.

¥. 15. *Cum transiret spiritus*, seu ventus, iudex & præcursor personæ Dei, per Angelum legatum suum apparituræ. Sicut & Eliæ factum 3. Reg. 19. v. 12. Subdit

¥. 17. *Numquid homo, Dei comparatione iustificabitur?*] Hebraicè, Deo iustior erit, aut iustior censeri poterit? quasi homo sit iustus & inno-

cens: Deus verò quia illum affligit, iniustus & nocens. A

℣. 18. *Ecce qui* in cæleſti palatio *ſeruiunt ei*, nempe angeli, *non ſunt ſtabiles* in bono & iuſtitia & virtute: tum quia non ſunt, vti Deus, naturâ ſuâ immutabiles: tum quia de facto plurimi cum Lucifero deflexerunt à bono ad *prauitatem*, ad inſaniam, ad miſeriam. ita Symmachus vertit, & explicant Athanaſius, Chryſoſtomus, Didymus & alij Patres Græci in Catena.

℣. 19. *Quanto magis* homines *qui habitant domos luteas*] puta corpus è luto & limo formatum, Geneſ. 2. Et ſimilem habes hominis periphraſin 2. Corinth. 5. v. 1.

Qui terrenum, ſeu ex terra, *habent fundamentum*, vel baſin, nempe corpus, quod quaſi baſis eſt animæ, vitæ, & hominis totius.

Conſumentur velut à tinea] tum phyſicè ſecundùm corpus, corruptione intrinſeca: tum moraliter ſecundùm animam, concupiſcentia, alijſque prauis motibus, quaſi tineis animam arrodentibus, & in peccatum, & ratione peccati, in mille miſerias hominem pertrahentibus. B

℣. 20. *De mane vſque ad veſperam*, id eſt, quotidie & continuò, ab ipſo primo vitæ exordio, donec perueniant ad veſperam, ſeu terminum vitæ, *ſuccidentur*] id eſt, ſenſim ad mortem tendunt, imò *naſcentes morimur*: & vita hæc potiùs mors longa eſt quàm vita.

Et quia nullus impiorum id *intelligit*, per conſequens nec prouidet, reſipiſcendo ac pœnitendo, *in æternum* damnati *peribunt*.

℣. 21. *Qui autem reliqui* eis *fuerint*, nempe poſteri illorum, nihilo parentibus meliores cautioréſve, etiam ipſi *non in ſapientia*, ſed in ſua inſipientia *auferentur* è medio, & ſimiliter æternùm C peribunt. His omnibus vult Eliphaz Iobo probare, nullius hominis ſeu naturam, ſeu iuſtitiam plenè ſtabilem ex ſe eſſe, hominemque varijs vt vitijs, ita & caſibus ac miſerijs obnoxium eſſe: &, licèt vitia ſeu peccata ſua homo ignoret, (vt mox dicet. Iobum ſua ignorare) Deum tamen, cui omnia patent, latere non poſſe.

CAPVT V.

Arguit Eliphaz Iobum iniquitatis, licèt non omnibus, & nec ipſi forſan notæ, propter quam à Deo flagelletur. Vnde monet, vt ſupplex Deo fiat, veniamq; precetur peccatorum: ita cuncta fore ipſi proſpera, exemplo aliorum Deo ſupplicum.

℣. 1. VOCA *ergo*] Id eſt, ſi mihi ex Dei reuelatione docenti, neminem innocentem plectià Deo, necdum credis; ipſemet Deum, vel Angelum, vel Sanctum aliquem inuoca, vt D contrarium, ſi verius ſit, tibi reuelet, ita S. Thomas, vel, ſi lubet, ex piorum numero ſaltem cita aliquem, qui contrarium ſeu verbo, ſeu exemplo ſuo nos doceat.

℣. 2. *Verè ſtultum interficit iracundia*, dum impatientia & cholera præferuida miſer contabeſcit. *Et parvulum* mente, Chaldæus *inſipientem, occidit invidia*] q.d. Vide & tu, ne ſtulto ſimilis ſtulta impatientia & inuidia contabeſcas.

℣. 3. *Firma radice*] Id eſt, familia ampla, bene ſana, & diuitijs fulta.

Et maledixit pulchritudini eius ſtatim] Id eſt, malè ominatus ſum, & mala vertici eius iam iam impendentia, vt præuidi, ſic & prædixi. Simile, Pſal. 36. v. 35. & alibi.

℣. 4. *Filij conterentur in porta*] Id eſt, à iudicibus & magiſtratibus publicà ſententiâ (quæ in portis vrbium ferri ſolebat) damnabuntur & ſupplicio afficientur.

℣. 5. *Armatus*, nempe miles aut prædo.

℣. 6. *De humo*, ſeu terra, *non oritur dolor*] ſupple. Sed ex peccato & praua voluntate. Vnde S. Gregorius, *Nequaquam pœna de ea naſcitur creatura quæ percutit, ſed de ea quæ peccando vim percuſſionis extorſit.*

℣. 7. *Homo naſcitur ad laborem*] non ad quietem vel gaudia, ſaltem in hac vita. *Quamobrem*, inquit, non obmurmurandum, ſed patienter *deprecandus* & exorandus Deus, qui laborum & dolorum omnium portus eſt tutiſſimus, & aſylum certiſſimum.

℣. 15. *A gladio oris*] Id eſt, à calumnia, quæ eſt quaſi gladius anceps.

℣. 19. *In ſex, & in ſeptima*] Hebraiſmus Poëticus. q. d. Etſi ſepties, id eſt pluries (*a*,) in omne genus mala incidas, ſemper liberabit te. Septenarius enim in Scripturis plenitudinem & vniuerſitatem ſignificat, teſte S. Auguſt. (*d*) Didymus, Anagogicè, inquit, ſex diebus huius vitæ varijs tribulationibus exercebit & eripiet te: & in ſeptimo, ſeu Sabbatho reſurrectionis, impaſſibilitate & gloria æterna cumulabit te.

℣. 23. *Cum lapidibus regionum pactum tuum*] Id eſt, non lædent te lapides, ſeu quos nudis (vt olim ſolebant) pedibus calcas: ſeu qui ſuperne decidui è montibus vel macerijs, periculum tibi creare poſſent. Non, inquam, lædent, perinde ac ſi pacto de non te lædendo, tibi obſtricti eſſent. Niſi malis per lapides *ſcopeliſmum* cum Pineda intelligere, proprium Arabibus. De quo ſic Vlpianus: *In Arabia* ſcopeliſmus *tale eſt crimen. Plerique inimicorum ſolent prædium inimici σκοπιλίζειν, id eſt, lapides* in agro *ponere indicio futuros, quòd, ſi quis eum agrum coluiſſet, malo letho periturus eſſet inſidiis eorum qui ſcopelos poſuiſſent; ita vt nemo deinde eum colere audeat*: q.d. Tibi, ô Iob, ſi Deo nitaris, eiuſmodi ſcopeli non nocebunt.

℣. 24. *Viſitans ſpeciem tuam*, id eſt, ſpecioſam, pulchram, ſplendidam familiam tuam, *non peccabis*, ſuperbiendo ex ea, vel vanè confidendo in ea.

℣. 26. *In abundantia* dierum & annorum, id eſt, in plena ſenectute morieris.

a *Simile Leuit.* 26. v. 28 *Ierem.* 15. v. 9. *Eccleſ.* 11. & 2. *Amos* 1. v. 3. *Prov.* 30. v. 15. 18. 21. 29.

b *Aug. l.* 11. *de Ciu. c.* 31.

Vlpianus l. Suot quædam. *ff. de extraordinariis criminibus.*

CAPVT VI.

Quæritur Iob ſe longè graviora pati, quàm peccatis ſuis ſecundum legem Dei ordinariam promeritus ſit, [illegible] tantos corporis animiq; dolores naturaliter [illegible] ſe diutius perferre. Queritur & ſe ab amicis deſeri: ac nominatim tres iſtos, cùm conſolaturi ipſum venerint, in [illegible] contrarium præſtare.

℣. 3. QVaſi *arena maris*] In Hebræo, Chaldæo, & LXX. eſt, *præ arena maris*. q.d. Calamitas notabiliter grauior appareret demeritis meis. Allegoricè, Paſſio Chriſti infinitè maior fuit omni demerito noſtro.

℣. 4. *Sagittæ Domini*, nempe plagæ, vlcera, vulnera: *Quarum indignatio*, id eſt, acrimonia, vehementia, frequentia: (nam hoc ſymbolum & ſignum eſt *indignationis* ſeu acris caſtigationis Dei, non ex odio, ſed ex amore profectæ:) *ebibit ſpiritum meum*] id eſt, exhauſit omnem animi & corporis mei vigorem.

℣. 5. *Numquid rugiet onager*, &c.] q.d. Nil mirum, vos non dolere, nec mihi condolere, ſed inſtar ferorum & ſilueſtrium aſinorum, ne tangi quidem

quidem sensu aliquo mearum miseriarum, cùm A omnia vobis sint prospera.

℣. 6. *Quod gustatum affert mortem*] Hebraicè & Chaldaicè, *saliuam albuminis oui*, quæ prorsus insipida est. Sed optimè Vulgatus per *saliuam* metonymicè *gustatum* (cuius præcipuum instrumentum est *saliua*) intellexit, & quidem *doloris*, aut *vulneris mortis*, seu lethalis, q.d. Ego multò iustiore ratione horreo & gemo, qui non modò insulsum aut insipidum cibum, sed planè mortiferum dolorem, non iam summis labris gustare, sed omninò deglutire & penitus exhaurire cogor.

℣. 9. *Soluat manum suam*, quæ iam quasi ligata, solùm lentè me vulnerat; dissoluta & libera percutiat me totis viribus, citoque interimat. Breuem enim mortem longæ morti præopto.

℣. 10. *Nec contradicam sermonibus Sancti*] quibus decernet & conabitur me simul & semel occidere: imò gratias agam pro celeri nece.

℣. 11. *Vt sustineam*, seu diu sustinere possim, B vires non adsunt.

Quis finis meus?] Id est, quàm longè adhuc distat mors, *vt patienter* illam exspectem? Nam ex tanta ægritudine naturaliter cogar citò morti succumbere.

℣. 13. *Necessarij mei*] Id est, amici proximi & intimi, quorum quia ope carere ægrè possumus, *necessarij* meritò vocantur. Pungit enim tres illos amicos, quòd in se acerbiores eos experiretur.

℣. 16. *Qui timent pruinam, irruet super eos nix*] Proverbium est, q.d. Qui minus incommodum immeritò subterfugiunt, meritò in grauius incurrunt. Sic amici mei qui me prætergrediuntur, ne vel tantillum malorum meorum sensum hauriant vel dolorem, forsan grauiores molestias ferre cogentur. Nam instar *niuis* non in spissam massam collectæ, sed

℣. 17. *Dissipatæ*, nempe mutuis discordijs, *peri-* C *bunt: & vt incaluerint* æstu & feruore divinæ indignationis & punitionis, subitò *soluentur de loco suo*] id est, excident pristina gloria & felicitate.

℣. 18. *Inuolutæ sunt semitæ gressuum eorum*] Id est, opera & negotia illorum implicantur multis peccatis, laboribus, molestiis, doloribus: ac tandem æterna damnatione inuoluuntur.

℣. 19. *Considerate semitas Thema, itinera Saba.* Id est, videte quàm pauci amicorum meorum in *Thema & Saba* habitantium, ad me inuisendum & solandum accurrant. Nempe, omnes pæne victi pudore, & contemptu deterriti, fugiunt me & auersantur. *Confusi sunt, quia speraui*] Id est, puduit eos infelicis & abiectæ sortis meæ, necessitudinisque qua mihi adstringebantur, & opem ferre co- D gebantur, quam iure merito, sed frustra *speraui*. In Hebræo, Chaldæo & Græco est, *quia sperauit*, supple, vnusquisque eorum se lucrum ex me, gaudium, solatium & gloriam capturum: sed iam spe sua frustrati dolent, lugent, confusi sunt.

℣. 25. *Quare detraxistis sermonibus veritatis*, seu quare fidem denegatis verbis verissimis? Hebraicè, *quare vim patientur verba mea?* Quod exponi potest; quare violenter irrumpitis in verba mea?

CAPVT VII.

Humana vita suasq; in primis, calamitates depingit: petitq; à Deo tantis malis citò exsolui.

℣. 1. MILITIA *est vita hominis*] LXX. πειρατήριον, id est, *locus tentationis*, vel, si mauis, *exercitium piratica*, aut *locus piratis infestus*. q.d. Mille periculis, mille conflictibus, mille mortibus, quotidie expositi sumus, sicut qui militiæ dant operam terra vel mari, innumeris vndique hostibus cincti. Vide S. Gregorium.

Et dies eius, seu vita tota continuis laboribus, molestijs, fatigationi obnoxia & adtricta est, *sicut dies mercenarij*] ad laborandum pretio conducti & obstricti. Sic enim paterno Adami & hereditario iure omnes adstringimur labori & dolori.

Vnde ℣. 3. *Habui menses vacuos* omni quiete & solatio, id est, tempora molestissima.

℣. 5. *Induta est caro mea putredine*, id est, computruit: Hebraicè, Græcè, Chaldaicè, *caro mea scatet vermibus*. *Et sordibus pulueris*] Hebraicè, *rameutis scabiei*, seu furfuribus, qui corpore scalpto decidebant, aliàs impetigine & pruritu cutem vstulabant.

℣. 6. *Dies mei* pristini, læti & prosperi, iam dilapsi & *consumpti sunt absque vlla* humana *spe* eos recuperandi. Quare ad te conuertor, ô Deus, qui omnia potes, & solus potes.

℣. 7. *Memento, quia* sicut *ventus*, sic citò transuolabit *vita mea*, tot malis iam pressa. Neque arte vlla vel industria, aut ope humana reddi possum pristinæ sanitati. Nec vmquam deinceps felicem aut sanum *me aspiciet visus hominis*.

℣. 8. *Oculi tui* ergo *in me* sint, Id est, benigno vultu me aspice, ô Deus, & quum decreueris me non liberare quibus premor doloribus, concede & indulge, citò vita defungar, & inter mortales diutiùs *non subsistam*.

℣. 12. *Numquid mare ego sum, aut cetus*, quorum vtrumque, ne terris noceant, *carcere*, id est litoribus, *circumdas* & coërces, quasi dicat: Adeóne tibi, ô Deus, videor ferus & noxius inter homines, vt instar insani maris, aut marinæ belluæ, debeam in corporis huius ærumnosi carcere tot plagis, tot doloribus violenter deprimi, vinciri, compesci?

℣. 14. *Terrebis me per somnia & per visiones*] tum naturaliter, (imaginibus diurnæ miseriæ noctu recurrentibus:) tum per dæmonem, (somnia terrifica fingentem, & phlegma & melancholiam commouentem:) tum per incubum. Vide Chrysostomum & alios Patres in Catena.

℣. 15. *Quamobrem elegit anima mea, & ossa mea*, seu corpus meum, id est, ego elegi, *suspendium*] Hebraicè, *strangulationem*; Chaldaicè, *suffocationem*. Sensus idem est, nempe, Præopto mortem, quantumuis miserrimam, maximeque infamem, vitæ tot doloribus refertæ. *Prolegom. de Idiotism. Hebr. n. 28.*

℣. 16. *Desperaui*, non de beatitudine æterna (de qua nullus hic sermo,) sed de vita & salute corporis, seu sanitate naturaliter recuperabili.

Parce mihi, Deus, nec me tam diris cruciatibus torqueas, enixè rogo.

Nihil enim sunt dies mei] Hebraicè, & Græcè, *vanitas sunt* dies vitæ meæ reliqui, id est pauciissimi & breuissimi ex se sunt; quid ergo ijs quasi accidendis, opus est tot tantisque cruciatibus & ærumnis?

℣. 17.

℣. 17. *Quid est* homuncio, *quia magnificas eum*, A seu tam magni eum facis, vt sicut antagonistam tibi opponas, cum quo quasi pari duello congrediaris, tela plagarum tuarum in pectus illius torquendo? *Ecce*, inquit Seneca, *par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus.*

Seneca lib. de Provid.

℣. 18. *Visitas eum diluculo*] Id est, initio demulces eum variis consolationibus & delicijs.

Et *subito*, subtractis ijs omnibus, *probare*, id est exercere, *illum* & tentare incipis mille afflictionibus, vt dixi v. 1.

℣. 19. *Vt glutiam salivam meam*] quam præ nimio pectoris æstu, & faucium siccitate, nec attrahere, nec transmittere possum, imò vix respirare possum. Putant aliqui, Iobum etiam queri de *asthmate & angina.*

℣. 20. *Peccavi*, vt amici obijciunt, & libens agnosco. Sed, ô *custos hominum*, qui singulari prouidentia inuigilas non perdendis, sed custodiendis hominibus; *quid faciam tibi?*] id est, quo B modo tibi satisfaciam iustè ac plenè pro admissis peccatis! Nam licet infinitas de me pœnas sumeres, tamen ijs omnibus in rigore iustitiæ tibi numquam fieret satis, nisi accedat infinita tua clementia, quâ mihi (intuitu meritorum Messiæ) ignoscas. Hæc enim vt in omni merito, sic & in omni satisfactione interueniat necesse est.

Posuisti me contrarium tibi, seu antagonistam, vt dixi v. 17. Sed tantum abest, ego tibi resistendo sim aut ferendo ictus tuos, vt *nihimetipsi grauis sim*, id est, meipsum, measque ipse miserias, dolores & cruciatus ferre diutiùs non possim.

℣. 21. *Ecce nunc in pulvere dormiam*, id est, in terram reuertar & resoluar, & *mane*, seu citò, deprehendar mortuus, & *non* amplius in vita *subsistens.*

CAPVT VIII.

C *Baldad Suhites Iobum quasi impietatis arguit, monetq; ad pœnitentiam se conuertat: sic omnia illi prospera fore: cùm Deus bona bonis, mala malis rependat.*

℣. 2. SPIRITVS *multiplex*] Hebraicè, *validus*? græcè, *multiloquus*: quo tanto verborum & rationum apparatu iactas innocentiam tuam, & quasi acculas clementiam & iustitiam diuinam.

℣. 3. *Numquid Deus supplantat*; Hebraicè, *corrumpit*, *iudicium*] An putas quòd tui vnius causâ deflectet à iustitia Deus, à qua nullius vmquam causâ deflexit?

℣. 4. *Dimisit* filios tuos *in manu*, id est, in potestate, *iniquitatis suæ*] vt nempe scelera eorum eos condigna pœna punirent, & merita morte afficerent. Hic Baldad mitius cum Jobo agere D videtur, quàm Eliphaz: iste enim peccatis ipsius Iobi; ille peccatis filiorum Iobi, aduersa hæc omnia adscribit.

℣. 6. *Pacatum reddet*] id est, omni prosperitate beabit: Hebræis enim *pax* omnem prosperitatem designat.

℣. 9. *Hesterni sumus*] Pro, nuper seu recèns nati sumus. Vnde multa *ignoramus*, id est, experti non sumus.

℣. 11. *Numquid virere*, seu crescere, *potest scirpus?* seu iuncus; LXX. *papyrus*: quæ planta est frequens in Ægypto, vt dixi Exodi 2. vers. 5. Huic comparat *hypocritam*, id est, fictum cultorem Dei: insinuans, filios Iobi tales fuisse, ac proinde punitos meritò fuisse.

℣. 14. *Non ei*, nempe Deo, *placebit vecordia sua*] pro eius, hypocritæ, vt sequitur.

℣. 16. *Humectus* scirpus seu iuncus, *videtur* initio, seu *in ortu suo*; hebraicè, chaldaicè, græcè, *in horto suo*, bene virens & *germinans*: sed *super petras* radicatus, quia *radices* profundiùs iacere non potest, ideoque eas in superficie petræ *condensat*; hinc solis ardore statim exarescit, absorpto omni quo antè fouebatur humore: adeò vt *loco suo* prorsus excidat, possitque locus ei *dicere*, *non novi te*: quia scilicet nullum tui supersit vestigium. Sic impius hypocrita initio videtur florens & felix: at mox marcescit; & iusto Dei iudicio, *alij de terra germinantur*, & in locum eius succedunt.

℣. 20. *Deus non proiiciet simplicem*, seu iustum & rectum: *nec porriget manum malignis*, id est, non iuuabit, non roborabit impios aduersus iustum: supple, sed roborabit & stabiliet iustum, (& consequenter te quoque, si iustus & simplex fueris,) aduersus quosuis alios aduersarios: ditabitque bonis omnis generis: *donec impleatur risu os tuum*] id est, ad plenum vsque risum & gaudium. S. Gregorius, Anagogicè per *risum*, intelligit iubilum proborum in die iudicij: per *confusionem*, ignominiam improborum.

CAPVT IX.

Admittit Iob, Deum per omnia iustum esse, nec posse hominem conuincere Deum iniustitiæ; cùm ipse, vt omnium Dominus, possit de omnibus pro libito disponere: Contendit tamen, Deum nihilominus percutere & affligere non solos impios, (vt volebant amici) sed & innocentes; innocentiam deinde suam demonstrat, simul & afflictiones exaggerat.

℣. 5. ET *nescierunt hi quos subuertit*] Id est, non præsciuerunt, non præsenserunt hunc montium casum accolæ, quos Deus terræ motu vel diluuio, ob peccata sua subitò inuoluit.

℣. 6. *Commouet terram*] non totam, sed partes aliquas, v. g. vrbes, montes, insulas aliquas terræ motu concutiendo.

Et *columnæ eius*, seu fundamenta, id est, ima terræ, simili motu *concutiuntur*] nempe extraordinario, & cùm placuerit Deo. Nam quod de naturali & continuo motu globi terrarum, docuere Pythagorici (*a*) Copernicus, & quidam alij, meras nugas esse docet Clauius noster, & Scripturæ (*b*) conuincunt. Semel terram totam conquassatam, & è centro diuulsam fuisse, nempe in passione Christi, docet hic Didymus: & rursus in fine mundi sic concutiendam, non improbabile putat * Cornelius à Lapide.

a *Tolle Plutarcho in Numa. & de Placitis Philosoph. Clauius in c. 1. Sphæræ.*
b *Psalm. 92. v. 1. Eccl. 1. v. 4.*
* *A Lapide in Isaiæ 24. v. 18.*

℣. 7. *Præcipit Soli, & non oritur*,] Allegoricè idem Didymus, vti etiam Athanasius & Olympiodorus in Catena hæc intelligunt de obscurato sole in passione Christi.

Stellas claudit sub signaculo] primùm diuinæ voluntatis & potentiæ suæ: dein etiam tempestatum & tenebrarum, quæ sunt externa signacula diuinæ potentiæ. Solet enim in (*c*) Scripturis *cælum* comparari *libro*, cuius *characteres* sunt *stellæ*. *Signaculum* sunt *tenebræ*, quibus nobis hic *liber* claditur. *Extenditur* verò, cùm sudum lucet, & stellatum prodit.

c *Isaiæ 34. v. 4. & Apocal. 6. v. 14.*

℣. 8. *Graditur super fluctus maris*] Metaphoricè, id est, imperat maris fluctibus: sicut eques equo imperat cui insidet. Simili phrasi dicitur Deus *ambulare* aut volare *super pennas ventorum.*

℣. 9.

℣. 9. *Arcturum, Oriona, & Hyadas*] Tres has constellationes sat cuiuis conspicuas vide in Sphæra Clauij vel aliorum Astrologorum.

Per interiora Austri intelligit absconditas & occultas *Australis* seu Antarctici poli constellationes, quæ solis Antipodibus nostris patent. Porrò per hæc quatuor constellationum genera synecdochicè intelligit omnes cæli stellas: atque in omnibus miram Dei potentiam sapientiamque deprædicat. nec *stellis* vult tribui *tempestates* aut *fatum*, sed ad *Deum* auctorem stellarum omnia vult referri. Sanctus Gregorius Allegoricè, per *cælum* Ecclesiam vult designari, Apostolos verò per *Arcturum*, seu *Booten*, qui circa *polum Arcticum*, post caudam vrsæ maioris semper immotus versatur: vnde & nomen habet Arcturi, quasi ab ἄρκτος, id est vrsa, & οὐρά, id est cauda. A Cicerone (*a*) vocatur Arctophylax, id est vrsæ custos, &, vt Plinius (*b*) loquitur, vim ordinaria maiorem & quasi diuinam habet in ciendis tempestatibus ac procellis, quod optimè in Apostolos quadrat. Per *Orionα*, nimbosum, hiemale & horridum sidus (inter Hyadas & Sirium, seu canem maiorem) iuxta frontem tauri ex trigesimo octauo stellis compositum, vult tyrannorum persecutiones, & ex his prognata Martyrum agmina denotari. Per *Hyadas* (seu *Pleiadas*, vt habent LXX.) septem stellas in capite tauri, indices pluuiæ, nuntias veris (vnde & *Vergiliæ* Latinis dicuntur) intelligi possunt *Doctores* Ecclesiæ, imbrem sacræ doctrinæ spargentes. Per *interiora Austri*, occulti *Angelorum ordines*, & secreti *patriæ cælestis sinus*.

a *Cicer l.2. de Nat.deor.*
b *Plin.l.18. c.28.*

℣. 11. *Si venerit ad me*, mihique benevolus adfuerit; *si abierit*, mihique malevolus defuerit: *non videbo, non intelligam*] id est, non certò sciam, non certò mihi innotescet.

℣. 2. *Si repentè interroget*] nempe raptum hominem (vt in Hebræo est) ad iudicium: interrogatumque & convictum iudicet ac puniat.

℣. 13. *Sub quo curuantur qui portant orbem*] Id est, sub cuius immensa celsitudine humiliter se inclinant tum Angeli, tum Principes, seu boni, seu mali: nam hi sua sapientia, potentia & imperio; quasi manibus & humeris, orbem sustinent. אדן Vndè Hebraicè, princeps vocatur *Adon*, id est basis: & Græcè βασιλεὺς, quasi βάσις λαῶν, basis populorum.

℣. 15. *Non credo*] Hebraicè, *non credam*. Id est, non ero certus me exauditum esse. Facit & hoc ad explicandam Dei infinitam & inaccessam maiestatem.

℣. 17. *Turbine*, id est subita calamitate, *conteret me, etiam sine causa*] seu culpa (quod sciam) à me data.

℣. 20. *Si iustificare me voluero*] Id est, si dicam, me nullum vnquam facere peccatum, & me per omnia iustum esse atque innocentem, mentiar profectò, & *os meum* hoc præsumptuosè iactans, arguet me, & exosum ac *damnabilem* coram Deo faciet, quasi dicat. Sunt occulta peccata, quæ pœnas semper merentur.

℣. 23. *Non de pœnis innocentum rideat*] Id est, non tam lentis longisque pœnis hominem sibi amicum exagitet, perinde ac si illis oblectaretur & gauderet; vt pulchrè docet Tertullianus, illum eximiè gaudere patientia iustorum, & ipsis tamquam pilis ludere, sed ipsorum lucro; nec cessare, quantumuis hic lusus ipsis molestus accidat.

Tertull. in Scorpiaco c.7.

℣. 24. *Terra data est* à Deo *in manus*, seu potestatem, *impij*, id est diaboli & ministrorum illius. Hic impius *vultum iudicum* terræ *operit*] id est, excæcat iudices, vt peruerso ordine bonos deprimant, malos attollant, quasi dicat: Hæc vna causa est afflictionis meæ & perturbationis bonorum. *Quòd si* impius *ille non est* horum causa; dic *ergo quis* sit causa?

℣. 26. *Pertransierunt quasi naues, poma portantes*, seu vehentes ad nundinas. Tales enim naues conciatissimæ sunt, tum ne poma putrescant: tum ne ab alijs mercatoribus præueniantur. Addunt LXX. *Quæ nullum sui vestigium relinquunt*: Tales enim sunt animi nostri.

℣. 27. *Cùm dixero*, seu animo proposuero, vestris obsecutus consilijs: *Nequaquam ita loquar* ampliùs, id est, non plangam amarè, non conquerar de miseria. Frustra, id est. Nam quò magis comprimo intus *dolorem*, tantò magis *torqueor*, adeò vt & vultus meus notabiliter immutetur. Atque ita quod verbis sileo, facie prodo: nec minuitur hac via, sed augetur dolor. Solatium enim est miseris posse flere & plangere. Nam (vt medici & experientia docent) dum dolet homo, excitatur spiritus vehemens in præcordijs: qui si intus comprimatur, auget angustias & dolores.

℣. 29. *Si & sic impius sum.* Id est, si post tam serium totius vitæ conatum, post constantem timorem Dei, adhuc impius sum, & iudicor, & vt talis punior (vti vos vultis) meritò sanè lamentari possum, quòd tota vita *frustra laborarim*. Neque tamen me iacto quasi prorsus innocentem coram Deo; quia quantumcumque me lateant meæ sordes, te tamen, ô Deus, nulla ex parte latere possunt: vnde *sordibus intinges me*, id est, intinctum ostendes, iusto & incorrupto iudicio tuo: adeò vt *& vestimenta mea abominentur me*, seu abominabilem ostendant. Id est, etiam foris & palam alijs omnibus appaream abominabiliter sordidus. Metaphora est à vestimentis desumpta, quæ corporis scabiem & saniem, cui tegendæ adhibentur, infectione sua produnt & palàm faciunt.

Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 58.

℣. 33. *Ponere manum suam in ambobus*] Id est, instar iudicis vtrumque, nempe Deum & me, reprehendere, apprehendere, diiudicare, & coërcere. q.d. Altior & potentior est Deus, quàm vt vel à me, vel ab alio quopiam possit in litem aut iudicium trahi: sed omnes ipsius tribunali & iudicio subiacent, & ipsum tamquam supremum Dominum meritò timent & pauent. Absque quo *pauore* esset, auderem ex testimonio conscientiæ pro mea innocentia aliquid Deo *respondere*.

CAPVT X.

Leniendo nonnihil dolori vias omnes tentat Iob; lamentatur, plangit, causas inquirit. Securus de sua innocentia, certus de diuina iustitia, se conijcit in sinum eius misericordiæ: sed propter exuberantiam dolorum mallet se numquam natum fuisse. Viuum est exemplum luctæ carnis & spiritus: partis inferioris & superioris.

℣. 1. DIMITTAM *aduersum me eloquium*] Id est, loquar liberè & conquerar contra meam miseriam, seu de mea miseria. spero id mihi fore aliquanto leuamini.

℣. 2. *Cur me ita iudices*] Metonymicè pro *punias*.

℣. 3.

℣. 3. *Numquid bonum tibi videtur si calumnieris me, & opprimas?*] id est, per calumniam opprimas, id est, iniustè mecum agas? q. d. Minimè hoc tibi placet: alienum id à tua bonitate, sapientia & clementia. Vnde mox vias omnes iniustitiæ, quibus terreni iudices corrumpi solent, à Deo amolitur. Optat ergo vel sibi insonti parci: vel certè significari, quam ob culpam, vel quo fine, quo fructu sic exerceatur.

℣. 4. *Num oculi carnei tibi sunt*, vt specie externa decipi possis, vt solent homines in iudicio?

℣. 5. *Num sicut dies hominis*, qui successiuè per partes, & post longa demum tempora veritatem cognoscunt, & de statu causæ certiores fiunt?

℣. 7. *Cum sit nemo*, &c. id est, cùm scirem certissimò neminem manus vltrices tuas vel oculos tuos euadere posse; timore tui deterritus, *nihil impium egi*.

℣. 9. *Memento quod sicut lutum feceris me*] Id est, miserere fragilitatis & vilitatis meæ. sum enim quasi fictile vasculum tuum, breuì *in puluerem* redigendum.

℣. 10. *Sicut lac mulsisti me, & coagulasti*] nempe in vtero matris meæ. Nam vt Plinius & medici docent, semen mulieris est instar lactis album, liquidum & diffluens: sed accedente virili semine, calore illius quasi coagulatur, consolidatur, & concrescit vt fiat embryo. *Plin. l. 7. c. 15.*

℣. 12. *Misericordiam tribuisti mihi*, id est misericorditer mecum egisti, mihique benefecisti, conseruando me in vita, nutriendo, piè educando. Nam *visitatio tua*, id est, suauis & blanda prouidentia, quam semper habuisti mei, conseruauit mihi vitam.

℣. 14. *Si peccaui*, pro, si peccata pristina sunt causa huius meæ afflictionis; *& ad horam pepercisti mihi*, id est, ad hoc vsque tempus distulisti punire illa mea peccata; *cur* iam saltem, quando id tam obnixè precor, non mundas *me ab* illa *iniquitate*, vt sic tollas & causam plagarum, & simul ipsas plagas? C

℣. 16. *Propter superbiam, quasi leænam capies me*, id est, videris me, sicut leænam insectari, & vt superbum, crudelem, rapacem exagitare. *Reuersusque*, id est, iterum atque iterum, *mirabiliter me crucias*] plagam plagæ superinducendo. Simili hebraismo *verbum* pro *aduerbio* ponitur psalmo 84. v. 7. *Conuersus*, id est iterum, *viuificabis nos*.

℣. 17. *Instauras testes tuos*, nempe flagella tua & *plagas*, vt vertit Pagninus: nam hæ testes videntur iræ diuinæ. *Et pœnæ militant in me.* Hebraicè, vice exercitus sunt aduersum me. q. d. Ilias malorum & pœnarum in me incurrit, & aliæ alijs denso agmine succedunt, vti solent in conflictu milites integri succedere fessis. Quare & ego fessus enixè rogo, v. 20. *Dimitte me*, & aliquid indulge quietis vt respirem nonnihil. D

℣. 21. *Non reuertar* ad hanc vitam, sed *vadam ad terram tenebrosam*] secundùm *corpus*, in sepulchrum: secundùm *animam*, in limbum. Poëticè describit regionem *mortis*, quæ vulgi opinione, tenebris, miserijs & horrore scatet, *neque vllus* ibi *ordo*, cùm neque ex ætate, neque ex censu, neque ex pietate, neque ex scientia, neque ex eloquentia, neque ex vllo certo capite citemur.

CAPVT XI.

Sophar tertius amicorum, multa recenset peccata, quorum reum facit Iobum & causas esse dicit afflictionum illius: Spondet tamen resipiscenti prospera omnia & secunda.

℣. 4. PVRVS à mendacio & peccato, id est verax, *est sermo meus.*

℣. 6. *Multiplex lex eius*, id est, multa exigens, multa præscribens, multis rationibus fulta, multum obligans: ac proinde multis quoque modis in eam peccatur. *Et multo minora exigaris*; id est, iusto minùs puniaris, *ab eo.*

℣. 13. *Tu autem firmasti*, seu obfirmasti, *cor tuum*, id est, obduratus manes in tua superbia, *& expandis sic manus ad* Deum] Quid mirum si ab eo non exaudiaris? Vbi contrà, si humillimè pœniteas.

℣. 17. *Meridianus fulgor*, seu plena prosperitas, *consurget tibi ad vesperam*, elapso iam æstu calamitatum, *& orieris vt lucifer*] id est, illustrior & lætior ipso lucifero. Hæc enim stella vtramque repræsentat fortunam; aduersam, cùm sequitur solem occidentem; prosperam, cùm præcurrit orientem. B

℣. 18. *Et defossus*, id est, etiamsi defodiaris in terram, vel in lacum coniiciaris leonum, *securus dormies*] spe opis diuinæ. S. Thomas, Dionysius, Liranus & Titelmannus cum plerisque alijs, id exponunt de sepulchro & morte. q. d. Etsi iamiam moriendum tibi: vel, etsi mortuus; tutus eris.

℣. 20. *Deprecabuntur faciem tuam*] Id est, eris in maxima dignitate & auctoritate apud omnes.

℣. 20. *Spes* impiorum *abominatio animæ*] Id est, *anima* impiorum in fine *opem* suam quam habuit, *abominabitur*, quando videbit, illam fuisse vanissimam & fallacissimam; prout graphicè describitur Sapientiæ 5. v. 6.

CAPVT XII.

Iob vt amicorum retundat iactantiam, ostendit, iam pridem sibi perspecta ea omnia quæ de Deo proferebant. Sed vicissim diuinam illis vindictam minatur, quòd insulto insultent, & simplicem rideant. extollit deinde diuinam potentiam, sapientiam & prouidentiam in vniuersi gubernatione.

℣. 5. LAMPAS, &c. Id est, vir iustus miserijs oppressus reuera est lucerna ardens & lucens, sed *contempta à diuitibus* superbis: *parata* tamen *ad tempus statutum*] id est, vt statuto tempore iudicij exaltetur, honoretur, & inter filios Dei æternum collocetur, Sapient. 5. v. 2. Quod S. Gregorius pulchrè hìc declarat.

℣. 7. *Iumenta docebunt te*] nempe Dei bonitatem, sapientiam, prouidentiam.

℣. 11. *Auris verba diiudicat, & fauces saporem*] q. d. Vt externo sensu statim percipiuntur sensibilia: sic intellectu, si quis velit attendere, facilè capiuntur intelligibilia, nempe Dei opera, & operum auctor Deus, maximè in adulta ætate, vt sequitur. Agebat enim iam tum Iob annum vitæ 70. vt dixi in Chronico c. 16.

℣. 13. *Sapientia, fortitudo, consilium & intelligentia*] Quatuor sunt equi, qui currum triumphalem diuinæ prouidentiæ trahunt: ante quem currum captiui in triumphum aguntur, & toti mundo spectandi ridendique proponuntur superbi *consiliarij*, iniusti *iudices*, impij *reges*, inglorij *sacerdotes*, de quibus in versibus sequentibus. Vide S. Chrysost. Ambros. Augustinum.

℣. 17. *Consiliarios*, seu viros prudentes, *adducit in stultum finem*, vt consilia dent vel fatua, vel quorum

rum exitum reperire non possint: *& iudices in stuporem*] id est, stupidos facit, & aliis stupori vt sint, ob infelicem eorum sortem, quam subeunt. Exemplo sit Achitophel 2. Regum 15. v. 31. & alij de quibus Isaias c. 19. v. 11. *Stulti consiliarij Pharaonis.*

℣. 18. *Baltheum regum dissoluit*, id est, gloriosam potestatem quâ alios vinciebant & premebant, aufert Deus à regibus: *& præcingit fune renes eorum*] id est, facit vt loco balthei, funibus in carcere vinciantur, vel in triumphum, vel ad mortem trahantur. Et his talibus *baltheus* verè est *bullatheus*: nam à bullis affixis *baltheum* nomen traxisse docent Varro & Pierius.

In hieroglyph. Bulla.

℣. 10. *Commutans labium veracium*] putà Prophetarum & doctorum: non quòd Deus iis suggerat aut inspiret falsitatem, vt Beza, & alij Caluinistæ blasphemant: sed quia permittit, cùm impedire posset: deserit, cùm iuuare posset: occasiones erroris obiici sinit, &c. vt dixi sæpè alibi. Simili modo dicit v. 24. Deum *decipere principes.*

℣. 21. *Effundit despectionem super principes*] id est, reddit maximè despectos & contemptibiles.

℣. 22. *Vmbram mortis*] Id est, densissimas tenebras commutat *in lucem* splendidissimam.

℣. 24. *Vt frustra*, nullo suo bono, sed maximo malo, *incedant per inuium*] id est per loca ignota, periculosa, exitialia. Sicut deceptus fuit *Pharao*, vt intraret *mare rubrum*, Exodi 14. Vide Isaiæ 29. v. 9.

CAPVT XIII.

Eiusdem argumenti est cum cap. præcedenti: nisi quod hic fortius vrgeat Iob suam innocentiam: rogetq; Deum, dignetur sibi aperire, propter quæ peccata vel alias causas tam grauiter affligatur.

℣. 3. *Disputare*, seu rationibus agere, *cupio*, non vobiscum qui in multis fallimini, sed *cum Deo*] qui infallibilis est veritatis.

℣. 7. *Dolos*] Id est falsas calumnias, quibus fingitis, Deum me pro solis peccatis meis tam acerbè affligere. q. d. Putatis Dei bonitatem & iustitiam non aliter à vobis defendi posse, quàm si me innocentem calumniemini?

℣. 8. *Faciem eius accipitis*] non causam sed personam respicientes, vt solent iniqui iudices, qui contra innocentem pronunciant pro eo qui, & quia potentior & honoratior est. Ita sanè facitis, sed

℣. 10. *In abscondito*, id est, rectè, latenter, fraudulenter: nam vt videamini fauere Deo, (quem timetis & suspicitis propter infinitam potentiam,) causam & iudicium meum subuertitis. Cuius rei non alium volo testem, quàm ipsum Deum: qui suo tempore *vos arguet* & puniet.

℣. 14. *Quare lacero carnes meas?*] Id est, quænam est causa, quòd ita vlulem & plangam, & mortem optando rogandoque, videar vobis instar furibundi dentibus meipsum discerpere velle. Est ergo metalepsis.

Et animam, seu vitam *meam porto in manibus meis*, quasi illius prodigus & pertæsus, illam cuiuis rapiendam exponam. q. d. Causa cur hæc faciam, non est *impatientia* vel *desperatio*, vt vos putatis. Nam vt sequitur *etiamsi occiderit me, in ipso sperabo*, id est, etiam in media morte spem certam fouebo, & cum Abrahamo, contra spem naturæ, in spem gratiæ credam. Hac *tamen* spe non obstante, *vias meas in conspectu eius arguam* id est, Deo qui falli non potest, probare conabor vitam meam honestam & probam fuisse. Patet ex v. 16. sequenti.

℣. 17. *Ænigmata mea*] Hebraicè, elocutiones, propositiones meas, quæ vobis videntur obscuræ quasi *ænigmata.*

℣. 19. *Qui iudicetur mecum*] id est, qui sententiam æqui iudicis vnà mecum subeat. Hebraicè, qui litiget mecum, coram iudice.

Quare tacens consumor?] Id est, cur instar rei & probati nocentis sileam, & sic moriar? & non potiùs innocentiam meam quibus potero vijs aperiam & defendam?

℣. 23. *Quantas habeo iniquitates?*] Id est, quot, qualia, quàm grauia admisi delicta?

℣. 24. *Cur faciem tuam abscondis?* cur detrectas intueri me, & respondere mihi? Nam si nossem delicti mei grauitatem, subitò etiam mihi innotesceret æquitas pœnæ pro illo mihi inflictæ. Sed iam ex silentio tuo videor meritò colligere posse, vel nullum esse delictum meum, vel admodum leue, saltem impar tantis pœnis. Nihilominus *arbitraris me inimicum tuum*] id est, sic tractas & exagitas me, ac si essem iuratus tibi hostis. Sed pugnas

℣. 25. *Contra folium*] q. d. Indignum hoc tua maiestate & potentia, vt manus conseras cum tam imbelli antagonista, folio & stipulæ potius comparando quàm robori vel cedro.

℣. 26. *Scribis enim*, more forensi, hoc est, instar iudicis, de scripto datâ sententiâ, pronuncias & decernis *amaritudines*, id est amaras pœnas & mulctas. *Et consumere*, seu perdere; *me vis peccatis adolescentiæ meæ*] id est, ob peccata iam pridem commissa, sed longa pœnitentia prolixisque operibus bonis plenè, vt putabam, compensata.

℣. 27. *Posuisti in nervo*, id est, in compedibus, in cippis, *pedem meum*] Nervus enim est lignum magnum quo pedes vinctorum stringuntur. Sic metaphoricè vocat Iob suas afflictiones & dolores, quibus secundum corpus & animam stringebatur.

Obseruasti] Hebraicè *Custodisti*, seu quasi custode apposito exploras quidquid ago. Periphrasis est arctissimi carceris, & strictissimæ custodiæ.

Considerasti, Hebraicè, notasti, & circumscripsisti, *vestigia mea*] ne scilicet loco vel tantillum moueri possim.

CAPVT XIV.

Fragilitatem deprædicat humanam, simulq; diuinam erga miseros prouidentiam: maximè quòd post hanc vitam arumnosam concedat alteram felicem, adeoq; & corporum quoque resurrectionem.

℣. 4. *Quis potest facere mundum de immundo*, supple Adamo, vel, vt Noster suppleuit, *semine conceptum?*] Non quòd semini insit aliqua qualitas quæ sua contagione animam inficiat, vt voluit Tertullianus; sed *causaliter* dicitur *immundum semen*, quia eo ipso quo causa est generationis hominis, facitque vt hic infans sit filius Adæ, censetur etiam causa immunditiæ originalis, quæ propria est filiis Adæ. Vide Scholasticos in l. 2. LXX. quos passim citat & sequitur Cyprianus, Leo, aliique plurimi Patres, legunt: *Quis mundus erit à sorde? Nullus, etsi vnicus dies vitæ eius in terra.* q. d. Miserere hominis tam miseri, vt peccati reus sit priùs quàm natus: vnde nec à seipso, nec ab alia creatura, sed à te solo iuuari, liberari & purgari potest.

Cypr. l. cont. Iudæos S. Leo serm. 1. de Natiuit.

℣.6. *Recede paululum*, id est, intermitte nonnihil cruciare & torquere miserum: *donec veniat optata dies* mortis, & quæ consequitur *vitæ æternæ*, qua fesso & laboribus doloribusque fracto dabitur & requies, & laborum merces, *vt mercenario*. ita Chaldæus & LXX.

℣.8. *Emortuus truncus*, vt apparet exterius, quia foliis spoliatus & aridus; rursum *germinare* incipit.

℣.9. *Ad odorem*, seu ad tactum & attractum aquæ. Est catachresis & enallage sensuum.

℣.10. *Homo mortuus vbi quæso est?*] q. d. Nusquam in mundo comparet, sed putrefactus in terra iacet.

℣.12. *Non resurget* ad hanc mortalem vitam, *donec atteratur*; hebraicè, prætereat vel, pereat, *cælum* nempe secundùm qualitates suas. Id est, non ante extremum iudicij diem.

℣.13. *In inferno protegas & abscondas me.* Id est, in loco & statu mortuorum, nempe *in limbo*, fac degam liber & procul ab his miseriis, quas *furor tuus* iam *transiens* & sæuiens in me immittit. Ibi *constituas mihi tempus*, nempe diem resurrectionis, *quo mei recorderis*; meque resuscites ad vitam meliorem, ita Gregorius, Chrysostomus & alij in Catena.

℣.14. *Putasne mortuus homo rursum viuat?* q. d. Supra naturam hoc est, & videtur incredibile. Tamen fide certò id credo: vnde continuò *exspecto mei immutationem*] putà per gloriam animæ & corporis.

℣.15. *Vocabis me* diuino imperio & nutu tuo, quum tibi placuerit: *& ego respondebo tibi*, non tam voce, quàm reipsa tibi parendo, & ad iussum & imperium tuum statim resurgendo: non meis viribus aut meritis, sed tua potenti *dextera* & consueta misericordia, quam de more *porriges operi manuum tuarum*] id est creaturæ tuæ, illam ex mortuis erigendo & excitando.

℣.17. *Signasti*, id est, obsignata & recondita habes in memoria tua, *quasi in sacculo*, peccata *mea*, *sed*, vt confido, iam *curasti* ea, remittendo & ignoscendo, propter pœnitentiam quam egi.

℣.19. *Et hominem ergo perdes*] q. d. Si montes & lapides tam duri, tam solidi, tamen naturæ mutabilitate paulatim pereunt; quid mirum si fragilis homo cadat?

℣.20. *Roborasti eum*, id est, hac lege vitam homini & robur das, *vt in perpetuum transeat*, id est, vt perpetuis alterationibus continuò immutetur, ac tandem moriatur, & ex hac vita in aliam *emittatur*. quod facillimo negotio curas, nempe *immutando faciem eius*] id est, inducendo vultui eius, adeoque toti corpori, alium colorem putà pallidum, cinericium & cadaueroſum.

℣.22. *Anima illius super semetipso lugebit*] Id est, ex omni eo quod in se sentit, dolorem hauriet & & mœrorem, quamdiu hæc misera vita durabit. Vnde vitæ tam miseræ, tam molestæ, merito prælego mortem quietam,

CAPVT XV.

Eliphaz arguit Iobum superbiæ, impatientiæ & blasphemiæ in Deum, in cuius oculis dicit neminem mundum aut innocentem inueniri. Describit deinde impiorum hypocritarum multiplicem nequitiam, terrorem, panam & maledicentem.

℣.2. *Numquid sapiens*, qualis esse & videri vis, *respondebit quasi in ventum loquens?*] id est, pro seriis reddet vana & impertinentia responsa? idque cum *ardore*, seu ira *stomachi*, id est mentis & animi, *suis*? Sicut enim stomachus concoquit & digerit cibum, sic mens meditatur, ponderat & designat verba & discursus.

℣.4. *Tulisti* de medio, vel sustulisti, *preces*] quia non vis Deo supplex fieri, sed audacter cum eo disceptas, quasi qui innocentes opprimat. Hinc tollis diuinam iustitiam, & consequenter *euacuas* eius *timorem* & cultum.

℣.11. *Grande*] Id est difficile.

℣.12. *Quid attonitos*, elatos, tumidos, *habes oculos*, vt solent attoniti?

℣.15. *Inter Sanctos eius*, id est angelos, *nemo* est *immutabilis* per se & ex natura sua. *Et cæli non sunt mundi*] quia polluti peccatis dæmonum, quos proinde velut sordidas fæces expuerunt. Vel metonymicè cum Chaldæo, *cæli* pro angelis cæli incolis, non sunt mundi comparatione diuinæ munditiei. Quia, vt rectè Dionysius, lux omnis & mundities creata, comparata increatæ, non videtur esse lux, sed solùm vmbra lucis. Et hoc sensu dicebat Christus, *Nemo bonus nisi vnus Deus*. Marci 10.v.18.

℣.16. Sicut *aquam* copiosissimè & auidissimè sine sensu aut metu mali haurit sitiens & febri æstuans æger; sic *homo* peccator concupiscētiæ siti accensus, *bibit iniquitatem* largissimo haustu, maxima copia, nullo obstaculo, nullo sensu mali, nullo metu pœnæ, summa animi voluptate, inquit S. Gregorius.

℣.18. *Non abscondunt patres suos*] Id est, citant auctores suæ assertionis & meæ, maiores suos. q. d. Est traditio antiquorum patrum, quod dicturus sum v.20. & sequentibus, nempè quod soli impij & tyranni affligantur à Deo. Videtur alludere ad Abrahamum & Isaacum, & illis coæuos patres.

℣.19. *Quibus solis data est à Deo terra*, nempe certa promissione. *Et non transiuit alienus per eos*] id est, nullus vmquam hostis prævaluit eis. q. d. Tam sapienter & fortiter omnia administrarunt, vt nemo eis nocere potuerit: vnde meritò credere debemus illorum tam sapiētum monitis & instructionibus.

℣.20. *Superbit* LXX. *est in curis* Hebraicè, *parturit*, seu instar parturientis est in magnis angustiis, vel ob hoc solum, quòd tempus *tyrannidis eius* sit *incertum*, timeatque omni momento præcisum iri.

℣.21. *Sonitus terroris*, strepitus vel leuissimus folij vento concussi terret miserum. Quod si de facto subinde in *tenebras* seu calamitates incidat, tam vili & abiecto est animo, vt mox desperet.

℣.22. *Non credens quod reuerti possit ad lucem*, seu felicem statum: *circumspectans vndique gladium*, quasi è seta equina supra caput pendulum, vt aiebat Siculus tyrannus Dionysius.

℣.23. *Cum se mouerit ad quærendum panem*, id est, cùm omnibus ingenij & industriæ

duſtriæ viribus, corraſerit undique ſibi ſuæque familiæ neceſſaria; & ſpolijs etiam vi extortis abundet; *nouit* tamen, & certò ſibi perſuadet, *quod paratus ſit in manu eius tenebrarum dies*] id eſt, quòd proximè ſibi inſtet dies exitij.

℣. 26. *Pingui ceruice*] Id eſt, arrogantia & obſtinatione in malo. Hæc enim ſola duo pariunt diuitiæ tyrannis cum pinguedine & gula: & his ſolis armis utitur tyrannus aduerſus Deum.

℣. 30. *Non recedet de tenebris*, id eſt, non euadet miſerias. Quin & *ramos*, id eſt proles eius, *arefaciet flamma*, & abſumet ignis tribulationis.

Et auferetur ſpiritu oris ſui] Hebraicè, eius, putà flammæ, vel *Dei*. q. d. Leui flatu tribulationis, vel ſolo imperio Dei tolletur de medio.

℣. 34. *Congregatio enim hypocritæ ſterilis* eſt. Id eſt, quidquid congregat impius, proles, opes, potentia, dignitates, euanida ipſis ſunt omnia nec duratura. Porrò inſinuat Eliphaz hæc ipſa omnia in Iobum quoque quadrare, qui cùm impius ſit (vt colligit ex pœnis quibus à Deo punitur) velit tamen pius haberi & iuſtus.

℣. 35. *Vterus eius*] Id eſt animus, ſeu mens parturiens ſemper impias inuentiones.

CAPVT XVI.

Iob amicis reponit, ſi ſuo loco eſſent, ſecùs locuturos. Explicat ſigillatim morbos & miſerias quas patitur citra meritum ſuum.

℣. 3. NVM *aliquid tibi moleſtum eſt ſi loquaris;*] q. d. Nulla moleſtia, nullo labore effutis temerè quidquid in buccam venit.

℣. 4. *Vtinam eſſet anima veſtra pro anima mea*] ſeu, vtinam vos eſſetis meo loco! Non quòd optem id vobis: ſed, ſi ita contingeret,

℣. 5. *Mouerem caput meum ſuper vos*] LXX. cum planctu: nempe ex compaſſione. Niſi malis per mimeſin hæc dici. q.d. Simili modo quo vos nunc me, ego tunc vos irridere poſſem, præ me ferendo verbis compaſſionem, ſed reuera ſubſannando. ita Chryſoſtomus.

℣. 6. *Quaſi parcens vobis*] Id eſt, quaſi leuans & minuens veſtrum dolorem.

℣. 8. *Omnes artus mei*, hebraicè, *omnis congregatio mea*, quod quidem de *familia* exponunt: ſed Noſter de *membrorum collectione* accepit? *in nihilum redacti ſunt*] Hyperbole, pro, viribus deſtituti ſunt, vlceribus & doloribus exeſi ſunt.

℣. 9. *Et ſuſcitatur falſiloquus*] q. d. Et cum his omnibus malis, etiam amici falsò me accuſant. Allegoricè, quadrant hæc omnia in Chriſtum patientem, cuius figura erat Iob.

℣. 13. *Tenuit* Deus *ceruicem meam*, ſicut tenet miles ceruicem gallinæ, & intorquens illam *confregit* ac diſcerpſit *me*. *Poſuit me ſibi quaſi in ſignum*, ſeu ſcopum, in quem omnia ſua tela conijciat. Simile habes Threnorum 3. v. 12. ita S. Auguſtinus & Gregorius.

℣. 14. *Effudit viſcera mea*] Hyperbolicè deſignat dyſenteriam.

℣. 19. *Terra ne operiat ſanguinem meum*] Id eſt, ne occultes afflictionem & miſeriam meam, qua conſumitur ſanguis meus & vita mea. q. d. Velim cælo & toti mundo notam eſſe calamitatem meam & cauſam meam: vt ſic conſtet de mea innocentia. ita Chryſoſt. Polychronius, Olympiodorus, qui etiam hoc referunt ad appetitum iuſtæ de hoſtibus vindictæ. S. Gregorius refert Allegoricè ad ſanguinem Chriſti, *melius clamantem* quàm *Abel*, *Genes. 4. v. 10.*

A nempe miſericordiam, non vindictam.

℣. 21. *Ad Deum ſtillat oculus meus*] Id eſt, cum lachrymis clamo.

℣. 22. *Vtinam iudicaretur*] ſeu, vtinam poſſet iudicio contendere, ſeu pari iure litigare! q. d. Poſſem facilè meam cauſam probare & iuſtificare.

℣. 23. *Ecce enim breues anni* mei iam *tranſeunt* & finientur. Id eſt, inſtat mihi mors. Vnde opto, ad mei memoriam, & exemplum aliorum, publicam meæ innocentiæ probationem & ſententiam, quæ etiam mihi in diuino tribunali, cui iam iſtar, vſui eſſe poſſit.

CAPVT XVII.

Ex arumnarum magnitudine & multitudine certam ſibi mortem imminere præſagit: vnde amicos increpat, qui bona præſentis vitæ pro præmio toties pœnitentiæ inculcarent. Mauult enim quietem vitæ futuræ.

B

℣. 1. SPIRITVS *meus* vitalis paulatim *attenuatur* & minuitur, & ſenſim ad mortem tendo.

℣. 3. *Pone me iuxta te*] Hebraicè, *pone fideiuſſionem meam tecum*, id eſt, fide iube, ſeu promitte, quòd apud te, & non apud homines, cauſa mea agetur? & tuo, non humano, iudicio cauſa definietur. Tum neminem timebo.

℣. 4. *Cor eorum*, nempe impiorum quorumcumque, contra quos pugnare paratum me dixi, *longè feciſti à* vera *Diſciplina*, ſeu ſcientia: id eſt, relinquis eos in illa ſua cæcitate, quâ putant neminem à te affligi, niſi qui te grauiter offenderit.

℣. 5. Qui *prædam pollicetur ſociis*, (ſicut vos mei amici feciſtis, qui non tam ad ſolandum me, quàm ad reliquias ſpoliorum meorum aduolaſſe videmini:) *oculi filiorum eius deficient* miſerijs & morte. C

תופת ℣. 6. *Exemplum ſum*] Hebraicè *Topheth*, quod Chaldæus & Pagninus vertit, *vallem Ennon*, ſeu *gehennam*, de qua dixi 4. Reg. 23. v. 10. Græcè eſt γέλως, id eſt *riſus*, ſeu ludibrium. q.d. Factus ſum fabula vulgi, & abominatio amicis meis, ſicut ipſa gehenna.

℣. 8. *Super hoc* quòd mihi innocenti & iuſto tantæ obuenerint miſeriæ, & tamen me tam fortiter ac conſtanter geſſerim aduerſus omnes impiorum & dæmonum inſultus; *ſtupebunt iuſti*, ſeu mirabuntur pij poſteri, *& innocens contra hypocritam ſuſcitabitur*] Id eſt, erigentur pij ut ſimili modo ſeſe impijs opponant.

Nota, *impios* hîc paſſim vocari *hypocritas*, quia vt plurimum tales ſunt: nam licèt mali ſint, volunt tamen & ſtudent videri boni. D

℣. 9. *Mundis manibus*, ſeu pijs manuum operibus, *addet fortitudinem*] q. d. De virtute in virtutem fortiter procedet: & quantò ab hypocritis magis ridebitur aut tentabitur, tantò ad benè agendum magis inualeſcet. *Gaudet* enim *patientia duris*: ijſque vt cote acuitur, teſte Apoſtolo Rom. 5. v. 3.

℣. 10. *Conuertimini*] nempe huc ad me, & ad verba mea.

℣. 12. *Cogitationes meæ* ſolicitæ & anxiæ, *noctem* mihi *verterunt in diem*, id eſt, faciunt me noctu æquè ac die vigilare: adeò vt nox mihi ſit inſtar ſtrepitoſi diei, nec vel tantillum quietis concedat. Vnde *rurſum ſpero*, & auidè exopto *poſt tenebras lucem*, vt pulſâ nocte redeat aurora leuamini mihi futura. q. d. Nulla vmquam mihi quies, nec die, nec nocte.

℣. 13. *Si sustinuero*, seu patienter toleravero, A vt vos monetis, & ego facio: non tamen restituar pristinæ vitæ & bonis prioribus vt pollicemini: sed quidquid egero, *infernus domus mea est*, breuî migrandum mihi erit, & corpore ad sepulchrum, anima ad limbum necessariò demigrandum: vbi *in tenebris* quasi in lectulo quiescam, vsque ad aduentum Messiæ.

℣. 14. *Putredini dixi*, &c.] q. d. Pro parentibus & cognatis qui me deserunt, alij me propinqui excipient, putredo & vermes, cum ijsque arctissima societate iungar.

℣. 15. *Vbi est ergo nunc præstolatio mea*, seu pristina felicitas, quam iubetis me præstolari? *& patientiam meam*, quam adeò mihi commendatis, *quis considerat?*] nempe vt eius merito me reducat ad pristinam fortunam.

℣. 16. *Putasne* in inferno *erit requies mihi*] q. d. Non & cadauer putrescet, & ossa dispergentur: anima verò diu cum tædio & gemitu in tenebris B cogetur aduentum Messiæ exspectare.

CAPVT XVIII.

Etiam Baldad pergit arguere Iobum impatientiæ & iactantiæ: describit impiorum pedicas & pœnas, vt inde probet, Iobum non nisi ob sua scelera puniri à Deo.

℣. 4. NVM *propter te derelinquetur terra*] q. d. An idcircò tanto *furore* seu impatientia quereris coram Deo & toto mundo, quòd putes te vnum omnibus eminere? & te cadente, *lucem*, gloriam, decus vniuersæ *terræ* simul tecum occasura? vt meritò Deus, ad hoc præcauendum, ne tu cadas, potiùs *rupes loco suo* mouere, leges impiorum vindices refigere, totumque vniuersi cursum inuertere debeat. ita Olympiodorus.

℣. 7. *Arctabuntur gressus virtutis*, seu potentiæ impij, id est, ita angustiabitur, vt non possit exequi C quæ velit.

℣. 8. *In maculis*, hebraicè, in implexo reti, *ambulat*] Nam retis oculi seu cancelli *maculæ* vocantur latinè; hispanicè, *malla*; gallicè, *mailles*. q. d. Sicut auis capta reti, ex vno filo eius, vel ocello, dum egredi conatur, in alium graditur, & magis sese implicat: ita impius captus reti concupiscentiæ suæ, ex vno vitio in aliud, ex vna macula in aliam transit, magis magisque sese intricando.

℣. 9. *Sitis*] Pro flamma concupiscentiæ: cui quò magis indulgetur, eò magis exardescit.

℣. 13. *Primogenita mors* vocatur, quia inter omnia mala principatum tenet quasi iure primogenituræ. Nam prima per peccatum Adæ inuecta est in mundum, adeoque quasi primogenita peccati filia & princeps, in regno peccati successit patri, & pro eo dominatur: & omnia alia mala ipsi tamquam dominæ & principi famulantur & viam sternunt. Simili modo vox *primogeniti* vsurpatur psal. 88. v. 28. & Nolter hic v. seq. sed explicans, *interitum* seu mortem, *regem* vocat.

℣. 15. *Socii*, seu sodales, hominis impij, *qui* iam amplius *non est*, id est, qui defunctus & mala morte extinctus est, *habitent in tabernaculo illius*, id est occupent & rapiant omnia bona defuncti, exclusis filijs alioquin heredibus. *Aspergatur in tabernaculo eius sulphur*] Id est, conflagret sulphure & igne domus impij iam ab extraneis spoliata.

℣. 16. *Radices eius siccentur*: id est, filij, familia, & stirps omnis à teneris vnguiculis contabescat & extinguatur, ne scilicet alia inde excrescere possit. *Messis* verò *eius*, id est, quidquid iam adultum est, *atteratur* & præcidatur.

℣. 20. *In die*, seu super diem, excidij *eius*, *stupebunt nouissimi*, id est infimi: vel posteri etiam post multa sæcula, *& primos*, seu primates, quoque *inuadet horror*] q.d. Omnes, nouissimi & primi, à minimo vsque ad maximum, horrebunt super plagis & horribili clade impij. Id S. Gregor. Allegoricè applicat excidio Antichristi.

CAPVT XIX.

Iob crudelitatis arguit amicos: fortiterq; contendit, se non propter sua scelera flagellari à Deo, sed propter alias iustas causas. Vnde solum, sed certa, resurrectionis spe se solatur.

℣. 3. DECIES, id est (a) sæpiùs *confunditis me*] seu confundere conamini. a Gen. 31. v. 41.

℣. 4. *Esto ignoraui*, (vt vos contenditis) multa eorum quæ iam effutitis; *mecum erit ignorantia mea*] quasi dicat. Mihi id vni nocebit, non vobis.

℣. 5. *At vos arguitis me opprobriis meis*] Hebraicè, *exprobratis mihi opprobrium meum*, seu afflictionem & miseriam meam, quæ me faciunt opprobrio esse alijs. q. d. Ex eo solo quòd affligar à Deo, arguitis me impium esse. Quod est petere principium, & velle gratis concedi quod ab alijs negatur. Nam, vt ego contendo,

℣. 6. *Deus non æquo iudicio afflixit me*] Id est, non pro mensura peccatorum meorum immisit mihi pœnas, vt vos contenditis: neque hoc spectauit, vt puniret de condigno peccata mea. Supple, sed longè alias causas habuit cur me ita torquendum putarit, æquissimas & iustissimas, quas vos vel ignoratis, vel dissimulatis. Et vt alia nulla esset, illa sola, quòd creator in creaturam suam plenum ius habet, illi ab omni iniustitia excusando sufficeret.

℣. 8. *Semitam meam*, seu vitam, conuersationem, actiones omnes meas, *circumsepsit* vallo miseriarum, quæ me vndique premunt, in quibus quasi in *tenebris* volvor.

℣. 12. *Latrones eius*] Id est milites, qui olim *latrones*, quasi *laterones* vocabantur, vt dixi 2. Reg. 4. vers. 2. Metaphoricè sermo est de agmine tribulationum & dolorum, de quibus cap. 1. & 2. suprà.

℣. 17. *Halitum meum* propter nimium fœtorem *exhorruit vxor mea*: & si qua re indigebam, *orare* & supplex fieri debebam *filiis uteri mei*; LXX. *filijs concubinarum mearum*, seu secundariarum vxorum. D Nam filij primariæ vxoris omnes interempti iam erant, c. 1. Symmachus vertit, *filios puerorum meorum*, seu nepotes meos.

℣. 20. *Derelicta sunt tantummodo labia circa dentes*] nempe absumptis genis & gingiuis. *Marasmum* id morbi genus Græci vocant, cùm toto corpore succo exhausto, ossa cuti præ siccitate adhærescunt.

℣. 22. *Quare carnibus meis saturamini?*] seu, videmini velle saturari? q. d. Ita me vexatis & conuitijs proscinditis, ac si velletis carnibus meis pasci, & voluptatem haurire ex mea miseria & afflictione. Vbi pulchrè comparantur obtrectatores vulturibus, utpotè qui quasi viuis pascantur carnibus vitæ & famæ alienæ. In Hebræo, Chaldæo & Græco est, *quare non saturamini carnibus meis?*

Ac si

Ac si dicat: Non vobis sufficit omnia mihi subtracta esse subsidia, solatia, diuina, humana; & me continuis doloribus ac miserijs prorsus exhaustum esse? necdum contenti, necdum saturi estis?

℣. 24. *Plumbi lamina*] Veteres solebant, vt ceratis, sic etiam plumbeis tabulis inscribere, & libros inde componere; quales in antiquis sepulchris iuxta Neapolim repertos testatur Georgius Fabricius, & ex eo Franciscus Valesius.

Valesius. S. Philosophia c. 49. Hier. ep 61. ad Pam. & in eam Victorin. Fran. Lucas not. 8. in B. hic.

Celte, instrumentum est sculptorium, quod *cælum*, à cælando vocari solet. ita Hieron. Marius Victorius, Calepinus & Franciscus Lucas. Chaldæus vertit, *in æternum*; S. Augustinus, *in testimonium*. Nempe celtè consignantur res quasi testimonio æterno. Optat ergo Iob, æternam statui memoriam sui huius agonis, afflictionis, constantiæ & spei, præsertim eius quam de resurrectione mox subiungit. Et obtinuit profectò quod optauit: nam libro hoc sacro longè certiùs quàm plumbi lamina, triumphus eius consignatus est æternitati, inquit Chrysostomus & Olympiodorus.

℣. 25. *Redemptor meus*, Filius Dei, *viuit* ab omni æternitate, nempe vita diuinitatis.

℣. 28. *Radicem verbi inueniamus*] id est, fundamentum, subiectum & occasionem insectandi eum verbis & rationibus, etiam falsis & calumniosis. Non quòd amici sic loquerentur in actu signato, sed in exercito: nam de facto sic se gerebant, ac si verbis condixissent se ita facere decreuisse.

℣. 29. *Fugite ergo à facie gladii*] id est, iræ & vindictæ diuinæ. q. d. Cessate insultare mihi, si non amore Dei aut mei, saltem terrore *iudicij* & vltionis diuinæ.

CAPVT XX.

Quia solent impij iusto Dei iudicio grauissimè puniri, & fortunu omnibus euerti, vti Iobo quoque iam contigerat: colligit Sophar, sed malè, Iobum impium fuisse, & suis sceleribus eas sibi pœnas accersiuisse

℣. 3. RESPONDEBIT *mihi*] seu in mei gratiam, & loco mei.

℣. 19. *Manus* impij *reddent ei dolorem suum*] Id est, punietur impius ob mala opera sua, & vim alijs illatam.

℣. 11. *Ossa eius* iam solidata & indurata *implebuntur vitijs adolescentiæ eius*. Id est vitijs, quibus puer assueuit, vacabit per totam vitam, vsque ad senium & vsque ad mortem. Et sic *cum eo in puluere dormient*] id est, cum eo quasi condientur in sepulchro: nam opera sequuntur morientes. ita S. Gregor. Olympiodorus & alij

℣. 12. *Cùm dulce fuerit in ore eius malum*] q. d. Ratio obstinationis in malo est impijs, quia inescati dulcedine voluptatis & peccati, tenacissimè illam in faucibus animæ suæ condunt & asseruant: sicut qui dulciaria gustant, illa auidè diuque lingua versant & faucibus retinent, vt diuturnior sit oblectatio. Vnde Philoxenus Erixeus, teste Aristotele, collum gruis sibi optabat, quo diutius sapore cibi frueretur. Sed falluntur miseri: nam

Aristot. 3. Ethic c 11.

℣. 14. *Panis verteturin fel.* q d. Deliciæ peccati, quibus vt melleo & sapido pane fruebatur, vertentur illi in fel *aspidum*, seu venenum, putà in tormentum conscientiæ, in exitium corporis & animæ.

℣. 16. *Caput aspidum suget*] Id est, pessimum & exitiale venenum, quale habet aspis in capite, & vipera in lingua, sibi suget peccator ex peccato. ita S. Gregorius.

℣. 21. *Non remansit*] Id est, nihil pauperibus relictum fuit de cibarijs impij: nam deuorat ipse cum suis omnia, nec micas pauperibus donat, instar Euangelici Epulonis, Lucæ 16.

℣. 23. *Vtinam impleatur*, supple citò, *venter eius*, & aqualiculus pro voto saginetur! Nempe, vt tantò citiùs à Deo puniatur, è medio tollatur, & alijs nocere desinat, vt sequitur.

℣. 25. *Eductus*, scilicet gladius Dei; id est, simul ac strinxerit Deus vindicem gladium suum, *vadent* impij in interitum, & *venient super* eos *horribiles*] nempe pœnæ, dolores, pauores, vt habent LXX; vel dæmones, vt alij.

℣. 26. *Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis eius*] Hebraismus, pro, omnes tenebræ illum abscondere non poterunt.

Deuorabit eum ignis qui non succenditur alimento terreno, vel flabello, vt noster ignis: sed semel *ab origine mundi* à Deo succensus, in seipso cum suis fomentis inconsumptibilis æternùm ardebit, Deo illum conseruante ad æternam impiorum punitionem. Vnde Chaldæus vertit, *ignis gehennæ*. Nec tamen solus impius deuorabitur, sed & quicumque fuerit *relictus in tabernaculo suo*, putà vxor, filij, familia reliqua, eius relicti heredes *affligentur* pari pœna. Significat, summam imminere vastitatem impio. Sicut alibi dicitur simili Hebraismo, *Clausi quoque defecerunt, residuiq; consumpti sunt.* *Deut. 32. v. 36.*

℣. 27. *Reuelabunt cœli iniquitatem eius*, quam conspexerunt, *& terra*, quæ monstrum hoc indignabunda tulit: *reuelabunt* scelera eius, nempe puniendo illa; *cælum* tempestatibus, *terra* infœcunditate. Vnde Olympiodorus putat, Sopharem tacitè exprobrare Iobo cælestem vindictam, quâ greges ipsius igne cælesti, domus & liberi aëreo flatu, oppressi fuerant, c. 1. De auibus vltoribus Ibici, vide Plutarchum. Allegoricè potest etiam applicari extremo iudicio, quando *terra* per horrendos hiatus & insolitos motus, & *cæli* per signa terrifica in *sole*, *luna* & alijs *stellis* quasi accusabunt impios, & à iudice Christo vindictam de eis deposcent. Metonymicè Chaldæus per cælos & terram, angelos cælicolas, & homines terrigenas intelligit.

Plutarch. de sera Numinis vindicta.

℣. 28. *Germen eius*, id est, fruges omnes impij & opes, *apertum erit*] id est, prædæ exponetur & à prædonibus auferetur.

℣. 29. *Hereditas verborum eius*] id est, factorum malorum, vel etiam blasphemiarum eius merces.

CAPVT XXI.

Errorem amicorum vt refellat Iob, docet impios plerumq; in hac vita prosperari, pios verò affligi. Vnde colligit, non rectè concludi impium se esse quia à Deo affligitur.

℣. 4. NVMQVID *contra hominem disputatio mea est?*] supple, nequaquam, sed contra Deum. q. d. Non est mihi quæstio, de offensione vel inimicitia hominum, quam parui penderem: sed de offensa Dei, quam si incurrissem, meritò contristarer & angerer.

℣. 13. *In puncto ad inferna descendunt*] Id est, subitò moriuntur; & sine longa infirmitate vel cruciatu transeunt ad locum mortuorum. Quale mortis genus optasse Iulium Cæsarem, & impetrasse, testatur Suetonius. Pertinet ergo etiam hoc, vti omnia præcedentia, ad prosperitatem impiorum quam exoptant. Vnde LXX. vertunt, *in requie inferni dormierunt*. Et ita exponunt Hebræi, &

Suet. in Iulio Cæs.

recentiores interpretes omnes, & Græci in Ca- A tena: Beda tamen cum S. Gregorio id ad pœnam impiorum refert, quasi ex hac vita, quæ est instar puncti, in æterna inferorum supplicia detrudantur.

℣. 16. *Non sunt in manu*, seu potestate impiorum, *bona sua*] Id est, non possunt illa firmiter & diu retinere, vtpote caduca & aliena. Vnde S. Gregorius moraliter, *Boni sua bona habent in manu, & possident tanquam domini: sed impij & auari à bonis suis tenentur & possidentur tamquam mancipia.*

℣. 17. *Quoties*, seu quotiescumque, *lucerna*, id est prosperitas & gaudium, *impiorum extinguetur*, variante fortuna: *& superueniet eis inundatio* iræ diuinæ, quæ instar torrentis exundabit in eos: *& diuidet* cuique (vt fit accumbentibus in mensa) *dolores* & pœnas quas quisque meretur; tunc *erunt sicut paleæ*, &c.] Psalm. 2. *sicut puluis terræ*, id est, instar quis- B quiliarum abijcientur.

℣. 19. *Dolorem* & pœnas *patris seruabit* quoque *Deus filijs illius*, vt, quemadmodum scelerum patris, sic & pœnarum participes & heredes fiant. *Et cum reddiderit*, ac de facto inflixerit pœnas filijs, *tunc sciet* & agnoscet iustam vindicis Dei manum. Multò enim magis mouentur parentes afflictionibus filiorum suorum, quàm proprijs.

℣. 20. *Videbunt interfectionem*] Id est, excidium, interitum absolutum, plenum, atque adeò æternum post hanc vitam. Alioqui

℣. 21. *Quid ad* impium *pertinet de domo sua post se?*] q.d. Parum curaret impius post mortem suam, quid obueniat familiæ suæ in terris, siue prosperum, siue aduersum: parum item curaret quòd vita sua, seu suorum, *dimidietur*, id est abbreuietur; si nullæ aliæ post hanc vitam supererent ipsi in inferno subeundæ pœnæ. Et hoc est primum argumentum, quo probat Iob pœnas posthumas inferni. Secundum est sequenti

℣. 22. Quia *Deus* iustissimus iudex sic voluit, sic statuit, sic decreuit. Idque iure merito. Et hoc est tertium argumentum, quia, vt C

℣. 23. Et sequentibus dicitur, id conueniens, imò necessarium est, vt impijs hoc in mundo ditibus, voluptuarijs, honoratis: pijs è contra pauperibus, afflictis, despectis, æqua & promerita sors ac præmia condigna aliquando reddantur, & saltem post mortem. Hoc enim exigit iustitia & prouidentia diuina.

℣. 28. *Dicitis: Vbi est domus principis?*] supple, *Iob 1. v. 3.* iniqui & impij Iobi, qui fuit princeps magnus inter omnes Orientales. q.d. Iustè à Deo palatium eius & omnis familia subuersa est.

℣. 29. *Interrogate quemlibet de viatoribus*] seu de triuio. q.d. Vulgares & plebeij sciunt nempe quod sequitur.

℣. 30. *Quia in diem perditionis* extremæ post hanc vitam, & æternæ, *seruatur malus*, nec semper in hac præsenti vita punitur.

℣. 31. *Quis* enim in præsenti vita *arguet coram eo viam eius?* q.d: Ne verbis quidem corripitur, vt plurimum, impius in hac vita: neque potest quis, vel audet, *illi reddere quæ fecit* mala, seu pro meritis punire.

℣. 32. *Ipse* secundùm corpus pacificè *ducetur ad sepulchra*, seu sepelietur: secundùm animam verò *in congerie mortuorum vigilabit*] id est, inter mortuos viuet in inferno: secundùm famam quoque in mundo viuet, probatus vulgò & glorioſus.

℣. 33. *Dulcis*, seu gratus admodum & amicus, *fuit glareis*, id est arenis seu glebis, *Cocyti*] LXX. *lapidibus torrentis*; Hebræus & Chaldæus, *glebis torrentis*. Ponitur enim hic species pro genere, *Cocytus* pro quouis *fluuio* vel *torrente*. Est verò *Cocytus* Arcadiæ fluuius, ex *Styge* promanans, quem esse inferorum fluuium Poetæ (ad quos hic Iob alludit) ideò finxerunt, quòd ad illam paludem solerent recondi in arenis, more tum recepto, cadauera defunctorum, vt mordacibus illius aquis citò exederentur. Glarea est terra propè fluuios arenosa & lapidosa, in qua cadauera recondebantur. Vnde Stuniga teste, Arabes sepulchra vocare solent *glebas* vel *glareas torrentis*. Sensus ergo est, delationem cadaueris impij ad sepulchrum non tam tristem & amaram esse, quàm lætam & dulcem, vtpote festis epulis & ludis conditam: vt ferè videatur deductio esse ad nuptialem thalamum: ac proinde non tanto sit impijs horrori. Nam quòd mors, horribilium omnium horribilissimum concomitetur & coniungatur; nil noui mali affert impijs, cùm *post se omnem hominem trahat, & ante se innumerabiles*, id est, omnibus siue bonis, siue malis, pari lege mors immineat, trahatque omnes subsequentes, sicut traxit omnes præcedentes. Cùm ergo omnia in hac vita cedant impijs, non item pijs, ex voto & animi sententia, certò inde colligitur. Primò, post hanc vitam vtrisque reseruari condignam retributionem. Secundò, non propter sola scelera homini aduersa immitti à Deo in hac vita. Vnde sequitur Tertiò, ex iis colligi non posse, Iobum impium & sceleratum esse, vt amici contendebant.

CAPVT XXII.

Eliphaz vt Iobum conuincat impietatis, enumerat sigillatim patrata ab ipso scelera: pœnitenti tamen prospera rursus omnia promittit.

℣. 4. NVMQVID *timens* Deus, ne scilicet illi noceas, aut illum erroris vel iniustitiæ conuincas.

℣. 12. *Super stellarum verticem sublimetur*] Cùm ergo visu nostro, quantumcumque perspicaci, non possimus assequi numerum, quantitatem, qualitates stellarum; quomodo assequemur potentiam, sapientiam aut excellentiam Dei, qui stellis longè sublimior est, & altissimorum altissimus, & prorsus inaccessus?

℣. 15. *Num semitam sæculorum custodire cupis?*] Id est, an insistere vis opinioni impiorum atheorum, qui superioribus sæculis ita impiè senserunt de Deo?

℣. 16. Quos *fluuius subuertit*] Id est aquæ diluuij, vt Hebræi: vel metaphoricè, impetus iræ & D vindictæ diuinæ.

℣. 20. *Succisa est* à radicibus *erectio*, seu superbia, *eorum: & reliquias deuorauit ignis*] nempe * Pentapoleos, inquiunt Rabbini. Vel metaphoricè, vltio diuina, vt S. Thom. exponit. * *Gen.* 19. ℣. 24.

℣. 23. *Si* per seriam pœnitentiam *reuersus fueris ad* Deum, *ædificaberis*] Id est, rursus instaurabitur pristina felicitas tua.

℣. 24. *Dabit pro terra silicem*, metaphoricè, id est, pro infirmitate robur; Chaldæus, pro puluere arcem munitam. *Et pro silice* dabit *torrentes aureos*] Hebraicè, *Ophir*. quasi dicat: Ea copia qua silices inueniuntur in torrentibus, dabit tibi aurum Ophir, seu præstantissimum, vt dixi 2. Paral. 8. v. 18. Qui verò

℣. 29.

℣. 29. *Inclinauerit oculos*, id est, qui se humiliauerit, *ipse saluabitur*] ita Chaldæus & LXX. Id est, ab omnibus malis quibus affligebatur, eripietur. Hebraicè est, *ipse innocens saluabit insulam*, vel prouinciam. q. d. Tanti meriti est apud Deum innocens vita iustorum, vt non se solos, sed & totam regionem saluent ac liberent. Sicut Ioseph Ægyptum, Moyses, Iosue, & tot pij iudices totum populum Israeliticum. Et huc alludere videtur Ezechiel c. 14. v. 14.

CAPVT XXIII.

Iob contra humanum iudicium, quo censebatur impius, optat diuinum iudicium, quo sperat se innocentem declaratum iri; neque conscientiam suam aliud sibi dictare.

℣. 2. MANVS *plagæ meæ*, id est, manus Dei, qua plagam hanc mihi inflixit, *aggrauata est super gemitum meum*] id est, grauior est quàm gemitus meus præ se fert aut prodit.

℣. 3. *Quis mihi tribuat, vt inueniam illum*, nempe Deum? Condemnatus enim iudicio hominum, prouocat ad Dei iudicium infallibile & incorruptum. Loquitur autem ἀνθρωποπαθῶς, seu more & conceptu humano, de Deo, quasi certo loco considente in *solio* ad ius dicendum.

℣. 4. *Ponam coram eo iudicium*, id est causam apud illum dicam, & ius atque innocentiam meam tuebor. *& os meum replebo increpationibus*] Id est, liberè eloquar amaras querelas, quas mihi iustus dolor & bona conscientia in os dabunt, seu suggerent.

℣. 9. *Per sinistram*, Septemtrionem; per *dexteram*, Meridiem intelligit. quasi dicat, Frustra prouoco ad tribunal & iudicium Dei, quia *lucem habitat inaccessibilem*, & à mortalibus adiri non potest, neque sententia eius sensu humano percipitur.

℣. 13. *Ipse enim solus est*] putà essentialiter & necessariò, vt ipsemet dixit Exodi 3. vers. 14. Vnde & solus est omniscius, & omnipotens, vt hîc sequitur. Hebraicè, *ipse est in vno*, id est, ipse in sua vnitate constans persistit, in suo decreto & voluntate stabilis atque immutabilis perseuerat, neque in vllius gratiam, vel ob vllius potentiam à vero vel iusto deflectet.

℣. 16. *Molliuit cor meum*] nempe, malleo tribulationum neruos & vires animi mei antè robusti ac solidi, valdè extenuauit: non tamen penitus elisit. ita Græci in Catena.

℣. 17. *Non enim perij* prorsus, nempe per blasphemiam vel desperationem. Licèt enim gemam & querar *propter imminentes*, imò incumbentes, mihi tribulationum *tenebras*: necdum tamen plena *caligo operuit faciem meam*, neque destitutus sum vsu rationis, aut lumine seu naturali, seu supernaturali: sed ope & gratia Dei erectus maneo fide & spe & charitate constanti in Deum.

CAPVT XXIV.

Ostendit occultam prorsus esse rationem prouidentiæ diuinæ, & gubernationis huius mundi: quippe qui sæpè etiam ad sæuissimam tyrannorum, latronum & adulterorum improbitatem diu admodum connineat, nec nisi futura vita cruciatibus puniat.

℣. 1. AB *omnipotente non sunt abscondita tempora*, nec quæcumque aguntur in tempore. Id est, Deus omnia perspecta habet: sed homines, etiam *qui nouerunt eum*, id est, etiam fideles & pij, *ignorant dies illius*] nempe æternitatem, inquit S. Gregorius. Vel melius, ignorant consilia & opera Dei, quæ per singulos dies exequitur, & rationes cur singula exequatur, vel ab alijs exequi permittat. v. g cur permittat vt prædones & tyranni impune

℣. 2. *Transferunt terminos* agrorum suorum, & sic vicinis suis partem adimant. Item vt ijdem prædones,

℣. 5. *Quasi onagri*, seu asini syluestres, qui liberi in deserto vagantur, excutiant iugum & imperium non modò principum & dominorum suorum, sed & rectæ rationis, & Dei. Quorum iniustâ violentiâ nudati viatores

℣. 8. *Amplexantur lapides*] Id est, applicant se saxis & rupibus, vt harum latebris tegantur ab imbribus.

℣. 10. Etiam pauperculis *esurientibus tulerunt*, pro abstulerunt, *spicas*, quæ solæ famelicis supererant. Et

℣. 11. *Inter aceruos* segetum, vel potius oliuarum, vel vuarum, quos tota nocte & matutino tempore rustici pauperes, magno labore aceruarant, & mulsum inde atque olæum expressérant, meridie raptores isti palàm inuadunt, & de alieno comessantes, *sitientes* & famelicos relinquunt miserellos *qui torcularia calcarant*.

℣. 13. *Rebelles lumini* diuino, & rectæ rationi: vel, vt Chaldæus, legi & inspirationi Dei.

℣. 14. *A primo mane* vsque ad vesperam inuigilat homicidijs, vt latrones solent: *per noctem verò erit quasi fur*] id est, in tenebris vacat furtis. Et hæc tanta latronum scelera intuens oculus diuinus, dissimulat tamen. Vt & adulterorum, qui

℣. 16. *Ignorauerunt lucem*] Id est, auersantur, fugiunt lucem & diem, ne sordes illorum prodant.

℣. 18. *Leuis est super faciem aquæ*] Id est, facilis, dissolutus, profusus, diffluens in libidinem, sicut aqua defluit in terram. ita Græci in Catena. Sic Genes. 49. v. 4. Rubeno dicitur, *Effusus es sicut aqua*: S. Thomas hîc & Symmachus legunt, *innatat aquæ* & Mariana, *traijcit aquas* maris & fluminum, vt suis obsequatur libidinibus.

Maledicta sit pars eius, seu ipse & opera eius, non solùm post mortem in inferno, sed & ante *in terra: nec ambulet per viam vinearum*] id est cultam, fertilem & latam. q. d. Non ditetur, sed spolietur omnibus opibus corporis & animæ, Moraliter, via vinearum, quia cliuosa, amœna, plena fructibus, designat viam ad cælum. ita S. Gregorius, S. Thomas & alij.

℣. 19. *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium*] Id est, hieme niuibus, æstate caloribus omnia exurantur. Moraliter, ab vna calamitate in aliam præcipitetur. Anagogicè, reprobi in inferno nunc frigore niuali (vnde alioqui stridor dentium, Matth. 25. vers. 30. & 41.) nunc * æstu igneo cruciabuntur. ita iidem cum Ven. Beda, Lirano & Titelmanno. * *Iudith vlt. v. 21.*

Et vsque ad inferos peccatum illius] Id est, pœna peccatorum illius continuetur tota vita, vsque dum descendat ad inferos, æternùm ibi cruciandus grauioribus tormentis.

℣. 20. *Obliuiscatur eius misericordia.* Poëtica prosopopœia. q. d. Ne ipsa quidem misericordia, licèt infinita, & natura sua misereri consueta, nempe Deus, moueatur compassione

erga tam impium. Sed omnis *dulcedo illius*, id est, A deliciæ & solatia illius sint *vermes*]intus conscientiam rodentes, foris cadauer absumentes.

℣.21. *Pauit enim*, Id est, depastus est, spoliauit, *sterilem*, satis alioqui per se malo sterilitatis afflictam.

℣.22. *Cùm steterit* in prospera fortuna, & scelerum effræni licentia, *non credet vita sua* sat cautum esse, quia mala conscientia semper meticulosa, etiam omnia tuta timet, vt suprà cap.15. v.21. Quin &

℣.23. *Oculi Dei sunt in viis* impij. Id est,intuentur, iudicant,& vt suo tempore puniantur, acta illius annotant.

℣.24. *Sicut summitates spicarum*] quæ scilicet primò tritura conteruntur, vt grana eliciantur: deinde granis vacuæ substernuntur pedibus iumentorum, & vngulis conculcantur.

℣.25. *Quod si non est ita.* Hebraismus, pro, *id non ita esse*, vel, *non ita se habere*, *quis arguet*, *& ponet ante Deum?*] Id est, accusabit coram iudicio diuino? B

CAPVT XXV.

Baldad ex infinita Dei sublimitate, & creaturarum vilitate, probat, hominem Deo comparatum, non debere, non posse, mundum censeri vel iustum.

Prolegom. de Idiotism. Hebr. n.41.

℣.2. POTESTAS *& terror*, hendyadis, id est, terribilis potestas,quia infinita, *apud* Deum *est*, *qui facit concordiam*, Hebraicè, *pacem*, *in sublimibus suis*] id est, in stellis & in Angelis, licèt illorum quasi infinitus sit *numerus*, quasi dicat: Ibi nulla est dissensio aut contrarietas,per consequens nec corruptio, qualis est in his inferioribus. ita S. Thomas hîc.

℣.3. *Et super quem* istorum sublimium militum & seruorum Dei, *non surget lumen illius?*] quis illorum non illuminatur eximiè à Deo? quis C non singularibus beneficijs à Deo afficitur? Et tamen

℣.5. *Ecce luna etiam*, si Deo diuinoque lumini comparetur, *non splendet*, imò nullum censetur lumen eius. *Nec stellæ* reliquæ *mundæ sunt in conspectu* Dei, seu comparatione munditiei & nitoris diuini, vt dixit c.4.v.18. Vnde rectè infert:

℣.6. *Quanto magis* immundus coram illo censebitur, *homo*, qui non est nisi *putredo & vermis?*] Id est, vilis,sordidus,infirmus & fragilis vt vermis, & vermium esca futurus. ita S.Augustinus.

August. epist.120.

CAPVT XXVI.

Respondet Iob, non egere Deum vano & imbecilli seu Baldadi, seu aliorum hominum auxilio, vt incomprehensibilis eius maiestas & potentia innotescat. Sat innotescere nobis per eius effectus & opera vera stupenda. D

℣.3. CVI *dedisti consilium?*]Ironia est,q d.Deum vis instruere, quomodo ipse pro se contra me causam agat?

℣.5. *Ecce Gigantes* tempore Noë, *gemunt sub aquis* diluuij,*& qui habitant cum eis*] id est, omnis *familia*, &,vt Chaldæus vertit,omnis *exercitus* illorum. Allegoricè, dæmones in tartara deturbati, in centro terræ gemunt sub aquis, seu sub abysso aquæ quæ permeat viscera terræ.ita S.Gregorius S.Thomas & Liranus. Sic passim Scriptura (*a*) infernum vocat locum gigantum.imò & Gentiles,teste Macrobio.

℣.6. *Nullum est operimentum perditioni*] Id est,perditio,seu mors & infernus,occultari Deo nō potest.

℣.7. *Qui expendet Aquilonem*, ventum maximè procellosum:vel Aquilonarem cæli partem:synecdoche, pro toto cælo: *super vacuum*, seu *super nihilum*] id est, super nullis columnis aut alijs fulcris. Quamquam ipsum spatium in quo cælum extensum est,verè etiam sit per se vacuum,& ex se nihil.

℣.9. *Tenet vultum solij sui*] Id est, occultat quando vult faciem seu speciem cæli, hoc est, id quod sudo & sereno cælo nobis apparet. Dicitur verò solium Dei, quia Deus in eo quasi in palatio & throno regali gloriam suam & seipsum ostendit. ita Olympiodorus.

℣.10. *Vsque dum finiantur lux & tenebræ*] seu vicissitudo diei & noctis, id est, vsque ad finem mundi.

℣.11. *Columnæ cæli*, id est,firmamenta & robora cælorum,*contremiscunt* tonitruis, fulguribus, & orbis concussione. Tum enim videntur quasi columnæ vniuersi vacillare,& loco moueri. Allegoricè S.Gregorius & S.Thomas id de angelis cælorum motoribus exponunt, vt hic locus respondeat alteri suprà cap.9.v,13.Sequitur.

℣.12. *Percussit* Deus *superbum*] supple elementum istud,nempe *mare*: cuius ferociam solo nutu suo repressit, & etiamnum littoribus quasi frænis coërcet.

℣.13. *Obstetricante*,id est,creante, *manu eius,eductus est* è suo nihilo, seu productus est, *coluber tortuosus*] Id est *circulus* in cælo *lacteus*, ob variè intortas stellas figuram habens colubri, inquit Vatablus;vel *Zodiacus*,vt Franc. Valesius;vel *sidus draconis*,iuxta vrsam maiorem,vt Stuniga,vel *anguis* iuxta Arcturum; vel *hydræ* iuxta leonem, vt alij volunt.Sed simplicius exponendum videtur de quouis *colubro* naturali, maximè marino: vnde Chaldæus vertit, *Leuiathan*, seu balænam. Ex balænis enim non minùs quàm ex cælorum fabrica solet Dei potentiam Scriptura commendare.LXX. ver- *Gen.1.v.1.* tunt, *præcepto eius interfectus est draco apostata*, scilicet Lucifer cum suis interijt interitu seu damnatione æterna. Et sic Allegoricè exponunt S. Gregorius, S.Thomas,Liranus & alij. Moraliter idem dæmon Dei gratia educitur è mentibus pœnitentium.

℣.14. *Stillam sermonis eius*] Id est, minimum operum Dei.Est metaphora in voce *stillæ*: metonymia in voce *sermonis*. Sic *tonitru* metaphoricè designat *terrificam maiestatem* Dei, quam nemo potest *intueri* oculis mentis,id est, intelligere.

CAPVT XXVII.

Pergit Iob fortiter inculcare suam vitæ totius innocentiam: & causas affert cur adeò studuerit illi fouenda & conseruandæ. & primò,quia impios nihil boni manet post hanc vitam.

℣.1. PARABOLA sermonem grauem & sententias eruditas significat. Vnde & Salomonis sententiæ, parabolæ vocantur.

℣.2. *Deus abstulit iudicium meum*] putà ordinarium, seu ordinariè cum mortalibus vsurpari solitum.Chaldæus, *abstulit regulam iudicij mei*; quia scilicet, non iudicauit me iuxta morem legum ordinariarum, quæ solos peccatores seu delinquentes affligunt.

℣.5. *Absit,iudicem vos esse iustos*, seu æquos iudices,in eo nempe,quòd me damnatis iniquitatis.

℣.7. *Sit vt impius, inimicus meus*] Id est, quia hac in parte mihi *aduersatur*, habendus est impius & iniustus; quia falsò me accusat peccati, ex hoc solo quòd me affligi videat.

℣.8. *Quæ est enim spes hypocritæ?*] LXX.impij: q.d.

a Prou.9. v.18. & c.21. v.16. Sap 14 v.6. Isaiæ 26. v.14. Macrob. 1. Satur.c.20.

q d. Si impius & hypocrita fuissem, quomodo potuissem tam constanter in Deum sperare? quod tamen me perpetuò feciſſe, vos ipsi testes estis.

℣. 11. *Docebo vos per manum Dei*, id est, Deo benè iuuante, *quæ Omnipotens habeat*] id est, quæ sint occultæ viæ & secreta iudicia Dei: & consequenter, rationes cur subinde etiam innocentem affligat: simul etiam cur ego tanta semper cura studuerim me ipsi exhibere innocentem.

℣. 12. *Ecce, vos nostis*] q. d. Incipio ab ijs quæ vobis & omnibus nota sunt, nempe à diuina prouidentia vindice acerrimo impiorum: de qua vos hactenus tam multa declamastis, sed sine causa vrgente aut necessitate, & ideò in vanum. Quorum tamen similia, ne videar secùs sentire, paucis repetam.

℣. 25. *Viduæ* impij, interitum mariti vel filiorum *non plorabunt*] nempe planctu publico & solemni, qui ad honorem defuncti, & solatium viduæ & familiæ superstitis, adhiberi solet ingenti impensa. Sed defectu mediorum id non licebit viduis impiorum, quantoscumque illi thesauros in viuis iniquè corraserint. Iusto enim Dei iudicio fit, vt quod magno labore corraserunt, vsui veniat non ipsis, aut ipsorum posteris, sed alienis, & subinde quos pessimè oderant *iustis* ipsis & *innocentibus*, vt dicitur v. 17. è quorum spolijs ipsi se ditarant. Atque ita impio & tyranno accidere solet, quod *tineis*, seu vermibus & erucis, v. g. quæ sericum subministrant.

℣. 18. *Sicut* enim *tineæ*, seu vermis, *ædificat domum suam*, inuoluens se in folia arborum non suarum, eaque contrahens, & in ijs sese euiscerans, sibi in ijs domicilium facit, sed vix confecto domicilio, decerpitur, abijcitur, & diuulso serico, vermis iam in tineam transmutatus, pede calcatur & conteritur: simili successu sese exenterat impius assiduis curis & laboribus, corradens vndique quæ potest; sed heredem relinquit non quem voluit, sed quem maximè horruit.

Et sicut custos pomorum vel vuarum in autumno *fecit* sibi *umbraculum*] quod exiguo tempore vsui illi fuit, nec tamen in ipsius, sed in alienos vsus.

℣. 19. *Aperiet oculos* mentis in morte, *& nihil inueniet*] nihil sibi vtile, commodum, fructuosum ex omnibus opibus vel operibus suis.

℣. 20. *Apprehendet eum quasi aquæ inopia*, id est, vndique magna copia, maximo impetu in eum irruet & obruet, idque *nocte*] id est, insperato, cumque serius erit, nec spes supererit aut effugij, aut remedij.

℣. 21. *Tollet eum* de medio *ventus vrens*] id est, morbus & mors, quæ instar *venti vrentis* vehementissimi, *& turbinis* impetuosissimi, ac validissimas etiam quercus subuertentis, euellet impium & prosternet.

℣. 22. *Fugiens fugiet*] Id est, celerrimè aufugiet, vita & omnibus opibus suis valere iussis.

℣. 23. *Stringet manus*, quicumque pœnam & exterminium impij viderit vel audierit. Hebraicè, Græcè & Chaldaicè est, *plaudet complosis manibus*, nempe præ admiratione, irrisione & subsannatione. His, inquam, & alijs similibus impiorum pœnis deterritus, caui semper mihi ab omni grauiore peccato, & vitæ morumque innocentiam perpetuo foui.

CAPVT XXVIII.

Secundam hic causam recenset Iob, cur adeò studuerit semper innocentiæ, quia hæc vnica via est ad obtinendam veram sapientiam: quæ licèt in Dei sinu occulta, inaccessa & inscrutabilis maneat, homini tamen particula illius aliqua communicatur per sincerum timorem Dei. Qua particula iubetur in hac vita contentus esse; integra sapientia fruiturus in futura Dei visione.

℣. 2. *Lapis solutus calore, in æs vertitur*] Hebraicè, *æs effundit*, vt ad oculum patet in fornacibus seu æris, seu ferri, in quibus lapides metallici vi ignis liquati, effundunt æs vel ferrum, quod in ipsis latuerat. de quibus vide Plinium, Galenum, Dioscoridem & Valesium, quasi dicat: *Auri, argenti, ferri, æris*, & omnium sequentium *mirabilium* locus, origo & materia inuentu sunt facilia: sed non ita *sapientiæ*, de qua vers. 12. & seqq.

Plin. l. 37. c. 10. Galen. l. 9. Simplicium. Dioscoridis l. 5 c. 10. Vales. S. Philosoph. c. 49.

℣. 3. *Lapidem caliginis*] Id est, lapidem sepulchralem, inquit Mariana: alij, gemmas & lapides pretiosos. Sed malim vniuersim applicare omnibus lapidibus metallicis, qui idcircò *caliginis*, seu caliginosi & *vmbræ mortis*, vocantur, quòd in profundissimis specubus densissimisque tenebris, quasi in vmbra mortis absconditi iaceant, quasi dicat. Etiam hos Deus videt, & suo tempore eruderat & profert in lucem: certa tamen quantitate, pondere & mensura: neque semper ad libitum fossorum: nam sæpè dum minimè cogitant, ignis è saxo vel terræ venis erumpens, aut, vt sequitur.

℣. 4. *Torrens* aquarum ebulliens, *diuidit* quæsita & optata metalla *à populo peregrinante*, id est à fossoribus, qui plerumque peregrinis & pauperibus constant. Hic ergo *torrens* facit, *vt pes egentis hominis*, fossioni incumbentis, *oblinescatur eos*, id est, non sequatur votum aut desiderium illorum, id est, non possit vlterius fodiendo transire.

℣. 6. *Locus sapphiri lapides eius*. Id est, locus quidam in terræ visceribus est, cuius *lapides* sunt *sapphiri*, *& glebæ aurum*: sed *semitam*, vers. 7. ad ea ducentem, *ignorat* non modò homo, sed & *vultur*, & lynx, quantumcumque oculatissimæ & rapacissimæ aues. sed soli Deo nota est semita, qui illam suo etiam tempore pandit.

℣. 9. *Ad silicem* in quo latent, *extendendo manum suam*, eumque frangendo, & subinde *à radicibus* diuellendo, idque vel vi naturali fulminis, aut terræmotus, vel miraculo, etiam riuos & flumina ex eis educendo. Nisi malis hæc referre ad improbam mortalium auaritiam, qua etiam per rupes viam ferro pandunt, montes exscindunt, aurum & gemmas eruunt pæne ex inferno. q. d. Hæc omnia, quantumcumque inaccessa & imperuestigabilia videantur, aliquando tamen seu naturæ sagacitate, seu diuina reuelatione patefiunt & in manus veniunt. Sed non ita sapientia: cuius vt summum particula quædam, & quasi vestigium, subinde singulari Dei lumine & dono hominibus obtingit. Ita Methodius, Alexander, Dionysius & alij in Catena.

℣. 13. *Nec inuenitur in terra viuentium*] Ita Hebræa, vbi *suauiter*, non additurque: quamquam in idem redeat.

℣. 15. *Non dabitur*, quasi condignum pretium, *pro ea aurum obrizum*, seu præstantissimum, q. d. *Ophirizum*, de quo dixi 2. Paral. 8. v. 18. Sequitur,

℣. 17.

℣. 17. *Vel vitrum*] Ita etiam LXX. Pagninus A cum pleriſque Hebræis vertit, *adamantem*, *vitrei coloris, incredibilis duritiei gemmam; Chaldæus, *ſpeculum*; alij, cryſtallum.

*Prolegom. de Idiotiſm. Hebr. n. 11.

℣. 18. *Trahitur autem ſapientia de occultis*] nempe cælorum ſedibus, è ſinu Patris, ſeu, vt ait Apoſtolus Iacobus, *à Patre luminum*, à quo naſcitur increata Sapientia, Verbum Patris, quod cauſa & fons eſt omnis creatæ ſapientiæ, vt ait Baruch cap. 3. verſ. 12. & ſeqq. Vnde Gentiles fabulantur de Prometheo (ſic dicto ἀπὸ τῆς προμηθίας id eſt prudentia) quod auxilio Mineruæ cælum aſcenderit, faculaque in ſole accenſa nonnihil luminis ſeu ignis ad homines, quos è luto plaſmarat, animandos detraxerit. De quo Plutarchus & alij.

Iac 1. v. 5. & 17.

Plutarch. in Protagora.

℣. 22. *Mors & perditio*] Id eſt, mortui & perditi in inferno. Allegoricè, qui in limbo ſunt patres, quantumcumque longæui hîc fuerint & docti; damnati item & dæmones, quantumcumque ſagaces; non niſi exiguam habuerunt ſcientiam, & notitiam veræ ſapientiæ. Sed ipſa tota penes ſolum Deum eſt, in cuius ſinu delitescit. B

℣. 27. *Tunc*, ſeu ab initio creationis mundi, *vidit illam*, id eſt, viſibilem fecit Deus ſapientiam, per ſuos nempe effectus, per quos & angelis & hominibus innoteſceret, ſaltem ex parte. *& enarrauit eam*, ſeu reipſa declarauit cælo & mundo. *& præparauit*, nempe tam hominibus, quàm angelis, ſapientiſſimè omnia & elegantiſſimè condendo & ornando. *& inueſtigauit*, id eſt, exegit, requiſiuit ab omnibus ratione vtentibus, vt eam agnoſcerent, agnitam venerarentur, obſequerentur & parerent in omnibus. Hic enim finis & ſcopus eſt omnis elegantiæ & ornatus cæli & terræ, omniumque creaturarum, vt nempe ex ijs, tamquam ex libris diuinitatis (vt aiebat Triſmegiſtus) diſceremus Dei ſapientiam, eamdemque laudaremus, coleremus, ſeruiremus. C

Allegoricè, S. Gregorius hæc exponit de Filio Dei, qui eſt incarnata Sapientia; quam *vidit* Deus, quia ſpiritus eſt: *enarrauit*, quia Verbum: *præparauit*, quia remedium: *inueſtigauit*, quia occultum.

℣. 28. Et *dixit homini*] Ac ſi dicat: Noluit homines eſſe pro libito cenſores ſuæ ſapientiæ: ſed ſolos ſpectatores effectuum eius, & humiles adoratores & ſeruos illius. Quæ ſeruitus in timore Dei filiali conſiſtit, & vitæ puritate: *Deum time & recede à malo.* Ita ferè S. Thomas & interpretes. Simili periodo etiam Eccleſiaſtes librum ſuum concludit. *Deum time, & mandata eius obſerua.* D

S. Tho. 2. 2. quæſt. 45. Eccleſ. 12. v. 13.

CAPVT XXIX.

Iob vt refellat quæ Eliphaz cap. 22 ſigillatim affinxerat Iobo ſcelera, ſigillatim recenſet virtutes ſuas, quibus ab adoleſcentia perpetuò emicuit; ſed quæ iam, defectu virium & mediorum, & multitudine miſeriarum, occultabantur: vnde optat priſtina reſtitui felicitati, quò rurſum palam innoteſcant.

℣. 3. LVCERNA *& lumen eius*, id eſt fauor & benignitas Dei, me inſtar ſplendidiſſimæ facis illuminans, docens, dirigens, & proſperans, *in tenebris* omnium dubiorum, difficultatum, moleſtiarum.

℣. 4. *Secreto*, id eſt familiariter, quaſi amicus, conſiliarius, ſecretarius, *erat in tabernaculo meo*] res omnes domeſticas meas dirigens, protegens, ſecundans.

℣. 6. *Lauabam pedes meos butyro*] Eſt metalepſis. quaſi dicat: Tanta mihi erat gregum & armentorum copia, vt lac inde mihi & butyrum copioſiſſimum proueniret, imò inſtar aquæ abundans, potuiſſemque, ſi voluiſſem, pedes eo, loco aquæ lauare: nec vel tantillo damno mihi fuiſſet. Simile habes Geneſ. 49. verſ. 11. & Deuter. 33. verſ. 25.

Et Petra fundebat mihi riuos olei] Id eſt, maximam oliuarum & olei copiam proferebat mihi non modò ager fœcundus & cultus, ſed etiam petroſus, ſaxoſus & incultus: Deo ſingulariter omnia benedicente.

℣. 7. *Procedebam* inſtar ſupremi iudicis *ad portam*, in qua exerceri ſolebant iudicia. *Et in platea*, ſeu foro publico, *parabant mihi cathedram*, tamquam principi & omnium domino. Iob 2. v. 3.

℣. 8. *Iuuenes* præ reuerentia *abſcondebant ſe.*

℣. 11. *Oculus videns*, id eſt, quotquot me videbant, *Teſtimonium reddebant mihi* prudentiæ, æquitatis, integritatis.

℣. 13. *Benedictio perituri ſuper me veniebat*] Id eſt, qui vel ſuo infortunio vel aliena malitia perire debuiſſet, mea ope liberatus, me benedicebat.

℣. 15. *Oculus fui cæco, & pes claudo*] Id eſt, ijs qui vel ignorantia, vel imbecillitate iudicij ſibi ipſis conſulere non valebant, aderam ſapienti & fideli conſilio. Et qui propter inopiam facultatum, vel amicorum penuriam progredi & expedire non poterant, eorum negotia promouebam & confecta dabam.

℣. 17. *Conterebam molas iniqui*] Id eſt, potentiam & auaritiam impij, quibus quaſi molaribus, ſeu lapidibus, ſeu dentibus, ſubditos conterere ſolet, ego præuertens contriui, etiam vi & armis, ſi quando eſſet opus.

℣. 18. *Dicebamq́*, animo, ſeu cogitabam fore: *In nidulo meo moriar*] Id eſt, ſuauiter & quiete in patria & palatio meo, fortunis & liberis meis pro voto fruens, in bona ſenectute lætus exſpirabo.

Et ſicut palma multiplicabo dies] Palma enim maximè longæua eſt; & perenni fronde viret: Chaldæus vertit, *ſicut arena*. & hoc propriè ſignificat Hebræum *chol*. Quamquam etiam ſignificet *phœnicem*, vt hîc vertit R. Salomon, Pagninus, Mercerus, & quidam alij. Et hoc optimè quadrat præcedenti, *In nidulo moriar*. LXX. vertunt, *vt truncus φοίνικος*: quod licèt S. Auguſtinus & Olympiodorus de trunco palmæ accipiant, alij tamen de corpore *phœnicis* auis exponunt: quaſi dicat: In ſimilitudinem auis phœnicis per mortem in cinere carnis, velut in nido, ad tempus moriar, ſed inde reſurgam quaſi phœnix in vitam & gloriam æternam. חול

Dices, Fictitia & fabuloſa eſt illa auis. ita Vlyſſes Aldrouandus & quidam moderni. Reſpondeo Primò, id valdè incertum eſſe. Nam, vt Pierius ait, omnium veterum auctorum conſtans eſt ſententia, veram eſſe auem, & mortuam renaſci. Et Geſnerus in eam rem citat Manilium, Herodotum, Lactantium, Claudianum, Suidam, Philoſtratum, & plures alios. Imò Tertullianus, Ambroſius, Albertus Magnus, adeoque & Ægypti phœnicem proferunt in argumentum & ſymbolum reſurrectionis. Reſpondeo Secundò, etſi fabuloſa eſſet auis, poſſe nihilominus comparationem ab ea deſumi: vt deſumimus à chimæra, à Cerbero, à campis Elyſijs.

Vlyſſ. Aldrou. opere de Auibus. Geſner. de Animalib. Tertull. l. de Reſurrect. c. 13.

℣. 19.

℣.19. *Radix mea aperta est*] Solent enim coloni A per hiemem remouere terram, vt radice liberalius aquam fugant arbores. q. d. Sugebam plenis buccis continuò aquam diuini fauoris.

℣. 24. *Non credebant*] supple, me ridere, sed aliquid serij in risu meo latere arbitrabantur. Tanta erat modestia mea, & de me opinio.

Et *lux vultus mei non cadebat in terram*] Id est splendor, auctoritas, maiestas mea non minuebatur, nec contemnebatur propter risum.

℣. 25. *Eram tamen mœrentium consolator*] q. d. Maiestas vicissim de humanitate & comitate nihil detrahebat.

CAPVT XXX.

Recenset intolerabiles miserias, quibus loco pristinæ felicitatis nunc obruitur.

℣.2. QVORVM *virtus manuum*, id est robur, B industria, seruitium quotidianum quod mihi præstabant, nihili æstimabatur, vt qui *vita putarentur indigni*] Hebraicè, *super quos periit senium*, id est, qui ætatem & vitam inutiliter exigebant.

℣.3. *Egestate steriles*] Hebraicè, *solitarij*, seu sine liberis.

℣. 6. *Habitabant super glaream*, seu terram lapidosam & sterilem, vt dixi cap. 21. v. 33. Idem

℣. 8. *In terra non parentes*] Id est, non audentes comparere, vel lucem aspicere: nempe homines nihili, terræ filij, &c. qui olim nec ausi fuissent, vel à longè sub oculos meos venire, nunc *faciem meam conspuere non verentur*, utpote hominis monstrosi, execrabilis & abominabilis. Nec possum tamen ipsos compescere, aut à me depellere. C

℣. 11. *Frænum enim posuit* Deus *in os meum*] Id est, coercet, continet, impedit me. neque ampliùs ea auctoritate polleo, qua solebam tales terrere, & in officio continere.

℣. 12. *Ad dexteram orientis*, seu exortus mei; id est, prope, iuxta ortum meum. q. d. Simulatque Dei benignitate deueni ad summam felicitatem, quasi filius eius recèns natus; mox inuasit me agmen *calamitatum*, non secùs ac solent rami circumdare truncum arboris, aut lictores deprehensum reum.

Pedes meos subuerterunt, vt caderem in terram: & corruentem *oppresserunt semitis*, seu pedibus, *suis, quasi fluctibus*] Id est, continuis & nouis semper calumnijs, dolis, iniurijs exagitant me.

℣. 13. *Dissipauerunt itinera mea*] Hebraicè, *destruxerunt semitas meas*, scilicet, vt nulla per quam D effugiam via superfit.

℣. 17. *Qui me comedunt*, nempe pediculi & alij vermes, *non dormiunt*, numquam cessant me arrodere. Alij metaphoricè id exponunt de febribus, alijsque doloribus & calamitatibus seu corporis, seu animi.

℣. 18. *Quasi capitio tunicæ*] Hebraicè, *quasi os tunicæ*; Græcè, *circumorale*, quod os seu collum undique cingit & stringit; ita & vermes me vndique cingunt & arrodunt.

℣. 19. *Comparatus sum luto*, propter vlcera, saniem & sordes: *& fauillæ & cineri*, propter furfures decidentes.

℣. 21. *Mutatus es mihi in crudelem*] id est, in seuerum, austerum. Quod humano more loquendi est esse *crudelem*.

℣. 22. *Super ventum ponens*] id est, loco altissimo, ex quo decidens, *eliderer*.

℣. 24. *Verumtamen non ad consumptionem*, seu, vt penitus consumar, putà etiam secundùm animam. nam hæc est immortalis. *& si corruerint*, seu morte occubuerint, *ipse salubis*] id est, suo tempore rursus excitabis. Hebraicè, *si in contritione*, seu dum morte conteruntur, *clamor eis* adfuerit, id est, ad te clamarint, te inuocarint. Græcè est, *vtinam possem* (supple; bona tua venia) *meipsum occidere, aut alium rogare vt hoc mihi præstet!* Innuit intolerabilem dolorum acerbitatem, inquit S. Ambrosius, Augustinus, Basilius, Chrysostomus, Olympiodorus & alij in Catena. *Ambr. l. 2. de Interpellatione.*

℣. 28. *Mœrens* fui *sine furore*: nam patienter tuli quantoscumque cruciatus: etsi præ nimijs doloribus cogerer, etiam *in* promiscua hominum *turba clamare* & eiulare. Quod in viro graui & constanti signum est extremæ anxietatis.

℣. 29. *Frater* enim *fui draconum & struthionum*] LXX. pro draconibus habent *sirenes*; Olympiodorus legit, *instar alcyonum & vlularum*. q. d. More istorum animalium, præ nimijs doloribus vlulabam, sibilabam, stridebam. *Isaiæ 13. v. 22.*

CAPVT XXXI.

Enarrat plures alias virtutes suas, quibus à puero assuenit: remouens scelerum à se suspicionem, quæ semper exhorruit: denique Deum ipsum citat & optat iudicem suæ innocentiæ.

℣.2. *Quam partem haberet in me Deus?*] Id est, quomodo habitaret in me, quomodo mihi sua gratia & fauore, quasi filio & heredi adesse vellet Deus? q.d. Soli casti sunt filij, heredes & templum Dei: impuri dæmonum sunt cloacæ, & inferni mancipia, longè *alienati* à Deo, v. 3. & *perditi* æternùm.

℣.6. *Sciat*, seu scire se demonstret *simplicitatem* & innocentiam *meam*] nempe iusta sententia sua illam declarando.

℣.12. Adulterium *ignis est vsque ad* plenam, imò æternam, *perditionem deuorans*: nam instar flammæ absumit omnia corporis & animi bona, opes, famam, honorem, amicos, valetudinem, vitam præsentem & futuram, *& omnia eradicans genimina*] nempe posteros & legitimam stirpem, quæ vel non subnascitur, vel nata, ab offensis seu hominibus, seu Deo exstirpatur.

℣. 21. *In porta*] Id est, in publicò iudicio, cùm iudices fauerent meæ causæ aduersus pupillos; non tamen eos violentè oppressi, aut debitum extorsi.

℣.27. *Sole fulgente* aut *luna, si lætatum* hebraicè, *si lactatum* (vt legit Ribera) vel, vt alij, si deceptum *est cor meum*, vt nempe putarem, illa sidera deos esse: atque in signum reuerentiæ & adorationis, (cùm non possem ipsa sidera contingendo, vel è propinquo osculando adorare,) *manus meas* è longinquo versus ipsa protenderim, & mox quasi luce illorum perfusas *osculatus sim*] Ita Rabbini, Mercerus, & S. Thomas. De hac adorandi cæremonia vide S. Hieronymum, Minutium, Apuleium & Plinium. Alij explicant metaphoricè fulgorem solis & lunæ lætam fortunam & prosperos successus: quos dum quis suæ industriæ acceptas fert, dicitur *osculari manum suam*, quasi fontem & causam tanti boni, vt faciebat Nabuchodonosor, Daniel. 4. Ita ferè Chrysostomus, Olympiodorus & alii in Catena. *Hieron. l. 1. cont. Ruff. Minutius in Octauio, Apul. in Apolog. & l. 4. de Asino Plin. 28. c. 2.*

℣. 30. Neque *expetij animam*, seu vitam, *eius qui me oderat, maledicens* ei, id est, malum aliquod ei impre-

imprecans: licèt ille tam proteruè, tam indignè A me iniuriis inceſſeret, vt *viri tabernaculi mei*, id eſt domeſtici mei, *dicerent*, *Quis det de carnibus eius vt ſaturemur?*] id eſt, optarem eum dentibus ſuis diſcerpere ac deuorare. Eſt enim hoc extremi odij indicium, vt dixi c. 19. v. 22. Ita Paulus Burgenſis, Stuniga, Varablus, Rabbini, Philippus & Olympiodorus in Catena. Alij tamen, vt S. Chryſoſtomus, Liranus, Titelmanus & S. Thomas id accipiunt vt ſymbolum amoris, q. d. Domeſticis meis tam amicum, tam ſuauem me exhibui, (in Græco additur, *Cùm valde bonus* ipſis *eſſem*,) vt carne mea, ſeu corporis mei præſentia nil eis gratius accideret, eáque ſatiari nequirent: ita mihi affixi, vt artus meos abſorbere, meque intra ſua viſcera rapere peroptarent. Idem Allegoricè S. Thomas applicat Euchariſtiæ. Nota. In Hebræo & Chaldæo, præpoſita negatione legitur, *Non ſaturabimur*. Ac ſi dicant: Niſi carnibus eius paſcamur, numquam ſaturabimur.

Iob. 19. v. 22

Chryſoſt. in Catena.

S. Thom. in Officio Corporis Chriſti.

B

℣. 33. *Si abſcondi quaſi homo*] Hebr. *ſicut Adam*. Id eſt, ſi peccata mea celaui vel excuſaui, ſicut olim *Adam*, & ſicut quiuis alius *homo* ſolet, ex innata ſuperbia & hypocriſi.

℣. 34. *Si expaui ad multitudinem*, quo minùs pro iuſtitia pronunciarem: *& terruit me deſpectio propinquorum*: nempe cùm me calumnijs, aut etiam conuicijs, inceſſerent propinqui eius cui cauſam abiudicabam. *Tacui* tamen ad illa & diſſimulaui: nec præ pudore aut impatientia *egreſſus ſum oſtium ad illa fugienda*.

℣. 35. *Quis mihi tribuat auditorem*, ſeu cognitorem & iudicem Deum; *& ipſe librum ſcribat*, nempe proceſſus & cauſæ meæ? q. d. Ex eo libro pateret palàm mea innocentia. Quare fidenter eum circumferrem *quaſi coronam* honorificam.

℣. 37. *Per ſingulos gradus* (hebraicè, greſſus) *pronuntiarem*, ſeu prælegerem illum, etiam coram C quouis *principe*, quantumcumque potente & præcellente. q. d. Adeò præfido cauſæ meæ, vt nullius tribunal, ne Dei quidem, ſubterfugiam: imò ſponte ad eum appellem.

℣. 38. *Si terra mea*, ſeu agri à me poſſeſſi, *aduerſum me* pro alio iuſto domino, cui illos eripuerim; *clamant* vindictam: aut *ſulci deflent*] id eſt, agricolæ mercenarij & operæ queruntur de non ſolutis ſtipendijs; maledicat Deus omnibus frugibus meis. Hac porrò imprecatione, ſimulque ad Deum appellatione finit Iob orationem ſuam pro innocentia ſua, Deo eiuſque prouidentiæ reliqua committens.

CAPVT XXXII.

Feſſis iam & cedentibus tribus amicis, quartus incipit Eliu, inflans ſe longè aliis & validioribus argumentis conuicturum Iobum: ſed, vt ex progreſſu patebit, nec validioribus, nec nouis argumentis, ſed ſolis verborum nouis ampullis Iobum aggreditur. Eſtque insignis typus ſuperbiæ, inquit S. Gregorius.

℣. 1. EO *quod iuſtus ſibi videretur*] neque pateretur ſibi contrarium perſuaderi. LXX. pro *ſibi* habent, *ipſis*. q. d. Tandem amici rationibus Iobi perſuaſi, innocentem ipſum eſſe, conticuerunt deinceps. Cùm filum reſumit

℣. 2. *Eliu Buzites*, ex progenie *Buz*, filij *Nachor*, fratris *Abrahæ*, Geneſ. 22. v. 21.

De cognatione Ram] LXX. *Aram*; adduntque, de *Auſitidis regione* fuiſſe, in qua eadem erat terra *Hus* patria Iobi, vt vidimus cap. 1. v. 1. Chaldæus vertit, *de cognatione Abrahæ*; alij appellatiuè vertunt, *de cognatione illuſtri*: nam *ram* illuſtrem ſignificat. Rectè & verè omnes. Sed falsò Hebræi putant, hunc *Eliu*, *Balaam* fuiſſe qui tempore Moyſis maledixit Iſraelitis: nam *Eliu* cum *Iobo* longè antiquiores ſunt Moyſe, vt patet ex Chronico c. 16.

℣. 8. *Spiritus*, id eſt *inſpiratio Dei*, vt ſequitur: vnde Chaldæus vertit, *ſpiritus prophetiæ*. q. d. Non cani, non ſenium, non longa vita dat veram ſapientiam, & rerum intelligentiam, ſed ſolus Deus. ita Olympiodorus.

℣. 13. *Ne fortè dicatis*. pro, nec eſt quòd dicatis, vos reperiſſe ſapientem & ſolidam rationem, qua Iobum impietatis conuicceritis, nempe hanc, quòd *Deus*, qui infinitè & per eſſentiam iuſtus atque infallibilis eſt, Iobum *proiecit* in has miſerias, *non* verò *homo* quiſpiam, qui poteſt falli & iniuſtè punire. Vnde infertis, Iobum impium eſſe debere, ſuaque impietate pœnas has ſibi accerſiuiſſe: & hoc tamquam Achille conamini Iobum conuincere. Dico, me hoc veſtrum argumentum parui facere. Neque tamen Iobo propterea palmam concedo: nam & ille *nihil locutus eſt mihi*, v. 14. id eſt, mea quidem ſententia nil ſolidi pro ſe attulit. Vnde *& ego reſpondebo illi*, &, vt ſpero, conuincam, ſed *non ſecundum veſtros ſermones*] id eſt, non argumentis quæ vos hactenus protuliſtis, ſed alijs longè efficacioribus.

℣. 15. *Extimuerunt*] pro, extimuiſtis. More thraſonis vel hominis irati, auertens ſe cum indignatione, tranſit à ſecunda ad tertiam perſonam. q. d. Indignum eſt & probroſum, tantos viros ſeu metu, ſeu inſcitia, obmutuiſſe.

℣. 21. Ego *non accipiam perſonam viri*, neque curabo quòd Iob tanti principis munere functus ſit. Et *Deum homini non æquabo*] id eſt, neque patiar, vt Iob homo cùm ſit, ſe Deo æquet, irreprehẽſibilem iuſtitiam ſibi arrogando. LXX. vertunt, *mortalem non reverebor*; Varablus & recentiores Rabbini, *non blandiar cuiquam honorificis compellationibus*. q. d. Propter nullius maieſtatem aut dignitatem deuiabo à vero & æquo: idque ob timorem Dei iudicis mei, qui fortè me iam iam rapiet ad tribunal ſuum.

CAPVT XXXIII.

Etiam Eliu negat Iobum iuſtum & innocentem eſſe, neque ad eius impietatem declarandam iudicio diuino, ad quod Iob prouocarat, nisi opus eſſe verbali eloquio aut voce Dei: multis & variis modis Deum loqui ſolere: atque in præſenti, re ipſa, ſat manifeſtè ipſum loqui, & declarare Iobum nocentem eſſe, quando ipſum tot pœnis tam acriter caſtigat & punit.

℣. 4 SPIRITVS *Dei*, ſeu Deus qui eſt ſpiritus, creauit *me*: *& ſpiraculum*] id eſt anima, quæ Geneſ. 2. vocatur *ſpiraculum vitæ*. q. d. Ab eodem auctore proceſſimus, & ſimili modo conditi ſumus: quare non eſt cur me vel mea dicta contemnas. D

℣. 7. *Miraculum meum*] Id eſt, mira & ſtupenda quæ dicam.

℣. 10. *Querelas in me reperit*] Hebraicè, *aduerſum me inuenit irritationem*: vel occaſionem querendi de me, meque puniendi quæſiuit & inuenit Deus, perinde ac ſi eſſem ipſi *inimicus*. Reperit, ſed ſiniſtrè explicat quæ dixerat Iob ſuprà in fine cap. 13. miſerias ſuas graphicè depingens.

℣. 12. *Hoc eſt ergo, in quo non es iuſtificatus*, ſed peccas: quòd nempe de Deo quaſi de iniuſto tyranno queraris. Neque opus habeo aliud ad id reſpon-

respondere tibi, quàm quòd *maior sit Deus homine*, A possitque cum illo, vtpote creatura & mancipio suo, facere quod placet, nec teneatur rationem vllam illi reddere. Vnde immeritò conquereris. Secundò, *quòd non ad omnia verba*, seu ad omnes tuas petitiones, quibus diuinum iudicium imploraſti, c.23.vers.5.& c.30.v.20. è vestigio *respondebit tibi*] Neque enim tenetur Deus nobis, quoties & quando & quomodo lubet, respondere.

℣.14. *Semel loquitur Deus.* Hebraicè, *in vna*, seu vno modo, indicat Deus mentem suam: neque necesse est, vt *secundò* idem *repetat*] Hebraicè, *in duabus.* q.d. Non opus est vt Deus multis & variis viis ac rationibus, instar causidicorum, exponat & probet hominibus cur quodque agat. Sat nobis esse meritò debet, quòd vel vna via, & vnâ vice id manifestet, putà vel per vocalem internam aut exter- B nam locutionem, eamque vel in somnis, vel in vigilia, per se, per Angelum, vel per Prophetam. Vel absque vocali locutione, per aliquam realem actionem suam, mala puniendo, bona remunerando, manifestat nobis causas actionum suarum. v.g. puniendo te tot morbis, tot plagis, apertè indicat te iniustum fuisse: neque enim puniret te nisi pœnas promeritus fuisses. Hos loquendi modos prosequitur à v.15.vsque ad 23.q.d. Sat tibi sit oportet, quod hoc reali modo loquendi Deus tibi ad eius iudicium prouocanti respondeat: cui responso ac sententiæ debes promptè acquiescere & obedire. Idem monet Psalmista Psalm.94. vers.8. & ex eo S.Paulus Hebr.3.& 4.v.7. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

℣.22. *Vita appropinquauit mortiferis*] supple morbis, doloribus, paroxismis: ingruente præsentissimo vitæ periculo.

℣.23. *Si* tum fortè *fuerit pro eo Angelus*, id est nuntius, interpellator, mediator, *loquens, vnus de millibus*, Id est, si, dum Deus peccatorem morbo C iustè punit, inueniatur ex infinitis Angelorum vel piorum hominum myriadibus vel vnus, qui intuitu *æquitatis*, seu bonorum aliquorum operum præteritorum, vel præsentium, vel noui emendandæ vitæ propositi, & seriæ pœnitentiæ istius *hominis* peccatoris, *loquatur* & intercedat *pro eo* apud Deum, continuò *miserebitur eius*] Quem locum Nota tum pro meritis bonorum operum, & efficacia pœnitentiæ: tum pro inuocatione & intercessione Sanctorum.

℣.26. *Reddet homini iustitiam suam*] nempe gratiam antè per peccatum deperditam restituet pœnitenti Deus cum nouo gratiæ auctario. Chaldæus vertit, *secundùm iustitiam suam*, nempe condigna præmia reddet homini temporalia & spiritualia, vt nullam habiturus sit homo causam amplius dolendi vel quærendi. Quin potius D

℣.27. *Respiciet homines*] LXX. *accusabit is homo seipsum apud alios homines*, & confitebitur palàm, se iustè à Deo punitum fuisse, nec tamen pro merito aut mensura scelerum suorum: sed valdè benignè clementerque secum actum.

℣.29. *Ecce, hæc omnia*, nempe, punire nocentem, pœnitenti parcere, & ampliorem gratiam reddere; *operatur* ut *Deus* non in vno solo homine, sed *per singulos:* nec vna solùm aut altera vice, sed *tribus*, id est multis, *vicibus*] Est enim ternarius signum multitudinis seu vniuersitatis, vt & septenarius, de quo dixi c.5.v.19.q.d. Hic modus agendi cum hominibus, & sic eos ad mentem & iustitiam reuocandi, est Deo perfamiliaris & maximè vsitatus.

℣.32. *Volo, te apparere iustum*] nempe si iustus es, vt dicis, volo id palàm & manifestum fieri, & probari à te si quibus potes rationibus & argumentis: neque enim teneor credere solum asserenti, maximè in propria causa.

CAPVT XXXIV.

Ad iactabundi hominis verba prudenter silente Iobo, Eliu blasphemia ipsum incusat aliorumq; criminum, fusè demonstrans, Deum in iudicis suis numquam errare aut iniustè agere.

℣.3. AVRIS *verba probat*] Hunc versum explicui cap.12.v.11.

℣.4. *Iudicium eligamus nobis.* Id est, in modum iudicij publici pro tribunali, causam hanc excutiamus, disceptemus *inter nos* iustis rationibus, & *videamus* vter nostrum *melius* sentiat, & verum dicat, quasi dicat: Vos appello & facio iudices.

℣.5. *Dixit Iob.* Et hæc est controuersia nostra: *Deus subuertit*; Hebraicè, *abstulit, rempuit, iudicium meum.* Ita verè dixerat Iob cap.27.v.2. Sed inuidiosè exaggerat Eliu, cùm addit dixisse Iobum: *In iudicando me mendacium est*, seu error in diuino iudicio, pro eo quod dixerat, errari ab amicis, & mendaci seu fallaci sequela se impium ab illis iudicari, eò quòd affligeretur à Deo.

℣.7. *Bibit Iob subsannationem quasi aquam*] Id est, profusè, copiosè, sine sensu mali subsannat, & contumelioſus & blasphemus est in Deum. Vide c.15.v.16. Sed en nouam calumniam.

℣.9. *Dixit* Iob: *Non placebit vir Deo, etiamsi cucurrerit cum eo*] supple, viam mandatorum eius: vel, etiamsi promptè & celeriter executus fuerit omnia mandata Dei. Sic dicitur homo (a) *ambulare cum Deo*, quando diuinæ voluntati per omnia se accommodat. Calumniosè hoc affingit Eliu Iobo, qui nil tale dixerat, sed solùm, tractari interdum perinde à Deo pios, sicut impios, nempe quoad externos casus & euentus, cap.21. & aliis. Nusquam verò negauit iustos placere Deo, vel præmium habere repositum apud Deum. a Gen. 5. v.24.

℣.13. *Quem alium* à se *constituit* Deus gubernatorem vel iudicem *super* vniuersam *terram?*] Id est, nónne solus Deus est supremus hominum, totiusque vniuersi dominus & iudex, sicut solus est creator eiusdem? Quis ergo docebit Deum, vel leges illi præscribet, quibus mundum regere debeat? quasi dicat: Regit Deus mundum pro libito & placito suo, facitque in eo quod vult & prout vult.

℣.14. *Si direxerit ad* hominem *cor suum*, vel, si posuerit in corde suo, id est, si Deo libuerit, hominem etiam immerentem perdere, facillimum id ei esset, nec posset argui iniustitiæ. Nam *spiritum & flatum*, id est animam & halitum, quo iure & qua facilitate homini dedit, eâdem potest rursum *trahere ad se.*

℣.18. *Qui dicit Regi, Apostata.* Hebraicè, *Belial* (b.) Supple ex vers. præced. *An sanari poterit* in causa & lite sua? quasi dicat. Quæ spes reo triumphandi in causa, qui regem seu iudicem suum arguit impietatis, apostasiæ & infidelitatis? *& duces*, id est principes ac magistratus, seu superiores suos, *vocat impios?*] Sicut tu blasphemè in Deum Opt. Max. iudicem tuum supremum inueheris. b Deut. 13. v.13. Prou. 6. v. 12.

℣.19. *Qui* tam iustus est, vt nullius, ne potentissimi quidem *tyranni* seu *principis, personam accipiat,*

nec illum agnoſcat præ paupere mendico coram A diuino tribunali ſuo.

℣. 20. *Abſque manu* valida, ſiue copiis militaribus, facillimè *auferent* ſeditioſi *populi violentum* tyrannum de medio, *in media nocte*, in tenebris & ex improuiſo: ſi iuſto ſuo iudicio Deus ita vel decernat, vel permittat.

℣. 23. *Neque enim vltra*, cùm ſemel à Deo condemnatus eſt *homo*, *in* eius *poteſtate* vel arbitrio *eſt, vt veniat* iterum *ad Deum in iudicium*, ſeu appellet à malè informato ad meliùs informandum: multò minùs, vt ab illius ſententia appellet ad aliud tribunal: aut executioni ſententiæ moras iniiciat, fraudes nectat, nouas tenebras offundat, vt fit in hominibus.

℣. 26. *Quaſi impios*, ſeu more latronum & furum publicè conuictorum, *percuſſit eos*, id eſt, ſupplicio afficit etiam potentiſſimos reges, adeò non clàm, ſed *in loco videntium*] id eſt, palàm & in propatulo, coram toto mundo: vt publicè pudefacti, ab omnibus exploſi & exſibilati cedere cogantur & regno, & vitâ. Ea vis eſt & efficacia ſententiæ diuinæ. Alioqui B

℣. 29. *Ipſo Deo concedente* tyranno *pacem*, *quis* tam potens, tam audax *eſt, qui* hunc ſeu *condemnet* ſeu puniat? Et *ex quo abſconderit* Deus *vultum* ſuum, diſſimulans ſe videre nequitias illius; *quis* tam lynceus *eſt qui contempletur eum*, & palàm probet, atque in publicum proferat ſcelera ipſius? idque ſeu *ſuper gentes*, ſeu *ſuper omnes homines*] Id eſt, hæc contingunt tam circa vniuerſos, quàm circa ſingulos: tam circa nationes integras & regna, quàm circa perſonas particulares.

℣. 30. *Qui regnare fecit hominem hypocrytam*, ſeu impium, *propter peccata populi*] Nam vel hæc ſola ſunt iuſta cauſa, cur ſubinde Deus impios & ſceleratos principes ſeu prouehat ad regnum, ſeu toleret in regno. Quare qui talibus principibus expediri volunt, ipſi priùs ſe ſuis ſceleribus C expediant.

℣. 33. *Numquid* à *te*, ô Iob, *expetit Deus* iniquitatem, ſeu vt iniquè ſentias, iudices & loquaris de Deo, *Quia* ipſe *diſplicuit tibi*, iuſto ſuo iudicio flagellans te? quaſi dicat: Extremè Deo diſplicet hæc tua obmurmuratio, quâ aduerſus Deum *cæpiſti obloqui*.

℣. 36. *Pater mi*, addit Chaldæus, *qui es in cælis*, fac vt *Iob homo iniquitatis*, (a) ſeu nequiſſimus, *probetur* continuis flagellis *vſque ad finem*] id eſt, diu multumque, donec reſipiſcat.

a *Prolegom. de Idiotiſm Hebr. n.* 40.

℣. 37. *Inter nos interim conſtringetur*] Id eſt, noſtrum omnium communi calculo & iudicio, (ad quod v.4. prouocaui) condemnetur Iob, & falſitatis ac blaſphemiæ reus declaretur. Hoc ſolùm iam poſtulo. Tum, per me licet, prouocet ad diuinum tribunal quamdiu lubebit. D

CAPVT XXXV.

Pergit Eliu falsò accuſare Iobum, quaſi dixiſſet, Deo cordi non eſſe pios pra impiis: docetq; ſi non Deo, certè ipſe homini, & pietatem prodeſſe, & impietatem obeſſe plurimùm.

℣. 3. DIxiſti enim, *non* placere Deo, *quod rectum eſt*. Hanc calumniam impegerat etiam Iobo cap. præced. v. 9. Item dixiſti: *Quid* Deo *proderit*, vel oberit, *ſi ego peccauero?*] q. d. Non curat Deus quid agant homines ſeu boni, ſeu mali: cùm nihil ab vtriſque, ſeu commodi, ſeu detrimenti accipiat. Numquam id Iob dixerat.

℣. 8. *Homini, qui ſimilis tui*, ſeu peccator, *eſt, nocebit impietas* ſua, ſicut tibi iam nocet *tua*, q.d. Etſi Deo non poſſit nocere impietas impij, valdè tamen nocet ipſimet impio. Sicut *iuſtitia* cuiuſque prodeſt *filio hominis*, id eſt cuique homini iuſtè operanti. Vterque enim condignam meritis ſuis mercedem accipiet à Deo.

℣. 9. *Clamabunt* ad Deum, ſupple pauperes & afflicti. q.d. Etſi Deo non noceat impietas impij, quia tamen nocet membris & filiis eius, nempe pauperibus & afflictis, qui ad Deum pro vindicta & ope clamant; hinc punit impietatem illam Deus perinde ac ſi ſibi noceret. Quòd verò ſubinde non puniat, ſed ſinat pauperem & afflictum ſub iugo impij tyranni diutiùs gemere, inde contingit, quòd pauper ille

℣. 10. *Non dixit, Vbi eſt Deus?*] Id eſt, non confugit ad Deum, nec fidit diuinæ potentiæ ac prouidentiæ.

Qui dedit carmina in nocte] Id eſt, qui materiam canendi carmen Euchariſticum, nempe lætam & proſperam fortunam, ſolet clientibus ſuis ſubminiſtrare, etiam in media tribulationum nocte. LXX. *qui ordinat cuſtodias nocturnas*, ſeu phalanges Angelorum diſponit ad cuſtodiendum, eripiendum, & ſaluandum te. Vnde Chaldæus vertit, *ante cuius conſpectum Angeli Excelſi ordinant Laudem in nocte*, ſeu præſidium & ſubſidium miſeris, vnde Deus ſingulariter laudetur. Vide S. Chryſoſtomum, Olympiodorum & alios in Catena, & S. Gregorium hîc.

℣. 11. *Qui docet nos ſuper*, ſeu pluſquam, *iumenta*] Id eſt, efficit vt ſcientia & ſapientia præſtemus beſtijs. q d. Etſi hæc non ſemper in oculos incurrant, oportet tamen mente concipiamus, quâ beſtijs præcellimus. Hæc enim cauſa eſſe ſolet, cur è ſuis miſerijs paupelli non eruantur: & cur, dum

℣. 12. *Ibi*, id eſt, in ſuis afflictionibus & miſerijs, *clamabunt*, eiulabunt, & lamentabuntur apud homines *propter ſuperbiam malorum* tyrannorum, tamen *non exaudiet* illos Deus: quia, nempe, non attollunt mentem & cor ad Deum, ſola terrena ſolatiola & auxilia quærentes.

℣. 13. *Non ergo fruſtra* (Hebraicè & Chaldaicè, *vanitatem*; LXX. *indecentia*, ſeu res indecentes) *audiet Deus*] Id eſt, qui tam vanè & indecenter, ac proinde fruſtra cum Deo agunt, illum ſeu negligendo, ſeu contemnendo, ſaltem opem eius non humiliter implorando, non eſt quòd ſperent ſe adiutum iri à Deo. Vnde tibi, ô Iob, ſuadeo, id facias quamprimum, & opem diuinam, promptam paratamque ſemper, ex animo implores.

℣. 14. *Etiam cùm dixeris* in mente, id eſt etiamſi tibi ſurrepat cogitatio, Deum noſtra *non conſiderare*, ſeu non curare; ſtatim illam mente excludas, & *iudicare coram illo*, id eſt, permitte te tuamque cauſam libero iudicio & arbitrio ac nutui diuino: *& ſic exſpecta* certiſſimam eius opem.

℣. 15. *Nunc enim* in præſenti vita, licèt peccatores pro meritis puniat, tamen *non infert furorem ſuum*, nec liberas iræ ſuæ laxat habenas, *nec vlciſcitur ſcelus valde*, ſeu extremè, vel pro condigno, ſed ſemper miſericordiæ locum relinquit. Illà iam vtere, ſi ſapis.

CA-

CAPVT XXXVI.

Fortius vrget Elius, vt Iob se ex animo conuertat ad Deum, vtpote quem suis sceleribus, ac nominatim iniustis pro tribunali sententijs, prouocarit ad tantam iram.

℣. 3. REPETAM *à principio*, seu à capite, id est altiùs exordiar.

℣. 7. *Reges* iustos & probos *in solio* regio *collocat* Deus *in perpetuum*] id est, quoad viuunt: & vt in filios ac posteros quoque, si paternæ iustitiæ imitatores fuerint, regnum transmittant.

a Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 34.

℣. 10. *Reuelabit aurem eorum* (a)] Id est, indicabit eis clarè & apertè, ob quæ sua scelera puniantur.

℣. 13. *Neque clamabunt hypocritæ* ad Deum: quia etiam dum corripiuntur & puniuntur, nolunt videri deliquisse. quare nec liberabuntur à Deo: sed, vt sequitur,

℣. 14. *Morientur in tempestate*] Hebraicè, *cum rugitu*, id est horribili morte, vel, vt LXX. & Chaldæus vertunt, *in adolescentia sua*, id est intempestiua & præmatura morte.

Et vita eorum inter effeminatos] Hebraicè, *inter cinædos*, qui ob fœdissimam turpitudinem solent exosi esse Deo & hominibus, & ferè violenta ac probrosa morte in prostibulis cadere: vnde LXX. legunt, *vita eorum vulnerata ab Angelis*.

℣. 15. *Pauperem* verò humiliter resipiscentem, & ad Deum piè clamantem: & consequenter *te* quoque, si talis esse volueris.

℣. 16. *Saluabit de ore angusto*, seu angustiæ, quasi ex rictu feræ pessimæ eductum. Per prosopopœiam enim tribuit *angustiæ*, ac si fera esset, os hians ad deuorandum. Et verò miseriis conteritur & absumitur paulatim homo, quasi dentibus feræ crudelissimæ. Vel, si mauis aliam metaphoram, absorbetur quasi hiatu foueæ profundissimæ, *& non habente fundamentum*, seu fundum, *subter se*, ex quo possis emergere. Quod S. Gregorius moraliter de immenso *vitiorum profundo*; Philippus & quidam alij in Catena, Allegoricè de *inferno* exponunt. Ex quo Deus te, si resipiscens, opem eius inclames, *latissimè saluabit*, Hebraicè & Chaldaicè, *dilatabit te ne* ampliùs *sis in angustia*: & *erit requies mensæ tuæ plena pinguedine*] Id est, omnibus bonis ac deliciis quiete affluës, ac si mensæ instructissimæ assideres. Hæc expende, ô Iob: & sano consilio obsequere. Iam enim, vt palàm constat,

℣. 17. *Causa tua quasi impij iudicata est*, seu convictus es impius esse. Vnde & impiæ causæ *iudicium*, id est pœnam, *recipies*, si pergas impius esse. Sed iam resili, si sapis, & cuita deinceps peccata ob quæ puniris.

℣. 18. Non ampliùs *te superet ira: nec multitudo donorum inclinet te* ad iniusta iudicia.

℣. 19. *Depone magnitudinem*, seu superbiam animi tui, *absque tribulatione*, id est, spontaneè & vltrò, neque exspecta, vt nouis tribulationibus ad id compellaris à Deo. *Depone* etiam *omnes robustos fortitudine*] quos hinc inde iudices & exactores constitutos habes: nam si pergas illos fouere, & ipsi violentè pauperes opprimant, vt solent, peccata illorum in te recident.

℣. 20. *Ne protrahas noctem*, iusto diutiùs stertendo, vel comessando, sed tuis perinde ac tibi inuigila: *vt ascendant populi pro eis*] Id est, vt subditi & clientes tui possint tempore commodo pro causis & negotiis suis te semper interpellare.

℣. 24. De Deo, diuinisque operibus, *cecinerunt viri* eruditi, insignes Philosophi; Theologi, Prophetæ. Quin &

℣. 25. *Omnes homines vident eum*, seu cognoscunt, sed *procul*, & à longè, nempe non *intuitiuâ*, sed abstractiua cognitione: si nempe velint vel tantillùm oculo mentis attendere: nam ex fabrica & gubernatione mundi, adeoque ex omnibus operibus eius ac creaturis, quasi ex certis vestigijs, Deus creator agnosci potest. ita S. Gregor.

℣. 31. *Per hæc*, nempe fulgura, pluuias, imbres, & alias tempestates, *iudicat*, id est terret, *populos*, simul & pascit eosdem.

℣. 32. *In manibus* suis, seu apud se, cùm vult, *abscondit lucem*, ne nobis appareat. v.g. per noctem, per densas nubes, per subtractionem radiorum miraculosam, vt fecit Exodi 10. in Ægypto, & Matth. 27. in passione Christi.

℣. 33. *Annuntiat de ea* luce *amico suo*, id est, amicis suis eam impertit, vt fecit Israelitis Exodi 10. v. 23. eò *quòd possessio* illorum *sit*, & ius habeant ad lucem, quasi ad propriam hereditatem, nam propter illos & lucem & alia omnia Deus creauit: vnde *& ad eam ascendere possunt*, seu pertingere, & compotes illius fieri, tum in præsenti, tum in futura vita. Nam hæc non tam ad litteram de *lumine naturali*, quàm Allegoricè, de *lumine fidei & gratiæ*: & Anagogicè, de *lumine gloriæ*, S. Gregorius; S. Thomas, & alij Patres ac Doctores interpretantur.

CAPVT XXXVII.

Ex fulmine, tonitru, ventis, imbribus, & horum mirabilibus effectibus concludit tandem Elius, inscrutabilia esse Dei iudicia, sicut etiam est eius potentia, maiestas & sapientia: vnde monet Iobum, vt se nutui diuino penitùs subijciat, integrèque permittat.

℣. 2. TERRORE *vocis eius*, id est tonitru, quod *de ore*, id est imperio, Dei *procedit*. Videtur enim vulgi opinione Deus quando tonat, vociferari more hominis irati.

℣. 3. *Subter omnes cælos*, id est omnia sublunaria, *ipse considerat*] perlustrans suo fulmine, quod quasi facem infert in omnia etiam abditissima loca.

℣. 4. *Post eum* lic omnia suo fulmine lustrantem; Hebraicè est, *post ipsam*, nempe lucem; vel, *Post ipsum*, fulmen, *rugiet sonitus* tonitrui. Licèt enim tonitru præcedat fulmen: fulmen tamen priùs à nobis conspicitur,

Et non inuestigabitur] Id est, non poterit perfectè ab homine cognosci seu modus formationis, seu terminus, seu effectus tonitrui: quantò minùs ipse Deus, diuinaque potentia, sapientia, maiestas?

℣. 7. *Qui in manu omnium hominum signat*] Hebraismus est, pro, manu seu potentia sua diuina, (quam singulariter exerit dum tonat, pluit, aliasque tempestates excitat) apertè ostendit se omnium hominum personas & res omnes obsignatas habere quasi fera, claustro vel sigillo, vt habent LXX. in Hebræo est, *in manu omnem hominem clausum tenet*. Nam tonando, fulminando, pluendo, ningendo, & quasuis pro libito tempestates ciendo, re ipsa demonstrat, & quasi sigillis signat, se absolutum esse dominum vniuersi & omnium hominum. Vultque *vt singuli nouerint opera sua*] id est, opera hæc omnia à Deo esse, & à manu diuina. Frustra ergo Franciscus Valesius, & quidam alij conantur, ex hoc loco astruere chiromantiam physicam

Vales. de S. Philos. c. 32.

physicam seu naturalem, quâ ex manu hominis A colligatur indoles animi eiusdem, sicut & ex physiognomia vultus. Neque enim hîc sermo est de manu hominis, sed de *manu Dei.*

℣. 9. *Ab interioribus*, id est, ab Australi & Meridionali plaga, seu polo Antarctico, qui nobis perpetuò absconditur, quasi intra terræ viscera, vt dixi cap. 9. vers. 9. Inde oritur *tempestas*, seu ventus tempestuosus, quia calidus & humidus, pluuiarum parens. *Ab* oppositò verò *Arcturo*, seu Septemtrione frigidi venti procedunt. Vide ibidem.

℣. 13. *Siue in terra sua*] Id est, tota aliqua regione.

℣. 15. *Numquid scis quando præceperit Deus pluuiis*, id est ordinarit, *vt ostenderent lucem nubium eius*, seu fulgura emittant? quasi dicat: Qui tibi videris omnia scire, scísne quo tempore & qua ratione nubes, totæ aqua cùm sint, tamen fulmen & ignem eiaculentur? Et *magnas & perfectas scientias?* Id est, multaque alia de nubibus & aliis rebus naturalibus verè stupenda & scitu digníssimá?

℣. 18. *Cælos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt*] Hebraicè, *quasi aspectus* seu speculum *fusionis*; Chaldaicè, *sicut speculum fusile*, seu extensum, nitidum, splendens, durum, firmum; vt solent esse ænea specula bene tersa & polita.

℣. 20. *Quis narrabit ei*, seu dignè ipso, vel coram ipso, causas & modos exponere ausit eorum quæ loquor, & iam dixi, de nubibus, fulmine, tonitru, ventis? q. d. Potiùs obmutescet quiuis, etiá doctíssimus. *Si locutus fuerit*, & illa exponere voluerit, *deuorabitur*] absorbebitur multitudine profunditate & mirabilitate rerum. Quantò magis qui secreta Dei iudicia scrutari tentarit, *opprimetur à gloria.* Si enim

℣. 21. *Nunc non vident lucem*, seu rationem & modum & causam lucis corporeæ non intelligunt: si corporalem lucem cæli quantumcúque fulgentíssimam videre nõ possunt, cũ nubibus aër obducitur; quantò minùs lucẽ spiritualẽ & alia arcana diuina? C

℣. 22. *Ab Aquilone aurum venit*] LXX. *à Borea veniunt nubes aurei fulgoris.* vento enim Aquilonari discussis nubibus serenatur aër, & aurea lux solis & cæli emicat. Et sic cohæret versui præcedenti. q. d. Si aurcum iubar solis oculo tuo ferre non potes, quî poteris lucis illius inaccessæ & diuinæ maiestatis radios tolerare? ita Titelmannus, Vatablus, Mercerus. Quamquam etiam, vt in Latino sonat, propriè verum sit, ex Aquilonaribus regionibus aurum prodire, inquit Franciscus Valesius: nam omnes qui de metallis scribunt, Pannoniam, Bohemiam, Austriam & citeriorem Germaniam inter feraces auri prouincias numerant. Et hoc sensu sic formandum esset argumentum: Quid iactas te diuina arcana penetrare, qui capere non potes, neque exponere hoc naturæ arcanum. Quomodo aurum non modò in calidis, sed etiam in frigidis regionibus nascatur, & quidem nobilíssimum ac præstantíssimum? Id verò fit tum per occultas cæli influentias, tum per antiperistasin, calore se intra viscera terræ ob externi frigoris vim cogente & condensante. Allegoricè, Auster, est Iudæa; Aquilo, frigida gentilitas; calor, est fidei feruor, aurum, charitas, iustitia, gloria æterna.

Valesius supr. c. 49.

Ad Deum formidolosa laudatio] supple, ascendat; Hebraicè, *super Deum terribilem sit laus.* Est enim Hebræis familiaris illa laudis Deo debitæ apprecatio: pro qua nos diceremus, Deo mirabilium istorum patratori sit gloria & laus: sed *formidolosa*, id est, plena timoris & reuerentiæ, ob infinitam illius maiestatem, nostríque vilitatem.

CAPVT XXXVIII.

Deus ipse se disputationi interponit, & reprehenso Eliu, ac silere iusso, docet Iobum, cæteroſq; omnes, diuinam potentiam ac sapientiam suam esse homini prorsus incomprehensibilem, inductione facta per varias creaturas, & creaturarum operationes ac proprietates, quæ aciem mentis humanæ penitus effugiunt.

℣. 1. RESPONDENS, id est allocutus, *Dominus Iobum:* neque enim dignabatur alloquio suo reliquos, vtpote in amicum sibi charíssimum valdè iniurios.

De turbine] Id est, è nube obscura, aut caligine procellosa, & quasi tonante. Erat hęc index diuinæ maiestatis ac sublimitatis. Sic apparuit etiam postea Moysi & Israelitis Exodi 19. & Eliæ 4. Regum 2. Et significare volebat, calamitatem Iobi, turbinem esse citò transiturum.

℣. 2. *Quis est iste* Eliu? Nam de ipso id exponunt S. Gregorius, Titelmannus, Stuniga, Emanuel Sâ, & alij quidam. Et est hoc probabilius, quàm vt B Iobo aptetur, qui iam pridem siluerat. Eliu ergo tacere iusso, conuertit Deus sermonem ad Iobum; simul tamen cum Iobo volebat aliis quoque præsentibus aptari sua dicta.

℣. 5. *Quis*, nisi ego, *super terram tetendit lineam?*] Chaldæus, *perpendiculum*, q. d. Quis est architectus vel latomus terræ, qui tam rectâ & concinnâ formâ illam construxit, & quasi circino vel lineâ circulari circumductâ rotundam descripsit?

℣. 6. *Bases terræ & lapis angularis* sunt ipsa terræ à Deo indita stabilitas, quâ in loco suo firma & immota consistit, perinde ac si basibus niteretur, & lapidibus angularibus latera vndique stringentibus vinciretur. ita passim Doctores. Vnde non est quòd pro his basibus cum Valesio confugiamus ad imam terræ partem circa centrũ, quam dicit esse grauissimam, solidissimam & quasi adamantinã. multò minùs cum Thalete sentiendũ, terram aquis, vt lignũ innatare. Minimè omniũ cum Xenophane & Empedocle, immensam esse terræ profunditatem. *Vales. supr. c. 52.*

℣. 7. *Astra*, id est sidera propriè dicta, vel Allegoricè, Angeli, qui *matutini* vocantur, non quòd ante mundum creati sint, vt voluerunt Basilius, Nazianz. Origen. Hieron. Ambros. Hilarius, Damascenus in Catena: sed quia sub prima mundi initia creati sunt. Ita Conc. Lateranense, & Doctores passim: qui addunt, Angelos bonos propter excellentia tum naturæ, tum gratiæ dona, meritò comparari astris semper lucentibus, numquam occumbentibus, nunquam cadentibus. Iidem propter eximiam sanctitatis excellentiam vocantur hîc *filij Dei*, vt patet ex LXX. & Chaldæo. Porrò iubilum Angelorum, cuius hîc est mentio, describit Isaias cap. 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, &c. *Gen. 1. v. 1.*

℣. 8. *Quando mare erumpebat quasi de vulua procedẽs*] LXX. *de ventre matris suæ.* Mater autẽ maris est omnipotentiæ diuinæ sinus, è quo quasi infans prodiit, inquit Olympiodorus, vel est chaos illud seu abyssus Gen. 1. v. 2. vnde quasi ex vtero prorupit. Hebræi enim formationẽ & originem cuiusque rei vocant egressum è *matrice.* Qua eadem phrasi etiam *Verbum* diuinum Psal. 109. v. 3. dicitur *genitũ ex vtero* Patris.

℣. 9. *Caligine* designantur tenebræ illæ quæ erant super faciem abyssi. Genes. 1. v. 2. Porrò

℣. 10. *Vectis & ostia* maris sunt sinus, promontoria, littora, & alij termini.

℣. 12. *Numquid post ortum tuum* (Hebr. & Chald. *à diebus tuis*, seu ex quo natus es) *præcepisti diluculo*, id est, fecisti oriri lucem matutinam? *& ostendisti auroræ locum suũ*, vbi sol vel æstate, vel hieme oriri debeat?

℣. 13.

¥. 13. *Extrema*, Hebraicè & Græcè, *alas*, id est A cardines, *terræ*, quasi dicat: An potes tu, conseruato orbe terrarum, excutere ex eo impios, perinde ac si *vestimentum stans* seu permanens integrum, mundares excusso inde *luto* & sordibus quo fœdabatur? Hoc est enim quod hìc dicit, *Restituetur* terræ *vt lutum*, id est, ex veste excutietur instar luti, *signaculum*] id est homo, qui est verum signaculum seu imago (a) signata Dei. Ita ferè LXX. & Chaldæus.

(a) 2 *Genes.* 1. v. 26.

¥. 17. *Ostia tenebrosa*] Chaldæus addit, *gehennæ*: LXX. *ianitores inferni te videntes stupuerunt*. Id factum, inquit Chrysostomus, quando Christus in infernum descendit.

¥. 21. *Sciebas tunc* cùm ego lucem crearem, etiam ante solem, Genes. 1. v. 3. *Quòd* & quando *nasciturus esses?*

¥. 22. *Thesauros* (Chaldæus, *apothecas*) *niuis & grandinis, præparaui in tempus hostis*] id est, quando per illa volo perdere hostes. Vt factum Exodi 9. & 13. Iosue 10. & aliàs sæpiùs. B

¥. 30. *Superficies abyssi* glacie *constringitur*] Phrasi Hebræa per *abyssum* potest accipi quæuis aquarum vorago, etiam in lacubus & paludibus. Quamquam constet, ipsum quoque mare non paucis locis gelu concrescere: vt de mari glaciali, & locis sub octauo altitudinis gradu, experientia constat.

¥. 31. Túne ita *iunges* septem *stellas Pleiades*, vt ego coniunxi? De his egi c. 9. v. 9. q.d. Túne poteris cæli terræque ordinem pro libito mutare, vt possum ego? S. Gregorius per septem Pleiades accipit septiformem gratiam noui testamenti, quod asperæ hiemi veteris testamenti successit instar amœni veris, cuius nuntiæ sunt Pleiades.

¥. 33. *Numquid nosti ordinem cæli, & pones rationem eius in terra?*] Hebraicè, *statuta*, seu leges, *cæli, & imperium*, seu præfecturam, *in terra*, qua per suas influentias gubernat terram: inferiora enim hæc, inquit Aristoteles, superioribus cæli motionibus gubernari necesse est. Anagogicè, S. Gregorius per rationem & ordinem cæli intelligit inscrutabiles causas iudiciorum Dei, quas in hac vita nemini patefacit. C

¥. 34. *Eleuabis vocem tuam*, id est præcipies, *in nebula*; Hebraicè, *ad nebulam*, seu nubem, nempe vt depluat. Et *operiet te*] LXX. *obediet tibi*, copiosè pluendo, adeò vt etiam te cooperiat.

¥. 35. *Reuerti* dicuntur *fulgura* ad Deum, cùm officium suum peregerunt, & iam quiescunt. Est enim catachresis. quia omnes creaturæ ita Deo parent, ac si animo præditæ essent, inquit Chrysostomus.

¥. 36. *Quis dedit gallo intelligentiam?*] In Hebræo לשכוי est *lassecui*: quod Arias vertit, *contemplationi*; alij, *intellectui*: sed plerique vertunt, *gallo*. Ita etiam legunt Thalmudici & veteres Hebræi. Porrò causa cur gallus post medium noctis, & ante solis ortum statis temporibus canat (quasi *à natura genitus rumpendo somno, & excitandis in opera mortalibus*, inquit Plinius) esse videtur, singularis proprietas indita illi à Deo, qua vi natiui temperamenti aërei & ignei, excitantur ei sensus illis temporibus, quibus solis accessum & influxum notabilius percipit: vnde instinctu phantasiæ mox in cantum & alarum plausum erumpit. Vide Franciscum Valesium. D

¥. 37. *Concentum cæli*, non musicum, vt volebat Pythagoras, quem optimè refellit Aristoteles: sed concordem motum, ac stabilem cursum' *quis dormire*, seu cessare, *faciet?*] Vtique solus Deus in fine mundi, & resurrectione mortuorum. Posset etiam de ventis, tonitru, pluuiis, aliisque aëris tempestatibus exponi. Nam Chaldæus & recentiores Hebræi vertunt, *vtres cæli*, seu lagenas, *an cessare facies?*

¥. 39. *Numquid capies leænæ*, seu pro leæna, *prædam?* qua *animam*, id est appetitum, *catulorum eius* exsaties? quasi dicat: Non tu, sed ipsa leæna, quantumcumque ferum animal, à natura sic facere edocta est. *Quando in specubus insidiatur* minoribus bestiis, nec audet à nido longiùs abscedere: tum enim singulari Dei prouidentia fit, vt minores & captu faciles bestiæ in casses & insidias leænæ incurrant.

¥. 41. *Quis*, nisi similis Dei prouidentia, *præparat escam pullis* coruorum à parentibus iam desertis, & *ad Deum* flebili crocitatione *clamantibus*, & circum nidum *vagantibus*, vt escam aliquam reperiant? Nam, vt Aristoteles, Plinius, Ælianus & alij tradunt, corui seu innata truculentia, seu potiùs obliuione, negligunt pullos suos, etiam cùm adhuc in nidis degunt: cùm verò volare cœperunt, propter ingluuiem, inquit Chrysostomus contra reliquarum auium morem, nido statim exturbant. Quibus vndique escam quæsitantibus & quasi emendicantibus, singulari cura prospicit Deus de rore, de muscis, deque aliis vermiculis in vicinia enatis, quibus tantisper aluntur, quoad assueti volatui, ad cadauera deferantur, S. Gregorius, S. Thomas & Liranus dicunt coruum pullos suos primis septem diebus ideò deserere, quia implumes albi sunt, & parenti dissimiles. Sed è priscis probatisque historicis nil tale habemus, inquit Valesius.

Vales. sup. c. 55.

CAPVT XXXIX.

Idem comprobat Deum ex ibicibus, onagro, rhinocerote, struthione, equo & aquila: arguens Iobum quòd cum Deo expostulauit, Iob verò culpam suam agnoscit, & se temere locutum fatetur.

¥. 1. *Artus ibicum in petris*] Hebraicè & Græcè, *caprarum siluestrium*: quas Chaldæus, *rupium ibices*; Plinius, *rupicapras* vocat. Hæ naturali sagacitate *in petris* inaccessis & in summis montium cacuminibus pariunt & iaciunt fœtus suos.

¥. 2. *Dinumerasti menses conceptus?*] Tradunt Physici, ibices, vti & ceruas, vterum gestare octo mensibus præter propter: sed quo præcisè die, imò qua hebdomada, pariant, constare non potest. Vide Aristotelem & Plinium. quasi dicat: Nescis, ô Iob, tempus partus illarum molestissimi ac periculosissimi, vt eis obstetricari possis, sicut ego quotidie facio.

Aristot. de hist. Animal. l. 6. c. 29. & l. 9. c. 5. & 50. Plin. l. 8. c. 32.

¥. 3. *Incuruantur ad fœtum* summo nisu & dolore. Sed partui facilitando dicit Plinius, sese herba cesali antè purgare, *& rugitus emittunt* præ anxietate & dolore. Porrò Psalmo 28. v. 9. insinuatur, horrore tonitrui *Deum præparare*, Hebraicè, parturire facere, *ceruas*.

¥. 4. *Separantur* mox à partu *filij earum*] Nam matres recèns editos fœtus statim exercent ad cursum, docent meditari fugam, ad prærupta deducunt, & saltus demonstrant. Tropologicè, partus ceruarum est conuersio animarum, inquit S. Gregorius.

¥. 9. De *Rhinocerote* vide quæ dixi Num. 23. v. 22.

℣. 13. *Penna struthionis* (de quo vide Deuteron. 14. v. 15.) *similis est pennæ herodii & accipitris*] Id est, alas habent persimiles, putà amplas & elegantes, vnde & equites adhibent illas conis galearum suarum: dissimilem tamen habet struthio volatum, seu potiùs gressum. Et vt crudelitate illos superat, ita cedit sagacitate, cùm sit capite, & consequenter etiam cerebro, exiguo. Tropologicè, struthio typus est hypocrisis: herodius (genus est ciconiæ *a*) typus pietatis in parentes & filios: accipiter symbolum sagacitatis.

a S. Ambr. in Catena.

℣. 14. *Derelinquit* struthio *ouasua in terra*, seu in calidis arenis: nihil vltrà curans illa: sed diuinâ prouidentiâ solo calore arenæ pulli inde excludentur. Cui eidem prouidentiæ adscribendum, quòd non nisi in calidissimis regionibus, Libya & Arabia versentur, inquit Valesius.

Val. sup. c. 55.

℣. 16. *Frustra laborauit*, nempe deserendo & defodiendo sua oua, quia *nullo* ad id *timore* cogitur. Cùm enim vasto sit corpore, equo suppar, & valtis viribus, quid est cur timeat ouis suis ab alijs bestijs? Nam

℣. 18. *Cùm tempus fuerit*, seu cùm periculum aliquod maius, cui resistendo non sit, ingruerit, præ alijs feris habet quibus se extricet, nempe binas *alas*, quibus *in altum* erectis, quasi explicatis velis, iuuatur non quidem ad volandum, sed ad currendum, tantâ pernicitate, vt concitatissimum *equum* & canes venaticos effugiat, & sic illos *derideat*] Ita Plinius, Ælianus, Gesnerus & alij.

℣. 20. *Numquid suscitabis equum*, seu equos, *quasi locustas?*] vt nempe pari celeritate subsiliant & saltitent, etiam ad mensuram & ad modos musicos. Docilitas enim equorum tanta est, vt *integer Sibaritani exercitus equitatus*, teste Plinio, *ad symphoniæ cantum saltatione continua moueri solitus fuerit.*

Plin. l. 8. c. 42.

Gloria narium eius terror] Id est, flatus ille equi, & fumus quasi flammeus, quem per nares emittit, in quo maximè gloriatur & animositatem suam ostentat, timorem incutit hosti.

℣. 24. *Sorbet* & mordet, seu vorat, *terram* præ impatientia nimiæ moræ: *nec reputat*, id est, non curat, strepitum *tubæ*] Tropologicè, S. Gregorius per equum dicit designari Spiritum sanctum, & fortes Christi athletas Martyres.

℣. 26. *Plumescit accipiter* quotannis de nouo, vt nouis plumis succrescentibus quasi reuiuiscat; naturali instinctu *expandens alas suas ad Austrum*, seu ad flatum venti Australis: qui quia lenis est & calidus, laxat corpora & poros, vt plumæ facilius excidant. Et facit hoc, inquit Ælianus, antequam Nilus inundet, id est ante dies caniculares, post solstitium æstiuum, vt, sicut arbores nouam comam, sic ipse nouellas pennas ante hiemem induat. Symbolum est spiritalis renouationis, inquit S. Gregorius & Pierius. Addit Vlysses Aldrouandus; hunc modum renouandæ iuuentutis, esse omnium penè auium, sed non quotannis, vt in accipitre contingit.

Ælian. l. 11. c. 4.

Pier. in hieroglyphico Accipitre. Vlysses de Animalibus in Accipitre. Oppian. in Ixeutica. Vlysses in Aquila. Ambr. l. 3. in Luc. c. 7. Chrysost. in Psal. 102. & l. 2. hom. 34.

℣. 30. *Pulli* aquilæ *lambent sanguinem* prædæ captæ. Solent enim non modò aquilæ, sed & omnes reliquæ aduncirostri aues (si miluum, & paucas alias excipias) sitim suam restinguere non aquam potando, sed sanguinem prædæ sorbillando, vt docet Oppianus, & Vlysses Aldrouandus. Quod S. Gregorius, Ambrosius & Chrysostomus pulchrè Christo & Christianis Allegoricè adaptant.

A *Vbicumque cadaver fuerit, statim adest*, seu aduolat aquila. Idem dicit Christus Matth. 24. v. 28. Licèt enim aquila, vtpote rex vel regina auium, pro innata generositate, dicatur non vesci cadauere nisi quod ipsa prostrarit & necarit: quod idem narratur de leone, rege quadrupedum: certò tamen constat, tum ex his Scripturis, tum ex Vlysse Aldrouando, Gesnero & alijs Physicis passim, genus esse aquilarum degener & vulturinum (vnde & LXX. hîc vertunt *vulturem*) quod morticiniis inhiet. Aristoteles vocat ὑπαίετον Plinius dicit nigris esse alis, quòd alæ nigris maculis distinguantur. Allegoriam vide apud SS. Patres iam citatos.

Vlyss. in ὑπαέτῳ. Gesner. in Aquila. Arist. sup. l. 9. c. 32. Plin. l. 10. c. 3.

℣. 32. *Quiescit*] supple à respondendo: id est, silet, non respondet. Et verò quid aliud homo reprehensus à Deo respondeat, quàm quod hîc Iob insigni modestia prudentiaque respondet? Nempe culpam agnoscendo, deprecandoque

℣. 34. *Leuiter locutus sum*] Id est, temerè, nimis audacter, & re non sat maturè excussâ. Non quòd peccarit refellendo leuia amicorum dicta: sed quòd ex aliqua naturali impatientia plusculum quæstus esset de *Deo*, ipsum *redarguens*, vt hîc habent LXX. & cum eo contendere gestiens, quasi præfisus suæ iustitiæ & plenæ innocentiæ, aduersus inscrutabile iudicium Dei, vt patet v. 3. cap. seq. & ipsemet explicat initio cap. vlt.

℣. 35. *Quod vtinam non dixissem*] Et hoc est illud *vnum* & *alterum*, quod dolet à se semel iterumque dictum factumve, seu sæpiùs repetitum.

CAPVT XL.

Idem confirmat Deus ex elephante & balena: docetq; potentiam & sapientiam suam sublimiorem esse, quàm vt ab vllo mortalium comprehendi possit, absit reprehendi.

℣. 2. ACCINGE *sicut vir lumbos tuos*] LXX. addunt dixisse Deum Iobo, *Minimè*, supple volo te tacere: sed para te virili animo ad mecum disceptandum.

℣. 3. *Numquid irritum facies iudicium meum*, nempe quo te affligo? Hebraicè, *dissipabis*; LXX. *repelles*, quasi iniquum & iniustum? *vt tu iustificeris*] id est, iustus & innocens declareris & appareas.

℣. 5. *Esto glorioſus, & speciosis induere vestibus*] Hebraicè, græcè & chaldaicè, *gloriam & decorem indue*. q. d. Age, magna & mira operando, vt ego facio, declara te dignum esse gloriâ & decore.

℣. 10. *Ecce Behemoth*] id est, *bestia*; & significat *elephantem*, qui propter ingentem corporis molem est instar multarum bestiarum. ita S. Thomas, Liranus, & passim Hebræi: & patet ex sequentibus. Quæ S. Gregorius, Olympiodorus, Nazianzenus & alij Allegoricè *diabolo* adaptant.

Quem feci tecum: LXX. apud te. q. d. Tam grandem & terribilem bestiam cicuraui, vt tecum habitet, tuisque vsibus seruiat. Et *fœnum quasi bos comedat*] non verò carnes, vt leo; sed vili pabulo est contentus.

℣. 11. *Virtus illius*, seu robur, est *in lumbis & vmbilico*] Quæ partes in alijs animantibus sunt teneriores, in elephante sunt robustissimæ, eò quòd è spina dorsi deducti nerui vmbilicum fortissimè deuinciant, adeò vt & turres cum pluribus armatis militibus dorso impositæ, cingulo sub ventre constricto firmentur: quam cõstrictionem, nisi ventre esset durissimo, ferre ibidem non posset. S. Hieronymus putat his nominibus *lumborum*

Hieron. epist. 22.

& vm-

& *vmbilici* honestè designari, sed sensu tropologico, viri & feminæ genitalia, quibus vt potentissimis armis, ad eos & alios prosternendos dæmon vt plurimum vtitur. ita etiam Origenes, Olympiodorus, S. Gregorius, Beda & alij.

A

℣. 12. *Stringit caudam suam quasi cedrum*] non propter altitudinem, (quia breuiore cauda est elephas) sed rectitudinem & firmitatem. Allegoricè, cauda diaboli est Antichristus in fine mundi affuturus, inquit S. Gregorius & alij.

Nerui testiculorum eius perplexi, sicut rami arboris, & funes mutuò implexi. Tropologicè sunt mira artificia & argumenta, quibus dæmon homines ad libidinem prouocat & implicat, vt difficillimè extricentur.

℣. 14. *Ipse est principium viarum Dei*] Id est, præcipuum operum & animalium terrestrium à Deo procreatorum, siue magnitudinem spectes, siue fortitudinem, siue comitatem (de qua v. 15.) siue docilitatem & quasi prudentiam naturalem, quâ & linguas rectorum intelligere & distinguere norunt, tripudiare, scribere, reges & Deum adorare assuescunt, & alia penè incredibilia faciunt, de quibus fusè Plinius, Ælianus, Cicero, Oppianus, & pulchrè Lipsius. Allegoricè, S. Gregorius, Hieronymus, Isidorus & D. Thomas in Catena, id primo Angelorum Lucifero adaptant.

B

Lips. Cent. 1. epist. 10.

Qui fecit eum, creator eius, *applicabit ei gladium eius*, seu suum] Id est, adeò fortis est elephas (Allegoricè diabolus) vt à solo Deo compesci & occidi posse videatur: LXX. vertunt, *vt eludere-tur ab Angelis eius*, quòd proprie in Luciferum quadrat.

℣. 15. *Omnes bestiæ agri ludent ibi*] iuxta elephantem tutæ & ludibundæ versantur. Cùm enim sanguinarius non sit, nec carnibus, sed solis herbis vescatur, non est cur reliquis bestiis terrori sit. quin, etsi quid subinde aduersus tam potentem belluam moliantur, non nisi ludere, illamq; oblectare videntur. Sic impij, quamdiu impij manent, quantacumque videantur moliri pro republica, pro Ecclesia, pro Deo, non nisi lusum diabolo faciunt, & operam ludunt. Quem mysticum sensum LXX. expressisse videntur, cùm vertunt, gaudium fieri *in tartaro*.

C

℣. 17. *Sub vmbra*, in locis vmbrosis, *dormit in secreto calami*] id est, in arundinetis, vbi calami sunt plurimi, densissimi, altissimi: nempe ibi quærit & inuenit refrigerium. ita ex Aristot. S. Thomas, Mercerus & alij.

℣. 18. *Absorbebit fluuium, & non mirabitur*] Id est, non putat rem grandem aut difficilem esse, si fluuius vel torrens illi exsorbendus esset. Hyperbole illa denotatur, quantâ auiditate & copiâ bibat elephas, quia vasto, terrestri & sicco est corpore, ob melancholicam complexionem, teste Aristotele & aliis.

D

℣. 19. *In oculis eius*, id est, palàm, vidente elephante, nec resistere valente, *capiet eum* (diuinâ prouidentiâ) venator, *sicut* piscem piscator capit *hamo*] Videtur alludere ad vulgarem morem quo bellua illa, vastissima licèt & robustissima, tamen facili negotio se capi sinit. Nempe in foueam ante paratam à venatoribus adacta & delapsa, cùm ab illis in parte corporis teneriore, putà oculo vel nare fodicatur & vulneratur, ex composito accurrenti alteri, qui illos vulnerantes abigit, & famelicæ belluæ hordeum, cibum illi gratissimum subinde porrigit, ipsa se illi gratitudinis ergo, vt vitæ seruatori ac benefico pastori, sponte subijcit. Ita Albertus Magnus, S. Thomas & alij apud Gesnerum, qui ex Aristotele & Æliano plures alios modos suggerit capiendi & curandi elephantes. Et hactenus de terrestri bellua: iam de marina omnium maxima & terribilissima.

℣. 20. *Leuiathan*] LXX *draco*. Nomine hoc Hebraicè designatur quiuis maximus piscis: hîc verò cetus seu balena, non ex vulgaribus istis, quæ mare Balthicum vel Mediterraneum incolunt, sed ex horrendis illis Oceani monstris, de quibus Plinius commemorat, vnam subinde balenam in mari Indico longam esse 950. pedes, & vastitate corporis adæquare quatuor iugera. Et vt S. Basilius, Ambrosius, Theodoretus, & Olaus Magnus notant, cùm eiusmodi belluæ è mari prominent, instar insularum esse videntur, in quas incauti nautæ si impegerint, in profundum cum vniuersa naui decutiuntur. De hoc ceto ad litteram locum hunc exponunt etiam Aquila, Symmachus, Theodotion, Hebræi, Græci & Latini passim. Allegorico sensu (& quidem à Spiritu sancto præcipuè intento) applicatur Lucifero, excellentissimo & superbissimo Angelorum, qui incarnatione Filij Dei, & cruce Christi, quasi hamo captus est, inquit Origenes. S. Athanasius, Cyrillus, S. Gregorius, Olympiodorus & Philippus in Catena. Similia habes Isaiæ 14. v. 12. & Ezechiel. 28. v. 12. de Nabuchodonosore, & de rege Tyri sub typo Luciferi: & Apocal. 12. v. 1. de muliere sole amicta, &c.

Basilius apud Ambr. in Hexameron. Theodor. in c. 1. Genes. Olaus de Gentib. Septentrion. l. 21. c. 25. & 26.

℣. 22. *Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia?*] Id est, supplex tibi fiet quasi à te deuictus?

℣. 24. *Numquid* aut *illudes ei quasi aui*, vt solent pueri? *aut ligabis*, seu alligabis, *eum* filo *ancillis* (Hebraicè & Chaldaicè, puellis) *tuis*] vt cum vincto ludant, seque recreent?

℣. 25. *Concident eum amici & negotiatores* in frusta, quasi bouem, & concisum inter se *diuident*] vt solent alias merces. q.d. Nulli homini possibile esset illum capere, aut captum in siccum attrahere, atque in frusta concidere, nisi diuinâ meâ prouidentiâ, ipse vel se incautiùs in siccum eijceret, vel anchorâ deuoratâ, vel alio artificio in littus attraheretur. Vide de hoc etiam quæ dixi c. 3. v. 8.

℣. 26. An capti *illius capite implebis gurgustium piscium?*] id est *fiscellam*, vel meliùs *tugurium* piscatorum.

℣. 27. *Pone super eum manum tuam*, si audes, & periculum vis facere, sed *memento belli*, ab eo tibi imminentis: nam ni caueris, ita te tuosque omnes excipiet, vt æternùm recorderis suscepti temerè negotij. *nec vltra addas loqui*] id est, nec deinceps ausis simile quid vel cogitare, vel attentare. Quicumque enim attentarit,

℣. 28. *Frustrabitur eum spes eius*, quam de eo capiendo ceperat. Hebraice, *nónne etiam ad aspectum eius* belluæ *cadet* vel proripiet se?

CAPVT XLI.

Fusius explicat robur balenæ: vt inde clariùs eluceat diuina potentia & sapientia & dominium absolutum, etiam in omnes alias creaturas.

℣. 1. NON *quasi crudelis suscitabo eum*] Id est, non est iudicium crudelitatis, quòd belluam tam immanem, tam noxiam aliis creem (per consequens, neque quòd tibi, ô Iob, tam acerbas pœnas infligam:) sed argumentum est meæ potentiæ, sapientiæ & dominij in omnes creaturas.

℣. 3. *Non parcam ei*, (Leuiathan:) & consequenter nec tibi, ô Iob, si sic mihi libuerit. Nec cedam *verbis* seu *potentibus*, seu *ad deprecandum compositis*] Id est, propter nullius aut minas, aut preces desinam ferire, lædere, perimere, si sic animo collibitum fuerit meo. Possum enim facilè ego, quod nemo alius potest vel audet. Nam

℣. 4. *Quis reuelabit*, seu reuelare possit vel ausit, *faciem indumenti* Leuiathan, id est, quis possit cetum excoriare, vel pellem detrahere? Hebræis enim *facies indumenti*, seu indumentum, est pellis, quæ est quasi superficies corporis. Aut *in medium oris eius quis intrabit*, ad frænum ei in os inijciendum?

℣. 5. *Portas vultus eius*, id est, rictum & labia eius, *quis aperiet*, tam terribili vi dentium armata?

℣. 9. *Sternutatio eius*, seu aquæ eructatio, *splendor ignis*] Tanto enim impetu & vi eructat aquam, vt dispersa & dissiliens in subtilissimas guttas, vel vapores, eminus ignis potiùs fulgens, quàm crassa aqua videatur. Quod S. Chrysostomus & S. Thomas dicunt, eum dum sternutat, videri flammas ignis eiaculari.

Et oculi eius lucentes & flammei (quod nocte maximè aduertitur) *vt palpebræ diluculi*, seu auroræ, vt vertit Chaldæus; LXX. habent, vt *species Luciferi*, quem, quia auroram præcedit, vocat Olaus Magnus *palpebras auroræ*. Habet enim cetus oculos lucentes & flammeos: vnde & eminus videntur à nautis, & tempori euitantur. Allegoricè diabolus, propriè dictus Lucifer, se transfigurat in angelum lucis, inquit Origenes & Olympiodorus.

Olaus sup. c. 14.

℣. 10. *De ore eius lampades proceduntˆ*] Flammas enim (ob ea quæ v. 9. dixi) euomere videtur, tum maximè cùm halitum emittit, & aërem interno calore pæne succensum efflat, vt nouum recentemque hauriat. Eius enim halitus calor tantus est, vt *prunas ardere faciat*, seu facere posset, vers. 12. Licèt enim plerique pisces pulmone careant, neque respirent, vt contra Democritum & Anaxagoram, optimè docet Aristoteles, itemque contra Plinium & Tertullianum Rondeletus & Conimbricenses. Nam ad refrigerium natiui caloris sufficit illis aqua, ad spiritus verò animales fouendos sufficit calor natiuus & sanguis. Tamen certum est, nonnullos pisces habere pulmones, & per eos respirare, putà delphinos, physeteres, & balenas: vnde & fistulam in capite prominentem habent per quam respirant. Quia tamen frigidiore sunt complexione, ideo minùs frequenti respiratione egent: & pulmones eorum, vtpotè exsangues & minùs fungosi, vbi semel aërem imbiberint, sat diu sine noua attractione, possunt cor refrigerare: si tamen iusto diutiùs sub aqua detineantur, emori certùm est, vt accidit subinde delphinis reti conclusis, & nimis diu sub aqua detentis. ita Aristoteles, Rondeletus, Conimbricenses & alij physici. Tropologicè Lucifer, eiusque ministri flammas irarum, persecutionum & tentationum in Christianos euomunt, inquit S. Gregor. & S. Thomas.

Arist. l. 1. de Respirat. c. 1
Plin. l. 9. c. 7.
Tertull. l. de Anima c. 10
Rondelet. l. 3. de Piscibus c. 11 & l. 4. c. 9.
Conimbr. de respirat. c. 5.

℣. 13. *In collo eius morabitur fortitudo*: nam circa collum robustissima est hæc bellua: & ante *faciem præcedit egestas*] LXX. *currit perditio*, nempe vnica & sola, nam omnia alia deuorat vel fugat; hebraicè & chaldaicè est, *coram eo exultabit dolor*, nempe qui unicus & solus, fugatis vel deuoratis alijs omnibus, reliquus manet.

℣. 14. *Mittet* Deus *contra eum fulmina* (sic legendum, non *flumina*, vt legerunt Louanienses,) nil lædetur, nil timet, licèt directè in illum vnum missa & vibrata, nec *ad alium locum ferri* videantur. q. d. Cæleste fulmen & tonitru, quæ omnia alia animantia quasi exanimant, vnum cetum non terrent, potiùs *stringetur*, & magis magisque compingetur & indurescet *cor eius* fulmine percussum, sicut *incus malleo* percussa. ita S. Thomas. Clarum hoc in obdurationè diaboli, inquit S. Gregorius.

℣. 16. *Cum sublatus* in altum *fuerit*, erigens se supra vndas, *timebunt* etiam *angeli*: hebraicè & chaldaicè, *fortes* & robusti sicut angeli, id est, robustissimi quique. & *territi purgabuntur*] soluta aluo præ timore, inquit Emanuel Sà & Mariana.

℣. 21. *Sub ipso erunt radii Solis*, quia illos quasi in sua potestate habet, vt, quando volet incalescere, diductis loricis & squamis, pro libito eos excipiat: sin nolit, conclusas teneat, & quasi ferreum & imperuium montem sese illis opponat.

Sternet sibi aurum quasi lutum] id est merces aureas & pretiosas quę magna copia nauigiis quaquauersum vehuntur, ipse diripit, dissipat, dispergit, confractis nauibus, nec pluris facit immensos thesauros, quàm lutum, quod pedibus eius in fundo maris substratum iacet. ita S. Thom.

℣. 22. *Feruescere faciet mare* suo motu, agitatione, halitu & vomitu iam dictis.

℣. 23. *Post eum lugebit semita*, id est, ex fluctuum concussione & spumis relinquet post se aquam albicantem, & *abyssum quasi senescentem*] id est, mare canescens, (vt est in Hebræo & Chaldæo, præ alba spuma.

℣. 25. *Omne sublime videt*, nempe interritus & immotus: quia *ipse* instar regis eminet *super vniuersos filios superbiæ*] Hebraicè, *filios elationis*; chaldaicè, *filios montium*: id est, super omnia alata animalia. Vnde LXX. vertunt, *ipse est rex omnium quæ in aquis sunt*. Hebræis enim familiare est, tribuere *filij* nomen etiam *bestijs*, vt Psalm. 28. vers. 1. *Afferte Domino filios arietum*. ita Vatablus, Aben-Esra, Mercerus & alij. Allegoricè in diabolum omnia optimè quadrant, quò noster Interpres respexisse videtur.

CAPVT XLII.

Iob iteratò culpam agnoscit coram Deo, veniamque petit & impetrat: laudaturq; à Deo pra amicis, qui iubentur per holocausta & intercessionem Iobi, reconciliari Deo. Iob duplicia omnia recuperat, & plenus dierum in pace quiescit.

℣. 3. *Quis est iste* tam audax, tam perfrictæ frontis, *qui celat*, seu celatum esse putet Deo, aliquod *consilium absque scientia?* id est, rem aliquam absconsam & secretam esse, absque quòd sciat Deus: quasi Deo aperire quis aliqua de nouo, vel illum docere se posse sperat. *Ideo* fateor me valdè *insipienter locutum* esse, dum dixi Deo quæ sequuntur.

℣. 4. *Audi, & ego loquar: interrogabo te*, cur me ita iudices, &c. *& responde mihi*] Hæc enim verba videri possent & ab animo plusculũ sibi præfidente profecta, & in Deum, quasi non sat gnarum omnium, vel saltem non sat singulis attendentem, iniurioſa. Vnde & me *pœnitet* dictorum, & vltrò *me reprehendo*, meamque insciti am lubens agnosco: maximè cùm tam prolixa instructione tu-met, ô Deus, coram erudire me dignatus es. Hactenus enim

℣. 5. *Auditu auris audiui* quidem *te* aliquando, seu per internas, seu per externas inspirationes

mecum

mecum loquentem: *nunc autem* maiore me dignatus A es beneficio, nempe vt etiam *oculus meus videat te*] sensibili & visibili forma mihi præsentem, meque docentem. Vt mirum non sit, omnia mihi iam clariùs certiusque constare, meque magis & meliùs erga te affici, quàm antè. ita S. Thomas. Hactenus rythmicè omnia, vt dixi initio cap. 3. Quæ iam sequuntur prosâ conscripta sunt.

℣. 7. *Iratus in te, & in duos amicos tuos.*] Sic etiam in Græco est & Chaldæo. An ergò non iratus fuit Deus etiam tertio Eliu? Fuit profectò, sed hominem incredibili fastu, & falsa opinione sapientiæ turgentem, vti statim ab initio silere iusserat Deus initio cap. 38. ita nunc negligit, fastidit, & quasi ignotum præterit, qui *humilia respicit, & alta à longè cognoscit.*

Psal. 137. v. 6.

Nonestis locuti rectum, sicut seruus meus Iob] Damnat ergo hîc Deus amicos quasi qui à scopo aberrarint: Iobo verò, quia rem acu tetigit, causam addicit & palmam. Certum enim est, non solos sceleratos & Deo exosos ab eo affligi in hac vita, quod vrgebant amici, sed etiam pios & sanctos, quod Iob contendebat. Petulantiùs etiam & actioribus verbis, quàm deceret, incurrerant in afflictum. vnde & iubentur supplices illi fieri, & venià ab Iobo petità, preces quoque eius ad Deum pro se deposcere. Quod cùm prompto animo faceret Iob,

B

℣. 9. *Suscepit Dominus faciem Iob*] id est, exaudiuit preces eius pro illis fusas. Quin &

℣. 10. *Ad pœnitentiam Iob*, Pagninus, *ad conuersionem Iob*, id est, simulatque pœnituit Iob de suis defectibus, v. 6. & toto corde conuersus est ad Deum, simulque *orat pro amicis suis*, licèt erga se non valdè amicis; intuitu vtriusq; tam pij operis, *Dominus quoque conuersus est*, hebraicè & chaldaicè, *Dominus conuertit captiuitatem Iob*, id est, Deus à captiuitate dæmonis Iobum exsoluit, neque amplius reliquit illum in eius potestate. Hinc & ex omnibus suprà dictis patet, non admodum diuturnam fuisse hanc Iobi afflictionem, nec nisi paucis mensibus, vt summum durasse. Nam amici Iob, simulatque eis innotuit illius infortunium, solandi iuuandique eius causâ adcurrerunt. Disceptatio verò illa omnis quæ intercessit, paucis diebus expediri potuit. Disceptationi Deus finem citò imposuit, simulque Iobum malis omnibus exemit. Vide quæ dixi in Chronico cap. 16. in fine.

C

Et addidit Dominus omnia quæcunque fuerant Iob, duplicia] Etiam annos vitæ, vt ibidem dixi, & Rabbini disertè affirmant. Filiorum tamen & filiarum numerum non auxit, quia alioquin ex pecorum & reliquarum opum multiplicatione familia non euasisset auctior & ditior.

℣. 11. *Cuncti mouerunt super eum caput*] partim præ compassione, partim præ stupore & admiratione, vt habent LXX.

℣. 14. *Nomen vnius*, seu primæ filiæ, *vocauit Diem*, eò quòd pulchra esset tum corpore, tum mente, instar splendidæ diei. *Nomen secundæ, Cassiam*, quòd nobilis & gratiosa esset, instar aromaticæ cassiæ. *Et nomen tertiæ, Cornustibii*] quòd elegantissimo esset vultu, quasi tota stibio depicta, quo facies & oculi præsertim inungi solent. ita S. Thomas. Olympiodorus verò, Vatablus & Mercerus, dicunt Iob ea nomina filiabus indidisse in memoriam & monimentum vtriusque suæ fortunæ, aduersæ & prosperæ, quasi iam ex miseriarum *tenebris*, ope diuina redijsset ad felicitatis *diem*: à *pedore* ad *fragrantiam*: ex *sordibus* ad *nitorem*. Porrò pro *cornustibij* LXX. vertunt, *cornu Amalthex*, id est cornu copiæ: alludentes ad fabulam Poëtarum, qui capram *Amaltheam* finxerunt *nutricem* esse *Iouis*, è cuius proinde *cornu* Iupiter omnia bona hauserit. ita Olympiodorus. Qui & Tropologicè *tres* istas *trium* filiarum Iob proprietates applicat *tribus iustorum statibus*, Primò, incipientium; Secundò, progredientium; Tertiò, perfectorum. S. Gregorius Allegoricè, de *tribus humani generis statibus* exponit: Primò, de primis parentibus in gratia creatis; Secundò, de nobis omnibus per gratiam Christi redemptis; Tertiò, de resurrecturis ad gloriam sempiternam.

Coronidis loco, breuiter ex antedictis contraham hîc in vnum, quibus in rebus Iob figura & typus fuerit Christi. Primò, Iob rex fuit Idumææ: Christus rex cæli & terræ. Secundò, Iob excidit omnibus bonis & opibus suis: Christus, omnibus etiam vestibus exutus, nudus pependit in cruce. Tertiò, Iob filijs simul omnibus & filiabus vnà horâ priuatus fuit: Christum captum omnes eius Apostoli deseruerunt. Quartò, Iob omnes penè morborum & dolorum species sustinuit, vlcerosus à capite vsque ad talos: Christo totum corpus flagris concisum, manus, pedes clauis, caput spinis confossum fuit, & omnia membra doloribus acerbissimis excruciata. Quintò, Iob in animo sensit ingentem mœrorem, tædium, scrupulos, anxietates: Christus in horto cœpit pauere, tædere, tristari & mœstus esse ad mortem vsque. Sextò Iob ab amicis quoque imò & à propria vxore, grauia probra sustinuit, dictus impius, hypocrita, tyrannus, leo, tigris, &c. Christus à principibus sacerdotum & magistratibus, adeoque tota synagoga audiuit impostor, blasphemus, seditiosus, & quid non? Septimò, in Iobo vexando & affligendo dæmon laxatis sibi à Deo habenis, omnes suas vires exeruit: sed multò magis exeruit in Christum. Octauò, Iob queritur, se ab omnibus, etiam ab intimis amicis, derelictum. Christus etiam ad Patrem suum cælestem exclamat, *Vt quid dereliquisti me?* Nonò, Iob omnia hæc mala sustinuit incredibili patientia, humilitate & constantia, sed exclusa morte: Christus vsque ad mortem inclusam, mortem autem crucis. Decimò, Iobo reddita omnia duplicia: Christo omnia centuplicia.

Ecce, sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, & miserator. Iacobi 5. vers. 11.

LIBER

LIBER

PSALMORVM

VNICVS apud Latinos, sed in quinque libros dissectus apud Hebræos, rhythmo seu carmine (inquit S. Dionysius, Hieronymus & Isidorus) recensetbreuiter omnia gesta veteris Testamenti, & pleraque gerenda in nouo. Hinc multi psalmi veræ sunt prophetiæ: & vt tales varia subinde argumenta tractant, nullo seruato ordine seu temporum, seu rerum, neque habent inter se connexionem. S. Augustinus, Theophylactus, Euthymius, & hos secuti Emanuel Sà, Mariana & quidam alij, volunt, solum Dauidem omnium psalmorum fuisse auctorem. Sed in fine Psalmi 71. desinere dicuntur psalmi Dauidis: & mox subnectuntur psalmi Asaphi Prophetæ. Et 2. Paralipom. 29. v. 30. præcipit Ezechias Leuitis, vt cantent psalmos non modò Dauidis, sed etiam Asaphi. Vnde multò probabiliùs S. Hieronym. Hilarius & Hebræi censent, varios psalmos à variis Prophetis compositos esse, iis nempe qui in titulis subinde prænotantur. v. g. *Moyse*, *Asaph*, *Ethan*, *Heman*, *Idithun*, *Salomone*, & *tribus* filiis *Core*, sed plerosque à *Dauide*. Quos deinde Esdras simul omnes in vnum volumen compegit. Scripti sunt primùm hebraicè, sed postmodum (vnà cum aliis libris veteris Testamenti) à variis in Græcum translati & nominatim à S. Luciano Martyre: cuius translationem in Latinum deinde conuersam (non verò translationem L X X. Interpretum, vel S. Hieronymi, vt quidam opinantur) à S. Hieronymo correctam vsurpat hactenus Ecclesia Romana. Vide Bellarminum.

Dion. Eccl. Hierarch. c. 3. p. 3. Hieron. in Præfat. & alibi. Isidor. li. 6. Etymol. c. 1. & li. 1. de Offic. c. 1. Aug. l. 17. de Ciuit. cap. 14.

PSALMVS I.

Est instar præfationis in quinque libros Psalmorum: & adhortatio ad studium pietatis, & impletionem legis diuinæ. In hoc enim sitam esse felicitatem vitæ præsentis: & qui secùs faxint, Deo vindice perituros.

℣. 1. BEATVS *beatus* est, non qui opibus, delicijs, honoribus floret, sed *qui in consilio impiorum non abiit*, id est, qui non obsequitur malis consilijs impiorum hominum: *& in via peccatorum non stetit*, seu rationi & consuetudini viuendi ipsorum non inhæret. *neque sedit in cathedra pestilentiæ*] id est, non docuit alios falsa, impia & pestilentia eorum dogmata. LXX. pro *pestilentiæ* verterunt, λοιμῶν, id est pestium. In Hebræo est *letzim*, id est, *derisorum*, seu qui diuina & humana iura rident, suaque impia principia vulgo instillant, atque ita pestes sunt mundi. Designantur verò partim athei, partim hæretici. ita S. Athanasius, Origenes, Basilius & Theodoretus in Catena Græcorum Danielis Barbari. Et notant hîc S. Ambrosius & S. Augustinus triplicem gradationem impietatis: Primam in voculis *consilij*, *viæ*, *cathedræ*: Secundam in nominibus *impiorum*, *peccatorum* (ex habitu) & *pestilentium*: Tertiam in verbis *abijt*, obsequendo: *stetit*, inhærendo: *sedit*, alios docendo.

℣. 5. *Non resurgent impii* (hebraicè, *non stabunt*; chaldaicè, *non consistent*) quia nempe cadent causâ, & damnabuntur, putà *in iudicio iustorum*, & *in concilio*, seu cœtu, eorumdem. q. d. Quando coram diuino tribunali impij vnà cum iustis congregabuntur, & iudicabuntur; tunc impij non stabunt ampliùs, vt olim, erecto capite, nec consistent aut residebunt primo loco, sed præ pudore & metu vix pedibus insistent, vultu in terram deiecto: & causa ex toto cadent, palàm damnabuntur, & summa cum ignominia procul à cœtu iustorum arcebuntur. ita S. Augustinus.

℣. 6. Quia *nouit Dominus*, notitiâ approbationis, id est, probat, amat, prosperat, & præmio compensat, *viam*, id est viuendi modum, conatus & actiones, *iustorum*. Odit è contra & perdet *iter*, id est actiones & conatus, *impiorum*] ita Theodoretus & Damascenus.

PSAL-

PSALMVS II.

Vaticinium est de incarnatione, regia potestate & imperio Christi, cui frustra se opponent reges & principes terræ: nam Deus Pater, qui Christum constituit regem vniuersorum, regnum ipsius modis omnibus conseruabit. Vbi cum S. Hieronymo Nota, Psalmistam (vt solent Prophetæ, sæpiùs in eodem psalmo mutare personas, & in morem dialogismi varios inducere loquentes, iam Deum, iam seipsum, iam hostes suos: nec tamen semper personas has exprimere aut secernere, sed ex adiunctis secernendas lectori relinquere.

A

℣. 3. DICVNT tyranni: *Dirumpamus vincula eorum*] id est leges Dei & Christi, quibus nos tanquam funibus vincire volunt. Sed frustra id impij conantur:

℣. 6. *Ego* enim, inquit Christus, præcepto æterni Patris mei *constitutus sum rex super Sion*] id est, super vniuersam Ecclesiam Dei, cuius typus, fundamentum & origo fuit in *Sion* arce Dauidis, B & templo Ierosolymitano. Vocatur verò *mons*, propter eminentiam & firmitatem, inquit S. Augustinus.

Prædicans præceptum eius] Hebraicè & Chaldaicè, *prædicabo* iam, seu exponam vobis hoc Patris mei *præceptum*, nempe quo

℣. 7. *Dixit ad me, filius meus es tu*] Nam eo ipso quo me genuit naturalem filium suum, constituit me heredem quoque suum, vniuersalem, & consequenter dominum & regem cæli & terræ. Genuit verò me Primò *hodie*, id est hoc momento æternitatis, (inquit S. Paulus (*a*) & S. Augustinus:) id est, semper, ab omni æternitate, & adhuc continuò omni instanti (nam quod ab æterno est, semper & continuò est,) gignit me secundùm diuinam naturam meam, tamquam Verbum suum & filium naturalem. Secundò, *hodie*, id est, hoc meæ incarnationis die, *genuit* me secundùm naturam meam humanam, creando illam, & naturæ diuinæ hypostaticè vniendo: sic enim de nouo produxit me hominem Deum, & filium suum naturalem. ita alibi S. Paulus (*b*) & Origenes, Cyrillus, Theodoretus, Euthymius. Tertiò, *hodie*, id est, hoc die resurrectionis meæ, secundùm carnem regenerauit me, dans mihi corpus impassibile & alijs glorioſis dotibus ornatum. ita idem S. Paulus Actor. 13. v. 33. S. Ambros. Hilarius, Chrysost. & alij. Possunt enim vnius & eiusdem loci S. Scripturæ vt propriæ significationes, ita & sensus litterales plures esse, quos Spiritus sanctus etiam immediatè simul intenderit ad plura simul mysteria designanda: ita S. Augustinus, & Doctores passim.

a Hebr. 1. v. 3.

b Hebr. 5. v. 5.

S. August. l. 3. Doctr. Christiana c. 27.

℣. 8. *Postula à me*] Decretum enim Dei & prædestinatio preces nostras non excludit, inquit Mariana. Sed hìc ad meritum respici videtur. q. d. Ad tres titulos, triplici generatione tibi partos, volo etiam quartus accedat, nempe meriti, quo per varios actus & passiones, quasi iure postules & exigas à me quod optas;

Et dabo tibi quidquid optaueris, etiam *Gentes* in *hereditatem tuam*: id est, vt regnum tibi hereditarium, seu tua Ecclesia, non ampliùs constet solis Iudæis, vt constat Synagoga, sed sit planè *catholicum* seu vniuersale, complectens omnes nationes & populos, & quidem vsque ad *terminos terræ*] nempe quotquot per fidem & obedientiam se tibi tamquam regi suo subdere volent, ita Eusebius, Didymus, Theodoretus & alij. Vnde constat

C

D

A hunc psalmum ad litteram non de Dauide, vt volunt Rabbini, & Salianus (nam Dauidi numquam obtigit tam amplum imperium) sed de Messia Dauidis filio exponendum esse. ita SS. Patres & Doctores.

℣. 9. *Reges*, seu gubernabis, *eos* qui tibi rebelles & inobedientes fuerint, (de quibus initio psalmi:) *in virga ferrea*] id est sceptro forti & duro, quo tyrannos omnes, licèt potentissimos, quasi *vasa figlina confringas* & conteras, partim in hac vita, partim in futura. ita S. Hieronymus.

℣. 12. *Apprehendite disciplinam*] id est institutionem, doctrinam & directionem Messiæ, illíque subiacete & obedite. Hebraicè, *adorate purè*, vel meliùs, *osculamini filium* (*bar* enim tam *filium*, quàm *purum* seu *puritatem* significat. *Filium*, inquam, Dei, vt dixerat vers. 7. id est *Messiam*, inquit Aben-Esra, reuerenter excipite, adorate, colite, vt datum vobis cælitus regem, vosque vestraque omnia illi subiicite: nam *osculum* seu manuum, seu pedum, signum est adorationis, subiectionis & obedientiæ. hoc autem fit *apprehendendo disciplinam*, id est institutionem & doctrinam Euangelij Christi. ita Athanasius. Vide dicta in Prolegomenis, & Iob 31. v. 27.

בר

Proleg. de Idiotismo Hebr. n. 11.

PSALMVS III.

Dauid fugiens à facie Absalom filij sui, 2. *Regum* 15. *v.* 14. *excitat in se spem diuini auxilij numquam sibi defuturi. Allegoricè, conuenit Christo patienti, cùm eumdem torrentem Cedron, quem olim Dauid, transgrederetur: Tropologicè, cuiuis iusto diabolum & persecutores fugienti. ita Athanasius.*

℣. 3. NON *est salus ipsi in Deo*] Hebraicè additur *sela*, quæ cantoribus est *nota silentij*, vt ob rei grauitatem interquiescant nonnihil quasi meditabundi, & sic attentionem excitent ad rem tantam. S. Hieronymus, Aquila & Chaldæus vertunt, *semper*, supple, salus erit in Deo. Vult ergo insinuare Dauid, intolerabilem esse blasphemiam, diffidere de diuina prouidentia, quæ semper adest.

סלה

C

℣. 4. *Tu susceptor meus*] Hebraicè & Chaldaicè, *clypeus circa me*. q. d. Protector, adiutor, sustentator mihi es. Sic enim etiam v. 6. & alibi in Scripturis vsurpatur *suscipere*.

Et gloria mea, scilicet actiua, tu es. id est, glorificas me, regiam gloriam meam conseruans, ornans & augens. *Et exaltans*, id est erigens & sustentans, *caput meum*] ne ponderi afflictionis succumbam. ita Eusebius.

℣. 5. *De monte sancto suo*, Sion scilicet, & tabernaculo per Dauidem ibi erecto, vbi Deus habitare videbatur, & inde orantes exaudire, ita Theodoretus. Et hìc quoque additur *sela*, de quo v. 3. S. Athanasius exponit de cælo & sublimi throno gloriæ suæ *exaudiuit me*] submittendo mihi auxilium.

D

℣. 6. *Ego dormiui*] cinctus licèt innumeris hostibus, tamen de Dei ope securus, suauiter in vtramque aurem dormiui, & finito somno, illæsus surrexi. ita Theodoretus, Allegoricè, Christus perfunctus somno mortis in cruce, surrexit die tertia illæsus. ita Origenes, Eusebius, Didymus, & Missale Romanum.

℣. 9. *Domini est salus*, id est, saluare: *& benedictio*] id est benedicere, impendendo cui vult fauorem, opem, & copiam omnium bonorum.

PSALMVS IV.

Hortatur hoc psalmo Dauid tum socios suos qui fugientem à facie Absalom comitabantur, tum hostes suos, & alios omnes, vt Deum ex animo colant, & ab eo pacem ac rerum omnium copiam sperent. Allegoricè, Christus & Ecclesia hortatur filios suos ad firmam spem & constantiam in afflictione.

℣. 1. IN *finem in carminibus*] Ita & LXX. Id est, ad finem sæculorum, seu ad tempora Messiæ spectat hic psalmus, vt Rabbini exponunt. Vel, *ad finem* legis, id est ad Christum. Hebræum *lamnatzeah*, quod Noster *in finem* vertit, propriè *præfectum* significat (*a*) nempe cantorum: vnde S. Hieronymus vertit, *victori*, id est, qui alios seu peritiâ, seu dignitate vincebat & superabat: supple, detur hic psalmus *ad canendum*, vt vertit Chaldæus. *In neginoth*, quod Noster vertit, *in carminibus*; LXX. *in hymnis*; Hieronymus, *in canticis*: propriè significat, *in pulsationibus*. q. d. *Præfecto pulsantium* tibias, vel alia musica instrumenta, detur hic psalmus, vt adiunctis tibijs canatur.

למנצח
a 2. Par. 17. 2. v. vlt. & c. 34. v. 12.

בנגינות

℣. 2. *Deus iustitiæ meæ*, id est iustæ causæ & innocentiæ meæ, supple, inspector, tutor, defensor & vindex.

In tribulatione, quæ solet cor mœrore constringere, *dilatasti mihi*] supple, cor, animum, & viam quâ euadam. ita Chrysost. Didymus & alij.

℣. 2. *Vsquequò graui corde?*] id est, terreno, obtuso, obstinato animo, supple, eritis, ad me persequendum. Hebraicè & Chaldaicè, *vsquequò inclyti mei gloriam meam ad ignominiam diligitis*, id est deducere optatis, & conamini, *vanitate & mendacio?* id est, vanis & fallacibus consilijs ac vijs, putâ magnis copijs militaribus. ita Athanasius & Theodoretus. An nescitis quia semper hucusque

℣. 4. *Mirificauit*, id est mirum atque omnibus admirandum præstitit, *Dominus sanctum suum*, id est Dauidem suum à se toties sanctificatum & vnctum in regem ac Prophetam? nempe singulari ope, protectione ac fauore, quo illum semper complexus ac tutatus est, fecit vt stupori esset toti orbi. Nec verò iam deseret illum, maximè *cùm clamauero ad eum*, & humillimis precibus opem poposcero. Quare suadeo vobis,

℣. 5. *Irascimini, & nolite peccare.* Id est, ficiram vestram, quam in me iustam (vt putatis) acuitis, administrate & regite, vt in Deum & in iustitiam non peccetis. Primò, ne permittatis illam extra limites æquitatis salire. Secundò, etsi saliat fortè motibus primò primis, impetu naturali, & qui rationem præuertant, nolite eos sponte fouere, & contra dictamen rectæ rationis ijs obsequi. Optima verò ratio discernendi iustane sit ira, an iniusta fuerit, si *quæ dicitis in cordibus vestris*, seu quæ animo voluitis, quæque ira suggerit, non statim in opus deducatis, aut consentiatis, sed antè *in cubilibus vestris*] cùm iam soli & quieti estis, & primus irarum impetus atque æstus deferbuit, maturo consilio, & corde diuino amore compuncto, diligenter expendatis. Et sic

℣. 6. *Sacrificate sacrificium iustitiæ*, id est, operamini opera iusta & pia, Deoque grata instar optimi sacrificij. ita S. Chrysost. Mox occurrit vulgari obiectioni, *multi*, scilicet impij, *dicunt: Quis ostendit nobis bona?* id est, quis nobis iustè operantibus iustam mercedem seu contulit, seu conferre decreuit? Respondet Primò, *Sperate in Domino.* Id est, committite hoc paterno affectui & curæ Dei, qui certo certiùs mercedem rependet, saltem in altera A vita. Secundò, respondet neminem prudenter posse de mercede aliquando obuentura dubitare, quia, vt sequitur,

℣. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui*, id est, signum diuini fauoris & affectus tui erga nos certissimum clarissimumque habemus lucidam ac serenam faciem tuam, putà beneficentiam perpetuam, quæ continuos radios ex igne & sole diuini pectoris (putà quotidiana omne genus beneficia) in nos vibrat & effundit. Sic expone etiam similes phrases, *Illumina vultum tuum super nos, illustra faciem tuam mihi*, &c. id est, lætum, benevolum, beneficum te mihi exhibe, ita Chrysost. & ferè recentiores. Ex illo enim fonte, perpetuò *dedisti lætitiam in corde meo*, id est, summoperè gaudere me fecisti; neque hoc propter sola spiritualia beneficia, sed etiam propter temporalia, nempe *à fructu frumenti, vini & olei*, id est rerum omnium copia, quâ *multiplicati sunt*, seu abundant quicumque mecum tibi deseruiunt & in te sperant. Vnde

℣. 9. *In pace in idipsum dormiam*] id est, quietus & securus de eadem tua erga me singulari prouidentia, affectu & fauore, deinceps placidissimè dormiam, & in vtramque aurem conquiescam. Anagogicè, spe certâ resurrectionis & gloriæ æternæ, securus & lætus moriar. Allegoricè, fructus frumenti & vini est SS. Eucharistia: oleum reliqua Sacramenta, & gratia cælestis. ità Theodoretus.

PSALMVS V.

Dauid in persona Ecclesiæ, vel anima afflictæ, orat Deum vt impios cohibeat, pijs benedicat.

℣. 1. TItulus est in Hebræo, *Lamnatzeah in neginoth.* Latinè, *in finem*, (de quo dixi Psalm. 4.) *pro ea*, scilicet Ecclesia, vel anima iusta, *quæ hæreditatem consequitur*, nempe cælestem, pro qua hîc luctatur. ita Chrysost. August. Theodoretus.

℣ 4. & 5. *Manè*, id est, maturè, tempestiuè, *astabo tibi* supplex cum libello meo, quem tibi per mentis elcuationem & per preces offeram: item tamquam famulus promptus excipere iussa tua, tuisque nutibus obsequi. Et *videbo* (hebraïcè, *speculabor, contemplabor*) te quasi præsentem mihi, cui tamquam iustissimo iudici supplex fiam, & tamquam optimo hero seruitium omne meum deferam: & à quo vicissim omnem contra hostes meos opem & præsidium præstolabor. Neque enim *Deus volens iniquitatem tu es*] Hebraicè, *non delectaris*, non amas, non vis vt iniquè seu iniustè me opprimant hostes mei.

℣. 7. *Loquuntur*, seu ore, seu corde, seu opere, *mendacium*] id est, falsos dolos & fraudes hostiles. ita S. Augustinus.

℣. 9. *Deduc me in iustitia tua*, id est in vijs iustitiæ & virtutis: id est, doce & fac me iustè viuere, & *dirige viam*, seu actiones omnes *meas in conspectu tuo*, supple, vt placeam tibi per omnia. *Dirige*, inquam, *propter inimicos meos*] ne ipsi crimen aliquod in me reperiant, quod meritò mihi exprobrent, & ob quod me iustè persequi videantur.

℣. 11. *Sepulchrum patens est guttur eorum*] Id est, instar aperti sepulchri os eorum exhalat teterrimum ac pestilentem fœtorem mendaciorum, detractionum & sycophantiarum. ita Chrysostomus.

℣. 13. Vt

℣.13. *Vt scuto bonæ voluntatis*] Græcè εὐδοκίας, id est, fauoris ac beneuolentiæ diuinæ. q.d. Tu tuo fauore atque ope diuina, quasi tutissimo scuto, *coronas*, seu vndique cingis & munis iustos contra omnium hostium tela. ita Chrysostomus & Theodoretus.

PSALMVS VI.

Hoc psalmo Dauid ager ex morbo sibi immisso ob adulterium cum Bersabee, sanari orat, & exauditur. Mystice conuenit peccatori pœnitenti.

℣. 1. IN *finem in carminibus*] Vide quæ dixi initio Psalmi 4. vnde in posterum hoc non amplius repetemus.

Proctana] Id est, in octachordo canendus.

℣.4. *Vsquequo?*] supple, perges me excruciare? vel non medeberis mihi? inquit Origenes.

℣.6. *In morte*, seu inter mortuos, *non est qui memor sit tui*, id est, qui memoriam tui excitet in animis viuentium. Neque *in inferno* qui *confiteatur tibi*, seu laudes tuas celebret apud viuentes, incitando illos ad te laudandum & tibi seruiendum. ita Iansenius. Genebrardus vtrumque refert ad damnatos in inferno. Simile habes Psalmo 113. *Non mortui laudabunt te Domine.* & Isaiæ 38. *Non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te.* Tropologicè, anima in peccatis mortua, non est memor Dei. Sed malè hinc infert Caluinus, Ergo animæ, etiam Sanctorum, dormiunt vsque ad iudicium.

℣.7. *Laborani in gemitu meo*] Id est, valdè affligor & fatigor gemendo ac suspirando.

Lauabo (Hebraicè, *natare faciam*) *singulis* vitæ meæ *noctibus lectum meum*] in quo adulterium patraui, & sic perpetuis lachrymis eluam crimen vnius noctis. Chrysost. & Eusebius in Catena.

℣.8. *A furore*, id est, propter furorem tuum, seu propter morbum à furore tuo mihi immissum, *turbatus est oculus meus*] Hebraicè, crosus, detritus est, tum dolore, tum lachrymis. Tropologicè, mens peccatoris turbatur dum futuri iudicij furorem præuidet. ita Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus.

Inueteraui, id est consenui, incanui. q.d. Tanta tristitia & dolore confectus sum, vt ante senectutis tempus canos contraxerim: & quidem *inter omnes inimicos meos*] Id est, in præsentia hostium meorum, illis me videntibus & ridentibus.

PSALMVS VII.

Occasione verborum, *seu decretorum Saulis aduersus Dauidem videtur hic psalmus concinnatus, quo quaritur Dauid se falsò perduellionis traduci, & opem diuinam aduersus tyrannum implorat, eiusq; exitium predicit. Allegoricè, Dauid est Christus, Saul Iudæi: Tropologicè, Dauid est quiuis iustus: Saul, impij persecutores.*

℣. 1. PRO *verbis Chusi*] Id est Æthiopis. Sic vocat *Saulem*, interprete Chaldæo, ob morum nigredinẽ & obstinationem in malo. Sic *Callimachus* & *Ouidius* hostem suum vocarunt *Ibin*.

℣.4. *Si feci istud*, quod mihi impingunt, scilicet, me vitæ Saulis & regno insidiari.

℣.5. *Decidam inanis*] Id est, vacuus & frustratus omni spe mea.

℣.7. *In præcepto quod mandasti*] Id est, propter decretum quo sanxisti vt ego pro Saule rex statuerer.

℣.8. *Synagoga* (Hebraicè & Chaldaicè, cœtus A congregatio, Ecclesia) *circumdabit* te supplicabunda, vt à te impetret: & laudabunda, cùm impetrauerit; vt tamquam iudex & vindex exsurgas. Ergo, si non propter me, saltem

Propter hanc fidelium multitudinem, *in altum ingredere*, id est, tribunal diuini iudicij tui conscende.

℣.9. *Et iudica me secundum iustitiam meam super me*, seu quæ in me est, qua scilicet numquam nocui Sauli. ita Hieronymus.

℣.14. *Vasa mortis*, id est instrumenta & tela lethifera, *effecit*; Hebraicè, fabricatus est, confecit, exacuit, pharetræ imposuit *sagittas suas*, idque *ardentibus*] Hebraicè *ledolekem*, id est inflammatis, לדלקים nempe ira & odio in me. q.d. Vt feriat eos qui contra me odio & ira inflammantur & ardent. ita Chaldæus.

℣.15. *Parturijt, concepit, peperit*] Est hysterologia: prius enim est, concipere, tum parturire & parere. Metaphora duplici, à *muliere grauida*, & à *fouea* seu scrobe, docet, Saulem & plerosque impios, dolis quos innocenti struunt, ipsosmet plerumque capi & perdi; vt accidit Amano Estheræ 7. & satrapis Babylonis Danielis 3. & 6. & 14.

PSALMVS VIII.

C *Depredicat hoc psalmo magnitudinem excellentiæ diuinæ ex tot & tam mirũ eius operibus. Inter quæ cùm nobilissimũ sit* homo, *& inter homines* Christus; *hinc iure Christo appropriatur Matthæi* 21. Ex ore infantium. *& Hebr.* 2. Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, *&c.*

℣. 1. IN *finem pro torcularibus*] Hebraicè, *ad githith*, quod videtur instrumentũ esse mu- גתית sicum. Et, si mutato iod in vau, legas *githoth*, significat *torcularia*, per quæ S. Athanasius, Hieronymus, Chrysostomus & Augustinus intelligunt Ecclesias Christianorum, in quibus reperitur expressum vinum sanguinis Christi, gratiarum & virtutum. גתות

℣.3. *Perfecisti laudem*] scilicet potentiæ & gloriæ tuæ. q.d. Laudari fecisti diuinam potentiam D & maiestatem tuam, non solo ore perfectarum creaturarum, sed etiam hominum rudium & infirmorum. v.g. Israelitarum, merso Pharaone, vt dicitur Sap. 10. v. vltimo. Item Ieremiæ & Amos Prophetarum, sed impeditioris linguæ. Piscatorum quoque dein Apostolorum. Denique ad litteram, infantium, *Hosanna* Christo acclamantium Matthæi 21. v. 16.

℣.4. *Videbo cælos*] Id est, dum oculis & mente contemplor pulcherrima opera tua, putà cœlos & sidera, omnemque eorum multitudinem, amplitudinem, situm, splendorem & motum; & hæc omnia homini deseruire, tum in hac, tum in alE tera vita, pro sede & habitaculo Beatorum; cogor exclamare.

℣.5. *Quid est homo?*] Hebræum *enos* significat אנוש hominem vilissimum, desperatæ salutis & morti destinatum. q.d. Stupendum miraculum, quòd in gratiam tam vilis creaturæ, tam splendida pares, camque tot tantisq; beneficijs *visites* & cumulęs!

℣.6. *Paulò minùs*] Græcè, *paululùm*; Chaldaicè, *minimo*, seu in re minima: nempe corpore mortali. nam detrahe corpus, homo est similis angelis.

Gloria & honore coronasti eum] Primò, quia fecisti hominem ad imaginem & similitudinem tuam. Secundò, dedisti ei mentem rationis, beatitudinis, & tui capacem. Tertiò, donasti illi dominium omnium creaturarum mundi, plenum in

ſtatu innocentiæ : ſemiplenum in ſtatu naturæ lapſæ. Quartò, gloria reſurrectionis & æternæ beatitudinis decorabis eum in futura vita. ita Chryſoſtomus & alij.

PSALMVS IX.

Gratias agit hoc pſalmo pro victoria de ſuis hoſtibus: dein à v. 22 (vbi recentiores Hebræi inchoant pſalmum 10.) orat Deum vt pios ſemper tueatur contra impios, quos graphicè depingit.

¥. 1. PRo *occultis* myſterijs & ſecretis iudicijs diuinis; Chaldæus & Hieronymus vertunt. *ſuper mortem, filij*, nempe Abſalomi, vel Chriſti, vt Auguſtinus, Origenes, Euſebius exponunt: Mariana putat per *halamoth*, quod *occulta* ſeu arcana ſignificat, hîc deſignari nomen cantilenæ ſic vulgò inchoari conſuetæ: & *Ben* nomen eſſe cantoris 1. Paralip. 15. v. 18. qui v. 20. in Hebræo dicitur cecinisſe *in nablis ſuper halamoth*.

¥. 4. *In conuertendo inimicos meos retrorſum*, id eſt, dum hoſtes mei in fugam verterentur; *infirmabuntur*, id eſt, infirmati ſunt, defecerunt viribus, *à facie tua*, ſeu à præſentia potentiæ tuæ.

¥. 7. *Defecerunt framea*, id eſt, ceciderunt gladio, *in finem*, id eſt penitus vſque ad vltimum, ad internecionem.

¥. 8. *Periit memoria cum ſonitu*] Eſt Hebraiſmus, pro celerrimè inſtar ſonitus, cuius citiſſimè pereuntis nihil remanet, etiam ipſo ſtrepitu mox pereunte. ita S. Auguſtinus. Simile habes Sap. 5. verſ. 11.

¥. 10. *Adiutor in opportunitatibus*] Id eſt (vt Symmachus vertit) tempore maximè *opportuno*, putà *in tribulatione*, vt ſequitur. Simile habes paulò pòſt, v. 22.

¥. 13. *Requirens*, Hebraiſmo, pro *vlciſcens*, effuſum *ſanguinem eorum* qui quærunt Dominum, vt præceſſit v. 11.

¥. 14. *Vide humilitatem meam de inimicis*] Id eſt, expende violentam depreſſionem & afflictionem mihi ab hoſtibus meis obuenientem: nempe detruſerunt me vſque ad *portas*, ſeu fauces, *mortis*, vt ſequitur. Sed tu Deus meus

¥. 15. *Exaltas me de portis mortis*, id eſt, retrahis me ex illis extremis vitæ periculis. Idque vt laudem te perpetuò *in portis filiæ Sion*] id eſt, in ſolemnibus conuentibus populi Ieroſolymitani, qui ſolebant portis vrbium inſtitui.

¥. 21. *Legiſlatorem*] Id eſt, iuſtum & æquum rectorem, iudicem, vindicem, qui gentes ſuperbas tibique rebelles domet, & ſeueris legibus coerceat, & ſententijs ac pœnis condignis puniat, ſicque doceat de ſe humiliter ſentire, atque agnoſcere quòd ſint homines, Hebraicè, *enos*. de quo Pſalm. 8. v. 5. nempe, vt ſuam agnoſcentes miſeriam, inflament opem Dei, & gratiam atque aduentum Meſſiæ. ita Chryſoſtomus, Theodoretus, Euſebius & Euthymius.

¥. 2. *Incenditur pauper*, id eſt, afflictus & pius homo vritur, torquetur, cruciatur perpetuis vexis impiorum: interea ipſi impij, iuſto Dei iudicio *comprehenduntur in* ſuiſmet *conſilijs quibus cogitant* & machinantur alijs mala: plerumque enim, vt dixit v. 16. *in laqueo quem* alijs *abſconderunt, comprehenditur pes eorum*.

¥. 4. *Secundum multitudinem iræ ſuæ*. Hebraicè, *præ altitudine naſi*, id eſt præ nimia arrogantia & ira (quæ diducto naſo, & elato ſupercilio prodi ſolet) *non quærunt* impij nec curant Deum.

¥. 6. *Non monebor*, ſcilicet ab hac mea potentia & felicitate. *Sine malo*] ſupple, ero, ſemper felix & beatus.

¥. 7. *Sub lingua eius labor & dolor*] Id eſt, non alia loquitur, quàm quibus dolorem & laborem alijs creet.

¥. 9. *Rapere*, pro *vt rapiat* violentè, *dum attrahit*] id eſt, tamdiu donec eum in rete ſuum & inſidias pertraxerit.

¥. 10. *Inclinabit ſe, & cadet*] q.d. Proſtrato iam pauperi, quaſi feræ & prædæ captæ incubabit impius, nempe ne rurſus elabatur, crepat vel erumpat.

¥. 14. *Vides*, ô Deus, *quoniam* in omni cœtu impiorũ nihil aliud *conſiderare* aut reperire ſit quàm *laborem & dolorem?* q.d. Vides nil niſi malum ab impijs proficiſci. Tempus ergo eſt, *vt tradas eos in manus tuas*] id eſt, vt eos ad iudicium tuum trahas, & ſupplicio afficias.

¥. 15. *Quæretur peccatum illius*, pro, ſi quæratur tam peccatum, quàm peccator, *non* ampliùs *inuenietur*] quia te exſtirpante, iam funditus perierit.

¥. 17. *Præparationem*, ſcilicet ad precem, *audiuit auris tua*] Id eſt, præuenis preces piorum, & magis deſideria attendis quàm vocem.

PSALMVS X.

Suadentibus vt fugiat Saulem reſpondet, ſe Deo nixum, in tuto eſſe. Ita Theodoretus.

¥. 3. ECCE *peccatores*, nempe Saul, eiuſque aſſeclæ, *in obſcuro*, id eſt clam, tibi inſidias & bella ſtruunt. Tu ergo fuga tibi conſule, in montana ſecede, &, vt ſolent paſſeres, arcum deuita.

¥. 4. *Quæ perfeciſti*, tu ô Dauid, id eſt, quæcumque hactenus domi militiæque fortiter geſſiſti, & ſperatæ dignitatis fundamenta (vt Chaldæus vertit) ieciſti, ipſi omnia *deſtruxerunt*, & porrò deſtruere pergunt.

Iuſtus autem] Reſpondet iam Dauid, q.d. Ego verò innocens, quid in Saulem peccaui? Nihil.

¥. 5. *Palpebræ*, id eſt oculi, *eius interrogant* iudicè, id eſt, ſeuerè ſcrutantur, continuò examinant, & proinde penitus exploratos habent omnes homines, perinde ac ſi iudex accuratiſſimus eos examinaſſet. ita Theodoretus & Euſebius. q.d. Mihi ergo, cùm nullius peccati coram Deo omnium teſte, iudice & vindice, conſcius ſim, nihil eſt timendum, ſed Deo conſtantiſſimè fidendum.

¥. 7. *Spiritus procellarum*, ſeu atrox ventus, horrenda tempeſtas, eſt *pars calicis*, id eſt, hæreditaria portio, ſors & merces impiorum. Significant hæc multiplicem vltionem Dei, eamque grauiſſimam, & celerrimam, & ineuitabilem, inquit Baſilius. Metaphora deſumpta ab architriclino, qui in conuiuijs ſuum cuique calicem ſeu vini portionem ſtatuebat. Hinc in Scripturis, quod cuique decernitur à Deo, ſiue bonum, ſiue malum, *calix* nominatur.

PSAL-

A

PSALMVS XI.

Dauid in medio impiorum, fortè domesticorum Saulis, habitans, orat ne ab eis contaminetur.

השמינית ℣. 1. PRo *octaua*] Hebr. *haschemenit*, id est pro octaua, seu super instrumento octo chordarum. vt dixi in titulo Psalmi 6. neque in posterum repetemus.

℣. 2. *Defecit sanctus*, id est, Sancti desierunt esse: nulla amplius sanctitas inter homines reperitur. *Diminutæ sunt veritates*] seu fidelitates. q. d. Omnes student mendacijs, dolis, imposturis.

℣. 3. *In corde & corde.*] Id est, duplici corde: id est dolosè, fraudulenter, mendaciter.

B

℣. 5. *Linguam nostram magnificabimus*, id est superbè, audacter, imperiosè loquemur, vt miseros gemere faciamus. *Labia* enim *nostra à nobis sunt*] id est, sermones & verba nostra pendent à nostra libertate & arbitrio, neque vlli reddenda nobis ratio.

℣. 6. *Ponam*, supple, clamantes ad me pauperes & miseros, *in salutari*, seu in salute, id est, saluabo eos. *Fiducialiter agam in eo*] Græcè, liberè & confidenter agam in hoc negotio, neminem timens. q. d. Impij valdè liberè & audacter opprimunt iustos, sed ego etiam ostendam, me non minùs liberè & audacter acturum, sed pro iustis contra impios. ita Euthymius.

℣. 7. *Eloquia Domini casta.* id est, promissa hæc Dei non sunt vt promissa hominum, dolosa, *in corde & corde*, sed sunt omninò pura & munda ab omni mendacio, fictione, fallacia: sicut purum est *argentum igne examinatum*, seu per ignem sæpiùs expurgatum, & *probatum & terræ purgatum*] id est, ab omni terræ admistione mundatum. ita Hieronymus. Hebraicè est, *in opere terræ*, seu terreo: id est, in fornace argillacea; Chaldaicè, *in infusorio super terram.*

℣. 9. *In circuitu impij ambulant*, Hebraicè, circumquaque oberrant, scilicet, vt explorent qua parte nocere possint iustis. ita Athanasius & Chrysostomus. Chaldæus addit, circuire *tamquam sanguisugas quæ sugunt sanguinem* humanum. Tu interim dissimulas, ô Deus, & *secundum altitudinem tuam*, seu iudiciorum tuorum, id est, secundùm alta, profunda, arcana iudicia diuinæ prouidentiæ tuæ, *multiplicasti* tum numero, tum potentia & opibus, (Hebraicè *epulari fecisti*) non filios Dei, sed *filios hominum*, qui terrena sapiunt.

PSALMVS XII.

Quæritur de tarda Dei ope in tam diuturna Saulis persecutione.

℣. 2. PONam *consilia in anima mea*] Id est, anxia mente versabo curas & consilia quibus cuadam manus Saulis.

℣. 4. *Illumina oculos meos*] Id est, depelle mala, ob quæ hactenus mœrore ac fletu caligant oculi mei; ne, si pergant diutiùs me affligere, fortè succumbam ijs & immoriar. ita Theodoret.

℣. 5. *Si motus fuero*] Id est, si deiectus fuero; Hebraicè, *si mutauero*: id est, si vel tantillum inclinauero ad lapsum, nempe de meo statu, constantia, virtute. S. Augustinus hæc omnia mysticè exponit de tenebris peccatorum, & de hostibus infernalibus, qui insultare solent ijs quibus præualuerint, maximè in mortis agonia.

PSALMVS XIII.

Atheorum multitudo, impietas, & peruersi fructus.

℣. 3. OMNES, nempe athei; *declinauerunt* à Deo, & à via virtutum. *Simul inutiles facti sunt*; Hebraicè, *computruerunt, fœtuerunt*, scilicet in sua socordia, concupiscentia & nequitia: *nõ est qui faciat bonum*, seu bonis operibus studeat, & continenter insistat: hoc enim est absolutè bonum facere, & fructus proferre, à quibus possit cẽseri vel dici bonus. *Non est vsque ad vnum*] Hebraicè, *ne vnus est*, seu nemo, scilicet ex omnibus atheis (nam de his solis agit hoc psalmo.) Non ergo negat, impios aliquando quædam bona opera facere: sed solùm negat, esse inter atheos qui absolutè dici possint bene viuere, & boni esse. Multò minùs hinc sequitur, quòd Caluinus infert, omnia opera hominum, etiam iustorum, esse peccata.

Sepulchrum patens. Hoc exposui Psal. 5. v. 11. *Venenum aspidum sub labijs*, id est, pestifera loquuntur. *Contritio & infelicitas*, scilicet actiua, *in vijs eorum*] Id est, omnis actio & conatus eorum eò tendit, vt alios conterant, & infelices ac miseros reddant.

Nota. Hi tres versus non sunt in Hebræo, Chaldæo, vel LXX. Bibliorum Regiorum, vel Complutensium: sunt tamen in LXX. Romanis, & in Psalterio Romano, Arabico & Æthiopico. Sed videntur ex Rom. 3. v. 13. eò translati: & habent eos etiam Iustinus, Augustinus & alij.

C

℣. 4. *Nonne cognoscent*, seu sentient suo tempore, supple, manũ meam vindicem & vltricem: maximè, crudeles isti & impij magnates, *qui deuorant plebem meam*] id est, qui commendatum mihi populum spoliant ea auiditate, quâ à famelico frustum panis deuoratur? Et verò, quid ni sentiant vindicem Deum, cùm etiam

℣. 5. *Trepident timore, vbi non est timor*, seu timoris causa vel periculum? q. d. Ex eo quòd impij isti non nituntur Deo, fit vt nusquam tuti vel securi

D cõsistant, sed etiam ad leuissimũ arborum, auium, ventorum strepitum trepident: quod maximè vsu venire solet in tenebris, in morbis, in bellis. Idque quia *Dominus* non *est* apud eos, sed

℣. 6. *In generatione iusta*, seu in congregatione iustorum. Id est, fauore, ope, protectione singulari adest iustis, non verò impijs: quare mirum non est quòd hi trepident; illi securi maneant.

℣. 7. *Quis dabit salutare* (Hebraicè, *salutem*, Græcè; *saluatorem*, Messiã seu Christum) *ex Sion?*] id est, ex domo & familia Dauidis, cuius palatium erat in arce Sion. Origenes, Theodoretus & Euthymius adaptant hunc psalmum regi Assyrio-

E rum *Sennacherib*, eiusque legato *Rabsaci* 4. Regum 18. & optimè quadrant in ipsum omnia.

PSALMVS XIV.

Via in cœlum innocentia vitæ, & charitas in proximum.

℣. 1. IN *tabernaculo tuo*] putà cælesti, vt constat ex v. vlt. Tabernaculum enim Moysis typus fuit cœli; & cœlum instar tentorij expansum est, Psalm. 60. v. 5. & Apoc. 21. v. 3. In Hebræo est, vt notat S. Hieronymus, *quis peregrinabitur in tentorio tuo?* quia nos omnes respectu cœli non ciues nati sumus, sed peregrini per adoptionem

adscripti: hinc cœlo quasi peregrini excipimur, inquit S.Chrysostomus & Euthymius.

℣.3. *Opprobrium non accepit*, id est non audiuit, *aduersus proximos*] Hebraicè & Chaldaicè, *non sustinuit proximo fieri opprobrium*, sed quantum in se est, præpediuit & auertit. Vbi Nota, quadruplicem hoc versu veritatem requiri, Primò, cordis; Secundò, oris; Tertiò, actionum propriarum; Quartò, actionum alienarum, quas malas impediet, bonas promouebit.

℣. 3. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus*] Id est, pro nihilo ducit iustus malignos, quantumuis opibus, potentia, gloria florentes: nempe vbi agitur de gloria Dei & salute proximi, seu tuenda, seu promouenda. vnde non veretur, peccantes redarguere & impedire, vbi res & occasio postularint.

℣.5. *Munera super*, seu contra, *innocentem non accepit*] nempe vt iniustam sententiam vel testimonium ferat, vel ferri sinat contra innocentem.

PSALMVS XV.

Christo appropriatur ad litteram (patet Actorum 2.v.25.& Actor.13.v 35) ex omnium Doctorum sententia, & etiam à plerisque Rabbinis: qui orat Patrem vt se à malis præseruet & protegat: gratias dein agit de suâ resurrectione & glorificatione.

℣. 1. TITVLI *inscriptio*] Græcè est stylographia, id est inscriptio columnæ. q.d. Psalmus hic est quasi trophæum, & quasi columna seu titulus victoriæ, erectus & inscriptus Christo filio Dauid, post deuictum peccatum, diabolum & mortem. ita Eusebius, Theodoretus & Didymus.

℣.2. *Bonorum meorum*, seu opum, munerum, meritorum, *non eges*] Nam licet his oblecteris, honoreris, & præmia dones; nullo tamen modo indiges. supple, sed ego valdè egeo bonis tuis.

℣.3. *Mirificauit omnes voluntates meas in eis.* id est, charitatem & beneuolentiam meam valdè inclinauit, & affectas reddidit erga homines *qui in terra sunt*] nempe, vt, relictis SS. angelis, ex ipsis hominibus terrenum corpus assumerem, pro ipsis in præsæpe, in crucem, in mortem me darem. ita S.Augustinus. Licet enim

℣.4. *Eorum*, qui priùs hostes, iam Sancti mei sunt, *infirmitates* ad benè agendum, & peccatis resistendum, *multiplicata sunt*, id est valdè auctæ: tamen *postea* hac occasione *accelerauerunt* ad me tanquam ad sacram anchoram, vt robur fidei, gratiæ, & opis cœlestis impetrent. ita Eusebius. Quorum *conuenticula*, Græcè synagogas, seu sacros conuentus, mihi gratissimos, *non congregabo de sanguinibus*] id est, non iubebo celebrari sanguinolentis boum & ouium victimis mactandis, vt olim iussi. supple, sed sanguine solius Agni immaculati incruenti immolando, inquit Didymus.

Nec memor ero nominum eorum] nempe pristinorum: putà, an Iudæi fuerint, an Gentiles: quia nouo nomine omnes vocabo Christianos, sanctos, & filios Dei. ita S.August. & Eusebius.

℣.5. *Dominus pars hæreditatis meæ.* Id est, tu Deus mihi es optatissima hæreditas, nempe omne bonum quod optare & desiderare possum. Idem mox exprimit metaphora *calicis*, de quâ dixi Psal.10. v.7. Porrò præter hanc primariam hæreditatem meam, quæ *tu*, Deus, *es*, insuper *mihi restitues* aliam *hæreditatem meam* secundariam, de quâ Psalmo 2.v.8. quæ est totâ Ecclesia Catholica, iam pridem per peccatum perdita, sed iam meo sanguine redempta. ita ferè Theodoretus & Eusebius.

℣.6. *Funes*, id est hæreditas, quæ olim funibus dimensa diuidebatur, *mihi ceciderunt*, id est obuenit, *in præclaris*, seu præclarissima, & omnium quas optare possim nobilissima. nobilissimus enim animarum thesaurus est. Vnde Deum v.7. in æternum *benedicam, qui tribuit mihi intellectum*, vt hanc tam nobilem hereditatem præ omnibus alijs thesauris mihi deligerem. Quin *& vsque ad noctem*, id est, & die & nocte, *increpuerunt*, seu excitarunt, *me renes*, id est mens & affectus, *mei*] scilicet, vt hanc hereditatem totis viribus quærerem, nullisque laboribus parcerem, quibus perditam redimerem ac recuperarem. Hinc

℣.8. *Prouidebam Dominum*, id est, perpetuò satagebam, Deo Opt.Max. mihi ob oculos continuò versanti deseruire, obsequi, & per omnia placere: *quoniam* ipse solus *à dextris est mihi*, id est opitulari mihi hac in re potest & vult, *ne commouear*, seu dimouear, & excidam à spe & voto meo.

℣.9. *Et caro mea*, id est, etiam corpus meum exanime, *requiescet in spe*] non solùm resurrectionis & glorificationis, sed etiam hæreditatis iam dictæ certissimò consequendæ.

℣.10. *Quoniam non derelinques animam meam* diu versari *in inferno*, ad quem mox à morte victrix descendet, *ad soluendos inferni*, seu patrum qui in limbo sunt, *dolores*, Actor.2.v.24. non verò passura dolores seu tormenta inferni, vt impiè blasphemat Caluinus & alij sectarij. Ridiculè verò Beza hîc, per *animam* intelligit *cadauer*: per *infernum, sepulchrum*. Nam de cadauere & sepulchro exponenda sunt quæ sequuntur, *Nec dabis sanctum tuum* (τὸν ὅσιον, putà, me Christum) *videre corruptionem*: id est, non patieris me, ne quidem secundùm corpus, corrumpi aut putrescere in sepulchro. Sed statim *notas mihi fecisti vias vitæ*, id est, reuocasti me ad vitam. Et iam rediuiuum *adimplebis me lætitia* omnis generis, etiam in corpus redundante, idque *cum vultu tuo*, id est, per præsentiam & contemplationem amœnissimi vultus tui. Et hæ *delectationes* mihi à te communicandæ *in dextera tua*, id est, in primo & summo loco gloriæ, perennabunt mecum *vsque in finem* seu in æternum.

PSALMVS XVI.

Oratio Dauidis à Saule (Allegoricè, Christi à Iudæis) grauiter afflicti.

℣. 1. IVSTITIAM, id est innocentiam, *meam*] maximè de qua sequitur v.4.

Orationem, non in labijs doloris] supple, effusam à me: sed seriò, & ex intimo ardentissimoque desiderio depromptam. ita Theodoretus.

℣.2. *De vultu tuo*, id est à te, *iudicium meum prodeat*] Id est, causa mea agatur te iudice. Tu enim plenè

℣.3. *Probasti*, vt in ignibus aurum, & intimè perspectum habes *cor meum*, seu affectus omnes cordis mei; *& visitasti nocte*] quando, corpore quiescente, magis se produnt intima cordis & affectus animi. ita Hesychius.

Igne me examinasti] id est, examine tuo acri & rigido.

rigido. Secundò, igne tribulationis & tentationis. ita S. Augustinus & Theodoretus.

Non tamen *inuenta est in me iniquitas*] quam vel in Saulem, vel in alios hostes meos molitus sim. Adeò

℣.4. *Vt ne* quidem *loquatur os meum opera hominum*] Id est, vt nec locutus vmquam sim de vindicta, aut malo pro malo reddendo: quæ sunt tamen consueta opera hominum, maximè nobilium. ita Theodoretus.

℣.10. *Adipem suum concluserunt*] Chaldæus, *adipe suo operti sunt*. id est, tam lautè se habent, vt toti pingues & obesi, adipem vbique inclusum habeant. q.d. Dum *animam meam*, id est me, vndique *circumdant* mille malis & miserijs, adeò B vt penè contabescam; ipsi interea splendidissimè epulantur, toto corpore distenduntur & pinguescunt.

℣.11. *Proijcientes me*, id est; contemnentes & confringere me volentes; obfirmato animo *statuerunt oculos suos declinare in terram*] scilicet, ne videant, aut animo sentiant, miseriam & afflictionem meam, & sic ad misericordiam moueantur.

℣.13. *Eripe frameam*, seu, gladium tuum, id est, potentiam lædendi & affligendi me, quam hostibus meis hucusque concessisti; aufer è manu eorum qui *inimici* sunt *manus tuæ*] id est, qui aductsantur intētioni & conatibus tuis: neque enim vtuntur gladio tuo vt tibi obsecundent, sed abutuntur eo in tui offensam, tuorumque perniciem. ita Didymus.

℣.14. *A paucis de terra*, id est, à modica illa portione rerum terrenarum, quâ ita turgent & inflantur, sibique videntur tam potentes, *diuide eos*, id est, separa & diuelle eos, etiam *in vita eorum*, seu dum adhuc viuunt. Nimis enim *repleti sunt de absconditis*, seu thesauris *tuis* terrenis, opibus, dignitatibus, viribus, prolibus, &c. quibus adeò abundant, vt ex solis *reliquijs*, seu ex ijs quæ gulæ & luxui suo reliqua fecerunt, ditent posteros suos. ita Eusebius.

℣.15. *Ego autem* talibus escis saturari non desidero; sed studio *iustitiæ*, seu innocentiæ & piorum operum in hac vita me totum impendam: *satietatem* verò præstolabor in altera vita, nec tamen aliunde quàm ex *gloria tua*.

PSALMVS XVII.

1. *In finem puero Domini Dauid; qui locutus est Domino verba cantici huius, in die, quâ eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saul, & dixit: (2. Reg. 22. 1.)*

℣.3. CORNV, id est potentia, robur, gloria (nam omne robur & gloria nobiliorum animalium est in cornibus,) *salutis meæ*] scilicet operatrix, id est salutifera. ita Theophylactus & Euthymius.

℣.5. *Dolores mortis*] Id est, extremi & lethales, quales patiuntur qui agonizant. ita Theodoretus.

Torrentes iniquitatis] Hebraicè, *Belial*, id est iniquorum. q.d. Impij & scelerati quique quasi agmine facto, instar torrentis, inundarunt in me infinitam malorum copiam: adeò vt viderer mihi *circumdatus*.

℣.6. *Doloribus*; Hebraicè, funibus, *inferni, & laqueis mortis*] id est, totus perditus, sine apparenti A spe reuiuiscendi & ad pristinum statum rēmeandi. Tamen non destiti sperare in Domino, eiusque opem implorare. Et ecce

℣.8. *Commota est terra*, &c.] Id est, celerrimè in opem mei aduolauit Deus vectus Cherubinis, & ventis, quasi equis perniciissimis, armatus terræmotibus, nimbis, fulguribus, tonitruis, grandinibus alijsque innumeris telis, quibus hostes meos conficiat. Hinc enim vsque ad v. 20. poëtica hypotyposi depingit iram Dei quasi pugnantis contra hostes suos. Non quòd his omnibus pro Dauide vsus sit Deus, sed quia solet sæpiùs illis vti, v.g. olim pro Iudæis contra Ægyptios, Chananæos, Philisthæos, & recentiùs pro Christianis Theodosio, Constantino, legione Fulminatrice sub Antonino Pio, apud Baronium. Et quia saltem externa apparentia, hostibus nimio metu attonitis, hæc omnia verè ipsis immitti, totusque mūdus sursum deorsum inuerti videtur. ita Theodoretus. Sic in excidio Babylonis, hyperbolica hypallage dicit Isaias, *stellas de cœlo cecidisse*, cap. 13. v. 10. Allegoricè, significantur prodigia in cœlo & in terra partim in morte Christi, partim in occasu mundi, vt notat S. Athanasius. *Baron. to. 2.*

℣.9. *Ascendit fumus*, &c.] q.d. Deus præ nimia ira contra hostes spirabat fumum & ignem è naribus, & quidem tam vehementem, vt carbones antè extincti, facilè eo accendi possent.

℣.12. *Tenebras*, id est, vt sequitur, *tenebrosam aquam*, seu obscuras & densas nubes, habuit quasi *latibulum & tabernaculum*, quo *in circuitu*, seu vndique, velabat inuisibilem maiestatem ac potentiam suam.

℣.13. *Præ fulgore*, &c. q.d. Non tamen potuit illis latibulis ita concludi fulgor diuinæ maiestatis, quin per stupendos effectus vbique transpareat, v.g. dum nubes à Deo concussæ transeunt quasi volantes, mox etiam dissipantur, & decidunt ex ijs imbres, *grandines, & carbones ignis*] seu iam igniti & accensi, putà fulmina, & varia meteora ignita. ita Theodoretus.

℣.16. *Apparuerunt fontes*, id est, vi harum tempestatum fontes in cauernis terræ latentes, eruperunt. *& fundamenta orbis terrarum*, id est viscera & interiora terræ, *reuelata sunt*, disrupta & hiantia patuerunt: *ab increpatione tua Domine*, id est, sic iubente irâ tuâ: & *inspiratione spiritus*, id est, flatu vehementissimi venti à te immissi omnia concutiente & denudante. Sic *eduxit me* vers. 20. ex meis angustijs *in latitudinem*] de quâ Psalmo 4. vers. 2.

℣.22. *Nec impiè gessi à Deo meo*] supple deficiens, inquit Iansenius; Genebrardus, *cōtra Deum*; Chaldæus, *coram Deo*.

℣.26. *Cùm sancto sanctus eris*, id est, cum bono, iusto & *electo*, seu valdè probato & puro, ages vicissim bene, benignè, liberaliter. *Cum peruerso* verò ages quoque *peruersè*, id est, malè & seuerè, morem tibi proprium, qui est misereri & benefacere, inuertēs, quia ipse ab eo qui esse deberet, inuersus est. ita Chaldæus, Hieronymus, Theodoretus. Alludit ad Leuitici 26. v. 27. Sic dici solet, *Cùm vulpe vulpinandum: Cum Crete cretizandum*.

℣.29. *Tu illuminas lucernam meam*. Id est, restauras mihi pristinum prosperitatis ac gloriæ splendorem. Perge ergo *illuminare tenebras meas*] & dispellere quæ hactenus me obscurant infelicia & aduersa ita Theodoretus.

℣.30. *Transgrediar*; Hebraicè, transiliam, *mu-*

rum vrbium hostilium. Tropologicè, tenebrę sunt peccata: murus longa peccandi consuetudo. Eusebius, Athanasius, Hieronymus, Augustinus.

℣.31. *Eloquia Domini igne examinata*] Vide Psal.11.v.7.

℣.34. *Super excelsa statuens me*] Id est, arces quantumcumque altas, præruptas & munitas superare me fecit. Tropologicè, excelsa virtutum & perfectionis. ita ijdem.

℣.44. *Eripies me de contradictionibus*] id est, obloquijs, obmurmurationibus, seditionibus & rebellionibus subditorum.

℣.45. *In auditu auris*] Id est, simul atque audijt rumorem nominis, famæ & nutus mei.

℣.46. *Filij alieni*, id est alienigenæ, *mentiti sunt mihi*] id est, subiecti sunt mihi tamquam serui. Solent enim qui coactè & seruiliter subsunt, sæpiùs ex timore mentiri dominis suis. Est ergo catachresis.

Inueterati sunt, supple, in seruitio meo, ætatem in eo omnem transigentes. *Et claudicauerunt à semitis suis*] Chaldæus, *migrabunt de prætorijs suis*. Id est, propria omnia, etiam amœnissima, deserunt, vt mihi famulentur, non quidem amore, sed timore mei; neque vltrò aut lubentes, sed inuiti & quasi claudicantes.

℣.51. *Magnificans salutes Regis eius*] Id est, magnam salutem & multiplicem prosperitatem afferens mihi, quem fecisti regem Israel, & *christum*, id est vnctum. Allegoricè tamen hæc omnia accommodanda sunt vero Christo Messiæ, qui Gentes suæ fidei & Ecclesiæ subiecit. ita Theodoretus, Didymus & Hesychius.

PSALMVS XVIII.

Sol & cæli, tum materiales, tum allegorici (nempe Apostoli) prædicant gloriam Dei contra atheos: vti & lex Dei sanctissima, contra impios.

℣.3. DIES *diei eructat verbum*] Id est, dies vnus diebus alijs sequentibus perenniter fundit & transmittit verbum de Deo, & scientiam seu cognitionem Dei. q.d. De die in diem, de nocte in noctem, id est continuò, cœli (suo aspectu, motu, & successione tam ordinata, tamque mirandis effectibus) loquuntur & annunciant hominibus gloriam, potentiam & sapientiam Dei. ita Theodoretus.

℣.4. *Non sunt* in orbe toto *loquela, neque sermones, quorum*, seu quibus, *non audiantur voces eorum*] cœlorum. Id est, nulla est natio tam barbara, tam rudis, quæ non intelligat vocem cœlorum. Rom.10.v.18. Allegoricè, Apostoli omnium gentium linguis loquebantur magnalia Dei.

℣.6. *In sole posuit tabernaculum suum*. Est hypallage, pro, posuit solem in tabernaculo suo, nempe in cœlo. Hebraicè enim, Chaldaicè, & apud S. Hieron. est, *Soli posuit tabernaculum in eis*. & sic etiam verterût Aquila, Symmachus & Theodotion. Porrò tria hîc notantur solis encomia, Primum, *pulchritudo* eius: nam ex *thalamo suo*, seu inferiori hemisphærio, vbi noctu quasi dormit, manè exoriès instar splẽdidissimi sponsi, omnes exhilarat iubare suo. Secundum, *velocitas* cursus, qua *vt Gigas* exsiliẽs, *à summo*, seu extremo *cœli*, currit *ad summum*] id est, ad alterum extremum cœli, id est, ab Oriẽte vsque ad Occidentem, conficiens spatio 12. horarum, vt minimum 14. milliones leucarum, vt Mathematici demonstrant. Tertium, *vis calefaciendi*, & consequenter vegetandi, animandi, & fouendi omnia sublunaria. Allegoricè hæc applica Christo incarnato, eiusque Ecclesiæ, & Tropologicè gratiæ diuinæ.

℣.8. *Testimonium Domini fidele*] Id est, lex Dei verax, non promittens vana vel falsa. Vide Prolegomena de Idiotismis Hebraicis nu.14.

℣.13. *Delicta quis intelligit?*] q. d. Cùm tanta bona nobis afferat lex diuina, quis tamen nosse potest omnia, etiam occulta peccata, quæ sæpè per infirmitatem, vel non plenam aduertentiam contra eam admittimus; si non per nos ipsos, saltem per alios nostræ curæ commissos? Vnde supplico tibi Deus, ista seu occulta, seu aliena, mihi ignoscas, & me ab illis deinceps præserues. *Si* enim hi næui *non fuerint* mihi *dominati*,

℣.14. *Emundabor à delicto maximo*] Hebraicè, *à peccato multo*, id est, à magna portione ordinariorum peccatorum.

℣.15. *Et erunt vt complaceant* tibi Primò, *eloquia oris mei*; Secundò, *meditatio cordis mei*] tum mentalis, quæ est interna cogitatio & affectus; tum realis, quæ est operatio & executio.

PSALMVS XIX.

Pia populi vota pro salute & victoria regis sui Dauidis ad bellum proficiscentis: Allegoricè, pro victoria Christi & Christianorum contra satanam. ita Athanasius & Nicephorus.

℣.2. NOMEN *Dei Iacob*] Id est, Deus nominatus & inuocatus à Iacob. q.d. Deus, qui olim Patriarcham Iacob exaudiuit, & à tot periculis liberauit, etiam te nunc liberet. ità Didymus & Genebrardus.

℣.3. *De sancto*] Id est, de sanctuario & propitiatorio, quod est in *Sion*, vbi Deus terrenum thronum suum habet.

℣.4. *Holocaustum tuum pingue fiat*] id est, habeatur pro pingui sacrificio: id est, sit gratum & acceptum Deo, & consequenter sit efficax, quo placetur Deus. ita Origenes & Hieron.

℣.6. *Lætabimur in salutari tuo*, seu in salute tua, tum passiua; qua saluus redibis: tum actiua, qua nos saluabis ab hostibus. Sic *magnificabimur* (Hebraicè & Chaldaicè, *vexillum erigemus*, nempe triumphale, id est, triumphabimus) S. Hieronymus vertit, *choros ducemus*.

℣.7. *In potentatibus salus dextera eius*] Id est, potentia & robore diuino firmetur salus regis.

℣.9. *Ipsi* hostes *obligati sunt*, id est ligati compedibus, vincti catenis, quia *ceciderunt*] seu cæsi & prostrati sunt.

PSALMVS XX.

Davidi iam reduci populus gratulatur de partâ victoriâ & salute: Allegoricè, Ecclesia Christo: Anagogicè, anima victrici cœlum subeunti, Sapientiæ 5.v.17. ita Athanasius, Hieronymus, Augustinus.

℣.2. SVPER *salutare tuum*] Vide psalmum 19. v.6.

℣.4. *Præueneristi eum*, id est, vltrò, gratuitò, ante & supra omne meritum, liberalissimè ornasti eum, *benedictionibus dulcedinis*, id est, beneficijs copiosissimis simul & lautissimis, putà bonorum omnium affluentia.

Coronam] supple regalem, id est, creasti eum regem ditissimum ac potentissimum.

℣.5.

℣.5. *Longitudinem dierum*] Id est, vitam longissimam, non modò in præsenti sæculo, sed etiam in æternitate.

℣.7. *Dabis eum in benedictionem*] Hebraicè & Chaldaicè, *pones eum benedictiones:* id est, reddes eum omni benedictione benedictum; scilicet, vt per ipsum etiam alij benedicantur. Videtur enim alludere ad illud Genes. 22. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.*

Cùm vultu tuo] supple sereno: id est, præsentia, contemplatione & fruitione benigni, sereni & glorioſi vultus tui.

℣.10. *Pones* inimicos tuos *vt clibanum ignis*, id est, succendes, & ardere illos facies instar fornacis, *in tempore vultus tui*] supple irati. Chaldæus, *in tempore iræ tuæ*, quæ vultu toruo proditur. ita Eusebius.

℣.12. *Declinauerunt in te mala*] Id est, imposuerunt tibi tuisque malas & falsas calumnias.

℣.13. *Pones eos dorsum*] Id est, fugabis eos, ac terga dare coges.

In reliquiis tuis, id est reliquis adhuc tibi sagittis, pœnis ac supplicijs, *præparabis vultum eorum*] id est, præuertes infestare & exagitare faciem fugientium. Hebraicè enim est, *in neruo tuo diriges* (nempe sagittas) *contra faciem eorum.* quasi dicat, Ita vertes hostes in fugam, vt tamen ne sic quidem salui euadant. nam tu ex aduerso fugientibus occurres tenso arcu: atque ita tam à fronte, quàm à tergo telis tuis conficientur.

PSALMVS XXI.

Totus Christo accommodatur (vt patet ex ipsis verbis: & ante bis mille annos fassi sunt Hebræi:) Patrem in cruce oranti pro susceptione matutina, *id est, pro festino auxilio, quod consecutus est ipso resurrectionis mane. ita Athanasius, Eusebius, Theodoretus.*

℣.1. PRo *susceptione matutina*] S. Hieronymus vertit, *pro cerua matutina*; nempe, quam Iudæi, quasi canes & vnicornes exagitarunt. Nisi malis cum Mariana dicere, initium hoc esse notæ cantilenæ, ad cuius modos iubet hunc psalmum decantari.

למה עזבתני

℣.2. *Quare me dereliquisti?* Hebraicè, *lamah hazabthani.* Sed Christus in cruce Syriacè dixit, *Lamma sabacthani.* quod significat, *vt quid dereliquisti me?* id est, destituisti omni auxilio & solatio in his maximis tormentis? Nam in Christo, tempore passionis nulla defluebat consolatio (qua Sancti solent in afflictionibus abundare) seu à Deo in tristem animam, seu à superiori parte animæ, quæ fruebatur visione Dei, in partem inferiorem. Idque, quia *verba delictorum*, id est delicta & peccata, *meorum* subditorum, quæ ego mea feci, & in me expianda suscepi, *longè à salute mea*] supple, me faciunt: id est, impediunt ne gaudeam optato solatio & salute, seu ne saluer & eripiar ex his doloribus & tormentis. ita Athanasius, Eusebius, Nazianzenus, Cyrillus, Ambrosius. In Hebræo est, *verba rugitus mei*; & sic vertunt Aquila & S. Hieron. Symmachus, *luctuum meorum*; Chaldæus & Theodotion, *clamoris mei.* q.d. Etsi cum rugitu inclamem salutem, (vt sequitur) non tamen exaudior.

℣.3. *Et non ad insipientiam mihi*] supple reputabitur, quod, licèt non statim exaudiar (& hoc certò præsciam) clamem tamen, & opem & solatium inclamem. Nempe, quia certus sum, quòd opportuniori tempore succurres mihi, & alia longè, nobiliori via exaudies me, scilicet resuscitando me, & per crucem ac mortem meam mundum saluando. ita S. Hieronymus & Theodoretus.

℣.7. *Sum vermis*, id est, instar vilissimi vermiculi despectus, abiectus, proculcatus. *Et non homo*] Hebraismus est, pro, potiùs quàm homo. vt dixi in Prolegomenis. Et tamen hic vermiculus fortissimas ac celsissimas quercus terebrauit & deiecit, 2. Reg. 23. v. 8. *Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 6.*

℣.13. *Vituli multi*] Sic ob petulantiam vocat *Iudæos* & *milites Romanos*: sicut eosdem ob impudentiam & lasciua conuitia vocat *canes*: ob feritatem *tauros, leones, vnicornes.*

℣.15. *Sicut aqua effusus sum*, id est, omnes meæ vires, sanguis, spiritus vitales & animales, quasi aqua humi profusa, diffluxerunt: *& omnia ossa mea dispersa*, id est, dissoluta & diuulsa *sunt* ab inuicem, præ violenta extensione in cruce.

Cor tamquam cera liquescens] Id est, instar liquescentis ceræ, deficit vi & æstu tormentorum, id est moritur.

℣.18. *Dinumerauerunt omnia ossa mea*] Id est, tanta crudelitate dilacerarunt flagellis suis pellem & carnem meam, & in cruce tanta violentia distenderunt omnia membra mea, vt possint iam ossa quasi carne nudata facilè dinumerare. ita Basilius & Nicephorus in Catena.

℣.26. *Apud te*, seu coram te, & de te, & (vt in Hebræo, Chaldæo & Græco est) à te, erit *laus mea*, id est, laudabo te, non in parua Iudæorum synagoga, sed *in magna Ecclesia* Catholica, omnium & nationum & locorum: quia nempe me saluasti, resuscitasti, glorificasti, & tot filijs donasti: nam vsque ad finem psalmi de his agit & laudat Deum. Vnde sequitur, *Vota mea reddam*, q.d. Non ero tibi ingratus, sed sacrificium laudis, quod ab initio voui, reddam tibi æternum, ac præ omnibus sacrificium corporis ac sanguinis mei in Eucharistia, inquit Eusebius, Hieroymus, Augustinus. Ex quo *edent pauperes & saturabuntur: & viuent corda*, seu animæ, *eorum in sæculum sæculi*] Iuxta illud Ioannis 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

℣.28. *Reminiscentur*] nempe Iudæi & Christiani mea passionis, & amoris, & beneficiorum: &, vt Chaldæus, miraculorum. Est enim Eucharistia *memoria* seu memoriale *mirabilium* Dei. *Psalm. 110. v. 4.*

℣.30. *Omnes pingues terræ*: Aquila & Symmachus vertunt, *omnes opimi & diuites.* q.d. Non soli *pauperes*, de quibus v. 27. subdentur Christo, & fruentur eius beneficijs, sed etiam principes & potentes: imò *omnes qui descendunt in terram* (id est, omnes mortales) *in conspectu eius cadent*] id est supplices fient Deo & Christo: nam ipsi *flectetur omne genu.* *Philipp. 2. v. 10.*

℣.32. *Generatio ventura*, nempe Christianorum, *annuntiabitur Domino*; Hebraicè, adnumerabitur, adcensebitur, &, vt Symmachus vertit, adscribetur Domino, vt sit gens & populus Domini. *Et* ipsi quoque *cœli*, totusque mundus *annuntiabunt iustitiam* Dei: tam qua ipse in se iustus est, quàm qua erga homines vsus est, iustè eos, vti promiserat, redimendo, gratis iustificando, & in omnibus adiuuando, ob merita passi pro omnibus Christi.

PSALMVS XXII.

Dauid (Allegoricè Ecclesia) gratulatur sibi de insigni erga se benevolentia Dei & Christi, quasi solliciti pastoris erga oviculas suas.

℣. 1. DOMINVS *regit*] Hebraicè & Græcè, *pascit me*, vel *est, pastor meus.*

℣.2. *In loco pascuæ*; hebraicè, *in loco virente.* nempe in Ecclesia sua, quæ optima semperque virentia habet pascua Scripturarum & Sacramentorum. *Super aquam refectionis*] Hebraicè & chaldaicè, *aquam quietis*, id est quæ lassum ac sitibundum reficit & recreat, & quiescere facit. Hæc est cælestis gratia & consolatio Spiritus sancti Ioan.4.& 7.

Ioan.4.v.14.& c.7.v.38.

℣.3. *Animam meam conuertit*] seu quasi erraticam ouem ex inuijs reduxit ad caulas.

צלמות ℣.4. *In medio vmbræ mortis*] Id est, in medijs periculis, in maximis angustijs. Hebræum *tsal maueth*, quod latinè vertitur *vmbra mortis*, propriè est color ille luridus, quem mors proximè instans obducit oculis ac faciei hominis morientis, & est quasi vmbra iam iam aduentantis mortis. Hinc omnia extrema pericula, quæ præsentem mortem intentant, siue corporalem (vt captiuitas, carcer, grauis morbus:) siue spiritualem (vt ignorantia & obliuio Dei, suæque salutis, & grauiora peccata) metaphorikῶς *vmbra mortis* appellantur.

Virga & baculus tuus] Id est, pastoralis tua cura & sustantatio: quin subinde etiam castigatio, qua me errantem mones & in viam reuocas. ita Origenes, Hieronymus, Augustinus.

℣.5. *Parasti mensam*, SS. Scripturarum, inquit Hieronymus; gloriæ & deliciarum cælestium, Didymus; alij, beneficiorum omne genus, corporalium, spiritualium: maximè verò corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, inquit S. Chrysostomus, *ad versus eos qui tribulant me*] puta dæmones, tyrannos, perturbationes animi, libidines & vanitates sæculi.

Oleo] Id est vnguento, quo olim in conuiuijs, non spisso vel pingui, sed fluido ac subtili (ferè vt nunc aqua rosacea vel lauendulæ) ad suauem lentiam, refrigerium ac voluptatem vtebantur. Oleum hoc animæ est gratia, consolatio & lætitia spiritualis, inquit S. Augustinus: S. Chrysostomus & Theodoretus cum Chaldæo putant hic alludi ad oleum chrismatis in Confirmatione, Ordine & Extrema vnctione: sicut v.2. ad aquam baptismi.

Calix meus inebrians, id est exhilarans, & obliuionem inducens rerum mundanarum, seu aduersarum, seu prosperarum. Hic calix est affluentia & copia bonorum, maximè spiritualium, quæ Deus suis electis propinat, maximè verò S. Eucharistiæ. Quin & passionis calix, quo subinde dignatur electos suos, *quàm præclarus est!*] nempe periucundus & maximè glorioſus est non minùs imperatori Deo spectanti, quàm Martyri & militi triumphanti.

PSALMVS XXIII.

Scriptus est occasione translationis arcæ Domini in montem Sion: magis tamen conuenit antitypo, id est translationi humanæ naturæ Christi in cælum die ascensionis, ita Athanasius, Hieronymus, Theodoretus, Eusebius & Bernardus.

℣. 2. FVNDAVIT orbem *super maria*] id est, supereminentem mari & fluminibus conatra naturæ quidem ordinem (qui postulat vt aqua superfundatur terræ, eamque cingat,) sed necessariò ad conseruationem, habitationem & vsum animalium ac plantarum.

℣.3. *In montem Domini*] Id est, in arcem Sion, vbi præ toto orbe palatium sibi & templum delegit Deus. Secundò, & melius, in cœlum. De quo vide S. Bernardum.

Bern. serm. quis ascendet in montem Domini?

℣.4. *Accepit in vano animam*] Id est abusus est ad vanitates, negligens finem ad quem creata est neque occupans eam ijs rebus quarum causa vitam accepit à Deo. ita fere S. Hieronymus, Didymus, Augustinus.

℣.6. *Generatio*, id est gens, *quærentium faciem Dei*] seu sollicitè curans per omnia placere Deo, in cuius conspectu continuò versatur.

℣.7. *Attollite*, id est referate, ô principes Ierosolymitani: vel potiùs, vos ô angeli, *portas æternales*, id est, ab æterno hactenus clausas hominibus: duraturas item æternum, & per quas intratur in vitam æternam, id est cælestes. ita S. Dionysius, Hieronymus, Didymus, Eusebius. Describit verò hæc Psalmista humano & dialogistico more. neque enim Christus aperuit, sed penetrauit cœlos. neque ignorabant angeli, *quis* esset *iste rex gloriæ*, seu glorioſus, nempe Christus, *potens in prælio*] vtpote qui summam in difficillimo bello potentiam exeruit, deuincendo mundum, peccatum, dæmones.

צבאות ℣.10. *Dominus virtutum*] *tsebaoth*, id est exercituum, non solùm terrestrium omnium, sed & cælestium, nempe siderum (a) & angelorum.

(a) 2. *Paral.* 33. v. 3.

PSALMVS XXIV.

Implorat diuinam misericordiam & opem, vt à peccatis exsolutus, à periculis quoque liberetur.

℣.4. INIQVA *agentes*] supple, in me, id est iniustè me persequentes & affligentes, vel etiam quosuis alios Sanctos.

Supernacuè] Id est, temerè, & sine causa.

℣.5. *Dirige me in veritate tua*] Id est, in vera tua doctrina ac lege recta. q.d. Ne sinas me sine fræno currere post vanas & fallaces concupiscentias meas, inquit S. Chrysostomus.

℣.6. *Quæ à sæculo sunt*] Id est, quas ab initio mundi semper patribus nostris exhibuisti.

℣.8. *Legem dabit delinquentibus*, id est, docebit & corriget delinquentes, *in via*] id est, ostendens eis viam, seu rationem rectè viuendi.

℣.9. *Diriget mansuetos in iudicio*] Id est, secundùm prudens iudicium & rectam rationem, vt scilicet cum maturo iudicio & ratione omnia sua peragant.

℣.10. *Viæ Domini*, id est ratio & modus agendi quem seruat Deus erga homines, est *misericordia*, seu benevolentia & beneficentia. *Et veritas*] id est, fidelitas in præstandis promissis suis, & petitionibus nostris. his enim quasi vijs graditur Deus ad homines. Homo verò ad Deum duabus alijs vijs accedit, puta *iudicio & iustitia*; de quibus psalmo 88. v. 15.

Requirentibus, id est erga eos qui amant & quærunt, *testamentum & testimonia eius*] id est, mandata Dei complere, vt alibi dixi. *In Prolegomenis de Idiotismis Hebr. n. 14.*

℣.11. *Propter nomen tuum*] Id est propter temetipsum, tuamque inexhaustam bonitatem.

℣.12. *In via*, id est, in ratione & modo viuendi, seu in statu quem quisque *elegit*, vt in co seruiat Deo,

uiat Deo, *statuit ei legem*] id est, docet & dirigit eum, suggerendo apta consilia quibus secundùm exigentiam sui status possit proficere continuò in virtutibus. Et hic est primus fructus *timoris Domini*. Alios quaternos fructus enumerat duobus versibus seqq.

℣.14. *Et testamentum*, id est pactum seu lex Dei, cum omnibus præmijs & emolumentis annexis, supple, faciet Deus *vt manifestetur* timentibus Deum: nempe vt hac ratione magis eos accendat & roboret in sui amore ac seruitio.

℣.16. *Vnicus sum ego*] Id est, solitarius, desertus ab omnibus.

PSALMVS XXV.

Exul orat liberari à persecutione Saulis, & patria ac templo restitui: Anagogicè, cælo.

℣. 1. IVDICA *me*, id est, iudex esto tu in causa mea. Quid enim timeam? semper *in innocentia mea*, id est innocenter & inculpatè, *ingressus*, seu conuersatus, *sum*.

℣.2. *Vre*; Chaldæus, *perpurga*; Hieronymus *conflа*. q.d. Sicut aurifex igne explorat aurum, sic tu Domine *cor*, id est mentem, *& renes*, id est intimos affectus meos conflando & perpurgando explora, si tibi visum fuerit, etiam per ignem tentationis & tribulationis. ita Eusebius & Didymus.

℣.3. *Misericordia tua ante oculos meos est*] Id est, C menti meæ perpetuò obuersantur *misericordia & veritas tua*, de quibus psalm. 24. v. 10. maximè quas erga innocentes afflictos exerces. q.d. Illæ me iubent sperare fauorabilem sententiam te iudice.

℣.6. *Lauabo inter innocentes manus meas*, id est, perpetuò conuersabor cum probis & innocentibus, & ijs me similem præstare conabor. Maximè verò iungar illis in pia oblatione hostiarum, in qua frequens vsus est lotionis manuum. Vnde, *circumdabo* cum ijs *altare tuum*, id est, ipsorum imitatione, & in ipsorum consortio, frequentes tibi offeram hostias. Et *audiam vocem laudis*] id est, symphoniam Leuitarum, laudes Dei canentium.

℣.8. *Dilexi decorem*, id est pulchritudinem & D splendorem, *domus tuæ*] id est tabernaculi, in quo tamquam in proprio palatio habitas, & ostendis gloriam tuam. Tropologicè, domus Dei est anima nostra, vt S. Hieronymus: Allegoricè, Ecclesia, vt Eusebius: Anagogicè, est cœlum, vt S. Augustinus exponit.

℣.10. *Munerибus*] Id est, munerum corruptelis ad iudices vel testes peruertendos, inquit S. Athanasius.

℣.12. *Pes meus stetit in directo*] Hebraicè, Græcè, Chaldaicè, *in rectitudine*, id est, in recta via iustitiæ.

PSALMVS XXVI.

Docet in maximis periculis maximè fidendum Deo, & anhelandum ad vitam æternam.

℣. 1. PRIVSQVAM *liniretur*] id est, vngerétur solemniter in regem: nam ante illam vnctionem psalmus hic est decantatus.

℣.3. *In hoc*] Græcè, *in hac re*, quòd *Deus* sit *illuminatio*, seu lux *mea, & salus*, id est saluator meus.

℣.4. *Vnam* petitionem *petij*, *vt inhabitem in domo Domini*] id est, Ierosolymis, vbi est domus Domini; Allegoricè, in Ecclesia; Anagogicè, in cælo.

A Notat Theodoretus ardorem religionis in Dauide, cui tristius accidit exilium à domo Domini, quàm à propria domo sua.

Vt videam, id est percipiam, *voluptatem Domini*] Chaldæus vertit, *dulcedinem*; Hieronymus, *pulchritudinem*; Augustinus, *delectationem*, nempe qua Deus declaratione diuinæ suæ præsentiæ afficit suos in loco sancto. ita Theodoretus.

℣.5. *Abscondit me* sæpè alias, imò semper, *in tabernaculo suo*] Hieronymus & Chaldæus, *in umbra* seu *umbraculo suo*. Id est, cælesti prouidentia, protectione & ope submissa mihi è tabernaculo suo, *protexit me* perpetuò, & quasi in sinu abscondito, maximeque tuto ab hostium insidijs & insultibus, B occultauit me. Quin & vt

℣.6. *In petra* (Chaldaicè, in *arce forti*, vel *in rupe excelsa & inaccessa*) *exaltauit me*. Ideo *circuiui*, &, vt Chaldæus, *circuibo*, iterum & sæpiùs, & immolabo *hostiam vociferationis*] Chaldæus & Hieronymus, *hostiam iubili*, seu *cum iubilatione* & musica solemni. q.d. Magnifico apparatu & concentu psallam & gratias agam tibi.

℣.8. *Faciem tuam requiram*] Vide psal. 23. vers. 6. Sic v. 11. *Legem pone mihi in via*. Vide psal. 24. v. 12.

℣.12. *Mentita est iniquitas sibi*] Id est, iniqui confinxerunt sibi mendacia & calumnias aduersum me. ita ferè Chaldæus & Hieronymus. Nisi malis dicere, *sibi*, id est in suam perniciem.

℣.13. *In terra viventium*] Id est, in hac terra in qua viuunt homines. Sic enim distinguitur *mundus* à loco *inferorum*, qui est terra mortuorum. Patet ex psal. 51. *Emigrabit de terra viuentium*. Isaiæ 53. *Abscissus est de terra viuentium*. q.d. Etsi hîc in tristitia, exilio, & regione mortis versari videat; tamen credo, me regnum & reliqua bona, quæ mihi Deus promisit, certò consecuturum etiam in hac præsenti vita. ita Nicephorus. Anagogicè, in futura vita & regione cælesti, de qua 2. Petri 3. v. 13. Hæc est enim verissimè *terra viuentium*, mundus morientium, infernus mortuorum. ita Chaldæus, & Origenes, Athanasius, Eusebius & Didymus.

PSALMVS XXVII.

Orat ne innocens cum nocentibus perdatur. Et exauditus gratias agit.

℣. 1. NE *quando taceas à me*, id est, ne, si quando mihi supplicanti sileas, non respondens votis meis, neque me exaudiens, *assimiler descendentibus in lacum* sepulchri, id est, ne destitutus ope tua, moriar & peream.

℣.5. *In opera*. Hebraismo, *in*, redundat. Ergo, *opera manuum eius*, repete, *nõ intellexerunt* impij. nempe non expenderunt mira *opera* diuinæ potentiæ, quæ pro iustis tutandis operari solet. Hinc *destrues* E *illos, & non ædificabis*] Id est, sine vlla restaurationis spe perdes eos in æternum.

℣.7. *Ex voluntate mea*] Chaldæus & Hieronymus, *in cantico & hymno meo*, id est iucundè, alacriter, promptè. ita Didymus & Eusebius.

℣.8. *Protector saluationum*, id est salutum *christi*, seu vncti, *sui est*. q.d. Non principes, non milites, non arma, sed solus Deus mille salutes dedit, & hucusque conseruauit Dauidi, à se in regem inuncto.

PSAL-

PSALMVS XXVIII.

Extitat omnes ad victimas & laudes Deo offerendas, qui vel sola voce sua, seu tonitru, maximam ostendit potentiam & maiestatem. ita Basilius.

¥. 1. *IN consummatione tabernaculi*] Tunc enim decantatus est hic psalmus, cùm perfectum esset tabernaculum, quod Dauid rex in monte Sion construxerat, vt in eo arcam reponeret, 2. Reg 6.

¥. 3. *Vox Domini*, id est tonitru, vt dixit psal. 17. v. 14. *super aquas multas*] id est, super maria. Quia maria tonitru maximè concutiuntur, & fulmine quasi findi videntur vsque ad abyssum. Allegoricè, vox Domini est prædicatio Euangelij, quæ instar tonitrui & fulminis totum orbem terrarum conturbauit, collustrauit & inflammauit.

¥. 6. *Comminuet cedros*; hebraicè & chaldaicè, exilire faciet è loco suo: putà per terræmotum vel turbinem, qui sæpè comitantur tonitrua. *Tanquam vitulum Libani*] Id est, tanta facilitate ac si essent molles & tenelli vituli in Libano pascentes.

Et dilectus] Ita LXX. & subaudiendum, *tunc apparebit*. q. d. Euulsis & comminutis cedris, exilient undique & apparebunt dilecti hinnuli, capreæ, & alij pulli, gratiosi instar pullorum monocerotis seu vnicornis. Sic enim infrà v. 9. dicit, reuelatum iri condensa siluarum. Allegoricè, post confracta idola & fastum sæculi per vim tonitrui Euangelici, Christus toti mundo innotuit deliciæ Patris & orbis; instar monocerotis (vt alibi (*a*) dixi) sinu virginis exceptus, cornu suo fortissimo ac medicinali (putà cruce) venena omnia scelerum & prauorum dogmatum dispellens. Vide Athanasium & Theodoretum.

(*a*) *Num 23. v. 22.*

שרין Notá, in Hebræo esse *Sirion*, quod est nomen montis Hermon Deuteron. 3. v. 9. & subauditur, *exiliet* instar pulli vnicornium. Sed LXX. per metathesin legerunt ישירון *iesuron*, quod significat *dilectum*, vt Allegoricè innuerent *Christum* Deo & hominibus dilectissimum.

¥. 7. *Intercidentis* (Hieronymus, *diuidentis*; Chaldæus, *scindentis* seu dissecantis) *flammam ignis*, id est fulmen. Nam tonitru eiaculatur fulmina quasi dissecta, vnum post aliud.

¥. 8. *Cades* vasta est & horrida solitudo Saracenorum in Arabia, in cuius parte vna *Pharan* & *Sin* peregrinati fuerunt Israelitæ cum Moyse, Numer. 13. v. 22. & 27.

¥. 9. *Præparantis*] nempe ad pariendum. Vnde Chaldæus, *parturire facit*; Hieronymus, *obstetricans*. Nam ceruæ, vt & capreæ, vuluam habent admodum angustam: vnde & difficilimè pariunt: sed pauore tonitrui dilatatâ vuluâ, partus facilior redditur. Tropologicè, terror & minæ pœnarum, maximè æternarum, parturire faciunt peccatores pœnitentiam.

Et reuelabit condensa, partim aperiendo & rarefaciendo condensas siluas, nempe plurimis aribus euulsis ac deiectis: partim latentes in antris hinnulo in apertum producendo, vt dixi v. 6. Vnde sancti & iusti *omnes dicent gloriam*] id est, glorificabunt Deũ, ob hęc & alia mira quæ facit in mundo.

¥. 10. *Diluuium inhabitare*] *facit*, seu inundare terram: non solùm tempore Noë, sed adhuc quotidie, saltem partiale, cùm post tonitrua pluuias & imbres magnâ copiâ profundit. Nam à v. 5. hucusque recenset varios effectus tonitrui & fulminis.

Et sedebit Dominus rex] Id est, his omnibus portentosis effectibus præsidet Deus quasi rex omnia imperans & præscribens.

PSALMVS XXIX.

Gratias agit Deo, quòd eius ope ereptus graui morbo & multis malis, nouum palatium regium quod sibi, & nouum tabernaculum quod Deo in arce Sion construxerat, dedicare & frui potuerit, 2. Regum 6. ita Chaldæus insinuat. Allegoricè conuenit Christo resurgenti.

¥. 1. *IN dedicatione domus*] Tunc enim hunc eucharisticum psalmum Deo cecinit.

¥. 4. *Eduxisti ab inferno animam meam*, id est præpediuisti ne descenderem in infernum seu limbum; neque *in lacum*] Chaldæus, *in locum sepulchri*. q. d. Impediuisti ne morerer.

¥. 5. *Confitemini memoriæ sanctitatis eius*] Id est, laudibus celebrate memoriam eius sacrosanctum, quâ nostri vilissimorum homuncionum memor esse dignatur, nec malis obrutos spernit aut negligit.

¥. 6. *Ira in indignatione eius*, id est cùm indignatur Deus, infligit iram & pœnam. *Et vita in voluntate eius*] Id est, cùm bene vult alicui & amat, largitur ei vitam & salutem. ita Basilius.

Ad vesperum demorabitur fletus, Id est, tam facilè, tam citò ex parte sua desinit irasci Deus, vt, si quis vespere, ob nimia quibus premitur mala, fletu liquescat, subitò *ad matutinum*, id est primo mane, affluat, *lætitia*, & sic mutatâ fortunâ lætissimus felicissimusque strato exsurgat Allegoricè, Apostoli vespere flebant Christum mortuum: manè lætati sunt, cùm resurrexisse cognouerunt. Basilius, Hieronymus, Augustinus. Anagogicè, qui ad vesperam huius vitæ flent, in mane futuræ vitæ consolabuntur.

¥. 8. *In voluntate tua*, id est, pro solo libito & beneplacito tuo, sine meis meritis, *præstitisti decori meo*, seu gloriæ meæ, *virtutem*] id est fortitudinem, robur, stabilitatem.

¥. 10. *Quæ vtilitas in sanguine meo?* Id est, ad quid, & cui proderit effusio sanguinis mei, seu mors mea? ita S. Augustin. An *pulus*, id est homo in puluerẽ redactus, *annuntiabit*, id est publicè prædicabit (vt ego soleo) viuentibus in hoc mundo, *veritatem*, id est legem & promissa *tua* diuina?

¥. 12. *Conscidisti saccum meum*, hebraicè, *cilicium* seu vestẽ lugubrem: metonymicè luctum meum, qui sacco declaratur. & loco luctus cinxisti *me lætitia*.

¥. 13. *Vt cantet tibi* laudem *gloria mea*, id est glorioſum ac felix regnum meum: *& non* amplius *compungar*] id est, dolore aut tristitia præpediar à laude tua. Vnde in Hebræo, Chaldæo, & apud S. Hieronymum est, *non taceat* aut cesset, supple, gloria mea laudare te: S. Augustinus, non compungar peccati conscientia. Anagogicè, saccus animæ est corpus: conciditur in morte, sed rursum circumdatur lætitiâ in resurrectione.

PSALMVS XXX.

Imploras & impetrat opem Dei.

¥. 1. PRO *extasi*] Id est, dum versaretur in vehementi angustia & pauore ab hostibus incusso. Tunc enim cantatus hic psalmus.

¥. 6. *Spiritum meum*, id est flatum, vitam, animam

nam meam quam mihi hostes mei eripere conantur, *in manus* diuinæ beneuolentiæ & potentiæ tuæ *commendo*; hebraicè, *depono* quasi depositum, vt eam mihi quasi depositarius custodias, & suo tempore restituas. ita S. Hieronym. Nam sæpè hactenus *redemisti me, Deus veritatis*] id est verax, nempe in omnibus promissis tuis, quibus promisisti te iustis afflictis semper affuturum.

℣.7. *Odisti obseruantes vanitates*, id est eos qui vanis rebus (putà idolis, infidis hominibus, alijsve creaturis) confidunt *supernacuè*] id est frustra, sine successu & fructu.

℣.9. *In loco spatioso*] Idem est quod, *in latitudinè*, psal. 4. v. 2. Id est, in magna libertate & ampla potestate euadendi è periculis quibus vndique vallabar.

℣.10. *In ira*, id est, præ & propter iram, qua tu mihi iratus permittis obuenire mihi hæc mala: *conturbatus* est etiam *venter meus*] id est, omnia interiora corporis.

℣.12. *Timor notis meis*] Id est, amici & noti mei mihi adesse timent, ne propter me periclitentur. Metonymia actus pro obiecto actus.

℣.13. *A corde*, iunge cum, *oblitioni datus sum*, id est, omnes in corde suo obliti sunt mei, ac si iam *mortuus* essem.

℣.14. *Consiliati sunt*; id est, vnanimi consilio statuerunt, *accipere animam meam*] id est vitam mihi eripere.

℣.16. *Sortes meæ*, Id est fortunæ, casus, euentus omnes; Hebraicè & Chaldaicè, *tempora mea*, id est, dies seu prosperitatis seu aduersitatis, vitæ & mortis, valetudinis & ægritudinis, pacis & belli; non sunt in manu hominum, sed *in manibus tuis*] id est, in tua potestate, prouidentia & beneplacito. ita Theodoretus. S. Augustinus, Anagogicè, refert hæc ad varios status gratiæ in hac vita, & gloriæ in futuro, iuxta illud Ephes. 1. v. 11. *In quo & nos sorte vocati sumus.*

℣.17. *Illustra faciem tuam*] Vide psal. 4. v. 7.

℣.19. *In abusione*] Id est, fastu, quo abutuntur patientia iustorum, eosque contemnunt & opprimunt.

℣.20. *Quàm magna multitudo dulcedinis*, &c. Id est, quàm multæ & magnæ sunt deliciæ, quas repositas habes timentibus te! & quas *perfecisti*, id est, perfectas dedisti seu exhibuisti eis, etiam *in conspectu filiorum hominum*] Id est palam, publicè & in oculis totius mundi: maximè verò in die extremi iudicij. Nam licèt portiunculam subinde aliquam in hac vita Sanctis prælibandam concedat Deus, plenam tamen mensuram in illud tempus reseruat. ita S. Hieronymus. Addit S. Augustinus, has delicias gustare non posse, qui palatum febre iniquitatum & voluptatum carnalium infectum habent.

℣.21. *In abscondito*, id est, in intimo cubiculo seu conclaui, *faciei tuæ*] id est personæ tuæ, vel tuo. Nam Hebræi quando viros honoratos alloquuntur, vel eorum meminerunt, vtuntur vocabulo *Faciei tuæ, Vultus tui, Animæ tuæ*, sicut nos *Excellentia, Celsitudinis, Maiestatis, Reuerentia tuæ.*

℣.22. *Mirificauit mihi*, id est, miris modis erga me exhibuit; *in ciuitatem vnita*] scilicet Ierusalem, quæ, Deo fauente, rerum omnium abundantia, & præ omnibus diuino præsidio munita est contra omnes hostes.

℣.23. *In excessu*; Hieronymus, *in stupore*; Hebraicè, *intrepidatione*, seu consternatione animi A mei tot malis obruti & quasi extra se positi.

Ideo] Id est, quia me tam anxium videbas.

℣.24. *Veritatem*, scilicet vitæ, id est iustitiam & opera sancta, *requiret Dominus*] puta ad remunerandum: sicut mala requiret ad vlciscèdum, Genesis 9. *Requiram animam hominis de manu hominis.* S. Hieronymus hæc applicat extremo iudicio.

PSALMVS XXXI.

Dauid admonitus peccati sui à Propheta Nathan, agnoscit se peccatorem, & veniam non suis viribus, sed Dei gratiæ adscribendam.

℣.1. IPSI *Dauid intellectus*] Hebraicè, *eruditio*, seu quo singulariter erudiebatur intellectus & mens, agnoscens Primò, se esse peccatorem. Secundò, veniam, gratiam, bona opera non suis viribus, sed Dei gratiæ asscribenda, ita S. Augustinus.

Tecta sunt peccata] ita scilicet vt non ampliùs apparcant oculis Dei, id est, non ampliùs insint animæ, sed plenè remissa sint. Quæcumque enim adhuc sunt in rerum natura, non possunt dici tecta oculis Dei. Idem ergo est, esse sic tectum, quod, esse remissum. Sic dicimus, tegi colorem album, cùm super inducto nigro, perit albus. ita S. Augustinus & Theodoretus.

℣.2. *Non imputauit peccatum*] scilicet neque ad C pœnam, neque ad culpam, nempe quia totum remisit & deleuit, vt v. præced. dictum est. Illa verò non imputatio ab hæreticis conficta, quâ volunt, peccata nostra verè permanere in nobis, sed à Deo non imputari, prorsus impossibilis est: nam Deus non potest res aliter æstimare & imputare, quàm vti reuera in seipsis sunt: si ergo peccatum verè maneret in anima, quamuis tectum aut velatum iustitia imputatiua Christi, numquam posset non imputari à Deo. Ita ijdem Patres cum Eusebio & alijs.

℣.3. *Quoniam tacui*, scilicet à confessione peccatorum meorum & veniæ imploratione. Nouem enim mensibus (nempe quot intercesserunt inter D adulterium & partum vxoris Uriæ) immersus hæserat Dauid in peccatis suis priusquam ea agnosceret. Cùm interim *clamarem tota die*] Chaldæus, Aquila, & Hieronymus, *rugirem*, scilicet præ dolore ex morbo mihi in pœnam scelerum immisso. ita Hieronymus, Augustinus & alij.

Inueteranerunt ossa mea] Id est, omne robur meum elanguit.

℣.4. *Conuersus sum*, scilicet tandem aliquando ad te, ô Deus, *dum erumna*, id est, multiplici miseria, quasi *spina configor*: accedète præsertim spinosa & aculeata monitione Nathan Prophetæ. Græcè, *dum spina mihi*, seu in me, *configitur*; Hebraicè & E Chaldaicè, *versus est succus* seu *vigor meus* (id est, humor vitalis) *in siccitates æstatis.*

℣.6. *Pro hac*, id est, propter hoc. Hebræi enim, quia genere neutro carent, vtuntur feminino vbi nos neutro. q.d. Quia tu mihi mox, vt dixi, *peccaui*, peccatum meum tam facilè, tam citò remisisti; propter hoc *omnis sanctus*, id est, quilibet de populo tuo sancto, *orabit te* veniam peccatorum suorum, non post nouem demum menses, sed *in tempore opportuno*; Chaldæus, *acceptabili*; Aquila, Symmachus & Hieronymus, *ad te tempus inueniens*, seu mox vt commodum orandi tempus inuenerit.

Verumtamen in diluuio, seu inundatione, *aquarum* afflictionis, &c. q.d. Sic fiet, vt, quantumuis ob admissa

admissa scelera inundent mox innumeræ calamitates, tamen ad eiusmodi Sanctum, qui statim studet reconciliari Deo, *non approximent (a)* hostiliter, ita scilicet vt ei noceant, aut damnum inferant. Nam quantumcumque attingant, purgabunt tantum, & mundiorem reddent, & maioris meriti ac gloriæ messem aduchent. ita Theodoretus.

a *Simili Psalm. 94. v. 10.*

℣. 8. *Intellectum*, id est, eruditionem, doctrinam, *tibi dabo*] Id est, docebo te quomodo tibi consules: nempe *nolite* viuere vt bruta, quæ solo sensu & cupiditate ducuntur, non verò ratione & iudicio. Sunt verba Dei, inquit Eusebius, Hieronymus, Theodoretus, Possent tamen etiam dici esse verba ipsiusmet Danidis Prophetæ.

℣. 9. *Maxillas eorum*, qui vt bruta viuunt, *constringe camo & frano*] Id est, tracta eos vt bruta, multis flagellis & afflictionibus inuitos & reluctantes compelle ad te redire & sequi te. S. Athanasius, Didymus, Theoderetus.

PSALMVS XXXII.

Excitat omnes ad laudandum Deum ob varia eius in nos beneficia.

℣. 3. CANTICVM *nouum*] Id est, de nouo compositum, ob noua semper in nos beneficia.

b *Psal. 26. v. 6.*

Bene in vociferatione (b) Hieronymus, *diligenter in iubilo*; Chaldæus, *pulchrè in iubilo.*

℣. 4. *Rectum*, id est, æquum & iustum, *est verbum*, seu promissum & factum, *Domini: & omnia opera eius in fide*, seu fidelitate, id est, fideliter completa, vera, & conformia promissis suis. *Diligit* enim *iudicium*, seu id quod iustum est.

℣. 6. *Spiritu oris eius*] Id est, iussu Dei, Basilius tamen & Theodoretus de Spiritu sancto id accipiunt.

Virtus cœlorum, id est energia: Hieronymus, *ornatus*; Chaldæus & Aquila, *exercitus*, id est, stellæ & angeli. Allegoricè, Hieronymus & Augustinus, cœli, id est, Apostoli & quiuis fideles omni gratia firmantur à Spiritu sancto.

℣. 7. *Ponens in thesauris*, id est, in occultis aëris & terræ locis quasi in gazophylacijs recondens, *abyssos*] id est, aquarum vastissimas & altissimas voragines, scilicet, vt ex ijs suo tempore & loco educat pluuias, fontes, flumina. ita Theodoretus & Didymus.

℣. 8. *Commoueantur*] Hieronymus, *formident*, Chaldæus, *contremiscant.*

℣. 10. *Reprobat*] Hieronymus & Chaldæus, *irrita facit.*

℣. 14. *De præparato habitaculo suo*] Id est, de cœlo, quod Deus sibi, angelis, & hominibus pijs æternum palatium præparauit ab initio mundi.

℣. 15. *Finxit* (Chaldaicè, *creauit*) *corda*, id est animas, eorum *sigillatim*, id est, seorsim singulis. Hieron. Aquila, Symmachus & Chaldæus vertunt, *pariter, simul.* Id est, nullâ exceptâ omnes animas creauit Deus. Hinc *intelligit omnia opera eorum*] q.d. Non possunt vlla via Deum latere doli, subtilitates & intentiones cordium mortalium, quia ipse singula creauit. Vnumquodque verò subditur prouidentiæ eius à quo habet essentiam suam, inquit S. Basilius, Origenes, Eusebius, Theodoretus.

PSALMVS XXXIII.

Laudat Deum, & alios vt vnà secum laudent hortatur. Est ψ. in Hebræo acrostichis litterarum ordine alphabethico conscriptus.

℣. 1. DAVIDI, *cum immutauit vultum*, &c.] Nam psalmum hunc fecit occasione periculi, quod euasit apud *Achimelech*] id est, Achis regem, 1. Regum 21. *cùm vultum suum* stultitiam simulando, *commutaret.*

℣. 4. *In idipsum*] Hieronymus & Chaldæus, *pariter, simul omnes.*

℣. 6. *Illuminamini*] Pro illuminabimini: id est, in aduersitatum tenebris, benigno aspectu & ope Dei, quasi iucundissima luce recreabimini: sicut olim Moyses in monte Sinai. ita Theodoretus, Hieronymus, Illuminabimini vera & copiosa sapientia.

Facies vestræ] Id est vos, vt dixi psal. 30. vers. 21.

℣. 7. *Iste pauper*] scilicet Dauid. Loquitur enim de se in tertia persona.

℣. 8. *Immittet angelus*] nempe se suumque præsidium. Nam in Hebræo & LXX. est, *castrametabitur*; apud Hieronymum, *circumdat*; in Chaldæo, *immoratur.* Alludit verò ad castra angelorum tutelarium Iacobi Patriarchæ, Genes. 32. v. 2. & Ezechiæ contra Sennacherib 4. Reg. 19.

Notat porrò S. Basilius & Didymus, etiã vnum angelum ob fortitudinem comparari validissimis mœnibus & vallis; ob magnitudinem, integro exercitui.

℣. 9. *Gustate*, id est, experimento discite, nempe ex mei, meique similium mira liberatione, quia *suauis*; Hebraicè & Græcè, *benignus, est Dominus.*

℣. 11. *Diuites* huius sæculi *eguerunt*: Hieronymus & Chaldæus, *filij leonum*, seu *leones, depauperati sunt.* At verò pij *non minuentur omni bono*] Hebraismus est, pro, nullo bono carebunt.

℣. 12. *Venite filij, audite me*] q.d. Multi negligunt instruere filios suos: ego non negligam.

Timorem Domini docebo vos] Doceant eos alij & diligenter, sed artes vanas, quibus huic mundo placeant, opes & honores coaceruent, ceteris præcellant: ego, quod his omnibus nobilius, vtilius, magisq; necessarium est, docebo vos, *timere Deum*, eique placere ac deseruire. Vide Plutarchum, Origenem & alios.

Plutar. l. de Institution. Orig. apud S. Hieron. in Daniel. 13.

℣. 21. *Ossa*] Synecdochicè, id est, omnia membra, vt habet Chaldæus.

Vnum non conteretur] Id est, nullum ita confringetur, vt confractum mancat & pereat: nam Deo aduigilante singula custodientur, & in resurrectione singulis sua reddentur iam glorioſa. ita S. Hieronymus. Simile Matth. 10. *Capillus de capite vestro non peribit.*

PSALMVS XXXIV.

Dauid hostibus suis, Allegoricè, Christus Iudæis, excidium prædicit. sibi salutem precatur.

℣. 1. IPSI *Dauid*] quia sibi bene precatur hoc psalmo.

℣. 3. *Effunde frameam*, seu gladium, è vagina. *Et conclude*] supple viam, ne possint effugere.

℣. 4. *Revereantur*] passiuè, id est, pudefiant, erubescant, vt vertit Chaldæus.

℣. 6. *Via illorum*, per quam effugere tentabunt, *fiat tenebræ & lubricum*] Id est, tenebrosa, lutosa & lubri-

& lubricosa: nempe, vt passim offendant, impingant & cadant, nec possint euadere.

℣.7. *Gratis & superuacuè* (Hieronymus, *frustra*; Symmachus & Chaldæus, *sine causa*, sine vllo meo demerito) *absconderunt mihi interitum laquei sui*, id est, occultè tetenderunt mihi laqueum interimentem, seu lethalem. & *exprobrauerunt*] id est, probris & contumelijs me affecerunt.

℣.10. *Omnia ossa mea*. Synecdochicè, id est, omnia membra mea, vel intima omnia mea, omnes vires meæ. q.d. Ex imis medullis, totisque viribus exclamo admirabundus, *Domine, quis similis tibi*, in sapientia, fortitudine, beneficentia? *eripiens inopem*, id est, afflictum, &c. ita Cyrillus.

℣.11. *Quæ ignorabam interrogabant me*] Id est, quorum minimè mihi conscius eram, obijcibant mihi in iudicio.

℣.12. *Retribuebant animæ meæ sterilitatem*] Hebraicè & Chaldaicè, *orbitatem*; Græcè, ἀπεκνίαν, id est, *filiorum orbitatem*. q.d. Orbarunt me filijs, amicis, famulis, omni denique præsidio ac solatio.

℣.13. *In sinu meo*] Id est, secretò inter Deum & me frequentissimè orabam pro eis, & porrò pergam orare. Nisi malis cum Hieronymo & Chaldæo legere, *in sinum meum*. q.d. Oratio mea pro eis toties fusa, quia ob illorum malitiam nihil illis profuit, in meam cedet vtilitatem & fructum. Sic Matth. 10. *Pax vestra reuertetur ad vos*.

℣.14. *Quasi proximum*, &c.] In Chaldæo, ac si socius & frater meus fuisset, sic me placidè gessi erga inimicum meum.

Humiliabar coram te: nempe vt hac via auerterem ab eis seu impendentia, seu iam in eos sæuientia mala: propter quæ ex animo contristabar, compatiebar & lugebam.

℣.15. *Et ignorans*] scilicet cur me flagellarent, torquerent, aut persequerentur: nempe nullius mihi conscius causæ ad id datæ.

℣.16. *Dissipati sunt*, id est, dispersi sunt, vt varias vias quærerent me perdendi: *nec compuncti* sunt corde, id est, non doluerunt, non cessarunt, non quieuerunt, vt est in Hebræo, donec peruersi voti sui compotes fierent.

℣.17. *Vnicam*; Hieronymus, *solitariam*. q.d. Desertam ab omnibus, & auxilio destitutam, *animam*, seu vitam, *meam*.

℣.19. *Annuunt oculis*] Id est, mutuis oculorum nutibus deridentme & subsannant.

℣.20. *In iracundia terræ*] Id est, quando terra est in ira. Metonymiâ, continens pro contento, id est, quando homines sunt in iurgijs, in tumultibus, in bellis. Hebraicè enim est, *in commotionibus*, seu seditionibus.

℣.21. *Viderunt oculi nostri*] scilicet quod tantoperè optabamus; putà exitium Dauidis; Allegoricè, Christi.

℣.26. *Induantur reuerentia*] id est, pudore, vt suprà vers. 4.

PSALMVS XXXV.

Malitiæ impiorum opponit bonitatem & beneficentiam Dei.

℣.2. DIXIT *in semetipso*] Id est, apud se statuit.

℣.3. *Vt inueniatur*, seu palàm deprehendatur, *iniquitas eius ad odium*] id est, odiosa & execranda.

℣.6. *In cœlo*, Id est, vsque ad cœlum, per omnia elementa, cœlos, & creaturas diffusa. q.d. Immensa est. *& veritas*, id est fidelitas, *tua* in promissis, *vsque ad nubes* se protendit, diffusa per omnia spatia, maximè verò in homines tam impios, tam ingratos, tam tibi rebelles. In quos timen è nubibus depluis, vt olim manna in Israelitas, inquit Eusebius & Cyrillus.

℣.7. *Montes Dei*] Id est, montes altissimi. q.d. Iustitia tua est supra omnium captum, & instar *abyssi* imperscrutabilis. ita ijdem & Theodoretus.

Et iumenta saluabis] salute corporali, dãs escam omni carni, Psal. 135. vestitum quoque, sanitatem, proles, &c. ita ijdem & S. Augustinus. Allegoricè, ex belluinis hominibus facies angelos, inquit Hieronymus & Didymus.

℣.8. *Quemadmodum*] pro quantoperè. Nam Hieronymus & Chaldæus vertunt, *quàm pretiosa est misericordia tua*!

℣.9. *Inebriabuntur*, id est, saturabuntur & toti hilarescent, ex *vbertate*, id est, affluentia bonorum, *domus tuæ* cœlestis. Hieronymus & Chaldæus vertunt, *à pinguedine*, id est, ex delicijs: quæ hic quidem per spem & prægustum quendam percipiuntur (vt subinde Martyribus & alijs quibusdam Sanctis accidit, sed in cœlo per rem & plenam fruitionem possidebuntur. Vnde & *torrens* vocatur, inquit S. Augustinus, ob copiam, impetum, & perpetuitatem.

℣.10. *Fons vitæ*] scilicet spiritualis, continuò dimanans in nos; hîc per gratiam, in cœlo per gloriam, inquit idem Augustinus.

In lumine tuo; Chaldæus, *propter lucem gloriæ tuæ*. q.d. Non per lumen *solare*, aut lumen *naturale* intellectus nostri vel scientiæ humanæ (vt olim volebant *Begardi* & *Beguinæ*) sed per lumen tuum *supernaturale* videbimus *lumen*] id est, lucidam faciem tuam. Nam vt creatura possit clarè videre Deum, infinitè excellentem, omninò necessarium est vt intellectus eius per lumen gloriæ eleuetur. Ita Concilium Viennense sub Clemente V. contra Begardos, & S. Thomas, ceteriq; Doctores. *S. Thom. in 1. p.*

℣.11. *Prætende*, id est, extende, porrige, *iustitiam* (id est gratiam) *tuam*] quæ facit iustos.

℣.12. *Non veniat mihi pes superbiæ*] Chaldæus, *ne occurrat in me pes superbi*, id est, non inuadat me.

Et manus, id est, potentia seu violentia, *peccatoris non moueat me*] scilicet de loco, statu vel quiete mea.

℣.13. *Ibi*, id est, in eo sæculo, vbi pij inebriabuntur nectare diuino, de quo v. 9. & 10. *expulsi sunt*] pro expellentur, impij, & in æterna supplicia detrudentur. ita Genebrardus.

PSALMVS XXXVI.

Solatur pios, ne offendantur prosperitate impiorum, vtpotè breui peritura, cùm pij solida & stabili beatitudine sint donandi.

℣.1. ÆMVLARI & *zelare* tria significare possunt: Primum, *studiosè imitari*. &, vt hîc vertit Symmachus, Aquila & S. Hieronymus, certare, contendere. Secundum, *inuidere*. ita ferè Cyrillus & Hesychius. Tertium, *indignari* & *irasci*, vt est in Hebræo, & vertit Theodotion.

In malignantibus] Id est, ob malignorum prosperitatem.

℣.3. *Inhabita terram*] scilicet pacificè & mansuetè:

suetè: Hieronymus, *peregrinare in terra, & pascere fide*. q.d. Contentus esto tuis.

℣.5. *Revela Domino viam tuam*] Id est, ardenti prece & secura fiducia expone & committe Deo statum rerum tuarum, sive prosperum, sive adversum: nec te nimis anxia solicitudine crucia. Hebraicè enim est, *volve*, scilicet à te & à corde tuo, *super Dominum viam tuam*, id est, negotia, curas, necessitates tuas; Aquila vertit, *file Domino*; Symmachus, *quietus esto Domino*: quod Noster v. 7. vertit, *subditus esto Domino*.

Et ipse faciet, seu perficiet, confecta dabit omnia negotia tua.

℣.6. *Justitiam*, id est innocentiam, *tuam*, quæ nunc impiorum criminationibus obscuratur, *educet quasi lumen*, id est, palàm in apertum proferet. *Et judicium*, id est, iustam causam tuam, sensim magis ac magis inclarescere faciet sicut *meridiem*] ita Augustinus, Theodoretus, Didymus.

℣.11. *Terram*] tum cælestem, de quâ v.29. ita Hieronymus, Cyrillus & Nyssenus: tum mundanam, vt Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus & Euthymius. Sæpè enim & hoc vsu venit.

℣.13. *Dies eius*] nempe fatalis. Vnde Chaldæus vertit, *dies contritionis eius*.

℣.18. *Novit Dominus*.] nempe scientia approbationis, vt dixi Psal. 1. v. 6.

℣.20. *Mox vt honorificati fuerint*, &c.] Hieronymus, *gloriantes vt monocerotes*; Chaldæus, *sicut gloria veruecum impinguatorum, qui tandem jugulantur, sic gloria impiorum in fumo gehennæ consumetur*.

℣.21. *Mutuabitur*, id est, mutuum accipiet, & *non* restituet, seu propter inopiam, seu propter auaritiam, inquit Cyrillus.

Justus autem sæpè adeò abundat & liberalis est, vt vltrò & gratis multa tribuat egenis.

℣.23. *Apud Dominum* (Hebraicè, Græcè, Chaldaicè, *à Domino*) *gressus*, id est, actiones & conatus omnes, *hominis*, supple iusti, vt est in Hebræo, *dirigentur*, nempe prosperè: *& viam eius volet*] Id est, diliget, fortunabit, *valdè* inquiunt LXX.

℣.25. *Non vidi*, scilicet ego Dauid: licèt alij subinde viderint (nempe rarum est, etiam nunc: & adhuc rarius in veteri testamento.) *justum*, eleemosynarium, vt patet ex vers. seq. *nec semen eius*, id est filios, *quærere panem*, quem tandem non reperirent, id est, fame perire. Subinde tamen id contigit, v.g. Lazaro, & Martyribus in carcere. Sed tunc pro pane corporali dat Deus panem spiritualem, nempe copiam solatiorum, coronam martyrij & cælestis gloriæ.

℣.27. *Et inhabita*] perseuerando in bono & virtutum studio.

℣.33. *Cum judicabitur illi*] id est, ab illo impio; Chaldæus, *cùm judicium de eo aget*. q.d. Non sinet Deus iustum iniustè condemnari ab impio. supple, nisi aliter expediat iusto.

℣.37. *Reliquiæ*] Id est, posteritas & opes. Secundò, memoria & monimentum, inquit Nicephorus. Tertiò, felix exitus: Hieronymus enim & Chaldæus, *ad extremum*, seu *finis eius pax*. Quartò, salus æterna, & gloria resurrectionis. Et hoc est, quod aiebat Abraham Epuloni, *Nunc Lazarus consolatur, tu verò cruciaris*. ita S. Hieronymus, Augustinus, Hesychius. *Luc. 16.*

PSALMVS XXXVII.

Describit hoc psalmo pœnas adulterij sui, morbos & hostium vexationes: quas humillimè deprecatur.

℣.1. *IN rememorationem*] Compositus est enim psalmus à Dauide *in rememorationem* peccati à se admissi.

De sabbatho, seu in sabbatho canendus.

℣.3. *Sagittæ tuæ*] Id est, morbi, dolores, ærumnæ, quibus quasi sagittis me continuò configis.

Et confirmasti, id est roborasti, *manum* & brachium tuum. q.d. Maximo robore & viribus tetendisti arcum tuum, vt summa vi torqueres in me tela tua. Hinc vsque ad v.16. poëtica hypotyposi graphicè depingit miserias hominis ob peccatum à Deo afflicti.

℣.4. *A facie iræ tuæ*, Id est, propter iram tuam, vt vertit Chaldæus. Sic, *à facie peccatorum meorum*] Id est, propter peccata mea. Simile v.6. & alibi.

Non est pax ossibus] Id est, nulla est quies membris (*a*) meis. *a Psal. 34. v. 10.*

℣.5. *Supergressæ sunt*, scilicet more aquæ operientis *caput meum*, id est, submergor multitudine peccatorum. *& sicut onus graue*, nimio pondere suo, *grauatæ sunt super me*] id est, planè obruunt me.

℣.6. *Cicatrices*, id est, vlcera & vulnera tum animæ, tum corporis, quibus dudum cicatrices obductæ esse deberent, iam ob vetustatem & neglectum *computruerunt, & corruptæ sunt*; Hieronymus & Chaldæus, *tabuerunt*, id est, tabo & sanie diffluunt, *à facie insipientiæ meæ*] Id est, propter meam stultitiam, qua & peccaui, & tam serò distuli pœnitere.

℣.7. *Curuatus sum*, pondere peccatorum & plagarum, iuxta dicta v.5. *vsque in finem*] id est, continuò; Chaldæus, *maiorem in modum*.

℣.8. *Illusionibus*] Aquila & Hieronymus, *ignominia*, id est morbis, ob quos hostes mihi ignominiosè illudunt. ita Cyrillus. Chaldæus vertit, *combustione*, id est, inflammatione, putà febrili. Tropologicè, ardore concupiscentiæ, inquit S. Hieronymus, Origenes & Gregorius, & malis phantasmatibus quæ menti etiam inuitæ illudunt, inquit S. Augustinus.

℣.9. *A gemitu cordis*] Id est, propter nimios dolores & afflictiones quæ cor meum gemere faciunt.

℣.11. *Lumen oculorum non est mecum*] Id est, præ fletu & ægritudine continua pæne amisi visum. Nimia enim tristitia facit opticos spiritus vt turbidiores & crassiores, ita & languidiores, vt oculi planè caligent, etiam in alta luce. Tropologicè, peccator priuatur lumine prudentiæ spiritualis, inquit S. Hieronymus & Augustinus.

℣.17. *Quia dixi*, id est, ideo te rogaui, ne pateris inimicos meos mihi insultare. *Et*, pro etenim, *dum commouentur pedes mei*, id est, dum vacillant, & ruinam minantur res meæ, mox hostes mei *loquuntur magna*, id est, superba dicteria, *super*, seu contra, *me*, mihi illudentes & insultantes.

℣.18. *Dolor meus in conspectu meo semper*] Id est, numquam non occurrit quod me excruciet. vna calamitas aliam excipit, è qua perpetuum maximumque dolorem capio.

℣.19. *Iniquitatem meam annuntiabo*, id est, libenter confitebor coram Deo & hominibus: *& cogitabo* (Hieronymus & Chaldæus, *solicitus ero*) *pro peccato meo*] supple expiando, & in me vindicando.

PSAL.

PSALMVS XXXVIII.

Dauid ad maledicta Semei conticescens, Deo illa queritur, oratq; vt sui ob peccata meritò afflicti misereatur, & in hac vita breuitate & miseria consoletur. ita Cyrillus & Theodoretus.

℣. 1. IPSI *Idithun*, cantorum præfecto, 1.Paralip.16.v.41. & c.25.v.1. datus ad canendum à Dauide.

℣.2. *Dixi*] Id est, firmiter statui, nempe cùm mihi malediceret Semei, 2.Reg.16.v.7.

℣.3. *Silui à bonis*, id est, à bona & iusta mei defensione: vel, adeò silui, vt ne bona quidem verba proloquerer, ne fortè verbum aliquod querulum & impatiens incauto excideret. Vnde factum, vt *dolor* internus animi diu compressus, ipsa taciturnitate recrudesceret.

℣.4. *Et in meditatione mea*, id est, seria occupatione animi, *exardescet ignis*] Id est, zelus & feruor iræ ac indignationis contra peccata & peccatores. Zelus enim est quasi quidam ignis interiora hominis inflammans, inquit Cyrillus.

℣. 5. *Notum fac mihi finem meum*, nempe tot malorum: putà tempus mortis. Vt *sciam quid desit mihi*] id est, quantum adhuc seu vitæ, seu malorum, superfit transigendum.

℣.6. *Mensurabiles*] nempe breui & facili mensura; putà palmi vnius, seu quatuor digitorum. Hebraicè enim est, *palmares*: quod Hieronymus vertit, *breues*; Chaldæus, *leues*. q.d. Valdè breues & momentanei sunt dies vitæ meæ. ita Hieronymus, Hesychius, Theodoretus.

Et substantia mea: ὑπόστασις, id est, subsistentia seu firmitas vitæ meæ, id est, duratio qua in hac vita subsisto, est *tanquam* momentum, imò *nihilum ante te*] Id est, æstimatione tua, qua *mille anni* sunt *tanquam* dies vna, vel respectu æternitatis tuæ.

Verumtamen hîc & vers. seq. & aliàs sæpè non sumitur aduersatiuè, sed assertiuè, vt idem sit quod *certè*, sanè, reuera.

Vniuersa vanitas] Id est, vanissimus. Græcè, *quoad omnia homo est vanitas*, seu omni ex parte: ita vt vanitas & miseria, quæ per alias creaturas frustatim spargitur, in vno homine aggregata videatur: vt, sicut homo essentiæ omnium creaturarum, ita & vanitatis earumdem compendium sit. Quia cùm inanimis subiaceat mutationi locorum, temporum, accidentium, & corruptioni: cum animatis, subest alterationi, accretioni, decretioni, morti: cum senticntibus, lætitiæ, mœrori, timori, iræ: cum angelis, volubilitati cogitationum & volitionum; itemque inconstantiæ, qua in varias peccatorum species delabitur. Subnectitur hîc *sela* in Hebræo, de quo Psal.3.v.3.

בצלם ℣.7. *Pertransit*, supple hanc vitam, *homo betselem*, id est, *in imagine*] non solida, sed vmbratili, qualis est vmbra respectu corporis, vel qualis homini in speculo aut somno repræsentatur. q. d. Vita hominum potiùs est vmbra vitæ, quàm vera vel solida vita.

Sed & frustra conturbatur] Id est, accedit ad humanæ vitæ vanitatem, quòd homo sæpè sine notabili causa, sine fructu tumultuetur, tum intus in animo, tum foris in opere. nempe propter res nihili, meras vmbras, & spes incertas.

Thesaurizat, & multas opes parat, *& ignorat cui congregabit eas*] vt mihi Dauidi accidit, qui tot centena talentorum millia, tam amplum & florens regnum, tanto labore partum, iam cedere cogor filio proditori & decoctori Absalon; inquit Cyrillus & Theodoretus.

℣.8. *Substantia*, id est, vt suprà v.6. subsistentia, firmitas, *mea*, id est, fiducia mea omnis qua in tantis malis subsisto *apud*, id est in *te est*.

℣.12. *A fortitudine manus tuæ*, id est, propter fortem percussionem tuam, vt habet Chaldæus: & *in increpationibus*, id est, propter continuas castigationes, totus *defeci*] Hieronymus & Chaldæus, *consumptus sum*.

Sicut araneam] nempe, quæ dum sua retia texit, humorem vitalem exhaurit, seque euiscerat, atque ita subinde sicca contabescit: ita & hominis vita continuo & frustraneo labore, dolore, tristitia exhausto vigore tabescit, inquit S.Hieronymus & Ambrosius.

℣.13. *Ne sileas*] Id est, ne diutiùs cesses, scilicet opem ferre misero mihi *aduenæ & peregrino*.

℣.14. *Remitte mihi* manum tuam, id est, relaxa pœnas. q.d. Cùm tam breuis sit hæc vita & ærumnis plena, rogo vt mihi relaxes nonnihil flagella, *vt* aliquantum respirem & *refrigerer*, seu recreer, *priusquam hinc abeam*, & inter viuentes *amplius non ero*.

PSALMVS XXXIX.

Dauid, vel potiùs Christus, gratias agit Patri de impensa sibi ope & liberatione: & loco sacrificiorum legalium promptam perpetuamq; ei offert obedientiam, & seipsum holocaustum in cruce ita Athanasius, Didymus, Theodoretus.

℣. 3. LACVM *miseriæ*, id est, calamitatibus & periculis, in quibus quasi in lacu *& luto fœcis*, id est, fœtido & sordido, altissimè immersus iacebam. ita Eusebius & Theodoretus.

Super petram] Id est, in rupe, loco tuto & hostibus inaccesso.

℣.4. *Canticum nouum*, id est, nouam materiam nouæ laudis, *immisit in os meum*] Id est, suppeditauit mihi; scilicet, quæ sequuntur.

℣.6. *Annuntiauí*] scilicet hominibus illa mira ac stupenda opera, & cogitationes & prouidentias tuas, maximè circa tempus nouæ legis.

Et ecce mox vt *locutus sum, multiplicati sunt* qui mihi auscultarent & crederent, id est, Christiani, *super numerum*] Chaldæus, plures quàm vt enumerari possint.

℣.7. *Sacrificium* legis veteris *noluisti*] id est, minùs (*a*) carum & gratum habuisti, quia scilicet ex se & per se non erat nisi vmbra & figura veritatis.

Aures autẽ, Synecdoche pro toto *corpore*, quod tibi in longè gratius sacrificium pro totius mundi salute offerrem, vt habẽt LXX. & explicat Apostolus ad Hebræos 10.v.5. *perfeciſti*] Id est, *aptasti mihi*, inquit Apostolus. In Syriaco est, *induisti me*, nempe in incarnatione. Meminit porrò *aurium*, potius quàm aliorum membrorum, quia agit de *obedientia* Christi, cuius symbolum sunt *aures*. Vnde & Hieronymus hîc vertit, *perfodisti*; Chaldæus, *perfecisti* mihi aures. q.d. Feciſti me, ô Pater, tibi seruum docilem, obedientem & perpetuum (tales enim serui, Exodi 21. solebant aurium perfossione notari:) feciſti verò hoc in ipsa incarnatione, quando humanam naturam meam gratiâ vnionis hypostaticæ, & varijs donis habitualibus decorasti. ita Cyrillus, Hieronymus, Eusebius.

℣.8. *Ecce venio*, iunge cum sequentibus, *vt faciam voluntatem tuam*. nempe, vt loco veterum victi-

a *In prolegom. de Idiotismis Hebr. nu. 6.*

victimarum,quæ tibi minùs placuerunt, corpus A meum tibi offeram in *holocaustum & sacrificium pro peccato.* Hanc prompti animi oblationem fecit Christus à primo incarnationis suæ instanti, *S.Thom.3.p. q.34.ar.3.* inquit S.Thomas:totaque reliqua vita. Idque vt impleret, quod *in capite libri*] Hebraicè & Chaldaicè,*in volumine libri regis,* id est,tota S.Scriptura,scriptum est,putà de eius incarnatione,passione,morte, & expiatione peccatorum. ita Theophylact.Photius & Genebrardus.

℣.10. *Annuntiaui* (Græcè, euangelizaui) *iustitiam tuam,*tam qua tu infinitè iustus es, quàm *a Proleg. de Idiotismis Hebr.n.14.* qua nos iustificas, nempe legem (*a*) & mandata tua iusta. *& veritatem tuam,*id est,fidelitatem in B complendis promissis,maximè qua mundo exhibuisti *salutare tuum*] id est,Saluatorem Christum olim mundo promissum & iam missum. ita S. Hieronymus.

℣.13. *Iniquitates meæ*] Id est, quas meas feci, dum peccata omnium hominum in me expianda suscepi.

Non potui vt viderem, scilicet earum multitudinem,magnitudinem,fœditatem:adeò multæ,& enormes,& abominabiles sunt. Vnde & *cor meum,* id est,vigor cordis, *dereliquit me*] q.d.Ex illarum consideratione euanui & defeci animo:vt patuit in horto *Gethsemani.* Finem huius psalmi vide expositum infrà in Psalmo 69.

PSALMVS XL.

Orat pro ijs qui afflictis benefaciunt: queritur inde de filijs & fraudulentis amicis: Allegoricè, Christus de Iuda & Iudæis.

℣.2. INTELLIGIT *super egenum*] Chaldæus,cogitat de rebus pauperis, quò misereatur eius.

℣.4. *Stratum eius versasti*] Apostrophe ex abrupto.q.d. Tu ipse,ô Deus,instar officiosæ ancillæ, versas& molliter componis lectum eleemosynarij ægrotantis: vt nempe commodiùs & leuiùs ferat morbum. Id est,sedulò curas,foues,solaris eum,qui alios fouit& solatus fuit. ita Eusebius,Hieronymus,Augustinus.

℣.7.*Si ingrediebatur* hostis meus,*vt* officij causa me ægrum *videret,* seu inuiseret, non *loquebatur* nisi *vana*; Chaldaicè,*mendacium,* quia verbis fingebat se mihi condolere, cùm *cor eius* contra me *congregaret iniquas* machinationes *sibi*, id est, in animo suo. Hinc mox vt *egrediebatur foras, loquebatur in idipsum*] Hebræus & Hieronymus,*detrahebat simul cum alijs.* Allegoricè, Iudas è cœna egressus, & cum Iudæis locutus, prodidit Christum.ita Didymus & Hesychius.

℣.9. *Verbum iniquum;* quod subditur,nempe, Putásne quòd Dauid *qui dormit;* Hebraicè,*qui iacet in lecto agritudinis;* Chaldaicè, *qui infirmatur;* inde *resurget?*] Optamus certè non surgat, sed moriatur: timemus tamen ne surgat. Allegoricè, optant Iudæi ne Christus mortuus resurgat.

℣.10. *Homo pacis meæ;* Hieronymus, *pacificus meus,*id est, is cum quo viuebam pacificè & familiariter,seu,vt Chaldæus habet,*qui deberet quærere pacem meam; magnificauit super me! supplantationem*] Hieronymus,*leuauit contra me plantam,*id est conatus est me supplantare, prodere, & perdere. Christus hoc applicat Iudæ,Ioan.13.v.18.

PSALMVS XLI.

Incipit hîc secundùm Hebræos liber II. Psalmorum, editus ferè totus à filijs Core, qui patre terra absorpto,cum tota domo sua miraculosè penduli in aere, quia pij & innocentes,seruati sunt, Num.16.v.32.& c.26.v.10. Hi ferè læta canunt de Christo,de salute æterna, de cœli desiderio: vt ex hoc psalmo imprimis patet.Ita Origenes,Eusebius,Hieronymus & Hebræi.

℣. 1. INTELLECTVS *filijs Core*] Vide initio Ps.31.

℣.2. *Desiderat*] Hebræum *arag*, id est, ערג mugit,rugit,est vox ceruorum propria,cùm scilicet vel fatigati à venatoribus, vel infecti esu serpentum,anheli & hiantes præ siti ad aquam festinant.ita Eusebius,Hieronymus,Theodoretus.

℣.3.*Ante faciem Dei*] Id est,in tabernaculo ante arcam, in qua se Deus per oracula præsentem exhibet; Anagogicè,ad claram visionem Dei.

℣.4. *Fuerunt mihi lachryma meæ panes,* id est, loco ciborum.q.d.Relicto cibo,nihil aliud lubet quàm flere. *dum dicitur mihi* ab inimicis mihi insultantibus,*Vbi est Deus tuus,* à quo omne auxilium & solatium sperabas?

℣.5. *Hæc recordatus sum,*id est,harũ & similium insultationum hostilium dum memini,mox *effudi in me animam meam,*id est,laxaui menti habenas, vt pro libito indulgeat dolori & lachrymis.Sed effusis lachrymis C infusa sunt gaudia,quia scio quòd breuî rursum *transibo in domum Dei, in,* seu cum, *voce exultationis & confessionis:* quæ vox *sonus* est *epulantis* turbæ:Græcè & Chaldaicè,*populi festa celebrantis:*Anagogicè,est angelorum & Sanctorum *Alleluia.*ita S.Hieronymus & Augustinus.

℣.6. *Adhuc confitebor illi,* id est,rursus laudabo eum, qui est *salutarè vultus mei*] Id est,saluator meus,vel qui saluauit vultum meum à confusione, lachrymis & dolore.

℣.7. *Ad meipsum*] Id est,in meipso, vt vertit Hieronymus.

Memor ero tui tuorumque mirabilium operum *de terra Iordanis,*id est,quæ fecisti circa terram Ior- D dani adiacentem, & circa *Hermon* vel *Hermonijm à monte modico*] Id est, paruum illum montem,in extremis finibus terræ sanctæ inter Orientalem & Septemtrionalem plagam: vbi Israelitis mirabili potentia adfuisti,vt superarent *Og & Sehon* reges Amorrhæorum.Horum,inquam,mirabilium memor,in spem veni similis auxilij à te obtinendi.

℣.8. *Abyssus abyssum inuocat,* id est, fluctus vnus marinus alterum fluctum trahit, & quasi manu aduocat vt sequatur. Id est, calamitas vna mox aliam secum trahit,vt me sua mole opprimant. *In voce cataractarum tuarum*] Id est,iubente te pandi calamitatum cataractas,è quibus continuò vna su- E per alias in me prorumpant. ita ferè Vatablus, *Prad. in* Iansenius & Hieronymus Pradus. *Ezech.*

Excelsa tua] Id est,vndæ excelsæ seu altæ;Hieronymus & Chaldæus, *gurgites;* Aquila, *illisiones;* LXX. *subleuationes,* id est, fluctus altissimi,nempe afflictionum & calamitatum.

℣.9. *In die,*scilicet opportuno,à Deo præfixo, sed illi soli noto, *mandauit* ab æterno, vt compareat suo tempore. Hebraicè, Græcè & Chaldaicè, mandabit,id est,submittet mihi,*misericordiã suam,* vt etiam in *nocte* iam mihi tam tristi, tunc lætus canam *canticum eius*] gaudij, gratiarum actionis & iubili. ita ferè S.Hieronymus.q.d. Non ergo iam desperandum,nec dolori indulgendum,cùm iam in proximo salus impendeat.

℣.11.

℣.11. *Dum confringuntur ossa*] vel robur omne Astinatæ occisioni seu mactationi.

meum, nempe continuis calamitatibus, hostium insultibus & alijs molestijs. Hoc in Martyres quadrat.

PSALMVS XLII.

Orat ne reliquorum impiorum pœnis inuoluatur, sed tabernaculo & altari Domini restituatur. Præmittitur hic psalmus Missæ, quia excitat desiderium sacrificandi latè ac decenter Deo.

℣. 1. DISCERNE *causam meam de gente non sancta*] Id est, ne sinas me iustum & innocētem iniustè & immeritò damnari & puniri cum impijs. Videtur filius Core alludere ad scelera & pœnas impij parētis sui & sociorū illius. Alij tamen malunt psalmum hunc Dauidi exulanti adaptare.

℣.3. *Emitte lucem*] Id est, fauorem *tuum* & opem cœlestem. Vide Psal. 4. v. 7.

Et veritatem, seu fidelitatem, *tuam*] Id est, fac quod promisisti, nempe, te tuis semper affuturum.

Ipsa, scilicet, lux & veritas tua, *me* semper hactenus *deduxerunt & adduxerunt* saluum & intactum. (Hieronymus & Chaldæus, *deducent* per viam, & *adducent* ad optatum terminum) *in montem sanctū tuum*] id est, in terram promissam, in qua tamquam in proprijs *tabernaculis* habitare nobiscum decreuisti. Ita etiam Moyses loquebatur Exodi 15. v. 17. Anagogicè, fides & gratia dedúcunt nos in cœlum. ita Eusebius.

℣.4. *Introibo ad altare*, scilicet ad offerendum, vel saltem adiuuandum aut procurandum sacrificia *Deo, qui latificat iuuentutem meam*] id est, florem ætatis meæ lætum & amœnum conseruat, inuitis omnibus qui illum lædere vellent aut decerpere. Hebraicè est, *ad Deum gaudij & exultationis meæ*, supple, fontem.

Confitebor tibi in cithara] supple, & omnibus alijs instrumentis musicis. Reliqua vide psal. præced. v. 6.

PSALMVS XLIII.

Pij Iudæi (Allegoricè, Ecclesia & Martyres) queruntur se (contrà quàm patribus suis acciderat) libidini impiorum impunè exponi causa religionis: vt accidit Antiochi Epiphanis & Machabæorum. Deumq; obsecrant vt tandem subueniat. ita Theodoretus.

℣. 3. PLANTASTI *eos*] scilicet patres nostros in terra Chanaan olim promissa, pulsis inde Chananæis. Cyrillus, Theodoretus.

℣.4. *Illuminatio vultus tui*] Id est, tuus fauor & auxilium, Psal. 4. v. 7.

℣.6. *In nomine tuo*, id est, virtute & potestate à te accepta, *spernemus*; Chaldæus *subijciemus* pedibus nostris, *insurgentes in nobis*] Hebraismus est, pro, *in nos*, vt habet Chaldæus; Hieronymus vertit, *conculcabimus aduersarios nostros.*

℣.9. *Laudabimur*] Id est, gloriabimur; Hieronymus, *gaudebimus*; Chaldæus, *laudabimus.*

In nomine tuo confitebimur] Id est, nomen tuum laudabimus.

℣.10. *In virtutibus*, id est, cum exercitibus & militibus, *nostris non egredieris*] scilicet vt soles in prælio, ad protegendum nos, & conterendum hostes nostros.

℣.11. *Retrorsum post inimicos*] Chaldæus, *vt verteremus ceruicem coram hoste.*

℣.12. *Oues escarum*] Id est, oues destinatas ad escam. Sic vers. 22. *Oues occisionis*, id est, de-

℣.13. *Sine pretio*, scilicet iusto & debito, id est, vilissimo, instar sordidorum mancipiorum distrahimur in seruitutem. *Et non fuit multitudo*, supple pretij, *in commutationibus eorum*] Id est, exiguo admodum, & quasi nullo pretio vendiderunt nos, & commutarunt libertatem nostram cum seruitute.

℣.15. *In similitudinem Gentibus*] Id est, in parabolam, *in prouerbium populis*, vt Chaldæus vertit. v.g. Vt, cùm volunt hominem vilem & miserum designare, dicant, Sordidior est Hebræo, Infelicior est Iudæo. ita Hesychius.

℣.16. *Verecundia mea contra me*] id est, coram me, ante oculos meos. q d. Totus perpetuò confundor.

℣.18. *Iniquè non egimus in testamento*] seu pacto, id est, lege (*a*) tua. q.d. His omnibus non obstantibus, non sumus transgressi legem tuam. (*a*) *Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 14.*

℣.19. *Declinasti*. Repete negatiuam, *& non declinasti*, id est, non permisisti nos declinare à lege tua. Ita est in Hebræo, & vertit Hieronymus, & explicāt Chrysostomus, Genebrardus, Iansenius. Quod si cum Chaldæo malis affirmatiuè legere, sic expones: *Declinasti semitas*, id est, actiones & negotia *nostra*, *à via tua*] id est, à solito tibi modo agendi, nempe non protexisti, neque adiuuisti nos, sed permisisti vt omnia nobis infeliciter succederent. Nullo igitur modo colligi hinc potest, quod volunt hæretici, Deum causam esse nostrorum peccatorum.

℣.20. *De umbra mortis*, vide Psal. 22. v. 4.

℣.22. *Mortificamur*, Id est, occidimur, iugulamur. *Tota*, pro, omni, *die*] Id est, quotidie, continuò.

℣.25. *In puluere humiliata*, id est, vsque in terram deiecta, *est anima*, id est vita, *nostra*, adeò vt *conglutinatus* adhæreat terræ *venter noster*] q.d. Ad imum deiecti sumus, & pedibus conculcamur.

PSALMVS XLIV.

Recenset Christi sponsi & Ecclesiæ sponsæ pulchritudinem, maiestatem, virtutes ac dotes: & primò quidem sponsi, deinde sponsæ: quam etiam monet, vt sponsum suum reuereatur, obedienter & piè colat. Synagogam quoque Iudaicam ad idem inuitat.

℣. 1. PRO *iis qui commutabuntur*] scilicet ab infidelitate & iudaismo ad christianismum. ita Eusebius, Athanasius, Cyrillus. Hebraicè est, *pro sosannim*, quod Hieronymus, Aquila & Symmachus vertunt, *pro lilijs*. Crediderim instrumenti nomen fuisse, vel certæ cantilenæ initium, ad cuius modos hic psalmus decātari iubetur. ita Mariana. שששנים

Canticum pro dilecto] Hebraicè, *canticum amorum* seu amatorium: est enim epithalamium seu carmen nuptiale, non Salomonis & filiæ Pharaonis, vt quidam Hebræi & Geneuenses volunt, sed Christi & Ecclesiæ desponsatæ Christo in incarnatione. Patet ex ep. ad Hebræos cap. 1. v. 8.

℣.2. *Eructauit*, id est, ex imo pectore effudit, *verbum bonum*] id est, insignem sermonem, putà laudes Christi & Ecclesiæ.

Dico (Hebraicè, Græcè, Chaldaicè, *eloquor*) *opera*, id est, carmina hæc *mea* quæ confeci, *regi* Christo. ita Basilius.

Calamus, pro, quasi calamus, *scribæ*] putà Spiritus sancti, qui mihi auctor est huius carminis, & instar peritissimi scribæ mouet & dirigit linguam meam, quasi calamum suum. ita Basilius, Eusebius, Theodoretus.

Nota. Captat hoc versu attentionem, Primò, A à magnitudine rei & personæ regiæ quam descripturus est: Secundò, ab orationis celeritate & breuitate.

℣.3. *Speciosus forma*] supple es, ô Rex Christe, non tantùm secundùm *diuinitatem*, vt Athanasius & Basilius exponunt: sed etiam secundùm *humanitatem*, tum quoad *animam*, vt Theodoretus & Hesychius: tum quoad *corpus*, vt Hieronymus & Gregorius. Habuit enim Christus & *animam* & *corpus* omni ex parte pulcherrima, perfectissima & ornatissima. Vide apud Nicephorum epistolam Lentuli Proconsulis de *lineamentis Christi*.

Hieron. ad Principiã, Gregor. in 1. Reg. 1.

Gratia] scilicet loquendi, id est, facundia. Ioan. 7. *Numquam sic locutus est homo*.

Propterea] pro, propterea quòd, vel in hunc finem.

℣.4. *Accingere gladio tuo*] scilicet potentia, & verbo Dei. q. d. Arma & para te ad dæmones profligandos, & impios homines tuæ fidei & seruitio subiugandos. ita Basilius & Cyrillus.

℣.5. *Species tua*, &c.] Est Appositio, vt ex Hebræo patet. q.d. Accingere gladio, in quo est omnis species & pulchritudo tua, id est, erit tibi sumino splendori & decori, parabitque tibi gloriam æternam. Et verò precipua principum laus, & præcipuum decus est, hostes reipublicæ debellare: ad quod mouentur excitanturque ludis illis equestribus, quì in nũptijs & inauguratione B instituì solent. Ad id ergo *intende*, scilicet arcum & vires tuas omnes, & *prosperè procede* in bellum.

℣.6. *Sagittæ tuæ*, spicula verborum Euangelij, & iacula gratiæ tuæ *acutissima*, infige *in corda inimicorum regis*, id est, inimicorum tuorum. Sic fiet vt vulnerati & deuicti *populi sub te cadant*] id est, tibi sponte se subdant. Eusebius, Basilius, Theodoretus.

℣.7. *Sedes tua*] seu thronus tuus regius debet æternùm stabiliri.

Virga directionis] Id est, sceptrum rectissimum seu iustissimum. Cyrillus.

℣.8. *Vnxit te, ô Deus* Fili, *Deus* Pater *tuus*. ita Hieronymus, Mariana, Sà & alij: *oleo lætitiæ*] id est, C lætificante.

Petes, Quodnam hoc oleum? Respondeo, cum Basilio, Cyrillo, Augustino, esse gratiam vnionis hypostaticæ, itemque habitualem omne genus, infusam Christo in incarnatione. Hæc enim *propterea*, id est, in eum finem, illi data sunt, vt in munere suo regis, sacerdotis & prophetæ, excellentissimè diligeret & exequeretur iustitiam. Potest nihilominus etiam intelligi de gloria dotibusque Christo in resurrectione collatis in præmium suæ iustitiæ, vt sentit S. Hieronymus.

Præ consortibus] seu *participibus tuis*, id est, plusquam omnes socios tuos, putà reliquos Sanctos omnes, qui consortes & comparticipes sunt regni gloriæ Christi, inquit Theodoretus. E

℣.9. *Gutta*, id est, stacte, id est, lachryma seu liquor myrrhæ, *& cassia*, seu cinnamomum. q.d. Omnium virtutum gratissimi odores spirant *à vestimentis tuis*: nempe ab humana natura tua, seu anima & corpore. Hic enim est ille *habitus serui*, quem Filius Dei induit, ad Philipp. 2. Quæ vestimenta tua deprompta sunt è *domibus*; Chaldæus, *è palatijs*; Symmachus & Aquila, *è templis*, id est, è sacris repositorijs. *eburneis*; Chaldæus, *stratis dente elephantino*, id est, pretiosissimis, candidissimis & mundissimis, putà è visceribus B. Virginis.

Ex quibus repositorijs deprompta hæc vestimenta mirificè *delectauerunt te*] Atque hactenus de sponso: iam de sponsa: ac primùm de gynæceo.

℣.10. *Filiæ regum*, supple, adsunt, *in honore tuo*] Hebraicè, *in magnificentijs tuis*, id est, in magnifica aula tua, in gynæceo sponsæ tuæ. q.d. In Ecclesia tua multæ erunt reginæ quæ tibi seruient, imò tamquam peculiari sponso suo suam tibi virginitatem vel cælibatum dicabunt, inquit Basilius, Eusebius, Athanasius. Hoc fecit *Cunegundis* Henrici, *Clothildis* Clodouæi, *Pulcheria* Marciani Imperatorum vxores & virgines, *Radegundis* item, Elisabetha, & nostro sæculo sorores Rudolphi, Matthiæ, & Ferdinandi II. Imperatorum: & tot aliæ principes.

Astitit regina, quasi primaria coniux tua, *à dextris tuis*, id est, loco honorificentissimo, inter omnes filias regias vna præcellens, scilicet Ecclesia Gentium, vestita aurea chlamyde charitatis, & circumamicta *varietate* gemmarum, id est, omnis generis virtutum.

℣.11. *Audi filia*] S. Hieronymus, Augustinus & Theodoretus id referunt ad primariam reginam: sed Chaldæus ad Synagogam Iudaicam, vnde vertit, *audi cõgregatio Israel*. q.d. Audite & videte Israelitæ, quæ & quanta populo Gentili obuenerint bona; si vobis eadem vultis, *inclinate* etiam vos *aurem* vestram legi & voluntati huius Regis *Messiæ*, id est, obedite, credite, seruite illi, & *obliuiscimini* ac dediscite veterem cultum ac cæremonias maiorum vestrorum, id est, Synagogæ.

℣.12. *Et adorabunt eum*] scilicet variæ, imò omnes nationes; Hieronymus vertit, *adora*, LXX. & Chaldæus, *adorabis*, scilicet tu, ô Synagoga.

℣.13. *Filia Tyri*. q.d. Etiam Tyrij tam famosi idololatræ præeunt tibi, ô Synagoga, exemplo suo, & subdunt se imperio Messiæ, munera ei deferentes in signum obedientiæ. Neque hi soli, sed etiam *omnes diuites plebis*] Id est, ditissimi populorum, vel populi ditissimi.

℣.14. *Omnis gloria eius* reginæ, cuius iam memini, sponsæ Messiæ, putà Ecclesiæ è Gentibus D conuersæ, *ab intus* est, id est, latet præcipuè intus in animo, nempe in interna fide, spe, charitate, ceterisque virtutibus: non verò in solis cæremonijs & ritibus externis, in quibus tu, ô Synagoga, omnem gloriam & decorem tuum constituis. ita S. Hieronymus.

In fimbrijs aureis] q.d. Non tamen in solo animo stat decor illius, sed ab interna virtute promanat quoque magnus spendor exteriùs in *fimbrias*, id est, in opera eius externa. nempe in varias & pulcherrimas cæremonias, quibus & ipsa vtitur, & in alios actus externos quos elicit omnium virtutum. ita ferè Basilius.

℣.15. *Virgines post eam*] Id est, virgines pedissequæ illius.

Proximæ eius, id est, sodales & amicæ, scilicet particulares particularium locorũ Ecclesiæ, vel animæ ex singulis nationibus quæ sub sole sunt, conuersæ, *afferentur tibi*, seu ad te, ô rex & sponse Christe, vt à te tuaque gratia deducantur *in templum* tuum, putà Ecclesiam Catholicam, & exinde in cœlum.

℣.17. *Pro patribus tuis*, id est, loco Patriarcharum & Prophetarum (quibus adeò gloriatur Synagoga) *nati sunt tibi* ex hac noua sponsa tua *filij*, putà Apostoli, & omnes Apostolici viri, qui facilè æquabant, vel etiam superabunt Patrum Synagogæ

nagogæ præstantiam & virtutem: talesque se exhibebunt, vt meritò *constituas eos principes* in Ecclesia tua, tuosq; vicarios, & summam rerum ipsis committas per vniuersum orbem terrarum. ita Origenes, Athanasius, Cyrillus, Basilius.

PSALMVS XLV.

Gratulantur sibi filij Core de stupenda sui liberatione, de qua initio Psalmi 41. Allegoricè, Ecclesia de victoria & pace sibi concessa, v.g. tempore Constantini Imperatoris.

℣. 1. PRO *arcanis*] seu occultis. Vide quæ dixi initio Psalmi 9. Chaldæus dicit, *laudem* esse *filiorum Core, quo tempore est absconditus* (absorptu terræ) *pater eorum ab eis, ipsi autem liberati sunt.*

℣. 3. *Dum turbabitur terra*] nempe terræmotu & hiatu; Chaldæus, *cùm immutati* (& absorpti) *fuerint patres nostri à terra.*

℣. 5. *Fluminis* quantumcumque parui, *impetus*; Hebraicè, decursus, *lætificat ciuitatem*, id est, irrigat & exhilarat Ecclesiam, *Dei*] Opponit enim vastis fluctibus maris, tribulationum & afflictionum, quibus absorbendi videmur, lenem fluxum riuuli (vt facit etiam Isaias c. 8. v. 6.) diuinæ opis, tutelæ, solatij & gratiæ Spiritus sancti: quæ etiam minima, minimèque ab hominibus æstimata, sufficit ad iuuandum tutandumque, imò & ad exhilarandum totam Ecclesiam. ita S. Augustinus.

Sanctificauit, &c. q.d. Ideò tanta cura lætificat Deus impetu fluminis sui cælestis Ecclesiam suam, quia in ea *sanctificauit* & fixit *tabernaculum suum*, seu terrenum palatium suum. Vnde semper *in medio eius* est, tamquam sol in medio mundi. *Neque* illa vmquam *commouebitur* à suo statu & felicitate. ita Basilius, Didymus, Theodoret. Quantacumque enim ingruat aut vis, aut dolus hostilis, deteget illa oculus qui omnia cernit, & *adiuuabit eam Deus manè diluculo*] Id est, tempestiuè, citissimè.

℣. 7. *Dedit* Deus *vocem suam*] id est, imperium & iussum suum, quo quasi tonitru percellit & prosternit omnes hostes. Allegoricè, vox Dei est prædicatio Euangelij.

℣. 10. *Auferens bella*, scilicet infidelium & tyrannorum contra Ecclesiam, *vsque ad finem terræ*] id est, per totum orbem.

℣. 11. *Vacate*] Id est, attendite; Hieronymus, *cessate*, scilicet à bello aduersus Ecclesiam mouendo, vt inquit Chaldæus. Vel cessate à peccatis, & nimijs curis terrenis.

PSALMVS XLVI.

Inuitantur omnes gentes ad laudandum Deum, dum arca eius cum iubilo & triumpho defertur: Allegoricè, dum Christus in cælum ascendit. Nam de Messia exponunt hūc psalmum etiam doctissimi Hebræorum, inquit Mariana.

℣. 5. ELEGIT *nobis*] pro, in nobis. q.d. Ex omnibus nationibus selegit nos Deus vt simus eius hereditas & quasi peculium.

Speciem Iacob] Hieronymus & Chaldæus, *gloriam*. q.d. Vnde Israel seu Israelitæ habent quo egregiè ornentur, & meritissimò glorientur.

℣. 6. *Deus & Dominus*] Id est, arca Dei & propitiatorium, quod erat quasi thronus Dei, è quo responsa dabat.

Ascendit; Chaldaicè, *exaltatur*, nempe cùm de loco minùs celebri in locum celebriorem migrat. *In*, id est cum, *iubilo* totius populi, & *voce*, seu clangore, *tubarum*. Allegoricè, Christus cum iubilo angelorum ascendit in cœlum. Athanasius, Cyrillus, Theodoretus.

℣. 8. *psallite sapienter*] Hebraicè. *maskil*, id est, cum intelligentia, vt vertit Chaldæus & LXX; Hieronymus, *eruditè*. q.d. Non sola lingua aut solis instrumentis, sed & corde & mente, vt etiam Apostolus monet 1. Corinth. 14. משכיל

℣. 9. *Deus sedet super sedem sanctam suam*] Chaldæus, *super thronum gloriæ suæ*, id est, super propitiatorio. Vel, vt alij, *in cælo*, vbi Christus ad dextram Dei sedet rex, iudex & gubernator vniuersi.

℣. 10. *Principes populorum*, supple aliorum, ad hunc Dei triumphum *congregati sunt cum Deo Abraham*] vt eum colerent, eique subderentur & seruirent.

Quoniam dij fortes terræ. Hebræum *elohim* in plurali sæpè pro singulari Deo sumitur. q.d. Deus victoria totius orbis *vehementer* exaltatus est. ita Genebrardus ex versione Hieronymi & Chaldæi: Cyrillus verò, Theodoretus & Didymus per *deos fortes terræ*, vel; vt LXX. & Chaldæus vertit, *Dei, ἀρχὰς, clypeos terræ*, intelligunt ipsos principes terrenos, qui potentia sua quasi clypeo tegũt & protegunt subditos: hi *vehementer eleuati sunt* accessione ad cultum veri Dei, nam multò quàm antè maiores euaserunt potentia, opibus, gloria & maiestate. Qui exempla vult, consulat Thomam Bozium de signis Ecclesiæ. אלהים

PSALMVS XLVII.

Canit vrbis Ieroselyma (Allegoricè Ecclesia Christi) magnificentiam, felicitatem, nobilissimasq; victorias.

℣. 1. SECVNDA *sabbathi*] Id est, feria secunda, supple, cantandus in templo Domini.

℣. 3. *Mons Sion*, vbi erat templum Domini & palatium regis, *fundatur*; Græcè, fundatur est, *exultatione*, id est, maximo cum gaudio, *vniuersa terra.* Nempe, quia *de Sion exibit lex, & verbum Domini*, seu Euangelium Christi, *de Ierusalem*. Idem mons vocatur hîc *latera* (a) *Aquilonis*, quia Aquilonaris pars vrbis, & *ciuitas Regis magni*.] nempe totius populi Israel: Allegoricè, Christi, & Dei. Nam *Isaiæ 14. v. 15.*

℣. 4. *Deus in domibus* (Hebraicè, in palatijs) Ieroselymæ *cognoscetur*; Hieronymus & Chaldæus, *cognitus est*; Græcè, *cognoscitur.* nempe ab ijs qui illa incolunt, id est, ab omnibus principibus & etiam ciuibus reliquis: *cum suscipiet eam*] Chaldæus, *potentia sua*; Hieronymus, *in auxiliando*, id est, ex potenti auxilio quo iuuat illos perpetuò aduersus vim & furorem hostilem. v.g. tempore regis Iosaphat, Ezechiæ & aliorum.

℣. 5. *Ecce* enim varij *reges terræ* varijs temporibus *congregati sunt*] ad eam expugnandam, v.g. sub Iosaphat rex Syriæ, Edom, Ammon, Moab & & alij, 2. Paralip. 20. sub Ezechia rex Assyriorum Sennacherib, 4. Regum 19.

℣. 6. *Ipsi videntes*, supple, vim Numinis aduersum se pro vrbe Ieroselyma depugnantis, *sic* ea de causa *conturbati* sunt: addit Chaldæus, *propter signa & miracula*, nempe dum viderent mutuam suorum cædem & horrendam stragem miraculosè inductam.

℣. 8. *In spiritu vehementi*: Hebraicè, *kedim*, id est, *vento Orientali valido*, vt vertit Chaldæus. q.d. Vti soles valido ventorum impetu conterere *naues Tharsis*, id est, maris, ita contriuisti Syros & Assyrios impetu iræ tuæ. Theodoretus. Quamuis etiam קדים

dici possit contritas naues eorum qui aduersus Iosaphat trans mare aduecti fuerant 2. Paralip.20. vers.2.

℣.9. *Sicut audiuimus* ex Prophetis & antiquis patribus nostris, putà, Deum promisisse,perpetuum se Ierosolymæ tutorem & propugnatorem fore, *sic* iam reipsa *vidimus* & experti sumus, *in ciuitate Domini virtutum*;Hebr.*sabaoth*;Chaldaicè, *exercituum*.

℣.10.*Suscepimus misericordiam*,id est,misericordem opem tuam quam optabamus, sperabamus & orabamus,iam de facto accepimus,*in*, seu de, *medio templi* & sanctuarij *tui*] vbi eamdem postulaueramus à te,4.Reg.19.v.1.

℣.11.*Secundum nomen tuum Deus*] quo vocaris Optimus,Maximus,Iustissimus,Potentissimus, *sic & laus tua* meritò celebratur vsque *in fines terræ*] cùm reipsa præstes quod nomine præ te fers.

℣.13.*Circumdate Sion*.Videtur insultare hostibus,q.d. Cingite rursum copijs vestris Ierosolymam,& quasi retibus *complectimini eam*:& robur quod *in turribus eius* deprehenditis,audacter *narrate* vestratibus.

℣.14. *Ponite corda vestra in virtute eius*, id est, diligenter expendite robur & munitiones vrbis: *& distribuite domos*, seu palatia *eius* quasi iam captæ,inter vos distribuite.Solent enim iactabundi hostes spolia obsessarum vrbium,quasi iam captarum,inter se præproperâ sorte partiri.

PSALMVS XLVIII.

Diuitiarum vanitas,quia mors omnes rapit, & multi propter eas damnantur,inquit Basilius & Hesychius.

משל ℣.5. PARABOLAM] *Masal* seu *prouerbium* Hebræi vocant omnem grauem & eruditam sententiam:vnde liber Prouerbiorum. *Ænigma* verò superaddit,quòd obscurum sit & implicitum.

Inclinabo aurem meam] Id est,diligenter auscultabo & attendam, ne quid inconcinnè canam. Metaphora desumpta à musicis,qui vt explorent quàm concinnus sit sonus, aurem admouent citharæ. q.d. Res erit grauis admodum, cui meritò attendere debeo.

Aperiam in psalterio propositionem meam] id est,rariorem & præclariorem sententiam; Hieronymus & Chaldæus,*pandam ænigma meum in cithara*,seu adhibita citharâ.

℣.6. *Cur* ego *timebo in die mala*; id est,tempore calamitoso,maximè mortis & iudicij.Respondet, *Calcanei mei*,id est,finis vitæ meæ,*iniquitas*,scilicet in qua moriar: vel *calcanei mei*,id est, *gressum*,vt vertit Symmachus, seu operum meorum; vel,vt Chaldæus,*reatus peccati mei,circumdabit me*] id est, obsidebit,inuoluet,reum me faciet apud tribunal iudicis.ita Basilius,Chrysostomus & Hieronymus.

℣.7. *Qui confidunt*,&c.] supple, timeant illi ob sua scelera,in die illa mala: non ego, qui scelus omne detestor.

℣.8.*Frater non redimit*,id est, fratrem frater ex angustijs illius dici eripere non poterit, quanto minùs quiuis alius homo cui non æquè carus sis.ita Basilius,Eusebius,Theodoretus. Vel repetitâ negatione,lege cum Mariana & Sà,*Nec frater redimet, nec redimet vllus homo.* Nec *dabit Deo placationem suam*]Hieronymus.*propitiationem pro eo*,id est,rem qua Deus placari & propitiari possit, ne mortem scelesto immittat,& ad tribunal suum accersat.

℣.9.*Et laborabit in æternum*.Hebraismo,pro,vt sinatur hîc laborare perpetuò in terra, *& viuere in finem*,seu in æternum.

℣.11.*Non videbit*,pro,nec videat, *interitum*,nec gustet mortem.Nullis enim thesauris vel hostijs Deo oblatis euadet moriendi necessitatem. ita Mariana.Maximè *cum viderit sapientes*,& iustos,& pios quosque,*morientes*,ad vnum omnes, qui tamen,si vlli,videbantur digni vita immortali.

℣.12.*Sepulchra eorum domus*, id est,pro palatijs habituri sunt deinceps fœtida sepulchra, vt hæc sint perpetua corporum ipsorum tam delicatè nutritorum *tabernacula*] dum miseræ animæ ignibus gehennæ cruciantur.

Vocauerunt nomina sua in terris suis] Hypallage, pro,*terras suas appellarunt nominibus suis*, vt Hieronymus vertit.q.d.Hac saltem via voluerunt stulti perpetuare nomina & memoriam sui in hoc mundo.Sed frustra,& stultè ac stolidè: cùm vera fama & solidus honor,& æterna memoria quærenda sit apud Deum & in cælo.

℣.14. *Hæc via illorum*,id est, illa ratio agendi impiorum diuitum,*scandalum ipsis*, id est, cedit & ducit miseros in ruinam & perditionem. Interim stulti *postea*,id est,post hæc sic facta & curata, *in ore suo complacent* sibi, gloriantes in ijs,& mirificè hoc se nomine iactantes.ita S.Chrysostomus.

℣.15.*Sicut oues* stolidæ & brutæ, ad macellum vltrò & gregatim cursitantes,in infernale stabulum coguntur impij maximo numero. Ibi *mors depascet eos*] Id est,pabulum erunt morti & gehennæ æternum. ita S.Basilius, Athanasius,Eusebius, Chrysostomus & Augustinus,qui legit,*mors pastor erit eis*,quia scilicet Christi veri pastoris oues esse noluerunt.

Et dominabuntur eorum, id est, superiores eis erunt & palàm apparebunt *iusti*,quos antè afflixerunt impij: & quidem *in matutino*] id est, citò. Anagogicè, in aurora & luce futuri sæculi, vbi numquam est vesper,sed perpetuum mane.

Et auxilium,id est,adiutorium;Hebraicè,*robur*, quod *à gloria eorum* pristina & opibus promanabat,iam *in inferno veterascet*]id est,deficiet,peribit, nullum erit.ita Athanasius & Cyrillus.

℣.16. *Cùm acceperit me* ex hac vita *in* gloriam & *partem suam*, inquit Chaldæus. Hebraicè est, *quia suscepit me.*

℣.18.*Non sumet omnia*] Hebraismo,pro, nihil secum hinc auferet.

℣.19.*Benedicetur*, id est,beata prædicabitur, sed à solis insipientibus, *in vita ipsius*] non verò in morte.

Confitebitur tibi cum benefeceris ei] Est apostrophe non ad Deum,sed ad homines,q.d. Laudabit te in os & palàm, cùm ei aliquid lucri attuleris.Hieronymus ex Hebræo vertit, *laudabunt te cùm benefeceris tibi*, id est, cùm cuticulam probè curaris, cùm vsus fueris delicijs & voluptatibus, nam summum bonum ponunt in sola felicitate præsentis vitæ.

℣.20.*Introibit vsque in progenies patrum suorum suorum*] Id est,ibit impius ad progenitores patres suos,quos in sceleribus imitatus est, id est,ibit in infernum,vbi nullum *lumen*, nulla lætitia, nulla felicitas:sed densissimæ tenebræ,perpetuus dolor continuus cruciatus.

PSAL-

PSALMVS XLIX.

Asaph canit Christum iudicem in extremo iudicio saluaturum electos suos, non ob victimas pecudum, sed ob animi innocentiam, iustitiam & pietatem.

℣. 1. PSALMVS *Asaph*] Hic Asaph fuit sanctus propheta, & nobilis musicus. Vide 1. Paralip. 16. & alibi.

Deus deorum, id est, iudicum & principum omnium, *Dominus*] nam tales vulgò *dij* habentur, quia vicarij Dei.

Locutus est, id est, statuit, decreuit, iussit, supple, vltimum & vniuersale iudicium instituit, & ad id *vocauit* vniuersam *terram*, id est, incolas terræ, *à* B *solis ortu vsque ad occasum*] ita Theodoretus.

℣. 2. *Species decoris* (Hieronymus & Chaldæus, *perfectus decor*, seu plena gloria & maiestas eius) supple, prodibit, *ex Sion*] cœlesti, ait Cyrillus: vel potiùs è terrestri, quæ est Ierosolymis: nam iudicium fiet in valle Iosaphat, quæ est propè Sion & Ierosolymam. Allegoricè, S. Augustinus, Athanasius, Chrysostomus, Theodoretus; ex Sion cœpit prædicatio Christi & Euangelij.

℣. 3. *Non silebit*, id est, non veniet in silentio vel occultè, vt fecit in primo suo aduentu, sed toti mundo conspicuus, cum validissimo clangore tubarum. *Ignis*, nempe conflagrationis totum mundum absumpturus. *Et tempestas valida*, scilicet ex C commotione omnium elementorum, 2. Petri 3. v. 10. ita Hieronymus & Chaldæus, & Augustinus.

℣. 4. *Aduocabit cœlum & terram*, scilicet vt vtrumque reddat incolas & mortuos suos, *discernere*] Id est, vt discernat bonos à malis, & hos inferno, illos cœlo æternùm addicat. ita Hieronymus & Augustinus. Secundò, Cyrillus & Rupertus propriè hæc accipiunt, vt sit prosopopœia ad inanimas creaturas, quas Propheta inuocat quasi testes, iudices & vindices illatæ Creatori iniuriæ. Simile habes Deuter. 32. v. 1. & Isaiæ 1. v. 2.

℣. 5. *Congregate*, ô angeli, *illi* iudici *sanctos*, seu electos, *eius: qui ordinant*, vel ordinauerunt, id est, D exactè obseruarunt, prout ordinarat Deus, *testamentum*, id est, legem Dei, *super sacrificia*] id est, de sacrificis ritè Deo deferendis, nempe legalibus, tempore legis Mosaicæ: spiritalibus, tempore legis Christi, id est, operibus omnium virtutum, & præsertim misericordiæ ac religionis.

℣. 6. *Annuntiabunt cœli*; Chaldæus, angeli excelsi, *iustitiam eius*] q.d. Ministerio angelorum manifestabitur & executioni mandabitur iusta iudicis sententia. Quamquam etiam possit de cælis materialibus intelligi: nam *sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur*.

℣. 8. *Non in sacrificijs tuis arguam te*, id est, non præcisè ob sacrificia legalia quasi à te neglecta iudicabo te: nam hæc sat multa mihi offers, nec tamen propterea mihi feciſti satis. Vnde *non accipiam* ea, id est, non requiro illa à te, scilicet præcipuè & primariò: neque illis indigeo, nam *meus est* vniuersus *orbis*.

℣. 11. *Cognoui omnia volatilia*] Id est, tamquam nutritius auium optimè noui vbi nidulentur & lateant, si eis vti velim.

Et pulchritudo agri, id est, quidquid in agris pulchrum aut delicatum est, *mecum*, id est, in mea potestate, *est*.

A ℣. 14. *Immola Deo sacrificium laudis*] Id est, potiùs sollicitus sis vt sinceram laudem & gratiarum actionem offeras Deo pro acceptis ab eo beneficijs. ita Chrysostomus & Eusebius: Allegoricè, Eucharistiam, inquit Hesychius.

Redde vota tua] Id est, fidelitatem & cultum Deo promissum in Sinai Exodi 24. inquit Chaldæus. Item in baptismo. Et generaliter, quidquid aliàs Deo vouisti, inquit Chrysostomus.

℣. 16. *Quare tu enarras*, &c.] q.d. Quid tu garris de legibus, de præceptis meis, de fœdere meo vobiscum?

℣. 20. *Sedens* in publico iudicum, vel priuato congerronum consessu.

℣. 21. *Statuam*] supple, *peccata tua*, vt habent LXX. Chaldæus, *arguam te in hoc sæculo, & ordinabo iudicium gehennæ in futuro coram te*.

℣. 23. *Illic*, id est, in vero laudis sacrificio Deo deferendo, est rectum *iter*, seu via & modus eò perueniendi, vbi *ostendam salutare Dei*] putà in cælum, vbi plenam saluationem & salutem omnibus exhibebo.

PSALMVS L.

Pœnitens rex Dauid, adulterium & homicidium sibi remitti obsecrat.

℣. 4. AMPLIVS *lauа me*] Hebraicè, *multiplica abluere me*. q.d. Abluisti me à culpa & à pœna mortis, 2. Regum 12. sed restant adhuc aliæ peccati pœnæ, alijque effectus ac reliquiæ, ab his etiam libera me. Chrysostomus & Theodoretus.

℣. 5. *Peccatum meum*, & peccati fœditas, *contra me*, id est, coram me, *est semper*] id est, perpetuò mihi ob oculos versatur.

℣. 6. *Tibi soli peccaui*] quasi iudici & vindici, quia tu solus me punire potes, non homines, cùm rex sim. ita Cyrillus, Didymus, Gregorius. q.d. De te offenso valdè doleo: de Bethsabee, de Vria, deque alijs hominibus offensis, præ te offenso, non ita me angit. Theodoretus & Hesychius. Vide quæ dixi 2. Reg. 12. v. 13. ad illud, *Peccaui Domino*.

Vt iustificeris. Refer ad supradicta, *Miserere mei*, & *amplius laua me*. q.d. Etsi grauissime (vt ingenuè fateor) in te peccarim, rogo tamen parcere mihi digneris, & quæ olim promisisti, reipsa complere ne graueris: sic enim fiet, *vt iustificeris in sermonibus tuis*] Id est, vt declareris palàm iustus & verax esse in promissis tuis, quibus tu generatim omni pœnitenti veniam, tum speciatim mihi Dauidi regnum perpetuum in posteris & Messia ex me procreando (nam hæc cura valdè me coquit) vltrò promisisti. & sic simul *vincas*, id est, reipsa euertas *iudicia* æmulorum meorum, qui temerè & audaE cter iactant, te ob tanta mea scelera numquam mihi parcituꝝum, nec promissa exsoluturum. ita S. Thomas, Pererius, Toletus & Genebrardus. *In cap. 3. ad Roman.*

℣. 7. *In iniquitatibus & peccatis*] Hebraicè, *in iniquitate & peccato*, scilicet originali, quod aliorum deinceps actualium origo est & causa. ita Athanasius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Gregorius.

℣. 8. *Veritatem*] nempe confessionis & agnitionis culpæ, quam fateor me grauissimam admisisse.

Incerta & occulta, (Hebraicè, absconditum & arcanum) *sapientiæ*, seu prouidentiæ tuæ diuinæ putà ortum Messiæ redemptoris mundi ex semine meo,

ne meo, aliáque maxima mysteria) *manifestasti mihi*] quasi speciali amico tuo, nempe per spiritum propheticum. ita Athanasius, Chrysostomus, Theodoretus.

℣.9. *Asperges me hyssopo*] scilicet, vt fieri solet à sacerdotibus, q.d. Plenè & perfectè iuxta præscriptum legis mundabis & purificabis me. Nam Leuit.14.& Numer.19. præscribitur, vt aspersione hyssopi sanguine tincti eluatur immunditia legalis. Allegoricè, aspersione sanguinis Christi remittuntur peccata, inquit Eusebius & Theodoretus.

℣.10. *Auditui meo dabis gaudium*] Hieronymus & Chaldæus, *faciesme audire gaudium & lætitiam*, id est, gaudiosum & lætum nuntium: putà, peccata mea plenè mihi remissa esse. ita Hieronymus & Theodoretus.

Et exultabunt ossa mea *humiliata*] id est, ego, totus iam afflictus morbo, mœrore, dolore.

℣.12. *In visceribus meis*, id est, intra me, *innova spiritum rectum*] quem ego peccando curuaui & distorsi, inquit S. Athanasius: vel, vt Hieronymus vertit, *Stabilem*, seu firmum in bono, & contra omnes tentationes fortem.

℣.13. *Spiritum sanctum tuum*] quem mihi reddidisti confitenti peccata mea coram Nathan 2. Reg.12. Alij, cum Chaldæo, id accipiunt de *spiritu prophetico*.

℣.14. *Lætitiam salutaris tui*] Id est, lætitiam, quam concipere soleo ex salute & benedictione mihi olim à te præstita, maximè verò ex Saluatore mundi Messia ex me nascituro. Vnde S. Hieronymus vertit, *lætitiam Iesu tui*.

Spiritu principali] id est, primario & principe omnium spirituum. Hieronymus vertit, *potenti*; Chaldæus, *munificentia*. Hebræum *nedibah*, & Græcum ἡγεμονικῷ verti potest, regali, imperatorio, seu spiritu qui principem, regem, Imperatorem decet. נדיבה

℣.16. *De sanguinibus*] occasione adulterij profusis in Vria & solijs eius; Chaldæus, *de iudicio interfectionis*. S. Augustinus & Gregorius id de *peccatis* accipiunt, quæ sunt infelicia germina carnis & sanguinis concupiscentia corrupti. Vide Isaiæ 1, vers.15.

℣.17. *Aperies*] scilicet occasionaliter, suppeditando mihi de nouo materiam laudandi te.

℣.19. *Sacrificium Deo*, supple, gratum, *spiritus contribulatus*] Chaldæus, *anima contrita* per pœnitentiam.

℣.20. *Benignè fac Sion*] Id est, vrbi Ierosolymæ, quæ nondum plenè exstructa est, imò præcipua pars ei deest, nempe templum. q.d. Ne propter mea scelera patiatur quidquam aduersi vrbs sancta Ierusalem; Allegoricè, Ecclesia.

℣.21. *Tunc*, cùm perfecta fuerint ædificia Ierosolymitana, & præsertim templum Domini; *acceptabis*, seu magno numero accipies *sacrificium iustitiæ*] id est, quod ex animo iusto & pio proficiscetur. Moraliter, iusta piorum opera. Vide in hunc psalmum pœnitentialem pulcherrimè commentantem S. Gregorium.

PSALMVS LI.

Dauid increpat Doëg Idumæum proditorem, præsagiens illi exitium sibi salutem, 1. Regum 22. Allegoricè, Dauid, est Christus; Doëg, Iudas; Tropologicè, quiuis persecutor.

℣. 2. CVM *venit Doeg Idumæus*] Occasione enim illius proditionis scriptus est hic psalmus.

℣.4. *Sicut nouacula acuta*] quæ dum ritè adhibetur, abradit superflua & noxia corpori: dum verò *facit dolum*, seu aberrat, grauissimè vulnerat & exitium affert: sic tu, ô proditor, lingua tua sacerdotibus Domini exitium attulisti. ita Theodoretus.

℣.6. *Verba præcipitationis*] Hieronymus & Chaldæus, *verba voracitatis*, seu *ad deuorandum*, id est, concinnasti nuntia perniciosa, quibus totam familiam pontificiam præcipites in exitium; græcè, *in submersionem*.

℣.7. *Destruet te Deus in finem*] Hieronymus & Chaldæus, *in sempiternum*.

Emigrabit te] Hebraismo, pro emigrare te faciet, vt vertit Chaldæus.

Radicem tuam] Id est, progeniem, familiam, opes & potentiam tuam. q.d. Funditus exscinderis tu. Ego autem, quem excisum putas,

℣.10. *Sicut oliua fructifera*, plantabor *in domo Domini*] id est, in Ecclesia, & loco tabernaculi fœderis, à quo nunc exulo. q.d. Ego instar viuæ oliuæ, fixus spe quasi radice in Deo, quamuis iam tuis & aliorum hostium calumnijs obrutus & extinctus videar, tamen, vbi tempus aduenerit, iterum frondebo, florebo, fructificabo, idque *in æternum*.

℣11. *Quia fecisti*, id est, tua prouidentia, sapientia & potentia curasti vt suo tempore fieret in me, quod iam dixi. Vnde patienter *exspectabo nomen tuum*, id est, te, tuam clementiam & misericordiam: quia apud Sanctos, qui te rectafide norunt, habes celebre nomen, & *bonum*] græcè χρηστὸν, id est, iucundum, utile, amabile.

PSALMVS LII.

Hic psalmus est chorea, vt ait Theodoretus, quam tripudiarunt Deo Iudæi qui tempore Ezechiæ regis à Rabsace & Sennacherib saluati sunt. estq; planè idem cum psalmo 13. suprà explicato, excepto vers.1. & 6.

℣. 1. PRO *Maeleth*] Id est, pro parturiente seu dolente, nempe Ecclesia in persecutione, inquit S. Augustinus. Hebraicè, *super machalath*, quod Symmachus, Hieronymus & Chaldæus vertunt, *super choros*; Theodotion, *pro chorea*; Aquila, *pro tripudijs*. Mariana putat nomen esse instrumenti musici, vel initium cantilenæ vulgò notæ, ad cuius modos hic psalmus decantari iubetur. מחלת

℣.6. *Deus dissipauit ossa*, id est, vires omnes & robur *eorum qui hominibus placent*] Hebraicè est, *chonach*, id est, *obsidentium*, vel, vt vertit Chaldæus, *exercitum flagitiosorum*; LXX. *hypocritarum*, seu qui turpi adulatione solis hominibus, maximè potentioribus & principibus, non item Deo, placere student, vt faciunt Athei & politici. ita Hilarius. Videntur ergo LXX. nõ legisse *chonach*, sed *coneph*. חנך

PSALMVS LIII.

Dauid Dei opem implorat aduersus Ziphæos proditores.

℣. 1. IN *nomine tuo*, id est, teipso, tuaque clementia & misericordia. *Et virtute tua*, id est, robore ac potentia, *iudica*, vindica & *vlciscere me*, vt Hieronymus vertit.

℣.7. *Auerte*] scilicet à me in hostes meos proditores, mala quæ mihi machinantur.

In veritate tua] Id est, sicut promisisti te facturum. Sic enim ordinariè contingit impijs, dum pijs insidias struunt, inquit Hilarius & August.

℣.8.

℣.8. *Voluntariè*] Id est, non coactus, sed sponte mea & perlibenter.

℣.9. *Despexit*] Hebraicè & Chaldaicè, *vidit ex alto*, supple, vltionem infligi à Deo. ita Augustinus & Theodoretus.

PSALMVS LIV.

Orat Deum Dauid, vt se liberet à fallacibus amicis, ac præcæteris ab Achitophel 2. Reg. 15. inquit Chaldæus hic v. 14. Allegoricè Christus, à Iuda & Iudæis.

℣. 3. *IN exercitatione mea*] Id est, in afflictione, qua vehementer exerceor per impios, inquit S. Augustinus: qui & addit, omnem malum ideo viuere, vt aut corrigatur, aut per illum bonus exerceatur. Hieronymus vertit, *in meditatione mea* (quæ est exercitatio mentis,) id est, in seria cogitatione, nempe periculorum & malorum impendentium. Theodoretus.

℣.6. *Tenebræ*] Id est, calamitates & afflictiones, quarum symbolum sunt *tenebræ*, sicut *lux* prosperitatum. Ex Hebræo Chaldæus vertit, *formido* seu pauor, horror, tremor, nempe qualis solet esse in tenebris loco periculis infesto. Allegoricè, conuenit Christo agonizanti in horto.

℣.7. *Pennas sicut columbæ*] quæ perniciissimo volatu fugit accipitrem. q.d. Alas celerrimas.

Et volabo; Hieronymus, *vt volem* in locum, vbi tutus ab Absalomo *requiescam*.

℣.8. *Ecce elongauit*] Hieronymus, *vt procul abeam & commorer in deserto*. Tropologicè, *pennæ columbæ* sunt auxilia Spiritus sancti, quibus ab amore creaturarum auellimur, *in solitudinem*] Id est, locum quietum, securum, carentem insidijs, latebris opportunum. inquit S. Augustinus, & S. Bernardus.

Bernard. serm. 32. in Cant.

℣.10. *Præcipita*; Chaldæus, *dissipa*; & *diuide linguas* hostium meorum, vt olim feciisti construentibus turrim Babel, Genes. 11. q.d. Fac vt hostes mei vel præceps & temerarium ineant consilium, vel inter se dissideant, atque ita impediantur prauæ machinationes illorum. ita S. Augustinus & Theodoretus.

Quoniam vidi iniquitatem, id est, omnia scelera, & *contradictionem*, seu discordiam, dominari *in ciuitate* Ierosolyma. q.d. Ex nunc sentio me voti compotem factum: nam & *iniquitas*, & iniustus *labor*, nempe actiuus, id est, oppressio miserorum, quâ eos laborare cogunt.

℣.11. *Die ac nocte*, id est, continuò, *circumdabit*, seu cingit & obsidet, *muros eius*] *& medium*, id est, extima & intima vrbis.

℣.12. *Plateis*] Id est, foris publicis, id est, palam & apertè. Allegoricè, hæc conueniunt dissidijs ciuilibus & violentæ tyrannidi, ceteriisque miseriis, quæ oppresserunt Iudæos post occisum Christum vsque ad excidium vrbis per Titum.

℣.14. *Tu verò*] ô Achitophel, inquit Chaldæus, supple, insurgis quoque in me.

Homo vnanimis, id est, vnius mecum animi, seu dilectissimus mihi. *Dux meus*, id est, primarius consiliarius; Chaldæus, *præceptor* meus: *& notus meus*] id est, intimus socius & familiaris. In Hebræo est allusio ad nomen *Iudæ*, *meiudai*, id est, socius meus. Nam *Iudæ* hæc & sequentia Allegoricè conueniunt. ita Hieronymus, Augustinus, Theodoretus.

מיודעי

℣.15. *Mecum dulces capiebas cibos*] maximè verò Eucharistiæ.

In domo Dei ambulauimus cum consensu] Id est, simul ad templum ita bamus, simul in eo Deum colebamus. q.d. Intimus eras mihi socius non in politicis modò, sed & in sacris. Theodoretus.

℣.16. *Descendant in infernum viuentes*] sicut Core, Dathan & Abiron, Num. 16.

℣.18. *Vespere, & mane, & meridie*, id est continuò, *narrabo*; Chaldæus, *orabo & annuntiabo*, scilicet laudes tuas, & miserias meas.

℣.19. *Redimet in pace*] Id est, restituet in statum pacificum & tranquillum.

Quoniam inter multos hostes *erant mecum* multi adiutores, scilicet angeli, vt & cum Eliseo 4. Reg. 6. inquit R. Dauid Kimchi: & ferè Chaldæus. Sed Hieronymus vertit, *multi enim fuerunt aduersum me*. & ita ex Symmacho quoque Theodoretus.

℣.20. *Non est illis commutatio*] id est, conuersio morum in melius; Chaldæus, *peccatores non mutant viam suam pessimam*. Ideo

℣.21. *Extendit Deus manum suam in retribuendo*, id est, vt illis retribuat merita supplicia. quia *contaminauerunt*, id est, violarunt, *testamentum eius* seu pactum, id est, legem seu præcepta Dei.

℣.22. *Diuisi*, seu elongati, *sunt vultus* impij & perfidi amici, *abira*, id est, non apparent irati, imò blandi & amici: *&* tamen *appropinquauit* hostiliter *cor illius*] aduersum me, ad malum continuò inferendum. Hieronymus vertit, *nitidius butyro os eius, pugnat autem cor illius*. Et in eumdem sensum Aquila, Symmachus & Chaldæus. Et patet ex sequentibus. Sic Iudas blando osculo, & molli salutatione, *Aue Rabbi*, prodidit Christum, inquit Theodoretus.

℣.23. *Iacta curam tuam*] Hebraicè, *onus* seu pondus quo grauaris, id est, negotia, solicitudines, molestias omnes. ita Vatablus & Genebrardus: Chaldæus *spem* vertit. Hunc versiculum S. Franciscus dabat Fratribus suis pro viatico.

Bonauentura in Vita S. Francisci.

℣.24. *Viri sanguinum*, id est, crudeles & homicidæ (Chaldæus, *auctores interfectionis*) *non dimidiabunt dies suos*] id est, non pertingent ad dimidium vitæ quam naturaliter possent viuere, sed immatura, improuisa & imparata morte morientur. Exemplo sit tempore Dauidis Saul, Absalom, Achitophel, vt tot alios taceam priorum & posteriorum sæculorum. ita Theodoretus.

PSALMVS LV.

Dauid fugiens Saulem, cùm esset apud allophylos, id est, alienigenas, in Geth 1. Regum 21. orat liberari à persecutione Saulis.

℣. 1. *PRO populo*, scilicet qui cum Dauide fugerat, *& lõgè factus*, id est, elongatus erat, *à Sanctis*, id est, à sanctuario, vel à sancto populo Dei.

In tituli inscriptionem] Id est, vt titulo seu columnæ in perpetuum monimentum inscribatur.

℣.4. *Ab altitudine diei*] Id est, ab alto die, seu ab ortu & ascensu diei in altum. q.d. Timeo & horreo ipsum solis ascensum supra horizontem, eò quòd metuam ne quid noui mali secum trahat.

℣.5. *In Deo*, id est, Dei ope, fauore, gratia adiutus, *laudabo*, & deprædicabo, *sermones meos*] Hebræus, Hieronymus & Chaldæus, *verbum eius*, id est, promissiones mihi factas, seu res olim mihi à Deo promissas, & iam reipsa præstitas. ita S. Augustinus. Idem repetit v. 11.

℣.7. *Inhabitabunt*] Hebraicè, *in vnum* seu simul *habitabunt*; Hieronymus & Chaldæus, *congregabuntur*, seu conspirabunt in me.

Et

Et abscondent suas insidias & perfida consilia.

Calcaneum meum] Hieronymus & Chaldæus, *plantas meas*, Symmachus, vestigia & *gressus meos* omnes explorant, scilicet vt me decipiant & capiant.

Sicut hactenus continuò *sustinuerunt*, Chaldæus & Hieronymus, *exspectarunt* & sperarunt, *animam*, id est, vitam, *meam* mihi eripere.

℣.8. *Pro nihilo*, id est, pro nulla re mundi: nulla prece aut pretio sinas te induci vt saluesillos, sed *confringe* & perde illos, *in ira* furoris tui.

℣.9. *Vitam meam*, seu vitæ præsentis statum miserum & ærumnosum: Chaldæus vertit, *dies vagationis meæ*, id est, exilij, fugæ, erroris mei; Hieronymus, *secretiora mea*. Et tu *posuisti* continuò *lacrymas meas in conspectu tuo*, id est, attendere & prouidere cœpisti. *Sicut & in promissione tua* est, id est, sicut promisisti te facturum, nempe, te semper tuis assuturum. Theodoretus.

℣.12. *In me*, id est, in mente & memoria mea, vel apud me, in manu & in promptu *sunt*; Chaldæus, in me recepi, *vota tua*] seu tibi à me facta, tibique debita, nempe laudes, gratiarum actiones & sacrificia. ita Hieronymus, Chaldæus & LXX.

℣.13. *In lumine viuentium*] Id est, in hac vita, quamdiu luce solis inter viuentes vtar. Allegoricè, in lumine fidei; Anagogicè, in lumine gloriæ. ita S. Augustinus, Hieronymus, Theodoretus.

PSALMVS LVI.

In spelunca obsessus à Saule implorat opem Dei, eamq; obtenta gratias agit.

℣. 1. NE *disperdas*] Id est, ne sinas me perire & disperdi.

In tituli inscriptionem] Vide psal. 55. nec hoc in posterum repetemus.

℣.2. *Donec transeat iniquitas*] Id est, iniqui homines qui sunt ante speluncam; Hieronymus, *insidiæ*; Chaldæus *tumultus*.

℣.4. *Misit Deus veritatem*] Id est, reipsa ostendit quàm verax & fidus sit in complendis promissis suis, de ope submittenda iustis in necessitate. ita Theodoretus. Allegoricè, misit Christum, inquit Hieronymus & Augustinus. Addit Chaldæus modum, quo tunc Deus tutatus est suum Dauidem in spelunca: *Accersiunt araneam, vt perficeret in ore speluncæ telam propter me.* scilicet, vt putaret Saul, neminem illuc ingressum esse. Simile factum S. Felici Nolano, & quibusdam alijs Sanctis. *Martyrolog. 14. Ianuarij.*

℣.5. *Dentes*] Id est, verba eorum dentata & aculeata lædunt quasi spicula & gladij, & alia arma.

℣.7. *Incurvauerunt*] Vide psalm. 37. v. 5. & 7.

℣.8. *Paratum* ad omnia excipienda, quæ mihi immiseris, siue bona, siue mala.

℣.9. *Exsurge gloria mea*] id est, glorioſa laus, glorioſum canticum meum. est prosopopœia. Allegoricè, exsurge Christe post tristem crucem & mortem. ita S. Augustinus.

℣.11. *Vsque ad cœlos, & vsque ad nubes*] Vide psal. 35. v. 6.

PSALMVS LVII.

Predicit Saulem eiusque adulatores, qui Dauidem calumniabantur (& in genere, omnes detractores) perdendos à Deo.

℣. 1. NE *disperdas*] Vide psalm. 56.

℣.2. *Si verè*; id est, si sincerè & ex animi sententia, vt videri vultis, *loquimini* & amatis *iustitiam, recta iudicate*] Id est, reipsa id ostendite in iudicijs iustè ferendis. Nam iustitia non tam in verbis, quàm in opere consistit.

℣.4. *Alienati sunt*, scilicet à Deo, à iustitia, ab omni virtute. Idque *à vulua & ab vtero*] id est, à prima infantia, cùm primùm nati sunt. Nempe habitualiter, per peccatum originale, & etiam actualiter, à primis rationis elucescentis annis. Vt sit hyperbole.

℣.5. *Furor*, id est, ira & nocendi cupido, inest *illis* obstinatissima, implacabilis & pestilentissima, qualis est *aspidis*] maximè eius quæ *palaminis* vocatur, quam Augustinus, Theodoretus & Euthymius dicunt, alteram *aurem* terræ affigere, alteram cauda *obturare, ne audiat* carmen *incantatoris magi*, & sic mansuescat ac virus ponat. Tales erant principes sacerdotum obturantes aures suas ad vocem S. Stephani Act. 7. & quotquot nolunt audire verbum Dei, vel instinctus bonos Spiritus sancti.

℣.7. *Molas leonum*] Id est, dentes molares, id est, dentatas minas, vel robur & potentiam leoninam.

℣.9. *Supercecidit*, id est, super impios quasi super ceram cecidit, *ignis* vltionis diuinæ: *& ecce* subitò *non viderunt solem*] id est, priuati sunt sole, luce, vita. ita S. Hilarius & Hieronymus. Idque

℣.10. *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum*, id est, antequam spinæ intelligant, seu sentiant se adoleuisse in rhamnum. Seu, vt Hieronymus cum Symmacho vertit, *antequam* paruæ *spinæ* eò *excreuerint*, vt rhamnum exæquent altitudine, duritie, acumine. Est prouerbium, q.d. Cùm adhuc immatura sunt ætate, & de morte non cogitant. *Sicut viuentes*, id est, planè vegeti, virentes & valentes, Deus *in ira sua absorbet eos*] id est, violenta morte exscindit eos, nempe antequam concepta animis malitia crescat, roboretur, & in opus deducatur. Exemplo sunt Antiochus, Herodes, Diocletianus, Maximinus, Licinius, & totalij nostro quoque sæculo tyranni, medijs machinationibus suis immortui. Vatablus & quidam alij recentiores vertunt. & eodem sensu, *antequam lebetes*, seu *olla vestræ sentiant ignem rhamni, Deus tollet impium*, id est, quam celeriter auolat flamma, quæ ex spina in ignem coniecta excitatur (nempe quæ citiùs euanescit quàm caro in lebete concalescat) tam celeriter perdet impios Deus.

℣.11. *Lætabitur iustus*] non cupidine vindictæ, aut perditione hostium, sed amore & zelo iustitiæ.

Manus suas lauabit] Id est, tam copiosam referet de prostratis victoriam, vt si lubeat, manus suas lauare possit in sanguine occisorum.

℣.12. *Si vtique est fructus iusto*] q.d. Si sic agitur cum impijs, & contrario modo cum pijs, *vtiq; fructus est iusto*; Chaldæus, *præmium profectò bonum est iusto*; & utile est atque operæ pretium iustè viuere. ita Theodoretus.

PSALMVS LVIII.

Dauid obsessus domi à seruis Saulis, orat liberari, 1. Reg. 19. Allegoricè, conuenit Christo capto à Iudæis.

℣. 3. DE *viris sanguinum*] Id est, è manibus homicidarum.

℣.4. *Animam meam*, id est me, *ceperunt*] Id est, captiuum detinent obsidentes domum meam. Hieronymus & Chaldæus, *insidiati sunt*; Græcus, *venati sunt*.

℣.5.

℣. 5. *Direxi*] supple, pedes meos, vel viam meam. q.d. Nulla prorsus culpa est in me.

℣. 6. *Intende* (Hieronymus & Chaldæus, euigila, expergiscere) *ad visitandas*, scilicet tua vindicta, id est, ad puniendas, *gentes*.

℣. 7. *Conuertentur*, seu reuertentur, vt vertit Hieronymus, *ad vesperam*] id est, totâ die. q.d. Eunt & redeunt continuò hi satellites, quasi canes famelici, vt me deuorent, & iuxta præceptum Saulis circumeunt, cingunt & obsident omnia vrbis loca, ne manibus ipsorum elabar. ita ferè Symmachus. S. Augustinus id exponit de cõuersione Iudæorum ad fidem in fine mundi: S. Hieronymus, Hilarius, Theodoretus de dispersione Iudæorum post excidium Ierosolymæ per Titum.

℣. 8. *Gladius in labijs eorum*] Id est, perpetuò loquuntur & mussitant de me occidendo.

Quoniam, inquiunt, *quis audiuit?*] q. d. Nemo est qui nos audiat, qui insidias Dauidi aperiat, aut nos impediat. ita Symmachus & Theodoretus; Hieronymus, *quasi nemo audiat*.

℣. 10. *Ad te custodiam*] Chaldæus, apud te, id est, tibi reponam, tibi acceptam feram. q.d. Quantæcumque vires vel industriæ mihi necessariæ sunt ad vim & insidias Saulis euadendas, omnes mihi à te sunt sperandæ & exspectandæ. ita S. Augustinus & Theodoretus & Genebrardus.

℣. 12. *Deus ostendet mihi*] supple, vltionem, inquit Chaldæus.

Ne occidas eos] supple, subitò, vt idem Chaldæus supplet. sed fac diu illos languere, & lento supplicio paulatim confici.

Ne quando populi mei, mihi subiecti vel subijciendi, *obliuiscantur* iustitiæ tuæ & vindictæ diuinæ quâ punis impios. Vltionis enim subitaneæ memoria citò perit.

Disperge ergo *illos*, vt vagentur de vrbe in vrbem: *& depone eos* de suo gradu ac fastu; Chaldæus, *expelle eos à domibus eorum, & ad paupertatẽ redigas eos à facultatibus ipsorum*. Sic iam depositi & toto orbe dispersi sunt Iudæi, inquit S. Augustinus.

℣. 13. *Delictum*, id est, propter delictum, (vt habet Chaldæus,) *oris eorum*] quo mihi mortem minati sunt. Allegoricè, propter voces, *Crucifige, crucifge*, & horrenda maledicta in Christum.

Et de execratione]. Id est, ob suam execrationem; Hieronymus, *maledictionem*; Chaldæus, *periurium*, calumniam & blasphemiam in me.

Annunciabuntur, id est, toto orbe traducentur, & erunt fabula vulgo, *in consummatione*, id est, in sui destructione & internecione, qua ab *irato* Deo penitus destruentur, *& non erunt* amplius. ita Theodoretus.

PSALMVS LIX.

Dauid victis Philisthæis, Moabitis & Syris, cùm expeditionem in Idumæam pararet, opem Dei implorat. 2. Regum 8. & 1. Paralip. 18. Allegoricè, Christus orat sibi subdi totum mundum. Sic ferè S. Hieron. Augustinus, Hilarius, Theod.

℣. 1. PRo *his qui immutabuntur*] Vide psal. 44. צוכה

℣. 2. *Sobal.* In Hebræo & Chaldæo est *Soba*. estque pars Syriæ, vt aiunt LXX. & Iosephus, & constat ex 2. Reg. 8. *& conuertit* se *Ioab* è *Syria* in *Idumæam*, ad hanc quoque expugnandam.

℣. 3. *Repulisti nos*] Hieronymus, *proiecisti*; Chaldæus, *dereliquisti*. nempe, olim cùm Philisthæi & aliæ gentes dominarentur Israëli.

℣. 4. *Commouisti terram*] Iudæam, vt vertit Chaldæus, nempe incursione & vastatione hostili.

℣. 5. *Ostendisti*] Id est, experiri nos fecisti.

Potasti nos vino compunctionis] Id est, intimè pungente & viscera cruciante. Hebræum *iainz tharelah* vertit R. Salomon, *vino stuporis*; Hieronymus, *consopiente*; Symmachus, *conturbationis*; Chaldæus, *calice maledictionis*; R. Dauid, *veneni mortiferi*; Aquila, *torporis*; propriè R. Abraham, *tremoris*: quia *rabal* tremere significat. q.d. Vehementi afflictione & dolore, quasi potenti ac venenato vino, ita nos potasti, vt ex eo toti tremuli & stupefacti, nesciremus quid agere, vel quò nos vertere deberemus. ita Theodoretus. יין הרעלה רעל

℣. 6. *Significationem*; Hieronymus *signum*; Chaldæus, *vexillum*. q. d. Semper hactenus populum tuum certo signo tẽpestiuè præmonuisti, & velut erecto vexillo simul opportunè iuuisti, *vt fugiant à facie arcus*, id est, vt manus hostiles effugerent. Simili modo iam quoque *saluum fac* eumdem populum tuum eâdem potenti *dexterâ tuâ*.

℣. 8. *Deus in sancto*, id est, è sanctuario, vt Hieronymus, & Chaldæus vertunt, seu è propitiatorio *locutus est* olim, id est, promisit mihi, quòd *lætabor*, cùm velut rex *partibor*, id est, tamquam propriam hereditatem dimetiar, & distribuam subditis meis terras illas quas occupauit Isboseth filius Saul, scilicet *Sichimam*, seu terram Samariæ, in qua erat Sichem: *& vallem tabernaculorum*] Hebraicè, *succoth*, quod retinet Hieronymus, vtpote nomen proprium loci in quo Iacob olim sua tabernacula fixerat, Genes. 33. v. 17. in tribu *Gad*. סכות

℣. 9. *Meus est Manasses*, id est, mihi data est regio quæ cessit mediæ tribui Manasse, totaque Galaaditis trans Iordanem. *Ephraim*, id est, reliqua regis cis Iordanem attributa tribui Ephraim, est *fortitudo capitis mei*] Symmachus, *imperij mei*, id est, firmamentum & robur regni mei, cui facilè fidam protectionem capitis mei. nam tribus Ephraïm abundabat strenuis militibus.

Iuda rex meus] Hieronymus, *legifer*, id est, ex tribu Iuda rex deinceps perpetuò desumendus, qui leges dictet cæteris.

℣. 10. *Moab*, id est, regio Moabitica, est *olla spei meæ*] Id est, quam spero mihi subiectum & pedibus substratum iri, quasi *ollam lauacri* (vt vertit Aquila, Hieronymus & Chaldæus) id est, ollam in qua pedes abluere possim. q.d. Moabitæ mihi in omnibus, etiam abiectissimis rebus, inseruient tamquam vilia mancipia, vt contigit 2. Reg. 8. ita Theodoretus.

In Idumæam quoque *extendam calceamentum meum*] in signum aditæ possessionis, & deuictæ terræ illius, quam calceis & pedibus meis calcabo, quasi mihi subiectum, vt explicat Chaldæus.

℣. 11. *Quis deducet me in ciuitatem munitam?*] id est, ciuitates munitas Idumæorum. q.d. Quis ergo iam me compotem faciet promissorum mihi à te factorum, nisi tu ipse qui promisisti?

℣. 12. *Non egredieris*, &c.] Vide psal. 43. v. 10.

PSALMVS LX.

A molesto exilio sub Absalomo liberatus, longam vitam & felix regnum à Deo deposcit.

℣. 3. A FINIBVS *terræ* Israeliticæ. q.d. Longè remotus à patria, à throno meo, à sanctuario tuo.

In petra exaltasti me] Vide psal. 26. v. 6.

℣. 5. *In tabernaculo tuo*] Id est, in loco tabernaculi

culi tui,id est, in vrbe Ierosolyma; Allegoricè,in in Ecclesia; Anagogicè in cœlo.

℣.6.*Dedisti hereditatem*] Id est,totam Chanaanitidem,à qua nunc exulo, dedisti mihi meisque quasi hereditariam possessionem.Cœlum quoque *in sæculo venturo*, inquit Chaldæus & Theodoretus.

℣.7. *Annos* Dauidis *vsque in diem generationis*] Id est,facies vt Dauid rex in hac vita tum per se, tum per posteros suos viuat & regnet in omnes generationes:in altera verò vita in æternum; vt ait Chaldæus. Sic

℣.8. *Permanet* Dauid rex *in conspectu Dei in æternum*] id est, in continuo fauore ac benedictione Dei in hac vita, & posteà in clara eiusdem visione in altera vita.Sed hæc longè aptiùs Allegoricè,quadrant in Christum,vt Hilarius & Hieronymus exponunt.

Misericordiam & veritatem eius, scilicet Dei, *quis requiret*,seu implorabit,supple,frustra, ita vt non obtineat? q. d. Nemo: quia semper præstò sunt egenti & petenti.Hieronymus & Chaldæus, *seruabunt eum*,nempe regem.

℣.9.*De die in diem*] Id est, singulis diebus,seu perpetuò.

PSALMVS LXI.

In vno Deo sperandum, non in hominibus vel opibus terrenis.

℣.1. PRO *Idithun*] Præfectus erat cantorum vnus,& psaltes egregius,1.Paral.25. Vide psal.38.v.1.

℣.2.*Deo subiecta erit*] scilicet,per firmam spem, resignationem,& obedientiam vsque ad mortem, inquit Theodoretus.Vnde Hieronymus & Chaldæus vertunt,*silebit Deo*,se totam permittens nutui prouidentiæ diuinæ.

℣.4. *Interficit* animo, & reipsa conamini interficere,*hominem* miserum,me scilicet.

Tamquam parieti inclinato ad ruinam, *& maceriæ depulsæ* è loco suo & libella, & iam procliui ad casum:sic vos mihi,seu in me,*irruitis*] Tropologicè,S.Hilarius,quousque hominem naturâ suâ procliuem ad vitia, vestris monitis ad ea propellitis,ô mali socij?

℣.5. *Pretium meum* (S.Augustinus, Ambrosius, Hilarius, Basilius & Theodoretus legunt, *honorem meum* id est, decus, & dignitatem meam regiam) conati sunt *repellere*, id est,à me auferre, pro qua *eucurri in sitt*] id est,tam anxiè laboraui & sudaui.

℣.6.*Ab ipso patientia* (Hieronymus,spes)*mea*]Id est,salus mea,quam spero & patienter exspecto.

℣.7. *Non emigrabo* è loco, statu, regno meo; Hieronymus & Chaldæus, *non mouebor*, à vera religione & obsequio Dei,inquit Theodoretus.

℣.10. *Mendaces in stateris*, id est,fraudulenter agunt & fallunt alij alios venditione suarum mercium:& *de vanitate*,id est,vana & mendaci statera se mutuo *decipiũt,in idipsum*] id est,simul omnes, vt Hieronymus vertit.q.d. Se suaque falsò iactãt tamquam magna & mira, cùm reuera non sint nisi mera vanitas, imò *ipsa vanitate vaniores & leuiores*,vt vertunt Chaldæus, Vatablus, Genebrardus & Iansenius:adeò vt,si in vna lance ponas omnes homines,in altera vanitatem,lanx vanitatis sit ponderosior futura. Est hyperbolica miosis, ad quorumlibet fastum deprimendum.

℣.12. *Semel*, id est,firmiter & inconcussè,*locu-*A *tus est Deus*,id est, statuit & significauit nobis. Ex eo statuto,seu *lege*,vt vertit Chaldæus,collegi *hæc duo*. Primum,Deo inesse omnipotentiam,qua facit quidquid vult. Secundum, inesse etiam misericordiam infinitam, quâ reddet *vnicuique iuxta opera sua*] seu bona,seu mala,& non secundùm solam fidem, vt fingunt hæretici. ita S. Hieronymus,Hilarius & Theodoretus.

PSALMVS LXII.

Solatur seipsum contemplatione diuinæ bonitatis: prædicens hostibus suis interitum, sibi salutem. Anagogicè,congruit animæ suspiranti in cœlum. ita S. Hilarius.

B ℣.1. CVM *esset in deserto Idumææ*] Id est,occasio hunc psalmum scribendi fuit fuga Dauidis ob metum Saulis, & latebræ in deserto *Idumææ*. In Hebræo, Græco & Chaldæo est, *Iudææ* 1.Reg.22.v.5.

℣.2. *Quàm multipliciter*, id est, quàmplurimis modis,magnoperè,valdè ardenter,*sitit tibi*,seu ad te,*caro mea*] id est,corpus meum.q.d.Totus & ex toto te desidero,inquit Symmachus,vt nempe in patria mea & templo tuo cùm vniuerso populo Dei laudem te & fruar te.Licèt etiam modò

℣.3. *Sic in Sancto*,id est, perinde ac si essem in sanctuario tuo, sic in loco exilij mei *appareo tibi*, id est,te mihi ob oculos præsentem statuo,laudo, C te oro; *vt videam*, seu contempler, maiestatem tuam,& obtineam *virtutem*, seu opem *tuam*] ita Theodoretus.

℣.4.*Misericordia tua*, & consolatio spiritualis, quam in hac solitudine exul experior,*melior*,mihique suauior *est super vitas*] id est,plus quàm vita quæuis corporalis, quantumcumque longa,deliciosa,felix.ita Theodoretus.Quia enim Hebræum nomen *chaiym*,id est,vitæ,caret numero singulari חיים (vt apud Latinos *tenebræ*) ideo noster Interpres vertit non,*vitam*,sed *vitas*.

℣.5.*In nomine tuo*,id est,te, tuamque maiestatem & misericordiam inuocando, *leuabo manus meas* in oratione.Vt

D ℣.6. *Repleatur anima mea* cœlesti tua gratia & consolatione,*sicut adipe* pingui & delicata,inquit S.Hieronymus.

℣.7. *Si memor fui tui*.Ita etiam LXX.& Chaldæus;Hieronymus,*recordans tui*,seu quandocumque recordor tui,in *strato*,seu lecto *meo*:quod maximè fit *in matutinis*,seu tempore matutino,tunc *meditor in te*] id est,attentè & pressè cogito de te. ita Iansenius.

℣.9. *Adhæsit*] ἐκολλήθη, id est, agglutinata est tibi,scilicet glutino charitatis, quo quasi philtro vel amatori opoculo me tibi totum rapuisti & agglutinasti.ita S.Augustinus & Theodoretus.

E ℣.10.*Introibunt in inferiora terræ* loca,id est,in infernum.

℣.11.*Partes*,id est,portio, sors, hereditas,*vulpium*] quibus maximè abundat Iudæa,vt patet ex 300.vulpibus Samsonis.q.d.Nullâ sepulturâ fruẽtur,sed erunt esca bestijs terræ.Puta quando cæsi sunt *in montibus Gelboe*, 1.Regum vlt.Allegoricè, *vulpibus*,id est,dæmonibus tradendi sunt impij.

℣.12.*Rex*] scilicet ego Dauid.

In eo] supple,colendo & solo adorando:vel *in eo*,pro *per eum*,id est,per Deum,quia scilicet eum solum vt verum Deum norunt & colunt,ideoque cùm opus est,iurant per illum,non verò per idola. ita S.Hilarius & Augustinus.

PSAL-

PSALMVS LXIII.

Contra hostiles insidias & calumnias opem diuinam implorat, praedicitq; earum auctores magna iustorum voluptate oppressum iri.

℣.4. ARCVM *rem amaram*] Appositio, id est, arcum qui est res amara, quia eiaculatur sagittas mortiferas, nempe *vnctas veneno mortifero*, inquit Chaldæus. Talis est lingua calumniatorum, quæ *verba* vibrat *amarissima* & lethifera.

℣.5. *Firmauerunt sibi sermonem nequam*] Id est, statuerunt rem pessimam exequi, putà, Dauidem opprimere; Allegoricè, Christum occidere.

℣.6. *Narrauerunt*] Id est, intra se tractarunt.

℣.7. *Scrutati sunt*, id est, studiosè excogitarunt, *iniquitates*, id est, iniquas nocendi vias & modos: sed *defecerunt scrutantes scrutinio*] Hieronymus, *scrutinium*, id est, lassati sunt in suo scrutinio, & frustra scrutati sunt: nam congruam rationem perdendi me reperire nequiuerunt. ita S. Augustinus. Tropologicè, aptatur hæreticis qui perperam interpretantur Scripturas.

Accedet homo ad cor altum, id est, profundum. q.d. Homo nequam profundo corde & consilio varios & miros modos excogitabit perdendi me, & postea etiam Christum. Sed *exaltabitur Deus*] Id est, semper Deus longè illo altior & profundior erit, patefaciendo & dissipando omnia illius diabolica consilia, atque in illiusmet perniciem retorquendo. Vnde Symmachus, Aquila & Theodotion vertunt, *mentem & cor profundum hominis Deus configet*. Hieronymus & Chaldæus adnectunt præcedentibus, hoc modo: *Defecerunt scrutantes machinationem* intra se & *corde profundo*: defecerunt, inquam, quia *illo* profundo *altior est Deus*.

Sagittæ eorum, id est, calumniæ impiorum, *factæ sunt* imbecilles, sicut *paruulorum plagæ*, id est, sicut plagæ quas imbelles infantuli obtusa sagittæ cuspide inferre conantur, nec possunt. Et potiùs *contra eos*, id est, in ipsosmet auctores reflexæ sunt & reciderunt *lingue*, id est caluuiniæ *eorum*, eosque *infirmarunt* & debilitarunt. Ita vertunt ijdem Symmachus, Aquila, Theodotion, & probat Theodoretus. Hieronymus & Chaldæus ad Deum id referunt, hoc modo, *Excutiet in eos Deus sagittam repentè, & plagas ijs inferet*. Nempe diuersis punctis pro *pethiam*, id est, paruulorum, legerunt *pitheom*, id est, subitò, repentè. פתאים פתאם

PSALMVS LXIV.

Docet Deum laudandum ob datam Ecclesiæ pacem & bonorum omnium copiam.

℣.1. CANTICVM *Ieremiæ & Ezechielis*, datum *populo transmigrationis*, seu qui in Babylonem transmigrarat, vt illud festiuo cantu canerent, *cùm inciperent exire* à captiuitate, & in patriam regredi. Hoc in Hebræo non habetur, neque in Chaldæo, neque in plerisque Græcis.

℣.3. *Ad te* laudandum *in Sion*, id est, in Ecclesia, *veniet omnis caro*] id est, omnis homo, omne genus hominum, supple, si viderint me à te in necessitate exaudiri & iuuari, vt præcessit. ita S. Augustinus.

℣.4. *Verba*, id est, facta & machinationes, *iniquorum* hostium nostrorum, v.g. Babyloniorum, *praualuerunt super nos*, nam captiuos abduxerunt A nos. Sed *tu* Deus *propitiaberis* aliquando peccatis *nostris*] propter quæ nobis hæc mala obuenerunt.

℣.5. *Beatus, quem elegisti*] Hieronymus, *beatus, quem elegeris & susceperis*, supple, vt ex hac infami & crudeli captiuitate redux fiat in patriam, & rursus *inhabitet atria* templi tui.

Replebimur, id est, quotquot ita reduces erimus, plenè fruemur *bonis* omnibus quæ in *domo tua*, seu templo tuo, solent à te obtineri. Præ omnibus verò gaudebimus sanctitate templi tui, vt vertit Hieronymus & Chaldæus, quia *sanctum est* tum in se, vtpote tibi dedicatum, & à te inhabitatum: tum in alios, seu inhabitantes, seu frequentantes, B quia sanctificat ipsos sanctâ doctrinâ, sanctis sacrificijs, precationibus, laudibus diuinis, &c. Sed simul est *mirabile in æquitate*; hebraicè, *stupendum*; Hieronymus, *terribile*; Chaldæus, *timendum in iustitia*, supple, exercenda in delinquentes: vt res ipsa docuit tum aliàs, tum in recenti excidio Ierosolymitano. Allegoricè, hæc conueniunt omnia Ecclesiæ Christi.

℣.6. *Spes omnium finium*, id est, à quo bona omnia sperant qui habitant in finibus *terræ, & in mari longè*, id est, in remotissimis insulis.

℣.7. *Præparans montes* in vsum hominum & bestiarum, dum scilicet vestis montes herbis, arboribus, metallis, &c.

C ℣.9. *Qui habitant terminos*, seu fines terræ, *timebunt à signis tuis*] id est, prodigijs & miraculis varijs quæ soles patrare. Subinde tamẽ etiam recreabuntur donis & beneficijs tuis tum cælestibus, tum terrestribus, quibus soles oblectare

Exitus, id est, extrema loca, *matutini & vespere*] Id est, orientis & occidentis solis, id est, mundum vniuersum.

℣.10. *Inebriasti* terram, scilicet fœcundis pluuijs, & ita *multiplici* frugum ac fructuum prouentu *locupletasti eam*.

Flumen Dei, id est, flumina magna, vt vertit Symmachus & Vatablus, abundant *aquis*, per quas, dum terram irrigant, paras *cibum illorum*, scilicet D hominum: *quoniam ita* irrigando terram, fit *præparatio eius* ad fructus proferendos.

℣.11. *Rivos eius*, id est, sulcos terræ, vt vertit Hieronymus & Chaldæus, *inebria*] id est, frequenti & copioso imbre repleas.

In stillicidijs enim *eius*, id est, guttis frequentioribus pluuiæ & roris quibus terra irrigatur, *lætabitur germinans* terra, seu id quod germinat in terra. Allegoricè, donis Spiritus sancti fœcundantur animi. ita S. Hilarius, Hieronymus, Theodoretus.

℣.12. *Benedices coronæ anni*, id est, toti circulo seu euolutioni anni, *benignitatis tuæ*] id est, quem E tua benignitate felicem & fertilem facis. Allegoricè, est tempus gratiæ sub Christo, & annus *Domini acceptus*, Lucæ 4. v. 19.

℣.13. *Pinguescent speciosa deserti* (Hieron. *pascua*; Chaldæus, *laudabilia dulcescent*) *& colles accingentur*, id est, circumdabuntur, *exultatione*] id est, læto gramine, pomis & vuis, quæ cor hominis exultare faciunt.

℣.14. *Arietes induti sunt*, supple densis & pulchris velleribus, ex pinguedine pascuorum. Vnde summo gaudio *clamabunt* passim homines, ob tam lætos frumenti & arietum prouentus. Allegoricè, ob ingentia Ecclesiæ bona, inquit Iansenius ex Euthymio.

PSALMVS LXV.

Iubilat Israel, Allegoricè Ecclesia Christi, se liberatam à tyrannis; Anagogicè, à morte corporis.

℣. 1. CANTICVM *psalmi resurrectionis*] ita S. Augustinus. Licèt ea vox in Hebræo aut Chaldæo non habeatur.

℣. 3. *Mentientur*, pro, subijcientur, *tibi*] iuxta dicta psal. 17. v. 46.

℣. 6. *Conuertit mare* rubrum *in aridam*] seu in aridum alueum, Exodi 14.

In flumine Iordanc *pertransibunt*; Chaldæus, *transierunt*, sicco *pede*.

Ibi, id est, in eo transitu, valdè lætati sumus, semperque *lætabimur in ipso* Deo & ope diuina. ita Hieronymus, Chaldæus, Theodoretus.

℣. 7. *Qui exasperant* Deum sceleribus suis; Chaldæus, *rebelles*; Hieron. *incredulis* Deo; *non exaltentur*] id est, ne superbiant, quia scilicet Dei scientiam & potentiam euadere non possunt.

℣. 9. *Posuit ad vitam*] id est, ad viuendum, & non ad citò moriendum, vt optant & conantur hostes mei.

℣. 10. *Igne* tribulationis, Vide psal. 16. v. 3.

℣. 11. *In laqueum*] Hieronymus, *in obsidionem*, quâ tamquam laqueo circundamur & strangulamur. Tropologicè, in angustias quibus quasi laqueis constringimur & suffocamur.

℣. 12. *Imposuisti homines* tyrannos; Chaldæus, *auctores exactionis*, qui nobis quasi iumentis suis *inequitent*.

℣. 14. *Distinxerunt*] Id est, distinctè pronunciarunt & promiserunt tibi.

℣. 15. *Holocausta medullata*, id est, medullis plena, id est, pinguia, vt Chaldæus vertit. *Cum incenso arietum*] LXX. & Chaldæus, *cùm suffitu aromatico & sacrificio arietum*. Tropologicè, dicuntur hæc in persona Martyrum, inquit S. Hilarius, Hieronymus & Euthymius.

℣. 17. *Sub lingua mea*] Hieronymus, *in lingua*, & ita legit Euthymius.

PSALMVS LXVI.

Deum orat vt per aduentum Messiæ omnes gentes sentiant diuinam misericordiam & salutem.

℣. 2. ILLVMINET *vultum suum super nos*] Id est, hilarem, propitium, liberalem se nobis exhibeat, vt dixi psal. 4. v. 7.

℣. 4. *Confiteantur tibi*] Id est, laudent te.

℣. 7. *Terra dedit fructum suum*] scilicet nobilissimum quem vmquam edidit, nempe Christum, ex Maria terrâ virgine prognatum, inquit S. Hieronymus & Euthymius. & cum Christo, ac per Christum, immensam sanctorum hominum messem.

℣. 8. *Deus* ter nominatur, ad innuendum mysterium SS. Trinitatis, quæ operata est incarnationem Filij Dei. Secundo autem loco non dicitur simpliciter *Deus*, vt primo & tertio loco, sed cum addito, *Deus noster*, id est, Emmanuel, propter personam Filij, qui per incarnationem singulari modo *noster* effectus est, inquit S. Hierobym. & Genebrard.

PSALMVS LXVII.

Carmen est triumphale de victorijs Hebræorum, Allegoricè & magis ex mente Spiritus sancti, de victorijs & triumphis Ecclesiæ Christi, quos orat continuari à Deo. ita S. Hilarius, Hieronymus, Augustinus, Euthymius, Theodoretus, & patet ex vers. 19. quem Apostolus accommodat Christo ad Ephesios 4. v. 8.

℣. 5. ITER *facite ei*, id est, parate viam Deo, (vt Hieronymus vertit,) nempe sublatis omnibus offendiculis. q. d. Omni reuerentia excipite aduentantem ad vos Deum, *qui ascendit* instar noui splendidissimi solis. Hebraicè, *inuehitur*; Vatablus, *inequitat cœlos*.

Super occasum] Id est, versus Occidentales orbis regiones, ad quas transtulit Christus Ecclesiam suam. Allegoricè, ad Gentilem populum; Hieronymus, *per deserta*; Tropologicè, ad peccatores.

Turbabuntur, supple, hostes omnes, *à facie eius*, qui est *pater orphanorum*, & *iudex* seu vindex *viduarum*] id est, iniurias ipsis illatas.

℣. 6. *In loco sancto suo*] nempe Sion & templo, maximè resplendet; Allegoricè, in Ecclesia. ita Euthymius.

℣. 7. *Vnius moris*, id est, vnanimes, concordes in eâdem religione & ijsdem ritibus, *in domo* Dei] id est, in Ecclesia. Hilarius, Hieronymus, Augustinus.

Educit vinctos] scilicet ex Ægyptiaco & Babylonico carcere.

Qui exasperant, supple, Deum frequenti sua obmurmuratione & rebellione. Quales sanè vtroque tempore erant Hebræi. *Qui habitant in sepulchris*] Hieronymus & Chaldæus, *in siccitate*, seu in locis aridis, id est, carentibus omni humano solatio ac voluptate, & sepulchro persimillimis. Talis erat terra Ægypti & Babylonis Israelitis. Allegoricè, Christus patres eduxit è limbo.

℣. 8. *Cùm egredereris*, scilicet per angelũ tuum in columna nubis & ignis, tunc *terra mota est* in Sinai, tùm illic lex daretur, & *cœli destillauerunt* pluuias, grandines, fulmina, manna, coturnices. ita S. Hilarius.

℣. 10. *Pluuiam voluntariam*; Hebraicè, *liberalitatum*; Chaldæus, *vinificationis*, seu viuificantem, scilicet manna in deserto, postea in ingressu terræ sanctæ segregasti pluuias aquarum liberalium fœcundantes terram: adeò vt *infirmata* antè; Hieronymus & Chaldæus, *laborans* multis malis: iam *perfecta*; Chaldæus, *erecta*; Hieronymus, *confortata* sit. Et *animalia tua*, id est, ouiculæ tuæ, seu populus tuus iam securè eam inhabitet; quia tu per *dulcedinem* bonitatis tuæ *parasti*, supple, alimenta, & alia necessaria, *pauperi* alioquin populo tuo, inquit Hieronymus & Theodoretus.

℣. 12. *Dominus dabit verbum*, id est, suggeret sermonem efficacem, *euangelizantibus*, id est, lætâ nuntia per orbem deferentibus, de soluta captiuitate, de præclaris victorijs per Moysen, per Dauidem, per alios; Allegoricè, per Christum obtentis. *Dabit*, inquam, *virtute multâ*] Id est, faciet vt id præstent magno conatu, studio, robore, felicique successu, inquit S. Hieronymus.

℣. 13. *Rex virtutum*] Hieronymus & Chaldæus, *reges exercituum*, vel *cum exercitibus*, id est, fortissimi & potentissimi principes, erunt ἀγαπητῶν, id est, dilecti, id est, cedent & subdentur ditioni eius qui est *dilectus dilectus*, id est, admodum seu per ex-

per excellentiam dilectus, id est, dilectissimus Deo & hominibus, putà Moysis, Iosue, Dauidis, & Christi.

Et speciei domus, id est, speciosæ domui Dei, putà Ecclesiæ fidelium, dabitur *diuidere spolia*] nempe Ægyptiorum, Chananæorum, aliorumque populorum deuictorum. ita S. Hieronymus, Symmachus, Vatablus & alij. Idque

℣.14. *Si dormiatis*; Hebraicè, si iaccatis, *inter medios cleros*] Vatablus, *ollas* sordidas & fuliginosas; Genebrardus & Pineda, *sortes* seu sortitiones ex vrna, ita vt victores de vobis iam prostratis sorte inquirant, viuendúmne vobis an occumbendum sit. Sed proprijssimè vertit S. Hieronymus, *terminos*, nempe hostiles. q.d. Hæc ipsa, quam dixi, felicitas vobis, ô filij Ecclesiæ, obuenict, etsi iam forsan altissimis malis immersi iaceatis. v.g. Etsi captiui hæreatis (sine apparentia liberationis) inter medios cleros, id est, sortes seu terminos Chaldæorum, *penna columbæ*, id est, subditi Babyloniorum, concluси in medio prouinciarum Chaldaicarum, quarum insigne est *columba*, (vti aquila erat insigne Romanorum.) Columba, inquam, habens *pennas* seu alas *deargentatas, & posteriora dorsi*, id est, caudam nitentem *auro*. Sic Ieremias c.25.46.50. monet omnes vt fugiant *à facie gladij columbæ*, id est, Chaldæorum. Hoc porrò insigne assumpserant Chaldæi in gratam memoriam primæ *Semiramidis* reginæ suæ, quæ, vt Poëtæ & historici fabulantur, à columbis enutrita fuerat, & à morte in columbam conuersa. Vide Diodorum Siculum, Eusebium, Lucianum, Athenagoram, Iustinum Martyrem, Pintum & Lorinum.

Pineda in cap.5.Iob.

Diodor. l.3. cap.8.

Euseb.l.8.de Præparat. cap.5.

Lucian.l.de Syria Dea.

Athenag. orat. pro Christianis.

Iustin.Apolog.1.

℣.15. *Dum discernit cælestis reges super eam*, id est, vsque dum placuerit Deo reges Chaldæorum iudicare, damnare, punire, profligare. Quod fecit mittendo aduersus Balthasarem Chaldæum reges Persarum & Medorum Cyrum & Darium, qui Babylonem expugnarunt, & monarchiam Chaldæorum ad se transtulerunt. Daniel. 5. in fine. Tunc *niue dealbabuntur*] supple, Israelitæ cousque captiui, & varijs miserijs denigrati, mox instar niuis albescent, id est, induentur vndique lætitiâ & felicitate, cuius symbolum est nix. Nam primo anno imperij Cyri soluta est captiuitas Iudæorum Babylonica, vt dixi 1.Esdr.1. & in Chronico c.35.

Nota prouerbium, *Dealbari niue in Selmon*, est exhilarari in locis tristibus: nam *Selmon* mons erat in tribu Ephraim vicinus Iordani, asper, cauernosus & caliginosus, tamen niue perpetua pulcher & amœnus.

℣.16. *Mons Dei*, Sinai, inquit ex Chaldæo Ioannes Mariana: sed meliùs alij, mons *Sion*; Allegoricè, Ecclesia Dei, est *pinguis*, id est, fertilis, *& coagulatus*] seu caseosus, id est, abundans lacte, casco, butyro, seu omni alimonia, bonisque tum temporalibus, tum spiritualibus. Licèt enim pascuis & herbis careret, vtpotè ædificijs infessus, tamen propter arcæ, quæ istic in templo asseruabatur, præsentiam, omnia ibidem bona impetrabantur à Deo, & inde in vniuersum orbem deriuabantur.

℣.17. *Vt quid* ergo, ô homines carnales, aliò suspicitis, & *suspicamini*, an fortè præter hunc alibi sint alij *montes* magis *coagulati* & pingues, putà Synagogæ hæreticorum, philosophorum Gentilium, &c. ita Theodoretus.

℣.18. *Currus Dei*, quibus Deus ad pugnam & triumphum vehitur, *decem millibus multiplex*, id est, multiplicati sunt in infinitum: quia hi currus sunt innumera *millia latantium*] angelorum, inquit Chaldæus; Hieronymus, & LXX. *abundantium* robore, gloria, splendore.

Dominus in eis vehi & inequitare visus est olim *in* monte *Sina*, & nunc etiam insidet *in sancto* templo suo, vbi quatuor Cherubinis, quasi curru suo triumphali insidet. ita S. Hieronymus. Porrò his curribus

℣.19. *Ascendisti* triumphabundus, ô Rex Christe, *in altum* cœlum, deuictis omnibus hostibus tuis, peccato, morte, inferno, diabolo. ita S. Paulus Ephes. 4. vers. 8. Alludit ad triumphantes, qui solebant alto curru in altum locum euchi, v. g. Romæ in Capitolium.

Cepisti captiuitatem] Id est, captiuos Satanæ, qui ab eo vel in limbo, vel in hoc mundo in carcere peccati detinebantur, velut prædam de manu eius rapuisti, & tecum in Christianam libertatem, & in cœlum abduxisti.

Accepisti dona, nempe charismata Spiritus sancti omne genus, dispergenda *hominibus*] vt solent triumphantes spargere missilia & munuscula in obuios.

Etenim, id est, certè hinc factum, vt *non credentes*, id est, Gentiles; Chaldæus, *rebelles proselyti*, passim crediderint, cùm oculis quasi viderent & manibus palparent, *Deum inhabitare* Sionem & Ecclesiam suam. Vnde

℣.20. Benedicatur *Dominus die quotidie*, id est, per singulos dies: faciatq; *nobis iter prosperum*, scilicet ad Gentes conuertendas. Nam *Deus noster* non quærit mortem & ruinam hominum, sed est *Deus saluos faciendi*, id est, saluationi omnium studens, inhians, illaborans, & eiusdem *Domini Dei* (vt est in Hebræo) sunt *exitus mortis*] id est, eductio & liberatio à morte: quia ipse claues habet vitæ & mortis, Apocalypsis 1.v.18. ita Euthymius.

℣.22. *Verticem capilli*, id est, crinitas, id est, superbiam, *perambulantium*, seu perseuerantium *in delictis suis*] confringet Deus. Sicut olim

℣.23. *Dixit*, & fecit Deus: Ex *Basan*, seu Basanitide, regno gigantis Og Amorrhæi, hostis Hebræorum fæuissimi, *conuertam*, id est, expellam, incolas hostes tuos, & præcipitabo omnes in abyssum exitij, quasi *in profundum maris*] vt olim feci Pharaoni. ita S. Hilarius.

℣.24. *Vt intingatur pes tuus*. q.d. Tantam illorum stragem edam, vt tu, ô Israel, sanguine occisorum laues & operias pedes tuos: & etiam *lingua canum tuorum ab ipso* sanguine intingatur *ex inimicis* iugulatis profluente. Idem Iezabeli contigit.

℣.25. *Viderunt* omnes populi terræ *tuos*, ô *Deus*, *ingressus*; Chaldæus, *incessum maiestatis tuæ*; Hieronymus, *itinera*, quibus populum suum deduxit ex Ægypto per mare rubrum, per sterile desertum, per Iordanem in terram promissam, & per tot victorias ex tantis calamitatibus ad tantos triumphos, opes, potentiam, gloriam. ita Hieronymus & Theodoretus. Vnde

℣.26. *Præuenerunt* (Hieronymus, *præcesserunt*, nempe currum tuum triumphalem) *principes* omnium tribuum, & ceteris exemplo suo præiuerunt in decantandis tibi laudibus & hymnis, *in medio iuuencularum tympanistriarum*] id est, inter choros puellarum, tympana & alia instrumenta musica, ex veteri more, pulsantium. vti fecit *Maria* Exodi 15. & *filia Iephte*, Iudicum 11. vers. 34. & aliæ

& aliæ sub Dauide 1.Reg.18.v.6. & Esdra lib.2. c.12. v.27.

℣.27. *De fontibus* (Chaldæus, *de semine*) *Israel*] prognati.ita S.Hilarius,Theodoretus,Euthymius & Vatablus.

℣.28. *Ibi*,id est,in illis triumphis,*Beniamin adolescentulus*: id est, tribus Beniamin, omnium fratrum minimi,& omnium tribuum minima(vtpotè pæne stirpitus excisa ob stuprum Gabaonitarum, Iudicum 20.) facta est *in mentis excessu*] seu stupore, id est, sibi & alijs omnibus ad stuporem admiranda, ob incredibile robur & peritiam bellicam, & insignes victorias sæpiùs partas, maximè sub Saule Beniaminita:vt Chaldæus explicat. Allegoricè,S.Paulus & ipse è tribu *Beniamin*,raptus est per mentis excessum in Deum, 2.Cor.12.

Principes Iuda, duces sunt *eorum* omnium, id est, eminent inter omnes triumphatores Israelis: tum ab ipsa statim morte Iosue, Iudicum 1.v.2. tum maximè à Dauide vsque ad natum Christum. Accessores tamen fuerunt etiam

Principes Zabulon & Nephthali] quia etiam hi tempore Iudicum, maximè verò contra *Iabin* & *Sisaram*,glorioſos egerunt triumphos.Allegoricè, S.Hilarius, Hieronymus,Theodoretus, intelligũt Apostolos, qui ferè omnes ex aliqua istarum 4. tribuum fuerunt. Paulus ex *Beniamin*; Iacobus, Ioannes & reliqui cognati Christi,ex tribu *Iudæ*; cæteri erant *Galilæi:* Galilæa autem ferè complectebatur *Zabulon* & *Nephthalim*.

℣.29. *Manda virtuti tuæ*, id est,decerne vt diuina potentia tua sic semper nobis adesse pergat: atque ita cœptas confirma victorias & triumphos Israelis. Idque *à templo*] Id est, propter templum tuum, id est, propter te qui in templo coleris. ita Genebrardus.

℣.31. *Increpa*, cohibe,perde, *feras arundinis*, id est,agrestes & barbaros Israelis hostes, qui similes sunt feris in arundineto latentibus, & strepitum cientibus.& sunt velut *congregatio taurorum*, id est,ferociunt quasi tauri congregati, *in vaccis populorum*, id est, cum populis qui instar vaccarum; Hebraicè, vitularum, lasciuiunt, salaces & dissoluti sunt. Metaphora sumpta à tauris, qui tum ferociores sunt, cùm generationi inter armenta dant operam. *Vt excludant*,id est,vita vel hereditate sua depellant, *eos qui* tibi *probati sunt argento*,seu instar argenti.Simile est v.15.*niue*,pro instar niuis. ita Theodoretus,Euthymius,Genebrardus.Hieronymus *hæreticos* intelligit,Hilarius *dæmones*,seu Allegoricè.

℣.32.*Venient legati ex Ægypto*]tractaturi cum Ecclesia Christi de pace, & sui suorumque deditione. Patuit in Alexandria Ægypti, vbi celeberrima fuit Ecclesia Christianorum sub S. Marco Euangelista primo eius loci Episcopo, teste Abdia,Eusebio & Hieronymo.

Abdias in Vit. Apostolorum. Euseb. l.2. hist. c.16. Hieron. de Vir.illustr. &c.

Sed *Æthiopia præueniet*,& prior protendet *manus* suas *Deo*,vt fecit *eunuchus Candacis reginæ Æthiopum*,Actor.8.& alij principes Æthiopes in vita S.Matthæi apud eosdem, & Hilarium ac Theodoretum.Quin & reliqua omnia *regna terræ* subdent se Christo Deo.

℣.34. *Qui ascendit*, perfunctus omni sua legatione, *super cælum cæli*,id est,ad supremum cœlum,*ad Orientem*] quia mons Oliueti,ex quo Christus ascendit, erat ad Orientem Ierosolymæ. ita S.Hilarius & Hieronymus.Sed is sensus est Allegoricus. nam ad litteram designat Deum residentem & triumphantem in cœlis.Vnde Hebraicè est,*qui vehitur* vel *inequitat* in summo *cælo, ad Orientem*, quia inde solis sui lumen nobis primùm ostentat. Genebrardus hæc applicat Ecclesiæ Christi, quæ primo cœpit in Oriente, sed mox demigrauit in Occidentem, vt dixi v.5. & in fine mundi reuertetur ad Orientem, vt iam incipit in Sinis & alijs Indiarum locis, & insinuatur Apoc.16.

Ecce voci suæ, id est, tonitruo; Allegoricè, prædicationi Euangelij,*dabit vocem virtutis*] id est,faciet vt sit potens, efficax, & impleat orbem vniuersum,inquit Hieronymus & Theodoretus,qui cum S. Augustino id Anagogicè applicant voci tubali in die resurrectionis, *Surgite mortui: Ite maledicti: Venite benedicti*.

PSALMVS LXVIII.

Dauid in persona Christi (vt patet ex v.10. 22. 26. 27.) ob zelum religionis multa patiens, auxilium de cælo deposcit.

℣. 2. AQVÆ] Id est,tribulationes: quas mox alijs metaphoris designat,*limo profundi,alto mari & tempestate* v.3. *profundo* seu abysso, & *puteo* v.16.ita Theodoretus.

℣.3.*Non est substantia*]ὑπόστασις,id est,subsistentia,id est,solidus fundus in quo possim firmus subsistere.ita Hieronymus & Chaldæus.

℣.5. *Quæ non rapui,tunc exsoluebam*] Prouerbium est,q.d.Alieni criminis pœnas dedi. Potest tamen propriè etiam de Christo sic exponi: rapinam pomi vetiti,vel honoris diuini,quem Adam eiusque posteri iniustè sibi rapere voluerunt,ego Christus exsolui.ita S.Hieronymus, Hilarius, & pulchrè Augustinus.

℣.6.*Tu scis insipientiam*]Hieronymus & Chaldæus, *stultitiam meam*.q.d. Si quid stultè & perperam deliqui,vt hostes mei mentiuntur,tu optimè nosti: testem te inuoco,& iudicem, vt,si deliqui,patefacias:sin autem,innocentiam meam manifestes. Idque vt

℣.7.*Non erubescant in me*,id est,occasione mei, mearumque calamitatum, alij *qui exspectant* à *te* salutem: scilicet dum vident me innocentem & te inuocantem, à te tamen deseri. ita S.Hieronymus & Theodoretus.

℣.9.*Factus sum peregrinus filijs matris meæ*]Synagogæ,id est,Iudæi non agnouerunt me pro fratre suo,sed pro infideli,& Samaritano.

℣.10.*Zelus*,id est,feruor & studium procurandæ gloriæ *domus tuæ*, id est, templi & Ecclesiæ tuæ, & indignatio ex eiusdem neglectu & profanatione, *comedit me*] id est,exedit, absorbuit,&,vt Symmachus & Chaldæus vertit, *consumpsit me*.

Et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me,id est,tam sensi,tam ægrè tuli, quàm si recta in me contorta fuissent. Hinc eodem zelo, vt tuum tibi redderem honorem, suscepi illa in me expianda *ieiunio*,alijsque pœnis vltrò susceptis.ita Apostolus ad Rom.15.v.3.Sed & hoc ipsum

℣.11.*Factum est in opprobrium mihi*] Chaldæus, *pietas* hæc *mea* versa mihi fuit in probrum, scilicet ex malcuolentia & maledicentia hostium. Theodoretus.

℣.13. *In porta*] Id est, in publico loco iudiciorum.q.d.Iudices & principes vibis.

In me psallebant,id est,cantilenas famosas de me concinnabant, *qui bibebant vinum*] id est,qui in sympo-

sympoſijs & tabernis compotitabant.

℣.14. *Orationem ad te*] ſupple,dirigo.

Tempus beneplaciti] Hieronymus & Symmachus,*reconciliationis*,ſupple,nunc tandem ſit.

In veritate ſalutis tuæ] Id eſt,ex fidelitate,qua ſalutem tuis promiſiſti.

℣.20. *Reuerentiam meam*] Hieronymus & Auguſtinus,*confuſionem*; Chaldæus,*ignominiam.*

℣.22. *Fel*] Id eſt,vinum felle & myrrha mixtum,Matth.27.v.48.Chaldæus addit, *fel capitum baſiliſcorum.* Licèt enim Hebræum *ros* omne genus veneni ſignificet, ferè tamen vſurpatur pro veneno ex capite aſpidis vel baſiliſci. Nihilominus ordinariè etiam *fel* deſignat. Prouerbialiter innuit,loco conſolationis augeri laborem, dolorem,probra,inquit Mariana. ראש

℣.23. *Menſa* hæc *eorum*, inſtructa felle & aceto,quam mihi Meſſiæ ſuo apparuerunt Iudæi,*fiat* viciſſim *coram ipſis*,id eſt,etiam ipſis ſternatur, & quidem *in laqueum*, id eſt,in exitium ipſis, *& in retributiones* eorum quæ ſua impietate & crudelitate iuſtè promeriti ſunt: *& in ſcandalum*, ſeu in offendiculum & ruiuam,*ad corruendum*,inquit Hieronymus & Genebrardus.

Nota, verba hæc non eſſe optantis, ſed prophetantis,inquit S.Auguſtinus.

℣.28. *Dorſum ſemper incurua*] ſcilicet onerando illos nouis continuò & grauioribus calamitatibus,vt his oneribus depreſſi quaſi ſilicernia,in terram curuati incedant. ita Theodoretus & Euthymius. Chaldæus, *fac lumbos eorum continuò mutare.*

℣.26. *Habitatio eorum*, nempe Iudæa ſacrilega,ac præ omnibus Ieroſolyma, *fiat deſerta*] per Nabuchodonoſorem & Titum.Hieronymus,Auguſtinus, Theodoretus.

℣.27. *Quem tu percuſſiſti*] id eſt, afflixiſti, ſubijciendo morti crucis; Hieronymus, *vulneraſti*, Iſaiæ 53.

Nota. *Percutere*, ad diſciplinam ſpectat, & eſt ſuperioris: *Perſequi*,hoſtiũ eſt,& inuoluit odium, crudelitatem,irriſionem vel exprobrationem.

℣.28. *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem*] Quod non de pœnis tantùm,ſed & de culpis exponi poteſt. Nam ſolet ſubinde Deus peccata punire nouis peccatis, ac tandem etiam excæcatione, non cauſando malitiam, ſed ſubtrahendo copioſiorem gratiam,& permittendo diabolo maiores vires & tentandi facultatem. ita S.Auguſtinus,D.Thomas & Doctores.

℣.29. *Deleantur de libro viuentium*] Id eſt, ne ſint de numero iuſtorum,vt mox ſequitur. Porrò *liber vitæ* eſt ipſa Dei præſcientia & quaſi memoria,& prædeſtinatio ab æterno.Et ſicut duplex eſt prædeſtinatio, vna inchoata, altera completa & perfecta: ita duplex quoque eſt liber vitæ,vnus inchoatus & mutabilis, in quo deſcripti ſunt omnes & ſoli iuſti; alter completus & immutabilis,in quo ſcripti ſunt omnes & ſoli qui de facto ſaluabuntur. Et ex hoc libro nemo deleri poteſt. de priori poteſt, & de facto deletur quicumque è iuſto fit reprobus. Et ſic Chriſtus, & S.Paulus,& Moyſes, & hîc Dauid vſurpant nomen *libri vitæ.* Et orat Eccleſia, vt omnium fidelium nomina beatæ prædeſtinationis liber adſcripta retineat.

℣.32. *Et placebit*, ſupple, laus mea & canticum meum,*Deo ſuper vitulum*, id eſt, præ holocauſto vituli *cornua* recèns *producentis & vngulas*]id eſt, iuuenci teneri & delicati. ita Theodoretus.

A

PSALMVS LXIX.

Sibi & pijs omnibus implorat opem Dei: hoſtibus verò confuſionem. Porrò hic pſalmus idem prorſus eſt cum fine pſalmi 39.

℣.3. REVERENTVR] Id eſt, erubeſcant, vt vertit Hieronymus & Chaldæus, & dixi pſal.68. v.20.

Animam] Id eſt,vitam.

℣.4. *Auertantur* à te,& per te, à felicitate ac proſperitate ad miſerias & exitium:*qui dicunt mihi* afflicto, *Euge,euge*] Hieronymus, *Vah,vah*; Chaldæus,*Gauiſi ſumus,gauiſi ſumus*,ſupple, de tua afflictione & miſeria. B

℣.6.*Dicant,Magnificetur Dominus*] Id eſt,magni fiat Dei miſericordia,qua ſuis opportunè fert opem,id eſt, dicant,Deo gratias.

PSALMVS LXX.

Dauid iam ſenex opem Dei implorat contra impios Achitophelem,Abſalomum, ceteroſq; coniuratos. In gratiarum actionem pollicetur,ſe Dei potentiam,iuſtitiam,bonitatem vbique depradicaturum. Conuenit ſeneſcenti Eccleſia.

℣.1. FILIORVM *Ionadab*, id eſt, Rechabitarum,Ierem.35.*& priorum captiuorum*] Id eſt,vſurpatus eſt hic pſalmus à Rechabitis, & qui C in prima captiuitate à ſua terra migrarunt Babylonem.Vide Chronicon c.35.Hic tamen titulus non eſt in Hebræo,neque in Græco.

℣.5.*Tu es patientia mea*] Id eſt,à quo patienter opem exſpecto: Hieronymus, *exſpectatio*; Chaldæus,*ſpes mea*,vt mox ſequitur.

℣.7.*In te cantatio mea ſemper*] ſupple, verſabitur,id eſt,de te, tuaque miſericordia & ſingulari prouidentia, erunt omnia mea cantica & hymni.

℣.7. *Tanquam prodigium* (Hieronymus, *quaſi portentum*)*factus ſum*] id eſt,apparui hominibus, ob tot ærumnas quibus affligor, & tamen ſaluus ſemper emergo.Allegoricè,*Chriſtus*;Tropologicè, quiuis *iuſtus* eſt impijs prodigium, quia ſequitur vitam arctam & carni inuiſam.

℣.10. *Dixerunt mihi*] Chaldæus, *malum contra me.*

℣.15.*Non cognoui litteraturam*] Hebræum *ſephorot* propriè etiam numerationem & computum ſignificat. Vnde Chaldæus,Symmachus & Vatablus vertunt,*numerum*,ſcilicet beneficiorum diuinorum; S.Auguſtinus cum Arnobio, Caſſiodoro, & auctore operis imperfecti in Matthæum, cum Pſalterio veteri Romano & Sixtini,legentes *περιγμαλείας* pro *γραμματείας*,vt habent LXX.verterunt,*negotiationem*, nempe fraudulentam & doloſam.Sed optimè Noſter,*non cognoui litteraturam*, E id eſt,non ſum verſatus in humana ſapientia & eloquentia: nam ſemper vel paſtor ouium fui, vel miles.Tamen ספרות

Auct.imperf. homil. 38.

℣.16.*Introibo in potentias Domini*,id eſt,ingrediar(vt Hieronym.& Chaldæus vertunt) ad opera diuinæ omnipotentiæ contemplanda. Hæc mihi pro libris & magiſtris erunt,& ſatis ſuperque me docebunt noſſe,laudare & colere Deum. Et hæc ſcientia mihi abundè ſufficit, quam *docuiſti me à iuuentute mea*] imò à puero,nempe vel per internam inſpirationem,vel per pios parentes meos.

℣.20.*Conuerſus*,Id eſt,urſus.*De abyſſis terræ*] Id eſt, ex ærumnarum profundo, quaſi ex inferno. Allegoricè,Chriſtus è limbo.

℣.24. *Reuersi*] Id est, pudore & verecundiâ affecti. Hieronymus, *deboneſtati*; Chaldæus, opprobrio affecti. vt suprà psal. 69. v. 3.

PSALMVS LXXI.

Christi regnum, in figura Salomonici regni, pacificum, amplum, felix, æternum fore prædicitur.

℣. 1. IN *Salomonem*] nempe, qui & quatenus erat figura Christi. Nam omnes, etiam Rabbini veteres & recentiores, applicant hunc psalmum Christo: & patet ex v. 5. 8. & 11. qui Salomoni competere non possunt. Chaldæus vertit, *per manum Salomonis dictus propheticè*. & forsan à Salomone compositus fuit.

℣. 2. *Iudicium & iustitiam*] Id est, iuris tui & iustitiæ scientiam, zelum, praxin.

Iudicare] Id est, vt iudicet.

℣. 3. *Montes*, qui solent esse spelunca latronum, & latibula ferarum, vel delubra dæmonum, *suscipiant pacem*] id est, tranquillitatem, & felicitatem. q.d. Inuehat Christus vbique plenam pacem & prosperitatem. Theodoretus hæc refert ad Monachos & Eremitas, qui in montibus angelicam vitam duxerunt.

℣. 5 *Permanebit cum sole*, id est, quamdiu erit sol; *& ante*, seu coram, *lunam*, id est, quamdiu erit luna. ita Hieronymus & Chaldæus. q.d. In æternum stabit regnum Christi. Aliter S. Augustinus. Ante lunam fuit Christus, quia secundùm diuinitatem est ab æterno.

℣. 6. *Descendet* Christus in terram, vel in vterum Virginis. *sicut pluuia*, seu ros, *in vellus* Gedeonis, Iudic. 6. v. 37. *& sicut stillicidia*] id est, quietè, insensibiliter, sine corruptione virginitatis, per operationem Spiritus sancti, cum fœcundatione & influxu omnium bonorum. ita S. Hieronymus, Theodoretus, Euthymius.

℣. 7. *Orietur iustitia*] Hieronymus, *germinabit iustus*; Chaldeus, *multiplicabuntur*, seu multipliciter crescent, *iusti*.

℣. 8. *A mari vsque ad mare*] Chaldæus, *ab angulo*, seu extremo, *maris magni* Mediterranei, *vsque ad* extremum *angulum* maris Oceani.

Et à flumine Euphrate, qui in Scripturis ponitur terminus terræ sanctæ & regni Salomonici, *vsque ad* fines *terræ*.

℣. 9. *Terram lingent*] id est, osculabuntur, nempe in signum reuerentiæ & subiectionis.

℣. 10. *Reges Tharsis*, id est, maris. Vide 2. Paralip. 9. v. 21. *Arabum & Saba*] Vide 3. Reg. 10. v. 1. Id cœperunt facere tres Magi, Matth. 2. quos reges fuisse, vt hîc indicatur, ibi probabo.

℣. 14. *Ex iniquitate*] Id est, iniqua oppressione, fraude & violentia tyrannorum, maximeque diaboli, qui summus est fœnerator, pro vilissima peccati voluptate animam sibi obstringens ad fœnus æternæ pœnæ, inquit S. Augustinus.

℣. 15. *Adorabunt de ipso*] id est, ipsum Christum, inquit Ioannes Mariana & Emanuel Sà.

℣. 16. *Erit firmamentum*] Ita Romana & Græca, & subauditur *panis*, qui quia cor hominis firmat, vocari solet *firmamentum* psal. 103. & 104. v. 16. פסת בר &c. Hebraicè est, *pissat bar*, quod Hieronymus vertit, *memorabile triticum*; Chaldæus, *substantificus panis*; Paulus Burgensis, *placentula frumenti*; R. Emanuel, *vola* seu manus *plena* frumento; Vatablus & Genebrardus, *pugillus frumenti*. q.d. Tanta rerum omnium, maximè spiritualium, fertilitas A erit tempore Messiæ, vt pauca grana frumenti *in terram* conjecta, etiam *in montibus* syluosis & aridis, tantam' latura sint segetem, vt fertilissimi *Libani* messem multis modis excedant. R. Ionathan Chaldæus vertit, *erit placẽta tritici in vertice sacerdotum*. Et multi veteres Rabbini id interpretantur de sacrificio panis delicatissimi tempore Messiæ offerendo.

Florebunt de ciuitate, id est, ciues qui sunt de ciuitate Dei, id est, Ecclesia Christi, *sicut fœnum terræ* multiplicabuntur numero & gratijs omne genus.

PSALMVS LXXII.

B *Incipit hic secundùm Hebræos liber III. Psalmorum, quorum ferè auctor Asaph nobilis musicus tempore Dauidis 1. Paralip. 6. v. 39. & c. 25. v. 1. cuius nomine extant 12. sequentes psalmi de tristioribus casibus Ecclesiæ.*

Hoc psalmo quærit, cur pij hic miseri sint, impij felices? Respondet, quia Deus æternam his miseriam, illis felicitatem præparauit.

℣. 2. PENE *effusi sunt gressus mei*] Id est, effuso per lubrica gressu penè collapsus sum à firma spe in Deum & à studio virtutum.

℣. 4. *Non est respectus morti eorum*, id est, non anxiè respiciunt, non cogitant, non curant mortem suam, vt Hieronymus & Chaldæus insinuant. Quia nempe mors impijs obuenire ferè solet facilis, commoda, honorata, seria, & subita. Et hæc est C *εὐθανασία*, quam Iulius Cæsar sibi optabat, & obtinuit. Item non est *firmamentum*; hebraicè, firmitas, *in plaga eorum*] id est, si plagis aut morbis aliquando vexantur, non diu firmiter adhærent, citò inde conualescunt, & pristina firmitas ac robur ipsis integra manent. ita Theodoretus & Euthymius.

℣. 7. *Prodijt quasi ex adipe*] Id est, valdè copiosè & abundanter, sicut effluit adeps ex pinguissimo animali.

Transierunt in affectum cordis] Id est, totos se tradunt explendis animi affectibus, vt non legi Dei, vel rectæ rationi, sed suis concupiscentijs obD sequantur. ita S. Hieronymus & Emanuel Sa.

℣. 8. *In excelso*] Hebraicè, de excelso seu sublimi loco, id est, palam, publicè, inuerecundè.

℣. 9. *Posuerunt os suum* blasphemum *in cælum*, id est, contra Deum & *Sanctos cælorum*, vt habet Chaldæus. Inde *lingua eorum transiuit*; Hieronymus, deambulauit, *in terra*] Chaldæus, *ardet in iustos terra*. q.d. Nemini parcunt.

℣. 10. *Ideo conuertetur populus meus*. q.d. Hæc impiorum impunita prosperitas causa est cur homines pij subinde conuertant se ad conquerendum: dum vident *dies plenos in eis*] id est, impios diutissimè viuere & felicissimè. Vnde mirantes diE cunt, Scitne & curat hæc Deus?

℣. 13. *Et dixi*, id est, ego ipse nutabundus aliquando hæsi, dicens, Si scelerati tanta fruuntur prosperitate, *ergo* ego *sine causa*, id est, frustra, abstinui à sceleribus & studui iustitiæ, *& laui inter innocentes manus*, id est, laboraui vt inter innocentes innocens essem. Interim *fui flagellatus totâ die*, id est, continuò afflictus, *& castigatio mea in matutinis*] Id est, statim vt manè surgo, surgit mecum crux & afflictio.

℣. 15. *Si narrabo sic*] Id est, si sic iudicem, tunc improbo vitam & studia iustorum, qui quantumuis afflicti, tamen Deo constanter seruiunt.

℣. 15. *Donec intrem in sanctuarium*. q.d. Numquam

quam mihi plenè satisfecero quoad iam dictam difficultatem, *donec* mente & consideratione *intrem in sanctum* & secretum thronum iudicialem *Dei, & inde intelligam*, seu inuestigem, *in nouissimis eorum*] supple, maximam vtrorumque differentiam: nam ex perspecto fine piorum & impiorum pendet supradictæ quæstionis solutio. Anagogicè, in extremo iudicio omnibus palam fiet, quid prosit virtus, quid obsit peccatum, inquit S. Augustinus & Euthymius.

℣.18. *Propter dolos*, id est, vt dolosè & callidè deciperentur *posuisti eis* illam prosperitatem, id est, dedisti impijs omnia prospera, vt *dum* alleuati, id est, in altum erecti essent, subitò deijceres & præcipitares eos, vt lapsu graviore ruant. Nota. *Propter*, non designat hîc finem Dei, sed euentum rei, quem Scriptura sæpiùs vocat *finem*.

℣.20. *In ciuitate tua* cælesti; Chaldæus, *in die iudicij*, quando ex tuguriolo huius vitæ migrabunt inciuitatem amplissimam alterius vitæ, *ad nihilum rediges*, quam ipsi tanto labore concinnarunt, *imaginem ipsorum*] id est, imaginariam & somnio similem felicitatē impiorum. ita Hieronymus, Theodoretus, Euthymius. Sic Masillus apud Lucianum cùm expergisceretur, sensit omnem felicitatem, quam somniando cōceperat, euanuisse. Et Plato, Quid sunt voluptates mortalium, nisi somnia vigilantium? Et sic quidem agitur cum impijs: mecum verò & cum omnibus pijs longè aliter. Nam, vt sequitur,

℣.21. *Quia inflammatum*, seu vstum & excruciatum, *est cor meum, & renes mei commutati sunt*, id est, omnia interiora mea turbata sunt præ doloribus & ærumnis, *& nesciui*, quò me verterem, vel cur ita cruciarer. Interim

℣.23. *Vt iumentum factus sum apud te*, id est, gessi me quasi pecus tibi obsequentissimum, vt scilicet quæ & quanta velles onera, labores & flagella mihi infligeres: *& ego semper tecum* mansi, & tibi constantissimè adhæsi. Ideo non permisisti me ruere in perditionem, vt contigit impijs, sed *tenuisti manum meam*, &c.] ita Arnobius & Genebrardus. Allegoricè. Christus quasi iumentum tulit iniecta sibi omnia peccata nostra, inquit S. Hieronymus. Tropologicè, per cæcam obedientiam Religiosus fit iumentum Dei.

℣.25. *A te* alienum, vel præter aut extra te, *quid volui*; q.d. Nihil. sed tui vnius desiderio (qui es *pars*, id est, portio hereditaria, *mea*) *defecit cor & caro*] id est, anima & corpus meum, id est, ego totus. ita S. Hieron. & Euthymius.

℣.27. *Fornicantur, abs te* sponso suo, tuíque amore & cultu deficientes, & creaturis quasi adulteris adhærentes.

PSALMVS LXXIII.

Praedicit vrbis, templi & populi ruinam sub Nabuchodonosore, inquit Caietanus & Lyranus, & patet ex v. 7. & sub Antiocho Epiphane, de quo in libris Machabaeorum, quem & reprimi orat. Allegoricè, Ecclesia orat contra Antichristum, eiusq; praecursores.

℣.2. REDEMISTI, ex Ægypto, inquit Chaldæus, *virgam hereditatis tuæ*] Hebraicè, *sceptrum* tibi hereditarium, nempe populum Israeliticum, in quo tu sceptrum hereditario iure tenes.

Mons Sion] Id est, hæc hereditas tua est populus qui nunc incolit montem Sion, vbi & tu habitas cum arca & templo tuo. ita ferè Symmachus, Hieronymus, Theodoretus & Euthymius.

℣.4. *In medio solemnitatis tuæ*] Id est, dici tibi festi, vel loci solemnis, scilicet templi.

Signa sua, id est, vexilla bellica, *posuerunt*; Chaldæi *signa*, id est, quasi trophæa victoriæ: *sicut in exitu*, scilicet vrbium, id est, in portis, vbi solent erigi trophæa, sic *super summum* verticem templi posuerunt illa.

Et non cognouerunt] Id est, nesciuerunt, neque curarunt Chaldæi, quantus honor deberetur templo tuo, vtpote loco totius orbis sanctissimo. ita Hieronymus & Theodoretus.

℣.6. *Excidérunt ianuas eius*, scilicet templi, *in idipsum*] id est, simul, omnes, pariter, vt vertit Hieronymus & Chaldæus.

℣.8. *Quiescere* & cessare *faciamus*] Id est, omninò aboleamus, scilicet exscindendo & exurendo templum omnesque synagogas illorum: nam his excisis, exscinduntur pariter omnes solemnitates illorum. Vnde Hieronymus & Chaldæus vertit, *incenderunt*; Aquila & Theodotion, *comburamus* omnes *solemnitates Dei*. Itaque iam *non* amplius

℣.9. *Vidimus signa nostra*] id est, vexilla & insignia religionis nobis vsitata, nempe templum, altare, sacrificia, &c. ita Genebrardus.

Iam non est Propheta, qui nobis opitulari possit, vt olim Moyses, Samuel & alij. Ieremias enim non est profectus cum Iudæis in Babylonem, sed in Ægyptum, vt dicitur Ierem. 43.

Et nos non cognoscet amplius] supple, Deus. q.d. Videtur Deus nos quasi alienos nolle amplius agnoscere aut curare.

℣.11. *De medio sinu tuo*] supple, non educens illam ad nos iuuandos. Vnde Chaldæus, *educ eam, & dele afflictionem*.

℣.12. *Operatus est salutem*, id est, sæpiùs liberauit & saluauit populum suum, *in medio terræ*] id est, palàm, & vbique in omni terra, inquit Theodoretus & Euthymius: vel, vt S. Hieronymus, *in Ierusalem*, vel generaliter *in Iudæa*, quæ est medium terræ habitatæ. Vnde & illam pro sua Ecclesia delegisse videtur Deus, & Christus pro passione sua, vt ipsa ex se quasi ex orbis corde salutem in totum mundum transmitteret, inquit Genebrardus. Allegoricè, Hieronymus, *in medio terræ*, id est, in ventre virginali.

℣.13. *Tu confirmasti*, id est, solidasti, *mare* rubrū, vt vtrimque instar muri stans, Hebræis in medio transitum daret. Vnde Chaldæus vertit, *diuisisti aquas maris*; Hieronymus, *dissipasti*. Vti & pro *contribulasti* vertunt, contriuisti *capita draconum*] id est, crocodilorum, qui dracones sunt aquatici, id est, Ægyptiorum, qui crudelissimè necabant nos & infantes nostros, inquit Theodoretus & Euthymius.

℣.14. *Capita draconis*, antonomasticè, id est, Pharaonis: id est, primores & proceres Ægypti, vt vertit Chaldæus. *dedisti eum escam populis Æthiopum*] id est, accolis maris rubri qui erant Æthiopes; vel coruis, inquit Iansenius; *cercopithecis*, Chaldæus, id est, simijs. Aliquando enim *populus* in Scriptura dicitur etiam de belluis, vt Prouerb. 30. *Formicæ populus infirmus*. Ioël 1. de locustis, *Gens ascendit super terram*.

℣.15. *Dirupisti*, id est, *erumpere fecisti fontem è rupe* disrupta, *& fuit in flumen*, (ita Chaldæus;) Exodi 17. & Num. 20. *Siccasti fluuios Ethan*] id est, fortitu-

fortitudinis, fluuios fortes vehemẽtes & magnos, A vt vertit Hieronymus, Aquila & Chaldæus, qui etiam nominat illos, nempe *Arnon*, *Iaboccha* & *Iordanem*, Iosue 3. & Eccli. 24.

℣. 18. *Memor esto huius*, quod sequitur: *Populus incitauit* te blasphemijs & contumelijs. ita ferè Hieronymus & Chaldæus.

℣. 20. *Respice in testamentum tuum*] Id est, meminetris pacti quo pepigisti te semper fore adiutorem populo tuo.

Quia qui obscurati sunt, id est, qui antè obscuri & ignobiles erant in terra, nempe Chaldæi, *repleti* & ditati *sunt* nostris agris, *Domibus* & supellectilibus *iniquitatum*] id est, iniquè nobis ereptis. Quadrat iam in Turcas & hæreticos. ita Genebrardus.

℣. 21. *Ne auertatur*, id est, ne repellatur à te *humilis*] Chaldæus, *miser*; Hieronymus, *confractus* populus tuus.

PSALMVS LXXIV.

Dialogus est Dei & Prophetæ: docetq; timendum impijs, gaudendum pijs in extremo iudicio.

℣. 1. NE *corrumpas*] Hieronymus, *ne dispergas*. Est initium cantilenæ alicuius, ad cuius tonum psalmus hic cani iubetur. ita Genebrardus.

℣. 3. *Dum accepero*; Chaldæus, elegero; *tempus*, C id est, cùm aderit tempus iudicandi, ab æterno præfinitum à Deo. ita Symmachus & Aquila; tunc *iustitias*, (Hieronymus & Chaldæus *iusta*,) *iudicabo*] id est, id quod iustum & æquum est decernam. ita S. Hieronymus & Theodoretus. In illo iudicij die

℣. 4. *Liquefacta est terra*] Hieronymus, *dissoluetur*, instar ceræ ad præsentiam ignis, 2. Petri 3.

Ego confirmaui columnas eius] Id est, ego solus sum qui nunc terram confirmo & stabilio quasi solidis columnis: sed tunc in die iudicij, subtractis illis columnis, totam dissoluam. Allegoricè, columnas Ecclesiæ, Apostolos eorumque successores confirmat Christus, inquit S. Augustinus. D

℣. 7. *Neque ab Oriente*, &c.] supple, quisquam est qui possit à Dei ira vel iudicio se vel alium eripere, inquit Theodoretus.

℣. 9. *Calix*] Id est, portio & mensura pœnæ dimensa cuique à Deo, & necessariò ebibenda. Dicitur *calix vini*, quia mentem hominis inebriat & à se alienat. Dicitur *vinum merum*, quia aquâ misericordiæ non est dilutum, sed innato sibi feruori atque energiæ relictum. Interim *plenum* est alio *misto*, v. g. fæcium, myrrhæ, fellis, veneni. Nam vltio diuina, cùm hominem seriò deprehẽdit, plerumque non est vnius generis, sed ex varijs commista. ita S. Hieronymus, Augustinus & Theodoretus. E

Inclinauit effundendo, vel *propinando*, vt vertit Hieronymus, *ex hoc in hoc*, nunc in hanc, nunc in aliam partem, nempe vt *omnes peccatores* suo viciſſim ordine *bibant*] Sed quantumcumque multi & multum bibant, numquam *exinanitur*, id est, exhauritur, *fex* huius calicis. q. d. Semper restabit sat multum quo mundum puniat Deus; imò extremas & amariores pœnas, quæ sunt quasi fæces infimæ, reseruat in futuram vitam. ita ijdem.

PSALMVS LXXV.

Laudat Deum pro victoria obtenta de Assyrijs, tempore Ezechiæ, cùm ex castris blasphemi Sennacherib una nocte cæsi essent 185000. 4. Regum 19.

℣. 1. CANTICVM *ad Assyrios*] Sic psalmus inscribitur, licèt hic titulus in Hebræo, Chaldæo, in Octaplis, & plerisque Græcis non habeatur.

℣. 3. *In pace*] Appellatiuum pro nomine proprio. Hieronymus enim vertit, *in Salem*; Chaldæus, *in Ierusalem*, quod significat *visionem pacis*.

Factus est locus eius] nempe tabernaculum & B templum Dei, in quo quasi habitabat, vt mox sequitur. Allegoricè, est Ecclesia; Tropologicè, anima sancta, cuius passiones omnes quietæ & rationi subiectæ; Anagogicè, cœlum, inquit S. Hieronymus & Augustinus.

℣. 5. *Illuminans tu*, &c. Id est, tu ô Deus, nos in tenebris obsidionis Sennacherib mirabili ope & fauore tuo, quasi noua luce ac sole exhilarasti, *à montibus æternis*] id est, ex cælis, supple, nobis suppetias mittens. ita Euthymius. *Æternis*, id est, antiquis à mundi exordio, & in æternum duraturis. Nazianzenus id de angelis exponit, quorum manu cæsi sunt Assyrij. Allegoricè, S. Hieronymus & Augustinus de Apostolis.

℣. 6. *Insipientes*; Hieronymus, superbi, *corde*, id est, Assyrij, qui tam stultè & superbè se iactarant, Deumque blasphemarant. *Dormierunt somnum suum*, id est, mortem ab angelo noctu immissam: *& nihil* speratæ ex Iudæis prædæ, inquit Euthymius: vel potiùs, nihil armorum quibus se aduersus mortem tuerentur, *inuenerunt in manibus*] ita ferè Hieronymus & Chaldæus.

℣. 7. *Ab increpatione tua*, id est, te *Deus* increpante, id est, puniente, *dormitauerunt* somno mortis oppressi, *qui ascenderunt equos*] id est, equites Assyrij.

℣. 8. *Ex tunc*, id est, simulatque blasphemarunt te Assyrij, exarsit in eos *ira tua*] Theodoretus, Euthymius, Vatablus & Iansenius.

℣. 9. *De cœlo auditum fecisti*, id est, pronunciasti palàm, audiente toto cælo, *iudicium*, id est, sententiam contra hostes, quam mox executioni mandasti per angelum. ita ijdem. Tunc *terra*, id est habitatores terræ tremuerunt, & quieuerunt, id est, silentes obstupuerunt.

℣. 11. *Cogitatio hominis*, scilicet furibunda, irata: est enim hebraicè, *furor, ira*, vt vertit Hieronymus. q. d. Irati & furibundi hostes, qui antea nil nisi malum nobis inferre cogitabant, iam mitescent; & *confitebuntur tibi*, id est, laudabunt te Domine. Et si quæ supersint in ijs *reliquiæ* furibundæ *cogitationis*, hæ quoque visa hac tua vltione Sennacherib, mutabuntur, & *diem festum agent tibi*] id est, omni cum lætitia laudabunt te. De morali sensu, vide S. Augustinum & Bernardum. Anagogicè, in die iudicij omnis cogitatio se ipsam reuelabit Deo iudici. *Bern. serm. 62. in Cant.*

℣. 12. *In circuitu eius*, id est, circum altare Dei, *offertis*, id est, offerre solitis, *munera*.

℣. 13. *Spiritum*] Id est, vitam; Chaldæus, *tumorem spiritus*.

PSAL-

PSALMVS LXXVI

Orat liberari malis, præsertim molestiis & anxijs cogitationibus, quibus plurimis premebatur.

℣. 1. PRo *Idithun*] Vide initio psalm. 38. Et hoc hîc repetitum sufficiat.

℣.3. *Manibus meis*, supple, extensis in oratione *contra eum*] Græcè, *coram eo.*

℣.4. *Exercitatus sum*] Græcè, exercui meipsum, scilicet in precibus, vel in meditatione mearum ærumnarum, & de modis euadendi: quos cùm nullos reperio, deficit spiritus meus præ anxietate & mœrore. ita Theodoretus.

℣.5. *Vigilias*] φυλακὰς id est, custodias, seu vigilias nocturnas. q.d. Ante ipsos vigiles euigilaui. Theodotion & Aquila, *ante lucem euigilani*, eò quòd præ mœrore & anxietate animi dormire non possem.

℣.6. *Dies antiquos*] Id est, præterita tempora, quibus mirabili fauore solebas iuuare populum tuum, sub Noë, Moyse, Iosue, alijsque iudicibus. *Et annos æternos*] Hebraicè, *annos sæculorum*, nempe præteritorum ab Adam hucusque, inquit Hieronymus, Theodoretus, Euthymius. S. Augustinus & Genebrardus id exponunt de æternitate ipsiusmet Dei.

℣.7. *Scopebam spiritum*, id est, varijs cogitationibus ac discursibus quasi scopis verrebam & excutiebam animum *meum*] nempe vt scirem, num verum sit quod hostes mei iactant, scilicet *Deum* me æternùm à se *proiecisse*, nec vmquam mihi fore *complacitiorem*, id est, placatiorem.

℣.11. *Nunc cœpi*] q.d. Post longam anxietatem, & molestam meditationem, cœpi tandem respirare, recreari & meliora sperare.

Hæc mutatio, à pusillamitate & anxietate mentis in spem, magnanimitatem & quietem, prouenit à *dextera Excelsi*, per gratiam suam dispellente priorem nebulam & caliginem, ita S. Augustinus. Alij, *nunc cœpi* sapere, & in melius commutare vitam, nempe præuentus nouo lumine, nouo robore cæleSti. Vnde S. Antonius hoc cuique propositum manè faciendum iterandumque docebat.

℣.14. *Via*, id est actio, *tua*, omnis est *in sancto*; hebraicè, *in sanctitate*, id est, sancta est; Chaldæus, *quam sancta sunt* viæ tuæ! q.d. Licèt flagella tua nobis grauia & dura videantur, tamen sancta & iusta sunt, & ad nos sanctificandos tendunt. Allegoricè, actiones & passiones omnes tuæ, ô Christe, sunt sanctæ, licèt Iudeis scandalum, Gentibus stultitia videantur, inquit Euthymius.

℣.16. *Filios Ioseph*] Vide psal. 79. v. 2.

℣.17. *Timuerunt aquæ*, id est, instar timentium recesserunt & fugerunt, *& turbatæ sunt abyssi* maris rubri.

℣.18. *Multitudo sonitus aquarum*, id est, magnus & multus inde ortus est strepitus aquarum, maximè cùm rursus conglobarentur & confluerent oppressuræ Ægyptios. Nam *& sagittæ tuæ*, id est, fulmina & fulgura, *transeunt*; Hieronymus & Chaldæus, *discurrebant & accendebantur*: & vox, id est sonus, *tonitrui tui in rota*] pro, in rotas (vt vertit Symmachus) curruum Ægyptiorum, qui omnes subuersi & submersi sunt in mari. Theodoretus & Euthymius.

℣.20 *In mari via tua*. q.d. Cùm tibi lubet, etiam per medium mare patet tibi via. & quidem tam A dextrè, vt soli populo tuo pateat; hostibus verò insequentibus *vestigia tua non cognoscentur*] maximè cùm reductis iam aquis orbitæ omnes & vestigia penitus opplerentur. Vide Exodi 14. ita S. Hieronymus & Chaldæus.

PSALMVS LXXVII

Decantat beneficia Israeli præstita à peregrinatione in Aegypto vsque ad sua tempora.

℣. 1. INTELLECTVS *Asaph*] Vide initio psal. 31.

℣.2. *Aperiam in parabolis os meum*] De parabolis & propositionibus vide initio ps. 48.

B ℣.5. *Testimonium*, id est, legem diuinã, *suscitauit in Iacob*] id est, de nouo dedit Israeli, in Sinai. *Vide Idiotismos Hebraicos num. 14.*

℣.8. *Non est creditus cum Deo*, id est, non adhæsit firma fide & fiducia Deo, *spiritus* Israelis, sed statim obmurmurauit. ita S. Hieronymus, Theodoretus, Euthymius. De 14. murmurationibus vide Chronicon cap. 19.

℣.9. *Filij Ephrem*, id est, Israelitæ (pars, seu tribus, numerosior & bellicosior, pro toto populo) *mittentes arcum*, seu arcu sagittas, id est, eximij sagittarij, bellicæ rei vt peritissimi, ita & addictissimi, sæpiùs tamen *conuersi sunt* in fugam *die*, id est tempore, *belli*] v.g. sub Iephte, sub Heli, sub alijs.

℣.12. *In campo Taneos*] Id est, in regione vicina Cregiæ Pharaonis, Isaiæ 19. *Vide Adrichom. de Terra sancta.*

℣.13. *Statuit aquas quasi in vtre*] id est, in vnum locum vtrimque coactas, & quasi tumido vtri inclusas tenuit.

℣.14. *In nube diei*] Id est, in columna nubis per diem, & ignis per noctem, Exodi 13.

℣.17. *In inaquoso*] Hieronymus, *in inuio*; Chaldæus, *in arido deserto*, vbi omni humana ope destituti debuissent omnes ad Deum recurrere, & toti ab illo pendere, ibi tamen *irritarunt* Deum.

℣.21. *Ideo distulit Dominus*] scilicet, opitulari, vel explere promissum suum de introducendis illis in terram sanctam.

℣.23. *Ianuas (a) cœli*, id est, nubes aëris rupit, vt a *Genes. 7. v. 11.* D ex eis quasi è cella sua penuaria plueret illis *panem cœli*] in cælo, id est aëre, confectum. De *manna*, quid fuerit; cur *panis angelorum* dicatur; quid Allegoricè significet, dixi Exodi 16.

℣.26. *Transtulit Austrum de cœlo*] Id est, abstulit ex aëre, seu fecit ne flaret amplius *Auster*, sed loco eius *Africus* oppositus *Austro*, vt ita commodiùs ex partibus trans *mare rubrum* circa Occidentem sitis deferrentur *coturnices* in castra Hebræorum, Num. 11.

℣.31. *Pingues & electos*, id est, primarios, ditiores, nobiliores; *impedinit*] quo minùs ingrederentur terram promissam: quia, vt Chaldæus vertit, *pro-* E *stranit*; Hieronymus, *incuruauit*, id est occidit eos in deserto, Num. 11.

℣.33. *In vanitate*] Id est, vanè & otiosè, nullo edito præclaro facinore mortui sunt omnes qui murmurarant in deserto.

℣.38. *Abundauit vt auerteret*] Id est, *abundè*; Hieronymus, multùm *auertit*, & quantum optare poterant. Verbum pro aduerbio.

℣.39. *Spiritus vadens, & non rediens*] Id est, sicut ventus qui vadit huc illuc flans, postea euanescit, nec ad fontem suum reuertitur: sic homo & vita hominis, quasi ventus & vapor in morte quasi euanescit, nec per se redire potest ad vitam, sed solo gratuito dono Dei in resurrectione.

℣.44.

℣.44.*Imbres*] Hieronymus, *riuos*, scaturigines, lacus, qui Ægyptijs sunt loco imbrium & pluuiarum. Describit hic plagas Ægypti ex Exodi 7.& sequentibus.

℣.45.*Cœnomyiam*] Id est, mixtam, seu omnis generis muscam, vt Hieronymus, Aquila & Chaldæus vertunt: alioqui LXX. habent κυνομυίαν, id est, caninam muscam, quia impudens & mordax erat instar canis.

℣.46. *Ærugini*] Vitium est segetum; vt dixi Deut.28.v.17.quod alij *rubiginem*, vel robiginem vocant. Vnde apud Gentiles *Robigus* Deus & *Robiga* colebatur, eique offerebantur sacrificia dicta *robigalia*, vt rubignem auerteret à segete.(a) Hieronymus hîc & Chaldæus vertunt, *bruchum*, quia segetes perdit æquè ac *rubigo*, seu ærugo.

℣.49.*Angelos malos*] non in se (vt putat Vatablus & Genebrardus) sed erga Ægyptios. Hebraicè enim & chaldaicè est, *angelos malorum*, seu damnorum auctores, ita vertit etiam Symmachus, S. Augustius, Euthymius & Theodoretus.

℣.50.*Viam fecit semitæ iræ suæ* Id est, progressus est Deus in ira sua & vltione.

℣.51.*Cham*] Id est, Ægyptiorum, qui à *Cham* filio *Noë* per *Mesraim* (quo nomine tunc Ægyptus vocabatur) descendunt.

℣.53.*In spe*] Hieronymus, *cum fiducia* seu confidenter; Chaldæus, *securè*.

℣.54.*In montem sanctificationis suæ*] Id est, in terram sanctam. Vide Exodi 15.vers.17.

Quem acquisiuit dextera] Dei nempe, per Iosue eiectis inde Chananæis.

Et diuisit Hebræis *funiculo distributionis*] id est, func quali tunc temporis diuidi solebant agri & distribui. Vide Iosue 15.

℣.57.*Conuersi sunt in arcum prauum*] id est. aliter & aliò iacientem sagittas, quàm velles. q.d. Instar arcus obliqui & fallacis; Hieronymus, *incurvati*, qui sagittam non in scopum, sed potiùs in sagittantem retorquet: ita Iudæi non in cultum pietatis, ad quem à Deo dirigebantur, sed contra Deum & Dei legem retorti & peruersi sunt. ita Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Euthymius.

℣.61.*Virtutem & pulchritudinem eorum*] Id est, quidquid in eis robustum & pulchrum erat, ac præ omnibus *arcam*, quæ erat omne robur & gloria Israelis, inquit S. Augustinus. Vide 1, Regum 4.

℣.63.*Ignis*] Id est, ira Dei, vel impetus & vis belli.

℣.64.*Sacerdotes eorum*] Ophni & Phinees, filij Heli.

℣.65. *Excitatus est* contra Philisthæos, quasi *potens crapulatus à vino*] Id est, tantâ irâ ac furore vindictæ insurrexit in eos, quantâ solet robustissimus miles, dum vino æstuans afficitur ab aliquo graui iniuriâ. S. Augustinus & Theodoretus.

℣.66.*Percussit in posteriora*] nempe hæmorrhoidibus, inquit Chaldæus. Vide 1. Regum. 5.

℣.67.*Repulit*] Chaldæus, *reprobauit tabernaculum quod tetenderat in termino Ioseph, & in tribu Ephraim*, id est, noluit vt reducta à Philisthæis arca iterum quiesceret in *Silo* vrbe sita in tribu Ephraim filij Ioseph: sed ad hoc elegit tribum Iuda, & montem Sion. Ibi Deus

℣.69. *Ædificauit sanctificium*; Hieronymus & Chaldæus, *sanctuarium*, id est, templum, *suum*, sicut facere solent *vnicornes*, qui præ ceteris animalibus magnificas sibi mansiones alto & prærupto loco, easque stabiles struunt. Sic Deus templum sibi struxit in arce Sion excelsum, magnificum, non mobile, vt in Silo, sed stabile in æternum. Allegoricè, est Ecclesia Christi.

℣.70.*Elegit Dauid*, scilicet in regem. q.d. Simili modo reiecta tribu Beniamin, è qua Saul, Dauidem eiusque familiam elegit Deus vt æternùm regnaret in Israel. *De post fœtantes*] Id est, à sequela fœtarum & prægnantium ouium, quas sequebatur. Vbi S. Basilius & Theodoretus notant humilitatem Dauidis, qui non se vocet pastorem, hic enim oues præcedit; sed pastoris ministrum, qui prægnantes oues sequebatur. Philo verò notat, artem pastoralem præludium esse ad regnum.

℣.72.*In innocentia*, id est, iustitia & integritate: *& in intellectibus manuum*] id est, peritis manibus, & prudenti vsu pedi. Vnde Hieron. & Chaldæus vertunt, *prudentiâ manuum*.

PSALMVS LXXVIII.

Deplorat vrbis, templi & populi vastationem sub Nabuchodonosore, inquit S Hieronymus; & etiam sub Antiocho Epiphane, vt vult Theodoretus & Euthymius; Allegoricè, Ecclesiæ sub Antichristo. S. Augustinus.

℣. 1. *IN pomorum custodiam*] Id est, tugurium in quo latere solent custodes hortorum dum poma & fructus colliguntur: quibus collectis, deserunt illud ac diruunt. Sic contigit magnæ & inclytæ Ierosolymæ, quæ, cæsis vel abductis ciuibus, diruta est ac deserta, inquit Theodoretus 4. Regum vlt. Vnde Hieronymus vertit, *in aceruos lapidum*; Chaldæus, *in desolationem*.

℣.2.*Moriticina*, id est, cadauera, *sanctorum tuorum*] id est, fidelium, qui vocatione & professione sancti sunt.

℣.5.*Zelus*] Id est, indignatio.

℣.7.*Comederunt*, id est, ore gladij & ignis absumpserunt filios *Iacob, & locum eius*, scilicet Iudæam ac templum, desolatum fecerunt.

℣.11. *Posside*, id est, reserua tibi quasi partem possessionis hereditariæ tibi propriæ, *filios* eorum qui *mortificati*, id est, occisi sunt: vt scilicet ex hac sobole nouus populus tibi succrescat, qui Ecclesiam tuam roborent & augeant. ita Theodoretus.

PSALMVS LXXIX.

Deplorat vastationem vineæ Domini, id est, Synagogæ; Allegoricè, Ecclesiæ; Tropologicè, animæ peccatricis, inquit S. Hieronymus.

℣. 1. *PRO ijs qui commutabuntur.* Vide psalm. 44.

Testimonium, id est, assertio, *Asaph*, de quo psalm. 72.

℣.2.*Ioseph*, id est, Iudæos, Iosephi seu filios, seu cognatos. Nam ex quo in Ægypto sub Iosepho peregrinati sunt filij Israel, ab ipso tamquam à capite familiæ (cui etiam cessit ius primogenituræ 1. Paral. 5. v. 1.) sæpè vocati solebant *filij Ioseph*, vt dixi (a) alibi.

Qui sedes super Cherubim] scilicet in Sancto sanctorum, vt dixi psal. 67. vers. 18.

℣.3. *Manifestare coram Ephraim, Beniamin & Manasse*] Tres istæ tribus, quæ ex Rachele pro-

(a) In Prolegomen. de Idiotismis Hebr. n. 21. & 2. Reg. 19. v. 20.

guatæ

gnatæ sunt, castrametabantur in deserto ad arcæ A plagam Occidentalem, id est, ad Sanctum sanctorum, Numer.2.v.18. ita vt arca, & consequenter Deus insidens arcæ, semper versaretur immediatè ante has tribus. quod specialis erga illas fauoris indicium erat. Cui insistens hîc Propheta rogat: Sicut olim, ô Deus, singulari fauore in deserto semper præsens fuisti tribus istis tribubus, ita nunc quoque te iisdem (& cum illis toti Israeli) singulari ope & auxilio tuo præsentem ostende. Ita Theodoretus. Allegoricè, tres Rachelis tribus sunt Ecclesia Gentium.

℣. 4. *Conuerte nos*, id est, reducito nos è captiuitate nostra, inquit Chaldæus. *Et faciem* serenam B *ostende*] Est versus intercalaris.

℣. 6. *Pane lacrymarum*; Chaldæus, *intincto lacrymis*: vel, pro pane & vino cibas & potas nos lacrymis; *in mensura*] scilicet maxima, id est, abundè & largiter; Hieronymus & Chaldæus, *tripliciter* seu multipliciter.

℣. 9. *Vineam* tuam, id est, Synagogam Hebræorum, *plantasti*] supple, in terra sancta, ciectis inde Chananæis. Vbi plantata.

℣. 11. *Operuit montes vmbra eius*, id est, vsque eò excreuit, vt instar altissimæ vitis, *montes* vicinos, & proceras *cedros*, (id est, principes & reges vicinos) ramis suis obumbrarit, ac *palmites & propagines* (id est, proselytos suos) extenderit *vsque ad mare* Mediterraneum, *& flumen* Euphratem, quia isti sunt limites terræ sanctæ. Ita Theodoretus & Euthymius. Allegoricè, Ecclesia Catholica extendit se per vniuersum orbem.

℣. 13. *Destruxisti maceriam*; Chaldæus, *sepem, eius*] id est, tutelam & protectionem tuam subtraxisti ei, vt iam expolita omnium iniuriis pateat *vindemia* & prædæ omnium gentium vicinarum, inquit Theodoretus.

℣. 14. *Singularis ferus*] Id est, aper, inquit S. Augustinus & Euthymius. Græcum μονιὸς, & Latinum *singularis*, insinuat genus esse aprorum truculentius & soliuagum, quod præ ferocitate nullum sibi socium patiatur. Tales enim apri (teste Caelio & Iansenio) præcipuè vites suffodiunt & extirpant. Chaldæus vertit, *gallus siluestris*; Hesychius & Suidas, *lupus siluestris*; Cyrillus apud Genebrardum, *onager*. Porrò hic *ferus* est Nabuchodonosor & quiuis tyrannus; Allegoricè, diabolus, inquit S. Hieronymus & Euthymius.

℣. 16. *Super filium*. Sic solùm est in Hebræo. Sed LXX. addiderunt, *hominis*] nempe tibi charissimi *Iacobi* vel *Iosephi*, quorum meminit v.2. q.d. Respice super populum Israel, filium seu propaginem Iacobi vel Iosephi, quem mox v.18. vocat *virum dexteræ*, alludens ad nomen *Iacobi*, quod est *Israel*, id est, dominans Deo; & ad *Beniamin*, id est, filius dexteræ, de quo v.3. Chaldæus vertit, *propter regem Christum*. De quo etiam id intelligunt Arnobius, Augustinus, Hieronymus, Theodoretus, Euthymius.

Quem confirmasti tibi] Id est, quem tibi in filium & heredem stabiliuisti in æternum.

℣. 17. *Incensa* est hæc vinea. Ita LXX. & Chaldæus. *Et ab increpatione vultus tui*, seu tua, id est, perseuerante te increpare & punire, prorsus *peribunt* quotquot sunt incolæ huius vineæ, id est, omnes Iudæi. Ita Vatablus & Genebrardus.

PSALMVS LXXX.

Inuitat omnes ad latè celebrandum festum Neomenia & Tubarum, institutum ad Dei beneficia recolenda.

℣. 1. PRo *torcularibus*] Vide Psalm.8. Vnde in posterum non fatigabo lectorem repetitione.

℣. 4. *In Neomenia*] Id est, in festo nouilunij. *Insigni die solemnitatis vestræ*] Id est, festo tubarum, quod incidebat in primum diem seu nouilunium mensis *Tisri*. De quibus festis vide Exodi 23. & Num.28. & Leuit.23.

℣. 5. *Iudicium Deo*, id est, iudicatum à Deo & decretum vt festum hoc perpetuò celebraretur, in *testimonium*, seu commemorationem educti *Ioseph* (id est, populi Israelitici, psal.79. v.2.) ex *Ægypto*, vbi cogebatur audire *linguam* Ægyptiacam, *quam non nouerat*] eò quòd barbara esset ac difficilis, & non permitterentur passim Israelitæ conuersari cum Ægyptiis. Quæ noua erat molestia & afflictio.

℣. 7. *In cophino*] Id est, canistris & sportis, quibus cogebantur Israelitæ ferre lateres & paleas, Exodi 1. & 5.

℣. 8. *In abscondito tempestatis*] Id est, quando te abscondebas propter tempestatem, id est, persecutionem excitatam in te ab Ægyptiis. Ita Genebrardus. C

Probaui te, id est, exploraui tuam in me fidem, *apud aquas contradictionis*] de quibus Exodi 17. Notat S. Augustinus, omnes qui se subtrahunt seruituti Pharaonis, id est, diaboli, mundi, carnis, probari multiplici contradictione, irrisione, persecutione.

℣. 10. *Contestabor te*] Chaldæus, *testificabor in te*, id est, palàm tibi edisseram, quid à te velim.

℣. 11. *Dilata ostium*] Id est, lata & larga prece postula à me quidquid volueris, & dabo tibi: nempe si mihi obediens & fidelis permanseris. Hieronymus & Theodoretus.

℣. 13. *Secundum desideria*. Hieronymus & Aquila, *in prauitate*; Symmachus, *in fastu cordis*, id est, secundùm prauas concupiscentias suas. *Ibunt*, id est, vt eant & agant secundùm *adinuentiones suas*, id est, consilia, nutus & vota sua, non verò secundùm leges meas. Maxima hæc rebellium pœna est, cum Deus illos permittit facere quod lubet: perinde enim est, ac si nauim sine clauo, equum sine fræno sinas ruere in præceps, Rom.1.v.24. D

℣. 15. *Pro nihilo*] Id est, nullo negotio; Hieronymus, *quasi nihilum*; Chaldæus, *breui*.

℣. 16. *Inimici Domini*, nempe Israelitæ rebelles Deo, *mentiti sunt ei*, id est, violarunt datam ei fidem. *Et erit tempus eorum*] Id est, tempus quo variis calamitatibus punientur, *æternum* durabit, inquit Chaldæus & Theodoretus. E

℣. 17. *Et cibauit eos*. q.d. Cùm tamen Deus ingratos cibasset *adipe*, id est, medulla, *frumenti, & de petra melle*] Id est, aqua dulci instar mellis. Quod contigit primò in deserto Exodi 17. & Numer.20. Deinde etiam in ipsa terra sancta, quæ tam fertilis erat, vt passim etiam in petris apes mellificarent, 1.Regum 14. Ita Theodoretus, Iansenius & Genebrardus. Allegoricè, S. Eucharistia.

PSALMVS LXXXI.

Iniustis iudicibus minatur Deus exitium.

¥. 1. DEORVM] Id est, iudicum, vt vertit Chaldæus, quia participant de eminentia potestatis & iudicij diuini: vnde & vulgò suspiciuntur quasi dij quidam terrestres. Sic Exodi 7. *Constitui te Deum Pharaonis.* & Exodi 22. *Diis non detrahes.* Ita Theodoretus. Allegoricè, S. Augustinus & Euthymius, Christus stetit in medio Scribarum & Pontificum, arguens eos, & *diiudicans*, vtpotè summus omnium iudex.

¥. 2. *Facies sumitis*] Id est, personas accipitis, & in gratiam amicorum vel diuitum malè & iniquè iudicatis.

¥. 3. *Iudicate*] Id est, ius dicite.

Iustificate] Id est, innocentem declarate.

¥. 5. *Nescierunt* impij & auari iudices, *neque intellexerunt* legem Dei, inquit Chaldæus, sed sponte *ambulant in tenebris* ignorātiæ & iniustitiæ.

Mouebuntur omnia fundamenta terræ] Id est, inde fiet, vt euertantur vrbes, regna, adeoque mundus vniuersus. Nam deficiente iustitiâ, confunditur vniuersa ratio humanæ vitæ, & conuictus, inquit S. Hieronymus & Euthymius.

¥. 7. *Sicut homines*] Hebraicè, & apud Hieronymum, *sicut Adam*, quod vilem & abiectum hominem significat, sicut *isch* fortem & strenuum. אדם אם q. d. Mors vobis non magis parcet quàm aliis vilissimis homuncionibus.

Et sicut vnus de principibus, id est, tyrannis, *cadetis* è vestro statu, & è vita violentè exturbabimini, vt ferè tyrannis accidit, iuxta illud:

Iuuenal. sat. 10. *Ad generum Cereris sine cæde & vulnere pauci*
Descendunt reges, & sicca morte tyranni.

S. Hieronymus & Augustinus. Exemplo sunt tot Imperatores Romani, tot Siculi, aliique tyranni.

¥. 8. *Iudica* tu *terram* tuo arbitratu.

Quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus] id est, tu gentes omnes hereditario iure possides, & reipsa plenè possidebis in die iudicij. Theodoretus & Euthymius.

PSALMVS LXXXII.

Ismaelitis, Saracenis, ceterisq; gentibus Ierosolymam tempore Iosaphat, 2. Paralip. 20. infestantibus exitium imprecatur; Allegoricè, hostibus Ecclesiæ.

¥. 2. NE *taceas*] Chaldæus, *ne quiescas, ne cesses*, supple, iuuare nos, & aduersari hostibus nostris.

¥. 4. De *sanctis* Vide psal. 78. v. 2.

¥. 6. *Testamentum disposuerunt*] Id est, fœdus pepigerunt, vt vertit Hieronymus & Chaldæus.

¥. 7. *Agareni*] populi quidam in Arabia, ab *Agar* matre Ismaelis originem trahentes, Genes. 21. qui postmodum, vt glorioſius sibi nomen facerent, *Saracenos* se à *Sara* vxore primaria Abrahæ nominari voluerunt.

¥. 8. *Gebal*] Populus est Idumææ ex posteris Esau, Genes. 36. v. 23. Ita Iansenius. Genebrardus vult esse *Gibleos* iuxta Tyrum in Syria, de quibus 3. Reg. 5. v. 18.

Alienigenæ] Id est, Philisthæi, vt Hieronymus, & Chaldæus.

¥. 9. *Assur*] Id est, rex Assyriorum, *Sennacherib*, inquit Chaldæus.

Filij Loth sunt Moabitæ & Ammonitæ, Genes. 19. v. 37.

¥. 10. *Madian*] nempe *Oreb & Zeb*, &c. quos profligauit Gedeon, Iudicum 7. *Sisaram & Iabin* cecidit Barac & Debbora, Iudic. 4. Quorum cadauera insepulta computruerunt & calcata sunt vt stercora, inquit Theodoretus & Euthymius.

¥. 14. *Pone illos vt rotam*] Id est, fac instabiles sint, inquit S. Hieronymus, & volubiles ruant, vt rota in loco decliui, inquit S. Augustinus. LXX. vertunt τροχόν. q. d. Torque illos continuis flagellis. vt solent pueri trochum torquere. Ita Genebrardus.

¥. 16. *In tempestate tua*] id est, à te excitanda contra eos.

PSALMVS LXXXIII.

Dauid è loco exilij sub Absalomo suspirat ad templum Domini; Anagogicè, iustus ad cælum.

¥. 3. COR, anima; *& caro*, corpus: id est, totus ego exultans gestio ad Deum peruenire, eiusque præsentia frui.

¥. 4. *Passer & turtur*] Hebraicè, *hirundo*; Hieronymus, *auis*, in genere. q. d. Ego deteriore conditione sum quàm auiculæ. His enim patet aditus ad templum & altaria tua, quia iuxta illa nidulantur. Tropologicè, *passer* sunt contemplatores; *turtur*, casti. Ita S. Hieronymus.

Altaria tua] supple, & ego suspiro, ac pro domo & nidulo meo requiro.

¥. 6. *Ascensiones*, id est, vias vel semitas ad ascendendum. Alludit ad ascensum in templum, quod situm erat in monte. q. d. *Beatus*, qui *in corde suo* semitas variarum virtutum, compunctionis, humilitatis, fiduciæ, charitatis, *disponit*, quibus paulatim ascendat ad cælestem domum Dei, dum adhuc degit in hac *valle lacrymarum*, nempe *loco, quem* Deus ad id *posuit*, seu destinauit. Ita S. Augustinus. Econtrà infelix, qui per varia scelera disponit descensiones ad infernum, inquit S. Hieronymus.

¥. 8. *Ibunt de virtute in virtutem.* Hebraicè, *mechail el châil*, Græcè, ἐκ δυνάμεως εἰς δυναμιν, מחיל אל חיל id est, de fortitudine in fortitudinem, vt vertit S. Hieronymus, id est, fient quotidie spiritu & gratia Dei fortiores ac robustiores, vt commodiùs ascendant *in* cælestem *Sion*, vbi *Deus videbitur* facie ad faciem.

¥. 10. *Respice in faciem Christi tui*] Id est, faue Dauidi vncto à te in regem. Allegoricè, faue nobis propter Messiam filium tuum.

¥. 11. *Super millia*] scilicet dierum extra atria templi tui; Allegoricè, Ecclesiæ; Anagog. cæli.

Elegi potiùs *abiectus esse*] Hebraicè, *ad limen*, vel ad fores, *domus Dei* desidere tamquam portarius, vel mendicus, &, sicut Alexius, in angulo, quàm splendidè viuere in amplis palatiis impiorum, etiam regum. Et ratio est,

¥. 12. *Quia* in domo Domini, *misericordiam & veritatem diligit Deus*] id est, gaudet exhibitione misericordiæ & veracitatis suæ, liberalissimè profundendo omnis generis beneficia, sicut promisit se facturum piis & sanctis. Hieronymus vertit, *sol & scutum Dominus Deus*; Chaldæus, *sicut murus excelsus, & clypeus fortis.*

PSAL-

PSALMVS LXXXIV.

Orat intuitu Christi plenè reconcilietur Deus ijs quos è Babylonica captiuitate liberarat. Ita Theodoretus. Allegoricè, peccatoribus pœnitentibus.

℣. 3. OPERVISTI *omnia peccata*] Vide psal. 31. vers. 1.

℣. 5. *Conuertenos* à reliquis adhuc malis. q.d. A multis & magnis ærumnis liberasti nos, fauore Cyri Monarchæ nos educens è Babylone: iam rogamus, vt à ceteris quoque malis quæ nos adhuc premunt (nempe à vexa & infestatione vicinorum hostium 1. Esdræ 4. &c.) conuertas & liberes nos, *Deus salutaris* (Hieronymus, *Iesus*, id est, Saluator) *noster*.

℣. 8. *Et salutare tuum*] Chaldæus, *salutem*; Hebraicè, *saluatorem*; putà regem Persarum: vel potiùs *Christum*, da nobis fauentem.

℣. 9. *Conuertuntur ad cor*] nempe *ne illud conuertatur ad stultitiam*, vt vertit Hieronymus & Chaldæus, sed *ad Deum*, vt habent LXX. & Regia Latina, & S. Augustinus.

℣. 10. *Verumtamen*, id est, sanè; Chaldæus, siquidem. *Vt*, pro, vsque adeò vt, *gloria*, id est, gloriosa maiestas Dei, nimirum *Christus*, *inhabitet* corporaliter *in terra nostra*] Ioan. 1. v. 14. Mariana id etiam intelligit de gloria ex subactis hostibus parta.

℣. 11. *Misericordia* Dei erga homines, & eiusdem *veritas*, seu veracitas, in præstandis promissis suis, *obuiauerunt sibi*, id est, simul conuenerunt & conspirarunt, nempe vt hominibus benefaciant, & promissum redemptorem ac salutem ipsis mittant. Idem mutuo pacis *osculo* concluserunt *iustitia* diuina & *pax*, id est, beneuolentia seu amor diuinus. Vnde factum, vt mox *veritas*, seu veracitas Dei, *orta* sit; Hebraicè, Græcè, Chaldaicè, progerminarit fructum suum, *de terra*, scilicet promissum Messiam, & cum eo copiam omnium bonorum. *Et iustitia* Dei, quæ diu irata latuerat, iam placato vultu *de cælo prospexit* in terram, dans illi *benignitatem*, id est, fœcundans illam rore cælestis benedictionis. Inde fiet vt *terra nostra*, quæ priùs cælo irato & clauso sterilis fuit, iam datura sit *fructum suum*, tot sæculis ex ea desideratum, putà Saluatorem & salutem mundi. Simile Isaiæ 45. *Rorate cæli*, &c. Ita ferè S. Augustinus, qui per terram Allegoricè B. Virginem intelligit; Tropologicè, cor peccatoris: è quo veritas nascitur, cùm contritio & confessio peccatorum inde promanant: tum iustificatio de cælo delabitur, &c.

℣. 14. *Iustitia ante eum ambulabit*. id est, Christus iustitiam (id est promissam mundo salutem, & consequenter debitam illi ex iustitia) semper ante oculos habebit, nempe vt eam mundo procuret: & ideò *gressus suos ponet in via*, id est, accinget se itineri, & hoc vnum aget, vt quamprimùm expleat promissum suum. De Tropologia vide S. Augustinum & Hieronymum.

PSALMVS LXXXV.

Dauid; Allegoricè, Christus, orat liberari ab hostibus, & prædicit conuersionem Gentium ad fidem.

℣. 2. SANCTVS *sum*] Id est, studiosus sanctitatis, & membrum sanctæ Ecclesiæ tuæ, tuoque seruitio & cultui dicatus per circumcisionem & cęremonias sanctas. Allegoricè, per baptismum & alia Sacramenta.

℣. 11. *In veritate tua*, id est, in lege tua, quæ A veritatem practicam, id est, iustitiam & sanctitatem docet. Vide Idiotismos Hebr. num. 14.

Vt timeat, pro, *in eo quòd timeat*. q.d. Hæc vnica sit lætitia cordi meo, quòd timeat *nomen tuum*] id est, quòd reuereatur, amet & colat te. Ita ferè Euthymius.

℣. 13. *Ex inferno inferiori*] Hebraicè, *tachtijah*, תחתיה id est, infimo, id est, qui est in imo terræ, & iuxta centrum mundi; scilicet ex limbo patrum, qui est pars inferni: & eò descendit tam Christus, quàm Dauid. Moraliter designat extremas miserias & calamitates.

℣. 16. *Da puero*, seu seruo tuo, *imperium* Israelis, quod mihi hostes violentè præripere tentant. B Hieronymus & Chaldæus, *da fortitudinem*, nempe quâ imperium mihi stabiliam.

℣. 17. *Fac mecum* sit *signum in bonum*] id est, signum bonitatis & fauoris tui erga me. q.d. Declara aliquo externo signo (v. g. insigni victoria, vel clade hostili) quòd mihi sis fauorabilis. S. Hieronymus id Tropologicè exponit de signo crucis, quod horret Satanas.

PSALMVS LXXXVI.

Sub allegoria terrenæ Ierosolymæ florentis, populosæ, munitæ, depingit Ecclesiam Christi tum militantem, tum triumphantem.

℣. 1. FVNDAMENTA *eius*, αὐτῆς, id est, templi Sion: vel populi Ierosolymitani. q. d. C Fundatum est templũ, & Ecclesia Dei, *in montibus sanctis*] scilicet Moria & Sion. Allegoricè, super Apostolos. Ita Arnobius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Euthymius. Et patet ex Apoc. 21. 19.

℣. 2. *Portas*, id est, vrbem, *Sion super omnia tabernacula Iacob*] id est, plusquam reliquas omnes ciuitates Israel. Allegoricè, Ecclesiam Christi plus quàm Synagogam.

℣. 3. *Dicta sunt* per Prophetas, de Ecclesia, maximè cælesti.

℣. 4. *Memor ero Rahab*, id est, Ægypti, vt vertit Chaldæus, quæ à suo rege *Rahab*, id est, superbo, sic רהב vocari videtur. Hieronymus vertit, *superbia*. q.d. D In hac Ecclesia etiam superbi Ægyptij & Babylonij *scient*, agnoscent & colent *me*: vnde & ego vicissim eos agnoscam, & *memor ero* illorum. Porrò meretrix *Rahab* non potest dici hîc nominari, vt רהב vult Theodoretus, quia hæc scribitur per *th*.

Alienigenæ, id est, Philisthæi, vt vertit Hieronymus & Chaldæus, *fuerunt illic* ciues & incolæ. Hebraicè, *nati sunt ibi*, in Sione & Ecclesia per baptismum.

℣. 5. *Sion dicet* (Hieronymus & Chaldæus, *Sioni dicetur*, congratulando illi:) *Homo & homo*] id est, plurimi homines nati sunt in ea. Hebraicè, *viri, isch*; nempe strenui, excellentes robore, opibus, sapientia, prodierunt ex Sion. Quos

℣. 6. *Dominus narrabit*, seu recensebit, *in scripturis*] id est, ex catalogo suo seu libro diuinæ scientiæ suæ, in quo singulos descriptos habet. q.d. Tantus est numerus, vt vni soli Deo constet, qui proinde etiam solus enarrare potest, quantus populus, & quot quantique principes Ierosolyma prodierint, & olim prodibunt. Allegoricè, ex Ecclesia Christi.

℣. 7. *Sicut lætantium*, &c.] Id est, quotquot in te habitant, verissimè lætantur, tripudiant, triumphant. *Sicut* enim non est hîc nota similitudinis, sed asseucrationis. Hoc pleniſſimè complebitur in cælis, inquit S. Augustinus.

PSALMVS LXXXVII.

Querimonia est hominis extremè afflicti, v. g. Christi patientis, inquit S. Hieronymus & Augustinus.

מחלה ℣. 1. PRo *Maheleth*] Id est, *pro choro*, inquit Symmachus, Hieronymus & Augustinus; vel *prochorea*, vt Aquila vertit, sed lugubri. Nam erat instrumentum musicum luctui seruiens, vt olim in funeribus erat tibia & nunc lira Ibernica. *Macheleth* enim idem est quod infirmitas, luctus, dolor.

Ad respondendum] Hieronymus, *ad præcinendum*, seu ad succinendum præcinenti, vt ait Augustinus.

Intellectus] Vide psalm. 31.

Eman Ezrahita] Id est, filij *Ezrah* 3. Reg. 4. 31.

℣. 5. *In lacum*] Id est, in foueam seu sepulchrum; Chaldæus, *in domum vinctorum*, scilicet infernalem, id est, in limbum. S. Hieronymus.

Sicut homo sine adiutorio] Chaldæus, *sine viribus*, id est, reputatus sum ab impijs quasi homo prorsus inualidus & ab omnibus derelictus. Nam

℣. 6. *Inter mortuos* & sepultos iam computatus, atque ita *liber* ab omnibus officiis & curis huius vitæ. Ita Theodoretus & Emanuel Sà. Hebraicè enim est, *inter mortuos absconditus*. Et sic cohæret cum sequentibus. S. Hieronymus, Augustinus; Arnobius, Euthymius, fuit, inquiunt, Christus in morte & in inferno liber à vinculis mortis & inferni: quin potiùs ipse illa disrupit, & alios vinctos liberauit.

Sicut vulnerati, scilicet ad mortem; Chaldæus & Hieronymus, *sicut interfecti* gladio. *Quorum non es memor amplius*, scilicet vt eos vitæ restituas: nam *ipsi de manu tua repulsi sunt*] id est, omni tuo auxilio & cura, quam viuis impendere soles, destituti sunt.

℣. 7. *Posuerunt*; Hebraicè, posuisti; *me in lacu inferiori*] Hebraicè, in profunditatibus, id est, in profundissima miseria, cui quasi altissimo lacui immersus iaceo. De vmbra mortis vide Iob 3. v. 5.

℣. 9. *Traditus sum* in hanc miseriarum abyssum, *& non egrediebar*, id est, inde egredi, emergere, meque extricare non possum. Patet ex S. Hieronymo & Chaldæo. Hinc *oculi mei languerunt præ inopia*, seu carentia auxilij & solatij; Hieronymus & Chaldæus, *ob calamitatem*.

℣. 11. *Numquid mortuis facies mirabilia?* Chaldæus, *miracula*: nempe suscitando eos. *Aut medici* arte sua medica poterunt illos in vitam reduce-
רפאים re? Hebraicè, *rephaim*, id est, *mortui*, an resurgent? Quod quia etiam gigantes significat, hinc S. Hieronymus vertit, *an gigantes resurgent? &* iterum *confitebuntur tibi?*] Id est, apud & inter viuentes laudabunt te, vt ante solebant?

℣. 12. *An aliquis in sepulchro* (supple positus, id est, iam sepultus:) *& in perditione* (Hebraicè, *in interitu*, id est, qui iam interiit; Chaldæus, *in domo perditionis*,) *narrabit* apud & inter viuos, *veritatem*, seu fidelitatem, *tuam*] Simile psalmo 6. v. 6.

℣. 13. *In tenebris*, id est, apud inferos, quæ est *regio tenebrarum*, & *terra obliuionis*] LXX. & Hieronymus, *obliuioni tradita*; quia qui mortui sunt, videntur excidisse omnium memoria.

Cognoscentur mirabilia tua] quæ facis in hoc mundo.

℣. 16. *Exaltatus*] Id est, grandior iam factus ætate, altior robore & dignitate. q.d. Crescenti-

A bus annis & donis tuis, pariter creuerunt & calamitates. Ita Genebrardus.

℣. 19. *A miseria*] Id est, præ vel propter miseriam, quæ me continuò circumdat.

PSALMVS LXXXVIII.

Canit promissum Dauidi in Christo eius filio regnum æternum. Vnde miratur populum eius tot iam malis ab hoste affligi.

℣. 1. ETHAN *Ezrahita*, viri sapientissimi, 3. Reg. 4. v. 31.

℣. 3. *Ædificabitur in cælis*: pro, instar cælorum, seu instar ædificij cælestis, id est, firmissimi & splendidissimi, sic *misericordia* & beneficentia diuina erga familiam Dauidis fulgebit toto orbe & durabit in æternum. Et simili modo *præparabitur veritas tua*, seu veracitas in promissis præstandis.

℣. 4. *Disposui testamentum*; Hieronymus & Chaldæus, *fœdus pepigi cum electis meis*. Abraham, Isaac, Iacob, Moyse, *Dauid*, cui & *iuraui*, quòd *præparabo*, id est, stabiliam, *in æternum*, *semen tuum*, Salomonem eiusque posteros, sed præcipuè Christum: *& sedem tuam*] id est, thronum regium, scilicet Ecclesiam Christi. Nam hæc magis de Christo, quàm de Salomone intelligenda esse, patet ex vers. 30. 37. 38. & docent S. Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, & alij Patres.

C ℣. 7. *In filiis Dei*] Chaldæus, *inter choros angelorũ*.

℣. 9. *In circuitu tuo*] Chaldæus, *circumdatte*. q.d. Vndequaque ostendis veracitatem & fidelitatem in complendis promissis tuis.

רהב ℣. 11. *Superbum*. Hebræum *rahab* designare videtur Ægyptum, vt dixi psal. 86. v. 4. seu regem Ægypti *superbum Pharaonem*, vt ait Chaldæus. Hunc *humiliasti sicut vulneratum*] Id est, tam facilè prostrauisti, atque sterni solet vulneratus lethaliter.

℣. 13. *Thabor*, mons ad Occidentalem partẽ Iudææ: *& Hermon*, ad Orientalem, inquit Chaldæus, id est, tota Iudæa. Allegoricè, tota Ecclesia Catholica: imò totus orbis, inquit Vatablus & Genebrar-
D dus. Vel *Thabor* in transfiguratione Christi: *Hermon* in multiplicatione quinque panum, idem Genebrardus. Vel denique quia in *Thabor* profligatus est *Sisara*, Iudic. 4. v. 6. in *Hermon* per vicinũ Iordanem Israel sicco pede deductus, Iosue 3. Inter accolas *Thabor* omne genus curationum fecit Christus. In Naim ciuitate *Hermon*, etiam mortuum suscitauit, inquit Euthymius, Lucæ 7. v. 11.

Exultabunt, (Hieronymus & Chaldæus laudabunt) *tuum brachium cum potentia*] Id est, potentem virtutem & robur tuum.

℣. 15. *Præparatio sedis*, id est, stabilitio throni. Hieronymus, *firmamentum basis* throni tui regij constat his columnis. Prima, *iustitia*, qua suum cuique tribues, bonis præmia, malis supplicia. Secun-
E da, *iudicio*, quo maximo delectu secernes malum à bono. Sed *& præcedent faciem tuam*, id est, semper tibi ob oculos versabuntur. Tertia, *misericordia*; & Quarta, *veritas*] seu veracitas.

℣. 16. *Qui scit iubilationem*, scilicet laudum tuarum: id est, qui ob multiplicia beneficia à te accepta concinit cum iubilo tum oris, tum cordis, laudes tuas; Chaldæus, *qui nouit complacere creatori suo cum iubilo. In lumine vultus tui*, id est, fauore & gratia tua. Psal. 4. v. 7. *Et in iustitia tua*] scilicet remuneratrice bonorum.

℣. 19. *Domini est assumptio nostra*] Hebraicè, *clypeus*; Hieronymus & Chaldæus, *protectio*. q.d.

In

in hoc gloriamur, quòd te Domine regem supremum habeamus, qui nos regit & protegit. Ita Theodoretus. A

℣. 20. *Tunc*, cùm inciperes nos assumere tibi in electum populum: nempe, olim, tempore Patriarcharum, *locutus es in visione*, id est, reuelasti Prophetis tuis, & promisisti, quòd *poneres adiutorium in potente*, id est, quòd prouideres vt fortis aliquis populo tuo opitularetur: *& exaltares electum* tuum, scilicet Dauidem, sed multò magis filium Dauidis Christum.

℣. 28. *Ego illum*, licet natura vltimogenitum, tamen *ponam primogenitum*] id est, faciam primum & principē inter omnes fratres suos, & filios, ac seruos meos; Chaldæus, *inter omnes reges Iuda*. B

℣. 30. *Dies cæli*] Id est, dies quibus cæli durabunt, inquit Chaldæus.

℣. 33. *In virga*] Id est, castigatione non tyrannica, non manu carnificis, sed paterna: non ad destructionem, sed ad correctionem.

℣. 34. *Neque nocebo in veritate mea*] Id est, nihil detraham de fideli promisso semel facto; Hieronymus & Chaldæus, *non mentiar* contra veritatem meam.

℣. 36. *In sancto meo*, (Chaldæus addit, *nomine*, id est, per memetipsum, meamque sanctitatem,) *iurauí*, quòd *semen Dauid*, nempe Christus, & Christiani, *æternum* durabit.

℣. 38. *Thronus eius sicut sol*, æternùm stabit C & lucidus erit, inquit Chaldæus, *& luna perfecta*] seu plena lumine.

Et testis in cælo, id est, cælestis, stabilis, & *fidelis* harum mearum promissionum de regno Dauidis & Christi perpetuando; erit *sol & luna*: quemadmodum iris iam pridem testis est promissi mei de non inducendis iterum aquis diluuij in vniuersam terram, Genes. 9. Ita Iansenius.

Notat R. Dauid Kimhi, sicut luna subinde obscura, subinde ex parte lucida, subinde ex toto, semper tamen durat; sic & regnum Christi, nempe Ecclesia, *fluctuat, ast numquam mergitur illa ratis.*

℣. 39. *Tu verò repulisti.* q.d. Videris iam, ô Deus, horum promissorum planè oblitus, & omninò *repulisse* à te, seu *deseruisse*, vt habet Chaldæus, imò *despexisse*, & *distulisse*, seu procul à te elongasse *Christum* vnctum tuum; Hieronymus & Chaldæus, *iratus esse Christo tuo*: dum finis eum vndique ab hostibus premi, calcari, & ad infamem mortem rapi. Posset etiam exponi, distuliisse aduentum Messiæ in nimis longum tempus, iuxta dicenda infrà v. 52. adeò vt videaris iam *euertisse*; Chaldæus, irritum feciisse, *testamentum* seu pactum, quod cum *seruo tuo* Dauide pepigeras. Nam *profanasti*, id est, quasi rem profanam abieciisti, *in terra*; Chaldæus, *ad terram* vsque, *sanctuarium*, id est, templum & religionem: vel, vt vertit Hieronymus & Chaldæus, *diadema* seu *coronam eius*, id est, regiam E eius dignitatem.

℣. 41. *Sepes*, id est, munitiones. *Firmamentum eius*, arces & oppida munita, *posuisti formidinem* nobis, non tutamen aut refugium, quia nempe iam occupant illa hostes nostri, vnde formido nobis ob imminens exitium.

℣. 44. *Auertisti* (Chaldæus, *vertisti retrorsum*, seu in fugam) *adiutorium gladij eius*] id est, eos qui in bello Ecclesiam iuuare solebant.

℣. 45. *Destruxisti eum ab emundatione*] Hieronymus, *cessare fecisti* omnem *eius munditiam*, nitorem & splendorem; Chaldæus; *abstuliisti sacerdotes* & sacrificia & Sacramenta *quibus emundabatur.*

℣. 46. *Minorasti dies temporis eius*] Hieronymus & Chaldæus, *abbreuiasti dies adolescentiæ* vel *iuuentutis* regni *eius*. q.d. Regnum, quod æternum fore promiseras, extinguis dum primùm adolescit. Designantur his & sequentibus variæ persecutiones & afflictiones Ecclesiæ, sub typo regiæ familiæ Dauidis, quæ nunc ab Assyriis, nunc à Babyloniis, nunc à Syris, nunc à Romanis, nunc ab aliis hostibus mirè exagitabatur.

℣. 48. *Quæ mea substantia*] id est, subsistentia & firmitas vitæ meæ. q.d. Memento Domine, quàm tenuis & breuis durationis sim, vt non sit opus tot calamitates ad me conterendum aggerere.

An *vanè constituisti omnes filios hominum?*] Hieronymus & Chaldæus, *frustra omnes creasti?* Si enim deseris quos charissimos habes, nempe filios Ecclesiæ tuæ, multò potiori iure etiam reliquos deseres tibi inimicos: atque ita frustrà videberis creasse genus humanum, nempe ad nudas & meras miserias, ac tandem ad *inferos*, vt sequitur.

℣. 51. *Continui*; Hieronymus, *portaui*; Chaldæus, *sustinui*, *in sinu* seu corde *meo*] Id est, tacitus deuoraui, & iam non commemoro, sed prætereo.

℣. 52. *Commutationem Christi tui*] Id est, te mutasse sententiam de Christo Messia, vel iam non mittendo nobis, vel non nisi tardè admodum mittendo. S. Hieronymus, *vestigia Christi*; Chaldæus, tarditatem vestigiorum Christi. q.d. Exprobrant nobis, Vbi manet promissus toties Christus vester? admodum tardigradus est, vel certè loripes aut claudus: calces læsos, aut pedes fractos, aut plumbeos calceos habet. Ita Vatablus & Genebrardus. Sed his blasphemiis hoc vnum opponit Propheta:

℣. 53. *Benedictus Dominus*, cuius prouidentiæ omnia committo, & quem scio certissimò, non obstantibus his omnibus, conseruaturum regnum Christi sui, vt promisit, *in æternum.*

PSALMVS LXXXIX.

A quo incipit liber IV. Psalmorum, qui ferè totus est de Messia. Hoc Psalmo deplorat Moyses vitæ humanæ breuitatem, & multiplices ærumnas ex peccato: oratq; corrigi hac per Christum.

℣. 1. ORATIO *Moysi hominis Dei*] Chaldæus, quam orauit Moyses quando peccauit populus in deserto. Putat S. Hieronymus & Genebrardus, Moysen etiam 10. sequentium psalmorum, qui in Hebræo titulis carent, auctorem fuisse. *Hieron. in epist. ad Cyprianum.*

℣. 3. *Ne auertas hominem in humilitatem*, seu vilitatem & abiectionem: id est, ne sinas hominem cadere in extremam miseriam; Hieronymus, *in contritionem*, Chaldæus, *in mortem.*

Et, (pro, quia) *dixisti, Conuertimini* ad me. q.d. Protestatus es, te nolle mortem peccatorum, sed vt conuertantur & viuant. Aliter Iansenius & Mariana: *Dixisti*, id est, definiuisti: Reuertimini, ô mortales, in puluerem ex quo creati estis.

℣. 4. *Et custodia in nocte*] Id est, & sicut vigilia vna noctis. q.d. Sat per se depressi & humiliati sunt homines: nam vt viuerent mille annis, non pluris id foret respectu æternitatis tuæ, quàm si vnicam vixissent particulam noctis. Ita Theodoretus.

℣. 8. *Sæculum nostrum*, id est, totum decursum

vitæ nostræ, id est, omnes actiones nostras bonas & malas, Hieronymus, *negligentias*, Chaldæus, *iniquitates iuuentutis nostræ, posuisti in illuminatione vultus tui*] id est, ante oculos tuos lucidissimos.

℣. 9. *Meditabuntur*] Passiuè, proreputabuntur: vel inter meditandum & satagendum abrumpentur. q.d. Sicut aranea, dum totam se euiscerat, nihilque aliud meditatur quàm vt telam texat quâ muscas capiat, solet ab ancilla scopis subitò cum sua tela & musca in humum detrahi & pede conteri, vel in ignem coniici: sic accidit hominibus, inquit S. Hieronymus & Theodoretus. Aliam quoque similitudinem suggerit S. Hieronymus, dum vertit, *quasi sermonem*, seu fabulam *loquens*; Chaldæus, *quasi vapor oris in hieme*.

℣. 10. *Superuenit mansuetudo* tua nobis, id est, mansuetè & benignè nobiscum agis, dum corripis nos, & tempus miserrimè vitæ huius, quæ mors potiùs est quàm vita, breui termino circumscribis. Hebraicè, *quoniam secatur citò* hæc vita, *& euolamus*; Chaldæus addit, *in pulverem*. Eodem ferè modo vertunt Hieronymus, Symmachus & alij.

℣. 11. *Quis nouit potestatem* (Hieronymus & Chaldæus, fortitudinem) *iræ tuæ, & pre timore tuo iram tuam?*] Id est, quantum timeri debeat ira tua? q. d. Posses nobis meritò longè acriùs irasci, nosque punire ampliùs in immensum. Tantæ malitiæ sunt peccata nostra.

℣. 12. *Dexteram tuam*, vindicem scelerum nostrorum, *sic* (per flagella) *notam fac* hominibus, vt *erudiantur* corde, & *sapientes* euadant; scilicet horrorem inde concipiant peccati, quod causam dat illis flagellis: Item ex leuioribus hisce pœnis discant æstimare & fugere pœnas æternas.

℣. 13. *Vsquequo* affliges nos? inquit Chaldæus.

℣. 14. *Repleti sumus* (Hieronymus, Aquila & Chaldæus, *reple, satura nos*) *misericordia tua mane*] Id est, citissimè. Sic

℣. 15. *Lætati sumus*, pro lætemur, vel *lætifica nos, pro diebus*] Id est, pro ratione durationis, multitudinis & magnitudinis dolorum quos toleranimus.

℣. 16. *In opera tua*] Id est, in nos qui sumus opus manuum tuarum, à te creati, conseruati, ornati.

℣. 17. *Splendor*] Hieronymus, *decor*, Chaldæus, *dulcedo horti deliciarum*. Quæ omnia sunt fauor seu gratia diuina, eiusdemque protectio, solatium & auxilium, vt dixi psal. 4. v. 7.

PSALMVS XC.

Fiducia in Deum, contra hostes & mala omnia tutissimum est asylum. Theodoretus scriptum putat de Ezechia contra Sennacherib, 4. Reg. 19. Seruit tentatis & tribulatis, vt fusè & pulchrè S. Bernardus.

Bern. in psal. 90.

℣. 3. A VERBO *aspero*] Hieronymus, *à morte insidiarum*; Chaldæus, *à morte & tumultu*; Hebræi, *à peste exitiali*, pro *dabar*, id est, verbum, legentes *deber*, id est, pestis. Potest verò intelligi in genere, à quauis re noxia. S. Bernardus: Multi timent tamquam asperum verbum, *Agite pœnitentiam*: sed asperius erit, *Ite maledicti in ignem æternum*.

דבר
דבר

℣. 4. *Scapulis*] Id est, brachiis vel alis; Hebraicè, *pennis expansis*, sicut gallina protegit & fouet pullos suos. Ita S. Augustinus.

℣. 5. Quasi *scuto circumdabit te veritas eius*] id est, verax & fidelis cura Dei, vt timere non debeas terricula nocturna, nempe

℣. 6. *A sagitta volante*] Id est, à subitis & inopinatis casibus ac periculis, quæ instar sagittarum ex improuiso inuolant & enecant hominem, vt sunt venefficia sagarum, venena hostium, gladij latronum, subitæ pestes, & alij morbi.

A negotio, id est, molestia, *perambulante*, seu occursante, *in tenebris*] id est, occultè. v.g. à lemuribus, manibus, dæmonibus, aliisque spectris & terriculis, quæ domos, & plerumque noctu, infestare solent. In Hebræo rursum pro *dabar*, id est, negotio, vt legerunt LXX. iam legitur *deber*, id est, pestis, quæ *in tenebris* occursare dicitur, quia ex causis occultis & incertis; eoque difficilior curatu.

דבר

Ab incursu & dæmonio meridiano] Hebraicè, à *morbo repentino*; Hieronymus, à *morsu insanientis meridie*; Chaldæus, à *caterua dæmonum qui meridie grassantur*; vel à dæmone eiusque assecla palàm & media luce te oppugnantibus, v. g. ab adulteris senibus qui Susannam: ab vxore Putipharis quæ Ioseph palàm solicitabat ad scelus: item à tyrannis, ab hostibus, à bellis, à belluis, &c. q.d. Deo protectore tutus eris, nec timebis ab vllo genere mali, quod seu die, seu nocte; seu palàm, seu occultè; seu publicè, seu priuatim; seu dæmon, seu homo tibi, seu scienti, seu non aduertenti machinari possit. Ita ferè S. Augustinus. Quin potiùs

℣. 7. *A latere tuo*, scilicet sinistro, *mille* alij *cadent* peste, gladio, vel alio casu: & longè plures *à dextris tuis*] id est, circum & iuxta te; te in medio telorum prorsus innoxio & intacto. Ita patuit in cæde Madianitarum tempore Gedeonis, Iudic. 7. decies centenorum millium Æthiopum sub Aza rege Iuda, 2. Paralip. 14. tot millium Moabitarum sub Iosaphat, 4. Regum 3. centum octoginta quinque millium Assyriorum sub Ezechia 4. Reg. 19. &c.

℣. 13. *Super aspidem*, qui mordet alioqui calcaneum: super *basiliscum*, qui solo visu necat hominem, tutus incedes: & *leonem*, qui omnibus est horrori; & *draconem*, qui omnibus exitio, quasi vermiculos, *conculcabis*] q.d. Nulli serpentes, nullæ feræ, nullæ belluæ, nulli diaboli, nulli tyranni, nullæ insidiæ tibi nocebunt. Exemplo sit vipera Pauli, Actor. vlt. vrsi & leones Dauidis, Samsonis, Danielis, Noë in arca, & alij milleni. S. Bernardus per hæc quatuor animantia intelligit diuersos dæmones diuersorum ingeniorum, & ad diuersa scelera solicitantium, vt insinuatur Lucæ 10. & de aliquibus egi Tobiæ 3. v. 8. v. g. *Aspis* est dæmon inspirans tristitiam, melancholiam, desperationem: *basiliscus* dæmon ingerens vanam gloriam, præsumptionem, affectum carnalem: *leo*, superbiam, iram, vindictam: *draco* auaritiam, gulam, desidiam. Quos contrariis virtutibus supplantare & conculcare debemus.

PSALMVS XCI.

Laudandus Deus, eò quòd omnia eius opera sint magna & & mirabilia: maximè quibus malos punit & perdit, bonos seruat & præmiat.

℣. 1. IN *die sabbathi* decantandus.

℣. 3. *Mane, & per noctem*] Id est, semper, continuò.

℣. 8. *Et apparuerint*, supple, in flore suo, id est, *floruerint*, triumpharint, vt vertit Hieronymus & Chal-

Chaldæus. *Vt intereant*; Hieronymus, *conterantur*, A Chaldæus, *destruantur* in æternum. q.d. Non diu florentes manebunt, sed citò exscindentur.

℣. 11. *Sicut vnicornis*, nempe sic altissimum, durissimum & pulcherrimum erit *cornu*, id est, robur, decus & regnum, *meum*.

Et senectus mea exaltabitur *vberi misericordia*, id est, copiosa & larga munificentia Dei; Hebraicè, *oleo recenti*, pingui, fragranti. q.d. Tempus senectutis meæ non erit exsuccum, aridum aut sterile, destitutum solatiis & gaudiis seu corporalibus, seu spiritualibus, vt sæpe accidit impiis: sed erit succulentum, pingue & floridum.

℣. 12. *Despexit*, id est, ex alto conspexit, *inimicos*, supple, *interire*, vt ait Chaldæus. *Et in insurgentibus*, &c.] Id est, audiam quoque punitionem ceterorum omnium hostium meorum, qui malignè aduersum me insurrexerunt. Ita Symmachus & Theodotion. B

℣. 13. *Vt palma*] Quæ Primò, semper viret; Secundò, firmissima arbor est; Tertiò, fructum dat suauissimum; Quartò, diutissimè viuit: vnde symbolum est immortalitatis; Quintò, quò magis deprimitur, eò altiùs assurgit; Sextò, aspera est radice in terra, sed pulchra & alta coma sub cælo.

Et *sicut cedrus*] Quæ Primò, altissima arbor est, Secundò, incomputrescibilis; Tertiò, rectissima; Quartò, semper foliis ornata; Quintò, odore est suauissimo; Sextò, vndique copiosè se multiplicat ramis & foliis; Septimò, vmbra eius est gratissima. Sic iusti conuersatio est omnibus optatissima, &c. Opponit verò has insignes iustorum proprietates fœno sterili & instabili impiorum, suprà vers. 8. C

℣. 15. *Multiplicabuntur adhuc* (Hieronymus, *fructificabunt* & crescent ampliùs, tum fortunæ, tum naturæ, tum gratiæ donis; Chaldæus, *adhuc procreabunt filios*) *in senecta vberi*] id est, in senectute sua pingui, vegeta & fœcunda, nempe, quando alij deficere & decrescere solent. Sic senectus iustorum heroicis virtutum actibus scatet.

Et bene patientes. Καὶ πάθωσιν, id est, benè dispositi, valentes, vegeti *erunt*] Καὶ πάθεια enim est bona corporis dispositio & affectio. Vnde Hieronymus & Chaldæus vertunt, *pingues & virentes*; Symmachus, vigentes, opimi, bene germinantes. D

℣. 16. *Vt annuntient*] nempe quod sequitur, putà Dei iustitiam & immensam bonitatem.

PSALMVS XCII.

Laudat Deum ob creatum mundum; Allegoricè, ob fundatam Ecclesiam.

DIE *ante sabbathum*, id est, feria sexta cantandus: quo die *terra fundata est*] scilicet plenè: vel, vt alij ex Græco vertunt, *inhabitata est*: nam die Veneris creati sunt primi terræ incolæ Adam & Eua. Sed hic titulus, vt & plurium sequentium psalmorum, non est in Hebræo, neque in Hexaplis Origenis, neque in Eusebio, neque in correctioribus Græcis, inquit Euthymius & Theodoretus.

℣. 1. *Dominus regnauit* in mundo, iam inde ab initio, *indutus decorem*, id est, gloriam, maiestatem, & *fortitudinem*, quâ *præcinxit se* instar potentissimi regis, vt faciat quæcumque vult, creet ex nihilo qualem videmus mundum, adeò firmum & stabilem & splendidè ornatum. Allegoricè, Christus resurgens induto corpore glorioso, stipatus choro Sanctorum, fundauit Ecclesiam, inquit S. Hieronymus & Theodoretus.

℣. 2. *Sedes tua*, id est, thronus tuus regius, *parata* tibi est *ex tunc*] id est, ab initio mundi: vel ab æternitate, vt S. Augustinus.

℣. 4. *A vocibus*, id est, præ strepitu & sonitu *aquarum multarum* confluentium & mutuò collisarum.

Mirabilis, pro, mirabilior, est Deus *in altis*] Chaldæus, *in cælis superioribus*: nempe, vnde has elationes maris & furores fluctuum (Allegoricè, impetus tyrannorum) coërcet, frangit, compescit. Ita S. Augustinus.

℣. 5. *Testimonia*, id est, promissa tua, quibus testatus es & promisisti per Prophetas, te regnum tuum in terra nostra, id est, in Ecclesia, perpetuaturum, *sunt nimis credibilia*; Hieronymus, *fidelia*; Chaldæus, *vera*. q.d. Dignissima creditu: quia & hactenus te id præstitisse sensimus: & ea argumenta continuationis deinceps à te procurandæ habemus, vt nulla ex parte dubitare possimus. Vnde maximè *decet*, *domum tuam*, quam inter nos elegisti, id est, templum & Ecclesiam tuam, perpetuò sanctam, & ab omni hostium profanatione liberam conserues. Ita S. Hieronymus. Quæ Tropologicè, etiam animæ nostræ conueniunt.

PSALMVS XCIII.

Orat vt Deus refranet, comprimat & vlciscatur impios qui opprimunt innocentes.

QVARTA *sabbathi*] Id est, feria quarta, seu die Mercurij: tunc enim solebat hîc psalmus recitari.

℣. 1. *Deus vltionum Dominus* (Chaldæus, *auctor vltionis*; nempe ad quem spectet vlcisci impios,) *liberè egit*,] id est, pro placito suo, quando & quomodo voluit, semper vltus est impios, quantumuis multos, nobiles, potentes.

℣. 2. *Exaltare*. q.d. Ergo etiam nunc altiorem te ostende *superbis* hisce tyrannis.

℣. 10. *Qui corripit*, seu corripuit semper hucusque & puniuit omnes *gentes*, parcetne vobis, & *non arguet* vestram nequitiam?

℣. 13. *Mitiges ei* ærumnas & calamitates quæ pio homini obueniunt *à diebus malis*, ne scilicet suprà vires opprimatur: *donec fodiatur peccatori fouea*] id est, donec ij intereant qui ipsum vexant.

℣. 15. *Quoadusque iustitia cõuertatur in iudicium*, id est, donec iustitia exequatur iustum iudicium & exeat in vindictam. q.d. Quamdiu in republica florebit executio iustitiæ, & vindicta malorum: & quamdiu *iuxta illam* iustitiam erunt, id est, iustitiæ adhærebunt, & iustæ pœnæ exequendæ inuigilabunt, *omnes qui recto sunt corde*.

℣. 17. *Paulò minus habitasset in inferno anima mea*] Id est, parum abfuisset quin hostes spoliassent me vita, & ad inferos misissent. Tropologicè, quadrat in peccatores.

℣. 18. *Si dicebam* Deo in oratione: *Motus est pes meus*] Id est, vacillant res meæ, perij, actum est de me, ni succurras; q.d. Statim atque Deo exposui necessitatem & periculum meum, opem tulit mihi, inquit S. Hieronymus.

℣. 20. *An adhæret tibi sedes iniquitatis*? Id est, an tibi est iniquum tribunal? aut aliquid tibi commune est cum iniquo tribunali?

Qui fingis laborem in præcepto] Id est, qui instar figuli plasmasti & condidisti, nobis præcepta labo-

laborioſa & ardua. q. d. An forſan inſtar iniquorum iudicum, non adminiſtrabis nobis iuſtitiam, etiam poſtquam tam ardua præcepta quæ nobis dediſti, ſeruauimus? A

℣. 21. *Captabunt in animam*] Hebraicè, turmatim conueniunt & coaceruantur impij iudices, vt innocentem capiant & perdant.

PSALMVS XCIV.

Inuitat omnes ad Dei cultum, laudem & obedientiam. Theodoretus appropriat Ioſiæ regi Iudæ, cùm ſublatis idolis & idololatria, tamquam victor & triumphans de ſubacta idololatria, traducit omnes ad Deum, 4. Reg. 22. & 23.

℣. 2. PRÆOCCVPEMVS *faciem eius* (Hieronymus & Chaldæus, *præueniamus*, ſcilicet antequam iraſcatur & nos puniat. Vel maturemus manè ante lucem venire ad Deum) *in confeſſione*, id eſt, laude & gratiarum actione. Et, vt S. Auguſtinus Tropologicè, confeſſione peccatorũ. B

℣. 10. *Offenſus fui*] Ita Hebræa, Aquila & Symmachus; Hieronymus, *diſplicuit mihi*; Chaldæus, *aſpernatus ſum*. Quod ergo in Pſalterio Romano legitur, *proximus fui*, hoſtiliter intelligendum eſt, vt idem ſit quod, infenſus vel infeſtus inſtiti, appropinquaui, incubui Hebræis, tamquam exactor & vltor.

℣. 11. *Vt*, ſeu ſicut, *iuraui*, *Si introibunt*, ſubaudi, mendax ſim. q. d. Non (*a*) introibunt *in requiem meam*] id eſt, in terram quietis quam promiſeram; Anagogicè, in cælum, ad Hebræos 3. & 4. C

a Proleg. de Idiotiſm. Hebr. n. 13.

PSALMVS XCV.

Inuitat omnes ad laudandum Deum in Sion; Allegoricè, in Eccleſia Chriſti, ob redemptionem & ſalutem per Chriſtum partam, & ob iudicia Dei aquiſſima. Ita S. Chryſoſtomus.

℣. 1. QVANDO *domus ædificabatur poſt captiuitatem*. Quamuis 1. Paralip. 16. dicatur hic pſalmus cantatus fuiſſe in tranſlatione arcæ in Sion: tamen videtur iterum decantatus, vt patet ex hoc titulo, cùm *domus*, id eſt, templum Dei, *reædificabatur* à Zorobabele *poſt* Babylonicam *captiuitatem*. D

℣. 6. *Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius*] Chaldæus, *laus & gloria coram eo*, ſeu ſemper adſunt Deo. Item *ſanctimonia & magnificentia* ſemper relucent *in ſanctificatione eius*, id eſt, in ſanctuario, vt vertunt Hieronymus & Chaldæus. Allegoricè, in Eccleſia Chriſti; Tropologicè, in anima. Vbi S. Auguſtinus: *Turpis es peccator: vis eſſe pulcher? confitere peccata tua.* Anagogicè, in cælo.

℣. 7. *Patriæ*] Id eſt, familiæ: Græcè enim πατριὰ familiam ſignificat.

מנחה ℣. 8. *Hoſtias*] Hebraicè, *mincha*, erat ſacrificium incruentum panis, de quo vide Geneſ. 14. v. 18. Allegoricè, Euchariſtia. E

℣. 9. *Commoueatur*; Hieronymus, *paueat*; Chaldæus, *contremiſcat*; Aquila, *parturiat*, vel, vt Hebraicè eſt, *crucietur more parturientis*. nempe ad laudes Deo debitas religioſè pariendas ſollicita & anxia laboret *omnis terra*, id eſt, omnes habitatores terræ.

℣. 10. *Dominus regnauit*] ſcilicet, *à ligno*. & licet hoc non ſit in Hebræo: tamen addiderunt LXX. Spiritu prophetico pluſquam 200. annis ante aduentum Chriſti: & veteres Patres ſic legerunt, Iuſtinus Martyr, Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Arnobius, Auguſtinus, Caſſiodorus, & Pſalterium vetus Romanum & Gothicum. Ex noſtris LXX. Interpretum exemplaribus id ſuſtulerunt Iudæi æmuli crucis Chriſti (inquit Iuſtinus) vel alij quidam ſcioli, cùm id in Hebræo non reperirent. Senſus ergo eſt, quòd Chriſtus non vi & armis, non etiam ſanguinis ſucceſſione, aut publica vniuerſi electione conſequetur regnum ſuum, ſed *à ligno*, id eſt, per & poſt lignum, ſeu merito mortis ſuæ in *ligno* crucis toleratæ. Sic enim *Iuſtin. cont. Tryphon.*

Correxit orbem Chriſtus, partim cæleſti doctrina ſua, partim ſupplicio crucis, fœdatum & lapſum orbem, ac per peccata valdè tortuoſum, debito nitori & formæ reſtituens, inquit S. Hieronymus; idque tanta ſoliditate, vt in æternum non ſit inde commouendus. Allegoricè, quadrant in Eccleſiam Chriſti, quæ numquam à vera fide & religione deflectet.

℣. 11. *Cæli, terra, mare, campi*] Eſt proſopopœia, ſignificans, aduentu & regno Chriſti tantam fore vbique lætitiam ſpiritualem, vt omnes & ſingulæ creaturæ gaudio geſtire & ſubſilire videantur. Maximè quando Chriſtus ſecundo aduentu ſuo, vt dicitur v. ſeq. ad iudicium vniuerſale, innouabit totum mundum, & *omnis creatura liberabitur à ſeruitute & corruptione*, ad Rom. 8. v. 21.

Nota. Hæc creaturarum lætitia non eſt ex appetitu rationali aut ſenſitiuo, quia his carent, ſed merè naturali. q. d. Tantum eis boni obueniet, vt, ſi noſſent, gauderent, exultarent & plauderent.

PSALMVS XCVI.

Depingit extremum iudicium, & maieſtatem iudicis Chriſti. Ita Genebrardus, & patet ex epiſtol. ad Hebræos cap. 1. verſ. 6.

℣. 1. QVANDO *terra eius reſtituta eſt*, hoſtibus erepta, & legitimo domino reddita, fortè poſt cædem Abſalomi. Allegoricè, quando Eccleſia priſtinæ paci redditur; Anagogicè, quando mundus innouabitur, & Sancti cælo tranſcribentur.

℣. 2. *Nubes & caligo*, &c.] Id eſt, nube caliginoſa & ſpiſſa, in modum throni adaptata, circumdatus Chriſtus deſcendet peracturus iudicium.

Iuſtitia & iudicium erunt *correctio ſedis eius*] id eſt, rectitudo ſeu columnæ throni eius, vt dixi pſal. 88. v. 15.

℣. 3. *Ignis*, (quo conflagrabit vniuerſus orbis, 2. Petri 3. v. 7. & 10.) *præcedet* immediatè Chriſtum antequam deſcendat ad iudicium. Ita Theodoretus & Theologi atque interpretes paſſim, contra Ianſenium, qui id exponit de linguis igneis in Pentecoſte, & totum hunc pſalmum accipit de primo Chriſti aduentu.

℣. 6. *Annuntiauerunt cæli*] Pro, annuntiabunt toti orbi, cùm pluent ignem, ſulphur, grandinem, fulmina, & tot edent ſigna, iuſtitiam venturi iudicis, ſeu ipſum iuſtum eſſe vindicem peccatorum. Item quando findi videbuntur maximo hiatu, vt deſcendenti Chriſto viam pandant, manifeſtabunt *omnibus populis gloriam* & maieſtatem *eius*.

℣. 8. *Audiuit Sion*, id eſt, Eccleſia, *& filiæ Iudæ*] id eſt, animæ fideles, nempe ſummo iubilo ſenſerunt aduentantem iudicem.

℣. 11. *Lux*] ſcilicet æternæ & cæleſtis gloriæ, vel in genere, felicitas omne genus obuenit iuſtis. Vnde

℣. 12.

℣. 12. *Lætamini iusti & confitemini*, id est, laudibus celebrate, *memoriam sanctificationis* huius iudicis, qui impios seuerè punit, & pios tanta gloria & beatitudine præmiat.

PSALMVS XCVII.

De regno Christi æterno, & renouatione mundi per Christum.

℣. 1. SALVAVIT, id est, salutem peperit, *sibi* sua omnipotentia: nempe propria virtute resurgendo à morte, & totum mundum sibi subiugando; Allegoricè, suæ fidei subiiciendo.

℣. 6. *Tubis ductilibus*] id est, è ducto fusoque metallo confectis.

℣. 8. *Flumina plaudent manu*, &c.] Id est, omnes creaturæ edent signa summæ lætitiæ, vt dixi Psalm. 95. vers. 11.

PSALMVS XCVIII.

Arcâ iam in nouo tabernaculo pacificè repositâ in monte Sion, 2. Reg. 6. v. 17. inuitat omnes ad Deum inibi adorandum & sacrificiis honorandum exemplo Moysis, Aaronis & Samuelis. Allegoricè, omni cultu honoranda S. Eucharistia: Item B. Virgo Deipara.

℣. 1. IRASCANTVR licet *populi* hostes Israelis, *regnauit*, ab initio, regnabitque æternùm *Dominus, qui* in propitiatorio *sedet super Cherubim*, quasi in curru suo triumphali, ac manifestat se Israeli, dans responsa & dona ac beneficia omne genus. Hinc *moueatur terra*.] Id est, paueant, contremiscant incolæ terræ, vt psal. 95. v. 9.

℣. 4. *Honor*; Hebraicè, *fortitudo*, vt & Chaldæus; vel, vt Hieronymus, *imperium*, *regis diligit iudicium*: id est, regia potentia & maiestas Dei gaudet vti non tyrannide, sed suaui imperio, & iusto iudicio. Ita Theodoretus. Vnde *parasti directiones*] id est, recta, æqua, iusta præcepta & iudicia nobis sanxisti, inquit S. Hieronymus. Porrò tres rationes hîc assignat cur laudandum sit nomen Domini. Prima, quia terribile & sanctum est, v. 3. Secunda, quia iudicium diligit, v. 4. Tertia, quia parat directiones, ibid.

℣. 5. *Adorate scabellum pedum eius*] id est, arcam, quæ erat parua cistula oblonga, sub propitiatorio posita quasi scabellum. Allegoricè, Adorate S. Eucharistiam: nam corpus Christi nemo manducat, nisi priùs adorauerit, inquit S. Augustinus.

Nota etiam contra hæreticos, eodem sensu & modo quo iubentur hîc Hebræi adorare arcam, Christianos iam adorare, id est, honorare, reliquias & imagines Dei ac Sanctorum.

℣. 6. *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius*] id est, erant sacerdotes, & quidem summi, seu pontifices. Nam & Moyses passim sacrificasse legitur in Exodo, maximè quando Aaronem consecrauit Pontificem, c. 29. Sed ex eo tempore ius omne ordinarij sacerdotij in fratrem eiusque posteros resignauit.

Et Samuel non postremus fuit *inter eos qui inuocant nomen Domini*] frequenti & solemni sacrificatione & oratione, qua impetrabat à Deo salutem populo. Non tamen fuit Samuel sacerdos ordinarius, vtpote non ex Aarone, sed ex Isaar patruo Aaronis prognatus, vt patet ex 1. Regum 1. vers. 1. collato cum 1. Paralip. 6. vers. 2. & 34. Ergo purus Leuita fuit: sed extra ordinem ex speciali dispensatione & indulto Dei facultatem habuit sacrificandi, vt dixi 1. Reg. 2. in fine cap.

Inuocabant Dominum] coram hac arca sacrificantes & adorantes. Quamobrem etiam vos Hebræi imitamini hanc pietatem vestrorum patrum & principum.

℣. 8. *Vlciscens in omnes adinuentiones eorum*] passiuè, id est, *in omnes iniurias* (vt Symmachus vertit) aduersus Moysen, Aaronem vel Samuelem ab hostibus vel æmulis eorum adinuentas. Hebraicè, *in omnia opera*, studia, artes, molitiones contra eos adornatas. Respicit enim ad molestias & iniurias ipsis illatas à Core, Dathan, Abiron, Saule, &c. Ita Genebrardus & Euthymius.

PSALMVS XCIX.

Hortatur omnes ad hilarem Dei confessionem, id est, laudem, gratiarum actionem & cultum.

℣. 2. IN *exultatione*] id est, cum lætitia. *Omnis seruitus hominum*, inquit S. Augustinus, *amaritudine & murmure plena est; sed seruitus Dei libertas est & lætitia: vbi non necessitas, sed charitas seruit, quam dat veritas, id est, Christus.*

℣. 4. *Introite portas eius*, scilicet templi, & per portas in *atria*] Neque enim licebat Hebræis ipsum templum, seu sanctuarium, (quod constabat Sancto & Sanctosanctorum,) ingredi: huc enim solis sacerdotibus patebat accessus: sed populus orabat in atriis quæ erant ante Sanctum, & ante septa sacerdotum, vt dixi 3. Reg. 6. & alibi.

PSALMVS C.

Dauid in seipso (vel, vt Theodoretus vult, in Iosia rege) officium pij & iusti principis describit.

℣. 1. MISERICORDIAM *& iudicium*, scilicet quæ semper adhibes in omni actione tua, *cantabo tibi*] id est, canticis celebrabo.

℣. 2. *Intelligam in via immaculata*, id est, dabo operam vt intelligam qua via pertingere possim ad vitam immaculatam & innocentem. Id verò intelligam, *quando venies ad me*] id est, illuminabis & docebis me. Theodoretus & Iansenius interrogatiuè legunt, *quando venies?* quando cælesti sapientia illuminabis me?

℣. 4. *Declinantem à me*, id est, à mea pia vita & probis moribus, *non cognoscebam*] id est, non tolerabam inter meos officiales.

℣. 6. *Oculi mei*, supple, intenti erant, *ad fideles terræ*, id est, ad eos qui ex omni terra Israel fideliores probabantur Deo & principibus suis, *vt sederent mecum*] id est, meo lateri perpetuò iungerentur, meque adiuuarent in regno administrando.

℣. 7. *Non direxit*] scilicet vitam suam, id est, non prosperauit, nec perseuerauit apud me. Hebraicè, *non firmabitur apud me.*

℣. 8. *In matutino*] Id est, summo manè, id est, maturè & tempestiuè antequam inualescerent, purgabam aulam, adeoque & regnum meum, ab impiis & sceleratis ministris. Id de Dauide testatur liber 2. Regum: de Iosia liber 4. c. 22. & 23.

PSAL-

PSALMVS CI.

Extremis obrutus miseriis (quas vsque ad v. 13. poëtica hypotyposi pulchrè describit) opem implorat diuinam, simulq; vt instaurentur Ierusalem & templum à Chaldæis exustum.

Allegoricè, conuenit Ecclesiæ Christi, Tropologicè animæ afflictæ, inquit Theodoretus.

℣. 4. CREMIVM] Symmachus vertit, *incendium torris*: & Hieronymus dicit, Colúmellæ *cremium* esse *torrem*: Scholiastes Bibliorum Romanorum, dicit esse id quod ex concremationè torridum remansit, putà titionem extinctum; vt *cremium* idem sit quod *crematum*. Vatablus vertit, *focus*; Hieronymus & Augustinus, *frixa*; Aquila, *vt cinis*; Chaldæus, *chytropodes*, id est, tripodes. Omnes eodem sensu, q.d. Tantus est dolor meus, vt succum corporis omnem & medullam ossium exhauserit, ita vt ossa mea ex eo planè arefacta, tosta, & quasi frixa contabuerint. Id Christus in cruce merito de se dicere potuit: possunt & Martyres, inquit S. Augustinus.

Hieron in Osiæ 10.

℣. 5. *Vt fœnum* nimio æstu solis aresci, sic ego *percussus* nimia afflictionum vredine contabui. Accessit & inedia, *quia* præ virium impotentia & mœrore, *oblitus sum comedere panem*] Id est, non potui refici cibis.

℣. 6. *A voce gemitus mei*] seu propter continuos gemitus & suspiria, factus sum exsuccus totus & sine carne: adeò vt ossa adhærent cuti meæ. Ita S. Hieronymus.

℣. 7. *Pellicano solitudinis*] id est, solitario & lucifugo. De pellicano scribit S. Hieronymus, Augustinus, Isidorus, Albertus Magnus & alij apud Gesnerum; *auem* esse *Ægyptiacam in Nili solitudinibus commorantem, quæ pullos à serpente occisos, lateribus rostro perforatis, suo sanguine excitat.* Quod in Christum crucifixum pulcherrimè quadrat. Sed Gesnerus negat talem auem esse: *Nisi*, inquit, *accipias vulturem Ægyptiam, de qua Orus scribit, quòd pullos in fame satiet sanguine suo, quem ex femore prolicit.* Fatetur tamen Gesnerus, *pellicanum*, quem alio nomine *plateam* nominat, auem esse solitariam & lucifugam. Et hoc seruit proposito Dauidis, q.d. Sicut *pellicanus*, & *nycticorax*, id est, *noctua*, vt Chaldæus vertit, vel, vt Hieronymus, *bubo*, qui in angulo domus per diem, quasi lucifugus latet, nocte vigilat, & non tam canit, quàm gemit ac luget; ita & ego præ mœrore fugio lucem & homines, noctes insomnes ago, gemo, &c.

Hieron. in ep. ad Præsidium. Gesner. l. de Auibus.

℣. 8. *Vigilaui* tota nocte, vt addit Chaldæus.

℣. 10. *Cinerem tamquam panem*] Id est, panem aspersum & commaculatum cinere: vt solent qui proni in terra vel in cinere lugent, & præ lacrymis non discernunt an panis puluere fœdatus sit, necne. Idque

℣. 11. *A facie iræ tuæ*; Chaldæus, propter iram tuam, id est, quia sentiebam te mihi valde iratum. Sentiebam verò, quia *eleuans me* in altum (putà ad regni, talentorum, donorum, & virtutum fastigium) mox summa vi & impetu deturbasti me, & ad terram *allisisti me*] Dicant hoc Lucifer, Adamus, Salomon, & tot alij è summo præcipitati in imum, inquit S. Hieronymus.

℣. 13. *Memoriale tuum*] Id est, memoria tui, inquit Chaldæus, seu memorabilia facta tua, digna sunt æterna memoria.

℣. 14. *Venit tempus*] scilicet quo constituisti & promisisti misereri *Sionis*, id est, Ierosolymæ; nempe completi sunt LXX. anni captiuitatis Babylonicæ. Theodoretus.

℣. 15. *Serui tui*, Cyro & Dario, inquit Ianscnius. Vel, si malis, Zorobabeli, Esdræ, Nehemiæ, ceteriscque è Babylonia in Iudæam remigrantibus magis *placuerunt* rudera & ruinæ Sionis, vt illa instaurent & inhabitent, & sic liberè ac purè colant te; quàm magnifica Babylonis palatia.

℣. 17. *Videbitur*, (Hieronymus; *apparebit* manifestè toti mundo) *in gloria sua* pristina, imò multò maiori, vrbs Sion: & Christus in Sion, cum splendore miraculorum, & doctrinæ suæ cælestis, Ioan. 1. v. 14.

℣. 23. *In conueniendo*] Hieronymus & Chaldæus, *cùm congregati fuerint.*

℣. 24. *Respondit ei*, nempe populus reuertens ex captiuitate dixit Deo, *in via virtutis suæ*, seu potentiæ diuinæ, id est, cùm esset in illa via in qua Deus ostendit insignem potentiam suam, nempe in reditu ex Babylone, quem Deus procurarat in forti brachio, occidens Balthazarem, & monarchiam Chaldaicam transferens ad Cyrum regem Persarum, &c. Dixit tum populus ille Deo, & pro se quisque rogauit, An pauci supersunt mihi dies vitæ? viuámne cùm Ierosolyma & templum, vt promisisti restaurabuntur? fac, quæso, ne moriar in medio ætatis meæ.

℣. 25. *In generationem*, &c. id est, æterni, sunt *anni tui*] q. d. Tu Deus, cuius vita est æterna, compatere nobis, & saltem ad iustum terminum proroga vitam nostram temporariam.

℣. 27. *Ipsi cæli peribunt*, non secundùm substantiam; nam sunt incorruptibiles: sed secundùm præsentem statum suum, & conditionem seruitutis ac perpetuæ circumgyrationis. Secundùm hæc enim *veterascent*, seu antiquabuntur, *& mutabuntur* instar vestimenti, quod cùm nulli amplius est vsui, deponitur & cum alio commutatur. Vide Valesium & Lud. Molinam.

Vales. sacra Philosophia c. 89. Molina de opere sex dierum disp. 3.

℣. 29. *Habitabunt*] scilicet securi in terra Iudææ, ad quam illos reducis è Babylone: Allegoricè, in Ecclesia.

PSALMVS CII.

Seipsum, & Angelos, & homines omnes excitat ad laudandum Deum ob tot accepta beneficia.

℣. 1. OMNIA *quæ intra me sunt*] Hieronymus & Chaldæus, *omnia viscera mea.* q.d. Ex intimo corde lauda Deum.

℣. 2. *Omnes retributiones*] Symmachus, *omnia beneficia* quæ retribuit nobis. Hæc mox enumerat sex diuersa. Primum est, remissio peccatorum; Secundum, sanitas mentis & corporis; Tertium, liberatio è periculis mortis & gehennæ; Quartum, quòd sua beneficentia quasi corona nos vndique cinxerit; Quintum, quòd bonis tum corporalibus, tum spiritualibus repleat animum, & satiet appetitum aliàs insatiabilem; Sextum, quòd nouis viribus & vigore corpus animumque instauret, atque instar aquilæ (quæ in senectute exutis pennis, & attrita rostri aduncitate rursum (a) iuuenescit) totos innouet, hîc per gratiam, in cælo per gloriam, inquit Chaldæus, Hieronymus Augustinus, Euthymius. Simile habes Isaiæ 40. vers. vltimo.

(a) Vlysses Aldrouandus l. de Auibus, in aquila.

℣. 11. *Secundum altitudinem cæli à terra*] q. d. Ea proportione excedit diuina misericordia merita nostra, quæ cælum superat terram, id est, qua circulus

circulus immensus superat punctum seu centrum, id est, infinitè.

℣.14. *Figmentum nostrum*] Hebraicè, *opus figulinum*; Hieronymus, *plasmationem nostram*, scilicet, qua ex luto vili & fragili fragiles & viles nos plasmauit; Chaldæus, *concupiscentiam prauam*, seu pronitatem in malum.

℣. 16. *Spiritus*, id est, ventus vrens, *pertransibit* fœnum vel florem, & subitò aresçit: sic homo quantumuis sanus, nobilis, diues, potens, cùm spiritus indignationis Dei in ipsum flat, momento deficit.

℣. 20. *Ad audiendam vocem*] Id est, ad obediendum iusso & nutui Dei, supple, semper promptissimi.

℣.21. *Virtutes eius*] Hieronymus & Chaldæus, *exercitus* Dei, nempe angelici. Mox causas subdit cur omnia debeant laudem Deo.

℣.22. Quia Primo, omnia sunt *opera Dei*; Secundò, omnia *in loco dominationis*, id est, in regno eius sunt, tamquam ministri & famuli regis sui.

PSALMVS CIII.

Deum laudat super mundi constitutione *(vt est in Græco,) id est, pro mundi creatione & gubernatione.*

℣. 1. CONFESSIONEM *& decorem* (Chaldæus & Symmachus, *laudem & pulchritudinem*, scilicet omnium rerum creatarum) *induisti*] id est, tamquam polymitam vestem tibi circumdedisti. q. d. In omnibus creaturis apparet quàm sis pulcher, glorioſus & laudabilis.

℣. 2. *Amictus lumine*] non solo increato diuinæ tuæ perfectionis, qua *lucem habitas inaccessibilem*, 1. Timoth. 6. sed & creato, solis, stellarum & cælorum. Tropologicè, luminæ gratiæ, qua amictus cor nostrum inhabitas; Anagogicè, lumine gloriæ. Vide S. Dionysium.

S. Dion. de Diu. nom. p. 1. c. 4.

Sicut pellem] Id est, tentorium, quod è pellibus consui solet; Chaldæus, *sicut cortinam*, intra quam latitas.

℣. 3. *Tegis aquis superiora eius*] nempe cæli. De his aquis vide quæ dixi Genes. 1. vers. 7. & fusiùs psal. 148. v. 4.

Ponis nubem ascensum tuum] Hieronymus, *currum*; Chaldæus, *vehiculum tuum*. q. d. Inequitas nubibus & ventis tamquam celerrimis equis, & currui militari, inde iaciens fulmina, grandines, imbres. Allegoricè, Christum ad cælos ascendentem nubes lucida quasi thronus & currus triumphalis excepit. S. Hieronymus & Theodoretus.

℣. 4. *Angelos tuos facis spiritus*, seu ventos, id est, tam mobiles, celeres, agiles ad Dei iussa exequenda, ac si venti essent. *Et* quasi *ignem vrentem*] id est, tam subtiles, feruidos, puros, lucentes, ignitos, omnia penetrantes & perrumpentes, ac sic essent *flamma ignis*. Ita S. Dionysius, Hieronymus, Theodoretus, Euthymius.

S. Dionys. Cal. hierar. c. 15.

℣. 5. *Fundasti terram super stabilitatem suam*] id est, firmitatem, inquit S. Augustinus, Aquila & Symmachus, *super sedem suam*; Hieronymus & Chaldæus, *super basim suam*, id est, super centrum suum, inquit Molina. q. d. Res mira & meritò celebranda, quòd terram quasi pilam in medio vniuersi suspendas, nec aliud ei fundamentum seu basim substernas, quàm vnum punctum, id est, centrum.

Molina sup.

℣. 6. *Abyssus*] Id est, aquarum vorago, instar *vestimenti* circumdabat totam terram, etiam montes, scilicet initio mundi, & rursus in diluuio: & etiamnum magna pars terræ circumdatur & amicitur aquis.

℣. 7. *Ab increpatione*, id est, imperio tuo seuero, quod quasi increpans & tonans edidisti, dicens, *Congregentur aquæ*, &c. illæ quasi trepidæ fugerunt, & sic in suos alueos receperunt. Mox subsidentibus aquis *ascenderunt*, id est, emanarunt, *montes & campi*, itemque *termini*, id est, littora & ripæ, iis locis quæ tu cuique *fundasti*] id est, præparasti. Ita Theodoretus, qui hinc notat, mare, quantumuis furens & littori pene æquale, Dei tamen iussu quasi fræno coërceri, ne inudet terram.

℣. 13. *Rigans* pluuia & rore etiam *montes de superioribus suis*] putà nubibus.

Fructu operum tuorum, id est, qui prouenit ope & opera tua ex montibus, campis & agris, *satiatur* vniuersa *terra*.] Allegoricè, Ecclesia pascitur doctrina cælesti Apostolorum & Doctorum.

℣. 14. *Seruituti*] Id est, seruitio & vsui hominum. Possunt etiam animalia vocari *seruitus* seu seruitia hominum, quia in eum finem à Deo creata sunt. Allegoricè, per panem intelligit S. Hieronymus S. Eucharistiam.

℣. 15. *Vt exhilaret* homo *faciem* suam, vngens illam & se totum *oleo*] more veterum. Symmachus vertit, *nitidam faciat*; Chaldæus, *illuminet*. Maximè verò seruiebat oleum pro balneis: ad esum vix vmquam. Vnde illud Democriti axioma: *Mel aut vinum intus: oleum foris.* Commendat verò Propheta diuinæ prouidentiæ liberalitatem, vt quæ homini suppeditet non modò quæ necessitatis sunt, putà panem & herbam: sed & quæ voluptatis, recreationis & nitoris sunt, vt oleum & vinum, inquit Theodoretus.

Apud Plutarc. in Catone. & Plinium sub finem lib. 14.

℣.17. *Herodij. Chasidah* propriè *ciconiam* (a) significat, quia pia in parentes, quos fouet & alit. Et ita vertunt Chaldæus, Suidas, Emanuel Sà, & & Hebræi passim, tum hîc, tum Iob 39. v. 13. Dicitur verò *herodius*, inquit Suidas, quasi helodius, id est, paluſtris, quia ciconiæ frequentes sunt in paludibus, vt ranas & anguillas venentur. Porrò *domus*, id est nidus, ciconiæ meritò dicitur esse *dux* passerum & reliquarum auium, quia omnes anteit, Primò, tempore: nam prima omnium struit nidum; Secundò, loco, vt potè in vertice domorum & turrium, vt ab omnibus vndique conspici possit; Tertiò, amplitudine; Quartò, elegantia; Quintò, quia aliæ aues minores in basi & lateribus nidi ciconiæ sibi nidificant.

חסידה
(a) *In Prolegom. de Idiotism. Hebr. n. 11.*

℣. 18. *Montes cernis*, supple, à Deo destinati sunt in *refugium* à venatoribus: sicut *petra*, id est, rupes & arcta rupium foramina *herinaceis*, quos alij *ericios*, alij *echinos* vocant: de quibus dixi Leuit. 11. v. 5. q. d. Deus non soli homini, sed & omnibus auibus & feris, maximè timidioribus, prouidit de victu, nido, antris & asylis, inquit Theodoretus & Euthymius.

℣. 19. *Fecit lunam in tempora*] Id est, ad discrimina temporum, quæ sua gyratione & vario aspectu atque influxu causat in terris. v. g. Menses, annos & festa; Secundò, humorem & siccitatem; Tertiò, tempus serendi, plantandi, metendi.

℣. 20. *In ipsa* nocte *pertransibunt omnes bestiæ siluæ*, scilicet vt tum securè oberrent & pabulum quærant: quæ rursus *orto sole* congregantur in sua lustra, quia lucem & homines fugiunt. Interim *homo exit* tunc *ad opus suum*] ita Theodoretus. Tropologicè, S. Hieronymus & Gregorius, cùm

Greg. l. 27. Moral. c. 19.

nobis

nobis per peccatum occidit sol iustitiæ, tunc A transit in nos leo rugiens, & bestiæ, id est, dæmones: donec per pœnitentiam sol rursus emergat.

℣. 25. *Mare spatiosum manibus*] id est, sinibus; nam sinus passim vocãtur brachia vel manus maris.

לויתן ℣. 26. *Draco iste*, (Hebraicè, *leuiathan*, id est, balena seu cetus. De hoc dixi Iob 40. v. 20.) *quem fecisti ad illudendum ei*] scilicet mari; Hebraicè & Chaldaicè, *vt ludat in mari*, nempe vt natatu suo, & circumgyratione ac tyrannica venatione, ludum bellicum exerceat in mari: Hieronymus vertit, *vt illuderes ei*. Posset quoque exponi passiuè, vt illudatur ei, scilicet cæto iam victo & capto ab homuncionibus: Tropologicè diabolo, totique inferno & mundo. B

℣. 28. *Omnia implebuntur bonitate*] id est, bonis, scilicet alimentis.

℣. 30. *Emittes spiritum*, id est, halitum, *tuum* viuificantem, & quotannis *creabuntur* noua indiuidua: & sic in vere *renouas* ac reuiuiscere facis *terram*. Allegoricè, animam nostram per *Spiritum sanctum*, inquit Chaldæus.

℣. 32. *Tangit montes* fulmine suo, vel terræmotu, & *fumant*, & flammas vomunt, vt olim mons Sinai, Exodi 19. Ætna, Vesuuius, & alij de quibus historici.

PSALMVS CIV.

Inuitat ad laudandum Deum ob beneficia liberationis ex Ægypto, & inductionis in terram sanctam. Porrò cecinit hunc psalmum Dauid, cùm primùm transtulisset arcam in montem Sion, 1. Paral. 16. C

הללויה INscribitur, vt & multi sequentes, titulo *Alleluia*, id est, laudate cum iubilo Deum. Ita Iustinus Martyr. Continent enim res lætas & iubilo dignas: ac ferè respiciunt Christum vel Ecclesiam Christi.

℣. 3. *Laudamini* (scilicet à toto orbe; Chaldæus, *laudate*; Hieronymus, *exultate*; Aquila, *gloriamini*) *in nomine sancto eius*] id est, quòd Deus sanctus sit vester Deus.

℣. 4. *Confirmamini*, id est, estote fortes & con- D stantes in *quærendo faciem*, id est, præsentiam, *eius*, inquit S. Augustinus, putà in templo, & alijs locis sanctis. *Semper*] Id est, omni tempore, omni occasione, sine fine, sine mensura.

℣. 5. *Iudicia oris eius*] Id est, præcepta data per legislatorem Moysen.

℣. 12. *Cùm essent numero breui*, id est, exiguo, putà, non nisi 70. animæ Hebrææ, *incolæ* terræ Chanaan, in qua pertransibant peregrinantes de loco in locum. Cumque propter hoc, & propter paucitatem paterent iniuriæ omnium, Deus tamen *non permisit* quemquam *nocere eis*: imò propter illos *corripuit reges* Ægypti & Palæstinæ, Pharaonem & Abimelech Genes. 12. & 20. dicens tum E verbis, tum flagris:

℣. 15. *Nolite tangere Christos meos*] id est, Prophetas & principes gentis meæ à me constitutos, putà Patriarchas. Ita S. Hieronymus, Augustinus, Theodoretus.

℣. 16. *Firmamentum*, id est, robur, *panis*] Id est, panem qui roborat & confirmat hominem, sustulit Deus per famem septennem tempore exaltati Ioseph in Ægypto Genes. 41.

℣. 18. *Ferrum*] pro catena ferrea. Vnde Chaldæus, *in catenam ferream intrauit anima eius*, id est, ipse Ioseph, Genes. 39.

℣. 19. *Donec veniret verbum eius*] Id est, donec impleretur somnium Ioseph quod olim patri & fratribus narrarat Genes. 37.

Eloquium Domini, id est, obseruatio legis diuinæ, *inflammauit*, seu excoxit *eum*] id est, causa fuit cur flamma tribulationis purgaretur, vt vertit Chaldæus; vel probaretur, vt Hieronymus, nempe à fratribus suis, ab hera & hero in Ægypto; vel efflatis sordibus purus redderetur.

℣. 23. *Terra Cham*] Id est, Ægypto: quia Ægyptij ex Mesraim primogenito Cham prognati sunt, Genes. 10.

℣. 25. *Conuertit*] non per se vel directè, vt vult Caluinus, sed tantùm per accidens & occasionaliter: nempe *firmando*, id est, roborando & multiplicando Hebræos tam prolibus, quàm opibus. Ita S. Augustinus.

℣. 28. *Non exacerbauit sermones suos*] Id est, non irritauit, non irrita fecit, non immutauit promissa sua facta Moysi de plagis Pharaoni & Ægypto infligendis: quas vide suprà psal. 77. & Exodi 7. & seqq.

PSALMVS CV.

Celebrat Dei misericordiam Iudæis toties peccantibus exhibitam, oratq; vt Deus eam continuet, & dispersos per orbem Iudæos exules in patriam reducat: Allegoricè, fiat vnum ouile ex Gentibus & Iudæis, inquit S. Augustinus. Hoc psalmo vsi sunt Iudæi, Iudith 13. vt & sequenti, partâ victoriâ de Holoferne.

℣. 3. IVDICIVM *& iustitiam*] Vide psal. 88. v. 15.

℣. 4. *In beneplacito populi tui*] Id est, pro tua erga populum tuum consueta beneuolentia.

In salutari tuo] Chaldæus, *in redemptione tua*; Allegoricè, *Saluatore Christo*.

℣. 5. *Ad videndum in bonitate*, id est, vt videamus bona quæ electis tuis promisisti & præparasti: & *lætemur* ea lætitia qua lætari solet gens quæ tibi chara est. *Vt laudetur*, id est, glorificeris in, & *cum hereditate*, id est, Ecclesia *tua*.

℣. 12. *Laudauerunt*] Hieronymus & Chaldæus, *cecinerunt*, nempe epinicion Deo, præcinente Moyse & Maria, Exodi 15.

℣. 13. *Cito fecerunt, obliti sunt*] Est Hebraismus, pro festinarunt obliuisci.

℣. 19. *Vitulum in Horeb*] nempe iuxta montem Sinai, Exodi 32.

℣. 20. *Gloriam suam*] Id est, Deum, qui erat omnis gloria Hebræorum, Rom. 1. v. 23.

℣. 23. *In confractione*] Hebraicè, *in ruptura muri*, seu in diruto muro. q.d. Cùm Deus instar hostis pæne perrupisset telis vindictæ suæ, murum Hebræorum, vt in eorum castra furibundus irrumperet, Moyses se pro muro opposuit, & prece sua Deum cohibuit, Exodi 32. Vbi Nota, inquit S. Augustinus, quantum valeat Sanctorum pro aliis intercessio.

℣. 28. *Initiati*; Hieronymus, *consecrati sunt*, id est, susceperunt sacra *Beel-phegor*, id est, Priapi, idoli Moab & Madian. Vide dicta Num. 25.

Sacrificia mortuorum] Id est, idolorum, quæ sunt res mortuæ, nec Dei viui simulacra, sed hominum mortuorum, & cultores etiam suos in mortem & ad inferos deducunt.

℣. 33. *Distinxit* Moyses: Græcè, διέφθειρεν, id est, diuisus fuit, nempe cùm dubius animo & verbis, hæsitaret num possibile & probabile esset, vt petra aquam daret tam rebelli populo, vt dixi Num. 20. v. 12.

℣. 38.

℣. 38. *Sculptilibus Chanaan*] Maximè verò idolo Ammonitarum *Moloch*, id est, regi, supple, deorum omnium, id est, Ioui, inquit Ribera: vel Saturno, vt plerique alij. Vide dicta 3. Reg. 11. v. 5. & 4. Reg. 23. v. 10. A

℣. 39. *Fornicati sunt*] nempe, relicto Deo, cui, tamquam legitimo sponso & marito, fidem debebant, adhæserunt diis alienis.

℣. 45. *Pœnituit eum*] Id est, quasi pœniteret, reuocauit Deus sententiam suam de perdendis Hebræis: idque quia videbat pœnitere Hebræos. Loquitur enim more humano, & per metalepsin.

℣. 46. *Dedit eos in misericordias*] Id est, effecit vt hostes misererentur Hebræorum, nempe captiuos molliùs habendo, vel etiam in patriam remittendo. vt fecerunt Cyrus, Darius, Artaxerxes, Alexander Magnus & alij. B

PSALMVS CVI.

A quo inipit liber V. Psalmorum. Hortatur verò ad laudes & gratias Deo deferendas, maximè ob quadruplicem liberationem, Primam, à diuturna vagatione per desertum; Secundam, à fame & captiuitate varia, Tertiam, à morbis; Quartam, à periculis maris. Post singulas autem liberationes, id est, quater, repetit versum intercalarem, Confiteantur Domino misericordiæ eius, &c.

℣. 4. VIAM *ciuitatis habitaculi*] Id est, viam ducentem ad ciuitatem in qua habitare possent. Idem rursus v. 7.

℣. 8. *Confiteantur*, passiuè, id est, prædicentur, laudentur, *Domino*] seu in honorem Domini Dei. Ita Iansenius.

℣. 10. *Sedentes*, supple, liberauit ex Ægypto, & aliis locis in quibus captiui tenebantur.

De *umbra mortis*, vide psal. 22. v. 4.

℣. 11. *Exacerbauerunt eloquia Dei*, id est, acerbè restiterunt & rebelles fuerunt *eloquiis*, id est, iussis, *Dei: & consilia*, id est, monita, *eius irritauerunt*] id est, irrita fecerunt, spreuerunt; Chaldæus, *execrati sunt*; Hieronymus, *blasphemauerunt*.

℣. 16. *Contriuit portas æreas & vectes ferreos*] id est, fortissimos carceres & compedes.

℣. 18. *Omnem escam abominata est* præ morbo & debilitate. D

℣. 20. *Misit verbum suum*] iussit vt conualescerent. Allegoricè, misit Messiam, inquit Theodoretus.

℣. 23. *Facientes operationem in aquis*] Id est, qui exercent rem nauticam, vel qui negotiantur in mari.

℣. 25. *Dixit*, seu iussit, Deus, & mox *stetit*, id est, exsurrexit, *spiritus procellæ*, id est, ventus procellosus; quo *exaltantur fluctus* maris: vnde quotquot tunc mare nauigant, *ascendunt* vnà cum fluctibus & nauigiis suis quasi *ad cælos vsque*, & mox præcipitantur quasi in barathrum. Hinc omnium vectorum animi metu & vertigine pæne *contabescunt*, & E

℣. 27. *Omnis sapientia*, id est, peritia rei nauticæ absorbetur & deficit. Extremum ergo remedium adhibent, clamantque ad Deum: qui exaudiens,

℣. 29. *Statuit procellam in auram*, scilicet serenam & placidam, *& deducit eos in portum* quem volebant. Tropologicè, hæ tempestates, hi labores impendent Pastoribus Ecclesiæ & præconibus verbi Dei, inquit S. Hieronymus. Allegoricè, Theodoretus, misit Deus *Verbum*, id est, Filium suum, vt sanaret omnia.

℣. 32. *In cathedra*, id est, consessu, inquit Chaldæus, *seniorum*, seu senatorum & magistratuum. q. d. Publicè & palàm.

℣. 33. *Posuit flumina in desertum*, id est, loca humida & fertilia fecit Deus arida & sterilia: *& exitus aquarum in sitim*] id est, fontes exsiccauit.

℣. 34. *In salsuginem*] id est, sterilitatem. Sal enim sua siccitate & vstione sterilitatem inducit, Iudicum 9. vers. 45. Vide in hanc rem exempla apud Thomam Bosium, signo Ecclesiæ 73. Allegoricè Isaias c. 41. vers. 18. applicat hæc vocationi Gentilium ad Ecclesiam Christi.

℣. 39. *Et pauci facti sunt*] Id est, rursus ob scelera sua imminuti sunt numero & opibus.

℣. 40. *Effusa est contemptio super principes*] Id est, glorioso & superbos principes reddit viles & omnibus contemptibiles, eousque vt sedibus suis pulsi cogantur errare per inuia & deuia. Simile habes Iob 12. v. 17. Econtrà

℣. 41. *Adiunxit pauperem*, id est, liberauit humilem, *de inopia, familiamq;* eius multiplicauit instar gregis *ouium*. Ita ferè S. Augustinus & Theodoretus.

PSALMVS CVII.

Orat, & ex promisso Dei pollicetur sibi victoriam contra Idumæos.

C CONflatus est hic psalmus ex finc duorum psalmorum 56. & 59. quos suprà explicui.

PSALMVS CVIII.

Dauid dira imprecatur Doëg proditori suo, 1. Regum 21. Allegoricè, Christus Iudæ & Iudæis, inquit S. Augustinus & Theodoretus, & patet ex Actorum 1. v. 20. & Ioan. 17. v. 12. Vnde quidam notant 30. *hic maledictiones recenseri pro* 30. *argenteis Iudæ.*

℣. 2. LAVDEM *meam*] Id est, innocentiam, quam *Doëg* apud Saulem, & Iudas apud principes sacerdotum calumniatur & obscurat, quasi ego machiner insidias & seditionem. Hanc, quæso, innocentiam meam tu Deus reuela, manifesta & tuère.

℣. 4. *Ego autem orabam*] supple, pro eis.

℣. 6. *Peccatorem*, id est, impium aliquem & tyrannum, *constitue* iudicem *super eum* Doëg & Iudam: & in eo iudicio *diabolus*, id est, calumniator, *adstet* ci *à dextris*] accusans, opprimens & perdens illum.

℣. 7. *Oratio eius*, qua iustè damnatus orabit iudices vt sibi indulgeant & pœnam remittant, *fiat in peccatum*] id est, in maiorem offensam, id est, magis offendat & exasperet iudicem, seu Deum, seu hominem. Ita accidit Antiocho Epiphani 2. Machab. 9. v. 13. & Iudæ, Matth. 27. v. 4.

℣. 8. *Episcopatum*] Hebraicè, *præfecturam* Doëg, quia princeps erat pastorum Saulis, 1. Reg. 21. & 22. Allegoricè, apostolatum Iudæ accipiat Matthias, Actorum 1. v. 20.

℣. 9. *Vxor & filij*, &c.] Per hæc & sequentia designat se dirissima quæque hosti suo imprecari, siue interea locum in eo habeant, siue non; vt facit Ouidius in Ibin. q. d. Pereat stirpitus cum omnibus suis.

℣. 14. *Iniquitas patrum & matris*] id est, parentum, quorum ipse scelera imitatur, & mensuram complet. Ita Genebrardus.

℣. 15. *Fiant contra Dominum semper*] Id est, scelera parentum eius versentur continuò coram

oculis Dei : nempe vt illa puniat in impio filio. Ita Hebræa & Chaldæus.

℣.18. *Dilexit maledictionem*] Nempè qui scelera diligit, etiam adnexam pœnam & supplicium quod sequitur, diligere & quærere censetur.

Induit, pro, induat, id est, pœnarum & supplicíorum multitudo, quasi *vestimentum & zona*, eum omni ex parte stringat, & instar aquæ & olei omnia etiam interiora illius peruadat. Ita Chrysostomus & Theodoretus.

℣.20. *Hoc opus*] Id est, hæc erit merces operis detrahentium mihi & calumniantium me.

℣.23. *Ablatus sum*, id est, declinaui, abij, euanui, *consumptus sum*, inquit Chaldæus: *Et excussus*] Chaldæus, *vagatus sum*. q.d. Idem mihi contigit B quod locustæ, quæ vaga huc illuc saltitat, tandemque auolat. Ita Theodoretus.

℣. 24. *Caro mea immutata est*, scilicet in maciem. id est, macresco: *propter oleum*] Hieronymus, *absque oleo*; Chaldæus, *absque pinguedine*, id est, propter defectum olei quo vngar, & carentiam pinguium seu delicatorum ciborum, quibus nutriar.

℣. 27. *Tu fecisti eam*] supple, manum & potentiam, quæ me affligit.

℣.29. *Sicut diploide*] seu pallio duplicato. q.d. Sic duplici, id est, multiplici ignominia perfun-
Gregor. l.9. Mor. c.33. Bernard. serm 81. in Cantic. dantur, tam in hac, quàm in altera vita, inquit S. Gregorius & Bernardus. C

PSALMVS CIX.

Canit non Abraha, non Dauidis, non Ezechiæ (vt volunt Iudæi) sed Christi Messiæ gloriam, regnum & sacerdotium æternum.

℣.1. DIXIT *Dominus*, Deus Pater, *Domino meo* Messiæ. Hic enim non solo titulo deitatis, sed & redemptionis, ac singularis gratiæ, & in omnibus præcellentiæ, verè est dominus Dauidis, & totius orbis. Ex hoc versu conuicit Christus Iudæos Matthæi 22. v.44. quòd non sit solùm filius Dauidis, seu purus homo, sed etiam verus Deus. *Dixit* verò, Primò, ab æterno; Secundò, in D incarnatione; Tertiò, in resurrectione, vel in cælum ascensione.

Sede à dextris meis] Id est, regna & impera proximus mihi, in summa gloria & felicitate. S. Hieronymus & Theodoretus.

Donec. q.d. Etiam interim dum *inimicos tuos* omnes, scilicet principes Gentiles & Iudæos, qui nolunt vt regnes, *ponam scabellum pedum tuorum*] id est, tibi ita subiiciam, vt pedibus eos conculces deuictos & prostratos.

℣.2. *Virgam virtutis*, id est, sceptrum potentiæ *tuæ*, id est, regale imperium tuum, quo cœpisti dominari paucis discipulis in *Sion* & Iudæa, inde E *emittet* Deus in vniuersum mundum, tuæ fidei & seruituti subiiciens omnes gentes, vt palàm & liberè domineris illis, etiam *in medio* frementium & furentium *inimicorum tuorum*, Iudæorum, Turcarum, hæreticorum. Ita S. Augustin.

℣.3. *Principium*] Hebraicè, *principes* seu *duces*;
Sueton. in Augusto. Græcè ἀρχὴ, id est, principatus. Et Suetonius etiam *principium* pro principatu vsurpat.

Tecum nunc est *in* hac *die virtutis tuæ*, (de qua dixi v.1.) id est, in qua tam insignem virtutem seu potestatem regalem accepisti, *in splendoribus*, seu, vnà cum *splendoribus*, vel propter splendores, *sanctorum*] tum charismatum seu donorum quæ in te sunt: tum operum & meritorum quæ à te procedunt. Hebraicè enim est, *in splendoribus sanctitatis tuæ*, q.d. Merito tuæ splendidæ sanctitatis. Vide Maldonatum & Lorinum. S. Augustinus & Theodoretus, per *diem virtutis* intelligunt diem extremi iudicij cum splendidissimo comitatu sanctorum hominum & angelorum.

Ex vtero genui te filium mihi consubstantialem. q.d. Nil mirum, hæc omnia supradicta, tibi iam concedi, cùm ab æterno sis naturalis filius meus: nam *ante luciferum*, id est, ante creatas stellas, ante cælum, ante omnia sæcula, ab æterno ego *ex vtero* meo, id est, ex mea substantia & potentia generatiua, ex imis deitatis meæ medullis *genui te* Deus Deum, eiusdem mecum numericæ naturæ. Ita S. Hieronymus, Augustinus, & ferè Euthymius. Hebraicè est, *ex vtero meo præ aurora*, seu ante conditam stellam auroræ, luciferum, *tibi ros*, seu flos, *adolescentiæ tuæ*, supple, iam tum aderat, id est, tu iam ex tunc eras in flore adolescentiæ tuæ, oblectans me & *ludens coram me* ab omni æternitate: *Prouerb 8.* ergo multò magis dicendus eras iam tum genitus, vt Noster vertit. Ita SS. Patres contra Lucifer ianos, & etiã S. Paulus Hebr. 1. de generatione Christi ab æterno locum hunc exponit. Idem tamen cap. 5. eumdem exponit de incarnatione & generatione humana Christi in tempore. Vti & Ter- *Tertull. l.5. contra Marcion. c.9.* tullianus, qui, vt & S. Augustinus, putat hîc agi de vtero virginali B. Virginis, solo Spiritus sancti rore fœcundato, *ante* exortum *luciferum*, nempe media nocte, Christum in Bethlehem progignente. Denique idem S. Paulus hunc eumdem locum applicat etiam resurrectioni Christi Actor. 13. v.33. Vnde clarum hîc exemplum habemus plurium sensuum etiam litteralium vnius eiusdemque loci S. Scripturæ.

℣.4. *Iurauit*, id est, ita certò constituit Deus Pater, ac si iurasset. Simile habes psalm. 118. v.106. *Iurauí & statui. Et non pœnitebit eum*, id est, numquam mutabit quod semel constituit: nempe, vt *secundum ordinem*, id est, morem & ritum sacrificandi, non Abelis, non Aaronis, non Samuelis, sed *Melchisedech*, sis *sacerdos*, simili more & ritu sacri- D ficans quo ipse fecit, scilicet incruentè sub speciebus panis & vini. Et quidem *in æternum*, quamdiu mundus stabit, sic sacrificabis. Hinc necessariò sequitur, oblationem Eucharistiæ tum Christi in vltima cœna, tum nostram quotidie in Missa, esse verum & propriè dictum sacrificium, vt docet Concilium Tridentinum, & SS. Patres ac *Trid. sess.* Doctores, quos vide apud Suarez, Bellarminum *22. c.1.* & alios. Porrò insinuat his verbis reconciliationem generis humani per Christum, q.d. Tu is es, qui gratissimam mihi hostiam, quam semel redimendis hominibus cruentè offeres in ara crucis, quotidie deinceps incruentè per ministros quoque tuos, sub panis & vini specie mihi offeres, quà iratus iisdem reconciliabor.

℣.5. *Dominus à dextris tuis*, id est, adiuuans & protegens te, *confregit reges* tibi aduersarios, Herodem, Neronem, Diocletianum, &c.

℣.6. *Iudicabit*, id est, vlciscetur, scilicet Deus Pater, *in nationibus*] id est, nationes tibi inimicas & rebelles.

Implebit ruinas multorum] Id est, facict multos ruere, multorum stragem edet. Ita Euthymius.

℣.7. *De torrente in via bibet*] scilicet passionum multiplicium in hac vita. Ita Arnobius, Hieronymus, Theodoretus, Euthymius, Bernardus. Vel

melius

melius ex Hebræo. q. d. Tanta edetur strages hostium, vt ex sanguine occisorum fiat torrens, ex quo victor Christus affatim bibere possit in via, quâ hostes persequetur, vel quacumque incedet. Simile habes Num. 23. v. 24. Deut. 32. v. 42. & psal. 67. v. 24. ita Maldonatus, Vatablus, Iansenius.

Propterea exaltabit caput] Id est, propter illam victoriam Christus clarissimus euadet. Allegoricè, hæc magis quadrant in victoriam de dæmone, peccato, morte & inferno.

PSALMVS CX.

Laudat Deum à miris operibus ipsius, & multiplicibus beneficiis in homines collatis.

℣. 1. IN *concilio*; Chaldæus, *in secreto*: *& congregatione*] id est, publico conuentu. q. d. Clàm & palàm laudabo te.

℣. 2. *Exquisita*, id est, exquisitè & accuratè facta, *in omnes voluntates eius*] id est, secundùm nutum & plenum desiderium Dei. q. d. Singula opera Dei talia & tanta sunt, qualia & quanta vult Deus. Ita Theodoret. & Genebrardus.

℣. 3. *Confessio & magnificentia opus eius*] Id est, omnia opera Dei digna sunt summa laude & honore.

Iustitia eius, tam quâ ipse iustus est, quàm quâ erga alios omnia iustè facit, æternùm durabit. Euthymius.

℣. 4. *Fecit*, dedit, reliquit, *memoriam*, seu memoriale, omnium *mirabilium* operum *suorum*: nempe *escam* illam singularem, *manna* cæleste, quo Hebræos per 40. annos pauit in deserto; Allegoricè, Eucharistiam, quæ quasi compendium concludit in se multa & *mirabilia* miracula: nobisque in memoriam reuocat, imò repræsentat omnia mysteria incarnationis, natiuitatis, passionis & mortis Christi. Hac quoque escâ confirmauit Christus *testamentum* seu pactum *suum* nouum, quod iniit cum hominibus, Matth. 26. Ita S. Augustinus & Theodoretus.

℣. 6. *Virtutem*, seu potentiam suam, *annuntiabit*, non solo verbo, sed & re ipsa, nempe *dando illis*, putà Iudæis, & Allegoricè, Christianis, *hereditatem*, id est, hereditarias possessiones & terras, *gentium*, putà Chananæarum, &c.

℣. 7. *Opera eius veritas & iudicium*] id est, fidelitate & æquitate plenissima.

℣. 8. *Fidelia*, id est, fida & sincera, sine dolo, sine fuco, sine sinistra intentione. *Confirmata in sæculum*] Id est, fixa & stabilita in æternum. Hoc verè quadrat in leges Christi. q. d. Numquam mutabuntur, vt solent leges & mandata hominum. Ita Theodoretus.

℣. 9. *Redemptionem*] scilicet ex Ægypto; Allegoricè, ex seruitute dæmonis & peccati.

Mandauit in æternum] id est, vt sit & seruetur æternùm. Ita Genebrardus.

Terribile] Id est, timendum. q. d. Ideò nemo impunè transgredietur mandata vel testamentum Dei.

℣. 10. *Initium sapientiæ*, non Philosophicæ, sed Theologicæ, quæ ducit hominem ad æternam salutem, est *timor Domini*] id est, metus & reuerentia diuinæ maiestatis, inclinans animum vt illi per omnia obediat, caueatque ne vspiam offendat: idque non solùm quia ipse seuerissimus est iudex & vindex malorum: sed etiam quia suauissimus nobis est amicus, pater, finis vltimus, seu beatitudo nostra, & ens excellentissimum, cui omnis cultus, obedientia & seruitus omni iure debetur. Hinc timor iste non est seruilis, sed filialis, & semper cõiunctus cum charitate; neque solùm est *initium sapientiæ*, sed & completa sapientia, seu *plenitudo sapientiæ*, vt dicitur Eccli. 1. v. 20. Quantùm enim crescit hic *timor*, tantum crescit & *sapientia*.

Intellectus bonus est *omnibus facientibus eum* timorem; Hebraicè & Chaldaicè *ea*, nempe mandata Dei. q. d. Non qui solùm speculatiuè *sciunt*, Deum super omnia timendum, sed qui insuper id *faciunt*, seu opere ipso præstant, declinantes ideo à malo; & virtutibus seriò incumbentes; hi demum verè intelligentes & sapientes sunt, & laudabuntur in tota æternitate.

PSALMVS CXI.

Qui timent Deum, maximè si in pauperes benefici sint, cumulabuntur à Deo diuitiis, prolibus, securitate, fama, gloria æterna; Anagogicè, beatitudine cælesti. Inscribitur hic psalmus in Romanis Bibliis, Reuersionis Aggæi, & Zachariæ. *quia hi videntur vsi hoc psalmo. Alioquin in Hebræo, Chaldæo, vel* LXX. *non reperitur hic titulus.*

℣. 1. IN *mandatis* Dei *volet nimis*] Id est, valdè sibi placet, iisque implendis mirè delectatur.

℣. 3. *Iustitia eius manet*] tam in se, vt splendeat: quàm in acceptatione Dei, vt præmium accipiat.

℣. 4. *In tenebris*, id est, rebus tristibus & aduersis, *exortum est lumen*, seu consolatio spiritualis, *rectis*] id est, iustis.

℣. 5. *Iucundus* (Græcè χρηστὸς, id est, benignus, vtilis, gratus, suauis Deo, angelis, hominibus & sibi ipsi est) *qui miseretur* pauperum, eisque *commodat*, id est, commodatò vel mutuò dat, & *disponit*; Græcè *οἰκονομεῖ*, id est, dispensat, σὺν λόγῳ, id est, rationes *suas*, *in*, seu cum, *iudicio*] q. d. Iustus frugaliter & prudenter dispensat rationes & res suas domesticas, vt habeat quod eroget pauperibus. Ita S. Augustinus.

℣. 6. *Quia*. q. d. Ideò eleemosynarius iucundè semper & beatè viuet, quia numquam *commouebitur* à statu & felicitate sua: protegente illum Deo in omni tentatione, persecutione & aduersitate. Ita Vatablus & Genebrardus.

℣. 7. *In memoria æterna* Dei & hominum *erit* talis *iustus*: *ab auditione mala*, id est, à nuntio rerum tristium (Allegoricè, à seuera illa sententia, *Ite maledicti*, &c. inquit S. Hieronymus, & Augustinus. Vide dicta psal. 90. v. 3.) nihil sibi *timebit*; exemplo sit Iob, Tobias, Daniel, &c. quia *paratum*, seu promptum, semper ad sperandum, & *confirmatum*, seu stabilitum *est*, *cor eius* in Deo: *donec despiciat*, id est, ex alto videat, punitos & extinctos omnes *inimicos suos*.

℣. 9. *Dispersit* pecuniam suam, inquit Chaldæus, id est, quasi semina spargit liberalissimè bona sua in sinus pauperum: sed ne teruncium tamen perdit: nam hæc *eius iustitia*, seu opus iustum, *manet in* æternum, vt sup. v. 3.

Cornu, id est, robur, potentia, gloria, *eius* augebitur & crescet in dies. Ita S. Hieronymus, & S. Chrysostomus hinc concludit, eleemosynam esse artem omnium quæstuosissimam. *Chrysost. hom. 33. ad populum. tom. 5.*

PSALMVS CXII.

Inuitat omnes ad laudandum Deum, tum ob alia, tum quòd, cùm sit magnificentissimus, humiles tamen respiciat & exaltet, inquit Theodoretus.

℣. 1. PVERI] Hieronymus & Chaldæus, *serui*, scilicet Dei.

℣. 6. *Humilia respicit*] Hebraicè, & Chaldaicè, *humiliat se* Deus ad videndum res imas & viles, ac præ omnibus homines humiliter de se sentientes. Ita S. Augustinus.

℣. 7. *De stercore*, id est, è sordibus, ex infima conditione, *erigit* Deus *pauperes*] vt fiant principes & reges. Patet in Iosepho, Iobo, Moyse, Dauide, Daniele, tot aliis. Tropologicè, è sordibus peccatorum erigit nos Deus ad thronos angelorum. Ita S. Hieronymus & Theodoretus.

℣. 9. *Sterilem*, ideoque abiectam & contemptam. v.g. Saram, Rebeccam, Rachelem, Annam, &c. facit Deus iam fœcundam & *lætantem filiorum matrem habitare in domo* mariti sui. Ita Theodoretus.

PSALMVS CXIII.

Canit mira Dei opera in eductione filiorum Israel ex Ægypto: vnde concludit, ipsum solum esse Deum, non idola: quippe qui solus iuuet sperantes in se.

℣. 2. IVDÆA, id est, gens Hebræorum, *facta tunc est sanctificatio eius*] id est, sancta familia Dei: quia facta separatione à profanis Ægyptiis, expressè consecrauit sibi Deus populum Hebræum, vt eum ipse sanctificaret, & ab eo vicissim sanctificaretur.

Potestas] Id est, dominium, id est, populus, cui ipse peculiari modo dominaretur, nempe per veram fidem, legem, Sacramenta, & specialem prouidentiam.

℣. 3. *Mare* rubrum *vidit*] id est, sensit potentem Dei manum in protegendo Israele, vnde quasi perculsum fugit, diuidens se in duas partes, Exodi 14. vers. 21. Sic postea fugit & Iordanis, Iosue 3. vers. 16.

℣. 4. *Montes*, nempe Sinai, & iuncti colles, *exultauerunt*] id est, subsilierunt (a) terræmotu, cùm lex promulgaretur in Sinai, Exodi 19. Ita S. Hieronymus & Theodoretus. Hebraicè est, *parturiit*, & ita vertit Aquila, id est, instar parturientis contremuit.

a *Psal.67. v.9.*

℣. 1. *Nomini tuo da gloriam*] Id est, glorioſum, te ostende, scilicet, vindicando nos ab hostibus, vt olim vindicasti patres nostros cùm illos educeres ex Ægypto.

Nota. Ab hoc versu inchoant Hebræi psalmum 115.

℣. 2. *Super misericordia*] Hieronymus & Chaldæus, propter misericordiam & veracitatem tuam.

℣. 4. *Simulachra Gentium argentum & aurum*] Ex hoc loco, & Baruch 6. & Sap. 15. contra Caluinum patet, Gentiles, ipsas statuas vt deos adorasse, vt hodie quoque faciunt in Indiis plurimi. & SS. Patres, Athanasius, Cyprianus, Lactantius, Tertullianus, Iustinus, Arnobius id passim rident ac reprehendunt. Et licet aliqui ex ipsis sapientiores non ipsas statuas: nec fortè etiam dæmonem, aut spiritum malignum, sed Deum verum in statuis adorarint, vt vult Gyraldus, & quidam alij: A idololatræ tamen erant, quòd æstimarent, statuas esse corpus Dei, vt Trismegistus apud S. Augustinum, & alij apud Eusebium: atque ita Deum habere similia membra, seu humana, seu vitulina, seu serpentina. Christiani verò in imaginibus Dei nil numinis, nil vitæ, nil veræ similitudinis admittunt, sed nudam solummodo repræsentationem Dei, eamque non nisi analogicam, quatenus scilicet res & imago corporalis rem spiritalem repræsentare & adumbrare potest. Vide de his Bellarminum, Vasquez, Suarez & alios.

Aug. l 3. de Ciu. c. 5. & l. 8. c. 23. Euſ. l. 3. de Præpar. c. 3.

Bellarm. de cultu Imagin. Vasquez de Adoratione. Suarez de Religione.

℣. 8. *Fiant*, pro, digni sunt qui fiant *illis similes*] nempe trunci & stupidæ statuæ.

℣. 16. *Cælum cæli*, id est, cælum præstantissimum & supremum, putà empyreum, *Domino*] supple, sedes & thronus est.

℣. 17. *Mortui non laudabunt te*] id est, laudes tuas non celebrabunt apud viuentes. Sic dixi psal. 6. v. 6. q. d. Ne sinas nos interfici, vt hîc inter viuentes te laudare possimus.

PSALMVS CXIV.

Ereptus à summis angustiis, forsan coram Achù rege Geth, gratias agit Deo. Theodoretus, Machabæis & Martyribus applicat; Allegoricè, S. Augustinus Ecclesiæ militanti, & animabus in Purgatorio; Tropologicè, peccatori iam pœnitenti.

℣. 1. DILEXI, supple, Deum, quia *exaudiet*] pro, exaudire solet preces meas. patet ex sequentibus.

℣. 3. *De doloribus mortis & inferni* Vide psal. 17. vers. 5. & 6.

℣. 7. *Conuertere in requiem tuam*] Id est, ex nimia perturbatione redi ad pristinam mentis tranquillitatem, & in Deo secura conquiesce.

℣. 9. *Placebo*, id est, conabor & modis omnibus studebo placere Deo, *in regione viuorum*] id est, inter viuos, seu quoad viuam in hoc mundo. Anagogicè, in cælo, inquit S. Augustinus, Hieronymus, Theodoretus.

PSALMVS CXV.

Eiusdem est argumenti cum psalmo præcedenti; vnde apud Hebræos eidem adnectitur. Allegoricè, Christianus calicem eucharisticum; Martyr calicem passionis suæ offert Christo, inquit S. Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, & patet ex 2. Corinth 4. v. 13.

℣. 10. CREDIDI, supple, Deo, promittenti mihi tot malis obruto salutem, prosperitatem & regnum, nempe, per Prophetam suum Samuelem: quare etiam intrepidè elocutus *sum* illud ipsum, & fidenter aliquibus indicaui. Vnde factum, vt, inuidente id mihi Saule eiusque asseclis, *humiliatus*, (Hieronymus, afflictus) sum *nimis*.

℣. 11. *In excessu*] Hebraicè, *in trepidatione*; Hieronymus, *in stupore mentis meæ*, scilicet perturbatæ tot vexationibus; Chaldæus, *inter fugiendum*.

Dixi, Omnis homo mendax] id est, fallax, q. d. Aduersante mihi fortuna, deseror iam ab omnibus etiam intimis, antea amicis meis: nemo fidem mihi datam seruat: solus Deus verax & fidelis: quare & illi soli deinceps credam. Lutherus ex hoc loco sic argumentatur: Facilius est verum dicere, quàm bonum facere: atqui homo nequit verum dicere, quia omnis homo mendax: ergo nec bonum facere: ergo omnia opera hominum etiam iustorum sunt peccata. Sed respondeo, negando minorem: nam *esse mendacem*, non est idem

Gyrald. Syntagmate 1. de Diis Gentium.

quod

quod semper actu mentiri, sed pronum seu proclivem esse naturâ suâ ad mentiendum & fallendum; quod non est peccatum, sed vitium naturæ peccato originali corruptæ: & per gratiam iustificantem minuitur, & magna ex parte tolli potest. Ita S. Basilius, Hieronymus, Augustinus.

℣.13. *Calicem salutaris*] Hebraicè, *salutem*, id est, saluationis, seu redemptionis meæ (vt Chaldæus vertit) symbolum & testem. q.d. Libabo & sacrificabo Domino hostiam pacificam & eucharisticam, seu gratiarum actionis pro vita & salute mihi beneficio ipsius conseruata. Patet ex v.17. seu antepenult. Alludit enim ad ritum sacrificiorum pacificorum, in quibus quasi Dei epulis, semper adhibebatur aliquid loco potus, v.g. vinum, cuius pars vna effundebatur, & sic libabatur Deo, reliquum hauriebant offerentes. Allegoricè, significat calicem SS. Eucharistiæ; Tropologicè, martyrij, passionum & afflictionum, inquit S. Basilius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus.

℣.14. *Vota mea*] Id est, sacrificia quæ voui Deo.

℣.15. *Pretiosa*, id est, cara & rara (Chaldæus, *honorifica*; Hieronymus, *gloriosa*) est *mors Sanctorum*] Ideò speciali admodum prouidentia inuigilat illi Deus, nec quidquam circa illam moueri sinit temerè aut sine graui causa. Sic dicebat Saul Dauidi, *Pretiosa fuit anima mea in oculis tuis*, 1. Reg. 26. vers. 21.

℣.16. *Quia ego filius ancillæ tuæ*, id est, verna tuus, ex ancilla tua tibi natus, ideò *dirupisti vincula mea*, id est, calamitates quibus quasi vinculis cõstringebar. Vnde vicissim obstringor sacrificare *tibi hostiam laudis*] id est, pacificam & eucharisticam hostiam quâ te laudem, tibique gratias agam.

PSALMVS CXVI.

Inuitat omnes, etiam Gentes, ad laudandum Deum, ob exhibitum orbi Messiam seu Redemptorem.

℣.2. CONFIRMATA] Id est, stabilita. Hebraicè & Græcè, *confortata*; Chaldæus, *roborata* est: nempe misso in orbem Christo, vt explicat S. Paulus ad Rom. 15. v.11.

PSALMVS CXVII.

Solemnis congratulatio in coronatione Dauidis: vel in translatione arcæ Domini in Sion, vt patet ex v.19. Allegoricè, in resurrectione tum Christi, tum nostra.

℣.5. IN *latitudine*] supple, constituens me. q.d. Ex magnis angustiis animi & corporis eduxit me Deus in latum campum libertatis.

℣.8. *Bonum est*] Hieronymus & Chaldæus, * *est*. Quia hominis, etiam principis, quantumuis potentissimi & liberalissimi, vel fortuna, vel voluntas, vel vita mutari potest: Deus autem per omnia immutabilis est, inquit Theodoretus & Genebrardus.

* Proleg. de melius Idiotism. Hebr. nu. 5.

℣.10. *Circuierunt me*, id est, obsederunt; Hieronymus & Chaldæus, *circumdederunt me*. Sed ego inuocato *nomine* Dei, eiusdem ope vici omnes, & *vltus sum* me de illis.

℣.12. *Sicut apes*, nempe pungentes & vexantes me vndique; *& sicut ignis in spinis*] nimirum maximo strepitu & impetu: sed qui subitò *extinguitur*, vt vertit Hieronymus.

℣.15. *Vox salutis*] id est, vox gratulationis & gratiarum actionis pro salute & victoria parta, supple, nunc passim audiatur & resonet. Ita S. Augustinus.

℣.19. *Portas iustitiæ*] Id est, valuas templi seu tabernaculi, in quod nemo nisi iustus & purus ingredi meretur; vt mox additur. Vocatur quoque *porta Domini*, quia pandebat viam in templum, vbi singulari modo Deus, quasi in proprio palatio, se præsentem exhibebat. Allegoricè, porta ad Patrem est Christus; Tropologicè, virtutes. Ita S. Hieronymus.

℣.22. *Lapidem*, nempe *puerum Dauidem*, inquit Chaldæus, qui reiiciebatur à Saule & populo Israel: Allegoricè & meliùs, lapis hic est Christus, Matth. 21. v.42. & Ephes. 2. v.20. *quem ædificantes*, id est, architecti domus seu Ecclesiæ Dei, putà principes & pontifices Iudæorum, reiecerunt, tamquam sibi inutilem, adeoque & noxium lapidem; sed tamen *hic* idem à Deo *factus est caput*, id est, præcipuus lapis, *anguli*, seu præcipuæ partis domus. q.d. Constitutus est nobilissimus lapis, nempe angularis, totius ædificij iuncturam sustinens, & duos parietes, Gentium & Iudæorum (imò & angelorum) in se velut angulo iungens. Ita sancti Patres.

℣.25. *Saluum me fac*; Hebraicè, *hosanna*, id est, salua quæso. *Benedictus*, supple, sit à Deo, *qui venit in nomine*, id est, missus, auctoritate, vice Dei. Hac eâdem acclamatione exceperunt Iudæi Christum Matth. 21. vers. 9. *Hosanna filio Dauid*. q.d. Qui Dauidem patremolim seruasti, nunc filium eius serua Christum.

℣.26. *Benediximus vobis*. Vox est sacerdotum. q.d. Nos *de domo Domini*, id est, è templo, bene precamur vobis, ô populo Dei: quia Deus hucusque iratus, iam noua beneficentiæ luce *illuxit nobis*, & nouâ lætitiâ perfudit nos, dato nouo rege Dauide & Messia. Quare *constituite diem solemnem in condensis*] Id est, celebrate diem hunc lætum & faustum, vrbem, plateas, & præ omnibus atria templi, *vsque ad* cornua *altaris*, ornantes densis frõdibus, ramis & coronis. Ita Hebræa & S. Hieronymus. Et ita factum Christo in die Palmarum.

PSALMVS CXVIII.

Est continuum encomium legis diuinæ, quam vt altiùs menti nostræ infigat, singulis penè versibus, qui sunt 176. nominat, sed variato subinde nomine. Nunc enim vocat testamentum, *nunc* testimonia, *nunc* iudicium, iustitiam, æquitatem, iustificationem, verbum, eloquium, sermonem, ordinationem, præceptum, mandatum Dei, *nunc* viam, semitam, veritatem, *&c. Rationem singulorum dedi in Prolegomenis.*

EST hic psalmus alphabetarius: nam singuli octonarij, seu octoni versus (quales continet 22. nempe quot sunt litteræ Hebræorum) incipiunt ab vna eademque littera Hebræa iuxta ordinem alphabeti Hebraici, v.g. octo primi versus ab *Aleph*: octo sequentes à *Beth*, & sic consequenter. Causa est, inquit S. Ambrosius, vt indicetur, quòd *lex* diuina sit *alphabetum* fidelium: cui (addit Hilarius) à prima ætate, cum primis litteris & rudimentis, studiosè incumbendum.

℣.1. *Beati immaculati*, seu puri; Chaldæus, *perfecti*, *in via*, id est, in suo viuendi modo, inquit Iansenius; vel in via legis & virtutis, vt S. Augustinus & Genebrardus; vel, vt Theodoretus, in via huius vitæ, quâ mox à partu properamus ad mortem.

℣.7. *Confitebor tibi in directione cordis*, id est, laudabo te corde recto: cò *quòd* didicerim ex te *iudicia iustitiæ tuæ*] id est, leges tuas iustas.

℣.9. *In quo corrigit* (Hebraicè & Chaldaicè, *purificat*;

purificat; Symmachus, *illustrat*,) *adolescentior*; A Chaldæus, *puer*; Hieronymus, *iuuenis*? q. d. Quid est quod puerum, adolescentem, iuuenem, alioquin effrænem & indomitum coërcet, ducit & dirigit? Ita Theodoretus.

℣.10. *Ne repellas me*] Hebraicè, Chaldaicè & & Hieronymus, *ne aberrare me facias à lege tua.*

℣.13. *Pronuntiaui*] Id est, prædicaui: Hieronymus & Chaldæus, *narraui.*

℣.17. *Retribue, viuifica*] Hieronym. & Chaldæus, *tribue vt viuam*, scilicet diu, & liber à malis.

℣.18. *Reuela*, id est, velo deducto aperi, illumina oculos: velo, inquam, ignorantiæ, & carnalium cogitationum: *& considerabo*, seu cognoscam, *mirabilia* mysteria *legis tuæ.* Ergo non tam facilis est B S. Scriptura (quod tamen iactant hæretici) quin ad eius mysteria percipienda opus sit lumine & gratiâ Dei, 2. Petri 1. v. 20.

℣.19. *Incola*] Hieronymus, *aduena*; Chaldæus, *peregrinus*. q. d. Viam ad cælum nescio; tu me illam doce.

℣.21. *Increpasti*] Genebrardus, comminatus es pœnas, & præsentes & æternas. Meliùs, seuerè puniuisti, imò perdidisti, *superbos* contemptores legum tuarum.

℣.24. *Consilium meum iustificationes tuæ*] Id est, leges tuæ sunt mihi à consilijs, illas in dubiis consulo. Ita ferè Hieronymus & Chaldæus.

℣.25. *Adhæsit pauimento anima mea*] Id est, C ego pondere ærumnarum humi prostratus iaceo, morti ac sepulchro proximus.

℣.26. *Vias meas*, id est, negotia mea omnia, *enuntiaui*, aperui & permisi tibi, scilicet optans in omnibus à te dirigi.

℣.28. *Dormitauit*; Origenes, Hieronymus & Ambrosius, *stillauit* lacrymis, Chaldæus, *in languore fuit*; idque *præ tædio* malorum quibus obruor. Vnde *confirma me*; Hebraicè, *erige*, excita me, *in verbis tuis*] id est, secundùm promissa tua. Sic sequenti

℣.29. *De lege tua*] Id est, secundùm legis tuæ promissum.

℣.32. *Dilatasti cor meum*] Id est, cælesti fauore D ac gratia tua ex angustiis tribulationum, quibus arctabar, explicuisti me, & in latum libertatis ac lætitiæ campum deduxisti me. Ita S. Chrysostomus, Didymus & alij. Simile psal. 4. v. 2.

℣.33. *Legem pone*] Hieronymus & Symmachus, *ostende*; Aquila & Theodotion, *illumina me*; Chaldæus, *doce me*, tum exteriùs per sacerdotes & Doctores: tum interiùs per illuminationem & inspirationem gratiæ tuæ.

℣.36. *Non in auaritiam*] supple, sinas me inclinari. Neque enim Deus per se aut efficienter, sed tantùm per accidens & deficienter dici potest inclinare in malum, nempe permittendo, & vberiorem gratiam subtrahendo. Quo modo nauclerus sua absentia dicitur causa naufragij. Vide dicta Genes. 45. Porrò auaritiæ meminit præ reliquis vitiis, eò quòd nihil æquè auellat mentem hominis à custodia legis diuinæ, ac superflua cupiditas & studium rerum terrenarum.

℣.38. *Statue*, supple, semper ob oculos, *in*, id est, cum, *timore tuo*] de quo vide psalm. 110. vers. 9.

℣.39. *Amputa*; Hieronymus & Chaldæus, amoue, aufer, auerte probra & conuitia hostium, quæ *suspicatus sum*] id est, suspecta habeo; Hieronymus, *reueritus* seu *veritus sum*; Chaldæus, *timui.*

℣.42. *Exprobrantibus mihi*, quasi sim reiectus & derelictus à te, *respondebo verbum*, id est, facilè responsum dabo, scilicet quòd numquam frustra *sperarim*, & etiamnum sperem, *in sermonibus*, seu promissis, *tuis.*

℣.43. *Ne auferas*, vel potiùs, ne permittas auferri, *vsquequaque*, id est, vllo modo; Chaldæus, *penitus.* Simile suprà v. 36. *quia in iudiciis*, seu promissis, *tuis superspero*] id est, valdè & totus speraui.

℣.45. *In latitudine*] Vide dicta v. 32.

℣.49. *Verbi*] Id est, promissi tui facti mihi per Samuelem & Nathan Prophetas, de regno mihi meisque posteris stabiliendo, inquit R. Salomon & Theodoretus; Allegoricè, de Christo ex me nascituro, Arnobius.

℣.52. *Iudiciorum tuorum*, quibus Abraham, Loth, Moysen, omnesque pios ab impijs semper liberasti.

℣.53. *Defectio*] Id est, animi deliquium, ex tristitia & zelo, cùm videam ab impijs legem tuam negligi. Theodoretus.

℣.54. *Cantabiles*] Hieronymus, *carmina*; Chaldæus, *hymni.* q. d. Sicut peregrinantes laboris & viæ tædia leniunt canendo; sic & ego cantando præcepta tua subleuo molestias exilij mei.

℣.56. *Hæc facta est*] Hebraismus, pro *hoc* (nempe, quòd cantillem præcepta tua, & etiam noctu atque in somnis illa reuoluam) *factum est*, seu *euenit*, *mihi* ex eo, quòd legem tuam tam ardenter amem & exquiram.

℣.57. *Portio*] supple, hereditaria, & thesaurus omnis meus in hac vita. Simile infrà v. 111.

℣.59. *Cogitaui*] Hieronymus, *recogitaui*, expendi, quæ & quales essent viæ quas hucusque ambulaui.

℣.61. *Funes*] Id est, insidiæ, retia, remoræ hostium; Chaldæus, *cohors impiorum*; Allegoricè, dæmonum, inquit S. Augustinus & Theodoretus.

℣.63. *Particeps*] Chaldæus, *socius*; Symmachus, *coniunctus*, & ita particeps meritorum, & communionis Sanctorum: nam omnia membra vnius eiusdemque corporis participant de bono singulorũ.

℣.65. *Bonitatem fecisti*] Hieronymus, *benè*, seu benignè, *fecisti mihi.* Hinc *doce me* quoque erga alios

℣.66. *Bonitatem*, id est, benignitatem, quâ proximis meis propter te benefaciam. Item *disciplinam*, id est, sapientiam; Chaldæus, *congruam rationem*; Vatablus, *benè iudicandi facultatem*; Hebræus, *bonum gustum*, nempe quo diiudicem dulce ab amaro, cælestia à terrenis, bona à malis. Denique *scientiam*, scilicet practicam agendorum, quâ sciam quid & quomodo quouis casu mihi sit agendum & cauendum. Vide S. Augustinum & Theodoretum.

℣.70. *Coagulatum*] Id est, condensatum & in- E duratum, scilicet odio in me; Vatablus & Euthymius, *caseatum*; Chaldæus & Hieronymus, *incrassatum est velut adeps.* Id est, pingues sunt, deliciis vacant, obtuso sunt corde ad intelligendum sacra & diuina: meæ verò deliciæ sunt lex tua.

℣.79. *Conuertantur mihi timentes te*] Hieronymus & Chaldæus, *reuertantur ad me*; qui propter calamitates & miserias meas aufugerant, vel alienati erant à me, factâ iam tranquillitate, redeant ad pristinum amicum.

℣.81. *In salutare tuum*, id est, præ desiderio salutis à te speratæ; Allegoricè, præ desiderio Christi Saluatoris ex me & pro me nascituri; Anagogicè,

gicè, vitæ & salutis æternæ. Ita S. Ambrosius & Augustinus. Hinc etiam *defecerunt oculi mei*; Hieronymus, *consumpti sunt*, nempe lacrymis, & dum nimis intentè in cælum suspiciunt, & *eloquium*, seu promissum, *tuum* exspectant. A

℣. 83. *Sicut vter in pruina*, scilicet congelatus, induratus, corrugatus, contractus: sic & ego ærumnis constrictus aresco totus, rugesco & contabesco. Tropologicè, S. Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Theodoretus, Euthymius, sicut vter dum calefit mollitur, & pruina obdurescit: sic corpus deliciis eneruatur; ieiuniis, continentiâ, mortificatione, aduersitate roboratur.

℣. 87. *Paulo minùs consummauerunt me*] Id est, parùm abfuit quin consumpserint me. B

℣. 89. *Verbum tuum in cælo*, id est, præceptum datum exlis. q. d. Cæli tuo decreto sunt firmi & stabiles in æternum; similiter *terra* v. sequ. & *dies*, v. 91. id est, temporum successio & series ordinatissima. Et ego quoque v. 92. *perissem in humilitate mea*, id est, in afflictione & miseriis meis, *nisi lex tua* fuisset *meditatio mea*] Hieronymus & Chaldæus, *delectatio, delicie mee*, id est, nisi verbum tuum me recrearet & oblectaret, & sic in viuis conseruaret, sicut conseruat cælum & terram.

℣. 96. *Omnis consummationis*, seu rei consummatæ & perfectæ, vt vertit Symmachus. q. d. Omnis humana potentia, sapientia, opes, imperia, finem habent celerrimum, & nihil tam perfectum, C quod non aliquando finiatur: sola lex diuina tam lata est, vt quasi immẽsa, sese ad omnia temporum & locorum spatia extendat, omnibus imperans, omnia gubernans, & obedientem ad cælos, negligentem ad inferos deducens, inquit Arnobius & Theodoretus. Item lata dicitur, quia mentem in tribulatione dilatat; Euthymius. Vide vers. 32.

℣. 98. *In æternum mihi est*] supple, in animo reconditum: vel perpetuò seruandum.

℣. 99. *Super*, id est, plusquam, *omnes intellexi*, quid agere necessum sit vel expediat. Idem v. 100. & 104.

℣. 108. *Voluntaria oris mei*] Id est, spontaneæ *oblationes* (vt vertit Chaldæus) quæ ex ore meo D egressæ sunt vouendo, fac *beneplaceant tibi*. Tropologicè, sunt consilia Euangelica, inquit S. Hieronymus, Hilarius, Theodoretus.

℣. 109. *Anima*, id est, vita, *mea in manibus meis semper*] Chaldæus, *periclitatur quotidie, ac si* eam *in superficie manus mea*, omnium hostium direptioni expositam gestarem. Simile Iudicum 12. *Posui animam meam in manibus meis.* & 1. Regum 19. *Posuit animam suam in manu sua.* & Iob. 13. *Animam meam porto in manibus meis.*

℣. 111. *Hereditate acquisiui*] Id est, hereditaui, pro hereditaria portione accepi, & mihi selegi non aurum, non gemmas, non palatia, non officia, sed obseruationem legum tuarum. Ita S. Hilarius, E Hieronymus, Ambrosius, Theodoretus.

℣. 118. *Iniusta*] Hieronymus & Chaldæus, *mendax*, seu fallax, est calliditas & *deceptio* illorum.

℣. 119. *Reputaui prauaricantes*] Id est, habui eos pro transgressoribus legis tuæ, id est, pro hominibus nihili, quorum vita, vt potè noxia reipublicæ, nullius est momenti: Hieronymus, Symmachus & Chaldæus, *reputasti & abolemisti quasi scoriam.* q. d. Sicut scoria per ignem ab auro & argento secernitur, nec tamen igne consumitur: ita tu Deus impios à pijs secernes, vresque igne æterno, nec tamen exures, vt esse desinant.

℣. 120. *Timore tuo*,] de quo psalm. 110. vers. 10. seu timore tui, quasi clauo, *confige* concupiscentias carnis meæ, vt his mortua viuat soli Deo. Ita S. Ambrosius & Augustinus.

℣. 126. *Tempus faciendi*] id est, mihi opitulandi, & hostes puniendi. Theodoretus & Euthymius. Græcè enim est, *Domino*; Hebraicè, *Domini*. Allegoricè, tempus extremi iudicij.

℣. 131. *Attraxi spiritum*] id est, aërem; Hieronymus, *respirani*. nempe sicut famelici & lassi aërem hiante ore captant, ita ego summo desiderio anhelaui ad scientiam, intelligentiam & praxin legis tuæ. Hilarius, Theodoretus, Ianscnius, Genebrardus.

℣. 132. *Secundum iudicium*] Id est, secundùm legem vel consuetudinẽ quâ vteris erga amicos tuos.

℣. 135. *Faciem tuam illumina*] Id est, ostende te mihi hilarem & beneuolum. Psal. 4. v. 7.

℣. 136. *Exitus*; Hieronymus, *riuos*; Chaldæus, *fluenta aquarum*, id est lacrymarum; profuderunt *oculi mei, quia non custodierunt legem tuam*] nempe in contemplanda & concupiscenda Bethsabee.

℣. 138. *Mandasti iustitiam testimonia tua*] Id est, præcepisti iustissimas & verissimas leges tuas omni studio obseruari.

℣. 140. *Ignitum*] Id est, quasi aurum in igne *probatum*, vt vertit Hieronymus; Chaldæus, *purum*. Vide psalm. 11. v. 7.

℣. 141. *Adolescentulus*] Hieronymus & Chaldæus, *parnulus* & abiectus quasi puer: nam minimus sum fratrum meorum. Theodoretus.

℣. 142. *Iustitia in æternum.* q. d. Non mutatur, non excidit, non corrumpitur *iustitia & lex*, seu iusta lex, *tua*, vt solent humanæ, sed æternùm durat, & æternam mercedem confert, inquit S. Augustinus.

℣. 147. *Praueni in maturitate*] Id est, maturè, antè consuetũ tempus surgendi & orandi; Chaldæus, *in aurora*; Hieronymus, *surgebam adhuc in tenebris*. Ita S. Augustinus, Theodoretus, Euthymius. Sic vers. 62. dixerat, *Media nocte surgebam.* Hinc ortum habẽt hymni Christianorum antelucani & nocturni, de quibus Plinius ad Traianum.

℣. 151. *Propees*] Id est, præstò es, ades omnibus inuocantibus opem tuam, & seruantibus legem tuam. S. Hieronymus & Euthymius.

℣. 152. *Initio*] Id est, ab initio ætatis meæ.

℣. 154. *Iudica iudicium meum*; Chaldæus & Hieronymus, *age* & *iudica causam meam* inter mẽ & hostes meos.

Viuifica me, id est, fac viuam lætus & alacer, sed *propter eloquium*] id est, iuxta promissum tuum.

℣. 160. *Principium*] Hebraicè, *ros*, id est, *caput*, vt vertit Hieronymus, seu summarium. q. d. A principio vsque ad finem, verissima & fidelissima sunt omnia *verba* seu promissa *tua*. Euthymius. ראש

℣. 161. *Principes*] Saul eiusque asseclæ.

Gratis] Id est, sine iusta causa, sine meo merito aut culpa.

℣. 164. *Septies in die*] Id est, sæpissimè per diem. Vnde constat, septem Horas Canonicas non inuentas aut institutas à Damaso Papa cum S. Hieronymo & Ambrosio, vt vult Sigebertus: sed vrgente Dauide, in vsu fuisse apud Iudæos in templo & synagogis: & inde ab Apostolis translatas in Ecclesias Christianorum, vt patet ex S. Clemente, Cypriano, Athanasio, Basilio & aliis à Bellarmino citatis. *Bellarmin. l. 1. de Bonis oper. in particulari c. 13.*

℣.175. *Viuet*] Chaldæus & Vatablus, *viuat*. q.d. A Fac me valentem, vegetum, lætum diu viuere, vt diutiùs laudem te.

Et iudicia tua, quibus præmia bonis, pœnas improbis decernis, adiuuent *me*.

℣.176. *Errani*] scilicet à patria mea exul, inquit S. Hieronymus & Euthymius. Vel, vt S. Ambrosius, Augustinus, Theodoretus, à via legis tuæ per varia peccata deflexi.

Quere me per gratiam tuam præuenientẽ & excitantẽ, sine qua nemo resurgere potest à peccatis.

PSALMVS CXIX.

Dauid exul sub Saule orat restitui patriæ & à maledicis liberari.

NOtandum 15. sequentes psalmos inscribi *cantica graduum*; vel *ascensionum*, vt vertit Aquila, Symmachus & Theodotion, eò quòd à Leuitis in festis canerentur in 15. gradibus templi, vt vult Chaldæus: vel saltem in templi dedicatione per Salomonem, vt vult Salianus: vel quòd elatiore voce canerentur, vt ait R. Sahadias: vel potiùs, quia sunt precationes & consolationes eorum qui ex captiuitate vel exilio reduces ascẽdebant in Iudæam & templũ, inquit Theodoretus, Euthymius & Mariana. Tropologicè, sunt gradus quibus ascenditur ad perfectionem & ad Deum, inquit S. Augustinus: quos hìc 15. enumerat Genebrardus. Anagogicè, ascensus & suspiria ab hoc exilio ad patriam cælestem, S. Hieronymus & Euthymius. B

Salian. ad annum 11. Salomonis in Annalib.

℣.3. *Quid detur tibi*, ô maledice? q. d. Quem fructum, quod emolumentum capies ex lingua tua fallaci? sanè non aliud quàm acutas sagittas *potentis*, id est, acres pœnas & vltiones Dei: & carbones desolatorios, seu omnia tua desolãtes, id est, incendia tibi perniciosissima, maximè in inferno. Notatur, inquit Theodoretus, in *sagittis* celeritas pœnæ, in *carbonibus* seu prunis acerbitas. LXX. legunt, carbonibus ἐρημικοῖς, id est, arborum eremi seu deserti; & *maximè iuniperi*, vt vertit Hieronymus; & radicum *genistæ*, vt Chaldæus. Isti enim carbones ob densitatem materiæ, incendium acriter concipiunt, fortiùs vrunt, & diutiùs fouent, inquit Plinius & Theophrastus.

℣.5. *Incolatus*, id est, exilium meum, *prolongatus* inter Cedarenos, id est, Arabes; sic dictos à *Cedar* filio *Ismaelis*, Genes. 25. v. 13. Allegoricè, Ecclesia Christi iam à mille annis premitur à Mahomete Arabe; Anagogicè, ex longis ærumnis huius vitæ suspiramus ad patriam cælestem, inquit S. Hieronymus, Augustinus, Euthymius. C

PSALMVS CXX.

A solo Deo auxilium petendum & sperandum.

℣.1. IN *monte*] q.d. Ego exul per montes vndique circũspicio, num alicunde auxilium mihi adueniat: sed frustrà. Ita Vatablus & Iansenius; Anagogicè, in cælum; ad angelos, Arnobius. E

℣.3. *Non det*] Chaldæus, *non dabit*, id est, non permittet te labi, neque instar dormientis negliget te. Nam Zachar. 3. v. 9. dicitur Deus habere *septem oculos*: & Ezech. 1. v. 18. *Cherub* totus *antè & retro plenus* esse *oculis*; & Ierem. 1. vers. 11. vocatur *virga vigilans*.

℣.5. *Protectio tua*] Hebraicè, *vmbra tibi*, seu loco vmbraculi, (vt vult Chaldæus) quod ad dextram tuam positum obumbrat totum corpus tuum, & tuetur contra æstum *solis*, & vexationem *lunæ*, id est, contra nocturnas & diurnas molestias & miserias: Tropologicè, in prosperis & in aduersis, inquit S. Hieronymus.

℣.8. *Introitum & exitum tuum*] Hebraismus, pro, omnia negotia tua. Simile Deut. 28. v. 19. & 3. Reg. 3. v. 7. Anagogicè, *introitus* est vita, *exitus* mors, inquit S. Hieronymus.

PSALMVS CXXI.

Laudat Ierosolymam & templum (Allegoricè, Ecclesiam; Anagogicè, cælum) à concordia, pietate, iustitia, & regni splendore, inquit S. Hieronymus & Augustinus.

℣.1. DICTA *sunt mihi* per Prophetas & Doctores Ecclesiæ.

℣.2. *Stantes erant* olim ante exilium. Ita Genebrardus. Allegoricè, atria cæli Ecclesia militans in terris, inquit Iansenius.

℣.3. *Vt*, seu sicut, *ciuitas*, nempe concors & vnanimis. *Cuius participatio eius*, id est, qui eius participes sunt, nempe ciues, *in idipsum*] id est, simul in vnum conspirant omnes. Chaldæus vertit, *quæ coniuncta est sibi pariter*.

℣.4. *Testimonium Israel*] pro, iuxta testimoniũ, id est, legem Dei seu præceptum datum Israeli, nempe vt singuli ter in anno ascendant Ierosolymam, Exodi 23. v. 17. Theodoretus & Iansenius.

℣.5. *Quia illic sederunt*, id est, ad sedendum constitutę sunt, *sedes in iudicio*] Chaldæus, *ad iudicium*. q. d. Tertia hæc ratio est, cur adeò *lætatus* sim in ascensu Ierosolymam, quia Deus ibi familiæ Dauidicæ constituit stabilem & perpetuum thronum regium & iudicialem. Theodoretus. Anagogicè, Christo & Apostolis decretæ sedes in die iudicij ad diiudicandas 12. tribus Israel. D

℣.6. *Rogate quæ ad pacem*, id est, adprecamini omnem felicitatem Ierosolymæ, *&* vt *diligentibus* eam obueniat *abundantia* omnium bonorum.

℣.7. *Fiat pax*, id est, sit prosperitas & salus, de qua iam dixi, *in virtute*, id est, in robore; Chaldæus, *in exercitu*, seu numeroso populo tuo; Symmachus & Hieronymus, *in muris tuis*, id est, inter ciues tuos. *Et abundantia in turribus*] id est, palatiis, seu incolis palatiorum tuorum. q. d. Omnes à primo ad vltimum floreant, prosperentur & ditescant.

℣.8. *Propter fratres meos*, tum carnales, tum spirituales, qui in te habitant, *loquebar*, id est, solco loqui, *pacem dete*, id est, prospera quæque tibi optare. Item *propter domum Domini*, quæ in te est. Ita S. Hieronymus & alij.

PSALMVS CXXII.

Orat liberari àludibriis impiorum, Allegoricè, Ecclesia ab insultatione infidelium.

℣.2. IN *manibus*, supple, versantur, id est, ad manus continuò respiciunt, scilicet vt earum liberalitatem & opem experiantur; ita nos, &c.

℣.4. *Repleta est*, scilicet *despectione*, vt præcessit, & contemptu: facti *opprobrium abundantibus*, id est, diuitibus superbis: Symmachus, Hieronymus & Chaldæus vertunt, *repleta est anima nostra opprobrio abundantium & despectione superborum*.

PSALMVS CXXIII.

Gratias agit Deo, sibiq; gratulatur Synagoga (Allegoricè, Ecclesia Christi) quòd ab hostibus & tyrannis sit liberata.

℣.3. & 4. FORTE, & *forsitan*] Chaldæus, *tunc*. Neque enim est dubitantis, sed asseuerantis.

℣.4. *Aqua*, id est, instar aquæ & torrentis, *absorbuisset nos* furor hostium; vt olim mare rubrum Ægyptios.

℣.5.

℣. 5. *Torrentem*] Id est, ingentem impetum A hostilium tentationum & afflictionum.

Forsitan, pro, vtique, certò, nisi Deus iuuisset nos, coacti fuissemus pertransire *aquam intolerabilem*] id est, impertransibilem. q.d. Obruti fuissemus mole, pondere & copia malorum. Symmachus, Aquila, Theodotion & S. Hieronymus vertunt, *aquas superbas* seu *arrogantes*, id est, altissimas, profundissimas. Quas S. Augustinus Tropologicè accommodat peccatis.

PSALMVS CXXIV.

Qui confidunt in Deo, stabiles erunt & tutissimi: impij verò peribunt. B

℣. 1. SICVT *mons Sion*] supple, stabiles erunt & immobiles.

Qui habitat] Id est, ciuis & incola inhabitans.

℣. 3. *Non relinquet*, scilicet diu, *virgam*, id est, sceptrum & imperium tyrannorum. Ita Theodoretus, Vatablus, Iansenius, Genebrardus. Vel, vt alij, *virgam*, id est, plagas & flagella, vt erant Nabuchodonosor, Attila & similes tyranni. Idque, *ne extendant iusti*, &c. id est, ne fortè etiam iusti fiant impij, exemplo & prosperitate impiorum allecti, vel impatientiâ victi.

℣. 5. *In obligationes*; Hebraicè, *obliquationes*, vel tortuositates; Chaldæus, *obliquitates*; Hieronymus, *prauitates*; Græcè, σκαγγαλιὰς, id est, implicationes, seu laqueos. q.d. Hypocritas, qui occultis laqueis, & tortuosis viis innocentes obligant & irretiunt, suasque peruersitates tegunt, *adducet* Deus *cum operantibus* palàm *iniquitatem*] id est, æquè ac perinde puniet, ac si essent apertè & palàm impij. Ita S. Hieronymus & Iansenius.

PSALMVS CXXV.

Reduces à Babylonica captiuitate (Allegoricè, à seruitute peccati; Anagogicè, ex hac mortali vita) sibi gratulantur, orantq; vt & residui liberentur. Ita Theodoretus.

℣. 1. IN *conuertendo*; Hieronymus, **cùm conuerteret*; Chaldæus, *quando conuertet*) D *facti sumus sicut consolati*] Id est, sic lætati sumus, vt solent qui insperatis bonis vel nouis nuntiis valdè consolantur seu recreantur: Hieronymus & Chaldæus vertunt, *sicut somniantes*, & *è somnijs euigilantes*. q.d. Tam insperatus nobis accidit reditus è carcere.

* *In Prolegom. de Lamott, in Iacer. n. 52.*

℣. 4. *Conuerte captiuitatem nostram* reliquam, id est, reliquos ex gente nostra captiuos adhuc in Chaldæa, reduc in patriam, & vnà nobiscum exhilara: *sicut torrens* flante Austro terrâ conuertit & hilarat, nempe copia aquarum, quas Auster calore suo soluens glaciem, & liquans niuem, procreare & inducere solet. Vnde Chaldæus habet, *conuerte captiuos nostros, sicut conuertitur terra quando irrumpunt in eam exitus* seu fluenta *aquarum tempore siccitatis*. Ita Theodoretus. Tropologicè, S. Hieronymus & Augustinus, flante Spiritu sancto soluuntur peccata & gelu cordis per compunctionem & lacrymas. E

℣. 6. *Semina sua*] q.d. Proles & opes suas quasi perdunt in Babylonia: sed Deo prouidente referent multiplicato fœnore lætissimos inde manipulos nouarum opum & gaudiorum. Anagogicè, qui seminant hîc bona opera, & maximè verbum Dei, metent in futuro manipulos meritorum, & animarum quas conuertunt, inquit S. Augustinus & Hieronymus.

PSALMVS CXXVI.

Citra Dei fauorem nec familia, nec vrbes, nec proles parari vel seruari possunt. Tropologicè, sine gratia Dei, nec incipere, nec proficere, nec perseuerare possumus in virtute.

℣. 1. NISI *Dominus ædificauerit domum*, seu materialem, seu politicam. q.d. Nisi Deus dederit proles, familiam amplam, opes & dignitates, &c. frustra laboras. Simile habes Exodi 1. v. 21. & 2. Reg. 7. v. 11.

℣. 2. *Vanum est ante lucem surgere* ad opus & labores: supple, Deo non iuuante, vel labores non prosperante.

Surgite postquam sederitis] Est ironia. q.d. Esto in multam noctem laboretis, & tunc post breuem somnum, quem non iacentes, sed sedentes, obiter captatis, iterum ante lucem surgatis ad opus, & sic manducetis *panem doloris*, id est; cibum multo dolore partum; parum tamen vel nihil proficietis, ni Deus fauerit.

℣. 3. *Cum* interim det *dilectis suis*, id est, amicis quibus fauet, securum *somnum*. Est antithesis versus præcedentis, vt patet ex Hebræo. q.d. Impij continuato labore dies & noctes se fatigant, & frustra, Deo manum suam subtrahente. Sed pij, quibus adest & fauet Deus, licet somno suauissimè C indulgeant, ipsis tamen quasi dormientibus affatim omnia bona obueniunt, nominatim *filij* multi & proles, quasi *hereditas* ipsis à Deo concessa: & *fructus ventris*, id est, fœcunditas prolium & pecorum, datur ipsis tamquam *merces* iustitiæ ipsorum. Id verissimum fuit in veteri testamento, iuxta diuinum promissum Leuit. 26. & Deuteron. 28. ita ferè Chaldæus & Theodoretus.

℣. 4. *Sicut sagittæ in manu potentis*, seu fortis sagittarij, magna vi contortæ, supple, præsidio sunt ipsi & terrori hostibus; *ita* sunt *filij excussorum*] id est, iuuenum. Iuuenes enim vocantur Hebraicè *hanneurim*, id est, *excussi*, quia expediti sunt ab omni impedimento, ad prælium, ad omne opus prompti. Vnde Aquila, Symmachus & Hieronymus vertunt, *filij iuuentutis*. q.d. Deus amicis suis in flore iuuentutis dabit validas & robustas proles, quæ parentibus suis sint aliquando pro sagittis; id est, armis & præsidio, quo possint etiam è longinquo contra hostes defendi. Genebrardus per *excussos* intelligit parentes concussos & quassatos ab hoste; q.d. Filios tamen illorum fortes fore & felices, & præsidio parentibus. הנעורים

℣. 5. *Impleuit desiderium*; Hebræus & Hieronymus, *pharetram*; Chaldæus, *scholam*, id est, domum suam (prout desiderarat) plenam habet eiusmodi sagittis, id est, filiis multis, probis, fortibus; hi enim parenti suo præsidio erunt, dum *loquetur*, id E est, contendet, cum *inimicis suis in porta*] id est, in iudicio, quod loco publico fiebat in porta vrbis.

PSALMVS CXXVII.

Iusti beantur omnigenis bonis.

℣. 2. LABORES *manuum tuarum manducabis*] Id est, quæcumque seu labore manuum, seu iusto mercatu, seu aliâ industriâ tibi compararis, non rapiet fur, non tempestas, non fiscus; sed tu ipse pacificè pro tuo nutu frueris, & in tuos tuorumque vsus conuertes.

℣. 3.

¥. 3. *Sicut nouellæ*, id est, noua germina vel plantulæ, *oliuarum*, pulchræ, ductiles, delectabiles, semper virentes, optimæ spei quòd in oleas pingues excrescent. Ita S. Hieronymus. Et, vt alij, *sicut frutices oliuarum* non inserentur alieno trunco, neque extra natiuum locum transplantabuntur, (neque enim fert istud olea:) id est, non erunt, neque habebuntur spurij, sed germani & genuini referent parentes suos lineamentis, vita, moribus, religione. Allegoricè, Ecclesia Christi abundabit semper filiis genuinis, floridis & pacificis: pacis enim symbolum est oliua. Ita S. Augustinus.

PSALMVS CXXVIII.

Israel, (& Allegoricè, Ecclesia Christi) gratulatur sibi, quod hostes numquam valuerint se subuertere.

¥. 1. SÆPE *expugnauerunt*] Id est, expugnare conati sunt. Nam verba Hebræa sæpissimè tantùm significant (*a*) conatum, vel actum inchoatum.

a *Proleg. de Idiotism. Hebr. n.* 56.

A iuuentute mea] Id est, à tempore priorum Patriarcharum, Abrahæ, Moysis, &c.

¥. 3. *Suprà dorsum* (Hieronymus; *ceruicem*; Chaldæus, super *corpus*) *meum fabricauerunt peccatores*] Id est, hostes mei quasi fabri, dorsum meum continuis malleorum ictibus quàm diutissimè contuderunt. Hebraicè, Chaldaicè, Aquila, Theodotion, & S. Hieronymus, *arauerunt aratores, & in longum protraxerunt arationem* vel *sulcum suum*. Allegoricè, conuenit Christo flagellato & Martyribus.

¥. 8. *Et non dixerunt*, more vsitato. q.d. De isto fœno viatores transeuntes per prata, non dixerunt messoribus vel dominis, Deus benedixit vobis & messi vestræ. Nempe nulla erat, vel admodum tenuis messis, cui vel cuius ratione bene precari operæ pretium non sit. Ita conatus tyrannorum & aliorum hostium Ecclesiæ vel nullos, vel infelices euentus suarum machinationum habere solent.

PSALMVS CXXIX.

Orat scelerum suorum & culpæ & pœnæ liberari.

¥. 1. DE *profundis*] Hebraicè, *de profunditatibus*; Symmachus, *de profundissimis*, putà carcere, exilio, calamitate, miseriâ & voragine peccatorum.

¥. 4. *Propter legem tuam*] quâ pœnitentibus indulgentiam promittis.

¥. 6. *A custodia*, (Hieronymus, *à vigilia*) *matutina vsque ad vigiliam vespertinam*, id est, ab excubiis matutinis, seu primo manè, vsque in altam *noctem*, id est, tota die, omni hora.

¥. 7. *Copiosa*; Hieronymus, *multa*, *apud eum* (Chaldæus, *cum illo*) *redemptio*] id est, liberatio, saluatio. Allegoricè, Hieronymus, Redemit nos Christus non auro, sed sanguine suo: non paucos homines, sed vniuersum mundum: non ad paucos annos, sed pro tota æternitate: nec ad exiguum emolumentum, sed ad immensum gloriæ pondus.

PSALMVS CXXX.

Profunda humilitas, quâ tibi diffidas, & vni Deo fidas, præsentem à Deo opem meretur.

¥. 1. IN *magnis*, (Aquila & Chaldæus, *in magnificentiis*,) *& mirabilibus super me*] Chaldæus, *rebus mirandis præ me*; Symmachus, *transcendentibus*. q.d. Non sum conatus res quæ meas vires vel statum excederent: neque scrutatus sum arcana Dei consilia, quàm ob causam, quem in finem sic de me vel de aliis decernat.

¥. 2. *Si non*, &c. supple, puniar & perdar à Deo. Est enim *si* Hebræis nota (*b*) iurantis & execrantis. *Sicut ablactatus* recens puerulus se habet erga matrem suam, putà humilis est, mansuetus, sinui matris inhærens, totusque ab illa pendens, vt rursum nouo lacte vel cibo ab illa pascatur; *ita retributio in anima mea*] id est, ita *ablactata anima mea*, (vt vertunt Symmachus & Hieronymus) pendet à te tuoque sinu, & omnia sibi à te tribuenda exspectat.

b *Proleg. de Idiotism. Hebr. n.* 13.

PSALMVS CXXXI.

Salomon transferens arcam in templum recèns exstructum, 2. Paralip. 6. orat vt Deus illud inhabitet, ac sacerdotes, totumq; regnum prosperet. Allegoricè, orant Christiani, vt Deus Ecclesiam; Tropologicè, animam inhabitet.

¥. 2. PRO *sicut*, Hieronymus & Chaldæus, habent, *Qui* Dauid, *iurauit Domino. Si introiero*, &c.] Supple, puniar, vt dixi psal. 130. v. 2.

¥. 5. *Locum*] nempe, qui Deo placeat, vt in eo templum ædificem. Videtur Dauid hoc votum vouisse, inquiunt Rabbini & Iansenius, cùm ob numeratum populum populus peste plecteretur, 2. Reg. vlt. tunc enim sollicitè quærenti regi designauit Deus ei locum per Gad Prophetam, nempe arcam Ornan Iebusæi.

¥. 6. *Audiuimus*, scilicet ex Gad Propheta, *eam* mansionem selectam à Deo *in Ephrata*] quæ propriè est *Bethlehem*. Sed hîc accipitur pro tota regione *Ephratæa*, q.d. *fertili*, quæ extendebatur à Bethlehem Ierosolymam vsque per duas leucas, & ferè appropriabatur Dauidi: nam & Bethlehem, in qua natus erat, vocabatur *ciuitas Dauid*; & Sion, quam Ierosolymæ extorsit Iebusæis, dicebatur *arx Dauid*. Porrò vtitur hîc potiùs nomine *Ephrata*, quàm *Ierosolymæ*, vt alludat ad *Ephraim*, in qua tribu fuerat antea *arca*. q.d. Relinquat Dominus vrbem *Silo*, quæ est in tribu *Ephraim*, & migret cum arca in *Ephratam*, id est, in Sion. Allegoricè, Christus natus est in *Ephrata*, id est, agro Bethlehemitico. Ita S. Hieronymus, Theodoretus & alij.

Genes. 35. v. 19.

Hieronym. in Epitaphio Paulæ.

In campis siluæ] Id est, in loco siluoso, putà in monte *Moria*, qui, antequam ibi conderetur templum, erat locus siluosus. Vide quæ dixi 2. Reg. vlt. & 1. Paralip. 21. Tropologicè, in vepribus idololatriæ & vitiorum.

¥. 7. *Introibimus* iam nunc, cùm transferemus arcam è mobili tabernaculo, ad stabile tabernaculum, id est, in templum.

Vbi steterunt pedes eius] Quia in templo erat *arca & propitiatorium*, quasi scabellum pedum, & thronus Dei; vt dixi psal. 98. v. 5.

¥. 8. *Surge Domine* è tabernaculo mobili & vago, *in requiem tuam*, id est, in templum, vbi fixè & quietè habitabis, *tu & arca sanctificationis tuæ*] id est, tibi sanctificata & consecrata, & in qua tu sanctificaris seu coleris, & nos per eam sanctificas. Allegoricè, applicatur Christo è terris in cælum demigranti.

¥. 9. *Sacerdotes tui*, qui in templo tibi deseruient die ac nocte, *induantur iustitiam*] id est, sanctitatem omnem quam exigit sacerdotium; Chaldæus, *induant vestes iustitiæ*. Vestes enim sacerdotum,

tum, de quibus Exodi 28. significabant iustitiam & puritatem, & aliàs virtutes quibus ornari debebant.

Et sanctitui (Chaldæus, *Leuitæ* tibi consecrati) *exultent*] id est, lætas laudes & psalmos tibi canant. Hieronymus, & Chaldæus.

℣. 10. *Ne auertas*, id est, ne repellas, ne auerseris, *faciem christi tui*] id est, meam Salomonis, quem in regem vnxisti; Allegoricè, Messiæ.

℣. 11. *Veritatem*] Id est, rem verissimè & certissimè futuram.

℣. 15. *Viduam* (pro, viduas & pauperes Sionis) victum reliquaque necessaria illis curando, alam. Hebraicè enim est *tsedah*, id est, *venationem*, seu *cibum eius* multiplicabo: vt vertunt Symmachus, Aquila, Hieronymus, Chaldæus: & in Græcis LXX. Regijs etiam est θήρα, seu *venatio*. Pro quo Noster legisse videtur χήρα, id est, *viduæ*: & ita etiam Iguntalij codices Græci, item Psalterium Arabum & Æthiopum: & S. Hilarius dicit LXX. habere χήραν, inquit Ioannes Mariana. Sed in eumdem sensum redit, nam multiplicando *victum*, benedicit *viduam* & *pauperem*.

℣. 16. *Induam salutari*] id est, salute, vt est in Hebræo, id est, ornabo iustitia & sanctitate, quæ est vera hominis salus. Theodoretus.

℣. 17. *Illuc*, in Sion, *producam* (Hieronymus & Chaldæus, *oriri faciam* & germinare) *cornu*] id est, robur, gloriam, decus regium Dauidis, nempe per eius posteros reges, & maximè per Christum, (inquit Hieronymus, & Theodoretus) qui Lucæ 1. v. 69. vocatur *cornu salutis*.

Parani lucernam, id est, prospexi, vt in solio regio Dauidis semper aliquis ex posteris eius resideat, qui erit *lucerna Christo meo*] id est, qui suo splendore & gloria illustrabit nomen & familiam Dauidis à me in regem inuncti: item qui viam aperiet Messiæ ex Dauide eiusque posteris nascituro. 2. Paralip. 21. vers. 7. Vnde S. Hieronymus & Augustinus Allegoricè, lucernam hanc dicunt fuisse Ioannem Baptistam, ardentem & lucentem.

℣. 18. *Sanctificatio*, id est, benedictio, *mea*] Hieronymus & Chaldæus, *diadema & corona*, qua Dauidem eiusque posteros in reges coronaui, & sic mihi sanctificaui & consecraui. q. d. Maiestas, robur, gloria regni Dauidici (Allegoricè, Christi,) quotidie magis magisque efflorebit.

PSALMVS CXXXII.

Commendat fratrum concordiam, tùm cùm Israelita, in duas anteà populos & regna diuisi, iam occiso Isbosetho, 2 Reg. 4. & 5. in vnum regnum sub vno rege Dauide coalescerent, Allegoricè, tùm Ecclesia Christi ex Gentibus simul & Iudæis constaretur.

℣. 2. SICVT *unguentum*, non vulgare aliquod, sed sacerdotale, quo Aaron & quiuis summus sacerdos consecrabatur, quod optimum erat & odoratissimum, de quo Exodi 30. & Leuit. 8. *Effusum* verò in caput eius, defluebat quoque *in barbam*, & *in oram*, non imam, sed summam *vestimenti*: & sic fragrantiâ suâ mirè recreabat tum Aaronem, tum præsentes omnes: Ita concordia fraterna mirè oblectat Deum & homines. Allegoricè, sunt charismata Spiritus sancti. Est item

℣. 3. Concordia fraterna *sicut ros*], Quia Primò, est è cælo, Secundò, suauis, & non impetuosa vel procellosa, vt imber; Tertiò, est fœcundissima. *Sicut ros qui descendit in* montem *Hermon*: item *sicut ros qui descendit in montem Sion*. Loquitur enim de alio atque alio rore; sicut montes isti sunt valdè à se mutuo dissiti; nam *Sion* est in medio Iudææ, *Hermon* in extremo, iuxta Iordanem, vicinus Libano.

Illic, id est, in Sion, inquit Theodoretus, vbi Spiritus sanctus in Apostolos descendit. Melius S. Augustinus, *illic*, id est, in quouis concordiæ loco, seu super fratres concordes, *mandauit*, id est, promisit & misit, *Dominus benedictionem, & vitam* longæuam: cùm econtrà discordes rarò longæui sint aut felices.

PSALMVS CXXXIII.

Exstructo dedicatoq; templo hortatur sacerdotes omnes & Leuitas ad laudes diuinas studiosiùs celebrandas.

℣. 1. QVI *statis in domo Domini*, id est, sacerdotes: & qui *in atriis*, id est, Leuitæ, qui in atrio interiori; & laici, qui in exterioribus.

℣. 2. *In*, pro, etiam in, *noctibus extollite manus vestras*, per preces, hymnos & psalmos, *in sancta*] id est, versus Sanctum sanctorum, seu versus propitiatorium & arcam; Anagogicè, ad cælum; Allegoricè, ad Christum, inquit S. Hieronymus.

℣. 3. *Te*, qui sic benedicis & laudas Deum, vicissim benedicet Deus qui habitat in templo Sion.

PSALMVS CXXXIV.

Inuitat omnes ad laudandum Deum ob beneficia præstita Israeli & orbi vniuerso.

℣. 1. ALLELVIA. Vide psalm. 104. v. 1.

℣. 4. *In possessionem*] Hebræum *segulla* cimelium significat seu monile, quod Symmachus vertit, *selectum quoddam*; Hieronymus, *peculium*. סגלה

℣. 7. *Educens nubes*, Hebraicè, *eleuans eleuationes*, seu exhalationes & vapores, *ab extremo terræ*] id est, ab vltimis terrarum oris, maximè ex mari & magnis fluminibus, è quibus vi solis, vapores & exhalationes sursum subleuantur, & in nubes compinguntur: vnde tonitrua & fulmina, *in pluuiam* & *ventos*, supple, desinentia.

℣. 11. *Omnia regna Chanaan*] quorum 31. enumerantur Iosue 12.

℣. 13. *Memoriale tuum*] Psal. 101. v. 13.

℣. 14. *Iudicabit*, id est, vindicabit ab iniuria. *Et in seruis suis deprecabitur*] Hebraicè, *erit placabilis*, vt vertit Hieronymus; græcè, *consolationem accipiet*: vel *deprecabitur* passiuè, pro, facilè sinet se deprecari, vt auertat flagella, quæ etiam piis aliquando immittuntur. Hoc enim pœnitentibus promisit Deuter. 30.

Vbi Nota duplex beneficium Dei: vnum, quòd puniat hîc amicorum peccata; cùm reprobis seruet vltionem in diem iudicij, 2. Machab. 7. Alterum, quòd pœnitentibus mox deprecabilem se præbeat, vt etiam dicitur Deuter. 32. v. 36.

℣. 15. *Simulachra Gentium*] Vide Psalm. 113. vers. 12.

PSALMVS CXXXV.

Eiusdem est argumenti.

℣. 1. MISERICORDIA; Chaldæus, *benignitas eius*, supple, exercetur & durat *in æternum*]

num] Hoc hemistichion intercalare respondebatur ab vno choro, vel ab omni populo, Leuitis in alio choro canentibus priorem versiculi partem: ferè vt nunc fit in nostris Litaniis.

℣. 2. *Deo deorum*] Vide psal. 49. v. 1.

℣. 5. *Fecit cælos in intellectu*] id est, magno intellectu & sapientia, seu sapientissimè. Ita S. Theodoretus. Neque enim vult, cælos intellectu præditos, aut animatos esse, & aliquando beandos, vt volucrunt Platonici, & dubitauit aliquando S. Augustinus.

August. Enchiridij c. 58.

℣. 6. *Firmauit terram super aquas*] id est, superiorem aquis, contra situm quem naturaliter exigeret. Vel *super*, id est, iuxta *aquas*, vt psalm. seq. vers. 1.

℣. 8. *Solem in potestatem*; Hebraicè, *in dominium*; Chaldæus, vt præesset *diei*] Sol enim & facit diem, & suo calore, lumine, varioque influxu omnia viuentia vegetat per diem: *luna* per noctem.

℣. 15. *Virtutem*; Hebraicè, exercitum *eius*, vt vertit Hieronymus & Chaldæus, & LXX.

PSALMVS CXXXVI.

Lugent Iudæi suam captiuitatem in Babilonia; Allegoricè, Ecclesia & quiuis fidelis exilium suum in hoc mundo. Inscribitur in Græco & Latino, non item in Hebræo vel Chaldæo, Ieremiæ: quia Ieremias hos eosdem threnos latiùs prosecutus est.

℣. 1. SVPER *flumina Babylonis*] Id est, iuxta Tigrin & Euphraten.

℣. 2. *In salicibus*, id est, ad salices fluminum, *in medio* regionis Babylonicæ, *suspendimus organa*] Hieronymus & Chaldæus, *citharas nostras*, id est, omnia instrumenta musica. q. d. Priuauimus nos omni voluptate & gaudio, ob tædium huius exilij.

℣. 5. *Obliuioni detur*; Vatablus, *obliuiscatur*, nempe artem pulsandi citharas & organa; Hebraicè, *obtupescat*, seu fiat paralytica manus mea. Et *adhæreat lingua faucibus meis*] Chaldæus, *palato meo*, ita vt non possim ampliùs psallere aut loqui.

℣. 6. *In principio*] Hebraicè, principium seu caput. q. d. Si non magis & priùs gaudeam de futura instauratione Ierosolymæ, & de ea plus satagam, quàm de vllis deliciis aut alia re mundi. Theodoretus.

℣. 7. *Filiorum Edom*, seu Idumæorum, qui cùm essent vicini & cognati nostri (prognati ex Esau fratre Israelis) tamen odio nostri, *in die Ierusalem*, id est, tempore destructionis Ierosolymæ, *dixerunt* suaseruntque Babyloniis, *Exinanite*] Hebraicè, *nudate*; Chaldæus, *complanate*; Hieronymus, *euacuate*, in nihilum redigite, omnia ad fundamentum vsque diruite. Theodoretus.

℣. 8. *Filia Babylonis*, id est, ô Babylon (*a*) *misera*] Hebraicè, *denastata*, seu deuastanda propediem à Cyro & Dario.

a Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 40.

℣. 9. *Beatus*, supple, sit ille. q. d. Benè vertat Deus Cyro, *qui* tibi vicissim rependet vastitatem quam Ierosolymæ intulisti, & pari modo *parvulos tuos allidet ad petram*, vt tu nostros allisisti. Quod optat ex appetitu non vindictæ, sed iustitiæ, nempe vt impij parentes puniantur in suis prolibus: & vt nulla posteritas remaneat tam impiæ stirpis. Simile habes Isaiæ 13. vers. 16. Porrò dicitur hîc Cyrus futurus beatus non beatitudine supernaturali gratiæ aut gloriæ, quasi sit saluandus, vel veri Dei cultor publicus futurus: nam hoc negari videtur Isaiæ 45. v. 4. & 5.) sed beatitudine naturali & temporali, id est, felix & fortunatus futurus; nam expugnatâ Babylone factus est celeberrimus monarcha, qui monarchiam Chaldæis eripuit & transtulit ad Persas. Ita S. Hieronymus & Theodoretus. Nolim tamen negare, Cyrum, vt & Darium aliquando Deum verum agnouisse, vt dixi in Esdra, & dicam in Daniele.

1. Esdr. 1. & Esth. 1. v. 1.

PSALMVS CXXXVII.

Deum laudat, & gratias agit pro variis ab eo beneficijs acceptis.

℣. 1. IN *conspectu angelorum*] Hebraicè, *coram diis*, vt Hieronymus; seu *iudicibus*, vt Chaldæus vertit: quamquam Hebræum nomen *elohim* etiam angelis appropriatur, quos certum est ex 1. Corint. 11. v. 10. piorum precibus interesse. אלהים

℣. 2. *Magnificasti super omne* ens, seu suprà res omnes alias, fecisti apparere magnificum *nomen*] id est, maiestatem tuam, id est, te; Hebraicè, *verbum tuum*, id est, Christum, inquit Hieronym. vel simpliciùs, promissa tua, vt Vatab.

℣. 3. *Multiplicabis in anima mea virtutem*] Chaldæus, *fortitudinem*; Hieronymus, *dilatabis animæ meæ fortitudinem*; Græcus, *multiplicabis me in anima mea potentia tua*, id est, multipliciter extolles animam meam per potentiam tuam, qua facies illam superiorem omnibus ærumnis, aduersitatibus & hostibus suis, inquit S. Hieronymus & Euthymius. Allegoricè, Spiritu sancto & donis illius roborabis me.

Hieron. in Isaiæ 51.

℣. 4. *Audierunt omnia verba oris tui*] id est, promissa tua verè & reipsa per te impleta esse.

℣. 5. *Cantent in viis Domini*] Id est, decantent, laudent & celebrent vias Domini, id est, facta & consilia Dei, rationesque diuinæ prouidentiæ. Theodoretus.

℣. 6. *A longè*, seu eminus. q. d. Non familiariter & amicè, sed contemptim. Quia dum *altos*, id est, superbos, à suo fauore ac cælo remouet, & in ima relegat ac contemnit, videtur quasi eminus eos aspicere, inquit S. Augustinus.

℣. 8. *Dominus retribuet pro me*, supple, vindictam hostibus meis, inquit Chaldæus, Hieronymus, *operabitur pro me*; Symmachus, Vatablus & Iansenius, *perficiet in me* quod inchoauit. Vnde mox orat, *Opera manuum tuarum ne despicias*] Hieronymus & Chaldæus, *ne derelinquas*, ne deseras.

PSALMVS CXXXVIII.

Canit Dei omniscientiam & omnipræsentiam. Vnde sequitur, nos debere vitam sanctam colere.

℣. 1. PROBASTI] Hieronymus, *inuestigasti*; Chaldæus, *perscrutatus es me*. q. d. Planè me perspectum habes.

℣. 2. *Cognouisti sessionem & resurrectionem meam*] id est, motus & actiones omnes meas.

℣. 3. *Funiculum*] nempe hereditatis; Hebraicè, *accubationem* meam cuentilasti, quid, quantum, quo iure possideam? Vel *funiculum*, id est, longum filum seu seriem vitæ, studiorum & actionum mearum.

℣. 4. *Non est sermo*, quantumuis obscurus, astutus & tectus: supple, quem tu non noueris, quis, qualis, quorsum, qua mente à me proferatur.

℣. 5. *Nouissima*, obuentura mihi totique orbi

in

in futurum: ET ANTIQVA, id est, quæcumque olim obuenerunt. S. Augustinus & Euthymius.

SVPER ME iam plasmatum, POSVISTI extemplò MANVM TVAM conseruatricem & gubernatricem mei. Chrysostomus & Theodoretus.

℣.6. EX ME] Id est, ex mei opificio, structura & conseruatione sanè mirabili; Chaldæus, *præ me.* q.d. *Mirabilior me*, vt vertit Hieronymus, seu, mirabilior quàm vt meo intellectu assequi possim.

CONFORTATA] Chaldæus, *ardua*; Hieronymus, *excellentior*, seu celsior est captu meo.

℣.7. QVO IBO A SPIRITV TVO?] Id est, indignatione tua, inquit Emanuel Sà. Vel simpliciùs cum S. Hieronymo & Euthymio, *à diuinitate tua*, quæ instar spiritus & animæ mundi, mundum totum inuisibilis penetrat, & non in solo cælo (vt vulgus existimat, & Aristoteles putauit) sed vbique realiter existit & adest per essentiam, præsentiam & potentiam.

℣.9. DILVCVLO, pro à diluculo, seu *ab aurora*; Chaldæus, *si sustulero alas auroræ.* q.d. Si celerrimè euolem *in extrema* loca MARIS] seu in vltimum Occidentem; an vel momento vno aberis à me? imò tu ipse toto itinere *deduces me* vt olim Ionam.

℣.11. TENEBRÆ CONCVLCABVNT ME] Chaldæus, *obscurant*; Hieronymus, *operient*, & vt calceus terram, ita occultabunt me.

NOX ILLVMINATIO MEA] pro, mei; Symmachus, Aquila, Hieronymus, *nox erit lux*; vel, vt Chaldæus, *lucet* Deo: id est, nox, quæ alioqui sua obscuritate tegit omnia coram oculis hominum, coram oculis Dei nihil tegit, sed illuminat illi omnia quæ circa me vel alios geruntur: vt, si vel in altissimis tenebris velim indulgere *deliciis meis*, seu voluptatibus, non effugiam tamen oculos Dei.

℣.12. SICVT TENEBRÆ EIVS, putà noctis, ITA ET LVMEN EIVS] nempe diei; Chaldæus, *æquales apud te*; Hieronymus, *similes sunt tenebræ & lux.* q.d. Perinde tibi est vt videas, siue tenebræ sint, siue lumen: quia oculi tui sunt sicut sol, qui non eget alieno lumine, sed proprio suo omnia conspicua facit.

℣.13. POSSEDISTI, id est, habes in tua potestate, scientia, præsentia, RENES MEOS] id est, omnia interiora mea, & occultissimas quasque motiones animi.

℣.15. Os, id est, ossa, vel ossium compactura, quam tu ipse FECISTI IN OCCVLTO matris meæ vtero, tamquam in recondita naturæ officina, inquit Theodoretus.

ET SVBSTANTIA, id est, natura & essentia MEA, supple, non est occultata tibi, quia tu ipse eam formasti IN INFERIORIBVS TERRÆ] id est, in vtero matris, quasi in abdito antro terræ. Pro *substantia mea*, Hebraicè est, *roukametti*, id est, *acu pictus*; Hieronymus, *imaginatus*, seu instar imaginis opere phrygionico formatus sum. Hoc dicit propter neruos, venas, ossa, masculos, cartilagines, humores, colores, &c. quibus velut opere phrygionis aut plumario corpus compingitur. Vide Galenum, Lactantium & alios.

רקמתי *a radice* רקם *texuit, id est acu pinxit: unde* רקמה *dicimur. Galenus de usu partium lib. 1. Lactant. de Opificio.*

℣.16. IMPERFECTVM] Hebraicè, *embryonem.* q.d. Me in vtero dumtaxat inchoatum, cùm adhuc essem imperfectus fœtus, optimè perspectum habuisti; quantò magis iam perfectum & adultum?

IN LIBRO TVO, seu diuinæ præscientiæ, vel *memoriæ tuæ*, vt Chaldæus, omnes tum artus hominum, tum dies seu tempora, tum ipsi homines ab æterno descripti sunt. Et quantumuis multiplicentur seu multi formentur, nullus tamen ex omnibus effugiet librum seu scientiam tuam. S. Hilarius id adscribit electis Dei & libro vitæ.

℣.17. MIHI AVTEM NIMIS, id est, valdè excellenter, HONORIFICATI, (Hebraicè, *pretiosi*; Hieronymus & Chaldæus, *quàm honorabiles*) facti videntur. q.d. Omnia quidem etiam minima nosti, curas & honoras; sed tamen peculiari adhuc scientia (quam Theologi vocant *approbatiuam*) & singulari amore, cura & honore prosequeris *amicos tuos*: nam *eorum principatum*, id est, dignitatem, excellentiam, potentiam, valdè roborasti, & SVPER ARENAM, seu præ arena maris, *multiplicasti* eos numero, opibus, gloria. Hinc EXSVRREXI, id est, quasi è somno calamitatum, vel pigritiæ, vel diffidentiæ, euigilaui in spem & magnanimitatem, ET ADHVC TECVM persisto, persistamque semper, nempe vt inter *amicos tuos* perpetuò censear, tibique vni adhæream. Allegoricè, Christus resurrexit, vt semper adsit Deo: & nos item in die iudicij. Ita S. Hilarius, Augustinus, Theodoret.

℣.19. SI OCCIDERIS; Hebraicè, *ô si*, vtinam *occidas*, seu pergas occidere, vt cœpisti! Ergo hinc facessite VIRI SANGVINVM, id est, homicidæ & peccatores, qui tam nobile opificium Dei destruitis, DECLINATE A ME] scilicet, ne eodem vobiscum supplicio inuoluar, & perdar à Deo.

℣.20. QVIA DICITIS IN COGITATIONE, *dolosè*, inquit Hieronymus; *sceleratè*, Chaldæus, id est, maligna cogitatis & machinamini contra Deum & Sanctos. Quin & ACCIPIENT IN VANITATE, id est, dolis & insidiis inuadent, ô Domine, CIVITATES TVAS] id est, populi tui: supple, nisi tu eos coërceas.

℣.23. INTERROGA, id est, proba ME. vt ps. 10. v. 6.

℣.24. IN VIA ÆTERNA] Id est, per viam seu semitam virtutũ, quæ rectà ducit ad vitam æternam.

PSALMVS CXXXIX.

Orat liberari ab insidiis Saulis & Doëg; vel, vt alij, Achitophel: eorumq; punitionem predicit.

℣.6. SCANDALVM] Hieronymus *offendiculum*; Chaldæus, *laqueum*, seu rete, id est, varias insidias quibus me illaqueare conantur.

℣.8. OBVMBRASTI] Hieronymus, *protexisti* me quasi clypeo.

℣.9. A DESIDERIO MEO] Id est, procul à, vel contra desiderium meum. In Hebræo alioquin est, *ne des impio* sua *desideria.*

℣.10. CAPVT CIRCVITVS EORVM, id est, summa circuitionis & vafricici illorum, qua me oppugnant & circumuenire conantur, putà LABOR LABIORVM IPSORVM] id est, mendacium & calumnia, in qua concinnanda valdè laborant labijs suis, fac ipsosmet operiat & perdat. Solet enim malum consilium consultori pessimum accidere. Tropologicè, *caput circuitus* impietatis est vel superbia, vel auaritia, vel aliud capitale peccatum, quod singulos tam diu gyrat in omnem partem, donec mergat in abyssum, inquit S. Augustinus.

℣.11. CADENT, scilicet missi à te de cælo, CARBONES] id est, prunæ ardentes, vt olim in Sodomam.

IN IGNEM] inferni, inquit Chaldæus.

℣.12. NON DIRIGETVR] Id est, non prosperabitur, vt dixi psalm. 100. v. 7.

℣.14. CVM VVLTV TVO] scilicet benigno, id est, cum fauore & gratia tua. Psalm. 4. vers. 7. Anagogicè, cum clara visione Dei. Ita S. August.

PSALMVS CXL.

Orat vt in afflictione patiens sit, & tutus ab hoste, maximè Saule, inquit Theodoretus.

℣.2. DIRIGATVR, (Hebraicè, rectà ascendat, & placeat tibi) ELEVATIO MANVVM MEARVM, id est, oratio quam oro manibus in cælum elatis. Placeat, inquam, SICVT INCENSVM, id est, thymiama, & SICVT SACRIFICIVM VESPERTINVM, seu quod iugiter vesperi offertur tibi, nempe farinæ cum agno immaculato Exodi 29. & Num. 28. quæ typus erant & Eucharistiæ vesperi instituendæ, & sacrificij crucis sub vesperam consummandi. Videturque vespertinum sacrificium, vtpotè consummatio totius dici, & quia plures interesse solent, honoratius fuisse matutino.

℣.3. PONE CVSTODIAM, (id est, custodi) ET OSTIVM CIRCVMSTANTIÆ, id est, ostium quod labia mea circumstet & custodiat per circuitum, vt nihil per ipsa egrediatur vel ingrediatur quod mihi obesse possit. v.g. vt nulla VERBA MALITIÆ per impatientiam vel desperationem effutiam contra te, vel contra hostes meos: neque *excusem* me in eo in quo constat me peccasse. Item *ne communicem* CVM ELECTIS impiorum; Hebraicè, *cum deliciis*. q.d. Ne interfim conuiuiis, *cantilenis*, vt Chaldæus; tripudiis, alijsve lasciuiis mundanorum. Ita quoque Symmachus & S. Hieronymus.

℣.5. OLEVM] Id est, blanditiæ, adulationes, deliciæ & beneficia impiorum non inungant aut demulceant me, vt iis assentiar, & participem de sceleribus illorum. Ita S. Hilarius, Augustinus, Theodoretus. Vnde Hebræa habent, *oleum venenj*; Hieronymus, *amaritudinis*.

QVONIAM ADHVC, supple, modicum superest temporis, ET exaudietur à Deo ORATIO MEA, quæ versatur IN, id est, circa, BENEPLACITIS EORVM] id est, circa delicias & petulantias eorum, vt scilicet Deus ijs tandem aliquando finem faciat. Vnde Hieronymus, Symmachus & Aquila vertunt, *pro malitijs eorum*; Chaldæus, *in malitiam eorũ*, supple, punicdam & finiendam. Ita Theodoretus.

℣.6. Tunc ABSORPTI SVNT, pro, absorbebuntur & interibunt, IVNCTI PETRÆ, id est, allisi saxis, vel è rupe præcipitati, IVDICES, id est, principes, EORVM] Ita factum Idumæis 2. Paralip. 25. v. 12.

AVDIENT, id est, punitis sic principibus, alij omnes illo exemplo tunc cognoscent, QVONIAM VERBA MEA, quibus Deum orauj vt impios puniret, POTVERVNT] id est, potentia & efficacia fuerunt, obtinueruntque quod petebant. Allegorice, Iansenius, perditis dæmonibus & tyrannis per petram, quæ est Christus, cœperunt Gentiles auscultare Euangelio.

℣.7. SICVT CRASSITVDO TERRÆ ERVPTA EST] Symmachus & Aquila, *sicut crassa*, seu pinguis, *terra arata discissa rumpitur*, & glebæ hinc inde in proximos sulcos ab agricola sparguntur: sic *ossa*, id est, vires nostræ ab hostibus confringuntur & dissipantur, in easque angustias redigimur, vt morti & inferno proximi simus. Alludit ad ossa Martyrum insepulta, inquit S. Augustinus.

℣.8. QVIA AD TE, &c. Refer ad id quod sequitur, NON AVFERAS; Chaldæus, *ne effundas*, ANIMAM, id est, vitam, MEAM.

℣.9. A SCANDALIS] de quibus psalmo præcedenti v.6.

℣.10. IN RETIACVLO EIVS, scilicet Dei, inquit Theodoretus; vel primarij principis impiorum, Iansenius. Vel *in retiâ suâ*, vt vertit Symmachus & Chaldæus, id est, suismet laqueis illaqueentur. Sed EGO SIM SINGVLARITER, id est, semotus, & sic tutus à laqueis eorum; DONEC TRANSEAM illæsus: vel donec migrem ad vitam feliciorem. Ita Theodoretus. Allegoricè, S. Augustinus, Christus desertus ab omnibus, solus subiuit passionem.

PSALMVS CXLI.

Dauid circumsessus à Saule in spelunca, 1. Reg. 24. implorat opem Dei; Allegoricè, Christus in horto Gethsemani.

℣.4. IN DEFICIENDO EX ME SPIRITVM] Id est, cùm præ anxietate & euadendi desperatione spiritus meus in me deficeret (*a*) supple, clamaui ad Deum, vt præcessit. (*a*) *Proleg. de Idiotism. Hebr. n 51.*

TV COGNOVISTI, id est, intimè perspectas habes, SEMITAS MEAS] id est, rationes vitæ meæ, innocentiam meam. Vel *semitas*, id est, vias quibus ex his angustiis euadam manus Saulis.

℣.5. PERIIT A ME FVGA, id est, modus & locus fugæ: ET NON EST QVI REQVIRAT ANIMAM MEAM, seu qui mihi opituletur & subueniat.

℣.6. PORTIO MEA, scilicet hereditaria, quam vnam & solam spero & quæro in hoc mundo, TV ES Deus. Ita Theodoretus.

℣.8. EDVC DE CVSTODIA, id est, ex hac spelunca; Symmachus & Aquila, *ex hac clausura*; Hieronymus, *è carcere* & afflictione. Nam IVSTI omnes continuò EXSPECTANT, iuxta promissa tua *tribuas* mihi libertatem & regnum Israel. Nam Hebraicè est, *me coronabunt iusti cùm retribueris mihi*. Anagogicè, è corruptione corporis educ animam meam, inquit S. Augustinus. Et hunc versum recitans S. Franciscus, animam efflauit. *S. Bonauent. in vitâ S. Francisci.*

PSALMVS CXLII.

A persecutione Absalomi, licet iustè promerita, rogat liberari. Tropologicè, pœnitens à via peccati optat deduci in viam virtutum & salutis, inquit Theodoretus.

℣.2. NON IVSTIFICABITVR OMNIS VIVENS] Id est, nemo est qui per omnia & semper sit iustus, inquit S. Augustinus: nam nullus est homo qui toto tempore vitæ suæ non admittat aliquod peccatum. Vnde non potest Lutherus hinc probare, omnia opera iusti esse peccata.

℣.3. COLLOCAVIT ME filius meus IN OBSCVRIS, id est, coegit me recipere me in obscuras speluncas, SICVT MORTVOS SÆCVLI, seu ante multa sæcula, qui latent in obscuris sepulchris. Ita Theodoretus.

℣.5. MEMOR FVI DIERVM ANTIQVORVM] quando scilicet me, meosque antecessores, Abraham, Isaac, Iacob, ceterosque Patriarchas tam miris modis liberasti. q. d. Spero quòd simili modo me quoque nunc liberabis. Theodoretus.

℣.6. ANIMA MEA TIBI, seu ad te anhelat, SICVT TERRA SINE AQVA sitit aquam vt humectetur & virescat. Hieronymus, Theodoretus.

℣.7. ET ERO, pro, alioquin ero, SIMILIS DESCENDENTIBVS IN LACVM mortis vel inferni. Theodoretus.

℣.10. IN TERRAM; Chaldæus, *in viam*, RECTAM] id est, rectà ad te ducentem, in qua non aberrem, quo minùs ad finem meum & beatitudinem pertingam. Vnde alij vertunt, in viam virtutis:

tis : quia , vt inquit S. Augustinus, spiritus meus A malus deduxit me in terram peruersam, id est, in viam vitiorum. Allegoricè, in Ecclesiam; Anagogicè, in cælum, vbi summa est rectitudo.

℣.11. VIVIFICABIS ME, id est, viuum, vegetum, florentem conseruabis, IN ÆQVITATE TVA] id est, secundùm iustitiam tuam, quæ non sinit diu iniustè opprimi innocentes.

PSALMVS CXLIII.

Carmen triumphale ob victoriam contra Goliath, aliosq; hostes : quas rogat continuari.

℣. 2. MISERICORDIA MEA] scilicet actiua. Tu enim, ô Deus, es qui mei miseri B misereris; Chaldæus, *auctor benignitatis meæ.*

℣.5. INNOTVISTI EI] Græcus & Symmachus, *reputaris ei*, vel *cognoscere us a beo*, id est, das homini cognitionem tui, itemque amicitiam & familiaritatem. Quod maximum Dei donum est.

℣.5. INCLINA CÆLOS] q.d. Sicut olim è nube descendisti in Sinai, & sic visus es cælos & teipsum inclinasse : & tetigisti montem Sinai tonitru & fulmine, adeò vt fumigaret, Exodi 19. Ita etiam nunc fac, vt hoc vel simili modo sentiant hostes nostri te nobis adesse, & pro nobis pugnare; Allegoricè, adsis Messia, vt liberes nos, Hieronymus, Augustinus.

℣. 6. EMITTE SAGITTAS TVAS] puta grandi- C nem, tonitru, fulmen, famem, pestem, morbos omne genus.

℣.7. LIBERA ME DE AQVIS MVLTIS] id est, è confluxu multarum afflictionum & calamitatum, quæ me quasi aquæ obruunt & suffocant. Theodoretus.

℣.10. DE GLADIO MALIGNO] Hieronymus, *pessimo :* nempe gladio *Goliath*, inquit Genebrardus.

℣.12. SICVT NOVELLÆ PLANTATIONES] seu plantulæ, scilicet pulcherrimæ, florentissimæ, oculis gratissimæ.

VT SIMILITVDO TEMPLI] Id est, ad instar D templi, vel statuarum templi, affabrè sculptarum & ornatarum. Tropologicè, sunt hæreses, inquit S. Hieronymus; & artes meretricæ, Theodoretus.

℣.13. ERVCTANTIA, id est, redundantia, videlicet præ nimia copia inclusarum opum, vt sæpè oporteat eas ex vno promptuario in aliud trásferre.

OVES FOETOSÆ] Hieronymus, *in millibus*; Chaldæus, *parientes millia.*

ABVNDANTES IN EGRESSIBVS, seu partubus, SVIS] Hieronymus, *innumerabiles in compitis* seu vicis, cùm egrediuntur ad pascua; Chaldæus, *multiplicantes in myriadas in stabulis nostris.* Loquitur enim in ipsorum persona.

℣.14. NON EST RVINA MACERIÆ] Id est, nul- E lus hostis muros agrorum, domorum, vrbium, vel arcium, impiorum infestat aut quatit, aut diruit, vt *transeat* ad eis nocendum. Hinc NEQVE CLAMOR bellicus vel lamentum auditur inter eos. q.d. Viuunt in alta pace & prosperitate. Ita Symmachus & Theodoretus,

℣.15. BEATVS, supple, reuera is solus est, qui quantumuis pauper & miser, Deum nouit, colit & amat : & quem vicissim Deus amat & curat quasi DEVS EIVS] Ex ipso enim solo omne bonum, & summum bonum.

PSALMVS CXLIV.

Laudat Deum ob eius immensam maiestatem, potentiam, iustitiam, sanctitatem, clementiam & bonitatem in omnes creaturas effusam.

℣. 5. MAGNIFICENTIAM GLORIÆ SANCTITATIS TVÆ, id est, magnificam, gloriam, decorem & splendorem *sanctitatis tuæ*, quâ & tu sanctus es, & alia sanctificas, LOQVENTVR & laudabunt homines. Ita S. Hieronymus & Theodoretus : qui addit, Prophetam ideò pluribus nominibus idem repetere, quia naturales Dei appellationes cõdignè assequi vel exprimere nequibat.

℣.6. VIRTVTEM, id est, potentiam; Hieronymus & Chaldæus, *fortitudinem*, TERRIBILIVM TVORVM] supple, iudiciorum & vltionum, deprædicabunt.

℣.7. ABVNDANTIÆ, (Græcè, *abundantis*) SVAVITATIS, χρηστότητος, id est, bonitatis, benignitatis, beneficentiæ TVÆ MEMORIAM ERVCTABVNT homines pleno corde & ore. ET IVSTITIA TVA EXVLTABVNT] Id est, ob tua iusta iudicia summoperè gaudebunt. S. Augustinus.

℣. 9. MISERATIONES EIVS SVPER (Hieronymus, *in*) OMNIA OPERA EIVS] scilicet expansæ sunt, seu in omnibus relucent, etiam in pœnis infernalibus : nam & has citra condignum infligit impijs & leuiores quàm de rigore iustitiæ debeantur. Ita ferè S. Hieronymus, Theodoretus, Genebrardus, Iansenius.

℣.16. APERIS MANVM] Id est, aperta manu liberaliter largiris cibũ omni animali. q.d. Quàm facile nobis est aperire manum, tam facile est Deo affluentiam omnium bonorum etiam puncto temporis præbere, inquit Theodoretus.

PSALMVS CXLV.

Non in principibus, non in vllo homine, sed in solo Deo fidendum, vtpote solo fidelissimo, diuissimo, potentissimo & benignissimo.

℣. 1. ALLELVIA] Vide psal. 104. v. 1.

AGGÆI ET ZACHARIÆ] quia ab his non compositus, sed decantatus est hic psalmus cùm reuerterentur è Babylone.

℣.3. IN QVIBVS NON EST SALVS, id est, qui non possunt saluare, liberare vel beare suos, vt dixi psal. 117. v. 8. Solius enim *Domini est salus*, & solius *Iesu* saluare nos, inquit S. Augustinus.

℣.4. EXIBIT è corpore SPIRITVS, id est, anima, EIVS, scilicet hominis, ET sic REVERTETVR homo IN TERRAM SVAM] quia corpus eius resoluetur in humum vnde formatum erat; vnde hebraicè, *adam leadematho.* Ita S. Hieronymus.

אדם לאדמתו

Tunc PERIBVNT OMNES COGITATIONES] Id est, euanescent omnia consilia, concident omnes machinationes, quas statuerat exequi in vita sua.

℣.7. SOLVIT COMPEDITOS] id est, vinctos, incarceratos; vt olim Iosephum, Manassen, Iechoniam & alios. Tropologicè, soluit vincula concupiscentiæ, & alios prauos affectus animi : Anagogicè, soluit ærumnas carnis per mortem & resurrectionem, inquit S. Augustinus, Hieronymus, Theodoretus.

PSALMVS CXLVI.

Laudat Deum quòd populum Israeliticum sub iudicibus olim per terras Gentium dispersum iam collegerit in Ierusalem; quodq; omnibus liberaliter prouideat; Allegoricè, quòd Gentes collectæ sint in Ecclesiam Christi.

¥. 1. BONVS EST PSALMVS, id est, *bonum est psallere Deo*, vt vertit Chaldæus & Theodotion. SIT ergo IVCVNDA DECORAQVE LAVDATIO, id est, hilariter & decenter laudetur Deus, tum alias ob causas, tum quia *ædificauit* IERVSALEM DOMINVS, sibi & populo suo inhabitationem, quæ anteà receptaculum erat latronum Iebusæorum. Et in eam iam ædificatam CONGREGABIT DISPERSIONES ISRAELIS] id est, Iudæos B dispersos per varia regna mundi. Allegoricè, Christus colligit in vnam Ecclesiam suam Gentes & Iudæos.

¥. 3. ALLIGAT quasi fasciis, & instar periti chirurgi curat CONTRITIONES] id est, confractiones, vulnera & *plagas*, vt Hieronymus vertit. exemplo Samaritani Lucæ 18. Allegoricè, per Sacramenta curat vulnera & morbos animæ, inquit S. Augustinus.

¥. 4. NVMERAT] Id est, innumerato habet omnes stellas, quæ in Scripturis Genes. 15. & Ierem. 33. comparantur *arenæ maris*, & reuera sunt innumerabiles, vt vel ex illis constat quæ in Zodiaco & circulo lacteo confusè cernuntur. Quod ergo C Ptolemæus solùm numeret 1022. stellas, (nempe, quot sunt radices linguæ Hebrææ,) intelligendum *Ptolem. l. 8. Almagesti.* est de notabilioribus, magisque conspicuis stellis.

ET OMNIBVS EIS NOMINA VOCAT] Chaldæus, *omnes nominatim vocat*, id est, tam perfectè & distinctè pernoscit Deus singularum stellarum naturam, situm, ordinem, magnitudinem, vires, influxus, & omnes alias differentias, vt singulas nominatim possit euocare. Ita Theodoretus & Genebrardus. Vide quæ dicam Isaiæ 40. v. 26. Anagogicè, Hieronymus & Augustinus, nouit Dominus qui sunt eius in cælo & in terra: Simoni dat nomen Cephæ seu Petri: Saulo Pauli: Iacobo & Ioanni *Boanerges*, seu filij tonitrui. D

¥. 8. HERBAM SERVITVTI HOMINVM] Vide psal. 103. v. 14.

¥. 9. PVLLIS CORVORVM INVOCANTIBVS EVM flebili suo crocitatu: de quo vide dicta Iob 38. v. vlt. q.d. Si Deus tam viles & despectas & noxias aues, voracissimas interim, imò carniuoras, simulatque crocitant, exaudit & pascit; quantò magis vos modicæ fidei? Tropologicè, sunt peccatores & Gentiles, inquit S. Hieronymus & Augustinus.

¥. 10. VOLVNTATEM HABEBIT, id est, delectabitur; Chaldæus, *beneplacet ei*. NEC IN TIBIIS VIRI] id est, neque in peditibus, neque in equitibus, vt antè præmisit. E

PSALMVS CXLVII.

Pergit hortari Ecclesiam ad laudes Dei, ob alia plura beneficia ab eo accepta. Vnde & hic psalmus apud Hebræos est pars præcedentis, qui illius est 147. psalmus: & ita cum Latinis rursum conueniunt in numero Psalmorum, à quibus psalmo 9. defluxerant.

¥. 14. POSVIT FINES TVOS PACEM, seu in pace, id est, pacificos: vel pace munivit, ne quis vos infestet. Tropologicè, pacem conscientiæ.

ADIPE FRVMENTI] Id est, frumento pingui A & medulloso, id est, optimo; Allegoricè, doctrina Christi & S. Eucharistia. S. Hieronymus.

¥. 15. EMITTIT ELOQVIVM TERRÆ; Chaldæus, *mittit in terram verbum suum*; seu iussum & imperium suum, quasi legatum, qui quouis cursore & angelo velociùs currit, & perficit legationem suam. Similis prosopopœia est Isaiæ 55. v. 11. Hinc solo iussu suo DAT terræ NIVEM SICVT LANAM] quia candore, leuitate, mollitie, inquit Theodoretus; item densitate & innato calore similis est lanæ, tegens, fouens, calefaciens terram, halitusque & exspirationes terræ cohibens & in viscera repellens.

¥. 16. NEBVLAM; Hebraicè, *pruinam*, vt Hieron. & Chaldæus vertunt, SPARGIT Deus, SICVT CINEREM] Nam & colore, & copia, & virtute similis est pruina cineri, exurens & absumens nimium humorem terræ. Vnde etymon *pruinæ*, quasi *perurens*, inquit Sextus Pompeius.

¥. 17. MITTIT CRYSTALLVM SVAM; Hieronymus & Chaldæus, *proiicit glaciem suam*: vel potiùs grandinem conglaciatam. Et verò *crystallus* id Græcè significat, inquit Mariana. Et inde deducta est vox ad lapidem eo nomine significandũ, qui teste Plinio nihil est aliud, quàm glacies vel *Plin. l. 37.* humor longo tempore & gelu ita duratus, vt solui *c. 2.* non possit. Sic psal. seq. v. 8. vbi Græcè est κρύσταλλος, Noster & alij vertunt, *glacies*. Et Apollinaris, πῦρ μετὰ κρυστάλλοισι, id est, ignis cum grandine. Et patet ex sequenti hîc hemistichio, ANTE FACIEM FRIGORIS EIVS QVIS SVSTINEBIT? id est, quis feret frigus quod grandinem consequitur? Itaque mittit Deus grandinem & glaciem suam quasi BVCCELLAS, id est, quasi frusta & fragmenta candidissimi panis, quibus terra pascatur & saginetur. Sicut enim æstate terram pluuiis & ventis temperat, ne æstu nimio hiet & lædatur: sic hieme ne frigore moriatur, fouet eam niue pro lana, pruina pro igne, grandine & glacie pro saccaro & pane & cibo. Quantò igitur maior erit illi cura de homine, maximè fideli & iusto, in hieme tribulationis & tentationis?

¥. 18. EMITTET VERBVM SVVM, vt suprà v. 15. q.d. Quando Deo visum fuerit, iubet solvit LIQVEFACIAT EA, scilicet, niuem, pruinam, grãdinem & glaciem: *& spiritui*, id est, vento, vt ex resoluta niue & glacie *fluant* AQVÆ] Tropologicè, Deus quando vult, tempestatem commutat in serenitatem, bellum in pacem, luctum in gaudium, inquit S. Hilarius, Euthymius, Theodoretus.

¥. 19. ANNVNTIAT VERBVM SVVM, id est, legem & cæremonias legales, seu nutus & desideria cordis sui, aperuit soli IACOB] id est, populo Israelitico, & nullis aliis populis. Allegoricè, præcepta & consilia Euangelica, & mysteria diuina soli Ecclesiæ suæ patefecit Christus.

PSALMVS CXLVIII.

Omnes creaturas inuitat ad laudandum Deum.

ETiam bruta & inanima inuitat hîc Propheta, ex ingenti zelo, ad laudandum Deum. Primò, votiuè, quia optaret sic fieri, & vt omnes creaturæ haberent mille animas, mille linguas quibus laudarent Deum. Secundò, metaphoricè & obiectiuè laudant eum: nam sua existentia, pulchritudine, viribus & effectibus ostendunt in se maximam materiam laudis diuinæ, putà infinitam Dei potentiam, sapientiam, bonitatem in singulis relucentem.

centem. Tertiò, etiam metonymicè, quia faciunt A homines ex sui contemplatione laudare Deum, & sic per os hominum laudant Deum, inquit S. Augustinus & Theodoretus.

℣. 1. LAVDATE DOMINVM omnes vos DE CÆLIS, & qui estis IN EXCELSIS] id est, ô vos angeli, vt habet Chaldæus; vel Deum habitantem *in cælis excelsis*.

℣. 2. OMNES VIRTVTES EIVS] Id est, exercitus & copiæ militares Dei, nempe angeli.

℣. 4. CÆLI CÆLORVM] Id est, supremi cæli. Simile psal. 67. v. 34.

AQVÆ QVÆ SVPER CÆLOS SVNT] Petes, quænam istæ aquæ. *cælum crystallinum*, inquit S. Bonauentura, Liranus, Catarinus, Caietanus, Abulensis, Genebrardus & Valesius. Sed hæ nimis æquiuocæ sunt aquæ. Rupertus, Eugubinus, Percrius, Leonardus Marius, Mariana, Valentia & Lorinus volunt esse *nubes*. Sed quomodo possunt *nubes* dici esse suprà *firmamentum* stellatum, vt habetur Genesis 1. v. 7. Item quomodo *nubes* dici possunt *statutæ in æternum?* vt hîc dicitur v. 6. Respondeo ergo, esse aquas propriè dictas & fluidas, longè quidem rariores, mobiliores & pellucidiores nostris aquis, naturales tamen & eiusdem speciei cum nostris, vt dixi Genesis 1. vers. 7. Idque tum alias ob causas ibi prolatas: tum quòd clarissima Scriptura id exigat, quæ vbique ferè distinguit has aquas superiores à nubibus & inferioribus aquis, C & primo loco ponit inter alia creata. Et ita sentit ex antiquis Patribus S. Clemens, Tertullianus, Hieronymus, Cyrillus, Gennadius, Anastasius Sinaita, Claudius Marius Victor, Procopius, Seuerianus, Acacius, Olympiodorus, Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Theodoretus, Cassiodorus, Beda, Anselmus, Magister: ex recentioribus Oleaster, Molina, Martinengus, Stella, Bellarminus, Serarius, Delrius, Becanus, à Lapide, Bonfrerius & Salianus. Posuit verò has aquas Deus suprà omnes inferiores cælos, & fortè in parte cæli empyrei, tamquam loco (ex decreto Dei) ipsis naturali; (sicut phlegma in homine posuit in ipso capite, inquit S. Augustinus.) Et quidem ad D ornatum vniuersi: & vt æternùm extet matrix cælorum. Addit Cornelius à Lapide, seruire quoque oblectamento Sanctorum: qui vt in cælo empyreo habent aërem suum, connaturali respirationi, sensationi & motui corporum necessarium, ac speciebus omnium rerum deuchêdis aptissimum; ita verisimiliter habent & aquam, variis rerum formis effigurandis, omnique ornatui recipiendo accommodatam. Forsan etiam istic collocatæ sunt ad præripiendum nobis adhuc exulibus prospectum cæli empyrei cæteroquin splendidissimi, & sole nostro lucidioris. Vt dixi Genes. 1. v. 7. Denique multa mirari nos voluit Deus, non scrutari: & maior est S. Scripturæ auctoritas, quàm omnis hu- E mani ingenij capacitas, inquit S. Augustinus (*a*).

℣. 6. PRÆCEPTVM POSVIT] Id est, certam legem atque ordinem circa situm, motum, influëtias, præstituit Deus cælis, stellis, aliisque creaturis, quem numquam transgrediuntur, etsi inanimæ sint. Erubesce ergo homo rationalis, qui solus Dei legem non obseruas, inquit S. Hieronymus.

℣. 7. DRACONES] Chaldæus, *ceti* seu balenæ, de quibus Iob 40. v. 20.

℣. 14. CONFESSIO, id est, laus, EIVS] vt Chaldæus; vel gloria, vt Hieronymus, relucet vbique in cælo & in terra.

Clem. l. 2. Recognitionum. Tertull. de Trinit. c. 8. Hier. ep. ad Oceanum. Cyrill. catechesi. 9. Gennadius Anastasius Sin. q. 10. Claudius Victor in sua Genesi. Procop. & alij hic. Seuerian. Acacius. Olympiod. in Catena. Basilius. Ambros. Chrysost. in Iob 37. S. Aug. l. 1. de Ciu. c. 34. & l. qq. ex vtroque testamento q. 106. Beda. Anselm. l. de Imag. mundi c. 11. Magister sent. in 2. d. 5. 14. Mol. in opere sex dier. Serar. in ep. 2. S. Petri. Delrius. Becanus. à Lapide. Bonfrer. in Gen. 1. v. 7. Salianus initio Annalium. a Augustin. l. 2. de Genesi ad litteram c. 5.

ET EXALTAVIT CORNV, id est, potentiam, gloriam, regnum POPVLI SVI Israelitici, subactis eius hostibus. En aliam causam cur HYMNVS DEO decantandus sit ab OMNIBVS SANCTIS EIVS, id est, Israelitis, vt mox explicat, dedicatis cultui & seruitio Dei, & APPROPINQVANTIBVS, vel propinquis Deo, per veram fidem & religionem: vel etiam per carnalem cognationem, inquit Genebrardus: nam Christus ex Iudæis carnem assumpsit. Sic Allegoricè, propinqui simus Christo per S. Eucharistiam.

PSALMVS CXLIX.

Inuitat Israelem ad laudandum Deum, ob victoriam partam ex omnibus hostibus; Allegoricè, Christianos victores damonum, mundi & carnis: ideoque iudices futuros in die iudicij.

℣. 1. NOVVM, id est, noui argumenti & artificij. LAVS EIVS resonet IN ECCLESIA, seu congregatione sanctificatorum Deo, vt iam dixi.

℣. 2. IN REGE SVO] nempe Deo & Christo.

℣. 3. IN CHORO] Id est, publico conuentu & concentu. Sed Hebræum *machol* significat chelin, vel tibiam, vel lyram. Vnde & psalmo sequenti v. 4. & hîc, inter alia instrumenta musica *chorus* numeratur. מחול

℣. 5. IN CVBILIBVS SVIS] Id est, in lectis, seu in locis quietis suæ. Alludit ad illud Leuit. 26. v. 6. *Dormietis, & non erit qui exterreat.* Anagogicè, in cælo, in thronis cælestibus.

℣. 6. EXALTATIONES, id est, laudes, DEI. ET GLADII ANCIPITES] id est, vtrimque acuti. Scilicet qui seruiant vindictæ de impiis sumendæ, vt fecit Moyses, Iosue, Iudices; Dauid, Iosias, Machabæi, &c. Allegoricè, iurisdictio Ecclesiæ, & potestas puniendi quosuis rebelles; Anagogicè, potestas iudiciaria Christi & Sanctorum, in extremo iudicio. Vide Arnobium & Theodoretum.

℣. 9. IVDICIVM CONSCRIPTVM] id est, præscriptum & decretum à Deo; Chaldæus, *scriptum in lege*, putà de gentibus Chananæis, & aliis quibusdam, funditus exstirpandis, Deuter. 31. & Ezech. 38. & 39. D

GLORIA HÆC, de qua hoc psalmo, EST communis OMNIBVS SANCTIS EIVS, maximè in die iudicij.

PSALMVS CL.

Est eiusdem argumenti.

℣. 1. IN SANCTIS EIVS] Hebraicè, *in sanctitate eius*, id est, ob sanctitatem suam. Vel, vt Symmachus & Aquila, in sanctuario seu sancto templo; Anagogicè, in cælo præsidentem.

ET IN FIRMAMENTO VIRTVTIS EIVS] Hebraicè, *in expansione virtutis*; Hieronymus, *in fortitudine potentiæ*, id est, ob suam eminentem virtutem, seu potentiam, expansam & firmatam super omnes creaturas, maximè cælos & cælites; Allegoricè, ob firmissimè stabilitam Ecclesiam; Anagogicè, habitationem cælestem.

℣. 2. IN VIRTVTIBVS] Id est, exercitibus, vt psal. 148. v. 2. Chaldaicè & Græcè, *in fortitudinibus*, id est, ob fortia sua facta.

℣. 4. De *choro* dixi psal. 149. v. 3. Pro *chordis* seu fidibus, Hebraicè est *minnim*, quod est genus instrumenti musici olim vsurpatum. Nam enume- מנים

rat hîc decem instrumenta quibus optat laudari A Deum; de quibus, vt & de omni genere harmoniarum, vide Cassiodorum, Boëtium & Marianam. Sed ex his Nota contra Caluinum & alios hæreticos, vsum instrumentorum musicorum in Ecclesia pium esse & gratum Deo; neque solorum puerorum esse aut imperfectorum, vt putauit S. Iustinus, cùm etiam in cælo, vbi omnes perfecti sunt, citharæ auditæ sint à S. Ioanne, Apocal. 5. v. 8. & cap. 14. v. 2.

Cassiod. l. de Mathematicis disciplinis. & l. 2. epist. ep. 40. Boethius de Musica. Mariana de spectaculis c. 11. S. Iustinus q. 107. ad Orthodoxos.

℣. 6. OMNIS SPIRITVS; Hieronymus, *omne quod spirat*, seu in auibus & brutis, seu in hominibus, voce, flatu, anhelitu suo LAVDET DOMINVM auctorem vitæ, flatus, cantus tam sonori.

LIBER PROVERBIORVM.

משלי משל

HEBRÆVM *mise* à *maschal*, id est, dominari, significat quamlibet illustrem sententiam, quasi prædominantem ceteris & præcellentem, siue illa sit *prouerbium* seu adagium, siue *ænigma*, siue *parabola*, siue *paræmia*, vt in Græco est: nam hæc nomina ferè in Scripturis confunduntur. Porro incipiunt hæ sententiæ à cap. 10. huius libri: nam nouem prima capita sunt encomium *sapientiæ*, & ad eam parænesis. Elocutus est eas Salomon, quin & scripto tradidit, sed, vt videtur, aliis atque aliis locis: quas designati à rege Ezechia Rabbini in vnum volumen collegerunt à c. 25. vsque ad finem libri: sicut alij ab alijs ante ipsum designati collegerant, quæ prioribus 24. capitibus & duobus vltimis continentur. Ita Liranus, Vatablus, Mercerus & Rabbini. Inducit verò hîc Salomon Sapientiam quasi reginam conuiuas suos inter epulas alloquentem, iuxta veterum morem, qui præclaras sententias, problemata, ænigmata, gryphos in conuiuiis proponere & excutere solebant. Sicut ergo Plato in suo Amoris conuiuio non vnum solum inducit loquentem, sed plures. puta Socratem, Apollodorum, Glaucum, Agathonem & Aristodemum; & Plutarchus septem Græciæ Sapientes, & alij alios: sic Salomon præter Sapientiam conuiuij reginam & sympostarcham, inducit cap. 30. Agur, & 31. Lamuelem regem, tamquam conuiuas & interlocutores: cùm ab initio libri vsque ad caput 30. loquatur sola regina Sapientia. Fuere forsan & alij plures à Salomone interlocutores inducti: (neque enim verisimile est, voluisse ipsum solam reginam tot continuò verba facere:) sed iniuriâ temporis interciderunt, vt plures aliæ eiusdem parabolæ, quas constat ad tria (*a*) millia ab ipso pronunciatas fuisse, è quibus hæ pauculæ, quasi è naufragio nobis reliquæ manserunt. Sunt verò hæ sententiæ indiscriminatim sine certo ordine congestæ, quædam ethicæ, quædam œconomicæ, quædam politicæ, quædam Theologicæ. Rursus quędam didascalicæ, quędam consolatoriæ, quędam paręniticę. Sed, vt notat hîc in proœmio S. Hieronymus, in his Prouerbiis ferè paruulos & incipientes docet Salomon, eos de officio suo clarè erudiens vitia relinquere, virtutes complecti. In libro verò Ecclesiastę, virum maturę ętatis & proficientem docet caduca omnia despicere, & progressui in virtutibus se dare. In Cantico Canticorum, iam consummatum & perfectum virum, & sęculo superiorem, in persona sponsę, iungit amplexibus sponsi.

a 3. Reg. 4. v. 32.

Nota, in his libris Salomonis, LXX. Interpretes sępè discrepare ab Hebręo & Latino interprete, quia LXX. subinde non tam interpretes sunt, quàm paraphrastę & Prophetę, & radices voculasque Hebręas (quę vt plurimùm varię significationis sunt (*b*) aliter atque aliter exponunt. Latinus quoque interpres aliquas subinde sententias habet, quæ in Hebræo non habentur, saltem eo ipso loco: quas ferè ex versione LXX. desumpsit, quæ tum temporis, teste S. Hieronymo, vulgatissima erat. Suntque etiam particulæ omnes illæ Canonicæ Scripturæ, vt Tridentinum definiuit.

b *Proleg. de Idiotismis Hebr. n.* 11.

Trid sess. 4.

CAPVT

A

CAPVT I.

Hortatur Salomon vt studio sapientiæ vacemus, eiusq; monita animis infigamus, à prauo sodalitio, aliisq; remoris caueamus. Queritur de contemptu cælestis sapientiæ, & contemptoribus pœnas, obsequentibus præmia pollicetur.

¥. 2. AD SCIENDAM SAPIENTIAM ET DISCIPLINAM, inquit Salomon, collectę sunt à me istæ parabolæ. Ad hauriendam, inquam, sapientiam diuinam, non nudam speculatiuam, sed practicam, quæ in cognitione, B timore & cultu Dei consistit, vt (*a*) alibi dixi. Quia verò hæc sapientia hauritur ex legibus diuinis, estque finis illarum & complementum, hinc fit vt subinde pro iisdem vsurpetur, vel pro obseruatione earumdem.

a Psal. 110. v. 9.

Disciplina * propriè significat castigationem morum: *prudentia* discretionem inter bonum & malum. Sed in hoc libro & sequentibus, ferè idem designant quod *sapientia*, multiplicatis copiæ & ornatus causâ nominibus. Idem dico de *iustitia, iudicio* (*b*) *& æquitate*, v. 3. seu vt alibi vocatur, *veritate* (*c*): Item *scientia, doctrina, intelligentia*. Significant enim hæc omnia officium hominis recti & pij iuxta diuinæ legis præscriptum & normam.

* Psal. 118. v. 66.

b Proleg. de Iustitia. Libr. 2. c. 14.

c Prou. 23. v. 23.

¥. 4. VT DETVR PARVVLIS; Chaldaicè, *insipientibus*; Græcè, *simplicibus*, ASTVTIA, non quâ alios decipiant, sed ne ab aliis decipiantur. q.d. Ex hoc libro peti poterit, & puerorum institutio, (de qua parentes tam soliciti sunt, & philosophi tam multa conscripserunt:) & *adolescentum* iuuenumque proba instructio. Nec inutilis erit etiam prouectioribus, nam

C

¥. 5. SAPIENS quoque hæc ipsa prouerbia AVDIENS, si auscultet, SAPIENTIOR euadet, dum ex ijs salutaria consilia etiam de grauissimis negotiis hauriet: & GVBERNACVLA, LXX. κυβέρνησιν, id est, *gubernationem nauis*, seu totius vitæ suæ, POSSIDEBIT, cursum tutò & rectà dirigendo in optatum portum.

D

¥. 6. ÆNIGMA in hoc differt à *parabola*, quòd hæc sit aperta, illud obscura narratio, sub qua occultum quid latet.

¥. 7. TIMOR DOMINI PRINCIPIVM SAPIENTIÆ] Quin & profectus, & complementum sapientiæ, vt ostendi psal. 110. v. 10.

¥. 9. ADDATVR GRATIA] LXX. *corona gratiarum*; Chaldæus, *decor gratiæ*. q.d. Instar coronæ seu serti è floribus, & quasi *torques* è variis gẽmis collo tuo appensa sint pia parentum monita & præcepta.

E

הנם ¥. 11. FRVSTRA] Hebraicè, *chinnam*, id est, gratis, sine iusta causa, sine merito, sine culpa, sine fructu.

¥. 17. FRVSTRA AVTEM; Ita etiam Chaldæus; sed LXX. habent, *non frustra*: ferè eodem sensu. q.d. Sicut *pennata* animalia seu aues, dum vident tendi sibi rete, mox auolant, ita & tu retibus istis impiorum, simulatque aduerteris, expedi te & auola, nempe cælestibus alis, timore & amore Dei. Ita ferè Interpretes, præter Mercerum, Vatablum & Sà, qui id exponunt de stolidis auibus & fatuis hominibus, qui licet rete videant & sentiant, patiuntur tamen se inescari & capi.

¥. 18. IPSI CONTRA SANGVINEM SVVM] id est, in suæmet vitæ perniciem & exitium, insidias aliis struunt. v. g. docent id;

¥. 19. SEMITÆ OMNIS AVARI (Hebraicè, *sectantis lucrum iniustum*) ANIMAS POSSIDENTIVM RAPIVNT, seu auferunt, id est, occidunt. Nam malæ partæ opes, & extorta aliis bona creant plerumque exitium dominis suis, non animi modò, sed & corporis. Exemplo sit vinea Naboth (*d*), & d 3. Reg. 21. tot tragœdiæ in historiis Machabæorum.

¥. 20. SAPIENTIA FORIS PRÆDICAT] Hebraicè, *in plateis* seu *vicis*; Chaldæus, *vicatim clamat*.

¥. 21. IN CAPITE TVRBARVM] Chaldæus, *in capite arcium*; LXX. *in summis muris*. Est prosopopœia, quasi sapientia sit domina vel magistra, quæ omnes ad se alliciat, & *foris, in plateis, vicis & portis*, id est, palàm, vbique & apud omnes clamet, & quasi præconis voce omnes inuitet. Vox hæc est forma, decor, species omnium creaturarum: etiam interna illuminatio, inspiratio & excitatio: denique externa quoque vox Prophetarum, Apostolorum, Doctorum & concionatorum, vt nemo possit ignorantiam obtendere. Ita Beda, Liranus, Caietanus, Arboreus & alij. Quamquam possint hæc ipsa quoque omnia applicari, vt quidam applicant, Sapientiæ diuinæ increatæ, quæ est ipse Deus: & etiam incarnatæ, quæ est Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, vt dicam cap. 8. vers. 1. Vnde *sapientia* hîc in Hebræo ponuntur in numero plurali.

משובת ¥. 32. AVERSIO] *Mesubath* & *auersionem* significat, quod Noster cum Chaldæo & Pagnino sequitur: & *requiem* seu tranquillitatem, quo modo Hebræus Scholiastes exponit. Sed in idem redit, si per *auersionem* intelligas elongationem à pœna, vel miseria. Vt sensus sit, *paruulos*, id est, simplices, rudes; Chaldæus, *insipientes* & stupidos homines, per carentiam malorum & affluentiam bonorum, quâ prosperari deberent, perdi & perire: vt clariùs altera pars hemistichij explicat. Dementat enim illos sua felicitas, quæ difficiliùs toleratur quàm aduersitas. Patuit in Saule, Dauide, Salomone, Adamo, Lucifero.

CAPVT II.

Pergit commemorare fructus & præmia vera sapientiæ, qua sola hominem in officio, aduersus omnes mundi & aliorum hostium insultus, continet.

¥. 3. SI SAPIENTIAM INVOCAVERIS] ad eam suspirando, anhelando, & precibus à Deo illam efflagitando; Chaldæus, quasi *matrem vocaueris*. Indicatur enim, continuo desiderio, prece, labore conquirendam esse.

¥. 4. SI EFFODERIS, id est, scrutatus sollicitè fueris sapientiam, SICVT fossores solent scrutari THESAVROS.

¥. 6. EX ORE Domini, id est, Deo docente (solet enim doctrina ore tradi) hauritur sapientia: nempe & exteriùs per doctores & scripta monita: & interiùs per inspirationes, illuminationes, & impulsus pios.

¥. 7. CVSTODIET RECTORVM SALVTEM] Hebraicè, *instar thesauri abscondet* promissam repositamque iustis salutem; Chaldæus, *incolumitatem*; Pagninus, *essentiam*, supple, diuinam, in cuius visione & fruitione consistit æterna salus.

¥. 16. MVLIER EXTRANEA, seu extera, Hebræis est meretrix, quia non est domestica vxor. Hanc, vtpotè primarium sapientiæ hostem, vitari iubet Salomon. Ita Beda, qui Allegoricè, per meretricem intelligit hæresin seu falsam doctrinam. quam R. Salomon, Vatablus & Hebræi litterali-

ter hîc notari putant. Tropologicè R.Leui & alij A intelligunt concupiscentiâ,& blanditias sensuum.

QVÆ MOLLIT SERMONES SVOS] Id est,blandis verbis castitatem tuam tentat.

℣.17. ET RELINQVIT DVCEM PVBERTATIS SVÆ] Hebraicè,*ducem adolescentiæ*: Ierem.3.v.4. vocatur *dux virginitatis*; nempe *maritus*, cui nupsit virgunc ula existens.

℣.18. ET PACTI DEI SVI OBLITA] Id est, Sacramenti matrimonij, & sponsionis nuptialis à Deo sancitæ.

INCLINATA EST AD MORTEM DOMVS EIVS] adulteræ scilicet, quæ instar vix decliuis, ducit rectà in præceps, in vicinum barathrum mortis & gehennæ. Videas enim passim propter adulteras B patrari innumeras cædes, cuerti familias, & regna inter se committi.

℣.19. NON REVERTENTVR ad pristinum vigorem, salutem, vitam. Rarò quoque & vix reuertuntur ad mentẽ, ad pœnitentiã, ad resipiscentiam.

℣.21. RECTI HABITABVNT IN TERRA] nempe Iudæis promissa, cum omni felicitate annexa; Anagogicè, in terra viuentium, seu patria cælesti. q.d. Iusti & recti non exscindentur è viuis, nihil illis imminet periculi, neque in hoc, neque in futuro sæculo.

CAPVT III.

Monet, in præceptis Dei ambulemus: in Domino, non in prudentia nostra, confidamus: liberalitati studeamus: crucem patienter feramus: sapientiam colamus: proximis benefaciamus. C

℣.3. MISERICORDIA (Chaldæus, *benignitas*) ET VERITAS] LXX. *fides*, seu fidelitas. Nota, solere S. Scripturam per hæc duo virtutum nomina designare omnes omnium virtutum actus & officia: per *veritatem* officia debita; per *misericordiam* gratuita.

CIRCVMDA EAS GVTTVRI TVO, vt pretiosa monilia. q.d. Habeas ea pro eximio ornamento. Alludit ad Deuter.6.v.8. Quòd si feceris,

℣.4. INVENIES DISCIPLINAM BONAM] Id est, deprehendes directionem morum seu actio- D num tuarum bonam esse, & placere tum *Deo*, tum *hominibus*. q.d. Acceptus & gratiosus eris omnibus. LXX. pro eo quod Noster habet, *disciplinam bonam*, mutatis nonnihil punctis, sed eodem sensu in imperatiuo legunt, *prouide bona*, seu prudenter age: & hanc lectionem sequitur S. Paulus Rom.12.v.17. Rursum

℣.6. IN OMNIBVS VIIS TVIS, id est, vbique & semper, COGITA, *Deum* tibi præsentem: & cogitando spera, time, reuerere Deum vt creatorem, dominum, parentem, iudicem, sponsum tuum. Non quòd continuato actu id semper præstãdum sit, sed saltem virtualiter, vt loquũtur Philosophi.

℣.8. SANITAS ERIT VMBILICO TVO, partibus corporis tui tenerioribus; *& ossibus*, partibus durioribus, id est, toti corpori tuo. Sanitas enim corporis pendet ex bona dispositione partium vitalium, cordis, hepatis, splenis, stomachi, pectoris, quæ sunt iuxta vmbilicum. Item ex copia medullę, cuius pinguedine fouentur & *irrigantur* ossa, bases corporis humani: nam deficiẽte medulla, arescunt ossa; vnde tabes & corruptio corporis. Porrò metaphoricè significat Sapiens, totam hominis animam, omnesque eius partes sanas fore: intellectum & mentem, quæ sunt quasi ossa animæ; & appetitum, qui est vmbilicus, integra & vegeta futura.

℣.12. QVASI PATER IN FILIO flagellis iam emendato, COMPLACET SIBI] LXX. aliis punctis, sed ferè eodem sensu legunt, *flagellat omnem filium quem suscipit*. Et hos more suo sequitur Apostolus Hebr.12.v.6.

℣.16. LONGITVDO DIERVM, id est, vita diuturna, imò æterna, IN DEXTERA EIVS: IN SINISTRA DIVITIÆ ET GLORIA] Per prosopopœiam sapientia ambabus manibus ostentat parata cuique præmia, tum temporalia, tum æterna. Tamen R. Leui, & Liranus & Emanuel Sà, volunt per *dexteram* intelligi fontem primarij boni, per *sinistram* fontem secundarij & accessorij boni: iuxta illud Matt.6.v.33. *Quærite primùm regnum Dei*, &c.

℣.18. LIGNVM VITÆ] Id est, instar *arboris vitæ*, de qua Genes.2.v.9. sapientia afferet homini vitam sanam, suauem & immortalem, non obstante corporis mortalitate. Quia, teste Philone, Origene, Ambrosio & Augustino, lignum vitæ Allegoricè, significabat *Christum*; Tropologicè, *sapientiam*; sicut paradisus animam sanctam; quatuor flumina, quatuor virtutes Cardinales. *Philo l. de Allegorijs. Origen. in Genes. 2. Ambr. l. de Paradiso c.1. Aug.13.de Ciu. c.21.*

℣.22. ERIT GRATIA FAVCIBVS TVIS] id est, eloquio, vel collo tuo. q.d. Eloquium tuum gratum omnibus erit: vel quasi torques & monile ornabit collum tuum.

℣.25. NE PAVEAS] Hebraicè, Græcè & Chaldaicè, *non pauesces*, non timebis.

℣.32. ILLVSOR] Hebraicè, *peruersus*, deuians à Deo; LXX. *impurus*; Chaldæus, *iniquus*. Huic opponunt *simplicem*, id est, *rectum & iustum*, vt LXX. & Chaldæus vertunt; de quo Iob 1.vers.1. CVM his SERMOCINATIO est Dei, id est, familiaris conuersatio; Hebraicè, *secretum*; LXX. *concilium*; Chaldæus, *colloquium*. q.d. Liberè communicat illis se suaque etiam arcana.

℣.34. DELVDET ILLVSORES, & astutos capiet in astutia sua; LXX. *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. & sic citatur 1.Petri 5. & Iacobi 4. Et rectè: nam illusores sunt superbi, & mansueti sunt humiles.

℣.35. SAPIENTES GLORIAM POSSIDEBVNT] Hebraicè, Græcè, Chaldaicè, *hereditabunt*, tum in præsenti vita, vt patuit in Iosepho, Moyse, Dauuide, Machabęis: tum maximè in futura, in cælo.

STVLTORVM EXALTATIO, IGNOMINIA] Tolluntur enim in altum, vt lapsu grauiore ruant. Id docuit Saul, Achitophel, Aman, & tot alij etiam nostro sæculo.

CAPVT IV.

Exemplo felici suo hortatur Salomon vt sapientiam sectemur, cuius varias vtilitates exponit. Ante omnia monet prauorum consortia deuitare, & linguam atque oculos cohibere.

℣.3. VNIGENITVS CORAM MATRE MEA] nam, vt dixi 1.Paral.3.v.5. vel ex Dauide vnigenitus fuit Salomon. Nam reliquæ proles Bethsabee, quæ istic enumerantur, susceptæ fuerant ex priore eius marito *Vria* Hethæo, & à Dauide adoptatæ, vt vult Mariana & quidam alij. Vel melius, vt LXX. pro *vnigenitus*, legendum, *vnicè dilectus* instar vnigeniti. Rationes ibid. exposui.

℣.7. PRINCIPIVM SAPIENTIÆ, seu primum fundamentum, primum & maximum præceptum, prima via conquirendæ sapientiæ est: POSSIDE SAPIENTIAM] Hebraicè, *keneh*, id est, *eme*, cõparà quantouis pretio & labore. q.d. Modus obtinendi sapientiam non est nuda speculatio, vel sicum desiderium, vel tale quale studium: sed serius קנה

conatus

conatus quo illam prosequamur, nulli parcentes pretio, sudori, labori. A

ET IN OMNI POSSESSIONE TVA] Id est, etiamsi omnes facultates, opes & vires tuas oporteret impendere pro acquirenda sapientia.

℣. 12. NON ARCTABVNTVR GRESSVS TVI] q.d. Ne te terreat arcta & angusta semita virtutis: neque enim ita te incedentem arctabit, vt gressus tui collidantur, impingant, aut alio modo præpediantur, quò minùs expeditè & rectà decurras ad nobilissima brauia, gloriam, triumphos. Nempe alas addent gratia cælestis, bona conscientia, libertas animi: quæ & cursum accelerabunt, & viam iucundam reddent. Econtrà qui per anfractus nequitiæ gradiuntur, suis ipsi dolis sese implicant, præpediunt, & prosternunt. B

℣. 16. NON DORMIVNT, nempe præ animi malitia dormire nequeunt impij, nisi conceptum scelus perfecerint. ET RAPITVR, seu subtrahitur, SOMNVS AB EIS. Ita Hebræus & LXX. Regia Latina, *non capitur somnus abeis*; NISI SVPPLANTAVERINT] id est, in exitium præcipitarint cui malè volebant. Exemplo sit Aman Estheræ 5. v. 13. & tot alij passim.

℣. 17. COMEDVNT PANEM IMPIETATIS] id est, impiè partum, quia ex furto & rapina.

℣. 18. IVSTORVM AVTEM SEMITA, QVASI LVX luciferi, vel auroræ, vt vertit Mercerus; vel solis, vt alij, CRESCIT VSQVE AD PERFECTAM DIEM] id est, vsque ad meridiem, quæ est plena & C perfecta dies: & metaphoricè significat *perfectionẽ* tũ gratiæ & virtutis in hac vita, tũ gloriæ in futura.

℣. 23. OMNI CVSTODIA; Hebraicè, *præomni custodia*, id est, præ omnibus quæ custodienda habes, SERVA COR TVVM, id est, inuigila appetitui tuo tum rationali, tum sensitiuo, eiusque passionibus & actionibus. QVIA EX IPSO VITA PROCEDIT] Hebraicè, Græcè & Chaldaicè, *ex ipso egressus vitæ*, nempe viua & bona opera, quæ vitam animæ parant, conseruant & augent.

℣. 25. OCVLI TVI RECTA VIDEANT] Hebraicè, *in directum aspiciant*, seu quod ante te est, id est, quod tibi agendum incumbit.

ET PALPEBRÆ TVÆ PRÆCEDANT GRESSVS D TVOS] Id est, apertis oculis incede: vide ne temerè, sed præmeditatus omnia facias: & oculis mentis, matura cogitatione & deliberatione, expende priùs gressus seu actiones tuas, quàm inchoës. Sic

℣. 26. DIRIGE SEMITAM PEDIBVS TVIS] LXX. *rectam fac*; Hebraicè, *libra viam pedutui*, id est, appende in statera sapientiæ, & sic explora priùs actiones tuas, quàm eas aggrediaris.

℣. 27. VIAS, QVÆ A DEXTRIS SVNT, id est, bonæ & rectæ, & quæ ad dextram Dei deducunt, NOVIT DOMINVS] nempe scientiâ approbationis. Sic Gentiles *dextrum* pro fausto; *sinistrum* pro infausto vsurpabant. Simili ferè modo hæc vsurpantur Eccles. 10. v. 2. E

Nota, hæc vsque ad finem cap. non habentur in Hebræo, Chaldæo vel Latinis Regiis: sed ex LXX. translata sunt in in nostram Vulgatam.

CAPVT V.

A scortatione & adulterio cauendum monet: pœnas recenset tum temporales, tum æternas quæ adulteros manent.

℣. 3. NITIDIVS OLEO; Hebraicè, *lauius*, blandius, GVTTVR, id est, verba, *meretricis*.

℣. 9. NE DES ALIENIS, (id est, meretricibus, iuxta dicta c. 2. v. 16, Aliqui de lenonibus & amasijs exponunt) HONOREM TVVM] Chaldæus, *virtutem*; LXX. *vitam tuam*. q.d. Ne propter libidinem fœdes nomen bonum, minuas vires; perdas vitam tuam: Veneri enim dediti de viribus & ætate multum detrahunt. Vnde sequitur:

ET ANNOS TVOS ne dederis CRVDELI] id est, meretrici, monstro crudelissimo. R. Salomon & Emmanuel Sà, id de diabolo accipiunt. Aliqui, de fœneratore, cui qui Veneri indulgent, sua sæpè oppignorare coguntur.

℣. 10. NE EXTRANEI, seu fœneratores, seu ipsæ meretrices, IMPLEANTVR VIRIBVS TVIS] id est, opibus labore tuo partis; vel etiam viribus corporis tui, quas exhauris ad explendam alienam libidinem.

℣. 14. PENE FVI IN OMNI MALO; Hebraicè, parum abfuit, quò minùs omnia mala incurrerim, tum morborum, tum inopiæ, tum infamiæ. idque IN MEDIO ECCLESIÆ ET SYNAGOGÆ] Id est, palàm & publicè, vt omnes me digitis notent.

℣. 18. BIBE AQVAM DE CISTERNA TVA] Id est, hauri quam optas, voluptatem coniugij è propria tibi vxore, quæ casta & pura sit instar cisternæ carentis luto fornicationis, zelotypiæ, rixarum & maledictionum. Ita Beda, Sà, Mariana.

℣. 16. DERIVENTVR FONTES TVI FORAS ET IN PLATEIS] Id est, ex te prodeant filij tui, puri, non suppositicij.

℣. 17. HABETO aquas tuas SOLVS] Habebis autem si à meretricibus abstineas, quæ sæpè nothos, communes, imò alienos filios tibi supponẽt. Allegoricè, caue ab adulterinis dogmatibus hæreticorum; Tropologicè, à concupiscentia.

℣. 18. SIT VENA TVA, id est, vxor, BENEDICTA à Deo, vt scilicet multas tibi & validas & vegetas proles gignat. Simile habes psal. 127. v. 3.

℣. 19. CERVA CHARISSIMA] Hebraicè & Chaldaicè, *cerua amorum*, id est, instar amabilis ceruæ sit tibi chara & in deliciis vxor tua: sit & speciosa, & vnica, & sincera, & blanda, & felle carens, fida marito, velox ad ei placendum & opitulandum, ardenti erga eum amore, verecunda, pudica, &c. Has enim omnes conditiones in cerua notant Aristoteles, Plinius & alij apud Gesnerum. *Gesner. in Cerno.* Allegoricè, Beda per *cernam* accipit Ecclesiam: per *ubera* vtrumque testamentum. Quæ litteraliter hîc *amores* significant, quia *amoris* sunt illices, & quia cor, quod amoris est sedes, vberibus quasi stipatur & continetur. Simile habes Cantic. 1. v. 1. & cap. 7. v. 8. Oseæ 2. v. 2. Ezech. 23. v. 17. & alibi.

IN AMORE EIVS DELECTARE, (Hebraicè, *oberra*) IVGITER] q. d. Numquam deflectas ad alienam, vel non tuam.

℣. 22. IMPIVS CONSTRINGITVR, (Hebraicè, *tenetur* irretitus) FVNIBVS PECCATORVM SVORVM] nempe prauis habitibus, quibus præ ceteris difficillimè sese expedire potest libidinosus. Ita Ven. Beda. Vel etiam tenetur *reatibus* peccatorum: licet enim peccata transeant actu, manent tamen reatu, quo quasi lictoris fune anima obligatur Deo vt iudici, peccato vt victori, dæmoni vt tortori, morti & inferno vt pœnæ & supplicio.

CA-

CAPVT VI.

Monet ne temerè pro aliis spondeamus: ignauum otium fugiamus exemplo formicæ: impudicos mores & consortia deuitemus. Septem grandia peccata, Deo cumprimis odiosa, recenset. Præceptis Dei & parentum vt pareamus, hortatur.

¶.1. DEFIXISTI; Hebraicè, *percussisti extraneum manu tua.* Quod in stipulatione & fidetussione fieri solet, vt inter se manus tangant, & insuper manu signatam syngraphan dent. Porrò Thaletis Milesij præceptum erat: *Ne spondeas.* Nam vt est in Prouerbio, *spondes, noxæ præstò est.* Neque verò aliud est remedium, quàm quod hîc Sapiens vers. 5. suggerit, nempe vt sicut DAMVLA, eruaste DE MANV venatoris vel laquei, vt habent LXX. id est, extrices te de manu creditoris apud quem pro tertio spopondisti.

¶.6. VADE AD FORMICAM, Ô PIGER] Quia inertia sæpè efficit, vt homines ad inopiam redacti, & ære alieno indigentes, ab amicis sponsionem sibi eflagitent, atque ita illos secum inuoluant. Ad malum hoc diuertendum, diligentiam singulorum excitat Sapiens exemplo formicæ, cuius miram industriam & sedulitatem videre est apud Plinium & alios.

Plin. l.10. c.71. & l.11. c.30.

¶.7. CVM NON HABEAT DVCEM, qui exemplo suo reliquas excitet: NEC PRÆCEPTOREM, qui doceat; Hebraicè, *præfectum*: NEC PRINCIPEM, qui cogat (in quorum primo, formicæ vincunt iumenta; in secundo, homines; in tertio, etiam apes alioqui solertissimas:) sed singulæ formicæ sibi ipsis duces, magistri & exactores sunt in opere. quod magis commendat illarum ingenium & industriam. In quibusdam Græcis exemplaribus ad formicam additur etiam exemplum apis: & sic citat hunc locum Clemens Alexandrinus & S. Hieronymus & quidam alij.

Clem. l.4. Stromat. Hier. ep. ad Rusticum.

¶.11. EGESTAS VENIET TIBI QVASI VIATOR, id est, certò, properanter, & ex insperato: ET QVASI VIR ARMATVS, seu miles, prævalebit tibi inermi, & obruet te. Martinus de Roa ex Cicerone per *viatorem* putat *lictorem* seu *apparitorem* intelligi.

Mart. de Roa, l.3. Singularium c.2.

¶.12. HOMO APOSTATA, id est, desertor Dei, virtutis & officij sui, vel etiam fidei; Hebraicè, בליעל *belial*, de quo dixi Deuter.13.vers.13. GRADITVR ORE PERVERSO] nempe mendax & fallax.

¶.13. ANNVIT OCVLIS, ad irridendum & subsannandum. TERIT PEDE terram, vt signum det sociis; Hebraicè, *loquitur pede*: & DIGITO] LXX. addunt *nutibus*. q.d. Lasciuit oculis, pedibus, digitis. Et his instrumentis vna ex parte fingit sese fraudulenter amicum: ex altera prodit insidiantibus sociis amicum, & signum dat sceleris in eum exequendi.

¶.16. ET SEPTIMVM] Hebraicè, *imò septem.* Neque enim *susurratio* (quę est septimum malum) peior est homicidio, quod est hîc tertium; sed ei comparatur quodam modo, quia ad illud disponit & viam sternit. Similia habemus c.30. & alibi.

¶.22. GRADIANTVR TECVM præcepta sancta, nempe vt tamquam duces viarum dirigant gressus tuos.

CVM DORMIERIS CVSTODIANT TE] Cubitum concessurus sanctis cogitationibus te occupa: iunge illas tibi tamquam vigiles qui sepiant & custodiant mentem tuam, ne noctu diabolicis illusionibus pateat.

¶.26. PRETIVM SCORTI VIX EST VNIVS PANIS] id est, res est vilissima; Hebraicè, *propter scortum, vsque ad tortam panis*, supple, deueniunt res scortatoris. scorta enim redigunt amasios suos ad extremam inopiam.

¶.29. NON ERIT MVNDVS, seu innoxius, CVM vel solùm TETIGERIT EAM.] Familiaritas enim mulierum, & vel leues seu contactus, seu aspectus denigrant famam, & vanis phantasmatibus ac concupiscentiis animam implent. Tropologicè, id faciunt etiam libri spurci & hæretici.

¶.30. NON GRANDIS EST CVLPA furtum respectu adulterij, & tamen DEPREHENSVS cogitur reddere SEPTVPLVM, id est, multoties compensare illatum damnum, & pretium sæpiùs multiplicatum restituere. Vide dicta Iob 5.v.19. Respicit enim hîc Sapiens ad Exodi 22. vbi fur iubetur reddere *quadruplum* vel *quintuplum*. Quantò magis execrandum & noxium censebitur adulterium, quo per INOPIAM CORDIS, id est, insipientiam & insaniam, perditur *anima*? vt dicitur v.32.

CAPVT VII.

Hortatur adolescentes ad sapientiæ complexum, & custodiam mandatorum. Deterret à scortatione & adulterio: cuius pedicas & illecebras exponit, & cauendas monet.

¶.3. LIGA EAM IN DIGITIS TVIS] Id est, semper ad manum habeas: semper oculis obuersetur & menti.

¶.7. PARVVLOS] Hebraicè, *stultos*, insipientes.

¶.14. VICTIMAS PRO SALVTE VOVI] Id est, hostias pacificas in sacrificium Deo obtuli pro salute tum mea, tum tua: & ex residuo hostiarum instruxi nobis oppiparum conuiuium.

¶.18. VENI INEBRIEMVR VBERIBVS] id est, amoribus, vt dixi c.5.v.19. & vertunt hîc LXX. & Chaldæus.

¶.23. DONEC SAGITTA Cupidinis TRANSFIGAT IECVR, in quo sedes est appetitus concupiscibilis, & amoris. q.d. Donec irremediabiliter saucietur appetitus concupiscentiâ venereâ: *sicut cervus sagittatione percussus in iecur*, inquiunt LXX. & Chaldæus.

CAPVT VIII.

Ipsamet sapientia nos ad sui amplexum invitat: cælestem suam doctrinam multis modis commendat: Beatos denunciat quotquot sibi obedierint, qui verò sprevirint, miseros & infelices.

¶.1. SAPIENTIA & PRVDENTIA pro iisdem hîc sumûtur, vt dixi c.1.v.2. & per prosopopœiam hîc illi organa, vox & concio attribuuntur. Accipitur verò tum hîc, tũ alibi (*a*) generaliter *sapientia*, prout communis est *creata* & *increata*: vnde quædam magis conueniunt *creatæ*, vt quod v.22. à LXX. dicitur *creata* à Deo: quędã magis conueniunt *increatæ*, vt quod v.23. & sequentibus dicitur *ab æterno* fuisse. Sed aptissimè omnia quadrant in *Sapientiam diuinam incarnatã*, id est, in *Christum*, cui secũdùm diuinam naturam conuenit, ab æterno esse genitum; secundùm humanam verò, esse creatum in tempore. Et de hoc locum hunc exponunt SS. Athanasius, Cyrillus, Nazianzenus, Augustinus, Beda & reliqui Patres ac Doctores.

(a) Sap 7. Eccli.24. &c.

Athanas. ser.3.cont. Arrian. Cyrill. l.5. Thesauri c.4. Nazianz. orat 4.de Theolog. Aug.l.5.de Trin,c.12. Beda hic.

¶.2. IN MEDIIS SEMITIS, &c.] Id est, vbique, per omnes creaturas, vt dixi c.1.v.20.

¶.7. VERITATEM MEDITABITVR, Hebraicè, meditando loquetur, GVTTVR MEVM.

¶.22.

¥. 22. IN INITIO VIARVM SVARVM; Chaldaicè, *in principio creaturæ suæ*; Hebraicè & Græcè, *initium viæ suæ*, vel *viarum*, id est, operum suorum, POSSEDIT ME DOMINVS] LXX. & ferè SS. Patres, vertunt, *creauit me*, id est, produxit, genuit, efformauit me. Hebræum *kana*, & possidere & producere significat. Hoc propriè in Christum quadrat, vt dixi v.1. ipse enim est principium & causa omnium Dei operum, secundùm deitatem genitus ex Patre ab æterno: secundùm humanitatem verò creatus in tempore, principium & auctor est nobilissimi operis Dei, nempe redemptionis, sanctificationis & salutis humanæ. Huc alludit S. Ioannes initio sui Euangelij, *In principio erat Verbum*, &c.

קנה

¥. 23. AB ÆTERNO ORDINATA SVM] Hebræum *nissicetti* significat etiam, *princeps facta sum*, potestatem accepi in omnia. Vnde Pagninus vertit, *principatum tenui*.

נסכתי

¥. 24. IAM CONCEPTA ERAM. ¥. 25. PARTVRIEBAR] Item *gignebar*, *genita sum*, *gignor*, & *gignar*, proprie dici potest omni momento à Verbo diuino seu Filio Dei: quia instanti æternitatis successiuè respondent omnia nostra tempora: vt fusè docet Origenes, S. Hilarius, Augustinus, & S. Thomas cum Doctoribus Scholasticis. Filius enim in diuinis continuò singulis momentis suum esse accipit, & emanat à Patre: sicut & splendor à sole, vt dicitur Sapientiæ 7. v.25.

Orig. hom. 6. in Ierem. Hilar. l.7. de Trin. August. in psalm. 2. S.Thom. & Schol. in 1. p.q.de Trin.

¥. 27. QVANDO GYRO VALLABAT ABYSSOS] Id est, *circino describebat* (vt est in Hebræo) quantitatem, latitudinem, profunditatem aquarum. Rotundum est enim mare in superficie, non minùs quàm terra, & velut circulo concluſum vnà cum terra.

¥. 28. QVANDO LIBRABAT FONTES AQVARVM] id est, velut in libra seu bilance appendebat. Hebraicè & Chaldaicè, *roborabat* nubes, è quibus tamquam fontibus mare & flumina aquis complentur. Vide Ecclesiastæ 1. v.7.

¥. 31. LVDENS (Hebraicè, *ridens*, gaudens) non solùm CORAM DEO, seu cum Deo, sed etiam IN ORBE TERRARVM cum creaturis: sed maximè, CVM FILIIS HOMINVM] vtpote præcipua orbis parte: cum his enim MEÆ sunt DELICIÆ, seu habeo illos mihi in summis deliciis. Primò, quia homo princeps est & dominus vniuersi, cuius causa omnia creaui. Secundò, quia homo viua est imago Dei. Tertiò, quia hominum amore homo fieri volui. Quartò, quia in anima hominis habitare, quiescere & recreari volo. Quintò, quia hominem ad me videndum & fruendum in æternum destinaui. Ita Beda & alij.

¥. 34. VIGILAT AD FORES MEAS QVOTIDIE] Id est, magno audiendi me desiderio & studio tenetur, & instar vigilantissimi discipuli me quærit, mihi adhæret, me audit vbique & omni occasione. Vide infrà c.27. v.14.

Nota. Solet Ecclesia supradicta verba applicare B. Virgini Deiparæ, non litterali sensu, vti nugantur hæretici, sed accommodatitio, quia perinde illi subseruiunt, ac si de ea fuissent prædicta.

CAPVT IX.

Loco profanarum & execrandarum ædium, victimarum & epularum meretricarum, de quibus cap.7. inuitat omnes Sapientia diuina ad sacram suam domum, victimas & epulas, virarumq; differentiam exponit.

¥. 1. SAPIENTIA diuina ÆDIFICAVIT & ipsa SIBI DOMVM in terris, putà Ecclesiam, ab initio orbis vsque ad finem duraturam. Ita S. Augustinus & alij Patres. S. Bernardus Allegoricè, id exponit de B. Virgine Deipara; Tropologicè, de anima hominis iusti. Nota. Quam hîc vocat *domum*, propter charitatem & vnionem incolarũ, mox v.3. vocat *ciuitatem* propter amplitudinẽ; & *arcem* propter munitionem, & altitudinem, seu perfectionem quam continet & docet & donat.

Aug. l.17. de Ciu. c.20. Bern. ser.7. inter pardos.

EXCIDIT COLVMNAS SEPTEM] id est, multas, vt dixi c.6. v.30. & Iob. 5. v.19. Ita auctor Imperfecti. Porrò hæ *columnæ* sunt partim Prophetæ, Apostoli, Doctores & Pastores Ecclesiæ: partim septem Sacramenta, septem dona Spiritus sancti, vt ait Beda: vel, vt Bernardus, tres virtutes Theologicæ cum 4. Cardinalibus. Vel denique, vt auctor Imperfecti, omnes virtutes. Porrò alludit hîc Salomon ad ædificationem templi materialis, & domus regiæ à se constructæ 3. Reg. 6 & 7. quia etiam illæ domus typus erant Ecclesiæ Dei.

Apud Chrysost. in c.12. Matt. hom. 30. Bern. sup.

¥. 2. IMMOLAVIT VICTIMAS SVAS] Id est, ex reliquiis victimarum instruxit splendidum, sed sacrum conuiuium: quod opponitur conuiuio meretricio, c.7. v.14.

PROPOSVIT MENSAM SVAM] Primò, Scripturæ & doctrinæ sacræ, inquit S. Gregorius. Secundò, Eucharistici sacrificij & Sacramenti, vt S. Cyprianus, Chrysostomus & Augustinus. Et commodè fit hîc mentio duarum specierum, nempe *panis* & *vini*, scilicet immolatæ carnis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini.

S. Greg. 1. Mor. c.14. Cypr. l.2. epist.3. Chrysost. in psal.22. Aug. suprà.

Nota, hîc per mensam designari non solam corporis alimoniam, sed etiam deliciarum, omniumque bonorum animi abundantiam. Et alludere videtur ad *mensam* solis apud Æthiopes, quæ quotidie omnibus epulis instructissima, & cuiuis volenti parabatur. Alludit quoque ad mensas veterum sapientum, quæ eruditis sermonibus ac lectionibus, non minùs quàm escis & poculis instruebantur, teste Plutarcho, Macrobio, Gellio. Et suo exemplo comprobauit Christus (*a*) & primi Christiani (*b*) & S. Augustinus (*c*) & alij.

a *Luc.* 11. v.37. & c.22. v.15. & *Ioan.* 13. 14.15.16.
b 1.*Cor.*11. v.20. &c.
c *Aug. l. de communi vita sacerd. & epist.*109.

¥. 3. MISIT ANCILLAS SVAS] Chaldæus, *puellas*; LXX. *seruos suos*: putà Prophetas, Apostolos, alioſque verbi præcones, item miracula, virtutes, exempla pia Martyrum, Confessorum, Virginum, Anachoretarum, & Monachorum. Est prosopopœia. ad quam videtur alluſisse Christus in parabola de inuitatis Lucæ 14. v.13.

¥. 7. QVI ARGVIT IMPIVM, obstinatum & DERISOREM omnis piæ monitionis, SIBI MACVLAM GENERAT] id est, nihil proficit, nisi quòd per irrisionem & detractionem impij denigretur fama & bonum nomen ipsius. q.d. *Noli mittere margaritas ante porcos.*

Matth.7. v.6.

¥. 17. AQVÆ FVRTIVÆ DVLCIORES SVNT, ET PANIS ABSCONDITVS, id est, clàm subreptus, SVAVIOR est. Dixerat Sapientia, v.5. *Bibite vinum & comedite panem*, quem suauissimum delicatissimumque palàm omnibus propono in mensa: sed stolida meretrix prouocat ad *aquas furtiuas* & *panem* subreptitium, id est, ad illicitam & furtiuam venerem, qualis est scortatorum & adulterorum, quasi suauior sit quàm licita & honesta consuetudo coniugalis. Sed mentitur & fallit improba. Quæ S. Augustino & Gregorio typus est hæreseos, & cuiusuis prauæ doctrinæ.

Augusti. tract.97. in Ioan. Gregor. 33. Mor. c.26.

¥. 18. ET IGNORAVIT, seu ignorat, neque recordatur miser adolescens, QVOD IBI, putà, IN PROFVNDIS INFERNI, vt sequitur, id est, in loco & regio-

& regione mortis & æternæ miseriæ ac tormenti, SINT CONVIVÆ EIVS, seu quotquot inuitati & seducti sunt à meretrice, etsi sint GIGANTES] id est, robustissimi. q.d. Tantum abest; furtiua sua dulcedine meretrix beet conuiuas & clientes suos; nam eos ad certam lanienam, ad mortem, ad infernum, ad æternam damnationem, ad infernalia supplicia trahit.

CAPVT X.

PARABOLÆ SALOMONIS.

Id est, gnomæ seu graues sententiæ, sed breues, & carmine eleganti conscriptæ, ac ferè cum perpetua antithesi in singulis versibus, cuius posterior pars priori opponitur. Sic hoc cap. filius sapiens opponitur stulto, iustus impio, diligens otioso, simplex prauo, &c. Ita S. Hieronymus & Isidorus.

Isidor. l. 6. Etym. c. 2.

¥. 1. FILIVS SAPIENS LÆTIFICAT PATREM, qui vt naturâ seuerior matre, non solet facilè lætari. STVLTVS MOESTITIA EST MATRIS] quæ alioquin ob tenerum affectum, nimis dissimulat in erratis filiorum, & risu excipere solet.

¥. 3. NON AFFLIGET DOMINVS FAME, seu inopiâ, ANIMAM IVSTI, id est, iustum: ET INSIDIAS IMPIORVM SVBVERTIT] nempe quas struunt iustis; LXX. verterunt, *vitam*; Chaldæus, *substantiam*, seu opes, quæ per insidias & dolos congestæ sunt, & ipsis quoque impiis sunt insidiæ & laqueï.

Nota. Hæ & similes promissiones rerum temporalium in veteri testamento saltem vt plurimum verè completæ fuerunt. Aliquando tamen secùs factum; sed tunc Deus famem & incommoda corporalia supplebat saturitate & copia donorum spiritualium: vt etiam verè tum dici posset, egestatem & miseriam corporis esse iusto delicias animi. Et verò stat promisso, inquit S. Hieronymus, qui promisso melius exhibet.

Hieron. in Matth. 13.

¥. 5. IN MESSE] Id est, cùm adest occasio, cùm vires adhuc vigent, cùm Deus dat vberem lucrandi materiam. Sic senectus imbecillis & sterilis hiemi comparatur.

FILIVS CONFVSIONIS (*a*) est qui & confunditur & confundit alios.

a Prolog. de Idiotism. Hebr. n. 40.

¥. 6. OS IMPIORVM OPERIT INIQVITAS] id est, pœna iniquitatis suæ. q.d. Implebuntur confusione, condemnatione, probro, & similibus pœnis, quæ fraudes, mendacia, ceteraque scelera consequuntur.

¥. 7. NOMEN, seu fama, IMPIORVM PVTRESCET] id est, instar rei putridæ fœtebit & horrori omnibus erit.

¥. 8. STVLTVS CÆDITVR LABIIS] Hebraicè, *offendit*; Græcè, *supplantabitur*, Chaldaicè, *capietur*: quia nempe mendacij, doli & calumniæ facilè arguitur, & pœnas dare cogitur.

¥. 9. QVI AMBVLAT, seu agit, SIMPLICITER, id est, candidè, sincerè, innocenter; Hebraicè & Chaldaicè, *in perfectione*, seu perfectè; AMBVLAT CONFIDENTER, seu liberè, tutò, sine pudore. *Prauus* AVTEM MANIFESTVS ERIT] id est, publico pudore confundetur, quantumcumque sua astutè tegat.

¥. 10. QVI ANNVIT OCVLO, ad libidinem, inquit Caietanus: vel ad irrisionem & subsannationem, vt dixi c. 6. v. 13. DABIT DOLOREM, & sibi & aliis. LABIIS VERBERABITVR] vt suprà v. 8.

¥. 11. VENA VITÆ, OS IVSTI] quia salutaria promit, & docet benè viuere.

OS IMPIORVM OPERIT INIQVITATEM] quam A solam depromit. q.d. Ex ore impij nil nisi malum prodit, quantumcumque illud tegere conetur, aut fucare specie recti. Posset etiam Hebræum verti, *operit iniquitas*, vt suprà v. 6.

¥. 12. VNIVERSA DELICTA OPERIT CHARITAS] dissimulans, tegens, excusans amicorum errata. Operit quoque tum in seipso, per ἀμνησίαν, obliterando acceptam iniuriam: tum in offendente, beneficiis eum excitãdo ad non amplius offendendũ, sed redamandum: tum denique coram Deo, impetrando per charitatis actus veniam à Deo, & remissionem tam culpæ quàm pœnæ. Et ita accipit hunc locum S. Petrus 1. epistolæ c. 4. & B Paulus 2. Corinth. 13.

¥. 15. SVBSTANTIA & opes DIVITIS, videntur ei esse instar VRBIS, seu arcis munitissimæ: vnde spiritus assumit & superbit. Econtrà pauperis egestas facit eum timidum, pauidum, nec audentem de se præsumere, vel quemquam offendere.

¥. 20. ARGENTVM ELECTVM, id est, pretiosum, nitidum, gratum eloquium profert LINGVA IVSTI. COR IMPIORVM, per consequens & sermo de corde procedens, erit PRO NIHILO] id est, nullius momenti, quantumcumque studeat eleganter & artificiosè dicere.

¥. 25. IVSTVS QVASI FVNDAMENTVM SEMPITERNVM, solidus, fixus, semper sibi constans, sui C similis. Hinc Deo quoque firmante ac stabiliente, stabit æternùm, longa vita, benedictione continua, ac demum æterna beatitudine donabitur. Vbi econtrà impij perpetuò, Vertumni instar, mutantur, & QVASI TEMPESTAS, seu turbo diffiantur. Sic apud Thebanos sapientia *quadrato lapidi*, fortuna *globo* insistens pingebatur. Sic & Aristoteles virum virtute præditum faciebat similem quadrato lapidi, qui quomodocumque vertitur, firmus semper consistit.

CAPVT XI.

Iustitia, ceterarumq; virtutum commoda: iniustitiæ & reliquorum vitiorum incommoda.

¥. 1. PONDVS ÆQVVM; Hebraicè, *lapis rectus*, quia ex lapide erant pondera: VOLVNTAS EIVS] id est, placet Domino; LXX. *acceptabile Deo*. Potentia ponitur pro obiecto: & abstractum pro concreto.

¥. 3. SIMPLICITAS] Vide dicta cap. 10. vers. 9. & alibi (*b*). *b Iob 1. v. 1.*

SVPPLANTATIO PERVERSORVM actiua, quâ scilicet alios per fraudem & dolum concutiunt & supplantant, illa eadem VASTABIT ILLOSmet, & in auctorum capita redundabit.

¥. 7. EXSPECTATIO SOLLICITORVM PERIBIT] Id est, qui anxiè inhiant opibus, honoribus & E gloriæ mundanæ, excident omni spe sua, morte telam præcidente.

¥. 10. IN PERDITIONE, seu extirpatione, IMPIORVM ERIT LAVDATIO] Hebraicè, iubilus, exultatio, commune gaudium reipublicæ.

¥. 11. BENEDICTIONE, id est, salutari consilio, pia prece, bono exemplo, IVSTORVM, efflorescet CIVITAS: ORE IMPIORVM, id est, exitiali eorum consilio & exemplo, SVBVERTETVR.

¥. 21. MANVS IN MANV] Cap. 16. v. 5. *Manus ad manum*, supple, sit licet. q. d. Cogat impius quantos potest socios & auxiliares manus, iungat fœdera, ineat societatem; NON ERIT INNOCENS, non euadet noxam & pœnam ipsi decretam, sed

& in

& in se,& in socijs punietur. ita Vatablus,Mercerus & Ianseníus. LXX. & Chaldæus de manu violenta alijs iniecta id exponunt: alij de pigritia: Pagninus & Sà putant idem significare quod *mox*, *citò*; sicut Italis *mano à mano*. Sed quod primo loco dixi,probabilius videtur.

℣.22. CIRCVLVS, seu monile *aureum* IN *nare* SVIS; Chaldaicè;porci,MVLIER PVLCHRA ET FATVA] nempe frustrà, imò probrosa, ridicula & noxia est ipsi pulchritudo.

℣.23.PRÆSTOLATIO IMPIORVM FVROR]id est, ira & indignatio Dei. Neque enim aliud ipsos manet.

℣.25. ANIMA QVÆ BENEDICIT, id est, homo qui benefacit proximo suo:ET INEBRIAT,id est, affluenter largitur eleemosynã, quâ velut aridam irrigat proximum suum; IPSE VICISSIM INEBRIABITVR] centuplo hîc in terris, & gloriâ cælesti in altera vita. Sit Paulus 2.Corinth.9. *Qui seminat in benedictionibus*,&c. Et *ebrietas* (*a*) in Scripturis passim pro satietate & affluentia sumitur.

a Psal.35. vers.9. Cant.5.v.1. Prou.7. v. 18.

℣.30.FRVCTVS IVSTI]Id est;opera viri pij suauia & grata sunt, & immortalitatem afferunt instar arboris vitæ,vt dixi c.3.v.18.

ET QVI SVSCIPIT, (Hebraicè; *capit*,allicit; Pagninus,*docet*) ANIMAS proximorum suorum,pertrahendo eas ad pietatem & Deum, verè SAPIENS EST] Hæ enim pretiosissimæ sunt margaritæ, & & inæstimabiles thesauri.

℣.31. SI IVSTVS IN TERRA RECIPIT punitionẽ peccatorum,quantumcumque leuium; QVANTO MAGIS recipiet IMPIVS tãtis sceleribus promerita supplicia? Recipiet,inquam,seu hîc, seu in inferno.LXX.legunt,*si iustus vix saluabitur*,nempe sine acri punitione suorum peccatorum, etsi pœnitẽs; *impius & peccator* impœnitens *vbi apparebit*? Et sic citat hunc locum S.Petrus 1.epistolæ c.4.v.18.

CAPVT XII.

Laudat & commendat eum qui diligit disciplinam: & pietatem: reprehendit qui odit & negligit. Exponit fructus oppositos iusti & impij, diligentis & otiosi, sapientis & stulti,lingua bonæ & malæ.

℣.3. RADIX IVSTORVM,nempe fides,spes,charitas, quibus quasi radicibus firmãtur: vel simpliciter,radix,id est,radicatio,seu fundatio, NON COMMOVEBITVR vllis procellis:quia,vt dixit in fine c.10.iusti *fundamentum* est *sempiternum*.

℣.4. MVLIER,QVÆ CONFVSIONE RES DIGNAS GERIT, adulterando, scortando, rixando,&c. est sicut PVTREDO IN OSSIBVS VIRI] id est, intimum animi eius,subinde & corporis, robur arrodit, excedit,absumit,nempe dolore infamiæ & tabe.

℣.7. VERTE, seu subuerte,IMPIOS,ô Deus,ET amplius NON ERVNT] id est, momento pereunt, inquit Mariana. Hebraicè est,*vertere impios*. Sed infinitiuus pro quouis tempore sumi potest:vnde Chaldæus legit, *subuertuntur*; LXX. *quocumque vertatur impius,delebitur*.

℣.10. NOVIT, id est, attendit, curam gerit,IVSTVS ANIMAS etiã IVMENTORVM SVORVM] LXX. *miseretur*.Simile habes psal.1.v.6.& alibi. (*b*)

b 2.Tim.2. v.19.

℣.11. SVAVIS IN VINI DEMORATIONIBVS, id est, facilis & multus in compotationibus & conuiuijs,RELINQVIT CONTVMELIAM,seu infamiam, IN SVIS MVNITIONIBVS] id est, in domo, familia & ciuitate sua: nempe ob decoctum patrimonium,& infamem paupertatem. Hic versus non est in Hebræo, Chaldæo,Regijs aut Complutensibus; sed ex LXX.desumptus est.

℣.12.DESIDERIVM IMPII vnicum & præcipuũ, EST MVNIMENTVM PESSIMORVM] id est, habere cum pessimis societatem,fœdus & familiaritatem, quia putat se talibus probè munitum iri.

℣.18.PROMITTIT:ET MOX QVASI GLADIO PVNGITVR CONSCIENTIÆ, dum nempe pœnitet temerarij promissi;LXX.& Chaldæus,*vulnerãt quasi ensis*; dum soquuntur,gladios & saxa vomũt. LINGVA AVTEM SAPIENTIVM SANITAS EST] id est, sanat;nempe errata,rixas, aliasque molestias.

℣.19. TESTIS REPENTINVS id est,impræmeditatus,temerarius, effutiens quidquid in buccam venit; facilè mẽdacium aliquod immiscet,quod postea multis alijs mendacijs tueri,fucare,stabilire cogitur,ne mendax deprehendatur.

℣.23.HOMO VERSVTVS,id est,cautus;Chaldaicè,*astutus*; Græcè,*vir prudens*,(nam capitur hîc in bonam partẽ,vt ex antithesi patet) CELAT SCIENTIAM, neque ambitiosè aut sine fructu ostentat eruditionem suam: sicut facit *insipiens*,qui temerè,vbique & sine delectu,dum vult iactare scientiam suam, PROVOCAT; Hebraicè,*euocat*, ad linguam & labia STVLTITIAM suam.

℣.27.SVBSTANTIA HOMINIS, supple,iusti,strenui & industrij, (vt est in Hebræo) ERIT AVRI PRETIVM] id est,aurũ pretiosum,vt vertit Chaldæus.q.d. Lucrum fugiet fraudulentos & pigros, confluet ad iustos & strenuos.ita ferè Rabbini.

CAPVT XIII.

De oris custodia:de paupere diuite: de opibus malè partis:de maturo consilio: de correptione,&c.

℣. 1. FILIVS SAPIENS est DOCTRINA PATRIS] id est, prodit ac manifestat in se suisq; moribus doctrinam & institutionem probam patris sui:nam præcepta quæ ab illo hausit,in se quasi in libro descripta fouet, & tanquam in imagine vel in speculo relucentia toti orbi manifestat.Pagninus vertit,*audit doctrinam*; Chaldæus,*suscipit*.

℣.7.EST QVASI DIVES,id est, simulat,fingit se diuitem, nempe superbus & illusor, CVM NIHIL HABEAT] ita in Hebræo, Græco & Chaldæo.q.d. Sunt qui videntur diuites,& non sunt. Mercatorum id vitiũ, ne vacillet fides. Thrasonibus quoque familiare, ingentes opes iactare, vt diuitem sponsam venentur. Tropologicè, arrogant sibi virtutes qui à virtute longissimè absunt. Putant se diuites & beatos qui opibus, honoribus, gratiâ pollent,etsi virtute careant.ita Beda. Contrà pauper opibus,sed virtutibus diues.

℣.8. REDEMPTIO ANIMÆ VIRI,DIVITIÆ SVÆ: id est, diues si periculum vitæ, ob aliquod delictum,incurrat,vel à latronibus capiatur,facilè se redimit pecunijs suis. QVI VERÒ PAVPER EST,INCREPATIONEM; LXX. *minus*, NON SVSTINET] id est,tolerare,euadere non potest,sed illis succumbit: cumque non habeat in ære,luere cogitur in pelle.Vide S.Augustinum,qui dicit pauperem in hoc melioris conditionis esse diuite, quòd, cùm non habeat opes quæ emungi possint, rarò increpetur & molestijs afficiatur, seu à fisco, seu à latrone,seu ab inuido, seu ab æmulo. *Augustin. serm.212.de Tempore.*

℣.9.LVX IVSTORVM] id est,prosperitas, vt dixi psal.4.v.7.Nota. Felicitas & gloria iustorum comparatur *lucifero & soli*,c.4.v.18.qui iugis est & stabilis,per omnes orbis & temporum partes se diffundens.

fundens. sic iusti sunt *lux mundi*, Matth.5.v.14. Sed impiorum gloria comparatur *lucernæ*; quia exigua,quia breuis,quia momentanea.

℣.11.SVBSTANTIA FESTINATA,id est, opes citò acquisitæ per vias iniquas, vt addunt LXX. & Chaldæus;Hebraicè,*ex vanitate*,id est,vanis & malis artibus,vel etiam ludicris operibus; citò *minuentur*. Meretrices enim, histriones & circulatores nunquam ditãtur, sed citò parta citò perdunt.

℣.12.*De ligno vitæ* dixi c.3.v.18.

℣.13. QVI DETRAHIT ALICVI REI præceptæ (patet ex antithesi, & ex Hebræo & Chaldæo,vbi est,*qui contemnit verbum* seu *præceptum*:& ita vertunt Mercerus,Vatablus & alij)OBLIGAT SE iudicio,id est, obstringit se & obnoxium facit pœnæ legibus præscriptæ.ita Beda.

ANIMÆ DOLOSÆ ERRANT IN PECCATIS] Hic versus nõ est in Hebræo vel Chaldæo:sed ex LXX. desumitur; qui legunt, *filio doloso nihil erit boni: seruo autem sapienti prosperi erunt actus,& dirigentur viæ eius*:& sic legitur cap.seq.v.15.Romana hîc habent sicut nostra Vulgata.

℣.16. ASTVTVS bonâ astutiâ,vt dixi c.12.vers. 23. Sed

℣.17. NVNTIVS IMPII (Chaldaicè,*impius*,) CADET(Hebraicè, incidere faciet) IN MALVM.id est, negotiũ exasperabit, & maiora damna dabit. At
a c.12.v.18. LEGATVS FIDELIS, SANITAS (*a*) est,id est,sanabit & corriget,vel saltem sua prudentia leniet errata.

℣.23.MVLTI CIBI, id est, multæ fruges,multæ opes,sunt IN NOVALIBVS PATRVM, si nempe à filijs sedulò excolantur:Hebraicè est,*in aratione capitum*, id est,parentũ,inquit Noster.sed Chaldæus & alij vertũt,*pauperum*:qui nempe per se,seu propria capita,colunt agros suos,maiori cura & fide, minore sumptu.Diuites verò,quia per alios id faciunt, minus vberes fructus percipiunt:idque ABSQVE IVDICIO,committentes agros cultoribus parùm frugi & negligentibus. Beda mysticè hæc accipit de doctrina & exemplis maiorum, sanctorum Patrum & Doctorum Ecclesiæ.

CAPVT XIV.

Antitheses sapientiæ & stultitiæ: fructus & effectus vtriusq;.

℣.3. IN ORE STVLTI VIRGA,seu flagellum,SVPERBIÆ] nam verba ipsius superba,mordacia & iniuriosa (vt LXX.) quibus alios verberat & flagellat, erunt vicissim ipsimet *virga*, id est, causa,occasio,instrumentum quo vapulet.

℣.4.VBI NON SVNT BOVES qui arent,ibi PRÆSEPE VACVVM EST alimento boum seu paleis.q.d, Vbi desunt agrorum cultores,ibi nullus sperandus est fructus.vbi otium,ibi egestas.VBI AVTEM PLVRIMÆ SEGETES; Hebraicè, *copia prouentuum*,
Θεοὶ τ' ἀγαθὰ πόνοις πωλοῦσι. IBI MANIFESTA eluxit FORTITVDO BOVIS] Dij enim laboribus bona vendunt. Tropologicè *boues* sunt Doctores,Prælati,pastores; *segetes*, animæ conuersæ.

℣.6.DOCTRINA PRVDENTIVM;Hebraicè,*scientia intelligenti* seu prudenti, FACILIS est inuentu. Statim enim,Deo agente & illuminante,conscientia & ratio illi dictat quid & qualiter hîc & nunc agendum.

℣.7.VADE CONTRA STVLTVM,id est,ex aduerso eius,è regione, non appropinques; Hebraicè, *recede à stulto*;Chaldaicè,*vade per viam aliam à facie stulti*.ET,id est,quia,NESCIT LABIA PRVDENTIÆ,seu mouere,seu audire;Chaldæus,*quia in labijs eius non est scientia*.Vnde Hebraicè est,*nescies*, (id est,non audies) *ab eo prudentiam*.

℣.9.STVLTVS ILLVDET PECCATVM]ridens super admissis sceleribus, eaq; pro ludo ac ioco habens,sibiq; gratulatur iactans se de suis flagitijs.In Regijs & Complutensibus legitur,*stultis illudet peccatum*,vtiq; cùm pœna succedanea mordebit miseros,tum in præsenti vita,tum maximè in futura.

℣.10. COR QVOD NOVIT & sentit AMARITVDINEM ANIMÆ SVÆ, id est,solus qui patitur tribulationem, nouit & sentit quid ipsum angat & cruciet.Et è conuerso,IN GAVDIO quoque EIVS NON MISCEBITVR EXTRANEVS]id est,solus etiam perfectè conscius est & compos gaudij ex tribulatione subnascentis.

℣.14. VIIS SVIS REPLEBITVR STVLTVS; Hebraicè,*de vijs suis satiabitur*,id est,dabit abundanter pœnas eorum quæ malè fecit. Deprimetur enim & corruet,subinde etiam in hac vita:ET SVPER EVM ERIT VIR BONVS]id est,præ ipso,& non rarò etiam super ipsum exaltabitur vir pius, vt apertiùs explicatur.v.19.Nónne quotidie id videmus etiam in magnatibus & principibus?

℣.15. INNOCENS hîc in malam partem sumitur pro *insipiente*,vt vertit Chaldæus, seu stulto; ASTVTVS,pro prudente,vt dixi c.12.v.23.Quod sequitur:FILIO DOLOSO,&c. non est hoc loco nisi in Vulgata nostra:sed apud LXX.reperitur c.13. v.13.vt ibid. dixi.

℣.22.ERRANT QVI OPERANTVR MALVM; Hebraicè,*errant qui arant mala*, id est,qui se suaque malis artibus promouere student, toto cœlo aberrant à rectis sulcis & scopo suo,nec respondebit arationi fructus. Sed MISERICORDIA ET VERITAS, (id est, virtutes,vt dixi c.3.v.3.) PRÆPARANT BONA; Hebraicè, *arantibus bonum*, supple, fructum conciliant.

℣.23.IN OMNI OPERE; Hebraicè, *labore*, ERIT ABVNDANTIA] vt dixit v.4. *Labore* enim & industria,non *verbis* aut otio parantur opes.

℣.24. DIVITIÆ *sapientibus sunt* pro *corona*, id est,ornamento,instar coronæ vel diadematis.FA-
D TVITAS STVLTORVM, IMPRVDENTIA] Chaldæus, *decus stultorum est stultitia*,id est,stulti nullũ decus, nullum ornamentum habent quo se ornent nisi stultitiam: nam & opes quas habẽt,& quibus egregiè se possent ornare (vt sapientes faciunt) cùm ijs non nisi peruersè vtantur,non sunt ipsis honori vel ornamento,sed dedecori & damno.

℣.30.SANITAS CORDIS,id est,cor sanum à passionibus,maximè ab irâ & liuore, est VITA CARNIVM,id est,facit carnem & totum corpus viuidum & vegetum. Sed INVIDIA & ira & reliquæ passiones exorbitantes tabefaciunt etiam ipsa *ossa*, id est, robur omne tum corporis, tum animi.
E Nam ex læta & bona habitudine animi per sympathiam consequitur bona habitudo corporis, teste S.Gregorio. Vide c.17.v.22.LXX. vertunt, *vir mansuetus cordis, medicus* est:*tinea autem ossium, cor sensitiuum*,id est,quod zelum,iram,inuidiam, aliosque animi motus facilè sentit,quod verbulo vt acu pungitur. *Gregor.l 5. Moral. cap. vlt.*

℣.34.PECCATVM, & maximè iniustitia, FACIT POPVLOS MISEROS] LXX. *imminuit tribus*. חסר *Cheser* enim(quomodo hi legisse videntur)& *imminutionem* seu defectum, & *miseriam* significat. Vtrumque enim verum:nam vbi iniustitia,ceteraque vitia impunè grassantur, iusta Dei vindicta, ciuitas, prouincia, regnum illud & incolis & opibus exhau-

exhauritur, & bello, fame, & peste alijsque miseחסד rijs impletur. Iam in Hebræo est *chesed*, id est, pietas & misericordia. Quo modo si legendum est, antiphrasticè pro *probra* seu re *miserabili*, vel *nefaria* accipere licebit, vt accipitur Leuit. 20. vers. 17. & alibi. q.d. Iustitia gentem glorioſam reddit: peccatum verò probrosam & miserabilem, vt Noster vertit Frustra ergo hinc Mercerus, vt suam hæresin stabiliat, probare conatur, omnem actionem Gentilium, quantumuis piam, peccatum esse. Quia hoc hîc non dicitur, & repugnat alijs Scripturis (a) & improbatur hic sensus etiam alijs Merceri symmystis.

a *Rom. 2. vers. 14. & Matth. 5. v. 47. & Daniel. 4. v. 24.*

CAPVT XV.

De bono & malo linguæ: de verâ fortitudine: de victimis impiorum: de solido gaudio: de vero thesauro: de cœlo & inferno.

¥. 4. LINGVA PLACABILIS, id est, placida, placans, leniens iram & dolorem. Hebraicè & Græcè est, *sanitas linguæ*; Chaldaicè, *medicina linguæ*, seu lingua medica, est LIGNVM VITÆ] de quo c. 3. v. 18. Item

¥. 5. VIRTVS] id est, fortitudo, qua scilicet firmiter consistant iusti, & impijs resistant.

¥. 8. VICTIMÆ IMPIORVM ABOMINABILES DOMINO] Cùm enim displiceat operans, displicet & opus operantis. Atqui sacrificia vetera non valebant nisi ex opere operantis: ergo. Aliter res habet in sacrificijs nouæ legis, quæ valent ex opere operato, vt docent Doctores.

Isaiæ 1. v. 11.

In 3. p. de sacrificio.

VOTA IVSTORVM PLACABILIA] Hebraicè, *oratio* & sacrificia *iustorum voluntas Dei*, id est, placent Deo, & etiam placant Deum.

¥. 10. DOCTRINA MALA; Hebraicè, *correctio*, seu increpatio, *grauis* est & ingrata DESERENTI VIAM VITÆ: maximè quando illi intentatur mors æterna, & pœnæ infernales. MORIETVR tamen & pœnas illas incurret, ni resipiscat.

¥. 11. INFERNVS, ἅδης, id est, gehenna, ET PERDITIO, seu perditi & damnati in inferno, sunt coram (b) DOMINO, id est, detecta & explorata sunt Deo etiam ima inferni, qui, quot, quales, damnati sint & damnandi, quibus quantisque tormentis cruciandi: QVANTO MAGIS patent illi CORDA FILIORVM HOMINVM, & intimi illorum recessus, occultæ cogitationes & appetitus?

b *Psal. 138. v. 7. 8. &c.*

¥. 15. OMNES DIES PAVPERIS; Hebraicè, afflicti, sunt MALI, id est, iniucundi, graues, molesti, vt v. 10. Tamen SECVRA, id est, tranquilla; Chaldaicè & Hebraicè, *hilaris*, MENS, seu conscientia, quantumcumque pauperis, facit omnes eosdem dies iucundos & lætos, instar perpetui *conuiuij*: cùm omnia aduersa, non iam vt flagella, sed vt amoris indicia placidissimè acceptet de manu Dei, cuius nutibus parere & obsequi iucundissimum illi accidit.

¥. 16. THESAVRI INSATIABILES dicuntur partim passiuè, quia numquam dicunt. Satis est: partim actiuè, quia non satiant hominis appetitum. Hebraicè, *in quibus est turbatio*, seu tumultus. Turbant enim animum molestia & cura sui, tum augendi, tum conseruandi, tum expendendi.

Luc. 8. v. 18.

¥. 19. ITER PIGRORVM, seu ignauorum, videtur ipsis QVASI SEPES SPINARVM] id est, nimis dutum, arduum, imperuium. Hinc nihil magni, nihil boni aggredi audent.

¥. 24. SEMITA VITÆ SVPER ERVDITVM] Hebraicè & Chaldaicè, *sursum est intelligenti*, seu prudenti. nempe animo ad superna contendit, & in cœlum, vbi vera & æterna est vita. Vnde R. Leui: Quantò quidque in hac mundi machina sublimius est, tantò nobilius & præstantius est. v. g. cœlum elementis: & inter elementa ignis aëre, aqua terrâ: consequenter cor iusti præstantissimum est, quia altissimum. Nam vt ait S. Paulus, *conuersatio nostra in cœlis est*. VT DECLINET DE INFERNO NOVISSIMO] Hebraicè, *qui deorsum*, seu infra omnia est, & ima pars mundi. Ex quibus habes, etiam in veteri testamento clarissimè proponi hominibus *cœlum* & *infernum*.

Philipp. 3. v. 20.

CAPVT XVI.

Variæ viæ & effectus diuinæ prouidentiæ; cui omnia, quantumuis fortuita videantur, subiecta sunt.

¥. 1. HOMINIS EST ANIMAM PRÆPARARE] Hebraicè, *hominis sunt dispositiones cordis*: non tamen (vt volebat Pelagius) sine *concursu* Dei, tum *naturali*, seu generali in omni re; tum *supernaturali*, seu per *gratiam*, in rebus quæ ad salutem pertinent. Sed quomodocumque horum auxilio cor disposueris, id est, animo conceperis & proposueris quid & quomodo dicere velis, non dices tamen vt conuenit vel oportet, nisi Deus speciatim adhuc dirigat *linguam*. Porrò quod hîc de *verbis* dicit, etiam & magis de *operibus* verum est, vt infrà (c) dicetur. Longè enim difficilius est, re ipsa exequi sensa animi, quàm verbis aptè exprimere: & hoc quoque, quàm animo concipere vel meditari.

c *Hîc v. 9. & cap. 20. v. 24.*

¥. 3. REVELA DOMINO OPERA TVA; Hebraicè, *deuolue ad Dominum*, id est, fac ea in honorem Dei, & successum ipsi commenda, ET DIRIGENTVR ad optatum finem & exitum.

¥. 4. VNIVERSA PROPTER SEMETIPSVM, seu ad gloriam suam in ijs manifestandam, OPERATVS EST, creauit & condidit DOMINVS, *etiam* IMPIVM, non formaliter, sed materialiter, id est, hominem illum quem præuidit futurum suâ malitiâ impium. Nam hunc quoque creauit absolutè ad gloriam suam in eo, & per eum declarandam. Et vellet quidem, quantum ex se est, hanc in eo gloriam declarari per excellentem gratiam, quâ (si non peccando sequi velit) deduceretur ad diem bonum. Sed cùm nolit sic sequi, deducit nihilominus illum ad declarandam in eo gloriam suam, sed per aliam viam, puta per iustam punitionem, rapiendo illum AD DIEM MALVM, seu ad supplicium æternum. Quod secundariò tantùm & ex hypothesi intenditur à Deo. Itaque velint nolint impij, etiam gloria Dei in ipsis, dum scelerum suorum dant pœnas, æternùm declarabitur. Vide S. Augustinum & Doctores Scholasticos.

August. l. 3. cont. Iulianum c. 8. & cont. 2. epist. Pelagij. Doctores in 1. 2. de gratia, q. 110. & seq.

¥. 5. ETIAMSI MANVS AD MANVM FVERIT] Vide dicta c. 11. v. 21.

¥. 7. INIMICOS EIVS CONVERTET AD PACEM] id est, emolliet, reconciliabit, pacificos illi reddet. Patuit in Ioseph cum Pharaone, Dauide cum Saule, Daniele, Mardochæo & tot alijs. Subinde tamen, iustas ob causas, id non facit Deus.

¥. 10. DIVINATIO IN LABIIS REGIS est. q.d. Reges, principes & magistratus singulari sagacitate donantur à Deo, vtpotè eius vicarij, vt in dubijs & controuersijs expediendis vafriciem & malitiam seu litigantium, seu testium facilè deprehendant, & rectè iudicent. Nemo igitur magistratui imponere tentet, nemo sententiam latam carpat.

℣.11. OMNES LAPIDES SACCVLI, id est, omnia pondera, quæ lapidea olim erant, & in sacculis circumferebantur, sunt OPERA DEI] id est, ex ordinatione & voluntate diuina, vti & stateræ. Quare opera danda, ne per impostoras & fraudes corrumpantur, vel in vsu eorumdem contra Deum & iustitiam peccetur.

℣.20. ERVDITVS IN VERBO] Id est, bene instructus, & prudenter procedens in negotio suo.

℣.21. DVLCIS ELOQVIO, seu sermone, MAIORA PERCIPIET] Id est, maiorem laudem, adde & vsum & fructum maiorem consequetur. Hebraicè enim est, *addet acceptionem*. Nam sapiens quo sæpiùs & feruentiùs dicet in gratiam & bonum aliorum, & quò doctrinam suam liberaliùs alijs communicabit, eò & vsum dicendi maiorem, & merita plura, & laudem ampliorem apud Deum & homines accipiet. nam, vt dicitur,

℣.24. FAVVS MELLIS sunt, id est, suauissima & gratissima, VERBA à prudente COMPOSITA. Item, DVLCEDO sunt ANIMÆ, &c.

℣.26. ANIMA LABORANTIS, (Hebraicè, *anima quæ molestiam exhibet* alteri) LABORAT SIBI; Hebraicè, *molestiam sibi ipsi creat*: nempe, QVIA COMPVLIT EVM OS SVVM] Hebraicè, *incuruauit contra se os suum*, id est, deflexit & peccauit in verbis suis. Plerumque enim peruersus sermo auctori occasio est doloris & afflictionis.

℣.27. IMPIVS, peruersa sua lingua, FODIT MALVM, non solùm proximo suo, sed & SIBI] vt habent LXX. Neque enim quiescit donec pestilentibus suis sermonibus aliquod graue infortunium sibi, quasi è terra effodiat, & ignem iurgiorum ac litium accendat; LXX. *thesaurizet*, quo & ipse & familia eius conflagrent.

℣.28. VERBOSVS, id est, Hebraicè & Chaldaicè, *susurro*, SEPARAT, id est, animis disiungit, inimicos facit, etiam viros PRINCIPES] Vnde bella, &c.

a *Iob 15. v.12.*

℣.30. ATTONITIS (*a*) OCVLIS] Hebraicè, *qui obfirmat*; LXX. *qui firmat oculos suos*, nempe vt solent attoniti, immotis palpebris.

℣.33. SORTES, & quid magis videtur fortuitum? SED tamen etiam illæ A DOMINO TEMPERANTVR, diuinitus gubernantur. Hebraicè, *à Domino iustitia sortis*, id est, quod sors decernit, non temerè accidit, sed à Deo est. Patuit in Achan Iosue 7. in electione Saulis 1. Reg. 10. in detectione Ionathæ 1. Reg. 14. in electione Matthiæ Actor. 1. in conuersione Augustini, &c. Vnde patet, omnia etiam fortuita, à Deo regi, saltem generali prouidentia, quâ omnes causas secundas regit, & in finem suum dirigit. Neque quidquam fortuitum dici potest respectu causæ primæ, seu Dei; neque Scriptura vtitur nomine fortunæ, sed prouidentiæ. Vide S. Augustinum & Doctores.

August. in Gen. q. 91. Doct. in 1. p. de prouidentia.

CAPVT XVII.

Varia conditiones, varij effectus prudentia & stultitiæ; pietatis & impietatis.

℣.1. DOMVS PLENA VICTIMIS, seu mactatis pecudibus, è quibus lauta conuiuia parabantur, vt dixi c. 7. v. 14. & alibi.

℣.2. SERVVS SAPIENS INTER FRATRES HEREDITATEM DIVIDET] non tantùm quasi moderator aut curator filiorum ab hero constitutus, sed etiam quasi coheres ab eodem vnà cum filijs institutus, vt fit cùm filiafamilias nuptui datur seruo, & alijs casibus. q. d. Sapientia nobilior est libertate, vt quæ afferat clienti suo libertatem, dominium, hereditatem.

℣.8. EXSPECTATIO PRÆSTOLANTIS. Hebraicè, *munus in oculis possidentis illud*, id est, quod diu exspectatum & vehementer expetitum, tandem aduenit & occurrit; est gratissimum instar gemmæ pretiosissimæ. Beda id accipit de gloriâ cælesti. Quare & sapiens QVOCVMQVE SE VERTIT, PRVDENTER INTELLIGIT, seu *agit*, vt est in Hebræo: nempè vt assequatur quod tam auidè exspectat: & ne fortè sua temeritate vel imprudentia spem euertat, & voto suo frustretur.

℣.9. QVI ALTERO SERMONE REPETIT; Hebraicè, *qui negotium iterat*, id est, qui rem de quâ nunc egi, nempe *delictum* proximi sui, *identidem* repetit, causa est dissensionis inter *principes*, vt est in Hebræo, antea FOEDERATOS.

℣.11. ANGELVS, id est, nuntius, CRVDELIS MITTETVR CONTRA EVM] tum ab hominibus, v.g. iudicibus; tum à Deo: nam ab vtrisque grauiter punietur.

℣.12. EXPEDIT MAGIS VRSÆ OCCVRRERE, QVAM FATVO CONFIDENTI IN STVLTITIA SVA, ac proinde audenti inuadere (instar rabidæ vrsæ) vitam, famam, conscientiam, bona proximi sui. Talis enim neque personæ, neque temporis, neque loci, neque iustitiæ, neque decoris, neque Dei vllam rationem habet. Vt in Saule patuit 1. Reg. 22.

℣.14. QVI CAPVT EST IVRGIORVM, id est, qui initium dat iurgijs & litibus, est sicut qui DIMITTIT AQVAM. ita Hebræa: id est, sicut qui rumpit aggerem cui magna vis aquæ incumbit. Vt enim is rupto semel aggere, non potest ampliùs prohibere aquas quo minùs ingentia damna creent: sic qui semel occasionem iurgiorum dedit, &c. ET ANTEQVAM PATIATVR CONTVMELIAM ex suborturo iurgio, IVDICIVM DESERIT qui prudens est. Hebraicè, *antequam lis commiscetur dimitte*, supple, litem: principijs obsta. Lites initiò facilè comprimuntur: morâ inualescunt.

℣.19. EXALTAT OSTIVM domus suæ; Chaldæus, *portam*. Nempe superbus, qui altas & insanas substructiones molitur, vt dixit v. 16. Rursus

℣.20. VERTIT ab vno in aliud, à bono in malum; Chaldæus, *peruertit*, LINGVAM] Id est, peruersè loquitur, detrahendo, adulando, malum suadendo, rixando, &c.

b *Eccles. 2. v.15.*

℣.24. IN FACIE (*b*) PRVDENTIS LVCET SAPIENTIA] nam vel solo modesto vultu & aspectu suo illam produnt sapientes.

OCVLI STVLTORVM vagi & distracti quasi IN omnes FINES TERRÆ, contrarium produnt: nempe mentem tam longè à sapientia abesse, quàm absunt oculi, qui dum in centrum deberent intendere, vagantur in circumferentia circuli.

℣.27. VIR ERVDITVS est PRETIOSI SPIRITVS] id est, rari & maturi sermonis, vtpotè qui spiritum suum, tamquam rem valdè pretiosam arctè concludit, cohibet & refrænat, ne in multa verba temerarius erumpat. Vnde alij vertunt, *frigidus spiritu*, qui sedato & quasi refrigerato animo dicit suam sententiam. Feruor enim & ebullitio sanguinis rarò suggerit aliquid boni.

CAPVT XVIII.

Non facilè desectendum à semel stabilita amicitia, charitate, iustitia, alijsq; virtutibus.

℣.4. AQVA PROFVNDA sunt VERBA EX ORE VIRI, nempe prudentis. q. d. Profundas & graues

& graues sententias eructat è pectore quasi copiosa scaturigine & *fonte* inexhausto: vnde & riuus, & TORRENS, & flumen emanat.

℣.8. VERBA BILINGVIS; Hebraicè & Chaldaicè, *susurronis*; QVASI SIMPLICIA, id est, blanda sunt, interim penetrãt VSQVE AD INTERIORA VENTRIS] id est, sauciant & cruciant intimam animam proximi; Chaldæus, *deducẽt illum in profundum inferni.*

℣.10. TVRRIS FORTISSIMA, seu præsidium munitissimum, est NOMEN DOMINI] id est, ipse Dominus cum omni sua potentia, sapientia, alijsque attributis, quæ gloriosè nominamus, celebramus & inuocamus.

℣.16. DONVM HOMINIS, seu munera & sportulæ, DILATANT VIAM EIVS, id est, facilem ei viam & aditum aperiunt, etiam *ad* PRINCIPES & magistratus omne genus. Tropologicè, eleemosyna viam aperit ad Deum.

℣.17. IVSTVS, PRIOR EST ACCVSATOR SVI, id est, seipsum prius reprehendit & emendat: deinde CVM VENIT AMICVS, (Hebraicè, *proximus*) EIVS, INVESTIGABIT EVM] id est, inquiret in mores eius, vt & ipsum in viã reducat. Hebraicè & Chaldaicè, & apud recentiores est, *iustus prior est in lite* seu *iudicio suo*, id est, quamprimum illi lis mouetur, vltrò se iudici & iudicio sistit, vtpotè conscius suæ iustitiæ: sed antequam *amicum* cò pertrahat, diligenter *inuestigabit* pondus & meritum causæ eius.

℣.19. IVDICIA, scilicet forensia; Hebraicè, *iurgia* seu lites inter fratres, sunt QVASI VECTES, repagula & claustra, VRBIVM, quæ reuelli non possunt: id est, sunt dura, aspera, perpetua, irreconciliabilia. Quia quò maior amor fratrum, eò maius & odium.

℣.21. MORS ET VITA, tum corporis, tum animæ: tum loquentium, tum audientium, est IN MANV, id est, potestate, vel arbitrio, LINGVÆ. QVI DILIGVNT EAM, seu bonum illius vsum; LXX. *qui dominantur eius*, eaque rectè vtuntur, COMEDENT FRVCTVS EIVS bonos & suaues.

Nota est in fabulis Æsopi, mensa linguis instructa tamquam optimis ferculis, simul & pessimis. Vide etiam Plutarchum, Senecam & alios.

Plutarch. l. de Auditorũ officio.

CAPVT XIX.

Laus simplicitatis & rectitudinis: mansuetudinis & patientiæ: misericordiæ & correptionis.

℣.1. TORQVENS LABIA] Hebraicè, Græcè, & Chaldaicè, *peruersius labijs*, id est, qui versutis vtitur sermonibus. & opponitur *simplici.*

℣.13. TECTA IVGITER PERSTILLANTIA, quæ domum labefactant, habitationem sordidam & molestam reddunt, & incolas fugant, ita MVLIER rixosa.

℣.14. A DOMINO (*a*) PROPRIE' datur VXOR PRVDENS] id est, cordata, pia, commodis moribus, mariti ingenio obsequens, & quæ familiam rectè administret. Hoc enim singulare Dei donum est, neque hereditate transcribitur, vt opes & dignitates. Vnde sollicita prece expetenda à Deo, quia inde pendet salus familiæ, pax & prosperitas viri, prolium, affinium & cognatorum.

(*a*) *Vide c.16. v.1.*

℣.16. QVI NEGLIGIT VIAM SVAM, seu mores, secundùm prescriptum legis componere, indulgens prauis affectibus & concupiscentijs suis, MORTIFICABITVR] Hebraicè & Chaldaicè; *morietur*; LXX. *peribit*. Sic Paulus Rom. 8. *Si secundùm carnẽ vixeritis, morieni.* Quod de æterna morte certum est. de temporanea etiam punitione frequentissimum.

℣.19. QVI IMPATIENS EST. Loquitur de parente, ex impatientia & nimio furore, filium rebellem deposcente à magistratu ad necem, iuxta legem Deuter. 21. Talis enim etsi non plenè voti compos fiat, tamen vel accusando tantùm, ingens SVSTINEBIT DAMNVM, nempe insignem familiæ suæ infamiam. Quòd si plenè voti compos, etiam RAPVERIT, id est, retulerit, reportarit sententiam mortis, quâ filius extinguatur, iam ALIVD APPONET damnum, vtique omnium maximum & irreparabile, quo detruncat familiam, & spem præcidit posteritatis.

℣.23. TIMOR DOMINI AD VITAM fouendam, ornandam, perpetuandam seruit. q. d. Pius erit longæuus & felix, ET IN PLENITVDINE bonorum omnium COMMORABITVR; Hebraicè & Chaldaicè *saturabitur quiescet*, seu pernoctabit: ABSQVE VISITATIONE PESSIMA; Hebraicè & Chaldaicè, *non visitabitur à malo*, id est, nihil mali ei obueniet.

℣.24. ABSCONDIT PIGER MANVM SVAM SVB ASCELLA, NEC AD OS SVVM APPLICAT] Est hyperbole. q.d. Tanta ignauia est hominis pigri, vt etiam præclarissimas occasiones (quibus pulchrè rebus suis consulere posset) turpiter negligat: perinde ac si quis lautâ mensâ sibi propositâ, fame perire mallet, quàm manu cibum ad os admouere. Tropologicè, Beda, desidiosus concionator non vult operari quod dicit: manum quippe ad os porrigere, est voci opera conformare.

℣.28. OS IMPIORVM DEVORAT INIQVITATEM patentibus buccis vt helluo, id est, auidissimè, largissimè, plenissimè sese infarcit sceleribus. Quod Eliphaz Iobo simili phrasi dicebat, *Bibit quasi aquam iniquitatem.* *Iob 15. v. 16.*

℣.29. MALLEI PERCVTIENTES; Hebræus, *percussiones* seu plagæ; Chaldæus, *verbera*; LXX. *supplicia.* tum hîc, tum in futuro PARATA SVNT à Deo CORPORIBVS, sed & animis STVLTORVM, id est, impiorum. q.d. Non impunè insanient.

CAPVT XX.

De cauenda ebrietate, offensione magistratuum, contentione, otio.

℣.1. VINVM, seu vini immoderatus vsus, est LVXVRIOSA RES] LXX. ἀσέλγεια, id est, res incoercita, effrænis, intemperans, &, vt legit S. Ambrosius, prodiga, nempe verborum, sannarum, litium, ciborum, vestium, opum, Veneris. S. Paulus ἀσωτίαν vocat, *Nolite inebriari vino in quo est ἀσωτία, luxuria*, seu omne genus luxus. Sic Hebræum *lez*, quod Chaldæus, *derisorem* vertit; LXX. & Nolter, *rem luxuriosam*; significat quoduis genus delicti, vt Bañez rectè notauit. *Ambros. l. 2. Officior. c. 21. Ephes. 5. v. 18.*

℣.5. SICVT AQVA PROFVNDA, SIC CONSILIVM tegitur in CORDE VIRI cuiuscumque, sed maximè, callidi & astuti, quod subinde videtur imperscrutabile: sed SAPIENS & sagax solerti coniectura ex varijs indicijs EXHAVRIET ILLVD] id est, eliciet, assequetur, intelliget.

℣.6. VIRVM FIDELEM] id est, veracem: vel fidelem per omnia tum Deo, tum proximo. Plures enim reperire est, qui naturali misericordia commoti dent eleemosynas, etiam liberales, quàm qui neminem fallant seu re, seu verbo.

℣.11. EX STVDIIS SVIS, id est, ex ijs quibus maximè studet & incumbit PVER in tenella ætate, facilè INTELLIGITVR, seu dignoscitur, quali sit in-

sit indole, & qualia sint futura OPERA EIVS in prouectiore ætate.

℣.12. OCVLVM VIDENTEM, maximè in magistratu, dum prospicit quid sit ex vsu reipublicæ. ET AVREM AVDIENTEM, maximè quâ subditi rectè parent & obediũt superioribus: & in genere, sensus omnes corporis humani FECIT DOMINVS] Illi ergo omnia accepta ferre, illi gratias agere, & ad illius honorem omnibus vti debemus.

℣.13. APERI oculos, id est, euigila è somno, desine otiosus esse vel iners, strenuè labora. est enim metalepsis. ET SATVRARE PANIBVS] pro saturaberis: Hebræi enim sæpiùs imperatiuo pro futuro indicatiui vti solent. v.g. *Accedite ad eum, & illuminamini*, id est, illuminabimini. *Psal.33.v.6.*

℣.15. EST AVRVM, supple, pretiosum apud homines: sed omni auro & gemmis pretiosius VAS, seu instrumentum, sunt LABIA SCIENTIÆ, seu hominis sapientis.

℣.17. SVAVIS EST PANIS MENDACII, id est, mendacijs & fraudibus partus. Metonimicè voluptas, imò omne vitium, quia initio suaue est, sed postea pernicios issimum: atque ita mentitur suauitatem. Vnde, IMPLEBITVR OS comedẽtis CALCVLO] Hebraicè, *chaʒaz*, id est, lapillis arenæ permixtis, quos ad vexandum vel torquendum alios solebant immiscere farinæ vel panibus. Vnde Seneca panes lapidosos vocat. Eádem voce eodem sensu vtitur Ieremias Thren 3. v.16. *Et fregit ad numerum dentes meos.* Vult ergo Sapiens *sperni voluptates*, vel propter sola incommoda inde subnascentia: *Noces* enim *empta dolore voluptas*. חצץ *Seneca l.1. de Benefic. c.7.*

℣.18. GVBERNACVLIS; Hebraicè, *consilijs*, & quidem multorum ac bene peritorum, suscipienda & gerenda SVNT BELLA] Neque enim impunè istic peccatur, nec *nisi semel*, vt ille aiebat.

℣.19. NE COMMISCEARIS, seu familiaris sis, EI QVI REVELAT MYSTERIA, id est, secreta, ET DILATAT LABIA SVA] id est, qui loquax & garrulus est; Hebraicè, *qui blanditur amplis verbis*.

℣.20. LVCERNA EIVS] id est, felicitas, gloria, splendor. Vel, si mauis, filij eius: nam per hos clarescunt mortui parentes. Sic 3.Reg.11.v.36. dicitur relinquenda *lucerna Dauid*, &c.

EXSTINGVETVR IN TENEBRIS ignominiæ, vindictæ, afflictionis.

℣.21. HEREDITAS, AD QVAM FESTINATVR IN PRINCIPIO præpropera aditione vel susceptione, non sat excussis oneribus, IN NOVISSIMO BENEDICTIONE CAREBIT] id est, non diu prosperum cursum tenebit.

℣.24. QVIS HOMINVM, sine auxilio Dei, POTEST INTELLIGERE VIAM SVAM?] id est, quò eundum, quid sibi quauis occasione agendum. q.d. Id à Deo expetendum. Simile erat c.16.v.1. & rursum c.21.v.vlt.

℣.25. RVINA EST HOMINI DEVORARE SANCTOS; Hebraicè, *corrumpere sanctitatem*, id est, res sanctas & sacratas Deo, spoliando bonis vel loca sacra, vel personas sanctas seu iustas. Beda legit *denotare*, seu deuouere, & fauent ei lectioni LXX. & Chaldæus. Sed ex Hebræo patet legendum, *deuorare*, vide Franc. Lucam. Item ruina est homini, POST VOTA, seu postquam aliquid Deo deuotum seu dedicatũ est à te, vel ab alio, idipsum RETRACTARE] Hebraicè, *ad quærẽdum*, supple, effugium, vel subtractionem intendere. Idem enim ferè dicit, sed clariùs, quod priore hemistichio. *Franc. Luc. notat. 185. in Biblia.*

℣.26. REX SAPIENS SVPER IMPIOS INCVRVAT FORNICEM] id est, ita obruit illos, delet & sepelit, ac si deturbato in subiectos fornice cubiculi, totos ruinis inuolueret. Hebraicè, Græcè & Chaldaicè, *inducit super eos rotam*. Quod supplicij genus fuit Hebræis olim & Syris vsitatum; quo Dauid animaduertit in Ammonitas 2.Reg.12.v. vlt. & 1.Paralip.20.v.3. vt ibid. dixi.

℣.27. SPIRACVLVM (Hebraicè, *mens*; Græcè, *spiritus*, putà tam *naturalis*, nempe anima cum suis potentijs; quàm *supernaturalis*, nempe gratia cum annexis virtutibus) HOMINIS est LVCERNA DOMINI, quasi accensa & deriuata à lumine diuino, quâ prælucente fit vt homo INVESTIGET, scrutetur, penetret, cognoscat & dirigat SECRETA VENTRIS] id est, etiam intima quæque cordis & mentis suæ, inquit S. Gregorius. Sed hæc lucerna minimo etiam flatu extingui potest à Deo. Vide quæ hac occasione de Prometheo fabulantur Poëtæ, Iob 28.vers.18. *Greg. 3.p. Pastor.c.13.*

℣.30. LIVOR VVLNERIS, id est, plagæ & verbera, maximè IN SECRETIORIBVS VENTRIS, id est, quæ penetrẽt intima cordis, ABSTERGET tum in pijs, tum in impijs MALA] Hebraicè, *absterso* & medicina est *mali*, seu scelerum ipsorum. q.d. Dolor est medicina doloris, non minùs in anima, quàm in corpore.

CAPVT XXI.

Obsequendum Deo in omnibus: misericordia & iustitiæ, cæteris{que} virtutibus incumbendum.

℣.1. SICVT DIVISIONES; Hebraicè & Chaldaicè, *rius*; LXX. *impetus* AQVARVM, seu torrentes, sunt IN MANV DOMINI, qui eos deducit quò lubet, & sæpè nulla vis humana eos impedire aut coërcere potest: ITA & COR REGIS, quantumcumque potentis, effrænis & superbi, est tamen integrè in potestate Dei, qui illud INCLINAT, non cogẽdo violentè (vt somniat Lutherus, Caluinus & alij hostes liberi arbitrij) sed suauiter inuitando, flectendo, deducendo *quo vult*. nempè interiùs obijciendo, quæ nouit ingenijs illorum cõgruere, vt liberè se flectant quò desiderat Deus. Ita flexit cor Cyri, Darij, Artaxerxis, Assueri regum Persarum vt fauerent Iudæis.

℣.3. FACERE MISERICORDIAM; Hebraicè, Græcè, Chaldaicè, *iustitiam*; ET IVDICIVM, id est, virtutibus studere, iuxta dicta c.3.v.3. MAGIS PLACET DOMINO, QVAM VICTIMÆ, seu sacrificia sine studio virtutum.

℣.4. EXALTATIO OCVLORVM, seu altum supercilij, EST DILATATIO; Chaldæus, *tumor*, CORDIS, seu signum superbiæ; LXX. cordis *audacis* & thrasonici. Et LVCERNA, id est, gloria, splendor, IMPIORVM est PECCATVM, id est, in solis sceleribus suis gloriantur.

℣.5. COGITATIONES, & machinationes, ROBVSTI; Hebraicè, *diligentis & sedulí* viri, SEMPER IN ABVNDANTIA ipsum cõstituunt. PIGER AVTEM; Chaldæus & LXX. *festinans*, SEMPER IN EGESTATE EST] Dum enim detrectat piger laborando paulatim ditescere, sed solis inhiat occasionibus celeriter, & simul ex aliorum seu liberalitate, seu infortunio, vel malis artibus (vt mox sequitur) ditescendi; fallentibus illis, vt ferè fit, perpetuò manet in sua miseria.

℣.9. IN ANGVLO DOMATIS; Hebraicè & Chaldaicè, *tecti* sed *non tecto*, vt habent LXX. nempe more Palæstinorũ, & omnium Orientaliũ, qui tectis ferè planis *4.Reg.1.v. 2.*

planis vtebantur. id est, præstat degere sub dio, vbi A tempestatibus & iniurijs aëris exponaris; QVAM CVM MVLIERE rixosa, IN DOMO COMMVNI pluribus, id est, ampla & commoda. Tropologicè, Beda, *angulus domatis* est vita religiosa & cælestis: *mulier litigiosa* est vita sæcularis multis curis implicita.

℣.14. MVNVS ABSCONDITVM; Chaldaicè, *in abscondito*. ET IN SINV, id est, occultè donatum, non conscijs alijs.

℣.16. IN COETV GIGANTVM COMMORABITVR] id est, punietur, vt olim gigantes tempore diluuij: non in hoc solùm mundo, sed & in inferno. Vide suprà c.9.vlt. & Iob 26.v.5.

℣.18. PRO IVSTO DATVR IMPIVS] supple, noxæ, seu ad supplicium & pœnam, Hebraicè; *redemptio pro iusto est impius*; Chaldæus, *in commutatione iusti*; LXX. *purgatio iusti*. q.d. Puniuntur impij in reip. & iustorum quiin rep. sunt expiationem ab ira & vindicta Dei. Exempla habes in Saule eiusque filijs, 1.Reg.21. in Aman, Esther vlt. vers.18. in hostibus Danielis, c.6. & 14.

℣.20. THESAVRVS DESIDERABILIS, seu quantum desiderat: ET OLEVM, id est, pinguia quæque & fragrantia, sunt INHABITACVLO IVSTI, id est, abundat rebus omnibus, non modò necessarijs, sed & delicijosis. Sed IMPRVDENS, seu impius, etiam amplas facultates suis helluationibus, litigationibus vel aleis, DISSIPABIT.

℣.22. CIVITATEM FORTIVM; LXX. *ciuitates munitas*, sapiens nō tam viribus, quàm astu ASCENDIT, & ascendendo expugnat, ET *destruit* ROBVR FIDVCIÆ EIVS] id est, munitiones & militaria præsidia in quibus confidebat. Sic Christus non potentiâ, sed sapientiâ; non armis, sed cruce confregit vires diaboli, inquit Beda.

℣.24. SVPERBVS VOCATVR INDOCTVS] Hebraicè, *stultus* vel *irrisor*. Vide dicta c.20.v.1. Græcè est *pestis*.

℣.25. DESIDERIA OCCIDVNT PIGRVM] id est, valdè torquent, cruciant & conficiunt. Cùm nempe perpetuò inhiat opibus & delicijs, sed otio & desidiâ torpens moritur priùs quàm eas assequatur: interim videt strenuos & sedulos omnibus abundare, & de suo etiam alijs liberaliter & indesinenter tribuere. D

℣.28. VIR OBEDIENS; Hebraicè, audiens, seu pro testimonio ea tantùm dicens quæ audiuit vel vidit, LOQVETVR VICTORIAM] id est, vincet; Hebraicè, *in perpetuum loquetur*, id est, perpetuò viuet, quomodo ad Hebr.11.v.4. dicitur *Abel defunctus adhuc loqui*. nempe celebri sui memoria & exemplo, in hoc sæculo: in futuro autem nobili palma & trophæo suæ integritatis, prudentiæ & obedientiæ. Et sic respondet antithesis prioris hemistichij. SS. Patres eleganter hîc excurrunt in laudem *obedientiæ*, quòd illa obtineatur plena *victoria*. Primò de *peccato* (a) *& morte*; Secundò, de *diabolo*. *Ceteris virtutibus*, inquit S. Gregorius, *damones impugnamus, sed per obedientiam vincimus, dum voluntatem* nostram *alijs perfectè subijcimus*. Tertiò, de *mundo*, *carne* & *nobis ipsis*, quæ vt difficillima, ita nobilissima est victoria; Quartò, de *inferno*, de *cælo* & de *elementis*, vt patuit in *Iosue*, (b) *Ezechia*, (c) *Christo* (d) Domino & alijs; Quintò, de ipsomet *Deo*: exemplo *Iacobi*, qui in via obedientiæ, cum Deo, vel angelo Dei vicario luctans, nomē (e) accepit Israel, id est, dominantis Deo: exemplo item *Abrahæ*, (f) *Moysis* (g) & tot aliorum. E

a Isaiæ 53.v. 10. & 1.Cor. 15.v.55. & ad Hebr.10. v.7. 8. 9. Gregor. in 1.Reg 10.
b Iosue 19. v.8 12.13.
c 4.Reg.20. v.3.7.10.11.
d Matth.21. v.21. & ad Philipp. 2. v.8. & 9.
e Genes. 32. v.28.
f Genes.18. v.14.
g Exodi 32. v.9.10.11.

CAPVT XXII.

De cura boni nominis, munditia cordis, diligentia, misericordia & fiducia in Deum.

℣.1. GRATIA BONA] Id est, gratiositas, vel fauor & beneuolentia populi: nempe quæ vera pietate & alijs virtutibus comparatur.

℣.2. DIVES ET PAVPER OBVIAVERVNT SIBI] Id est, passim obuiant sibi & occurrunt dispares opibus, sed pares creatione & naturâ. Vnde nec diuiti superbiendum, nec pauperi mœrendum. Quia *paupertas* non minùs est donum Dei, ad materiam laboris, & meritum patientiæ: quàm *diuitiæ*, ad exercitium caritatis & eleëmosynæ. Et speciali prouidentia Dei sic constitutum est, vt mutuis auxilijs & officijs vita humana foueatur: nam si omnes essent diuites, nemo laborare vellet: si omnes pauperes, nemo se vel alios alere possent.

℣.3. CALLIDVS] Id est, cautus, astutus, prudens, opponitur *innocenti*; Hebraicè, stulto, imperito, ignauo.

℣.4. FINIS MODESTIÆ, id est, fructus & *merces mansuetudinis*, vt est in Chaldæo; seu humilitatis, consistit partim in internis, nempe TIMOR DOMINI, in quo est vera sapientia: partim externis, nempe *opes, gloria & vita* felix.

℣.6. PROVERBIVM vetus & verum EST: ADOLESCENS IVXTA VIAM SVAM] id est, de ijs quæ agere debet, instructus. In Hebræo enim, Græco & Chaldæo (omisso, *Prouerbium est*) habetur, *imbue puerum*, vel *instilla puero doctrinam*, nempe ætati eius conuenientem, ita vt capere possit; retinebit illam etiam cùm senuerit C

Quo enim *semel est imbuta recens seruabit odorem*
Testa diu.

Vim facit in verbo *instilla*, nempe sensim, & pro captu ætatis. Nam vt rectè Quintilianus, *superfusam humoris copiam angusti oris vasa respuunt*. Quint.l.1. 6.2.

℣.8. VIRGA, seu flagello, IRÆ SVÆ, id est, baculo furoris, sæuitiæ vel iniustitiæ suæ, quo voluit iratus punire & perdere proximum suum, ipsemet CONSVMMABITVR] id est punietur, diuerberabitur, & perdetur ad consummationem vsque. LXX. hîc addunt: *Hilarem datorem diligit Deus*. Quod hinc desumpsit Apostolus 2.Corint.9.

℣.9. QVI DAT MVNERA, ANIMAM AVFERT ACCIPIENTIVM] id est, accipientes sibi deuincit; sibi reddit obnoxios, etiam sæpe, prô dolor, contrà æquum & iustum: Neque hic versus est in Hebræo, Chaldæo, Gothico, vel Regijs.

℣.12. OCVLI DOMINI CVSTODIVNT SCIENTIAM; LXX. *sensum*, id est, Deus singulari prouidentiâ & fauore prosequitur, benedicit & prospe- rat prudentia consilia & molimina sapientum seu piorum. Sed INIQVI VERBA, id est, negotia, SVPPLANTANTVR] id est, subuertuntur, & successu frustrantur.

℣.14. OS ALIENÆ, id est, blandimenta meretricis, seu adulteræ, sunt instar *foueæ profundæ*. CVI IRATVS EST DOMINVS ob alia peccata, INCIDET IN EAM foueam. Sæpè enim peccatum sequens, pœna est peccati præcedentis, vt docent SS. Augustinus, Gregorius & alij Patres. *August. in psal 57. Greg l.26. Moral.c.12.*

℣.18. DOCTRINA PVLCHRA ERIT TIBI; Hebraicè, *suauis*; Chaldaicè, *iucunda*; IN VENTRE TVO] id est in mente, in *corde*, vt LXX. Quia mens quasi venter est animæ præsidens omnibus potentijs & pabulum singulis dispertiens.

℣.20. DESCRIPSI EAM TRIPLICITER, id est, multipliciter,

tipliciter, variis modis: tria enim sunt omnia. Et ternarius non minùs quàm septenarius symbolum est vniuersitatis, vt alibi (a) dixi. *Descripsi*, inquam, IN COGITATIONIBVS, id est, cum præmeditata cogitatione, & accurato studio, ET SCIENTIA] quam longa experientia multam & certam habeo.

a Iob 5. v. 19.

℣. 27. QVID CAVSÆ EST?] seu quid opus, cui bono, quòd te in periculum conijcias oppressionis à creditore?

℣. 28. NE TRANSGREDIARIS TERMINOS ANTIQVOS] transferendo limites agrorum vel possessionum, & sic inuadendo bona vicinorum. Allegoricè, Vincentius Lirinensis. Ne deseras fidem antiquam SS. Patrum.

Vinc. Lirin. l. cont. hæres.

CAPVT XXIII.

Inter epulas inuigilandum linguæ: vitanda inuidorum consortia: non inhiandum nimys epibus, neque oluenis: cauenda crapula & luxuria.

℣. 1. ATTENDE QVÆ APPOSITA SVNT, delicata fercula & vina, nempe nete seducant & in crapulam impellant, vnde per imprudentiam dicas aliquid vel facias, quod tibi vel alijs periculum creet. Vinum enim manifestat quæcumque in corde sunt, 3. Esdræ 3. v. 10. & 18. Quare SI HABES IN POTESTATE ANIMAM TVAM; Chaldæus, *si dominus fueris animæ tuæ*, id est, si tui es compos, si sapis; STATVE CVLTRVM IN GVTTVRE TVO, id est, refræna linguam, restringe gulam tuam, quasi cultro gutturi appositio, quo iugulaberis ni caueris. q.d. Cautissimè age & loquere, præsès alioqui periculum incursurus. Memento gladij Dionysij Siculi tyranni, supra caput accumbentis Philosophi filo byssino suspensi. Tropologicè, Beda, Iansenius & Bañez hæc exponunt de mensa S. Scripturæ, & Ven. Eucharistiæ.

℣. 3. PANIS MENDACII, seu mendax & fallax, sunt lauti cibi, & generosa vina, quia blandiuntur appetitui, & prima specie oblectant; sed mox mordent vt coluber, & te lædunt, & cordis tui intima produnt. Vide infrà v. 27. & seqq.

℣. 4. PRVDENTIÆ TVÆ, id est, prouidentiæ, sagacitati & industriæ ad opes de nouo parandas, PONE MODVM & terminum.

℣. 5. VOLABVNT IN CÆLVM] quò nempe tu pertingere non potes, id est, fugient à te opes, nec eas assequi poteris, non magis quàm aquilas altissimè deuolantes. Beda hos duos versus exponit de immodico scientiæ desiderio, v. g. scrutatione diuinitatis.

℣. 7. ÆSTIMAT de te, QVOD IGNORAT, imò quod non est. q.d., Malè de te iudicabit, tum in animo suo, tum apud alios, nempe, te esse sibi similem, gulosum, fictum, auarum, inuidum: vnde & fictis blanditijs te excipiet.

℣. 8. CIBOS EVOMES, vtique noxios tibi & insalubres. q.d Dolebis te degustasse de cibis eius, tam inuida hypocrisi conditis. ET PERDES, id est, incassum profudisse te senties tam PVLCHROS SERMONES, & iucunda colloquia.

℣. 11. PROPINQVVS pupillorum; Hebraicè, Græcè & Chaldaicè, *redemptor*, seu vindex, nempe Deus, FORTIS EST] q.d. Etsi pupillus sit debilis, fortem tamen habet propinquum qui illum defendat. Alludit ad Num. 35. & 36. vbi ius redemptionis agri à propinquo venditi, item ius vindictæ occisi conceditur propinquo.

℣. 21. DORMITATIÓ, id est, dormitans, desesperans, *omnis somnolentus*, vt habent LXX. VESTIETVR PANNIS] Hebraicè, Græcè, Chaldaicè, ruptis & laceris veltibus. Qui enim crapulæ indulgent, tandè absumptis nummis, laceri & pannosi oberrant.

℣. 23. VERITATEM. id est, veros, solidos, permanentes thesauros, EME. id est, compara tibi, ET NOLI VENDERE, seu à te rursus alienare. Qui verò. isti thesauri; *sapientia, doctrina, (b) intelligentia.*

b Prouerb. 1. v. 1.

℣. 34. AMISSO CLAVO] nempe vsu rationis, quæ in homine clauus est, & perditur per ebrietatem.

CAPVT XXIV.

Consortia mala vitanda: sapientiæ studendum: oppressi iuuandi: iustè iudicandum: malum malo non reddendum, nec otio indulgendum.

℣. 10. SI DESPERAVERIS LASSVS] Hebraicè, Chaldaicè, cum Vatablo, *remissus*, negligens, vecors: id est, si in aliqua difficultate vel calamitate lassescat animus mole malorum deiectus, vel desperatione consternatus, putans te eluctari non posse, hoc ipso *minuetur* robur tuum, & redderis impotentior ad eluctandum. Vbi si magno & constanti animo contra nitereris, robur succresceret tum animi, tum corporis; & omnibus desperatis, numquam de diuina ope desperandum, inquit S. Chrysost. Et fidem faciunt Dauid obsessus in spelunca, Manasses in carcere Babylonico, Susanna in articulo mortis, Daniel in lacu leonum, & tot alij peregrini eucntus.

Chrysost. serm. contra desperationem.

℣. 13. COMEDE MEL, QVIA BONVM] q.d. Sicut libenter comedis mel, quia & bonum est, seu utile valetudini, & *dulce* gratumq; palato; multò libentiùs haurire debes sapientiam, in quam eadem duo hæc bona, nempe salubris vtilitas, & iucundâ dulcedo, longè præstantiori modo concurrunt. Atque in hoc etiam præcellit, quòd mel, licèt primò suaue sapiat ac dulce, si tamen plusculum sumpseris, in acorem & amaritudinem vertetur, vt dicitur c. seq. v. 16. & 27. At sapientia *in nouissimis* suauior est, *spem* alens & augens æternæ mercedis & gloriæ. Vnde LXX. *erit bonus obitus tuus*; & Chaldæus, *primis venient nouissima meliora*. Vt solent in conuiuijs fercula posteriora & reportia.

℣. 15. NE VASTES REQVIEM IVSTI, quâ gaudet pacatissimâ conscientiâ, & innocenti vita. *Ne vastes*, inquam, *insidiando* illi, & insidiosè mores illius obseruando, & INIQVITATEM IN DOMO eius *quærendo*, qua bonam ipsius famam denigrare possis.

℣. 16. SEPTIES, id est, sæpiùs, (c) in die CADIT IVSTVS] Quid ergo reprehendere vis in vno, quod scis commune esse omnibus; Et vt deprehendas, in aliquo iustum deliquisse, imò & in multis, scias Primò, non persistere eum in malo, sed statim resipiscere, pœnitere *& resurgere*, ita S. Augustinus, S. Gregorius & Chrysostomus, qui addit, *Peccatum, si quando ad animam* iusti *diuertit, hospes est, non incola*. Vnde & citiùs abscedit, quàm vt à quopiam quantumuis curioso possit domi illius reperiri. Scias Secundò, lapsus illos iusti non esse lethales, sed leues & veniales. ita Beda & alij, qui hinc contra Iouinianum, Pelagium, Wiclephum, Lutherum & Caluinum, probant distinctionem peccati venialis à mortali, quòd illud cum *iustitia* consistat, istud non cõsistat. Longè aliter res habet in lapsibus impiorum, qui *corruunt in malum*, id est, sic prolabuntur, vt salutẽ ampliùs non recuperent: nam *per consuetudinem peccandi ipsi sese suis mes ruinis sepelunt*, inquit S. Augustinus.

c Iob 5. v. 19.

August. ser. 58. de Tempore. Greg. l. 8. in 1. Reg. 15. Chrysost. hom. 11. in epist. 1. ad Corinth.

Aug. supra.

℣. 22.

℣.22. RVINAM VTRIVSQVE] nempe actiuam, id est, punitionem, quâ & *Deus* & rex vicarius Dei *ruere* facit *detractores*; Hebraicè, *aliter agentes*; vel *mutantes hunc ordinem*, vt vertit Caietanus; vel *rerum nouarũ studiosos*, vt Vatablus. Nisi malis cum Beda, Hugone, Dionysio & Lirano, nomine *vtriusque* intelligere *detrahentem*, vel obmurmurantem seu Deo, seu regi, & eum qui acquiescit vel sociatur detrahenti. Tum enim *ruina* passiuè exponenda est.

℣.26. LABIA DEOSCVLABITVR, id est, ad osculum labiorum ab omnibus admittetur iudex vel magistratus, QVI RECTA VERBA RESPONDET] seu in pronuntianda sententia, seu in consilijs vel alijs responsis dandis. Quis enim non impensè cupiat dissuauiari ea labra, quæ nullis muneribus, minis, gratiâ flecti se sinunt, quo minùs iustam sententiam decernat vel suadeant? ita Beda, Hugo, Liranus, Iansenius, Rodolphus, Arboreus. Porrò osculum labiorum non *amicitiæ* modò symbolum esse, sed & *honoris* & *obedientiæ*, seu subiectionis, fusè docent Alexander ab Alexandro, Petrus Gregorius, Cælius, Spiegerus, Pineda & Salazar.

Alex. l.2. Genial.c.19. Pet.Greg.in Syntagmat. Iuris l.6. c. 15.l.8.c.8.l. 36.c.12. C.lius l.4. cap 3. Spieger. in Lexico Iuris. Pineda in Iob 31.v.27. Salazar hic.

℣.27. PRÆPARA, seu priùs para, FORIS; Hebraicè, in vico, OPVS] id est, negotiationem *tuam*. q.d. Priusquam ad fabricam nouæ domus animum adijcias, compara tibi sufficientes diuitias, idque vel negotiando in vicis & vrbibus, vel agricuturam ruri exercendo. nam ædificia sumptus ingentes poscunt. Potest etiam cum Iansenio & Salazar, aptari *ædificationi familiæ*. q.d. Postquam his artibus opes non mediocres collegeris, tunc ducere poteris vxorem, liberos procreare, familiam instruere, ad quam alendam vix maximæ copiæ sufficiunt.

℣.28. NE SIS TESTIS FRVSTRA; Hebraicè, *gratis*; Vatablus, *temerè*; Chaldæus, *accusator*. q.d. Ne præter meritum *proximi*, ne sine vrgente causa, socium vel amicum tuum, obiecto temerè crimine vel cõtumelia, seu apud iudicem, seu apud conciues traducas & accuses. NEC ecõtra LACTES QVEMQVAM, seu adulteris cuipiam, LABIIS TVIS; & mulus mulum scabas, vt sequitur.

℣.32. QVOD CVM VIDISSEM, nempe pessimos socordiæ, otij & voluptatum sensualium fructus, POSVI IN CORDE MEO, id est, animo diligenter expendi & appendi, ET EXEMPLO DIDICI DISCIPLINAM] id est, tam infelix exemplum deriuaui ad mores meos componendos. LXX. vertunt, *postea ego pœnitentiam egi, aspexi ad eligendam disciplinam*; q.d. Dum viderem, animum meum, ad instar agri siluescentis, innumeris vitijs horrescere, cepit me pœnitudo vitæ anteactæ, ac planè resipiscens ad bonam frugem me recepi. Ex quibus S. Hieronymus colligit, Salomonem post senectutis suæ peccata pœnitentiam egisse. De quo vide Pinedam, Delrium & alios.

Hieron. in cap. 43. Ezech. Pineda in Salomone præuio. Delrio præfat. in Cantic.

CAPVT XXV.

In quo sita gloria Dei & regum. Pietas sectanda, & humilitas, & alia virtutes, quæ varijs metaphoris adumbrantur.

℣.1. TRANSTVLERVNT] LXX. & Chaldæus, *descripserunt*, nempe ex varijs schedis seu libris, quibus olim tria (*a*) millia parabolarum Salomonis continebantur, inquit Caietanus: vel, vt Salazar, ex calce libri huius huc transtulerunt, vt dicam initio c.30.

(*a*) 3. Reg. 4.

℣.2. GLORIA DEI EST CELARE VERBVM, id est, gloriosum Deo est, si quæ per suos Prophetas A enuntiat mysteria, vel documenta, obscurioribus allegorijs aut ænigmatibus inuoluat: vt nempe sit in sequentium capitum parabolis, inquit Hugo & Salazar. Item, spectat ad gloriam Dei, sic sua intimare mysteria & præcepta, vt tamen rationes subinde occultẽtur. Decet enim, non modò voluntates, sed & mentes ac iudicia hominum Deo prorsus substerni & ad nutum obsequi. Sed GLORIA REGVM, vicariorum Dei, est INVESTIGARE SERMONEM eiusmodi Dei, id est, retegere & euoluere quæ Deus sic occultauit, eorumque arcanos sensus in lucem proferre: sed præ omnibus, actutum eisdem obsequi, suoque exemplo alios ad obsequendum pertrahere. Vnde LXX. vertunt, *gloria regum honorat præcepta*, vel *res eius*, scilicet Dei. B

℣.3. CÆLVM SVRSVM, ET TERRA DEORSVM, id est, sicut, nemo potest certò metiri altitudinem virtutesque cælorum, aut rimari profunditatem & abscondita terræ: sic decet etiam REGVM COR, id est, consilia & rationes secretas esse, quæ à nemine *perscrutari*, id est, indagari vel deprehendi possint. alioquin irritæ cadent, & à maleuolis euertentur.

℣.11. MALA AVREA, v.g. cydonia, IN LECTIS ARGENTEIS, non tam incumbentium, quàm mensæ accumbentium: Hebraicè, *in calaturis*; LXX. *in monili sardij*; Chaldæus, *in imaginibus*; Pagninus, *in picturis*. quia eiusmodi lectuli seu thori cælati erant, & monilibus ac picturis ornati, de quibus C vide Fuluium Vrsinum. De ijsdem mentio fit Esther 1. *Lectuli quoque aurei & argentei super pauimentum smaragdino & pario stratum lapide*. Porrò solebant in eiusmodi lectulos, dum conuiuæ ijs insiderent, flores omne genus inspergere, & inter flores etiam mala, præsertim cydonia, melina, citria: tum ad oculos oblectandos, tum ad caput odoribus istis aduersus ebrietatem roborandum. Vnde illa, *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo* seu inebrior. Et ille apud Athenæum: *Multa mala cydonia mittebant in thorum regi, multaq; myrtifolia, rosarumq; ac violarum elegantes orbes.*

Fulu. Vrs. in Triclinio Romano.

Cant. 2.

Stesichorus apud Athenæum l.3.

VERBVM *dictum* IN TEMPORE SVO] id est, congruens loco, tempori, personis præsentibus: Chaldæus & Vatablus, *dictũ opportunè*; Hebraicè, *in vel* cum *rotis suis*; Pagninus, *cum modis suis*, nempe concinnè adaptatũ omnibus circumstantijs, sicut rota aptata orbitæ suæ. Salazar per *rotas*, quæ tormenti genus erant, vt dixi c.20.v.26. intelligit obscuriores parabolas & gryphos conuiuales, seu ænigmata, teste Platone, Plutarcho, Athenæo, inter epulas mensis inspergi solita, vt ebrietati & crapulæ obuiaretur. Hæc enim perurgebant, & instar rotæ torquebant & cruciabant conuiuarum ingenia, simul & sobrios cõseruabant, ne mens ad disceptandum & ænigma soluendum, & præmium quod E soluenti proponebatur auferendum, nimio vino vel cibo minùs idonea redderetur.

℣.16. MEL INVENISTI, id est, gratiam apud amicum, inquit Beda, Strabo, Caietanus, qui illud cum proximo versu connectunt: vel laudes humanas, vt S. Bernardus, alij diuitias & fortunas: Origenes, Clemens, Gregorius, & rursum Beda, rerum diuinarum contemplationem & fruitionem intelligunt, conformiter vers. 27. infrà. Sed potest *mellis* nomine omnis omnino voluptas & deliciæ, & quidquid dulcedine sua appetitum inuitat, commodè intelligi. De omnibus enim hîc generaliter monemur, COMEDE QVOD SVFFICIT TIBI, id est, tantumdem ex his carpe, quantum ad honesta solatia

Bernard. in serm. quodam exparuulis. Origen. in Isaiam homil.2. Clem. l.1. Pædag.c.11. Greg l.15. Mor.c.3.

latia huius vitæ satis esse videatur: NE FORTE plus æquo SATIATVS EVOMAS ILLVD] Sicut enim mel, teste Galeno, ventriculum calore suo distendit, inflat, & flatus creat, &, si pluseulum sumatur, in bilem & amaritudinem transit: sic & deliciæ omnes immoderatæ animum inflant, & in mœrorem conuertuntur, inquit S. Chrysostomus.

Chrysost. homil. 2. in Marcum.

℣.20. ACETVM IN NITRO, id est, cum alumine, seu cum sale permixtum (nam salis ac nitri, quod & *sal petræ* vocatur, vicina valdè natura est, & proprietates consimiles,) si in aures instilletur, licèt acrimonia sua mordeat, tamen earumdem sordes & purulentiam expurgat, tinnitus sonituſque sanat, vt ex Galeno, Dioscoride & alijs docet Franc. Valesius: &, teste Plinio, etiam vitiligines sanat, (quæ maculæ sunt per totum corpus respersæ, deformes admodum & turpes:) serpentum morsibus, & vlceribus medetur: ictericos curat: lassitudines membrorum depellit. Sic QVI CANTAT CARMINA CORDI PESSIMO] Id est, sic vir prudens verbis suis industriè & artificiosè compositis medetur cordi quantumcumque malè affecto, & pessimè constituto: verbis consolatorijs occurrit afflicto; lætis, tristi; acribus & austeris, prauo & ad scelera propenso: dubium confirmat, anhelum roborat, inuerecundum corripit, obstinatum emollit.

Fran. Vales. de S. Philos. cap. 60. Plin. l. 31. c. 10.

℣.24. De *angulo domatis*, &c. dixi cap. 21. v. 9. Denique.

℣.26. FONS TVRBATVS PEDE, iam cœno commoto non amplius est pro speculo intuentibus, nec emittit claras & salubres aquas: ET VENA CORRVPTA, id est, aquæ ductus hinc inde seu infectus, seu confractus, non transmittit aquam ad os fontis, vel non nisi aquam corruptam: sic IVSTVS CADENS CORAM IMPIO in aliquod delictum, seu peccatum, non iam amplius prodest, sed potius obest corrupto & prauo exemplo suo. Quod maximè locum habet in principibus & iudicibus, quando publicè cõtingit *cadere coram impio*; Hebraicè, *inclinare se ad facies impij*, id est, in gratiam eius à iure & iustitia deflectere. ita ferè Liranus. Sed Rodolphus, Iansenius & alij id exponunt de casu iusti in miseriam, in quam ab impijs præcipitatur: & pro exemplo proferunt Ioannem Baptistam pede saltatricis exturbatum, non alium ob finem, quàm vt *vena* illa *vitæ, os iusti*, & aurea libertas tum ad pœnitentiam omnes vocandi, tum regem ob sua scelera corripiendi, gladio dissecaretur, & de medio tolleretur.

CAPVT XXVI.

Ne stultum exaltes; ne cures calumniam, ne cum stulto stulteſcas, ne pigritiæ indulgeas, ne inepto conferas honores, ne tibi sapias, ne sis bilinguis, ne adulatoribus auscultes.

℣. 2. SICVT AVIS AD ALIA orbis loca, seu, ad alias regiones, hieme vrgente TRANSVOLANS, ET nominatim PASSER. Hebraicè, *hirundo* (vt Caietanus, Vatablus, Pagninus, Montanus & alij hebraizantes vertunt) QVOLIBET potius VADENS, quàm vt in frigidis regionibus maneat; sed vbi ver iterum intepescit, ad pristinas remigrat terras: SIC MALEDICTVM, seu conuitium, contumelia, probrum, vel aliud iniuriæ genus, FRVSTRA. id est, temerè, sine iusta causa, sine merito, PROLATVM IN QVEMPIAM amicum, cùm iam amicitia & beneuolentia per simultatem aliquam frigescit, etsi cum absentante se, & ad tempus dissimulante, videatur A auolare vel emori: pòst paulò tamen, cùm calidior redibit aura, vel feruor iræ amici, vel, si mauis, redintegratio amoris pristini, tum SVPERVENIET super eum qui protulit, nempe quando condignas pœnas dabit, vel saltem pœnitentia factæ amico iniuriæ illum anget & torquebit.

℣.4. NE RESPONDEAS STVLTO IVXTA STVLTITIAM SVAM, spurca & probrosa quæ effudit in ipsum regerendo, inquit Caietanus, Iansenius, Rodolphus: vel, vt S. Cyprianus & Salazar, nihil omninò respondeas, nempe verbis, quia quantumcumque bonis rationibus & limatis verbis vsus fueris, frustra omne erit, & tu oleum & operam perdens, similis ei videberis, nempe etiam stultus & fatuus B esse. Sed tamen RESPONDE STVLTO IVXTA meritum *stultitiæ suæ*, & loco verborum repone illi verbera, id est, corripe, puni illum, coërce petulantem linguam, etiamsi opus virgâ & compedibus, ne fortè impunitas illum audaciorem ac deteriorem reddat. Hac enim ratione respondendum esse stulto docuit etiam v. præced.

Cyprian. epist. ad Demetrium: Item libro de Singularitate Clericor.

℣.6. QVI VERBA, seu magni momenti mandata, perferenda MITTIT PER NVNTIVM STVLTVM, vel non sat sapientem, duplex incommodum patietur: vnum *tarditatis*, cùm optas accelerationem: neque enim plus accelerabit talis legatus, suis vacãs commodis & nugis, quàm si *claudus* esset ac *pedibus* captus. Alterum *legationis perperam actæ*. nam præ insipientia effutiet multa contra mentẽ & rem domini C sui, nec tamen aduertet errata sua, sed quantumuis crassa & fœda, sine sensu, imò cum voluptate deuorabit. B. BIBENS INIQVITATEM (*a*) quasi aquam, id est, auidè, cum delectatione, sine sensu aut gustu mali: stultorum enim maximè proprium est, errare, & suos errores non sentire, imò delectari illis & gloriari.

a Iob 15. v. 16. & 34. v. 7.

℣.8. QVI TRIBVIT INSIPIENTI HONOREM id est, qui homini stupido, imperito ac bardo magistratum vel imperium cõfert, perinde facit atque QVI LAPIDEM MITTIT IN ACERVVM. Hieronymus addit, MERCVRII] Hebraicè enim tantùm est, *in lapidationem*, vel *in cumulum lapidum*; LXX. *qui alligat lapidem in funda*, Chaldæus, *fragmentum laminæ in* D *funda*. Parabolicæ omnes locutiones, sed vnum idemque designantes, nempe, instrumentum subministrari stulto quo alios lædat. Hieronymus enim alludit ad aceruos lapidum, quos Gentiles olim Mercurio viarum duci in triuijs haud procul ab eius statuis accumulabant, vt in honorem Dei istius vias ab offendiculis expurgarent, & ad iter agendum commodiores redderent. Eiusmodi aceruos Græci vocant ἑρμαικας, Hebræi *margemah*. De quibus Nicander, Hesychius, Alciatus & Ioannes Drusus, & ferè Rabbini. (*b*) Sed ijdem cumuli seruiebant etiam lapidandis reis, & ea morte plectendis: seruiebãt & rixantibus & latrocinantibus, E vt haberent ad manum quo alios ferirent. Qui ergo cumulum talem iniectu nouorum lapidum adaugebat, etsi videretur cultui idoli & commodo viarum studere; tamen eadem opera subministrabat etiam instrumenta in aliorum perniciem: sic qui magistratus honorem stulto vel inepto confert, nocet euidenter reip. armans illum gladio quo ipsam feriat. Idem significat *lapis* vel *fragmentum lamina* commissum fundæ, quâ stultus obuios diuerberet. ita ferè S. Ambrosius, Hugo, Iansenius & Erasmus Roterodamus.

מרגמה *Nicander. Theriacis. Alciat. in Emblem. §. Deus. Drusus class. 1. prou. l. 2. & 3.*

b R. Elias in Tishbi. R. Nathan in Lexico Iuris Hebræorum. R. Ismael in Gemara. Ambr epist. 7. ad Simplician. Erasmus in Adagys.

℣.12. INSIPIENS, indoctus, stolidus, adde & improbus, sed qui se talem agnoscit, nec refugit instrui, MAGIS SPEM HABET melioris aliquando frugis, seu

gis, seu sperandum melius de illo, quàm de sapiente & probo, qui SIBI talis *videtur*, & de sua sapientia & probitate superbè effertur. Exemplo sit Phariſæus & Publicanus Lucæ 18. Vnde & Apostolus monet, *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos*. Ita S. Chrysost. qui & rationem addit: *Quia in vno stultitia tantùm est, mentis, hebetudo: in altero etiam satuitas cum furore: stultus sibi ipsi malus est, elatus etiã aliis pestis est. Hic hydropisi* laborat: *ille* sola *crapula*.

Roman. 12. v. 16. Chrysost. homil. 39. ad pop.

℣. 15. De *manu pigri sub ascella* dixi c. 19. v. 24. Sicut *vers.* 22. de *verbis susurronis*, egi c. 18. v. 8.

℣. 23. QVOMODO SI ARGENTO SORDIDO ORNAVERIS VAS FICTILE; Hebraicè, *argentum scoriarum obductum super testam*; Chaldæus, *argentum faculentum quo opertum est vas fictile*. Solent enim vasa testacea plumbo, stanno, vel stibio, (quæ sunt argenti sordes seu excrementa) exteriùs vel interiùs imbui, (*a*) vt ita candorem firmitatemque argenti mentiantur, manent tamen intus vere testacea, vilia & fragilia: imò perfricto elutoque vel delabente argento, mox sordida testa retegitur. Ita LABIA hypocritæ TVMENTIA, seu fastuosa, sed candorem, simplicitatem & amorem ostentantia, atque ita dolos & peruersas animi affectiones celantia; tegere possunt ad tempus *cor pessimum*, sed diu & solidè tegere, vel vt probum sit efficere, non possunt: imò ex ipsismet verbis quæ imprudenti subinde excidunt, facile est prudenti & oculato viro dolosum hypocritæ animum & fraudes aucupari, vt dicitur v. seq.

a Vide Georgium Agricolam l. 9.

℣. 27. QVI FOVEAM, seu scrobem, more venatorum alteri FODIT, vt in eam incidat, & sic pereat vel capiatur, ipsemet INCIDET IN EAM] Id est, insidiator suismet dolis insidijsque capietur, & ijsdem artibus, quibus alteri nocere parat, sibimet perniciem conscisceet. Quod alia mox similitudine volentis vel proijcientis in altum lapidem, sed in auctorem mox deciduum, clariùs cõfirmat, tum hîc, tum alibi. (*b*) Et probat Petrus Chrysologus exemplo Herodis, & Amanis.

b Eccl. 10. v. 8. & Eccli. 27. v. 28. Psal. 7. v. 16. Chrysolog. serm. 152.

℣. 28. LINGVA adulatoris FALLAX quærit molles lentosque homines, qui suis laudibus valdè delectantur, & falli gaudent: sed NON AMAT, nec quærit, VERITATEM, seu amatores veritatis, rigidos & austeros censores, quos laudes propriæ non deliniunt, nec emolliunt. Et qui hoc præ se fert, facili negotio adulatores à se fugabit & propellet. Mox subijcit Sapiens, Os LVBRICVM OPERATVR RVINAS] Hebraicè, *os blandum*: & ita vertit Vatablus; Chaldæus, *os bifidum*; LXX. *os non tectum*; Aquila, Symmachus, Theodotion, *os lenigatum*. Quæ omnia ori adulatorio ad amussim quadrant. quo quàm multi, quàm magni in ruinam pertracti sint, nullæ non clamant historiæ.

CAPVT XXVII.

Ne procrastines, ne vanè te laudes: iram fuge: amicitiam fove: adulationem deuita: mansuetudine iram compesce: curam tuorum gere.

℣. 1. NE GLORIERIS IN CRASTINVM; Hebraicè, *in crastino*, seu de crastino opere, de crastina felicitate seu fortuna. *Nescis enim quid pariet dies*. ita Hebraicè. Sed Hieronymus addidit, SVPERVENTVRA] Nam omnia quæ in crastinum pendent, valdè incerta sunt, inquit S. Iacobus c. 4. suæ epistolæ: & Seneca pluribus locis. Et quotidie videmus rerum futurarum successus inopinatis casibus præpediri, non minùs quàm naturales partus

Sen. epist. 1. & 101.

A solent aborsibus frustrari. Chaldæus pro *superuentura* posuit, *hodiernam diem*. q. d. Frustra tibi in crastinũ aliquid temerè promittis, cùm nec scias, quid sis demum vel hodierna die facturus. Quare ne vel ad horam differ quod actutum possis peragere.

℣. 10. AMICVM TVVM, qui & antè fuit AMICVS PATRIS TVI, cuius amicitam ne mors quidem dissoluit, ne vmquam deseras aut dimittas, sed pro viribus complectere, & arctiùs tibi obstringe, & fouc quâ potes.

ET IN DIE AFFLICTIONIS TVÆ; Hebraicè, *in die exitij* vel *subuersionis tuæ*; LXX. *improsperè agens*; domum talis amici, longa tibi experientia iam probati potiùs adeas, opis & consilij & solatij causâ,
B quàm DOMVM FRATRIS TVI, vel alterius sanguine iuncti. Istius enim & fides certior, & gratia promptior, & subsidium opportunius erit. vt dixit etiam c. 18. v. 24.

MELIOR EST VICINVS IVXTA, seu prope te habitans, QVAM FRATER PROCVL degens, & longè dissitus, quem loci distantia & intercapedo non corpore solùm, sed & animo à te distraxit. Naturale enim hoc absentiæ ac distantiæ vitium, vicinitatis verò bonum cõprobat experientia quotidiana: & pulchrè describit S. Chrysostomus, itemque Athenæus. Vnde Cato & S. Augustinus seriò monent, *id agendum vt diligant te vicini*.

Chrysost. homil. 77. Athen. in lib 3. c. 2. Cato de Re rustica c. 4. & apud Plin. lib. 18. cap. 7. Aug. serm. 2. de Temp. & Eccles. 10. v. 16. & Isaiæ 5. v. 11.

℣. 12. De *astuto* & *parvulo* idem dicit quod c. 22.
C v. 3. de *callido* & *innocente*.

℣. 14. QVI BENEDICIT PROXIMO SVO, id est, benè precatur, laudat, extollit, VOCE GRANDI, id est, immodico clamore & laude, DE NOCTE CONSVRGENS, (*c*) id est, intempestiuè, SIMILIS EST MALEDICENTI] id est, vituperanti. Alludit enim ad importunos salutatores, qui anteluciano tempore ad fores potentium versabantur, & elata ac prægrandi voce solemnes salutandi ac benè precandi formas cõfuso clamore ingeminabant, *Aue, Salue*, &c. de quibus Columella, Symmachus & Seneca: & ad quos etiam Sapiens respicit suprà c. 8. v. 34. & libri Sapientiæ c. 16. v. 28. & Dauid psal. 87. v. 14. & Isaias c. 26. v. 9. Et hi pro officio atque obsequio,
D quasi pro bono omine vel augurio sportulam referebant aut stipem. His enim similes sunt adulatores, quia non ex amore aut gratia, sed vilis lucri causa laudes tuas ingeminant, animo cæteroquin à te alieniſſimi: qui proinde iudicio sapientum potiùs te vituperant, vtpote quem produnt sectatorem esse humanarum laudum, & inanis gloriæ vanum captatorem, etiam intempestiuè & cum tuo incommodo. Vnde Euripides in Oreste, *Onus est laudari nimis*. & Ecclesiasticus c. 41. monet cauendum *à salutantibus de silentio*, id est, inter noctis silentia, id est, intempestiuè, vt quidam exponunt.

Columella de Re rustica l. 1. Symmach. l. 8 epist. 41. Sen l. 6. de Beneficijs.

℣. 16. QVI RETINET mulierem rixosam, id est,
E qui vxorem fastu turgidam, difficilem & morosam, per vim & seueritatem continere & coërcere velit; ei adsimilis est, qui ventum fugacem & lubricum comprimere, & instar opilionis pedo suo moderari & regere, aut cum Æolo intra terræ viscera abscondere & concludere tentet. Nempe quo maiore mole premes, coërcebis & exercebis, eo violentiùs erumpet, & maiore impetu domum familiamque omnem concutiet atque euertet. Ergo si emollitam velis, & marito morigeram, OLEVM DEXTERÆ mariti, id est, blanditiæ, (*d*) poppysmi, laudes, honores etiam dextri lateris vltrò oblati, & similia delinimenta, *vocent* ipsam, id est, inuitent, alliciant & trahant. Hoc alia similitudine docent

d *Psal. 140. v. 5. Prou 5. v. 3. Isal. 54. v. 12.*

hic

hîc LXX. *Aquilo durus ventus, nomine autem dexter vocatur*, nempe *ab ijs qui ad illum in medijs solis ardoribus refrigerantur*, inquit S. Hieronymus, id est, ab ijs qui ad Meridiem vergunt. q. d. Vxoris rigor & morositas accidit quidem dura marito ac permolesta, sed tamen æquo feret illam animo, si expenderit, temperari hac via æstum superbiæ atque elationis animi sui, & ardorem aliorum prauorum seu morum seu habituum, quibus alioquin obnoxius est.

Hieron. in c. 31. Ieremiæ, & in c. 2. Sophoniæ.

ברזל ℣. 17. FERRVM FERRO; Hebraicè, *barzel*, id est, chalybe, EXACVIT VIR: nempe chalybs ferro permixtus, durus lento, ad gladios concinnandos & aciem acuendam accommodatissimus est: si tamen ignis accedat quo in vnum conflentur. Ita HOMO EXACVIT FACIEM AMICI SVI] id est, generaliter, si durus quispiam & seuerus, totusque chalybeus, alteri ferreo, id est, lento ac flexibili, firmo amore ac amicitia copuletur, par inde exsurget ad omnia ardua difficiliaq, seu agenda, seu ferenda. Specialiter verò, si maritus lenitate & mansuetudine sua, instar ferri lentum & flexibilem se exhibeat vxori chalybis in morem rigidiori ac duriori, felix tamen par coniugum conflabit accedens vtrimque amor. ita ferè Salazar. Beda verò, Liranus, Hugo, Caietanus, Iansenius, Arboreus, Dionysius & quidâ alij, mutuam hîc amicorum collationem commendari existimant, quâ conferendo, disputando, bona exempla præbendo, inuicem animando, exacuunt alij alios. LXX. de *terra* id exponunt: nam vertunt, *vir iratus irritat faciem amici sui.*

℣. 19. QVOMODO IN AQVIS, quæ naturæ specula vocantur ab Aristotele & Seneca, si mundæ fuerint, quietæ & imperturbatæ, RISPLENDENT PROSPICIENTIVM VVLTVS, quales reuera in se sunt: (secùs quàm in speculis factitijs, quibus sæpè inest dolus & fraus, teste Plinio & S. Augustino.) & quidem ita resplendent, vt nihil eorum, siue pulchrum, siue deforme fuerit, lateat prospicientes: SIC CORDA HOMINVM MANIFESTA & comperta SVNT PRVDENTIBVS] corda, inquam, tum propria, tum aliena, nam ex propria experientia & suimet excussione de alijs facilè statuere possunt: & etiam in singulorum vultu, gestu, verbis, omnique motu corporis, quasi in aqua speculari vident & legunt affectus singulorum. ita ferè Liranus, Hugo, Arboreus, Dionysius.

Aristot. in Physicis. Seneca Naturalium quæstion. l. 1. cap. 17. Plin. l. 33. c. 9. August. ep. 150 ad Nebridium.

℣. 23. DILIGENTER AGNOSCE; Hebraicè, agnoscendo agnosce, VVLTVM PECORIS TVI] id est, seriam illius curam ac (*a*) prouidentiam suscipe. Quod sanè omni œconomo diligentissimè curandum, si velit inde ditescere enam pastoritiam vitam hîc cõmendari volunt Liranus, Bañez, Iansenius, Vatablus & Clarius. Sed præ omnibus, populorum præsidibus seu Ecclesiasticis, seu politicis, in id incumbendũ, docent Beda, Hugo, Dionysius, Salonius, Arboreus. Quia principes sunt pastores populorum, vt Plato, Xenophon, & Philo docent.

a Prou. 12. v. 10. & c. 29 v. 7. & Psal. 36. v. 18. & Psal. 1. v. 6.

℣. 24. NON ENIM HABEBIS IVGITER POTESTATEM curandi illius tui gregis, sed vel viribus collabentibus, vel subtracto magistratu, cogeris manum aliquando tollere. Interea si sedulam antè curam gesseris, CORONA tibi TRIBVETVR, non laudis tantùm, sed & mercedis & gloriæ, IN GENERATIONEM ET GENERATIONEM] id est, perennis, æterna, & *immarcescibilis*, 1. Petri 5. v. 4. vbi in Græco est *amarantina*: nam *amarantus* flos symbolum est *immortalitatis*, vt Clemens docet.

Clem. Alex. in Pædag. l. 2. c. 8.

℣. 25. APERTA SVNT PRATA, &c.] Facilitatem innuit, quâ & pastores pecori suo, & principes subditis suis, de omni re necessaria prospicere possunt, si velint: nempe æstate prata se sponte aperiunt & gramina subministrant: hieme fœnum siccum sufficit. Sic subditi solo opificiorum suorum & mercaturæ libero pacificoque exercitio, & principum sola verborum lenitate & humanitate, quæ sponte proueniunt, & officijs atque honoribus exiguis, quæ nullo principibus pretio constant, contenti viuunt.

℣. 26. AGNI, seu lanigera pecora, AD VESTIMENTVM TVVM vellera tibi suggerent: ET HOEDI etiam AD AGRI PRETIVM, si de nouo coëmere velis, exsoluendum sufficient. q. d. Ex solis gregibus colliges affatim non modò ad vitam tuendam necessaria, sed etiam ad possessiones ampliandas redundantia. Et princeps ex annuis vectigalibus, quæ subditi sponte pendunt, si norit benè vti, non modò aulam suam fouere & regnum acceptum tueri, sed etiam imperium latiùs paulatim extendere ac propagare poterit. Vt opus non sit *deglubere oues* aut *expilare*, vt (*b*) benè *Tiberius* monebat *Aemilium* Ægypti præfectum.

b Apud Dionysium Nicæum.

CAPVT XXVIII.

Ne paucas citra necessitatem: ne publica crimina sint impunita: ne pauper pauperem opprimat: ne vsuris vel alijs malis artibus opes adaugeas: ne homicidis, ne furibus admiscearis: nec inuitis parentibus quid subtrahas.

℣. 2. PROPTER PECCATA TERRÆ, id est, ob grauia crimina, quæ in regno aliquo regibus cõniuentibus impunè patrantur, fit vt MVLTI sint PRINCIPES illius regni, alijs in locum citò demortui succedentibus: neque enim sinet Deus diu tales reges imperare, sed facit vt ocyùs extinctis illis alij atque alij succedant in locum, magno regni cum incommodo ac dispendio. Quòd si princeps sapiat, & ea QVÆ DICVNTVR, id est, publicâ famâ sciuntur crimina, puniat, coërceat & eliminet. VITA talis LVCIS LONGIOR ERIT] addes, & felicior. Vnde & reipubl. maius commodum & emolumentum. Id clarissimè patuit in posteris Dauid pijs regibus Iuda, comparatione impiorum regum Israel. Et sic futurum promiserat Deus Deuteron. 17. v. 20.

℣. 3. PAVPER CALVMNIANS PAVPEREM, vel damna ei inferens, vel in ius trahens, facilè alius alium euertet, sicut IMBER VEHEMENTIOR, terram impluens, ipsam eradere, abripere, & recèns sata denudare atque euellere solet. Nam cùm census pauperum sint tenues, quæuis etiam exigua vis illos exhaurit, & ad extremam famem pauperiemque compellit. Quod si in vllis pauperibus, certè in agricolis & rusticis vsu venit, è quorum litigantium cessatione contingit non rarò etiam ciuitatum annonam diminui. Vnde prudenter veteres statuere, vt controuersiæ inter agricolas subnatæ mox à vicinis & contribulibus arbitris dirimerentur.

Ita ex Platone scribit Posidonius, in lib. de Rep. Turcarum. Et Dionys. Halicarnass. l. 2.

℣. 8. QVI COACERVAT DIVITIAS VSVRIS, & iniquis fœnorum lucris, nequaquam illis perfruetur; sed cõgestas ab ipso opes Deus occultâ suâ prouidentiâ transferet ad alium qui easdem liberaliter profundet in pauperes. ita LXX. & Chaldæus.

℣. 10. QVI DECIPIT IVSTOS, seu simplices & doli expertes fallit; IN VIA MALA, id est, actione fraudulẽta, nempe vt bona illorũ contra ius fasq; sibi vsurpet, is IN INTERITV SVO CORRVET] Hebraicè, *in foueã suã ipse cadet*. de quo dixi c. 26. v. 27.

nam

nam versa vice Deus disponet, vt iusti simplices A potiantur fortunis impij ac dolosi. An non id patuit in Amane & Mardochæo?

℣. 11. DIVES AVARVS & ad opes anhelus, VIDETVR SIBI SAPIENS, quia augendarum opum industriam & artem, optimam maximeque nobilem sapientiæ partem esse putat. PAVPER AVTEM PRVDENS, id est, pauper spiritu (hic enim verè sapit & prudens est,) SCRVTABITVR EVM, Primò, instar æmuli & solertis antagonistæ, conuincendo illum manifesti erroris, & præmium palmamque veræ sapientiæ, quæ in diuitiarum contemptu sita est, etiam Gentilibus (a) id agnoscentibus, ei præripiendo. ita Rodolphus & ferè Rabbini. Secundò, *scrutabitur eum*, sagacis iudicis instar, inquirendo, quo iure, quo titulo quidque possideat, & deprehensum in iniustitia redarguet, damnabit, bonis spoliabit, pœnis mulctabit, tum in hoc sæculo (vt sæpissimè contingit) tum in futuro, vbi pauperes diutũ iudices futu.os Christus (b) ipse prædixit, & B SS. Ambr. ac Greg. pulchrè demonstrãt. ita Salazar.

a *Seneca epist.* 119. b *Matt.* 19. v. 28. & *Luc.* 16. v. 9. *Ambr. l.* 1. *Offic. c.* 11. *Gregor. homil.* 40. *in Euang.* c *Pius. ar. de seru. vindicta Dei.* d *Ausonius:* Ibycus vt periit vindex fuit altiuolans grus. e *Rut. sup.* & *Plinius l.* 8. *c.* 4. f *Greg. Tolos. l.* 40. *Syntagmat. Iuris c.* 10. *Ambr. l.* 2. *de Cain c.* 9. *Chrysost. homil.* 15. *in Genesin.*

℣. 17. HOMINEM, QVI CALVMNIATVR ANIMÆ SANGVINEM: hebraicè, qui per calumniam opprimit, & *sanguinem* in quo est *anima*, seu vita, iniustè profundit, siue actor fuerit, siue testis, siue iudex; SI ex desperatione, vel furiarum agitatione VSQVE AD LACVM præcipitij FVGERIT, vt violenta morte vitam inuisam abrumpat, NEMO SVSTINET, id est, nemo detinebit, nemo impediet. Adeò omnibus odiosum est homicidium: LXX. *profugus erit, & non in securitate.* Nam crimen homicidij vix celari permittit Deus. *Hirundines* (c) Bessum, *grues* (d) Ibyci, *canes* (e) Pyrrhi & Hesiodi interfectores prodiderunt. Alij alijs miraculis (f) detecti. De Caino vide Ambrosium & Chrysostomum.

℣. 20. De eo *qui festinat ditari*, dixi cap. 20. vers. 21.

℣. 24. Filius QVI SVBTRAHIT ALIQVID A PATRE ET A MATRE, id est, qui parentum suorum fortunas clanculum suffuratur, quasi id sibi liceat, *nec* sit PECCATVM; fallitur toto cælo: nam reuerà PARTICEPS EST HOMICIDÆ] id est, socius est, & officio fungitur prædonum ac latronum, qui alios iniustè spoliant. Licet enim filius, vt pars quædam seu membrum parentum, consors (g) sit fortunarum eorumdem: quia tamen est pars adhuc subiecta, nondum habet vtendi libertatem, nisi dependenter à nutu parentum. vnde si illis inuitis fortunas subtrahit, nihil differt à latrone & deprædatore, qui in aliena bona manus mittit. Imò ex vna parte maius videtur filij furacis crimen, quatenus nempe à parentibus aufert propria bona, quibus ipse etiam sua debebat. ita Salazar.

g *Glossa in cap.* Adrianus 63. *dist.* & *in c. fin.* 24. *quæst.* 1.

CAPVT XXIX.

Correptio diligenda: iustitia curanda: ira & adulatio cauenda: paupertas non contemnenda: religio fouenda: circumspectio in verbis obseruanda: furi non patrocinandum, &c.

℣. 5. QVI BLANDIS SERMONIBVS LOQVITVR, seu sermonum blanditijs assentatur amico, cùm eumdem deberet corripere & obiurgare, ante pedes EIVS spargit RETE, vt maculis eius implicatus corruat. q. d. Non est amicus illi, sed iuratus hostis: facitque sicut venatores, qui fistulis imitantur eas auium voces, quibus tunc, cùm amoribus indulgent, ad socias euocandas vti solent: his interim sic euocatis retia instruunt, quibus vbi deuolarint, implicentur & pereant. Similia tradunt Plato, Seneca, Plutarchus: LXX. habent,

Plato in Gorgia.

qui præparat amico rete, circumdat illud suis pedibus: nempe technæ & insidiæ, quantumuis versutissimè celentur, seipsas ferè produnt, & auctori exitium creant. Huic consonant sequentia. *Sen. Natur. quæst.* 6. 4. *præfatione.* *Plut. l. de Adulatoris & amici discrimine.*

℣. 6. LAQVEVS, seu rete, quod perfidus amicus sub blandis & delicatis verbis amico sparsit ad incautum captandum & euertendum, ipsummet INIQVVM PECCANTEM INVOLVET, patefactis amico dolis & insidiis; qui periculo eductus LAVDABIT Deum liberatorem suum & vindicem impiorum, & de insperato beneficio mirificè gaudebit. ita Rodolphus.

℣. 7. Quomodo *iustus norit causam pauperum*, dixi c. 27. v. 23.

℣. 10. VIRI-SANGVINVM, id est, sicarij seu homicidæ, vsque eò ODERVNT SIMPLICEM, pium ac innocentẽ, vt ipsum etiam neci dare non dubitent. Sed IVSTI iudices QVÆRVNT ANIMAM (h) occisi, id est, mortem ipsi iniustè illatam vlciscuntur & puniunt, etiam præmiis indici vel vindici propositis; vt ira Dei sic deliniatur, inquit Phocylides & Menander. h *Psal.* 141. v. 5. *Ezech* 3. v. 18. *Baruch* 6. v. 6. *Phocylid. in carmin. Menand. apud Stobæum serm. de Iustitia.*

℣. 11. STVLTVS ex qualibet causa PROFERT in apertum, TOTVM SPIRITVM SVVM, nihil intus arcanum, nihil secretum seruans, inquit Caietanus Rodolphus & quidam alij: sed Chaldæus & LXX. de *ira* & *furore* id exponunt. q. d. Stupidi & stolidi hominis est, ex quauis causa subitò irâ & furore inardescere. SAPIENS autem RESERVAT IN POSTERVM] id est, differt in opportunum tempus, motus interim coërcendo, & vlciscendi libidinem refrænando. Neque verò commodius aut efficacius sedandæ iræ remedium esse, quàm dilationem, docent tum Aristoteles, Seneca, Plutarchus, Stobæus variis exemplis: tum ipsa experientia. *Sen. l.* 3. *de Ira c.* 1. & 2. *Aristot. à Lipsio ibidem citatus. Plut. in Moralibus.*

℣. 13. PAVPER ET CREDITOR pauperis, dicues quispiam qui pauperem diuexat vel opprimit, quamuis dispar sit vtriusque conditio & mores. VTRIVSQVE tamen ILLVMINATOR EST DOMINVS] id est, vtrique lucis (a) vsuram, vitam & spiritum donat Deus. Est enim idem quod c. 22. v. 2. dixerat, *Vtriusque operator est dominus.* a *Iob* 38. v. 15. & c. 33. v. 30.

℣. 18. CVM PROPHETIA DEFECERIT, id est, cùm in aliquo populo defierit religio, quę lege diuina continetur & explicatur, id est, si religiosus diuini Numinis cultus è medio tollatur, continuò POPVLVS ille DISSIPABITVR, in factiones abibit, in varios errores atque hæreses dissecabitur, ludibrio & prædæ hostibus erit, & leui negotio excidetur. ita ferè Hugo, Cajetanus, Iansenius & Rodolphus. Quod S. Augustinus, & Thomas Bozius plurimis exemplis confirmant. *Aug. l.* 3. *de Ciu. c.* 34. *Tho. Boz. de Signis Ecclesiæ.*

℣. 20. VIDISTI HOMINEM VELOCEM AD LOQVENDVM, qui priusquam probè instructus fuerit, & de re proposita edoctus, ad alios docendos prorumpit; STVLTITIA MAGIS SPERANDA, seu exspectanda, EST, QVAM ILLIVS CORREPTIO, seu sententiæ in melius mutatio. Hebraicè *spes stulti præillo*; & sic vertunt etiã LXX. & Chaldæus. quod idem est cum eo quod dixerat cap. 26. v. 12. *insipientem* præ *sapiente spem habere*, id est, meliorem longè conditionem esse hominis insipientis, qui præ stoliditate obmutescit & alios audit, quã eius qui sapientem se esse ratus, temerè de re non sat cognita pronunciat. ita Rodolphus & Salazar.

℣. 24. QVI ADIVRANTEM AVDIT, id est, qui à publico magistratu legitimè quæsitus & iuramento rogatus, furtum quod nouit alterum admisisse, celat aut negat, CVM FVRE *partitur*, id est, con-

consors furti efficitur, & ODIT ANIMAM SVAM] A grauissimo periurij crimine illam laucians, & vitam quoque suam in discrimen adducens. nam si periurij conuictus fuerit, cum fure simul publico iudicio emori cogetur. ita ferè Iansenius & Liranus.

℣. 26. MVLTI REQVIRVNT FACIEM PRINCIPIS, id est, gratiam magistratuum aucupantur non modò diligentia & studio, sed & obsequijs, muneribus ac donis, nempe ne illos in ferendis sententijs seueros experiantur. Nec curant miseri Deum sibi demereri, eiusque gratiam lucrari, à quo tamen sciunt, omne IVDICIVM; Hebraicè, *sortem*, SINGVLORVM pendere: vtpote supremo omnium iudice, cui iam magistratus, quàm qui magistratum donis demereri contendit, subijci certò debebit.

CAPVT XXX.

Fundamentum sapientia, scire se nihil scire: Dei enim maiestas inscrutabilis est, & eloquium eius infallibile: quatuor pessima vitia, quatuor insatiabilia, quatuor celerrimè transeuntia, quatuor orbem turbantia, quatuor animalcula sapientissima, quatuor feliciter gradientia, quatuor maximè cauenda.

℣. 1. VERBA CONGREGANTIS, FILII VOMENTIS] Hebraicè & Chaldaicè, *verba Agur filij Iakeh*. est enim nomen proprium conuiuæ, quem Salomon in hoc sapientiæ epulo: cùm regina sileret, loquentem inducit, vt dixi initio huius libri. Sed solet Latinus (*a*) interpres nomina propria Hebraica latinitate donare, cùm emphasim aliquam habent, vti hæc habent. Nam *congregans* significat eum, qui multam sapientiam, & multas doctas sententias partim proprio studio, partim vsu & experientiâ, partim reuelatione diuina collegerat: *Filius vomens*, seu vomitus, saturum designat & epulis affatim expletum: nempe diuinis illustrationibus adeò plenum, vt eas eructet & in aliorum vsus euomere cogatur. Quæ quàm verè, quàm aptè quadrent in Salomonem, nemo non palpat. ita R. Leui, Caietanus, Beda, Liranus, Arboreus & Salazar.

אגור בן יקה

a Proleg. de Idiotism. Heb. n. 17.

VISIO, seu *prophetia* (vt est in Hebræo, sed *prophetia* vocatur etiam quæuis sententia (*b*) grauis:) QVAM protulit VIR non vino obrutus, sed DEO plenus, non ex crapula titubans, sed à DEO CONFORTATVS & erectus. LXX. habent, *hæc dicit vir credentibus Deo*, & ideo mihi quoque Prophetæ Dei fidem plenam habituris: *& quiesco*, seu finio, id est, absoluto sic libro, feriabor ab isto labore. Vnde & venustiora schemata & acriores sententias in hanc orationis suæ extremam partem coniecit, vt auditorum animis tenaciùs inhæreant.

b Mart. Delrio l. 4. Magic. c. 5. qu. 1. & Pradus in Ezech. 28.

℣. 2. STVLTISSIMVS SVM VIRORVM] Rabbini & Liranus, Arboreus, Hugo & Pineda, volunt hæc verba esse Salomonis iam pœnitentis, & ex libidinum atque idololatriæ voragine reducti. Sed potuit etiam ante lapsum ex vera humilitate atque animi demissione verissimè pronunciare. *Stultissimus sum*, si me, si mea, si quæ ex me habeo, si quæ proprio studio collegi, secluso Deo spectes. Vnde mox subdit, SAPIENTIA HOMINVM, seu more aliorum hominum parta, NON EST MECVM, nec proprio studio, vel meo marte obtinui SAPIENTIAM vel SCIENTIAM SANCTORVM, qualis solet sanctis Prophetis instillari. sed si quid nactus sum scientiæ, seu humanæ, seu diuinæ, id omne à Deo didici & accepi, inquiunt LXX. Potest Secundò, comparatiuè dixisse, *stultissimus sum*, si cùm alijs conferar, qui in cognitione sui & Dei, longè me præcellunt, saltem practicè. Sic S. Paulus, se *minimum sanctorum*; S. Franciscus se *pessimum mortalium* affirmabat. Rursum, si *sapientiam meam*, etiamsi maximam, conferam cum *mea ignorantia*, vel cum *diuina sapientia*, cùm infinitè ab illa distet, meritò me stultum potiùs, quàm sapientem venditabo. Simili ferè modo rogatus aliquando Socrates, quid sciret? respondit, *Hoc vnum scio, quòd nihil sciam*. Quod audiens alius? *Imò*, inquit, *ne hoc quidem scio*. Voluit ergo Salomon primo loco inculcare, veram sapientiam in humili de se sensu sitam esse.

Pineda in suo prætio Salomone l. 8 c. 1.

℣. 4. QVIS ASCENDIT IN CÆLVM, & omnia ibi scrutatur ac regit nutu suo? ATQVE DESCENDIT etiam ad ima terræ, brachijs prouidentiæ suæ complexus omnia? QVIS CONTINVIT SPIRITVM, seu ventum, IN MANIBVS SVIS? Hebraicè, *in pugillo*; LXX. *in sinu*, seu internis pectoris recessibus, hauriens & attrahens quando & quantum vult, rursumque exspirans pro libito? QVIS AQVAS, seu nubium, seu maris, COLLIGAVIT QVASI IN VESTIMENTO seu panno, quem aquis infusum & irroratum, exinde pro placito contorquet & comprimit & exprimit? QVIS SVSCITAVIT; Hebraicè & Aquila, *quis constituit*, OMNES TERMINOS TERRÆ, seu oras & littora, in quibus terra desinit, & mare initium capit?

QVOD NOMEN EST EIVS] Id est, quæ est ista persona? (*c*) quis iste tam potens? Et quis *filius eius*? Vbi manifestè pluralitatem personarum indicat in diuinis, sed nullà naturalis ingenij vi perceptibilem à creaturis. Portò *filij* potiùs meminit quàm *Spiritus sancti* (licèt & hunc nomine venti hîc adumbrarit,) quia cùm vellet multas prauæ generationis species proferre, primo loco æternam Filij generationem optimam nobilissimamque præmittit. Vide S. Hieronymum, Augustinum, S. Thomam. Mox à Verbo ex Patre genito dilabitur ad verbum vocale exterius à Deo dictatum & reuelatum, de quo dicit:

c Psalm. 19. v. 2. & Psal 73. v. 18. & 21.

August in lib. de Trin. S. Tho. in 1. p. de Trin.

℣. 5. OMNIS SERMO DEI IGNITVS. nempe quidquid ex Dei afflatu vates effundunt, repurgatum (*d*) defæcatum, ad purum excoctum est, omni ex parte verum, sibique constans. CLYPEVS SPERANTIBVS IN SE: scilicet Prophetis ipsis, & quicumque adimpletionem eius exspectant, pro *clypeo* est aduersus omnes obloquentium calumnias: nam reuera implebitur aliquando, & fidem Prophetæ liberabit. Quare NE ADDAS QVIDQVAM de tuo VERBIS ILLIVS, neque de tua coniectura inspergas aliquid diuinis vaticinijs, ne ARGVARIS falsi, fallente euentu, ET MENDAX INVENIARIS] Quo ipso insinuat Salomon, se toto hoc libro nihil ex suo cerebro sed ex solo Dei afflatu omnia protulisse.

d Psalm. 11. v. 7.

℣. 11. GENERATIO] supple, quadruplex est malorum filiorum, & omnes peruersissimæ, & maximè execrabiles. Prima, ingratorum, quos hoc versu tangit, & maledicit v. 17. Secunda, hypocritarum arrogantium sibi sanctitatem, de quibus v. 12. 18. & 19. Tertia, fastuosorum, de quibus v. 13. & 21. Quarta, omnium pessima opprimentium pauperes, de quibus v. 14. & 15. Et singulas fusè explicant Beda, Hugo, Arboreus, Iansenius & Salazar.

Notat verò Mercerus ex Aben-Esra, Salomonem toto hoc cap. *quaternarijs* præter morem delectari & ludere, & ex quatuor rebus inter se collatis quartum reliquis anteponere.

℣. 15. SANGVISVGÆ matris DVÆ SVNT FILIÆ, matri per omnia insatiabilitate similes. Ergo tres sunt sanguisugæ, vt habent LXX. Quod clarius etiam Noster mox explicat, cùm dicit, TRIA SVNT

insatia-

Aug. l.14. de Ciu. c.15. Chryſoſt. in c.6. Matth. Nazianz. in Iambico de auaritia. Iſidor l.12. Origin. c.5.

inſaturabilia: & quartum] id eſt, imò quatuor ſunt inſaturabiles hirudines. Quas S. Auguſtinus, Chryſoſtomus, Nazianzenus, Iſidorus & alij has enumerant: Primam *iram*, Secundam, *luxuriam*; Tertiam, *auaritiam*, Quartam, & omnium peſſimam minimeque ſaturabilem, *ambitionem*. Quas mox v.16. comparat eodem ordine quatuor aliis rebus inſatiabilibus. nempe *iram infernali* ſupplicio: *luxuriam ori vulvæ*, LXX. amori mulierum: *auaritiam terræ* exſuccæ & bibulæ, *quæ* inſtar hydropis *non ſatiatur aqua: ambitionem igni*: nam quò plures ac digniores magiſtratus corripit ac tenet, eò acriùs inflammatur. ita Hugo, Ianſenius & Salazar, qui ex S. Ambroſio, imò ex Seneca, Plutarcho & aliis id fusè demonſtrat.

עלמה

עלמות

R. Haccad apud Galatinum l.7. c.15.

Ambr. l.de Salom. c.2.

℣.19. *Viam viri in adoleſcentia*] Ita etiam LXX. vertunt: nam *ghalmah* non ſolùm *adoleſcentulam*, B ſeu puellam innuptam & virginem (quomodo legendum hìc putant Ianſenius, Liranus & alij recentiores) ſed etiam *adoleſcentiam* ſeu iuuenilem ætatem ſignificat. Sic pſal. 47. verſ. 7. *ghalmoth* vertunt recentiores Hebræi, *in adoleſcentijs*. Senſus ergo eſt, ſicut *aquila*, *ſerpens*, & *nauis* leuiſſimè ac ſine ſtrepitu, per varios gyros & anfractus, celerrimè ſimul & occultiſſimè, nec vllo relicto ſui veſtigio feruntur: ita & adoleſcens diſſolutus & intemperans, cuius affectus in vitia proni, per mille mæandros tendunt in optatas cupedias, quantumcumque occultè & ſubdolè eis vacet, non diu tamen vacat: nam velociſſimè tranſilit & tranſuolat ille flos ætatis, corpore per nimium luxum ac venerem miſerè tabeſcente, formamque omnem ac pulchritudinem deperdente. ita ferè Salazar. Allegoricè, Beda, Hugo, Dionyſius & Liranus, ex R. Haccados, per *viam aquilæ*, Chriſti aſcenſionem: per *viam colubri*, eius reſurrectionem: per *viam nauis in mari*, conuerſationem in mundo: per *viam viri in adoleſcentula*, natiuitatem ex illibata Virgine, in cuius vtero *vir* fuit ab initio conceptionis planè perfectus, non modò potentiis animæ, ſed & membris corporis. Similia ferè habet S. Ambroſius.

℣. 20. *Talis eſt & via adulteræ*] q. d. Ita accidit non ſolis adoleſcentibus & ſolutis, ſed & nuptis adulteris, quæ in luxum profuſæ citò perdunt priſtinæ formæ, elegantiæ ac roboris veſtigia: quæ quamuis ſollicite, ſolerter & induſtriè conentur tegere ſordes ſuas, & *comedendo*, ſeu deliciosè victitando, & *os ſuum tergendo*, id eſt, faciem pigmentis vel medicamentis fucando, ſtudeant ſuculentæ & venuſtæ comparere, & ſic ſua ſcelera tegere; tamen vel ipſa corporis macies, vel ſubrepentes morbi, vel ſcabies, vel luridus pallor, totiuſque formæ ac priſtini vigoris iactura, quæ ex veneris vſu accidere ſolet, rem ſtatim prodet. D

℣. 21. *Per tria mouetur terra*] Hebraicè, *tremit*; LXX. *contuitur*, id eſt, turbæ & contentiones maximæ per ea cientur.

℣. 24. *Quatuor ſunt minima terræ* animalcula, *& tamen ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus*] nempe aliis animantibus maioribus, quæ ſapientiâ naturali pollere exiſtimantur. vel etiam pleriſque hominibus prudentiali inſtinctu antecellunt. Hebraicè nulla eſt comparatio, ſed dicuntur eſſe *ſapientia ſapienter edocta*, nempe à matre natura. Vult autè Salomon his quatuor animalculis inſtruere quatuor ſtatus hominum quibus reſpublica cõſtat. Primò, *formicis*, agricolas & ruſticanos homines, vt aſſiduo & indefeſſo labore comparent quæ victui neceſſaria ſunt. Secundò, *lepuſculo(a)* ſeu cuniculo, ciues in vrbe degentes, opificio vel mercaturæ intentos, & à bello abhorrentes, vt inſudent domui ſuæ firmandæ, locupletandæ & augendæ, inſtar *cuniculorum*, qui & Plinio teſte, nomine leporum deſignari ſolent, &, quia timidi atque inualidi, tutiſſimas petras catulis ſuis tutandis perfodiunt, ac de omnibus neceſſariis maximâ curâ proſpiciunt. Tertiò, *locuſta* milites inſtruit. nam & locuſtarum formam galeatos milites referre docet Marcellinus, & quamuis duce ac *rege* careant, nihilominus inſtructis agminibus & aciebus cateruatim ad agros depopulandos conuolare conſtat ex Plinio, & S. Scriptura paſſim: & aduerſus ſcorpiones, alioſque ſerpentes bellum feliciter gerere, idem (*b*) Plinius & Ariſtoteles docent: vnde locuſtam *ſcorpiomachum* Ariſtoteles, alij *ophiomachum* vocant. Quartò, *ſtellione* magiſtratus & aulicos omnes commonefacit. *Stellio* enim animalculum eſt *lacertæ* adſimile, ſed longè minus, depictum lucentibus guttis tamquam ſtellis (*c*.) Hinc nomen Latinum traxit: Romani *tarantulam* vocant, Græci ἀσπάλαβον vel ἀσπαλαβώτην Ariſtot. καλαβώτην. Sed mendosè in Regiis, Complutenſi & aliis LXX. editionibus ponitur καλαμώτης *piſcis* ſat ignobilis, nec regibus notus: At *ſtellio in* palatiis *regum moratur*, circa aularum fores, & forium cardines, & parietum rimas, maximè in nouis ædibus, inquit Marcellinus, nec tamen *nititur* niſi *manibus*. Sic ſtrenuis ac fidis manibus ſeruitiiſque principes ſuos demereri debent, & præclaris virtutibus ſplendere quicumque in aulis & magiſtratibus degunt. Chaldæus & quidam recentiores pro ſtellione *araneam*, vertunt: alij, *ſimiam*, alludentes ad Hebræum *ſemamith*: alij, *hirundinem*.

שממית

a Vide pſal. 103. v.18.& Erinaceus.

Plin. l.8. c.15.

Plin 11. c.29. Iudith 2. v.11.& Ierem. 46. v.23. Amos 7.v.1. Nahum 3. v.15.& 17.

b Plin. ſupr. c.89.

c Plin. l.8. c.31.& l.30. c.10.

CAPVT XXXI.

Ex ore matris monet Primò, vitandam libidinem; Secundò, crapulam, Tertiò, iuſtitiam omnibus, maximè pauperibus reddendam. Dein occaſione matris ſub nectit encomium mulieru fortis & excellentis, quod per 22. verſus, iuxta 22. litteras Hebræorum, à qualibet littera ſingulos verſus inchoando proſequitur. ita Caietanus, & Ianſenius & Salazar. Nempe vt ſignificet, talem demum mulierem omnibus litteris, id eſt, omnibus numeris (nam littera numerorum note ſunt) abſolutam eſſe. & omnes litteras, quotieſcumq; & quomodocumque combinatas, tali heroina laudanda non ſufficere.

℣. 1. *Verba Lamuelis regis*] Sic vocat tertium ſacri epuli interlocutorem, vt dixi initio huius libri. *Lamuel* verò, ſeu *Lemuel*, hebraicè, idem eſt quod *ipſius Deus*, vel *in quo Deus*: quod propriè *Chriſto* conuenit, cuius figura & typus erat *Salomon*. למואל

Viſio, id eſt, doctrina prophetica à Spiritu ſancto per reuelationem accepta, *qua* filium ſuum Salomonem adhuc tenerum *erudiuit mater*] nempe Bethſabée. Talibus monitis decet pias matres adblandiri filiis, inquit Hugo Cardinalis & Salazar: qui hinc vnà cum Ianſenio & Pineda colligit, heroinam illam prophetiæ dono colluſtratam, periculum præuidiſſe futurorum olim Salomonis turpium amorum & luxuum; ac proinde conatam, illum iam inde à puero aduerſus eas peſtes ſalutaribus monitis præmunire.

Pineda in Salomone l.1.c.6.&

℣. 2. *Quid dilecte mi?*] Blandientis eſt & excitantis ad audiendum, q. d. *hem*, vel *heus* dilecte. Chaldæus putauit minantis eſſe, & aliquid mali ominantis, vnde vertit: *Quale vaſi mi! va! va!*

DILECTE VOTORVM MEORVM] Id est, in quem A vnum omnia mea vota & desideria intendunt, in-
Pineda sup. quit Iansenius. Vel, vt Pineda, quem perpetuis votis ac precibus quotidie rursum gigno. vnde LXX. legunt. *Quid fili mearum orationum?*

℣. 3. NE DEDERIS MVLIERIBVS SVBSTANTIAM TVAM] id est, diuitias, vt LXX. vertunt: & robur seu fortitudinem, vt Caietanus & Iansenius cum Chaldæo: nempe intemperanti veneris vsu corpus conficiendo, & vires labefactando. Item, ne te fatiges, nec tua exhaurias *ad delendos reges*, seu bello conterendos tibi vicinos principes: sed paci stude & quieti, vt verus *Salomon*, id est, *pacificus*, audias.

℣. 8. APERI OS TVVM, id est, patrocinare, tuere, defende, modis omnibus adsis MVTO] id est, qui instar muti, pro semetipso eloqui non audet præ verecundia, vel non potest præ imperitia.

ET CAVSIS OMNIVM FILIORVM QVI PERTRANSEVNT] id est, omnium hominum mundi, inquit Pagninus: maximè verò peregrinorum & aduenarum, atque eorum qui è lauta fortuna transierunt ad inopiam & egestatem: quorum & maior miseria, & sors deterior, quàm qui numquam felices fuerunt.

℣. 10. MVLIEREM FORTEM, vel fortitudinis, LXX. ἀνδρείαν, id est, virilem; vel, vt alij, *industriam*: sed Luisius Legionensis vult ea voce, virtutum omnium cumulum, & plenam perfectionem notari, nempe quæ cum eximia pietate, pudicitiam, magnanimitatem, industriam, diligentiam, constantiam, ceteraque virtutes componit. Allegoricè, est Ecclesia Christi, inquit S. Augustinus, Gre-
Aug. ser. 45. de Diuers. Greg. l. 33. Mor. c. 21. Bern. ser. 2. super missus. gorius, Beda & Salonius: Tropologicè, anima sancta, sed speciatim B. Virgo, vt S. Bernardus pulcherrimè demonstrat: vti & Salazar, quem consule etiam pro sequentibus versiculis.

PROCVL, ET DE VLTIMIS FINIBVS terræ (vnde rarissimæ & pretiosissimæ margaritæ aduehi solent) PRETIVM EIVS] supple, meritò accersendum, vt talis vxor viro coëmi possit. q. d. Quouis pretio coëmenda est, quia pretium eius omnium, etiam pretiosissimarum, rerum pretium & æstimationem superat. Allegoricè, Beda vult hîc insinuari, Ecclesiam Christi etiam de vltimis finibus congregandam.

℣. 11. SPOLIIS NON INDIGEBIT] Hoc nomine vestes (*a*) scutulatæ, monilia, & alia mundi muliebris ornamenta aptissimè intelliguntur. Sicut enim turres (*b*) solent clypeis & vmbonibus deauratis victoriarum monimentis vndique præcingi, sic fœminæ suis monilibus & vestibus. q. d. Talis vxor non opus habebit pretiosa veste aut monilibus, vt arrideat viro suo, & cor illius rapiat.

℣. 15. DE NOCTE, id est, valdè manè, non flectens in altam lucem: DEDIT PRÆDAM] LXX. βρώματα, id est, escas seu cibos, non quouis modo partos, sed labore ac sudore, quasi vi deprædatos; catachresi desumptâ à feris, quarum omnis esca est præda.

℣. 18. GVSTAVIT ET VIDIT, id est, vsu atque experientiâ didicit, NEGOTIATIONEM, seu exercitationem & laborem suum esse *bonum*, id est, quæstuosum & frugiferum; adde, & salubrem: atque ideo tam sedulò operi incubuit suo, vt non dies solos, sed & noctes, saltem magnam illarum partem, laborando falleret, nempe in multam noctem vigilans, & summo mane euigilans: adeò vt LVCERNA EIVS vel numquam, vel non nisi exiguo interuallo *extingueretur*.

℣. 22. STRAGVLATAM VESTEM] id est, variæ texturæ, vti sunt stragula & tapetia, quibus lectus insternitur, & parietes ornantur. quorum mentio frequens in Iure, (*a*) & apud Ciceronem. q. d. Non modò rudiora manibus suis parabat vestimenta seruis & ancillis suis, sed etiam multam vestem stragulam sibi elaborabat ad lectos sternendos, & aulæa tapetiaque ad reliquam domum ornandam; denique & pretiosas sibi vestes ex *byssо* (*b*) & *purpura*, ita Rodolphus & Iansenius.

℣. 24. SINDONEM; hebraicè, *linteum*, putà subtilioris operis: ET CINGVLVM, id est, zonas perelegantes acu pulchrè pictas, & floribus tum aureis, tum purpureis, tum byssinis intextas, venumdabat CHANANÆO, id est, institori, vel vendendas *tradebat*. Quia enim gens Chananæa mercaturæ erat apprimè dedita, vt ex Tyriis patet, Iudæi non item; hinc nomine *Chananæi* sæpè pro *mercatore* vtebantur, vt alibi (*c*) dixi. Commendatur ergo strenua femina, quòd non rudiores solùm telas, sed etiam subtilissimas ac tenuissimas texere soleret: nec eas exiguo numero, solis vsibus domesticis & ornandæ familiæ necessarias, sed maximâ copiâ, vtpotè quarum venditione compararet sibi non modicos thesauros.

℣. 25. FORTITVDO ET DECOR INDVMENTVM EIVS. q. d. Elegantiora ista, putà sindones subtiliores & zonas elaboratas, non aptabat ipsa sibi: nam ipsi pro *cingulo* erat *fortitudo*, quâ *succinxit lumbos* (d) *suos*: pro veste eleganti & pretiosa erat natiuus decor & genuina pulchritudo, quæ putidis istis & indecoris ornamentis non eget. Vide hac de re Tertullianum, Clementem Alexandrinum & Chrysostomum, qui in philocosmas & molles illas acriter inuehuntur.

ET talis RIDEBIT; LXX. *lætata est*, IN DIE NOVISSIMO] id est, in senectute, cùm ad laborandum inepta poterit securè otiari, deliciari, & partis olim bonis lætè perfrui.

℣. 26. OS SVVM, silentio plerumque clausum, quoties loquendum esset, cum *sapientia* prudentiaque referabat, non absona vel inconcinna garrulitate, sed decenti circumspectione.

ET LEX CLEMENTIÆ IN LINGVA EIVS] nempe ad imperium clementiæ, quasi dominæ suæ, promebat sua verba, non mordacia, non acerba, non dura, sed lenia, sed mitia, sed suauia. Chaldæus, *lex gratiæ in lingua eius*, præscribens blandiloqua & lepida subinde verba, & sale conditos sermones.

℣. 31. DATE EI laudi DE FRVCTV MANVVM SVARVM] id est, propria facinora. quasi dicat: Quicunque talis heroinæ laudes vultis decantare. commemorate res ab ipsamet gestas, & aliena omittite. Quid enim opus patriam, parentes, clientelam, & maiorum encomia celebrare, vbi tanta suppetunt, & tam propria ipsiusmet facinora laude digna?

ET LAVDENT EAM IN PORTIS (*e*) OPERA EIVS] Id est, laudetur non tantùm intra domesticos parietes, sed etiam in foris & theatris, & celeberrimis ciuium ac magistratuum conuentibus.

a l. cùm tunicam. *ff. de aur. & argento & l.* quæsitum est §. si fundus. *ff. de fundo, & l.* instratum. *de verborum significatione. & Alciatus ibid. Cicero orat. 3. & 4. in Verrem.*

b Exod. 25. v. 4. & Ezech. 16. v. 10. c Iosue 16. v. 10. Isaiæ 23. v. 8. & Zachar. 14. v. 21.

d Sup. v. 17. Tertull. l. de Habitu fœminarum. Clem. l. 2. Pædag. c. 10. Chrysost. homil. 31. ad Popul. & hom. 41. in Genes. & in psam. 44. & orat. de paralytico.

e Deut. 17. v. 8. & Iob 5. v. 4.

ECCLE-

ECCLESIASTES.

קוהלת

SIc Græcè inscribitur hic liber, Hebraicè *coheleth*, id est, *conuocator* vel *concionator*. Nam toto hoc libro concionatur Salomon de mundi, mundanarumque rerum vanitate, vt quæ nec solidæ sint, nec constantes, nec animam satient, sed distrahant, affligant & crucient, quia plenæ defectibus, molestiis & curis. Itaque suadet omnium contemptum, & vnius Dei (*a*) assiduum cultum. Conscripsit verò Salomon hunc librum pro adultis iam in virtute, & ad perfectionem progredi conantibus, vt ex S. Hieronymo dixi in proœmio Prouerbiorum. Qui idem ait, conscriptum à Salomone post tot libidines & idololatrias iam resipiscente ac pœnitente. In quam sententiam, præter Hebræos, citat Pineda 24. grauissimos auctores: & variis pulchrisque rationibus confirmat.

a *Patet ex 1. Reg. vlt. v. 13.*

Pineda in Salom. præmio l. 2. c. 1. fol. 5. & 7.

CAPVT I.

Terræ & elementorum omnium mutationes: rerum sublunarium generationes & corruptiones, cælorum & siderum irrequietas circuitiones: ex quorum cognitione nulla tranquillitas humano animo; ex vsu nulla satietas sensibus; ex experientia nulla sapienti voluptas; sed vbique difficultas, vbique labor, vbique affectio. ô vanitas!

Prolog. de Idiotism. Hib. n. 50.

¥. 2. VANITAS VANITATVM] Id est, vanissima, maxima vanitas. Quo nomine designatur hîc porrò *mutabilitas*, agitatio, defectus rerum omnium creatarum, quâ per se instabiles tendunt in aliud continuò atque aliud esse, adeoque in interitum, & in nihilum, nisi potenti manu Dei contineantur & conseruentur. Solus verò *Deus* plena & omnimoda est *veritas*, id est, stabilitas, constantia, perfectio, beatitudo tum sua, tum aliarum rerum omnium. Nihil enim, præter vnum Deum, potest immensam nostram inanitatem complere, intellectus capacitatem satiare, appetitus sitim restinguere. Vt de singulis creaturis ordine deinceps probabit toto hoc libro Salomon, qui id à Dauide patre suo hauserat, psal. 38. *Vniuersa vanitas omnis homo viuens.* Et ex vtroque Gentiles Philosophi, è quibus Aristoteles *hominem* definit esse *exemplum temporis, fortunæ lusum, inconstantiæ imaginem, inuidiæ & calamitatis trutinam, reliquum pituitam & bilem.* Similia Lucianus & alij.

Psal. 38. v. 6. & Psalm 61. v. 10. & Psal 143. v. 4 Lucianus in Icaromenippo, seu Hypernephilo.

¥. 3. QVID HABET AMPLIVS HOMO quàm vanitatem, DE & EX VNIVERSO LABORE SVO? q.d. Nihil speres, te posse vel amplum, vel eximium tuo labore, studio & industriâ elicere ex omnibus quæ SVB SOLE sunt] Quid enim præter vanitatem elicias ex vanissim vanitate? ita Dionysius & Pineda. Et hæc est clausula libri totius. Chaldæus legit, *quid reliquum est homini, postquam mortuus fuerit, de omni labore suo?* nempe, præter vanitatem. & sic etiam accipit S. Hieron. Nyssen. & Olympiodor. Liranus, Osorius. Nullum enim aliud à mundo stipendium, quàm vanitas. Psal. 75. v. 6. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt.* Sap. 5. v. 8. *Quid nobis profuit superbia, & diuitiarum iactantia?*

¥. 4. GENERATIO, tum hominum, tum bestiarum, tum metallorum, tum elementorum, PRÆTERIT ET ADVENIT, non eadem numero, sed specie, vno moriente, succedit alius. TERRA AVTEM, theatrum omnis huius vicissitudinis, in qua ludi exhibentur, IN ÆTERNVM STAT] id est, stabilis manet & immota: alia omnia decurrunt. Etiam sol, etsi incorruptibilis, tamen loco mouetur perpetuò (& eadem est ratio ceterorum siderum & cælorum,) & sic instabilis est: nam

¥. 5. ORITVR SOL ET OCCIDIT, totus in eundo, totus in redeundo. ET AD LOCVM SVVM, id est, ad Orientalem plagam, (in qua creatum solem affirmat Seuerianus & alij plures) REVERTITVR; Chaldæus, *anhelat*, id est, velut cursu ahelus & labore æstuans, concitatissimè fertur, vt inde rursum redeat in orbem. Nec solùm ex Oriente graditur versus Occidentem cursu quotidiano, sed & annuo motu GYRAT PER MERIDIEM, ET FLECTITVR AD AQVILONEM, obliquo accessu & recessu suo inter Tropicos cancri & capricorni, nūc signa Meridionalia seu æstiua percurrens, nunc Aquilonaria seu hiemalia. ita S. Hieronymus, Olympiodorus, Theophilus Alexandrinus, Caietanus & recētiores.

Theophil. epist. 3. Paschali, to. 1. Biblioth. SS. Patrum.

¥. 6. PERGIT SPIRITVS, id est, ventus. Ita transfert Symmachus, & plerique recentiores. Et verò inter causas generationis & corruptionis sublunariū quas hîc Salomon recensет, itemque inter errabunda & inconstantia vniuersi, non vltimum locum tenent venti: qui nec ipsi quiescunt vmquam, nec aërem, nec aquam, nec terram sinunt quiescere, sed acri suo flatu, subinde & pestilenti, plurimis locis perniciem afferunt & ruinam. Sed & IN CIRCVLOS SVOS REVERTITVR] nam ex 12. ventis respondentibus 12. cæli terræque plagis, quot veteres distinxerunt, vel ex 36. quot recentiores, numquam non aliquis aliquam mundi plagam perflat, teste Plinio & experientiâ.

Plin. l. 2. c. 27. 38 46

¥. 7. AD LOCVM, VNDE EXEVNT FLVMINA] Id est, ad mare & mari cōterminam abyssum aquarum,

rum, quæ iam inde à mundi exordio est in terræ viscer-
ibus, sicut in corpore humano maxima sanguinis copia est in hepate & in corde; inquit Plato, Seneca, Philo, Plinius. indeque per innumeros cuniculos quasi per venas disperguntur aquæ per omnes partes terræ, & certis locis iam colatæ erumpunt in fontes, vel in flumina. Id insinuatur Eccli. 24. vers. 39. 40. & 41. & hìc in Chaldæo. Et ita sentit S. Hieronymus, Basilius, (a) Isidorus, Damascenus, Albertus Magnus, S. Thomas, Franciscus Valesius, Tostatus, Conimbricenses, à Lapide & alij. Quorum quidam æstum maris, velut magnæ matris respirationem, item flatus subterraneos volunt per eiusmodi terræ venas sursum adigere aquas, etiam ad summa montium quorumdam fastigia. Quidam vim attrahendi terræ innatam, vt matrici vel mammis in muliebri corpore: vel saltem vim fugendi, qualis est in panno, (qui licèt vix extrema sui parte aquas contingat, paulatim tamen totus humectabitur) putant ascensionis istius aquarum causam esse. Vt vt est, diuina prouidentia (inquit Theodoretus b) ad commodiores vsus mortalium prouidit vt scaturirent omnes ex interiori illa abysso, rursumque per suos alueos in mare, indeque in eamdem abyssum relaberentur, atque ita perpetuo motui, mutationi & instabilitati obnoxiæ essent, vt hìc Sapiens affirmat.

Plato in Phadone. Seneca l. 3. Natural. qu. c. 15. Philo l. de Mundi opificio. Plin. l. 2. c. 65.
a Basil. l. 4. Hexameron. Isidor. lib. 1 Originum c. 20. Damasc. l. 2 Fidei cap. 9. Albert. 2. Meth. tract. 2. c. 11 S Thom. 2. sent. dist. 4 qu. 1. Vales. c. 63. Sac. Philosph. c. Tostat. & à Lapide. in Genes. Conimbr. tract. 9 in Meteor. c. 4.
b Theod. sect. 2. de Prouidentia.

¶. 10. NIHIL SVB SOLE NOVVM] scilicet in naturali cursu rerum, putà cælorum, elementorum, ventorum, hominum, animalium, fluminum: item in scientiis & artibus quibus natura indiget, verbi gratiâ, fabrili, agricultura, scientia Philosophica, Theologica, &c. Secùs est de curiosis & extraordinarijs rebus, itemque prodigijs, monstris & miraculis. Vult insinuare Sapiens, non esse quòd nos superflua rerum naturæ secretarum indagatione, vel opum, voluptatum, dignitatum conquisitione torqueamus: nihil enim nobis eximium conferent, sicut videmus non contulisse ijs qui antè nos se illis indagandis & colligendis totos immerserunt.

CAPVT II.

Sapientiæ studio propter molestias sepositio, transfert se ad corporis voluptates consectandas. Sed nec ibi reperto vado, redit ad sapientiam cum voluptatibus conciliandam, sed frustra: vnde vitoq; fastidito, tradit se vanissimæ solicitudini corradendarum vndique opum, non tam sibi, quàm heredibus adhuc ignotis profuturarum.

¶. 2. RISVM ex insolenti gaudio & voluptate profusiorem, vt benè expendi, REPVTAVI ERROREM; Chaldæus, *derisionem*; alij *insaniam*. Derident enim nos terrenæ voluptates, quòd animi tranquillitatem felicitatemque in re tam vili, tam fluxa, quæramus. Vnde meritò errones, imò insani audimus: maximè cùm experientiâ didicerimus, *extrema gaudij luctum occupare*. Vnde vano GAVDIO DIXI, QVID FRVSTRA DECIPERIS, cùm nullo solido aut vero bono nitaris? nec hac viâ me quietum aut beatum reddere valeas? vnde & te decipis, & me.

¶. 3. ABSTRAHERE A VINO CARNEM, est abstinere à lautioribus epulis (a) à voluptate (b) & lasciuia.

a Sap. 2. v. 7. Isai. 5. v. 12.
b Prou. 2. v. 1. Eph. 5. v. 18 Apoc. 17. v. 3.

QVO FACTO OPVS EST] Id est, quo se occupare homines debeant ex rectæ rationis præscripto. Item, quid è re hominum sit, in quo multum operæ, studij, sollicitudinis meritò ponendum. Nempe, vt *quærant* (c) *regnum Dei*.

c Matth. 6. v. 33. &c.

¶. 9. SAPIENTIA QVOQVE PERSEVERAVIT MECVM, dum has omnes delicias mihi compararem, suggerebatque mihi modos & rationes conquirendi illas & fouendi, iucundoque experimento ijsdem fruendi, inquit Nyssenus & Richardus. Vnde plerique hinc colligunt, Salomonem etiam tot libidinibus & idololatrijs immersum non fuisse spoliatum sapientiâ sibi antè cælitus infusâ, vt dixi 3. Reg. 11. v. 7. R. Haccados per *sapientiam* intelligit *studium sapientiæ* q. d. Salomon, se vnà cum lautitijs corporis, etiam sapientiæ studio & cultui incubuisse, vt mentem sanam retineret inter tot rerum externarum irritamenta, & beatus cuaderet simul animo & corpore. Sed falsus est miser: nam etsi retinuerit sapientiam speculatiuam, certè practicè illi diu obsecutus non est, *videns meliora, probánsq;, Deteriora sequens*.

¶. 12. QVID EST HOMO?] quàm stultus est! quantùm errat, quum sibi persuadet se posse Deum creatorem suum & rerum omnium consequi, seu assequi in obtinenda hìc plena beatitudine & perfecta felicitate! Vt sibi persuadebat ille Tyriorum rex, qui dicebat: *Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris* (quasi dicat: Non minùs ego tutus & munitus in hac mea insula, quàm Deus muris cælestibus,) *dedi cor* meum, *quasi cor Dei*, id est, ausus sui etiam diuina tentare, & me Deo æquare sapientiâ, decore, delicijs, thesauris. Sic quoque hìc Salomon se insignis stultitiæ arguit, quòd maiora viribus humanis, & soli Deo propria tentarit, assequi nempe diuinam felicitatem, quærendo plenam animi tranquillitatem, & quidem medijs ab illa remotissimis, vino, crapula, libidinibus, diuitijs, ædificijs, &c. quæ non nisi sordes sunt, & impedimenta potiùs, quàm adiumenta.

Ezech. 28. v. 2.

¶. 14. SAPIENTIS OCVLI IN CAPITE (d) EIVS] quasi dicat: Sapientiæ beneficio homo assequitur, vt oculo mentis vtatur ad eum finem, ad quem in vertice locati sunt, nempe vt veluti speculatores ex loco altissimo procul præuideant quid agendum, quò eundum, quid sequendum, quid fugiendum, & sic vniuersæ vitæ cursum moderentur, necubi contingat impingere, hærere vel labi. Vnde Chaldæus, *sapiens contemplatur in principio quod futurum est in fine*. Sic Poëtæ *Ianum*, vt designent sapientissimum fuisse, bifrontem fingunt, vt qui & antecedentia & sequentia tempora perspiciat.

d Prou. 17. v. 24.

STVLTVS autem IN TENEBRIS non modò versatur, destitutus internæ lucis beneficio, sed & AMBVLAT (e) actus varijs cupiditatibus & vanis desiderijs ac passionibus, nunc amoris, nunc odij, nunc iræ, nunc alijs, vbique (f) impingens, vbique se lædens & alios, ac tandem præceps in exitium ruens, subinde & alios secum trahens. Quia oculos non habet in capite, sed vel in manibus, temerè quiduis amplectens; vel in pedibus, quocumque fert impetus ruens, vt pulchrè S. Ambrosius exponit.

e Prou. 7. v. 9.
f Psal. 34. v. 6. Deut. 28. v. 28. Iob 5. v. 14. & 12. v. 25. Isai. 59. v. 10. Prou. 14. v. 8. Ambr. l. 6. Hexam. c. 9

VNVS VTRIVSQVE INTERITVS] Id est, pari modo moriendum vtrique. q. d. Vt in alijs sunt valdè dissimiles sapiens & stultus, ita in humanis euentibus, maximeque in morte, sunt prorsus pares. Vnde si casibus ijsdem obnoxij sunt, neque potest me sapientia ab humanis ærumnis & casibus eripere, & me beatum hìc efficere.

¶. 15.

℣. 15. QVID MIHI PRODEST, QVOD MAIOREM SAPIENTIÆ DEDI OPERAM, & sapientiæ luce præcelluerim reliquis mortalibus? Sanè, HOC QVOQVE VANITAS, id est, status quoque sapientis, quia iisdem cùm stulto casibus humanis obnoxius, inter vana computandus est, quia non reddit hominem plenè tranquillum, saturum, stabilem, vndequaque beatum, & omnibus partibus perfectum. Quod maximè verum est de sapientia humanarum rerum. de qua etiam mox subiungit, v. 16. NON ERIT MEMORIA, &c.] Prisca enim dogmata, quantumcumque excellentia, & priscæ administrandæ respublicæ rationes, apud posterioris sæculi homines putidæ erunt, & vt vilia veteramenta negligentur & obliuione sepelientur. ita ferè Bonauentura, Caietanus, Titelmannus, Campensis, Osorius, Arboreus, Ferus, Montanus & Pineda.

℣. 24. NONNE MELIVS EST COMEDERE ET BIBERE, id est, frui partis & concessis à Deo, nec auarè & imprudenter illa alteri reconderet? ET HOC donum Dei EST, nempe naturale, vtpotè naturalis prudentiæ, & liciti ac liberalis amoris erga seipsum, DE MANV DEI, id est, à Deo auctore naturæ datum & inditum. ita Nyssenus, Olympiodorus, Neocæsariensis & alij plerique.

℣. 25. QVIS ITA DEVORABIT] id est, comedet, fruetur? q. d. Quis meliore iure absumet opes & deliciis fruetur, quàm is ipse qui illas multo labore & solicitudine parauit? ita ferè Pagninus & Pineda ex codice Veneto.

CAPVT III.

Ex vicissitudine, mutatione, & instabilitate atque interitu rerum omnium sublunarium, cum tempore fluentium & diffluentium, colligit nullam in his sitam esse hominis felicitatem. Sed ex stabilitate diuinorum operum, diuinaq; prouidentia suum cuique rei tempus præfinientis, hortatur omnes ad vitam tranquillè agendam, curasq; præposteras aut præproperas abyciendas.

℣. 1. OMNIA TEMPVS suum HABENT] Symmachus, *omnis negotij ac ministerij hora est*, supple, constituta & determinata à Deo. Mox subiicit quatuordena exemplorum paria. Sed ex paucis istis relinquit cuique similiter de aliis omnibus philosophandum. Ex quibus concludi vult, virum sapientem, compertâ rerum omnium vanitate & instabilitate, debere animo omnibus superiorem euadere, omnes calcare, omnes seu prosperas, seu aduersas æquanimiter & fortiter ferre, nec frustraneo labore aut cura illis deuitandis, quæ toti generi humano indiscriminatim obuenire solent, insudare aut se excruciare: sed tranquillo corde, & animo quieto, atque in omne Dei beneplacitum resignato totum se dare pietatis diuinique cultus studio sine vicissitudine aut intermissione. Hic enim scopus est huius cap. Alioquin, vt mox dicit:

℣. 9. QVID HABET AMPLIVS HOMO DE LABORE SVO?] Id est, quem alium fructum percipiat aut speret homo ex vniuersis curis & molestiis, quas circa res tam fluxas, tam instabiles, tam mutuò contrarias, tam difficiles, tam laboriosas continuò subit? q. d. Frustra alioqui se fatigabit, torquebit, cruciabit, nullo alio fructu, nullo emolumento.

℣. 11. DEVS MVNDVM, in quo tot contraria, tot vana, tot molesta, TRADIDIT DISPVTATIONI hominum, id est, examini, ratiocinationi, consultationi, inquisitioni etiam experimentali, & quæ inde consequitur, liberæ electioni. Hebraicè enim est, *dedit ad cor eorum*, quod hæc omnia complecti potest. Et alibi aliis verbis dicitur, *reliquisse* hominem *in manu consilij sui*. Indaget ergo homo, quamdiu & quantùm volet; non tamen obtinebit, vt INVENIAT OPVS QVOD OPERATVS EST DEVS AB INITIO VSQVE AD FINEM] id est, opus vndequaque perfectum, seu rem omnibus numeris absolutam: quod nos dicimus, *à capite vsque ad calcem*: Plautus & Cicero, *ab vnguiculo ad capillum summum*. q. d. Non reperiet quidquam, cui tamquam rei perfectæ & stabili, possit animus adfigi & inhærere. Eccli. 15. v. 14. & seq. & Sap. 1. v. 12. Plaut. in Epid. act. 5. scena 1. Cicero pro Roscio.

℣. 14. OMNIA OPERA QVÆ FECIT DEVS, PERSEVERANT IN PERPETVVM] Id est, quæ Deus peculiari prouidentia & beneuolentia confert homini, non spiritualia modò, sed & temporalia, quamuis naturâ suâ sint fluxa & caduca; tamen à tam potenti manu, supra vel præter naturam & conditionem suam, accipiunt stabilitatem, constantiam & firmitatem. Sic Christus Ioan. 16. v. 22. dicebat Apostolis, *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis*. Sic Iob 36. v. 7. *Reges* iustos *in solio collocat in perpetuum*. Idem dici potest de diuitiis, honoribus, pace, tranquillitate, si quando ea Deus amicis suis ad vitam iucundè transigendam subinde largiri decreuit. Huic enim diuino decreto nihil humanâ seu diligentiâ seu malitiâ vel addi potest vel detrahi, vt hîc dicitur.

℣. 15. QVOD semel FACTVM, seu decretum, EST à Deo, quantumcumque ab antiquo; adhuc tamen PERMANET, & fiet suo tempore: & omnia QVÆ adhuc FVTVRA SVNT, IAM sic decreta FVERVNT ab æterno. Semper intelligendo de *donis Dei*, de quibus solis hîc agitur. Et hunc suum sanctæ & immutabilis prouidentiæ pristinum morem atque tenorem quotidie INSTAVRAT, & semper seruat Deus. ita Neocæsariensis, Hugo Victorinus, Campensis, Caietanus, Pineda.

℣. 17. TVNC, nempe in iudicio diuino, ERIT TEMPVS OMNIS REI ex æquo & iusto diiudicandæ & remunerandæ. quasi dicat: Præiudicent homines quantùm possunt & lubet, non effugiet tamen quidquam supremi iudicis iustissimum examen.

℣. 18. VT PROBARET EOS DEVS] Hebraicè, *ad seligere*; LXX. *vt discernat*. quasi dicat: Si nulla esset hominibus exspectatio iudicij sinceri diuini, & futurorum bonorum, nihil differrent à iumentis in ratione & conditione naturæ. Sed iudicium diuinum probabit contrarium. Monet ergo Ecclesiastes, vt animum à terrenis, præsentibus & visibilibus auocemus, & ad futura, ad cælestia, ad diuina transferamus. ita ferè Olympiodorus, Liranus, Bonauentura & auctor Catenæ Græcæ.

℣. 19. IDCIRCO, quia similes corpore sunt bestiis, VNVS idemque INTERITVS EST HOMINIS ET IVMENTORVM. Quod ad corpus enim attinet, neutri melioris sunt conditionis: pari modo dolent, ægrotant, cadunt, algent, æstuant, esuriunt, sitiunt, spirant, viuunt, moriuntur. ET OMNIA PERGVNT AD VNVM LOCVM, nempe quoad corpus, IN TERRAM, vt sequitur, EX QVA FACTA SVNT] Vnde patet, nullam hîc mentionem fieri *animæ rationalis*, quia hæc *facta* non est *de terra*. ita

S.Hieronymus, Bonauentura, Albinus & ferè Latini, contra plerosque Græcos, D. Thomam & S.Gregorium, qui putant Salomonem hîc loqui ex mente & verbis atheorum.

S.Tho 1.p. q.75.a.6. ad 1. Greg. l.4. Dialog. c.4.

¥.21. QVIS NOVIT, nempe notitiâ sensuum, seu experimentali, an SPIRITVS FILIORVM ADAM, seu hominum, ASCENDAT SVRSVM, id est, superstes maneat & immortalis: ET SPIRITVS IVMENTORVM DESCENDAT DEORSVM] id est, penitus cum corpore dissoluatur & intereat. ita Hugo Victorinus & Pineda. Qui contra Caietanum, Scotum, Vatablum, Campensem, Ferum & Iulium Scaligerum benè probat cum S. Chrysostomo & Suarez, ratione naturali certò conuinci, ac demonstrari posse, animam hominis esse immortalem. Neque hoc Salomonem hîc negare, patet ex vers.17. suprà citato & aliis(a) locis huius libri.

Scot.4.dist. 43.q.2. Scaliger de Subtilit. exercit. 307.c.4. Chrysost. homil.4. de prouident. Suarez in Metaphys. a Eccles.11. v.9.c.12. v.7.& v.14.

¥. 22. NIHIL MELIVS QVAM LÆTARI HOMINEM IN OPERE SVO] Simile suprà cap.2.v.24. q.d. ex bonis corporeis si quid ad beatitudinem aliquam & tranquillitatem animi velis elicere, ne te crucient, vel cor arrodant superfluæ de futuris solicitudines & inanes curæ: sed nec opprimant corpus nimiæ voluptates, quibus & caro extenuatur, & animus obbrutescit, vt pulchrè docet Plutarchus: sed frugaliter simul ac liberaliter vtere iam partis, & tibi primùm, dein & proximo tuo cum lętitia benefacias. Et quæ sic impenderis, scias esse partem & portionem hereditariam tuam: nam quibus non vteris, non tua, sed tuorum heredum pars erit.

Plut. l.de Epicuri dg. cretis.

QVIS ENIM hominem ADDVCET ad eam notitiam, VT POST SE FVTVRA COGNOSCAT?] nempe qualem sit habiturus heredem, an sapientem, an stultum, an prodigum, an frugi. ita Sanctus Hieronymus, Liranus, Dionysius, Arboreus, Victorinus, & editio Arabica.

CAPVT IV.

Pergit demonstrare rerum humanarum vanitatem, maximè in honorum & primatus ambitione, in qua multa sunt quæ tranquillitatem animi perturbant, putà calumnia egenorum, tyrannis potentiorum, aliorum inuidia, infida amicitia, & id genus alia: quibus medetur diuina prouidentia timor, & religiosus cultus cum precibus ad Deum.

¥. 3. FELICIOREM VTROQVE IVDICAVI QVI NECDVM NATVS EST] Quomodo id verum sit, & an præoptare liceat, vide Iob 3.v. 2.& D.Thomam & Scholasticos.

S. Tho. 1.2. q.85. art. 1.

¥.4. CVRA SVPERFLVA] Hebraicè, *afflictio spiritus*. q.d. Nihil tam præclarum, tam splendidum, quod non pariat auctori inuidiam. Vnde Themistocles, *Sicut cantharides*, inquit, *tritico maximè vegeto, & floribus virentibus innascuntur, sic inuidia maximè illustres inuadit*. Et Periander, *morbum amicitiæ* esse dixit *inuidiam*. Vnde Cleobolus *duo* monebat *cauenda, amicorum inuidiam, inimicorum insidias*. Sed maior adhuc est stultorum vanitas.

Themistocl. apud Plutarch. Periander apud Stobæum serm. de inuidia. Cleobulus apud Max. serm. 54.

¥. 5. STVLTVS COMPLICAT MANVS SVAS, dans se sordidæ inertiæ, ne pateat aliorum inuidiæ: ET COMEDIT CARNES SVAS] conficiendo se extrema fame & inopia, & melancholia, vel etiam inuidia alieni boni. Solent enim pigri suis omnibus absumptis, non solùm inopiâ & mœrore contabescere, sed etiam aliorum diuitum fortunis & prosperis successibus inuidere, etiam cum maximo detrimento salutis propriæ, tum corporalis, tum spiritalis. ita Salonius. Accedit, quòd ferè nemo diuitum compati velit otioso & desidi, & ne vel buccellâ subinde donare, vt dicitur Prou. 20. vers.4. Vnde nihil illi reliquum, quàm *vt comedat carnes suas*.

¥.9. MELIVS EST ERGO DVOS ESSE SIMVL, QVAM VNVM] Per *vnum* intelligitur solitarius naturâ, opibus abundans, sed auarus, de quo vers. præced. Suadet huic Sapiens, vt pro filio, vel fratre, quibus caret, adsciscat sibi socios, & *amicos faciat de mammona iniquitatis*. Idque propter varia emolumenta & ingentia commoda, quorum aliqua mox subnectit. Cum hac sententiâ congruit Hebræum adagium, *Vnus vir, nullus vir. Aut societas, aut mors.* Et Alciati emblema: *Si vnus; aut iuuenis, & deest prudentia: aut senex, nec erunt vires: iunge vtrumque, & sapies.*

Luc.16. v.9

Emblem.41

¥.12. FVNICVLVS TRIPLEX DIFFICILE RVMPITVR] q. d. Filum per se tenue, facilè rumpitur, sed plura simul iuncta, non facilè. Sic si plures tibi amicos conciliaris, eris facilè resistendo cuiuis violentiæ: eris & offendendo & perrumpendo, instar cunei benè vniti. Simili ferè symbolo Scilurus apud Plutarchum docebat filios suos inuictam concordiæ vim fasciculo telorum, quæ singula facillimè, iuncta simul frangi nullo modo poterant. Sic Poetæ fingebant *Charites* seu *Gratias* numero ternario, quòd paucioribus amicitia vix coalescere, sapere, foueri & conseruari posse videretur. Allegoricè, S. Ambrosius & Gregorius id adaptant SS. Trinitati indissolubili: S. Hieronymus Tropologicè, tribus virtutibus Theologicis: S.Bernardus societati virtutum mentis, oris & operum.

Plutarch.in Apophtegh. Ambr.l.4. epist.17. Gregor.13. Moral.c.12 Hieron. hic. Bern.ser.16 in Cant. & serm.de Annunciat.

¥.13. REX SENEX ET STVLTVS NESCIT PRÆVIDERE IN POSTERVM] nempe pericula & aduersos casus qui possint obrepere.

¥.14. QVOD, v.g. QVIS NATVS IN REGNO, post diu-turnam & pacificam paternæ hæreditatis possessionem, variante subinde fortuna, regno exturbetur, & INOPIA CONSVMATVR] Tales tibi suggerent plurimos Plutarchus, Ammianus, Valerius Maximus, Tacitus, Florus, Polybius, Ausonius, Thetzius, Bisciola & Scribanius.

Plutarch.in Parall. & Apoph. Ammian. l.14. Valer. l.2. c.7. & l.6. c.9. Tacitus l.6. Annal. Flor. l.2. c.19. Polyb. l.2. hist. Auson. epigram.8 & in ludo septem Sapientum. in Solone. Tzetzes in sua histor. chil.4. Lal. Biscioli l.1. Horar. subsec. c.1. Card. Scrib. in Amore diuino. S. Thom. l.3. Regum. princ. c.8.

¥.15. VIDI CVNCTOS CVM ADOLESCENTE SECVNDO]. q.d. Etsi rex senex non extrudatur regno, tamen aliud paritur non rarò probri genus, quòd sentiat populares suos omnes à se dilabi, & ad principis adolescentioris, successuri in regnum, gratiam captandam, tamquam ad orientem solem conuerti. Id certè viderat Salomon in Absalomo, & Adonia, tempore Dauidis. Forsan & in suo Roboamo idem iam sentiebat, *luxuriâ & idololatriâ suâ factus abominabilis populo suo, & contemptui etiam seruis suis*, inquit S. Thomas.

¥.16. QVI FVERVNT ANTE EVM] q.d. Etsi omnes qui tum viuunt in regno, applaudât, adhæreant iuniori illi principi, & deserto contemptoque patre delicientur cum filio, id tamè non est futurum perpetuũ, subinde nec diuturnũ. Nam lapsu temporis, subortâ nescio vnde simultate, vel morbo, vel morte illius principis, non conceditur vltrà ex eo lætitia ijs *qui* tum *futuri sunt*. Et subinde coguntur tunc non sine pudore redire ad seniorem principem suum quem deseruerant; vt in Absalomi & Adoniæ assęclis contigit.

¥.17. INGREDIENS DOMVM DEI, seu templum, CVSTODI PEDEM TVVM. q. d. Caue ne sinistrè eò contendas, sed dextro pede, id est, non alio fine aut affectu, quàm audiendi verbum Dei, eiusque legi, quæ ibidem explicatur, obediendi. Nam si

vel

vel ex curioſitate, vel ex hypocriſi, vel vt ſanctior A videaris, vel etiam vt ſacrificium offeras ſolo externo ritu, neglectâ deuotione internâ, & curâ obſequendi mandatis Dei, ingrediaris, non tu ſapiens eris, ſed è ſtultis vnus, QVI NESCIVNT, ſed neque curant, QVID FACIVNT] ſiue bonum ſit, ſiue malum; ſiue gratum, ſiue ingratum Deo: nec reflectunt, eos qui ſceleribus ſuis inhærent, & ſic litant Deo, non colere, ſed ridere Deum, & odio atque abominationi (*a*) eſſe Deo. ita Chaldæus, & alij quos citat Aben-Eſra.

a Prou. 15. v. 9. 21. 26. & Eccli. 34. v. 23. 24. Iſaiæ 1. v. 11 12. 13 Ier. 6. v. 20. Amos 5. v. 22.

CAPVT V.

Quatuor alia vera religionis capita inculcat, nempe, prudenter vrandum, vota ſtatim ſoluenda, Dei prouidentiam ſubmiſsè colendam, carnis rebelles impetus comprimendos. Interſerit quædam de Angelis & vanis inſomniis. Suadet, vitatâ auaritiâ, frugalem & iucundum diuitiarum vſum.

¥. 1. NE TEMERE] LXX. *ne feſtinanter*, cum B perturbatione aut præcipitatione, ſine debita grauitate & maturitate. Sed neque *velociter*, impræmeditatè, præpropere ad Deum preces effundas.

DEVS ENIM IN CÆLO eſt tamquam in ſpecula, vnde facilè te orantem videt & audit, ET TV SVPER TERRAM quaſi ſuper theatrum, oculis & auribus diuinis planè patens.

IDCIRCO SINT PAVCI SERMONES TVI) Id eſt, non opus eſt multis, prolixis, aut compoſitis verbis, vtpote apud ſcientem & videntem omnia, & ipſa quoque nuda cordis deſideria penetrantem. ita Olympiodorus, Gregorius Nyſſenus, S. Auguſtinus & alij. Similia monet & Chriſtus Matth. 6. verſ. 7. & etiam Gentilis Seneca, Perſius & Martialis. Non ergo prohibet hîc prolixiores preces quæ ex ingenti affectu promanant (nam & Chriſtus (*b*) erat pernoctans in oratione:) ſed inane *multiloquium*, & ſuperfluam verborum profuſionem, quam Græci ab inepto Poëta *Batto*, voces ſine ſenſu inaniter repetente, *Battologiam* vocarunt: quæ, vt definit Gregorius Nyſſenus, eſt *linguæ volubilitas & vanus ſermo; aut melius, mentis efferueſcentia, atque effutitio, deliramenta & nugæ.*

Seneca de Benef. l. 1. c. 1. Perſius Satyra 1. Martial. l. 1 epigram. 33. b Luc. 6. v. 12. Greg. Nyſſ. orat. 1. de Orat. Dom.

¥. 5. NE DEDERIS OS TVVM, Id eſt, ne vnquam os aperias ad temerè, impræmeditatè, imprudenter loquendum, atque omnium minimè ad aliquid ſic effutiendum quo velis emiſſum à te votum (de quo verſibus præcedentibus) malè excuſare, ſubterfugere vel violare. Idque metu ne PECCARE FACIAS CARNEM TVAM, id eſt, teipſum. q.d. Ne ſic loquèdo, te nouo peccato obſtringas, & conſequenter, te noui ſupplicij reum conſtituas, peccatum peccato ſuperaddendo. ita Vatablus Campenſis & Iſidorus. Ac nominatim, *ne* DICAS CORAM ANGELO, nempe *Cuſtode* tuo, vt eſt in antiquis Biblijs Venetis. Vel, vt alij, coram quocumque demum Angelo, qui vota tua nuper emiſſa detulit in conſpectum Dei, de quo Ezechiel c. 9. v. 2. Vel *coram angelo*, id eſt, coram ſacerdote qui Malachiæ 2. *Angelus Domini exercituum* vocatur. ita Liranus, Dionyſius & Pineda. Coram hoc *Angelo* caue dixeris, NON EST PROVIDENTIA] id eſt, non ſat prouidè, nec deliberatè, ſed per errorem & imprudentiam (*c*) voui. Hebraicè, *quia ignorantia eſt*; LXX. Aquila, Vatablus & Mercerus, *ſpontaneum non eſt.* q.d. Ne te vanè excuſes, excuſatione non ſincera, vel legitima. nam vt homines fallas, non falles Deum, qui violati voti iuſtus vindex aderit, & te & tua omnia maledictione (*d*) ſua perdet. ita Olympiodorus, Campenſis, Iſidorus, Clarius & Pineda. Quidam tamen, quos citat Olympiodorus, id exponunt de diuina prouidentia. q.d. Ne dicas, Deum non curare res humanas, ac proinde nec vota tua, nec peccata.

Tob. 12. v. 12. Malach. 2. v. 7.

c Leuit. 4. v. 2. & Num. 15. v. 25.

d Leuit. 26. v. 16. 17. 18 Deuter. 28. v. 15. 16. &c.

¥. 7. NON MIRERIS] Hebraicè, *ne obſtupeſcas* ſubuerti iuſtitiam in regno per inferiores iudices: id enim in orbe vulgatiſſimum, & iam pridem notum tum Deo, tum regibus. Graues tamen ob cauſas tolerantur eiuſmodi iudices, etiam ad longum ſubinde tempus, neque tamen deſperes propterea de remedio: cùm ſint altiora tribunalia, ad quæ prouocare vel appellare liceat. Quòd ſi nec ab his quidem extorqueri poſſit iuſtitia, recurſus ſemper patet ad *Regem* regum, cui ſubiecta *ſeruit vniuerſa terra*, qui ſine vllo dubio iuſtam feret ſententiam, ſed ſuo tempore. ita S. Hieronymus, Bonauentura, Albinus, Liranus, Hugo & recentiores.

¥. 12. DIVITIÆ CONSERVATÆ IN MALVM DOMINI SVI] Ob illas enim affligitur animo, dum timet amittere vel imminuere: Cruciatur curis, dum ſeruandis augendiſque incumbit. Vexatur litibus, inquit Hieronymus; raptorum & graſſatorum inſidiis, Olympiodorus: mortem incurrit non rarò, ſeu à domeſticis, ſeu à latronibus, ſeu à iudicibus, inquiunt Liranus, Dionyſius, Caietanus, Titelmannus. Et *ſexcenta* ſunt illi *malorum occaſiones*, inquit Gregorius Thaumaturgus.

¥. 13. PEREVNT IN, ſeu cum, AFFLICTIONE PESSIMA poſſeſſoris ſui; adeò vt etiam filius eius, & alij qui ſperarant ſe fore heredes, extremâ penuriâ & *egeſtate diſpereant.*

¥. 16. COMEDIT AVARVS IN TENEBRIS] Id eſt, clàm, ſecretò, ſolitariè. q.d. Tam parcè, tam ſordidè victitat, vt non audeat palam, & coram alijs cibum ſumere, ſed furtiuè, &, vt dici ſolet, è manu comedit. tantum abeſt ſplendida conuiuia inſtituat, & opes cum amicis partiatur. ita Chaldæus, Bonauentura & Titelmannus. Alij *in tenebris*, id eſt, miſerè, in luctu, in mœrore, ſine lætitia, &c.

¥. 17. FRVATVR LÆTITIA] De hoc & ſeq. verſ. vide ſuprà c. 2. v. 24.

¥. 19. NON ENIM SATIS RECORDABITVR DIERVM miſerorum VITÆ SVÆ. Loquitur de liberali diuite, cui ex Dei dono obtingit, quòd honeſtè fruatur opibus ſuis, & COR EIVS OCCVPETVR DELICIIS] Id eſt, amœnis & iucundis cogitationibus ac ſtudijs, non verò anxijs curis & triſtibus phantaſijs auarorum. Vnde non torquet ſe, neque valdè cogitat de vita ſua, vitæque varijs caſibus ac periculis, ſeu tranſactis, ſeu imminentibus: ſed libero ſolutoque animo conquieſcit in diuina prouidentia, ſtudetque illi vni placere. ita ferè Caietanus, Vatablus, Campenſis & Oſorius.

CAPVT VI.

Pergit inſectari calamitoſam auari diuitis conditionem & miſeriam.

¥. 3. ANIMA ILLIVS NON VTATVR BONIS SVBSTANTIÆ SVÆ] Hæc prima res eſt, in qua longæui & diuitis auari conditio deterior eſt abortiuo, quia abortiuus nõ potuit vti quibus caruit: ſed auarus non caruit bonis, nec tamen vſus

vſus eſt. Secundò, *ſepulturâ caret* abortiuus, nempe ſplendidâ & honorificâ: ſed hanc nec merere, nec procurare ſibi potuit. potuit auarus & debuit, more gentis ſuæ, & neglexit. Quod cùm extremæ ignominiæ fuerit apud Hebræos, Romanos, & pleraſque alias nationes, & illâ pœnâ mulctari ſoliti ſint ſoli facinoroſi, patriæ vel parentibus rebelles, vel qui ſibi violentas manus intuliſſent, vt Diodorus, Petrus Faber, Marcellus, Neracius, Hegeſippus & Caſellius teſtantur; conſequens eſt, diuitem auarum, dum ſui ſepulchri curam ſordidè negligit, ſeipſum extremæ improbitatis, & ſcelerum iam dictorum vltrò damnare. Tertiò, abortiuus *fruſtrà venit*, id eſt, ſuo fine caret, ſed ſimul eximitur omnibus miſeriis: auarus verò & fruſtrà natus eſt, & miſerijs maximis ſeipſum inuoluit. Quartò, abortiuus *non videt ſolem, & necdum natus pergit ad tenebras* mortis: neque aliud potuit. potuit auarus iucundâ vitæ & lucis vſurâ frui: maluit in tenebris marceſcere, de quibus c.5.v.16. Quintò, *obliuione delebitur nomen* abortiui: ſed nec nomen habuit, nec potuit præclaris factis inclareſcere. potuit auarus, & noluit. Sextò, *non cognouit diſtantiam boni & mali*, id eſt, caruit moleſtijs & doloribus abortiuus, neque expertus eſt quantum boni ſit in vna re, quantum mali in alia. ſed auarus mille ærumnis & cruciatibus ſe ipſe conficit. Septimò, abortiuus vix pauculis horis vel diebus aliquid incommodi ſubiit, ferè ſine ſenſu: auarus *multos annos, & plures dies ætatis* miſerrimus vixit, *& ſi duobus millibus annis vixerit*, totidem quoque annis miſer & ærumnoſus viuet. Octauò, abortiuus vix nomen filij meretur, vix hominis nomen: auarus *centum liberorum* pater, nihil voluptatis hauſit ex ipſis, nihil vtilitatis deriuauit in ipſos. Nonò, *ad vnum locum properat* vterque; nempe mortis, ſepulchri & inferni, ſeu *gehennæ*, inquit Chaldæus: ſed abortiuus nullâ ſuâ culpâ, nullo ſcelere graui, nullis pœnis torquendus; auarus plurimis, grauiſſimis, æternis.

Diodor. l. 2. Pet. Faber. l. 2. Semeſtr. c. 9. Marcellus in l. 35. ff. de Relig. & ſumptib. Neracius in l. Liberorum. ff. de his qui notantur infamia. Hegeſippus l. 3. de Excidio Ieroſol. c. 17. Caſellius l. 2. Variarum c. 3.

℣.7. OMNIS LABOR HOMINIS nempe talis auari diuitis, verſatur IN ORE EIVS, id eſt, vt victui ſibi parando ſtudeat, ſubaudi & veſtitui & ceteris vitæ fouendæ neceſſarijs. nil aliud cogitat, nil aliud loquitur, nil aliud curat. Interim ANIMA EIVS NON IMPLEBITVR, id eſt, ſeipſum numquam ſatiat, victu quotidiano ſe defraudans, genio numquam indulgens, fame ſeſe enecans. Id S. Hieronymus & Gregorius Tropologicè, accommodant ijs qui ſolùm ſtudent eleganter dicere, ſed animâ ieiunâ manent.

℣.8. QVID HABET AMPLIVS PAVPER SAPIENS, præ diui.e STVLTO auaro, NISI VT PERGAT ILLVC VBI EST VITA?] id eſt, niſi vt laboret victui parando, quo vitam ſuam ſuſtentet, & iucundè & hilariter foueat? Quod etſi laborando manibus, vel etiam mendicando facere cogatur, eò tamen felicior ac beatior eſt diuite auaro: quòd pauper ſaltem labore partis vtatur iucundè, ſibique inde benefaciat: diues auarus laboret perpetuò, & quantumuis abundet, non tamen vtatur, ſed etiam quotidiano dimenſo ſeſe defraudet.

℣. 10. QVI; pro quicumque, FVTVRVS EST, quantumcumque diues & præſumptuoſus, IAM VOCATVM EST NOMEN EIVS, nempe *Adam* ab *adamah*, id eſt, pulueritius, ſeu ex puluere rubro compactus. q. d. Ex nunc ſcitur futurum terrenum, & mox iterum morte reſoluendum in terram. Et quantaſcumque congerat opes, quantamcumque potentiam: certum tamen quòd nil poterit

אדם
אדמה

A CONTRA FORTIOREM SE] id eſt, contra Deum, ſupremum omnium dominum, inuictum regem, incorruptum iudicem, qui nullis muneribus corrumpi, nullis blanditijs deliniri, nullis fraudibus falli poteſt.

℣. 11. VERBA SVNT PLVRIMA, quibus poſſit quis cum Deo contendere, inquit Clarius & Campenſis; ſed fruſtra & in *vanũ* erit illi eiuſmodi *diſputatio*, & nihil profutura obmurmuratio. Varablus, poſſent multa alia verba, & argumenta, etiam Philoſophorum, in eamdem rem proferri, ſed quæ nihil prodeſſent, quàm ad augendam vanitatem rei ſanè vaniſſimæ, nempe ſordidæ & ſtultæ auaritiæ,

CAPVT VII.

Breuitatem vitæ humanæ inculcat: quæ bona ſectanda, ac præ aliis eligenda docet: denique ad bonam ac felicem mortem diſponit.

B ℣. 1. MAIORA SE QVÆRERE, id eſt, ampliora, magnificentiora & plura, quàm pro hominis ſtatu vel indigentia. ita Olympiodorus. His ſtudendum non eſſe probat. Primò, ex eo quòd homo ignoret, an quæ appetit, verè ſibi conducibilia ſint. Secundò, quòd breuiſſimum vitæ noſtræ tempus expediat impendere non futuris, incertis, ſuperfluis vel alienis, ſed propriis, vtilibus, certis ac præſentibus. vt etiam Gentilis Seneca prudenter monet. Tertio, quia incertum, QVID POST SE FVTVRVM SVB SOLA] ſeu quibus vſibus ſeruitura ſint ea quæ tanto ſtudio paras, forſan exitio tibi tuiſque futura, vt dixit c.5.v.12.

Seneca de Breuit. vitæ c.13.16.17.

℣ 2. MELIOR EST DIES MORTIS DIE NATIVITATIS] Quia cùm naſcimur, ingredimur carcerem corporis, ſtadium miſeriarum, myriadem periculorum, laborum, dolorum: cùm verò morimur, euadimus hæc omnia pleni meritis, pleni virtutibus, æternitatis iam & beatitudinis candidati. Vnde funebres laudationes in morte, non apud Hebræos modò, ſed & Romanos (*a*) & Chriſtianos. ita Sanctus Chryſoſtomus & Olympiodorus.

C

a Polybius l. 6. Dionyſius l. 5. Plutarchus in Valerio. Plin. iunior. l. 2. epiſt. 1.

℣. 4. MELIOR EST IRA EIVS] Id eſt, melius eſt iraſci & indignari malè agentibus, quàm arridere. Sermo enim hìc eſt de ſolo riſu malo.

℣. 5. COR SAPIENTIVM VBI TRISTITIA] Id eſt, propendet, & gaudet ſapiens reprehendi de erratis & corripi, etiam triſti & graui vultu, & aſperioribus verbis. Stultus non delectatur niſi lætis & blandis adulantium verbis ac vultibus. Patet ex verſu ſequenti.

℣. 7. SICVT SONITVS SPINARVM ARDENTIVM SVB OLLA, quæ tantùm crepant, nec diuturnam flammam ſubminiſtrant, ſed copioſum fumum; nec carnes coquunt, ſed oculos & aures offendunt adſtantium: SIC RISVS STVLTI] putà adulatoris, de quo pulchrè S. Hieronymus, Dio, & Perſius.

D

Hier. ep. ad Ruſticum. Dio orat. 31. Rhodiaca. Perſius ſatyra 1.

℣. 13. ERVDITIO ET SAPIENTIA VITAM TRIBVVNT POSSESSORI SVO] nempe ſpirituales animi opes atque delicias, & veram, ſolidam æternam felicitatem. Hæc enim omnia nomine *vitæ* deſignantur in Scripturis. Simile habes Prouerb. 3. verſ. 16.

℣. 14. CONSIDERA; Symmachus & Hieronymus, *diſce*, quædam eſſe OPERA DEI, quæ homo ſuâ ſapientiâ vel viribus mutare vel corrigere non poteſt: ſed ad ea corrigenda opus eſt recurſu ad Deum, qui ſolus illis malis mederi poteſt. Talis verò eſt, QVEM DEVS DESPEXIT, ſeu deſeruit, hunc enim NEMO hominum CORRIGERE; Hebraicè, *reconcin-*

reconcinnare, POTEST] Hoc Chaldæus & S. Hieronymus accipit de *defectibus naturalibus*, & citant pro exemplo *cæcum & claudum*. Sed potest cum Theologis etiam extendi ad defectus spirituales excæcatorum & obduratorum in malo, quos Deus *despicere* (a) ac *deserere* dicitur, non omninò & ex toto (nam numquam negat eis sufficientia auxilia ad resipiscendum) sed ex parte, & respectu aliorum quibus longè plura, nobiliora & efficaciora subsidia largitur. Hos tales, quamdiu tales sunt, nullus hominum vlla arte, ingenio, labore corrigere potest: potest tamen Deus. q. d. Noli ergo solis humanis remediis frustra adhibendis te fatigare, sed ad Deum recurre, illi supplica, illi commenda. ita S. Gregorius & plerique Scholastici. Interim

(a) *Vide dicta Genes. 45.*

S. Greg. l. 11. Moral. c. 5. Scholast. de Gratia.

¥. 15. MALAM DIEM PRÆCAVE, id est, tempestiuè dispice quâ ratione possis tempus quod instat ærumnosum vel euadere, vel commodissimè transigere. Voluit enim Deus alternis, nunc prosperitate, nunc aduersitate, hominem in hac vita perpetuò exercere, cũ alias ob causas, tum VT NON INVENIAT HOMO CONTRA EVM IVSTAS QVERIMONIAS] id est, ne queri possit seu iustus, seu iniustus, de perpetuo aliquo & constanti rerum statu, qui & fatigationem & nauseam, & contemptum parere solet. ita Symmachus, Hieronymus, Vatablus & Caietanus.

¥. 17. NOLI ESSE IVSTVS MVLTVM] id est, nimiùm; nempe in expostulando cum diuina prouidentia, & in tua iustitia, vel aliorum iustorum actiùs vindicanda. Noli item *nimiùm sapere* in his perscrutandis. v. g. Cur tam citus, tam subitus, tam seuerus vltor erratorũ iusti etiam leuium: ad scelerum verò grauissimorum hominis iniusti vltionem tam serus, tam lentus, tam mitis? vt dixerat v. præc. ita verè S. Hieronymus, Olympiodorus & Pineda. Quamquam etiam in genere de *omni iustitia* monere liceat, *Noli esse iustus nimis*. In punitiua seu correctiua noli esse nimius inquisitor, exactor, censor, vel vltor: sed suus epijkiæ sit locus. In distributiua caue, tantoperè metuas conferre indigno præmia, vt denegesetiam digno. In commutatiua, ne sic alterius lucro studeas, vt tibi vel tuæ familiæ damnum crees. Pulchrè hæc exequitur S. Hieronymus & Salonius, & Fernandus Carthaginiensis Diaconus & Franciscus Valesius. Qui in genere omnem virtutem in medio consistere, vitium in nimio esse docent.

Fero. Diac. regula 6. sui paranetici ad Regin. Vales. Sac. Phil. c. 67.

¥. 19. SED ET AB ILLO, nempe stulto, vel impio, NE SVBTRAHAS MANVM] sed iuua & foue qua potes. q. d. Quibuscùmque potes benefac, etiam improbis, etiam hostibus tuis propter Deum, vt monet S. Paulus ad Galatas 6. *Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei*. ita S. Hieronymus, Bonauentura, Liranus & ferè Latini.

¥. 20. SAPIENTIA CONFORTAVIT, seu fortem & præstantem tum consilio, tum rerum externarum administratione reddidit, SAPIENTEM SVPER DECEM PRINCIPES CIVITATIS] id est, præ toto magistratu, qui fortè constabat decem principibus apud Hebræos, vt colligi videtur ex cap. 4. libri Ruth, vbi Booz conuocat *decem viros* iudices *de senioribus ciuitatis*, vt Feuardentius ibidem & Hugo exponunt. Licet Iosephus & Sigonius non nisi septenos in singulis vrbibus principes agnoscant, de quo vide Bertramum. Et hæc tanta vtilitas quæ ex sapiente vno obuenit reipublicæ, causa est, cur iubeat hîc Salomon v. 19. singulari ope foueri & sustentari sapientes. Neque huic officere debet,

Sigon. de Hebr. rep. l. 7. c. 7. Bertram. de Politia Iudaica c. 7.

A quòd sapiens interdum cespiter, labatur & peccet, cùm ex omni hominum, etiam iustissimorum, numero

¥. 21. Nemo sit IN TERRA, QVI FACIAT ita BONVM, VT NON aliquando PECCET & desipiat, & labatur, saltem in leuioribus. A page verò hinc stultam Lutheri, Caluini & Melanchthonis conclusionem, nullum esse opus iustorum quod non sit peccatum, & quidem mortale. Quod Salomoni numquam in mentem venit, vt ex verbis patet, & optimè demonstrat Bellarminus & alij Doctores.

Bellar. l. 4. de Iustificatione.

¥. 24. CVNCTA TENTAVI IN SAPIENTIA] Id est, quæcumque potui, tentaui sensu & experientia probare, vt non speculatiuè solùm, sed & practicè scirem, quid boni & commodi, quid mali & molestiæ in quaque re inesset, vt sic completè & perfectè *sapiens* redderer, & sapientissimus mortalium efficerer. Sed falsus fui: nam *ipsa* sapientia per B illa experimenta rerum sensibilium, & consuetudinem atque assiduitatem voluptatum, non solùm non aucta fuit, sed etiam imminuta, obscurata & hebetata, maximè per vsum feminarum, quo quasi obbrutescit animus. Hinc factum, vt longiùs à me fugeret sapientia, seseque magis mihi occultaret, quasi in altissimis ac profundissimis latebris.

¥. 28. ECCE post multum inquirendi laborem, tandem HOC INVENI, seu reipsa certissimum esse comperi, nempe VNVM, quod iamiam dixi de captionibus, tendiculis & illecebris feminarum: ET ALTERVM, quod mox dicam, nimirum, multò difficiliorem esse inuentu probam & prudentem *feminam*, quàm *virum*: nam ex millenis ne quidem vnam reperi. Fortè alludit ad 700. vxores, & 300. concubinas suas, quas lepidè perstringit. Sed *rationem* tantæ infirmitatis, tantæque paucitatis prudentium feminarum, etsi diligentissimè quæsierim, hucusque nondum *inueni*. ita S. Hieronymus. Chrysostomus & auctor Imperfecti.

Chrysost. homil. 32. Auctor Imperf. ho. 54. in Matt. 2.

¥. 30. SOLVM HOC INVENI, QVOD FECERIT DEVS HOMINEM RECTVM] id est, integrum, perfectum tam quoad animam, quàm quoad corpus. de qua rectitudine dixi Genesis 3. v. 7. q. d. *Deus*, non est auctor tanti mali, sed *homo ipse*, qui cùm *rectus* esset, expers omnium *quæstionum*, seu iurgiorum, pugnarum, seditionum, rebellionum intus & foris, vltrò sese implicuit infinitis talibus quæstionibus, vt nil iam in eo purum pacatumque reperire sit, sed omnia confusa, perturbata & corrupta.

QVIS TALIS VT SAPIENS EST?] Id est, quis sapiens est, (vt Chaldæus vertit,) q. d. Vtinam quis reperiatur tam sapiens, qui *verbi*, seu quæstionis à me iam propositæ, de ratione tantæ paucitatis prudentium feminarum, aptiorem *solutionem* norit & in medium proferat? ita ferè S. Hieronymus & Albinus.

CAPVT VIII.

In vultu elucet sapientia: cuius mox laudes prosequitur, & alias proprias notas enumerat: vt & alia quadam minutiorum vanitatum genera, quibus sapientia medetur.

¥. 1. IN VVLTV, id est, oris & faciei lineamentis, adeoque vniuersi corporis habitu, LVCET SAPIENTIA] nempe lumine quodam modestiæ, grauitatis, hilaritatis, gratiositatis in vultu, in sermone, in incessu, in omnibus motibus, moribus & operibus. Simile habes Prouerb. 17. v. 24. & Eccli. 19. vers. 26. Comites enim sapientiæ sunt maturitas, modestia, &c.

POTEN-

POTENTISSIMVS Deus FACIEM ILLIVS COMMVTABIT] id eſt, commutare ſolet, vt pro variis temporum & rerum neceſſitatibus varios induat vultus, nunc ridentis & conſolantis, nunc flentis & compatientis, nunc obiurgantis, & corripientis: ſed quemcumque vultum induat, ſemper in eo reluceat ſapientia, ſemper amabilem ſe præbeat & gratum. ita Dionyſius.

℣. 2. EGO OS REGIS OBSERVO] Loquitur Salomon in perſona prudentis miniſtri aulæ. q. d. Si tuo loco eſſem, ſic me gererem. Vel cum Pagnino & aliis hebraizantibus, ſubaudi, *Suadeo tibi, moneo te*, nempe *os regis obſerua*, vt eſt in Hebræo, Chaldæo & LXX. Id eſt, totus pendeas ex vultu, verbis & nutu regis tui: & quidquid innuerit, exactè cõpleas omni cura & ſolicitudine, ne quid elabatur aut omittatur. Eſt enim hoc *præceptum Dei*, quod iuramento regi tuo præſtito ſpopondiſti te completurum. ita Caietanus, Iſidorus, Campenſis, Victorinus ex S. Hieronymo. Qui tamen putat, per regem hîc poſſe etiam Deum intelligi, regum omnium Regem, è cuius nutu & præceptis iuramento confirmatis, omnes pendemus.

℣. 5. TEMPVS ET RESPONSIONEM, id eſt, tempus reſpondendi, itemque modum & ſubſtantiam reſponſionis, INTELLIGIT COR SAPIENTIS] nempe quando vel ſubitò rogatur & conſulitur, vel ratio reddenda eſt geſtorum vel gerendorum. Nam, vt ſequitur,

℣. 6. MVLTA EST HOMINIS AFFLICTIO, ſeu moleſtia & labor in captanda opportunitate agendi cum principe, & optima ac ſalubertima reſpõſione deligenda: idque propter *ignorationem* multorum *præteritorum & futurorum*. Quæ ſi certò cognoſcerentur, ſæpè conſilia & reſponſa mutaremus.

℣. 8. NON poteſt homo PROHIBERE SPIRITVM] nempe vitalem, ne exeat è corpore, vt habet Chaldæus, Hieronymus, Vatablus & poſteriores. Et patet ex ſequentibus.

NEC SINITVR QVIESCERE INGRVENTE BELLO] Id eſt, nemo dimittitur, nemo emittitur è caſtris inſtante conflictu: neceſſe eſt in prælio vel vincere, vel mori. Porrò hoſtis hic eſt *mors*, inquit Hieronymus, Iſidorus, Campenſis & Titelmannus, ſecundùm illud Iobi 18. *Calcet ſuper eum, quaſi rex, interitus*. Vel eſt ipſe *diabolus*, qui ſub extremum vitæ potiſſimùm nos oppugnat, vt S. Chryſoſtomus, Ephrem, Baſilius, Iuſtinus, Euſebius, Gregorius, Sulpitius fusè deſcribunt.

Chryſoſt. hom l. 54. in Matth. 14. & homil. 2. de Lazaro. Ephrem to. 3 ſerm. in eos qui in Chriſto obdormierunt. Iuſtin. in dialog. ad illud Pſ. 30. In manus tuas cõm. Euſeb. de Demonſtr. Euangel. l. 10. c. 8. Greg. hom. 39. in Euãg. Sulpit. in Vita S. Martini. Berclaius l. 1. de Regno.

℣. 9. INTERDVM DOMINATVR HOMO HOMINI IN MALVM SVVM] nempe *imperantis*, vt Rabbi Salomon, Bonauentura, Liranus, Dionyſius & Guarinus, qui legit *in malum ſibi*. Citanturque pro exemplis Pharao, Sennacherib, Nabuchodonoſor, Antiochus, Herodes & alij. Sed Chaldæus, Syriacus & Arabicus textus referunt ad *malum ſubditorum*. Et ita exponunt Caietanus, Campenſis, Oſorius, Thaumaturgus, Olympiodorus & ferè Græci. Cùm enim reges multa gratiæ, multa odijs, multa priuatis commodis indulgent, maxima ſubditis mala creant, vt benè oſtendit Guilielmus Berclaius ex Tacito, Claudiano & alijs.

℣. 12. EGO COGNOVI, QVOD ERIT BONVM TIMENTIBVS DEVM] q. d. Vel ex hoc quoq; quòd Deus tam lentus eſt ad puniendum improbos, tam celer ad pios, etiam leuiter delinquentes, caſtigandos, certò colligere poſſum, longè melius fore pijs & iuſtis, maximè in morte & poſt mortem: quia cùm in vita ſimulatque peccarunt exerciti fuerint varijs peccatorum ſuorum pœnis ac ſuppliciis, atq; alijs ærumnis, nihil vel parùm in morte ſuperent expiandum. Impios verò manet adhuc integra ſupplicia, vt dicitur 2. Mach. 6. v. 13. & 1. Petri 4. v. 17.

℣. 16. DISTENTIO eſt quidquid animum diſtinet & anxia ſolicitudine exercet. v. g. curæ rerum temporalium, ait Olympiodorus & Campenſis: curioſitas cognoſcendi incerta & occulta diuinæ prouidentiæ, inquit S. Hieronymus: denique quæuis moleſtia, vt in Hebræo eſt & LXX.

CAPVT IX.

Varij rerum humanarum euentus, ratione quorum ad Dei potentiam prouidentiamq; recurrendum, eiq; acquieſcendum: de reliquo, honeſta iucunditati, ſtudio ſapientiæ, licèt vulgò deſpectæ, & piis operibus ſedulò incumbendum.

℣. 1. OPERA EORVM IN MANV DEI SVNT] id eſt, in ſcientia & memoria diuina, in qua, tamquam in manu vel charta concluſa, occulta tenentur opera iuſtorum, ne cuiquam pateant. Sicut alibi dicitur, *In manibus abſcondit lucem*. Cùm verò cum homine aliquid communicat, tunc dicitur *aperire manum ſuam*. ita Hugo, Dionyſius, Victorinus & fauet Chaldæus. Ergo quantumcumque quis ſit iuſtus *Iob 36. v. 32*

TAMEN NESCIT, VTRVM ODIO AN AMORE DIGNVS SIT] nempe certa & infallibili ſcientia, & quæ excludat omnem formidinem de oppoſito. Nam talis ſine peculiari reuelatione non habetur in hac vita, vt definit Concilium Tridentinum. Coniecturalem verò certitudinem ex interno ſpei robore, & virtutum exercitijs, quæ anxietatem excludat, à iuſtis obtineri poſſe, pulchrè docet S. Cyprianus, Auguſtinus, Leo Papa, Gregorius, Bernardus, & Valentia; Vaſquez & alij Doctores. Hebraicè eſt, *etiam amorem, etiam odium neſcit homo: omnia ante eos ſunt*, vt vertit Pagninus, Caietanus & Vatablus. pro quo noſter Interpres clariùs dixit, *omnia in futurum ſeruantur incerta*. quia quod *ante nos* ſeu à fronte eſt, videtur nos exſpectare quaſi eò aduenturos, vti S. Hieronymus in ſuo commentario, Symmachum ſecutus, exponit. Nam *in fine* demum *hominis, denudatio* fiet *operum illius*, Eccli. 11. *Trid. ſeſſ. 16 c. 9. & 16. Cypr. l. de Immortalitate. & l. aduerſ. Demetrianum Auguſt. in Pſalm. 149. Leo ſer. 8. de Epiphania. Gregor. l. 6. Regiſtri c. 187. Bern. ſer. 69 Valent. t. 2. diſp. 8. q. 4. Vaſquez t. 2. q. 112. a. 6. diſp. 201. c. 4.*

℣. 2. EO QVOD VNIVERSA ÆQVE EVENIANT IVSTO ET IMPIO] Rationem dat, licèt non prorſus adæquatam, cur nemo ordinariâ viâ certus eſſe poſſit de propria iuſtitia. q. d. Si quis de eo certus eſſe poſſet, maximè id conſtaret ex diuinis erga eum beneficijs aliiſve euentibus, ſeu proſperis, ſeu aduerſis: ſed ex his nihil certi colligi poteſt, vtpote quæ tam iniuſtis quàm iuſtis communia ſunt: ergo. Sic Euripides apud Lucianum conqueritur, nullum eſſe ſignum, quo praui à bonis dignoſcantur.

℣. 4. MELIOR EST CANIS VIVVS LEONE MORTVO] Prouerbium eſt, quo deſignatur, vitam meliorem eſſe morte, & vitæ commoditates ad reſipiſcendum & promerendum anteponi ſtatui mortuorum, in quo nulla ampliùs facultas ſeu mutandi conſilij, ſeu proficiendi in melius. Licèt ob alia quædam vitæ incommoda, mors ſubinde præoptari poſſit, vt dixi Iob 3. & hîc c. 7. v. 2.

℣. 5. MORTVI NIHIL NOVERVNT AMPLIVS] nempe ex quo poſſint aliquid noui emolumenti ſibi comparare, vel noua præmia mereri, vel reſipiſcere aut reſilire à malo. Patet ex ſeqq. Non ergo negatur hîc, mortuos ſcire poſſe, reuelante Deo, vel Angelis, ea quæ in terris geruntur, vt fusè probat S. Thomas & alij Theologi. *S. Tho. q. 10 a. & 2. 2 q. a. 4. & laſſis.*

VIVENTES verò SCIVNT, & perpetuò, ſi ſapiunt, memi-

meminisse debent, SE MORITVROS ESSE] vnde à vitijs & sordibus se continent, ad virtutes se impellunt, nec perituris hisce rebus abduci se sinunt à cura cælestium, præmiis illis, & pœnis æternis assiduo exstimulati ad vitam honestè traducendam, & mortem sanctè obeundam. Talibus ergo dicit mox Sapiens:

℣. 7. COMEDE IN LÆTITIA PANEM TVVM] Id est, viue lætus, & fruere concessis tibi bonis.

℣. 8. SINT VESTIMENTA CANDIDA, id est, festiua & læta & nitida & splendida pro statu tuo:

ET OLEO quoque, seu vnguento, more patriæ, ne parcas, vt nitere, & suaui fragrãtia redolere possis. De quibus vide Plutarchum, Athenæum, Plinium & Stuckium. Suadet nempe Sapiens hilarem cum pietate vitam, & victum cum moderatione lautum ac liberalem, qui puri & innocentis animi index esse solet. Idem suaserat etiam c. 2. v. 24. & c. 3. v. 22. & alibi sæpiùs.

Plutarch. in Sympos. lib. 3. Athen. l. 15. P. in l. 16. c. 1. Stuck. l. 3 Conuiual. c. 16.

℣. 10. NEC OPVS, seu tempus operandi, NEC RATIO; Hebraicè & Græcè *æstimatio*, seu computatio. q.d. Apud inferos, (quò tum omnes, etiam iusti descendebant,) nulla erit occasio quidquam meritorium exercendi: & post subductos & signatos semel in morte calculos, nulla supererit incunda de nouo ratio dati vel accepti, sed solummodo mercedis acceptæ perfruitio, vel debiti exactio & persolutio. NEC SAPIENTIA, ad bene, industriè, callidè aliquid in rem tuam agendum; nec SCIENTIA seu experientia, ad prudenter tibi consulendum, istic iuuabit. Quare dum in viuis adhuc agis, & potes his omnibus tibi pro omni æternitate prospicere, caue negligas, caue differas, caue indormias.

℣. 11. TEMPVS; CASVSQVE IN OMNIBVS] nempe plurimùm valet, putà in omnium hominum genere, mercatorum veloci cursu, militum forti militia, principum diuite imperio, magistratuum lucroso studio, artificum necessario opificio. Neque enim optimi vel præstantissimi semper referunt prima præmia, seu honoris, seu gratiæ, seu lucri; sed voluit supremus rerum arbiter ea sæpè pendere à variis fortunæ & subitorum euentuum casibus. Idque vt assuescat humanus animus sursum sese ad diuinam prouidentiam attollere, quæ domina est omnis fortunæ, & moderatrix omnium euentuum.

℣. 18. QVI IN VNO PECCAVERIT, MVLTA BONA PERDET]. q.d. Etsi sapiens toti subinde vrbi iam desperatæ salutem afferat: tantaque sit eius dignitas & æstimatio & efficacia, vt eius voci quantumcumque leni & moderatæ, silentio & obsequio summo plus deferatur, quàm strepitosis clamoribus, minis & imperiis principum ac magistratuum: potest tamen etiam ipse sapiens plurima subinde tum sibi, tum reipublicæ damna causare, si vel semel, seu facto, seu consilio, deflectat tantillùm à rectæ rationis vel sapientiæ præceptis.

CAPVT X.

Pergit laudare sapientiam, detestari stultitiam, nominatim ambitiosorum hominum: docet interim non detrahendum magistratibus, neque illorum imperio repugnandum.

℣. 1. MVSCÆ MORIENTES suâ spurcitiâ & immunditiâ PERDVNT SVAVITATEM VNGVENTI cum quo commiscentur. Sic vitium etiam minimum à sapiente admissum, inficit, obscurat, corrumpit bonam famam, nomen & gloriam illius. Hac enim comparatione probare contendit quod in fine præcedentis capitis dixerat, cauendum sapienti necubi impingat. S. Augustinus per muscas hæreticos vult designari, tum propter iam dicta, tum propter improbitatem nesciam repulsæ, auiditatem rei semel degustatæ, morsus acerbitatem, originem immundam, gustum putidum & obscœnum, &c. Sed hoc allegoricum est: litterale quod dixi: nam mox applicat & explicat id Salomon sequẽti hemistichio nempe sicut musca vnguentum corrumpit, sic PARVA ET AD TEMPVS STVLTITIA, seu error admissus à sapiente, quantumuis leuis & breuis, PRETIOSIOR EST omni ipsius SAPIENTIA ET GLORIA, quantumuis excellenti antè & eximia: id est, in vulgi opinione potior est, pluris æstimatur, maius pondus habet. nam fœdat & commaculat nomen, æstimationem, gloriam omnem illius. Ita construendum patet ex Hebræo, & vertunt Pagninus, Vatablus, Isidorus, Montanus, Caietanus & Campensis. E quibus patet, quàm interdum sit iniquum & præposterum vulgi iudicium: & quàm seriò cauendum etiam à leuissimo lapsu.

Augustin. l. contr. Fulgentium Donatistam art. 14.

℣. 2. COR SAPIENTIS IN DEXTERA (*a*) EIVS, id est, mens, attentio, cura, vigilantia semper incumbit dexteræ, id est, vt melioribus intendat, perfectiora semper sectetur, sicut COR STVLTI est, IN SINISTRA ILLIVS] id est, intendit vilioribus & deterioribus rebus. q.d Sic sapiens obtinebit, ne facilè impingat, etiam in re minima. Cetèrùm non esse hîc mentionem de materiali corde corporis, vel inde certum est, quod istud vniformiter omnibus hominibus non in dextera, sed in medio sit thoracis, nonnihil ad lævam vergens, ob rationes quas Aristoteles, Galenus, Auicenna, & ex iis Vesalius, Carolus Stephanus & Andreas Laurentius & alij Anatomici fusè prosequuntur.

a *Prou.* 4. v. 27.

Arist. l. 1. de Hist. animal. c. 17. & l. 3. de Partib. c. 4. Galen. l. 6. & 9. de Vsu part. c. 2 Auicenna l. 1. fen. 10. tract. 1. Vesal. l. 6. c. 9. Steph. l. 2. Anatom. c. 31. Laurentius l. 9. q. 10.

℣. 4. SI SPIRITVS POTESTATEM HABENTIS; Hebraicè, *dominantis*, id est, principis vel magistratus, SVPER TE ASCENDERIT, id est, si eucharis in principem, vel magistratui admouearis, LOCVM TVVM NE DIMISERIS, id est, ne pristinam in loquendo, conuersando, viuendo modestiam, humilitatem, comitatem abijcias. quod alibi (*b*) dicit: *Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis, quasi vnus ex ipsis.* Secundò, ne desere locum in quo nunc es, ne desis muneri & officio tuo, inuigila commisso tibi gregi, cura ne quid cuipiam desit, ne quis suis quoque partibus desit? QVIA talis CVRATIO CESSARE FACIET PECCATA MAXIMA, alioqui committenda. ita ferè S. Hieronymus & Caietanus.

b *Eccli.* 32. v. 1.

℣. 9. QVI TRANSFERT LAPIDES, dimouendo eos & suffurando ex aliena maceria, AFFLIGETVR IN EIS ipsemet: nam vnico subinde extracto lapide, toto labente aceruo obruitur. Nam quatuor his prouerbiis apertè docet Sapiens, quando quis alteri damnum seu vi, seu dolo parat, grauissimo, eodemque reciprocante supplicio ipsummet lædentem lædi, sic exigente diuinâ iustitiâ, vel humanâ indignatione ex damno accepto irritatâ vicem rependente.

℣. 12. VERBA SAPIENTIS GRATIA, id est, omnibus grata, iucunda, vtilia. At LABIA *detractoris*, molesta, ingrata, pernicioſa non aliis modò, sed & ipsimet. ita Hugo Cardinalis, Dionysius, Moringus, Campensis.

℣. 15. LABOR STVLTORVM AFFLIGET EOS, seu frustra fatigabit & torquebit in arduis & implexis quæstionibus enodandis, quales occurrunt in gubernatione reipublicæ, in tractatione rerum diuina-

diuinarum, in curatione salutis animarum, &c. A Quomodo enim his sese expedient miseri, QVI NESCIVNT IN VRBEM PERGERE?] id est, qui etiam vulgares & faciles res ignorant, qualis est *viam ad vrbem* demonstrare, quod etiam pueris notissimum est. ita Aben-Esra, Vatablus & Osorius. Vel simpliciùs, cum Chaldæo, Mercero & Delrio, quasi dicat: Frustra desudat stultus impius benè ac feliciter res suas exequi, qui veram viam, id est, sapientiam & pietatem, vel ignorat, vel saltem non tenet. Sicut dux itineris non deducet in vrbem, qui viam eò ducentem ignorat, vel sequi negligit. Anagogicè, via in cælum est virtus, & maximè recta intentio. ita ferè Hieronymus, Olympiodorus & Neocæsariensis.

℣. 17. BEATA TERRA, CVIVS REX NOBILIS EST] id est, & generis prosapiâ illustris, & proba educatione, candidis moribus & principe dignis virtutibus splendens. Opponitur B enim hæc *nobilitas*, *pueritiæ* regiæ, non ætatis (nam illi prospici potest matura prudentia gubernatorum, vt patuit in Charilao (*a*) Spartæ, & Ioanne (*b*) Castellæ regibus) sed morum & vitiorum, maximè verò gulositati & comessandi libidini: vnde supina deinde omnium voluptatum indulgentia, & publici officij negligentia. ita Liranus, Dionysius, Hugo, Titelmannus & Osorius.

a *Plutarch. orat. 2. de Alexandri fortuna.* b *Mariana l. 19. c. 15. & Ribadeneira de Principe Christiana l. 1. c. 10.*

℣. 18. IN INFIRMITATE MANVVM; Hebraicè, in *dejectione*, seu remissione; LXX. *segnitie* manuum, PERSTILLABIT DOMVS] & regnum, licèt firmissimum, paulatim corrumpetur, tandemque etiam corruet. Pergit enim insectari desides & luxui deditos principes ac magistratus.

℣. 19. IN RISVM FACIVNT PANEM ET VINVM] id est, *propter risum*, vt vertunt Pagninus & Guarinus; seu *ad voluptatem*, vt Tigurini; perpetuò comessantur & helluantur securi, nempe, dum incuria illorum fatiscit & labascit regnum. ita Sanctus Hieronymus & Græci in Catena: *Pigri abdomini vacant, inhiantq; pecuniæ ad solam voluptatem.* C

c *Osea 3. v. 21.*

ET PECVNIÆ OBEDIVNT (*c*) OMNIA] Hebraicè, *pecunia exaudit omnia*; Mercerus, *annuit omnibus*; Guarinus, *respondet omnibus*; Vatablus, *facit respondere omnia*. Nempe, reginam pecuniam omnia deprecantur, omnia prompta sese efferunt vbi illa adest & annuit. Porrò insinuatur his verbis, gulosos illos magistratus, ne quid vnquam desit suo luxui, totos esse in corradendis pecuniis, & muneribus captandis, quorum intuitu venalia habeant omnia, ius, iustitiam, honorem, dignitatem, vitam & animam, & æternitatem. ita Olympiodorus & Neocæsariensis. D

℣. 20. QVI HABET PENNAS] id est, auis. Hyperbole ista significat, rem etiam occultissimè à te dictam, occulto quopiam modo perferendam ad eum de quo dixisti. Vnde maximè cauendum ne regi detrahas vel magistratui, quantumuis suo desint officio. nam multos habent & oculos & aures. Ad litteram, aues cæli, nempe grues. Ibyci cædem & sicarios prodiderunt, vt narrat Plutarchus. ita S. Hieronymus & Olympiodorus.

Plutarch. l. de Garrulitate post med.

CAPVT XI.

Pro auaritia & vana voluptate suadet beneficentiam & bonorum operum assiduitatem, ex fiducia in Dei prouidentiam, ex vitæ præsentis vanitate, ex mortis memoria, ex præmio vel supplicio futuro: quæ morborum omnium animi, & præsertim auaritiæ, præsens medicina sunt.

℣. 1. MITTE PANEM TVVM SVPER TRANSEVNTES (*a*) AQVAS, id est, liberalis sis & munificus, non in eos solùm, à quibus gratiam referendam speres, sed & in eos quos putes vel beneficij immemores fore propter ingratitudinem, vel non potentes reddere propter inopiam; vt videaris quasi in aquas tua abijcere. Certus enim esto, quòd iteratò tua INVENIES, & quidem cum fœnore, etiam centuplo, saltem POST MVLTA TEMPORA, seu in hac, seu in futura vita: vt solent refluentes aquæ ligna & alia quæ secum voluunt, in littus reijcere. Simile habes Eccli. 29. v. 13. ita Neocæsariensis & Nazianzenus. Pineda in verbo *mittre* notat commendari hîc Primò, largam in eleemosyna liberalitatem; Secundò, celeritatē & promptitudinem; Tertiò, hilaritatem & libentiam tum animi, tum vultus in dando; Quartò, vltroneam largitionem non iam petenti; sed nec cogitanti quidem, sed & absenti. Per *panem* intelligit omnia ad vitam necessaria. Per *tuum*, non ex alieno, (*b*) sed ex proprio dandam eleemosynam. Per *aquas transeuntes*, secreto, & sine iactatione (*c*) vel ostentatione donandam. Plura de eleemosyna vide Tob. 4. v. 7. & apud nostrum Peltanum.

a 2. *Reg* 14. v. 14.

Nazianz. orat. 19. ad matrem Nonnam.

b *Eccli.* 34. v. 21.

c *Marci* 12. v. 41. *Peltanus de Eleemosyna.*

℣. 2. DA PARTEM SEPTEM, NEC NON ET OCTO] (*d*) supple egenis. nam datiui casus esse patet ex Hebræo & Græco. q.d. Ex facultatibus tuis partem liberaliter da *septem*, id est, plurimis egenis. imò *octo*, id est, omnibus quibus potes, etiamsi innumeri sint qui accurrant, iuxta illud (*e*) Christi. *Omni petenti te, tribue.* ita Neocæsariensis, Vatablus, Campensis, Titelmannus, Victorinus, & alij recentiores. Ad hunc locum alludit S. Ambrosius, cùm ait: *Mandatum accipis, octo illis partem dare fortasse benedictionibus.* Amplius, quia ignoras quid super terram futurum sit mali, seu culpæ, seu pœnæ, ab hostibus, à fortuna, à Deo, à dæmonibus tibi, tuis, toti reipublicæ aliquando infligendæ. A quibus omnibus liberari poteris per eleemosynam, quæ tibi perpetuò comes & propugnatrix aderit; vt varijs exemplis Pineda & Peltanus demonstrant.

d *Michæ* 5. v. 5.

e *Luc.* 6. v. 30.

Amb. l. 5. in Luc. c. 6.

℣. 3. SI REPLETÆ FVERINT NVBES vaporibus & humoribus è terra mariq; collectis, IMBREM liberaliter EFFVNDENT SVPER iustos & iniustos: ita dives corrasis vndique opibus & charitate grauidus, arentes famelicorum animas effusa vbertim eleemosyna irrigat & exsaturat.

SI CECIDERIT LIGNVM AD AVSTRVM, id est, si homo moriens reperiatur in statu gratiæ & salutis: AVT AD AQVILONEM, in statu peccati & damnationis; IBI ERIT æternùm. Quare curandum, vt arbor, priùs quàm excidatur, inclinet & prona per eleemosynas pendeat versus *Austrum*: neque enim, post mortem locus erit vlli pœnitentiæ, inquit S. Hieronymus, Olympiodorus, Gregorius, Bernardus, D. Thomas & alij. Sed Nota, sub *Austro* tunc etiam comprehendi Purgatorium, vt olim comprehendebatur limbus sanctorum Patrum, quia quicumque in hæc loca concedunt, sunt in statu gratiæ & salutis.

Gregor. c. 12. Moral. c. 13. Bern. serm. 43. & 40. inter varios D. Tho. 2. 2. q. 13. a. 4.

℣. 4.

℣.4. QVI OBSERVAT VENTVM ET NVBES, id est, qui ab eleëmosyna facienda, alijsve virtutibus exercendis terretur ob dubios euentus, v.g. ob annonæ charitatem, bellum fortè imminēs, &c. NON SEMINAT, id est, negligit omnes lucri æterni occasiones: vnde etiam NVMQVAM METET] nihil mercedis à Deo accipiet, neque in hac, neque in altera vita.

℣.5. QVOMODO IGNORAS QVÆ SIT VIA SPIRITVS, id est, animæ viuificantis inductio in embryonem, sordidam illam & mortuam materiam: SIC NESCIS OPERA Dei miranda & stupenda, quæ circa diuites & pauperes non rarò operatur. v.g. irritos reddit labores diuitum, (a) benedicit conatibus pauperum: diuitum spolijs condecorat (b) pauperes, quos è sordibus (c) prouehit ad solium: diuites deijcit (d) in terram, &c. q.d. Inniten-
B dum igitur diuinæ prouidentiæ, & illi fidendum: non verò anxiè obseruandi venti & nubes.

a *Eccli.* 12. v. 11.
b *Prou.* 28. v. 8.
c *Eccli.* 23.
d *Iac.* 1. v. 11.

℣.6. MANE ET VESPERE SEMINA, id est, semper, sine intermissione studeas benefacere alijs: QVIA NESCIS QVID MAGIS ORIATVR] Id est, quid maiores melioréve fructus procreabit seu accipienti, seu danti: fieri enim potest, vt posterior eleemosyna magis necessaria, magis vtilis petenti, magis meritoria danti, magis grata Deo existat, quàm prior. ita ferè S. Chrysostomus, Osorius & Pineda.

Eccli. 18. v. 25.

Chrysost. homil. 65. *super Matth.*

℣.7. DVLCE LVMEN, &c.] q.d. Dulcis & grata est vitæ huius vsura: tamen moriendum est homini, & coram tribunali iudicis comparendum, vbi ratio reddenda omnium factorum, omnium neglectorum. Itaque dum vita, dum opes, dum mille occasiones adsunt, strenuè ijs vtendum ad fructus quàm plurimos, quàm optimos in id tempus colligendos. Incipit enim hîc peroratio seu conclusio totius huius disputationis de vanitate rerum omnium, & vnica hominis felicitate: quam docet positam esse in Dei timore & cultu, & sobrio ac moderato vsu rerum à Deo concessarum; fuga verò turpium voluptatum, quæ animum eneruant, & corpus corrumpunt.

℣.9. LÆTARE ERGO IVVENIS] Chaldæus, LXX. & Rabbi Haccados, item Olympiodorus, Isidorus, Arboreus, Dionysius, Moringus, Ferus & Thuanus putant, seriò à Salomone suaderi moderatam animi lætitiam florenti iuuenum ætati propriam, sed mortis semper memorem & instantis iudicij. ita enim suprà sæpiùs suasisse audiuimus. Sed verisimilius putant reliqui Hebræi, & Bonauentura, Liranus, Caietanus, Vatablus, Victorinus, Montanus & Osorius, ironicam esse permissionem, vt familiare esse Scripturis demonstrat S. Hieronymus & Cantipratensis.

Hieron. in Amos 4. *Cantipratensis l.* 5. *Hypoc. c.* 4. & *l.* 10. *c.* 1.

CAPVT XII.

Vitæ emendatio non differenda vsque in molestam senectutem, cuius plurima grauissimaq; incommoda, & finis amara mors. Assidua Dei creatoris & iudicis conseruanda memoria, & timori ac cultui diuino sedulò incumbendum.

℣.1. TEMPVS AFFLICTIONIS] Graphicè describit hîc senium, inquit S. Hieronymus, Chaldæus, Emissenus, Liranus & Caietanus. Quæ captiuitati Babylonicæ & Romanæ accommodant Rabbini: Allegoricè, extremo iudicio Gregorius Neocæsariensis, Olympiodorus, Cyrillus & S. Hieronymus.

Emiss. hom. 13. *Dominica post Pentecosten. Cyrillus Ieros. catechesi* 15.

℣.2. TENEBRESCAT SOL] Non propriè & in seipso, sed in oculis senum caligantibus, quia quasi per tenebras vident solem, vti & aliud quoduis *lumen*, seu sublunare, seu cæleste.

REVERTANTVR NVBES POST PLVVIAM] Id est, post catarrhos delabentes succedant alij caliginosi vapores ex calore iam debilitato, qui mox etiam resoluentur in nouos catarrhos, depluentque per oculos, per nares, per os, per reliquum corpus. ita Valesius.

℣.3. COMMOVEBVNTVR & alterabuntur CVSTODES DOMVS, id est, oculi & organa reliquorum sensuum, ET NVTABVNT VIRI FORTISSIMI] id est, vacillabunt crura, fortissima pars hominis; quibus tamquam fortissimis baiulis corpus innititur. ita Liranus & Valesius.

OTIOSÆ ERVNT MOLENTES] id est, dentes: nam propter inappetentiam, deiectis ventriculi viribus, desinent prorsus commolere.

VIDENTES PER FORAMINA] id est, pupillæ, quæ per corneam tunicam fenestratam prospiciunt: vel simpliciùs, anima per oculos prospiciens, tenebrescet, defectu spirituum, qui cùm lucidi sint, *si non adsint, squalidum & sine splendore obtutum* relinquunt, vt dicebat Hippocrates. Addit Valesius, senibus partim siccitate, partim excrementorum congestione crassescere succos oculorum, & membranas durescere ac corrugari: multis etiam neruos opticos & meatus obturari.

℣.4. CLAVDENT OSTIA IN PLATEA] Id est, oculos, os, aures, nares reddent ineptas vitæ vsibus, perinde ac si prorsus essent occlusæ. *Platea* verò dicitur facies hominis aperta & conspicua, pluribus sensuum quasi ostijs & officinis distincta.

IN HVMILITATE, id est, ob tenuitatem & submissum sonum VOCIS MOLENTIS] Cuius causa est tum paucitas molentium, seu dentium: tum debilitas pulmonum & arteriarum.

CONSVRGENT AD VOCEM VOLVCRIS] Id est ægrè dormient. Nam senes frigescente sanguine, &
C siccato humore, quibus sopor fouetur, ad leuissimum sonum auiculæ solent euigilare. ita S. Hieronymus, Olympiodorus & alij.

OBSVRDESCENT FILIÆ CARMINIS] id est, aures, inquit S. Hieronymus. Vel, vt Caietanus & Mercerus, ipsa carmina: sicut filius hominis, est homo. Per *carmina* verò intellige omnem concentum: qui per hypallagen dicitur obsurdescere (sicut *sol* v. 2. dicebatur tenebrescere,) putà non in seipso, sed in auribus senum. ita Valesius.

℣.5. EXCELSA viarum TIMEBVNT] Hebraicè, *ab excelsis*; Vatablus, *à re eminente*: Nimirum, fessis poplitibus etiam plana via difficilis & molesta est.

FLOREBIT AMYGDALVS] Id est, caput canescet. Nam amygdalus omnium arborum prima candeD scit floribus.

IMPINGVABITVR LOCVSTA] Id est, crura tumebunt, quin & corpus totum pituitâ & aqua intercute, & chiragræ & podagræ tumoribus inflatum erit instar ventrosæ locustæ. ita ferè Chaldæus & S. Hieronymus.

DISSIPABITVR (Vatablus, *extinguetur*) CAPPARIS] id est, appetentia cibi & veneris: nam vtramque excitat *capparis*: vt Auicenna, Plinius, Valesius & Ruellius docent. Vnde Chaldæus vertit, *prohibeberis à concubitu*; Campensis, *peribit appetitus*.

Auicen. l. 2. *c.* 102. *Plin. l.* 13. *c.* 23. & *l.* 19. *c.* 8. *Vales. c.* 66. *Sac. Philos. Ruell. de Stirpibus l.* 2. *c.* 105.

DOMVM ÆTERNITATIS] Periphrasis est *sepulchri*, vel potius futuræ vitæ. Simile Isaiæ 14. v. 18.

IN PLATEA PLANGENTES amici moribundi, vel præficæ.

℣.6. ANTEQVAM RVMPATVR FVNICVLVS ARGENTEVS] Supple ex v.1. *Memento Creatoris tui.* Per *funiculum* hunc intelligunt Hebræi omnes (inquit Mercerus) sacram spinam dorsi, quæ 18. iuncturis seu nodis constat: & *argentea* vocatur, quia tam os, quàm medulla ossis albo & argenteo colore est: quæ dum *rumpitur*, resoluitur aut laxatur, fit homo paralyticus, vel moritur, vt docent Valesius & alij medici.

ET RECVRRAT à cranio VITTA AVREA] id est, meninx seu membrana tenuis, quæ cerebri est inuolucrum, & quasi vitta illud cingit & continet. ita Chaldæus, Vatablus, Isidorus, Valesius, Delrio & Thuanus. Dicitur *aurea*, quia rufa, vt aurum: & quia pretiosissima, instar auri. Nam læsâ meninge, mori hominem necesse est. Imò, teste Valesio, multi medici putant, ad illam potiùs quàm ad cerebrum pertinere vim primam sentiendi neruorum. Saltem indissolubiter adhæret cerebro, & hoc siccato vel imminuto, vt fit in senibus, etiam ipsa contrahitur & corrugatur, & recedit à cranio. Vnde & cranium aresc it & calueſcit: sicut & herbæ arefactà terrâ.

Delrio in Adagijs.

ET CONTERATVR HYDRIA SVPER, seu iuxta, FONTEM] *Hydria* venæ sunt, *fons* iecur, à quo vt fonte hauriunt omnes sanguinem. Hic fons conteritur, cũ vel lapideſcit iecur, vnde aqua intercus, & alij morbi: vel vulneratur vel finditur, vnde mors.

ET CONFRINGATVR ROTA SVPER CISTERNAM] *Rota* est vis attractiua venarum, & circumuolutio facultatum nutritiuarum, quæ continuâ attractione ex magno illo receptaculo sanguinis circa cor; vel, si lubet, ex stomacho, tamquam ex *cisterna*, hauriunt sibi necessaria. Hæc *rota* confringi dicitur, cùm vel tollitur omninò, vel præpeditur. Vide plura apud Pinedam.

℣.11. A PASTORE VNO] Id est, à Deo: quem ideo *pastorem* vocat, vt persistat in metaphora *stimulorum*, quibus pastores pecora stimulant & propellunt. ita Greg. Neocæsariensis & S. Hieronymus.

℣.12. HIS AMPLIVS NE REQVIRAS] Id est, sapientiæ diuinæ, & sapientum virorum præceptis & consiliis contentus esto, neque alia aliundè, vtpotè vana & inutilia, conquiras. Nam licèt infiniti prostent libri, non omnes tamen vtiles sunt: & plus sæpè *afflictionis*, id est, defatigationis seu lassitudinis, quàm lucri vel commodi, indè hauries.

℣.13. Hoc, nempe timor & cultus Dei, EST OMNIS HOMO] id est, integer, perfectus & omnibus numeris absolutus. Nam perfectio hominis ex conformitate cum suo archetypo, seu cum voluntate diuina desumitur, vt idem velit quod vult Deus, & oderit ac fugiat quæ prohibet Deus. ita ferè S. Hieronymus, Olympiodorus, Bonauentura, Liranus & Moringus. Crebra verò est Hebræis enallage totius vniuersalis pro toto integrante, *omnis* pro *integro*, pro *perfecto*.

CANTICVM CANTICORVM SALOMONIS.

ID est, nobilissimum Canticum, quod est spirituale colloquium inter *Christum* verum Deum & hominem, & eius *Ecclesiam*, & quamcumque *piam animam*, quæ membrum est Ecclesiæ, & sponsa Christi. Porrò *Christus* duplicem hîc gerit personam, & duplex obit munus: vnum sapientissimi *magistri*, sublimem fidei, morumque & sanctitatis doctrinam suæ tradentis discipulæ: alterum amantissimi *sponsi*, miris laudibus, gratiis, donis ac fauoribus suam charissimam sponsam prosequentis, eamdemque extollentis, ornantis & ditantis. *Ecclesia* vicissim, & quæuis *anima pia* duplicem simili modo, vel potiùs triplicem, personam sustinet: Primam, *discipulæ*; Secundam, *sponsæ* erga Christum; Tertiam, *magistræ* vel *sociæ* erga reliquas animas, quas solet *adolescentulas* vel *filias Ierusalem* nuncupare. Argumentum colloquij, vt tales colloquentes decebat, admodum sublime, iucundum, vtile ac varium est. Quidquid enim seu Prophetæ, seu Euangelistæ, seu Apostoli nobis de mysteriis fidei, de sanctitate morum, de perfectione vitæ tam contemplatiuæ, quàm actiuæ tradiderunt, hoc Cantico vel exprimitur, vel insinuatur. Vndè & pro perfectis à Salomone concinnatum fuisse dixi suprà in proœmio Prouerbiorum.

Stylus

Stylus Cantici huius amatorius est, & metaphoræ ac similitudines penè omnes à nuptijs carnalibus desumuntur : nihil tamen hîc carnale, nihil mundanum, nihil profanum. Facessat Rabbinicum commentum de amoribus Abisag Sunamitidis, vel filiæ Pharaonis. Nullæ hîc Veneres, nulli Cupidines. Amores sunt, faces sunt; sed ab igne cælesti, quo ardent Seraphini, quem Christus venit in terras mittere, & quo sanctiores animæ ad Eliæ modum abripiuntur in cælum.

Porrò ex decursu Commentarij videbis, optime Lector, me præcipuè deflectere ad Moralem seu Tropologicam expositionem huius Cantici, & animæ piæ ac Deo deuotæ penè omnia aptare. Quod ideò maximè feci, quòd hac viâ maior ad nos vtilitas proueniet, & quòd putem, hoc primariò à Spiritu sancto intentum fuisse: ac proinde litteralem sensum debere censeri. Allegoricum tamen & Anagogicum sensum non rarò etiam attingam, vt videbis. Quamquam facillimum sit ex Tropologico sensu reliquos omnes colligere. Nam quidquid animæ piæ conuenit, id toti Ecclesiæ asscribi potest, & nominatim nobilissimo membro illius Virgini Deiparæ. Ex humanitate Christi facilè deriuabis omnia ad SS. Eucharistiam, adeoque & ad ipsam eius diuinitatem.

Solet verò hoc Canticum, quod octo capitibus constat, ab Interpretibus in tres, vel quinque actus diuidi. Sed videntur duo priora capita (vt benè notat Lud. de Ponte) breuiarium quoddam esse omnium mysteriorum, quæ reliquis sex capitibus continentur, & nouis metaphoris ac similitudinibus fusiùs explicantur. Vnde eadem est peroratio, seu coronis secundi capitis, quæ octaui. Quæ ad artificium & dispositionem rhetoricam spectant in hoc Cantico quæri semper non debent. Omnia enim plena sunt affectibus, qui vt animum, sic & linguam amantium nunc huc, nunc illuc rapiunt. In ijs tamen affectibus suus non deest concinnus ordo, vt suprà dixi, & ex sequentibus planum fiet.

CAPVT I.

Colloquium exorditur sponsa, triplici ad sponsum fusâ prece, quâ primis sex versibus petit omnia salutis suæ & perfectionis primordia, media & summa. Mox sponsus v. 7. votis sponsæ respondens, instruit illam, quâ viâ perfectionem, cui tantopere inhiat, assequi possit. Et ante omnia variis similitudinibus, præcipuarum virtutum studia, quæ statum eius decent, commendat, vsque ad v. 11. Vnde vsque ad finem capitis mutuus insuper laudibus sese excitant ad ardentiorem amorem.

v. 1. OSCVLETVR ME. Hebræum *nasak* & *erudire*, & *osculari* significat. Vnde & pro OSCVLO, Hebraicè & græcè est *osculis*. q. d. Vtinam magister & sponsus meus dignetur me erudire verbis, & osculari osculis ORIS non alieni, sed SVI! Vtinã ex ore eius ad me prodeat sapientia illa, quæ de se dixit, *Ego ex ore Altissimi prodiui*! Sapientia, inquit S. Thomas, id est sapida scientia, seu affectiua Dei cognitio, quâ non solùm eruditur intellectus, sed & voluntas inflammatur. Quæ donum est Spiritus sancti supernaturale, & à quibusdam vocatur *Theologia mystica*, à S. Ioanne *vnctio*, quæ docet nos omnia ad salutem necessaria vel vtilia, intellectum illuminando: & simul mouet ad illis obsequendum, oleo dilectionis voluntatem vngendo. Ab aliis vocatur *coniunctio*, *vnio*, *contactus* spiritualis Dei & animæ. Hîc *osculum* dicitur, non illud quo sponsa sponsum osculatur, de quo cap. 8. v. 1. sed quo sponsus sponsam. Et est multiplex hoc osculum, prout multiplicia sunt dona Dei, quibus ipse nobis vnitur. Primum fuit osculum incarnationis, quo filius Dei hypostaticè vnitus est nostræ naturæ. Secundum, est sanctificationis, quo Spiritus sanctus nostris singulorum animabus intimè vnitur. In his duobus continentur, vel ex his duobus promanant alia osculo omnia: putà Tertium, reconciliationis cum Deo, seu per baptismum, seu per pœnitentiam. Quartum, instructionis per SS. litteras, per illuminationes internas, per reuelationes, per monita & exempla aliorum. Quintum, familiaritatis & recreationis per internam conuersationem & collusionem spiritualem cum anima, per epulum Eucharisticum; per alias delicias. Sextum, incrementi continui amoris, amicitiæ, & gratiæ per peculiaria auxilia fortiter animam excitantia, adiuuantia, attollentia in Deum, maximè per contemplationem, quâ longè iucundissimo modo vnimur Deo. Septimum, & vltimum osculum erit beatitudinis æternæ, quâ diuina essentia perfectissimè vnietur animæ nostræ, & perpetuò ab illa possidebitur. Hæc septena osculà idcirco tam anxia expeto, inquit sponsa,

QVIA MELIORA SVNT VBERA TVA

VINO] Id est; quouis symposio, quouis epulo, A quibusuis lautitiis. Quæ *oscula* vocarat, iam aliâ metaphorâ vocat *vbera*, quæ symbola sunt amorum seu blanditiarum, vt dixi Prouerb. 7. vers. 18. Et verò septem iam citata *oscula* & dona sponsi, quid sunt nisi septem *vbera* amorum? aut, si in *binario uberum* sistere placeat, in singulis illorum septem donorum reperies mirabilem sapientiã & charitatem diuinã, è quibus quasi binis inexhaustis vberibus omnia dona corporalia & spiritualia, naturalia & supernaturalia, temporanea & æterna in nos promanant. Sed & alia est ratio cur ab *osculis* ad *vbera* deflectat sponsa, nempe vt nobis indicet, amorem dilecti sui non solùm esse paternum & virilem, id est, fortem, sapientem, constantem; sed & maternum esse & femineum, id est dulcem, blandum, indulgentem. Sed quid mirum, *meliora*, nobiliora, dulciora esse *vbera* diuini sponsi *vino* terreni amoris, seu creatarum blanditiarũ: cùm constet *vbera* viua & viuifica esse, & cælestia, imò diuina esse, & perpetui lactis, seu nutrimenti spiritualis fontes esse, salientes in vitam æternam. *vinum* verò terrenorum amorum & blanditiarum est ex se mortuum, sterile, vanum & sæpè noxium, sæpè bilem accendens, & iram excitans, & cerebrum turbans: denique crapulatum, sæpè putidum est & fœtens. At illa sponsi vbera semper FRAGRANTIA sunt VNGVENTIS OPTIMIS optimarum virtutum & perfectionum tum diuinæ essentiæ, tum humanæ Christi naturæ, quæ relucent in singulis eius donis.

℣. 2. OLEVM, id est, vnguentum, seu liquor aromaticus, non compositus ex multis liquoribus, sed vnicum & simplicissimum, omnium tamen vnguentorum vim & perfectionem in se continens, C est NOMEN TVVM] id est, tu ipse es. Nam solet Scriptura *nomen* pro re nominata frequenter vsurpare. q.d. Tu mi sponse non solùm es fragranti vnguento delinitus, sed es ipsum vnguentum, ipsamet fragrantia, sicut es ipsamet veritas, & sapientia, & bonitas. Nam hæc omnia tibi nõ limitatè & emendicatè, seu per accidens, vt hominibus vel angelis, sed necessariò & essentialiter & sine vllo limite conueniunt. Porrò *oleum* es EFFVSVM liberalissimè in totum corpus, in omnes vestes, in thalamos, in mensas, in vias, in domesticos, vt olim fiebat, id est, in omnes creaturas pro captu cuiusque: neque solùm per effectus & dona tua, v. g per beneficium creationis, conseruationis, cooperationis, iustificationis, vel beatificationis cuiusque: sed & per te ipsum, & per tuammet essentiam vbique præsens, vbique effusus es, & in immensum diffusus. Peculiari quoque ratione *Christus* Deus homo fuit *oleum* tum ratione vnionis hypostaticæ, tum D ratione perfectissimarum gratiarum omne genus, quibus à Patre vnctus fuit summus Ecclesiæ Pontifex, Propheta, Rex & Sanctus sanctorum. Et *effusus* in omnes maximè homines à prima mundi origine, vsque in æternitatem, nempe per gratiam & gloriam quam singulis promeruit tamquam omnium redemptor & princeps. Quod *oleum* nomine *Christi*, id est, vncti, propriè designatur, sicut *effusio* nomine *Iesu*. vt pulchrè demonstrat Lud. de Ponte.

IDEO ADOLESCENTVLÆ, id est, quæuis fideles animæ, DILEXERVNT TE] q d. Hæc tua tam blanda oscula, tam fragrantia vbera, & oleum tam latè, tam liberaliter effusum; tuâ, inquam, tanta & tam excellentia beneficia rapiunt in mutuum tui amorem quasuis animas fideles & addictis tibi, etsi teneras adhuc & infirmas. Nam instar olei excitant & nutriunt flammam, illuminant, calefaciunt, lassitudinem pellunt, reficiunt, satiant, sanant, oblectant. Et quis tam munificum benefactorem non diligat? Sunt tamen non pauca quæ miseras animas remorantur subinde & abstrahunt. Sunt carnales voluptates, sunt honores & dignitates, sunt opes & curæ terrenæ, sunt dæmones, sunt concupiscentiæ & passiones inordinatæ, quibus quasi funibus, compedibus & manicis vincti detinemur in terra, nec ad Deum assurgere vel adcurrere permittimus, aut cum vocatis ad cœnam (a) patrisfamilias venire nolumus. Ad hoc malum arcendum secundo loco rogat sponsa:

(a) Luca 14. v. 18. Matth. 22. v. 2.

℣. 3. TRAHE ME tu; non me trahat mundus aut caro, sed tu solus tua cælesti ope & gratia: tu mentem illumina, tu affectum inflamma. *Trahe me*, B vt aliquando promisisti, *in funiculis Adam* (b,) *in vinculis charitatis*. Quòd si hæc non sint satis, adde flagella, & compelle sequi. Neque tamen sola vulgari tractione, vel communi gratia trahi velim ad talem qualem tui amorem, vel ad ordinaria virtutum exercitia: sed maxima quæque & potentissima auxilia deposco, quibus exciter & iuuer ad optimos, nobilissimos & maximè heroicos actus, & hos non obiter aut perfunctoriè (vt ferè oscula & vbera exhibentur) sed continuò & permanenter exercendos: & non semel iterumque per diem tibi deliciosè coniungar, sed perpetuò & constanter POST TE sequar & hæream: neque adhæream modò otiosa, vel inhæream languida; sed omni studio, diligentia & zelo etiam alios lucrandi *currum*, tibiq; innumeros adiungere satagam; sic simul CVRREMVS feruentissimè & celerrimè *post te* sequendo vestigia tua, præcepta, consilia, heroica exempla tua. ita Nyssenus & Bernardus.

(b) Osea 11. v. 4.

IN ODOREM VNGVENTORVM TVORVM] Id est, allectæ & inductæ cælestibus illustrationibus, consolationibus & piis deuotionis affectibus, qui quasi cælestes odores signum sunt diuinæ præsentiæ & inuitationis tuæ: & sunt quasi illecebra, quâ animas trahis, inquit S. Basilius, & explicat exemplo columbæ cicuris alas habentis vnguento odorifero perunctas, cuius fragrantiâ aliæ agrestes columbæ ad columbarium pertrahuntur. Mart. de Roa, hæc pulchrè exponit de tractione ad nuptias. q.d. sponsa: Duc me tandem aliquando vxorem in domum tuam: lubens enim cum meo virginum comitatu sequar te, vnguentis tuis illecta.

G. Nyss. de Vita Moysis. Bernard. serm. 21. in Cantic. Basilius epist. 175. Mart. de Roa l. 2. Singularium c. 21.

INTRODVXIT ME REX. q. d. Simulatque votum expressi meum, voti compotem me fecit dilectus meus: neque contentus innumeris osculis me excepisse, suoque diuino pectori adpressisse, insuper secum adduxit attraxitque IN CELLARIA SVA; LXX. *in cubiculum suum*. Nempe in interiora & abdita, nec cuiuis patentia penetralia, in quibus vel annona recondi, vel thesauri (c) adseruari solent. Et ne putes pauca hæc fuisse, vel non adeò pretiosa, memento dilectum meum, *regem* esse, & regum omnium Regem, ac proinde omnia eius repositoria plena fuisse immensis diuitiis ac thesauris. Neque ad hæc solùm spectandã, sed & ad eadem degustanda nos introduxit rex, splendidum inde mihi conuiuium meisque sodalibus instruens. Hac metaphorâ adumbrat sponsa, gratiam & donum supernaturalis contemplationis rerum cælestium, & mysteriorum fidei, & aliorum arcanorum Dei sibi concessum fuisse. Et verò tam accurata dispositio

(c) Isaiæ 39. v. 2.

vide-

videbatur nobile hoc munus depoſcere, quo poſſet promouendæ ſaluti & perfectioni ſuæ ſuarumque ſociarum facilius, ſuauius ac fructuoſius ſeſe impendere. Vnde mox gratulatur ſibi ſuiſque de tanto bono:

EXVLTABIMVS ET LÆTABIMVR, non amplius in terrenis ſordibus, in creatis delicijs, ſed IN TE ſolo, vno & ſummo bono, MEMORES VBERVM TVORVM, id eſt, amorum & blanditiarum, quas è tuo diuino pectore hauſimus, SVPER VINVM, ſympoſia, delicias omnes alias longè dulciores & gratiores. Quamuis enim conuiuium ipſum quo nos recreas, non ſit perpetuum, ſed *rara hora, breuis mora*: tamen memoriam hauſtarum inde deliciarum decet eſſe perpetuam: hoc enim iuſtum eſt & ſummè debitum. Vnde quicumquè RECTI ſunt; LXX. *rectitudo*; Hebraicè, *rectitudines*, id eſt, illi qui ita ſunt recti, vt ipſa rectitudo eſſe videantur, & omnes rectitudinis gradus ſunt aſſecuti, (nempe rectitudinem Primò, iudicij; Secundò, intentionis; Tertiò, affectus; Quartò, locutionis, Quintò, operis:) hi ex toto corde DILIGVNT TE] non ſolo habitu charitatis continuo, ſed & actu ſæpiſſimè renouato.

¥.4. NIGRA SVM. Inter alia, quæ ſponſa in cellarijs Dei contemplando didicerat, duo depromit & ſociabus exponit. Primò, nigredinem propriam, quam vel ex corrupta natura, vel ex malitia ſeu hominum, ſeu dæmonum, contraxit, v.g. peccatum originale, fomitem concupiſcentiæ, peccata actualia, pœnas peccatorum, afflictiones, tentationes, aliaſque miſerias. Secundò, *formoſitatem*, ſeu pulchritudinem ſpiritualem, quam ex diuina gratia & fauore obtinet, ſecundùm ſupra dicta. Prima hæc lectio eſt primæ Veritatis, agnitio propriæ vilitatis, imò nihilitatis: & confeſſio ac grata recognitio magnitudinis diuinorum erga ſe beneficiorum, quibus egregiè ornamur, SICVT TABERNACVLA, ſeu tentoria, CEDAR (*a*) id eſt, poſterorum Cedar filij Iſmaëlis, putà Nomadum in Arabia: & SICVT PELLES SALOMONIS, campeſtria eius tentoria operientes: quæ foris quidem nigra erant, ardore ſolis exuſta, puluere & ſordibus obſita, ſed intus elegantiſſima, auroque & margaritis & miro artificio ornatiſſima. ita Origen. Nyſſenus & Bern.

¥.5. NOLITE ergo tam CONSIDERARE QVOD FVSCA SIM deforis, quàm quòd formoſa ab intus. Quin & fuſcedo iſta, ſi benè aduertitis, non eſt mihi naturalis aut perpetua, ſed temporanea & ex meris accidentibus, putà ab æſtu & ardore *ſolis*, qui ME DECOLORAVIT ac denigrauit; LXX. *deſpexit*, ſeu deſuper inſpexit pleno ſuo lumine & radijs directis: vnde Aquila vertit, *quia me ſol combuſſit*; Theodotion, *torrefecit*. Sol enim ob diuerſas proprietates & effectus nunc prodeſt, nunc nocet. Vnde veteres *Phœbum* depingebant vna manu citharam & Charites geſtantem, altera pharetram & ſagittas. Porrò *ſolis* nomine vel diuina prouidentia poteſt intelligi, vel quæuis cauſa extrinſeca damnum vel nocumentum inferens. Sic Apoc. 7. *Non cadet ſuper illos ſol, neque vllus æſtus*. Sed quid opus erat, te radijs & iniurijs Solis exponi?

FILII MATRIS MEÆ PVGNAVERVNT CONTRA ME] q.d. Vellem, nollem, prodeundum mihi fuit in apertum ſolem, in arenam, in pugnam; & quidem, quod minimè ſuſpicaremini, aduerſus fratres meos, eiuſdem ſtirpis & familiæ, eâdem mecum naturâ, eadem fide, eadem ſocietate coniunctos. Et ſunt hi, hoſtes omnes noſtri tum externi, tum interni, v.g. ſenſus & appetitus ſenſitiui. Et quæ cauſa huius ciuilis ac domeſtici belli?

POSVERVNT ME CVSTODEM IN VINEIS] Id eſt, præfecerunt me culturæ & cuſtodiæ vinearum, id eſt, regimini animarum. q.d. Non permiſerunt me quietam cõtemplationi vacare intra regis ſponſi mei cellaria, ſed iuſſerunt, Deo ſic volente, in villis & vineis curam haberem neceſſariæ œconomiæ & diſciplinæ, vt nihil cuipiam deeſſet ſeu pabuli, ſeu tegminis, ſeu rerum aliarum neceſſariarum. His ego dum conſultum eo, dum ſuum cuique domeſticorum conſigno dimenſum, ſua cuique gregi paſcua decerno; pigros excito, deſides exſtimulo, dyſcolos compeſco; ecce tibi & deforis vicinos ſodales mihi ſubitò hoſtes, & ab intus domeſticos omnes rebelles, & in me conſurgentes, calumnijs, contumelijs omnia miſcentes: me ſtupidam, me ſtultam, me omnibus iniuriam, nimiùm his, nimis parùm iſtis, malignè alijs proſpicere, iactantes: hinc iurgia, hinc pugnæ, hinc ſordes, hinc diſcolor vultus. Et verò pertæſa tantarum moleſtiarum, victa tædio tam grauis, tam ingrati muneris, deſerui, fateor, ſtationem meam, & cuſtodiam vineæ mihi commiſſæ: & ad te,

¥.6. QVEM VNICÈ DILIGIT ANIMA MEA, pro ſolatio, pro conſilio, pro ope recurro, æſtuans & anhela. Et quidem ſi votis meis obſequerer, omni prorſus alienâ curâ eximi peterem. Sed quia tibi id minùs placere videtur, ſaltem doce me modum quo id poſſim ſine tanto dolore & damno meo peragere.

INDICA MIHI non ſolo verbo, ſed & re ipſa, & quaſi digito demonſtra, VBI PASCAS tu te tuoſque omnes, & VBI ſimul CVBES plena & peramœna quiete, qualis IN MERIDIE capi ſolet, id eſt, in pleno lumine & æſtu tum amoris interni, tum perſecutionis & tribulationis externæ, vt ferè S. Gregorius, Caſſiodorus & Beda exponunt. Depoſcit enim hîc ſponſa donum aſſiduæ contemplationis, & perfectiſſimæ dilectionis Dei, quo poſſit ſimul cum Chriſto in ſinu æterni Patris continuò cubare, & nihilominus exemplo & ope illius, ſine ſuo detrimento paſcere quoque commiſſos ſibi greges.

NE RURSUS maximo meo dolore & damno, VAGARI INCIPIAM anxia & anhela, conſilij, ſolatij, vel auxilij emendicandi causâ, POST GREGES SODALIVM TVORVM] nullo vel exiguo meo fructu, nempe dum illi vel ignari, vel alijs diſtenti non poſſunt, vel inuidi nolunt aut negligunt mei iuuare, vel ſi quid ſubinde præſtent, parcè admodum & auarè id faciunt (& ſunt hi ſodales, creaturæ omnes, quarum ope inſtruimur & iuuamur.) Tu verò, mi dilecte, ſine vllo diſpendio tuo, & cum ſummo cõmodo meo potes mihi & gregibus meis de optimo paſtu proſpicere, & ſimul me cubili tuo perpetua tecum quiete, pace, delicijs beare. Hactenus ſponſa. Quid iam ad hæc ſponſus?

¥.7. SI IGNORAS TE. Hebraiſmo poteſt dici idem valere atque *non ignoras te*, vt in ſimili dixi Iudic. 5. v. 8. Vel (quod eòdem redit) dic eſſe admirantis ac ſtupentis, & ſupple, *ſi ignoras te*, valdè mirer & ſtupeam. eſt enim iſtud *ſi* nota admirantis tum apud Hebræos, vt alibi (*b*) dixi: tum apud alias gentes. O PVLCHERRIMA INTER MVLIERES] q.d. Fieríne poteſt, cùm ſcias te tantis à me gratijs ornatam, quantas mox deprædicabas, vt adhuc ignores te ſat à me roboris & induſtriæ & opis accepiſſe ad alios quoque regendos & paſcendos?

(*a*) *Pſal. 119. v. 5.*

(*b*) *In Proleg. de Idiotiſm. Hebr. n. 13.*

Aut forsan ignoras, gratiam diuinam non ad solum ornatum, sed etiam ad corroborationem, instructionem & eruditionem conferri? An ignoras, te, licet ex te possis nihil per me tamen & mecū omnia posse? An ignoras, te non tibi vni, sed & mihi, sed & reipublicæ natam? An ignoras, te nec vtilius quippiam, nec tibi glorioſius, nec mihi gratius præstare posse, quàm in animarum salute procuranda mihi cooperari? At durum est negotium, & labore & odio & obloquio & tædio & dolore plenum; an ignoras, te tuis peccatis talia sæpè promeritam, & me iustas ob causas, & quidem in bonum, tam tuum particulare, quàm commune omnium, talem ordinem rerum delegisse, in quo alij ab alijs infestarentur? Sed mei amore desideras numquam distrahi, numquam diuagari, quò arctiùs mihi innectaris, meisque vlnis & osculis indiuulsa inhæreas, & mecum in sinu æterni Patris continuò & inoffensa delicieris; an ignoras, te, quæ supra statum tuum & conditionem humanam sunt, præproperè petere? Belli iam tempus est, non pacis: victoria priùs curanda, tum demum aderit triumphus. at bellum non detrectas, nec pastoris onus, dummodo pascua mea frequentes, & pascendo pecora, à cubili meo, ab accubitu meo non arcearis; an ignoras, te, cùm *in cellaria* mea inducereris, id iam à me, quantum quidem ex me est, impetrasse? Et si hoc tibi non sufficit, en tibi pascua mea *sub arbore malo*, & in *cella vinaria*, & *inter lilia*, de quibus cap. 2. v. 3. 4. & 16. cubile verò meum in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, ibid. v. 14. Age ergo & huc aduola, & voti compos eris, atque inter ardentissimos tum curarum, tum afflictionum æstus, eris in refrigerio sub vmbra alarum mearum. Surge & magnis animis EGREDERE ex vlnis meis in agrum, ad obeundum munus tibi à me iniunctum, & *si amas me, pasce agnos meos, pasce oues meas.* ABI POST VESTIGIA GREGVM & meorum & tuorum, rege illos & sedulò cura: *quod infirmum, consolida: quòd ægrotum, sana: quod confractum, alliga: quod abiectum, reduc: quod perijt, quære.* Neque agnos modò vel oues solas, sed & HOEDOS fœtentes, dyscolos & molestos, omni cura & sedulitate *pasce*, quia TVOS, quia meos & amore mei. Quòd si adhuc vel de loco pascuorum, vel de modo pascendi dubites aut hæsites, habes TABERNACVLA PASTORVM(a) Ecclesiæ meæ, iam pridem doctrinâ, sanctitate, virtute prælustrium: habes monita, consilia, exempla Prophetarum, Apostolorum, & tot Episcoporum, qui sanctissimè felicissimeque rexerunt gregem meum: *iuxta* illorum placita pasce & tu gregem tibi commissum. ita S. Ambrosius, Bernardus & Richardus.

Ezech. 34. v. 4.

a Ierem. 9. v. 16.

Ambr. l. 1. Offic. c. 43. Bernard. epist. 73. Richard de S. Victore l. 1. de Præparat. ad contemplat. c. 4.

℣. 8. EQVITATVI MEO IN CVRRIBVS PHARAONIS ASSIMILAVI TE] q. d. Non est quòd timeas, aut cadas animo. ego te vsque eò roboraui, vt similis sis *equitatui meo*, putà nobiliori parti cælestis exercitus mei, *in curribus*, seu inter currus, *Pharaonis*, id est, omnes currus Pharaonis in mari rubro debellantis & destruentis. ita Philo (b) Origenes, Ambrosius, Nyssenus, & ferè antiquiores. Sic infrà c. 6. *Terribilis* dicitur *sicut castrorum acies ordinata*, & c. 7. *Chori castrorū*. En quanta virtus, quantum robur, *quanta acies*, inquit S. Bernardus (c) *in vna anima tam sancta, quanta in affectionibus ordinatio, quanta in moribus disciplina, quanta in orationibus armatura, quantus in zelo terror, quanta conflictuum assiduitas*, quanta denique *numerositas triumphorum*! Sed ad hos obtinendos necessarium prorsus sponsæ, vt instar equitatus benè instructi, ad rectorem & ducem suum continuò attendat, hunc vnum audiat, & ad minimum fræni motum, imò nutum, se in omnem partem inflectat, inquit Origenes.

b Philo l. 2. Allegoriar. legu. Orig. hom. 1 ex duab. in Cant. & hom. 2. ex quatuor. Ambr. l. de Isaac & anima. Greg. Nyss. homil. 5.

c Bern. ser. 39. in Cant.

Ad has sponsi partim increpationes, partim effusas laudes sponsa tota erubuit, sed erubescendo longè venustior apparuit. Vnde sponsus de nouo laudat eam tum ob modestiam in silendo, tum ob animi demissionem in se despiciendo, tum ob promptitudinem in parendo, neque enim vel verbulo commutato, detrectauit quidquam eorum quæ sponsus depoposcerat. Vnde

℣. 9. PVLCHRÆ SVNT GENÆ TVÆ ℈ LXX. *quàm speciosæ factæ sunt genæ tuæ*, SICVT TVRTVRIS] quæ auis est pudica, solitaria, & mortuo compare, perpetuò casta, pro cantu gemitum edens. ita communiter SS. Patres. Sed Hebræum *thor* etiam femineum ornamentum designat à capite dependens, & circa genas inuolitans, ex aureis catenulis, margaritis ac gemmis in speciem turturis efformatum, quod ideo etiam *turtur* vocatur, inquit Ludouicus Legionensis. תור

COLLVM TVVM pulchrum est SICVT MONILIA] nempe natiuo colore tam speciosum, vt nullis egeat externis ornamentis, sed ipsum vincat omnia etiam nobilissima monilia. Hoc illi defert sponsus nouum encomium, propter celerem, promptam & humilem illius obedientiam in acceptando impositio sibi iugo, (quod collo baiulatur) & nutibus sponsi complendis. Origen. & Bernard. Allegoricè, collum Ecclesiæ sunt Pastores & Doctores, vt pulchrè Lud. de Ponte demonstrat.

Orig. supr. homil. 2. Bern. ser. 42. in Cant. Ludou. de Ponte l. 3. in Cant. exhort. 27.

℣. 10. MVRENVLAS AVREAS] Ornamentum est muliebre, ad similitudinem murenæ piscis, opere vermiculato confectum, frustulis vel lineis argenti tesselato artificio, gemmis & auro interfectis, & varias figuras vermium vel auium repræsentantibus, à collo puellari ad pectus, vt vult S. Hieronym. & ex eo Cassiodorus, Beda, Rupertus: vel, vt Bernardus & Anselmus, ex auribus dependens. Significat ornamenta spiritualia ex auro charitatis & obedientiæ, argento pudicitiæ & humilitatis, & gemmis donorum Spiritus sancti miro ordine & arte à Deo fabricata: quibus sponsa vt humilior, & aliis virtutibus auctior, & ad omnes functiones tam actiuæ quàm contemplatiuæ vitæ promptior; ita & in se sanctior, & pulchrior, & omnibus gratior euasit. ita Patres & Doctores iam citati. Porrò nouis his laudibus & donis exstimulata sponsa, quò gratam se tam munifico sponso exhibeat, mox operam dat vt omnia à Deo accepta dona in nobilissimos actus deducantur, in gratiam & honorem sponsi sui, ad illum oblectandum & exhilarandum.

℣. 11. DVM ESSET REX IN ACCVBITV SVO seu mensali, seu nuptiali, NARDVS MEA virtutum donorumque omnium, quæ ab illo accepi, DEDIT ODOREM SVVM] id est, redolere cœpit quàm maximè, quàm optimè, instar perpetui suffitus & suauissimi thymiamatis delati ex ara cordis mei per continuos actus & exercitia virtutum omnis generis, ad sponsum meum in thalamo suo oblectandum. Porrò thalami seu accubitus sponsi multiplices sunt. Primus, est æternus in sinu cælestis Patris. Secundus, temporaneus in vtero B. Virginis, cùm Verbum caro factum fuit, inquit S. Ambrosius, Cassiodorus & Beda. Tertius, in præsepio Bethlehemitico. Quartus, in cruce & sepulchro. Quintus, ad dexterā Patris in cælo empyreo. Sextus, in SS. Eucharistia. Septimus, in anima quauis

pia &

pia & sancta, in qua per gratiam requiescit & deliciatur, inquit Nyssenus, Anselmus & alij Patres. In omni hoc sponsi accubitu diligentissimè curabat sponsa oblectare sponsum nardo sua odorifera: quæ herba est aromatica suauissimum efflans odorem, & vim habens calefaciendi, exsiccandi, & varios morbos sanandi. Ex illa fit vnguentum odoratissimum & magni pretij: maximè ex spicis, in quas nardus desinit; quod Marci 14. vocatur *nardi spicati pretiosi*, quo in conuiuijs olim conuiuæ perfundi solebant. Et hîc symbolum est gratiæ & virtutum nobis infusarum: quæ tum maximè spirant odorem suum, quando producunt actus & effectus suos. Sic Paulus aiebat, *Christi bonus odor sumus Deo*. Sic oratio cùm deuotè instituitur, diffundit odorem fidei, spei, charitatis, religionis, &c. Eleëmosyna seu spiritualis seu corporalis, odorem charitatis Dei & proximi, &c.

Marci 14. vs.

2.*Cor.* 2. v.15.

A

¥.12. FASCICVLVS MYRRHÆ, EX frondibus & floribus arbusculæ myrrhæ, DILECTVS; LXX. *fratruelus*, MEVS MIHI; id est, sponsus meus, qui sibi fuit perpetuus fascis afflictionum, dolorum & laborum, myrrhæ amarissimæ quidem, sed suauissimè olentis, & à corruptione omnia vindicantis; hanc mihi gratiam præstat, vt & mihi sit saltem *fasciculus myrrhæ*, per communicationem aliquorum similium laborum & dolorum, seu ab ipso immissorum, seu studio mortificandi & abnegandi meipsum in functionibus vitæ actiuæ vltrò susceptorum, quos amore ipsius & in honorem ipsius libentissimè fero, accepto, & ambabus vlnis amplector, & instar rei pretiosissimæ mihique charissimæ ac saluberrimæ, INTER VBERA MEA repono, vt in intimo penetrali cordis mei perpetuò *commorentur* & asseruentur: neque enim alium nosse volo *Iesum*, quàm *crucifixum*. Hæc myrrha me purgabit ab omni vitiorum contagione, & præseruabit à corruptione, & redolere faciet coram Deo & hominibus, & me sponso meo acceptissimam reddet.

B

C

כפר

¥.13. BOTRVS CYPRI] Hebræum, *copher*, & balsamum significat, quæ arbor est instar vitis, teste Plinio, & botros instar vitis quodammodo profert certè odoratissimos. Et etiam arborem designat, quæ propriè dicitur cyprus, latinè ligustrum, ait idem Plinius, & flosculi eius odoratissimi, instar vuarum in botros coëunt, & vnguentum reddunt nobilissimum, quod cyprinum dicitur. Vtraque verò arbor frequens est IN VINEIS ENGADDI, amœnissima & fertilissima regione tribus Iuda, prope lacum Asphaltiten, seu mare Mortuum. Et de altera harum arborum odoriferarum loqui hîc sponsam censent S. Hieronymus, Ambrosius, Beda & Theophrastus. Sed potest etiam simpliciter dici locuta de propriè dicto *botro* vitis, non quouis, sed excellentissimo, quales sunt *botri* insulæ *Cypri*, inquit Plinius, qui in vineta Engaddi transferri potuit, vel Cyprios similitudine & suauitate referre. Sic iam cùm nobilissimas vuas designare volumus, *botros muscatellinos* vocamus ex optimis vineris decerptos. Porrò hac metaphorâ significat sponsa tenerum sponsi sui erga se affectum. & cor non solùm paternum, sed etiam verè maternum, vtpote cui velit esse non solùm fasciculos myrrhæ per amaros actus vitæ actiuæ: sed etiam vinum nobilissimum ex suauissimis botris vitæ contemplatiuæ. Tantum decerpat hos botros è septuplici vineto, vbi crescere eos vidimus v.11. decerpat, inquam, & exprimat diuinum liquorem, & cælesti nectare sese exhilaret, pascat & inebriet. Porrò in hac vtraque vita

Plin. Lib. 24. cap.

Hieron. in Ezechiel. Ambr. lib. 7. ad Luc. Beda in Cant. Theophrast. lib. 6. hist. cap. 17.

D

sponsus præcellere vult dilectam suam: vnde & mox & operibus vtriusque simul iunctis mirificè de nouo illam commendat, cùm subdit:

¥.14. ECCE TV PVLCHRA ES AMICA MEA, ECCE TV PVLCHRA ES] q.d. Gemina hæc pulchritudo tua tanta est, vt & me & omnes alios in stuporem rapiat. Et verò rara est, valdeque mirabilis vnio vtriusque pulchritudinis, quæ sublimem contemplationem cum strenua actione coniungit, vt notat Cassianus.

Cassianus collat. 19. c. 9.

OCVLI TVI bini, sunt sicut oculi COLVMBARVM] non impuri, non elati, non gyrouagi, non duplices aut simulati, sicut oculi vulpium, quæ in vnum latus videntur aspicere, & ad aliud oppositum aciem dirigunt: sed casti, sed humiles, sed simplices, sed sinceri. Et designant intellectum sponsæ cælesti lumine fidei & sapientiæ perfusum: intellectum, inquam, & speculatiuum & practicum, inquit S. Ambrosius & S. Thomas. Ille videt mystica, & contemplando penetrat arcana Dei: hic moralia & agenda ordinat, ac voluntati proponit, vt ea intendat & prosequatur. Addit Lud. Legionensis & Delrio, columbas Syriæ oculos habere perspicacissimos, coloris ac splendoris eximij: & sponsum ad ea quoque alludere. Et S. Bernardus dicit, sponsum, dum sponsam nominat bis pulchram, & oculos attribuit columbarum, hoc ipso suo dicto, geminatam illam pulchritudinem, & oculorum simplicitatem ac perspicuitatē ei de facto donare: *Ipse* enim *dixit & facta sunt*. Vnde mox sponsa perspicacissimis his oculis facilè vidit, illas pulchritudinis perfectæ laudes lōgè potiori iure competere sponso: vnde acceptas statim regerit & refundit in ipsum laudatorem.

S. Thom. 1. p. q. 79. a. 11. & 12. & 1. 2. q. 12. a. 1.

S. Bern. ser. 45. in Cant.

¥.15. ECCE TV PVLCHER ES DILECTE MI, ET DECORVS] Ego ex me nigra sum, pulchra non sum, nisi dono tuo; & quantâcumque per te splendeam pulchritudine, comparatione tui nihil sum. Guttulam accepi ex immenso oceano, radium ex splendidissimo sole: vmbra tua sum, & vix repræsentans imago, nec aliud. Tu verò, dilecte mi, reuera pulcher es, imò solus pulcher, qui secundùm diuinitatem tuam splendor es gloriæ Patris, candor lucis æternæ: omnem pulchritudinis rationem & perfectionem infinitam à te ipso, & vi tuæ essentiæ ab æterno possides, sine vlla seu diminutione, seu variatione: qui exemplar, prototypon & fons & causa es omnium pulchritudinum creatarum vel possibilium. ita S. Dionysius. Secundùm humanitatem verò, licet subinde non videretur tibi *species* esse *neque decor*, (a) semper tamen propter perpetuā vnionem ad Verbum, & visionem beatificam, & inexhaustos gratiarum torrentes, *speciosus formâ* (b) fuisti & es *præ* omnibus *filiis hominum*, imò fons & scaturigo omnis pulchritudinis quæ est in filijs hominū, seu in terris, seu in cælis. ita S. Augustinus & Bernardus. Ergo pulchritudinem omnem, quam in me deprædicas, tibi acceptam fero, à cuius manu illam accepi. Neque solùm tibi vni debetur, quòd in me ipsa vel intra meipsam ego pulchra sim, sed & quòd omnia nostra vtensilia, tentoria & palatia tam concinnè ornata, tam odorifera, tam firma sint: quòd LECTVLVS NOSTER, seu mensalis, seu nuptialis, FLORIDVS, id est, mens nostra, in qua tamquam in gratissimo thalamo mecum vnà requiescis, pulcherrimis virtuosarum actionum & desideriorum atque intentionum flosculis ornata sit & redoleat. Nam vnde hæc mihi, nisi ex fasciculo myrrhæ, & ex botro flosculiſque Cypri tuæ? Quin & à te vnō est, quod

Dionys. de Div. nom. c. 4. p. 1.

a *Isaiæ* 53. v. 2.

b *Psal.* 44. v. 3.

Aug. in Psalm 127. Bern. supr.

¥.16.

℣. 16. TIGNA DOMORVM NOSTRARVM CEDRINA] id est, virtutes fidei, spei, charitatis, & aliæ ad salutem necessariæ, inquit S. Bernardus, quibus tamquam trabibus & tignis fulciuntur domus (*a*) nostræ, nempe intellectus, voluntas, memoria, in quibus Deus vnà nobiscum, vt in templis & domibus suis inhabitat; *cedrina* sint, id est, instar cedrinarum trabium solidæ, firmæ, vermium & corruptionis nesciæ:

a 1. Cor. 3. v. 16. & 6. v. 19.

ET LAQVEARIA NOSTRA, id est, virtutes supererogationis, vt sunt consilia Euangelica, salubria perfectionis monita, & gratiæ gratis datæ, quæ seruiunt ad ornandam animam, CYPRESSINA sint: id est, ex simili notæ venustatis & firmitudinis ligno, non aspera, non hiulca, non cariosa, non fœtida, sed odorifera & fragrantia. ita S. Bernardus. De conditionibus cedri & cypressi vide Plinium, Dioscoridem & alios.

Bern. serm. 6. in Cant. Plin. l. 24. c. 6. Dioscor. l. 1. c. 89.

CAPVT II.

De singulari præcellentia sponsi & sponsæ super ceteros homines: de supremo gradu contemplationis & amoris Dei, ad quem sponsa euehitur per sponsum: de multiplici aduentu Dei, & præsentia inter homines: & de signis quæ quemque præcedunt & comitantur: de vocatione Dei ad diuersos virtutum gradus & status: de persecutoribus sponsæ, seu Ecclesiæ: & huius felici progressu vsque ad finem sæculi.

℣. 1. EGO FLOS CAMPI] cuius etiam Isaias meminit, *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* flos, inquam, non solius horti Iudaici, nec agri vomere prosulcati, vel aratro proscissi, sed *campi*, totius mundi decus & gloria, sine manuum adminiculo vel humana industria sponte prognatus, aëri palàm expositus & libidini cuiusuis me decerpere, me conterere, me in vsus suos conuertere volentis. ita S. Ambrosius, Augustinus, Cyrillus, Gregorius, Bernardus. quasi dicat, Meritò mihi adscribis nitorem & suaueolentiam lectuli nostri floridi, quia *flos* ille *ego* sum, qui omnia *florida* facio & odorata: flos florum omnium perfectionem in me concludens: flos qui etiam succisus odorem reseruo, & contritus accumulo. Nec tamen volo solis lectuli contemplatorij (ad quem me inuitas) angustijs & domo deliciarum cedrina vel cypressina concludi; sed in patenti campo vitæ actiuæ, totius mundi bono & saluti me totum impendere, verbo & exemplo omnes instruere & exhilarare. Et nosse vis, qualis *flos* sim? verbo vno, *flos regius* sum, pulcherrimus & odoratissimus omnium florum,

Isai. 11. v. 1.

Ambros. serm. 5. in psal. 118. & l. de Isaac c. 4.

LILIVM CONVALLIVM] ab altissimo cælorum throno in infimam mundi vallem delapsus, humanâ naturâ candidus, diuinâ aureus, odoriferus prædicatione, expansus charitate, recuruus humilitate. Lilium infinitæ virtutis, cuius splendore fugantur tenebræ, cuius contactu sanantur leprosi, curantur languidi, cuius odore mortui suscitantur, spinæ confixæ reuelluntur, virtutes inseruntur, inquit S. Hieronymus. Et vt hoc mihi ex meipso est & naturale, ita dono meo participatiuè conuenit etiam meæ sponsæ:

Pierius l. 55. c. de lilio.

Hieron. in Ioel. 3. v. 18. & in Apologia ad Pammachium.

℣. 2. SICVT LILIVM INTER SPINAS, seu adnascentes, seu adpositas, tutum & illæsum: SIC AMICA MEA INTER FILIAS, seu reliquas creaturas, quæ non nisi *spinæ* sunt, nunc laudũ & adulationũ, nunc vituperiorum & obloquiorum, nunc aliarum iniuriarum, difficultatum, tentationum, tribulationum, quæ tum à carne, tum à diabolo & mundo subnasci solent. Sed ne timeas, ô candens lilium, nihil tibi spinæ nocebunt, proderunt potiùs, & provallo, seu septo tibi erunt aduersus inertiam & vanam gloriam, & alia subtiliora vitia, quæ tibi insidiantur. Quin & ex spinarum comparatione pulchrior nitidiorque apparebis, & mihi magis magisque assimilaberis; quæ tibi summa laus est. ita S. Bernardus.

Bern. serm. 48. in Cant.

℣. 3. SICVT MALVS, seu pomus, INTER LIGNA SILVARVM, seu siluestria: id est, quantum arbor florida, odorata & fructifera præstat lignis siluestribus, tantum præstat sponsus meus aliis omnibus hominibus. Porrò comparat illum potiùs *malo*, humili arbori, quàm cedro, cypresso, platano vel palmæ proceris arboribus; quia vult insinuare iucundum & dulcem sponsi amorem in se & in omnes homines. arbor verò malus hieroglyphicum est *amoris*, teste Pierio, quia sub ea edere & lusitare solent amantes, & malis se mutuo impetere, accedonare. Vnde paulò pòst sponsa *stipari* vult *malis*: & sponsus affirmat se *suscitasse*, id est amare cœpisse, sponsam *sub arbore malo*.

Pier. l. 54. c. de malo.

Cant. 2. v. 5. & 8. v. 5.

SVB VMBRA ILLIVS SEDI] quasi dicat: Experientia comperi qualis arbor sit dilectus meus. Nam quieta, secura & læta diu permansi *sub vmbra* fidei & obscuræ contemplationis, tum diuinitatis, tum carnis ipsius, quæ est vmbra diuinitatis. ita S. Bernardus, ex Origene & S. Gregorio. O quàm illa vmbra diuersa ab vmbris arborum mundi huius, quæ non defenduntab æstu concupiscentiarum, sed ardorem augent? non præstant quietem, sed bella: non refrigerant, non satiant, non durant; sed torquent, sed fugiunt, sed euanescunt! Quantò etiam nobilior vmbris antiqui testamenti sterilibus & infructiferis, quæ gratiam designabant & promittebant, non præstabant! At sub vmbra Christi *fructum* multiplicem collegi, ô quàm *dulcem gutturi meo*! Primò ablationem culpæ; Secundò, gratiam sanctificantem omnibus donis & fructibus Spiritus sancti; Tertiò, ius ad gloriam & hereditatem æternam; Quartò, quietem, patientiam, gaudium in tribulationibus, &c. Quintò, conuersationem cælestem cum angelis & ipso Deo opt. max. per meditationem, per contemplationem, per continuum complexum. ita ferè S. Ambrosius, Gregorius & alij suprà citati. Neque contentus sponsus, me tam gratis fructibus pauisse, etiam potum addidit, &

Bern. supr. & serm. 20. Orig. hom. 3. in Cant. Greg. hom. 14. in Ezech.

℣. 4. INTRODVXIT ME IN CELLAM VINARIAM] quæ inter *cellaria*, quorum meminit c. 1. vers. 3. iucundissimus locus est: vbi præbuit mihi vinum deuotionis & amoris, non ex cratere, vel cum certa mensurâ aut moderatione, vt fit in mensa Sacramentorum, & ordinariæ orationis; sed ex ipsissimet doliis humanitatis & diuinitatis suæ, è quibus bibi non modò ad satietatem, sed & ad ebrietatem, ad ecstasin, ad languorem, ad somnum vsque, vt sequitur. Licet hæc amoris ebrietas & somnus spiritualis libertatem hominis, & iudicium rationis & mentem non euertat; sed ad diuina eleuet, & multa quæ vires hominis excedunt detegat, sensusque externos, & passiones internas quasi sopitas relinquat. Largitur ergo hîc sponsus sponsæ suæ donum supremæ contemplationis, non tantùm intellectiuæ ad modum Cherubim, qui scientiæ plenitudine fulgent; sed etiam affectiuæ instar Seraphim, qui amore toti ardent, & extra se rapiuntur in Deum. ita S. Bernardus & alij.

Bern. sup. & serm. 18.

ORDI-

ORDINAVIT IN ME CHARITATEM] quasi instructa acie militari. Vnde in Hebræo est, *vexillum eius super me charitas.* Cùm enim acies militaris ordinatur, eleuatur vexillum quod milites sequantur. Porrò vtriusque *charitatis* aciem *ordinauit in me*, putà & suæ erga me, quâ me sibi subiiceret: & meæ erga se, quâ me meaque omnia in se raperet ac transferret. Prior est ipsa cõtemplationis essentia & radix: posterior, potissimus illius fructus. In priore acie coëunt omnia Dei attributa & perfectiones, diuina beneficia tum generalia, tum particularia, internæ collustrationes & excitationes, &c. In posteriore, sub vexillo charitatis collectæ virtutes omnes, & vires animi & corporis certant optimis quibusque actibus, attibus & modis hominem totum & omnia creata in Deum transferre, Deum demereri, Deum oblectare: & quidem tanto studio, contentione & pertinaciâ amoris, vt etiam languidæ, exhaustæ & eneruatæ nolint tamen vel tantillùm remittere. Nam audi sponsam ex lucta, ex vulnere anhelam & refocillari optantem:

℣. 5. FVLCITE ME FLORIBVS; LXX. *vnguentis*, nempe ex odoratis floribus & aromatibus confectis: STIPATE ME MALIS, seu pomis. alij legũt. *consternite mihi thorũ pomis*, de quo (*a*) alibi. QVIA AMORE LANGVEO] LXX. *vulnerata sum*, sagittis diuini Cupidinis. De quibus pulchrè S. Basilius, Origenes & Gregor. Nyssenus, & regius Propheta, *Sagittæ tuæ acutæ (b populi sub te cadent*, &c. Et sunt inspirationes vehementiores, & subitæ illustrationes, alaque incentiua, quæ feriunt, penetrant & sauciant cor amantis. Nempe experta fuerat non semel sponsa vim & efficaciam pomorum dilecti sui, de quibus v. 2. & 3. nempe dulciores fructus & opera amoris diuini: vnde & eadem nunc remedia inclamat. Sed pro aliis remediis, en tibi sponsum ipsum ad sponsæ deliquium accurrentem, & pro thoro floribus ac pomis instructo vlnas sponsi apertas ac sinum, quibus sponsam anhelam & sauciam excipit, nouisque blanditiis delinit & recreat.

(a) *Prou. 25. v. 11. Basil. regula 2. ex fusis. Orig. hom. 2 ex duabus. Nyss. hom. 4 in Cant.* (b) *Psal. 44. v. 6.*

℣. 6. LÆVA EIVS SVB CAPITE MEO, ET DEXTERA ILLIVS AMPLEXABITVR ME] Per *læuam* Cassianus, aduersa huius vitæ; per *dexteram*, prospera: sed melius Origenes, Bernardus & alij Patres per *læuam* intelligunt humanitatem Christi, & quæcumque pro nobis in carne seu egit, seu passus est, quibus anima solidè sustentatur, fulcitur & erigitur ne cadat: per *dexteram* verò eiusdem diuinitatem, & omnia quæ ad eius gloriam & maiestatem spectant: quibus suauissimè regitur, protegitur & recreatur anima, atque ita cum amante vnitur, vt ipsum intra sua viscera recipiat; vel potius à seipsa diuulsa, tota in Deum abeat, & tota sit intra Deum, vnum quid cum ipso effecta, & ceterorum omnium oblita, in ipso vno requiescat, ipsum vnum intuens, vnum diligens, ipso vno fruens. Et tunc subortitur *somnus* ille diuinus, quem sibi optabat sponsa c. 1. v. 6. & hic demum illi vltrò obtingit à benigna & liberali manu sponsi. Neque tamen existimandum, animam in hoc *somno* prorsus sopitam iacere & otiari, nihilque intelligere, aut mente percipere: nam miras tunc illustrationes, excitationes & affectiones recipit à Deo, non suo studio vel conatu, sed potentia solius Dei, animâ vitaliter quidem, sed passiuè se habente, seu patiente diuina, vt de D. Hierotheo dicit S. Dionysius, de S. Ignatio Ribadeneira, Balthasar Aluarez de seipso, & alij de aliis. Omnis enim vnio, amplexus, somnus, raptus, ecstasis aut suspensio, in qua mens intus nihil diuinum percipit, vana & inanis est, neque à Deo procedit, sed vel à malo spiritu, vel ex animi deliquio, vel ex debili corporis complexione nascitur. Quia Deus numquam motus corporis & actiones sensuum externorum suspendit, nisi vt ab intus mentem facilius, melius & tranquillius illuminet & ad se rapiat. Vt benè ex SS. Patribus demonstrat Lud. de Ponte, Iacobus de Paz, & alij mystici Doctores. Somno correpta sponsa sponsi amicâ adiuratione iubetur non inquietari per *filias Ierusalem*, per ciues eiusdem vrbis dictæ *visio pacis*: qui proinde *pacis* meritò studiosi esse debebant, sed subinde vel ex ignoratione, vel ex zelo indiscreto promouendæ vitæ actiuæ, improbant quietem vitæ contemplatiuæ, vt videre est in Martha, Lucæ 10. ita S. Gregorius & Bernardus. Quibus proinde sponsus:

℣. 7. ADIVRO VOS PER CAPREAS CERVOSQVE CAMPORVM. Quæ animalia, quia præ ceteris blanda, pulchra & grata venatoribus ac pastoribus, prouerbio (*c*) apud Iudæos vsurpabantur pro omni re quæ cuique iucundissima gratissimaque accideret. Allegoricè, hîc designant Prophetas, Patriarchas, Apostolos, alios q; Sanctos Ecclesiæ, inquit Origines; vel beatas animas & angelos, vt Bernardus; Moraliter virtutes & dona cælestia. Per quæ, quia charissima ciuibus *pacis*, adiurat eos, ne quietem sponsæ interrumpant, turbando illius pacem, seu externam, seu internam, QVOADVSQVE IPSA VELIT] vel vltrò expergefiat: nempe cùm recta ratio & charitas dictabit, à somno & tractatione cum Deo exsurgendum subinde ad opem proximo ferendam. ita S. Gregorius & Bernardus.

(c) *Infrà. v. 9. & Prou. 5. v. 19.* *Orig. hom. 2 ex duabus. Bern. serm. 52. in Cant.*

℣. 8. VOX DILECTI MEI] supple, audiri cœpit. Nempe, abierat paulisper dilectus, & sponsam reliquerat: sed mox celerrimè recurrens, vocem, seu tonam reditus sui à longè exaudiri facit. Videndum quoque se præbet, non tamen vt in se est, sed sub alienis figuris & similitudinibus, *capreæ hinnuli; cerui rerum*, putà rerum pulcherrimarum & gratissimarum: nec tamen constanter & permanenter, sed per saltus, & interruptè. Quibus omnibus designatur, quàm modica, quàm obscura quàm instabilis sit in hac vita mortali, nostra diuinæ maiestatis contemplatio, inquit Gregorius Nyssenus. Designantur Secundò, multiplices voces & signa aduentus sponsi tum in mundum, tum in animam. Primum eius aduentum, in carnem & vterum Virginis præcesserunt tot figuræ, tot oracula, tot suspiria patrum, ac præcipuè Ioannis Baptistæ vocis clamantis in deserto. Secundum aduẽtum, in Pentecoste, ventus vehemens & linguæ igneæ. Tertium, in Sacramẽtum Eucharistiæ, per voces consecrationis. Quartum, in animam hominis, per iustificationem, *vox Domini præparantis ceruos*, &c. Quintum aduentum ad iudicium particulare, præcedent signa quæ c. vlt Ecclesiastæ describuntur. Ad iudiciũ verò extremum & generale, præcedent *signa in sole & luna*, &c. Deniq; designantur diuersi saltus mystici, seu eximia opera quæ sponsus noster in singulis suis aduentibus egit: quæ quia valdè sublimia erant, ideò super montes & colles peracta dicuntur. Sic, vt notant SS. Ambr. & Greg. de cælo salijt in Virginis vterum, de vtero in præsepe, de præsepi in Iordanem, de Iordane in crucem, de cruce in tumulum, de tumulo rediit in cælum. Et similes saltus etiam in alijs Christi aduentibus notare licebit. Et hactenus quidem vidit sponsa salientem sponsum, & saliendo propiũquantem: nunc etiam præsentem videt, & alijs quasi digito demonstrat.

Nyss. hom. 5. in Cant. *Psal. 18. v. 9.* *Ambros. serm. 6. in psal. 118. Gregor. homil. 29. in Euang.*

℣. 9.

℣. 9. EN IPSE STAT POST PARIETEM NOSTRVM. nempe Verbum diuinum obscurè se manifestat per carnem assumptam, per SS. Eucharistiam, per cælos, per alias creaturas. ita S. Augustinus, Gregorius, Bernardus, Anselmus, Beda & alij. Vnde ab Isaia vocatur *Deus absconditus*. Non tamen ita absconditus, quin aduerti possit: nam prospicit PER FENESTRAS, & fenestrarum CANCELLOS] Ambrosius cum S. Hieronymo *retia* legit. Sunt verò hæ fenestræ retiatę seu cancelli creaturæ omnes, & SS. Scripturæ, & imagines rerum spiritualium, per quas ipse se prospiciendum exhibet, inquit S. Ambrosius, Bernardus & S. Thomas, & Cosmus Damianus Abbas pulchrè deducit.

S. August. l. 2. de Visit. infirmorum c. 2. Gregor. hic & hom. 13. in Ezech. Bernard. serm. 56. Isa. 45. v. 15.

Ambr. sup. Bern. serm. 31. in Cant. S. Thom. 1. p. q. 8.

℣. 10. EN DILECTVS MEVS LOQVITVR MIHI, nempe propriùs & pressiùs & articulatiùs, cubantem & dormientem excitans: SVRGE, PROPERA, ET VENI ad me, & quocumque te ducam, putà ad summum perfectionis gradum. *Surge* ergo ab omni affectu ad creaturas, ab omni eo in quo es dissimilis mihi, attollere ad præcelsa & magnifica ad quæ te voco. Sed caue sis nectas moras: omnis dilatio nocet. *Propera*, nec cesses, donec mihi prorsus similis, mecumque vnum quid fias. In Hebræo est, *Surge tibi, propera tibi, veni tibi*, id est, tuo maximo commodo & bono.

AMICA MEA] singulari amoris vinculo non carni, non dæmoni, non mundo, sed mihi astricta, pretio mei sanguinis mihi comparata.

COLVMBA MEA, mihi assimilanda, mihi associanda, simplici intentione, innocentia vitæ, conuersatione mansueta, spirituali prole fœcunda, mihi sponso tuo fida. FORMOSA MEA] quia sanguine meo mundata, quia splẽdore gratiæ meæ & virtutum omnium ornata: quæ licèt hominibus nigra & deformia sint, tamen in oculis meis maximè splendent. Porrò dicere Dei, facere est. Sed an hæc dona frustra, vel tibi soli concessi? aut talenta, quæ tibi ad lucrandos alios distribui, abscondes in terra? Si *amica mea* es, cur non lucri mei sollicita? Si *mea columba*, cur non mihi fœcunda? Si *mea formosa*, cur foras non progrederis, vt videant opera tua bona, & glorificent Patrem tuum qui in cælis est? Quòd si cum *Rachele* solùm satagas vt pulchra sis & formosa, & negligas fœcunda esse cum Lia, etiam Rachelis pulchritudinem amittes. Nónne *columbæ* est, vbi grana collegerit in agris, ad pullos suos remigrare, quos alat, nutriat, foueat, corroboret? & quæ fœcunda fuisti in prole gignenda, sis etiam sollicita & festina in ea educanda & roboranda. ita S. Bernardus, Cassiodorus, Beda & Anselmus. Addit Basilius, columbam Christi iam pridem ab illo cicuratam, & odoriferis vnguentis alas in contemplatione perfusam, è columbario in agrum euocari, vt coniuncta columbis agrestibus, suâ fragrantiâ illas ad idem columbarium attrahat, & Christo lucrifaciat.

Genes. 29. v. 16.

Basil. epist. 175. ad Iulittam.

℣. 11. IAM ENIM HIEMS TRANSIIT, IMBER ABIIT, &c.] q. d. Ne dubites, ne tardes egredi; tempus est maximè opportunum, aura verna, tepida, serena & amœna, & impedimenta atque incommoda, quæ terrere possent, iam sublata sunt. Nam *hiems* tentationum, ariditatum & ærumnarum internarum huius vitæ *transijt*: *imber* persecutionum externarum abijt & recessit. ita S. Bernardus. Neque iam soli tribuli & spinæ, sed & FLORES pulcherrimi *apparent* IN TERRA NOSTRA]. Flos, inquam, campi Christus, cum tot sapientiæ & sanctitatis flosculis quos eructauit. Flos quoque Deipara, & tot alij Sancti. Flores denique virtutum & piorum propositorum ac desideriorum, quibus tam multi tam feruenter suæ inhiant saluti, & tuam opem implorant. ita S. Gregorius, Honorius & Cathusianus.

Greg. l. 11. Mor. c. 24.

℣. 12. TEMPVS PVTATIONIS ADVENIT] quâ palmites inutiles resecentur, frugiferi purgentur, *vt fructum plus afferant*. ita Origen. & Beda. Sed Nyssenus & Psellus id de floribus, quos dixerat è terra emersisse, carpendis & legendis accipiunt.

Orig. hom. 4 Beda l. 3. Nyss. hom. 5. in Cant. Psellus apud Theodoretum.

VOX TVRTVRIS AVDITA EST] Aliud ineuntis veris indicium. Nam *turtur*, hirundinum more, teste Ieremia, *hieme calidiora petit loca, sub vernum tempus redit, hieme muta, vere vocalis*, ait Plinius & Cicero. Præ alijs verò auibus vere cantillantibus meminit solius *turturis*, quia hieroglyphicum est gemitus, solitudinis, pœnitentiæ, pudicitiæ, aliarumque virtutum, quas hîc insinuat in agro Christi frequentari cœpisse.

Ier. 8. v. 7. Cic. l. 2. de Finibus. Plin. l. 10. Nat. hist. c. 35.

℣. 13. FICVS, quæ vt infructuosa iussa (a) fuerat excidi, iam PROTVLIT GROSSOS SVOS] id est, primos fructus, qui simul cum foliis erumpunt, & citiùs ad maturitatem deueniunt: vnde ficus primi temporis & præcoces vocantur, & quia dulciores, magis expetuntur, & in deliciis habentur, de quibus Michæas, *Præcoquas ficus desiderauit anima mea*. Designant verò primitiuos Ecclesiæ fructus, Apostolos, Martyres, Doctores, Religionum patriarchas, &c. ita ferè Epiphanius, Ambrosius, Gregorius. Sed Origenes exponit de 12. fructibus Spiritus sancti.

(a) Luca 13. v. 8.

Mich. 7. v. 1

Epiph. l. 2. contra hæres. c. 54. Ambr. ser. 6 in Psal. 118. v. 3. Greg. hic. Orig. hom. 4

VINEÆ FLORENTES DEDERVNT ODOREM SVVM] illæ, illæ vineæ, quibus custodiendis custos es adhibita, c. 1. v. 5. de quibus plenè desperabas, iam florent, & primulos racemos iaciunt vnà cum floribus, qui fragrantiam spargunt tam suauem, tam potentem, vt, si S. Bernardo credimus, *omne venenatum reptile* cogatur *cedere loco, nec* possit *nouorum florum ferre odorem*. Designantur verò tum particulares Ecclesiæ & conuentus, vt S. Hieronymus, Ambrosius, Gregorius, Bernardus & Anselmus volunt: tum singulæ animæ, vt Origenes exponit.

Bern. serm. 60. in Cant.

Hieron. l. 1. cont. Iouinian. Ambr. supr. & alij sup.

℣. 14. SVRGE AMICA MEA, &c. Irritamentis omnium sensuum prouocarat sponsus sponsam suam à latibulis suis in agrum Dominicum. pulchritudine florum visum: fragrantia eorumdem olfactum: cantu turturum auditum: ficubus gustum: calore & suauitate veris tactum recrearat. iam nouis illecebris eamdem prouocat, nempe amœnitate & suauitate loci ad quem euocatur, nempe ad FORAMINA PETRÆ, ad CAVERNAM MACERIÆ] Hebraicè est, *in illis foraminibus, in illa cauerna*, nempe quam tu probè nosti. ita SS. Patres ferè omnes, qui per hæc designari volunt vulnera manuum, pedum & lateris, adeoque totius corporis Christi. Hieronymus, Augustinus, Isidorus, Cyrillus, Nyssenus. Sed S. Bernardus etiam attributa seu perfectiones diuinas in Christo, foramina petræ vocat, per quæ ad diuinam maiestatem prorepimus. Idem rursus cum Cassiodoro & Beda, angelorum præsidia quibus vineæ cinguntur, intelligit. Possunt & SS. Scripturæ, possunt & quæuis creaturæ intelligi, per quas ad cælestia, ad diuina contendimus. Apud LXX. est, *veni in tegmine petræ iuxta propugnaculum*. q. d. Non euoco te, vt perpetuò sub dio verseris in agro, in vineis, in continuo labore & æstu. etiam istic tibi prospexi de commoda quiete, de amœno refrigerio, de securis latebris. Ecce in agro, in vinea sunt multa foramina petræ, multæ cauer-

Hieron. in Zech. 3. v. 9. Aug. ser. 9. de Temp. Isid. Cyrill. Nyss. apud Lipoman. in Catena Exodi 17. v. 9. Bernard. serm. 61.

næ

næ maceriæ, in quibus pro placito, pro voto te abs- A condes, & vnà mecum conquiescès, & à periculis, ab insidijs, à strepitu libera, optatæ contemplationi vacabis. Neque enim velim, ita te proximorum negotijs totam immergi, vt non super omnia tibi ipsi vaces: neque aliter actioni insistas, quàm vt mox ad contemplationem te recipias. Ergo non in agrum modò, sed & in hæc mea foramina & cauernas te inuito: hìc sublato omni velamine ignorantiæ, malitiæ, (a) erubescentiæ, (b) metus, sinistræ intentionis, &c. OSTENDE MIHI FACIEM TVAM] facie semper ad me conuersà, me tibi continuò præsentem, teque tuaque complectentem intuearis. Verbo vno, *ambula (c) coram me, & esto perfecta.*

a *Rom* 1. *v.* 18. & 1. *Petr.* 2. *v.* 16.
b *Luca* 9. *v.* 26. & *Marci* 8. *v.* 38.
c *Genes.* 17. *v.* 1.

SONET VOX TVA IN AVRIBVS MEIS] Vox confessionis miseriæ tuæ, & peccatorum tuorum: vox confessionis & laudis Dei: vox orationis & suspiriorum ad me: vox prædicationis ad populum, & B instructionis fraternæ. His vocibus oblector & recreor, vt quàm maximè. Sed omnem vocem superat clamor ardentis affectus & amoris erga me in meditatione & in contemplatione tua, cuius pro libito exerendi plena facultas tibi erit in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, ad quam te inuito. ita cum Origene communiter SS. Patres, qui faciem hìc & vocem sponsæ à sponso expeti censent: Gregorius tamen Nyssenus, Psellus & alij quidam Doctores non improbabiliùs putant hæc sponsæ verba esse, quæ vehementer desideret sponsi faciem videre, & vocem audire. q.d. Inuitas me ad flores videndos, ad turtures audiendos, &c. tu interim fugis procul à me ad montes, ad colles cælestes. ego verò protector, numquam mihi per te factum iri satis, nisi quando mihi exhibebis optatissimam faciem tuam & vocem tuam, non humanæ tantùm, sed & diuinæ naturæ tuæ; non iam per cancellos & fenestras creaturarum, non per ænigmata & figuras, sed *facie ad faciem*: nihil enim *dulce* æstimo nisi hanc *vocem*: nihil *pulchrum* nisi hanc *faciem tuam.*

Orig. ho. 4.
Nyssen. & Psellus sup.
C

✠.15. CAPITE NOBIS VVLPES PARVVLAS] quarum ingenium & studium est cunctas demoliri vineas, ne & nostram demoliantur quę iam floruit. Sunt hæ vulpes triplicis generis, diaboli, mundani homines, & carnis concupiscentiæ, seu passiones. Quæ licèt impijs & imbellibus leones, pardi, lupi, dracones videantur, vt eos subinde vocat S. Scriptura: tamen Deum amantibus non sunt nisi vulpeculæ, subdolæ quidem & versipelles, sed imbelles. Has, dum adhuc in nidulis & paruulæ sunt, iubet *sponsa* capi, vt quidam Rabbini & Doctores exponunt; vel, vt alij, *sponsus*. q.d. Hoc ante omnia curandum, nam nisi capiantur, capient & carpent omnes fructus vineæ. Cura verò has vulpeculas capiendi demandatur Primò, angelis Custodibus; Secundò, Prælatis, prædicatoribus, confessarijs, magistris; Tertiò, singulis fidelibus, quibus suæ cuique vineæ custodia curæ & cordi tempestiuè esse debet, *nec serò medicina paranda.* Verùm, cur dicit, *Capite nobis*, non verò *occidite?* Nempe non venit filius hominis animas perdere, sed saluare: & mauult incentiua vitiorum in vsum virtutum commutari, quàm extingui vel absumi, inquit S. Gregorius.

D

Gregor. l. 3. *Mor. c.* 19.

Dum verè capiendis, vinciendis & constringendis his vulpeculis, & vineis & agris pro officio suo excolendis sponsa cum suis tota distinetur; en tibi sponsum in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, iuxta conditum sponsam primùm prestolantem, dein & aduocantem, tertiò introducentem, denique amplexantem & blandientem. Vnde illa mox amore saucia,

✠.16. DILECTVS MEVS MIHI] supple, vnicus est sponsus, vnicè dilectus. Ita plerique SS. Patres. S. Bernardus: *Mihi* singulariter intendit, attendit, curam gerit. S. Franciscus: *Mihi est omnia, est creator, magister, dominus, pastor, pater, sponsus: est mihi* (d) *via, veritas & vita: est mihi* (e) *redemptio, sanctificatio, iustitia, sapientia: est mihi spes, salus, gaudium, beatitudo suprema.* S. Cyprianus & Ambrosius: Totis sensibus sum ipsius solius: & ipse *est mihi mea portio, mea hereditas, mea possessio. Ipse solus mihi sufficit, quia in illo omnia bona possideo. Et ego illi portio & possessio sua sum, & quasi omnia ipsi, sufficio ipsi, qui prater me nihil aliud requirit à me. Et ego honori, nutui, lucro illius tota intendo: sponsa illius vnicè ipsi dilecta.* Ioannes Mariana: Ipse *mihi, & ego illi*, id est, benè inter nos conuenit, mutuo contenti sumus. Et quid ni contenta sim illo, QVI PASCITVR INTER LILIA & vernantes rosas, instar apiculæ dulcissimum inde mel mihi colligens, quo me deinde pascat? Nam LXX. habent, *qui pascit in liliis*. Lilia hæc sunt SS. Scriptura, Sacramenta, virtutes omne genus, diuina attributa & mysteria, inquit S. Bernardus, Nyssenus & Iansenius: nam his omnibus & *pascitur* ipse, id est, oblectatur; & nos pascit, nutrit, impinguat, oblectat.

Bern. ser. 67. *In vita S. Francisci.*
d *Ioan.* 14. *v.* 6.
e 1. *ad Cor.* 1. *v.* 30.
Cypr. serm. de Ascensione.
Ambr. serm. 8 & 12. *in psal.* 118.
S. Bernard. serm. 70.
Nyssen ho. 5. *in Cant.*
Iansen. in Prou. 6. *v.* 8.

✠.17. DONEC ASPIRET DIES, ET INCLINENTVR VMBRÆ] LXX. *amoueantur vmbræ.* Id est, dilectio hæc, & pastus continuo crescent incremento, ab aurora ad plenam meridiem, quando vmbræ euanescunt, id est, ad summam vsque perfectionem. *Iustorum* enim *semita, quasi lux splendens, procedit & crescit vsque ad perfectam diem.* Dies ergo hic mysticè significat gratiam, feruorem spiritus, perfectionem Euangelicam: *vmbræ* peccata, imperfectiones, carnis noxias affectiones & inordinatas passiones: quæ quò magis crescit gratia, feruor & perfectio, eò magis decrescunt, inquit S. Augustinus. Sed Nyssenus per *diem*, intelligit lucem & scientiam à Spiritu sancto infusam: per *vmbras* ignorantiam & errores. Potest etiam cum S. Gregorio & alijs Patribus intelligi *dies* æternitatis: vel cum S. Ambrosio, *dies* huius vitæ. per *vmbras* verò quidquid vanum, caducum, transitorium est in vita. Porrò quia perspectum habebat sponsa sponsum perpetua gaudere vicissitudine, & nunc accedere, nunc recedere; nunc hos, nunc illos inuisere, nihilq; ei gratius accidere, quàm salutem aliorum, maximè nobis commissorum, quacumque possumus via promouere, hoc zelo accensa, & vt nutibus sponsi per omnia se conformet, summa reuerentia atque animi submissione proponit sponso, vt à se ad alios quoque deflectat:

Prouerb. 4. *v.* 18.
Greg sup.
Ambr. ser. 6. *in psal.* 118.

REVERTERE, DILECTE MI, SVPER MONTES BETHER, id est, diuisionis, id est, multis vallibus & *concauitatibus* diuisos, vt vertunt LXX. quos infrà c. 8. v. vlt. vocat *montes aromatum*, quia aromaticis arboribus abundabant. Petit ergo sponsa, vt sponsus ijs donis quibus se cumulabat, etiam alios donet, & præ omnibus greges sibi commissos, à quibus suo forsan vitio illum fugarat, iam postliminio reuisat, cælesti pabulo pascat, peccatores conuertat, tristes soletur, infirmos roboret, excitet tepidos, auxilietur afflictis, calcar addat currentibus, omnibus omnia necessaria, omnia vtilia impertiat, vt omnibus vnà cum ipsa dicere ex animo liceat, *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Et hæc est *vox* illa sponsæ,

sæ, quam sponso, vt *in auribus* suis *resonet*, petenti gratissimam reddit primo & vltimo loco. ita ferè Beda & Lud. de Ponte. Alij id exponunt de reditu Christi è morte ad vitam, è limbo in terram, è terra in cælum, è cælo in Eucharistiam, in animas piorum, in vallem Iosaphat, & peracto iudicio rursus in cælum empyreum. Sed rogat sponsa, vt in sua reuersione sponsus *similem* se præbeat CAPREÆ HINNVLOQVE CERVORVM] id est, Primò, celerrimè currendo ac properando; Secundò, oculos identidem post tergum, subinde & gressus iterum ad se vertendo; Tertiò, speciosum, hilarem, delectabilem omnibus sese exhibendo, abundantiâ gratiæ & donorum Spiritus sancti omnes oblectando.

CAPVT III.

De varijs & mirijs modis quibus Deus quæritur & inuenitur in hac vita: de multiplici profectu spirituali per opera vitæ, tum actiua, tum contemplatiua: de plena perfectione curanda, & sibi & proximo: de contemplatione diadematis Christi, seu mysteriorum & perfectionum ipsius. Quæ enim duobus primis capitibus quasi compendio perstrinxit, eadem sex sequentibus capitibus vberius, subtilius ac dilucidius, nouis subinde metaphoris & similitudinibus illustrat, vt dixi in præfatione.

¶.1. QVÆSIVI QVEM DILIGIT ANIMA MEA: vtpote summum bonum & vltimum finem meum. Quâ quæsitione nihil in hac vita sublimius, nihil vtilius, nihil iucundius. Sed quæsiui PER NOCTES, non plenæ ignorantiæ, aut malitiæ: nam lumine fidei & splendore gratiæ iam illuminata eram; sed afflictionis, desolationis, ariditatis, Deo lucem deuotionis & contemplationis ad tempus subtrahente. Ergo quasi in tenebris palpans, quæsiui primùm IN LECTVLO MEO, id est, pigrè & desidiosè, nimiùm mihi indulgens, meæ vnius studens quieti, tranquillitati, delectationi, etiam in oratione, meditatione & virtutum studio. QVÆSIVI ILLVM, ET NON INVENI. Nam lectulum meum occupabat solus mei ipsius proprius amor: diuinus verò amor quærendus in lectulo ipsiusmet Dei, & loco quieti & delicijs ipsius deputato, nempe *lectulo florido* strenuis virtutum actibus, sanctis & puris intentionibus, inflammatis desiderijs, de quibus c.1.v.15. Ergo frustrata spe mea, ad alterum deflexi extremum, dicens:

¶.2. SVRGAM, ET CIRCVIBO, &c.] Id est, neglecto orandi studio, totam me negotijs externis immergam, non profanis, sed honestis, sed religiosis, & in bonum proximi mei. Sed neque hîc illum *inueni*. Nam externæ occupationes immoderatiùs, & plures quàm par est, assumptæ, non consociant animum Deo, sed abstrahunt, dilacerant, lædunt, terræ & tui ipsius amori affigunt. Quot enim sunt occupationes inordinatæ, tot sunt spinæ, tot sunt ambitionis flabella, tot sunt distractionis ac turbationis incentiua, cor in varias & vanas curas dissecantia. ita S. Bernardus & Bonauentura ex S. Gregorio & alijs.

Bern. l.1. de Consider. Bonau. de Sex alis c.7. Greg. in 2. p. Pastoral. c.7 & l.18. Moral. c.15.

¶.3. INVENERVNT ME VIGILES qui custodiendæ ac gubernandæ tum Ecclesiæ, tum animæ cuiusque nostrûm à Deo præpositi sunt, nempe angeli Tutelares, (de quibus S. Ambros. & Nyssenus hæc intelligunt) item Prophetæ, Apostoli, Pastores, Doctores, Prælati, confessarij, consiliarij; de quibus Gregorius Magnus, Cassiodorus, Beda, Anselmus, Richardus & alij. Hi vigiles vel ex diuina inspiratione, vel ex SS. Scripturis, vel ex dictamine rectæ rationis, docuerunt me viam quâ possem reperire dilectum meum, & dona cælestia ad tempus subtracta recuperare. Docuerunt enim me Primò, pro virili incumbere orationi, non meæ quietis aut oblectationis causâ, sed vt diuinæ per omnia voluntati obsecundem. Secundò, externis occupationibus cum magna discretione me dare, neque altiùs me immergere, quàm vel propria vtilitas, vel proximi necessitas exigat: non solatiola ex eis emendicando, sed propter Deum purè omnes suscipiendo & obeundo. Tertiò, cùm omnia fecissem mihi possibilia, patienter tum præstolari de manu Domini quidquid illi placuerit donare, indignam me arbitrando vel minimo munusculo, dignissimam verò maximis pœnis, tormentis ac miserijs.

His similibusque monitis in praxim redigendis vt primùm me dedi, & PAVLVLVM PERTRANSIVI hos vigiles, nempe diuina sponsi vocatione me paulò altiùs attollente, (nam singulare Dei donum est; neque sola vel hominum, vel angelorum instructione aut proprio conatu obtineri potest,) INVENI QVEM diligebam, & in eo veram pacem, solidam tranquillitatem, plenum gaudium. Quæ animam ita pro eo temporis articulo satiant, vt licèt sciat se non comprehendisse summum bonum, sed neque vt id est vidisse, vel sensisse; putet tamen & sentiat se pro statu huius vitæ illo abundè frui, & ita voti compotem se factam, vt plenè in illo conquiescere possit ac debeat. Vnde mox subdit:

¶.4. TENVI EVM; NEC DIMITTAM] Tenui crebra cogitatione, meditatione, contemplatione & continuo amore, similitudine vitæ & morum imitatione, perpetuo obsequio voluntati & nutui ipsius. His enim velut osculis & amplexibus illum mihi adstrictum & intimè vnitum teneo, imò vnum quid cum illo me efficio. Sicut enim vehemens calor ignis liquefacit glaciem, eamque quasi à propria natura dimouet, facitque diffluere & commisceri terræ, intra eam imbibi, & cum illa quasi vnum fieri: sic vehemens Dei amor liquefacit animam, & facit eam à se quasi diffluere, & totam ita absorberi atque imbibi à Deo, vt ex duobus vnum effici penitus videatur. Hinc subinde oritur *ecstasis* animæ, *obliuio* sui, & *transgressio* in Deum, *raptus*, *volatus*, *somnus* & *liquefactio* animæ, cuius suprà (*a*) memini, & infrà (*b*) mentio recurret. Et sic mystici dicunt, animam *deficere* in se, *perdere* seipsam, *in nihilum redigi*, *intrare in abyssum* diuinitatis, *conuerti & transformari in Deum*, & in illud *Esse increatum & ideale æternum*, & similia, quibus sæpè vtitur Richardus, Rusbrochius, Taulerus, Harphius, Blosius & alij; & optimè explicant Lud. de Ponte, Iac. de Paz, Maximilianus Sandæus.

a *cap.2.v.6.*
b *cap.5.v.6.*
De Ponte in Duce spirituali, tr.3. De Paz. tomo 3. de Orat. Sandæus l. de Contemplatione. Nyssen. & Ambr. sup.

Tenui ergo sic dilectum meum, nec sui me diuelli ab eius amplexibus: imò firmiter animo statui *non dimittere* illum, DONEC INTRODVCAM IN DOMVM MATRIS MEÆ, id est, meam: sed *matris* vocat, ob honestatem, inquit Mariana. Est verò domus & cubiculum hoc, vt explicat Nyssenus, cor meum, mens mea; Ambrosius, internum secretum naturæ meæ; alij, centrum cordis mei, pars superior ac nobilior animæ, vbi residents virtutes Theologicæ, dona Spiritus sancti, ceteræque virtutes internæ. Ibi intimam vult fouere cum Deo familiaritatem, & spirituales cum eo nuptias contrahere, illo perpetuò præsente frui, colloquijs eius pasci, arcana discere, & optatis complexibus secura gaudere. Et quidem obtinuit mox quod optauit: vnde

& rapta

& rapta in ecstasim contemplationis & amoris, suauissimo indulget somno, gaudente probanteque sponso, & illam interpellari vetante, prorsus pari modo quo suprà c.2.v.7. Non decuit eam quæ tanta contentione sponsum quæsierat, & inuenerat, promiseratque se numquam illum dimissurum, & iam bona noctis parte in vlnis ipsius conquieuerat, nihil aliud operando, etiam interdiu domi desidere, sponso foras properante: decuit simul in agrum & rus exire, & sponsum ad greges abeuntem comitari. Quam iam egressam conspicatæ sodales, nouam mirantur sponsæ formam, gestus, incessum gracilem, iucundum, modestum frágrantiam vestimentorum, &c. vnde præ admiratione & stupore rogant:

℣.6. QVÆ EST ISTA QVÆ ASCENDIT PER DESERTVM? quæ inter tot mundanas sordes, tot spinas, tot vepres, inter *cubilia draconum, & pascua struthionum*; inter *onocentauros* & *pilosos*, inter vrsos & leones, nec vi, nec dolo, nec inertiâ, nec metu detinetur; sed generosa defertione omnium terrenorum, & sui quoque ipsius, igne diuini amoris sursum acta, *ascendit* velocissimo & rectissimo filo ad cælum, ad thronum, ad sinum æterni Patris: SICVT VIRGVLA FVMI, instar thymiatis confecti EX AROMATIBVS MYRRHÆ abnegationis sui, mortificationis, & molestiárum vitæ actiuæ: ET THVRIS orationis ac contemplationis: ET VNIVERSI PVLVERIS PIGMENTARII virtutum simul omnium; per modum perpetui holocausti, charitatis igne succensi & absumpti, summa fragrantia sursum ascendit, non sparso hinc inde ad latera fumo, per sinistras intentiones, sed recta *virgula fumi* in altum tendente; vnico purissimoque vni Deo placendi colendique desiderio, inquit S. Gregorius & Cassiodorus. En primos fructus ex sponsi thalamo. Sequuntur alij. Illa, quæ aliquando fuit cubile fetarum & fœdarum passionum, &c. nunc est castissimus

Isa.34.v.13.

Greg hom. 11. in Ezech. Cassiodor. in Cant. j.

℣.7. LECTVLVS SALOMONIS pacati & pacifici regis, nullis iam vallatus spinis antiquorum scelerum, vepribus curarum anxiarum, tumultibus obstrepentium passionum; sed tranquilla pace cinctus, auro, argento & gemmis cælestium gratiarum ornatus, & omnigenis virtutibus *floridus*: in quo tamquam in loco sibi gratissimo cælestis Salomon, princeps & auctor veræ pacis, perpetuò conquiescit, & cum illo anima orationi & contemplationi vacans iucundè deliciatur. Neque est quòd sibi timeat à *timoribus nocturnis*, seu qui solent pijs animabus nocturno tempore, id est, in tenebris huius sæculi, timorem incutere, putà dæmones, mundus, caro. Nam sicut terreni regis Salomonis thalamum custodiunt continuò 60. armati, ex omnibus tribubus quini fortissimi; ita cælestis Salomonis lectulum tuentur 60. id est, innumeri, custodes, partim externi, de quibus v.3. partim interni, putà virtutes, in suum singulæ contrarium vitium armatæ: & heroica proposita, generosæque cogitationes & affectiones, quæ ex meditatione vel contemplatione promanant, & diu pòst adhuc durant: quibus vix vllá est vigilantior potentiorque animæ custodia. ita ferè Cassiodorus, Gregorius, Beda, à Ponte. Nec tamen solius *lectuli* floridi & amœni laudem tribuunt sponsæ, sed & *ferculi* gestatorij cælestis Salomonis, quo, sicut terrenus rex in publico deferebatur maximâ pompâ, minima succussione, simul quiescens & iter faciens; ita cælestis rex deferri vult in totius mundi notitiam, idque per illosmet in quorum cordibus per charitatem & alia dona sua conquiescit: deferri, inquam, sed sine quietis suæ turbatione, vel baiulorum suorum concussione aut detrimento. Ergo

Cypr. lib. de Hab. virg. Beda & Ponte ep. ad 4.

℣.9. FERCVLVM, seu lecticam gestatoriam, FECIT SIBI REX SALOMON lopus regiâ magnificentiâ & immensâ sapientiâ suâ dignum: cui construendo pretiosissima quæque adhibuit: *lignum Libani*, naturam generosam, animam bonam, ingenium nobile, talenta omnia eximia.

℣.10. COLVMNAS EIVS ARGENTEAS, septem dona Spiritus sancti, & virtutes Theologales & cardinales, quibus simul vnitis nihil fortius, nihil splendidius *nihil vtilius in vita hominibus*. In ferculo RECLINATORIVM AVREVM est pars animæ superior, meditatione & contemplatione rerum diuinarum tamquam auro instructa, quâ & Deus in animâ requiescit, & ipsa anima in Deo requiescit, & à Deo refocillatur, ac spiritum haurit ad alios docendos, & ipsi qui docentur, requiem per illam adipiscuntur, inquit S. Gregorius. Adiecit ASCENSVM PVRPVREVM] id est, gradus per quos in lecticam ascenditur, purpureis tapetibus seu carmesinis holosericis instratos, nempe patienti mortificatione carnis, & forti tribulationum tolerantia, quæ animum verè regium & Regi regum crucifixo similem faciunt. ita S. Cyprianus & Beda.

Sap.8.v.7.

Greg.ho.15. in Ezech.

Cypr.serm. de Bono patientiæ.

MEDIA, id est, partes intermedias, putà quæ inter ascensum & reclinatorium seu sedile sunt, item pauimentum lecticæ, CONSTRAVIT CHARITATE, id est, re omnibus charissima, nempe gemmis & monilibus; LXX. *intimum eius constructum lapidibus*, nimirum pretiosis. Hebræum enim *ratsuph* carbonem ignitum, vel lapidem splendentem significat, vnde pro *carbunculo*, & etiam pro *charitate* vsurpatur: quia hæc præ omnibus virtutibus & ardet & splendet, quin & splendorem & ardorem alijs impertit, quo si ipsa abesset, prorsus carerent. Vnde apertissimè additur, *media* hæc strauisse charitate PROPTER FILIAS IERVSALEM, id est, vt hoc ferculo tamquam diuini Salomonis instrumento & ministro, charitas in alias quoque animas pacis amantes inuehatur, vt illas similiter inflammet, & virtutibus splendere faciat. ità ferè Hugo de S. Victore, & Lud. de Ponte. Et hæc est summa animæ dignitas, cooperari Deo in animarum aliarum salute procuranda.

רצוף

Hugo l.1.de Erudit. Theolog ex Miscellaneorum tit 60. De Ponte tom.4. de Perfectione Christiana.

Sed concionem iam sponsæ audiamus, quâ fideles omnes euocat & allicit ad videndum, amandum, colendum cælestem sponsum suum:

℣.11. EGREDIMINI FILIÆ SION] Id est, è cubiculis, è domibus, è vitiorum antris exite, ô animæ cælesti ciuitati inscriptæ: abiicite quæ vos à studio curandæ salutis & perfectionis remorantur: vale facite prauis operibus, concupiscentijs & curis: vacate animis, & rei longè nobiliori, longè splendidiori & iucundiori attendite,

VIDETE REGEM cæli & terræ, regem vestrum, &, si vultis, etiam sponsum vestrum, SALOMONEM IN regio DIADEMATE, id est, omnibus perfectionibus suis tum diuinis, tum humanis, quas diuersis temporibus diuersas orbi manifestauit. nam *in capite eius diademata multa*: quibus CORONAVIT ILLVM MATER SVA IN DIE DESPONSATIONIS ILLIVS] In *die* æternitatis, coronauit illum diuina fœcunditas diuinitate sua. In *die* incarnationis, coronauit illum & virgo Mater, & cælestis Pater humanitate sua, cum tanta sapientiæ ac gratiarum plenitudine. In *die* passionis, mater Synagoga coronauit

Apoc.19. v.12.

nauit eum ſpinea corona, cum tot flagellis, vulneribus & probris. In *die* reſurrectionis, cinxit eum diuina iuſtitia diademate gloriæ. In *die* conuerſionis animarum, Eccleſia militans cingit illum corona ſeu cœtu fidelium in terris, & Eccleſia triumphans corona Sanctorum in cælis: quæ ſanè maxima ſunt gloria & decus æternum regis cæleſtis, ipſomet per Iſaiam teſtante, *Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* & rurſus: *Omnibus his velut ornamenta veſtieris, & circumdabis tibi eos quaſi ſponſa.* Et Chriſtus apud Matthæum affirmat, ſe pro *matre* ſua habiturum quicumque voluntati & nutui diuino in ſalute animarum curanda obſecutus fuerit. Ad hæc ſpectacula digna vobis & grata & iucunda Deo *egredimini filiæ Sion.* Nullæ aliæ tam commodæ illecebræ, tam potentes machinæ, quibus animæ generoſæ à cupedijs huius ſæculi ad amplexus cæleſtis ſponſi pertrahantur.

Iſa.62.v.3. & c.49. v.18.

Matth.12. v.50.

CAPVT IV.

Encomia ſponſæ, & ſingularium eius partium, quibus illam ſponſus prouocat ad ſublimiora, & ad glorioſiorem coronam inuitat, maximè ad ſalutem proximorum curandam, & labores ac dolores pro Chriſto exſorbendos. Vbi Nota, multis variiſq; metaphoris ſæpè vnum & idem inculcari tum in hoc, tum in alius huius Cantici capitibus: cùm enim nulla vna metaphora vel ſimilitudo reperiri poſſit, qua res de qua agitur, plenè explicetur, idcirco pluribus & variis, quæ per partes id præſtent, Scriptura vti conſueuit.

EXhortatio ſponſæ quâ reliquas filias Sion conabatur in amorem ſponſi pertrahere, adeò placuit ſponſo, vt mox admirabundus in has laudes erumperet:

℣.1. O QVAM PVLCHRA ES! QVAM PVLCHRA ES!] Pulchra contemplatione, pulchra & actione.

OCVLI TVI COLVMBARVM. De hoc egi c.1. v.14. ABSQVE EO QVOD INTRINSECVS LATET] Id eſt, præter affluentiam cæleſtium gratiarum quas intus à me recipis ob nobiliſſimum affectum tuum, & effectum columbinum. Sicut enim affectus tuus & zelus internus nullis limitibus cõſtringitur, ſed tamen homines latet: ita præmium quoque quo illa remunero, licèt menſuram vulgarem excedat, latet tamen intus in occulto, neque vlli patet, ne quidem tibi ipſi. Sunt enim *arcana, quæ non licet homini loqui.* ita S.Ambroſ. & Gregor. LXX. vertunt, *extra taciturnitatem tuam*, vel ſilentium tuum quo retices linguâ, quod clamas corde & deſiderio & gemitu. Quo ſilentio nihil clamoſius, nihil vocalius, nihil potentius: de quo Ieremias Thren.3. *Sedebit ſolitarius, & tacebat, quia leuauit ſe ſuper ſe.* & Apocal.8. *Factum eſt ſilentium in cælo*, ſeu in anima conuerſante in cælis, *quaſi media hora*: de quo vide S.Gregor.(a) & Philonem Carpathium, & Iuſtum Orgelitanum.

2.Cor.12. v.4. Ambroſ.de Inſtituend. virgin c.1. Gregor.in Cant.4.

a Gregor. homil.14.in Ezech.

CAPILLI capitis TVI, id eſt, cogitationes & affectiones, quæ ab animo procedunt, vt ſunt multæ, variæ, pulchræ & fœcundæ, ita maxima cura à te ordinantur & diriguntur ad vnum finem gloriæ Dei, SICVT GREGES CAPRARVM, quæ licèt natura ſua petulcæ ſint, & liberiùs curſitent ac ſaltitent; tamen vigili paſtoris cura continentur & coërcentur, idque in paſcuis vberrimis & ſaluberrimis, qualia ſunt in valle & MONTE altiſſimo GALAAD, id eſt, acerui teſtimonij, putà SS. Scripturis, in quibus omnia coaceruantur teſtimonia de Deo, de Chriſto, de omnibus fidei myſterijs, circa quæ continuò cogitationes & affectiones Sanctorum verſari debent, vt veros Nazaræos generent & roborent & ornent *candidiores niue, & ſapphiro pulchriores.* ita ferè S.Gregor.Beda & alij.

Gregor.l.2. Mor.c.26. Beda l.1.

℣.2. DENTES TVI, inſtrumenta ad mandendum & loquendum, nempe ſtudium, meditatio & oratio, ſunt SICVT GREGES TONSARVM & bene *lotarum* ouium, candida, munda, nihil habentia ſordium aut fœditatis, concinna, polita, contigua ſibi mutuo, fortia, fœcunda, GEMELLIS omnia FOETIBVS, in intellectu veram cognitionem, in voluntate ardentem amorem, in proximo ſolidam virtutem generantia. ita S.Bernardus.

Bern ſerm. 63.ex parui & ſerm.5.de Quadrag.

℣.3. LABIA TVA, inſtrumenta ad oſculandum & loquendum, nempe interna conuerſatio cum Deo, & externa tractatio de Deo, nil fuſcum habent, nil liuidum, nil turpe, ſed pulchra ſunt per omnia, & roſea, & corallina, velut ex coccino igneſcente. Deſignant fida & ardentia amoris interni ſigna, & externum *eloquium dulce*, concinnum, gratum, ſpirans ſanguinem Chriſti & amorem diuinum. Talia labia decent concionatores, confeſſarios & alios Eccleſiæ miniſtros, inquit Gregor. Anſelmus, Beda. His enim conuenit, *vittâ coccineâ* Deum attrahere & alligare non ſibi ſolis per intimam cum eo vnionem & familiaritatem, ſed & proximo ſuo per exhortationem, inſtructionem, vulnerum obligationem, ſcelerum remiſſionem, &c. ita Richardus à S.Victore & alij.

GENÆ TVÆ, ſedes pudoris, nempe pudica caſtitas, modeſta verecundia, diſcreta conuerſatio, ſunt SICVT FRAGMEN; LXX. *ſicut cortex*, MALI PVNICI] id eſt, partim candidæ, partim rubicundæ & purpureo colore venuſtæ, granis medicis, & ſucco ſuauiſſimo ac ſaluberrimo plenæ, licèt cortice exteriore inſipido, auſtero & duro, propter rigorem mortificationis & pœnitentiæ, quibus ſolis caſtitas tuta conſeruatur.

ABSQVE EO QVOD INTRINSECVS; hebraicè, *quod intra velum tuum*, LATET, quod omnia encomia, omnes laudes excedit, vt dixi v.1.

℣.4. COLLVM TVVM, inſtrumentum ad iugum baiulandum, nempe obedientia, quæ, vt dixi c.1. v.9. pulchra eſt vt monilia, eſt etiam recta, procera, conſtans, rotunda, fortis, & ſpolijs & armis omne genus inſtructa, ad ſimilitudinem TVRRIS quam Dauid rex ædificauit in monte Sion, quæ in Scripturis vocatur arx Sion, & ſeruiebat partim pro ſpecula ad omnia circumluſtranda; partim pro munimine vrbis ad hoſtem repellendum: vnde & *propugnacula* varia habebat, & *clypeos*, & enſes, & MILLE alia arma, id eſt, innumera, è muris propendentia, quæ vel pro ſpolijs & ornamento erant, vel pro exercitu armando, cùm neceſſitas ingrueret. quæ omnia obedientiæ applicant Origenes, Theodoretus, Bernardus & alij.

2.Reg.5. v.9. 2.Eſdræ 3. v.27.

℣.5. DVO VBERA TVA, ſymbola amorum & blanditiarum, vt alibi(b) dixi, ſunt venuſta, nitida, tumentia, ſucculenta, SICVT DVO HINNVLI CAPREÆ, id eſt, ſicut duo hœduli GEMELLI, QVI PASCVNTVR IN LILIIS] id eſt, paſcuis amœnis, pinguibus & odoriferis: qualia paſcua ferè ſunt in humidis vallibus vbi lilia germinant. Nam in talibus paſcuis paſti hœdi ſolent eſſe ſucculenti, pingues, fœcundi, nitidi & aſpectu gratiſſimi. Sunt verò duo ſponſæ vbera charitas Dei, & charitas proximi, quæ paſtæ lilijs candidiſſimis & pulcherrimis diuinorum myſteriorũ, intumeſcunt & increſcunt ad vicem reddendam quibuſcumque poſſint modis, tum Deo, tum proximo propter Deum. ita Richardus, Bernardus & alij.

b Prou.7. v.18.

℣.6.

℣.6. DONEC ASPIRET DIES, &c. explicui c.2.17.

VADAM AD MONTEM MYRRHÆ, &c. Hector Pintus cum Almonaziro putat hæc esse verba sponsæ, quæ cum tot tantasque laudes suas à sponso audiret, rubens præ humilitate dixerit, se sibi deligere quod securius, quodque vilius est. Sed omnes SS. Patres ea verba sponso tribuunt inuitanti per ea sponsam, vt, relicto propriæ voluptatis & priuati commodi monte *Libano*, transeat secum ad altissimum *myrrhæ* mortificationis, tribulationis, afflictionis montem, & simul AD COLLEM THVRIS, id est, orationis & contemplationis. q.d. Meum hoc omne studium erit, velim sit etiam tuum. Hebraicè & græcè est, *ibo mihi*. (*a*) quo etiam indicat sponsus, si sponsa velit eò comitari sponsum, debere id facere purissima intentione, nihil ibi suum quærendo, sed solius sponsi beneplacitum & gloriam. vide S. Gregor. Anselmum & Hugonem.

a Zach.7. v.5.

Hugo de S.Vict. l de Amore sponsi ad sponsam.

℣.7. TOTA PVLCHRA ES. q.d. Non in ijs solis membris quæ recensui, pulchritudo elucet, sed & in reliquis omnibus totius corporis, maximè cùm mecum ascendis *in montem myrrhæ*, vbi iugi mortificatione abigis à te quidquid fœdum est, vnde MACVLA NON EST IN TE voluntarij alicuius peccati: sed *tota pulchra es* corpore, animâ & mente. (*b*) Et augetur continuò hæc pulchritudo *in colle thuris*, vbi per familiarem mecum conuersationem acquiris quantum vis ornatus & gratiæ. ita Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Gregorius, Anselmus & Beda.

b 1.ad Thess. 5.v.23.

Ambr.l.1.de Virginib. Hieron. l.8. in Ezech. August.l.1. Retract. c.19.& de Baptis.c.5.

℣.8. VENI, VENI, VENI, id est, citissimè, celerrimè veni DE LIBANO propriæ voluntatis & priuati commodi, & *veni mecum* (sic verti potest ex Hebræo) ad fastigium *montis myrrhæ*, & ad verticem *collis thuris*, vt omnes in supremo gradu apprehendas virtutes, tam quæ ad tui perfectam abnegationem, quàm quæ ad Dei cultum, & proximi instructionem spectant. Veni ergo, SPONSA MEA, ex millenis millibus vnica mihi summè dilecta: vnde nouo titulo *sponsam* te voco *meam*, vt nouos addam stimulos, nouos amores, & vt memineris quotidie te spiritualem prolem mihi gignere debere. Quod vbi feceris, spondeo, CORONABERIS coronâ tum pulcherrimorum filiorum, tum præclarissimorum donorum (*c*) & gratiarum in hac vita: in altera, coronâ gloriæ, non qualicumque, sed excellentissimâ vtraque & nobilissimâ, ita S. Ambrosius, Nyssenus, Cassiodorus, Catena trium Patrum apud Theodoretum, Gregorius & Beda. Mox explicat, vnde carpendi sint flores è quibus hæ coronæ texantur.

c Psal.102. v.4.

Ambr.l.de Isaac c.5. Nyss.hom.6. in Cant.

CORONABERIS DE CAPITE, seu vertice, montium AMANA, SANIR ET HERMON] id est, floribus collectis è vertice inaccesso & incalcato trium istorum montium sibi contiguorum, qui simul constituunt montem *Libanum*; nam iugum quoddam Libani præcelsius vocatur *Amana* in libro Iosue, aliud *Sanir* vel Sarion, tertium *Hermon* in Deuteron. Libanus verò symbolum est superbiæ, *Amana* significat *celsitudinem*, quam superbi omnes ambiunt. *Sanir*, id est, lucerna, designat montem vanæ scientiæ, & splendorem nominis. *Hermon*, id est, consecrare, deuouere, significat montem voluptatis carnalis, cui mundani homines se totos consecrant & deuouent. q.d. Hos omnes montes & eorum incolas pia prece tua, probo tuo exemplo, instructione, exhortatione subijcies mihi & tibi, & de omnibus triumphum referes & coronam, iuxta illud Isaiæ, *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli &*

Iosue 12. v.7.&c. Deut.3.v.9.

Isa.35.v.2. & 6.

A *Saron*. Nec de communi solùm plebe, aut de infirmis & imbecillibus, sed & de *leonibus & pardis*, id est, de fortissimis & astutissimis & ferocissimis huius sæculi. ita ferè S. Greg. Bernardus & Delrio.

Bernard. serm.4.de Ascensione. Nyss hom.8. in Cant.

℣.9. VVLNERASTI COR MEVM, nempe amore tui: Symmachus vertit, *excitasti cor meum*; Nyssenus, *indidisti nobis cor*; LXX. *abstulisti nobis cor*. Nam vt Plato aiebat; *Amans animus mortuus est in proprio corpore, & viuit in alieno*. Quinta translatio habet, *fidere me fecisti*. q.d. Eximia specie & pulchritudine tua, & præ omnibus promptâ tuâ & celeri obedientiâ, quâ mihi te ad noua certamina vocanti obsequeris; præbuisti mihi animum & fiduciam, vt audacter in te & per te ardua quæque aggrediar, difficillimis te aduersus leones & pardos certaminibus, luctis, periculis exponam, & grauissima regni mei negotia turò tibi committam. Magna profectò laus, talem se præbere Deo, vt ardua quæque, seu agenda, seu patienda, turò illi committi possint, & iaculis amoris vsque eò ferire cor Dei, vt quasi cogatur committere. Et hæc fortè causa est, cur nouo rursus & hactenus inusitato nomine dilectam suam Christus compellet, nempe *sororem* suam. quo insinuat, eam non solùm eiusdem secum diuinæ naturæ factam consortem: sed etiam vnà secũ in ijs quæ cœlestis Patris sunt, perpetuò deinceps, quasi sororem cum fratre, occupatum iri, nempe in paterna hereditate augenda, amplianda, ornanda; in communibus hostibus debellandis; in victorijs prosequendis. vide S. Bernardum. Et habes quid simile Estheræ 15.v.12. vbi rex Assuerus maritus Estheræ se vocat *fratrem* ipsius. Sed vnde tanta in hanc sponsam fiducia, vnde tantus affectus in eam quam necdum opere vel reipsa probasti? Respondet sponsus,

B

IN VNO OCVLORVM TVORVM vulnerasti me. q.d. Sufficit ocellus vnus, vt integrum cor meum rapiatur: ocellus, inquam, puræ, indiuisæ & simplicis intentionis: nam hæc propria est castissimo & perfectissimo amori, qui in solum Deum collimat, & non in dona Dei, nisi vt in ipsum referuntur, inquit S. Ambrosius. Quin & *crinis vnus* ad id mihi sufficit, id est, cogitatio vna, & affectio generosa collum ornans diuinæ subiectum voluntati & iugo. Quantò ergo magis inflammabunt & vulnerabunt me virtutes simul omnes in te iunctæ, & virtutum omnium innumeri actus & effectus? Mauult tamen S. Gregorius, Beda, & quidam alij per *vnum* hic non *vnicum* intelligere, sed *vnionem*: q.d. Vulnerasti me in vnione & colligatione quam inter se habent oculi tui, oculus mysticus & moralis, oculus speculatiuus & practicus, cõtemplatio & actio. Item vnione crinium, id est, cogitationum omnium & affectionum tuarum in illo vno ad quod omnia dirigis, nempe in Deo. Sed aliud est, quod præ ceteris in præsenti commendandum habeo, & ad rem de qua nunc agitur, maximè facit.

Ambros. serm.11.in Psal.118. v.2.

℣.10. QVAM PVLCHRÆ SVNT MAMMÆ TVÆ, seu vbera, quibus pascis spirituales filios meos & tuos! de quibus mammis suprà vers.5. Nam materna charitatis vbera proximis suis exhibere, & dulci ac mellito sermone eos pascere, vt mihi super omnia gratissimum, ita tibi maximè honorificum est. nec quidquam in te habes in quo mihi magis assimileris. Vnde & ijsdem verbis, quibus tu mea nuper vbera extollebas, extollo & ego iam tua.

PVLCHRIORA SVNT VBERA TVA VINO, ET ODOR VNGVENTORVM TVORVM SVPER OMNIA AROMATA] Vide cap.1.v.1.& 2. Per *vnguenta* virtutes

virtutes internas intelligit Beda : per *vestimenta* A
a *Exod* 30. v. 34. & *Leu.* 24 v. 3. *Nyss hom.* 9. *in Cant. Amb. l.* 2 *de Virginib. post med.* verſ. ſequ. virtutes externas, quæ inſtar thuris (*a*) lucidiſſimi redolent, & ad vnius Dei cultum & gloriam continuò offeruntur, inquit Nyſſenus & Ambroſius. Internæ verò ſuperant *omnia aromata*; etiam thymiama, quod apud Iudæos (*b*) præſtantiſſimum, maximeque odoriferum erat.

✠.11. FAVVS DISTILLANS LABIA TVA. In Hebræo, Chaldæo & Græco, *fauum distillant labia tua*, id eſt, oratio tua melliflua eſt, & verba dulciſſima: nec tamen minùs vtilia, quàm dulcia: neque enim ſolum MEL, ſed ET LAC SVB LINGVA TVA, ſeu in promptu tibi eſt, & ſicut illud guſtui, ſic iſtud nutritioni ſeruit. Neque eſt tantùm *in lingua*, vel *ſuper lingua*, ſed *ſub lingua tua*, quaſi in fida cella promptuaria, in quâ perpetuò maximam illius liquoris copiam adſeruas, & inde quando & quantum opus, in proximi commodum depromis. ita S. Ambroſius & Gregorius. Tandem laudes B omnes ſponſæ ſuæ concludit ſponſus:

b *Exod* 30. v. 23. & 34.

Ambroſ. ſerm. 14. *in pſal.* 118.

✠.12. HORTVS CONCLVSVS SOROR MEA SPONSA, HORTVS CONCLVSVS, FONS SIGNATVS] q.d. Paradiſus es ſpiritualis, aquis tuis dulciſſimis & fructibus optimis oblectans Deum & homines. Sed quid iuuaret his abundaſſe, ſi furibus aut belluis ad omnia pateret acceſſus? hos ergo vt arceas, prudentiſſimè concluſum tenes hortum tuum, & quidem duplici ſepto, nempe *muro* (c) & *antemurali*, nempe firma in Deum fiducia, & altiſſima humilitate. ita ferè S. Hieronymus & Gregorius & Bernardus. *Fontem* quoque tuum *obſignatum* ſeruas ſigillis perpetuis prudentiæ ſeu diſcretionis, & *timoru Domini*, nec vlli patet ad illum fontem acceſſus niſi Deo, & propter Deum, quia illius ſolius eſt, neque bibent ex eo alieni. Porrò

c *Iſaiæ* 26. v. 1. *Hier. ep. ad Celantiam Greg. hic & homil.* 7. *in Euang. Bern. l. de Ordine vit. & ep.* 42.

✠.13. EMISSIONES, ſeu propagines & fructus huius PARADISI, id eſt, horti amœniſſimi, mox duodecim enumerat, qui poſſunt exponi de 12. fru- d *Ad Gal.* 5. v. 22. *Apoc.* 22. v. 2. ctibus Spiritus ſancti, quos S. Paulus (*d*) recenſet; vel de fructibus 12. menſium in Apocalypſi: vel de octo beatitudinibus & quatuor virtutibus Cardinalibus. Vel, ſi lubet ſigillatim exponi, per *mala punica*, intellige fructus charitatis, pacis ac vnionis fraternæ. Per *poma*, quæ gratiſſimi ſunt ſaporis & odoris, fructus diuini amoris & cultus. *Cyprus*, planta odoratior & calidior, ſit contemplatio rerum diuinarum: de qua c. 1. v. 13.

✠.14. NARDVS, quæ bis hic repetitur, ſit ſpes de Deo, diffidentia de ſeipſo. *Crocus*, fides. *Fiſtula*, calamus odoratus & ſuauis, prudentia. *Cinnamomum*, calidæ & fortis naturæ, iuſtitia. *Myrrha* & *aloë*, quæ morbos curant, & à corruptione vindicant, fortitudo & temperantia. *Vniuerſa ligna Libani*, reliquæ omnes virtutes. *Omnia prima* ſeu pretioſiſſima, *vnguenta*, virtutum actus & effectus, qui ſemper ſupradictis actibus iam dictarum virtutum *Ambr. l. de Iſaac* c. 5. *D. Thom. in ſcta* 2. 2. coniunguntur, vt fuſè docent Nyſſenus, Ambroſius, Rupertus, S. Thomas & alij. O quantum differunt hi fructus à ſpinis & vepribus, tribulis & vrticis hortorum (N) diaboli, mundi & carnis! Atque hactenus de fructibus horti; iam de aquis *fontis ſignati*.

e *Iſaiæ* 1. v. 29. & *Rom.* 6. v. 21

✠.15. FONS HORTORVM. Id eſt, pluribus ſimul hortis irrigandis ſufficiens, quia aquas emittit non mortuas, non corruptas, non infectas, non fœtidas; ſed viuentes, ſed limpidas, ſed perpetuò ebullientes, & ſalientes in vitam æternam. Aquas, f *Eccleſ.* 2. v. 5. inquam, cæleſtis (*f*) ſapientiæ, & diuinæ (*g*) gratiæ, g *Ioan.* 4. v. 10. & 13. aquas puriſſimas, & nitidiſſimas, infallibilis veritatis & indefectibiles, vtpotè quæ ex cæleſti & perenni ſcaturigine, putà monte LIBANO, id eſt, candido, ſeu à ſede Dei & Agni, ad hunc fontem, ſeu puteum, continuò defluunt per tubos SS. Scripturarum & Sacramentorum, inquit S. Ambroſius & Gregorius; & *defluunt* ſummo IMPETV, maxima copia, ſumma celeritate, & altiſſimo reiectamento: nam tantò ſublimiùs exſilit aqua viua in altum, quantò ſublimior eſt locus ſeu ſinus vnde deſcendit. Sed horto tam nobili, tam amœno fouendo, fœcundando, promouendoque non ſufficit ſupradicta cuſtodia, vel ſigilla, niſi ſupernè accedat diuini fauoris aſpiratio, & frequens exercendarum virium virtutumque occaſio. Vnde mox ſubdit ſponſus:

Ambroſ. ſup. n. 4. *Gregor. hic.*

✠.16. SVRGE AQVILO, id eſt, exſurge tribulatio, tentatio, deſolatio interna, perſecutio externa. Sed adſis vnà cum *Auſtro*, id eſt, Spiritu ſancto, & illius aſpiratione per omnigena dona & gratias. His enim duobus ventis ſimul hortum perflantibus, vberrimè *fluent* AROMATA ILLIVS, quæ aliàs vel non fluerent, vel non tantà copiâ fluerent, vel ſaltem non innoteſcerent, inquit S. Gregor. Anſelm. Richardus, Aponius & alij: qui & ponſo hæc verba adſcribunt. ſed S. Ambroſius, Auguſtinus, Nyſſenus, & apud Theodoretum Catena trium Patrum, eadem ſponſæ attribuunt, & ab illis verbis inchoant ſequens cap. 5.

Greg. in Prologo Mor. c. 12. *Ambroſ. in pſal* 1. & *Lib. de iis qui initiantur* c. 9. *Aug epiſt.* 120. *ad Honoratũ* c. 2. *Nyſſ. homil.* 10. *in Cant.*

CAPVT V.

Inuitatio & aduentus ſponſi in hortum ſuum: myſtica meſſio & dulce conuiuium: ſomnus ſponſæ, & manifeſtatio eorum quæ obueniunt animæ, cùm ſponſus ſpiritualiter pulſat ianuam eius. Potiſſima nota quibus ſponſus dignoſci, & ab aliis quoque quæri poſſit: id enim videtur ſponſa hic potiſſimùm intendere, cùm inter conuiuandum narrat adoleſcentulis ſuis & ſodalibus errores ſuos præcedentis ætatis, & varios caſus ac fortunas quæ olim in ſponſo quærendo ſibi obuenerant.

C ✠.1. VENIAT DILECTVS. Flante Aquilone, & aſpirante Auſtro, fluxerant vberrimè aromata in horto ſponſæ, clauſo omnibus præterquam vni ſponſo. Igitur in ſignum grati animi, vt ſponſum oblectet & recreet, euocat & inuitat ſponſum ad deguſtandos fructus horti ſui: ſimulque rogat vt optatiſſimâ præſentiâ ſuâ & nouis ſupernaturalibus gratijs impleat paradiſum (*h*) ſuum. h *Simile* Vix vocatus ſponſus, adeſt extemplò. *Clamabit* (i) *& dicet, Adſum.* Iam VENI & adſum *in hortum meum*, i *Iſaiæ* 58. v. 9. mea manu conſito, meo ſanguine coëmpto & irrigato: vt *comedam* DE FRVCTV POMORVM meorum, meâ gratiâ procreatorum, & in mei gratiam & honorem productorum. id eſt, vt opera omnia, actus, affectus & virtutes mihi accipiam, intra me recondam, *in abſcondito* (k) *faciei meæ*, intra viſcera & cor k *Pſal.* 30. v. 21. meum, & omnia in meam ſubſtantiam conuertam, quaſi deificando illa, & tamquam pignora ac merita perfectioris vnionis mei cum anima per præ- D ſentem gratiam, & futuram gloriam acceptando. ita ferè Nyſſenus, Ambr. & tres Patres apud Theodoretum. Sed quibus, putas, fructibus & lautitijs maximè oblectatur diuinus ſponſus? in quid primò omnium extendit manum?

Nyſſ. ſup. Ambroſ. de Bono mortis c. 5.

MESSVI MYRRHAM MEAM. Mortificatione enim, tribulatione & afflictione noſtra mirum quantum oblectetur Deus, inquit S. Ambroſius. Et ecce tam gratæ herbæ non decerpit ſolùm faſciculum vel manipulum vnum, ſed falce adhibitâ demetit quantum poteſt, etiam integra inde horrea ſua repleturus, ſi poſſet. Vix verò ſapiuit cœleſti palato virtutum aromata vel fructus, niſi pro condimento

dimento adsit bona copia myrrhæ, non cuiuscumque, sed Christi, id est, pro honore & dilectione Christi susceptæ. Sed en mirabilem statim metamorphosin: *myrrha* amarissima fit *fauus* dulcissimus & *vinum* sapidissimum: dum germinat & excrescit tribulatio, *myrrha* est; sed falce diuini amoris myrrha demessa fit *fauus*, LXX. *panis*, id est, cibus deliciatissimus, & palato animæ gratissimus, nec iam amplius torquet sua amaritudine, sed recreat & inebriat instar generosissimi vini. Et absque hoc ferculo & hoc nectare conuiuium, quod sponso tuo instruis, muliebre vel puerile esse potest, vbi lac, mel, & saccarum, & crocus, & cinnamomum & similia aromata adsint: sed virile, generosum, regium non erit, vbi solidus deest cibus, & forte ac nobile vinum, quod exhilarat Deum & homines. Tale ergo conuiuium instruit hîc sponsus, vt doceat sponsam, quali conuiuio maximè oblectari etiam ipsa debeat, & alios quoscumque in posterum inuitabit, oblectare. Sicut sponsus hîc iam facit, dum sodales sponsæ, id est, fideles omnes, ad hæc fercula inuitat, dicens:

COMEDITE AMICI ex fauo & melle meo, seria meditatione mysteriorum fidei, & exercitatione virtutum omnium, maximè erga proximum: ET BIBITE vinum meum cum lacte meo, per quietam contemplationem & ardentem amorem. Et si mihi vultis haberi CHARISSIMI, etiam amoribus INEBRIAMINI] Id est, toti adimplemini, vt nihil in vobis viuat aut vigeat quàm amor Dei, nihil operemini, nihil loquamini, nihil optetis, nihil cogitetis quàm quod idem amor præscribit. ita ferè S. Gregorius & alij tres Patres apud Theodoretum, & Richardus de S. Victore, Genebrardus, Delrio & de Ponte. Sponsa melle & lacte cælesti benè pasta, hoc vino spirituali ebria, mox in somnum incidit & altissimam quietem.

✠.2. EGO DORMIO, externis omnibus negotijs tantisper sepositis, & sensibus erga creata sopitis, totam me quietæ contemplationi permisi. Non tamen tota dormio, sed COR MEVM, seu pars animæ superior, perpetuò VIGILAT, cælestium & diuinarum rerum tractationi vacans, inquit vterque Gregorius Magnus & Nyssenus. Ita quiesco vt tamen audiam: otium meum non seruit nutriendæ desidiæ, sed hauriendæ sapientiæ, ait S. Augustinus. De hoc somno fusiùs egi c.2 v.6.

Greg. hom. 14. in Ezech Nyssen sup. Aug. tract. 57. in Ioan.

VOX DILECTI MEI PVLSANTIS, fugiente somno reddita sibi sponsa, quò suauiori & vtiliori colloquio pascat sodales, quæ inuitatæ à sponso partim iam mensæ assidebant, & cælesti epulo pascebantur, partim alijs distentæ negotijs & curis, accedere tardabant & negligebant; vt has alliciat, illas reficiat, insigni lepore enarrat hîc publicè alium olim somnum suum & præcedentis vitæ negligentiam, simulque sponsi perpetuam vigilantiam, quà non priùs cessauit quærendo, vocando, pulsando, quàm ipsam in suos casses pertraxerit. Cùm ergo in ignauiæ & peccatorum somno penè sepulta iacerem, ecce tibi in medijs tenebris ignorantiæ & errorum meorum, *vox dilecti mei*, prodigam & perditam me solicitè quærentis, sæpiusculè vocantis, blanda & suaui voce, ac tandem etiam vehementi collustratione intellectus & motione cordis, ostium meum *pulsantis*, & acriter me exhortantis, APERI MIHI. q.d. Toties aperuisti ianuam cordis tui diabolo, mundo, carni, hostibus tuis iuratis; mihi creatori, redemptori, protectori tuo non aperuisti? aperuisti furibus, lupis, tyrannis, sordidis adulteris; mihi fratri, amico, domino, sponso tuo aperire detrectabis?

APERI MIHI, facta iam pridem per baptismum SOROR MEA: per charitatem AMICA MEA: per infusionem Spiritus sancti COLVMBA MEA: per emundationem ab omni peccato, tum originali, tum actuali, IMMACVLATA MEA. Quæ dona licèt iam per noua scelera perdideris, adsum tamen paratus cuncta tibi reddere, etiam cum fœnore, si modò per seriam pœnitentiam mihi aperire, & aditum ad cor tuum concedere volueris. Quòd si dona mea non tanti facis, nec bono tuo consulere curas; at saltem compatere mihi fratri, amico, domino, sponso tuo, cui ex diùturna præ foribus tuis mora CAPVT PLENVM EST RORE, ET CINCINNI GVTTIS NOCTIVM] Sum enim in mundo velut in altissimâ & frigidissimâ nocte, in quâ qui me suis sceleribus lacessunt, congerunt rorem, gelu & grandinem super caput meum, dum me infrigidant, & efficiunt ne eos amem, sed oderim: sicut è contra qui pijs operibus me refocillant, prunas ignis super caput meum coaceruant, dum meum erga se amorem magis magisque accendunt, & cogunt amplius diligere. Sed augetur sponsi querela, si per sponsum hîc Christum fores animæ pulsantem intelligamus. Huius enim caput reuera grauatum fuit frigido rore & guttis omnium scelerum nostrorum, omnium ærumnarum, probrorum, blasphemiarum, sputorum, tormentorum, quæ nostri causa innocentissimus agnus sustinuit. *Verè* enim *languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Aperi ergo mihi soror mea sponsa, tui causâ tantis miserijs grauato: aperi cor tuum mihi sponso tuo, vt madidum, læsum & lacerum caput, in sinu tuo nonnihil reclinem ac refocillem. ita S. Ambrosius, Hieronymus & Augustinus. Sed frustra preces, frustrà monitiones. Detinebat me pigritia, horrebam vitæ sanctioris asperitatem.

Isa. 53. v. 4.

Ambr. l. de Isaac c. 6. Hieron. epist. 22. ad Eustochium post med. Aug. tract. 57. in Ioan.

✠.3. EXPOLIAVI ME TVNICA MEA: tunica filiorum Dei, tunica gratiæ, charitatis, ceterarumque virtutum: tunica bonorum operum, & maximè actuum pœnitentiæ & mortificationis. Molestum nimis esset, iterum illa me induere. suauiter indormio voluptatibus ac delicijs mundanis, illis contegor, illis immersa iaceo, illis iam incalui; *quomodo* excutiam illas? quomodo subibo nouos labores erigendi pigros artus, & induendi me rursus priore tunica mea? quomodo è molli & calido strato prosiliam in asperum & frigidum aërem? Quin & PEDES MEOS LAVI, vt solent molliculi & voluptuosi; QVOMODO rursus INQVINABO ILLOS, & luto ac pauimenti sordibus inficiam? Assueui iam rebus delicatis & suauibus; nolo sordidis & austeris pœnitentiæ operibus iterum me dare. En schema hominis egregiè pigri ac voluptuosi. ne tantillas deserat carnis illecebras, ne tantillas subeat nouæ vitæ molestias; mauult sponsum suum foribus excluſum detinere, quàm reducto leui digiti motu pessulo ianuam illi reserare, à quo tamen omnis vita, salus, honos & substantia ipsius dependet. Sed audi immensam Dei benignitatem. Cùm posset omni iure tam ingratam, tam inurbanam animam æternùm deserere, mauult aliâ atque aliâ rursum viâ pigram & oscitantem excitare, atque ad virtutis studium prouocare.

✠.4. DILECTVS MEVS MISIT MANVM SVAM PER FORAMEN, seu rimam ostij, nempe vt vel

me ſtertentem pulſaret, vel certè peſſulum reduceret, id eſt, nimis inordinatum amorem erga creaturas tolleret à me, atque ita oſtium animæ aperiret. Nempe tribulationibus, morbis, alijſque ærumnis per ſenſus immiſſis me concutere cœpit. Sic Iob 2.v.5. *Mitte manum tuam, & tange os eius & carnem.* Ita Theodoretus, Aponius & Rupertus. Et verò *vexatio dedit intellectum*: nam AD TACTVM EIVS INTREMVIT; Theodotion, *calefactus eſt*; LXX. *turbatus eſt* VENTER MEVS] timore primùm, dein pœnitentiâ, denique amore Dei & zelo vindictæ contra propria ſcelera. Vnde mox excuſſo veterno, proſilui è ſtrato &

℣.5. SVRREXI, VT APERIREM DILECTO MEO, id eſt, vocanti obſecundarem, firmo animi decreto non ei amplius reſiſtendi. Interim ex attactu ſponſi mei; MANVS MEÆ STILLAVERVNT MYRRHAM; illam nempe myrrham quâ me recèns perfuderat, cùm *misteret manum ſuam per foramen*: nempe cruciabar doloribus, opprimebar ærumnis, angebar, affligebar; neque cruciabar ſolùm in corde, ſeu in interioribus animi, ſed & in *manibus*, id eſt, exterioribus rebus & operibus. ET DIGITI MEI PLENI MYRRHA PROBATISSIMA, id eſt, optima, amariſſima, odoratiſſima & maximè efficaci. In Hebræo, Chaldæo & Græco additur, etiam ſupra manubria peſſuli myrrham ſtillaſſe. q.d. Nullum erat mihi membrum, nullum opus ad quod vel digitum extenderem, nulla res quantumuis parua quâ me occuparem, quin inde continuò perciperem incredibilem moleſtiam, dolorem & afflictionem. Sed ingens eo ipſo beneficium mihi conferebas dilectè animæ meæ: nam hac amaritudine me extrahebas è ſordidarum voluptatum cœno: ex ægra & languida valentem & vegetam, ex putrida & olida robuſtam & ſimul benè olentem reddebas. Ergo alacris & feſtina lecto exſilij, ad oſtium accurri, PESSVLVM deduxi, fores reſeraui DILECTO MEO] Sed en nouam mihi myrrham, nouam calamitatem. In prioris meæ tergiuerſationis & torporis pœnam, dilectus meus

℣.6. iam DECLINAVERAT ab oſtio ATQVE TRANSIERAT] Nempe, lucem illam ſpiritualem extraordinariam quâ iam cœperat me colluſtrare, & vehementiorem inſpirationem quâ me torpentem è lecto excuſſerat, rurſus mihi ſubtraxit, deſolatam me prorſus & afflictam, nec niſi myrrhâ perfuſam relinquens: non tamen odio perſonæ meæ, ſed ſolius ignauiæ & inurbanitatis meæ quâ erga illum vſa fueram, & vt aliàs cautior euaderem: ſimulque vt abſentiâ ſui deſiderium meum magis inflammaret, cogeretque ardentiùs amare, auidiùs quærere, inuentum ſtudioſiùs conſeruare, inquit S. Auguſtinus & Bernardus.

Auguſt. in Scala paradiſi, tom. 9. Bernard. in Scala clauſtralium.

Porrò cùm dilectus meus ſic LOCVTVS EST ſubito ſuo receſſu & fuga, quæ vim habuit altiſſimæ vocis arguentis & increpantis torporem & tarditatem meam, enimuerò ANIMA MEA tota LIQVEFACTA EST] id eſt, mœrore, dolore, ſtupore extra me facta, & quaſi deliquium paſſa ſum. Neque tamen mœror hic & dolor diffidentiam in me aut remoram inuexit, aut vires abſtulit ad proſequendum & quærendum dilectum meum; auxit potiùs animos & vires, & ſtimulos ſubdidit. Ergo foras prorumpens,

QVÆSIVI ILLVM quaquauerſum, ſed NON INVENI: precibus, & votis, & operibus pijs VOCAVI & inclamaui abſentem, ſed NON RESPONDIT MIHI] Non iam in calidum & molle redibam ſtratum priſtinarum deliciarum, ſed per plateas lutoſas, & frigidum aërem, & denſas tenebras diſcurſabam flens, eiulans, vociferans. At ille *mutatus mihi* quaſi *in crudelem*, nec vocanti reſpondebat, nec quærenti faciebat copiam ſui. Voluit nimirum reipſa me docere, diu in quærendo & vocando perſeuerandum ei eſſe, quæ Deum ipſum, dum illam quæreret & vocaret, nimis inurbanè fecit quàm diutiſſimè exſpectare. *Iob* 30.v.21.

℣.7. INVENERVNT ME oberrantem per vicos & plateas, vt ſuprà c.3.v.3. CVSTODES QVI CIRCVMEVNT CIVITATEM. Putà, angeli Cuſtodes, vel Doctores Eccleſiæ & Prælati mei, vt ibid. dixi. Hi moti eodem zelo quo ſponſus meus, etiam ipſi PERCVSSERVNT ME, vulnerarunt & exſpoliarunt, nempe varijs pœnitentijs, mortificationibus & afflictionibus me pro ſuo officio egregiè exercentes. Vel, ſi metaphoricè malis intelligere, *percuſſerunt* primùm, gladio verbi diuini & acrioris increpationis caſtigantes priorem inertiam, pigritiam & impudentiam meam: VVLNERAVERVNT deinde ME, ardentibus amoris diuini ſagittis cor meum ſauciantes, & ad quærendum purè Deum acriùs excitantes. Denique & PALLIVM MEVM MIHI *ſuſtulerunt*, id eſt, peplum, ſeu muliebre velum & teginen, id eſt, prætextus omnes ſiniſtros in quærendo meo ſponſo. Nempe docebant me, nudo affectu amoris quærere dilectum meum: abiicere impedimenta & obſtacula omnia perfectionis: & ne meæ voluptatis aut oblectationis causâ, ſed ſponſi ſolius, ipſum quærererem: ne dona ipſius potiùs quàm perſonam expeterem. ita ferè S. Ambroſ. Gregor. Caſſiodorus, Beda & Richardus. Sic excepta, ſic inſtructa, perrexi quærere. cùm quærenti occurrunt *filiæ Ieruſalem*, conciues & ſodales meæ, de quibus c.2.v.7. Has *adiuro*,

Ambr. & aly ſup.

℣.8. SI INVENERITIS DILECTVM MEVM, VT NVNTIETIS EI, QVIA AMORE LANGVEO] Idem dixit c.2.v.5. Nempe non ſuffecit amanti & anhelæ ſponſæ inſtructio Doctorum, ſed interpellat quoque quos nouit Sanctos tum in cælo, tum in terris, vt pro ſe apud ſponſum intercedant, exponentes ei ardentiſſimum ſuum deſiderium potiendi optatis eius amplexibus quos vltrò paulò antè obtulerat; ſed ipſa incauta, inurbana, ingrata neglexerat, faſtidierat, repudiarat; ſed tantò iam vehementiori affectu ad eoſdem anhelabat & accurrebat. ita ferè Rupertus & Aponius, & alij. Sed quid ad hæc filiæ Ieruſalem?

℣.9. QVALIS EST DILECTVS TVVS EX DILECTO?] nempe Verbum diuinum genitum ex Patre cæleſti, inquiunt SS. Patres. Sed hebraicè, verti poteſt, *dilectus præ dilecto* alijs. q.d. Quid in tuo dilecto tam eximium eſt præ omnibus alijs dilectis, quod te tam perditè rapit in eius amorem? Porrò de prærogatiuis ſeu præcellentijs dilecti eius tam ſollicitæ quærunt: Primò, vt illi præbeant occaſionem laudandi dilectum, & eius encomia propalandi: Secundò, vt vehementiorem ex commemoratione ſingularum ſponſi perfectionum, flammam amoris in corde ſponſæ accendant. Tertiò, vt ſeipſas quoque, quæ eumdem ſponſum ſibi exoptant, commemoratione illa & auditione laudum ipſius oblectent, & in eiuſdem amorem magis magiſque inflamment. Quartò, vt cognito tam nobili ſponſo, poſſint etiam ipſæ eumdem quærere, & eodem frui. Rogant verò bis continuò, *qualis* ſit *dilectus*; quia duplex eſt in Chriſto natura, diuina & humana: & optant vtriuſque naturæ ſingularia priuilegia

priuilegia sibi exponi, quod & sponsa mox aggreditur.

✠.10. DILECTVS MEVS CANDIDVS ET RVBICVNDVS] Secundùm diuinam suam naturam *candor est lucis æternæ*, & *splendor gloriæ* Patris: simul rubens amore, dum diuinum vnà cùm Patre spirat amorem Spiritum sanctum. Secundùm humanam verò naturam candidus est suâ innocentiâ, rubicundus sanguine tum proprio corporis sui, tum alieno nostrorum peccatorum, & sanguinea victoria ex subacto dæmone, carne, mundo, peccato gloriosissimè parta. ita S. Hieronymus & Gregorius, Cassiodorus, Beda, Anselmus, Rupertus. Vel candidus virginitate, rubicundus martyrio, non in se modò, sed & in membris suis, inquit alibi idem Hieronymus.

Sap. 7. v. 26. & ad Hebr. 1. v. 3.

Hieron. in Isa. 53. Greg. hic & in 4. psalm. pœnitent. Hier ep. 27. ad Eustochium.

ELECTVS EX MILLIBVS] LXX. *ex decem millibus*, id est, in hoc candore & rubore suo præcellit omnibus seu angelis, seu hominibus. ita ijdem & S. Bernardus. Et hæc de colore. Si verò de statura eius quæratis, supereminet omnibus creaturis, & quidem cum admirabili partium omnium proportione ac pulchritudine. Nam vt ordiar à summo vertice,

Bern. serm. 28. in Cant.

✠.11. CAPVT EIVS secundùm diuinam naturam *Deus est*, inquit S. Paulus: secundùm humanam naturam, *mens* Christi, seu pars animæ superior, in quâ est imago Dei. Vtrumque in Christo caput, AVRVM est OPTIMVM] quia super omnia nobilissimum, pretiosissimum ac sublimissimum, quo nihil maius, iucundius, ornatius excogitari potest. Quod verissimum est tum de capite Christi in se spectato secundùm suam substantiam: tum de corona nobilissimarum perfectionum cingente caput Christi: tum denique de capite mystico Ecclesiæ, cui id S. Ambrosius & alij non pauci adaptant. Ex quo capite aureo omnes nobis spiritus vitæ, gratiæ & virtutum, omnis sapientia, potentia, charitas, pulchritudo perpetuò promanat.

1. Cor. 11. v. 3.

Ambros. serm. 10. in psal. 118.

COMÆ capitis EIVS, siue vt Deus est, siue vt homo, putà attributa ipsius & perfectiones, vt volunt tres Patres apud Theodoretum: vel, vt alij, mirabiles eius cogitationes, iudicia & consilia, imò beneficia & opera quæ ad nos deriuantur; sunt SICVT ELATÆ, seu eleuatiores ac teneriores ramusculi in culmine PALMARVM, vel inuolucra quibus palmæ fructus continentur priusquam maturescant, quæ & *spathæ* vocantur, & *nigro* sunt colore, vt Galeno & Dioscoridi placet, numero quasi infinitæ, sed versus truncum & ad inferiora dependentes. Omnes enim perfectiones Christi (idem dico de alijs omnibus eius comis) vt innumeræ, ita & celsissimæ sunt & eminentissimæ, sed omnes ab vno trunco & radice deitatis exortæ, deorsũ ad creaturas propendent, vt ijs se communicent. Et sunt *elatæ palmarum*, symbolum partæ victoriæ de omnibus hostibus.

Diuina. Galen. l. 8. de Simplicibus. Dioscor. l. 1. c. 116.

Sed NIGRÆ QVASI CORVVS] Nigri enim capilli apud Iudæos commendabantur in viris, vt animi masculi & florentis ætatis (qualis hic sponsus depingitur) indices. Quando enim Scriptura tamquam senem repræsentat nobis Deum, neque vt sponsum, sed vt iudicem, vt in Apocalypsi & apud Danielem, tunc *capillos* ei tribuit *albos* instar *lanæ* & *niuis*, inquit S. Dionysius. Porrò *nigredo* hæc capillorum præter elegantiam, designat etiam rigorem ac seueritatem, quâ sponsus subinde vti cogitur: & denique obscuritatem cogitationum ac iudiciorum diuinorum, quia profundissima & inuestigabilia nobis sunt.

Apoc. 1. v. 14. Dan. 7. v. 9. Dion. de Diuinis nom. c. 2.

✠.12. OCVLI EIVS diuini, nempe sapientia, & prouidentia: humani, scientia eius superexcellens, & prudentia. Hi *oculi*, propter multiplicem eorum virtutem & effectum, apud Zachariam & in Apocalypsi, *septem* numero dicuntur, & *tamquam* (a) *flamma ignis*, nempe ardere charitate, & splendere lumine, tum in se, tum in nobis, in quibus, pulso frigore & tenebris, ignem accendunt & lumen fidei, spei, charitatis, ceterarumque virtutum. Hîc verò ijdem *oculi* dicuntur esse SICVT COLVMBÆ, quia pulchri, candidi, deargentati, puri, simplices, casti, sed fœcundi, sine felle amaritudinis, sine odio, sine dolo. Et quia *pleni* sunt *gratiæ & veritatis* (quæ in Scripturis *aquæ* (b) assimilantur,) ideo hîc vocantur *columbæ* residentes SVPER, id est, prope, RIVVLOS *& fluenta* AQVARVM. Nam Christus fons ille est aquarum viuentium, de cuius plenitudine nos omnes accipimus. ET LACTE LOTÆ, id est, ita pingues, mundæ, candidæ; ac si in plenissimo lactis riuulo lotæ seu maceratæ essent. Quibus oculorum sponsi nostri dulcedo, candor, & pingues fructus denotantur. ita ferè S. Hieronymus, Ambrosius, tres Patres apud Theodoretum, Cassiodorus, Beda & Rupertus. De oculis sponsæ vide dicta cap. 1. vers. 14. Sic

Zach. 3. v. 9. & c. 4. v. 10. Apoc. 1. v. 6.

a *Apoc. 1. v. 14.*

b *Eccli. 15. v. 3. & Ioan. 4.*

Amb. serm. 16. in ps. 118

✠.13. GENÆ ILLIVS diuinæ, putà perfectiones essentiales: & humanæ, nempe compositio virtutum in interiori & exteriori homine, sunt SICVT AREOLÆ AROMATVM CONSITÆ A PIGMENTARIIS] id est, pubescunt prima lanugine, & fragrant suauissimo odore, quasi floribus aromaticis pulchro ordine manu periti artificis per areolas dispositis, vt fit in hortis magnatum. Et in hoc barbæ ornamento, ac virilis fortitudinis symbolo differunt *genæ sponsi* à *genis sponsæ* c. 4. vers. 3.

LABIA EIVS, id est, eloquium, doctrina, halitus & oscula eius, sunt candida, venusta, odorifera, fragrantia, sicut ILLA, quæ etiam Salomonis gloriam excedunt, & sicut MYRRHA PRIMA, seu optima, quâ nihil fragrantius & salubrius in vita spirituali. Ita ijdem Patres suprà citati v. 12. & plura de labijs dixi c. 4. v. 3. Simili modo

✠.14. MANVS ILLIVS diuinæ sunt Verbum & Spiritus sanctus; vel, vt Theodoretus, vis effectrix & conseruatrix omnium creaturarum. Humanæ, studium virtutum, & potentia miraculorum, ob incredibilem operandi facilitatem, celeritatem & perfectiones. Hæ manus sunt TORNATILES, non passiuè, sed actiuè, vt ferè Patres accipiunt. Quia sine vllo impedimento, nulla mora, vnico verbo, summa perfectione *quæcumque* vult facit, *in cælo & in terra*. Sed vnde *manus* istæ ita *tornatiles*? Profectò quia AVREÆ, nempe vel *diuinæ*, vel *diuino-humanæ* seu theandricæ. & PLENÆ HYACINTHIS aërei & cælici coloris lapidibus pretiosis, tamquam vnguibus & gemmis distinctæ. Est autem hyacinthus misericordiæ symbolum: nam vt ex Solino & S. Isidoro refert Alcazar, nebuloso cælo turbatur eius color, quasi mœrente cælo mœreat: sereno verò cælo rutilat & hilarescit. Quod proprium est misericordiæ. Neque minùs in nos pauperes protensæ sunt misericordes Christi manus, quàm ad cælestia sublatæ, in Dei gloriam omnia patrantes, ad cælum omnes rapientes. ita ferè Cassiodorus, Philo Carpathius & Beda.

Alcazar in c. 21. Apoc. annot. 30. & 36.

VENTER EIVS, concoctionis, digestionis & generationis sedes, quæ in animantibus tenerrima maximeque infirma pars corporis esse solet, est in Christo

Christo & solidissima & fortissima, quippe EBVRNEVS ex solido ebore, esse elephantis robustissimi, DISTINCTVS SAPPHIRIS; LXX. legunt, *venter eius pyxis eburnea*; Hieronymus, *tabula eburnea, super lapidem sapphirum*, supple, posita, vel fundata, id est, super personam Filij Dei, qui verus est sapphirus, sereni cœli colorem per omnia referens, aureis punctis collucens, symbolum imperij & principatus, vt probat Alcazar. Vnde & modò Pontificibus & Cardinalibus, dum principes Ecclesiæ creantur, sapphirus donatur. Ergo sapphiro diuinæ personæ innixa tabella vel pyxis eburnea humanitatis Christi, *distincta* & ipsa, seu intertexta suis sapphiris, thesauros omnes cælestes in nos transfundit. ita S. Hieronymus, Nyssenus, tres Patres apud Theodoretum & alij.

Alcazar sup. annot. 9.

℣.15. CRVRA ILLIVS, ad ambulandum & currendum instrumenta, sunt veluti COLVMNÆ MARMOREÆ, candidæ, solidæ, fortes, pingues. Designant verò omnia itinera & gressus, seu actiones Christi. QVÆ FVNDATÆ SVNT SVPER BASES seu pedes, non luteos (vt statua Nabuchodonosoris) sed AVREOS, id est, pulchros, pretiosos, fortes simul & facilè mobiles, sicut aurum alijs metallis fortius, nobilius, pretiosius simul & ductilius est etiam laminis tenuissimis. Porrò per has *aureas bases* intellige geminam charitatem, Dei & proximij vel misericordiam & iustitiam, super quibus omnes actiones Christi fundabantur, inquit Rupertus post Augustinum. Porrò quòd Christo non solùm caput tribuatur aureum, sed & manus & pedes, indicat Christi maiestatem, pulchritudinem & potentiam, ceteraque attributa, nulla ex parte vnquam imminutum iri, neque minùs pretiosa & splendida fore in fine, quàm in principio: imò regni eius, quod totum est aureum, numquam futurum finem. Hactenus de singulis sponsi membris: iam de omnibus simul iunctis:

SPECIES EIVS VT LIBANI. Id est, habitus & forma totius corporis, compositio omnium membrorum, motuum, morum, operum, virtutum, similis est virenti, florido, excelso, amœno monti *Libano*, innumeris arboribus fructiferis, herbis aromaticis, floribus pulcherrimis conuestito. *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron.* Et quia inter omnes *Libani* arbores, celsitudine, fragrantia & incorruptione præeminent *cedri*, hinc staturam sponsi dicit *electam* esse VT CEDRI; imò *cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei.* nempe angelis quoque longissimè supereminet. Denique ℣.16. GVTTVR ILLIVS SVAVISSIMVM in loquendo, in loquendo, in canendo, in clamando, in gustando, & (quod omnium fortè minimum censeri possit,) etiam in halitu seu attrahendo, seu emittendo; etiam cùm myrrham exhalat, & acriter reprehendit ac punit, semper redolet suauitatem, & spirat dulcedinem. Verbo vno, dilectus meus quantus quantus est, TOTVS DESIDERABILIS; LXX. *totus desiderium*: quia siue consideretur vt Deus, siue vt homo, totus summè desiderabilis, amabilis, delectabilis est, quia totus pulcher, totus sanctus, totus bonus, totus iucundus, nec quidquam in eo est quod fastidium generare possit, vel non debeat optari & amari: & ipse est *desideratus cunctis Gentibus*, & *desiderium collium æternorum.* Concludit tandem sponsa omnem suam orationem his verbis: TALIS EST DILECTVS MEVS, qualem vobis hactenus à capite vsque ad pedes delineaui. &, ne miremini me in laudibus eius adeò luxuriari, atque in eo

Isa. 35. v. 2.

Exech. 31. v. 8.

Aggæi 2. v. 8.

A quærendo tantoperè desudare; IPSE EST AMICVS MEVS, id est, ipsum toto corde amo, & ipse vicissim me ex animo diligit.

℣.17. QVÒ ABIIT DILECTVS TVVS? Profusis laudibus sponsi, quas *filiæ Ierusalem* hauserant ex ore sponsæ, iam totæ flagrabant desiderio potiundi fruendique eodem sponso. vnde viam, modum & media ex ea quærunt, quibus inueniri possit. *Quò abiit?* QVO DECLINAVIT? quò putas vel suspicaris declinasse dilectum tuum? ET QVÆREMVS EVM TECVM] Sed huic posteriori quæstioni respondet sponsa initio cap. seq.

CAPVT VI.

Locus vbi quærendus & inueniendus est sponsus, nouæ sponsæ encomia partim à sponso, partim à sodalibus sponsæ: luctæ & prælium sponsæ cum hostibus domesticis & externis, & præclara de vtrisque victoria ac triumphus.

℣.1. DILECTVS MEVS DESCENDIT IN HORTVM SVVM. q.d. Non procul abijt, sed in vicinia descendit in suum hortum quò solet se recipere. Hic hortus, ex sententia omnium SS. Patrum, est Ecclesia Catholica, in quâ solâ reperitur Christus: in quâ solâ sunt *areolæ aromatum*; LXX. *phialæ aromatum*, nempe vera Sacramenta: & *horti* minores fructiferi, libri sacræ Scripturæ: & *lilia* verarum virtutum. Sed potest nihilominus hic hortus etiam de anima cuiusuis iusti commodè exponi: (*a*) in quâ si Christum reperire volumus, descendendum cum eo in fundum cordis, in quo tamquam paradiso suo deliciatur Christus: vbi *areolæ aromatum* plenæ, potentiæ animæ, intellectus, memoria, voluntas, odoriferis herbis, & floribus piorum desideriorum atque exercitiorum refertissimæ, sed myrrha præ omnibus vitæ actiuæ, & thure contemplatiuæ. Hic etiam sunt horti multi particulares singularum virtutum Theologicarum & moralium, quarum fructibus pascitur Christus, ET LILIA COLLIGIT, id est, pulchriora quæque & nobiliora sibi decerpit & vindicat. Huc huc altissima charitate, profundissimaque humilitate descendi, inquit sponsa. Hîc post tot anfractus & mæandros, reperto quem quæsieram,

a Cap. 4. v. 12.

℣.2. EGO DILECTO MEO iam præsens & in oculis & in vlnis, me totam illi trado: sicut vicissim DILECTVS MEVS (*b*) se totum tradit MIHI] Hîc portum, hîc quietem, hîc omne bonum inueni. Sed qui me tum recèns conuersam excepit in paruis hortis & areolis *myrrhæ & thuris*, pòst paulò cùm robustior euasi, prouocauit me ad altissimum *montem myrrhæ*, & integrum *collem thuris*, de quo c. 3. v. 6.

b Cap. 2. v. 16.

Hucusque inter epulas c. 5. v. 1. inchoatas sponsa miro lepore recensebat & suos errores, & conciuium labores, & felicem scenæ catastrophen, monens conuiuas omnes & astantes, vt si & ipsi suo exemplo, vel saltem imitatione priorum istorum conciuium, velint pari studio & contentione quærere sponsum in suo singuli horto, reperturos haud dubiè, & votorum compotes futuros. Et placuit sanè sponso hic zelus, hoc ardens studium sponsæ, quo tanta dexteritate conabatur sodales & socias suas ad sponsum pellicere. Hinc miris illam laudibus efferre incipit palàm:

℣.3. PVLCHRA ES AMICA MEA, & gratiosa in oculis sponsi tui. Addit ex Hebræo Legionensis & quidam alij, pulchram dici *vt Thursa*, quæ erat vrbs regia regum Samariæ, situ & amœnitate loci spectatissima. 3. Reg. 14. v. 17. Pro *Thirsa* verò

noster

noſter Vulgatus vertit, SVAVIS; ſequitur, ET DECORA, id eſt, venuſta in oculis omnium hominum, SICVT IERVSALEM: id eſt vitio pacis, *vrbs perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ*; vrbs, teſte Plinio, *totius Orientis clariſſima*. De qua per Iſaiam Dominus: *Fundabo te in ſapphiris, & ponam iaſpidem propugnacula tua, & portas tuas*, &c. Omnem enim pulchritudinem excedit anima, quæ ſcriò perfectioni tum ſuæ, tum proximorum ſuorum promouendæ incumbit: neque pulchra ſolùm eſt coram Deo, & extremè decora coram hominibus; ſed inſuper aduerſus ſuos & dilecti ſui hoſtes TERRIBILIS ac ſortis eſt VT CASTRORVM ACIES ORDINATA; (a) hebraicè, *vexillata*, ſeu vexillis, labaris & armis præfulgida. Nam ſi quæſtio ſit de multitudine militum, eorumque varietate; tot habet & tales, quot & quales virtutes. ſi de vnione & concordia ſingulorum; ſub vno ſponſi labaro charitatis militant omnes. ſi de robore ac fortitudine; ea eſt angelica, & quaſi diuina, vt dixi c.1.v.8. & egregiè probat S.Baſilius, Nyſſenus & Gregor.Magnus. Sed parùm eſt quòd impijs & impuris hoſtibus terrorem & pauorem incutias; mihi quoque *terribilis* es, quia iaculis pulchritudinis tuæ, & ſagittis oculorum tuorum (per quos contemplatio deſignatur) configis & expugnas cor meum, tibique ſubiugas tam quam captiuum. Sic cap.4.v.9. dixerat, *Vulnerasti cor meum*, &c. Ergo victus ſponſus inducias petit, vt tantiſper donec reſpiret, oculos ſeu tegat, ſeu aliò deflectat. ita Rikelius & alij.

Tirin.2. v.15. Plin.l.5. c.14. Iſa.54.v.11

a Cap.1.v.8

Baſil de Conſtit. Monaſt. c.19. Nyſſen hic Greg.hom.8 in Ezech.

Rikel art.19.

✠.4. AVERTE OCVLOS TVOS A ME, QVIA IPSI ME AVOLARE FECERVNT extra me, & deliquium pati: quâ hyperbole deſignat incomprehenſibilem ſponſæ pulchritudinem. Simul tamen inſinuat, cautè & circumſpectè ſemper vtendum contemplationis dono, cauendumque ne diuturniore mora vel proximo deſimus, vel inaniter efferamur, vel curioſitati obſequamur, vel denique valetudinem lædamus, vt notant SS.Ambroſ.Gregorius & Bernardus. His enim ni proſpicias, Deum à te auolare facies, cui eiuſmodi indiſcretio vel incuria valdè diſplicet.

Ambr l.de Iſaac c.7. Gregor.l.5. Moral.c.4. Bern.ſer.4. in pſal. Qui habitat.

Mox excurrit ſponſus in laudem *capillorum, dentium* & *genarum* ſponſæ, iiſdem verbis quibus ſuprà cap.4. verſ.2. & 3. eadem illa membra laudarat.

✠.7. SEXAGINTA SVNT REGINÆ in familia regis Salomonis, vxores eius primariæ, non ſolius thori regij, ſed & regiminis domus & bonorum mariti participes. Neque verò plures habebat Salomon reginas ſub initium regni ſui, licèt, cùm ſeneſceret, auxerit earum numerum ad ſeptingentas. CONCVBINÆ autem, ſeu ſecundariæ vxores, ſolius thori conſortes, ſunt OCTOGINTA. Sed ADOLESCENTVLARVM, quæ vel domi inſeruiunt, vel gynæceum, è quo reginæ vel concubinæ deſumantur, conſtituunt, NON EST NVMERVS] Porrò *adoleſcentulæ* in familia Chriſti, ſeu *Eccleſia*, ſunt qui renati per baptiſmum vel pœnitentiam, incipiunt ſeruire Deo: quales plurimos reperias. *Concubinæ*, qui conſtanter virtutum ſtudio inſiſtunt, & proficiunt in dies: qui pauciores ſunt. *Reginæ*, qui perfectionem charitatis ceterarumque virtutum iam adepti ſunt: & hi, prô dolor! pauciſſimi ſunt ſi cum reliquis componantur. ita S.Auguſtinus, Bernardus & D.Thomas. Sed & inter perfectos ſunt aliqui ſingulariſſima & præcellentiſſima charitate fulgentes, quos Chriſtus extremè charos habet, & de quorum ſingulis hîc dicit;

3.Reg.11.

Auguſt. tract.5.in 1.Ioan. Bernard. ad fratres de monte Dei. D.Tho.2.2. q.24 a.9. & q.183. a.4

✠.8. VNA EST COLVMBA MEA, PERFECTA MEA, vnicè mihi dilecta, ſicut *vnica* (b) filia eſt valdè chara *matri ſuæ*, & ELECTA ac dilecta GENITRICI SVÆ] q.d. Ita illam diligo, ac ſi nullam aliam haberem. Nam & ipſa ſic mihi ſoli placere ſtudet, ac ſi mecum ſolo ipſa ſola eſſet in rerum natura: ſeipſam & creata omnia ad me vnum reducit: mei vnius gloriam, nutum & cultum curat: me vno & ſolo paſcitur, gaudet & oblectatur: me vnum in corde, in memoria, in ore geſtat.

b 2.Reg.1. v.26.

VIDERVNT EAM FILIÆ adoleſcentulæ tam ſpecioſam, tam ornatam, tam ſponſo charam, & reliquis ab ipſo prælatam: nec tamen exinde contriſtatæ ſunt, nec inuidia vel liuore in tranſuerſum actæ, detraxerunt illi aliquid: nec ira vel furore percitæ aduerſus illam inſurrexerunt. Hoc enim *ſtultorum & inſanorum eſt*, inquit S.Chryſoſtomus: imò *baſiliſcorum*, vt vult S.Bernardus: vel potiùs *diabolorum*, vt S.Ephrem. Sed numquid tacuerunt ſaltem, & tanta ſponſæ dona, tanta encomia diſſimularunt? Minimè: nam tali caſu tacere, quodammodò inuidere eſſet. Omnes ergo de domo pacifici Salomonis, vnicæ columbæ & ſponſæ ipſius decorem ſimulatque columbinis oculis *viderunt*, bonum illius tamquam ſuum reputantes (quod proprium eſt charitatis) ex animo illi congratulari voluerunt, & immenſis laudibus in cælum efferre ſtuduerunt: ET BEATISSIMAM PRÆDICAVERVNT. *Multæ filiæ* multas *congregauerunt diuitias*, multam gratiam, multum ſplendorem, *tu ſupergreſſa es vniuerſas*. Et verò non exiguæ virtutis indicium eſt, ad eum modum, bonorum omnium calculo laudari. Sed ſponſa laudem eam omnem ſponſo mox tranſcribit, à quo ſibi omnia obueniſſe ſciebat. *Magnificat anima mea Dominum, quia fecit mihi magna* hæc & mirabilia.

Chryſ.hom. 36.in Ioan. Bernard. ſerm.13. in pſal. Qui habitat. & ſerm.89.in Cant. Ephrem ſer. de vita ſpirit.num.54.

Prou.31. v.29.

Cum his laudibus & gratiarũ actione finis epulo factus, & ſponſa ſponſo ſociata totam ſe quærendis, lucrandis, fouendis, promouendiſque proximis ſuis impendebat. Cùm ſtupore perculſæ ſodales eius priores, puta reginæ & concubinæ, exclamant:

c Eccli.50. v.6.

✠.9. QVÆ EST ISTA, QVÆ (c) PROGREDITVR, continuis & ingentibus paſſibus in omni virtute, tum ſe, tum alios ſibi commiſſos promouens? Iam pridem ſocias omnes longiſſimè ſuperauit, in tantum vt videatur omnem illarum conſpectum eludere, & vix ampliùs ab illis agnoſci poſſe: nec tamen ceſſat continuò ſeipſam adhuc ſuperando, altiùs prouehi: & ecce, facta omnia omnibus, peccatoribus QVASI AVRORA *conſurgit*, poſt altæ noctis tenebras ſpondens lucem & ſolem. Progredientibus, & in virtutũ ſtudio proficientibus, PVLCHRA eſt VT LVNA plena, & toto orbe ſuo lucida; ſupra ſtellas omnes reliquas coruſca. Perfectis ELECTA VT SOL, lumine ſuo ſtellas omnes obſcurans, totum mundum & cælum totum illuminans, exhilarans & exornans: & calore ſuo omnia inferiora fouens, viuificans, fœcundans & inflammans: tam copioſè ditata à ſponſo ſuo, vt poſſit & ipſa alios ditare exemplo, prece, inſtructione & directione ſua, &c. ita S.Gregor. hîc. Et, quod omnia excedit, hoſtibus tum ſuis, tum gregis ſui, TERRIBILIS eſt VT CASTRORVM ACIES ORDINATA, hoſtibus ſe fortiter obijciens, eorum irruptiones, inſidias & alias machinationes infringens, vires & arma conterens, ipſa perpetuò inuicta, imò imperterrita; hinc ſemper *ordinata*, & optimè compoſita. Quin & ipſi dilecto ſuo *terribilis* eſt, vt ex ipſomet iam antè audiuimus, v.3. Hæc illæ.

Quid

Quid ſponſa iam ab amplexibus ſponſi nonnihil auulſa, & horto ſuo colendo intenta? Neque enim ſemper epularum, ſemper delicianum tempus eſt.

℣.10. DESCENDI IN HORTVM NVCVM. q.d. Vos me ſpectaſtis in *colle thuris*, & in amplexibus ſponſi, vnde me ad ſidera, imò ſuper ſidera laudibus extuliſtis: ego verò quanta poſſum animi demiſſione & humili depreſſione in meipſam delapſa ſum, & ad ouiculas meas curandas me totam abieci. *deſcendi* è colle *in* humilem *hortum*, à flagranti thure ad amaras & duras nuces, quæ in extremo horti poſitæ, ventorum tempeſtatumque impetus primæ excipiunt, iniuriiſque plus quàm aliæ arbores expoſitæ ſunt. Hæ in animæ meæ horto ſunt quinque ſenſus externi: in horto ouilis mihi commiſſi, ſunt peccatores & mundani ſæcularia tractantes, quorum ſaluti ſtudere cœperam. Deſcendi in eumdem hortum, VT VIDEREM POMA CONVALLIVM; LXX. *torrentis*. Hæc poma in anima mea ſunt fructus appetitus ſenſitiui vtriuſque, concupiſcibilis & iraſcibilis: in horto ouilis, ſunt recèns conuerſi, neque adhuc è prauorum habituum & malarum conſuetudinum torrente aut conuallibus educti. Rurſus deſcendi VT INSPICEREM SI FLORVISSET VINEA mei intellectus & voluntatis, an inde vinum emergeret lætificans Deum & homines. item vinea mihi credita animarum in virtute iam pridem proficientium. Denique an GERMINASSENT MALA PVNICA, virtutum omnium, vel in me, vel in mihi commiſſis iam perfectis, congeries & copia. Hæc, inquam, omnia & ſtudioſo examine explorarem, & ſi quid deeſſet ſupplerem, *deſcendi* ſollicita & anxia; ſed heu! reperi commota, turbata, ſurſum deorſum verſa omnia, pleraque etiam mihi (id eſt, parti animæ ſuperiori) & ſponſo meo rebellia, & terribilem aciem aduerſus me inſtruentia. Et ego quidem horum omnium antehac.

℣.11. NESCIVI quidquam: nam inſciâ me & clam facta omnia: vnde & ſine culpa & vitio meo. Vt tamen aduerti, ANIMA MEA CONTVRBAVIT ME, tum dolore præſentium malorum, & metu maiorum forſan impendentium; tum zelo & anxietate & cura rurſus omnia inſtaurandi. Præ omnibus verò turbata & anxia fui PROPTER QVADRIGAS AMINADAB] id eſt, *populi mei ſponte anei*, inquit Aponius, & alij interpretes, id eſt, ſponte ſua & vltrò in hæc bella ruentis, nulla in re à me laceſſiti, nulla mea culpa, nulla per me data cauſa. Vnde & periculoſius bellum, vtpote ab hoſtibus domeſticis: & pacis inſtauratio difficilior, cùm non eſſet in manu mea cauſam mali, quam nullam dedi, tollere; vel iniuriam, quam nulli intuli, compenſare. Ipſi interim cæco odio, irâ, furore pleni quadrigas ſuas iunctas quadrigis hoſtium infernalium vno impetu in me agitabant, certi me vel in ſuas partes trahere, vel perdere. Et verò permittente diuina prouidentia ſic ſæpè accidit perſonis etiam perfectiſſimis & ſanctiſſimis. An ideò deſpondent animum? an arma proiiciunt? an hoſtibus cedunt? minimè gentium: ſponſam imitantur. Quid illa? memor ſe *turris* inſtar eſſe *Dauidicæ*, ex qua *mille pendent clypei*, (a) & *omnis armatura fortium*, vſque eò pugnam accendit & prorogauit, vt hoſtes omnes infernales victi, fuſi, in fugam fœdiſſimam agerentur: domeſtici verò pudore ſubacti, pœnitentes ſuæ rebellionis & inſaniæ rurſus ſe mihi & ſponſo meo ſeruos ſubderent, & quam hoſtiliter exturbarant, amicè iam cum lauro & triumpho ad proprias ſedes & regnum reuocarent, omnes vna ſimul voce acclamantes mihi:

a Cap. 4. v. 4. hic.

℣.12. REVERTERE ad tuos, REVERTERE ad tua, non iam ampliùs *Sunamitis* (vt legerunt multi antiqui Patres) id eſt, captiua, vel deſpecta: ſed SVLAMITIS (vt habent Biblia correctiora) id eſt, pacifica, à *Salem*, quod *pacem* ſignificat. Et quia שלם quaterni (*b*) ſumus ordines qui à te defleximus, quaterna quoque geminatione vocis *reuertere*, *reuertere*, te rurſus ad tuos, ad tua iam reuocamus. Et ne quis iterum ſimilis inter nos motus exſurgat, mane, quæſumus, aſſiduè nobiſcum, VT INTVEAMVR TE perpetuò, tuique ſi non ſemper amore, certè metu ac terrore in officio contineamur. Felix anima quæ ſuos hoſtes ſic nouit debellare, ſubigere & refrænare.

b Sup. v. 10.

CAPVT VII.

Nona ſponſæ encomia à rebus bello præclarè geſtis, à fœcunditate prolis, à ſtudio educandi, promouendi & perficiendi ſpirituales proles. Modus iuuandi incipientes, proficientes, perfectos: typus denique perfectionis, & epulum à ſponſa appoſitum ſponſo.

℣.1. QVID VIDEBIS IN SVLAMITE? Reducem è bello & victrice ſponſam ſponſus ſuis quoque encomijs exornatam voluit. Quid, inquit, in illa pulchrius, quid iucundius, quid glorioſius, quid viſu dignius, quàm quòd ipſa quanta quanta, ſit quidam ordinatiſſimi CASTRORVM *choris* terribilis, fortis, ſpectabilis & admirabilis *ſicut caſtrorum acies ordinata*: dulcis interim & grata omnibus, omneſque oblectans ſicut optimè compoſiti & ſonori muſicorum chori? Stupendum enim iucundiſſimumque ſpectaculum anima benè compoſita, in qua ratio ſubditur Deo, & rationi ceteræ omnes potentiæ. Nihil tali anima fortius, nihil ornatius, nihil pacatius, nihil ſuauius, nihil gratius Deo, angelis & hominibus. ita ferè S. Ambroſius. Vnde & mox exclamat ſponſus.

Ambr. de obitu Valentiniani.

QVAM PVLCHRI SVNT GRESSVS TVI IN CALCEAMENTIS, Ô FILIA PRINCIPIS!] *Regis regum* filia, *& Domini dominantium*! Porrò pedes egregijs ſandalijs calceati deſignant affectus animi ſolidis & pretioſis virtutibus ornatos, & ſic ad opera ſua & ad Deum grädientes. Pulchri etiam greſſus indicant modeſtiam, grauitatem, auctoritatem ac maieſtatem, ſimul & imperterritum animum gradientis ſponſæ, maximè ad bellum, & ad prædam animarum. ita Ambroſius, Gregorius & Caſſiodorus.

Ambr. ſup. & in Iſa. 3. v. 16. & ſerm. 17. in Pſal. 118.

IVNCTVRÆ FEMORVM TVORVM ſunt, SICVT MONILIA, MANV excellentis ARTIFICIS FABRICATA] Id eſt, lumbos habes non imbecilles, non diſtortos, ſed fortes & aptiſſimè diſpoſitos ad concipiendum & generandum perpetuò nouum fœtum ſpiritualem. ita Philo Carpathius, & tres Patres apud Theodoretum. Neque generandis tantùm prolibus, ſed & educandis, nutriendis, corroborandis & exhilarandis mirificè vales.

℣.2. VMBILICVS TVVS. Sic honeſtè vocatur pars illa quæ fœtum conceptum in vterò materno continet ac fouet, & deſignat in anima, ſui quidem reſpectu ſtudium fouendi formandique pios conceptus, deſideria, propoſita: reſpectu verò proximi, curam & ſolertiam fouendi, inſtruendi, formandique recèns conuerſos ad fidem & pietatem. Vnde vocatur hîc CRATER, qui cibo & potui recipiendo, alijſque præbendo ſeruiat: non rudis, inconcinnus,

concinnus, sordidus & impolitus, ac consequenter ingratus; sed TORNATILIS, id est, torno affabrè elaboratus, benè rotundus, concauus, politus & mundus, torno mortificationis & prudentiæ resectis omnibus noxijs & superfluis. Nec vacuus profectò vel inanis *crater*, sed semper plenus, & NVMQVAM INDIGENS POCVLIS, seu pótu vel re potabili; LXX. *non deficiens misto*, id est, numquam carens vino probè diluto, & ad potandum aptato. Nempe hoc misto, his poculis spiritualium dilicia-
Prou. 9. v. 2. & 5. rum allicit, fouet, recreat sponsa tenellos animos; *Venite, bibite vinum quod miscui vobis*. Quin &, ne cibus quoque desit, VENTER TVVS SICVT ACERVVS TRITICI, subministrans omne genus cibi spiritualis, quo tenellæ adhuc plantulæ nutriri, roborari, crescere possint. Hic *venter* sponsæ diues ingenij illius penu est, quod Christus *thesaurum* vocat, è quo iubet in vsum & esum paruulorum deprimi *noua & vetera*. Et VALLATVS est hic venter, non spinis vel sentibus, sed pulchris & odoriferis LILIIS castitatis, temperantiæ, ceterarumque virtutum, quæ cibum hunc spiritualem, vtpotè delicatissima condimenta, sapidiorem & gratiorem reddunt. *Venite,*
Prouerb. sup. Amb. serm. 6 in psal. 118. v. 5. *comedite panem meum*, &c. Vide S. Ambrosium, Gregorium, Anselmum, Cassiodorũ & Bedam. Et hæc quidem tenèris adhuc fœtibus nutriendis formandisque adhibes. At prouectis iam nonnihil in virtute exhibes bina VBERA TVA solidioris charitatis Dei & proximi monitis seu lacte referta: de quibus suprà c. 4. v. 5. Paulò prouectioribus exhibes

℣. 4. COLLVM TVVM SICVT TVRRIM EBVRNEAM, docens eos fortem & diuitem *obedientiam*, de qua c. 4. v. 4. Porrò seruiunt ijsdem, & quidem vel maximè, OCVLI TVI limpidi & perspicaces,
Num. 32. v. 37. & 1. Paral. 6. v. 81. SICVT PISCINÆ IN HESEBON vrbe Galaad trans Iordanem in tribu Ruben; eæque IN PORTA *bath-rabbim*, id est, FILIÆ MVLTITVDINIS, (a) id est, vrbis quæ populosa erat. Quarum piscinarum aquæ vt amplæ & copiosæ, ita in extima superficie serenæ, tranquillæ ac pellucidæ, quasi specula crystallina, repræsentabant ad viuum formam vultus & næuos intuentium vel transeuntium: simulque seruiebant ad potum, ad lotionem, ad agrorum rigationem. Quæ omnia etiam tu, mea sponsa, tuis oculis nitidissimis ac perspicacissimis, id est, prudentiâ & prouidentiâ tuâ, præstas tuis clientibus. Nullos pateris ipsos latere næuos, abluis sordes, potas omnes aquâ viuâ, rigas spirituali vnda, subinde etiam lacrymis compassionis, quibus in eis prouocas lacrymas compunctionis & amoris.

Denique inuigilat quieti & bono illorum NASVS TVVS sublongus, rectus, & acuto præditus olfactu, id est, sagacitas & solertia in detegendis præcauendisque hostium insidijs, incursibus, insultibus. Es enim clientibus tuis pro sublimi & fida specula, SICVT Iudæis erat illa spectabilis TVRRIS in altissimo monte LIBANI erecta, QVÆ RESPICIT CONTRA, seu versus, DAMASCVM regiam Syriorum vrbem: in quâ turri erant Iudæorum perpetui speculatores; qui si quid nouarum rerum à Syris Iudæorum iuratis hostibus tentaretur, extemplò Iudæis renunciabant, & obuiari curabant. Vide
Ambr. l. 3. de Virginib. Chrysost. homil. 39. ad popul. Cassian. collat. 2. c. 22. S. Ambrosium, Chrysostomum & Cassianum. Atque hæc in vsum progredientium.

Perfectis verò

℣. 5. CAPVT TVVM, seu mens & pars animæ superior, est idea & speculum omnis perfectionis, sicut mons CARMELVS, prope Tyrum, in tribu Issachar, mons amœnus, excelsus, & vinearum ac

(a) Simile Ier. 17. v. 19. & c. 4. v. 11. בת רבים

fructuum (b) omne genus feracissimus, Eliæ & Eliseí habitatione, delapsu ignis è cælo, & tot mira ulorum patratione celeberrimus. ita Theodoretus. Quidam *Carmelum* non propriè, sed appellatiuè accipiunt, vt significat *scientiam circumcisionis*, vel *agnum circumcisum*. q. d. Mens tua est instar *agni* mundissimi, ab omni re fœdâ, vel noxia, vel inutili vndique circumcisi, & callet *scientiam circumcidendi* etiam clientes suos ab omni vanitate, inordinatione, superfluitate & non necessaria multiplicitate. Quæ *circumcisio* si vspiam necessaria personis alioqui perfectis, certè requiritur in capillis à capite defluentibus, id est, in cogitationibus & affectionibus cordis, ne quid in ijs inordinatum, vel incompositum, vel superfluum, vel hiulcum appareat: sed instar capillitij sponsæ.

(b) Ierem. 2. v. 7.

COMÆ CAPITIS TVI sint SICVT PVRPVRA REGIS, tinctæ purpurâ flauæ & rubicundæ charitatis, & quidem *charitatis regiæ*, id est, eximiæ, heroicæ, & omnium maximæ ac splendidissimæ, qualis est in Rege regũ & Domino dominantium Christo. Sint etiam vt *purpura regia*, non qualiscumque, nec trita, nec vetus, sed VINCTA CANALIBVS] id est, recenter tincta, qualis est quæ adhuc in canalibus tinctorum funiculis adstricta cernitur. Vel, vt alij exponunt, sint vt regia purpura, pulchris vittis & fascijs artificiosè, in formam canaliũ discriminata & complicata, ferè vt nunc plicatam videmus vestem albam sacerdotum in formam quasi canalium. Per hos *canales* intelligit S. Gregorius Scripturas sacras: Rupertus arcana Dei consilia & decreta: alij perfectiones diuinas & Christi Domini. quia perfectorum est, ex tribus hisce canalibus cogitationes suas, & clientum suorum, & appetitus omnes deriuare, & ijsdem ad amussim conformare. Et hoc primum est quod in persona sponsæ hîc requiritur à perfectis amicis sponsi. Alterum mox additur:

℣. 6. QVAM PVLCHRA ES, ET QVAM DECORA IN DELICIIS! seu quibus tu frueris, nempe iuterno gaudio, exultatione, iubilo & torrente voluptatis, ex tua & dilecti tui superexcellenti pulchritudine: seu quibus nos omnes exhilaras ob eximiam pulchritudinem, decorem & suauitatem tuam. Vtrasque enim delicias curare debet, quantum in se est, quicumque perfectioni studet, vt docent S. Ambrosius, Gregorius, Bernardus & alij Patres. Neq; desunt hæ deliciæ etiam in medijs ærumnis, tentationibus & ariditatibus, quæ partes inferiores animæ turbare, affligere, contristare possunt: superiorem non possunt, dummodò hæc maneat Deo suo firmiter adstricta & innixa. (c) Quidam volunt, sermonem hic esse etiam de delicijs externis & recreationibus corporalibus, sed honestis, quibus etiam perfecti viri subinde egent, ne spiritus perpetuâ animi contentione hebetetur vel obruatur, vel ne proximo desimus, aut minùs commodè adsimus. *Iusti* (d) *epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia*. Magnæ autem virtutis & sanctitatis indicium est, etiam in externis istis animi relaxationibus perpetuam modestiam, grauitatem, veræque deuotionis specimen præ se ferre. ita Dionysius Carthusianus, Gregorius & alij suprà. Tertium, quo solidam perfectionem tuam testatam facis, & alios doces, est

Ambros. serm. 17. in psal. 118. v. 5. Greg. l. 12. Mor. c. 21. Bern. ser. 5. in Quadrag. in illud Psal. 36. v. 4. Delectare in Domino.

(c) Infr. c. 8. v. 5. & Iob 22. v. 26. & Prou. 12. v. 21.

(d) Psal. 67. v. 4.

℣. 7. STATVRA TVA ex omnium simul virtutum harmonia consurgens in altum, & ASSIMILATA PALMÆ, Primò, proceritate & celsitudine, quâ reliquas arbores superat; Secundò, rectitudine; Tertiò,

Tertiò, robore, fortitudine & inuicta constantia aduersus tempestates, neque vllis ponderibus succumbere solita: propter quæ & symbolum est victoriæ. Quartò, iugi viriditate; Quintò, asperitate, & quasi ariditate corticis, & nudo trunco aculeato, & spinis armato in inferioribus partibus, at in superioribus eximia ramorum & foliorum latissimè expansorum pulchritudine & amœnitate, inquiunt S. Ambrosius & Beda. Sextò, pari crassitie trunci è terra ad cacumen vsque assurgente. ita S. Gregorius, Theodoretus, Anselmus & Nyssenus. Septimò, forma foliorum, quæ in palma sunt instar gladij, inquit Hugo Carensis & Philo Carpathius, & alij apud Viegam. Octauò, vbertate, dulcedine & præstantia fructuum. Vnde addit sponsus: VBERA TVA, è quibus tamquam perpetuis fontibus promis pastum sodalibus tuis, assimilata sunt BOTRIS, nempe dactylorum, qui à vertice palmæ dependent: vel etiam botris vuarum vittis, quæ ad radices palmæ plantata, ramis eiusdem quasi fulcris innititur & sustentatur. Solent enim perfecti non propriæ tantùm animæ, sed & proximorum suorum quos instruunt, vt onere & cura grauari, sic & fructibus exornari. En ergo vobis, inquit sponsus, plenæ perfectionis symbolum in palma, exemplum in sponsa. Nec surdis dixit. Nam vna inox adolescentularum (sed in vna plures aliæ comprehenduntur) auida perfectionis, tam nobilis, tam laudati fructus; Ambio, inquit, & ego tam excellens bonum:

Ambr. l. 3. Hexamer. c. 17. Beda l. 6. Gregor hic & l. 19. Mor. c. 16. Hugo Card. in psal. 91. Viegas in Apocal. 7. sect. 8.

℣. 8. DIXI, deliberatè constitui, firmiter apud me decreui; quid? ASCENDAM IN PALMAM istam, dabo me disciplinæ, regimini & institutioni tam nobilis magistræ: ET APPREHENDAM FRVCTVS EIVS; LXX. *tenebo cacumina eius*: fructus enim palmæ sunt in vertice. Scio enim certò ex relatione cælestis sponsi iam dicta, quòd VBERA TVA & liquores alijque fructus inde promanantes, ERVNT mihi dulcia & salubria SICVT BOTRI tum dactylorum, tum vuarum, pleni succo nutriente, exhilarante & inebriante. ET ODOR ORIS TVI; LXX. *nasi tui*, erit SICVT odor MALORVM] Id est, obseruatio & imitatio sanctorum monitorum tuorum, itemque exemplorum & operum, quæ ex ore & naso cordis, seu ex charitate & zelo tuo exhalas & eructas, admodum suauis erit mihi & fragrans, & salubris, id est, mirificè oblectabit, reficiet, roborabit me, sicut solet facere *odor malorum* medicorum, seu pomorum aureorum, de quibus c. 2. v. 5. ita tres Patres apud Theodoretum. Rationem addit Rikelius: *Quia ex plenitudine internæ deuotionis, diuini feruoris, & gratiosæ illuminationis*, non nisi *dulcissima* quæque & *salubberrima* exhalabis & depromes. Et verò experientiâ comperi sic omninò rem habere. Nam simulatque in verticem palmæ conscendi, & medullam doctrinæ tuæ degustare cœpi, reipsa & magno meo solatio & bono sensi

Rikel. art. 32.

℣. 9. GVTTVR TVVM, id est, doctrinam, institutionem, monita, quæ ex gutture tuo procedunt, esse SICVT VINVM OPTIMVM, non corruptum, non acidum, non lymphatum, non turbidum, sed maximè splendidum ac purum, & colore, odore, sapore præstantissimum, quo non nutrior tantùm & refocillor, sed & recreor, & roboror, & inebrior. Quid ad has suas laudes sponsa? Tale vinum, inquit, decet & DIGNVM est DILECTO MEO AD POTANDVM, neque conuenit vt vilius aliquod admoueatur delicatis LABIIS ET DENTIBVS ILLIVS AD RVMINANDVM, sorbillandū vel degustandum, q.d. Palatum sponsi mei delicatissimum est, non probat, neque admittit nisi optima quæque & præstantissima. Et ideo tam sollicita sum semper, vt

℣. 10. EGO DILECTO MEO plenè in eo, vt & in omni alia re complaceam, cuius tam benigna, tam profusa est erga me charitas, vt AD ME continua sit CONVERSIO EIVS, seu se totum conuertat ad vicem mihi rependendam, & me quoque vino suo optimo potandam, & nobilissimis donis suis exhilarandam, vt, sicut ego sum illi, ita per omnia ipse sit mihi: imò tantò erga me profusior fit ipse, quantò me senserit magis propensam ad sibi in omnibus rebus pro gustu & voto suo subsequendum. ita S. Gregorius, Aponius & tres Patres supra citati.

Porrò discipularum profectus adeò recrearat sponsam, lætitiaque compleuerat, vt diutiùs differendum non putarit, quo minùs sponsum suum, ad sese vnà secum in illis oblectandum, euocaret: idque eò gratius illi futurum norat, quò constabat fuisse paulò antè magis incompositas, hostiles & rebelles, vt vidimus c. 6. v. 10. Ergo

℣. 11. VENI DILECTE MI, EGREDIAMVR IN AGRVM, seu animæ meæ propriæ, seu animarum aliarum mihi creditarum: nihil istic iam hostile, turbatum nihil. Itaque securi COMMOREMVR IN VILLIS istis & noualibus, in blandis pratis, in lætis pascuis. Peractâ iam frigidâ virtorum hieme, abactâ tristi ignorantiæ nocte, MANE SVRGAMVS AD VINEAS succrescentium virtutum, & illas præsentiâ nostrâ exhilaremus, roboremus & excitemus. VIDEAMVS SI FLORVIT VINEA, SI FRVCTVS *parturiat*. Reperies profectò, votis tuis fecisse satis. Videamus SI FLORVERVNT MALA PVNICA, id est, an ad maturitatem peruenerint, qui virtutum omnium congeric perfecti esse debebant. Mala enim punica tum perfecta censentur cùm in vertice coronam habent in modum floris. Vnde Aquila vertit, *videamus si se aperuerunt poma punica*: nam calore hiant, & rimis actis sese aperiunt cùm maturescunt. O quàm nunc alia facies horum omnium ab ea quæ fuit c. 6. v. 10!

℣. 12. IBI DABO TIBI VBERA MEA, meos amores. Id est, in his hortis, in his vineis, in his agris, vt mihi tu nuper opiparum conuiuium c. 5. v. 1. instituisti, sic ego tibi nunc pro meo modulo paraui. Pro *myrrha, lacte* & *vino*, quæ tanta tunc copia apposuisti, ego *vbera mea* perfectæ charitatis paternæ & maternæ *dabo* & *tibi* & omnibus paruulis tuis. Pro *aromatibus mandragoras* apponam heroicarum virtutum fragrantes, medicas, loporiferas, amoris & fœcunditatis conciliatrices, vt dixi Genes. 30. v. 14. iam enim DEDERVNT ODOREM SVVM, id est, maximè fragrant & virtutem suam exerunt dum maturescunt. ita S. Ambrosius, Theodoretus, Cassiodorus, Rupertus & alij apud Pererium. Pro *fauo* & *melle*, apponam OMNIA POMA, id est, fructus omne genus, seu opera virtutum externa: nam IN PORTIS NOSTRIS sunt omnia, id est, ex occultis adytis cordis educta sunt in publicum per sensus aliasque potentias externas. Denique omnia, quæ seu in meo, seu in meorum, hortis vineis & agris succreuerunt ab initio anni vsque ad finem, NOVA ET VETERA, vni & soli TIBI, DILECTE MI, integra & intacta seruaui, & nunc tibi tuisque appono, tui vnius tuorumque propter te obsequio, & in tui solius honorem, cultum & gloriam offero, dedico, consecro. quidquid pretiosum, iucundum & suaue in me, in meis; quidquid à natura, quidquid à gratia est, appono tibi, vt inde tu epuleris, tu iucunderis,

Ambros. serm. 19. in psal. 118. v. 4. Perer. in Gen. 30. v. 14.

deris, tu delicieris. nihil mihi seruo, nihil meæ voluptati, meæ gloriæ, meo commodo sepono. tibi omnia seruaui, ad tui solius nutum & beneplacitum distribuenda. quia tu solus es dilectus meus, & tibi mille titulis debeo omnia. Felix anima quæ tale instruit cælesti sponso conuiuium, quæ purissima intentione, ardentissima charitate, & perfectissima executione apponit omnia sua vni sponso suo! Vide Theodoretum & Rikelium.

Rikel. sup.

CAPVT VIII.

Ardens sponsæ desiderium fruendi continuâ sponsi præsentiâ. epulum, quo sponsa sponsum excipit, & somnus inde consecutus: gloria & delicia sponsæ: leges perfectæ dilectionis: sollicitudo & zelus sponsæ circa animas sua cura commissas: canitus cycnaus & extrema vota sponsæ.

℣.1. QVIS MIHI DET TE FRATREM MEVM? Vltimâ cum sponso confabulatione & epulo agresti sic increuerat amor sponsæ, vt quasi mandragoræ philtro extrà se rapta, optet continuum exinceps sponsi consortium & osculum, etiam foris in publico. *Quis*, exclamans mihi præstet hoc beneficium, vt non ampliùs per vices solùm & interualla, nunc in cella vinaria, nũc in secreto thalami, nunc in angulis horti vel agri, iungaris mihi, vt, more amicorum subinde se mutuò reuisentium, mihi hactenus iunctus fuisti; sed continuò & sine interruptione mihi familiaris adsis, & indiuulsus adhæreas, more *fratris* germani, & adhuc paruuli, qui sugit VBERA eiusdem MATRIS MEÆ, VT perpetuò & vbique TE mihi præsentem INVENIAM, etiam FORIS in publico, in omnium conspectu, in medio curarum, occupationũ & negotiorum strepitu, & continuò DEOSCVLER TE, & blandiar tibi, & delicier tecum sine interruptione, sine obloquio, sine rubore, vt licitum est sorori ludibundæ dissuauiari fraterculum suum. ET IAM NEMO ampliùs ME DESPICIAT] Despiciunt enim me, vilipendunt & contemnunt, & iure merito primùm Deus optim. maximus, deinde angeli & Sancti in cælo, denique etiam iusti & perfecti in hoc mundo; despiciunt, inquam, me, quòd non plenè & continuò te fruar vnico bono, vnicis delicijs meis. Nam etsi per contemplationem non rarò mihi iungaris & exhilares me spiritualibus cupedijs tuis, & cælesti nectare me inebries: at hoc diuturnum non est; & quantum abest à torrente voluptatis quo potas in tuo palatio filios tuos! quin & dum sic me subinde recreas, cogor tantisper ab omni functione externa muneris mihi commissi cessare, & sic cum Rachele sterilis domi tuæ desidere. Mallem iungi perpetuò vtrumque in me, Rachelis delicias & Liæ fœcunditatem. Iam vel vt sterilem me cõtemnunt, vel vt lippam rident. Omitto tot næuos, tot errores, tot infirmitates, tot miserias meas, in quas ob absentiam visitationis tuæ, & gratiæ subtractionem vel imminutionem, prona ruo dum negotijs vaco; propter quas meritò rideor, & omnibus ludibrio sum: quas euaderem si tibi perpetuo nexu & complexu & osculo inhærerem, & (*a*) sicut angeli ac cælestes nuntij tui, non diuellerer à facie tua dum seruio filijs tuis. ita ferè Ioannes Mariana & de Ponte: tres Patres, apud Theodoretum & Arnoldus Catius id exponunt de desiderio mortis & gloriæ cælestis. S. Athanasius, Ambros. Gregorius, & alij antiqui Patres attribuunt allegoricè antiquæ Ecclesiæ, quæ ardentissimè optabat aduentum & incarnationem Filij Dei.

Gen. 30. v. 1.

a Matt. 18. v. 10.

Athan. in Synopsi. Ambros. l. 1. de Instit. virg. c. 1.

Audiebat ardentia sponsæ vota cælestis sponsus, nec annuebat tamen, sed nec abnuebat, certus votis dilectæ suæ facere satis, sed suo tempore. interim vult tantilla dilatione geminari & crescere vota. Quo cognito sponsa, Dum differtur, inquit, quod opto, amplectar quod offertur; totis animi viribus, tota mentis contentione

℣.2. APPREHENDAM TE, stringam arctissimo tum intellectus, tum voluntatis complexu, alligabo te mihi vinculis Adæ, funibus amorum, ET DVCAM IN DOMVM MATRIS MEÆ] id est, in domum meam, in fundum animæ meæ.

IBI ME DOCEBIS puram & primam veritatem, summam veritatem, omnem veritatem. docebis me non alieno ore, sed proprio tuo: non in prouerbijs, sed palàm. ibi discipulam magister instrues cælestibus disciplinis. Docebis me, nosse me, nosse te, nosse omnia quæ me nosse voles. Et ego TIBI vicissim ibi DABO POCVLVM EX VINO CONDITO, ex vino aromatite, potum suauissimum ex omnium virtutum commixtione conflatum: amoris ambrosiam heroicis exercitijs expressam: ET MVSTVM MALORVM GRANATORVM MEORVM, recentem & primum succum omnium tum internarum, tum externarum virium, operum & votorum meorum. Hic enim succus extremè placet palato cælestis sponsi, sicut solet æstuanti stomacho gratus accidere succus ex malis granatis expressus. Verbo vno, epulabimur ibi & deliciabimur, saltem pro modulo & mensura temporis præsentis. ita tres Patres apud Theodoretum, Petrus Nannius & alij.

℣.3. LÆVA EIVS SVB CAPITE MEO. q.d. Non tam citò inuitaram sponsum modo iam dicto, & me illi plenè ac perfectè vnitam optaram; quin ipse mox in collum inuolans meum, mihique blandiens & applaudens, vsque eò delicijs compleuit, & nouis gaudijs inebriauit, vt in iucundissimum soporem ac somnum inducta sim, in vlnis dilecti mei altissima pace & tranquillitate plenissima conquiescens. Et quidem summa sponsi approbatione & plausu, vnde & domesticis vetuit, ne quo forsan strepitu inquietarer aut excitarer. Sed hos eosdem versus fusiùs explicui c. 2. v. 6. & 7. Abeunte somno (de quo ibidem) iam ad cõsueta me referebam munia mea, non tamen iam sola, seu sine dilecto meo, vt antè, sed *innixa super dilectum meum*, læuâ illius me perpetuò sustentante, & dexterâ me continuis delicijs complexante, non minùs in negotiorum progressu, quàm antè in mystico somno. Vnde & insolita mea gaudia stupentes sodales, & vix me iam præ nouitate rei agnoscentes, exclamant:

℣.5. QVÆ EST ISTA, QVÆ tam insolito fauore, tam miro splendore, nõn iam pigra, non iam nigra, sed super niuem *dealbata* (vt legunt LXX.) DE DESERTO mundi huius, & sterili natura humana, sursum ad cælestia, ad sinum æterni Patris rectissimè, celerrimè, iucundissimè ASCENDIT, DELICIIS AFFLVENS in vtroque homine, INNIXA SVPER DILECTVM SVVM, qui expansis vlnis humanitatis & diuinitatis suæ, quasi vehiculo illam euehit, sustentat, in altum attollit? illâ cantillante & iubilante, *Cor meum & caro mea*, etiam in medijs laboribus, in æstu curarum & dolorum, *exultauerunt in Deum viuum*. Sed hæc locum maximè habent in ascensu mentis in Deum & raptu mystico, de quo aliquid attigi c. 2. v. 6. sed fusè exponunt quos ibidem citaui, & Richardus de S. Victore post S. Dionysium, Gregorium, Beruardum, Bonauenturam & alios mysticos Doctores.

Psal. 83. v. 3

Richard. l. 5. de Contemplat. c. 6. & 7. 14. &c. Dionys. de Mystica Theologia. Greg. l. 24. Moral. c. 5.

Ad eximias has sponsæ laudes, vt eius securitati certiùs prospiciat sponsus, & humilitatem altiùs inculcet, dum simul gradiuntur, imò rapiuntur, Audin', inquit, dilecta mea, quàtas de te laudes prædicent? Et verò maior adhuc es omni humana laude. Caue interim decerpas tibi vel tantillum de omni laude, quæ omnis mihi soli debetur, à quo solo tibi hæc omnia, vt fatentur & proclamant etiam illæ ipsæ tuæ sodales, dum te sursum ascendentem, & delicijs affluentem, aiunt non tuis viribus, sed meis; non tuis meritis, sed dono & gratiâ meâ; non tuâ industriâ, sed meâ potentiâ, sapientiâ, bonitate; non super te, sed *super me* vnum *innixam*. Neque enim adeò dependent radij vel lumen à sole, membra à corpore, corpus ab anima, in conseruatione, accretione, operatione sua, quàm tu pendeas à me in omnibus & per omnia. Ex te enim nihil habes præter miseriam, malitiam & sordes. Et hanc tui ipsius nihili cognitionem, & meæ simul gratiæ confessionem, pro primo fundamento solidandæ tibi felicitatis, toto animo tibi commendo. Atque vt id ipsum tibi altiùs infigatur, repete frequenter memoriâ tuâ primum nostrorũ amorum initium, occasionem, loci & personæ qualitatem. *De deserto* te *ascendisse* clamant illæ, & est verissimum: nam si meministi, SVB ARBORE MALO, seu propriè dicta, de qua c. 2. v. 3. seu quauis frugifera planta, non in horto meo vel pomario, sed in loco horroris & vastæ solitudinis, SVSCITAVI TE de morte ad vitam, de ægritudine ad sanitatem, de miserijs ad delicias, de sordibus ad solium regni. IBI, id est, sub illa arbore, CORRVPTA EST MATER TVA, tum propinqua, quæ te lactauit; tum remota, Eua, quæ te in parentibus tuis produxit. Corrupta est, inquam, lethifero serpentis veneno, peccato transgressionis diuini præcepti, quo omnes etiam posteri ipsius inficiuntur, corrumpuntur & enecantur, non solius corporis temporali corruptione & nece, sed & animæ æterna; cui etiamnum obnoxia iaceres, nisi ego prouidissem, & meo sanguine, mea morte in simili arbore te suscitassem. ita Iustus Orgelitanus, Cassiodorus, S. Gregorius, Aponius, Rupertus, Beda & Anselmus: qui extraditione Græcorum addit, *arborem scientiæ boni & mali*, fuisse propriè dictam malum, è qua delatus sit ramus in Iudæam, & ex hoc arborem crucis Christi prognatam. Sed fides sit penes auctores. Lxx. hic pro *corrupta & violata est*, legunt, *peperit te* mater tua. Et ita etiam sonant Hebræa, nempe *partus* non fit sine *corruptione* & *violatione*. Quo ipso videtur sponsus in memoriam reuocare sponsæ vilitatem generis sui, nempe rusticam esse & filiam pastorum, qui ruri & in desertis locis, vbi regio calidior est, degere, & sub arboribus ad vmbras captandas sedere, dormire, & operam liberis dare consueuerunt. q.d. Iam cogita, è quàm vili & humili loco ad tam sublimem ac splendidũ per me sis euecta. Hinc, si sapis,

Genes. 3.

¶.6 PONE ME VT SIGNACVLVM, id est, instar signaculi seu sigilli, vel alterius signi memoratiui, SVPER COR TVVM, ET SVPER BRACHIVM TVVM] Id est, in perpetuam mei memoriam gesta continuò imaginem mei cælatam in bullis ad pectus, & in armillis ad brachia appensis. q.d. Fac omnia cogitata tua, omnes amores & desideria tua, omnia dicta, facta, sic me vnum referant, mihi vni tantorum tibi bonorum fonti & auctori dedicentur & approprientur, ac si imago mei, vel sigillum meum me ad viuum referens, singulis impressũ esset. Fac item memineris perpetuò mei in omni affectione & operatione tua, perinde ac si figura mei continuò tibi ob oculos versaretur: idque non in sola contemplatione & oratione, sed & in omni opere & conuersatione externa, inquit Theodoretus & S. Gregorius. Videtur sponsus alludere ad stigmata quæ vel pecudibus, vel mancipijs inuri solent: vel potiùs ad morem quarumdam gentium (vt fertur de feminis Saracenis) quæ eorum quos diligunt notas & signa quædam *super cor*, vel *super brachia* inurunt vel insculpunt, quo suum erga eos affectum testentur, ipsosque quasi præsentes sibi habeant. de quibus fusè Lipsius. Petit ergo sponsus à sponsa, vt se totam intus & foris, tamquam ancillam, & iam sponsam, tradat nutui & placito sponsi sui & domini: idque palàm quoque coram omnibus hominibus & omnibus creaturis præ se ferat, nempe se totam illius esse, & illius solius, nec quidquam in illa, vel ex illa cernatur, quod alicui creaturæ, vel alteri à Deo sponso suo deferatur. Lud. de Ponte vult etiam hîc à sponsa exigi, vt ad perfectissimam cum sponso secundùm omnia interna & externa similitudinem aspiret, qualis scilicet inuenitur inter sigillum & rem sigillatam. Quæ similitudo inchoatur in naturalibus, sed augetur & perficitur per supernaturalia, maximè verò per intimam amoris coniunctionem, & quæ inde promanat, morum per omnia & insignium conformitatem, putà crucis, clauorum, flagellorum, lanceæ, spinarum & probrorum, quæ vt fuerunt Christi, sic optat vt suæ sponsæ sint insignia.

Greg. l. 19. Moral. c. 4.

Lipsius l. 1. de Milit. dial. 4.

QVIA FORTIS EST VT MORS DILECTIO. q.d. Scio me dura & difficilia poscere: sed amanti nihil durum, nihil difficile. nam amoris hæc est natura, conditio & qualitas, quòd *fortis* sit sicut *mors*. *Resistitur ignibus*, inquit S. Augustinus, *resistitur vndis, ferro, regibus, potestatibus. Venit vna mors, quis ei resistit? Nihil est illâ fortius. Propterea viribus eius charitas comparatur, quia & ipsa occidit quod fuimus, vt simus quod non eramus.* Nempe, aufert nobis omnem vitam vitiosam, carnalem & mundanam: tollit peccata: mortificat peccatorum radices, concupiscentias & passiones inordinatas: externa ad peccatum allicientia reijcit: etiam licita, si maioris boni sint impedimenta, rescindit. in gratiam amati si quid occurrat arduum, molestum, tædiosum, exsorbet, superat, deuincit. quiduis tentat, ambit, conatur, vt quàm simillimus fiat amato. quin & seipsum felici morte quasi conficit, dum animum à proprio corpore transfert in alienum, si non re, certè affectu, magis meliusque viuens in amato, quàm in amante, vt Plato aiebat. Ergo nec tibi, dilecta mea, durum erit, tibi deinceps sic mori, quæ tui iam iuris esse desijsti, & mihi vni, cui te totam in omnibus mancipasti, viuere; mihi vni te assimilare & perfectè conformare. *Quia* perfecta *dilectio* sic suadet, sic iubet, sic vrget. idem vrget etiam ÆMVLATIO, quæ vel est vehemens amor, aut vehementis amoris actus vel effectus, qui zelus dicitur, & est ingens tristitia seu dolor de damno vel iniuria illata rei amatæ, cum impetu & studio illam vlciscendi aut depellendi. Et est DVRA tum in sustinendo, tum in oppugnando, tum in desinendo SICVT INFERNVS, qui tenacissimè retinet quod semel recepit, & durissimè torquet animas, nec est vlla vis creata quæ possit illas ex faucibus eius eruere. Simili tenacitate charitas perfecta, seu æmulatio, Deum quem semel apprehendit, fortissimè retinet: & aduersus carnem, mundum, dæmonem, ne Deum mente expellant, durissima est & implacabilis hostis,

August. in illud ps. 121. fiat pax in virtute tua & epist. 29. ad Hieron.

stis, castigans, persequens, conterens omnes: neque est vis vlla creata, quæ possit inuitam tanto thesauro spoliare. Quin & in eo quoque similis est inferno æmulatio, quòd ardor & ignis vtriusque vt vehemens est & continuus & perpetuus, ita etiam sit insatiabilis: & licèt omnia inflammet, & in se conuertat sibiq; assimilet, numquam tamen ab vlteriore vstione desistat. Eadem ergo sit & tuæ charitatis ac zeli conditio, vt in perfecta amei assimulatione numquam laseris, numquam satieris.

LAMPADES, seu faces, EIVS, nempe charitatis, sunt LAMPADES IGNIS ATQVE FLAMMARVM] Hebraicè, *flamma Dei*, id est, maximè & vehementissimè vrentes, calefacientes, lucentes; & tantæ energiæ, vt non modò flammas concupiscentiæ & odij vel amoris mundani superent, sed & incendia inferni & iræ Dei vincant & restinguant.

¶.7. AQVÆ tentationum, persecutionum, tribulationum, quantumuis MVLTÆ, NON POTVERVNT vnquam EXTINGVERE perfectam CHARITATEM: sed NEC integra FLVMINA omnium simul aduersitatum OBRVENT ILLAM, vel flammam eius, ipsâ nolente, restinguent: *Numquam* enim *excidit charitas*, vt ait S. Paulus. Crescit potiùs & inclarescit aduersis, vt patuit in Iosepho, in Iobo, in Christo. Talem, tam fortem, tam constantem, ô dilecta mea, decet esse tuam erga me charitatem, vt nullis seu doloribus, seu tormentis, seu terroribus, seu minis frangatur vel extinguatur. Sed neque donis vllis aut beneficijs deperdi vel eneruari decet: potiùs omnia perdenda, omnia proijcienda, quàm vel tantilla charitatis iactura facienda:

1. Cor. 13. v. 8

SI DEDERIT HOMO OMNEM SVBSTANTIAM DOMVS SVÆ PRO DILECTIONE, seu acquirenda, seu conseruanda, seu recuperanda, QVASI NIHIL DESPICIET EAM omnem substantiam. Nam *melior est* hic thesaurus *cunctis pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari*. Imò *infinitus thesaurus est hominibus*, quippe *qui eo vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei*, hereditatis Dei & omnium thesaurorum cælestium. Non ergo putes te magnũ quid perdidisse, cùm omnem substantiam domus tuæ pro charitate tutanda seu perdideris, seu proiecceris: *quasi nihil* enim proiecisti vel amisisti. Sola charitas thesaurus tuus est, hæc sola te ditabit, & immensum ditabit, & æternùm ditabit. Vnde nec contristari debes, ô dilecta sponsa, si non semper omnibus donis & beneficijs meis extraordinarijs te recreem, nec perpetuò & sine interruptione tibi me fraterculi in morem, vt iam optabas, præsentem & te continuis osculis diffluantem exhibeam: non est hoc huius temporis: neque hoc mihi iam placet. Placet magis, vt pro amore mei, renuncies etiam huic substantiæ tuæ & delicijs tuis, quas tibi non idcircò subtraho ad breue tempus, vt minuatur tibi tuus thesaurus, sed in opportunius tempus repono & reseruo, vt centuplicato fœnore crescat tibi & augeatur per gloriosam tui ipsius, etiam quoad mea dona, abnegationem & victoriam. Vide de hoc S. Augustinum, Gregorium & Bernardum.

Prouerb. 3. v. 11. Sap. 7. v. 8. & 14.

Atque hæ sunt conditiones & leges, vt dixi, castissimæ perfectissimæq; charitatis, quas vt ego omnes, inquit sponsus, seu vt Deus sum, seu vt homo, erga te omni tempore ad amussim seruaui, seruaboque æternùm; ita & tu, si me perfectè amas, toto vitæ tuæ decursu seruabis tum erga me, tum amore mei erga proximos tuos, fratres & filios meos.

Dixerat sponsus, cùm sponsa, quæ leges illas omnes cordi suo iam altè impressérat, confisa promissis sponsi, anxiam sui ipsius curam seponit; sed fraternæ charitatis flammâ succensa, in proximorum salutem tota rapitur: & quia maior ac periculosior est pars imperfectorum, & incipientium seruire Deo, de his ante omnia satagens, ait:

¶.8. SOROR NOSTRA (hoc suaui nomine designans omnem talium iuniorum congeriem) adhuc PARVA est, & debilis & tenella ET VBERA duplicis charitatis NONDum HABET: vel si habet demissa, nondum habet intumescentia, & sapientiæ lacte turgida, vt vel seipsam, vel spirituales filios instruere possit. *Cùm deberet magistra esse propter tempus*, quod illi instruendæ impendimus, adhuc *indiget vt doceatur* prima *elementa*. Verbo vno, necdum sat instructa est, indiget peritiore magistro, pastore & & duce spirituali, qui illam doceat, pascat, regat. *Ad Hebr. 5. v. 12.*

QVID FACIEMVS SORORI NOSTRÆ? Non est nuda præmeditatio, vel ex sponso interrogatio, vel cum ipso alijsve consultatio, sed & obsecratio tacita & precatio, vt quid faciendum sit inspiret, succurrat & adiuuet. *Neque* enim *qui plantat est aliquid, neque qui rigat*, nisi simul adsit *qui incrementum dat Deus. Quid* ergo *faciemus sorori nostræ*, vt crescere, vt vbera acquirere possit, vt veram solidamque virtutem ac sapientiam hauriat, qua & ipsa perficiatur, & alij per ipsam: vt prompta sit respondere IN DIE QVA ALLOQVENDA EST, id est, quando de nuptijs interpellanda est? Interpellabis enim tu illam suo tempore, interiùs illuminando & mouendo, vt, reiectis alijs procis, vni tibi se totam deuoueat. Interpellabunt illam etiam mundus, caro & dæmon, & singuli ad nuptias secum contrahendas miseliam sollicitabunt. Hîc consilio, directione, ope nostra eget. ita ferè Theodoretus, Honorius, Philo Carpathius & alij apud Delrium. Quidam apud Lud. de Ponte id exponunt de *die* iudicij, seu particularis cuiusque, seu generalis omnium, *quando* veniet sponsus, & omnes alloquetur, & omnibus ius dicet.

¶.9. SI MVRVS EST, id est, si virili, firmo & constanti est animo, ita vt spem faciat quòd pro muro & mœnibus seruire, & incursus atque insultus inimicorum tum à se, tum ab alijs propulsare possit; ÆDIFICEMVS SVPER EVM murum, PROPVGNACVLA ARGENTEA; alij vertunt, *palatium argenteum*, nempe instructum suis propugnaculis, quæ & munitioni sint ipsi & ornamento. Id enim facile mihi & familiare est præstare tum in vita actiua, tum in contemplatiua, tribuendo singulis panopliam virtutum necessariarũ & vtilium ad se suosque tutandos, & hostes propulsandos, imò debellandos. Quòd si non est murus, & in fragili sexu spes nulla sit tantæ firmitatis & roboris; sed solùm EST OSTIVM, multis peruium, omnibus apertum, vix vnius domus suæ custodiam valens sustinere; COMPINGAMVS ILLVD & claudamus diuini timoris & prudentiæ TABVLIS CEDRINIS, non minùs fortibus, quàm elegantibus: sicque fragilem & ad lapsus facilem præmuniamus; sepiamus, & fugiendi, errandi, vel in hostiles manus labendi occasiones remoueamus. Suadet ergo cælestis sponsus, vt in promouenda proximorum salute & perfectione, ingenium cuiusque & talentum & robur attendamus, & illi spiritui lem instructionem prudenter accommodemus. Vide Rupertum, Honorium, Bernardum.

Audijt sponsa; & mox comprobat exemplo suo consilium sponsi, Nam fui, inquit, aliquando,

do, ſum etiamnum ℣.10. EGO MVRVS, in fragili ſexu, forti tamen & virili animo: & ecce quàm nobilia, quàm ſublimia nunc in me propugnacula: en VBERA MEA, tenella ceteroquin & mollia, iam SICVT TVRRIS Dauid *ædificata cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*, teſte ſponſo meo cap.4.verſ.4. Hoc porrò robore me ipſe donauit, EX QVO FACTA SVM CORAM EO QVASI *Sulamitis*, id eſt, PACEM REPERIENS] id eſt, ex quo me aſſumpſit in ſponſam ſuam, vt à *pacifico* Salomone Sulamitis *pacifica* & dicar & ſim: cum quo illius eximio fauore cetera quoque bona ſimul omnia mihi obuenerunt. ita S.Ambroſ.Caſſiodor.Gregor.Anſelmus & Beda.

Ambroſ. ſerm.22 in pſal 118. & in Apologia Dauid.c.17.

בעל המון

℣.11. VINEA FVIT Salomoni, id eſt, PACIFICO regi IN Baal-hamon, quod ſignificat dominum populorum, ſeu eum *qui* HABET ſub ſe POPVLOS. Eſt verò nomen loci, ſeu vineti, haud procul Ieroſolyma, qui aliàs Engaddi dicebatur, & erat vinearum & balſami fertilitate celeberrimus. Hanc ſuam vineam TRADIDIT certis colonis colendam, & CVSTODIBVS cuſtodiendam, mihi verò tanquam præfectæ inter alias plures vineas hanc ſingulari cura tradidit gubernandam. Hæc magna eſt & fertilis, & nobiliſſimi vini ferax: nam VIR, ſeu vinitor, qui illam conduxit, AFFERT quotannis PRO ERVCIV EIVS, quem inde colligit, MILLE ARGENTEOS ſiclos, ſeu mille florenos Belgicos: & vltra hos, pendit alios *ducentos* argenteos HIS QVI CVSTODIVNT vineam. Vinea hæc tam nobilis, tam fertilis, tam chara Salomoni, ſecundùm Theodoretum & Rikelium, propria cuiuſque anima eſt; ſecundùm alios, animæ paſtoribus commiſſæ, vel Eccleſiæ Chriſtiana. Si bene colatur, pendit fructum non modò decuplum, qui magnus eſt; vel centuplum, qui maximus; ſed milleſimum, qui omnem ſuperat æſtimationem. Hæc vinea, inquit ſponſa, non contemnetur, nec deſeretur, nec negligetur à me, vt nuper illa altera, cap.1. verſ.5. ſed ſemper CORAM ME EST; LXX. *vinea mihi mea in conſpectu meo*, id eſt, habeo ſemper illam in oculis, vt curem excoli quàm diligentiſſimè. Tota huic operi incumbo, nec ad aliud mentem diuerto: oculus præfectæ ſaginabit fundum, vt vberiores & excellentiores fructus ferat. Velim tamen ſcias, mi dilecte, me lucri causâ, etſi iure & indulto tuo poſſim, nihil hîc agere decreuiſſe. tui vnius & ſolius amore agam quidquid agam. Fructus ergo omnes & integri volo cedant *tibi* (vt eſt in Hebræo:) MILLE argentei, quos conductor vineæ quotannis pendit, id eſt, primarius & principalis prouentus ad vltimum vſque quadrantem, TVI; ô *pacifice* ſint, ad tui vnius gloriam & laudem: reliqui *ducenti* ſecundarius & acceſſorius prouentus dentur his qui in colenda cuſtodiendaque vinea me adiuuerunt: nullius commodo, nullius laudi, nullius gloriæ quidquam decerptum volo. Mihi nullam depoſco aliam mercedem præter te vnum, & quòd tibi ſeruiam, tibi gratificer, tibi fructificem: hoc vnum & gratius & ſuauius mihi, & longè pretioſius omnibus theſauris cæli & terræ, vt ergo tibi vni quàm gratiſſimum faciam, pro poſſe meo excolam virtutibus animam meam, & animas mihi à te commiſſas: & excolam non ob aliud, quàm vt te recreem & reficiam, qui es vnica merces, præmium & beatitudo mea. ita ferè Lud.de Ponte ex S.Ambroſio, Theodoreto & alijs.

Rik.l. art.26.

Sponſus hoc tam nobili ſponſæ ſtudio vni ſibi laborandi & placendi, mirum quantum recreatus? Etſi, inquit, vni mihi laborare & placere intendis, hoc ipſo tamen pluribus reuera, imò omnibus qui in cælo & in terra ſunt, places, & omnibus labor tuus percharus & pergratus eſt. Eia ergo dilecta mea,

℣.13. QVÆ iam tota HABITAS IN HORTIS ſpiritualibus, & illis excolendis continuò deſudas, perge ſtrenuè, promoue alacriter: AMICI tui omnes & cæleſtes & terreſtres, vnà mecum perpetuò AVSCVLTANT num quid ex te noui, inhiant profectui & promotioni tuæ, gaudent de bonis tuis, applaudunt victoriis, ſpolijs, triumphis tuis. Igitur his auſcultantibus, his applaudentibus, FAC ME iterum & ſæpiùs AVDIRE eamdem VOCEM TVAM, quam mox audiui, & multas ſimiles voces tuas dignas te, dignas angelis, dignas Deo; voces puriſſimæ intentionis, ardentiſſimi amoris, conſtantiſſimæ laudis & gratiarum actionis; voces humillimæ confeſſionis propriæ miſeriæ, paupertatis, & nihili tui; voces inſtantiſſimæ precis & ſupplicationis, pro te, pro proximo, pro toto mundo; voces integerrimæ reſignationis in nutum & arbitrium meum; voces diligentiſſimæ prædicationis verbi Dei, & inſtructionis proximorum; voces perfectiſſimæ obedientiæ tum mihi, tum alijs propter me; voces optatiſſimi conſenſus in expletionem matrimonij noſtri ſpiritualis in præſentia amicorum pro teſtibus hîc aſſiſtentium; denique voces pleniſſimi gaudij & iubili de infinito bono meo, & bono tuo in me. Vide S.Auguſtinum & Bernardum.

S.Auguſt.in Pſalm.95. Bernard. epiſt.113. ad Sofbiam.

Obedit mox ſponſa, & quàm potuit gratiſſimam dulciſſimamque vocem petenti ſponſo reddit, quæ voces omnes iam dictas in ſe concludit & eminenter complectitur.

℣.14. FVGE DILECTE MI, non me deferendo, (qui mea es vita & via, & ſine quo nihil poſſum, nihil etiam volo;) ſed dona tua extraordinaria mihi trahendo, & ad alios deferendo digniores me, ad MONTES AROMATVM, ſublimes, fructiferos & odoriferos: vel, ſi mauis, vnà mecum fuge ad locum magis amœnum, ſecretum, cælis propinquum, orationi & contemplationi idoneum, ad fundum animæ meæ, omnibus montibus ſublimiorem, omnibus aromatibus nobiliorem; ibi me totam totaliter tibi trado, tibi adglutino æternùm dilectam dilecto, ſponſam ſponſo. Sed & ad alios quoque greges tuos adcurre, qui in montibus tuis paſcuntur, illoſque recrea & exhilara præſentiâ & donis tuis. Et ad illos *fuge* quàm celerrimè, & iterum ad nos reuertere, *inſtar capreæ hinnuliq; cernorum*. quod explicui cap.2. v.vlt. q.d. Gratiſſimum mihi iucundiſſimumque accidet, ſi gratias & fauores quos mihi indigniſſimæ tam liberaliter impertis, impertias etiam alijs omnibus hominibus, ſed ante omnes ijs qui meæ curæ à te commiſſi ſunt: vt omnes vnà mecum tibi perfectiſſimè ſeruiant, obediant & placeant; te perpetuò laudent, benedicant, adorent, glorificent; te vnum ſuper omnia quærant, extollant, prædicent toto orbe; à terrenis ſordibus diuulſi, rebus humanis celſiores, creatis omnibus ſuperiores, in te vno ſummo & vnico bono ſuo æternùm conquieſcant; omnes chariſſimæ tibi columbæ, reginæ, ſponſæ, in vlnis tuis, in complexibus tuis continuò inhæreant, immorentur, immoriantur. ità ferè Lud.de Ponte: qui cum S.Gregorio etiam alio modo exponit illud, *Fuge*, vt idem valeat quod, *fuga nos*, ſeu late nos. q.d. Tam immenſus & incomprehenſibilis es, mi dilecte, vt omnes tam angelos quàm homines fugias, omnem ſcientiam creatam vincas, omnem intellectum ſuperes,

Greg.lib. Mor.c.15.

peres. De quo sanè gaudeo & exulto: sed, dum meam vicissim expendo vilitatem & paruitatem, cogit me virtus humilitatis cum piscatore (a) illo exclamare, *Fuge, mi dilecte*, tam vilem, tam sordidam, tam indignam creaturam, recede à me, quia tantos fauores nec promereor, nec capio. Et sic propriè vsurpatur verbum *fuge*; eo sensu quo S. Franciscus Xauerius dicebat, *satis est Domine, satis est*. S. Ambr. Cassiodorus & Bernardus id intelligunt de *fuga* Christi post resurrectionem in cælum: Liranus & alij quidam de fuga Christi cum anima sancta è terris in cælum, vt fusiùs dixi c. 2. v. vlt.

(a) Luc. 5. v. 8.

Ambros de bono mortis c. 5. Bern ser. 9. in psal. Qui habitat.

LIBER SAPIENTIÆ

Sic dictus, quòd de Sapientia, tam increata, quàm creata sublimiùs, diuiniùs, & quasi ex radice tractet; etsi hebraicè conscriptus, ac tunc pro Canonico ab Hebræis agnitus fuerit * Isidorus, & à Castro; iam tamen à tempore S. Hieronymi non extat hebraicè, vti nec *Ecclesiasticus*, sed solùm græcè. Vnde Iudæi, & Iudæos secuti hæretici, quin & Athanasius, Epiphanius, Hieronymus, Damascenus, noluerunt eos pro Canonicis habere. Sed alij ferè omnes SS. Patres, etiam antiquiores, vt Dion. Areopagita, Clemens Rom. Cyprianus, Gregor. Nazianzenus, Cyrillus, Augustinus, &c. illos vt Canonicos citarunt, adeoque & Christus (a) ipse & Paulus (b) Apostolus. Et pro verè Canonicis habendos definiuit Innocent. I. & Concilium Carthaginiense III. Florentinum, ac Tridentinum: ita vt de hac veritate iam non ampliùs liceat dubitare.

(a) Matt. 13. v. 42. & 27. v. 24. citat. quod est Sap. 3. v. 7. & c. 2. v. 13. & 18.
(b) Ad Rom. 11. v. 34. citat. quod habetur Sap. 9. v. 13. & ad Ephes. 6. v. 13. & 17. quod est Sap. 5. v. 18. & 19.

* *Isidor. l. 1. de Offic. c. 12. Athan. in Synopsi. Epiph. de Ponderibus & mensur. Hieron. in epist. 115. in Prol. galeato, & in c. 8. & 11. Zachariæ. Damasc. l. 4. Fidei c. 18. Dionys. de Div. nomin. c. 1. Clem. epi. 1. Cyprian. epist. 81. & de Mortal. cap. 8. Nazianzen. orat. 2. de Theologia. Cyr. Alex. l. 2. in Iulianum.*

Auctor huius libri à * S. Augustino putatus aliquando fuit esse *Iesus filius Sirach*, qui scripsit Ecclesiasticum. Sed quia hoc sine iusta auctoritate putauit, idcirco retractat (c) idipsum & reuocat. S. Hieronymus, ex multorum aliorum sententia, vult Philonem Iudæum Alexandrinum: Driedo, Genebrardus & Bellarminus volunt alium Philonem multò seniorem Alexandrino, & è LXXII. interpretibus vnum, libri huius, si non auctorem, certè compilatorem esse. Sed longè probabilius videtur, ipsummet Salomonem auctorem & scriptorem esse: nam c. 9. v. 7. disertè ait: *Tu elegisti me regem populo tuo, & dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo*. Et ita affirmant * Eusebius, & apud ipsum Egesippus & Irenæus. idemque sentiunt Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Ambrosius & alij Patres citati hic à Christoph. à Castro, Iac. Rytero, & Ioanne Lorino.

(c) Retract. l. 2. c. 4.

* *Aug. l. 2. Doct. Christian cap. 8. & de Prædest. Sanct. c. 14. * Aug sup. & l. 17. de Ciuit. c. 20. S. Hieron. epist. 115. Driedo l. 1. de Dogmatibus. Genebr. l. 2. Chronol. anno 3850. Bellarm. de verb. Dei l. 1. c. 13. * Euseb l. 4. Eccles. hist. c. 22. Tertull. de Præscript. c. 7. & aduersus Valentin. c. 2. Cyprian. l. de Exhortat. martyr. c. 12. & de Singularit. Cleric. Lactant. l. 4. de Vera sap. c. 16. Ambr. l. de Paradiso c. 12. & l. de 42. mansionibus mansione 27.*

Diuiditur hic liber in tres partes. Prima, vsque ad cap. exhortatur ad zelum & amorem sapientiæ. Secunda, vsque ad cap. 10. explicat originem sapientiæ. Tertia, effectus & fructus sapientiæ. Porrò vt in Prouerbiis erudit priuatos homines præceptis ethicis; ita in hoc libro reges maximè & magistratus (d) instruit monitis politicis. ita Aureolus & Georgius Ederus, Lorinus & à Castro.

(d) Patres c. 1. v. 1. & c. 6. &c. Aureol. in Compend. Script. tab. 26. Ederus in cap. 1.

Versio libri Latina videtur fuisse antiquior S. Hieronymo, cùm sententiæ, quæ à Patribus supradictis longè Hieronymo antiquioribus ex hoc libro proferuntur, citentur ijsdem prorsus verbis quibus nos illas iam conscriptas habemus: Et Hieronymus hunc librum pro apocrypho habuerit, ac proinde manum ab illo verisimiliùs abstinuerit, vt & ab Ecclesiastico abstinuit. Vnde verosimile est, nostram quâ vtimur, esse antiquam versionem, quæ Italica dicebatur, & in vsu erat ante tempora S. Hieronymi.

CAPVT I.

INuitat Sapiens reges omnes & magistratus ad capessendam sapientiam, eamque, vt se illi sinceros ac simplices præstent auditores, cùm nihil sit quod magister sapientiæ Deus magis oderit quàm cor simulatum, os mendax & obmurmurans, & opera praua ac iniusta; quibus homines mortem, (quam Deus non fecit, neque iucundis sibi ipsi accersierunt.

℣.1. SENTITE DE DOMINO IN BONITATE] Hebraismus est, pro bene sentite de Deo, eiusque potentiâ, iustitiâ, misericordiâ, & omni prouidentiâ, ceterisque perfectionibus diuinis. Vult enim Salomon, nos recta iudicia de Deo concipere, non insanire cum atheis, non delirare cum Epicureis; quorum alteri Deum negant, alteri eum res humanas negligere somniant: nonnulli imbecillem, nec omnia scientem fingunt, quem vel falli vel frustrari posse arbitrantur. ita Nannius.

℣.3. VIRTVS, δύναμις, id est, potentia Dei, PROBATA, tentata & lacessita impiorum diffidentiâ vel infidelitate, CORRIPIT INSIPIENTES] reipsa illos puniens, & robur suum in illos exerens. vt apparuit in Pharaone, & tot alijs incredulis ac Deo rebellibus.

℣.5. SPIRITVS SANCTVS DISCIPLINÆ, id est, Spiritus Dei tradens instar magistri disciplinam seu institutionem sapientiæ, EFFVGIET FICTVM] Græcè, *id quod fictum est*, seu simulatum & dolosum in homine. q.d. Qui ad gymnasium sapientiæ accedit non simplici aut vero, sed ficto animo, tentandi potiùs quàm discendi vel proficiendi gratiâ, non instruetur ab hoc magistro sapientiæ Spiritu sancto.

ET CORRIPIETVR idem Spiritus sanctus, ἐλεγχθήσεται, id est, confutabitur, refelletur, indignè tractabitur, ac proinde fugabitur AB illa fictionis dolosa INIQVITATE in animam hominis SVPERVENIENTE. Loquitur more humano, sicut & Apostolus Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum.* — *Ephes. 4. v. 30.*

℣.6. NON LIBERABIT (græcè, *non habebit innocentem*, neque impunitum, non absoluet) MALEDICVM A LABIIS SVIS, id est maledicentem & detrahentem diuinæ bonitati, potentiæ vel sapientiæ. Quia etiam RENVM ILLIVS TESTIS EST, id est, intima quoque desideria & intentiones animi perspectas habet.

℣.7. HOC, QVOD CONTINET OMNIA, nempe Spiritus sanctus, qui per suam essentiam, præsentiam & potentiam diuinam ambit & conseruat omnes creaturas, etiam VOCIS cuiuscumque murmurantis, etsi tenuissimæ, SCIENTIAM, seu notitiam, HABET, quia etiam illa intra ambitum & complexum Spiritus sancti continetur. Hoc loco vtitur S. Augustinus & passim Theologi, ad probandum, Spiritum sanctum vbique esse, & per consequens Deum esse: & appropriant Spiritui sancto, quòd in ipso sint omnia, sicut Patri quòd ex ipso, & Filio quòd per ipsum. — *Augustin. epist. 57. ad Dardanum c. 5.*

℣.10. AVRIS ZELI, id est, zelosa, seu zelotypa, Dei, AVDIT OMNIA] nil præterit quod non auscultet, instar hominis suspiciosi, qui post caracta vel ostia latitans, auscultat an quid sinistri de se dicatur. Vnde

℣.11. SERMO OBSCVRVS, id est, in obscuro, in occulto, clàm prolatus, NON IBIT IN VACVVM] id est, non abibit vacuus à pœna. Græcè, *sermo clandestinus non abibit impunitus.* Est miosis; supplendum enim, sed multis onerabitur supplicijs & pœnis.

OS QVOD MENTITVR, nempe vel aduersus Deum, vel aduersus proximum suum (vt Græca insinuant) detrahendo, calumniando, maledicendo, vt præcessit, OCCIDIT ANIMAM mentientis. ita S. Augustinus. Vnde solùm colligi potest ex hoc loco, mendacium blasphemum vel pernicioſum, esse peccatum mortale. — *Augustin. l. de Mendacio c. 6. & l. de Natura & gratia c. 15.*

℣.12. NOLITE ZELARE, id est, cupidè affectare, MORTEM IN ERRORE VITÆ VESTRÆ] id est, per delicta malæ vitæ vestræ. q.d. Nolite ergo sic mentiri, vel aliquid agere iniurium Deo vel proximo vestro; quia sic accersitis vobis certam mortem: accersitis, inquam, non in actu signato, sed exercito, nempe peccando in Deum, & illum ad iram & ad punitionem prouocando.

℣.13. QVONIAM DEVS MORTEM NON FECIT] intendit enim vitam omnium perpetuam & felicem: nec nisi coactus sceleribus hominum, permisit mortem intrare in mundum.

℣.14. CREAVIT ENIM OMNIA, non vt interirent, sed VT ESSENT, & in suo esse constanter ac feliciter permanerent.

ET SANABILES FECIT NATIONES ORBIS] Græcè, *salutares*, seu salubres, fecit *generationes*, id est, primordia mundi, seu res natas vel genitas in mundo. q.d. Res omnes vt primùm natæ vel productæ sunt in mundo, fuerunt salutiferæ & salubres: tales enim Deus creauit. ita S. Hieronymus. — *Hier. in c. 1. Zachar.*

NON EST IN ILLIS à prima earum origine MEDICAMENTVM EXTERMINII] Græcè, *pharmacum exitiosum*, id est, venenum lethiferum, vt S. Hieronymus exponit. Non quòd initio mundi ante peccatum Adæ nullæ fuerint herbæ venenatæ, vel animalia noxia in actu primo, seu ex naturâ suâ, vt sensit aliquàdo S. Augustinus (sed mox reuocauit,) S. Basilius, Damascenus, Beda & Rabanus: sed quòd non nocuerint, neque nocitura fuissent in actu secundo, seu de facto, si homo in primæua iustitia perseuerasset. Nam propter dominium absolutum quod homo habebat in omnia animalia; & propter prudentiam ac dexteritatem, quâ norat noxia quæque discernere ac vitare; denique propter continuam assistentiam & protectionem Dei, fuisset perpetuò immunis ab omni re noxia, vt dixi Genes. 3. v. 14. ita S. Augustinus & S. Thomas & passim Scholastici. Sensus ergo est, neque mortem, neque quidquam mortiferum in actu secundo productum à Deo fuisse, sed solius hominis vitio in orbem inuectum esse. *Cuncta* enim *quæ fecerat Deus, erant valdè bona*; nec nisi post peccatum *maledicta* fuit *terra*, & *inimicitiæ* eruperunt *inter serpentem & hominem*, Genes. 3. — *Augustin. de Genesi cont. Man. c. 15. de Paradiso & lib. 5. Hexamer. Damasc. l. 2. Fidei c. 19. Beda & Raban. in Genes. 1. Augustin. de Genesi ad litteram c. 18. S. Thom. & Scholastici in 1. p. q. 69. a. 2. ad 2.*

NEC INFERORVM REGNVM fuit IN TERRA] Græcè, *nec Orci*, vel inferni, *regia*, seu palatium, fuit *super terram*. q.d. Deus non fuit causa quòd infernus & infernales dæmones habeant tam amplam potestatem & quasi regnum super terram: sed id fecit culpa hominum, qui suis sceleribus eos ex Orco, propria illorum arce, ad se euocarunt. Nam ex quo prævaricatus est Adam; Orcus & Orci incolæ dæmones suam regiam statuerunt in terra, & homines suæ subiecerunt potestati, à quâ alioquin erant immunes.

℣.15. IVSTITIA ENIM primæua, seu originalis, in quâ primi homines creati sunt à Deo, PERPETVA EST ET IMMORTALIS] tum naturâ suâ, & quantum

quantum ex se: tum effectu suo, quia perpetuæ & immortalis vitæ causa erat homini, nec permisisset possessorem suum venire sub imperium diaboli, vel mortis, vel inferni, nisi ille peccando se vltrò ipsorum potestati subiecisset.

CAPVT II.

Etiam alterum hominum genus, tamquam penitus inipium, repellit à sua disciplina sapientiæ magister, nempe qui opinentur omnia e[x] morte finiri, ac proinde studio sapientiæ despecto, soli voluptati indulgent, & iustum quemque sibi in eo aduersantem de medio tollunt. Non cogitantes, hominem à Deo creatum ad vitam immortalem, nec mortem nisi diaboli inuidiâ in mundum inuectam.

¶.1. NON EST REFRIGERIVM IN FINE HOMINIS] Græcè, *non est remedium*, medela, medicina *contra obitum*; seu mortem, quæ illam præpedire aut repellere possit. ita Iansenius & Osorius.

¶.2. EX NIHILO NATI SVMVS] Græcè, *temerè*, fortuitò & casu, sine cura vel prouidentia Dei, vt res de nihilo, vel nihili. Vox est blasphema Epicuri, Democriti & Chrysippi, eorumque sectatorum atheorum, vt & sequentes voces.

FLATVS IN NARIBVS NOSTRIS, id est, anhelitus noster, quem per nares attrahimus, non EST nisi FVMVS quidam qui dissipatus statim euanescit. Porrò per anhelitum, seu *flatum*, intelligunt ipsam animam, quæ fons est & principium anhelitus seu respirationis: & illam volunt interire vnà cum corpore, sicut in brutis contingit.

ET SERMO oris nostri, index vitæ nostræ, est veluti SCINTILLA, vel exhalatio calida, AD COMMOVENDVM COR] Græcè, *in motu cordis nostri*, id est, quæ permouet ipsum cor, & viuere declarat. Volunt *animam* hominis vel esse *aërem* seu flatum, vt Diogenes & Pythagorei postmodum asseruerunt; vel *igneam exhalationem*, putà naturalem calorem, vt Heraclitus: & statim à morte euanescere, vt fit in omni flatu & exhalatione. Vide Plutarchum & Aristotelem.

Plut. l. 4. de Placitis Philosophor. c. 3. Aristot. l. 1. de Anima c. 3.

¶.5. NON EST REVERSIO FINIS NOSTRI] Græcè, *non est repedatio*, seu pedum reuocatio, *à morte*, id est, nulli datur à mortis obitu pedem referre, & post finem viæ ad vitam reuerti.

QVONIAM CONSIGNATA EST sua cuique portio vitæ & mors, id est, certò definita, & ineuitabili sententia cuique præscripta sua meta. Sicut Hebr. 9. v. 27. dicitur, *statutum* esse omnibus *hominibus semel mori.*

¶.8. CORONEMVS NOS ROSIS] ad magis placendum mulierculis, inquit Carthusianus & à Castro: nam rosæ Veneri dicatæ erant, & amorem gratiamque conciliare putantur. Vide Aristophanem, Plinium, Athenæum & Rhodiginum. *Nullum pratum sit*, &c. omittunt Græci: sed habent omnes Latini.

Aristoph. in Auibus. Plin. l. 16. c. 1. & l. 21. c. 3. Athen. l. 15. Rhodig. l. 27. c. 16.

¶.11. LEX IVSTITIÆ nobis SIT, id est, iustum & æquum habeatur nobis, non quod lex aut ratio dictat, sed quidquid FORTITVDO NOSTRA, seu potentia valet. Liceat quidquid lubet, & *ius sit in armis*, vt Callicles apud Platonem.

Plat. in Gorgia.

QVOD ENIM INFIRMVM, seu imbecille, EST, INVTILE INVENITVR] quia imbecillitas patet maximis iniurijs. Fusiùs de his Iob 20. & 21.

¶.12. CIRCVMVENIAMVS ERGO IVSTVM] &c. Græcè *insidiemur ergo iusto, quia incommodus est*, imò noxius *nobis*, &c.

DIFFAMAT IN NOS (græcè, *cum infimia nostra diuulgat*) PECCATA DISCIPLINÆ NOSTRÆ] id est, scelera quæ ex vitæ nostræ consuetudine, quam suscepimus, proficiscuntur.

¶.13 PROMITTIT (græcè, *profitetur*) SE HABERE SCIENTIAM DEI, id est, veram Dei diuinarumque rerum cognitionem: nos verò in ignorantia & errore versari. ET FILIVM DEI SE NOMINAT] nos autem hostes & aduersarios Dei.

Nota, hæc & sequentia, non à solis Iudæis in solum Christum, vt aliqui putarunt, sed à quibusuis impijs in quosuis iustos promiscuè iactari, vt docent Chrysostomus, Ambrosius, Hugo, Liranus, Iansenius. præcipuè tamen quadrare in Iudæos impiorum coryphæos aduersus Christum iustorum omnium iustissimum ac sanctissimum. ita Tertullianus, Cyprianus, Cyrillus, Hieronymus, Auctor imperfecti, Augustinus, & ferè reliqui Patres. Et patet ex ipsismet verbis, si ea conferas cum verbis Iudæorum subsannantium Christum Matth. 27. v. 43. & c. 21. v. 42. &c. Simile habes Deuteron. 18. v. 18. *Prophetam suscitabo eis similem tui.*

Chrysost. hom. 1. de verbis Isaiæ. Ambros. l. 4. Offic. c. 6 & 7. Tertull. l. 3. adu. Marcion. c. 22. Cypr. l. 2. cont. Iudæos c. 14. Cyrill. in Isaia 58. & 59. Hieron. in Isaia 3. Auctor Imperf. hom. 43. Aug. l. 17 de Ciuit. c. 20.

¶.14. FACTVS EST NOBIS IN TRADVCTIONEM (εἰς ἔλεγχον, id est, *in redargutionem* turpitudinis) COGITATIONVM & omnium machinationum NOSTRARVM.

¶.17. TENTEMVS QVÆ VENTVRA SVNT ILLI] Græcè, *experiamur quæ in euentu eius* erunt, id est, videamus an euentus responsurus sit dictis eius; quòd scilicet, ope Patris sui cælestis eripietur è manibus aduersariorum. Exitus dicta probabit.

¶.19. CONTVMELIA ET TORMENTO INTERROGEMVS EVM; græcè, *torqueamus*. q.d. Ignominioso tormento, putà crucis, exploremus, sinceráne & constans futura sit necne, REVERENTIAM, ἐπιείκειαν, id est, modestiam, mansuetudinem, EIVS] Sic vsurpat hoc verbum Apostolus ad Philipp. 4. v. 5. Sequitur

¶.20. ERIT ENIM EI RESPECTVS; græcè *eius visitatio*, EX SERMONIBVS ILLIVS] id est, prout prædixit, visitabitur, respicietur & iuuabitur à Deo. Ironia est & sarcasmus, quo eodem insultarunt Iudæi Christo Matth. 27. v. 43. Sed hi

¶.22. NESCIERVNT SACRAMENTA] Græcè, *non cognouerunt mysteria Dei*, seu arcana consilia & iudicia, quibus subinde connuet, & permittit iustos potestati impiorum, vt illos ærumnis & tormentis excrucient. Et hoc insinuabat Christus Pilato Ioan. 19. v. 11. *Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper.*

NEC IVDICAVERVNT, id est, nec æstimarunt vt par erat, HONOREM ANIMARVM SANCTARVM] Græcè, *futurum præmium animarum inculpatarum.* Porrò causa tantæ cæcitatis est impijs, eò quòd non credant immortalitatem animarum: quæ tamen extra omne dubium est ratione vtentibus. Quin & quoad corpus

¶.23. DEVS CREAVIT HOMINEM INEXTERMINABILEM] id est, immortalem & qui non esset è vita exterminandus: nempe talis fuisset perpetuò si perstitisset in primæua iustitia. Græcè est, ἐπὶ ἀφθαρσίᾳ, id est, *in corruptione*, seu vt esset incorruptibilis, si vellet. Et hoc sensu vera est illa Senecæ & aliorum veterum sententia, *Mors homini pœna est, non natura.*

Sen. l. de Remedijs fortuitorum.

ET AD IMAGINEM SIMILITVDINIS SVÆ FECIT ILLVM] Græcè, *fecit illum imaginem propriæ proprietatis,*

prietatis, id est, vt esset imago naturæ diuinæ quæ A Deo est propria. Porrò *imago similitudinis* hebraismo significat imaginem valdè similem, seu simillimam. Quæ qualis in homine sit, & in quo propriè consistat, dixi Genes. 1. v. 26.

CAPVT III.

Explicat iustorum felicitatem, in quos frustra insanit truculenta impiorum sæuitia: nam licèt diuina permissione nonnihil hic exerceantur, & sic perimi videantur; tamen perpetuò viuunt Deo, è contrà impij, qui sibi omnia ex voto obuentura promittebant, & hic vitam agunt arumnosam, & in futuro arumnosissimam. Celebratur castitas; vituperatur adulterium.

✠.1. NON TANGET ILLOS TORMENTVM MORTIS] Græcè tantùm est, *cruciatus*: sed subintelligitur lethalis, qui iustos ad mentem impiorum interimat, scilicet non corpore solo, sed B & anima, vt vulgò iactabant. In quibusdam Latinis, & in Officio Ecclesiastico legitur, *tormentum malitiæ*, id est, afflictionis & cruciatus.

✠.2. ÆSTIMATA EST AFFLICTIO; græcè, *arumnæ*, EXITVS iustorum ex hac vita: id est, impij putarunt obitum iustorum esse admodum ærumnosum & miserum: ET ITER, seu abitum, illorum A NOBIS, dixerunt esse EXTERMINIVM] Græcè, *contritionem*, seu exitium, exulti mantes, illos penitus extingui & interire, cùm reuerà non sit ipsis nisi exitus è vita ærumnosa & mortali ad vitam felicem & immortalem. Quod & Cicero agnouit, cùm ait: *A malis mors abduxit, non à bonis: neque est interitus omnia tollens aut delens, sed quædam quasi migratio, commutatioq; vitæ, quæ in claris virtus & feminis dux in cælum solet esse.* Nam hîc

✠.5. IN PAVCIS VEXATI, istic IN MVLTIS BENE DISPONENTVR] id est, optimè habebuntur in altera vita; græcè, *exiguis castigati, multis* magnisque *beneficijs efficientur.*

✠.6. IN TEMPORE iudicij diuini ERIT RESPECTVS ILLORVM] Græcè, *visitatio*, vt c. 2. v. 20. & rursus hoc c. 3. v. 13.

✠.7. TAMQVAM SCINTILLÆ IN ARVNDINETO; græcè, *in stipula*, DISCVRRENT] id est, celerrimè, putà sicut scintillæ ex sicca stipula, vel ex arundineto arido emicant, & huc illuc summa celeritate discurrunt ac deuolant; nempe ita Sancti gloriæ suæ splendore emicabunt, & agilitate sua quocumque volent deuolabunt. Vbi è quatuor dotibus corporis glorioſi, duas, nempe *claritatem & agilitatem*, perspicuè designari vides.

✠.8. IVDICABVNT NATIONES, id est, redarguent & condemnabunt non solo verbo, sed & D exemplo suo, dum palàm facient toti orbi, impios stultè egisse, quòd suo exemplo noluerint sectari iustitiam, per quam consequerentur similem felicitatem æternam. Sic item DOMINABVNTVR POPVLIS, cùm nempe prostratis impijs, ipsi soli regnabunt & principes agent. ET REGNABIT DOMINVS ILLORVM; græcè, *in eis*, IN PERPETVVM] q.d. Non erunt ampliùs in potestate vllorum tyrannorum, sed solus Deus rex illorum erit; quod ad cumulum felicitatis sinè quàm plurimum addit. ita S. Cyprianus & Clemens Alexandr. Sed Athanasius, Gregorius & alij Patres prædicta omnia etiam iustis in hac vita attribuunt. Quod etiam certissimum est, & in Machabæis, alijsque innumeris experientiâ patuit.

Cyprian. epist. 81. & l. de Exhortatione martyrum c. 12. Clem. l. 4. Strom. c. 6. Athan. l. de Fuga sua. Greg. l. 33. Moral. c. 3.

✠.9. Et hanc VERITATEM ipsa INTELLIGENT atque experientur, QVI CONFIDVNT IN DEO, & ex constanti fiducia colunt Deum, vt decet, ET FIDELES IN DILECTIONE ACQVIESCENT ILLI] id est, adhærebunt, & tamquam amici continuò in eius obedientia & seruitio persæuerabunt.

QVONIAM DONVM; græcè, *gratia & misericordia erga sanctos eius*, quà roborantur & stabiliuntur. Vndè PAX illis perpetua, & quies animi; græcè, *visitatio*, quâ nouis semper gratijs cumulantur à Deo.

✠.13. MALEDICTA verò impiorum CREATVRA, græcè, *generatio*, seu progenies, *execrabilis* est, vtpotè ex adulterio vel fornicatione procreata. Quorum respectu, quàm FELIX EST STERILIS & infœcunda! quæ maluit orbata manere filijs carnalibus, quàm sordida impiorum ganeonum commixtione *coinquinari*, aut *scire* THORVM IN DELICTO. ὕπνον πεῖπεν, pro *nosse delictum in thoro*, id est, admittere concubitum flagitiosum. Nam licèt careat *fructu carnali*, tamèn non carebit *fructu spirituali*: nam IN RESPECTIONE; græcè, *visitatione*, ANIMARVM SANCTARVM] quando Deus causam singularum in iudicio cognoscet, habebit Primò, præmium fortis constantiæ; Secundò, aureolam castitatis; Tertiò, *nomen sempiternum & melius à filijs & filiabus, quod non peribit*, vt ait Isaias cap. 56. v. 5. ita S. Hieronymus, Cyrillus & Augustinus. Neque tamen solis fœminis id obtinget felicitatis, sed & masculis, si casti fuerint. Nam

Hieron. in Isa. 56. v. 5. Cyrill. ibid. August. de Virgin. c. 25.

✠.14. ET SPADO, seu eunuchus, QVI nec opere, nec cogitatu seu desiderio sese inquinarit eiusmodi sordibus, maximè si se sponte castrarit propter regnum cælorum, voto vel firmo proposito perpetuæ continentiæ; accipiet ELECTVM profectò C seu insigne FIDEI DONVM, id est, fidelitatis suæ præmium. qua significatione etiam S. Paulus *fidem* vsurpat cùm ait, *Fidem seruaui.* Sed quod erit hoc spadonis præmium? SORS IN TEMPLO DEI ACCEPTISSIMA, id est, munus & portio inter sacrorum ministros optima, iucundissima, ipsisque gratissima. Alludit ad Deuteron. 23. vbi spadones arcentur ab *Ecclesia Dei*. q.d. Etsi naturales, seu carnales spadones excludantur ab Ecclesia, tamen spirituales illi vel metaphorici spadones ab ea non excludentur, quin potiùs primum in ea & præcipuum locum tenebunt, ad nobilissima ipsius munia adhibebuntur, & fructibus eius optimis perfruentur, nempe *radice* SAPIENTIÆ, id est, sapientia cælesti firmiter in ijs radicata & infixa, QVÆ NON CONCIDAT, nec vnquam depereat aut emarcescat. Castis enim liberalissimè communicatur gratia orationis, meditationis, contemplationis & reliqua sapientiæ cælestis fercula, quibus longè suauiùs deliciantur, quàm coniugati omnibus coniugij sui bonis. Porrò quàm ad amussim hæc omnia quadrent in spadones Euangelicos, putà clericos & Religioſos, neminem credo latere. Vti nec istud, cælibatus laudes & consilium etiam in veteri testamento probè nota fuisse. Nam licèt hæc propheticè de nouo testamento exponi possint, non potest tamen vetus excludi, cùm Salomon in genere loquatur de omnibus, etiam sui æui spadonibus: & idem comprobet Isaias c. 56. v. 3. ita S. Ambrosius & alij iam citati Patres.

Matth. 19. v. 12. 1. ad Tim. 4. v. 7.

Ambr. l. de Noë & area c. 4.

✠.16. FILII AVTEM ADVLTERORVM IN INCONSVMMATIONE ERVNT] id est, inconsummati & imperfecti, neque vnquam excrescent ad perfectionem seu ætatis, seu virtutis, seu sapientiæ, seu felicitatis; nempe quæ obtinget pijs spadonibus.

✠.18.

℣.18. NON HABEBVNT SPEM] Id est, speratam à pijs salutem seu in hac, seu in futura vita numquam obtinebunt.

NEC ALLOCVTIONEM; nempe ad cor, id est, consolationem, vt habent Græca, reperient IN DIE AGNITIONIS] id est, in die iudicij, quando causa cuiusque excutietur, cognoscetur, diiudicabitur, & palàm agnoscetur ab vniuerso mundo.

℣.19. NATIONIS ENIM, seu generationis, INIQVÆ DIRÆ SVNT CONSVMMATIONES] Græcè, *diri exitus*: nempe *inferi, tenebræ & pœnæ* æternæ, vt est Ecclesiast. 21. v. 11. & exemplis probant Rhodiginus, Alexander ab Alexandro, & Theatrum vitæ humanæ.

Rhod. l. 10. c. 6. & l. 21. c. 48. & l. 27. c. 4. Alex. l. 4. c. 1. Theatrum vol. 18. l. 5.

CAPVT IV.

Confert iustos calibet sapientiæ studiosos cum adultera prole quæ sapientiam contemnit: nam illi siue diu vixerint, prosperè agent; siue celeriùs decesserint, hoc fiet singulari Dei munere, ne à virtute deflectant, sed præmio digno potiantur. At impiorum vita neque diuturna, neque felix est, sed multis septa calamitatibus: mors quoque inhonorata, & post mortem cruciatus æterni.

℣.1. O QVAM PVLCRA EST CASTA GENERATIO; ἀτεκνία, id est, liberis carens, CVM CLARITATE!] Græcè, *cum virtute*, seu splendore virtutum.

℣.2. CVM PRÆSENS EST, &c. Explicat quâ ratione castitas, seu casta generatio, nota sit, id est, probetur (nam sermo hîc est de notitia approbationis,) etiam apud homines, saltem non impudicos. quia *præsentem* mirantur, suspiciunt, *imitari* conantur. CVM SE EDVXERIT è vita, vel ex oculis, id est, absentem DESIDERANT & requirunt. ET IN PERPETVVM, in omnem æternitatem, victrix CORONATA TRIVMPHAT, adipiscens insigne & multiplex PRÆMIVM INCOINQVINATORVM, seu incontaminatorum, CERTAMINVM] id est, agonum & prœliorum periculosissimorum castitatis, è quibus tamen ipsa prorsus incontaminata & illæsa erupit. ita ferè S. Cyprianus, & Petrus Faber, qui ex varijs auctoribus & multis exemplis docet, vsitatum fuisse etiam Gentilibus, coronas castitati decernere.

Cyprian. vel quicumque auctor est l. de Singularitate Clericorum. Faber l. 2. Agnosticon. c. 12. & l. 3. cap. 4.

℣.3. SPVRIA VITVLAMINA] Græcè, μοσχεύματα, id est, propagines, seu noui surculi ex arbore præcisi & in terra plantati, qui latinè *stolones* vocantur. Sed quia verbum Græcum videtur deduci à μόσχος, quod *vitulum* significat, voluit non ineptè noster Interpres à stolida vituli vitulatione *stolones* illos, seu stolidas plantas, *vitulamina* transferre, propter analogiam inter propagines, bestiarum, plantarum & hominum. Sic S. Ambrosius apud S. Bonauenturam dixit *nobilia vitulamina*, pro eo quod nos diceremus, *nobiles plantationes*, vt videre est apud Franciscum Lucam. Et simili analogia dicuntur latinè homines *vitulari*, cùm saltitant more vitulorum.

Franc. Lucas in Notationib. ad hunc locum.

℣.6. EX INIQVIS SOMNIS, id est, ex illegitimo concubitu, qui solet fieri noctu, quando passim somno indulgetur, prognati filij, IN INTERROGATIONE, seu inquisitione, SVA, id est, cùm quæstio de ipsis habebitur, & vitæ actæ ratio poscetur; tunc TESTES erunt NEQVITIÆ, seu prauitatis à parentibus patratæ: nam producentur in testimonium illegitimi concubitus, & improbæ vitæ parentum suorum.

℣.7. IVSTVS AVTEM SI MORTE immatura A PRÆOCCVPATVS, seu decerptus, FVERIT, IN REFRIGERIO ERIT] Græcè, *in quiete*: quia molestijs & periculis huius vitæ subtractus, futuræ vitæ bonis cumulabitur. Et hoc primum est, in quo mors iustorum, licèt præmatura, superat mortem impiorum, quòd mox suauissimâ beatæ vitæ quiete fruantur. Addit Carthusianus, etiam in Purgatorio esse refrigerium, propter certitudinem salutis, suffragia viuorum, & consolationes angelorum.

℣.8. SENECTVS ENIM HONORABILIS, seu honorata, & quæ omnibus in voto esse solet, NON EST illa DIVTVRNA, id est, multæ & prouectæ ætatis, NEQVE ANNORVM NVMERO COMPVTATA, seu definita; sed quæ prudentiâ, maturitate morum, & integritate vitæ est ornata. Quæ si etiam in adolescentibus reperiantur, senes meritò appellandi sunt, vt videre fuit in Samuele, Dauide, Salomone, Ieremia, Tobia, Daniele, &c. Sin absint etiam à B prouectis ætate, non *senes*, sed *pueri* habentur, etsi *centum* fuerint *annorum*. Hoc secundum est, quo impij à iustis superantur. *Isaiæ 65. v. 20.*

CANI enim SVNT talibus si non capilli, certè SENSVS; græcè, *prudentia*. Indigni enim *senum* vocabulo imprudentes, inexperti, indocti, immoderati. sed tales Plato *pueros* nominabat. Romani quoque *Plato in Tim.* *sapientum* concilium, siue iuuenes essent, siue ætate prouecti; *senatum* vocari voluerunt, & Lacedæmonij γερουσίαν, & Christiani suos *presbyteros*, (a) non propter ætatem, sed propter *sapientiam*. *a Distinct. 88. c. Porrò ex Anacleto*

℣.10. PLACENS DEO, id est, qui & quia placuit sua virtute Deo, FACTVS EST DILECTVS] id est, carus ei factus est. Patet ex Græco. Alludit ad translationem Enoch Genes. 5. v. 24. Imò S. Ambrosius & Iansenius volunt hunc locum ad litteram exponi de Enoch. Sed Cyprianus & S. Augustinus & alij Patres id cuicumque iusto, præmatura morte subtracto adaptant. *Ambr. orat. de Obitu fratris. & super psal. 40. & 45. Cypr. l. de Mortalitate. c. 8. August. l. de Prædestinat Sanct. c. 14.*

C

℣.11. NE MALITIA; græcè, *prauitas*, seu hominum quibuscum viuebat, seu exemplorum quæ ob oculos versabantur, seu opinionum quibus imbui potuisset, CORRVMPERET INTELLECTVM, νοῦν, id est, mentem, EIVS: AVT NE FICTIO; græcè, *dolus*, fraus, DECIPERET ANIMAM ILLIVS] En alia, in quibus præcellunt iusti impijs, nempe singularem amorem, fauorem, & prouidentiam Dei, ne in peccata vel miserias æternas ruant, quarum alioqui præsenti periculo exponuntur.

℣.12. FASCINATIO ENIM NVGACITATIS; græcè, *fascinum improbitatis*, quod est in voluptate, & opinionibus prauis voluptuosorum, obscurat bona quæque & honesta, & ita fascinat mentem, vt peccati fœditatem & pœnas, virtutis pulchritudinem & præmia vel non videat, vel non æstimet.

D

ET INCONSTANTIA; græcè, *agitatio*, circumrotatio, CONCVPISCENTIÆ, seu cupiditatum & passionum internarum, TRANSVERTIT facilè hominis SENSVM etiam qui alioqui SINE MALITIA est.

℣.13. CONSVMMATVS, id est, completus & perfectus virtutibus, EXPLEVIT IN BREVI TEMPORA MVLTA] id est, compleuit mensuram prolixæ & perfectæ ætatis.

℣.14. POPVLI AVTEM, id est, vulgus, vel impij, VIDENTES quidem fuerunt celerem & citam talium è vita eductionem, sed NON INTELLIGENTES TALIA, vt sequitur, ex singulari Dei misericordia iustis obuenire.

℣.16. CONDEMNAT AVTEM IVSTVS MORTVVS

TVVS VIVOS IMPIOS] eo sensu quo dixi c.3.v.8. A Sed non intelligunt impij,

℣.17. QVARE MVNIERIT ILLVM DOMINVS, instruens omnibus necessarijs, vt tutus tectusque maneat ab omni malo; iuxta illud psalmi 90. *Non accedet ad te malum.* Hoc *munimen*, seu armaturam, describit Sapiens cap.seq.v.19. & Apostolus ad Ephes.6.v.14. Impios verò

℣.19. DISRVMPET INFLATOS, id est, superbos & tumidos, sicut vtres inflatos, Deus morte disrumpet, & faciet illos SINE VOCE] Græcè, *mutos*, vt loqui vel non possint, vel non audeant, præ confusione & conscientiâ scelerum.

℣.20. TRADVCENT EX ADVERSO] Græcè, coarguent, conuincent, palàm & ante omnium oculos increpabunt. q.d. Nil opus erit aliena accusatione vel testimonio vt impij conuincantur; ipsamet illorum flagitia, & propria conscientia erit B pro mille testibus. Simile habes ad Roman.2.v.15.

CAPVT V.

Vt pateat, quanto interuallo superent iusti impios in futura vita, inducuntur impij deflentes coram tribunali Dei, & etiam in inferno, statum suum miserum & infelicem: docetur quoque quàm seuerè Deus, seu per seipsum, seu per creaturas, in impios tunc temporis animaduersurus sit.

℣.1. LABORES] Id est, fructus laborum, seu res & bona, quæ sibi suo labore peperérunt. Agit enim maximè de iudicibus iniquis & tyrannis, expilatoribus iustorum. ita S. Augustinus, Bonauentura, Carthusianus & Liranus. *Aug.ep.50.*

℣.2. MIRABVNTVR IN SVBITATIONE INSPERATÆ SALVTIS] Græcè, stupebunt & in ecstasin rapientur propter inopinatam & inexspectatam salutem ac felicitatem quæ iustis subitò obuenit. C

℣.3. POENITENTIAM AGENTES] non seriam, nec veram, quæ sit actus virtutis; sed fictam & nimis seram, quam sola desperatio vel dolores vel tormenta exprimunt: vt videre fuit in *Antiocho*, (a) *in Cain*, (b) in *Esau*, (c) in *Epulone*, (d) in *Iuda* (e) proditore.

IN SIMILITVDINEM; græcè, *parabolam*, prouerbium, IMPROPERII] q.d. Cùm vellemus aliquem ludibrio habere, & probris, dicterijs, improperijs configere, dicebamus, Fias sicut ille, abstemius, luridus, sordidus. Simile habes psalmo 43. v.15. & alibi. (f)

℣.6. IVSTITIÆ LVMEN NON LVXIT NOBIS] Licèt enim radij cælestis solis, seu gratiæ diuinæ omnibus sufficienter exhibeantur, tamen im- D pijs excæcatis & obstinatis non lucent de facto, cùm illos corde suo excludant, aditum denegent, præpediantq; ne efficaciter penetrent. Vide Scholasticos Doctores in 1.2.q.110.111. & sequ. de gratia.

℣.7. AMBVLAVIMVS VIAS DIFFICILES] Græcè, *permeauimus solitudines inaccessas*. Et verò tales meritò dicuntur *viæ iniquitatis*, quia desertæ à Deo, ab angelis, ab omni bono; quia virtutibus vacuæ & inaccessæ, à dæmonibus infestæ, quia tenebrosæ, quia inuolutæ, quia mille periculis, mille molestijs refertæ, quia à salute remotissimæ, quia ad æternam desolationem & perditionem deducentes.

℣.13. CONTINVO DESIVIMVS ESSE] Græcè (omisso *continuò*) solùm est *defecimus*. Sic S. Augustinus, sic Seneca, sic Plutarchus fusè docent, totum vitæ nostræ tempus cursum esse continuum ad mortem, à prima horâ quâ nascimur, vsque ad extremam quâ viuere desinimus.

CONSVMPTI SVMVS] Græcè, sumptu & impendio exhausti fuimus. Versus 14. in Græco non reperitur.

℣.16. COGITATIO iustorum est APVD ALTISSIMVM] *Cogitatio* passiuè hîc accipitur: nam græcè est φρόντισις, id est, cura, solicitudo, seu cogitatio prouidendi ipsis, eosque tuendi. ita Cantacuzenus, Osorius & Vatablus.

℣.17. IDEO ACCIPIENT REGNVM DECORIS, id est, regnum ornatissimum, pulcherrimum, maximeque decorum: ET DIADEMA SPECIEI, seu coronam speciosissimam. Diadema enim vitta erat vel fascia qua capitis tempora circumligabantur, quæ hebraicè *tsaniph*, græcè κίδαρις vel στέφανος, latinè *corona* vel *tiara* vocatur: & est insigne regni, victoriæ ac triumphi. Iusti autem & victores & triumphatores & reges erunt glorioßissimi. Vide Iosephum Stephanum, Hieron. Pradum, Rhodigi- *Ioseph.Stephan. in 1.Machab.1. & de Coron.Pontific. Pradus in Ezechiel.21. Rhodig.l.16. c.10. & l.24 c.6. Alex. l.1. c.28. & l.4. c.17. Brisson.l.1. de Regno Persar. Gyrald. Syntag.17.* נזר
num, Alexandrũ ab Alexandro, Brissonium & Gyraldum de inuentione, forma & vsu diadematis.

℣.19. INDVET Deus PRO THORACE IVSTITIAM] Deo enim loco armorum virtutes suæ sunt, vt etiam habet Isaias cap. 59. vers. 17. & Apostolus Ephes.6.v.14.

PRO GALEA IVDICIVM CERTVM] Græcè, *sincerum*, non fictum, sed plenum æquitatis. q.d. Non erit hypocrita, neque histrio, seu ficta persona: non etiam dissimulabit, aut sibi imponi patietur, sed verè & seuerè iudicabit.

℣.21. PVGNABIT CVM ILLO ORBIS vniuersus. Hic erit exercitus Dei & copiæ militares, nempe creaturæ omnes, quæ tum in impios exsurgent vlturæ suas & Domini sui iniurias: siquidem impij creaturis abutuntur ad suas voluptates contra Domini voluntatem.

℣.22. IBVNT DIRECTE EMISSIONES FVLGVRVM, id est, fulgura directè emissa & contorta, quæ nusquam aberrent; & hæc fulgura è NVBIBVS EXTERMINABVNTVR, id est, emittentur & expellentur TAMQVAM A BENE CVRVATO ARCV, id est, fortiter adducto & vehementer inflexo, quò possit maiore vi torquere & ferire. ET AD CERTVM LOCVM INSILIENT] Græcè, *ad scopum*, nempe à Deo propositum. Sic videmus fulgure absumi ensem intactâ vaginâ; liquari æs illæsâ crumenâ; exanimari fœtum absque noxa matris; ossa comminui carne non tacta; ouum absumi, vinum exhauriri, integro putamine & dolio. Sic in Ægypto plagæ *Exod.9.&c.* feriebant Ægyptios illæsis Israëlitis.

℣.23. A PETROSA IRA; græcè, *ab ira petras* seu lapides *iaciente* (alludit ad *catapultas*, seu balistas & tormenta bellica,) MITTENTVR, seu vibrabuntur, GRANDINES PLENÆ, id est, solidæ, ponderosæ, magnæ, *sicut talentum*, vt est Apocal.16.v.21. *Proleg. de Ponder.*

EXCANDESCET (græcè, *exardescet*, efferuescet, intumescet) AQVA MARIS] vt fit in æstu illius extraordinario.

ET FLVMINA CONCVRRENT DVRITER] Græcè, inundabunt præcipitanter, quasi quoddam diluuium disruptis violentè aggeribus, superfundentur agris.

℣.24. SPIRITVS VIRTVTIS; græcè, *potentiæ*, id est, ventus vehemens, AD EREMVM PERDVCET; græcè, *desolabit*, OMNEM TERRAM, id est, ad solitudinem & desolationem rediget omnem regionem. q.d. Origo malorum & pœnarum omnium est

INIQVI-

a 2.Mach.9. v.13.
b Gen.4.13.
c ad Hebraos 12.v.17.
d Luca 16. v.23.
e Matth.27. v.3.&c.
f Iob 17. v.6.& c.30. v.9. Psal.68. v.12. Ezechielis 16.v.44. & Deut.28. v.37.
Aug.l.13.de Ciuit.c.10. & 11. Senec ep.24. Plut. Opusc. de ii Delphis.

INIQVITAS ET MALIGNITAS impiorum. Agitur enim hic de pœnis & malis quibus impij inuoluentur tum ante, tum post iudicium vniuersale; id est, tum tempore Antichristi, tum tempore conflagrationis & euersionis mundi, terra sub pedibus impiorum dehiscente, & mari è suis alueis vndique, vt terram obruat & inuoluat erumpente. Vide Liranum, Hugonem & Carthusianum. Et patet ex Apocalypsi passim.

CAPVT VI.

Cum iam sat constet, sapientiæ discipulos, id est, iustos, longo internallo præcellere contemptoribus sapientiæ, id est impijs; pergit hortari principes ac magistratus, vt sapientiam amplectantur, quò recte suo munere fungi, & regnum suum stabilire possint, alioqui Deum severum iudicem ac vindicem experturos: dein promittit se viam ostensurum, quâ sapientiam assequantur.

¶.1. MELIOR EST SAPIENTIA QVAM VIRES; seu naturales, seu militares. Hoc primum & ante omnia regibus inculcandum. Hic versus in Græco non reperitur: sed habent illum etiam Vatablus, Pagninus, Hugo, Liranus & Dionysius. videturque desumptus ex Prouerb. 16. v. 32. & Ecclesiastæ 9. vers. 18. Vos verò audite me,

¶. 3. QVI CONTINETIS MVLTITVDINES; græcè, *qui imperatis multitudini*. ET PLACETIS VOBIS IN TVRBIS: græcè, gloriamini multitudine, *nationum* vobis subiectarum. Sed stultè gloriamini, quia non vestro marte aut virtute adepti estis imperium, sed

¶. 4. VIRTVS; græcè, *potestas*, omnis A DOMINO VOBIS DATA EST, QVI iure suo INTERROGABIT, id est, examinabit; græcè, *inquiret* instar iudicis in omnia OPERA VESTRA ET COGITATIONES, græcè, *consilia*. Hoc fræno continentur in officio principes & magistratus, dum cogitant, etiam sibi reddendam de omnibus rationem suprem) iudici Deo. Qui

¶. 8. NON SVBSTRAHET PERSONAM CVIVSQVAM, supple debitæ vindictæ vel pœnæ; græcè, *non habebit rationem, personæ qui est omnium Dominus*: non cedet personæ cuiusquam, nempe timore vel metu illius, vt sequitur, quia AEQVALITER; græcè, *pariter*, similiter, CVRA EST ILLI DE OMNIBVS] id est, cunctis hominibus, nullo excepto, prospicit Deus de debito cuique præmio vel pœna. Opponit enim hanc *æqualem* prouidentiæ diuinæ *curam*, *acceptioni personarum*, de qua in priore parte versiculi. Non ergo negatur hîc, quòd Deus magis amet & curet iustos, quàm impios, vt somniabant Pelagiani; vel pro varijs hominum conditionibus & statibus varia designet auxilia naturalia vel supernaturalia, vt volebant Cassianus, & Faustus, & alij Semipelagiani, quos optimè refutant S. Augustinus, Hilarius, Prosper & Concilium Arausicanum. Solùm enim dicit Sapiens, nullum omnino hominum subtrahi à prouidentia & cura diuina, debitaque retributione seu præmiorum, seu pœnarum, vt iam dixi: & patet ex sequenti.

¶. 9. FORTIORIBVS, seu potentioribus, FORTIOR INSTAT CRVCIATIO] Græcè, *scrutatio*, inquisitio, & secundùm meritum ac mensuram repertorum criminum seuerior sequitur sententia, & amplior pœna, seu cruciatio. Sic v. 7. dixerat: *Potentes potenter tormenta patientur*: vbi etiam in Græco est, *examinabuntur*: sed Latinus pœnam expressit, quæ examen consequitur.

¶. 10. NON EXCIDATIS] supple, regno vel statu A veltro, vel etiam iustitia, seu, vt Dauid ait, *Ne pereatis de via iusta*.

¶ 11. QVI DIDICERINT ISTA, & probè calluerint, nempe *iustitiam* ac *sanctitatem*, INVENIENT QVID RESPONDEANT] Græcè, *habebunt apologiam* seu defensionem, qua tum in rebus aduersis, tum in iudicio diuino se tueantur; vbi impij prorsus obmutescent.

¶ 12. HABEBITIS DISCIPLINAM] Græcè, *eruditemini*. *Disciplina* vox vsitatissima scriptoribus Ecclesiasticis, designat *aptam in omni vita rationem ex virtute agendam*. extant de ea tractatus S. Augustini, Hugonis Victorini, & quorumdam aliorum. denominatur à *discendo*, & respectum inuoluit ad docentem. Et quia discipulus sæpè seu ob leuitatem, seu ob negligentiam, non addiscit magistri doctrinam nisi verberibus compulsus, inde fit, vt *castigatio* subinde *disciplina* appelletur. Sic Isaiæ 53. vers. 5. super Christum incubuisse dicitur *disciplina pacis nostræ*, id est, castigatio, qua nobis pax cum Deo conciliaretur, inquit S. Hieronymus.

¶. 16. COGITARE DE ILLA adipiscenda, & sollicitè id curare, SENSVS EST CONSVMMATVS] Græcè, *sapientia perfectio est*. Vide hæc fusiùs exposita in Prouerbijs c. 1. 2 & seqq.

¶. 17. IN VIIS, id est, passim, & quocumque homines diuertunt, OSTENDIT SE, seu ingerit se cogitationibus & consilijs eorum: ET IN OMNI PROVIDENTIA] id est, ad quoduis negotium seu disponendum, seu suscipiendum, menti illorum præstò adest.

¶. 19. DILECTIO, scilicet sapientiæ, vel Dei opt. max. effectus est *cura*, seu obseruationis, DISCIPLINÆ. charitas verò obseruationem diuinæ legis causat: hæc obseruatio CONSVMMATIONEM INCORRVPTIONIS, seu integritatis, causat tum animi, tum corporis; vel, vt aliqui legunt græcè, *corroborationem immortalitatis*, quæ est incorruptio æterna & perfecta, cuius illa altera semen & typus est.

¶. 20. INCORRVPTIO AVTEM FACIT ESSE PROXIMVM DEO] id est, proximè accedere ad Deum, illique simillimum esse, tum in anima per sanctitatem, tum in corpore per continentiam & integritatem. Quod & Plinius agnouit, cùm ait: *Nil præstabilius, nil pulchrius, nil dijs similius, quàm castum & sanctum principem*. *Plin. in Panegyr. Traian.*

¶. 21. REGNVM PERPETVVM (sed hoc epitheton omittunt Græci,) vocat regnum stabile incorruptibile, inamissible; quo quis sapientiâ & sanctitate iunctus Deo, perpetuò imperat tum in hac vita, tum in futura. *Neque enim aureum sceptrum*, aiebat Cyrus Cambysi, *regnum conseruat, sed amici fideles*, & præ omnibus amica & fidelis sapientia. Reliqua explicui in Prouerbijs. *Xenoph. l. 8. de Institut. Cyri.*

CAPVT VII.

Vt promiserat, exponit quis sit ortus sapientiæ, & qua ratione reperiri possit. Incboat verò à suomet exemplo, qui cùm esset eadem cum reliquis mortalibus conditione in lucem editus, nimirum fragili, misera & abiecta; tamen ad summum sapientiæ, & per hanc ad felicitatis fastigium est euectus, eò quòd sapientiæ studium omnibus antepoluerit, & præ omnibus illam à Deo expetierit: vnde nemini desperandum, quin & illam possit adipisci, si voluerit eisdem vijs eidem quærendæ & adipiscendæ insistere.

¶. 1. EX GENERE TERRENI] seu de terra formati Adami; græce, *protoplasti*.

℣.2. DECEM MENSIVM TEMPORE] Licet enim aliqui nascantur 7.8.9.10.vel 11.mense, vt ex varijs auctoribus, plurimis exemplis docent Tiraquellus, Menochius, & Digesta Iuris: quia tamen optimi & perfectissimi nascẽdi fines sunt 9.menses solares, seu 10.lunares inchoati (de quibus vide nostrum Chronicon c.4.) & hic sit maximè naturalis & communis terminus; idcircò huius solius hic meminit Salomon cùm de suo natali mentionem inducit. Sic 2.Machab.7.v.27. mater Machabæorum dicit se nouem *mensibus filium vtero gestasse*. nempe solaribus, qui conficiunt totidem menses lunares, & insuper totidem dies.

Tiraquell. C.de reuoc. donat.l. Si vinquam. *Menoch 2. de Arbi. Iudic. casu 89. num.36. l* Interest *§. vlt ff.de suis & legit.*

EX DILECTAMENTO SOMNI CONVENIENTE, id est, ex actu delectabili concubitus, qui conuenit seu concurrere solet cum nocte & tempore somnum consequente. De quo vide Celsum & Macrobium.

Celsus l.1. c.1. Macrob. 1. in Somnium Scipion. c.11.

℣.3. IN SIMILITER FACTAM TERRAM] Græcè, similiter affectam, seu ijsdem passionibus, incommodis, miserijs obnoxiam vitam, quæ in terra transigitur.

℣.10. SVPER SALVTEM ET SPECIEM DILEXI sapientiam, id est, præ bona valetudine, & pulchritudine, q.d. Non solis fortunæ, sed & corporis bonis omnibus anteposui sapientiam. Similia habet Prouerb.3.v.14.& Iob 28.v.15.

ET PROPOSVI PRO LVCE HABERE ILLAM; Vatablus vertit, *præoptaui* & prædelegi *eam luci*, scilicet corporeæ solis, vel propriorum oculorum, Quia corporea quæuis lux adimi homini potest, subtracto sole & face, oculis erutis, &c. Sapientiæ VERÒ LVMEN EST INEXTINGVIBILE] quia præsto semper est, & quantum ex se est suos radios continuò eiaculatur, nec inuito homini subtrahi potest per vllam creaturam; græcè, *eius splendor supprimi non potest*.

B

C

℣.11. INNVMERABILIS HONESTAS] Græcè, *opulentiæ*, diuitiæ. Ita passim (a) hoc vsurpatur in Scripturis, Vnde & cap.10.v.10. *honestare* idem est quòd *diuitem facere*: consuetudine Hebræorum, qui *donum honorarium* solent *honorem* vocitare.

a *Hic v.13. & cap.8. Eccli.11. v.18 & v.14.& 23.& Num.24. v.11.& 1.ad Tim.5. v.3.& 17. & Matth. 15. v.5. Muson. apud Stobæum. Greg.l.23. Moral.c.17.*

℣.15. MIHI DEDIT DEVS DICERE EX SENTENTIA] id est, sicut sentio, vel sicut cogitaram & animo destinaram, sine vmbris, sine fictione, sine ambagibus, palam, disertè, & sic vt auditori persuadeam: Qvi est finis *eloquentiæ*, virtutis verè regiæ, inquit Musonius. Cantacuzenus & S.Gregorius optatiuè legunt, *det mihi Deus dicere ex sententia*.

ET PRÆSVMERE mente; græcè, *præcogitare*, præconcipere ea quæ DIGNA sunt tantis *donis*, id est non leuia, non ludicra, non inutilia, sed grauia, seria, succi & fructus plena, & talia prorsus qualia decent dona à Deo data, & datorem eorum Deum. De duobus ergo sibi Salomon gratulatur, quæ oratori perneccssaria sunt, nempe de grauitate sententiarum præconceptarum, & de facundia in ijs quas mẽte præconceperat verbo explicandis.

D

℣.16. OPERVM; græcè, *opificorum*, SCIENTIA, ET DISCIPLINA, id est, artes. q.d. Omnes scientiæ & practicæ speculatiuæ, SVNT IN MANV Dei, & nobis obueniunt *de manu Dei*.

℣.20. IRAS BESTIARVM; græcè, *iracundos impetus* fratrum. ET COGITATIONES, non singulas singulorum HOMINVM, quæ naturaliter nec ab angelis ipsis cognoscuntur, vt docent Scholastici: sed vniuersim & in genere cogitationes, id est, *dialogismos* vt in Græco est, seu ratiocinationes & discursus hominum. Posset nihilominus cum Lorino nostro id etiam intelligi de particularibus cogitationibus vel propensionibus, quatenus coniecturali notitia per signa vel effecta sua dignosci possunt, à medicis & Physiognomicis, vt docet Aristoteles, & S.Thomas, & Antoninus, & ex his Vallesius, Wimpina, Delrius & alij.

Arist. de Physiognomia, &c. S.Tho.2.2. q.95.v.6. Antonin 2. part.tit.12. c.1.§.7. Fr.Valles de Sac.Philos. c.32. Conr. Wimpina de Signis c.8.9. &c. Delrius l.1. de Magia c.3. &c. Gilbertus l.1.de Magnete c.1. Conimbric. l.7.Physic. c.2.q.1. Ambr.l.de Incarnat. sacramento c.10. Aug.l.4. de Trin.c.20 a Initio 1. c.Prouerb.

℣.21. ET QVÆCVMQVE SVNT ABSCONSA ET IMPROVISA] putà virtutes occultas metallorum, lapidum, ceterorumque fossilium, v.g. quæ de magnete, succinis, remora & similibus tradi solent, inquit Liranus & Conimbricenses nostri. Nimis verò audacter scientiam magnetis Salomoni perspectam fuisse negat Gulielmus Gibertus medicus Anglus, nulla ratione sufficiente, quare id neget, in medium prolatâ. Porrò de amplitudine scientiæ Salomonis plura dixi 3.Reg.4.v.29.& seq.

℣.22. EST IN sapientia SPIRITVS INTELLIGENTIÆ, SANCTVS; græcè, *spiritus intelligens*: VNICVS: græcè, *vnigenitus*. Quod proprium videtur increatæ Sapientiæ, seu Filio in diuinis: cui iam incarnato S.Ambrosius, Augustinus, & alij veteres Patres hæc & sequentia encomia, contra Arianos appropriant. Sed, vt alibi (a) dixi, sapientia his in libris generaliter ferè sumitur, vt communis est creatæ & increatæ: quædam tamen magis propria sunt increatæ, quàm creatæ. v.g. OMNEM *habere* VIRTVTEM; græcè, *esse omnipotentem*: OMNES *capere* SPIRITVS; græcè, *permeare*, seu penetrare, *omnes spiritus*, putà angelicos & humanos, quia creauit omnes & conseruat in suo esse. Possunt tamen etiam hæc ipsa non incommodo sensu aptari quoque sapientiæ creatæ, si nempe dicatur omnia in rebus humanis posse, omnes indoles & propensiones penetrare, vt dixi v.20. S. Bonauentura, Cantacuzenus, Hugo, Liranus, Olcot, Carthusianus, & S.Ambrosius, hæc omnia ad litteram accipiunt de Spiritu sancto tertia in Trinitate persona. Cùm enim cum veteribus omnibus per *Sapientiam* intelligant *Filium*, & rectè, dicunt consequenter, in Filio esse, & à Filio procedere *Spiritum intelligentiæ, sanctum, vnicum*, &c. Aptando tamen hæc sapientiæ creatæ, dic hebraismũ esse, quo *spiritus* metaphoricè & metonymicè tribuitur cuiuis actioni & rei vitali. v.g. *spiritus lenitatis*, Galat.6.v.1. est ipsa *lenitas*; Ecclesiastici 15.v.5.& Isaiæ 11.vers. 2. *spiritus sapientiæ, spiritus consilij*, &c. est ipsa *sapientia consilium*, &c. Simili ergo modo hîc in *sapientia* dicitur esse *spiritus intelligentiæ*, id est, intelligentia indita & inspirata à Deo. ita S.Cyprianus, Hilarius & Augustinus.

Olcot lect. 91. Ambr.l.3. de Spiritu sancto c.19. Cypr. l.1. cont.Iudæos c.2. Hilar.in Matth.c.15 Aug.l.11. cont.Faustum.c.1.

℣.14. OMNIBVS MOBILIBVS; græcè, *omni motu*, MOBILIOR EST SAPIENTIA, non loci mutatione, sed actiuitate, efficacitate & celeritate, tum in productione rerum nouarum, tum in conseruatione omnium, inquit S. Augustinus (b) & Fulgentius.

b *Augustin. l.4.de Gen. ad litteram c.12. Fulgent.in Responsione ad 6.cont. Arianos.*

ATTINGIT AVTEM VBIQVE; græcè, permeat, penetrat per omnia, PROPTER SVAM MVNDITIAM, id est, propter abstractionem ab omni materiæ fæculentia, inquit S.Bonauentura: & omnis impotentiæ seu defectus impermixtionem, Liranus, Olcot, Carthusianus. Est enim actus purus: & inde fit, vt vbique sit, & omnia penetret, nec vllis finibus terminari, nullis sordibus inquinari possit, etsi Solis instar se rebus etiam sordidissimis inserat.

℣.25. VAPOR EST ENIM VIRTVTIS, seu potentiæ generatiuæ, DEI, ET EMANATIO CLARITATIS, seu luminis. q.d. Sapientia diuina seu Filius respectu Patris cælestis, est instar vaporis respectu

aquæ

aquæ vnde euaporat, id est, est Patri consubstantialis, & sine commistione corporum, sine corruptione, &c. Est item instar luminis respectu solis, id est, purus, sublimis, spiritualis, viuidus, vigorosus, perfectè productus, & tamen continuò adhuc à Patre procedens. Vide S. Dionysium, Augustinum & alios.

Dionys. de Div. nomin. l. 4. August. l. 1. de Incarnat. Verbi c. 13. Chrysost. in ad Hebræos 1. v. 3. Ambros. l. 1. de Fide c. 9. Aug. l. 4. de Trin. c. 20.

℣. 26. CANDOR EST ENIM LVCIS ÆTERNÆ] Græcè, *splendor*, siue exsplẽdescentia. Significat, vt Chrysostomus ait & Ambrosius & Augustinus, Christum esse *lumen de lumine*, splendorem de lucido Patre prodeuntem, sine mutatione, sine immunitione, sicut radius procedit à sole, & esse Patri coæternum atque ab eo inseparabilem. Et huc alludit Apostolus Hebr. 1. v. 3. *Splendor*, inquit, est *gloriæ & figura substantiæ eius.*

SPECVLVM DEI MAIESTATIS limpidissimum, quia Sapientia diuina palam nobis facit omnes perfectiones & ornamenta Patris, sicut speculum manifestat omnes conditiones, actus & motus eius qui illud intuetur. Idem dico de *imagine.*

℣. 27. CVM SIT VNA, simplex persona Filij, & in eadem cum Patre essentia, nec vmquam in plura distracta, tamen omnia producit, omnia regit, OMNIA POTEST: nam *multiplex est*, vt dixit v. 22. id est, ad omnia se extẽdit, utpotè infinitam vim & perfectionem in se continens. ET ipsa IN SE PERMANENS immota & immutata, tamen extra se OMNIA INNOVAT, noua semper producens: ET PER NATIONES, id est per singulas generationes per omne hominum genus, sine acceptione personarum, sine exceptione temporum, IN ANIMAS SANCTAS SE TRANSFERT, eas sanctificans, & ad amicitiam Dei promouens, omnibus omnia facta: ET PROPHETAS CONSTITVIT dono prædictionis illustres. sed sub hoc nomine etiam reliquas gratias gratis datas subintelligi vult. C

℣. 29. LVCE INVENITVR PRIOR] non solùm tempore, sed & dignitate. Quæ omnia Filio Dei applicata verissima sunt. Suo tamen modo etiam sapientiæ creatæ conueniunt, vt ante insinuaui.

CAPVT VIII.

Pergit in sapientiæ laudatione, ostendens bona omnia quæ expeti solent, illis connexa esse: simulque quanto in pretio & honore ipse illam habuerit, & omnes uerisimè habere debeant.

ATTINGIT: græcè, *pertingit*, A FINE VSQVE AD FINEM, id est, ab vno extremo ad aliud. S. Bernardus, *à summo cælo vsque ad infimas partes terræ: à summo angelo vsque ad infimum vermiculum: ab ortu creaturæ vsque ad finem* eiusdem *attingit*, inquam, omnia FORTITER, id est, firmiter, validè, constanter, D sua potentia mouens, corroborans, vegetans omnia; ET DISPONIT, id est, regit, administrat, applicat, OMNIA SVAVITER] Græcè, vtiliter, commodè fructuosè; adeò vt nulla res in toro vniuerso reperiatur, quæ suo officio non aptè fungatur, dum vnaquæque, quantumuis minima & contempta, fines sibi à natura & Deo præstitutos adipisci conatur. *Cum magna enim reuerentia disponit nos*, vt ait c. 12. v. 18. Porrò

Bernard. l. de Gratia & lib. arb. post med. & ser. de 7. dono Spiritus sancti.

℣. 3. GENEROSITATEM ILLIVS; græcè, *nobilitatem* eius, GLORIFICAT, id est, gloriosam & excellentem esse, vel ex hoc solo demonstrat, quòd CONTVBERNIVM *habeat* DEI] Græcè, *conuictum cum Deo*, seu intimam familiaritatem & conuersationem, qualis solet esse coniugum.

℣. 4. ELECTRIX OPERVM DEI] quia seligit ea quæ sunt præstanda, permittenda vel præscribenda. Vatablus vertit, *antistes operum Dei*, quòd præsit & administret omnia.

℣. 6. SI SENSVS (græcè, *industria*, nempe artificum) OPERATVR, seu conficit omnia: ergo & *sapientia* omnia conficit & operatur; nam industria promanat à sapientia, imò pars est & species sapientiæ.

℣. 7. LABORES HVIVS] scilicet sapientiæ, id est, res in quibus procreandis fouendisque maximè laborat sapientia, sunt hæ quatuor virtutes, *sobrietas, prudentia, iustitia & virtus*, seu fortitudo: quæ B sunt quasi species, vel, si malis, partes integrales iustitiæ, quæ generalis est virtus, & quasi ex his composita ac conflata. Has vocat *magnas virtutes, & quibus vtilius nihil est in vita*, seu in vsu operum humanorum, inquit Hugo. Agit enim hîc tantùm de vita hominum comparata ad homines, non ad Deum: quia quantum ad Deum, supponit iam benè dispositum hominem per *fidem, spem & charitatem*, quas sapientia secum deuehit, ait S. Bonauentura.

℣. 8. SI MVLTITVDINEM SCIENTIÆ; græcè, *si experientiam multarum rerum.* Sicut enim hactenus sapientiam diuitijs, artibus & virtutibus moralibus prætulit, vel potiùs eminenter ea omnia complecti docuit, sic nunc idem de rerum scientijs etiam experimentalibus affirmat. SCIT PRÆTERITA, & rerum gestarum historias. DE FVTVRIS ÆSTIMAT, ex præteritis coniectans de successu futurorum. ita Cantacuzenus & Iansenius. SCIT VERSVTIAS SERMONVM, id est acutas subtilesque sententias, ad institutionem vitæ morumve pertinentes, inquit idem Iansenius. Sed alij in deteriorem partem id sumunt, q. d. Deprehendit aliorum fraudulenta & fallacia verba, vt Christus Herodianorum Matth. 22. v. 18. SIGNA cælestia SCIT ET MONSTRA, seu portenta tum aërea, tum terrestria. Loquitur de eclipsibus, cometis & alijs meteoris, ac monstrosis creaturis, è quibus prudenter coniectat de futura peste, fame, sterilitate, terræmotu, & alia tempestate. Vide Delrium.

Delrius l. 4. Disquisit. Magic c. 2. q. 7. & l. 3. p. 2. q. 1.

℣. 9. ERIT ALLOCVTIO COGITATIONIS ET TÆDII MEI] Allocutio, nempe *ad cor*, id est, vt habetur græcè *consolatio*, seu cõsolatrix curarum mearum & molestiarum. Incredibile enim solatium ac voluptatem subministrat studium sapientiæ, vt mox subdit, & experientia docet, & plurimis exemplis confirmat Lorinus.

Lorin. hîc ad v. 16.

℣. 17. IMMORTALITAS EST IN COGNATIONE SAPIENTIÆ] Id est, qui cognationem vel affinitatem init cùm sapientia, id est, qui eam sibi in vxorem vel sponsam assumit, *immortalis*, euadit tum apud homines celebritate famæ, tum apud Deum felicitate æterna.

℣. 18. IN CERTAMINE LOQVELÆ ILLIVS] Græcè, in coërcitatione colloquij ipsius, id est, ex congressu colloquioque litterario cum sapientia acquisiui mihi prudentiam & sapientiam. ita Iansenius.

℣. 19. SORTITVS SVM ANIMAM BONAM] id est, bonæ indolis & in bonum propensam, inquit S. Augustinus & alij.

Augustin. l. 10. in Genes. cap. 18.

℣. 20 ET CVM ESSEM MAGIS BONVS, id est, cùm magis magisque per virtutum exercitium crescerem in bonitate, VENI AD CORPVS INCOINQVINATVM] id est, eò deueni vt etiam corpus mihi esset benè temperatum, mundum & castum, & cum anima mirificè congruens. ita Liranus & ferè

Latini. Græcè sic verti posset, *magis verò cùm essem bonus*, vel imò potius; vt sit correctio prioris; non verò accessio vel augmentum bonitatis. Ex quibus patet, nihil ex hac sententia hauriri posse quòd faueat errori Origenis, docentis, animas ante corpora præextitisse, has bonas, illas malas, & pro diuersitate meritorum sortiri diuersa corpora, vt videre est apud S. Augustinum: Et confirmatur, quia Salomon hîc supponit, se *puerum* fuisse *ingeniosum*; græcè *bene natum*, seu natura optima præditum; imò in virtute non parum profecisse; ac tum demum se eò deuenisse, vt corpus haberet mundum. nempe ad id opitulante tum indole innata, tum vigilantia & instructione pijssimorum parentum, & pædagogi sui Nathan Prophetæ. Vide Castrium & Lorinum. Qui etiam docent, hinc colligi non posse, sed neque probabilius esse, quod quidam Philosophi & Theologi (a) tradunt, animam vnam in se & secundùm se esse aliâ perfectiorem substantialiter, intra latitudinem tamen eiusdem speciei, per solas differentias indiuiduales. Nam diuersitas indolis & ingenij non arguit nisi organa seu instrumenta corporea melius aut deterius affecta. Et cur eiusmodi differentias indiuiduales potius in hominum animabus, quàm in equorum vel boum admittere cogemur? Et an etiam in vna eademque anima mea pro varia corporis mei dispositione nunc in hoc, nunc in illud magis propendente, nunc ingeniosè & industriè, nunc stupidè & absurdè circa vnum idemque genus rerum operante, admittendæ erunt istiusmodi differentiæ indiuiduales diuersæ? Vnde meritò Toletus, eiusmodi differentias non sine periculo asseri censet. Et Anastasius Sinaita, & Philippus Solitarius iam pridem eam sententiam refutarunt.

Ang sup. c. 7. 17. &c.

2. Reg. 12.

a Magister & Bonauentura in 2. dist. 31.

Tolet. l. 3. de Anima c. 5. textu 19. q. 18.

Anastasius apud Philip. Solitar. 4. Dioptra c. 2 &c

B

℣.21. NON POSSEM ESSE CONTINENS à venere, vino, ira, ceteriſque vitijs, inquit S. Augustinus (b) NISI DEVS DET, id est, sine gratia Dei. Sed græcè vertunt alij, *non possem voti cõpos fieri*, & adipisci sapientiam, nisi Deus mihi illam daret. Et sic alibi (c) in Scripturis verti solet. ἐγκρατὴς enim propriè significat qui habet dominium vel potestatem.

b Aug. l. 10. Confess. c. 29.

c Eccl. 6. v. 28. & hic c. 10. v. 2.

CAPVT IX.

Oratio Salomonis pro sapientia obtinenda, quæ vsque ad finem libri protenditur: hoc capite suam ingenuè fatetur imbecillitatem, neque se posse absque illa munijs sibi à Deo impositis ritè fungi. Iacobus Salianus & quidam alij dicunt eandem esse orationem hanc, cum ea quæ Salomoni tribuitur 3. Regum 3. v. 9. & seqq.

℣.4. DA MIHI SEDIVM TVARVM ASSISTRICEM SAPIENTIAM, *Assessor* in Iure vocatur Iurisperitus, qui iudicibus iunioribus & impetitioribus adiungi solet, vt eius admonitu rectam dicant sententiam. Sic orat Salomon, vt in hoc suo terreno tribunali, in quo iudex & rex à Deo constitutus erat, assistricem habeat sapientiam, quæ supremæ sedi ipsius assidet in cælo, & ipsissimus Deus est. ET NOLI ME REPROBARE A PVERIS, seu seruis, TVIS] id est, ne repudies, ne submoueas me à numero seruorum tuorum. Cùm enim nomine tuo & vice tui regnum hoc administrem, æquum est vt mihi, sicut & omnibus reliquis seruis tuis tibi subiectis, prouideas de rebus omnibus necessarijs ad seruitium suum ritè explendum. Simili prosopopœia psalmo 88. v. 15. dicuntur *iustitia & iudicium* assidere throno Dei. Et Poëtæ Θέμιν καὶ Δίκην fingebant assidere Ioui. & alia habes Prou. 1. v. 20. & Iob 28. v. 12.

C

℣.5. EGO verò SVM MINOR AD INTELLECTVM; græcè, *in intelligentijs*, IVDICII ET LEGVM] id est, imbecillior quàm vt iudicia & leges omnes possim intelligere quibus regem instructum esse oportet.

℣.8. TABERNACVLI, QVOD PRÆPARASTI AB INITIO egressus Hebræorum ex Ægypto præscribens Moysi formam eius constructi.

℣.9. ET TECVM præparauit SAPIENTIA TVA; QVÆ iam inde ab æterno NOVIT QVID DIRECTVM IN PRÆCEPTIS TVIS] id est, qua ratione præcepta tua possint & debeant rectè mandari executioni, & cum fructu compleri.

℣.11. SOBRIE Græcè, *moderatè*, discretè, iuxta præscriptum rectæ rationis, ne modum vel mensuram excedam. Alibi (d) vocat *semitam iustitiæ*, vel *semitam mandatorum Dei*.

d Psal. 11. v. 3. & Psal 118. v. 35.

℣.14. COGITATIONES ENIM MORTALIVM TIMIDÆ] Quia enim experimur, res cogitatas non semper pro voto & designatione succedere; hinc segniùs ac timidiùs decernimus, diutiusque deliberamus, nec audemus res arduas suscipere. Quod si locum habet in rebus terrenis, quantò magis in ijs quæ Dei sunt, & à diuino præcepto vel consilio dependent?

℣.15. CORPVS ENIM, QVOD CORRVMPITVR, AGGRAVAT ANIMAM; græcè, *crassam*, grauem; onerosam *reddit*: est enim illi instar ergastuli & ferreorum vinculorum, sub quibus etiam ipse Apostolus (e) gemebat. ET TERRENA INHABITATIO DEPRIMIT SENSVM MVLTA COGITANTEM] Græcè, terrenum habitaculum degrauat mentem multarum curarum plenam, vel multis curis distractam: nempe, non sinens illam liberè in diuinis & cum Deo versari, inquit Philo Carpathius.

e 2. Cor. 5. v. 4. & ad Rom 7. v. 24.

Carpathius in Cantic.

℣.18. SIC, nempe per sapientiam. CORRECTÆ SVNT SEMITÆ, id est, vita emendata est hominum & mores iuxta normam iustitiæ compositi. Eâdem, via DIDICERINT; græcè, *didicerunt*, QVÆ TIBI PLACENT & grata sunt, nempè vt secundum nutum & voluntatem tuam omnia vitæ suæ consilia operaque disponant. Hi sunt enim præclari effectus sapientiæ. Vt & ille

D

℣.19. quòd PER SAPIENTIAM SANATI SVNT homines; græcè, *conseruati*, seu saluati, salute non modò corporali, sed & spirituali. Christus enim æterna Patris Sapientia. Agnus est occisus ab origine (f) mundi, tollens omnia omnium hominum peccata (g), nec quisquam nisi per fidem (h) in Christum vnquam saluari potuit, vt docet S. Augustinus & alij Patres. Et Salomon plurimis mox exemplis initio sequ. cap. id demonstrat: sicut & Paulus c. 11. ad Hebr. de fide, quæ pars est sapientiæ, idem demonstrauit.

f Apoc. 13. v. 8.

g Ioan. 1. v. 29.

h 1. Tim. 2. v. 5.

Aug. 18. de Ciu. c. 47.

QVICVMQVE PLACVERVNT TIBI, &c.] in Græcis non reperiuntur.

CAPVT X.

Illustribus primorum Patriarcharum exemplis demonstrat omnes per sapientiam adeptos fuisse salutem, inchoãs à protoplasto Adamo, vsque ad Moysen, quo ductore Hebræi mare Rubrum, Ægyptijs in eo demersis, illæsi transierunt.

℣.1. HÆC Sapientia Adamum, CVM SOLVS ESSET, CREATVS in iustitia & cum gratia sanctificante vi eiusdem CVSTODIVIT in primæva innocentia, nempe quamdiu solus fuit, nec à consorte sollicitatus ad malum. Eodem tempore custodiuit eumdem ne vi vlla externa lædi posset, iuxta dicta Genes. 3. v. 7. & seqq. Item post admis-

Gen. 3. v. 7.

admissum peccatum *custodiuit* eumdem, ne mox interiret & moreretur, & ne in vlteriora scelera laberetur, atque ita in æternum periret. Quin &

Gen. 5. v. 5.

✠. 2. EDVXIT ILLVM; græcè, *exemit*, extulit, A DELICTO SVO] inspirando illi pœnitentiam & indulgendo veniam. Vnde contra Tatianum patet, de fide esse, peccatum ex esu pomi vetiti, remissum fuisse Adamo. Porrò nec in alia grauia peccata postmodum delapsum fuisse; sed asperam continuò pœnitentiam vnà cùm Eua egisse; atque ambos æterna salute donatos; communis est SS. Patrum (quos citant Castrius & Lorinus,) & totius Ecclesiæ consensus, vno excepto Ruperto, qui contrariæ

Rupert. l. 3. in Gen. c 31.

sententiæ vnius Tatiani hæretici videtur subscribere maluisse.

ET DEDIT ILLI VIRTVTEM CONTINENDI OMNIA] nempè dominio & imperio in omnia, & potestate gubernandi vniuersum. Nam etiam post lapsum penes hominem fuisse hoc dominium, patet tum aliundè, tum ex Genes. 9. vers. 1. vbi diserte id Deus affirmat.

Gen. 4. v. 8.

✠. 3. AB HAC sapientia simul ac RECESSIT INIVSTVS Cain IRA SVA & inuidia, PER IRAM HOMICIDII FRATERNI DEPERIIT] Græcè, *fratricidis furoribus perijt*. q. d. Eodem furore quo fratrem secundùm corpus occidit, etiam ipse secundùm animam perijt. Nempe, etiam hoc inter sapientiæ laudes referendum, quòd omnes qui eius præsidio sunt destituti, in scelera grauissima & in horrendas miserias labantur.

Gen. 7. v. 11. Ibid. v. 13.

✠. 4. PROPTER QVEM impium Cain, eiusque posteros eiusdem impietatis asseclas & imitatores & propagatores, CVM AQVA diluuij DELERET vniuersam TERRAM, vulnus penè lethale hoc cataclysmo illatum toti generi humano SANAVIT rursus SAPIENTIA, seruando Noëmum cum suis, velut semen noui mundi, IVSTVM in medijs vndis instar peritissimi nauarchi GVBERNANS PER LIGNVM arcæ CONTEMPTIBILE, seu quod passim ab impijs & incredulis contemnebatur: (a), vt S. Bonauentura & Liranus exponunt: seu, vt Lorinus cum Cantacuzeno, quod respectu munitissimarum vrbium & arcium reuera vile & contemptibile erat humano iudicio ad tantam illuuionem aquarum arcendam, quantam Noë Dei nomine palam comminabatur. ita SS. Ambros. Chrysost. & August.

(a) Simile v. 7. incredibilis pro incredula.

Ambros. de Arca & Noe c. 21. Chrysost. hom. 25 in Genes. Aug. serm. 45 de Tempore. c. 2. &c

✠. 5. CVM SENATIONES CONTVLISSENT, seu in vnum locum congregassent, ad ædificandam superbam turrim Babel, (tunc enim *confusæ* fuerunt *gentes*, vt hîc in Græco dicitur) Deus IVSIVM Heber SCIVIT, id est, paterna cura prosecutus est; ET CONSERVAVIT SINE QVERELA criminis, & consequenter, à pœnali confusione linguarum: nam pristinam ipse linguam suam solus retinuit cum sua familia, dictam deinceps ab Heber Hebræam, inquit S. Augustinus & Cantacuzenus. Sed hi ipsi, vt

August. 16. de Ciuit. c. 11.

& reliqui omnes Patres ac Doctores, magis propendent, vt de Abrahamo abnepote Heber hic locus exponatur, nempè, cùm *contulissent* capita & consspirassent Gentes in idololatriam, Sapientia diuina *iustum* Abraham *seruit* & curauit educere è

Gen. 11.

medio nationis Chaldææ, & eductum, atque ab errore patrio (si quo forsan infectus aliquando fuit) abductum, perpetuò deinceps *conseruauit sine querela*, græcè, *inculpatum*, ET FORTEM ac constantem IN MISERICORDIA FILII; græcè, *in visceribus filij*, id est, per affectum visceralem & amorem verè filialem, quo Deus erga Abrahamum ferebatur. Vel si

Gen. 22.

mauis, *custodiuit illum fortem* in immolando filio suo Isaac, nec permisit vt viscerum propriorum commiseratione frangeretur.

✠. 7. QVIBVS Pentapolitis CONSTAT; græcè, *exstat*, TERRA DESERTA, id est, in solitudinem & vastitatem redacta, & ex incendio quo conflagrauit, adhuc modò FVMIGABVNDA; græcè, *fumigans*, seu fumum continuum, & quidem sulphureum, exhalans, inquit Philo, & Iosephus, & ex profanis Strabo, Solinus, Tacitus, atque ex ijs S. Augustinus, Tertullianus & alij; & nostro ferè tempore Borchardus & Bredenbachius oculati testes: quorum ille, *Semper*, inquit, *fumans est* lacus ille, & *tenebrosus sicut os inferni: vicina terra exusta, in qua adhuc visuntur ignis reliquiæ, & quinque oppidorum imagines, & renascentes in fructibus cineres, qui colore quidem edulibus sunt similes, sed in carpentium manibus vertuntur in fumum ac cineres.* Hos Salomon hîc vocat FRVCTVS INCERTO TEMPORE, quia nullũ anni tempus assignari potest quo matureſcant vel perficiantur, vt potest in alijs aliarum regionum fructibus: nempe quia isti nunquam ad perfectionem deueniunt, Græcè est, *imperfecta maturitate* vel pulchritudine.

Gen. 19. v. 12. & 24.

Philo & alij citati Gen 19 v. 26.

ET INCREDIBILIS ANIMÆ, id est, incredulæ vxoris Loth, MEMORIA, seu perpetuum monimentũ, adhuc exstat FIGMENTVM, id est, statua, SALIS] de qua, vt & de reliquis toto hoc versu vide quę dixi Gen. 19. v. 26. Porrò incredulitas vxoris Loth in eo sita fuisse videtur, quòd non crederet quidquam ad salutem vel incolumitatem suam referre, si retrò respiceret, necne; cùm tamen Deus expressè inhibuisset ne respiceret.

✠. 10. ILLI. Iacobo, OSTENDIT REGNVM DEI] dum Genes. 28. v. 12. ostendit illi scalam mysticam cui Deus innitebatur, &c. Per illam enim significabat Deus qua ratione ipse regnaret, & de cælo omnia gubernaret: qua item ratione Iacob in posteris suis, & maximè in Christo ex se nascituro, olim regnaturus esset. Carthusianus & alij quidam putant, Iacobo tum quoque reuelatam electionem suam ad vitam æternam & regnum cæleste. Sed hoc incertum. Certùm quod subiungunt, reuelatum ipsi mysticum Dei regnum, id est, Ecclesiam, & Ecclesiæ caput ac regem Messiam ex ipso nascituram, vt ibidem dixi.

DEDIT ILLI SCIENTIAM; græcè; *cognitionem*, SANCTORVM] id est, rerum sanctarum, quæ spectant tum ad animi proprij sanctitatem, tum ad sanctum Dei cultum, tum ad sanctam Ecclesiam seu militantem, seu triumphantem. Qualis scientia verè decet, imò facit sanctos, & fidem ac prudentiam supernaturalem complectitur coniunctam spei & charitati diuinæ.

HONESTAVIT ILLVM IN LABORIBVS; græcè, *ditauit illum per ærumnas*, nempe artis & operis pastoritij apud Laban. ET COMPLEVIT LABORES ILLIVS] Græcè, *multiplicauit*, seu multiplici bonorum copiâ compensauit, vt patet ex Genes. 30. v. 43. Rursus

✠. 11. HONESTVM FECIT ILLVM] Græcè, *ditauit*. Vide dicta c. 7. v. 11. Denique

✠. 12. AB INIMICIS ET A SEDVCTORIBVS] Græcè, *insidiantibus*, & in laqueos seducere conantibus; puta Laban eiusque filijs, Genes. 31. vers. 24. item Esau, Genes. 33. v. 15. denique Chananæis & Pherezæis vltoribus cædis Sichimitarum, Gen. 34.

CERTAMEN FORTE DEDIT ILLI; græcè, *proposuit illi cum brauio*, seu præmio victoriæ. Certamen,

inquam, cùm hostibus iam dictis, & etiam cum angelo, Genes. 32. v. 24. Idque VT VINCERET, ET vincendo SCIRET QVONIAM OMNIVM POTENTIOR EST SAPIENTIA] θεοσέβεια, id est, pietas in Deum, seu virtus religionis. Nam sapientia hîc passim comprehendit debita omnia officia hominis erga Deum, vt supra dixi.

✝.13. HÆC Ioſephum LIBERAVIT A PECCATORIBVS] id est, è manibus fratrum, grauissimè in ipsum peccantium, vt ipsimet postea fassi sunt, Genes. 42. v. 21. & alibi. ita Liranus & Olcot. Sed alij penè omnes id exponi volunt de vxore Putipharis, Genes. 39. ipsoque Putiphare & alijs iniquis iudicibus. *Olcostet. 131.*

✝.15. HÆC POPVLVM IVSTVM; græcè, *sanctum*, id est, Hebræos, qui ob verum Dei cultum & orthodoxam fidem meritò *sancti* vocabantur, vt nunc Ecclesia vocatur *sancta*, & SEMEN SINE QVERELA] Græcè, *irreprehensibile*, inculpatum, quòd nulla idololatriæ macula contaminari se passi fuerint in medio nationis prauæ.

✝. 16. INTRAVIT IN ANIMAM SERVI DEI, Moysis (*a*). Dixerat c. 7. v. 27. quòd *sapientia se transferat in animas sanctas*, &c. en exemplum hîc in Moyse. STETIT CONTRA REGES HORRENDOS] id est, restitit regibus, putà Pharaoni, ciusque principibus, coram quibus editæ sunt plagæ, Exodi 7. v. 10. Sic psalm. 104. v. 30. *edidisse* dicitur *terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum*, qui Exodi 8. v. 3. & 4. vocantur *serui* Pharaonis. *Num. 12. v. 7.*

✝. 17. REDDIDIT IVSTIS MERCEDEM] quâ iniustè defraudarant Ægyptij Hebræos. nempè iubente (*b*) Deo Hebræi spoliarunt Ægyptios suis vasis pretiosis, & sic violentè extorserunt compensationem. *b Exodi 3. v. 21. & c. 11. v. 2. & c. 12. v. 35.*

DEDVXIT IN VIA MIRABILI, multis miraculis & prodigijs insigni, vt Moyses describit Exod. 15. & seqq.

IN VELAMENTO DIEI; græcè, *in velamentum per diem*. ET IN LVCE STELLARVM] Græcè, *in flammam stellarum*, id est, loco ac vice splendoris astrorum. Nubes enim quæ instar ducis præibat castra Hebræorum, vti interdiu æstum sua vmbra temperabat, ita noctu suo splendore tota castra illustrabat, vt dixi Exodi 24.

✝.19. AB ALTITVDINE INFERORVM EDVXIT ILLOS] Græcè, *ex profunditate abyssi ebullire illos fecit*, nempe Ægyptios iam demersos in abyssum maris Rubri, quos mare in superficiem regurgitabat & velut despumabat in littus, vt eorum spolijs ditarentur Hebræi. ita Cantacuzenus, Vatablus, Caietanus & Iansenius. Sed Bonauentura, Carthusianus & quidam alij id exponunt de Hebræis ex abysso Ægyptiacæ seruitutis eductis. *Exodi 14. v. 27.*

✝.21. APERVIT OS MVTORVM] nempe Hebræorum, qui priùs nimio metu ne hiscere quidem audebant, iam, prostratis Ægyptijs, in lætissimum canticum ora soluerunt, Exodi 15.

CAPVT XI.

Amplificat beneficium quo diuina Sapientia Hebræos affecit in exitu ex Aegypto, collatum cum supplicijs quibus vexauit Aegyptios, non quidem quoad ipsa poterat, vel ipsi merebantur, sed quoad expediebat.

✝.4. REQVIESSITIS; græcè, *remedium, curatio sitis*, EX PETRA ALTISSIMA, seu ex summa rupe. De qua Exodi 17.

✝.5. PER QVÆ, seu per quas aquas, iam in sanguinem (*a*) conuersas Ægyptij paulò ante POENAS PASSI, id est, puniti sunt; per easdem, sed puras & salubres, aquas Israëlitæ recreati & LÆTATI SVNT & cum Ægyptijs DEESSENT potabiles aquæ, A DEFECTIONE POTVS SVI, id est, laborantes essent defectu potus; è contra CVM Israëlitis aquâ abundantibus BENE ACTVM EST. *a Exodi 7. v. 17. 20. 21.*

✝.7. PRO FONTE SEMPITERNI FLVMINIS, id est, perennis ac semper fluentis Nili, SANGVINEM HVMANVM; græcè, *cruentam aquam* sanguini humano similem, DEDISTI INIVSTIS Ægyptijs: QVI CVM ob sitim & alias plagas viribus, vita & numero MINVERENTVR, idque

✝.8. IN TRADVCTIONE; græcè, *in correptionem* infanticidij. Meritò enim sanguineis aquis puniebantur Ægyptij, qui aquas sanguine, seu morte infantium rubricarant, Exodi 1. & 7. Cùm è contra sitientibus Hebræis in loco arido & deserto dederis ABVNDANTEM AQVAM INSPERATE, ac penè desperantibus, nempè ex petra Horeb, Exodi 17.

✝.9. OSTENDENS PER vtramque hanc SITIM, putà Ægyptiorum & Hebræorum, quàm te longè alio modo habeas erga hostes, quàm erga amicos TVOS, cùm hos eâ viâ mirabiliter extolleres & EXALTARES, illos deiiceres & NECARES] ita Cantacuzenus, Vatablus, Iansenius, Osorius, Sà, Castrius & Lorinus.

✝.10. CVM ENIM TENTATI SVNT Hebræi, nempè per sitim in deserto, hanc DISCIPLINAM, id est, castigationem, ACCIPIENTES, eamque CVM MISERICORDIA, seu ex misericordia profectam, SCIERVNT & experientiâ cognouerunt, QVEMADMODVM IMPII CVM IRA IVDICATI, nempe Ægyptij & alij Dei hostes cùm iracundè punirentur, TORMENTA longè grauiora passi sint.

✝.11. INTERROGANS] Græcè, *in quæstionem vocans*, examinans, nempe cruciatu sitis & aliarum plagarum.

✝.12. ABSENTES ENIM Ægyptij ab Hebræis iam Ægypto egressis, & in deserto aquam de petra bibentibus, alijsque diuinis beneficijs lætè fruentibus, SIMILITER TORQVEBANTVR atque dum PRÆSENTES adhuc essent: nam sicut præsentibus illis cruciabantur siti propter aquas omnes in sanguinem versas, & reliquis plagis; ita absentibus Hebræis, ex illorum prosperitate rumpebantur irâ, inuidiâ, dolore.

✝.12. DVPLEX *Aegyptios* ACCEPERAT TÆDIVM, ET GEMITVS EX MEMORIA PRÆTERITORVM excitatus. Primus erat ex proprijs malis, quæ ipsi occasione Hebræorum passi fuerant. Secundus ex alieno bono, quo iuratos suos hostes iam gaudere & frui sentiebant.

✝.14. CVM ENIM AVDIRENT, BENE SECVM; græcè, *cum ipsis* Hebræis AGI, & quidem PER SVA TORMENTA, id est, per eadem res, per quas ipsi torti fuerant, pũta per sitim, & restinctionem sitis sibi negatam fuisse, Hebræis verò benignè concessam; & idem sit iudicium de alijs plagis; enimuerò ADMIRANTES IN FINEM EXITVS, id est, euentus rei (sed hæc quatuor verba in Græcis omittuntur,) obstupuerunt eò felicitatis rebelles sibi Hebræos iam deuenisse, & COMMEMORATI SVNT DOMINVM] Græcè, *senserunt*, deprehenderunt manifestò, nempè ex memoria præteritorum cum præsenti statu collatorum

rum, diuinam esse manum & vindictam quæ se affligeret.

℣.15. QVEM ENIM, Dominum, vt Iansenius; vel, vt alij, Moysen, IN EXPOSITIONE PRAVA, id est, in impia & crudeli proiectione in Nilum, DERISERVNT, arbitrati hac via prorsus extinctum iri; IN FINEM EVENTVS; græcè, *in fine euentuum*, MIRATI SVNT, cùm viderent, rem longè aliter Hebræis successisse, adeoq; & Moysi iam omnium duci, quàm ipsi Ægyptij existimassent. NON SIMILITER IVSTIS SITIENTES] id est, experti, Deum non eodem modo se gessisse in siti sua, quo se gerebat in siti Hebræorum: nam Hebræis prospiciebat de aquis suauissimis, at Ægyptijs non nisi sanguineas subministrarat; his durum sese hostem exhibens, illis pium patrem.

Exo.1.v.3.

℣.16. PRO COGITATIONIBVS INIQVITATIS, id est, ad punienda cogitata & opera iniqua ILLORVM, Ægyptiorum, colentium SERPENTES MVTOS, id est, nescientes loqui. Posset etiam Græcum ἄλογοι verti, *irrationabiles*. Glossa interlinearis & Hugo id intelligunt de *Æsculapio* sub *serpentis* specie coli solito. ET BESTIAS SVPERVACVAS] Græcè, *viliores*, v.g. *ranas, sciniphes, muscas* & *locustas*: idcircò per eadem illa animalcula eos puniuisti. vt patet Exodi 8. vers. 2. 16. 21. & cap. 10. v. 4.

℣.18. MANVS TVA NON ERAT IMPOSSIBILIS; græcè, *impotens*, seu destituta facultate; QVÆ CREAVIT ORBEM EX MATERIA INVISA; græcè, ἀμόρφου, id est, informi, constantem; quæ materia quia prima die creati mundi, quia nulla dum lux erat creata, aspici non poterat, & debito ornatu ac decore carebat; meritò hîc & *inuisa* & *informis* appellatur: sicut *informem* dicimus, qui turpi est forma; & *inuisum*, qui aspectu & visu indignus est, inquit Martinengus, Seuerianus & Procopius.

Martineng. in Glossa Magna. in c.1.Genes. Seuerian. in catena Lipomani. Procop.in c.1.Genes.

℣.19. VAPOREM IGNEVM SPIRANTES BESTIAS; græcè *igniuomum efflantes halitum*. Quod dici solet de leonibus, draconibus, & similibus calidioribus bestijs. AVT FVMI ODOREM PROFERENTE; græcè *ventilantes, sonitum fumi*, id est, furentes ac frementes cum anhela exhalatione, quæ fumum exhibet. Quod Scriptura *balenæ* attribuit, & irato Deo (*b*). ET HORRENDAS AB OCVLIS SCINTILLAS EMITTENTES] Græcè, *fulgurantes*, vti solent balenæ, (*c*) basiliſci, lupi, teste (*d*) Delrio.

a *Iob 41.v.9.&c.* b *Psal.17.v.9.& l.1. Reg. c.22. v.9.* c *Iob 41.sup.* d *l.5. Disquis. Magic. c.3.q.4.*

℣.21. VNO SPIRITV, seu flatu, tuo POTERANT OCCIDI PERSECVTIONEM PASSI AB IPSIS FACTIS SVIS] id est, sola conscientia factorum pessimorum ipsos premente, stimulante, viscera rodente & perdente. Græcè est, *iudicio*, vel pœna iudiciali *agitati* & impulsi. Hanc sententiam pulchrè in Donatistas torquebat S. Augustinus, docens, ipsos non à Catholicis, vt querebantur, *persecutionem pati*, sed *ab ipsis factis* & scelenbus *suis*.

Augusti.2. cont.litt. Petiliani. c.19.& habetur 23. q.4.cap. qui peccat.

SED OMNIA IN MENSVRA, ET NVMERO, ET PONDERE CONSTITVISTI.] Id est, summa æquitate & ratione ordinasti omnia, quod *sapientiæ* munus est. Metaphora desumpta ab humanis negotiationibus, in quibus iustitia seruatur dati & accepti *mensurando, numerando & ponderando*. Hanc, inquit, iustitiam, quam in omni re perpetuò seruas, etiam in pœnis Ægypto infligendis seruasti: v.g. *numerum*, decem infligendo plagas, non plures, nec pauciores: *mensuram*, culpis proportione sua pœnas commensurando: *pondus*, destinando pœnas ad finem à Deo præscriptum, vt diuina potentia, iustitia, maiestas passim innotesceret. ita S. Augustinus, S. Thomas & alij Doctores.

Augusti.4. de de Genesi c.3.&c. S. Tho.1.p. q.5.a.5.

℣.22. MVLTVM ENIM VALERE, seu posse, imò omnia posse, TIBI SOLI SVPERERAT SEMPER] id est, penes te semper est.

℣.23. TAMQVAM MOMENTVM STATERÆ] Græcè *deuergentia*, inclinatio, nutus vnius ex lancibus; Hugo, lingula stateræ, cuius rectitudine indicatur æqualitas ponderum. Indicat; vt vult Carthusianus, continuam rerum omnium à Deo dependentiam: adde, & instabilitatem, seu inconstantiam; denique & exiguitatem rerum omnium creatarum. Quantillum enim est quod lancem è iugo seu librili suspensam cogit in vnum latus nonnihil deuergere? Idem est de GVTTA RORIS. Et simile habes Isaiæ 40.

Isa.40. v. 12.15.17.

℣.26. QVOMODO QVOD A TE VOCATVM NON ESSET, CONSERVARETVR?] Id est, quod tu non iussisses creari & conseruari, seu incolume esse, idque ei non præstares tua potentia, sapientia & influxu, quanam posset alia vi produci, vel in esse suo perseuerare? Vbi Nota, *vocare* & *dicere* Dei, idem esse quod *creare* & *facere*, sicut & Rom.4.v. 17 *Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.*

CAPVT XII.

Sicut capite precedenti amplificauit beneficium Hebræis collatum à diuina Sapientia in exitu ex Aegypto, illos exaltando, & Aegyptios deprimendo, ita hoc capite amplificat beneficium collatum in introitu terræ sanctæ, expulsis ex ea impijs Chananæis, & Hebræis loco illorum substitutis.

℣.2. CORRIPIS PARTIBVS] Id est, per partes, non totam simul iram profundendo, sed sensim & paulatim, vt est in Græco.

Simile v.10.

ADMONES ET ALLOQVERIS] tum ab intus per pias inspirationes, tum deforis per correptiones & plagas; græcè, *commonefaciens admones*.

℣.4. MEDICAMINA] Græcè, *veneficia*, seu maleficia diabolica & magica. Sub quibus intellige etiam auguria, sortilegia & incantationes, quibus Chananæi erant passim addicti. Et putatur *Cham*, (pater *Chanaan*,) quem Zoroastrem fuisse volunt, à gigantibus ante diluuium magicas artes hausisse, & posteris tradidisse, inquit Cassianus. Sed primam magiæ originem certum est à diabolo profluxisse, vt docent non solùm Christiani, Cyprianus, Lactantius & alij, sed & Ethnici, Aristoteles ac Porphyrius. Vide plura de his c.1.v.14.

Cass.col. 8. c.21.

Cyprian de Idolor. vanit.

Lact.l.2.Institit.c.14.

Arist. apud Laertium l.1.

Porph. apud Euseb.5.de Prapar.c.7.

SACRIFICIA INIVSTA] Græcè, *non sancta*, impia, nempe, fiebant falsis dijs, cùm deberent tum iustitiæ, tum pietatis, seu religionis obligatione fieri vni soli vero Deo.

℣.5. DEVORATORES SANGVINIS A MEDIO SACRAMENTO TVO] id est, mediante & interposito iuramento. q.d. Dum fœderibus alijsque contractibus sanciendis interponendum esset iuramentum, illud impij Chananæi sanciebant haustu sanguinis non brutorum animantium, sed hominum, (vt postea fecit etiam Catilina,) & quidem propriorum filiorum, quos dæmonijs immolabant. Quo quid immanius & horribilius? Vnde posset etiam hîc per *sacramentum* intelligi sacrificium. q.d. Sacrificabant & immolabant dæmonijs carnes humanas, etiam propriorum natorum suorum, & reliquas à sacrificio carnes ore impio de-

Sallust. in Catilin.

uorabant, & humanum ſanguinem hauriebant. A Moris enim erat, vt ſacrificantes de ſacrificijs ſuis deguſtarent. Talia infanda ſacrificia ſoleri à Chananæis, ac poſtmodùm etiam ab Hebræis, offerri idolo Moloch, patet ex Leuitici 18. pſalm. 105. & 4. Regum 21. Sed &

✠.6. AVCTORES PARENTES ANIMARVM INAVXILIATARVM] Græcè, *auctores cædis animarum auxilio deſtitutarum*, id eſt, parentes qui filios ſuos omni auxilio deſtitutos, maximè tutari debuiſſent, ipſimet illos ſua manu mactabant. ita Cantacuzenus, Budæus & alij.

Budæus comment. Ling. Græca pag. 813.

✠.7. VT DIGNAM PEREGRINATIONEM, id eſt, peregrinos, ſeu peregrè aduentantes Iſraelitas, incolas & colonos digniores, PERCIPERENT TERRA, ſeu terræ vel regiones iſtæ Chananææ: (eſt enallage numeri, *perciperent*, pro *perciperet terra*, vt in Græco eſt:) oſtendens hoc ipſo, terram iſtam tibi charisſimam eſſe, cùm illi tam ſolliciè proſpiceres de colonis ſe & te dignis, nempe *pueris*, id eſt, ſeruis tuis, & cultoribus veri Numinis.

B

✠.8. MISISTI VESPAS] adde & *crabrones* hos enim ſe præmiſſurum promiſerat Deus Exodi 23. v. 28. & Deuter. 7. v. 20. Et ita factum docet Ioſue vlt. v. 12. Vnde de propriè dictis veſpis & crabronibus, alijſque ſimilibus animalculis alatis & ſpiculo armatis id exponunt Cantacuzenus, Olcot, Oſorius, Ianſenius, Caſtrius & Lorinus, contra Gloſſam interlinearem, S. Auguſtinum, Liranum, Hugonem & quoſdam alios, qui id ad acres timores & volantes rumores detorquent. Simile penè narrat Theodoretus de S. Iacobo Niſibis Epiſcopo, multitudine *culicum* Saporem ab obſidione eius vrbis abigente.

Olcot loc. 147.

Auguſt. in Ioſue q. 27. & in Exod. q. 93.

✠.9. VERBO DVRO] id eſt, peſte exitiali, inquit Pelicanus, conformiter ijs quæ dixi pſal. 90. v. 3. de *verbo aſpero*. Sed S. Bonauentura, viſum ſeu ſpectrum horrificum; Carthuſianus, bellum deſignari putat. Sed meliùs in genere, *verbum* hîc pro quauis iuſſione, ſeu re duriore atque aſperiore, poſitum reliqui omnes docent.

C

✠.10. PARTIBVS IVDICANS] id eſt, per partes & *paulatim*, vt dixit v. 8. & expoſui v. 2.

NATVRALIS MALITIA] Græcè, *ingenita*, *innata*, non vitio animæ vel naturæ, vt ſomniabant Manichæi, ſed propter craſin ſeu temperamentum corporis: ad quod non parum confert parentum intemperantia, & improba educatio. Sicut contrarijs ex cauſis apparent in nonnullis etiam à primis incunabulis igniculi ac propenſio ad virtutem. Et hi dicuntur ſortiti animam bonam, vt vidimus c. 8. v. 19. ita S. Auguſtinus.

Auguſt. l. 1. de Nuptijs & concup. c. 8.

QVONIAM NON POTERAT MVTARI COGITATIO, ſeu praua machinatio, ILLORVM IN PERPETVVM] nempè, ſuppoſito quòd prauam naturam, ſeu naturalem indolem ac conſuetudinem (quæ eſt altera natura) compeſcere nollent. Vnde græcè eſt, *quoniam non mutaretur*. Ergo non ſignificatur hîc abſoluta impoſſibilitas, vt fingunt hæretici (cur enim alioqui *daret illis Deus locum pœnitentiæ*? vt mox dixit:) ſed ſolùm ex hypotheſi, ſeu conditione ipſis libera, ſed neglecta.

D

✠.11. NEC TIMENS ALIQVEM] id eſt, non ob metum potentiæ cuiuſpiam maioris compulſus fuiſti vt impijs ad tempus ſeu parceres, ſeu mitiùs affligeres, ac tandem non integrè deleres & exſtirpares. Hoc enim imbecillium eſt tyrannorum, v. g. *Pharaonis* (a) *Athaliæ* (b) *Herodis* (c), qui ſæuiebant in alios non ob aliud, quàm quòd ſibi ab ijs metuerent: Deus verò nullius metu percelli aut compelli poteſt

a Exodi 1.
b 4. Reg. 11.
c Matth. 2.

✠.16. VIRTVS TVA] Græcè, *robur*, potentia q. d. In hominibus potentia eſt initium & cauſa tyrannidis: in te verò initium & cauſa eſt iuſtitiæ, vt mox ſequitur. Sic Seneca veram *magnanimitatem* docet eſſe *clementiam*. & generoſa animalia, vt leo & taurus, quo robuſtiora, hoc etiam ad clementiam proniora ſunt.

Seneca l. de Clementia.

✠.17. VIRTVTEM ENIM, ſeu potentiam oſtendis in eos, quibus NON CREDERIS ESSE IN VIRTVTE CONSVMMATVS, id eſt, potentiam, vim & robur habere perfectum, ſeu eſſe omnipotens. ET HORVM QVI TE NESCIVNT, AVDACIAM TRADVCIS] id eſt, eos qui probè quidem norunt te omnipotentem eſſe, ſed improba audacia perſiſtunt in ſuis ſceleribus, *traducis* de culpis ad pœnas, inquit Carthuſianus, nempe vt reipſa experiantur effecta potentiæ tuæ, quam norunt, ſed contemnunt.

✠.18. CVM MAGNA REVERENTIA DISPONIS NOS] Id eſt, cùm moderatione, quaſi reuereris nos, græcè, *cum multa parcitate*, ſeu parcendi ſtudio, miſcendo indulgentiam & veniam, gubernas nos etiam quantum ad pœnas, veritus nempe ne quaſſatum calamum confringas, aut vas fictile (*d*) comminuas, aut araneæ telas diſſipes.

d 2. Cor. 4. v. 7.

✠.19. OPORTET IVSTVM ESSE, ſimul ET HVMANVM, ſeu benignum: qualem tu te etiam in Ægyptios & Chananæos præbuiſti, & quotidie præbes in impios. Summum enim ius, ſumma iniuria. Vnde alibi monet, *noli eſſe iuſtus multùm*. Vnde ſemper BONÆ SPEI, id eſt, benè ſperare, FECISTI FILIOS TVOS Iſraëlitas, quòd & ipſis peccantibus dabis locum pœnitentiæ.

Eccl. 7. v. 17

✠.24. IN ERRORIS VIA DIVTIVS ERRAVERVNT. ita etiam Vatablus vertit & Nannius. Sed Ianſenius & alij vertunt, *longius aberrauerunt vijs erroris*, id eſt, longiùs quàm ſe extenderent viæ erroris, ſeu quam videretur hominem poſſe errare. eſt hyperbole. DEOS enim exiſtimarunt QVÆ IN ANIMALIBVS SVNT SVPERVACVA, id eſt, viliora & infamia animalia. v. g. crocodilos, cynocephalos, feles, muſcas, vnde Beelzebub. Simile c. 11. v. 16. Denique

✠.25. IVDICIVM IN DERISVM, ſeu ridiculum, DEDISTI, puerili more inſanientes puniuiſti puerilibus & ridiculis pœnis, ac proindè magis infamibus, magis indecoris, magis pungentibus ac torquentibus. In Græco pulchra eſt paronomaſia, inter παισὶν & ἐμπαίγμον, q. d. Ridiculos ridiculè irriſiſti, cùm pueris pueriliter luſiſti, pueriliter eos caſtigando per veſpas, crabrones, muſcas, & ſimilia animalcula.

✠.27. IN QVIBVS PATIENTES INDIGNABANTVR. Clarè Vatablus: ijs ipſis rebus quas paſſi ſunt indignabundi Chananæi, cùm per ea quæ vt deos colebant punirentur, tandem ſuo malo agnouerunt, verum Deum eſſe, quem antè negabant ſe noſſe. ſed quia iam agnito Deo noluerunt tamen parere & ſubijci, ideo FINIS CONDEMNATIONIS, ſeu extrema damnatio & excidium, VENIT SVPER ILLOS.

CAPVT

CAPVT. XIII.

Occasione fædæ Chananæorum idololatriæ, cuius iam meminerat, prolixius in eos inuehitur qui primi fuerunt tantæ impietatis auctores & inuentores, utpotè pessimè meritos de sapientia, quæ in sincero veri Dei timore & cultu consistit. Ii porrò triplices sunt generis Primi, qui colunt elementa, sidera vel alia corpora cœlestia. Secundi, qui dæmones, aut dæmonum imagines & idola. Tertij, qui animalia viuà. De primis agit initio huius capitis: de secundis & tertijs agit à vers. 10 vsque ad finem & duobus seqq. capitibus.

℣. EVM QVI EST] Græce, *existentem*, seu ens quod semper est, ortumque non habet, vt ait Plato. Vide Exodi 3. *Plato in Timæo.*

℣. 2. IGNEM. Hunc *Vulcanum* nominabant; SPIRITVM, seu aërem superiorem ac puriorem, *Iouem*; CITATVM AEREM mediæ ac inferioris regionis, *Iunonem*; GYRVM STELLARVM, seu Zodiacum, varios deos, quorum nominibus insignitur; NIMIAM græcè, *violentam*, AQVAM, *Thetim & Neptunum*; SOLEM, *Phœbum*; LVNAM, *Dianam*, & sic de cæteris, vt videre est apud Ciceronem, Macrobium, Arnobium (a) Eusebium, Augustinum & recentiores. *Cic. l. 2. de Natura Deor. Macrob. l. 1. Saturnal. c. 15. & 1 in somnium Scipion. c. 17. a Arnob l. 3. cont. Gentes. Euseb. l 3. de Præpar. c 2. Aug. l. 4. de Ciuit. c. 10 Prosp. l. 2. de vocat c. 4. Theod. ser. 1. & 2. de Prouidentia. D. Thom. 1.*

℣. 5. A MAGNITVDINE ENIM, seu præstantia & excellentia, SPECIEI, id est, pulchritudinis, ET CREATVRÆ. est *hendyadis*, pro speciosæ creaturæ: POTERIT CREATOR VIDERI COGNOSCIBILITER] Græcè, analogicè, proportionaliter, comparando creaturam cum creatore, & effectum cum sua causa; vt pulchrè demonstrant S. Prosper, Theodoretus, D. Thomas & alij Doctores.

℣. 6. TAMEN IN HIS MINOR EST QVERELA] Græcè, *reprehensio*, supple, quàm in alijs qui res longè viliores, putà serpentes, muscas & similia animalcula, pro dijs coluerunt. Et hæc assignari nonnulla excusatio possit, quòd, licet errarint adscribentes diuinitatem creaturis, *fortasse* tamen verum in ijs Deum *quæsierunt & inuenire* conati sunt: nempè cùm viderent, eximiè *bona esse* & præclustria, totique orbi perutilia & perneccssaria sidera, cœlos elementa; & illorum motu atque influxu omnia hæc inferiora nasci, crescere, regi & perfici; putarunt cum quibusdam philosophis & animata esse, & ratione vti, & diuinitatem ijs aliquam inesse. Licet ergo *fortasse* minùs quàm alij errarint, errarunt tamen

℣. 9. SI ENIM TANTVM POTVERVNT SCIRE, ac ingenij lumine assequi, VT SÆCVLVM ÆSTIMARENT, id est, mũdi naturã, cursum & proprietates assequerentur, QVOMODO HVIVS DOMINVM NON FACILIVS INVENERVNT] Cùm vt docet S. Dyonisius, *ipsa mundi fabrica sit integumentum rerum diuinarum?* & facillimum sit comprehendere, quòd quæcumque existere videmus, nec temerè nec per se existere, aut conseruari in suo esse, sine principe, prima ac suprema causa, cuius ditioni & arbitrio cuncta subiecta sint. Et constat, plurimos philosophos hoc solo argumento in vnius veri Numinis cognitionem deuenisse, v.g. Trismegistum, Platonem, Socratem & alios, quos ideirco S. Paulus, Chrysostomus, Augustinus & Athanasius inexcusabiles hac in re faciunt. *Dion epist. ad Titum. S. Paul. ad Rom. 1. 2. &c. Chrysost. in Psal. 148. August. 8. de Ciuit. c. 9. & 25. Athanas. orat. contra idola.*

℣. 10. INTER MORTVOS, græcè; *in mortuis* SPES ILLORVM EST, id est, spes de illorum seu salute seu emendatione, est mortuis annumeranda; quia prorsus desperati sunt, nullâ reliquâ apparentiâ sanæ mentis, quicumque eò dementiæ delabuntur, VT DEOS *appellent* OPERA MANVVM HOMINVM, &c.] Prosequitur idem argumentum fusè Baruch c. 6.

℣. 13. LIGNVM VORTICIBVS PLENVM; græcè, *cùm nodis natum*, vel natura nodosum. *Vortices* enim nodi vocantur, quia rotundi, contorti, flexuosi & conuoluti: quales ferè in arboribus sunt vbi rami vel enati, vel resecti sunt. Hoc *lignum* CVRVVM; græcè, *tortuosum*, inæquale, obliquum, sculptor PER VACVITATEM; græcè, *per otium suum*, sculpit.

℣. 14. PERLINIENS RVBRICA] μίλτῳ id est, minio, inquit Plinius: apud quẽ, vt & apud Vitruuium, Strabonem, Dioscoridem, & S. Bonauenturam multa videre est de milto seu rubrica, & variis eiusdem generibus, nempe fabrili, exterioria, medica, factitia, fossibili, ex plantarum materia, ex sanguine draconis & elephanti, &c. atque apud Romanos, ipsius quoque Iouis simulacri faciem diebus festis rubrica illini solitam: triumphantium etiam corpora & voluminum subinde scripturas, quod etiam Persius, Iuuenalis, Martialis & Ouidius testantur: vnde emanasse puto, vt rubeis distincti lineis libri, rubricæ vocentur. *Plin. l. 33. c. 7. Vitruu. l. 7. c. 7. Strabo l. 12. Dioscor. l. 5. c 69. Persius sat. tyra 5. Iuuen sa. tyra 15. Mart. l. 1. epig. 107. Ouid. l. 1. Trist.*

℣. 15. ET FACIAT EI DIGNAM HABITATIONEM] id est, recessum seu scapham, vulgò *Nicho*, id est, ædiculam cui idolum imponitur. Porrò ex his quæ à v. 10. vsque ad finem cap. huius & rursum cap. 15. & Baruch 6. dicuntur, expressè patet, mentiri Caluinum, cùm ait, Gentiles non adorasse ligneas vel lapideas statuas, sed in statuis verum Deum: Nam disertè dicunt hæ scripturæ, ipsos adorasse *ligna & lapides*. Et Lactant. Tertull. Cyprianus, Iustinus, Athanas. Amb. Clemens Alexand. August. & alij SS. Patres hoc nomine passim rident Gentiles. *Cal. l. 1. Instit. c. 11. §. 9. Lactant. & alij suprà citati. Iustin. l. 3. præc. c. 3. August. l. 7 de Ciu. c. 5. & seqq. & l. 8. c. 13.*

CAPVT XIV.

Prosequitur iniectiuam in idola, nouo allato exemplo nauigantium; qua occasione commendat diuinam Sapientiam in inuentione & gubernatione nauium: describit initium cultus idolorum, & quanta hinc in mundum inuecta mala.

℣. 1. FRAGILIVS LIGNVM, ex quo idolum exsculptum, INVOCAT] Græcè, *putridius lignum inclamat*. Vtrumque verum: nam idolum ex fragili, subindè & putrido, plerumque ex obuio quouis & reiectitio ligno, pigmentis infecto confici solet, vt dixit c. 13. v. 13. & sequentibus. At in extruenda naue magnus fit delectus lignorum, vt iniurijs aquæ & tempestatum resistere possint.

℣. 3. IVA AVTEM PROVIDENTIA GVBERNAT & nauem & nauclerum, docens & dirigens illum in vastissimo æquore per vias non vias, per tot diuerticula, syrtes & anfractus. Quòd meritò obstupuit S. Chrysostomus. *Chrys. in ad Ephes. 4. v. 6 Matth. 6. v. 32. & c. 14. v. 26.*

℣. 5. VT NON ESSENT VACVA, græcè, *otiosa*, SAPIENTIÆ TVÆ OPERA] id est, quæ sapientia tua produxit, v.g. ipsa maria, littora, insulæ, regna dissita cum fructibus in quoque regno procreatis, sed maiore copia quàm incolæ eius regni indigeant. Quæ sanè frustra, superflua & inutilia essent, nisi quis ea nauibus adiret & aliò deueheret. ita Iansenius & Osorius.

℣. 6. SPES ORBIS Noë cum filijs suis, semen & genitor noui orbis, AD RATEM, seu arcam, confugiens, REMISIT & reliquit SÆCVLO SEMEN NATIVITATIS, seu genitale, id est prolem ex qua nouæ susciperentur proles. Ex his patet primum nauticæ artis repertorem fuisse Noë: primam nauem

Berosus Chald apud Iosephum 1. Antiq 3. Plin l.6. Hist. nat.c. 26.& l.7.c. 56. Clem.Alex. l.1.Stromat. Tertull. de Corona militu c.8.

uem fuisse arcam, quo modo etiam Berosus illam A nominat. Vnde quod Cretenses Neptuno, Plinius Danao vel Iasoni, Clemens Atlanti, Tertullianus Mineruæ, alij alijs id honoris deferunt, subsistere non potest, nisi hoc sensu, quòd in particularibus locis hi diuersi fuerint primi inter incolas eorumdem locorum, artis nauigandi inuentores vel vsurpatores. Porrò prima hæc Noë *ratis* non remis, non velis, aliave humana ope, sed TVA solius MANV ERAT GVBERNATA] inquit hic Salomon. Similis miraculosæ gubernationis exempla habes apud S. Paulinum, & passim in historijs Sanctorum.

Paulinus ep. 34. quæ est prima ad Macarium.

℣.7. BENEDICTVM EST; græcè, *fuit*; LIGNVM PER QVOD FIT IVSTITIA] Nempe benedictione & laude digna fuit arca, per quam iustè damnato toto mundo, seruatus est iustus Noë cum suis: sic enim impleta est tunc lex omnis iustitiæ. Quod etiam vero sensu potest cuiuis alteri naui applicari, quòd saltem huic vsui & commodo maximo seruiat, quòd adhibeatur ad iusta commercia exercenda, ad iusta lucra comparanda, & subinde ad iustam vindictam vel pœnam infligendam. Vnde & ampliata significatione quidam id accommodant cuiuis furcæ seu patibulo, quo iustè plectuntur rei. q.d. Saltem his vsibus deseruiunt illa ligna: at idolum ligneum ne talibus quidem vsibus, nec vllis alijs seruit. Porrò mystico sensu SS. Patres (quos citat Lorinus) penè vno consensu, id exponunt de cruce Christi, ad quam putant Salomonem hîc respexisse, eò quòd per illam iustè redempti omnes simus. Cui sensui non litterali, sed mystico, vt dixi, libenter subscribo.

℣.10. QVOD FACTVM EST, nempe idolum impia manu confectum, TORMENTA PATIETVR, græcè, *punietur*, sed eo modo quo capax est; nempe lignea materia destruetur & igni absumetur: dæmon verò assistens ligno, flammis infernalibus cruciabitur. ita Liranus. Idque vnà CVM FILIO QVI FECIT] id est, sculpsit vel sculpi iussit, vel posuit idolum.

℣.11. PROPTER HOC tam infandum idolopœiæ scelus, NON parcetur, ne quidem ipsis IDOLIS materialibus, neque ERIT RESPECTVS in illis, quia absque vllo respectu, vel exceptione destruenda sunt & è medio tollenda. Græcè, omissa negatione, sed eodem sensu legitur, *in simulacra etiam erit visitatio*, nempe diuina, qua exercebitur in illa iudicium, & vindicta, deletione & destructione eorumdem. Sic ferè solent ipsa quoque instrumenta, quibus quis parricidium, vel aliud graue scelus patrauit, simul cum auctore sceleris ignominia aliqua publica & quasi pœna affici, & iuxta sontem adpendi, vel adsepeliri. Licet enim rationis expertia; ac proinde prorsus innoxia sint, atque adeò CREATVRÆ DEI sint; quia tamen hæ *creaturæ Dei*, nequitiâ sceleratorum dæmonum & hominum FACTÆ SVNT & vsurpatæ IN ODIVM; græcè, *in abominationem*, scilicet Dei & iustorum, ET IN TENTATIONEM ANIMABVS, &c.] ideo iure meritò etiam in illas animaduertetur. Vaticinium hoc esse videtur confringendorum, & omni dedecore afficiendorum à Christianis idolorum. quod factum passim historiæ testantur.

℣.14. SVPERVACVITAS, id est, superflua inanitas; græcè, κενοδοξία, id est, vana gloria, hæc quæ fons & initium fuit idololatriæ, ADVENIT IN ORBEM TERRARVM, bigis inuecta diaboli, inuidiæ, & odij, quo Deum Deique imaginem hominem prosequitur, vt scribit Tertullianus. Sed en tibi mox iustam à tergo pœnam: simulatque inanis hæc ambitio orbem intrauit, BREVIS ILLORVM FINIS EST INVENTVS] id est, celerè vita excessus occurrit. Nam sub idem tempus quo idololatria in orbem inuecta fuit, vita hominum minui cœpit vt patet ex Genes. 10. & 11.

℣.15. DOLENS PATER, CITO, seu præmatura morte RAPTI FILII FECIT IMAGINEM] En initium idolorum, seu imaginum & statuarum falsorum deorum, nempe ex nimio affectu & dolore erga defunctos: qui apud varias gentes varijs modis primum se prodidit. Apud Ægyptios enim Syrophanem filij demortui simulacrum erexisse docet (*a*) Fulgentius Carthaginensis Episcopus. Apud Chaldæos Thare patrem Abrahæ filio suo Aran defuncto statuam posuisse docent Epiphanius (*b*) & Suidas, ideoque ab Abrahamo grauissimè reprehensum fuisse. Apud eosdem coæuus Thare Ninus filius Nemrod seu Beli, defuncto parenti publicam statuam, aras & templum posuit, vt dixi Genes. 10. & tradunt Eusebius (*c*), Hieronymus, Ambrosius, Cyrillus & Augustinus. Hos tamen nolunt primos fuisse imaginum impios cultores Epiphanius, Suidas & Philo, sed id asscribunt Sarug proauo Thare Genes. 11. vers. 21. Sed quidquid sit de cultu statuarum vel imaginum, certum videtur ex Iosepho (*d*), S. Augustino & alijs passim, idololatriam (quæ sine simulacris & figuris exerceri potest) longè adhuc antiquiorem fuisse, & si non ante diluuium ab impijs gigantibus, certè paulò post diluuium à profano Cham & Chanaan & Chus, eorumque filijs in orbem inuectam fuisse. Plura de his vide apud Tertullianum, Lactantium, Cyprianum: & de Apotheosi Herodianum. Iam vide fructus idololatriæ, id est, horrenda & infanda scelera, quæ tinnire faciant ambas aures.

a *Fulg. l. 1. de dys cap. de idolo.*
b *Epiph. initio lib. 1. de Hæres. Suidas voce Abraham.*
c *Euseb. in Chronico. Hieron. in Osea 2. Ambros. in c. 1. ad Rom. Cyrill. l. 3. contra Iulianum. Aug. l. 16. de Ciu. c. 7. & 22. cont. Faustũ c. 17.*
d *Ioseph. l. 1. Antiq. c. 4. Aug. l. 16. de Ciuit. c. 4. & c. Tertull. in Apologetic. Lactant. l. de Falsa religi. c. 15. Cypr. l. 1. de Idolor. vani. Herodian. l. 4. c. 4. Reg. 23. v. 7. Isaiæ 57. v. 8. Ezech. 16. v. 15. Osee 4. v. 14. Amos 2. v. 6 2. Baruch. 6. v. 4.*

℣.23. FILIOS SVOS SACRIFICANTES] Græcè, *occidentes*. Sed de his egi c. 12. v. 5.

OBSCVRA SACRIFICIA FACIENTES] Græcè, *occultas mysteria*, seu clandestina secreta in lucis, antris, speluncis, seu diu, seu noctu celebrata, vt licentius vacarent libidini. Talia erant Isidis, Cereris, Proserpinæ, Veneris, Priapi, & quæ dicebantur Eleusina sacra. Plenæ sunt Scripturæ (*e*) reprehensionibus eiusmodi sordium: pleni scriptores Ecclesiastici (*f*) & profani (*g*) antiqui, moderni (*h*).

e *Tertull. Apolog. c. 15. Arnobius 8. contra Gentes: vel Minutius in Octauio.*
f *Ioseph. 18. Antiq c. 4. Ouidius l. 1. de arte amandi. Iuuenalis in Satyra. Athen. & c.*
g *Prateolus in Catalog. hæres. & alij Hæreseologi.*
h *Lorinus in 1. Pet. 4. v. 4. & c.*

INSANIÆ PLENAS VIGILIAS; Græcè, *insanias ex alienis legibus*, seu ritibus, *comessationes agentes*, v.g. Bacchanalia, & ijs similia lenonum φαγησιπόσια, laternaria, carniuora & ὄργια. De quibus fusè Eusebius (*i*), Clemens Alexandrinus, Augustinus, Iulius Firmicus & Giraldus.

i *Euseb. l. 11. de Præparat. Clem. in Stromat. Aug. l. 6. de Ciu. c. 7. Iul. Firm. de Error. profan. religi.*

℣.24. TVMVLTVS BONORVM] Græcè, *bonarum rerum perturbatio* & confusio: vel bonorum hominum vexatio, seu in bonos excitatus tumultus.

℣.26. DEI; græcè, *doni*, IMMEMORATIO, id est, obliuio beneficiorum à Deo acceptorum. Item NATIVITATIS; græcè, *generationis*, IMMVTATIO, per præposteras libidines & contra naturam. Vatablus & Osorius volunt etiam alludi ad fœtus supposititios & adulterinos loco legitimorum.

℣.29. NOCERI SE NON SPERANT] Id est, non timent, se læsum aut damnis affectum iri. Est acyrologia seu catachresis, qualis est Matth. 24. & Lucæ 12. *Veniet Dominus in die qua non sperat*, id est, non timet. & 4. Æneidos.

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.

Sed absit, impunè taliafaciant: potiùs

℣.30.

℣.30. VTRAQVE ILLIS EVENIENT]Id est, vtroque pœna plectentur, nempe & *idololatriæ*, & *periurij*, vel cuiusuis alterius sceleris idololatriam consequentis.

℣.31. NON ENIM IVRATORVM VIRTVS, græcè, *eorum qui iurantur*, seu per quos iuratur, *potentia*. q.d. Etsi idola per quæ impij iurant, peierantes illos punire non possint, ideoque contemnantur à peierantibus; non tamen idcircò impunè peierabunt, quia POENA PECCANTIVM, seu vltio à vero Deo intentata & decreta singulis sceleribus, SEMPER vigil PERAMBVLAT, puniens PRAEVARICATIONEM omnem INIVSTORVM]& consequenter et eam horum peierantium idololatrarum, qui duplici nomine *iniusti*, Deoque iniurij sunt, Primò, quia falsum iurant; Secundò, quia per falsos deos.

CAPVT XV.

Gratias Deo actis, quòd populo Dei non ita corrigenti fidè labi, sicut Gentibus idololatris, inuehitur rursus in figulos, qui ex luto deos fingebant; vt sup. à inuectus fuerat in sculptores.

℣.2. TVI SVMVS, id est, sub tua potestate, SCIENTES MAGNITVDINEM TVAM] Græcè, *potentiam tuam*, quâ scimus te posse nos peccantes punire, (cùm idola id non possint, vt dictum est in fine cap. præced.) posse quoque, si libuerit pœnam nobis condonare.

QVONIAM APVD TE SVMVS COMPVTATI] Græcè, *æstimati* & in pretio, tibi chari, curæ & cordi. Hoc sanè debet nos maximè seuocare à peccatis, & in officio continere, inquit S. Augustinus.

Augustin. de Fide & operibus c. 11.

℣.3. NOSSE TE vera & sincera fide, CONSVMMATA, perfecta & absoluta IVSTITIA EST; nempè fides docet & subministrat omnia ad perfectam iustitiam & æternam salutem necessaria. Simile Ioan. 17. v. 3. & Ierem. 9. v. 23. Eadem fides, seu cognitio *iustitiæ*, (sed hanc Græci omittunt,) & potentiæ diuinæ, RADIX EST IMMORTALITATIS]C Sicut enim, quidquid est in arbore pulchritudinis, totum ex radice procedit, sic anima, quidquid est meriti, ex fidei fundamento procedit, inquit S. Augustinus.

Augustin. in Ioannem, vt citat Glos. hîc.

℣.4. MALÆ ARTIS EXCOGITATIO, id est ars excogitatrix & effectrix idolorum: *malæ*, quia inducit in malum idololatriæ: NON INDVXIT NOS IN ERROREM]Hinc colligo, librum hunc à Salomone conscriptum fuisse priùs quàm ipse idola coleret.

℣.8. ILLE, nempe figulus, de luto formatus & qui mox SE REDVCIT: græcè, *abibit*, redibit *in terram* è qua acceptum & formatum est eius corpus; REPETITVS ANIMÆ DEBITVM]scilicet moriendi, & à corpore demigrandi: vel debitum (*a*) culparum, maximè idololatriæ. q.d. Ridiculum profsus & stultum, quòd ille ipse qui luteus est, luteum sibi fingat Deum, nihilosè nobiliorem quoad materiam.

(*a*) Genes. 2. 3.

℣.9. CVRA EST figulo, NON QVIA LABORARTVRVS EST, id est, seipsum labore vexaturus confecturus, ægrotaturus, & vitæ cursum sibi præcisurus. Sed CONCERTATVR deponentialiter, pro *concertat*, contendit; vt est in Græco. q.d: Id solùm contendit & curat, vt vel superare vel saltem æquare, possit in arte, *aurifices, argentarios & ærarios*, licet in materia superetur. Magis enim ostentari videtur ars in materia fragili.

ET GLORIAM PRÆFERT, seu præ se fert, æstimat, reputat, quòd RES SVPERVACVAS FINGIT] Græcè, *impostoras*, res adulterinas & falsatas: quæ licet vilissimæ sunt, vtpotè luteæ, speciem tamen habeant rerum nobilissimarum. Hac figlina arte confectas deorum effigies & miniatas, tradit Varro Romæ laudatissimas fuisse. Crediderim, ob pretij vilitatem, magis venales fuisse. Sed quid mirum, si figulus ex luto & cinere gloriam venetur?

Varro citatus à Plinio l. 35. c. 12.

℣.10. CINIS EST ENIM COR EIVS, id est, corde nil cogitat, nil sperat nisi lutum & cinerem, sicut nec manibus aliud tractat: ET TERRA SVPERVACVA, id est, vilis & sordida, SPES ILLIVS; græcè, *vacua præterra*, id est, vilior ipsa terra: ET LVTO VILIOR, seu abiectior, VITA EIVS]quia luteo idolo se subijcit vt seruus domino, vt creatura creatori. S. Augustinus, Gregorius, Rupertus, Beda & Hugo hæc mysticè applicant mundanis hominibus, vilibus mammonæ & Satanæ mancipijs.

Aug. l. de Gen. cont. Manichæos c. 17. & 18. & l. 11. de Genesi ad lit. c. 36. Greg. 3. p. Pastor. c. 20. & l. 21. Moral c. 2. Rup. l. de Vict. verbi Dei c. 15. & l. 3. de Trin c. 18. Beda in c. 3 Genes. Hugo ibid.

℣.14. SVPERBI SVPRA MODVM ANIMÆ, id est, Bpræ omni anima, seu homine: græcè, *supra animas insantium*, id est, stultorum. q.d. Idololatræ quantumcumque *superbi* & potentes, sunt tamen magis stulti & infelices seu miseri, quàm qui naturæ defectu stulti sunt. Quod ipsum, inquit, affirmo maximè de idololatris regibus, INIMICIS POPVLI TVI Israëlitici, quorodio immani illum prosecuti sunt, & IMPERANTES ILLI, acerbissima tyrannide eumdem diuexarunt. Notat Ægyptios & tot alios in Palæstina tyrannos Gentiles, qui populum Israeliticum crudelissimè sæpius oppressérunt, de quorum sordida & stulta idololatria mox mentionem subijcit.

℣.18. ANIMALIA MISSERIMA COLVNT; græcè, *odiosissima*, putà crocodilos, serpentes, &c. INSENSATA ENIM omnia, id est, mente vel sensu carentia, si *comparentur* HIS animalibus quæ Ægyptij colunt, deprehendentur hæc Ægyptiorum animalia longè DETERIORA ILLIS insensatis. Cùm enim reliqua vel necessaria, vel vtilia sint homini, saltem benigna pleraque & amica, & venusta: hæc è contrario sordida sunt, & inimica, & noxia: vt mirum sit induci homines posse ad ea colenda.

℣.19. SED NEC POTEST ALIQVIS CONSPICERE aliqua EX HIS ANIMALIBVS ASPECTV BONA, id est, pulchra, vt est in Græ. o. q.d. Ad aspectum fœda sunt, horrida & sordida. EFFVGERVNT DEI LAVDEM ET BENEDICTIONEM] id est, non sunt adepta à Deo eam speciem, pulchritudinem, ceteraseve qualitates, quas acceperunt reliqua animalia, quæ ex benedictione Dei habent quòd commoda & vtilia sint hominibus, & quorum esu & vsu laudatur Deus. Quantæ igitur dementiæ est, honores illis deferri diuinos? ita ferè Vatablus & Cantacuzenus. Sed Osorius, Sà & Iansenius volunt hîc alludi ad maledictionem quâ serpenti maledixit Deus in paradiso.

Genes. 3.

CAPVT XVI.

Ob fœdam idololatriam docet seuerè punitos fuisse Aegyptios: à contra Hebræos, licet Deo obmurmurantes & rebelles longè leniore pœna castigatos: & resipiscentes, nouis mox beneficijs auctos fuisse. In quo mirificè eluxit diuina Sapientia, pios conseruans, impios perdens.

℣.1. PER HIS SIMILIA, &c]Id est, rectè & appositè puniti sunt Ægyptij per quæ peccauerunt, nempe per vilia animalia, vt habes initio

tio Exod. Redit enim iam Salomon ad id quod initio cap. 11. probandum susceperat, per quæ quis peccat per eadem puniri. Amplificat autem pœnas Ægyptiorum ex antithesi cum pœnis leuioribus Israelitarum, & beneficijs in resipiscentes collatis.

¶. 2. QVIBVS in deserto SIN ob defectum panum & carnium murmurantibus Exodi 16. DEDISTI CONCVPISCENTIAM, id est, rem tanto affectu concupitam, miri DELECTAMENTI, *& noui*, neque antea degustati SAPORIS, nempe ORTYGOMETRAM] id est, coturnicum matrem, seu ducem & regem, supple cum infinito coturnicum exercitu matrem subsequente, vt dixi Num. 11. v. 31. Vtè contrario

¶. 3. ILLI, Ægyptij, PROPTER EA, QVÆ ILLIS OSTENSA ET in pœnam IMMISSA SVNT animalia, nempe muscas, ranas, sciniphes, quæ cibos illorum contaminabant & conspurcabant, AVERTERENTVR, nauscarent & præpedirentur ETIAM A NECESSARIA CONCVPISCENTIA, id est, à cibis ordinariè concupitis & naturæ necessarijs. Hebræi verò IN BREVI INOPES, id est, exiguo tempore penuriam experti, NOVAM GVSTAVERVNT ESCAM, nempe *coturnicibus* è longinquo accersitis saturati sunt. Nec mirum, Ægyptios ad INTERITVM SINE EXCVSATIONE; græce, *ineuitabilem*, punitos fuisse, cùm adeò *tyrannicè* tractarint Hebræos, vt dicitur v. 4. Hebræis *autem* satis erat breuior fames & punitio, nempe quanta sufficeret & murmuri illorum expiando, & ipsis experientiâ edocendis; quàm graues essent & intolerabiles diuturnæ illæ plagæ quibus INIMICI EORVM Ægyptij EXTERMINABANTVR, & sic diuinum erga se fauorem ac beneficium animo gratiore recognoscerent.

¶. 5. SÆVA BESTIARVM IRA, nempe *colubrorum*, vt sequitur, EXTERMINABANTVR & occidebantur quidē aliqui Hebræorum murmuranti ū, Num. 12. SED NON IN PERPETVVM IRA TVA PERMANSIT, quin non nisi ad breue tempus: nam mox placatus Deus, erigi iussit in altum serpentem æneum, in SIGNVM ac symbolum SALVTIS] non modò corporalis, sed & spiritualis à veneno peccati quòd serpens impresserat Euæ, Eua Adamo, Adamus nobis, vt Christus ipsemet explicat Ioan 3. vers. 14. Igitur *serpens* ille *æneus* non erat causa vel auctor sanitatis, vt dicitur v. 7. sed solum signum sanitatis à Deo per Messiam concessæ. Vide quæ dixi Num. 21.

¶. 6. AD COMMEMORATIONEM MANDATI LEGIS] id est, vt eo signo redderentur memores præceptorum legis diuinæ, neque ampliùs jis obstreperent, utpotè experti vindictam in rebelles & inobedientes.

¶. 7. QVI ENIM CONVERSVS EST] nempe oculis in serpentem æneum coniectis. ita Vatablus, cum Cantacuzeno, Osorio & Sà.

¶. 11. IN MEMORIA; græcè, *in memoriam*, SERMONVM, id est, præceptorum, TVORVM, & minarum ac promissorum, EXAMINABANTVR] Græcè, *exstimulabantur*, nempe à serpentibus, vt eorum aculeis, quasi stimulis puncti, perpetuò essent memores oraculorum tuorum.

¶. 14. HOMO, v. g. latro vel sicarius OCCIDERE QVIDEM PER MALITIAM potest corpus, seu suum, seu alterius hominis: sed occisum non potest rursum viuificare, nec ANIMAM, QVÆ semel à Deo in alteram vitam RECEPTA EST, in corpus REVOCARE. sicut tu potes, ô Deus, qui DEDVCIS AD PORTAS MORTIS; græcè, *inferni*, ET REDVCIS, quia A VITÆ ET MORTIS es Dominus, vt dixit vers. præcedenti.

¶. 16. PER IGNEM] Id est, per fulmina & fulgura, de quibus Exodi 9. Sed hic quædam enarrantur, vti & c. seq. circa plagas Ægyptiacas, quæ in Exodo subticentur.

¶. 18. QVODAM TEMPORE; nempe quo Deo placuit per ranas, bruchos, muscas punire Ægyptios, MANSVETABATVR, seu mansuescebat, IGNIS NE *combureret* illa ANIMALIA *in* IMPIOS Ægyptios *immissa*: de quibus iterum aget cap. vlt. v. vltimo. Rursus.

¶. 19. ET QVODAM alio TEMPORE EXARDESCEBAT IGNIS IN AQVA SVPRA VIRTVTEM naturalem, & præter consuetum naturæ ordinem: nempe cùm ignes grandini & imbribus permisti decíderent, vt dixit v. 17.

¶. 20. PRO QVIBVS, id est, quorum vice ac loco, vt est in Græco; nimirum, loco grandinis & pluuiæ igneæ in Ægyptios, depluisti MANNA filijs tuis, ANGELORVM ESCAM, quia ab angelis efformatum, & quidem vi naturali, ex materia ad id disposita, PANEM DE CÆLO, vel *cæli*: quia ex nubibus delapsum.

¶. 21. SVBSTANTIA TVA ὑποστάσις id est, subsistentia tua: nempe ipsum *manna*, quod iussu Dei non fictè, non deluforiè, sed verè subsistebat à parte rei, nec fallebat comedentes, OSTENDEBAT DVLCEDINEM, id est, benignitatem, Dei IN FILIOS Israel. ita Hugo, Cantacuzenus, Iansenius, Vatablus & Sà. ET DESERVIENS VNICVIVSQVE VOLVNTATI, seu desiderio comedentis, AD QVOD QVISQVE VOLEBAT, seu in quem quisque saporem propendebat, CONVERTEBATVR] græcè, *transtemperabatur*. Nempe manente eâdem substantiâ, varios sapores ad appetentium votum inducebat. Vbi figuram & similitudinem habes quâ explicari possit, quo pacto accidentia panis & vini in Eucharistia remaneant & sensu percipiantur, sine illorum substantia; inquit Lorinus ex Ioan. Hesselio, Petro Scarga & alijs. Reliqua de manna vide Exodi 16. & Num. 11. *Hessel. de Eucharist. Scarga contra Zuinglianos art. 8.*

¶. 22. IGNIS, qui niui, grandini & pluuiæ intactis miraculosè inscebatur, EXTERMINABAT FRVCTVS INIMICORVM, Ægyptiorum, nempe iumenta, & plantas, & homines quoque, qui in agris vel sub dio erant. Exodi 9.

¶. 23. HIC AVTEM idem ignis, VT NVTRIRENTVR IVSTI, Hebræi, ETIAM SVÆ VIRTVTIS OBLITVS EST ITERVM] id est, alia vice, scilicet, cùm manna, quòd aqueum & rori simile videbatur, igni tamen resisteret dum coqueretur, & in tortulas ac placentas indurescebat, vt est infra v. 27. & Numer. 11.

¶. 28. OPORTET PRÆVENIRE SOLEM, seu ortū solis, AD BENEDICTIONEM; græce, *δίχαεισίαν*, id est, bonam gratiam, TVAM recipiendam: vel ad gratiarum actionem pro manna reddendam. Vtrumque enim significat tam *benedictio*, quàm Eucharistia. Et vtrumque sensum amplectitur Burgensis. Posteriorem Cantacuzenus, Vatablus, Iansenius, Clarius & Osorius: ceteri priorem. Alludit porrò Salomon, ad vulgarem opinionem, quâ tempus matutinum precibus ac sacrificijs maximè opportunum censetur, & matutinas salutationes dijs accidere gratissimas, vt ex Apuleio, Seneca, Arnobio, Lipsio & Scaligero docet Ioan. Pineda.

ET AD ORTVM LVCISTE ADORARE] Græcè, ἀντυχάνειν, quòd etiam significat, occurrere & inter- *Pineda in Iob 31. v. 26. n. 9.*

interpellare. q.d. Oportebat summo mane, oriente luce & sole, colligere cæleste manna, nam post solis ortum liquescebat & euanescebat. Qua re monebantur Hebræi, si vellent aliàs quoque spirituale manna & animæ cibum, diuinaque beneficia nanciscì, debere primo diluculo per orationem pro ijs Deum interpellare, vt pulchrè docet S. Athanasius & Chrysostomus. Sic Iacob *in aurora* benedictionem Dei extorsit Genes. 32. & diuina Sapientia Prouerb. 8. pollicetur ei, *qui manè* ad eam *vigilauerit*, inuenturum illam. Porrò nulla fit hìc mentio adorationis ad *plagam Orientalem*, vt quidam putant. quia nefas id erat Iudæis, vt colligitur ex Ezechiele, docetque S. Hieron. Damascenus, Anastasius Nicenus & S. Thomas. Quia enim *Sanctum sanctorum* versus Occidentem vergebat, conuertebant se plerumque inter orandum ad Occidentem. Christiani è contra, quia Christus in cælum ascendit ex monte Oliueti, qui Ierosolymæ est Orientalis, & inde reducem (a) exspectant ad iudicium, & ob alias causas quas S. Bonauentura hìc enumerat, solent ex Apostolica traditione in templis suis versus Orientem orare.

Athan. citatus in Scholiis ad editionem 70. Sixtinam in Psalm. 5. Chrysost. in eundem Psalm. 5. Ezech. 8. v. 16. Hieron. ibid. Damasc. 4. Fidei c. 13. Anast. Nic qu. 18. in Script. S. Thom. t. 2. q. 3. a. 3 a Zach. 14. v. 4.

¥. 29. INGRATI ENIM est pigrè indormiscere rebus diuinis: vnde licèt talis speret in Deo, nihilominus frustrabitur *spe* sua, seu re sperata: nam perinde ac manna sole deficiebat incalescente (quod idem contingit *glaciei*) sic spes pigri tabescet, defluet & in nihilum abibit.

CAPVT XVII.

Pergit insectari Ægyptios, ob tyrannidem in Israelitas, grauissimis plagis punitos: vbi elegantissimè depingit spississimas Ægypti tenebras, tam externas, quàm internas, cum incredibili pauore & spectris horribilibus: Hebræis interim eâdem in regione, clara luce fruentibus.

¥. 1. ANIMÆ INDISCIPLINATÆ] Id est, homines imperiti, inassueti, inexperti iudiciorum tuorum.

¥. 2. INCLVSI SVB TECTIS, seu domicilijs proprijs, tamquam carceribus toto triduo conclusi. Nemo enim se mouit de loco in quo erat. Exodi 10. v. 23.

FVGITIVI PERPETVÆ PROVIDENTIÆ] Id est, destituti, & exules à communi prouidentia diuina, quæ perpetuò homines per solem & sidera illuminat. Sic c. 10. v. 10. dixit, Iacobum *profugum* fuisse *iræ fratris*. Vel potiùs, tanquam fugitiua mancipia, in obscuros carceres relegati sunt à diuina prouidentia, cui subesse detrectarant, & de cuius oculo malè senserant. Sequitur enim, *putant se latere*, &c.

¥. 3. DISPERSI ac separati ab inuicem TENEBROSO OBLIVIONIS VELAMENTO, id est, spississimis tenebris, quibus quasi velamento operti, se mutuo obliti, de se actum arbitrati, iacebant immoti sine cibo & potu per triduum, &c. Siquidem *nemo vidit fratrem suum, nemo se de loco mouit*. Exodi 10.

¥. 4. APPAREBANT ILLIS in tenebris PERSONÆ TRISTES] Græcè, *visiones*, spectra, laruæ, lemures mœsto vultu, truci aspectu. De quibus fusè Petrus Tyræus, & Martinus Delrio, & Alexander ab Alexandro.

Tyræus de Apparitionibus, &c. Delrio in Disquisit. Magicis. Alexander l. 2. c. 9. & l. 6. c. 19.

¥. 6. ILLIVS, QVÆ NON VIDEBATVR, FACIEI] nempe spectra illa in tantis tenebris non plenè, non perfectè cernebantur, sed subinde per intermicantes ignes sublucebant. Quo ipso spectrorum terror vel maximè augetur, dum peiora metuuntur quæ lateant, sed mox se proditura sint.

¥. 7. ET MAGICÆ ARTIS APPOSITI ERANT DERISVS, id est, illæ magorum illusiones & præstigiæ quibus illuserant Pharaoni & cereris Ægyptijs contra Moysen, etsi iam quoque adessent; nihil tamen efficere aut prodesse poterant: imò CVM CONTVMELIA fuit CORREPTIO SAPIENTIÆ GLORIÆ illorum, id est, contumeliosè correpta & redarguta fuit magica sapientia, quâ gloriabantur. Nimirum fateri coacti sunt impostores, se suis præstigijs nihil posse aduersus digitum Dei. *Exodi 8. v. 18.*

¥. 9. NAM ETSI NIHIL ILLOS EX MONSTRIS PERTVRBABAT, seu conturbare solebat, (assueuerunt enim magi eiusmodi monstris;) tamen quando in tenebris istis *transire* & discurrere cœperunt nouæ hæ belluæ, & insueta *animalia*, & *serpentum sibili* exaudiri; tanto metu *commoti* & exanimati sunt, vt *se negarent* aspectum ipsum *aeris* vel ad breue tempus ferre posse: nimirum aspicere nequibant horrenda monstra, quæ per intermicantia fulmina se visenda ingerebant.

¥. 10. NEQVITIA TIMIDA DAT TESTIMONIVM CONDEMNATIONIS] Græcè, *proprio testimonio condemnata*. Testis enim nequitiæ est timor, iudex conscientia. Quamdiu enim manet nequitia, manet timor: & ita semper manet certum condemnationis testimonium & sententia; illud fert timor vt testis, hanc conscientia vt iudex. Quamuis enim videatur foris audacter praua agere impius, de his tamen intus cogitur trepidare, inquit S. Gregorius. Oritur verò hic timor tum aliunde, tum maximè ex eo quòd sentiat homo se destitutum solido præsidio, quod ratio (cui iam rebellis est) vel per se inuenire, vel ab alijs exquirere, vel à Deo implorare, & impetrare solebat. Vnde vt nihil timidius, ita nihil imbellius improbo & nequam animo, qui latebras quærit, odit lucem, timet deprehendi, formidat puniri. E contrà *charitas foras mittit timorem*: pietas alacris est & fiducia & robore plena: vt agnoscunt etiam Ethnici Cicero, Seneca, Plutarchus, Macrobius & alij. *Gregor. l. 11. Moral. c. 22. & l. 27. c. 16. 1. Ioan. 4. v. 18. Cic. 1. & 2. de Finibus. Oration. pro Roscio &c. Sen. ep. 97. Plut. de Sera Numinis vind. Macrob. 1. in Somnium Scip. c. 10.*

SEMPER ENIM nequitia PRÆSVMIT SÆVA; Græcè, *sibi repræsentat grauia*, acerba, truculenta. quare? quia PERTVRBATA est suamet CONSCIENTIA] seu per propriam conscientiam, cuius iudicium, remorsum & reprehensionem euadere non potest.

¥. 11. NIHIL ENIM EST TIMOR NISI PRODITIO COGITATIONIS AVXILIORVM. Id est, non oritur aliunde timor, quàm quòd homo prodatur seu deseratur ab auxilijs à cogitatione seu ratione suggeri solitis, vt dixi v. 10. Vnde DVM AB INTVS MINORE EST EXSPECTATIO auxiliorum seu mediorum quibus possit euadere malum; MAIOREM COMPVTAT INSCIENTIAM EIVS CAVSÆ, DE QVA TORMENTVM PRÆSTAT sui animus metu perturbatus. Reputat enim (& meritò,) grauius sibi malum imminere, quod adhuc ignorat, latente etiamnum causa; ob quam & per quam tormentum de nouo obueniet. Cùm enim probè norit, plurimas à se datas causas, ignoret tamen quantas præcisè & quales, seu quàm efficaces: fingit sibi & coniectat pessima quæque, & longè peiora quàm forsan euentura sint. Exemplum mox subijcit

¥. 13. In Ægyptijs, QVI DORMIENTES IMPOTENTEM NOCTEM, id est, intolerabilem, vt Cicero & Quintilianus *principarum* quorumdam vocant *impotentissimum*. ita Iansenius. Vel, vt Castrius metonymicè, quia reddebat Ægyptios impotentes. Vocantur verò *dormientes*, quia licèt vigilarent, erant tamen quasi dormientes, vtpote in tenebris, *Cicero 5. Philippica.*

ab omni operatione vacantes, vanis somnijs & spectris conturbati, &c. EVMDEM porrò SOMNVM, id est, pari modo vt noctem, putà *impotentem*, omnes dormiebant, AB INFIMIS ET ALTISSIMIS INFERIS SVPERVENIENTEM] Alludit ad fabulam poëticam (a) qua *nox Orci* filia putabatur. Et solet Scriptura sicut lucem è cælo, ita tenebras ex inferno, vt matrice & natiuo fonte arcessere: Simili ferè modo dicimus *Aetnam*, *Heclam*, alioſque flammiuomos montes esse *os inferni*

a *Prolegom. de Idiotism. Hebr. n. 55.*

℣. 14. DEFICIEBANT, dissoluebantur, TRADVCTIONE ANIMÆ] id est, desertione virium animi, èx desperatione euadendi, inquit Cantacuzenus.

℣. 15. SI QVISQVAM Ægyptiorum forsan in terram vel in foueam præ metu, vel offendiculo lapsus DECIDISSET; surgere vel non poterat, vel non audebat, sed in eodem vestigio, quasi in carcere concluſus hærebat. ita Orosius, Liranus & alij vetustiores.

℣. 17. Etiam AVIVM SONVS SVAVIS] quæ B verno tempore, quale tunc erat, maximè cantillant, ac præ omnibus *luscinia*, quæ continuatis penè noctibus ac diebus, vt Plinius & Aristoteles scribunt, gratissimum cantum edit; Ægyptios terrebat & exanimabat: eratque quasi *musica in luctu*. Cùm è contrario Israelitæ, ceterique mortales, vt dicitur,

Eccli. 22. v. 6.

℣. 19. LIMPIDO collustrati LVMINE, NON IMPEDITIS OPERIBVS continerentur, id est, nulla ex parte impeditum haberent cursum operum suorum, & liberum vsum omnium membrorum.

℣. 20. SOLIS AVTEM Ægyptijs SVPERPOSITA ERAT GRAVIS NOX, Deo vapores crassos in aëre condensante, simul & subtrahente concursum suum oculis Ægyptiorum, non verò oculis Hebræorum aut aliorum mortalium, vt dixi Exodi 10. Erat porrò hæc tam alta Ægyptijs NOX VMbra & IMAGO TENEBRARVM mortis & tartari, C QVÆ SVPERVENTVRA ILLIS ERAT; Græcè, *superuenturæ erant*. Sed & IPSI met SIBI ERANT GRAVIORES TENEBRIS illis externis & materialibus, nempe propter internas & *spirituales mentis* tenebras, ignorantiam, ignauiam, timorem & sceleribus immersam conscientiam: ex his enim spiritualibus tenebris natæ sunt illæ *materiales*, & nascituræ erant tertiæ *infernales*, sicut pœnæ nascuntur ex culpa. ita Vatablus, Olcot & Cantacuzenus.

Olcot lect. 194.

CAPVT XVIII.

Adhuc confert Hebræorum, sapientia clientum, felicem sortem cum infelici Aegyptiorum hostium sapientia: siquidem hi altissimis oculorum & mentis offusi tenebris, illi D *clarissima luce fruebantur. Deinde insigni antitheſi amplificat beneficium seruati populi Israelitici tum in Aegyto, tum in deserto, cùm Aegyptiorum primogenita omnia occiderentur, & proiectiores obruerentur fluctibus maris Rubri.*

℣. 1. ET HORVM QVIDEM Ægyptiorum VOCEM, eiulatum, lamenta AVDIEBANT vicini Hebræi, SED FIGVRAM NON VIDEBANT] quòd tenebris & spissis vaporibus inuoluerentur Ægyptij, vt dixi c. 17. v. 20. Interim Hebræi,

℣. 2. QVI ANTE LÆSI ERANT, id est, dira perpessi fuerant ab Ægyptijs, QVIA iam NON LÆDEBANTVR ijsdem tenebris, & ceteris plagis, quibus Ægyptij, GRATIAS AGEBANT Deo: ET VT ESSET perpetuò similis DIFFERENTIA inter se & Ægyptios, DONVM PETEBANT] id est, eximiam istam gratiam à te postulabant. nempe, vt dum Ægyptij dirissimis vexarentur suppliciis, omnes Hebræi immunes essent, & diuinis fruerentur beneficiis.

℣. 3. PROPTER QVOD, seu propter quam Hebræorum postulationem; Græcè, *pro quibus*; & subaudiri posset *tenebræ*. q.d. Vice & loco tenebrarum quæ oppressérunt Ægyptios, HABVERVNT Hebræi in deserto DVCEM IGNOTÆ VIÆ COLVMNAM IGNIS ARDENTEM, quæ ipsis erat quasi *sol sine læsione* præfulgens ad iter demonstrandum, *& bona hospitia*, id est, commodas stationes in deserto. De his vide in Chronico, & Exodi 13. *Chronic. c. 19.*

℣. 4. PER QVOS Hebræos INCIPIEBAT; Græcè, *debebat*, INCORRVPTVM LEGIS LVMEN SÆCVLO, id est, orbi, DARI, scilicet in monte Sinai, Exodi 20. Vel dic, inchoationem actus pro ipso actu poni, *incipiebat dari*, pro *iam dabatur*; vt alibi dixi. *In Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 56.*

℣. 5. VNO EXPOSITO Moyse, sed IN TRADVCTIONEM ILLORVM LIBERATO; Græcè, *in redargutionem*, in correptionem Ægyptiorum. Nam ex aquis nutu diuino eductus est Moyses, ad Ægyptios postea castigandos.

℣. 6. ILLA NOX, quâ Ægyptiorum occisa sunt primogenita, ANTE COGNITA fuit A PATRIBVS NOSTRIS, quia prædicta & præostensa ab angelo quatuordecim antè diebus, vt habes Exodi 12. v. 2. & 12. Quod etiam Pharaoni diu antè prædici iussum, Exodi 4. v. 22. Idque VT ANIMÆQVIORES; Græcè, *securo*, tranquillo, constanti *animo*, ESSENT Hebræi, nempe ad credendum, quòd omnia à Deo patribus olim promissa certò complenda essent suo singula tempore; quandoquidem iam VERE, certò, indubitatè rescirent, imò oculis suis & experientiâ ipsâ viderent, compleri *iuramenta* recentia QVIBVS *crediderant*, putà de primogenitis Ægyptiorum omnibus vna nocte iugulandis. Cùm enim multa promittuntur diuerso tempore complenda, si vnum alterumque compleri videamus, secuti certique reddimur, etiam reliqua similiter completum iri.

℣. 7. SVSCEPTA EST ergo A POPVLO TVO, cum gaudio SANITAS] id est, salutis & vitæ illa nocte conseruatio.

℣. 8. Nos PROVOCANS] Græcè, *conuocans*, inuitans, ad redamandum, ad gratias redhibendas.

℣. 9. ABSCONSE; Græcè, *clam* & occultè, SACRIFICABANT Hebræi agnum paschalem immolantes.

ET IVSTITIÆ; Græcè, *diuinitatis*, LEGEM, id est, iustum Dei mandatum, iubentes vt omnes simul Ægypto excederent, IN CONCORDIA DISPOSVERVNT, id est, vno omnes consensu complere statuerunt SIMILITER ET BONA ET MALA RECEPTVROS, id est, instar vnius populi consortes futuros omnes eorumdem & bonorum & malorum, prosperorum & aduersorum, vitæ & necis. Vnde & læta voce & hilari animo inter epulas agni *decantabant* LAVDES; Græcè, *præcinebant hymnos* PATRVM suorum, seu quos à patribus acceperant, putà vel ab antiquioribus Patriarchis, vel à modernis Moyse & Aaron & senioribus populi. Nempe lætos canebant hymnos Hebræi: sed Ægyptij ex altero choro flebiles & tristes lessos, ob cædem primogenitorum.

℣. 13. NON CREDENTES ENIM Ægyptij verum esse vel vnum DE OMNIBVS quæ Moyses dicebat, idque PROPTER VENEFICIA magorum suorum, quia videbant magos præstigiis suis similia quædam mira patrare, atque patrabat Moyses; postea

postea videntes EXTERMINIVM PRIMOGENITORVM suorum, vel inuiti confessi sunt (ita est in Græco) populum Israeliticum esse filium Dei, id est, instar dilectissimi filij, Deo curæ ac cordi esse. Et quidem tam firmiter, tam asseueranter id confessi sunt, vt & spondere auderent, nec nisi pro tali deinceps haberi sustinerent: vnde & liberè Ægypto exire, & quæcumque peterent secum efferre permiserunt.

¥. 15. SERMO TVVS DVRVS, id est, decretum tuum, seu sententia dura, A REGALIBVS SEDIBVS, id est, à solio tuo regali, debellatura & excisura hostes tuos, desilijt IN MEDIAM EXTERMINII TERRAM] id est, in Ægyptum exterminio & exitio destinatam.

¥. 16. GLADIVS ACVTVS est sententia diuina ferens *gladium*, id est, instrumentum & modum necis inferendæ. *Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Non fictum, *non simulatum*, non comminatorium, sed certum & certæ executioni mandandum IMPERIVM TVVM PORTANS. *Ad Hebr. 4. v. 12.*

VSQVE AD CÆLVM ATTINGEBAT STANS IN TERRA] Hyperbolica locutio, quâ designatur, fuisse maximam & amplissimam vindictam, quam nemo primogenitorum euadere potuisset, etsi in mediis cælis delituisset. Lorinus & Carrius volunt hac phrasi notari celeritatem vindictæ. q. d. Necdum relicto cælo, vnde mittebatur, iam terram pede calcabat, & iussum exequebatur. Porrò ex dictis patet, hæc omnia ad litteram exponenda de cæde Ægyptiorum facta verbo seu iussu Dei. Quòd ergo Ecclesia in Officio Natiuitatis & Epiphaniæ Domini hæc accommodet incarnationi vel natali Christi id sensu allegorico facit. nam sicut hîc dicitur sermo seu verbum Dei descendisse de cælo in Ægyptum, vt occideret hostes suos, & liberaret filios suos: sic per incarnationem & natiuitatem descendit in mundum, vt exterminaret peccatum, mortem, diabolum, & liberaret captiuos homines. Anagogicè, S. Chrysostomus, Theophylactus, Hieronymus, id accipiunt de aduentu Christi ad vltimum iudicium, quod ex Apostolica traditione futurum dicunt media nocte, ad maiorem terrorem reproborum. Quidam tamen non improbabiliter id manè futurum putant, eo hebdomadæ die & temporis puncto, quo Christus resurrexit. *Chrysost. Theophyl. Hieron. in c. 25. Matt.*

¥. 16. TVNC CONTINVO VISVS SOMNIORVM MALORVM] id est, terrifica visa, & horrifica somnia, quibus infelices primogeniti exagitati sunt, mox morituri. Interim per visa illa & somnia edocebantur de causa mortis quam vlciscente numine subibant, & eamdem causam aperiebant passim suis, dum semineces & moribundi iacerent, nempe, quòd Hebræos primogenitum Dei populum iniustè afflixissent, & diuinum præceptum de ijs dimittendis contempsissent.

¥. 20. TETIGIT AVTEM TVNC, paulò post cædem Ægyptiorum, ET IVSTOS Hebræos TENTATIO; Vatablus, *periclitatio*, MORTIS] nempe, dum vnà cum Core, Dathan & Abiron aduersus Moysen & Aaron insurgerent, Num. 16. Sed longè mitiore & breuiore pœnâ castigati sunt.

¥. 21. PROPERANS ENIM iussu Moysis sic edocti à Deo, HOMO SINE QVERELA; Græcè, *irreprehensibilis*, putà Aaron, qui quoad ambitionem pontificiæ dignitatis, de qua seditiosi illum accusabant, verè innocens erat: DEPRECARI PRO POPVLIS; græcè, *propugnauit populum*, PROFERENS A SERVITVTIS SVÆ SCVTVM; græcè, *proprij ministerij arma*, ORATIONEM ET INCENSVM, quod species erat sacrificij; FINEM IMPOSVIT NECESSITATI; græcè, *calamitati*: quæ quia vitari non poterat à populo, *necessitas* tum hîc, tum (vt alibi meritò appellatur. *2 Cap. 17. v. 16 & 19. v. 4. & psal. 24. v. 17. psal. 30. v. 8.*

¥. 22. VICIT AVTEM IVRBAS; græcè, *turbationem*, vel turbatorem, seu eum qui per plagas turbabat populum. Designat angelum percussorem & exterminatorem rebellis populi. Hunc angelum lictorem Dei, QVI SE & populum Dei VEXABAT; græcè, *puniebat*, torquebat, SVBIECIT Aaron pontifex VERBO orationis & precũ, quibus iratum ita compressit, vt quodammodo parere sibi coëgerit, COMMEMORANS, seu allegans, IVRAMENTA & promissa Dei iurata, item TESTAMENTVM PARENTVM, id est, pactum initum cum Abrahamo & reliquis Patriarchis.

¥. 23. INTERSTITIT; græcè, *stans medius* inter occisos & adhuc viuentes, AMPVTAVIT suo sacrificio & oratione IMPETVM vindictæ; græcè, *iram præscidit*, ET DIVISIT VIAM QVÆ AD VIVOS DVCEBAT] id est, suo aduentu & prece intercidit transitum ignis ad reliquos adhuc superstites. Historiam habes Num. 16.

¥. 24. IN VESTE ENIM PODERIS, id est, talari, ἐνδύτῃ ποδήρει. Erat hæc linea pontificis tunica coloris hyacinthini strictis manicis ad talos vsque demissa. Sed sub hac veste per synecdochen subintelliguntur reliquæ septem vestes pontificiæ, de quibus vide Exodi 28. vbi v. 38. etiam exposui, quo sensu & quo fine Sapiens hîc dicat, in ea *veste* adumbratum fuisse *totum orbem terrarum*, ET PARENTVM MAGNALIA, seu parentibus exhibita beneficia; græcè, *parentum glorium*, seu gloriosa nomina & insignia 12. Patriarcharum, quæ signis hieroglyphicis, teste Philone, insculpta erant 12. lapidibus pretiosis in rationali pontificis, vt habetur Exodi 28.

¥. 25. HIS AVTEM, sacrificio & precibus Aaronis sacra & mystica veste ornati, (vt reipsa comprobaretur verum esse & efficax Dei imperium in orbem vniuersum, omnesque creaturas, quòd designabatur per mysticã illam vestem, quâ tenens Dei locum pontifex ornabatur,) CESSIT angelus QVI EXTERMINABAT, ET HÆC EXTIMVIT, id est, perinde ac si timeret, abstinuit ab vlteriore cæde & exterminatione. ERAT ENIM SVFFICIENS, seu sufficiebat, Hebræis SOLA TENTATIO IRÆ] Græcè, *experientia iræ*, seu indignationis diuinæ. q. d. Satis erat, Hebræos occisione paucorum millium iam expertos esse iram Dei, vt corrigerentur qui superabant. Poterant nempe alieno malo sapere, & sociorum periculo cautiores reddi. Neque enim erant obstinati in malo & incorrigibiles, vt Ægyptij, quibus idcircò *vsque* ad *nouissimum ira superuenit*, vt dicitur initio cap. seq.

CAPVT XIX.

Persistit in comparando populo Dei cum hostibus sapientia Ægyptius, & hos ait mari Rubro submersos, Hebræos carnibus concupitis recreatos: Ægyptios cæcitate percussos, Hebræos lumine aliisq; beneficiis præuentos. Tandem pro omnibus gratias agens diuinæ Sapientiæ, librum concludit.

¥. 1. IMPIIS Ægyptiis SVPERVENIT IRA SINE MISERICORDIA? græcè, *immisericors*, & quæ nulli parceret, nullum intercessorem, nullum deprecatorem admitteret. Et superuenit VSQVE IN NOVISSIMVM, seu vltimum, ita vt

cunctos inuolueret clades: nam nulla domus erat A sine luctu, sine funere. Græcè est, *vsque in finem*, seu ad internecionem omnium, putà iam adultorum, qui secuti Pharaonem, cum illo obruti sunt aquis maris Rubri, vt sequitur.

Sciebat ENIM diuina Sapientia, non sola præterita & præsentia Ægyptiorum scelera, sed PRÆSCIEBAT FVTVRA, nempe quòd dimissum semel populum Israeliticum rursus infensis animis & infestis armis prosecuturi essent & in pristinam seruitutem retracturi. Vnde meritò statuit iam tum ab initio, sæuire in Ægyptios SINE MISERICORDIA *vsque in interitum*.

℣. 2. CVM MAGNA SOLLICITVDINE; græcè, *studio*, PRÆMISISSENT, imò deduxissent Hebræos, non honoris aut affectus gratiâ, sed ex timore panico, ne nouis rursum plagis, illorum causâ inuoluerentur; mox POENITENTIA ACTI, & ducti dispicentiâ eius quod benè factum fuerat, CONSEQVEBANTVR] græcè, *persequebantur* Hebræos. Et hoc est quod mox subdit sequenti

Exodi 13. v. 31. & seqq.

℣. 3. ALIAM SIBI ASSVMPSERVNT COGITATIONEM INSCIENTIÆ] Græcè, *aliud insanum consilium arripuerunt, in extremam sui perniciem.*

℣. 4. DVCEBAT ENIM ILLOS AD HVNC exitij FINEM DIGNA NECESSITAS] id est calamitas iustè ab ipsis promerita, atque ideo absolutè à Deo decreta, ac per consequens necessaria & ineuitabilis, vt dixi c. 18. v. 21. Necessitas enim hæc non erat coactionis, vt notat S. Bonauentura, sed immutabilitatis, quia si voluissent, poterant pœnitere, & sic pœnam vitare, sed nolebant; quo præuiso, decreuit Deus absolutè eos punire. Ergo necessitas erat consequens voluntatem illorum, non antecedens.

℣. 6. OMNIS propemodum CREATVRA AD SVVM GENVS; Græcè, *quæq; in suo genere & natura* AB INITIO; Græcè, *rursus*, REFIGVRATA est, id est, transmutata, & in aliam figuram reducta, idque VT PRÆCEPTIS, seu decretis, TVIS *deseruiret*. v. g. mare Rubrum fissum, & fixum stetit immobile, & alueus eius exsiccatus est, vt Hebræi transirent illæsi, Ægyptij verò præfocarentur.

℣. 7. ET CAMPVS GERMINANS; Græcè, *herbam proferens*, DE PROFVNDO NIMIO] putà de alueo maris. Iansenius, Sà & plerique alij id figuratè dictum volunt, quòd alueus iste fuerit Hebræis instar campi virentis, quia summa lætitia & alacritate illum transibant perinde ac si per amœna & virentia prata transiuissent. Sed Osorius, Vatablus, Pineda, Castrius & Lorinus id propriè accipiunt vt sonat, voluntque ex Plinio, in fundo maris, saltem plurimis locis herbas, plantas, imò siluas esse. Cur enim minus quàm corallia?

Pineda in Iob 26. v. 5. n. 1. Pl n. l 13. v. 25.

℣. 9. TAMQVAM EQVI DEPAVERVNT ESCAM] Græcè, *pasti sunt*, vel, vt alij, hinnierunt, præ nimio pastu & gaudio. Iansenius id exponit de pastu in deserto, & Sà nominatim de manna. Sed malim cum Lirano, Carthusiano & Lorino exponere de tempore trãsitus per mare Rubrum. Videtur enim Salomon alludere ad *campum germinantem* cuius antè meminit, vt quemadmodum in eo equi, agni & alia iumenta saliunt & lasciuiunt, herbam carpendo & cuticulam curando, sic mille lætitiis incesserint Hebræi, & infinito gaudio tripudiarint, choros agendo, arma reliquaque spolia Ægyptiorum submersorum legendo, & opimâ prædâ sese ditando. Exodi 14. & 15. Similia habes Isaiæ 63. v. 13. & seqq.

℣. 10. IN INCOLATV terræ Ægyptiacæ, in qua iuxta vaticinium Genes. 15. vers. 13. peregrinari debuerant vsque ad expletos annos 400.

PRO NATIONE; græcè, *generatione*, vel sobole, ANIMALIVM terrestrium & hominibus vtilium, & quæ per naturalem generationem propagentur (quæ sola censentur digna nomine *animalium*;) EDVXIT TERRA MVSCAS, culices & sciniphes, quæ, quia vilia admodum sunt & inutilia, imò noxia, & ex putri materia vltrò procreantur, videntur nomine *animalium* indigna. ita passim interpretes.

℣. 11. NOVISSIME AVTEM; græcè, *in posteriore tempore*, cùm iam in deserto famerent Hebræi, VIDERVNT NOVAM CREATVRAM AVIVM] nempe *ortygometram*, vt sequitur, de qua Exodi 16. & Num. 11. & Sap. 16. v. 2. Quæ noua Hebræis erat, quia noui saporis, & plerisque antè non degustati, forsan nec visa, saltem tanta copia & in loco deserto.

℣. 12. IN ALLOCVTIONE; Græcè, *ad consolationem*, seu leuamen, DESIDERII quo carnibus inhiabant Hebræi. At contrà PECCATORIBVS Ægyptiis SVPERVENERVNT in fundo maris Rubri VEXATIONES; Græcè, *supplicia*, etiam PER VIM FVLMINVM] quæ Deus in ipsos eiaculabatur, priùs quàm aquis illos inuolueret, vt colligitur ex c. 14. Exodi v. 24. & docent Philo, Iosephus, & Artapanus apud Eusebium.

Philo l. 1. de Vita Moysis. Ioseph l. 2. Antiq. c. 7. Euseb. l. 9. de Præpar. c. vlt.

℣. 13. DETESTABILIOREM INHOSPITALITATEM INSTITVERVNT Ægyptij, quàm Sodomitæ, quorum suprà meminerat c. 10. v. 6.

ALII QVIDEM, nempe Sodomitæ, NON RECIPIEBANT ADVENAS angelos, sed IGNOTOS sibi, nec de se (quod scirent) benè meritos.

ALII AVTEM, nempe Ægyptij, BONOS sibi; Græcè, *beneficos*, benefactores, HOSPITES Israelitas, IN indignam SERVITVTEM iniustissimè REDIGEBANT] Multis enim modis profuerant Ægypto tum Iosephus, tum fratres eius & posteri Israelitæ.

℣. 14. SED ET ALIVS RESPECTVS ILLORVM ERAT, seu aliud discrimen respectu & consideratione dignum. Quòd nempe Sodomitæ EXTRANEOS quasi hostes EXCIPIEBANT INVITI] ac proinde nil mirum si non essent in eos beneuoli. At Ægyptij

℣. 15. CVM LÆTITIA; Græcè, *cum festiuitatibus*, RECEPERVNT Israelitas, sub ingressum Iacobi eiusque familiæ in Ægyptum: & ipsi EISDEM VSI ERANT IVSTITIIS, id est, legibus ciuilibus, vtpotè admissi & tamquam ciues recepti in rempublicam Ægyptiorum: postea tamen tamquam hostes reipublicæ & perduelles, SÆVISSIMIS laboribus ac DOLORIBVS afflicti sunt ab iisdem. Habes aliud enorme inhospitalitatis Ægyptiacæ argumentum in Busiride hospitem Thasium diis, ad Ægypti sterilitatem auertendam immolantis apud Ouidium, Hyginum & alios.

Ouid. l. Fastor. Hygin. in fabulis.

℣. 16. PERCVSSI SVNT AVTEM Ægyptij CÆCITATE, triduo illo tenebrarum (*a*,) SICVT Sodomitæ IN FORIBVS IVSTI Loth (*b*.) q. d. Ob similem, imò grauiorem culpam, iustè plexi sunt simili pœna.

a Sup. c. 17. v. 2. & Exodi 10. b Genes. 19. v. 11.

℣. 17. ELEMENTA ENIM Dei nutu & iussu sic interdum IN SE ipsis CONVERTVNTVR, (non naturâ vel substantiâ, sed qualitate transmutatâ,) ad omnes vsus quos Deus optat: SICVT chordæ IN ORGANO musico, quæ *omnes* proprium SVVM SONVM suo in genere retinent & CVSTODIVNT. crassum

crassum crassæ, subtilem subtiles; tamen pro vario digitorum motu & chordarum pulsatione, SONVS QVALITATIS, IMMVTATVR, & concentus variatur. VNDE? græcè, *quod*, ÆSTIMARI CERTO POTEST, & clarè cognosci, EX IPSO VISV factorum, seu ex intuitu ipsaque experientia rerum quæ gestæ sunt in Ægypto. Nam

A LIVM, facileque consumptibilium *animalculorum* COAMBVLANTIVM Ægyptijs, vt ibid. dixit v. 23. putà ranarum, muscarum, sciniphum, locustarum: quas Castrius dicit, etiam in rogos congestas ab Ægyptijs, igne iam naturæ suæ oblito, combustas non fuisse. NEC eædem flammæ ignis, quæ omnia liquefaciunt, DISSOLVEBANT ILLAM BONAM ESCAM, QVÆ tamen naturâ suâ FACILE DISSOLVEBATVR instar glaciei; Græcè, *non liquefaciebat ignis liquefactibile genus ambrosianæ escæ*: putà *manna*, quod post exortum solem liquescebat humi, instar glaciei, vel grandinis: sed ante ortum solis collectum, etiam ignibus resistebat, & in ciustulas & tortas indurescebat, vt suprà dixit. Gentiles *ambrosiam* cibum fingebant deorum, sicut *nectar* potum. De quibus vide Athenæum, Rhodiginum, & Thesaurum linguæ Græcæ. Meminit & Dioscorides & Plinius à Matthiolo citati, plantæ *ambrosiæ*, quæ suo in cibos vsu reddit homines longæuos. Allegoricè, hæc Christo conueniunt in SS. Eucharistia.

Athen. l. 2. & 6 Rhodigin. l. 7. c. 13. Matthiol. l. 3. c. 112.

B

C

a *Exodi 7. v. 20. & Psalm. 77. v. 44 & Psalm 104. v. 29.*

¥. 18. AGRESTIA, id est, terrestria, seu quibus terra data est ad inhabitandum, putà Hebræi, & Hebræorum iumenta & greges assueti perpetuò terris, iubente Deo, IN AQVATICA CONVERTEBANTVR, id est, in loca aquis propria transibant, vt est in Græco. ET QVÆCVMQVE ERANT NATANTIA; Græcè, *& natatilia*, IN TERRAM TRANSIBANT. nempe pisces, sed mortui in terram eijciebantur (a) ranæ verò etiam viuæ penetrabant ipsa quoque cubilia Ægyptiorum.

¥. 19. IGNIS IN AQVA VALEBAT] cùm pluuiæ & grandini misceretur, vt dixerat c. 16. v. 22. Sic

¥. 20. FLAMMÆ fulminum Ægyptijs immissæ, NON VEXAVERVNT; Græcè, *non fecerunt marcescere* vel contabescere CARNES CORRVPTIBI-

ECCLESIASTICVS,

ID EST,

CONCIONATOR.

A Latinis sic inscribitur, ad imitationem simul & distinctionem libri Salomonis qui *Ecclesiastes* dicitur. Complectitur enim similem moralem Philosophiam, sed luculentioribus & neruosioribus sententiis: vnde & Græcis παναρετος dictus est, teste Eusebio, Hieronymo, Hilario, Augustino, & Rabano Mauro, quia de omni virtute præcepta tradit: quibus insignia Dei, diuinorumque operum, & virorum illustrium encomia subnectuntur.

Hieron. prolog. in libros Salom. on. Hilar. in Psalm. 140. August. 2. Doct. Christiana c. 8. Isidor l. 6. Etymol. c. 2.

Inscriptus aliquando fuit Salomoni, teste eodem Hilario, Hieronymo, Augustino & Isidoro, vnde & Concilium Carthaginiense III. cap. 43. eum citat nomine Salomonis, nempe ob parabolarum & phrasium similitudinem, & quia ex Salomonis parabolis quædam hinc inde huic operi insparguntur. Sed certum est, non Salomonem, sed *Iesum filium Sirach*, Ierosolymitam, cui iam passim à Græcis & Latinis adscribitur, auctorem esse, vt constat ex Prologo & c. vlt. libri: Iesum, inquam, seniorem, qui putatur fuisse nepos vel abnepos Iesu sacerdotis magni, cum Zorobabele reducis è Babylone sub Cyro, inquit idem Isidorus: & fuisse vnus è LXXII. interpretibus, qui iubente Ptolomæo Philadelpho Biblia ex Hebræo in Græcum idioma transtulerunt. Et scripsit Hebraicè: nam id in Prologo asseritur, & S. Hieronymus affirmat se vidisse Hebræum exemplar: sed illud iam intercidit. Porrò ex Hebræo transtulit illud in Græcum Iesus iunior, nepos senioris, idque in gratiam Græcorum & Proselytorum, vt patet ex Græco Prologo, quem libro aui sui præfixit, & præfixum retinet etiam Romana editio, tamquam Canonicam Scripturam, & paris auctoritatis cum ipso libro Ecclesiastici. De cuius auctoritate sat multa dixi initio libri *Sapientiæ*: nam vterque liber vt eosdem habet hostes, ita & eosdem habet propugnatores.

PROLOGVS.

MVLTORVM nobis, & magnorum, per legem & prophetas, aliosque qui secuti sunt illos, sapientia demonstrata est: in quibus oportet laudare Israel doctrinæ & sapientiæ causâ: quia non solùm ipsos loquentes necesse est esse peritos, sed etiam extraneos posse & dicentes & scribentes doctissimos fieri. Auus meus Iesus, postquam se ampliùs dedit ad diligentiam lectionis legis, & prophetarum, & aliorum librorum, qui nobis à parentibus nostris traditi sunt: voluit & ipse scribere aliquid horum, quæ ad doctrinam & sapientiam pertinent: vt desiderantes discere, & illorum periti facti, magis magisque attendant animo, & confirmentur ad legitimam vitam. Hortor itaque venire vos cum beneuolentia, & attentiori studio lectionem facere, & veniam habere in illis, in quibus videmur, sequentes imaginem sapientiæ, deficere in verborum compositione. Nam deficiunt verba Hebraica, quando fuerint translata ad alteram linguam. Non autem solùm hæc, sed & ipsa lex, & prophetæ, ceteraque aliorum librorum, non paruam habent differentiam, quando inter se dicuntur. Nam in octauo & trigesimo anno temporibus Ptolemæi Euergetis regis, postquam peruenì in Ægyptum, & cùm multum temporis ibi fuissem, inueni ibi libros relictos, non paruæ neque contemnendæ doctrinæ. Itaque bonum & necessarium putaui & ipse aliquam addere diligentiam & laborem interpretandi librum istum: & multa vigilia attuli doctrinam in spatio temporis, ad illa quæ ad finem ducunt, librum istum dare, & illis qui volunt animum intendere, & discere quemadmodum oporteat instituere mores, qui secundùm legem Domini proposuerint vitam agere.

DEFICIVNT VERBA HEBRAICA] A Græcè, *non parem vim habent.*

QVANDO INTER SE, id est, in se, & sua propria lingua, DICVNTVR, NON PARVAM HABENT DIFFERENTIAM] id est, multum differunt à verbis & sententiis Græcis vel Latinis, in quæ Interpres Hebræa conuertit.

OCTAVO ET TRIGESIMO ANNO vitæ Iesu iunioris, ut vult Liranus: vel, vt alij, 38. anno ex quo auus eius hunc librum Hebraicè conscripsit. Saltem non est hîc sermo de annis Ptolemæi Euergetis, quia hic non 38 sed solum 26. annis regnauit, vt ex Eusebio, Mariano, Strabone & aliis docui in Chronico. *Chron. c. 39*

MVLTA VIGILIA ATTVLI DOCTRINAM IN SPATIO TEMPORIS, id est, magnâ diligentiâ adhibui quantam habeo scientiam, illo temporis interuallo quo in Ægypto fui: AD ILLA QVÆ AD FINEM DVCVNT] id est, ad perficiendum opus. C

CAPVT I.

Describit originem sapientiæ, quæ est ipse Deus, qui illam communicat timentibus ac diligentibus ipsum. imò timor & amor Dei creant in homine sapientiam, omnemq; virtutem.

℣. 3. SAPIENTIAM DEI QVIS INVESTIGAVIT?] Nempe incomprehensibilis est, longè magis quàm *arenæ maris, dies sæculi* vel temporis etiam imaginarij, &c. Agit hîc primo loco de Sapientia increata. Quæ cùm dicitur

℣. 4. PRIOR OMNIVM CREATA, perinde D est ac si dicatur, *genita* ante omnia, seu extitisse ab æterno. ET INTELLECTVS PRVDENTIÆ in Deo fuisse AB ÆVO] id est, omni tempore imaginabili. Quod S. Paulus dicit, *à temporibus* (a) *æternis, & ante tempora* (b) *sæcularia.*

a Rom. 16. v. 25.
b Ad Tit. 1. v. 2.

℣. 5. FONS omnis SAPIENTIÆ est VERBVM DEI IN EXCELSIS, seu excelsum: *Verbum*, inquam, *increatum*, idque tum *notionale*, quod est Filius Dei, secunda Trinitatis persona: tum *essentiale*, id est, ipsa conceptio, intellectio & iussio Dei, quâ scilicet omnia *dixit, & facta sunt.* Posset nihilominus etiam exponi de *verbo creato*, nempe de *lege*, creaturis omnibus data vel indita à Deo. *Lege*, inquam, tum morali & propriè dicta, vti est lex *naturæ*, & *positiua* data creaturis rationalibus, angelis & hominibus: tum impropriè dicta, & innata creaturis ratione carentibus. quo sensu dicitur, *legem* posuisse *aquis*, igni & cœlis: estque naturalis cursus & ordo eorumdem, atque inclinatio indita à Deo.

ET INGRESSVS ILLIVS] Rectiùs, scaturigo sapientiæ: vel, si mauis, viæ quæ ducunt ad sapientiam, sunt MANDATA ÆTERNA Dei, id est, mandata immutabilia & æternùm duratura: In quo differunt à mandatis hominum, facilè mutabilibus.

℣. 6. ASTVTIAS ILLIVS] Id est, rationes, vias & modos quibus omnia disponit & gubernat.

℣. 7. MVLTIPLICATIONEM INGRESSVS] Id est, multiplices vias & varias semitas quibus vtitur sapientia. Hunc totum versum omittunt Græci, vti & 3. 14. 15. 17. 18. 19. & plurima alia toto hoc libro.

℣. 8. DEVS, SEDENS SVPER THRONVM ILLIVS] Græcè, *suum.*

℣. 9. IPSE CREAVIT ILLAM] id est, produxit, quocumque demum modo producendi. Sic enim ab Hebræis vsurpatur verbum *creare.* Itaque increatã Sapientiam, id est, Filium suum, (de quo penè omnes veteres hunc locum exponunt) *creauit*, seu produxit gignendo. Creatam verò, concipiendo & efformando in se ideam mundi creandi, cum numero, pondere & mensura rerum omnium faciendarum. Græci omittunt quod sequitur, IN SPIRITV SANCTO, id est, in, vel ex, sua spirituali diuinitate. ita Iansenius. Nempe increatam Sapientiam produxit ex spiritualis naturæ suæ fœcunditate: creatam, ex spirituali dilectione seu amore creaturarum. Quòd si cum quibusdam per Spiritum sanctum hic intelligas tertiam SS. Trinitatis personam, tum exponere licebit, Deum produxisse Filium suum, IN, id est, vnà cum SPIRITV SANCTO: nam producto Filio, simul cum illo producit Spiritum

tum sanctum, vt docet fides Catholica. Porrò de crebra enallage præpositionis *in*, pro *cum*, *ex*, *à*, *de*, &c. alibi monui.

In Prolog. in Idiotism. Hebr. num. 12.

℣. 10. SECVNDVM DATVM; Græcè, *donum*, SVVM] id est, prout cuique voluit donare, pauperibus, diuitibus, senioribus, iuuenibus, sine respectu vel acceptione personarum.

℣. 11. TIMOR DOMINI, id est, reuerentia & cultus Dei, initium sapientiæ, GLORIA ET CORONA, id est, causa gloriæ & coronæ, EXVLTATIONIS] id est, exultationem afferentis.

℣. 15. QVIBVS APPARVERIT IN VISV, id est, quibus se manifestarit sapientia ij DILIGVNT EAM IN VISIONE] id est, visam & cognitam.

℣. 16. TIMOR DOMINI CVM FIDELIBVS IN VVLVA CONCREATVS EST] Hyperbole, pro, iam inde à tenera ætate Deum timere & colere incipiunt. Nisi intelligas de indole bonæ naturæ procliui ad pietatem, vt dixi Sap. 12. v. 10. In Ieremia, in B. Virgine, in Ioanne Baptista, & alijs in vtero sanctificaris, etiam ad litteram completum fuit quod hîc de vulua dicitur. Reliquum huius versiculi omittitur in Græco. B

℣. 17. TIMOR DOMINI est SCIENTIÆ RELIGIOSITAS] id est, sciens, prudens, vera religio & Dei cultus.

℣. 19. PLENITVDO A FRVCTIBVS ILLIVS] Id est, implens timentem Deum fructibus suis. Vnde Græcè est, *inebriat*, id est, saturat, inquit S. Hieronymus.

Hieron. 99. sup. Genes.

℣. 21. À GENERATIONIBVS] id est, fructibus, quos illi gignet. Hebraismo sæpè hîc redundat præpositio *à*, *in*, &c. vt alibi (*a*) dixi.

(a) In Prolegom. de Idiotismis Hebr. 12.

℣. 21. REPLENS PACEM, id est, plenam afferens pacem, Græcè, *germinans*. ET SALVTIS FRVCTVM; Græcè, *sanitatem salutis*, id est, integram salutem.

℣. 23. VTRAQVE AVTEM, scilicet pax & salus: item causæ vtriusque, timor Dei & sapientia, SVNT DONA DEI] & quidem eximia. C

℣. 24. COMPARTIETVR] Id est, pro capacitate vniuscuiusque communicabit & distribuet; Græcè, *distillauit*, vel quasi imbrem diffudit.

℣. 25. RAMI ILLIVS LONGÆVI] Græcè, *longæuitas*. Ex timore enim Domini, velut ex radice, oriuntur hi rami, id est, fructus, longæuitas & prosperitas.

℣. 28. QVI SINE TIMORE DEI EST, NON POTERIT IVSTIFICARI, neque Deo placere. IRACVNDIA ENIM ANIMOSITATIS ILLIVS, SVBVERSIO ILLIVS EST] id est, dum cupiditatibus & passionibus animi sui prauis obsequitur, præceps ruit & subuertitur.

℣. 30. BONVS SENSVS, id est, vir boni sensus, seu sensatus & patiens, ABSCONDET VERBA ILLIVS] nempe sensus vel affectus, id est, verba sua. q.d. Reprimet iram, impatientiam & reliquos animi motus, ne foras prorumpant. D

ENARRABVNT] scilicet cum laude.

℣. 31. IN THESAVRIS SAPIENTIÆ SIGNIFICATIO DISCIPLINÆ] Græcè, *parabolæ scientiæ*, id est, sententiæ graues & doctæ continentur & traduntur in schola sapientiæ.

℣. 32. EXECRATIO AVTEM PECCATORI, CVLTVRA DEI] id est, cultus diuinus.

℣. 34. SAPIENTIA ET DISCIPLINA est TIMOR DOMINI, quia connexæ sunt illi quasi partes integrales. ET QVOD BENEPLACITVM & maximè acceptum est timori Domini, est FIDES, seu A fidelitas, ET MANSVETVDO. Vnde Christus, *Discite à me quia mitis sum*, &c. Vnde ET ADIMPLEBIT sapientia THESAVROS ILLIVS qui hæc obseruabit. S. Augustinus legit, *thesauros tuos*. Sed Græci hæc tria verba omittunt.

℣. 36. NE SIS INCREDIBILIS, seu incredulus, TIMORI DOMINI] id est, ne detrectes illi fidere, teque totum ei permittere, & ad nutum parere.

℣. 37. NON SCANDALIZERIS, id est, vt non offendas, LABIIS TVIS] q.d. Ne loquaris quæ vel tibi dedecori sint, vel alijs detrimento, offendiculo vel ruinæ.

CAPVT II.

Hortatur ad patientiam in afflictionibus, & ad constantiam in tentationibus. Media suggerit, Primò, seriam animi præparationem; Secundò, humilitatem, Tertiò, fortem tolerantiam; Quartò, resignationem in nutum Dei; Quintò, firmum Dei timorem, spem & amorem.

℣. 1. STA fortis & constans IN IVSTITIA, seu vitæ innocentia: ET PRÆPARA ANIMAM TVAM, id est, teipsum, AD TENTATIONEM] generosè excipiendam, repellendam, superandam. Impossibile enim est, vt qui se vult ab illecebris mundi abstinere, & diuinis mandatis obsequi, aduersa mundi, dæmonis, carnis non patiatur: *Omnes enim qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur*. Et vt hi hostes deessent, *Deus quos diligit, castigat & tentat*, vt virtus illorum innotescat.

2. ad Timoth. 3. Prouerb. 3. v. 11. Hebr. 12. v. 6.

℣. 2. DEPRIME COR TVVM, ne elatione intumescat aut insolescat. INCLINA AVREM TVAM, id est, auscultes & obedias legi, mandatis, consilijs diuinis. ET SVSCIPE VERBA INTELLECTVS] id est, quæ te intelligentem, prudentem, sapientem reddant.

ET NE FESTINES fugere vel subterfugere. Alij vertunt, *ne trepides*, sed fortis esto & longanimis IN TEMPORE OBDVCTIONIS] id est, afflictionis, quæ fortunæ tuæ serenæ & splendidæ tamquam atra nubes obducitur. C

℣. 3. SVSTINE SVSTENTATIONES DEI, id est, quæ Deus vult à te sustineri. Alij legunt, *exspecta exspectationes Dei*, id est, quamdiu Deus vult te exspectari, & vsque dum venerit *hora* eius. Sic CONIVNGERE DEO] Græcè, *conglutinare*, nempe glutino amoris, & perfectæ resignationis in voluntatem Dei. ita S. Gregorius.

Greg. in 1. Reg. 2. Pedes sanctorum suorum seruabit.

VT CRESCAT per gratiam & gloriam VITA TVA IN NOVISSIMO] id est, post toleratam fortiter & superatam tentationem.

℣. 4. OMNE QVOD TIBI APPLICITVM FVERIT, ACCIPE] id est, quidquid aduersi tibi acciderit, patienter excipe.

℣. 5. HOMINES RECEPTIBILES, vel, vt alij legunt, acceptabiles; Græcè, *accepti* & grati *Deo*, PROBANTVR IN CAMINO HVMILIATIONIS] Græcè, *humilitatis*, id est, aduersitatis & afflictionis, quâ deprimitur homo & humiliatur. D

℣. 6. CREDE, id est, confide in DEO, ET RECVPERABIT TE, id est, releuabit & eruet te ex omnibus angustijs; Græcè, *suscipiet te*, seu tuebitur. DIRIGE VIAM TVAM secundùm diuinæ legis regulam, & secundùm prouidentiæ diuinæ nutum. ET IN ILLO VETERASCE] id est, consenesce. q.d. Ad senium vsque & mortem in eo constanter persiste.

℣. 14. VÆ DVPLICI CORDE, id est, ficto, hypocritico, non sincero, sed partim adhærenti Deo, partim mammonæ. Iam legunt ex Græco, *væ timidis* & Deo diffidentibus, nec vni illi se credere audentibus.

tibus. ET TERRAM INGREDIENTI DVABVS VIIS] id est, per viam claudicanti nunc in hanc, nunc in illam partem; nunc ad Deum declinanti, nunc ad mundum. Non sic

℣. 19. QVI TIMENT solidè DEVM: hi enim REPLEBVNTVR LEGE IPSIVS solius. q. d. Lex & nutus Dei erit ipsis pro omni thesauro, quo solo repleri & ditari desiderant, plenè illi obsequendo & satisfaciendo.

℣. 20. PRÆPARABVNT CORDA SVA, vt suprà v. 1. ET IN CONSPECTV Domini SANCTIFICABVNT; Græcè, *humiliabunt*, ANIMAS SVAS] seu seipsos, id est, humiliter se diuinæ voluntati subijcient, ad omne ipsius placitum ac nutum: & hac præparatione se mundabunt ac *sanctificabunt*, vt Deum perpetuò in se habitatorem excipiant, inquit Rabanus Maurus.

℣. 21. PATIENTIAM HABEBVNT VSQVE AD INSPECTIONEM ILLIVS] seu visitationem, id est, donec dignetur cælesti fauore suo miseros reuisere, afflictos respicere, oppressos liberare: quod si non antè, saltem faciet in die iudicij cuiusque.

℣. 22. SI POENITENTIAM NON EGERIMVS, INCIDEMVS IN MANVS DOMINI] in quas *horrendum est incidere*, inquit S. Paulus. Neque poterimus ope vllius alterius inde erui. De his manibus vide quæ dixi 1. Paralip. 21. v. 13.

℣. 23. SECVNDVM ENIM MAGNITVDINEM IPSIVS Dei, SIC ET MISERICORDIA] Clarè Varabl. quanta maiestas, tanta est misericordia Dei. Summæ enim maiestati & potentiæ, vt dicit Sapiens, par est summam clementiam respondere. Vnde inferri vult Ecclesiasticus, sperandum perpetuò in Deo, & cum certa fiducia pœnitendum.

Sap. 12. v. 16.

CAPVT III.

Plurimis argumentis docet honorandos parentes. Deinde monet, in vera animi demissione perseuerandum: curiositatem fugiendam: pericula cauenda: eleemosynas frequentandas.

℣. 1. FILII genuini SAPIENTIÆ sunt ECCLESIA IVSTORVM. Verus enim sapiens colit, zelatur, promouet vbique iustitiam, quæ præcipua sapientiæ pars est. ET NATIO, id est, soboles seu proles spiritualis, & vterini fructus ILLORVM, sapientiæ filiorum, sunt OBEDIENTIA erga Deum, ET DILECTIO erga proximum, ac præ omnibus erga parentes. ita S. Ambrosius & Augustinus, qui pro *natione* legit, *nati* illorum.

Ambr. l. de Arca c. 4. August. in Speculo.

℣. 2. SIC FACITE, id est, honorate parentes vestros, VT SALVI SITIS] Et hoc est Primum argumentum pro honore parentum, quia inde salus filiorum dependet, tum præsens temporalis, tum futura æterna. Sequitur Secundum, quia Deus ita præcepit,

℣. 3. HONORAVIT ENIM PATREM IN FILIIS, præcipiendo filiis vt patrem honorent. Similiter & matrem: nam IVDICIVM MATRIS EXQVIRENS, id est, exigens vt sententia & iussio matris obseruetur à filijs, eo ipso FIRMAVIT imperium & auctoritatem matris IN FILIOS, & apud filios.

℣. 4. QVI DILIGIT DEVM, & propter Deum, Deique præceptum, parentes suos, EXORABIT PRO PECCATIS, id est, veniam peccatorum quam orat obtinebit. ET IN ORATIONE DIERVM, id est, quotidiana, EXAVDIETVR à Deo. Similem remissionem peccatorum spondet infra v. 17. Porrò A hìc in Græco solum est, *Qui honorat patrem, veniam impetrat peccatorum*. Hoc Tertium est argumentum. Quartum verò,

℣. 5. SICVT QVI THEZAVRIZAT] Id est, ampliſſimas opes sibi comparat, tum corporales, tum spirituales. Quintum,

℣. 6. IVCVNDABITVR vicissim IN suis FILIIS] Verè enim ille, *Vt nos maiores, sic nos coluere minores*. Sextum,

IN DIE ORATIONIS SVÆ EXAVDIETVR] & quidquid à Deo petierit, impetrabit. Septimum,

℣. 7. VITA VIVET LONGIORE] Sic enim in Decalogo promisit Deus. Octauum,

℣. 10. SVPERVENIET TIBI BENEDICTIO AB EO, id est, à parente tuo; Græcè *ab hominibus*, ET MANEBIT hæc benedictio tecum IN NOVISSIMO] B id est, vsque ad extremum & perpetuò. Et ne leuem putes fructum huius benedictionis; en argumentum Nonum,

℣. 11. BENEDICTIO PATRIS FIRMAT DOMOS, id est, stabilit familias, FILIORVM. Cùm è contra MALEDICTIO vel solius MATRIS ERADICET FVNDAMENTA domorum. Cuius horrendum exemplum narrat S. Augustinus. Sequitur argumentum Decimum, *August. 22. de Ciu. 6.8.*

℣. 13. GLORIA HOMINIS EX HONORE PATRIS SVI] Vnde si sapis

℣. 14. FILI, SVSCIPE, id est, adiuua, subleua, foue, SENECTAM PATRIS TVI.

℣. 15. NE SPERNAS EVM IN VIRTVTE TVA, eò quòd sis illo fortior, robustior, ditior, gratiosior, prudentior vel eloquentior. ELEEMOSYNA ENIM PATRIS, id est, beneficentia exhibita parenti iam fortè caduco & repuerascenti, licèt improbis perdita videatur, apud Deum tamen NON ERIT IN OBLIVIONE] sed centuplo fœnore reddetur tibi. Hoc est Vndecimum argumentum. Duodecimum.

℣. 16. NAM & PRO PECCATO MATRIS tibi molestæ & iniuriæ, patienter tolerato, RESTITVETVR TIBI BONVM præmium.

℣. 17. ET IN IVSTITIA, id est, propter hanc tuã in parẽtes iustitiam, seu pietatem, ÆDIFICABITVR TIBI domus. q. d. Maledictio matris, quæ dum iusta est, euertit familias filiorum, vt dixi v. 11. si iniusta fuerit, nil tibi tuisve nocere poterit. Iniustis eius querelis & maledictis præualebit apud iustum iudicem Deum iustitia, pietas, patientia tua: cuius intuitu & merito prospera omnia tibi obuenient, & felicissimè tecum & cum omni familia tua agetur. Sequitur Decimumtertium argumentum,

℣. 18. QVAM MALÆ FAMÆ EST QVI DERELINQVIT, & necessaria ope destituit PATREM suum! ET MALEDICTVS A DEO!

℣. 19. IN MANSVETVDINE, id est, mansuetè & humiliter age in omnibus, ET SVPER, seu præter, HOMINVM GLORIAM, quam inde summam consequeris, etiam à gratis & acceptis Deo, vt in Græco est, imò & ab omnibus hominibus DILIGERIS] Nam animi demissio ac modestia mirè omnibus placet. Vide S. Augustinum. *August. lib. de Virgin. c. 31.*

℣. 21. MAGNA DEI POTENTIA SOLIVS: ET AB HVMILIBVS HONORATVR] nempe humili intellectus submissione, & pia ignorantiæ professione ac silentio, non curiosa inuestigatione, vel superba prædicatione. In Græco additur *Multi sunt excelsi & glorioſi, sed mansuetis*, seu humilibus, *reuelantur mysteria*.

℣. 24.

℣. 24. IN SVPERVACVIS, id est, ad te non pertinentibus, vel captum tuum excedentibus, REBVS NOLI SCRVTARI MVLTIPLICITER] id est magna vel multa contentione animi, studio, sollicitudine.

℣. 26. MVLTOS SVPPLANTAVIT SVSPICIO ILLORVM] id est, decepit temerè de se concepta opinio, quâ putabant se intelligere quæ nullo modo intelligebant.

℣. 27. COR DVRVM, id est, præfractum, contumax, obstinatum in malo, vel etiam in opere vires suas excedente, atque ita Deum tentans. Nam etsi primi illius conatus videantur esse felices, tamen IN NOVISSIMO, seu sub finem, MALE HABEBIT] quia spe sua frustrabitur, eludetur & confundetur. ita S. Bernardus.

Bern. initio lib. 1. de Consider.

℣. 28. INGREDIENS DVAS VIAS. De hoc dixi c. 2. v. 14. IN ILLIS duabus vijs SCANDALIZABITVR] id est, offendet & corruet.

℣. 29. ADIICIET AD PECCANDVM] Græcè, *adijciet peccata super peccata*. Quæ maxima est miseria. B

℣. 30. FRVTEX PECCATI; Græcè, *planta nequitiæ*, RADICABITVR IN ILLIS, id est, altissimas aget radices, ET NON INTELLIGETVR] id est, non agnoscetur; miserijs inuoluetur, & nesciet se miserum esse.

℣. 33. ELEEMOSYNA RESISTIT PECCATIS] S. Cyprianus, *extinguit peccata*; Græcè, *expiat*, veniam impetrat peccati. Vide pulchrè hac de re S. Ambrosium, & quæ dixi Tob. 4. v. 7.

Cypr. serm. de eleemosyna. Ambros. serm. 30. & 31. de eleemosyna.

CAPVT IV.

Hortatur ad eleëmosynam: ad reuerentiam Superioribus, subditis charitatem exhibendam. Commendat multis nominibus studium sapientiæ, cuius prima præcepta & leges sunt, in nullius gratiam peccandum, veritati numquam repugnandum, bonam causam pro pudore vel metu non deserendam, nil temerè promittendum, liberalitatem exercendam. C

℣. 1. ELEEMOSYNAM PAVPERIS NE DEFRAVDES, non dando; Græcè, *vitam ne defraudes*, necessaria subtrahendo: ET OCVLOS TVOS NE TRANSVERTAS A PAVPERE] vt faciunt superbi, qui ne aspectu quidem dignantur pauperes. Græcè, *ne protrahas oculos indigentes*, vt scilicet diu cogantur in te respicere stipis extorquendæ gratiâ.

℣. 5. PROPTER IRAM, nempe Dei, vel tuam. ET NON RELINQVAS, scilicet occasionem, QVÆRENTIBVS à te eleemosynam, RETRO, id est, post tergum, in absentia tua, TIBI MALEDICENDI] seu malum imprecandi.

℣. 7. PRESBYTERO, id est, seniori, & MAGNATO; S. Augustinus legit, *magnati*, id est, in dignitate constituto, HVMILIA ANIMAM TVAM] id est, te. D

℣. 8. DECLINA; Græcè, *inclina*, PAVPERI AVREM, id est, libenter attende & audi preces eius, ET REDDE DEBITVM TVVM] nempe opem seu temporalem, seu spiritalem, quam saltem ex pietate & charitate debes pauperi. ita Rabanus.

℣. 9. NON ACIDE, id est, non ægrè, non molestè, FERAS. Græcè, *ne sis pusillanimis in iudicando*, seu vindicando paupere, si sis iudex.

℣. 12. SAPIENTIA DEI PRÆIBIT FILIIS & clientibus SVIS] instar magistræ & ducis. Illi verò

℣. 13. COMPLECTENTVR PLACOREM EIVS] id est, placibilitatem seu benignitatem. q. d. Fruentur eius iucunditate & beneuolentiâ; Græcè, *implebuntur lætitiâ*. Enimuerò soli sapientiæ clientes in hoc mundo verè felices sunt.

℣. 14. QVO INTROIBIT, & quocumque se verterit pius homo, BENEDICET illi DEVS.

℣. 15. QVI SERVIVNT EI, scilicet sapientiæ, OBSEQVENTES ERVNT SANCTO, id est, Deo ad nutum parebunt. ita ferè Interpretes. In Græco alludi videtur ad sacerdotium q. d. Qui quasi metaphorici sacerdotes *subseruiunt sapientiæ, erunt sicut qui* sancto, id est, *templo, deseruiunt*. nempe tanto in honore apud Deum & homines, tanto cum fructu spirituali, quanto sacerdotes templi. Videtur alludere ad illud Isaiæ, *Vos sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri*. *Isaiæ 61. v. 6.*

℣. 16. QVI AVDIT & sequitur sapientiam, IVDICABIT GENTES] id est, aptus erit qui rempublicam gubernet.

℣. 17. SI CREDIDERIT EI se totum, suaque omnia, HEREDITABIT ILLAM, id est, sentiet adhærere sibi perpetuò & constanter, instar hereditariæ possessionis, quæ etiam posteris communicetur. Nam ET CREATVRÆ; Græcè, *generationes*, id est, filij, ILLIVS ERVNT IN CONFIRMATIONE; Græcè, *possessione*, id est, firmiter possidebunt sapientiam & fructus sapientiæ, tum temporales, tum æternos. Vel, *erunt in confirmatione*, id est, confirmabuntur & stabilientur omnigenis bonis, nempe, industriâ & merito sapientis parentis sui.

℣. 18. IN TENTATIONE, seu per tentationem, AMBVLAT CVM EO sapientia, quem IN PRIMIS ELIGIT] seu inter primos sibi adsciscere parat. Græcè, *initio distortè*, seu durè, *ambulat cum eo*, nempe priùs quàm se totam illi insinuet, vult probare illum, & probando mundare.

℣. 19. IN TRIBVLATIONE DOCTRINÆ SVÆ; Græcè, *disciplina sua* affligente & tribulante, DONEC TENTET EVM IN COGITATIONIBVS; Græcè, *justificationibus*; SVIS, id est, donec explorauerit an verè ex imo corde iustitiam sectetur: ET donec CREDAT ANIMÆ ILLIVS] id est, donec confidat sat firmum & constantem fore Loquitur de sapientia diuina more humano. Quod cùm deprehenderit, tum demum.

℣. 20. ITER ADDVCET DIRECTVM AD ILLVM] id est, faciet viam illi expeditiorem sublatis difficultatibus; Græcè, *rursus redibit recta ad eum*.

℣. 22. SI AVTEM ABERRAVERIT à recta iustitiæ via, succumbens tentationi, TRADET EVM IN MANVS INIMICI; Græcè *casus*, SVI] Id est, permittet eum cadere tum in peccata, tum in pœnas peccatorum, sinens eum regi & volui ad nutum hostium suorum, putà carnis & concupiscentiarum eius. Neque enim tam imbellem dignum censet, quem ipsa inhabitet, dirigat vel gubernet.

℣. 23. CONSERVA TEMPVS] id est, obserua opportunitatem benè faciendi.

℣. 24. PRO ANIMA, id est, vita TVA seruanda NE CONFVNDARIS, seu erubescas, DICERE VERVM] Veritas potior nobis esse debet ipsâ vitâ. Quod magistratibus maximè inculcatum oportet. Porrò ab hoc versu vsque ad finem ferè capitis varias describit species mali & inutilis pudoris.

℣. 26. NE ACCIPIAS FACIEM, id est, personam alicuius, quantumcumque potentis, ADVERSVS FACIEM, seu personam, TVAM quod tibi vitio verti, vel in tuum damnum cedere possit. Sed excusso

cusso inutili & vano metu; semper iustè iudica. A
Nec patiaris obtrudi tibi MENDACIVM, quo subinde litigantes causam suam stabilire volunt: id enim si admiseris, neq; cùm posses dextexeris, erit ADVERSVS ANIMAM TVAM] id est, officiet tuo quoque bono nomini, saluti, & vitæ non rarò. Vt plurimis exemplis probari posset.

℣. 27. NE REVEREARIS PROXIMVM TVVM corripere IN CASV SVO] id est, cùm lapsus fuerit in peccatum.

℣. 28. NEC RETINEAS VERBVM, id est, ne taceas, IN TEMPORE SALVTIS] id est, cùm salus alicuius à verbis tuis dependet.

NON ABSCONDAS præ metu vel pudore SAPIENTIAM TVAM & accepta à Deo talenta; IN DECORE SVO] id est, cùm decorum & decens fuerit ea promere & ostentare ad Dei honorem & proximi salutem.

℣. 29. IN VERBO viri SENSATI sæpe consistit FIRMAMENTVM, & omne pondus causæ IN OPERIBVS IVSTITIÆ, q.d. In iudicio publico sæpè ex vnius senatoris corda ra oratione pendet momentum totius causæ, dum nempe reliquis aperit veritatem, & ab erroneâ via in rectam semitam reducit. Vnde numquam dissimulanda quæ vera & æqua sunt, maximè in iudicijs publicis. B

℣ 30. DE MENDACIO INERVDITIONIS TVÆ, id est, per insciti am seu ignorantiam prolato, CONFVNDERE] erubesce, fatere te deceptum, te aberrasse à veritate vel iustitia: noli pertinaciter tuum eiratum defendere. Hoc enim & Deo, & cordato cuiuis extremè displicet.

℣. 31. NE SVBIICIAS TE OMNI HOMINI, seu vlli prorsus, PRO PECCATO aliquo patrando, seu vt peccatum aliquod patres quod ipse tibi imperat, vel suadet. q.d. Ibi metue, ibi confundere.

CAPVT V. C

Inculcat metum iustum & prudentem: dein constantiam in dictu & factu. Reprehendit susurrones & bilingues.

℣. 1. NOLI ATTENDERE AD POSSESSIONES INIQVAS] seu iniquè acquirendas: Sic v. 10. dicit, *Noli anxius esse* seu anxiè inhiare, *diuitijs iniustis.*

ET NE DIXERIS: EST MIHI SVFFICIENS VITA? græcè, *ad vitam*, id est, nulla re egeo ad vitâ commodè & tranquillè peragendâ. q d. Ne spem colloces in diuitijs tuis, nec putes illas perdi vel exhauriri non posse. NIHIL ENIM PRODERIT tibi quidquid opum habes, IN TEMPORE VINDICTÆ diuinæ ET *tempore* OBDVCTIONIS] De quo c. 2. v. 2.

℣. 2. NE SEQVARIS IN FORTITVDINE TVA, id est, pro mensura virium, potentiæ, opum tuarum, CONCVPISCENTIAM CORDIS TVI] sed refræna cupiditates tuas. D

℣. 3. ET NE DIXERIS, QVOMODO POTVI?] nempe, omne quod volui, & quod libuit feci. Vt superbus Nabuchodonosor, Dan. 4. v. 27. Sed &

℣. 5. DE PROPITIATO PECCATO, seu remisso, NOLI ESSE SINE METV] Hæretici, ne stultæ præsumptioni suæ noceat hic locus, legunt cum Græco: *de propitiatione*, scilicet futura: & ita intelligit etiam Iansenius: sed malè. nam Ecclesiasticus vtramque præsumptionis speciem hìc reprehendit, priorem hìc, nempe de propitiatione, seu remissione peccatorum præteritorum, quasi certò certiùs obtentâ. Posteriorem in sequentibus, nempe de certò obtinenda remissione peccatorum quantocumque numero patrandorum.

℣. 7. MISERICORDIA ENIM ET IRA AB ILLO CITO PROXIMANT] Græcè, *properabit*. q.d. Tam citò & tam facilè potest tibi Deus irasci & punire, quàm misereri.

℣. 11. NON VENTILES TE IN OMNEM VENTVM, id est, ne agiteris quouis vento, vt in consiliis, iudicijs, actionibus tuis nunc hanc, nunc illam viam ingrediaris. SIC ENIM OMNIS PECCATOR PROBATVR, id est, dignoscitur, IN DVPLICI LINGVA] seu sibi non constante; Græcè, *bilingui.*

℣. 12. PROSEQVATVR TE VERBVM PACIS ET IVSTITIÆ] Id est, constanter idem semper verbum dicas, scilicet iustum & pacificum.

℣. 17. SVPER FVREM ENIM EST CONFVSIO, id est, fur incurrit simplicem confusionem & pœnam: sed SVPER BILINGVEM & detractorem est PESSIMA DENOTATIO] id est, vituperatio & confusio maxima. Fur enim sola bona externa surripit, detractor verò etiam famam, honorem, amicitiam.

℣. 18. IVSTIFICA PVSILLVM ET MAGNVM] q d. De re nulla, quantumuis parua, de nemine quoque, quantumcumque vili, detrahe: benè loquere de omnibus.

CAPVT VI.

Proponit conditiones & leges veræ amicitiæ: item quàm ardua sit sapientia, & quanto studio prosequenda.

℣. 1. NOLI per susurrationem vel detractionem FIERI PRO, seu EX AMICO INIMICVS PROXIMO tuo.

℣. 2 NON TE EXTOLLAS VELVT TAVRVS, id est, superbè, iactabundè, ne quidem IN COGITATIONE; Græcè, *in consilio*, ANIMÆ TVÆ, id est, tuo. q.d. Ne quidem interiùs in secreto animi & cogitationum tuarum admitte vllam iactantiam vel superbiam. NE PER hanc STVLTITIAM ELIDATVR VIRTVS id est, fortis illa animositas, TVA. Et eadem ista tua superbia (parct ex Græco) COMEDAT FOLIA TVA] id est, perdat omnem tuum ornatum & gloriam cum omni fructu quem speraras.

℣. 4. ANIMA ENIM NEQVAM, superba, amara, virulenta, DISPERDET eum QVI SE, (Græcè, *qui ipsam*) HABET.

℣. 5. LINGVA EVCHARIS, id est, gratiosa, ABVNDAT] nempe gratia & beneficentia, quia de omnibus benè mereri, omnes sibi conciliare, omnium affectus ad se trahere studet.

℣ 6. MVLTI PACIFICI; Græcè, *pacem afferentes*. SINT TIBI, id est, multos tibi beneficijs demeritos ac deuinctos habeas, multis te comem & affabilem præbeas: sed CONSILIARIVS SIT TIBI VNVS DE MILLE] id est, paucissimis arcana tua crede: ne forsan pluribus ea credendo, te tuaque in periculum conijcias Benè ergo ille, *Comem me omnibus præbeo, familiarem non nisi bonis.*

℣. 7. SI POSSIDES (hebraismo, pro, si paras possidere) AMICVM, si quem vis in numerum intimorum amicorum recipere, priùs POSSIDERVM IN TENTATIONE] id est, explora eum qualis sit amicus in rebus aduersis.

℣. 8. EST ENIM quidam subinde tibi AMICVS, sed SECVNDVM TEMPVS SVVM, id est, quamdiu est ei commodum, nec diutiùs. Et verò,

Dum fueris felix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.
Nullus ad amissus ibit amicus opes.

℣. 9. ET EST AMICVS, QVI conuersus AD

INIMI-

INIMICITIAM, ODIVM, quod in corde celarat, A DENVDABIT per RIXAM ET CONVITIA] in quæ prorumpet.

℣. 12. SI HVMILIAVERIT SE CONTRA TE, fingens se tibi deuotum & subiectum, ET A FACIE TVA ABSCONDERIT SE, id est, subtraxerit se suamque opem tibi, cùm illam deposces vel egebis; ne credas, ne fidas tali amico. ita Rabanus. Græcè est, *si humiliatus fueris, erit contra te.* Vis ergo nosse veram ac solidam amicitiam? VNANIMEM, id est, vnius eiusdemque animi tecum ac sententiæ, vnius eiusdemque mentis & fidei & constantiæ in quauis fortuna talem AMICITIAM HABEBIS BONAM, sinceram, probam.

℣. 15. NON EST DIGNA PONDERATIO AVRI, id est, non dignè æquatur auri pondus CONTRA BONITATEM FIDEI talis amici, id est, comparatum cum *bonitate* tam sincerè amici. Græcè, *non est pondus pulchritudinis eius*, id est, non satis ponderari vel æstimari potest, quàm ingens & excellens bonum sit talis amicus.

℣. 16. MEDICAMENTVM est VITÆ ET IMMORTALITATIS] Nam sanis monitis, consilijs & correptionibus à nobis amoliri studet quæ nocumento vel exitio esse possent, atque ita efficit vt semper viuamus, hîc per famam, in futuro per gloriam. *Vera* enim *amicitia* est, inquit S. Ambrosius, imò & Aristoteles, *non quam vtilitas, voluptas* aut *necessitas, sed quam virtus, honestas & sanctitas conciliant.* Et ideo amicitia, vt ait Cicero: *non potest esse nisi inter bonos.*

Amir. l. 1. Offic. c. 32. Arist. l. 8. Ethic. c. 4 Cicero de Amicitia.

℣. 17. QVI TIMET DEVM, ÆQVE, id est, similiter, HABEBIT AMICITIAM BONAM, id est, reperiet amicum illi in bonitate similem, & SECVNDVM ILLVM] id est, conformem illi, seu alterum illum. Quod enim donum nisi amicum C speres ab amica manu?

℣. 21. QVAM ASPERA EST SAPIENTIA INDOCTIS, indisciplinatis, vecordibus, vt sequitur.

℣. 22. QVASI LAPIDIS Lydij VIRTVS ERIT sapientiæ PROBATIO IN ILLIS, id est, tamquam ad Lydium lapidem explorabitur an veram & sinceram habeant sapientiam, an verò fictam & fucatam. Nam veram NON DEMORABVNTVR PROICERE] id est, citò abijcient & contemnent.

℣. 23. SAPIENTIA ENIM DOCTRINÆ, id est, quæ doctrinæ fons & matrix est, indoctis non nisi SECVNDVM NOMEN EIVS EST, seu nomine tenus expetita & iactata, vt possint dici & audire docti. Vel dic alludi ad nomen *sapientiæ* Hebraicum *chocmah*, id est, abscondita, à *chamas*, D quod abscondere significat. q. d. *Chocmah* secundùm nomen suum est ipsis verè *chocmah*, id est, abscondita, ita Emanuel Sà. Drusus mauult esse Arabicum nomen, nam etiam in illo idiomate significat *abscondere.*

חכמה
כמס

℣. 24. ACCIPE CONSILIVM INTELLECTVS] seu intelligens & prudens, quod iam exponam.

℣. 25. INIICE COLLVM TVVM IN TORQVES ILLIVS] id est, in *collare* sapientiæ. Collare vocatur vinculum ferreum, quo collum captiuorum vel etiam canum stringi solet, quasi dicat: Trade te captiuum sapientiæ. Stringat illa tibi suâ disciplina tuos affectus omnes & verba tua omnia; & tu tempera passiones tuas & sermones tuos secundùm regulam & præscriptum illius. ita Rabanus.

℣. 28. CONTINENS, id est, compos, FACTVS] vt dixi Sap. 8. v. 21.

℣. 31. VINCVLA ILLIVS ALLIGATVRA SALVTARIS] Græcè, *nexus hyachintinus*. Alludit ad *vittas hyachintinas* in angulis palliorum Num. 15. vers. 38.

℣. 35. VT NARRATIONEM DEI, seu de Deo, id est, verba diuina, POSSIS AVDIRE à *presbyteris*, id est, senioribus. ET PROVERBIA LAVDIS] id est, laudatas & egregias sententias.

℣. 37. ET CONCVPISCENTIA SAPIENTIÆ, id est, sapientia quam concupiscis, DABITVR TIBI.

CAPVT VII.

Varia præcepta, quomodo nos gerere debeamus erga alios, v. g. erga Deum, erga sacerdotes, parentes, filios, filias, amicos, potentes, infirmos, afflictos, mortuos, pecora, &c.

℣. 3. NON SEMINES MALA IN SVLCIS INIVSTITIÆ] Id est, ne semines semina iniustitiæ, ne obsequaris iniustis affectibus, aut carnalibus desiderijs, quod Apostolus vocat, *Seminare in carne.* *Ad Gal. 6. v. 8.*

℣. 4. NOLI QVÆRERE A DOMINO DVCATVM, seu principatum, id est, ne instes apud Deum pro magnis & splendidis functionibus: neque apud REGEM, VT CATHEDRAM HONORIS, seu primum in aula locum obtineas. Qui enim non vocatus, vltrò sese in magna officia ingerit, rarò feliciter illa administrat: & qui temerè in altum conscendit, plerumq; in imum præcipitatur. Nam supremi gradus scalæ honoris sunt omnium infirmissimi. Ac si quis fracto gradu decidat, nemo erit, qui casum hominis miseratus vel strophiolum substernat quo mitiùs cadat.

℣. 7. NE PECCES IN MVLTITVDINEM CIVITATIS, seu in rempublicam, id est, ne offendas, ne iniuriâ afficias rempublicam.

NEC TE IMMITTAS IN POPVLVM furentem vel tumultuantem, seu vt adiuues & inflammes magis, seu vt compescas illum. Vtrumque enim extremè periculosum est.

℣. 8. NEQVE ALLIGES tibi DVPLICIA, id est, multiplicia PECCATA, v. g. alios incitando ad seditionem, vel ad alia scelera.

NEC ENIM IN VNO, quantumuis solitario peccato, ERIS IMMVNIS à pœna: quantas ergo subibis, si etiam alienis peccatis te prægrauaueris?

℣. 13. NOLI ARARE MENDACIVM, id est, machinari, confingere, fabricare dolos vel fraudes: simile habes Osee 10.

℣. 15. NON ITERES VERBVM IN ORATIONE TVA] Græcè, *in precibus tuis.* Vetat irreuerentem tautologiam, & inutilem reiterationem verborum. vti etiam Christus vetat Matth. 6. v. 7. Emanuel Sâ vult, inculcari hîc attentionem inter orandum, vt non sit opus repetere verba semel prolata.

℣. 17. NON TE REPVTES, id est, computes vel æstimes, IN MVLTITVDINE INDISCIPLINATORVM; Græcè, *peccatorum.* q. d. Ne tibi hoc nomine blandiaris, vel cautum esse putes, quòd multos in peccando socios habeas. Quia tantò grauior, tantoque celerior imminet tibi IRA, id est, vindicta à Deo. Porrò

℣. 19. VINDICTA CARNIS IMPII erit IGNIS ET VERMIS, de quibus egi Judith vltimo ℣. 21.

℣. 20.

℣. 20. NOLI PRÆVARICARI IN AMICVM A PECVNIAM DIFFERENTEM; LXX. *propter rem indifferentem*, qualis v.g est pecunia. q.d. Noli amicum aliàs sat fidum alienare à te vel repellere propter *pecuniam*, vel aliam rem externam qualemcumque, NEQVE AVRO, id est, propter aurum, SPREVERIS illum, quia fortè quod debet non statim persoluit, &c. Nempe omni auro, omni thesauro pretiosior & vtilior est fidus amicus.

℣. 22. NON LÆDAS SERVVM IN VERITATE OPERANTEM, id est, fideliter & sicut debet tibi seruientem, & ANIMAM SVAM DANTEM, id est, vitam pro te impendentem, vel se totum seruitio tuo occupantem.

℣. 23. NON DEFRAVDES ILLVM LIBERTATE illi suo tempore debitâ, & quam ex præscripto
Exodi 21. legis, iusto redemptionis vel alio titulo exigere à te potest.

℣. 27. FILIAM TRADE nuptui HOMINI SENSATO, id est, prudenti & cordato. q.d. Non tam generis splendorem, vel opes in deligendo tibi genero spectes, quàm veram pietatem & sapientiam. *Melius* enim est (vt imperator ille aiebat) *virum habere sine pecunia, quàm pecuniam sine viro.*

℣. 28. MVLIER, VXOR, SI EST TIBI SECVNDVM ANIMAM TVAM, id est, bona & commoda, NON PROICIAS; græcè, *ne abijcias*, ILLAM per repudiũ, vel thori seiunctionem. ET ODIBILI, scorto κατ' ἐξοχὴν odioso, vel alteri cuiuis calumniatrici, NON CREDAS TE.

Deuter. 12. v. 19. ℣. 31. SACERDOTES Domini SANCTIFICA, id est, sanctè, & vt sanctos, seu Deo consecratos, eos habe, honora & iuua; Græcè *admirare*, id est, honore & ope dignos puta.

℣. 33. PROPVRGA, id est, expurga, expia TE CVM BRACHIIS, id est, offerendo *brachia*, seu armos victimarum: nam dextri armi secundùm legem sacerdotibus debebantur; & à LXX. passim vocantur *brachia dextra*.
In Leuitico passim c. 2. & c. Num. 18. &c.

℣. 34. PVRGA TE CVM PAVCIS, id est, offerendo saltem pauca, si multa non potes.

℣. 35. DATVM BRACHIORVM TVORVM; Liranus, laborum tuorum: vel, vt alij, armorum hostiæ, quos debes sacerdoti. ET SACRIFICIVM SANCTIFICATIONIS, id est, hostiam quam voto promisisti, & ita sanctificasti Domino, iuxta legem Leuitici vltimo. ET INITIA SANCTORVM, id est, primitias quæ debentur sanctis, seu sanctificatis sacerdotibus.

℣. 37. GRATIA DATI IN CONSPECTV OMNIS VIVENTIS] Id est, donum, seu datum omni viuenti accidit gratum.

Etiam MORTVO NON PROHIBEAS, neque deneges GRATIAM, seu eleemosynam, de qua hactenus, præstandam tum corpori, per honestam sepulturam; tum animæ, per preces, per sacrificia, per
2. Mach. 12. v. 43. alia suffragia. sicut præstitit Iudas Machabæus.

CAPVT VIII.

Quomodo nos gerere debeamus erga potentiores, verbosos, resipiscentes, iracundos, stolidos, &c.

℣. 2. NON contendas CVM LOCVPLETE, duas ob causas. Primò, NE FORTE CONTRA TE CONSTITVAT LITEM TIBI] Græcè, *contra-trahat tuum pondus*, id est, ne vicissim tibi lites, vel reconuentiones moueat, quibus te ita inuoluat, vt planè opprimat & fortunis euertat. Secundò, ne auro suo *perdas*, deprauet, sibique obstringat animos iudicum, & te pauperculum causâ tuâ, licèt iustâ, cadere faciat.

℣. 3. Nam AVRVM VSQVE AD COR REGVM se EXTENDIT, & etiam potentissimos iudices expugnat, CONVERTIT, & peruertit.

℣. 5. NON COMMVNICES HOMINI INDOCTO, id est, ne familiariter conuersetis aut ioceris cum indisciplinato, indiscreto, malè instructo, imprudente, Græcè, *ne ludas*, cum eo. NE MALE DE PROGENIE TVA LOQVATVR, exprobrans tibi tuos maiores, & cõuicijs incessens familiam tuam, vt solent inciuiles & inhumani ludiones mox in conuicia & sannas prorumpere.

℣. 6. OMNES IN CORREPTIONE SVMVS] id est, obnoxij correptioni, digni reprehensione & obiurgatione; nempe, quia omnes peccauimus.

℣. 8. OMNES MORIMVR, & post mortem NOLVMVS IN GAVDIVM VENIRE inimicis nostris, id est, nolumus vt inimici gaudeant de morte nostra. Vnde neque nos debemus iam gaudere de morte nostri *inimici* (*a*) Græcè, *inimicissimi*, sed deflere casum & ruinam illorum; memores illius, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

(*a*) *Simile Prou. 17. v. 5. Matth. 7. v. 12. Luc. 6. v. 31.*

℣. 13. NON INCENDAS CARBONES PECCATORIS (vt est in Græco) ARGVENS EVM] Id est, in arguendo peccatore caue nimius sis, ne nimis exasperes iratum, ne oleum addas camino, quo ipse *incendaris*, id est, lædaris ab irato, & ab eo in lites, in verbera, in cædes protraharis.

℣. 14. NE STES CONTRA FACIEM CONTVMELIOSI] est hebraismus, pro, contra contumeliosum: quia enim *facies* maximè obuia est, hinc *facies* pro ipso *homine* seu *persona* hominis poni solet. Item Hebræum *ap*, & Græcum πρόσωπον tam *faciem*, quàm personam significat.

℣. 16. NON SPONDEAS SVPER VIRTVTEM TVAM] Id est, ne fideiubeas pro aliquo de maiori pecuniæ summa, quàm quâ per fortunam tuam carere possis. Pro quanta enim summâ spoponderis, tantam tibi persoluendam existima. O quanti per indiscretas sponsiones fortunis omnibus euersi sunt! De his plura Prouerb. 6.

QVASI RESTITVENS COGITA, id est, expende sollicitus & dispice quomodo restitues, seu præstabis quod spopondisti.

℣. 18. CVM AVDACE, id est, cum temerario, NON EAS IN VIA, ne peregrineris, ne conuersetis, NE FORTE GRAVET IN TE MALA SVA, quæ solet in alios patrare, inquit Emanuel Sà. Vel ne iram & furorem aliundè conceptum vertat in te, vt Mariana: vel denique, vt alij, ne malorum sibi impendentium participem te faciat. IPSE ENIM, vt est temerarius SECVNDVM VOLVNTATEM SVAM VADIT] id est, facit quidquid sibi in mentem venit.

℣. 21. CORAM EXTRANEO, tibi ignoto, aut non sat perspecto, NE FACIAS CONSILIVM] manifestando ei tua secreta, iuxta dicta c. 6. v. 6.

CAPVT IX.

Cauenda zelotypia, & non necessaria consortia mulierum: cauendum à nouis amicis, præsertim potentibus, iniusto, linguoso, temerario.

℣. 1. NON ZELES MVLIEREM SINVS TVI, id est, ne sis zelotypus, ne malè suspiceris de vxore tua; NE ipsa ea occasione OSTENDAT SVPER, seu contra, TE MALITIAM DOCTRINÆ NEQVAM] quam tu malè suspicando ipsam docuisti. q.d. Ne fortè iam adulteretur, aut veneno te perimat, aut aliâ viâ tibi noceat, sibi vt consulat.

Multa

Multa enim scelera docet mariti zelotypia vxo- A rem, quæ alioqui nihil mali cogitaret.

℣. 2. NON DES MVLIERI, ne vxori quidem, POTESTATEM ANIMÆ TVÆ, id est, tui, vt possit in te & de te quidquid vult.

NE INGREDIATVR IN VIRTVTEM TVAM] Græcè, *ne ascendat super te*, & dominetur, & prævaleat tibi & animo tuo.

℣. 3. NE RESPICIAS appetendo MVLIEREM MVLTIVOLAM] id est, multos amantem & optantem; Græcè, *ne occurras meretrici*.

℣. 4. CVM SALTATRICE; Græcè, *cum cantatrice*, NE ASSIDVVS SIS, ne multùm conuersèris, NE PEREAS IN EFFICACIA illecebrarum ILLIVS.

℣. 5. VIRGINEM formosam NE CONSPICIAS, diu vel attentè contemplando. Memento *Dinæ* filiæ *Iacob*, Genes. 34.

℣. 7. NOLI otiosus & vagus huc illuc CIRCVMSPICERE IN VICIS CIVITATIS] Certò enim obijciet tibi Satan ansam & materiam peccandi. B *Otium* namque *pulvinar* est *diaboli*.

℣. 12. CVM ALIENA MVLIERE, id est, non tua vxore; Græcè, *cum coniugata*, NE SEDEAS OMNINO: multò minùs ACCVMBAS mensæ CVM EA, innixus, vt fit, SVPER CVBITVM; Græcè, *in vinis eius*. q.d. Ne illam amplexeris, neque sinas te ab illa amplexari. Omnium verò minimè ALTERCERIS, seu certes, CVM ILLA IN VINO, inuitâdo illam ad æquales haustus: NE FORTE SANGVINE TVO, id est, prauâ concupiscentiâ. (cuius sedes est in sanguine hepatis) LABARIS IN PERDITIONEM] Memento sirenes esse, & tibi insidias struere.

℣. 17. NON PLACEAT TIBI INIVRIA, seu iniustæ actiones, INIVSTORVM, numquam eas approbes vel laudes, SCIENS QVONIAM NON PLACEBIT IMPIVS, sed odio & abominationi erit Deo, VSQVE dum AD INFEROS descendet, C id est, perpetuò quamdiu in impietate sua perstabit.

℣. 18. LONGE ABESTO à principe & iudice QVI POTESTATEM HABET OCCIDENDI: ET NON SVSPICABERIS TIMOREM MORTIS] id est, non anxiè timebis tibi à morte, vel periculo mortis.

℣. 20. COMMVNIONEM MORTIS SCITO. id est, cogita quòd apud principes vulgata & communis consuetudo sit morte plecti & vltimo supplicio affici, & subinde paruas ob causas. Ergo cogita quòd istic AMBVLES IN MEDIO LAQVEORVM, ET SVPER ARMA DOLENTIVM de prospera fortuna tua, ac proinde tibi iratorum, sanguinem tuum sitientium, & in cædem tuam ruentium, vt fit in prælio, dum multi in vnum conspirant & irruunt, Græcè, *cogita quòd super pinnacula ciuitatis in-* D *ambules*, id est, loco periculosissimo. S. Chrysostomus & Augustinus hæc mysticè exponunt de laqueis peccatorum, atque insidijs mundi & carnis, quas potentissimi hostes nostri dæmones nobis perpetuò struunt.

Chrysost. hom. 15. ad Pul. August. in Psal. 141.

℣. 21. SECVNDVM VIRTVTEM TVAM, id est, est, pro viribus, seu quantum potes, CAVE TE, vel tibi, à quouis non sat tibi explorato, etiam A PROXIMO TVO] & vel sanguine, vel alio vinculo tibi coniuncto; Græcè, *coniecta de proximo tuo*, priùs illum explora & pertenta: cautè cum quolibet age. *Nerui prudentiæ, non facilè credere*, inquiebat Cicero ex Epicharmo.

Cic. de Petitione consulatus.

CAPVT X.

Quæ virtutes deceant, quæ vitia dedecerent iudices & principes.

℣. 4. IN TEMPVS] id est, commodo & opportuno tempore.

℣. 5. SVPER FACIEM SCRIBÆ, id est, super scribam (*a*,) litteratum (*b*) virum, doctorem IMPONET Deus HONOREM SVVM] id est, honoratum officium iudicis, gubernatoris, administratoris reipublicæ.

a *Sup. c. 8. v. 14.*
b *Vide, 1. Esdræ 7. v. 6.*

℣. 6. NIHIL AGAS IN OPERIBVS, id est, per opera, INIVRIÆ] seu iniuriosa alteri.

℣. 7. ODIBILIS CORAM DEO EST ET HOMINIBVS SVPERBIA. Hoc est Primum argumẽtum quo probat, *superbiam* principibus viris maximè detestandam esse. Ibidem Secundum est argumentum, quia superbia causaliter est OMNIS INIQVITAS GENTIVM] Id est, causa est omnium iniquitatum quæ vbiuis gentium patrantur, putà iniustitiæ, contumeliæ, doli & auaritiæ, vt mox sequitur, quæ integra regna euertunt vel aliò transferunt.

℣. 9. AVARO AVTEM NIHIL EST SCELESTIVS] maximè si superbia comes accesserit. Nam huic siti sedandæ nulli sufficiunt quantumuis ingentes thesauri: quibus corradendis per fas, per nefas in subsidium aduocat omnia scelera. Et mauult per intolerabiles expilationes & suos omnes & se & regnum suum euertere, quàm vel tantillum de consueto fastu remittere. Ibidem habes Tertium argumentum:

QVID SVPERBIT TERRA ET CINIS? Et Quartum versu sequenti: ANIMAM SVAM VENALEM HABET, tum propriè, vt sonat, tum *vitam* corporalem: nam vtramque mille periculis obijcit, vt ea quibus eget ad fastum fouendum augendumque, nanciscì possit. Quintum: PROIECIT INTIMA SVA, id est, viscera & intestina corrumpit, imò & egerit, id est, valetudinem lædit grauissimè per varios morbos, quos IN VITA SVA] ex nimia sollicitudine, anxietate & animi contentione non rarò contrahit. Vnde Sextum:

℣. 11. OMNIS POTENTATVS, id est, omnis eiusmodi tyrannis, est BREVIS VITA] tum ob causas iam dictas: tum ex iusta Dei vltione, qui sicut

℣. 12. MEDICVS PRÆCIDIT BREVEM LANGVOREM] id est, recentem morbum; Græcè, *incidit longum morbum*. rectè vtrumque. q.d. Sicut medicus obuiare solet recenti malo, ne inueterato grauetur, nec sanare possit; ita Deus principem tyrannicè imperantem solet citò de medio tollere, ne confirmatâ tyrannide Deo & reipublicæ fiat grauis. Septimum argumentum:

℣. 13. CVM MORIETVR HOMO, HEREDITABIT SERPENTES, BESTIAS ET VERMES] tum secundùm corpus in sepulchro, tum secundùm animam in inferno, vt dixi Iudith vlt. v. 21. Octauum argumentum:

℣. 14. INITIVM SVPERBIÆ HOMINIS, APOSTATARE A DEO] id est, desciscere, rebellare, deficere à Deo & lege Dei. Id videre fuit in Adamo, & locum habet in quouis superbo.

℣. 15. INITIVM OMNIS PECCATI, seu omnis generis peccatorum, EST SVPERBIA] Et sic ferè coincidit cum secundo argumento. Quamquam ad litteram quoque verum sit, *superbiam initium* esse *omnis peccati*. Quia quicumque peccat, auertit se à Deo, contemnit Deum, præponit suam voluntatem voluntati diuinę. quæ omni tintolerabilis sunt superbiæ. Decimum argumentum, ex grauissimis

pœnis desumitur, quibus solet Deus etiam in hac vita prosequi superbos, & recensentur vsque ad v. 22. Vbi habes Vndecimum argumentum:

℣. 22. NON EST CREATA HOMINIBVS SVPERBIA, NEQVE IRACVNDIA NATIONI, seu generationi, MVLIERVM] id est, natis ex mulieribus. Quibus ergo creata est? belluis. Sed quod belluis à natura est, homines vt belluini fierent, vltrò assumpserunt.

℣. 27. MAGNVS; Græcè, *magnates* & iudices & dynastæ passim sunt IN HONORE: sed non sunt maiores timente Deum.

℣. 28. SERVO SENSATO; Græcè, *prudenti*, SERVIENT etiam LIBERI] Simile Prouerb. 17. v. 2.

INSCIVS, id est, imperitus, insipiens, NON HONORABITVR] sed contemnetur.

℣. 31. IN MANSVETVDINE SERVA; Græcè, *honora*, ANIMAM TVAM, id est, teipsum. q.d. Si vis honorari, ex mansuetudine & modestia honorem quæras: hic enim honor tibi debetur SECVNDVM MERITVM tuum, seu operum à mansuetudine profectorum: neque verò aliud est in te quod honorem mereatur.

℣. 32. PECCANTEM IN ANIMAM SVAM, id est, in seipsum, defraudando se mansuetudinis honore, QVIS IVSTIFICABIT] id est, quis excusabit? quis defendet?

℣. 34. QVI GLORIATVR, id est, qui gloriam habet, nempe PER DISCIPLINAM ET TIMOREM, id est, propter sapientiam suam & virtutem; Græcè, *qui honoratur*, IN PAVPERTATE, id est, dum pauper est; QVANTO MAGIS honoraretur, & quantò præclarior esset IN SVBSTANTIA] id est, si opibus quoque abundaret?

CAPVT XI.

Sapiens modestus sit in aduersitate, in forma corporis, statura, vestibus, loquela: diuitias vel paupertatem, prospera vel aduersa de manu Domini acceptet.

℣. 1. HVMILIATI] Id est, depressi, afflicti paupertate, morbis vel quacumque aduersitate. v.g. Iosephus, Daniel, Esther, &c.

Genes. 41. Dan. 6. Esther 2. &c.

℣. 2. NON LAVDES IN SPECIE SVA; Græcè, *ob pulchritudinem suam*, ob externam formam, ob proceram staturam, ob magnificum incessum. NEQVE SPERNAS, seu contemnas, HOMINEM IN VISV SVO] Hebraismus est, potentia (*a*) pro obiecto potentiæ, id est, ob aliquid quod exteriùs aspectu deforme est, si v.g. pusillâ sit staturâ, si colore fusco, si veste sordida, si non stipatus multo comitatu seruorum aut clientum. Idque vt à simili probem:

(*a*) *In Prolog. de Idiotism. Iob, n. 46.*

℣. 3. BREVIS statura; Græcè, *parua*, IN VOLATILIBVS EST APIS, ET tamen INITIVM, id est, principatum, DVLCORIS, seu dulcedinis, HABET FRVCTVS ILLIVS] mel, inter omnia dulcia. Ineptè ergò iudicium de interna virtute cuiuspiam fertur ex solo rerum externarum, quæ in oculos incurrunt, aspectu.

℣. 4. NEC IN DIE HONORIS TVI EXTOLLARIS ob splendidam vestem quâ fulges, aut ob encomia quibus te tui prosequuntur. QVIA INVISA OPERA ALTISSIMI] id est, incognita & occulta tibi: nescis quid vertici tuo immineat. Exemplo sit Agrippa rex Actor. 12. v. 21. Vanitatem verò vestium lepidè ridebat Philosophus ille, qui cùm videret quemdam purpurâ superbire, contingens manu vestem, aiebat: *Ouis hoc nuper gestabat, & qui erat.*

℣. 5. INSVSPICABILIS; Græcè, *insuspicatus*, id est, quem nemo suspicabatur fore regem, DIADEMA PORTAVIT] Saul, Dauid, Machabæi, &c.

℣. 9. NE CERTERIS; Græcè, *ne certes*, ne litiges, ne contendas. ET IN IVDICIO PECCANTIVM NE CONSISTAS] Græcè, *ne præsideas*, id est, ne confirmes, ne probes sententiam iniustam.

℣. 10. SI SECVTVS FVERIS, id est, si tuo labore secteris diuitias, NON APPREHENDES quas Deus nolet tibi dare. ET NON EFFVGIES paupertatem & miseriam, EISI PRÆCVCVRRERIS] seu effugere tentaueris, nempe si Deus eam tibi immittere voluerit. *Simile: Prou. 23. v. 5.*

℣. 12. EST HOMO MARCIDVS, id est, æger, macie exhaustus, EGENS RECVPERATIONE, id est, instauratione; Græcè, *auxilio*, nempe annonæ & famulorum: PLVS DEFICIENS VIRTVTE, id est, robore & viribus, verbo vno, impotens omni ex parte, nec valens se iuuare vel tantillùm: qui tamen, RESPICIENTE ILLVM OCVLO DEI IN BONVM, id est, fauente ei diuina prouidentia, mox in altum erigitur, & in solium sublimatur. Exemplo sit Ioseph, Iob, & tot alij. Vnde patet, diuitias & honores à Deo dependere.

℣. 16. ERROR ET TENEBRÆ mentis PECCATORIBVS SVNT CONCREATA] id est, congenita & connata, non in vulua matris, vel à malo Deo, vt volebant Manichæi, sed ab ipsomet peccatore, & in ipso actu peccati: peccator enim mox vt peccat, peccato suo gignit sibi errorem & tenebras.

℣. 17. PROFECTVS ILLIVS] nempe Dei, id est, quod Deus vult in iustis proficere & promouere; Græcè, *beneplacitum eius.*

℣. 21. STA constans IN TESTAMENTO TVO, id est, in pacto quod cum Deo iniuisti, tum aliàs, tum in circumcisione, & nunc in baptismo, vel voti alicuius nuncupatione, quo te Deo obstrinxisti ET IN, seu de, ILLO COLLOQVERE, tracta, meditare: ET IN OPERE, seu completione, MANDATORVM TVORVM, id est, tibi datorum, VETERASCE, id est, ad senium, ad mortem vsque perseuera.

℣. 21. MANE IN LOCO TVO] Græcè, *in labore tuo*, id est, in officio & munere ad quod à Deo vocatus & assumptus es.

℣. 27. IN DIE BONORVM, id est, tempore prosperitatis, NE IMMEMOR SIS MALORVM, sed semper cogita impendentia supplicia, quæ pro sceleribus tuis Deus tibi certissimò parat, si non in hac vita, saltem IN DIE OBITVS, id est, mortis tuæ, quia hoc est DEO FACILE; Græcè, *leue.*

℣. 29. MALITIA HORÆ, id est, afflictio tempore mortis obuentura, OBLIVIONEM FACIT LVXVRIÆ MAGNÆ, id est, efficit vt obliuioni mox tradantur omnes præcedentes luxus, voluptates & gaudia. Quia IN FINE HOMINIS DENVDATIO OPERVM ILLIVS] id est, in morte clarè innotescit homini qualia & cuius pretij sint quæcumque egit in vita, & consequenter quo in statu sit ipse futurus per totam æternitatem. Vnde collige Primò, particulare iudicium in morte cuiusque. Secundò, animas etiam in Purgatorio certas esse de sua salute. Tertiò, statim à morte donari mercedem operum & meritorum cuiusque, sed pro ratione status in quo singuli sunt. Quod addo, propter Sanctos qui ante aduentum Christi detinebantur in limbo.

℣. 30. IN FILIIS SVIS; Rabanus & Sà, in actibus & operibus suis, AGNOSCITVR VIR] Sed potest etiam propriè accipi de filiorum institutione & educatione. nam ex ea ferè patescit quàm egregia fuerit parentum virtus & industria.

℣. 32.

℣. 32. SICVT ERVCTANT grauem ructum & anhelitum qui PRÆCORDIA habent FORTENTIA; SIC COR SVPERBORVM eructat intolerabilem superbiæ fœtorem. ET SICVT PERDIX incauta INDVCITVR IN CAVEAM, sic plurimi innocentes à superbis illaqueantur. Denique superbus est SICVT PROSPECTOR] id est, sicut auceps qui supernè vel à longè prospicit casum auiculæ in laqueum; & ridet captum *proximum* suum dolis suis.

℣. 33. IN ELECTIS, id est, selectis & eximijs personis, IMPONET MACVLAM] per calumnias & mendacia.

℣. 34. AB VNO DOLOSO & versipelli AVGETVR non rarò SANGVIS] id est, cædes & homicidia.

℣. 35. SVBSANNATIONEM] Græcè, *maculam*, seu notam, ob quam perpetuò subsanneris & ridearis.

℣. 36. ADMITTE, si audes, ALIENIGENAM AD TE, id est, in domum, in familiam, in familiares amicos tuos; citò senties quanto malo tuo id feceris. Nam SVBVERTET TE IN TVRBINE, seu turbatione, vt Græcè est, aduersum te excitata, ET ABALIENABIT ac spoliabit TE A TVIS PROPRIIS amicis & opibus & omnibus bonis. Exemplum habes in *Iugurtha* apud Sallustium, & in *Herode* Ascalonita apud Iosephum: nam adscitus Herodes in familiam Hyrcani, non priùs quieuit quàm totam illam familiam stirpitus deleret.

CAPVT XII.

Eleemosyna & alia beneficia iustis potiùs præstanda, quàm impijs. Cauendi inimici etiam cùm reconciliati simulant amicitiam.

℣. 4. DA MISERICORDI; Græcè, *humili*, id est, pio. ET NE SVSCIPIAS, id est, ne adiuues, PECCATOREM] Græcè, *ne des impio*. nempe si noris abusurum, vel ingratum fore beneficio, vel fouendum hac viâ in sua pigritia vel nequitia. Patet ex v. 6. & 7. Porrò talibus eleemosynam corporalem negare, est præstare eleemosynam spiritualem. Alioquin omnibus omninò egentibus, etiam impijs, succurrendum esse in necessitate, patet ex generali præcepto charitatis proximi, & ad Gal. 6. v. 10. Ceteris tamen paribus præstat pijs eleëmosynas impendere, ob duplex inde consurgens meritum, ex duplici titulo seu motiuo propter quod illis dantur. Primò, quia creaturæ Dei sunt, quæ egêt opetua. Secundò, quia serui & filij Dei sunt. Cùm in impijs non nisi primus titulus reperiatur, inquit Auctor imperfecti. Quod intellige de publicis vel tibi notis pro talibus. Nam S. Chrysostomus homiliâ benè disertâ (cuius hoc idem est argumentum) docet, *Non esse curiosè pauperes perscrutandos*.

Homil. 36. in Matth.

℣. 7. DVPLICIA, id est, multiplicia; MALA INVENIES] Perdes nempe quod das, & noces ei cui das, & periculum creas tibi qui das, & in malo iuuas ac roboras malos.

℣. 8. NON AGNOSCETVR AMICVS IN BONIS, id est, prosperis: nam omnes promiscuè tunc tibi adulantur & fingunt amicos.

Sed IN MALIS, id est, in aduersis, NON ABSCONDETVR INIMICVS] id est, non latebit quis sit inimicus: nam is te deseret. Soli amici pergent adhærere.

℣. 10. SICVT ÆRAMENTVM] id est, vas æneum, quantumuis politum, facilè tamen rursus *æruginem* contrahit: ita *inimicus*, licèt videatur tibi reconciliatus, facilè tamen ad odia & nequitias priores redibit. Cauè ergo tibi ab illo, ne malo edoctus tuo,

℣. 12. AGNOSCAS VERBA MEA vera esse, ET IN SERMONIBVS MEIS quibus te præmoneo, STIMVLERIS] id est, pungaris, doleas, sed seriùs; quòd ijs non credideris.

℣. 13. QVIS MISEREBITVR aut compatietur INCANTATORI, vel venatori præmonito & præscio imminentis periculi, qui tamen vult nulla pressus necessitate, sola experiundi curiositate, cum serpente vel feris committi, quis, inquam, tali compatietur, si contingat à serpente vel feris percuti dente, vel veneno lædi? Sic nempe nemo miserebitur tui, si præmonitus à me, & præscius imminentis tibi ex conuersatione cum fictis amicis periculi, illud vitare detrectes, atque ita IN PECCATIS, id est, nequitiis, illorum *obuoluaris* & lædaris.

℣. 14. SI DECLINAVERIS à prospera & læta fortuna in aduersam & tristè, NON SVPPORTABIT] id est, non feret opem; Græcè, *non tolerabit*, nō feret adesse tibi diutiùs. Falsus enim amicus cū fortuna vt venit ita & cum eadem recedit, inquit Seneca.

℣. 19. CAPVT MOVEBIT, ET PLAVDET MANV præ lætitia, ET MVLTA SVSVRRANS, ac fingens signa gaudij, COMMVTABIT VVLTVM SVVM ad risum & plausum, sed sardonicum. *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.* *Psalm. 54. v. 22.*

CAPVT XIII.

Cauenda nimia familiaritas cum potentioribus & impijs. Amicitia sit inter pares moribus & opibus.

℣. 2. PONDVS SVPER SE TOLLET, id est, ingenti onere se grauat, QVI HONESTIORI, id est, ditiori; Græcè, *potentiori*, SE COMMVNICAT] id est, socium & familiarem facit.

℣. 3. QVID COMMVNICABIT CACABVS AD OLLAM?] quid commodi afferet ollæ fictili seu testaceæ vas æneum? hoc nempe, quòd si collidātur, cacabus confringet ollam. Sic & diues opprimet & discerpet pauperem amicum. De duabus istis ollis elegans extat apologus inter fabulas Faërni. Pauperi vel tenui potentioris societas non est exoptanda.

℣. 7. SVPPLANTABIT; Græcè, *decipiet*, TE, NARRANS & promittens TIBI multa BONA.

℣. 8. ET CONFVNDET TE IN CIBIS SVIS, lautissimè te, BIS ET TER excipiendo, vt sic cogat te vicem rependere, & similia sumptuosa conuiuia sæpiùs instruere, DONEC TE EXINANIAT, & opes tuas omnes exhauriat.

℣. 11. ATTENDE ergo si sapis, NE SEDVCTVS à ditiore amico IN eiusmodi STVLTITIAM, HVMILIERIS] deijciaris gradu tuo, spolieris fortunis tuis. Præstat, tua impendas alendis pauperibus, quàm ornandis aut colendis diuitibus.

℣. 12. NOLI ESSE HVMILIS, id est, abiecti vel pusilli animi, vt maculam impingas SAPIENTIÆ TVÆ] frequentando consortia potentiorum, & alia stulta faciendo, quæ nosti repugnare sapiētiæ & rectæ rationi.

℣. 13. NE IMPROBVS SIS, id est, ne importuniùs aut frequentiùs te ingeras in familiaritatem potentiorum, NE fortè IMPINGARIS, id est, violentè aut turpiter repellaris. Sed neque LONGE nimis SIS AB EO, id est, ne aut ex rusticitate, aut ex morositate prorsus refugias tale consortium, NE EAS IN OBLIVIONEM] & ille tui immemor, nō promoueat causam tuā, vel non possit subinde vti operâ tuâ. Vnde rectè Alexander: Principem adeas quasi ignem, ne nimis vicinus, comburaris; ne nimis distans, frigeas.

℣. 15. IMMITIS; Græcè, *immisericors* aliquando A tibi factus, & ex amico rigidus iudex vel hostis, CONSERVABIT memoriâ VERBA TVA, quæ olim fretus eius familiaritate, incautiùs effutiuisti, & forsan occultum aliquod facinus reuelasti: ET NON PARCET DE MALITIA, id est, afflictione: non desinet te punire, & in VINCVLA conijcere, & acerbè torquere.

℣. 16. ATTENDE AVDITVI TVO, id est, ad ea quæ ex ipso audis, quæ ipse rogat; quænam & quomodo respondeas; QVONIAM CVM SVBVERSIONE TVA AMBVLAS] id est, cum periculo subuertendi te, & tua, conuersaris cum illo.

℣. 17. AVDIENS VERO ILLA quibus te tentat princeps, diligenter expende singula & rumina, & QVASI IN SOMNIS VIDE, ET VIGILABIS] id est, noctu & diu, seorsim & in quiete omnia attentissimè considera. B

℣. 18. IN, id est, pro, SALVTE TVA.

℣. 22. QVÆ COMMVNICATIO, id est, societas, SANCTO HOMINI AD CANEM] id est, cum impio, vili coram Deo instar canis? Græcè, *quæ pax hyænæ cum cane?* Hyæna Ægyptium animal est, maius lupo, sæuum & subdolum, quod fictâ vomentium voce canem allicit, & propinquantem deuorat: sic diues pauperem, inquit Ælianus.

Ælian. l. 7. hist. Animal. c. 22.

℣. 30. NEQVISSIMA PAVPERTAS IN ORE IMPII] Id est, impius paupertatem detestatur, vt rem pessimam & miserrimam.

℣. 32. VESTIGIVM, seu signum, CORDIS BONI & læti, putà FACIEM BONAM & lætam, DIFFICILE INVENIES] Nam ex tranquillitate & serenitate conscientiæ semper læto & sereno vultu esse rarum est & difficile. C

CAPVT XIV.

Chrysost. homil. 64. Basil. hom. 7. ex 29. Infr. 19. 6. 16.

De lapsu linguæ: de vanitate & malitia auaritiæ. De qua pulcherrimè S. Chrysostomus & Basilius.

℣. 1. BEATVS QVI NON EST STIMVLATVS, id est, non sentit conscientiæ remorsum IN TRISTITIA DELICTI] id est, ob tristia seu tristem facientia delicta; Græcè, *ob multitudinem peccatorum.*

℣. 2. NON HABVIT ANIMI SVI TRISTITIAM ob aduersa huius vitæ, vel ob admissa peccata, ET NON EXCIDIT A SPE SVA; Græcè, additur, *quæ in Domino*, supple, fixa est, à quo exspectat in futura vita mercedem bonorum operum & laborum suorum. ita Rabanus.

℣. 3. VIRO CVPIDO, id est, auaro, SINE RATIONE EST SVBSTANTIA, seu diuitiæ: quia frustra & sine vllo vsu aut fructu eas possidet. Hoc Primum est argumentum, quo probat vanitatem auaritiæ. Nam HOMINI LIVIDO, seu inuido, AD QVID AVARVM?] Porrò omnis auarus inuidet tum sibi, tum alijs vsum suæ pecuniæ. Vt præter *liuorem*, nullum alium inde fructum sentiat. D

℣. 4. ACERVAT EX ANIMO SVO INIVSTE, id est, defraudat, detrahit genio & appetitui suo quod illi meritò debebatur. Secundum argumentum. Tertium: ALIIS CONGREGAT, qui ea dissipabunt, & ijs LVXVRIABVNTVR] id est, deliciabuntur. Sequitur Quartum argumentum:

℣. 5. SIBI NEQVAM & iniurius, negans sibimet vitæ necessaria: CVI ALII BONVS?

℣. 6. ET HÆC REDDITIO MALITIÆ IPSIVS] Id est, hæc iusta merces est & pœna iniustæ & sordidæ parsimoniæ ipsius.

℣. 7. ET SI CASV SVBINDE alicui BENEFECERIT, id non ex animi sententia, sed prorsus IGNORANTER, ET NON VOLENS, imò inuitus, vel certè coactus; FACIT ET IN NOVISSIMO, id est, in fine beneficij, MANIFESTAT MALITIAM SVAM] imò plerumque ante finem prodit, nec potest dissimulare, se malo animo fecisse quod fecit, potiùs vt obsit, quàm vt prosit.

℣. 8. AVERTENS FACIEM SVAM à paupere, & quouis amico: ET DESPICIENS ANIMAM SVAM] id est, seipsum defraudans.

℣. 9. INSATIABILIS IN PARTE INIQVITATIS, id est, nulla parte lucri iniquè corrasi quantumcumque magnâ, potest auarus animus expleri: nec verò expleretur, etsi toto mundo potiri contingeret: potiùs accenderetur magis infamis sitis, DONEC CONSVMAT AREFACIENS ANIMAM SVAM] id est, donec seipsum anxijs curis & studijs prorsus exhauriat, totusque contabescat. Quintum est argumentum. Sequitur Sextum:

℣. 10. OCVLVS auari MALVS, id est, peruersa intentio, AD MALA studia perpetuò vergit, quibus de nouo augere possit opes. Et tamen semper ipsemet INDIGENS, ET IN TRISTITIA ERIT, etiam SVPER MENSAM SVAM] non audens satiare se *pane*, imò dolens, quòd cibus in mensa exhibeatur.

℣. 11. SI HABES, BENEFAC alijs TECVM, id est, tibi & proximo tuo: ET DEO DIGNAS OBLATIONES OFFER ex tua substantia: in hos enim vsus concessæ tibi sunt opes à Deo, non verò vt in arca sordidè recondas. Sequitur Septimũ argumẽtum:

℣. 12. MORS NON TARDAT] citò morieris; Vt quid ergo accumules in immensum opes, & adserues intactas, quasi semper aut diutissimè victurus?

TESTAMENTVM INFERORVM, id est, dispositio Dei, siue decretum, de morte omnium & descensu ad inferos, saltem ad limbum Patrum; DEMONSTRATVM EST TIBI, tum ex SS. Scripturis, tum ex continua traditione & experientia. TESTAMENTVM porrò hoc, seu decretum vniuersale est totius HVIVS MVNDI, commune omnibus hominibus, & *à seculo* (vt est in Græco v. 18.) id est, ab initio mundi hucusque inuiolabiliter obseruatum. Et verba testamenti sunt, *Morte morietur* omnis filius Adæ, Genes. 3.

℣. 14. NON DEFRAVDERIS A DIE BONO, id est, ne te defraudes, seu priues, læto & iucundo die conuiuij vel festi, vel amœno tempore vitæ tuæ. ET PARTICVLA BONI DONI, quod tibi cælitus obuenit, NE TE PRÆTEREAT] Vtere concessis. Græcè est, *pars desiderij boni*, id est, parte seu portione tibi toties & adeò desideratâ, iam tandem acceptâ, vtere & fruere. Cur enim

℣. 15. RELINQVES ALIIS opes tuas magno DOLORE ET LABORE TVO partas, IN DIVISIONE SORTIS?] id est, cùm post mortem tuam tua hereditas sorte illis diuidetur: de quibus tibi non constat an grati futuri, an benè vsuri sint. Est Octauum argumentum. Sequitur Nonum:

℣. 16. DA largè & liberaliter alijs, maximè pauperibus. ET ACCIPE: nam si dederis, vicissim accipies plura à liberali manu Dei. *Date & dabitur vobis.* Et: *Qui, miseretur pauperis, fœneratur Domino.* Et sic IVSTIFICA ANIMAM TVAM, id est, per eleemosynam compara vel auge tibi meritum iustitiæ, emunda te, expurga te à peccatis & à pœnis pro peccato debitis. *Peccata tua eleemosynis redime*, inquiebat Daniel Nabuchodonosori. Et est hoc Decimum

Luc. 6. v. 38.

Dan. 4. v. 24.

cimum argumentum ex merito, fructu & mercede eleëmosynæ. Et hic fructus carpendus tibi dum hic viuis: nam

℣. 17. NON EST APVD INFEROS INVENIRE CIBVM] Græcè, *quærere*. q.d. Post hanc vitam nullus est ampliùs locus alios cibandi vel potãdi, vel aliter de proximo bene merendi, & sic iustitiam tibi per eleëmosynas augendi, vel peccatorum veniam impetrandi.

℣. 20. OMNE OPVS CORRVPTIBILE, id est, caducum; Græcè, *putridum*, IN FINE cum hominis morte DEFICIET] Rabanus intelligit *opera carnis*, seu peccata, quæ in fine huius vitæ dicit caritura mercede gloriæ cælestis, & plectenda supplicijs infernalibus.

℣. 22. BEATVS VIR, QVI IN SENSV, id est, mente sua, vel sapienter, COGITAT CIRCVMSPECTIONEM DEI] id est, Deum vbique præsentem omnia circumspicere.

℣. 23. IN ABSCONDITIS SVIS, pro *eius*, sapientiæ, INTELLIGENS, id est, perscrutans arcana mysteria sapientiæ.

℣. 24 RESPICIT PER FENESTRAS, in interiora domus *illius*.

℣. 25. IN PARIETIBVS domus ILLIVS FIGENS PALVM, cui alliget tabernaculum suum in hac peregrinatione sua, STATVET CASVLAM, seu habitationem, SVAM AD MANVS (*a*) ILLIVS] id est, ad latus sapientiæ, firma spe illi & Deo indiuulsus adhærens.

a In Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 36.

CAPVT XV.

Fructus timoris Dei, seu sapientiæ cælestis: quàm docet esse in potestate liberi nostri arbitrij, quod pulcherrimè describit.

℣. 1. QVI CONTINENS EST IVSTITIÆ, ἐγκρατὴς, id est, compos factus, & possessor *iustitiæ*; Græcè, *cognitionis* legis, APPREHENDET ILLAM] q.d. Qui studiosè obseruat mandata Dei, consequetur sapientiam cælestem. Erit enim ipsi

℣. 2. QVASI MVLIER A VIRGINITATE] Id est, quasi virgo illi desponsata, & iam facta illius mulier, seu vxor.

℣. 3. CIBABIT ILLVM, seu nutriet, hæc pia mater & coniux, PANE, non mendacij, aut mortis, vt solet mundus, sed pane VITÆ, INTELLECTVS & veritatis, id est, cibo qui vitam præstet, & veram scientiam ac sapientiam.

℣. 6. NOMINE ÆTERNO HEREDITABIT ILLVM] id est, famâ celeberrimâ, æternùm duraturâ dotabit illum quasi stabili dote & hereditaria possessione, quam etiam ad posteros transmittet.

℣. 8. VIRI VERACES, id est, veritatis & pietatis amantes, INVENIENTVR IN ILLA, id est, in consortio, in complexu illius: ET SVCCESSVM HABEBVNT, id est, erunt per omnia verè felices, VSQVE AD INSPECTIONEM DEI, seu visitationem, qua solet dignari amicos suos, vt dixi cap. 2. vers. 21. Tu verò

℣. 11. NON DIXERIS, PER DEVM ABEST] scilicet à me sapientia. Neque enim *per Deum*, sed per te stat, quòd eâ careas.

QVÆ ENIM ODIT Deus, tu tuo vitio facis, atque ita refugis à sapientia, & illam à te fugas. NE FECERIS *quæ Deus odit*, sed fac quæ illi placent, & certò illam assequeris. Nam vt ante (*b*) dixi, *concupiscens sapientiam, conserua iustitiam, & Deus præbebit illam tibi*.

b Cap. 1. 31.

A ℣. 12. NON etiam DICAS, DEVS ME IMPLANAVIT, id est, fecit errare, peccare, atque ita deuiare à sapientia; Græcè, *ne dicas, Deus me plasmauit* seu formauit, nempe impium & erraticum. Nam id alienum prorsus est à bonitate & intentione diuina. Cui enim id bono? An vt diuinam potentiam vel iustitiam suam sic manifestet? Verùm ad hunc quoque finem NON NECESSARII SVNT EI HOMINES IMPII.] Et sine impiis potest aliâ prorsus viâ suas illas perfectiones toti vniuerso abundè manifestare. Quin potiùs

℣. 13. ODIT extremè DOMINVS OMNE EXECRAMENTVM ERRORIS] id est, omnem errorem execrabilem: Græcè, *omnem abominationem*, id est, omne peccatum.

℣. 14. DEVS AB INITIO CONSTITVIT HOMINEM, id est, creauit & plasmauit hominem. Hoc
B fateor, & est verum. Sed non creauit peccatorem, vel hominem infectum peccatis, sed liberum ab omni peccato, ornatum gratiâ & iustitiâ, & tot aliis donis. Nec aliud optabat, quàm vt perpetuò maneret in isto felici statu tam ipse, quàm omnes posteri ipsius. Noluit tamen ad id cogere, & violentè necessitare eum, qui ex natura sua liber erat. Ergo RELIQVIT ILLVM IN MANV CONSILII SVI] & liberam naturam permisit liberè agere quidquid posset & vellet. Tantùm, vt ostenderet se Dominum illius esse, simulque vt fidem serui sui exploraret.

℣. 15. ADIECIT MANDATA ET PRÆCEPTA SVA] putà legis naturalis, & quædam etiam legis positiuæ, v. g. de non comedendo tali pomo, &c. Porrò hæc præcepta dedit homini non frustra, vel
C in vanum, sed ad maximum ipsius, si vellet, commodum & bonum.

℣. 16. SI VOLVERIS mea MANDATA SERVARE, vti facillimè potes, & iure debes, & ita IN PERPETVVM FIDEM, id est, fidelitatem, mihi PLACITAM & gratam FACERE; ipsa vicissim mandata CONSERVABVNT TE in hoc felici statu, nec te solùm, sed & omnes posteros tuos. Subaudi: Quòd si nolueris illa seruare, peribis tu & posteri tui. En ergo appositа tibi *bonum & malum, vitam & mortem*.

℣. 18. QVOD PLACVERIT, DABITVR ILLI] An posset certiùs aut clariùs exprimi, aut magis graphicè depingi liberum aduersus hæreticos arbitrium? Sed vt non coëgerit, non mandarit Deus peccatum, sed neque voluerit nec optarit, vt satis iam patet; fortè tamen licentiam dedit peccandi: & hoc sufficit vt aliqua ex parte excusari possimus. At contrà
D

℣. 21. Deus NEMINI DEDIT SPATIVM, id est, licentiam, vt in Græco est, PECCANDI] Quin potiùs addidit ingentes minas & pœnas peccare volentibus, vt sic magis omnes à peccando absterreret.

CAPVT XVI.

Initio docet, non esse latandum in filijs impijs. Deinde iustam Dei vindictam in impios describit: Denique commendat eximiam Dei sapientiam in dispositione vniuersi.

℣. 1. NON CREDAS VITÆ ILLORVM, id est, Ne confidas, filios impios diu ac feliciter victuros: ET NE RESPEXERIS, id est, magni feceris, LABORES EORVM] id est, machinationes, studia, lucra, & alia quibus insudant, vt emergere vel crescere possint.

℣. 5. AB VNO SENSATO INHABITABITVR PATRIA] Id est, vnus sapiens ac timens Deum, Deo benedicente, tam multos, tam fœcundos procreabit filios ac posteros, vt integrum ijs regnum compleat. Patet in Noë, Abraham, Isaac, Iacob, &c.

TRIBVS verò, id est, familia seu natio, IMPIORVM, quantumuis numerosa, DESERETVR, desolabitur, extinguetur. Vt videre fuit in Amalecitis, Chananæis, & tot populis à Iosue, Saule, Dauide excisis.

℣. 7. IN GENTE INCREDIBILI, id est, incredula; Græcè, *infideli*, infida, EXARDESCET IRA Dei & vindicta diuina. Exemplo sint

℣. 8. ANTIQVI GIGANTES ante diluuium, de quibus Genes. 6. NON EXORAVERVNT PRO PECCATIS SVIS, id est, non placarunt Deum, SVA VIRTVTE] id est, robore & potentiâ. B

℣. 9. NON PEPERCIT Deus PEREGRINATIONI LOTH] id est, loco peregrinationis, nempe *Sodomæ*, in qua peregrinus degebat Lot. *Gen. 19.*

℣. 11. ET SICVT SEXCENTA MILLIA PEDITVM Hebræorum in deserto, QVI CONGREGATI SVNT, id est, conspirarunt, IN DVRITIA CORDIS SVI, id est, duro & obstinato animo, nolentes inuadere terram Chanaan, vti Deus iubebat, præter duos Iosue & Caleb omnes à Deo excisi sunt, Num. 14. & 26. MIRVM, SI VNVS aliquis CERVICATVS; Græcè, *duræ cervicis*, & rebellis Deo, audeat sibi spondere, quòd erit IMMVNIS] Qui enim tanto populo non pepercit, quomodo parcet vni capiti?

℣. 12. POTENS EXORATIO; Græcè, *placatio*. pro, potens est Deus exorari seu placari, id est facilè placari potest Deus pœnitentibus. Alioquin EFFVNDENS IRAM] id est, valdè irascitur impijs & obstinatis.

℣. 14. NON EFFVGIET vindictam Dei PECCATOR IN RAPINA, id est, dum rapit aliena. Et è contrà, NON RETARDABIT; Græcè, *non tardabit*, SVFFERENTIA, id est, tolerantia, vel, vt Græcè est, *exspectatio*, MISERICORDIAM FACIENTIS] id est, eius qui sua aliis in eleëmosynam distribuit. quasi dicat: Non diu sinet Deus inultam iniustitiam impiorum, nec pius differet præmia beneficentiæ suæ. C

℣. 15. OMNIS MISERICORDIA in proximum exhibita FACIET VNICVIQVE auctori suo LOCVM in cælo, & præmium promerebitur SECVNDVM INTELLECTVM, id est, rationem & calculum, PEREGRINATIONIS, id est, vitæ, IPSIVS] prout quisque se piè erga proximum gesserit in vita sua. Quod Nota pro merito bonorum operum contra hæreticos.

℣. 18. ECCE CÆLI CÆLORVM, id est, supremi cæli, & ABYSSVS, seu mare, ET QVÆ IN EIS SVNT creaturæ omnes, maximæ, minimæ, rationales, irrationales, IN CONSPECTV ILLIVS, id est, in præsentia Dei, COMMOVEBVNTVR] id est, timore & tremore concutientur. D

℣. 20. ET IN OMNIBVS HIS INSENSATVM, id est, sine sensu seu intellectu, EST COR peccatorum, id est, non intelligit per hæc omnia peccator, se non posse latere Deum.

℣. 21. ET VIAS ILLIVS, id est, rationes agendi, quas init Deus in puniendis hominibus, QVIS INTELLIGIT? vti ET PROCELLAM vindictæ diuinæ, maximè quam exeret in extremo iudicio? QVAM NEC OCVLVS VIDEBIT HOMINIS] scilicet ante illud tempus. Nempe tam horribilis erit, vt ante eam nemo similem vel viderit, vel audierit.

℣. 22. LONGE EST TESTAMENTVM A QVIBVSDAM, id est, pactum cum Deo initum de obseruandis eius mandatis, à multis non seruatur, inquit Emmanuel Sà. Melius Iansenius & Mariana, dispositio, seu decretum, Dei de condigna cuique pro sceleribus pœna suo tempore infligenda, procul exulat à mente & cogitatione multorum: ET tamen INTERROGATIO, id est, inquisitio iudicialis, & rigidum examen, OMNIVM EST, seu instituitur IN CONSVMMATIONE] id est, in fine singulorum, putà in morte & iudicio. Supple, & inquisitionem sequitur debita cuique sententia & pœna. Hæc tam seria non cogitat stultus peccator.

℣. 23. QVI MINORATVR CORDE, id est, homo vecors & excors, sine mente, sine iudicio, COGITAT solùm INANIA vitæ præsentis.

℣. 25. DICAM IN ÆQVITATE DISCIPLINAM, id est, tradam tibi cum rectitudine scientiam, seu veram & sinceram scientiam: ET SCRVTABOR, id est, diligenter ac studiosè conabor ENARRARE SAPIENTIAM.

℣. 26. IN IVDICIO, id est, sapienter & optimo ordine, A prima INSTITVTIONE IPSORVM, primorum OPERVM DEI, nempe cælorum, siderum & angelorum, DISTINXIT PARTES, id est, officia & munia, ILLORVM, cuique suos motus, virtutes & influentias indens, ET INITIA EORVM; Græcè, *principatus*, seu dominia, IN GENTIBVS SVIS] id est, in nationes & plagas terræ sibi subiectas: decernens, quinam cæli, quæ astra, qui angeli in quas gentes seu partes terræ dominarentur. ita Mariana.

℣. 27. ORNAVIT OPERA ILLORVM] nempe non solùm vsui sunt vniuerso, sed & maximo ornamento.

NEC ESVRIERVNT, quasi re aliqua indigentes: NEC LABORAVERVNT] quasi fessi, vel impares oneri, vel inuiti.

℣. 28. VNVSQVISQVE PROXIMVM SIBI socium cælum vel astrum NON ANGVSTIABIT] locum eius occupando, vel illud premendo, aut in arctum cogendo, vel in suis functionibus impediendo. Sed singuli solos Dei nutus obseruant, vt ijs perpetuò obsequantur.

℣. 29. NON SIS ergo & tu, ô homo, rationalis creatura, INCREDIBILIS VERBO ILLIVS] id est, incredulus, & non obsequens iussis diuinis. In Græco est, *non erunt increduli* cæli *verbo illius*, id est, numquam se subtrahent iussui & voluntati illius.

℣. 30. POST HÆC ornamenta, post has virtutes, post hæc munia cælis commissa, DEVS IN TERRAM RESPEXIT, ET IMPLEVIT quoque ILLAM BONIS ac beneficijs svis.

℣. 31. ANIMA OMNIS VITALIS, seu viuentis in terra, id est, omne animal, DENVNCIAVIT, id est, apertè indicat quod iam dixi, Deum repleuisse terram bonis & beneficijs suis. Id, inquam, indicat ANTE FACIEM IPSIVS terræ, id est, in conspectu totius terræ, & omnium viuentium in terra. ita ferè Interpretes. Emanuel Sà exponit, in superficie terræ, quia ibi viuunt & versantur animalia, & bonis illius fruuntur. ET IN IPSAM ITERVM REVERSIO ILLORVM] id est, mortua rursus in terram, tamquam in sinum magnæ matris, reuertuntur.

CA-

CAPVT XVII.

Describit creationem hominis, eiusdemq; perfectionem: hortatur ad pœnitentiam & laudem Dei.

℣. 1. SECVNDVM IMAGINEM SVAM FECIT hominem Deus. Vide Genes. 1. v. 27.

℣. 2. SECVNDVM SE; Græcè, *secundum ipsos*, id est, secundùm eorum naturam & conditionem, VESTIVIT ILLOS VIRTVTE] id est, circumdedit eos robore seu fortitudine.

℣. 6. CREAVIT ILLIS SCIENTIAM SPIRITVS, id est, prudentiam menti illorum indidit. SENSV, id est, intellectu, IMPLEVIT COR & animam.

ET MALA ET BONA OSTENDIT ILLIS] Id est, omnia illos docuit, seu omnium rerum scientiam illis infudit. Vide Genes. 1. v. 9.

℣. 7. POSVIT OCVLVM SVVM diuinæ prouidentiæ suæ & fauoris SVPER CORDA, seu animas, ILLORVM] implens eos gratiâ & iustitiâ originali. Gen. 3. v. 7.

℣. 8. VT NOMEN SANCTIFICATIONIS, id est, sanctissimum Dei nomen, COLLAVDENT.

℣. 9. ET LEGEM VITÆ, id est, vitalem, nempe conditiones & modos quibus possent æternùm felices viuere, HEREDITAVIT ILLOS, id est, fecit illos habere & possidere velut hereditatem ad posteros transmittendam. Porrò hæ conditiones & modi siti erant in obseruatione mandatorum Dei, præsertim de non comedendo pomo vetito. Vnde meritò *legem vitæ* vocat, quia per illius obseruationem vita erat in omnibus conseruanda & propaganda. Genes. 2. v. 17.

℣. 11. MAGNALIA HONORIS EIVS, id est, glorioſam magnificentiam Dei: ET HONOREM VOCIS, id est, glorioſam vocem Dei in paradiso secum colloquentis, sibique & omnibus creatis benedicenti AVDIERVNT Adam & Eua, inquit Rabanus & Mariana. Sed Sà & quidam alij id exponunt de Israelitis gloriam Dei in Sinai spectãtibus.

℣. 14. IN VNAMQVAMQVE aliam GENTEM PRÆPOSVIT hominem aliquem RECTOREM, seu regem, qui loco Dei præesset. Sed gens Israel

℣. 15. FACTA EST PARS DEI MANIFESTA] id est, peculiaris & propria ipsiusmet Dei hereditas ac regnum, cui proinde Deus ipsemet rex esset, vt dicitur Deuteron. 32. v. 4. & 1. Reg. 8. v. 7.

℣. 16. OMNIA OPERA ILLORVM] seu bona, seu mala, sunt IN CONSPECTV DEI prorsus aperta & nuda VELVT SOL] & quasi in lucidissimo sole omnia detecta.

℣. 17. TESTAMENTA, id est, pacta Dei cum illis, & cum patribus illorum, de tradenda possessione terræ sanctæ, NON SVNT ABSCONSA, id est, abolita vel euacuata, PER INIQVITATEM ILLORVM] id est, per & propter peccata quibus impij illa violarunt: quia non obstantibus illis peccatis perrexit Deus promissis suis & pactis conuentis facere satis.

℣. 18. ELEEMOSYNA VIRI manet CVM IPSO Deo, id est, in mente & memoria Dei QVASI SIGNACVLVM, seu sigillum, id est, quasi syngrapha sigillo Dei obsignata, vt stato tempore mercedem ei rependat. Simile 2. Timoth. 2. Econuerso, aduersus impios & immisericordes

℣. 19. POSTEA RESVRGET, id est, tandem aliquando euigilans exsurget (*a*) ad iudicium, ET CONVERTET IN INTERIORES PARTES TERRÆ] id est, dejiciet in infernum. (*a*) Psal. 81. 8.

℣. 20. POENITENTES AVTEM, DEFICIENTES A SVSTINERE, id est, qui ex se deficerent in tribulatione, CONFIRMAVIT Deus, id est, corroborauit, vt fortiter sustineant, ac generosè perrumpant. Victoribus verò DESTINAVIT SORTEM VERITATIS, id est, sortem & coronam ex veritate seu iustitia ipsis debitam, nempe vitam æternam.

℣. 23. NIMIS ODITO EXECRATIONEM] Id est, vehementer oderis peccatum, quod Deus execratur vt rem maximè abominabilem.

℣. 24. STA IN SORTE PROPOSITIONIS: Id est, persiste constans in sorte tibi proposita à Deo, seu in statu iustitiæ, ad quem electus & vocatus es à Deo. Item IN SORTE ORATIONIS, id est, in perpetua laude Dei, ac gratiarum actione pro tanto beneficio. ita Rabanus. Atque ita

℣. 25. IN PARTES VADE SÆCVLI SANCTI, id est, cura vt pars cælestis muneris & officij sanctorum tibi obtingat, nempe honorando & laudando Deum tum voce, tum opere, CVM VIVIS in cælo Sanctis, & perpetuò DANTIBVS CONFESSIONEM, id est, laudem, Deo.

℣. 26. ANTE MORTEM CONFITERE, id est, lauda sic Deum. Quia A MORTVO, QVASI NIHIL amplius esset, PERIT CONFESSIO] id est, mortuus, si in vita neglexerit per bona opera laudare Deum, non poterit à morte id compensare, non magis quàm si non amplius existeret. idque Primò, quia nullum meritum erit post hanc vitam. Secundò, quia in inferno, (ad quem ob sua scelera peccator damnatur) non laudant, sed blasphemant Deum.

℣. 29. NEC ENIM OMNIA, seu supernaturalia bona, seu naturalia, POSSVNT ESSE IN HOMINIBVS absque singulari Dei fauore. exempli causâ, *non* potest homo *immortalis* esse, incorruptibilis, immutabilis, beatus; imò ex se fragilis est, miser & miserabilis, vtpote qui IN VANITATE MALITIÆ sibi *complaceat*] id est, mala vanitate & concupiscentia peccati delectetur. Vnde patet, quàm necessarius homini sit perpetuus per orationem recursus ad Deum, à quo perficiatur & stabiliatur.

℣. 30. SOL DEFICIET] non quoad substantiam, quæ est incorruptibilis, vt docent Philosophi; sed quoad munus & functionem suam, nempe illuminationem orbis sublunaris, de qua hîc agit Sapiens, & influentias in hæc inferiora.

QVID NEQVIVS, id est, imbecillius, fragilius, peius, QVAM QVOD EXCOGITAVIT CARO ET SANGVIS, id est, quàm peccatum, & aliud quodcumque inuentum peccatoris, quod ei suggerit praua concupiscentia & vitiosa natura? Et HOC ARGVETVR] id est, punietur à Deo.

℣. 31. VIRTVTEM ALTITVDINIS CÆLI, seu exercitum altissimi cæli, putà planetas & reliqua sidera, IPSE sol instar principis & ducis CONSPICIT suo lumine, id est, illustrat. Et tamen hoc tam nobile sidus deficiet aliquando: nil ergo mirum si etiam homo deficiat, & maximè peccator, qui non est nisi TERRA ET CINIS; vt fusiùs dictum est Iob 15. vers. 15.

CAPVT XVIII.

Eximia Dei misericordia circa miserum hominem: cuius exemplo debemus & nos alter alteri misericordiam exhibere: Deum seriò, non ficte colere, pravas concupiscentias fugere, &c.

℣. 1. CREAVIT OMNIA SIMVL] Græcè, *communiter*, seu pariter, & nullo prorsus excepto. Creauit autem omnia non vno die, vt

Augustl. 1. de Gen. 6.33 malè ex hoc loco collegit S. Augustinus; sed spatio sex dierum, vt narratur Genesis 1. Nisi velis cum Rabano hîc per *omnia* intelligere, omnium rerum materiam rudem & informem, quæ primo mundi die omnis simul producta fuit.

DEVS SOLVS IVSTIFICABITVR] Græcè, *Deus solus est iustus*, nempe ex se, perfectè & completè, & fons iustitiæ omnis nostræ. Simili modo dicebat Christus, *Nemo bonus nisi vnus Deus.* Et Exodi 3. v. 14. solus dicitur *esse.*

Marc. 10. v. 18.

℣. 5. NON EST MINVERE, NEQVE ADICERE] Id est, operibus Dei nihil deest, nihil redundat, nihil demi potest, nihil addi ad complendam eorumdem perfectionem.

℣. 6. CVM CONSVMMAVERIT HOMO, id est, cùm fecerit finem perscrutandi opera & magnalia Dei; TVNC INCIPIET, id est, in cognitione eorumdem tam parum se promouisse sentiet, vt meritò rursus se incipere debere fateatur. ET CVM QVIEVERIT, id est, cessarit, facta iam quanta potuit inquisitione, APORIABITVR adhuc, id est, incertus & perplexus etiam tum hærebit, nec vnquam plenè magnalia Dei cognoscere poterit.

℣. 7. QVID EST HOMO? nili terra & cinis, bulla & vmbra, quàm vilis, quàm abiectus præ immensa Dei maiestate? ET QVÆ EST GRATIA; Græcè, *vtilitas*, ILLIVS] nempè Deo?

QVID EST BONVM, AVT QVID NEQVAM ILLIVS?] Id est, quid potest homo ex se præstare, seu bonum, quo Deum iuuet; seu malum, quo Deo noceat?

℣. 8. SICVT CALCVLVS ARENÆ nihil est præ toto corpore terræ, SIC EXIGVI sunt hominis ANNI IN DIE ÆVI] id est, præ æternitate Dei.

℣. 10. VIDIT Deus PRÆSVMPTIONEM, id est, temeritatem, audaciam ET SVBVERSIONEM NEQVAM ILLORVM] id est, impia opera & studia, per quæ subuerterentur nisi ipse propitiaretur & succurreret.

℣. 11. MISERATIO HOMINIS CIRCA PROXIMVM SVVM] id est, ad vicinum, propinquum vnum vel alterum, saltem ad paucos extenditur.

MISERICORDIA AVTEM DEI SVPER OMNEM CARNEM, id est, ad omnia viuentia se extendit, DOCENS ET ERVDIENS singula pro captu suo.

℣. 15. FILI, IN BONIS, id est, in beneficijs alteri præstandis, NON DES QVERELAM, seu occasionem querelæ. q.d. Ne sis morosus, ne durus, ne tardus, ne talis vt quis iure possit de te queri: & NON DES TRISTITIAM VERBI MALI] id est, ne contristes alium aspero, seu verbo, seu vultu. *Hilarem enim datorem diligit* & *Deus* & homines.

2. ad Cor. 9. v. 7.

℣. 18. DATVS, supple, nummus; Græcè *donum*, INDISCIPLINATI, id est, malè instructi, rustici, impij hominis, TABESCERE FACIT OCVLOS pauperis, dum verbis asperioribus, & iniustis improperijs illum contristat.

℣. 20. ANTE LANGVOREM, seu morbum prolixiorem, ADHIBE MEDICINAM præseruatiuam vel purgatiuam. ET ANTE IVDICIVM, quo sententiam in alios feras, vel alios iudices, INTERROGA TEIPSVM] examina & inquire, an non tu ipse ijsdem vel grauioribus vitijs obnoxius sis. Sic propitium tibi reddes Deum, corrigendo prius teipsum, quàm alios incusando.

℣. 21. ANTE LANGVOREM, seu aduersus omne genus morborum, en tibi præseruatiuam vt certissimam, ita facillimam, & semper ad manum; HVMILIA, seu afflige, TE, scilicet per abstinentiam, vt est in Græco. Vnde alij vertunt, *priùs quàm ægrotes, jeiuna.* Hebræis enim quia ordinaria & lege præscripta humiliatio, seu afflictio, erat per ieiunium, hinc humiliare vel affligere se, idem erat quod ieiunare. Porrò de hoc ieiunij alexipharmaco, vide Franciscum Valesium, & nostrum Leonardum Lessium. Quòd si contigerit ægrotare, toto TEMPORE INFIRMITATIS OSTENDE CONVERSATIONEM TVAM] scilicet modestam & patientiâ prælustrem; Græcè, *aduertentiam.* q. d. Sic te tum geras, vt omnes sentiant te aduertere quòd à Domino visiteris.

Vales. de Sac. Philos. Lessium in Hygiastico.

℣. 22. NON IMPEDIARIS superfluis occupationibus vel curis ORARE SEMPER] nempe opportuno vel statuto tempore. Pro *semper orare*, Græcè est, *reddere votum opportunè.* Nihil ergo hinc subsidij habent ἀκτήμονες, qui, teste S. Augustino, contendebant, semper & continuò orandum esse Christianis. Orare nihilominus semper dici possunt, saltem habitualiter, quicumque sua omnia in Dei præsentia peragunt in laudem & gloriam ipsius.

ET NE VEREARIS VSQVE AD MORTEM IVSTIFICARI] nempe per noua continuò operâ iustitiæ; Græcè, *ne differas iustificari*, seu à statu peccati per pœnitentiam transire ad gratiæ statum.

℣. 23. ANTE ORATIONEM PRÆPARA ANIMAM TVAM] Id est, teipsum, per seriam pœnitentiam peccatorum, studiosam attentionem præsentiæ diuinæ, & puram intentionem honoris ipsius.

℣. 24. MEMENTO IRÆ, & vindictæ diuinæ, quæ impijs superueniet IN DIE CONSVMMATIONIS vitæ, id est, tempore mortis. Item memento TEMPVS RETRIBVTIONIS, id est, mercedis prauorum operum IN CONVERSATIONE, seu conuersione; Græcè, *in auersione*, FACIEI] id est, in die iudicij, quando Deus suauem faciem suam auertet ab impijs, & terribilem faciem ad eos conuertet, & sic hostiliter cum ijsdem conuersabitur.

℣. 26. A MANE VSQVE AD VESPERAM sæpe & facilè IMMVTABITVR TEMPVS ex nubilo in serenum, ex aduerso in prosperum; & contrà. ET HÆC OMNIA CITATA, id est, subitò & velociter mutantur IN OCVLIS DEI] ipso vidente, imò agente, vel saltem permittente. Breuiter, Deus subitò mutat tempora quando & prout vult. Ergo, ne affligas in aduersitate cor tuum, quia stabilis non erit, sed exspecta patienter mutationem sortis & vitæ, non minùs quàm auræ.

℣. 29. SENSATI, id est, prudentes seu sapientes, IMPLEVERVNT PROVERBIA ET IVDICIA] id est, docendo instillant alijs doctas sententias, & præcepta seu regulas sapientiæ.

℣. 32. NE OBLECTERIS IN TVRBIS, id est, ne gaudeas versari in circulis, maximè popinarijs seu mensalibus; Græcè, *in multis deliciis.* NEC frequens sis IN, seu cum, MODICIS, id est, cum vili plebecula, qualis esse solet in popinis. Quidam Græci codices habent: *nec in immodicè*, supple, symposijs vel conuiuijs, vel aliis excessibus. Alij legunt, *nec in nimio luxu.* ASSIDVA ENIM EST COMMISSIO, seu peccatum, ILLORVM] Quid enim aliud in popinis & sordidis symposijs, quàm luxus, iræ, rixæ, scurriles fannæ, vt alia taceam peiora?

℣. 33. NE FVERIS MEDIOCRIS, id est, ne pauper euadas (vt est in Græco) IN CONTENTIONE, id est, dum contendis *symbola diuidere*, id est, conuiuia sociis facere, EX FOENORE, seu ex pecunia quam mutuò cum onere præstandi fœnoris accipis, exhausto

exhausto iam sacculo seu crumena tua. Hoc ENIM si A feceris, INVIDVS ERIS VITÆ TVÆ] id est, perinde feceris, atque qui inuidet, & odit seipsum, & pessimè consulit propriæ quieti, incolumitati & vitæ. Simile Prouerb. 23. v. 20.

CAPVT XIX.

Sobrietas & parsimonia commendantur, Ebrietas & scortatio reprehenduntur, Non temerè cuiuis credendum. Cauenda loquacitas & detractio. Inimicitiæ non facilè suscipiendæ, &c.

¥. 2. VINVM immodicè haustum, ET MVLIERES fornicariæ FACIVNT APOSTATARE, id est, à Deo deficere, etiam SAPIENTES, ET ARGVENT, id est, reprehensione dignos facient, quantumcumque SENSATOS] Exemplo sit Samson, Salomon, tot alij.

In Iu. 16. v. 19. 3. Reg. 11. v. 3.

¥. 3. QVI SE IVNGIT FORNICARIIS, id est, meretricibus, vt est in Græco; ERIT NEQVAM] id est, instar scelerati & pessimi hominis punietur.

PVTREDO ET VERMES HEREDITABVNT ILLVM, id est, sanie diffluet & vermibus scatebit, etiam viuus: ET IN MAIVS atque euidentius EXEMPLVM aliorum, EXTOLLETVR breui ex hac vita: ET ANIMA EIVS TOLLETVR DE NVMERO viuentium in terra, & in cælis. Luxuria enim vt enervat corpus, & mille morbos inducit, ita vitam notabiliter accidit.

¥. 4. MINORABITVR, supple, opibus, sapientiâ & famâ, id est, pauperior euadet quotidie, & insipientior, & infamis magis. ET QVI DELINQVIT IN ANIMAM SVAM, id est, in seipsum, non solùm erit occultè talis coram Deo, vel domesticis suis, sed INSVPER HABEBITVR etiam publicè talis, & C exteriùs æstimabitur passim ab omnibus. Quomodo enim parcent ipsi alij, cùm sibi nolit ipse parcere?

¥. 9. AVDIET TE fictus amicus narrantem secreta tua delicta, ET CVSTODIET, id est, observabit, TE & verba tua, ET QVASI DEFENDENS, id est, simulans se defendere & excusare, PECCATVM tuum, interiùs ODIIT TE: ET SIC SEMPER TIBI ADERIT] & tecum ager, nempe exteriùs vt amicus, interiùs reuerà inimicus, occasioni inuigilans, quâ tibi nocere, teque subuertere possit.

¥. 10. NON TE DIRVMPET secretum, si serues. q. d. Non est venenum, non inficiet cor, non discerpet intestina.

¥. 11. FATVVS A FACIE VERBI PARTVRIT, id est, mox vt verbum aliquod secretum audiuit, ita sollicitus, ita anxius est, ita properat illud effun- D dere in sinum aliorum, sicut parturiens mater, prolem suam: imò hoc studium stulti & labor patefaciendi secreti est TAMQVAM GEMITVS & dolor PARIENTIS matris & PARTVM effundentis.

¥. 12. Sicut SAGITTA INFIXA FEMORI CARNIS, nisi educta fuerit, torquet, vexat, impedit, &c. SIC VERBVM arcanum IN CORDE STVLTI] Vnde non priùs quiescit quàm illud excusserit.

¥. 14. CORRIPE PROXIMVM, monendo illum delicti sui, NE FORTE NON DIXERIT, vel non fecerit, nempe id de quo infamatur. Vt sic monitus possit famæ suæ consulere.

¥. 15. COMMISSIO] Id est, peccatum, vt suprà c. 18. v. 32.

¥. 18. DA LOCVM TIMORI ALTISSIMI, id est, cùm corripis proximum, non obliuiscaris timoris Dei, & sic age quasi rationem Deo redditurus. QVIA OMNIS, id est, perfecta, SAPIENTIA TIMOR DEI est: ET IN ILLA docemur TIMERE DEVM. ET IN OMNI SAPIENTIA docetur DISPOSITIO LEGIS] Græcè, *impletio*, obseruatio legis diuinæ, & nominatim de diligendo & amicè corripiendo proximo.

¥. 21. MELIOR EST HOMO QVI MINVITVR SAPIENTIA, id est, idiota, simplex, indoctus, IN, id est, cum, TIMORE Dei, quã QVI ABVNDAT SENSV] id est, intellectu & scientiâ, sed non timens Deum.

¥. 22. EST SOLERTIA CERTA] q. d. Duplex est *solertia*: vna astuta & exacta, sed *iniqua*; altera recta & *æqua*, & *enarrans* semper *veritatem*.

¥. 24. EST QVI INCLINAT FACIEM, hypocrita: FINGIT SE NON VIDERE QVOD IGNORATVM EST] seu quod occultè fit, ac proinde latere potest.

¥. 26. EX VISV, id est, aspectu, ET AB OCCVRSV FACIEI, id est, ex vultu, COGNOSCITVR an quis sit SENSATVS seu prudens. Vt enim in bestiis elucet earum vel fœuitia, vel astutia, vel aliæ qualitates, etiam priùs quàm noceant; ita ex vultu, gestibus, risu, incessu, multas coniecturas de animo & indole hominis sumere possumus. Et nominatim de vultu hominis dicunt quidam Physiognomici, relucere in vnoquoque figuram certæ cuiusdam bestiæ, v.g. leonis, tauri, vulpis, felis, &c. ex quarum bestiarum indole iudicium de naturali hominis cuiusque propensione desumunt. *Vide Ioan. Baptist. à Porta in Physiognom.*

CAPVT XX.

De vitiis & virtutibus linguæ, De cauendis muneribus.

¥. 2. SIcut pessimè faceret SPADO, id est, magister palatij & custos gynæcæi, qui olim solebant esse spadones, si suæ obsequens *concupiscentiæ* defloraret commissam sibi virgunculam, vi illi illata: sic iniquus iudex, qui PER VIM vitiat iustitiam, cui seruandæ & propugnandæ præfectus fuit, & quam veteres vt *virginem* depingebant, teste Pierio. *Pierius in Hieroglyphicis, de gladio, c. 42.*

¥. 9. EST PROCESSIO IN MALIS VIRO INDISCIPLINATO, id est, subinde contingit, homini nequam prosperare in sua nequitia. ET EST INVENTIO IN DETRIMENTVM] id est, subinde res inuenta affert detrimentum. q. d. Prosperitas affluens, vt videtur, non semper est vera prosperitas.

¥. 10. ET EST DATVM, id est, donum seu beneficium alteri præstitum, CVIVS RETRIBVTIO DVPLEX] id est, multiplex. q. d. Beneficium aliàs vtiliter impenditur, aliàs inutiliter.

¥. 11. EST PROPTER GLORIAM subinde MINORATIO, id est, humiliatio. q. d. Qui gloriam venatur, v. g. ex splendido victu & magnis impensis, non ratò ad paupertatem redigitur, & pro gloria confusionem acquirit. E contrà, EST QVI AB HVMILITATE LEVABIT CAPVT in altum: nempe, qui sua sorte contentus, neque splendorem curans, modestè se continet, sæpè emergit, & opes atque honores consequitur.

¥. 12. EST QVI MVLTA REDIMAT MODICO PRETIO: nempe auarus multa subinde paruo emit, sed postea SEPTVPLVM amittit, seu Deo vindicante, seu iudice decernente, seu milite vel fure rapiente.

¥. 14. DATVS, seu donum, INSIPIENTIS, id est, stulti & impij hominis, NON ERIT TIBI VTILIS vel lucrosus: OCVLI ENIM ILLIVS SEPTEMPLICES SVNT] id est, intendit impius multis actibus & modis à te *septuplum*, id est, multò ampliùs recipere quàm dedit. Alioqui

¥. 15.

℣. 15. MVLTA IMPROPERABIT tibi impensa à se beneficia; ET APERTIO ORIS ILLIVS, id est, simul atque os incipit aperire, inde erumpit INFLAMMATIO] id est, cholera, ira, maledicta, improperia. Multa se tibi dedisse, sed ab ingrato nil recepisse. Si quid fortè

℣. 16. HODIE FOENERATVR, id est mutuum tibi dedit, CRAS EXPETIT] id est, pòst paulò repetit intempestiuè.

℣. 17. NON ERIT GRATIA BONIS ILLIVS] Etsi enim benefaciat aliquibus impius, tamen condigna benefactis eius gratia non reddetur.

℣. 18. QVI EDVNT PANEM ILLIVS, FALSÆ LINGVÆ SVNT] adulatores, mendaces, maledici. Quid mirum? In impios, sui similes confert sua beneficia.

℣. 19. NEQVE ENIM DISTRIBVIT DIRECTO SENSV, id est, rectè, prudenter, discretè, QVOD HABENDVM, seu retinendum ipsi erat ad familiæ necessitatem subleuandam. Sicut neque rectè distribuit id QVOD ipsi NON ERAT HABENDVM] quia scilicet quod iniustè partum, & restituendum erat, ipse iniustè retentum, prodigè consumit in suos adulatores & gnathones.

℣. 20. LAPSVS FALSÆ LINGVÆ adulatoris & detractoris, ex improuiso illi durissimus accidet, QVASI si QVIS IN PAVIMENTO, plano quidem, sed saxis contrato *cadat*, id est, corruat vbi minimè putabat.

℣. 21. HOMO ACHARIS, sine gratia, ingratus, malè moratus, insulsus, est QVASI FABVLA VANA, cui nihil subest seu veri, seu concinni: & IN ORE INDISCIPLINATORVM, id est, stultorum impiorum, ERIT ASSIDVA talis *fabula*, id est, perpetuò cum illis lasciuiens verbis, & ab illis laudatus hoc nomine, putat se beatum esse & felicem.

℣. 23. EST QVI VETATVR, & non potest PECCARE, seu scelus aliquod admittere, v.g. fornicari, adulterari, comessari, sed PRÆ INOPIA, id est, defectu mediorum: talis etiam IN REQVIE SVA, id est, in cessatione à peccato, STIMVLABITVR, id est, cruciabitur, quòd exequi non possit designatum animo scelus. Græci legunt, *non stimulabitur*, id est, non compungetur, non dolebit de mala inclinatione, & peruersa peccandi voluntate.

℣. 24. EST QVI PERDET ANIMAM SVAM peccando PRÆ CONFVSIONE, id est, præ verecundia potentioris se, quia coram eo pudet facere quod debet, ne contemptui vel ludibrio habeatur. ET AB IMPRVDENTI PERSONA, id est, ob imprudentem, vel stultum, vel impium aliquem hominem, quem pueriliter reueretur, PERDET seipsum miser.

℣. 25. EST QVI PRÆ simili CONFVSIONE PROMITTIT multa AMICO, quæ subinde præstare non potest, vel non vult. Cui istud bono? LVCRATVS EST EVM INIMICVM GRATIS] Id est, hoc lucratur, quòd dum fallit & non soluit promissa, sine causa reddat eum sibi ex amico inimicum, nempe non redditurus, si suam inopiam vel imbecillitatem ingenuè illi aperuisset.

℣. 27. POTIOR, seu tolerabilior est FVR, qui sola fortunæ bona surripit, quàm MENDAX ASSIDVE] qui insuper etiam famam rapit. Deinde egestas plerumque cogit ad furtum: sed mentiendi consuetudo ex mera malitia est.

℣. 29. SAPIENS IN VERBIS, seu inter loquendum, subinde PRODVCET SEIPSVM, suaque facta & casus suos, supple, ad exemplum & instructionem aliorum. q. d. Non pudebit ipsum sua gesta, vtpotè bene & præclarè gesta, in medium proferre.

℣. 30. QVI OPERATVR & excolit TERRAM SVAM, INALTABIT ACERVVM FRVGVM, id est, altos colliget frugum aceruos. q. d. Qui strenuè fungitur munere & officio suo, largam à Deo benedictionem consequetur. SIC QVI MAGNATIS, id est, principibus viris, PLACET sedula muneris sibi commissi executione, EFFVGIET INIQVITATEM] id est, iniquitatis pœnam seu punitionem, id est, non punietur ab illis, sed laudabitur, honorabitur, præmiabitur.

℣. 31. QVASI MVTVS IN ORE est iudex donis corruptus; Græcè, *quasi frænum in ore est xenium* tali *iudici*: AVERTIT CORREPTIONES] Quia nempe xenijs ita lingua refrænatur, vt non audeat nec possit punire vel corripere donantem, vel iustam aduersus eum sententiam pronuntiare.

CAPVT XXI.

Cauendum ab omni peccato, & peccandi consuetudine: primùm in genere, deinde in specie, ab omni immodestia in moribus, verbis, gestibus, &c.

℣. 1. OBIVRGATIO, id est, rixæ & lites, maximè forenses, ET INIVRIÆ proximo illatæ quibus sperabas te ditatum iri, ANNVLLABVNT tibi omnem SVBSTANTIAM tuam: & licèt DOMVS sit NIMIS LOCVPLES, id est, valdè dives, ANNVLLABITVR tamen eiusmodi SVPERBIA, seu fastu & asperitate, & funditus ERADICABITVR.

℣. 6. DEPRECATIO enim PAVPERIS à superbo diuite oppressi, EX ORE, id est, simulatque ore egreditur, PERVENIT VSQVE AD AVRES EIVS, scilicet Dei. quod suppositum Hebræi, more suo, subintelligendum relinquunt, quasi omnibus notum & facilè obuium.

℣. 7. QVI postquam lapsus est, ODIT CORREPTIONEM, nec patitur se moneri, VESTIGIVM, id est, indicium; Græcè, *in vestigio*, seu in via, EST PECCATORIS obstinati & desperati.

℣. 8. NOTVS A LONGE vir POTENS LINGVA AVDACI & iniuriosa: vt plurimùm omnes talem norunt. Qui ergo SENSATVS, seu prudens est, scit LABI SE, seu delabi, AB IPSO] nec sinet se feriri vel lædi verbis & iaculis ipsius: subducit se ab eius consortio.

℣. 9. QVI ÆDIFICAT DOMVM, & auget familiam SVAM IMPENDIIS ALIENIS; Græcè, *pecuniis*, opibus alienis, furto, rapinâ, vsuris, fraude extortis; est QVASI QVI COLLIGIT LAPIDES SVOS, id est, qui ædificat, IN HIEME] id est, tempore maximè importuno, quando lapides calce compingi & colligari non possunt: Græcè, *quasi qui congregat sibi lapides ad tumulum sepulchri sui*, id est, lapides quibus viuus obruatur, & tamquam tumulo sepulchrali inuoluatur. q. d. Sibi ipsi perniciem & mortem accelerat. Simile Ieremiæ 17. v. 11.

℣. 11. VIA PECCANTIVM COMPLANATA LAPIDIBVS] id est, continua est, commoda, pulchra & amœna; Græcè, *à lapidibus*, qui offendiculo esse possint, *expurgata*. q. d. Impij videntur in flagitiis suis prosperrimos initio successus habere.

℣. 14. NON ERVDIETVR, id est, non sinet nec patietur se moneri & instrui, QVI NON EST SAPIENS IN BONO] seu bonâ & verâ sapientiâ præditus. An ergo est aliqua *sapientia* non bona, sed *nida*? Est profectò, quæ nomine tenus *sapientia* dicitur,

citur, sed re ipsa non est nisi *astutia & calliditas*, quæ A vt vacua est vera virtute & solido bono, ita

¥. 15. ABVNDAT IN MALO, in omni nequitia, in insidijs struendis, in dolis nectendis. Verùm in tali ficta sapientia NON EST SENSVS, id est, intelligentia & possessio fructuum suauium veræ sapientiæ, sed mera AMARITVDO nequitiæ, & acerbitas peccati.

¥. 18. VERBVM & monitum SAPIENS si quod AVDIERIT SCIVS; Græcè, *sciens*, peritus, prudens, AD SE ADIICIET] id est, sibi & vsibus suis applicabit.

¥. 21. TAMQVAM DOMVS EXTERMINATA. id est, euersa, diruta, deiecta, SIC FATVO SAPIENTIA, quam audit, vel legit: nempe suis inconditis & ineptis dicteriis illam omnem inuertit, euertit, & in prauum sensum conuertit. ET VERBA eius INENARRABILIA] id est, dissoluta, incomposita, inconcinna, quorum scopus & connexio nec intelligi, nec enarrari potest. Verbo vno, scopæ sunt dissolutæ.

¥. 25. HOMO PERITVS, seu prudens, CONFVNDETVR A PERSONA POTENTIS] id est, erubescit præ reuerentia, & non facilè se ingerit in consortium viri potentioris.

¥. 27. STVLTITIA est AVSCVLTARE PER OSTIVM, vel rimas ostij, quid intus fiat vel dicatur. PRVDENS verò GRAVABITVR CONTVMELIA] id est, habebit hoc pro re valdè inciuili & ignominiosa. In libera enim domo liberæ linguæ & manus esse debent. Similis impudentia est, per seruos & ancillas curiosè expiscari, quid paterfamilias & domestici dicant aut agant domi.

¥. 29. IN ORE FATVORVM COR ILLORVM, id est, fatui non priùs in corde ruminant quid loqui velint, sed perinde ac si cor suum in ore gestarent, mox vt aliquid in buccam venit, sine vlla examinatione id effutiunt. Sed OS SAPIENTIVM est IN C CORDE ILLORVM] cuius discretione reprimunt, custodiunt, & vel claudunt vel aperiunt os suum, verba singula ponderantes, mensurantes, numerantes. Simili prouerbio dicebatur olim, *Græcis verba è labijs: Romanis è corde proficisci.*

¥. 30. DVM MALEDICIT IMPIVS DIABOLVM, ipsumque propter malitiam execratur, hoc ipso MALEDICIT & execratur quoque ANIMAM SVAM, seu seipsum, quia nempe quoad malitiam similis est diabolo, ac proinde similis pœnæ ac maledicti reus.

CAPVT XXII.

Quàm viles, quàm molesti, intolerabiles & incorrigibiles sint stulti impij: & qua vitia violent amicitiam.

¥. 1. LAPIDE LVTEO, seu sordibus conspurcato, LAPIDATVR PIGER, quietsi possit, non vult fungi officio suo: OMNES LOQVENTVR SVPER ASPERNATIONEM ILLIVS] Græcè, *lapidi* D *conspurcato comparatur piger*, omnes sibilant ad eius infamiam. q. d. Tam vilis est omnibus piger, vt passim in eum iaciant lutum & stercora, & lapides cæno sordidatos: nec tamen misereatur quis aut condoleat tam infamia patienti, sed omnes risu & sibilis eum excipiant. Pigrum hunc Allegoricè Iudaicum populum interpretatur Rabanus.

¥. 2. OMNIS QVI TETIGERIT EVM; Græcè, *omnis tollens eum*, EXCVTIET MANVS] id est, necesse habet excutere & purgare manus sordibus illis infectas. q. d. Quicumque iuuat vel promouet eiusmodi sordidum hominem, is vnà cum ipso fœdatur & confunditur, & cum rubore pœnitet eum promotionis tam indigni & ignaui hominis.

¥. 3. FILIA indisciplinata, malè instructa, malè morata, parenti suo IN DEMINORATIONE boni nominis eius FIET] id est, erit illi causa ignominiæ, nomen, famam, auctoritatem illius lædet & conuellet. nempe, dum vitio & incuriæ parentis adscribentur mali mores filiarum.

¥. 5. PATREM ET VIRVM, seu maritum suum, CONFVNDIT eiusmodi AVDAX filia, quæ quasi excusso fræno quidquid libet, audet & facit. ET quidem AB IMPIIS NON MINORABITVR, seu non vituperabitur, vtpotè sui similibus. Sed AB VTRISQVE illis, quibus se cumprimis probare debuerat, nempe à parente suo & marito, INHONORABITVR] contemnetur, repelletur, ob suam procacitatem, petulantiam & dissolutos mores.

¥. 6. IMPORTVNA NARRATIO, id est, sermo intempestiuus, etsi per se bonus, tamen ingratus & B inutilis est, sicut esset MVSICA IN LVCTV. Maximè verò prouidendum vt FLAGELLA ET DOCTRINA; Græcè, *disciplina & correptio*, sint IN OMNI TEMPORE SAPIENTIA] Græcè, *in tempore sapientiæ* adhibeantur, id est, tempore opportuno & idoneo ad sapientiam illâ viâ instillandam. Si enim *omnia tempus habent*, certè in correptione & castigatione, vt prodesse possit, id accuratissimè obseruandum.

¥. 8. EXCITAT DORMIENTEM] v. g. ebrium & somno extremè grauatum. q. d. Oleum & operam perdit.

¥. 11. MODICVM PLORA SVPRA MORTVVM. q. d. Nec diuturnus, nec ingens luctus instituendus dum quis moritur, QVONIAM iam REQVIEVIT à laboribus, miseriis, & molestiis huius vitæ. At super stulto adhuc viuo diu & multum plorandum.

¥. 12. NEQVISSIMI ENIM stulti NEQVISSIMA VITA est SVPER MORTEM FATVI, id est, longè peior & miserabilior est quàm mors ipsius, ac proinde magis deploranda, non *septiduo* vno, vt solent mortui, sed OMNIBVS DIEBVS VITÆ ipsius impij.

¥. 16. DEFLECTE, fuge, AB ILLO, ET NON ACEDIABERIS, id est, non molestaberis, non contristaberis, non tædio afficietis, IN STVLTITIA, id est, ob insaniam; Græcè, *in otiositate*, seu vanitate ILLIVS.

¥. 19. LORAMENTVM LIGNEVM, id est, alligamentum, seu connexio trabium ædificij, (quæ transuersis costis & clauis ligneis quasi loris firmissimè colligantur) NON facilè DISSOLVETVR etiam turbine ventorum, vel terræmotu ingruente: SIC ET COR CONFIRMATVM IN COGITATIONE CONSILII] id est, sic prudens & firmum consilium non citò euertetur: vel, cor prudentis confirmatum & stabilitum præmeditato consilio non facilè frangetur aduersitatibus, nec metu trepidabit.

¥. 21. SICVT PALI, seu valli vel sepes, IN locis EXCELSIS expositæ impetuosis ventis: ET sicut CÆMENTA, seu paries cæmentatus, sed SINE IMPENSA, leui & infirmo opere, (quia parcitum calci, vel calx non probè præparata) non diu subsistent: SIC ET COR STVLTI TIMIDVM & trepidum non resistet, sed statim cedet & succumbet aduersis. Cùm alioquin

¥. 23. OMNI alio TEMPORE NON METVET. Nam absente aduersitate & periculo, audax est impius, nec quidquam metuere solet. Sed sicut impius

alt-

aliquando non metuit, & vitam tum degit ex parte quietam, nempe quando nullis agitatur aduerſis: ita prudens iuſtus SEMPER, etiam in mediis tribulationibus & tempeſtatibus quietus & ſecurus degit, nil metuens niſi ſolam offenſam vnius Dei.

℣. 24. QVI PVNGIT COR, obiurgando, minando, terrendo, laudando, PROFERT SENSVM] id eſt, affectum ſeu motum iræ, doloris, amoris, gaudij prouocat & prodi facit.

℣. 27. SVPERBIA, id eſt, ſuperba inſultatione, aut contemptu amici. ET PLAGA DOLOSA, id eſt, damno vel infortunio per fraudem & dolum illato. IN HIS EFFVGIET AMICVS] id eſt, propter hæc & talia renuet amicus reconciliari tibi, & te familiarem habere vt antè.

℣. 32. OMNIS QVI AVDIET hæc quæ dixi, quæ nempe foueant, quæve deſtruant amicitiam; B CAVEBIT SE AB EO, ſeu ab omni occaſione lædendi eam vel perdendi; ita Rabanus, Liranus & Gloſſa.

CAPVT XXIII.

Oratio pro vera ſapientia obtinenda (qualis illa Salomonis Sapientiæ 9.) Cauenda vitia linguæ. Parentes honorandi. Nemini detrahendum. Peccata non iteranda. Vagæ libidines fugiendæ.

℣. 1. DOMINATOR VITÆ MEÆ; Græcè, *vitæ omnis*, id eſt, omnium viuentium, NE DERELINQVAS ME IN CONSILIO EORVM] ſcilicet labiorum intemperantium & effrænatorum, vti præceſſit, id eſt, ne ſinas me regi ab illis. q. d. Qui dominaris toti vniuerſo, dominare etiam ori & linguæ meæ. Neque tamen ſufficit linguam frænari à te: debet etiam cor coërceri.

℣. 2. QVIS SVPERPONET IN COGITATV, ſeu cogitatione mea, FLAGELLA, vel vincula, quibus cor, & cogitationes & machinationes cordis conſtringantur, coërceantur & vinciantur, ne aberrent? Neque volo, VT illa flagella MIHI PARCANT in IGNORATIONIBVS, id eſt, peccatis EORVM] putà cordis, cogitationum vel labiorum. C

℣. 4. NE DERELINQVAS ME IN COGITATV ILLORVM] id eſt, in poteſtate, voluntate & arbitrio affectuum vel labiorum meorum. q. d. Ne ſinas me agi ſecundùm deſideria & prauas conſuetudines meas: ſed tu ipſe refræna cor meum & linguam meam.

℣. 5. EXTOLLENTIAM OCVLORVM, id eſt, oculos & animos elatos, ſuperbos, extrauagantes, NE DEDERIS MIHI] id eſt, ne ſinas mihi dari vel obuenire, id eſt, ne dentur mihi. Nam verba actiua, maximè coniugationis *kal*, apud Hebræos ſæpè pro neutris vſurpantur. D

ET OMNE DESIDERIVM, id eſt, concupiſcentiam prauam; Græcè, *animam giganteam*, AVERTE A ME.

℣. 6. ANIMÆ IRREVERENTI, id eſt, inuerecundæ, ET INFRVNITÆ] id eſt, impudenti, inſatiabili & inexplebili, quæ ſuis rectè frui vel vti neſciat. Sic infrà c. 31. v. 23. Græcum, ἄπληστον, id eſt, inſatiabilem. Noſter vertit *infrunitum*. Deducitur autem à *fruiſco*, quod priſcis idem erat quod *fruor*. Vnde Cato *frunitum* vocat virum *prudentem*, qui ſuis rectè *frui* norit, & quo alij liberè *perfrui* poſſint. E contrà Hermolaus & Seneca *infrunitum* vocant *ſtolidum*, vt qui nulli ſit vſui.

Cato & alij apud Feſtum. Seneca l. 3. de Beneficiis.

℣. 10. NOMINIBVS SANCTORVM NON ADMISCEARIS, id eſt, perſonis vel rebus ſanctis, v. g. Angelis, cælo, templo, altari, arcæ, &c. irreuerenter & ſine vtilitate nominandis, maximè inter iurandum, ne te immiſceas, QVONIAM AB EIS; ſeu in eis, temerè & leuiter nominandis, NON ERIS IMMVNIS à peccato.

℣. 11. SICVT ENIM SERVVS INTERROGATVS ASSIDVE, id eſt, ſæpè examinatus, ad flagra damnatus, & virgis cæſus, A LIVORE NON MINVITVR, id eſt, non eſt ſine liuore & veſtigijs plagarum: SIC ſæpè IVRANS, & Sanctos NOMINANS, non eſt ſine peccato.

℣. 13. SI FRVSTRAVERIT iuramentum ſuum, non implendo quod iurauit, vel falſum iurando; grauiter peccat. Quòd SI DISSIMVLAVERIT corrigere & expiare periurium, DELINQVIT DVPLICITER] Primò, peierando vel fidem fallendo; Secundò, non expiando periurij ſui peccatum iuxta legis præſcriptum Leuitici 5. v. 4.

℣. 15. EST ET ALIA LOQVELA CONTRARIA MORTI] id eſt, ex oppoſito, è regione mortis, obiecta & obnoxia morti; Græcè, *veſtita morte*. Intelligit iuramentum per idola vel deos Gentium, vel in genere blaſphemiam, quæ morte plecti iubetur Leuitici 24. v. 16.

℣. 18. MEMENTO PATRIS ET MATRIS TVÆ, id eſt, proſapiæ & familiæ vnde proueniſti. IN MEDIO ENIM MAGNATORVM CONSISTIS] id eſt, inter magnates verſaris. q. d. Tum vel maximè debes meminiſſe ſtirpis & proſapiæ tuæ, vt, ſi illa ſit vilior, in humilitate & modeſtia coram ipſis te conſerues: ſin generoſior, ei prout decet reſpondeas.

℣. 21. DVO ET TERTIVM, id eſt, tria ſunt genera grauium peccatorum, quæ IRAM & vindictam Dei prouocant. *Simile. Prou. 6. v. 16.*

Primum eſt, ℣. 22. ANIMA CALIDA per bilem & iram quæ nō ceſſat DONEC ALIQVID GLVTIAT] id eſt, aliquem lædat vel occidat.

Secundum, ℣. 23. HOMO NEQVAM IN ORE CARNIS SVÆ, id eſt, in appetitu veneris. Metonymicè *os*; quod eſt inſtrumentum comeſtionis, ponitur pro ipſo *appetitu cibi*. Cibus autem hic eſt *venus*. Vnde ſubditur ℣. 24. FORNICARIO DVLCIS EST, benè ſapit, OMNIS PANIS, id eſt, quæuis femina, quâ vt pane os, ita appetitus luxuriæ completur, ſed numquam expletur aut ſatiatur VSQVE AD FINEM vitæ. Tenaciſſima enim & inexplebilis eſt *libido*. Tertium, genus eſt

℣. 25. HOMO QVI TRANSGREDITVR LECTVM SVVM] Id eſt, adulter.

℣. 27. HVIVSMODI HOMINIS, ſeu humanus, TIMOR, quo adulter ſolum humanum oculum timet; ſeu ab homine videri metuit, EXPELLIT TIMOREM DEI] omnia videntis, & ſuo tempore punientis, vt ſequitur. Adultera quoque non erit impunita,

℣. 32. STATVENS HEREDITATEM EX ALIENO MATRIMONIO] Id eſt, ſubſtituens marito ſuo heredem filium ſpurium, quem ipſi tamquam legitimum & quaſi ex ipſo conceptum ſupponit.

℣. 34. Hæc talis adultera, Deo ſic diſponente, aliquando IN ECCLESIAM, id eſt, cœtum populi & congregationem iudicum, ADDVCETVR examinanda & punienda: ET IN FILIOS quoque EIVS ſuppoſititios RESPICIETVR à iudicibus, & iuridicè inquiretur an ſpurij ſint an legitimi.

℣. 35. NON TRADENT FILII EIVS RADICES, id eſt, non altè radicabuntur, non diu perſiſtent in vera mariti familia, citò *exterminabitur progenies adulterina*. *Sap. 4. v. 3.*

CA-

CAPVT XXIV.

Sapientia concionatorem agens, seipsam laudat ab origine, officijs, domo, pulchritudine, fructibus & donis.

℣.1. SAPIENTIA LAVDABIT ANIMAM SVAM, id est, commendabit & laudibus extollet seipsam, sed IN DEO] id est, ob dona à Deo accepta & ad solius Dei honorem. q.d. Hactenus ego Ecclesiasticus encomiastes sapientiæ fui: nunc ipsammet sapientiam seipsam depingentem audite. Simile Prouerb. 8. quem hîc imitatur.

℣.2. IN CONSPECTV VIRTVTIS] id est, potentiæ & maiestatis diuinæ. Vel, vt Emanuel Sà, coram exercitu cælesti.

℣.3. ET IN PLENITVDINE SANCTA, id est, pleno cœtu sanctorum, ADMIRABITVR] id est, erit admirationi & stupori.

℣.5. EGO sapientia EX ORE ALTISSIMI PRODIVI, id est, (si increatæ Sapientiæ, vt oportet, aptari velimus) ex intellectu & mente diuina velut Verbum eius prodij, ab æterno mentis diuinæ proles & partus. Sin creatæ sapientiæ aptemus, vt potest aptari, (nam, vt sæpè iam dixi, sapientia generatim in his libris accipitur, vt communis est creatæ & increatæ, nempe quæ & quatenus idea & causa est omnium creaturarum:) sensus erit, EGO EX ORE, id est, iussu, voluntate & verbo Dei, prodiui in orbem, PRIMOGENITA, id est, primo loco genita, ANTE OMNEM CREATVRAM] Quia sapientia, vtpotè causa & idea omnium rerum productarum, prior est ipsis rebus productis. *Prouerb. 8. v. 22.*

℣.6. EGO OMNEM TERRAM, cùm primùm creata fuit, TEXI tenebris SICVT NEBVLA] vt habetur initio 1. cap. Geneseos. Vel texi tenebris nocturnis, quæ perpetua alternatione succedunt illuminationi solis, id est, diei, vt præcessit.

℣.7. THRONVS MEVS regius est IN COLVMNA NVBIS] Alludit ad columnã nubis, quæ dux erat Hebræorum in deserto Exodi 13. de quâ psalmo 98. *In columna nubis loquebatur ad eos.* q.d. Sicut tunc temporis habitaui & resedi in columna illa nubis splendida simul & nebulosa, gubernans ex ea quasi ex throno regio vniuersa castra Hebræorum: ita nunc quoque ex nubibus, quasi throno meo, guberno vniuersum mundum, Illis me tego & occulto, quasi veste vel tabernaculo, ex illis vibro mea tela & iacula, grandinem, imbres, tonitrua & fulgura.

℣.8. GYRVM, seu orbem, CÆLI CIRCVIVI SOLA] circumponendo orbem orbi. q.d. Mihi soli nota sunt quæcumque cœli & terræ, & maris ambitu continentur.

℣.10. IN OMNI GENTE, id est, vbique, PRIMATVM, seu supremum principatum, HABVI.

℣.11. OMNIVM CORDA VIRTVTE, id est, potentiâ meâ, CALCAVI] id est, mihi subiecta habeo.

ET IN HIS OMNIBVS REQVIEM QVÆSIVI, id est, ex omni orbe optaui inuenire populum aliquem, in quo velut in proprio tabernaculo, seu domo quiescerem, & in quo velut IN HEREDITATE DOMINI, id est, congregatione heredum & filiorum Dei perpetuò MORARER] Hæc quærenti,

℣.12. QVI CREAVIT, id est, produxit, vel genuit, ME, & REQVIEVIT perpetuò IN TABERNACVLO MEO, id est, eodem mecum habitaculo vtitur semper: neque enim habitauit vmquam Deus in aliquo populo, in quo non etiam habitarit sapientia, quæ diuelli numquam potest à Deo, cùm ipsa quoque sit DEVS:

℣.13. PRÆCEPIT ET DIXIT MIHI: IN IACOB INHABITA, id est, in familia patriarchæ Iacobi, in Israelitico populo hereditare: IN his à me ad id ELECTIS MITTE RADICES] id est, radicare, & perpetuò morare. Allegoricè, in Ecclesia Christi, veri, propriè dicti & primarij filij Iacob. Ita dictum, ita factum.

℣.14. Ego quæ ANTE SÆCVLA, id est, ab æterno, CREATA, seu genita, SVM, in tempore cœpi habitare IN hac SANCTA HABITATIONE, putà in domo & familia Iacob, quasi in tabernaculo mihi proprio, & Deo cõsecrato, in quo assiduè CORAM Deo MINISTRAVI, per ministros meos sacerdotes & Leuitas continua sacrificia & alia ministeria sacra offerens illi. Atque ita facta est

℣.16. DETENTIO, seu habitatio, MEA IN PARTE, seu sorte, DEI MEI, quæ eadem est HEREDITAS ILLIVS, id est, hereditarius populus, hereditarium regnum Dei: ET PLENITVDO SANCTORVM] id est, plenus cœtus, perfecta congregatio cõsecratorum Deo. Neque verò pro nihilo, vel frustra, inter ipsos fui: mox enim à iactis inter eos radicibus, en tibi altissimas robustissimasq; omnis generis arbores, quasi cedros in Libano, cypressos, palmas, oliuas, platanos. Quibus omnibus sapientiæ pulchritudo, dignitas, potentia & robur adumbrantur. Sed en fructus quoque plurimos ac nobilissimos.

℣.20. Sicut CINNAMOMVM ET BALSAMVM] Græcè ἀσπάλαθος, cuius meminit Plinius, & Dioscorides. & ita legit Rabanus, Glossa & Iansenius. Est genus arbusculæ valdè odoriferæ, vt & ceteræ quarum hîc est mentio. *Plin. lib. 12. c. 24. Dioscor. lib. 1. c. 19.*

℣.21. STORAX est resina, seu succus odoratus defluẽs ex arbore Arabica, quæ *styrax* dicitur teste eodem Plinio. GALBANVS etiam est resina, seu lacryma fruticis Syriacæ, quæ à Plinio *ferula* nominatur. VNGVLA; Græcè, ὄνυξ, (a) aroma est valdè odoratum colore vnguis humani. GVTTA eadem est cum stacte, seu lacryma myrrhæ. LIBANVS NON INCISVS, id est, thus quod ex arboribus Libani thuriferis non incisis, sed sponte defluit, inquit Plinius. VAPORAVI, id est, repleui odore, HABITATIONEM MEAM, id est, domum & tabernaculum, seu Ecclesiam in qua habito. BALSAMVM NON MISTVM, est balsamum purum, non adulteratum admixtione alterius liquoris. *Plin. sup. c. 17. & 25. a Exodi 30. v 34. Plin. sup. c. 14.*

℣.23. FRVCTVS HONESTATIS] Græcè, *diuitiarum.*

℣.26. A GENERATIONIBVS MEIS] id est, fructibus ex me procreatis.

℣.30. OPERANTVR IN ME] Id est, mihi student, vel me iuuante laborant.

℣.32. HÆC OMNIA, supple, continet & præstat LIBER VITÆ, nempe liber legis & Prophetarum, seu S. Scriptura, quæ continet doctrinam sapientiæ, quam si impleueris, pertinges ad vitam æternam. Porrò idem *liber* est etiam TESTAMENTVM ALTISSIMI, continens extremam Dei voluntatem, & pactum cum hominibus. Est denique etiam AGNITIO VERITATIS, seu per quem agnosci potest veritas, vera doctrina, vera iustitia, vera via ad vitam æternam. Hanc LEGEM MANDAVIT Moyses nomine Dei, præscribens Israelitis *præcepta iustitiæ*, quæ essent quasi *hereditas*, seu hereditarius thesaurus DOMVI ISRAEL, continens PROMISSIONES etiam *hereditatis spiritualis* Dei in vita præsenti, & *celestis* in futura.

℣.34. POSVIT, id est, constituit, EX PVERO, seu seruo, SVO DAVID EXCITARE REGEM FORTISSIMVM, & legislatorem æquissimum, Messiam Christum redemptorem nostrum.

℣.35. QVI idem Deus IMPLET SAPIENTIAM, id est, effundit copiosè, vel facit abundare & in nos exundare; Græcè, *implet omnia sua sapientia*, QVASI PHISON] id est, Ganges, vt dixi Genes. 2. v. 8. vnus è quatuor nobilissimis fluminibus, quæ scaturiunt è paradiso terrestri. Ganges enim circuit Indiam, seu *terram Heuilath* (quod ibid. v. 11. asscribitur Phison) *vbi est aurum optimum*. Imò Ganges ipse *aurifer* est, teste Plinio: vocatur verò *Phison*, id est, multitudo, à maxima aquarum multitudine, quas decem magna flumina in ipsum euomunt, inquit Iosephus & Isidorus. Et hæc est sententiâ S. Hieronymi & penè omnium veterum Patrum.

Plin. lib. 6. c. 18.

Ioseph. l. 1. Antiq. c. 2. Isidor. 13. Etymol. c. 21.

ET SICVT TIGRIS IN DIEBVS NOVORVM, id est, tempore nouarũ frugum prodeuntium, id est, tempore verno exundat: sicut IORDANIS IN TEMPORE MESSIS, id est, æstiuo, patet Iosue 3. v. 15. De causis verò exundationis horum fluminũ eodem modo statuendum, quo de Nilo dixi Exodi 9. v. 24. Huic porrò aquarum exundationi comparat hîc abundantiam *sapientiæ*, quæ ADIMPLET SENSVM] id est, intelligentiam plenam & copiosam subministrat, sicut hæc flumina aquas.

℣.37. ASSISTENS, id est, præstò astans cum copia aquarum spiritualium, QVASI GEHON IN DIE VINDEMIÆ] instar Nili tẽpore æstatis. LXX. enim Ieremiæ 2. v. 18. per *Gehon* Nilum intelligunt: & hic est *qui circuit terram Æthiopiæ*, quod Genes. 2. v. 13. tribuitur *Gehoni*. Et ita docent omnes veteres Patres, quos vide citatos apud Conimbricenses.

Conimbr. in Meteora, tract. 9. c. 10. & seq.

℣.38. QVI PERFICIT PRIMVS SCIRE, id est, perfectè cognouit, IPSAM diuinam Sapiẽtiam, ET INFIRMIOR creatura, vel animus inferior seu minor Deo, NON INVESTIGABIT, id est, non perfectè, non plenè assequetur vel apprehendet EAM.

℣.39. A MARI ENIM, id est, præ mari, vel pluſquã mare, ABVNDAVIT, id est, profundior est COGITATIO ET CONSILIVM] id est, arcana sapiẽtiæ.

℣.41. EGO SAPIENTIA sum QVASI TRAMES, id est, fossilis riuus, seu fossa manu facta, in quam & per quam deriuantur AQVÆ IMMENSÆ FLVVII cælestis, nempe immensa & inexhausta Sapientia Dei. Ita mox se explicat auctor, cùm subdit, EGO QVASI FLVVII sum DIORYX, id est, AQVÆDVCTVS, riuus, canalis, fossa à magno illo fluuio paradisi cælestis, id est, à Deo, deducta. q. d. Non à me hęc habeo, sed à Deo, à quo & ex quo omnia, sicut quatuor illa flumina ex paradiso promanant.

℣.43. ET ECCE TRAMES, διώρυξ, id est, fossa illa, seu *aquæductus*, ex valdè exiguo FACTVS EST MIHI ABVNDANS, id est, valdè excreuit, ET APPROPINQVAVIT AD MARE] id est, simile euasit mari. Quod tum maximè contigit, cùm sapientia, quæ priùs ferè solâ Iudææ continebatur, effudit se post Christi aduentum in omnes Gentes.

℣.44. QVASI ANTELVCANVM; Græcè, *diluculum*, id est, sicut lux matutina post tenebras noctis modica est, sed sensim crescit vsque ad meridiem: ita & ego sensim me diffundo, & per DOCTRINAM meam orbem ILLVMINO magis ac magis, AD LONGINQVVM] id est, ad remotissimas vsque gentes.

℣.45. PENETRABO non modò orbem vniuersum, sed insuper etiam OMNES INFERIORES PARTES TERRÆ, nempe limbum, vt vocant, sanctorum patrum: ad quem cõtinuò, quamdiu istic patres hæserunt, diuina Sapientia penetrauit suo lumine & alijs donis: & iam incarnata, statim à morte penetrauit etiam quoad animam, INSPICIENS OMNES DORMIENTES] id est, visitans omnes mortuos, etiam damnatos, vtpotè omnium dominus ac iudex, vt optimè probat Bellarminus.

Bellarmin. de animâ Christi l. 4. c. 16.

ET ILLVMINABO lumine gloriæ OMNES SPERANTES IN DOMINO] Ergo etiam omnes in Purgatorio tunc constitutos donauit Christus beatitudine æterna. Quod certò hinc sequeretur, si certum esset, hunc locum de illo descensu Christi ad inferos exponendum esse; quem alij vel de metaphorico descensu per energiam seu potẽtiam: vel si de reali, de tempore resurrectionis vniuersalis exponendum contendunt.

℣.46. ADHVC, id est, insuper; Græcè, *quoniam*, DOCTRINAM EFFVNDAM QVASI PROPHETIAM, id est, diuinitus reuelatam, ideoque certam & sanctam: ET NON DESINAM illam effundere VSQVE IN ÆVVM SANCTVM futuri sæculi, vbi non ampliùs opus erit *vt doceat vir proximum suum*, Ieremiæ 31. vers. 34.

CAPVT XXV.

Tria quæ placent sapientiæ, & tria quæ displicent. Decem beatitudines. Detestatio nequitiæ mulierum.

℣.1. AGGRAVOR ANIMÆ] Id est, indignor vitæ, vt est in Græco, seu indignè fero vitam illorum.

℣.9. NOVEM INSVSPICABILIA CORDIS, id est, de quibus nemo malè suspicetur aut sentiat: ET DECIMVM DICAM IN LINGVA, id est, quantum potero linguâ & eloquentiâ meâ celebrabo & commendabo HOMINIBVS] tanquam maximè optanda & expetenda.

Primum est, ℣.10. BEATVS HOMO QVI IVCVNDATVR IN FILIIS] nempe multis, morigeris, honestis, prudentibus, qui parentibus honori sint & gaudio.

Secundum, QVI VIVENS VIDET SVBVERSIONEM INIMICORVM SVORVM] nempe impiorum, qui simul sint hostes Dei. Moraliter, vitiorum, quæ sunt spirituales hostes nostri.

Tertium, ℣.11. QVI HABITAT CVM MVLIERE SENSATA] id est, prudente & commoda.

Quartum, QVI LINGVA SVA NON EST LAPSVS, nec sibi, nec alijs nocuit.

Quintum, QVI NON SERVIVIT INDIGNIS SE] putà fatuis, superbis, impijs, ingratis.

Sextum, ℣.12. QVI INVENIT AMICVM VERVM] sincerum, fidelem, constantem.

Septimum, QVI ENARRAT IVSTITIAM AVRI AVDIENTI] Id est, qui dum bona & salutaria docet, auditores habet attentos & obsequentes.

Octauum, ℣.13. QVI INVENIT SAPIENTIAM] id est, cognitionem sublimem rerum diuinarum.

Nonum, QVI SCIENTIAM] nempe rerum agẽdarum, tum priuatarum, tum publicarum.

Decimum, TIMENS DOMINVM] timore filiali, de quo egi in fine psalmi 110.

℣.16. FIDEI INITIVM AGGLVTINANDVM EST EI] Id est, fides quasi initium iungenda est timori, vt ex vtroque dilectio Dei oriatur.

℣.17. OMNIS, id est, summa, (a) PLAGA potiùs ferenda quàm TRISTITIA CORDIS, maximè ex scelerata conscientia. ET OMNIS MALITIA, seu omne

a *In Prolet. de Idiotism. Hebr. nn. 7.*

omne malum faciliùs tolerandum, quàm MALITIA MVLIERIS.

℣.18. OMNEM PLAGAM videbit & feret homo, dummodò NON PLAGAM CORDIS, seu animi, id est, tristitiam. vt modò dixit. ET OMNEM NEQVITIAM, seu vexam, dummodò NON NEQVITIAM MVLIERIS.

℣.20. ET OMNEM OBDVCTVM; Græcè, *omnem inductionem*, id est, calamitatem mihi inductam, æquanimiter feram, dummodò NON sit ODIENTIVM] id *est*, ab hostibus meis profecta.

℣.24. OBCOECAT VVLTVM corrugando faciē; Græcè, *obscurat*, seu obfuscat vultum, toruùm & horridùm intuens instar torui VRSI, & instar SACCI corrugati, sordidi, nigricantis. Porrò maritus audita vxoris asperitate,

℣.25. INGEMVIT ET SVSPIRAVIT, sed MODICVM] quia grauiter non audet præ pudore, & ne oleum addat camino.

℣.26. Sors, id est, pœna, peccatorum, seu facinorosorum, CADAT SVPER ILLAM] Vel, vt Emanuel Sà & Iansenius, peccatores & scelerati pro sua portione sortiantur mulierem nequam, & habebunt abundè pœnarum ac supplicij.

℣.27. SICVT ASCENSVS ARENOSVS in altiorem collem molestus est PEDIBVS VETERANI, seu senis: sic mulier, &c.

℣.30. SI PRIMATVM, id est, principatum, domi HABEAT, CONTRARIA & aduersaria redditur VIRO SVO.

℣.31. Nam causat illi COR HVMILE, id est, abiectum & vile: deinde FACIEM TRISTEM ex mœrore interno: rursus, PLAGAM CORDIS sæpè lethalem: denique MANVS DEBILES, ET GENVA DISSOLVTA] Verbo vno, facit illum succumbere tum animo, tum corpore.

℣.34. NON DES AQVÆ TVÆ exitum, ne per minimam quidē rimam: quia alioqui tota effluet: Sic MVLIER NEQVAM, si vel leuiter illi indulgeas, vt liberè PRODEAT quò volet, & agat quod volet, ipsa te dominum excutiet, & euertet domum tuam, & honorem familiæ tuæ.

℣.36. A CARNIBVS TVIS, id est, à corpore tuo, à te, ABSCINDE ILLAM, per diuortium & libellum repudij, quod tunc licitum erat: vel saltem per thori separationem, quæ etiamnum licet in talibus casibus. Græcè additur, *da*, supple, libellum repudij, *& absolue* à thoro & consortio matrimoniali. q.d. Tanto malo nullum aliud remedium quàm resectio. Vide de nequitia mulierum Senecam, Chrysostomum & Antonium Abbatem.

Senec. epist. 95. Chrysost. hom. de decoll. S. Ioan. Anton. Abb. 2 part. Alphab. ser. 34. Tom. 1. Bibliob. SS. Patrum.

CAPVT XXVI.

Commendatur mulier sensata & prudens: vituperatur zelotypa. Et alia quædam vitia reprehenduntur.

℣. 1. ILLIVS, cui bona obtigit vxor, ANNORVM NVMERVS DVPLEX] seu duplo auctior erit, id est, duplo diutiùs viuet & lætiùs.

℣.4. DIVITIS ET PAVPERIS COR BONVM] id est, lætum erit tali vxore. q.d. Non erit molesta paupertas, si non molesta sit vxor.

℣.6. DELATVRA CIVITATIS, id est, proditio vrbis: ET COLLECTIO, seu conspiratio & concursus POPVLI ad seditionem, ET MENDAX CALVMNIA: hæc tria GRAVIORA sunt MORTE: sed quartum longè pessimum, MVLIER ZELOTYPA, maximè si maritus plures habeat vxores, vt olim Elcana Annam & Phenennam: vel vxori

1 Reg. 1.

A superinduxisse putetur concubinam;

℣.9. FLAGELLVM est LINGVÆ, OMNIBVS COMMVNICANS, & enarrans quæcumque de viro suo suspicatur; non illi, non famulis, non vicinis parcens, omnes flagellat, omnes incusat, apud omnes querelas deponit.

℣.10. SICVT IVGVM BOVM QVOD MOVETVR; Græcè, *concutitur*, ac proinde inæqualiter procedit, adeoque & boues turbat & opus; ITA ET MVLIER NEQVAM, zelotypa, inquieta, non est auxilio vel solatio viro suo, sed impedimento & detrimento.

℣.12. FORNICATIO MVLIERIS IN EXTOLLENTIA OCVLORVM, ET IN PALPEBRIS ILLIVS AGNOSCETVR] nempe ex oculis vagis & nutibus indecentibus, facilè deprehenditur animus impudicus.

℣.13. IN, seu super, FILIA tua NON AVERTENTE SE ab aspectu curioso virorum, id est, oculos non continente; Græcè, *inuerecunda*, FIRMA CVSTODIAM.

℣.14. AB OMNI IRREVERENTIA OCVLORVM EIVS CAVE, id est, cohibe inuerecūdos illius aspectus. ET NE MIRERIS, id est, ne pro re mira, noua, insolita habeas, SI TE NEGLEXERIT, & tua monita contempserit, & custodiam eluserit, & vsa occasione, se abusa fuerit. q.d. Frequens istud est & ordinarium, ac proinde diligenter inuigilandum nihilque dissimulandum.

℣.15. SICVT VIATOR SITIENS, AD quemuis primò obuium FONTEM OS APERIT, & fessus de via CONTRA OMNEM PALVM, seu arborem, SEDET, & sicut PHARETRA excipit quasuis SAGITTAS DONEC DEFICIAT, vel rumpatur: ita filia inuerecūda sitim libidinis explere tentabit ex obuio quoque, prostituet se ad omnem angulum, & quosuis amasios excipiet, donec omnino lassata succumbat.

℣.18. MVLIER TACITA, id est, pudibunda, verecunda, casta, tanti æstimatur, vt nulla sit IMMVTATIO; Græcè, *commutatio*, siue pretium, quo cōmutare, id est, emere, possis (nam emptiones olim cōmutatione fiebant) ERVDITAM ANIMAM eius, id est, ipsam tam probis moribus instructam & virtutibus ornatam. Est enim in familia sua talis matrona:

℣.22. Sicut LVCERNA SPLENDENS SVPER CANDELABRVM SANCTVM in templo Domini, SPECIE FACIEI, id est, splendore & pulchritudine sua, tum corporis, tum animi, SVPER ÆTATEM STABILEM] Græcè, *in ætate constanti*, qua nempe familiam regere potest, domesticis & amicis omnibus prælucens ac præfulgens. Et sicut pretiosæ & omnibus caræ sunt

℣.23. COLVMNÆ AVREÆ SVPER BASES ARGENTEAS, sic ET PEDES FIRMI, seu stabiles prudentis mulieris SVPER PLANTAS firmas ac stabiles: vt nempe tam pedum, quàm plantarum motus, seu incessus, non sit leuis, vagus, præproperus; sed grauis, rarus, nec nisi necessarius, signum & index animi non vagi, sed constantis & maturi.

℣.24. MANDATA DEI IN CORDE MVLIERIS SANCTÆ sunt sicut FVNDAMENTA firmissima, imò ÆTERNA; nempe iacta & fundata SVPRA PETRAM SOLIDAM] putà timorem Dei, quæ proinde nullis aduersitatum pluuijs, nullis prosperitatum sibilis, aut aliarum tentationum ventis conuellentur.

CAPVT XXVII.

Auaritia multorum malorum causa. Lingua regenda. Amicorum arcana non detegenda, &c.

℣. 1. QVI qualicumque via QVÆRIT LOCVPLETARI, sæpè AVERTIT OCVLVM SVVM] id est, mentem suam à recto & æquo.

℣.2. SICVT PALVS, seu paxillus, inter MEDIOS LAPIDES infixus, comprimitur, angustatur inter eos, & firmiter inhæret, donec cõteratur vel computrescat; SIC ET PECCATVM auaritiæ, fraudis, iniustitiæ: vel potiùs res ipsa iniustè agitata, & peccato obnoxia inter vendentem & ementem, dum vterque alterum vult fallere, tamdiu hæret, premitur vtrimque & angustatur, donec vnà CVM DELINQVENTE, seu peccante, *conteratur* & pereat: quod si non antè, saltem in morte fiet.

℣.5. SICVT IN PERCVSSVRA, seu agitatione CRIBRI, excusso flore farinæ REMANET PVLVIS; Græcè *sordes*, id est, furfures: SIC APORIA, id est, perplexitas & tristitia sæpè remanet in mente HOMINIS, post multam cogitationem & agitationem mentis. quod maximè videre est in rebus aduersis. q.d. Illa est naturæ humanæ imbecillitas, vt potiùs attendat ad præsentia tristia, quàm ad læta præterita & futura, ad furfures potiùs quàm ad florem farinæ.

℣.7. SICVT RVSTICATIO DE LIGNO, id est, cultura arboris, OSTENDIT & proportione exhibet FRVCTVM illius, (nam si diligenter colatur, multum fructum proferet,) vnde ex fructu deprehenditur, quàm diligenter hortulanus arborem curarit: SIC VERBVM EX COGITATV CORDIS HOMINIS prolatum, ostendit fructum cordis, & per consequens quale & quomodo dispositum sit cor.

℣.8. ANTE SERMONEM alicuius plenè perspectum NON LAVDES VIRVM: HÆC ENIM ordinaria EST TENTATIO, seu exploratio & probatio HOMINVM] Sermo enim character est animi, aiebant veteres. & Socrates puero, *Loquere*, ait, *vt te videam*.

a *Vide Sap. 18. v. 24.*

℣.9. INDVES iustitiam QVASI PODEREM (*a*) HONORIS] id est, totam splendidam; Græcè, *tunicam talarem gloriæ*.

IN DIE AGNITIONIS] id est, iudicij.

℣.10. VERITAS, id est, iustitia, AD EOS QVI OPERANTVR ILLAM & colunt, REVERTETVR, id est, accedit, & manet cum illis, gaudetque illorum consortio.

℣.12. HOMO SANCTVS, seu iustus, IN SAPIENTIÆ studio & cultu MANET SICVT SOL, cõstanter lucens & splendens omni genere virtutum. STVLTVS verò SICVT LVNA MVTATVR per interualla & eclipsatur, inquit S. Ambrosius.

Ambros. l. 4. Hexameron c. 8. & ser. 82. de defectione lunæ.

℣.13. IN MEDIO COGITANTIVM] id est, maturè res expedientium, id est, prudentium.

℣.15. LOQVELA MVLTVM IVRANS; Græcè, *multum iurantis*, blasphemantis & execrantis HORRIPILATIONEM CAPITI STATVET, id est, horrorem audientibus incutit, imò horrescere facit pilos: ET IRREVERENTIA, seu inuerecundia tam impiæ vocis, causa est cur AVRES OBTVRENTVR proborum auditorum.

℣.19. SI DENVDAVERIS ABSCONSA. seu arcana amici, NON PERSEQVERIS POST EVM] id est, non contendas sequi vel prosequi illum, scilicet vt rursus eum tibi reconcilies: fugiet enim te: neque fidere volet amplius, aut iterum prodi.

℣.23. MALEDICTI quidem EST CONCORDATIO] id est, post conuitia & iurgia locus est reconciliationi: sed post *denudationem mysteriorum*, seu secretorum amici, reconciliatio omnis *desperata est animæ infelici*, quæ ista denudauit, seu reuelauit.

℣.25. ANNVENS OCVLO, id est, simulator, fictus amicus, præ se ferens magnum erga te affectum, FABRICAT INIQVA, id est, coquit tibi malum: ET NEMO ignorantium eius hypocrisin EVM ABIICIET, aut abiget à se: atque à versipelli dum non cauent, decipiuntur miselli.

℣.28. PLAGA DOLOSA, id est, dolo & fraude inflicta, DOLOSI DIVIDET VVLNERA] id est, feriet, vulnerabit, perdet ipsummet dolosum. Similia habes Ecclesiastæ 10. v. 8. & sequenti.

℣.30. ET NON AGNOSCET VNDE ADVENIAT ILLI] Id est, malum & pœna obueniet illi præter exspectationem, subitò & ex improuiso.

℣.33. PECCATOR CONTINENS ERIT, id est, compos (*b*) & particeps, *iræ ac furoris*. q.d. Obnoxius & subiectus ijs, & pœnis earum.

b *Sap. 3. v. 11.*

CAPVT XXVIII.

Non expetenda vindicta, sed offensa remittenda. Lingua refrenanda. Aures sepienda.

℣. 1. QVI VINDICARI VVLT, seu vindictam quærit, is vicissim A DOMINO VINDICTAM INVENIET, id est, punietur pro suis sceleribus: nam PECCATA ILLIVS SERVANS SERVABIT] id est, accuratissimè reseruabit, vt suo tempore puniat. Primum hoc est argumentum, quo conatur dissuadere vindictam. *Quâ* enim *mensurâ mensus fueris, remetietur tibi*. *Matth. 6. v. 14. Marc. 11. v. 25.*

℣.2. RELINQVE, id est, dimitte, vt habet Græcus, PROXIMO TVO NOCENTI TE] seu tibi. Sequitur Secundum argumentum:

℣.5. IPSE homo CVM CARO SIT vilis & fragilis, adeò tamen indignè fert se læsum esse à sui simili, vt nulla ratione velit illi etiam deprecãti ignoscere, sed RESERVAT illi IRAM & vindictam; & ipse vilissimus terræ vermiculus, cùm immensam Dei maiestatem grauissimis sceleribus suis tam indignè offenderit, PROPITIATIONEM & veniam ab illa petere aut sperare ausit? Tertium argumentum: QVIS EXORABIT PRO DELICTIS ILLIVS] tam immitis, tam crudelis in proximum, tam ingrati in Deum? Sequitur Quartum:

℣.6. MEMENTO NOVISSIMORVM.

℣.7. TABITVDO ENIM, id est, corruptio, putrefactio, ET MORS IMMINENT, quæ IN MANDATIS Dei proponuntur, tamquam pœnæ præuaricatoribus & transgressoribus illorum. Quintum argumentum:

℣.8. EX TIMORE DEI. Sextum:

℣.9. Memento TESTAMENTI, id est, legis ac præcepti Dei: ET DESPICE, id est, contemne, dissimula: erratum PROXIMI] Septimum argumentum:

℣.10. MINVES PECCATA] multa alioquin & magna, quæ iram & vindictam comitari solent. Octauum & vltimum:

℣.11. Quia sic pax inter amicos & amicas familias foucbitur vel instaurabitur.

℣.13. CERTAMEN FESTINATVM, id est, contentio præpropere suscepta, ET LINGVA TESTIFICANS, supple, præpropere & incircumspectè; *procax lingua*, inquit Rabanus; iniquè testificans, Emanuel Sà, ADDVCIT MORTEM] id est, causa est mortis.

℣.16.

℣.16. LINGVA TERTIA] Id est, quæ inter duos amicos tertia interuenit, & inter eos discordias serit; Græcè est, *lingua duplex*, id est, bilinguis, detractor, susurro. Pro quo Chaldæus in Prouerbijs sæpè vertit, *linguam tertiam*, vt hîc Noster. Et benè annotauit Elias Leuita in suo Lexico.

℣.19. MVLIERES VIRATAS, id est, viriles, masculo animo; Græcè, *fortes*, EIECIT è domibus maiorum suorum, ET PRIVAVIT ILLAS LABORIBVS SVIS] id est, opibus labore & industriâ suâ partis.

℣.21. PLAGA LINGVÆ COMMINVET OSSA] id est, robur & vires omnes animi & corporis.

℣.22. MVLTI absumpti sunt GLADIO: SED NON SIC QVASI, id est, nõ tamen tam multi, quàm QVI PERIERVNT PER LINGVAM SVAM] id est, per linguam sibi inimicam & infestam. Vnde in Græco non est *suam*.

℣.25. MORS ILLIVS, id est, per illam inflicta, MORS est NEQVISSIMA, quia maximè infamis, vtpote coniuncta calumnijs & mẽdacijs sæpè probrosis admodum & fœdis. Et licet hæc non semper ipsam secum mortem corporis trahant, trahunt tamen secũ tantas miserias, vt præ ipsis mortem ferè quiuis præoptet. Vnde VTILIS POTIVS INFERNVS, id est, sepulchrum, seu mors ordinaria corporis, QVAM ILLA tam infamis & probrosa calumniantis lingua. Nam mala quæ inde eueniunt, ipsa morte sunt tristiora, vt iam dixi. nec potest se quis, dum vult, ijs extricare: nam VINCVLVM ILLIVS linguæ, VINCVLVM ÆREVM EST] Diuino tamen fauore

℣.26. PERSEVERANTIA ILLIVS NON PERMANEBIT, id est, non persæuerabit, apud IVSTOS] quorum innocentiæ Deus testis & vltor erit.

SED OBTINEBIT VIAS INIVSTORVM] Id est, permanebit apud impios, qui ob sua scelera iustè talem linguæ pœnam patiuntur.

℣.29. AVRVM ET ARGENTVM TVVM CONFLA, vt scilicet ex ijs STATERAM facias VERBIS TVIS, qua priùs eâ ponderes quàm efferas, ET FRÆNOS ORI TVO RECTOS] quibus rectè & ad normam æquitatis ac discretionis refrænetur lingua tua. q.d. Omnia quæ habes, in hunc finem impende, vt pulchrè explicant SS. Ambrosius & Gregorius.

Ambr. l. 1. Offic. c. 3. Gregor. l. 7. Moral. c. 17.

CAPVT XXIX.

De mutuo, de eleëmosyna, de fideiussione, de peregrinis & hospitibus.

℣.1. FOENERATVR] Id est, mutuum dat. Hoc enim significat verbũ Hebræum & Græcum. Et certum est, non commendari hîc vsuram.

QVI PRÆVALET MANV, id est, qui liberali manu tribuit proximo egenti, MANDATA SERVAT de diligendo proximo. Sed tu qui mutuum accepisti,

℣.2. REDDE illud PROXIMO IN TEMPORE SVO] id est, tempore condicto, vel saltem tibi commodo, cùm primùm poteris.

℣.3. CONFIRMA VERBVM] Id est, reipsa compleas promissum tuum de mutuo reddendo die præstituta. Et ne sis infidus, vt ille qui

℣.7. Cùm POSSIT REDDERE, ADVERSATVR, id est, repugnat, renuit, recusat, tergiuersatur, ac tandem SOLIDI, id est, totius, seu integræ summæ, VIX DIMIDIVM REDDET, idque adhuc COMPVTABIT, id est, creditori reputabit, QVASI INVENTIONEM, seu rem inuentam, de quâ gratulari sibi debeat.

℣.8. SIN AVTEM, id est, si non possit reddere, seu propter inopiam, seu propter aliud impedimentum, non contentus tum FRAVDASSE creditorem PECVNIA SVA, reddit illum insuper ex amico INIMICVM sibi GRATIS, nulla in re ab ipso læsus: cùm enim posset blandis verbis apud illum suam inopiam excusare, REDDIT ILLI CONVITIA ET MALEDICTA. Vnde meritò

℣.10. MVLTI NON SVNT FOENERATI, id est, nolunt vel non audent mutuum proximo dare, NON CAVSA NEQVITIÆ, id est, non ex auaritia, SED quia TIMVERVNT FRAVDARI GRATIS suâ pecuniâ, vt iam dixi.

℣.11. VERVMTAMEN non debet hoc fraudi esse probis. Ergo SVPER HVMILEM ANIMO, pauperem, FORTIOR ESTO & liberalior in mutuo dando, ET PRO tali ELEEMOSYNA ipsi impertiẽda NON TRAHAS ILLVM] id est, ne protrahas, ne ludifices miserum. Idque si non ob aliud motiuum, certè

℣.12. PROPTER MANDATVM diuinum, ASSVME, id est, adiuua, PAVPEREM] Habes hoc mandatum de mutuo dando, Deuter. 15. v. 7.

℣.13. PONE & absconde THESAVRVM TVVM, seu opes, NON SVB LAPIDE, vel in cista, vel sub terra, vt solent auari, IN PERDITIONEM tum pecuniæ suæ, quæ perit sine fructu; tum animæ, quæ per eiusmodi sordidam auaritiam incurrit æternam perditionem: sed PONE illum IN PRÆCEPTIS ALTISSIMI] id est, expende illum iuxta legem Dei in ventres pauperum, qui sunt horrea diuitum, inquit S. Basilius. Atque hactenus de mutuo: iam de fideiussione.

℣.19. VIR BONVS, probus, liberalis, non rarò FIDEM FACIT, seu fideiubet, PRO PROXIMO SVO, rebus eius sic exigentibus. At is ingratus subinde, ET QVI PERDIDERIT CONFVSIONEM, id est, verecundiam, seu pudorem, perfricta fronte, DERELINQVET SIBI fideiussorem, nec eum sponsione sua liberare vult soluendo quod promiserat, sed neglectâ iustitiâ, sponsori damnum omne & ludibrium relinquit.

℣.20. DEDIT PRO TE ANIMAM SVAM] Id est, seipsum tui iuuandi causâ periculo exposuit, tum bonorum, tum carceris subinde & mortis: quin & damnationis etiam æternæ non rarò; vt faciunt Prælati, *rationem reddituri Deo pro animabus*, pro quibus spoponderunt.

Ad Hebr. 13. v. 17.

℣.23. REPROMITTIT, id est, spondet, fideiubet pro PROXIMO: sed CVM is pro quo spospondit, PERDIDERIT REVERENTIAM, id est, pudorem exuerit, DERELINQVETVR AB EO sponsor, vt suprà v. 19. dixit.

℣.24. NEQVISSIMA, id est, nequiter frustrata, REPROMISSIO, seu fideiussio, MVLTOS PERDIDIT DIRIGENTES] id est, rectè agentes, feliciter promouentes; Græcè, *diuites*.

℣.26. PECCATOR, seu sceleratus homo, pro pœna scelerum suorum, sic Deo disponente, INCIDET IN eiusmodi PROMISSIONEM NEQVAM, seu infelicem, nempe quâ frustrata ab alio cogatur ipse soluere pro quo fideiusserat. ET QVI CONATVR MVLTA AGERE, id est, multis negotijs, multis sponsionibus non necessarijs, aut etiam ad se non spectantibus, sese immiscet, & gloriam vel compendium inde venatur, INCIDET IN IVDICIVM] id est, in quæstiones & tricas, ob quas in litem & in tribunalia iudicum protrahetur. Igitur si sapis

℣.27. RECVPERA quidem, id est, restaura, crue, libera è miserijs suis PROXIMVM tuum, sed SECVNDVM

CVNDVM VIRTVTEM TVAM, seu potentiam, vires &opes,non vlteriùs: ET ATTENDE TIBI NE,dum alium è fossa vis educere,tu ipse INCIDAS.

℣.28. INITIVM VITÆ HOMINIS, id est, caput, summa,præcipuum requisitorum ad vitam; Græcè,ἀρχὴ,id est,principatus vel principale.q.d.Paucis contenta est natura,nempe duabus rebus ad victum,scilicet *aqua & pane*, id est, cibo frugali & potu:& duabus ad vestitum,putà *veste* non elegãti sed honesta: ET DOMO, seu tugurio, PROTEGENTE TVRPITVDINEM] id est, tegente ea quorum nos pudet apud alios.

℣.29. IN PEREGRE SINE DOMICILIO] Id est, apud alienos, siue extra proprium domicilium, vbi non sis tui,sed alieni iuris.

℣.30.MINIMVM PRO MAGNO PLACEAT TIBI] Id est, minimo domi contentus esto præ delicato epulo,vel splendido palatio,quod foris apud alienos possis habere.Sic nõ exprobrabitur tibi quod peregrinus sis,& alieno victites.

℣.31. VITA NEQVAM, id est, infelix & misera conditio eorum qui hospitij vel conuiuij causâ transire coguntur DE DOMO IN DOMVM. Vix audent OS APERIRE ad aliquid, seu dicendum, seu poscendum. Neque verò stat paruo hospitium & mensa aliena.

℣.32.HOSPITABITVR, ET PASCET vicissim pascentem se: id est,semel hospitio alieno exceptus, pro antidono cogetur suis quoque vicibus excipere & pascere dominum huius hospitij, eiusque domesticos,idque quasi ex debito, saltem gratitudinis.Nec benevolos tamen idcircò semper eos habebit aut amicos,sed sæpè INGRATOS,& AMARIS verbis ea officia, quasi sibi debita, exposcentes,v.g.TRANSI HOSPES,id est,citò surge, ORNA MENSAM,appone QVÆ HABES,&c. Quin & si quãdo familiariùs iterum apud ipsos diuertas, duris & asperis verbis te domo sua exigent, dicentes, Facesse hinc.

℣.34.EXI A FACIE HONORIS AMICORVM MEORVM, fac locum diuertentibus ad me amicis honoratioribus,quibus tua præsẽtia dedecori & probro esset. NECESSITVDINE DOMVS MEÆ,supple, laboro;Græcè,*opus habeo domo mea*:HOSPITIO MIHI FACTVS EST FRATER] id est, ad hospitium meum diuertit amicus qui mihi est instar fratris.

℣.35.GRAVIA HÆC HOMINI HABENTI SENSVM,id est,prudenti & cordato: CORREPTIO DOMVS,id est,quando sic reprehenditur ratione hospitij;ET IMPROPERIVM FOENERATORIS, id est, quando ei qui mutuum alteri dedit, pro gratia conuitium & improperium rependitur, vt dixi vers.7.& seqq.

CAPVT XXX.

De filiorum castigatione: de bono sanitatis: de bono latitiæ: de malo tristitiæ.

℣. 1. NON PALPET PROXIMORVM OSTIA] id est,ne mendicet.q.d. Nisi corripiatur,prodiget sua omnia,& mendicus fiet.

℣.3.QVI DOCET &corripit FILIVM SVVM,IN ZELVM,id est,æmulationẽ vel iram,MITTIT INIMICVM] id est,facit inuidere & irasci sibi æmulos, cùm vident filios eius tam bene institutos, tam probos, tam honoratos, præ suis dyscolis,impijs, infamibus.

℣.7.PRO ANIMABVS FILIORVM,id est,pro filijs suis bene probeq; instituẽdis acriter depugnabit,&,si sit opus excipiet libenter VVLNERA eaq; COLLIGABIT & curabit cum patientia:ET SVPER OMNEM VOCEM,seu rumorẽ de filiorum improbitate vel periculo, TVRBABVNTVR VISCERA EIVS] q.d. Nihil æquè cordi habebit, atque filiorum salutem.Quod si plusculum indulseris illis,

℣.10. OBSTVPESCENT DENTES TVI]nempe præ dolore ac mœrore,ex improbitate &infortunijs filiorum tuorum, cùm sentics acerbitatem mali,sed seriùs quàm vt mederi possis; Græcè est, *ne* tandem *quatias dentes*,seu *frendas dentibus*.

℣.11.NE DESPICIAS,id est,ne desinas corrigere & castigare etiam COGITATVS ILLIVS] Græcè, *ignorantias*, id est, quæ stultè cogitat, vel agitat animo.

℣.13.OPERARE IN ILLO, id est, operam pone diligentem in eo instruendo,custodiendo & corrigẽdo, NE IN TVRPITVDINEM ILLIVS OFFENDAS,seu impingas,id est,ne confundaris turpi illius infortunio,probroso supplicio,vel alia contumelia, quam suis sceleribus incurret.

℣.14. FLAGELLATVS MALITIA] Id est,punitus ægritudine,afflictus miseriâ corporis & animi.

℣.18.BONA ABSCONDITA, id est,opes reconditæ,seu in cistis asseruatę,dum vegetum esset corpus heri & integræ vires,quid prosunt,cùm CLAVSO ORE, & fracto iam morbis corpore, & sublato appetitu,apponuntur ei per delicatas epulas & exquisita dulciaria? Certè non plus ipsum iuuant, quàm mortuo prosunt EPVLÆ CIRCVMPOSITÆ SEPVLCHRO] De quibus egi Tobiæ 4.v.18.Quantumcumque enim diues,si sit æger,

℣.20.EFFVGATVR,id est,arcetur,A DOMINO] nempe per morbum , ne possit optatis epulis & cupedijs frui.

℣.23. IVCVNDITAS, seu lætitia, puri CORDIS est longè nobilior THESAVRVS quàm opes externæ:est enim Primò,THESAVRVS SANCTITATIS, id est,sacrosanctus,*ex iustitia*, (vt dixit vers.15.) & ex alijs virtutibus resultãs.Secundò,est SINE DEFECTIONE] id est,indeficiens,nunquam exhauritur,nunquam minuitur, nunquam perit Sanctis, sed nouis indies incrementis augetur & crescit.

℣.24.MISERERE ANIMÆ TVÆ,id est,compatere & benefac tibi ipsi, lætam & hilarem vitam ducendo,PLACENS DEO, id est, quoad potes sine Numinis offensione:ET CONTINE teipsum à mœrore & inutili tristitia. CONGREGA, id est,erige, attolle; Græcè,*consolare*,COR TVVM IN SANCTITATE EIVS] id est, in studio sanctitatis, vel in sanctis donis Dei.

℣.26. SENECTAM ADDVCET COGITATVS] nempe anxius; Græcè,*cura*, sollicitudo. Econtrà *exultatio* est *longanitas* vt dixit v.23.

℣.27.SPLENDIDVM COR luce sanctitatis,id est, animus sanctè hilaris,ET BONVS,id est,beneficus, liberalis EST IN EPVLIS,quia honestè fruitur opibus sibi à Deo cõcessis.ET EPVLÆ ILLIVS DILIGENTER FIVNT,& accuratè instruũtur tũ in suos, tum in proximi vsus.Vnde vitam agit non tristem, non sordidam;sed lætam,honoratam,felicem.

CAPVT XXXI.

De contemptu divitiarum:de vera honestate: de temperantia & discretione.

℣. 1. VIGILIA HONESTATIS, id est, studium & cura colligendarum opum, vt est in Græco(nam honestatẽ ex opibus metiuntur stulti morta-

mortales) TABEFACIET CARNES] id eſt, abſumit vires, & exedit robur corporis

℣.2. COGITATVS PRÆSCIENTIÆ, id eſt, ſollicitudo & anxietas prouidendi ſibi in poſterum de ſuperfluis opibus aduerſus caſus varios, quos ſeu præſcit, ſeu metuit obuenturos, AVERTIT non rarò SENSVM, id eſt, mentem, à Deo, à recto, à ſtudio ſalutis: inebriat enim & ſopit animam. Econtrà, INFIRMITAS GRAVIS excitat & SOBRIAM FACIT ANIMAM] Ergo anxietas animi diuitum peior eſt infirmitate corporis. Vis autem noſſe, quis meritò dicendus ſit diues?

℣.3. Qui cùm LABORAVIT IN CONGREGATIONE SVBSTANTIÆ, quantulamcumque collegerit, IN REQVIE SVA REPLEBITVR BONIS SVIS, id eſt, câ contentus eſt & lætus fruitur. Is autem verè pauper eſt, qui cùm plurimùm LABORAVIT & corraſit, etiam IN, ſeu, cum, DIMINVTIONE VICTVS, fraudans os & genium ſuum victu neceſſario, tamen IN FINE INOPS FIT] id eſt, animo necdum ſaturo eſt, ſed nouis opibus corradendis perinde inhiat, ac ſi nullas ad manum haberet, & omnibus egeret, *Auaro* enim *tam deeſt quod habet, quàm quod non habet.*

℣.5. QVI INSEQVITVR, ſeu ſectatur, CONSVMPTIONEM; Græcè, *corruptionem*, id eſt, corruptibilia & caduca huius mundi, putà terrenas opes, delicias, honores; REPLEBITVR EX EA, id eſt, conſequetur quidem, ſi Deus permiſerit, illa caduca, & pro voto forſan ijs fruetur, ſed fructur ſolis caducis illis non verò etiam ſtabilibus, æternis & ſolidis bonis. Nemo enim poteſt *Deo* ſimul *ſeruire & mammonæ.* *Matth. 6.*

℣.6. MVLTI DATI; Græcè, *ligati*, SVNT IN AVRI CASVS, id eſt, in infortunia & diſcrimina propter aurum, vel *auri gratiâ*, vt eſt in Græco. IN SPECIE IPSIVS] id eſt, ob ſplendorem, ob pulchritudinem auri.

℣.7. LIGNVM, vel lapis, OFFENSIONIS EST AVRVM SACRIFICANTIVM; Græcè, *ſacrificantibus*, id eſt, auaris, qui aurum vt Deum ſuum colunt, eíque omni ſuo labore, tempore & cogitatione ſacrificant. Vnde ad Coloſſ. 3. verſ. 5. *auaritia* vocatur *ſimulacrorum ſeruitus.*

℣.10. QVI PROBATVS EST IN ILLO, id eſt, qui in probo diuitiarum ſuarum vſu ſe benè geſſerit, ET PERFECTVM, ſeu perfectè continentem ac liberalem, ſe exhibuerit, ERIT ILLI GLORIA ÆTERNA.

℣.13. NON DICAS SIC: MVLTA SVNT *ſuper*poſita menſæ, ergo multa quoque comedam & abſumam.

℣.14. MALVS EST OCVLVS NEQVAM] Id eſt, oculus nequam, ſeu auarus, eius qui te inuitauit, poteſt eſſe malus, id eſt, inuidus, ægrè ferens ſua liberaliùs abſumi.

℣.15. NEQVIVS, id eſt, auarius, OCVLO nihil. IDEO AB OMNI FACIE SVA LACRYMABITVR, id eſt, præ dolore & inuidia lacrymas per totam faciem profundes, CVM VICERIT hoſpites hilariùs veſcentes & ſuauiter lætantes.

℣.16. NE INVIDIA CONTAMINATVS ERVBESCAS] Id eſt, ne inuidus eiuſmodi auarus per verba vel facta; iniurioſa te ignominia aliqua contaminet & rubore afficiat. Caue item

℣.17. NE COMPRIMARIS] Id eſt, ne nimio cibo vel potu te ingurgites, & hic crapulâ graueris & premaris.

℣.18. INTELLIGE, & coniecturam fac de ijs QVÆ A SVNT PROXIMI TVI EX TEIPSO] q.d. Vti velles alios in tua menſa eſſe modeſtos & honeſtos, ita & tu talis eſto in menſa aliena.

℣.23. VIGILIA, CHOLERA ET TORTVRA VIRO INFRVNITO] Id eſt, imprudens & intemperans in cibo potuque ſumendo pro pœna ſuæ intemperantiæ ferre cogetur inſomnia, dolores & moleſtias bilis & colicæ, ſeu cruciatus inteſtinorum, vt habet Græcus. *Vide c. 23. v. 6.*

℣.25. COACTVS MVLTVM EDERE, SVRGE & EVOME potiùs quàm infirmeris. Sic medici ſuadent. Myſticè Rabanus, euome per confeſſionem quæcumque conſcientiam grauant.

℣.27. IN OMNIBVS OPERIBVS TVIS ESTO VELOX, id eſt, expeditus, non tardus, non piger, non grauis aut ſomnolentus; ſed alacer, agilis, excitatus, ET OMNIS INFIRMITAS NON OCCVRRET TIBI, non corripiet te: quia alacritas animi, & agilitas corporis valetudinem tuentur, cùm tepor & pigritia morbos generent.

℣.28. SPLENDIDVM IN PANIBVS, id eſt, liberalem in annona egentibus diſtribuenda, BENEDICENT omnes, ET TESTIMONIVM VERITATIS ILLIVS FIDELE] id eſt, hoc demũ teſtimonium fidum certum eſt probitatis; Græcè, *pulchritudinis eius.*

℣.29. NEQVISSIMO, id eſt, auaro, IN PANE diſtribuendo, MVRMVRABIT tota CIVITAS.

℣.32. ÆQVA, id eſt, æquabilis, commoda, ſuauis VITA, VINVM IN, ſeu cum, SOBRIETATE.

℣.33. QVÆ VITA EST EI QVI MINVITVR, id eſt, qui, deſtituitur & caret, VINO? vt nempe non poſſit eo ſobriè vti ad ſanitatem & lætitiam. VITAM enim DEFRAVDAT & diminuit: & videtur mors quædam eſſe.

℣.40. EBRIETATIS ANIMOSITAS, ſeu audacia & temeritas, eſt IMPRVDENTIS OFFENSIO] id eſt, facit vt imprudens offendat, minuantur vires animi & corporis, & rixæ & pugnæ creentur.

CAPVT XXXII.

In conuiuijs decet Primò, vt ſympoſiarcha comis ſit & humilis; Secundò, ſenes cordata inſtituant colloquia; Tertiò, adſit muſica; Quartò, adoleſcentes modeſti ſint & parcè loquantur; Quintò, gratia Deo agantur.

℣. 1. RECTOREM conuiuij TE POSVERVNT?] Sermo enim hic eſt de ſympoſiarcha, qui olim teſte Polluce, ſolebat vel ſuffragio, vel ſorte deligi, vt ordini in conuiuijs ſeruando præeſſet. Vnde *Modimperator* à Varrone vocatur; à Tacito & Macrobio *Rex conuiuij*; à Plauto *Dictator* & *Strategus*; ab Hortenſio *Arbiter* & *Patercœnæ.* Huius erat Primò, conuiuas ſuo quemque loco collocare. Secundò, iocos & ſermones & ludos conuiuales moderari. Tertiò, comedendi & bibendi leges præſcribere: cuique eam cibi & potus qualitatem quantitatemque conſignare, quæ valetudini vel genio cuiuſque congrueret. Hinc deſumitur metaphora calicis, cuius toties meminit Scriptura, cùm vult deſignare, ſeu bona, ſeu mala, quæ Deus cuique admetitur.

℣.2. OMNI CVRA TVA EXPLICITA, & officio probè peracto, cùm ſingulis neceſſaria curaueris, tum demum RECVMBE, & cum alijs accumbe.

℣.3. VT pro ORNAMENTO GRATIÆ, ſeu gratioſo; Græcè, *ornamenti gratia*, ACCIPIAS CORONAM conuiualem: nam *coronæ* impoſitione ſolebãt creari & ornari rectores ſympoſij, teſte Pauſania & Plutarcho. q.d. Strenua muneris tui functione, dignum *Plutarch. l. 1. Sympoſiac.*

gnum te exhibe coronâ tibi impositâ.

ET DIGNATIONEM CONSEQVARIS CORROGATIONIS] Id est, dignitatem & honorem assequaris rei benè per te aggregatæ, putà epuli liberaliter instructi, disciplinæ probè administratæ, prudentiæ conseruatæ, doctrinæ, industriæ, & acuminis vbique exhibiti, &c. De quibus aliquid dixi initio libri Prouerbiorum, & qui plura volet, adeat Symposiaca Plutarchi, Athenæi & aliorum.

℣.5. DILIGENTI, id est, exactâ, SCIENTIA] sermones condiendi conuiuales, vt veteribus in more fuisse docent etiam Plutarchus & Macrobius. *Macrob l.7. Saturnalium.*

ET NON IMPEDIAS MVSICAM] q.d. Ita seria & acuta colloquia in mensis temperanda, vt tamen *musicæ* & honestis lusibus ac iocis suus non desit locus. De musica super epulis apud Persas scribit Xenophon, apud Græcos & Latinos Quintilianus & Cicero. Apud Iudæos patet ex hoc cap. v.7. & 8. & Isaiæ 24. v.8. Apud primos Christianos in agapæ, seu conuiuio sacro, Tertullianus, Baronius & alij. *Xenoph. l.4. Quintil. 1. Iusit. Cicero 1. Tusculan.*

℣.8. SICVT IN FABRICATIONE AVRI, id est, in annulo, vel alio monili aureo, SIGNVM EST SMARAGDI, id est, maximo ornamento est smaragdus, carbunculus vel alius pretiosus lapillus, SIC EST NVMERVS, id est, concentus MVSICORVM in conuiuio.

℣.10. ADOLESCENS LOQVERE VIX, sobriè admodum, & paucis, etiam IN CAVSA TVA] id est, cùm de te vel de re tua agitur.

℣.11. SI BIS INTERROGATVS FVERIS, tum demum HABEAT CAPVT, seu initium, id est, inchoetur, RESPONSVM TVVM.

℣.15. HORA SVRGENDI è mensa NON TE TRICES, seu intrices, id est, de nouis poculis, ne longioribus fabulis quæras longiores tricas aut moras, sed PRIOR è conuiuio DOMVM TVAM abi; ILLIC, si lubet, à serijs te auoca, ET LVDE, si placet.

℣.16. ET AGE CONCEPTIONES TVAS, id est, animo & arbitrio tuo morem gere, fac quidquid collibitum fuerit. sed NON IN DELICTIS ET VERBO SVPERBO] id est, non pecces, non tumultueris, non lædas quemquam.

Notat inciuiles hospites & conuiuas, qui quantumuis lautè excepti & saturi, de mensa deferenda non cogitant, sed in multam diem, imò in multam noctem, conuiuia protrahunt; domum reuersi, prolæta domesticorum recreatione, iurgantur, tumultuantur, conuitijs, verberibus, mille alijs iniurijs vxorem, liberos, famulos affligunt.

℣.19. QVI QVÆRIT LEGEM, & ei adimplendæ studet, REPLEBITVR AB EA præmijs, seu bonis in ea promissis. QVI verò INSIDIOSE AGIT, fictè simulans se legis studiosum, sed reipsa illam contemnit & transgreditur, SCANDALIZABITVR IN EA] id est, offendet & lædetur, & damnum inde referet, non fructum.

℣.11. INVENIET COMPARATIONEM] Græcè, *consonantiam*; q.d. Facilè concinnabit apologiam, quâ se suaque scelera, seu excusat, seu eleuet, comparando illa cum æqualibus vel grauioribus aliorum sceleribus.

℣.22. VIR CONSILII, id est, prudens, NON DISPERDET INTELLIGENTIAM, id est, non contemnet salutare consilium, vel iustam increpationem. Sed ALIENVS à prudentia, id est, stultus impius, NON PERTIMESCET TIMOREM] id est, nihil timet, nullo metu à flagitijs reuocatur.

℣.23. ETIAM POSTQVAM FECIT CVM EO; Græcè, *secum*, SINE CONSILIO, id est, cùm stultissimè A se gessit, seipso & conscientia teste, ET SVIS INSECTATIONIBVS, id est, ipsismet operibus quæ sectatus est, seu ipso operum suorum infelici successu, ARGVITVR & conuincitur, impiè, temerè, stultè egisse. Nempe, exuit omnem timorem, pudorem, conscientiam.

℣.27. CREDE ANIMÆ TVÆ, id est, obsequere dictamini conscientiæ tuæ, non ex errore, seu deceptione, sed EX FIDE] id est, fideliter & iustè suggerenti quid secundùm legem aut nutum Dei agendum sit, vel omittendum. q.d. Numquam repugnes conscientiæ tuæ rectè monenti, docenti, reprehendenti te.

CAPVT XXXIII.

Diuina Sapientia prouidè separauit bonos à malis, & suum cuique rei contrarium dedit, ad plenitudinem & ornatum vniuersi. Non est prudentis, ante mortem sese exheredare. Neque seruis facilè indulgendum.

℣.4. QVI INTERROGATIONEM MANIFESTAT, id est, qui rem interrogatam sibique propositam maximè coram iudice, benè & multùm expendit, planéque manifestam sibi facit, eo ipso FARABIT responsioni viam, & VERBVM, seu responsum necessarium: quòd si humilem quoque *deprecationẽ* adhibuerit; tum per preces ad Deum, tum per submissionem debitam erga rogantes, certò EXAVDIETVR & triumphabit in causa. Hæc est ratio CONSERVANDI DISCIPLINAM, id est, prudentiam, & feliciter RESPONDENDI.

℣.6. EQVVS EMISSARIVS; Græcè, *admissarius*, AMICVS SVBSANNATOR & fictus SVB OMNI SVPRASEDENTE, seu sessore, HINNIT] non amore sessoris, sed equæ: ita fictus amicus applaudit tibi, non tui, sed commodi sui amore.

℣.7. QVARE DIES, vel ANNVS VNVS, v.g. festus & sacer, SVPERAT & præcellit alium DIEM vel ANNVM non festum? vnde celebritas septimi, seu diei, seu anni? item quinquagesimi anni: seu lubilei? cùm omnes tam anni, quàm dies A SOLE VNO eodemque æqualiter procedant? Nempe, non à sole, sed

℣.8. A DOMINI SCIENTIA, id est, à diuina sapientia & prouidentia, *separatio*, id est, differentia hæc promanauit. idque FACTO SOLE, id est, post creatum iam solem, qui & ipse quoque CVSTODIT PRÆCEPTVM Dei, perpetua circumuolutione sua obsequens nutui diuino. Igitur hæc diuina dispositio est vera causa, quæ

℣.9. IMMVTAVIT, id est, varijs modis distinxit & discriminauit TEMPORA, vt DIES FESTI celebrentur AD HORAM statutam, id est, præscripto tempore.

℣.10. EX IPSIS diebus quosdam EXALTAVIT in festos: quosdam POSVIT IN NVMERVM vulgarium DIERVM. Sic licèt OMNES HOMINES DE SOLO, seu humo, procreati sint, ET EX eadem TERRA; quosdam tamen voluit Deus

℣.11. IN MVLTITVDINE DISCIPLINÆ, id est, pro maxima sua sapientia diuina, SEPARARE & secernere ab alijs: vnde & IMMVTAVIT, id est, distinxit, discriminauit, VIAS, id est, status & conditiones, EORVM.

℣.12. EX IPSIS quosdam BENEDIXIT benedictione corporali & spirituali, temporali & æterna. ET SANCTIFICAVIT, id est, in sacerdotes & ministros sanctuarij sui, in reges, in principes populi delegit: ET AD SE, suumque tale seruitium

APPLI-

APPLICAVIT. Econtrà quosdã MALEDIXIT, maledictione temporali vel æterna, ET CONVERTIT ILLOS, seu, ex alto deiecit, idque A SEPARATIONE IPSORVM] id est, postquam & ipsi se libera voluntate sua & nequitia separassent à Deo, à via virtutis, à congregatione iustorum, & Deus illos iustâ suâ vindictâ separasset à sua benedictione & felicitate iustorum; Græcè, *euertit illos* è sedibus suis, seu *è statione sua*. Est igitur in iam dicta *hominum* cum *diebus* comparatione hæc dissimilitudo, quòd Deus pro suo solius arbitrio selegerit & distinxerit dies festos quoscumque voluit, à non festis: homines verò, si de selectione ad iustitiam vel ad æternam beatitudinem, agatur; non pro suo solius arbitrio, B sed simul pro meritis vel demeritis cuiusque selegerit. Idem dico de plasmatione luti per figulum. quâ etiam S. Paulus vtitur Rom. 9. v. 21. Dixi, Si de selectione ad iustitiam, vel ad æternam beatitudinem, hîc agatur. Quia verisimile est, non agi nisi de selectione ad sanctitatem legalem vel moralem, qualis est sacerdotum, regum, Prophetarum, vel in vnoquoque statu præcellentium. Et simili modo de maledictione & humiliatione sola temporali & politica, vt ex Græco patet. quæ sæpè à Dei solius nutu & arbitrio pendent. Vt fusiùs ostendam in simili Dei delectu vasorum, seu in honorem, seu in contumeliam, ad Rom. 9.

℣. 14. OMNES VIÆ EIVS, id est, omnes actiones & plasmationes figuli, fiunt SECVNDVM DISPOSITIONEM EIVS, id est, prout ipse vult fieri & disponi. SIC etiam HOMO est IN MANV & potestate Dei, vt scilicet à Deo ponatur vel in classe felicium, vel in classe infelicium in hoc mundo. Semper tamen REDDET Deus homini SECVNDVM IVDICIVM SVVM] id est, prout conforme est iusto iudicio diuino, & ferè prout homo meretur.

℣. 15. CONTRA MALVM oppositum EST BONVM: contra vitium virtus. DVO ET DVO, id est, bina passim est reperire, in quibus vnum alteri est oppositum. q. d. Non in solis hominibus reperitur hæc oppositio, vt vnus sit bonus, alter malus: vnus felix, alter infelix; sed passim in omnibus ferè alijs rebus, idque ad plenitudinem & decorem, seu ornatum vniuersi, inquit S. Augustinus. D

August. l. 11. de Ciuit. c. 18.

℣. 16. EGO Ecclesiasticus post Prophetas & alios hagiographos NOVISSIMVS EVIGILAVI, ad has parabolas conscribendas: QVASI QVI COLLIGIT ACINOS, seu botros casu relictos, POST VINDEMIATORES. Qui tamen IN, id est, cum, BENEDICTIONE DEI, factus sum QVASI QVI VINDEMIAT: nam instar vindemiatoris REPLEVI TORCVLAR] nempe librũ hunc ingentem complcui, eundemq; ex plurimis nobilissimisq; sentẽtijs velut vuis congessi ad vinum sapientiæ inde exprimendum.

℣. 20. FILIO tuo ET MVLIERI, id est, vxori, vel *alij* cuipiam, NE DEDERIS POSSESSIONEM TVAM, nempe quamdiu in viuis adhuc es: NE FORTE DEPRECERIS PRO ILLIS, repetens ea quæ dedisti, vel supplicans ijs quibus dedisti. q. d. Numquam te patiaris eò adigi, vt proprijs bonis exuaris, & ex aliorum arbitrio viuere cogaris, quibus tu imperare debebas.

℣. 21. NON IMMVTABIT TE OMNIS CARO] Id est, nullus homo te diuertat ab hoc meo consilio. Iam de mancipio.

℣. 26. OPERATVR IN DISCIPLINA, id est, metu verberum strenuè laborat: alioqui QVÆRIT REQVIESCERE] id est, ab opere cessabit, & otio atque inertiæ se dabit.

A ℣. 30. NON tamen AMPLIFICES SVPER OMNEM CARNEM] Id est, ne ampliùs in eius corpus sæuias, seu flagellis, seu laboribus, quàm par est, sed in omnibus adhibe moderamen.

℣. 31. QVONIAM IN SANGVINE ANIMÆ, id est, pecunia tua, quâ vt sanguine viuis, COMPARASTI ILLVM] Vel melius, *in sanguine*, id est, ad sanguinem tuum, seu ad vitam tuam fouendam & tuendam, coëmisti illum tibi. Nam in Græco est, *quia tamquam anima tua*, id est, teipso, *indigebis illo*.

℣. 33. SI EXTOLLENS; Græcè, *tollens* & subtrahens se tibi, DISCESSERIT à te fugiens, non facilè eum recuperabis. Atque ita breuis cholera spoliabit te magno commodo & bono.

CAPVT XXXIV.

De vanitate somniorum: de vtilitate tentationis: de spe in Deo figenda: de mercede pauperum non defraudanda.

℣. 1. SPES VIRO INSENSATO, id est, spes quas stultus sibi fingit, VANÆ sunt ET MENDACES, seu fallaces. Atque adeò sibi illudi patitur, vt etiam somnijs suis confidat ac superbè extollatur. Quousque liceat somnijs attendere, dixi Gen. 40.

℣. 3. HOC SECVNDVM HOC VISIO SOMNIORVM, id est, somnium nihil aliud est quàm quædam repræsentatio quâ *hoc* est *secundum hoc*, id est, hoc C huic est simile. Quod mox clarioribus verbis explicat, est, inquiens, SIMILITVDO HOMINIS ANTE FACIEM HOMINIS] qualis solet offerri intuenti in aquam vel in speculum. q. d. Somnium non est res ipsa, vel rei veritas, sed solùm inanis imago & vmbra rei, vti imago in speculo, quam pueri putant esse rem veram.

℣. 6. NISI AB ALTISSIMO FVERIT EMISSA VISITATIO] id est, reuelatio per somnium. De qua vide Genes. 40.

℣. 8. VERBVM LEGIS, seu lex, CONSVMMABITVR SINE MENDACIO, id est, perfectè cognosci & compleri potest ac debet sine adminiculo mendacium somniorũ, auguriorũ, diuinationum. Neque enim eget veritas mendacio. ET SAPIENTIA, seu doctrina, ad salutem utilis aut necessaria, COMPLANABITVR, id est, plana, facilis & expedita est IN ORE FIDELIS, seu veracis doctoris; vnde & ex eo sufficienter hauriri potest, neque opus est auguribus vel diuinis.

℣. 8. QVI NON EST TENTATVS, id est, multa expertus tum fauentia, tum aduersa, QVID SCIT?] Experientia enim mater est scientiæ.

℣. 10. QVI IN MVLTIS FACTVS EST, id est, multa expertus MVLTIPLICAT MALITIAM] id est, multam acquirit astutiam, seu cognitionem malitiæ; Græcè, *qui vagatus est*, scilicet per varias E prouincias, *multiplicat astutiam*. Qui mores hominum multorum vidit & vrbes, is sapiens fit. Et licèt experiendo non rarò quis impingat, & decipiatur ab alijs, nil nocet, iuuat potiùs.

℣. 11. QVI IMPLANATVS, seu deceptus, EST sæpiùs, euadet paulatim cautior, & ABVNDABIT NEQVITIA] id est, versutiã, calliditate, astutiâ, in vtramque partem. Quod mox probat suomet exemplo.

℣. 12. MVLTA VIDI ERRANDO, seu oberrando, id est, peregrinando per varia regna, & PLVRIMAS VERBORVM, id est, idiomatum, & etiam rerum & hominum mores ac CONSVETVDINES didici, magno meo bono & vsu. Sed tamen omni adhuc experientiæ præferendus timor Dei.

℣. 14.

℣.14. SPIRITVS TIMENTIVM DEVM QVÆRITVR tum à Deo, tum ab hominibus pijs. q.d. Homini quantumuis expertissimo, si sit impius & negligens Dei, præfertur vir pius timens & colens Deum: ET IN RESPECTV ILLIVS, id est, Deo per gratiam suam & cæleste lumen illum respiciente, illuminante & protegente, BENEDICETVR, id est, bonis omnibus augebitur.

℣.20. Deus est nobis DEPRECATIO OFFENSIONIS, nempe passiua, vel (*a*) obiectiua, id est, quem deprecamur pro *custodia offensionis* (vt est in Græco) seu ne offendamus: ET ADIVTORIVM CASVS] id est, ne cadamus, vel ne cadendo lædamur, & vt à casu resurgamus.

a Vide Prolegom. de Idotismis Hebr. n. 46.

℣. 21. IMMOLANTIS EX INIQVO OBLATIO EST MACVLATA, id est, sacrificantis Deo ex rapina, furto, vel alio scelere, oblatio est fœda & turpis, Græcè, *ridicula:* & potiùs SVBSANNATIO, seu irrisio est Dei, quàm delatio honoris, seu cultus.

℣.22. DOMINVS SOLVS, supple, quærendus, vel scopus esse debet, SVSTINENTIBVS SE, seu exspectantibus, & illi seruientibus IN VIA VERITATIS ET IVSTITIÆ] id est, iustè partis, & non rapinis.

℣.26. QVI AVFERT alteri PANEM IN SVDORE, id est, sudore ipsius partum, perinde facit ac si OCCIDERET illum.

℣.29. VNVS ORANS Deum, idem deinde MALEDICENS] nequaquam exaudiendus est, sed grauiter puniendus.

℣.30. QVI BAPTIZATVR, id est, abluitur, A MORTVO, id est, vt se purificet ab immunditia contracta ex attactu cadaueris (de quo dixi Leuitici c.17.) si mox ITERVM se polluat tangendo mortuum, QVID PROFICIT illi prior LAVATIO? Hæc contra instabiles in bono, & non perseuerantes.

℣.31. IEIVNAT IN PECCATIS] Græcè, *super peccatis suis.*

CAPVT XXXV.

De religionis virtute, & sacrificio Deo grato. De viduis, pupillis, pauperibus non opprimendis.

℣. 1. QVI CONSERVAT LEGEM, id est, qui studet implendæ legi diuinæ, ciusque mandatis obseruandis, MVLTIPLICAT OBLATIONEM] id est, perinde facit ac si multiplicia sacrificia Deo offerret.

V.3. RECEDERE, seu abstinere, AB INIVSTITIA, est DEPRECATIO, id est, perinde prodest atque offerre sacrificium deprecatorium PRO PECCATIS, & LITARE PROPITIATIONEM SACRIFICII, id est, offerre sacrificium propitiatorium, SVPER INIVSTITIAS] id est, ad abolenda peccata commissa. Sicut enim peccatum maximus est contemptus & iniuria Dei: ita fuga peccati & resistentia tentationi, maximus est honor & cultus Dei, & actus virtutis religionis, qui proprium est sacrificium. Quod non proprie, seu strictè, sed generalissimè sumptum definit S. Augustinus, esse *id quod agitur vt sancta societate inhæreatur Deo, relatum ad eum finem quo beati esse possumus.*

℣.4. QVI FACIT MISERICORDIAM egeno, & qui RETRIBVIT GRATIAM proximo suo, acceptus & gratus est Deo, peræquè atque qui in sacrificium OFFERT SIMILAGINEM seu similam. Nolim tamen commendando opera misericordiæ, negligere propriè dicta sacrificia. Quin potiùs si me audis,

℣.6. NON APPAREBIS vmquam ANTE CONSPECTVM DOMINI VACVVS, seu vacuis sine hostia manibus.

℣.7. HÆC FIVNT, seu præstãda sunt, PROPTER MANDATVM (*b*) DEI] saltem ter in anno, & tot casibus à lege præscriptis.

b Exodi 23. v.15. & c. 34. v.22. & Deut. 16. v. 16.

℣.10. BONO igitur ANIMO; Græcè, *lato oculo*, id est, alacriter & promptè, GLORIAM REDDE Deo, id est, honora Deum tuis sacrificijs: ET NON MINVAS, neque decerpas quidquam DE PRIMITIIS MANVVM TVARVM, id est, fructuum labore tuo collectorum: nam primitiæ omnes Deo debebantur, vt dicitur Exodi 13. Leuit. & alibi.

℣.11. SANCTIFICA, id est, sanctas fac, id est, offer Deo, DECIMAS (*c*) TVAS.

c Deut. 12. 14.18.26.

℣.12. ADINVENTIONEM MANVVM TVARVM] Id est, secundùm quod inuenit manus tua, id est, sicut ferunt tuæ facultates.

℣.15. NOLI INSPICERE; Græcè, *non intendas*, nempe ad offerendum Deo SACRIFICIVM INIVSTVM, seu ex opibus iniustè raptis: quia Deus IVDEX EST iustus, puniens omnem iniustitiam: nec APVD ILLVM vel tanti est GLORIA PERSONÆ, id est, excellentia, potentia, maiestas cuiuscumque hominis; vt scilicet intuitu potentiæ non audeat, vel nolit, vel non possit punire delinquentem, IN, id est, contra, PAVPEREM.

℣.18. EXCLAMATIO viduæ SVPER DEDVCENTEM lacrymas, id est, contra lædentem & excutientem viduæ lacrymas.

℣.20. QVI ADORAT & colit DEVM IN OBLECTATIONE, id est, cum gaudio & lætitia animi, & consequenter promptè, seriò, diligenter, SVSCIPIETVR à Deo, id est, infallibiliter iuuabitur, & in oratione sua exaudietur. Huiusmodi enim cultor Dei,

℣.21. DONEC ORATIO PROPINQVET Deo, id est, donec ad Deum perueniat, & ab ipso exaudiatur, NON CONSOLABITVR] id est, non conquiesceet, non desinet instare & vrgere.

℣.22. ET DOMINVS NON ELONGABIT, id est, non differet exaudire IVSTOS, ET NON HABEBIT IN ILLIS PATIENTIAM, id est, non diu patietur CONTRIBVLARI DORSVM IPSORVM ab impijs vel ab hostibus.

℣.24. SECVNDVM OPERA ADÆ] id est, hominis. q.d. Prout quisque meritus fuerit.

CAPVT XXXVI.

Orat pro Iudæis & Gentilibus, vt hi ad Deum conuertantur, illi ab hostibus protegantur. Monet ne in credendo cuique nimis faciles simus. Laudat bonas vxores.

℣. 4. SANCTIFICATVS ES IN NOBIS] Id est, ostendisti potentiã & gloriam tuã sanctam in nobis iuuandis, protegendis, exaltandis, v.g. in Ægypto, in Chanaanitide, & aduersus tot hostes sub Moyse, Iosue, Samuele, & alijs iudicibus ac regibus: idque signis tam stupendis.

℣.6. INNOVA, id est, de nouo concede, iam quoque similia SIGNA, & IMMVTA, id est, immutando præsentem miserum statum, ede & facalia MIRABILIA, seu miracula & prodigia, quibus nos exaltes, & hostes prosternas.

℣.10. FESTINA, id est, accelera, TEMPVS, seu fac vt citò compleatur: ET MEMENTO FINIS à tedestinati malis & flagellis quibus premimur: vel finis infidelitatis Gentium, qui fiet per Messiam, inquit S. Augustinus, qui ait hîc esse prophetiam de conuersione Gentilium, VT ENARRENT MIRABILIA TVA]

August. l. 17. de Ciu. Dei, c. 20.

LIA TVA] id est, laudent & glorificent magnifica opera tua.

℣.11. QVI SALVATVR, id est, qui eripitur & subtrahitur vni generi mortis, v.g. gladio vel furcæ, IN IRA FLAMMÆ DEVORETVR, vel aliud supplicium incurrat, seu hic, seu in futura vita. Loquor autem de ijs QVI PESSIMANT, id est, pessimè tractant, PLEBEM TVAM Israel.

℣.13. CONGREGA OMNES TRIBVS IACOB] iam sæpè dispersas per varias orbis plagas à trecentis & pluribus annis, per *Assyrios, Chaldæos, Persas*, & nouissimè per *Aegyptios* tyrannos, ac nominatim per *Ptolemæum Lagi* filium, cuius successor, *Philadelphus*(a) rogatu 72. seniorum, qui Bibliq ex Hebræo in Græcum transtulerant, ex captiuis & exulibus Iudæis manumisit 120000. teste Iosepho. Sub hæc verò Philadelphi tempora Ecclesiasticus noster suum hunc librum conscripsit.

a *Vide Chronici c. 39.*

℣.14. MISERERE PLEBI TVÆ, SVPER QVAM INVOCATVM EST NOMEN TVVM, id est, quæ vocatur & est tua, & te colit, & tibi seruit, & quam tu vicissim in tuum nomen, familiam, protectionem suscepisti: QVEM COÆQVASTI PRIMOGENITO TVO] id est, comparasti, similem fecisti primario, maximeque dilecto filio tuo; Græcè *quem nominasti primogenitum tuum*, nempe Exodi 4. v. 22.

℣.16. REPLE SION, id est, Ierosololymam, INENARRABILIBVS VERBIS, id est, stupendis operibus TVIS] vel *oraculis tuis*, vt olim. Nam hoc tempore nulli erant Prophetæ, quos videtur hîc à Deo reposcere, maximè sequenti

℣.17. DA TESTIMONIVM, id est, testatum fac pristinum tuum fauorem, HIS QVI AB INITIO, à tempore Abrahami & Heber, &c. CREATVRÆ TVÆ, id est, clientes & filij tui, SVNT: & SVSCITA, innoua, redde nobis, PRÆDICATIONES, id est, prophetias, oracula, instructiones de cælo, quales olim nobis reddebant PROPHETÆ PRIORES. Fac nobis

℣.19. SECVNDVM BENEDICTIONEM AARON] Id est, prout Aaron ex præscripto tuo, Num. 6. v. 24. de poposcit à te, dum benediceret solemniter populo, his verbis: *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te*, &c.

℣.20. OMNEM quidem ESCAM MANDVCABIT VENTER, id est, stomachus excipit omne genus ciborum, sed tamen CIBVS alius alio CIBO MELIOR & stomacho salubrior EST. Simili modo FAVCES CONTINGVNT CIBVM FERÆ, seu ferinæ, id est, degustant ac diiudicant de quauis ferina, & mox deprehendunt nõ quamlibet sibi conuenire. Sic COR SENSATVM, id est, prudens, statim, discernit vera à mendacijs, vtilia & profutura à noxijs.

℣.23. OMNEM MASCVLVM EXCIPIET MVLIER in maritum, id est, non multùm examinant puellæ quibus viris nubant. Sed viro prudenti diligenter examinandum est qualem ducat vxorem, nam VNA FILIA longè MELIOR EST alia FILIA] Non ergo committat, vt sola

℣.24. SPECIES, seu forma externa, MVLIERIS SVPERDVCAT DESIDERIVM HOMINIS, id est, excitet & rapiat affectum viri SVPER OMNEM CONCVPISCENTIAM] id est, præ rebus omnibus appetibilibus, q.d. Ne patiatur se solâ formâ seduci, quæ solet alioqui rapere animum.

℣.25. SI EST LINGVA CVRATIONIS, quæ læsa vel exulcerata sanare curet, si EST ET MITIGATIONIS, quæ exasperata leniat, si denique est MISERICORDIÆ, quæ alijs prodesse & succurrere studeat. Nam siciusmodi LINGVA, seu talento, præditam A vxorem nanciscatur, NON EST VIR ILLIVS SECVNDVM FILIOS HOMINVM] id est, non erit talis comparandus ordinarijs hominibus, sed erit supra communem sortem hominum, felicissimus omnium mortalium.

℣.26. INCHOAT POSSESSIONEM, supple, firmam & stabilem. Talis enim vxor possessiones omnes & familiam mariti in tuto locat, stabilit conseruat, & auget; vt meritò gloriari tum possit maritus, se iam demum ditescere. ADIVTORIVM enim in omnibus marito EST SECVNDVM ILLVM] id est, simile illi, Genes. 2. vel conforme & proportionatum illi, non solùm naturâ, sed & moribus & genio, seu indole.

℣.27. VBI NON EST MVLIER, INGEMISCIT vir EGENS adiutorio & solatio; Græcè, *peregrinans* id est, quasi in exilio oberrans per alienas domos.

℣.28. QVIS CREDIT, id est, fidit, EI, QVI NON HABET NIDVM proprium, id est, fixum domicilium & stabilem habitationem, sed DEFLECTIT, seu hospitatur, VBICVMQVE OBSCVRAVERIT, id est, vbicumque cum oberrantem vespera deprehenderit: & est quasi LATRO SVCCINCTVS, seu expeditus ad *exiliendum* & procurrendum DE VNA CIVITATE IN aliam? Simili nempe modo iuuenis aut viduus non vxoratus, sed vagus, cauendus vt erro & latro, qui insidiatur vbique pudicitiæ puellarum vel matronarum. Inuchitur hîc ergo in sos errones, lubricos & vagos, & qui alienis nidis seu thoris inhiant, non verò in cælibes pudicos & modestos, vt hæretici nugantur.

CAPVT XXXVII.

Non cum hypocritis seu fictis amicis: sed cum sinceris & candidis viris consultandum.

℣.1. ET EGO AMICITIAM tecum firmam COPVLAVI] Id est, sum fidus tuus amicus.

NONNE TRISTITIA VSQVE AD MORTEM, id est, dolor perpetuus INEST in eo, quòd intimus antea SODALIS ET AMICVS, postea mutatis animis AD INIMICITIAM CONVERTANTVR?

℣.3. O PRÆSVMPTIO; Græcè *cogitatio*, NEQVISSIMA! id est, ah rem extremè detestandam! VNDE CREATA ES? vnde prodijsti? quis te ex inferis in orbem inuexit, vt ARIDAM, id est, terram, COOPERIRES ILLIVS tam perfidi veneni MALITIA ET DOLOSITATE?

℣.5. SODALIS fictus si quando in casu aliquo asperiore CONDOLET AMICO, & pro EO CONTRA HOSTEM ACCIPIT SCVTVM, id non EX ANIMO, vel sincero erga illum affectu, sed solius VENTRIS sui CAVSA facit, vt genio & commodis suis meliùs consulat.

℣.8. OMNIS CONSILIARIVS, qualiscumque demum sit, non vult videri deesse partibus suis, sed PRODIT, id est, profert, CONSILIVM, vt apparet, in rem tuam: sed caue sis credas omni consilio: nam EST CONSILIARIVS subinde IN SEMETIPSO] id est, qui non tibi, sed sibi ipsi, suæque solius vtilitati & commodis studet ac consulit. &

℣.9. ANIMO SVO COGITAT] Id est, sibi ipsi prospicit, vt est in Græco.

℣.10. NE FORTE MITTAT tibi SVDEM IN TERRAM] Id est, palum præacutum occultet in via, quo euertaris, vel etiam infigaris & impaleris. q.d. Ne peruerso suo consilio exponat te præsenti periculo euersionis & ruinæ.

℣.12. CVM MVLIERE, id est, vxore, TRACTA DE

EA QVÆ

EA QVÆ ipsi ÆMVLATVR; id est, de pellice. q.d. A Oleum perdes & operam. Est enim continua hîc ironia, quâ vult declarare quàm stultum sit poscere consilium à non sincero amico. Simili modo, pete consilium à NEGOTIATIONE DE TRAIECTIONE, seu commutatione mercium. Consulet enim tibi non quæ in commodum tuum, sed quæ in lucrum suum cedent.

℣.13 CVM OPERARIO tracta DE OMNI OPERE] Nam operarius ad certa opera complenda conductus & obstrictus, si illi credas, multa opera reprehendet quasi superflua & inutilia, vt se ipse illis expediat, & laborem minuat.

℣.14. CVM OPERARIO, seu mercenario, ANNVALI, id est, ad anni vnius seruitia præstanda B conducto, tracta DE CONSVMMATIONE ANNI an scilicet quid restet hoc anno peragendum. Ipse enim vt citiùs sese opere expediat, persuadere tibi conabitur, nihil restare amplius, se suo muneri abundè satisfeciisse, onus anni iam exspirasse, &c. His talibus nunquam ATTENDAS IN VLLO CONSILIO: sed

℣.17. COR BONI CONSILII STATVE TECVM] Id est, consilium cordis boni, seu cordati & prudentis amici, assume tibi, & securus illi innitere.

℣.20. VERBVM VERAX, id est, consilium rectum, prudens, fidum, PRÆCEDAT TE, & OMNIA OPERA TVA.

℣.21. VERBVM NEQVAM, id est, consilium praC uum, IMMVTABIT COR à bono in malum, ducet quò non oportet. Ex QVO corde ORIVNTVR seu procedunt, QVATVOR PARTES, id est, quatuor res valdè diuersæ. Quæ illæ? BONVM ET MALVM, id est, virtutes & vitia. Item VITA ET MORS, nempe præmia virtutum & vitiorum. ET DOMINATRIX ILLORVM omnium EST ASSIDVA LINGVA] nempe consultoris, id est, è consultoris lingua ferè pendent hæc omnia. Vnde cauendum ne consultores praui adhibeantur.

℣.23. QVI SOPHISTICE, id est, captiosè, LOQVITVR, vt alium decipiat; ODIBILIS EST; IN OMNI RE DEFRAVDABITVR] id est, successibus carebit. D

℣.25. ANIMÆ SVÆ, id est, sibi vni, SAPIENS, LAVDABILIS est. Sed SAPIENS, etiam alijs & PLEBEM SVAM, seu proximum, ERVDIENS, longè pluris faciendus, quia FRVCTVS SENSVS, seu consilij & monitorum, ILLIVS FIDELES SVNT, id est, solidi, stabiles proficui.

℣.28. VITA VIRI cuiusque consistit IN certo NVMERO DIERVM paruo & breui: DIES AVTEM ISRAEL, id est, totius populi Israelitici, SVNT INNVMERABILES] q.d. Non ergo perit fructus consilij prudentis, cum morte consulentis: nam licèt ipse moriatur, manet tamen perpetuò fama & fructus sani consilij dati reipublicæ, per quæ reddetur E ipse immortalis, sicut respublica est immortalis.

℣.30. TENTA, id est, explora, ANIMAM, seu indolem, TVAM, id est, fac noris teipsum: SI FVERIT NEQVAM, seu praua indoles, NON DES ILLI POTESTATEM] ne laxes illi habenas, ne obsequaris cupiditatibus eius, sed contine, refræna, coërce.

℣.31. NON OMNI ANIMÆ seu indoli, PLACET, id est, placere debet, OMNE GENVS rerum. q.d. Varia sunt ingenia, variæ indoles, varij affectus & cupiditates: nec mos gerendus nisi probis & sanis. Sicut à cibis noxijs abstinendum infirmo.

CAPVT XXXVIII.

Commendantur medici & medicina: iustus moderatus in funere amicorum: vsus artis fabrilis, figulinæ, &c.

℣.1. HONORA MEDICVM non solâ reuerentiâ ei exhibitâ, sed & iusta mercede præstita, quia ope illius indiges. ET ALTISSIMVS ILLVM CREAVIT, donum & artem medendi concedens illi, in salutem tuam & aliorum. Et verò singulare Dei donum est, in vsu & praxi medicinæ felices habere successus, quibus sæpè etiam doctissimi carent.

℣.2. A DEO EST OMNIS MEDELA] Non solo à B medico pendet curetur vt æger.

℣.5. NONNE A LIGNO INDVLCATA, seu dulcis reddita, EST AQVA AMARA] de quo Exodi 15. v. 25. vbi etiam dixi, ligno isti naturalem fuisse vim hanc dulcorandi. Ex huius porrò ligni exemplo probari vult, quantas vires herbis aliquibus & plantis indiderit Deus: à quo creata & indita est herbis

℣.6. VIRTVS ILLORVM medicamentorum AD AGNITIONEM HOMINVM, id est, vt eam homines cognoscerent, & in vsus suos conuerterent. HONORARI, id est, vt ab ijs Deus *honoretur* & laudetur IN MIRABILIBVS operibus & donis SVIS.

℣.7. IN HIS, id est, per hæc medicamenta, CVC RANS medicus & chirurgus plagas, vulnera, morbos, MITIGABIT DOLOREM: ET NON CONSVMMABVNTVR OPERA EIVS] scilicet chirurgi, pharmacopœi, medici. q.d. Non est finis mixtionum, compositionum, distillationum medicarum: nam indies, vt nouæ herbarum vires innotescunt, ita & nouæ compositiones prodeunt, magno Dei dono.

℣.8. PAX ENIM DEI SVPER FACIEM TERRÆ] Id est, sanitas, prosperitas totius mundi Deo est cordi & curæ.

℣.11. DA SVAVITATEM, id est, offer suauem fusitum thuris & thymiamatis Deo, ET MEMORIAM SIMILAGINIS, id est, offer quoque Deo similam, D seu florem farinæ, in memoriale gratitudinis pro donis ab eo acceptis: denique IMPINGVA OBLATIONEM. id est, pingues adde hostias, seu victimas pacificas, quibus sanitatem à Deo deposcas. Atque his officijs erga Deum perfunctus, DA LOCVM MEDICO] & spera felices successus: nam placatus muneribus Deus diriget opera medici ne in ijs aberretur.

℣.14. IPSI quoque medici DOMINVM DEPRECABVNTVR (cùm probè sciant artis suæ successum, omnemque ægrorum valetudinem pendere ab illo) VT DIRIGAT REQVIEM EORVM, id est, quietâ sanitatem reddat ægris, PROPTER CONVERSATIONEM ILLORVM] id est, vt possint iterum cum E valentibus, vt antè, conuersari. ita Franciscus Valesius & Iansenius, contra Liranum, qui per hos *deprecatores* vult intelligi *sacerdotes*: sed horum nulla mentio hîc præcessit. *Vales. Sac. Philos. c. 78.*

℣.17. PROPTER DELATVRAM. id est, detractionem. vt explicat v. seq. q.d. Ne deferaris aut calumniam patiaris quasi defunctum oderis, vel morte illius gaudeas, PER LVCTVM, sed VNO DIE, id est, modicè, *non vt mentes, quæ spem non habent.* ET mox CONSOLARE teipsum, PROPTER TRISTITIAM, id est, ne tristitia te obruat, & tibi quoque valetudinem aut vitam adimat. *1. Thessal. 4. v. 12.*

℣.20. TRISTITIA PERMANET, fouetur & crescit IN

cit IN ABDVCTIONE, seu diuulsione à cogitatione. Iæta à iucundo consortio, ab vsu rerum commodarum. Inedia enim, solitudo & silentium pariunt excessum melancholiæ, & morbos inde enascentes.

ET SVBSTANTIA, id est, subsistentia, INOPIS, seu miseri hominis; Græcè, *vitæ afflicti*, est SECVNDVM COR EIVS] id est, pendet ex constitutione cordis illius. Nempe misera est vita & breuis, si cor nimium tristetur: longa verò & felix, si lætetur & gaudeat.

¥.21. MEMENTO NOVISSIMORVM, id est, mortis & sepulchri, ex nimia tristitia tibi, ni prospexeris, imminentium: & NOLI OBLIVISCI illorum, sed prospice tempori, nec plusculum indulge dolori. Nam cui id bono? NEQVE ENIM EST defuncto CONVERSIO, seu reditus ad vitam per lacrymas & dolores tuos. Ergo HVIC NIHIL PRODERIS, & interea PESSIMABIS, id est, pessimè lædes, TEIPSVM.

¥.24. IN REQVIE MORTVI, id est, cum quiescente mortuo, REQVIESCERE FAC, & depone MEMORIAM EIVS, quæ te plus æquo cruciat. ET CONSOLARE ILLVM, & beatum prædica; Græcè, *consolare super illo*, IN EXITV SPIRITVS SVI, id est, quòd felici fine clauserit hanc miseram vitam, & ex ea in aliam felicissimam demigrarit.

1. Esdræ 7. v. 6. ¥.25. SAPIENTIA SCRIBÆ, id est, doctori, quærenda & speranda non in polypragmosyna, sed IN TEMPORE VACVITATIS, seu otij litterarij, quo ab alijs curis, totum se litteris impendit. ET QVI MINORATVR ACTV, id est, qui minimum habet quod in exterioribus agat, SAPIENTIAM PERCIPIET.

¥.26. QVA SAPIENTIA REPLEBITVR, Græcè, *in quo erit sapiens*, seu quomodo acquiret sapientiam, qui à manè ad vesperam ruri occupatur agricola, QVI GLORIATVR IN IACVLO, id est, non oblectatur nisi fuste, in cuius cuspide est STIMVLVS quo BOVES AGITAT?

¥.28. OMNIS FABER ET ARCHITECTVS, ideis & delineationibus suis COR SVVM & phantasiam replet IN SIMILITVDINEM PICTVRÆ] quâ animum totis subinde noctibus vigilans aut somnians depingit.

¥.31. ET VIGILIA SVA, seu de die, ORNABIT & perficiet omnia IN PERFECTIONEM] seu ad opus, quod animo designarat, perficiendum. q.d. Omnes isti tam occupati non habent tempus quod studio sapientiæ possint impendere. Simili modo figulus

¥.33. ANTE PEDES SVOS, vbi lutum iacet, CVRVABIT VIRTVTEM SVAM] id est, potentiam & vires suas. q. d. Totis viribus incuruat se ad opus suum. Græci legunt, *virtutem eius*, nempe *luti*. Porrò hi omnes iam dicti

¥.37. NON INHABITABVNT in domo sapientiæ, ET IN ECCLESIAM, id est, congregationem sapientum, NON TRANSILIENT illis artibus.

¥.38. TESTAMENTVM IVDICII, id est, ritus, conditiones & decreta iudicialia, NON INTELLIGENT.

¥.39. Sed CREATVRAM ÆVI CONFIRMABVNT, id est, res necessarias ad vitam in hoc sæculo foue-dam subministrabunt suo opificio & arte manuali. ET DEPRECATIO ILLORVM, id est, oratio ad Deum, votum & desiderium omne eorum, IN OPERATIONE ARTIS suæ versatur, nempe vt feliciter succedat, & fructum optatum proferat. Ita tamen

A vacare debent suo opificio, vt simul sint ACCOMMODANTES ANIMAM SVAM, id est, seipsos, LEGI Dei cognoscendæ, saltem quatenus illos concernit, & eidem pro viribus sua complendæ.

CAPVT XXXIX.

Studiosi & sapientis viri officium describit: deinde & Deum in omnibus tum beneficentiæ, tum vindictæ operibus, perpetuò laudandum ac benedicendum.

¥. 2. NARRATIONEM, seu enarrationem, id est, explicationem difficilium quæstionum, per VIROS NOMINATOS, qui celebri sunt fama doctrinæ, CONSERVABIT, id est, attentè exB cipiet, hauriet, obseruabit sapientiæ studiosus: ET IN VERSVTIAS, id est, argutias & obscuritates PARABOLARVM, id est, sententiarum grauium & reconditarum, INTROIBIT, seu penetrare conabitur.

¥.4. IN MEDIO MAGNATORVM, in familijs principum vel magistratuum, MINISTRABIT, officio aliquo ibidem fungens, vt vsum & praxim acquirat rerum publicarum meliùs administrandarum. In quem eumdem finem subinde IN CONSPECTV PRÆSIDIS APPAREBIT, & publicis consilijs ac iudicijs intererit. Item variorum morum & consuetudinum addiscendarum causâ

¥.5. IN TERRAM ALIENIGENARVM GENTIVM C PERTRANSIET & peregrinabitur: & BONA ET MALA IN HOMINIBVS TENTABIT, id est, quid conducat, quid obsit, passim inquiret & experimento addiscet.

¥. 10. IPSE Deus DIRIGET CONSILIVM EIVS ET DISCIPLINAM, seu instructionem, quam TAMQVAM IMBRES, id est, copiosè, in alios MITTET: id est, Deus felices successus dabit consilijs & admonitionibus, quæ à tali sapiente promanabunt. ET IN ABSCONDITIS SVIS, id est, in cordis sui penetralibus, CONSILIABITVR] id est, consilium captabit, Græcè, *considerabit*. q.d. Primùm apud se rem diligenter expendet, & consilia sua, an recta & vtilia sint, ponderabit. Quod vbi sic se habere deD prehenderit, tum demum

¥.11. PALAM FACIET DISCIPLINAM DOCTRINÆ SVÆ, id est, in publicum proferet doctam instructionem suam. Nec tamen gloriolam aliquam inde sibi captabit, quasi ex suo sapientiam illam penu hauserit: sed IN LEGE TESTAMENTI DOMINI, è qua omnia hausit, GLORIABITVR.

¥.15. SI PERMANSERIT in vita, id est, si diu vixerit talis sapiens, NOMEN sibi & famam pariet & DERELINQVET, PLVSQVAM MILLE vulgares. Si defunctus & citò è vita subtractus RIQVIEVERIT; hæc ipsa nihilominus tantilli temporis orbi exhibita instructio PRODERIT ILLI, tum ad faE mam, tum ad vitam æternam.

¥.16. ADHVC CONSILIABOR, VT ENARREM] Id est, præter iam dicta, proferam adhuc alia docta consilia & monita, in vsum mortalium.

REPLETVS ENIM SVM conceptibus VT FVRORE] Græcè, *sicut semiplena luna*, id est, sum velut lunaticus, & lunâ, seu lumine sapientiæ, paulatim crescente, plus solito exagitor, vt sim quasi furibundus & arreptitius, nec possum me continere.

¥.17. IN, id est, cum, VOCE alta & intensa DICIT & clamat Sapientia diuina, seu Spiritus diuinus, afflans & occupans me: OBAVDITE ME, id est, auscultate & attendite mihi, ô VOS DIVINI FRVCTVS]

FRVCTVS] id est, filij sancti, germen & proles Sapientiæ diuinæ.

℣.19. FLORETE, id est, producite, FLORES pulchros & amœnos nobilium virtutum: ET FRONDETE IN GRATIAM, id est, frondes gratiosorum verborum, consiliorum & monitorum proferte: ET COLLAVDATE CANTICVM] id est, cantico suaui laudate Deum.

℣.20. SIC DICETIS IN CONFESSIONE] Id est, in hanc sententiam Deum laudabitis:

℣.22. IN VERBO, id est, iussu, EIVS STETIT AQVA in mari rubro & Iordane, SICVT CONGERIES, id est, collecta & elata in cumulum: ET SICVT EXCEPTORIA AQVARVM] Id est, ita retentæ sunt aquæ, ac si in vasis concluſæ hæsissent, cùm tamen nulla adessent vasa præter nudum imperium Dei.

Exod.14. v. 22. Iosue 3. v. 15.

℣.23. IN PRÆCEPTO IPSIVS PLACOR FIT] Græcè, *complacentia*; Rabanus, placatio. q.d. Omnia fiunt prout complacitum fuerit Deo.

ET NON EST MINORATIO IN SALVTE IPSIVS] Id est, nihil deest perfectioni, seu integritati eius rei quam ipse fieri iusserit. Dei enim perfecta sunt opera.

℣.26. NON EST DICERE, id est, nemo rectè quærierit de Dei operibus, QVID, seu quorsum; HOC AVT ISTVD? OMNIA ENIM IN TEMPORE SVO QVÆRENTVR, vtique & reperientur, & dirigentur ad finem suum & vsum, ad quem singula destinata fuerunt à Deo. q.d. Euenient omnia in tempore, prout Deus disposuit ab æterno.

℣.29. CONVERTIT AQVAS maris rubri & Iordanis IN SICCITATEM, Exodi 14. & Iosue 3. ET SICCATA EST TERRA, omittitur in Græco.

ET VIÆ ILLIVS, seu iudicia Dei, VIIS ILLORVM, id est, iudicijs sanctorum & filiorum Dei, de quibus v.17. DIRECTÆ SVNT, id est, rectæ apparent & iustæ, quia sciunt & sentiunt se ijs benè dirigi, PECCATORIBVS verò sunt OFFENSIONES, seu offendicula IN IRA EIVS] id est, quando ab illo irato puniuntur.

℣.30. NEQVISSIMIS CREATA SVNT BONA, si benè velint vti creatis, ET MALA, si malint abuti

℣.31. INITIVM NECESSARIÆ REI VITÆ HOMINVM] Id est, præcipuum requisitorum ad vitam humanam sustentandum, vt dixi c.26.28.

AQVA, IGNIS, FERRVM, &c. sæpè A PECCATORIBVS IN MALA CONVERTVNTVR tum culpæ, tum pœnæ: nam & abutuntur ipsis, & ijsdem puniuntur.

℣.33. SVNT SPIRITVS, id est, angeli mali, inquit Rabanus & Mariana: sed alij de ventis id exponunt, qui vocantur *spiritus procellarum*, CREATI, seu destinati, AD VINDICTAM impiorum. Vnde ET IN FVRORE SVO, id est, summa vi & impetu, CONFIRMAVERVNT, id est, firmiter ac constanter exequuntur & vibrant TORMENTA SVA, seu flagella in impios. Non quidem semper aut continuò, sed

℣.34. IN TEMPORE CONSVMMATIONIS, id est, consummato tempore quo Deus puniendæ cuique regioni vel culpæ præfixit. Tum enim laxatis habenis EFFVNDVNT VIRTVTEM, id est, potentiam & vires suas. Et sic FVROREM Dei PLACANT per vindictam quam de impijs sumunt

℣.37. IN MANDATIS EIVS exequendis EPVLABVNTVR] Prosopopœia est, q.d. Perinde ac si epulis suauissimis pascerentur, gaudebunt & oblectabuntur in eo, quòd torquendo impios obsecuntur nutui diuino & vindictæ ab ipso decretæ.

℣.38. PROPTEREA AB INITIO iam pridem CONFIRMATVS SVM, id est, firmiter apud me constitui, ET CONSILIATVS SVM, id est, consultò decreui, hæc vobis SCRIPTA DIMITTERE; Græcè, *in scriptura*, id est, in vsum vestrum conscribere, vt palàm toti orbi innotescat æquitas prouidentiæ diuinæ. Quæ etsi lateat subinde ad breue tempus, tamen

℣.40. OMNIA IN TEMPORE SVO, à diuina prouidentia præstituto, COMPROBABVNTVR non esse iniqua, sed æquissima, rectissima, sanctissima.

CAPVT XL.

De miserijs huius vitæ quæ peccatum consecutæ sunt.

℣.1. OCCVPATIO] Id est, molestum exercitium; Græcè, *inquietudo* ærumna, miseriæ, quæ post peccatum originale totam hominis vitam occupant, vt pulchrè describit S. Augustinus & Bernardus. *August. l.5. Hypognosticon c.3. in tomo 7. Bern. serm. feria 4. hebdomadæ 2.*

℣.2. COGITATIONES EORVM plenæ curis & anxietatibus; ADINVENTIO EXPECTATIONIS, id est, excogitatio remedij aduersus imminentia mala quæ obuentura expectantur: ET DIES FINITIONIS id est, obitus. Hæc, inquam, & his similia sunt IVGVM GRAVE] quod omnibus impositum est.

℣.4. FVROR item turbulentorum hominum, ZELVS æmulantium & inuidêtium. FLVCTVATIO & perplexitas animi, IRACVNDIA PERSEVERANS, & odia hostium obstinata, CONTENTIO, lites, bella.

℣.5. IN TEMPORE REFECTIONIS; Græcè *quietis*, IM CVBILI SOMNVS & somnium IMMVTAT, id est, perturbat, SCIENTIAM & imaginationem hominis.

℣.6. MODICVM temporis, & quasi NIHIL, IN REQVIE, seu quiete est: ET AB EO, seu post illud modicum quietis, IN SOMNIS, mox excubare cogitur QVASI IN DIE RESPECTVS, seu aspectus tragœdiæ in theatro: Græcè, *in die specula*, quia instar speculatoris prospicit vndique. & vertit se in omnes partes, vt malis occurrat quæ sibi obuentura vel metuit vel somniat, vel fingit.

℣.8. CVM OMNI CARNE est hoc malum, id est, omni animanti accidunt hæ miseriæ, quas suprà dixi, sed SVPER PECCATORES SEPTVPLVM] id est, multò luculentiùs inundant, maximè sub mortem. Nec quidquam poterit tum ipsis esse subsidio vel solatio: nam &

℣.12. OMNE MVNVS, seu corruptela iudicũ per munera, quibus vnis solebant imminentem sibi & debitam pœnam redimere, tunc DELEBITVR & cessabit per mortem. Sola autem FIDES, id est, veritas & iustitia, IN SÆCVLVM STABIT] id est, æternùm durabit & vigebit.

℣.13. SVBSTANTIÆ, id est, opes, INIVSTORVM, quantumuis copiosæ, SICVT FLVVIVS, seu torrens (cui nõ sunt perennnes fontes) SICCABVNTVR: ET SICVT TONITRVVM MAGNVM IN PLVVIA, PERSONABVNT quidem, & ore multorum valdè celebrabuntur, sed cum ipso sonitu mox euanescent.

℣.14. IN APERIENDO MANVS SVAS LÆTABITVR pluuia, id est, cùm liberaliter se effuderit, & tonitru, quod omnibus horrori erat, discusserit, tum gaudebit ipsa & triumphabit. Sic diuina vindicta, discussis opibus impiorum, gaudebit &,

trium-

triumphabit: impij interim IN CONSVMMATIONE; Græcè, *in consummationem*, id est, vsque ad plenum excidium, TABESCENT.

℣. 15. NEPOTES; Græcè *posteri*, IMPIORVM NON MVLTIPLICABVNT RAMOS, sed erunt sicut RADICES IMMVNDÆ, sordidæ & viles, SVPER CACVMEN PETRÆ, seu in arido saxo fundatæ, quæ SONANT quidem & strepitum edunt dum rami illarum ventis agitantur, sed mox cum ipso sonitu exstirpantur.

℣. 16. SVPER, id est, iuxta, OMNEM AQVAM VIRIDITAS, seu virides herbæ, citò quidem enascuntur, sed etiam citò, ANTE OMNE aliud FOENVM exsiccantur & euelluntur: sic impiorum prosperitas, &c. Simile habes Iob 8. v. 11.

℣. 17. GRATIA, id est, benignitas & beneficentia in egenos, est SICVT PARADISVS IN BENEDICTIONIBVS] *id est, à Deo benedictus & optimis fructibus refertus.*

℣. 22. GRATIAM ET SPECIEM DESIDERABIT OCVLVS TVVS, id est, oblectaris rebus pulchris & concinnè fabricatis: sed SVPER HÆC æstimat vir sapiens VIRIDES SATIONES, seu plantas, quæ tamquam pulcherrimi tapetes ornant agros, & recreant oculos sua venustate, & animos multiplici fructu.

℣. 25. AVRVM ET ARGENTVM, id est, opes, sunt CONSTITVTIO PEDVM, id est, firmāt hominis statum: sed præ illis BENEPLACITVM est, id est, magis placet probatur CONSILIVM prudens & opportunum.

℣. 27. IN TIMORE DOMINI NON EST MINORATIO, id est, defectus, seu inopia præsidij. q. d. Qui timet Deum, nulla re sibi ad malum quoduis diuertendum necessaria indiget, neque opus habet ab alijs ADIVTORIVM, seu opem emendicare.

℣. 28. SVPER OMNEM GLORIAM, seu vestem splendidam, id est, præ omni magnificentia, OPERVERVNT, id est, cōuestierunt & ornarunt, ILLVM] nempe timorem Domini. q. d. Timor Domini rectè comparatur horto tum amœnissimo, tum fertilissimo, qualis fuit ille paradisus primorum parētum nostrorum. Nam Deus timori Domini omnia tum ornamenta, tum præsidia adnexuit, quæ vel necessaria, vel vtilia tibi esse possint.

℣. 29. NE INDIGEAS] Græcè, *ne vivas vitam mendicitatis*, id est, ne otio, inertiâ & desidiâ te in extremam egestatē conijcias, vt cogaris alienam mensam quærere. Neque enim hîc reprehenditur mendicitas Religiosorum, quæ non ex inertia, sed ex humilitate suscipitur. Qui verò assueuit

℣. 30. RESPICERE IN MENSAM ALIENAM, NON EST VITA EIVS IN COGITATIONE VICTVS] Id est, non occupat se cogitatione & cura victus sibi honestè comparandi: sed solùm cogitat quomodo alijs adulando & parasitando victum sibi gratis acquirat. Hæc satis capit vir prudens, vnde &

℣. 31. CVSTODIET SE ab huiusmodi ignaua vita.

℣. 32. IN ORE verò IMPRVDENTIS; Græcè, *impudētis*, CONCVLCABITVR, seu dulcis erit, id est, benè sapiet & placebit tum ignauia, tum INOPIA. Sed successu temporis, IN VENTRE EIVS IGNIS ARDEBIT] nempe fames, melancholia, febris, & aliæ mille pestes. Neque enim semper ad manum erunt qui fucum eiusmodi & ignauum pecus velint gratis sustentare.

CAPVT XLI.

Quibusnam grata vel ingrata accidat mors. Bona fama opibus præferenda. Dona Dei non occultanda, sed scelera cauenda & mali mores.

℣. 1. QVAM AMARA EST vel sola MORTIS MEMORIA HOMINI PACEM HABENTI; Græcè *pacificè viventi*, IN SVBSTANTIIS SVIS, id est, homini diuiti & QVIETO, id est libero à curis, CVIVS VIÆ, seu negotia DIRECTA SVNT, id est, prosperantur: ET ADHVC VALENTI ACCIPERE CIBVM cum voluptate, id est non afflicto morbis, sed valenti & vegeto!

℣. 2. BONVM EST, Ô MORS, IVDICIVM TVVM, id est, sententia moriendi à te prolata, gratissima accidit homini egeno, QVI MINORATVR, seu destituitur, VIRIBVS, DEFECTO ÆTATE, id est, decrepito, CVI DE OMNIBVS CVRA EST, id est, cui omnia ad vitam fouendam necessaria magno labore & anxietate quærenda sunt: ET INCREDIBILI; Græcè, *non credenti*, id est, diffidenti de meliori fortuna, & QVI PERDIT PATIENTIAM] id est, animo succumbit, nec par est malis & aduersis diutiùs ferendis.

℣. 6. ET QVID mali SVPERVENIET TIBI IN acceptando hilariter BENEPLACITO ALTISSIMI de subeunda morte citiùs aut seriùs; Græcè, *quid recusas?* SIVE DECEM, SIVE CENTVM ANNI tibi decernantur.

℣. 7. NON EST ENIM IN INFERNO ACCVSATIO VITÆ] Id est, post mortem nec tu, nec quisquam alius reprehendet te quòd nimiùm vel nimis parum vixeris. Reprehenderis verò gauissimè, si tempore vitæ tuæ non inuigilaris instructioni prolium tuarum.

℣. 8. FILII PECCATORVM id est, impiorum parentum, defectu probæ institutionis, & debitæ correptionis, FIVNT FILII ABOMINATIONVM, id est, extremè abominabiles Deo & hominibus, ET QVI perpetuò CONVERSANTVR SECVS DOMOS IMPIORVM] nempe socij furum & latronum.

℣. 10. FILII ipsi impij DE PATRE IMPIO QVERVNTVR, quòd PROPTER ILLVM, & infames ipsius actus, ipsi quoque SINT IN OPPROBRIO.

℣. 12. SI NATI FVERITIS, & in lucem editi, IN MALEDICTIONE NASCEMINI, id est, maledicta est natiuitas vestra, ob fructus maledictos quos profertis: ET SI MORTVI FVERITIS, IN MALEDICTIONE ERIT PARS VESTRA] id est, pro portione hereditaria possidebitis perpetuam maledictionem. q. d. Siue viuatis, siue mortui sitis, perpetuò maledicti eritis, & odio & execrationi Deo & hominibus.

℣. 14. LVCTVS HOMINVM IN CORPORE IPSORVM, id est, circa corpus, vel propter corporis mortem. Sed magis lugere deberent de nomine bono amisso, seu de fama & honore defuncti, & per consequens etiam suo. Nam NOMEN IMPIORVM, si quod celebre aliquando fuit, prorsus DELEBITVR, & sola probra & infamia persequerabunt.

℣. 19. BONÆ & felicis VITÆ NVMERVS DIERVM exiguus & breuis est. q. d. Etiam iucunda & amœna vita suum habet terminum & finem: BONVM AVTEM NOMEN, seu fama, PERMANEBIT æternùm. Ergo de hoc potiùs satagendum.

℣. 17. DISCIPLINAM, id est, institutionem quam vobis iam trado, CONSERVATE IN PACE] id est, cum animi tranquillitate excipite & custodite.

℣.19. REVEREMINI] Id est, pudorem habete, seu pudeat vos eorum quæ mox dicam.

℣.20. NON EST quidē BONVM, OMNEM REVERENTIAM OBSERVARE; id est, de omni re pudefieri, seu erubescere, quando nempe bona res est & laudabilis in se, saltem iudicio prudentum & proborum, etsi ab alijs improbetur & reprehendatur. Neque enim OMNIA etiam IN FIDE, id est, fideliter & rectè facta, OMNIBVS BENEPLACENT] Ergo de benè factis non vos pudeat.

℣.21. Pudeat A PATRE, id est, coram patre, vel apud (a) patrem DE FORNICATIONE: coram præside, DE MENDACIO, &c.

(a) *Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 12.*

℣.23. De; Græcè, *à* LOCO, id est, apud populum cui cohabitas, pudeat

℣.24. DE VRTO admisso, DE VERITATE DEI, seu Deo debita, nempe in iuramēto, sed per te læsa periurio. Item DE TESTAMENTO, id est, pacto inito, sed rupto tuâ perfidiâ. Pudeat item DE DISCVBITV incomposito & inciuili, v.g. fixione cubiti (vt est in Græco) IN PANIBVS, id est, super cibo. AB OBFVSCATIONE, seu occultatione DATI ET ACCEPTI] id est, à perperam descriptis rationibus & malè subductis calculis, seu acceptorum, seu expensorum.

℣.25. A SALVTANTIBVS, id est, apud te salutantes pudeat te DE SILENTIO] id est, de non reddita salutatione.

A RESPECTV, seu aspectu scorti. AB AVERSIONE VVLTVS COGNATI] Id est, quòd oculos tuos & animum auerteris à tuo consanguineo, cùm ille tuam opem imploraret.

℣.26. AB AVFERENDO PARTEM] Græcè, *ab ablatione partis*, id est, à defraudata hereditate vel dote alteri debita.

CAPVT XLII.

Pudeat reuelare secreta aliena. Non pudeat pietatis, aut iustitiæ, aut reliquarum virtutum. Inuigiletur custodiæ virginum. Caueatur à consortio mulierum. Laudetur omniscientia Dei.

℣.1. SERMONEM AVDITVS, seu quem audiuisti ex eo qui tibi primò reuelauit sermonem absconditum, id est, rem secretam, tu NON DVPLICES] id est, ne rursus iteres vt alteri referas. Ne verò te pudeat, neque confundaris

℣.2. DE LEGE ALTISSIMI, ET TESTAMENTO seu pacto inito, strenuè complendo. DE vitando IVDICIO quo IVSTIFICES IMPIVM.

℣.3. DE VERBO, id est, negotio, SOCIORVM ET VIATORVM] seu extraneorum, rectè administrando cùm tuæ fidei committitur.

DE DATIONE HEREDITATIS] Id est, de diuisione æqualiter facienda. Vel de executione supremæ voluntatis amicorum ex fide & æquitate præstanda.

℣.4. DE ACQVISITIONE MVLTORVM vel PAVCORVM] Id est, de multis vel paucis opibus acquisitis. q.d. Ne pudeat tē pauperem vel diuitem, seu esse, seu haberi.

℣.5. DE CORRVPTIONE EMPTIONIS] seu rei à te emptæ, quam probam putabas, sed fraude vel incuriâ vendentis corruptam deprehendis. Græcè est, *de differente venditione mercatorum.*

ET SERVO PESSIMO LATVS SANGVINARE] id est, flagellis cruentare.

℣.6. SVPER MVLIEREM NEQVAM, seu vxorem perfidam, BONVM EST SIGNVM] Græcè, *sigillum.* A nempe si fera & clausurâ vel coërceatur ipsa, vel thesaurus mariti occludatur. Idem moneo faciendum

℣.7. VBI MANVS MVLTÆ SVNT, seu domesticorum, seu externorum subintrantium; CLAVDE, quæ furto surripi nolis. Rursum ne te pudeat

℣.8. DE SENIORIBVS & honoratis personis iuuandis tutandisque, dum IVDICANTVR, id est, vexantur & obloquia patiuntur, AB ADOLESCENTIBVS. Hæc si feceris, nec prævano pudore neglexeris, ERIS ERVDITVS, id est, sapiens habeberis, ET PROBABILIS, id est, probatus ac commendatus ab OMNIBVS.

℣.9. FILIA necdum elocata, PATRIS ABSCONDITA EST VIGILIA, id est, causa & occasio est patri occultæ vt plurimùm vigiliæ & curæ. q.d. Semper oportet patrem clàm inuigilare moribus & studijs filiæ: NE FORTE IN ADOLESCENTIA SVA ADVLTA EFFICIATVR, id est, ne diutiùs innupta manens consenescat, vel ne prava educatione & maligna domesticorum tractatione, aut nouercæ vexatione contabescat, atque ita quasi ætate iam esset adulta, pereat ei iuuenilis decor, vigor, fœcunditas. ET ODIBILIS ideo FIAT VIRO, à quo vel ad nuptias expetitur, vel expetita iam COMMORATVR cum illo.

℣.11 NE FACIAT TE IN OPPROBRIVM VENIRE A DETRACTIONE, id est, ob detractionem quam publicè ideircò incurres IN CIVITATE tua: & propter OBIECTIONEM PLEBIS] quæ tibi tam incuriam plenis buccis exprobrabit.

℣.12. OMNI HOMINI NOLI INTENDERE IN SPECIE] Id est, ne curiosè oculos conijcias in formam externam, seu pulchritudinem alicuius.

℣.14. MELIOR EST INIQVITAS VIRI, id est, magis proderit tibi, minùs nocebit, iniusta vexatio per virum illata, QVAM blanditiæ MVLIERIS tibi BENEFACIENTIS. Vir enim vexando te, tuam exercebit patientiam, & multarum virtutum materiam obijciet, sed periculo castitatis amittendæ, vel famæ lædendæ non te exponet. Mulier verò munusculis suis & osculis tibi blandiendo, venenum libidinis & ignem concupiscentiæ in te succendet, atque ita CONFVNDET IN OPPROBRIVM] id est, præcipitabit in pudendam infamiam fornicationis vel adulterij, *Mulier* enim (vt est in prouerbio) *cui benefacit, ei se prostituit.*

℣.15. IN SERMONIBVS, id est, verbo vel iussu, DOMINI, OPERA EIVS omnia facta sunt.

℣.18. IN ASTVTIA hominū EXCOGITAVIT] Id est, astutias eorum omnes perspectas habet.

℣.19. ET INSPEXIT IN SIGNVM ÆVI; Græcè, *in signa sæculi*, seu temporum, id est, prænouit omnia tempora & differentias temporum, quas prænuntiant sidera, quæ Genes. 1. v. 14. fecit *Deus in signa temporum, in dies & annos.* REVELANS VESTIGIA OCCVLTORVM] id est, tradēs nobis signa, per quæ possint inuestigari & prænosci ventura alioquin occulta.

℣.21. MAGNALIA SAPIENTIÆ SVÆ; Græcè, *per sapientiam suam opera sua magnifica*, sic DECORAVIT & ornauit Deus; vt nihil eis ADIECTVM oporteat, nihil detractum.

℣.23. QVAM DESIDERABILIA, id est, amabilia, iucunda, nobilia, sunt OMNIA! ET TAMQVAM SCINTILLA diuinæ potentiæ, sapientiæ & bonitatis sunt omnia creata: QVÆ sanè operæpretium EST CONSIDERARE, & attentè contemplari.

℣.25. OMNIA DVPLICIA, id est, omnia gemina sunt:

sunt: VNVM CONTRA VNVM, id est, vnum contrarium alteri, vel saltem oppositum & condistinctum. v.g. in animalibus est mas & femina, in mixtis opposita elementa, in corporibus materia & forma, in omnibus creatis actus & potentia. ET NON FECIT QVIDQVAM DEESSE cuipiam. Dei enim perfecta sunt opera.

CAPVT XLIII.

Laudat diuinam magnificentiam ex ornatu calorum, solis, lunæ, stellarum, iridis, &c. ex nimbis, grandine, nubibus, fulgure, tonitru, ventis, pruina, glacie, mari, insulis, belluis marinis, &c.

℣. 1. ALTITVDINIS FIRMAMENTVM, id est, altissimum firmamẽtum, EST PVLCHRITVDO EIVS, id est, pulcherrimum opus est Dei, in quo *pulchritudo artificis*, nempe potentia & sapientia, mirificè elucet. *Et* SPECIES, seu forma, CÆLI est IN VISIONE GLORIÆ] id est, id in quo videre licet gloriam & magnificentiam Dei.

℣. 2. SOL IN ASPECTV, id est, cùm primùm aspicitur, in ortu & IN EXITV suo, ANNVNTIANS, imò causans, nobis diem, est VAS illud, seu instrumentum, ADMIRABILE, OPVS manuum Excelsi.

℣. 3. IN MERIDIANO; Græcè, *in meridie*, consistens, EXVRIT TERRAM suo calore. Et sicut est aurifaber suam FORNACEM CVSTODIENS, seu succendens, IN OPERIBVS ARDORIS, seu ad vasa igne conflanda: sic terram suis radijs succendit sol. Imò

℣. 4. TRIPLICITER, id est, triplo magis, EXVRIT, seu calefacit, MONTES, gignens in eorum visceribus aurum, argentum, æs, ferrum, plumbum, salem & tot alia mineralia.

℣. 6. LVNA IN OMNIBVS mutationibus, incrementis & decrementis suis EST OSTENSIO TEMPORIS, quia inducit & causat varietatem temporum & tempestatum: & ET est SIGNVM ÆVI] Græcè *sæculi*, vt dixit c. 42. v. 19. Apud Hebræos enim & menses & anni erant lunares, vt patet ex Chronico nostro cap. 4.

℣. 7. A LVNA SIGNVM desumitur DIEI FESTI, nempe Paschæ, Pentecostes, Neomeniarum, &c. & MINVITVR IN CONSVMMATIONE] id est, cùm consummata & perfectè plena fuerit, iterum minuitur paulatim.

℣. 8. MENSIS SECVNDVM NOMEN EIVS EST] Id est, sortitur nomen suum à luna. Nam & in genere nomen Hebræum *iareach* & *lunam* & *mensem* significat: & Græcum *μὴν*, id est, mensis, ἀπὸ τῆς *μήνης*, id est, à luna deriuatur. Et in specie menses omnes Hebræorum, vt iam dixi, à luna durationem omnem & differentiam & nomen sorticbantur.

℣. 9. VAS CASTRORVM] Id est, instrumentum vel apparatus militiæ cælestis, est collectio omnium siderum.

℣. 11. IN VERBIS SANCTI, id est, præcepto Dei, stant, & perpetuò STABVNT AD IVDICIVM, seu imperium Dei exequendum. Metaphoricè enim stellis quasi militibus Dei tribuuntur hîc *vigiliæ* & excubiæ, & pugnæ.

℣. 14. Deus SVO IMPERIO ACCELERAVIT NIVEM, id est, celerrimè concrescere & delabi fecit.

℣. 16. IN MAGNITVDINE, id est, magna potentia, SVA POSVIT in aëre NVBES, & CONFREGIT ex ijs LAPIDES, seu globulos, GRANDINIS] non semper immediatè, vt vult Isidorus; sed mediatè, nempe resoluendo priùs nubem in guttas, quæ mox congelascunt: niuem verò dispergit in terram per floccos.

℣. 19. SICVT AVIS DEPONENS se ad SEDENDVM, id est, sicut solent aues gregatim deuolare & in terram delabi: ET DESCENSVS EIVS SICVT LOCVSTÆ DEMERGENS] id est, sicut agmina locustarum demergentia se in agros.

℣. 20. SVPER IMBREM EIVS, id est, in copioso delapsu niuium, EXPAVESCET COR hominum.

℣. 21. GELV, id est, *pruina*, DVM GELAVERIT, id est, conglaciata fuerit, & tectis vel imbricibus domorum adhæserit, FIT TAMQVAM CACVMINA TRIBVLI] id est, sicut extremitates spinarum, nempe aculeata & aspera.

℣. 22. GELAVIT CRYSTALLVS AB AQVA] id est, glacies, quæ etiam ab Homero, Plutarcho & Plinio crystallus vocatur, vt alibi dixi. *Psal. 147. v. 6.*

℣. 23. EXVRET gelu frigore suo omne VIRIDE, SICVT IGNE] id est, ac si igne herbas afflaret.

℣. 24. MEDICINA, id est, remedium, OMNIVM damnorum & incommodorum quę affert gelu, est IN FESTINATIONE NERVLÆ, id est, vt acceleretur nebula, ET ROS OBVIANS fiat, seu excitetur, AB ARDORE VENIENTI, id est, ab aëre calido & humido superueniente. Hic enim HVMILEM EFFICIET & dissoluet crystallum, seu glaciem.

℣. 25. IN mari PLANTAVIT DOMINVS, non Ἰησοῦς, seu Iesus, vt est in corruptis codicibus, sed νήσους, id est, INSVLAS, quas Deus in mari constituit quasi diuersoria nauigantibus.

℣. 28. PROPTER IPSVM, id est, Deo auctore & adiutore, CONFIRMATVS EST ITINERIS FINIS, id est, Græcè, *prosperè viam conficit nuntius eius*. q.d. Non obstãtibus tot tamq; potentibus belluis marinis, de quibus Iob 40. nauigantes tuti ope diuina cursum suum rectè tenent, & feliciter perficiunt. ET IN SERMONE, id est, iussu, Dei COMPOSITA SVNT OMNIA] id est, placantur omnes tum belluæ, tum fluctus marini.

℣. 29. CONSVMMATIO AVTEM SERMONVM, id est, finis & summa verborum sit, quòd Deus τὸ πᾶν, id est, omnia, sit IN OMNIBVS] & omnia ex ipso, in ipso & per ipsum subsistant.

℣. 34. EXALTANTES EVM REPLEMINI VIRTVTE, id est, ad laudandum & glorificandum Deum, tota potentia, totis viribus contendite. NE LABORETIS, id est, ne solliciti sitis quòd fortè plus in eo præstetis quàm par sit. NON ENIM COMPREHENDETIS] id est, numquam id assequemini, vt laudes eius, quales & quantas oportet, enarrare possitis.

CAPVT XLIV.

In genere laudantur sancti patriarchæ, prophetæ & pij reges, per quos magna & mirabilia gessit Deus. In specie verò commendantur Henoch, Noë, Abraham, Isaac & Iacob.

℣. 1. MVLTAM GLORIAM, seu multa gloriosa, FECIT DOMINVS] in eis, vt additur in Græco, id est, in sanctis, & per sanctos illos.

℣. 3. DOMINANTES IN POTESTATIBVS; Græcè, *in regnis*, SVIS, id est, erant reges & principes. NVNTIANTES IN PROPHETIS; Græcè, *in prophetijs*, DIGNITATEM PROPHETARVM] id est, officio fungebantur Prophetarum.

℣. 4. SANCTISSIMA VERBA] Id est, monita, instructiones, præcepta, supple, prædicarunt vel tradiderunt.

℣. 5. IN PERITIA; Græcè παιδείᾳ. i. doctrina, vel, si ma-

simauis, in pueritia, SVA REQVIRENTES MODOS MVSICOS. Videtur enim Dauid hîc denotari, qui adolescens citharam pulsabat, & psalmos, qui sunt CARMINA SCRIPTVRARVM, componebat.

℣.6. DIVITES IN VIRTVTE; Græcè, *potentia*, id est viri potentes robore & opibus: PVLCHRITVDINIS STVDIVM, id est, decori curam, HABENTES] maximè in cultu diuino.

℣.8. RELIQVERVNT NOMEN NARRANDI LAVDES EORVM] Id est, dederunt posteris occasionem & causam celebrandi nomen & laudes suas, nempe patrando res gloriâ & laude dignissimas.

℣.10. VIRI MISERICORDIÆ, seu beneficentiæ in alios extremè dediti. QVORVM PIETATES NON DEFVERVNT] id est, quorum misericordiæ studium & gloria nunquam obliterabitur. B

℣.12. IN TESTAMENTIS, id est, pactis & fœderibus inter Deum & ipsos initis, STETIT SEMEN EORVM] id est, posteritas. q.d. Seruauit Deus cum posteris quæcumque patribus eorum promiserat.

℣.16. HENOCH TRANSLATVS EST IN PARADISVM, VT DET, id est, prædicet, GENTIBVS omnibus POENITENTIAM] cùm nempe sub finem mundi vnà cum Elia in mundum remigrabit. Vt dixi Genes. 5. v. 24. vbi & de omnibus ad eum spectantibus.

Genes. 6. v. 8. ℣.17. NOE IN TEMPORE IRACVNDIÆ & diluuij FACTVS EST RECONCILIATIO] id est, Deo C est conciliatus, inuenit gratiam coram Deo.

℣.18. DIMISSVM, seu liberum à diluuio conseruatum est, RELIQVVM semen TERRÆ, vel reliquiæ hominum in terra, nempe propter Noë conseruati sunt in arca tres eius filij, qui suis posteris repleuerunt iterum terram.

Genes. 7. v. 13.

Genes. 8. v. 21. ℣.19. TESTAMENTA SÆCVLI POSITA SVNT APVD ILLVM, id est, pacta & fœdera æterna inijt Deus cum Noë, de non mittendo ampliùs diluuio in OMNEM CARNEM, id est, super omnes homines.

℣.20. Etiam ABRAHAM FVIT IN TESTAMENTO, id est, pacto & fœdere CVM Deo, nempe de circumcisione Genes. 17. & nascituro Christo ex D lumbis ipsius.

Genes. 18. v. 18. & c. 21. v. 12. & c. 28. v. 4. ℣.25. BENEDICTIONEM OMNIVM GENTIVM DEDIT Isaaco, id est, concessit vt in semine Isaac, nempe in Messiâ, benedicerentur omnes Gentes.

Genes. 28. v. 14. Idem TESTAMENTVM, seu pactum, CONFIRMAVIT SVPER CAPVT IACOB] id est, transtulit & stabiliuit super Iacobo, relecto fratre eius Esau.

℣.26. AGNOVIT EVM pro legitimo & vero herede BENEDICTIONVM patribus promissarum, ET DIVISIT ILLI PARTEM hereditariam, nempe terram patribus promissam, IN, vel à, TRIBVBVS DVODECIM possidendam.

℣.27. CONSERVAVIT ILLI HOMINES MISERI- E CORDIÆ, id est, misericordes, mites, beneuolos in omnes, omnibus gratos & caros, putà Moysen & Aaron; Græcè, *eduxit ex eo virum misericordiæ*, nempe Moysen.

CAPVT XLV.

Commendantur Moyses, Aaron & Phinees.

℣.2. MAGNIFICAVIT Moysen IN TIMORE INIMICORVM, id est, ita Deus Moysen eucxit, vt etiam inimici eius (Pharao & alij magnates Ægypti) metuere eum necesse haberent. ET IN VERBIS SVIS MONSTRA PLACAVIT] Id est, Deus ad preces Moysis cessare fecit portentosas plagas Ægypti. Simile habes vers. 24.

℣.3. GLORIFICAVIT, id est, glorioſum reddidit, ILLVM IN CONSPECTV REGVM] non modò Ægypti, sed & Amalec, (*a*) & Madian, (*b*) &c. *a Exodi 17.* *b Num. 31.*

ET IVSSIT ILLI, id est, leges & iussa tradidit illi, CORAM POPVLO SVO] tum in monte Sinai, (*c*) tum ad ostium tabernaculi. (*d*) *c Exodi 19. 20. &c.* *d Exodi 33. v. 9.*

℣.7. EXCELSVM quoque FECIT, id est, exaltauit, AARON, ET SIMILEM SIBI] id est, illi, nempe Moysi, vt est in Græco.

℣.9. CORONAVIT, id est, cinxit & ornauit, EVM IN VASIS VIRTVTIS] id est, instrumentis quibus summa ipsius potestas designaretur, putà vestibus pontificalibus, quæ describuntur Exodi 28.

℣.10. CIRCVMPEDES vocabatur vestis pontificia talaris, vt est in Græco, seu tunica hyacinthina strictior, de quâ ibid. Induit eum quoque

℣.12. STOLAM SANCTAM, nempe rationale, quæ erat nobilissima vestis pontificis, IVDICIO ET VERITATE PRÆDITI] id est, ornamento *vrim & tummim* exornati, de quo fusè ibid.

℣.14. CORONA AVREA erat lamina aurea, instar coronæ cingens frontem pontificis: & erat SVPRA MITRAM, seu tiaram, EXPRESSA, seu ornata, SIGNO SANCTITATIS, seu sancto, quia laminæ isti insculptum erat sanctum & glorioſum Dei nomen *Iehoua*. Eratque pontifici GLORIA HO- C NORIS, id est, ornamentum summè honorificum, OPVS VIRTVTIS, id est, eximij artificij, ET DESIDERIA OCVLORVM ORNATA] id est, intuentium oculos mirificè oblectans.

℣.18. COMPLEVIT MOYSES MANVS EIVS] Id est, consecrauit Aaronem sacerdotem & pontificem, implendo manus eius tum oleo sancto, tum muneribus & victimis, quæ ab initiandis offerri debebant Deo, vt dixi Leuitici 8.

℣.19. FACTVM EST ILLI IN TESTAMENTVM ÆTERNVM, id est, pacto æterno concessum est illi & posteris eius, SICVT DIES CÆLI, id est, quamdiu dies cœli illucescent. Primum, vt illi soli fungerentur ordinario sacerdotio. Secundum, HABERE LAVDEM, id est, præessent officio laudandi D Deum, quod obibant etiam vulgares Leuitæ, sed sub imperio summi pontificis. Tertium, GLORIFICARE POPVLVM] id est, publicè benedicerent (*e*) & expiarent populum. *e Num. 6. v. 24.*

℣.21. DEDIT ILLIS IN PRÆCEPTIS SVIS POTESTATEM, id est, auctoritatem docendi & explicandi populo præcepta diuina, IN TESTAMENTIS IVDICIORVM] id est, & pacta conuenta, quibus constabat quid vellet Deus à populo præstari. Æmulis porrò Aaronis

℣.24. FECIT Deus MONSTRA] Id est, monstrosas & portentosas plagas immisit, vt dixi v. 2. & E narrantur Numer. 16.

℣.25. ET ADDIDIT AARON GLORIAM, nempe miraculo virgæ florentis, Numer. 17. Et pro HEREDITATE, seu hereditaria portione, DEDIT ILLI PRIMITIAS FRVGVM totius TERRÆ Israeliticæ, Numer. 18. v. 8. & 11. &c.

℣.26. PANEM, id est, victum, seu cibaria, PARAVIT IPSIS, posteris Aaronis, IN SATIETATEM] nempe carnes & alias hostias Deo oblatas, Numer. 18. v. 9. &c.

℣.27. CETERVM GENTES IN TERRA, id est, *Num. 18. v. 20.* partem regionis Chananææ in Palæstina, NON HEREDITABIT] id est, nulla est Aaroni data pars terræ promissionis.

℣.28. PHINEES TERTIVS nempe post Moysen & Aaro-

& Aaronem, IMITANDO EVM] auum suum, & propatruum; Græcè, *zelari* pro zelatus fuit.

℣.29. STARE, id est, constans mansit & fidelis Deo, IN REVERENTIA, id est, in pudore & ignominia, GENTIS Israeliticæ, dum fornicaretur cum Madianitis, Num. 25. Tunc enim Phinees IN BONITATE, id est, propter innocentiam, ET ALACRITATEM ANIMÆ SVÆ, id est, promptum & generosum zelum suum, PLACVIT DEO PRO ISRAEL conseruando, id est, vt intuitu eius toti Israeli parceret Deus. Ipsi verò Phinees

℣.30. STATVIT TESTAMENTVM, seu fœdus, PACIS, id est, de prosperitate continua, nempe VT PRINCEPS esset SANCTORVM] tum sacerdotum, tum sanctuarij: id est, vt summus pontifex esset, tum ipse, tum posteri eius, in omnibus rebus spiritualibus. Sicut in politicis statuit postea

Num. 25. v. 13.

℣.31. TESTAMENTVM, id est, pactum simile *pacis*, DAVID REGI: VT sicuberiùs DARET perfectã

1. Reg. 7. v. 11.

SAPIENTIAM populo suo, spiritualem per pontificem, politicam per regem: & IN IVSTITIA *iudicarentur*, id est, non solùm iustè regerentur Israelitæ, sed etiam spiritualibus bonis affluerẽt, neque illa ABOLERENTVR aut perderentur paulatim. Sacris enim omnibus inuigilare debebat pontifex, sicut rex politicis negotijs.

CAPVT XLVI

Laudatur Iosue, Caleb, & pij iudices, vsque ad Samuelem Prophetam.

℣.1. IESVS; Græcè, Ιησοῦς, seu Iosue SVCCESSOR MOYSI IN PROPHETIS; Græcè, *in prophetijs*, nempe successit Moysi non in solo principatu politico, sed etiam in munere prophetico, quo populum regebat non tam humanâ prudentiâ, quàm diuinâ, sequens in omnibus reuelationem & ductum Dei. MAGNVS SECVNDVM NOMEN SVVM] quod significat *saluatorem*.

℣.3. IN TOLLENDO; Græcè, *extollendo*, MANVS SVAS ad Deum, pro ope cælesti, & *clypeum suum* aduersus hostes, vt narratur Iosue 8. v. 18.

℣.4. HOSTES IPSE DOMINVS PERDVXIT] sup- D plè, in manum Iosue, & ad internecionem, vt ibid. refertur & seqq. capitibus.

℣.5. IN IRACVNDIA EIVS contra hostes; Græcè, *in manu eius*, IMPEDITVS EST SOL] ne progrederetur & occumberet. Vide Iosue 10. vers. 12. Idem

℣.7. IN DESCENSV Beth-horon PERDIDIT CONTRARIOS] id est, hostes suos, Iosue 10. v. 11.

℣.8. ET SECVTVS EST A TERGO POTENTIS] Id est, secutus est Iosue Dominum, tergo illius inhærens, illique in omnibus obediens, non tunc solùm, sed iam inde

℣.9. A DIEBVS MOYSI, dum vnà cum Caleb, E Numer. 14. MISERICORDIAM FECIT, id est, beneficium illud ingens præstitit in populo Israelitico iam Moysi & Deo rebelli. Nempe ex omnibus exploratoribus hi duo soli STABANT à partibus Dei & Moysis CONTRA HOSTEM, pollicentes victoriã, ET PROHIBENTES GENTEM Israeliticam *ab* vlterioribus PECCATIS] vt ibid. narratur. Vnde &

℣.10. IPSI DVO CONSTITVTI; Græcè, *existentes*, id est, cùm isti duo soli essent qui à partibus Dei & Moysis constantes starent; soli etiam LIBERATI & exempti SVNT A PERICVLO & sententia mortis, quâ inuoluti sunt & perierunt reliqui. & INDVCTI sunt hi soli duo IN HEREDITATEM, A seu hereditariam possessionem populi Dei, id est, in Chanaanitidem.

℣.13. ET IVDICES SINGVLI, qui Iosue secuti sunt in regimine populi, qui in libro Iudicum SVO NOMINE recensentur.

℣.14. OSSA EORVM PVLLVLENT DE LOCO SVO] seu sepulchri sui, id est, semper vireat, floreat, vigeat memoria, nomen, fama illorum. q.d. Heroum istorum gloria perpetuò conseruetur & celebretur.

℣.16. SAMVEL RENOVAVIT IMPERIVM, id est, nouam imperij ac regiminis formam, nempe regiam, induxit in rempublicã Hebræorum, *vngens* Saulẽ & Dauidem IN PRINCIPES ac reges populi B totius Israelitici. Alioquin ipse ad id vsque tempus

℣.17. CONGREGATIONEM totius Israelis IVDICAVIT, id est, tamquam iudex & princeps rexit, non pro suo arbitratu, vt solent reges, sed IN LEGE, id est, ex præscripto legis & mandato DOMINI. Et quidem probante ac fauente Deo: nam toto tempore regiminis ipsius VIDIT DEVS IACOB, seu Israelem, nempe oculo propitio & fauente: Græcè, *visitauit*, liberans Israelitas à seruitute Philisthæorum, vt narratur 1. Reg. 7.

℣.18. VIDIT DEVM LVCIS, putà angelum vicarium Dei, splendidè fulgentem, vt indicatur 1. Reg. 3. v. vlt. & per eum donatus est à Deo luce diuina & prophetica, quâ instar aliorum Prophe- C tarum *videbat*, id est, sentiebat & intellectu percipiebat præsentem sibi Deum & mysteria reuelantem. Vnde Prophetæ omnes vocabantur *videntes*.

℣.19. OPPVGNANDO HOSTES, IN OBLATIONE AGNI INVIOLATI] id est, mundi, sine macula, & vitio. Historiam habes 1. Reg. 7. vers. 6. & seqq.

℣.22. ANTE TEMPVS SÆCVLI sui, id est, ætatis suæ, TESTIMONIVM innocentis & rectæ administrationis, seu regiminis sui, publicè PRÆBVIT IN CONSPECTV DOMINI ET CHRISTI] nempe Saulis in regem iam vncti, vt habes 1. Regum 12.

℣.23. DORMIVIT, id est, mortuus est, 1. Reg. 25. ET EXALTAVIT VOCEM SVAM DE TERRA IN PROPHETIA, id est, post mortem clara & distincta voce prophetauit Samuel, DELERE IMPIETATEM GENTIS] id est, delendum esse postera die gladio Philisthæo impium populum Israeliticum cum impio suo rege Saule, vt narratur 1. Reg. 28. Vnde patet, non fuisse spectrum fictum, vel dæmonem qui pythonissæ apparuit, sed veram animam Samuelis, vt ibid. dixi v. 13.

CAPVT XLVII.

Laudatur Propheta Nathan, rex Dauid, & prior ætas Salomonis: vituperatur eiusdem senectus, Roboami stultitia, & Ieroboami idololatria.

℣.2. QVASI ADEPS, id est, pars pinguior & nobilior SEPARATA A CARNE sacrificij, sic DAVID fuit à Deo selectus ex FILIIS ISRAEL in regem, tamquam nobilissimum membrum totius reipublicæ Israeliticæ.

℣.6. EXALTARE CORNV, id est, vt exaltaret potentiam, robur & gloriam, GENTIS SVÆ.

℣.7. SIC IN DECEM MILLIBVS GLORIFICAVIT EVM per psaltrias Hebræas, quæ 1. Reg. 18. illi occinebant, *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia*. Atque ita per easdem LAVDAVIT EVM IN BENEDICTIONIBVS DOMINI, id est, suis diuinis, id est, maximis, beneficijs eum decorauit, OFFERENDO ILLI sceptrum & CORONAM GLORIÆ] id est,

glorioſum diadema regni Iſraelitici,2.Reg.2.v.5. A Ipſe gratus in benefactorem ſuum,

℣.9. IN OMNI OPERE & victoria ſua DEDIT CONFESSIONEM SANCTO,id eſt,Deo laudem omnem tranſcripſit,IN VERBO GLORIÆ] id eſt, glorioſis canticis glorificans Deum. Nec contentus priuata laude, etiam publicam inſtituit:nam

1.Paral.23. & ſeq. ℣.11.STARE FECIT CANTORES in tabernaculo CONTRA ALTARE,id eſt,ex oppoſito,vel ante,vel iuxta altare:ET IN SONO EORVM DVLCES FECIT MODOS] id eſt, pſalmos compoſuit ſuauiſſimos, quos ipſi perpetuò decantarent in templo Domini.Atque ita

℣.12. DEDIT IN CELEBRATIONIBVS DECVS] Id eſt,effecit vt quàm decentiſſimè celebrarentur B feſtiuitates per annum recurrentes.

1.Paral.28. v.6. ℣.14.SENSATVS] Id eſt,ſapiens Salomon.

℣.15.VT PARARET SANCTITATEM] Id eſt, vt exſtrueret ſanctuarium,ſeu templum Deo.

3.Reg.4.v. 29. ℣.16.TERRAM RETEXIT ANIMA TVA] Id eſt, tu texiſti, operuiſti, repleuiſti ſapientia tua terram vniuerſam.

3.Reg.4.v. 32. ℣. 17. REPLESTI ÆNIGMATA IN COMPARATIONIBVS] Id eſt,obſcurè dicta explicaſti,& ornaſti pulcherrimis ſimilitudinibus.Idque

℣.19.IN NOMINE DOMINI] Id eſt,virtute,ope, & gratia diuina.

3.Reg.11. v.4. ℣.21.POTESTATEM;Græcè,*ἐξουσίαν*,id eſt,libertatem, licentiam HABVISTI IN CORPORE TVO] C q.d. Cùm debuiſſes refrænare concupiſcentias tuas, licentiam & poteſtatem ijs obſecundandi & indulgendi habere maluiſti. Vnde Græca verti poſſent,,*in poteſtatem redactus es à corpore tuo.*

3.Reg.11. v.11. ℣.22.PROFANASTI SEMEN TVVM, id eſt, dedecore contaminaſti liberos tuos INDVCERE,id eſt, ita vt induceres,IRACVNDIAM Dei,& punitionē acerbiſſimam in filios tuos,priuando illos maiore parte auiti regni.

ET INCITARI, ideſt, vſqueeò vt incitaretur STVLTITIA TVA] nempe ad idola fœdiſſima publicè colenda. An in ea idololatria ad mortem vſque perſtiterit Salomon,dixi 3.Reg.11.v.5.Idcirco tamen

3.Reg.11. v.13. ℣.24.NON CORRVMPET,id eſt, non deſtruet, DEVS OPERA SVA,nempe familiam Dauidis,quam regiam fecit.NEQVE PERDET A STIRPE, ſeu ſtirpitùs,NEPOTES ELECTI SVI Dauidis. Nam cùm dediſſet decem tribus Ieroboamo EX EPHRAIM oriundo,

℣.25.RELIQVVM gentis Iſraliticæ, nempe tribum Iuda & Beniamin cum maiore parte tribus Leui,DEDIT IACOB;id eſt,nobiliſſimæ parti Iacob, putà familiæ DAVID, DE IPSA STIRPE] Id eſt, eadem tribu Iuda.

℣.17.GENTIS STVLTITIA Roboam:

℣.28.IMMINVTVS,id eſt,deſtitutus, PRVDENTIA,vt patet ex ſtultè actis ipſius 3.Reg.12.

4.Reg.15.v. 19.& c.17. v.6. ℣.30. VALDE AVERTERVNT ILLOS A TERRA SVA] Id eſt,peccata expulerunt Iſraelitas è terra ſua in Aſſyriam,Chaldæam,Mediam,&c.

℣.31.ET QVÆSIVIT, id eſt,excogitauit, populus Iſraliticus à Ieroboamo ſeductus,OMNES NEQVITIAS idololatricas inuenibiles: VSQVE DVM PERVENIRET AD ILLOS DEFENSIO;Græcè,*ira* & vindicta,ſeu vltio,quâ Deus ſuum honorem defendit:ET LIBERAVIT EOS AB OMNIBVS PECCATIS] nempe delendo & exſtirpando impios reges, & populum in alias regiones expellendo, ne amplius in ſua terra ſancta peccaret.

CAPVT XLVIII.

Laudantur Prophetæ Elias, Eliſeus & Iſaias, & rex Ezechias.

℣.2. IRRITANTES Eliam INVIDIA SVA;Græcè,*zelo ſuo* PAVCI FACTI SVNT] pleriſque de medio ſublatis. Loquitur de Prophetis Baal,3.Reg.18.

℣.3. DEIECIT DE CÆLO IGNEM TER]nempe bis in quinquagenarios,4.Reg.1.& tertiò in ſacrificulos Baal, 3.Reg.18.

℣.5.SVSTVLISTI MORTVVM AB INFERIS] reſuſcitans filium viduæ Sarephtanæ,3.Reg 17.

℣.6.DEIECISTI REGES IN PERNICIEM, prædicens interituros:Primò, *Achabum*,3.Reg.21.v.19. deinde *Ochoziam*,4.Reg.1.v.16. quem & DE LECTO SVO non ſurrecturum ibid.prædixit.Tertiò, *Ioramum* regem Iſrael, 4.Reg.9. v.25. Denique Quartò,Ioramum regem Iuda,2.Para.21.v.12.per litteras è paradiſo miſſas mortem ei denuncians.

℣.7.QVI AVDIS ex ore Dei IN monte SINA IVDICIVM;Græcè,*correptionem*,quâ & ipſe Elias puſillanimitatis arguebatur, & populus grauiſſimorum ſcelerum arguebatur. ET IN HOREB, (pars erat montis Sinai) IVDICIA DEFENSIONIS] Græcè, *vindicta*,id eſt,ſententiam vltionis, quam in varios tyrannos pronunciat Deus.3.Reg.19.

C ℣.8.VNGIS REGES, Hazael & Iehu, ſeu per te, ſeu per Eliſeum,AD POENITENTIAM,id eſt,punitionem infligendam idololatris;Græcè,*adretributionem*. ET PROPHETAS] putà Eliſeum, & tot alios filios Prophetarum,4.Reg.2.

℣.10.SCRIPTVS ES IN IVDICIIS TEMPORVM, id eſt,de te ſcriptum eſt,nempe Malachiæ 4.v.6. quòd certo atque à Deo definito tempore leniturus ſis IRACVNDIAM DOMINI, & CONCILIATVRVS; Græcè,*conuerſurus*, COR PATRIS AD FILIVM, id eſt, facies Iudæos filios patriarcharum idem circa perſonam Meſſiæ,aliaque fidei myſteria ſentire,quod ſenſerunt ipſi patriarchæ. Et ſic RESTITVES priſtinæ fidei,Eccleſiæ & gratiæ, TRIBVS D omnes IACOB] id eſt,Iudæos ex omni tribu.Quod fiet ſub initium monarchiæ & tyrannidis Antichriſti, vt fusè docent SS.Patres citati à Bellarmino,Leſſio,& alijs. *Bellarm. de Pontifice. Leſſius de Antichriſto.*

℣.11.BEATI SVNT QVI TE VIDERVNT;Græcè, *videntes te*,vel qui te videbunt, fruenturque tuo conſortio,monitis & doctrina.ET AMICITIA TVA decorabuntur,ſeu ornabuntur.

℣.12.NAM NOS VITA VIVIMVS TANTVM,id eſt, noti ſumus & proſumus alijs ſolùm breui hoc tempore quo iam viuimus. POST MORTEM AVTEM NON ERIT TALE NOMEN,aut priuilegium nobis, quale tibi conceſſum: neque enim redibimus in E terram vt mortalibus veram fidem & pietatem inculcemus,ſicut tu rediturus & inculcaturus es vnà cum Henocho, *Geneſ.5.v. 24.*

℣.13. IN ELISEO COMPLETVS EST SPIRITVS Eliæ,id eſt,plenè repleuit Eliſeum,4.Reg.2.

℣.14.MORTVVM CORPVS Eliſei PROPHETAVIT] (a) id eſt,egit perſonam Prophetæ,ſeu viri ſancti & mirabilis:nempe ſuſcitando cadauer,4.Reg.13. v.21.Prophetarum enim erat edere miracula, vt etiam colligitur ex Lucæ 7.v.16. a *In proleg. de Idoloſm. Hebr. n.11.*

℣.15.FECIT MONSTRA] id eſt, prodigioſa miracula.

℣.19. EZECHIAS FODIT FERRO RVPEM] Vide quæ de his dixi 2.Paralip.32.v.4.Porrò Iſraelitas

℣.23. PVRGAVIT Deus à peccatis suis, IN MANV ISAIÆ] id est, interueniente Isaia, & populum ad pœnitentiam exhortante.

℣.27. SPIRITV MAGNO, seu excelso & sublimi, VIDIT Isaias VLTIMA, quæ nempe obuentura essent populo Israelitico, totique orbi vltimis temporibus, per aduentum Messiæ: & PRÆOSTENDIT FVTVRA VSQVE IN SEMPITERNVM] Græcè, *in sæculum*, seu vsque ad finem mundi.

CAPVT XLIX.

Laudatur Iosias, Ieremias, Ezechiel & duodecim Prophetæ (qui vocantur Minores, sub quibus etiam Danielem comprehendit.) Item Zorobabel, Iesus sacerdos, Nehemias: Henoch, Ioseph, Seth, Sem & Adam.

℣.1. MEMORIA Iosiæ optimi & pijssimi regis grata est omnibus pijs, sicut COMPOSITIO VNGVENTI, OPVS PIGMENTARII] id est, sicut odor suauissimus ex mixtione aromatum bene fragrantium, quales mixtiones componere solent periti pharmacopœi.

℣.3. DIRECTVS, id est, missus, DIVINITVS IN POENITENTIAM GENTIS] id est, Græcè, *ad conuersionem populi*, seu vitæ reformationem per pœnitentiam. Vide 4. Reg. 22. & 23.

℣.4. GVBERNAVIT AD DOMINVM COR IPSIVS] Græcè, *direxit cor suum ad Deum.*

℣.5. PRÆTER DAVID, EZECHIAM ET IOSIAM OMNES PECCATVM COMMISERVNT] nempe idololatriæ, vel affine illi, toleratorum excelsorum, vel amicitiæ arctioris cũ idololatris: cuius etiam Iosaphat, alioqui pius rex, insimulatur & reprehenditur 2. Paralip. 18. v. 1. & cap. 19. v. 2. & c. 20. in fine. Vide quæ de hâc re dixi 2. Paralip. 14. v. 2. Reliqui reges, quia impij

℣.7. DEDERVNT, id est, meruerunt vt daretur, REGNVM SVVM ALIIS] cùm ipsi propter scelera sua spoliati suis sceptris abducerentur captiui in Babylonem.

℣.8. IN MANV IEREMIÆ] Id est, prophetante Ieremia, & minitante sic futurum, ni conuerterentur. Cui tamen fidem habere oportebat, vt- D potè

Ierem. 1. v. 5.

℣.9. QVI A VENTRE MATRIS CONSECRATVS & à Deo designatus EST PROPHETA, EVERTERE ET ERVERE, &c.] id est, vt prædiceret euersum & dirutum iri Ierosolymam, &c. Verba enim actiua non rarò per mentalia exponi debent, vt alibi dixi.

In Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 58.

℣.11. EZECHIEL COMMEMORATVS EST INIMICORVM, id est, meminit inter alias prophetias suas minari inimicis Dei, IN IMBRE, id est, vindictam & vltionem diuinam instar imbris seu procellæ irruituram, vt videre est cap. ipsius 13. v. 13. & c. 38. v. 22. Sed vicissim etiam meminit BENEFACERE, E id est, prædicere benefactum iri à Deo, ILLIS QVI OSTENDERVNT pœnitẽtia & factis suis bonis se tenere VIAS RECTAS] Harum benedictionum meminit c. 18. & 33.

℣.12. DVODECIM PROPHETARVM (quos vulgò *minores* vocamus) OSSA PVLLVLENT DE LOCO SVO, id est, memoria perpetuò vigeat & floreat, vt dixi c. 46. v. 14. Hi IN FIDE VIRTVTIS, id est, strenua fidelitate & veracitate in prophetando, REDEMERVNT SE ab omni culpa, pœna & calumnia, quâ ab impijs subinde traducebantur.

℣.13. ZOROBABEL QVASI SIGNVM IN DEXTERA MANV] id est, dilectus fuit Deo, & ab eo A custoditus quasi annulus signatorius. Eâdem comparatione vtitur etiam Aggæus cap. 2. v. 24. in hoc Zorobabele commendando. Cuius gesta, vt & Iesu pontificis, & Nehemiæ descripta habes in libris Esdræ.

℣.16. NEMO NATVS EST IN TERRA QVALIS HENOCH, nempe in vitæ morumque innocentia. Vnde & singulari hoc priuilegio donatus est à Deo, vt viuus RECIPERETVR A TERRA in paradisum, vt dixit etiam suprà c. 44. v. 16.

℣.17. IOSEPH NATVS HOMO vt esset PRINCEPS omnium FRATRVM suorum, & firmaret ac stabiliret populum Israeliticum.

℣.18. OSSA IPSIVS VISITATA SVNT; Græcè, adB ditur *à Domino*, id est, Deus per Moysen habuit singularem curam ossium Ioseph, vt ex Ægypto transferrentur in Chanaanitidem, Exodi 13. v. 19. vt moriẽs ipse petierat Genes. vlt. v. 24. Vnde POST MORTEM PROPHETAVERVNT] id est, veram esse declarauerunt (*a*) prophetiam Ioseph qua dixerat, *Deus visitabit vos: asportate ossa mea vobiscum.* Hæc iam completa esse, testabantur & tacitè clamabant ossa eius cùm per castra deferrentur.

(*a*) *In Prolegom. de Idiotism. Hebr. n. 11.*

℣.19. ADAM SVPER OMNEM ANIMAM, seu hominem, excellit IN ORIGINE] quia origo & principium est omnium hominum. Græcè, *in creatione*, quia creatus immediatè à Deo, & ex terra formatus. Quod nulli alteri hominum contigit. *Genes. 1. v. 26. & seqq.*

CAPVT L.

Commendatur prolixè Simon Onia primi filius summus Iudeorum pontifex. Reprehenduntur Samaritani, Philisthini & Sichimita.

℣.1. SIMON ONIÆ FILIVS, SACERDOS MAGNVS] id est, pontifex. Petes, Quis hic Simon, & cuius Oniæ filius? Nam in serie pontificum, vt dixi in Chronico, plures fuerunt Simones, & plures Oniæ. *Chron. c. 42. classe 2.*

Respondeo, Non potest alius esse quàm *primus Simon primi Onia* filius, Iosepho & Eusebio dictus *Iustus*. ita Iosephus Scaliger, & Cornelius à Lapide. Et patet quia, cùm Siracides iunior huius libri interpres vixerit tempore Ptolemæi Euergetis, vt ipsemet affirmat in Prologo Ecclesiastici; sequitur, auum eius, qui auctor est huius libri, & encomiastes Simonis, si non ante, saltem vixisse sub tempora Ptolemæi Philadelphi prædecessoris Euergetis, & sub tempora Eleazari pontificis, fratris Simonis istius primi, quorum tẽporibus LXX. Interpretes (è quorum numero vnus fuisse putatur noster auctor huius libri, inquit S. Isidorus) Biblia ex Hebræo in Græcum transtulerunt. Ergo ætate nostri auctoris Ecclesiastici nondum pontifex creatus, imò vix natus erat Simon secundus, qui multis annis post Ptolemæum Philadelphum & pontificem Eleazarum pontifex demum creatus fuit. Vide Chronicon.

Ioseph. l. 12. Antiq. c. 2. Euseb. in Chronic. Scalig. l. 5. Emẽd. temp. A Lapide in Zach. 14. v. 8.

Isidor. l. 6. Etymol. c. 2.

Chron. sup. & etiam c. 39.

SVFFVLSIT DOMVM Domini, id est, nouis fulcris templum firmauit.

℣.2. TEMPLI ETIAM ALTITVDO AB IPSO FVNDATA EST, id est, à fundamentis quædam maiore, quàm à Zorobabele constructa fuerant, altitudine extruxit. DVPLEX ÆDIFICATIO &c.] q.d. Secundam contignationem, & superius deambulatorium perfecit.

℣.3. EMANAVERVNT PVTEI AQVARVM] quia fons ruinis antè inutilis factus, ab ipso restauratus est cupreis canalibus vel siphonibus.

℣.8.

℣.8.QVASI ARCVS,id est,iris multicolor,REFVLGENS INTER NEBVLAS GLORIÆ,seu gloriosas id est,fulgore eius splendidas.

℣.11.QVASI OLIVA PVLLVLANS,id est,emittens recentes ramos & flores; talis erat Simon IN ACCIPIENDO IPSVM STOLAM GLORIÆ, id est,tam decorus, tam splendidus apparebat, cùm pontificia veste indueretur: ET VESTIRI EVM IN CONSVMMATIONEM VIRTVTIS] Græcè, *gloriationis*, id est, cùm assumeret reliquum ornatum pontificalem,qui summæ potestatis ipsius & gloriæ argumentum erat, vt dixi Exodi 28.Sed hæc omnia longè meliùs quadrant in noui testamenti pontificem Christum,cuius figura & typus erat hic Simon.

℣.15.ET CONSVMMATIONE FVNGENS IN ARA, id est, ad consummatum & completum sacrificium,& AMPLIFICANDAM, id est,amplè & magnificè perficiendam, OBLATIONEM, PORREXIT, id est, extendit, MANVM SVAM IN LIBATIONE, seu cum libamine,SANGVINE VVÆ, id est,vinum fundens super victimas.

℣.17.IN FVNDAMENTO,id est,ad basin ALTARIS holocaustorum, EFFVDIT illas in ODOREM DIVINVM]Græcè, *odorem suauitatis*,seu suauem & gratum Deo,Numer.28.v.14.

℣.18.IN MEMORIAM CORAM DEO]Id est, vt Deus populi sui clementer meminisse seu recordari & opitulari dignaretur.

℣.21.VSQVE DVM PERFECTVS ESSET,seu cõpleretur,HONOR DOMINI]id est,cultus diuinus, seu sacrificium.

℣.22. TVNC DESCENDENS pontifex ab altari, MANVS SVAS in altum EXTVLIT ad benedicendum populum,Num.6.v.23.& simul ad DANDAM GLORIAM DEO proprijs LABIIS SVIS. Ac denique vt populum quoque excitaret,vt & ipse IN NOMINE Dei GLORIARETVR, id est, gloriam & laudes Dei celebraret. Vnde & ORATIONEM SVAM, quam priùs priuatim & submissiore voce profuderat ad Deum, iam publicè & elata voce ITERAVIT, VOLENS OSTENDERE coram omnibus VIRTVTEM DEI]id est, magnificare & celebrare potentiam & maiestatem diuinam.

Hucusque laudauit Ecclesiasticus viros illustres: iam nationes aliquas Deo & Ecclesiæ Dei inimicas execratur.

℣.27.DVAS GENTES ODIT ANIMA MEA]quia etiam illas odit Deus, & ipsæ oderunt Deum & Ecclesiam Dei.

℣.28.QVI SEDENT IN MONTE SEIR] Id est, Idumæi,posteri Esau:& reliquiæ Philisthijm.

TERTIA AVTEM NON EST GENS]Id est, non est digna nomine gentis.Nempe *Samaritani*,quia plurium & variarum gentium colluuies, vt & religionum. Vide quæ dixi 3.Regum 16.v.24. Saltem digni non erant nomine gentis sanctæ & Israeliticæ,quo nomine passim se iactabãt,vt ibid. dixi, licèt essent prorsus alieni à stirpe Israelis,ac proinde exosi extremè Iudæis. Et accesserat recèns odij auctarium, quod hîc Ecclesiasticus insinuat his verbis:

QVI HABITANT IN SICHIMIS]Id est,pro metropoli habent Sichimam ad radicẽ montis Garizim:(*a*) in monte erat templum Samaritanorum,æmulum templo Ierosolymitano,de quo perpetua deinceps contentio fuit Iudæis cum Samaritanis. Cùm enim Iosepho teste *Manasses* (*b*) patruus Eleazari pontificis, frater Ieddoæ,ob alienigenam *Nicasò* filiam Sanaballat præfecti Samariæ ductam in vxorem, spoliandus esset omni honore sacerdotali, ac proinde de illa repudianda cogitaret;ne id fieret, socer eius Sanaballat pontificatum illi addixit; & nouum illud templum constructit in monte Garizim, quod vsque ad tẽpora Christi perdurauit,& eius meminit Ioannes cap.4.v.20.Finit tandem Ecclesiasticus:

℣.31. Qui HÆC, seu hoc libro comprehensa; FECERIT,AD OMNIA VALEBIT]id est,ad omnia idoneus & expeditus erit in omni statu.

QVIA LVX DEI VESTIGIVM EIVS EST]Id est, talis ambulat & vestigia figit in lege Dei,quæ hoc libro explicatur.Lex verò Dei lux est & facula cælestis,qua mentis nostræ tenebræ pelluntur,& via in cœlum nobis demonstratur.

a *Ioseph.l. 11. Antiq. c.8.*
Ibidem c.7. & 8. & l. 12.c.1.
b *Vide Chronic.c. 42. classe 2. in Manasse, & cap 39. in Philometore.*

CAPVT LI.

Laudat Ecclesiasticus Deum, qui ipsum è multis & magnis periculis eripuit. Commendat omnibus studium cælestis sapientiæ.

℣. 1. IN CONSPECTV ASTANTIVM] supple,accusatorum in iudicio; Græcè, *contra aduersarios meos adiuuisti me.*

℣.5.DE PORTIS TRIBVLATIONVM]Græcè,*ex multis tribulationibus.*

℣.6. A PRESSVRA FLAMMÆ] Id est, à tribulatione, quæ instar flammæ premebat & opprimebat me.

℣.7.DE ALTITVDINE VENTRIS INFERI,id est, de sepulchro profundo & voraci, quod numquam satiatur: A LINGVA COINQVINATA calumnijs & falsis accusationibus: A REGE INIQVO] verisimiliter Ptolemæo Lagi primo post Magnum Alexandrum rege Ægypti, qui plurimos Iudæorum iniquè oppressit, teste Iosepho. Videtur enim mendacibus æmulorum delationibus apud hunc tyrannum traductus alicuius seditionis aut conspirationis, sed singulari Dei ope innocens deprehensus,& periculo mortis ereptus.

℣. 13. EXALTASTI SVPER TERRAM HABITATIONEM MEAM, id est, erexisti domum & familiam meam, quam alij depressum ibant. ET PRO MORTE DEFLVENTE, seu in me delabente, vel in quam ego labebar, DEPRECATVS & exauditus SVM.

℣. 14. INVOCAVI pro ope DOMINVM Deum PATREM DOMINI MEI]id est, Messiæ, filij eius. En clarum distinctionis personarum in diuinis testimonium S.Scripturæ.

℣.19. EFFLORVIT in me sapientia TANQVAM PRÆCOX VVA] Id est, ante tempus maturioris ætatis protulit in me fructus suos.

℣.21. INCLINAVI AVREM MEAM, id est, auscultaui & obediui sapientiæ, morigerum me illi discipulum exhibendo, & quidem MODICE] id est, modico tempore, sed non modico fructu.

℣.24.CONSILIATVS SVM, id est,decreui; Græcè, *cogitaui*, VT FACEREM ILLAM] supple,mihi ducem & magistram, & secundùm eam instituerem vitam meam.

℣.25.COLLVCTATA EST ANIMA MEA, id est, luctatus sum totis viribus, IN ILLA]id est, pro illa, scilicet obtinenda.

℣.26. MANVS MEAS in assidua oratione EXTENDI IN ALTVM ad Deum, ET INSIPIENTIAM EIVS; Græcè, *ignorantiæ eius*,id est,quòd ignora-

rctur

retur à me sapientia, LVXI & dolui. ET IN AGNITIONE INVENI EAM] id est, mox vt agnoui, etiam inueni eam.

a *Genes.4. v.1.*

¥.28. POSSEDI, Hebraismo, pro (*a*) acquisiui, CVM IPSA COR] Id est, per eam adeptus sum generosum animum, & vt essem cordatus.

¥.29. VENTER; Græcè, *cor meum*, CONTVRBATVM EST QVÆRENDO ILLAM, quia maximo inueniendæ illius tenebatur desiderio. Sed operæpretium fuit, quia BONAM POSSEDI, id est, acquisiui, POSSESSIONEM, seu thesaurum opulentissimum.

¥.30. MERCEDEM MEAM, id est, in præmium laboris mei, DEDIT MIHI DOMINVS LINGVAM, scilicet eruditam & disertam, quâ & ipsum laudem, & vos instruam.

¥.36. ASSVMITE DISCIPLINAM, id est, amplectimini institutionem & doctrinam sapientiæ, IN NVLTO NVMERO ARGENTI, id est, velut ingentem pecuniæ thesaurum: nec minoris illam æstimate. ET IN EA, id est, cum ea, vel per eam, POSSIDETE, pro possidebitis, (*b*) COPIOSVM AVRVM] id est, amplas opes. Et verò sapientia sæpè clientibus suis opes ampliss imas submin istrat. Et vt non submin istraret externas opes, ipsa per se est inæstimabilis thesaurus, omni argento, auro & gemmis præstantior. Hunc adepti thesaurum,

b *In Prolegom. de Idiotism. Hebr. n.44.*

¥.37. *Latemini* perpetuò IN MISERICORDIA EIVS] nempe Dei (vt est in Græco) qui dedit vobis sapientiam.

¥.38. OPERAMINI OPVS VESTRVM, id est, diligenter agite quod agitis, & studete comparare vobis sapientiam, ANTE TEMPVS] scilicet mercedi reddendæ destinatum, id est, ante mortem, & in hoc sæculo, quod Hebræi vocant *sæculum operis*, vel *tempus operis*: sicut futurum à morte *sæculum* vocant *mercedis*, vel *tempus præmij*.

ISAIAS

ישועיה. iesoua Is. Eccli. 48. v. 23. 25. 27.

IESVS est, *salus* vel *saluator Domini* (Leo Castrius vertit, *Iesus est Deus*:) ab Ecclesiastico vocatur *Propheta sanctus*, *magnus & fidelis in conspectu Dei*, & *spiritu magno* dicitur *vidisse vltima & vsque in sempiternum futura*, id est, non ea modò quæ paulò pòst suam ætatem, sed etiam quæ vltimis sęculis, & in fine mundi euentura erant, tam clarè ac distinctè prædixisse, ac si singula oculis suis coràm conspexisset, & de re iam præsenti vel peracta narrationem contexeret, aut historiam cõscriberet, inquit S. Hieronymus: nominatim quæ Christi Domini aduentum, prędicationem, mortem & regnum concernunt. Vnde ab eodem Hieronymo & Cyrillo nõ tam Propheta, quàm *Euangelista* & *Apostolus* vocatur. Vir per omnia *magnus*, puta Primò, *splendore generis*, vtpote nepos *Amasiæ* regis Iuda ex fratre, patruelis & socer *Manassis*, vt teste Hieronymo Hebræi tradunt. Secundò, *vitæ sanctitate*: vt patebit ex capite 1. 20. 22. & alijs. Tertiò, *eloquentiá*, quâ vt aulicus & è regia stirpe, & regiè educatus, plurimum valuit. Vnde à Chrysostomo *Propheta vocalissimus* & *magniloquentissimus* vocatur. Quartò, *constantiâ* in aduersis & glorioso martyrio. Nam serrâ ligneâ ab impio rege Manasse dissectum fuisse, quòd regem & principes acriùs increparet, communis est Hebræorum traditio, inquit Tertullianus, Hieronymus, Basilius, Haymo & alij. De magnifica eius sepultura', & egregijs miraculis multa referunt Epiphanius & Dorotheus. De reliquijs Paneadem translatis anno 35. Theodosij iunioris, Cedrenus & alij.

Hieron. in c.20. Isaiæ.

Chrysost. homil.8. in Genes. & homil.40. in 1. ad Cor. Hebræi apud Galatinum l.4 c. 23. Tertull. l.3. carmin. cõt. Marcio. Hieron. l.15. comment. in Isaiam. Epiph. Doroth. in vita Isaiæ.

Quod ad ordinem temporis attinet, etsi primo inter omnes Prophetas loco *Isaias* ponatur, quòd tum in Synagoga Iudaica, tum in Ecclesia Christiana præ ceteris maximi semper habitus sit; non omnes tamen tempore præcessit. Nam, si Eusebio & quibusdam alijs Chronologis credimus, & patet ex initijs prophetiæ singulorum; Prophetarum omnium primus fuit *Osee*: secundus *Ioël*: tertius *Ionas*: quartus *Amos*: quintus *Isaias*: qui secundùm quosdam 17. demum anno Oziæ, seu Azariæ regis Iuda; sed verosimiliùs secundùm S. Hieronymum, 25. eiusdem Oziæ prophetare cœpit, cùm Amos 23. anno, alij sub initia eiusdem regis cœpissent. Post hos tempore Ioathan filij Oziæ prophetare cœperunt sextus *Abdias*, & septimus *Michæas*. Hi enim septem synchroni fuerunt, inquit S. Hieronymus. Sub Ezechia floruit octauus *Nahum*, sub Manasse nonus *Sophonias*, sub Iosia decimus *Habacuc*, & vndecimus *Ieremias*: anno 5. transmigrationis Iechoniæ cœpit duodecimus *Ezechiel*: anno 5. ab euersa Ierosolyma, decimustertius *Baruch* prophetiam suam conscripsit, vti paulò

Hieron. in Isaiæ 6. v. 5. & c. 7. v 8. & in epistola 142. Hieron. in Osee 1.

paulò post decimusquartus *Daniel*. Post solutam captiuitatem Babylonicam anno 11. prophetarunt decimusquintus *Aggæus*, decimussextus *Zacharias*: denique *Mala-*
Chron.c.30. *chias* decimusseptimus & vltimus, vt dixi in Chronico, vbi annos & gesta singulorum in ordinem digessi.

CAPVT I.

Est breue totius operis & libri compendium, & pia ac perfecta concionis exemplum, concionatoribus meritò imitandum. Primò, vsque ad v.16. reprehendit populi peccata, nempe ignorantiam & neglectum Dei, superbiam, fiduciam suarum virium & operum, contemptum proximi, fraudem in iudicijs, & maximè idolelatriam. ni caueant, iram cælestem & vindictam minatur. Simili modo in ijsdem peccatis reprehendendis, & pœnis denuntiandis, & minis intentandis absumitur ferè prior & maior libri pars, à cap.1. vsque ad 40. Transit deinde ad Iudæorum reiectionem, Gentium vocationem, aliáque noui testamenti mysteria, quæ prosequitur vsque ad finem capitis. Et rursus à cap.40. vsque ad finem libri, multas ingerit consolationes, & consilia & monita & diuina promissa; licèt etiam hæc eadem in priori quoque parte sparsim hinc inde reperiantur.

a *In proleg. de Idiotism. Hebr. n.46.*

VISIO, seu res visa, (*a*) QVAM VIDIT] non oculo corporis, sed mentis & intellectus; Chaldaicè, *prophetia quam prophetauit.* Prophetis enim ita mens illuminabatur à Deo, vt res etiam remotissimas, seu loco, seu tempore, quasi præsentes & coram se positas cernerent. Vnde prophetia illorum vocatur *visio*, & Prophetæ *videntes.* (*b*)

b *1.Reg.9. v.18. Parēs Isaia scribitur* אמוץ non עמום

ISAIÆ FILII AMOS] non illius Prophetæ, qui tertius est inter minores, & prorsus alijs litteris scribitur, sed alterius è regio sanguine, quem Hebræi tradunt fuisse fratrem Amasiæ regis Iuda.

IN DIEBVS OZIÆ] ab anno vt minimum 25. regni ipsius, vsque ad initia regni Manasse, id
Chron.c.30. est,* per integros 90. annos, vt patet ex Chronico.

¥.2. AVDITE CÆLI] id est, angeli incolæ cœli, inquit S.Basilius, Hieronymus, Augustinus. Sed melius Cyrillus & Rupertus propriè id capiunt de cœlis & terra materialibus, vt sit prosopopœia: vt in simili dixi psal.49.v.4.

¥.3. Bos brutum & stolidum animal COGNOVIT, id est, agnoscere solet, dominum POSSESSOREM SVVM] eique se blandum & gratum & obsequentem exhibere, arando, triturando, currum trahendo. Et simili modo

c *In prolegom. sup. num.42.* ASINVS agnoscit PRÆSEPE DOMINI SVI] Hypallage, id est, dominum (*c*) præsepis sui: nempe seruit & paret asinus domino suo ad nutum. Hunc locum litteraliter de omnibus bobus & asinis loquentem, vti docent Basilius, Hieronymus, Cyrillus & Thomas Anglicus; accommodatitio sensu S.Augustinus, Ambrosius, Origenes & alij à Leone Castrio contra Caluinum citati applicant boui & asino qui Christo recèns nato in præsepi Bethlehemitico astiterunt, eumdemque naturali atque ordinariâ obedientiâ, forsan & extraordinariâ, seu miraculosâ aliquâ reuerentia (vt vult S.Bonauentura) agnouerunt & adorarunt. Si enim agnus S.Francisci flexit genua ad S.Eucharistiam, si apes eamdem non semel tutatæ sunt, si aliæ feræ S.Antonium, Paulum, Hilarionem, Kilianum & alios non paucos

Baron. in anno Christi 689.

A coluerunt; quid ni potuerint bos & asinus præsentem dominum suum Christum peculiari aliquo seruitio honorasse?

¥.5. SVPER QVO, supple membro, seu qua parte corporis. ita S.Hieronymus & Nazianzenus. Vel, vt LXX. & Vatablus, *super quo*, id est, ad quid? quorsum? Vel denique, vt Cyrillus & Hieronymus, quâ plagâ, quo flagello PERCVTIAM VOS?] q.d. Afflixi vos fame, peste, bello, seruitute, & mille alijs plagis; sed frustra, cùm nulla afflictione facti sitis meliores. Quid restat, nisi vt vos abijciam. Sic Ezech.16.v.42. *Auferetur Zelus meus à te, nec irascar tibi amplius.* Quæ Dei abiectio est
B plaga omnium grauissima. *Nazianz. orat. de plaga grandinis.*

OMNE, id est, totum, CAPVT LANGVIDVM est, totumq; COR MOERENS. Sub his primarijs membris subintellige cetera omnia membra corporis politici, id est, Synagogæ: de quâ hîc sermo est, non de Christo, licèt huic flagris vndique laniato concionatores id accommodent. Vnde & Chaldæus vertit, *à populo vsque ad principes omnes sunt contumaces & rebelles.* Loquitur enim Isaias de morbis & vulneribus spiritualibus potiùs, quàm corporalibus. Suspicatur Sanchez per *caput languidum* notari Oziam regem arrogantiâ &
C lepra infamem. Sicut per *cor* sacerdotes: per *pedes* populus designatur. Vbique PLAGA TVMENS pure & sanie; Hebraicè, *plaga sanioſa*, purulenta, inquit Pagninus.

¥.7. TERRA VESTRA DESERTA] id est, deseretur, nempe, per desolationem quam inuehent *Chaldæi*, inquit S.Basilius. Item quam *Romani*, vt Cyrillus, Hieronymus, & alij, qui hæc omnia exponunt quasi dicta Iudæis tempore Christi.

¥.8. FILIA SION, id est, Ierusalem, quæ subiecta monti Sion, ex eo quasi filia ex parente descendere & nasci videbatur; DERELINQVETVR, id est, deserta relinquetur VT VMBRACVLVM IN VINEA, id est, sicut perfectâ vindemiâ de-
D seri solet & euerti *vmbraculum*, seu teges, in quo custos vineæ degebat tempore vindemiæ, vt vuas & alios fructus à furibus & bestijs tutaretur. Et succendetur igne Ierosolyma, sicut collectis ex agro fructibus succendi solent *tuguria* custodum IN CVCVMERARIO] id est, in loco vbi crescũt *cucumeres*: sub quibus intellige etiam citrulos, pepones, melones, cucurbitas, & alios refrigerantes fructus, quorum in Palæstina, regione admodum calida, maximi sunt prouentus. Pro *tugurio* LXX. hîc & alibi vertunt ὠπωροφυλάκιον, id est, pomorum custodiam; Tertullianus & Cyprianus,
E *custodiarium.*

¥.9. NISI DOMINVS EXERCITVVM RELIQVISSET NOBIS SEMEN] id est, ex illa vniuersali per Nabuchodonosorem vel Vespasianum hostili vastatione pauculos conseruasset superstites, quasi reliquias & semen gentis Iudaicæ, omnes Iudæi stirpitus excisi fuissent, & funditus deleti, vt Sodoma & Gomorrha: & has gentes vt in culpis secuti eramus, sic & in pœnis secuti fuissemus. Vnde mox vocat Iudæos *populum Gomorrhæ*: & principes Iudæorum.

¥.10.

℣.10. PRINCIPES SODOMORVM] Primò, vt dixi, propter similitudinem scelerum, Ezech.16. v.49. & Isaiæ 2. v.6. & c.3. v.9. Deinde, quia, sicut in Sodomis pauci inuenti sunt iusti, putà Loth cum suis, ita & in Iudæa, tum tempore Isaiæ, tum tempore Christi. Ita Cyrillus. Tertiò, quia *Sedom*, vel *Sodoma* Hebraicè, inquit Basilius, significat *declinationem*; *Gomorrha rebellionem*: quæ in Iudæos optimè quadrabant.

℣.11. QVÒ MIHI, seu quorsum offertis mihi tam crebras victimas? Nam licet in se bonæ sint, & à me institutæ, imò præceptæ, tamen vt à vobis offeruntur, mihi displicent. Primò, quia impuro
a *Prou.15. v. 8.* (*a*) corde illas offertis. Secũdò, quia neglectâ verâ sanctitate internâ, sanctitatẽ omnem in illis exter-
b *Ierem.7. v.4.* nis sacrificiis (*b*) ponitis. Tertiò, hæc legalia sacrificia non nisi vmbra sunt & typi sacrificij veri Eucharistici: vnde & per Christum abolita sunt & mortifera reddita. Ita S. Cyprianus, Cyrillus, Basilius, Procopius, Dionysius & Leo Castrius.

Cyprian l.1. contra Iudæos c.16. PLENVS; Hebraicè, *satur*, SVM talibus victimis: nauseam mihi mouent.

℣.15. MANVS ENIM VESTRÆ SANGVINE, id est, sanguinis effusione, seu homicidiis & iniuriis in proximum, PLENÆ SVNT] Secundò, *sanguine*, id est, sceleribus, quorum symbolum est sanguis, res Iudæis maximè exosa & detestabilis, tum propter legis inhibitionem quâ vetabantur edere sanguinem, Leuit.7.v.27. tum propter fœditatem menstrui sanguinis, quo nihil immundius, Leuit.15. v. 25. Tertullianus, Cyprianus & Leo Castrius hæc opprobrant Iudæis Christum ad mortem deposcentibus & clamantibus, *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.*

℣.18. SI FVERINT PECCATA VESTRA VT COCCINVM] id est, in modum coccini rubra & sanguinea, seu valdè enormia & horrenda. q.d. Si vestris sceleribus primam innocentiæ stolam, quasi rubeis cruoris maculis fœdaueritis; pœnitentiam agite, & mox velut nix & lana candescetis. Ita
Exodi 25. v.4. S. Chrysost. De *cocco* & *vermiculo* alibi dixi. Insignis est hic locus pro stabiliendo aduersus hæreticos libero arbitrio, & necessitate bonorum operum, inquit S. Hieronymus & Basilius.

℣.22. ARGENTVM TVVM VERSVM EST IN SCORIAM] Id est, doctrina Scribarum & sacerdotum tuorum, admixtione prauarum traditionum & sceleratarum legum, & impiarum superstitionum degenerauit in fæces & sordes. Ita S. Basilius, Hieronymus, Cyrillus. Qui tamen per *argentum*, vt & per *vinum*, putant ipsos quoque Scribas & sacerdotes intelligi posse. De quibus

℣.25. EXCOQVAM AD PVRVM SCORIAM VESTRAM] Id est, instar argentarij, impuram hanc argenti massam igne Babylonico & Romano tamdiu liquabo & excoquam, donec purum argentum à *stanno* & *scoria* secernatur. Simile Ierem.6. in fine.

℣.27. SION IN IVDICIO REDIMETVR] Id est, Iudæi post iustam satisfactionem liberabuntur è carcere Babylonico per Cyrum. nempe post expletos 70. annos seruitutis, captiuitatis & miseriarum, quæ iustâ Dei sententiâ ipsis decretæ fuerunt in pœnam. Allegoricè, Ecclesia per Christum ex rigida iustitia redimetur à seruitute peccati & dæmonis, inquit S. Hieronymus, Rupertus & passim Patres. Anagogicè, perfectissimè in resurrectione redimemur ab omni malo.

℣.29. CONFVNDENTVR AB IDOLIS] id est, ob idola quæ coluerunt, & in quibus sperauerunt, nec tamen ab illis iuuari potuerunt. Loquitur de Iudæis qui vixerunt non tempore Christi (quia nulli tum Iudæi colebant idola,) sed tempore Isaiæ: & rursus qui viuent tempore Antichristi.

ET SVPER HORTIS QVOS ELEGERATIS] subaudi *& lucis & nemoribus*, in quibus lasciuè & impudicè colebatis idola vestra, (*c*) Beel-Phegor,
c *Num.25. v.3.* (*d*) Priapum & alios obscœnos deos.

d *3.Reg.15. v.13.* ℣.31. FORTITVDO VESTRA, id est, vrbes, mœnia, arces, arma vestra, quæ putatis inuicta esse; similiter ET OPVS VESTRVM, nempe palatia, fundi, opes, quas vobis fingitis æternas fore; erunt VT FAVILLA STVPPÆ ET SCINTILLA] quia igni Babylonico, Romano & Antichristiano (quando ipse cum suis igne cælesti absumetur) omnia in cineres redigam.

CAPVT II.

Prædicit, Ecclesiam instar altissimi montis à Christo extollendam, omnes gentes ad eam conuolaturas, & bella in pacem commutaturas. Mox ad Iudæos suos relapsus, eorum scelera redarguit, & ob illa Iudæam à Chaldæis vastandam prædicit.

℣.1. VERBVM, id est, res euentura SVPER IVDA tempore Messiæ, quando ex Iuda natus fuerit Christus, Apostoli, & noua Ecclesia, de qua deinceps agitur. Ita Cyrillus.

℣.2. IN NOVISSIMIS DIEBVS] Hebraicè pro posteriori (*e*) tempore, putà Christi, quod verè
e *Gen. 49. v.1.* nouissimum est tempus respectu præcedentium ætatum & statuum mundi. Lex enim gratiæ posterior est lege naturæ & Mosaica, & ita vltima, vt nulla alia lex ei succeßura sit.

ERIT PRÆPARATVS] Hebraicè, *fundatus*, erectus, munitus, instructus, firmatus, stabilitus. Hæc enim omnia significat *nachon* (*f*). נכון

f *Prou.8. v.27. & Psal.23. v.2.* MONS DOMVS DOMINI] Id est, mons Sion, inquiunt Iudæi, in quo templum Salomonis; qui mons tempore Messiæ per tres leucas sursum attolletur, & montibus Carmelo ac Thabori imponetur. Sed hæ sunt fabulæ Rabbinorum. *Iudæi apud Galatin. l.5.c.3.* *Mons* enim hic & *domus Domini* est Ecclesia Christi. quæ loco altissimo & maximè conspicuo sita est, perinde ac si in monte collocata esset. Vnde LXX. hîc loco, *præparatus*, vertunt, ἐμφανὲς, id est, manifestus. Ita Cyrillus, Eusebius & Athanasius. Et in hunc ferè sensum delabuntur etiam SS. Hieronymus, Basilius & Rupertus, qui per hunc montem Christum intelligunt: nam iuxta regulas Ticonij apud S. Augustinum, quia vnum quid sunt Christus & Ecclesia, nempe caput & corpus; ideò quidquid de Ecclesia dicitur, etiam conuenit Christo; & è conuerso.

IN VERTICE MONTIVM] Id est, supra omnes montes, loco celsiore, dignitate altiore, gloria sublimiore quàm sint omnes montes cultu aliquo sacro celebres. Nam *Sion* & *Moria*, & similes Iudææ montes typi erant solummodò & vmbræ Ecclesiæ Christi: vmbra autem subest corpori, & typus seu idea subest fabricæ domus, inquit Sanchez. Deinde doctrina Ecclesiæ, & ritus & mores, omni veterum religione, omni philosophia & sapientia humana longè sublimiora sunt, vtpote supernaturalia, atque è cælo & Deo profecta, inquit Cyrillus, Hieronymus & Basilius. Aliter S. Augustin. Procopius, & ex his Leo Castrius, dicunt Ecclesiam constructam super Patriarchas, Pro-

phetas, Apostolos & alios illustres Sanctos, quos A *montes* vocant; sicut *colles*, minores Sanctos. Anagogicè, S. Bernardus *montem* hunc *in vertice montium* vocat regnum cæleste.

Bern. serm. in illud. Quis ascēdet in mōtem Domini.

ET FLVENT AD EVM OMNES GENTES] Quod hoc prodigium! ad montem altissimum ascendent flumina? Vtique ad Ecclesiam, montem sapientiæ & virtutum, contra naturam sursum (*a*) attrahente gratia cælesti, ex omnibus orbis nationibus ascendent ea animi propensione, contentione atque impetu, quo solent flumina è montibus in imas valles defluere.

a Ioan. 4. v. 14.

Matth. 28. v. 19. & Marci 16. v. 15.

v. 3. DE SION EXIBIT LEX, non vetus, sed noua; non Iudaica, sed Christiana, lex gratiæ, lex vitæ, lex salutis: ET VERBVM DOMINI, puta B Euangelium & Euangelij prædicatio, DE IERVSALEM: nempe quando Apostoli & alij discipuli roborati in Pentecoste Spiritu sancto, ex Ierusalem & Iudæa prosilient in reliquas orbis plagas, vt præcepto Christi obsequantur, *Euntes in* orbem *vniuersum, docete omnes gentes.*

v. 4. ET IVDICABIT GENTES, scilicet *Deus Iacob* (de quo v. 3.) Iudicabit, inquam, instar iusti iudicis, vindicis ac principis, decernens cuique quod *suum* est, & cuique debetur. q.d. Non sinet quemque pro placito & libito bella in alios mouere, perpetuas lites & odia exercere: sed ipse per leges suas & vicarios suos componet rixas & dissidia nationum etiam ferocissimarum, facietque vt C in vna eademque Ecclesia, sub vnius pastoris regimine summa pace & amicitia conglutinentur. Ita ferè Tertullianus, & Athanasius.

Tertull. l. 3. contr. Marcion. c. 21. Athan. l. de Incarnat. Verbi. † Chron. c. 44.

NEC EXERCEBVNTVR VLTRA AD PRÆLIVM] Id S. Hieronymus, & Eusebius restringunt ad tempus natiuitatis Christi, quando Iano per Augustū † tertiùm clauso, altissima toto orbe pax fuit. Sed potest vniuersaliter extēdi ad omne tempus legis gratiæ, non quòd nulla futura sint bella, nec esse possint inter Christianos, vt voluit Lutherus, Agrippa, Erasmus, Anabaptistæ, & olim Manichæi: nam etiam iussu Dei gesserunt bella Constantinus, Heraclius & tot alij pij Imperatores ac reges in nouo testamento, perinde ac Iosue, Da- D uid, Machabæi in antiquo. Sed quòd talia bella, qualia solent olim à tyrannis moueri, non sint mouenda à Christianis, nempe si Christianæ legi obsequantur, quæ pacem vbique & concordiam inculcat. Ergo prædicit hîc Isaias, bella iniusta & tyrannica, qualia gesserunt Nemrod, Salmanassar, Sennacherib, & alij monarchæ Assyrij, Chaldæi, Persæ, Græci & Romani: bella, inquam, non iam bella, sed latrocinia, quibus ex mera ambitione & libidine dominandi inuadebantur & spoliabantur innocentes; per Christum & Christi legem inhibenda & elidenda. Ab his enim abstinent quicumque veri Christiani sunt, & Christi pacificis legibus parent. Quòd si ex necessitate cogantur E alteri bellum sibi iniustè mouenti resistere, vel armis iniustè ablata recuperare, non tam bellum quærunt, vel gerunt, quàm iustitiam administrant, & pacem ab aliis læsam redintegrant. Ita Tertullianus, Origenes, Athanasius, Irenæus.

Tertull. & Athan sup. Orig. l. 5. contra Celsum. Iren. l. 4. c. 67.

v. 5. DOMVS IACOB, ô Iudæi, VENITE, AMBVLEMVS IN LVMINE DOMINI] recipite Euangelium Messiæ. Nemo verò miretur, quod Iudæos, quibus iampridem illuxit notitia Dei, inuitem ad agnoscendum suum Messiam, verum & vnicum Deum. Quia tu Domine Iudæos eosdem iusto iudicio tuo, à facie tua

v. 6. PROIECISTI, id est, abiicere decreuisti, & iam cæpisti, POPVLVM quidem TVVM, sed tibi rebellem. *Proiecisti*, inquam, destituendo illos efficaci cælesti lumine, quo Messiam suum & Deum verum agnoscant & seruiant: & necessario auxilio, quo hostibus suis sua sancta dissipantibus resistant. Causę cur sic illos destituas, sunt. Prima, QVIA REPLETI SVNT VT OLIM, nempe diuitiis, & inde vitijs, maximè idololatria, vt notat Chaldæus. Hoc enim olitanum & perantiquum est peccatum Iudæorum, vt patet ex vitulo aureo quem adorauerunt in Sinai. Secunda, quia AVGVRES HABVERVNT. Tertia, quia PVERIS ALIENIS ADHÆSERVNT] Hebraicè, *adglutinati sunt*; Symmachus, *applauserunt*. Notat nefariam pæderastian, cui more vicinarum gentium ita indulgebant, vt eum in finem etiam *alienos pueros*, id est, peregrinos seruos & mancipia coemerent; & hoc nomine passim in Scripturis (*b*) reprehenduntur, inquit S. Hieronymus, Rupertus, S. Thomas & Haymo. Et ideò cap. præced. v. 10. vocarat eos, *principes Sodomorum & populum Gomorrhæ*. Quarta causa est:

b 3. Reg 14. & 15. & 2. Mach. 4. v. 9. & 12.

v. 7. NON EST FINIS THESAVRORVM] Nempe insatiabilis habendi cupido, sine fine, sine termino. Quinta:

v. 8. REPLETA EST TERRA EIVS EQVIS, ET INNVMERABILES QVADRIGÆ EIVS, contra decretum Dei Deuteron. 17. v. 16. &c. Sexta causa: REPLETA EST TERRA IDOLIS: coram quibus & plebeius HOMO SE INCVRVAVIT, ET VIR primarius quoque HVMILIATVS EST] id est, prostratus iacuit, colens illa & adorans. Loquitur de suo tempore: nam post reditum ex Babylone, numquam communi consensu adorauerunt idola Iudæi, vt prædixit Tobias, & Rabbini apud Ga- *Tobias cap. vlt. v. 8.* latinum testantur. *Galatin. l. 4. c. 23.*

v. 9. NE ERGO DIMITTAS EIS] Id est, ne sinas impunitos abire tam scelestos. Ex zelo hoc dicit Isaias. Vel dic, prophetice loqui, vt idem sit quod, *non dimittes*. Vnde & LXX. vertunt, *non dimittam eis*.

v. 10. INGREDERE IN PETRAM] Id est, in speluncas, quibus plurimis & inaccessis abundat Iudæa, teste Iosepho. Est sarcasmus, quo pauidis Iudæis tempore excidij Chaldaici graphica hypotyposi insultat Propheta. q. d. Fugite quò vultis, nusquam effugietis. Ita S. Hieronymus.

v. 16. NAVES THARSIS] id est, maris, vt dixi 2. Paralip. 9. v. 21. Notantur classes Ægyptiorum & Tyriorum & aliorum Iudæis obsessis opitulari volentium, sed à Chaldæis fusæ & depressæ, Ierem. 3. v. 6. & c. 46. 47. &c. Ita Cyrillus.

v. 18. IDOLA PENITVS CONTERENTVR] Ita factum reipsa, vt dixi vers. 8. post vastationem Chaldaicam. Sed plenius sub Theodosio seniore *C. Theodos. l. 10. tit. 11. de Paganis.* Imp. qui publicis edictis idololatriam per totum orbem sustulit.

v. 22. QVIESCITE ERGO AB HOMINE] Rabbini recentiores id exponunt de Nabuchodonosore, q.d. Nolite irritare tam ferocem & potentem regem. Sed antiquiores Rabbini, & cum his Origenes, Hieronymus & alij SS. Patres ac Doctores id de Christo intelligunt. q.d. Cessate, ô Iudæi, à vexando, persequendo, occidendo Christo, quia licet *homo* sit mitis, humilis & patiens, est tamen simul *excelsus* dignitate, maiestate, potentiâ, vt omnibus cōstat: estque etiam magnanimus, & aduersus scelera graviter irascitur, indignatur, & furore concitatur. Hoc est enim *spiritum* seu habitum *in*

naribus

22.Reg.22. v.9. Iob 27. v.3.& c.41. v.11. Iob 39. v. 20. Thren. 1. v.12. b Theocrito, Idyllio 1. Martiali l.6. Epigram. 45. Lud. Legion. in Cant.7. Nasus tuus Delrio Adag. tom.1. adagio 139. Pineda in premio Salom. l.5. c.4.n.4. Matt. Raderus in Martial. epigram.45. libri 6. c In Prolegom. de Idiotismis Hebr. n.51. d Ibid.n.36.

naribus habere, vt ex aliis Scripturæ (a) locis, imò & ex poëtis (b) probant Lud. Legionensis, Delrius, Pineda, Raderus, Pintus, à Lapide & Aluarez.

CAPVT III.

Prædicit excidium Iudæorum non solùm per Chaldæos, vt vult Haymo; sed & per Romanos, vt S. Basilius, Hieronymus, Cyrillus, Rupertus, & passim veteres exponunt. Causam excidij designat peccata tum populi, tum principum, item superbum fœminarum ornatum, quem cum cilicijs, funibus & calui tie commutandum prophetat.

¥. 1. AVFERET DOMINVS VALIDVM ET FORTEM] Hebraicè, *validum & validam*, id est, omnes qui suo robore sustentare rempublicam possint, omne firmamentum, omne præsidium. Solet enim Scriptura per masculinum & femininum genus, vniuersitatem rei designare (c). Ita Sanchez & à Lapide.

OMME ROBVR (d) PANIS ET AQVÆ] Id est, omnem commeatum, omne alimentum, omne refrigerium, adeò vt fame & siti pereatis. Hoc Secundum est munimen & robur rerumpublicarum, nempe copia annonæ: quâ Iudæi priuandi dicuntur. Tertium, sequitur:

¥. 2. Auferet IVDICEM, qui lites decidat & sopiat. Quartum: ET PROPHETAM, qui sub tempus excidij Romani planè nullus Iudæis fuit. Quintum: ET ARIOLVM, id est, coniectorem, vel prognosticum, seu naturali arte, seu dæmoniaca, q.d. Destituet Deus Iudæos omni genere prophetiæ, tam naturalis, quàm supernaturalis; tam dæmoniacæ, quàm diuinæ. Sextum: ET SENEM] id est, prudentem & expertum virum. Septimum:

¥.3. PRINCIPEM SVPER QVINQVAGINTA: qui apud Iudæos Pentacontarchus dicebatur. Octauum: ET HONORABILEM VVLTV, qui sua maturitate & grauitate alijs præsit. Nonum: ET CONSILIARIVM. Decimum: SAPIENTEM DE ARCHITECTIS, id est, prudentem, peritum architectum, qui machinis construendis, castris metandis, vrbibus tutandis præsit. Vndecimum: PRVDENTEM ELOQVII MYSTICI, seu spiritualis, id est, qui pollet facundiâ & efficaciâ persuadendi quæ recta, quæ vtilia, quæ necessaria. Vnde Theodotion vertit, *prudentem incantatorem*; Aquila, *prudentem susurratorem*. Ita S. Hieronymus.

¥.4. ET DABO PVEROS PRINCIPES EORVM] Pueros non tam ætate, quàm moribus, imprudentiâ, stultitiâ, imbelles, lasciuos, temerarios. Quæ certa est reip. ruina, vt patuit in Roboamo, 3. Regum 12. vers. 8. Tales pueri fuerunt Manasses, Ioakim, Sedecias: & post natum Christum, stulti principes sacerdotum ac populi, ac nominatim factiosi illi Zelotæ, qui perpetuis seditionibus ac cædibus magis vrbem perdiderunt, quàm Romani, teste Iosepho.

Iosephus l.5. & 6. Belli. Ibid.

¥.5. ET IRRVET VIR AD VIRVM, &c.] vt fit in seditione; quàm Iosephus graphicè depingit sub Tito

¥.6. APPREHENDET VIR FRATREM SVVM, id est, singuli dicent ad singulos honestiùs vestitos: VESTIMENTVM TIBI EST pulchrum, & toga splendida: ergo opes habes, & annonâ abundas; sis PRINCEPS NOSTER: RVINA HÆC SVB MANV TVA] Est hypallage, pro, *manus tua sit sub hac ruina*, id est, sustenta & fulci rempublicam alioqui labantem ac desperatam. At ille recusabit: dicens:

¥. 7. NON SVM MEDICVS] Hebraicè, *non sum chirurgus*; q.d. Non possum mederi tanto malo; vulnus hoc & morbus meam artem excedit. Ita Cyrillus.

¥.8. LINGVA EORVM maledica & blasphema, ET ADINVENTIONES] id est, studia, machinationes & opera praua irritarunt Deum. Quòd si aliunde non constaret; certè ex vultu illorum proderetur: nam

¥.9. AGNITIO VVLTVS EORVM RESPONDIT EIS] Hebraismo abstractum ponitur pro concreto: *agnitio vultus*, id est, peccata agnita in vultu, *respondent eis*, id est, luculentum testimonium (e) dant manifestæ nequitiæ ipsorum: in vultu videre est & legere procacitatem, lasciuiam, fastum: facies clamat (f) eos turgere superbiâ, irâ, odio, libidine. Id de feminis clarè explicat v.16. Sed hîc de viris quoque idem affirmat: & mox clariùs explicat: *Peccatum suum non absconderunt*, vt solent pudibundi vel meticulosi; sed perfricta fronte palàm quasi rem laudabilem & gloriâ dignam vbique *depredicauerũt*, vti olim fecit *Sodoma*. Non tamen inuoluet Deus iisdẽ pœnis iustos & iniustos.

e Ieremi.14. v.7. Osee 5. v.5.

f Ierem. 3. v.3.

¥.10. IVSTO DICITE, seu pro certo addicite, QVONIAM BENE illi erit, tum in hac vita, tum maximè in futura. QVONIAM FRVCTVM iucundissimum & suauissimum ADINVENTIONVM, id est, studiorum & operum, SVARVM COMEDET, & fruetur æternùm.

¥. 12. EXACTORES non erant soli publicani, sed & ipsi principes auari, crudeles & rapaces, qui POPVLVM SPOLIAVERVNT] Hebraicè, *racemarunt*, id est, vsque ad vltimum obolum spoliauerunt. Racematio enim est collectio reliquarũ vuarum, quæ peractâ vindemiâ hinc inde remãserunt.

ET MVLIERES DOMINATÆ SVNT EIS] id est, mulierosi principes, seu effeminati, de quibus v.4. Vel, si mauis, mulieres proprièdictæ, nempè vxores principum, quæ maritis mulierosis dominari solent. Vt constat de Iezabele, Athalia, Herodiade, & illis Romanis, de quibus Cato: *Mulieres regunt nos, nos senatum, senatus Romam, Roma orbem.* Quod intolerabile malum est, tum ob iudicij defectum, tum ob impotentiam animi, & luxum, aliaque vitia, quibus vt plurimum mulieres præ viris obnoxiæ sunt. Ita Sasbout.

VIAM GRESSVVM TVORVM DISSIPANT] id est, corrumpunt, peruertunt. q.d. Qui deberent tibi per seriam pœnitentiam commonstrare viam ad salutem tum temporalem, tum æternam, seducunt te. omnem metum imminentis tibi pœnæ adimunt, vt securus obdormias in peccatis, & ex improuiso obruaris ab hoste. *Dicunt, Pax, pax; & non erat pax.* Ego vos non sic infatuabo; sed quod verum est, dicam & prædicam:

Ieremi. 6. v.14. & Thren.2. v.14.

¥.13. STAT pœnis & flagellis armatus DOMINVS AD IVDICANDVM & vindicandum iniuriam sibi per vos illatam. Stat, inquam, succinctus iam, & ad portas vestras: per Chaldæos, per Romanos AD IVDICIVM VENIT, etiam CVM SENIBVS POPVLI SVI, id est, contra senes, seu senatores & magistratus omnes populi Iudaici, quos non minùs ad pœnam deposcet, quàm viliſſimos de plebe.

¥. 15. FACIES PAVPERVM COMMOLITIS] id est, inedia & macie (g) & multiplici iniuria extenuatis; LXX. *confundatis*; Vatablus, *colaphis cæditis*. Quod tum in alios pauperes, tum speciatim in Apostolos quadrat Lucæ 4. v.41.

g Amos 8. v.4.

¥.16. FILIÆ SION sunt vxores & filiæ principum Iudæorum, quas ad eamdem pœnam cum

maritis dandam Propheta hic vocat, vt potè sceleA rum mulierum: quæ sicut in aliis, sic in hoc quorum eorumdem socias, vel potiùs auctores: nam vt pretiosis monilibus sese ornare possent, maritos suos ad pauperes expilandos adigebant.

ELEVATÆ SVNT supra statum suum, supra staturam, supra decorum, nempe non solo animo superbo, sed & pedibus plus æquo erectis per subiectos cothurnos, quibus proceriores, & quasi reginæ quædam aut deæ terrestres apparerent.

EXTENTO COLLO instar gruum, vel cygnorum.

ET NVTIBVS OCVLORVM IBANT, obliquando oculos in vicinos iuuenes & amasios suos *instar basiliscorum*, inquit S. Basilius. Vide S. Chrysostom. & Hieron. Chaldæus vertit, *stibio linitis oculis*, & crinibus circumuolutis ibant. B

Chrysost. homil. 27. in Matth. Hieron. in Vita S. Hilarionis.

ET PLAVDEBANT PEDIBVS] molli & fracto incessu ac supplosione, instar tripudiantium. Sic Virgilius, *Pars pedibus plaudunt choreas.* Sanchez putat, margaritarum in calceis collisione, vt insinuatur v. 18. plausum & sonitum edidisse, vt solitas facere docet Plinius. Posset & de sonitu exponi quem vestibus suis byssinis inter se collisis, & ad pauimentum allisis studio edebant. Huc vsque vitia mulierum. Iam sequitur pœna.

Plin. l. 9. c. 35.

℣. 17. DECALVABIT DOMINVS VERTICEM] spoliando illas præcipuo suo ornamento, puta capillitio, vt ait ex Apulcio S. Ambrosius. Decaluabit, inquam, Primò, alopecia, tinea, lepra vel aliis morbis. Secundò, rasura Chaldæorum & Romanorum, qui debellatos decaluabant, & sic seruos & ancillas faciebant. Ita de Scipionibus dicebatur:

Apul. l. 2. de Asino. Ambr. l. 6. Hexam. c. 9.

Sub quorum titulis Africa tonsa iacet.

Tertiò, seruili labore & onerum gestatione quam subire mancipia cogentur, de qua Ezech. 29. v. 18. vbi milites Nabuchodonosoris comportantes onera ad expugnationem Tiri, dicuntur habuisse caput omne decaluatum & humeros depilatos.

℣. 18. LVNVLÆ monilia erant corniculata instar lunæ. Et nunc in capite, quasi diademata: nunc in collo, nunc pro pectore gestabantur.

℣. 19. DE MITRIS dixi Iudith 10. v. 3.

℣. 20. DISCRIMINALIA, inquit Sanchez, sunt D fasciæ & teniæ, quæ capillos in cirros & plocamos discriminant, & discriminatos sustentant & attollunt quasi in turrim, vt loquitur Nazianzenus. Et *discriminalia* vocantur, quia his ingenuæ & nobiles puellæ à vulgaribus discriminabantur.

PERISCELIDES quasi περὶ σκέλη, id est, circa tibiam, sunt crucrum ornamenta, vel caligæ ornatiores. De MVRENVLIS dixi Cant. 1. v. 10.

OLFACTORIOLA sunt myrothecæ, siue pyxides ocellatæ, quæ suaues halitus per foramina sua expirant.

℣. 22. MVTATORIA sunt vestes pretiosiores, quæ rarò & ad solam pompam induuntur: LXX. vertunt περιπόρφυρα, seu prætextas purpurâ vestes, E quæ Romanis *laticlauia* vocabantur.

LINTEAMINA erant vela candida & pellucida, quibus pectus, vel alias quoque corporis partes lasciuè ostentabant in conuiuiis & tripudiis, more Laconico, inquit Basilius & LXX.

ACVS crinales ex auro, vt plurimum, non tam crispabant capillos, quàm discriminabant, & ne rursum diffluerent, astringebant & fibulabant. Ita S. Hieron. & Isidorus.

Isidor. l. 19. c. 31.

℣. 23. SINDONES erant linea velamina vel pepla subtilissima: de quibus Prouerb. vltimo. Has sindones indicant LXX. fuisse tinctas purpureo (*a*), coccineo & violaceo colore, quod erat impudica-

a Exod. 25. v. 4.

rum mulierum: quæ sicut in aliis, sic in hoc quoque volebant pontificalem habitum superbè ac sacrilegè imitari, inquit S. Basilius.

THERISTRA pallia erant æstiua, sic dicta, quòd ἐν θέρει, id est, in æstate gestarentur, & vel totum corpus, vel saltem caput concinnè tegebant. Ita Forerius. De nimio vestium luxu & mundo muliebri acerrimè queruntur Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, & Nazianzenus.

Tertull. de Habitu mulierum: & de cultu feminarũ. Cypr. de disciplina & habitu virginum. Hieron. ep. de vitando cõtubernio. Basil. serm. in diuites auaros. Ambr. Exhortat. ad virgines, & in 1. ad Timoth. 2. Chrysost. homil. 30. in epist. ad Rom. & l. de Virginit. c. 62. Aug. ser. 18. de verbis Apostoli. Nazianz. aduersus mulieres, &c.

CAPVT IV.

Initio docet, in excidio vrbis tantam fore virorum stragem, vt pro septem vxoribus vix vnum sit reperire maritum. Mox residuos solatur, promittens eis salutem & omnia fausta per Christum.

℣. 1. SEPTEM, id est, multæ, MVLIERES certatim APPREHENDENT & contentiosè ambient VIRVM VNVM, quasi vi, vel saltem precibus importunis consensum extorquentes. Tanta erit raritas virorum ex fame, ex tabe, ex cæde superstitum. Ita S. Hieronymus & Cyrillus.

PANEN NOSTRVM COMEDEMVS. q. d. Ne prætextu inopiæ nos repellas à te, quòd tam multas alere non possis; nos ipsæ nos alemus & vestiemus: TANTVMMODO INVOCETVR NOMEN TVVM SVPER NOS, id est, tantùm vocemur & simus vxores tuæ, VT AVFERATVR à nobis OPPROBRIVM C sterilitatis, quod magni faciebant in lege veteri. Id S. Basilius Allegoricè, adaptat Synagogæ; & S. Cyrillus Tropologicè, animabus fidelium, quæ non temporalis lucri, sed spiritualis fœcunditatis causâ nuptias ambiunt Christi sponsi sui.

℣. 2. ERIT GERMEN DOMINI IN MAGNIFICENTIA] Id est, reliquiæ Iudæorum à strage Babylonica superstitum, rursus germinabunt, & ad pristinam vbertatem ac gloriam euchentur, tempore Esdræ & Zorobabel, inquit Glossa, S. Thomas, & plurimi Iudæorum cum nostro Sanchez & Hieronymo Prado: & fauet Isaias cap. 11. v. 11. Sed SS. Patres passim & Interpretes, adeoque & Rabbini, id præcipuè Euangelico tempori adaptant, putà vel Ecclesiæ Christi, vt volunt Sasbout & Forerius: vel, vt alij, ipsi Christo, qui passim in Scriptura *germen* (*b*) *Domini* vocatur. Sensus ergo b *Isaiæ 11.* est, eo tempore quo Iudæa miserrimè vastabitur per Romanos, Christus Dominus anteà per Iudæos depressus, imò excisus, maximâ gloriâ & magnificentiâ extolletur, non in sola Iudæa, sed & per reliquum etiam orbem.

Hiero. Prædus in Ezech. 13. v. 9.

v. 1. Ier. 23. v. 5. Zach. 6. v. 12. in Hebr.

℣. 3. OMNIS QVI RELICTVS FVERIT IN SION, tum corporali, post reditum è Babylone; tum spirituali, quæ est Ecclesia Christi: id est, omnis Christianus, seu qui ex Synagoga transierit ad Ecclesiam Christi SCRIPTVS IN VITA, id est, in catalogo viuentium, seu quicumque in viuis tum superierit, vt felix & beatus palàm censebitur, ita etiam passim SANCTVS VOCABITVR] & erit reuerà sanctificatus, & summo cælorum Domino consecratus, non sola vocatione ad sanctitatem, sed etiá reali infusione sanctitatis & gratiæ, itemq; Sacramentis Christi. Porrò multos tales è Synagoga, & nominatim è Ierosolyma conuersos ad Christum, diuino monitu subtractos fuisse cladi & excidio Ierosolymorum, tempore Vespasiani & Titi, & florentissimam exinceps Ecclesiam conflasse, fusè ex variis auctoribus demonstrat Baronius.

℣. 4. SI tamen priùs ABLVERIT DOMINVS

SOR-

SORDES. q. d. Triumphum istum Ecclesiæ præcedere debet expiatio sordium & scelerum à Iudæis tanto tempore accumulatorum, ac præ omnibus, expiatio sanguinis Agni immaculati, & Messiæ tam fœdè per ipsos profusi. Ita S. Hieronymus: & etiam sanguinis tot Prophetarum, vt Cyrillus. Expiatio, inquam, IN SPIRITV IVDICII ET (*a*) ARDORIS] id est, per iustam & seueram punitionem, putà incendium vrbis & templi, quo incendio à scoria sua expurgati sunt Iudæi. Ita Sanchez.

a Isaiæ 1. v. 7. & 25. Malach 3. &c.

℣. 5. SVPER OMNEM LOCVM MONTIS SION, id est, vbicumque fuerint Sionitæ, seu Iudæi, laudantes & inuocantes Deum. Loquitur non de solis reductis à Babylone, vt vult Sanchez; sed etiam de residuis à clade Romana, de quibus v. 3. id est, super omnem Ecclesiam fidelium, CREABIT DOMINVS NVBEM PER DIEM, seu FVMVM; Chaldæus, *caliginem*, id est, caliginosam nubem, & SPLENDOREM IGNIS FLAMMANTIS IN NOCTE] q. d. Deus speciali & extraordinario auxilio suo proteget omnes, diriget, & ad patriam cælestem perducet tum per prospera diei, tum per aduersa noctis vitæ huius; sicut olim Hebræos typicè deduxit per columnam ignis & nubis in terram promissam, Exodi 13. & 14. Ita S. Hieronymus, Basilius, Cyrillus, Theodoretus & Procopius.

B

SVPER OMNEM ENIM GLORIAM ERIT hæc Dei PROTECTIO, id est, multò glorioſior & efficacior erit hæc per Deum obumbratio & protectio Ecclesiæ suæ, quàm quæuis alia præcedens, seu quâ columna texit exercitum Hebræorum (*b*), seu quâ gloria Domini texit tabernaculum, vel montem Sinai (*c*). Nam illæ omnes non erant nisi typi & figuræ huius spiritualis obumbrationis & protectionis. Quam mox clariùs explicat, cùm dicit fore TABERNACVLVM IN VMBRACVLVM (*d*) DIEI AB ÆSTV, &c.] id est, descruituram in omni aduersitate, labore & molestia, pro certo leuamine, & fido tecto, & tuto asylo. Ita Gabriel Aluarez ex S. Hieronymo & Cyrillo.

b Exodi 13. & 14.
c Exodi 14. v. 15. &c.
d Psal 26. v 5. Eccli. 34. v. 19. &c.

C

CAPVT V.

Rhythmus & carmen lugubre, quo de Synagoga queritur sub metaphora vineæ, quæ licet studiosè exculta, fructum tamen dedit labruscas, id est, vitia omne genus: vnde minatur ei excidium per Chaldæos & Romanos, quorum vires & robur describit.

D

℣. 1. CANTABO DILECTO MEO, nempe Messiæ, CANTICVM PATRVELIS MEI; LXX. *dilecti mei.* q. d. Lubet canere, in gratiam dilecti mei Messiæ, qui idem est patruelis, id est, synecdochicè cognatus meus, vtpotè ex eadem mecum gente Iudaica, & familia Dauidica nasciturus. Lubet, inquam, præcinere illi carmen quod ipsemet canet aliquando VINEÆ SVÆ, id est, populo suo Iudaico. Matth. 21. *Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam*, &c. Nam totidem verbis ait hîc Isaias: VINEA FACTA EST, seu à Patre cælesti plantata est, DILECTO MEO Messiæ, IN CORNV, id est, in loco alto, potenti, magnifico, nempe in Iudæa, cuius situs speciem habet cornu. Pagninus vertit, *in colle*, quia Iudæa loco alto & excelso sita erat; Syriacè est, *in angulo loci*; Arabicè, *in extremitate terræ*: Iudæa enim erat in angulo & extremo Syriæ & Asiæ. Et quidem plantata est hæc vinea in CORNV FILIO OLEI] id est, *pinguissimo* & fertilissimo *loco* (vt vertunt LXX. & Chaldæus) perinde ac si natus esset ex oleo. q. d. Plantata est loco quidem sublimi & montoso, non tamen sterili, sed valdè fertili &

E

A pingui, fluente lacte & melle & oleo & vino; vt videatur esse *Amalthea* (*e*) *cornu*. Ita S. Hieronymus & Basilius: qui addit, Adamum (vt habet antiquissima traditio) exclusum paradiso, Iudæam occupasse, vt omnium terrarum fertilissimam. Vnde *Pentapolis*, quæ fuit pars Iudææ, comparatur *paradiso Dei*, Genes. 13. v. 10. Quòd si verum est, facilè constare potest altera communis SS. Patrum traditio, cranium Adæ sepultum fuisse in monte Caluariæ, vbi Christus crucifixus est.

e Iob. vlt. v. 14.

℣. 2. SEPIVIT EAM] non solis materialibus muris, vt vult S. Hieronymus, sed etiam metaphoricis, putà legibus & præceptis tum sacris, tum politicis, inquit S. Irenæus, Auctor imperfecti, Theophylactus & Euthymius: item cælestibus & diuinis muris, nempe custodia Dei & angelorum. Ita Origenes, Hieronymus & Ambrosius, & alibi Isaias (*f*).

Iren. l. 4. c 70. Auctor, &c. in Matt. 21. v. 33. Orig. hom. 19. in Ioan.
f Isai. 26. v. 1. Zach. 2. v. 5. Psal. 33. v. 8.

ET LAPIDES ELEGIT EX ILLA & abstulit: nempe idola, & scelera, & alia religiosi cultus impedimenta. Vt solent ex loco lapidoso lapides colligi & auferri, vt in eo vites serantur.

ET PLANTAVIT EAM ELECTAM] Id est. conseuit eam vitibus nobilissimis ac præstantissimis. Hebraicè enim est *sorec*, quod Hebræi dicunt esse genus vitis optimæ, quæ vix acinos habeat: fortè ex regione *Sorec*, vbi *Samson* Dalilam adamauit, Iudicum 16. v. 4. Ita Sanchez & à Lapide.

שורק

ÆDIFICAVIT TVRRIM, de qua (*g*) alibi, id est, templum & cultum Dei, inquit Chaldæus, & Origenes, cum Theophylacto, Euthymio, Hieronymo & Beda. TORCVLAR erat altare, vt iidem exponunt. Simul omnia iuncta significant, in genere, Deum de omnibus necessariis abundè prospexisse suæ Synagogæ. Sed degener vinea pro vuis suauibus FECIT LABRVSCAS] id est, agrestes, acerbas, *imperfectas vuas*, vt Symmachus vertit. Tales enim, nec alij sunt fructus *labruscæ*, seu vitis agrestis, teste Dioscoride & Plinio. Hebraicè est, *fœtentes*; apud Aquilam, *putres*; apud LXX. *spinas*.

g 2. Par. 26. v. 10. Origen. Theophyl. Euth. sup.

Dioscorid. l. 3. c. 3. Plin. l. 16. c. 27.

℣. 7. ET ECCE CLAMOR] nempe pauperum iniustè oppressorum, vt Osorius exponit: vel, vt Sanchez, peccatorum in cælum vindictam clamantium: vel denique ipsorummet impiorum (*h*), qui vi & clamosis minis innocentes pauperculos, instar latronum dum viatores aggrediuntur, exterrent, obruunt & spoliant. Ita S. Hieronymus & Cyrillus, qui putant Isaiam hîc alludere ad clamorem Iudæorum contra Christum, *Crucifige, crucifige eum.* Sed audi etiam alias labruscas.

h Ierem. 12. v. 8.

℣. 8. *Auaritiam. vers.* 11. *crapulam & luxum. vers.* 18. *concatenationem* mille scelerum & *obstinationem*, &c. Et singulis sceleribus appingit decretas cælitus pœnas. v. g. auaritiæ pœnam spoliationis & sterilitatis.

℣. 9. NISI DOMVS MVLTÆ DESERTÆ FVERINT] supple, *non habebar Deus*, vel *non sim verax.* Est enim iurantis, vt (*i*) alibi dixit.

i Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 13.

℣. 10. DECEM IVGERA VINEARVM FACIENT LAGVNCVLAM] q. d. Non solæ domus in solitudinem redigentur, sed & agri prorsus sterilescent, ita vt ex decem vincarum iugeris tam paucas colligatis vuas, vt ex ijs vix vna vini lagena exprimi possit: & ex copiosa triginta modiorum semente vix tres modios (*k*), id est, decimam sementis partem in messe colligatis. Digna sanè & congrua *mensuræ* merces auaritiæ & iniustitiæ.

k Proleg. de mensuris.

℣. 12. OPVS DOMINI NON RESPICITIS] Id est, quid Deus moliatur, quid coquat, nempe vl-

tionem & pœnam vobis infligendam non attenditis. Patet ex vers. 19. sequenti. Ita Forerius & Sanchez. Sed Cornelius à Lapide & Aluarez per *opus Domini* intelligunt omnes creaturas (*a*) & præ omnibus opus redemptionis (*b*) per Christum.

a *Psal.* 91. v. 5. & 6.
b *Habacuc* 3. v. 2. *Prolegom. de Idiotism.* n. 44.

℣. 13. CAPTIVVS DVCTVS EST, pro, captiuus ducetur. INTERIERVNT, pro interibunt, &c. enallage Hebræis vsitatissima. QVIA NON HABVIT SCIENTIAM, quâ expenderet opera Domini, de quibus v. 12. Iusta pœna, vt capti mente, capiantur & ab hoste.

℣. 14. PROPTEREA DILATAVIT INFERNVS ANIMAM SVAM] id est, seipsum, inquit à Lapide. Vel *animam*, id est, os suum, vt vult Sanchez. q.d. Illi dilatant os suum ad cibum & potum maximâ copiâ absorbendum: sed infernus rictum quoque suum dilatabit ad illos absorbendos. Potest autem infernus accipi tam pro loco damnatorum, quàm pro sepulchro. Et putat Sanchez sermonem esse de communi Iudæorum (*c*) sepulchreto, quod erat in valle *Cedron*, in ea parte quæ *Gehenna*, seu *Topheth* dicebatur, de quo dixi alio (*d*) loco.

c 4. *Reg.* 23. v. 6.
d *Ibid.* 10.

℣. 15. INCVRVABITVR mole & pondere pœnarum HOMO ET VIR] id est, plebeij & patricij, inquit Haymo, id est, omnes. Et ita iustus vindex Deus

℣. 16. EXALTABITVR & laudabitur ab omnibus IN hoc suo IVDICIO, iustaque vindicta: ET SANCTIFICABITVR, id est, sanctus esse declarabitur IN hac sua IVSTITIA, seu iustæ pœnæ inflictione. Porrò peracta tam celebri punitione,

℣. 17. PASCENTVR AGNI IVXTA ORDINEM SVVM] Pagninus & Vatablus, *iuxta morem suum*, id est, pauperes & pupilli, qui tamquam mansueti agni antè à potentioribus exclusi erant suis pascuis, iam cæsis vel captis tyrannis, rursus liberè vt antè pascentur in pratis suis. Nabuzardan enim reliquit de pauperibus terræ vinitores & agricolas, 4. Reg. vlt. v. 12.

ET DESERTA, id est, possessiones à suis heris desertæ, non erunt amplius steriles, vt v. 10. sed IN VBERTATEM pristinam VERSÆ copiosissimam proferent messem & vindemiam; non tamen heris suis, sed extraneis: nam ADVENÆ eam COMEDENT, id est, Chaldæi & Romani, inquit Sanchez: vel etiam pauperes aliunde aduentantes, quos mox agnos vocabat. & Allegoricè, designant iustos Gentiles, qui lætis Ecclesiæ, Euangelij & Sacramentorum pascuis fruiti sunt, postquam Iudæi se suo vitio ex ijs expelli passi sunt.

℣. 18. VÆ QVI TRAHITIS INIQVITATEM, seu scelera omnis generis, IN FVNICVLIS VANITATIS, id est, longo fune, sed vano prorsus & inutili. Et sicut plaustrum à bobus trahitur vinculo vel loro, sic vos trahitis peccatum omnigenum in vos. Peccatum enim, nisi citò deleatur, illex est alterius peccati, vt pulchrè S. Augustin. Basilius, Gregor. Malunt tamen Cyrillus & Sanchez per *iniquitatem* hîc & *peccatum*, metonomycè accipere pœnam & supplicium, quæ à peccatoribus quasi plaustra mercibus ipsis dignis plena attrahuntur. Et fauet sequens

August. l. 8. *Confess.* c. 5. & *tract.* 10. *in Ioann.* *Gregor.* 33. *Moral.* c. 12.

℣. 19. DICITIS, insultando mihi: FESTINET, ET CITO VENIAT OPVS EIVS, VT VIDEAMVS] Id est, veniat ira Dei, veniat calamitas, quam toties minaris: adsit citò Nabuchodonosor, adsit Titus: experientur quid & nos possimus. Egregij scilicet thrasones & gigantes,

℣. 22. FORTES non ad bella gerenda, sed AD MISCENDAM EBRIETATEM] Hebraicè, *ad miscendam siceram*, id est, ad varios liquores inebriantes simul commiscendos, (*e*) vt citiùs & acriùs feriant cerebrum.

e *Isaiæ* 29. v. 10. & *Ps.* 74. v. 9.

℣. 24. PROPTER HOC RADIX EORVM ET GERMEN] id est, tota planta, tota arbor, id est, tota synagoga Iudæorum excidio & internecioni dabitur. Et tam horrenda edetur strages, vt

℣. 25. CONTVRBATI SINT MONTES. Hyperbole est, & prosopopœia, inquit S. Hieronymus. Et tamen IN HIS OMNIBVS, seu post has omnes pœnas Iudæis inflictas, NON EST AVERSVS, nec satiatus FVROR Dei: SED manet ADHVC MANVS EIVS EXTENTA] quia etiamnum punit in dies impios Iudæos cæcitate, exilio & aliis pœnis, & *vsque in finem perseuerabit desolatio*, Danielis 9. v. 27. Sed vnde tam prompti hostes ad obruendos & exscindendos Iudæos? Respondeo, Ipsemet Deus

℣. 26. ELEVABIT SIGNVM, id est, quasi dux belli iubebit erigi signum militare etiam IN NATIONIBVS PROCVL sitis.

ET SIBILABIT, id est sibilo euocabit, AD EVM, seu contra populum Iudaicum, nationes quascumque volet, DE FINIBVS TERRÆ] Sic cap. 7. v. 18. *Sibilabit musca Ægyptiæ, & apis* Assyriæ. Alludit ad fistulam pastoritiam, ad sibilum naualem; vel, vt Cyrillus, ad sibilum apiariorum, qui apes ad flores & pastum sibilo educunt ac reducunt.

℣. 27. NON EST DEFICIENS, id est lassus, NEC LABORANS, seu hærens in itinere. q.d. Euocati vel minimo sibilo, nullas nectent moras, nulla prætexent impedimenta, celerrimè aduolabunt. Pulcherrima mox hypotyposi describit vires, ferocitatem, auiditatem, studium, diligentiam Chaldæorum & Romanorum.

NEQVE SOLVETVR CINGVLVM RENVM EIVS, NEC RVMPETVR CORRIGIA, &c.] Id est, vestiti, calceati, armati cubabunt, ne vel tantillum exuendis armis vel vestibus immorentur.

℣. 30. ASPICIEMVS IN TERRAM. q. d. Quocumque Iudæi se verterint, nil nisi triste & calamitosum occurret: nihil alicunde solatij, nihil opis, nihil consilij. Si oculos in terram mittamus, ECCE TENEBRÆ TRIBVLATIONIS, id est, tristis vbique afflictio. Si ad *cælum* (vt est in Hebræo) oculos attollamus, tanta est EIVS CALIGO miseris, vt IN ea, seu per eam, ipsa quoque LVX OBTENEBRETVR, id est, obscurari videatur & in noctem conuerti. Ita Gabriel Aluarez.

CAPVT VI.

Magnifica Dei apparitione, & calculo Seraphini ignito consecratur Isaias Apostolus & Propheta Dei, iubeturq; predicere Iudæis miseram illorum excæcationem; reprobationem & desolationem: sic tamen, vt semen aliquod sanctum in eis remaneat.

℣. 1. ANNO QVO MORTVVS EST REX Iudæ, nomine OZIAS, seu Azarias, qui 52. annis regnauit: successoremque habuit filium suum *Ioathan*, cuius regni initio contigit hæc apparitio Isaiæ, nempe Oziæ iam vitâ functo, vt contra Sanchez & quosdam alios docent SS. Hieronymus, Cyrillus, Nyssenus, Ambrosius, Thomas & Liranus, Arias & Aluarez. Et patet ex simili phrasi Isaiæ 14. v. 28. Videtur enim Deus ob temerarij regis sacrilegiũ, quamdiu ille vixit, noluisse dignari synagogam tam illustri apparitione: quò palã orbi faceret, quàm noxia sint, sibiq; displiceant regum

Hier. hic & epist. 142. *Nyssen. ho.* 12. *in Cant.* *Ambr.* l. 3. *de Spiritu sancto* c. 22.

scelera,

scelera, maximè cùm circa munia sacerdotalia præsumunt aliquid sibi arrogare contra decreta Dei.

Vidi, non tam corporis, quàm mentis oculis, inquit S. Augustinus, Dominvm Deum, & tres in Deo personas. Et quidem Patrem apparuisse docent omnes SS. Patres, quos citat Damascenus. De Filio idem clarè asseritur Ioan. 12. v. 41. Denique de Spiritu sancto, Actor. 28. v. 25. collato cum iis quæ hîc habentur v. 9. & 10. ita Toletus, Maldonatus, à Lapide, Ribera & Aluarez, contra Alcazar, qui solum Patrem; & Sanchez, qui solum Filium hîc apparuisse contendunt. Sed omnes tres personas apparuisse, & ideo ter *Sanctus* hîc acclamari, communis est Ecclesiæ sensus, inquit Leo Castrius: & veteres Rabbini, citati à Galatino, idem affirmant. Nolim tamen id intelligi de personis diuinis, vt in se sunt, aut secundùm suam essentiam vel hypostases diuinas, (sic enim *Deum nemo vidit vnquam*, Ioannis 1.) sed per speciem vel imaginem corpoream, quâ, instar regis sedentis in solio, apparuit tertiò Isaiæ, sicut in *pareleo* ter subinde apparet idem sol: vel sicut vnus idemque vultus hominis in pluribus speculis reflexus apparet.

Aug. l. contra Adimãtum c. 28. Damasc. tractat. de Trisagio. Tolet. & Maldon. in Ioan. 12. Ribera in Malach. 3. num. 6. Alcazar Apoc. 4. v. 2. n. 3. Galatin. l. 2. c. 1.

שוליו Ea qvæ svb ipso erant; Hebraicè, *sculaf*, id est, fimbriæ & oræ vestium Dei, replebant templvm] non Salomonicum, vt vult Pradus, sed cæleste, seu in cælo exhibitum Isaiæ, simile tamen templo Salomonis: in quo solium apparebat Dei, instar propitiatorij quod erat in templo Salomonis, item Seraphim instar Cherubinorum Salomonis, item altare, &c. Sensus ergo est, regalis vestis, firma, seu paludamentum Dei tam longum erat, tam latum, tam sinuosum, vt impleret non solùm *Sanctum sanctorum*, seu partem nobiliorem templi, in quâ Deus in augusto solio residebat, sed etiam reliquum templi, quod Sanctum vocabatur. Quo indicari volebat Deus, maiestatem Dei & gloriam Christi implere totam Ecclesiam, nempe & triumphantem & militantem: imò minimum diuinæ maiestatis, imò & humanitatem Verbi diuini, quæ est quasi fimbria, seu extremum vestis Filij Dei, maius esse omni gloria terrena & cæleste. Vnde lxx. & Chaldæus vertunt, *plena erat domus gloria eius.*

שראף a *Deut. 8. v. 15. Num. 21. v. 6. Isaiæ 30. v. 6.*

℣. 2. Seraphim stabant svper illvd] id est, iuxta solium Dei, putà in suppedaneo, vel aliquo gradu solij, vt solent principes assistere regi suo. Porrò *Seraphim* significat *accendentes*, à radice *saraph*, id est, accendit, quæ sæpè in Scripturis (*a*) occurrit, licet angelorum *Seraphinorum* nulla vspiam, nisi hoc loco, mentio fiat. Tribuitur verò hoc nomen angelis primi & supremi ordinis per antonomasiam, eò quòd nobilissimo & excellentissimo modo, igne diuino & ipsi ardeant, & alios accendant & inflamment.

Sex alæ vni, et sex alæ alteri] Quibus significatur, eos maxima præ aliis agilitate & vi motiua præditos esse, perfectissimaque cognitione & amore in Deum tendere, inquit S. Dionysius. Mysticè de sex alis, quas quiuis fidelis, item quiuis Prælatus habere debet, elegantissimum libellum conscripsit S. Bonauentura.

Dionys. de Cal. hierarchia c. 4. & 13. Bonau. in fine tom. 2. Hieron. epist. 142. ad Damasum. Pet. Dam. epist. 6.

פניו רגליו Dvabvs velabant faciem eivs, et dvabvs velabant pedes eivs] scilicet Dei. Ita vertit etiam S. Hieronym. Cyrillus, Hugo & Petrus Damiani. Potest tamen Hebræum *panaf*, etiam verti, *facies suas*: & *raglaf*, *pedes suos*. & ita vertit Chaldæus, Vatablus, Chrysostomus, & sic legitur in Liturgiis S. Iacobi & Æthiopum. Vtrumque verè factum: nam alæ supernè coniunctæ, atque oppositæ faciei Seraphinorum, velabant & ipsorũ faciem, & ipsis faciem Dei, eius conspectum sibi adimentes. Primò, præreuerentia: quâ, etsi perspicacissimis sint oculis, tamen aduersus tãtum splendorem, quantus emicat è vultu diuino, cæcos se fatentur. Secundò, ex affectu perfectæ obedientiæ, quâ velatis oculis, & quasi cæci, promptos sese exhibent ad quæuis iussa diuina capessenda. Simili modo binæ alæ infernè coniunctæ velabant non ipsorũ mòdò pedes, seu femora, sed & ipsius quoque Dei, cui proximè adstabant. Tegendo autem suos pedes, suam testabãtur, Primò, verecundiam, vt ne quis aspiceret imperfectũ amorem in Deum & affectum, cuius symbolum sunt pedes. Secundò, castimoniam, quam populo Iudaico in res obscenas propensissimo inculcatam volebant. Tegendo verò pedes Dei, innuebant, inquit Rupertus, non solam *faciem*, id est, diuinitatem Dei, incomprehensibilem esse omnibus creaturis; sed etiam *pedes* eius, id est, humanitatem Christi, quâ inter nos ambulauit, ipsis quoque Seraphinis impenetrabilem esse, cùm ob alia, tum ob excessiuam in ea humiliationem & exinanitionem tantæ maiestatis, quam sat mirari & suspicere non possunt.

Denique reliquis alis dvabvs volabant] non circumuolitantes, sed extensis & libratis alis volaturientes, interim eodem loco pedibus consistentes. Quo schemate significabant: Primò, se summo teneri desiderio ad se totos in Deum immergendos; Secundò, se promptos esse & accinctos ad omnem Dei nutum explendum; Tertiò, se diuini amoris æstum, quo tam vicini Deo quasi vrebantur, alarum ceu flabelli agitatione nonnihil refrigerare, inquit Sanchez.

℣. 3. Et clamabant duo isti nobiliores Seraphini, sed cum iis innumeri alij, alter ad altervm, ἀντιφώνως, id est, alternis vicibus, vt fit in choro psallentium: Sanctvs, sanctvs, sanctvs, nempe, essentialiter, & infinitè; quomodo nemo alius sanctus est: abyssus enim est omnis sanctitatis, adeoque ipsa sanctitas & puritas; & omnis ad extra sanctitatis fons, origo & causa. De hoc Trisagio vide quæ habet Baronius anno Christi 446. & 483. Hac trina *Sancti* acclamatione dicunt sancti Patres, indicari Trinitatem personarum diuinarum in vnica essentia, designata per singularem voculam, *Dominus Deus sabaoth*. Vide Damascenum & alios suprà citatos.

Exod. 3. v. 13.

℣. 4. Et commota svnt svperliminaria cardinvm, id est, ipsum templum videbatur è suis cardinibus dimoueri, a voce clamantis Seraphini vtriusque, seu vi & ardore vocis eorumdem: et domvs, seu templum, repleta est fvmo, id est, nebula, quæ symbolum est *gloriæ Domini*, adeoque vocatur *gloria Domini* in Scripturis (*b*): per eam enim designabat Deus, se inhabitare lucem inaccessibilem. Sed S. Hieronymus, Cyrillus, Thomas & Pintus volunt hîc præsignari excidium & euersionem templi Ierosolymitani, simulque reprobationem Synagogæ. q. d. Cùm tota terra repleretur gloriâ Euangelij Christi, sola domus Iudæorum obtenebrata est, Primò, fumo iræ Dei; Secundò, fumo infidelitatis & excæcationis, quæ prædicitur hîc v. 10.

b *Exodi 30. v. 24. Num. 16. & 3. Reg. 8. Psal. 17. & Ezech. 10. v. 3.*

℣. 5. Et dixi, Væ mihi; Hebraicè, *oi*, id est, heu mihi. est enim non minantis, sed dolentis. אוי Qvia tacvi, seu tacere coactus sum, inter diuinas angelorum laudes, non ausus eas contaminare

meis labiis, quæ sensi pollutæsse & inquinata plu-
ribus peccatis, nempe contractis ex consortio &
colloquio perpetuo cum popularibus meis pro-
fanis & impiis. Ita ferè Cyrillus, Hieronymus,
Gregor. 3. Dial. c. 5. Origenes & Gregorius, qui addunt: hinc patere,
quàm noxia sit improborum societas, quæ tam
eximium quoque Prophetam inquinarit. Simul
volunt, Prophetam hîc se accusare nimiæ tacitur-
nitatis in increpando populo, proceribus & rege,
seu *Oziæ*, dum illicitum thus in templo adolere
tentaret: seu filio eius *Ioathan*, dum populum de-
linquentem non compesceret, 2. Paralip. 27. v. 2.

ET, pro, quia, REGEM DOMINVM EXERCI-
TVVM VIDI OCVLIS MEIS] q. d. Tanto magis
me affligit peccatum meum. Nam comparatione
tantæ puritatis & sanctimoniæ, apparet illud mihi
longè horribilius & fœdius, quàm antè mihi vi-
debatur.

¥. 6. ET VOLAVIT AD ME VNVS DE SERA-
PHIM iussu & missu Dei. Omnes enim sunt admi-
a Ad Hebr. 1. v. 14. nistratorij (*a*) spiritus.

ET IN MANV EIVS CALCVLVS] Græcè, ἄν-
θρακ, id est, pruna ignita, & talis erat haud dubiè, &
ideò forcipe desumpta ex igne altaris. Hebræum
רִצְפָּה tamen *rissa*, & Græcum ἄνθρακ etiam designat
carbunculum, seu gemmam igneæ & flammei colo-
Hieron. ep. 143. ad Damasum. Alcazar in Apocal. 2. v. 17. not. 5. ris: quomodo etiam S. Hieronymus alibi vertit,
item Aquila, Symmachus & Theodotion, & ex iis
noster Alcazar & quidam alij interpretes. Porrò
vtrumque hîc quadrat. Nam in cælesti templo &
altari pruinæ non sunt ligneæ, sed gemmeæ, quia
tales decent Deum, cuius foculus nutritur pyropis
& carbunculis; quæ gemmæ sunt omnium pre-
tiosissimæ, inquit noster à Lapide. Nam carbun-
culus ponderans drachmam, 60. millibus aureo-
rum æstimatur, id est, pluris quàm adamantes qua-
tuor eiusdem ponderis.

¥. 7. ECCE TETIGIT HOC LABIA TVA] &
hoc contactu significat Deus, se tibi Primò, dare
gratiam Spiritus sancti, & per eam remittere pec-
cata tua. Secundò, nobilius, quàm hucusque ha-
bueris, donum & munus prophetiæ concedere,
vt excusso inutili metu, plenus animo & fiduciâ
arguas peccata popularium tuorum. Sic in Pente-
coste per linguas igneas in alios viros mutati sunt
Apostoli. Allegoricè, per hunc calculum Cy-
Iustin. resp. ad qu. 44. Gentilium. rillus & Basilius intelligunt Christum; Iustinus,
SS. Eucharistiam; Rupertus, absolutionem Sacra-
mentalem.

b In Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 49. ¥. 9. AVDITE AVDIENTES (*b*), ET NOLITE
c Ibid. nn. 44. INTELLIGERE] Enallage modorum; Imperatiui
pro (*c*) futuris, id est, audietis, & noletis intellige-
re. Ita LXX. & ex iis Christus Matth. 13. v. 14. & Pau-
lus Act. vlt. v. 26. Ex quibus etiâ locis patet, iuberi
hîc Isaiam hanc prophetiam de excæcatione, reie-
ctione & reprobatione Iudæorum inculcare po-
pulo Iudaico, qui fuit tum tempore Isaiæ, tum tem-
pore Messiæ. Idem enim erat populus: sicut idem
censetur fluuius, etsi alia atque alia succedat per-
petuò aqua, inquit S. Basilius. q. d. Scio, ô Iudæi, vos
auidè inhiare saluti, maximè per Messiam promis-
sæ; sed cùm offeretur vobis, non acceptabitis: cùm
venerit Messias, illum reiicietis: conciones qui-
dem eius audietis, sed non voletis intelligere: mi-
racula eius videbitis, sed non voletis agnoscere ea
esse opera Messiæ, sed Beelzebub. Ita S. Basilius,
Hieronymus, Chrysostomus, Cyrillus.

¥. 10. EXCÆCA COR, &c. Id est, prædic, eos ex-
cæcandos, & aggrauandos, seu obdurandos. Sæpè
enim verba realia per mentalia exponi debent, vt
alibi (*d*) dixi. Neque enim loquitur hîc Isaias, *d Ibid. nn. 58.*
vt putauit S. Hieronymus, Thomas, Hugo, Hay-
mo & Glossa: sed Isaiæ loquitur Deus, vt constat
ex vlt. verbo huius versiculi, *Ne sanem eum*; & do-
cent S. Cyrillus, Liranus, Forerius, Adamus Sas-
bout & alij. LXX. mutatis nõnihil punctis vertunt,
incrassatum est cor eorum; Ioannes verò c. 12. v. 40.
aliis rursum punctis legit, *Excæcauit oculos eorum,*
& induranit cor, non directè, sed occasionaliter, vt
alio loco exposui. Directè enim & formaliter ipsi-
met Iudæi semet indurarunt & excæcarunt. Quod
iubetur hîc Isaias prædicere certò ipsos facturos.
Nempe occludent sponte oculos mentis, NE quo
FORTE casu videant veritatem: aures studio obtu-
rabunt, ne audiant veritatem, &c. Atque ita despe-
ratam esse pronuntiat *conuersionem* illorum *& sa-*
nitatem: sicut desperata est valetudo infirmi, re-
media omnia obstinatè repellentis.

¥. 11. ET DIXI: VSQVEQVO DOMINE?] sup-
ple, durabit hæc Iudæorum excæcatio? Vel, quò
hæc tandem euadet? Responsio:

DONEC DESOLENTVR CIVITATES, &c.] tum
per Chaldæos, vt Chrysostomus & Vatablus; tum
per Romanos, vt Hieronymus, Basilius, Cyrillus,
Rupertus & Haymo.

¥. 12. ET LONGE FACIET DOMINVS HOMI-
NES, id est, ablegabit Iudæos procul à patria sua.
Non tamen funditus exscindet: nam MVLTIPLI-
CABITVR iterum gens Iudaica, per nouam pro-
semination em. Neque tamen durabit hæc perpe-
tuò multiplicatio: nam

¥. 13. ET ADHVC IN EA DECIMATIO fiet
non semel, sed sæpiùs, nempe per Antiochum Epi-
e Chronic. c. 40. in Epiphane. phanem (*e*), per Pompeium (*f*), per Titum, per
Adrianum, per alios Imperatores. Ita ferè Sãchez.
Chaldæus dicit talem fore decimationem, vt no-
f Chron. c. 42. class. 2. in Aristobulo 2. Chron. c. 50. in Vespasian. & Tito. uem partibus absumptis, non nisi vna decima re-
maneat. Et certè Adrianus Imp. 50. annis post Ti-
tum, Iudæos iterum rebellantes maiore clade affe-
cit, quàm Titus, ac penè stirpitus delcuit, adeoque
& perpetuò edicto prohibuit in Iudæam regredi.
Et hoc est quod hîc ait Propheta: ET CONVER-
TETVR, ET ERIT IN OSTENSIONEM] id est, ite-
g Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 44. rum (*g*) erit gens Iudæa in ostensionem, nempe ir-
risoriam, id est, ostentui & risui erit gẽtibus, vtpo-
tè infamis ob sua scelera & probrosa supplicia. He-
bræa etiam verti possunt, *erit in depastionem*; LXX. *in*
depredationem; Chaldæus, *in combustionem.*

SICVT TEREBINTHVS, ET SICVT QVERCVS,
QVÆ spoliata foliis, & succo vitali, EXPANDIT nu-
dos aridosque RAMOS SVOS. Nec tamen permit-
tam prorsus exsuccam reddi arborem: nam de-
fluentibus ramis cum foliis, adhuc in trũco vitam
& succum seruabo: SEMEN SANCTVM ERIT ID
QVOD STETERIT IN EA] id est, quod in viuis
perstiterit. q. d. Surculos & germina nonnulla viua
conseruabo in illo trunco, ex quibus, quasi ex se-
mine progignentur nouæ frõdes, flores & fructus.
Sed hoc *semen*, seu stirpes & rami noui, non erunt
ampliùs profani & immundi, vt erant alij iam ex-
cisi; sed erunt mundi & *sancti* per fidem Christo
inserti, eiusque Sacramentis sanctificati. Loquitur
de Apostolis, & aliis primis Christianis, de quibus
suprà c. 4. v. 3. dixerat, *Omnis qui relictus fuerit in*
Sion sanctus vocabitur. Porrò eidem trunco, quasi
oliuæ fructiferæ, Gentiles quasi oleastri à S. Paulo
inserendi dicuntur, Roman. 11. vers. 24. ita ferè
Chaldæus, S. Hieronymus & alij. Gabriel Aluarez

totum

totum hunc versum putat etiam ex Hebræo, mutatis punctis, exponi posse in favorem Iudæorum, qui sub finem mundi instar arboris reuirescentis, iterum florebunt, & pristinum vigorem, gloriam, amplitudinem recuperabunt, nempe quando *plenitudo* Iudæorum, & *omnis Israel salvus fiet*, Roman. 11. v. 12. & 26.

CAPVT VII.

Regi Achaz & Iudæis timentibus excidium à Syris & Samaritis, promittit Isaias opem & liberationem; Syris verò & Samaritis excidium intentat. Vtriusque rei signum dat Emmanuelis à Virgine nascituri. Denique regi Achaz & Iudæis incredulis cladem per Ægyptios, & excidium per Chaldæos prædicit.

B

¥. 1. NVNTIAVERVNT DOMVI DAVID] id est, familiæ regiæ Dauidis, id est, regi Achaz, eiusque fratribus & cognatis.

REQVIEVIT SYRIA SVPER EPHRAIM, id est, *societatem iniit*, vt Vatablus vertit, *conspirauit*, vt LXX. Syria cum decem tribubus, quarum caput erat Samaria sita in tribu Ephraim. Sic 1. Reg. 7. *Requievit Israel post Dominum*, id est, sociauit se Domino. Hoc inexspectato nuntio perculsus est Achaz, ET COMMOTVM EST COR EIVS] Semper enim pauet mala conscientia, etiam cùm maximè deceret esse cordatum.

¥. 3. EGREDERE TV, ET QVI DERELICTVS EST, Hebraicè, *sear*, id est, derelictus, IASVB] Filio enim Isaiæ instinctu Dei impositum fuerat nomẽ, *Sear iasub*, id est, derelictus redibit, vel reliquiæ conuertentur. Vt nomine suo designaret filius id quod pater verbis hîc inculcare iubetur, nempe populum Iudaicum, qui præcedentibus cladibus à *Rasin*, & *Phacee*, & aliis sæpiùs (*a*) illatis, reliquus supererat, ab his miseriis ad pristinam felicitatem tranquillitatemque rediturum. Et hæc est causa cur Deus hîc iubeat Isaiæ, vt suum hunc sic nominatum filium vnà secum deducat ad Achaz.

שאר ישוב

4. Reg. 15. & 16. & 2. Par. 28.

¥. 4. VIDE VT SILEAS] Id est, quieto sis animo, compesce hos fluctus timoris, acquiesce meæ protectioni, ne inclames opem Assyriorum, sed in ope mea conquiesce.

¥. 7. NON STABIT] supple, hocillorum regum propositum: nempe ego illud euertam, & aliam ipsis cudam fabam.

¥. 8. CAPVT SYRIÆ DAMASCVS, vrbs regia & metropolis Syriæ, *desinet* breui esse, nimirum post expletos SEXAGINTA QVINQVE ANNOS, quos à primo anno meæ prophetiæ, & ab inflicta Oziæ regi lepra, id est, ab anno 25. regni illius, sæpiùs audiuisti publicè inculcari, & præfigi cladi Syriæ & Israelis. (Vide Chronicum nostrum c. 29. ad annum 25. Oziæ.) Explebuntur verò illi iam breui, nempe 6. anno Ezechiæ filij & successoris tui. Tunc enim per Teglatphalassar & Assyrios deuastabitur tota Syria, 4. Reg. 16. 17. 18. & tunc desinet *Damascus* esse, & RASIN; & SAMARIA, quæ nunc est, CAPVT, id est, metropolis, EPHRAIM, seu 10. tribuum Israeliticarum, desinet esse: ET FILIVS ROMELIÆ, nunc rex SAMARIÆ, desinet esse: ET EPHRAIM DESINET ESSE POPVLVS] id est, non ampliùs constituet peculiare regnum, vel remp. vt hactenus, sed abducentur Israelitæ captiui in Assyriam, & dispergentur per vniuersam Asiam. Ita S. Cyrillus per zeugma repetit in singulis horum versiculorum membris verbum *desinet*, & facit sensum planum & clarum.

¥. 9. SI NON CREDIDERITIS, supple, hos putatis punctis, exponi posse in favorem Iudæorum, qui sub finem mundi instar arboris reuirescentis, iterum florebunt, & pristinum vigorem, gloriam, amplitudinem recuperabunt, nempe quando *plenitudo* Iudæorum, & *omnis Israel salvus fiet*, Roman. 11. v. 12. & 26.

CAPVT VII.

Regi Achaz & Iudæis timentibus excidium à Syris & Samaritis, promittit Isaias opem & liberationem; Syris verò & Samaritis excidium intentat. Vtriusque rei signum dat Emmanuelis à Virgine nascituri. Denique regi Achaz & Iudæis incredulis cladem per Ægyptios, & excidium per Chaldæos prædicit.

turale, quod alimentis qualia infantibus in Iudæa A subministrantur, accrescet paulatim & roborabitur, VT SCIAT REPROBARE MALVM ET ELIGERE BONVM] Id est, ita vt per experimentalem scientiam norit discernere gustu cibos bonos & palato gratos, ab ingratis & malis, itemque res alias bonas crescente ætate sciat distinguere à malis. Sed antequam Messias ad eam ætatem deuenerit, terra Damasci & Samariæ destituetur suis regibus, nempe *Oboda* rege *Syriæ*, & *Herode Ascalonita* rege *Samariæ* simul & Iudææ. Nam hic etiam erat & vocabatur, teste Appiano Alexandrino, *rex Samariæ*, & mortuus est 14. mensibus à nato Christo, vt patet ex (*a*) nostro Chronico. *Obodas* verò rex Damasci B in Syria paucis mensibus ante Herodem è vita sublatus fuerat, Iosepho teste & Strabone. Et sic accelerauit Christus à primo suo exortu *prædari & spolia detrahere*, vt hîc dicitur c.8.v.3. Porrò vtrumque contigit per regem Assyriorum, illud per (*b*) Teglatphalassar, istud per Augustum (*c*) cui etiam subiecta erat Assyria. Nam licet regnum Herodis inter filios eius diuidi passus fuerit, regium tamen nomen & ius illis ademit. Sic in Syria diu noluit vt Obodæ Aretas (*d*) succederet. Hæc verò regum duorum exspoliatio præludium & signum erat subsecuturi demum generalis excidij totius regni diabolici per Christum. Patebunt hæc omnia clariùs ex c.8. sequenti.

Appian. l. 5. Bellor. Ciuilium.
a Chron. c.45. & 47.
Ioseph. l.16. Antiq. c.16.
Strab. l.16. Geographia
b 4. Reg.16. v.9.
c Chron. c.45. supr.
d 2. Cor.11. v.32.

Sed quia tu, ô Achaz, incredulus diuinis promissis, non vis acquiescere iis quæ tibi, Dei nomine addico, sed confugis (*e*) ad opem Assyriorum, ecce per hos ipsos grauissimè affligeris: nam

e 2. Paral. 28. v.16. & 4. Reg. 16. v.7.

℣. 17. ADDVCET DOMINVS SVPER TE DIES inauditæ vltionis, quales non estis experti A DIEBVS SEPARATIONIS EPHRAIM, id est, regni Israelitici 10. tribuum, A regno IVDA. Adducet, inquam, CVM IPSO REGE ASSYRIORVM: nempe quem tu ipse tibi patronum aduocas, experieris hostem infestissimum. Ita verò contigit: nam Teglatphalassar inescatus fertilitate terræ Iudææ, postquam expilasset regnum Israeliticum (*f*) & Syriacum (*g*), occiso vtroque rege, *Rasin (h)* & D *Phacee (i)* conuertit arma contra ipsum quoque Achaz, (*k*) eundemque afflixit, spoliauit, vastauit. Sed hæc vastatio præludium tibi erit & signum alterius longè amplioris, ac tandem etiam generalis vastationis & excidij quod imminet terræ & familiæ tuæ.

f 4. Reg.15. v.29.
g 4. Reg.16. v.9.
h Ibid.
i 4. Reg.15. v.30.
k 2. Paral. 28. v. 20.

℣.18. SIBILABIT enim DOMINVS MVSCÆ, id est, sibilo euocabit Ægyptios, qui ob vocis absonæ stridorem, morum imprudentiam, & muscarum, quibus tota regio vtpotè calidissima scatet, multitudinem, agnomen *muscæ* acceperunt. SIBILABIT item API] id est, Assyriis, quia hi instar apum, seduli erant, industrij & laborioси, vestibus & armis auratis conspicui, sagittis vt aculeis po- E tentes. Ita S. Hieronymus & Cyrillus. Ergo hi omnes ad sibilum, seu minimum Dei nutum prompti aduolabunt.

℣.20. RADET DOMINVS IN NOVACVLA CONDVCTA IN HIS] id est, nouacula mercede conducta: quæ nouacula non est alia quàm hi reges de quibus iam dixi, Ægyptius & Assyrius. Hi regno tuo abradent *caput & pilos pedum, & barbam vniuersam*. Nechao enim rex Ægypti, abrasit *Iosiam*, eiusq; filium (*l*) *Ioachaz* reges Iuda. Et Nabuchodonosor non modò Chaldæorum, sed & Assyriorũ rex, reliqua omnia (*m*) abrasit. Porrò rasio hæc, seu detonsio, teste Pomponio & Beda, signum erat ser-

14. Reg.23. v.31. &c.
m 4. Reg. vlt.
Pompon. Latus de triumpho Diocletian.
Beda in histor. Anglorum.

uitutis, in quam redigendi prædicuntur Iudæi.

℣.21. IN DIE ILLA tanta erit superstitum Iudæorum paucitas, vt diuites olim & plurium gregum domini, iam vix vnam VACCAM & DVAS OVES sint habituri: quæ tamen familiæ, penè excisæ, abundè sufficient; quin & supererit adhuc ad butyrum inde exprimendum, & eo cibandam familiam. Maximè quia agris desertis & incultis, omnia vertentur in gramina & pabula pecorum, quibus pastæ vaccæ & oues copiosum dabunt lac, indeque butyrum & caseum. Ita S. Hieronymus & Cyrillus. Solum enim

℣. 22. BVTYRVM ET MEL, quæ terra inculta vltrò quasi fundet, MANDVCABIT OMNIS, &c.] Non verò triticum vel hordeum, vel vuas, vel poma, vel alios fructus hortenses.

℣. 23. VBI FVERINT MILLE VITES, quarum prouentus annuè æstimabatur MILLE ARGENTEIS siclis, seu florenis Belgicis; redigentur IN SPINAS] ita Forerius & Sanchez & à Lapide. *Prolog. de monetis.* Adeoque horrescent vepribus, vt non nisi benè armatus

℣. 24. CVM SAGITTIS ET ARCV ingredi quis ausit, ob feras, forsan & latrones, istic delitescentes.

℣.25. ET OMNES MONTES olim vitiferi, QVI non aratro, sed SARCVLO proscindebantur, quique sedulò à colonis septo spineo, quasi muro cingebantur; disiectis iam ab hoste spinis & septo, nemini amplius erunt terrori, quò minùs eò liberè quiuis irrumpat, etiam boues & alia pecora, quibus seruient pro pascuis. Ita Sanchez.

CAPVT VIII.

Exponit nomen pueri, post cuius natiuitatem desituendi erant duo reges & regna suprædicta. Incredulis minatur Assyrios. Monet ne timeant coniurationem regum Syriæ & Samariæ: neque pythones consulant, sed Deo cæli credant & confidant.

℣. 1. SVME LIBRVM GRANDEM, seu amplam membranam in cylindrum conuolubilem. Tales enim erant veterum libri, vnde & volumina dicebantur. ET SCRIBE IN EO magnis litteris STYLO HOMINIS] id est, calamo, seu graphio, & consequenter charactere apud vos hominum vsitato. Scribe, inquam, nomen pueri, de quo suprà c.7.v.16. nempe, *Maher scalal*, id est, *accelera spolia detrahere*; vel, quod idem significat, *Chaz baz*, id est, *festina prædari*. Causam nominis huius explicat v.4. Ideo verò iubetur magnis litteris nomen illud conscribere, vt publicè expositum legi ab omnibus & intelligi possit, nempe adhibita expositione de qua v.4. Vnde & testes adhibere iubetur, nominis à se sic prophetice expositi; vt, cùm completa res fuerit, constet prædictam à Deo, sed contemptam fuisse à Iudæis.

מהר שלל חש בז

℣. 2. ET ADHIBVI MIHI TESTES duos FIDELES, id est, fide apud omnes maximè dignos & omni exceptione maiores, nempe VRIAM SACERDOTEM, seu è numero sacerdotum celebrem hoc nomine. Nisi malis ipsummet summum sacerdotem seu pontificem fuisse, cuius est mentio 4.Reg.16.v.10. qui iussu Achaz pauco pòst tempore, erexit Ierosolymis aram idolis, vt ibidem narratur. Et fortè quia fœdum hunc eius lapsum præuidit Isaias, ideò ad maiorem eius olim confusionem, adhibet hîc eum in testem.

ET ZACHARIAM FILIVM BARACHIÆ] Hunc S. Hieronymus dicit fuisse Leuitam illum, qui cum

cum aliis sub Ezechia templum Dei à rege Achaz & pontifice Vria pollutum expiauit, 2. Paral. 29. v. 13. Nam de viuentibus hîc sermonem esse, neque per visionem, sed realiter hæc omnia peracta fuisse, clamant omnia & singula Scripturæ verba, & docent non soli Rabbini, sed & S. Chrysostomus, Richardus Victorinus, S. Thomas, Sixtus Senensis, Vatablus, Isidorus, Clarius, Forerius, Montanus & alij. Qui ijdem

¥. 3. Per PROPHETISSAM, ad quam cognoscendam accessit Isaias, vt prædicto vaticinio faceret satis, vnanimiter intelligunt vxorem *Isaiæ*: nam vxores Prophetarũ vocabantur *Prophetissæ*: & ipsa quoque forsan habebat spiritũ propheticum.

ET CONCEPIT, ET PEPERIT FILIVM. & VOcaui nomen filij, ACCELERA SPOLIA DETRAHERE: FESTINA PRÆDARI] Sic verificatur quod Isaias infrà dicit v. 18. *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus, in signum & in portentum Israel.* De priore enim filio Isaiæ *Sear Iasub*, vidimus c. 7. v. 3. De altero *Maher salal*, vel *Chaz baz*, nunc audiuimus, qua ratione portenderit & prophetarit excidium Israelis. Et hæc quoad corticem litteræ, de typo seu figura. Nam in sensu allegorico, quem hîc præcipuè intendit Spiritus sanctus, exponenda sunt omnia de Christo per has vmbras figurato. Nempe, Spiritus sanctus accessit ad B. Virginem Mariam, verè omnibus titulis prophetissam: quæ obumbrata & fœcundata à Spiritu sancto, concepit & orbi peperit Christum, qui celerrimus prædator fuit, Primò, regnorum *Damasci & Samariæ*; Secundò, totius regni diabolici, vt vidimus cap. 7. v. 15. Ita ferè SS. Patres.

¥. 4. ANTEQVAM SCIAT PVER VOCARE PATREM SVVM ET MATREM SVAM: Hebraicè, *priusquam possit effari, mi pater, mea mater*, nempe naturali & vulgari modo; AVFERETVR FORTITVDO DAMASCI, occiso *Rasin* illius rege, & incolis eius translatis (*a*) Cyrenen; ET SPOLIA SAMARIÆ, occiso *Phacee* Israelitico rege, eiusque subditis pro parte translatis in (*b*) Niniuen; CORAM REGE ASSYRIORVM] id est, ad præsentiam & per iussum ac potentiam regis Assyriorum *Teglatphalassar*. Ita verò contigisse ex eo constat, quòd, cùm hæc ab Isaia prædicerentur, annus tertius voluebatur regis Achaz, vt notant Chronologi: atqui strages hæc per Teglatphalassar contigit anno 4. regis Achaz, vt colligitur ex 4. Reg. 15. v. 32. &c. & Hebræi affirmant: ergo à prædictione Isaiæ vsque ad hanc primam cladem Samariæ & Damasci, non effluxit biennium, nec puer natus excesserat 15. menses vitæ, cùm Teglatphalassar in eas terras sæuiret. Similiter Christus Dominus non excesserat 15. menses vitæ, cùm Obodas rex Syriæ, & Herodes rex Samariæ sceptro simul & vitâ spoliati sunt, vt dixi c. 7. v. 15. Et quidem coram rege Assyriorum, nempe Augusto Cæsare, qui vt totius Asiæ monarcha erat, ita etiam *rex Assyriorum* meritò vocari poterat. Sicut *Nabuchonosor*, (*c*) Chaldæus, & *Darius* (*d*) Persa, & *Cyrus* (*e*) subinde vocatur *rex Assur*. Augustus enim mortuis Oboda & Herode, regnum vtriusque & regium titulum ad se reuocauit, vt ibid. dixi. Mox similem ferè pœnam intentat etiam Iudæis.

(*a*) 4. Reg. 23. v. 9.
(*b*) 4. Reg. 15. v. 29.
Hebræi in Seder Olam.
(*c*) 4. Reg. 23. v. 29. & c. 24. v. 10. v. 12. c. 24. v. 7. & Ioseph. l. 10. Antiq. c. 6. & 1. Esdræ 6. v. 22. & l. 3. c. 7. v. 15.
(*d*) Suidas in Cyro. & Euseb. l. 7. Demonst. Euang. c. 1.

¥. 6. PRO EO QVOD POPVLVS ISTE Iudæus, seu duarum tribuum subiectarum domui Dauid, ABIECIT AQVAS SILOE, QVÆ VADVNT CVM SILENTIO] Id est, renuit adhærere familiæ regiæ Dauidis, quæ aquis Siloë modicis & lenifluis similis erat. Cùm enim sentirent duæ tribus, se tot cladibus afflictas fuisse à 10. tribubus, & vix resistendo fuisse; iam verò audirent, Syriam vniuersas suas vires iunxisse cum 10. tribubus, desperata prorsus salute, moliebantur defectionem à suo rege Achaz & à sceptro Dauidico, & honestis conditionibus se subdere Israelitis & Syris, regemque alium ab ijs designatũ admittere *filium Tabeel* (*f*). f c. 7. v. 6. Et porrò feciissent, nisi Achaz ostentatione virium Assyriacarum pro se aduersus Syros & Israelitas euocatarum, inquietos compescuisset, & rebelles placasset. Ita ferè S. Cyrillus, Procopius, Basilius, Euseb. sup. Eusebius, Arias, Osorius, Pintus, Caltrias, Forerius, Vatablus, Sà & à Lapide.

¥. 7. PROPTER HOC iniustæ rebellionis crimen, ECCE DOMINVS ADDVCET etiam SVPER EOS AQVAS FLVMINIS Euphratis & Tigris FORTES ET MVLTAS, seu rapidas & copiosas, putà REGEM ASSYRIORVM Teglat-phalassar, ET OMNEM GLORIAM ac potentiam EIVS, vt dixi c. 7. v. 17. Allegor. quia Iudæi abiecerunt Christum lenem, mansuetum, & qui arcano silentio de cælesti Sion per Virginem in terras defluxit, (sicut fons Siloë ex radice montis Sion scaturit, & paulò pòst se sub terra abscondit, ac per canales in lacum seu piscinam Siloë defertur, indeque per tubos cum silentio deriuatur in hortos regios & alia suburbana:) malueruntque rebelles adhærere synagogæ & aliis Christi hostibus; ideò rex *Assur*, Titus & Romani perdiderunt eos: inquit Cyrillus, Basilius & alij iam citati.

¥. 8. ET ERIT EXTENSIO ALARVM regis Assur super terram non modò Israel, sed & Iuda, instar Aquilæ iratæ alas & acies suas militares latè super terram expandentis: sic nempe implebit totam LATITVDINEM TERRÆ TVÆ, Ô EMMANVEL] id est, Iudææ, in qua tu Christe *Emmanuel*, & nasceris, & regnabis. q. d. Fierine potest vt terram sanctam, quam tibi in solum natale & sedem regiam delegisti, tam fœdè per Assyrios, per Chaldæos, per Romanos vastari permittas? Nec frustrà meminit Emmanuelis Isaias. Mox enim prophetico spiritu præuidet, ope eiusdem Emmanuelis, tyrannos omnes, qui nunc & olim Iudæam vastaturi accurrerent, post sumptas de Iudæis pœnas quæ cælitus decretæ fuerant, ipsos quoque deiectum & funditus excisum iri. Vnde per sarcasmum iisdem insultat, *Congregamini, confortamini, vincimini*, &c.

¥. 11. SICVT Deus IN MANV sua, seu potentia, FORTI ERVDIVIT ME, omnipotentiâ suâ tutos nos fore docens, si velimus, atque ita cohibuit me, NE IREM IN VIA POPVLI HVIVS] id est, ne vnà cum Iudæis desperabundis consilia agitarem de deserendo rege Achaz, & ad reges Israel & Syriæ deflectendo, vt suprà vers. 6. Sic etiam nunc iubet idem Deus, vt vniuerso populo idipsum persuadeam:

¥. 12. NON DICATIS, seu ore, seu animo, CONIVRATIO] Id est, nolite cum hoste contra regem vestrum coniurare: nolite eum timere.

¥. 13. DOMINVM EXERCITVVM (*g*) SANCTIFICATE, id est, colite vt pium, sanctum, fidelem, qui promissis suis infallibiliter stet, suisque opituletur. nempe credite ipsi, sperate in ipsum, ipsi vos vestraque committite. IPSE PAVOR ET TERROR VESTER] id est, obiectũ (*h*) pauoris. q. d. Non debetis aliũ pauere quàm Deum, aut ab alio terreri, vel vobis timere, quàm ab irato Deo. Vnde si hunc

(*g*) Psal. 23. v. 10.
(*h*) In Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 46.

sedulo

sedulo cultu & obsequio propitium vobis, seu feceritis, seu conseruaueritis, nemo vobis nocere poterit.

¥. 14. IPSE ERIT VOBIS IN SANCTIFICATIONEM; Vatablus, *in sanctuarium* vel asylum. q.d. Vt sanctificatos & consecratos sibi proteget ab omni hostium incursu. Futurus alioquin IN LAPIDEM OFFENSIONIS] seu in quem offendent & impingent, atque ita cõtringentur, non soli Israelitæ 10. tribuum, sed & Iudæi 2. tribuum. Duo enim ista regna hîc designantur nomine *duarum domorum Israel*. Vtrisque enim pro pari offensa, parem afferet pœnam, cladem & ruinam. Allegoricè, lapis hic offensionis & petra scandali fuit Christus Iudæis, inquit S. Paulus Roman. 9. v. 32.

¥. 16. LIGA, id est, obliga, complica, claude TESTIMONIVM hoc, seu volumen quod à vers. 1. hucusque tibi, ô Isaia, tradidi explicandum regi Iuda & populo Iudaico. Cùm enim videam nihili fieri, imò contemni, ne margaritæ iaciantur ante porcos, iubeo nunc illud occultari, inuolui & (a) signari, IN DISCIPVLIS MEIS] Hebraismo, id est, pro discipulis mihi fidelibus & morigeris. Neque enim omnes mihi rebelles sunt, sed multi adhuc pij & obsequentes mandatis meis. His volo, omnia patefacias: alijs occultes, sicut occultari solent quæ complicato volumine & obserata epistola occultantur. Ita ferè Sanchez & à Lapide. Hactenus verba Dei. Iam subiicit Isaias, occasione postremorum verborum Dei.

a *Simile c. 29. v. 11. & Dan. 12. v. 4. & c. 8. v. 26.*

¥. 17. EXSPECTABO DOMINVM. q.d. Non igitur abiiciam spem omnem melioris sortis olim obuenturæ populo Iuda. Nam licet ABSCONDAT nunc & auertat FACIEM SVAM A DOMO IACOB, quasi oblitus populi sui; tamen PRÆSTOLABOR EVM; LXX. & ex iis S. Paulus (*b*), *ero fidens in eum.* nempe, quòd populum suum, vbi iustè castigatus fuerit, intuitu tot innocentium liberabit iterum ab hostibus suis; maximè per Christum. Interim ad populum mouendum, loco voluminis huius tuo iussu iam occlusi & obsignati, seruient PVERI, seu filij MEI, qui nomine suo idem portendunt & loquuntur quod volumen continet, vt dixi vers. 3. Seruiam & EGO viua voce idem publicè proclamaturus. Allegoricè, Christus & Apostoli, & quiuis Sancti sunt mundo signum & portentum, & mirabile spectaculum. De Christo enim hæc explicat Paulus (*c*), & passim SS. Patres. Cùm ergo ex me meisque filiis voluntatem Dei certò cognoscere possitis, non est quòd ad augures confugiatis.

b *Hebr. 2. v. 13.*

c *Ibid. v. 14.*

¥. 19. CVM DIXERINT politici & impij homines: QVÆRITE de toto expeditionis huius successu, A PYTHONIBVS; LXX. *à ventriloquis*, (de quibus alibi (*d*), (ET A DIVINIS, seu diuinatoribus, QVI STRIDENT quasi phrenetici vel furiis acti; liberè eis respondete: NVMQVID NON POPVLVS deflectens à Deo suo, responsum REQVIRET PRO VIVIS A MORTVIS] id est, an pro viuorum salute consulet mortua idola, vel dæmones æternæ morti, seu damnationi addictos, relicto Deo fonte omnis veritatis?

d *1. Reg. 28. v. 7.*

¥. 20. AD LEGEM MAGIS, seu potiùs, recurrendum, ET AD TESTIMONIVM: quo etiam ipsa lex diuina significatur (*e*); vel certè arca testamenti vel propitiatorium: ibi enim consuli volebat Deus de successu belli, aliorumque negotiorum. QVOD SI profani Iudæi NON DIXERINT, id est, non consenserint facere, IVXTA VERBVM HOC, sed spreto Deo, pythones adierint; NON ERIT LIS MATVTINA LVX] sed perpetua nox & tenebræ: id est, veritatem & prosperitatem quam quærunt non assequentur, sed inuoluti manebunt tenebris errorum & aduersitatum. Imò lux veritatis ac prosperitatis

e *Proleg. de Idiotismis Hebraic. num. 14.*

¥. 21. TRANSIBIT PER EAM, scilicet domum Iacob, de qua v. 17. id est, per Iudæam, ostentans se quidem Iudææ, sed mox transuolabit ad alias terras. Quod maximè locum habuit tempore Christi: figura tamen præcessit in vastatione per Assyrios & Chaldæos. Nam ad vtrumque tempus respicit Propheta cùm subdit: CORRVET Iudæa, nempe ex summa felicitate in extremam miseriam: ESVRIET destituta corporis & animæ alimento: ET SVSCIPIET SVRSVM in cælum, ET deorsum AD TERRAM] pro auxilio & solatio: sed frustra, vt ex sequentibus patet.

CAPVT IX.

Sicut regnum 10. tribuum, & inter hæc primo loco tribus Zabulon & Nephthali senserunt ante alios omnes vim & depradationem Assyriorum: sic eadem prædicuntur hic prima percepturæ Euangelium & spiritualem depradationem Christi. Cæterùm de regno illo, vt etiam Syria, ob sua scelera per Assyrios euertendo fixum manet Dei decretum.

¥. 1. PRIMO TEMPORE, id est, primo omnium, ALLEVIATA EST, id est, leuiter, seu leui plaga afflicta fuit, TERRA ZABVLON ET TERRA NEPHTHALI, nempe 4. anno Achaz (*f*) quando Teglatphalassar eas vtpotè primùm obuias expugnauit, & in Assyriam (*g*) transmisit. ET NOVISSIMO TEMPORE, id est, posteriùs, AGGRAVATA EST, id est, grauiori clade affecta est eadem terra, quando Salmanassar omnes etiam reliquias eiusdem terræ cum ceteris tribubus Israelis captiuas in Assyriam (*h*) abduxit anno 6. Ezechiæ. Ita Chaldæus, & passim Hebræi: item S. Thomas, Hugo, Vatablus, Adamus, Iansenius & à Lapide. Atque hic est cortex figuræ. Certum autem figurari hîc spiritualem deprædationem, quâ per Emmanuelem Christum eædem terræ Zabulon & Nephthali primò leuiter spoliandæ sint & exuendæ spoliis peccati, diaboli & inferni: nam Christus conceptus est & enutritus in Nazareth, oppido Zabulon, & Apostolos penè omnes ex duabus illis tribubus collegit, teste S. Hieronymo, Basilio, Cyrillo & Procopio. Deinde luculentiorem inde prædam abstulit, quando assiduè ibi prædicans, faciensque innumera miracula, longè plures ex ijs locis conuertit. Sed hæ tantò lætiores fuerunt prædationes, quantò tristiores illæ alteræ fuerant. Probatur hic sensus ex v. seq. & Matth. 4. v. 13. vbi idem hic locus Christo prædicationem suam inchoanti appropriatur. Porrò eadem *terra* est *Zabulon & Nephthali* cum illa quæ VIA MARIS hîc vocatur, seu *ora maritima*, quia adiacebat mari, seu lacui Tiberiadis. Eadem vocabatur GALILÆA GENTIVM, vt alibi dixi (*i*) dixi: propter Gentium, nempe Tyriorum, vicinitatem, sub quorum imperio aliquando fuerat, vnde & erroribus gentilismi non parum infecta erat. Qua de causa *vers.* 1. signanter vocatur POPVLVS ambulans IN TENEBRIS & REGIONE VMBRÆ (*k*) MORTIS, id est, densissima caligine infidelitatis, ignorantiæ & peccatorum. Sed ijsdem LVX ORTA EST Euangelij, fidei & gratiæ. Iansenius, S. Thomas, Hugo, Liranus & Adamus hunc v. 2. & reliquos vsque ad 6. exponunt de pijs Iudæis qui sub

f *Isaiæ 8. v. 4.*

g *4. Reg. 15. v. 29.*

h *Ibid. c. 17.*

Iansen. in c. 25. Concordia.

i *3. Reg. 9. v. 13.*

k *Psal. 22. v. 4.*

Ezechia

Ezechia obsessi à Sennacherib,& ad extrema redacti noua luce recreati sunt per angelum, cùm vna nocte cæderet 185. millia Assyriorum, & sic obsessos atque anxios liberaret. Quæ sanè figura fuit eius liberationis & gaudij, quod per Christum senserunt pij Iudæi sequaces ipsius & discipuli.

¥.3. MVLTIPLICASTI GENTEM Assyriorum, sed NON MAGNIFICASTI LÆTITIAM] cùm tot cæsis ab angelo, reliquit tristes & inglorij ad suos redierunt. Quæ figura fuit doloris & luctus Synagogæ, dæmonis, totiusque regni infernalis, cùm per Christum tot myriades clientum illorum vel prostratæ sunt, vel ad Christi castra transierunt. Illi interim lætantur, &c.

¥.4. IVGVM ENIM ONERIS EIVS, scilicet Sennacherib in figura, diaboli in veritate: ET VIRGAM, seu flagellum, quod HVMERIS, seu copiis suis, suo robore & tyrannide in miseros inuehere tentabat. ET SCEPTRVM EXACTORIS, id est, imperium & tributum, quod quasi durus exactor imponere nobis conabatur, SVPERASTI, ô Emmanuel, SICVT IN DIE MADIAN (a)] id est, sicut tempore Gedeonis confregisti Madianitas famosa illa clade, quæ omnium vocibus celebratur. *Dies* enim hîc metonomicè cladem eo die illatam significat.

a *Iudic.7.*

¥.5. QVIA non illa sola Gedeonis, sed & alia OMNIS hostilis VIOLENTA PRÆDATIO fit CVM ingenti TVMVLTV & tumultuosa strage. ita etiam contigit in illa strage Sennacheribi, & præ omnibus in huius antitypa strage mundanæ superbiæ, peccatorum & dæmonum per Christum edita. Rursum, sicut VESTIMENTVM in bello MISTVM SANGVINE, id est, humano cruore & tabe infectum, non abluitur, sed igne comburitur vnà cum cadaueribus occisorum, vti combussit Gedeon, & alij victores passim: ita contigit etiam in cæde Sennacheribi, & in strage per Christum edita: nam & animas & corpora hostium suorum æternis gehennæ ignibus deputauit. Ita S. Hieronym. Basilius, Rupertus.

¥. 6. PARVVLVS ENIM NATVS EST NOBIS, Emmanuel, Messias, Christus, ET FILIVS, cui pater Deus, cui mater virgo, DATVS EST, non angelis, sed NOBIS hominibus. Sed quantumcumque paruulus corpore & ætate, & externa præcellentia; tamen à primo illius extortu, FACTVS EST PRINCIPATVS SVPER HVMERVM EIVS: id est, natus est princeps, rex & dominus cæli & terræ, idque propter vnionem hypotasticam naturæ humanæ cum Verbo diuino, quæ faciebat hunc puerum Deum. Ita S. Ambrosius, Augustinus, Isidorus & Bernardus.

Ambros. l.3. de Spiritu sancto c.2. Augst. serm.27. de Tempore. Isid l.1. de Fide c.6. Bernard. serm.4. super missus.

ET VOCABITVR eritque NOMEN EIVS, Primò, ADMIRABILIS, propter inæstimabiles & incomprehensibiles in eo reconditos thesauros, seu diuinitatem spectes, seu humanitatem. Hoc Christi nomen præfigurabat angelus ille Iudicum 13. qui dicebat, *Quid quæris nomen meum, quod est mirabile?* Secundum est, CONSILIARIVS, ob infinitam eius scientiam diuinam, & eximiam humanam, tum beatificam, tum infusam: quibus scientiis norat omnia etiam intima Dei consilia, & hominibus optima cõsilia dedit. Tertium, DEVS. Sic Hebræum *el* vertunt hîc LXX. Theodotion, Aquila, Symmachus, Chaldæus, S. Hieronymus, & alij SS. Patres: quin & R. Haccados & plures Hebræi: & nostri quoque hæretici, Oecolampadius, Strigelius, Leo Tigurinus, Castalio & Geneuenses.

אל

Quartum, *gibbor*, id est, FORTIS, propter omnipotentiam, & exantlatos in carne labores, inquit S. Bernardus. Quintum, PATER FVTVRI SÆCVLI, quia noui & spiritualis sæculi nobis auctor & parens, vti Adam & Noë veteris sæculi auctores fuerunt & parentes. Vatablus vertit, *pater æternitatis*, quia morte sua nos genuit resurrectioni, cælo & æternitati. Sextum, PRINCEPS PACIS, & verus *Salomon*, id est, *rex pacificus*, omnis *pacis* & felicitatis auctor, fons & largitor. LXX. interserunt Septimum nomen Christi, nempe, *magni consilij angelus*, seu nuntius, maximè in arcano incarnationis, passionis, institutionis Eucharistiæ, &c.

גבור

¥.7. MVLTIPLICABITVR, id est, multipliciter augebitur & extendetur, nempe non per solam Iudæam, sed & per vniuersum orbem terrarum, EIVS IMPERIVM, quod vocatur *superexcellentia*, & complectitur omne genus imperij, tum spiritualis, tum politici. Vnde principes omnes subditi sunt & vasalli Christo etiam quà homini: & potuisset quà talis etiam Augustum, & omnes alios reges, suis regnis & sceptris priuare. Sed noluit in hac vita vti politico imperio, contentus spirituali, quod tunc per se, nunc per suum vicarium, Pontificem Romanum in Ecclesia exercet, inquit Epiphanius, & alij Patres.

Epiph. hæres 29.

ET PACIS, id est, felicitatis per Christum in Ecclesiam & pias animas inuehendæ (nam Hebræi nomine *pacis* omne bonum designant, inquit Lud. Molina,) NON ERIT FINIS, neque mensura, neque terminus. Hoc testari possunt qui subacto diabolo, mundo & seipsis, pacem perpetuam intus colunt cum Deo. Neque enim hîc agitur de exclusione vel debellatione omnium hostium, sed de victoria ex iisdem continuò procreanda, quæ sæpè consistit in patienti aduersitatum & hostium tolerantia potiùs, quàm in eorumdem profligatione, inquit S. Cyprianus & Tertullianus.

Lud. Molina 1.p.q 27. a.1.disp.2.

Cyprian. & Tertull. l. de Patientia.

SVPER SOLIVM DAVID, ET SVPER REGNVM patris sui, id est, super omnem Israel, SEDEBIT Christus tamquam rex, id est, regnabit: neque super Israel tantùm, sed & super Gentes omnes, & super vniuersum orbem, regnabit, inquam, non regno temporali, politico & mundano; sed spirituali, longè nobiliori & perfectiori, ac per terrenũ illud Dauidis regnum adumbrato & præfigurato. Hinc subdit Isaias, Christum sic regnaturum regno spirituali, VT CONFIRMET ET CORROBORET ILLVD Dauidis regnum corporale. Figura enim confirmatur & roboratur per suum figuratum, quando illud impletur. Corroborabit autem IN IVDICIO ET IVSTITIA, id est, iusto iudicio, & irreprehensibili modo, & quidem VSQVE IN SEMPITERNVM: nam regnum Christi numquam capiet finem.

ZELVS DOMINI FACIET HOC] Id est, ingens indignatio erga hostes, & singularis φιλανθρωπία, seu amor, Christi erga suos, causa erit eorum omnium quæ hactenus dixi facturum Christum, in incarnatione, passione, hostium spoliatione, &c. Ita Cyrillus.

¥. 8. VERBVM hoc omne, quod per Isaiam MISIT DOMINVS prædicendum IN, seu aduersus, domum IACOB, id est, aduersus 10. tribus, quæ constituebant regnum Samariæ, seu Israel, reipsa CECIDIT IN ISRAEL] id est, superuenit ita prorsus Israelitis. Nempe terra illorum ab Assyriis vastata est, &c. LXX. pro *dabar*, id est, verbum, mutatis punctis legerunt *deber*, id est, pestis. Et reuerà pestis erat

רבר
דבר

erat atque exitium Israeli quod Isaias Dei nomine A ipsis comminatus fuit, & Assyrij intulerunt. Ita Sanchez & ferè recentiores.

℣.9. ET SCIET] nempe, ex ipso euentu & experientia sentiet, verax fuisse verbum quod ei comminatus sum.

℣. 11. ELEVABIT DOMINVS, id est, superiores & victores faciet, HOSTES RASIN regis Syriæ, quo sibi confœderato gaudebant Israelitæ, & quibus suis hostibus resistendo se pares putabant. Ergo SVPER EVM, id est, contra Rasinum, primò consurgent & præualebunt Assyrij: ET IN TVMVLTVM VERTENT] id est, maximo strepitu & impetu obruent omnia in Syria. *Ascendit enim* B
4.Reg.16. v.9. *rex Assyriorum* Teglat-phalassar *in Damascum, & vastauit eam, & transtulit habitatores eius Cyrenen* in Mediam: *Rasin autem interfecit*. Porrò Syris in Mediam abductis substituit Assyrios, ad incolendam Damascum & reliqua Syriæ loca. Hos & reliquias Syrorum, qui Israelitis erant.

℣.12. AB ORIENTE, ET PHILISTHIIM, Israelis antiquos hostes, AB OCCIDENTE, traxit secum Teglatphalassar contra Israelem, ET DEVORARVNT eum TOTO ORE] id est, auidissimè & crudelissimè, quasi hiantes toto ore, inquit S. Hieronymus. Id factum cùm Nephthalitas, Zabulonitas, & vicinas tribus deuictas & subactas expilauit Teglatphalassar, & transtulit in Niniuen, C
4. Reg. 15. vers. 29.

IN OMNIBVS HIS, seu post has omnes immissas plagas, NON EST AVERSVS FVROR Dei, SED ADHVC MANVS EIVS EXTENTA ad eosdem Israelitas iterum & grauiùs feriendos. Quia nempe, prioribus plagis non resipuerunt, vitulos aureos & Baalim non deseruerunt, Deo cæli seruire
a 4 Reg. 18. v. 9. noluerunt. Itaque noua per Salmanassar (*a*) deuastatione,

℣. 14. DISPERDET DOMINVS AB ISRAEL CAPVT ET CAVDAM, id est, summos & infimos: INCVRVANTEM; Hebraicè, *ramum*, qui expansus se suaque folia & fructus curuat, id est, principem seu magistratum, qui suis viribus & imperio D curuat & regit subditos: ET REFRÆNANTEM] Hebraicè, *iuncum*, quo in funem plexo solent pauperes frænare iumenta. Designat equisonem vel stabularium, & metaphoricè vilissimum mancipium. q.d. Omnes ad vnum disperdendi sunt, proceres & stabularij, domini & serui.

℣.15. LONGÆVVS] Id est, senex, seu senator, ipse est caput, ipse ramus, ipse incuruans & incuruus.

PROPHETA DOCENS MENDACIVM, IPSE EST CAVDA] vilissimum reipublicæ membrum: qui falsis promissis suis & blanditiis, sicut canes sua cauda, adulabantur populo, & obscena sua vitia tegebant: & sicut serpentes caudâ suâ venenum E impietatis in alios immittebant.

℣.17. NON LÆTABITVR, id est, non miserebitur. q.d. Ne molliori quidem & blandiori ætati parcet: sed ne miserabilium quidem personarum, vt sunt *pupilli* & *viduæ*, MISEREBITVR DOMINVS.

QVIA OMNIS HYPOCRITA EST] Id est, omnes sunt impij & transgressores legis diuinæ.

℣. 18. IMPIETAS ENIM in toto Israele SVCCENSA EST, latissimè grassatur, vbique dominatur QVASI IGNIS, qui in siluam immissus, primò deuorat VEPREM ET SPINAM, ignobiles frutices; sed mox ad arbores quoque & nobiliores plantas proserpit: adeò vt SALTVS totus, quantumcumque densus, CONVOLVATVR SVPERBIA, id est, elatione & altitudine, FVMI ac flammæ ad cælum vsque ascendentis. Sed vt culpa, sic etiam pœna omnes inuoluet, inquit S. Hieronymus.

℣. 19. VIR FRATRI SVO NON PARCET] nempe pressus egestate, fame, aliisque miseriis.

℣. 20. DECLINABIT AD DEXTERAM ET SINISTRAM, &c. q.d. Instar rabidæ feræ, quæ pressa fame sæuit inter armenta, & modò à dextris, modò à sinistris pecus iugulat; ita & Israelitæ inter fratres & cognatos suos grassaturi sunt. VNVSQVISQVE CARNEM BRACHII SVI VORABIT, id est, fratres, cognatos, & proximos amicos suos (qui ipsi loco brachiorum esse solent, alter alterius membra) summo odio & crudelitate spoliabit opibus, possessionibus, vita. Etiam MANASSES EPHRAIM, licet germani fratres, ex eodem patre & matre prognati, inter quos maior solet esse cõiunctio & amor, in mutuas tamen ruent cædes, qui iam SIMVL IPSI conspirant CONTRA IVDAM.

CAPVT X.

Punitis per Assyrios Israelitis, praedicit etiam Iudaeos per eosdem propter paria scelera puniendos: ipsum dein regem Assyriorum, quod sua virtuti & sapientiae asscriberet concessas ealtus victorias, amentia redarguit, & exitium minatur. Reliquis verò Iudaeorum liberationem & salutem pollicetur. Ita S. Hieronymus, Cyrillus & alij.

℣. 3. QVID FACIETIS IN DIE VISITATIONIS, id est, punitionis à Deo capitibus vestris imminentis: ET CALAMITATIS, seu afflictionis, DE LONGE ex Assyria VENIENTIS? Vbi DERELINQVETIS GLORIAM VESTRAM] id est, opes, pompam, dignitates, quibus adeò nunc gloriamini? Quid tunc vobis hæc omnia proderunt?

Nota. Quod S. Symmachus Papa dicit (*b*) hæc b Cap. Alio-
Isaiæ verba prædicta videri de sede Petri, non in- rum 9. q. 3.
telligit de sensu litterali, (vt ei assingit Oecolam- & in Libro
padius) sed accommodatitio, quia perinde ei sub- Ennodij.
seruiunt, ac si de ea fuissent prædicta.

℣. 4. NE INCVRVEMINI SVB VINCVLO] seu sub iugo, nempe grauati catenis, vt solent victi & capti. q.d. Ne captiui abducamini; supple, *quid facietis?* vt præcessit.

℣. 5. VÆ ASSVR] LXX. *ve Assyriis*. Minatur Sennacheribo eiusque exercitui, duas ob causas, Primò, quòd, cùm non esset nisi instrumentum Dei ad puniendos Iudæos, ipse tamen sibi tamquam primo auctori & supremo domino omnia adscriberet. Secundò, quòd limites in punitione excesserit, non solùm puniendo Iudæos, sed & exscindere volendo.

IN MANV EORVM INDIGNATIO MEA] Id est, opera & armis Assyriorum exequar iram meam, & scelera Iudæorum vlciscar. Ita S. Hieronymus, Basilius, Cyrillus, Procopius & alij.

℣. 6. AD GENTEM FALLACEM] Chaldæus, *ad cœtum hypocriticum*, id est, ad populum Iudaicum duarum tribuum, qui totus ex hypocrisi conflatur: fingens sub piissimo rege Ezechia pœnitentiam, & cultum veri Dei, sed animo in idola prorsus inclinante & obstinante.

CONTRA hunc ergo POPVLVM FVRORIS MEI, id est, iræ seu furori meo deuotum, in quem liberis habenis desæuiet furor meus, MANDABO regi Sennacherib, VT PONAT ILLVM non in excidium, sed IN CONCVLCATIONEM] nempe vt deiectum prosternat, conculcet, ignominiâ afficiat & damno.

℣. 7.

℣. 7. IPSE AVTEM Assyrius NON SIC ARBITRABITVR, nec existimabit se tantùm virgam & instrumentum meum esse, ac proinde nec vltra limites à me præscriptos debere prosilire. Sed putabit se dominum absolutum esse, & à me independentem: ideoque non curabit solùm punire Iudæos, vt ego iussi; sed volet eosdem, & plures cum illis alias gentes prorsus CONTERERE ET AD INTERNECIONEM delere.

℣. 8. DICET ENIM iactabundus:

℣. 9. NVMQVID NON PRINCIPES MEI, seu dynastæ mihi subiecti, SIMVL REGES SVNT.] Quantus ergo sum monarcha ego, qui tot regibus præsum & impero?

a 4. Reg. 23. v. 29. & 2. Paralip. 35. v. 20. & Ierem. 46. v. 2. Hieron. in Loc. Hebr. Plin. l. 6. c. 26.

NVMQVID NON VT CHARCAMIS. (a) Vrbs munitissima ad ripam Euphratis, quam Assyrio ereptum ibat Nechao rex Ægypti & iuxta quam vulneratus est Iosias rex Iuda. SIC CALANO, (b) supple, cessit armis & imperio meo? vrbs prope Babylonem sita, teste Hieronymo, postea *Ctesiphon* dicta, Parthorum aliquando regia, inquit Plinius.

b Gen. 10. v. 10. & Amos 6. v. 2.

ET VT ARPHAD, (c) vrbs haud procul Damasco sita, SIC & EMATH] metropolis postea Syriæ, dictaque *Antiochia*, inquit Iosephus, & tertia inter vrbes Romani Imperij. *Damascus* regia tum erat Syriæ, sed eam excidit Teglatphalassar: (d) *Samariam* metropolin regni Israelitici 10. tribuum vastauit Salmanassar (e) antecessor Sennacherib.

d Ierem. 49. v. 23. Ioseph. l. 3. Bell. c. 1. d 4. Reg. 16. v. 9. e 4. Reg. 17. v. 6.

℣. 10. REGNA IDOLI, id est, regna idolis dedita, non tam expugnaui, quàm INVENI obuia prædæ & lanienæ. MANVS non Dei, sed MEA] Similes blasphemias fastuosi tyranni audire erit ex Rapsace præfecto militiæ eius, 4. Reg. 18. v. 19. &c.

℣. 11. SIC FACIAM etiam IERVSALEM ET SIMVLACRIS EIVS] nempe quæ Achaz rex in templum inuexerat, 4. Reg. 16. v. 10. &c. sed ea iam sustulerat Ezechias, c. 18. v. 4. licet Sennacherib id ignoraret.

℣. 12. CVM IMPLEVERIT DOMINVS CVNCTA OPERA castigationis suæ IN MONTE SION] id est, cùm per Assyrios sat afflixerit Ierosolymam, suburbana eius exciderit, opes & spolia extulerit, 4. Reg. 18. v. 13. &c. q. d. Cùm sat vsus fuero virgâ Assyriâ, tunc virgam ipsam confringam & in ignem abiiciam, vt solent facere parentes castigatis filijs.

℣. 15. NVMQVID GLORIABITVR SECVRIS CONTRA EVM QVI SECAT IN EA?] sibine adscribet quòd ligna dissecuerit? quid puerilius? quid stultius? Cur ergo tu, ô Sennacherib, qui non es nisi securis & instrumentum voluntatis & iræ Dei (licet instrumentum animatum & ratione præditum) audes tibi tot victorias asscribere? Nónne Deus est, qui tibi dedit vires, animos, copias, prosperitatem? Nónne ipse pauorem iniecit Iudæis, aliisque gentibus, vt tibi resistere non auderent? *Propter* has blasphemias.

℣. 16. MITTET DOMINVS IN PINGVIBVS EIVS TENVITATEM] id est, pinguia & prospera eius omnia extenuabit, nominatim robustos & petulantes milites eius reddet debiles & imbecilles, cæsis illorum 185. millibus vna nocte, 4. Reg. 19. vers. 35.

QVASI COMBVSTIO IGNIS ARDEBIT pestis, vel alia similis plaga ab angelo vna nocte SVCCENSA SVBTVS GLORIAM EIVS] id est, sub glorioſum exercitum illius. Tradunt Hebræi, teste S. Hieronymo, corpora militum feriente angelo, A igne occulto, vestibus & armis illæsis, exusta & quasi in cineres redacta fuisse.

℣. 17. ET (nam) LVMEN ISRAELIS, seu SANCTVS EIVS, id est, Deus, ERIT ipsis IN IGNE ET FLAMMA, q. d. Ad exurenda castra Assyriorum non opus erit alio igne quàm ipso vindice Deo, qui verè *ignis consumens* vocatur à Moyse (f) & Paulo. Hoc igne SVCCENDETVR ET DEVORABITVR SPINA ET VEPRES Iudææ, nempe miles Assyrius, IN DIE VNA] id est, simul.

f Deut. 4. v. 24. & Hebr. 12. v. 29.

ET GLORIA SALTVS EIVS, id est, quidquid gloriæ & maiestatis habuerit Assyrius (hoc enim per saltum, seu siluam frõdosam designatur) quidquid item opulentiæ & venustatis (quod per Carmelum montem fertilissimum & amœnissimum significatur) AB ANIMA VSQVE AD CARNEM, id est, omnino & ex toto, CONSVMETVR: ET nimio TERRORE PROFVGVS ERIT & fugibundus, vt narratur 4. Reg. 19. v. 35. & Tobiæ 1. v. 21. & alibi.

℣. 19. ET RELIQVIÆ LIGNI SALTVS, seu exercitus, EIVS anteà innumerabiles, iam PRÆ PAVCITATE facilè NVMERABVNTVR, adeò vt PVER possit EOS describere, & catalogum eorum texere. Tunc

℣. 20. RESIDVVM ISRAELIS, & qui cladem Assyriorum effugerint, videntes prostratas copias Sennacherib, NON ADIICIENT ampliùs vel diutiùs INNITI SVPER EO QVI PERCVTIT & affligit EOS, id est, super rege Assyrio. (perstringit regem Achaz, qui implorabat (g) opem perfidorum Assyriorum,) sed INNITENTVR SVPER DOMINVM, non fictè, non timidè, (vt suprà v. 6.) sed IN VERITATE] id est, sincerè & constanter.

g 4. Reg. 16. v. 7.

℣. 21. RELIQVIÆ CONVERTENTVR] Hebraicè est, *Sear iasub*, quod erat nomen filij Isaiæ, vt dixi c. 7. v. 3. q. d. Tum verificabitur id quod filius meus suo nomine prophetat, nempe reliquias Iudæorum conuertendas ad Deum: Primò, tempore Ezechiæ abacto Assyrio, vt explicat S. Hieronymus & Cyrillus; Secundò, tempore Christi, subacto dæmone & peccato, vt explicat S. Paulus, (h) & docent Isidorus, Salmeron & Toletus.

h Ad Rom. 9. v. 27. Isidor. in 1. Reg. 2. Tolet. & Salmer. in Rom. 9.

℣. 22. SI ENIM; clarius, *etsi enim*, FVERIT POPVLVS ISRAEL innumerabilis QVASI ARENA MARIS; tamen non nisi RELIQVIÆ EX EO CONVERTENTVR ad cultum veri Dei, sub Ezechia, & ad fidem veri Messiæ, sub Christo.

CONSVMMATIO, seu consummata & plena Iudæorum multitudo, ABBREVIATA, (i) id est, ad breuem & exiguum numerum redacta; Hebraicè, *accisa*, INVNDABIT IVSTITIAM] id est, ipsa abũdabit iustitia, seu vera religione, & eamdem in alios quoque deriuabit, & instar fluminis quaquauersum disperget. Quod & in tempus Ezechiæ, & magis in tempora Christi ad litteram quadrat.

i Simile Daniel 9. v. 24. & Matth. 24. v. 22.

℣. 23. CONSVMMATIONEM ENIM ET ABBREVIATIONEM. Hendyadis, id est, consummationem abbreuiatam, de quâ iamiam egit; LXX. & ex iis S. Paulus *verbum abbreuiatum*, id est, rem seu numerum accisum, omnino FACIET DOMINVS IN MEDIO OMNIS TERRÆ] seu Iudææ, seu totius habitatæ. q. d. Palàm, apertè, toto orbe vidente & palpante. Hac spe erecta, ô Iudæa, bono sis animo;

℣. 24. VIRGA leuiter PERCVTIET TE rex Assyr Sennacherib, vt solent cædi virgâ filijfamilias, sed non occidi. BACVLVM & sceptrum SVVM, & arma sua LEVABIT SVPER TE, ô Ierusalem, sed IN VIA ÆGYPTI] id est, eo modo, eo successu quo solet rex Ægypti vos suis armis impe-

tere,

tere, nempe magno strepitu, superbo hiatu, sed exiguo damno tuo, maximo suo. Nam vt olim super Pharaonem extendit Moyses virgam suã reducendo super eum aquas maris rubri, sic etiam modò leuabo *virgam* meam super Sennacherib, & simili vltione & plaga illum plectam *in via Ægypti*, id est, quo modo olim sub Moyse vltio sumpta est de Ægypto. Ita Sanchez & plerique alij. Sed nõ video cur ad litteram id intelligi non possit de materiali *via Ægypti*, tum 24. tum 26. versu. Nam Sennacherib cùm reuerà esset *in via Ægypti*, obuiaturus Tharacę Æthiopum regi, ex itinere minaces litteras dedit ad Ezechiam regem Iuda, 4. Reg. 19. v. 9. & cùm rursus in reditu ex *via Ægypti* pararet oppugnare Ierosolymam, adhuc circa *Lachis* existens, cæsus est ab angelo, & fugere compulsus.

¥.26. IVXTA PLAGAM MADIAN, id est, simili pauore quo Madianitæ olim sub Gedeone prostrati sunt, & princeps eorũ *Oreb* cæsus est IN PETRA, quæ inde nomen retinuit OREB, etiam Sennacherib sternetur, fugabitur, & à propriis filiis in templo dei sui iugulabitur, 4. Reg. 19. in fine.

¥. 27. IVGVM seruitutis, quod humeris vestris tyrannus partim imposuerat, tributum annuum
a 4. Reg. 18. v. 14. (a) imperando, partim impositurus erat, Iudææ totà subactâ; cæso tyranno COMPVTRESCET, & per consequens, cessabit grauare & lædere: *computrescet*, inquam, A FACIE OLEI] id est, per oleum superinfusum. q. d. Non tolletur vi & armis, sed sine strepitu tyrannus. Sicut enim lora, nodi & funes, ex quibus iugum boum contexitur; solent oleo ab agricolis superinfuso mollescere, lentescere, putrescere, atque ita dissolui: sic ad præsentiam diuinæ opis meæ, inquit S. Hieronymus, vel vindictæ meæ, sine strepitu deficient vires omnes Assyrij tyranni, vt priùs deletum se sentiat, quàm audiat. Allegoricè, Chaldæus, iugum dæmonis & peccati tolletur à nobis per & propter Christum, cuius nomen, *oleum effusum*. Cant. 1. v. 2.

¥. 28. VENIET IN AIATH. Aliqui vrbem
b Iosue 7. v. 2. *Hai* (b) intelligunt: TRANSIBIT IN MAGRON] aliam vrbem Iudææ; LXX. *Magedo*. Pulchra hypotyposi Propheta, vt certitudinem doceat suæ prophetiæ describit hîc iter aduentantis Sennacherib, & ex Ægypto in Iudæam redeuntis ad obsidendam Ierosolymam. Ergo nominat vrbes quas vel capturus, vel transiturus erat.

c 1. Reg. 13. v. 16. 1. Mach 9. v. 73. APVD MACHMAS (c) COMMENDABIT VASA SVA] id est, sarcinas & impedimenta relinquet ad tempus, vt tantò expeditior sit ad iter prosequendum. Inde enim

¥.29. CVRSIM, seu citato cursu, TRANSIERVNT vlteriùs, forsan soli equites Assyrij, clamantes, Festinato opus est, GABA SEDES NOSTRA, seu diuersorium nostrum, id est, non antè quiescendum, seu pernoctandum, quàm in *Gaba* deuenerimus.

OBSTVPVIT RAMA tanti exercitus tam celerem reditum; & ciues GABATH, regiæ quondam SAVLIS, conterriti *fugerunt*.

¥.30. HINNI VOCE TVA, id est, eiula, conquerere, accerse vicinarum vrbium opem, FILIA GALLIM, id est, ô vrbs *Gallim*, vnde oriundus
d 1. Reg. 25. v. 44. (d) erat Phalti, cui nupsit Michol vxor Dauidis profugi. ATTENDE, & caue tibi LAISA, aliàs *Lais*,
e Iudic. 18. v. 27. & 29. (e) aut *Lesem*. Sic vocabatur vrbs *Dan*. PAVPERCVLA ANATHOTH] Vrbs Leuitica, Ieremiæ ortu notissima.

¥.31. MEDEMENA est *Bersabee*, inquit Adrichomius, postèà dicta *Gibelina*, teste S. Hieronymo: HABITATORES GABIM, id est, excelsorum locorum, inquit S. Hieronymus & Sanchez & Aluarez, CONFORTAMINI] id est, bono animo sitis. Festinans tyrannus non nectet moras vobis expugnandis necessarias.

¥.32. ADHVC DIES EST: sed ante finem dici, decreuit IN NOBE *stare*, & cum præambulis copiis diuersari. Vrbs erat sacerdotum, ex qua conspici poterat Ierusalem, inquit S. Hieronymus. Ex hac vrbe eminus AGITABIT MANVM SVAM, & minabitur excidium MONTI SION, seu Ierosolymæ.

¥. 33. Sed ECCE Deus CONFRINGET inflatam hanc & tumidam LAGVNCVLAM, non armis, sed TERRORE cælitus immisso. Alludit ad lagunculas (f) Gedeonis.
f Iudic. 7. v. 16.

EXCELSI STATVRA, id est, præstantissimi quique milites Assyrij SVCCIDENTVR ab angelo.

¥.34. SVBVERTENTVR CONDENSA (g) SALTVS, id est, copiæ numerosæ & compactæ, vt sunt arbores in siluis. ET LIBANVS nemorosus CVM electis cedris suis prorsus concidet, nec vmquam reuirescet: transferetur enim omnis Assyriorum gloria ad Chaldæos. Non sic arbor Iudaica, de quà cap. sequ.
g Sup. v. 17.

CAPVT XI.

Ex arbore Iudaica & regia stirpe Dauidis, licet per Assyrios vtraque vastanda, & per Chaldæos penè exscindenda, remanebit tamen truncus & radix, ex quâ flos nobilissimus exsurget Christus, ornatus omnibus donis Spiritus sancti. Sub cuius imperio Gentes sociabuntur Iudæis & lupi agnis: eritq; sepulchrum eius gloriosum, æquè ac vexillum crucis: spolia eius erunt Philisthæi, Idumæi, Moabita, Ægyptij & alia omnes gentes.

¥. 1. DE RADICE IESSE, id est, ex familia Dauidis, quæ spoliata iam suis regibus quasi plebeia latebat in terra, EGREDIETVR VIRGA; Symmachus & Theodotion, *germen nouum*, nempe B. Virgo Maria, & ex ea FLOS *Christus*, Rex regum, inquit Chaldæus, & communiter SS. Patres, & etiam Rabbini, teste Hieronymo. Hebraicè est, *netzer*, vnde Maldonatus, Iansenius & alij cum S. Hieronymo Christum putant vocari Nazaræum vel Nazarenum, Matth. 2. v. vlt. Et S. Hieronymus aliquando (h) pro *flos* hîc vertit, *Nazaræus de radice eius crescet*. q. d. Floridus omni virtute, gratiâ, scientiâ, vt mox explicat.
נצר
h Hiero. ad Pammachium, de optimo genere interpretandi Scriptur.

¥.2. ET REQVIESCET SVPER EVM: id est, firmiter, constanter & quasi in subiecto sibi proprio manebit SPIRITVS DOMINI sanctus: nempe ex vi vnionis hypostaticæ cum Verbo, connaturaliter & necessariò est in Christo Spiritus sanctus, & cum eo dona ipsius *septem*, id est, omnia, & quidem in nobilissimo gradu: vnde non tam dona, quàm donorum spiritus in eo requiescere hîc dicitur. Quamquam simpliciter *spiritus* per metonymiam pro *re aspirata*, id est, pro dono, seu virtute infusa accipiatur. Porrò hæc dona primaria Spiritus sancti, seu virtutes à Spiritu sancto infusæ (neque enim distinguuntur hæc dona nisi ratione, à virtutibus eiusdem nominis, vt docent passim SS. Patres hîc à Leone Castrio citati,) licet cuiuis fideli in iustificatione communicentur, saltem quæ & quatenus cum virtutibus moralibus eadem sunt, non tamen communicantur in gradu intenso vel eminenti, quo modo hîc Christo communicandi dicuntur, putà excellentissimo modo,

& in

& in gradu intensissimo, & quidem constanter, perpetuò, naturaliter ac necessariò inhæsura, vt suprà dixi, quia hoc nulli alteri concessum fuit.

SPIRITVS SAPIENTIÆ, est donum, seu virtus, quâ contemplamur diuina & æterna, & secundùm illa de rebus omnibus iudicamus & decernimus. Et distinguitur in eo à virtute SCIENTIÆ, quâ cognoscimus temporalia, & modum illis benè ad salutem vtendi.

INTELLECTVS, est virtus penetrandi obscura, maximè Scripturarum. CONSILII donum, penè idem est quod prudentia Christiana, quâ omnes nostras proximorumque actiones honestè dirigimus: consilium enim præcipuus est actus prudentiæ. Et hæc quatuor priora dona Spiritus sancti ad intellectum hominis pertinent & ei insunt. Tria verò sequentia insunt voluntati; putà FORTITVDO, qua quælibet aduersa, etiam martyrium, sustinemus propter Deum. PIETAS, seu religio, quâ Deum vt summum parentem colimus summa reuerentia; proximis verò quasi fratribus omnem æquitatem ac beneuolentiam exhibemus vnius Dei, communis parentis causâ. Est ergo *pietas* pars præcipua iustitiæ Christianæ.

Denique ℣. 3. SPIRITVS TIMORI DOMINI, non seruilis aut hostilis, sed filialis & reuerentialis, qui vt fons, ita & complementum est omnium virtutum, vt alibi (*a*) dixi. Hic timor in anima Christi nascebatur ex intimâ reuerentiâ, & clara cognitione diuinæ maiestatis, & vilitatis suæ humanæ naturæ, quæ ex nihilo venerat, & in nihilum reduci poterat, potuisset que etiam peccare & damnari, si vnione hypostatica & aliis donis præuenta non fuisset. Vide hæc fusiùs apud S. Thomam & Doctores Scholasticos.

(*a*) *Psal.* 110. *v.* 9.

1. 2. q. 68. & 3. p. q. 7. a. 6.

Porrò his donis plenus Christus, Dominus & Iudex vniuersi, IVDICABIT NON SECVNDVM VISIONEM OCVLORVM, seu secundùm apparentiam externam, quæ sæpè fallit: NEQVE ARGVET SECVNDVM AVDITVM AVRIVM] seu ex rumusculis & relatione aliorum, in quâ multus plerumque error.

℣. 4. SED IVDICABIT IN IVSTITIA] iuxta causæ æquitatem, quam in seipsa, vt est, perspectam habebit, qui etiam *corda scrutatur & renes*. Itaque sincerum iudicium reddet tum omnibus iudicandis, tum maximè *pauperibus*, quos potentes solent opprimere, & mali iudices contemnere. Ita S. Iræneus & Hieronymus.

ET ARGVET PRO MANSVETIS TERRÆ] nempe qui seipsos tueri non possunt, interim patienter & mansuetè ferunt illatas iniurias; hos Christus defendet contra duros & superbos oppressores.

ET TERRAM, id est, terrenos homines, seu terræ incolas, si sibi rebelles senserit, PERCVTIET VIRGA ORIS SVI] id est, acri & libera obiurgatione & increpatione. Sic Pharisæos obiurgauit & Scribas, Matth. 12. 23. & 25. auaros & voluptuarios Lucæ 6. Nec obiurgabit tantùm, sed &

INTERFICIET IMPIVM quẽuis, cùm ei visum fuerit: neque ad id opus habebit armis aut copiis militaribus, sed occidet SPIRITV LABIORVM SVORVM] id est, iussu & imperio suo. Sic prostrauit copias militares quæ ad ipsum capiendum venerãt, Ioannis 18. v. 6. Et custodes sepulchri Christo resurgente *facti sunt velut mortui*, Matth. vlt. v. 4. Et ore Petri Ananias & Saphira occisi sunt, Act. 5. Et caput omnium impiorum Antichristus *verbo oris* Christi occidetur cum suis sequacibus, 2. Thessal. 2. v. 8. Et omnes omnino impij sententiâ æternæ mortis ex eius ore accipient in die iudicij.

℣. 5. ET ERIT IVSTITIA, itemque FIDES, id est, veracitas, seu fidelitas, perpetuò adhærés Christo, instar *cinguli* LVMBORVM, seu balthei, ipsum vndique cingens, stringens, ornans & roborans. Porrò his suis virtutibus effectum dabit, vt

℣. 6. HABITET LVPVS CVM AGNO, (*v. g.* Saulus cum Anania, inquit S. Hieronym.) PARDVS CVM HOEDO, *leo cum one, vrsus cum vitulo*. Id est, homines antè feroces, rapaces, superbi, variis erroribus ac vitiis irretiti, simul in eadem Christi Ecclesia quietè versabuntur cum iustis, cum humilibus, cum simplicibus, cum pauperibus. q. d. Summa erit inter omnes concordia, pax & fidelitas, &, quæ ex illis emanat, rerum omnium abundantia & felicitas.

ET PVER PARVVLVS MINABIT EOS] nempe subordinationem & obedientiam præstabunt omnes suo Prælato & pastori, etiam ignobili, indocto, imperfecto.

℣. 7. LEO QVASI BOS COMEDET PALEAS] Id est, superbi antè & arrogantes, etiam principes, induent mores, & cibo victitabunt tum corporali, tum spirituali vulgarium, humilium, pauperum Christianorum.

℣. 8. INFANS AB VBERE matris vix depulsus DELECTABITVR SVPER FORAMINE ASPIDIS] nihil eius congressum exhorrescens, sed ludibundus, etiam in antrum eius fidenter manum immittens. Id est, recenter ad Christum conuersi, etiam adolescentuli & pueri, liberè agent cum idololatris, hæreticis, tyrannis, intrepidè cum iis congredientes, fidem palàm annunciantes, mortem & martyrium ambientes. Plenæ sunt exemplis historiæ etiam nostri temporis in S. Xauerio, Barzæo, &c. Et quidem initio nocebunt eis tyranni, & multos martyrio afficient, sed paulatim meliùs ab eis edocti & cicurati, abiecto infidelitatis veneno, ad Christum conuersi,

Tursellinus in Vita Xauerij l. 2. c. 6. & 7. Nic. Trigantius in Vita Barzæi l. 2. c. 19.

℣. 9. NON NOCEBVNT eis amplius, neque OCCIDENT IN VNIVERSO MONTE SANCTO MEO, id est, in tota Ecclesia mea. Ita S. Hieronymus. Malè ergo Lutherus hinc infert, non licere Catholicis occidere hæreticos. Inferre debuisset, non occisum neque læsum iri Catholicos ab hæreticis, nempe iam conuersis. Neque hoc in vno alteróve terræ angulo fiet, sed per orbem vniuersum. QVIA REPLETA EST TERRA SCIENTIA, seu cognitione, DOMINI, non scholastica Doctorum, seu catechistica rudium, nempe fide in verum Deum & Christum: quæ sic inundabit totam terram, SICVT AQVÆ MARIS illam *operiunt*. Ita S. Hieronymus.

℣. 10. IN DIE ILLA, seu tempore aduentus Domini, erit RADIX IESSE. Hebræum *sores* non שרש solùm *radicem*, sed & *surculum* vel *germen* significat, inquit Forerius, Ribera, Alcazar & à Lapide. Vnde cap. 53. v. 2. simili modo *radicem* pro *virgulto* vsurpat Isaias: *Ascendet sicut virgultum, & sicut radix de terra*. & 1. Machab. 1. *Exiit ex eis radix peccatrix Antiochus*. Ergo *radix Iesse* hoc loco est stirps, seu progenies Iessæa, nempe Christus Messias.

Ribera & Alcaz. in Apoc. 5. v. 5.

QVI STAT IN SIGNVM POPVLORVM] non amplius iam sub terra latens, neque iuxta terram serpens, sed in altum sese extollẽs, instar signi militaris; Hebraicè, *vexilli*, ad quod vndique omnes adcurrent, sub quo stipendia facient, & cui se ducendos,

cendos, regendos tuendosque vniuersi populi committent: solent enim milites vexillis regi, sicut naues gubernaculo: vnde LXX. hîc vertunt, *exsurget vt princeps sit Gentium.* & ita legit S. Paulus ad Rom. 15. v. 12. Porrò principis huius non sola vita (quam nobiscum aget) præclaris erit & gloriosa, sed ET ERIT SEPVLCHRVM EIVS GLORIOSVM] Hebraicè & Græcè, *erit requies eius gloria.* Vnde *sepulchrum* hîc non tam locum significat in quo positum fuit cadauer Christi, quàm ipsam mortem, dormitionem, seu requiem, quæ fuit causa sepulturæ. Porrò mors Christo gloriosissima accidit; nam simul atque exspirauit, anima victrix apud inferos triumphauit: & corpus honorifico conditum sepulchro, quod etiam angeli sua præsentia & custodia cohonestabant, glorioſum tertia die resurrexit. Ita ferè S. Hieronymus & Cyrillus. Addit Rupertus, & ex eo Delrius, requiem Christi fuisse nobis quoque perglorioſam, & nostræ vicissim quietis causam. Et in huius rei figuram, Lamech filium suum vocasse *Noë*, à radice *noah*, quod est, *à defatigatione requiescere*: & causam addidisse, quia *ipse consolabitur nos*; LXX. Philo & Iosephus, *faciet nos quiescere ab operibus & laboribus manuum nostrarum.* Porrò etiam, vt littera sonat, materiale sepulchrum Christi glorioſum fuisse & etiamnum esse, constat ex rei gestæ historia Matth. 27. v. 60. & infinitis miraculis, quæ ad illud sepulchrum, nobilissimo templo ab Imperatrice Helena exornatum, quotidie patrantur, teste S. Augustino, Gregorio Turonensi, Adrichomio & aliis. Quæ gloria ad hoc vsque tempus, etiam in media Turcarum barbarie continuatur: & perpetuo peregrinorum eò vndique tendentiũ concursu, non parùm augetur, inquit S. Bernardus: & annuâ Ecclesiæ, sepulchralem Christi gloriam in sanctiore hebdomada per vniuersum orbem quantâ potest pompâ celebrantis consuetudine perpetuò renouatur.

Rupert. & Delrio, in Genes. 16.

נוח

Aug. 22. de Ciu. c. 8. Greg. Tur. de Gloria Mart. c. 7. Adrich. de Terra sancta c. 177. Bern. ad milites c. 11.

¥. 11. ET ADIICIET DOMINVS SECVNDO MANVM SVAM AD POSSIDENDVM RESIDVVM POPVLI SVI. Id est, tempore Christi Deus denuo colliget dispersum populum suum, nempe reliquias Israelitarum. Primò enim colliget illos dispersos, quãdo sub Cyro & Dario Hystaspis è Chaldæa, Perside & aliis regnis illos in Iudæã remittet. Secundò, quando sub Christo eosdẽ sibi ex omnibus terræ regionibus adleget; maximè post mortem & resurrectionem suam, per Apostolos & discipulos suos. Et illa prior collectio sub Cyro, typus & figura erit posterioris sub Christo. Sicut enim tunc annuente Cyro, ita posteà vocante Christo, quotquot ex Iudæis voluerunt, ex longo exilio remearunt in patriam, siue ex *Assyria* (in quam abducti fuerant à Teglatphalassar (*a*) & Salmanasar (*b*) siue ex ÆGYPTO, in quam multos cum rege Ioachaz abripuit Pharao (*c*) Nechao: & multò plures sponte sua eodem exulatum concesserunt cum Ieremia (*d*) & Baruch: siue ex PHETROS, id est, Petra metropoli Arabiæ Petræ: siue AB ÆLAM metropoli Elamiticæ regionis supra Eulæum flumen sitæ, inquit Pererius: siue A SENNAAR, id est, Babylonia: siue AB EMATH prope Damascum: siue AB INSVLIS MARIS] putà Græcia, Italia, Hispania, & tota Occidentali plaga, quæ ambitu Oceani vallatur. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Basilius, Procopius. In genere verò significat, reliquias Iudæorum, vbicumque gentium & locorum dispersæ fuerint, inde à Deo euocandas, & in patriam suam atque ad Ecclesiam Christi conuertendas.

a 4. Reg. 15. v. 19.
b Ibid. c. 17. v. 6. & c. 23 v. 34.
c Ierem. 43. v. 5.
Perer. in c. 8. Daniel. l. 9. q. 4.

¥. 12. LEVABIT enim Deus SIGNVM; Hebraicè, *vexillum* militare, IN omnes NATIONES] nempe Messiam filium, eiusque crucem. Ad quod signum (vt dixit v. 10.) confluent vndique profugi & dispersi milites eius tum Iudæi, tum Gentiles, vt exponi videtur Ioannis 11. v. 52.

¥. 13. ET AVFERETVR ZELVS, seu simultas & odium, quod hucusque fuit inter regnum EPHRAIM, seu decem tribuum, & regnum IVDA] Idem prædicit Ezechiel c. 37. v. 17. cùm dicit, duo ligna simul vnienda. Ita iidem Patres.

¥. 14. ET VOLABVNT, id est, instar militum inuolabunt reliquiæ Iudæorum, nempe Apostoli & discipuli Christi, IN HVMEROS & ceruices PHILISTHIIM habitantium PER MARE; Hebraicè, *ad mare*; Vatablus vertit, *ad Occidentem.* Iudæis enim mare erat ad Occidentem. q.d. Subigent Christo tam Occidentales, quàm Orientales populos, & prædas ex iis colligent. Sic Petrus (*e*) est Lyddam & Ioppen Philisthæa oppida: sic Philippus (*f*) est *Azotum*, Philisthinorum satrapiam prædatus. Alij *Gazam* & *Ascalonem*, vbi valdè floruisse Ecclesiam Christi docent Athanasius & Chrysostomus, apud Adrichomium & Baronium. Sic Thomas Apostolus prædatus est *Indiam*, Bartholomæus *Armeniam*, Matthæus *Æthiopiam*, inquit Hieronymus, Basilius, Cyrillus.

e Act. 9. & 10.
f Act. 9. v. vlt.

Porrò inter omnes Orientis regiones IDVMÆA ET MOAB erunt PRÆCEPTVM] id est, antè (*g*) captum, seu primo loco occupabuntur, vt ex Hebræo, LXX. & Chaldæo colligitur. Impletum hoc videtur eo tempore quo post cædem S. Stephani, occasione persecutionis (*h*) tunc excitatæ, discipuli Christi per regiones Iudææ & Samariæ, vtique & per vicinas illis regiones Idumææ ac Moabitidis (quæ ordinaria erant exulum Iudæorum (*i*) refugia,) dispersi fuerant, & hac occasione fidem Christi istic proseminarunt.

g Sic Cicero præceptum vsurpat 3. Tusculanar. & l. 2. Offic. & Virgil. eclogo 3.
h Act. 8. v. 1.
i Isaiæ 16. v. 3. &c. Ruth 1. v. 1. Abdiæ v. 18. & seqq.

¥. 15. ET DESOLABIT DOMINVS LINGVAM MARIS ÆGYPTI, id est, sinum, seu brachium maris, quod è mari in terram instar linguæ excurrit, eamque allambit. Hanc *linguam maris Ægypti* Vatablus, Forerius, Masius, Sanchez & Serarius volunt esse sinum maris rubri, quo Oceanus se in terram vsque Ægypti insinuat. Hunc enim sinum Hebræi exeuntes Ægypto cum Moyse, sicco pede transierunt, vt dicitur v. seq. q.d. Simili modo sub tempus Christi remouebit Deus omnia impedimenta quæ Euangelij propagationi possent obesse. Sed S. Hieron. Cyrillus & Procopius ad litteram id accipiunt de sinu Peluſiaco, quem, cùm Augustus Cæsar Antonium & Cleopatram persequeretur, siccauit Deus IN FORTITVDINE SPIRITVS SVI] id est, austro vehementissimo præter morem immisso, qui aquas omnes etiam septem riuorum Nili pro magnâ parte depulit in mare, adeò vt milites Augusti sicco pede transirent, & Peluſium, aliaque Ægypti claustra celerrimè occuparent, & extinctis Antonio ac Cleopatra soli Augusto monarchiam orbis relinquerent, teste Strabone, Dione Cassio & Plutarcho. Idque diuino consilio, vt hac ratione aditus Euangelio Christi tum in Ægypto, tum in reliquo etiam orbe iam pacifico, & sub vnius monarchiam redacto paulatim patefieret. Simile quid contigit sub tempus reductionis Iudæorum è Babylone in Iudæam: nam Euphrates (quem hîc per *flumen* intelligit Chal-

Strabo l. 17. Dio Cassius l. 51. Plutarch. in Antonio.

Chaldæus, & cum eo Sanchez) durante obsidione Babylonis à Cyro per septem fossas & riuos ab vrbe aliò deriuatus est, teste Herodoto, Xenophonte & Orosio, atque ita miles sicco pede in vrbem immissus est, & Balthasar Chaldæus rex è medio cum suis sublatus, & Cyro stabilita monarchia, & Iudæis libertas obuenit. Quæ figura fuerunt eorum quæ sub tempora Christi obuentura Ecclesiæ Isaias hîc prædicit.

Herod. in Clio. Xenoph. l. 7. Oros. l. 2. c. 6.

CAPVT XII.

Sicut post transitum maris Rubri, & liberationem à tyrannide Pharaonis, olim Moyses & Hebræi cecinerunt Deo carmen Eucharisticum Exodi 15. ita hic Isaias inuitat spirituales Sionidas, id est, Christianos, vt post nobiliorem à peccato & æterna morte liberationem, & post sublimiora per Emmanuelem parta beneficia, simili epinicio celebrent diuinas laudes, atque in vno Deo deinceps conquiescant, & cum iubilo hauriant aquas viuas de fontibus saluatoris perpetuò scaturientes.

A

B

℣. 1. CONFITEBOR, id est, laudabo te, QVONIAM, id est, (*a*) quamuis, IRATVS ES MIHI] Chaldæus, *pro eo quòd peccaui coram te, fatus est furor tuus super me*, nempe seueris pœnis castigans scelera mea. Iustitiam enim Dei non minùs laudare oportet quàm eius misericordiam. Quod cùm ex animo facimus, & scelera nostra, eò quòd in tantum Deum iniuria sint, detestamur, & veniam per Christi merita petimus; subitò conuertitur furor Dei in clementiam & gratiam, & pro suppliciis consolationes & noua beneficia submittit: quæ rursum nouæ laudis est materia.

a Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 12.

℣. 2. ECCE DEVS SALVATOR, *Ieschuah*, seu *Iesus* MEVS. q. d. Ecce Iesus, qui Deus-homo tantam mihi è tantis malis salutem attulit. Quid vlteriùs horream? quid timeam? Ipse FORTITVDO MEA, id est, ipse me roborat aduersus dæmonem, mundum & reliquos hostes meos, quorum iugum iam pœnitens excussi. Quanta sit animæ iustæ fortitudo, pulchrè demonstrat Prosper, & ego obiter indicaui Cant. 1. v. 8.

Prosper l. 3. de Vitâ contempl. c. 20.

ET LAVS MEA, tum actiuè, quia facit me apud omnes laudabilem & glorioſum: tum passiuè, seu obiectiuè, quia est materia & obiectum laudis, quem laudare assiduò & teneor & volo; ET, pro quia, FACTVS EST MIHI IN SALVTEM] id est, quia merito ipsius factus sum saluus.

C

D

℣. 3. Ex eiusdem Ieschuah, seu Iesu, id est, SALVATORIS FONTIBVS, omnes quicumque vultis, HAVRIETIS quantas voletis AQVAS] Primò, sacræ doctrinæ, vt Cyrillus & Hieronymus exponunt; Secundò, Sacramentorum, vt Ambrosius & Origenes, Tertiò, cõsolationis, deuotionis, omniumque donorum & fructuum Spiritus sancti, vt S. Bernardus & alij. Alludit hîc Isaias ad petram *Horeb*, quæ Moysis virga percussa dedit fontem perennem aquæ suauissimæ. Item ad fontem Siloë, cui cap. 8. v. 6. Emmanuelem compararat. Et Zacharias c. 13. inter alia nomina quæ dat Christo, vocat eum *fontem patentem*. Et ipse Christus Ioan. 4. v. 14. *Qui biberit ex hac aqua, non sitiet in æternum.*

Ambros. in psal. 4. & 37. Orig. hom. 12. in Num. Ber. serm. 1. de Natiuit.

E

℣. 6. EXVLTA, id est, quantum potes gaude, & iubila, ô HABITATIO SION, id est, cœtus fidelium, Ecclesia sancta: QVIA MAGNVS, id est, potens, glorioſus, excelsus Deus, IN MEDIO TVI est, tibi perpetuò præsens, tibi intimè coniunctus, in te dona sua iugiter dimanans, longè nobiliori modo quàm olim synagogæ. Alludit ad nomen *Emmanuel*, id est, nobiscum Deus.

CAPVT XIII.

Deus quasi dux belli elato vexillo, euocat Cyrum & Persas aduersus Babylonem. Cuius excidium tam horribile accidet, vt sol, luna & stellæ de cælo cadere videantur. Allegoricè sub typo Babylonis describit diem extremi iudicij, excidium orbis, casum & damnationem Luciferi, omniumq; reproborum. Porrò ab hoc cap vsque ad 24. mi- * Idem pertractat Ieremias c. 50. & 51. natur excidium variis gentibus, tum vt Iudæorum clades, pari hostium suorum clade soletur: tum vt Gentiles non insultarent Iudæis tam grauia passis.*

℣. 1. ONVS] Id est, prophetia calamitosa & tristis, quam quasi graue onus & pondus pœnarum imponit Deus & Propheta humeris reorum.

℣. 2. SVPER MONTEM CALIGINOSVM] Id est, contra Babylonem, quæ licet in loco campestri sita esset, *mons* tamen vocatur, ob superbiam & magnificentiam palatiorum, turrium & murorum. *Caliginosus* autem partim propter idololatriæ & omnium rerum in ea caliginosam confusionem, inquit S. Hieronymus; partim propter vapores & densas nebulas, quæ ex Euphrate & locis palustribus, vbi vibs sita erat, in altum elatæ aërem plerumque nubilum & caliginosum reddebant, inquit Cornelius à Lapide. Idque maximè ex ea vrbis parte vbi hortos pensiles induxit Nabuchodonosor in gratiam Nitocris vxoris suæ, de quibus Iosephus & Curtius.

Ioseph. l. 10. Antiq. c. 13. Curtius l. 5.

LEVATE SIGNVM militare; Hebraicè, *vexillum*: EXALTATE VOCEM, id est, clamate, vociferamini, vt solent milites dum in hostem inuehuntur: LEVATE MANVM contra Babylonem, vestro gladio, direptioni & triumpho deuotam. Voces sunt Dei quasi classicum canentis, eoque Darium ac Cyrum cum Medis & Persis ad exscindendam Babylonem euocantis. Vnde etiam nominat eos

℣. 3. SANCTIFICATOS suos, id est, à se destinatos, & quasi consecratos milites ad hoc sanctum bellum. EXVLTANTES IN GLORIA MEA, id est, in glorioſa vindicta & victoria ipsis per me concessa. Porrò excitis vndique ad hanc expeditionem Persis & Medis, subdit Isaias: ecce tibi subitò

℣. 4. VOX MVLTITVDINIS IN MONTIBVS, &c.] q. d. Videre & audire illos videor summo cum strepitu vndique aduolantes.

℣. 5. A SVMMITATE CÆLI] Id est, ab extremitate hemisphærij nostri, vbi opinione vulgi, & ex sententiâ S. Chrysostomi & Lactantij, cælum terminari & terræ connecti videtur.

Chrysost. Lactant. & alij citati à Ioseph. Acosta l. 1. de Nouo orbe c. 1.

DOMINVS, scilicet adest accinctus ad vltionem scelerum Babylonis: ET VASA, id est, instrumenta, iræ & FVRORIS EIVS, nempe Cyrus & Darius cum suis copiis, armis & equis, quasi lictores Dei aduolant.

℣. 8. FACIES COMBVSTÆ] id est, aridæ, luridæ, nigræ ex pauore, mœrore, inedia, perinde ac si essent combustæ. Sic Nahum 2. *Erant sicut nigredo olla:* & Ioël 2. *Vultus redigentur in ollam.*

℣. 10. STELLÆ CÆLI NON EXPANDENT LVMEN SVVM] Est hyperbole, quâ Prophetæ solent indicare extremam cladem, calamitatem & afflictionem. Afflictis enim ob capitis vertiginem & animi deliquium ex spirituum vitalium & animalium retractione ad cor, omnia videntur tenebrescere, volui & inuerti. Porrò in die iudicij hæc etiam ad litteram contingent, vt & illa quæ v. 13. dicentur.

℣. 12. PRETIOSIOR, id est, rarior, inquit Ada-

mus, ERIT VIR AVRO: nam penè omnes occi- A dentur à Medis & Persis. Vel *pretiosior*, id est, carior erit Medis, vt dicit v. 17. q.d. Ferus & barbarus miles malet sanguinem haurire & vitam perdere, quàm in lytrum accipere etiam plurimum auri. Ita Vatablus & Sanchez. Pro MVNDO OBRIZO, Hebraicè est *massa auri ex ophir.* (a)

a 2. Par. 8. v. 18.

¥. 14. ET ERIT exercitus Chaldæorum, Cyro victore, FVGIENS QVASI DAMVLA inermis & imbellis ad rugitum leonis.

¥. 19. SICVT SVBVERTIT DOMINVS SODOMAM, sic subuertet & funditus exscindet gloriam & SVPERBIAM CHALDÆORVM.

¥. 20. NON FVNDABITVR, id est, non iterum instaurabitur Babylon, sed suis inuoluta manebit B ruinis, vt patet vsque in præsentem diem. Nam incensis & destructis palatiis, ac turribus Babylonis, translato ad Persas imperio, deserta paulatim est vrbs vniuersa, & haud procul inde condi cœpta vrbs alia, quæ sequentibus sæculis à rege Asiæ Seleuco *Seleucia* dicta fuit, & in vrbem splendidam excreuit, Babylone in ruinis suis relicta. Quæ non solùm nullam vrbis faciem retinebit, sed neque ad pascua vtilis erit: NEC PONET IBI TENTORIA ARABS] pecoris alendi causâ: cùm tamen *Chaldæa* vicina sit *Arabiæ*, ac proinde pastoribus Arabibus admodum opportuna accideret. Sed ob ruinas horridas & hiulcas plenas leonibus & draconibus, inaccessa erit gregibus & pastoribus.

b *Isaiæ* 34. v. 14. ¥. 21. SALTABVNT IBI PILOSI (b)] id est, C Fauni & Satyri; Chaldæus & LXX. *dæmones*, qui in siluis & desertis locis solent hirsuti specie hirco ceruorum, & similium animalium immundorum, quasi dij nemorum, viatoribus apparere.

¥. 22. ET SIRENES] Monstra aquatica, ore & pube tenus virgines, infernè pisces: qualis nostro sæculo in Frisiâ captus, vixit inter homines multis annis, didicitque nere, inquit à Lapide. Nempe etiam hæc monstra ex vicino flumine vel lacubus emergent, & terrorem periculumque creabunt accedere volentibus. Similibus penè verbis dicitur Apocal. 18. *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi.* Tropologicè, siren D est dæmon ad voluptatem illiciens, inquit S. Ambrosius & Basilius.

Ambr. l. 4. in Lucam initio.

CAPVT XIV.

Pergit depingere excidium Babylonis, & Baltasaris regis fastum & ruinam, quasi alterius Luciferi. Cui proinde alios reges in inferno insultantes inducit. Eiusq; nomen, sobolem & memoriam interitura predicit. Denique etiam Philisthinis cladem per Ezechiam denunciat.

¥. 1. PROPE EST TEMPVS EIVS] scilicet excidij Babylonis. Nam licet facilè 166. annis (c) adhuc abesset; tamen hoc tempus exi- c *Chron.* guum respectu æternitatis, imò respectu duratio- E *c. 29.* tionis regni alicuius.

MISEREBITVR ENIM DOMINVS IACOB, seu populi Israelitici, nempe per excidium Babylonis accelerando initium monarchiæ Cyri, à quo solui debebat Iudæorum captiuitas. Et redeuntibus in Iudæam ADIVNGETVR ADVENA AD EOS] putà ex Medis, Persis, Babyloniis multi prouocati exemplo sanctæ vitæ, vel etiam noua felicitate Iudæorum ex exilio in patriam remigrâtium, etiam ipsi relictis idolis Ierosolymam accurrent, deseruituri vero Deo, inquit S. Hieronymus.

¥. 2. ET TENEBVNT; Chaldæus, *tollent*, EOS POPVLI externi. q.d. Honorificè Iudæos reduces excipient aliæ gentes, seu vicinæ Iudææ, seu remotiores. Ita certè iusserunt Cyrus, Darius & Artaxerxes reges. 1. Esdræ 1. 2. &c. Quin & plurimos Chaldæorum iam à Persis subactorum possidebunt Iudæi IN SERVOS ET ANCILLAS, seu pretio emptas, seu sponte propter inopiam se subiicientes ijs quibus antè dominabantur.

¥. 4. QVOMODO CESSAVIT EXACTOR duri tributi & oneris quo rex Chaldæus grauabat & exhauriebat miseros Iudæos? QVIEVIT TRIBVTVM? Hebraicè, *defuit aurum tributarium?*

¥. 8. ABIETES QVOQVE LÆTATÆ SVNT] Abietibus & cedris comparat reges & principes à Chaldæo tyranno subactos. Hi, inquit, excisâ Babylone, & occiso tyranno perinde lætati sunt, ac solent naturaliter gaudere arbores, si mori contingat lignatorem vel cæsorem illarum.

¥. 9. INFERNVS SVBTER, id est, incolæ inferni, principes & reges à te occisi olim, iam præ nimia admiratione casus tui stupentes & CONTVRBATI, vt festiuiùs te aduentantem exciperent, irridentes & subsannantes obuiam occurrerunt TIBI GIGANTES] id est, heroës & viri illi famosi ac terribiles, quos tu antè regno & vitâ spoliaras. Et vt aduentante rege omnes principes assurgunt, eum sessum inuitant, & ad primum thronum deducũt: sic & ipsi tibi tanquam victori suo, regi & monarchæ, primum, id est, imum ac teterrimum, in inferno locum cedunt: hoc adiecto sarcasmo:

¥. 10. ET TV, qui putabaste immortalem esse, VVLNERATVS ES lethaliter SICVT ET NOS à te vulnerati fuimus.

¥. 11. CONCIDIT CADAVER TVVM] id est, proiectum iacet instar canis vel asini mortui in fimeto, ibi putrescit vel à feris deuoratur.

SVBTER TE STERNETVR non aureus tapes, non pretiosa vnguenta, vt regum cadaueribus substerni solent, sed TINEA ET VERMES] vti videre est in cadaueribus patibulariorum & in prælio cæsorum.

¥. 12. QVOMODO CECIDISTI DE CÆLO LVCIFER?] Intelligit ad litteram regem Chaldæorum, vt docet Hieronymus, Cyrillus, Basilius, Au- D *Augst. l. 3. de* gustinus, Haymo & alij. Non tamen Nabuchodo- *Doct. Christiana c. 37.* nosorem, vt iidem volunt, quia is glorioſa morte occubuit, & regio more sepultus est: nec damnatus verosimillimè, sed saluatus fuit, vt dicam Dan. 4. v. 30. Sed filium eius Balthasarem, qui turpiter à Cyro & Dario victus & iugulatus fuit, & inter aliorum cæsorum cadauera sanie & vermibus computruit. Vocatur verò *lucifer*, quia splendore & maiestate imperij inter homines & reges eminebat, sicut *lucifer* inter astra, inquit Cyrillus: & sicut alius *lucifer* inter angelos, inquit Ambrosius, Augustinus & alij. Simili modo Ezech. 28. sub typo Cherubini describitur gloria & casus regis Tyri. Ergo fastus & casus angeli luciferi describitur hîc qua in parabola, seu typo; sed ad litteram intelligitur fastus & casus Balthasaris. Ita Tertullianus, Cyprianus, Athanasius & alij hîc ab Aria Montano citati.

¥. 13. IN CÆLVM CONSCENDAM] Id est, summum thronum gloriæ, maiestatis & honoris etiam diuini comparabo mihi: colar ab hominibus eo cultu & reuerentiâ, quâ Deus in cælo colitur ab angelis: sunt enim hæ vt parabolicæ, sic etiam hyperbolicæ exaggerationes, SVPER ASTRA

Dei,

DEI, id est, altissima, EXALTABO SOLIVM MEVM: A ASCENDAM SVPER ALTITVDINEM NVBIVM] id est, dominabor omnibus astris & nubibus, inde tonitrua & fulmina eiaculabor instar Iouis altitonantis.

SEDEBO IN MONTE TESTAMENTI] Id est, sicut Deus colebatur in templo Ierosolymitano, priusquam illud à patre meo Nabuchodonosore subuerteretur: ita etiam ego Balthasar coli volo vt Deus in throno meo, vel in delubris regni mei. Porrò templum Salomonis vocatur *mons* propter altitudinem, & *testamenti*, seu fœderis, propter tabulas legis & arcam fœderis, quæ in eo adseruabantur. Idem templum vocatur hîc *latera Aquilonis*, quia situm erat ad Aquilonarem vrbis partem, vt dixi psal. 47. v. 3. vnde LXX. hîc vertunt, *super montes excelsos qui sunt ad Aquilonem*.

℣. 19. PROIECTVS ES DE SEPVLCHRO TVO, id est, procul à sepulchro tibi more regio antè parato: nempe cum reliquis cæsorum cadaueribus in communem fossam coniectus es, POLLVTVS ET OBVOLVTVS sanie & sanguine.

℣. 20. NON VOCABITVR; Græcè, & Chaldaicè, *non permanebit*, SEMEN PESSIMORVM] q. d. Delebitur, exstirpabitur memoria seminis & stirpis tam crudelium & impiorum parentum. Et verò quotquot habuit Balthazar filios, seu legitimos, seu naturales (vt verisimile est, habuisse plurimos ex tot concubinis) seu adoptiuos, certum est ex v. seq. iussu Cyri & Darij occisos fuisse.

℣. 23. SCOPABO EAM IN SCOPA TERENS] Vatablus, *scopa vastatrice verram eam*. q. d. Ita exactè euerrent Persæ & expilabunt optima quæque Babylonis, sicut studiosa ancilla scopis è pauimento euertit etiam minimum puluisculum, radendo & atterendo ipsum quoque pauimentum

℣. 25. VT CONTERAM ASSYRIVM Sennacherib, vestris iam humeris incumbentem, IN TERRA MEA sancta, nempe Iudæa; de quo suprà c. 7. ita conteram quoque Chaldæum Balthasarem. Et istius clades pro signo vobis sit cladis etiam huic 150. pòst annis certissimò obuenturæ.

℣. 26. Hoc CONSILIVM, hoc decretum est diuinum SVPER OMNEM TERRAM] id est, super omnes gentes, quæ vnà cum hoc Assyrio tyranno contra Iudæos arma sumunt, vt faciunt Syri, Samaritæ, Philistini, Moabitæ, Idumæi & Ægyptij, quibus proinde cladem sequentibus capitibus ordine denunciat Propheta. Ita S. Hieronymus. Et primum Philisthini (nam Samaritis & Syris suprà (*a*) satis fusè comminatus est,) occasione mortis Achaz satinsolescentibus, prædicit, per filium eius Ezechiam eos attritum & excisum iri.

(*a*) Cap. 7. & seq.

℣. 29. COMMINVTA EST VIRGA, id est, regium sceptrum, PERCVSSORIS TVI] nempe Achaz, vt vult Hieronymus, Haymo & S. Thomas. Nam licet is aliquando cladem ingentem à Philisthæis acceperit, 2. Paral. 28. v. 18. potuit restauratis postea viribus vicissim infestasse & afflixisse Philisthæos, vel saltem vltionem parasse: cui apparatui cùm immoreretur Achaz, & hoc nomine lætarentur Philisthæi, prædicit Isaias, ipsos per filium Achaz, nempe per Ezechiam, longè grauiùs afflictum iri. Quibus quasi radicitus excisis,

℣. 30. PASCENTVR in opimis pascuis PRIMOGENITI PAVPERVM] id est, etiam pauperrimi Iudæorum. q. d. Sub rege Ezechia pax erit & rerum omnium abundantia in Iudæa, etiam apud pauperes.

RADICEM TVAM ET RELIQVIAS TVAS, id est, posteritatem, seu proles tuas, ô Philisthæa, INTERIRE FACIAM non tam gladio, quàm FAME, & rerum omnium inopiâ.

℣. 31. VLVLA PORTA, id est, congregatio principum & iudicum, qui in portis iudicia exercebatis. CLAMA CIVITAS] id est, congregatio plebis, quæ vrbem incolis. q. d. Plangite quotquot estis Philisthæi tam principes quàm plebeij.

AB AQVILONE ENIM, id est, à Ierosolyma Philisthinis Aquilonari, FVMVS VENIET] cum *Ezechia* eiusque copiis militaribus, quæ & pedibus copiosum puluerem, & manibus fumum atque ignem vobis excitabunt. vt narratur Ierem. 27. & alibi. (*b*)

(*b*) 4. Reg. 18.

℣. 32. ET QVID RESPONDEBITVR NVNTIIS GENTIS? seu gentium externarum? q. d. Quæ, putas, fama toto orbe spargetur de hac vestra clade; & victoriis Iudæorum? Respondebitur, seu spargetur passim, quòd DOMINVS FVNDAVIT SIONEM, id est, Ierosolymam, eamque vt proprium peculium suum amat, protegit, tuetur assiduò. Vnde mirum non est, quòd etiam PAVPERES POPVLI EIVS, id est, Iudæi, quando affliguntur & opprimuntur, IN IPSO SPERENT] ipsum inuocent, & ad ipsius opem confugiant, tuti semper tali asylo & præsidio.

CAPVT XV.

Prædicitur vastatio munitissimarum vrbium Moab, luctus totius populi, fuga promiscua, bonorum direptio, excidium regionis, & interitus omnium. Iisdem penè verbis Ieremias cap. 48. & Sophonias c. 2. iisdem Moabitis extremam cladem prædicit. Vnde colligitur, vtrumque, tam Isaiam, quàm Ieremiam agere de excidio Moabitarum per Nabuchodonosorem.

℣. 1. NOCTE VASTATA EST AR] Hebraicè, *Ir*; Moabiticè, *Ar*, id est, vrbs, per antonomasiam, nempe prima regni (*c*) & metropolis. Quæ inde posteà *Areòpolis* dicta fuit, ab *Ar-polis*, non ab Ἄρεος, id est, Martis, *polis*. Aliæ Moabitidis vrbes illustriores erant *Dibon*, *Nabo*, *Medaba*, *Hesebon*, *Eleale*, *Luit*, *Oronaim*, &c. quarum hîc meminit Isaias, quas olim Israelitæ eripuerant (*d*) Amorrhæis. Sed iam Moabitæ propter abductos inde in Assyriam (*e*) Israelitas per Teglatphalassar, eas suæ ditioni subiecerunt. Est autè *Moabitis*, pars *Arabiæ Petræ* inter Euphratè & mare Mortuum, in quâ nũc est vrbs *Mecha*, itinere tridui à mari Rubro, in quâ celebre est Mahometis delubrum, de quo vide Adrichomium.

(*c*) Num. 21. v. 18. & Deuter. 2. v. 9. & 18.

(*d*) Num. 21. v. 26. &c.

(*e*) 4. Reg. 15. v. 29.

Adrichom. de Terra sancta p. 78.

NOCTE VASTATVS EST MVRVS, seu mœnia primariæ vrbis MOAB] Addit Chaldæus, *dormientibus & soporatis* Moabitis dirutam vrbem. Cyrillus ex historicis docet, venientibus Chaldæis muros *Ar* terræmotu corruisse, atque ita vrbem noctu facilè à Chaldæis occupatam fuisse. Et rectè quidem *noctu* vastatur *Moab*, qui noctu ex incesto concubitu, tenebris & silentio inuoluendo, conceptus est. inquit S. Hieronymus. Vnde & exprobrari solitum Moabitis, quòd essent *noctis filij*.

CONTICVIT (in Hebræo passiuè ponitur, *tacitus (f) est*) MOAB] id est, obliuioni ac silentio traditus, nempe stirpitus euersus & excisus, vt nec memoria illius superstet, nec vestigium. Ergo clade hac imminente,

(*f*) Ierem. 47. v. 5. & c. 49. v. 26. & 1. Reg. 2. v. 9. &c.

℣. 2. ASCENDIT Moab DOMVS, seu ad domos (vt est in Chaldæo:) ET AD EXCELSA DIBON, vbi erat ara Moab, inquiunt LXX. q. d. Tota natio confiu-

confluxit ad fanum *Chamos* idoli Moab; partim IN A PLANCTVM, seu vtibi plangant, & opem expostulent: partim *in asylum*, quòd is locus ab insidiis & vi Chaldæorum tutior videretur.

IN CVNCTIS CAPITIBVS CALVITIVM, ET OMNIS BARBA RADETVR] Extremi luctus signa, vt alibi (*a*) dixi. Nec plebeij modò, sed &

a *Deut.* 32. *v.* 42. & *Leuit.* 10. *v.* 6. & 6. 19. *v.* 27.

℣. 4. EXPEDITI MOAB] Hebraicè, *accincti armis*, id est, milites, & robusti omnes, qui priùs accincti armis aduersus Chaldæos in aciem prodire volebant, iam fracti animis arma exuunt, & vlulant cum ceteris: & quidem non ficto vlulatu, vt

b *Iob* 3. *v.* 8. solent *præficæ*, (*b*) sed seriò & ex intimo corde; quod significatur illis verbis, *Anima eius*, seu cuiusque Moabitæ, *vlulabit sibi*.

B

℣. 5. COR MEVM AD MOAB CLAMABIT, nempe compatiens ipsi. (inquit Isaias) ob tantam eius cladem & miseriam: quia VECTES EIVS, id est, fortes & robusti milites, qui sicut vectes, tutari solebant portas vrbium Moab, iam fugerunt VSQVE AD SEGOR, id est, vsque ad regni terminos,

c *Genes.* 19. *v.* 23. vbi sita est *Segor* olim Lothi refugium, (*c*) & hucusque florens ciuitas, pinguis & petulans, sicut VITVLA CONTERNANS] id est, triennis, vt est in Hebræo & Græco. Nam tertium annum ingressæ vitulæ, sunt florentissimæ, pinguissimæ & petulantissimæ.

℣. 6. AQVÆ NEMRIM] Id est, tota regio Nemrim in Moabitide deseretur. Sic c. 8. per *aquas Siloë*, regnum Iuda significauit.

℣. 7. SECVNDVM MAGNITVDINEM OPERIS, id est, pro mensura demeriti malorum operum Moabitarum, erit ET VISITATIO, id est, punitio eorumdem.

AD TORRENTEM SALICVM, id est, ad ripas Euphratis consitas salicibus, id est, in Chaldæam,

d *Psal.* 136. *v.* 2. (*d*) DVCENT captiuos Moabitas, vt istic opera rustica exerceant.

℣. 9. SVPER vrbem DIBON, (quæ vltimo loco vastata videtur) PONAM ADDITAMENTA, supple, plagarum. q.d. Addam illis plagam super plagam: nempe HIS QVI FVGERINT DE MOAB, ET RELIQVIIS TERRÆ Moabiticæ profugis in Dibon, inducam LLONEM] putà Nabuchodonosorem instar leonis furentem, ob pertinaciam Dibonitarum. q.d. Qui antè instar tauri sæuiit in alias vrbes Moabiticas; in Dibon, propter nimis diuturnam & obstinatam pertinaciam, longè crudeliùs, instar leonis sæuiet. Ita ferè Haymo.

CAPVT XVI.

Optat Isaias, è Moabitide Ruth progignendum Christum, citò in orbem mitti. Interim aduersus instantia mala consilium suggerit Moabitis, nempe vt benevolè excipiant profugos Iudæos, atque ita Deum sibi placare conentur. Deinostendit, frustra illos aduersari Deo & Chaldæis: superbiam ipsorum maiorem esse, quàm vires. Denique E *pergit in describenda clade & planctu Moab.*

℣. 1. EMITTE AGNVM DOMINE, nempe Christum, DOMINATOREM TERRÆ. Ita vertunt etiam LXX. Non verò *dominatori terræ*, vt Rabbi Salomon & plerique Hebræi contendunt, vt à Christo hunc locum detorqueant ad regem *Ezechiam*, cui suadeat Propheta pendi antiquum

e 4. *Reg.* 3. *v.* 4. tributum *centum millium agnorum.* (*e*) Sed quid Moabitis cum rege Iuda? Neque enim fuerunt *regibus Iuda* tributarij, sed *regibus Israel*: atqui

f 4 *Reg.* 17. *v.* 6. regnum Israel ab Assyriis (*f*) iam excisum erat. Ergo de Christo hæc accipiunt S. Hieronymus, Hugo, Liranus, Adamus, Vatablus & alij Christiani. q.d. Mitte citò ô Deus, Agnum qui tollat peccata mundi, totique orbi dominetur; & per consequens liberet populum suum ex quo originem trahet, puta non modò Iudaicum, sed & Moabiticum; nam nasciturus est ex Ruth Moabitide auia Dauidis regis, quæ DE PETRA vrbe DESERTI Arabiæ, vt suprà (*g*) dixi, in quâ vrbe nata fuerat, iam olim migrauit AD MONTEM FILIÆ SION] id est, in Iudæam. Vnde & Christus, non in se, sed in auia sua, *emitti* hîc petitur è *Petra Moab*, per quam Allegoricè, B. Virginem intelligunt Hugo & Viegas. Vrbs hæc nomen sortita fuit à rupibus & præcipitiis, quibus vndique pro muris vallatur, inquit Strabo. Hanc valdè auxit Balduinus rex; sed interceptam Soldanus gazophylacium fecit Ægypti & Arabiæ, inquit Adrichomius.

g *Cap.* 15. *Isaiæ v.* 1.

Viegas in Apocal. 12. *comment.* 3. *sect.* 24. *Strabo l.* 16.

℣. 2. SICVT AVIS FVGIENS, nido per prædones expilato, sic fugient & dispergentur Moabitæ IN TRANSCENSV ARNON] Id est, trans flumen *Arnon*, vbi sunt termini Moab.

℣. 3. INI CONSILIVM, quo possis imminentem cladem euadere, Deumque tibi placatum reddere, ô Moab, & si melius nullum occurrat, meum accipe, quod suggero: nempe, IN MERIDIE, id est, in summo afflictionum & calamitatum æstu, qui Iudæis totique Syriæ imminet ab Assyriis & Chaldæis, PONE VMBRAM, (*h*) id est, protectionem TVAM & refrigerium QVASI NOCTEM, id est, densissimum, copiosum & liberale. FVGIENTES, exules vicinos & cognatos vestros, humanissimè excipe, foue, ABSCONDE, protege. Et sic vices eis repende: nam olim Abraham pater illorum Loth patrem vestrum excepit, iuuit, fouit, captum ab hoste liberauit. Et ne obiicias, te metu Sennacheribi, vel Nabuchodonosoris, non audere excipere profugos; scito quòd

h *Isaiæ* 4. *v.* 6.

℣. 4. FINITVS EST PVLVIS, id est, instar pulueris citò consumetur & euanescet MISER, VASTATOR anteà terræ. Et econtrà

℣. 5. SOLIVM regni Iudaici PRÆPARABITVR Ezechiæ regi eiusque posteris, id est, confirmabitur, corroborabitur, stabilietur. q.d. Extollentur Iudæi quos profugos iam videtis: & deprimentur Assyrij, quos adeò formidatis. Sed frustra hæc moneo.

℣. 6. AVDIVIMVS iam ab antiquo SVPERBIAM MOAB] & deprehēdimus excedere omnem mensuram. Similia habet Ieremias cap. 48. v. 29. &c.

℣. 7. IDCIRCO, quia superbior, quàm fortior, præfidens mœnibus suis lateritiis contempsit hostem longè se potentiorem: *idcircò*, inquam, dabitur Chaldæis in prædam, & VLVLABIT MOAB AD MOAB] id est, alter ad alterum; vel, vt Sanchez, idem ad seipsum, seu secum, vt solent mœrentes & desperantes.

LOQVIMINI PLAGAS, id est, prædicite obuenturam cladem HIS QVI LÆTANTVR, gaudent & superbiunt SVPER *Kir chareseth*, id est, vrbe Cyrene, inquit Cornelius, habente MVROS COCTI LATERIS, seu lateritios. Nam esse nomen proprium vrbis, patet ex 4. Regum 3. v. 26. vbi cùm dictum esset, remansisse tantùm *muros fictiles*, continuò subditur, *Et circumdata est ciuitas à fundibulariis*, nempe ciuitas *Kir chareseth* (id est, muri fictiles) quæ sola remanserat, & ad quam vtpote munitissimam rex Moab in extremo discrimine confugerat. Sensus ergo Isaiæ est, prædicite Moabitis, quòd *Kir chareseth*, vrbs (vt ipsi superbiunt)

קיר חרשת

Cornelius à Lapide in Amos 1. *v.* 5.

inex-

inexpugnabilis, expugnabitur à *dominis gentium*, nempe Assyriis & Chaldæis.

a *Iosue* 13. v.19. ℣.8. FLAGELLA vineæ, seu vrbis, SABAMA, (a) VSQVE AD IAZER se extenderunt. Flagella vitis sunt eius propagines & surculi circinantes, quibus se ad palum vel arborem alligat, ne cadat, vnde & clauiculi vocantur. Metaphoricè verò significant hîc profugos Moabitas, & trans mare abductos in Chaldæam. Ita S. Hieronymus.

℣.9. IN FLETV IAZER, id est, simili planctu quo planxi excidium Iazer, PLORABO VINEAM, id est, vrbem, SABAMA paulò pòst excisam.

℣.10. AVFERETVR LÆTITIA DE CARMELO] id est, de pinguibus agris & fertilibus (instar Carmeli) collibus Moab.

℣.11. VENTER MEVS, id est, intima viscera mea, quasi CITHARA SONABVNT] id est, edent lugubrem gemitum & cantum, ob excidium & vastationem Moab.

℣.12. CVM APPARVERIT & publicè constiterit populo MOAB, QVOD LABORAVIT frustra SVPER EXCELSIS SVIS, eò quòd à suis sibi cultis idolis nihil subsidij acceperit, INGREDI conabitur AD alia SANCTA SVA, nempe ad celebriora regionis fana, VT ibi nouis & pluribus hostiis OBSECRET diis suis: sed NON VALEBIT, partim ob animi consternationem & virium defectum, partim ob hostium subitam irruptionem.

℣.13. HOC VERBVM, id est, hæc sunt oracula & minæ contra Moab, EX TVNC] id est, ab olim prædicta, putà per Amos, qui c.1. idem excidium Moab ante Isaiam prædixit.

℣.14. IN TRIBVS ANNIS, seu spatio trium annorum, AVFERETVR GLORIA MOAB. Nempe tribus annis post excisam Ierosolymam vexare cœpit bello Moabitas Nabuchodonosor: & post trium annorum spatium, nempe quinto anno post excisam Ierosolymam, vastauit & excidit quoque Moabitidem, teste Iosepho, Hieronymo, Hugone, Pinto, Castrio & aliis. Eruntque hi tres anni QVASI ANNI MERCENARII] id est, laborioſi & molesti Moabitis, inquit Adamus, Pineda & Sanchez. Ipsi verò Nabuchodonosori vtiles, & pro mercede concessi exercitæ diuinæ vindictæ in Iudæam, inquit S. Hieronymus: sicut eidem pro expugnata Tyro, in mercedem à Deo concessa fuit Ægyptus, Ezech. 29.

Pineda in Iob 7. v.2.

CAPVT XVII.

Damasco, totiq; Syriæ exitium prædicit, vti & Samariæ, & regno Israelitico decem tribuum: reliquiæ tamen saluatum, & ab idolis ad Deum conuersum iri.

℣.1. DAMASCVS DESINET ESSE CIVITAS] nempe excindēda per *Teglatphalassar*, (b) tempore regis Achaz, vt fusè suprà cap.7. & 8. & rursus pòst 130. annos per Nabuchodonosorem, vti prædicit Ieremias c.49. v.23. Sed iterum sub Macedonibus & Ptolemæis instaurata est Damascus, inquit S. Hieronymus, & etiamnum floret.

b 4.Reg.16. v.9.

℣.2. CIVITATES regionis AROER] quod Hebraicè myricetum significat, quod circa Damascum erat, & in eo aliquot oppida ad regnum Syriacum pertinentia, quæ hîc dicit futura gregibus in pascua. Non ergo agitur hîc de ciuitate Aroër Iudaica, quæ sita erat in tribu Gad ad torrentem Arnon.

℣.3. CESSABIT ADIVTORIVM AD EPHRAIM, id est, Syriæ nullum obueniet auxilium à regno Israelitico decē tribuum, à quo solet olim (vtpotè A sibi confœderato, Isaiæ 7.) auxilium accipere. Nam Israelitæ tum temporis pro Syris adiuuandis aduersus potentissimum Assyriorum monarcham Teglatphalassarem, ne vel hiscere audebant: quin & ipsorummet Israelitarum magna pars ab eodem rege sub idem tempus abducta est in Assyriam: & ab eius successore Salmanassare integrum regnum Israeliticum paulò pòst, nempe anno sexto Ezechiæ regis Iuda, stirpitus excisum est, 4.Reg.18.v.10. Sublatum est & REGNVM, seu regia dignitas & splendor, A DAMASCO (c) totaque Syria, sed relictæ sunt RELIQVIÆ quædam, nempe incolæ aliarum minùs nobilium vrbium Syriæ. His tamen nihil mitius accidet sub Nabuchodonosore, quàm accidit *Samariæ*, quondam GLORIÆ FILIORVM ISRAEL per Salmanassarem excisæ, inquit S. Hieronymus & Cornelius à Lapide: vel meliùs cum Gabriele Aluarez, quàm accidet Ierosolymæ, veræ *gloriæ filiorum Israel*, seu *gloriæ Iacob*, v. seq. Sicut enim PINGVEDO CARNIS, metaphoricè, opes, deliciæ, splendor, gloria Iudæorum MARCESCET] Hebraicè, *macrescet*, & exterminabitur per Nabuchodonosorem (qui cælesti medico erit pro pharmacopœo,) vt ablatâ nimiâ crassitie, agilitati & sanitati pristinæ Iudæi restituantur: ita accidet & Syriæ.

c 4 *Reg.16. v.9.*

℣.5. ET ERIT SICVT CONGREGANS IN MESSE QVOD RESTITERIT, id est, paucitas tam Syrorum quàm Iudæorum, post deuastationem Nabuchodonosoris, erit Primò, qualis est paucitas spicarum, quæ messores fugiunt, & pauperibus colligendæ relinquuntur, IN VALLE RAPHAIM] id est, in agro vastissimo & amplissimo. Secundò, qualis est paucitas vuarum, seu racemorum, quæ peractâ vindemiâ reliquæ manent. Tertiò, qualis est trium, quatuor vel quinque oliuarum, quæ excussâ oleâ fortè remanent in cacumine arboris.

℣.7. IN ILLA DIE, quâ tam Syri, quàm Iudæi residui aduertent se nulla idolorum suorum inuocatione & cultu quidquam promouisse, relictis & spretis idolis, INCLINABITVR HOMO, seu vnusquisque illorum, AD verum Deum FACTOREM & creatorem SVVM, certumque asylum & protectorem.

℣.9. CIVITATES FORTITVDINIS EIVS, id est, munitissimæ vrbes tum Syriæ, tum Iudææ, partim vi, partim metu accurrentium hostium Chaldæorum, ita deserentur à ciuibus & militibus præsidiariis, sicut deserta fuerunt sub Salmanassare ARATRA ET SEGETES, seu messis & agricultura, A FACIE FILIORVM ISRAEL] id est, ab Israelitis decem tribuum.

℣.10. PLANTABIS PLANTATIONEM FIDELEM, id est, quæ vberem fructum proferet, & agricolæ spem ac laborem non fallet quidem, quantum ex se est; per accidens tamen fallet, & tibi infida erit plantatio, quia non tu, sed *alieni*, nempe Chaldæi, decerpent fructus illius. Sic minatur Deus Deuter.28.v.51. Et hoc vocat hîc GERMEN ALIENVM] Sed clariùs ex Hebræo vertas, *germen alieno seminabis*.

℣.11. IN DIE PLANTATIONIS vineæ TVÆ, exsurget non vitis, sed LABRVSCA: ET SI MANE, id est, initio, SEMEN TVVM FLOREAT, lætam promittens, seu messem, seu vindemiam, tamen IN DIE HEREDITATIS, id est, cùm aderit tempus hereditandi eam, seu colligendi, deprehendes ABLATAM esse ab hoste omnem MESSEM & vindemiam. Quod tibi GRAVITER DOLEBIT.

℣.12,

℣. 12. VÆ MVLTITVDINI POPVLORVM] Agnant castra *Assyriorum*, (c) quibus quasi fluminibus obruta fuit *Æthiopia*. Ita Chaldæus. c *Isai.* 28. v. 7. & 37. v. 33.

nempe Syriæ. Qui iam infesti sunt Iudæis: sed suo tempore Deus

℣. 13. INCREPABIT EVM, putà SONITVM ET TVMVLTVM Syrorum: vel ipsum populum Syriacum: qui licet nunc superbiat quasi mons excelsus & immobilis, coram Deo tamen erit quasi TVRBO; LXX. *rota*; Vatablus, *globus* ante turbinem, seu vi turbinis deiectus & rotatus. Idque VESPERE & *manè*, id est, breuissimo tempore. Ita Cornelius à Lapide.

CAPVT XVIII.

Prædicit eladem Æthiopibus, quam inchoauit Sennacherib, & Nebuchodonosor complenit. Sed posteri Æthiopum ad Deum conuertentur. Simile exitium intentant Æthiopibus Ieremias & Sophonias. Et de his verisimilius est agere hic Isaiam, inquit Osorius, Forerius, Pineda, Sanchez & à Lapide, quàm de Ægyptiis, vt vult Cyrillus, Hieronymus, Liranus, Ribera & Aluarez. (nam Ægyptiorum onus proximè demum capite inchoatur.) vel de Indis, seu Orientalibus, seu Occidentalibus, vt exponunt Arias, Fredericus Lumnius, Thomas Maluenda, Iosephus à Costa, Delrio & Thomas Bozius. Nam Indi non nocuerunt Iudæis: vnde nec væ illis hic intentari debuit, quod aduersus hostes solos Iudæorum his omnibus capitibus intentatur.

Ieremi. 30. Sophon. 2. v. 12. Osorius hic in Paraph. Pineda in Iob 19. v. 24. Ribera in 3. Sophoniæ. Lumn. l. 2. de Iudicio extremo. Maluenda l. 3. de Antichrist. 12. de Costa, à Christo reuelato. Delrio adagio 722. Bozius de Signis Eccl. l. 20. c. 3.

℣. 1. VÆ TERRÆ Æthiopiæ, quæ est CYMBALVM ALARVM] id est, quæ habet alas exercituum suorum, tum terrestres, tum nauales, instar cymbali tinnientes, id est, sonum inanem & futilem edentes, lituis, sistris, tubis personantes, sed præter sonum nihil opis, nihil emolumenti afferentes. LXX. vertunt, *nauium alis*; Vatablus, *vmbræ alarum*, nempe quam recipit ex tot velis nauium suarum.

Terra QVÆ EST TRANS FLVMINA ÆTHIOPIÆ] id est, trans septem riuos Nili ex Æthiopia in Ægyptum profluentis. Quos riuos etiam (a) Ezechiel *flumina* vocat. Porrò respectu Ierosolymæ & Iudææ *Æthiopia*, seu *Abassia* propriè sita iacet tràns septem riuos, seu flumina Nili.

a *Ezech. c. 29. v. 3.*

℣. 2. QVI rex Æthiopiæ MITTIT IN MARE & per mare ad quas vult gentes, LEGATOS suos & milites auxiliarios, IN VASIS PAPYRI, id est, nauibus è papyro arbore compactis, vt moris erat in Æthiopia & Ægypto, vt dixi Exodi 2. v. 25. Sed qui copias emittit ad alias gentes, & implicat se bellis alienis, breuî reperiet domi quod agat. Huc ergo adesdum, ô Sennacherib, vosque omnes Assyrij, ANGELI à me missi VELOCES, non papyracei, sed chalybei, ITE celeres contra *Tharacam* (b) alioqui; Æthiopes, GENTEM intestinis odiis ac dissidiis distractam: vel, si mauis, decreto meo cælesti iam CONVVLSAM, DILACERATAM ET CONCVLCATAM] ac proinde vestris armis certò conuellendam, dilacerandam & conculcandam.

b 4. *Reg. 19. v. 9.*

AD POPVLVM, POST QVEM NON EST ALIVS] Æthiopes enim sunt in fine orbis versus Meridiē: nam per regnum Congi & Monomotapæ pertinguntvsque ad promontorium Bonæ spei, in quo terminatur continens versus Meridiem.

AD GENTEM EXSPECTANTEM] Hebraicè duplicatur, *exspectantem*. q.d. Ad gentem quæ valdè anxiè & trepidè exspectat aduentum Assyriorum, & cladem sibi imminentem; LXX. *gentem fine spe*.

CVIVS TERRAM DIRIPVERVNT FLVMINA] nempe Nilus, & alij riui ac torrentes qui in Nilum influunt, & Æthiopiam non minùs quàm Ægyptum inundant & obruunt. Metaphoricè, desi-

℣. 3. CVM ELEVATVM FVERIT à Deo, seu iussu Dei, hoc SIGNVM bellicum, seu vexillum, VIDEBITIS illud, ô vos omnes gentes terræ, q.d. Bellum hoc acre Assyriorum contra Æthiopes, non clàm vel secretò geretur, sed palàm inspectante toto orbe. Ergo interim, inquit *Dominus*, v. 13.

℣. 4. QVIESCAM, id est, cessabo ab ope ferenda Æthiopibus, ET otiosus sedens spectator tragœdiæ, CONSIDERABO successum rei de LOCO & throno MEO cælesti: & ero SICVT MERIDIANA LVX CLARA & serena Assyriis, sed adurens Æthiopes: iisdem Assyriis ero SICVT NVBES rorida, refrigerans, iuuans & roborans illos, Æthiopibus ardori & vstioni radiorum solis sub zona torrida relictis.

℣. 5. TOTVS ENIM populus Æthiopum EFFLORVIT ANTE MESSEM, id est, præmaturè se exhausit. Sicut seges vel vitis, quæ in flore luxuriant, omnemque succum in folia & flores effundunt, granis & vuis destituuntur: & IMMATVRA arboris PERFECTIO, id est, immaturi surculi & *ramusculi*, in se perfecti germinabunt quidem, sed fructus non dabunt maturos. Sic Æthiopes in luxum & splendida arma & fastum omnia sua impendētes, visi sunt gloriosam de Assyriis victoriam referre posse, sed vbi ad rem & ad manus ventum fuerit, nullum deprehendetur tanti moliminis operæpretium, nullus fructus. Sed PRÆCIDENTVR RAMVSCVLI EIVS FALCIBVS, id est, gladijs & hastis Assyriorum demetentur florentes illi iuuenes nobiles & milites Æthiopum. QVÆ verò ab Assyriis DERELICTA FVERINT subtributo, posteà à Nabuchodonosore & Chaldæis ABSCINDENTVR ET EXCVTIENTVR in alienam terram.

℣. 6. ÆSTATE & hieme ERVNT SVPER EVM VOLVCRES] Id est, tanta edetur à Chaldæis strages Æthiopum, vt cæsorum cadauera integro anno sufficiant ad carniuoras aues & feras totius regionis alendas.

℣. 7. IN TEMPORE ILLO, id est, post hanc Æthiopum cladem, sed maximè sub Messia, reliquiæ gentis illius *deferent* MVNVS vero Deo & DOMINO EXERCITVVM, AD MONTEM SION (d)] id est, ad Ecclesiam Dei sese aggregantes. Id factum post reductos è Babylonica captiuitate Iudæos in Ierusalem: & cùm eunuchus Candacis reginæ Æthiopum conuersus à Philippo, Actor. 8. Et paucis post annis S. Matthæus in Æthiopiam profectus, fidem Christi eodem induxit, rege & regno penè toto conuerso: & alij hos subsecuti Apostolici viri florentissimam istic Ecclesiam multis sæculis fouerunt. Et collapsam schismaticorum & hæreticorum perfidiâ, & colonorum inopiâ, audio hoc iam anno quo hæc scribo, industriâ & zelo moderni regis & Patrum Societatis IESV rursus instauratam, & nitori pristino feliciter restitutam. Vide Patrem Cotignium & alios qui de Ecclesia Æthiopæ scripserunt.

d *Psal. 71. v. 9. & Psal. 67. v. 32.*

CAPVT XIX.

Etiam Ægyptiis cladem prædicit: sed tandem conuertendos ad Dominum.

℣. 1. DOMINVS ASCENDET SVPER NVBEM LEVEM] qua tamquam rheda, seu vehiculo, summa celeritate simul ac maiestate in Ægyptum inuehatur: de qua nube vide Psal. 17.

v.11. Symbolum est copiarum regis Assyrij *Sennacherib*, (*a*) & Chaldæi *Nabuchodonosoris*, (*b*) quæ instar nubis obumbrarunt Ægyptum, eamque suis fulminibus, telis & gladiis confecerunt duce & adiutore Deo. Ita S. Hieronym. Haymo, Hugo & Liranus; qui cum S. Athanasio, Procopio, Augustino, Theodoreto & Eusebio id Allegoricè exponunt de Christo vlnis B. Virginis in Ægyptum inuecto.

a *Isaa* 20. b *Ierem.* 46. *Ezech.* 30.

ET COMMOVEBVNTVR, seu loco suo deiicientur, SIMVLACRA ÆGYPTI aurea & argentea, quæ Assyrij & Chaldæi cum aliis spoliis secum auferent, Ieremiæ 43. v. 12. Allegoricè, vitia & errores mundi contriuit Christus, inquit Tertullianus.

Tertull. l. contra Iudæos c.9.

℣. 2. CONCVRRERE hostiliter FACIAM REGNVM vnum Ægypti ADVERSVS aliud REGNVM; LXX. *prouinciam aduersus prouinciam*, satrapiam, vel præfecturam, vnam aduersus aliam. Cùm enim Assyrij inuaderent Ægyptum, quædam prouincię, seu præfecturæ, (quas Ortelius in Ægypto recenset 66.) Assyriis se dedere volentes, insurrexerunt etiam armis aduersus alias quę se dedere nolebant. Qua dissensione & mutua cæde factum, vt Sennacherib nullo negotio subigeret Ægyptum.

℣. 5. ARESCET, id est, rárior & humilior fiet, AQVA DE MARI, atque ita exsuget mare aquam *Nili*, vnde & ipse SICCABITVR] & per consequens, sterilitas & fames erit per totam Ægyptum, cuius omnis fœcunditas à Nili (*c*) exundatione dependet. S. Hieronymus metaphoricè per *mare* & *fluuium* intelligit regnum & regem Ægypti; per *riuos*, duces; per *calamum, iuncum, papyrum*, &c. opes & merces Ægypti, quas omnes ab hoste rapiendas hîc prædicit Isaias.

ç *Exodi* 9. *v.* 24. & *Deuter.* 11. *v.* 10.

℣. 11. PRINCIPES TANEOS] Tanis erat Ægypti metropolis, & regia Pharaonis, vbi Moyses olim cum Pharaone disceptauit, & decem (*d*) plagas Ægypto inflixit.

d *Psal.* 77. *v.* 12.

QVOMODO DICETIS PHARAONI, timeam ego seu Assyrios, seu Chaldæos? FILIVS SAPIENTIVM EGO, FILIVS tot REGVM ANTIQVORVM?] q.d. Sapientia æquè ac regia potentia mihi hereditaria est, & quasi naturaliter debetur ex prosapia tot sæculorum; vnde non est quòd timeam externum hostem. Ita Haymo, Forerius, Sanchez & à Lapide. Ridet Propheta stultam Ægyptiorum iactantiam, quâ gloriari solebant se primos esse omnium populorum, & multis annorum millibus alios præuertisse.

℣. 13. MEMPHIS, altera è principibus vrbibus Ægypti, cuius meminit passim Scriptura. (*e*)

e *Ierem.* 2. *v.* 16. *c.* 44. *v.* 1. *c.* 46. *v.* 14.

ÆGYPTVM ANGVLVM POPVLORVM] id est, quæ instar anguli, seu lapidis angularis stringit, stabilit ac firmat vicina omnia regna. Sic (*f*) Christus vocatur *caput anguli*: & Heluetij *cantones*, id est, anguli. q.d. Tuum est, ô Pharao, tueri omnes alios aduersus vim hostilem si quæ ingruat; tuus titulus est, tuum auitum stemma, quòd vbique audis defensor & protector omnium populorum; & tu nunc timeas Assyrium vel Chaldæum tyrannum?

f *Psal.* 117. *v.* 22. & *Matth.* 21 *v.* 42.

℣. 15. NON ERIT in ÆGYPTO OPVS, id est, nihil ibi geretur, QVOD FACIAT, id est, quod arguat, seu reipsa demonstret, esse inter Ægyptios CAPVT, id est, principem aliquem, ET CAVDAM, id est, subditos obedientes, vt decet: vel quod referat, esse aliquem INCVRVANTEM, seu dominum, ET REFRÆNANTEM equos, id est, seruum domino obsequentem, vt dixi c. 9. v. 14. q.d. Summa erit in tota Ægypto rerum omnium perturbatio & confusio.

℣. 16. ERIT ÆGYPTVS QVASI MVLIERES] Nempe carebit prudentia ad consulendum, & fortitudine ad agendum.

℣. 17. ET ERIT TERRA IVDA ÆGYPTO IN PAVOREM] Id est, non timebunt tunc amplius Iudæi (vt solent) Ægyptios, sed è contrario Ægyptij Iudæos.

℣. 18. IN DIE ILLA, id est, post illam cladem, ERVNT QVINQVE, id est, multæ, CIVITATES ÆGYPTI, LOQVENTES LINGVA CHANAAN] id est, Hebraica, seu linguâ tunc Iudæis familiari, Syriaca. Nec linguæ tantùm, sed & religionis eorumdem studiosæ erunt. q.d. Ægyptus suscipiet fidem & cultum veri Dei & Christi, loqueturque Christianè, vt loquentur Apostoli, aliique Iudæi ad Christum conuersi. Ita S. Cyrillus & alij SS. Patres. Nota per quinque ciuitates primarias, seu metropoles (quas Ezechiel cap. 30. nominatim recensct, *Tanim, Memphim, Alexandriam, Bubastum*, & *Heliopolin*) designari vniuersam Ægyptum, vel certè nobiliorem partem illius. Heliopolis, id est, *ciuitas solis*, hîc præ ceteris nominatur, quod istic præcipuè vigeret cultus *solis* aliorumque deorum: vnde & sacerdotum erat illa ciuitas, teste Strabone. q.d. Etiam illa ciuitas quæ tota superstitioni sacra est, manus dabit Christo.

Strabo l. 17.

℣. 19. ERIT ALTARE DOMINI IN MEDIO TERRÆ ÆGYPTI] Hoc Isaiæ vaticinium dicebat se Onias implere, cùm permissu Ptolemæi Philometoris, in tractu Heliopolitano Ægypti templum (*g*) & altare nobilissimum exstruxit, teste Iosepho: & exstructum iri prædixerat Daniel c. 11. v. 14. vt S. Hieronymus ibidem exponit. Sed hoc altare & templum, cùm non sine legis præuaricatione (vetantis extra Ierusalem (*h*) sacrificare Deo) constructum fuerit, eodem Daniele affirmante: non videtur ex mente esse Isaiæ, qui id tanquam probè factum hîc commendat. Vnde vt summùm posset dici typus fuisse & figura altaris, seu altarium, quæ hîc denotat Isaias, nempe eorum quæ tempore Christi, à S. Marco & Essæis in in Ægypto passim erecta constat. Ita S. Augustinus & alij SS. Patres.

g *Vide Iosephi Chronici* c. 39. *Ioseph. l.* 7. *Belli c.* 30. & *l.* 13. *Antiquit. c.* 6.

h *Leuit* 17. *v.* 3. *Deut.* 12. *v.* 5.

Augustin. l. 1. *de Vnit. Eccl. c.* 14.

ET TITVLVS DOMINI IVXTA TERMINVM Ægypti erit. Id est, Ægyptij per suos terminos, prouincias, seu dynastias, passim erigent Christo statuas, columnas, templa, altaria, cruces. Hæc enim omnia designari possunt nomine *tituli*. (*i*)

i *Genes.* 28. *v.* 18. & *Leu.* 26. *v.* 1.

℣. 21. VOTA VOVEBVNT DOMINO] Videtur designare vota religiosa & monastica paupertatis, castitatis & obedientiæ, quæ sivsquam sub cælo, certè in Ægypto frequentissima edebantur ab Essæis & aliis, teste Palladio, Euagrio, Augustino & Ruffino.

Pallad. in Lausiaca. Euagr. in Vitis Patrum. August. sup.

℣. 23. ERIT VIA DE ÆGYPTO IN ASSYRIOS] Id est, erit tempore Christi mutua pax, societas & commercium inter gentes illas, quæ nunc hostiliter dissident.

ET SERVIENT Deo cæli ÆGYPTII *cùm Assyriis*. Ita enim ex Hebræo vertunt Vatablus & Arias.

℣. 24. ET populus ISRAEL, qui inter duos illos populos medius iacet, & occasio esse solet discordiarum inter illos & bellorum; tempore Christi TERTIVS ERIT, id est, mediator, auctor & conciliator pacis ac fœderis perpetui erit inter Assyrios & Ægyptios. Nempe Christus eiusque Apostoli & discipuli ex Iudęa oriundi, Ægyptios, Assyrioque

rioſque (vt & alias gentes) vti cum Deo, ita inter ſe mutuò, arctiſſima amicitia beneuolentiaque in vna eademque fide & Eccleſia confœderarunt. Ita Gabriel Aluarez. Porrò hæc BENEDICTIO cæleſtis primò erit IN MEDIO TERRÆ, id eſt, in Iudæa, quæ, vt dixi, media iacet inter Aſſyriam & Ægyptum, & erat HEREDITAS, ſeu hereditaria portio Dei, vt ſequitur v.25. Sed ex hoc medio, & ope huius medij, deriuabitur eadem benedictio ad vtrumque extremum.

CAPVT XX.

Quæ ſeorſim de Æthiopia cap.18. & de Ægypto cap.19. vaſtanda prædixerat, hic coniunctim prædicit. Iubeturq; nudus incedere, vt denudationem & expilationem vtriuſque regni portendat.

¶.1. ANNO QVO INGRESSVS EST THARTHAN præfectus militiæ Aſſyriacæ, 4.Reg.18.v.17. IN AZOTVM, Philiſthinorum ſatrapiam, CVM MISISSET EVM SARGON, id eſt, Sennacherib, REX ASSYRIORVM] Quam S.Hieronymus dicit communem eſſe interpretum expoſitionem. Denotatque annum 13. finientem, vel

a 4.Reg.18. v.13. 14. (a) inchoantem regni Ezechiæ.

¶. 2. SOLVE SACCVM cilicinum DE LVMBIS TVIS] Pœnitentiæ enim causâ vtebantur olim Prophetæ cilicina veſte, ferè vt nunc Capuccini. Hanc ſoluere & exuere iam iubetur.

VT IECIT SIC, VADENS NVDVS] omninò nudus, inquit S. Hieronymus, Haymo, Dionyſius, Saſbout & à Lapide: & colligitur ex v.4. *diſcoopertis natibus*. Sed poteſt etiam hoc conſiſtere cum interiore, breuiore & lacera veſte, qua ſaltem pudendæ partes tegerentur, inquiunt Foretius, Hugo, Sanchez & Aluarez. Sic Saul, (b) ſic Dauid (c) dicuntur nudi ceciniſſe, cùm depoſitâ extimâ veſte, ſolis interioribus tegerentur. Allegoricè, repræſentabat nuditatem Chriſti in flagellatione & cruce.

b 1.Reg.19. v.24.

c 2.Reg.6. v.14.20.

¶.3. SIGNVM ET PORTENTVM hoc ERIT, id eſt, præſignabit & portendet vaſtationem, TRIVM ANNORVM, id eſt, tribus annis duraturam SVPER ÆGYPTVM ET ÆTHIOPIAM] Cœpit enim anno 14. Ezechiæ, quo Sennacherib audito aduentu *Tharacæ* (d) regis Æthiopiæ, contra eum perrexit, relicto in Iudæa *Rabſace*, teſte Ioſepho: tertio pòſt anno, expilatâ iam Æthiopiâ & Ægypto, in Iudæam recurrit, vbi ab angelo (e) cæſus eſt eius exercitus. Porrò triennium hoc cœpit ſtatim ab hac prædictione & denudatione Iſaiæ, quæ verisimiliùs non triennio (vt vult Forerius,) ſed triduo tantùm durauit, teſte S. Hieronymo, Cyrillo & aliis, *die* pro *anno* (f) ipſi computato.

Chron.c.30. §. anno 24. Ezechiæ.

d 4.Reg.28. v.13. & c.19. v.9. *Ioſeph.l.10. Antiq.c.1.*

e 4.Reg.19. v.35. & *Iſaiæ 37. v.36.*

f Ezech. 4. v.6.

¶. 4. SIC MINABIT CAPTIVITATEM ÆGYPTI] Id eſt, captiuos Ægyptios & Æthiopes quaſi pecora gregatim ante ſe coget in Aſſyriam, ſpoliatos etiam propriis veſtibus & ad ludibrium denudatos.

¶.5. ET TIMEBVNT hoc tam portentoſo exemplo Iudæi, imò CONFVNDENTVR] cùm viderint tam miſerè exſcindi Æthiopes, in quibus ſpē ſuam ſubinde locarant: & Ægyptios tam ſordidè tractari, quorum ope & opibus gloriari ſolebant.

¶.6. INSVLA vocatur Iudæa, & præſertim Ieroſolyma, non quod mari cingeretur, ſed quòd vicinarum gentium, Aſſyriorum maximè & Ægyptiorum, fluctibus ac bellis vndique inſtar inſulæ tunderetur. Et ſæuiente Sennacheribo, atque inſtar maris omnia vicina obruente, (g) ipſa ſola caput extulerit, inſtar inſulæ, & ſalua euaſerit. Ita Sanchez & à Lapide.

g Iſaiæ 8. v.8.

CAPVT XXI.

Prædicit Babylonem euertendam per currum cameli; & aſini, id eſt, per copias Darij & Cyri. Itemq; Idumæam & Arabiam.

¶.1. ONVS DESERTI MARIS, id eſt, prophetia oneroſa, quia excidium prædicit Babyloni, iam quidem ob incolarum multitudinem & confluxum omnium nationum, inſtar *maris*, imò inſtar parui mundi vaſtæ & amplæ, ſed mox puniente Deo vaſtandæ ac deſolandæ inſtar *deſerti* (h) ſeu eremi. Ita S. Hieronymus & Cyrillus. Porrò hoc *onus*, ſeu procella oneroſa obuenit Babyloni DE DESERTO, id eſt, à Media & Perſide, quas inter & Babylonem vaſta deſerta interiacent. Et obruet Babylonem SICVT TVRBINES AB AFRICO, ſeu Meridie per deſerta illa venientes ſolent obuia quæque obruere.

h Ierem.51. v.37.

¶.2. QVI INCREDVLVS EST, INFIDELITER AGIT; Hebraicè, *qui prænaricator eſt, prænaricator eſt*. q. d. Perſæ & Medi, qui infideles, fœdifragi & præuaricatores paſſim audiunt, etiam Babyloniis fidem datam non ſeruabunt: & qui tot alias gentes depopulati ſunt, etiam Babylonem vaſtabunt. Porrò confœderatos fuiſſe Medos, Perſas & Chaldæos, vel inde patet, quòd Nabuchodonoſor vxorem habuerit Nitocrin filiam Cyaxaris regis Medorum, vnaque cum ipſo expugnarit Niniuen, totamque Aſſyriam, inquit Hieronymus, Euſebius, Ioſephus & alij. Igitur adeſdum, ô ÆLAM, id eſt, Perſa (Ælam enim Perſicæ regionis pars eſt:) ASCENDE (i) cum vniuerſis copiis tuis: & tu ſimul ô MEDE; & *obſidete* iunctis viribus vrbem mihi inuiſam Babylonem, inuadite, vaſtate, exſcindite. Sic ego CESSARE *faciam* OMNEM GEMITVM Babylonis, quo ipſa, ſua tyrannide cogebat alios populos flere & gemere. Ita Chaldæus. Sanchez paſſiuè accipit, & per *gemitum* intelligit planctum funebrem & publicum. q.d. Faciam, vt Babylonij ita ſubitò à Perſis & Medis obruantur, vt nulla ſit futura ipſis occaſio vel tempus plangendi & ſepeliendi mortuos ſuos.

i Ierem.51. v.11.12.

¶.4. BABYLON DILECTA MEA, inquit Iſaias, cui ob eximium ſplendorem, opes & potentiam meritò cara erat, vt & reliquo orbi; erat enim vnum è ſeptem orbis miraculis. Iam verò exciſa à Perſis POSITA EST MIHI, totique orbi IN aliud MIRACVLVM] nempe ruinæ, excidij, pauoris & doloris.

¶.5. PONE MENSAM, ô Balthaſar, adorna conuiuium, epulare, iucundare. Ironia eſt, ſicut & ſequentia, CONTEMPLARE IN SPECVLA, id eſt, ſtatue ſpeculatores, qui è turribus contemplentur quid agatur in caſtris Cyri & Darij. q.d. Fruſtra eſt, & ſerius. Iam enim hoſtis habet muros, deducto Euphrate, per ſiccum alueum Babylonem ingreſſus eſt, ad regiam aduolat. Heus vos PRINCIPES incurij COMEDENTES in aula ET BIBENTES, PEVM; Chaldæus, *tergite, & lucida facite arma*. Hiſtoriam expugnatæ Babylonis vide apud Xenophontem & Danielem c.5.

Xenoph.l.7.

¶.7. VIDIT viſione cælitus immiſſa CVRRVM duplicem, vnum protractum ab *aſinis*, cui inſidebat *Cyrus Perſa*: alterum protractum à *camelis*, cui inſidebat *Darius Medus*. *Medi* enim quia bellicoſi & po-

& potentes, *camelo* designantur, quo pro equis etiam vti solebant. At asinis comparantur *Persæ*, quia abiecti in eam diem, & ignobiles & salaces, interim robusti, laboriosi & malorum patientes. Quas etiam ob causas Danielis 7. v. 5. vrso comparantur. Ita Eusebius, Hieronym. Theodoretus, Augustinus. Allegoricè, Christus ascensor est cameli, populi Iudaici; & asini, populi Gentilis, inquit Hesychius. Vel, vt Alcazar, S. Petrus ascensor asini, Iudæorum Apostolus; & S. Paulus cameli, Gentilium doctor, Romam pari studio subegerunt Christo.

Euseb. l. 9. Præparat. c. vlt. Hieron. hic & Ezech. 23. v. 20. Theodor. in Levit. q. 24. & August. ibid. q. 58. Alcazar in Apoc. 17. notat. 1.

¥. 8. ET CLAMAVIT speculator, rugiens quasi LEO] qui (quòd breuissimas habeat palpebras, vnde etiam dormiens vigilare videtur,) symbolum est vigilantis excubitoris, soletque adpingi valuis templorum ac palatiorum, quasi vigil & custos loci, inquit Horus Apollo.

Horus Apollo hierogl. 19.

EGO SVM] q. d. Ego Isaias sum iste speculator iam dictus, & Propheta, iuxta munus mihi commissum à Deo.

¥. 9. VIR BIGÆ EQVITVM] Id est, vterque rex, Persarum Cyrus in suâ bigâ, & Medorum Darius in suâ bigâ equestri & belluca, stipata tot exercitibus.

RESPONDIT] Id est, vltrò clamauit speculator Isaias.

¥. 10. TRITVRA MEA vos estis, ô Iudæi, ET FILII AREÆ MEÆ] id est, grana trituratione in areâ excussâ, vos estis. q. d. Babylonios non triturabo, sed prorsus conteram ac disperdam: vos verò, ô Iudæi, qui estis gens mea, triturabo, paleas euentilabo, culmos ac stramina secernam, grana in horreum recondam.

¥. 11. ONVS DVMA] Aphæresis est, pro *Idumæa*, vt vertunt LXX. Ab *Esau* enim ruto *Edom*, seu Idumæa, à piloso *Seir* dicta fuit regio quam posteri Esau incoluerunt.

O CVSTOS, QVID DE NOCTE? id est, quota est noctis hora? Obsessi enim à Chaldæis, præ metu & pauore non sat exactè obseruabant singulas noctis horas. Respondet excubitor, v. 12. VENIT MANE ET NOX, id est, appropinquat quidem crepusculum auroræ, sed tamen adhuc nox est, & tenebræ nos tegunt: quare, SI QVÆRITIS hostem vel explorare, vel aggredi, vel à finibus vestris depellere, QVÆRITE citò & festinate: CONVERTIMINI, VENITE] id est, rursum venite, rursum audete aliquid tentare. Vel, sic *quærite* & explorate omnia hostilia, vt citò reuertamini in vrbem, priusquam illucescat, & hostes vos persentiscant. Ita Arias Montanus & à Lapide.

¥. 13. IN ARABIA, id est, contra Ismaelitas, seu Cedarenos (ab Ismaelis filio *Cedar* (a) sic vocari solitos) degentes in Arabia. Aduentante Nabuchodonosore fugam trepidi sub noctem capessetis, IN SALTV sub dio transigetis noctem & DORMIETIS, IN SEMITIS, seu viis quæ ducunt ad vrbem DEDANIM] Interim vos vicini populi,

(a) *Genes. 25. v. 13.*

¥. 14. QVI HABITATIS TERRAM AVSTRI, id est, versus Meridiem (nam eò properabant Ismaelitæ fugiêtes Nabuchodonosorem ab Aquilone aduentantem) OCCVRRENTES SITIENTI Arabi FERTE AQVAM, offerte *panes* FVGIENTI.

¥. 16. ADHVC IN VNO ANNO, seu post vnum annum ab excisâ Ierosolymâ, AVFERETVR OMNIS GLORIA CEDAR] id est, Arabum. Simile suprà cap. 16. v. vlt. Idem Arabiæ excidium prædicit quoque Ieremias & Ezechiel.

Ierem. 25. v. 23. & 49. v. 28. Ezech. 25. v. 13.

CAPVT XXII.

Cladibus aliarum gentium, etiam Ierosolyma cladem subnectit. Et superbo Sebna præposito templi prædicit captiuitatem, & pio Eliacim successori ipsius stabilem dignitatem.

¥. 1. ONVS VALLIS VISIONIS] Id est, prophetia minax Ierosolymæ, inquit Hieronymus & LXX. & patet ex vers. 4. Vocatur autem *vallis*, quia subiecta erat monti Sion. Vocatur *visionis*, à monte *Moria*, (b) quod visionem significat, inquit Forerius, eratque coniunctus monti Sion, & in eo olim Abraham parabat immolare filium suum Isaac, & in eodem postea Salomon construxit templum (c). q. d. O Ierosolyma, fuisti *Moria*, nunc es *Mara*. fuisti mons splendidissimæ visionis, nunc vallis es miserrimarum lacrymarum, instar montis ad sidera extollebaris excelsa arce, templo, turribus; nunc complanatis omnibus facta es vallis vilissima, & spelunca latronum.

b *Genes. 22. v. 2.*

c *2. Par. 3. v. 1.*

ASCENDISTI ET TV OMNIS, omnes ciues tui, IN TECTA, (d) in solaria domorum, vt ex altiori loco spectetis hostiles phalanges toti vrbi circumfusas.

d *4. Reg. 1. v. 2.*

¥. 2. NON INTERFECTI GLADIO] sed fame, sed inedia, sed miseriis confecti, vt contigit in obsidione Ierosolymitana per Chaldæos, ad quam hîc respicit Isaias, inquit S. Hieronymus. Typicè tamen aptari etiam possunt obsidioni per Titum, vt vult Eusebius & Leo Castrius.

¥. 3. CVNCTI PRINCIPES TVI] non dimicando fortiter, sed fugiendo ignauiter, capti, & quasi imbelles feminæ vel pueri, loris adstricti sunt, 4. Reg. vlt. v. 4. & 18.

¥. 5. SCRVTANS MVRVM, supple est Deus. q. d. Dux huius belli Deus scrutatur & explorat mœnia Ierosolymitana, inquirens qua parte possit commodè dirui & euerti. MAGNIFICVS debellator & triumphator SVPER MONTEM Sion, pedibus illum suis conculcans, gloriam eius & superba palatia & turres solo adæquans, & quasi in vallem deprimens.

¥. 6. ÆLAM, seu Ælamitæ, regionis Persicæ Chaldæis tunc subiectæ vel confœderatæ, incolæ, SVMPSERVNT PHARETRAM, instruxerunt currus equestres, & armati omni armorum genere (adeò vt parietes antè clypeis & hastis instructi, iam prorsus nudati sint) Nabuchodonosori contra Ierusalem militaturi accurrunt. Ita Cyrillus.

¥. 8. ET REVELABITVR, id est, detegetur ac capietur, à Chaldæis OPERIMENTVM IVDÆ] id est, antemurale, seu exteriores munitiones, quibus vibs quasi operimento tegebatur.

VIDEBIS ARMAMENTARIVM (e) DOMVS SALTVS] Hebraicè, *respicies ad armamentarium*. nempe ad arma ex eo educenda, quibus Chaldæis & pòst etiam Romanis resistere possis. Ita Procopius, Forerius, Vatablus.

e *3 Reg. 7. v. 2.*

¥. 9. ET SCISSVRAS murorum CIVITATIS DAVID, seu arcis Sion, VIDEBITIS] id est, inspicietis, vt eas instaurari & sarciri curetis.

ET CONGREGASTIS, seu colligetis, AQVAS PISCINÆ INFERIORIS] quam fecit Ezechias 4. Reg. 20. v. 20. nempe ad leuandam ciuium sitim in longa obsidione.

¥. 10. ET DOMOS ac familias ciuium *numerato* adnotabitis, ad annonam & aquam cuique admetiendam, vel ad excubias per vices curandas.

℣. 11. ET LACVM, seu amplas fossas & aquarum receptacula, FECISTIS INTER DVOS vrbis muros, AD, seu prope, AQVAM PISCINÆ VETERIS] q. d. Toti intenti fuistis ad humana præsidia conquirenda: sed quod præcipuum fuit neglexistis, nempe ad Deum oculos animosq; attollere, vt solent (*a*) pij omnes. Hinc euanida & frustranea fuerunt omnia vestra consilia & conatus.

a *Psal.* 19. v. 8. *Isaiæ* 37. v. 1. *Iudith* 9. v. 1. 1. *Mach.* 3. v. 46.

℣. 12. VOCABIT quidem vos DEVS, imminente hoste, per suos Prophetas, & excitabit ad resipiscentiam & pœnitentiam, quæ *caluitio* & cilicio prodi solet: sed increduli & contemptores, gulæ potiùs ac luxui vacabitis, dicentes, *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur*, (*b*) non corpore solo, sed & anima. Vox est Sardanapali (*c*) & Epicurcorum.

b 1. *Cor.* 15. v. 32. & *Sap.* 2. v. 6.

c *Cicero* 5. *Tusculan.*

℣. 14. SI (*d*) DIMITTETVR] Id est, iuro quòd non dimittetur. Nam, vt ait S. Hieronymus, nihil sic offendit Deum, quàm post peccatum erecta ceruix, & contemptus.

d *Proleg. de Idiotism. Hebr.* n. 13.

℣. 15. QVI HABITAT IN TABERNACVLO] seu in interiore parte templi; LXX. *in pastophoria*, id est, in exedra, in thalamo, seu cubiculo prope sanctuarium, vbi sacerdotes morabantur dum templo deseruirent. Inter hos aderat tum *Sobna præpositus templi*, nempe summus sacerdos & pontifex, (*e*) vt vult S. Hieronymus, Liranus & Sanchez, & patet ex v. 21. & sequentibus. Vnde alius hic est *Sobna*, vt & alius *Eliacim*, ab illis quorum fit mentio 4. Reg. 18. & 19. Nam illi laici verisimiliùs erant, saltem non pontifices: erat enim Sobna scriba, Eliacim solùm præpositus domus regiæ, vt vult Iosephus, Abulensis, & Torniellius. Vel, si præpositus templi fuit, soli militari custodiæ præerat, vt ibi dixi. Hi verò, quorum Isaias meminit, sacerdotes erant & pontifices.

e *Chronici* c. 42.

Ioseph. l. 10. *Antiq.* c. 1. *Abulens. in* 4. *Reg.* 18. q. 33. *Torniell. anno mundi* 3322.

℣. 16. QVASI QVIS HIC? id est, Quis iste qui se gerit quasi pontificem, cùm non sit nisi larua & vmbra pontificis? Sic Zachariæ 11. *O pastor & idolum*. EXCIDISTI TIBI HÎC (Icrosolymis) superbum SEPVLCHRVM, quasi æternum MEMORIALE tui. Sed non hîc sepelieris.

℣. 17. ECCE DOMINVS ASPORTARI TE FACIET vnà cum rege Manasse in Babylonem, SICVT ASPORTATVR GALLVS GALLINACEVS] Hebraicè, *vir gallinarum*. Videtur carpere luxuriã Sobnæ, quam inter pellices forsan exercuit: saltem notat superbiam illius. q. d. Iam in fimeto tuo quasi gallus inter gallinas te iactas & cristas attollis; breuî tempus aderit, cùm captus cristas demittes, & victus in forum vendendus abduceris.

QVASI AMICTVM, seu vestem venalem, quæ in emptorum oculis panditur & excutitur, SIC SVBLEVABIT & excutiet TE Deus. & tollet à te

℣. 22. CLAVEM DOMVS DAVID] Id est, summam potestatem & præposituram templi: quod, quia sumptibus à Dauide præparatis, eiusdemque designatione ac iussu constructum fuit, vocatur meritò *domus Dauid*.

Nota, hanc clauem, id est, supremam pontificiam potestatem, non nisi vnam esse. Nam si plures essent & penes plures, falsum esset, quod de pio & fideli Eliacim successore Sobnæ hîc dicitur, quòd sua clauc *claudet*, *& non erit qui aperiat*, &c. Hîc ergo innuitur, pontificatum esse monarchicum. Allegoricè, per Eliacim designatur Messias, inquit Cyrillus & Theodoretus. Et huc alludit S. Ioannes Apoc. 3. vbi de Christo dicit, *Qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit*. Et Christus vicario suo *Petro* eamdem clauem, cum aliis annexis se delegaturum promisit, Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum*.

℣. 23. ET FIGAM ILLVM PAXILLVM, (*f*) seu clauum in pariete Ecclesiæ meæ, ex quo omnes pendeant, summi, medij, infimi.

f *Ezech.* 15. v. 3.

℣. 25. AVFERETVR PAXILLVS, qui nunc est, nempe *Sobna*. Et eo cadente, simul cum eo cadent filij, amici, affines, & quotquot ex eo pendebant. Ita Vatablus, à Lapide & Aluarez. Allegoricè, concidet pontificatus Aaronicus, fragilis & infidus: & succedet pontificatus Christianus æternùm duraturus, inquit S. Hieron. S. Thomas & Haymo.

CAPVT XXIII.

Tyro quoque excidium per Nabuchodonosorem prædicit, sed post 70. annos iterùm restaurandam, & pristinæ gloriæ restituendam.

℣. 1. VLVLATE NAVES MARIS] Hebraicè, *naues Tharsis*; (*g*) LXX. *naues Carthaginis*, quia Carthago fuit colonia (*h*) Tyriorum, & nauibus in mari abundabat.

g 2. *Paral.* 9. v. 21.

h *Virg.* 1. *Æneid.*

DE TERRA CETHIM, id est, ex insulis maris Mediterranei, Cypro, Italia, Græcia, &c. primò REVELATVM EST EIS] scilicet nauibus maris, id est, mercatoribus marinis, captam, vastatam, excisam esse Tyrum. Ita Cyrillus, Hieronymus, Procopius, S. Thomas & alij.

Vide de Cethim 1. *Mach.* 1. v. 1.

℣. 2. QVI HABITATIS IN INSVLA, Tyro, TACETE] iam subacti à Nabuchodonosore. q. d. Non ampliùs gloriemini & superbiatis vt antè, sed præ dolore, pudore, pauore ac stupore continete vos in silentio.

Nota, Tyrum olim insulã, partim à Nabuchodonosore, (*i*) partim ab Alexandro Magno cõiunctam fuisse continenti, factamque peninsulam, teste Curtio, Guilielmo Tyrio & Adrichomio.

i *Ezech.* 26. 27. 28. *Curt. l.* 4. *Tyr. de Bello sacro. Adrich. in Tyro.*

NEGOTIATORES SIDONIS (vicinæ Tyro) REPLEVERVNT TE suis mercibus & opibus.

℣. 3. IN, seu ex, AQVIS MVLTIS NILI exundantis, oblimantis & fœcundantis agros prognatum SEMEN, FRVGES & messes Ægypti, factæ sunt fruges & messes Tyri, vt inde per negotiationem in reliquum orbem distraherentur.

℣. 4. ERVBESCE SIDON de hac Tyri filiæ & coloniæ tuæ nuditate: quia, cùm esses mater illius, opem tamen illi ferre atque ab hoste eam liberare non studuisti. Hoc tibi opprobrat MARE, id est, omnes mercatores maris: sed præ omnibus ipsa FORTITVDO MARIS, nempe Tyrus, arx munitissima, atque humanis viribus penè insuperabilis. patet ex Nabuchodonosoris 13. annorum obsidione, & tot Alexandri laboribus, vt vrbe illa potiretur. Iam deserta à te, & omni alio confœderatorum auxilio, dolens ac lamentans dicit, NON PARTVRIVI, NON PEPERI, &c.] Id est, nullos habeo superstites ciues, nullos filios, nullas filias, capti sunt omnes vel cæsi ab hoste, vel ad alia loca dilapsi, viduâ me nudaque derelictâ, perinde ac si nullos vmquam liberos procreassem vel aluissem.

℣. 7. GLORIABATVR IN ANTIQVITATE SVA] Iosephus dicit Tyrum conditã esse 240. annis ante templum Salomonis. Sed Berosus & alij putant, paulò pòst diluuium constructã fuisse à *Thiras* (*k*) septimo filiorum Iapheth. Ita Guilielmus Tyrius.

Ioseph. l. 8. *Antiq.* c. 2. k *Gen.* 10. v. 2. *Tyrius l.* 13. *Belli sacri* c. 1.

DVCENT EAM, id est, incolas eius cladi superstites abducent PEDES SVI LONGE à patria AD PEREGRINANDVM] vel coactè in Chaldæam, vel sponte

sponte in alia regna. Nempe, nulli audebunt, nulli permittentur in patrio solo subsistere: omnes vel fugient, vel capti in exilium abducentur.

¥.8. CORONATAM, opibus, deliciis, gloria, instar reginæ vibium & insularum, inquit Hieronymus: vel inclytis mercatoribus vndique aduolantibus, inquit Haymo.

¥.10. FILIA MARIS, *filiam maris* vocat insulam, è mari quasi genitam, auctam, enutritam. Talis eras, ô Tyre: sed nunc per Chaldæos & Macedones continenti coniuncta, TRANSI non iam mare, sed TERRAM TVAM, & QVASI FLVMEN] neque enim Tyrum inter & continentem aliud interiectum mansit, quàm angustum maris brachiolum, quod *flumen* potiùs, quàm fretum dicebatur.

NON EST CINGVLVM maris VLTRA TIBI] q.d. Cùm antè mari vasto vndique cingereris quasi cingulo, essesque inaccessa & inexpugnabilis; iam per Chaldæos & Macedones peninsula facta, cingulo isto spoliata, & hosti exposita es, non amplius *maris*, sed *terræ filia*.

¥.11. DOMINVS MANDAVIT, id est, misit exercitus (*a*) suos, ADVERSVS CHANAAN] id est, contra Tyrum à Chananæis conditam & habitatam. Vnde & tribui Aser (*b*) attributa fuit, sed numquam per eam occupata. Et mulier Chananæa Matth.15. dicitur exiisse de finibus Tyri.

¥.12. FILIA, id est, colonia, SIDONIS] vt dixi vers.4.

IN CETHIM, id est, in insulas alias maris Mediterranei, vt suprà vers.1. TRANSFRETA, & transmigra & fuge. Nec tamen tutum ibi reperies asylum.

¥.13. ECCE TERRA CHALDÆORVM subuertetur te, ô Tyre, & fugientem te persequetur. Tanto robore & potentia nullus alius populus est, iam inde ab antiquo: nam ASSVR, seu Ninus, priusquã in Assyriam & Niniuen demigraret, FVNDAVIT vnà cum aliis turrim & vrbem Babel, Genesis 10. caput terræ & sedem imperij Chaldæorum.

¥.15. IN OBLIVIONE ERIS, nempe deserta & desolata SEPTVAGINTA ANNIS, SICVT DIES REGIS VNIVS, putà Dauidis famosissimi regis, q.d. Quamdiu solet viuere homo, qui lautè & liberaliter se habet, vt solent reges, id est, 70. annis. Et hoc vult Ezechiel c.26. cùm Tyro dicit, *Non ædificaberis vltrà*, id est, in longum (*c*) tempus, nempe 70. annorum. Nam restauratam iterum fuisse constat ex 2.Esdræ 13. v.16. & ex eo quòd Alexander Magnus eamdem rursus expugnarit. Per quem verò, vel qua occasione rursus instaurata fuerit, nec sacra, nec profana narrat historia.

POST SEPTVAGINTA AVTEM ANNOS ERIT TYRO QVASI CANTICVM MERETRICIS] id est, instar meretricis cantu illecebroso allicientis amasios, iterum Tyrus ostentatione & proclamatione mercium suarũ vndique alliciet ad se mercatores.

¥.17. RVRSVM FORNICABITVR CVM VNIVERSIS REGNIS] id est, (*d*) negotiabitur cum toto orbe. Hebræum enim זנה significat in genere quæstum facere, siue id fiat commutatione mercium, siue appositione ciborum, siue prostitutione corporis. Vnde *zona* Hebræis, & πορνη Græcis nunc mercatricem significat, nunc cauponam, nunc meretricem.

¥.18. MERCEDES EIVS, id est, lucra mercimoniis parta, SANCTIFICATÆ ERVNT DOMINO, nempe mittentur Ierosolymam Deo offerendæ in templo. Ita factum colligitur ex 1. Esdræ 5. & 6. & Zachariæ 14. v.16. Sed completè perfectum tempore Christi, inquit S. Hieronymus, quando in Tyro maximè floruit fides, vt docet Guilielmus Tyrius & Adrichomius. Neque enim sordidè tunc *recondebant* opes suas, sed NEGOTIATIONEM, id est, lucrum suum, liberalissimè elargiebantur HIS QVI HABITAVERINT CORAM DOMINO, id est, ministris Dei & Ecclesiæ, vt ex eo alantur. ET VESTIANTVR vestibus ad multos annos, & VSQVE AD VETVSTATEM duraturis, id est, valdè bonis & firmis.

Tyr. & Adrich. suprà

a *Psal.67. v.29. Isaiæ 10. v.6. & c.13. v.5 & c.45. v.11. Amos 9. v.4. &c.*

b *Iosue 19. v.29.*

c *3.Reg.10. v.5. Ioël.2.v.19.*

d *Act.17. & 18.*

זנה

CAPVT XXIV.

Prænuntiato particularium gentium excidio à cap.13. hucusque; iam deinceps per quatuor capita transit ad excidium totius mundi, cuius typus & vmbra fuerunt illa particularium gentium excidia, inquit S. Hieronymus & Ambrosius. sic Christus Matth.24 ab excidio Ierosolymæ Ambros. de transit ad excidium orbis. Huius ergo miserabilem simul Eliæ & ieiunio c.21. & horribilem speciem describit hoc cap. Isaias.

¥.2. ERIT SICVT POPVLVS, SIC SACERDOS] Id est, eadem clade inuoluentur omnes, tam sacerdotes quàm laici; tam creditores, quàm debitores; tam diuites, quàm pauperes.

¥.4. DEFLVXIT ORBIS] Id est, corruit quidquid in orbe fuit, palatia, arces, oppida, pyramides, mausolæa, arbores, siluæ, &c. Omnia enim igne conflagrationis absumentur, 2.Petri 3.v.10.

¥.5. ET, pro quia. Causam enim exponit tantæ tamq; horribilis cladis: nempe, quia tota TERRA INFECTA EST omne genus peccatis, vt vertunt LXX. & Chaldæus. Simili modo *vers.6.* ET, pro quia, PECCABVNT, & INSANIENT peccando, furentes libidine, fastu, cupidine.

ET RELINQVENTVR HOMINES PAVCI] q.d. Ab illa insania pauci admodum eximentur, qui non vt bruta viuent, sed vt homines, ex ratione & præscripto legum Dei. Ita S. Hieron. & Haymo.

¥.7. LVXIT VINDEMIA] nempe ariditate squalida, vuis destituta. Alludit ad plagas iudicio præuias, Apocal.8. &c.

¥.10. CIVITAS VANITATIS est totus mundus, in quo *omnia vanitas*, Eccles. 1. Hæc opponitur *ciuitati veritatis*, quæ cælum est, inquit S. Augustinus initio libri de Ciuitate Dei.

¥.11. CLAMOR ERIT SVPER VINO] id est, super vini penuria, vt patet ex v.7.

¥.13. HÆC ERVNT IN MEDIO TERRÆ, non geometricè, sed vulgata phrasi, qua *in medio* id fieri dicitur quod palàm & passim fit. q.d. Hæc euenient orbi non secretò in vno angulo, sed passim pluribus locis, imò vbique & palàm. Porrò fideles tum Christiani & in virtute constantes, tam pauci erunt, quàm PAVCÆ cernuntur reliquæ OLIVÆ in olea post eius excussionem. Quod maximè locum habebit sæuiente Antichristo.

¥.14. HI, deiecto Antichristo *spiritu oris Christi*, LEVABVNT capita in cælum præ gaudio, & HINNIENT DE MARI] quasi generosi equi è præcipitio vel lacu educti, & iam ad sese vindicandum accincti.

¥.15. PROPTER HOC tam seuerum imminens toti orbi excidium, vos, ô fideles, GLORIFICATE DOMINVM IN DOCTRINIS] docendo & instruendo passim omnes abetrantes à via cæli & vitæ æternæ: traiicite maria, percurrite insulas hactenus inaccessas, extremas Indias penetrate. Atque ô factum benè! Nam ecce

¥.16. A FINIBVS TERRÆ, id est, ab extremis Indiis,

Indiis, à quatuor angulis mundi, iam audîmus, A concini LAVDES Dei, quibus passim celebratur GLORIA IVSTI, Messiæ, redemptoris & iustificatoris mundi. Ita S. Thomas, Liranus, & Sanchez.

ET DIXI: SECRETVM MEVM MIHI] q.d. Cùm in hac Deum & Christum laudantium massa videam paucissimos esse ex Iudæis, penè omnes ex Gentibus collectos; non audeo triste istud nuntium secretò mihi reuelatum, aliis exponere ac propalare. Idem mysterium admiratione potiùs, quàm proclamatione prosequitur S. Paulus Roman. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* Ita S. Augustinus, Forerius, Leo Castrius & à Lapide.

August. in Psal. 7.

VÆ MIHI] heu crucior, ex tam misera populi B mei *preuaricatione*, reprobatione: & quòd tanto malo obuiare non possim.

a Baruch 6. v. 69.

¥. 17. FORMIDO, (*a*) metaphora venatorum significat *terriculamentum* quod auibus vel feris obiicitur, vt timore perculsæ in aduersam partem agantur, ibique in paratas foueas, vel laqueos incidant, inquit Seneca & S. Augustinus. q.d. Nulla miseris supererit spes euadendi, nam si vnum malum effugiant, incident in alia grauiora.

Seneca l. 2. de Ira c. 2. August. l. 1. de Nuptiis & concup.

¥. 18. CONCVTIENTVR FVNDAMENTA TERRÆ, saltem specie & apparentia tenus. An etiam reipsa, vide Iob 9. v. 6. Et de loco suo

¥. 20. TERRA AVFERETVR, non tam quoad substantiam suam, quàm quoad incolas & substructiones sibi infixas, ait S. Hieronymus. *Auferetur*, inquam, QVASI TABERNACVLVM, quod viatores noctu figunt vt sub eo conquiescant, sed mane facto refigunt & secum deuehunt: sic terrena omnis mansio, nocte mundi peractâ, tolletur & exscindetur.

¥. 21. MILITIAM CÆLI, angelos malos expo- *b 2. Esdr. 9. v. 6. & Eccli. 43. v. 9.*
nit (*b*) Cornelius à Lapide: sed hoc mysticum est, inquit Gabriel Aluarez. Ad litteram enim significantur astra, vt alibi dixi, & patet ex vers. 23. q.d. Etiam solem, lunam, reliquasque stellas offuscabit Deus, & quasi occæcabit, vt ex illis sic occæcatis timor, horror, luctus, mœror & dolor hominibus D accrescat.

¥. 22. POST MVLTOS DIES, imò post multa sæcula, perpetuò VISITABVNTVR] id est, punientur impij in lacu & barathro infernali. TO enim *visitabuntur*, significat hîc actum continuatum. q.d. Etsi multis sæculis sint in gehenna, tamen numquam pœnæ illorum finientur, sed pergent perpetuò visitari, seu puniri. Ita S. Hieronymus, Sasbout & Suarez. Vnde LXX. vertunt, *per multas generationes visitatio eorum erit.*

Suarez in 3. p. q. 52. art. 6.

¥. 23. ERVBESCET LVNA, instar sanguinis rubicunda, vt ait (*c*) Ioël: ET SOL obscuratus CONFVNDETVR] quòd homini tam ingrato, tam impio, tot sæculis luxerint.

c Ioël. 2. v. 31.

CVM REGNAVERIT DOMINVS, & iudex vniuersi Christus, IN MONTE SION, seu supra Ierusalem, ad vallem Iosaphat, iudicando omnes mortales, IN CONSPECTV SENVM] id est, in publico consessu Patriarcharum omnium & Apostolorum, ceterorumque Beatorum, qui supremo iudici Christo socij erunt & assessores.

CAPVT XXV.

Hymno Eucharistico Sancti gratias agunt Deo, quòd impios & superbos hostibus suis depressis, mundoque vastato, ipsi ad portum salutis deuenerunt. Inde per comminutum medullatorum & vindemiæ, itemque per vinculi dissolutionem, Sanctorum libertas & delicia describuntur: Mox bita verò, id est, reprobi, planctu ira Dei triturandi & calcandi predicuntur.

¥. 1. FECISTI per prædestinationem ac decretum tuum, & suo tempore certissimè facturus es COGITATIONES ANTIQVAS FIDELES] Id est, quæ ab antiquo, imò ab æterno cogitasti & decreuisti, sæpiusque prædixisti de orbis & impiorũ excidio, & de piorum gloria ac felicitate, illa iã fideliter adimplesti, tẽpore extremi iudicij.

AMEN] Id est, fiat.

¥. 2. CIVITAS & VRBS FORTIS est orbis terrarum: (*d*) qui etiam vocatur DOMVS ALIENORVM] id est, impiorum, vt vertunt LXX. qui nempe suis sceleribus degenerant & alienant se à Deo. Vocantur iidem *d Cap. 24. v. 10.*

¥. 3. CIVITAS GENTIVM ROBVSTARVM, & v. 5. *propago fortium*; Hebraicè, *aritsim*, id est violẽtarum & tyrannicarum, vt Vatablus vertit. Sic Genes. 10. *Nemrod* dicitur *robustus* fuisse *venator*, id est, violentus tyrannus. Porrò impij TIMEBVNT Deum non timore filiali, sed seruili, nempe tamquam iudicem inexorabilem, & durum carnificem. E contrariò LAVDABIT Deum POPVLVS FORTIS] Hebraicè עז, id est, strenuus, nempe sancti & electi, qui in paupertate, infirmitate, tentationibus & mille miseriis pro Deo tolerandis fortes, strenuos inuictosque se præstiterunt. עריצים עז

¥. 5. QVASI CALORE, seu æstu, SVB NVBE TORRENTE terram. q. d. Æstu vehementissimo, qualis solet esse qui ex solaribus radiis sub densa nube vnitis & constrictis nascitur. Alludit ad sententiam iudicis Christi in nube residentis, quæ impios horrendè cruciabit & vret. O quàm erit alius hic æternus impiorum sine vllo refrigerio æstus, à momentaneo piorum æstu, cui temperando se exhibet *vmbraculum* Deus! vt hîc v. 4. dicitur.

¥. 6. IN MONTE HOC Sion, super quo Christus iudex residebit in nube quasi in throno suo, FACIET CONVIVIVM PINGVIVM, &c.] nempe inchoabit ibi delicias cælestes, quas deinceps in cælo prosequetur: delicias, inquam, suauissimas ac perfectissimas, quales in hac vita censetur subministrare conuiuium, in quo altilia pinguia & medullata, vinumque defæcatum, id est, præstantissimum ac delicatissimum, conuiuis apponuntur. Hæc est voluptas & gaudium cæleste quod ex fruitione Dei colligunt Sancti. Cuius prægustum aliquem haurimus hic in terris ex S. Eucharistia: de qua E proinde locum hunc exponit S. Cyrillus, Procopius, Eusebius & Leo Castrius.

Euseb. l. 1. de Demonstrat. c. vlt.

¥. 7. ET PRÆCIPITABIT FACIEM VINCVLI COLLIGATI; Hebraicè, *absorbebit vinculum vinculum*, id est, omnia vincula. Ergo *vinculum colligatum* idem est quod multiplex vinculum replicatũ & conuolutum, & pluribus spiris arctiùs stringens. Denotat autẽ *peccatum* tum originale, tum actuale, & effectus vtriusque, ærumnas & miserias huius vitæ, morbos, errores, afflictiones animi & corporis. Hoc *vinculum* vocat mox TELAM, seu funem, quem ORDITVS EST, id est, cœpit effundere à primo Adamo SVPER OMNES NATIONES, ex Adamo omnium capite & parente procreatas.

Mox

Mox explicat præcipuas telæ huius partes, nempe A

¥.8. MORTEM, LACRYMAM, OPPROBRIVM] Huc alludit S. Paulus 1. Corinth. 15. *Absorpta est mors in victoria.* Et Ioannes Apocal. 21. *Absterget Deus omnem lacrymam*, &c.

¥. 9. ET DICET populus Dei, seu Ecclesia, ECCE ISTE, (scilicet Christus Iesus iudex & dominus omnium) est DEVS NOSTER.

¥.10. REQVIESCET MANVS, id est, potentia, DOMINI IN MONTE ISTO] q.d. Deus potentiam suam mirabiliter exeret in Sion, inchoando ibi cælestes delicias, quas deinde prosequetur æternùm in cælo. Ita Adamus Sasbout.

MOAB verò, id est, populus impius, grex damB natorum, (quorum typus fuerunt Moabitæ, perpetui hostes populi Dei, & mancipia fœdissimi idoli *Beel-phegor* (a) [TRITVRABITVR SVB EO] id est, calcabitur & conteretur sub pedibus Christi eiusque populi sancti: sicut olim Moabitæ sub Dauide protriti & concisi fuerunt, 2. Reg. 8. v. 2. Idem populus Moab

a *Num.* 25.

¥.11. EXTENDET MANVS SVAS fessas, victas, desperatas, SICVT EXTENDIT naufragus natatu captans leuamina, vel effugia, sed frustra.

CAPVT XXVI.

Canticum Beatorum, quo Deo gratias agunt de sua felici C *sorte. Rogatur Deus vt impios per flagella ad saniorem mentem compellat. Monenturq; iusti, vt spe præmiorum cælestium fortiter omnia vitæ huius aduersa sustineant.*

¥. 1. IN TERRA IVDA] id est, confessionis & laudis, quod Cyrillus accipit de Ecclesia militante: Hieronymus de triumphante.

VRBS FORTITVDINIS NOSTRÆ SION. Opponit vrbem Sionem Moab, id est, cælum inferno, Beatos damnatis. De Moab dixerat, *Munimenta murorum tuorum concident vsque ad puluerem*: de Sione dicit, vrbem fore munitissimam ac fortissimam, ita vt nulla vis, nullus casus, nulla ætas eam conuellere, nec portæ inferi vel tantillum ei nocere possint. Causa est, quia SALVATOR Christus D

b *Prou.* 18. *v.* 10. *& Isaiæ* 1. *v.* 8. erit ei MVRVS (b) ET ANTEMVRALE, seu vallum, quod formâ semilunæ solet ante vrbis portam & murum excitari. q.d. Christus erit illi fortissimus vndique custos & protector. Ita Hugo, S. Thomas, Forerius, Vatablus, Sanchez, à Lapide. Sic dicimus, Scipionem Romanis contra Hannibalem fuisse fossam & vallum, id est, omne præsidium, omne robur, & omne tutamentum.

¥. 2. APERITE PORTAS] reserate cælum, ô angeli. Verba sunt Christi, inquit S. Hieronymus; vel, vt Sanchez, ipsorummet Beatorum, acceptâ à Christo sententiâ, *Venite benedicti Patris mei*, &c. cum triumphali plausu cælum subeuntium.

¥.3. VETVS ERROR, quo stulti à mundo iudiE cabamur, iam ABIIT, (c) iam PACEM, id est, bonorum omnium abundantiam, adepti sumus, quam nobis, ô Deus, æternùm conseruabis.

c *Sap.* 5. *v.* 3.

¥. 4. SPERASTIS IN DOMINO IN SÆCVLIS ÆTERNIS] Ex Hebræo verti potest, *ad sæcula æterna*, supple, consequenda. Et sic exponit Liranus, Haymo & Sanchez: qui dicunt, verba esse angelorum Beatis congratulantium.

¥.5. INCVRVABIT, id est, deprimet, Deus omnes HABITANTES IN EXCELSO] id est, omnes mundi principes, qui excelsos gerebant spiritus, ad excelsa adspirabant, in sublimi erant dignitate & officio.

CIVITATEM (d) SVBLIMEM] Id est, mundum d *Isaiæ* 24. vniuersum humiliabit, & in puluerem rediget, *v.* 10. per ignem conflagrationis.

¥.8. NOMEN TVVM, id est, tu, ET MEMORIALE, seu memoria tui, semper fuit nobis IN DESIDERIO ANIMÆ] Quo quid vtilius? quid iucundius? Hic finis est cantici Beatorum. Quorum exemplo Isaias ait, se quoque

¥.9. DESIDERARE Deum tam NOCTE, quàm interdiu, id est, continuò præsentem habere, & colere & seruire, idque tanto studio, vt etiam lucem (e) præuertat. Mox etiam de proximo so- e *Psal.* 62. licitus, orat, subinde IVDICIA *faciat*, id est, vin- *v.* 2. dictam publicam exerceat in impios. Nam si, vt sequitur,

¥. 10. MISEREAMVR perpetuò & parcamus IMPIO, NON DISCET IVSTITIAM, sed persistet in impietate. Etiam IN TERRA SANCTORVM INIQVA gerit, id est, in consortio & conuersatione cum viris probis improbè se gerunt. Porrò sicut Iobo magnæ laudi datur, quòd inter improbos probè vixerit: ita maximæ vituperationi dat hîc impiis, quod inter probos improbè viuant, ac proinde meritò GLORIA DOMINI & cælo excludantur. Ita Aluarez.

¥.11. DOMINE EXALTETVR MANVS TVA: Id est, potenti manu tua effice, vt impij pro meritis suis priuentur gloria tua, nec illam videant aut degustent. Imò verò VIDEANT eminus, & quasi per vmbram in die iudicij, non ad solatium, sed ad CONFVSIONEM maiorem. Ita Forerius & à Lapide.

¥. 12. DOMINE PACEM perpetuam & stabilem DABIS NOBIS fidelibus seruis & amicis tuis, quia OMNIA OPERA NOSTRA, quæ ad veram æternamque pacem ac felicitatem nobis curandam ac stabiliendam necessaria erant, OPERATVS ES NOBIS per gratiam tuam, per filium tuum: nihil necessariorum, nihil vtilium omisisti. Ita Aluarez.

¥. 13. POSSEDERVNT NOS DOMINI ABSQVE TE: id est, præter te, qui solus nobis dominari debes, alieni etiam domini, putà Philisthæi, Iebusæi, reges Syriæ, Samariæ, &c. subinde præualent & dominantur nobis. Itaque da pristinam nobis pacem, vt non ampliùs timere exteros debeamus, sed IN, seu apud, TE solum, versetur memoria nostra, vt semper te solum habeamus dominantem nobis, & RECORDEMVR solius NOMINIS TVI] Mysticè, alieni hi domini sunt mundus, caro, dæmon & peccatum, inquit S. Hieronymus & Cyrillus. Porrò hi domini alieni, crudeles & tyranni, vt veteres illi *gigantes* Genes. 6. subigantur ope tua diuina & extinguantur, & morte violenta

¥.14. MORIENTES, NON sinantur diutiùs *viuere*: multò minùs sinantur in posteris, seu imitatoribus suis *resurgere*. Vt enim stirpitus excisi, manerent, PROPTEREA VISITASTI, id est, puniuisti ET CONTRIVISTI EOS] Dum verò subinde

¥. 15. INDVLSISTI eiusmodi GENTI, id est, indulgenter habuisti impios, parcendo ipsis & benefaciendo; an eiusmodi indulgentia aliquid profecisti, & ab illis GLORIFICATVS ES? ELONGASTI, id est, prorogasti, OMNES TERMINOS TERRÆ] id est, fines & latifundia impiorum; sed an ideò coluerunt te? q.d. Minimè: quin potiùs ad idola deflexerunt. Ita Vatablus, Leo Castrius & à Lapide. At cùm affligeres eos variis flagellis,

¥. 16. IN TRIBVLATIONE MVRMVRIS, dum

murmurant & queruntur de acriori tribulatione, A vt non nisi potentissimo Dei gladio diffringi po-
מלמד DOCTRINA TVA EIS obuenit & infusa est, *Malmad* & doctrinam & stimulum significat, inquit S. Hieronymus & Sanchez. q. d. Sicut boues non nisi stimulis docentur, sic impij non nisi afflictionibus erudiuntur. Sic v. g. etiam nos ipsi nonnisi post quasi partus dolores,

℣.18. PEPERIMVS SPIRITVM, id est, spiritualem fructum & fœtum seriæ & sinceræ conuersionis. Sed quia fœtum hunc vix vltra partum fouimus vel promouimus, nec constantes sumus in bono & salute promouenda, tum in nobis ipsis, tum in proximis: IDEO NONDVM CECIDERVNT HABITATORES TERRÆ] id est, ideò nondum sunt de medio sublati alieni domini de quibus B v.13. qui tyrannicè nos diuexant; sed quasi pro stimulo nobis à te relinquuntur, quia alia via ad virtutem & salutem trahi nolumus.

℣.19. VIVENT iterum MORTVI TVI] ad gloriam resurgentes, qui prote, seu tui causa occisi sunt ab impiis.

QVIA ROS LVCIS EST ROS TVVS] Sicut enim ros aëris affert plantis lucem, id est, vitam, sic *ros tuus* diuinus, nempe gratia tua viuifica, halitus tuus vitalis, iussio & vox tua per Archangelum, *Surgite mortui*, lucem & vitam defunctis impertiet. Ita Tertullianus, Irenæus, Hieronymus, Cyrillus & Augustinus.

Tertull. de Resurr. c.31. Irenæus l.3. c.11. Augustl. lib. 20. de Ciu. c.21. & serm.3. de consolat. mortuor.

TERRAM GIGANTVM, id est, mundum hunc, C qui est sedes impiorum, superborum & violentorum tyrannorum, quales olim erant gigantes, DETRAHES IN RVINAM] id est, funditus destrues per ignem conflagrationis. Interim

V.20. TV POPVLVS MEVS, INTRA IN CVBICVLA, id est, in sepulchra, TVA, Tertullianus, IN *cellas promas*: CLAVDE OSTIA TVA, nempe oculos, aures, reliquosque sensus: & quieti ac somno tantisper indulge, DONEC PERTRANSEAT INDIGNATIO] qua sæuiam in impios, maximè sub finem mundi, per tot plagas iudicio extremo præuias. Sæpè enim è viuis subtrahit Deus Sanctos, cùm parat extraordinariis pœnis impios punire.

℣.21. DOMINVS EGREDIETVR DE LOCO SVO, D nempe è cælesti palatio cum omnibus angelis suis & assessoribus sanctis, ad iudicandum orbem. Tunc REVELABIT TERRA SANGVINEM SVVM, id est, reddet & refundet omnes Martyres, omnes mortuos & sepultos in gremio suo, *nec* OPERIET VLTRA quemquam, sed omnes prodet & producet ad vnum.

CAPVT XXVII.

Excisa orbe; praedicit etiam Satanam, qui princeps est orbis, excisum iri. Mox inducit canticum vineæ, id est, Ecclesiæ, seu collectionis Beatorum. Denique docet, reliquias tandem Iudæorum ad Ecclesiam Christi conuertendas.

℣.1. VISITABIT, id est, puniet, GLADIO SVO, id est, robore & potentia sua diuina, (neque enim aliis armis eget Deus:) LEVIATHAN, id est, cetum siue balænam, vt dixi Iob 40. & designat dæmonem superbissimum ac potentissimum, qui in hoc mundo, quasi balæna in mari, discurrit, ludit, dominatur: & SERPENS vocatur ob astutiam, hostilitatem, & venenum, quod hominibus suffundit: vocatur & VECTIS, quia plusquam vectis ferreus, obstruxit valuas cæli, ne quis eò penetret; item claustra inferni ac peccati, ne quis inde emergat. Eratque hic vectis adeò fortis & tenax, E & contraposita sceleribus mensura pœnarum.

MEDITATVS EST enim Deus, decreuitque contra eam dura supplicia IN SPIRITV SVO DVRO & inexorabili, PER DIEM ÆSTVS] id est, tempore feruentis vindictæ, quam per Vespasianum & Titum exeret in vniuersam Iudæam.

℣.9. IDCIRCO, quia tot cladibus & flagellis, simulque Apostolorum prædicatione resipuit aliqua pars DOMVS IACOB, propter hoc DIMITTETVR illi omnis eius INIQVITAS: nam finis FRVCTVSque OMNIS castigationis diuinæ est *auferre* PECCATVM: Deus enim non verberat vt lædat, sed vt corrigat & sanet. Hunc porrò sanationis Iudaicæ

לרעיס ℣.3. REPENTE (Hebræum, *lirgaim* verti etiam potest, *assiduè*) PROPINABO EI] supple, vinum dulce & generosum, quod & quale ipsa protulit. Propinabo, inquam, non scypho vel cantharo, sed integro *torrente voluptatis.* *Psal.35.v.9.*

ET SERVO EAM DIE AC NOCTE, id est, continuò, NE FORTE dolo, vel vi hostili, VISITETVR CONTRA EAM] id est, aliquid ei mali vel aduersi inferatur.

℣.4. INDIGNATIO NON EST MIHI aduersus vineam tam fertilem, tam bonam, tam suauem.

ET QVIS, obsecro, DABIT ME SPINAM ET VEPREM? Id est, quis mihi persuadebit, vt instar spinæ aculeatæ pungam & impugnem tam nobilem vineam, tam mihi dilectam & electam? Impugnaui quidem sic Synagogam, imò expugnaui, conculcaui & succendi illam; sed ob enormia ipsius scelera, & pertinaciam in malo. Vt verò simili modo sæuiam in Ecclesiam Christianorum, ob næuos aliquos & leuiora peccata, numquam inducar.

℣.5. POTIVS ipsa suo decore, gratia & suauitate vinctam TENEBIT FORTITVDINEM MEAM] ne hac vtar aduersus eam. Hîc finitur canticum: transitque Propheta ab Ecclesia Christianorum ad Synagogam Iudæorum.

℣.6. AD IACOB, id est, ad Iudæos conuertendos *ingressi* Apostoli Christi cum IMPETV & feruore spiritus, *reflorere* fecerunt *& germinare Israelem* nouo fidelium SEMINE, nouo flore, nouo germine, quo FACIEM ORBIS *impleuerunt.*

℣.7. NVMQVID IVXTA PLAGAM PERCVTIENTIS SE, pari mensura ex lege talionis PERCVSSIT Deus Israelem; vt sicut ipsi Christum & Sanctos eius inhumaniter exagitarunt & enecarunt, ita & ipse illos vicissim diuexarit & exstirparit? Minimè gentium: sed vicit in bono malum, quamdiu capaces illi manserunt alicuius boni.

℣.8. At CVM propter intolerabilem suam nequitiam & rebellionem prorsus à te ABIECTA FVERIT Iudæorum vinea, tum IVDICABIS EAM IN MENSVRA CONTRA MENSVRAM] id est, pari

daicæ fructum, saltem ex plurimis colliget Deus; CVM POSVERIT OMNES LAPIDES ALTARIS holocaustorum, adeoque & totius templi Ierosolymitani, SICVT LAPIDES CINERIS, id est, lapides incineratos & mutua collisione contritos. Item cùm non ampliùs STABVNT LVCI ET DELVBRA idolorum, euersa per Apostolos & Apostolicos viros: sed è contrario videbunt, exciso suo templo, & aliis idolorum templis, vni Christo & vero Deo templa passim & aras toto orbe erigi; incipient & ipsi oculos aperire, & ad Christum colendum se transferre, inquit S. Hieronymus. Adeoque patebit ad oculum, salutem tunc temporis à solo Christo & in Ecclesia Christiana sperandam esse, vt etiam *mulieres* v. 11. id passim edocturæ sint. Qui verò id non aduertet, vel amplecti nolet, eo ipso designabit, se *non sapere*, ac *propterea* nec mereri vt Deus eius *misereatur* aut parcat. Ceterùm totam Iudæam

¥. 12. PERCVTIET DOMINVS virga Romanorum, AB ALVEO FLVMINIS Euphratis, vsque ad Rinocoluram TORRENTEM ÆGYPTI] Ita LXX. & Chaldæus.

Vos interim veri Israelitæ, Deo fideles & Messiæ, VNVS ET VNVS, id est, pauciſſimi quidem, sed selectissimi, CONGREGABIMINI ad Christum & in ouile Christi. Huc alludit Ioannes 11. cùm dicit, venisse Christum, *vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.* Nam

¥. 13. CLANGETVR TVBA MAGNA, nempe prædicationis Euangelicæ, qua excitі veri Israelitæ vndique ad Christum accurrent ex locis, in quibus dispersi & quasi PERDITI degebant, etiam ex Assyria & Ægypto, & vnaniміter omnes simul colent verum Deum & Messiam suum IN MONTE SANCTO Sion IN IERVSALEM] id est, in Ecclesia sancta Christi. Ita S. Hieronymus, Cyrillus & Theodoretus, & hos secutus Aluarez & à Lapide. Alludit quidem ad reditum Iudæorum è captiuitate Babylonica & Ægyptiaca: sed per has vmbras intendit designare spiritualem redemptionem humani generis per Christum.

CAPVT XXVIII.

Ab excidio orbis redit ad excidium particularium gentium. Et hoc quidem capite predicit excidium Ephraim, id est, Samariæ & decem tribuum, idq; ob eorum superbiam & luxum. Idem deinde ob easdem causas predicit duabus reliquis tribubus Iuda & Beniamin. Tandem vtriusque promittit lapidem angularem Christum.

¥. 1. VÆ CORONÆ, seu regno superbo & guloso, EPHRAIM, id est, Israelitarum: nam instar FLORIS DECIDENTIS, marcescet & interibit.

IN VERTICE VALLIS sita erat Samaria, vibs regia Israelitarum, nempe in monte, cui VALLIS PINGVISSIMA, vinetis & oliuetis abundans subiacebat. Vide Adrichomium.

Adrich. in Terra sancta.

¥. 4. QVASI TEMPORANEVM] Id est, quasi præcoces fructus, v. g. primæ ficus, poma, cerasa, quia noua, magis irritant palatum, ac proinde ante maturitatem sociorum fructuum auidissimè deuorantur: ita & vos, ô Samaritæ, ante alios vicinos populos, quasi primæ cupediæ deuorabimini ab Assyrio tyranno Salmanasare, 4. Reg. 17.

¥. 5. RESIDVO autem POPVLI SVI, id est, duabus reliquis tribubus Iuda & Beniamin, DOMINVS ERIT CORONA, cingens, protegens, ornans; & gloriosè magnificans illas contra similem Assyriorum impetum per Sennacherib, & Philisthæos & alios hostes.

¥. 6. SEDENTI SVPER IVDICIVM, id est, Ezechiæ regi, iudici supremo, & principi totius populi, aderit SPIRITVS IVDICII assistens vbique regi, eumque dirigens ac gubernans, vt iustè prudenterque omnia disponat. Militibus verò cum salute REVERTENTIBVS DE BELLO AD PORTAM, è qua exierant, erit FORTITVDO, id est, pro robore & pro præsidio.

¥. 7. VERVM HI QVOQVE PRÆ nimio VINO & crapula, NESCIERVNT VIDENTEM] Id est, verum Prophetam, seu Prophetas Domini, noluerunt audire, neque obedire. Et hæc crapula ac in malo pertinacia communis erat, non solùm vulgo, sed & *sacerdotibus* & *Prophetis*, (a) id est, concionatoribus & instructoribus populi. Porrò cùm omnes hisce puerilibus deliciis & vitiis ita maneant immersi,

a *Proleg. de Idiotism. Hebr. n.* 11.

¥. 9. QVEM DOCEBIT Deus iam deinceps cælestem SCIENTIAM, quæ non capitur nisi à generosis & perfectis, ABLACTATIS ab eiusmodi LACTE & puerilibus nugis? q. d. Neminem ampliùs docebit. Cùm enim non capiant eam nisi *ablactati*, & tales nulli sint inter vos, frustra illam aliquos doceret. Ita Cyrillus, Osorius, Pintus & Sasbout.

¥. 10. QVIA rident & exsibilant doctrinam cælestem; per *mimesin*, seu *ethopœiam* (quæ est relatio dictorum alienorum cum derisu,) inter pocula repetentes verba Prophetarum, qu sæpè inculcabant: *Hæc mandat Dominus*, &c. q. d. Obtundunt nobis aures Prophetæ, totics nobis minando, totics prædicendo & promittendo, quæ tamen non videmus euenire: iubet exspectare nos modicum, nunc hîc, nunc ibi, nunc alibi, & nihil subsequitur. Sed magno stabit istis sannionibus hic lusus.

¥. 11. IN LOQVELA ENIM alterius LABII, ET LINGVA ALTERA, nempe ferrea & chalybea Babyloniorum, LOQVETVR Dominus AD POPVLVM ISTVM:

¥. 12. CVI hactenus nihil aliud DIXIT, quàm HÆC EST REQVIES MEA, in medio tui requiescere, habitare, & vobiscum iucundari desidero: nec aliud à vobis expetij, quàm opera fraternæ charitatis: REFICITE LASSVM, membra mea fatigata laboribus, doloribus, ærumnis foucte, recreate: hoc erit mihi summo solatio ac voluptati. *Quodenim vni ex minimis meis feceritis, mihi* feceritis. Sed surdis cecini, quare loquar deinceps aliâ linguâ dentatâ & serratâ, cùm nempe obrutis & oppressis à Chaldæis insultabo & exprobrabo suos hos sannos, videboque an credant iam completum quod toties minatus sum, & ipsi non crediderunt. Interim

¥. 14. ILLVSORES monitorum & minarum mearum, quibus intento ipsis mortem & infernum, eleuant omnia, dicentes:

¥. 15. PERCVSSIMVS FOEDVS CVM MORTE ET INFERNO, amicos illos nobis habemus & fauentes. Atropon, id est, mortem: & Plutonem, & ἅδλω, id est, infernum, deos nobis delegimus tutelares & patronos, more Gentilium: quare nihil hostile, nihil molestum ab iis metuimus. Sed neque est cur Assyrium vel Chaldæum monarcham timeamus:

Est quidem FLAGELLVM INVNDANS vniuersam Asiam, & absorbens penè omnes gentes, sed, CVM TRANSIERIT loca nobis vicina, NON VENIET

NIET SVPER NOS, tum ob accessus difficiles, & loci munitionem, tum ob idolorum præsidium & tutelam, in quibus SPEM omnem NOSTRAM iam pridem POSVIMVS. Idolum autem *mendacium* vocari in Scripturis, patet ex Ieremiæ 13. *Oblita es mei, & confisa es in mendacio.* Osex 7. *Operati sunt mendacium.* & 1. Corinth. 8. *Idolum mihi est.* Et ita docent Hugo, S. Thomas, Sanchez, Maldonatus & Aluarez. q. d. *Idolum*, quod à Prophetis vocatur *mendacium*, deus & protector noster est, hoc niti volumus, hoc nixi tuti erimus. Ast ego, inquit Deus, tutelam hanc vestram facilè subuertam, pactum cum morte quo gloriamini, & fœdus vestrum cum inferno disrumpam. Qua via?

¥. 16. ECCE, MITTAM IN FVNDAMENTIS B SION, seu pro fundamento Ecclesiæ meæ ponam non mendacium, sed solidum PROBATVMQVE LAPIDEM, nempe Christum, vt passim Doctores, etiam Hebræi exponunt, & constat ex Matth. 21. v. 42. & ad Ephes. 2. v. 20. & aliis Scripturæ (*a*) locis, vbi hæc de Christo exponuntur. SED QVI CREDIDERIT, NON FESTINET, quasi volens statim exhiberi Christum qui hîc à me promittitur; verùm patienter exspectet, quia certissimò complebo suo tempore promissionem meam: vnde exspectando *non confundetur*, vt hîc vertunt LXX. Porrò huius Christi mei olim venturi intuitu,

(*a*) *Rom 9. v. 33. & 1. Pet. 2. v. 7.*

¥. 17. PONAM ex nunc hisce illusoribus IVDICIVM IN PONDERE, ET IVSTITIAM IN MENSVRA, id est, iudicabo illos iustè, & puniam rigidè, quasi appenso iusto pondere, & impletâ mensurâ, nempe per Chaldæos primùm, dein per Romanos & alios. Sicut enim intuitu Christi benefacio pijs eius filiis ac clientibus, ita etiam punio rebelles ipsi & refractarios. Et hæc GRANDO, id est, vehemens ac subita punitio, SVBVERTET SPEM omnem MENDACII, id est, mendaces spes impiorum Iudæorum, quas in idolis suis repositas habent: ET AQVÆ afflictionum istarum INVNDABVNT, conuellent, diruent, destruent PROTECTIONEM, id est, murum & munitionem omnem qua se protegendos putabant.

¥. 19. MANE DILVCVIO, id est, citòac tempestiuè, PERTRANSIBIT per vos hæc grando, hæc aqua, & durabit DIE ET NOCTE, id est, continuò ac diu. Et hæc SOLA VEXATIO INTELLECTVM DABIT AVDITVI, id est, faciet vos intelligere & credere vera fuisse oracula & minas, quas à Prophetis iam auditis, sed credere non vultis. Quòd si quis roget, cur, cùm Christum orbi saluatorem promittam, ita rigidè sæuiam in Iudæos è quibus ipse procreabitur? Respondeo, Id vel maximè facio intuitu eiusdem Christi, vt nempe tot flagellis cogam Iudæos ipsi se subdere, & pacto, quod cum idolis inierunt, renuntiare.

¥. 20. COANGVSTATVM EST ENIM STRATVM] Id est, arctus est lectulus amoris, non fert, non capit nisi sponsum vnum & sponsam: tertium, scilicet adulterum, non admittit. Vnde & ego zelo plenus, aduersus adulteros istos effusis habenis pro Christo meo,

¥. 21. IRASCAR & exsurgam, sicut olim pro Dauide typo Christi mei, exsurrexi IN MONTE Pharasim, id est, diuisionum, 2. Regum 5. & pro Iosue IN VALLE contra GABAON, Iosue 10. ita S. Hieronymus. q. d. Iterum etiam solem, si opus fuerit, sistet Deus, VT FACIAT OPVS SVVM, seu vindictam & punitionem à se decretam. Quod tamen propriè non est OPVS Dei, sed est ALIENVM ET PEREGRINVM AB EO, & ab innata ipsi bonitate. Vestrum potiùs est opus, ad quod vestris scelcribus cogitis vel inuitum Deum.

¥. 22. NVNC ergo illusores, qui illusistis & elusistis hactenus minas omnes Prophetarum, NOLITE persistere in ista illusione & elusione, & ILLVDERE ac eludere has etiam minas meas, NE FORTE magis ac magis CONSTRINGANTVR VINCVLA VESTRA, & citiùs atque arctiùs ab hoste vinciamini. Iam enim AVDIVI A DOMINO, certò instare CONSVMMATIONEM ET ABBREVIATIONEM SVPER VNIVERSAM TERRAM Iudæorum, id est, breui omnem illam consumptum & destructum iri.

¥. 24. NVMQVID TOTA DIE ARABIT agricola? q. d. In regenda Synagoga Deus se gerit vt sapiens & prouidus agricola, qui commodo tempore agrum suum nunc aratro, nunc ligone, nunc alio modo exercet & subigit: nunc vario semine conserit, nunc purgat sata, nunc demetit, nunc colligit fructus, nunc triturat: & legumina quidem, vt GITH ET CYMINVM, leui virga, seu baculo; frumenta verò, quæ difficiliùs excutiuntur, *vngulis* boum, vel *plaustris*, more Syriæ dentatis & ferratis. Videte ergo, ô Iudæi, vt his Dei exercitationibus aptè respondeatis in bonum vestrum, & per eas tandem ad cor & ad mentem reduci vos patiamini, vt fiatis tritura & messis non inferni, sed cæli; non odij, sed amoris; non ruinæ, sed salutis. Ita S. Hieronymus, Vatablus & alij.

¥. 25. GITH genus est seminis calidi & nigri, de quo multa Plinius & Columella. Solent eo vti tenuiores vice piperis, & in Gallia vocant *poivret*, inquit Ruellius. Significat autem Allegoricè, sicut & cyminum, vulgarem populum & rudem: qui si peccet, leniter baculo corripietur; at frumentum, sacerdotes, Scribas & principes designat, qui durâ rotâ plaustri calcabuntur, inquit idem S. Hieronymus.

Plin. l. 20. c. 17.

Colum. l. 7.

CAPVT XXIX.

Predicit excidium Ierosolymæ, & miseram Iudæorum cladem; & cumulum omnis miseriæ, excæcationem & obstinationem in malo: è contrario vocationem & conuersionem Gentilium ad Deum.

¥. 1. VÆ ARIEL, id est, leo Dei, (*b*) seu leo maximus, id est, vrbs Ierusalem, QVAM olim à Iebusæis infestam EXPVGNAVIT rex DAVID, & ab eo constituta est princeps, regina & caput vrbium Orientalium, quæ vt læna fortissima frendebat & sæuiebat in vicinas gentes; nunc heu delenda & stirpitus exscindenda mihi ante oculos obiicitur.

(*b*) *Genes. 35. v. 10. & Psal. 35. v. 7.*

ADDITVS EST ANNVS AD ANNVM, id est, excurrent adhuc aliquot anni, & SOLEMNITATES EVOLVTÆ SVNT] seu euoluentur, id est, excurrent aliquot Paschata, & alia anni festa, recurrentibus annis peragentur: & retibus primò Chaldæorum, dein & Romanorum,

Prolegom. de Idiotism. Hebr. n. 44.

¥. 2. CIRCVMVALLABO ARIEL. ET ERIT MIHI QVASI ARIEL] Id est, sic me erga Ierusalem geram, sicut venatores solent erga feroces & noxios leones & læenas, cùm illis capiendis insudant: nempe vallis, aggeribus, fossis, cuniculis, retibus, hastis aggrediar illam.

V. 4. DE TERRA LOQVERIS. q. d. Non tunc ampliùs attolles cristas, nec grandi tonabis eloquio: sed humi prostrata, euersa & excisa, gemes de terra

de terrâ in qua prostrata iaces sub victoris pedibus : ET ERIT QVASI PYTHONIS VOX TVA] nempe exilis, hiulca, gemebunda, flebilis & lugubris, qualis est spirituum vel vmbrarum, quas python, id est, necromanticus, euocat ab inferis, & facit loqui sub terra, vel ex ventre hominis, aut alterius animalis : vocanturque etiam ipsæ *Pythones*.

¥. 5. MVLTITVDO VENTILANTIVM & exagitantium TE, nempe Chaldæorum & Romanorum, (nam de vtrisque hæc exponunt S. Hieronymus, S. Thomas, Hugo, Pintus & Aluarez) ERIT innumerabilis SICVT PVLVIS ET FAVILLA.

¥. 6. ERITQVE REPENTE CONFESTIM, id est, aderunt celerrimè, & imparatos occupabunt. ET VISITABITVR Ariel A DOMINO] Id est, Ierusalē cælitus oppugnabitur omnibus quatuor elementis. (a) Id ad litteram accidisse volunt Vatablus, Castrius & Aluarez. Et de Romana obsidione cōstat ex Iosepho, oculato teste: de Babylonica, licet expresse scriptum non sit, non difficulter tamen colligitur ex 4. Reg. vlt. & Ierem. 39. & 52.

a *Sap. 5. v. 18. & seqq. Ioseph l. 7. Bell. c. 12.*

¥. 7. ET ERIT hostilis illa Ieroſolymæ oppressio, inuasio & destructio per *multitudinem* OMNIVM GENTIVM; erit, inquam, SICVT SOMNIVM VISIONIS NOCTVRNÆ, ita vt videntes vix credant; addubitent potiùs, num vigilent, an somnient. Quodque omnium erit miserrimum, hac Ieroſolymæ destructione & exspoliatione non satiabitur, non minuetur hostium in vos odium, & insatiabilis auiditas. Erit enim non secùs atque ESVRIENS ET SITIENS, & *in somnio* solo nocturno *comedens ac bibens*: qui cùm euigilat, nihilo minùs esurit & sitit, pergitque quærere quod voret & bibat. Sic Chaldæus, sic Romanus ab excidio & exspoliatione vrbis vestræ regiæ tam diuitis, tam opulentæ, nihilo ob multitudinem capitum factus ditior, nihilo mitior, perget in vos perpetuò sæuire, nec vmquam illo vtemini placato. Ita Forerius, Osorius & Sasbout.

¥. 10. MISCVIT VOBIS DOMINVS SPIRITVM SOPORIS; Hebraicè, *altissimum soporem* & quasi veternum. PROPHETAS ET PRINCIPES VESTROS, putà Isaiam, Ieremiam, & reges Iuda, QVI VIDENT, seu videre frequenter solent, VISIONES ac reuelationes diuinas; Deus iam vobis OPERIET] operculum seu velamen iis obducens, vt cùm legeritis, vel audieritis, non intelligatis. Ita S. Hieronymus, Cyrillus & Procopius. Quomodo verò faciat hæc Deus, nempe non directè, neque ex intentione, sed per accidens & indirectè, dixi Exodi 7. & alibi.

¥. 13. EO QVOD POPVLVS ISTE Iudaicus APPROPINQVAT quidem mihi ORE SVO, sed COR EIVS LONGE EST A ME separatum : ET TIMVERVNT, id est, coluerunt, ME, non iuxta mea præcepta & præscripta, sed iuxta HOMINVM traditiones & institutiones partim futiles & inanes, partim impias & legi meæ (b) contrarias. En causam excæcationis & reprobationis Iudæorum.

b *Matth. 15.*

¥. 15. PROFVNDI CORDE] Id est, machinantes secreta consilia, quæ putetis etiam Deum ipsum latere.

¥. 17. ADHVC IN MODICO, id est, post modicum *& breue* tempus, nempe inchoatiuè post 180. annos soluta captiuitate Babylonicâ : completiuè verò post 700. annos, solutâ per Christum captiuitate diabolicâ, maximam videbitis rerum commutationem. LIBANVS enim mons infrugifer in Phœnicia, nec nisi arboribus, usque infructiferis, constans, CONVERTETVR IN CHARMEL montem Iudææ fertilissimum, frugibus, vitibus, oliuis maximè abundantem: id est, Gentes steriles hactenus & incultæ, gratia Christi & ope Apostolorum, fertiles reddentur bonorum operum. E conuerso CHARMEL, id est, Iudæi olim tempore Patriarcharum & Prophetarum fœcundissimi & fertilissimi, IN SALTVM infructiferum & incultum degenerabunt. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius & Theodor.

¥. 18. ET SVRDI hactenus, ET CÆCI Gentiles, fide Christi illuminati AVDIENT, (c) intelligent & amplectentur VERBA LIBRI] id est, oracula Prophetarum, mysteria S. Scripturæ, quæ Iudæis tam *scientibus*, quàm *nescientibus litteras*, id est, tam doctis, quàm indoctis, velata & incognita sunt. ita iidem. Atque hac via

c *Ioan. 9. v. 39.*

¥. 19. MITES IN DOMINO, id est, mansuefacti per Christum Gentiles, ET PAVPERES, id est, inopes fidei ac gratiæ, ADDENT augebuntque Ecclesiæ LÆTITIAM.

¥. 20. QVI PRÆVALEBAT religione, scientia, gratia, nempe populus Iudaicus, sed ILLVSOR & contemptor Prophetarum & mysteriorum diuinorum, DEFECIT, CONSVMMATVS EST, id est, plenè absumptus, ET SVCCISVS est Primò, per Chaldæos; Secundò, per Romanos, quia VIGILABANT SVPER INIQVITATEM] id est, ad hoc vnum excubabant, vt nocte non minùs quàm die explerent scelera sua nefanda.

¥. 21. ET PECCARE FACIEBANT HOMINES IN VERBO non diuino, sed suo humano, nempe per futiles & peruersas traditiones suas, de quibus v. 13. itemque per praua consilia, adulationes, minas & subsannationes, quibus homines auellebant à pietate & cultu Dei. ET ARGVENTEM IN PORTA, id est, iudicem, qui pro tribunali subinde nequitias illorum damnabat, & castigare parabat, ipsi structis calumniis, dolis, largitionibus, aliisque insidiis SVPPLANTABANT & eludebant, *declinantes* A IVSTO, id est, à iustitia & æquitate, idque FRVSTRA] id est, sine causa, sine fructu.

¥. 22. PROPTER HOC, & propter omnia supradicta scelera, HÆC DICIT DOMINVS, QVI REDEMIT ABRAHAM de Vr Chaldæorum, CONFVNDETVR IACOB, seu populus Iudaicus, confusione maxima & coram toto orbe, NON tamen MODO, tempore Isaiæ:

¥. 23. SED CVM VIDERIT FILIOS SVOS, paucos aliquot & selectos, OPERA MANVVM MEARVM, id est, singulari cura mea formatos & instructos, IN MEDIO SVI, id est, publicè & passim, SANCTIFICANTES & celebrantes MOMEN MEVM, ET SANCTVM IACOB, ET DEVM ISRAEL, id est, Messiam, prædicantes. Quod inchoarunt captiui Babylone, sed compleuerunt Apostoli & discipuli Christi omnes filij Iudæorum, & ex Iudæis prognati. Hos enim cùm Iudæi videbunt, impunè colentes vbique terrarum Deum & Christum, se verò priuatos omni cultu & sacrificio, vtpotè exciso & exusto templo suo, confundentur iure merito, & ab omnibus etiam irridebuntur : ac tum demum, sed malo suo

¥. 24. SCIENT INTELLECTVM libri iam clausi, ET DISCENT LEGEM, seu decreta veræ legis Dei, quam prædicarunt Prophetæ, & Christus explicuit, & tot signis ac miraculis, tum per se, tum per discipulos suos comprobauit. Nempe videbūt & sentient, cogenturque tunc fateri, quia *dignus*

Deus est

Deiest hic, quantumcumque maneant ipsi ERRANTES SPIRITV, ET MVSSITATORES, seu murmuratores cõtra Deum & Christum & veram legem ipsius. Interim probro summo sibi ducent, quòd, exheredatis Iudæis, qui filij erant & hereditas Dei, Gentiles & alienigenæ adoptentur. Quod toties prędictum, noluerunt vmquam credere futurum: at, cùm factũ viderint; pudore protinus, sed seriùs suffundentur. Ita ferè Procopius & Dionysius.

CAPVT XXX.

Inuehitur in Iudæos qui contra præceptum Domini fugiebant ad Pharaonem in Ægyptum, destructâ iam per Nabuchodonosorem Ierosolymâ, & occiso Godolia, vt narratur Ieremiæ 42. 43. 44. Dein sub typo Ierosolymæ rursus instauranda describit felix regnum Christi tum in militante, tum in triumphante Ecclesia. Denique impiis præparatam esse, Topheth, *id est, gehennam ignis.*

¥. 1. PECCATVM nouum inobedientiæ, superbiæ & contemptus mandati mei, (quo iubeo vos in Iudæa persistere) additis SVPER PECCATVM vestrum antiquum multiplex & varium, crapulæ, iniustitiæ, idololatriæ, &c.

¥. 2. OS MEVM NON INTERROGASTIS] nempe animo obsequendi, quod perinde est atque non interrogare. Patet Ieremiæ 42.

¥. 4. TANIS regia (*a*) Pharaonis erat. HANES vltima ciuitas Ægypti versus Æthiopas & Blemmyos, inquit S. Hieronymus.

a Isaiæ 19. v. 11.

¥. 6. IVMENTA AVSTRI vocantur Iudæi, qui contra mandatum Dei stolidè & brutè sarcinis suis onusti quasi iumenta proficiscebantur versus Ægyptum, inquit Forerius.

IN TERRÁ TRIBVLATIONIS ET ANGVSTIÆ] Id est, in deserto (*b*) inuio & inaquoso, iter fecerũt.

b Deut. 32. v. 10.

LEÆNA ET LEO EX EIS desertis locis & antris prodire solent & viatores inuadere: quin & VIPERA ET REGVLVS, (*c*) seu basiliscus transeuntibus, insidias struunt. Et hæc Iudæos non terreant?

c Deut. 8. v. 15. & Num. 21. v. 6.

¥. 7. SVPERBIA TANTVM EST in Ægypto, & inanis opum, præsidij & roboris ostentatio.

¥. 8. INGRESSVS in cubiculum tuum, vel in conuentum publicum Iudæorum, SCRIBE, ô Isaia, hæc quæ iam prædico: & scribe SVPER BVXVM, id est, in tabula buxea cerata, vt IN DIE, seu tempore, NOVISSIMO, nempe post 150. annos, ipsis sit IN TESTIMONIVM ÆTERNVM meæ erga eos curæ ac prouidentiæ, suæ verò obstinatæ malitiæ ac proteruiæ contra tot monita & iussa mea.

¥. 11. AVFERTE A ME VIAM ET SEMITAM mãdatorum Dei. Est mimesis, & voces sunt peruicacis populi. q.d. Cessent hæ amaræ & ingratæ voces, *Hæc est via, hac est semita quam Deus præscribit: Hæc dicit sanctus Israel Deus*; nolumus hæc audire.

¥. 12. SPERASTIS IN CALVMNIA ET TVMVLTV] quo tumultuosè calumniati estis Ieremiam vetantem hanc fugam, quasi falsum Prophetam, Ieremiæ 42. v. 2.

¥. 13. PROPTEREA INIQVITAS HÆC, id est, iniqua fiducia, quam contra Dei iussum collocatis in Ægyptiis, ERIT VOBIS SICVT INTERRVPTIO, id est, sicut murus interruptus & pronus in ruinam, subitò tandem & repentè CADENS, & casu suo opprimens quotquot sub illo degebant. Quod quia subitò & ex improuiso fit, ideò vocat hîc ruinam REQVISITAM] id est, cuius latens causa per admirationem inquiritur & requiritur; rogando, *Quomodo id fieri potuit? quomodo factum?* Ita Sasbout, Aluarez & à Lapide.

¥. 15. IN SILENTIO ET IN SPE ERIT FORTITVDO VESTRA] Id est, si sileatis de migratione in Ægyptum, & quiescatis in Iudæa, sperantes in Deo & diuina protectione, fortes critis & salui à Chaldæis. Alludit ad Exodi 14. v. 14.

¥. 16. DIXISTIS, AD EQVOS Ægypti FVGIEMVS] Abundat enim Ægyptus (*d*) equitatu, quo vix vtebantur (*e*) Iudæi.

d 3. Reg. 10. v. 28.

b Deut. 17. v. 16.

IDEO, id est, in pœnam huius, verè FVGIETIS, sed victi & profligati ante faciem Chaldæorum vastãtium Ægyptum. Et licet VELOCES sint equi Ægyptiaci, VELOCIORES tamen ERVNT Chaldæi.

¥. 17. MILLE ex vobis fugient A FACIE TERRORIS, id est, terrore, VNIVS Chaldæi: & terrore QVINQVE Chaldæorum, seu paucissimorum, ita in fugam agentur omnes Iudæi, vt vix aliqui superstites futuri sint, in signum extremæ iræ Dei, & ad alios per orbem vestro exemplo erudiendos, sicut fracta naui solet MALVS à nautis colligi & IN VERTICE vicini MONTIS, seu scopuli in altum attolli, vt aliis nauigantibus seruiat pro indicio, locum illum ob syrtes, vel arenas periculosum ac cauendum esse. Ita S. Hieronymus.

¥. 18. PROPTEREA, id est, propter omnia hæc ingentia mala vobis impendentia, quia miseret vestri Deum, & mallet vos tanta clade non affligi, EXSPECTAT VT obsequentes monitis eius, desistatis à turpi & noxia fuga in Ægyptum, atque in ipso confidatis, malens ipse *misereri vestri*, vobisque succurrere, & *parcendo* potiùs *exaltari* & glorificari, quàm puniendo. Ita S. Hieronymus.

QVIA DEVS IVDICII DOMINVS] Id est, Deus non agitur furore, sed iusto iudicio iudicat & vindicat. Quo verò facilius persuadeat Iudæis in Iudæa subsistere, promittit

¥. 19. POPVLVM SION, id est, Ierosolymitas è captiuitate Babylonica reduces breui fore, & rursus tutò *habitaturos* IN IERVSALEM] Ita Procopius, S. Thomas & Hugo. Allegoricè, populus fidelis pacificè deget in Ecclesia Christi, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus.

¥. 20. DABIT quidem DOMINVS VOBIS ad breue tempus PANEM ARCTVM; Hebr. *tsar*, id est, angoris, seu tribulationis, & AQVAM BREVEM; Hebraicè, *lachats*, id est, angustiæ vel oppressionis, vti vertunt LXX. hîc, & Noster 3. Reg. vlt. v. 27. q.d. Inopiam aliquam, famem, sitim, aliáque aduersa patiemini: sed Deus NON FACIET AVOLARE A TE VLTRA DOCTOREM TVVM] Id est, non destituet vos præsentiâ Ieremiæ Prophetæ, & aliorum Prophetarum, qui instar pædagogorum vos *à tergo* sequentes, monebunt de omnibus necessariis ad iram Dei placandam, ciusque clementiam vobis reconciliandam, atque ita pro *pane arcto & aqua breui* rerum omnium abundantiam recuperandam. Ita Procopius, S. Thomas, Hugo, Liranus. Ex horum monitu

צר

לחץ

¥. 22. CONTAMINABIS LAMINAS SCVLPTILIVM ARGENTI TVI, id est, idola ex argento tuo conflata tractabis vt soles res pollutas, id est, detestaberis, abiicies, exures, eorumque VESTIMENTA, licet *aurea* & pretiosa, habebis pro rebus fœdissimis, quales sunt sordes menstruatæ. DICESQVE EI, EGREDERE, apage hinc, abi in malam crucem. Abiectis idolis pro præmio vbertas rerum omnium tibi obueniet.

¥. 24. TAVRI ET ASINI TVI COMEDENT non iam paleas aut nuda gramina, sed COMMISTVM MIGMA, id est, miscellam, seu mixtionem frumenti

frumenti varij generis, putà tritici, viciæ, lentis, A auenæ, hordei, SICVT IN AREA VENTILATVM EST] id est, puri, sine paleis: hæ enim in area euentilantur. Ita S. Hieronymus, qui addit, ideò commisceri pro iumentorum pabulo tot genera frumenti & leguminum, quia varietate sua appetitū acuunt, & nauseam tollunt. Allegoricè, migma fidelibus est S. Scriptura, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius & Leo Castrius: vt S. Bernardus & alij, Christus, maximè in Eucharistia.

Bern. ser. 3. in vigilia Natalis Domini & serm. 2. de Natiuitate Domini.

℣. 25. SVPER OMNEM MONTEM Iudææ ERVNT RIVI CVRRENTIVM AQVARVM, seu pluuiarum, seu fontanarum, è montibus exsilientium, & ipsos fœcundantium: vnde maxima fertilitas & copiosissimæ messes, idque IN DIE INTERFE- B CTIONIS MVLTORVM, imò omnium hostium Israelis, nempe in excidio Babylonis & regni Chaldæorum per Cyrum & Darium, CVM CECIDERINT TVRRES; tum murorum, tum palatiorum Babylonicorum. Allegoricè, cùm sub Constantino deiecti fuerint Gentiles principes, & superba philosophorum Ethnicorum sapientia, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius & Haymo. Maximè verò cùm per Christum deiectus fuerit Antichristus, & per ignem conflagrationis destructæ fuerint omnes totius orbis turres & vrbes. Huc enim Isaiam ad finem vsque capitis respicere docent S. Hieronymus, Haymo, Dionysius, Liranus, Sasbout & à Lapide. Nolim C tamen negare, quin etiam alludat ad gaudium felicitatemque Iudæorum è carcere Babylonico in patriam remigrantium, vt Hugo, Forerius, Vatablus, Sanchez, Aluarez & Rabbini exponunt. Erant enim hæc typus & figura gaudij & triumphi Sanctorum in die iudicij.

℣. 26. LVX LVNÆ ERIT SICVT LVX SOLIS: ET LVX SOLIS ERIT SEPTEMPLICITER intensa, quanta est LVX SEPTEM DIERVM] nempe post diem iudicij: idque vt diuina maiestas per clariorem totius machinæ cælestis & vtriusq; hemisphærij illuminationem æternùm magis resplendeat. Sed aptando hæc Iudæis è Babylone remigrantibus sensus est, tantam fore ipsorum lætitiam, vt luna & sol septuplo clariùs eis splendere videantur. D Sicinsdem ab impio Aman liberatis Esther 11. dicitur, *Lux & sol ortus est* eis. & cap. 8. *Iudæis nona lux oriri visa est.*

℣. 27. ECCE NOMEN DOMINI, id est, maiestas, potentia & vindicta Dei, VENIT DE LONGINQVO] id est, longo pòst tempore veniet.

℣. 28. FRÆNVM ERRORIS, QVOD ERAT IN MAXILLIS *(a)* POPVLORVM, est imperium tyrannicum Chaldæorum, & etiam Antichristi, quod oberrat seu versatur in faucibus tot nationum vi subactarum, & in tot errores quasi fræno pertractarum.

a Ezech. 29. 4.

℣. 31. PAVEBIT ASSVR] Id est, Chaldæus E tyrannus, qui simul erat rex Assyriorum, vt alibi (*b*) dixi.

b Isai. 8. 7. 4 &c.

℣. 32. ET ERIT TRANSITVS VIRGÆ diuinæ à Iudæis ad Chaldæos, FVNDATVS & perpetuò manens apud Chaldæos, & assectas Antichristi, idque cum TYMPANIS ET CITHARIS, id est, cum gaudio & iubilo aliarum omnium nationum antea per ipsos tyrannicè subactarum. EXPVGNABIT autem Deus tum Chaldæos, tum Antichristum, non vulgaribus aut leuibus velitationibus, sed BELLIS PRÆCIPVIS] id est, acerrimis prælijs, & nobilissimo pugnandi & hostes subigendi modo, putà prostratione & excidio omnium copiarum & virium, & quidem nutu & imperio potiùs quàm armis. Vt verò æternùm *fundetur* & permaneat apud Chaldæos & Antichristianos virga furoris diuini;

℣. 33. PRÆPARATA EST iam AB HERI, id est, ab antiquo, TOPHETH; Chaldaicè, *gehenna*, id est, locus horrendi supplicij, & inaudita tormenti, putà infernalis, cuius typus & figura erat sacrilegum illud incendium quo in *valle* filiorum *Ennom* iuxta Ierusalem viuos cremabant Iudæi filios suos idolo Moloch, vt dixi 4. Reg. 23. v. 10. Et PRÆPARATA est AB REGE regum Deo opt. max. cuius NVTRIMENTA quoque perpetua, nempe IGNIS igni adiectus, ET LIGNA MVLTA. est catachresis, pro quibus suis fomentis, putà pice, sulphure, &c. quæ eadem numero manebunt semper ardentia in inferno, sicut & ipsa corpora damnatorum ardebunt perpetuò, nec tamen vmquam absumentur. Porrò flabellum excitans & acuens hunc ignem est FLATVS DOMINI, id est, spiritus, seu ventus procellosus diuinitus ibi excitatus, qui gehennam perinde accendit, ac si TORRENS SVLPHVRIS ardentis in eam infunderetur. Quo quid horribilius animo concipias?

חפת

CAPVT XXXI.

Priori parte capitis pergit insectari Iudæos, qui occiso Godolia fugiebant in Ægyptum. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, & Haymo. Posteriore parte commendat Iudæos qui tempore Sennacherib reiectâ ope Ægyptiorum, confugiebant ad opem diuinam, promittens eis quòd Deus eos protegat & defendet.

℣. 2. IPSE SAPIENS, nempe Deus. q. d. Iudæi quantumcumque sagaces & prudentes sibi videantur in hac sua fuga in Ægyptum, non effugient tamen manus sapientissimi Dei. Quare sapientiores essent, si abnegato proprio sensu, se totos crederent Deo, & eius ope tuti hærerent in Iudæa. NON enim ABSTVLIT, neque auferet VERBA SVA, id est, non reuocabit ea quæ verbis suis minatus est eis, sed CONSVRGET acerrimus vltor CONTRA DOMVM PESSIMORVM, id est, contra omnem illam Iudæorum Deo rebellium congregationem in Ægyptum properantem: & simul consurget CONTRA AVXILIVM OPERANTIVM INIQVITATEM, id est, contra Ægyptios qui impiis Iudæis auxiliari contendent. Patet ex v. seq. vbi contra vtrosque ait, DOMINVS INCLINABIT MANVM SVAM] nempe ad percutiendum, ad prosternendum, ad consumendum. Quantò sapientiùs acturi sunt Iudæi sub Ezechia, cùm ingruente maiore tempestate per Sennacherib excitatâ, non confugient ad Ægyptios, fragiles & imbecilles, sed ad Deum immortalem, fortissimum atque inuictissimum? Qui instar

℣. 4. LEONIS SVPER PRÆDAM SVAM RVGIENTIS, ac pro ea tutanda satagentis, DESCENDET VT PRÆLIETVR SVPER MONTEM SION, & tueatur Ierosolymam, totamque Iudæam aduersus Assyrium prædatorem Sennacherib.

℣. 5. Et SICVT AVES VOLANTES, quæ nidum suum rostro & vnguibus aduersus accipitrem & aucupem defendunt, imò vitam suam pro pullis periculo obiiciunt; ita se geret Deus pro Ierosolyma. Alludit ad verba Sennacheribi suprà cap. 10. v. 14. minitantis Iudæis, se eos quasi nidos cum pullis perditurum. Horum Iudæorum exemplo

℣. 6. CONVERTIMINI, Ô FILII, non iam Iu-

da, seu duarum tribuum Deo adhærentium, sed A ISRAEL, seu decem tribuum Deo rebellium: nam licet ex Iuda sitis oriundi, cum Israelitis tamen à Deo deflexistis, & IN PROFVNDVM idololatriæ & aliorum scelerum delapsi estis. Conuertimini tandem aliquando: sic enim præsentem Dei opem experiemini, sicut sub Ezechia iam iam experientur antecessores vestri Iudæi, qui abiectis omnibus idolis suis à tempore impiissimi Achaz reliquis, se totos conuerterunt ad Deum sibi propitium reddendum. Ita facite & vos, & omne hostile robur, quod formidatis à Chaldæis, prorsus concidet & euanescet: sicut iam sub Ezechia mox

¥. 8. CADET blasphemus ASSVR Sennacherib prosternendus GLADIO NON VIRI, sed angeli, qui vna nocte cædet ex eius exercitu 185. millia. ET IVVENES EIVS, seu subditi ipsius, nempe Assyrij, qui aliis iam dominantur, & tributum ac vectigal imperant, pòst paulò VECTIGALES ERVNT aliis, nempe Primò, Chaldæis; Secundò, Persis & Medis; Tertiò, Græcis; Quartò, Romanis; nec vmquam pristino imperio & splendori restituentur. Ita S. Hieronymus. Nempe, pari modo Deus pro vobis, si fideles illi adhæseritis, pugnabit aduersus hostes vestros Chaldæos. Quia

¥. 9. IGNIS eius EST IN SION, ET CAMINVS IN IERVSALEM] Id est, à Ieroso lymitanis & Ieroso lymæ vult sacrificiis coli in suo altari igne perpetuò succenso. q. d. Non est quòd Ieroso lymâ fugiatis in Ægyptum, cùm decreuerit Deus Ieroso lymæ cultũ diuinum vnà cum templo instaurare: Ægyptum verò funditus exscindere. Mysticè, ignis Dei in Ecclesia, & in anima nostra est charitas, qua maximè colitur Deus, inquit S. Gregorius.

Gregorius homil 21. in Ezech.

CAPVT XXXII.

Felicitatem regni Ezechiæ optimi regis describit, simulque regni Christi, cuius illud typus erat. Describit dein cladem & excidium Ieroso lymæ tum per Chaldæos, tum per Romanos. Denique desolatos solatur spe lætioris fortunæ mox affuturæ, maximè aduentu Spiritus sancti, qui optatam orbi pacem spiritualem, quietem & iustitiam afferet. D

¥. 1. REX, nempe Ezechias, & per Ezechiam figuratus Messias, Rex regum & Dominus dominantium; REGNABIT, cæso fugatoque Sennacheribo, non tyrannicè, non impiè, vt parens eius Achaz, sed iustè & piè.

¥. 2. ET ERIT VIR quiuis ipsi in hoc felici regno subiectus, ac sub vmbra eius tam securè deget, sicut degunt naues in portu & statione fida, vbi tutæ sunt A VENTO procelloso ET TEMPESTATE. Imò *rex* erit omnibus suis quasi fons vel *riuus* AQVARVM ad *sitim* restinguendam, ET quasi VMBRA ac refrigerium in deserto, cùm ardet sol & æstus.

¥. 3. NON CALLIGABVNT ampliùs OCVLI E VIDENTIVM, seu Prophetarum, sed multò plures & clariores ipsis obuenient visiones ac reuelationes. ET (Sanchez & Aluarez particulam *&* causaliter exponunt, vt idem sit quod *quia*) AVRES AVDIENTIVM DILIGENTER AVSCVLTABVNT dictis & monitis Prophetarum. Opponit enim hoc tempus Isaias alteri tempori, quo suprà (*a*) dixit, Deum clausisse oculos Prophetarum, quia nolebant Iudæi monita illorum audire.

a c.29.v.10. & c.30. v.9.

¥. 4. COR STVLTORVM tum Iudæorum, tum Gentilium, non nisi mendaciis assuetorum, deinceps INTELLIGET, admittet & hauriet veram SCIENTIAM de Deo rebusque diuinis. ET LINGVA BALBORVM, nempe Isaiæ & aliorum Prophetarum, qui quasi balbi, rarò, hæsitanter, imperfectè & obscurè prædicabant, deinceps expeditè, VELOCITER, PLANE & apertè LOQVETVR, & diuina oracula populo proponet. Ita factum ab Isaia patebit ex c. 40. & sequentibus, vbi non tam Prophetam, quàm historicum agere videtur. Sic etiam ab Apostolis factum constat in die Pentecostes. Ita S. Hieronymus, Cyrillus & Procopius.

¥. 5. IS QVI INSIPIENS EST, impiis vel stultis moribus, tempore Ezechiæ & Christi, NON VOCABITVR, neque erit VLTRA PRINCEPS, magistratus, iudex, rector populi Dei: NEQVE FRAVDVLENTVS, dolosus, iniustus quispiam APPELLABITVR MAIOR, aut officiis publicis admouebitur, vt factum fuit tempore impij Achaz patris Ezechiæ, & ante aduentum Messiæ sub impiis regibus & pontificibus. Nulli enim bono sunt eiusmodi in republica, imò maximo malo; vnde nec tolerandi.

¥. 6. STVLTVS ENIM FATVA LOQVETVR & aget, neque alia: cùm COR EIVS & omne desiderium ac conatus non aliò tendat, neque aliò collimet, quàm vt hypocrisi & simulatione sua FACIAT INIQVITATEM & iniuriam proximo suo. Certè talis iudicis impij &

¥. 7. FRAVDVLENTI VASA, id est, instrumenta omnia, PESSIMA SVNT. Neque enim vtitur nisi mendaciis, hypocrisi & calumniis, quibus studet *perdere* atque euertere MITES & insontes *pauperes*. Vnde Ezechias, & Messias constitutus à Deo rex &

¥. 8. PRINCEPS, EA QVÆ DIGNA SVNT PRINCIPE COGITABIT, decernet & perficiet, nempe magistratus impios submouebit, pios substituet, qui remp. non euertant, sed foueant, stabiliant, promoueant. Neque ipse, seu per se, seu per suos, expilabit subditos, sed eosdem sua prouidentia & beneficentia ditabit, extollet, recreabit; hoc enim proprium est animi magni, generosi & regij. Porrò hæc quam iam dixi, sub Ezechiæ, seu Messiæ vigilantia, cautela & prouidentia non diuertet impendentem Ieroso lymæ, quam toties prædixi, cladem: etsi enim ob eximiam eius pietatem ac merita parcetur vrbi, ne quid à Salmanasar vel Sennacherib, aliisve tyrannis Assyriis detrimenti accipiat; extincto tamẽ Ezechia, & populo ad pristina scelera sub Manasse, Ioakim & Sedecia reuertente, & in iis obstinatè perseuerante (quod etiam post mortem Christi, & tunc quidem vel maximè vsu veniet;) omnia quæ aliàs prædixi mala in impiam vrbem inundabunt. Vnde meritò vos,

¥. 9. Ô MVLIERES & matronæ OPVLENTÆ, & in opibus vestris CONFIDENTES, ad luctum & lamentum hortor, & ad seriam pœnitentiam.

¥. 10. POST DIES ENIM ET ANNVM, id est, post certum aliquod tempus à me definitum, sed quod vobis definitè nolo explicare, CONTVRBABIMINI, vastabimini, exscindemini, primùm per Chaldæos, deinde & per Romanos. Per quos CONSVMMATA EST, id est, consummatè & plenè colligetur, VINDEMIA populi Iudaici, per excidium & captiuitatem omnium: adeò vt COLLECTIO VLTRA NON VENIAT] id est, vt nulli relinquendi sint racemi, qui peractâ vindemiâ reliqui fortè in vite, colligi possint.

¥. 12. SVPER VBERA fame arentia PLANGITE, & super paruulos ab vberibus pendulos, inquit Forerius, Sanchez & à Lapide. Omnes enim illi

illi vnà vobiscum præda erunt Chaldæis & Romanis. Vnde Christus, *Væ*, inquit, *prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.*

¥. 13. SVPER omnem HVMVM POPVLI MEI, id est, super omnem Iudæam à Chaldæis & Romanis longo bello vastatam, SPINÆ ET VEPRES ASCENDENT: QVANTO MAGIS, Hebraicè, Græcè & Chaldaicè, *quin etiam*, SVPER OMNES DOMOS GAVDII, id est, amœnas & delicioſas, CIVITATIS Ieroſolymæ adeò nunc EXVLTANTIS.

¥. 14. DOMVS ENIM Domini, id est, templum à me meaque tutela DIMISSVM EST ac derelictum, quin & flammis absumptum.

a *Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 41.*

TENEBRÆ *(a)* ET PALPATIO, id est, tenebræ palpabiles, FACTÆ SVNT SVPER SPELVNCAS, quæ ex ruderibus & ruinis tum templi, tum vrbis hinc inde hiantibus emerserunt, adeò vastæ & profundæ & firmæ, vt *onagri* & aliæ feræ silvestres *gaudeant* in iis delitescere. Idque IN ÆTERNVM,

b *Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 27.*

non absolutè, sed phrasi Hebræa, id est, in (*b*) longissimum tempus, nempe

¥. 15. DONEC EFFVNDATVR SVPER NOS SPIRITVS DE EXCELSO] Id est, donec noua vita, scilicet libertas, nobis à Deo per Cyrum restituatur: & spirituali vita ac libertate à Messia per Spiritum sanctum in Pentecoste recreemur, inquit S. Cyrillus, Procopius, Hieronymus & Theodoretus. Tunc enim etiam

ERIT DESERTVM IN CHARMEL] Id est, non solæ Iudæorum reliquiæ, sed etiam Gentiles quàm plurimi subintrabunt in pristinas opes & felicitatem populi Iudaici. Populus verò Iudaicus pro maiori parte hærebit in miseriis & desolatione Gentilium, vt suprà quoque dixit c. 29. v. 17.

¥. 16. IN SOLITVDINE, id est, in populo antè à Deo deserto & sterili, HABITABIT deinceps IVDICIVM ET IVSTITIA, & sic ex solitudine fiet CHARMEL] id est, locus frugifer & fertilis.

¥. 17. ET OPVS, id est, fructus, effectus, præmium, IVSTITIÆ ET pij CVLTVS diuini ERIT PAX, ET SILENTIVM, seu quies, ET SECVRITAS, tum quoad interna, tum quoad externa. Ita Chaldæus, Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Theodoretus.

¥. 19. GRANDO, id est, procellosa ira & plaga, erit IN DESCENSIONE SALTVS, id est, descendet super saltum, in quem charmel, vt antè dixi, mutabitur, id est, super populum Iudaicum qui suâ malitiâ degenerauit in saltum. Porrò hac grandine omnia quassante & vastante, HVMILIABITVR quoque omnimoda HVMILITATE, seu deiectione CIVITAS Ieroſolymitana. Ita S. Hieronymus & Forerius. Interim

¥. 20. BEATI VOS, ô principes è Babylonico carcere reduces, inquit Sanchez: & vos Apostoli aliique discipuli, è perditis Iudæis ad Christum conuersi: felices vos & bis felices, Primò, quòd, aliis pereuntibus, vos saluemini; Secundò, quòd, vt alij quoque saluentur, omnibus manum porrigatis, semen verbi Euangelici iacientes SVPER OMNES AQVAS, id est, super omnes agros idoneos sementi, nempe aquis & pluuia madentes: vbique sine discrimine in omnes agros idoneos & aptos regno Dei IMMITTENTES PEDEM BOVIS ET ASINI] quò celeriùs subigantur, arentur & colantur. Insinuat, promiscuè deinceps in Ecclesia Dei tam ex Gentilibus, quàm ex Iudæis, desumendos qui agrum Dominicum non modò incolant, sed & excolant, inquit S. Hieronymus, Clemens Alexandrinus, Ambrosius & Gregorius. Lege enim Mosaica prohibita erat aratio *in boue simul & asino*, Deuter. 22. Sed *in Christo non est distinctio Iudæi & Græci.* Ipse est *pax nostra*, qui *fecit vtraque vnum*, & vtrumque populum amplexus est.

Clem. l. 6. Stromatum. *Ambr. l. 5. epist. 42.* *Greg. l. 21. Moral. c. 8. & l. 35. c. 11.*

CAPVT XXXIII.

Prædicit excidium Assyrio tyranno Sennacherib, vt patet ex v. 3. & sub hoc typo, omnibus Ecclesiæ hostibus & persecutoribus, quibus minatur æternos gehennæ ignes: è contrario piis promittit æternam felicitatem in Sion cælesti, cuius speciem & gloriam graphicè depingit. Terrestri quoque Sioni gratulatur de soluta obsidione & spoliis ex hoste sollectis. Denique ostendit quantum præcellat Ecclesia Christi Synagoga Iudaica.

¥. 1. VÆ tibi Sennacherib, QVI Æthiopiam, Ægyptum & totas alias nationes deprædatus es, & Iudæam nunc PRÆDARIS; NONNE ET IPSE iamiam PRÆDABERIS, id est, spoliaberis, & præda eris hostibus tuis? *Væ* tibi, QVI tot victoriis elatus, præ te vno SPERNIS omnes, etiam ipsum Deum; NONNE MOX ET TV IPSE SPERNERIS, non modò ab hostibus, sed & à subditis, adeoque & à propriis filiis tuis, qui tuismet manibus iugulabunt te? Allegoricè, Sennacherib est diabolus, eiusque membra tyranni, qui Christum & membra Christi spernunt, persequuntur, deprædantur, ipsi mox æternùm ridendi, spoliandi, cruciandi, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Theodoretus.

¥. 3. A VOCE; Hebraicè, *à strepitu* & tumultu, ANGELI, percutientis vna nocte 185. millia Assyriorum, FVGERVNT POPVLI, quotquot militabant in castris Sennacheribi, AB EXALTATIONE TVA] id est, alta & sublimi potentia & robore tuo.

¥. 5. QVONIAM Deus HABITAVIT IN EXCELSO, idcircò Excelsus ipse excelsa præstitit, fugando & conterendo suos hostes, atque ita per hanc vltionem terribilem & magnificam, MAGNIFICATVS EST coram cælo & terra, *implens* SION, id est, Ieroſolymam, IVDICIO ET IVSTITIA] q. d. Hac edita Assyriorum strage, ostendit Deus se iustum & fidelem esse populo suo, præstans ei opem & liberationem quam per Isaiam antè promiserat. Porrò hæc Dei erga te

¥. 6. FIDES, seu fidelitas, ERIT perpetua deinceps omnibus TEMPORIBVS TVIS, id est, quamdiu stabis. Quod in Ecclesiam Christi certissimò quadrat, cuius typus erat Sion, inquit Cyrillus, Procopius, Theodoretus. Et DIVITIÆ SALVTIS, id est, salutiferæ opes Ecclesiæ, erunt non iam aurum & argentum, sed SAPIENTIA ET SCIENTIA rerum diuinarum, quæ nascetur ex filiali *timore* (*c*) *Dei*, radice, fundamento, imò complemento sapientiæ.

c *Eccli. 1. v. 11. & 20. & c. 25. v. 13. Iob 28. v. 28. Prou. 14. v. 26.*

¥. 7. ECCE VIDENTES Ieroſolymitani speculatores tantas copias & vires Assyriorum, CLAMABVNT ad eos qui FORIS, seu extra vrbem degunt, vt fugâ sibi maturè consulant. Et ANGELI PACIS, nempe *Eliacim, Sobna* & *Ioahe*, qui à rege Ezechia mittentur nuntij & legati ad Rabsacen ducem Sennacheribi, pacis cum eo componendæ causâ, cùm viderint se pacem impetrare non posse, & excidium vrbi imminens præsentiscent, AMARE FLEBVNT, vt patebit c. 36. v. vlt. Allegoricè, angeli pacis sunt pastores animarum, inquit S. Hieronymus, Theodoretus, Procopius & Gregorius.

Greg. l. 34. Moral. c. 7.

¥. 8. PACTVM, quod Sennacherib cum Iudæis iniit acceptâ ab eis pecuniâ, IRRITVM ab ipso

FACTVM EST, 4. Reg. 18. quia eo non obstante PROIECIT & euertit CIVITATES Iudææ, *nec* Iudæos REPVTAVIT HOMINES esse, quibus fides seruari deberet. Ita S. Thomas, Liranus & Forerius. Sed quid Deus ad hæc?

℣. 10. NVNC CONSVRGAM; hoste nimis insolescente, ostendam quid possim. Ergo agite, ô Assyrij,

℣. 11. CONCIPIETIS ARDOREM iræ in Ierosolymitanos, machinabimini strages, incendia, rapinas; SED PARIETIS, non ignem aut flammam, sed STIPVLAM, id est, inanem & futilem conatum: ardens verò SPIRITVS ille VESTER & ira non VORABIT Iudæos, sed VOS metipsos, quia causa erit vestri excidij & ruinæ.

℣. 14. CONTERRITI SVNT hac tanta Assyriorum strage PECCATORES IN SION, impij Iudæi & *hypocritæ*, nempe metuentes sibi ob sua scelera similes pœnas. Ita Adamus & Forerius. Quos proinde sic conterritos, occasione recentis tragœdiæ acriùs monet Propheta: QVIS DE VOBIS POTERIT HABITARE CVM simili IGNE, seu supplicio, corpus & animam DEVORANTE? Tamen sceleribus debetur hæc pœna. Et leuis videri possit ignis terrenus & momentaneus, qualis absumet Assyrios; sed vos manet ignis infernalis & *ardores sempiterni*. Ita S. Hieronymus, Procopius & alij. Sed quis cuadet hos ignes? & quâ viâ?

℣. 15. QVI OBTVRAT AVRES SVAS NE AVDIAT SANGVINEM, id est, non auscultat, non audit, non admittit eos qui de cæde patranda & pauperibus exsugendis consultant: ET CLAVDIT OCVLOS SVOS NE VIDEAT MALVM] Id est, non attendit, non consentit vlli reiquæ possit proximo nocere, inquit S. Gregorius. Qui sic constanter se gerit,

℣. 16. IN EXCELSIS, id est, in sublimi & ab igne ac similibus plagis tuto loco habitabit: MVNIMENTA SAXORVM SVBLIMITAS EIVS, id est, arx fortissima & munitissima, qualis solet esse in excelsa rupe, erit habitatio & tutamen illius. Porrò pro sustentatione & recreatione DATVS EST EI PANIS, id est, cibus omne genus, & AQVÆ FIDELES, id est, iugiter manantes, quæ numquam deficient aut fallent. q.d. Nihil illi deerit, seu necessariorum, seu vtilium ad vitam iucundissimè transigendam: quin &

℣. 17. VIDEBVNT OCVLI EIVS iam beati REGEM Deum & Christum IN DECORE SVO. Et in eo videndo fruendoque primaria consistit illius beatitudo. Ita S. Iustinus, Cyprianus, Procopius & Prosper. TERRAM verò & terrena omnia CERNENT DE LONGE] id est, eminus è cælo empyreo, despicientque omnia quasi punctum vnum, & sordes & nihil.

Iustin. contra Tryphonem. Cyprian. l. 2. contra Iudæos c. 28. Prosper de Prædict. part. 3. c. 2.

℣. 18. COR ergo TVVM, quisquis spectator hîc ades tragœdiæ Assyriacæ, MEDITABITVR, si sapit, TIMOREM diuinæ vindictæ. Et hæc erit vera ac solida meditatio, vnde promanabit cælestis scientia ac sapientia, vt suprà v. 6. Absque timore enim Dei VBI EST (*a*) LITTERATVS] vbi tam multi, tam celebres philosophi, doctores & legisperiti? Humi omnes serpunt, euanescunt in vanitate, terrena sola sapiunt, regem in decore suo non videbunt. Tu melius sapias, & sancto timore perculsus, animum conuertas ad Deum.

a 1. *Cor.* 1. *v.* 20.

℣. 19. POPVLVM IMPVDENTEM Assyrium deinceps NON VIDEBIS amplius: totus vel cædetur, vel fugabitur. Sed aliam deinceps videbis collectionem hominum, non tibi hostilium, non stultorum, sed verè sapientium, & tibi amicorum.

℣. 20. RESPICE, ô SION, nouam CIVITATEM non miseriæ, non mœroris, sed gaudij, sed SOLEMNITATIS NOSTRÆ, id est, in qua solemne festum perpetuò celebrabimus. Per hanc Cyrillus, Procopius, Adamus, Osorius, Haymo & à Lapide Ecclesiam in cælo triumphantem intelligunt: sed S. Hieronymus, Theodoretus & Aluarez militantem. TABERNACVLVM, *cuius non* AVFERENTVR CLAVI trabales, quibus terræ infixum est: ET OMNES FVNICVLI EIVS, quibus affigitur clauis & distenditur, NON RVMPENTVR. q.d. Immobile erit & perpetuum. Per *clauos* Ecclesiæ Doctores intelligit Ecclesiastes cap. 12. v. 11. per *funiculos* præcepta & leges S. Hieronymus. Et quis, quæso, reuellat clauos Ecclesiæ Christi, vel funiculos disrumpat, cùm in eam nullus vmquam hostis, nec ipsæ portæ inferorum prævalituræ sint, sed regnaturus æternùm in ea

℣. 21. SOLVMMODO MAGNIFICVS DOMINVS DEVS NOSTER, & Christus eius, iudex, vindex, & *legifer noster*. Neque penuriâ dissoluetur, quia LOCVS FLVVIORVM, seu ingens fluuius in ea perpetuò scaturiet, vnde plurimi RIVI LATISSIMI ET omnibus PATENTES. Hæc sunt septem Sacramenta, & alia Ecclesiæ charismata, quæ Spiritus sanctus in hunc paradisum continuò immittit. Neque pauebit ab insultu, vel incursu hostili, quia non patietur Deus PER EAM *transire* NAVIM vllam vel TRIEREM hostilem. Et sic quidem immobilis & inconcussa æternùm stabit Ecclesia Christi. At verò, ô misera Synagoga,

℣. 23. LAXATI SVNT FVNICVLI TVI; Græcè & Chaldaicè, *rupti sunt*, nempe quando deflexisti à naturali principe, pastore & tutore tuo Messia: tunc languescent omnia sustentacula tua, ET NON PRÆVALEBVNT, id est, non poterunt diutiùs sustinere tabernaculum. Vnde licet MALVM, seu statumen tuum, nempe sacros codices, reseruatura sis, NON tamen *poteris* DILATARE SIGNVM, id est, velum aut corium ei appensum expandere, teque eo cooperire, multò minùs tutari aut defendere: potiùs corruet in caput tuum, teque opprimet & elidet. Ita Adamus Sasbout. Tunc risui & prædæ eris omnibus vicinis tuis, & CLAVDI antè ac cæci Gentiles ex diuite præda tua colligent spolia & RAPINAS] promissa patribus tuis charismata tibi præripientes, vt olim Iacob præripuit Esau, Genes. 25. v. 33. & 27. v. 24. Ex tunc

℣. 24. NEC amplius DICET VICINVS tuus, populus Gentilis: ELANGVI, seu lãguidus & morbidus sum, quia omnes validi & robusti erunt per Christum & Spiritum sanctum. Nam vnica languoris causa, INIQVITAS AVFERETVR per merita Christi AB omni EO populo Gentili, QVI HABITAT IN vicinia tua, & in Christi coloniam transit,

CAPVT XXXIV.

Occasione tragœdiæ Sennacherib, inuitat omnes nationes ad spectandum præsenti animo excidium orbis in fine sæculi. Rursus occasione excidij Idumeæ, ad idem generale orbis excidium omnibus ob oculos exhibendum assurgit.

Euseb. l. 11. de Prepar. Euang. c. de innouat. mundi. August. l. 13. Confess. c. 15.

℣. 1. ACCEDITE GENTES omnes ad spectandum quasi in publico theatro extremum orbis iudicium & sæculi consummationem. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Eusebius & Augustinus.

℣. 2.

℣. 2. INTERFECIT EOS] nempe totius orbis incolas, partim per ignem conflagrationis, partim per plagas illi præuias.

℣. 3. DE CADAVERIBVS cæsorum tot præliis, ASCENDET FOETOR, cùm viui sepeliendis mortuis non sufficiant: vnde TABESCENT MONTES, id est, tabem contrahent, EX EORVM SANGVINE, putredine & sanie.

℣. 4. TABESCET OMNIS MILITIA CÆLORVM] Id est, sol, luna & reliqua sidera tam insolitis modis commouebuntur, obscurabuntur, & lumen suum retrahent, vt videantur pre indignatione tabescere, liquescere, dissolui. Et hoc est quod ait Christus Matth. 24. *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo.* vt ibidem exponunt S. Chrysost. & Maldonatus. Atque ita

a *Apoc. 6. v. 13.* COMPLICABVNTVR CÆLI (*a*) SICVT LIBER] Id est, sicut in membrana literis conscripta, (quales erant veterum libri) *nullæ* deforis litteræ apparent, si membrana circum cylindrum cõuoluatur; ita in cælo nubibus vndique clauso & quasi inuoluto nullæ apparebunt stellæ. Fulgetris quoque, cometis, stellis cadentibus, aliisque meteoris ita aër perturbabitur, vt cæli conuolui & complicari, & quasi terræ commisceri videantur. Ita S. Hieronymus, Augustin. Gregor. Adamus, Pererius, & passim Scholastici, qui contra quosdam (*b*) alios docent, cælos & astra non secundùm formam vel substantiam, sed solùm secundùm lucẽ & alias qualitates mutatum & innouatum iri. Sed vnde tanta etiam in cælestibus perturbatio? Respondet:

Hieron. in c. 51. Isaiæ. Aug. l. 20. Ciuit. c. 14. Greg. l. 17. Moral. c. 5. Perer. in Apocal. 6.

b *Chrysost. Theodoret. Oecumen. Basilium, Ambrosiũ, Nyssenum & Maldonatum citatos à Corn. à Lapide hic.*

℣. 5. QVONIAM etiam IN CÆLO INEBRIATVS, id est, ad satietatem grassatus, EST GLADIVS diuinæ vltionis & vindictæ meæ. ECCE sicut gladius hic meus breui DESCENDET SVPER IDVMÆAM, ET SVPER POPVLVM INTERFECTIONIS MEÆ] Hebraicè, *anathematis mei*, id est, super Idumæos nec à me deuotos ac destinatos, sæuietque in eos ad internecionem, &c. ita in fine mundi descendet & sæuiet idem gladius in omnes omnino nationes terræ. Adesdum ergo spectator, & vide quomodo in excidio Idumææ per Chaldæos,

℣. 6. INGRASSATVS EST gladius Dei, tam ADIPE, quàm SANGVINE pinguium istorum Idumæorum; neque AGNORVM solùm, id est, plebeiorum, imbellium, pauperum; sed ET HIRCORVM, id est, ducum ac principum, ET ARIETVM, id est, ditiorum ac robustorum. q. d. Nulli ætati, nulli sexui, nulli gradui parcet hic gladius.

VICTIMA ENIM DOMINI solemnis, à Deo decreta & instituta est IN BOSRA Idumææ metropoli, vt incolas omnes gladio Chaldæorum mactet & offerat diuinæ suæ iustitiæ. Id factum paulò pòst excidium Icrosolymorum per Nabuchodonosorem, vt alibi (*c*) dicetur.

c *Ierem. 49. Ezech. 25. & Abdiæ 1.*

℣. 7. ET DESCENDENT ad hanc victimam non soli boues & vituli, ciues, mercatores, opifices, sed & TAVRI ET VNICORNES, robusti & armis instructi, CVM omnibus POTENTIBVS, diuitibus, nobilibus. Tunc erit *vers.* 8. ANNVS RETRIBVTIONVM IVDICII & vindictæ, quam pro SION, id est, Iudæa, Deus exercebit contra Idumæos, qui iurati hostes Iudæorum, illos perpetuò diuexarunt, & vnà cum Chaldæis Icrosolymam oppugnarunt & euerterunt. Ita Chaldæus, Vatablus, Liranus, Arias & Sanchez.

℣. 9. ET CONVERTENTVR TORRENTES Idumeæ IN PICEM] Id est, aquæ ipsæ fluminum instar picis & sulphuris ardebunt. Alludit ad Sodo-

A mam Idumææ vicinam, vt scelere ita & clade illi similem, quæ sulphureum habet solum, & igne cælesti conflagrauit. Sic in fine mundi, ignis conflagrationis ex pice & sulphure conflatus omnia regna absumet.

℣. 12. REGEM POTIVS INVOCABVNT] Id est, optabunt miseri tunc ducem aliquem & principem qui rebus afflictis succurrat, sed nemo reperietur qui aut velit, aut possit rempublicam perditam administrandam capessere. Porrò pro principibus, pro ciuibus, pro aliis incolis,

℣. 14. OCCVRRENT ibi passim DÆMONIA & monstra sic laruata, vt supernè figuram gerant hominis, infernè asini vel equi. Quale monstrũ signo S. crucis fugauit S. Antonius: & alterum Claudio Cæsari oblatum vidisse se testatur Plinius. Vide Gesnerum, qui ex Seruio & aliis docet, eiusmodi monstra nomen centaurorum accepisse ex similitudine equitum tauros spiculis configentium. Vir enim equo vel asino insidens, quasi vnum cum eo animal conflare rudioribus videbatur: cumque nomen aliud non occurreret, ex officio ipsi proprio, quod erat κεντᾶν, id est, pungere, stimulare, configere *tauros*, vocarunt *Hippo-* vel *onocentauros*, id est, equum vel asinum configentem tauros.

Athanas. in vitâ Anton. Plin. l. 7. c. 3. Gesner. c. de Equo, & Asino. Seruius 3. Georgic.

PILOSVS idẽ est qui priscis Satyrus vel Faunus: Gesnerus putat esse genus simiarũ, quæ in Brasilia robore & proceritate corporum superant homines, & non rarò mulieres constuprant. Alij putant fuisse dæmones, qui villoso & hirsuto corpore instar hircorum, hominibus illudere solebant.

LAMIÆ Vatablo, Pagnino & Delrio nostro sunt stryges & sagæ: Dioni Chrysostomo sunt bestiæ truculentæ, facie & superiore parte corporis ad vmbilicum muliebri, reliquo in draconem desinente. Alij volunt esse dæmones succubos, de quibus multa Gesnerus & Delrio. Vt vt est, certum designari bestias siluestres feminei sexus rapaces & voraces, de quibus Ieremias Thren. 4. *Lamiæ nudauerunt mammam.* De quibus hîc Isaias dicit, quòd vnà cum *onocentauris* & *pilosis* incolent regionem Idumææ iam excisæ & in solitudinem conuersæ. Putatque noster Ioannes de Salas & Cornelius à Lapide ex S. Anselmo & Viguerio, prædici hîc ab Isaia, etiam in inferno damnatos à dæmonibus spectrorum eiusmodi formam assumentibus territum & cruciatum iri.

Delrio de Magicis. Dion Chrysost. in hist. Libycæ.

Salas in 1. 2. q. 5. a. 5. tract. 2. disput. 14. sect. 14. num. 113. Anselm. in Elucidario. Viguer. c. 16. §. 4. v. 36.

℣. 16. REQVIRITE DILIGENTER hæc iam à me recensita seu monstra, seu supplicia quæ Idumææ obuentura prædixi. *Requirite*, inquam, IN LIBRO DOMINI à Deo dictato, id est, in S. Scriptura. q. d. Quando reipsa destruetur Idumæa, conferte tunc omnia mala ipsi obuenientia, cum iis quæ hîc iam à me ipsi obuẽtura prędicuntur, & ab aliis quoque Prophetis, Amos, Dauide, Balaam, prædicta fuerunt; deprehendetis, *ne vnum* quidem *deesse*. Ita S. Hieron. S. Thom. Hugo & Liranus.

Amos c. 1. Dauid psal. 136. Balaam. Num. 24. v. 18.

ALTER ALTERVM NON QVÆSIVIT quasi absentem, id est, nihil malorum prædictorum deerit, vt à socio quæri debeat: sed SPIRITVS vindictæ diuinæ omnia studiosè CONGREGAVIT.

℣. 17. ET IPSE idem spiritus, iisdem malis, seu monstris, seu plagis, MISIT SORTEM, diuidens illis Idumæam omnem quasi possessionem hereditariam, & cuique in ea sortem suam & locum designans, vt quasi proprij eius incolæ sint IN ÆTERNVM] (*d*) id est, ad longissimum tempus. In inferno autem mala omnia propriè & ad litteram durabunt æternùm.

d *In Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 27.*

CAPVT XXXV.

Tristi Idumææ, & sub illius typo, totius mundi excidio subnungit lætum de Ecclesia Gentilium sub Christo gloriosè propaganda vaticinium: bona Ecclesiæ Christi per antithesin opponens malis, quæ Idumææ & reliquo orbi in fine mundi obuentura prædixit cap. præcedenti.

¶. 1. LÆTABITVR tempore Christi gentilitas hactenus DESERTA à Deo, à salute, à iustitia, à religione & cultu Dei: & instar *lilij* FLOREBIT miro vitæ & puritatis nitore.

a *Isaiæ* 10. v. 34. Cap. 16. v. 10.

¶. 2. GLORIA LIBANI, (*a*) ex quo cedri, pini, thus: DECOR CARMELI ET SARON] vnde segetes, vuæ, oliuæ & alij fructus vberrimi, quibus olim B gaudebat Iudæa. Id est omnia ornamenta Synagogæ, omnes opes & deliciæ non solùm corporales, sed & spirituales Iudæorum, transferentur ad Ecclesiam Gentilium. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Eusebius, Hilarius, Nazianzenus & Theodoretus.

Euseb. l. 6. Demonst. c. 21. Hilar. in psalm. 65, Naz. orat. 1. in Iulianũ.

IPSI VIDEBVNT, anteà cæci, in tenebris & in vmbra mortis iacentes, iam oculos aperient, & aspicient lumine fidei, GLORIAM DOMINI] id est, splendorem, pulchritudinem, amœnitatem, felicitatem à Deo submissam: Iudæis è contrario excæcatis, & in tenebras palpabiles delapsis. Ità iidem Patres. Ex his verbis Isaiæ, Faber Stabulensis & Franc. Lucas putant probabiliter colligi, transfigurationem Christi contigisse in monte Libano. C De quo Matth. 17.

Faber Stabul. in c. 9. Marci. Franc. Luc. in Matt. 17. v. 1.

¶. 4. ECCE DEVS VESTER non minùs, quàm Iudæorum, VLTIONEM ADDVCET RETRIBVTIONIS, qua par pari retribuet hostibus omnibus vestris, sed maximè diabolo: sicut enim ipse seuerè ac rigidè vobis dominatus fuit, ita tunc ipsimet seuerè ac rigidè dominabitur Christus & Christiani. Dixi, *Deus vester*. Neque enim Moyses quispiam, vel Iosue, vel similis iudex, liberandis & saluâdis vobis adhibebitur, sed IPSE DEVS in persona propria VENIET, ET SALVABIT VOS, nempe *Emmanuel*, Messias, Christus. ipse APERIET OCVLOS CÆCORVM, ET AVRES SVRDORVM, (*b*) &c. D Ita S. Athanasius, Hilarius, Iustinus, Prosper & alij Patres: qui docent, huc respexisse Christum, cùm roganti Ioanni, *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* pro indubitato signo quo se Messiam esse designet, respondere iussit, *Cæci vident, claudi ambulant*, Matth. 11. vers. 3.

b *Isaiæ* 29. v. 18. *Athan. l. de Humanitate Verbi. Hilar. supr. Iustinus Apolog. 2. Prosper p. 3. Prædic. c. 13.*

¶. 6. QVIA per Christum SCISSÆ SVNT IN DESERTO AQVÆ] Id est, inter Gentiles eruperunt & sparserunt se aquæ spirituales & cælestes, nempe charismata Spiritus sancti.

¶. 7. ET SITIENS, seu arida Gentilium terra, ERIT IN FONTES id est, scatebit fontibus, AQVARVM] (id est, gratiarum) salientium in vitam æternam. Ita S. Cyrillus & Theodoretus.

¶. 8. IBI, id est, in deserto priùs inaccesso & inuio, ERIT aperta, facilis & secura SEMITA, fidei nempe, pœnitentiæ & charitatis, arcta quidem & carni molesta, sed recta & spiritui iucunda: quæ VIA SANCTA VOCABITVR] quia deducit ad veram sanctitatem, & ad Sanctum sanctorum, ad cælum, ad Deum.

NON TRANSIBIT PER EAM POLLVTVS quispiam, seu immundus. Sicut enim aditu templi Ierosolymitani arcebantur polluti & immundi: ita etiam aditu cæli & sanctitatis arcentur omnes peccatores quamdiu peccatores.

¶. 9. MALA BESTIA, lamia, pilosus, onocentaurus, dæmonia, & alia pusillorum territamenta, NON ASCENDENT PER EAM] Deo machinationes omnes hostiles, omnes insidias & insultus, & quæcũque nocere possint, procul arcente & amoliente, nec nisi cùm prodesse possunt permittente. Ita S. Hieronymus, Cyrillus & Theodoretus.

ET AMBVLABVNT in ea, & per eam, liberè progredientes & proficientes, sine remora, sine offendiculo, non perfidi & obstinati Iudæi, sed QVI per Christum LIBERATI ET REDEMPTI FVERINT à iugo dæmonis, peccati & legis Mosaicæ. Hi enim

¶. 10. CONVERTENTVR à cultu idolorum & impietate ad cultum veri Dei & Christi, & per viam fidei ac religionis iam dictam VENIENT IN SION] id est, in Ecclesiam Dei tum militantem, tum triumphantem, eo ritu & modo, quo solet sponsa à sponso deduci in regiam Sion, cum genialiplausu, cum nuptiali corona, cum gaudio & tripudio; dolore, gemitu, metu procul relegato. Ita Sanchez. Et similia habes Tobiæ 13. vers. 21. sed fusiùs Esdræ 4. c. 2. v. 34.

CAPVT XXXVI.

Vaticinio suo de Ierosolyma per Assyrios impetenda subiungit Propheta rei vt gestæ fuit historiam, quæ prorsus eadem describitur 4. Regum 18. & duobus sequentibus. Nempe Rabsaces legatus regis Assyriorum Sennacherib agit cum legatis Ezechiæ regis Iudæ, & populo Ierosolymitano, hortaturq; vt se dedant: sed nullo accepto responso remittitur.

¶. 2. IN MANV GRAVI] Enallage qualitatis pro quantitate, id est, cum multo comitatu & numeroso exercitu. De *aqueductu*, cuius hic fit mentio, aliquid dixi 2. Paral. 32. v. 3. & 4. Reg. 18. v. 7. Vbi etiam de *Eliacim* qui erat *præpositus domus*, de *Ioahe à commentariis*, &c. v. 18.

¶. 9. ET QVOMODO destitutus equitatu (rarus enim erat illius vsus apud Iudæos iuxta præceptum Domini Deuteron. 17. v. 16.) SVSTINEBIS FACIEM, præsentiam, congressum & insultum, IVDICIS VNIVS LOCI] id est, satrapæ, seu præfecti vnius prouinciæ? (*c*) c 4. Reg. 18. v. 24.

¶. 16. FACITE MECVM BENEDICTIONEM] non actiuam vtilem Assyriis (quam spernebat superbus tyrannus) sed passiuam, vtilem Iudæis, q.d. Ita mecum agite, vos mihi subdendo, vt inde vobis à me obueniat *benedictio* & beneficentia.

¶. 19. De *Emath* & *Arphad* vide suprà c. 10. v. 9. SEPHAR-VAIM quoque vrbs est, vt habent LXX. & metropolis regni sic nominati.

¶. 22. Sciderunt vestes suas legati Ezechiæ, hoc signo testantes animum præ dolore disrumpi, tum ob horrendas Assyriorum blasphemias in Deum: tum ob minas Rabsacis & periculum vrbi imminens. Videtur hic mos è Palæstina & Iudæis manasse etiam ad Persas, de quibus Herodotus scribit, discidisse vestes suas in obitu Cambysis regis. E Herod. l. 3.

CAPVT XXXVII.

Ezechias iubetur ab Isaia bono animo esse, nec timere Assyrios: sed rursus per alios legatos interpellatus à Sennacherib de vrbe dedenda, confugit ad templum, Deum rogat vt suæ & populi causæ succurrat. Vnde Isaias iterum metu illum liberat, & blasphemo Sennacherib aduersa omnia prænunciat. è cuius castris vna nocte, manu angelica cæduntur 185. armatorum millia: ipse verò tyrannus à propriis filiis obtruncatur.

¶. 8. LOBNA ciuitas fuit sacerdotalis, vltra Iordanem ad Occidentalem plagam, Iosue

Iosue 12. v. 15. & c. 21. v. 13. & tempore regis Ioram A simul cum Idumæa deflexit à Iuda, 4. Reg. 8. v. 22.

LACHIS vrbs erat munitissima in tribu Iuda, de qua Iosue 10. v. 23. & Ierem. 34. v. 7.

¥. 12. GOZAM fluuius est in Media, 4. Reg. 17. v. 6. cui adiacens regio videtur eodem hic nomine compellari. Idem dico de HARAM, cuius mentio fit 1. Paralip. 5. v. vlt.

RESEPH à quibusdam in Syria, ab aliis in Arabia collocatur, inquit Arias.

Per FILIOS EDEN (*a*) intelligit Delrio populos Orientales regionis amœnissimę ac delicioſissimæ (hoc enim significat *Eden*) v. g. Mesopotamiæ, vel ei vicinæ regionis, vbi Cain habitasse legitur B Genes. 4. v. 16.

a Genes. 2. v. 8 Ezech. 27. v. 23. Delrio in Gen. 2. v. 8.

¥. 14. TVLIT LIBROS, id est, volumina litterarum, vt vertit Chaldæus: ET EXPANDIT CORAM DOMINO] quasi legendas illi præbens contra quem conscriptæ erant.

¥. 16. QVI SEDES SVPER alas CHERVBIM] quasi in solio & throno tuo terrestri, de quo Exodi 25. v. 16.

¥. 22. Quid sibi velit VIRGO FILIA SION, alibi (*b*) dixi. Vti & vers. 26. de *collibus compugnando* Idiotism. *tibus*, (*c*) id est, de ciuitatibus Iudææ & aliarum regionum in collibus loco edito sitis, & aduersus Assyrios concertantibus. Reliqua huius capitis exposui 4. Regum 19. & 2. Paralip. 32.

b In Proleg. Hebr. n. 40. c. 4. Reg. 19. v. 25.

CAPVT XXXVIII.

Ægrotanti Ezechiæ Isaias mortem denuntiat: sed ille precibus vitam ad alios quindecim annos, & liberationem ab Assyriis impetrat, accepto signo per solis regressum ad decem lineas. Vnde canit Deo carmen eucharisticon, illudq; in tabulis publicis exarari iubet.

¥. 3. DE fletu, de causa fletus Ezechiæ, de ficubus quibus curatus est, de regressu solis ad decem lineas, & aliis huc spectantibus, fusè egi 4. Reg. 20. Superest explicandum solum carmen eucharisticon, quod hîc vocatur

¥. 9. SCRIPTVRA EZECHIÆ] Id est, conscriD ptum ab Ezechia in gratiarum actionem Deo pro sanitate restituta: quin & in æs inciſum, & in modum votiuæ tabellæ publicè proponi iussum, in perpetuum diuinæ clementiæ præconium & monumentum, inquit Sanctius & à Lapide.

Sanct. in 4 Reg. 20.

¥. 10. EGO DIXI tum ore, tum corde, id est, putaui omnino actum esse de vita mea, mihiq; in flore ætatis, (cùm annum 39. non excederem) moriendum, & AD PORTAS INFERI, secundùm corpus ad sepulchrum, secundùm animam ad limbum, seu sinum Abrahæ, abeundum esse. RESIDVVM ergo ANNORVM MEORVM, quod mihi subtrahi & deesse sentiebam, QVÆSIVI, seu requisiui, sed frustra, inquit Forerius. Sic solemus dicere, E Requiro in te diligentiam, id est, video tibi diligentiam deesse, quam optarem adesse.

¥. 11. NON VIDEBO DOMINVM DEVM IN TERRA VIVENTIVM: id est, in hoc terræ theatro præIustria opera patrantem, ac præ omnibus stragem Sennacheribi & victoriam de Assyriis mihi cælitus (*c*) promissam. Nam hic morbus occupauit Ezechiam interim dum Sennacherib ex Iudæa in Ægyptum aduersus Tharacam regem Æthiopiæ deflecteret. Quòd si vita mihi superstes relinqueretur, reducem illum tyrannum viderem cæsum, fugatum vel subactum: HOMINEM vero, seu homines regni mei, HABITATORES QVIETIS] id est, quiete & pace fruentes: nunc etiam isto gaudio priuabor per mortem. Per quam eamdem

c v. 6. & 6. 37. v. 7. 29 &c.

¥. 12. GENERATIO, id est, stirps & posteritas omnis MEA ABLATA EST A ME] Careo enim prole: & consequenter Messias Dauidi promissus, ex semine meo non procreabitur. Ergo corruet familia mea, & instar tabernaculi ruralis mox conuoluetur & è medio tolletur. Ita S. Hieronymus, Thomas, Liranus, Haymo & alij.

DE MANE VSQVE AD VESPERAM FINIES ME] Id est, infra diei vnius spatium finies vitam meam: adeò sæuit in me pestifer morbus, vt vltra diem vnum superuiuere me posse desperem. Cùm tamen exegissem primum diem, cœpi nonnihil sperare: & ita

¥. 13. SPERABAM VSQVE AD MANE secundi diei, cùm & vis morbi prorsus me deiecit, instar *leonis* OMNIA OSSA, id est, vires meas, depascens: & denunciatio Isaiæ, qua me certò moriturum dicebat, (*d*) spem nullam vlterioris vitæ reliquit. *d Sup v. 1.*

¥. 14. *Clamare* igitur cœpi eximo corde, SICVT PVLLVS HIRVNDINIS in nidulo implumis, frigens & famens, & sicut COLVMBA cœpi meditari, nempe gemendo, plorando, queritando, opem cælitus implorando.

DOMINE VIM PATIOR à morbo nimis me cruciante, adeò vt ferendo non sim. RESPONDE PRO C ME] Id est, tu suscipe patrocinium meum & tuere me, alioqui succumbentem.

¥. 15. QVID DICAM? quid volo queri, quid lamentari? Et si querar, quid aliud ab eo responsi exspectare debeo, nisi, Ego IPSE FECI, ego potui, ego volui morbum hunc tibi & mortem immittere? Sic exigit iustitia, sic poscit consilium meum. Simili modo corrigit querelam suam & cum Deo disputationem Iob c. 42. v. 2. Cùm ergo non possim iure tecum contendere,

RECOGITABO TIBI OMNES præteritæ vitæ ANNOS MEOS IN, id est, cum, AMARITVDINE ANIMÆ MEÆ] & supplex conuertor ad pœnitentiam & lacrymas, reuocans in memoriam singula peccata quibus tot iam annis iram tuam in me prouocaui: atque ita non iam debitũ vrgebo apud tuam iustitiam, sed gratiam orabo à tua clementia.

¥. 16. SI SIC VIVITVR, si culpa nulla impunè patratur, per me licet, CORRIPIES ME, punies, torquebis, affliges me pro placito & libito tuo: dummodo sic *vinifices* ME, & à peccatis, quibus mortem promerui, me expedias, & consequenter in vita iam purgatum conserues. Ita ferè S. Hieronymus & Sasbout. Et mox, ô stupendam tuam clementiam!

¥. 17. ECCE IN PACE AMARITVDO MEA AMARISSIMA] Id est, acerbissima illa afflictio & dolor lethalis, subitò conquieuit, & in pace, salute omniq; felicitate ac gaudio me constituit. Nam illo ipso secundo die sanatus est rex, vt dicitur 4. Reg. 20. v. 5. Ideò verò sanasti me,

¥. 18. QVIA INFERNVS ET MORS, id est, qui in inferno & morte versantur, NON CONFITENTVR TIBI, id est, non celebrant apud homines mortales nomen tuum, quod tu à me, vt adhuc 15. annis faciam, deposcis. Simulq; vis vt *exspectem*, videam & sentiam VERITATEM TVAM, id est, fidelitatem in præstandis à te promissis, nempe liberatione ab Assyriis, & susceptione prolis ex me, per quam Messias olim procreabitur. Quorum neutrum expertus fuissem si iam IN LACVM sepulchri & limbi *descendissem*. Porrò tertio anno ab hac

curatione & prostratos vidit Assyrios, & Manassen A primogenitum ac successorem suum progenuit Ezechias, vt dixi 4. Reg. 20. v. 3.

CAPVT XXXIX.

Legatis Merodach regis Babylonis, qui de recuperata valetudine congratulatum, & de (a) portento retrogressi solis inquisitum venerant, ostendit Ezechias omnes regios thesauros: sed audit ab Isaia, omnes illos in Babyloniam deuehendos, & filios ex ipso procreandos, fore eunuchos in palatio regis Babylonis.

2. Par. 32. v. 31.

¶. 1. MERODACH BALADAN quis fuerit, dixi 4. Reg. 20. vers. 12. Quomodo & quamdiu sceptro Babylonico potitus sit, vide Chronicon c. 34. B

ספר MISIT LIBROS] Hebraicè, *sepher*, id est, litteras, vt dixi c. 37. v. 14. Porrò occasione harum litterarum & legatorum

¶. 2. LÆTATVS EST EZECHIAS] Primò, ob honorem sibi à tam potenti rege, tam splẽdida legatione exhibitum. Secundò, ob tanti regis amicitiam & societatem, quâ tutior deinceps esset ab Assyriis & aliis hostibus. Tertiò, ob agnitionem fortè veri Dei, quam Babylonij isti occasione retrogressi solis hausisse potuerunt. Atque vtinam has iustas gaudij causas, vel saltem harum aliquas non ad propriam laudem & gloriam deriuarit! nec magis gauisus sit quòd ipse honoraretur, quàm quòd Deus! Absit, ad auctoritatem & famam maiorem sibi conciliandam senserit aut iactarit, patratum fuisse in sole istud miraculũ. Certè Abulensis etiam in his culpat Ezechiam. Nos contenti sumus, culpasse ipsum in vana ostentatione regiæ (b) gazæ & reconditorum thesaurorũ, facta iisdem legatis: quæ vt ex animi elatione proficiscebatur, Deo non parum displicuit, eiusque nomine ab Isaia grauiter reprehensa fuit, & in posteris punita, vt fusiùs narratur 2. Paralip. 32. v. 25. Quàm difficile est, in amplis fortunis animo esse moderato!

Abulens. in 4. Reg. 20. q. 7.

b 2. Par. 32. v. 27.

¶. 7. ET DE FILIIS TVIS ac nepotibus, QVI EXIBVNT DE TE, nõ proximè, sed mediatè, ERVNT EVNVCHI IN PALATIO REGIS BABYLONIS] nõ quòd castrandi sint, (nam nomen istud latiùs patere constat ex dictis Genes. 37. v. 36.) sed quòd palatinis ministeriis functuri sint, quæ olim à solis castratis obiri solebant. Dicti sunt verò εὐνοῦχοι ab εὐνὴ, id est, cubili, & ἔχω, id est, habeo custodiam: quòd antiquitus adhiberi solerent custodiendis cubilibus ditiorum matronarum & virginum, ne quis stuprũ vel aliam iniuriam inferret. Hæc prædictio impleri cœpit cùm Manasses & primores Iudæi abducti sunt captiui in Babylonem, 2. Paralip. 33. v. 11. sed completa perfectè cùm Iechonias & Sedecias cum omni nobilitate eodem pertracti sunt, ibid. c. 36 & Danielis 1. v. 3. Vbi Hebræi, & ex iis Theodoretus tradunt, Danielem eiusque tres socios fuisse nepotes regis huius Ezechiæ. E

c 3. Reg. 2. v. 38. & 42.

¶. 8. BONVM VERBVM (c) DOMINI] Id est, placet mihi, & accepto sententiam Dei sic punientis meam vanitatem. Cùm enim cogar illius subire vindictam, neque possim eam in totum declinare; saltem gaudeo de illa sic mitigata, vt vitâ meâ durante, executioni mandanda non sit. Ita Arias, à Lapide, Salianus & Aluarez, contra Hebræos, qui in Ezechiam quasi de posteris suis minùs sollicitum, grauiter, sed immeritò inuehuntur.

FIAT TANTVM IN DIEBVS MEIS PAX à bello Assyriaco aliisque hostibus, ET VERITAS, seu fidelis completio promissorum mihi à Deo facto-

rum, nempe de vita & regno mihi pacificè ad 15. annos prorogando, ac de prole & herede ex me procreando. Quoad pœnas, cùm excuti vel eludi non possint, gaudeo saltem post meum è vita excessum differri.

CAPVT XL.

Hucusque tristia penè omnia, & obiurgatoria, & comminatoria: deinceps læta canit & fausta, de Christo, de redemptione generis humani per Christum, deq; aliis innumeris bonis merito Christi nobis obuenturis. In quibus describendis non tam Prophetam, quàm Euangelistam agit Isaias, perinde ac si gesta realiter omnia oculis coram lustrasset. Ante omnia hoc capite promittit mundo verum paracletum, consolatorem, redemptorem Christum, eiusq; præcursorem Ioannem Baptistam. Describit Dei potentiam, magnitudinem & sapientiam, quâ quecumque promittit, præstare certò potest. Inuehitur in eos qui pro Deo idola adeunt, vel in afflictione sua de diuina ope & prouidentia diffidunt.

¶. 2. LOQVIMINI AD COR (d) IERVSALEM, Id est, quæ cordi ipsius optata, grata & iucunda sunt, nuntiate illi, quæ cor eius mulceant, solentur, recreent, omnemque ab eo mœstitiam pellant, illi proponite. ET ADVOCATE EAM] vt diu expetitam consolationem, & à malis quibus premitur liberationem accipiat.

d Genes. 34. v. 3. in Hebræo. & Osee 2. v. 14.

QVONIAM COMPLETA EST MALITIA (e) EIVS] id est, afflictio miseriæ & ærumnæ, quæ illi malè faciunt. Hebræum *tsaba* militiam significat, seu laborum & dolorum stadium; Græcè est, *humiliatas*, id est, depressio, *eius*.

e Matt. 6. v. 34.

צבא

DIMISSA EST INIQVITAS ILLIVS] LXX. *soluetum est peccatum*, nempe infidelitatis ac rebellionis Deo, per omne genus peccata. Nec culpa sola peccati remittitur illi, sed & reatus pœnæ, seu supplicij tum æterni, tum temporalis pro culpa subeundi. Hæc est perfecta remissio, quæ copiosa Christi redemptione nobis obuenit.

SVSCEPIT DVPLICIA (id est, multiplicia & grandia) PRO OMNIBVS PECCATIS SVIS] Quod Cyrillus, Theodoretus & Procopius de pœnis exponunt, quibus expiauit Deus peccata suorum, q.d. Sat pœnarum dedit pro sceleribus suis, maximè in Christo & per Christum, qui nostra scelera in se luenda suscepit, inquit Forerius. Sed Sasbout & alij plures id non de pœnis, sed de donis ac gratiis accipiunt, quę ex immensa Dei clementia propter Christum nobis donantur, loco pœnarum quas pro peccatis nostris merebamur. Sed vnde scis, ô Isaia, tanta bona nobis parari à Deo? Respondet, Id mihi indicat D

¶. 3. VOX CLAMANTIS IN DESERTO] Id est, vox præconis, cuius ore Deus clamat. Ita S. Ambrosius & Theophylactus; vel, si mauis, vox præconis clamãs in deserto Iudææ, vt quisque se paret ad hunc consolatorem & redemptorem condignè excipiendum, & remissionem peccatorum, cælestiaque charismata quæ affert, accipienda. Porrò hunc præconẽ esse *Ioannem Baptistam*, ipsemet disertè affirmat, Ioan. 1. *Ego vox clamãtis in deserto, sicut dixit Isaias Propheta*: idemq; omnes alij Euãgelistæ (f) testantur: & SS. Patres omnes & Doctores (g) Ecclesiæ sic exponunt: & plerique Hebræi, teste Lirano, hæc & sequentia fatentur ad tempora Messiæ spectare. Vnde induci non possum, vt cum Hugone, Iansenio, Maldonato, Toleto & Sanctio credam, hæc & alia sequentia litteraliter exponenda esse de Iudæis è captiuitate Babylonica Ierosolymam iussu Cyri reductis, & solùm Allegoricè ad Christum & redemptionem per Christum referri.

f Matth. 3. v. 3. & Marci 1. v. 2. & Luc. 3. v. 4. &c.

g Citati à Gabriele Aluarez. & à Lapide.

Licet

Licet negare nolim, alludi magna ex parte ad liberationem illam Iudæorum è Babylone per Cyrum: cùm hæc illius per Christum figura & typus fuerit, vt omnes admittunt.

PARATE VIAM DOMINI. En aderit mox Christus, vt quasi rex inauguretur. Ei ergo vias complanate: sordes, inæqualitatem, asperitatem, indecentiam, aliaque impedimenta omnia semouete, per seriam nempe pœnitentiam & alias virtutes, quibus dignum illi in cordibus vestris hospitium instruatis, idque IN SOLITVDINE, tum spirituali, prauorum affectuum, vt S. Bernardus; tum corporali, vt Cornelius à Lapide exponit. q.d. Ad mores prauos corrigendos, & viam Christo in cordibus vestris apparandam, plurimum conducet *solitudo*, & spiritualis, qua semoueatis omnia ipsi displicentia; & corporalis, in qua mecum vnà degentes, semoti à turba & strepitu mundano, possitis verbo Dei & saluti vestræ toti vacare, inquit S. Hieronymus. Sic paratâ viâ

Bernard. serm. 40. in Cant.

¥. 5. REVELABITVR, id est, hucusque abscondita propalabitur & innotescet orbi GLORIA DOMINI, non illa Exodi 9. in monte Sinai, sed Verbi incarnati, Ioan. 1. v. 14. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Tunc VIDEBIT, saltem videre poterit, OMNIS CARO PARITER, id est, omnis prorsus homo, *salutare Dei* (a) (id est, Saluatorem Messiam reipsa mundo exhibitum,) QVOD iam per me perque alios Prophetas OS DOMINI LOCVTVM EST, & toties promisit. Sed en, alia rursus in auribus cordis mei

(a) *Luc. 3. v. 6. & hic LXX.*

¥. 6. VOX DICENTIS & interiùs suggerentis, CLAMA, id est, alta, clara, libera voce notum fac hominibus. QVID? OMNIS CARO FOENVM, &c.] Id est, omnis homo, seu humana natura, est instar fœni, graminis, & floris mox decidui & marcescentis, nempe res vilissima & fragillima, nullaque ex parte digna cui iungeretur, seu per hypostasin, seu per gratiam iustificantem, *Verbum* diuinum, quod *manet in æternum*, immortale, immensum & omnimodè infinitum. Ita S. Hieronymus, Procopius, Theodoretus. Vnde illustrior cuadit dignatio & benignitas Verbi, quod tam vilem naturam assumpsit, & tam vilibus hominibus sociari dignatur.

¥. 10. ECCE DOMINVS DEVS Messias noster IN FORTITVDINE, id est, cum maximis viribus, VENIET, ad debellandos dæmones, tyrannos, omnesque alios hostes Ecclesiæ suæ, & omnes gentes sibi subiugandas, inquit S. Cyrillus, Procopius, Thomas, Liranus & Forerius. Et veniet non manu vacua, non parca vel illiberali: sed

ECCE MERCES EIVS CVM EO, ditissima, amplissima, nobilissima, qua ditabit omnes sibi militare volentes, sed præ omnibus cooperatores suos in hac militia, duces belli & præfectos, vtique copiosissima mercede & præmio donandos. Neque verò indormiet militiæ suæ & susceptæ semel expeditioni,

SED OPVS ILLIVS CORAM ILLO] Id est, semper & continuò intendet operi perficiendo quod ipsi à Patre cælesti commissum est, nempe mundo redimendo, & ouiculis suis è faucibus luporum infernalium eruendis, iisdemque doctrina cælesti pascendis, & ad Patris sui ouile deducendis. Ita S. Hieronymus, Cyrillus & alij iam citati. Porrò non erunt hæc difficilia Messiæ. Nam

¥. 12. QVIS MENSVS EST PVGILLO AQVAS immensi maris? nisi ipse, qui Deus simul est & homo, & infinita sua potentia ac sapientia quiduis potest, quando vult. Vnde nec in opere redemptionis & saluationis mundi præpediri à quopiam potest.

¥. 16. ET LIBANVS NON SVFFICIET AD SVCCENDENDVM] Id est, omnia ligna, omne thus, omnia aromata, omnia animalia Libani, imò omnium simul montium, non sufficiunt holocaustis, si Deo pro dignitate offerri deberent. Tanta est Dei celsitudo & maiestas. Vnde sola victima infinita potest condignè honorari, qua seipsum vnigenitus filius Dei & cruentè semel obtulit in cruce, & incruentè quotidie offert in Eucharistia. ita ferè S. Hieronymus & Cyrillus.

¥. 18. CVI ERGO SIMILEM FECISTIS DEVM] quàm vili rei, (nempe homini) tribuistis diuinitatem, ô idololatræ! Iouem, v.g. spurcissimum vilissimumque homuncionem appellantes Deum.

QVAM IMAGINEM PONETIS EI, quæ eius essentiam prorsus (vt dixi) infinitam, & naturam omni ex parte incomprehensibilem, potentiam ac magnitudinem interminabilem ad viuum referat, & ad perfectum repræsentet, vt vos idololatræ fingitis? Nihil ergo hîc contra imagines Christianorum, quæ non ad repræsentandam Dei naturam, sed ad memoriam illius in hominibus, & debitam venerationem excitandam exponi solent, vt alibi dixi. (b)

(b) *Exodi 20. v. 4.*

¥. 21. NVMQVID NON SCITIS FVNDAMENTA TERRÆ?] Id est, an nescitis saltem ex auorum traditione, terram & quæcumque in terra sunt, à Deo vno & vero creata & fundata esse? Quomodo ergo sic delirare potestis, vt credatis Iouem, Mercurium, Venerem, aliásve creaturas deos esse? aut simulacris ex terrena materia conflatis aliquid diuinum inesse?

¥. 23. DAT SECRETORVM SCRVTATORES QVASI NON SINT] Id est, philosophos, aut, si mauis, consiliarios & iudices, seu principes arcana politiæ rimantes, ita subinde spoliat omni scientia & prudentia, ita eos infatuat & deiicit, vt quasi in nihilum redigantur, instar stipulæ resectæ, quæ nullum amplius in terra truncum radicatum habet.

¥. 26. MILITIAM EORVM, id est, stellas & astra cælorum, EDVCIT; Hebraicè, *oriri facit*, IN NVMERO] id est, ordine quæque suo & vice & loco quem à Deo acceperunt.

ET OMNES EX NOMINE VOCAT] q. d. Omnium stellarum naturam, energiam, virtutes & proprietates intimè perspectas habet, ita vt singulis nomina indere possit: & singulis sua munia, naturæ cuiusque proportionata demãdat: omnes ita nutui suo obsequentes habens, vt iussæ mox instar promptissimorum militum adcurrant & pareant. Sic paruerunt iussui Dei tempore Iosue, Ezechiæ, & passionis Christi, cùm vel momento retrogressæ sunt, vel radios suos subtraxerũt. Et parent adhuc quotidie, *lucentes cum iucũditate ei qui fecit illas*, Baruch 3. v. 35. Cùm ergo tam potens, tam prouidens sit Deus tuus, vt etiam Gentiles plurimi fatentur,

¥. 27. QVARE tuô IACOB, ô Iudæe, qui meliùs me nosti, DICIS: ABSCONDITA EST VIA MEA A DOMINO, id est, nescit vel negligit Deus res meas in arcto positas, vel non videt, vel non curat? ita S. Cyrillus. IVDICIVM, seu causa & ius, MEVM A DEO TRANSIVIT, paruipenditur, negligitur: nec curæ, nec cordi est ipsi siue iure, siue iniuria nobiscum agatur, vel nos agamus cum aliis. Impiæ blasphemiæ mox respondet:

¥. 28.

℣. 28. DEVS SEMPITERNVS est DOMINVS: ergo quam olim perpetuò habuit, eamdem deinceps quoque habebit vestri, adeoque & totius vniuersi, prouidentiam & curam: numquam deficiens senio vel tædio, numquam labore lassescens. NEC EST possibilis INVESTIGATIO SAPIENTIÆ EIVS] vtpotè immensæ & infinitæ, quam proinde nulla hominum consilia, nullæ fraudes latere, fallere, turbare possunt.

℣.30. PVERI, id est, iuuenes, etsi robusti ac vegeti, si suis ipsi naturæ solius viribus nitantur, statim DEFICIENT, frangentur & cadent.

℣.31. QVI AVTEM diffisi sibi ipsis, SPERANT IN DOMINO, etsi infirmi, lapsi & penè collisi, mea prouidentia & ope pristinâ recuperabunt & FORTITVDINEM & felicitatem: ASSVMENT PENNAS SICVT AQVILÆ] nempe *nouas*, vt vertunt LXX. q.d. Ope gratiæ meæ diuinæ non tam currendo, vel ambulando penetrabunt aspera quæque & aduersa, quàm volando, ac si aquilæ forent cælestes, imò angeli alati, inquit S. Cyrillus, Procopius, Theodoretus & S. Thomas. Quæ Religiosis & ad perfectionem tendentibus pulchrè adaptat S. Dionysius, Hieronymus, Augustinus & Gregorius.

Dionys de Cæl hierar. c.15. Aug ep.39. ad Hesychium. Greg l.19. Moral.c.16.

CAPVT XLI.

Inducit Deum cum Gentilibus disceptantem, & quasi coram tribunali causam agentem: inbentemq; vicissim, vt ipsi agant causam deorum suorum, cùm hi, vtpote muta simulacra, pro se loqui non possint.

℣. 1. TACEANT AD ME] Metalepsis, pro, taceè me audiant, nempe causæ meæ & diuinitatis argumenta proferentem.

INSVLÆ, ET GENTES, id est, insulani omnes, respectu Iudææ trans mare siti, v. g. Græci, Itali, Hispani, &c. MVTENT FORTITVDINEM] id est, roborentur animis, viribus, argumentis, vt si possint me refellant, & idolorum suorum causam stabiliant.

℣. 2. QVIS alius à me, SVSCITAVIT AB ORIENTE IVSTVM Abrahamum, cuocans illum è Mesopotamia, quæ Orientalis est Palæstinæ? Genes. 12. v. 1. & Hebr. 11. v. 8.

DABIT (enallage temporum, pro, quis dedit?) IN CONSPECTV EIVS, seu coram ipso, prosterni GENTES, Codorlahomor, & trium sociorum regum, Genes. 14. v. 15. Et in conspectu Moysis, Iosue, tot iudicum & regum, posteriorum Abrahæ, quis Amalecitas, Chananæos, Philisthæos, Moabitas, Madianitas. Idumæos prostrauit? ita Chaldæus, S. Thomas, Hugo Liranus, Forerius, Sanchez & à Lapide. Tam ipse, quàm ipsius posteritas

℣. 3. TRANSIVIT IN PACE, id est, pacificè, felicitèr, ex voto perrupit agmina hostilia, & adeptus est optatas victorias.

SEMITA IN PEDIBVS EIVS NON APPARVIT] Tam sanum, tam vegetum & integrum deduxit Deus Abrahamum, totumque Israelem per tot itinera, per tot bella, vt nullum vestigium tam molestæ semitæ, tam prolixæ viæ in pedibus vllius appareret, perinde ac si nihil viæ confectum esset. Nam, vt dicitur Deuter. 8. v. 4. & c. 29. v. 5. nec pedes callum vllum obduxerunt, nec calcei aut vestes attritæ sunt.

℣. 4. QVIS HÆC tam stupenda FECIT, VOCANS GENERATIONES AB EXORDIO? id est, præsciens, prouidens & sigillatim è nihilo suo euocans tot sigillatim *generationes* continuata serie ab Abrahamo vsque ad nostrum Ezechiam, quas tot tantisque victoriis ac triumphis suo tempore condecorauit. Vtique nemo alius, quàm EGO, PRIMVS ET NOVISSIMVS, α & ω, vniuersi prora & puppis: ex quo tamquam ex primo fonte omnia scaturiunt, & ad quem tamquam ad vltimum finem suum & felicitatis portum omnia deuoluuntur. Porrò has tam insignes Israelitarum victorias simulatque

℣. 5. VIDERVNT INSVLÆ, & insulani senserunt, sanè obstupuerunt & ingenti horrore perculsi TIMVERVNT, Exodi 15. v. 15. & Iosue 5. v. 1. maluerunt tamen hostiliter mihi resistere, quàm victas vltrò manus dare: ergo instructi armis APPROPINQVAVERVNT. (a) [a] *Psal. 94.*

℣. 6. CONFORTARE] Hac voce se mutuò contra Deum Hebræorum excitantes & roborantes. quin & [v.10.]

℣. 7. FABER ÆRARIVS cudens idolum, cuius protectione se suosque conciues aduersus Deum tutaretur, alterum fabrum socium suum animabat & corroborabat, dicens: GLVTINO BONVM EST vtamur, & idoli partes connectamus. Actandem ita connexum CLAVIS affixit parieti. Egregium sanè asylum & munimen aduersus omnipotentem Deum. Sed tu, ô Israel,

℣. 10. NE TIMEAS hæc crepundia. SVSCEPIT TE DEXTERA IVSTI MEI] id est, eadem potentia quâ iuui Abrahamum patrem vestrum, iuuabo & vos. Ita S. Thomas. Sed S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Forerius & Haymo magis genuinè id de Christo accipiunt, de quo accipienda etiam sequentia.

℣. 17. EGENI ET PAVPERES Hebræi in deserto *quærebant* AQVAS, sed *nulla aderant*. Ego mox prospexi, &

℣. 18. IN SVPINIS COLLIBVS, è duris rupibus elicui FONTES, instar *fluminum*, quia irrigata terra & fœcundata

℣. 19. *dedit solitudini* CEDRVM, SPINAM, MYRTVM, *oleam*, aliasque arbores frugiferas, quæ in loco antè sterili numquam visæ fuerant, sed iam spatio tot annorum haud dubiè succreuerunt, inquit Forerius. Allegoricè, Christus & Spiritus sanctus cælestibus suis donis steriles Gentilium & aliorum peccatorum animos fœcundant, & tristiain delicias conuertunt, inquit S. Hieronymus & alij suprà citati. Et ego quidem hactenus, inquit Deus, argumenta meæ diuinitatis proposui: iam vos vicissim, ô idololatræ:

℣. 21. PROPE FACITE IVDICIVM VESTRVM] Id est, proferte in medium quæ stabiliendæ causæ vestræ, nempe diuinitati idolorum, possint deseruire. Et quidem ante omnia, probatè nobis ô idola omniscientiam: saltem

℣. 22. NVNTIATE nobis PRIORA QVÆ FVERVNT ante conditum mundum; quid Deus à principio & ab æterno fecerit, cogitarit, decreuerit. Inde PONEMVS COR NOSTRVM, id est, intelligemus, nobisque persuadebimus, vos quoque scire NOVISSIMA EORVM] id est, ea quæ post illa priora, seu secuta sunt, seu sequentur. Ita Origenes. Deinde secundo loco *Orig. l.4. Periarchon cap.2.*

℣. 23. ANNVNTIATE QVÆ VENTVRA SVNT IN FVTVRVM] nempe contingentia & à libero arbitrio dependentia. *Veritas enim diuinationis testimonium est diuinitatis*, inquit Tertullianus. Nam solus Deus infinita vi sua cognitiua & intuitu videt ab æterno & penetrat quidquid vmquam futurum *Tertullian. Apologetici c.20.*

futurum est, acie eius visiuâ extendente se in omne ens quacumque demum parte temporis existens. Sed nulli puræ creaturæ id possibile est, vt passim docent SS. Patres & Doctores. Mox tertium diuinitatis argumentum ab idolis deposcit:

Doctores in 1. part. S. Thoma.

BENE AVT MALE, SI POTESTIS, FACITE cultoribus vel hostibus vestris, sicut ego me feciſſe Abrahamo, ciuſq; posteris comprobaui v.2.& seqq. Sic Ioaz pater Gedeon Iudicum 6. *Si Deus est* Baal, *vindicet se de eo qui suffodit aram eius.* Impotentiam hanc idolorum pluribus exaggerat Baruch cap.6. v.52.& seqq. Sed Lutherus hoc ipso Isaiæ loco quo sola idola perstringuntur, perfidè abutitur ad liberum arbitrium hominibus adimendum.

℣.24. ECCE (insultat idolis quasi iam conuictis) VOS ESTIS EX NIHILO, id est, ortum habetis non ex aliqua veritate, aut solido principio, sed ex inani, falsa & ficta imaginatione, & puro ac mero mendacio. ET OPVS VESTRVM quo idola facta estis, id est, vos ipsa, quæ estis opus & fabrica stultorum hominum, estis EX EO QVOD NON EST] id est, ex nihilo, ac proinde nihil. Sic v.vlt. ait, *vana* esse *opera eorum, ventum & inane* quid *simulacra eorum*: quia nempe *diuinitas* quæ illis affingitur, nulla illis inest. Vnde & S. Paulus disertis verbis affirmat, *idolum nihil* esse *in mundo*, 1.Corinth.8.v.4. Mox exemplis probat, quæ paulò antè dixerat de ignorantia & impotentia idolorum.

℣.25. SVSCITAVI AB AQVILONE certum quemdam monàrcham, mihi vni notum, sed toti orbi adhuc ignotum, nempe Chaldæum Nabuchodonosorem. ET VENIET alter quoque AB ORTV SOLIS, nempe Cyrus è Perside. De hoc enim exponunt hæc omnia S. Thomas, Osorius, Hugo, Pintus, Vatablus, Liranus, Mariana & Sà. Vterque VOCABIT NOMEN MEVM, tamquam domini & heri sui, id est, vterq; seruiet mihi in expeditionibus quas ipsis demandabo. Vterque etiam agnoscet & colet me. Vt de *Nabuchodonosore* constat ex Danielis 3. v.95. & c.4. v.31. De *Cyro* quoque 1.Esdræ 1. vers.2. Vterque ADDVCET MAGISTRATVS QVASI LVTVM] Id est, eò adiget proceres, principes & reges omnes sibi aduersantes, vt sibi victori subdantur, & substernantur, sicut lutum figulo. Sed QVIS vestrum, ô idola,

℣.26. ANNVNTIAVIT hæc, aut prædixit vlli viuentium? VT DICAMVS pro hoc tribunali, IVSTVS ES] id est, iusà te stat, iustè & meritò pro Deo habéris & coleris. Sed nullus est omnium vestrûm, qui tale quid prædicere potuerit. Ego, ego

℣.27. PRIMVS Ieroſolymæ EVANGELISTAM DABO, putà Isaiam, Ieremiam, alioſque Prophetas, cui quasi Euangelistæ prædicent populo meo quæ ipsi obuentura sunt, tum tristia, tum læta. Hi AD SION DICENT, ECCE ADSVNT: id est, aderunt præfinito à Deo tempore nunc Chaldæi, nunc Persæ: nunc qui affligant, nunc qui recreent populum meum. Sed & cùm iamiam Chaldæus tyrannus immineret, imò incubaret iugulo Ieroſolymæ, *nullus* ERAT EX ISTIS falsis diis QVI INIRET CONSILIVM] id est, consuleret aut consuleret aut iuuaret miseros clientes suos. Vnde iure merito contra falsos deos concludo,

℣.29. ECCE OMNES INIVSTI] Id est, iniusta & iniqua est causa eorum: nullo iure vindicant sibi diuinitatem, cuius nec vestigium nec vmbram probare possunt.

CAPVT XLII.

Prosequitur Deus eamdem causam suam pro eodem tribunali, & ignorantiæ idolorum iam satis superque probatæ, & eorumdem impotentiæ benefaciendi clientibus suis, opponit diuinam suam scientiam & munificentiam in vniuersum genus humanum, prædicens promittensq; orbi Messiam redemptorem & saluatorem: idola verò lucosq; illorum destructum iri. Denique exemplo tum prißinarum, tum recentis cladis & excidij decem tribuum per Salmanasar, terret monetq; Isaias reliquas duas tribus, vt ab idolis ad verum Deum, à sceleribus ad virtutem se conuertant, ne similes pœnas subire cogantur.

℣.1. ECCE SERVVS MEVS Christus. De quo S. Matthæus hos quatuor primos versus ad verbum exponit cap.12. vers. 18. Is enim antonomasticè est *seruus* Dei, in ampliſſimo nobiliſſimoque ministerio redemptionis, instructionis & gubernationis vniuersi deseruiens Deo. ELECTVS ab ipso tum in filium naturalem, tum in ducem & principem totius Ecclesiæ militantis ac triumphantis. Sed licet Christus, etiam quà homo, propter identitatem suppositi, sit filius Dei naturalis; manet tamen semper seruus Dei ratione naturæ suæ humanæ, quæ est mera creatura, ac proinde serua sui Creatoris, inquit S. Thomas & Scholastici. *S.Thom. & Scholastici in 3.p.q.20.*

DEDI SPIRITVM MEVM. septuplicem SVPER EVM. de quo sup. c.11. v.2. In cuius symbolũ missa fuit species columbæ dum baptizaretur Christus, Matth.3. v.17. & vox, cuius hic meminit, audita: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Ipse non Iudæis solis, sed & GENTIBVS omnibus PROFERET, expromet, docebit, inculcabit IVDICIVM] id est, quod iustum est, & iustos facit: putà per legem Euangelicam, quæ tria complectitur, Primò, iustas leges; Secundò, iustum Deoque debitum cultum; Tertiò, iustitiæ & sanctitatis assequendæ vias & media. Porrò hanc legislatoris & iudicis personam non aget Christus more principum & iudicum mundanorum.

℣.2. NON CLAMABIT, Matthæus addit, *non contendet*, id est, non aget rixosè, vel clamosè, ita vt FORIS, vel *in plateis*, vox eius audiri possit: NEQVE ACCIPIET PERSONAM cuiusquam, sed summâ sinceritate & æquitate eius cuique dicet. *Matth.12. v.19.*

℣.3. CALAMVM QVASSATVM, id est, fistulam, seu tibiam fissam & hiulcam, inquit S. Hieronymus, quam homines abiicere & conterere solẽt, quia inutilem, & suis aculeis manus lædentem, Christus non abiicit, NON CONTERET. ET LINVM, seu ellychnium lineum, non ardens, sed FVMIGANS, quod quia fumo oculis, & fœtore naribus incommodat, extingui mox solet; Christus, NON EXTINGVET] sed incredibili mansuetudine tolerabit infirmos, fouebit imbecilles, ægros curabit, cæcos illuminabit, &c. Ita S. Hilarius, Cyrillus, Hieronymus; Procopius. Ita Matthæus c.12. v.15. de Christo testatur, cessisse ipsum ad tempus impotenti Pharisæorum odio & obloquio, ne magis eos exasperaret, interim non desiisse curare infirmos, &c.

℣.4. NON ERIT TRISTIS; id est, non erit tetricus aut morosus, nullum vultus sui tristitia deterrebit, aut animo deiiciet, inquit S. Hieronym. sed omni cum benevolẽtia, suauitate ac modestia deuinciet sibi omnium animos: nec verò desistet, DONEC loco impietatis & iniustitiæ PONAT IN

omni

omni TERRA IVDICIVM, id est, iustitiam, seu le- A gem Euangelicam iustificãtem, de quâ v.1.S.Matthæus legit, *donec eiciat*, seu perducat, *ad victoriam iudicii*, vt scilicet illud toto orbe instar regis & victoris dominetur, & supra omnes alias leges, Moysis, Solonis, Licurgi, Pithagoræ principatum nanciscatur, inquit S.Irenæus. Neque enim vno Iudææ angulo, vel vna gente coarctabitur lex Christi, sed cam INSVLÆ, id est, insulani quoque, seu gentes quæ trans mare in insulis habitant, vsque ad extremos orbis terminos, auidissimè EXPECTABVNT.

Iren.l.3. cont.haref. c.11.

℣.6. VOCAVI TE IN IVSTITIA, id est, excitaui te, ô Christe, summa iustitia præditum & gratiâ ornatum: APPREHENDI MANVM TVAM, sustentans, fulciens, deducens te: IN FOEDVS, id est, B ad complendum fœdus, pactum, promissum POPVLO meo à me factum, quia promisi Iudæis me missurum ipsis Messiam: *Gentibus* verò, licet te non ita promiserim, DEDI tamen TE IN LVCEM] vt scilicet etiam ipsas illumines, doceas, deducas ad fidem, ad iustitiam, ad vitam æternam.

Atque hactenus inuicta diuinitatis suæ argumenta protulit Deus, nempe perpetuam in clientes suos munificentiam, & omnium (vt obiter vers.9. perstringit) QVÆ PRIMA, seu primò, promissa FVERVNT Patriarchis, completionem: denique certam constantemque futurorum multis demum post sæculis, prædictionem de Christo, de vocatione & conuersione Gentilium, &c. Iam quasi partâ pro tribunali victoriâ de idolis & ido- C lolatris, nemine contrà mutiente, sententiam pro se ipse pronunciat, inquiens,

℣. 8. EGO DOMINVS; Hebraicè, *ego Iehoua*, ego solus sum qui sum: hoc nomen, vti & res nomine significata, debetur mihi vni. Et hanc GLORIAM mihi vni propriam, ALTERI NON DABO: absit, permittam SCVLPTILIBVS dari] Quid autem designet nomen Iehoua, & quomodo soli Deo conuenire possit, dixi Exodi 3.

Ob lætam Dei de idolis, vt audiuimus, victoriam, maximeque ob beneficia per Messiam obuentura, excitat Propheta omnes ad lætas Deo laudes nouo epinicio concinendas.

℣.10. PLENITVDO maris, id est, INSVLÆ] vt D mox sequitur, seu insulani, qui sicut gemma annulum, & vrbes terram, sic ipsi implent mare, inquit Sanchez & à Lapide.

℣.11. DESERTVM tum Palæstinæ, tum Arabiæ, quod Iudæis est ad Meridiem, sicut mare, ad Occidentem. Allegoricè, omnis Gentilitas SVBLEVETVR è luto & sordibus, lætitiâ exultet & exsiliat: Forerius & Vatablus, *eleuet & attollat vocem cum iubilo.* Quia CEDAR, id est, siluester Arabs; prædo, barbarus, per deserta loca vagari solitus, fide Christiana mansuefactus, HABITABIT deinceps pacificè IN DOMIBVS. Id est, gentes agrestes, feræ & incultæ mansuescent, ciuiles mores induent, mutuò cohabitabunt, simul conuiuentes E & conuiuantes in Ecclesiis & sacris conuentibus, inquit S.Hieronymus. Nec *Cedarenis* modò vicinis Iudææ, sed & remotis HABITATORIBVS PETRÆ, quæ metropolis est *Arabiæ Petræ*, eadem felicitas obueniet: ac proinde etiam ipsos euoco, ad laudes Deo & Christo eius, simili iubilo concinendas. Nam in illorum gratiam

℣. 13. DOMINVS SICVT FORTIS bellator EGREDIETVR in bellum aduersus idola & dæmones, & omnes Ecclesiæ suæ hostes. Hucusque quidem

℣. 14. TACVI SEMPER, & permisi tot iam sæculis dæmones in orbe grassari, idola Gentibus dominari: sed id diutiùs non feram, sed instar PARTVRIENTIS LOQVAR] quæ vi doloris quo fœtum enititur, horrendè fremit & rugit, ita enim & ego fremam & rugiam & detonabo in hostes meos.

℣.15. DESERTOS FACIAM MONTES (in quibus altaria sunt & templa idolorum) ET FLVMINA (quæ quasi deos adorant idololatræ, testibus Herodoto, Horatio & aliis) PONAM IN INSVLAS] seu in aridam, id est, arefaciam. Per catachresin significat, regna idolorum & idololatrarum per Christum prorsus euersum iri, inquit S. Hieronymus & Procopius.

℣.17. CONVERSI SVNT, id est, conuertentur idola & idololatræ, RETRORSVM] id est, succumbent, terga vertent, loco cedent.

℣.19. QVIS CÆCVS, & in cæcitate obstinatus, NISI SERVVS MEVS? nempe populus Israeliticus, seu Iudaicus: QVI (*a*) VENVMDATVS EST] nempe dæmoni & peccato; Hebraicè, *traditus est*, nempe hostibus suis iuratis in perpetuum mancipium. *a* 3.*Reg.*21. *v.*25.

℣.20. VIDES MVLTA, tibi à Deo per Prophetas, & maximè per Christum, reuelata: vides tot prodigia, tanta miracula: audis tot pia monita, tanta promissa, tam horribiles minas; an nihil horum (*b*) tibi curæ erit vel cordi? Ita S. Hieronymus, Procopius, Theodoretus, Iustinus & Chrysostomus. Neque verò surditas hæc aut cæcitas populi adscribenda est Deo, qui, quantum ex se est, *b* *Isaiæ* 6. *v.*9.

℣. 21. VOLVIT *sanctificare* EVM mittendo tot illi sanctos Prophetas, tot sanctas instructiones, tot sacrificia, tam sanctam LEGEM, quam tot miraculis ac prodigiis *magnificauit & extulit.* Sed culpa omnis penes ingratum populum est, qui spretis his omnibus ad sanctitatem illecebris & adminiculis, maluit venumdari peccato & diabolo: à cuius ministris, iure meritoque

℣.22. DIREPTVS ET VASTATVS est, tum sub Chaldæis, tum sub Romanis: à quibus facti sunt OMNES LAQVEVS IVVENVM] Abstractum pro concreto, *laqueus*, id est, illaqueatus. q. d. Iudæi suis scelcribus texuerunt iuuenibus filiis suis miserrimũ captiuitatis, seruitutis & mortis laqueum, quo à Chaldæis & Romanis illaqueati sunt, inquit S. Cyrillus, Vatablus, Adamus & Forerius.

NEC EST QVI DICAT, REDDE] Id est, nemo curat aut cogitat de Iudæis, seu prece, seu pretio, seu vi liberandis è manu hostili: deserti sunt ab hominibus, adeoque & ab ipso Deo. Et verò hucusque

℣.24. QVIS ISRAELEM, id est, ex Israele progenitos, tum Iudæos propriè dictos, tum decem tribus, DEDIT VASTANTIBVS, seu Assyriis, seu aliis hostibus, IN DIREPTIONEM?

℣. 25. ET COMBVSSIT EVM IN CIRCVITV, igne & gladio omnia absumens. *Quis*, inquam, nisi *Dominus*, ob horrenda scelera populi illius? Qui tamen tam stupidus fuit, vt etiam, cùm vastaretur, non agnosceret, non intelligeret, has sibi pœnas à Deo, ob scelera sua infligi. Vos ergo ô mei Iudæi, melius sapite, ne simili cæcitate & pœna inuoluamini.

CAPVT

CAPVT XLIII.

Iudæos, ne ob acres pœnas, quibus castigandi erant, animo concidant, nouâ spe, nouâque promissione corroborat; Primò, continuationis beneficiorum ac priuilegiorum hactenus eis concessorum; Secundò, preseruationis à malo, etiam in medio hostium; Tertiò, liberationis è captiuitate & reductionis in patriam. Sub typo verò populi Iudaici intelligit Ecclesiam Christi, cui hæc omnia longè nobiliore modo conueniunt. De Synagoga exponunt hoc & sequens caput S. Thomas, Hugo, Pagninus & Sanchez: de Ecclesia Christi S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Haymo, Forerius, à Lapide & Alnarez.

¥. 1. CREANS TE IACOB, etiam præter morem vulgarium hominum, nempe ex sterili Rebecca (*a*) & Sara. (*b*) En Primum beneficium. Secundum, FORMANS TE, instar figuli, in vas mihi in honorem, in rempublicam florentissimam in regnum amplissimum ac potentissimum. Tertium, REDEMI TE tum ex Ægypto, tum ex tot alijs hostibus. Quartum, VOCAVI TE NOMINE TVO (id est, quod tuum, seu tibi proprium esse volui) MEVS ES TV] hoc ipso faciens, vt reipsa sis populus meus, peculium, hereditas & cimelium meum. Nam vt verissimè ait Plato, *Dei appellatio est, cùm facit inesse rei nominatæ, id quod nomen significat.* Quæ sanè ingens est dignitas æquè ac vtilitas, *vt filij Dei nominemur & simus: genus* (*c*) *electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Nec potuit quidquam tristius accidere Iudæis, quàm quod Osee 1. Deus minaretur, vocatum eos iri deinceps, *Non populus meus*, ita Leo Castrius.

a *Genes.* 25. v. 21.
b *Genes.* 18. v. 11.
Plato in Cratylo.
c *Exodi* 19. v. 5. & 1. *Petr.* 2. v. 9.

¥. 2. CVM TRANSIERIS PER AQVAS ET IGNEM] Id est, per grauissimas afflictiones & vitæ pericula tum sub Assyrijs & Chaldæis, tum sub alijs hostibus, illęsum te traducam, vt olim traduxi Abrahamum per *Vr*, id est, ignem, (*d*) Chaldæorum, & patres vestros per mare (*e*) rubrum & Iordanem. (*f*) Sic ad litteram traducti postea per ignem tres pueri in fornace, Daniel. 3. v. 50. & in nouo testamento S. Vincentius, Cæcilia, Agnes, Lucia, aliæ plurimæ virgines, in flammis tum libidinis, tum fornacis, Deo protegente, prorsus intactæ.

d *Genes.* 11. v. 31.
e *Exodi* 14. v. 22.
f *Iosue* 3. v. 15.

¥. 3. ÆGYPTVM, ÆTHIOPIAM ET regnum SABA, quæ est Abassia, DEDI PROPITIATIONEM PRO TE] id est, pro victima piaculari mactanda obieci Sennacheribo, loco Iudææ & Ierosolymæ cui deuorandæ inhiabat. Historiam vidimus suprà c. 37. v. 9. & 4. Reg. 19. v. 7. Sic LXX. vertunt, *Ægyptum, Æthiopiam & Saba feci commutationem tuam pro te.* Et hoc est quod Prouerb. 11. dicitur, *Iustus de angustia liberatus est, & tradetur impius pro eo.* ita S. Cyrillus, Sanchez & à Lapide. Sicut ergo tunc dedi Æthiopes & Ægyptios: ita postea

¥. 4. DABO alios HOMINES PRO TE] nempe Babylonios, reliquosque Chaldæos, quos Cyro & Dario victimas obijciam.

¥. 5. SEMEN TVVM] Per quatuor orbis (*g*) plagas dispergendum, egoursus ex illis omnibus reducam in propriam patriam. Saltem

g *Zacharia* 2. v. 6.

¥. 7. OMNEM, QVI INVOCAT NOMEM MEVM] Id est, omnes qui volent esse & censeri populus meus, de quo v. 1. Nam de reliquis subditur:

¥. 8. EDVCI; Hebraicè, *eijce*, FORAS extra limites patriæ, extra numerum populi Dei, POPVLVM CÆCVM, id est, in perfidia sua obstinatum, OCVLOS quidem HABENTEM, quibus vident & palpant veritatem, sed nolunt amplecti, imò oculos occludunt, vt cæci. ita S. Hieronymus, Procopius,

A Theodoretus vt Prosper. Et hoc est quod ait Christus Matth. 8. *Filij regni ejcientur in tenebras exteriores.*

Prosp. l. 1. de Vocat. Gentium c. 3.

¥. 9. OMNES GENTES idololatræ CONGREGATÆ SVNT coram oculis meis diuinis; Vatablus vertit, *congregentur omnes gentes*, SIMVL cum idolis suis. QVIS omnium falsorum deorum istorum ANNVNTIENT ISTVD IN VOBIS? id est, prædicere tale quid possit vobis olim obuenturum, quale ego nunc palàm prædico? DENT TESTES, si quos habeant, similium oraculorum à se profectorum. Hac enim occasione digreditur ad insectandam idolorum ignorantiam & impotentiam, vt Iudæos in idola propensissimos longiùs ab illorum cultu diuertat.

B

¥. 14. PROPTER VOS MISI IN BABYLONEM, supple, Cyrum & Darium, & per hos DETRAXI VECTES VNIVERSOS portarum, id est, impedimenta & remoras omnes, quas Zacharias c. 6. v. 1. vocat *montes æreos.* Nempe, vt submotis obstaculis tota faciliùs Babylonia potiantur, & vos in libertatem asserant.

¥. 17. EDVXIT ex Ægypto QVADRIGAM ET EQVVM, id est, quadrigas & equitatum Pharaonis, in *mare* rubrum: vbi aquis in alueum suum reductis oppressi, morte æterna OBDORMIERVNT, CONTRITI ET EXTINCTI QVASI LINVM, vel stupa C fumigans in aqua depressa. Magna hęc sunt & stupenda beneficia: sed nolo

¥. 18. MEMINERITIS iam istorum PRIORVM, olim vobis collatorum. Statui enim longè ampliora de nouo propediem in vos conferre, putà per Christum, & in Ecclesia Christi, inquit S. Hieronymus, Procopius, Forerius & Sanchez. Rursus enim, vt olim sub Moyse,

¥. 19. PONAM IN DESERTO VIAM, id est, per Gentilium deserta priùs corda & inuia viam aperiam ad terram promissam, non Palæstinæ, sed cœli: neque per *mare rubrum* aut solitudinem *Sin*, duce columna nubis & ignis, sed per omnia dæmonum obstacula duce Christo & Spiritu sancto. E quo FLVMINA erumpent gratiarum & beneficiorum spiritualium, quæ desertum istud sic humectabunt, vt, quemadmodum olim sub Moyse, aquis è rupe scaturientibus, D

¥. 20. DRACONES, STRVTHIONES & alię BESTIÆ AGRI sitim istic suam restinguebant, seque oblectabant: ita nunc gentes barbaræ, & feritate draconibus & struthionibus similes, ex his fontibus haurire possint quidquid, seu ad salutem, seu ad oblectationem exoptarim: ob tantas delicias me *glorificantes*, & gratias perpetuò agentes. ita S. Hieronymus & Abulensis: qui addit, aquis Mosaicis è petra excussis, perpetuò deinceps fluentibus Arabiam antè aridam & sterilem, redditam prorsus fœcundam & habitabilem. Simili E etiam modo regiones Gentilium fœcundatæ sunt per fidem & gratiam Christi, inquit S. Gregorius. Hîc Deo obstrepunt Iudæi. Vocas, inquiunt, Gentes, vt laudent & seruiant tibi: cur nos deseris & spernis qui continuò te laudamus, tibi sacrificamus & seruimus? Respondet Deus, negando hæc illos facere.

Abulens. in Num. 20. q. 2. & 3.
Gregor. l. 31. Moral. c. 3.

¥. 22. NON ME INVOCASTI, sed ad iram prouocasti, ô IACOB: non LABORASTI IN ME colendo vel laudando; sed vituperando & offendendo. ita S. Hieronymus, Procopius & alij.

¥. 23. NON MIHI honorando vel *glorificando* OBTVLISTI *victimas tuas*, sed propriæ tuæ laudi & com-

& commodis consulendo. Vnde NON TE SERVIRE FECI IN eiusmodi OBLATIONE, NEC LABOREM TIBI PRÆBVI IN THVRE sic adolendo, id est, nil tale tibi præscripsi vel expetij à te. Potiùs vt ingrata & exosa detestor & execror.

℣.24. CALAMVM aromaticum, id est, canellam, inquit Forerius, EMISTI ARGENTO, sed NON MIHI, qui tali odore non oblector, sed corde religioso & à sceleribus puro. ADIPE VICTIMARVM te INEBRIASTI, sed NON ME, qui externa sacrificia sine interno mentis obsequio neque rata, neque grata habeo. Quin potiùs, ô te ingratum, imò perfidum! tu ME tibi SERVIRE *& laborare* FECISTI cum PECCATIS TVIS] Primò, illis mihi ob oculos impudenter statuendis & ostentandis, vt LXX. insinuant. Secundò, illis ferendis, & quasi contra diuinam iustitiam meam, ne mox plectantur, tutandis, inquit S. Hieronymus. Tertiò, illis ope & concursu meo vobiscum quasi producẽdis. Nam licèt Dei concursus ad scelera hominum ex se determinatus non sit, neque ea intentione illis detur; adest tamen promptus paratusq; ad illorum arbitrium, optans ex se ad bona impendi, sinens tamen etiam ad mala, sed inuitũ trahi. Et hoc exprobrat hîc impijs Iudęis, quòd non sinerent se suo iure arbitrio illorum & menti dominari; sed ipsi Deum, ac si seruus illorum & mancipium esset, cogerent impio suo nutui vel inuitum deseruire. Quartò, denique illis expiandis & defendis: in quem finem destinaui vnigenitum meum, qui humanam serui naturam indutus, tot annorum labore & dolore, ac demum probrosissima morte liberet vos à peccato, à diabolo, ab inferno. ita Lactantius, & Leo Castrius. Sed hoc feci

Lact. lib. 4. c. 19.

℣.25. PROPTER ME] Id est, propter immensam meam misericordiam, merumq; amorem, non ob victimas vestras: sed nec ob merita patrum vestrorum, inquit Origenes.

Orig. hom. 13. in Gen.

℣.26. REDVC ME IN MEMORIAM] Id est, fac mihi in mentem veniant, si quæ habes, aut proferre potes merita, seu tua, seu tuorum parentum, ob quæ putas me debere tibi tua scelera ignoscere, vel per filium meum expiare.

℣.27. PATER TVVS PRIMVS; Adam item Abraham (in iuuentute (*a*) idololatra) & si quem alium iactes, PECCAVIT in me. Quin ET INTERPRETES TVI, Moyses & Aaron, qui sequestri & internuntij fuerunt inter me & te, PRÆVARICATI SVNT IN ME apud aquas (*b*) Contradictionis. Vnde & hos

a Genes. 12.

b Num. 20. v. 12.

℣.28. PRINCIPES tam SANCTOS CONTAMINAVI, id est, ostendi contaminatos esse peccato, & reos mortis pronuntiaui, & in deserto mori coëgi. Quod verò ad reliquos parentes vestros attinet, qui tunc vnà cum Moyse & Aarone erant in deserto, omnes ob ingratitudinem, ob murmur, ob rebellionẽ suam, DEDI AD (*c*) INTERNECIONEM, id est, damnaui ad mortem obeundam in deserto: totumq; ISRAELEM non tunc solùm, sed & postea tempore Iudicum, dedi hostibus IN BLASPHEMIAM, seu *in opprobrium*, vt vertunt LXX. & Chaldæus. Quo igitur pacto parentes tui te suo merito iustificẽt, qui ipsimet ob sua crimina morte damnati sunt? *Omnes peccauerunt, & egent gloria* ac misericordia *Dei* & gratia Christi. Hãc amplexi sunt Gentiles; hanc & vos Iudæi amplectimini; & pari iure vtrosque, pari affectu, pari amore complecta. ita S. Hieronymus & alij Patres.

c Num. 14. v. 29.

Rom. 3. v. 23.

CAPVT XLIV.

Sub typo Synagogæ è Chaldæa in Iudæam reductæ, describit felicem statum Ecclesiæ Christi, & aureum sæculum Euangelij: è contrario vanitatem & impotentiam idolorum. Monetque vt spretis idolis (ad quæ sciebat Iudæos propensissimos esse) vni vero Deo adhæreant, creatori & redemptori suo: qui ipsos è Babylone per Cyrum, & omnes mortales è seruitute diaboli per Christum, vti promisit, educet.

℣. 2. RECTISSIME] Sic meritò vocatur Israel propter rectissimam Dei legem, cultum & religionem, quâ reliquis gentibus præcellebat. Hebræum *iesurun* LXX. & Chaldæus vertunt, *dilecte*, vel dilectule *Israel*, ob similitudinem litterarum, inquit S. Hieronymus. ישרון

℣.3. EFFVNDAM AQVAS, id est, charismata Spiritus sancti, SVPER SITIENTEM ET ARIDAM terram, id est, super Gentilem populum: & SPIRITVM, id est, vitalem halitum, MEVM EFFVNDAM SVPER SEMEN TVVM] id est, super procreandos ex te, partim Iudæos, partim Gentiles, qui instructi ab Apostolis & discipulis Christi, ex ijs spiritualiter prognati sunt. ita S. Cyrillus, Procopius & Gregorius.

Greg. l. 33. Moral. c. 5.

℣.5. ISTE Gentilis conuersus DICET gratulabundus, DOMINI EGO SVM, supple, seruus vel cliens. Alter VOCABIT se IN NOMINE, seu de nomine IACOB, id est, supplantatorem, putà dæmonis & peccati. Tertius SCRIBET MANV SVA, DOMINO, supple, mancipatus sum, illi viuo & seruio.

ET sic NOMINE ISRAELIS ASSIMILABITVR, seu similis reddetur Gentilis Iudæo: vterque enim vocabitur & erit verè *Israel*, id est, prœualens Deo, (*d*) & per Deum quibusuis hostibus.

d Genes. 32.

℣.6. EGO PRIMVS ET NOVISSIMVS] vt suprà *v. 25. c. 41. v. 4.*

℣.7. VOCET, id est, clara voce denũtiet & enarret ORDINEM, id est, seriem generationum & sæculorum, quæ fluxerunt ab eo tempore EX QVO CONSTITVI in terris POPVLVM ANTIQVVM, nempe Adamum, eiusque filios & nepotes vsque ad diluuium, & inde hucusque

℣.8. EX TVNC, id est, à priscis illis & primis temporibus, AVDIRE TE FECI in parentibus tuis, id est, prænuntiaui futura, quæ iam sentitis impleta. q.d. Idola nil tale præstiterunt, ergo dij non sunt.

℣.9. PLASTÆ, id est, fabri, IDOLI OMNES NIHIL SVNT, id est, homines nihili, nullus rei nomine digni, vtpote qui adeò desipiunt, vt putent se suis manibus deos efformare. ita Forerius. ET verò AMANTISSIMA EORVM, nempe idola ab ipsis efformata, NON PRODERVNT EIS, sed obe-

1. Reg. 12. v. 11.

runt (*e*) quamplurimum: VT meritò CONFVNDANTVR, id est, confundi debeant ob tantam stultitiam.

℣.13. FORMAVIT ARTIFEX idolũ suum RVNCINA, id est, instrumento, quo tabulæ ligneæ, sculpendo leuigantur & complanantur, vnde & *planula* à quibusdam, teste Plinio, vocari solet. FECIT ILLVD IN ANGVLARIBVS, id est, ad angulos perpendiculi illud dimetiendo; Chaldæus & Vatablus, *dolabris efformauit illud*; Forerius, *in angulis domorum.*

Plin. lib. 16. c. 14.

℣.16. VAH] Hebręum *heach* gaudentis est, idemque quod *euge*; LXX. vertunt, *dulce est mihi.*

℣.18. OCVLI plastarum istorum OBLITI & tecti

tecti videntur eodem stibio, calce & fuco, quo ipsi obliuerunt oculos suorum idolorum. A

℣.20. FORTE MENDACIVM EST IN DEXTERA MEA] id est, fortè manibus meis confeci rem mendacem, falsam & vanam, nempe fictitium Deum.

℣.21. MEMENTO HORVM tam stultorum, tam absurdorum plasmatum: memento, inquam, ô IACOB, cùm aliàs semper, tum maximè sub *Manasse*, qui vos ad idola pertrahet, (a) & sub Chaldæis, qui etiam compellent: (b) Tum memineris horum, & NE MEI OBIVISCARIS qui FORMAVI (c) & creaui TE: & semper hucusque

a 4.Reg.21. v.3.
b Daniel.3. v.14.
c Isaiæ 43. v.1.

℣.22. DELEVI PECCATA TVA, semperq; deinceps delere paratus sum, ea promptitudine, facilitate & perfectione, quâ *nubes & nebulæ*, vel à vento dissipantur, vel radijs solis dissoluuntur, & aëris serenitas emergit.

℣.25. IRRITA FACIENS SIGNA DIVINORVM, augurum & ariolorum. v.g. exta animalium, garritum vel volatum auium, aspectus astrorum, somnia, fulgura, & alia è quibus diuinare solent. Quæ Deus irrita & mendacia facit quando vult:

CONVERTENS SAPIENTES, vt cadãt RETRORSVM, & excidant spe, lucro, fama & gloria sua: è contrario autem

℣.26. SVSCITANS VERBVM SERVI SVI] Id est, reipsa complens quæcumque prædixi & promisi per Isaiam *seruum* meum, & per alios *nuntios* meos Prophetas. Ac nominatim tibi, ô Ierusalem, quam per Chaldæos vastandam prædixi, certissimè promitto, Iterum *habitaberis*.

℣.27. DICO & impero PROFVNDO fluminis magni Euphratis, DESOLARE, aquis destituere, exsiccare: vt per siccum fluminis alueum Persæ & Medi subintrent vrbem Babylonem. Ita factum testantur historici. Porrò qui hæc mea iussa exequetur, tu eris,

℣.28. O *Cyre*, cui DICO, PASTOR MEVS ES] Id est, rex populorum meorum qui instar optimi pastoris colliges dispersas per Chaldæos ouiculas, & reduces eas ad caulas suas Iudaicas in Iudæam, alias aliò. Voluit autem Deus, hæc & alia cap. seq. de *Cyro* per Isaiam ferè ducentis annis antequam fierent nominatim prædici. Primò, ne Iudæi suam illam liberationem alicui, seu idolo, seu homini adscriberent, sed soli Deo, à quo scirent tot annis antè prædictam & promissam fuisse; Secundò, vt hac tam certa testataque experientia fidem Iudæis faceret de alijs nobilioribus oraculis suis, quibus remissio peccatorum, & liberatio à seruitute diaboli, aliæque gratiæ per Christum toti orbi promittebantur, quarum typus & figura erant illa beneficia quæ Iudæis per Cyrum obuenerunt, inquit Tertullianus, Iustinus, Cyprianus, Lactantius, Chrysostomus, Augustinus, à Leone Castrio, imò & Rabbini plerique à Galatino citati: qui tamen corrigendi sunt in nomine *Cyri*, Hebraicè *curos*: nam ipsi alijs punctis legunt, *cores*, quod *solem* designant, cui volebant Cyrum assimilare. Fœdior error irrepsit in quædam exemplaria LXX. interpretum, vbi pro κύρῳ legitur χυρίῳ: sed hoc mendum ex Hebræis, Chaldæis & Latinis alijsque Græcis exemplaribus apertè detegitur, inquit S. Hieronymus.

B C D E

Galat.l.4. c.12.

Legendum בורש non verò בורש

CAPVT XLV.

Cyro victorias, nouósque thesauros, & monarchiam Asiæ promittit, in eum finem, vt ipse Iudæos Babylone liberos remittat in Iudæam. Sed magus optat, orátque in orbem mitti antitypum Cyri Christum, qui gementes sub iugo dæmonis & peccati liberet. Interèà patienter ferenda monet aduersa: nec lutum debere figulo obstrepere. A Christo, cùm venerit, liberandos non modò Iudæos sed & Gentiles & barbaros: omnésque gentes illi (& non amplius idolis) supplices & subditas futuras.

℣.1. CYRO CHRISTO MEO, id est, vncto à me in regem & monarcham. CVIVS APPREHENDI DEXTERAM] vt illâ feriam & excindam Chaldæos: ipsum verò Cyrum per omnes hostes & pericula illæsum, imò victorem traducam.

℣.2. ANTE TE IBO quasi dux & antesignanus, vt præiui olim castra Hebræorum in deserto per columnam nubis & ignis Exodi 13. ET GLORIOSOS TERRÆ principes HVMILIABO, pedibusq; tuis adsternam. Audi Xenophontem: *Cyrus subingauit Syros, Assyrios, Arabas, Cappadocas, Phrygas, vtrosque Lydos, Caras, Phœnicas, Babylonios: potitus est Bactrianis, Indis, Cilicibus, Sacis, Paphlagonibus & Maryandinis: dominatus est Asiaticis, Græcis, Cyprijs, Ægyptijs*, &c. Audi & Herodotum: *Quamcumque gentẽ Cyrus inuaserat, nullo pacto poterat euadere.* Quid mirum? Deus præibat, obuia quæque sternebat. Et verò, si notum id fuit Cyro, vt vult Iosephus, ex narratione Iudæorum, illi innotuisse, & patet ex 1. Esdræ 1. v.2. potuit iure à Deo sibi dato Babylonem, aliaque regna sibi subiugare, nec tyrannus fuit, sed legitimus monarcha.

Xenoph.l.1.
Herod.l.1.
Ioseph.l.11. Antiq.c.1.

℣.3. DABO TIBI ARCANA SECRETORVM] Hebraicè, *thesauros caliginis*, id est, in locis profundis & occultis, ac proinde obscuris repositos. Cogita thesauros quos Crœso eripuit, quos Babylone reperit, quos è reliqua Asia extulit, quos ad trecentos aureorum milliones ascendisse Plinius testatur. Ad solùm Euphraten fertur (d) reperisse *hydrias aneas* 680. *plenas auro & pretiosis lapidibus, margaritis & gemmis.* Porrò hæc omnia tibi dabo

Plin. l.33. c.3.
d *Ab auctore Chaldaico li. Esther (qui Compluti manuscriptus extat, teste Sanchez) initio libri.*

℣.4. PROPTER SERVVM MEVM IACOB] Id est, vt Iudæis mihi vera religione obstrictis faueas & opituleris, eosque è captiuitate liberos & opibus auctos in Iudæam remittas, & templum meum Ierosolymis instaures. Ita fatetur ipse Cyrus, 1. Esdræ 1. *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipse præcepit mihi* (vbi? nisi hîc per Isaiam?) (e) *vt ædificarem ei domum in Ierusalem.*

e Isaiæ 44. v.vltim. & hîc.

ASSIMILAVI TE: Id est, vero Christo meo Messiæ similem te in plurimis rebus feci, vt potè typum illius & figuram. Primò, in nomine Christi & pastoris. Secundò, in liberatione populi mei è captiuitate & traductione in patriam. Tertiò, in tot victorijs, triumphis & thesauris. Hebraicè est, *cognominaui te.* Sanchez exponit, descripsi & depinxi te tuis notis & characteribus, quibus facilè, cùm prodieris, orbi innotesceret, te illum esse quem hîc prædico venturum. Tu tamen NON COGNOVISTI ME] saltem initio, & priùs quàm ex Iudæis intelligeres talia de te iam olim à me prædicta fuisse. ita Liranus & Forerius. Sed & hoc ex Iudæis intellecto, non plenè *cognouisti me:* nam licèt agnoueris me Deum cœli esse, meque talia de te prædixisse, & *hæc ipsa* à te deposcere; non tamen cognouisti me solum & vnicum Deum esse: nam vnà mecum idola quoque tua & aliarum gentium colere

Xenoph. l. 8. de Cyro. perrexisti ad mortem vsque, vt Xenophon, S. Hieronymus & alij testantur.

℣. 8. NVBES PLVANT IVSTVM. Non Cyrum, vt S. Thomas, Liranus & Forerius exponunt; sed antitypum Cyri, Christum Messiam, qui etiam quà homo, fuit germen illud cœli, toti orbi exoptatum, ac tandem à Spiritu sancto tanquam nube rorida Virginem obumbrante formatum, & sine læsione conceptum, inquit S. Augustinus & reliqui omnes Patres. Respondet mox votis Prophetæ Deus: Bono sis animo, EGO CREAVI EVM ex nunc decreto meo æterno, sed reipsa creabo in tempore, quo placitum mihi fuerit. Interim par est, omni patientia præstolemini hæc obuentura olim beneficia, neque murmuretis quòd post tot sæcula demum promittam & præstem vobis felicem ac lætam sortem sub Cyro, sub Christo, vobis relictis in pristina miseria & afflictione, quin & afflictis adijcienda per Chaldæos noua maioriq; afflictione; vt melius censeatis, natos nunquam fuisse, quàm sic natos.

Augustin. l. 5. de Hæres. c. 4.

℣. 9. VÆ TESTÆ DE SAMIIS TERRÆ] Id est, væ testæ ex luto Sami insulæ à figulo compactæ, si contendat cum figulo suo: illam enim figulus mox confringeret. Pari modo continget homini, à Deo prout & quando illi collibitum fuit plasmato, si factori suo obstrepere voluerit. Quare suadeo, nutui meo placitoque diuino per omnia acquiescatis.

℣. 11. INTERROGATE ME, ET MANDATE MIHI, non quæ vobis arridenti; sed quæ ego iustissimo decreto meo designaui VENTVRA SVPER VOS, non hostes, sed FILIOS MEOS] q. d. Mihi fidite, mihi totum committite, mihi acquiescite: pater & figulus vester ego sum, magis mihi curæ & cordi estis, quàm vosipsi vobis. Quando ergo mihi visum fuerit

a *In proleg. de Idiotism. Hebr. n. 44.*

℣. 13. EGO SVSCITAVI, id est, suscitabo, (a) EVM, putà Cyrum, inquit S. Thomas, Hugo, Forerius & Sanchez: & etiam Cyri antitypum Christum, inquiunt alij. Vtrumque enim hic promittit Deus excitatum iri suo tempore, idque AD IVSTITIAM exercendam in omnes sibi aduersarios & rebelles. Vterque ÆDIFICABIT CIVITATEM MEAM Ierosolymam: Cyrus terrenam; sed inchoatè tantùm, iubendo ruinas eius instaurari, 1. Esdræ 1. Christus cælestem & spiritualem perfectè & completè exstruendo, putà Ecclesiam suam. Vterque captiuum populum Dei dimittet, & quidem gratis, ac sine lytro. sed Cyrus è captiuitate Babylonica. Christus ex infernali: Cyrus exiguam Synagogam, Christus vniuersum orbem. Vtrique dicitur:

Xenoph l. 7. & 8. Cyri pæd.

℣. 14. LABOR ÆGYPTI, ET NEGOTIATIO ÆTHIOPIÆ, ET SABAIM VIRI SVBLIMES, id est, Ægyptij laborioſi, & Æthiopes negotioſi, & Sabæi, seu Abyssini proceris corporibus homines, TRANSIBVNT AD TE, ô Cyre, tibique subijcientur cum omnibus opibus suo labore & negotiatione partis. Omnes enim has nationes Cyro subiectas fuisse, cõstat ex Xenophonte, qui imperium illius terminat ab Oriente mari Rubro, ab Occidente Ægypto, à Meridie Æthiopia, ab Aquilone Ponto Euxino. Et quidem non omnino sponte illos Cyro subiectos fuisse, colligi videtur ex illo, VINCTI MANICIS PERGENT: id enim bello subactis conuenit. Sed vt Christo, cui omnes illæ nationes etiam subiectæ fuerunt, accommodatur, exponendum est de potenti & efficaci gratia Spiritus sancti, *cuius vincula adamante fortiora sunt*, inquit S. Ambrosius. His enim vinculis & manicis adstrictæ nationes etiam remotissimæ & barbaræ, Christo eiusque Ecclesiæ constanter multis sæculis adhæserunt, publicè fatentes ac proclamantes: TANTVM IN TE Ô Christe EST DEVS] nempe & hypostaticè, per diuinum suppositum: & superexcellenter, per tanta dona Christo communicata, quo modo in nulla pura creatura Deum, seu esse, seu operari, seu emicare certissimũ est. ita S. Hieronymus, Cyrillus, Epiphanius, Procopius & Theodoretus. Sic Cyro figuræ & typo Christi verè dicebatur: *Tantùm in te est Deus.* Neque enim per alium quempiam operatur Deus tam stupendas victorias, quàm per te: vnde nec in alio sic relucet, sicut in te.

Ambros. in Psal. 47. post princ.

Cyrill. l. 1. in Ioan. 15.

Epiph. l. 2. in hæresi Noetianorum.

ET NON EST ABSQVE TE, ô DEVS] qui talia possit, non idolum, non homo, non angelus. ita Forerius & alij. Sed in his omnibus

℣. VERE TV ES DEVS ABSCONDITVS] in tam vili creatura tantus Deus tam occultè latens, operans, relucens. ita S. Hieronymus, Hilarius, Ambrosius, Cyrillus & Eusebius. Sed quantumcumque *absconditus*, manifestaris per opera tua mirabilia. Vnde

Hilar. l. 4. de Trinit. Ambros. in c. 2. ad Rom. Cyrill. l. 5. in Ioan. c. 2. Euseb. l. 5. Demonst. c. 4.

℣. 16. CONFVSI SVNT OMNES idololatræ, ET FABRICATORES idolorum, quæ nil tale possunt. Inter idola verò & Deum triplex hîc discrimen datur. Primum, quòd Deus

℣. 19. NON IN ABSCONDITO vt lucifuga loquatur, ex LOCO TERRÆ TENEBROSO, ex antris & cauernis, ex ventre pythonum, &c. vt solent dæmones, incantatores & magi: sed publicè & palàm, clara voce, media luce, vt olim in Sinai, & Ierosolymis sub Dauide, Salomone, & tot Prophetis, in baptismo Christi, in Pentecoste, &c. Secundum, quòd idola frustra colantur, nullo præmio, nullo fructu: Deus verò cultoribus suis amplissima det præmia, v. g. Chanaanitidem, & tot adiunctas terras, ac demum etiam cœlum. Tertium, quòd idola à suis impura & scelesta postulent obsequia: Deus non nisi iusta, *recta*, pura & sancta. Testes vos ipsos cito

Isaiæ 48. v. 16.

℣. 20. QVI SALVATI ESTIS EX GENTIBVS, è captiuitate Babylonica, è gentilissimo. An aliud fateri potestis, quàm NESCIERVNT quid faciant cæci & stolidi idololatræ, QVI LEVANT LIGNVM SCVLPTVRÆ SVÆ, id est, qui in altum erigunt idolum ligneum à se sculptum, illudque adorant & rogant & inuocant tanquam DEVM, cùm tamen neminem saluet aut iuuet?

℣. 21. QVIS HOC, id est, hanc per Cyrum Iudæorum, & per Christum omnium gentium redemptionem, AVDITVM FECIT AB INITIO, & EX NVNC PRÆDIXIT, & fideliter suo tempore præstabit? Quis, inquam, nisi ego?

℣. 23. EGREDIETVR DE ORE MEO, id est, dicam proloquar, IVSTITIÆ VERBVM, id est, sententiam iustissimam & æquissimam, ET NON REVERTETVR] id est, non erit irrita, vel frustra, sed reipsa complebitur. Quænam hæc tam iusta sententia?

℣. 24. OMNE GENV omnium populorum, MIHI CVRVABITVR, Deo, Domino, creatori & redemptori suo: ET OMNIS LINGVA omnium nationum IVRABIT mihi, id est, colet me & adorabit. Synecdochicè enim species vna cultus diuini, nempe iuramẽtum, ponitur pro quouis Dei cultu in genere. Vnde S. Paulus pro *iurabit*, vertit, *confitebitur*,

Rom. 14. v. 11. *bitur*, id est, laudabit & glorificabit me, ad Rom. 14. vbi hunc locum exponit de die extremi iudicij, quando completè & perfectè *omne genu flectetur* Christo. interim inchoatè id impletur quotidie in conuersione Gentium ad Deum, inquit S. Hieronymus, Cyrillus & alij.

℣. 25. ERGO iurando DICET omnis lingua IN DOMINO, id est, per Deum, per Christum (hęc erit formula iuramenti.) quòd MEÆ SVNT IVSTITIÆ, id est, quòd à me stet iustitia, non item à parte idolorum, quæ (vt vidimus,) vbique causa cecidерunt. Ergo meum solius esse IMPERIVM in omnes & in omnia. Hoc mihi occlamabunt, hoc adgratulabuntur æternùm. ita Forerius, Sanchez & à Lapide.

CAPVT XLVI.

Prædicit tam deos fictos Babyloniorum, quàm cultores eorumdem euertendos & conterendos per Cyrum & Christum: Iudæos verò diuina ope protegendos & saluandos. Vnde patet, quanta sit inter idola & Deum differentia.

℣. 1. BEL, idolum Babyloniorum, de quo Genes. 11. NABO alter eorumdem Deus, & forsan per abbreuiationem est ipse Nabuchodonosor, qui à Babylonijs adorari voluit vt Deus in aurea statua quam erexit Danielis 3. Saltem ab hoc idolo *Nabo* desumptum est nomen Nabo-nazar, Nabo-chad-nazar, Nabuchodonosor: sic à Belo, seu Baal, nomen Bal-zazar. Sic etiam Iudæorum reges solebant à suo Deo *Iah*, quod est abbreuiatum *Iehoua*, nomina sua mutuare, vt *Abias, Ozias, Ezechias, Iosias*, &c.

SIMVLACRA EORVM idolorum FACTA, seu tradita, SVNT BESTIIS ET IVMENTIS. Nam iussu Cyri, aurum & argentum, ex quo conflata erant ista idola, per partes impositum est dorsis camelorum & asinorum, vt in Persidem transferretur. ita Forerius. Ita dij vestri facti sunt onera iumentorum, quæ priùs erant ONERA VESTRA, ô Babylo-
a Baruch 6. v. 3. nij, vestris humeris baiulari solita, (*a*) & vos suo PONDERE fatigantia, VSQVE AD LASSITVDINEM] Et hac asinorum viâ

℣. 2. ANIMA EORVM, nempe idolorum, id est, ipsa idola, quæ vos fingitis animata esse, IBIT IN CAPTIVITATEM] En lepidos deos.

℣. 5. CVI ASSIMILASTIS ME?] Quàm vili rei, quàm sordido metallo similem credidistis diuinam excellentiam?

℣. 9. RECORDAMINI PRIORIS SÆCVLI] quanta prædixerim & promiserim patribus vestris, & nunc vobis ex fide præstiterim. Facilè inde colligetis, me longè præcellere omnibus idolis, quibus nec vmbra inest diuinitatis.

℣. 10. EGO SVM ANNVNTIANS ac prædicens AB EXORDIO nascentis Synagogæ, imò mundi, QVÆ NOVISSIMA, id est, nouissimis, seu posterioribus sæculis euentura sunt. v. g. Genes. 3. prædixi, quòd mulier per semen suum, nempe Christum, conteret caput serpentis. Abrahæ ex sterili Sara addixi posteritatem numerosam sicut stellas cœli, possessionem Chanaanitidis, &c. Quæ omnia nunc vel completa, vel certò complenda sunt. Pari ergo ratione

℣. 11. VOCO AB ORIENTE, id est, è Persida, AVEM] id est, Cyrum, cuius labarum est aquila
Xenophon l. 7. Cyropæd. aurea expansis alis, teste Xenophonte: & summa celeritate atque impetu deuolabit in Babylonicam columbam, quam vnguibus suis in frusta

A discerpet. Allegoricè, hæc aquila est Christus oriens ex alto, inquit S. Hieronymus & Cyrillus.

℣. 13. PROPE FECI IVSTITIAM MEAM, id est, faciam vt aduentus Cyri non multùm differatur, sed breuî adsit curabo, & promissa mea fidemque vobis datam exsoluat, & vos Babylone liberatos in patriam remittat. Per illum enim DABO IN SION Ierosolymitanis SALVTEM, ET toti ISRAELI GLORIAM MEAM] id est, glorioſam liberationem è carcere Chaldaico: per Christum verò toti orbi dabo liberationem è carcere infernali, dabo spiritualem & absolutam iustitiam, dabo æternam salutem & gloriam. ita S. Hieronymus & alij B Patres.

CAPVT XLVII.

Babylonem instar reginæ delicijs, luxu ac fastu superbientem, prædicit solio deturbandam, & sortem vilis, pauperis & captiuæ ancillæ subituram: idq; Primò, ob crudelitatem in Iudæos exercitam; Secundò, ob arrogantiam suam; Tertiò, ob magicas incantationes & diuinationes.

℣. 1. VIRGO FILIA (*b*) BABYLON, id est, ô vrbs Babylon tenera, delicata, florida instar filiæ virginis, DESCENDE de throno tuo monarchali, ET SEDE IN PVLVERE, IN TERRA, instar vilis mancipij. Ita Iudæa subacta à Vespasiano & C Tito, desculpta in nummo visitur quasi ancilla humi in terra sedens. NON EST ampliùs VLLVM SOLIVM regium FILIÆ CHALDÆORVM] id est, regioni Chaldææ: sed solium & sceptrum à Chaldæis translatum est ad Persas.
b *In Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 40.*

℣. 2. TOLLE MOLAM, ET MOLE FARINAM, ad pistrinum relegata, inquit S. Cyrillus. DENVDA TVRPITVDINEM capitis & comæ tuæ, præscindendo capillitium, vt appareat TVRPITVDO, id est, caluitium tuum. ita Legionensis & Sanchez. DISCOOPERI HVMERVM, vt expeditior sis ad molendum, & ad flagra Persarum, vt fit in triremibus, nudo dorso excipienda. REVELA CRVRA, sub curta ancillarum veste, & sic TRANSI FLVMINA nudis tibijs, vt aliò captiua demigres. Sublata D verò veste
Luisius Legion. in Cant. 4. v. 1.

℣. 3. REVELABITVR IGNOMINIA TVA ET OPPROBRIVM] Id est, detegentur occulta vitia & tortuosa membra vel maculæ, quæ priùs splendida & nobili veste tegebantur. Ita de te statuit.

℣. 4. REDEMPTOR NOSTER] nempe vt nos hac viâ ex vnguibus tuis eruamur.

℣. 5. INTRA IN TENEBRAS, id est, in carcerem obscurum: ibi SEDE TACENS] (*c*) in illis sordibus e *Apoc. 18. v. 7.* deliciare & conquiesce.

℣. 6. IRATVS sui populo meo Israelitico mihi hereditario, idcirco CONTAMINAVI eum, id est, profanaui, & vt rem profanam quæ suam sanctitatem amisit, factaque est publica, communis & E immunda, DEDI *eum* IN profana MANV TVA, & tibi castigandum commisi. Tu verò barbara & crudelis non castigasti filios meos more parentis, virga vel scutica, sed nec more heroum seu dominorum, fuste vel baculo: sed more tyrannorum, ferro & igne, non parcens senibus, (quorum tamen canities misericordiam etiam ab infenso hoste extorquere solet) nec pueris, nec virginibus, nec vlli statui, ætati, sexui.

℣. 9. VENIENT TIBI IN DIE VNA, id est, simul, STERILITAS ET VIDVITAS] q. d. Priuaberis filijs, id est, ciuibus tuis, simul & marito, nempe rege, & regia dignitate. Nam rex reip. vt tutor & pro-

tector,ita etiam sponsus ac maritus est, inquit S. Cyrillus,Vatablus& Forerius.

PROPTER DVRITIAM INCANTATORVM TVORVM] nempe actiuam, quâ te falsis oraculis suis in malo tuo obdurabant, vt nec Deum timeres, nec homines, sed summa arrogantia & præsumptione quiduis auderes,& quosuis præ te contemneres. Vnde &

℣. 10. FIDVCIAM HABVISTI IN MALITIA TVA, id est, fidenter,sine vllo metu, mala quæuis perpetrasti,dicens,tibique persuadens,NON EST, seu in cœlo,seu in terra,QVI VIDEAT ME]id est, qui vt iudex aut vindex,inspiciat,examinet,damnet,puniat opera mea. Hæc enim omnia significat *vt videat*,per metalepsin,inquit Haymo. Sed, ah misera!

SAPIENTIA ET SCIENTIA TVA,quâ putabas te tibi optimè prospexisse, maximè verò Astrologia iudiciaria, quâ toto orbe Chaldæa celebris eras, HÆC DECEPIT TE] cùm enim nõ videres ex astris (vnde credebas vitam humanã sorteſq; reip. in solidũ pendere) malum aliquod tibi imminere, præsidens & secura nihil timebas.ita Forerius.

℣.14. IGNIS COMBVSSIT omnes astrologos & augures & ariolos tuos. Porrò ignis iste & flammæ quæ *ipsos* inuoluerunt, NON SVNT PRVNÆ foculi QVIBVS frigidi CALEFIANT, NEC FOCVS in camino, VT se calefacturi SEDEANT AD EVM, & membra torpentia grato calore foueant: sed erit ignis & flammæ ipsis exitiales,quibus instar stipulæ in cineres redigantur.Innuit arsisse viuis flammis vrbem Babylonem cum incolis suis.quod iussu Cyri factum testatur Xenophon.

Xenoph.sup.

℣.15.SIC FACTA SVNT TIBI,nempe in cineres redacta, omnia IN QVIBVSCVMQVE LABORAVERAS, idola,templa, palatia, incolæ, astrologi, augures,principes,milites,NEGOTIATORES TVI,qui licèt AB ADOLESCENTIA TVA, cùm primùm condita florere cœpisti,tibi ornandæ, firmandæ, tutandæ studuerint vijs omnibus sibi possibilibus; hac tamen vice te saluare nequiuerunt,sed VNVSQVISQVE IN VIA SVA, id est, in arte & conatu suo,turpiter eluſi ERRAVERVNT]q.d.Nulla arte, nullo augurio,nulla prece, nullo pretio potuisti ab excidio liberari.

CAPVT XLVIII.

Cordis duritiem Iudæis exprobrat, quòd toties moniti per Prophetas de captiuitate Babylonica, noluerint ab idololatria,aliisque sceleribus, quæ causa erant tanti mali,desistere & pœnitere. Predicit tamen Iesum è captiuitate reditum in patriam.

℣. 1. DE AQVIS IVDA EXISTIS] Metaphora desumpta à fontibus & riuis: Iacob enim fuit quasi fons,ex quo 12.riui,id est,12.Patriarchæ & tribus.Sed Iudæi ex nobilissimo riuo, putà ex Iuda, profluxerunt, inquit S. Hieronymus,Sanchez & à Lapide.

QVI IVRATIS quidem IN NOMINE, seu per nomen, DOMINI, ET sæpè RECORDAMINI; Hebraicè,*commemoratis*,seu mentionem facitis, DEI ISRAEL, sed NON IN VERITATE, NEQVE IN IVSTITIA]quia plerumque iuratis quod falsum est, vel iniustum,vel Deo iniurium, pulchra religionis larua tegentes vestras vsuras,rapinas,aliasque fraudes & dolos. ita Forerius.

℣.2.DE CIVITATE SANCTA VOCATI SVNT] Id est, ab vrbe sancta Ierusalem nomen acceperunt ciuium ciuitatis Dei,& dicti sunt ciues sancti,qui à potenti Deo Israelis sustentantur & stabiliuntur,quasi ciues & domestici eius. Vnde putant,nil sibi metuendum ab vllo hoste, vel excidio,vel alia calamitate.Et rectè quidem,si in cultu tam potentis & beneuoli Dei fideles perstitissent. Absque eo enim omnia hæc nomina cassa sunt & inania.

℣.3.PRIORA prętoritorũ sæculorum EX TVNC diu antequam fierent,ANNVNTIAVI per Prophetas & prædixi futura: eademque vt prædixeram, OPERATVS SVM REPENTE]id est,produxi & perfeci inopinatò,præter omnium opinionem & exspectationem,præter rerum & naturæ consuetum cursum.v.g.diluuium,ortum Isaac & Iacob,egressum Hebræorum ex Ægypto, possessionem terræ Chanaan,&c. ita S.Hieronymus.

℣.6.VOS AVTEM NVM (Hebraicè, *nónne*) ANNVNTIASTIS, iam pridem hæc omnia completa esse vt prædixeram? & adhuc quotidie annuntiatis, Scripturas quæ illa commemorant, lectitantes; psalmos qui illa inculcant,decantantes; festa in illorum beneficiorum memoriam celebrantes?, ita Forerius, Sasbout, Vatablus & Sanchez. Pari modo,pari certitudine

AVDITA FECI TIBI NOVA EX TVNC.In Hebræo,LXX.& Chaldæo,*ex nunc*.Sed vtrumque est verum. Nam & olim Deuter.30. & alibi minatus est Deus delinquentibus seueras pœnas, & nominatim oppressionem ab hostibus,& deductionem in alienas terras; pœnitentibus verò reductionem ad propria: & nunc in specie designat, abducendos à Chaldæis in Babylonem,sed paucis post annis in patriam reducendos. Quæ hactenus NESCISTI,& apud me CONSERVATA SVNT, & in sinu recondita:

℣.7.Et NVNC demum CREATA SVNT,id est,à me prolata in lucem,idque ANTE DIEM,seu tempus illi rei destinatum: ET NON AVDISTI quidquam hactenus eade re,seu ex idolis,seu ex ariolis & diuinis tuis.

℣.8. NEQVE EX TVNC APERTA EST AVRIS TVA,id est, ante hac nulla eius rei fama vel notitia deuenit ad aures tuas: nihil tibi super ea re indicatum vel reuelatum fuit.Et verò quid iuuat prædixisse tibi talia? SCIO ENIM QVIA, non obstante tali prædictione, PRÆVARICANS (*a*) PRÆVARICABERIS, id est, certò certiùs deficies à lege mea,apostatabis à cultu & obsequio meo,& transfugies ad idola. Nam TRANSGRESSOREM noui & VOCAVI TE non ab heri vel nudiustertius,sed iam inde EX VTERO, id est, ab ipso tui ortu & conceptu:nempe cùm in Sinai (vbi te formabam & parturiebam nouam Ecclesiam) vitulum aureum conflasti & adorasti. Et quidem perpetua hac tua præuaricatione merebaris, exscindi stirpitus de terra:& ita facerem si furori meo iustissimo obsequi vellem; sed

a Proleg. Idiotism. de Hebr.n.49.

℣.9. PROPTER NOMEN MEVM, meamque clementiam, & in te,licèt immerentem, affectum, LONGE FACIAM FVROREM MEVM à te, NE INTEREAS.Ne tamen pergas insolescere, INFRÆNABO TE apto tibi & commodo fræno,mihique glorioso & laudabili,nempe breui seruitute & captiuitate Babylonica. ita S. Hieronymus, Haymo, Sasbout, Dionysius & Sanchez. Sic obiter in fornace Babylonica

℣.10. EXCOXI TE, SED NON QVASI ARGENTVM] vt nempe stannum omne & plumbum & alia scoria planè semoueatur, maneatque purum

putum

putum argentum: si enim sic excoxissem, vtique consumpsissem te, cùm non sis nisi mera peccatorum scoria (*argentum enim tuum versum est in scoriam*, vt dixi c. 1. v. 22. sed leniori CAMINO & purgatione purificaui te, nempe PAVPERTATE, seruitute & similibus ærumnis in Babylone. ita S. Cyrillus & Procopius.

¥. 12. EGO PRIMVS ET NOVISSIMVS: vt dixi c. 41. v. 4. EGO *vers.* 13. VOCABO cælos & terram, ET mox ad vocem & iussum meum STABVNT SIMVL] id est, sistent se, vt famuli ad nutum heri sui. Id patuit tempore Iosue, (a) & Ezechiæ. (b)

¥. 14. QVIS, seu magorum, seu idolorum, DE EIS, seu ex eis, putà cælis, astris, influentijs, ANNVNTIAVIT, vel prænuntiare vobis potuit, HÆC quæ ego per Isaiam prænuntio; Primùm, de Nabuchodonosore vos in carcerem abrepturo; Secundò, de Cyro, vos è carcere in patriam remissuro. DOMINVS DILEXIT EVM, nempe Cyrum, dilectione naturali, seligendo illum ad tam nobile, tam grande ministerium. Per ipsum FACIET omnem VOLVNTATEM SVAM IN BABYLONE exercenda, ET BRACHIVM, id est potentiam, SVVM IN CHALDÆIS exscindendis.

a *Iosue* 10. v. 13.
b *Isaiæ* 38. v. 8.

¥. 16. A PRINCIPIO, seu ex quo cœpi prophetare, NON SVM LOCVTVS IN ABSCONDITO, non in angulis, non ambiguè, non perplexè, sed palàm, clarè & apertè: & quidem diu ANTEQVAM FIERET transmigratio vestra in Babylonem, & remigratio in Iudæam, ego IBI ERAM spiritu meo præsens, videbamque totius rei gerendæ seriem, ordinem & modum. ET NVNC MISIT ME DEVS, ET SPIRITVS EIVS sanctus vt quæ mihi reuelauit, vobis edicam, & certò sic obuenturа denũtiem. ita Chaldæus, S. Hieronymus, Vatablus, Forerius, & Sãchez. Allegor. SS. Patres dicũt, his verbis innui Christum quà homo est, missum à Patre simul & Spiritu sancto ad redemptionem generis humani.

¥. 17. EGO DOMINVS DOCENS TE VTILIA] non curiosa, non vana, non fastuosa, non plausum captantia, sed quæ curandæ saluti tuæ & præsenti & æternæ conueniant.

¥. 18. Atque VTINAM ATTENDISSES MANDATA MEA! iam pridem PAX TVA & prosperitas & rerum affluentia, FACTA FVISSET SICVT FLVMEN, nouas continuò felicitatis aquas vobis aduehens, & obuia quæque obstacula sternens: ET IVSTITIA TVA, tum propriè sumpta, tum metonymicè, id est, præmium (c) iustitiæ, tibi obuenisset SICVT GVRGITES MARIS, nempe summa copia, perenni affluxu & cui nemo resistere, nemo præpedire possit. ita ferè Cyrillus & Procopius.

c *Genes.* 30. v. 33.

¥. 19. NON FVISSET ATTRITVM NOMEN Israelis A FACIE MEA] Id est, non permisissem famam sublimem & nobilem populi mei, apud gentes viles & ignobiles tam fœdè proculcari; vt nunc proculcabitur à Chaldæis, & adhuc magis à Romanis. Sed quid hoc monstri? laxatâ per Cyrum captiuitate, & factâ Iudæis copiâ in patriam remigrandi, nolunt viles animæ à Chaldæa, vbi tanto sunt probro, in proprias terras remigrare. Malunt sordida mancipia, spe nescio cuius lucelli manere inter hostes suos, & ignominiosam ist.c seruire seruitutem, quàm dominari in propria patria, ita multos egisse constat ex 1. Esdræ 1. & 2.

¥. 20. EGREDIMINI, si sapitis, DE BABYLONE, (d) dum licet. Allegoricè, è carcere & seruitute diaboli, inquit S. Cyrillus.

d 2. *Cor.* 6. v. 17.

¥. 21. NON SITIERVNT olim patres vestri IN DESERTO, (e) sub Moyse. Nec iam permittam, aliquid deesse vobis in patriam è Babylone redeuntibus: curabo per Cyrum, (f) per Darium, per alios, omnia necessaria subministrari per viã, donec salui in patriam appellatis. Ibi solidam pacem, quietem, felicitatem habebitis, non verò in Chaldæa: nam

e *Exodi* 17. v. 6.
f 1. *Esdræ* 1. & 6.

¥. 22. NON EST PAX IMPIIS. idololatris, superstitiosis, & in omnia vitia profusis, tum Chaldæis, tum Chaldæorum seruis vltroneis, (prô pudor!) Iudæis: sed erit perpetua istic ipsis calamtias, (g) afflictio & miseria.

g *Rom.* 2. v. 9. & *Apoc.* 18. v. 4.

CAPVT XLIX.

Non Cyrus (vt volunt quidam Hebræi;) non Isaias (vt Hugo;) non Ioannes Baptista (vt alij) sed Christus (vt omnes SS. Patres constanter affirmant, & Scriptura alibi (h) testatur) publicè rationem reddit aduentus, legationis & officij sui, scilicet vt omnes gentes ad Deum & æternam salutem vocet, easque Iudæis in sua perfidia obstinatis subroget atque substituat in vera Ecclesia Dei, omnibusque primilegijs filiorum & heredum Dei.

h *Actor.* 13. v. 47. & 2. *Cor.* 6. v. 2. *Apoc.* 7. v. 16.

¥. 1. AVDITE INSVLÆ & insulani (i) omnes etiam remotissimi. DOMINVS AB VTERO, imò antequam essem in vtero matris, imò ab æterno, VOCAVIT ME] nempe Iesum, id est, saluatorem, Matth. 1. v. 21. q. d. Destinauit me vt essem vindex ac redemptor totius generis humani. Nam Dei vocare, (k) efficere est, inquit S. Hieronymus, Cyrillus & Ambrosius.

i *Isaiæ* 41. v. 1.

¥. 2. POSVIT OS MEVM: id est, verba oris mei (vt vertit Chaldæus) QVASI GLADIVM (l) ACVTVM] quo resecem & iugulem Primò, scelera quæ toto orbe grassantur; Secundò, omnem falsam & vanam doctrinam; Tertiò, dæmones, mundi hucusque principes.

k *Isaiæ* 43. v. 1. *Ambros. in psalm.* 35.
l *Matth.* 10. v. 35. & *ad Hebr.* 4. v. 12. & *Apoc.* 1. v. 16. *ps.* 44. v. 4.

VMBRA (m) MANVS SVÆ, id est, manu & potentia sua diuina mihi contra æstum hostilem obiecta, PROTEXIT ME.

m *Thren.* 4. v. 20.

¥. 3. ET DIXIT MIHI, SERVVS MEVS ES TV (Vide dicta c. 42. v. 1.) ET ISRAEL] Id est, antitypus Iacobi, qui vocatus est *Israel*, (n) in est, dominans Deo, cùm luctatus mecum mihi prœualuisset. Nam potiori iure tu tua lucta & morte mihi irato prœualebis & dominaberis. Potest etiam dici Christus *seruus Israel*, quia ex Israele natus, & quia primariò *missus ad oues quæ perierunt domus Israel.*

n *Genes.* 32. v. 28. *Matth.* 15. v. 24.

IN TE GLORIABOR] LXX. *glorificabor*; Chaldæus, *laudabor*. Christus enim omnibus suis laboribus nihil aliud quæsiuit quàm (o) *glorificare* Patrem suum. Est insuper Christus omnis gloria, decus & deliciæ Patris, inquit Forerius. Sed audi querelas Christi:

o *Ioan.* 8. v. 49. & c. 17. v. 4.

¥. 4. IN VACVVM LABORAVI, docendo, patiendo, tot miracula, tot virtutes operando: atque ita SINE CAVSA] quia frustratus fine & tuo & meo, nempe conuersione Iudæorum, (p) quæ causa fuit tam multa operandi & patiendi, inquit S. Hieronymus.

p *Hic vers. seq.*

ERGO IVDICIVM MEVM CVM DOMINO: id est, causam hanc meam tibi, ô Pater, dijudicandam committo: ET OPVS MEVM; LXX. *labor*; Chaldæus, *merces operum meorum*. q. d. Iniquum esset, frustrari debita mercede & præmio tot labores, tot sudores, tot dolores meos. Cùm ergo

¥. 5. ISRAEL, id est, Iudæi, ad quos in ouile reducendos me misisti, nolint in id CONGREGARI; an nullum alium fructum, nullum aliud præmium nanciscar. Absit hoc à tua tam illustri, imò infinita bonitate & iustitia. Et ecce loco vnius exiguæ gentis Iudaicæ tradidit mihi Pater omnes natio-

nes vniuersi, atque ita longè maiore gloria GLORIFICATVS SVM IN OCVLIS DOMINI, totiusque cœli & terræ.

℣.7. HÆC DICIT DOMINVS, AD CONTEMPTIBILEM ANIMAM, id est, ad Christum adeò contemptum à Iudæis, ab Herode, à Pilato, *vermem & & non hominem*, (a) *opprobrium hominum & abiectionem plebis*: dicit item AD ABOMINATAM GENTEM, id est, ad Christum eiusque sequaces Christianos: LXX. *qui abominatur à Gentibus*; & est *seruus* quorumlibet DOMINORVM, & quasi vilissimus seruus à dominis Gentilibus & Iudæis principibus irrisus est, consputus, flagellatus, spinis coronatus, denique in crucem actus. Sors hæc, vt putatur miserrima, breui in felicissimam commutabitur. Nam REGES ET PRINCIPES potentissimi ex Gentibus, vt primùm audierint viderintque miranda stupendaque opera, quæ in te & per te toto orbe patrabo, admirabundi & venerabundi suspicient te, ô Christe, ô Ecclesia Christi, & tibi assurgent, & ad te amplexandum CONSVRGENT, ET *vultu in terram* (b) *demisso* ADORABVNT *te, & puluerem pedum tuorum lingent.* ita S. Hieronymus & Cyrillus & alij SS. Patres.

a *Psal.21. v.7. Item Isaiæ 53.v.3. & 4.*

b *Hic v.23.*

רצון ℣.8. TEMPORE PLACITO; Hebraicè, *ratzon*, id est, benevolentiæ & fauoris; LXX. *tempore opportuno*; S. Paulus (c) legit, *tempore accepto* & *acceptabili*. q.d. Eo tempore quo decreui tam fauere & benefacere tibi, & propter te toti orbi, EXAVDIVI TE cùm orares me, psalmo 68. *Tempus beneplaciti ô Deus* aduenit: *exaudi me, in veritate salutis tuæ*. Moxque *exaudiuisti*, ET SERVAVI TE integrum, illæsum & intactum ab vnguibus satanæ, interni & mortis, saltem ne te captiuaret, ne detineret. Insuper DEDI TE IN FOEDVS POPVLI, vt & passiuè victima sis fœderalis quâ reconcilier generi humano: & actiuè fœderator sis, nouo fœdere rursus me populo obstringens, vt olim antiquo fœdere Moyses me illi obstrinxit. ita Forerius. Idque VT TERRAM, id est, teriæ incolas morti æternæ omnes obnoxios & ex nunc per peccatum mortuos, erigeres & ad vitam *resuscitares*: ET HEREDITATES, (d) id est, Gentes tibi pro hereditaria portione concessas sed per peccatum profugas, DISSIPATAS, perditas, ad fidem, ad obedientiam, ad salutem reduceres, & reductas pacificè POSSIDERES. ita S. Hieronymus, Cyrillus & alij Patres.

c 2.*Cor.6. v.2.*

Psal 68.v. 14 & 15.

d *Isai 49. v.8.*

℣.9. VT DICERES HIS QVI sceleruṁ suorum reatu & compedibus VINCTI SVNT, seu in limbo (e) & Purgatorio (vt S. Anselmus exponit) seu in terra (vt alij) EXITE liberi à vinculis, à carcere: ET HIS QVI IN TENEBRIS iacẽt infidelitatis & ignorantiæ, vel etiam limbi infernalis, diceres, REVELAMINI, id est, illustremini, luce cælesti perfundamini & recreemini. Porrò *lucis* nomine designantur omnia læta, secunda & prospera, vt (f) alibi dixi. Neq; hæc auara vel parca manu, nec vno solo loco (vt olim Iudæis in solo tẽplo Ierosolymitano) vobis erogabuntur: sed vbique gentium, & passim, etiam *per* VIAS ET IN OMNIBVS PLANIS, PASCVA (g) verbi Dei, sacrificij & Sacramentorum, omniumque gratiarum & spiritualium donorum vobis aperientur & perpetuò patebunt. ita Origenes, S. Hieronymus & Cyrillus. Vt sicut olim sub Moyse nullus Hebræorum in deserto esuriuit, sitiuit, aut æstu solis afflictus fuit, ita & Christiani in lege Euangelica

e *Osee 13. v.14. Anselm. in Elucidario.*

f *Psalm.4. v.7.*

g *Ioan.10. v.9. Orig. lib.1. contra Celsum.*

℣.10. NON ESVRIENT, NEQVE SITIENT, &c.] quia longè nobiliori manna pascentur, multò suauioribus aquis recreabuntur, multò spissiore nube protegentur, multò clariore columna ignis illustrabuntur, inquit Forerius. Quæ omnia in SS. Eucharistiam (h) verissimè quadrant. Sed Anagogicè, de plena saturitate Sanctorum in cælo exponit S. Ioannes Apocal. 7. v. 16. Obstacula quoque viarum omnia tollam, vt sustuli tendentibus ex Ægypto in Chanaanitidem.

h *Psal.22. v.5. & 1. Cor.4.v.8.*

℣.11. OMNES MONTES MEOS etiam altissimos PONAM IN VIAM, id est, faciam peruios, vt plana & commoda via pereos pateat, & SEMITÆ si quæ nimis depressæ fuerint, EXALTABVNTVR, (i) implebuntur & attollentur. Sic viâ paratâ

i *Isaiæ 40. v.4.*

℣.12. ECCE ISTI Orientales populi (inquit S. Hieronymus, Forerius & Sanchez) DE LONGE VENIENT ad Ecclesiam Christi: & illi DE MARI, id est, ab Occidente: respectu enim Iudææ mare est ad Occidentem. ET ILLI AB AQVILONE, ET ISTI DE TERRA AVSTRALI] Ergo à quatuor plagis mundi. Pro *Australi* vertunt LXX. *de terra Persarum*. Sed Hebraicè est, *de terra Sinim*, id est, Sinæorum, seu incolarum & accolarum deserti *Sin* & montis Sinai, inquit S. Hieronymus, Forerius, Vatablus, Sanchez & Aluarez. Sed incolæ & accolæ *Sinai* pauci sunt, nec vmquam in Scripturis solent nomine *Sinim* appellari; Quare malim cum Osorio, Aria Montano & à Lapide intelligere amplissimum *Sinarum* regnum, S. Hieronymo quidem incognitum, sed Deo & Isaiæ notissimum, nec potuisset alijs litteris Hebraicis certiùs nitidiusque describi. Sinas verò præ alijs omnibus nominatim expressos voluit Propheta, vt doceat, gentes etiam remotissimas, ac potentissimas, & exteris inaccessas, Christo eiusque Ecclesiæ sese vltrò subiecturas aliquando, vt ab eo lucem Euangelij, gratiam & salutem adipiscantur. Vbi è contrario

℣.14. SION, id est, Synagoga Iudaica, Deo antè carissima & familiarissima, iam pro maiore sui parte ob spretum Deum & Christum eius, spreta vicissim ab ipso & reiecta, amarissimè deflet miseriam suam, dicens: DERELIQVIT ME DOMINVS, ET OBLITVS EST MEI] Sed id negat disertè Deus,

℣.15. NON OBLIVISCAR TVI, ô Synagoga, nempe quæ & quatenus mihi fidelis adhærere volueris: nam licèt plerique tuorum Iudæorum rebelles Christo & in perfidia sua obstinati, reiecti sint à me, & resecti à corpore Ecclesiæ meæ; tamen reliqui de Synagoga, (& quidem sanior pars) Christo meo adherentes, numquam à me reijcientur, sed erunt mihi quàm maximè cordi & curæ. Et pro perfidis Iudæis, qui tibi exciderunt, substituam & incorporabo tibi vastissimam multitudinem Gentilium, vt sequitur vers. 18. & S. Paulus fusè docet Rom. 11. Et sic fiet ex omnibus vna nobilior Synagoga, & Ecclesia. ita S. Hieronymus, Haymo, Forerius & alij complures. Pro pignore verò tantæ meæ ergatè benevolentiæ, olim certissimò præstandæ, do tibi nunc instaurationem materialis *Sion*, seu Ierosolymæ, per Nabuchodosorem euersæ, exustæ, & humano iudicio prorsus desperatæ.

℣.16. ECCE enim MVRI TVI CORAM OCVLIS MEIS SEMPER] Id est, assiduò memini mœnium tuorum, vt illa restaurari curem. Et iam completis 70. annis captiuitati tuæ præfixis,

℣.17. VENERVNT & ecce adsunt STVCTORES TVI, Esdras & Nehemias. DESTRVENTES verò TE Chaldæi, ET opera tua DISSIPANTES Samaritani, 2. Esdræ 4. EXIBVNT A TE] sinentque promouere

promouere fabricam & perficere. Nempe sic olim fugabo procul à te perfidos Scribas, Pharisæos, pontifices, tyrannos, aliósque hostes tuos, ne spiritualem Sionis, id est, Ecclesiæ, fabricam, per Christum eiusque discipulos inchoandam turbare vel præpedire possint quo minùs perficiatur. q.d. Non est cur angaris, tam multos tibi excidere & à me diuelli; hostes sunt tibi, nō filij: destruere te illi & dissipare volunt, non ornare vel roborare: sed ego faciam illos *exire à te*, fugere & procul facessere, ne impediant structuram tuam.

¥.19. DESERTA TVA loca à profugis Iudæis, ET RVINÆ TVÆ, id est, loca & stationes è quibus illi prouerunt, ANGVSTA ERVNT nimis PRÆ NOuis in HABITATORIBVS, quos è gentilitate deducam ad te, tuoque trunco inseram.

¥.20. Tunc DICENT FILII STERILITATIS TVÆ nempe Apostoli & discipuli Christi, & pauci alij ex Iudæis Deo & Christo adhærentes, qui soli ex stirpe & trunco Israelitico reliqui sunt, orbæ & sterili matrisuæ: hi, aduolantibus certatim ad fetam multis è gentilitate, dicent; ANGVSTVS EST MIHI LOCVS Iudææ & Palæstinæ, FAC MIHI per reliquum orbem vniuersum noua *spatia* quæ *inhabitem*. ita ferè S. Hieronymus & Forerius.

¥.22. MANVM MEAM, auxiliatricem & deductricem LEVABO AD GENTES, ET SIGNVM MEVM, id est, vexillum militare, de quo alibi (*a*) (quod S. Hieronymus, Cyrillus, Haymo & alij passim de vexillo crucis Christi exponunt) EXALTABO AD omnes POPVLOS] & sola illius ostentatione traham ad te mundum vniuersum.

a *Isaiæ* 11. v.10.

¥.23. ET ERVNT REGES NVTRITII TVI, id est, alent te & bonis suis ditabunt te, vt solent parentes fouere & ditare filios suos. An non ita fecerūt Constantinus, Theodosius, Carolus, Ludouicus, Helena, Pulcheria, Cunegundis, Mathildis, & tot alij tum antiqui, tum moderni principes, reges, Imperatores? VVLTV IN TERRAM DEMISSO, & toto corpore humi prostrato (more Chaldæorum & (*b*) Persarum) ADORABVNT TE tamquam dominam & reginam suam. Nempe eodem honore quo ipsi à suis subditis honorantur, honorabunt ipsi Prælatos Ecclesiæ. ET PVLVEREM PEDVM TVORVM LINGENT (*c*)] id est, terram quam pedibus tuis calcas, ipsi supplices osculabuntur, seque suaque sceptra tibi submittēt. Hic ritus etiamnum viget apud Sinas, Iapones, & plures alios Indos, vt principem veneraturi, fronte humum feriant.

b *Xenophon l.2.& Plutarch. in Alcibiade.*

c *Psalm.71. v.9.*

¥. 24. Sed NVMQVID TOLLETVR A FORTI PRÆDA: id est, an à forti illo gigante vel leone diabolo tolli poterit gentilitas, quam ipse quasi prædam hucusque captam & validissimis vinculis constrictam tenet? EQVIDEM (*d*) TOLLETVR, nempe per Christum, longè fortiorem diabolo. Reliquos vero

d *Matt.12. v.29.*

¥.26. HOSTES TVOS, tyrannos, hæreticos, perfidos Iudæos, CIBABO CARNIBVS SVIS, ET SANGVINE SVO INEBRIABVNTVR] Est catachresis, pro, mutua cæde se conficient, & fraterno sanguine madebunt. Quæ enim fratris tui sunt, tua censentur. Sic c.9. dicitur, *Vnusquisque carnem brachij sui vorabit*. Alludit ad Madianitas, Iudicum 7. & Moabitas, 2. Paralip. 20. qui mutuis vulneribus se confecerunt.

CAPVT L.

Christus partem Synagogæ sibi fidam & adherentem abundè solatus, vt vidimus cap. præcedenti, iam conuertitur ad alteram partem perfidam & rebellem, docetq; iustè repudiatam ac reprobatam, quia ipsa prior Deum & Christum repudianit: ex parte verò sua nihil defuisse, quo, si ipsa voluisset, saluari potuisset.

¥. 1. QVIS EST HIC (de quo quemini) LIBER REPVDII MATRIS VESTRÆ, Synagogæ Christo incredulæ & rebellis; QVO EAM desponsatam olim mihi in Sinai, (*e*) iam à me DIMISI] Proferatur in medium hic liber, examinetur, & iudicetur, an ego prior vos repudiarim, an è contrario vos me. ita Forerius & Vatablus.

e *Exodi 19. v.6.*

QVIS EST CREDITOR MEVS, CVI vt faciam satis, & nummos mutuò acceptos refundam, VOS filios meos (quod lex (*f*) permittit VENDIDI in seruos, vt falsò iactatis; q.d. Ego tales creditores nullos habeo, numinis nullis indigeo, seruitus vestra mihi nulli vsui esse potest. Quod ergo venditi sitis in seruos, & traditi in mancipia, tum diabolo, tum alijs hostibus vestris, nemo prudens mihi adscribet, sed vobis ipsis, ET INIQVITATIBVS VESTRIS] quibus sponte iugum hoc induistis: *qui* enim *facit peccatum*, (*g*) *seruus est peccati*. Sed inter innumera Iudæorum peccata, quodnam maximè displicuit Deo?

f *Exodi 21. v.2.& 7. Leuit.25.v. 39 & 47.*

g *Ioan.8. v.34.*

¥.2. QVIA VENI in mundum, inquit Christus, ET NON ERAT VIR] Id est, nemo erat qui me aduentantem, docentem, prædicantem exciperet, audiret, obediret: sed insurgentes in me, voluerunt nunc lapidibus obruere, nunc de monte præcipitare; ac tandem in probrosissimam crucem egerunt. Hæc fuit præcipua causa repudij ac reprobationis vestræ, simulque excidij, captiuitatis ac perpetuæ seruituis sub Romanis, sub alijs gentibus. Non verò causa huius est infirmitas vel impotentia, seu Dei, seu Christi, vt vos calumniamini, quasi imbecillior sim quàm vt vos liberare possim. Nam *me increpante*, id est, minaciter iubente, *deseretur mare* non modò piscibus, sed & aquis suis omnibus, vt accidit flumini Nilo & mari Rubro Exodi 7. & 14. *Cæli* quoque & astra obtenebrescent, vt accidit Ægyptijs Exodi 10. v.21. & in passione Christi Matt.27.v.45. & accidet in fine mundi, Matth. 24.v.29. Rursum causa tanti mali quo inuoluimini, non est aliqua Christi insipientia, imprudentia, vel similis defectus, vt subinde arguitis:

¥.4. Nam DOMINVS DEDIT MIHI LINGVAM ERVDITAM, vobismet testibus Ioan.7.v.46. *Numquam sic locutus est homo*. Et vnde mihi hæc tam erudita lingua? Ex eo quòd Deus ERIGIT MIHI AVREM, id est, excitat ad audiendum, & ad vocem magistri cælestis excipiendam, idque MANE] id est, summo manè & quotidie, nempe à primo (*h*) conceptus mei instanti. Ex tunc enim

h *Hebr.10. v.5.*

¥.5. APERVIT MIHI AVREM, id est, reuelauit exposuitque mihi omnia & singula quæ voluit me & scire, & agere, & pati, vsque ad vltimum vitæ momentum. *Neque* EGO vlli rei mihi ab ipso propositæ CONTRADIXI, vt Moyses Exodi 4. sed alacer omnia acceptaui. (*i*) RETRORSVM nunquam ABII] nulli difficultati cessi, molestias nullas fugi, dolores nullos.

i *Psal.19.v. 9. & Hebr. 10.v.7.*

¥.6. CORPVS MEVM DEDI PERCVTIENTIBVS, &c.] LXX. *dorsum meum dedi in flagella, & maxillas meas in alapas*. Ex quibus etiam luce clariùs patet, cau-

tet,causam desolationis Iudæorum non posse adscribi mollitiei alicui meæ,quasi labores aut dolores subterfugerim ijs redimendis necessariò subeundos:nam subiui omnes,& quidem vltrò ac libenter.ita S.Hieronymus,Cyrillus & Origenes.Et similia legere est apud Sibyllam, teste S.Augustino.

Origen. in Matth.26. Aug.orat. contra Iudæos c.16. & 17.to.6.

℣.9.ECCE OMNES,qui seu in hac, seu in alia causa se Christo opponunt,COMTERENTVR QVASI VESTIMENTVM, consumentur & exedentur, imò sibiipsis exitium & supplicium per sua scelera procudent,pariendo ex se TINEAS,(*a*) à quibus corrodantur & absumantur.

a *Isaiæ 51. v.8.*

℣.10. QVIS EX VOBIS, ô Iudæi, TIMENS est DOMINVM, & AVDIENS VOCEM, doctrinam, b *Isaiæ 42. v.1.* institutionem, SERVI (*b*) SVI, id est, eius,putà Christi, eidemque obediens vult esse & obsequens? hunc immunem facio à dictis pœnis. Et c *Psal.4. v.7.* si AMBVLAVIT IN (*c*) TENEBRIS afflictionum, dolorum & mille miseriarum, & nullum EI LVMEN affulget lætioris fortunæ pacis vel gaudij SPERET solùm IN NOMINE DOMINI, & certissimam ab illo opem & solatium accipiet. E contrario

℣.11.ECCE VOS impij Iudæi, OMNES ACCENDENTES vestris sceleribus IGNEM iræ diuinæ, tum temporalem per Romanos, tum æternum per dæmones immittendum: agite, sic ACCINCTI FLAMMIS, AMBVLATE IN LVMINE huius IGNIS VESTRI; gaudete foco quem struxistis, volutamini IN FLAMMIS QVAS SVCCENDISTIS. benè sit vobis. DE MANV MEA; tamquam iusti iudicis & vindicis. FACTVM EST VOBIS HOC stratum: voce & sententia mea ad hos ignes damnamini: IN DOLORIBVS & cruciatibus infernalium flammarum DORMIETIS] Hebraicè, *cubabitis* perpetuò: *Matth.25. v.41.* *Discedite à me maledicti in ignem æternum,qui paratus est diabolo & angelis eius.*

CAPVT LI.

Exemplo Abraha & Sara promittit Sioni,id est,Iudæis Christo adhærentibus, copiosam prolem,lætitiam & salutem, cælos nouos & terram nouam. Pro arrha seu pignore,prædicit Ierusalem, vbi à Chaldæis excisa & exusta fuerit, paucis pòst annis iterum instaurandam,Chaldæos, vicissim excindendos.

℣.2. VNVM & solum & effœtum Abraham VOCAVI, & effeci vt pater fieret tam multarum,tam numerosarum gentium. Multò facilius erit mihi, Ecclesiam è paucis Iudæis Christo fidelibus conflatam, nouarum prolium accessione multiplicare. Nolite ergo timere pusillus grex: faciam vobiscum quod cum Abrahamo. ita S.Hieronymus & Cyrillus.

℣.3. RVINAS *Sionis*, quibus maior illius pars corruit,dilapsa à fide,à Christo,à Deo, CONSOLABITVR supplemento nouæ fabricæ ex Gentili populo: cuius accessione quod DESERTVM ac SOLITVDO iam viuebatur, HORTVS fiet amœnissimus & paradisus DELICIARVM.

℣.4.LEX non prisca Moysis, sed noua Christi & Euangelica, EXIET A ME, meoque iussu prædicabitur per vniuersum orbem. Et erit hæc lex IVDICIVM(*d*)MEVM,quo iudico & decerno quid cuique agendum vel omittendum, quid cuique tribuendum, quid ferendum, quid credendum. Et erit IN LVCEM POPVLORVM: id est, illuminabit omnes populos terræ,non obiter instar fulguris,sed constanter & perseueranter instar luminis solaris: REQVIESCET enim in eis quasi in propria sede,in domestico palatio.

d Proleg. de Idiotism. Hebr.n.14.

℣.5. PROPE EST IVSTVS MEVS, id est, breuî aderit in mundo Messias, omni ex parte iustus & vos iustificaturus mihique reconciliaturus. EGRESSVS EST diuino iam decreto, & reipsa breuî egredietur SALVATOR MEVS] per quem ego orbem saluabo,& perditum mihi rursus vindicabo.

BRACHIA MEA,id est, robur ac potentia, maximè quam per crucem Christi (ad cuius brachia, seu *cornua* * hîc alludit) exeram in vniuersum orbem, & per eam omnes POPVLOS *iudicabo,*(*e*)id est,vindicabo à tyrannide & iugo diaboli,& iustus omnibus iudex, dominus ac princeps ero. * *Habac.3. v.4.* e *Isaiæ 40. v.10.*

℣.6.VIDETE SVB TERRA DEORSVM; Hebraicè,Græcè Chaldaicè, *respicite in terram deorsum.* QVIA SICVT VESTIMENTVM (*f*) ATTERETVR: f *C.50.v.9.* CÆLI quoque SICVT FVMVS LIQVESCENT, vt alibi (*g*) dixi. SALVS AVTEM MEA ET IVSTITIA,quam vobis per Christum impertiam, *numquam concidet*, sed æternùm durabit.ita S.Hieronymus. g *C.34.v.4.*

℣.7.AVDITE ME & credite mihi,ô vos Christo fideles,QVI SCITIS IVSTVM] Hebraicè,*iustitiam.* Id est,qui probè nostis quid iustum,quid æquum sit,vtpotè quorum in corde viget lex & doctrina mea cælestis, vt vertit Vatablus. Respondent illi,Audimus ô Domine,& obedimus tibi per omnia:

℣.9.CONSVRGE ergo à somno lenitatis & patientiæ,ad debellandos hostes & tuos & nostros: INDVERE FORTITVDINEM ô BRACHIVM(*h*) DOMINI, accingere,armare ad prælium. NVMQVID NON TV PERCVSSISTI SVPERBVM Pharaonem, & lethaliter VVLNERASTI DRACONEM(*i*) illum marinum,balænam; vel,si mauis,draconem fluuialem,crocodilum, regem Ægypti? ita S.Hieronymus,Cyrillus & alij. Mysticè *draco* est satanas,inquit Rupertus. Porrò sicut olim Hebræi ex Ægypto,ita h *Hic v.5. & Psal.92. v.1.* i *Ezech.29. v.3.*

℣.11.ET NVNC quotquot per Christum à diaboli captiuitate ac tyrannide REDEMPTI SVNT, VENIENT IN SION, id est, in Ecclesiam, primò militantem, deinde & triumphantem, extremè lætantes, & Deum ob tanta beneficia LAVDANTES.

℣.12.QVIS ergo TV VT TIMEAS?] Hebraicè genus est femininum,q.d. Quid tu,ô femina times? Increpat tepidos & timidos Christianos,metu perfidorum Iudæorum vel tyrannorum trepidantes. Et vis nosse causam vani timoris?

E ℣.13. OBLITVS ES DOMINI FACTORIS TVI, vtique & protectoris & consolatoris tui. Quo tutore quid timeas?

VBI NVNC EST FVROR TRIBVLANTIS?] nempe Pharaonis,& cuiusuis alterius hostis affligentis populum Dei: ac nouissimè Nabuchodonosoris Chaldæi tyranni,& Balthasaris filij eius, qui vos captiuos tenet in Babylone.

℣.14. CITO VENIET mittendus à me Cyrus, GRADIENS & accurrens AD APERIENDVM carcerem vestrum, & captiuitatem soluendam. ita S. Thomas & Hugo. Hanc enim liberationem per Cyrum obiter hîc prò pignore vel arrha Iudæis obijcit tutelæ diuinæ,& liberationis per Christum certissimò ipsis olim obuenturæ. Igitur me vos protegente

tegente ac tutante, licèt affligat vos & torqueat A Chaldæus tyrannus; tamen NON INTERFICIET VSQVE AD INTERNECIONEM, *neque* VMQUAM DEFICIET PANIS EIVS] id est, sufficiens annona per ipsum vobis continuò subministrabitur. Hoc sit vobis pro pignore, quòd olim Christi sequacibus adero perpetua mea prouidentia ac tutela etiam in medio æstu tribulationum & afflictionum. Porrò hæc

℣.16. VERBA & promissa MEA POSVI, ô Christe (ad hunc enim loqui Deum Patrem censent S. Hieronymus, Forerius, Adamus & plerique alij:) IN ORE TVO, & per te in ore omnium filiorum tuorum, vt audacter & liberè omnibus denunties, quòd VMBRA MANVS MEÆ perpetuò *protegam* TE & tuos omnes; VT tali vmbra protectus sine metu, sine remora, sine mora, PLANTES in terris nouos CÆLOS, ET in cælis FVNDES nouam TERRAM, id est, nouos incolas: nempe Ecclesiam noui testamenti exsuscitabis, quæ cælestem vitam aget in terris, & replendis cælis copiosos incolas subministrabit. Cui Ecclesiæ fidenter DICAS, & addicas meo quoque nomine: POPVLVS MEVS ES TV, filij mei omnes vos: *quòd* a *Rom.8.* *si filij, & heredes*; (a) *heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Quos amabo, fouebo, protegam perpetuò.

℣.17. ELEVARE, CONSVRGE IERVSALEM] exusta iam & excisa per Chaldæos, iterum instaurare per Cyrum, Darium, Esdram, Nehemiam. ita S. Thomas, Hugo & Sanchez. Sed sub hoc typo intellige antitypum eius spiritualem Ierosolymam, nempe Ecclesiam Christi longè feliciore modo instaurandam, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, Dionysius, Haymo, Forerius & alij.

℣.20. FILII TVI PROIECTI SVNT à Chaldæis, gladio confossi, vulneribus vel inedia confecti iacent strati in compitis & plateis: & sani etiam ac valentes, expulsi domibus partim exustis, partim ab hoste occupatis, *dormire* coguntur sub dio in vijs & plateis, omnibus ostentui, omnibus ludibrio, SICVT ORYX ILLAQVEATVS, seu laqueis irretitus & captus. Sicut enim animali isti Ægyptio admodum truculento & sæuo bisulcis vngulis, & cornibus omni silice & ferro durioribus (teste Aristotele, Plinio, Oppiano & Martiali) si quando capi, & captiuum per plateas pro spectaculo trahi contigerit, ab omnibus illuditur, opprobrijs afficitur, denique millenis iniurijs exagitatur: ita vobis in Chaldæa continget, PLENIS INDIGNATIONE & INCREPATIONE DOMINI, id est, pœnis, tormentis, cruciatibus ex Dei indignatione manantibus & in vos depluentibus. Sed iam

℣.21. AVDI PAVPERCVLA Ierusalem, EBRIA calice meo, quem plenum NON VINO, sed ira & indignatione, hucusque hausisti.

℣.22. Hunc CALICEM SOPORIS; LXX, *ruinæ*; Symmachus & Theodotion, *commotionis*; alij. *titubationis*. q.d. Calicem tam noxio misto plenum, vt bibentem faciat trepidare, titubare, soporari & corruere, *tollam* DE MANV TVA] & hostibus tuis Chaldæis epotandum dabo.

CAPVT LII.

Pergit promittere Iudæis libertatem à captiuitate Babylonica, & instaurationem vrbis Ierosolymæ: sub hoc typo describens ingentia bona per Christum olim Ecclesiæ obuentura & toti orbi. Vnde iubet Apostolis & discipulis Christi, vt egressi à Iudæa spargant Euangelium per omnes gentes, apud quas prædicit glorioßissimum fore nomen Christi, maximè ob passionem eius & crucem.

℣.1. CIVITAS SANCTI Dei, Ierusalem; Hebraicè & græcè, *ciuitas sancta*: nempe diuino cultui specialiter dicata iam inde à tempore Dauidis, Salomonis, &c. sed iam destructa & excisa per Chaldæos, & humi iacens in sordibus & ruinis tuis; iubente Deo, Cyro, Dario, Artaxerxe, CONSVRGE rursus in altum, cingere nouis muris, instruere vt olim domibus, turribus, palatijs.

INCIRCVMCISVS ET IMMVNDVS Chaldæus, aut alius quispiam infidelis, qui hactenus tibi dominatus fuit & pessumdedit, NON ADIICIET VLTRA, (b) VT PERTRANSEAT PER TE] sed ipsemet b *In Prolegd. de Idiotism. Hebr. n.27.* destruetur per Cyrum & Darium. Nullus autem hîc sermo est de peccatoribus vulgaribus, vt vult Caluinus & Pelicanus, quasi nulli tales sint membra Ecclesiæ Dei. Sed neque propriè dicti infideles alio sensu negantur hic per allegoricam Sionem, id est, Ecclesiam, pertransituri, quàm instar C victorum, dominorum & vastatorum: nam nec *porta inferi* (c) *præualebunt aduersus eam.* c *Matt.16. v.18.*

℣.2. SEDE] Supple, in pristino solio, delicijs & gloriâ. Moraliter hæc designant dignitatem animæ ad Deum conuersæ.

℣.3. GRATIS VENVMDATI ESTIS, id est, sine pretio traditi estis Chaldæis, quia bello ab eis capti: rursum SINE ARGENTO, sine pretio, REDIMEMINI à Cyro, qui remigrantibus in patriam, etiam de suo donabit, 1. Esdræ 1.

℣.4. ASSVR, nomen generale tyrannorum à tempore Isaiæ designat hîc *Pharaonem* regem Ægypti Hebræorum oppressorem, inquit Forerius. Addit Caietanus, Pharaonem illum natione D non fuisse Ægyptium, sed *Assyrium*, vt dixi Exodi 1. ac proinde meritò hîc vocari *Assur*, vti & Ezech. 31.v.3.

CALVMNIATVS EST, id est, per calumniam & vim oppressit & afflixit, (d) *populum meum* in Æ- d *Exod.1. &c.* gypto.

℣.5. ET nunc, cùm duriore tyrannide idem populus meus premitur à Chaldæis, QVID MIHI EST HIC agendum? vtique sicut tunc perdendo Ægyptios eduxi populum meum, ita & nunc faciam perdendo Chaldæos.

℣.6. SCIET & sentiet NOMEN MEVM, de quo Exodi 3.v.14. q.d. Experietur me esse *Iehoua*, Deum E & dominum vniuersorum, potentissimum, sapientissimum, optimum, maximum.

EGO IPSE QVI LOQVEBAR, & per Prophetas hæc prædicebam, iam ECCE ADSVM: ego ipse ducam castra, ipse præibo, (e) & hostes vestros sternam, e *Isaiæ 41. v.1. &c.* Sed hæc figuratè, vt & sequentia, Cyri temporibus aptantur: nam propriè conueniunt antitypo Cyri, nempe Christo, in quo verò dicebat mundo Deus, *Ecce adsum*, indutus hominem vobis sociatus sum, vt vos eruam è faucibus diaboli, peccati, mortis & inferni. ita exponit S. Paulus initio epistolæ ad Hebræos: vt & sequentia de Apostolis alijsque Euangelij præconibus, Rom.10.v. 15.& SS. Patres ad vnum omnes.

℣.8. VOX SPECVLATORVM sonora, imò stentorea,

torea,vbique personabit,nempe REGNABIT deinceps toto orbe DEVS TVVS,non Chaldæi,non dæmon, non Moyses, sed Messias & Emmanuel.

a 1.Ioan.1. v.1. Hunc OCVLO AD(a)OCVLVM VIDEBVNT Apostoli,id est, familiariter cum illo versabuntur & colloquentur: ac proinde non nisi certa atque indubitata ex ipsiusmet ore nobis de illo denuntiabunt.

℣.10. PARAVIT; Hebraicè, *nudauit*, nudum exeruit, DOMINVS BRACHIVM SVVM, id est, potentiam & robur diuinum: ac nominatim Christum qui est brachium & fortitudo Dei;brachium quo nos amplectitur,quo nos liberat,quo nos iustificat, roborat,glorificat. Hoc duce, hoc rege, hoc redemptore vobis proposito,nolite,ô Iudæi, diutiùs hærere in legalibus vestris cęremonijs,figuris & vmbris: nolite, Gentiles, immorari in idololatriæ & aliorum scelerum vestrorum sordibus.

6.11. RECEDITE,EXITE INDE.Immunda sunt illa omnia & POLLVTA,quæ si pergatis TANGERE & tractare,polluti permanebitis.

EXITE DE MEDIO EIVS,sicut olim ex Ægypto, & nunc è Babylone. Et sicut tunc sacerdotes ac Leuitæ singulari studio mundari debebant vt apti essent deferendis vasis templi,ita & vos QVI longè nobiliora VASA DOMINI FERTIS, Sacramenta nempe Christi tractatis,emundamini à peccatis,à sordibus iam dictis puri estote & sancti.Huic verò emundationi nec otium vobis deerit,nec media necessaria.

℣.12.Quia NON cum TVMVLTV, præpropere & importunè vrgemini,vt fit IN FVGA,& factum vobis olim cùm ex Ægypto * egredi cogeremini: sed placidè,sensim & cõmodè(vt cõtinget in egressu è Babylone sub Cyro *)omnia ad emundationem necessaria parare & applicare potestis. ita Tertullianus,S.Hieronymus,Cyrillus,Procopius, Haymo & Sasbout.Et S.Paulus ex hoc loco sumpsit occasionem monendi Corinthios, (b) vt niniam consuetudinem, maximè verò connubia, cum infidelibus deuitarent,ne ab ijs polluerentur. Porrò ad emundationem hanc spiritualem, & sequestrationem ab omnibus immundis.PRÆCEDET VOS, id est,dux,adiutor,imò exemplum vobis erit non Moyses vnus,non Aaron;sed DOMINVS ipse Deus iam incarnatus,qui vos vndique è Iudæorum & Gentilium erroribus eductos ad se colliget & sibi *adgregabit*.Et licèt hæc eductio,collectio & adgregatio multo illi labore,dolore,imò & sanguine stabit;quia tamen ita volui,ita decreui, ita illi iussi,& ad hoc misi in mundum;ideo

* Exod.12. v.33. * 1.Esd.1. v.5. Tertull.l.3. cõtra Marcionem cap. 22. b 2.Cor.6. v.17.

℣.13.ECCE INTELLIGET,capiet & acceptabit hæc iussa mea SERVVS MEVS Messias. ita S.Iustinus,Origenes & S.Augustinus & Sanchez.Et ob hanc suam obedientiam, promptitudinem & patientiam mirè EXALTABITVR tum in terris,tum in cælis.

Iustin.contra Tryphonem. Orig.lib.1. cont.Celsũ. Aug.l.18.de Ciuit.c.29.

℣.14. SICVT SVPER TE,ô Ierosolyma à Chaldæis excisa, OBSTVPVERVNT MVLTI, cùm viderent te,tam caram Deo,tot beneficijs illius ornatam,tam fœdè,tam probrosè à profanis Gentibus tractari: SIC ASPECTVS EIVS, nempe Messiæ serui mei, INGLORIVS ERIT INTER VIROS] Hebraicè, *præ alijs viris*: nempe apparebit fœdè consputus liuidus, vulneratus, cruentatus, inter latrones suspensus,in cruce moriens,&c. Sed hac ratione,

℣.15.IPSE ASPERGET tum sanguine suo, tum A aqua baptismali GENTES MVLTAS hoc ritu, hoc lytro redimens, purgans, & quantum ex se est, saluans mundum vniuersum. ita S.Hieronymus. nempe,multò nobiliore atque efficaciore lustratione & emundatione,quàm erat illa Mosaica per sanguinem & cinerem vitulæ rufæ,(c)vt S.Paulus exponit ad Hebr.9.v.13.Porrò hac Christi aspersione mundati non soli plebeij & viliores animæ, sed & principes passim & REGES, CONTINEBVNT OS SVVM SVPER IPSVM:id est,instar discipulorum vel famulorum silebunt ipso docente & iubente, nec audebunt contrà hiscere,sed mox obsequentur, reuerebuntur & obedient ei. ita Forerius. Neque Iudæi modò,sed & Ethnici, QVIBVS NON B EST hucusque NARRATVM DE EO] Ita S.Hieronymus, Augustinus & alij Patres, imò & S.Paulus Rom.15.v.21.

c Num.19. *August l de Consensu Euang c.31.*

CAPVT LIII.

Christi cruciatus,liuores,despectus & probra,& in his omnibus eius patientiam,mansuetudinem, constantiam & charitatem, viua hypotyposi ob oculos subijcit, simulque causam tot dolorum eius,nempe peccata nostra, quæ ipse in se luenda & expianda suscepit: denique mercedem hoc nomine illi à Patre repensam,scilicet imperium in vniuersum orbem per fidem & gratiam in hac vita,per gloriam in futura. Ita Apostoli in suis scriptis passim hac de Christo exponunt, & omnes SS. Patres, & Chaldæus & nonnulli Rabbini, (d) *Et verba ipsa clamant: adeò vt titulus capitis huius meritò inscribi possit,* Passio Domini nostri Iesu Christi secundùm Isaiam,*inquit Cornelius à Lapide.*

C

d R.Moses Gerundensis in c.29. Genes. & alij prisci Rabbini apud Liranũ & Galatinum l.8.c. 15. Prolegom. de Idiotism. Hebr.n.46. S. Paulus Rom 10.v. 16.& 1.Corinth.1.v. 11.& alibi. S.Ioan.c. 12.v.38.

℣. 1. QVIS & quotusquisque CREDIDIT AVDITVI NOSTRO?] Chaldæus, *nuntio nostro*,id est,huic meæ prophetiæ,quam & ego audiui à Deo,& alij audiuerunt ex me.Metonymicè enim ponitur hîc *auditus* pro *re audita*.

ET BRACHIVM DOMINI CVI REVELATVM EST] q.d.Quàm pauci finent sibi persuaderi hanc Dei eximiam potentiam,quam in Christo & per Christum exeruit! Ita S.Paulus,S.Ioannes & omnes SS.Patres.Sequitur causa cur tam pauci crediturі sint,

℣.2. ASCENDET è terra & vtero Christus SICVT VIRGVLTVM tenellum DE TERRA SITIENTI] id est, sicca & arida: nempe ex matre non aliunde quàm ex cælesti rore fœcunda,paupercula tamen & misella & contempta.Et sic succrescet hic surculus per totos 30.annos,humilis,ignobilis,vilis,quasi fabri filius,nihil præferens speciosum,nihil illustre, nihil splendidum coram mundo.

NON EST SPECIES EI, NEQVE DECOR,qualis est principibus huius mundi,& qualis ipsi,vtpote naturali Dei filio debebatur,& aliquãdo assumpsit in transfiguratione.NON ERAT ASPECTVS,id est, res aspectu digna,quæ oculos aspicientium ad se traheret,ET DESIDERAVIMVS,pro,vt desideraremus, seu expeteremus, EVM] Ita enim vertunt Symmachus,Vatablus & Forerius.

℣.3.SCIENTEM,id est, experientiâ sentientem & probantem omnis generis INFIRMITATEM, afflictionem,ærumnas,dolores,cruciatus.

ET QVASI ABSCONDITVS VVLTVS EIVS] Hebraicè,*abscondens faciem à se*;LXX.*auersas facies eius*: nempe quasi sui & sortis suæ puderet,& ita à seipso faciem auerteret,seque absconderet. Quæ omnia etsi per totam vitam Christo propria fuerint, maximè tamen conueniunt ei iam sub finem vitæ tam dira,tam fœda,tam indigna patienti.

℣.4. VERE LANGVORES NOSTROS ET DOLO-

RES

1 Petr. 2. v. 24. LORES NOSTROS IPSE TVLIT] LXX. & S. Petrus, *peccata nostra ipse tulit*, id est, in se expianda suscepit, & in cruce expiauit, tum quoad culpam, tum quoad pœnam. Cumque inter reliquas pœnas peccatorum censeantur etiam morbi & dolores, Matth. 8. v. 17. & ibid. S. Chrysost. & alij Patres. seu corporis, seu animi; S. Matthæus etiam hos per Christum abolitos esse ex hoc Isaiæ loco probat, putà vt merito ipsius à nobis tollantur vel in hac vita, vel saltem in resurrectione corporum. ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius & Hilarius. Interim

NOS Iudæi PVTAVIMVS EVM non nostri, sed suimet causâ, & ob sua scelera PERCVSSVM A DEO, vt solent *leprosi*, v.g. Maria soror Moysis, Ozias rex & alij similes, ob suam superbiam, murmurationem vel rebellionem, *lepra* puniri à Deo. Sed errauimus toto cœlo: nam

℣. 5. DISCIPLINA PACIS NOSTRÆ, id est, castigatio & flagella quæ nos subire debebamus, vt pax cum irato Deo nobis instauraretur, SVPER EVM posita fuerunt. ita S. Petrus, Procopius & alij Patres. S. Petr. sup.

℣. 7. QVASI AGNVS non gemet, non queretur, non obstrepet, non resistet; sed summâ patientiâ tacitus sustinebit crudelem illam lictorum tonsionem, quâ non lanam & vestem forficibus, sed pellem, carnem, sanguinem omnem & vitam flagellis, spinis, malleis & clauis abradent. Huc alluſit Ioan. 1. v. 36. Ioannes Baptista cùm diceret, *Ecce agnus Dei*, id est, ecce Agnus iussu Dei pro redemptione mundi immolandus: Agnus ab Isaia & Ieremia toties prædictus: Agnus sacrificio Abelis (*a*) & Isaaci, (*b*) & agni paschalis, (*c*) & iugis oblationis (*d*) matutinæ ac vespertinæ, & tot alijs agnis, omni festo ex præscripto legis offerri solitis, præfiguratus, teste Origene, Cyrillo, Theophylacto & Euthymio. Huc etiam alludit S. Ioannes Euangelista, cùm in Apocalypsi facilè vigesies septies nomen Agni Christo tribuit. Denique ad huius Agni perpetuâ memoriam & imitationem solebant iam inde à primis Ecclesiæ Romanæ exordijs, in octaua Paschæ catechumeni donari agno cereo à Papa benedicto, Baron. anno Christi 692. pag 914. vt ex Gelasio & alijs docet Cæsar Baronius.

Ierem. 11. v. 19.

a Genes. 4.
b Genes. 22. v. 13.
c Exodi 12.
d Exod. 29. v. 38.
Euthym. in Ioan. 1. v. 29.

℣. 8. DE ANGVSTIA, ET DE IVDICIO (est hendyadis, pro angustia iudicij, vel angusto, seu pleno angustiæ iudicio) SVBLATVS EST è medio, nempe iniquissimâ sententiâ pontificum (*e*) & Pilati. (*f*) Sed quâ fronte damnatis, ô impij, hominem tam nobilem, tam excellentem, tam diuinum?

e Matt. 26. v. 66.
f Matt. 27. v. 26.

GENERATIONEM EIVS ac stirpis nobilitatem QVIS ENARRABIT? Si enim spectetis diuinam eius naturam, est Patri consubstantialis, eiusdem cum illo potentiæ, gloriæ & maiestatis. si humanam, præcellit omnibus hominibus, dominus est vniuersi, princeps angelorũ, hypostaticè vnitur Deo. ita communiter SS. Patres. Hic tamen tantus ac talis vir, iniquissimorum iudicum sententia ABSCISSVS EST (instar noxij surculi, de quo vers. 2.) DE TERRA VIVENTIVM. Sed quomodo permisit hoc Deus pater eius? Respõdet, Non propter aliquod ipsius delictum, sed PROPTER SCELVS POPVLI MEI, vt illud ipse in se expiet & aboleat, PERCVSSI EVM] id est, hostibus percutiendum exposui.

g Iudicum 16. v. 30.

℣. 9. ET ita DABIT instar alterius (*g*) Samsonis, IMPIOS PRO SEPVLTVRA sua, ET populum Deo fidelem faciet DIVITEM PRO MORTE SVA] id est, merito & efficaciâ mortis suæ. q. d. Mors Christi nec inulta erit, nec infœcunda, seu inutilis. Nam diabolus, peccatum, mors & infernus per hanc Christi mortem spoliabũtur suo dominio, & ita quasi occumbent cum Christo. *O mors (h) ero mors tua.* Et etiam impij Iudæi qui causa fuerunt mortis eius, meritas dabunt pœnas tum in excidio vrbis per Titum, tum in gehenna per dæmones: atque ita sociabitur mors illorum morti Christi, vt mors Philistinorum morti Samsonis. At verò seipsum morte sua *diuitem* faciet Christus tum spolijs hostilibus, tum præmijs paternis. Filij quoque eius pij & Deo fideles, morte hac Christi non liberabuntur solùm, sed & ditescent omni genere diuitiarum, maximè spiritualium & cælestium. Huic sensui fauent Hebræa, quæ habent, *Dabit impios sepulcrum eius*, Et ita ferè exponunt Eusebius, S. Hieronymus, Cyrillus, Chrysostomus, Euthymius & Leo Castrius.

h Osee 13. v. 14.

Euseb. lib. 3. Demonst. c. 2.

℣. 10. VOLVIT DOMINVS CONTERERE EVM IN INFIRMITATE, id est, vsque eò affligere & infirmare, vt succũberet & moreretur. At quo præmio? VIDEBIT SEMEN LONGÆVVM, id est, filios spirituales nanciscetur plurimos, qui durabunt vsque ad finem mundi, imò per omnem æternitatem. Alludit ad Abraham, qui immolans Isaacum, ex eo meruit semen numerosum & longæuum, Genes. 22. vers. 16. Sed & alterum istud erit ei præmium: VOLVNTAS DOMINI, id est, quidquid circa homines fieri constituit Deus, seu in cœlo, seu in terra, id omne IN MANV EIVS DIRIGETVR] id est, per Christum, & ob merita Christi, prosperabitur, & optatæ executioni mandabitur. ita Ludouicus Molina, & ferè S. Hieronymus.

Molina 1. p. q. 23. art. 4. & 5. disp. 2.

℣. 11. PRO EO QVOD LABORAVIT, sudauit, doluit, &c. VIDEBIT, id est, percipiet fructum optatum, messem animarum, quâ iucundissimè fruetur ET SATVRABITVR.

IN SCIENTIA SVA] Id est, secundùm quod scit & nouit inter nos conuenisse. Explicat enim hîc pacta conuenta inter Deum Patrem & Christum, quibus pro passione & morte Christi decernuntur præmia redemptio, iustificatio & glorificatio omnium hominum qui Christo fideles adhæserint, inquit Franciscus Suarez.

Suarez 3. p. q. 1. art. 2. disp. 4. sect. 5. Luc. 23. v. 34.

℣. 12. ET PRO TRANSGRESSORIBVS ROGAVIT] Hebraicè, *occurrit* iræ diuinæ, tum aliàs, tum in cruce clamans, *Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt*. ita Vatablus, Forerius & alij.

CAPVT LIV.

Partem illam Synagogæ, quæ excepit Christum, & facta fuit Ecclesia Christi, in primis initijs suis adhuc sterilem & desertam, vt suprà cap. 49. v. 14. excitat ad gaudium & iubilum, ob nobilẽ & numerosam prolem ex se procreandam: item ob ingentes opes, splendorem & gloriam ipsi obuenturas.

℣. 1. HINNI instar equæ, equulo suo adhinnientis partâ ex hoste victoriâ. Hac catachresi excitat Ecclesiam ad effusam lætitiam, iubilum & plausum. Idque quia illi hactenus DESERTÆ à filijs, &, vt apparebat, etiam à Deo, *multò* plures erunt mox FILII, quàm reliquæ Synagogæ, QVÆ iam pridem HABENT VIRVM] scilicet, Deum, sed à quo propter suam perfidiam iam repudiata est, vt dixit c. 50. v. 1. ita Forerius, imò Apostolus ad Galat. 4. v. 27.

℣. 2. DILATA LOCVM TENTORII TVI, tot filijs excipiendis & fouendis: NE PARCAS, seu loco, seu sumptui, seu labori; sed omni studio LONGOS FAC & extende per vniuersum orbem FVNICVLOS tentorij tui; ET CLAVOS (*i*) TVOS, quibus funi-

i Isaiæ 33. v. 20.

culi infiguntur terræ, CONSOLIDA] quia vsque ad finem mundi, imò æternùm duratura es.

℣.3. SEMEN TVVM, id est, filij tui, non modò Iudæos alios sibi magno numero adiungent, sed & GENTES HEREDITABVNT, id est, instar propriæ hereditatis firmiter & in solidũ possidebunt. Hoc est quod Deus olim Abrahæ promisit Gen.22. *Semen tuum possidebit portas inimicorum suorum*. ET CIVITATES eorum DESERTAS antè à Deo, fide, gratiâ, salute, iam Deo subiectas, fide dotatas, gratiâ saluatas INHABITABIT.

℣.5. DOMINABITVR TVI instar sponsi & mariti, (*a*) non iam lex Mosaica, non peccatum, non dæmon, sed QVI FECIT *& redemit* TE à seruitute omnium hostium tuorum.

a *Genes.*18. v.12. & 3. *Reg.*1.v.17.

℣.6. QVIA VT MVLIEREM DERELICTAM, id est, omnium ope destitutam, quin & à proprio marito quasi repudiatam ET ABIECTAM, misertus tui DOMINVS VOCAVIT TE in thori sui sociam & coniugem. Neque tamen agnosco, me vmquam absolutè dereliquisse te vel repudiasse.

℣.7. DERELIQVI quidem quoad extraordinarios quosdam fauores, v.g. quoad incrementum & ornatum externum, & alia beneficia temporalia; sed hoc non nisi AD PVNCTVM, IN MODICO, IN MOMENTO, nempe breuissimo (respectu æternitatis) tempore quod mortem Christi immediatè consecutum est, quo instar offensi & *indignabundi* mariti, ABSCONDI (*b*) PARVMPER A TE FACIEM MEAM] abstinens optatis tibi amplexibus, & libidini persequentium te permittens. Sed breue hoc tempus miseriæ & afflictionis excipient æternæ miserationes meæ, tantæ & tam excellentes, vt omne ærumnarum tempus videri faciant non fuisse nisi vnius puncti (*c*) & momenti. Sed neque deinceps vmquam derelinquam te sic iterum. Et hoc tibi sanctè iuro,

b *Psalm.*4. v.7.

c 2.*Cor.*4. v.17. & 1. *Petr.*1.v.6.

℣.9. SICVT IN DIEBVS NOE IVRAVI non inducturum me rursus AQVAS SVPRA omnem TERRAM] Iactaberis quidem, vt arca Noë, sed numquam irascar sic tibi, nec increpabo, vt hactenus.

℣.10. MONTES ENIM citiùs è loco suo COMMOVEBVNTVR, quàm ego desinam misereri tui, & tibi cum PACE] id est, bonorum omnium affluentia constanter adesse, vt iam & aliàs (*d*) tibi promisi. ita S. Hieronymus. Porrò nosse vis, quibus ornaberis bonis?

d *Ierem.* 31. v.31.

℣.11. STERNAM LAPIDES TVOS fundamentales, qui primi supra terram extant, inquit S. Cyrillus, Hieronymus & Procopius; vel qui pauimẽtum conficiunt, vt Forerius; PER ORDINEM, id est, pulchro & cõcinno ordine. Hebræum *puch*, idem est quod Latinum *fucus*, seu *stibium*. Vnde Chaldæus, Vatablus & Forerius vertunt, *sternam in stibio lapides tuos*. Sed intelligunt *stibium* non liquidum, sed lapideum & fossile subnigrũ, teste Dioscoride, putà marmor fulgidum, eius coloris cuius est stibium quo mulieres solent oculos suos depingere; LXX. vertunt, *carbunculum*. Ergo instar regiæ, seu basilicæ pulcherrimæ, fundamenta tibi iaciam è carbũculis ET SAPPHIRIS: PROPVGNACVLA, turres & solaria TVA EX IASPIDE: PORTAS ex alijs pretiosis *lapidibus* artificiosissimè *sculptis*: ET vndique TERMINOS, id est, extremitates; LXX. muros, TVOS construam ex *lapidibus desiderabilibus*, id est, ita nobilibus, vt passim ab omnibus expetantur. Allegoricè, significant hęc illustres Sanctos, Martyres, Confessores, Patres, doctores & principes Ecclesiæ, quibus illa fundata, ornata & roborata, atque ad cœlum vsque erecta fuit, inquit S. Cyrillus, Hieronymus, Procopius, imò S. Ioannes Apoc.21. v.19. Alij nobilissimas virtutes fidei, spei, charitatis & alias hîc denotari contendunt. Sed eodem sensu: nam personæ non nisi per virtutes redduntur illustres lapides Ecclesiæ. Sed præter illustres virtutes, ponam & aliud tibi nobilissimum ornamentum, nempe sublimem scientiam rerum cælestium, non parcè, vel in paucis; sed

פוך

Dioscor.l.5. c.59.

℣.13. VNIVERSOS FILIOS TVOS ponam DOCTOS, non sola externa magistrorum doctrina, sed etiam interna *ab* ipso DOMINO] q.d. Mysteria fidei, quæ præcones Euangelici discipulis suis exteriùs proponent, ego interiùs, illuminando lumine supernaturali intellectus eorum, & pio impulsu excitando mouendoque voluntates, inculcabo suauiter & persuadebo. Absque qua illuminatione & excitatione interna frustra est omnis doctrina externa, vt patuit in perfidis Iudæis, qui non minùs audiuerũt Christum & Apostolos docentes, quàm prompti ad credendum Gentiles. Sed quia nolebant attendere diuinæ illuminationi, (quæ ipsis tamen non deerat,) neque obsequi internæ vocationi, ideo nihil illis profuit externa prædicatio: sicut profuit Gentilibus qui ijsdem attenderunt & obsecuti sunt. Ita explicat hunc Isaiæ locum ipsemet Christus Ioan.6.v.46. Vnde patet, ex hoc loco vt summũ colligi, necessitatem internæ gratiæ, & liberalem eiusdem communicationem tempore legis Euangelicæ, non verò (quod hæretici nostri somniant) solam illam sufficere, vel nos illi resistere non posse, contrà quàm definit Tridentinum & SS. Patres.

℣.14. IN IVSTITIA FVNDABERIS, id est, firmaberis, vt Vatablus vertit. q.d. Non rapina, non fraude, non violenta tyrannide (vt solent non rarò magnæ vrbes) tu exsurges, cresces & stabilieris, sed iusta, pia & sancta vita, morumque innocentia. Quare apage fraudes omnes & dolos: PROCVL RECEDE A CALVMNIA, tibi nec necessaria, nec vtili. QVIA NON TIMEBIS, tuta Deo protectore contra omnem vim vel fraudem hostilem. Potiùs qui tibi antè hostis erat

℣.15. ACCOLA tuus, Gentilis populus, QVI NON ERAT MECVM, sed mihi aduersabatur? iam VENIET ad me colendum, mihique seruiendum, & ADIVNGETVR TIBI in eâdem Ecclesia Christi. Et verò quid timeas arma hostilia? tam ipsa, quàm qui ijs instruuntur, in manu mea sunt.

℣.16. EGO CREAVI FABRVM follibus SVFFLANTEM PRVNAS, & cudẽtem ferrum, & sic inde PROFERENTEM VAS, id est, instrumentum bellicum, gladium, hastam, arietem, &c. Pari modo EGO CREAVI INTERFECTOREM, id est, militem, hostem, tyrannum, pronum & promptum AD DISPERDENDVM] Si ego creaui, ergo non nisi ex me vires habent: nec nisi meo permissu quidquam valent. Porrò ex nunc addico tibi, quòd voluntate, directione & prouidentia mea

℣.17. OMNE VAS, omne instrumentum bellicum, QVOD ab ipsis FICTVM EST CONTRA TE, in tui ruinam, NON DIRIGETVR] id est, non habebit successum, non proficiet, non assequetur finem ad quem ab hoste dirigitur, vt scilicet te proterat aut pessumdet.

ET OMNEM LINGVAM detractricem vel calumniatricem, hæreticam, schismaticam, blasphematricem, RESISTENTEM TIBI & audentem se opponere IN IVDICIO, tu ipsa, ô Ecclesia, IVDICABIS in

BIS in proprio tribunali, conuictamque damnabis & punies.

Hæc sors & conditio tam lauta, tam locuples, tam sancta, tam potens, non semel, aut per interualla tibi aderit, sed perpetuò adhærebit quasi HEREDITAS ET IVSTITIA] id est, iustitiæ debitum. q.d. Tam exactè, tam accuratè, tam integrè illam procurabo Ecclesiæ meæ, atque si ex iustitia id illi deberem, vti reuerà ex promissione toties illi facta, vltrò volui debere.

CAPVT LV.

Enarrata cap. præcedenti opibus, gloria & splendore Ecclesiæ Christi, nunc ad eà capessenda singulos inuitat tum Iudæos, tum Gentiles.

¥. 1. OMNES SITIENTES & auidi veritatis & sapientiæ salutiferæ, VENITE AD AQVAS veræ & plenæ refectionis, nempe doctrinæ & gratiæ Christi. his explete sitim animi. Ijsdem penè verbis inuitat omnes ipsemet Christus Ioannis 7. *Si quis sitit, veniat (a) ad me, & bibat.* Hæc Christi doctrina & gratiæ erunt vobis VINVM ET LAC] Id est, plenæ epulæ ac deliciæ, gustui sapidissimæ, mentem suauissimè reficiêtes, recreantes, pascentes, & aliarum rerum omnium appetitum restinguentes. Chaldæus vertit, *audite absque pretio absque pecunia* (quæ solet magistris pro didactro à discipulis dari) *doctrinam meliorem vino & lacte*; LXX. *adipe*, seu flore *lactis*. Quod vt omni doctrinæ Christi, & omnibus Sacramentis propriè conuenit, ita in SS. Eucharistiam (b) maximè quadrat, teste S. Hieronymo, Cyrillo, Procopio & Leone Castrio.

a *Ioan. 7. v. 37. Matth. 11. v. 28.*

b *Zach. 9. v. 17. & ps. 80. v. 17.*

¥. 2. QVARE ARGENTVM vestrum, id est, LABOREM, vt sequitur, conatum, industriam, studia, APPENDITIS & expêditis NON IN PANIBVS, NON IN SATVRITATE] id est, non in cibo saturante; sed in vana huius mundi bona, opes, honores, delicias carnales, humanam sapientiam & eloquentiam, & alia quæ non possunt mentem saturare. Solus enim Deus & dona Dei, vti quietem, ita & satietatem animæ inducunt. Quod etiam Plato totidem penè verbis quot hîc Isaias, agnouit.

Plato lib. 6. de Repub.

¥. 3. FERIAM VOBISCVM PACTVM, seu fœdus, SEMPITERNVM, putà MISERICORDIAS FIDELES, id est, stabiles & firmas, DAVIDI à me promissas, tum alibi, tum psalmo 88. qui in Hebræo inscribitur, & in Latino quoque incipit, *Misericordias Domini in æternum*, &c. Continet verò hoc fœdus, & hæ misericordiæ Dauidi promissæ natiuitatem Messiæ ex semine Dauidis, thronum eiusdem & imperium æternum, liberationem per eum totius generis humani à peccato, ab inferno, à morte, &c. Vnde & S. Paulus Actor. 13. v. 34. resurrectionem Christi probat ex his Isaiæ verbis quasi Christo promissam: cui enim promittitur thronus æternus, ei etiam mortuo promittitur resurrectio, sine quâ non posset thronus obtineri in æternum.

¥. 4. ECCE DEDI EVM, scilicet Messiam filium meum, POPVLIS omnibus TESTEM, omni exceptione maiorem, pacti & fœderis mei iam ex parte mea completi. ita S. Hieronymus, Ambrosius, Cyrillus, Hesychius & Leo Castrius. Restat vt & vos præstetis quod ex vestra parte, vi fœderis inter nos initi, debetis.

¥. 6. QVÆRITE DOMINVM tum Deum, tum Christum, DVM PROPE EST, dum inter vos viuit & conuersatur, eâdem vobiscum carne indutus. Tempore enim nouæ legis longè propinquior nobis est Deus per humanam naturam quam Verbum assumpsit, quàm tempore antiquæ legis. *Rom. 13. v. 11.*

¥. 8. Non sunt COGITATIONES MEÆ, COGITATIONES VESTRÆ] q. d. Ego à vobis offensus non me gero, vt solent offensi homines, qui surdi ad preces offendentium nil spirant nisi minas & vindictam: &, si tandem reconciliari se sinant, id non nisi ægrè, parcè, ac ferè iniquis conditionibus admittunt: sed ego tanto excessu supero omnem hominum etiam pijssimorũ misericordiam, quanto *cælum* excedit *terram*, (c) id est, circulus immensus vnum punctum, seu centrum. ita S. Cyrillus, S. Thomas, & Sasbout.

c *Psal. 102. v. 11.*

¥. 10. QVOMODO DESCENDIT IMBER ET NIX DE CÆLO ad fœcundandam terram, ET ILLVC VLTRA NON REVERTITVR, supple, *vacua*, vt patet ex v. seq. (nam alioqui rursus resoluta in vaporem repetũt cœlum, seu locum nubium.) SIC VERBVM MEVM, id est, promissum hoc meum de nouo fœdere vobiscum, de Messia, de redemptione & gratia per ipsum toti orbi impertienda, ERIT efficacissimum, firmissimum, plenissimum, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, Haymo, Forerius.

¥. 12. QVIA IN ÆTITIA EGREDIEMINI è carcere & vinculis diaboli, peccati, inferni, & cum PACE, bonorumque omnium affluentia DEDVCEMINI ad Deum, ad iustitiam, ad cœlum. Vide an vacuum erit verbum meum. MONTES ET COLLES] id est, montium incolæ, vel, hyperbolicâ prosopopœiâ, (d) ipsi montes videbuntur exilire, iubilare, vobisque applaudere reductis è carcere in patriam.

d *Baruch. 5. 10 to cap.*

¥. 13. PRO SALIVNCA, vili & abiecta herba, vix è terra prosiliente, Virgilio, Plinio & Ruellio testibus, id est, pro vanis, vilibus & sceleratis operibus vitæ vestræ anteactæ; iam, vobis ad Christum reductis, ASCENDET ABIES ET MYRTVS, id est, opera heroica, sancta, odorifera. ita ferè Chaldæus, S. Hieronymus & Procopius. ET ita ERIT DOMINVS Christus, vel Deus per Christum, NOMINATVS ab hâc omnium gentium redemptione & saluatione, vniuersalis *redemptor* & *saluator*: idque IN SIGNVM, seu in monimentum gloriæ & victoriæ æternum. Sicut enim solent Imperatores nomen & titulum gentis alicuius à se deuictæ sibi assumere in perpetuum victoriæ istius trophæum & monimentum, v. g. Africani, Asiatici, Parthici, Germanici, &c. ita Christo erit nomen vniuersale *Iesu*, id est, saluatoris, nempe omnium gentium, perenne trophæum, & partæ de toto orbe victoriæ monimentum.

Virg. eclog. 5. Plin. lib. 21. c. 7. Ruell. lib. 2.

CAPVT LVI.

Hortatur Deus omnes, vt iustè viuendo comparent se ad salutem à Christo afferendam: neminem verò ait ab hâc salute repulsum iri, ne aduenam quidem vel eunuchum, vel similes qui lege Mosaica excludebantur (e) à priuilegijs populi Dei. Peculiari verò cura vocat Iudæos ad Christum amplexandum, rebellibus ac pertinacibus denuntians excidium per Romanos.

e *Deut. 23. v. 1. 3 & 8. & c. 7. v. 1. &c.*

¥. 1. CVSTODITE IVDICIVM ET FACITE IVSTITIAM, (f) id est, viuite iustè, rectè, piè. QVIA IVXTA EST SALVS MEA quam vobis afferet saluator Christus: ET IVSTITIA MEA] id est, iustificatio, quâ per Christum vos à peccatis liberabo, & gratiâ & gloriâ donabo.

f *Matth. 3. v. 2 & 10. Luc. 3. v. 14.*

¥. 2. CVSTODIENS SABBATVM] & quidquid lege

lege diuina præscribitur ad colendum, prout oportet, Deum.

¥.3. FILIVS ADVENÆ, Moabites, Ammonites, vel quicumque alius Gentilis, dummodò per fidem, spem, charitatem ADHÆREAT DOMINO, NON DICAT, SEPARATIONE DIVIDET ME DOMINVS A POPVLO SVO] id est, non faciet me Deus participem gratiarum & priuilegiorum, Abrahæ eiusque semini promissorum, quia ego ex isto semine non sum procreatus. ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus.

¥.4. ET NON DICAT EVNVCHVS: ECCE EGO LIGNVM sum ARIDVM] id est, sum sterilis & illiberis, & ineptus propagando populo Deiac proinde infamis, & priuilegijs eiusdem populi Dei excluſus. Deut. 23. vers. 1. Nam talibus eunuchis, maximè spiritualibus, (a) voto castitatis sponte castratis,

a *Matth. 19. v. 12.*

¥.5. DABO IN DOMO MEA, id est, in Ecclesia, ET IN MVRIS MEIS, id est, præcipuis munitionibus Eccl. six meæ, LOCVM, supple, honoratum & primum. Insinuat, cælibes in Ecclesia Christi primũ locum (b) occupaturos, in quo etiam à regibus alijsque principibus honorentur. In Hebræo pro, *loco* est *iad*, id est, manus. q. d. Dabo eis manum meam, non modò auxiliatricem, sed & fœderis specialis cum eis, adeoque & connubij spiritualis conciliatricem, inquit Sanchez. Sed ET NOMEN MELIVS atque illustrius dabo eis A FILIIS ET FILIABVS] id est præ omni nomine quod à filijs naturalibus quãtumcumque multis sperare vel adipisci possent. Virtus enim virginitatis aut vidualis continentiæ etiam coram hominibus famam, gloriam & memoriam longè nobiliorem conciliat, quàm ingens filiorum copia, inquit S. Basilius. Est enim virtus cælestis & angelica, totumque hominem condecorat, illustrat & consecrat Deo. teste S. Bernardo. Quin nec omnino steriles sunt virgines, inquit idem Bernardus. (c) Primò enim pariũt heroica opera pietatis, deuotiõnis & aliarum virtutum. Secundò, exemplo suo sancto plures ad Christi obsequium trahunt. Tertiò, suis opibus, seruitio & industriâ, quæ coniugati suæ impendunt familiæ, virgines venantur animas alioqui perituras: & sic carnalem sterilitatem spiritali fœcunditate longè feliciùs compensant. ita S. Ambrosius, Augustinus & alij Patres.

b *Sap. 3. v. 13.*

ידו

Basil. lib. de Vera Virginitate.

Bern. serm 85. in Cant.

c *Bernard. de Modo bene viuendi c. 22.*

Ambr. l. 3. de Virginibus, in initio.

August. l. 8. Confess. c. 11. & Matt. 12. v. 13.

¥.7. LÆTIFICABO EOS IN DOMO ORATIONIS (d) MEÆ] Id est, in templo, ad me orandum destinato exaudiam preces eorum, & concedam quidquid ad sui spiritualem profectum ac salutem petierint à me, atque ita exhilarabo illos iam votorum compotes.

HOLOCAVSTA EORVM propriè dicta, nempe sacrificia Eucharistiæ: & etiam alia metaphorica, nempe orationum & bonorum operum, PLACEBVNT MIHI] quin & placabunt me, inquit S. Hieronymus.

¥.8. CONGREGAT DISPERSOS (e) ISRAEL, id est, Israelitas toto orbe dispersos per Salmanasar, per Nabuchodonosorem, per Titum. q. d. Ne putetis, ô Iudæi, cùm aduenas, seu Gentiles, voco ad Ecclesiam meam, me vos ab ea excludere. Nam Ecclesia mea tam erit vestra, quàm Gentium: & sicut Gentes, sic & vos toto orbe dispersos ad eam colligam: ET CONGREGABO AD EVM, id est, ad Dominum, CONGREGATOS EIVS] id est, filios Israelis, qui sunt *Synagoga*, id est, congregatio, supple, populi Dei. Sed quia mihi vos, ô Iudæi, ad Christum adgregare volenti, non vultis obsequi vel obedire; huc adesdum:

e 1. *Petr. 1. v. 1.*

¥.9. OMNES BESTIÆ AGRI, milites Romani, hostes Iudæorum, VENITE AD DEVORANDVM Ierusalem, ad Iudæam deuastandam.

¥.10. SPECVLATORES Israelis, Scribæ, Pharisæi, Pontifices, CÆCI OMNES, auaritiâ, libidine, ambitione excæcati, NESCIERVNT VNIVERSI] imò videntes, scire noluerunt *tempus visitationis suæ*, quo tam benignè per Christum visitantur, & ad salutem inuitantur. Et hoc est Primum eorum vitium; Secundum, est ignauia mutorum canum; Tertium, otium & desidia; Quartum, ingluuies; Quintum, proprium iudicium, neglectis legibus diuinis; Sextum, inexplebilis auaritia; Septimum, obstinatio. Quòd si hæc vitia occupent pastores, quid de grege sperandum? & quis miretur, gregem non aliter custoditum lupis & alijs bestijs prædam fieri?

CAPVT LVII.

Vitijs pastorum, quæ occasio fuerunt excidij Iudæorum, subijcit aliam eiusdem causam, nempe eadem iniquam iustorum, maximè Christi Domini. Mox inuehitur in idololatras sui temporis, quibus minatur excidium per Chaldæos: pœnitentibus tamen, ac vel serò resipiscentibus, promittit reditum è Babylone in Iudæam per Cyrum; & sub typo Cyri, per Christum.

¥. 1. IVSTVS, qui rempub. suâ iustitiâ quasi columnâ fulciebat, morte seu naturali, seu violenta sublatus è vita, PERIT huic mundo: ET NON EST quispiam vestrûm QVI RECOGITET, qui doleat, qui curet de tanta iactura. ita Chaldæus, S. Thomas, Sasbout Forerius. Forsan alludit ad Ezechiam pijssimum regẽ recèns defunctum, cuius morte gaudebant Iudæi, quòd per illam porta ipsis aperiretur ad idololatriam, cuius hîc mentio v. 5. quam Ezechias semper inhibuerat. Vt vt est, certum est, Prophetam maximè respicere ad Ezechiæ antitypum Christum, qui est iustus iustorum, cuius cædes per Iudæos procurata, fuit causa excidij totius regionis per Romanos, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Theodoretus, Haymo, Hugo, Liranus hîc: item Tertullianus, Cyprianus, Rupertus, & alij à Leonc Castrio citati.

ET VIRI MISERICORDIÆ tum passiuæ, vtpotè ex singulari Dei misericordia orbi concessi, vt instar stellarum illum ornarent, illuminarent, fœcundarent: tum actiuæ, quia eximiam misericordiam proximis suis exhibent, eisque misericordiam & gratiam diuinam impetrant: v. g. Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, morbo vel martyrio COLLIGVNTVR è terrestri agro in horrea cælestia. Nec quisquam tanto damno vel tantillum commouetur: QVIA NON EST QVI INTELLIGAT aut capiat ingentia inde suboritura mala reip. Et *iustus* quidem sic sublato ægrè aut malè non est: A FACIE ENIM MALITIÆ, seu miseriæ & calamitatis ingruentis, COLLECTVS EST] ne ampliùs videat, ne sentiat mala, seu communia toti generi humano, seu particularia gentis & populi sui. Nulla enim vis aut malitia humana quidquam ampliùs in mortuum potest, inquit Haymo. Sic Ezechiam, (f) sic Iosiam, (g) sic Iacobum Alphæi, (h) sic Augustinum, (i) sic Alphonsum (k) Catholicum Galliæ regem præmatura morte è viuis ereptos legimus, ne malis reipublicæ suæ mox obuenturis inuoluerentur.

f *4. Reg. 20. v. 19. & Isa. 39. v. 8.*

g *4. Reg. 22. v. 20.*

h *Hist. Abdiæ.*

i *In vitâ S. Augustini.*

k *Tudensis. & ex eo Baronius anno Christi 737. in fine.*

¥.3. FI-

1 *Isaiæ* 2. *v.6.*

℣.3. FILII AVGVRATRICIS, id est, incolæ Ierosolymæ, augurijs (*a*) & diuinationibus deditissimi: SEMEN ADVLTERI ET FORNICARIÆ] id est, filij parentum adulterorum, nempe idolatriæ prostitutorum.

℣.4. SVPER QVEM LVSISTIS? id est, cui putatis vos illusisse? cui ludibria, conuitia, alapas, sputa, blasphemias & mille alias iniurias intulistis? SEMEN MENDAX] id est, filij adulterini, spurij, & degeneres à virtute parentum, Abrahæ, Isaac, Iacob, ceterorumque Patriarcharum.

℣.5. QVI CONSOLAMINI] Passiuè, id est, consolationé quæritis & hauritis, instar furiarum œstro percitarum, ex iugulatione propriorum natorum, in honorem nescio cuius idoli.

℣.6. IN PARTIBVS TORRENTIS, seu vicinis torrenti, PARS TVA quasi hereditaria. Id est, deliciæ & opes tibi videbantur posse colere idola in amœnis vallibus torrente irriguis.

b *Item.2. v.20.*

℣.7. SVPER MONTEM (*b*) POSVISTI CVBILE TVVM adulterij tui, nempe altare idolis.

℣.8. Quin ET POST OSTIVM domus tuæ, POSVISTI MEMORIALE TVVM, id est, imaginem idoli tui, vt tam intrans, quàm exiens, illius memoriam haberes, ciusque tutelæ te tuaque commendares. DILATASTI quoque, id est, multiplicasti, CVBILE adulterij tui, id est, altaria plurima idolis erexisti. MANV APERTA] Id est, liberali opum profusione in ornamenta altarium & templorum, in victimas, in munera, &c.

℣.9. ET VNGVENTO meretricio ORNASTI TE atque olidam reddidisti REGI, id est, idolo *Moloch*, qui Hebraicè *regem* significat. ita Sanchez & communiter interpretes. Sed Forerius per *regem* hîc accipi vult regem Assyriorum Teglath-phalassar,

c 4. *Reg.16. v.7.&c.* (*c*) cui Iudæi tempore Achaz occurrerunt cum balsamo & alijs pretiosis muneribus, ad illum sibi deuinciendum, *mittentes* ei obuiam LEGATOS suos PROCVL.

℣.10. LABORASTI & fatigasti te IN MVLTITVDINE VIÆ TVÆ, id est, in multiplicando studio & conatu tuo, nempe in idolis plurimis coaceruandis, ornandis, colendis: *neque* vmquam DIXISTI, Iam satis est, fatur sum, QVIESCAM. Si Deo placet, INVENISTI ex voto tuo VITAM MANVS TVÆ, id est, amasios tuos, corcula tua, nempe idola, quæ phrasi meretricia vocas *vitam* tuam, animã tuam, corculum tuum. Et lepidum sanè corculum, quod proprijs manibus tuis vel tuorum seruorum procudisti. PROPTEREA NON ROGASTI me ampliùs, nec mihi supplex facta es superba meretrix. Et verò quid fuit

℣.11. PRO QVO, seu propter quod, SOLICITA TIMVISTI idola ne tibi forsan nocerent, ET MENTITA ES mihi? id est, fefelliſti fidem coniugalem mihi ex pacto debitam, tum generali in Sinai Exodi 24. tum speciali circumcisionis Genes. 17. An QVIA EGO TACENS sum & dissimulo? sed non semper tacebo: nam breuî coram toto mundo

℣.12. EGO ANNVNTIABO IVSTITIAM TVAM] id est, quod tibi ex iustitia debetur, palàm faciam, tradendo te Chaldæis publicè puniendam.

℣.13. Cvmque tradita illis CLAMAVERIS ad me pro ope & liberatione, remittam te ad idola tua,

d *Deut 32. v.37.* LIBERENT TE nunc CONGREGATI (*d*) TVI, id est, dij tanto numero, tanto pretio, tanto studio à te coaceruati. Item Ægyptij & aliæ gentes tanto labore & sumptu & numero in auxilium tuum à te euocatæ & congregatæ. Sed heu! frustra: nam

A OMNES EOS AVFERET, dispergat, fugabit seu timor, seu dissensio, seu cacozelia, sicut VENTVS dissijcit palcas vel festucas. Non sic accidet ijs QVI FIDVCIAM HABENT MEI, id est, qui se suamque salutem mihi crediderunt: illi enim TERRAM sibi à me promissam, MONTEMQVE Sion tum terrestrem, tum cælestem, certò recuperabunt, ac securè POSSIDEBVNT.

℣.16. QVIA SPIRITVS, (*e*) id est, anima, ET FLATVS, id est, vita hominis, EGREDIETVR A FACIE MEA] id est, creatur à me, ideo amo hominem, facilèque pœnitenti, humiliato & compuncto misereor & ignosco. ita Chaldæus, S. Hieronymus, Cyrillus, Augustinus, Theodoretus & Forerius.

e *Genes.2. v.7.*

August. epist.146.

℣.17. ABIIT Israel à me VAGVS IN (*f*) VIA CORDIS SVI] id est, sequens passim quamuis animi sui prurigínem ac cupiditatem (quam hîc vocat *auaritiam*, inquit S. Hieronymus) & effrenem peccandi libidinem, nihil denegans animo suo, vel concupiscentijs suis.

f *Psalm. 80. v.13.*

℣.18. VIAS has EIVS tam periculosas, tam certò tendentes ad ruinam, VIDI oculo & animo paterno; & misertus populi mei, traxi eum in aliam viam, & flagellis Chaldæorum, aliorumque hostium eius cecidi eum, & sic SANAVI EVM: sanatum REDVXI ab exilio in patriam. ita S. Thomas, C Forerius, Hugo & alij.

℣.19. FRVCTVM LABIORVM, id est, mercedem & præmium orationis, quâ mihi supplex factus est populus meus, CREAVI ipsi PACEM, id est, liberationem, quietem & affluentiam omnium bonorum tum temporalium per Cyrum, tum spiritualium per Christum. ita Hugo & Sasbout. PACEM, inquam, tam EI QVI LONGE EST à patria, putà captiuis in Babylone, quàm EI QVI PROPE] id est, qui in ipsa Iudæa, vel in locis Iudææ vicinis habitant, inquit S. Thomas & Hugo. Allegoricè, tam Gentibus, quàm Iudæis. Sed hæc, inquit Propheta, non nisi pijs conueniunt & Deo fidelibus. Nam IMPIIS, cùm sint

℣.20. & 21. QVASI MARE turbatum & FERVENS, cùm perpetuo æstu cupiditatum, & flatu dæmonum agitentur, *nulla* potest esse PAX aut quies. Fructus enim omnis, qui ex tali agitatione sperari ipsis potest, est LVTVM IN CONCVLCATIONEM] nempe sordes & quisquiliæ, quæ tam à Deo, quàm ab hominibus contemnuntur & conculcantur.

CAPVT LVIII.

Cùm Iudæi, extisâ per Chaldæos Ierosolymâ, ad repropitiandum sibi Deum, instituissent ieiunium quarti, quinti, septimi, & decimi mensis, vt patet Zacharia 8 mirarẽturq́, & murmurarẽt, quòd ieiunantes non exaudirentur à Deo, neque captiuitate sua exsoluerentur; iubetur Isaias voce tubali ipsis denuntiare ieiunium tale, tot mixtum sceleribus, non placere, nec placare Deum. Requirit vnà cum ieiunio corporali etiam spirituale, putà abstinentiam à peccatis, & charitatem in pauperes. Quod si præstiterint, omnia illis fausta & læta obuentura.

℣.2. ME QVÆRVNT, non vt iratum placent, sed quasi sibi iniurium ad causam dicendã cogant. VOLVNT enim SCIRE VIAS MEAS] id est, consilia & rationes cur sic cum ipsis agam, accusantes me iniustitiæ & perfidiæ, quasi promissam ipsis pacem & pristina bona non restituam, inquit S. Cyrillus & Sanchez. & patet ex v.3. *Quare ieiunauimus, & non aspexisti?*

ROGANT ME IVDICIA IVSTITIÆ, id est, deposcant à me rationem factorum meorum, quasi iniquè cum eis agam: & APPROPINQVARE VOLVNT DEO] non ad illi supplicandum, sed ad litigandum cum eo coram tribunali iudicis alicuius iustioris.

℣.3. HVMILIAVIMVS; Hebraicè, *affliximus*, ANIMAS NOSTRAS] id est, nos ipsos, id est, ieiunauimus: nam Hebræi ieiunium vocant *humiliationem* (*a*) vel *afflictionem*. (*b*) Primò, quia ieiunium carnem affligit, & animi superbiam domat. Secundò, quia ieiunio adiungebant *cilicium & cinerem*, vt hîc insinuatur v.5. quæ corpus affligunt, & signa sunt animi humiliati.

a *Psalm.* 34. v.13.
b *Leuit.* 16. v.29.

ET NESCISTI, id est, non curasti, non remuneraſti, perinde ac si ignorares. Quid ad hanc impiorum querelam Deus? IN DIE IEIVNII VESTRI INVENITVR VOLVNTAS VESTRA, id est, obsequimini non diuinæ voluntati, mandato & imperio; sed proprio nutui ac libidini animi, v. g. auaritiæ, fastui, iracundiæ, luxuriæ, alijsque vitijs, ad quæ resecanda ieiunium institutum est. OMNES DEBITORES VESTROS, etiam qui soluendo non sunt, REPETITIS, inhumanè ac tyrannicè cogentes soluere.

℣.4. ECCE IEIVNATIS, non ad me placandum, sed AD LITES ET CONTENTIONES pro iudicio ac tribunali prosequendas, nempe vt capite sereniore, & largiore tempore, quod ieiunantibus abundantiùs suppetit, vacetis instruendis litibus quibus debita vestra repetitis. ita S. Thomas, Hugo & Sanchez. Neque solo iudicio publico pro tribunali debita repetitis, sed insuper priuata auctoritate cogitis & compellitis miſellos soluere quod non habent, PERCVTITISque EOS PVGNO IMPIE & inhumanè, adeò VT CLAMOR VESTER, quo & vos clamatis aduersus debitores vestros, & illos clamare atque eiulare cogitis, AVDIATVR IN EXCELSO cœlo, & vindictam à me deposcat. ita Forerius & Sasbout.

℣.6. DISSOLVE COLLIGATIONES IMPIETATIS, id est, iniquos contractus, v.g. vsurarios, vel paupeti nimis molestos. Hæc est prima conditio ieiunij spiritualis mihi grati & accepti. Secundò, SOLVE FASCICVLOS syngrapharū DEPRIMENTES pauperem; LXX. *dissolue obligationes violentarum cautionum*, quibus fratres tuos crudeliter opprimis. Tertiò, EOS QVI CONFRACTI SVNT dura seruitute, vel aduersa fortuna, & bonis exuti foro cesserunt, DIMITTE LIBEROS, ET OMNE ONVS, id est, debitum quo opprimuntur, DIRVMPE] LXX. *scripturam*, seu syngraphaim, *iniquam conscinde*. Quartò,

℣.7. CARNEM TVAM, id est cognatum, consanguineum tuum, putà omnem Israelitam, NE DESPEXERIS, ne destituas eleëmosynâ necessariâ. Inde multiplex tibi præmium consurget. Nam Primò,

c *Psalm.* 4. v.7.

℣ 8. ERVMPET LVMEN (*c*) TVVM, id est, felicitas & prosperitas tibi optata & sperata effulgere incipiet QVASI MANE, id est, instar auroræ & stellæ matutinæ, inquit Forerius & Sanchez. Secundò, SANITAS TVA CITIVS tibi ORIETVR, nempe tam animæ, quàm corporis & fortunarum. Tertiò,

d *Psal.* 111. v.9. *Actor.* 10. v. 35. & *Dan* 4 v.24. in *Hebræo.* e *Tobiæ* 4. v.11.

IVSTITIA (*d*) TVA ex misericordia in pauperes collecta, ANTEIBIT FACIEM (*e*) TVAM quasi fax & viæ dux ad lætiorem fortunam, imò ad cœlum. Quartò, GLORIA, id est, glorioſa protectio, DOMINI COLLIGET TE, & in tuto collocabit. Alludit ad Moysen, qui, cùm Iudæi Num. 14. v. 10. vellent eum lapidare, protectus est à gloria Domini super tabernaculo per nubem apparente.

℣.9. SI ABSTVLERIS CATENAM, seu seruitutis, seu debiti, quo proximus tuus tibi aduincitur & obstringitur: ET DESIERIS EXTENDERE DIGITVM, vel manum, vt LXX. putà ad irridendum vel subsannandum, vt S. Hieronymus, S. Thomas & Haymo exponunt: vel certè ad comminandum proximo, quasi velles ei oculos eruere, aut aliud graue malum coquere, vt inquit Forerius, Vatablus, & Sà. Sic suprà dicebat (*f*) de Sennacherib, *Agitabit manum suam super montem filiæ Sion.* f *Isaiæ* 10. v.32.

℣.12. ÆDIFICABVNTVR & instaurabuntur IN TE DESERTA SÆCVLORVM, id est, domus, vrbes, arces tuæ licèt à multis sæculis desertæ: & FVNDAMENTA GENERATIONIS ET GENERATIONIS, id est, multarum generationum, seu à multis sæculis diruta, iterum SVSCITABIS: eriſque ET VOCABERIS passim ÆDIFICATOR SEPIVM, seu instaurator vinetorum Iudææ, quorum sepes deiecerant Chaldæi, sed instaurarunt reduces Iudæi è Babylone. ita Sanchez. Sed Vatablus & Forerius per *sepes* intelligunt mœnia Ierosolymæ, quæ Nehemias instauravit, AVERTENS SEMITAS IN QVIETEM] id est, quiescere, seu cessare faciens aditus omnes, per quos seu bestijs, seu hostibus accessus patebat ad interiora vrbis vel vinearum & hortorum. Hieronymus Pradus & Thomas Bozius hæc accipiūt de collapsis olim templis Christianorum rursus instauratis: Procopius, de ruina hominum in primo parente per Christum instaurata. Potest etiam de reformatione statuum & Ordinum tum Religioſorum, tum sæcularium exponi. Sed sensu mystico: nam ad litteram sermo hîc est de instauratione Ierosolymæ, & sub eius typo, Ecclesiæ Dei. ita S. Hieronymus, Hugo & alij.

Bozius tom. 2. de Notis Ecclesiæ pag. 88.

℣.13. SI AVERTERIS PEDEM TVVM A SABBATHO transgrediendo, ne longius iter pedibus facias quàm sabbatho permittitur. Per synecdochē, sub *sabbatho* intellige quælibet festa, imò totum Dei cultum, vt suprà (*g*) dixi. Item si auerteris, seu caueris, FACERE VOLVNTATEM TVAM (*b*) IN DIE SANCTO MEO, id est, sabbatho. q.d. Si obsecutus non fueris propriæ concupiscentiæ & prurigini tuæ, festis diebus indulgendo gulæ & genio. &c. ET VOCAVERIS, id est, æstimaueris, colueris, SABBATHVM non vt diem profanum, vilem vel sordidum, sed DELICATVM, id est, instar rei delicatissimæ Deo tibiq; charum, SANCTVM ET GLORIOSVM DOMINI, id est, Deo sanctè colendo & glorificando destinatum: caueriſq; ne LOQVARIS SERMONEM] nempe *qui non prodest*; vt suprà v.9. id est, nihil loquaris, nihil agas quo proximo noceas. Et en tibi luculenta præmia.

g *C.56.v.2.*
h *Hic v.2.*

℣.14. Primum, DELECTABERIS SVPER DOMINO. q.d. Pro delicijs carnis, quibus mei causâ priuas genium tuum, ego tibi spirituales & cælestes dabo delicias, quæ tantùm excedunt carnales, quātùm cœli terris præcellunt. Secundò, SVSTOLLAM TE SVPER ALTITVDINES TERRÆ, id est, altiorem te faciam omnibus terris & terrenis bonis, etiam altissimis & maximis. Nempe mente fixus in cœlo, in æternitate, in Deo, despicies terrena omnia quasi punctum vnum, imò nihil. ita S. Hieronymus, Gregorius & alij. Tertiò, CIBABO TE HEREDITATE IACOB] id est, dabo tibi insignia illa, quæ promisi Iacobo *patri tuo*, nempe terram lacte & melle manantem in hac vita, in altera terram viuentium plenam cælestibus opibus &

Gregor. l. 18. Moral. c. 19. & l. 1. Regist. Epist. 5.

bus & delicijs, inquit idem S.Hieronymus, Cyrillus, Bernardus & Procopius.

Bern. serm. 21. in Cant.

CAPVT LIX.

Cur Iudæi à Babylone, alijsq; calamitatibus suis non liberentur, causam esse ait, non Dei impotentiam, vel surditatem, sed ipsorummet peccata multa & grauia, quæ Deum ad tales pœnas vel inuitum cogunt. Cumq; nemo esset qui placando Deo sese interponeret, ipse diuino suo vsus consilio remedium à suamet clementia & brachio petijt, mittendo Filium suum omnibus conuerti volentibus redemptorem, & noui fœderis Deum inter & ipsos instauratorem.

¥.1. NON EST QVI INVOCET IVSTITIAM, B supple, in consilium, vt secundùm eam iudicet: SED OMNES CONFIDVNT IN NIHILO] id est, in inani specie & larua iustitiæ, quâ velant auaritiam suam vel odium, vel alios animi motus.

CONCEPERVNT LABOREM. q. d. Animo nil aliud versant quàm violentam proximi oppressionem: in hoc perpetuò laborant, vt proximum laborare, gemere, dolere faciant; nihil aliud *parientes* quàm INIQVITATEM, iniuriam, calumniam, cædem innocentium. ita S.Cyrillus, S.Thomas, Forerius & Sanchez.

¥.5. OVA ASPIDVM RVPERVNT. Est prouerbium, quo significat, malignos impiorũ cõceptus & machinationes, vbi executioni mandantur, perniciem creare tum ijs in quos destinati sunt, tum ijs à quibus tanquam auctoribus ac parentibus processerunt: sicut rupto ouo erumpens aspis mordet tum alios præsentes, tum ipsum oui ruptorem. ita S. Hieronymus, Procopius, Haymo, Hugo & alij. Igitur non cibum inde sibi, sed mortem hauriunt: neque opes, vt sperabant, hac viâ parant, sed vilissimas. ARANEÆ TELAS, quæ nulli sunt vsui, quæ texentem euiscerant, & vix muscis captandis idoneæ sunt.

¥.8. SEMITÆ EORVM INCVRVATÆ] id est, studia & actiones omnes deprauatæ sunt; LXX. *peruersæ*, non rectæ.

OMNIS QVI CALCAT IN EIS, id est, qui insistit D semitis eorum, & actus prauos sequitur, IGNORAT PACEM, seu felicitatem: id est, inuoluetur miserijs, inquietudine, aduersitate, & mille doloribus. Neque verò dabitur, diu frui iniustè partis: neque sine dolore ijs spoliari continget, quin potiùs excruciabimur tanta iactura, &

¥.11. RVGIEMVS OMNES horrendè QVASI VRSI raptis catulis: quibus primò pariendis, dein lambendo formandis, tertiò nutriendis tam solicitè studuerunt: ET QVASI COLVMBÆ, seu turtures, amisso compare suo, perpetuò velut MEDITANTES gemunt, ita & nos GEMEMVS subtractis per Chaldæos & alios hostes omnibus rebus nobis E charissimis & optatissimis, quibus antea tanto studio insudaueramus. ita S.Cyrillus.

EXPECTAVIMVS quidem IVDICIVM, id est, vt aliquis nobis adesset iusto iudicio, & hostes & hostiles iniurias à nobis depelleret: sed NON EST neque in cælo, neque in terra repertus qui nobis patrocinaretur.

a *Isaiæ 3. v.9.*

¥.12. PECCATA NOSTRA RESPONDERVNT (*a*) NOBIS, nos dignos esse talibus pœnis, tali desertione, & promerito talione. Notat enim Forerius & Sanchez, quòd peccata, quasi echo respondeant peccanti, referantque eamdem vocem quam à clamante acceperunt. q.d. Sicut in fratres vestros fuistis impij & crudeles, ita iustum est, Chaldæos alioſque hostes sentiatis vicissim in vos sæuire.

¥.16. ET VIDIT Deus, QVIA NON EST VIR, id est, non est quispiam, seu hominum, seu angelorum, QVI irato Deo & flagellis armato OCCVRRAT; vel precè; vel pretio, ad imminentia mala, seu depellenda, seu redimenda: ET APORIATVS (*b*) EST, id est, anxius & perplexus hæsit, obstupescens, admirans, & quasi inops consilij in re desperata. ita Chaldæus & S.Hieronymus. Interim condolens & compatiens populo suo tam afflicto, tam ab omnibus deserto, consilium in arena cepit, & remedium à seipso petijt: ET SALVAVIT SIBI BRACHIVM SVVM, id est, opem sibi & salutem mundo quæsiuit à suamet potentia, rem totam proprijs viribus conficiens. ita Forerius, Vatablus & alij.

b 1. Cor. 4. v. 8.

ET IVSTITIA EIVS CONFIRMAVIT EVM] q.d. Destitutus iustitia aliena, vsus est propria; iustùm lytrum ac satisfactionem repetens ex meritis filij sui incarnati, quibus pro peccatis totius mundi ex rigore iustitiæ ad vltimum teruncium satisfieret. ita S.Cyrillus, Forerius, Sasbout & alij. Hoc fixo consilio, en adest filius Dei, instar archistrategi prosilit in arenam, armatur à capite ad talos, mundum, peccatum, dæmonem, tyrannos, & hostes omnes populi Dei propria manu debellaturus.

¥.17. VT LORICA INDVTVS EST IVSTITIA, propriè dicta; vel, si mauis, innocentia vitæ, quâ totum pectus obarmauit & corroborauit; cãdem C quoque *caput* suum communiuit, quasi GALEA SALVTIS, seu salutifera: reliquo etiam corpore INDVTVS EST VESTIMENTIS VLTIONIS, id est, cinctus est telis & armis ad vltionem sumendam idoneis, circumquaque OPERTVS ardenti ZELO QVASI PALLIO militari.

¥.18. Sic accinctus, INIMICIS SVIS, diabolo, inferno, &c. VICEM REDDET, id est, talionem vltionis, etiam INSVLIS] id est, Gentibus à Iudæa remotis, & vltra insulas habitantibus. Subiget enim omnes sibi suæque Ecclesiæ, sicut illi antè subegerant populum Dei. Vnde

¥.19. ET TIMEBVNT NOMEN DOMINI ET GLO- D RIAM EIVS, id est, maiestatem & potentiam tum Dei, tum Christi colent, reuerebuntur & suspicient omnes gentes, tam quæ ad Orientem quàm quæ ad Occidentem habitant: nempe quando Christus armis suis quæ iam vidimus, & militum discipulorum suorum phalangibus instructus, ad gentes illas debellandas VENERIT QVASI FLVVIVS VIOLENTVS & rapidus, QVEM SPIRITVS DOMINI, id est, ventus (*c*) ingens & validus, COGIT ac propellit. Huius enim in præceps ruentis cursum nemo sistere, nemo præpedire potest, quin exundãs omnia obruat & perfumdet. Ita nec Christum quis impedire poterit, cùm

c Genes. 35. v. 10. Psal. 35. v. 7. Ezech. 1. v. 4.

¥.20. VENERIT SION, id est, Ecclesiæ suæ, RE- E DEMPTOR, & saluator EIS QVI IN IACOB, seu in Israele, REDEVNT AB INIQVITATE ad iustitiam, à vanis cæremonijs ad sinceram religionem, à diabolo ad Deum. ita S.Hieronymus, Cyrillus & Procopius, imò S.Paulus ad Rom. 11. v. 26. Porrò quod iam dixi, de Messia mittendo Iudæis fidelibus redemptore,

¥.21. Hoc (vt explicat ibid. S.Paulus) FOEDVS MEVM est CVM EIS, id est, iam pridem ipsis sanctè promissi, & vi promissi istius ex asse complebo, donando illum mundo non secundùm carnem solam, vel præsentiam carnalem, vt vobiscum conuersetur; sed etiam quoad spiritum & spiritalia dona, quibus vos iustificabit & sanctificabit. Erit au-

tem *spiritus* eius idem qui *meus*, nempe Spiritus sanctus, non minùs ab illo, quàm à me procedens. Et hic SPIRITVS MEVS, qui per Christum donatur tibi, ô Ecclesia, & iam EST IN TE, item VERBA MEA, id est, dona Spiritus sancti à me tibi promissa, QVÆ POSVI IN ORE TVO, id est, quæ me reuelante tibi iam innnotuerunt, tibi obuenerunt, & grato animo passim deprædicantur à te, NON RECEDENT DE ORE TVO, ET DE ORE SEMINIS TVI] id est, numquam desinent tibi tuisque filijs inhærere, & ab illis deprædicari in æternum.

CAPVT LX.

Ob eximia dona in fine capitis præcedentis promissa Ecclesia, congratulatur illi Propheta, miram eius felicitatem graphicè depingens, vti & propagationem, imperium, opes & gloriam eiusdem, seu militantis in terra, seu triumphantis in cælo.

¥. 1. SVRGE ô IERVSALEM, è sordibus scelerum, è tenebris ignorantiæ & errorum ILLVMINARE] id est, excipe lumen fidei & gratiæ, Christum solem iustitiæ: age, fruere cælesti luce, quâ irradiaris tu sola in vniuerso orbe. ita Tertullianus S. Ambrosius, Augustinus, Cyrillus, Procopius, Theodoretus, & alij à Leone Castrio citati.

¥. 3. ET AMBVLABVNT GENTES IN LVMINE TVO] nempe, tu instar speculi hauries prima cælestẽ hanc lucem, quam deinde vibrabis in reliquum orbem, ipsumque totum illuminabis, & quasi pharus illustri face coruisca, Gentes vndique è mari, è terra ad te trahes, & ad Christum deduces. Ita insinuat S. Paulus ad Ephes. 5. v. 14. & 2. ad Corinthios 3. v. vlt.

¥. 6. DROMEDARII; vel, vt alij, *dromades*, pulli sunt camelorum, à velocitate cursus sic dicti: nam *Lidius l. 7. in bello Macedon. Plin. lib. 8. c. 18.* δρόμος cursum significat. ita Liuius, Plinius, & alij.

MADIAN ET EPHA regiones sunt trans Arabiam, camelis abundantes, ita dictæ à *Madian* filio Abrahæ ex Cetura: (*a*) & *Epha* filio Madian. (*b*) Totaque regio vocatur *Saba*, è qua tres Magi duce stella ad Christum venerunt, Matth. 2. vt alibi (*c*) dixi.

a Genes. 25. v. 2. *b Ibid. v. 4.* *c 3. Reg. 10. v. 1.*

¥. 7. CEDAR & NABAIOTH regiones sunt Arabiæ inter mare Rubrum & sinum Persicum, ouibus & alio pecore abundantes, quarum incolæ dicti sunt Cedareni & Nabathæi, à filijs Ismaelis (*d*) eiusdem nominis inquit S. Hieronymus: qui per hasce gentes hîc nominatas vult intelligi quasuis alias, quantumuis vagas, barbaras & agrestes: sicut per AGRVM, THVS *& pecora*, quasuis opes, diuitias, merces, munera, quæ ad cultum Dei cohonestandum, non quidem vt victimæ carnales (iam pridem abolitæ) sed vt piæ oblationes fidelium, dicantur Deo, & Ecclesiæ donantur, SVPER ALTARI PLACABILI, id est, placente & grato Deo. Nam ad altare & sacrificium Eucharisticum pro dignitate instruendum tendunt omnia fidelium munera quæ ecclesijs fiunt. Et per ea *glorificatur* DOMVS MAIESTATIS Dei, id est, Ecclesia, in qua Deus gloriam, potentiam, maiestatem suam peculiariùs ostendit per tot gratias, miracula & dona spiritualia. ita S. Hieronymus, Procopius & alij.

d Genes. 25. v. 13.

¥. 8. QVI SVNT ISTI tam multi, tam remoti, tam incogniti populi, QVI ad Ecclesiæ gremium VT NVBES VOLANT? ET QVASI COLVMBÆ AD FENESTRAS SVAS] Chaldaicè, *ad columbaria*, quæ foraminibus, seu fenestris plena sunt. ita S. Hieronymus, Ambrosius & alij. Sed idem Hieronymus, itemque S. Augustinus, Gregorius, Rupertus per nubes & columbas accipiunt Apostolos & Apostolicos verbi diuini prædicatores, maximè ad Indos, inquit Thomas Bozius: & Fredericus Lumnius de Patribus Societatis Iesu nominatim exponit. Vlysses Aldrouandus putat, nomine *columbæ* etiam alludi ad Christophorum *Columbum*, qui Europæis iter in Americam primus aperuit.

Ambros. in fine libri de Fuga seculi. August. in psal. 96. v. 4. Greg. hom. 18 in Ezech. Fred. Lumnius de Vicinitate extremi iudicij. Bozius de Signis Eccl. tom. 2. Vl Aldrou. l. de Auibus in colũba.

¥. 9. ME ENIM IN PRINCIPIO; LXX. *inprimis*, seu præcipuè, auidissimè, EXSPECTANT INSVLÆ, id est, insulani, transmarini, & qui incolunt & tractant NAVES MARIS.

¥. 10. ET ÆDIFICABVNT FILII PEREGRINORVM MVROS TVOS] nempe Cyrus, Darius & Artaxerxes muros Ierosolymæ, 1. Esdræ 6. & 7. Et Constantinus, Theodosius, Carolus, alijque principes Gentiles opibus suis instruent vrbes tuas & templa. Et Allegoricè, viri Apostolici verbo, exemplo, sanguine suo construent, propagabunt, tuebuntur Ecclesiam Christi.

¥. 11. APERIENTVR PORTÆ TVÆ IVGITER] Primò, propter pacem & tranquillitatem Ecclesiæ, quæ nullius hostis metu quemquam excludet, aut portas occludet. Secundò, propter ingentem & continuum populorum affluxum tam nocte aduersitatis, quàm die prosperitatis. Hoc Anagogicè, applicat Ierosolymæ cælesti S. Ioannes Apoc. 21. v. 25.

¥. 12. GENS ET REGNVM QVOD NON SERVIERIT TIBI, PERIBIT, ET SOLITVDINE, id est, vsque ad solitudinem, VASTABITVR] non rarò etiam in hac vita. alludit ad arcam Noë. Exempla suggeret Bozius & Ecclesiasticæ Historiæ, etiam nostrorum temporum.

Bozius sup.

¥. 13. GLORIA LIBANI, nempe cedri, abietes, pini, aliæque arbores odoratæ & solidæ; AD TE VENIENT SIMVL, ADORNANDVM LOCVM SANCTIFICATIONIS MEÆ, id est, quem mihi meoque cultui speciatim dedicaui, ET LOCVM, seu scabellum, PEDVM MEORVM] nempe Ecclesiam meam militantem in terris, quæ est quasi scabellum pedum Dei, in cælesti throno residentis. Alludit ad arcam fœderis, Exodi 25. v. 22.

¥. 15. PONAM TE IN SVPERBIAM id est, magnificam sublimitatẽ (*e*) SÆCVLORVM, seu omnibus sæculis, cui nihil simile visum fuerit vllo sæculo. ita Vatablus. Hæc Constantino, Theodosio, Honorio & alijs Imperatoribus Christianis applicat S. Augustinus, Theodosio iuniori eiusque sorori Pulcheriæ Socrates, Iustiniano Euagrius, Heraclio Zonara, Godefrido Bullonio Tyrius, alijs alij.

e Prou. 8. v. 18. & Isaiæ 61. v. 6. Augustl 5. de Ciu. Dei c. 23. 25. 16. Socrat l. 7. Hist. cap 18. Euagri l. 4. c. 16. &c. Zonaras to. 3. Annal. Byzantin. Tyrius de Bello sacro l. 6. & c.

¥. 16. SVGES LAC GENTIVM; Chaldæus, *satiaberis diuitijs populorum*, ET MAMILLA REGVM] Id est, delicijs, opibus, splendore affluës, vt solent reges, qui etiam erunt nutritij tui, vt dixi c. 49. v. 23. ita Cyrillus & Procopius

¥. 17. PRO ÆRE AFFERAM tibi AVRVM] Alludit ad Salomonem, (*f*) sub quo auri & argenti tanta fuit copia, quanta æris, ferri & lapidum. q. d. Ecclesia Christi gaudebit affluẽtia opum Salomonicarum, non solùm materialium (quas per vniuersum orbem sparsa Ecclesia longè ampliores possidet;) sed & spiritualium, sapientiæ, doctrinæ, donorum, virtutum, talentorum, quibus multum superat opes Synagogæ, inquit S. Hieronymus & Cyrillus.

f 3. Reg. 10. v. 17.

ET

ET VISITATIONEM TVAM, id est, pro te qui te visitant & pascunt, PONAM PACEM, id est, faciam pacificè regnare, ET PRÆPOSITOS; LXX. *episcopos*, TVOS ponam IVSTITIAM] id est, curabo iustè tibi præsidere. q.d. Loco turbulentorum & iniquorum exactorum, qui solent emungere subditos, præficiam tibi Superiores æquissimos & pacis studiosissimos, vt videantur esse ipsa pax & iustitia. Vide, quales velit Deus Episcopos, Pastores & Prælatos suę Ecclesiæ. Porrò ex his fontibus promanabit toti Ecclesiæ sanctitas.

¥.18. NON AVDIETVR VLTRA INIQVITAS IN TERRA TVA] nempe quæ liceat, & publicis legibus imperetur, suadeatur, permittatur, vt antè fiebat. Quamquam hęc, vt & omnia sequentia, magis spectent statum Ecclesiæ triumphantis, ad quem hîc Propheta assurgit.

¥.19. NON ERIT TIBI AMPLIVS SOL PER DIEM, NEC SPLENDOR LVNÆ per noctem, id est, non erunt alternantes in te vices *solis & lunæ*, neque eclipses, neque decrementa, neque recessus, neque occasus, SED LVX TIBI aderit SEMPITERNA, nempe DEVS TVVS] hîc radijs suæ doctrinæ, fauoris & gratiæ continuò te illuminans; in cælo verò lumine gloriæ & beatificæ visionis æternùm recreans. ita S. Ioannes Apoc. 21. v. 4. & 23.

¥. 21. POPVLVS TVVS OMNES IVSTI] Nemo enim potest esse iustus nisi quire, vel saltem voto sit de Ecclesia Christi. ita Gabriel Aluarez, qui in hoc distinguit Ecclesiam Christi à Synagoga: quòd huius cæremonijs ac ritibus nemo teneretur, nisi qui esset ex posteris Abrahæ: ceteri si legẽ solam naturalem obseruarent, poterant esse iusti & saluari. at publicato Euangelio, ad iustitiam & salutem requiritur etiam obseruatio legis positiuæ à Christo additæ, & ingressus in eius Ecclesiam, saltem desiderio, vt iam dixi.

IN PERPETVVM HEREDITABVNT TERRAM] etiam hanc materialem: nam Ecclesia Christi durabit non per pauca sæcula, vti Synagoga, sed vsque ad consummationem sæculi, & deinceps in æternum.

¥.22. MINIMVS Ecclesiæ surculus ERIT excrescens IN MILLE alios surculos. Vnus Petrus, vnus Paulus, vnus Antonius, vnus Benedictus in quot millia? ita S. Hieronymus & Cyrillus. SVBITO, id est, breuî, FACIAM ILLVD; Hebraicè. *festinare faciam illud*, IN TEMPORE EIVS] id est, ei Ecclesiæ à me præstituto.

CAPVT LXI.

Per orationem Christus hic instituit de suo officio ac beneficijs in vniuersum genus humanum. Describit, quales futuri sint ministri & pastores Ecclesiæ: qua sibi ob ingentia beneficia à Christo accepta gratulatur, iubilat, & Deo gratias agit.

¥. 1. SPIRITVS DOMINI sanctus descendit, & requieuit SVPER (*a*) ME, primùm occultè in conceptione mei, dein palàm & publicè in baptismo, cùm ad munus docendi & prædicandi à Patre mihi impositum accingerer: EÒ QVOD DOMINVS ME ad id munus VNXERIT] constituendo me caput, regem, doctorem, & redemptorem vniuersi. Ita hæc de seipso disertè explicat ipse Christus Lucæ 4. v. 18. & Petrus Actor. 10. v. 38.

a Isaiæ 11. v. 2.

¥.2. VT PRÆDICAREM toti orbi ANNVM DOMINO PLACABILEM; LXX. & ex ijs S. Lucas, *acceptum*, id est, tempus gratissimum & iucundissimum A Deo & hominibus. Hebraicè, *annum diuinæ beneuolentiæ* ac propensi affectus. Alludit ad annum iubilæum, (*b*) in quo omnes serui fiebant liberi, omniaque debita dissoluebantur & condonabantur. Et hæc pro populo Dei: hostibus verò DIEM VLTIONIS. quo Deus per Christum vlciscetur se & amicos suos de impio & crudeli tyranno diabolo & omnibus assecl is eius. Alludit ad annum liberationis Iudæorum à Babylonica captiuitate per Cyrum: nam idem ille erat annus vltionis Chaldæorum, vt suprà vidimus. Hanc vltionem cœpit Christus dum nobiscum viueret, continuabitque vsque ad diem extremi iudicij, imò in omnem æternitatem. ita S. Cyrillus, Beda, Tolctus & alij.

b Exodi 32. v. 11. Leuit. 25. v. 2. &c.

Toletus in Luca 4.

¥.3. IN EA Sione, id est, in Ecclesia Christi, erunt & VOCABVNTVR & publicè celebrabuntur FORTES IVSTITIÆ ministri, inquit Forerius, sicut erant olim *fortes Dauidis* milites & duces. Hi sunt Apostoli, Martyres, & tot alij sancti Patres Doctores, Virgines, fortissimi iustitiæ propugnatores, & aduersus dæmonem pugiles acerrimi.

2. Reg. 23. v. 8.

PLANTATIO DOMINI AD GLORIFICANDVM] Id est, plantæ seu arbores à Deo plantatæ ad eius gloriam vbique celebrandam.

¥. 4. Hi ÆDIFICABVNT DESERTA *seculorum*, vt suprà c. 58. v. 12. Neque tamen ex sola Sione, seu Iudæa, sed &

¥.5. Ex *alienis*, seu alienigenis, & *peregrinis*, id est, ex Gentilibus ad Christum conuersis, STABVNT in Ecclesia Pastores, Episcopi, Doctores. ita S. Hieronymus, Procopius, Forerius, Vatabl. & Sasbout.

¥.6. VOS AVTEM, ô Sionitæ, id est, ex Iudæis ad Christum conuersi, vos nempe Apostoli, SACERDOTES (*c*) DOMINI VOCABIMINI, per antonomasiam, id est, hierarchæ & principes sacrorum, MINISTRI DEI primarij, intimi ac familiares regi Christo. ita S. Hieronymus, à Lapide & Gabriel Aluarez. Hoc ad solatium simul & ad gloriam spectabat Iudæorum ad Christum conuersorum, quòd primos ac primarios Ecclesiæ Hierarchas haberent ex sua gente.

c 2. Reg. 8. v. 18 & c. 20. v. 26. & 1. Par. 18. v. 17.

FORTITVDINEM GENTIVM id est, quidquid Gentes reddit fortes, putà diuitias, robur, ingenium, eloquentiam, industriam, VOS COMEDETIS, id est, in vsus vestros conuertetis cum gustu & gaudio: ET IN GLORIA EARVM SVPERBIETIS] id est, eritis glorioſi, & *admirabiles*, vt LXX. vertunt; Aquila, *in gloria earum purpurâ vestiemini*. q.d. Reges eritis. regio ornatu illustres. Non tamen sine cruce. Sed

¥.7. PRO CONFVSIONE VESTRA DVPLICI, id est, multiplici, cùm probra & verbera à tyrannis patiemini, LAVDABVNT PARTEM SVAM] Enallage (*d*) est personæ tertiæ pro secunda: dicendum enim, *Laudabitis partem vestram*, id est, gratulabimini vobis ob talem ministerij sortem, quæ vobis quasi primogenitis Christi filijs obuenit, vnà cum tanto fructu & honore crucis. ita S. Hieronymus, Haymo, Forerius, Vatablus & alij.

d In Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 44.

PROPTER HOC DVPLICIA, id est, multiplicia & maxima præmia, nempe dona Spiritus sancti, POSSIDEBVNT non solùm in cælo, sed & IN TERRA hac SVA] Alludit ad *duplicem spiritum* Eliæ, (*e*) quem sibi tamquam primogenito filio Eliseus deposcebat.

e 4. Reg. 2. v. 9.

¥.8. EGO DOMINVS sic statui de meis Apostolis, quos principes Ecclesiæ meæ esse volo, loco impiorum pontificum Iudæorum, quia horum sacrile-

sacrilegia ODIO HABEO, quibus mihi offerunt IN A HOLOCAVSTO RAPINAM, id est, rapto acquisita, auara & iniusta lucra, viduis, orphanis, alijsq; pauperibus extorta. ita S. Hieronymus. At OPVS Apostolorum, quo ipsi me colẽt, DABO (id est, efficiam vt sit) IN VERITATE] id est, vt ab ipsis fiat non dolosè, vt à Pharisæis & Pontificibus Iudæis, non iniustè, non ex rapina, nõ ex hypocrisi, sed fideliter, sincerè, iustè & piè. ita S. Hieronymus, Forerius & Vatablus. Sed Chaldæus, LXX. Osorius. Mariana, Sà, & Sanctius per *opus* intelligunt fructum & mercedem operis, quam & amplissimã daturus sit Deus, & stabilem, firmam ac perpetuam redditurus. Nec solis hæc Apostolis promittit Deus, sed

℣.9. etiam *semini* EORVM ET *germini*, id est, filijs spiritualibus Apostolorum putà fidelibus per eos Christo genitis. Hos enim SCIENT passim IN GENTIBVS, id est, toto terrarum orbe, esse SEMEN CVI (*a*) BENEDIXIT DOMINVS] nempe filios & heredes Patriarcharum, quibus tam amplas benedictiones impertiuit Deus. Porrò ob tam eximia beneficia mihi à sponso meo collata,

a *Genes* 27. v. 27.

℣.10. GAVDENS GAVDEBO] inquit Ecclesia, quia exornor ab illo copiosâ gratiâ *iustitiâ & salute* quasi cyclade regia & *veste* nuptiali, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius & Rupertus.

CAPVT LXII.

Isaias publicè fatetur se à precibus non cessaturum, donec Ecclesiæ salus & saluator Christus aduenerit. Iurat Deus, quòd eam non amplius tradet hostibus diripiendã: iubetq; vt omnibus ad eam aduentantibus via paretur.

℣. 1. PROPTER SION ET IERVSALEM, id est, propter Ecclesiam Dei: cuius, vtpotè summè mihi delectæ, salusadeò mihi curæ & cordi est, vt à precibus *cessare* non decreuerim, donec depulsis longæ noctis tenebris, tandem aliquando emergat & EGREDIATVR, VT SPLENDOR solis, IVSTVS EIVS, ET SALVATOR Messias, qui VT LAMPAS cælestis vniuersum orbem illuminabit, accendet, fœcundabit.

℣.2. ET VOCABITVR TIBI, ô Ecclesia, NOMEN NOVVM] quod exprimitur v.4.

℣.3. ERIS CORONA GLORIÆ, seu glorioſa, ET DIADEMA REGNI, seu regium: IN MANV DEI] id est, non tua, sed diuina virtute partum, adeò in prętio & delicijs ipsi Deo, vt tamquam rem iucundissimam sibique gratissimam, simul & honorificentissimam semper manibus teneat, ob oculos verset, & coram alijs ostentet, Sicut enim *corona* seu *diadema*, insigne est honoris & potestatis, seu pontificiæ, seu regiæ, item victoriæ vel nuptiarum; ita Ecclesia dæmoni erepta, & Christo desponsata, insigne est Dei & Christi, quo palàm vbique fit ipsum esse sponsum, victorem, regem, pontificem, redemptorem glorioſissimum, augustissimum, splendidissimũ. Simili sensu Prouerb. 17. *filij* probi vocantur *corona* parentum: & Paulus Thessalonicenses vocat *coronam* suam *gloriæ*.

1. *Thess.* 2. v. 19.

℣.4. VOCABERIS, id est, non solùm eris, sed & publicè cognosceris esse, & passim appellaberis, VOLVNTAS MEA IN EA. En nouum Ecclesiæ nomen, de quo v. 2. Hebraicè, est *chepsi ba*, id est, beneplacitum meum, complacentia, delectatio, deliciæ meæ. Sic Lucæ 2. angeli pacem apprecantur *hominibus bonæ voluntatis*, id est, quibus Deus suam bonam voluntatem & affectum exhibet. ita S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Forerius & alij.

חפצי בה

Luc. 2. v. 14.

℣.5. HABITABIT IVVENIS sponsus CVM VIRGINE sponsa. q. d. Pacificè contrahentur connubia, quæ tempore belli, iuuenibus in castra abductis præpediri solent. Chaldæus & LXX. addunt voculam, *sicut*. q. d. Sicut iucundissimè cohabitat sponsus cum sponsa, ita conuiuent fideles in Ecclesia Christi. ita S. Hieronymus & Cyrillus.

℣.6. SVPER MVROS TVOS CONSTITVI CVSTODES. Id de SS. angelis tutelaribus exponunt S. Hieronymus, Hugo & Bernardus; alij, vt S. Cyrillus & S. Thomas, Prophetas, Pastores, Doctores intelligi volunt. NOCTE TOTA NON TACEBVNT, id est, nunquam cessabunt inuigilare custodiæ & protectioni tuæ, hostiumque insidias vel insultus detegere. Vos ergo ô fidi custodes, QVI REMINISCIMINI DOMINI, id est, qui admonitores estis, & quasi mediatores apud Deum & populum, quorum officium est interpellare Deum pro populo, & populum monere quid sui sit officij; NE DETIS SILENTIVM EI, nempe Deo, id est, ne sinatis quiescere Deum, sed meo exemplo (*b*) iugiter clamate ad aures eius, DONEC misso in orbẽ Messia STABILIAT IERVSALEM, id est, erigat, corroboret, propaget vbique Ecclesiam suam, PONATque eam toti mundo in LAVDEM & gloriam, vt ab omnibus populis laudetur & glorificetur.

Bern. serm. 4. de Dedic. Ecclesia.

b Supra v. 7.

℣.10. TRANSITE, ô vos custodes Sionis, PER PORTAS etiam aliarũ vrbium & regionum, PRÆPARATE omni POPVLO VIAM ad Christum, vt plana, facilis & amœna sit: ELIGITE LAPIDES & è via semouete, vt habent LXX. nempe ne pedes adcurrentium offendant: ELEVATE SIGNVM, id est, vexillum militare, quo POPVLOS omnes quasi milites ad Christum euocetis. Quod de vexillo crucis exponunt S. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Forerius & alij.

Isaiæ 11. v. 12.

℣.11. ECCE DOMINVS per tubam Euangelij AVDITVM FECIT clangorem etiam IN EXTREMIS finibus TERRÆ. Quis hic clangor? DICITE, ô vos custodes Sionis. nuntiatum cælitus FILIÆ, id est, *cœtui*, Sionis, inquit Chaldæus: ECCE SALVATOR TVVS, tibi à tot sæculis promissus, iam VENIT (*c*) in mundum, iam adest debellaturus omnes hostes tum suos, tum vestros. Ad eum ergo properate omnes gentes, vt salutis ob eo procurandæ fiatis participes. Vnde Matth. 21. vers. 5. aptantur hæc verba Christo cùm in die palmarum inueheretur Ierosolymam. ECCE MERCES EIVS, id est, præmium quod sibi obsequentibus dabit, CVM EO est: ET OPVS EIVS CORAM ILLO] Explicui v. 40. v. 10. Porrò accurrentes ad vexillum Christi

c Zach. 9. v. 9.

℣.12. VOCABVNTVR, POPVLVS SANCTVS, vtpotè REDEMPTI A DOMINO (*d*) ex vnguibus peccati, dæmonis, inferni, Et TV, ô Ecclesia, eris & vbique VOCABERIS CIVITAS QVÆSITA ab omnibus, exoptata, expetita à toto orbe. Ex quo patet, Ecclesiam Christi non modò conspicuam & visibilem esse, sed & Catholicam, seu vniuersalem, ab omnibus populis quæsitam, repertam, inhabitatam.

d Psal. 106. v. 2.

CAPVT LXIII.

Christi iam victoris, & adhuc hostili sanguine cruentati triumphus: Ecclesiæ ob accepta per illum beneficia gaudium & congratulatio: & vt beneficia æternùm durent, supplicatio.

℣. 1. QVIS EST ISTE QVI VENIT DE EDOM? id est, ex Idumæa: & è BOSRA, quæ est Idumææ

a Isaiæ 34. v.6. Idumææ(a)metropolis.Erat tamen & alia eiusdem nominis ciuitas in Moab, inquit S.Hieronymus. Sed per hæc duo nomina designantur etiam alij omnes hostes populi Dei.Allusio quoque est ad etymon Bosra, quod vindemiam; & *Edom*,quod b Genes.25. v.30. rufum *(b)* significat.q.d. Quis est victor iste & triumphator, qui madens sanguine hostili ex rubra & cruenta pugna,& quasi è vindemia, totus ruber procedit? Hanc interrogationem vult Osorius, Vatablus, Sasbout & Sanchez esse Isaiæ: Forerius & à Lapide & plures alij, esse Ecclesiæ primitiuæ: angelis eam adscribunt S.Dionysius, Dion. Cal. hierar.c.7. Origenes,Hieronymus,Cyrillus, Ambrosius,Augustinus: diabolo S.Athanasius, & ex eo Concilium Constantinopolitanum tertium.Respondet Orig.hom. 15.in Matt. Ambr.l.de Instit.virg. c.5. Christus:

Ego is sum QVI LOQVOR IVSTITIAM; id est, qui iustam sententiam & profero & exequor,*propugnans* AD SALVANDVM genus humanum. ita Sasbout, Forerius & alij. August. ser. 5.de ascensione. Athan.l.de Adu. Christi Concil. Const.III. action.8.

℣.4.VENIT ENIM,& iam adest, DIES VLTIONIS,quam destinaui IN CORDE MEO aduersus hostes meos.Sed idem ille dies exitialis hostibus,saluti erit ciuibus & amicis meis, vt dixi c.61.v.2.Ad hanc vltionem sumendam

℣.5. BRACHIVM MEVM SALVAVIT MIHI] de quo vide c.59.v.16.Porrò beneficiorum diuinorum molem mirata Ecclesia,

℣.7.Laudat Deum quanto potest affectu,tum ob præstita perpetuò beneficia, tum ob tolerata patienter rebellis populi ingratitudinem. Nam cùm ob enormia sua scelera exstirpari merentur,

℣.8.DIXIT Deus: VERVMTAMEN; Hebraicè, *vtiq;* certè, POPVLVS MEVS EST: filij mei, sunt. cruntque vt spero, FILII NON NEGANTES, Hebraicè,*non mentientur*, non fallent,supple,fidem mihi datam in Sinai Exodi 24. Loquitur Deus more humano, more parentis de filio prodigo desperare nolentis.Vnde quoties inciderunt Israelitæ in aliquas calamitates,toties FACTVS EST EIS SALVATOR.

℣.9.IN OMNI TRIBVLATIONE EORVM, id est, quãdocumque ipsi aduersitate opprimebãtur;ipse Deus NON EST TRIBVLATVS, id est,non passus est se opprimi sua ira vel zelo,vt eos planè abijceret & desereret;sed leui prece Moysis reconciliatus, & modica castigatione contentus, misit statim ANGELVM FACIEI SVÆ, id est, angelum iugiter sibi præsentem(c)& assistentem in cælo, in terra verò faciem(d)& personam Dei referentem:eiusque vicarium: putà Archangelum *Michaelem*, qui perruptis omnibus difficultatibus SALVAVIT EOS.Licèt c Tobiæ 12. v.12.& Apoc.4.v.4. d Exodi 33. v.14.

℣.10. IPSI sæpiùs rebelles AFFLIXERINT SPIRITVM,id est,animũ, SANCTI EIVS,(e) id est,Moysis. ita S.Thomas, Sasbout, Liranus, Sanchez & alij.Cùm ergo *debellaret* EOS Deus,nunc per Philisthæos,nunc per alios hostes; e Psal.105. v.16.& 32.

℣.11. RECORDATVS semper EST DIERVM SÆCVLI,id est, antiquorum temporum,MOYSIS sibi fidelis,ET POPVLI SVI,adeò sibi chari & dilecti.Itaque ob gratiam & merita Moysis, item ob affectum populi sui,olim à se quasi in (f) primogenitum filium electi,misertus est eius,misitque ei saluatores,(g) nunc Gedeonem,nunc Iephte,nunc alios. f Exodi 4. v.22. g Iudic.2. v.18.

VBI nunc EST idem ille Deus,QVI POSVIT IN MEDIO gregis sui SPIRITVM SANCTI SVI] id A est,spiritum Moysis?nempe spiritum fortitudinis aduersus hostes, & spiritum mansuetudinis erga subditos. Quem spiritum vt communicauit 70. senioribus, Num.11.v.25. ita optauit toti populo communem esse,vbi ergo nunc,cùm illo maximè egemus,est ille spiritus? vbi prisca tua,ô Deus,in populum tuum pietas? vbi robur brachij tui?quo

℣.12.*Eduxisti* ex Ægypto MOYSEN, AD DEXTERAM ipsum apprehendens?ita LXX. Vatablus & Forerius.

℣.16.TV PATER NOSTER es: & hoc NOMEN tibi est A SÆCVLO,id est,ante omnem sæculorum memoriã.ABRAHAM NESCIVIT NOS, ET ISRAEL IGNORAVIT NOS,id est,non curat nos,sed spernit B & abijcit nos,offensus est nobis,quia nos te offendimus.ita S.Hieronymus,Cyrillus,Theodoretus, & alij SS.Patres.Sic Matth.25.v.12. *Nescio*, id est, non curo,*vos*.Deinde solùm comparatiuè (h)dicitur Abraham *non curare* res filiorum suorum, quia respectu diuinæ curæ & opis, illa Abrahami erat exigua & quasi nulla,maximè in re quæ vires Abrahami longè excederet. In Chaldæo enim est; *Abraham non eduxit nos ex Aegypto, & Israel nõ fecit nobis mirabilia in deserto*.Vnde & Caluinus ingenuè fatetur, *ex hoc loco elici non posse, Sanctos vitâ functos nostri curam non habere*. Quod aduersus Marloratum & alios Hagiomachos notatum oportet. h In Proleg. de Idiotism. Hebr. n.6.

℣.17.QVARE ERRARE NOS FECISTI DE VIIS TVIS ? nempe permissiuè & occasionaliter, non abducendo nos à deuijs itineribus, inquit Sanchez. Et cur simili modo INDVRASTI COR NOSTRVM,non emolliendo illud timore tui sancto? Vide dicta Exodi 7.v.3.

℣.18.HOSTES NOSTRI QVASI NIHILVM,id est, quasi essemus res nihili,aut quisquiliæ,POSSEDERVNT & tractarunt NOS:CONCVLCAVERVNT profanis pedibus suis SANCTIFICATIONEM TVAM] id est,templum sanctum tuum, nempe Chaldæi, (i)Syri,(k) Romani. (l) i 4.Reg.vlt. k 1.Mach. 1.v.23. l Ioseph.de Bello.

℣.19.SVMVS à te derelicti QVASI alieni, vti à PRINCIPIO crãmus, seu in Ægypto, seu in Vr C Chaldæorum,CVM NON dum instar patris DOMINARERIS NOSTRI,NEQVE INVOCARETVR NOMEN TVVM SVPER NOS] id est, cùm necdum vocaremur, neque essemus populus tuus,filij tui,hereditas tua.

CAPVT LXIV.

Pergit Isaias orare Deum pro populo suo tot peccatis,tot flagellis oppresso : rogatq; vt disruptis cælis emittatur Messias,qui mundum liberet & saluet.ita S.Hieronymus,Forerius & alij passim.

℣.1. VTINAM,ô Deus,DIRVMPERES CÆLOS, D ET ad nos in terram DESCENDERES!] non loco (cùm vbique præsens sis,)sed noua operatione, nempe assumptione naturæ nostræ humanæ.Simili catachresi aiebat c.45.v.8.*Rorate cæli desuper,& nubes pluant iustum*.Optat enim his verbis obices omnes & remoras tolli. Vtinam m Exod.19. v.18.

℣.2.TABESCERENT MONTES SICVT EXVSTIO IGNIS,id est,vt solent res igni adustæ dissolui,vel liquari & diffluere!Alludit ad descensum Domini in montem Sinai, (m) inquit Tertullianus,S. Iustinus & Hieronymus, Vtinam AQVÆ ARDERENT IGNI!] id est, fulmina è nubibus dissectis emicent!vt ibidem factum.Vel ignis ê cælo delapsus absumat aquas quæ lambunt victimas!vt contigit Hebr.12. v. 18. Psal.67.v.9. Tertull.l.de Resurr. carnis c.26. Iustin. & alij à Leone Castrio citati.

a 3.Reg.18. v.38.
b 2.Mach. 1.v.20.

tigit ad preces Eliæ, (a) & pòst etiam (b)Nehemiæ, A inquit Alcazarius.

℣. 3. CVM ciusmodi MIRABILIA etiam inter nos FECERIS,nempe de cælo cum tanta maiestate ad nos descenderis, NON SVSTINEBIMVS vltrà diffluere à te; sed tremore ac stupore perculsi & subacti,dabimus tibi manus,& colla iugo tuo subdemus. Alludit ad terrorem Hebræorum viso igne & flammis in monte Sinai,Exodi 20.v.18.ita S.Hieronymus.Mox quasi exauditus Propheta,& voti compos factus,Iam,inquit, DESCENDISTI ad nos,ô Deus:iam spiritu video te hominem factum, & in terra nobiscum versantem: iam MONTES,id est,quæcumque alta, sublimia, potentia sunt in mundo,DEFLVXERVNT A FACIE TVA] id est,in- B star mollis ceræ ad præsentiam tanti ignis liquata, dissoluta,dissipata sunt.

℣.4. A SÆCVLO enim,Id est, ex quo conditus est mundus,nemo vmquam *audiuit*,nemo *vidit*, sed nec cogitauit,nec suspicatus fuit tanta tamque augusta gratiarum dona,quanta,ô Christe,PRÆPARASTI & donasti EXSPECTANTIBVS TE] Ita explicat S.Paulus 1.Corinth.2.v.9.Quod de donis præsentis vitæ intelligunt S.Hieronymus,Chrysostomus, Theophylactus,Oecumenius,Anselmus in eum Pauli locum: Forerius,Sasbout, Leo Cas- *Vasquez 1. p.disp.2.c.2. Bern. serm. 11.in Cant. Tertull.sup. Cypr.ep.56. Hieron.hic, & ep.18. ad Eustochiũ. Anselm in 1.Cor. 2. & alibi.* strius & Sanchez hîc;item Tertullianus, Cyprianus & alij,quos citat & sequitur Gabriel Vasquez. Sed de futuræ vitæ gloria exponunt S.Dionysius, C S.Thomas, Bernardus,Haymo,à Lapide: quin & ex suprà citatis Tertullianus,Cyprianus,Hieronymus & Anselmus,sed alijs locis. Porrò donis his tuis

℣.5.OCCVRRISTI vltrò obuiam veniens cuique LATANTI de aduentu tuo,tibique credenti, adhærenti,seruienti, ET FACIENTI IVSTITIAM, & IN VIIS mandatorum tuorum ambulanti,& iugiter TVI RECORDANTI] E contrario

ECCE IRATVS ES nobis impijs, perfidis & obstinatis Iudæis,qui noluimus te excipere,te honorare,te sequi;sed PECCAVIMVS in te,te spernendo,vexando,occidendo,& in hoc tui contemptu & offensione iugiter persistendo: ET tamen SALVABIMVR tua misericodia & merito, si velimus. Nam quantum est ex parte nostra,

℣.6.FACTI SVMVS VT IMMVNDVS OMNES NOS, idque tam coram Deo, quàm coram hominibus, quibus more leprosorum,seminifluorum vel pestiferorum, horroi sumus & terrori & odio.ita S.Hieronymus,Forerius & alij. Quod in Iudæos etiam hodie quadrat ad litteram. Si quid verò videamur habere IVSTITIÆ,seu naturalis,v.g.charitatis in proximum; seu legalis,vt sacrificia expiatoria,lotiones manuum & calicum,&c.id omne simile est PANNO mulieris MENSTRVATÆ, id est,sordidissimo & fœtidissimo:nempe propter in- E numera scelera quibus illæ iustitiæ vt iunguntur, ita & inquinantur & contaminantur.Nullus verò hîc sermo est,etiam Caluino & Musculo testibus, *Musculus apud Marloratum.* de bonis operibus iustorum:sed de fictis iustitijs perfidorum Iudæorum,vt etiam clarissimè patet ex v.seq.*Non est qui inuocet nomen tuum*,&c. Vnde ALLISISTI NOS & contriuisti IN MANV,id est,per manum, INIQVITATIS NOSTRÆ] tamquam lictoris & carnificis;cui solemne est sæuire in auctorem sui.

℣.9.NE IRASCARIS DOMINE SATIS]Hebraicè,*vsque valdè*,seu *nimis*.quod in fine capitis.Noster vertit,*vehementer*.

℣.10. CIVITAS SANCTI TVI, seu sanctuarij tui,nempe Ieroſolyma,in qua erat templum sanctum tuum, de quo quasi inuiolabili gloriabamur,iam deserta est,euersa & exusta,tum à Chaldæis,vt Vatablus,tum à Romanis,vt S.Hieronymus & alij passim exponunt.

CAPVT LXV.

Querela Isaiæ de Iudæorum derelictione respondet Deus, ipsomet in causa esse: se manum illis porrexisse,sed illos eam repulisse; Gentes verò eam apprehendisse: ac proinde meritò se à Iudæis ad Gentes transijsse. Addit tamen, nonnullos ex Iudæis conuertendos & saluandos. Denique incredulorum infelicitatem pulchra antitheſi opponit credentium felicitati.

℣. 1. QVÆSIERVNT ME magna auiditate & studio, simulatq; per Apostolos meos ipsis innotui, Gentiles QVI ANTE NON INTERROGABANT de me. Vnde & DIXI eis,ECCE EGO promptus excipere vos in filios meos.ita S.Paulus ad Rom.10.v.20.E contrario

℣.2.*Populus* meus, AD quem EXPANDI MANVS MEAS TOTA DIE] Id est, cui iam inde ab initio manus ambas porrexi, auxilium, solatium, cælestia & terrestria munera sine mensura illi impertiens, ac nouissimè etiam ambas manus in cruce expansas quanta potui & vi & charitate protendi, vt vel moriens populum illum occisorem meum C ad sinum meum allicerem, imò pertraherem: sed ab *incredulo*,ingrato & rebelli populo nihil hisce modis omnibus extorsi. ita S. Paulus suprà, & ibid. Origenes, Ambrosius, Chrysostomus, & alij.

℣.3. IMMOLANT idolis suis hostias IN HORTIS & lucis;idque non in altari ex ære, vel auro, vel lapide viuo,exstructo,vt mihi Ieroſolymis immolari iussi (c) sed SVPER LATERES] id est, in altari ex vili latere compacto, more Gentilium,inquit S. Hieronymus. *c Exod 20. v.24.& c. 30.v.1.*

℣.4. HABITANT IN SEPVLCHRIS] LXX. addunt, *propter somnia*, nempe quibus edoceri (d) volunt de futuris euentibus, inquit Cyrillus & D Theodoretus.Vel vt captent responsa dæmonum, qui fœtidissima ambiunt (e) loca. *d Pomponius Mela testu & alij. e Matth.8. v.28.*

℣.5.DICVNT Gentili,RECEDE A ME,QVIA IMMVNDVS ES, cò quòd suilla & iure aliarum immundarum carnium profano, seu vetito contaminatus sis.Interim hypocritæ Iudæi ipsimet eosdem cibos immundos comedunt, nec tamen volunt immundi audire;At ego vt immundos tractabo. ISTI FVMVS ERVNT & IGNIS]id est,obiecta & fomenta ignis,non lucentis & lympidi,sed fumantis & caliginosi, putà excitandi à Chaldæis & Romanis Ieroſolymæ,& à dæmonibus in gehenna.ita S.Hieronymus, Forerius & alij.

℣.7.INIQVITATES VESTRAS prę̃sentes,ET INIQVITATES PATRVM VESTRORVM,præteritas,quas mox vocat OPVS EORVM PRIMVM,id est, prima & prisca parentum peccata,SIMVL cum præsentibus sceleribus filiorum,REMETIAR,id est, remunerabor, rependens condignas pœnas IN SINVM EORVM:ita solet Deus punire cùm completa est mensura,de qua dixi Genes.15.vers.16.tamen

℣.8. NON DISPERDAM TOTVM Israelem; sed SEMEN mihi reseruabo, sicut ex BOTRO contrito pedibus aut putrido,SI vel vnum GRANVM integrum & illæsum supersit, continuò *dicitur*, NE DISSIPES ILLVD,sed sine vt seratur, germinet & in nouam vitem excrescat, QVONIAM BENEDI-

CTIO

CTIO *in eo* EST] vt habent Hebræa, id est, fœcunditas, vis seminalis, spes propaginis. De hoc semine Isaias c.1. & ex eo Paulus Rom.9. ait: *Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus.*

a Osee 2.v. 15. ℣.10. ET VALLIS ACHOR, (*a*) nempe pars Iudææ iuxta Iericho pinguissima & fertilissima sic dicta ab *Achan* ibi lapidato & exusto, Iosue 7.v.26. ERIT IN CVBILE ARMAMENTORVM] in quo quietè degent, pascentur & pascent iusti ex Iudæis conuertendi ad Deum. At vos, ô increduli Iudæi,

℣.11. PONITIS & instruitis MENSAM tum victimis, tum epulis, non Deo cœli, sed FORTVNÆ] Hebraicè, *gad*, id est, felicitati. (*b*) Exprobrat stultis hominibus, quòd, contempto Deo, eiusque infallibili prouidentiâ, inuictâ potentiâ, & expertâ toties beneuolentiâ, supplicent *fortunæ* profanæ, incertæ, cœcæ & imbelli. Quam impietatem dicit S.Hieronymus Iudæos hausisse ab Ægyptijs, qui Numini huic suo *ponebant vltimo die anni in cunctis vrbibus mensam refertam varij generis epulis, & poculum musto mixtum*, eo ritu *fertilitatem vel præteriti anni* terminantes, *vel futuri auspicantes.* Et hic Gentilium mos instruendarum vltimo anni die epularum, videtur apud eosdem etiam ad Christum conuersos, perdurasse, vt præteriti anni felicitatem cum gaudio terminent, & noui prosperitatem mutuò apprecentur. Vide Lactantium & Lipsium.

Lactant. l. 3. c.18. Lipsius l.2. Polit. c.15. & l.4. c.9. c Ierem.14. v.9. & c.29. v.11.

℣.15. DIMITTETIS NOMEN VESTRVM IN IVRAMENTVM (*c*) execratorium: vt nempe dum volent aliquem execrari, dicant, Fiat tibi quod factum est Iudæis: Gladius, fames, excidium Iudaicum te comprehendat. ita S.Hieronymus. Loco autem tuo substituet alios sibi SERVOS, quos VOCABIT non Israelitas, non Iudæos, sed ALIO NOMINE *nouo*, vt addunt LXX. nempe à Christo vocabit omnes Christianos, vt factum legimus Antiochiæ Actor.11.vers.26.

d 2.Cor.1. v.19. &c. ℣.16. IN QVO nomine Christi, quasi IN DEO ipsius AMEN, (*d*) id est, quasi in Deo *veritatis*, seu vero, vt vertunt LXX. BENEDICETVR QVICUMQUE BENEDICTVS esse volet SVPER TERRAM: ET IVRABIT QVICUMQUE IVRAT IN TERRA] q.d. Benedictiones & iuramenta fient per nomẽ Christi, quasi veri Dei, & non amplius per Abrahamum, vel Deum Abrahami: multò minùs per Iouem, per Herculem, per alia idola. ita Forerius, Sasbout, Sanchez & alij.

℣.17. ECCE EGO CREO CÆLOS NOVOS, ET TERRAM NOVAM] id est, nouum mundum, putà metaphoricum, nempe Ecclesiam Christi, quæ multò amplior, ornatior, augustior est Synagoga, & est quasi nouus mundus.

℣.18. CREO IERVSALEM, id est, Ecclesiam Christi, EXVLTATIONEM, id est, exultantem, ET POPVLVM EIVS GAVDIVM] id est, gaudentem. Ponuntur enim abstracta pro * concretis. q.d. Ita exultantem & gaudentem, vt videatur esse ipsa exultatio & gaudium.

* In Proleg. de Idiotism. Hebr. n.47.

℣.19. NON AVDIETVR IN EA VOX FLETVS ET CLAMORIS] nempe ex præmatura morte filiorum suorum: nam

℣.20. NON ERIT IBI INFANS DIERVM, aut SENEX, QVI DIES vitæ suæ concessos sibi à Deo NON IMPLEAT, supple, benè viuendo, & suæ ætatis officia ac munia rectè obeundo. Vt enim dies vacui

e Sap.13.v. 1.& c.4.v 8. & inanes (*e*) sunt qui vitiosè traducuntur: sic pleni & completi dicuntur qui honestè & bonis operibus, ad quæ dati sunt, implentur. Quamuis ergo inter Christianos moriatur quis PVER, id est, ætate adhuc tenera, tamen quoad mores & sensum perinde MORIETVR, ac si esset CENTVM ANNORVM, id est, sapientia cælesti & virtutibus maturus ac inueteratus. Æstimabitur enim & laudabitur sola virtus & scientia, non verò ætas minùs vel magis adulta. Vnde quicumque fuerit in ea PECCATOR, etsi CENTVM sit ANNORVM, & artes & experientiam & opes nactus sit maximas; quia tamen virtute caret, nihili æstimabitur, sed probrosus apud omnes & MALEDICTVS ERIT] ita S.Gregorius, Arias, Aluarez & alij. *Gregor. lib. 16. Moral. c.3.*

℣.22. NON ÆDIFICABVNT DOMOS, ET alius eas INHABITABIT] (*f*) vt fit tempore belli, vel creditore te expellente, vel inopiâ te ad vendendum cõpellente. Nam plena quiete & pace fruetur Ecclesia bonis suis, maximè spiritualibus, quæ nullus inuito tibi rapiet latro, nulla vis, nullus dolus, sed nec ipsæ portæ infernales. En alteram remouet occasionem fletus & clamoris. SECVNDVM DIES LIGNI, id est, pro conditione arboris iuxta (*g*) aquas semper vernantis, ERVNT DIES POPVLI MEI. ita Arias & Sanchez. At S.Hieronymus, Cyrillus, Liranus, Sasbout, à Lapide & Aluarez id exponũt de *ligno vitæ:* (*h*) quia sic verterunt LXX. & in Hebræo est, *illius ligni*, nempe famosi & præcellentis alijs. q.d. Fideles mei longæui, læti, alacres & benè sani erunt, perinde ac si essent in primæuo innocentiæ statu, & vescerentur fructu arboris vitæ.

f Amos 5. v.11. & Sophonia 1, v.14.

g Psal.1.v. 3.

h Genes.3. & Prou.3. v.18.

℣.25. LVPVS ET AGNVS PASCENTVR SIMVL: LEO ET BOS; Hebraicè, *leo vt bos*, COMEDENT PALEAS. Sed hæc suprà explicui cap.11.v.6. SERPENTI PANIS, seu cibus, erit PVLVIS: & hoc cibo contentus non lædet amplius homines vel alia animalia. Loquitur de hominibus serpentinis, qui venenosa sua lingua vel cauda lædebant alios, eorumque famam, substantiam, vitam vorabant: iam per Christum ponent venenatam hanc rabiem, non pascentur amplius nec delectabuntur aliorum interitu vel damno; sed cibo innocuo, facilè obuio, sibique à Deo parato contenti erunt, vt cap.11. fusiùs dixi.

CAPVT LXVI.

Pergit in Iudæorum, & templi, & legalium victimarum reprobatione, Gentium verò vocatione, & Ecclesiæ earumdem propagatione, gloria, felicitate, duratione vsque ad extremum iudicium. Quare breui recapitulatione toto libro dictorum, monet Apostolos, vt Gentibus gloriam Dei & gratiam Christi strenuè annuntient: eas maximo numero & gaudio adulaturas: ex eis assumendos sacerdotes & Prælatos Ecclesiæ vsque ad finem mundi: denique de hostibus suis omnibus æternùm triumphaturas.

℣.1. QVÆ EST ISTA DOMVS, QVAM exustam tum à Chaldæis, tum à Romanis, mihi ÆDIFICARE cupitis? q.d. Vos ô Iudæi, putatis me materiale Sionis vestræ templum deperire, meque illi quasi throno meo affixum esse, vt ab eo diuelli nequeam. fallimini toto cœlo. Ego enim sum spiritus infinitus & immensus: non capior, non adstringor, non delector loco. Et si quando delectari volo, totum cœlum mihi pro throno est, in quo maiestatem meam spectandam exhibeo: tota verò terra non est mihi nisi paruulum scabellum. Sed nosse vultis quo loco, quo throno, quo tẽplo ego delecter? SPIRITV peccatoris CONTRITO mihique; subiecto & obediente: vel, vt LXX. vertunt, humili & quieto. ita S.Hieronymus, Cyrillus, Ambrosius, Procopius, Theodoretus & Gregorius. *Ambros. in Psal.30. Gregor. l.2. Moral. c.8. & l.5. c.30.*

℣.3. QVI IMMOLAT BOVEM, QVASI QVI INTERFICIAT VIRVM. q.d. Ita detestor vestra sacrificia, ac si essent homicidia, victimæ caninæ, suillæ & idololatricæ, quæ vobis & mihi extremæ abominationi sunt. Causas dedi cap.1.v.11. Et hîc mox vnam subijcit, nempe: HÆC sacrificia sua OMNIA non mihi oblectando vel honorando, sed suis sceleribus hoc pallio velandis ELEGERVNT, ipsi interim permanentes sesequè oblectantes IN VIIS SVIS pessimis ET ABOMINATIONIBVS extremè execrandis; ita petulantissimè illudentes mihi.

℣.4. VNDE ET EGO ELIGAM, non quæ ipsis oblectandis, sed quæ *illudendis* vicissim seruiant, immittens eis Romanos, per quos illudantur, cædantur, exterminentur. ita S. Cyrillus & Procopius. Ad vos ergo solos me conuerto, qui ex impia hac Iudæorum fæce conuersi estis ad me, & ad Christum meum, ad vos, inquam, Apostolos & discipulos Christi:

℣.5. DIXERVNT FRATRES VESTRI, secundùm carnem, Iudæi in Iudaismo obstinati: GLORIFICETVR DOMINVS] Id est, ostendat Christus vester gloriam & potentiam suam, nempe descendendo de cruce, resurgendo à mortuis, & alia miracula patrando: vt sic & vos lætemini, & nos vestram lætitiam videntes, vnà vobiscum lætemur. q.d. Non est quòd ab homine crucifixo & mortuo gaudium aliquod vel gloriam speretis. nihil ab eo nisi confusio probrum & mœror vobis obueniet. Sed magno stabit sannionibus istis hic lusus. Non vos confundemini, sed IPSI CONFVNDENTVR] Christus enim resurgens sat manifestabit & toti orbi probabit suam gloriam, tum per se, tum per vos Apostolos suos. Per Titum verò cetèrosq; Romanos æterna confusione & probro plectet sanniones istos. Atque ecce, sonat ex nunc in auribus meis

℣.6. VOX POPVLI DE CIVITATE, perculsi, vlulantis & clamantis, ob aduentum Romanorum, & vrbis obsidionem: vox item angelorũ DE TEMPLO, ex intimis adytis clamantium, *migremus hinc:* (a) denique vox DOMINI iubentis exscindi Ierosolymam, & sic REDDENTIS RETRIBVTIONEM, seu mercedem condignam perfidis & obstinatis Iudæis, INIMICIS SVIS] ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Haymo & alij.

(a) *Ioseph.l.7.Belli c.12.*

℣.7. ANTEQVAM verò Sion, id est, Ecclesia primitiua ex Iudæis ad Christum conuersis conflata, PARTVRIRET, subitò PEPERIT MASCVLVM] Nempe, sine longo ministerio; sine longo cruciatu & labore, qualis solet esse parturientium. q.d. Dum impij Iudæi irrisores Ecclesiæ Christi funditus exscinduntur, Ecclesia Christi maximis incrementis exsurget, non sensim & lentè, vt olim Synagoga, sed simul & subitò. Sic vnica concione S. Petrus Actor.2.v.42. peperit tria hominum millia, alterâ quinque millia. Et *peperit* non femineam, sed *masculam* prolem, id est, masculo & forti animo præditam, martyrio parem. ita S. Hieronymus & alij iam citati, cum S. Ambrosio, Forerio & Sasbout. Sed Nyssenus & Damascenus id B. Virgini & partui Christi adaptauit: neque omninò malè, quia per hunc *masculum* alij omnes masculi & heroes Christiani procreantur. Huc alludit S. Ioannes Apoc.12. vbi Ecclesiam quasi mulierem masculos tales pugiles procreantem inducit.

Ambr. Exhort. ad Virg. & l.1. de Cain & Abel c.10. Nyss. orat. de Resurr. Damasc. l. 4. de Fide c.15.

℣.8. AD PARTVRIET TERRA IN DIE VNA? Nequaquam: nam multo eget tempore vt semen germinet, excrescet, fructificet. AVT PARIETVR integra vna GENS SIMVL? Minimè. Nihilominùs SION, id est, primitiua Christi Ecclesia, PARTVRIVIT simul & eodem tempore PEPERIT FILIOS SVOS] tanto numero, tanto robore, quanto iam vidimus. Sed quid mirum? quid impossibile mihi?

℣.9. NVMQVID EGO, QVI ALIOS PARERE FACIO, IPSE NON PARIAM? & qui infinita vi pariendi præditus sum, non potero vno instanti infinitos parere? q.d. Non fiet hæc subita Christianorum multiplicatio vi naturali præconum Euangelij, sed mea diuina, quâ possum quidquid volo.

℣.12. AD VBERA PORTABIMINI] Loquitur Ecclesiæ recèns nascenti & adhuc tenellæ. Cetera vide c.49.v.23. & sequentibus.

℣.14. OSSA VESTRA, præcipua pars corporis vestri: id est, per synecdochen, vos ipsi, quamuis antea mœrore squalidi & aridi, nouo gaudio excitati, QVASI HERBA *germinabitis*, id est, reuirescetis & reflorebitis. (b) Vnde palàm COGNOSCETVR MANVS, id est, potentia, protectio, fauor, DOMINI erga *seruos suos*. Tertullianus, Irenæus, Hieronymus & Augustinus hoc exponunt de resurrectione ossium Sanctorum in die iudicij, de quâ Ezechiel.37.

(b) *Prou.17. v.22. Tertull.l.de Resurrect. carnis c.31. Irenæus l.5. cont.hæres. c.15. Aug.l.20.de Ciuit. c.21.*

℣.15. ECCE DOMINVS IN, seu cum, IGNE VENIET. Primò, iustitiæ & vindictæ temporalis in obstinatos Iudæos tempore excidij Ierosolymæ. Secundò, cum igne conflagrationis, & gladio diuinæ vltionis, AD OMNEM CARNEM, in die extremi iudicij, quando MVLTIPLICABVNTVR INTERFECTI] id est, maximo numero interficientur morte æterna, in inferno. Porrò per *quadrigas* metaphoricè designatur maiestas victoris & iudicis Christi: per *turbinem* celeritas & impetus iudicij, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, & Augustinus.

℣.17. QVI IN HORTIS, vbi idololatriæ & turpi libidini vacarant, aquis expiatorijs SANCTIFICABANTVR: item POST IANVAM INTRINSECVS in domo, vbi lares suos, aliaque idola reposita habebant, & vt in loco secretiore, obscænis sacrificijs colebant, inquit S. Augustinus, Arias & alij.

Augst.l.4 de Ciu.c.2.

QVI COMEDEBANT MVREM, lege Iudæis vetitum Leuit.11.vers.29. aliosque cibos immundos. Et per hæc intellige quæuis alia impiorum scelera: quæ quicumque patrarint, CONSVMENTVR] damnabuntur.

℣.18. EGO enim ad iudicium VENIO, VT OPERA omniũ impia CONGREGEM in valle Iosaphat, & ibi quasi in publico orbis theatro OMNIBVS GENTIBVS ET LINGVIS spectanda proponam. ita Sasboldus & à Lapide. Sed antè, quàm congregem omnes gentes in valle Iosaphat,

℣.19. PONAM IN EIS SIGNVM, id est, inter eas erigam vexillum meum, nempe (c) crucis, ad quod omnes euocabo & inuitabo. Ideoque EX EIS QVI SALVATI FVERINT, id est, ex numero illorum qui ex iudaismo & gentilismo erepti, & ad salutis portum, nempe christianismum, traducti fuerint, MITTAM legatos AD GENTES IN MARE, id est, ad insulanas & transmarinas nationes, IN AFRICAM, IN ITALIAM: Hebræum *thubal* (d) etiam Hispaniam significat, teste S. Hieronymo; mittam & IN GRÆCIAM ET LYDIAM TENDENTES SAGITTAM] Hebraicè, *moseche:* quod tanquam proprium nomen retinent LXX. & Leo Castrius vult Moscos seu Moscouitas intelligi. Vno verbo, mittam per vniuersum orbem qui populos omnes quantumcumque remotos & barbaros ad vexillum

(c) *Isaiæ 11. v.12.*

(d) *Genes. 10. v.2.*

תובל

משכי

lum meum pertrahant, ad fidem, & ad salutem deducant.

Augst. lib. 20. de Ciuit. c. 21.

℣.20. IN EQVIS, IN QVADRIGIS, IN LECTICIS] Id est, per quæuis opportuna auxilia, subsidia, solatia; humana, angelica, diuina; verbo, opere, exemplo; arguendo, obsecrando, increpando. ita S. Hieronymus, Cyrillus, Augustinus, Theodoretus. Alludit ad Iudæos Babylone redeuntes Ierosolymam maximo gaudio & commodo suo.

℣.21. EX EIS, id est, ex Gentilibus ad Christum conuersis, ASSVMAM multos mihi non solùm in vinitores & agricolas, vt dixi cap. 61. vers. 5. sed etiam IN SACERDOTES ET LEVITAS] id est, in Ecclesiæ ministros, etiam primarios & summos. q.d. In Synagoga ad templi ministerium non assumebantur nisi ex vna tribu Leui: at in Ecclesia Christi assumentur ex omni gente. Idque vsque ad finem mundi.

℣.22. QVIA SICVT CÆLI NOVI, ET TERRA NOVA, quæ ego (vt dixi cap. præced. vers. 17.) creo, & FACIO inconcussa STARE CORAM ME: SIC SEMEN VESTRVM, ô Apostoli, id est, fideles à vobis conuersi, ET NOMEN VESTRVM, seu gloria sacerdotij & præfecturæ vestræ, æternùm perdurabunt.

℣.23. ET ERIT MENSIS EX MENSE] Id est, *neomenia* alia nascetur *ex neomenia eius*, vt est in Hebræo. q.d. Noui generis neomenia (*a*) erit in Ecclesia Christi, longè solemnior, iucundior, Deo gratior, quàm neomenia Synagogæ, & alia festa eius: quæ non erant nisi figuræ & typi festorum noui testamenti, & plerumque propter adiuncta Iudæorum festum celebrantium scelera, odio (*b*) & nauseæ erant Deo. ita Arias & Gabriel Aluarez, imò & S. Hieronymus. Sed hic vult insinuari

a *Num. 28. v. 11.*

b *Isaiæ 1. v. 14.*

A hîc transmutationem & festorum temporalium terrenorum in cælestia & æterna festa Beatorum. Tertullianus, Augustinus & Theodoretus, & alij volunt hac phrasi designari perpetuam cõtinuationem festiuitatum, id est, quietis, gaudij, iubili, maximè in Ecclesia triumphãte. Sicut ex aduerso impijs & dãnatis æternus erit dolor & supplicium ex igne inextinguibili, & *verme* infernali perpetuò corrodente, de quibus alibi (*c*) fusiùs.

c *Iudith vlt. v. 21. Eccli. 7. v. 19. & c. 10. v. 13.*

℣.24. ET EGREDIENTVR Sancti non solamente & cõtemplatione, vt vult Forerius & Sanchez, ad spectandas quotidianas strages & supplicia impiorum, partim in hac vita, partim in inferno. Sed & realiter & motu locali, si velint, egredientur cœlo, vt cominus *videant* & spectent CADAVERA VIRORVM] id est, corpora damnatorum, licèt animata, fœda tamen & olida, & tormentis subacta, instar cadauerum. ita S. Hieronymus. Augustinus, S. Thomas, Sasboldus & alij. Imò Christus ipse Marci 9. vers. 45. hunc Isaiæ locum de damnatis in inferno exposuit.

Augst sup. S. Thom. in Supplemento 3. p. q. 84. art. 2.

ET ERVNT & durabunt hæc tormentorum spectacula OMNI CARNI, id est, omni homini beato & sancto, VSQVE AD SATIETATEM VISIONIS] id est, donec satientur videndo. Erunt enim aterna, inquit S. Cyprianus. Et ex hoc pœnarum suarum spectaculo damnatis accrescet nouus dolor, maximè cùm sentient Sanctos nulla sui pœna vel lamentis moueri, nisi ad irridendum & insultandum miseris, eorumdemque impietatem, stultitiam, ignauiam ipsis æternùm exprobrandam. Sicut enim Deus *ridet* (*d*) *in interitu* impiorum, ita & *lætabitur* (*e*) *iustus cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.*

Cypr. contra Demetr. tract. 1. in fine.

d *Prou. 1. v. 26. Sap. 5 &c.*

e *Psalm. 57. v. 11.*

IEREMIAS,

HEBRAICE יִרְמְיָהוּ *Iirmiahu*, id est, excelsus Domini, vel celsitudo Domini, sacerdos (*a*) fuit, doctor, Propheta & Apostolus, iam inde ab vtero matris sanctificatus, & ad id munus consecratus. Anno vitæ circiter 15. adhuc puer existens, teste S. Hieronymo, prophetare cœpit, immediatè à Deo missus ad prædicendum Iudæis ceterisque nationibus aduentum Nabuchodonosoris, excidium vrbis Ierosolymæ, & vicinarum prouinciarum ac regnorum. Scatet comminationibus, increpationibus ac lamentis. Miscet hinc inde læta promissa de reducendis è Chaldæa Iudæis, de redimendo mundo per Christum, de Gentibus in Ecclesiam inducendis, de multiplici gratia & felicitate noui testamenti. Quod idem argumentum pertractant etiam Isaias, Ezechiel & Abdias. Scripsit Hebraicè *stylo* vt *simplici & facili*, ita *maiestate sensuum profundissimo*, inquit S. Hieronymus. Scribæ eius Baruch (*b*) fuit, qui & prophetias Ieremiæ diuersis temporibus editas, in vnum hoc volumen collegit, neglecto tamen ordine temporum, vt legenti patebit. In Chronico nostro omnia in ordinem digessi. Apud LXX. sæpè alius est ordo capitum, quàm in Hebræo vel Latino textu. v.g. caput 29. in Hebræo & Latino est 36. apud LXX. Caput 30. in Hebræo, est 37. apud LXX. Caput 48. in Hebræo est 31. apud LXX. &c. Moses Kimchi, Procopius, Gazæus, Isidorus & alij apud Sixtum Senensem, volunt Ieremiam conscripsisse etiam 3. & 4 librum Regum. Addit Abulẽsis, etiam duos primos Regum libros ab ipso compositos fuisse. Alij psalmum 64. *Te decet hymnus*; & psal. 136. *Super flumina Babylonis*, &c. & plura alia eidem adscribunt apud Christoph. à Castro.

a *Ierem. 1. v. 1. 5. 7. & 6.*

Hieron. in proœmio lib. 6 Comment in Ieremiam.

b *Ierem 36. v. 4 Paralipom. c. 30.*

Sixtus l. 1. & 2. Bibliotheca.

Prophetauit sub quinque regibus Iuda, à 13. anno Iosiæ vsque ad annum 5. excisæ Ierosolymæ & templi, per annos 45. Porrò pro omni labore suo nihil ab ingratis ciuibus suis retulit præter probra, verbera, vincula, carcerem & mortem, in Taphni Ægypti lapidibus obrutus à Iudæis. Quo nomine Martyr celebratur à (a) Tertulliano, Epiphanio, Dorotheo, S. Hieronymo, Isidoro & Martyrologio Romano. Vbi additur, pulueres sepulchri eius Taphnitici aduersus aspidum morsus fideles vti consueuisse. Ioannes Moschus (b) scribit, ossa Ieremiæ ab Alexandro Magno ex Taphni translatâ esse Alexandriam. Et illustri monumento ibidem ab eodem condecorata tradit Chronicon Alexandrinum: & postea alio nobiliore ab Imperatrice Helena Nicephorus.

Virginem tota vita permansisse docent S. Ignatius, (c) S. Hieronymus & Isidorus: idque satis colligitur ex c. 16. v. 2. *Non accipies vxorem*, &c. Omnis etiam lethalis culpæ expertem facit S. Athanasius, Hieronymus, Origenes, Ambrosius, Nazianzenus, Leo, Petrus Damianus & S. Thomas, qui omnibus in vtero sanctificatis id commune facit. Denique excidium Ierosolymæ per Chaldæos magna ex parte attribuit Ecclesiasticus crudelitati Iudæorum in Ieremiam exercitæ. Post mortem apparuit Iudæ Machabæo, *gloriâ mirabilis, & magni decoris habitudine*, 2. Machab. 15. v. 13. de quo ibidem S. pontifex Onias: *Hic est*, inquit, *fratrum amator, & populi Israel: hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate, Ieremias Propheta Dei.*

a Tertull. in Scorpiaco cap. 8. Epiph. de vitis Prophetarum. Doroth. in Synopsi. Isid. de Vitâ & morte Sanctor. Martyrol. Rom. 1. Maij
b Moschus in Prato spir. c. 77. Niceph. l. 8. hist. c. 30.
c Ignat ep. ad Philadelph. Hieron. in Prologo hic, & l. 1. cont. Iouinian. Isidor. supr. Athanas. ser. 4. contra Arianos. S. Tho. 3. p. q. 27. art. 6. ad 1. Eccles. c. 49. v. 8.

CAPVT I.

Proœmium est totius libri, continens diuinam Ieremiæ vocationem ad munus propheticum, à quo frustra sese excusat. Videt virgam vigilantem, & ollam succensam, per quæ excidium Iudææ vicinarumq; nationum per Chaldæos portendi cognoscit.

¶. 1. HELCIAS Ieremiæ parēs non fuit summus pontifex, vt Clemens Alexandrinus, S. Hieronymus, Paulus Burgensis, Maldonatus & quidam Hebræi opinati sunt. Nam licèt sub hoc idem tempus pontifex eiusdem nominis vixerit, qui 18. anno Iosiæ regis (id est, anno sexto ex quo prophetare cœpit Ieremias) librum Deuteronomij in arca repertum obtulit regi, 4. Reg. 22. Is tamen non hâbitabat in Anathoth, vulgari sacerdotum vrbecula, tertio à Ierosolymis milliari, in tribu Beniaminia, vbi Ieremias eiusque parentes degebant. (a) sed Ierosolymis, iuxta templum, more aliorum pontificum teste Iosepho, degebat. Facilè tamen concesserim Chaldæo & nostro Sanchez, parentem nostri Ieremiæ vnum ex 24. præpositis templi, de quibus alibi. (b)

Clem. lib. 1. Stromat. Hieron. in Quæst. Heb in 1. Paral.
a Hic v. 1. Ioseph. l 20. Antiq. c. 18.
b 1. Par. 24. & 4. Reg. 18. v. 18.

¶. 2. A TERTIODECIMO ANNO REGNI IOSIÆ prophetare cœpit Ieremias, nempe à primo anno monarchiæ Babylonicæ, & initio 70. annorum seruitutis, captiuitatis & desolationis, quam toto libro suo Ieremias tam Iudæis, quàm vicinis alijs nationibus comminatur. Sed de hoc alibi (c) fusiùs.

c In Chronico c. 35 & Tobiæ vlt.

¶. 5. PRIVSQVAM TE FORMAREM IN VTERO matris tuæ, imò ab æterno, NOVI TE, singulari ac speciali notitia approbationis, quâ præsciui, amaui, ac prædestinaui te mihi Prophetam aliquando futurum. Et hoc meum propositū primo quoque tempore mandaui executioni, nempe cùm adhuc in VVLVA matris esses: ex tunc enim SANCTIFICAVI TE] id est, gratiam sanctificantē tibi infudi, quâ & à peccato originali purgareris, & ad diuinū ministerium meum deputareris, nempe ad prophetandum non solis Iudæis, sed & Gentibus, v. g. Babylonijs, Ægyptijs, (d) &c. Ita S. Hieronymus, Origenes, Athanasius, & alij suprà in præfatione

d Ierem. 25. 27. 44. &c.

A citati, contra Abulensem & S. Ildefonsum, qui negant, Ieremiam in vtero matris à peccato originali purgatum fuisse. Sed contraria sententia est cōmunis Doctorum, inquit Franc. Suarez, Barradius, Fernandez & à Lapide, qui plura citat exempla præclarorum Sanctorum, qui iam inde ab vtero ad varia munia & eximiam sanctitatem destinati fuerunt à Deo, subinde etiam iustificati.

Abulens. in c. 13. Iudic. q. 17. Ildefons. lib. de Perpetua Mariæ Virginitate. Suarez 3. p. q. 27 art. 2. disp. 3 sect. 1. Barrad. in Lucæ 1. v. 44. Ant. Fernand. visit.

¶. 6. A, A, A] Hebræum *aha* vnica vox est, nempe interiectio admirantis, dolentis vel gementis.

NESCIO LOQVI; Chaldaicè, *non possum vaticinari*: QVIA PVER adhuc SVM: vix 14. vel quindecim annorum: vnde nec audeo, nec possum per ætatem dicere promiscuè ad viros & magnates. ita Christoph. à Castro, Fernandez & à Lapide. Sed puerilem timorem compescit Deus, cùm subit:

¶. 7. AD OMNIA, QVÆ MITTAM TE, IBIS, id est, ire (e) poteris: ET VNIVERSA QVÆ MANDAVERO TIBI, LOQVERIS, id est, loqui audebis: QVIA TECVM EGO SVM] qui linguas etiam infantium facio disertas, qui animos æquè ac verba subministro quibus volo. Neque hac correptione contētus Deus, seu potiùs, vt notant Hieronymus & Rabanus, angelus vice Dei, assumpto ad tempus corpore humano; vt timido puero adderet animos,

e In Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 56.

¶. 9. MISIT, id est, extendit, MANVM SVAM ad os Ieremiæ, hoc tactu quasi reserās os illius ad liberè prophetandum. vt in simili casu fecerat olim vnus de Seraphim Isaiæ c. 6. Simulq; admonet Ieremiā, verba, quæ prolaturus esset, non eius debere esse verba, sed Dei, in os eius immissa. Neque posse ipsi verba vnquā deesse, cui Deus illa subministraret.

¶. 10. ECCE ergo, Hebraicè, *vide* & agnosce munus tuum tibi nunc à me demandatum.

CONSTITVI (præteritum per enallagen pro præsenti, constituo) TE HODIE Prophetam meum SVPER GENTES, ET SVPER REGNA, tam Iudæorum, quàm aliarum circumquaque nationum, VT EVELLAS ET DESTRVAS, &c.] Metaphora est ab hortulanis desumpta & ab architectis. Est & Hebraismus, quo realia ponuntur pro verbalibus, vt aliàs (f) monui. Neque enim debebat Ieremias reipsa euellere vel destruere Gentes, sed prædi-

f In Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 58.

cere

cere & minari, deſtruendas & euellendas quæ id ſuis ſceleribus mererentur: ædificandas verò & plantandas quæ ſe Deo morigeras exhiberent, vt videbimus c.41.& alijs. ita S.Hieronymus, Theodoretus, Rabanus & alij.

℣.11. VIRGAM VIGILANTEM, id eſt, librantem & agitantem ſe, ac percutere feſtinantem, EGO VIDEO] Hebræum *ſcaked*, id eſt, *vigilans*, etiam *amygdalum* ſignificat, quia hæc inter arbores prima cuigilat, vt flores ſuos emittat. Vnde Theodotion, Syrus & Arabs vertunt, *ego video virgam amygdalinam*; LXX. *baculum nuceum*. q.d. Ego video flagellum imminens, nempe *regem Chaldæorum*, (vt clarè explicat Chaldæus) properantem ac feſtinantem, vt Iudæos imparatos occupet. hanc Ieremiæ virgam vigilantem dicebat Ezechiel c.7. iam *floruiſſe*, &c. Et Iſaiæ 10. tyrannus Aſſyrius ſimili phraſi vocatur *virga furoris* diuini & *baculus*: & Attila vocabat ſe *flagellum Dei*. Erat ergo hæc virga oſtenſa Ieremiæ, ſimilis oſtento *cometæ*, qui formâ virgæ vel gladij apparens, peſtem, bellum & vaſtitatem, quaſi index iræ diuinæ, hominibus portendit. Porrò primum hoc virgæ portentum mox alio nouo ſuccenſæ ollæ portento confirmat.

שקד

℣.13. OLLAM SVCCENSAM EGO VIDEO] Ollam ignibus plenam, quos euomet mox in Iudæam & in alia vicina regna: nempe Nabuchodonoſorem Chaldæorum regem cum ſuis copijs, nil niſi iræ & furoris ignes efflantem, vomentem, ebullientem. Videtur alludere ad focum & ignem, (*a*) qui in concha vel olla, ne vento extingueretur, præferri ſolebat regibus Aſſyriorum, Chaldæorum & Perſarum, ſic per *ignem*, quem quaſi Deum colebant, affectantibus diuinos honores, inquit Sanchez ex Xenophonte & Curtio & alijs ſcriptoribus. Quod & à Iulio Cæſare, alijſque Imperatoribus Romanis poſtea factitatum ſcribunt Suetonius, Baronius & Cauſinus.

a Ioël.2.v.3.

Xenophon l.8.Cyripæd. Curtius l.3. Sueton. in Iulio Cæſ. c.37. Baron.anno Chriſti 324. Nic.Cauſinus lib.1. Parallel.hiſtor.c.21.

ET FACIEM ollæ, id eſt, os ollæ, vt Maldonatus exponit; vel, vt alij, ipſam ollam, video aduentare A FACIE AQVILONIS] id eſt, ab Aquilonari plaga, nempe à Babylone, quæ reſpectu Ieroſolymæ eſt quaſi Septentrionalis, inquit Theodoretus, Dionyſius & Vatablus. Vel, vt Hugo, Liranus, à Caſtro & alij, *ab Aquilone*, id eſt, ab Aquilonaribus nationibus, de quibus hîc v.15. Nabuchodonoſor enim, expugnatâ hoc ipſo anno Niniue, quę & ipſa erat Iudææ Aquilonaris, tranſlatâ Aſſyriorum monarchiâ ad Chaldæos, coegit ſub ſigna ſua nationes plurimas Aquilonares, quibus deinceps Iudæam vicinaſque prouincias ſubegit. Symbolicè, Aquilo, ventus frigidus, aſper & vrens, diuinam vindictam ſignificat: ſicut Auſter calidus, ſuauis & amœnus, opem ac fauorem Dei. Vnde duplex ſtatuitur Dei tribunal: vnum clementiæ & felicitatis in dextra mundi plaga, putà in Meridie, *vbi cubat, vbi paſcit*, Cant.1.v.6. Alterum ſeueritatis & vindictæ in Aquilone, ſiniſtra mundi parte, vbi Lucifer thronum ſuum figere volebat, Iſaiæ 14.v.13. Vnde S.Auguſtinus Aquilonem vocat ſedem diaboli & hæreticorum: & experientia, prô dolor! docet, id hoc tempore in Anglia, Scotia, Dania, Suecia, Noruegia, alijſque Aquilonaribus regionibus nimis certò comprobari.

℣.15. PONENT SOLIVM, id eſt, ſedem vel tentorium, SVVM IN INTROITV PORTARVM, id eſt, ad portas vel iuxta portas IERVSALEM] vt eam obſideant, & concluſam teneant, ita S. Hieronymus, Rabanus & alij.

℣.16. LOQVAR IVDICIA MEA CVM Iudæis, id eſt, iuſta & promerita ſupplicia infligam eis, nempe per Chaldæos (*b*) & alios lictores ac tortores meos.

b 4.Reg. vlt.v.6. & Ierem.4.v. 11.& 6.12.

℣.18. DEDI, prodo, conſtituo, TE HODIE velut CIVITATEM optimè MVNITAM, quæ ſe aduerſus quoſuis hoſtes facilè propugnabit: item velut COLVMNAM FERREAM, ſeu chalybeam, quæ oncra quæuis ſibi impoſita nullo negotio ſuſtinebit: denique velut MVRVM ÆREVM, qui ictus tormentorum bellicorum illæſus feret & repellet. Ita vertit Arabicus, & exponit S.Hieronymus & alij Patres. Addit Theodoretus, Deum hîc polliceri Ieremiæ, vt ſolet ſelectioribus amicis ſuis, non pacem, non quietem, non proſpera; ſed aduerſa, ſed prælia, ſed victorias inſignes.

v.1.

CAPVT II.

Miram benevolentiam ac beneficentiam ſuam in gentem Iudaicam, quaſi in chariſſimâ ſponſam, ac præditi at Deus ex vna parte, ex altera fœdam populi ingratitudinem, idololatriam & alia ſcelera: à quibus hortatur vt citò reſipiſcat, & priſtinam cum Deo amicitiam inſtauret, tradendus alioquin hoſtibus in rapinam, in direptionem, in excidium.

℣.1. RECORDATVS SVM, id eſt, recordor, TVI, tibique, vt & tu recorderis, (quia reuera miſeret me tui) in memoriam reuoco primam ADOLESCENTIAM TVAM, quâ te miſeram & ab omnibus deſertam (*c*) in Ægypto & ſolitudine in ſponſam mihi aſſumpſi, eduxi, protexi, & tot dotibus exornaui. ita S.Hieronymus & Theodoretus. Rurſus in memoriam reuoco CHARITATEM DESPONSATIONIS TVÆ] tam quæ egotetum temporis proſecutus ſum, vt Syrus, Arabicus, S.Hieronymus, Rabanus & Vatablus exponunt: quàm qua tu mihi adhæſiſti, vt Chaldæus, Theodoretus, Hugo & alij interpretantur. Reuera eras tunc

c Ezech.16.

℣.3. Ô ISRAEL, SANCTVS; Hebraicè, *ſanctitas*, DOMINO, id eſt, res ſancta, pretioſa, chara, dicata Deo, ſicut PRIMITIÆ FRVGVM EIVS; nempe ex omnibus nationibus ſegregatus fuiſti, Deoque quaſi proprium peculium, dicatus, inſtar ſelectiſſimarum primitiarum, quæ ſolent Deo gratiſſimæ accidere, illique ſoli reſeruari: vnde ſi quis profanus, ſeu laicus eas abſumeret, grauiſſimè delinquebat, eratque reus mortis, Leuit.22.v.3. Pari modo quæcumque profanæ Gentes *deuorare* vel deprædari auſæ fuerunt Iſraelem, iam Deo ſacrum ac dicatum, v.g. Moabitæ, Madianitæ, Philiſthæi, Amalecitæ, Æthiopes, Aſſyrij, OMNES, quaſi ſacrilegij reæ, atque ita grauiſſimè *delinquentes*, punitæ ſunt à me, ET MALA innumera venerunt SVPER EOS] Et pari modo, quicumque eum nunc etiam affligunt, vel deinceps affligent, Chaldæi, Medi, Perſæ, Ægyptij, Syri, punientur & ipſi à me ſuo tempore. quò manifeſtum fiat toti orbi, Iſraelem mihi vt ſpecialiter conſecratum, ita ſingulariter etiam charum eſſe. ita ferè Chaldæus, S.Hieronymus, Liranus & Vatablus.

℣.5. QVID INIQVITATIS, id eſt perfidiæ, duritici vel crudelitatis, IN ME repertum, ô Iudæi? PATRES VESTRI VANI FACTI, ſine ſenſu, ſine ratione

℣.6. NON DIXERVNT in corde ſuo, id eſt, non ſunt recordati mei, qui illos eduxi è ferrea fornace Ægypti, qui ſaluos deduxi per aridam & ſqualentem

lentem solitudinem: PER TERRAM SITIS, id est, siticulosam; LXX. *terram sine aqua:* ET IMAGINEM MORTIS] quia scorpijs & serpentibus plenam, Deuter. 8. v. 15. & capitalibus hostibus vbique septam & infestam, qui solitudinem hanc formidabilem reddebant quasi *imaginem*, seu vmbram, *mortis*. ita S. Hieronymus, Hugo & Liranus.

℣. 7. INDVXI VOS IN TERRAM CARMELI] id est, fertilissimam & amœnissimam, qualis est montis Carmeli. ita Chaldæus. Hoc enim nomen subinde appellatiuè sumitur, sicut *Tempe* & *Hesperidum hort:* apud Poëtas. Sic Isaiæ 29. *Conuertetur Libanus in Charmel.* Sed Nota, duos in Iudæa fuisse montes *Carmeli*, vnum sterilem in tribu Ephraim, vbi habitabat Nabal 1. Reg. 25. alterum fertilem & amœnum iuxta tribum Issachar, haud procul Ptolemaide & Tyro, de quo hîc agitur.

℣. 10. De *rufulis* CETHIM vide quæ dicam 1. Mach. 1. vers. 1. De CEDAR Arabiæ regione dixi Cant. 1. v. 4. Ad hos quasi ad maximè barbaros prouocat Deus. q.d. Vos, ô Iudæi, mecum iniquiùs agitis, quàm quæuis aliæ Gentes, quantumuis barbaræ, agunt cum idolis suis.

℣. 12. SVPER HOC malitiæ portento, ô PORTÆ, id est, cardines, *cæli* DESOLAMINI] id est, in solitudinem redigimini, destruimini, vastamini, gloria & splendore vestro spoliamini: præ luctu & dolore pluuias quasi lacrymas, fulgura & tonitrua quasi gemitus & lessos emittite, & his emittendis vos quasi cuiscerate, exarescite, contabescite. Arabicus, *pauore dissoluimini*; Maldonatus, *fulgoribus rumpimini*, in signum iræ diuinæ in ingratos & impios Iudæos. Similis prosopopœia est Isaiæ 1. vers. 2. & Deuter. 4. v. 26.

℣. 13. FODERVNT SIBI CISTERNAS stagnantium, fœtentium, venenatarum aquarum, & quidem DISSIPATAS] Arabicus, *scissas*. Ita vocat idola, inquit S. Hieronymus & Theodoretus, quia nullam continent diuinitatem, nullam potentiam, nullam largiuntur solidam opem aut refocillationem. Posset & de Assyrijs & Ægyptijs accipi, à quibus, vt dicitur v. 18. Iudæi opem subinde postulabant, sed cassam & inanem, & vt plurimum, maiori suo damno. Allegoricè, fons vitæ est Deus, est Christus, sunt Sacramenta: cisternæ dissipatæ, mundus & mundana, inquit Hugo & S. Augustinus.

August. in Sententijs, sentent. 289.

℣. 14. An ISRAEL non EST amplius filius Abrahæ, & primogenitus Dei, Exodi 4. v. 22. sed SERVVS, sed mancipium emptitium, vel certè VERNACVLVS ex serua domi natus; vt instar vilissimæ rei, obijciatur leonibus, Assyrijs & Ægyptijs? Tropologicè, diabolis. q.d. Hoc malum ipsi non aliunde prouenit, quàm ex peccato, quo Deum sibi hostem fecit, vt dicitur v. 17.

℣. 16. FILII MEMPHEOS ET TAPHNES sunt Ægyptij. *Memphis* enim vrbs est è primarijs Ægypti, in cuius opposita ripa nunc alia est amplissima ciuitas, quæ *Cayrus* vocatur. *Taphnes* regia erat Pharaonum.

℣. 17. DEVS DVCEBAT TE PER VIAM rectam, planam, amœnam mandatorum suorum. Tu verò deflexisti, ô stulte,

℣. 18. IN VIAM ÆGYPTI lubricam, erraticam, leonibus infestam, crocodilis refertam. VT BIBAS AQVAM non viuam, non limpidam, sed stagnantem, sed TVRBIDAM fluminis *Nili*; LXX. *Geon*; Hebraicè, *gichon*. de quo alibi. (*a*) AQVA FLVMINIS ASSYRIORVM est aqua Euphratis; Tropologicè, limus & sordes peccatorum, vt Chaldæus exponit.

גיחון

a Genes. 2. v. 13. & Eccli. 24. v. 37.

℣. 21. PLANTAVI TE iam inde ab initio VINEAM ELECTAM: Hebræum *sorec* significat vitem primæ & optimæ notæ: cuius SEMEN OMNE] id est, propagines, seu palmites sint *veri*, id est, perfecti, & genuini, eiusdem probitatis ac præstantiæ, cuius est vitis. Notat primaria Synagogæ fundamenta & substructiones, Patriarchas & Prophetas.

שרק

℣. 22. NITRVM, alumen esse quidam volunt, alij speciem salis, ab insula *Nitria* sic nominati. Ex Plinio constat, non multum à sale differre, sordes rodere & expurgare: tubera abradere, itemque pustulas ac næuos, vt ex Ouidio, Drogone & alijs docet noster Delrio. Vnde mulieres nitoris studiosæ, solent *nitro* sese abluere, inquit S. Athanasius & Isidorus.

Plin. lib. 31. c. 10. Ouid. lib. de Medicam. faciei. Delrio adag. 819. Athan. l. de Virginit. sub med. Isidor. l. 16. Etymol. c. 2.

BORITH HERBA] est fullonum, quâ pannorum sordes eluunt, & maculas expurgant. Ijsdem enim vsibus seruit quibus *nitrum* & *sapo*, vnde & *saponaria* vocatur tum Latinè, tum Italicè, hortulanis notissima, inquit S. Hieronymus. Allegoricè, *nitrum* & *borith* erant lustrationes & sacrificia legis Mosaicæ, inquit Theodoretus, Hugo & Liranus; Tropologicè, excusationes humanæ, vt ait Maldonatus.

℣. 23. VIDE VIAS TVAS, intuere sordidas idololatrias tuas, IN CONVALLE filiorum Ennon, seu in *gehenna* (*a*) à te patratas, vbi filios tuos idolo Moloch viuos concremandos totics tradidisti. ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, Liranus. O Israel, sicut

a 4. Reg. 23. v. 10.

בכרה

CVRSOR LEVIS; Hebraicè, *bichra*, id est, animal velox: S. Hieronymus, *capram* vertit; Chaldæus, *camelum* feminam, seu *dromedariam*; Vatablus, *camelopardalim*. Sicut, inquam, talis fera, dum vel siti, vel æstu libidinis agitatur, velocissimè quaquauersum discurrit, EXPLICANS VIAS SVAS] Hebraicè, *gyrans* aut circumiens semitas *suas*, donec inueniat cum quibus libidinem expleat: ita tu ad idola omnigena quaquauersum discurristi. Rursum

פרא

℣. 24. Sicut ONAGER (Hebræum *pere* vtrumque sexum siluestris asini significat, animal salacissimum, efferum ac velocissimum, teste Plinio, Oppiano & Æliano) IN DESIDERIO ANIMÆ SVÆ, id est, cùm æstuat in consortem suam, cùm libidine incenditur, ATTRAHIT VENTVM AMORIS SVI, id est, captat auram & odorem femeliæ quam amat, & in eam tanta contentione fertur, vt NVLLVS EVM auertere possit, adeò vt in rabiem subinde, & in proprij pulli perniciem agatur. Atque idem dic de onagra respectu onagri, quem perditè deperit. & per saltus ac nemora furibunda prosequitur; ita & tu, ô Israel, vbicumque olfecisti aliquod idolum, tanto in illud impetu rapiebaris, vt nullis minis, nullis periculis diuerti posses, inquit S. Hieronymus. Sed benè habet: sicut onagra, velocissima alioquin, & cursu suo venatorum conatus eludens, facilè tamen capitur cùm generationi vacat, & fœtu ac menstruis grauatur: ita & tu, ô Israel, licèt hactenus ope diuina planè inuictus, ea tamen iam priuaberis, quia idololatriæ das operā, atque ita hostibus tuis, Ægyptijs & Chaldæis, prædæ eris. Tropologicè, peccator, dum sordido scelerum luto infixus hæret, præda fit diabolis, inquit S. Gregorius.

Gregorius homil. 20. in Ezech.

℣. 25. PROHIBE PEDEM TVVM A NVDITATE, id est, desine huc illucque ad vana idola discurrere,

rere, & discurrendo calceamenta atterere, teque A bonis tuis spoliare ac denudare: desine GVTTVR TVVM SITI exarefacere, currendo in Assyriam vel in Ægyptum, indeque opem cassam accersere. Ad me redi, ad legitimum spōsum & maritum tuum: *apud* me *est fons vitæ*: ex *me auxilium* omne *tuum*. Sed obstinata meretrix noluisti audire:

נואש DIXISTI, DESPERAVI; Hebraicè, *noas*, id est, actum est de me, desperatum est, quòd scilicet post tam fœda, tam diuturna adulteria cum idolis, in gratiam recipiar pristinam à Deo vero marito meo. NEQVAQVAM ergo FACIAM quod suadet Deus, nolo ad eum redire; post idola, quæ hucusque amaui & colui, pergam ambulare. ita Chal- B dæus, S. Hieron. & Vatablus. Ergo à blanditijs ad flagella decurri. sed neque his melior facta es.

℣.30. FRVSTRA PERCVSSI FILIOS, id est, ciues, VESTROS per *Salmanasarem*, per Sennacherib, per Merodach, qui recèns Manassen regem vestrum cum reliqua nobilitate in Babylonicum carcerem abduxit. (*a*) Potiùs instar leonum insurrexistis in Prophetas, qui meo nomine & iussu vos corripiebant. ita Hugo, Liranus, Dionysius.

a 2. Par. 33. vers. 11. & Chronici 6. 19.

℣.31. AN SOLITVDO, id sterile desertum. FACTVS SVM ISRAELI, nullos ei fructus pariens? an fui Israeli TERRA SEROTINA] serò ac tardè illi opitulari, speratosque fructus auarè reddere solitus? Aut aliam deserendi mei vel, de me desperandi iustam causam dedi? Sed en aliud malum impudentissimæ hypocrisis.

℣.33. QVID externis sacrificijs alijsque cerimonijs legalibus VIAM, id est, mores tuos, NITERIS OSTENDERE probos ac pios esse, AD QVÆRENDAM DILECTIONEM & beneuolentiam meam? cùm publicè in oculis totius mundi vaces omni impietati, rapinæ ac cædibus? Nec tu tantùm his vaces, sed & alios *doceas* inire eadē has VIAS TVAS, quæ sunt meræ *malitiæ* & nequitiæ, neque possis occultare publicas cædes & homicidia à te patrata, non magis quàm possit accipiter occultare cædem auicularum à se raptarum & discerptarum, quarum sanguis adhuc inhæret alis ipsius. Nam ALÆ, D id est, *manus*, TVÆ, vt LXX. vertunt, plenæ sunt *sanguine* INNOCENTVM.

℣.34. NON IN FOSSIS INVENI EOS à te occisos, scilicet clàm & secretè, vt solent latrones iugulare viatores: sed palàm & inspectante totâ vrbe. Sic Zachariam pontificem occidistis in templo, 2. Paralip. 24. v. 21, Sic tot alios Prophetas, tot infantes innocentes iugulastis, imò viuos exussistis idolo

b Hic v. 23. Moloch, vt suprà (*b*) memoraui.

℣.36. QVAM VILIS & contemptibilis FACTA ES, ô filia Sion, ITERANS, id est, mutans toties, VIAS TVAS, deflectendo primùm à me, deinde ab vno patrono ad alium desiliendo, ab Ægyptio ad Assy- E rium, ab Assyrio ad Chaldæum, à Chaldæo rursus ad Ægyptium. Sed fiet tibi vt promerita es. Nam SICVT nuper sub rege Achaz CONFVSA fuisti AB *Assyrio* Teglatphalasar, 2. Paral. 28. Sic etiam AB *Aegyptio* rege Nechao CONFVNDERIS, quàndo occiso Iosia, capto Ioachaz, & ope contra Chaldæos tibi denegatâ, regredieris probro & confusione plena, *manibus* SVPER CAPVT TVVM complicatis, in signum grauissimi luctus, pudoris ac doloris. ita S. Hieronymus & Theodoretus.

CAPVT III.

Synagogam idololatrantem sub metaphora adulteræ repudiatæ reuocat Deus ad pœnitentiam. Ostendit, grauiùs deliquisse Iudam quàm Israelem. Denique per Christum pœnitentibus omnibus veniam, gratiam & gloriā promittit.

℣. 1. MVLIER] Hebraicè, *terra*. Vxor enim est quasi terra, seu ager mariti, qui à viro excolitur, seritur, & fructus fert, inquit Maldonatus.

℣.2. LEVA OCVLOS TVOS IN DIRECTVM; Hebraicè, *in colles*, & in loca excelsa. Vbique videbis tuæ *prostrationis*, id est, idololatricæ fornicationis vestigia. Publicè enim, ô fœda meretrix, SEDEBAS IN VIIS, QVASI LATRO] Hebraicè, *quasi Arabs*, quia Arabes latrocinijs famosi erant. Sedebas, inquam, vt insidiareris transeuntibus tum ciuibus tuis, tum externis, quos deinde tuo concubitu, id est, idololatria, inficiebas, imò necabas. Ezech. 16. v. 31. *Fabricasti lupanar tuum in capite omnis viæ*. Sic Galaaditæ Osee 6. v. 8. armati occurrebant euntibus in *Ierusalem*, raptantque ad suos *vitulos aureos*, Et licèt

℣.3. PROHIBITÆ SINT STILLÆ PLVVIARVM, nempe IMBER matutinus, frugibus rigandis necessarius, adeoque ET SEROTINVS] qui tempore C verno terras humectare solet, sicut matutinus tempore autumni, seminibus recèns terræ commissis. q. d. Etsi ad scelera tua plectenda cœlum clauserim, & sterilitatem ac famem tibi immiserim, perstitisti nihilominus in meretricia impudentia.

℣.4. SALTEM AMODO, cùm te toties tam amicè reuoco & inuito; tu quoque VOCA ME, vt debes, & olim soles, PATER MEVS tu es, & DVX VIRGINITATIS MEÆ] id est, sponsus meus es quem virgo & adolescentula duxi, ideoque maximè adamaui, inquit Theodoretus & Sanchez.

℣.5. An instar furibundæ perpetuas iras & hostilitates mecum exercere decreuisti? ita ferè D LXX. Theodoretus, Liranus, Dionysius & Sanchez.

ECCE LOCVTA ES, id est, dixisti, nempe, *Nequaquam faciam*, cap. præced. v. 25. ET prout dixisti, sic etiam FECISTI, & facis etiamnum, ET POTVISTI] & potes adhuc tantum nefas ab animo tuo impio & obstinato impetrare?

℣.6. AVERSATRIX ISRAEL, putà decem tribus, 3. *Reg.* 12. quæ ab initio sui schismatis palàm auersatæ sunt v. 28. Deum eiusque cultum, & in hac rebellione continuò perseuerarunt, *abeuntes* SIBIMET] id est, quò eas ducebat sua cupido & libido.

℣.7. SOROR Israelis IVDA, licèt Dei cultum publicè vt plurimum retinuerit, PRÆVARICATRIX E tamen facta non rarò, & occultè ac subdolè. nonnumquam etiam publicè, ad idola desciscens, sub *Manasse*, *Achaz*, & alijs quibusdam impijs regibus, FACILITATE FORNICATIONIS SVÆ, *v.* 9. id est, pronitate ad colendum idola, & frequenti ac facili reiteratione huius impietatis, à qua *v.* 10. non resipuit IN TOTO CORDE SVO, SED solùm IN MENDACIO, id ist, fictè ac simulatè, multò grauiùs offendit me, quā SOROR EIVS ISRAEL. Primò, quia in Iuda maior erat veri Dei cognitio. Secundò, quia exemplum habuit puniti ob sua scelera Israelis, & in Assyriam abducti; nec tamen resipuit. Tertiò, quia maiore subinde ardore & æstu coluit idola, quàm Israel, v.g. sub Manasse, cùm etiam Prophetas om- 4. *Reg.* 21. *v.* 2. *vsque* 16. nes oc-

nes occideret. Vnde IVSTIFICAVIT *v.*11. ANIMAM SVAM, seu seipsam, ISRAEL quantumuis AVERSATRIX, COMPARATIONE PRÆVARICATRICIS IVDÆ] Non quòd Israel verè iustus sit, sed quòd præ Iuda tam fœdè, tam enormiter delinquente, minùs peccarit, & quasi iustus videri possit. Sicut Lucæ 18. *Publicanus* dicitur *iustificatus* præ Pharisæo. Simili metaphora duarum sororum meretricum, *Oolla*, id est, decem tribuum, & *Oolibæ*, id est, Ierusalem, vtitur Ezechel c. 16. & 23. & simili phrasi dicit, illam ab hac, imò *Sodomam* præ hac, iustificari.

¥.12. Per AQVILONEM intelligit Israelitas decem tribuum in Assyriam & Mediam, quæ Iudææ ad Aquilonem iacent, nuper deportatas. Hos inuitari iubet Deus vt ad pristinum Dei cultum postliminio redeât; vt hac via stimulos addat Iudæ, eumque ad æmulationem prouocet, quasi eo (ni resipiscat) repudiato, migraturus sit ad Israelem. ita S. Hieronymus, Liranus & Dionysius.

QVIA SANCTVS; Hebraicè & Græcè, *misericors*, seu benignus, EGO SVM: & gratiam ac fauorem meum pristinum, cum fœnore in vos, si resipiscatis, continuò refundam: licèt hucusque *v.*13 *dispersæris* VIAS TVAS] id est, effuderis gressus tuos (vt vertunt LXX.) ad insequendos *alienos* amatores & procos, nempe idola variarum gentium.

¥.14. ASSVMAM VOS, VNVM DE CIVITATE, ET DVOS DE COGNATIONE] id est, pauculos ex singulis vrbibus & cognationibus vestris. (Iudæos alloquitur captiuos in Chaldæa; Allegoricè, sub diabolo) vt saltem reliquiæ saluæ fiant, maximè per Christum. Nam ad Christi tempora maximè respicit Propheta, etsi litteraliter agat de reditu è Babylone. ita Hebræi, Theodoretus, Eusebius, Hugo & S. Thomas.

Euseb. lib. 2. Demonstr. c. 54.

¥.16. NON DICENT VLTRA: ARCA TESTAMENTI] id est, non ponent fiduciam in arca fœderis, quia illa carebunt. (*a*) Allegoricè, non ventur amplius sacrificijs aut Sacramentis legalibus, quæ coniuncta erant arcæ: sed, sublatis his vmbris, amplectentur veram arcam diuinæ sapientiæ & gratiæ, Christum, & sacrificium ac Sacramenta ab illo instituta.

a 2 *Mach.* 2. *v.* 7.

NON ASCENDET vltra SVPER COR, id est, nemo amplius de arca illa vmbratili cogitabit, nemo de illa loquetur, nemo ILLIVS RECORDABITVR, nemo illam VISITABIT aut adibit, oraculi aut beneficij apud illam impetrandi gratia: NEC FIET VLTRA alia similis arca, quæ priori (*b*) occultatæ substituatur. Allegoricè, cessabunt omnia legalia & ceremonialia. Verùm licèt Ierosolyma destituenda sit his suis antiquis monilibus; tamen

b 2. *Mach.* 2. *v.* 4. *&c.*

¥.17. VOCABVNT IERVSALEM SOLIVM DOMINI] Id est, erit thronus regius summi Dei, ac præsertim Messiæ, vnde imperium suum protendet in vniversum orbem, *De Sion* enim *exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem*. Ergo loco paruæ *arculæ*, quæ erat olim solium Dei, tota iam Ierosolyma erit solium Altissimi. ita S. Hieronymus & alij Patres.

Isaiæ 2. *v.* 3.

¥.18. DOMVS IVDA positis odijs IBIT AD DOMVM ISRAEL, apud Assyrios & Medos captiuam, & iunctis animis regredientur DE TERRA AQVILONIS] Id est è Chaldæa & Assyria; Allegoricè, è regione & carcere peccati. Ierosolymam ad solium Dei, sub alas Christi eiusque Ecclesiæ, inquit S. Hieronymus. Tunc ô dilecta Sion

¥.19. QVOMODO PONAM TE IN FILIOS? id est, quàm multos, quàm egregios filios tibi dabo? ô quàm pulchram; atque omnibus DESIDERABILEM TERRAM, quàm PRÆCLARAM HEREDITATEM TRIBVAM TIBI? nempe non solas reliquias Iudæorum, modicas & debiles, sed & EXERCITVVM GENTIVM numerosissimarum ac bellicosissimarum multitudinem quasi infinitam. ita S. Hieronymus, Dionysius & Vatablus. Nec frustra omnino fuit hæc Dei tam prolixa inuitatio.

¥.21. Vox optatissima passim IN VIIS AVDITA EST FILIORVM ISRAEL resipiscentium & ad Deum recurrentium, ingenti cum *ploratu & vlulatu* ob execrabilem *iniquitatem viarum suarum*. ita Theodoretus, Rabanus & Hugo. Sed quæ hæc vox,

¥.22. ECCE NOS pœnitentes VENIMVS AD TE, ô Deus: redimus à cubilibus draconum ad thalamum sponsi.

¥.23. COLLES, id est, dij quos in collibus & saltibus colebamus, VERE MENDACES ERANT] promittentes mira, præstantes nihil.

¥.24. CONFVSIO; Hebraicè, *pudendum illud*, nempe idololatria, vel, vt Maldonatus, vastatio & calamitas consecuta ex idololatria, COMEDIT omnem LABOREM PATRVM NOSTRORVM, id est, absumpsit omnia quæ patres nostri magno labore collegerant. Sic hodie *Bacchus* & *Venus*, & quæ illos subsequuntur pœnæ, absumunt opes multorum. Absumpsit, inquam, non semel aut iterum, vel casu fortuito, sed ex professo & continuò, videntibus nobis & palpantibus, iam inde AB ADOLESCENTIA NOSTRA] Et stulti ac stolidi nondum resipiscemus tanto parentum malo, probro ac damno? An perpetuò

¥.25. DORMIEMVS IN CONFVSIONE NOSTRA, & moriemur in tantis tamque probrosis miserijs?

CAPVT IV.

Pergit inuitare Iudæos ad pœnitentiam non fictam, sed veram & seriam. Ni faxint, minatur excidium per Chaldæos, quorum terribilem aduentum & exercitum graphicè depingit, simulq; obsidionem Ierosolymæ, totiusq; Iudææ vastationem.

¥.1. SI REVERTERIS, ô ISRAEL, id est, si vmquam reuersurus es, aut reuerti decreuisti; si sapis, non ad alium, quàm AD ME naturalem dominum, parentem ac sponsum tuum, CONVERTERIS. Quod si feceris, & SI ABSTVLERIS OFFENDICVLA TVA, id est, idola: inquit S. Hieronymus, Theodoretus & Rabanus: vel, vt Dionysius & Liranus, quæuis peccata, quibus & Deus offenditur, & ipse quoque peccator; tunc NON COMMOVEBERIS] Hebraicè *non emigrabis*, nempe è terra tua in captiuitatem Babylonicam, quæ capiti tuo iam impendet.

¥.2. IVRABIS: VIVIT DOMINVS, id est, iurabis per Deum viuum, non amplius per mortua idola. Porrò *iuramentum* synecdochicè ponitur hîc pro omni publico Dei cultu: pars enim latriæ & cultus Dei est iuramentum. Quod vt legitimè fiat, tribus hîc comitibus sociatur, Primò, VERITATE, ne falsum vel incertum iuretur, aut fictè vel dolosè. Secundò, IVDICIO, ne sine iusta causa, ne indiscretè, ne irreuerenter. Tertiò IVSTITIA, ne sit iniquum, ne alteri iniustè noxium. ita S. Hieronymus & S. Thomas.

Hieron. hîc, & habetur 22. *q.* 2. *c.* Aduertendum. *S. Tho. hîc, & 2. 2. q.* 89. *art.* 3.

¥.3. NOVATE VOBIS NOVALE] id est, agrum cordis

cordis vestri iam pridem incultum, & idololatria alijsque aliorum scelerum spinis horrentem, per seriam pœnitentiam expurgate, vt semina gratiæ, iustitiæ, virtutumque recipere possit. ita S. Hieronymus, Theodoretus & Viegas.

Viegas in 12. Apocal. comm. 3. sect. 18. n. 8.

¥.4. CIRCVMCIDIMINI non coram hominibus, sed coram DOMINO; nõ carne, sed corde; non extrinsecus, sed intrinsecus: AVFERTE PRÆPVTIA, id est, immunditias, prauos affectus & peccata, CORDIVM VESTRORVM] Iudæis enim *præputium* erat maximè immundum, & Gentes *præputiatæ* erant prorsus immundæ. Quòd si corda emundare nolueritis; ecce, iubeo ex nunc Prophetis meis, denuntient Iudæis imminentes plagas.

¥.5. CLAMATE FORTITER, Chaldæos vindices scelerum iam iam affuturos. agite, nunc Iudæi, CONGREGAMINI ad resistendum Chaldæis. Sed non audemus, inquiunt, prodire in agrum; INGREDIAMVR CIVITATES MVNITAS, & illarum mœnibus nos tueamur, ac præsertim mœnibus Ierosolymæ & arcis Sion.

¥.6. LEVATE SIGNVM, id est, erigite vexillum militare IN SION: in hanc arcem & vrbem bellatores omnes euocate: CONFORTAMINI animis & viribus: NOLITE STARE attoniti, stupefacti, consternati. Chaldæus & LXX. *festinate, ne cunctemini.* Mox describit aduentum Nabuchodonosoris Chaldæorum monarchæ.

¥.7. Comparat eum *leoni*, ob sæuitiam, crudelitatem, fortitudinem & magnanimitatem. Deinde *prædoni* ob rapacitatem, ob astutiam, ob stratagemata, & insidias quibus vtebatur, denique ob inexplebilem sitim victoriarum quâ tyrannus ardebat. Ad huius aduentum

¥.9. PERIBIT COR REGIS, Ioakimi, Ioachini, Sedeciæ: nempe tanto pauore percellentur, vt nec consilio, nec armis populum suum iuuare aut protegere possint. Pseudo-PROPHETÆ quoque, qui prospera omnia Iudæis addixerant, videntes se falsos, & populum ac principes à se delusos, animis CONSTERNABVNTVR] Ita Chaldæus, Theodoretus, Hugo, Dionysius, Liranus.

¥.10. HEV, HEV, HEV] In Hebræo vnica vox est *aha*, de qua suprà. (*a*)

a Cap. 1. v. 6.

ERGONE, Ô DEVS, DECEPISTI, id est, decipi permisisti, POPVLVM ISTVM per pseudoprophetas, de quibus v. præced.? qui promittebant pacem & omnia prospera Iudæis; ET ECCE adest GLADIVS hostilis, iamque PERVENIT VSQVE AD ANIMAM] id est, vsque ad intima, vsque ad cor, vsque ad vitæ amissionem; Maldonatus, vsque ad principes; sacerdotes & prophetas, qui populo pro anima sunt.

¥.11. Nabuchodonosorem eiusque copias comparat *vento vrenti* atque omnia vastanti, IN VIIS QVÆ SVNT IN DESERTO VIÆ FILIÆ POPVLI MEI, id est, incipiendo à deserto, quod à Babylone via est, & ducit ad filiam meam, id est, Ierosolymam. Porrò VENTVS ille VRENS seruiet mihi NON AD VENTILANDVVM modò, vel PVRGANDVM, vel corrigendum, quo modo egi nuper cum Manasse, (*b*) & toties olim cum Iudæis: sed deseruiet mihi ad prorsus euertendum, exstirpandum & perdendum.

b 2. Par. 33. v. 13.

¥.12. SPIRITVS PLENVS robore & potentia, spiritus turbinis & tempestatis bellicæ qua Iudæos inuoluam, VENIET MIHI EX HIS VIIS deserti, id est, in seruitium & obsequium meum aderit extemplò. Tunc LOQVAR IVDICIA MEA CVM Iudæis, A vt dixi c. 1. v. 16.

¥.13. Nabuchodonosorem eiusque exercitum comparat de nouo *nubi* procellosæ, tristi ac tenebrosæ, sæuæque *tempestati*. Item *aquilis*, quæ magno impetu, celeritate ac violentia deuolant in alias aues, easque sternunt, laniant, deuorant. Et ecce

¥.15. Vox auribus meis ex nũc insonat profugi populi A DAN, (*c*) termino Iudææ Aquilonari versus Babylonem (sicut Bersabee erat terminus Iudææ Australis:) profugi, inquam, & ANNVNTIANTIS Chaldæorum aduentum. Vox item nuntij DE MONTE EPHRAIM, qui medius iacet inter Dan & Ierosolymam, NOTVM FACIENTIS, id est, B nuntiantis adesse, IDOLVM Chaldæorum, nempe ignem, qui Chaldæis pro Deo erat, & regibus præferebatur, vt suprà (*d*) dixi. ita Sanchez. Sed S. Hieronymus ac Theodoretus, vexilla intelligunt idolo *Bel* insignita.

c Cap. 8. v. 16.

d Cap. 1. v. 15.

¥.16. Comparat eosdem Chaldæos *custodibus* agrorum vel vinearum, qui arctissimè omnia obsident & obseruant, ne quis irrepat, ne quid effugiat, aut eripiatur. ita S. Hieronymus ad Theodoretus. Hæc omnia sceleribus tuis imputa.

¥.18. MALITIA TVA, QVIA AMARA & amarulenta, fecit & creauit tibi hoc malum, quod TETIGIT COR TVVM] id est, penetrauit vsque ad intima cordis tui.

¥.19. VENTREM MEVM (Hebraicè, *viscera mea*) DOLEO. Verba sunt Ieremiæ. q. d. Ex hac calamitate populi mei totus percellor, adeò vt & intima viscera indoleant, torminibus quasi lugubri cithara resonantia, vt in simili aiebat Isaias. ET SENSVS (Hebraicè, *parietes*) CORDIS MEI, id est præcordia, TVRBATI SVNT IN ME, tumultuantur; LXX. *fluctuant*, id est, palpitant & subsiliunt, vt in pauidis & perculsis fieri solet. Certè ita perculsus

Isaiæ 16. v. 11.

¥.23. ASPEXI TERRAM Iudææ, ET ECCE VACVAERAT, ET NIHIL, & quasi chaos, in quo primùm creata fuit, Aspexi CAELOS; ET hi *luce* destituti, planè atri ac lugubres sunt, planeque obtenebrescunt.

Genes. 1. v. 1. & 2.

¥.24. VIDI MONTES ET COLLES, ET ECCE MOVEBANTVR, trementes & horrentes tum à percatis populi, tum à seueris iudicijs Dei: ac proinde decutientes incolas & habitatores suos, homines & aues. Profugi Iudæi

¥.29. INGRESSI SVNT ARDVA] id est, loca prælta & prærupta, nempe vt latibula habeant, & vitæ suæ consulant.

¥.30. QVID iam FACIES meretrix impudentissima? VESTIERIS COCCINO (*e*) & purpura, STIBIO *depinges* OCVLOS TVOS, & mangonio tuo ac lenocinijs delinire & in amplexus pellicere conaberis AMATORES olim & riuales tuos vt faciebat Iezabel, 4. Reg. 9. v. 30. Frustra, frustra omnia. Quia illi ipsi te capitaliter oderunt, & QVÆRENT perdere ANIMAM, seu vitam, TVAM] ita Hieronymus, Theodor. Rabanus, qui & amatores istos exponunt Chaldæos, quorum amicitiam ambiebant Iudæi, colendo illorum idola. Tropologicè, sunt mundus & bona mundana.

e Exod. 25. v. 4.

¥.31. Pro PVERPERA, in Hebræo & Græco est *primipara*. id est, primum edens partum, quæ nondum experta eiusmodi angustias, doloribus penè *intermoritur*, sparsis & *expansis manibus* collabens præ deliquio. Talis est peccator cùm subitas scelerum pœnas luere cogitur.

CAPVT

CAPVT V.

Pergit insectari Iudæorum scelera, hypocrisin, obstinationem, luxuriam & atheismum. Pergit & intentare cælestes minas, excidium totius terræ per Chaldæos. Denique revocat eos ad timorem Dei, eiusq; amorem & cultum.

¥. 1. VIRVM FACIENTEM IVDICIVM, id est, facientem quod iustum, rectum & æquum est secundùm legem: ET QVÆRENTEM FIDEM; Hebraicè, *fidelitatem*, id est, qui fidelis sit Deo & hominibus. Nempe *virum* in his virtutibus eminentem, qui populum in eodem officio contineat, qui se irato Deo quasi murum vel sepem opponat. talem virum si vel vnum tota vrbe Ierosolyma reperitis, PROPITIVS ERO toti vrbi. Sicut Sodomæ & Gomorrhæ pepercissem si decem iustos inibi reperissem, ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus, Hugo & S. Thomas. Hæc enim referuntur ad tempus obsidionis Ierosolymæ, cùm solus prophetaret Ieremias: qui cùm Dei vice hîc loquatur non debet hoc numero comprehendi. Verùm adeò perfidi sunt omnes Iudæi, vt, quamuis *iurent* per vitam veri Dei, HOC non faciant nisi FALSO] id est, fictè & simulatè, volentes videri me colere, cùm cor eorum sit prorsus auersum à me. Certum tamen est

Genes. 18. v. 32.

¥. 3. Quòd tu DOMINE præ omni alia re expetas FIDEM] id est, fidelitatem, ab hominibus.

PERCVSSISTI EOS toties peste, fame, bello, ET tamen NON DOLVERVNT] vt solent amentes vel deliri: de quibus Hippocrates: *Si corpus ægrum non sentit dolores quibus affligitur, certum est mentem ægrotare.*

Hippoc. in Aphorism.

¥. 6. PERCVSSIT EOS LEO. Sic vocatur Nabuchodonosor cum suo exercitu, ob ferociam, robur & magnanimitatem. Idem ob auaritiam & voracitatem vocatur LVPVS AD VESPERAM. Hebraicè, *lupus vesperarum*, seu vespertinus, id est, qui diurna esurie efferatus, sub vesperam magna rabie ad prædam excurrit. ita S. Hieronymus, Oppianus, Hugo, Dionysius, Vatablus, Delrio, Ribera & Rabbini. Denique PARDVS vocatur, & quidem VIGILANS, seu, vt alij vertunt, *festinans*, ob expeditionum celeritatem, industriam in agendo & dexteritatem. Symbolicè, *leones*, *lupi* & *pardi* ex mente S. Hieronymus sunt dæmones: secundùm S. Ambrosium, hæretici.

Oppian. l. 1. & 3. de Venatione. Delrio adagio 824.

Hieron. in Habacuc 1. v. 8. Ambros. in c. 10. Luc.

¥. 8. EQVI AMATORES, æstu libidinis flagrantes in femellas, ET EMISSARII, id est, qui in equas immittuntur, vt eas ingrauident; Iudæos designant & corporaliter cum vxoribus alienis, & spiritualiter cum idolis adulterantes. Ad hæc & alia scelera plectenda,

¥. 10. ASCENDITE, Chaldæi, MVROS Ierosolymæ, ac reliquarum vrbium Iudææ: NOLITE tamen CONSVMMATIONEM FACERE, id est, nolite penitus eam exscindere aut exstirpare: sed PROPAGINES AVFERTE quæ NON SVNT DOMINI, id est, familias & capita quæ à vero Deo desciuerunt, & idolis se subdiderunt. ita S. Hieronymus.

¥. 12. DIXERVNT, NON EST IPSE Deus qui nos puniat, si malè; aut præmiet, si benè egerimus: itaq; non est quòd metuamus, ob neglectum illius cultum obuentura nobis mala, quæ nomine ipsius à Prophetis intentantur. ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, S. Thomas, Liranus.

¥. 13 PROPHETÆ, v. g. *Ieremias* & alij, qui minas illas intentant, IN VENTVM LOCVTI FVERVNT, id est, vana, inania; mendacia protulerunt. RESPONSVM, id est, oraculum verum, NON est IN EIS.

Eadem ERGO HÆC quæ nobis minantur, EVENIENT ILLIS] nempe curabimus, in ipsorum met capita recidant. nos gladio & fame in ipsos sæuiemus. Ita sæuitum fuisse in Ieremiam docebunt sequentia. (a)

a C. 11. 18; 20. 10. 17.

¥. 14. EGO DO VERBA MEA IN ORE TVO, ego tibi inspiro, ego tibi iniungo vt eloquaris quæcumque iam dixi. Neque do verba mea in vētum, vt ipsi iactant, sed IN IGNEM, quo omnes vorabuntur. ita Vatablus, Hugo, Liranus.

¥. 15. GENS ANTIQVA, gens est Chaldæorum, exordium à Nemrod accersens Genes. 10.

¥. 16. PHARETRA EIVS, & quæ ex pharetra depromuntur sagittæ, QVASI SEPVLCHRVM PATENS] sine numero & sine fine vos conficient & absument. q. d. Chaldæi tam valido, tam certo ictu iacient sagittas suas, vt quot iecerint, tot mortes creent. ita ferè Theodoretus, Liranus, Maldonatus, à Castro & à Lapide.

¥. 22. A FACIE MEA, id est, à me, à mea præsentia, maiestate, potentia, NON DOLEBITIS? id est, non pœnitebitis? Chaldæus, *non contremiscetis?* LXX. *non formidabitis?* QVI tam potens sum, vt arena, re vili & fragili, quasi muro, totum mare, omnesque eius fluctus coërceam? Sed, heu! insani maris fluctus mihi per omnia obediunt, littoraq; sibi à me præstituta transgredi non audent: Iudæis autem, qui videri volunt sani, sapientes & pij,

¥. 23. FACTVM EST COR INCREDVLVM] LXX. *cor non audiens*, neque obediens, sed contumax, & rebelle.

¥. 25. INIQVITATES VESTRÆ DECLINAVERVNT, id est, à vobis auerterunt, HÆC, scilicet istam PLVVIAM, (b) TEMPORANEAM ET SEROTINAM, *messem plenam*, &c. ita S. Hieronym. & Theodoretus.

b C. 3. v. 3.

¥. 27. SICVT DECIPVLA aucupum PLENA est AVIBVS tum decipientibus alias auiculas, & sua specie vel cantu eas allicientibus: tum etiam allectis ac deceptis: SIC DOMVS Iudæorum PLENA sunt DOLO] nempe vsuris ac fraudibus, itemque opibus vsura & fraude comparatis. Ita ijdem

¥. 28. PRÆTERIERVNT SERMONES MEOS PESSIME] Id est, pessimis ac sceleratissimis facinoribus suis violarunt leges & mandata mea.

¥. 30. STVPOR ET MIRABILIA] Hebraicè & Chaldaicè, *stupor & turpitudo*; LXX. *stupor & horribilia*, id est, res maximè stupendæ, turpes & horrendæ; quòd Prophetæ & sacerdotes, qui populo debebant esse duces ad omnem virtutem, facti sint ei auctores omnium scelerum. ita S. Hieronymus. Theodoretus, Hugo & alij.

CAPVT VI.

Chaldæos quasi inuitat ad Ierosolymam occupandam, vacemandam, expurgandam. nihil ait profuturas impijs victimas & sacrificia, nisi declinent à sceleribus suis, quæ sunt faces & flabella incendij vrbis ac templi, & causa excidij omnium gentium.

¥. 1. FILII BENIAMIN, ciues mei (Ieremias enim erat ex Anathoth (c) vico Beniamin) confœderati, imò incorporati tribui Iudæ, iam aduentantibus Chaldæis, consurgite ad opem Iudæis ferendam, CONFORTAMINI & roboramini. Atque inprimis BVCCINA CLANGITE IN THECVA] id est, milites conuocate & delectum facite, & arma

c C. 1. v. 1.

& arma depromite ex publico armamentario, quod *in Thecua*, (vrbe(*a*) tribus *Iuda*, in monte sita, sex millibus passuum à Bethlehem, duodecim, Ieroſolymis) Roboam(*b*) rex olim cõstituit. E qua vrbe oriunda fuit sapiens illa mulier *Thecuitis*, quæ iubente Ioab pro Absalomo Dauidem exorauit, 2. Reg. 14.

(a) 1. Par. 2. v. 24. & 6. 4. v. 5. & 6. 10. v. 9. & 1. Macha. 9. v. 33.
(b) 2. Par. 11. v. 12.

ET SVPER BETH-ACAREM (Vicus est medius inter Ieruſalem & Thecuam in monte, à vinctis dictus *beth-acarem*, id est, domus vineæ) Hic quasi ex altissima specula LEVATE VEXILLVM; Vatablus, *extollite ignem & fumum*, scilicet vt hoc signo moneantur accolæ omnes, adesse hostes Chaldæos.

בית הכרם

℣. 2. SPECIOSÆ mulieri ET DELICATÆ ASSIMILAVI, id est, similem effeci, FILIAM SION] id est, Ieroſolymam, quam tot opibus, tam splendidis ædificijs, tanta potentia, tam amplo imperio exornaui. Ecce illa nunc ad primum Chaldæorum ingressum instar teneræ ac delicatæ puellulæ percellitur, trepidat, consternatur & corruit quasi exanimis.

℣. 3. PASTORES, id est, rectores, duces, principes Chaldæi, ET GREGES, id est, exercitus, EORVM VENIENT AD EAM obsidendam, capiendam, exscindendam. QVISQVE illorum PASCET, id est, reget, EOS QVI SVB MANV SVA SVNT] id est, qui potestati & imperio suo subiecti sunt. ita S. Hieronymus & Theoderetus.

℣. 4. SANCTIFICATE SVPER EAM BELLVM, id est, solemni ritu bellum contra Iudæos quasi sacrum indicite. Sicut Ioël. 1. *Sanctificate ieiunium*, id est, solemne & sacrum ieiunium omnibus indicite. Verbis istis Chaldæi se mutuò excitant: vt & sequentibus, ASCENDAMVS etiam IN MERIDIE, etiam IN NOCTE, id est, etiam per frigus & tenebras. ita Liranus: qui addit, bellum hoc vocari hîc *sanctum*, quia in causa Dei, ad vlciscendas iniurias ipsi factas; & quia firmum atque inuiolabile, à quo, nisi peracta vltione, discedere non liceret. Sed pergunt Chaldæi dolentes atque indignantes ob nimias moras:

VÆ NOBIS] quòd diem totum inutiliter triuerimus, neque impressionem vel insultum in vrbem fecerimus: cùm tamen prompti simus, imò anhelemus, etiam noctu illam impetere:

℣. 6. Per instinctum naturalem & dictamen artis bellicæ suggerit Deus Chaldæis modum expugnandi Ieroſolymam: nempe CÆDITE LIGNVM EIVS, id est, arbores quæ circùm vrbem sunt, & ex ijs FVNDITE, id est, iacite, AGGEREM; Hebraicè, *catapultas*, arietes, aliasque munitiones bellicas.

HÆC EST CIVITAS VISITATIONIS, id est, punitioni destinata ac tradita, quasi piaculum vel catharma. quia OMNIS CALVMNIA, oppressio & iniustitia dominatur in ea.

הקיר

℣. 7. SICVT CISTERNA FECIT: Hebræum, *hakir* potest verti, ebullit, effundit, scaturire facit, perennem AQVAM FRIGIDAM: SIC Ieruſalem perennem ebullit MALITIAM. ita Rabbini, Liranus & Maldonatus. Et quæ hæc malitia? Primô, INIQVITAS; Hebraicè, *violentia*, id est, vis & rapina. Secundo, VASTITAS, Hebraicè, *vastatio*, seu spoliatio quâ potentes opprimunt pauperculos. Tertiò, INFIRMITAS; LXX. *dolor*, seu ægritudo animi in pauperculis sic oppressis & attritis. Quartò, PLAGA; Hebraicè, *percussio*, quâ potentes feriunt & flagellant pauperes.

℣. 9. CONVERTE MANVM TVAM, id est, iterum A ac sæpiùs redi, ô Chaldæe, ad exhauriendam Ieroſolymam: QVASI VINDEMIATOR sæpiùs manum remittit in CARTALLVM, seu canistrum, vt racemos in eo reliquos depromat vt in torculari pedibus calcantium subijciat. Nonne Iudæis ita contigit sub Ioakimo, Ioachino, Sedecia, Godolia? ita ferè S. Hieronymus & Maldonatus.

℣. 10. INCIRCVMCISÆ. vide c. 4. v. 4. Chaldæus, *obturatæ*, sunt AVRES: vnde AVDIRE NON POSSVNT, quam diu sic manent obturatæ.

℣. 11. IDCIRCO FVRORE DOMINI, id est, ingenti ira & zelo vindictæ cælitus deposcendæ PLENVS SVM, angor & æstuo. Vim quidem mihi feci hucusque, sed vlteriùs me continere non possum.

B Igitur EFFVNDE, ô Deus plagas omnes in ingratum populum, quas sæpè sed frustra comminatus es eis. Lepidam hîc habes medicinam quam pseudoprophetæ, periti (scilicet) medici adhibebant imminentibus Iudææ malis.

℣. 14. *Prophetæ & sacerdotes* Iudæorum, cùm grauissimos ac lethiferos populi morbos deberent potentibus pharmacis, adeoque & vstione ac sectione curare, CVRABANT EOS CVM IGNOMINIA, id est, ignominiosè ac probrosè; Chaldæus, *mendaciter*; Vatablus, *verbis leniculis*, seu *secundùm curationem mali leniculi*, v. g. afflatu, affrictu, palpatione vel ioco, vt curari solent leuiculi puerorum casus: dicendo, PAX, PAX vobis erit & manebit:

C Nabuchodonosor non veniet, Chaldæi non comparebunt.

℣. 16. STATE SVPER VIAS, &c.] Id est, speculamini quasi ex edito loco modos agendi parentum vestrorum. q. d. Non ex sola hac mea priuata instructione, sed etiam ex publica maiorum vestrorum consuetudine, actibus & moribus discite, ex præmijs quæ sua virtute, ex pœnis quas sua nequitia consecuti sunt, colligite vtra via vobis melior vtiliorque sit, virtutum, an scelerum, *& in ea* quam magis probatam repereritis, *ambulate* deinceps. ita ferè S. Thomas, Liranus & Dionysius.

℣. 18. COGNOSCE CONGREGATIO] supple, omnium gentium orbis, quàm acriter in Iudæos de-

D sæuiam.

℣. 20. VT QVID pueriliter mecum ludentes, placare me studetis THVRE DE SABA, seu ex Arabia Sabæa, vbi frequens nascitur, aduecto: aut CALAMO SVAVEOLENTE?] id est, calamo aromatico, qui Exodi 30. v. 23. à *cinnamomo* & *casia* expressè distinguitur. Quibus verbis reijcit hîc Deus omnes suffitus, vnctiones & sacrificia Iudæorum, non associata obseruationi mandatorum diuinorum, vt dixit etiam Isaias c. 1. v. 11.

℣. 25. GLADIVS INIMICI PAVOR, id est, hostis Chaldæus armatus & pauendus, est IN CIRCVITV Ieroſolymæ.

E ℣. 27. PROBATOREM, id est, conflatorem, TE constituo, ô Ieremia, IN POPVLO Iudaico, vt PROBES & purges VIAM, id est, mores illius. Sed nihil in ipso reperies solidi aut veri argenti: quantum quantum in toto populo est, non nisi ÆS ET FERRVM est. Fruſtra fatigaberis, & irrito labore

℣. 29. DEFECIT SVFFLATORIVM, seu follis, nempe vox & exhortatio prophetica, præ raucedine defecit: IN IGNE CONSVMPTVM EST PLVMBVM, quod purgando argento alijsque metallis adulteratis admisceri solet, vt vi ignis accedâte faciliùs separetur scoria & materia aliena, vt docet Mathiolus & alij. Porrò *plumbum* hoc est assiduitas in increpando, siue instantia ac pondus minarum, quæ

Mathiolus in Dioscor. l. 5. c. 58.

quæ frustra à Ieremia adhibitæ sunt Iudæis: frustra à Christo, & Apostolis, inquit S. Hieronymus, S. Thomas. Vatablus & Liranus. Similes allegorias de obstinatis peccatoribus habes apud Ezechielem, S. Paulum & alios.

Ezech.24. v.12. Ad Hebr.6. v.7.&6.

CAPVT VII.

Dei iussu increpat Iudæorum scelera: vanam de templo & cultu ceremoniali gloriationem detrahit. Templum speluncam ait factum latronum, ac proinde excidendum sicut Silo: Iudæos verò occidendos in Topheth, vbi ipsi filios suos immolarunt idolo Moloch.

¥.4. TEMPLVM DOMINI, ter, id est, sæpissimè, ingeminabant Iudæi, sub hoc nomine comprehendentes omnes cęremonias & sacrificia, omnemque cultum Dei externum & publicum qui fiebat in tẽplo. Per hæc enim putabant Iudæi, se à suis sceleribus probè expiari. Putabant etiam, hæc tam cara & grata Deo esse, vt numquam sineret ea aboleri, seu per Chaldæos, seu per alios hostes. Sed fallebantur miseri: nam Deus non propter locum gentem, sed propter gentem locum elegit, 2. Machab. 5. vers. 19. Cùm solemne vobis sit

¥.9. FVRARI, OCCIDERE, &c.] LXX. *furamini, occiditis*, &c. Interim quasi expiaturi tot tantaque scelera,

¥.10. VENISTIS, id est, venire soletis ad templum, ET DIXISTIS: LIBERATI SVMVS, nempe ab omnibus sceleribus nostris, omnibusq; eorumdem pœnis, solo ingressu templi, solis sacrificijs inibi oblatis: EO QVOD, id est, quamuis (*a*) (vt Vatablus, Pagninus & Maldonatus verterunt) FECERIMVS OMNES ABOMINATIONES ISTAS] Sed hæc personata sanctimonia parum vobis proderit, nisi eâdem operâ etiam à sceleribus abstinueritis.

a In Idiotismis Hebr. num.12.

¥.14. SICVT FECI tabernaculo meo in SILO] sinens illud euerti (*b*) propter scelera vestra, & arcam (*c*) capi à Philisthinis: ita faciam etiam templo & vibi Ierosolymitanæ. ita Theodoretus & alij.

b Psal 77. v.60.
c 1.Reg 4.

¥.15. EPHRAIM, id est, decem (*d*) tribus Israeliticas *proiecit* Deus A FACIE suâ anno sexto Ezechiæ, qui fuit nonus & vltimus annus Osee vltimi regis Israel, quando decem tribus captiuæ (*e*) in Assyriam traductæ sunt.

d In Idiotism. Hebr. num.21.
e 4.Reg.17. v.6.

¥.16. PROPOPVLO isto Iudaico, tam impio, tam obstinato, tam perfido, NOLI ORARE: NEC ASSVMAS LAVDEM, scilicet Dei, id est, orationem, seu priuatam, seu publicam, seu vocalem, seu realem, quæ est sacrificium, de quo Sanchez id exponit. ET NON OBSISTAS MIHI, ne puniam rebelles. Simili modo dicebat Moysi Exodi 32. v. 10. *Dimitte me, vt iracatur furor meus.* Nempe vim Deo faciunt preces piorum. Quam vim optat & gaudet sibi inferri, Ezech. 22. v. 30. *Quæsiui de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam; & non inueni.*

¥.18. CONSPERGVNT ADIPEM] Hebraicè, *ponunt conspersionem*, seu massam farinæ & aquæ sale & butyro conspersam: vnde fiebant *placentæ reginæ cæli*, id est, lunæ. Vt enim *Phœbus*, seu sol, *rex* est cæli: ita *Phœbe*, seu luna, *regina* est cœli, ob eximiam magnitudinem quâ nobis apparet, ob splendorem quo fulget, & ob dominium quod exercet in hæc inferiora. ita S. Hieronymus, S. Thomas & alij. Huic Iudæos sacrificare solitos patet etiam ex Ieremiæ 44. v. 17. & seqq. similiter & Ethnicos, vt ex Polluce, Hesychio & Eustathio constat.

Pollux l.6. c.14 Hes. & Eustath. Iliad. λ.

¥.21. HOLOCAVTOMATA ADDITE VICTIMIS pacificis, & ex his de more (*f*) comedite. Est ironia. q.d. Holocausta eiusmodi, quamdiu mores vestros non corrigitis, nihili pendo, non me placabunt, non proderunt vobis.

f Leuit.7. v.16.

¥.22. DE eiusmodi HOLOCAVTOMATVM VERBO, id est, de talibus sacrificijs impio & impuro animo mihi offerendis, quasi per illa placandus essem, *numquam* SVM LOCVTVS CVM PATRIBVS VESTRIS] Similia habes Isaiæ 1. v. 13. Amos 5. & alibi. Nam sine obseruatione mandatorum meorum non possunt mihi placere vlla sacrificia. Porrò Iudæi

¥.24. FACTI SVNT RETRORSVM respectu mandatorũ meorum, tergum illis vertentes: ET NON IN ANTE] id est, non habuerunt illa in oculis vt obseruarent & implerent illa.

¥.28. PERIIT FIDES] id est, fidelitas erga me omnis: & obseruantia & religio. Sed non impunè id feceris.

¥.29. TONDE CAPILLVM TVVM, ô Ierusalem, captiua breui futura & serua Chaldæis. Nam seruis & captiuis coma præscindebatur, vt alibi (*g*) dixi.

g Leuit.19. v.27. Isaiæ 7. v. 20.

ET SVME PLANCTVM, id est, plange, vlula, clama, IN DIRECTVM; Hebraicè, *sephaim*, id est, in altum, in excelsum, vt audiatur planctus *super vertices*, aut *montes*; vt Vatablus, Pagninus & passim Hebræi vertunt, nempe vt ab omnibus vndique audiri possit. RELIQVIT enim Deus, atque à se PROIECIT GENERATIONEM FVRORIS SVI] id est, gentem Iudaicam iræ ac furori diuino destinatam quasi in victimam.

¥.30. POSVERVNT OFFENDICVLA, id est, idola, SVA IN templo, nempe statuam Baal, Ezech. 8. v. 3. & alibi. (*h*)

h 4.Reg 21. v.4.&6.

¥.31. EXCELSA, nempe altaria & templa, in TOPHETH, luco, seu silua delubro Moloch celeberrima, in gehenna, id est, IN VALLE, *filiorum* ENNON, prope Ierusalem, de quibus vide quæ 4. Reg. 23. v. 10. dixi.

¥.32. NON DICETVR AMPLIVS, TOPHETH, id est, non vocabitur ampliùs *locus pulchritudinis*, vel *locus tympani*, seu chorearum: neque VALLIS ENNON, id est, gratiæ, seu amœnitatis: sed passim vocabitur VALLIS INTERFECTIONIS, quia plurimi Iudæi etiam ex primarijs (*i*) istic iugulabuntur, & sepelientur promiscuè cum cadaueribus vulgi, EO QVOD NON SIT illis alius sepeliendi LOCVS ob multitudinem occisorum. Tropologicè, qui veneri, ventri vel ambitioni vires, opes, ingenium, tempus & animam consecrant & immolant, in infernali Topheth & gehenna cremabuntur & viui sepelientur æternùm.

i Ierem 8. v.1.

CAPVT VIII.

Predicit, in vindictam idololatriæ & aliorum, scelerum, sepulchra Iudæorum, etiam primariorum, à Chaldæis euersum, & ossa dispersum iri: præ angustia Iudæos mortem optaturos: pro vnis & vino aquam fellis bibituros: à basiliscis deuorandos.

¥.1. OSSA etiã REGVM IVDA EIICIENT Chaldæi DE SEPVLCHRIS SVIS, inhumana prorsus & barbara feritate. idque non modò ex auaritia, thesauros quærentes in sepulchris, vbi, teste Iosepho (*k*) & Sozomeno, recondi olim solent. Sed multò magis ex odio & contemptu Iudæorum, EXPANDENT EA AD SOLEM, ET

k Ioseph. l.13. Antiquit.c.15. Sozom. l.9. in fine.

LVNAM,

LVNAM, ET OMNEM MILITIAM CÆLI] id est, ad conspectum stellarum: quæ quia instar militum cælestium prodeunt quotidie ad excubias & stationes suas, *militia cæli* in Scripturis appellantur. Porrò stellarum conspectui exposita ossa, facilè ab aëre absumuntur, & in cineres dissoluuntur. Quod eo probrosius accidebat Iudæis, quòd fieret quasi in oculis Solis, lunæ & astrorum, quæ ipsi tamquam deos coluerant, nec tamen iam poterant cultores suos à tam probroso supplicio liberare.

℣. 3. IN VNIVERSIS LOCIS QVÆ DERELICTA SVNT, nec excisa aut euersa à Chaldæis, nempe in montanis Iudææ, & alijs abditis locis, vt Vatablus exponit: vel, vt à Castro, in desertis Moab & Idumææ, ad quæ plurimi Iudæi metu Chaldæorum profugerant.

℣. 4. NVMQVID QVI CADIT, NON RESVRGET? id est, nónne omnis qui in fossam vel in lutum cadit, mox exsurgere cupit, & ad id toto corporis animique nisu contendit? pari modo nônne QVI cumque AVERSVS EST, id est, deflexit à recta via; errore cognito, in eam REVERTI festinat? Quæ est ergo Iudæorum insania, velle in lapsu & errore suo CONTENTIOSE, id est, pertinaciter; Hebraicè, *perpetuò* perdurare? ita S. Hieronymus, Isidorus, Dionysius, Liranus.

℣. 6. OMNES CONVERSI SVNT AD CVRSVM SVVM, nulli alteri rei intendentes, quàm vt praua naturæ & peruersæ cupiditatis suæ libidinem sequantur: sicut EQVVS effreni IMPETV currit quò eum stimulus vel phantasia agit, v. g. in PRÆLIVM] etiam cum certo vitæ periculo.

℣. 7. MILVVS IN CÆLO, id est, in aëre, vel ex cælo, cælique temperie & qualitate, COGNOVIT TEMPVS SVVM, nempe demigrationis in alium locum trans mare, vt hiemis rigorem fugiat: rursus, remigrationis ad proprios nidos vere recurrente, vt oua istic & pullos excludat. POPVLVS AVTEM MEVS, brutis his animantibus stupidior, NON COGNOVIT, id est, noluit cognoscere, noluit æstimare, curare, credere, IVDICIVM, id est, vltionem diuinam sibi ob sua scelera impendentem, & toties à me tum per legem, tum per Prophetas ipsi prædictam, non vult credere, templum & vrbem à Chaldæis excisum iri: & tempestatem illam cùm facilè posset, si vellet, per pœnitentiam effugere, non curat, non conatur.

℣. 8. VERE MENDACIVM, id est, falsitatem, deceptionem, dolos, fraudes, OPERATVS EST STYLVS MENDAX SCRIBARVM] id est, Doctorum & legisperitorum. Cùm enim lex & Prophetæ passim transgressoribus intentent pœnas & excidium, *scribæ* vbique ingerunt, *Pax, pax*, &c. vt vers. 11. dicitur; quem suprà (*a*) exposui. Sceleribus enim quantumuis multis & enormibus veniam & impunitatem pspondent per nuda sacrificia & externas oblationes, vt ibidem v. 20. dictum.

a Ierem. 6. v. 14.

℣. 13. CONGREGANS CONGREGABO (*b*) EOS, Id est, accuratissimè congregabo omnes Iudæos in Ieruſalem & alias vrbes Iudææ, tamquam in caueas, è quibus in captiuitatem vel necem postea educentur à Chaldæis: qui vinitorum instar, spoliabunt vitem Iudaicam omnibus vuis suis, & ficulneam omnibus ficubus suis, nempe nobilioribus (*c*) capitibus Iudæorum, quin & *folia* quoque tollent, nempe opifices & de vulgo non paucos. Nec relinquentur in Iudæa nisi QVÆ PRÆTERGRESSA, seu derelicta, SVNT à Chaldæis, nempe pauculi racemi reliqui post vindemiam, vt (*d*) suprà dicebat. ita ferè Chaldæus, S. Hieronymus, Rabanus, Liranus, Maldonatus & Sanchez.

b Prolog. de Idiotismis Hebr. n. 49.

c 5. Reg vlt. & 2. Paral. vlt.

d Ierem. 6. v. 9.

℣. 14. QVARE SEDEMVS? inquiunt pauidi Iudæi. Hebraicè, *quare desidemus?* quare hæremus in agris vel in vrbeculis aduersus vim Chaldæorum non satis tutis? INGREDIAMVR CIVITATEM MVNITAM, Ieroſolymam; Hebraicè & Græcè, *ciuitates munitas*: ET SILEAMVS IBI] id est, quieti degamus; & procellam hanc præterlabi patiamur. q. d. Nihil hostile moliamur aduersus Chaldæos, non impugnemus, non prouocemus hostem, sed solùm defendamus nos, & muros vrbium tueamur.

QVIA DEVS SILERE NOS FECIT, id est, in eas angustias nos adegit, vt vires non supersint ad bellum hostibus inferendum, sed vt summum ad propulsandum ac depellendum bellum. ET POTVM DEDIT NOBIS AQVAM (*e*) FELLIS] id est, felle mixtum, id est, amaram; Hebraicè, *succum cicutæ*, seu veneni soporiferi ac lethiferi. q. d. Deduxit nos in extremos angores & pericula mortis, ac si nobis aconitum propinasset.

e Ierem. 23. v. 15.

℣. 16. A DAN (*f*) (pòst dicta *Cæsarea Philippi*) AVDITVS EST FREMITVS, seu hinnitus, EQVORVM EIVS] nempe Nabuchodonosoris contra Ieroſolymam aduentantis. Allegoricè, Antichristi ex *tribu Dan* nascituri, forsan & ex vrbe Dan, inquit Ribera ex S. Irenæo, Ambrosio, Augustino, & alijs Patribus à Lipomano citatis.

f Ierem. 4. v. 15.

Ribera in Apoc. 7. n. 13.

℣. 17. SERPENTES REGVLI; Græcè, *basiliſci*, ita dicti, quòd afflatu suo non herbas modò, sed & aues & homines interimant, soloque sibilo fugent etiam alios serpentes, teste Solino, Plinio & Ælia-no, typus erant Chaldæorum, qui Iudæos solo penè aspectu, afflatu & sibilo suo exanimarunt. ita Chaldæus. QVIBVS NON EST INCANTATIO] id est, contra quos nulla prodest incantatio. Nempe tam barbari, tam crudeles erunt Chaldæi, vt nullis precibus, nullis beneficijs ad misericordiam flecti se sinant. ita S. Hieronymus & Chaldæus. Id dæmonibus Tropologicè adaptat S. Gregorius.

Iren. l. 5. c. 30. Lipom. in Genes. 49. v. 16. Solinus c. 30 Plin. l. 8. c. 21. Ælian. l. 9. c. 18.

Greg. l. 34. Moral. c. 5.

℣. 18. DOLOR MEVS, inquit Propheta, est SVPER DOLOREM] id est, excedens omnem vulgarem dolorem. ita Chaldæus, Hugo, S. Thomas & Liranus. Sed vnde tantus Prophetæ dolor?

℣. 19. ECCE VOX CLAMORIS & eiulatus FILIÆ POPVLI MEI, id est, Synagogæ Iudaicæ, insonans auribus meis DE TERRA LONGINQVA, nempe Chaldæa, in quam captiua deducetur. Ita ijdem Doctores cum Theodoreto & Castrio. Sed NVMQVID Deus NON EST REX IN SIONE? quare ergo permisit eam vastari à Chaldæis? Respondet Deus: QVARE vos vestrâ idolomaniâ ME AD tam iustam *iram* & vindictam *concitastis?*

℣. 20. TRANSIIT MESSIS, FINITA EST ÆSTAS, quâ Ægyptij se nobis opem laturos promiserant aduersus Chaldæos vrbem obsidentes. Sed nusquam comparent, ET NOS NON iuuamur. Ita ijdem, & S. Hieronymus, Vatablus, Maldonatus.

℣. 22. NVMQVID RESINA, id est, lacryma, seu gutta, ex arboribus stillans, nulla inuenitur *in Galaaditide*, aromatum eiusmodi feracissima? Porrò *resina* mitigat & lenit dolorem, astringit vulnera, obducit cicatricem. Chaldæus, & Tremellius *opobalsamum* vertunt; Vatablus & Pagninus, *theriacam*. q. d. Nullúmne supereſt, seu remedium, seu consilium quo iuuari, curari, saluari queant Iudæi? Desúntne sana monita, doctrina, institutio, item (vt Vatablus & Chaldæus exponunt) preces & orationes virorum piorum? Nullóne reperire est

medicos ſpirituales Prophetas, Scribas, ſacerdotes, A qui conſilijs & induſtriâ ſuâ medicinam faciant tantis malis! Vtique non deſunt, inquit Theodoretus: ſed populus non vult illos audire. Tropologicè, reſina animæ ſunt, inquit Chaldæus & S. Hieronymus, oratio, ieiunium, pœnitentia, aliaque Sacramenta.

CAPVT IX.

Pergit lamentari cladem & excidium Iudæis impendens: pergit & increpare dolos & ſcelera eorumdem. Monetque ne ſperent in ſua induſtria, viribus, opibus, cæremoniis, ſed in ſolo Deo.

¥. 2. QVIS DABIT ME reperire IN SOLITVDINE, ſeu deſerto, DIVERSORIVM VIATORVM?] q. d. Vtinam mihi liceret diuerſari in deſerto, vbi ſolus cum Deo, angelis & brutis verſarer, procul à tam ſceleratis Iudæis! ita S. Hieronymus & S. Thomas. B

¥. 3. EXTENDERVNT LINGVAM SVAM QVASI ARCVM, quo in proximos ſuos eiaculantur calumnias, dolos, & omne mendacium, inquit Theodoretus: in Deum verò blaſphemias & maledicta, vt S. Hieronymus exponit. Porrò mendacijs eiuſmodi, & dicacitate ſua CONFORTATI & roborati SVNT, malis his artibus obtinuerunt opes, dignitates, honores: DE MALO VNO AD aliud nouum maiuſque MALVM REGRESSI & progreſſi, dolum dolo, fraudes fraudibus cumulantes, inquit Maldonatus.

¥. 6. HABITATIO TVA, ô Ieremia, eſt IN MEDIO DOLI, id eſt, habitas inter homines dolоſos, non niſi ex dolis & fraudibus compactos, quibus lingua mellea, ſed cor felleum, inquit S. Hieronymus, Rabanus, S. Thomas & Vatablus. IN DOLO, id eſt, præ dolo, propter dolos & ſcelera ſua, RENVERVNT, id eſt, noluerunt, SCIRE vel agnoſcere ME. C

¥. 7. ECCE EGO CONFLABO ET PROBABO EOS. LXX. addunt, *igne*, id eſt, bello ardentiſſimo. QVID ENIM ALIVD melius facere poſſim POPVLO MEO, niſi vt inſtar filij eum corripiam & caſtigem? ita Sanctus Hieronymus; Sanctus Thomas & Hugo.

¥. 8. LINGVA EORVM maledica & detractrix, eſt inſtar *ſagittæ* triſulcæ, terna *vulnera* ictu vno infligentis, Primum, ſibimetipſi; Secundum, audienti; Tertium, ei cui detrahit vel calumniatur. ita S. Bernardus. *Bern. ſerm. 24. in Cant.*

¥. 10. SVPER MONTES, id eſt, propter montium Iudææ vaſtationem: ET SVPER SPECIOSA DESERTI, id eſt, propter exciſas ſiluas opacas & amœnas, prata, ſpeluncas & latibula euerſa, lamentabor: eò quòd iam non ampliùs audiunt VOCEM pecoris ea POSSIDENTIS, incolentis & depaſcentis: nempe non audiunt balatum ouium, mugitum boum, cantus auium iam aliò tranſlatarum. Ita Chaldæus, Vatablus & Pagninus. Idque quia impij coloni. D

¥. 14. ABIERVNT POST BAALIM] LXX. *poſt idola*, nempe vicinarum gentium.

¥. 15. AQVAM FELLIS vocat potum amariſſimum, vt ſuprà (*a*) expoſui. *a c. 8. v. 14.*

¥. 17. CONTEMPLAMINI] Hebraicè, *animaduertite*, prouidete, ſi ſapitis.

VOCATE LAMENTATRICES] quæ in funeribus & publico luctu ſolent ſparſis crinibus, nudatis pectoribus, voce flebili lamenta & lacrymas ciere, ad hoc conduci ſolitæ: vnde & *præficæ* vocabantur, quaſi luctui præfectæ, inquit S. Hieronymus. Eædem etiam *ſapientes* dicebantur, id eſt, peritæ & exercitatæ in eiuſmodi planctibus & lamentis. Sic autem inchoare ſolebant:

¥. 18. DEDVCANT OCVLI NOSTRI LACRYMAS, &c.] Has imitari videtur Propheta initio huius capitis.

¥. 21. MORS, id eſt, hoſtis Chaldæus mortem Iudæis illaturus, ASCENDIT PER FENESTRAS arcium, turrium, domorum *noſtrarum*: non per portas vrbis, ſed per murorum aperturas, inquit Vatablus, Caſtrius & Sanchez. Neque per reſeratas fores ædium, ſed, quaſi pertæſi tantæ moræ, per feneſtras & tecta inuolarunt in domos, iugulantes etiam PARVVLOS & *iuuenculos*, qui foris verſari ſolebant & ludere *in* PLATEIS] Hoc eſt quod ait Ioel c. 2. *Domos conſcendent, per feneſtras intrabunt quaſi fur.* Tropologicè, per ſenſus, maximeque per oculos & aures, intrat mors peccati in animam, inquit S. Hieronymus, Ambroſius, Gregorius, Bernardus. *Ambr. l. de Fuga ſæculi c. 1. Greg. l. 11. Moral. c. 2. Bern. ſupr.*

¥. 23. NON GLORIETVR, neque blandiatur ſibi quiſpiam de SAPIENTIA vel peritia rei bellicæ, de FORTITVDINE & robore militari, de opibus & potentia vrbis: quia nihil proderunt hæc omnia ad arcendos Chaldæos. Vnicum verò eſt quod iuuare poterit, &, ſi vultis, certò iuuabit, nempe SCIRE ET NOSSE ME, mihique tamquam domino ſubiacere & ſeruire cũ fide & integritate, me colere, me inuocare, &c. ita S. Hieronymus. Sed neque eſt, ô Iudæi, quòd in carnali veſtra *circumciſione* gloriemini aut fidatis, quaſi filij Abrahæ & promiſſionis, ac proinde à Deo protegendi. Quia etiam multæ aliæ gentes ſimili modo circumcidi ſolitæ, vt Ægyptij, Idumæi, (*b*) Ammonitæ, Moabitæ, non protegentur à Deo, ſed Chaldæis deuaſtandæ relinquentur: quia licèt carne circumciſæ ſint, corde tamen & animo incircumciſo ſunt, vti & vos, ô Iudæi. ita S. Hieronymus, Theodoretus, Hugo & alij. *b Geneſ. 17. v. 14.*

¥. 26. PER ATTONSOS IN COMAM, ſeu in rotundum, per modum coronæ, Arabes hic ſeu Saraceni deſignantur, inquit idem S. Hieronymus: quorum rurſus infrà (*c*) meminit Propheta. Ad quorum diſtinctionem vetitum erat Hebræis tonderi in comam, vt alibi dixi. (*d*) Porrò per hanc comæ attonſionem inſinuare vult Deus, ad effugiendas pœnas non magis profuturam Iudæis impijs circumciſionem membri genitalis, ceteroſque legales ritus, quàm Gentilibus profit circumciſio capitis, ſeu capillitij, ceterique ethnici ritus. ita ferè Pagninus, Vatablus, Iſidorus & Sanchez. Quin nec poſſunt gloriari Iudæi, ſe verè circumciſos eſſe, quia, licèt careant *præputio* carnali, *quod* HABENT vt plurimùm reliquæ OMNES GENTES; non tamen carent præputio morali, ſeu morum impietate, quâ *cor*, id eſt anima fœdatur, & Deo exoſa redditur. ita ferè S. Hieronymus, Theodoretus & Liranus. *c c. 25. v. 23. & c. 49. v. 32. d Leuit. 19. v. 27.*

CAPVT X.

Idolorum vanitatem exponit. & Deum verum illis opponit, ab omnibus colendum & ſequendum. Contumacibus idololatris excidium prædicit.

¥. 2. GENTES TIMENT SIGNA CÆLI] id eſt, aſtra, quæ non modò animata credebant & ratione vtentia (vt credidit Plato, & ex eo etiam Origenes, & dubitauit aliquando Auguſtinus;) ſed etiam tamquam deos colebant, quaſi qui *Plato in Epinomide Orig. 1. Periarchon c. 7. Auguſt. Enchiridij c. 5.*

orbem

orbem hunc sublunarem vi sua regerent, & omnium euentuum, etiam liberorum, causa essent, inquit S. Hieronymus. Putabant enim omnia non diuinâ prouidentiâ, sed vi stellarum gubernari: vel vt minimùm, à stellis, vt certis & fatalibus signis, omnia præmonstrari, vt censent etiam astrologi iudiciarij: quos acriter impugnat(a) S. Augustinus, Picus Mirandulanus, Sixtus Senensis, Pererius & Alexander ab Angelis: & refutantur etiam hic à Ieremia.

(a) *Aug. l. 2. de Doctr. Christiana c. 21. Picus Miran. l. 12. cõtra Astrologiam iudiciar. Pererius l. 2. in Genes. Alex. ab Angel. contra eund. Sixt. Senensis l. 6. Bibliothe. c. 10. & l. 5. c. 81.*

℣. 3. LEGES hæ Gentilium POPVLORVM quibus honores diuinos creaturis decernunt, VANÆ SVNT] nullo fundamento, nulla ratione nixæ. Sed omnium vanissima superstitio, quâ statuas fabricarunt eiusmodi creaturarum repræsentatiuas, & cultum latriæ statuis istis ligneis, argenteis vel aureis manu propria fabricatis, à rudi popello exhiberi voluerunt.

℣. 8. DOCTRINA, seu argumentum, VANITATIS, imò fatuitatis, eiusmodi idololatrarum, LIGNVM EST ex quo formant idola, quibus formatis supplicant tamquam dijs. Quid enim magis fatuum, quàm ligno tamquam numini se subdere? ita Sanchez.

℣. 9. ARGENTVM INVOLVTVM, seu inuolubile, (Hebraicè, *ductile*, nimirum malleis deduci & flecti, adeoque & inuolui facile, vt eo incrustetur idolum ligneum:) AFFERTVR DE THARSIS, de quo alibi(b:) vt ET AVRVM DE OPHAZ, seu *Ophir* (c) vt vertit Chaldæus, Sanchez & alij.

(b) 2. *Paral. 9. v. 21.* (c) 2. *Paral. 8 v. 18.*

℣. 11. SIC DICETIS EIS, id est, Chaldæis ad sua idola colenda vos inuitantibus, (videtur enim alloqui Iudæos cum Ioachino Babylonem adductos, vnde & Chaldaicè versum hunc conscribit Ieremias:) sic respondebitis: PEREANT *idola* DE TERRA] quam licèt non crearint, iniustè tamen gubernare contendunt, &c. ita Chaldæus, Maldonatus & alij. Dominium enim vniuersæ terræ debetur soli Deo nostro, qui solus creauit & *præparauit*; Hebraicè, *fundauit terram*.

℣. 13. FVLGVRA, id est, fulgurantes nubes, FACIT & resoluit IN PLVVIAM] & quasi tormenta bellica ignem & aquam vomere facit.

℣. 14. STVLTVS FACTVS EST; Hebraicè, *obbrutescit*, OMNIS HOMO idololatra A SCIENTIA sua vana & fatua, quâ putat ex ligno vel metallo posse fabricari deos. FALSVM EST sculptile, & fallit ac mentitur se esse Deum.

℣. 15. TEMPORE VISITATIONIS, seu punitionis SVÆ per Cyrum & Darium PERIBVNT tam idola, quàm idololatræ.

℣. 16. HIS idolis NON EST SIMILIS noster Deus, creator & rector cæli ac terræ: qui est PARS (d) hereditaria Israelis, omnesque eius diuitiæ ac deliciæ. Et vicissim ISRAEL VIRGA est, seu sceptrum, HEREDITATIS Dei, quia scilicet in Israele regnum suum peculiari priuilegio constituit & fixit Deus. ita S. Hieronymus, Rabanus, S. Thomas. Sed excussisti iugum Domini tui stulta, ingrata, perfida. nunc ergo infelix,

(d) *Psalm. 72 v. 26. Psal. 15. v. 5. Num. 18. v. 20.*

℣. 17. QVÆ HABITAS IN OBSIDIONE, id est, in Ierosolyma iam obsidioni deuota. (vnde Chaldæus & alij vertunt, *in munitione*:) CONGREGA CONFVSIONEM TVAM] id est, idola (e) tua, vt exponunt Maldonatus & Sanchez; Chaldæus, *mercimonia tua*; LXX. *substantiam tuam*, id est, opes & vires omnes, nil tibi profuturas contra Chaldæos, nisi ad maiorem confusionem. ita S. Hieron. Est ironia.

(e) *Isaiæ 46. v. 1.*

℣. 18. LONGE PROIICIAM; Hebraicè *kolea*, id est, quasi fundâ longè eiaculabor, HABITATORES TERRÆ Judææ, ET ITA TRIBVLABO EOS VT INVENIANTVR] id est, deprehendantur ab omnibus, verè tribulati, totique orbi id innotescat. קלע

℣. 19. HÆC INFIRMITAS, id est, afflictio & plaga, quâ castigor à Deo, MEA EST, id est, meâ culpâ mihi obuenit. ideo PORTABO ILLAM patienter: nempe exedam quod mihi intriui, inquit S. Hieronymus. Vox est populi Ieroso lymitani.

℣. 21. STVLTE EGERVNT PASTORES, id est, sacerdotes & Scribæ: item reges & principes populi, vt vertit Chaldæus. NON INTELLEXERVNT, nec prospexerunt imminentia vrbi mala, vt obuiarent vel diuerterent. Iam serius est,

℣. 22. ECCE VENIT, iam auribus insonat vox AVDITIONIS, id est, vox alta & clara, & audiri facilis: ET COMMOTIO MAGNA, seu strepitus belli B magnus, fremitus equorum, armorum, curruum Babyloniorum. ita S. Hieronymus.

℣. 23. SCIO, & lubens agnosco, ô Deus, QVIA VIA HOMINIS NON EST EIVS] id est, in potestate hominis non est duci quâ cuique libet viâ: sed à tua diuina prouidentia pendet vt nunc & sic vel castigetur, vel exerceatur quisque pro meritis suis & placito tuo. Tantùm rogamus, vt, cùm tibi iam stet sententia castigandi scelera nostra per Chaldæos, in exercenda iustitia tua memor esse digneris infinitæ misericordiæ tuæ.

Simile. Prou. 16. v. 9. & Psalm. 36. v. 23.

℣. 24. CORRIPE ME, nil detrecto, nil subterfugio; sed *corripe me* IN IVDICIO, id est, moderatè, seu tolerabili modo, & discretâ mensurâ: NON IN FVRORE, seu furibunda ira tua. Nihil ergo hinc elici potest contra liberum hominis arbitrium, vt etiam hæretici, Tremellius, Osiander & Herbrandus fatentur. Sed Franciscus Suarez & alij plures Scholastici sententiam illam, *Non est homini via eius*, de operibus gratiæ exponunt, quæ non sunt in hominis potestate sine præuia Dei inspiratione & auxilio gratuito præueniente. Quod licèt verissimum sit, non tamen videtur ex hoc loco litteraliter colligi, vbi propriè sermo est de viapœnarum & castigationum & similium euentuum, quâ quisque pro meritis suis duriùs vel mitiùs deducitur à Deo secundùm regulas prouidentiæ diuinæ, ac secundùm nutum & placitum ipsius.

℣. 25. EFFVNDE INDIGNATIONEM TVAM SVPER GENTES, &c.] Hunc versum transcripsit Propheta ad verbum ex Psalmo 78. v. 6.

CAPVT XI.

Refricat memoriam pacti seu fœderis olim initi cum Deo in Sinai, & ob pacti illius violationem minatur excidium Iudæ. In typo Christi depingit se tamquam agnum ad victimam duci ab ingratis ciuibus suis Anathothitis, & lignum ab ipsis mitti in panem suum: vnde diuinam vltionem in eos, omnesq; Christi persecutores deposcit & impetrat.

℣. 5. VT SVSCITEM IVRAMENTVM] Id est, vt erigam & quasi reuiuiscere faciam pactum meum vobiscum olim initum, de terra Chanaan vobis in æternum concedenda. quod pactum frequenti Iudæorum in alienas terras deportatione, iam quasi ruptum & intermortuum videbatur. Sed Deus hîc addicit, se pactum suum libenter innouaturum, & Iudæos postliminio in terram promissam reducturum, si vicissim illi ex parte sua præstiterint quod ex pacto debent, nempe, vt, spretis idolis, solius veri Dei cultui ac seruitio se manci-

pent, eiusque legem obseruent. ita Maldonatus & A à Lapide.

SICVT EST DIES HÆC] supple, docens & demonstrans, vobis de facto obtigisse quidquid promiseram.

ET RESPONDI Deo ego Ieremias, ET DIXI, AMEN, id est, fiat, DOMINE quod dixisti. ita LXX. Origenes, Vatablus & Liranus.

a *Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 49.* b *Deut. 4. v. 26. & c. 32. v. 1. & Iosue 8. v. 32.*

℣. 7. CONTESTANS (*a*) CONTESTATVS SVM] Id est, frequenter ac valdè seriò contestatus sum ac prænonui, adhibitis etiam testibus cælo (*b*) ac terra, me vobis, si pactum & legem meam violaueritis, has pœnas ac plagas inflicturum: vnde cùm iam illas infligo, queri non potestis, vos ea de re prænonitos non fuisse. ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, S. Thomas.

MANE CONSVRGENS] Id est, maturè, tempestiuè, opportunè, item vigilanter ac summo studio: quod enim studiosè agimus, summo manè, ante alia omnia agimus. Sed, Iudæis monita mea omnia spernentibus, B

℣. 8. INDVXI SVPER EOS OMNIA VERBA PACTI HVIVS] id est, omnes maledictiones & pœnas, quæ pacto, seu pacti violatoribus adscriptæ sunt Deuter 28. ita Chaldæus, Theodoretus, Hugo & S. Thomas.

℣. 9. CONIVRATIO; LXX. *conspiratio*, INVENTA EST IN VIRIS IVDA] Nempe posteri cum maioribus suis, & promiscuè etiam inter se conspirant & coniurant aduersùm me, leges meas conculcantes, & iuratis hostibus meis, idolis se mancipantes: vt factum sub Manasse (*c*) Joakimo, Sedecia & alijs. ita Chaldæus, Liranus & à Castro.

c 4. *Reg.* 21. *v.* 5.

℣. 14. TV ERGO, ô Ieremia, NE ASSVMAS LAVDEM PRO Iudæis tam impijs, tam obstinatis. Chaldæus & LXX. vertunt, *deprecationem*, quæ quia à Dei laude, beneficijs & munificentia exordium sumere debet, ad diuinam beneuolentiam nobis C conciliandam, meritò *laus* vocatur. S. Chrysostomus notat, non dici hæc imperatiuè à Deo, sed solùm comminatoriè ad terrendum populum. Malebat enim Deus Ieremiam precibus acriter instare, & furorem diuinum mitigare ac vincere. Vnde & Ieremias perrexit orare pro populo, doctus exemplo & felici successu Moysis Exodi 32. v. 10.

Chrysost. hom. 14. in ep. ad Rom.

℣. 15. QVID EST causæ, QVOD populus MEVS Iudaicus, adeò semper à me DILECTVS, vsque eò & mei, & sui oblitus sit, vt etiam IN DOMO MEA, seu templo, patret *plurima* SCELERA, nempe idololatrias infandas & abominandas? ita S. Hieronymus, Theodoretus, S. Thomas, Liranus & Sanchez. An putas, quòd CARNES SANCTÆ, id est, victimæ & sacrificia, quæ ad purificandum te soles in templo offerre, AVFERENT A TE MALITIAS TVAS?] q.d. Minimè: cùm enim impurus ipse maneas, impuras quoque reddis (*d*) victimas tuas; tantum abest, vt tu illis purificeris. ita ferè LXX. S. Hieronymus, Theodoretus, & alij passim.

d *Leuit.* 13. *v.* 29.

℣. 16. OLIVAM VBEREM; Hebraicè *virentem*, effecit te Deus, ô Synagoga, vt meritò talis per totum orbem habearis & voceris. Sed hæc felicitas non diutiùs tibi adhærebit, quàm tu Deo tuo, diuinoque cultui adhærebis. Quod cùm iam negligas, non compellabit te ampliùs Deus molli hac & blanda voce, sed aspera, horribili, minaci & GRANDI ac tonante LOQVELA, quâ mille plagas & pœnas intentat, ad quam consequetur IGNIS, id est, extrema vastitas & exitium: sicut post tonitru sequuntur fulgetra & fulmina, inquit Sanchez.

℣. 18. TV DOMINE DEMONSTRASTI MIHI STVDIA EORVM] nempe machinationes ciuium meorum Anathotitarum, vt patet ex v. 21. q.d. Nesciebam, propter meam hanc prophetiam, seu prædictionem imminentium Judææ malorum, mihi ab exasperatis ciuibus meis exitium & mortem parari. Sed tu, ô Deus, id mihi reuelasti. Ad litteram enim hîc agitur de Ieremia, sed Allegoricè sub persona Ieremiæ agitur de Christo: nam propter Christum hæc Ieremiæ euenisse, ac propter Christum præcipuè conscripta fuisse, docet S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus, S. Thomas, Vatablus & Liranus. Antequam ergo id mihi reuelaretur,

℣. 19. QVASI AGNVS MANSVETVS] LXX. *innocens*; Syrus, *simplex*; Chaldæus, *electus*, ducebar ab illis ad lanienam. Sic & Christus, etsi probè nosset quò duceretur, perinde tamen se gessit & duci passus est ad mortem, ac si instar simplicis agnelli, nesciuisset quò raperetur, nil querens, nil recalcitrans, nil repugnans. ita Hugo, Maldonatus & alij. Vide quæ de *agno* hoc dixi Isaiæ 53. v. 7.

MITTAMVS LIGNVM IN PANEM EIVS] Sic vertunt etiam LXX. & Chaldæus, id est, pro pane demus ei lignum, seu loco panis pascamus eum ligno, nempe fuste vel cruce. q. d. Crucifigamus eum. Sic vulgò dicitur, Fuste te cibabo: baculos gustabis. ita S. Hieronymus, Cyprianus, Iustinus, Ambrosius, Theodoretus, Gregorius & alij passim. Hebraicè est, *corrumpamus lignum in panem eius*. Hypallage (*e*) pro, *corrumpamus panem eius in lignum*, id est, peruertamus cibum eius, & pro cibo pascamus eum ligno, fuste, cruce, vt suprà dixi. Arabicus vertit, *corrumpatur per trabem caro eius, & per lignum fortitudo*, seu *vis gigantea ipsius*. Et simili modo Tertullianus, Lactantius, Abbas Ioachimus, S. Thomas, Andreas Capella & Maldonatus; per *panem* hic carnem Christi intelligunt. Plures vide apud Pamelium.

Cypr. l. 2. cont. Iudæos c. 15. Iustin. cont. Tryphonem Amb. in cit. Psalm. 35. Gregor. l. 3. Moral. c. 12. e *Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 42. Tertull. l. contra Iudæos c. 10. & l. 3. contra Marcionem c. 19. Lactant. l. 4 Instit. c. 18. Pamel. in l. 4. Tertull. contr. Marcion. c. 40.*

℣. 21. PROPTEREA] quia tu, ô Ieremia, (Allegoricè, ô Christe) mihi *reuelasti*, id est, commisisti, transcripsisti *causam* tuam, seu ius & actionem tuam; faciam quod optas à me, & vltionem sumam de Anathothitis, reliquisque Iudæis, non tam ciuibus, quàm hostibus tuis.

DICVNT, NON PROPHETABIS, id est, ne prophetes tantas imminere nobis calamitates, ET sic NON MORIERIS] nempe, si non aduersa, sed prospera; non tristia, sed placentia, nobis denuncies, parcemus tibi, neque occidemus te.

℣. 23. SVPER hos INDVCAM ANNVM VISITATIONIS] id est, tempus punitionis, perditionis D & excidij, putà per Chaldæos, & per Romanos.

CAPVT XII.

Disceptat Propheta cum Deo, cur impij Anathothitæ, & alij illorum similes affluant bonis, ipse verò & alij innocentes premantur tot malis. Respondet Deus, neutrum alienum esse à sua iustitia. Magno interim Propheta sit animo: illi adhuc grauiora parari Ierosolymæ, sed & hanc breui punitum & excisum iri.

℣. 1. IVSTVS QVIDEM TV ES DOMINE, SI DISPVTEM TECVM. Id est, quantacumque disputando tecum argumenta in medium protulero, scio & agnosco, quod de iustitia tua nec tantillum detrahere possim: Tamen pace tua liceat afflicto mihi meo affectui nonnihil indulgere, & IVSTA; Hebraicè, *iudicia*, id est, iustam querelam (vt mihi

mihi quidem videtur,)apud te deponere; cur impij prosperantur, & pij affliguntur? Eamdem quæstionem mouit aliquando Iob, & Dauid: & pòst paulò monebit etiam Habacuc. Eleganter autem propugnat Diuinam prouidentiam ac iustitiam Epictetus, Clemens Alexandrinus, S. Augustinus, & recentissimè noster Lessius.

Epictetus l. dissert. c. 12. Clem. l. 7. Stromat. Augustin. in Sententiis num. 41. 58. 140. 239. &c. Leon. Less. de Numine.

℣. 2. PROPE ES TV ORI EORVM; Chaldæus, *assiduè te habent in ore*: at LONGE ES A RENIBVS EORVM] id est, exulas procul ab affectibus, voluntate & mente eorum. q. d. Etsi hypocriticè scias illos tecum agere, benedicis tamen & benefacis illis. Vbi è contrario me, & alios pios affligis, cùm tamen probè noris,

℣. 3. ET experientiâ PROBARIS COR MEVM, id est, affectum omnem meum, purum & sincerum esse erga te. Verùm, vt video, non procedit ex odio erga pios, quòd ipsos affligas: neque ex maiori amore erga impios, quòd prospera illis largiaris: sed agis cum illis vt solet lanio cum ouiculis suis: quas destinat aræ vel lanienæ, *congregat* in ouili, & luculentiori pabulo pascit, sic eas *sanctificans*, id est, instar victimæ sanctæ, seu Deo consecratæ, saginans ac præparans *ad diem* OCCISIONIS] quâ iugulandæ atque immolandæ erunt. ita ferè S. Hieronymus, Rabanus, Hugo & S. Thomas. Atque ita quidem probè declaras, ô Deus, nihil impijs prodesse hanc saginam. Sed an ex hac saltem parte prosperitas illorum non detrahit diuinæ tuæ prouidentiæ, quòd occasione illorum tot iusti & innocentes affligantur; nempe, cùm ijsdem pœnis cum impiis inuoluuntur?

℣. 4. VSQVEQVO feres Domine, vt TERRA, tua benedictione tam fertilis, impiorum sceleribus sic exigentibus, exarescat etiam piis, & sterilis fiat ac *lugeat*, adeò vt ne bestiis quidem aut auiculis fouendis siti? Quòd si dicas, pios suâ patientiâ lucrum inde facturos; quomodo saltem obuiabis impiorum hinc enascenti blasphemiæ, quâ tuæ insultant prouidentiæ, quasi NOVISSIMA hominum, id est, vltimos euentus singulorum, putâ præmia vel pœnas, non sis visurus, nec curaturus? Iactant enim, sicut in præsenti agis, sic te perpetuò acturum, nec prospera vmquam ab impijs, nec aduersa depulsurum à pijs. Porrò querelas has & argumenta Prophetæ non tam responso, quàm risu excipit Deus, cùm subdit: Egregium te sanè pugilem!

℣. 5. SI CVM PEDITIBVS *cursu decertans* adeò *labores*, QVOMODO *contendendo* CVM EQVIS sperabis victoriam? si adeò ægrè feras insultus ciuium tuorum Anathothitarũ, quomodò feres incursus regum & principum Ierosolymitanorum? si fatigent te exiguæ molestiæ, quas contribules tui IN TERRA PACIS, seu in vrbe pacata, vbi securus eras, tibi mouerunt; QVID FACIES IN SVPERBIA IORDANIS, id est, in aula Ierosolymitana, vbi omnes superbiunt instar intumescentis Iordanis? q. d. Ne concidas animo: ne te terreant aduersa. Exigua sunt & leuia quę hucusque tulisti: maiora deinceps feres. ita fert diuina mea prouidentia, quæ vbique tibi aderit, te proteget & victorem faciet. ita ferè Chaldæus, Vatablus & Liranus. Hac parœmiâ noster Delrio & Capella Tropologicè perstringunt ambitiosos, qui cùm seipsos suamque familiam regere nequeant, quærunt prælaturas & magistratus, voluntque Ecclesias & respublicas gubernare.

Delrio adagio 216.

℣. 7. RELIQVI, deserui, DOMVM MEAM, id est, templum: DIMISI, repudiaui, HEREDITATEM MEAM, id est, Iudæam, populumque Iudaicum, mihi quasi hereditarium peculium: vrbem Ierosolymam mihi antè DILECTAM & charam, instar *animæ meæ*, iam ob scelera ipsius DEDI IN MANV INIMICORVM EIVS] nempe Chaldæorum, & pòst etiam Romanorum, inquit S. Hieronymus, Theodoretus & Chaldæus.

℣. 8. HEREDITAS MEA, quæ mihi adblandiri, ac delicias omnigenas subministrare debebat, FACTA EST MIHI inimica, & rebellis, ferociens & insiliens in me *instar leonis*, vnguibus & rictu obuia quæque discerpentis. Sed hæc ferocia nil proderit, multum oberit miserlæ, non iam leoni aut leænæ, sed potiùs *hyænæ*, vt LXX. verterunt:

℣. 9. Vel AVI *discolori*, vt Latinus vertit, id est, aui peregrinis coloribus tinctæ, insolentibus plumis vestitæ, v. g. noctuæ rubris maculis insparsæ, quę reliquis auibus ob id odio esse solet, ac prædæ. Hæc variegatio plumarum ac colorum ex idololatria in Judæam inuecta fuit. Vnde mox aduocantur à Deo OMNES BESTIÆ TERRÆ] id est, Gentiles populi, vt ad hanc feralem ac discolorem noctuam deuorandam se accingant & properent, inquit S. Thomas, R. Kimchi & Capella. Et en tibi mox

℣. 10. PASTORES, id est, reges ac principes MVLTI, quos sibi iunxit primò Nabuchodonosor, dein etiam Vespasianus & Titus, DEMOLITI SVNT VINEAM MEAM, exscindentes, extirpantes omnia: PORTIONEM MEAM, id est, hereditariam partem meam, DESIDERABILEM, id est, speciosam antè & vberem, ac proinde charam & exoptatam omnibus, DEDERVNT IN DESERTVM SOLITVDINIS] id est, prorsus desolatam fecerunt. Ita peccatum tropologicè fœdat, vastat, perdit animam Deo vnicè charam & desideratam.

℣. 11. LVXITQVE SVPER ME, seu propter me, terra Iudææ, nimirum propter vastationem, excidium, desolationem à me & per me inductam, quâ OMNIS, id est, tota, TERRA Iudææ DESOLATA est per Chaldæos & Romanos. QVIA NVLLVS EST QVI RECOGITET CORDE] quâ viâ, qua ratione obuiam eundum sit iræ meæ: nemo curat depellere aut diuertere impendentes plagas: nemo detollendis malorum omnium caussis, nempe peccatis, cogitat, aut saragit. Vnde mox inundabunt pœnæ.

℣. 12. NON EST PAX, id est, nihil felicitatis aut quietis reliquum est, VNIVERSÆ CARNI] seu toti populo Iudæorum.

℣. 13. SEMINAVERVNT TRITICVM & alias fruges, vnde lætam sperabant messem: sed superuentu hostium calcatis & excisis segetibus, nil MESSVERVNT præter SPINAS. Lautam HEREDITATEM à parentibus ACCEPERVNT, sed hostibus eam cedere coacti sunt, vnde *nihil* EIS PRODERIT. Vniuersim A FRVCTIBVS VESTRIS CONFVNDEMINI] id est, propter fructus dilapsos, fallentes ita spem & exspectationem vestram, pudore ac dolore afficiemini. Neque tamen solis vobis obuenient eiusmodi mala: etiam vicinos tangent.

℣. 14. VICINOS, inquam, Ammonitas, Moabitas, Idumæos, Philisthæos PESSIMOS ac nocentissimos populo meo, qui inter copias Nabuchodonosoris primi aggressi sunt Iudæos. Cùm enim DOMVM IVDA EVELLAM DE MEDIO EORVM, & transferam in Chaldæam, EVELLAM etiam HOS omnes Iudææ vicinos, & è TERRA SVA similiter demigrare eos faciam in eamdem Chaldæam.

Nec tamen penitus delebo eos: sed vnà cum Iudæis

℣. 15. REDVCAM EOS aliquando IN patriam TERRAM, VIRVM, id est, quemque, AD HEREDITATEM SVAM priorem.

℣. 16. SI tamen ERVDITI tot plagis DIDICERINT VIAS POPVLI MEI, id est, fidem ac religionem Iudæorum, vt deinceps IVRENT (a) IN NOMINE MEO, & me pro Deo suo vnico & vero habeant ac colant. Porrò ita accidisse, & Ammonitas ac Moabitas ad Iudæorum religionem conuersos, cum Iudæis per Cyrum è Chaldæa in proprias terras remissos esse, patet ex Ieremiæ 49. vers. 6. & 1. Esdræ 9. vbi etiam connubia dicuntur cum Iudæis inijsse. ita S. Hieronymus & Rabanus & à Lapide. Quod etiam hic insinuatur, cùm *ædificandi*, id est, prolibus, familiâ, opibus augendi ac stabiliendi, dicuntur IN MEDIO POPVLI Iudaici: alioquin *euellendi* EVVLSIONE] id est, turpitus (b) exscindendi, vt contigit Machabæorum (c) & sequentibus temporibus.

a *Ierem.* 4. v. 2.

b *Proleg. de Idiotismis Hebr. n.* 49.

c 1. *Mach.* 5. *v.* 3. 6. *&c.*

CAPVT XIII.

Per hieroglyphica lumbaris putrescentis & lagunculæ inebriantis, captiuitatem aliasq; calamitates Iudææ obuenturas depingit. Regem, reginam, principes, populares omnes ad resipiscendum inuitat, vt ità præuertant casum. Sed in pertinaces & obstinatos sententiam fert extremi excidij.

℣. 1. POSSIDE LVMBARE; Chaldæus, *eme tibi cingulum*, seu baltheũ quo lumbi cinguntur: cingulum, inquam, non coriaceum, non laneum, sed lineum, seu ex lino contextum: neque enim volo super vestem, sed SVPER LVMBOS & nudam carnem ILLVD induas: vt solent viatores pecuniam lineo cingulo insutã, ad lumbos circumcingere, inquit Maldonatus: ET IN AQVAM NON INFERES ILLVD] Id est, non macerabis illud lixiuio vel alia aqua, vt candefiat & poliatur: sed rude, asperum & fuscum, vti natum & textum est, relinques. Hieroglyphicum est populi Israelitici, quem, vt infrà dicitur v. 11. instar cinguli, seu zonæ, Deus sibi de terra assumpsit asperum, sordidum, illotum, nihil candoris, nihil pulchritudinis, nihil suauitatis, nihil amabile in se habentem, ob quod præ aliis populis eligeretur à Deo. Solo ergo Dei fauore ac gratiâ assumptus est ab eo, non iam in mancipium, aut vulgarem amicum, sed in sponsam & in vxorem; quam symbolicè designat teste Pierio, zona hæc seu cingulum *lumbare*. Nil tamen femineum, vile aut infirmum præ se ferentem, sed eximia fortitudine, potentiâ, gloriâ præfulgentem. Horum enim omnium symbolum ac typus est zona, seu baltheus, inquit idem Pierius. Ad tanta bona euectus hic populus, vsu paulatim & pulueré obsorduit, in varia scelera prolapsus, ob quæ tandem repudiatus à Deo, ad ripam Euphratis, in Assyriam & Chaldæam deportatur, vbi in foramine, seu carcere, defoditur, squallet, computrescit. Putridus tamen & exesus post aliquot annos educi iubetur & ad propria reduci. Sed reductus in peiora relapsus est, maximè, cùm in Messiam suum tantis odiis exarsit. Ac tum demum planè reiectus à Deo, æterna perditione contabuit, inquit S. Hieronymus & noster Pradus.

Pierius hiero-glyphic. 40.

Pierius sup.

Pradus in Ezech. 16. *p.* 187. *Hieron. in proœmio in Osee.*

Nota, non per visionem, seu in spiritu, hæc geri visa à Ieremia, vt vult idem S. Hieronymus, Vatablus & Liranus: sed reuera & à parte rei sic gesta esse prout hîc narrantur. ita Theodoretus, Hugo, S. Thomas, Dionysius, Sanchez, Maldonatus, Castrius, à Lapide, & primarij Rabbini. Sequitur alterum hieroglyphicum.

℣. 12. OMNIS LAGVNCVLA fictilis, seu terrea, IMPLEBITVR VINO, id est, omnes incolæ Iudææ, etiam REGES, Ioachaz, Ioakim, (d) Ioachin, Sedecias; etiam PROPHETÆ falsi & spurij IMPLEBVNTVR EBRIETATE, (e) non voluptuosa, vt fingunt; sed exitiosa & lethali, nempe tribulatione & calamitate tanta, vt instar ebriorum destituendi sint omni consilio, ratione, præsentiâ animi: nec iam restituri hostibus, sed vt ebrij & amentes in obuia quæque impacturi, in præcipitia incursuri, vt lagunculæ fictiles collidendi, in frusta dilacerandi, in omnes ventos *dispergendi, vir* A FRATRE SVO, id est, quisque à proximo suo. ita ferè S. Hieronymus, Rabanus, Hugo & Liranus.

d 4. *Reg.* 23. & 24.

e *Isaiæ* 19. *v.* 14. & 51. 17. 21.

℣. 15. NOLITE ELEVARI superbiâ & fastu, stultè fidentes in potentia & robore vestro. Potiùs

℣. 16. DATE DEO GLORIAM, quam ipsi debetis, vos humiles eius seruos agnoscentes, tot scelerum, toties violatæ maiestatis reos, sed promptos tam per pœnitentiam & seriam vitæ mutationem, irrogatam Deo iniuriam resarcire, & ablatam gloriam reddere. Sic sumitur hæc phrasis etiam 1. Reg. 6. v. 5. & alibi.

ANTEQVAM CONTENEBRESCAT, id est, antequam tenebræ, id est, calamitates & afflictiones suprà dictæ, vobis inducantur: ANTEQVAM OFFENDANT PEDES VESTRI, & impingatis AD MONTES CALIGINOSOS] id est, tam altos ac præruptos, vt aciem oculorum caligare faciant, per quos fugitiui oberrabitis, ac præ inopia mentis & consilij, quasi in tenebris vbique impingetis. ita ferè Maldonatus. De *vmbra mortis* alibi (f) dixi.

f *Iob* 3. *v.* 5. *Psal.* 22. *v.* 4.

℣. 17. SI HOC meum tam sanum consilium NON AVDIERITIS, vestro id malo erit: ego interim IN ABSCONDITO & tuto loco PLORABO superbiam & pertinaciam vestram, & mala inde consecutura.

℣. 18. DIC REGI Sedeciæ, ET DOMINATRICI, vxori eius Augustæ, vt Chaldæus vertit: HVMILIAMINI, SEDETE] Hebraicè, *abiectissimè considebitu*, non iam in throno regio, sed humi in sordibus. ita ferè Liranus, Dionysius & Castrius.

℣. 19. CIVITATES AVSTRI, id est, vrbes primariæ tribus Iuda, quæ ad Austrum erant respectu aliarum tribuum, CLAVSÆ SVNT, id est, obsessæ, vallisque & aggeribus ita cinctæ à Chaldæis, vt nulli pateat seu egressus, seu ingressus Mox TRANSLATA EST OMNIS tribus IVDA in Chaldæam.

℣. 20. VIDETE QVI VENITIS AB AQVILONE, id est, vos ô Chaldæi, obstupescite super clade Iudaica; Hebraicè est, *videte venientes ab Aquilone*, nempe Chaldæos. q. d. En adsunt, ô Iudæi, qui hæc quæ prædixi perficient, nempe Chaldæi. ita LXX. Chaldæus, S. Hieronymus, Theodoretus, S. Thomas, Hugo, Vatablus & Liranus.

℣. 21. TV DOCVISTI Chaldæos bellare ADVERSVM TE, id est, in damnum & exitium tuum, nempe cùm sub Achaz (g) & aliis subinde regibus, euocasti Chaldæos & Assyrios vt tibi auxilio essent contra Syros & Ægyptios. Tunc enim exercuisti & acuisti illos in arte militari, sed in tuam met perniciem, inquit Theodor. & à Castro.

g 4. *Reg.* 16. *v.* 7. *&c.*

℣. 22. REVELATA SVNT à Chaldæis VERECVNDIORA TVA] id est, pudenda tua. q. d. Publicè violarunt te, & summo probro atque ignominiâ

miniâ affecerunt te. Neque enim potest matronæ A honestæ probrosius quid accidere, quàm publicè violari.

POLLVTÆ SVNT PLANTÆ TVÆ] Hebraicè, *mudati calcanei tui*. q.d. Ad augendam ignominiam tuam, iussa es sine calceis & caligis iter in Chaldæam emetiri. quod totidem penè verbis etiam
Isai. 47. v. 2 Isaias olim prædixerat.

℣. 23. SI MVTARE POTEST ÆTHIOPS PELLEM, ET VOS POTERITIS BENEFACERE] Est hyperbole: qualis est cùm dicimus, Iste *obdurauit est vt lapis, hebes vt truncus*. Neque enim impossibile est, malè assuetum corrigi, sicut impossibile naturaliter est, æthiopem dealbari. In hoc tamen est similitudo, quòd vtrumque sit difficillimum, & rarissimum. ita Theodoretus, Hugo & S. Thomas. Alioqui certum est, propter immanens homini liberum arbitrium, posse quemuis quantumcumque assuetum peccare, peccandi consuetudinem vincere per diuinam gratiam, si hanc feruenter & constanter imploret, si sæpius sibi ipsi fortiter imperet, si contrariæ virtutis studio se dedat, vt S.
August. l. 9. Confess. c. 1. Senec. l. 2. de Ira c. 12. Augustinus, imò & Seneca docet.

℣. 27. HINNITVS equæ ex æstu ad coitum, quò marem trahit, symbolicè designat furentem Iudæorum impetum ad idololatriam, ad quam etiam alios solicitabant & impellebant, inquit S. Hieronymus, Rabanus & Hugo.

NON MVNDABERIS, id est, non est tibi cordi, vel curæ, vt à peccatis & idolis emunderis, POST ME, supple, vt curras, & mei cultum sequaris. VSQVEQVO ADHVC? supple, talis permanebis? vel quousque exspectabo correctionem morum tuorum? quousque continebo iram, furorem, vindictam meam? q. d. Frustra exspecto, obduruisti in scelere, desperata est correctio tua. Non est cur differam pœnas, & non è vestigio exscindam & abijciam te. ita ferè S. Hieronymus, Theodor. Rabanus & à Lapide.

CAPVT XIV.

Prædicit sterilitatem & famem Iudæa obuenturam: orat & pro populo, licèt prohibetur à Deo.

℣. 1. SERMONES SICCITATIS] Id est, negotium siccitatis, seu siccitas ipsa, metonymicè hìc designat effectum siccitatis, nempe frugum penuriam & annonæ raritatem. Quam Sanchez censet obtigisse ante obsidionem Ierosolymæ sub Sedecia. Priùs enim puniuit Deus Iudæos annonæ charitate ante obsidionem; dein extrema fame & siti durante obsidione; denique gladio & igne post captam vrbem.

℣. 2. PORTÆ EIVS, id est, iudices, magistratus, primates populi, qui sedere & iudicia solent exercere in portis, annonæ defectu & fame CORRVERVNT exsangues & mortui, ET OBSCVRATI SVNT IN TERRA] id est, humo operti ac defossi non amplius apparent. ita Maldonatus. Quòd si magnates sustulit fames, quid vulgo sperandum?

℣. 3. OPERVERVNT CAPITA SVA] Quod in-
2. Reg. 13. v. 19. dicium erat ingentis luctus, vt alibi (*a*) dixi: & nunc etiam vsurpant qui pullis vestibus funera prosequuntur.

℣. 5. CERVA fœtum suum, quem præ omnibus animantibus adamare fertur, præ pabuli tamen inopiâ RELIQVIT ac deseruit.

℣. 6 ET ONAGRI, aquæ & pabuli penuriâ extremè afflicti, sitibundi, exhausti, vt famem sitimque & æstum internum nonnihil temperet, ex edito loco VENTVM, quanta vi possunt, *attrahunt*, vt & dracones solent & ceruæ. ita Rabbini, & ex his Isidorus Clarius & alij.

℣. 7. SI INIQVITATES NOSTRÆ RESPONDERINT NOBIS, id est, contra nos (vt vertit Chaldæus) in iudicio tuo steterint quasi accusatores & testes, vindictam clamantes ac pœnam deposcentes, vt reuerà deposcunt & clamant; FAC DOMINE PROPTER NOMEN TVVM, quidquid ad illud sanctificandum, totoque orbe celebrandum, diuina prouidentia & iustitia deposcit. Nolumus, sed neque possumus interuertere diuina decreta tua. Supplices tantùm aduoluimur genibus tuis, ô Deus!

℣. 8. EXSPECTATIO, id est, spes, fiducia, solatium, Israelis, eiusque perpetuus adiutor ac SALVATOR.

QVARE QVASI COLONVS FVTVRVS ES IN TERRA?] Syrus, *quare sicut peregrinus*; Arabicus *sicut hospes & aduena?* q.d. Hucusque ô Deus, habitasti in templo totaque Iudæa, quasi herus in domo & agro proprio: quare iam in ea agis sicut *colonus*, qui negligit bonum agri in alienos vsus excolendi? quare instar peregrini & aduenæ non curas quæ occurrunt per viam? quare denique te geris,

℣. 9. VT vir FORTIS quidem, vt exterius apparet, & instar gigantis robustus, sed QVI vrgente necessitate NON POTEST SALVARE, neq; opem ferre? Id, quæso, ne sinas à Gentibus tibi exprobrari. ita Sanchez. Et simili obtestatione Deum placauit Moyses Numer. 14. v. 16. Neque enim aduena aut colonus, sed verus herus apud nos es, IN NOBIS, id est, inter nos, instar domini & principis habitans ac regnans: ET NOMEN TVVM etiam nunc INVOCATVM EST SVPER NOS] id est, nos vocamur, censemur & sumus tuus populus, tui filij, tua hereditas, tuum peculium. Sed parum iuuant hæc omnia, inquit Deus, quia

℣. 10. POPVLVS HIC DILEXIT MOVERE PEDES SVOS] id est, maluit à me defugere, à cultu meo ad cultum idolorum delabi: nec ad vnum idolum, sed ad varia: nec ad vnum peccatum, sed ad scelera omnigena. ita ferè S. Hieronymus, Theodoretus & Rabanus.

℣. 11. NOLI ORARE PRO POPVLO ISTO IN BONVM, id est, vt aliquid boni pro illo à me deposcas. De hoc alibi (*b*) dixi. vti & de AAA (*c*) v. 13. Vbi Ieremias populum excusare nititur apud Deum, quòd deceptus fuerit & in fraudem inductus à pseudoprophetis. Quibus ob id acrior impendet pœna.

℣. 16. EFFVNDAM SVPER EOS MALVM SVVM] id est, mensuram pœnæ sceleribus eorum debitam.

℣. 18. PROPHETA falsus ille & mendax, ET SACERDOS pseudoprophetæ applaudens & colludens, ABIERVNT capti & vinculis constricti, IN TERRAM Babylonis, QVAM antè IGNORABANT] Sed tu, ô Deus!

℣. 21. NE FACIAS NOBIS CONTVMELIAM SOLII GLORIÆ TVÆ] Id est, ne sinas pollui & vastari Ierosolymam, thronum (*d*) & solium tuum: vel potiùs templum, vbi sedes super Cherubim, quasi super solio maiestatis tuæ. Hæc enim intoleranda esset contumelia tum *nobis*, tum tibi: Chaldæus vertit, *ne vilem facias locum gloriæ tuæ*; LXX. *ne perdas solium gloriæ tuæ.*

b Ierem. 7. v. 16. & c. 11 v. 14.
c Ierem. 1. v. 6.
d Ierem. 9. v. 7. & Matth. 5. v. 35.

CAPVT XV.

Renuit Deus audire vllum populo tam perfide patrocinari volentem. Minatur de nouo gladium, canes, volucres cæli, bestias terræ, certumq; excidium. Vnde deplorat Propheta debere se tam tristis nuntij præconem esse, & hoc nomine omnibus inuisum atque exosum: sed mox à Deo roboratur & communitur.

¥. 1. SI STETERINT, vt solent, MOYSES ET SAMVEL (*a*) CORAM ME] orantes pro populo isto ingrato, rebelli, obstinato, etsi sæpiùs ob efficaciam charitatis & orationis suæ me induxerint, vt parcerem illi, iam tamen me non inducent: non quòd spernam preces illorum, sed quòd populus in suis sceleribus adeò mordicus hæreat, vt indignus sit cui preces talium virorum patrocinentur. ita S. Hieronymus, Gregorius, Theodoretus, Hugo, Rabanus, Liranus, S. Thomas. Qui etiam hinc probant, Primò, Sanctos post mortem etiam è limbo orasse (*b*) prò viuis: quantò magis nunc è cælo? Secundò, inæqualia esse merita Sanctorum. Tertiò, vt peccatori prosint preces Sanctorum, debere illum simul cum illis orare, conniti & collaborare. Si enim pertinax maneat in scelere, parum aut nihil proderunt illi preces alienæ, vt optimè demonstrat etiam S. Chrysostomus.

a Ezech. 14. v. 14.

Gregor. l. 9. Moral. c. 12. & 13.

b 2. Machab. vlt. v. 14.

Chrysost. homil. 1. in epist. 1. ad Thessalonicenses.

EIICE ILLOS A FACIE MEA, id est, à conspectu meo, nempe benevolo & amico, quasi dicat: Nolo illos vlteriùs videre, semoueantur ab oculis meis; anthropopathῶs. ET EGREDIANTVR in malam rem.

¥. 2. QVO EGREDIEMVR? Respondet, QVI AD MORTEM, id est, pestem (*c*) subeundam destinati sunt à me, egrediantur ad pestem: QVI AD GLADIVM, eant AD GLADIVM, &c.] q.d. Quisque designatam sibi subeat pœnam.

c Ezech. 14. v. 19.

¥. 3. VISITABO SVPER EOS, id est, inducam ipsis in pœnam, QVATVOR SPECIES, seu quatuor genera tortorum, scilicet GLADIVM, CANES, *aues & feras*, vt eos dilanient ac deuorent. Hebraicè, *præficiam eis quatuor familias*, seu cognationes, *tortorum* iam dictas.

¥. 4. ET DABO EOS IN FERVOREM; Chaldæus, *in commotionem*; LXX. *in angustias*, VNIVERSIS REGNIS TERRÆ. Id est, tantis plagis eos exercebo, vt pressi nimijs angustijs perpetuò commoueantur, ferueant & æstuent vbique terrarum, non secùs ac solet olla ignibus superposita commoueri, feruere & æstuare. Idque faciam PROPTER MANASSEM, seu Manassæa scelera, idololatriam, prophetricidia, & abominandas spurcitias, 4. Reg. 21. Manasse auctore in Iudæam inuectas: quæ licèt priuatâ Manassis pœnitentiâ, ipsius personæ remissa sint, quia tamen è publico necdum sublata, quin potiùs aucta & multiplicata sunt, condignis quoque pœnis semel eluenda censui. ita ferè Chaldæus & S. Hieronymus.

¥. 6. LABORAVI ROGANS te per Prophetas & internas inspirationes, vt pœniteres, teque conuerteres. In Hebræo enim est, *laboraui pœnitere*, vel *pœnitendo*, vt vertit Maldonatus.

¥. 7. PORTAS TERRÆ vocat extremas terræ oras, nempe portus & ripas, inquit S. Thomas, Liranus & Maldonatus: vel Orientem & Occidentem, per quæ dies & nox quasi per portas, in terram ingrediuntur, vt Sanchez exponit.

¥. 8. INDVXI EIS Chaldæum VASTATOREM SVPER MATREM ADOLESCENTIS, id est, qui occidat matres, & cæsis matribus, adolescentes filios eius faciat orphanos. Idque non occultè, sed MERIDIE] id est, palàm & in media luce. ita Maldonatus.

¥. 9. INFIRMATA EST; hebraicè, *elanguit*, exanimata est, QVÆ PEPERIT SEPTEM] id est, plurimas (*d*) proles, vt LXX. vertunt.

d Iob 5. v. 19. Prou. 16. v. 16. & 25. Eccles. 11. v. 2.

SOL, id est, prosperitas, fœcunditas, amœnitas omnis, EI (*e*) OCCIDIT, & subtracta est, cùm in medio ætatis flore, & liberis & marito orbata, vidua & sine solatio remansit. ita ferè Chaldæus. Allegoricè, S. Irenæus, Cyprianus & Isidorus id applicant Synagogæ, cui ob Christicidium sol occidit, id est, obtenebratus est in meridie: & occæcatio (*f*) perpetua subsecuta, inquit Hugo.

e Amos 8. v. 9. Iob 22. v. 28. & c. 19. v. 3. Irenæus l. 4. c. 66. Cypr. l. 2. cont. Iudæos c. 13. Isidor. de Passione Christi c. 15

¥. 10. VÆ MIHI, (querela est Prophetæ) QVARE, Ô MATER, GENVISTI-ME VIRVM RIXÆ ET DISCORDIÆ?] id est, virum cum quo omnes rixantur & iurgantur, nempe ob minaces prophetias & reprehensiones, quas continuò vrgebam iubente Deo. Talis vir rixæ fuit præ omnibus Christus, positus in ruinam & resurrectionem multorum. Talis & Paulus: tales tot alij Sancti, qui collapsas subinde seu respublicas, seu Religiones instaurarunt.

f Isaiæ 59. v. 9.

NON FOENERAVI, id est, nulli ad vsuram dedi, à nullo ad vsuram accepi; vnde pleræque lites: nulli nocui, nullum traxi in ius: & tamen OMNES MALEDICVNT MIHI] ita Theodoretus & Liranus. Quid ad hæc Deus? Iurat:

¥. 11. SI RELIQVIÆ (*g*) TVÆ, id est, tempora vitæ tuæ reliqua, NON sint IN BONVM, id est, prospera tibi & felicia, non habeat verax, non habeat Deus. ita Chaldæus. SI NON OCCVRRI, ex nunc per diuinum decretum meum, & mox etiam reipsa occurram, TIBI, & iuuabo te aduersus hostes tuos. Et verò iuuisse constat toto tempore obsidionis, & maximè captâ iam vrbe, cùm Ieremias à Chaldæis (*h*) omni benevolentia exceptus est, ita S. Hieronymus, Rabanus & Hugo.

g Prolog. in Iustissimus Hebr. n. 13.

h Ierem. 39. & 40.

¥. 12. An putas FERRVM Judaicum, seu ferreos Iudæorum animos, FOEDERATVM iri cum FERRO *Aquilonari*, id est, cum Chaldæis, longè durioribus? ET ÆS Judaicum cum ære Babylonico? Minimè verò. Nulla volet fœdera Chaldæus; obruet, euertet, exscindet omnia. Et sic implebuntur minæ tuæ, quas æmuli nunc rident & exsibilant. ita S. Hieronymus, S. Thomas, Rabanus, Hugo, Liranus.

¥. 13. THESAVROS TVOS, ô Iuda, DABO Chaldæis IN DIREPTIONEM GRATIS; Hebraicè, *sine pretio* pro ijs persoluendo. Idque IN OMNIBVS PECCATIS] id est, propter omnia peccata tua, vt LXX. verterunt.

¥. 15. TV SCIS DOMINE, supple, miseriam & afflictionem meam: NOLI IN TVA PATIENTIA; Hebraicè: *in longitudine nasi*, id est, cum longanimitate, & dilatione vindictæ, SVSCIPERE ME] id est, amplecti causam meam. q.d. Citò me vindica, ne diutiùs & tu & ego probris afficiamur à perfidis & incredulis Iudæis. ita Chaldæus, Dionysius, Hugo, Liranus. Simulatque enim

¥. 16. INVENTI SVNT in rerum natura, & auribus meis insonuerunt, SERMONES TVI, COMEDI EOS, id est, auidè hausi & excepi, & alijs communicaui eos cum *gaudio*: QVONIAM INVOCATVM EST NOMEN TVVM SVPER ME] Id est, quia sic publicè innotui tuus esse Propheta. Vnde &

¥. 17. NON SEDI IN CONCILIO LVDENTIVM, id est, in congregatione iocantium, ridentium, ludicris sese oblectantium. nempe tueri volui digni-

dignitatem ſtatus mei & muneris prophetici; ET GLORIATVS SVM A FACIE MANVS TVÆ] id eſt, oblectaui me tuo ſolius alloquio, tuis oraculis. *Manus* enim *Domini* apud Prophetas vſurpatur quo prophetia & oraculo. Niſi maliscum Chaldæo, Pagnino & Sanchez, repetere ex priori membro negationem, & legere *non gloriatus ſum*, id eſt, non me iactaui, non ſuperbiui in circulis, ob donum prophetiæ, quo manus tua decorauit me.

Sed SOLVS SEDEBAM, deſertus, ſpretus ab omnibus, *quia* COMMINATIONE REPLESTI ME] id eſt, indidiſti mihi prophetias comminatorias, ac proinde ingratas, inuiſas, exoſas omnibus.

¥. 18. FACTA EST MIHI (ſupple, manus tua, de qua v. præced.) QVASI MENDACIVM AQVARVM INFIDELIVM] Hebraicè, *tanquam fons mendax* & fallax, promittens largas aquas, & nullas ſubminiſtrans. q. d. Semper promiſiſti quòd me tua manu & ope iuuares; & ecce iam in hac afflictione, cùm maximè tua ope indigeo, deſeris me? ita Chaldæus, LXX. Vatablus & Pagninus. Sed bono animo ſis, Ieremia,

¥. 19. SI CONVERTERIS, id eſt, ſi conuerſus fueris à tua diffidentia, puſillanimitate & impatientia, ad firmam in me ſpem, integram reſignationem, & plenam obedientiam; ego viciſſim CONVERTAM TE à triſti hoc ſtatu ad lætum & amœnum: ET ANTE FACIEM MEAM STABIS] non repulſus, non reiectus, non ſpretus à me, vt tu quereris, ſed mihi præ omnibus curæ & cordi, familiaris mihi & chariſſimus. ita Chaldæus, Origenes, Vatablus & à Lapide.

SI SEPARAVERIS PRETIOSVM A VILI, id eſt, ſi verbum & promiſſum meum diuinum tamquam pretioſum theſaurum amplexus fueris & cuſtodieris, præ vili aceruo rationum humanarum ad puſillanimitatem te excitantium; tunc ERIS QVASI OS MEVM, id eſt, eris verus & eximius Propheta, cui ego meq tutò fidam ſecreta, & per quem, quaſi per proprium os fidenter eloquar. Quin & hoc efficiam in tui gratiam, vt æmuli & hoſtes tui CONVERTANTVR IPSI AD TE, ad tibi ſupplicandum, ad opem à te depoſcendam, vt factum conſtat ex c. 21. ET TV NON CONVERTERIS AD EOS] Id eſt, non curabis, non requires eos, non egebis ope aut conſilio illorum, nempe ſat roboratus potentiâ meâ, inſtar *muri ærei*, reſiſtendo eris illis, neque læderis inſultibus aut ictibus illorum. Notent hoc Prælati, & magiſtratus, nec vanis terroribus, obloquijs aut minis ab officio ſuo adduci ſe ſinant.

CAPVT XVI.

Monet Deus Ieremiam, ne in Iudæa vxorem ducat, aut liberos procreet: fore enim vt omnes à coniugio prócreati, à medio tollantur per Chaldæos, quorum ſæuitiam miris modis exaggerat. Tantorum verò malorum causam eſſe peccatum aſſeuerat. Tandem ſolatur Iudæos ſpe liberationis è captiuitate per Eſdram, & maximè per Chriſtum & Apoſtolos, qui non ſolos Iudæos, ſed & Gentes plurimas ab vltimis terræ finibus imbuent cognitione & cultu veri Dei.

¥. 2. NON ACCIPIES VXOREM IN LOCO ISTO] id eſt, in Anathoth, vt Vatablus: vel, vt meliùs, Liranus, in Iudæa. Nempe, ne ſuper dolorem proprium, etiam vxoris & liberorum miſerijs torqueari, inquit S. Hieronymus. Cumque dubium non ſit, quin Deo ita præcipienti paruerit Propheta; colligere licet ex hoc loco, Ieremiam cælibem perpetuò ac virginem manſiſſe, vt in proœmio dicebam.

¥. 4. MORTIBVS ÆGROTATIONVM MORIENTVR, id eſt, omni genere morborum ex fame, bello, aliiſque ærumnis ſubnaſci ſolitorum extinguentur. ita Chaldæus, LXX. & Vatablus. NON PLANGENTVR ſolemni planctu funebri, de quo (*a*) alibi. Nempe deerunt qui plangere poſſint: deerunt quoque qui mortuos ſepeliant. Vnde cadauera paſſim in vijs & vicis, quaſi in *ſterquilinio*, inſepulta iacebunt & computreſcent. Quòd ſi qui è potentioribus ante illam ſtragem funebria celebrent, tu

(a) *Iob 3. v 8. Ier. 9. v. 17.*

¥. 5. NE INGREDIARIS DOMVM CONVIVII iſtius *funebris* (vt eſt in Hebræo,) quod ex more ſolet in exequijs defuncti amicis exhiberi ad illorum ſolatium (*b*) quod Græci περιδειπνον, Latini *parentalia* vocant, quaſi per ea parentibus iuſta perſoluantur, inquit S. Hieronymus. Quod Romanis quoque, alijſque gentibus in more fuiſſe docet Alexander ab Alexandro. Cur Deus id veret Ieremiæ, docet Hieronymus & Liranus, nempe, quia non decet vt viri pij, ac præſertim Propheræ, cohoneſtent illorum exequias, vitamque laudent aut probent, quorum geſta & mores Deus execratur & damnat.

(b) *Tobiæ 4. v. 18.* *Alex. l. 3. Genial. c. 7.*

¥. 6. NON SE INCIDENT ſcalpellis, NEQVE CALVICIVM more Gentilitio FIET PRO EIS] Solebant enim veteres (vt conſtat exemplo Iobi c. 1. v. 20.) in funeribus ſuorum, aliiſque grauibus calamitatibus cæremonias iſtas adhibere: ſed Iudæis id inhibuerat Deus Deuter. 14. v. 1. quos malebat erigi animis in certam ſpem reſurrectionis mortuorum, quàm peregrinis iſtis ritibus mœrori nimiùm indulgere. Sed Iudæi à Gentilitijs iſtis ritibus ægrè abſtinebant. Vnde hîc dicitur, facturos neceſſitate coactos, quòd ex præſcripto legis ſponte ſua facere detrectabant. ita S. Hieronymus.

¥. 8. Sed ET cuiuſcumque alterius CONVIVII DOMVM NON INGREDIARIS] Id eſt, non interſis etiam feſtis & genialibus Iudæorum conuiuijs, qualia ſolent in nuptijs, victorijs, & annuis ſolemnitatibus apparare: vt hac tuâ abſtinentiâ portendas, omnes mox epulas & gaudia, propinquante Chaldæo ceſſatura.

¥. 13. ET, pro ideirco, EIICIAM vos in Chaldæam: IBI ad ſatietatem SERVIETIS DIIS ALIENIS, ad quos adeò iam anhelatis & inſanitis. Sed ipſi non ſunt ij à quibus REQVIEM ſperare poſſitis, ſed ab vna miſeria in aliam, ab vno ergaſtulo in aliud vos compellent. Magiſque affligemini ab eis in Chaldæa, quàm olim patres veſtri à Pharaone afflicti fuerunt in Ægypto. Vnde etiam fiet, vt, reductis aliquando filijs veſtris, ſicut reipſa reducam illos poſt expletos 70. annos, è Chaldæa in Iudæam; ipſi quaſi obliti veteris Ægyptiacę præ acerbitate præſentis Babylonicæ ſeruitutis, loco receptæ iurandi formulæ, quâ ſolent iam iurare per Deum qui eduxit filios Iſrael è terra Ægypti; deinceps in memoriam & gratitudinem amplioris beneficij, iuraturi ſint nouâ formulâ per Deum, qui

¥. 15. EDVXIT FILIOS ISRAEL DE TERRA AQVILONIS] è carcere Babylonico. ita Theodoretus & S. Thomas.

¥. 16. ECCE EGO MITTAM, finitis 70. annis, PISCATORES MVLTOS, ET POST HÆC VENATORES MVLTOS] nempe Eſdram, Zorobabel, Jeſum, Nehemiam, & tot alios, qui Judæos profugos & diſperſos terra marique, inſtar piſcatorum & venatorum, ex maximo numero pauculos capient, colli-

colligent & in patriam reducent. De his enim ad litteram loquitur hîc Deus: sed præcipuè Allegoricum sensu intendit, qui est de Apostolis (*a*) Christi & viris Apostolicis, qui ex Iudæis & ex Gentibus plurimos piscati & venati sunt Deo. ita Origenes, Tertullianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus & Liranus. Porrò retia mea nemo effugiet:

a Matth. 4. v. 19.

Tertull. l. 4. cont. Marcion. c. 9. Ambros. serm. 6. in psal. 118. Augustin. tract. 10. de Visitate ieiunij c. 9.

℣. 17. QVIA OCVLI MEI SVPER OMNES VIAS & semitas, & latibula EORVM: neque me latere possunt; sicut & INIQVITAS EORVM me non latuit. q.d. Cùm propter scelera sua punire illos volui, facilè omnes inueni: inueniam pari facilitate, cùm voluero redimere & saluare.

℣. 18. REDDAM ergo eis PRIMVM DVPLICES INIQVITATES, id est, multiplicia illorum scelera priùs pro meritis puniam per Chaldæos, per Persas, per Græcos, per Romanos, propter MORTICINA IDOLORVM] id est, propter immolata idolis cadauera, non modò brutorum, sed & filiorum propriorum. ita Theodoretus. B

℣. 19. DOMINE AD TE GENTES VENIENT, nempe quæ in Chaldæa ad Iudaismum conuersæ, vnà cum Iudæis è Babylone demigrabunt in Iudæam, inquit S. Thomas & Liranus. Vel potiùs, quæ operà Apostolorum conuertendæ sunt ad Christum; vt ijdem exponunt cum S. Hieronymo, Rabano, Theodoreto, Eusebio, Augustino & à Castro. Hæ conuersæ DICENT: VERE MENDACIVM, id est, mendaces & fallaces deos, POSSEDERVNT; Hebraicè, *hereditarunt*, PATRES NOSTRI] cæco errore colentes quos à patribus suis colendos acceperant.

Euseb. l. 5. Demonstr. c. 10. August. l. 1. de Consensu Euangelistar. c. 26.

CAPVT XVII.

Peccatum idolomaniæ Iudæorum adeò tenaciter animis illorum inhærere docet, vt non possit nisi plene excidio tradi: maledictum esse qui confidit in homine, benedictum qui in Deo: recedentes à Deo, in terra scribendis: sabbathum obseruandum, & reliquum cultum diuinum.

℣. 1. PECCATVM IVDA, (idololatria) SCRIPTVM EST STYLO FERREO, vel chalybeo, & VNGVE ADAMANTINO. sic vertit Syrus, LXX. Chaldæus, Origenes, Vatablus, Pagninus, & Hebræum *bet*, id est, *in*, sæpè significat instrumentum. *Vnguis* autem idem est quod cuspis, calamus, stylus, graphium. Vnguibus enim auium duris & acutis, quasi calamis vel stylis, solebant olim vti ad sculpendum. Pro LATITVDINEM CORDIS, ijdem vertunt, *tabulam cordis*, id est, conscientiam, inquit Theodoretus, S. Hieronymus, Origenes & Rabanus. Vel, vt Sanchez, laminam auream vel argenteam à collo vsque ad cor demissam, cui imaginem idoli sui insculpebant, palàm ostentantes se talis idoli cultores esse: de quibus Osee 2. *Auferat adulteria sua de medio vberum suorum.* Solebat & IN CORNIBVS altarium inscribi nomen, vel symbolum, aut imago idoli cui ibi sacrificabatur. testis ara Athenienses, cui S. Paulus inscriptum vidit, *Ignoto Deo*, Actor. 17. v. 23. Duo igitur hoc loco indicantur, Primum, idololatriam Iudæorum ex voluntate & mente illorum indelebilem esse, charamque ipsis instar monilis pretiosi quod pro pectore gestatur. Secundum, idem peccatum publicum esse, totique orbi conspicuum, neque latere posse. Allegoricè, id Eusebius applicat Christicidio; Anagogicè peccatis obstinatorum & damnatorum.

ב

Sanchez hic, & prolegom. 9. in Cantica.

Euseb. l. 10. Demonstr. c. 5.

℣. 2. CVM ergo FILII Iudæorum RECORDATI FVERINT per has aras & monilia, idololatrix parentum suorum, ita scilicet vt eam ipsi quoque imitentur,

℣. 3. SACRIFICANTES ijsdem idolis, non in vrbe modò, sed & IN AGRO; citò implebitur hac viâ mensura peccatorum: quâ impletâ, vindictam sumere decreui. Tunc FORTITVDINEM omnem TVAM, ô Iuda, id est, omnes opes & substantiam tuam: omnia EXCELSA, id est, omnes aras & templa TVA, quæ idolis tuis in locis excelsis erexisti, DABO hostibus tuis: ET RELINQVERIS SOLA, ac spoliaberis HEREDITATE TVA.

℣. 4. QVONIAM IGNEM SVCCENDISTI IN FVRORE (*b*) MEO] id est, ignem furoris mei tuis sceleribus, quasi flabello succendisti. Sed tu igne illo quanta quanta es, conflagrabis. Atque hoc idololatriæ scelus prima causa est cladis & excidij Iudæorum: sed est & altera causa, nempe *fiducia in hominibus*, & confugium ad Ægyptios, relicto, spreto, reclamante Deo, qui suam illis opem vltrò promptam offerebat. Quare acerrimè etiam Isaias olim id reprehenderat. *b Ierem. 15. v. 14.* *Isaiæ 31. v. 1. & seqq.*

℣. 5. MALEDICTVS HOMO QVI PONIT CARNEM, id est, hominem carneum & fragilem, BRACHIVM SVVM] vt illo quasi brachio suo se tueatur, suaque promoueat; subaudi semper, relicto & spreto Deo. Talis enim Deo est maximè iniurius, negans eius prouidentiam, bonitatem, potentiam, sapientiam: quasi enim Deus nollet, vel non posset, vel non sciret opitulari, ideo confugit ad spem & opem hominum vel dæmonum. ita à Castro. Sed hoc modo non confidimus in Sanctis, neque confugimus ad Sanctos, sed ad magis honorandum Deum in Sanctis suis, opem horum deposcimus, vt sic faciliùs accessum impetremus ad Deum, inquit Maldonatus. Porrò nosse vis fructus sperantium in homine?

℣. 6. ERVNT QVASI MYRICÆ non (*c*) hortenses, sed siluestres IN DESERTO, steriles, viles, depressæ, abiectæ. Nempe, fructu & successu sperato carebunt: NON VIDEBVNT, non sentient, non experientur, non participabunt, CVM VENERIT BONVM terræ, id est, pluuia, votum vnicum sitientibus aruis. destituentur enim rore ac pluuiâ cælestis gratiæ ac sapientiæ. Erunt IN SICCITATE perpetua, defectu gratiæ, virtutum, solatij & auxilij diuini. Erunt IN DESERTO INHABITABILI, procul à Deo, à Sanctis, à consortio bonorum: in loco SALSVGINIS] tristi, arido, ærumnoso. C *c Plin. l. 14. c. 9. & Dioscorid. l. 1. c. 99.*

℣. 9. PRAVVM; Hebraicè, *tortuosum*, anfractuosum, fallax EST COR OMNIVM. ita est in Hebræo, & ita vertit S. Hieronymus. q.d Sinuosum, & mille cogitationum, cupiditatum atque intentionum secretis diuerticulis, sinibus, recessibus, instar labyrinthi, implexum: ideoque INSCRVTABILE] id est, impenetrabile naturaliter etiam angelis. Vnde nescire potes, quò quis spes suas dirigat, an in Deum, an in creaturas; an in diuina, an in humana præsidia. ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus, Vatablus & à Castro. D

℣. 11. PERDIX FOVIT QVÆ NON PEPERIT. En hîc tertiam causam cladis Iudaicæ, nempe opes iniustè partas. Nam sicut pulli perdicis à falsa ac supposititia matre, (quæ alterius perdicis oua surfurari, eique incubare, & pullos excludere solet, testibus Aristotele, Theophrasto, & Plinio apud Hieronymum, item S. Ambrosio & Augustino apud Vlyssem Aldrouandum) vbi adoleuerint, & veræ ac naturalis matris vocem instinctu naturæ agnouerint, ad eam vltrò deuolant: ita opes iniustæ

ab iniustis possessoribus, quasi à falsis heris, ad alios demigrabunt quibus diuina prouidentia illas concedet, putà à Iudæis ad Chaldæos, à Sedecia ad Nabuchodonosorem. Quid ergo iuuerit FECISSE, id est, collegisse, DIVITIAS, si NON id fiat IN IVDICIO, id est, iustè? Quidquid enim vel vsurâ, vel rapinâ, vel alijs malis artibus, quis collegerit, id omne cogetur DERELINQVERE, non iam in morte sola, sed & IN DIMIDIO DIERVM SVORVM, antequam ijs cœperit bene frui, quando maximè ijs egebit. Vnde & IN NOVISSIMO SVO ERIT INSIPIENS] id est, tandem aliquando apparebit, quàm *insipiens* ac stultus fuerit qui bonis alienis sese ditauit. Nam licèt humanos iudices sæpè fallat, Deum numquam fallet, supremum, infallibilem, incorruptibilem iudicem, cui est

℣. 12. SOLIVM GLORIÆ ALTITVDINIS A PRINCIPIO, id est, solium glorioſum & tribunal altissimum ab initio æternitatis, ex quo solio omnia intuetur continuò, & iudicat ac vindicat. Ille LOCVS est SANCTIFICATIONIS NOSTRÆ] quia ex cælo & à Deo omne donum, omnis gratia, omne auxilium, quo sanctificamur, iustificamur, absoluimur. S. Clemens per *solium* hoc intelligi vult *Ecclesiam*; Rabbi Moses & Haccados, & ex ijs Galatinus, B. Virginem Mariam, quæ *à principio* suæ conceptionis, absque peccato originali euecta fuit in solium & thronum Altissimi. Verùm hoc non litteraliter, vt hi volunt, sed allegoricè hîc insinuatur. Tu ergo, ô altissime Deus,

Clem. l. 6. Constit. Apostolicar. c. 5.

Galat. l. 7. ex Arcanis fidei c. 10.

℣. 13. EXPECTATIO es crisque perpetuò, spes & fiducia veri ISRAELIS. ad te, & ad sinum misericordiæ tuæ confugiemus, non ad idola, non ad Ægyptios. RECEDENTES enim A TE, & vanam aliorum opem implorantes, vt summum IN TERRA SCRIBENTVR] id est, terrenis opibus, delicijs, honoribus celebres fient, & innotescent ijs qui in terra degunt. quòd sanè breue ac momentaneum erit, nulliusque æstimationis ac pretij, vt solent quæ in puluere vel cinere scribuntur, præ alijs quæ marmoreis vel æneis tabulis commutuntur. ita ferè Origenes, S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, Vatablus, à Lapide. Quod idem alio mox symbolo confirmat, fossæ exarescentis, & *venæ*, seu fontis perpetuò scaturientis. Tu ergo,

℣. 14. DOMINE SANA ME à morbis & malis omnibus animi, corporis, famæ; ab hostium calumnijs, probris, insidijs; à mœrore, dolore, ærumna. ET SANABOR. q.d. Ab Ægyptijs, ab idolis, ab alijs creaturis nec possum, nec volo curari: sed à te solo id volo, & certò præstolor, QVONIAM LAVS MEA, id est, obiectum laudis & gloriationis meæ, TV ES] Id est, in te, & de te solo gloriari & cõfidere soleo, etsi hoc nomine me rideant & subsannent Iudæi. ita Rabanus, Hugo, Theodoretus.

℣. 15. ECCE IPSI Judæi, oracula mea, imò tua, ridentes, quasi vana & à me ficta, DICVNT subsannando: VBI EST VERBVM DOMINI, quod toties nobis occinis? vbi sunt Chaldæi, quos venturos iugiter minaris? VENIANT] non timemus, non curamus: sed nec credimus venturos. Si tamen venerint, experientur nostra & sociorum Ægyptiorum arma & vires.

℣. 16. ET EGO NON SVM TVRBATVS sannis & maledictis illorum, quo minùs essem *pastor post* TE, vt est in Hebræo; sed intrepidus perrexi verbo tuo diuino illos, quasi ouiculas tuas pascere: maximè cùm videam, te summum omnium pastorem etiam ingratis, immeritis, rebellibus adesse, A instare, benefacere. ET DIEM HOMINIS NON DESIDERAVI, id est, prosperitatem, opes, delicias, honores, plausus, quibus adeò pascuntur & inhiant homines, non exoptaui: nam si exoptassem, relictis oraculis tuis & terrificis minis, dixissem ipsis placentia, & sic gratiam illorum mihi conciliassem. Sed absit. Quidquid EGRESSVM EST DE LABIIS MEIS, non adulatorium, non mendax, non simulatum, sed verum & RECTVM FVIT] prout tu mihi inspirasti. Liberè te iubente principum vitia carpsi, *nec vllius offensam timui, qui nullius gratiam ambiui.* ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, S. Thomas & Liranus. Tantùm

℣. 17. TV, cuius solius iram metuo, NON SIS MIHI FORMIDINI, sed auxilio & tutelæ. Adsis tu mihi tuo fauore, tua ope, & securus consistam etiam inter media hostium tela. (*a*)

a *Psalm. 26. v. 1. & segq.*

℣. 18. DVPLICI, id est, multiplici, graui, CONTRITIONE CONTERE aduersarios meos, qui mea, B imò tua. verba & minas rident.

℣. 21. CVSTODITE ANIMAS VESTRAS] id est, vosipsos. Hebraicè, *cauete in animabus vestris*, id est, quàm cara vobis est anima, cauete ne *sabbathum*, reliquaque Dei mandata violetis: alioquin excidemini stirpitus. Si illud custodiatis, & consequenter omnem reliquum Dei cultum (*b*) amplectamini, pax erit vobis & rerum omnium abundantia. ita Vatablus.

b *Isaiæ 56. v. 2. 4. & 6.*

℣. 25. CVRRIBVS ET EQVIS, id est, pace, gloriâ, commodis omnibus affluent PRINCIPES] Templum perpetuis victimis ditabitur, Ierosolyma frequentabitur, honorabitur vndique & extremè florebit.

CAPVT XVIII.

C *Exemplo figuli vas dissipatum refingentis, ostendit Deus, posse se Iudæos per Chaldæum & reliquum orbem dissipatos, in pristinum statum reducere; si pœnitere voluerint. Quod quia nec-dum volunt, prædicere iubetur Ieremias, eos per Nabuchodonosorem excidendos. Vnde Iudæi Ieremiam ad mortem deposcunt.*

℣. 3. FIGVLVS FACIEBAT OPVS luteum SVPER ROTAM; Hebraicè, *super sellis suis*, super quibus pasta lutea deduci, complanari & in vas efformari solet. Vas ergo tale iam formatum, sed necdum igne decoctum, inter manus figuli confractum & dissipatum fuit in partes luteas: quas resumens figulus, mox aliud ex eis vas confecit, quale ipsi collibuit.

℣. 6. SIC VOS, ô DOMVS ISRAEL, estis IN MANV MEA. Destinaui quidem vos excidio propter horrenda scelera vestra: sed SI POENITENTIAM *egeritis*,

℣. 8. AGAM ET EGO POENITENTIAM SVPER MALO QVOD COGITAVI VT FACEREM VOBIS. Anthropopathõs. Id est, mutabo sententiam meam, & pro calamitate inducam super vos multiplicem felicitatem: & ex *vasis contumeliæ*, id est, ingloriis & sordidis, faciam *vasa in honorem*, id est, honorifica & glorioſa. ita Theodoret. Tropologicè, homo est lutum vile, sordidum, à Deo tamquam figulo & plaste suo in omnibus dependens; vnde & in omnibus, & per omnia resignatus sit oportet in nutum & arbitrium Dei, à quo solo habet quòd sit nobilis, dives, robustus, pulcher, sapiens, felix, (*c*) gratioſus. De his enim hæc intelligenda est comparatio, non verò de virtute vel vitio, salute vel damnatione æterna: quæ etiam pendere voluit Deus à libero hominis arbitrio, sed vnà cum gratia

c *Eccli. 33. v. 10. & Rom. 9. v. 21.*

Hilar. in psal. 2. v. 9. Cypr. vel potiùs Ruffinus, in expositione Symboli.

a Prolog. de Idiotismis Hebr. n. 49.

sua. Anagogicè, Deus corpus nostrum morte collapsum, resurrectione refinget, inquit S. Hilarius & Cyprianus.

℣. 11. EGO CONTRA VOS, ô Iudæi, FINGO MALVM, id est, instar figuli formo & præparo vobis afflictionem, stragem & excidium: ET COGITO COGITATIONEM (*a*)] id est, seriò id cogito. Ergo, si parcitum vobis vultis, pœnitemini, &c.

℣. 12. QVI DIXERVNT: DESPERAVIMVS; LXX. *obfirmati sumus*, scilicet in sceleribus. q. d. Actum est, desperata est emendatio, non possumus inolitas consuetudines relinquere, vincimur habitu peccandi, superamur difficultate, tædio, tentatione. Fixum, deliberatum, decretum, POST COGITATIONES NOSTRAS & appetitus *ire*, id est, mala quæcumque nobis collibita & destinata sunt, perficere. Audin' horribilem, & diabolicam obstinationem?

℣. 14. NVMQVID DEFICIET NIX, quæ perpetua obsidet Libanum. q. d. Citiùs debuisset *deficere* DE PETRA AGRI, id est, desinere de rupibus LIBANI amplis & planis instar agri, seu campi. Citiùs debuissent EVELLI, id est, funditus educi & exhauriri, A QVÆ torrentium FRIGIDÆ, è fontibus & lacubus emanantes è montibus ERVMPENTES, quàm POPVLVS MEVS, in quem tot confero beneficia, mei obliuisceretur. Obliuiscitur tamen,

℣. 15. FRVSTRA, id est, nullo fructu, nullo emolumento, nullo bono suo, LIBANTES & sacrificantes dijs alienis: IMPINGENTES IN VIIS SVIS, nempe legum diuinarum, & ab ijs sponte aberrantes, licet planissimæ sint ac commodissimæ, atque ab initio sæculi calcatæ ac tritæ à patribus eorum. Finxerunt verò sibi alias vias proprias, nouas leges nouorum idolorum, PER *quas* AMBVLARVNT ITINERE NON TRITO, sed inuio & deuio, & molesto, & ad perditionem deducente. ita ferè S. Hieronymus, Chaldæus & Theodoretus.

℣. 16. IN SIBILVM] id est, in contemptum. Solemus enim quod contemnimus exsibilare (*b*) Sic *caput mouere* (*c*) idem est quod despicere & irridere.

b Ierem. 19. v. 8.
c. 25. v. 9.
c. 51 v. 37.
c Psal. 21. v. 8. & Isaiæ 37. v. 21.

℣. 17. VENTVS VRENS; Hebraicè, *ventus Orientalis*; S. Hieronymus, *Vulturnus*, qui flat ab Oriente Septemtrionali, estque vehemens, impetuosus & vrens, grana in fauillam conuertens, & spicas iam cassas atque euanidas instar palearum decutiens ac dispellens (*d*) Sic nempe ego me geram cum Iudæis. DORSVM, ET NON FACIEM OSTENDAM EIS, seriùs opem tunc meam inclamantibus: nempe sicut ipsi mihi nunc vocanti, dorsum obuertunt. ita Maldonatus. Allegoricè, Franciscus Lucas id Christo adaptat, sic cruci affixo, vt dorsum Orienti & vrbi Ierosolymitanæ obuerteret, facie Occidentem & Gentiles (*e*) respiceret.

d Iob 27. v. 21.

Fr. Lucas in Matth. 27. v. 35.

e Psal. 65. v. 7.

℣. 18. COGITEMVS CONTRA IEREMIAM COGITATIONES (*f*)] Id est, seriò deliberemus de Ieremia è medio tollendo. Quia pseudopropheta (*g*) est, prædicens perituros sacerdotes, sapientes & Prophetas, quos tamen Deus in Ecclesia sua perpetuos instituit, & lex perituros negat. ita S. Thomas, Hugo & Liranus. Similia minati fuerunt etiam Isaias & Ezechiel, nec fidem inueniebant apud Iudæos.

f Prolegom. suprà.

g Ierem. 5. v. 12. &c.

Isaiæ 29. v. 14. Ezech. 7. v. 26.

PERCVTIAMVS EVM LINGVA] Chaldæus, *falsa testimonia testificemur contra eum*; Theodoretus & Vatablus, *texamus contra eum calumniam*, accusantes eum quasi falsum Prophetam. Et in hoc Ieremias fuit typus Christi.

℣. 20. FODERVNT FOVEAM ANIMÆ MEÆ] Id est, more venatorum struxerunt mihi insidias, fossam dolosam effodientes, vt cadam in eam, & præda ipsis fiam. Sed tu Deus ipsosmet prædam facies famoso illi *genium prædoni* (*h*,) seu, vt hic vocatur

h Ierem. 4. v. 7.

℣. 22. LATRONI Nabuchodonosori, inquit S. Hieronymus Quem, quasi militem (*i*) vel archistrategum tuum, pretio à te (*k*) conductum, ADDVCES déforis in Iudæam, idque REPENTE & inexspectatò, vt antequam aduentare audiatur, sentiant eum adesse, & ferro flammaque omnia deuastare. Talis latro *mors* est, quæ nos nec-opinantes inuadit & accidit.

i 2. Reg. 4. v. 2. & Iob 19. 12.

k Ezech. 19 v. 18.

℣. 23. TEMPORE FVRORIS TVI per Chaldæos, per Persas, per Græcos, ac tandem etiam per Romanos, ABVTERE EIS] id est, absume & consume ingratos ac rebelles tibi & Christo tuo, *Abuti* enim idem esse quod *consumere*, ex Catone, Plauto & Terentio benè docet Cornelius à Lapide. Aliter à Castro: *abutere*, id est, ad alium quàm intenderas finem vtere. Vtere Iudæis ad pœnam, ad ignominiam, ad plenum excidium, quos destinaras ad perpetuam vitam, gloriam & felicitatem. Sic dici posset Deus abuti impijs, dum eos in infernum detrudit, quos cælo inferendos crearat.

CAPVT XIX.

Lagunculâ fictili contritâ in valle Tophet, præsignat conterendos ibidem à Chaldæis Iudæos; ibique cæteruatim sepeliendos, vbi antè tot pecudum, imò & filiorum suorum, cadauera immolarunt idolo Moloch.

℣. 2. EGREDERE Ierosolyma AD VALLEM FILII ENNOM, (*a*) quæ vrbi adiacet IVXTA INTROITVM PORTÆ FICTILIS] Chaldæus, *portæ sterquilinij*: (*b*) ad Australem vrbis plagam, inquit Borchardus. Addit Rabbi Salomon, ita vocatam hanc portam, quòd fragmenta vasorum fictilium, ex vicinis ei loco figulorum officinis, vt Hugo & Liranus volunt, aliæque sordes ac stercora per eam cucherentur in adiacentes valles.

a 4. Reg. 23. v. 10.

b 1. Esd. 12. v. 31. &c.

℣. 4. ALIENVM, id est, profanum, FECERINT LOCVM ISTVM Topheth, consecrando illum idolis. *alienum* enim in Scripturis significat peregrinam religionem vel cultum. Hinc idola vocantur *dij alieni*, id est, peregrinæ religionis: & 2. Paralip. 14. v. 2. vbi Noster vertit, *altaria peregrini cultus*; in Hebræo est, *altaria alienationis*; in Græco, *altaria alienorum*. Sic Gentes vocantur *alienigenæ*, vel ἀλλόφυλοι quia peregrinos deos colunt.

REPLEVERVNT eumdem LOCVM SANGVINE INNOCENTVM, nempe paruulorum, quos idolo Moloch immolabant; & Propherarum, quos inibi iugularunt, inquit S. Hieron. Rabanus, S. Thomas. vide dicta c. 7. v. 33.

℣. 7. IN eodem LOCO DISSIPABO CONSILIVM IVDA ET IERVSALEM] quod coram idolo Moloch inibunt primates Iudæi ad media quærenda quibus resistere possint Chaldæis. Sed subita irruptione Chaldæorum *dissipabo* omne hoc illorum consilium; Hebraicè est, *baqac*, quod *euacuare* significat, & pulchrè alludit ad *bachuc*, id est, *lagenulam*, quam v. 1. symbolum fecit huius euacuationis ac dissipationis. בקק

℣. 8. SIBILABIT SVPER VNIVERSA PLAGA] Hebraicè, *super omnibus plagis eius*. De sibilo dixi cap. præcedenti. (*c*)

c v. 16.

℣. 9. CIBABO EOS CARNIBVS FILIORVM SVORVM] Ita minatus fuerat Deus Deuter 28. v. 53.

v. 53. Et ita factum etiam in hac Chaldæorum obsidione, non in vna, sed in multis familijs, vel ex hocipso versu patet. Sed plenius, ait S. Hieronymus & Rabanus, id impletum in obsidione Romanorum per Titum, Iosepho & Hegesippo testibus. Quod additur:

a *Isaiæ* 30. *v* 14. & *Psal.* 2. 9.

℣. 11. NON POTEST VLTRA (*a*) INSTAVRARI; exponi debet de instauratione quæ propriâ potentiâ fiat. Nam post expletos 70. annos instaurata est laguncula Iudaica, & sub finem (*b*) sæculi rursus instaurabitur. sed diuinâ potentiâ, cui facile est, quod hominibus impossibile videtur, inquit Maldonatus & à Castro.

b *Rom.* 11. *v.* 26.

℣. 12. PONAM Ieroſolymam SICVT TOPHETH] Id est, ignem in illa succendam, sicut ipsi in Topheth succenderunt ignem idolo suo Moloch sacrificantes.

℣. 13. ET ERVNT omnes DOMVS IERVSALEM IMMVNDÆ cadaueribus ciuium inibi iugulatorum, SICVT LOCVS TOPHETH per omnia immundus erit cadaueribus tam multorum in eo iugulandorum. ita Hieronymus.

c 4 *Reg.* 1. *v.* 2. d 2. *Par.* 33. *v.* 3.

Idq; quia IN domorum DOMATIBVS (*c*) id est, tectis, SACRIFICAVERVNT OMNI MILITIÆ CÆLI, id est, astris. (*d*) ita Chaldæus, LXX. & Rabbini.

CAPVT XX.

* 1. *Par.* 24. *Phassur à principibus sacerdotum* * *vnus Ieremiam abripit in carcerem, eò quòd tam dira minaretur vrbi Ieroſolymæ. Sed Ieremias etiam ipsi, totiq; eius familiæ & amicis extremum excidium prædicit, interim queritur apud Deum, se ob tam tristia nuntia tam exosum reddi Iudæis, ac maledicit diei natiuitatis suæ.*

℣. 1. PHASSVR FILIVS EMMER. Huius stirps recensetur 1. Paralip. 9. v. 12. PRINCEPS IN DOMO DOMINI] non summus sacerdos, seu pontifex, (*e*) vt vult S. Hieronymus: sed vel ex 24. (*f*) principibus classium sacerdotalium, vel ex alijs templi præfectis vnus: nam hi omnes in Scripturis principes vocari solent.

e *In Chronico* c. 42. f *Ibid.* c. 46. *tabula* 3.

℣. 2. MISIT IEREMIAM IN NERVVM. Compedum genus erat, è neruis primùm, dein ex ligno confici solitum, de quo Iob 13. v. 26. & Actor. 16. v. 24. Quod Rabbi David vertit, *carcerem*; LXX. & Theodoretus, κατωφύκτιον, id est, abruptũ locum, putà fossam profundam, in quam ministri templi, cùm quid deliquissent, immitti solent. Eratque IN PORTA BENIAMIN SVPERIORI, IN DOMO DOMINI] nempe vicina templo, & per quam tantùm ibatur ad templum. Alioquin vibis erat porta, in mœnibus antiquis Sion. Vnde & porta *superior* vocabatur, vtpotè in monte sita: ducebatque in tribum *Beniamin*; vndè & *Beniaminia* dicebatur. Alia quoque erat *porta Beniamin* inferior, de qua c. 37. quæ ex inferiore loco, & nouis mœnibus ducebat ad eamdem tribum. ita ex Borchardo, Adrichomio & alijs Villalpandus.

Ierem. 37. *v.* 10. & 11.

Villalp. l. 3. de Templo c. 14.

℣. 3. NON PHASSVR, SED *magor*. *Pus* à radice *pasa* idem est quòd expandens, exspatians, luxurians: *chur* idem quod candor, vel heros, vel princeps. *Magor* propriè est *pauor*, inquit Arias & à Lapide. Minatur ergo Propheta tyranno, dicens: Vocaris *Phassur*, id est, luxurians & insolescens princeps: sed breuî vocaberis *pauor*, quando instar pauidi & muti mancipij traheris captiuus *in Babylonem*.

פוש פשה חור מגור

℣. 6. PROPHETASTI MENDACIVM] promittendo Iudæis *pacem*, *cùm non esset* futura *pax*.

g *Ierem.* 1. *v.* 6. &c.

℣. 7. SEDVXISTI ME DOMINE] Hebraicè, *pellexisti me*, supple, ad munus Propheticum; (*g*) Syrus, A *blanditus es*. q. d. Detrectantem munus propheticum tu ad id me induxisti, promittens, me instar columnæ ferreæ omnibus præualiturum, &c. Et ecce nunc obruor odijs, irrisionibus, sannis, vinculis, & mille miseriis atque ærumnis. vnde videor mihi quasi callidè & insidiosè in hæc mala inductus à te & seductus. ita Theodoretus & Vatablus.

FORTIOR ME FVISTI] dum ad amplexandum munus propheticum, me vel reluctantem induxisti. quasi dicat: Vocanti & iubenti non poteram resistere.

℣. 8. IAM OLIM, id est, iam inde ab anno 13. (*b*) regni Iosiæ, continuò LOQVOR & propheto Iudæis, VOCIFERANS INIQVITATEM, id est, iniquitatum pœnas illis denuntians, nempe excidium per Chaldæos, ET plenam terræ VASTITATEM ac desolationem. Sed quia hæc nomine tuo eis denuntio, nec tamen euenit ipsis quidquam illorum malorum, dilatâ in longum executione; hinc ab omnibus quasi mendax vel insanus exsibilor.

h *Ierem.* 1. *v.* 2.

℣. 9. ET DIXI, id est, cogitaui, proposui, decreui, victus aliqua timiditate & pusillanimitate, NON RECORDABOR EIVS, id est, non ampliùs faciam mentionem verbi & oraculi diuini. Et ecce, sermo Domini FACTVS EST IN CORDE MEO QVASI IGNIS inclusus in præcordijs, adeoque exæstuans vt nulla ratione ardorem illius intus ferre possem, sed cogerer foras emittere. ita ferè S. Hieronymus & à Castro. Verùm præter hunc internum Spiritus impulsum, accessit & hostium externa irritatio, cùm

℣. 10. AVDIVI CONTVMELIAS, sannas & probra quibus me infestabant. SI QVO MODO DECIPIATVR] id est, si qua in re, etsi leui, deprehendere possimus, Ieremiam falli, præualebimus aduersus eum apud regem & alios iudices. ita S. Thomas & Liranus.

C

℣. 11. NON INTELLEXERVNT, non sat apprehenderunt, OPPROBRIVM SEMPITERNVM] quod incurrent tum in hac vita per excidium Chaldaicum, tum in altera per pœnas infernales.

℣. 12. PROBATOR IVSTI; LXX. *probans iusta*. q. d. Qui merita cuiusque ponderas, iustèque remuneras: TIBI REVELAVI CAVSAM MEAM] de qua suprà. (*i*)

i *cap.* 11. *v.* 20. & 21.

℣. 14. MALEDICTA DIES IN QVA NATVS SVM, id est, mala, misera admodum, atque infelix dies. Vnde dicta Iob 3. & 2 Reg. 1. v. 21. Solùm enim optat, numquam se natum fuisse, seu numquam talem formaliter diem illuxisse, in qua ipse natus esset, aut natus nuntiaretur. HOMO ILLE, qui primus nuntium natiuitatis meæ euulgauit, vtinam non fuisset vmquam in rerum natura, neque vestigium eius extaret, sicut non extant vestigia *earum ciuitatum* Pentapolis, QVAS SVBVERTIT (*k*) DOMINVS.

D

k *Genes.* 19. *b.* 24.

Nota alternantes hîc animi motus in Ieremia, æstumque & luctam naturæ ac gratiæ iam (*l*) sperat, roboratur, exultat: iam (*m*) tristatur, animo deiicitur & quasi desperat. Non sic Apostoli & Martyres noui testamenti, inquit S. Chrysostomus, qui in contumelijs & tormentis gaudebant & exultabant. Vnde colligere licet, maiorem esse gratiam Euangelij, quàm legis antiquæ.

l *Hîc v.* 4. 11. 13. *&c.* m *v.* 7. 9. 14 15. 16. *Chrysost. homil.* 4. *de patientia Iob.*

℣. 16. AVDIAT CLAMOREM ET VLVLATVM MANE ET *meridie*, id est, toto die, continuò, perpetuò exagitetur tali perturbatione animi, quali exagitantur qui continuos gemitus & vlulatus

audiunt, v.g. in vrbe obsessa, vel in domo funebri, A vel in alia graui calamitate.

℣. 17. QVI (LXX. *quia*) DEVS ME NON INTERFECIT A VVLVA, id est, in matrice: VT FIERET MIHI VVLVA matris CONCEPTVS ÆTERNVS] id est, receptaculum continuum, quasi dicat: Vtinam mater me semper in vtero continuisset, numquam in lucem edidisset! à peccato originali, & damnatione consequenti abstrahit Propheta, vt dixi Iob 3. & alibi.

CAPVT XXI.

Sedecias rex Iuda Ierosolymis à Chaldæis obsessus, rogat Ieremiam, vt pro sui & vrbis liberatione Deum oret. Ieremias respondet, vrbem cum rege certò capiendam à Chaldæis, nec aliam vitæ spem superesse, quàm si se dedant Chaldæis. Monet insuper, vt pauperibus & oppressis iustitia administretur.

a *Chronici c.46.tab.3.*

℣. 1. PHASSVR FILIVS MELCHIÆ (*a*) alius est ab illo *Phassur* filio *Emmer*, de quo capite B præcedenti.

℣. 2. INTERROGA, id est, consule simul & ora, PRO NOBIS DOMINVM, opem exposcendo, vt Chaldæus, Vatablus & Theodoretus legunt: SI FORTE FACIAT DOMINVS NOBISCVM SECVNDVM MIRABILIA SVA, quibus solet populum suum, mi-

b *Exodi 14. c 4.Reg.19. d Iudith 13. e Libro Iesus, Iudicum, &c.*

ris modis liberare, v.g à Pharaone (*b*) à Sennacherib, (*c*) ab Holoferne (*d*) & alijs tyrannis. (*e*) Ecce hîc impletum illud quod c.15.v.19. Deus promiserat Ieremiæ, *Ipsi conuertentur ad te*, opem à te postulaturi. Sed frustra:

℣. 4. ECCE enim EGOMET CONVERTAM VASA BELLI] Id est, arma vestra reflectam contra vos, vt nempe ereptis è manu vestra, & in medio ciuitatis iam captæ foro collectis, indeque per cohortes Chaldæorum distributis, vos ipsi iugulemini. ita S. Thom. Hugo, Vatablus & Liranus. C

℣. 8. DO CORAM VOBIS VIAM VITÆ, ET VIAM MORTIS] Id est, duas vias, duo media propono vobis, vnum quo viuere possitis, alterum quo mortem incurretis. nam si pergatis resistere Chaldæis, actum est de vobis: viuere poteritis, si vos vltrò dedatis Chaldæis: qui enim sic fecerit,

℣. 9. ERIT ENIM ANIMA SVA, seu vita, QVASI SPOLIVM, (*f*) quod præter spem, præter meritum omne quasi ex rapto obueniet. q.d. Tam malè vobiscum agetur, vt non nisi per ipsosmet hostes saluari possitis. ita ferè Vatablus & Maldonatus. Tropologicè, *via vitæ*, est via virtutum, vel via crucis, *Via mortis*, peccatum & voluptas.

f *Ierem.38. v.2. & c. 39.v.18 & c.45.v 5.*

℣. 12. DOMVS DAVID vocatur familia regis Sedeciæ, eiusque cognati omnes, posteri Dauidis. Hos amicè monet, vt ad effugiendas clades imminentes dedant sese studio virtutum. vti Daniel monuit Nabuchodonosorem, *Peccata tua eleëmosynis* D *redime*. Sic iam monet Ieremias proceres Iudæorum: IVDICATE MANE IVDICIVM, id est, tempestiuè, vigilanter, diligenter & citò expedite lites & causas pauperum innocentum. ita Hugo & Liranus.

Dan. 4. v.24.

℣. 13. HABITATRICEM VALLIS SOLIDÆ ET CAMPESTRIS vocat Ierosolymam, pro maiori parte sitam in valle; sed solidis montibus, Sione, Moria, alijsq; cinctam, instar fortissimi propugnaculi. sed frustra omnis munitio aduersus Deum.

Quæris, QVIS INGREDIETVR DOMOS NOSTRAS?] Resp. Ego ingrediar, inquit Dominus, cui nihil inaccessum, nihil clausum.

℣. 14. ET VISITABO SVPER VOS IVXTA FRVCTVM STVDIORVM VESTRORVM] Id est, puniam vos pro meritis vestris, & condignos semini à vobis iacto fructus concedam, nempe amplissimis peccatis amplissimas pœnas. ita S. Hieronym.

SVCCENDAM IGNEM IN SALTV EIVS] id est, in congerie domorum & palatiorum eius instar siluæ condensatorum & in altum quotidie excrescentium. ita ferè S. Hieronymus & Theodoretus. Nisi malis cum Sanchez, per *saltum* intelligere lucos & hortos suburbanos, variis pergulis & arborum tractibus exornatos, instar siluæ cælum obtenebrantes, & vti ad voluptatem ac delicias compositos, ita sacrificiis idolorum & omnigenis spurcitijs incestos: ac proinde flammis Chaldæorum iure meritò obiectos à Deo.

CAPVT XXII.

*Mittitur Propheta ad Ioakim * regem Iuda, reliquosque principes, monitum vt iustitiam pauperibus administrent: aliquin euertendos omnes vnà cum regno Iuda. Mox omnium filiorum Iosiæ casus & fata exponit. Primò, Sellum seu Ioachaz, quem predicit moriturum in Aegypto. Secundò, Ioakimi, quem dicit sepeliendum sepultura asini. Tertiò, Ioachini seu Iechoniæ, filij Ioakimi: quem predicit, vnà cum matre captiuum ducendum Babylonem, ibique moriturum.*

* *Chronici* v.19.

℣. 6. O DOMVS, ô familia regis Iuda, TV MIHI huiusque fuisti sicut GALAAD, quæ est CAPVT, id est, principium, nobilissima ac ditissima pars, regionis LIBANI, ferax resinæ & aromatum, Genes. 37. vers. 25. dicta *Galaad*, id est, aceruus fœderis, à fœdere quod istic iniit Iacob cum Laban, erecto lapidum aceruo in testem perennem fœderis initi. Sicut ergo *Galaad caput* est *Libani*, sic tu, ô domus regia, caput es totius Iudææ, & amplitudine, altitudine, nobilitate, imperio, pulchritudine, maiestate præcellis omnibus familijs. Sed mendax habear, SI (*g*) NON POSVERO TE SOLITVDINEM, omnemque regiam tuam, & palatia tua & VRBES tuas reddidero INHABITABILES] Mysticè, Galaad caput Libani sunt reges & Prælati Ecclesiæ, inquit Dionysius à Castro.

g *Prolig. de Idiotismo Hebr.n.13.*

℣. 7. SANCTIFICABO SVPER TE, INTERFICIENTEM VIRVM, id est, publica auctoritate decernam, (*h*) præparabo & mittam contra te Nabuchodonosorem, eiusque legiones (Hebraicè, *mashhith*, id est, vastatores, perditores) ET ARMA EIVS] id est, vnumquemque cum suis armis & instrumentis bellicis ad exscindendum te.

h *Ierem. 51. v.27. & Ioel.3. v.9. & cap.1. v. 14. & 2.*

℣. 10. NOLITE FLERE MORTVVM Iosiam pium ac religiosum regem, nuperrimè à Pharaone (*i*) cæsum. Hic enim fortiter ac gloriosè cecidit, pro patria, pro Deo, pro Ecclesia decertans. PLANGITE potiùs EVM qui ei suffectus est in regno, nempe eius filium Ioachaz, seu *Sellum*, QVI nunc è Iudæa EGREDITVR (*k*) in Ægyptum in captiuitatem. Erat hic tertiogenitus filius Iosiæ, (inquit Theodoretus, Iansenius, Prado, à Castro, à Lapide & Sanchez) sed populari studio prælatus senioribus fratribus, & Iosiæ suffectus. Quod se inscio factum ægrè tulit Pharao, & post tres menses captiuum transmisit in Ægyptum, substituto illi fratre eius primogenito Ioakimo. (*l*) De quo deinceps Ieremias.

i *4 Reg.23. v.20.*

k *4.Reg.23. v.33. Iansen. in c.6.Concordia.*

l *Chronic. supr. & 4.Reg.23. & 24.*

℣. 13. VÆ Ioakimo, QVI ÆDIFICAT DOMVM SVAM, palatium suum, IN, seu cum, INIVSTITIA, id est, tributis & vectigalibus iniustè impositis: ET NON IN IVDICIO] id est, non ex necessitate, vel honesta vtilitate, sed ex mera ambitione & superbia. Ita ijdem præter Theodoretum, qui de

Ioachaz

Ioachaz id exponit. Sed is trimestri vno, & quasi in interregno, nil tale potuit attentare: & contrarium patet ex v. 18.

AMICVM SVVM OPPRIMET FRVSTRA] Hebraicè, *proximum seruire*, vel operari, *faciet gratis*, nullo pretio persoluto, contra legem Leuit. 19. v. 13. Quo eodem nomine Tarquinium Priscum regem Romanorum carpit Plinius, & Neronem ac Caligulam Suetonius.

Plin. 36. c. 1 Sueton. in Nerone c. 31. in Caligula. c. 37.

℣. 14. LAQVEARIA etsi CEDRINA, ex nimio luxu DEPINGIT insuper SINOPIDE] id est, rubrica, seu minio, quod quia optimum circa *Sinopem* Ponti vrbẽ effoditur, teste Plinio, Sinopis vocatur.

Plin. l. 35. c. 6.

℣. 15. NVMQVID REGNABIS ? id est, an hac viâ regnum tibi ô *Ioakim*, stabilitum iri putas ? an eiusmodi rapinis & luxu speras te æquaturum gloriam *cedri* illius celsissimæ ac nobilissimæ, putà patris tui Iosiæ, cui TE CONFERS ? Falleris. ille enim contentus *bibere & comedere*, id est, necessaria ad vitam accipere à subditis, de reliquo totus fuit in administranda iustitia. Idque *vers.* 16. IN BONVM SVVM] q. d. Non tam pauperum commodo id fecit, quàm suo: iustitiâ enim quasi basi stabilitur thronus regius, iniustitiâ & rapinâ euertitur. Ergo audi sententiam diuinam.

℣. 18. NON PLANGENT EVM, vel fratres, vel subditi, vel præficæ, dicentes, Heu FRATER, heu DOMINE: de quo alibi (*a*)

a Ierem. 9. v. 17.

℣. 19. SEPVLTVRA ASINI SEPELIETVR] Chaldæus vertit, *sicut proiiciunt cadauer asini, sic proijcient cadauer eius*, nempe insepultum relinquent sub dio. Quod Cicero vocat, *insepulta sepultura efferri*. Ita factum Ioakimo videbimus c. 36. v. 30. & dixi 4. Reg. 24. Tam infami pœna mulctatus est rex *Ioakim*, tum ob superbiam & violentas pauperum oppressiones, de quibus hîc v. 13. tum propter indignas iniurias Ieremiæ illatas. c. 36. v. 26. Age nunc ô Ierosolyma (de hac enim hîc iam agi patet ex verbo Hebræo feminino)

Cicer. Philipp. 1.

℣. 20. ASCENDE, nempe in montes tuos altissimos, LIBANVM ET BASAN, indeque CLAMA AD TRANSEVNTES, VT opem periclitanti ferre maturent, QVIA Ægyptij AMATORES TVI, à quibus certissimam opem præstolabaris, iam exciderunt tibi, CONTRITI à Nabuchodonosore, vt dicitur 4. Regum 24. v. 7. Ergo alia tibi iam quercus excutienda, si opem, si solatium desideres. Ironia est & sarcasmus. ita S. Hieron. Rabanus, Theodoretus, Hugo, Vatablus & Liranus.

℣. 22. OMNES PASTORES TVOS, id est reges, principes, doctores, sacerdotes, nomine tenus pastores, sed reuera prædones, PASCET VENTVS] id est, res friuola, vana & inanis. q. d. Spe lactantur inani, opis aduersus Chaldæos obtinendæ: nullus enim ferre vel audebit vel poterit, vel volet. O misella Ierusalem!

℣. 23. QVÆ iam SEDES in altissima gloria, splendore, opibus, deliciis, quasi IN LIBANO; quæ NIDIFICAS IN CEDRIS, palatia incolens cedrina; QVOMODO CONGEMVISTI tum, cùm te inuaserunt dolores quasi parturientis? Est enallage temporis præteriti pro futuro. q. d. Quomodo gemes & vlulabis cùm excidium tibi imminebit? ita LXX. & alij. Iam transit ad filium Ioakimi Iechoniam.

℣. 24. SI FVERIT IECHONIAS (Hebraicè *Chonias*, per Aphæresin, quæ eius deiectionem & imminutionẽ designat) ANNVLVS IN MANV DEXTERA MEA, id est, etsi fuerit mihi tam charus aliquando, tam coniunctus, tam vtilis, quàm annulus signatorius, vel etiam amatorius, qui numquam de manu aufertur: iam tamen ob eius idololatriam aliaque scelera, EVELLAM EVM & abijciam à me, & in Chaldæam vnà cum matre & principibus captiuum traducam. ita factum narratur 4. Regum 24.

℣. 27. NEQVE vmquam inde REVERTENTVR IN TERRAM Iudææ, AD QVAM IPSI LEVANT ANIMAM SVAM] id est, quam totâ animâ, toto corde, toto affectu expetunt, & ad quam extremè anhelant. Spe enim ac desiderio leuari dicitur anima, quia per illa quasi erigitur, tendit & properat ad rem optatam, inquit S. Hieron. Rabanus & Hugo.

℣. 28. NVMQVID VAS FICTILE ATQVE CONTRITVM ISTE IECHONIAS ? Id est, an non videtis Iechoniam, qui priùs à suis, totaque Iudæa adorabatur quasi *idolum*, (sic enim est in Hebræo) iam eò deiectum, vt instar vasis fictilis in frusta confractus, planeque contritus sit, idque post tertium mensem (*b*) ex quo regnare cœpit? nec vmquam instaurabitur, vt habes v. 30. vbi *sterilis* vocatur, id est, orbus liberis, non qualibuscumque (nam certum est ex 1. Paralip. 3. v. 18. genuisse Salathielem & plures alios) sed regiis prolibus, QVÆ SEDEANT SVPER SOLIVM DAVID] id est, sceptrum regium teneant in Iuda. ita S. Hieronymus, Rabanus & Hugo. Zorobabel enim filius Salathielis, & nepos Iechoniæ, non fuit rex, sed solùm dux populi redeuntis è Babylone in Iudæam. & principatus Iudæorum deinceps penes pontifices fuit vsque ad Herodem, (*c*) inquit Iosephus & Eusebius.

b Chron. c. 29.

c Chron. c. 42. Ioseph. l. 11. Antiq. c. 4. Euseb. l. 1. Histor. c. 5.

CAPVT XXIII.

Increpat populi pastores, putà principes, sacerdotes, pseudoprophetas, qui suâ nequitiâ, malo exemplo & fallaciis, quasi lupi populum perdiderunt. Vnde eos amotis, promittit se missurum verum pastorem, scilicet Christum, eiusque Apostolos, inquit S. Hieronymus.

℣. 2. PASTORES, QVI non re, sed solo nomine PASCVNT POPVLVM.

VOS NON VISITASTIS GREGES vestros, vt dispiceretis num quid illis desit, num quid noceat? Vnde ECCE EGO VISITABO SVPER VOS, id est, puniam, MALITIAM STVDIORVM, seu actionum VESTRARVM.

℣. 3. RELIQVIAS GREGIS MEI, vestrâ incuriâ & culpâ per orbem dispersi, ego meâ prouidentiâ CONGREGABO DE OMNIBVS TERRIS, & reducam in Iudæam. ita Hebræi, Theodoretus, Hugo & Sanchez. Idque ad litteram per Zorobabel, Iesum (*d*) & Esdram: sed Allegoricè, & sensu primario ac principaliter à Spiritu sancto intento, per Christum, eiusque Apostolos, inquit S. Hieronymus & Rabanus. Idem prædicit Ezechiel cap. 34. vers. 13.

d Aggæi 1. v. 1. &c.

℣. 4. Hi noui PASTORES PASCENT ouiculas suas maximâ curâ, vt illæ securæ fruantur pastu doctrinæ, gratiæ, Sacramentorum. NVLLVS auscultans Apostolis, eisque obediens, QVÆRETVR EX NVMERO (*e*)] id est, aberrabit à caula, ita vt quæri debeat quasi perditus.

e Genes. 31. v. 39. & Ioan. 18. v. 9.

℣. 5. SVSCITABO DAVIDI GERMEN, id est, filium, IVSTVM; nempe Messiam, inquit Chaldæus, & omnes Hebræi, vt ait Vatablus, item S. Hieronymus, Theodoretus, Rabanus & alij SS. Patres ac Doctores. Hic FACIET IVDICIVM ET IVSTITIAM] Id est, faciet quod iustum est, & suum cuique ius dicet. Vide de his fusiùs Isaiæ 11. & Ezech. 18.

Isaiæ 2. v.4 & c.11 v. 6. & c.9. v. 6.

℣. 6. Porrò IN DIEBVS ILLIS Messiæ, vt A Chaldæus & LXX. SALVABITVR ISRAEL, id est, decem tribus: ET IVDA (id est, duæ reliquæ tribus,) HABITABIT CONFIDENTER] id est, securè ac pacificè sub tutela Christi ducis ac pastoris sui, vt etiam Isaias prædixit.

יהוה

ET VOCABVNT EVM, DOMINVS IVSTVS NOSTER] Hebraicè, *Dominus iustitia nostra*; chaldaicè, *sient nobis iustitiæ à facie Domini*. q. d. Fideles Christiani, vt suum in Christum declarent affectum, fiduciam & gratitudinem, assiduò de illo decantabunt, Hic est Deus; Hebraicè *iehova*, qui nos iustificauit & redemit, nempe morte suâ. Hic est Iesus, id est, saluator noster. ita Patres omnes Græci ac Latini; & plerique Rabbini, quos hîc citat à Castro.

℣. 7. VIVIT DOMINVS] Hunc versum suprà cap. 16. v. 14. exposui. Sed Allegoricè hîc per *terram Aquilonis*, intelligitur regnum diaboli, & carcer infernalis: per *terram Israel*, Ecclesia Christi, inquit S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, S. Thomas, Vatablus & Liranus. Per *iuramentum* (a) synecdochicè intelligitur omnis cultus, omnisque actus religionis, quem Christo, & per Christum Deo Patri deferunt Christiani.

a Ierem. 4. v. 2.

B

v. 9. AD pseudo-PROPHETAS quod attinet: CONTRITVM EST COR MEVM, id est, conficior dolore, *contremiscunt* OMNIA OSSA MEA, præ horrore titubo, vacillo. *instar ebrij*, non ex mero, sed A FACIE DOMINI] id est, ob iratum vultum Dei, & horrendas minas quas ipsis intentat incredulis, rebellibus, *adulteris*, idololatris.

C

℣. 10. A FACIE MALEDICTIONIS, id est, ob maledicta & blasphemias pseudoprophetarum in Deum, LVXIT TERRA Israel, id est, sterilis reddita est, squallida, desolata & excisa. ita Hugo & Liranus. CVRSVS EORVM MALVS, id est, currunt effrænes & præcipites in omne malum. Hinc FORTITVDO EORVM DISSIMILIS] id est, potentia eorum non est similis illi quæ solet esse. Solent enim Prophetæ pij, potentes esse verbo, prædictione, miraculis: at nunc impij, iacent vbique imbelles, mendaces, fallaces.

℣. 11. POLLVTI SVNT omni nequitia, omnibus sordibus; Hebraicè, *hypocritæ sunt*. q. d. Exteriùs pios se simulant, sed intus sunt impijssimi, etiam in DOMO MEA] id est, in templo, vt suprà, (b) dixit. ita Vatablus & Liranus.

b Ierem. 7. v. 30. & c. 11. v. 15. & 4. Regum 23. v. 4. & seq.

℣. 12. VIA EORVM ERIT QVASI LVBRICVM IN TENEBRIS] Id est, impingent, lædentur, corruent in mille calamitates, sicut viator qui in altis tenebris ambulare vult per viam lubricam.

VISITATIONIS] Id est, punitionis.

D

℣. 14. FACTI SVNT MIHI OMNES VT SODOMA] nempe æquè abominabiles, ac proinde pœna æquali, putà flammis plectendi, tum in hac, tum in altera vita, inquit S. Hieronymus, Rabanus & Hugo.

℣. 15. CIBABO EOS ABSINTHIO, id est, absumam eos morbis & plagis amarissimis: ET POTABO EOS FELLE] Hebraicè, *succo cicutæ*, vt dixerat c. 8. v. 14. Idque quia mendacissimè atque impudentissimè abutuntur nomine meo.

℣. 18. QVIS ENIM illorum AVDIVIT SERMONEM DOMINI? Nullus profectò, sed quæcumque prophetant, ex se confingunt.

℣. 19. TEMPESTAS ERVMPENS] Hebraicè, *turbo sese intorquens*. Symbolum acrisiræ & vindictæ diuinæ.

v. 20. NON REVERTETVR, supple, cassus & inanis, FVROR, nec nisi peracta vltione. IN NOVISSIMIS DIEBVS; Hebraicè, *tandem aliquando*, INTELLIGETIS] id est, reipsa sentietis. Hebraicè, *intelligentia intelligendo*, id est, (c) certissimè & vehementissimè sentietis.

c Prolog. de Idiotismo Hebr. n. 49.

℣. 22. SI pseudoprophetæ STETISSENT IN CONSILIO MEO, id est, si me consuluissent, & ex ore meo acceptas prophetias proloqui voluissent; AVERTISSEM EOS A VIA SVA MALA] Sic legit S. Hieronymus, Hugo, Rabanus, S. Thomas & Romana correcta. q. d. Non passus fuissem duci eos viâ peruersâ ad tantas pœnarum miserias. Hebræa, Græca, Chaldæa & Latina Regia habent, *auertissent*, nempe tales Prophetæ, populum meum.

℣. 23. PVTASNE DEVS E VICINO EGO SVM, ET NON DE LONGE] (d) qui sola cælestia, quasi vicina mihi, videam & curem, non autem terrena, quasi nimis dissita? ita S. Hieronymus, Theodoretus, Liranus & Rabanus.

d Psal. 138. v. 8. & 9. Amos 9. v. 2.

℣. 24. NVMQVID NON CÆLVM ET TERRAM EGO IMPLEO, mea inspectione, potentiâ, curâ, præsentiâ & essentiâ?

℣. 25. SOMNIAVI] Id est, vidi in somnis visionem propheticam. Ita iactant pseudoprophetæ, sed falsò.

℣. 28. QVID PALEIS AD TRITICVM? q. d. Quid falsæ & inani prædictioni, cum solida & reali prophetia? Verè *paleæ* sunt omnia mendacia, nihil medullæ, nihil substantiæ, nihil vigoris continentia. at veræ prophetiæ quasi solidum *triticum* animos pascunt, sustentant, nutriunt. Sic *quæ societas lucis ad tenebras?* VERBVM enim Dei est QVASI IGNIS, intellectum illuminans, affectū inflammans, purgans, & diuinum reddens: verbum verò hominum meræ tenebræ sunt, seducentes & perdentes animas. Denique verbum Domini QVASI MALLEVS est CONTERENS PETRAM] id est, saxea corda emolliens si velint obsequi, vel, si nolint, comminuens in puluerem. Mox triplex distinguit genus pseudoprophetarum. Vnum eorum

℣. 30. QVI FVRANTVR VERBA Dei] Id est, surripiunt quædam dicta verorum Prophetarum, eaque vel admiscent suis mendacijs, vt ij fidem faciant: falsa interpretatione in rem suam detorquent. Vt ab Hanania factum videbimus c. 28. v. 2. Et quotidie fit ab hæreticis, inquit S. Hieronymus. Alterum genus est eorum

℣. 31. QVI ASSVMVNT LINGVAS SVAS] Id est, pro suo placito & nutu moderantur ac dirigunt linguas suas, vt populo placentia gratáque loquantur. Veri enim Prophetæ non assumunt neque arrogant sibi ductum linguæ suæ, sed ductui diuino illam relinquūt. ita Chaldæus, Hugo, & S. Thomas. Vatablus & Liranus vertunt, *qui lenificant linguas suas*, id est, leni, blando, melleo sermone & promissis detinent plebem. Tertium genus est eorum

℣. 32. QVI SOMNIANT MENDACIVM, id est, falsa confingunt oracula, & populum decipiunt MIRACVLIS non Dei, sed SVIS] nempe mirandis ac stupendis promissis ac prædictionibus. Hebraicè est, *pachazut*: quod Liranus vertit, *raptibus* vel *ecstasibus suis*; Chaldæus, *temeritate sua*; Vatablus, *leuitatibus suis*; LXX. *erroribus suis*. Familiare enim est pseudoprophetis tertio quoque verbo ingeminare, visos sibi angelos, Deum apparuisse, cælum patuisse, & alia eiusmodi.

פחוזות

℣. 33. QVOD EST ONVS DOMINI? Hoc sarcasmo solebant Iudæi ridere Ieremiam, aliosque Prophetas.

Prophetas. q.d. Quid noui mali rursum nobis prænuntias? perinde ac si nil nisi malum à Deo proficisceretur. Quibus iubetur respondere Jeremias: VOS ESTIS ONVS ipsi Deo intolerabile, nempe tot tantisque sceleribus vestris. Et vultis hoc onus vestro hoc sarcasmo adhuc augere & aggrauare? Profectò non feram diutiùs, DICIT DOMINVS, tam indignum onus, sed PROIICIAM VOS & excutiam ex hac terra in Chaldæam. Vnde, si sapitis, exinceps abstinebitis ab hoc ioco tam indigno, tam iniurioso bonitati diuinæ. Ac si quando de diuina prophetia scisciari libuerit, omisso inuidioso nomine *oneris*, rogate simpliciter,

℣. 35. QVID RESPONDIT, QVID LOCVTVS EST DOMINVS?] Quòd si præfractè perrexeritis vti nomine *oneris*,

℣. 36. ONVS ERIT VNICVIQVE SERMO SVVS. Id est, propter hunc sermonem quo irrident verbum Dei, singuli grauissimas dabunt pœnas? ET, id est, quia, falso hoc ioco PERVERTISTIS VERBA DEI] in nugas & fabulas ea detorquentes, & exosa ac mendacia reddentes. ita Maldonatus, à Lapide & alij.

CAPVT XXIV.

Duo corbes, vnus ficuum optimarum, alter pessimarum, disparem denotant fortunam Iechonia & Sedecia regum Iuda, nempe hunc (a) *perdendum, illum* (b) *exaltandum*

a 4. Reg. vlt. v 7. b *Ibid.* v. 28.

℣. 1. ECCE DVO CALATHI PLENI FICIS ANTE TEMPLVM DOMINI] in cuius atrio varia fructuum genera vendebantur, vt populus haberet in promptu quæ Domino offerret, ante quem *nemo vacuus apparere poterat* (c) inquit Antonius Fernandez. Mysticè designabatur, non solùm Sedeciam, qui corpore præsens erat, sed & Iechoniam, qui absens, diuinis oculis perpetuò præsentem esse, eidemque curæ ac cordi fore: nihilque ei nociturum, quòd iussu Dei exularet à materiali templo, vti Iudæi exprobrare (d) ei solebāt. De *inclusore* non gemmarum, vt vult S. Hieronymus & quidam alij; sed castrorum, quem nunc *ingeniarium* vocant, vt Angelomus & Vatablus exponunt, alibi (e) dixi.

c Exod. 23. v. 15. Fernand. l. de Visionibus veter. test. vis. 1.

d Ezech. 11. v. 15.

e 1. Reg. 13. v 3 & 4. Reg. 24. v. 6.

℣. 2. FICVS PRIMI TEMPORIS vocantur quæ primo loco, puta mense Iulio, matureſcunt quæ & *præcoquæ* dicuntur, quasi præ aliis maiore calore excoctæ, vtpote primogenitæ, & in quas succum suum vireſque præcipuas arbor profudit: vnde *optimæ*, id est, dulcissimæ & sapidissimæ sunt. Econtrario serotinæ ficus, quia mense Septembri quasi à senescente & effœta arbore protruduntur, languidæ vt plurimum, imperfectæ atque insipidæ sunt. Vide morale apud Salmeronem. Ex his duobus calathis videtur Homerus ansam sumpsisse fabulæ suæ de *duobus doliis Iouis*, vno *fellis*, seu infelicitatis; altero *mellis*, id est, felicitatis, è quibus vicissim hominibus propinet.

Salmeron. tom. 7. tract. 21. Homer. apud Plutarchum ad Apollonium.

℣. 5. TRANSMIGRATIONEM IVDA, id est, Iudæos qui meo iussu dediderunt se Nabuchodonosori, & eo iubente transmigrarunt in Babylonem, v. g. Iechoniam regem, omnesque aulicos eius, COGNOSCAM IN BONVM] id est, curam illorum geram, fauebo, benefaciam, tuebor & conseruabo tamquam optimos ac suauissimos fructus.

℣. 6. PONAM OCVLOS MEOS SVPER EOS AD PLACANDVM, id est, vt placatum meac benignum illis exhibeam: ÆDIFICABO, id est, stabiliam, EOS in Ieroſolyma terrena, allegorica, cælesti.

A Patuerunt hæc non modò in Iechonia (f) eiusque socijs, sed & in Daniele (g) eiusque collegis, item Esdra, Nehemia, Mardochæo, & tot alijs (h) qui classi Iechoniæ adcensentur.

f 4. Reg. vlt. v. 28. g Dan. 1. 2. &c. h Ierem. 29. v. 4.

℣. 8. At contrà SEDECIAS REX omnesque PRINCIPES Iuda, QVI contra iussum meum REMANSERVNT Ieroſolymis, vel metu Chaldæorum, sub Iechoniæ casum transfugerunt *in Aegyptum*, ibique adhuc HABITANT, DABO IN VEXATIONEM OMNIBVS REGNIS TERRÆ] nempe dispergam eos per vniuersum orbem, permittamque vexari & affligi ab omnibus quibuscum degent. Eruntque ipsis

℣. 9. IN PARABOLAM, id est comparationem, vt, cùm quem volent dicere miserum, infamem, vilem, dicant, Miserior est Iudæo, vilior recutito, sordidior Sedecia. item IN PROVERBIVM ET MALEDICTIONEM] vt, cùm volent malè alicui precari, dicant: Obtingat illi quod obtigit Sedeciæ; sit socius (i,) sit frater Sedeciæ. ita Vatablus.

B

i Ierem. 29. v 22.

CAPVT XXV.

*Quod iam inde à decimotertio anno regis Ioſia * prædixerat, Iudæos & vicinas omnes gentes spatio 70. annorum seruituras Chaldæis, iam vigesimotertio pòst anno vrsus inculcat. Finitis porrò 70. annis etiam Babylonem euertendam prædicit, propinant omnibus Iudæa hostibus calicem iræ diuinæ.*

* Chronic. c. 35.

℣. 1. ANNO QVARTO IOAKIM cœpit annus primus Nabuchodonoſoris regis Babylonis, vt alibi (k) dixi.

k Chron. c. 35. & 36.

℣. 3. DE NOCTE; Hebraicè, Chaldaicè, Græcè, *diluculò*, seu manè, CONSVRGENS] id est (l) tempestiuè, summâ vigilantiâ & curâ.

l Psalm. 5. v. 4. Psalm. 89. v. 14. Isaiæ 28. v. 19.

℣. 9. EGO MITTAM VNIVERSAS COGNATIONES, id est, tribus & populos *ad Aquilonem* degentes. Populi enim vicini vt plurimùm sibi mutuo cognati sunt, ab eodem patriarchâ, ex diuisione gentium in Babel prognati. Hos omnes ASSVMAM mihi in milites, ET NABVCHODONOSOR SERVVM MEVM] id est, lictorem & executorem iustæ meæ vindictæ. Sic enim seruiunt Deo non soli tyranni, sed & dæmones, omnesque malæ voluntates: quia positâ & prauisâ tyrannide & malitiâ eorum, (quam ipsi suo vitio ponunt, Deo iustas ob causas ita permittente) Deus vtitur ad condignam aliorum impiorum castigationem, vt ex Sancto Augustino & alijs Patribus docet Sanctus Thomas & passim Theologi.

Per SOLITVDINES SEMPITERNAS intelligit diuturnam vastationem, quæ licèt hîc certo tempore, putà 70. annorum, terminetur, quia tamen adeò sæua erat, æternæ durationi comparabatur à vulgo.

C

D

℣. 10. PERDAM VOCEM, id est, sonitum, seu cantum, SPONSI ET SPONSÆ, quo quasi epithalamio recreabantur conuiuæ. Perdam & VOCEM omnis alterius GAVDII AC LÆTITIÆ, putà musicorum, ore, tibijs, alijsque instrumentis concinentium. Perdam & VOCEM MOLÆ, seu cantum puellarum molentium, nempe molis domesticis trusatilibus, quarum ferè vsus est in Syria, totaque Asia & Africa, vbi deest ventorum & aquæ copia. De his Matth. 24. *Erunt duæ molentes in mola, vna assumetur, & vna relinquetur*. Perdam ET LVMEN LVCERNÆ] quo ad conuiuia, ad negotia domestica & publica opus habetis.

Apocal. 18. v. 22. vbi hæc citantur in excidio Babylonis, additur, *Et omnis artifex non inuenietur in te amplius*, quasi dicat: Desines esse ciuitas, conuictus omnis dissipabitur, operæ omnes & negotiatio cessabit in te.

¥. 11. ET OMNES GENTES ISTÆ vicinæ Iudææ, de quibus v. 19. & seqq. SERVIENT REGI BABYLONIS SEPTVAGINTA ANNIS] id est, vsque ad finem monarchiæ Babylonicæ, quæ durabit 70. annis, vt alibi (a) explicui.

a *Chron. c. 35.*

¥. 13. Denique & SVPER *Babylonem* ADDVCAM QVÆCVMQVE PROPHETAVIT IEREMIAS ADVERSVM OMNES GENTES] id est, pœnas & plagas omnium aliarum gentium per Chaldæos excisarum, reflectam & conuertam in ipsam Chaldæam, vt quâ mensurâ mensa est ipsa alijs gentibus, eadem & ipsi remetiatur.

¥. 14. QVIA gentes illæ, quantumuis MVLTÆ ET MAGNÆ, tamen SERVIERVNT *Chaldæis*, ita his cogentibus. Hebraicè est, *seruierunt* (sibi) *per eas*. q.d. Talionem reddam Chaldæis, vt, sicut ipsi superbè coëgerunt sibi seruire Iudæos & alias vicinas gentes, ita vicissim cogantur illi seruire Persis & Medis.

b *Psalm. 74 v. 9. & Isaiæ 51. v. 17.*

¥. 15. SVME CALICEM VINI (b) FVRORIS HVIVS DE MANV MEA] Calix hic iustam continebat mensuram vindictæ & suppliciorum, quæ Deus cuique genti destinarat. Neque enim realis aut materialis erat calix, aut potatio calicis, sed imaginariè, seu per visionem, fiebant hæc omnia. Vnde qui hîc calix, v. sequ. *gladius* vocatur. Porrò primo loco

¥. 18. *Propinat* Propheta vbi IEROSOLYMÆ, quia hæc, vt melius notat Deum, maioribusque beneficiis ab eo præuenta fuerat, v. 29. ideoque magis obstringebatur illi fideliter deseruire, ita dum hæc negligit, plus ceteris peccarat. Nunc audi quale vinum propinet Iudæis & aliis Gentibus. VT DAREM, id est, prædicerem dandos, EOS IN SOLITVDINEM, IN STVPOREM, IN SIBILVM, IN MALEDICTIONEM. SICVT EST DIES ISTA] id est, sicut reipsa demonstrat præsens hoc tempus, quo Ioakim rex cum suis, anno 4. regni sui captus

c *4. Reg. 24. v. 1. & 2. Par. 36. v. 6.*

(c) est à Nabuchodonosore: tunc enim cœpit prophetia hæc impleri, perfectè autem completa est anno vltimo Sedeciæ. i. à Theod. Hugo, Vatabl. Sanchez & à Lap.

¥. 20. Loco TERRÆ AVSITIDIS, in Hebræo, Græco & Chaldæo est, *terra Hus*: quæ est regio Arabiæ, confinis Idumææ, vel etiam pars illius, vbi habitauit Iob c. 1. v. 1. RELIQVIÆ (d) AZOTI] sunt vrbes & vici Azoto vicini & subiecti, inquit à Castro. v. g. Gazara, (e) Cheretum, &c.

d *Ierem. 47. v. 5. & Amos 1. v. 8.*

e *1. Mach. 14. v. 34.*

¥. 22. REGIBVS TYRI in plurali minatur, nempe pluribus sibi mutuo succedentibus, ad quos hæc pœna pertinuit.

INSVLÆ TRANS MARE sunt Cyprus, Rhodus, & aliæ remotiores. Imò Hebræi quasuis remotas gentes, dummodò trans mare essent, vocabant *insulanos*. (f) inquit Sanchez.

f *2. Paral. 9. v. 21.*

¥. 23. DEDAN (g) THEMA ET BVZ regiones sunt Agarenorum in solitudine Arabiæ. De *arenosis in comam* alibi (h) dixi.

g *Ezech. 27 v. 15.*

h *Ierem. 9. v. 26.*

¥. 25. ZAMBRI ET ÆLAM (i) regiones sunt Persidis.

i *Genes. 10. v. 22. Ierem. 49. v. 34.*

¥. 26. VNICVIQVE CONTRA FRATREM SVVM] supple, porriges calicem iræ meæ, & vnus alteri porriget, inuadendo, occidendo, deuastando. Hebraicè enim est, *vir cum fratre suo*, id est, omnibus promiscuè. Iam enim impleta erat mensura peccatorum gentium omnium istarum, quas proinde iam punitas voluit Deus.

REX SESACH. rex est Babylonis, dictæ *Sesach*, id est, *byssi saccus*, ob byssi & purpuræ abundantiam, inquit S. Hieronymus, nisi malis cum Athenæo & alijs dicere *Schesschac* linguâ Babylonicâ significare festum diem celebrantem. Sic enim Propheta hac vocis allusione diem ipsum casus Babylonici quasi digito demonstrarit, nempe quo festum celebrabant Deo suo Belo, Daniel. 5. in fine.

Athen. l. 14.

¥. 30. DOMINVS instar furibundi leonis RVGIENS RVGIET, id est, vehementer, (k) terribiliter rugiet, sententiam excidij pronuntians, & per Chaldæos exequens, SVPER DECOREM SVVM] id est, super Ierosolymam, inquit Chaldæus; vel super templum, vt alij.

k *Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 49.*

CELEVMA] Id est, communis clamor, quasi vno annisu & iussu (dicitur enim κέλευσμα, id est, iubeo) sese inuicem adhortantium & animantium, seu militum ad præliandum, seu nautarum ad remigandum, seu calcantium vuas ad mustum exprimendum; hîc designat vnanimem conspirationem & impetum Chaldæorum in *terram* Iudaicam, inquit Vatablus.

¥. 31. IVDICATVR IPSE Deus, id est, iudicium subit sponte sua, disceptans CVM OMNI (l) CARNE] id est, cum omnibus hominibus. Nempe permittit Deus examini & iudicio hominum, an talibus ac tantis sceleribus non debeantur eiusmodi pœnæ.

l *Isaiæ 3. v. 13. & c. 34. v. 2. & 66. v. 16.*

¥. 33. INTERFECTI DOMINI] Id est, occisi à Deo per Chaldæos.

¥. 34. VLVLATE PASTORES] Chaldæus *Vlulate reges* & principes.

DISSIPATIONES VESTRÆ, supple, completæ sunt, id est, plenè iam dissipabimini, QVASI VASA PRETIOSA crystallina cadendo diffringemini: neque enim volo vos diutiùs potenti dextera mea continere vel conseruare.

¥. 37. ARVA PACIS, seu prosperitatis, id est, arua fertilissima, & amœnissima, CONTICESCENT] id est, mœsta & desolata iacebunt, nullos fructus protrudentia.

¥. 38. DERELIQVIT Deus VMBRACVLVM SVVM, id est, templum Ierosolymitanum, quod QVASI LEO antea tuebatur. ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, Liranus. Porrò Sanchez per *leonem* hîc accipit, non Deum, sed reges & principes Iudæos, qui pro insigni suo seu stemmate præferebant *leonem*, ex illo Genes. 49. vers. 9. *accubuisti vt leo*. Per *columbam* verò, cum S. Hieronymo, S. Thoma, Pierio, Gueuara, Capella, Castrio & Maldonato accipit *Nabuchodonosorem* & *Chaldæos* (m) qui in vexillis & labaris suis præferebant *columbam*, sicut Persæ & Romani *aquilam*. Idque, vt notat Diodorus Siculus, in memoriam & honorem Semiramidis primæ Babyloniorum reginæ, à columbis, vt scribit Guidius, enutritæ, & post mortem in columbam conuersæ, vt vulgus credidit. Hîc ergo Ieremias inducit quasi duellantes leonem & columbam, id est, Iudæos & Chaldæos: sed columba deuicit & protriuit leonem, qui fugam capessere, latibulum suum deserere, imò columbæ adgeniculari coactus est. (n)

Pier. in Hierogl. columba. Ant. Gueuara in Habacuc 1. num. 154. m Psal. 67. v. 14. Ierem. 46. v. 13. & 16. & c. 50. v. 15. & 16. n 4. Reg. vlt. & 2. Par. vlt.

CA-

CAPVT XXVI.

Ieremias, quia templi & vrbis excidium praditit, à sacerdotibus & pseudoprophetis capitur, & ad mortem deposcitur, sed ab Ahicam & aliis virin principibus neci subtrahitur.

¥. 6. DABO DOMVM ISTAM SICVT SILO] (a) Id est, euertam, exscindam templum, sicut euerti Silo, vbi priùs erat tabernaculum cum arca. a *Ierem.* 7. v. 14.

¥. 8. PROPHETÆ] nempe falsi. Nisi malis cum Chaldæo & Vatablo, hîc intelligere Scribas & legis doctores.

¥. 9. QVARE PROPHETAVIT IN NOMINE DOMINI?] Id est, quare falsò prætexit somnijs suis nomen & oraculum Domini?

¥. 10. PORTA NOVA vocatur quæ nuper à Ioathan rege fuerat exædificata, 4. Reg. 15. v. 35. & à Chaldæo *Orientalis*, ab alijs facilè septenis alijs nominibus appellatur, vt ait à Castro. In ea porta pro more gentis, exercebantur iudicia: ac proinde iudices eò iam confluunt, Ieremiæ causam acturi, inquit S. Hieronymus.

¥. 15. SANGVINEM meum INNOCENTEM TRADETIS CONTRA VOSMETIPSOS] id est, in vestram perniciem. Sanguis enim meus contra vos clamabit, & vltionem à Deo reposcet, sicut sanguis *Abel* (b) contra *Cain*. b *Genes.* 4.

¥. 18. SION, id est, Ierusalem, QVASI AGER ARABITVR, id est, ita vastabitur & desolabitur, vt instar agri arari possit: ET MONS Moria, in quo est DOMVS, Domini, ERIT IN EXCELSA SILVARVM] id est, ita deseretur, vt siluescat, & dumetis arboribusque repleatur instar siluæ. Habes hæc verba Michææ 3. v. vltimo.

¥. 20. FVIT QVOQVE VRIAS, verus Domini Propheta, & instar IEREMIÆ, prædicebat excidium Ierosolymæ. Quo nomine plexus est capite à rege Ioakim, bona venia Pharaonis (cui amicus (c) & tributarius erat Ioakim) retractus ex Ægypto, quò confugerat. Ieremiæ tamen in pari causa nihil mali à rege illatum, tum quòd illum Deus suâ providentiâ tutaretur: tum quòd cum illo esset MANVS, seu patrocinium & auxilium, AHICAM, è primis consiliarijs regijs, cuius iam inde à temporibus Iosiæ magna erat auctoritas ac potentia, vt constat ex 4. Reg. 22. v. 12. c 4. *Reg.* 23. v. 34.

Nota. Hîc *vers.* 24. pro IGITVR (vt in Latino est) in Hebræo habetur, *verumtamen*. q.d. Etsi Vriæ ob prædictum vrbi excidium illata sit mors, tamen Ieremiæ eadem prædicenti nocitum non fuit, vt iam dixi.

CAPVT XXVII.

Vinculorum & catenarum gestatione, & ad vicinos regis transmissione, portendit & prædicit Ieremias gentes illas omnes subdendas seruituti Chaldæorum: vnde suadet illis Dei nomine, subdant se sponte Nabuchodonosori, si se suasque salvas velint, nec credant pseudoprophetis pacem & prospera promittentibus.

¥. 1. IN PRINCIPIO REGNI IOAKIM iubetur Ieremias cõparare sibi VINCVLA; Hebraicè, *moserot*, id est, fines quibus iugum alligatur collo vel cornibus boum. Item CATENAS, sed ligneas, quæ collum stringant instar iugi, forma triangulari, vt olim, Varrone teste, mancipijs collo circumdabant, & nunc bobus subinde & porcis circumijci videmus, ne sepes perrumpant. In Hebræo habemus *mot*, id est, iuga, vt Chaldæus & Vatablus exponunt. Idque vt reipsa præsignaret Ieremias, Nabuchodonosorem seruitutis iugum omnibus gentibus illis impositurum, eò quòd ipsæ suaue Dei iugum recusarint. Judæi etiam excusserint. (d) Porrò vincula hæc & iugum gestauit Ieremias iam inde à principio regni Ioakim, & continuauit, saltem per interualla, circiter 15. annis, nempe vsque ad annum 4 regni Sedeciæ, (e) quando iussus est ea transmittere non solùm ad Sedeciam, sed & AD REGES EDOM, MOAB, AMMON, TYRI ET SIDONIS, (f) *per* MANVS NVNTIORVM, QVI fœderis ineundi causa Sedeciam accesserant, vt simul iunctis viribus excuterent iugum Chaldæorum, inquit Liranus, Hugo, Vatablus, Castrius, Maldonatus. d *Ierem.* 2. v. 20. e *Ierem.* 28. v. 1. f *Hic* v. 3.

¥. 6. EGO creator omnis terræ DEDI OMNES TERRAS ISTAS gentium iam nominatarum, IN MANV, seu potestate, NABVCHODONOSORIS SERVI & lictoris MEI. Dedi, inquam, non iure dominij aut proprietatis (neque enim donatur hîc ius vllum tyranno Nabuchodonosori inuadendi, seu Iudæam, seu alia regna; cùm ob hanc inuasionem postea à Deo punitus sit, vt suprà (g) vidimus:) sed nuda & materiali traditione, quo modo etiam furi aut latroni traditur furtiuus equus, torques vel annulus, cuius dominium & proprietas manet penes priorem dominum. Hoc, neque alio modo, dat hîc Deus huic tyranno ETIAM BESTIAS AGRI] nempe vnà cum agro, etiam incolas agri, homines & bestias, inquit S. Hieron. Rabanus & Hugo. g *Ierem.* 25. v. 12.

¥. 7. ET SERVIENT EI OMNES illæ GENTES, ET FILIO EIVS, ET FILIO FILII EIVS: (quinam sint hi tres reges, dixi in Chronico.) DONEC VENIAT TEMPVS vltionis TERRÆ EIVS; Chaldaicè, *interitus terræ eius*, ET IPSIVSMET etiam tyranni. Subactâ enim Chaldæâ, occisoque Baltassare, indulto Cyri & Darij, non solùm Iudæi, sed & ceteræ gentes in Chaldæa captiuæ, libertatem ad sua redeundi nactæ sunt. Vt *Ægyptiis*, (h) *Ælamitis*, (i) *Moabitis* (k) *Ammonitis* (l) promiserat Ieremias, ita Sanchez & à Lapide. *Chron.* ℓ 35 *conclus.* 3. 5. *Dices primò.* h *Ierem.* 46. v. 26. i c. 49. v. 39. k c. 48. v. 47 l c. 49. v. 6.

¥. 9. MALEFICOS] Vatablus, *veneficos* vertit, id est, necromanticos, qui ex sanguine & victimis dæmoni immolatis diuinabant & ipsi prospera omnia Iudæis: sic in odium trahentes Ieremiam, qui excidium illis perpetuò intentabat.

¥. 10. & 15. VT EIICIANT VOS] causaliter scilicet, è terra hac vestra, nempe eo ipso quo vobis persuadent rebellare Chaldæis, à quibus certo certiùs superabimini, & vt minimum, in exilium agemini.

¥. 16. VASA DOMINI, id est, supellectilia sacra templi, quæ Nabuchodonosor vnà cum Ioakimo in Babylonem transtulit, 4 Regum 24. vers. 13. non REVERTENTVR Ierosolymam, nisi post expletos 70. annos.

¥. 17. QVARE vestra obstinatione DATVR, seu dabitur, HÆC CIVITAS IN SOLITVDINEM] Nempe seruari facili negotio potest, si vos Chaldæis vltrò eam dedatis.

¥. 18. SI PROPHETÆ SVNT, qui vobis promittunt, vasa nuper in Chaldæam ablata, breui restitutum iri; saltem hoc præstent, vt precibus suis OCCVRRANT DOMINO] continendo manum illius, ne & quæ reliqua sunt Ierosolymæ vasa, transferri permittat in Chaldæam: vti septennio pòst reuera translata sunt (m) vnà cum Sedecia. m 4. *Reg.* ult. v. 13.

מוסרת

מוט

CAPVT XXVIII.

Hananias pseud. propheta, detracto iugo & catenis de collo Ieremiæ, conatur persuadere Iudæis, irritum fore eius vaticinium de excidio templi & vrbis. Sed iubet Ieremiæ Deus, vt pro catenis ligneis ferreas subeat, quibus præsignet, durius iugum Iudæis breui subeundum. Simulq; mortem denuntiat Hananiæ, qui eo ipso anno extinguitur.

¥. 1. ANNO QVARTO] non regni Sedeciæ, sed hebdomadis annorum sabbaticæ, de qua egi in Chronico. Erat enim primus annus regni Sedeciæ quartus in septenario sabbatico, vt ibidem ostendi. *Chron. c. 21.*

¥. 2. CONTRIVI, id est, decreui & iam cœpi conterere (*a*) IVGVM REGIS BABYLONIS] quod aliis gentibus ipse imponere statuit. *a Prolog. de Idiotismis Hebr. n. 56.*

¥. 3. ADHVC DVO ANNI DIERVM] supple, effluent, nec plures. Ita mentiebatur Hananias. Cui Ieremias,

¥. 6. AMEN, id est, fiat vt dixisti. ego idipsum opto quàm maximè. SVSCITET DOMINVS VERBA TVA] Id est, faciat illa non mortua vel languida, sed viuida & robusta, vt reipsa præstent quod significant: sed scio longè aliter futurum.

¥. 8. PROPHETÆ, &c.] subaudi, ex euentu agniti sunt, verine essent an falsi. Omnis enim prædictio, siue prospera, siue aduersa, rerum probatur euentu. Vnde & tua hæc, ô Hananias, ex euentu mendax apparebit. ita S. Hieronymus, Dionysius Carthusianus & à Lapide.

¥. 13. CATENAS LIGNEAS, de quibus suprà (*b*) CONTRIVISTI. q. d. Leue seruitutis Chaldaicæ iugum dissuades Iudæis ne vltrò subeant, dedendo se illis. ecce pro ligneis incurrent FERREAS CATENAS carcerum, excidij & mortis. ita Theodoretus & Liranus. *b Initio c. 27. Ierem.*

¥. 16. TE verò MITTAM, seu emittam, A FACIE totius TERRÆ] expellam te ex hac vita in infernum, inquit S. Hieronymus. Et verò

¥. 17. MORTVVS EST HANANIAS eodem ILLO ANNO sabbati quarto, MENSE SEPTIMO] id est, bimestri post hanc prædictionem, nempe mense Nisan, seu Martio ferè nostro. Nam annus sabbaticus incipiebat à Septembri, vt dixi in Chronico. *Chron. sup.*

CAPVT XXIX.

Morte sublato Hananiâ pseudoprophetâ, Sedecias rex aurem accommodans Ieremiæ, perstat in fœdere cum Nabuchodonosore, eiq; per legatos tributum debitum & munera mittit. Per quos eosdem legatos etiam Ieremias ad Iudæos Babylone cum Iechonia captiuos literas dat, quibus eos monet, ne quod & ibi pseudoprophetæ promittebant, persuaderi sibi sinant, se ante expletos 70. annos seruitutis Chaldaicæ, libertati restituendos: pseudoprophetas Sedeciam & Achab, qui contrarium promittant, igne frigendos à Nabuchodonosore: Semeiam tertium pseudoprophetam, cum omni stirpe sua funditus exscindendum.

¥. 2. DOMINA.] id est, regina, nempe mater Iechoniæ, quia hæc vnà cum filio abducta (*a*) erat in Babylonem, inquit Liranus, Hugo & Vatablus. De *inclusore* alibi (*b*) dixi: vt & de *eunucho*, id est, palatinis, (*c*) aulicis, *a 4. Reg. 24. v. 12. b Ierem. 24. v. 1. & locis ibi notatis. c Genes. 37. v. 36.*

¥. 5. ÆDIFICATE DOMOS, &c.] Diu enim adhuc hæ uri estis Babylone: neque est quòd ante expletum 70. annum de reditu in patriam cogitetis. De hoc fusè egi in Chronico. (*d*) *d Chronici c. 35.*

¥. 11. DEM VOBIS FINEM laborum & exilij, ET PATIENTIAM] seu motiuum patientiæ, nempe libertatem, quam patienter & auidè exspectatis. Hebræum enim תקוה *tiqua* exspectationem significat, seu rem exspectatissimam. ita S. Hieronymus.

¥. 12. IBITIS compotes iam voti, in patriam.

¥. 15. Verùm QVIA quidam vestrum DIXISTIS: SVSCITAVIT NOBIS DOMINVS alios PROPHETAS IN BABYLONE, qui celeriorem promittunt reditum in patriam; tantum abest, id experturi sitis, vt etiam qui nunc in patria degunt, vel occidendi sint, vel Babylonem, vt vos, abducendi.

¥. 17. PONAM EOS QVASI FICVS MALAS] Hebraicè, *fœdas*. nempe abijciam, conterã, disperdam eos. De ficubus actum (*e*) alibi: vt & de *maledictione*. (*f*) *e Ierem. 24. v. 1. f Ierem. 24. v. 9.*

¥. 21. ACHAB ET SEDECIAS, QVOS FRIXIT, id est, assauit vel torruit, REX Nabuchodonosor IN IGNE propter adulteria & fraudes atque imposturas, vt hîc dicitur v. 23. ex sententia Hebræorum, item Rabani, Hugonis, S. Thomæ & Lirani, item Saliani & Delrionis; sunt duo illi senes qui Susannæ pudicitiam tentarunt & vitam, Danielis 13.

B Vtrique enim erant in Babylone tempore Nabuchodonosoris & Astyagis Medi, vtrique cæsi ob adulteria, ob fraudes & imposturas: & reliqua omnia sat bellè consonant, vt alibi (*g*) ostendam. *g Dan. 13. v. 5.*

¥. 23. PRO EO QVOD FECERINT STVLTITIAM] id est, facinus enorme contra publicam honestatem, viro sapiente & cordato indignum: quale erat adulterium, mortis machinatio innocenti, &c.

¥. 24. ET AD SEMEIAM alium pseudoprophetam, qui & ipse pacem & prospera quæque captiuis citò obuentura promittebat, (vnde & meritò NEHELAMITES, id est, *somniator*, vocabatur, vt vertit R. Dauid, licèt verè à loco natiuitatis suæ *Nehelam*, hoc nomen ipsi obuenerit:) DICES iussu meo, *Visitabo super te, & super semen tuum*, &c. q. d. Neque tu, neque quisquam tuorum liberorum remi-

C grabitis cum alijs Iudæis è Chaldæa in Iudæam, sed peribitis omnes in exilio Babylonico. Porrò mortem machinabatur impostor Ieremiæ Prophetæ; audi quibus artibus.

¥. 26. Scribit *Sophoniæ* vni è principibus sacerdotum, qui alibi (h) *sacerdos secundus* vocatur, & adulatoriè vocat eum successorem *Ioiadæ* summi quondam & zelosi pontificis: monetque vt illius sanctissimi viri vestigijs insistens, sicut ille Mathanem (*i*) sacerdotem Baal interfecit, ita ipse interficiat Ieremiam vtpotè pseudoprophetam, Dei & Ecclesiæ hostem, pacis ac tranquillitatis publicæ pertubatorem. ita S. Hieron. Maldonatus & alij *h 4 Reg. 25. v. 18. i ibid. c. 11. v. 18.*

VIRVM ARREPTITIVM vocat hominem *furiosum*, qui à dæmone arreptus, eo agente furit, & inter furendũ varia prædicit. Vnde in Hebræo, Græco & Chaldæo habemus, *virum insanientem*. De his multa Cicero l. 2. de Diuinatione. De *nexu* suprà (*k*) egi. *k Ierem. 20. v. 2.*

CAPVT XXX.

Promittit post asperam captiuitatem, lætam per Cyrum liberationem: Mystice, post miseram seruitutem peccati & diaboli, optatam redemptionem per Christum.

¥. 3. CONVERSIONEM POPVLI MEI ISRAEL ET IVDA, id est, eos qui, seu ex Iudæis, seu ex Israelitis, conuertendi sunt, CONVERTAM] & reducam in patriam: nimirum paucos è multis, quia plerique in Assyria & Chaldæa remanere præoptabunt. ita Maldonatus. Imò ex 10. tribubus paucissimi reuertentur: vnde passim dicuntur numquam reuersæ.

¥. 6. VIDETE SI GENERAT MASCVLVS] id est, fœtum effundat ex utero, vt solet fœmina. q. d. Cùm viri non experiantur dolores partus, vt fœminæ, quid fit quòd Iudæi, quasi muliebri dolore pressi, manibus suis renes lumbosque instar parturientium

tium contineant ad dolorem comprimendum? ita S. Hieronymus. Hac metalepsi indicat Propheta, acerbitatem dolorum. Ex his doloribus CONVERSÆ SVNT VNIVERSÆ FACILS virorum IN AVRVGINEM] id est, in pallorem auri: vt fit in ictericis, seu morbo regio laborantibus. Vnde & LXX. & Aquila & Symmachus habét ἰκτερῳ, Idem vitium segetes etiam corripit, quando nempe culmi pallescunt in modum auri vel æris, & illa *aurigine* vel ærugine paulatim arescunt.

℣. 7. MAGNA DIES ILLA] id est, mirè calamitosa & terribilis, quâ Ierosolyma exscindetur à Chaldæis: sed magis terribilis eius antitypus, nempe dies extremi iudicij, quæ ob id passim in Scripturis (a) *dies magna* vocatur.

a *Sophon.* 1. *v.* 14. *Iudæ v.* 6. *Apocal.* 6. *v.* 14. *&c.*

Ex IPSO, supple, tempore illo calamitoso; Hebraicè, *ex ipsa*, nimirum tribulatione & calamitate, SALVABITVR tandem & eruetur IACOB.

℣. 8. ET NON DOMINABVNTVR EI AMPLIVS ALIENI] Hæc ergo ad litteram non sunt intelligenda de liberatione per Cyrum, quia tunc dominabantur adhuc Persæ Iudæis: (b) sed de liberatione per Christum, inchoata in terris sed complenda in cælis, inquit S. Hieronymus, Chaldæus, Theodoretus & alij.

b 2. *Esdr.* 9. *v.* 36.

℣. 8. SED SERVIENT DEO, ET DAVID, id est, Dauidis filio, nempe Christo, REGI SVO] Sic & ab Ezechiele Christus vocatur *Dauid*.

Ezech. 37. *v.* 25.

℣. 11. FACIAM CONSVMMATIONEM IN CVNCTIS GENTIBVS, IN QVIBVS DISPERSI TE, id est, Assyrios & Chaldæos consummatè & plenè perdam, vt solet victor perdere hostes suos: TE verò, ô Israel, nequaquam perdam: SED IN IVDICIO, id est, cum moderamine & æquitate quadam, CASTIGABO TE] vt solet pater filium. ita S. Hieronymus. vel vt chirurgus ægrum. Vnde licèt

℣. 12. INSANABILIS, id est, incurabilis, videatur FRACTVRA, seu læsio, TVA per Nabuchodonosorem, vt vult S. Hieronymus & Theodoretus; & per Titum (vt Liranus & Vatablus) tibi inflicta: nec sit medicus vllus aut chirurgus, qui

℣. 13. IVDICET IVDICIVM TVVM AD ALLIGANDVM] id est, sollicitus sit, curet aut satagat alligare vulnera tua, ijsque mederi: quin &

℣. 14. OMNES AMATORES, seu amasij, TVI OBLITI SINT TVI] nempe Ægyptij, & alij populi, ad quos opis causa toties confugisti: ego tamen non deseram te, non sinam te perire, sed eruam te è manibus hostium tuorum. Et versâ fortunâ

℣. 16. OMNES QVI iam COMEDVNT & affligunt TE, ab aliis DEVORABVNTVR] Assyrij à Chaldæis, Chaldæi à Persis, Persæ à Græcis, Græci à Romanis, &c.

℣. 18. EGO CONVERTAM CONVERSIONEM TABERNACVLORVM IACOB] id est, tabernacula, seu familias Iudæorum ex Babylonico exilio conuertam & reducam in patriam, vt suprà ℣. 3.

אדיר ℣. 21. ET DVX EIVS; Hebraicè, *addir*, id est, magnificus, glorioſus, præpotens dux, (nempe Messias, vt omnes Hebræi, Græci, Latini & Chaldæus exponunt) non assumptus ex alienigenis, sed EX *ipso* trunco Israelis & Dauidis. APPLICABO EVM mihi per vnionem hypostaticam, inquit S. Hieronymus. Rabanus & Hugo: vel, vt alij litteraliùs, per vnionem voluntatum. q. d. Connectam eum mihi perfectissimâ amicitiâ. QVIS ENIM aliorum hominum, vel etiam angelorum adeò mihi amicitiâ & amore connexus est, vt ISTE *filius meus dilectus, in quo mihi* præ omnibus *complacui*? Vnde & Isaiæ 46. v. 11. Pater vocat eum *virum voluntatis suæ*.

℣. 14. IN NOVISSIMO (Hebraicè, *in extremitate*) DIERVM, nempe tempore Messiæ, & maximè sub finem mundi, INTELLIGETIS EA quæ iam dixi. ita Dionysius & Liranus.

CAPVT XXXI.

Sub typo liberationis Israelis ex Ægypto, Assyria & Babylone, describit liberationem mundi per Christum, & multiplicata bona Ecclesia Christiana, cum quo nouum fœdus se sanciturum promittit Deus, legemq; suam scripturum non in tabulis aut in carne illorum, sed in cordibus. ita S. Hieronymus, Rabanus, Liranus, Vatablus & alij.

℣. 1. ERO DEVS VNIVERSIS COGNATIONIBVS, seu tribubus, ISRAEL] & non solis duabus Iudæ ac Beniamin. Statim enim à morte Christi è Gentilibus (per decem tribus hîc designatis) & nominatim ex Samaritanis oriundis & collectis è decem tribubus, (c) plurimi conuersi sunt, Actorum 8.

c *Ierem.* 3. *v.* 18 & *Tobiæ* 14. *v.* 6. & 4. *Reg.* 17. *v.* 18.

℣. 2. POPVLVS Israel QVI egressus ex Ægypto REMANSERAT immunis A GLADIO tum Pharaonis, tum Dei IN DESERTO rebelles punientis, INVENIT GRATIAM; Chaldæus, *misericordiam*, apud Deum, vt intraret IN REQVIEM SVAM in terra promissa. ita Chaldæus, Liranus & Vatablus. Supple, quantò magis iam inuenient gratiam coram Deo qui gladium diuinæ vltionis & tyrannorum euaserint, vt pergant duce Christo ad requiem æternam? Respondet Synagoga,

℣. 3. LONGE, id est, à longo tempore, iam ab olim, DOMINVS APPARVIT MIHI beneuolus ac beneficus, nempe in Sinai & in deserto, & in ingressu terræ promissæ. At iam videtur mei prorsus oblitus, & me deseruisse in captiuitate Assyriaca. Cui Deus: Erras, mi populc, numquam te deseruiET, id est, imò, CHARITATE eâdem quâ olim DILEXI, etiam nunc diligo TE, eritque charitas hæc PERPETVA. IDEO ATTRAXI TE] id est, conatus sum antehac, & adhuc iam conor, te ad me attrahere (d) variis modis, nunc blandiendo, nunc flagellando, quia *miseret* me tui. ita Chaldæus, S. Augustinus, Vatablus, Sanchez & à Castro.

d *Proleg. de Idiotismis Heb. n.* 56. *Augu. l. de Altercatione Ecclesiæ & Synagogæ tom.* 6.

℣. 4. ADHVC ORNABERIS TYMPANIS TVIS] quibus ad choreas excitaberis, vt olim post transitum maris rubri choreas duxisti ad tympanum *Mariæ*, Exodi 15. v. 20. Idem reductis è Chaldæa obtigisse narratur 3. Esdræ 5. v. 2. Alloquitur enim hîc Israelitas decem tribuum, quorum plurimi erant etiam captiui in Chaldæa, & cum duabus tribubus reuersi sunt sub Cyro in terram sanctam.

℣. 5. ADHVC IN MONTIBVS SAMARIÆ PLANTABIS VINEAS] tum materiales (quia tres ciuitates Samariæ additæ sunt Iudææ post reditum è Chaldæa, 1. Machab. 10. v. 30.) tum allegoricas, nempe varias Ecclesias fundabis in terris (e) Samaritanorum, inquit Cornelius à Lapide.

e *Actor.* 8. *v.* 14. & *Ioan.* 4. *v.* 41.

DONEC TEMPVS VENIAT, Leuitici 19. vers. 23. præscriptum, nempe quartus annus, NON VINDEMIABVNT] quia fructus omnium arborum tribus primis annis immundi censebantur, nec Iudæis licebat ijs vesci. q. d. Peruenient tandem ad optatum tempus vindemiæ, integrè tamen seruato præscripto legis. Sic & Apostoli post multos licèt labores, fruentur tamen aliquando optatis fructibus ex agro Samaritano.

℣. 6. CVSTODES IN MONTE EPHRAIM, id est, præfecti terræ Samaritanorum, tum politici, tum

tum Ecclesiastici, CLAMABVNT, ASCENDAMVS A è Chaldæa IN SION] id est, in Ierusalem, inquit Theodoretus, Hugo & S. Thomas: vel, vt meliùs S. Hieronymus, Rabanus, Liranus, Vatablus, ex infidelitate ad fidem & Ecclesiam Christi.

℣. 7. EXVLTATE, id est, congaudete ô Angeli, ô mortales omnes, & congratulamini IACOB, id est, Israelitis, IN LÆTITIA, id est ob lætitiam, libertatem, gratiam & gloriam, quam præstitit illis Cyrus, & Cyri antitypus Christus. HINNITE, id est, iubili ac triumphi voces palàm edite, CONTRA CAPVT; Hebraicè, *super capite*, GENTIVM, id est, super Samaritis, eò quòd ex omnibus Gentilibus primi subintrent Ecclesiam Dei, Actor. 8. CANITE, Hosanna, id est, SALVA DOMINE, vti hactènus semper, ita perge deinceps saluare POPVLVM TVVM.

℣. 8. INTER QVOS ERVNT CÆCVS ET CLAVDVS] integri & infirmi, fortes & debiles, diuites & pauperes, sine personarum exceptione.

℣. 9. ADDVCAM EOS PER TORRENTES AQVARVM, id est, traducam per omnes viarum difficultates & obstacula: (*a*) QVIA EPHRAIM, id est, Samaritanus populus, mihi carus est, VT PRIMOGENITVS MEVS] nempe vbi insertus fuerit Ecclesiæ Dei. ita Sanchez.

a *Isaiæ* 40. v. 40.

℣. 11. LIBERAVIT DOMINVS Israelem de MANV POTENTIORIS] putà Nabuchodonosoris, vel potiùs diaboli.

℣. 12. NON ESVRIENT] Id est, non laborabunt penuriâ vllius rei, seu spiritualis, seu corporalis.

℣. 14. ANIMAM, id est, appetitum, SACERDOTVM INEBRIABO, id est, satiabo & explebo, PINGVEDINE] id est, victimis pinguibus, q. d. Vt ex victimis pinguissima quæque cedunt sacerdotibus, ita meliore gratiarum ac cælestium donorum portione illos donabo, maximè tempore noui testamenti. Id clarè patuit in Pentecoste, Actor. 2. v. 13. inquit Maldonatus.

℣. 15. Vox quidem LAMENTATIONIS, LVCTVS, ET FLETVS AVDITA EST, non solùm in Bethlehem tribus Iuda, sed & in vrbe RAMA, quæ *excelsum* locum significat, & sita est in tribu Benjamin in confinijs tribus Iuda. Et cuius, obsecro, FLETVS? *Rachelis* matris Beniamin, & aquiæ Ephraim, principis decem tribuum, denique etiam custodis tribus Iuda, in qua sepulta est. Et quid hæc plorat? FILIOS SVOS, primùm in Assyriacam & Babylonicam captiuitatem abductos, dein etiam gladio Herodis, Christo recèns nato, trucidatos. De hoc enim infanticidio litteraliter locum hunc exponit S. Matthæus c. 2. v. 18. & SS. Patres ac Doctores. Et in *Rama* quoque atque alijs vicinis Bethlemo locis occisos fuisse infantes, docet Origenes. Sed bono sis animo *Rachel*.

℣. 16. OPERI, id est, labori TVO quem sustines seruiendo Chaldæis, subdendo paruulos gladio Herodiano, &c. EST multa MERCES respondens, nempe pro seruitute libertas, pro infanticidio gloria martyrij, pro luctu gaudium. Idque si non modò aut statim, certè

℣. 17. IN NOVISSIMIS] Id est, tandem, sub finem, & præsertim in altera vita, inquit S. Hieron.

℣. 18. CONVERTE ME gratia tua præueniente, illuminante & excitante, ET CONVERTAR] liberè consentiendo & cooperando gratiæ tuæ. Vnde S. Augustinus, & ex eo Tridentinum, docet conuersionem peccatoris incipere à gratia Dei.

Aug. cont. Pelagium passim.

℣. 19. POSTQVAM OSTENDISTI MIHI, nempe OPPROBRIVM, seu probrosum & infamem statum ADOLESCENTIÆ MEÆ, id est, lasciuiæ & nequitiæ, quibus adolescens deditus fui, PERCVSSI FEMVR MEVM in signum admirationis, pudoris, doloris.

℣. 20. SI, Hebraismo, pro numquid non, FILIVS HONORABILIS MIHI EPHRAIM? nempe iam per pœnitentiam expurgatus & mundatus, numquid non iam mihi percarus instar PVERI DELICATI?] Hebraicè, *ipse mihi est puer deliciarum*, mihi in pretio, in honore, in delicijs. ita S. Hieronymus & Rabanus.

EX QVO LOCVTVS SVM DE EO, vel recordor eius, CONTVRBATA SVNT mihi VISCERA præ nimio amore & commiseratione.

℣. 21. STATVE TIBI SPECVLAM, id est, ex alto speculare, & PONE TIBI AMARITVDINES] id est, amarè plora, luge, conterere. Expende quàm
B amarum, quàm triste, quàm noxium fuerit reliquisse Dominum, quàm felix fueris ante peccatum, quàm miser post peccatum. Ergo relictâ viâ curuâ peccatorum, rectâ viâ pœnitentiæ reuertere è captiuitate in libertatem, in ciuitates tuas Samariæ, quæ bonis nunc omnibus spiritualibus affluunt per Christum. ita S. Hieronymus.

℣. 22. VSQVEQVO, ô Ephraim, per *delicias* & vitia vagaberis ac DISSOLVERIS? Nil ibi reperies præter miserias & perditionem æternam. Intende, si sapis, viæ virtutum, viæ pœnitentiæ, viæ ad Christum, & per Christum ad Deum & in cælum. Iam enim CREAVIT DOMINVS NOVVM quid & inauditum SVPER TERRAM: FEMINA CIRCVMDABIT VIRVM vtero suo, nempe Maria Christum, hominem Deum: hic est ille nouus homo, simul & Deus: hæc noua mater, simul & virgo: hæc noua generatio, sine semine virili. Hic vir hic est ille *geber*, גבר
C vt est in Hebræo, id est, ille fortis & potens vir, ille heros toties in Scripturis promissus: qui licèt staturâ & ætate sit adhuc infans, tamen à primo conceptionis suæ instanti vir est sapientiâ, gratiâ, gloriâ perfectus. En verè nouum & inauditum quid super terram, quasi dicat. Huic viro vt instar sponsæ adhæreas, suadeo tibi: relictis pristinis vitijs ac sordidis delicijs, has amplectere de cælo missas delicias, quæ tibi salutem afferunt & felicitatem æternam. Ita de Christo locum hunc exponunt omnes SS. Patres ac Doctores, etiam Rabbi Haccados & Elias & alij quos citant Galatinus & Castro.

Galat. l. 7. c. 14.

℣. 23. Ob hunc tam nobilem thesaurum BENEDICAT TIBI DOMINVS, ô Ecclesia, PVLCHRITVDO; Hebraicè, *habitaculum pulchrum*, IVSTITIÆ, in quo Christus fons & auctor omnis iustitiæ; in
D quo fides reliquæque virtutes, & Sacramenta iustificantia; in quo tot agmina iustorum. Eadem est etiam MONS SANCTVS] Hebraicè, *mons sanctitatis*, id est, gratiæ, virtutum, donorum sanctificantium. Vbi

℣. 24. HABITABVNT simul vnanimiter & pacificè IVDAS, id est, duæ tribus, *& Ephraim* cum reliquis decem tribubus: item *agricolæ* ac pastores simul cum *gregibus* suis. tantâ bonorum omnium affluentes copiâ, vt exinde

℣. 25. ANIMAM omnem LASSAM labore, fame, siti bonorum, seu terrenorum, vt Liranus; seu cælestium, vt S. Hieronymus exponit, INEBRIEM] id est, plenè satiem. His tam lætis de Christo & Christi Ecclesia promissis

℣. 26.

℣. 26. QVASI DE SOMNO SVSCITATVS ASVM] inquit populus Israeliticus, cuius hanc vocem vult esse S. Hieronymus. Vel potiùs ipse Propheta Ieremias, cui hæc Rabanus, Hugo, Liranus & Vatablus adaptant.

℣. 27. SEMINABO DOMVM ISRAEL SEMINE HOMINVM ET IVMENTORVM] id est, multiplicabo hominibus & pecoribus, inquit Chaldæus. Mysticè, sapientibus & insipientibus aptam ac congruam doctrinam dabo in Ecclesia. ita S. Hieronymus.

a *Ezech.* 18. ℣. 2. ℣. 29. NON DICENT VLTRA: PATRES(a) COMEDERVNT VVAM ACERBAM, ET DENTES FILIORVM OBSTVPVERVNT] Id est, propter scelera parentum puniuntur filij. q.d. Non est quòd filij, si ad me per pœnitentiam conuersi fuerint, timeant se plectendos, si non ob propria, certè ob parentum peccata, v. g. Manassis, Achaz, &c. iam enim placatus publica pœna & castigatione Babylonica, non ampliùs puniam vos propter parentum vestrorum peccata; quisque solum proprium delictum dependet. ita ferè Theodoretus. Quin & præter hanc à pœnis immunitatem,

℣. 31. FERIAM insuper DOMVI ISRAEL ET IVDA, id est, cum tota Ecclesia, FOEDVS NOVVM, antiquato vetere, vt ait Apostolus Hebr. 8. & veteres Rabbini apud Galatinum expressè docent. *Galatin. sup.* Porrò differt hoc nouum fœdus à vetere, quòd Primò, vetus abolitum sit, nouum numquam abolebitur. Secundò, in veteri Deus Iudæis seuerè DOMINATVS EST, & *instar domini puniuit, eos*, vt LXX. vertunt; in nouo autem spiritus amoris præualet. ita S. Hieronymus, Rabanus, S. Thomas, Liranus & Maldonatus. Tertia differentia est:

℣. 33. Lex noua inscribitur VISCERIBVS fidelium ET *cordibus*: vetus in tabulis lapideis, vel fimbrijs. Illa à Spiritu sancto in mente, intellectu, memoriâ, voluntate: hæc penicillo vel stilo in membranis vel saxis. Quartò, fœdus antiquum promittebat terrena bona, possessionem terræ Chanaan, si Dei præcepta cæremonialia seruarentur, &c. nouum fœdus affert noua promissa vitæ æternæ, obtinendæ per noua præcepta, noua Sacramenta, nouas & vbériores gratias: quæ facilitent actum, non tamen tollant liberum arbitrium, vt hinc imperitè concludit Caluinus. Quia omne fœdus conditionatum supponit & relinquit physicam libertatem implendi conditiones vel non implendi. Quintò, in noua lege

℣. 34. NON DOCEBIT VIR PROXIMVM SVVM, COGNOSCE DOMINVM: id est, non opus erit prolixa & molesta instructione externa, qualis à Philosophis & Rabbinis adhiberi solebat in Synagogis ad persuadendum hominibus veram vnius Dei cognitionem, fidem, cultum & amorem: quia tanto lumine collustrabo interiùs intellectum, & tanta motione excitabo voluntatem, vt facili negotio etiam rudes, etiam pueri, eò inducendi sint, inquit S. Augustinus, S. Chrysostomus, Theophyl. & Oecumen. Non ergo dicit, externam prædicationem non requiri (cur enim alioqui posuisset Deus in Ecclesia sua *pastores & doctores*? (b) sed illam præ interna Spiritus sancti voce quasi nihil esse, & quasi nullo labore consequi optatum fructum. Secùs quàm fiebat in veteri lege: vbi circuibant mare & aridam vt facerent vnum proselytum: at in noua lege integræ nationes Gentilium,

S Augusst de Gratia Christi c.12. Chrysost. Theophyl. Oecum. in c.8. ad Hebr.

b *Ephes.* 4. v. 11.

ac præ omnibus Samaritani, COGNOSCENT Deum A MINIMO VSQVE AD MAXIMVM] Actor. 8. Adeò copioso lumine gratiæ illuminabit corda eorum Deus,

℣. 35. QVI DAT SOLEM IN LVMINE DIEI; Hebraicè, *in lumen*, seu illuminationem dici, & dat ORDINEM LVNÆ, id est, ordinat vt luna & *stellæ illuminent noctem*; idem ille Deus illuminabit sua gratia cælesti corda hominum, vt suprà dixi.

℣. 36. SI DEFECERINT LEGES ISTÆ naturæ, putà stata solis, lunæ, aliorum siderum circumuolutio, maris agitatio, &c.

℣. 37. SI MENSVRARI *possit* ab hominibus altitudo & magnitudo cælorum, si penetrari profundum TERRÆ, &c. potero ET EGO *abijcere* VNIVERSVM SEMEN ISRAEL PROPTER peccata sua. Sed vt hæc numquam fient; ita numquam ABIICIAM *vniuersum Israelem*: sed propter Christum primò Apostolos ac discipulos, deinde & innu- B mera ex Israele millia Ecclesiæ meæ adgregabo, & reliquos in fine mundi adgregare decreui.

℣. 38. *De turre Hananeel & porta anguli* vide dicta Esdræ 2. c. 3. v. 1.

℣. 39. Sed NORMA MENSVRÆ, seu funiculus mensorius quo solent architecti plateas & ædificia excitanda dimetiri, EXIBIT VLTRA, id est, solito longiùs protendetur, vt ciuitas amplior fiat, vt etiam includat COLLEM GAREB qui iuxta Ierusalem ad Boream situs est: item GOATHA, seu *Golgotha*, in quo colle Christus crucifixus est. Rursus

℣. 40. OMNEM VALLEM CADAVERVM, quæ inter *Golgatha*, seu *montem Caluariæ*, & mœnia Ierusalem interiacet, sic dicta quòd ibi cadauera, ossa & cineres eorum qui in Golgotha supplicio affecti essent, proijcerentur. VALLIS CINERIS erat illa in quam cineres altaris & victimarum proij- C ciebantur iuxta torrentem Cedron. REGIO MORTIS vocatur *Golgotha* & loca ei vicina, quæ reorum supplicio vel sepulturæ erant destinata. PORTA EQVORVM erat per quam ex equili regio equi adaquatum ducebantur in torrentem Cedron: eademque alio nomine porta fontis vel aquarum dicebatur, quòd duceret ad aquas & ad fontem Siloë. Vide de his locis Adrichomium, Villalpandum, & Maldonatum. Ad hæc omnia loca Ierosolymæ vicina dicitur hic vrbs extendenda quando iterum instaurabitur. Quod factum sub Adriano Imp. vult auctor libr. de locis (c) Hebraicis, item S. Gregorius & Liranus. Malim cum Thoma Maluenda dicere, id in fine demum mundi completum iri, quando tempore Antichristi à Iudæis instaurabitur, & ad hos omnes terminos ampliabitur ciuitas Ierosolymitana, & ab ijsdem post necem Antichristi iam ad Christum conuersis incoletur, & SANCTVM DOMINI vocabitur, nec EVELLETVR aut DESTRVETVR ampliùs ante commune totius orbis excidium. A Lapide hæc omnia adaptat allegoricæ Ierosolymæ, nempe Ecclesiæ Christi quæ quaquauersum ad omnes gentes dilatanda dicitur, perinde ac si Ierosolyma materialis, quæ figura est Ecclesiæ, per omnia suprà dicta spatia dilataretur. Simile habes Isaiæ 54 v. 11. & Zachariæ 14. v. 10.

Adrich. de vrbe Ierus. Villalp. de Vrbe & templo p. 1. l. 1. c. 9.

c *Extat to. 3. operum S. Hieron. in Act. Apostolorum. Gregor. homil. 39. in Euang. Maluenda l. 11. de Antichristo c. 9.*

CA-

CAPVT XXXII.

Obsessa per Chaldæos Ierosolymâ, Ieremias in carcere conclusus iubetur à Deo emere agrum patruelis sui; vt hoc facto ciuibus suis spem faciat reditus ad proprios agros, quos iamiam per transmigrationem in Babylonem deserturi erant.

¥. 1. ANNO DECIMO SEDECIÆ] cùm Ierusalem iam per annum obsessa fuisset, cœpit enim obsideri anno 9. (*a*) Sedeciæ.

a 4. Reg. 25. v. 1.

¥. 7. EME TIBI AGRVM MEVM] Petes, Quem agrum potest sacerdos exhibere venalem, cùm Sacerdotes & Leuitæ non haberent proprios agros vel possessiones, Num. 18. v. 20.? Respondeo, Omninò habebant aliquos agros, sed exiguos, nec nisi suburbanos, circum vrbes sibi proprias, quibus ad mille passus in circuitu vrbium vti poterant, vel ad hortos & pomaria & vineta, vel ad pascua pecorum, vt ibid. dixi.

Petes Secundò, Quomodo vult vendere hunc talem suum agrum, cùm Leuitici 25. v. 34. vetentur vendi suburbana Leuitarum? Respondeo, Non vetantur vendi propinquis, sed solis extraneis, & alteri tribui vel familiæ. At Ieremias erat patruelis Hanameëlis. Pro agri pretio

¥. 9. APPENDI EI SEPTEM STATERES, ET DECEM ARGENTEOS] Hebraicè, *septem siclos & decem argenti*. Porro 17. sicli argenti faciunt 17. florenos Belgicos, seu 68. Iulios, vel regales Hispanicos. Nisi malis per *septem* priores *siclos* intelligere *aureos* siclos, quorum singuli faciunt quatuor scuta Gallica, vel quatuor pistoleta Hispanica vel Italica. Sic enim pretium agri fuisset triginta scutorum aureorum, & paulò ampliùs.

Petes, Quomodo tam exiguo pretio potuit emi ager? Respondeo, Quia imminente captiuitate & transmigratione, agri quasi pro derelictis habebantur. Accedit, quòd exiguus fuerit agellus, & fortè in loco sterili. Vide quæ dixi in Prolegomenis de Monetis.

¥. 10. ET SCRIPSI IN LIBRO, id est, confeci instrumentum contractus, nempe litteras emptionis agri: ET SIGNAVI] tum propriæ manus subscriptione, tum publici sigilli impressione. His litteris continebantur

¥. 11. STIPVLATIONES à venditore & emptore factæ: ET RATA, id est, ratificationes, seu approbationes magistratus & testium: ET SIGNA, seu sigilla appensa.

¥. 14. SVME LIBROS ISTOS, bina instrumenta emptionis vnum clausum ac SIGNATVM, alterum APERTVM; putà copiam autographi sine sigillo vel signatura publica, quæ inspicere volentibus semper ad manum esset. ita Chaldæus, Vatablus & Hebræi. ET PONE VTRUMQUE IN VASE FICTILI] id est, testæceo, ne situ vel humiditate putrescant. Nempe volo integros inueniamus & illæsos, cùm è captiuitate redibimus. Quo signo significat Primò, tempus captiuitatis fore longum; Secundò, reditum tamen fore certum. ita Maldonatus.

¥. 18. Per MILLIA intelligit mille generationes, id est, omnes posteros. Quo sensu reddat *iniquitatem patrum in sinum filiorum*, alibi (*b*) exposui. Vti & quid v. 29. sint *domata* (*c*) domus.

b *Exod.* 34. v. 7. & *Deut.* 5. v. 9

c 4. *Reg.* 1. v. 2.

¥. 31. CIVITAS HÆC Ierosolymitana, iam inde à die qua primùm condi cœpit, seu à Iebusæis, seu à Iudæis, FACTA EST MIHI IN FVRORE] Hebraicè, *in furorem & in indignationem*, assiduis horrendisque sceleribus furorem meum prouocans.

¥. 35. Quomodo INITIARINT, id est, consecrarint; LXX. *sacrificarint*, FILIOS SVOS idolo MOLOCH, dixi alijs locis. (*d*)

d *Leuit.* 18. v. 21. & 3. *Reg.* 3. v. 27. & c. 11. v. 5. & 4. *Reg.* 23. v. 10.

¥. 36. ET NVNC PROPTER ISTA] (*e*) scilicet, ne desperetis, ne despondeat is animum, quasi prorsus exscindendi, aut perpetua captiuitate puniendi. Quia expletis 70. annis, ad terram hanc & ad agros vniuersos vos reducam. ita S. Hieronymus Rabanus, S. Thomas, à Castro & à Lapide.

e *Isaiæ* 7. v. 7. & c. 28. v. 16.

¥. 40. FERIAM cum EIS PACTVM SEMPITERNVM (*f*) VT NON RECEDANT A ME] Hæc & similia arguunt propriè hæc intelligenda de Iudæis ad Christum conuersis, & à captiuitate legis veteris, ad libertatem legis nouæ translatis; cuius translationis typus erat translatio è Chaldæa in patriam. ita S. Hieron. Rabanus, Hugo, S. Thomas & alij.

f *Ierem.* 31. v. 31.

¥. 41. LÆTABOR SVPER EIS: id est, volupe mihi erit eis benefacere, sicut volupe erit eis bene viuere, seruire & obedire mihi: PLANTABO; Chaldaicè, *stabiliam*, EOS IN TERRA ISTA, idque IN VERITATE, id est, verè ac fideliter, sine fuco vel dolo: IN TOTO CORDE MEO] id est, ex animo, ex intimo affectu, nullâ penes me reseruatâ offensionis particulâ, vel peccatorum memoriâ. ita S. Hieronymus, qui cum hoc capite finit commentarium suum in Ieremiam.

CAPVT XXXIII.

Pergit promittere reditum è Chaldæa in Iudæam per Zorobabel, & è regione mortis ac peccati in vitam æternam & patriam cælestem per Christum.

¥. 1. SECVNDO] Jd est, secunda vice in illo carcere, de qua cap. præced.

¥. 2. DOMINVS QVI FORMATVRVS EST ILLVD quod per me prædixit, & iam nunc iterat ac confirmat, nempe regressum vestrum è Chaldæa in Iudæam, è carcere ad pristinam felicitatem; vult tamen rogetis eum & oretis pro tanto beneficio, imò totis viribus *clametis* ad ipsum. Sic enim, neque aliâ viâ decreuit perficere quæ hac lege promisit.

¥. 3. GRANDIA beneficia, ET FIRMA, id est, munita, fortia, stabilia, quæ à nemine præpediri vel infringi poterunt: QVÆ tu modò NESCIS] scies autem postea & senties, nempe infinita bona Ecclesiæ Christi communicanda partim in terris, partim in cælis. ita Liranus & Vatablus.

¥. 6. OBDVCAM EIS, supple, Iudæis adhuc reliquis, CICATRICEM. q.d. Hactenus iustum me vindicem exhibui scelerum vestrorum: nunc depositâ hac personâ, clementem agam medicum ac chirurgum, qui inflicta vulnera curabo: ET DEPRECATIONEM PACIS AC VERITATIS, id est, pacem, seu felicitatem quam deprecantur, itemque veritatem, seu fidelitatem promissorum illis exhibendorum, exhibebo de facto & REVELABO EIS.

¥. 7. ET CONVERTAM, id est, in patriam reducam, CONVERSIONEM (*g*) IVDA] id est, Iudæos per pœnitentiam ad me conuersos, & è Chaldæa in Iudæam reuerti volentes.

g *Ierem* 30. v. 3. 18. & c. 33. v. 11. 26.

¥. 9. ET ERIT MIHI tunc Synagoga Iudaica, vel potiùs Ecclesia Christiana, IN NOMEN: id est, nomen meum in ea, & per eam apud omnes *gentes* sanctificabitur & celebrabitur, ob eximia beneficia per me illi præstita. Quæ eadem de causa *gaudebunt*, meque *laudabunt*, & sacro timore ac reuerentia PAVEBVNT & quasi TVRBABVNTVR ad tantam bonitatem meam, & tantam *pacem*, id est, felicitatem illius. ita S. Thomas, Rabanus & Hugo.

¥. 10.

℣. 10. IN FORIS? Hebraicè & chaldaicè, *in plateis*, IERVSALEM AVDIETVR iterum VOX SPONSI ET SPONSÆ] id est, cantus ac iubilus nuptialis.

℣. 11. VOX DICENTIVM, CONFITEMINI DOMINO, &c.] vt Dauid psal. 117. vobis præcinuit. Et verò carmen Dauidicum hoc intercalasse Iudæos canticis suis cùm è Chaldæa remigrarent in Iudæam, constat ex 1. Esdræ 3.

℣. 13. GREGES, cùm vespere ad caulas reducuntur, TRANSIBVNT. AD MANVM pastoris NVMERANTIS omnes, & explorantis an quæ ouicula desit gregi. En munus sedulj pastoris, maximè Euangelici, *noße* (*a*) omnes ouiculas suas, imò *vocare* singulas (*b*) *nominatim* nullam *perdere*. (*c*)

a *Ioan.* 10. v. 14. b *Ibid.* & v. 11. c *Ioan.* 17. v. 12. & 6. 18. v. 9.

℣. 15. GERMINARE FACIAM DAVID GERMEN IVSTITIÆ, id est, producam è stirpe Dauidis Christum fontem omnis iustitiæ, inquit Chaldæus. NOMEN eius, v. 16. DOMINVS IVSTVS NOSTER] nempe iustissimus in se, & nostrum omnium iustificator. Sed de his alibi (*d*)

d *Ierem.* 23. v. 6. & *Isaiæ* 9. v. 6. &c.

℣. 17. NON INTERIBIT DE DAVID VIR, QVI SEDEAT SVPER THRONVM DOMVS ISRAEL] Id de temporali Iudæorum regno exponi non potest, cùm istud posteris Dauidis post Zorobabelem, & omnibus Iudæis post excidium vrbis per Titum, ereptum constet. Ergo per *virum* hunc intelligendus est Christus, qui per se, perque vicarios suos *regnabit in domo Iacob*, id est, reget Ecclesiam, in sempiternum. (*e*) ita SS. Patres & doctores. Simili modo

e *Luca* 1. v. 32.

℣. 18. DE SACERDOTIBVS NON INTERIBIT VIR, QVI INCENDAT SACRIFICIVM] Est catachresis, alludens ad ritus antiquæ legis, vbi occisæ victimæ cremabantur. Sed hîc intelligi vult SS. Eucharistiam, antitypon & complementum (*f*) omnium veterum sacrificiorum, in qua Christus metaphorico charitatis igne quasi succenditur, cæditur, absumitur. Et hoc sacrificium durabit vsque ad finem mundi. ita S. Hippolytus Martyr & alij Patres. Verùm audistin' quid dicat?

f *Leuit.* 1. *in fine.*

Hippol. l. de Cõsummat. mundi.

℣. 24. POPVLVS HIC Chaldæus, inquit Rabanus & S. Thomas; vel, vt Hugo & Vatablus, Iudæorum incredulus populus: DVÆ, inquiunt, COGNATIONES, id est, duæ familiæ, vna regia Dauidis, altera sacerdotalis Aaronis. ita Theodoretus, Rabanus & Hugo: vel duæ tribus, Iuda & Beniamin, vt vult Liranus, ABIECTÆ SVNT à Deo, & prædæ Chaldæis obiectæ; quid vltrà spei superest Iudæis, vt pro POPVLO Dei habeantur, & pristinæ dignitati aliquando restituantur? Et hucusque creuit *despectus*, seu contemptus, vt non ampliùs habere dignentur Iudæos pro *gente*, seu populo: eò quòd putent, stirpitus excisum iri à Chaldæis. ita LXX. & passim interpretes. Sed quamdiu

℣. 25. LEGES CÆLI ET TERRÆ stabunt, nempe vsque ad finem mundi, tamdiu DE SEMINE IACOB ET DAVID ASSVMAM PRINCIPES Ecclesiæ meæ, nempe Messiam regem, & Apostolos eius, & Apostolorum successores Pontifices, Episcopos, aliosque principes Ecclesiæ: verè PRINCIPES SEMINIS, id est, ex semine, ABRAHAM, ISAAC ET IACOB] non iam secundùm carnem, sed secundùm spiritum & promissionem, vt S. Paulus ad Romanos 9. v. 6. exponit.

℣. 26. De *conuersione* dixi suprà v. 7.

CAPVT XXXIV.

Prædicit Ieremias regi Sedeciæ Ierosolymam à Chaldæis obsessam, tradendam in manus eorum. Quo audito Sedecias, vt Deum placaret, populum excitat ad Dei legem seruandam, seruosq; & ancillas libertate donandas, vt septimo quoque anno faciendum (a) *lex præcipserat. Populus dictis regis obsequitur: & ecce mox soluitur obsidio, Chaldæus aduersus Ægyptios in auxilium Iudæorum* (b) *accurrentes castra mouentibus, Iudæi metu iam liberi, & auaritiâ exstimulati, seruos quos dimiserant, in seruitutem retrahunt. Vnde & Ieremias reditum quoque Chaldæorum prædicit, omnemq; Iudæam ferro & igne per eos excindendam.*

a *Exodi* 21. v. 2.

b *Ierem.* 37. v. 4.

℣. 1. NABVCHODONOSOR BELLABAT CONTRA IERVSALEM] nempe anno 10. Sedeciæ. Nam vt colligitur ex dictis initio cap. 18. anno 10. Sedeciæ mense Tisri, seu Septembri, inchoabatur annus septimus, seu Sabbaticus, quo in memoriam & gratitudinem liberationis B Hebræorum ex Ægypto, iubebantur libertate donare seruos suos omnes & ancillas Hebræas. Vide Chronicon.

Chron. c. 21. & 30.

℣. 5. IN PACE MORIERIS: id est, pacifica, seu naturali morte, non violenta. Testantur id Hebræi in sua chronologia quam vocant *Seder-olam*, id est, historiam sæculi. Vbi & planctum ei exhibitum commemorant, nempe; *Heu! mortuus est rex Sedecias, bibens fæces omnium ætatum*, id est, luens peccata priorum sæculorum, vt Genebrardus ibidé exponit. Et hoc prædicit hic Ieremias, cùm ait: VÆ DOMINE PLANGENT TE. Quin & magnificâ pompâ sepeliendum prædicit, licèt in carcere Babylonico extinctum: SECVNDVM COMBVSTIONES PATRVM TVORVM, id est, eodem ritu & apparatu quo solent reges antecessores & parentes tuos, etiam TE COMBVRENT] vel vt alij ex Hebræo vertunt, *tibi comburent*, supple, aromata & vnguenta. Neque enim solebant corpora flammis absumere Iudæi; sed cadaueri lecto argenteo vel ferreo superposito, aromata & vnguenta partim inijciebant, partim apponebant, quæ mox flammis absumebant cadauere ex parte afflato & adusto. Ita regi Asa factum, testatur Scriptura cùm ait, *Posuerunt eum super lectum suum, plenum aromatibus & vnguentis*, & *combusserunt super eum ambitione nimia*, ita Hugo, Liranus, Vatablus, Isidorus, à Castro, Maldonatus. Sanchez, à Lapide. De ritibus cadauerum sepeliendorum apud Gentiles vide Hieronymum Magium.

C

2. Par. 16. v. vlt. & c. 21. v. 19.

Hieron. Magius l. 3. Miscellan. c. 11.

℣. 8. PERCVSSIT REX FOEDVS CVM OMNI POPVLO] nempe quo omnes obstringerent se Deo, promitterentque ei obedientiam & cultum debitum, atque omnium mandatorum eius obseruationem, & cumprimis obseruationem mandati de seruis Iudæis septimo, qui iam instabat, anno libertati reddendis. Maximè cùm hac seruorum manumissione sperarent ipsi, se vicissim à Deo seruituti Chaldæorum subtrahendos.

D

℣. 14. CVM COMPLETI FVERINT, id est, cùm cœperint (*g*) compleri, SEPTEM ANNI] Vnde LXX. vertunt, *cùm completi fuerint sex anni*. Nam septimo anno ineunte, serui donandi erant libertate.

g *Luc.* 2. v. 21.

℣. 16. REVERSI ESTIS ad pristinam auaritiam vestram, ET COMMACVLASTIS, id est, dedecore affeciistis, NOMEN MEVM] violantes legem meam & pactum mecum initum, quasi rem vilem & nihili.

℣. 17. PROPTEREA ECCE EGO PRÆDICO VOBIS LIBERTATEM] id est, manumissionem à mei seruitute & custodia & cura, vt nempe non sitis ampliùs à me protegendi tamquam filij, amici,

serui mei, sed libertati & placito nouorum dominorum, putà *gladij, pestis & famis*, (a) ex integro vos consigno, vt pro libito in vos grassentur. ita S. Thomas.

a *Ierem. 15. v. 2.*

IN COMMOTIONEM CVNCTIS REGNIS] Id est, vt fuga vel exilio deferamini quasi errones, per vniuersum orbem. In Hebræo enim & apud LXX. est, *in dispersionem*. ita Theodoretus, Hugo, Liranus, Maldonatus.

℣. 18. NON OBSERVAVERVNT VITVLVM QVEM CONCIDERVNT] id est, pactum (b) mecum initum, quod occisione vituli confirmarant, recepto omnium gentium more, quæ vitulum mactando, & in duas partes dissecando, ac per medium transeundo, (c) censebantur hoc ritu similem sibi mortem ac dissectionem imprecari si fœdus violassent. ita S. Thomas, Liranus, Dionysius & Vatablus.

b *Ierem. 34. v. 8.*

c *Genes. 15. v. 10. & Exodi 24. v. 8.*

℣. 22. ECCE EGO PRÆCIPIO Chaldæis, tamquam lictoribus meis, vt IN, id est ad, CIVITATEM HANC obsidendam & expugnandam redeant. q.d. Reditum Chaldæorum, quem ipsi ad iram suam explendam adornant, ego ordino ac destino ad iustam scelerum vestrorum pœnam ac vindictam sumendam. Sicut in simili *præcepit* Semei *vt malediceret* (d) *Dauidi*. Iusta sanè & congrua pœna: sicut enim ipsi seruos reuocabant in seruitutem, ita Deus reuocabat Chaldæos ad eorum obsidionem, expugnationem & excidium; EO QVOD, pro, adeò vt, NON SIT ampliùs HABITATOR.

d 2. *Reg. 16. v. 10.*

CAPVT XXXV.

Exemplo prompta Rechabitarum obedientia, redarguit Iudæorum inobedientiam: vnde & pœnam his, scilicet captiuitatem & excidium; illis verò præmium, nempe amplam posteritatem, diuinumq; patrocinium promittit.

℣. 2. VADE AD DOMVM, id est, ad hospitium, seu tabernaculum, RECHABITARVM: nam hi, vt patet ex v. 7. *domos* propriè dictas non incolebant. Erant hi origine Madianitæ, *Cinæi* olim vocati, ab Iethro socero Moysis, alio nomine *Cinæo* dicto, vtpotè de stirpe *Cin* oriundo: sed inserti Iudæis, legi Iudaicæ perpetuò religiosissimè adhæserunt: posteaque à *Rechab* viro præ ceteris illustri, parente Ionadab socij regis Iehu 4. Reg. 10. v. 23. *Rechabitæ* dici cæperunt, de quibus alibi (e) fusiùs.

e *Num. 10. sub fin. & Iudic. 1. v. 16. & Iudic. 4. v. 11. & 1. Paral. 2. v. 55. & Chronici c. 45. tab. 1.*

Exedræ sic dictæ à *sessione*, erant cubicula, seu cellæ in appendicibus templi constructæ, vbi sacerdotes & Leuitæ sedere ac quiescere poterant, vt nunc Canonici in subsellijs chori. In ijsdem asseruabatur quoque supellex & thesauri templi: vnde v. 4. *exedra* vocatur *gazophylacium*. Et hoc multiplex erat, vnum *gazophylacium principum*, in quo dona à principibus oblata, vtpotè pretiosa, seorsim asseruabantur. Alterum populi: Tertium Gentilium, &c. Et erant hæc ipsa quoque multiplicia, & varij varijs gazophylacijs præpositi: vnde vnum vocatur hîc THESAVRVS; Hebraicè, *gazophylacium*, MAASIÆ; alterum GAZOPHYLACIVM FILIORVM HANAN, FILII HOMINIS DEI] id est, *filij Prophetæ*, vt Chaldæus vertit cum Vatablo & Lirano. Sic *Moyses* (f) vocabatur *homo Dei*, & *Samuel* (g) & *Dauid* & alij.

f *Iosue 14. v. 6.*

g 1. *Reg. 9. v. 7.*

℣. 6. PATER PRÆCEPIT NOBIS] id est, regulam viuendi nobis præscripsit. Neque enim in rigore præceptum fuit, quale in re tam ardua non possunt parentes filijs imponere, v. g. de Religione ineunda, de vita cælibe agenda, de perpetua abstinentia, &c. Fuit ergo hoc consilium, sed valdè religiosum ac sanctum, & in lege tam imperfecta valdè laudabile. Quid ni ergo etiam laudabilis obedientia, quæ Prælatis Ecclesiæ similia subinde præcipientibus à populo Catholico exhibetur? inquit S. Hieronymus, Augustinus & alij Patres.

Hieron. ad Paulinum. August. præfat. in Psal. 70.

℣. 16. FIRMAVERVNT, id est, firmiter & constanter obseruarunt, Rechabitæ, non tam præceptum quàm nudum consilium patris sui, idque in re valdè dura & ardua: POPVLVS AVTEM ISTE Iudaicus NON vult *obedire* MIHI Domino ac Deo suo, rem leuem ac facilem non iam suadenti, sed rigidè præcipienti.

℣. 19. PROPTEREA NON DEFICIET VIR DE STIRPE IONADAB FILII RECHAB, STANS IN CONSPECTV MEO CVNCTIS DIEBVS] Id est stirps Rechabitarum per excidium Iudaicum non defi-
B ciet, non exscindetur, (h) vt multæ aliæ aliarum familiarum stirpes: & inter posteros eorum semper erunt aliqui, qui in pia ista patrum suorum obseruantia persistabunt, Deoque deseruient, & quasi familiares eius amici, iugiter in conspectu eius & cum eo versabũtur. Si enim Nazaræi longè minori abstinentia promerebantur, vt dicerentur stare coram Deo, illique ministrare; quid ni Rechabitis longè religiosioribus id concedamus? Sic S. Benedicto, (i) sic S Francisco, (k) sic S. Pachomio, (l) sic S. Ignatio, (m) aliisque illustribus Sanctis atque Ordinum fundatoribus promissum à Deo, quòd Ordo eorum numquam deficeret, sed viris insignibus perpetuò floreret.

h *Ierem. 39. v. 10. in comment.*

i *Arnoldus Vvion in Chronicis Benedict. l. 1. c. 1.*

k *In Chronicis. & Vita S. Francisci per D. Bonau.*

l *Dionys. Exiguus in Vita S. Pachomij.*

m *In apparitione sanctæ S. Teresiæ, in Vita S. Teresiæ per Franc. Riberam.*

CAPVT XXXVI.

Ieremias dictat Baruch oracula sua omnia & minas aduersus Iudæos prolatas, iubetq; vt ea in templo coram omni populo prælegat. Rex Ioakim librum oraculorum igni tradit, & Ieremiam cum Baruch occidi iubet: sed fugit Ieremias, & mox Dei iussu alterum librum priore terribiliorem Baruch dictat.

C

℣. 4. SCRIPSIT BARVCH EX ORE IEREMIÆ OMNES SERMONES DOMINI] putà prophetias omnes, quas per integros 22. annos diuersis occasionibus & temporibus euulgarat, sed numquam in vnum volumen digesserat Ieremias. Iam verò iubetur id facere, simulque populo collectim omnes proponere, vt magis moueant, terreant, inhæreant.

℣. 5. EGO CLAVSVS SVM carcere, nempe iussu principum, eò quòd tristibus oraculis meis viderer percellere & frangere animos populi. ita Theodoretus, Rabanus, S. Thomas, Liranus. Vnde v. 19. ab ijsdem emittitur è carcere, vt contra regis furorem sese abscondat.

D

℣. 6. IN DIE IEIVNII] quod Iudæi post liberatum regem suum è manibus Nabuchodonosoris, ad auertendas alias clades vltrò indixerant *nonse nono*, vt dicitur v. 9. quo mense nullum antè velà Deo, vel à Synagoga indictum fuerat ieiunium; sed exinceps manst indictum die septima dicti mensis noni, idque vel maximè ad expiandam exustionem libri Ieremiæ hoc die factam à rege Ioakim, vt videre est in Menologio Hebræorum apud Genebrardum.

℣. 7. SI FORTE CADAT ORATIO EORVM IN CONSPECTV DOMINI] Id est, si fortè accepta fiat deprecatio pœnitentium coram Domino, vt c. seq. v. 19. ferè similem phrasin versam videmus. ita Chaldæus, S. Thomas & Dionysius.

℣. 9. IEIVNIVM IN CONSPECTV DOMINI tum censebatur, cùm ieiuni toto die prosternerent se &

se & orarent ante conspectum Dei in templo, inquit Maldonatus.

¥. 12. AD GAZOPHYLACIVM SCRIBÆ] Id est, ad cubiculum (*a*) secretarij, vel, vt Vatablus, Cancellarij regij. *a Ierem. 35. v. 2.*

¥. 16. OBSTVPVERVNT VNVSQVISQVE AD PROXIMVM SVVM] Id est, cum stupore respiciebant se mutuo,

¥. 18. EX ORE SVO QVASI LEGENS LOQVEBATVR, id est, promptè & expeditè; (*b*) non præmeditata vel quæsita, sed à Spiritu sancto suggesta verba depromebat, tanta celeritate ac si ex libro legisset. ita Maldonatus, ET EGO SCRIBEBAM ATRAMENTO] Quem scribendi modum, perantiquum esse, vel ex hoc loco colligimus. Vt & vsum libri quadrangularis cum pagellis, ex v. 23. Quid porrò *principes?* *b Psalm. 44. v. 2.*

B

¥. 19. VADE ET ABSCONDERE TV ET IEREMIAS] nempe, ne rex audita hac libri euulgatione vos morte afficiat.

¥. 22. SEDEBAT REX; Hebraicè, *habitabat*, IN DOMO HIEMALI, seu in qua per hiemem commorari solebat: ET CORAM EO ARVLA, id est, foculus, seu receptaculum, prunarum quo se calefaciebat. ita LXX. & Chaldæus. In hunc foculum coniecit rex per frusta librum discissum SCALPELLO SCRIBÆ] id est, cultello pennario. ita Hugo, S. Thomas, Vatablus, Liranus. Quod verò vel maximè factum oportebat.

¥. 24. NON TIMVERVNT; NEQVE SCIDERVNT VESTIMENTA SVA] Id est, timorem vel horrorem non ostenderunt scindendo de more vestimenta sua, vt nuper fecerat pius *Iosias* (*c*) parens huius Ioakimi, imò & impius Achab, (*d*) & tot alij. *c 4. Reg. 22. v. 11. d 3. Reg. 21. v. 27.*

¥. 26. ABSCONDIT DOMINVS Ieremiam & Baruch, protegendo eos in latibulo ad quod confugerant, nec permittendo vt istic reperirentur à quærentibus. ita Chaldæus, Rabanus & Hugo.

C

¥. 30. Ex Ioakim rege NON ERIT filius vel nepos QVI SEDEAT SVPER SOLIVM DAVID] Tentauit quidem Ioachin filius eius solium hoc conscendere *tribus* circiter *mensibus*: sed pacificè in eo non resedit, (*e*) abductus in Babylonem cum omni sua aula: posteri verò Ioachini non fuerunt reges, sed vt summùm duces, ijque tributarij (*f*) regibus Persarum. *e 4. Reg. 24. v. 8. & c. f 1. Esd. v. 9. & 30.*

ET CADAVER Ioakimi PROIICIETVR insepultum vt loco publico putrescat. Ita illi prædixit etiam alibi (*g*) Ieremias, & vidimus 4. Reg. 24. *g Ierem. 22. v. 19.*

CAPVT XXXVII.

Ieremias regi Sedecia roganti vt pro se totaq; vrbe Deum deprecaretur, respondet, fixum Deo vrbem excindere: & Nabuchodonosorem, etsi ad tempus recessisset ab vrbis obsidione, vt Ægyptiis resisteret, iis tamen fugatis reuersurum, vrbem capturum & exusturum. Mox quasi transfugere vellet ad Chaldæos capitur Propheta, & in tetrum carcerem compingitur: sed indulto Sedecia regis commodiorem custodiam, & quotidianam annonam impetrat.

D

¥. 8. NOLITE DECIPERE ANIMAS VESTRAS, id est, nolite vobis ipsis imponere, DICENTES: EVNTES ABIBVNT CHALDÆI] id est, omnino & ex integro abibunt, non iterum reuersuri. Quin & adeò fixum Deo est, Ierosolymam excindere, vt, licèt Chaldæi vel ab Ægyptiis, vel à vobis cæderentur, ita vt vix pauci cædem euaderent, ijque grauiter saucij; Deus tamen vel per hos paucos saucios vniuersa vestra agmina prosterneret ac contereret, vrbemque vestram flammis absumeret. ita Sanchez. Solutâ obsidione, egreditur vrbe Ieremias,

¥. 11. VT DIVIDERET POSSESSIONEM] non cum filijs suis, vt vult Chaldæus: nullos enim liberos habuit, sed virgo (*h*) permansit Ieremias: sed cum fratribus alijsve propinquis suis. Et hanc forè prætexuit causam fugæ suæ ex vrbe sibi adeò infesta, & mox peritura. ita ferè S. Thomas, Liranus & Dionysius. *h Præfat. & c. 16. v. 2.*

¥. 12. Sed fugientem APPREHENDIT IERIAS, nepos HANANIÆ] cui mortem suprà (*i*) intentauit Ieremias. Et hac occasione auum hîc vlcisci voluit nepos. ita R. Salomon, Liranus & à Lapide. *i Ierem. 28. v. 16.*

¥. 14. Tradit ergo eum *principibus*, qui CÆSVM pugnis, vel flagellis, vt Rabanus, S. Thomas & Liranus volunt, MISERVNT EVM IN CARCEREM, seu, vt sequitur,

¥. 15. IN DOMVM LACI: quia enim profundus erat carcer, & tenebricosus, fœtidus ac cœnosus, meritò vocari poterat *lacus* vel fouea. Sic Ioseph (*k*) dicitur *descendisse in foueam*, & Daniel (*l*) *proiectus in lacum leonum*. A Christo vocatur carcer *tenebræ (m) exterioris*, id est, locus extremè tenebricosus. Hîc quoque vocatur *ergastulum*, id est, operatorius locus, quia in carcere cogebantur vt plurimùm vincti, maximè si serui essent, molere, pinsere, vel alijs modis operari. Porrò hanc foueam seu lacum Ieremiæ multis pòst sæculis insigni templo à Constantino Imp. exornatum fuisse, scribit Nicephorus. Est hæc tertia Ieremiæ incarceratio. Prima citatur c. 20. v. 2. Altera c. 32 v. 3. & c. 36. v. 5. Tertia hìc & cap. 32. v. 3. Sed mox eductum ex hoc lacu iubet *k Sap. 10. v. 13. l Dan. 6. m Matt. 25. v. 30.* *Niceph. l. 8. c. 30.*

¥. 20. REX SEDECIAS asseruari IN VESTIBVLO, id est, in atrio, CARCERIS, seu in aula anteriori, vbi quasi in libera custodia degeret, & facilè ab omnibus adiri posset. Hìc etiam emit agrum ab Hanameel patruele suo, cap. 32. vers. 3. Hîc dabatur ei quotidie TORTA PANIS; Hebraicè, *kickar*, id est, rotundus & quasi in orbem contortus panis. Pinsebatur is vt statâ formâ, ita etiam stata quantitate & pondere. v. g. vnius vel alterius libræ. Simili modo *talentum*, quia stato erat pondere & forma orbiculari, *kickar* ab Hebræis vocatur. *Pulmentum* quoque, id est, obsonium, iussit rex adijci tortæ panis Ieremiæ, etiam extrema fame vrbem depascente; Deo singulari sua prouidentia curante annonam seruo suo. ככר

CAPVT XXXVIII.

Ex atrio carceris Ieremias hortatur omnem populum vt se vltrò dedat Chaldæis: & idcirco in lacum limosum conijcitur à principibus: sed mox ab Abdemelech Æthiope, conniuente rege inde extrahitur: suadetque Sedecia, vt se tradat Chaldæis; aliam nullam salutis viam vel spem superesse.

¥. 1. DESCENDIT; Hebraicè, *demersus est*, IEREMIAS IN COENVM] id est, in puteum cœnosum, vt exponit Iosephus, additque collotenus immersum cœno, vt præfocatus moreretur. Erant hi putei vel cisternæ, ad colligendam aquam, seu scaturientem, seu pluuialem, frequentes in Iudæa. & horum nonnullis vtebantur ad reorum supplicium, vt eos pædore, tabe & fame conficerent. Supernè enim patentes excipiebant pluuiam, quæ mixta terræ in fundo laci, lutum procreabat: eratque species aliqua barathri & inferni. ita Sanchez & Abulensis. Talis videtur fuisse *cisterna* *Ioseph. l. 10. Antiq. c. 10.* *Abulens. in c. 25. Matth. quæst. 158.*

na vetus, in quam Ioseph à fratribus iniectus fuit Genes. 37. Et talium sæpè meminit Scriptura. (a)

a Psalm. 39. v. 3. Psalm. 87. v. 7. Zach. 9. v. 11.

℣. 7. ABDIMELECH? Hebraicè, idem est quod *servus regis*, nempe per excellentiam, putà regij cubiculi vel cubilis custos. EVNVCHVS] id est, palatinus, seu aulicus, vt alibi (b) dixi; chaldaicè, *vir magnus*, seu potens apud regem & omnes aulicos,

b Genes. 37. v. 36. & hic c. 29. v. 2.

℣. 9. NON SVNT ENIM PANES VLTRA IN CIVITATE] Nec poterit tam præsenti ciuitatis exitio melius quis succurrere, quàm Ieremias Deo gratissimus: vnde principes pessimè faciunt occidendo eum, à quo spes saluris affulget.

℣. 11. *Cellarium* hic penu vocatur, vbi scruta, veteresque seruorum vestes & panni exoleti adseruabantur. his enim opus erat ad Jeremiam, qui penè nudus in lacum deiectus erat, sine læsione extrahendum. Tropologicè, peccator in lacum perditionis prolapsus, ex eo proprijs viribus exsurgere nequit, sed funibus diuinæ gratiæ, & molli adiuuantium manu educendus atque extrahendus est, inquit S. Gregorius & Bacharius.

Gregor. 25. Moral c. 8. Bachar. ep. ad Ianuarium de Lapsis.

℣. 14. OSTIVM TERTIVM vocatur tertia templi porta, quæ palatio regio respondebat, quâ scilicet rex è sua regia in templum itabat, inquit Rabbi David, Vatablus & Maldonatus. Hîc rex *interrogat* Ieremiam, capiendáne sit vrbs, & rex ipse à Chaldæis? Respondet Ieremias,

℣. 17. & 18. non capiendum si vltrò se dederit. Ex quo loco, & pluribus (c) alijs, constat Deum certò prænosse omnia futura libera non solùm absoluta, sed & conditionata, etiam quæ deficiente conditione numquam euentura sint, sed euenirent si talis conditio poneretur. vti fusè docet Molina, Vasquez, Lessius & alij Theologi.

c Hic v. 19. & 20. & 1. Reg. 23. v. 11. & Matth. 11. v. 21. Molina in 1. p. de scientia Dei. Vasq. 1. p. disp. 67. c. 3. & 1. 2. q. 77 a. 2. Less. de Attributis diuinis, c. de scientia Dei.

℣. 22. OMNES MVLIERES de gynæceo, seu tuo, seu nepotis tui Ioachin, reliquæ in aula tua, simulatque eductæ fuerint ad principes regis Babylonis, insurgent in te iam captiuum, & subsannantes atque irridentes DICENT: Egregium sanè te regem, qui tam stolidè passus es tibi imponi à tuis, ne amicitiâ potiùs quàm armis concertares cum Chaldæis. Ecce in quod COENVM, in quas sordes, in quas miserias TE nunc DEMERSERVNT PACIFICI TVI, id est, qui paci & prosperitati tuæ studere debebant. Ipsi suis adulationibus seduxerunt te, dicentes omnia secura fore ac prospera: & tu passus es *præualere* peruersum illorum consilium ADVERSVM TE. Ecce, te nunc in luto hærente, ipsi RECESSERVNT A TE] Metaphora est desumpta à cæcis, quibus ægerrimè accidit cùm à prauis ductoribus è via recta & commoda seducuntur in lubricam & cœnosam viam, & mox in puteum vel fossam delapsi, fugientibus illis, emergere nequeunt, inquit Delrio. q.d. Tu ô Sedecia, stulto pauore detineris quo minùs te dedas Chaldæis, nempe times te risui futurum viris exprobraturis tibi quòd amicitiam cum Chaldæis non meliùs colueris. Ast ego ni te dedideris, prædico, te risui futurum etiam omnibus mulieribus idipsum tibi longè acriùs exprobraturis.

Delrio adagio 806.

CAPVT XXXIX.

Capitur Ierusalem à Chaldæis: fugit Sedecias rex; sed à fuga retractus, videt filios suos coram se iugulari: ipse excæcatur, & vinctus Babylonem abducitur: proceres Iudæorum occiduntur: Ieremias liberatur, & à Chaldæo benignè habetur: Abdemelecho Æthiopi incolumitas conceditur

℣. 2. APERTA EST CIVITAS] 4. Regum vlt. (vbi pleraque huius capitis explicantur) legimus, *interrupta est ciuitas*, nempe crebris ictibus arietum hostilium, inquit Abulensis & Vatablus.

Abulens. in 4. Reg. vlt.

℣. 3. Porrò PRINCIPES Chaldæi SEDERVNT IN PORTA MEDIA] quæ erat inter portam muri extimi vrbis, & portam muri intimi, putà templi. Cingebatur enim vrbs duobus muris, præter murum templi. Penetrarant ergo iam Chaldæi per primum murum ad portam secundi muri. ita Maldonatus.

℣. 8. DOMVS VVLGI erat domus publica, in qua celebrabatur publici ludi, nuptiæ, iaculationes, &c. inquit Adrich. & ex eo Sanchez & à Lapide.

℣. 9. SVPERFLVI VVLGI videntur hîc vocari QVI REMANSERANT cladi superstites ex opificibus & aliis de plebe; RELIQVIÆ verò POPVLI, ex honestioribus ciuibus reliqui.

℣. 10. MAGISTER MILITVM] LXX. ἀρχιμάγειρον, id est, præfectus coquorum, seu præpositus culinæ regiæ, inquit Theodoretus. Hebræum *rab hattabbachim* propriè significat principem mactantium, quales sunt tam *milites*, quàm *coci*. Et fieri potest, quòd *Nabuzardan* simul fuerit princeps militiæ, & præfectus coquinæ regiæ, quem vulgò *œconomum* vel *maiordomo* vocamus. Hic pauperibus attribuit agros, vineas, hortos & cisternas diuitum, vt messes inde & vindemias colligerent, & Chaldæis vectigal penderent. Inter hos *pauperes* fuisse *Rechabitas*, de quibus suprà, (d) censet Comestor, & Abulensis ex Iosepho & aliis.

רב טבחים

d Ierem. 36. Comestor in Hist. Schol. Abulens. in 4. Reg. vlt. q. 19.

℣. 11. TOLLE IEREMIAM de carcere, ET PONE SVPER EVM OCVLOS TVOS] id est, inuigila saluti illius, curam eius habe.

℣. 14. TRADIDERVNT EVM GODOLIÆ. Primarius hic erat inter Iudæos qui ante captam vrbem ad Chaldæos transfugerant iuxta monita Ieremiæ. & in multis fuerat consilio suo vtilis Chaldæis: & hoc nomine gratus Nabuchodonosori, toti Iudææ ab eo præpositus fuit quasi vicerex: sed ab æmulis Iudæis haud multò pòst perfidè occisus. (e) Sub huius alis & protectione permittitur Ieremias liberè *intrare* IN DOMVM suam, *& habitare* ac conuersari *in* medio *populi*.

e Ierem. 41. v. 2.

CAPVT XL.

Princeps militiæ cibarijs; Hebraicè, viatico, & munusculis recreat Ieremiam, & optionem illi dat habitandi quocumque voluerit loco. is patriam præferens deligit cum reliquijs Iudæorum remanere in Iudæa sub Godolia. struuntur & nuntiantur insidiæ, sed hic nuntiantibus fidem non habet.

℣. 1. SERMO] Id est, prophetia, cuius hîc mentio fit, describitur c. 42. vers. 7. Sed antequam recenseat illam prophetiam, præmittit historiam illi præambulam, quæ causam dedit tali prophetiæ. Hic enim versus primus huius cap. est quasi titulus noui libri, quo recensentur gesta Ieremiæ post excidium vrbis Ierosolymitanæ. ita Hebræi, Liranus, & Maldonatus. Porrò ex annotatione loci, in quo Ieremias vinculis exemptus est à Nabuzardan, putà in *Rama*, (f) in finibus tribus Beniamin, colligi videtur, Ieremiam capta vrbe non statim fuisse vinculis exsolutum, sed vnà cum aliis incarceratis vinctum pertractum esse in *Rama*, vbi demum soluit eum Nabuzardan, & liberum dimisit. ita Vatablus & à Lapide.

f Ierem. 31. v. 15.

℣. 7. PRINCIPES EXERCITVS Iudæorum, QVI post fugam Sedeciæ DISPERSI FVERANT hacillac PER varias REGIONES, confluxerunt AD GODOLIAM, qui residebat

℣. 10.

℣. 10. IN MASPHATH, in finibus terræ Chanaan; eratque via hæc euntibus è Iudæa in Babylonem: & ex eo loco poterat faciliùs agere cum Chaldæis, ET eorum PRÆCEPTO *respondere*, id est, imperata exequi.

℣. 14. ISMAHEL FILIVS NATHANIÆ, ex *semine regali*, (a) cognatus Sedeciæ, persuasus deberi sibi præfecturam iure sanguinis, non verò Godoliæ ob transfugium ad Chaldæos infami & exoso, communicatis cum *Baali rege Ammonitarum* antiquo Iudæorum hoste consilijs, dolo & fraude quærit PERCVTERE ANIMAM, id est, tollere vitam Godoliæ, vel, quod in idem redit, occidere Godoliam. Et poterat ipse huic malo facilè obuiare, si amicis insidias denuntiantibus credere voluisset. Et verò princeps, maximè qui de nouo subinducitur, argus sit oportet, & aduersus æmulorum factiones & insidias, prouidentiâ, consilio & armis probè instructus, & licèt suspicax èsse non debeat, nec delatoribus fidem semper habere; numquam tamen nocuerit, cautè ac solerter quæ ab amicis delata sunt indagasse. cùm certum sit, principatui & imperio plurimos insidiari solere. Godoliam certè perdidit nimia præfidentia.

(a) *Ierem.* 41. v. 1.

CAPVT XLI.

Ismahel dolo occidit Godoliam, eique adhærentes Iudæos ac Chaldæos, populum reliquum vrbis Maspbath captiuum trahens in Ammonitidem: sed insecutus Iohanan fundit fugatq; Ismahelem, & captiuos liberat. Veritus autem ne Chaldæi necem Godoliæ vlturi adcurrant, cogitat cum reliquo Iudæo fugam in Aegyptum.

℣. 1. OPTIMATES REGIS trahit secum Ismahel, vt omnem mali suspicionem eximat Godoliæ. *Decem viros* adhibet audaces & pugnaces, quos Itali *bravos* vocant, qui facinus patrẽt. Porrò ob cæsum Godoliam induxerunt Iudæi perpetuum ieiunium mense septimo, cuius meminit Propheta Zacharias. Sicut ob captum & excæcatum paucis antè mensibus Sedeciam regem, ieiunium instituerunt die sexto mensis octaui, vt videre est in Menologio Hebræorum apud Genebr.

Zachar. 8. v. 19.

℣. 3. OMNES QVOQVE IVDÆOS ET CHALDÆOS QVI erant IBI in palatio CVM GODOLIA, ET VIROS BELLATORES qui erant pro excubiis PERCVSSIT ISMAHEL vino somnoque sepultos, inquit Iosephus. Et sic facilè celauit facinus.

Ioseph. l. 10. Ant. c. 11.

℣. 4. NVLLO ADHVC SCIENTE quid factum esset. Atque ita imposuit Sichemitis, Siloitis & Samaritis, qui

℣. 5. RASI BARBA, ET SCISSIS VESTIBVS, vt solebant in magno luctu, prorsusque SQVALLENTES; Hebraicè, *mitgodedim*, id est, incisi, laceratis vnguibus faciem, pectus & manus, hoc ritu *lugentes* (vt vertunt LXX.) excidium sanctæ ciuitatis & templi, veniebant *oblaturi* THVS ET aliâ MVNERA IN DOMO DOMINI] id est, in eo loco quem Deus templo olim erigendo, & pòst iterum instaurando delegerat, inquit à Castro, Sanchez & à Lapide. Et verosimile est, altare aliquod eo in loco, iussu Godoliæ excitatum fuisse inter rudera templi, vbi victimæ offerri possent Deo. Patet ex Baruch 1. v. 10. vbi Iudæi Babylone pecunias mittunt Ieroſolymam, vt ijs victimæ coëmantur offerendæ Deo. Sic pòst excidium Titi quotannis Ieroſolymam aduolabant Iudæi, vt lugerent vrbis & templi vastationem, inquit S. Hieronymus.

מהגררים

℣. 9. Hos omnes occidit Ismahel PROPTER GODOLIAM: id est, propter odium quo flagrabat in Godoliam, occidit etiam omnes fautores Godoliæ. Hosverò fauere Godoliæ, vel inde deprehenderat, quòd, cùm v. 7. ab Ismahele inuitarentur vt Godoliam accederent, eum pro duce Iudæorum agnoscerent, ac muneribus decorarent, ipsi extemplo consensissent & obsecuti fuissent. Occisorum CADAVERA PROIECIT IN LACVM, QVEM REX ASA (b) olim *fecerat* PROPTER BAASA] id est, contra excursiones Baasæ & Israelitarum, prospiciens Maspharhitis suis de puteo, seu cisterna, quâ refocillari possent. ita Rabanus, Hugo, S. Thomas & Liranus.

(b) 3. *Reg.* 15. v. 17.

℣. 10. *Filiæ regis* hîc & c. 43. v. 6. vocantur quæ vel propriæ erant Sedeciæ, sed adhuc paruulæ; vel quæ ex cognatis regis procreatæ erant. ab hoc enim sexu non erat cur sibi metuerent Chaldæi.

℣. 12. AD AQVAS MVLTAS] Chaldæus, *ad piscinam magnam Gabaon*, de qua alibi. (c)

(c) 2. *Reg.* 2. v. 13.

℣. 17. CHAMAAN vicus est iuxta Bethlehem, quem Dauid (d) dedit *Chamaamo* filio Berzellai, eò quòd sibi, cùm fugeret Absalomum, fidus socius adhæsisset. ita Chaldæus, S. Hieronymus, Vatablus & Pagninus.

(d) 2. *Reg.* 19. v. 37.

Hieron. in locis Hebr.

CAPVT XLII.

Occiso Godolia per Ismahelem, timet Iohanan aliiq; Iudæi, ne mox Chaldæi adcurrant, necem illius vlturi. Quare consulunt Deum per Ieremiam, an expediat in Aegyptum fugere, an in Iudæa remanere. Ieremias respondet, manendum in Iudæa, & obediendum Chaldæis; ita saluos fore. Nam si fugiant in Aegyptum, ibi interituros partim fame ac peste partim gladio Chaldæorum.

℣. 2. ORATIO NOSTRA CADAT IN CONSPECTV TVO] Id est, sit tibi placita & accepta, vt exaudiatur à te petitio nostra, quæ est, vt ores pro nobis Deum, eiusque nutum inquiras, an nos velit in Iudæa subsistere, an in Ægyptum profugere.

℣. 5. SIT DOMINVS INTER NOS TESTIS VERITATIS ET FIDEI: LXX. Chaldæus & Vatablus, *sit Dominus testis verax & fidelis*. q. d. Iuramus & testamur Deum, qui est testis & vindex veritatis & fidei, nos verè & fideliter facturos quidquid ex ore eius iusseris, SIVE BONVM, SIVE MALVM] id est, siue felix, siue calamitosum id fuerit.

℣. 7. SI MANSERITIS IN TERRA Iudææ, ÆDIFICABO VOS, ET PLANTABO] Vtrâque metaphorâ significat Deus solidè fundandam & radicandam Ecclesiam, & perpetuis incrementis firmandam, propagandam, ampliandam. Vtrâque hac metaphorâ vtitur etiam Apostololus, cùm Corinthijs ait, *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis*.

1. *Cor.* 3. v. 9.

℣. 14. NEQVAQVAM] supple, manebimus in Iudæa.

℣. 15. SI POSVERITIS FACIEM VESTRAM, id est, si decreueritis, si firmiter statueritis fugere IN ÆGYPTVM] Vbi enim cor est & amor, eò respiciunt & oculi, & intenta est facies.

℣. 18. CONFLABITVR INDIGNATIO MEA SVPER VOS] Id est, effundetur ira mea in vos, metaphora desumpta à metallis, quæ dum conflantur, liquata magno impetu erumpunt & effunduntur instar torrentis ignei.

ET ERITIS IN IVSIVRANDVM] seu in iuramentum execratorium (e) vt qui volet aliquem execrari, dicat, Deus te perdat sicut perdidit Iudæos, qui contra iussum Dei profugerunt in Ægyptum.

(e) *Ierem.* 29. v. 18. & 22.

℣. 19. SCIENTES SCIETIS, id est, scitote & mementote, QVIA OBTESTATVS SVM VOS HODIE] id est, protestatus sum, vosque ipsos, fidemque vestram,

vestram, imò & iusiurandum v. 5. à vobis præstitum, in testes aduocaui, quòd non obediendo voci Domini

℣. 20. DECEPISTIS ANIMAS VESTRAS] Id est, fefelliſtis vosmetipsos, q. d. Fortè putatis me ægrè ferre quòd me fallatis; magis fallitis vosipsos. LXX. & Chaldæus, *malefacitis animabus vestris*, Deum hoc pacto irritantes, & eius iram de nouo in vos prouocantes. Causa verò cur nollet Deus Iudæos ire in Ægyptum, inter alias erat, quod conuictus Ægyptiorum idolis colendis addictissimorum, periculosus esset Iudæis libertate & opibus istic florentibus, vt patebit c. 44. v. 19 & 25. Secùs erat de Chaldæa, vbi dura seruitus & vincula facilè compescebant Iudæos ab illo scelere. imò tantum ipsis horrorem incusserunt, vt multis exinceps sæculis numquam idololatriâ se contaminarint. Cum hoc cap. S. Thomas, vel quicumque auctor est, morte præuentus, finiuit commentarium suum in Ieremiam.

CAPVT XLIII.

Iudæi relicto Dei imperio, contra fidem ei datam, fugiunt in Ægyptum, & Ieremiam mendacij arguentes eò secum pertrahunt. Is in Taphni excidium Ægypti, vnaq; Iudæorum, per Nabuchodonosorem predicit.

℣. 3. BARVCH hîc fugillatur à Iudæis, quasi staret à partibus Chaldæorum, quod scirent eum non minùs quàm Ieremiam, charum esse Chaldæis, ac proinde ab illis in communi vrbis excidio dimissum liberum benigneque habitum. Quin & audacior ipsis atque animosior videbatur Baruch præ Ieremia, quòd ausus fuisset coram principibus, totoque populo minaces illas prophetias cap 36. v. 6. prælegere, Ieremia id non audente. Et hæc causa est cur hîc fingant Ieremiam à Baruch incitari & animari.

℣. 7. TAPHNIS, aliàs *Tanis*, metropolis erat Ægyptij, & regia Pharaonis, vt alibi (*a*) dictum.

℣. 9. ABSCONDES LAPIDES GRANDES IN CRYPTA SVB MVRO palatij PHARAONIS] q. d. Lapidibus grandibus in terram defossis, calceque & cæmento compactis, sterne fundamentum regalis solij, quod rex Nabuchodonosor collocaturus est in porta palatij Pharaonis, vnde dominabitur toti Ægypto. Quo sensu vocet Deus Nabuchodonosorem seruum suum, eumque miserit ad puniendum Iudæos, alibi (*b*) exposui.

℣. 11. QVOS IN MORTEM scilicet destinaui, tradet Nabuchodonosor IN MORTEM: (*c*) quos *captiuitati* destinaui, *captiuos abducet*, etiam *deos*, seu idola Ægypti aurea & argentea. Denique Nabuchodonosor

℣. 12. AMICIETVR & vestietur omni TERRA ÆGYPTI, id est, omnibus spolijs & opibus Ægypti, SICVT AMICITVR & vestitur PASTOR PALLIO SVO] quando tempore pluuiæ educit oues ad pascua. LXX. vertunt, *scrutabitur terram Ægypti, sicut pastor pediculis purgat vestimentum suum*: nempe tam studiosè, tam curiosè, vt ne vnus quidem effugiat, inquit Theodoretus.

℣. 13. ET CONTERET STATVAS DOMVS SOLIS] LXX. *statuas Heliopoleos*. Vrbs enim hæc ex primarijs Ægypti deuota erat Soli, qui in ea quasi in propria domo, seu templo, colebatur, cuius sacerdos erat ille *Putiphar* Genes. 41. v. 45. Et putantur Ægyptij, vnà cum Phœnicibus, primi omnium hominum solem & alias stellas pro dijs coluisse, quasi gignendarum & abolendarum rerum omnium causas, inquit Pierius.

a *Num.* 13. v. 23. *Psalm.* 77. v. 12. & 43 *Isaiæ* 19. v. 11.

b *Ierem.* 27 v. 6.

c *Ierem.* 15. v. 2.

Pierius hieroglyph. 39.

CAPVT XLIV.

Iergit predicere excidium Ægypti, & Iudæorum qui eò confugerant: quos monet, ne falsum colant idola Ægyptiorum. Sed hi Deo & Prophetæ obstrepentes, asserunt, se non minùs in Ægypto, quàm in Iudæa reginam cæli culturos. Hinc omnibus, simul cum Pharaone famem, gladium & excidium intentat. Estq; hæc vltima Ieremiæ prophetia.

℣. 4. DE NOCTE CONSVRGENS] (*d*) Id est, magnâ vigilantiâ & studio.

℣. 6. CONFLATA quomodo dicatur INDIGNATIO diuina, dixi suprà. (*e*)

℣. 9. MALA VXORVM EIVS] pro, cuiusque eorum.

IN REGIONIBVS IERVSALEM] Id est, in vicis, seu partibus præcipuis, in quas vrbs diuidebatur. Sicut & *Roma* primùm à Romulo in tres regiones, *Capitolij, Palatini & Cælij* montium, deinde à Traiano in quatuordecim diuisa fuit, & etiamnum diuisa manet, quarum singulæ habent suum *Capo-rione*, id est, præfectum regionis, cui incumbit regionem illam à tumultu, cædibus, furtis, omniq; scelere tueri.

℣. 11. PONAM FACIEM MEAM IN VOBIS IN MALVM] Id est, aspiciam vos vultu sæuo ac minaci, intentans vobis pœnas & clades.

℣. 12. ERVNT IN IVSIVRANDVM; expolui c. 42. v. 18. ET IN MIRACVLVM] Hebraicè, *in stuporem*, c. 29. v. 18. & seqq.

℣. 14. IN TERRAM IVDA, AD QVAM ELEVANT ANIMAS SVAS, id est, ad quam reuisendam auidè anhelant, NON REVERTENTVR NISI QVI ex Ægypto, iuxta Ieremiæ consilium, FVGERINT ante aduentum Chaldæorum. Quid ad hæc Iudæi?

℣. 17. FACIENTES FACIEMVS, id est, omnino (*f*) faciemus OMNE VERBVM QVOD EGREDIETVR (*g*) DE ORE NOSTRO, id est, quidquid voluerimus, quidquid nobis libuerit: vel potiùs, quidquid vouerimus (*h*) REGINÆ CÆLI] id est, Lunæ, vt alibi (*i*) dixi.

℣. 21. NVMQVID NON SACRIFICIVM, quod idolis toties obtuliſtis, RECORDATVS EST DOMINVS? an non ASCENDIT SVPER COR EIVS?] nónne irritauit animum eius, & bilem illi prouocauit? q. d. Sensistis quàm id non impunè vobis cesserit in Iudæa, in patria; vultis eumdem rursus irritare in Ægypto, in loco exilij?

℣. 26. IVRAVI IN NOMINE MEO MAGNO, id est, per nomen, seu per immensam maiestatem meam, quòd NEQVAQVAM VLTRA VOCABITVR NOMEN MEVM EX ORE OMNIS VIRI IVDÆI] Id est, nemo Iudæorum in Ægypto iurabit amplius per me, q. d. Nemo colet me deinceps, pauculis exceptis qui iuxta monita mea ex Ægypto tempestiuè profugient: nam reliqui omnes à Chaldæis occidentur, vel fame absumentur. ita ferè Sanchez & à Castro.

℣. 30. PHARAONEM EPHREE REGEM ÆGYPTI TRADAM IN MANV INIMICORVM EIVS] nempe Chaldæorum. Hic Pharao à LXX. vocatur *Vafres*, ab Herodoto *Apries*: qui addit, eum fuisse filium *Psammis*, filij *Nechao*, qui occidit Iosiam (*k*) regem Iudæ, Clemens Alexandrinus dicit anno 2. Apries captam esse à Nabuchodonosore Ierosolymam. Et Cornelius à Lapide vult hunc postremum fuisse qui nomen gesserit *Pharaonum*. Nam Amasis, qui à Nabuchodonosore illi suffectus est, nusquam Pharao vocatur, fortè quòd tantùm vasallus esset Chaldæorum, vt opinatur Genebrardus & Torniellus.

d *Imm.* 7. v. 13. & c.

e *Ierem.* 41 v. 18.

f *Prolog. 2. Id crisma Hebr. n.* 49.

g *Deut.* 8. v. 3. *Matth.* 4. v. 4.

h *Ierem.* 44. v. 25.

i *Ierem.* 7. v. 18.

Herod. l. 12. k 4. *Reg.* 23. v. 29. *Clem. l.* 2. *Strom.*

niellus. Porrò hunc *Apriem* tradit Herodotus & A Diodorus ab *Amasi* captum, & suis hostibus traditum ad strangulationem. Quòd si per hostes Nabuchodonosorem intelligant, facilè concesserim: nam ab hoc illum occisum constat tum ex hoc Ieremiæ loco, tum ex Ezechiele, Iosepho, S. Hieronymo & alijs passim.

Ezech. 29. v. 19. & c. 31. v. 11. 15. 18. Ioseph. l. 10. Antiq. c. 11. Hier. in c. 4. Threnor.

CAPVT XLV.

Ieremias consolatur Baruch scribam suum ob iras & minas Ioakim regis non nihil afflictum, promittendo illi incolumitatem in communi Iudæorum strage. Subnectendum est hoc caput capiti 36.

¥. 1. CVM SCRIPSISSET BARVCH VERBA HÆC] quæ cap. 36. scripta dicuntur.

¥. 3. DIXISTI: VÆ MISERO MIHI, QVONIAM ADDIDIT DOMINVS DOLOREM DOLORI MEO] putà, molestiam molestiæ, periculum periculo. Ex periculo enim prioris scriptionis oraculorum Ieremiæ, vix fugâ me subduxi: nunc ad idem, imò maius, periculum reuocor, quod scriptum posterius, multò acrioribus minis plenum, mihi creabit à rege furibundo mihique infenso. ita Hugo, Liranus & à Lapide. Et colligitur ex v. 1. huius cap.

¥. 5. ET TV delicatule, in communi totius populi desolatione & excidio, cùm deberes etiam cum extremo tuo labore & incommodo & humiliatione tuis laborantibus adesse, QVÆRIS TIBI GRANDIA? id est, opras grandi priuilegio solus in quiete, tranquillitate & otio degere, ab omnibus amari, honorari, collaudari? NOLI QVÆRERE talia: sed saluti consule tuorum qua potes, laborando, scribendo, prædicando. Saltem hoc tibi concedam in præmium, quòd, ceteris pereuntibus, qui te audire, tibique obsequi noluerint, egò TIBI ANIMAM, seu vitam, TVAM *daturus* sim IN SALVTEM] id est, saluam: Hebraicè, *in spolium*; LXX. *in lucrum*.

CAPVT XLVI.

*Prædicit instantem cladem Pharaoni Nechao, quem percussit Nabuchodonosor anno quarto Ioakim iuxta vrbem Charcamis, subigens eâdem operâ totam Syriam Petusium vsque, exceptâ Iudæâ, inquit Iosephus. Deinprædicit Nabuchodonosorem ipsam quoque Ægyptum inuasurum & subiugaturum: quod reipsa contigit decimoseptimo anno post euersam Ieroselymam. * Denique solatur tam Iudæos, quàm Ægyptios, quòd Deus tandem illorum miserebitur, atque ex exilio reducet in patriam.*

* *Chronici c. 34. sub fin.*

¥. 1. CONTRA GENTES varias incipit hîc prophetare Ieremias, & continuat vsque ad c. 51. ita Theodoretus, Rabanus, Hugo & Liranus. Idem facit Isaias à c. 13. vsque 24. & Ezechiel à c. 25. vsque 33. vt in ore trium horum testium stet hoc verbum Dei.

¥. 2. IN CHARCAMIS, vrbs erat ad Euphraten, quam obsederat PHARAO NECHAO: QVEM PERCVSSIT, id est, fudit fugauitque, NABVCHODONOSOR] Iosephus ait, coactum fuisse cedere. Redijt enim in Ægyptum, ibique obijt, & regnum filio suo Psalmi, seu Psammetticho transcripsit, teste Herodoto & alijs.

Ioseph. sup. Herod. l. 2.

¥. 4. IVNGITE EQVOS curribus falcatis. Est sarcasmus, seu hostilis irrisio. q. d. Nihil vobis Ægyptiis proderit omnis ille belli apparatus. Simil. s ironia est

¥. 9. PROCEDANT auxiliares Ægyptiis ÆTHIOPES, ET LIBYES ET LYDII] Omnes victimæ cadent gladio (*a*) Chaldæorum. Hi *Lydj* videntur esse Asiatici, quibus Crœsus pòst paulò præfuit. ita S. Hieronymus.

a Isaiæ 29. v. 1. & c. 34. v. 6. Hieron. in Ezech. 30.

¥. 11. ASCENDE Ô Ægypte IN GALAAD: inde vulneribus tuis curandis TOLLE RESINAM (*b*) & opobalsamum. Pergit ironia. q. d. Frustra omnia medicamina. ita Theodor. Hugo & Vatablus. *b Ierem. 8. v. 22.*

¥. 12. AMBO PARITER CONCIDERVNT] Licèt enim Chaldæis adhæserit victoria, tamen admodum cruenta ac penè *Cadmea* illis fuit, inquit Theodoretus. Et hæc fortè causa fuit, cur Pharaonem fugientem Chaldæus penè exhaustus persequi non potuerit, vt v. 2. insinuatum est. Sed non erit tibi, ô Ægypte, quies æterna.

¥. 14. PRÆPARA TE ad excipiendum in proprio sinu exercitum Chaldæorum.

¥. 15. QVARE COMPVTRVIT FORTIS TVVS? id est, quare milites tui antè robustissimi, nunc instar putridarum arborum corruerunt? Nempe Deus SVBVERTIT EOS, vires illis & animos; & consilium & mentem eripiens. Vnde

B ¥. 16. MVLTIPLICAVIT RVENTES, id est, effecit vt multi corruerent prælio cæsi à Chaldæis, caderentque VIR AD PROXIMVM SVVM, id est, cateruatim, propellentes alij alios in ruinam. ET DICENT Ægyptij, qui ex remotioribus prouinciis ad castra citi erant: item auxiliares Æthiopes, Libyes & Lydij, de quibus v. 9. Fugiamus A FACIE GLADII COLVMBÆ] id est, Nabuchodonosoris regis Babyloniorum, vt alibi (*c*) exposui. Ab hac tantâ strage *c Ierem. 25. v. 38.*

¥. 17. NOMEN PHARAONIS Vaphris vel Ephree, commutate, & VOCATE (*d*) *Saon* (quam vocem retinent hîc LXX.) id est, TVMVLTVM, seu perturbationem horribilem, quam Ægypto superindvxit TEMPVS infelicis conflictus & extremi excidij, quod Pharao sibi accersiuit, irritando & prouocando Chaldæum. ita à Castro, Sanchez & à Lapide. *d Isaiæ 8. v. 3.* שאון

C ¥. 18. SICVT certum est, THABOR eminere *inter montes*, ET CARMELVS inter promontoria quæ in *mare* procurrunt: ita certum est, obuenturam Ægypto insignem, præcelsam & præaliis gentibus eminentem cladem. ita Chaldæus, Theodoretus, Vatablus, & ferè Maldonatus.

¥. 20. *Formosa vitula* (*e*) Ægypto STIMVLATOR VENIET AB AQVILONE] id est, è Chaldæa, impulsurus eam non ad lætas Ægypti pascua, sed ad senticeta Babylonica, ad carcerem, ad macellum. Alludit ad vitulum *Apin*, (*f*) quem Ægyptij pro Deo colebant, & cum quo vitulabantur. *e Isaiæ 15. v. 5. & Osee 10. v. 11.* *f Genes. 41. v. 43.*

¥. 21. MERCENARII vocantur milites mercede conducti è vicinis prouinciis ac regnis.

¥. 22. VOX EIVS, scilicet Ægypti, non erit ampliùs quasi vitulæ vel bouis: immani strepitu mugientis ac boantis, sed erit QVASI ÆRIS] LXX. & Chaldæus vertunt, *quasi serpentis*. ac si dicat: Raucus erit & funebris eiulatus, qualem edunt tibicines ferali tubâ æneâ, cùm cæsorum cadauera efferunt ad sepulchrum: vel qualem edunt serpentes, dum lethaliter saucij, miserandum simul & horrendum sibilum emittunt. ita Theodoretus, Rabanus, Vatablus, Maldonatus & Sanchez.

¥. 25. VISITABO SVPER TVMVLTVM, id est, puniam turbam magnam, ALEXANDRIÆ] Hebraicè, *Amon No*. Vrbem illam quæ vocatur *multa*, seu multi populi, *Alexandria*. Sicut enim *Augusta* pluribus ciuitatibus magnificis commune nomen est, sed determinatur additione nominis loci particularis, v.g. *Augusta Vindelicorum*, *Augusta Cæsaris* in Hispania, *Augusta Galliæ*, &c. ita *Amon*, id est, multa, ob incolarum frequentiam, commune nomen est pluאמון

ribus populosis vrbibus, sed hîc à Propheta determinatur ad *Nos*: sic enim etiam à Nahum & ab Ezechiele vocatur emporium Ægypti, quod postea ab *Alexandro* vocatum est *Alexandria*. ita ferè Sanchez. Idem dico de *Rabbath*, quod idem significat quod *Amon*.

נוֹא *Nahum* 3. v. 8. & *Ezech.* 30. v. 15.

℣. 26. POST HÆC, id est, post finem monarchiæ Chaldaicæ, iterum HABITABITVR Ægyptus ab ijs qui in Chaldæam captiui ducti fuerant. Sed humile tum erat regnum, inquit Ezechiel: & pro domestico rege, Amasin habebant externum à Chaldæis regi Ephree subtitutum; quem Amasin Persis rebellem Cambyses Cyri filius subegit, Ægypto in prouinciam redacta, quæ totis 150. annis iugum hoc excutere non potuit, teste Eusebio.

Ezech. 29. v. 14.

Euseb. in Chronico.

℣. 27. ET TV IACOB NE TIMEAS] Si enim Ægyptios è carcere reducam in patriam, quanto magis te, qui seruus meus, imò filius es? Neque enim decreui te, tamquam hostem, funditus exscindere: sed solùm

B

℣. 28. CASTIGABO TE vt filium IN IVDICIO] id est, cum iusto moderamine, vt alibi (a) dixi. *Iudicium* enim hîc opponitur *furori* & iræ hostili.

a *Ierem.* 30. v. 11.

CAPVT XLVII.

Palæstinos omnes cum Tyriis & Sidoniis per Nabuchodonosorem vastandos praedicit.

℣. 1. GAZA erat vna ex quinque satrapijs Philisthinorum, Samsonis facinoribus & morte clarissima: (b) alio nomine *Gazer*, & *Gazara*? Hebraicè *Atza*, syriacè *Atzan* dicta. Hanc *percussit Pharao* anno 4. Ioakim, vt vult Sanchez; vel, vt Castrius, Maldonatus & Hebræi, anno 9. Sedeciæ. Sed hæc ab Austro suborta clades non sufficit expiandis sceleribus vestris, inquit Propheta: longè grauior imminet vobis à sæuo AQVILONE, id est, à Chaldæis, vnde AQVÆ; id est, copiæ militares, ASCENDENT *instar torrentium* omnia *inundaturæ*. Porrò *Gaza* ad Christum postea conuersa, dicta est *Constantia* à sorore Constantini Magni, inquit Eusebius. Sed hæc noua est *Gaza*, in vicino loco substructa: nam vetus illa ab Alexandro Magno excisa funditus est, & ob id *deserta* nuncupata, (c) inquit ex S. Hieronymo & Iosepho Adrichomius. Altera mirè postea floruit, fano *Marnæ* celebris, quod Theodosius Imperator dirui iussit. Ex ea prognatus Procopius Gazæus: & in ea martyrium passus S. Siluanus cum alijs 39. Et etiamnum è primarijs est vrbibus Syriæ, inquit idem Adrichomius.

b *Iudic.* 16. v. 21. 29. &c.

עזה

Euseb. l. 4. de Vita Constantini c. 38.

c *Act.* 8. v. 26.

℣. 3. PATRES obliti naturalis affectus, præ paùore DISSOLVTIS quasi paralysi MANIBVS, NON RESPEXERINT, neque curarunt proprios FILIOS suos. ita Chaldæus & Theodoretus.

D

℣. 4. PRO ADVENTV DIEI] Id est, propter diem, seu tempus calamitosum, quod superueniet Palæstinæ. Quo sensu *Palæstini* vocentur hîc RELIQVIÆ INSVLÆ CAPPADOCIÆ] alibi (d) exposui.

d *Deut.* 2. v. 23.

℣. 5. SVPER GAZAM VENIT CALVITIVM. id est, expilatio & direptio omnium bonorum, vt ne pilum quidem hostes reliquum fecisse videantur, inquit Rabanus & Liranus. Quin & ASCALON vicina satrapia CONTICVIT (e)] & ipsa funditus excisa & euersa. Summum enim silentium est vbi excisa omnia.

e *Ierem.* 25. v. 37.

VSQVEQVO CONCIDERIS, ô Ascalon? ô Gaza? vsquequò tam amarè lugebis, vnguibus, imò cultellis, more Gentilium, discindens ac dilanians vultum, pectus, manus? ita Hugo, Liranus, Vatablus,

℣. 6. O MVCRO DOMINI, REFRIGERARE ab ardore cædendi, ET SILE] id est; quiesce parumper. Impleta est hæc prophetia de excidio Palæstinæ, anno 5. post excisam Ierosolymam, anno Nabuchodonosoris 23. tunc enim vastauit Cœlesyriam, cuius pars est Philisthæa. ita Iosephus.

Ioseph. l. 10. *Antiq. c.* 11.

CAPVT XLVIII.

*Praedicit excidium Moab per Chaldæos, propter fastum, idololatriam, blasphemias in Deum, & contumelias in populum eius. ita Theodoret. Rabanus, Hugo & Vatablus. Subnectendum est hoc & sequens caput cum 37. Eadem de Moab praedixit Isaias, * ex quo multa deprompsit Ieremias.*

* *Isaiæ c.* 15 & 16.

℣. 1. NABO non accipitur hîc pro *monte*, neque pro *idolo*, vt alibi, (f) sed pro *vrbe* Moab, in tribu *Ruben*, Numeror. 32. v. 38. Significat verò *oracului*, quod forsan erat in ea vrbe. q.d. Tu *Nabo* ex falso tuo oraculo promittis tibi cæteris quæ vrbibus Moab pacem & immunitatem à Chaldæis: sed ego te primo loco ipsis tradam. ita Sanchez. Deinde CARIATHAIM, alteram vrbem Moab, imò duplicatam vrbem (est enim dualis numeri) in eadem tribu Ruben, (g) vbi antè habitarũt *Gigantes*. ita S. Hieronymus, Liranus, Hugo, Abulensis. Vocatur hîc ciuitas FORTIS; Hebraicè, *refugium*, quia tempore belli solebant eò confugere vicini ob loci munitionem.

f *Isaiæ* 46. v. 1.

g *Num.* 32. v. 37. *Hieron. in Locis Hebr. Abulens. Iosue* 14. v. 15.

℣. 2. CONTRA HESEBON COGITAVERVNT MALVM] scilicet Chaldæi. Sic enim hæc verba connectunt Chaldæus, Pagninus Liranus, Hugo & Sanchez. hæc est tertia vrbs Moab, antea Sehonis regis Amorrhæorum. Nomen *Silens*, vsurpat idem Chaldæus, Pagninus & Vatablus, pro nomine quartæ vrbis, quæ Hebraicè vocatur *Madmen*, id est, silens. q.d. Iuxta nomen tuum fiet tibi; vocaris SILENS, ad silentium & solitudinem redigeris.

מדמן

C

℣. 3. ORONAIM quinta est ciuitas.

℣. 4. PARVVLIS EIVS ANNVNTIATE edendum ab ipsis CLAMOREM & eiulatum, cùm viderint occidi, vel saltem à se diuelli parentes suos.

℣. 5. LVITH sexta vrbs Moab, loco excelso sita. ita Vatablus & Liranus.

℣. 6. ERITIS QVASI MYRICÆ] id est, humiles, abiecti, viles, steriles, solitarij.

℣. 7. De *Chamos* idolo Moab dixi alio loco. (h)

h 1. *Reg.* 11. v. 7.

℣. 8. Per *prædonem* intelligit Nabuchodonosorem.

℣. 8. DATE FLOREM] Chaldæus, *coronam*. Tsits enim Hebræum, & *florem*, & *coronam*, & *alam* significat. Vnde R. Kimchi, Pagnin. & Vatablus vertunt, *date alam Moab, quia volando (i) volabit*, id est, certissimè & citissimè volabit in Chaldæam. Sed Rabanus, Hugo, Liranus & alij legunt *florem* cum Nostro, vel coronam ex floribus contextam. q.d. Floribus & coronis redimite vos, ô Moabitæ, quantum lubet: sed scitote, vos cum floribus & corollis omnibus in carcerem & exilium deportandos.

ציץ

i *Prolog. de Idiotismis Hebr. n.* 49.

℣. 10. MALEDICTVS QVI FRAVDVLENTER; LXX. *negligenter*, FACIT OPVS DOMINI] nempe excidium Moabitarum à Deo decretum & imperatum. Putà, si fingat se velle occidere, & interim ob lytrum vel affectum parcat noxijs. Poterant autem Chaldæi vel ex hac ipsa Ieremiæ prophetia facilè rescire, hoc esse Dei decretum de Moabitide exscindenda, sicut sciuerunt de Iudæa. & si quidem ad hanc Dei voluntatem complendam se suaque direxissent Chaldæi, non peccassent vastando Moabitas vel Iudæos: sed quia in hoc potiùs ambitioni,

ni, auaritiæ & odio suo deseruierunt; hinc veri tyranni fuerunt, ideoque & ipsi meritò puniti sunt, vt cap. 50. audiemus.

¥. 11. MOAB vino calido similis, REQVIEVIT hucusque IN FÆCIBVS SVIS, id est, in diuitijs, delicijs, vitijs suis, ac proinde retinet primum saporem & odorem suum, aut terum ac fæculentum; ET NON ABIIT IN TRANSMIGRATIONEM; id est, numquam in exilium abductus est, quo purificari potuisset, instar vini DE VASE IN VAS TRANSFVSI, quod hac viâ suauius ac delicatius redditur. ita Vatablus, Chaldæus, Liranus & Hugo.

¥. 12. PROPTEREA MITTAM ET ORDINATORES; Vatablus *vietores*, ET STRATORES; qui *lagunculas* & dolia ordine disponant, humi sternant & inclinent, vt vinum ex vno vase in aliud transfundant, & Moabitas è patria in exilium abducant: deinde LAGVNCVLAS COLLIDENT] id est, vrbes Moab, abductis incolis, destruent & euertent, inquit Vatablus & Maldonatus.

¥. 13. CONFVNDETVR desertus, nec potens iuuari MOAB AB idolo suo CHAMOS] sicut confusi fuerunt Israelitæ non potentes adiuuari à suis vitulis aureis, quos pro diis colebant in Dan & *Bethel*.

¥. 17. QVOMODO CONFRACTA EST VIRGA FORTIS, BACVLVS GLORIOSVS? id est, sceptrum & regnum glorioſum Moab.

¥. 18. O HABITATIO FILIÆ DIBON, id est, fluentis. q.d. O populе *Dibon*, quiantea gloriabaris de affluentia aquarum & omnium aliarum rerum, SEDE iam IN SITI] id est, carentia & inopia extrema. Addit Isaias, aquas *Dibon* sanguine ciuium miscendas ac fœdandas esse, explicatque etiam alia multa huius cap. Porrò vos Chaldæi, quasi ministri diuinæ iustitiæ, *Isaiæ 25.*

¥. 26. INEBRIATE EVM] Id est, propinate Moab calicem furoris Domini, & vsque eò illum affligite, vt quasi ebrius vbique impingat, & euomat opes, potentiam, gloriam quâ hucusque superbiuit: *allidat manus* pedesque terræ, præ impatientia & ægritudine, & volutet se in sordibus *vomitus sui*. ita Chaldæus, Vatablus & alij.

¥. 30. NON est IVXTA iactantiam Moab VIRTVS, seu potentia, EIVS. id est, plus se iactat quàm possit præstare, inquit Theodoretus. NEC IVXTA QVOD POTERAT, seu vires eius ferebant, CONATA est FACERE] sed plus tentauit, & supra vires.

[a] *Isaiæ 16. v. 7.*

¥. 31. De *muro fictili* dixi alio loco. (a)

¥. 32. DE PLANCTV IAZER, id est, fletu tali qualis factus est super Iazer, *deflenda* est etiam SABAMA fertilis vitibus & hominibus. Vtraque enim vrbs à Chaldæis pari clade vastabitur. PROPAGINES TVÆ, seu ciuium tuorum, VSQVE AD MARE Mortuum, & vsque ad IAZER, quæ vicina est illi mari, extendebantur, quasi dicat: Nimis luxuriabaris, (b) nimis longè mittebas sarmenta tua, oportuit illam amputare, ita Maldonatus & Sanchez.

[b] *Psal. 79. v. 12.*

¥. 33. Per *Carmelum* intelligit locum fertilem, cultum & amœnum, qualis erat Carmelus, & Carmelo similis terræ Moab. ita Pagninus & Vatablus. Sic & omnem hortum amœnum solemus vocare *Tempe*. Porrò fugientium Moabitarum

¥. 34. DE HESEBON à finibus Orientalibus CLAMOR continuabitur VSQVE ELEALE, quæ est in finibus Occidentalibus Moab. Item A SEGOR Orientali, VSQVE AD vtramque ORONAIM Occidentalem, nempe *Bethoron* superiorem & inferiorem. Porrò SEGOR, id est, parua, sic vocata à Loth eò ex Sodomis confugiente Genes. 19. vers. 22. hîc vocatur VITVLA CONTERNANS, id est, triennis, nempe plenæ iam & perfectæ ætatis, fortis, pinguis, pulchra, de quo plura apud Isaiam. AQVÆ NEMRIM, id est, amaræ ex aquis salsis maris Mortui, quod vicinum est illi vrbi, iuxta nomen suum PESSIMÆ tunc ERVNT] vtpotè cadaueribus, & sanguine cæsorum inficiendæ, inquit Liranus & Maldonatus. *Isaiæ 15. v. 5.* נמרים

¥. 36. COR MEVM AD, id est, propter excidium, MOAB, QVASI TIBIÆ, quæ in luctu adhiberi solent, RESONABIT, id est, lugubrem edet sonum, AD VIROS vrbis *kir cheres*, id est, MVRI FICTILIS] de quo suprà. (c) Verba sunt Prophetæ. קיר חרש *c Isaiæ 16. v. 7. & hic v. 31.*

¥. 37. OMNE CAPVT Moabitarum ERIT CALVITIVM: omnes enim vel captiui erunt, vel certè lugentes. Vtrique enim horum decaluabuntur. IN CVNCTIS MANIBVS erit COLLIGATIO] Id est, omnium manus vinculis colligabuntur; Hebraicè & Græcè, *super omnes manus erunt incisiones*, nempe ex vinculorum constructione.

¥. 40. QVASI AQVILA (d) in Moab INVOLABIT Nabuchodonosor *alis* equitum & exercituum suorum. Insinuat fortitudinem, celeritatem, violentiam, rapacitatem, simul & generositatem ac magnificentiam Chaldæorum, inquit Theodoretus. *d Ezech. 17. v. 3.*

¥. 43. PAVOR gladij hostilis, ET FOVEA, id est, casus improuisus, ET LAQVEVS, seu, insidiæ, Chaldæorum, SVPER TE Ô MOAB] In Hebræo pulchra est paronomasia. *pach*, *pachat*, *pachad*, id est, *laqueus*, *fouea*, *pauor*. (e) Et per hæc tria, cetera quoque calamitatum genera intelligit. פחדה פחת פחר *e Isaiæ 24. v. 17. & 18.*

¥. 45. FVGIENTES DE LAQVEO, id est, euadentes vim & insidias Chaldæorum, confugerunt in vrbem HESEBON, IN eius VMBRA, seu protectione, credentes se tutos fore, sed fallentur miseri: quia IGNIS è Chaldæis iectus in vrbe SEON, quæ eadem est cum vrbe Hesebon, deuorabit partem etiam illam Moabitarum, inibi conclusam, putà VERTICEM FILIORVM TVMVLTVS] id est, nobiliorem partem tumultuantium Moabitarum. ita Sanchez & alij.

¥. 47. ET tandem CONVERTAM, id est, in patriam reducam, CAPTIVITATEM MOAB corporalem sub Cyro, teste Sophonia, Iosepho, Theodoreto & alijs: & spiritualem sub Christo & Apostolis, inquit Rabanus, Hugo, Vatablus. *Sophoniæ 2. v. 9. Ioseph. l. 13 Antiq. c. 21*

CAPVT XLIX.

Prædicit per eosdem Chaldæos etiam exscindendos Ammonitas, Idumæos, Damascenos, Cedrenos & Aelamitas.

¥. 1. NVMQVID NON FILII, vel *heredes*, SVNT ISRAELI, ad quos iure pertinet terra GAD, totaque reliqua Galaaditis, trans Iordanem; CVR ergo MELCHOM, (f) id est, Ammonitæ (quorum rex, dominus & deus est Melchom) il- *f 1. Paral. 20. v. 2.*

lam

iam inuaserunt, tribubus Gad, & Ruben, & dimi-
2.4.Reg.15. dia Manasse in Assyriam (a) abductis? Nempe,
b Iudic.11. v.13. quod olim sub Iephte (b) non potuerant, iam nullo repugnante effectui dederunt. Sed Deus illis tamquam raptoribus, & sibi suoque populo iniuriis,
Ezech.25. v.6. excidium hoc nomine intentat. Ezechiel aliam etiam causam excidij illorum profert, nempe quòd in euersione Israelis exultarint, eamque adiuue-
Alcazar in Apoc.14. v.11. not.6. rint. Tropologicè, Alcazar per Moab & Ammon, fratres ex carnali & incesto concubitu genitos, accipit appetitum duplicem, concupiscibilem & irascibilem, quia rationi & spiritui iugiter aduersantur & obluctantur.

רבת ¥. 2. RABBATH, id est, multa. (c) Sic ob popu-
c Ierem.46. v.25. li multitudinem & loci amplitudinem vocabatur metropolis Ammonitarum in Arabia sita, quæ
Stephanus l.de Vrbib. postea à *Ptolomæo Philadelpho* dicta fuit *Philadelphia*, inquit Stephanus. Hanc Iudæi è Chaldæa reuersi facient aliquando suam, & POSSESSORES iam suæ ditionis, ipsi tunc POSSIDEBVNT] Id factum per
1.Mach.5. v.6. Machabæos docet sacra historia & Iosephus, Hugo, Liranus & alij.
Ioseph.supr.

¥. 3. VLVLA HESEBON vrbs Moabitarum, ob excidium HAI vicinæ: Ammonitarum vrbis. Præcessit ergo excidium Ammonitarum, euersionem Moabitarum. Et deberet hoc caput præponi capiti 48. inquit Isidorus & Maldonatus.

¥. 4. QVID GLORIARIS IN VALLIBVS, amœnis & fertilibus per excellentiam, instar paradisi Dei? erant enim vicinæ Pentapoli, Genes. 13. v.10. Sed iam DEFLVXIT VALLIS TVA, quia vastata; Chald. *desolata est*.

¥. 5. SINGVLI DISPERGEMINI A CONSPECTV VESTRO mutuo, q. d. Vnus huc, alter aliò C diffluet. Tandem tamen

¥. 6. REVERTI FACIAM CAPTIVOS AM-
d Ierem.48. v.47. MON] vt suprà (d) dixit de *Moab*. Dices, Ezech. 25. v.10. dicitur, non ampliùs fore *memoriam Ammon*. Resp. Hoc intelligit de rege & regno Ammon, non verò de gente, seu populo, quem constat à Cyro remissum in patriam, sed Persis subiectum, instar aliarum prouinciarum.

¥. 7. THEMAN vrbs erat Idumææ, sapientibus abundans, & quasi Gymnasium seu Academia.
e Genes.36 v.11. sic dicta à *Theman* (e) nepote Esau. Miratur ergo Propheta, Themanos antè tam sapientes, iam Nabuchodonosore aduentante, inopes factos omnis consilij, sapientiæ, industriæ ad se tutandos.

¥. 8. DEDAN regio est Idumææ, vel certè illi
f Genes. 25. v. 3. vicina, sic dicta à *Dadan* (f) filio Abrahæ ex Cetura: nam & alij Abrahæ filij in vicinis Arabiæ prouincijs se continuerunt. Porrò *Dedanos* monet, sed ironicè, vt ad latebras captandas DESCENDANT IN VORAGINEM] id est, in fossas, in speluncas vicinas q. d. Frustra vos occultabitis, quia etiam inde vos eruent, capient, occident Chaldæi, vt dicitur ¥. 10. QVONIAM PERDITIONEM ESAV, id est, cladem pridem à me decretam contra Idumæam, iam *inducam* SVPER *eam*.

¥. 9. VINDEMIATORES hinc inde *relinquunt* latentem aliquem RACEMVM: fures quoque non omnia tollunt.

¥. 10. EGO VERO ita DISCOOPERVI omnia
g Abdiæ 1. v. 5. ABSCONDITA Idumææ, vt nihil CELARI (g) POSSIT Chaldæos. ita Rabanus, Hugo & Liranus. ET NON ERIT superstes tantæ cladi, humanitus loquendo, vllum SEMEN, inquit Maldonatus.

¥. 11. RELINQVE tamen mihi PVPILLOS TVOS] q. d. Ex horrenda illa strage pauculos conA seruabo, diuinâ meâ potentiâ ac prouidentiâ. Sed tamen etiam maior pupillorum pars inuoluetur ijsdem flammis. Atque hinc considera,

¥. 12. Si QVIBVS per ætatem NONDUM ERAT IVDICIVM, quo possent malum à bono secernere, BIBENT CALICEM iræ & furoris mei; TV qui prouecta ætate toties tam fœdè impegisti, QVASI INNOCENS, impunis RELINQVERIS!

¥. 13. BOSRA metropolis Idumææ, (h) ERIT h Genes.36. IN MALEDICTIONEM] id est, tam horrendè castiga- v.33. bitur, vt omnibus palàm futurum sit, ipsam à Deo maledictam, & excidio deuotam esse. Modum excidij iam orditur ab ouo.

¥. 14. AVDITVM, id est, rem prout accidet, AVDIVI non ab aliquo homine, sed AB ipsomet DOMINO. Primò, LEGATVS (i) à Nabuchodono- i Isaiæ 5. sore MISSVS EST AD GENTES illi subiectas, qui v.16. B omnes ad bellum CONTRA *Idumæos* euocaret. ita Albertus & Arias.

¥. 15. PARVVLVM DEDI TE: Id est, dedi vobis, ô Idumæi, regionem angustam & arctam inter rupes & saxa, paruo etiam numero vos superstites reliqui tot cladibus per Dauid & Ioab (k) & alios k 2.Reg.8. reges (l) non semel attritos, & penè exciscos. Intu- v.14. mescis nihilominus intolerandâ superbiâ atque l 4.Reg.14 ARROGANTIA ob loci quo concluderis muni- v.7. tionem, ob colles & rupes inaccessas quibus cingeris. Falleris tamen; Chaldæus omnia peruadet, ita Theodoretus, Rabanus, Hugo. Desuinpsit hæc Ieremias ex Abdia, cuius tota propheta est de excidio Idumææ.

¥. 19. ECCE tibi mox hostem in portis, monarcham Chaldæum, qui QVASI LEO (m) DE SU- m Ierem. 4. PERBIA IORDANIS, id est, transmisso Iordane v.7. tempore messis admodum intumescente, (n) AS- n Iosue 3. SCENDET cum innumeris copijs AD PVLCHRITV- v.15. DINEM ROBVSTAM, id est, ad expugnandas vrbes & arces tuas, non minùs pulchras quàm robustas. ita Rabanus, Hugo, Vatablus. Vel, vt à Castro, sicut leo ascendere solet de pascuis turgidi Iordanis ad prædam, ita veniet ad te Nabuchodonosor. QVIS ERIT ELECTVS ille miles vel Imperator, QVEM PRÆPONAM, seu præficiam Idumææ, ad resistendum Nabuchodonosori à me misso, & consequenter ad resistendum mihi? QVIS ISTE PASTOR (o) o Isaiæ 44 populorum, id est, *rex*, vt Chaldæus vertit, QVI v.28. VVLTVI MEO RESISTAT? ita Liranus & Sanchez.

¥. 20. SI NON DEIECERINT Idumæos PARVVLI GREGIS, id est, vilissimi quique militum Chaldæorum: supple, habeat mendax. est enim formula iurandi, vt sæpiùs (p) dixi. ita Chald. Hu- p Proleg. de go, Liranus & Vatablus. Idiotismo

¥. 23. DAMASCVS] Hebraicè, *Dammesec*, id Hebr.n.13. est, *sanguinis*, (seu vini rubri) *saccus*; Græcè quasi αἷ- דמשק μα ἀσκὸς, *vini vter*; optimo enim vino abundat: vnde fingebant, Bacchum *Damasci* in *sacco* habitasse. *vrbem Ionis, & totius Orientis oculum* vocabat Iulianus Apostata. Condita primùm ab *Hus* filio Aram Iuliano in Epistolis. nepotis Noë, inquit Iosephus, vnde dicta *Aram*: inde restaurata à *Dammesec* (q) seruo Abrahæ, vocata Iosephl.1. est *Damascus*, inquit S. Hieronymus. Caput est & Antiq.c.6. regia nobilioris partis Syriæ, quæ inde *Damascena* q Gen.c.15. dicitur, vel *Syria Damasci*. Et panni istic contexuntur v. 2. diuersorum colorum serici, byssini, xylini, seu gossipini, qui inde *Damasceni* vocantur. Primus eam Hieron. de subegit rex Dauid: (r) Secundus, Teglatphalassar: (s) Locis Hebr. r 2.Reg.8. Tertius, Nabuchodonosor: Quartus, Romanus v. 6. exercitus tempore Pompeij: Quintus; Saraceni: s 4.Reg.16. Sextus, Tamberlanes: Septimus, Selymus Turcarũ v.9. Imperator

Imperator anno Christi 1517. & his etiamnum pa- A ret. ita Bredenbachus & Adrichomius.

a *Amos 6. v. 2.*

EMATH vrbs Syriæ, postea ab Antiocho Epiphane aucta nomen accepit *Epiphania*. (a) ARPHAD alia est vrbs Syriæ.

℣. 27. MOENIA BENADAD] id est, Damasci, quam Benadad Syriç & Damasci rex nouis ac splẽdidis ædificiis exornauit, inquit Theodoretus.

b *Genes. 25. v. 13.* קדר

℣. 28 CEDAR regio est Arabiæ, sic dicta à *Cedar* (b) secundo Ismaelis filio, quæ postea vocata est Arabia Petræa, in qua mons Sinai & Horeb. Incolæ *Cedareni* dicti, id est, nigri, à radice *kalar*, quod nigrescere significat, quia ob solis æstum quo torrentur, sunt corpore fusco. Dicuntur & *Agareni*, ab Agar matre Ismaelis. Iam *Saraceni* dici malunt, mutuato nomine à Sara primaria Abrahæ vxore: vel, vt Stephanus opinatur, à Saraca metropoli sua. Ex his prognatus est *Mahometus*, pernicies orbis. Agunt ferè in rupibus, siluis, locisque desertis instar ferarum, ex pecoribus viuunt & raptu: nec potest Turca prædones istos, omni suâ potentiâ à prædis compescere.

Steph. l. de Vrbibus.

B

ASOR metropolis est Cedarenorum; vnde REGNA ASOR sunt ipsa *Cedar*, inquit S. Hieronymus, Sanchez & alij. Iidem vocantur FILII ORIENTIS] quia incolebant Orientalem plagam, respectu posterorum *Isaac*, (c) cognatorum suorum.

c *Genes. 25. v. 6.*

d *Ierem. 9. v. 26.*

℣. 32. ATTONSI erant Saraceni IN COMAM] vti nunc Walachi, & nonnulli Germani, vt (d) alibi dixi.

e *Isaiæ 22. v. 6. Ioseph. l. 1. Antiq. c. 7. Hieron. in Tradit. in c. 10. Genes. v. 22.*

℣. 34. ÆLAM (e) regio est Persidis, ita dicta ab *Ælam* primogenito Sem, inquit Iosephus & S. Hieronymus. Hi Chaldæis Iudæam expugnantibus opem tulerunt, inquiunt Rabbini, ideoque puniendi hîc prædicuntur.

℣. 36. QVATVOR VENTI A QVATVOR PLAGIS CÆLI designant multiplices militum phalanges vndique instar ventorum inuolaturas in *Ælam*.

C

f *Ierem. 15. v. 18. & 25.*

℣. 38. PONAM SOLIVM MEVM IN ÆLAM] (f) Id est, subigam mihi Persas, & ego ipse illis imperabo, nempe per *seruum* & vicarium *meum* Nabuchodonosorem, inquit Theodoretus. Quod Sanchez factum opinatur post excisos Cedarenos.

℣. 39. IN NOVISSIMIS DIEBVS, nempe Cyro Persa Chaldæam obtinente, REVERTI FACIAM CAPTIVOS ÆLAM in Persidem patriam suam: Allegoricè, ad Ecclesiam Christi. Certè Actor. 2. v. 9. inter alias gentes, è quibus plurimi conuersi dicuntur, etiam Ælamitæ recensentur: & mirè floruit ibidem christianismus, maximè sub Sapore rege, vt Sozomenus, & ex eo Baronius fusè describit.

Sozom. l. 2. c. 8. 9. 10.

CAPVT L.

D

Chaldæis excidium prædicit per Cyrum & Darium, quos euocat & immittit in Babylonem, describens eorum fortitudinem ac ferociam: Iudæis interim salutem & libertatem pollicetur. Prophetauit hæc Ieremias anno quarto Sedeciæ, vt patet ex cap. 51. v. 59.

℣. 2. CONFVSVS EST, id est, certò confunde- C tur BEL (g) idolum Babyloniorum. VICTVS EST, seu vincetur, MERODACH, seu *Euilmerodach*, alio nomine *Baltassar* (h) dictus.

g *Chron. 12 & Gen. 11. & Dan. 4. in fine.*

h *Chron. c. 34. in fine & 4. Reg. c. 25. in fine.*

℣. 3. GENS. AB AQVILONE propriè respectu Babyloni erant Armeni, Hyrcani, Caduſij & alij, quos ad communem hostem Chaldæum è medio tollendum Persæ & Medi euocarunt. Quamquam & ipsi Medi etiam ex parte vergant ad Aquilonem Babylonis. Vidè Sanchez.

MOTI, id est, dispersi, SVNT Babylonij, ET ABIERVNT in seruitutem, in captiuitatem.

℣. 4. FILII ISRAEL, SIMVL ET FILII IVDA VENIENT; Hebraicè, *sociabunt se*. FLENTES præ lætitia, ob recuperatam libertatem sub Cyro, sed magis sub Christo, antitypo Cyri. IN, id est, versus, SION, seu Iudæam, mysticè in Ecclesiam Christi, INTERROGABVNT VIAM. Hac viâ VENIENT AD DOMINVM, ET ei APPONENTVR; Hebraicè, *copulabuntur*, agglutinabuntur, indiuulsè adhærebunt. FOEDERE SEMPITERNO] nempe quamdiu durabit Iudæorum respublica. Vel potiùs, fœdere Euangelico, quod verè æternùm durabit. Etsi enim hæc ad litteram videantur exponenda de Iudæis & Israelitis è Chaldæa & Assyria in Iudæam reuersis, vt verè plurimi reuersi sunt ex omnibus tribubus, teste quoque Isaia. & Iosepho; tamen propriè ac præcipuè id intelligendum de Iudæis & Israelitis è seruitute diaboli & legis veteris in libertatem filiorum Dei per Christum reductis, vt SS. Patres & Doctores vnanimi consensu exponunt.

Isaiæ 11. v. 14. Ioseph 11. Antiq. c. 5.

℣. 6. GREX PERDITVS Israel errabat, colendo varia idola in variis montibus, OBLITVS CVBILIS SVI] id est, templi, & Dei veri, in cuius sinu solebat quiescere, inquit Theodoretus & Rabanus.

℣. 7. HOSTES Iudæorum DIXERVNT, NON PECCAVIMVS, imò obsequium Deo præstitimus, expilando & exscindendo Iudæos: EO QVOD ingrati PECCAVERVNT DOMINO DECORI IVSTITIÆ, id est, à quo tam splendidè decorabantur temporaliter & spiritualiter cùm adhuc in iustitia starent: qui semper fuit EXPECTATIO, (i) id est, spes, PATRVM] protegens, saluans, ornans omnes suis beneficijs.

i *Ierem. 14. v. 8.*

℣. 8. ESTOTE QVASI HOEDI ANTE GREGEM] Id est, singuli conentur primi esse in reditu è Babylone, generosè animantes infirmos, & per arduа traducentes languidos.

℣. 11. QVONIAM EXVLTATIS *in direptione* HEREDITATIS MEÆ, id est, in excidio Iudæorum, qui filij & hereditas mea sunt: & quia MAGNA LOQVIMINI, superbè vobismet victoriam adscribentes: ET EFFVSI ESTIS summa auiditate & inexplebili auaritia, in prædam, SICVT VITVLI irruunt *in* HERBAM] ferocientes, lasciuientes, ideoque *mugientes*, inquit Rabanus & Hugo.

℣. 12. MATER VESTRA Babylon CONFVSA EST NIMIS, vtpotè ADÆQVATA PVLVERI, id est, planè euersa ad solum vsque: NOVISSIMA, id est, abiectissima facta, inter omnes *Gentes*.

℣. 15. VBIQVE, id est, omni occasione, omni in loco, in omni prælio DEDIT victa victori MANVM, se suaque omnia illi dedens ac subijciens, & vitam gratuitò ac veniam à victore deposcens. Sed veniâ indigni sunt. Quare

℣. 16. DISPERDITE è Babylonijs non modò militem omnem, sed & SATOREM & messorem, id est, agricolas omnes. Hi fugient A FACIE GLADII COLVMBÆ] id est, metu gladij Persarum, qui deuictis Chaldæis, insigni quod antè gestabant Solis (k) & aquilæ, (l) iunxerant etiam insigne Chaldæorum ia n deuictorum, columbam de qua alibi. (m)

k *Curtius l. 3.*

l *Xenophon l. 7. Cyri pæd.*

m *Ierem. 25. v. 38.*

℣. 17. LEONES, Teglatphalassar, Salmanassar, Sennacherib reges Assyriorum EIECERVNT *Israelem* è terra sua, decem tribus in Assyriam captiuas trahentes: NOVISSIMVS EXOSSAVIT Israelem NABVCHODONOSOR duas reliquas tribus cum templo & vrbe sancta, in quibus omne robur Israelis, funditus exscindens. atque ita omnem remp. Israelitarum euertens. Et hæc fuit causa, cur Chaldæis excidium

dium hîc meritò intentet Propheta, nempe lege talionis: *Iustum* enim *est*, inquit Aristoteles ex Rhadamantho, *vt damnum quod quis iniustè alijs intulit, ipse quoque subeat.* *Arist. libr. Ethic.*

℣. 19. ISRAEL interea redux è captiuitate in patriam PASCETVR CARMELVM, id est, in lætis & pinguibus pascuis *Carmeli*, ET BASAN] id est, totius Iudææ. ita LXX. Et si

℣. 20. QVÆRATVR INIQVITAS ISRAEL, nempe idololatria; NON ERIT vlla ampliùs à reditu è Babylone. ita Theodoretus, Hugo, Liranus. Consequenter, nulla etiam ampliùs erit pœna illius iniquitatis, putà captiuitas, fames, pestis, &c. q.d. Nullæ superserunt reliquiæ prioris cladis, inquit Sanchez. Et nullæ peccatorum reliquiæ post conuersionem Iudæorum ad Christum, inquit Vatablus & Dionysius.

℣. 21. ASCENDE, ô Dari, ô Cyre SVPER, seu contra, TERRAM DOMINANTIVM, id est, Chaldæorum, qui nunc monarchiam tenent, & instar *mallei*. v. 23. *conterunt vniuersam terram*. INTERFICE QVÆ POST EOS SVNT, id est, dele omnem illorum posteritatem, filios, & nepotes. Et en tibi in eum finem VASA IRÆ diuinæ; quibus

℣. 25. OPVS EST DEO IN TERRA CHALDÆORVM] id est, ad exscindendam terram Chaldæorum, nempe copias militares, pecunias, robur, animos, omnemque bellicum apparatum, deprompta ex *thesauro* Dei, id est, ex armamentario omnipotentiæ diuinæ, seu iustitiæ vindicatiuæ, in quo infinita continentur tela & supplicia, quæ in hostes emittantur, inquit Theodoretus.

℣. 26. APERITE valuas portarum & vrbium vestrarum, VT per illas EXEANT milites vestri QVI CONCVLCENT Babylonem. TOLLITE DE VIA LAPIDES] & facite illam planam, expeditam, facilem, ne quid retardet vel remoretur Persas Babylonem aduentantes.

℣. 31. ECCE EGO AD TE, id est, contra te venio, ô SVPERBE Baltassar. *Cades*, & tecum cadet vniuersa monarchia (*a*) Chaldæa. *a Daniel. 5. in fine.*

℣. 33. CALVMNIAM SVSTINENT FILII ISRAEL ET FILII IVDA] LXX. & Chaldæus, *vim*, seu violentam oppressionem & captiuitatem sustinent, iniustè & quasi per *calumniam* damnati tyrannico Chaldæorum iudicio. Nam licèt ex parte Dei iustè punirentur, ex parte tamen Chaldæorum iniustè & tyrannicè cum illis agebatur.

℣. 36. GLADIVS à Deo exeritur AD DIVINOS, id est, contra astrologos Chaldæorum, QVI STVLTI omnibus apparebunt, quòd suum & regni interitum prædiuinare nequiuerint, imò alia omnia læta ac prospera falsò prædixerint.

℣. 38. SVPER AQVAS Babylonis, quibus putat se inuictam & inaccessam, SICCITAS (*b*) ERIT, Euphrate in alios alueos per Cyrum deducto, adeò vt sicco alueo priore, militum quantum Cyrus vellet, in medium vrbis immiserit, (*c*) vt Xenophon, Herodotus & alij testantur, & ex ijs Vatablus, Capella & à Castro. Addit Frontinus, simili stratagemate ter Babylonem interceptam fuisse, putà à Semiramide, à Cyro & ab Alexandro. *b Ierem. 51. v. 32.* *c Daniel supr. Xenoph. l. 7. Cyripæd. Herod. l. 1. Frontin. l. 3. c. 7.*

IN PORTENTIS, id est, portentosis & monstrosis idolorum suorum figmentis, GLORIANTVR Babylonij.

℣. 39. *Fauni*, vel bestiæ sunt ex infando congressu hominum cum bestijs, v. g. pastorum cum capris, prognatæ: vel certæ sunt dæmones instar hominum in siluis & montibus degentes. Dicuntur *fauni*, quasi fari nescij, quia solùm stridٍent vt hirci vel aliæ bestiæ. Dicuntur *ficarij*, quia caprifico sustentantur, eiusque *ficus* comedunt. Indicat ergo summam fore desolationem Babylonis, nempe vt fiat spelunca draconum, faunorum, aliarumque ferarum ac dæmonum, quod & Isaias prædixit. *Isaiæ 34. v. 14.*

NON INHABITABITVR VLTRA ab hominibus IN SEMPITERNVM] Hæc prophetia non simul, sed sensim & successiuè impleta fuit. Primò enim per Cyrum adempta illi est monarchia & imperium. Secundò, rebellans Dario Hystaspis, mœnibus ab eo spoliata, teste Herodoto & Iustino. Tertiò à Seleuco Nicanore ciuibus & opibus exhausta: transtulit enim omnia *Seleuciam*, quam in vicinia condiderat: Parthi postea transtulerunt reliqua *Ctesiphontem*, inquit Plinius. Quartò igitur nihil præter muros illi relictum sub Adriano Imp. Pausania teste. Quorum ambitu non nisi bestiæ omnis generis pro veneratione regia continebantur, teste S. Hieronymo. Allegoricè, excidio Babylonis præsignatur excidium vrbis Romæ (quæ à S. Petro *Babylon* vocatur) adeoque totius vniuersi. *Herod. l. 3. Iustin. l. 12. Plin. l. 6. c. 29. Paus. l. 8. Hieron. in c. 13. Isaiæ & 1. Petr. 5. v. 13.*

℣. 41. REGES MVLTI à Cyro aduersus Babylonem euocati numerantur & nominantur à Xenophonte. Cætera huius capitis explicata habes cap. præced. à v. 19. vsque ad v. 22. vbi similia contra Idumæos intentantur. *Xenoph. l. 7. supr.*

CAPVT LI.

Pergit multis exaggerare excidium Babylonis, ob eius tyrannidem in Iudæos, quos monet vt Babylone profugiant. Et hanc suam prophetiam scripto dat Saraiæ eunti in Babyloniam, vt eam ibi prælegat, & lectam in Euphratem dejiciat, subdens, dejiciendam pari modo Babylonem, æterna & irreparabili ruina.

℣. 1. SVSCITABO VENTVM PESTILENTEM] qui segetes adurat & homines. Sic vocat bellicum turbinem per Medos & Persas in Chaldæam inuectum.

℣. 3. NON TENDAT QVI TENDIT ARCVM] q.d. Non opus est, arcum intendat sagittarius, aut loricatus cominus digladietur cum hoste: ego enim Chaldæos epulis & mero soporatos dabo in manus vestras: trucidate sponte obuios & incurrentes in hastas & enses vestros. ita Maldonatus & Sanchez.

℣. 5. NON FVIT VIDVATVS ISRAEL ET IVDA A DEO: id est, Israel & Iuda non est quasi vidua, destituta marito vel sponso suo: sed viuit adhuc sponsus eius *Deus*, qui curam illius, vtpote charissimæ sponsæ geret, vindicabitque illatas ipsi iniurias à Chaldæis, *quorum* TERRA REPLETA EST omni genere scelerum, sed præcipuè DELICTO A SANCTO, seu in sanctum, ISRAEL, admisso, cùm templum, cùm vrbem sanctam, cùm populum Dei omnem tot iniurijs affecerunt. ita Hugo, Liranus, Vatablus & Maldonatus.

℣. 6. FVGITE ô Iudæi, ô gentes aliæ, DE MEDIO BABYLONIS mox exscindendæ: NOLITE TACERE SVPER INIQVITATEM EIVS] id est, nolite *diutius quiescere in iniquitate eius*, vt habent Hebræa, id est, in vrbe, in populo tam iniquo & peruerso.

℣. 7. CALIX AVREVS fuit hucusque BABYLON, id est, regnum diues, splendidum, potens. Sed hic calix, plenus fuit felle & absinthio calamitatum, cladium, excidiorum quibus inebriata fuit OMNIS TERRA, inuasione & strage Chaldæorum penè ad insaniam adacta. Et fuit hic calix IN MANV

NV DOMINI] quia Deus crudelitate & tyrannide Chaldæorum vtebatur quasi pro flagello aliarum gentium. ita Origenes, Chaldæus, Theodoretus, & Rabanus. Sed iam

℣. 8. SVBITO è manu Dei deiectus hic calix CECIDIT humi, & CONTRITVS est ac pessumdatus.

TOLLITE RESINAM] Id est, adhibete medicinã, pharmaca, emplastra, quasi dicat: O gentes Chaldæis subiectæ vel confœderatæ, medelam afferte ruinæ Babylonis. Sed re desperata respondent hi medici:

℣. 9. CVRAVIMVS BABYLONEM, ET NON EST SANATA] ita Theodoretus, Hugo & Vatablus. Alij, vt Origenes, Rabanus & Liranus, volunt has esse voces angelorum tutelarium Babylonis. Quales etiam postea exauditas Ierosolymis sub Tito, testis est Iosephus.

Ioseph. l. 7. Bell. c. 12.

PERVENIT VSQVE AD CÆLOS IVDICIVM EIVS] Id est, scelera Babylonis enormia inclamant iudicium & vindictam diuinam: it clamor cælo. Hinc desperata est eius curatio, inquit à Lapide. Porrò per hoc Chaldæorum excidium, inquiunt Iudæi,

℣. 10. PROTVLIT Deus in lucem IVSTITIAS NOSTRAS: id est, probatum orbi fecit, iustam esse causam nostram, quâ querimur nos iniustè ab ipsis opprimi, nullâ eis illatâ iniuriâ. NARREMVS ergo IN SION, id est, Ierosolymis, in Ecclesia Dei, hoc singulare OPVS DOMINI] quo Chaldæos contriuit in nostri vindictam & liberationem.

℣. 13. VENIT FINIS TVVS PEDALIS PRÆCISIONIS TVÆ] Pedalem enim (breuem, certam ac definitam) mensuram tibi tuoque imperio duplicem præstituit Deus; primam *opum & gloriæ*, æquè ac *scelerum:* secundam *temporis*, vt nimirum teneas imperium per 70. annos. Vtramque mensuram nunc implesti: vnde instat finis tibi, & tempus *præcisionis* atque excidij tui. Pulchrè hæc cuiuis alteri regno, & multo magis cuiuis homini adaptat S. Augustinus, sed sensu morali.

Augustin. l. de Vita Christiana c. 3. & 4. tom. 9.

℣. 14. REPLEBO TE HOMINIBVS, tibi aduersariis, putà Medis & Persis, qui QVASI *bruchi* turmatim inuolabunt in germina, frutices, vineas tuas, stirpitus omnia depascentes: & communi voce, quasi *celeumate* se inuicem ad te exscindendam cohortantes.

℣. 16. DANTE DEO VOCEM, id est, tonante, MVLTIPLICANTVR AQVÆ IN CÆLO] id est, copiosæ pluuiæ delabuntur. Hinc vsque ad v. 20. quæ alibi (*a*) explicui, describit potentiam, sapientiam ac beneficentiam diuinam: vt ostendat, quàm facili negotio possit succurrere populo suo, & hostes eius omnes exscindere.

a Ierem. 10. v. 14. 15 16.

℣. 20. TV MIHI, ô Babylon, malleus es adamantinus, quo COLLIDIS & conteris VASA, id est, instrumenta, *bellica*, quarumcumque nationum. & verò IN TE, id est, per te quasi meum malleum, COLLIDAM & conteram (durantibus adhuc 70. annis imperio tuo præfixis) omnes GENTES ET REGNA vicina, etiam Iudæam. Sed tandem etiam te collidam malleo Persico:

℣. 24. ET REDDAM in tibi caput tuum, OMNE MALVM QVOD *fecisti* IN SION, & in alias gentes.

℣. 25. MONS vocatur Babylon, etsi humili loco sita, in campo *Sennaar*. (*b*) Primò, ob excelsam gloriam & fastum imperij. Secundò, ob celsa palatia: Tertiò, ob murorum altitudinem, qui ad 200. cubitos attollebantur, teste Herodoto, Strabone,

b Genes. 11. v. 2.

A Plinio, Diodoro Siculo & Orosio. PESTIFER VOcatur, vel, vt est in Hebræo, *vastans*, quia, sicut prodire solent à montibus feræ quæ homines & armenta dilaniant: ita è Babylone prodibant milites, qui gentes alias euertebant, inquit Maldonatus. Sed EGO vicissim EVOLVAM TE DE PETRIS, id est, eijciam te è turribus, mœnibus, propugnaculis tuis, quibus tamquam rupibus confidis: ET DABO TE IN MONTEM COMBVSTIONIS] id est, combustum, adeò vt omnes lapides tui vel in cineres, vel saltem in minuta fragmenta dissiliant.

Orosius l. 2. c. 6.

℣. 26. ET NON possit *ex* TE *attolli* LAPIS iustæ molis aut magnitudinis, qui in *angulis* vel *fundamentis* aliarum domorum collocetur. Sed in aceruum & rudera redactus, non restauraberis in æternum, vt suprà (*e*) dixi. Sed videtur hîc Propheta non de sola materiali excisione loqui, sed etiam de morali, nempe de abolitione & excidio monarchiæ Babylonicæ. Vnde Chaldæus vertit, *non tollam deinceps ex te regem in regnum, neque principem in principatum, quia omnes delebuntur.* ita Theodoretus, Hugo, Vatablus & Maldonatus.

e Ierem. 50. v. 39.

℣. 27. LEVATE SIGNVM, id est, attollite vexillum militare, vos ô Persæ & Medi, SANCTIFICATE (*d*) SVPER, id est, contra *Babylonem* GENTES. q. d. Conuocate quotquot poteritis populos ad sacrum bellum gerendum contra Chaldæos. Euocate REGES ARARAT, ex Armenia inferiore, inquit S. Hieronymus: & MENNI, seu Minyarum ex eadem Armenia: ET ASCENEZ regione vicina Armeniæ, sic dicta ab *Ascenez* (*e*) pronepote Noë. Ex quibus Assanis *Ascanijs* videntur exorti & in Europam transmisisse nostri Occidentales Ascanij, id est, Tuiscones siue Germani, vt ait Torniellus. NVMERATE & conscribite CONTRA EAM TAPHSAR, id est, paruos duces, seu minores principes, vt Noster alibi (*f*) vertit. ita Pagninus & Vatablus. ADDVCITE EQVVM numerosum ac ferocem QVASI BRVCHVM ACVLEATVM] Equos Persarum denotat, qui in bello erectas & horrentes attollunt iubas quasi aculeos bruchorum, neque egent calcaribus, sed ipsâ naturâ suâ excitimulati ad cursum & pugnam, inquit Oppianus & ex eo Sanchez.

d Ierem. 6. v. 4.

Hieron. in c. 37. Isaiæ.

e Genes. 10. v. 3.

Torniell. anno mundi 1931.

v. 21. טפשר

f Nahum 3. v. 17.

℣. 29. COGITATIO DOMINI, id est, quidquid Dominus cogitauit & decreuit circa punitionem Babylonis, iam EVIGILABIT, id est, suscitabitur & executioni dabitur.

℣. 32. VADA Euphratis PRÆOCCVPATA SVNT à Persis, vt antè (*g*) dixi. PALVDES, id est, iunci & arundines, quæ in paludosis locis Nili & Euphratis crescunt in arborum altitudinem, igni *succendi* debebant, vt militibus expeditior per alueum via esset in vrbem. ita Vatablus & Pagninus.

g Ierem. 50. v. 38.

℣. 34. COMEDIT ME NABVCHODONOSOR, inquit Iudæa: REDDIDIT ME QVASI VAS INANE, exhaustis omnibus incolis: ABSORBVIT ME toram QVASI DRACO (*h*) marinus, id est, balæna, absorbet integras naues: VENTREM, id est, ærarium SVVM REPLEVIT TENERITVDINE MEA, id est, opibus meis, spolijs, & pretiosis monilibus, quæ tenerrimè diligebam. ita Chaldæus & Theodoretus. ET crapulatus nimijs epulis, EIECIT, euomuit, ME in Babylonem. Quæ sanè insignis fuit

h Ezech. 29. v. 3.

℣. 35. INIQVITAS & iniustitia ADVERSVM ME. Vnde ET CARO ET SANGVIS MEVS, seu meorum interfectorum, erit clamans vindictam, & deposcens vltionem SVPER BABYLONEM, vt tyrannidis suæ dignas pœnas exsoluat.

℣. 36. DESERTVM FACIAM MARE EIVS : id est, exsiccabo Euphratem, vrbem mediam interluentem, aquis perpetuò turgidum instar maris, inquit Liranus. Sed Theodoretus & Vatablus per *mare* abundantiam intelligũt hominum & opum, quæ tanta erat, vt instar maris videretur exhauriri non posse. EE SICCABO VENAM EIVS] Id est, riuos omnes in Euphraten vel ex Euphrate delabentes. Metaphoricè, vectigalia & mercimonia, è quibus quasi ex venis manabant perpetuæ Babylonis opes.

℣. 38. SIMVL VT LEONES RVGIENT. Chaldæi præ ira & indignatione, cùm cernent Persas Babylonem ingressos. ita Liranus, Hugo & Castrius, & patet ex sequentibus.

℣. 39. IN CALORE PONAM POTVS EORVM] Est hypallage. (a) q.d. Efficiam vt potus Chaldæorum sit egregiè calidus, quo facilè ipsi incalescant, inebrientur, sopiantur sopore *sempiterno*. Idem prædixit olim Isaias: & factum narrat Daniel.

a *Proleg. de Idiotismis Hebr. n.* 42.

Isaiæ 21. *v.* 5 *Daniel.* 5. *v.* 4. *&* 30.

℣. 41. QVOMODO possibile est, vt CAPTA *sit* SESACH] id est, Babylon, vt antè (b) exposui. Babylon, inquam, cui de rebus omnibus ad tolerandam obsidionem necessarijs abundè prospectum erat in annos viginti, inquit Xenophon.

b *Ierem.* 25. *v.* 26.

Xenoph. l. 7. *Cyripæd.*

℣. 42. MARE ASCENDIT SVPER BABYLONEM, & ita capta est, quasi dicat: Via fluminis iam exsiccati inundauit in vrbem innumerabilis exercitus Persarum & Medorum, quibus obruta fuit.

℣. 44. VISITABO SVPER BEL, qui quotidie deuotare fingitur plurimas victimas sibi in epulum propositas, Daniel. 14. v. 2. Hos bolos EIICIAM DE ORE EIVS, cogamque reuomere quæ absorpsit. ita Vatablus & Theodoretus.

℣. 46. NE FORTE, ô Iudæi, productiore Chaldæorum tyrannide MOLLESCAT & deficiat COR VESTRVM; scitote, non diu protractum iri: nam IN ANNO VNO, nempe primo Balthassaris, VENIET AVDITIO, id est, rumor imminentis belli Persici: ET POST HVNC ANNVM, nempe secundo anno Balthassaris, erit etiam AVDITIO, sed præsentis iam belli. ET INIQVITAS IN TERRA, id est, iniqua & violenta oppressio terræ Babylonicæ: ET DOMINATOR SVPER DOMINATOREM aduenier, nempe Darius post Cyrum, cum tot aliis minorum gentium regibus. Qui non antè recedent, quàm Babylone potiti fuerint: quod contigit sub finem tertij anni (c) monarchiæ Balthassaris. ita ferè R. Dauid & Vatablus. Vosergo Iudæi

c *Chron. c.* 34. *&* 35.

℣. 50. QVI in vastatione Babylonis FVGISTIS GLADIVM, id est, effugistis mortem, NOLITE diutiùs istic PERSTARE, sed VENITE & redite in patriam vestram, potestate redeundi facta omnibus per *Cyrum* (d) RECORDAMINI DOMINI PROCVL] Id est, in memoriam reuocate pristinum cultum Ierosolymis exhiberi solitum ante tot annos. ita Rabanus, Theodoretus & Liranus. Respondent Iudæi:

d 1. *Esdr.* 1. *v.* 1.

℣. 51. CONFVSI SVMVS, seu confundimur, quando recordamur *opprobrij* quo affecti sunt patres nostri in excidio Ierosolymæ. ALIENI isti Chaldæi & aliæ barbaræ gentes destruxerunt SANCTIFICATIONEM DOMVS DOMINI] id est, templum. Sed iam vicissim

℣. 55. VASTAVIT DOMINVS BABYLONEM, ET PERDIDIT EX EA VOCEM MAGNAM, id est, superbam iactantiam Babyloniorum: ET SONABVNT FLVCTVS EORVM] id est, eiulatus occumbentium resonabunt sicut fluctus aquarum multarum, inquit Maldonatus.

℣. 57. INEBRIABO calice iræ meæ PRINCIPES EIVS] vt suprà. (e)

e *Hier. v.* 39. *&* c. 50. *v.* 39.

℣. 58. MVRVS BABYLONIS ILLE LATISSIMVS, 50. cubitorum in latum, 200. in altum, 450. stadiorum in ambitum porrectus, teste Herodoto; Diodoro, Solino & aliis, SVFFOSSIONE SVFFODIETVR, ET PORTÆ EIVS EXCELSÆ centum, IGNI COMBVRENTVR (f) à Persis, LABORES POPVLORVM totius penè Asiæ tot annis, tantis sumptibus erecti, momento redigentur in fauillam, inquit Chaldæus & Liranus.

f *Ibid. c.* 50.

Porrò prophetiam hanc contra Babylonem scripto tradidit Ieremias deferendam in Babylonem.

℣. 59. SARAIÆ non summo Pontifici, (quia is non erat FILIVS NERIÆ FILII MAASIÆ, vetùm filius Azariæ (g) filij Helciæ) sed PRINCIPI PROPHETIÆ, id est, præfecto cantus & musicæ regiæ, inquit à Castro: Cornelius à Lapide dicit fuisse fratrem *Baruch*, vt colligere est ex ijsdem vtriusque parentibus, hùc & Baruch vers. 1. recensitis. CVM PERGERET *legatus à Sedecia rege*, vt vertunt Chaldæus & LXX. ad regem Nabuchodonosorem, vel, vt Noster vertit, CVM REGE SEDECIA, anno 4. regni eius, cùm alta adhuc pax esset inter Iudæos & Chaldæos, inquiunt Hebræi in Seder-olam. Iussitque palàm prælegi omnia captiuis illic Iudæis, & etiam Chaldæis ad audiendum concurrentibus. Prælecta iubet vers. 63. *projci* IN MEDIVM EVPHRATEN] vt sic realis quoque typus daretur demersionis Babyloniorum in flumen calamitatum & pœnarum suprà prædictarum. Ad hoc caput Ieremiæ alludit sæpè S. Ioannes Apocal. 18. vbi nouæ Babylonis, id est, Romæ ad gentilismum sub finem mundi relapsæ, excidium describit, vt Alcazar & à Lapide exponunt.

g *Chronic. c.* 42.

Seder-olam c. 10.

CAPVT LII.

Describit excidium vrbis & templi Ierosolymitani, & vasa sacra à Chaldæis asecta, supplicium Sedeciæ, necem Saraiæ pontificis aliorumq; principum Iudaorum, abductionem ciuium: denique exaltationem Iechoniæ. Hoc caput videtur à Baruch ex libr. 4. Regum vltimo huc translatum, vt quæ toto libro contra Ierosolymam prophetarat Ieremias, impleta esse constaret, & simul vt via sterneretur ad Lamentationes sequentes. ita Theodoret. Hugo, Rabanus, Liranus & alij apud Sixtum Senensem.

Sixt. l. 1. c. 10.

℣. 12. DECIMA die MENSIS ingressus est Nabuzardan Ierosolymam, cùm triduo antè, nempe septima die eiusdem *mensis* (vt dicitur 4. Reg vlt. v. 8.) excessisset è Reblatha.

℣. 21. De *columnis* vide quæ dixi 3. Regum 7. vers. 15. FVNICVLVS hic significat circumferentiam columnæ, quam fune circummetiri solemus.

Nota, inter spolia templi per Nabuzardan Ierosolymis euecta, quæ hîc sigillatim ac minutim recensentur, nullam mentionem fieri arcæ testamenti, neque altaris thymiamatis: item nec candelabri, nec mensæ panum propositionis. Nempe Ieremias cum venia Chaldæorum illa sibi desumpserat, ac transtulerat in montem Nebo, vt dicitur 2. Machab. 2. v. 4.

℣. 28. Recensetur hîc à propheta multiplex Iudæorum deportatio in Chaldæam. Prima cœpit anno 4. Ioakimi, qui erat primus annus regni Nabucho-

a Dan.1.v.1 buchodonoſoris quando Daniel (*a*) & pauculi alij A deportati ſunt: completa verò fuit anno 8. Nabuchodonoſoris, qui fuit vndecimus Ioakimi, quando Ezechiel Propheta, & Iechonias rex cum omni ſua aula & alijs tribus millibus eò demigrarunt. Secunda fuit anno 18. Nabuchodonoſoris, id eſt, Sedeciæ regis 11. Tertia fuit quinquennio pòſt, quando ſubactis Ammonitis, Moabitis, alijſque vicinis gentibus, Iudæos qui partim eò transfugerant, partim in vicina Iudæa ſuperſtites hæſerant, captiuos ſecum traxit numero 745. inquit Liranus & Dionyſius. Quarta adijci poteſt, quæ anno 35. Nabuchodonoſoris contigit, quando expugnatâ Ægypto, reliquias Iudæorum, qui eò confugerant, inde ſecum in Chaldæam captiuas abduxit, vt (*b*) alibi vidimus.

b *Ierem.* 42. 43. 44. & 46.

℣. 31. EVILMERODACH, ſeu Balthaſſarum regem quid mouerit, cur Iechonia n Iudæorum regem vinculis eximeret, & alijs regibus Babylone detentis præponeret, dicam in fine cap. 4. Danielis.

Reliqua huius capitis expoſui 4. Regum vlt. & Ierem. 39. & 2. Paralip. vlt.

THRENI,

ID EST,

LAMENTATIONES,

SEV FLETVS, IEREMIÆ,

QVIBVS deplorat vaſtitatem & deſolationem Ieroſolymæ, non ſub mortem Ioſiæ, vt volunt Hebræi, Chaldæus, Rabanus & Maldonatus: neque per captiuitatem Iechoniæ, vt Euſebius: ſed ſub Sedecia, vt docet Origenes, Theodoret. Olympiodorus & Procopius; & conſummatè ſub Tito, inquit S. Hieronymus & à Lapide. Solis enim poſterioribus caſibus, non verò prioribus aptari poteſt, quod hîc maximè inculcatur, captam, vaſtatam, deſolatam iacere vrbem. Porrò Threni maximè pathetica & affectuoſa totius Scripturæ pars ſunt. in quibus Propheta, vel potiùs Spiritus ſanctus per Prophetam, lamenta omnia conglobaſſe, & compaſſioni, planctui ac lacrymis habenas omnes laxaſſe videtur. Cum quibus comparata tragica Senecæ, vel alia profanorum auctorum, vix vmbræ ſunt & ludi. Carmine Hebraico conſcripti ſunt, certo ferè numero, non pedum (vt fit apud Latinos & Græcos) ſed ſyllabarum dimenſi. & initio carminum litteris Hebraicis ordine alphabeti prætextis, vt & Dauidem feciſſe videmus pſalmo 118. Primus enim verſus incipit ab *aleph*, ſecundus à *beth*, tertius à *ghimel*, & ita conſequenter. Quos verſus Græci *acroſtichos* vocant. Atque vt hoc ipſum in Latina & Græca verſione ſignificetur, ideo litteræ Hebraicæ ſingulis verſibus integræ ad marginem adſcribuntur. quod non fit in textu Hebræo, vbi ſinguli verſus incipiunt à dictionibus, quæ à ſingulis litteris ordine inchoantur. Allegoricè, hi Threni ſunt planctus ſuper Eccleſia militante, inquit Aluarus à Pelagio, & Cardinalis Bellarminus: Tropologicè ſuper anima peccatrice, inquit Origenes & Olympiodorus.

Alu. de Pelagio l. 2. de Planctu Eccleſiæ. Bellarm de Gemitu columbæ.

Argumentum libri Threnorum.

ET factum est, postquam in captiuitatem redactus est Israel, & Ierusalem deserta est, sedit Ieremias propheta flens, & planxit lamentatione hac in Ierusalem, & amaro animo suspirans, & eiulans dixit.

OStenditur etiamnum fouea Ieremiæ prope Ieroſolymam ad Meridiem vrbis, non longè ab *Aceldema*, in qua Ieremias Threnos hos concinnasse fertur, ab Helena Imperatrice postmodum mirificè exornata, inquit ex Nicephoro Adrichomius. *Adrich in descript. Ieroſolyma n.124.*

Hoc argumentum in Hebræo, in Syro, in Chaldæo & in Arabico non extat, sed additum videtur à LXX. interpretibus. vnde S. Bonauentura, Liranus, Sanchez, à Castro, à Lapide & Franc. Lucas, negant Canonicam habere auctoritatem. & multi interpretes, vt Theodoretus, Eusebius, Olympiodorus, Paschasius, Rabanus & Rupertus, non meminerunt huius tituli, seu argumenti. Probabile tamen est quod censet Gretserus, habere Canonicam auctoritatem, eodem iure quo habet titulus libri Ecclesiastici, & ob rationes ibi prolatas. *Gretſ. to. 1. Defenſion. Bellarmini l.1.c.14.*

CAPVT I.

Plangit desolationem Ieroſolymæ, & per antithesin confert bona prioris ſtatus ac felicitatis, cum malis posterioris ſtatus, putà captiuitatis & excidij eiusdem. Allegoricè, Chriſtus fleuit (a) ſuper Ieruſalem vaſtanda per Titum. *a Luc. 19. v.41.*

A

¶. 1. QVOMODO. q.d. Quo tanto scelere hominum, qua tanta indignatione Dei fieri potuit, vt CIVITAS Ieroſolymitana nuper PLENA POPVLO, plena diuitijs, plena delicijs, iam à Chaldæis vastata, excisa, exusta, SEDEAT, imò humi iaceat, SOLA, ciuibus suis omnibusque alijs ornamentis spoliata?

DOMINA GENTIVM, Syriæ emporium, paradisus Asiæ, ocellus Orientis. gemma mundi, tot regnorum princeps iam FACTA EST QVASI VIDVA, orbata suo rege, pontifice, templo, principibus & magistratibus: & quæ tot imperitabat prouincijs ac regnis, (a) iam ipsamet FACTA EST SVB TRIBVTO, mancipata seruitio barbarorum & infidelium Chaldæorum. *a 2.Reg 8. & 3.Reg. 9.*

B

¶. 2. PLORANS PLORAVIT, id est, effusè & (b) continuò plorauit Ieroſolyma, IN NOCTE, (c) quæ ob tenebras, solitudinem vacationem à labore, collectionem & contractionem animi, aptior est compunctioni & lacrymis, inquit Origenes, Isidorus & alij. OMNES AMICI EIVS ET *chari*, nempe vicini populi, Idumæi, Ægyptij, & alij antè Iudæis amici, nunc hostes, SPREVERVNT, imò vnà cum Chaldæis vastarunt, EAM] ita S. Bonauentura, Hugo, Liranus & Dionysius. *b Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 49. c Cantic. 5. v.1.*

C

¶. 3. IVDAS, id est, magna pars Iudæorum, PROPTER imminentem à Chaldæis capiti suo AFFLICTIONEM, ET *multam* ac diram SERVITVTEM, fugit & MIGRAVIT ad vicinas gentes, Ammonitas, Moabitas, Ægyptios: sed NEC ibi REQVIEM INVENIT] Chaldæis vbique illam persequentibus. (d) ita Rabanus, Hugo, Dionysius & Isidorus. *d Iuxta 42. v 11.*

¶. 5. HOSTES EIVS Chaldæi FACTI SVNT IN CAPITE, id est, euaserunt superiores, & dominantur Iudæis. Hi verò nuper rerum domini, nunc *facti sunt in caudam*, id est, subditi, serui & mancipia Chaldæorum.

D

¶. 6. PRINCIPES EIVS, Iechonias, Sedecias, omnesque proceres, FACTI SVNT VELVT ARIETES NON INVENIENTES PASCVA, nempe fame, siti, macie, lassitudine confecti, sine viribus, sine animis; in Chaldæam abacti ANTE FACIEM SVBSEQVENTIS Chaldæi stimulatoris, festinare compellentis. ita Origenes, Hugo, Liranus & Dionysius.

¶. 7. RECORDATA EST Primò, nuperorum DIERVM AFFLICTIONIS, excidij, & captiuitatis SVÆ. Secundò, recordata est causæ tantæ calamitatis, videlicet PRÆVARICATIONIS suæ contra Deum & leges diuinas. Tertiò, recordata est OMNIVM DESIDERABILIVM SVORVM] quibus antea in vrbe, in templo, in omni ditione sua gaudebat & exultabat. Cogita nunc quàm tristis sit & afflicta, cùm se videt omnibus nudatam! ita Paschasius, Liranus, Dionysius.

HOSTES eius *Chaldæi*, inquit Hugo & Dionysius; vel, vt à Castro, Idumæi, Moabitæ, Ammonitæ, DERISERVNT SABBATA EIVS] id est, omnia festa, omnem cultum ac religionem Iudaicam, verbi gratiâ circumcisionem, baptismata calicum, &c. Quin & propriè rideri solitos à Gentilibus Iudæos, quòd septimam quamque diem, & consequenter septimam vitæ partem otiando transigerent, vnde & Sabbatarij vocabantur, patet ex satyra 5. Iuuenalis. Hebræi & Græci τὸ *sabbata* accipiunt appellatiuè, vt idem sit quod *cessationes*, nempe à commercijs, à negotijs, à nundinis; vti illis olim minatus fuerat (e) Dominus. *e Leuit. 26. v. 35.*

¶. 8. PECCATVM PECCAVIT, id est, grauiter & (f) assiduè peccauit peccato idololatriæ, quasi spirituali fornicatione. PROPTEREA INSTABILIS FACTA EST] Vatablus, *propterea variè iactata est*. q.d. Ideo loco mota est Synagoga, & captiua in Chaldæam abducta: nempe diuulsum à fundamento ædificium propellent fluctus in certam ruinam. Et hoc ei minatus nuper fuerat Ieremias, & olim Moyses. *f Prolegom. ſup. Ierem. 34. v.17. Deut. 28. v.25.*

IGNOMINIAM, id est, turpitudinem, partium EIVS verendarum VIDERVNT hostes, ipsâ contrà niti non valente, sed cum rubore ac gemitu faciem suam RETRORSVM *conuertente*, & ita vultum quasi abscondente.

¶. 9. SORDES EIVS menstruæ adhuc IN PEDIBVS; Hebraicè, *in fimbrijs*, EIVS quæ circa pedes sunt, hærent. quasi dicat: Etiam sub extremam hanc Ieroſolymæ cladem publicè ipsa fornicabatur & colebat idola: NEC RECORDATA EST tristis FINIS SVI, nempe pœnæ tantis sceleribus decretæ & iam infligi cœptæ. ita Chaldæus, Hugo, Bonauentura, Pagninus, Brixianus & alij.

DEPOSITA EST VEHEMENTER] Hebræa, Chaldæus & LXX. *descendit mirabiliter*, seu *corruit*

cum

cum admirationibus, id est, corruit admirabili casu, A stupentibus omnibus ad tantam florentissimæ vrbis ruinam.

℣. 10. VIDIT, ah quanto mœrore! GENTES, Ammonitas & Moabitas, DE QVIBVS PRÆCEPERAS, NE VMQUAM INTRARENT (*a*) IN ECCLESIAM TVAM, vidit, inquam, has impias & impuras Gentes liberè & audacter INGRESSAS SANCTVARIVM SVVM] id est, templum & adyta templi. ita Chaldæus, Olympiodorus, Liranus, Vatablus, Isidorus. a *Deut.* 23. v. 3.

℣. 11. FACTA SVM VILIS, vilitate quam hucusque planxi. Arabicus vertit, *facta sum quasi prostituta omnibus transeuntibus*, id est, quasi vilis serua, quâ omnes ad libidinem abutuntur.

℣. 12. O VOS OMNES hospites, aduenæ, accolæ, qui spectatis non iam vrbem, sed excisæ vrbis informe bustum, VIDETE, & expendite an quis alius habeat grauiorem dolendi materiam. Hoc, inquit Sanchez, epitaphium iubet Ierosolyma sibi in suo busto statui. Allegoricè, multi hæc adaptant Christo peccata nostra in cruce luenti: & B. Virgini matri filio sub cruce compatienti: & animæ in Purgatorio reliquum pœnarum suarum exsoluẽti. B

VINDEMIAVIT ME Chaldæus, vel Dominus per Chaldæum, spoliauit me bonis omnibus, vt solet vinea in vindemia spoliari omnibus vuis. VT LOCVTVS mihiqúe minatus EST DOMINVS] Ieremiæ 6. v. 9. & alibi.

℣. 13. DE EXCELSO armamentario suo MISIT Deus IGNEM, id est, acerrimum cruciatum, IN OSSIBVS MEIS, id est, in omnia interiora & viscera mea. Quo sanè peregregiè ERVDIVIT & docuit ME] non amplius fornicari cum idolis. Et verò post carceres Babylonicos non amplius coluerunt Iudæi idola, vt antè. ita Sanchez.

EXPANDIT RETE PEDIBVS MEIS, insidias per Chaldæos vbiqúe mihi tendens, ijsdemqúe me inuoluens & capiens. Sed hac viâ, molestâ quidem, at felici, CONVERTIT ME RETRORSVM à sceleribus ad virtutem. C

℣. 14. IVGVM INIQVITATVM, id est, iugum, seu mensura vel pondus supplicij mihi decreti ob meas iniquitates, me dormiente, nec attendente, EVIGILAVIT vt me corriperet, mihiqúe incumberet. Hoc iugum per prosopopœiam vigilans, non est aliud quàm *virga* illa *vigilans* Ieremiæ 1. vers. 11. nempe diuina vindicta & pœna ad fores peccatoris excubans, instar prætoris fures & latrones persequentis.

IN MANV Domini CONVOLVTÆ SVNT iniquitates meæ, seu potiùs pœnæ iniquitatum mearum: & ex hoc conuoluulo contexta est catena vel corona spinea, quam iniecit COLLO MEO, ita grauem, vt me totam deprimat, ET VIRTVS omnis MEA *infirmetur*: tradiditque ME MANVI & potestati hostium meorum, ex qua numquam meis viribus me extricare potero, neque ex fouea in quam proiectus sum, exsurgere.

℣. 15. VOCAVIT, id est, vocando, seu iubendo adduxit, ADVERSVM ME TEMPVS, à se præstitutum & conductum punitioni meæ, putà annum, mensem, diem, momentum excidio meo præstitutum: de quo Ezech. 21. *Venit dies in tempore iniquitatis præfinita.*

TORCVLAR CALCAVIT DOMINVS VIRGINI FILIÆ IVDA] id est, peccata Iudæorum calcauit Dominus in torculari diuinæ iustitiæ & iudicij sui, exprimens inde vindictam & pœnas, nempe vinum amarissimum ex vua fellis & botro amarissimo, quo Judæos ad ebrietatem & insaniam impleuit. ita Origenes & Olympiodorus.

℣. 16. LONGE FACTVS EST A ME CONSOLATOR, qui ANIMAM MEAM præ tristitia quasi è corpore exeuntẽ, CONVERTAT, & in corpus reducat.

℣. 17. SION, instar parturientis vel morientis, EXPANDIT (*b*) MANVS SVAS, partim precabunda, auxilium astantium, vel victoris misericordiam implorans: partim deliquium patiendo virium & spirituum vitalium. Omnibus FACTA abominabilis, QVASI mulier POLLVTA MENSTRVIS, inquit Theodoretus & Liranus. b *Ierem.* 4. v. 31.

℣. 18. Os & faciem *Domini* AD IRACVNDIAM PROVOCAVI] contemnens eius leges, minas, monita, Prophetas; Hebraicè, *ori eius rebellaui.*

℣. 19. AMICOS MEOS Ægyptios in auxilium EVOCAVI, (*c*) sed IPSI copijs & robore Chaldæorum territi, in Ægyptum refugerunt, ET ME DECEPERVNT] O quàm miserè decipiet mundus, caro, & quidquid in mundo charum habuit peccator, cùm in morte implorabit eorum auxilium! Vide Damascenum in (*d*) Vita Barlaam & Iosaphat. c *Ierem.* 37. v. 6. d c. 13. & 14

℣. 20. VENTER, id est, viscera mea, dolore, gemitu, singultu, instar aquæ bullientis *conturbata sunt*: & COR MEVM SVBVERSVM EST, obrutum doloribus, & quasi exanimatum. FORIS in plateis & in agro INTERFICIT Chaldæorum GLADIVS filios meos: ET DOMI MORS SIMILIS EST] quia ibi fame (*e*) extinguuntur, inquit Chaldæus, Olympiodorus, Hugo & Vatablus. e *Thren.* 1. v. 19. & *Ierem.* 14. v. 8.

℣. 21. AVDIERVNT amici, sed hi subducunt se: AVDIERVNT ET INIMICI, & illi gaudent & irridẽt me: QVONIAM TV FECISTI & immisisti in me hanc plagam. Sed in horum vicem ADDVXISTI æterno decreto tuo, & adduces præfixo tempore, DIEM CONSOLATIONIS mihi, & diem afflictionis hostibus meis: & tunc FIENT SIMILES MEI in miserijs, vastatione, excidio. Dies hic est expugnatæ (*f*) Babylonis per Cyrum & Darium. f *Ierem.* 50. & 51.

℣. 22. INGREDIATVR CORAM TE, id est, recordare, expende, appende, OMNE MALVM EORVM in me, in te admissum: ET VINDEMIA EOS] id est, decerpas & abducas è patrio solo, in captiuitatem, in mortem: subijce eos torculari (*g*) iræ tuæ & iustitiæ diuinæ. Licet enim ex zelo iustitiæ deposcere, vt iustam vindictam exerceat Deus, & superbos humiliet, infideles corripiat, si fortè resipiscant: sin nolint, pro meritis puniantur g *Hic sup.* v. 15.

CAPVT II.

Altero alphabetho carminis lugubris plangit vrbis Ierosolymæ & templi excidium per Chaldeos, refricans memoriam pristini eius splendoris & gloriæ.

℣. 1. QVOMODO DOMINVS IN FVRORE SVO OBTEXIT CALIGINE tristium calamitatum charissimam antea FILIAM suam SION? quomodo obscurauit magnificentiam illam & maiestatem vrbis sanctissimæ, opulẽtissimæ, glorioſissimæ? Nec tantùm obscurauit, sed quasi fulgidam stellam è sede sua euulsam, DE CÆLO præcipitauit IN TERRAM? inquit Sanchez & alij. NON EST RECORDATVS SCABELLI PEDVM SVORVM] id est, arcæ, vt alibi (*h*) dixi. Sed sub *arca* intellige locum arcæ, id est, templum integrum. h *Exodi* 25. v. 10.

℣. 2. POLLVIT, id est, profanauit, (*i*) & quasi profanum, seu immundum abiecit, Gentilibusque calcandum obiecit REGNVM] LXX. *regem* Israel, Ioakim, Iechoniam, Sedeciam. i *Psal.* 78. 1

a *Proleg. de Idiotismis Hebr. n.* 36. *& 1. Reg.* 2. *v.* 1.

℣. 3. CONFREGIT OMNE CORNV. (*a*) id est, A omne robur, potentiam, gloriam, superbiam, ISRAELIS, inquit Chaldæus, Rupertus & Liranus. AVERTIT RETRORSVM DEXTERAM SVAM, id est, subtraxit Israeli auxiliarem manum suam, A FACIE INIMICI] id est, coram inimicis, dum pugnandum esset cum eis. ita Chaldæus, Origenes, Olympiodorus & Theodoretus. Ex quibus Nota miserrimos effectus peccati. Primò, obtegit caligine & excæcat animam. Secundò, de cælo deijcit in terram, imò in infernum. Tertiò, ex templo Dei facit scabellum diaboli. Quartò, diripit omnes animæ thesauros. Quintò, destruit omnes eius munitiones. Sextò, polluit eius regnum. Septimò, cornu eius confringit. Octauò, priuat auxilio diuino. Nonò, corruere facit coram hostibus. Decimò, flammam concupiscentiæ succendit in anima, quæ omnes virtutes depascitur, &c.

b *Proleg. ijsdem n.* 51.

℣. 5. REPLEVIT; LXX. *multiplicauit*, HVMILIATVM ET HVMILIATAM] id est, pluriimis (*b*) humiliatis, seu afflictis omnigenis repleuit Ierosolymam. q.d. Omnes, seu viros, seu feminas, afflixit.

℣. 6. TENTORIVM, seu tabernaculum, SVVM, putà templum Ierosolymitanum, DISSIPAVIT QVASI HORTVM, id est, sicut dissipatur hortus fractà & dissectà sepe, vt omnium rapinæ pateat. Hoc enim minatus erat Deus Israeli, Isaiæ 5. v. 5. OBLIVIONI, id est, in obliuionem, TRADIDIT omnem FESTIVITATEM: permittens enim aboleri omnia festa Iudæorum, fecit, vt nulla ampliùs mentio illorum fieret. *Tradidit* IN OPPROBRIVM, id est, probrosè tractari permisit, REGEM Sedeciam, cui oculi eruti sunt; ET summum SACERDOTEM Saraiam, qui capite plexus est, 4. Reg. vlt. ita Chaldæus, Rupertus, Castrius, Maldonatus.

℣. 7. MALEDIXIT SANCTIFICATIONI SVÆ, seu sancto templo suo, quod passus est euerti perinde ac si maledictum esset, & non benedictum, ita Chaldæus, Vatablus, Pagninus. Per MVROS TVRRIVM intelligit muros templi turritos: nam turribus munitos & ornatos fuisse testantur Iosephus, Adrichomius & Villalpandus. Porrò in templi depræd*a*tione & exustione VOCEM DEDERVNT Chaldæi, id est, lætum pæana vel celeuma, & *to triumphe* cecinerunt, perinde atque cani solet in die solemnis festi & gaudij. ita Chaldæus, Origenes, Theodoretus, Olympiodorus. Neque temere aut casu excisa est vrbs, sed

Villalp. to. 2 *l.* 2. *c.* 20.

℣. 8. COGITAVIT id DOMINVS, id est, maturo & destinato decreto sic fieri voluit, *tendens* FVNICVLVM SVVM, seu regulam vel perpendiculum, secundùm quod vt antè eleganter exstructa fuerat, ita nunc quasi curua, vel extuberans, & à libella aberrans, à summo architecto destrui iussa est, inquit Hugo. LVXIT MVRVS, id est, mœnia euersa & dissecta lugubri sunt spectaculo: VT ET ANTEMVRALE] id est, agger, seu munimentum quod ante vrbis muros erat exstructum, ad hostem longiùs à muris arcendum.

℣. 9. PORTÆ EIVS anteà in sublime elatæ, nunc humi stratæ, & IN TERRA DEFIXÆ, seu demersæ SVNT, & ruderibus ita obrutæ, vt nihil earum appareat. ita Chaldæus, Origenes, Theodoretus, Hugo, Liranus, Dionysius.

NON EST LEX: id est, nulla est obseruantia, seu custodia legis, v. g. de sacrificijs offerendis, de diuino officio peragendo: quia & templum destructum, & sacerdotes abducti: ET PROPHETÆ responsum nullum à Deo irato accipiunt, quo dirigi populus possit. ita Chaldæus, Paschasius, Rupertus. Nam Ieremias, qui vnicus ferè supererat, exosus erat populo, habebaturque pro (*c*) pseudopropheta. *c Ierem.* 43. *v.* 2.

℣. 11. EFFVSVM EST IECVR MEVM, & cum eo reliqua viscera mea, præ dolore, commiseratione & compassione erga conciues meos, est hyperbole. Et habes his versibus egregium schema pœnitentium, squalentium, & se affligentium.

℣. 13. CVI alteri, seu genti, seu vrbi, æquè afflictæ COMPARABO TE, vt sic per sociam tibi supparem CONSOLER TE? Solatium est enim misero habere socium in pœnis. Sed heu clades tua superat stragem Ægypti sub Moyse, (*d*) Chanaanitidis sub Iosue, (*e*) Moabitidis, Idumææ & Palæstinæ sub Dauide, (*f*) omnemque aliam hactenus in orbe visam vel auditam. ita Hebræi, LXX. & Chaldæus. MAGNA EST VELVT MARE CONTRITIO TVA] quia maxima, profundissima, amarissima, tot miseriis, tot calamitatibus, tot doloribus conferta, quot procellis & fluctibus mare confringitur. Nec magis medicabilis, quàm naufraga nauis (*g*) fluctibus insani maris contrita, confracta & absorpta, è qua vix tabulæ paucæ supernatant. ita ferè Rupertus & à Lapide. *d Exodi* 14. *e Iosue* 8. *f* 2. *Reg.* *g Isaiæ* 30. *v.* 17.

℣. 14. TVI pseudo-PROPHETÆ VIDERVNT, id est, prophetarunt, (*h*) TIBI STVLTA; Hebraicè, *insulsa*. quia INIQVITATEM TVAM, quâ prouocabas iram diuinam, NON APERIEBANT, sed operiebant, excusabant, eleuabant. VIDERVNT AVTEM, id est, prædixerunt, TIBI FALSAS ASSVMPTIONES] Hebraicè, *massa*, id est, pondus, seu onus, vt Aquila vertit, id est, prophetias onerosas quidem & graues, sed Chaldæis, non tibi, vt patuit Ieremiæ 18. & 29. nempe *eiectiones* eorum ex Iudæa, adeoque & ex Chaldæa & è fastigio imperij, vt ibidem vidimus. ita S. Bonauentura & Hugo. *h* 1. *Par.* 15. *v.* 5. משא

℣. 16. INIMICI TVI quasi bestiæ famelicæ, APERVERVNT SVPER TE OS SVVM, pleno rictu deuorare te cupientes, inquit Origenes, Rabanus & Hugo: instar serpentium SIBILAVERVNT captâ iam prædâ: FREMVERVNT DENTIBVS instar luporum & leonum, qui in prædam quam vnguibus tenent, dentes stridendo acuunt. Gestus sunt insultantium & subsannantium. Sed quid inter hæc miseri Iudæi?

℣. 18. CLAMAVIT COR EORVM AD DOMINVM SVPER MVROS, id est, pro muris Ierusalem, nempe vt subuersi rursus instaurentur. ita Chaldæus, Liranus & Dionysius. NE TACEAT] id est, ne cesset (*i*) à lacrymis *oculus* tuus, ô Ierosolyma. *i Ierem.* 47. *v.* 6.

℣. 19. LAVDA, id est, ora, obsecra, laudando & gratias pro paterna correptione habendo propitium tibi redde Deum, idque non semel, non obiter, sed instanter & assiduè, etiam de NOCTE ET IN PRINCIPIO singularum VIGILIARVM (*k*) seu per singulas vigilias noctis. Sat sæpè enim euigilare te faciet afflictio & miseria tua. *k Chronici c.* 2.

EFFVNDE COR TVVM, id est, omnia desideria, affectus & petitiones tuas, SICVT AQVAM (*l*) nempe nihil reserues in vase cordis quod non explices, profundas & aperias coram Deo tuo. ita Sanchez. LEVA AD *Deum* MANVS (*m*) TVAS. id est, ora, PRO ANIMA, id est, propter animam, seu vitam, PARVVLORVM TVORVM FAME absumptorum: nempe vt intuitu tantæ miseriæ & pœnæ quam toleratis, deinceps tui misereatur. Et verò monenti Prophetæ obsequuntur Iudæi. *l* 1. *Reg.* 7. *v.* 6. *m Xenophon l.* 9. *Cyropæd.*

℣. 20. VIDE DOMINE, & oculo propitio respice QVEM VINDEMIAVERIS] id est, quam charum

rum tibi olim populum stirpitus nunc absumpseris. Quis vnquam populus ad tam rabidam famem adactus est, vt *matres comederent* filios suos? Id in hac Chaldæorum obsidione contigisse *Ieroſolymis*, vel ex hoc loco certum fit, vt & ex c. 4. v. 10. Et antè in *Samaria* contigisse, testatur alia Scriptura, (*a*) & iterum *Ieroſolymis*, sub Tito Iosephus. Vti & nostra ætate in Gallijs non semel accidisse historici (*b*) narrant, putà *Sancerre* anno 1572. & *Rupellæ* anno 1628. Et cuius vel adamantinum pectus non emolliat alia illa miserrima cædes *sacerdotis & Prophetæ*, non vnius, sed plurium à Chaldæis iugulatorum IN ipso SANCTVARIO? Chaldæus & Hebræi somniãt hîc agi de *Zacharia* filio *Ioiadæ* 2. Paral. 24. à Iudæis occiso. Sed hîc agitur de strage per Chaldæos edita. Et quis dubitare possit, plures sacerdotes sacra adyta tutari volentes, vel saltem ijs excedere nolentes, ferro Chaldæorum absumptos fuisse?

a 4. Reg. 6. v 28. *Ioseph. l. 7. Belli c. 8.*

b Florimon. Remond. l. de Antichristo c. 7.

ỽ. 22. VOCASTI quasi ex condicto, finitimos omnes populos, vt cum Chaldæis Ieroſolymam properarent QVASI AD DIEM SOLEMNEM] non iam me cohonestaturos, sed territuros, obsessuros & expugnaturos: neque alias istic victimas, quàm ciues meos tibi in templo tuo immolaturos. ita ferè Sanchez.

CAPVT III.

Triplicato alphabetho plangit Ieremias multiplices calamitates suas, carceres, vincula, famem, verbera, quibus durante obsidione à ciuibus suis afflictus fuit. Simul tamen in seipso repræsentat afflictionem populi Iudaici à Chaldæis: & Allegoricè passiones Christi, & Martyrum Christianorum. Ita Origenes, Eusebius, Rupertus, Vatablus, Dionysius & Rabbini.

ỽ. 1. EGO Ieremias VIR ille sum, qui PAVPERTATEM; hebraicè & chaldaicè, *afflictionem*, MEAM meorumque ciuium immissam nobis IN VIRGA, id est, per virgam, (*c*) INDIGNATIONIS & iræ diuinæ, non solùm antè prædixi, vt Isaias, Sophonias & quidam alij Prophetæ, iam pridem defuncti prædixerunt: neque eminus audiui, vt audiuit Ezechiel degens in Babylone: sed coram VIDI oculis meis, & præsens bonam eiusdem partem exsorbui. Ante omnia enim Deus per lictores suos, impios Iudæos,

c Ierem. 1. v. 11.

ỽ. 2. ME MINAVIT; Hebraicè, *deduxit*, quasi imbellem ouiculam, IN TENEBRAS, id est, in carcerem tenebrosum, ET NON IN LVCEM, id est, in quo nulla erat lux. q. d. In meras & Cimmerias tenebras. Historiam habes Ieremiæ 32. & 38. Metaphoricè per *tenebras* (*d*) significantur res aduersæ, vti prosperæ per *lucem*.

d Psal. 4. v. 7. & Psalm. 54. v. 6. & Iob 17. v. 1.

ỽ. 3. TANTVM hoc agere mecum visus est Deus, vt TOTA DIE, id est, continuò, MANVM suam vltricem IN ME flagellando vel colaphizando *verteret & conuerteret*, nunc hanc, nunc illam genam feriendo. Et his assiduis verberibus, inediâ, fame, siti, alijsq; ærũnis, ex iuuenili, succulenta, speciosa visu,

ỽ. 4. VETVSTAM, exsuccam, corrugatam & fœdam FECIT PELLEM (*e*) MEAM, ET CARNEM: simulq; CONTRIVIT OSSA MEA, & vires omnes corporis & animi: ita Origenes, S. Thomas & Dionys.

e Psal. 118. v. 83.

ỽ. 5. IN GYRO MEO, id est, circumcirca, ÆDIFICAVIT mihi vallum & muros carceris, CIRCVMDANS ME FELLE ET LABORE, id est, amaritudine & molestiâ.

ỽ. 6. IN TENEBROSIS specubus COLLOCAVIT ME, sicut collocare solemus in sepulchris MORTVOS SEMPITERNOS, id est, in perpetuum A morti & obliuioni datos, Sic Ezechiel c. 37. Iudæos Babylonè captiuos vocat *mortuos*, & Babylonem *sepulchrum* eorum, & reditum è Babylone *resurrectionem à mortuis*.

ỽ. 9. LAPIDIBVS QVADRIS, & inde constructis muris firmissimis, CONCLVSIT VIAS MEAS, (*f*) ne qua parte possim euadere vel erumpere: sic SEMITAS omnes MEAS, seu quæ mihi ad effugium seruire possent, SVBVERTENS, & omnem spem & modum euadendi præripiens.

f Iob 19. v. 8.

ỽ. 11. CONFREGIT; Hebraicè, *discerpsit*, ME, à capite ad talos conuellens & conterens me.

ỽ. 12. POSVIT ME QVASI SIGNVM, seu scopum, ad quem configendum tam ipse, quàm omnes alij *filiabus* PHARETRÆ SVÆ, id est, telis suis, colliment. (*g*)

g Iudic. 20. v. 16.

ỽ. 16. FREGIT AD NVMERVM, id est, ordine & sigillatim numerandum ac designando omnes DENTES MEOS, *cibando* ME CINERE, seu subcinericiis panibus, quibus vt plurimum admisti sunt calculi vel lapilli, quos dum mordemus, dentes frangimus. ita Chaldæus, LXX. Vatablus & Hebræi. Seneca, beneficium quod noxam vel cruciatum affert, vocat *panem lapidosum*.

Seneca l. 1. de Benefic. c. 7.

ỽ. 17. ANIMA MEA, id est, ego, REPVLSVS *sum* A PACE, id est, spoliatus sum pristina felicitate, quiete & gaudio, & OBLITVS SVM BONORVM: id est, excussa mihi est memoria omnium priorum bonorum.

ỽ. 18. PERIIT FINIS MEVS] Id est, nullus erit mihi finis miseriarum. Sic Hebræi dicunt, *perijt spes mea, perijt fuga à me, perijt gaudium*, id est, nulla mihi superest spes, nullum effugium, nullum gaudium. Dicant hoc reprobi æternùm damnati, quibus pro maximo cruciatu est cogitatio æternitatis pœnarum. Propheta sic desperat cùm oculos ad humana præsidia flectit: nam cùm ad Deum respicit, spe plenus,

ỽ. 19. RECORDARE, inquit, ô Deus, PAVPERTATIS, id est, miseriæ, ET TRANSGRESSIONIS MEÆ; Hebraicè, *contra me*. nempe transgressionis limitum iustitiæ, amicitiæ, humanitatis, quos omnes transgrediuntur ciues mei, me tam iniùstè & inhumaniter incarcerando, opprimendo, conterendo. ita Chaldæus, LXX. Hugo, Dionys. Liranus. ABSYNTHII quoque ET FELLIS, (*h*) id est, amarissimę afflictionis & persecutionis. Cuius dum

h Hic v. 5. & 15.

ỽ. 20. MEMORIA sola mihi occurrit, TABESCIT IN ME, & instar ceræ liquescit & fatiscit ANIMA MEA] ita Theodor. & Rupertus.

ỽ. 21. RECOLENS tamen eadem hæc omnia mala quibus inuoluor & obruor, simulque oculos ad Deum attollens, etiam IDEO SPERABO] id est, propter tantum cumulum miseriarum spero flectendum Deum ad misericordiam. In maximis enim malis gaudet adesse suis Deus. Et verò est adhuc cur gratias debeamus tam bono Domino.

ỽ. 22. MISERICORDIÆ enim illius asscribendum, QVIA ob tam multa, tam improba scelera in ipsum admissa NON SVMVS (*i*) prorsus CONSVMPTI, vt exigebat eius infinita iustitia.

i Isaiæ 1. v. 9. & Rom. 9. v. 29.

ỽ. 23. NOVI; Hebraicè, *chadaſcim*, id est, recentes, supple, sunt effectus misericordiæ tuæ, quibus DILVCVLO, seu summo mane, id est, sollicitè, celeriter & opportunè nos præuenis. ita LXX. Pagninus, Vatablus & alij, qui vertunt, *nouæ quotidie apparent in nos misericordiæ tuæ*. Alludere videtur ad reductum è carcere Babylonico Manassen, (*k*) Ioakim, (*l*) & cum illis proceres reliquos.

חדשים

k 2. Par. 33. v. 13.

l 2. Par. 36. v. 6. & 4. Reg 24. v. 1.

MVLTA enim, imò immensa, EST FIDES, id est, A fidelitas & veracitas, TVA in promissis complendis, quibus nominatim promisisti Dauidi, *Si dereliquerint filij tui legem meam, visitabo in virga iniquitates eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* ita Liranus, Dionysius & Vatablus. Vnde

¥. 26. BONVM, id est, vtile, EST homini, SALVTARE DEI, id est, salutem (vt vertunt LXX.) à Deo PRÆSTOLARI CVM SILENTIO] id est, sine murmure, sine querela, sine animi perturbatione, patienter, tacite & tranquillè submittendo se nutui diuino

¥. 27. BONVM item VIRO CVM IVGVM aduersitatum & afflictionum à Deo immissarum, sic pa-
a *Michæ 7. v. 9.* tienter PORTAVERIT (a) AB ADOLESCENTIA SVA] Hoc enim domatur teruor ætatis illius, arcentur illecebræ peccatorum, roboratur animus & innumeris præmiis occasiones subministrantur.

¥. 28. SEDEBIT patiens, tranquillus, securus B & SOLITARIVS, nulli humano auxilio vel solatio inhians, solius Dei nutu contentus, ET TACEBIT,
b *Hic v. 26.* ac generosè feret, vt suprà: (b) QVIA non inuitus aut reluctans, sed lubens ac lætus LEVAVIT iugum hoc Domini SVPER SE] ita Origenes, Theodoretus, Olympiodorus, Vatablus, & Versio Syriaca atque Arabica.

¥. 29. PONET IN PVLVERE OS SVVM, id est, humiliabit se, vsque in puluerem deiiciens se, & vultu in terram demisso Deum adorans, & quasi reus ac supplex veniam postulans, SI FORTE hac sui deiectione atque humili prece *spei* suæ ac voti
c *Psal. 72. v. 9.* compos fiat. Sic è contrario, *ponere in cælum* (c) *os suum*, est superbè atque arroganter de se sentire & loqui, & quasi Deo insultare. ita Origenes, Rabanus, Vatablus & Liranus.

¥. 30. DABIT VLTRÒ & volens MAXILLAM C PERCVTIENTI SE] Id est, exponet se lubens alapis, flagellis, probris, aliisque iniuriis. Alapa enim non tantum dolorem, sed & ignominiam pudoremque insignem infligit. Sic Paulum *colaphizabat*
d *2. ad Cor. 12, v. 7.* (d) Angelus Satanæ, id est, egregiè humiliabat & pudore afficiebat per tentationem libidinis.

¥. 31. SI Deus ABIECIT, id est, videtur abiecisse afflictum, & quasi ad tempus deseruisse, ni-
e *Psal. 76. v. 10.* hilominus tamen iterum MISEREBITVR (e) illius.

¥. 33. NON ENIM EX CORDE SVO, seu ex animi sui sententia, sed amore nostri & in bonum nostrum HVMILIAVIT, afflixit, & quasi ABIECIT nos cum peccaremus. Proprium (f) enim Deo
f *Sap 1. v. 13.* est misereri ac benefacere: sed violentum & quasi contra naturam affligere & punire: vnde non est ei volupe.

¥. 34. CONTERERE instar tyranni SVB PE- D DIBVS SVIS VINCTOS TERRÆ, id est, miseris adstrictos in terra, inquit S. Thomas: vti nunc per Chaldæos conterit *omnes vinctos* Iudæos *terræ* Palæstinæ. ita Hugo. Multo minùs vers. 35. DECLINAT à iusto IVDICIVM, seu causam cuiuspiam IN CONSPECTV VVLTVS ALTISSIMI, id est, coram se, ex inordinato affectu vel fauore libram deprimendo in vnam, vel in alteram partem, vers. 36. ad *peruertendum* HOMINEM, id est, hominis causam seu *iudicium*. Hæc omnia IGNORAVIT DOMINVS, id est, numquam practicè nouit, id est, numquam talia fecit Deus. Quid igitur? Si mala hæc omnia quæ nunc Iudæis incumbunt, non obuenerunt ipsis *ex corde*, seu ex beneplacito Dei (vt Theologi loquũtur;) an ergo à fortuna vel casu omnia ipsis occurrerunt? Respondet, impium & insulsum esse id dicere nec in cerebrum vllius cadere posse. ita Theodoretus, Rupertus & Hugo.

¥. 37. QVIS EST ISTE tam vecors, tam stultus, QVI *dicere ausit*, hoc *factum* DOMINO NON IVBENTE, non decernente? aut

¥. 38. MALA, id est, aduersa, & BONA, id est, prospera. NON EGREDI EX ORE (g) ALTISSIMI] g *Eccles. v. 14. Isaiæ 45. v. 6. Amos 3. v. 6.* id est, ex decreto & ordinatione Dei? Summo id peccatoribus solatio, nihil ipsis obuenire nisi à manu & ex nutu Dei.

¥. 39. QVID ergo MVRMVRET quispiam cùm punitur PRO PECCATIS SVIS, quasi vel casu incurrerit in mala, vel negligatur, vel odio habeatur à Deo? Potius imputet sceleribus suis, quæ adhuc longè seueriores pœnas deposcunt: dicatque cum
h *Michæ 7. v. 9.* Propheta: *Iram Domini portabo* (h) *quoniam peccaui ei.* i *Psal. 118. v. 137.* Et: *Iustus es Domine,* (i) *& rectum iudicium tuum.* ita Hugo, S. Thomas & Liranus. Igitur sepositò murmure, discussâ diffidentia, depulsâ inutili tristitiâ, remedium malis nostris quæramus.

¥. 40. SCRVTEMVR sine dissimulatione vel adulatione omnes VIAS, actiones, cogitationes, appetitus NOSTROS, omnesque latebras cordis ad imum vsque fundum: ET QVÆRAMVS an alicubi quid lateat quod Deo displicet, eiusque gratiam ac benedictionem à nobis arcet, & pœnas prouocat. Inuentum tollamus & euellamus. & sic AD pristinum Dei fauorem REVERTAMVR] Fateamur ingenuè:

¥. 42. AD IRACVNDIAM te PROVOCAVIMVS: Hebraicè, *exacerbauimus te*, rebellauimus tibi: IDCIRCO TV INEXORABILIS ES ad pœnas depellendas; Hebraicè, *non pepercisti*, sed puniuisti nos.

¥. 43. OPERVISTI nos FVRORE] id est, flagellis ex furore tuo profectis, inquit Hugo, S. Thomas & Liranus. Sanchez putat alludi ad velamen faciei, quod damnatis inici solebat; etiam apud Romanos, *I lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori* k *Esther 7. v. 8.* *infelici suspendito.* Ita Amano (k) *operuerunt faciem,* & regi Sedeciæ, (l) & alijs. Nec solis nobis, sed & l *Ezech. 12.*

¥. 44. TIBI ipsi faciem velasti, NE BEM pec- *v. 12.* catorum nostrorum ita vultui tuo *opponens*, NE ORATIO nostra transiret ad te posset. ita Origenes, Theodoretus Rupertus, Hugo, S. Thomas, Liranus. Simili modo aiebat Isaias, *Iniquitates vestræ diuiserunt* *Isaiæ 59. v. 2.* *inter vos & Deum.* Posset etiam per *nubem* accipi immutabilis sententia de puniendis Iudæis Licèt enim Deus semper promptissimus sit ad culpas pœnitenti condonandas, non tamen semper ad pœnas depellendas, inquit Rabbi (m) Samuel.

m *Apud Galatin. l. 10. c. 3.*

¥. 45. ERADICATIONEM POSVISTI ME] Id est, instar arboris infructuosæ stirpitus eradicasti me, & è Iudæa in Chaldæam eiecisti, & abiecisti me vagabundam inter exteras gentes.

¥. 47. VATICINATIO, v.g. Ieremiæ & aliorum Prophetarum qui seuera supplicia nobis peccantibus intentabant, facta est nobis primùm FORMIDO (n) deinde LAQVEVS, denique CONTRITIO. Dum n *Isaiæ 24. v. 17.* enim illa timeremus, & euadere conaremur, rebellando Chaldæis, incidimus in *laqueum* illorum, qui nos pessum dederunt & *contriuerunt*. ita LXX.

¥. 48. DIVISIONES; Hebraicè, *riuos*, AQVARVM DEDVXIT OCVLVS MEVS] Sic lugenda peccata docuit rex sanctus (n) Dauid: *Lauabo per singulas no-* o *Psalm. 6. v. 7.* *ctes lectum meum lacrymis meis.*

¥. 51. OCVLVS MEVS, instar prædonis, iugi suo fletu DEPRÆDATVS EST ANIMAM, seu vitam, MEAM, succum omnem, spiritus vitales & vires corporis exhauriens & absumens, IN CVNCTIS FILIA-

FILIABVS VRBIS MEÆ] id est, propter ciues meos teneros, speciosos, delicatos, in vincula, in seruitutem, in malam crucem abreptos. Moraliter animam deprædatur oculus turpi aspectu, inquit S. Gregorius.

Greg. l. 21. Moral. c. 2.

℣. 52. VENATIONE CEPERVNT ME, prætensis mihi mille laqueis, idque GRATIS, id est, sine meo (*a*) merito, cùm neminé læsissem, imò omnes iuuissem sanis consilijs ac monitis meis, inquit Ieremias: cui hæc attribuunt Origenes, Liranus, Rupertus & Vatablus. Et ita illi factum narratur Ieremiæ 37. & 38.

a *Psalm. 34. v. 7. & Psalm. 108. v. 161.*

℣. 53. LAPSA EST IN LACVM, seu foueam, VITA MEA quasi iam extincta ac desperata: vnde quasi supra mortuum POSVERVNT LAPIDEM sepulchralem SVPER ME, seu super os putei in quo quasi sepultus iacebam. Sic lacus leonum, in quem Danielem coniecerant, tectus erat lapide, Dan. 6. v. 17. In hoc lacu, inquit Ieremias, B

℣. 54. INVNDAVERVNT AQVÆ, & limus & lutum quod erat in lacu, SVPER CAPVT MEVM] Sic factum testatur Iosephus. Sed potest id etiam exponi de aquis tribulationum & ærumnarum, de quibus Psaltes regius, (*b*) *Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* Et erant hæ tam copiosæ, tam noxiæ, vt humanitus pereundum mihi esset. Sed

b *Psal. 68. v. 2.*

℣. 55. DE LACV isto NOVISSIMO, id est, profundissimo, obscurissimo, teterrimo, INVOCAVI NOMEN TVVM.] imploraui diuinam opem tuam. Dixi,

℣. 56. NE AVERTAS AVREM TVAM, sed audi attentè SINGVLTVM MEVM] id est, preces meas quas cum frequenti singultu profero & emitto. Tu verò mox exoratus,

℣. 57. APPROPINQVASTI] Id est, accessisti ad me, mihi manum auxiliatricem præbuisti, per Angelum, inquit Chaldæus, nempe per *Abdemelech* eunuchum *Angelum*, id est, nuntium, quasi cælitus submissum, Ieremiæ 38. Et sic, ô Deus, C

℣. 58. IVDICASTI CAVSAM ANIMÆ MEÆ] Id est, causam meam pronuntiasti iustam esse. Primò, per eunuchum; Secundò, per Nabuchodonosorem me de carcere liberando; Tertiò, antagonistam meum *Hananiam* è vita subtrahendo; Quartò, regem, populum, vrbem, templum perdendo, sicut multò antè futurum prædixeram, sed fidem non repereram. ita Chaldæus, Origenes, Rupertus, Hugo, Liranus, Vatablus.

℣. 63. SESSIONEM ET RESVRRECTIONEM, (*c*) id est, omnem motum, actionem, situm, habitum inimicorum meorum VIDE & expende; deprehendes, me vbique PSALMVM EORVM ESSE, id est, illos in omni actione sua in me psallere, me ridere, me subsannare, inquit Maldonatus. Sed pro illo suo cantico, hebraicè, *negina*, pro mercede D

c *Psal. 138. v. 2.*

נגינה
מנגינה

℣. 65. DABIS EIS *meginna*, id est, SCVTVM, seu cingulum, CORDIS, id est, mœrorem & angorem qui cor quasi cingit, claudit, opprimit, inquit Vatablus, Chaldæus & Arabicus. R. Dauid & Maldonatus *cardiacam passionem* (vt medici vocant) hîc intelligunt, quâ cor quasi scuto, seu operimento iniecto præ angore & dolore suffocatur. Hic, inquit Propheta, erit carcer eorũ qui me tam iniusto carcere concluserunt. Et vniuersim sicut illi suis sceleribus te, ô Deus, laborare fecerunt, redde ipsis par pari LABOREM TVVM, id est, ærumnas, dolores, miserias quibus eos vicissim laborare, gemere & opprimi facias, *persequendo* illos FVRORE & calida ira tua, ET CONTERENDO EOS SVB CÆLIS, & è terra in alteram vitam educendo. ita Rupertus, Hugo & S. Thomas. Allegoricè, passionem & crucem, quam tibi ô Christe iniecerunt, redde eis per Titum & Vespasianum, inquit Delrio.

CAPVT IV.

Vrbis, templi, ac totius populi miserandum plangit lapsum ac ruinam, primò ac propriè sub Nabuchodonosore, deinde etiam sub Vespasiano & Tito. Denique auolat ad Messiam: cladem minatur Idumææ: ac Iudæos spe melioris sortis aliquando obuentura consolatur. ita Theodoretus, Hugo, Bonauentura & Dionysius. Tropologicè, aptari hæc possunt animæ per peccatum lapsæ: cuius ruina multò miserabilior est excidio vrbis Ierosolymitanæ.

℣. 1. QVOMODO (*d*) AVRVM, id est, templum auro ita obtectum, (*e*) vt videretur merum aurum, iam igne crematum & euersum à Chaldæis, adeò OBSCVRATVM iacet, vt non appareat nisi fuligo? ita Chaldæus, Rabanus & Hugo.

d *Thren. 1. v. 1.*
e *2. Par. 3. v. 5. & 8.*

℣. 2. FILII SION, id est, ciues Ierosolymitani, ac præ alijs proles regiæ, ceterique proceres Iudæorum, formâ, viribus, opibus INCLYTI, ET AVRO PRIMO, id est, vestibus auro gemmisque contextis more regio AMICTI, iam mancipia Chaldæorum carcere & ærumnis confecti *reputantur* IN VASA TESTEA] id est, viles habentur, & abiecti, & nullius pretij: quia qui antèà rosei erant & floridi, nunc aridi sunt & exsucci instar testæ. ita Chaldæus.

℣. 3. SED ET LAMIÆ crudelissimæ feræ, *nudatis* porrectisque *mammis*, LACTANT & alunt CATVLOS SVOS: sola FILIA POPVLI MEI, id est, solæ feminæ Ierosolymitanæ, præ fame tam *crudeles* se exhibuerunt filijs suis, vt lac eis etiam morituris negarint, & eos à se repulerint, QVASI STRVTHIO, qui oua sua humo tecta, teste Plinio, quasi sua non sint, deserit; ad pullos quoque suos vi solis inde exclusos ita obduratur, vt prorsus negligat quasi non suos, inquit Origenes, Theodoretus, Rupertus, Liranus, Vatablus & alij. De struthione (*f*) alibi fusiùs egi. De lamia scribit Aristoteles & ex eo Guil. Rondeletius, balenæ genus esse. Sed malim cum Philostrato & Dione Chrysostomo terrestrem draconem intelligere, muliebri facie & vberibus, reliquoque corpore superiore ita speciosa, vt viatores in amorem pertrahat, accedentesque capiat ac deuoret: inferiore parte corporis squamis prædura & in draconem desinente: nisi quòd alis destituatur & voce, sibilat tamen instar draconis. *Manticoram* vocat Aristoteles*, Plinius & Solinus. In Germania tale monstrum se vidisse narrat Albertus Magnus, & quidam alij. (*g*) Ab hac crudelitate ortum, vt veneficæ, quæ pueros necant & deuorant, *lamiæ* vocentur, inquit Cælius. Rhodiginus & Delrio.

Plin. l. 10. c. 10.
f *Deut. 14. v. 15. & Iob 39. v. 13. & seqq. Arist. l. 1 Hist. animal. c. 5. Rondelet. l. 13. de Piscibus. Philost. l. 4. de vita Apollonij.*
* *Arist. sup. l. 2. in fin. Plin. l. 8. c. 22. Solin. c. 55. Polyhist.*
g *Isai. 34. v. 14. Rhodigin. l. 29. c. 5. Delrio in Magicis. Gellius l. 2. c. 26.*

℣. 5. QVI voluptuosè ac delicatè NVTRIEBANTVR cibis *croco* conditis, nunc vrgente fame gaudent etiam *stercoribus*, v. g. columbinis, vti contigit in *Samaria* tempore Eliæi. ita Hugo, S. Thomas & Dionysius. Alij de byssinis vestibus id explicant *crocei* coloris, quas Gellius dicit non minùs speciosas & pretiosas esse, ac coccineas, seu purpureas. Porrò talibus olim ornati nobiles Iudæi, iam *stercoribus* operiuntur, id est, lacinijs stercore & luto fœdatis, ex sordido ministerio quod recentibus heris suis Chaldæis præstare coguntur. Sic Iosephus (*h*) cophino seruiebat in Ægypto, inquit S. Augustinus.

h *Psal. 80. & ibid. Augustinus.*

℣. 6. MAIOR EFFECTA EST INIQVITAS, id est, pœna iniquitatis, Ierosolymæ, PECCATO, id est,

est, pœna peccati, SODOMORVM. Quia Sodoma A MOMENTO VNO SVBVERSA EST igne cælitus depluente, ET NON CEPERVNT IN EA MANVS hostiles spolia & captiuos, quos lenta morte discruciarent, vt accidit Ierosolymitis. Vnde Vatablus & Pagninus verterunt, *non sunt contra eam castrametatæ hostium manus*; Symmachus, *non vulnerarunt eam manus*; alij, *Gentes non profanarunt in ea manus suas*.

a *Num.* 6. ℣. 7. NAZARÆI quinam fuerint, alibi (*a*) exposui. Religiosior & sanctior pars gregis Iudaici, toto corpore *candicantes* & quasi *lactei*, insperso genis colore rubeo, capillis etiam rutilantibus & aurescentibus instar eboris antiqui rubescentis, id est, flaueścentis: *rubeus* enim color, vt benè probat Gellius, non modò *purpureum*, sed & *aureum* complectitur. Denique oculis *sapphirinis*, lucidissimis, pulcherrimis. Sapphirus enim gemma est cærulei coloris, aureis punctis quasi stellis collucens, instar lapidis *lazuli*, teste Plinio & alijs. ita Pineda. Iam præ fame, præ macie, præ alijs miserijs facti sunt nigriores carbonibus.

Plin. l. 37. c. 9. *Pineda l. 6. de Rebus Salom. c. 4.*

℣. 9. MELIVS & mollius FVIT OCCISIS GLADIO, id est, cita & breui morte peremptis, QVAM longâ FAME & inediâ cruciatis, ac tandem etiam INTERFECTIS, quia EXTABVERVNT, Hebraicè, *defluxerunt paulatim in mortem*, CONSVMPTI; Hebraicè, *confossi*, A STERILITATE TERRÆ] id est, ob defectum fructuum, & subtractionem alimenti necessarij.

℣. 10. MVLIERVM naturâ suâ MISERICORDIVM, maximè in proprios natos, sed iam fame efferatarum, MANVS, cùm cibum alium non haberent, COXERVNT FILIOS SVOS, (*b*) IN CONTRITIONE] id est, dum longa & arcta obsidione contererentur Ierosolyma.

b *Thren.* 2. *v.* 20. & *Baruch* 2. *v.* 3.

℣. 12. NON CREDIDERVNT externi posse *Ierosolymam* vi expugnari: nempe norant curæ esse Deo, qui contra *Sennacherib* & tot alios reges eam toties protexisset, norant & loci naturâ & arte munitissimam esse. Vnde & Iebusæi ridebant Dauidem ad eam expugnandam sese accingentem, 2. Reg 5. inquit Origenes, Chaldæus, Theodoretus & Liranus. Et verò nullis viribus expugnari potuisset, nisi diuino præsidio & tutelâ fuisset destituta.

℣. 13. PROPTER PECCATA pseudo-PROPHETARVM EIVS, Phassur, (*c*) Hananiæ (*d*) & similium, QVI EFFVDERVNT SANGVINEM IVSTORVM] v.g. *Uriæ* Prophetæ, Ieremiæ 26. v. 20. & aliorum sub Manasse, 4. Reg. 24. Ob hos enim excisam esse Ierosolymam, alibi (*e*) Ieremias docuit. ita Sanchez. Porrò grassante per vrbem promiscuâ cæde,

c *Ierem.* 20. *v.* 2. d *Ierem.* 28. *v.* 1. e *Ierem.* 15. *v.* 4.

℣. 14. ERRAVERVNT passim IN PLATEIS & foris vagabundi Iudæi quasi CÆCI, effugium quærentes, vt sine cadauerum attactu, (*f*) impolluti euaderent. Sed frustra: nam plateis multitudine cadauerum oppletis, impingebant vbique, & SANGVINE EX eis defluente polluebantur. Quidam CVM aliter transire NON POSSENT, *continuerunt* & leuarunt LACINIAS SVAS, & fluidam vestem contraxerunt, & sic sine cadauerum contactu pauculi pertransierunt mundi & impolluti: qui dum alijs occurrunt iam a tactu cadauerum pollutis, ne vel horum affrictu contaminarentur,

f *Num.* 19. *v.* 11. *&c.*

℣. 15. CLAMAVERVNT obuijs EIS, RECEDITE à me POLLVTI; NOLITE immundi mundos TANGERE, & vestro contactu polluere. Sed hi quasi cæci nil de talibus soliciti, impingebant vbique in obuios. Inde IVRGIA & animorum commotiones & pugnæ (vt ex Hebræo colligitur,) & scandala: etiam Gentilibus passim ijs insultantibus. NON AVDET VLTRA hæc tam impia gens, VT diutiùs HABITET IN his terris, vbi ita rixantur. Hebraicè enim est, *non addent Iudæi vltrà ad inhabitandum*. q.d. Non diu fruentur libertate rixandi inter se in patrio solo: compingemus eos in vincula, deportabimus in exilium, detrudemus in pistrinum: ibi rixentur, ibi depugnent ad satietatem.

℣. 16. FACIES DOMINI irata DIVISIT EOS à patrio solo, & expulit in exilium: quia ipsi FACIES SACERDOTVM, eos ob sua scelera monentium & increpantium, NON ERVBVERVNT] vt dixi v. 13. ita Rabanus, S. Thomas, Vatablus & Liranus.

℣. 17. CVM ADHVC SVBSISTEREMVS integrâ stante republicâ nostrâ, ET RESPICEREMVS AD Ægyptios, vt nos ab obsidione Chaldæorum liberarent, DEFECERVNT OCVLI NOSTRI longa & attenta contuitione, seu prospectatione, quâ VANVM illorum AVXILIVM vel eminus prospectare conabamur. sed frustra: nam repulsi à Chaldæis Ægyptij, (*g*) nusquam in Iudæa comparuerunt. ita Origenes, Rabanus, Theodoretus, & Hugo. A quibus deserti, mox ad extrema redacti sumus.

g *Ierem.* 37.

℣. 18. LVBRICAVERVNT VESTIGIA NOSTRA, id est, nusquam firma vestigia figere potuimus, etiam IN medio PLATEARVM, seu fororum nostrorum, quasi dicat: Nihil firmi, nihil solidi nobis fuit: quodcumque consilium iniuimus, quamcumque viam tentauimus, quodcumque negotium aggressi sumus, non successit ex sententia: omnia lubrica, omnia infida, omnia nobis aduersa. In Hebræo & apud LXX. est, *venati sunt hostes gressus nostros*, id est, laqueos & insidias tetenderunt Chaldæi omnibus studijs & machinationibus nostris, & omnes subuerterunt.

℣. 19. VELOCIORES FVERVNT AQVILIS CÆLI, velocissimis æquè ac robustissimis equis suis nos impetentes. Primò, cùm è Chaldæa (*h*) aduolarunt in Iudæam. Secundò, cùm à fugatis Ægyptiis Ierosolymam ad prosequendam obsidionem reuolarunt. Tertiò, cùm perrupto iam vrbis muro nos fugientes insecuti sunt, etiam SVPER MONTES & IN locis DESERTIS, vbi rupes habebamus & cauernas, vt putabamus, (*i*) inaccessas. Sed ipsis nihil inaccessum fuit: nam insidiis & industriâ suâ nos quasi limaces è cochleis nostris in lucem protraxerunt, & tribunalibus obiecerunt. Tunc etiam, quod omnium molestissimum accidit,

h *Ierem.* 4. *v.* 13. & *c.* 48. *v.* 40.

i *Iosephi l.* 1. *Belli c.* 12.

℣. 20. CAPTVS ab illis EST CHRISTVS DOMINVS, id est, vnctus rex noster. Ex Hebræo potest etiam verti, *Christus Domini*: hic est Sedecias vltimus è stirpe Dauidica Iudæorum rex, inquit S. Thomas, Maldonatus & quidam Hebræi. QVI ERAT SPIRITVS, seu flatus, ORIS NOSTRI, id est, anima & vita nostra, vt Origenes, Rupertus, Rabanus, Hugo, Liranus exponunt. q.d. Rege suo quasi propria anima & vita viuebat, respirabat & vegetabatur totum regni corpus, quod illo sublato nunc defecit, & extinctum est. Et de hoc Sedecia loquitur hîc Propheta ad litteram: sed allegoricè & quidem sensu principaliùs intento à Spiritu sancto, loquitur de antitypo *Sedeciæ* regis, nempe de *Messia*, vero Domino, Hebraicè, *iehoua*, id est, Deo nostro: יהוה de quo locum hunc etiam ad litteram exponunt S. Clemens, Irenæus, Iustinus, Origenes, Tertullianus, Ambrosius, Hieronymus & alij SS. Patres citati à Christophoro Castrio. Sic Isaias à Cyro ad *Isaiæ* 45.

Christum,

Zach.9.v.9 Christum,sic Zacharias, sic alij Prophetæ non rarò à typo ad antitypum subitò auolant, vt alibi(*a*)dixi. Porrò vtrique aptari potest quod subnectitur, CAPTVM esse IN PECCATIS NOSTRIS] id est, propter peccata nostra,vt Olympiodorus & alij exponunt: & Isaiasc. 53. v.5. disertè affirmat Christum *propter peccata populi* percussum à Deo,nempe vt illa expiaret. Et de Sedecia nemo negare potest, tam dira passum tum ob propria, tum ob aliena subditorum suorum scelera. ita S. Thomas, & alij suprà citati. I nunc

a Proleg.de Illotismo Hebr. n.38.

℣. 21. FILIA EDOM, id est, Idumæa, sita IN TERRA HVS, GAVDE ET LÆTARE super excidio Iudææ,& ad illud excita atque adiuua(*b*)Chaldæos. Erunt & tibi tuæ vices: eodem calice vindictæ diuinæ etiam tu INEBRIABERIS, ATQVE omnibus ornamentis tuis NVDABERIS.

b Ezech. 35. v. 13. & Abdiæ 1. v.10.

℣. 22. TVA INIQVITAS, id est, pœna & punitio iniquitatum tuarum, ô Iudæa, iam COMPLETA EST hac captiuitate, euersione & excidio per Chaldæos. NON ADDET VLTRA (*c*) Deus VT TRANSMIGRET TE]scilicet in longum tempus,& donec iterum nouis scelcribus de nouo prouocabis iram diuinam: vt prouocauit tempore Christi. Sed hoc iam erat aliud sæculum,& alia Iudæa. Adde,sub Tito non tam fuisse *transmigrationem*,quàm excidium Iudæorum.

c Proleg. sup. n.17.

TVAM verò INIQVITATEM & *scelera*, ô EDOM,decreuit Deus adhuc *visitare* & punire,totique orbi *discooperire*, seu nota facere per similem publicam & horrendam vastationem, deportationem & captiuitatem iam iam imminentem. ita Theodoretus, Origenes, Hugo, S.Thomas & Liranus.q.d.Iudæi iam dederunt pœnas Deo,sed vos, ô Idumæi, illæ adhuc manent. Fusiùs hæc pertractat Ieremias cap. 49. vers.7. & seqq.

ORATIO
IEREMIÆ
PROPHETÆ.

CAPVT V.

Apud LXX. & apud nostrum Interpretem inscribitur ORATIO IEREMIÆ, *quâ, iteratu breuiter ac summatim pœnu populo Iudaico ob sua scelera illatis, supplicat Deo, vt populum suum pristino statui ac felicitati restituere dignetur. Porrò hic titulus non est in Hebræo: neque hac oratio est acrosticha, licèt constet tot versibus quot littera sunt in Hebraico alphabeto.*

℣. 1. RECORDARE ô DOMINE, sed simul quoque miserere, parce, indulge, libera, succurre afflictis. *Recordatio* enim diuina, vt & intuitio,non est otiosa vel sterilis, sed practica, efficax & operatiua: sicut ex aduerso, obliuisci, & non intueri,idem sunt quod negligere, non curare, contemnere.

℣. 2. HEREDITAS NOSTRA, nempe Iudæa, quam iure hereditario possidebamus,iam facta est, Chaldæorum. Nota. Primis 18. versibus recensetotidem mala quæ Iudæis per excidium ditionis suæ obuenerunt. Quæ Tropologicè, facilè adaptes cuiuis peccatori longè plura mala incurrenti, inquit Dionysius Carthusianus.

℣. 3. PVPILLI FACTI SVMVS, patribus vel occisis,vel abductis à Chaldæis, ita Hugo, Liranus & Chaldæus.

℣. 4. AQVAM NOSTRAM, ex puteis & cisternis antea nostris depromptam, iam PECVNIA redimere cogimur:& in Chaldæa quoque non nisi oblato PRETIO aquam, omnibus alioqui communem, extorquere possumus, inquit Sanchez.

℣. 5. CERVICIBVS NOSTRIS MINABAMVR] id est,agebamur,ducebamur instar pecorum, quorum cornibus vel ceruicibus funes alligantur,& sic per vias trahuntur.Sic & nos trahebamur,cùm cateruatim in Chaldæam velut pecora cogeremur.

℣. 6. ÆGYPTO DEDIMVS MANVM ET ASSYRIIS] Id est, dedidimus & subiecimus nos Ægyptijs & Assyrijs,serui illorum facti & mancipia, vt *panem* extorqueremus quo miseram vitam traheremus, inquit Chaldæus.

℣. 8. SERVI Chaldæorum DOMINATI SVNT NOSTRI, iussu herorum nobis præpositi, & quotidianum operis pensum à nobis exigentes, etiam flagris, vt olim fecerunt serui Pharaonis in Ægypto, Exodi 1.

℣. 9. IN ANIMABVS NOSTRIS, id est, cum animæ,seu vitæ periculo, AFFEREBAMVS NOBIS PANEM, v.g. ex agro in vrbem, qui multo sudore comparatus, non rarò subtrahebatur per *gladium*, id est,per vim à Chaldæis raptoribus illatam IN locis *desertis*.

℣. 10. PELLIS NOSTRA, antè candida, rosea, succulenta, nunc præ *fame*, quæ instar validæ *tempestatis* in nos irruit, siccatur, nigrescit, corrugatur & finditur QVASI CLIBANVS igne perpetuo adustus.

℣. 12. PRINCIPES Iudæorum MANV hostili SVSPENSI SVNT] Alludit ad 4. Reg. vltimo v.21. vt ibidem dixi.

℣. 13. PVERI nobiles ac delicati LIGNO, id est, baculis, virgis percussi, CORRVERVNT fœdè lacerti, exsangues, exanimes, inquit Maldonatus & Sanchez.

℣. 16. CECIDIT CORONA CAPITIS NOSTRI, quam solebamus in festis & conuiuijs hilarioribus imponere capiti, inquit Sanchez & à Lapide. q. d. Iam defecerunt illa festa, istæ epulæ, in quibus solebamus tam splendidè lætari, coronis capita redimentes.

℣. 17. CONTENEBRATI SVNT OCVLI NOSTRI præ assiduo fletu, vt & Iob sibi contigisse querebatur. Iob 16.v.17

℣. 18.

℣. 18. VVLPES AMBVLAVERVNT IN MONTE SION] q.d. Templum & regium palatium in monte Sion ita desertum iacet, vt *vulpes* & aliæ feræ intrepidè ac liberè per illud discurrant.

℣. 20. QVARE OBLIVISCERIS NOSTRI IN PERPETVVM?] Hebraicè, *in longitudinem dierum*, id est, cur deseris (*a*) nos perinde, ac si nihil ad te spectaremus, & quidem deseris tanto tempore, vt æternitas aliqua videatur?

a *Hic v. 1.*

℣. 21. CONVERTE NOS DOMINE AD TE] Primò, per pœnitentiam, ex hostibus reddendo tibi amicos: Secundò, per reditum ex exilio in patriam & in pristinam felicitatem. De priori conuersione accipit hæc Chaldæus, Olympiodorus & Liranus: de secunda Hugo: de vtraque Rabanus & S. Thomas. Et ex hoc loco, simul & ex Zachariæ 1. v. 3. *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos*, colligit Tridentinum Concilium & Theologi, ad conuersionem peccatoris necessariam esse & gratiam & liberum arbitrium, sed gratiam debere præuenire & excitare liberum arbitrium, peccato quasi sopitum.

℣. 22. SED PROIICIENS REPVLISTI NOS] LXX. & Chal læus, *quia satis nos repulisti*. Aliam enim hic profert rationem cur debeat meritò exaudiri, scilicet, Iam sat pœnarum tibi dedimus ô Deus, & iræ tuæ satisfecimus tam diro excidio, tam longo exilio, tam crudeli seruitute: quam toleramus proiecti & repulsi à facie tua vehementer contra nos irata. Tempus est vt commutatâ facie, reddas nobis iam sat punitis ac purgatis pristinam clementiam tuam, & nos conuertas ad priorem tuam gratiam, amicitiam, felicitatem. Sed hanc petitionem per aposiopesin subticet Propheta quasi ex pudore & humilitate, contentus causam exposuisse amantissimo patri, quæ suadeat reconciliari filijs iam sat punitis & purgatis.

BARVCH

HEBRAICE *benedictum* significat: qualis certè fuit hic vir, è nobili Iudæorum stirpe, vtpote frater *Saraiæ* principis (vt colligitur ex Ieremiæ 51. vers. 59. collato cum Baruch 1. vers. 1.) vsque eò sese demittens, vt scribam se faceret Ieremiæ, eiusque assecla, & omnium laborum & afflictionum socium, cui ad mortem vsque adhæsit etiam in Ægypto. (*a*) Sed à morte illius, ex Ægypto secessit in Babyloniam anno 5. ab excisa Ierosolyma, (*b*) vt regem Iechoniam aliosque Iudæos ibi captiuos solaretur ac roboraret. Ibi (*c*) librum hunc conscripsit, haud dubiè Hebraicè, vel chaldaicè, (vnde & Latinus textus passim (*d*) Hebraizat:) sed Hebræum exemplar iam intercidit. quæ causa fuit cur S. Hieronymus, Gregorius Nazianzenus, Damascenus, Liranus, Dionysius, Driedo & quidam alij, hunc librum pro Canonico non habuisse videantur. Sed hoc argumentum in proœmio libri Tobiæ, Sapientiæ & Ecclesiastici, & aliorum eiusmodi librorum iam pridem refellimus. Quamquam etiam dici posset, veteres Patres, quando in recensendis libris Canonicis non meminerunt libri Baruch, ipsos hunc comprehendisse nomine Ieremiæ, cuius Baruch scriba erat. Plures etiam Patres, vt S. Athanasius, Cyrillus, Clemens Alexandr. Gregorius Nyssenus, Eusebius, Ambrosius eum citant quasi Canonicum, vt videre est apud Bellarminum. Sed quidquid sit de antiquis, certum est iam ex Concilio Florentino & Tridentino, debere eum libris Canonicis adnumerari. Seruit instructioni Iudæorum, quomodo tempore captiuitatis gerere se debeant, vt veniam peccatorum, relaxationem pœnarum, & pristinam felicitatem possint obtinere à Deo.

a *Ierem. 43. v. 6 & Ioseph.*
b *Baruch 1. v. 1.*
c *Ibid. v. 1. Hieronym. proœmio in Ierem. Nazianz. in carmine. Damasc. l. 4. Fidei c. 18. Driedo l. 1. de Script. eccles. d Cap. 6. v. 24. 55. 64.*
Bellar. l. 1. de verbo Dei c. 8. Flerent. & Trid. decreto de Libris Canonicis.

Ç A-

CAPVT I.

Epistola est Iudæorum Babylone captiuorum ad suos contributes in Ierusalem, quâ significant se lectione libri Baruch (quem eâdem operâ transmittunt) compunctos fuisse, rogareq́; vt orent & sacrificium offerri faciant pro se & pro Nabuchodonosore eiusq; filio Baltassare. Liber incipit v. 15. à laude diuina, & propriorum scelerum confessione.

¥. 2. ANNO QVINTO, IN SEPTIMO DIE MENSIS primi Nisan, inquit Theodoret. Hugo, Liranus, Torniellus. Vel potiùs mensis quinti, nempe præcisè eodem illo mense & die, post euolutum quinquennium, quo Chaldæi Ierosolymam igni succenderant, 4. Reg. vlt. v. 8 Et hæc circumstantia temporis seruiebat Prophetæ ad captandam populi attentionem simul & maiorem commiserationem, inquit Vatablus & à Castro.

¥. 3. VERBA igitur LIBRI HVIVS LEGIT BARVCH AD AVRES IECHONIÆ, ET POPVLI VENIENTIS AD LIBRVM audiendum. Erat enim Iechonias Babylone in libera custodia; vt solent viri principes, maximè quia se vltrò dediderat.

¥. 4. ET AD AVRES POTENTIVM FILIORVM REGVM] Ita vocat filios Iechoniæ & cognatos, è regio sanguine procreatos, qui vnà cum Iechonia
a *Dan. 1. v. 3* (a) Babylonem abducti fuerant.

¥. 7. IOAKIM FILIVS HELCIÆ FILII SALOM, patruus erat SARAIÆ summi pontificis nuper à Nabuchodonosore suspensi, (b) vt patet ex serie pontificum Iudæorum in Chronico. Hic cum Godolia videtur relictus Ierosolymis, fortè propter senium, vel quia sese abdiderat: forsan & cum
b *4. Reg. vlt. v. 18. Chronici c. 42.*
c *Ierem. 43. v. 5. &c.* pauculis aliis sacerdotibus ex Ægypto (c) (metu imminentis illi regno cladis à Ieremia prædictæ) in C Iudæam recurrerat. Vt vt est, ex hoc loco Baruch sat constat, hunc Ioakim præfuisse hoc tempore sacerdotibus Ierosolymæ tunc reliquis. Idcirco enim ad hunc potiùs, quàm ad alium, remittit Baruch

¥. 8. VASA TEMPLI, CVM illa pretio per ditiores redempta à Chaldæis ACCIPERET, mitteretque *reuocanda*, id est, restituenda altari in loco templi Ierosolymis leui opere instaurato. VASA, inquam, non aurea, quæ Nabuchodonosor sibi
d *Daniel. 5. v. 2.* ditauit, (d) sed ARGENTEA QVÆ SEDECIAS initio regni sui FECIT, & aureis vnà cum Iechonia Babylonem auectis substituit. Hæc enim argentea, quia ad vulgarium Chaldæorum manus deuenerant, nec erant tanti pretij facile fuit pecuniâ redimere.

¥. 10. MISIMVS Ierosolymam PECVNIAS. Has D in commune collegerant captiui in Babylone, iubentque ex ijs emi HOLOCAVTOMATA, id est, victimas in holocaustum offerendas Deo, ET MANNA, seu *mincha*, aliud sacrificij genus, de quo Leuitici 2. v. 1. Sæpè enim LXX. è quibus Noster hausit,
e *Ierem. 17. v. 26. & Daniel 2. v. 46. &c.* pro Hebræo *mincha* vertunt *manna*. (e) Vtrumque significat oblationem, seu munus in genere: licèt speciatim vsurpari soleat pro certa specie oblationis, vt ibidem dixi. ET OFFERTE hostias PRO PECCATO. Tertium sacrificij genus, de quo Leuitici 4. AD ARAM DOMINI] quam post discessum Chaldæorum Iudæi sibi clam erexerant in atrio templi euersi, ad priuatos potiùs, quàm ad publicos vsus, vt saltem haberent aliquod religionis suæ
f *Ierem. 41. v. 5.* exercitium, vt alibi (f) dixi. Sic habuerunt etiam altare antequam constructum esset tabernaculum Mosaicum, Exodi 24. v. 4. ita Liranus & à Lapide. Quod Dan. 3. v. 38. dicitur, *Non est in tempore hoc hostia*

A *locaustam, neque sacrificium*: intelligitur de solemni & publica auctoritate permisso sacrificio, quale non erat quod in hoc vili & quasi furtiuo altari offerebatur. Sicut iam in vrbibus hæreticorum, etsi furtiuè in aliqua subinde domo Missa celebretur, quia tamen id clam fit, & contra publicas leges; verè dicitur non esse ibi exercitium Catholicæ religionis.

¥. 11. ORATE PRO VITA NABVCHODONOSOR. Ita mandauerat illis Deus Ieremiæ 29 v. 7. Et idem suadet Christianis S. Paulus, (g) & primis
g *1. Tim. 2. v. 1. & 2. Tertull. in Apologet.* Ecclesiæ sæculis in more fuisse testatur Tertullianus & alij. SINT DIES EORVM SICVT DIES CÆLI (h) id est, diuturni, constantes, tranquilli, perpetuò felices, qualis est vita cælicolarum.
h *Psal. 88. v. 30.*

¥. 12. DET DOMINVS VIRTVTEM, ἰσχὺν, id est, fortitudinem, robur, vires, NOBIS. ILLVMINET OCVLOS NOSTROS, id est, prosperitate & lætitiâ
B perfundat nos, vt alibi (i) dixi. VT SERVIAMVS i *Psal. 4. v. 7* Chaldæis MVLTIS DIEBVS, potiùs quàm alijs crudelioribus tyrannis. *Iob 17. v. 13*

¥. 15. ET DICETIS] Hîc incipit liber Baruchi, quem Babylone transmittebãt Ierosolymam.

DEO NOSTRO IVSTITIA] supple, tribuatur & ascribatur. Ex hac oratione (quæ protenditur vsque ad v. 8. c. 3.) multa inseruit Daniel suæ orationi c. 9. v. 7. & tres pueri in fornace, Dan. 3. v. 27. vbi illa explicabimus.

¥. 17. NON CREDIDIMVS, DIFFIDENTES IN DEVM] nempe quòd vel non posset, vel non vellet nos à Chaldæis liberare: vnde, spreto illo, confugimus ad opem Ægyptiorum, imò idolorum: vnde iustè deseruit nos Deus.

¥. 18. SVBIECTIBILES] Id est, subiecti.

¥. 19. INCREDIBILES, id est, increduli. DISSIPATI. id est, dispersi per varia idola (k) & peccata
k *Hic v. 22* RECESSIMVS] Græcè, *leuiter defleximus* ab obedientia Deo debita.

¥. 20. ET, id est, propterea, ADHÆSERVNT NOBIS instar glutini, tot calamitates, quas CONSTITVIT, id est, explicuit, DOMINVS MOYSI, & per ipsum nobis comminatus est Deuter. 27. & 28. SICVT HODIERNA DIE] supple, cernimus vel sentimus.

¥. 22. ABIVIMVS VNVSQVISQVE IN SENSVM CORDIS NOSTRI, id est, secuti sumus singuli suas sensualitates. OPERARI, id est, seruire, seu, vt seruiremus, coleremus, sacrificaremus, DIIS ALIENIS] Seruorum enim est opera facere dominorum suorum: vnde *operari* pro *seruire* vsurpari solet. (l)
l *Baruch 2. v. 21. & 22.*

CAPVT II.

Pergit confiteri propria peccata, & celebrare iustam vltionem Dei: dein erat supplex veniam pœnitentibus olim promissam, semperq́; paratam: vt hac viâ magis celebretur Dei nomen, eiusq́; magnifica clementia ac potentia.

¥. 1. STATVIT, (m) id est, stare fecit, reipsa posuit & stabiliuit ipso euentu, VERBVM, id est, promissum SVVM, de puniendis sceleratis. q. d. Deus impleuit per Chaldæos, & de facto nobis intulit clades quas per Moysen & Prophetas minatus fuit.
m *Hic v. 24 & Isaiæ 44. v. 24. Ierem. 28. v. 6.*

¥. 2. SECVNDVM QVÆ SCRIPTA SVNT] Id est, planè easdem clades, quæ in libro Deuteronomij præuaricatoribus inferendæ dicuntur, v. g.
Deut. 27. & 28.

¥. 3. VT MANDVCARET HOMO CARNES FILII SVI] Quod Ierosolymis accidisse, suprà (n) vidimus.
n *Thren. 2. v. 20. & c. 4. v. 10.*

¥. 4. DEDIT EOS SVB MANV, id est, subiectos manui, seu potestati, REGVM OMNIVM IN CIRCVITV]

CVITV] Iudæi enim nunc à Syris, nunc ab Ammonitis, nunc ab Ægyptiis, nunc ab Assyrijs, nunc à Chaldæis atterebantur & subiugabantur.

℣. 5. FACTI SVMVS SVBTVS; ET NON SVPRA] (a) id est, subditi prorsus & serui. Sic futurum prædixerat Deus Deuter. 28. v. 13. & 43. Mox decem rationibus conatur Deum inflectere, vt populo iam pœnitenti benignum ac beneuolum sese exhibeat. Primam proponit:

a *Proleg. de Idiotismis Hib. n. 49.*

℣. 11. Iudæi *populus tuus* sunt, quem tanto labore, tantâ curâ, tanto affectu eduxisti ex Ægypto, tibique adgregasti. Secunda est:

℣. 13. DERELICTI SVMVS PAVCI ex tot centenis millibus. Tertia ratio desumitur ex innata Deo clementia:

℣. 14. EDVC NOS PROPTER TE] propter infinitam tuam bonitatem, cui proprium est misereri & parcere. Quarta, ex amplificatione gloriæ diuinæ.

℣. 15. VT SCIAT OMNIS TERRA QVIA TV ES DOMINVS DEVS NOSTER, & singulari fauore nos tamquam filios tuos prosequeris. Videat ergo reipsa sentiatque totus orbis, Israelem eiusque posteros non solùm vocari, sed & de facto esse filios tuos, & vt tales à te haberi & tractari. Ergo oculo propitio,

℣. 16. RESPICE IN NOS DE DOMO SANCTA TVA] id est, de cælo, inquit Liranus & Dionysius: vel etiam de loco templi, vt Theodoretus & Hugo exponunt. Etsi enim dirutum esset templum, diuina tamen præsentia, auris & fauor loco non excesserat. Vnde etiam Daniel, & Iudæi alij passim inter orandum conuertebant se ad locum templi. Sequitur quinta ratio:

Dan. 6. v. 10

℣. 17. MORTVI quicumque siue pij, siue impij, NON DABVNT HONOREM ET IVSTIFICATIONEM DOMINO] id est, non prædicabunt gloriam & iustitiam diuinam, nempe ore suo & linguâ suâ, idque (vt alibi (b) exposui) apud homines huius mundi: nam horum respectu, laus quam sola anima dat Deo, nulla est, vti nec vox, nec vita, quia non sentitur à viuentibus. Laus ergo Dei, quam inculcat toties vetus Scriptura, per antonomasiam est externa illa & perceptibilis laus, quæ alios ædificet & excitet, qualis est publica pœnitentium oratio, vel diuinam misericordiam pro se, pro aliis implorantium, vel laudantium, v. g. in templo, in synagogis, & aliis locis. Vt ergo non planè intereat hæc publica laudatio & glorificatio, ne sinas nos miseriis & ærumnis huius exilij & captiuitatis emori atque extingui: nam nobis extinctis, à quibus solis publicè coleris, nobiscum extinguetur omnis cultus publicus, omnis laudatio, omnis glorificatio nominis tui in terris. Quòd si nos miseros & ærumnosos saluaueris, en tibi segetem vberrimam laudis & glorificationis.

b *Psal. 87. v. 11. & Psalm. 113. v. 17. & Eccli. 17. v. 26.*

℣. 18. Ab ANIMA TRISTI, id est, afflicta & gemente præ MAGNITVDINE & multitudine MALI hactenus sibi incumbentis: item onusta nimio pondere, indeque CVRVA sub onere, ET INFIRMA, nec ferre potente. OCVLI quoque DEFICIENTES præ fame, debilitate, lacrymis: ET ANIMA ESVRIENS, id est, homo ieiunijs & inediâ exhaustus (quales nos hactenus in hoc exilio) GLORIAM TIBI ET IVSTITIAM, seu iustitiæ laudem, *dabit*. Sexta ratio, quâ captiui Babylone conantur Deum sibi reconciliare: Cogimur, inquiunt, & vrgemur ipsa ærumnarum vehementia ad te, qui solus potes iuuare nos:

℣. 19. NON accedimus armati vel præfisi bonis operibus, SECVNDVM IVSTITIAS PATRVM NOSTRORVM] sed stimulati & coacti

℣. 20. IRA TVA, id est, afflictionibus & miserijs ab *ira & furore tuo* immissis: hæc enim cogunt filios recurrere ad sinum patris. Septima, iussis tuis obtemperauimus:

℣. 21. OPERA *fecimus*, id est, seruiuimus, (c) REGI BABYLONIS] vti iusseras, comminatus alioqui nobis

c *Baruch 1. v. 12.*

℣. 22. DEFECTIONEM nostram, id est, quòd nobis deficeret ac subtraheretur Primò, omnis CIVITAS, ET OMNE A FORIS, id est, omne suburbanum etiam Ierosolymæ: deinde omnis *vox* GAVDII ET IVCVNDITATIS.

℣. 24. ET quia patres nostri NON AVDIERVNT, id est, non obediuerunt huic tuo mandato, STATVISTI, id est, reipsa stare fecisti & (d) complesti minas tuas, vsq; eò, VT etiam TRANSFERRENTVR è sepulchris in aërem, & dispergerentur huc illuc sub dio, OSSA REGVM ET PATRVM NOSTRORVM] Hoc enim à Chaldæis factum constat ex Ieremiæ 8. v. 1. Alij verò in Chaldæam deportati.

d *Sup. c. 1. v. 1.*

℣. 25. MORTVI SVNT IN DOLORIBVS PESSIMIS, IN EMISSIONE] id est, in exilio, in dispersione, inquit Theodoretus. Nos verò qui obediuimus iam tibi, subdendo nos vltrò Chaldæis cum Iechonia rege nostro, oramus vt mitiùs castigare digneris.

℣. 27. FECISTI IN NOBIS SECVNDVM OMNEM BONITATEM; Græcè, Φιλάνθρωπον, TVAM] id est, puniuisti nos benignè ac remissè. Est enim Φιλανθρωπία iuris quædam remissio, seu indulgentia. *Misericordiæ* (e) enim *Domini quia non sumus consumpti*. Hac benignitatis diuinæ laudatione, & humili bonitatis eius confessione conantur excitare Deum ad maiorem misericordiam. Subduntque Octauò, promissionem diuinam:

e *Thren. 3. v. 22.*

℣. 28. SICVT LOCVTVS ES] id est, promisisti nobis, (f) si quando pœniteremus. misericordiam, benignitatem & pacem. Nonò, aliam subiungunt promissionem,

f *Deut. 30. v. 2. & 6. 31.*

℣. 34. ABRAHÆ, ISAACO ET IACOBO factam de tutandis eorum posteris, & multiplicandis in immensum, sibique aggregandis.

℣. 35. TESTAMENTO, id est, fœdere, SEMPITERNO] q. d. Non illo quod per Moysen pepigit nobiscum, quia hoc non erit sempiternum; sed *altero* nouo fœdere, quod per Christum panget nobiscum. ita Hugo, Liranus & alij. Et hic Decimam rationem insinuant, putà merita Messiæ, seu Christi, quorum intuitu optant sibi parci & indulgeri.

CAPVT III.

Continuat preces vsque ad v. 9. Inde docet, tam Iudæos, quàm Gentes periisse ob neglectum sapientiæ; quæ consistit in cognitione Dei, eiusdemq; amore & cultu, maximè per obseruantiam legis diuinæ, inquit Theodoretus.

℣. 3. TV SEDES IN SEMPITERNVM, vitam viuens in perpetua felicitate, ET NOS PERIBIMVS IN ÆVVM] q. d. Permittésne vt dilecti filij tui perpetuò miseri sint, & pereant æternùm? illúdne perpetuò ferre poterit pectus paternum?

℣. 4. AVDI ORATIONEM MORTVORVM ISRAEL, nempe fletum, gemitum, clamorē & preces eorum qui manu Chaldæorū occisi sunt: qui licèt peccarint, pœnituerunt tamen, & iam in limbo supplicant tibi pro filiorum suorum liberatione, inquit Theodoretus. Sed Maldonatus per mortuos mauult intelligere captiuos Iudæos adeò afflictos,

flictos, vt nihil à mortuis differre viderentur, vt ait v. 11. Et, id est, idcirco, AGGLVTINATA SVNT, id est, tenacissimè adhærent, NOBIS MALA.

ỽ. 5. MEMENTO MANVS, id est, potentiæ, TVÆ] quæ immensa est, & toties pro populo tuo tutando exserta. q.d. Ne attendas quid nos mereamur, sed quid deceat tuam omnipotentiam, gloriam & maiestatem.

ỽ. 7. DEDISTI TIMOREM TVVM IN CORDIBVS NOSTRIS] Id est, effecisti tot flagellis & cladibus, vt timeamus, reuereamur & colamus te.

ỽ. 8. DISPERSISTI NOS IN PECCATVM] id est, in pœnam & in opprobrium peccati, nempe, vt ab omnibus habeamur & vocemur eximij peccatores, egregiè scelerati, quòd tantas cogamur pœnas dare, inquit Hugo & Liranus.

ỽ. 9. AVDI ISRAEL] Est apostrophe ad populum. Et hîc incipit secunda pars libri Baruch è Babylone in Iudæam transmissi, nempe admonitio ad pœnitentiam & sapientiam, vt dixi in argumento capitis.

ỽ. 10. QVID putas EST causæ, ô ISRAEL, QVOD IN Chaldæa, in exilio, in extremis miserijs INVETERASCIS, COINQVINATVS CVM MORTVIS, id est, abiectus, squalens, sordidus, ac si cum mortuis versareris in sepulchro: imò *reputaris* ipsemet iam mortuus; & IN INFERNVM, id est, ad locum & statum mortuorum, DESCENDISSE] ita Theodoretus. Hac metaphorâ (*a*) designantur extremæ miseriæ & squalores. Vis nosse causam tanti mali?

a *Psal.* 87. *v.* 1. & *Psalm.* 87. *v.* 5.

ỽ. 12. DERELIQVISTI FONTEM SAPIENTIÆ] scilicet Deum, (*b*) deserendo legem eius, quæ instar riui exisio fonte promanat.

b *Eccli.* 2. *v.* 1. & *Psalm.* 35. *v.* 10.

ỽ. 14. DISCE vel nunc saltem ex his flagellis, VBI SIT PRVDENTIA, vnde hauriendæ? & quàm tu egeris imprudenter. Indicat hic septem fructus & effectus *sapientiæ*, seu obedientiæ & obseruantiæ legis diuinæ. Primus est PAX, id est, felicitas, SEMPITERNA. Secundus, PRVDENTIA in rebus gerendis. Tertius, VIRTVS: Græcè, *robur*, ad resistendum hostibus, inquit Theodoretus & Hugo. Quartus, est INTELLECTVS, id est, æstimatio rerum vt in se sunt singulæ. Quintus, est LONGITVRNITAS VITÆ. Sextus, copia VICTVS, id est, alimoniæ, & omnium rerum necessariarum. Septimus, LVMEN OCVLORVM] seu mentis illuminatio. *Lex* enim est *lux*, inquit Sapiens. (*c*) Nisi cum Maldonato malis per *lumen* accipere res prosperas vt alibi dixi. (*d*) Alios fructus sapientiæ recensel Sapiens toto libro qui Sapientia inscribitur, sed maximè c. 10.

c *Prou.* 6. *v.* 23.
d *Psalm.* 4. *v.* 7. &c.

ỽ. 15. QVIS hominum INVENIT LOCVM EIVS?] scilicet sapientiæ. Docet veram *sapientiam* quæ hominem beatum reddat, nullâ humanâ potentiâ, nulla arte, nullo ingenio acquiri (*e*) posse, sed in Deo, quasi in proprio fonte quærendam, ab eoque postulandam. (*f*)

e *Iob* 38. *v.* 36.
f *Iacobi* 1. *v.* 5.

ỽ. 18. NON EST INVENTIO OPERVM ILLORVM principum: id est, nemo facilè inueniat, aut comprehendat numerum, terminum, artificium operum illorum. Tamen per nulla sua opera eiusmodi potuerunt consequi veram sapientiam: sed cum vana sua scientia & potentia

ỽ. 19. AD INFEROS DESCENDERVNT] æternùm istic torquendi pro sceleribus suis. Sic & filij illorum, exemplis parentum nihilò meliores facti.

ỽ. 20. IVVENES animosi ac generosi, VIDERVNT quidem LVMEN (*g*) prosperitatis mundanæ, dilapidantes bona paterna: sed VIAM DISCIPLINÆ, seu sapientiæ, æquè ac parentes IGNORAVERVNT.

g *Hic v.* 14. *fructu* 7.

ỽ. 22. NON EST AVDITA IN CHANAAN, vbi tamen Phœnices, v.g. Tyrij, nauticæ rei & mercaturæ sunt scientissimi: NEQVE VISA EST IN THEMAN] id est, in Idumæa, cuius metropolis & academia (*h*) est *Theman*, sic nominata à filio Eliphaz Genes. 36. v. 11. & 15. q.d. Nullæ insulæ nulla externa regna, nullæ academiæ, quantumuis florentissimæ, subministrabunt veram solidamque sapientiam.

h *Iosue* 15. *v.* 15. *Vide Middendorp. de Academiis.*

ỽ. 23. FILII QVOQVE AGAR, seu Agareni, nunc Saraceni, etsi terrenâ & humanâ sapientiâ polleant: & NEGOTIATORES MERRHÆ. fortè est *Maara* Sidoniorum, de qua Iosue 13. v. 4. FABVLATORES, id est, fabularum & parabolarum explicandarum peritissimi: verbo vno, EXQVISITORES & indagatores omnis humanæ ac naturalis PRVDENTIÆ ET INTELLIGENTIÆ; tamen VIAM veræ, solidæ, diuinæ SAPIENTIÆ nec calcarunt, nec SCIVERVNT] quia Deum, vnicum fontem sapientiæ ignorarunt.

ỽ. 24. Quàm felix tu, ô ISRAEL, cui soli ex omnibus gentibus obtigit, vt hanc sapientiam per Dei legem & Prophetas assequereris! QVAM MAGNA, vasta, ampla EST DOMVS DEI] id est vniuersum hoc, in quo Deus tamquam in domo sua habitat instar rectoris & patrisfamilias!

ỽ. 25. INGENS *est* hic LOCVS POSSESSIONIS Dei, ET NON HABET FINEM] Hyperbole est. q.d. Est maximus & capacissimus, adeoque & immensus respectu aciei oculorum humanorum, vt optimè demonstrat Christophorus Clauius & alij Mathematici.

Clauius in Sphæra.

ỽ. 26. IBI FVERVNT GIGANTES ILLI AB INITIO] de quibus Genesis 6. v. 4. quasi dicat: Nec in vastissima mundi machina, nec apud robustissimos mundi incolas reperire est veram sapientiam: sed apud solum mundi opificem, rectorem & doctorem Deum. Ad quem si voles ascendere, debes desertis creaturis quærere creatorem, eique inhærere, & ab illius ore pendere. Nam si inter homines hæreas,

ỽ. 29. QVIS ASCENDIT ex illis in CÆLVM, ET inde EAM ad nos deduxit?

ỽ. 30. QVIS traiecto MARI, INVENIT ILLAM, nobisque ATTVLIT pretiosam SVPER (*i*) AVRVM ELECTVM?] cui comparandæ meritò quiuis omnem suam substantiam opesque impendat.

i *Iob* 28. *v.* 15. & *Prouerb* 3. *v.* 14.

ỽ. 32. QVI SCIT VNIVERSA, nempe solus DEVS, ADINVENIT EAM. Nimirum ex increata SVA PRVDENTIA, seu sapientia æterna, elicuit creatam hanc sapientiam creaturis communicandam: ab ipso enim quasi primo fonte omnia promanant: ipse PRÆPARAVIT, id est, firmauit, stabiliuit, TERRAM, vt duret ÆTERNO TEMPORE] id est, perpetuò.

ỽ. 33. Ipse MITTIT LVMEN (*k*) solis lunæ & aliorum siderum, ET VADIT, quò emittitur, IN TREMORE] id est, statim celerrimè, & ad nutum, vt solet seruulus ad heri sui imperium tremens currere & accelerare.

k *Matth.* 5. *v.* 45.

ỽ. 34. CVSTODIÆ *stellarum* sunt stationes earumdem, & loca illis à Deo consignata, vt solent militibus consignari ad agendas excubias. Stellæ enim sunt militia cæli, & milites Dei.

ỽ. 35. VOCATÆ, id est, iussæ, SVNT lucere, ET DIXERVNT, ADSVMVS (*l*)] non verbo, sed facto ipso, lucentes, & sic Deo obedientes.

l *Iob* 38. *v.* 35.

℣. 36. Hic ergo qui sapientiam solus adinue- A nit, EST DEVS NOSTER, omnipotens, immensus, æternus: ET NON ÆSTIMABITVR ALIVS ADVERSVS EVM] Græcè, *ad eum comparatus*: q. d. A nullo alio speranda est sapientia.

℣. 37. Hic enim solus ADINVENIT OMNEM VIAM DISCIPLINÆ, id est, leges commodas hauriendæ, fouendæ, exercendæ sapientiæ: inuentas TRADIDIT IACOB, id est, Israelitis per Moysen, per Prophetas; quin & per semetipsum quoque, & per propriam personam: nam

℣. 38. POST HÆC, id est, post datam legem per Moysen in monte Sinai, post explicatam viam salutis per tot Prophetas, ipsemet Deus IN TERRIS VISVS EST, nempe cùm Dei Filius, qui est ipsa diuina Sapientia, carnem humanam induit, ET CVM HOMINIBVS in terra per 34. annos CONVERSATVS EST] ita Tertullianus, Cyprianus, Chrysostomus, Athanasius, Eusebius, Hilarius, Nazianzenus, Ambrosius, Augustinus, Basilius, Cyrillus, Bernardus, & alij SS. Patres ac Doctores. Et S. Paulus pluribus locis (*a*) huc alludit, vt & Ioannes (*b*) Euangelista, & alij.

Tert. l. cont. Prax. c. 6. Cypr. l. 2. cont. Iud. c. 5 Chrys. hom. 2. in Matt. Athan. q. 56 ad Antiochum. Eus. l. 6. Demonstrat. c. 19. Hilar. l. 5. de Trin. in fin. Naz. orat. 4. de Theologia Ambr. l. 1. de Fide c. 2. Aug. l. 18. Ciuit. c. 33. Basil. l. 4. cõt. Eunom. Cyrill. l. 10. cont. Iulian. Bern. serm. 13. in Cant.

a *Ad Heb. 1. v. 1. & ad Tit. 3. v. 4. & c. 2. v. 11. & 1. Tim. 3. v. 16.*

b *Ioan. 1. v. 14. &c.*

c *Psal. 118. v. 105. & Proverb. 6. v. 23.*

CAPVT IV.

Pergit hortari suos ad amplexandam legem diuinam, Deumq; colendum: hanc enim esse summam sapientiam. Inde inducit Ierosolymam quasi matrem lugentem filiorum suorum captiuitatem; sed hanc mox solatur, praedicens excidium Babylonis, & Iudaeorum liberationem.

℣. 1. HIC LIBER, quasi dicat: Sapientia, quam adeò commendaui cap. præcedenti continetur libro MANDATORVM DEI, imò est ipsa LEX per Moysen vobis tradita, QVÆ EST duratura IN ÆTERNVM, in seipsa, quoad præcepta moralia: in antitypo suo, quoad cæremonialia, quæ per ea, & in eis quæ præsignificabant & adumbrabant, putà mysteria Christi & Ecclesiæ Christianæ, complentur & durant æternùm: & OMNES QVI TENENT & obseruant hanc legem, PERVENIENT AD VITAM æternam. Saluabantur enim quicumque eam ex charitate & obedientia obseruabant, inquit Maldonatus. C

℣. 2. AMBVLA, ô Israel, PER VIAM AD SPLENDOREM EIVS, id est, sequere in omnibus legem, quasi facem (*c*) tibi prælucentem, CONTRA LVMEN EIVS] id est, è regione luminis eius, supple, sequere.

℣. 3. NE TRADAS ALTERI genti GLORIAM TVAM ET DIGNITATEM] Id est, ne patiaris tibi ab vlla gente quantumcumque blandiente vel vrgente, eripi gloriam obsequij mandatorum Dei, & dignitatem cultus diuini ac religionis, quâ tam celebris es ac splendes apud omnes gentes. ita ferè Maldonatus & à Lapide. Hac enim præ omnibus D alijs

℣. 4. BEATI SVMVS, ô ISRAEL, QVIA per illam MANIFESTA NOBIS fiunt QVÆ DEO PLACENT] id est, voluntas & decreta diuina.

℣. 5. MEMORABILIS; Græcè, *μνημόσυνον*, id est, memoriale vel monimentum. q. d. O POPVLE DEI, ô Synagoga Iudæorum, etsi bellis penè excisa, tamen reliquiæ tuæ Deo charæ sunt & curæ, instar optatissimi memorialis in memoria diuina reconditi.

d *3. Reg. 21. v. 25 & Rom. 7. v. 14*

℣. 6. VENVMDATI, id est, plenè traditi, (*d*) ESTIS GENTIBVS Chaldæis in seruitutem, perinde ac si pretio ab eis empti essetis. sed NON IN PERDITIONEM] vt penitus exscindamini è terris, sed in punitionem & expiationem scelerum vestrorum, quibus

℣. 8. CONTRISTASTIS NVTRICEM VESTRAM IERVSALEM] id est, Synagogam, seu Ecclesiam Dei, cuius caput & nobiliora membra residebant Ierosolymis; sed ipsa se extendebat ad omnem Iudæam, imò & extra Iudæam, ad omnia loca in quibus Iudæi commorabantur. Hanc vocat *nutricem*, seu *matrem* Iudæorum, quia illos in fide & lege diuina, eiusque cultu enutrierat. Et meritò quidem contristata hæc fuit tum ob scelera vestra, tum ob pœnas sceleribus debitas.

℣. 9. VIDIT ENIM, nempe per Prophetas quasi per oculos suos, IRACVNDIAM diuinam VOBIS VENIENTEM, quâ nunc obruimini. ET DIXIT, nempe per ora eorumdem Prophetarum suorum, præmonens & corripiens vos; sed monita eius non curastis.

B ℣. 14. VENIANT vicini populi CONFINES & contermini Israeli, & vnà mecum lugendo ac plangendo MEMORENTVR, seu commemorent, cladem FILIORVM meorum, & hac sua compassione alleuient ex parte tristitiam meam.

℣. 15. ALTERIVS LINGVÆ vocat Chaldæos, eò quòd à Iudæis non intelligerentur. Quæ causa erat cur Iudæi, dum sinistrè exequerentur iussa dominorum suorum, sæpiùs vapularent. Et hoc comminatus fuerat Deus per (*e*) Moysen & Ieremiam. (*f*) Hi excisâ Ierosolymâ, in captiuitatem

e *Deut. 28. v. 49.*

℣. 16. ABDVXERVNT DILECTOS VIDVÆ, id est, chariſſimos filios meos quæ vidua sum, à marito meo Deo quasi derelicta: atque ita A FILIIS VNICAM DESOLAVERVNT] id est, filijs orbatam me reliquerunt solitariam & desertam.

f *Ierem. 5. v. 15.*

℣. 19. AMBVLATE FILII] Id est, ite, ite in captiuitatem, æquanimiter & fortiter tolerate omnia aduersa. Ego interim lugebo.

℣. 10. EXVI ME STOLA PACIS, id est, veste prosperitatis ac lætitiæ, & INDVI ME SACCO OBSECRATIONIS] id est, veste lugubri & cilicina, quali vtuntur qui pro venia obsecrant & alteri supplicant, & ego supplico Deo pro vestrâ relaxatione.

℣. 12. SPERAVI semper IN ÆTERNVM, id est, in Deum qui est æternus: patet ex Græco, & ex altero membro huius versiculi. Nec frustra speraui vel oraui. Mox enim per ora Prophetarum VENIT MIHI GAVDIVM denuntiatum à Deo cui Seraphini accinunt (*g*) Sanctus, sanctus, sanctus: Gaudium, inquam, SVPER MISERICORDIA vobis impertienda A SALVTARI, id est, saluatore, NOSTRO] & quidem *ἐν βραχεῖ*, id est, breui, nempe finitis 70. annis seruitutis & captiuitatis.

g *Isaiæ 6. v. 2.*

℣. 24. CVM SPLENDORE ÆTERNO] Id est, longissimo tempore (*h*) duraturo.

h *Prolog. de Idiotismis Hebr. n. 17.*

℣. 25. SVPER CERVICES *inimici tui*, putà Chaldæorum, ASCENDES, quasi victor & dominus, adeò vt ijs tibi substratis, quasi suppedaneis vti possis: sicut Sapores rex Persarũ vsus est Valeriano Imperatore Romanorum, & Tamberlanes Baiazete Imp. Turcarum. Ita Daniel, ita tres eius socij, ita Mardochæus & alij Iudæi ascenderunt super ceruices Chaldæorum. Sed pleniùs id factum à Messia, qui Ecclesiam & vicarium suum dominari fecit cunctis (*i*) Gentibus, antea sibi inimicis.

i *Isaiæ 60. v. 14.*

℣. 28. SICVT FVIT SENSVS; Græcè, *διάνοια*, id est, cogitatio, conceptus & volitio *vestra*, vt per inobedientiam aberraretis & deuiaretis A DEO: ita resumptis pòst paulò animis, conuersi ad

Deum.

a Rom. 6. v. 19.

Deum, DECIES TANTVM REQVIRETIS(a) & colétis EVM] Generosi enim ac verè pœnitentis animi est, in compensationem offensæ decuplare cursum in stadio virturum.

℣. 30. Exhortatur TE ad spem & gaudium, QVI TE NOMINAVIT ciuitatem sancti, vt Isaias explicat, id est, ciuitatem suam, sibique propriam fecit te, in qua tamquam in regia, seu metropoli sua resideret. Econtrario

Isaiæ 52. v. 1. & 60. v. 14.

℣. 32. PVNIETVR QVÆ ACCEPIT FILIOS TVOS] Id est, Babylon, quæ Iudæos in Chaldæam deuectos sinu & carcere suo excepit.

℣. 34. GAVDIMONIVM; Græcè, χαυχίαμα, Id est, superbia & iactantia, EIVS, quâ insolenter exultat, conuertetur IN LVCTVM.

℣. 35. IGNIS non modò metaphoricus acerbæ punitionis, sed & materialis ac physicus, SVPERVENIET EI AB ÆTERNO] nempe Deo. Exustam enim pluribus locis Babylonem constat ex Isaia, Ieremia & historicis.

Isaiæ 13. v 19. Ierem. 50. v 39.

ET HABITABITVR A DÆMONIIS] Id est, à satyris & faunis, vt alibi (b) dixi.

b Isaiæ 34. v. 14. & Ierem. supr.

℣. 37. ECCE, ô Ierosolyma, FILII TVI, indulto Cyri redeunt ad te ex omnibus angulis orbis, AB ORIENTE, (vbi Persia & Media, respectu Ierosolymæ,) per Septemtrionem, (vbi Chaldæa.) VSQVE AD OCCIDENTEM, (vbi aliæ gẽtes, ad quas Iudæi non pauci profugerant:) nempe ex omnibus exilij locis redibunt in patriam IN VERBO SANCTI] id est, iuxta promissum Dei per Prophetas, inquit Theodoretus. Sed hoc Allegoricè, vtriùs impletum sub Messia, quando ex omni orbis parte fideles ad ipsum ipsiusque Ecclesiam confluxerunt.

CAPVT V.

Iubet Ierusalem induere vestem latitiæ, ob latissimum filiorum à Chaldæa reditum, Deo instar ducis præeunte, & rebus omnibus per viam Iudæis collatantibus. Quod Allegoricè, verius impletum tempore Messiæ, fidelibus undique in Ecclesiam eius magno gaudio & gloriâ deductis; Anagogicè, animabus à terreno exilio in cælestem patriam summo iubilo ac triumpho demigrantibus.

℣. 1. INDVE TE DECORE, &c.] Id est, læta & exultans amplectere decorem & gloriam, quâ te Deus operiet & quasi vestiet, cùm te gloriosè ex exilio reducet in patriam.

℣. 2. DIPLOIS, id est, duplex vestis, erat tunica talaris matronarum primæ notæ, panno & pellibus inferta ac sustulta, & ideo duplex dicta, seu duplicata. Hanc vocat IVSTITIÆ diploidem, quia promissam Israeli pœnitenti; ac proinde debitam illi ex fidelitate ac iustitia. Sic per MITRAM ornamentum capitis muliebre intelligit, quod Seruius *talanticam* vocat. q.d. Sicut regina ornatur sua mitra (c) ac diploide, ita Ierusalem rursus sua pristina gloria ac decore reuestietur atque exornabitur. ita à Castro & Maldonatus.

c Exod. 16. à v. 2. usque 19.

℣. 3. DEVS ENIM OSTENDET, id est, notum faciet toti orbi, SPLENDOREM (d) tuum.

d Isaiæ 60. v. 3.

℣. 4. NOMINABITVR & imponetur TIBI NOMEN A DEO, scilicet PAX IVSTITIÆ ET HONOR PIETATIS] q d. Eris, & meritò vocaberis, *abundans pace*, id est, prosperitate & rerum omnium affluentiâ, non ex rapinis tibi obueniente, sed ex iustitia quam coles erga omnes: eris item *honor*, id est, gloria, seu glorioſa, ob tuam erga Deum pietatem, & religionem. ita Theodoretus, Hugo, Liranus.

℣. 5. Explicui in fine cap. præced.

A GAVDENTES DEI MEMORIA] nempe recordatione tam benefici liberatoris.

℣. 6. PORTATOS IN HONORE, id est, reductos honorificè, curribus & equis, SICVT FILIOS REGVM] Cyrus enim redeuntibus Babylone Iudæis subministrauit *equos, camelos, aurum & argentum*, inquit Esdras. Darius verò *misit* insuper *cum eis equites mille, cum musicis, & tympanis, & sibijs*, vt etiam Iosephus testatur.

I. Esdræ 2. v. 66. & c. 5. v 2. Ioseph l. XI. Antiq. c. 4.

℣. 7. CONSTITVIT ENIM DOMINVS HVMILIARE OMNEM MONTEM, &c. id est, tollere omnem viarum inæqualitatem & asperitatem, inquit Theodoretus; vt redux ISRAEL in patriam AMBVLET DILIGENTER, id est, celeriter & expeditè; Græcè, ἀσφαλῶς, id est, tutò & securè; IN HONOREM DEI] id est, ad gloriam diuinæ potentiæ & clementiæ clariùs manifestandam. (e)

e Psalm. 13. v. 2.

℣. 8. OBVMBRAVERVNT EOS SILVÆ, vt olim columna (f) nubis, ET OMNE LIGNVM SVAVITATIS] id est, omnes arbores suaue olentes recrearunt illos, vt olim manna. (g) Significant hæc omnia lætissimum, amœnissimum, tutissimum fuisse reditum.

f Exodi 13. v. 21.

g Exodi 16. v. 13.

℣. 9. IN LVMINE MAIESTATIS Dei: id est, augusto & magnifico lumine diuini fauoris & auxilij, prælucens ipsis loco solis, & ita maiestatem ac gloriam suam omnibus manifestans, vnà CVM insigni MISERICORDIA erga Iudæos, ET IVSTITIA erga hostes Iudæorum, Chaldæos, Samaritanos & alios: QVÆ EST EX IPSO tamquam fonte vel Oceano promanans. q. d. Non nobis id dandum, aut nostris meritis, sed soli bonitati diuinæ. Porrò omnes hæ felicitates redeuntium è Babylone in Iudæam, moraliter conueniunt etiam animæ è seruitute peccati reuertenti ad sinum gratiæ diuinæ: Allegoricè, populo Gentili è tenebris infidelitatis ad lumen fidei, ad Christum, ad Ecclesiam recurrenti: Anagogicè, animæ sanctæ è mortali corpore ad cæleste palatium (h) demigranti.

h Isaiæ 35. v. 4. Apoc. 21. v. 4. S. August. in Psa. 86. & 89.

CAPVT VI.

Epistola Ieremiæ, (sic enim testatur liber secundus Machabæorum Tertullianus & alij Patres) quâ Iudæos in Chaldæam deportandos hortatur ne ad Chaldæorum idola colenda pertrahi se sinant: illa enim nihil aliud esse quàm truncos vel lapides, ad nihil aptos aut vtiles.

2. Mach. 2. v. 1. Tertull. in Scorpiaco.

℣. 2. ERITIS *in Babylone* VSQVE AD GENERATIONES SEPTEM] id est, vsque ad expletos 70. annos captiuitati & seruituti vestræ præfixos. Per *generationem* enim, Græcè γενεὰν, id est, ætatem vel progeniem, intelligit spatium *decem annorum*, inquit & probat Cornelius à Lapide: vel spatium *septem annorum*, vt solent medici, dum vetant ante duas generationes venam puero incidi, id est, ante 14. ætatis annum: & Orpheus apud Suidam dicitur vixisse nouem generationes, id est, 65. annos. Secundùm has varias acceptiones vario modo, & à varijs initijs inchoandæ sunt hæ *septem generationes*: nempe verosimiliùs à 13. anno Iosiæ regis Iuda, (secundùm dicta in Chronico (i) si singulis generationibus denarium annorum adsignes: sin septenarium. à 4. anno regis Ioakim, à quo vsque ad annum primum monarchiæ Cyri fluxerunt anni 49. (comprehensis extremis] id est, septies septem anni.

i Chronici c. 35.

℣. 3. Idola OSTENTANT METVM] Id est, incutiunt religionem hominibus, & sacrum quendam metum, horrorem ac reuerentiam.

℣. 4. VOS NE illa METVATIS, neque SIMILES EFFICIAMINI FACTIS ALIENIS] Græcè, ἀλλοφύλοις, id est, *alienigenis*, nempe Chaldæis. q.d. Ne vos conformetis Chaldæis, idola cum ipsis colendo. Neque est quòd ipsos ita iubentes, & minas intentantes timeatis.

℣. 6. ANGELVS ENIM MEVS VOBISCVM EST: nempe Michaël, præses, princeps & tutor Synagogæ, vt dicitur Dan. 12. v. 1. is, vt olim vos in Ægypto & in deserto tutactus (a) est, tutabitur etiam nunc in Babylonia. Et ego IPSE quoque EXQVIRAM ANIMAS VESTRAS] id est, vltor pro vobis exsurgam, si quis ob cultum diuinum vobis iniurias irrogarit. ita Hugo & Liranus.

a *Chronici c. 35.*

℣. 8. SICVT VIRGINI AMANTI & affectanti ORNAMENTA, vndique illa conquiruntur; ITA Chaldæi, ACCEPTO AVRO, inde ornatum conquirunt & FABRICANT idolis suis. Quæ

℣. 11. NON LIBERANTVR AB ÆRVGINE, ET TINEA, & puluere, nec possunt illa excutere, vtpotè inanima saxa vel ligna.

℣. 13. SCEPTRVM quidem manu tenet idolum, perinde ac si rex & IVDEX esset omnia gubernans, cùm tamen neminem, quantumuis IN SE PECCANTEM, damnare, mulctare, percutere vel *interficere* possit.

℣. 17. SICVT ALICVI QVI REGEM OFFENDIT, mortis reo CIRCVMSEPTÆ SVNT custodibus IANVÆ carceris: & SICVT AD SEPVLCHRVM ADDVCTVM MORTVVM cadaueri TVTANTVR custodes, ne spolietur pretiosis vestibus, armis & monilibus, cum quibus humari solet; ita tutari debent SACERDOTES idola sua, ni velint ea A LATRONIBVS *expoliari*.

℣. 19. CORDA, id est, interiora, seu medullam lignearum statuarum, *elingunt* & corrodunt SERPENTES ac vermes.

℣. 21. CATTÆ] Id est, feles.

℣. 24. EX OMNI, id est, maximo, PRETIO *coëmuntur*, & tamen, carent SPIRITV, seu vita, inquit Varablus.

℣. 26. SICVT MORTVIS cadaueribus, ne corruant, apponuntur manus: ita idolo apponitur δῶρον, id est, palmus (b) humanus, pro singulari *munere* ne corruat. ita Pagninus & à Lapide. Porrò ex donarijs idolo oblatis

b *Exod. 33. v. 2.*

℣. 27. MVLIERES, vxores & concubinæ SACERDOTVM semper aliquid DECERPENTES; Græcè, *in penum recondentes*, omnia in suos vsus conuertunt, nihil infirmis, nihil pauperibus communicantes. Quàm parui verò faciant ipsimet

℣. 28. SACRIFICIA idolis oblata, vel inde colligite; quòd ex illis edant etiam FOETÆ, seu puerperæ, ET MENSTRVATÆ] quæ, quia immundæ, lege diuina arcentur templo & sacris, Leuit. 12. vers. 2. Licet enim Gentiles illa Iudæorum lege non obligarentur, quia tamen per se indecens erat, personas tam sordidas sacra contingere; satis efficax est argumentum ad indignationem & stomachum mouendum Iudæis, quibus id extremè erat abominabile.

℣. 29. VNDE verò idola VOCANTVR DII? QVIA MVLIERES aliquot stultæ & superstitiosæ eis quasi DIIS dona APPONVNT] v. g. escas. monilia, aliaque donaria & anathemata, opem eorum & tutelam hac viâ deposcentes. Sed & huc conferunt superstitiosæ cæremoniæ & profani ritus sacerdotum idololatrarum, prorsus repugnantes legi vestræ: nam

℣. 30. SACERDOTES EORVM ex hypocrisi & simulata pietate HABENT TVNICAS SCISSAS, quod vobis vetatur Leuit. 10. v. 6. habent CAPITA NVDA, id est, capillis nudata, ET BARBAM RASAM] quod vobis inhibetur Leuit. 19. & 21.

℣. 31. RVGIVNT CONTRA, id est, ad, DEOS SVOS lugubri & miserando eiulatu, SICVT IN CÆNA funebri alicuius MORTVI fieri consueuit, quæ à Græcis θρῆνος, à Latinis *silicernium* (c) vocatur, vt alibi (d) dixi. Hîc enim solebant edi clamores inconditi & gemitus insolentes, quorundam defunctos euocantium, aliorum ijs valedicentium, bene precantium, laudibus extollentium, &c. ita Hugo, Dionysius & Liranus.

c *Tertull. Apolog.*
d *Tobiæ 4. v. 18.*

℣. 34. NEQVE HOC REQVIRVNT] id est, non expostulant, non vlciscuntur neglectum voti, seu promissi sibi facti.

℣. 40. ADHVC ENIM crescit meritò contemptus idolorum, cùm IPSI quoq; CHALDÆI EA NON HONORENT, sed rideant subinde & contemnant: CVM enim AVDIERINT alicubi esse MVTVM, OFFERVNT eum BELO Deo suo æquè muto, POSTVLANTES AB EO *loquelam* muto reddi. Id autem à Belo postulant stulti homines:

℣. 41. QVASI POSSINT SENTIRE & audire QVI NON HABENT MOTVM: de quo vide Valesium & alios Philosophos. Sed stulti mox damnatâ suâ stultitiâ, CVM INTELLEXERINT Belum suum, aliaq; idola sensu destituta esse neque audire preces suas, cum stomacho & fannis RELINQVVNT EA, & missa faciunt. Et cui non moueant stomachum obscœna & impudica sacra quæ fiunt eiusmodi dijs?

Vales. sacra Philosophia c. 79.

℣. 42. MVLIERES tam nuptæ, quàm innuptæ, exponentes publicè cuique volenti pudicitiam suam, SEDENT IN VIIS templorum CIRCVMDATÆ FVNIBVS, id est, cingulo seu zonâ quasi virginali: testantes hoc signo se Veneri sacras esse, & primo cuique obuio copiam sui facere, vt cesto siue zonâ diruptâ, Veneri nefaria sacra sic peragant. Ita ex Herodoto, Strabone, Curtio, Polydoro, Virgilio, S. Augustino & alijs noster à Castro & à Lapide. Interim SVCCENDVNT OSSA, id est, nucleos duros & quasi ossеos, OLIVARVM: Græci πύρηνα vocant teste Beroaldo. (d) Erat hoc genus philtri, seu veneficij, quo diabolares istæ, quas nec forma, nec genus, nec diuitiæ commendabant, procorum duriem incantare, & in ijs concupiscentiæ flammam succendere conabantur, addita imprecatione, vt, sicut ossa illa ignibus, sic hospites earum amore torrerentur. Et hos ritus à Babylonijs Græcos didicisse docet Theocritus, & Gueuara, & Pererius & Delrio. Vtebantur verò potiùs *oliuæ*, quàm aliarum arborum nucleis, vt certiùs ac clariùs testarentur suæ concupiscentiæ flammas, cùm nuclei oliuarum, vtpote magis oleati & pingues, vehementiùs ardeant.

e *Apud Henr. Stephanum in Lexico.*
Theocritus in Pharmaceutria.
Gueuara præfat. in Habacuc.
Perer. in Dan. 5. v. 4.
Delrio 1. 2. Magic. q. 3. sect. 2.

℣. 44. OMNIA etiam alia QVÆ idolis FIVNT, omnes cæremoniæ, omnis cultus & colendi ritus, FALSA SVNT] id est, vana, ficta, & à superstitiosis stultisque hominibus adinuenta.

℣. 46. ARTIFICES ETIAM IPSI idolorum, NON SVNT MVLTI TEMPORIS, sed breuis æui ac vitæ; *quomodo* ERGO POSSVNT *fabricare deos* æternos & immortales? Interim stultis mortalibus, loco deorum,

℣. 47. RELIQVERVNT posteris suis FALSA] id est, materiam falsitatis & opprobrij, nempe lapides & ligna pro diis, inquit Maldonatus.

℣. 50.

℣.50. POSTEA SCIETVR: nempe, prudentia A naturalis ex euentu & ab experientia, quòd idola nec sentiant, nec suos iuuent, certissimò tandem docebit omnes gentes, ea NON esse *deos*, ET NVLLVM DEI proprium OPVS CVM ILLIS esse, vel ab illis proficisci, quale est cæcos illuminare, mutis loquelam, mortuis vitam reddere, reges creare, pluuias ciere, & alia quæ hîc subiungit. ita Hugo & Liranus: qui addit, in lege Euangelica fraudes idolorum toti demum mundo innotuisse.

℣. 53. IVDICIVM NON DISCERNENT: id est, lites dissidentium non diriment, prolatâ sententiâ, vt solent iudices; vel edito miraculo, vt solet Deus: QVIA NIHIL POSSVNT, SICVT CORNICVLÆ, quæ exteriùs videntur robustæ aues esse, & sua crocitatione nonnullis terrori sunt, sed reuera imbelles, infirmæ admodum, & imbecilles sunt, & cùm hostis adest, primo pugnæ initio cedunt ac succumbunt. B

℣.56. QVIBVS idolis QVI FORTIORES SVNT, verbi gratiâ fures, AVFERENT vestes pretiosas & monilia.

a E *ibi. 1. v.5.* ℣.59. SIDERA (*a*) OBAVDIVNT, seu obediunt, Deo creatori & gubernatori suo.

℣.60. IDIPSVM facit SPIRITVS, id est, ventus, IN OMNI REGIONE SPIRANS] *Nulla enim propemodum regio est*, inquit Seneca, *quæ non habeat aliquem flatum ex se nascentem, & circa se cadentem.* *Senec. l. 5. Nat. quæst. c. 16. 17. 18.*

℣. 62. HÆC AVTEM idola NEQVE SPECIEBVS; Græcè, *εἰδέαις*, id est, formis, seu pulchritudinibus, NEQVE VIRTVTIBVS, id est, viribus, SIMILIA SVNT VNI EORVM] v.g. vento, soli, lunæ, fulguri, nubibus, &c. sed informia sunt, imbecilla, mortua, inepta ad omnia. C

℣. 66. SIGNA ETIAM IN CÆLO GENTIBVS NON OSTENDVNT] sicut ostendit sol & luna, quæ sunt signa dierum, mensium, annorum ac tempestatum.

℣. 69. FORMIDO] Græcè, *φοβαστράνιον*, id est, terriculamentum, v.g. puer stramineus cum arcu, perticæ impositus, vt aues terreat ac fuget. Græci *μορμολύκεια* vocant, quæ fructus hortenses vel agrarios verè *non custodiunt*, sed tantùm ex opinione, seu phantasia auium: nam simul ac viderint puerum non moueri, pulso timore liberè inuolant in fructus.

℣.70. SVPRA SPINAM ALBAM, seu rhamnum, SEDET OMNIS AVIS, simul ac compererit spinam sine aculeis esse. Denique cadauer MORTVI PROIECTVM IN TENEBRAS, id est, in tenebrosum sepulchrum, nulli amplius est horrori; ita nec idola. Tropologicè, quadrant omnia hæc etiam in principes & prælatos iusto timidiores ac segniores, (*b*) inquit Hugo & * Delrio. b *Isaiæ 22. v. 15. Ierem. 23. v. 13. Zachar 11. v. 17.* * *Delrio adagio 886.*

℣. 71. A PVRPVRA QVOQVE ET MVRICE, id est, ex vestibus idolorum purpureo, & muriceo, seu conchyliato cólore infectis, QVÆ statuis impositæ TINEANT, id est, à tineis arroduntur & consumuntur; SCIETIS ITAQVE, Maldonatus ex Græco legit, *vtique, quòd* NON SINT DII: sed OPPROBRIVM IN REGIONE] id est, passim omnibus risui & probro. Quis enim non rideat cùm videt truncum carioſum, pedibus, manibus, naso mutilum adorari, vel adoratum fuisse? Ex quibus omnibus hoc toto capite deductis manifestè refellitur Caluini mendacium, quo ait, Gentiles non adorasse ligna vel lapides, sed in ijs tamquam in imagine, verum Deum, vt nunc faciunt Catholici. Nam singuli penè versus huius capitis perstringunt hîc Babylonios, quòd ipsamet ligna & lapides pro dijs colerent: & hoc eodem nomine Gentiles alios rident passim Arnobius, Lactantius, Tertullianus, Iustinus, Athenagoras, & alij Patres. Et experientia hodierna apud Indos id ita habere, ad oculum testatur.

EZECHIEL,

ID est, robur seu fortitudo Dei, (*a*) ex nobili sacerdotum (*b*) stirpe, sui sæculi portentum, (*c*) à Chaldæis Babylonem deportatus vnà cum Iechonia (*d*) rege Iuda, prophetare cœpit in Chaldæa anno quinto deportationis (*e*) eiusdem, continuauitque vsque ad vigesimum septimum, (*f*) id est, per 22. annos: quorum priores vndecim concurrerunt cum vndecim posterioribus Ieremiæ prophetantis in Iudæa. Et verò idem est vtriusque Prophetæ argumentum. In hoc solùm varietas, quòd quæ Ieremias clarè & apertè Iudæis Ierosolymæ, eadem Iudæis in Babylonia Ezechiel tectè per figuras & ænigmata proponat. quod ideo feciſſe arbitror, quia nolebat sua innotescere Babylonijs, (ne ansam inde sumerent irridendi & vexandi Iudæos:) sed solis popularibus suis, quibus ipsemet omnia explicabat. Quæ ergo Ieremias primis 27. capitibus de excidio vrbis & templi, & de captiuitate Babylonica commemorat, eadem

a *Ezech. 3. v. 8.* b *cap 1. v. 3.* c *c. 24. v. 24* d *Hieron. præfat in Ezech.* e *Ezech. 1. v. 2.* f *c. 29. v. 17.*

ijſdem ſubinde verbis Ezechiel primis 27. capp. inculcat, maximè vt enerua *Ierem. 28.* uet ficta vaticinia Hananiæ, (*a*) Semeiæ, (*b*) aliorumque pſeudoprophetab *Ierem. 29.* rum, qui Ieremiam falſitatis arguebant, pacem & proſpera omnia Iudæis prædicentes. Et ſicut Ieremias à cap. 46. ad 51. alijs nationibus, Ammon, Moab, Edom, Philiſthææ, Tyro & Ægypto ſimile per Chaldæos excidium intentat; ita facit & Ezechiel à cap. 25. vſque 34. Denique ſicut Ieremias à cap. 30. vſque 34. & alibi ſparſim, ita Ezechiel 14. vltimis capitibus prædicit reditum & liberationem Iudæorum è captiuitate, Meſſiæ regnum, vocationem Gentium, victoriam & inſtaurationem Eccleſiæ Dei, & interitum hoſtium (*c*) illius.

c Eccli. 49. v. 10.

Martyrem fuiſſe, à Iudæis, imò à duce populi Iudaici, occiſum, quòd eos idololatriæ argueret, docet Martyrologium Romanum die 10. Aprilis, item * Dorotheus, Iſidorus & Epiphanius, qui & varia eiuſdem miracula enarrant. Adrichomius vult eum equis diſtractum fuiſſe: Auctor operis Imperfecti, ſuper ſaxa raptatum & excerebratum.

**Doroth. in Synopſi c. 16 Iſid. de Vita & obitu SS. cap. 19. Epiphan. de Prophetar. vita c. 19. Adrich. in Terra ſancta pag. 246 an mundi 3386. Auctor imperfect. in Matth. homil. 46.*

Ex dictis conſtat, falſum eſſe quod quidam veterum apud Clementem Alexand. opinati ſunt, *Ezechielem* eſſe ipſum *Pythagoram*. Primò, quia Ezechiel floruit regnante apud Chaldæos Nabuchodonoſore: Pythagoras verò regnante Cambyſe filio Cyri, qui Chaldæorum monarchiam euertit, teſte Euſebio & omnibus chronologis. Secundò, Pythagoras Græcus fuit, ex Samo inſulâ oriundus, vt veteres paſſim docent: Ezechiel verò Iudæus. Tertiò, Pythagoras, etſi fortè ab Ezechiele alijſque Prophetis aliqua mutuatus ſit (Theodoretus putat etiam circumciſum fuiſſe;) in multis tamen ac præcipuis dogmatibus ab illo diſſidet, vt ex ridicula μετεμψυχωσει, ſeu animarum ex vno corpore in aliud tranſmigratione, & alijs fabellis ipſius apud Tertullianum & Hermiam, quiuis facilè colligere poteſt.

Clem. l. 1. Stromat. Theodor. l. 1. de Fide. Tertull. l. de Anima c. 28 Hermias Philoſoph. in tractatu de Gentilium Philoſophorum irriſione, extat tom. 4. Biblioth. SS. Patrum.

CAPVT I.

OBijcitur phantaſia Ezechielis ſpecies turbinis à vento Aquilonari vehemente & vrente concitati, quem ſequitur atra nubes, in cuius medio ſplendidus viſitur currus, quaternis rotis, altitudinis horrendæ, iſſq; ignitis & vita præditis. Circumſtant currum quaterni iuuenes, ſinguli quaternis facièbus & quaternis alis, flammantes, ſcintillantes, & horrendum volatu ſuo fragorem edentes. Supra horum alas viſitur cælum extenſum, pellucidum inſtar cryſtalli: cui impoſitum ſublime ſolium regale, & in eo reſidens Deus humano vultu, corpore ad lumbos vſque inſtar aurichalci accenſo, deorſum ignitus totus, & iride ſplendeſcente circumamictus.

A

Ꝟ. 1. IN TRIGESIMO ANNO imperij Nabul-aſſaris, ſeu Nabuchodonoſoris ſenioris, vt ex Beroſo, Ioſepho & alijs dixi in Chronico. ita Hieron. Pradus, Ioſ. Scaliger. Corn. à Lapide & alij. Scripſit enim hæc Ezechiel apud Babylonios, atque ideo Chaldæorum conſuetudini & calculo ſeſe accommodat, vti poſtea fecerunt etiam Daniel, Aggæus, Zacharias, & Eſdras. Et hodie quoque Sinenſes non aliâ vtuntur ærâ quàm regum ſingulorum ſuo tempore regnantium, inquit oculatus teſtis Nicolaus Trigautius.

B

Beroſ. apud Ioſephum l. 1. c. contra Appionem. Chronici c. 34. Scaliger. l. 5. Emend. temp. pag. 217. Trigaut. l. 1. de Expedit. ſinenſi.

IN QVARTO, ſcilicet menſe anni ſacri, qui inchoabatur à *Niſan*, ſeu noſtro Martio, de quo alibi: C

a *Chronici c. 5.* (*a*) CVM ESSEM IN MEDIO CAPTIVORVM, id eſt, cùm inter captiuos verſarer. Sic Ioſue 7. *Anathema in medio tui.* IVXTA FLVVIVM CHOBAR, (*b*) qui riuus eſt vel ramentum Euphratis: diciturque

b *Pſal. 136. v. 1.*

Chobar, id eſt, abundans, copioſus, ob vim & copiam aquarum: vel (vt Plinius) à *Chobare* præfecto Babylonio, qui aquas Euphratis diſpeſcuit, deducto inde riuo *Chobar*, ne nimis copioſo, præcipiti ac violento curſu Babylonem obruerent. *Plin. l. 6. c. 26.*

APERTI SVNT CÆLI, nempe crebris fulgetris *cælum*, id eſt, aër vel æther, diſcindi & quaſi diſrumpi videbatur. ET VIDI VISIONES DEI, id eſt, à Deo mihi ſubmiſſas: vel *viſiones Dei*, id eſt, admirandas, (*c*) magnificas, ac verè diuinas.

c Geneſ. 31. v. 10. & Pſal. 35. v. 7.

Ꝟ. 3. VERBVM DOMINI, id eſt, oraculum: ſic vocat viſionem, ſeu rem quam videbat: nam oſtenſio rei, eſt realis locutio. MANVS DOMINI hîc & alibi (*d*) vocatur potentia & impulſus diuinus eleuans & roborans ſpiritum Ezechielis ad videndum & intelligendum diuina myſteria. ita Chaldæus & Theodoretus.

d Hic c. 2. v. 9. & c. 3. v. 14. 22. & c. 8. v. 1. & c. 40. v. 1.

Ꝟ. 4. ET ECCE rem miram: VENTVS TVRBINIS, id eſt, turbulentus, vehemens, tempeſtuoſus, AB AQVILONE, ex feruenti illa olla Ierem. 1. v. 13. ET NVBES MAGNA, grandine, pluuia & procellis grauida, ET in ea IGNIS INVOLVENS, id eſt, ſeſe reciprocans, vt Vatablus vertit; LXX. *ignis fulgurans.* Nempe nubes erat ignita, & volumina flammarum ſeſe per totam nubem inſinuabant & conuoluebant. ET SPLENDOR IN CIRCVITV nubis. Hæc enim tam crebra fulgura eiaculabatur, vt totum circumcirca ſpatium reſplenderet, inquit Maldonatus.

Actor. 13. v. 11. & 14.

QVASI SPECIES ELECTRI] Hebraicè, *ſicut oculus chaſmal*, quod propriè ſignificat lucidiſſimam ſcintil-

scintillam vel flammam, splendore suo visum & aciem oculorum debilitantem. quod etiam *electro* conuenit, id est, æri selecto & per ignem planè excocto ac repurgato: quod alio nomine *aurichalcum* vocatur, quasi *aureum æs*, quia non rarò aliquid auri admiscebatur: saltem instar auri splendebat, imò splendore aurum superabat, teste S. Hieronymo, Origene, Theodoreto, Prado, Scaligero & alijs. Vnde & præ omnibus metallis apud veteres habitum fuit in pretio, vt Seruius scribit. & ex eo plurima vasa templi Salomon confecit teste Iosepho, & sacra regum (a) historia.

Seruius in l. 12. Æneid. Ioseph. l. 7. Antiq. c. 5. a 3. Reg. 7. v. 45.

℣. 5. IN MEDIO ignis SIMILITVDO apparuit QVATVOR ANIMALIVM. Neque enim erant bruta aut vera animalia, sed animalium speciem, seu figuram tantùm præse ferebant. ET HIC ASPECTVS EORVM, id est, hæc erat forma quâ conspiciebantur. SIMILITVDO HOMINIS erat IN EIS] Id est, forma eorum erat humana, nempe facie reliquoque corpore videbantur esse homines.

℣. 6. QVATVOR FACIES VNIcuique, id est, quaternæ formæ, seu quaterna insignia erant cuique illorum, inquit Pererius, Pradus & Villalpandus, qui Cherubinum faciunt iuuenem alatum leonino exuuio quasi thorace vestitum, atque ungulis vituli calceatum. Facies ergo, seu forma vituli apparebat in ungulis pedum bifidis: facies leonis, in ceruice, armis & pectore iubatis: facies aquilæ in alis: facies hominis in vultu, manibus, cruribus, & habitu corporis erecto. Sed veteres omnes Patres atque interpretes, & ex recentioribus Liranus, Petrus Serranus, Ribera, Viegas, Alcazar, Ant. Fernandez, Barradius, & à Lapide singulis Cherubinis dant quatuor propriè dictas facies, seu vultus, & consequenter quatuor quasi semicapita, in formam galeæ compacta, ita vt anteriùs emineret facies hominis, primaria & quasi propria: cui à dextris adnexa erat facies leonis, (b) à sinistris vituli, sursum facies & rostrum aquilæ. Reliquo corpore (exceptis pedibus vitulinis) erant similes pulcherrimis iuuenibus armatis, vt eos depingit Alcazar, qui instar militum stipabant currum bellicum Dei, ad excidium Iudæorum & aliarum gentium properantis. Solebant enim olim milites, teste Plinio, Plutarcho & Alexandro ab Alexandro, terrifica monstra animalium, ac ferè hiantium præferre in galeis, ad virium & roboris ostentationem, simul & ad hostium terrorem. Cur verò Cherubini facies leonis, vituli & aquilæ potiùs quàm lupi, agni vel vulturis aut aliorum animalium sibi pro galea desumpserint, causa est, inquit Pererius & Alcazar, quòd tria ista animalia principes & quasi reges sint in suo genere, leo inter feras, bos inter armenta, aquila inter volucres, sicut homo inter omnia animalia. Allegoricè, quatuor facies Cherubim quadriformem in Christo dignitatem principaliter designant, aquila diuinitatem, homo humanam naturam, leo regiam maiestatem, vitulus sacerdotij simul & victimæ præcellentiam. Tropologicè, leo designat appetitum irascibilem, vitulus concupiscibilem, homo rationalem appetitum, aquila mentem, seu partem animæ superiorem, simul omnes iunctis viribus diuino seruitio incumbere perpetuò debere. Quatuor Euangelistas, quibus hæc aptant Irenæus, Athanasius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Isidorus, Gregorius & Beda, non nisi accommodatitio sensu designant.

Pererius in Apoc. 4. disp. 8.

Ribera. Viegas. Alcaz. ibid. Fernand. visione 13. Barrad. tom. 4. l. 9. c. 13.

b *Ezech. 41. v. 18.*

Plin. l. 10. c. 4. Plutarch. in Mario. Alex. l. 1. Genial. c. 22.

QVATVOR PENNÆ, id est, quaternæ alæ erant A VNICUIQUE, duæ ad volandum, duæ ad femora tegenda.

℣. 7. PEDES EORVM, id est, tibiæ? LXX. *crura*, erant non recurua, vel flexibilia, vt habent bruta, sed RECTA, & flecti nescia, vt sunt humana crura. Homo enim poplitem non habet in cruribus, vt bruta, sed in genibus. Porrò hæc pedum rectitudo, Cherubinorũ promptitudinẽ & alacritatem insinuat, quasi expeditorũ ad omnem aurigæ sui nutũ.

PLANTA PEDIS EORVM QVASI PLANTA PEDIS VITVLI] Id est, habebant ungulam *rotundam* (vt vertit Chaldæus) & bifidam, qua designabatur, gressus & conatus omnes tum angelorum, tum Christi, vergere ad cruendum è miserijs genus humanum per sacrificium & immolationem cruentam Agni immaculati.

B ET SCINTILLÆ, à pedibus eorum ignitis repercussæ, coruscabant QVASI *æs* vel chalybs *candens*, vel *fulgurans*, vt vertunt LXX.

℣. 8. ET MANVS HOMINIS, consequenter & brachia humana bina erant SVB alis EORVM IN QVATVOR PARTIBVS] Hebraicè, *quadraturis*; chaldaicè, *lateribus*, supple, currus. ita Villalpandus & Pradus. Sed Richardus Victorinus, Petrus Serranus, Alcazar & à Lapide malunt vnicuique Cherubino quaternas dare manus & brachia, singula sub singulis alis.

Richardus tractat. in hanc visionem. Serran. & alij supr.

ET FACIES, seu vultus, ET PENNAS, id est, alas, PER QVATVOR PARTES HABEBANT] Quaternis enim locis, nempe ad humeros & ad femora erant dispositæ alæ: sicut quaternis quoque locis, sed diuersis à locis alarum, erant dispositæ facies, nempe circum caput, vt suprà vidimus.

℣. 9. IVNCTÆQVE ERANT PENNÆ vnius Cherubini ad pennas seu alas alterius Cherubini, C quando eas explicabant & expandebant ad volandum. Nempe vno eodemque impetu omnes simul in eandem partem, & pari celeritate deuolabant.

NON REVERTEBANTVR, id est, non retrocedebant, vt subinde coguntur equi dum quadriga nimio onere pressa in loco decliui retro agitur: non etiam deflectebant huc vel illuc, vt solent proterui equi: sed constanter ANTE FACIEM SVAM, id est, antrorsum pergebant, rectà eò properantes quò mittebantur, nec desistentes donec ad metam pertigerint. Innuitur, motum, seu decretum diuinum esse immutabile & sine pœnitentia, inquit Apollinaris & Polychronius.

℣. 12. VBI ERAT IMPETVS SPIRITVS] *Spiritum* vocat vim, impulsum & energiam diuinã animalibus impressam ab insidente auriga, qui nutu suo erat flagelli & habenarum vice animalibus, vt vel progrederentur, vel sisterent, volarent vel quiescerent.

D ℣. 13. VISIO DISCVRRENS ERAT HÆC quam iam dixi. Sed IN MEDIO discurrentium horum ANIMALIVM erat SPLENDOR IGNIS, nempe fornax, foculus, seu prunarium, quod c. 10. v. 2. 6. & 7. clariùs explicat. Ex hac fornace diffusus ignis inflammabat Cherubinos & rotas, vt viderentur ardere instar *lampadum*; Hebraicè, *instar facularum* vel *titionum*. Ex eodem IGNE FVLGVRA continuò EGREDIEBANTVR quibus aer omnis vicinus resplendebat. Alludere videtur ad consuetudinem Chaldæorum (c) & Persarum, qui ante regem suum (quasi esset terrenus deus, lux, ignis & vita mundi,) præferebant ignem, seu arulam cum igne, teste Curtio & Xenophonte. Quos postea etiam imitati sunt Romani, inquit Herodianus. Sed hoc prunarium propriè repræsentabat altare incensi quod erat

c *Iudith 3. v. 10.*

Curtius l. 3. Xenoph. l. 8. Herodian. l. 1. c. 2.

erat ante arcam fœderis: & Allegoricè, sacrificium Eucharisticum, quo Deum sibi propitium facit Ecclesia. ita Pradus & Villalpandus. Moraliter ignis hic est charitas, vel, si mauis, tribulatio, vt vult Vatablus: hæc enim nos purgat & amore diuino inflammat.

A

℣. 14. ET ANIMALIA IBANT vno eodemque impetu vsque ad præstitutum terminum: tum REVERTEBANTVR, ad aliud iter capessendum, quocumque impellebat auriga Deus.

℣. 15. APPARVIT ROTA VNA, IVXTA singula (a) ANIMALIA. Erant enim quaternæ rotæ currus quo vehebatur Deus, teste Ecclesiastico c. 49. v. 10. vbi vocat *currum Cherubim*. ita Maldonatus, Pradus & Villalpandus. Porrò quæque rota *habebat* QVATVOR FACIES, æquè ac quilibet è Cherubinis, inquit S. Hieronymus, nempe bouis, leonis, aquilæ & hominis. Videntur hæ quaternæ facies ad quatuor rotarum latera, quasi ad quatuor earum angulos, fuisse distributæ.

(a) *vide sq & c. 10. v. 9.*

℣. 16. ASPECTVS, id est, forma, ROTARVM, ET OPVS, id est, materia, EARVM erat QVASI VISIO MARIS] id est, marini & cærulei coloris. Hebræum תרשיש *tharsis* (b) Aquila vertit *chrysolithum*, Symmachus *hyacinthum*, R. Salomon & Maldonatus *crystallum*. q. d. Tam forma, quàm materia *rotarum* videbatur esse *crystallina*, vel *hyacinthina*, vel *chrysolithina*. Hæc enim omnia *marini* sunt coloris.

(b) *Ps. 9. v. 31.*

ET VNA erat SIMILITVDO IPSARVM QVATVOR: id est, omnium rotarum similis erat species, forma, materia, dimensio, color. ROTA IN MEDIO ROTÆ, Prado & Villalpando est modiolus, qui solet esse in rotis, & ex quo radij proceduntad canthos, siue ad ipsam rotæ peripheriam. Sed Richardus Victorinus, Vatablus, Liranus, Alcazar, Maldonatus & à Lapide *rotam in medio rotæ* faciunt binos circulos, seu binas rotas se mutuo secantes in sphæra ad angulos rectos sphærales, ita vt quælibet rota haberet quatuor semicirculos, ex quibus fiebat colurus siue sphæricus globus, potens moueri sine conuersione in omnem partem. Vnde sequitur:

C

℣. 17. PER QVATVOR PARTES, seu latera, EARVM EVNTES IBANT, nempe ad quatuor mundi plagas: ET NON REVERTEBANTVR retrò, vt suprà (c) dictum de Cherubinis.

(c) *v. 9. hic.*

℣. 18. STATVRA; Hebraicè, *dorsum*, id est, canthus, vel extimus circulus, seu peripheria rotarum, ERAT HORRIBILIS] id est, enormis magnitudinis: scilicet altitudo & magnitudo currus respondere debebat magnificentiæ solij & aurigæ, putà maiestati diuinæ.

D

TOTVM CORPVS; Hebraicè, *dorsa*, seu canthi rotarum, erant *pleni* (d) OCVLIS, seu ocellis pulchertimis, quales sunt in caudis pauonum, nempe ex lucis & coloris marini commistione ac reflexione. Alludit ad *cælos* stellis, quasi lucidissimis ocellis ac flosculis ornatos. Significat autem motus omnes ac designationes diuinas, vt oculatissimas, ita & certissimas esse, ac infallibiles, inquit Fernandes. Tropologicè, hi oculi symbolum sunt circumspectionis & vigilantiæ quæ debet esse in omni rectore.

(d) *Cap. 10. v. 12. & apoc. 4. v. 8.*

Fernand. sup. sect. 13.

רוח חיה

℣. 20. SPIRITVS VITÆ ERAT IN ROTIS] Id est, viuebant rotæ, vt patet ex Hebræo *ruach*, quod quando iungitur nomini *haiach*, significat flatum vitalem, id est, vitam animalem. (e) ita Pradus. Loquitur Propheta de rotis sub metaphora animalis, quia obseruarat in ijs, non secus atque in Cherubinis, species quatuor animalium supradictorum. (f) Quæcumque enim famulantur Deo, debent eius stemmata ac trophæa præ se ferre ac repræsentare.

(e) *Genes. 6. v. 17. & 7. v. 22.*

(f) *Hier. v. 15.*

℣. 22. SVPER CAPITE ANIMALIVM apparuit SIMILITVDO FIRMAMENTI, id est, cælum sphæricum expansum, coloris aerei, diaphanum & splendens instar CRYSTALLI, eratque *horribile*, id est, admirandæ magnitudinis ac splendoris. Erat enim suppedaneum throni diuini.

℣. 23. PENNÆ, seu alæ Cherubinorum binæ, erant RECTÆ, id est, extensæ ad eamdem longitudinem atque altitudinem, nempe sinistra ex æquo respondebat dextræ, ita Maldonatus, & patet ex Hebræo. Binis alis VELABANT CORPVS SVVM, id est, femora sua. ET ALTERVM animal, seu quodlibet aliorum animalium, SIMILITER VELABATVR duabus inferioribus alis. Indicium angelicæ castitatis, & absconditorum iudiciorum prouidentiæ diuinæ.

℣. 24. AVDIEBAM SONVM ALARVM à Cherubinis excitatum sanè horribilem, sed varium pro vario motu quo ferebantur. Subinde enim volabant instar auium; & tunc *sonum* edebant confusum, qualem solent edere fluctus furibundi maris ad littus refracti, vel qualis Deo tonante audiri solet. Subinde ambulabant instar hominum: & tunc remigio alarum edebant sonum paulò magis distinctum, qualis est turbæ tumultuantis, vel castrorum concurrentium, & collaris signis dimicantium. Hæc enim quadriga hieroglyphicum erat exercitus cælestis & castrorum Dei.

℣. 26. SVPER hoc FIRMAMENTVM erat ASPECTVS LAPIDIS SAPPHIRI, id est, apparebat SIMILITVDO THRONI regalis, ex sapphiro constructi, id est, eximij candoris, splendoris & pretij. *Sapphirus* enim teste Plinio, est aërij coloris, aureis punctis micans, & centro crystallino. symbolum nobilitatis & splendoris diuinæ maiestatis, nobis inaccessæ & inuisibilis. DESVPER, seu in hoc throno, visus est mihi QVASI ASPECTVS HOMINIS] nempe formâ humanâ, instar archistrategi residebat in hoc solio suo Deus. ita S. Hieronymus & alij passim. Porrò corpus archistrategi videbatur

Plin. l. 37. c. 2.

℣. 27. QVASI SPECIES ELECTRI, de quo v. 4. nempe ex aurichalco mirè splendenti compactum, quod intus haberet inclusum ac succensum ignem qui per aurichalcum pellucebat ac resplendebat, maximè à lumbis sursum: nam deorsum, ob flammarum copiam ac vehementiam videbatur purus putus ignis esse. Ita se explicat Propheta c. 8. v. 2. Et hæc species, seu imago, est illa ipsa quam vidit hoc eodem primo cap. v. 4. & quam vidit Daniel c. 10. v. 5. Ex hoc igne pedum diuinorum, quasi ex sole, radij vibrabantur in nubem opacam firmamento vicinam, & ex radiorum reflexione constabatur ARCVS] id est, iris (g) multicolor, splendidissima ac pulcherrima, circum & ex opposito throni diuini. Allegoricè, electrum, seu aurichalcum, est humanitas Christi: ignis, diuinitas: iris, gloria miraculorum, splendor doctrinæ, virtutum ac meritorum eiusdem.

(g) *Apoc. 4. v. 3.*

Nota. Currus iste Dei symbolum erat huius vniuersi: rotæ, orbes cælestes & quatuor elementa: oculi, stellæ: Cherubim, chori angelici: & sic de ceteris. Ad litteram verò est currus gloriæ, id est,

est, belli, victoriæ ac triumphi de hostibus Dei. A
a Exodi 15. v. 3. &c. Vnde mox à prostratis Ægyptijs (a) ostendit hunc
b Exodi 25. v. 22. 40. c 1. Par. 28. v. 19. currum Moysi in monte Sinai, (b) & ad formam
illius iussit construi vehiculum arcæ, quod Salo-
mon postea monitu (c) eiusdem Dei ampliauit. (d)
d 3. Reg. 6. e Psal. 17. v. 10. Ostendit & Dauidi, (e) & Isaiæ, (f) & Habacuc,
Psal. 76. v. 19. Psal. 67. v. 18. (g) & Danieli, (h) & Ioanni Apostolo, (i) vt Pra-
dus, Alcazar, & à Lapide fusè demonstrant. Hoc
eodem curru inuectus apparet hic Ezechieli, vt
ei præmonstret, se iratum Iudæis vicinisque gen-
tibus, ad eas puniendas ac proterendas accelera-
re. Hinc mox è curru hoc suo increpat (k) Iudæos,
Psal 79. v. 2 Psal. 98. v. 1. f Isaiæ 6. v. 1. c. 37. v. 16. mittit librum lamentationum (l) & væ, dicit dis-
perdendam vrbem (m) Ierosolymam, &c. Alle-
goricè, designat bellum, victoriam & triumphum
(n) Christi de Satana, peccato, morte & mundo:
Tropologicè, luctam animæ cum hostibus suis:
Anagogicè, victoriam, triumphum & gloriam Bea-
torum. (o)

g Habacuc 3. v. 8. h Dan. 3. v. 55. & c. 7 i Apoc. 4. k Ezech. 2. v. 1. c. 10. v. 2. l c. 2. v. 9. m c. 43. v. 3. n Hebr. 1. v 2. o 4. Reg. 2. v. 12.

CAPVT II.

Visione capitis præcedentis interiùs instructus Ezechiel, atque exteriùs verbis à Deo confirmatus, mittitur ad prophetandum contumaci populo Iudaico: accipit à Deo librum plenum lamentationibus, carmine & væ, vt horum comminatione obstinatos reuocet ad pœnitentiam & ad Deum.

¥. 1. HÆc VISIO, quam tot verbis cap. 1. de-
scripsi, erat simillima GLORIÆ DOMI-
NI, id est, glorioſæ ac splendidæ figuræ currus
triumphalis Dei sedentis super Cherubim in
oraculo templi: vt dixi in fine capitis præceden-
tis.

ET AVDIVI VOCEM LOQVENTIS, nempe
Dei: FILI HOMINIS: Hebraicè; *fili adam*, id est, ô
p Psal. 9. v. 20. & 1. Cor. 12. v. 7. homo, (p) terrene, miser & mortalis. q. d. Etsi ver-
seris inter Cherubinos, etsi fruaris sublimi visione,
etsi euehatis ad cælestem contemplationem & ad
munus propheticum, semper memineris te homi-
nem esse, ex terra & puluere concretum, & in ci-
neres mox resoluendum: STA SVPER PEDES
TVOS, id est, erigere, resume vires animi & cor-
poris, quas ex consternatione humi prolapsus ami-
sisti. Quo dicto,

q Ezech. 3. v. 24. ¥. 2. INGRESSVS EST IN ME SPIRITVS] scili-
cet Dei, (q) seu Spiritus sanctus, inquit S. Hiero-
nymus, Theodoret. Gregorius, & patet ex adiun-
ctis. Pradus id mauult accipere de proprio spiritu
naturali. q. d. Vires, animus, robur cordis, quæ ti-
mor ademerat, redierunt in me.

¥. 3. MITTO TE AD GENTES APOSTATRI-
CES; Hebraicè, *ad rebelles*. Vbi Iudæos vocat
Gentes, quòd instar Gentilium seruirent idolis &
& vitijs omnibus: & apostatassent à fide & fœde-
r Exodi 24. v. 8. s Ezech. 16. v. 3. Isaiæ 1. v. 10. t Isaiæ 48. v. 4. re inito per Moysen (r) cum Deo. Sic infrà (s) vo- D
cat eos *Amorrhæos*: & Isaias, *populum Sodomæ ac Go-
morrhæ*.

¥. 4. DVRA FACIE, (t) id est, impudentes, per-
fricta fronte, inquit Theodoret. & Vatablus. INDO-
MABILI CORDE, quod nec promissis, nec bene-
ficijs, nec minis, nec flagellis ad pœnitentiam vel
bonam frugem reduci potest. ita Origenes &
Theodoret. q. d. Etsi sciam tales esse, tamen quia
mei sunt, mitto te, vt illis quantumcumque auersis
atque inuitis concioneris.

¥. 5. SI FORTE AVDIANT te, quod ex animo
opto: quin ET SI QVIESCANT, id est, etsi cessent
audire te (quod ominor futurum) volo tamen ad-
eas illos, vt inexcusabiles sint, & ego officio meo
non videar defuisse. ita Vatablus, R. Dauid, Mal-
donatus & à Lapide. qui eodem modo illud ex-
plicant infrà v. 7. & c. 3. v. vltimo, vbi alium sensum
ægrè admittit.

¥. 6. INCREDVLI, id est, inobedientes;
LXX. *insanientes*, nempe *quasi boues æstro agitati*,
inquit Theodoretus: ET SVBVERSORES, per-
uersâ doctrinâ & corruptis moribus suis alios in
ruinam deturbantes. Huic contrarium est ædifi-
care.

CVM SCORPIONIBVS HABITAS] Scorpio
animalculum est venenatum, habens aculeum in
cauda aduncum & fistulatum, quo arcuato vul-
nere ferit, & ruptâ fistulâ venenum diffundit. Sym-
bolum est pseudoprophetarum & hæreticorum,
inquit Viegas. *Viegas in Apoc. 9. comm. 2. sect. 12.*

¥. 8. TV NOLI ESSE EXASPERANS, id est, re-
bellis mihi & irritans me. Sed APERI OS TVVM,
id est, prompto animo, patente aure, hiante ore
excipe verba & mandata mea: ET COMEDE, ac
digere, & firmiter retine illa. ita Origenes. R. Da-
uid, *audi & manda memoriæ*. Et ita c. 3. v. 10. Pro-
pheta seipsum explicat.

¥. 9. ECCE MANVS MISSA; LXX. *extensa* AD
ME: IN QVA INVOLVTVS LIBER: Hebraicè, *volu-
men libri*, scilicet complicata more veterum mem-
brana: quæ symbolum erat occultationis myste-
riorum. Sed EXPANDIT ILLVM CORAM ME, id
est, *me vidente reuoluit*, vt mysteria in eo scripta in-
telligerem, & intellecta Iudæis enuntiarem, in-
quit Polychronius.

ERAT SCRIPTVS INTVS ET FORIS] id est,
in facie & à tergo, id est, vndequaque, erat enim
pergamena non syngrapha tantùm, sed & opisto-
grapha.

SCRIPTÆ ERANT IN EO LAMENTATIO-
NES, ET CARMEN lugubre, ET VÆ] Hebrai-
cè, *lamentum, gemitus & planctus*; Aquila vertit,
C *fabrica; exemplar, & erit*. Symbola scilicet hæc
erant hieroglyphica totius materiæ libri Ezechie-
lis: sicut Danielis 5. *Mane, thekel, phares*, id
est, numerus, pondus, diuisio. *Fabrica* si-
gnificat vrbem & templum, politiam & reli-
gionem, regnum & sacerdotium à Deo fabricata
& instituta, ad tempus euersum iri. Sed *exem-
plar* horum, seu ideam, in mente diuina rema-
nere, secundùm quam iterum instaurabitur
vtrumque, & *erit* ac stabit æternùm, nempe in
antitypo suo, Christo & Ecclesia Christiana. Et
his tribus occupatur totus liber Ezechielis. Sic
Sanctus Ioannes, Apocalyp. 5. videt similem Dei
librum continentem persecutiones Ecclesiæ, &
plagas toti orbi immittendas sub tempora Anti-
christi.

CAPVT III.

*Deuorato volumine mittitur Ezechiel ad Iudæos Babylone ca-
ptiuos: vbi iterum visione gloriæ Dei corroboratus, exsti-
mulatur ad officium propheticum strenuè obeundum.*

¥. 1. DIXIT, scilicet Dominus auriga currus
Cherubinici: QVODCVMQVE INVE-
NERIS in manu mea COMEDE, scilicet VOLVMEN,
quod tibi porrigo & trado. Volumen symbolum
est legationis quam suscipis: traditio, infusionis
spiritus prophetici: comestio ore, & ventre non
corporis, sed animi, significat, hæc quæ vides &
audis, in intima animæ tuæ ruminando transmit-
ti: in visceribus retinere, seu non eijcere, est
mandare memoriæ, nec obliuione euomere. ita
S. Hieronymus.

¥. 3.

℣. 3. FACTVM EST IN ORE MEO SICVT A MEL DVLCE] Nimirum, valdè suaue est nosse diuina & arcana Dei consilia ac iudicia, inquit Sanctus Hieronymus & Theodoretus. Dulce item est zelanti Dei iustitiam, prædicere ac minari, quin & videre peccatorum punitionem. Subinde tamen *amaricatur* postea *venter* (*a*) ex condolentia, seu compassione, vel etiam ex persecutione inde emergente: mox enim obuium sentit Manassen, Ioakimum, Sedeciam, Herodem, &c. sicut fit pilulis medicorum. Sed solatio semper est illud, *Ego mitto vos.*

a *Hic v. 14. & Apoc. 10. v. 9.*

℣. 5. NON MITTERIS AD POPVLVM PROFVNDI SERMONIS. Est metalepsis, quia quæ profunda, obscura sunt, & aditu atque intellectu difficilia. sed AD DOMVM ISRAEL] cuius linguam optimè nosti. ita Chaldæus & Vatablus.

℣. 6. NEQVE AD POPVLOS MVLTOS] id est, diuersos, varios ac variorum locorum, putà ad Gentes, inquit Apollinaris & Theodoretus, Rabbi Dauid vertit, *longinquos*, remotos, multi itineris.

℣. 9. VT ADAMANTEM silice duriorem, inquit Chaldæus, DEDI FACIEM TVAM] ἀδάμας, id est, *indomabilis*, lapillus est indomabili duritie, qui malleos frangit, incudem findit, & ignem superat. huiusmodi facies decet præconem verbi diuini, quæ neque timore exalbescat, neque rubore rustico vel puerili rubescat.

℣. 12. ASSVMPSIT ME SPIRITVS, scilicet angelicus. Nempe cunctantem Ezechielem, quasi alterum Habacuc, rapuit angelus, & à flumine Chobar, sublatum per aëra transtulit ad pagum vicinum, vbi concaptiui eius Iudæi pro parte degebant, inquit Polychronius. ET AVDIVI VOCEM COMMOTIONIS MAGNÆ, id est, vehementem strepitum in aëre commoto, partim vi venti procellosi qui nubem præcedebat: (*b*) partim fragore alarum Cherubim, & stridore rotarum currus: cùm BENEDICTA GLORIA DOMINI secessit è LOCO, in quo Prophetam allocutus fuerat auriga. ita Polychronius & Pradus. Interim, vt antè dixi,

b *Ezech. 1. v. 4.*

℣. 14. SPIRITVS QVOQVE Angelicus LEVAVIT ME & transtulit è Chobar in pagum vicinum. Vbi verò me deposuit humi, AMARVS, id est, tristis, ABII, cum INDIGNATIONE SPIRITVS MEI] Ex vna enim parte indignabar sceleribus Iudæorum, quibus tam acrem Dei iram in se prouocabant. Ex altera parte coquebat me eorumdem durities ac peruicacia; cui si me opposuero, exitium mihi accerso: si cedo, Deum offendam. Hic ecce pilula voluminis in ore dulcis, quia inaurata deforis & saccharata, iam in stomacho resoluta ventrem torquet & lancinat. *Abij* tamen, *manu*, id est, virtute & auxilio, DOMINI ME *confortante* ac corroborante, vt parerem Deo & prædicarem populo.

℣. 15. ET VENI AD ACERVVM NOVARVM FRVGVM] Est nomen pagi vicini, qui hebraicè vocatur *tel-abib*. Et Chaldæus, Aquila, Symmachus, Theodoretus, retinent hoc quasi proprium nomen: Noster maluit significationem verbi exprimere, vt indicaret, Prophetam ex nomine loci omen accepisse, Iudæos qui istic degebant quasi reliquiæ segetis à Chaldæis demessæ, ibidem à Deo adseruari ad nouam sementem, & *nouarum frugum aceruum* inde aliquando colligendum.

תל אביב

ET SEDI, (*c*) id est, habitaui, ET MANSI IBI, sed quasi inclinatus, deficientibus viribus, MOERENS] Hebraicè, *stupens*; Chaldæus, *tacens*; LXX. *versans*, scilicet animo, quæ audieram, quæ videram, quæ timebam.

c *Psal. 136. v. 1. & Iob 2. v. 8.*

℣. 16. Et *Dominus* AD ME:

℣. 17. SPECVLATOREM DEDI, id est, constitui, TE] Huius est, in loco eminenti interdiu attentum, noctu peruigilem prospectare an hostes incurrant, ne repentè opprimant imparatos ciues.

℣. 18. SI NON ANNVNTIAVERIS] Hebræum *zahar* significat admonere, erudire, limare, expolire: item repetere & inculcare. En munus concionatoris ferram sæpiùs reciprocantis, & limâ tractâ ac retractâ ferrum polientis.

זהר

SANGVINEM, id est, mortem, EIVS à dæmone crudeliter interempti, DE MANV TVA REQVIRAM] id est, vlciscar in capite tuo. Horrendas comminationes in ignauos Præsules vide Prouerb. 6.

℣. 20. PONAM OFFENDICVLVM CORAM EO. Nempe puniam illum variis pœnis, quibus offendetur, pungetur, affligetur, & subinde corruet etiam in mortem æternam. ita Suarez & alij Doctores. Quòd SI ANNVNTIAVERIS, ANIMAM TVAM à morte LIBERASTI] quin & animam proximi tui. *Duplicem* ergo *lucratus es vitam, tibi & illi*, inquit Theodoretus, & Sanctus Gregorius, *Vobis & nobis parcitis, si à prauo opere cessatis.*

Suarez opusc. de Concurs. Dei l. 2. c. 8.

℣. 22. EGREDERE IN CAMPVM] vbi quies, otium & solitudo: ibi diuinum tribunal, iudicem, stipatores, supplicia reorum intuens, abijcies inutilem timorem.

℣. 24. INCLVDERE IN MEDIO DOMVS TVÆ, quasi circumseptus & obsessus. Volo enim vt priùs quàm verbis prophetare incipias, opere ipso designes Iudæis imminentem Ierosolymæ obsidionem.

℣. 25. DATA SVNT, id est, ponentur, SVPER TE VINCVLA, funes vel catenæ, quibus LIGABVNT TE familiares & amici tui, æstimantes te stultum & mentis inopem. Hæc verò vincula tua prognosticon erunt vinculorum quibus Iudæi vincientur à Chaldæis. ita Sanctus Hieronymus.

℣. 26. ERIS MVTVS reuera: NEC QVASI VIR OBIVRGANS, seu qui obiurgare alios possis: QVIA DOMVS EXASPERANS EST] quasi dicat: Non volunt audire? igitur non audient. Nota Dei prouidentiam pariter & iustitiam, qui silentio Prophetæ, & ipsius timorem, & Iudæorum peruicaciam punit.

℣. 27. CVM AVTEM LOCVTVS FVERO TIBI. id est, cùm indicauero tibi tempus esse loquendi, nempe cùm tibi restituero vsum linguæ; tunc loqueris ad Iudæos omnia quæ à me audisti & adhuc audies. Nec tu te turbes si detrectent audire. QVI AVDIT, AVDIAT: ET QVI QVIESCIT, QVIESCAT, (*d*) quasi dicat: Qui voluerit te audire, audiat: qui non voluerit audire, non audiat. Parum curo, QVIA DOMVS EXASPERANS, peruicax & rebellis EST.

d *Ezech. 2. v. 5.*

CA-

CAPVT IV.

Variis symbolis repræsentat ad vivum instantem Ierosolymæ obsidionem, famem & pressuram, quæ anno post sexto contigit, nempe anno undecimo regni Sedeciæ.

℣.1. SVME TIBI LATEREM crudum, necdum igne decoctum & duratum, inquit Liranus & alij. IN EO DESCRIBES, seu stylo ferreo delineabis, CIVITATEM IERVSALEM] & circum eam castra ac machinas Chaldæorum vrbem obsidentium.

℣.2. MVNITIONES] LXX. *propugnacula*; hebraicè, *dic*, quod significat turrim ligneam, in cuius summo statuebantur balistæ, scorpiones, arietes, catapultæ & aliæ machinæ ad muros quatiendos. Quas turres Vitruuius *ambulatorias* vocat, quia dissolutæ circumferebantur ab exercitu.

דיק

Vitruu. l. 10. c. 1.

ET PONES, id est, depinges, IN GYRO ARIETES] Ita dicta trabs funibus dependens ex alia transuersa trabe quasi ex trutina palis vndiquefulta, ferro in fronte quasi cornu prominente: quæ retrorsum à magna virorum multitudine repulsa, vt cum impetu vehementiùs in muros vel in portas incurreret, instar arietis illa quatiebat ac deiiciebat. ita Vitruuius, Ammianus Marcellinus, Plinius, Vegetius & Iosephus.

Plin. l. 7. c. 56. Ioseph. l. 3. Belli c. 9.

℣.3. SARTAGINEM FERREAM, in qua friguntur carnes, pisces, &c. PONES quasi IN MVRVM FERREVM INTER TE, qui vicem Dei repræsentas, ET INTER CIVITATEM, in latere descriptam. Hæc sartago significabat, inexorabilem fore Deum ad preces & querimonias obsessorum, inquit S. Hieronymus, Theodoret. Polychronius & Vatablus. Sic Thren. 3. v. 44. *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio* nostra. Nimirum, atrocia Iudæorum crimina, obstinatio & impœnitentia quasi murus ferreus, (*a*) iter & accessum ad Dei misericordiam præpediebant, inquit Rabbi Dauid. Significabat quoque hæc *sartago*, grauissimè cruciandos obsessos, perinde ac si frigerentur (*b*) in sartagine, igni comburendum (*c*) ciuitatem, & populum quasi in nihilum redigendum. ità Origenes & Maldonatus.

a *Isaiæ 59. v. 2.*

b *Ierem. 29. v. 22. 2. Mach. 7. v. 5.* c *Ierem. 1. v. 13.*

OBFIRMABIS FACIEM TVAM AD EAM, id est, contra eam, putà vrbem & sartaginem. q.d. Vultu immoto, seuero atque implacabili aspicies obsessos, quasi iudex inexorabilis. Porrò delineatio hæc & figura obsessæ vrbis in laterculo, SIGNVM EST DOMVI ISRAEL] id est, symbolum datur Iudæis veræ ac realis obsidionis vrbi Ierosolymæ à Chaldæis propediem imminentis.

℣.4. ET TV DORMIES; hebraicè, *iacebis*, decumbes, SVPER LATVS TVVM SINISTRVM] Quod cùm diu continuatur, molestum est admodum & graue: nam incalescit cor nimio superimpositi hepatis ardore, sanguinisque confluxu æstuat ac suffocatur. Hinc symbolum est animi solliciti, anxij & perturbati: & aptissimè quadrat in milites obsidentes, vel etiam tutantes vrbem (nam vtrorumque personam hîc sustinet Propheta.) Hi autem 390. dies decubitus in latere sinistro, significabant totidem dies obsidionis Ierosolymæ, vt dixi in Chronico, & colligitur ex 4. Regum vltimo. diebus verò 40. decubitus in latere dextro designantur 40. dies, quibus obtentâ vrbe Chaldæi illam expilarunt, succenderunt.

Chron. c. 30. in Ezechiele.

ET PONES SVPER EO latere INIQVITATES DOMVS ISRAEL] id est, peccata, seu potiùs pœnam debitam peccatis Israelitarum, seu totius populi conflati ex tribubus duodecim, mixtim tunc Ierosolymis totaque Iudæa habitantibus. Neque enim sermo hîc est de 10. tribubus iam pridem ante 130. annos, euersâ Samariâ, in Assyriam abductis. vtquid enim minaretur iam euersis obsidionem? Sed sermo est de iis qui iam tum degebant in Iudæa, & propediem obsidendi erant per Chaldæos. Et ita esse constat v. 13. DOMVS autem IVDA vers. 6. significat antonomasticè domum, seu familiam regiam. Vtriusque DOMVS pœnas ASSVMES ET PORTABIS, seu sustinebis: atque eâ tolerantiâ repræsentabis molestias quæ ipsis reuera incumbent totidem diebus obsidionis.

℣.6. DIEM PRO ANNO DEDI TIBI, id est, diem vnum pœnæ designo pro integro anno INIQVITATIS EORVM] vt dicitur v. 5. Ergo dies 390. pœnæ & afflictionis decerno pro totidem annis iniquitatis Israelitarum. Quos cum Pinedâ & quibusdam aliis inchoo ab anno 37. Salomonis, quo tam fœdè in omnem idololatriam lapsus plurimos secum in idem scelus pertraxit. finio autem cum 11. seu vltimo anno regni Sedeciæ. Annos verò 40. specialis iniquitatis domus regiæ, adeoque totius tribus Iuda; inchoandos puto ab anno 13. regni Iosiæ vsque ad vltimum prædicti Sedeciæ: nam illo annorum tempore exhibuerunt illi se solito sceleratiores, vt patet ex prophetia Ieremiæ aliorumque Prophetarum, quorum minas flocci pendebant, ipsosque Prophetas iniustis modis diuexabant, vel etiam neci dabant. (*d*) Nec refert, quòd hi 40. anni includantur in annis 390. & consequenter bis numerentur: nam hi præ aliis excellebant malitiâ, ideoque meritò quasi duplices censentur, & duplici pœna puniuntur. Sed ex dictis Nota insignem Dei clementiam, quæ cùm pro die vno iniquitatis posset meritò infligere pœnas integri anni & longè amplius, tamen pro integro anno peccatorum non designet nisi diem vnum pœnæ.

Pineda l. 7. de Rebus Salom. c. 9.

d Ierem. 17. v. 20.

℣.8. ECCE CIRCVMDEDI TE VINCVLIS] nempe per familiares tuos tibi iniiciendis, vt suprà (*e*) dixi.

e Ezech. 3. v. 25.

℣.9. VICIA cibus est pecorum. Indo, & ex fabis ac milio confectus panis, sanè vilis & vix vitæ fouendæ sufficiens, significat obsessos quiduis adhibituros ad famem pellendam.

TRECENTIS ET NONAGINTA DIEBVS COMEDES ILLVD sic commixtum. Quid ergo reliquis 40. diebus? Respondeo liberum Prophetæ relictum comederet tunc quod vellet & quantum vellet. Repræsentabant enim hi 40. dies tempus illud quod captæ iam vrbi successit, quod non amplius cum fame, sed cum igne, rota, furca, aliisque tormentis pugnandum fuit. Ante verò

℣.10. CIBVS TVVS, seu dimensum diurnum, A TEMPORE VSQVE AD TEMPVS, id est, à vespera vna vsque ad alteram vesperam, inquit S. Hieronymus, ERIT IN PONDERE, id est, ponderabit vniuersim VIGINTI STATERES] hebraicè, *viginti siclos*, id est, decem (*f*) vncias.

f Prolog. de Ponderibus.

℣.11. ET AQVAM similiter non quantam voles, permitto bibas, sed SEXTAM PARTEM HIN] id est, vncias 26. cum duabus tertiis. Quæ mensura tum cibi, tum potus non tam vires augebant, quàm mortem prohibebant.

℣.12. QVASI SVBCINERICIVM COMEDES ILLVD] q.d. Non coques in clibano panem tuum, vt honestiores coquunt, sed sub cinere, vt moris est rusticis

rusticis coquere suos *hordeaceos* panes. Significatur instantia vrgentis famis, quæ festinare cogit: simul tamen & inopia lignorum, quà vetabantur clibanũ accendere, cogebanturque vti prunis & cinere. Et quidem iubetur hic Propheta panem suum *operire*, id est, coquere (vt est in Hebræo, & colligitur ex v. 15.) sub cinere *stercoris* humani. Quo significaretur, defutura in obsidione non solùm ligna; sed & stercora boum & equorum, quibus siccatis rustici solent tamquam cespitibus vti pro nutrimento ignis: cogendosque vti stercore humano exsiccato & igni admoto, vt panes coquerent. ita R. Dauid, Marinus, Mercerus, Forsterus, Pagninus in Lexicis, Pintus, Liranus, Vatablus, Maldonatus, Pradus, à Lapide & alij.

a *Deut.* 23. v. 12.

℣. 13. Hic PANIS vocatur POLLVTVS, ob fœditatem & fœtorem ex eiusmodi cineribus contractum. erant enim eiusmodi sordes (*a*) abominationi Iudæis. Vnde & Ezechiel, vt ex honesta & nobili familia, ita nitoris & honestatis amans, deprecatur has sordes:

b *Ierem.* 1. v. 5.

℣. 14. AA A, (*b*) dolentis est, auersantis & deprecantis. ANIMA MEA NON EST POLLVTA, id est, ego numquam profano cibo me contaminaui. MORTICINVM, id est, quod absque effusione sanguinis amisit vitam, (v. g. quod sponte moritur, vel aquis præfocatur, aut strangulatur:) item LACERATVM A BESTIIS *numquam* COMEDI] quia lege (*c*) tua vetitum: quomodo ergo comedam iam panem stercore humano coctum, quod magis abominor? Et ecce ad nudum Prophetæ votum mitigat sententiam misericors iudex, mauultque derogare decreto suo, quàm seruulum suum contristare. Sic fecit & afflicto Moysi, Iosue, Eliæ, Eliseo, Amos, Mardochæo, & tot aliis.

c *Leuit.* 11. v. 11. & 24. & c. 22. v. 8

Iosue 7. v. 10. *Amos* 7. v. 2.

℣. 16. CONTERAM BACVLVM (*d*) PANIS] Id est, eripiam panem nutrientem ac fulcientem corpus humanum, vt scipio fulcit senem.

d *Proleg. de Idiotismis Hebr. n.* 36. e *Isaiæ* 3. v. 1. 5. 6.

℣. 17. VT CORRVAT VNVSQVISQVE AD FRATREM (*e*) SVVM, id est, apud frattrem vel apud amicum suum, ad quem se receperat mendicaturus fragmentum panis. ET IN INIQVITATIBVS SVIS obstinati, fame vrente CONTABESCANT, conficiantur, computrescant.

CAPVT V.

Iubetur Propheta radere caput & barbam, atque vnam pilorum partem comburere igni, alteram concidere gladio, tertiam dispergere in ventum, vt per hoc portendat, vnam partem ciuium Ieroſolymitanorum absumendam peste ac fame, alteram gladio, tertiam per orbem dispergendam.

℣. 1. GLADIVS, seu gladiolus ACVTVS; LXX. *rhomphæa acuta sicut nouacula tonsorĩ*, est Nabuchodonosor, conductus à Deo (*f*) quasi tortor ad puniendum peccata Iudæorum. CAPVT pars corporis humani situ excelsior, dignitate præstantior, locum occupans inter humeros medium, est Ieroſolyma, vniuersæ terræ (quæ est instar magni corporis humani) caput, in supercilio sita mõtis Sion (qui regionis totius erat celsissimus & undique conspicuus:) gaudens templo Dei, à quo velut à capite in vniuersum orbem defluebat sensus omnis & motus, scilicet veri Dei notitia & cultus. *In medio* (*g*) *terræ*, quia in quarto climate ex septem, saluberrimus locus vniuersi. *In medio* quoque *Gentiũ*, vt hic v. 5. quia ab Oriente erat Asia maior, ab Occidente Europa, à Meridie Africa, à Septemtrione Asia minor. Pili capitis, seu cæsaries symbolum est

f *Isaiæ* 7. v. 20. & *Ezech.* 29. v. 18.

g *Ezech.* 38. v. 12. & *Psal.* 73. v. 12.

pulchritudinis, libertatis & nobilitatis: Barba indicium virilitatis. Hac igitur pilorum resectione significatur, nobiles omnes ac robustos tollendos ex vrbe, ipsamque ludibrio exponendam toti orbi. STATERA PONDERIS significat æquitatem diuinæ iustitiæ, quæ *omnia in numero*, (*h*) *mensura & pondere disponit.*

h *Sap.* 11. v. 21. & *Dauid* 5. v. 25.

℣. 2. IN MEDIO CIVITATIS depictæ in laterculo tuo, IVXTA COMPLETIONEM DIERVM OBSIDIONIS, id est, cùm completi fuerint dies conclusionis, quibus te domi iacere præcepi; TERTIAM vnam PARTEM pilorum COMBVRES IGNI, symbolo pestis ac famis: alteram TERTIAM CONCIDES GLADIO IN CIRCVITV EIVS, id est, circum laterculi muros: vltimam TERTIAM DISPERGES IN VENTVM, ET GLADIVM NVDABO POST EOS] Qui enim cum Iohanan filio Caree fugerunt in Ægyptum, Ieremiæ 43. vel aliò dilapsi sunt, à Chaldæis eodem subsecutis trucidati sunt. Sed & qui Babylonem adducebantur, nusquam tuti erant ab hostili crudelitate, Thren. 5. v. 5. & 9. Ex his tamen

℣. 3. PARVVM NVMERVM IN SVMMITATE PALLII, id est, diuina prouidentia & protectione mea, adseruabo in seminarium ac propaginem Iudaicæ gentis.

℣. 4. Ex *his* tamen RVRSVM ob noua scelera sub Antiocho Epiphane, sub Vespasiano & Tito, comburam plerosque IGNI nouæ castigationis. Sicut enim EX EO numero *egredietur* nouus *ignis* nouorum scelerum, ita EX eodem scelerum igne EGREDIETVR alius IGNIS nouarum pœnarum, quo conflagrabit OMNIS DOMVS ISRAEL] Ita ferè S. Hieronymus & Apollinaris.

℣. 7. SVPERASTIS GENTES sceleribus & impietate, ET IVXTA IVDICIA, seu consuetudines, GENTIVM NON ESTIS OPERATI] id est, ne tantum quidem mihi præstitistis, quantum Gentiles præstant idolis suis. Nam ipsi deos, seu idola sua, non spernunt, non derelinquunt, sicut vos me spernitis, me derelinquitis. Sed non impunè. Nam vt rex exsurgam, non modò per satellites meos, sed & per meipsum

℣. 8. FACIAM IVDICIA] Id est, vlciscar me, qui soleo aliis omnibus potentius punire.

℣. 9. FACIAM IN TE QVOD NON FECI, (*i*) vel in diluuio, vel in Sodomis, vel in Ægypto, vel in Chananæa. ET QVIBVS SIMILIA VLTRA NON FACIAM] Potest intelligi de vtroque excidio, tam per Chaldæos: (sed tunc *vltrà* strictiùs (*k*) accipiendum, vt benè monet Cornelius à Lapide) quàm per Romanos, de quibus hæc exponunt S. Hieronymus & Pradus.

i *Thren.* 4. v. 6.

k *Prosper de promiss. Dei part.* 3. *c.* 27.

℣. 10. PATRES COMEDENT FILIOS, ET FILII PATRES] Ita in vtraque obsidione factum narrat Iosephus & Theodoretus, & ego alibi (*l*) dixi.

Ioseph. l. 7. *Bel. c.* 8. l *Thren.* 2. v. 20. & c. 4. v. 10.

℣. 11. NISI CONFRINGAM, id est, si non demoliar templum & vrbem, sanctam olim; nunc verò fœdos OFFENSIONIBVS (*m*) ET ABOMINATIONIBVS, (*n*) id est, idolis abominandis, quæ visum & animum offendunt, pollutam ac profanatam; supple, Non habebar verax. Est enim formula iurandi.

m 4 *Reg.* 23. v. 13.

n *Deut.* 32. v. 16.

℣. 13. REQVIESCERE, seu incumbere, FACIAM INDIGNATIONEM MEAM IN EIS. q. d. Animum irâ succensum exsaturabo pœna illorum, ET sic CONSOLABOR ac recreabor, sumptâ vindictâ de tam sceleratis hostibus meis.

Irâ LOCVTVS SVM IN ZELO MEO] Id est, ita decreui ex ingenti indignatione. Zelus enim indignatio

gnatio est ex amore profecta, quâ pater charis filiis ob impietatem, vel sponsus sponsæ succenset ob acceptam adulterij iniuriam. Estque fortis ac violenta, vt memoranda edat facinora.

℣. 15. ERIS BLASPHEMIA, id est, maledictum & conuicium omnibus. hoc enim in genere significat Hebræum *geduphà*, eris & EXEMPLVM infelicitatis, vt antè fuisti impietatis. Cetera alibi (*a*) exposui. גדופה

a *Ier.19.v.8 & c.25. v.9*

℣. 16. SAGITTAS FAMIS vocat fulmina, imbres, procellas, bruchos, locustas, erucas, æruginem, & alias frugum pestes, QVÆ ERANT MORTIFERÆ] id est, mortem afferentes tum segetibus, tum hominibus.

℣. 17. BESTIAS PESSIMAS, v.g. leones, vrsos, serpentes; IMMITTAM IN VOS, cùm præ metu insequentium Chaldæorum abdere vos volueritis in cauernas montium, vt aliàs sæpe (*b*) factum. Et sic minatus est olim Moyses. (*c*) Sed Theodoretus & Scholiastes per bestias figuratè accipiunt Babylonios, (*d*) qui ferino rictu & vnguibus miseras ouiculas discerpebant.

b *Ezech 34. v.27. Exod.23. v.28. & 4.Reg.17. v.25.*

c *Deut. 32. v.24.*

d *Ierem.50. v.17.*

SANGVIS, id est, cædes & strages belli, ET PESTILENTIA, ET FAMES TRANSIBVNT (*e*) PER TE, id est, grassabuntur inter vos. EGO DOMINVS LOCVTVS SVM] sic volo, sic decerno, sic subscribo, more regum, huic à me latæ sententiæ, quasi diplomati meo.

e *Psal.41. v.8. Psalm. 87. v.17.*

CAPVT VI.

Montibus, aris, excelsis, idolis & idololatris, atque vniuersæ Iudææ vastitatem minatur ac desolationem paucis reliquis exceptis.

℣. 2. PONE FACIEM TVAM, id est, obfirma vultum tuum AD, id est, aduersus, MONTES terræ ISRAEL] putà Sion, Moria, Montem oliuarum, Montem offensionis, (*f*) & alios in quibus coluerunt idola sua. q.d. Interrita fronte, audacter & liberè prædic Iudæis clades imminentes.

f *4.Reg.23. v.13.*

℣. 4. DEIICIAM INTERFECTOS ciues VESTROS ANTE IDOLA VESTRA] Nempe cumulabo aras cadaueribus interfectorum, (*g*) id est, polluam eas & contaminabo: quidquid enim cadauer tangeret, pollutum erat. ita Theodoretus.

g *Ibid.v.16.*

חמנים ℣. 6. DELVBRA VESTRA] Hebraicè, *chammanim*, id est, solaria, seu delubra soli dicata. Videtur deriuatum à singulari idolo *Chamos*: vel à Ioue *Hammonio*, de quo vide Macrobium, Plinium & alios in Lexicis.

Macrob l.1. Saturn.c.21 Plin l. 12. & 28.c.9.

℣. 8. RELINQVAM tamen aliquos EX VOBIS superstites, nempe EOS QVI tempestiuè FVGERINT GLADIVM Chaldæorum. Hi

h *Ezec 6. v.1.c.11.v.4 Ioan 16. v.16. [illegible]n.3. v.31.*

℣. 9. LIBERATI à morte, seu morti subtracti, RECORDABVNTVR MEI] Tribulatio (*h*) enim mater est pœnitentiæ, memoriæ Dei salinum, & quasi funis coarctans & trahens ad Deum: malleus item conterens & emolliens cor quantumuis lapideum: denique cor & oculos premit, humoremque exprimit, id est, contritionem & compunctionem.

℣. 11. PERCVTE manu tua alteram MANVM TVAM, vel femur tuum, vt infrà. (*i*) Signum est stupentis, dolentis & indignantis. In Hebræo, Chaldæo & Græco est, *plaude manu, strepe pede.* vbi Noster habet, ALLIDE PEDEM, scilicet ad terram, AD id est, propter, ABOMINATIONES MALORVM] nempe peccatorum & pœnarum peccata consequentium.

i *Ezech.21. v.14.*

℣. 14. DEBLATHA S. Hieronymo, Vatablo & Hebræis eadem est quæ *Reblatha.* (*k*) Litteræ enim *dalet* & *resch* charactere sibi simillimæ sunt, & facilis ex vna in aliam lapsus. Adrichomius tamen hæc distinguit, & *Deblatham* ponit terminum tribus Ruben: *Reblatham* in terra Emath, quæ pòst dicta fuit *Epiphania Syriæ*, vbi residebat Nabuchodonosor, obsidionis Ierosolymæ finem exspectans, vbi & Sedecias rex (*l*) ab eo excæcatus est, &c. Ab hoc, inquit, loco vsque ad Ierosolymam omnia per Chaldæos vastabuntur, atque ità tota Iudæa iacebit *desolata* atque incolis *destituta.* ד ר

k *Ierem.39. v.5.*

l *4.Reg. vlt. v.6.*

CAPVT VII.

Predicit iamiam imminere vastationem vniuersæ terræ Israel: ex pauore & trepidatione defluxuros Iudæos, templum polluendum, thesauros expilandos.

℣. 2. TV, scilicet audi, & vaticinare: VENIT FINIS, id est, imminet excidium, TERRÆ ISRAEL, vt præcessit.

Nota. Tam frequens repetitio, VENIT FINIS, irati & obfirmati animi signum est.

℣. 3. IVDICABO TE & puniam IVXTA VIAS TVAS, id est, pro factis & meritis tuis. PONAM ABOMINATIONES TVAS CONTRA TE, quasi tui accusatores; LXX. vertunt, *dabo super te*, nempe pœnas peccatorum tuorum: metes quæ seminasti. Hoc est *talentum plumbi*, Zachariæ 5.

℣. 4. IN MEDIO TVI ERVNT pœnæ abominationum tuarum, nempe instar gladij dissecabunt tibi cor & viscera corrodent: vel, vt Maldonatus, erunt in propatulo, omnibus manifestæ ac conspicuæ.

℣. 5. AFFLICTIO VNA] nempe singularis illa & incomparabilis, extrema & funestissima, quæ non egeat (*m*) alterius auxilio ad omnia vastanda

m *1.Reg. 26 v.8.*

℣. 6. EVIGILAVIT] Id est, citò aderit, ac si summo manè euigilasset, vt accurreret.

℣. 7. VENIT TEMPVS OCCISIONIS, quo macteris & iugularis à Chaldæis, ET NON GLORIÆ MONTIVM] id est, non tempus iubilationis, quo solebas vel in vindemia, vel in cultu idolorum tuorum iubilare, gloriari, tripudiare. In Hebræo est, *instat dies tumultus, non celeusmatis* (*n*) *vindemiatorum in montibus.*

n *Ierem.25. v.30. & c.48.v.33. & c.51. v.14.*

צפרה ℣. 10. EGRESSA EST CONTRITIO. Hebræum *tsephirah*, & Græcum πλοκὴ significat folliculum illum complicatum, qui in fruticis gemma contrahitur. Vnde pro *contritione* putat Maldonatus & à Lapide legendum, *contractio*, vt habet S. Hieronymus & quædam manuscripta, tam hîc, quàm v. 7. q.d. Explicatur, erumpit, distenditur iam gemma, protruduntur frondes, FLORVIT VIRGA amygdali, (vt est in Hebræo) quam Ieremias vidit *vigilantem*, seu antelucantem, id est, celerrimè, & citiùs quàm putatis obuenturam vobis. Tempus est, adaptem hæc germina in flagellum. Sed ex quo semine hæc germina?

GERMINAVIT SVPERBIA, & comites superbiæ alia vitia. q. d. Scelera vestra non simul ac patrata sunt, exaruerunt prorsus ac perierunt (vt vos putatis,) quin potiùs humi fata, tam diu illa fouistis, rigastis & coluistis, donec eo quo dixi modo fronderent, florerent, ac virgas proferrent, quibus iam flagellabimini. Hoc flagellum est aceruus pœnarum per Chaldæos infligendarum. Ergo

℣. 11. INIQVITAS vestra SVRREXIT & fuc-

a *Iob* 5.v.6. *Eccl.*7.v.3. *Osee* 10. v.12.

creuit IN VIRGAM (a) & flagellum IMPIETATIS A seu scelerum vestrorum, excitans, animans, roborans Chaldæos ad vos perdendos. NON enim EX EIS, præcisè vt Chaldæi sunt, prouenit vobis hoc malum: ET NON EX POPVLO magno & multo quem secum trahunt: NEQVE EX SONITV, seu strepitu curruum, armorum vel copiarum EORVM: sed ex vestramet iniquitate, quæ manus illorum roborat & armat. Vnde NON ERIT REQVIES IN EIS] Id est, non quiescent, non cessabunt, donec vos flagellarint pro meritis vestris. ita ferè Delrio & Cornelius.

Delrio adagio 714.

℣. 12. QVI EMIT, NON LÆTETVR, quia quod emit, erit prædæ Chaldæis: ET QVI VENDIT, NON LVGEAT] id est, ne doleat, quia etsi non vendidisset, perditurus erat.

℣. 13. QVI VENDIT, NON REVERTETVR proximo iubilæo (b) AD ID QVOD VENDIDIT, ET SI ADHVC sit IN VIVENTIBVS VITA EORVM] Neque enim poterit frui legis (c) beneficio qui exul deget in captiuitate Babylonica; cuius captiuitatis anno 25. incidet iubilæum, vt colligi potest ex iis quæ dixi in Chronico.

b *Leuit.* 25. v.10.

c *Ibid.*

Chronici c.21. *in fine.*

VISIO ENIM, id est, prædictio hæc comminatoria, AD OMNEM Iudææ MVLTITVDINEM, nemine excepto, NON REGREDIETVR] scilicet, in os meum, id est, non erit mendax, non irrita, non vana. Similitudine sumptâ à milite vel satellite, re infectâ domum recurrente.

IN INIQVITATE, id est, propter impia scelera sua, VIR NON CONFORTABITVR] id est, nullus roborabitur, nemo stabilietur, nemo præualere poterit Chaldæis: sed omnes cadent & succumbent, & prædæ illis erunt.

℣. 14. CANITE TVBA, conuocate milites vestros, ô Iudæi: en irruit Chaldæus. Non est qui vadat ad prælium? nullúsne prodit foras armatus? Simili sarcasmo vtitur Isaias c.21. *Surgite principes*, &c.

C

d *Ierem.*41. v.42.

℣. 16. SALVABVNTVR ij soli QVI IVGERINT (d) ad montes & cauernas, QVASI COLVMBÆ trepidæ aucupem vel accipitrem fugientes.

℣. 17. OMNIA GENVA FLVENT AQVIS] LXX. *omnia femora polluentur humore*, nempe vrinâ, præ pauore & angustiâ, defluente. Causam vide apud Aristotelem in Problematis. De *caluitio* v. 18. alibi (e) dixi.

e *Deut.* 14. v.1. & *Isaiæ* 15. v.2. *Ierem.* 47. v.5. & c.48 v.37.

℣. 19. AVRVM EORVM à Chaldæis illud rapientibus, ex arca FORAS PROIICIETVR in currus & equos eorum, vel etiam *in* plateas, IN STERQVILINIVM: malent enim substernere illud pedibus iumentorum suorum, quàm relinquere Iudæis. QVIA SCANDALVM INIQVITATIS EORVM FACTVM EST] Id est, fuit illis occasio ruinæ, dum opibus abuterentur ad luxuriam, ad fastum, ad idola conflanda, vt sequitur.

D

℣. 20. PROPTER HOC DEDI EIS ILLVD aurum, seu ORNAMENTVM MONILIVM, IN IMMVNDITIAM] vt quasi stercus proiiciatur à Chaldæis *in sterquilinium*, vt iam dixi.

℣. 21. ET CONTAMINABVNT ILLVD] Id est, quasi rem polluram ac sordidam abijcient, instar stercoris conculcandam. Quin &

℣. 22. ARCANVM MEVM templum, templique thesauros, me permittente VIOLABVNT EMISSARII] id est, emissi in illud milites, grassatores & prædones Chaldæi.

f *Ezech.* 3. v.24.

℣. 23. FAC igitur tibi, ô Ezechiel, CONCLVSIONEM, id est, concludere domi, vt suprà (f) præcepi, & reliqua omnia quæ adieci, vide compleas. Chaldæus & recentiores vertunt, *fac catenam*, vel funem, scilicet vt hoc symbolo portendas Iudæis, quòd captiui & rei capitis trahentur in carcerem, in seruitutem, in mortem. Et meritò, QVIA TERRA Iudææ PLENA EST IVDICIO SANGVINVM id est, sanguinibus, seu sanguinariis sceleribus, adulteriis, rapinis, homicidiis, idololatriâ, iudicatis ac damnatis per seipsa, quia secum ferunt iudicium suum ac sententiam, & clamant contra se ipsa.

℣. 24. QVIESCERE FACIAM, quia conteram, SVPERBIAM & fastum POTENTIVM. ita à Lapide. Scholiastes verò & Pradus intelligunt illud de templo Domini vt celsissimo, ita & magnificentissimo ac superbissimo. ET SANCTVARIA non iam ampliùs mea, quia polluta, sed EORVM] putà atrium, Sanctum, & Sancta sanctorum. Sed alij id exponunt de sanctuariis, seu templis idolorum.

B

℣. 26. AVDITVS, id est, rumor (g) malus, VENIET SVPER rumorem malum: alia ex aliis infausta nuntia vndique aduenient. QVÆRENT VISIONEM & solamen DE PROPHETA, auxilium A SACERDOTE (h) legis diuinæ gnaro, CONSILIVM A SENIORIBVS experientiâ & prudentiâ clarís: sed frustra, destituentibus eos omnibus omni sperata ope, consilio & solatio.

g *Proleg. de Idiotismo Hebr n.46.*

h *Isaiæ* 3. v.1. & *Dan.*3.v.38

℣. 27. REX LVGEBIT; hebraicè, *luctu se conficiet*: ET OMNIS PRINCEPS INDVETVR MOERORE, id est, pallio mœroris, veste cilicina & lugubri. Vel *induetur*, id est, vndique circumdabitur & opplebitur tristitiâ. MANVS POPVLI TERRÆ, id est, vires militum & vulgi *dissoluentur*, vt LXX. vertunt. q.d. Omnes Iudæi, tam nobiles quàm plebeij, metu concident quasi exanimati. SECVNDVM VIAM EORVM, id est, secundùm actiones & scelera eorum, ET SECVNDVM IVDICIA, id est, secundùm merita eorum IVDICABO EOS. Nempe in iudiciis semper secundùm merita causa iudicatur. Iudicabo igitur & ego eos ex lege talionis: Non audierunt me, non audientur: repulerunt me, repellentur: oppresserunt pauperes, expilarunt, occiderunt; opprimentur, expilabuntur, occidentur. Et his calamitatibus edocti, tandem experientiâ scient, (quia sentient,) me esse DOMINVM suum, quem impiè & iniustè irritarunt, repulerunt, spreuerunt.

CAPVT VIII.

Propheta raptus spiritu è Babylone in Ierusalem videt nefarias abominationes & idololatrias, quas etiam tum Iudæi admittebant in templo Domini.

℣. 1. ANNO SEXTO à transmigratione Ioachin, SEXTO MENSE Elul, (i) QVINTA die MENSIS. Ergo interiectus est annus integer & menses tres inter primam (k) & istam prophetiam. EGO SEDEBAM, scilicet completis iam 430. diebus (l) decubitus mei & ieiunij: ET SEDEBANT CORAM ME SENES IVDA, in summo rerum discrimine me consulentes. ET CECIDIT IBI SVPER ME, id est, irruit, & instar fulguris delapsa est in me, summa vi & energia MANVS DOMINI] id est, potentia, inactio, illustratio diuina: seu, vt Chaldæus vertit, spiritus propheticus.

i *Chronici* c.5.

k *Ezech.* 1. v.1. & c.

l *Ezech.* 4. v.4 &c.

℣. 2. ET ECCE SIMILITVDO *viri*, vt addunt LXX. Videt enim hîc Propheta eamdem Dei imaginem ex electro ignito, quam viderat c.1.v.27. ad quam etiam lectorem remitto.

℣. 3.

℣.3. APPREHENDIT ME; id est, videbar mihi ab eius manu apprehendi, & instar volucris per medium aëra sublimis vehi Ierosolymam, non corporali, aut reali vectatione, sed IN VISIONE] id est, apparentia, & raptu mentali.

IVXTA OSTIVM atrij templi INTERIVS, seu atrij interioris, nempe sacerdotum, (a) in quo erat altare holocaustorum: & ad latus *Aquilonare*, quod propter ascensum minùs acclivem, vt facilius, ita & frequentius adibatur, STATVTVM ERAT IDOLVM ZELI; LXX. *Statua possidentis*, seu domini, vel heri: Sic enim vocabant *Baal*, cui in templo Ierosolymitano statuam erexerat Manasses, quam abstulit Iosias, (b) sed reposuit Ioakim vel Sedecias, (c) AD PROVOCANDAM ÆMVLATIONEM, seu zelotypiam (d) atque indignationem Dei, angelorum & hominum. Nihil enim iniquius aut indignius, quàm colere pro Deo quod non est Deus.

a 3. *Reg.* 6. *v.* 36.
b 2. *Par.* 34. *v.* 4.
c 4. *Reg.* 23. *v.* 37. & 2. *Par.* 36. *v.* 14.
d *Deut.* 32. *v.* 21.

℣.4. IBI GLORIA DOMINI mihi ostensa fuit; prout eam nuper VIDERAM IN CAMPO iuxta fluuium Chobar c. 3. v. 23. Sed *quæ conuentio Dei ad Belial?* Nempe, volebat Deus ostendere Prophetæ, se iam transmigrare è templo Iudaico, vtpotè nimis polluto tot sordibus idololatriæ & aliorum scelerum, vt ex v. 6. hîc, & infrà ex cap. 10. & 11. patebit.

℣.5. PORTA ALTARIS vocatur illa porta, quæ vicina erat altari æneo Salomonico; quod Achaz (e) è medio atrij sacerdotum transtulerat ad angulum lateris Aquilonaris eiusdem atrij. A quo altari porta atrij vicina nomen accepit *portæ altaris*, inquit Pradus & Cornelius.

c 4. *Reg.* 16. *v.* 14.

℣.6. PVTASNE VIDES omnes ABOMINATIONES ISRAEL? Falleris: VIDEBIS mox plures & MAIORES; CONVERSVS, (f) id est, rursus. Hebræum enim *sub*, cùm immediatè construitur cum altero verbo, idem valet quod *rursus, denuo, iterum.*

f *Psal.* 84. *v.* 7. & *hic v.* 13. 15.

שוב

℣.7. AD OSTIVM ATRII exterioris, vt & circumcirca, erant varia cubicula sacerdotum; quæ *exedræ* vocabantur, vel *gazophylacia*, vel *pastophoria*, & c. 40. v. 10. *thalami portæ.* Horum vnus anterior murus perforatus videbatur, quo secretior aditus ad interiora idololatris pateret.

℣.10. INGRESSVS cubiculum, VIDI in eo DEPICTA IDOLA, SIMILITVDINE REPTILIVM, aliorumque ANIMALIVM] De *talpis & vespertilionibus* habet Isaias, de aliis Ieremias, & alij. Et nos in templo Dei, id est, in conscientia nostra subinde varia idola pingimus, furiosi *serpentes*, (g) hypocritæ *vulpes*, (h) subdoli *genimina viperarum*, (i) luxuriosi *equos amatores & emissarios*, (k) vecordes *equos* (l) *& mulos.* His

Isaiæ 2. v. 20. Ierem. 7. v. 30. & c. 32. v. 34.
g *Psal.* 57. *v.* 5.
h *Luc.* 13. *v.* 32.
i *Luc.* 3. *v.* 7.
k *Ierem.* 5. *v.* 8.
l *Psal.* 31. *v.* 9.

℣.11. THVS adolebant SEPTVAGINTA VIRI DE SENIORIBVS DOMVS non Aaron, sed ISRAEL] Neque enim verisimile est, solos sacerdotes hîc notari, sed præcipuos quosque Iudæos. Et putat Cornelius fuisse hos 70. senatores Concilij magni *Sanedrin*, (m) in quo eminebat *Iezonias filius Saphan*, seu *Sophoniæ*, quem Polychronius opinatur fuisse sacerdotem illum, qui Ieremiæ quasi iudex datus fuit c. 29. v. 25.

m *Num.* 11. *v.* 16.

℣.14. Ad OSTIVM atrij intimi) quod subinde vocatur DOMVS DOMINI) SEDEBANT MVLIERES PLANGENTES ADONIDEM] Vetus fabula est Ægyptiorum, de qua Macrobius, Theocritus, Ouidius, Fulgentius & alij, *Adonidem* filium Cynaræ Cypriorum regis, cùm iuuenis esset pulcherrimus, ideoque Veneris amasius, dente apri occisum: quem Venus cùm quasi mortuum planxisset, mox reuisentem cum nouo gaudio receperit. Feminæ ergo idololatræ, quo Venerem sibi magis obstringerent, in eius gratiam plangebant extinctum *Adonidem*. Stephanus & Pradus volunt *Adonidem* esse *Osirim* principem & deum Ægypti: & consequenter Iosephum Patriarcham; secundùm ea quæ dixi Genesis 41. v. 43. Addit Pradus ex Fulgentio prædicto, Synophanem Ægyptium parentem illum fuisse citò rapti filij, de quo Sapientiæ 14. v. 15. & hunc filium fuisse *Adonidem*: & per consequens Synophanem esse auctorem primi *idoli*, sic dicta quasi εἰδ' ὀδύνης, id est, *formâ doloris, figura luctus* leniendi causa confecta. Quin & nomen quoque *Adonidis* inde tractum putant. Sed Cornelius mauult illud ab Hebræo *adonai* deductum, quod Ægyptij Græcis, transcripserint. Hebraicè, chaldaicè & syriacè, *Adonis* vocatur *Tammus*, quo eodem nomine vocatur quartus anni mensis, qui nostro *Iunio* ferè respondet, quo fertur occisus *Adonis*, & anniuersaria eius solemnitas celebrabatur, inquit S. Hieronymus. Fabulam veritati sic adaptat Macrobius. *Adonis*, inquit, est sol: aper lutulentus & cœnosus est hiems: Venus est pulchritudo & fœcunditas terræ, quæ deplorat absentiam solis tempestatibus hiemalibus fugati & quasi ab apro confecti: gaudet verò cùm redit in ver. Alij non incongruè hæc omnia adaptant Christo morienti & resurgenti.

Macrob l. 1. Saturn. c. 26
Theocrit. in Idyllio 25.
Ouid. 10. Metamorph.
Fulg l. 1. & 3. Mytholog.
Stephl. de Vrbibus.
אדוני
תמוז

℣.16. ATRIVM INTERIVS erat sacerdotum atrium. Ibi INTER VESTIBVLVM templi, ET ALTARE holocaustorum, quod erat ante frontem templi, sub dio in atrio sacerdotum, VIGINTI QVINQVE VIRI sacerdotes (vt probabile est) loco Dei quem in arca residentem adorare debebant conuersis ad eam faciebus versus Occidentem, ADORABANT *solem* conuerso vultu AD *Orientem.* Nec contenti

℣.17. *Replesse* TERRAM INIQVITATE, id est iniusta pauperum oppressione, violentia, rapinis suis; etiam insurgunt in cælum, & inde iritant, APPLICANTES RAMVM lauri AD NARES SVAS, quasi gratias agentes Apollini, seu Soli auctori lauri & suauis illius odoris; & ramum osculando, Apollinem eiusdem adorantes, sicut aliàs solebant *osculo manuum* idipsum præstare, vt alibi (n) dixi. Et fusè docent Plinius, Giraldus, Lipsius & Pradus solemne veteribus fuisse, non sacrificos modò, sed & victimas & aras, quin & astantes quoque, numinum suorum frondibus ornare. v.g. Ioui sacrificantes coronare *esculo*, Mineruæ *olea*, Veneri *myrto*, Herculi *populo*, Baccho *hedera*, (o) *pampinis* vel ramis *ficulneis*, Siluano & Diti *cupresso*, Pani *pino*, Isidi *abrotono.* Thraces pro lege habebant, in omnibus sacris *hedera* coronari, Cappadoces *ambrosia*, Ægyptij *vitibus, hedera, gramine* vel *flore papyri.*

n *Iob* 31. *v.* 27. *Plin. l.* 12. *c.* 1. *Lilius Girald. Synt.* 16. *Lipsius l.* 2. *Elector c.* 6. o 2. *Mach.* 6. *v.* 7.

CAPVT IX.

Ostenditur Ezechieli per visum cædes à Chaldæis patrandæ Ierosolymæ, à qua liberantur signati signo thau.

℣.2. CLAMAVIT Dominus (p) qui vehebatur quadriga Cherubim, IN AVRIBVS MEIS, id est, me audiente, DICENS, APPROPINQVAVERVNT VISITATIONES, id est, en adsunt visitatores, (q) seu vltores & vindices damnatæ VRBIS. q. d. Vt quid differamus vltionem, sublata spe emendationis? VAS INTERFECTIONIS est instrumentum ad interficiendum, v.g. gladius, arcus, securis, vt vertunt (r) LXX.

p *Ezech.* 8. *v.* 4.
q *Num.* 14. *v.* 18. & *Psal.* 88. *v.* 33.
r *Hic v.* 1.

Ierem. 39. v. 3. Ioseph. l. 10. Antiq. c. 10.

℣. 2. ECCE SEX VIRI, nempe sex angeli, iuxta numerum sex archiducum Chaldæorum, qui primi vrbem Ierosolymam obtinuerunt, teste Ieremia & Iosepho, quorum hic nomina, ille etiam cognomina recenset. Porrò hi sex angeli, sex duces prædictos dirigebant, ut signatis signo thau parcerent, non signatos occiderent. Hi VENIEBANT DE VIA PORTÆ: id est, incedebant per viam portæ templi, seu quæ ducit ad portam intimi atrij sacerdotalis (a) SVPERIOREM, quia gradibus ascendendum erat (b) ad atrium sacerdotum. AD AQVILONEM, id est, ad latus atrij Aquilonare, vbi maximè peccarant idololatræ. (c) Qui enim porta peccator Deum eliminat, eâdem lictores (d) Dei mox subintrant. *Si malè egeris, nónne statim in foribus peccatum*, id est, pœna peccati, *aderit*? Gen. 4. v. 7. Pradus notat hîc signari plagam Aquilonarem, eò quòd hæc respiceret Babylonem: & quia ex ea parte *ruptus est murus* à Chaldæis, vt & postea ab Antiocho & à Tito: nam ea sola parte poterat murus arietibus quati, cùm reliquæ præruptis & altissimis rupibus cingerentur, teste Iosepho. VIR QVOQVE VNVS, nempe septimus angelus, VESTITVS ERAT LINEIS; LXX. *podere*, seu, vt infrà (e) vertunt, *stola sancta*. Toga erat linea talaris, quali vtebantur sacerdotes, (f) maximè in sacris.

a Ezech. 8. v. 14.
b Ezech. 10. v. 19.
c Ezech. 8. 4. 5.
d Rom. 5. v. 12.
Ioseph. 14. Antiq. c. 8. & l. 6. Belli c. 4.
e Ezech. 10. v. 2.
f Exodi 28.

ET ATRAMENTARIVM SCRIPTORIS AD RENES EIVS; LXX. *zona sapphiri super lumbos eius*: & ex zona pendebant instrumenta notarij. Hic angelus repræsentabat Allegoricè Christum, verum sacerdotem (g) & vnicum sequestrum inter diuinam iustitiam & homines, inquit S. Hieronymus & Theodoretus. Hi septem simul omnes INGRESSI SVNT in atrium interius sacerdotum, ET STETERVNT IVXTA ALTARE ÆREVM holocaustorum.

g Apoc. 19. v. 13.

℣. 3. GLORIA DOMINI, id est, glorioſa Dei persona adumbrata imagine electrina, quæ cap. 1. v. 27. insidebat currui & throno Cherubinico, ASSVMPTA, id est, sublata, EST; LXX. *ascendit* DE medio *Cherubinorum*: nempe Deus quasi iratus & moræ impatiens prosiliit è solio suo *in* LIMEN DOMVS, seu templi, scilicet in atrium sacerdotum, vbi stabant septem angeli prædicti, quibus tamquam lictoribus suis ac militibus vti cœpit ad vindictam de Iudæis sumendam. Ex hoc eodem limine templi rursus regressus est Deus in solium suum Cherubinicum c. 10. v. 4. ita Emanuel Sà & alij apud Cornelium à Lapide.

℣. 4. SIGNA THAV. Ita vertit etiam Chaldæus, Theodoretus, Vatablus & alij passim. Quare quod LXX. Symmachus, Syrus & Arabicus verterunt, *pone signum*, supplendum est additione *thau*, quod olim tempore Ezechielis & deinceps vsque ad Esdram scribebatur vt nunc Græcum & Latinum T. Quin & vt iam ab Hebræis scribitur ת, non est multum absimile Latino & Græco T. Erat autem apud Ægyptios characteristica littera futuræ vitæ, Cælio teste. Et apud Latinos ac Græcos damnandis à iudice præfigebatur Θ *thita*, liberandis T *thau*, teste Asconio Pediano, Ruffino, Socrate, Sozomeno & aliis apud Gretserum, Lipsium & Pradum. Simili ergo modo, saluandi hîc & gladio Chaldæorum subtrahendi iubentur signari signo *thau*, nempe GEMENTES ET DOLENTES super abominandis impiorum sceleribus. Qui pauci admodum erant, v.g. Ieremias, Baruch, Vrias, Rechabitæ & quidam alij. His signum salutis imprimitur *in fronte*, ad morem fidelium seruorum, qui notam vel stigma heri sui gestare solebant, fronti vt plurimùm inustum, teste Rhodigino. Et tempore Antichristi signabunt angeli, Apoc. 7. v. 3. electos Christi seruos signo & stigmate eiusdem Christi, nempe signo crucis, vt ibi dicemus. Et putant nonnulli, teste Salmerone, Beatos omnes in cælo pro frontibus insigniendos *cruce*, quasi tessera & trophæo Christi, quo testentur se merito crucis ipsius cælum possidere.

Cælius Lect. antiquar. l. 10. c. 8. Gretser. l. 1. de Cruce c. 51. Lipsius de Cruce.

Rhodigin. l. 5. c. 31. Salmer. in Matth. 24 v. 30.

℣. 6. INCIPITE cædem A SANCTVARIO MEO] id est, à templo meo; LXX *à sanctis* (h) *meis*, id est, à sacerdotibus, mihi consecratis.

h 1. Petr. 4. v. 17.

COEPERVNT ERGO sex prædicti angeli cædem A VIRIS SENIORIBVS] scilicet 25. sacerdotibus de quibus suprà. (i)

i Ezech. 8. v. 16.

℣. 7. CONTAMINATE DOMVM] nempe atrium sacerdotale. q. d. Non est quòd ob sacri loci reuerentiam raptetis sceleratos homines extra templi cancellos, ne sanguine & cadaueribus illorum id polluatis. Polluite audacter, quod ipsi suis antè sceleribus polluerunt. ita Pradus & Maldonatus.

℣. 9. TERRA Iudææ, vel vrbis Ierosolymæ, REPLETA EST hominum SANGVINE impiè profuso, *vsque ad* (k) *os*. AVERSIONE à Deo per idololatriam. Quibus duobus generibus peccatorum, vno contra primam, altero contra secundam tabulam, solet Scriptura (l) vniuersam scelerum cohortem comprehendere.

k 4. Reg. 21. v. 16.
l Isaiæ 56. v. 2. & c. 1. v. 21. &c.

CAPVT X.

Describitur iterum quadriga gloriæ Dei visa in atrio templi: iubeturq; vir linea indutus accipere prunas à medio currus Cherubici, easq; effundere super vrbem Ierosolymam: & portendere hoc signo incendium eiusdem vrbis per Chaldæos.

℣. 1. ECCE QVASI SPECIES SOLII, ex quo paulò antè (m) desilierat Deus:

m Ezech. 9. v. 3.

℣. 2. qui AD VIRVM LINEIS INDVTVM DIXIT: IMPLE MANVM TVAM PRVNIS IGNIS, QVÆ SVNT in prunario INTER duos CHERVBIM, de quo c. 1. v. 13. ET has prunas EFFVNDE SVPER CIVITATEM, nempe vt cæde ciuium completa, (n) ciuitas etiam exuratur. En habes hîc elegans symbolum duplicis aduentus Christi, cuius typus (o) erat hic vir lineis indutus. Prior aduentus est cum *thau*, id est, cum cruce: posterior cum igne.

n c. 9. v. 6. &c.
o Ibid. v. 2.

℣. 3. CHERVBIM quadrigæ STABANT A DEXTRIS DOMVS Domini, seu templi: quia à sinistris, id est, à parte Aquilonari (p) erant locata idola. & volebat præsignare Deus, se paulatim deflexurum ad Meridiem, id est, ad Gentes. Vnde & ab initio conditi tabernaculi, iussit candelabrum septem lucernis collucés, nempe lucem veræ fidei ac religionis, ad Meridionale templi latus collocari, nempe vt luceret Gentibus, desertis Iudæis, qui per mensam 12. panum propositionis ad lævam designabantur. ita Pradus. Interea NVBES IMPLEVIT totum ATRIVM INTERIVS sacerdotum, symbolum diuinæ præsentiæ (q) ac prouidentiæ, quasi velo tectæ.

p c. 8. v. 5.
q Exod. 19. v. 16. Deut. 4 v. 11 Psal. 98. v. 7.

℣. 4. ET GLORIA DOMINI, id est, glorioſa Dei persona, quæ cap. præcedenti v. 3. visa fuerat desilire è solio suo, iam rursus ELEVATA EST & conscendit thronum suum DESVPER CHERVB] Nempe prolatâ sententiâ cædis & incendij, parat abitum è templo.

℣. 5. VOX DEI OMNIPOTENTIS LOQVENTIS, v.g. olim in Sinai, &c. est tonitru, & ita hîc vertunt Symmachus & Theodotion.

℣. 7.

℣.7. CHERVB DE MEDIO CHERVBIM, hebraismus est, q.d. Vnus è quatuor Cherubinis: nam *in medio esse* Hebræis idem est quod esse ex illis, vel ex illorum numero, vel esse inter illos. *accepto* igne, EGRESSVS EST, ad illum tota vrbe proseminandum. Sed hoc studio hic subticetur, vt tristissimi incendij narratio potiùs intelligentiæ relinqueretur, quàm oculis subiiceretur. E contrario quod lætum est, nempe signatura *thau* feliciter peracta, non subticetur cap. 9. vers. vltimo. ita S. Hieronymus. A

℣. 8. APPARVIT IN CHERVBINO (cùm brachium extenderet vt viro prunas porrigeret) MANVS HOMINIS, seu humana: cui superadditæ alæ designabant celerem & efficacem eius quod agendum erat executionem, inquit Fernandez. Cetera exposui cap. 1.

Fernand. tract. 16. sect. 1.

℣.12. CORPVS; hebraicè, *caro*, rotarum sunt ipsæ rotæ: COLLA; hebraicè, *tergа*, sunt modioli: MANVS, radij, quibus canthi modiolo iunguntur: PENNÆ, canthi lignei: CIRCVLI, canthi ferrei, quibus lignei firmantur. Tribuit enim *rotis* figuram volucris, vt ingentem earum velocitatem adumbret. ita S. Hieronymus, Vatablus, Maldonatus & alij. Sed Theodoretus & Liranus hæc omnia non de *rotis*, sed de *Cherubinis* accipiunt. B

℣. 13. ROTAS ISTAS VOCAVIT Deus VOLVBILES: hebraicè, *galgal*, quam vocem retinent LXX. & significat volubile. q. d. Rotæ, etsi essent oculatæ, & præ se ferrent imagines viuorum animalium, c. 1. v. 15. *vocauit* tamen & fecit eas Deus *volubiles*, quibus facilè ageretur currus in omnem partem. ita ferè S. Hieronymus & Chaldæus. Porrò currum agebant Cherubini: vnde

גלגל

℣.14. FACIES VNA illorum, erat FACIES CHERVB, id est, bouis, vt vertit Arabicus Antiochus, S. Hieronymus, Vatablus, Maldonatus, Pradus & alij. *Cherub* enim per methathesin idem est quod *rocheb*, id est, agens currum, quod proprium est *bouis*. Vnde & *bouina* forma hîc, vbi de curru protrahendo agitur, primo loco Cherubinis tribuitur: suprà (*a*) verò, vbi currus immotus visebatur, facies *humana* primo loco, quasi præcellentior, iisdem tribuebatur. Sic insidens throno Cherubico, C

רוחב

a Ezech. 1. v. 5.

℣. 18. GLORIA DOMINI, id est, gloriosa Dei persona, EGRESSA EST A LIMINE TEMPLI, ET STETIT hebraismo, pro *stans*, seu residens, SVPER CHERVBIM.

℣.19. ET STETIT, seu mansit stans, IN INTROITV PORTÆ ORIENTALIS templi, seu atrij interioris, quà exitus patebat ad inferius atrium populi Israelitici. Quàm ægrè, quàm lentè deserit domum suam cælestis paterfamilias! quot stationes facit!

℣.20. INTELLEXI QVIA animalia quæ apparebant, ESSENT CHERVBIM] id est, forma simili Cherubinis templi nostri, mihi vtpote sacerdoti notissimis.

℣. 22. INTVITVS EORVM ET IMPETVS, ANTE FACIEM INGREDI] Id est, ipso intuitu suo, & impetu quo ferebantur, sat declarabant, sibi propositum omnino ad anteriora procedere, nec regredi vnde exierant. Symbolo hoc indicantes, constàs (*b*) Dei decretum deserendi Synagogam, iam quidem ad tempus, post Christum verò in perpetuum: veramque fidem, religionem, cultum diuinum sensim transferendi ad Gentes.

b 1. Reg. 15. v. 29.

CAPVT XI.

Iudæis qui cum Sedecia remanserant Ierosolymæ, prædicit excidium: qui verò cum Iechonia se dediderunt Caldæis, promittit reditum in patriam.

℣.1. ELEVAVIT ME SPIRITVS ex atrio interiori, vbi videram cædem sacerdotum, ET INTRODVXIT ME AD PORTAM ORIENTALEM atrij exterioris, vbi *gloria Domini* consistebat. Ibi ECCE VIGINTIQVINQVE VIRI PRINCIPES POPVLI] id est, duces, capita, præfecti 24. regionum, in quas ciuitas Ierosolymitana diuidebatur, vt ex Hebræorum scriptis accepimus, inquit Pradus. vigesimus quintus videtur fuisse princeps illorum omnium præfectorum. His 25. præfectis incumbebat de rebus publicis in commune consultare, idcircò conueniebant ad hanc portam, vt & aliàs (*c*) fecisse legimus. Et nunc audi quid censeant de statu vrbis.

c Ierem. 26. v. 10.

℣.3. DICVNT: nempe Ieremiæ suadenti c. 38. Tradite vos Chaldæis, & viuetis; alioqui cum vrbe omnes perituri; respondent: NONNE DVDVM ÆDIFICATÆ SVNT DOMVS? id est, an vrbs non est munitissima, frequentissimis ac fortissimis cincta propugnaculis, turribus, portis ac muris? quid tali vrbi metuendum à Chaldæis? Vrgenti Ieremiæ, sic cælitus decretum: visam à se Ierosolymam quasi ollam igne succensam; reponunt ipsi per ironiam: Sit sanè, vt dicis, vrbs HÆC LEBES, seu olla: & NOS quasi CARNES, in ea coquamur; malumus igne concremari quàm gladio Chaldæorum, si nos illis dedamus, trucidari. Iocus est, volentium indicare, nil minùs futurum, nil tale metuendum. Et sic v. 8. aptè illis respondet. Nunc exprobrat iisdem:

℣.6. IMPLESTIS VIAS vrbis INTERFECTIS sub Manasse, (*d*) & alijs (*e*) impiis regibus. Hi à vobis INTERFECTI.

d 4. Reg. 21. v. 16.

℣.7. SVNT CARNES, quas in olla vrbis vestræ quasi victimas mactastis & coxistis. Vos verò in hac olla non coquemini neque sepeliemini, sed EDVCAM VOS DE MEDIO EIVS, occidendos IN FINIBVS ISRAEL. Nempe in Reblatha, (*f*) inquit Origenes & Polychronius. Sic fiet vt non fruamini domestico vel patrio sepulchro, sed procul inde patibulis affixi esca auium futuri sitis, inquit Scholiastes.

e Ierem. 26. v. 21.

f 4. Reg. vlt. v. 21. & Ierem. 39. v. 6.

℣.13. CVMQVE PROPHETAREM, id est, cùm hæc verba & minas Dei proponerem populo Ierosolymitano, nempe per visum, visus sum pariter videre occisum per sex illos viros de quibus cap. 9. vers. 2. vnum è primariis populi principibus, *Pheltiam* (*g*) Quo cadente, timens ne pari cæde totus qui illi parebat populus, neci daretur, ingemui, HEV, HEV, HEV] Video, ô Deus, te iam manum extendere, vt consummes iudicia tua, & perdas reliquias Israelis, in Iudæa hucusque in viuis relictas. Cui respondet Dominus: Non hi in Iudæa, sed alij in exilio D

g Hic v. 1.

℣.15. FRATRES TVI, & PROPINQVI, id est, contribules & consanguinei tui, qui tecum & cum rege Iechonia vltrò se dediderunt Chaldæis, hi erunt *reliquiæ* Israelis, & spes ac seminarium gentis. Licèt enim iam irrideantur hoc nomine ab HABITATORIBVS IERVSALEM, subsannantibus atque exprobrantibus, quòd dedentes se Chaldæis & Babylonem demigrantes, LONGE RECEDANT A DOMINO] id est, à templo, ab vrbe, à terra & hereditate Dei: sicq; ius omne posterorum Israel quod

habuerant, transcribant in eos qui cum Sedecia remanebant in Iudæa. Sed è contrario erunt omnia. Sanniones enim illi Ierosolymitani non sanctificabuntur neque iuuabuntur suo templo, quo adeò gloriantur. Quid enim iuuet templum præsentia gloriæ(a) meæ & opis diuinæ destitutum? Quin & materiali suo templo & vrbe non diu fruentur, vtroque flammis Chaldæorum breui absumendo. Vobis verò, quos

a Ezech. 10. v. 4. 18. 22.

℣. 16. LONGE FECI, id est, expuli è patria, ET DISPERSI IN alienas GENTIVM TERRAS, ERO ibidem IN SANCTIFICATIONEM] Hebraicè, *in sanctuarium*, seu templum spirituale, id est, ero ego ipse vobis loco templi: nempe exaudiam vos, iuuabo, solabor, protegam vos, perinde ac solebam è templo Ierosolymitano. Vocat autem hanc spiritualem sanctificationem *modicam*, quia modico tempore duraturam. Mox enim etiam materiale templum recuperaturi & restauraturi erant sub Cyro & Dario. Allegoricè, promittitur Ecclesiæ templum spirituale tempore Messiæ.

℣. 19. DABO EIS COR VNVM, id est, vnanime, quo scilicet magna animorum consensione Deum patrum suorum colant: ET SPIRITVM NOVVM, id est, nouam mentem, voluntatem ac propositum exequendi per omnia iussum ac nutum Dei. AVFERAM: LXX. *extraham*, COR LAPIDEVM, id est, durum, intractabile, inexorabile: ET DABO EIS COR CARNEVM, id est, molle, flexibile, obsequens nutibus meis. Hoc facit Deus aspirando homini gratias præuenientes, excitantes & cooperantes: quibus si liberè consentiat homo & cooperetur, etiam ipse sibi facit COR NOVVM ET SPIRITVM NOVVM, &c. vt infrà monet idem Ezechiel. ita S. Augustinus, Hieronymus, Theodoretus & alij Patres.

Ezech. 11. v. 19. August. l. de Gratia & lib. arb. c. 25

Nota. Tam grandia sunt quæ hic promittuntur, vt non nisi effusione Spiritus sancti in Ecclesiam, exhauriri potuerint. Inchoatè ergo completâ sunt in Iudæis Babylone in patriam reductis, sed consummata(b) in Ecclesia Christi.

b Ierem. 31. v. 33.

℣. 21. QVORVM COR & affectus AMBVLAT POST OFFENDICVLA ET ABOMINATIONES SVAS, id est, adhæret abominandis idolis suis, NORVM VIAM, id est, facta ac merita, IN CAPITE eorum PONAM] q.d. Vlciscar & puniam eos pro meritis. Alludit ad ciues Ierosolymitanos, inuito Deo in patria remanere volentes, ibique genio, luxui & idololatriæ vacantes. Quibus extremè indignatus Deus

℣. 23. ASCENDIT DE MEDIO CIVITATIS, & indignabundus foras se proripiens STETIT SVPER MONTEM, QVI VRBI EST AD ORIENTEM] nempe super montem *Oliueti*, inquit S. Hieronymus, Chaldæus, Theodoretus & Polychronius. Inde nimirum spectare voluit vrbis excidium & incendium, eo peracto remigraturus in cælum: donec nouum exsurgat templum, noua Ierosolyma, noua Sion, putà Ecclesia Christi, quasi phœnix è veteris Synagogæ cineribus resurgens, in qua fixum sibi statuat domicilium. Neque enim fas est Christo deserere *montem Sion*, super quem à Patre cælesti constitutus est *rex*(c) in æternum.

c Psal. 2. v. 6.

CAPVT XII.

Iubetur Ezechiel conuasare sua, & transmigrare vespere velatis oculis, vt portendat fugam regis Sedeciæ & principum illius ex vrbe capta à Chaldæis, eorumque comprehensionem, excæcationem regis, & cædem principum.

℣. 2. DOMVS EXASPERANS] (d) id est, rebellis, incredula, inobediens. Nempe, Iudæi Babylonem cum Iechonia abducti, dolebant querebanturque, quòd ex consilio Ieremiæ Prophetæ se vltrò dedidissent Chaldæis, dissuadebantque relictis Ierosolymæ, ne quid ipsi simile tentarent, inquit Rabbi Kimchi. His prædicit per Ezechielem Deus, certò ac citò visuros eos excidium Ierosolymæ.

d Ezech. 2. v. 7. 8.

℣. 3. FAC TIBI VASA TRANSMIGRATIONIS: id est, compara tibi supellectilia necessaria transmigraturo, seu peregrinaturo, putà galerum, baculum, calceos, peram, penulam, saccos, cistas, currus, &c. His instructus TRANSMIGRABIS, & omnia supellectilia tua transferes aliò: idque PER DIEM] id est, interdiu, clara luce, omnibus aspectantibus. Præmissis verò sarcinis per diem,

℣. 4. TV, more aliorum transmigrantium, EGREDIERIS VESPERE, sed tamen CORAM EIS, præsentibus adhuc & videntibus. Sic portendes regem *Sedeciam*(e) vesperè, imò noctu, captâ vrbe, fugam cum principibus initurum.

e Iosue 39. v. 4.

℣. 5. PERFODE TIBI PARIETEM] & per rupturas erumpe: vt sic portendas, Sedeciam regem cum principibus non per portam vrbis, sed *per ostium*(f) *horti regis*, quasi per angustum muri foramen, instar muris perrupturum.

f Ibid.

℣. 6. HVMERIS baiulorum PORTABERIS. Ita legunt etiam LXX. & legendum patet ex v. 12. FACIEM TVAM VELABIS ne possis agnosci ab obuiis. ET NON VIDEBIS TERRAM] incluses lecticæ vel sellæ gestatoriæ. Ita educendum portendes Sedeciam v. 10. & 12. Simulque præsignabis, quasi reum mortis velandum mox & excæcandum(g) à Nabuchodonosore.

g 4. Reg. vlt. v. 7.

℣. 13. SVPER fugientem EXTENDAM RETE MEVM, nempe Chaldæorum insequentium solertiam, industriam, insidias. Et captum ADDVCAM IN BABYLONEM, ET tamen IPSAM NON VIDEBIT] quia antequam eò abducetur, exoculabitur in Reblatha.(h)

h Ibid.

℣. 16. VT ENARRENT OMNIA SCELERA Iudæorum GENTIBVS apud quas degunt, & sic me iustificent, (i) quasi iustum iudicem ac vindicē, quii non ex impotentia, vel crudelitate, sed ob innumera Iudæorum atque horrenda scelera permiserim prævalere illi Chaldæos & ita in illos sæuire. Sicque Gentes SCIENT ac sentient QVIA EGO DOMINVS iustus iudex, & vltor malorum. Atque hactenus de rege, regisque atque vrbis captiuitate. Iam redit ad vrbem adhuc obsessam.

i Psal. 50. v. 6.

℣. 18. PANEM TVVM COMEDE cum PERTVRBATIONE] Chaldaicè, *cum tremore*; LXX. *cum dolore*; S. Hieronymus, *cum angustia*. Nempe sic portendes anxietatem, pauorem, tremorem, perturbationem obsessorum propter Chaldæos paulatim prævalentes muris & arcibus, & irruptionem parantes, Neque est quòd dicatis,

℣. 22. IN LONGVM DIFFERENTVR hi DIES, hæc infortunia, hæ calamitates à Prophetis prædictæ. Quin ET PERIBIT OMNIS VISIO] id est, cadet, concidet, vana erit & mendax omnis illorum

prophe-

propheta, seu prædictio: patet ex v. 24. E contrario *stare* significat verbum verificari & compleri.

℣. 24. NON ERIT VLTRA DIVINATIO AMBIGVA] id est, propheta ambigui, lubrici vel incerti significati, vt fit in ænigmatibus & parabolis. q. d. Non ampliùs verbis vos feriam, quæ sæpe in contrarium sensum detorquetis: sed reipsa, & paratis iam virgis, gladiis, flammis clarè ac distinctè vobiscum agam.

CAPVT XIII.

Exitium minatur pseudoprophetis & prophetissis, pacem & prospera quaque populo Iudaico pollicentibus.

℣. 2. VATICINARE AD PROPHETAS] Sic eos vocat per catachresin, quia tales habebantur & vocabantur.

℣. 3. QVI SEQVVNTVR SPIRITVM non Dei, sed SVVM, ET NIHIL VIDENT] id venditant pro diuinis oraculis quod ipsis suggerit non spiritus propheticus, sed humana phantasia, appetitus & concupiscentia. Hi non sunt pastores aut custodes vineæ Domini, sed

℣. 4. QVASI VVLPES & lupi IN DESERTIS. Vatablus, *in macerijs vineæ ruptis*, quò cùm aditus datur feris, omnia vastantur & fit desertum.

℣. 5. IN DIE DOMINI, id est, tempore quo Deus, quasi dux agminum hostilium, præliabatur contra populum suum, & diuina ira ac vindicta sæuiebat in Iudæos, NON ASCENDISTIS EX ADVERSO (a) Dei, per preces, per sacrificia, per pœnitentiam, per pia opera iram diuinam placantes & compescentes: NEQVE OPPOSVISTIS MVRVM] qui hostiles irruptiones arceret, nempe monita & præcepta & exempla pia. Quin potiùs vestris adulationibus & mendacijs euertistis populum, occultè, dolosè & ex insidijs eum vastantes instar vulpium, & præpedientes ne periculis ingruentibus saluti suæ consuleret.

a *Exod.* 32. v. 12. *Num.* 16. v. 48. *Ierem.* 7. v. 16. & *Rom.* 9. v. 3.

℣. 8. PROPTEREA ECCE EGO AD VOS] supple, puniendos iam accingor. Aposiopesis est, qualis illa Virgilij, *Quos ego.*

℣. 9. NON ERVNT IN CONCILIO (b) POPVLI MEI] id est, in cœtu, seu congregatione Iudæorum redeuntium è captiuitate in patriam. Nisi malis id exponere de *secreto* (vt Chaldæus vertit,) seu *arcano* (vt Vatablus) sacerdotum vel seniorum concilio post reditum è Babylone Ierosolymis celebrando, 1. Esdræ 12. Scholiastes cum LXX. vertit, *non docebunt amplius populum.*

b *Psal.* 1. v. 1.

ET IN SCRIPTVRA, seu catalogo viuorum ex *domo* ISRAEL, in patriam remigrantium ?, (c) NON SCRIBENTVR] quia antè morientur. Hic catalogus vocabatur *liber vitæ*, seu viuentium. Inde translatum nomen ad viuentes & beatos in cælo.

c 1. *Esdr.* 8.

℣. 10. IPSE populus ÆDIFICABAT PARIETEM: id est, sepem & murum vineæ, seu regni sui, ruentem ac diruptum, (putà diuinam protectionem, quæ Iudæis pro muro semper fuit, sed iam se subducebat,) conabatur restaurare humano auxilio, maximè Ægyptiorum. Hunc vanum populi conatum cùm impedire deberent pseudoprophetæ, lactant potiùs & promouent, promittentes euentum felicem, & sic malè compactum parietem LINIVNT LVTO ABSQVE PALEIS] id est, vana & mendaci fiducia & falsis promissis. ita Theoretus, Pradus, Maldonatus & alij.

℣. 11. DABO, id est, immittam in hunc malè cæmentatum murum: LAPIDES PRÆGRANDES è catapultis (vt LXX. vertunt) emissos: item VENTVM PROCELLÆ, SPIRITVM TEMPESTATVM, ET IMBREM INVNDANTEM] putà Chaldaicos exercitus qui instar procellæ Iudæam obruent & euertent.

℣. 14. ET REVELABITVR FVNDAMENTVM, id est, euertetur vsque ad fundamentum, ita vt illud reueletur & appareat. ET CONSVMETVR is qui parietem sic liniuit. In Hebræo enim, Chaldæo & Græco est, *consumemini*, scilicet vos linitores.

℣. 15. NON EST PARIES, ET NON SVNT QVI LINIVNT EVM PROPHETÆ ISRAEL] Id est, corruit murus, cum pseudopropheta cum linientibus ac construentibus.

℣. 17. PONE FACIEM TVAM, id est, vultu interrito, obfirmato & minaci inuehere etiam in FILIAS POPVLI TVI] id est, in mulieres pseudoprophetiles, quæ pari falsitate, sed maiori damno (ob blandiloquentiam suam) imponunt populo.

℣. 18. VÆ illis QVÆ CONSVVNT PVLVILLOS SVB OMNI CVBITO MANVS, ET CERVICALIA SVB CAPITE] id est, quæ Iudæis in suis sceleribus & rebellione adulantur, applaudunt, & fouent, vt in eis securè ac molliter conquiescant, promittentes *pacem*, id est, securitatem, prosperitatem, abundantiam omnium bonorum. Adulationes enim, teste Plutarcho, similes sunt puluillis & ceruicalibus, quæ vt sunt inflata, videntur incumbentium capitibus velle resistere ac reniti, cùm mox vt tanguntur, cedant & obsecundent magis. ita S. Hieronymus, Origenes, Theodoretus, Gregorius, Delrio & alij.

Plutar. l. de discrimine adulatoris & amici.

Greg. l. 18. Moral. c. 4. Delrio adag. 908.

VIVIFICABANT ANIMAS, id est, promittebant hominibus vitam, salutem & omnia prospera, CVM reuerà CAPERENT (d) ANIMAS, & exitiali laqueo innecterent ac strangularent.

d *Isaiæ* 3. v. 12.

℣. 19. VIOLABANT ME AD POPVLVM: id est, profanabant oracula mea sancta, fidem illis detrahentes, & suamet somnia ac figmenta venditantes pro diuinis oraculis. Quorum vtrumque mihi extremè iniurium est, & populo noxium. *Viuificabāt* enim ANIMAS, QVÆ NON VIVVNT, id est, prædicebant victuros, qui non *viuent* (vt est in Hebræo,) sed gladio Chaldæorum absumentur. Alludit ad eos qui cū Sedecia permanserunt in Iudæa. *Et interficiebant* ANIMAS, QVÆ NON MORIVNTVR; hebraicè *qui non morientur*, nempe qui cum Iechonia se vltrò dediderant Chaldæis. ita Maldonatus & à Lapide: & patet ex v. 22. Vide autem quàm vili pretio venditent sua vaticinia; PROPTER PVGILLVM HORDEI, seu FRAGMEN PANIS hordeacei: tam sordido lucello animas suas immortales dæmoni, inferno & æternis ignibus transcribentes. Nec suas tantùm, sed & popularium suorum animas perdunt. Nam iisdem illis

℣. 20. PVLVILLIS reticulatis, id est, adulationibus & mendaciis vestris, quasi retibus affabrè contextis, CAPITIS; hebraicè, *venamini*, ANIMAS VOLANTES. Nempe quasi aucupes insidiamini popularium vestrorum animabus, quæ sunt quasi volucres, seu aues, & dum *volant*, sibique securæ videntur, laqueos illis & retia tenditis, & in exitium (e) pertrahitis. Sed EGO laqueos hos DIRVMPAM, ostendendo promissionum vestrarum falsitatem, & pro pace hostem in vos immittendo: sic ANIMAS à vobis captas DIMITTAM AD VOLANDVM] id est, captiuos Babylone educam in libertatem, quasi auiculas è laqueis ereptas. ita S. Hieronymus, Clarius, Delrio & à Lapide. Benè Demosthenes,

e *Thren.* 3. v. 52. *Prou.* 6. v. 5. *Osee* 9. v. 11. *Psal.* 54. v. 7.

sthenes, Satius est, inquit, incidere in κέφαλας, quàm in κόλακας, id est, in coruos, quàm in adulatores: quia illi mortuos, hi viuos deuorant. illi cadaueribus, hi menti oculos eruunt, inquiebat Epictetus. Sed benè habet,

℣. 23. VANA NON VIDEDITIS AMPLIVS] Chaldaicè, *falsa non prophetabitis amplius*, quia scilicet tollam vos de medio.

CAPVT XIV.

Hypocritis, de verbo Dei fictè scisciantibus, addicit reale responsum, nempe per plagas & verbera: nec eis parcetum iri, etsi Noë, Iob & Daniel pro eis intercederent: reliquias tamen Israelis seruandas promittit.

℣.3. IMMVNDITIAS, id est, immunda idola, POSVERVNT IN CORDIBVS SVIS] id est, ex animo venerantur, etsi apud te simulent se veri Dei cultores, & verbi eius audiendi cupidos.

SCANDALVM, id est, occasionem, offendiculum, INIQVITATIS SVÆ, id est, omnis culpæ & peccati sui, & consequenter omnis pœnæ ac ruinæ suæ, putà idola, STATVERVNT CONTRA FACIEM SVAM] id est, coram se, seu è regione sui, vt perpetuò eorum aspectu oculos & animum pascant.

a *Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 51.*

℣.4. HOMO, HOMO; hebraicè, *vir, vir*, (*a*) id est, quilibet, quicumque talis me interrogarit, RESPONDEBO EI IN MVLTITVDINE IMMVNDITIARVM SVARVM] id est, pro merito sordium eius, seu prout merentur scelera eius; LXX. *respondebo ei*, seu per pseudoprophetas responderi permittam, *in eis*, id est secundùm ea, *in quibus tenetur mens*, id est, quibus oblectatur affectus *eius*; vt permisit responderi Achabo 3. Reg. 22. inquit S. Hieronymus & Theodoretus.

b *Psal. 9. v. 24. Prou. 5. v 22. Isaiæ 5. v. 18.*

℣. 5. VT sic delusus CAPIATVR IN CORDE SVO, (*b*) id est, irretiatur affectu, seu desiderio suo. Dum enim rem concupitam prosequitur, falsis promissis delusus, induit se in multos laqueos, quibus pòst paulò strangulabitur.

c *Psal. 113. v. 11. Actor. 13. v. 16.*

℣.7. PROSELYTI, id est, *aduenæ*, quasi aliunde aduenientes, erant conuersi ex Gentilibus ad cultũ veri Dei, & inserti religioni Iudæorum: qui alio nomine vocabantur, *timentes Deum*. (*c*) Siue ergo Iudæo, siue *proselyto* sic mecum ludenti, RESPONDEBO tum modo iam dicto per pseudoprophetas, tum alio modo PER ME ipsum, non tamen per os, multa monendo vel minando, sed per manum meam, flagellis & verberibus acriter increpando.

d *Isaiæ 2. v. 9. Ierem. 29. v. 22.*

℣.8. ET FACIAM EVM IN EXEMPLVM (*d*) diuinæ vltionis. q.d. Tantis ærumnis eum conficiam, vt relinquatur quasi diuinę iræ meę simulachrum, & exemplar quod in posteros traducatur, & assumatur pro diris alicui imprecandis.

℣.9. PROPHETA falsus CVM ERRAVERIT mentiendo, ne putetis id mero casu fieri, sed scitote id à me destinato permitti ac dirigi in punitionem vestram. EGO enim DOMINVS DECEPI PROPHETAM ILLVM] non directè aut formaliter, vt Caluinus blasphemat; sed materialiter tantùm atque indirectè, permittendo poni occasiones deceptionis, & ad omnia physicè concurrendo, non intentione peccati aut mali, sed aliis iustis de causis, vt (*e*) alibi dixi. Vnde nulla ex parte minuitur culpa, seu malitia peccantis. Quod etiam hîc insinuat Deus, cùm tam dira minatur eiusmodi mendaci Prophetæ.

e *Gen. 45. v. 8. & 2. Reg. 16. v. 10.*

℣.10. PORTABVNT tam pseudopropheta decipiens, quàm qui eum consulit & ab eo deceptus, A sustinebunt INIQVITATEM, id est pœnam iniquitatis *suæ*, pondus supplicij vtrique inferendi. IVXTA INIQVITATEM INTERROGANTIS, SIC INIQVITAS PROPHETÆ ERIT] q. d. Pari culpa vterque delinquit, pari pœna quoque & interitu plectetur vterque. Atque vtinam finem adsequar quem hac punitione præcipuè intendo!

℣.11. VT DOMVS ISRAEL pœna horum & supplicio deterrita, NON ABERRET VLTRA A ME] neque amplius ad idola vel ad falsos vates deflectat!

℣.13. TERRA, id est, regio, vel gens inhabitans terram, quæ PRÆVARICATVR PRÆVARICANS] id est, valdè grauiter (*f*) & obstinatè legem meam transgreditur, contemnit, pessumdat, perseueransin malo,

f *Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 49.*

℣.16. DESOLABITVR extinctis incolis.

℣. 19. SI INDIGNATIONEM & iram MEAM, quam antea non nisi guttatim stillaram, nunc plenno dolio EFFVDERO SVPER TERRAM IN SANGVINE] id est, in cædem & carnificinam, qua *sanguis* omnium effundetur:

B

℣.20. ET NOE, ET DANIEL, ET IOB FVERINT IN MEDIO terræ *illius*; IPSI quidem IVSTITIA & innocentia SVA LIBERABVNT ANIMAS SVAS] id est, seipsos, vitam & salutem suam conseruabunt: sed alios nullos liberabunt, ne proprium quidem *filium* vel *filiam*. q. d. Obstinatis in scelere, nullius quantumuis sancti, seu viuentis, seu vita functi intercessio patrocinabitur: Daniel enim tunc in viuis adhuc erat, & hoc anno 6. transmigrationis Iechoniæ agebat annum vitæ 34. vt alibi (*g*) dicam. Quo illustrius est diuinum hoc de Daniele encomium, quo toties sanctissimis Patriarchis hîc comparatur iuuenis senibus, superstes defunctis. Cur verò Deus tres hosce viros proponat, præteritis tot aliis Patriarchis ac Prophetis, in causa esse videtur, quòd hi tres suo quisque sæculo, quasi soles illustres iustitiæ atque innocentiæ orbi præfulserint, & fuerint salutis aliorum amantissimi ac studiosissimi, ideoque Deo charissimi. De Noë dicitur Genes. 6. quòd *gratiam inuenerit coram Deo*. & Eccli. 44. vers. 17. quòd fuerit *mundi reconciliatio*. De Iob cap. 1. quòd *vir* esset *simplex ac rectus*, &c. De Daniele cap. 9. v. 23. quòd *vir desideriorum* esset, id est extremè desiderabilis, & amabilis, dignus quem omnes impensè diligant, earum habeant & complectantur.

g *Præfat. in Danielem & Chron. c. 30. & 34.*

Nota, ex dictis non posse colligi, Danielem coniugio copulatum fuisse & liberos procreasse. Quia Deus solùm hypotheticè loquitur, *si filios haberent*, pro quibus intercedere vellent. Secundò, multò minùs colligi posse, Deum Sanctos vità functos non exaudire. Solùm enim negat se illos in particulari hoc casu non exauditurum, nempe quando pro pertinacibus & obstinatis (*h*) in malo orant. eo ipso satis innuens, se exauditurum si orarint pro aliis quos pœnitet patratorum scelerum. Cur enim alioquin vrgeret hîc particularem casum pertinacium in peccatis, si nullo prorsus casu exaudiendi sint? Adde, non aliter negari hîc exaudiendos *Noë* & *Iob* defunctos quàm *Danielem* adhuc viuentem. Atqui falsum est, Danielem pro pœnitentibus orantem non fuisse exauditum à Deo, cùm ex c. 9. v. 23. contrarium constet, & de aliis quoque ex certissima, etiam confessione hæreticorum.

h *Ezech. 14. v. 14.*

℣.21. ET SI QVATVOR IVDICIA MEA PESSIMA, id est, flagella acerbissima: vel *iudices*, id est, iudices, (*i*) vindices, lictores meos sæuos & implacabiles, IMMISERO IN IERVSALEM,

i *Ezech. 14. v. 13. & Ierem. 15. v. 3.*

℣.22.

℣.22. TAMEN RELINQVETVR IN EA SALVATIO; hebraicè, *euasio*, id est, aliqui ex clade superstites euadent vnà cum liberis suis; & ADVOS in Babylonem INGREDIENTVR etiam ipsi captiui: ET VIDEBITIS VIAM EORVM ET ADINVENTIONES, id est, improbos & impia scelera, ob quæ expuli illos è solo patrio, & vrbem ac templum illorum flammis absumpsi: ET CONSOLABIMINI (*a*) SVPER MALO QVOD ipsi iustè obuenit in pœnam tantorum scelerum. Solatio enim est Sanctis etiam vindicta de impiis.

a *Isaiæ* 12. v.1.

CAPVT XV.

Sub parabola vitis resecta, & in ignem abiecta prædicit Ierosolymam flammis absumendam.

℣.2. QVID FIET DE LIGNO VITIS, EX, id est, præ, aliis OMNIBVS LIGNIS? q.d. Qua, quæso, re præstat vitis aliis arboribus, si fructum nullum fert? Nempe, adeò non præstat alijs, vt sit omnium abiectissima, nec ad aliud vtilis, quàm vt comburatur, inquit Vatablus & Maldonatus.

℣.4. VTRAMQVE PARTEM]Id est, vtrumque extremum stipitis consumpsit ignis, ita vt vix titio fumans è foco diuini agricolæ prouidentiâ, ereptus sit. Alludit ad multiplicem cladem Iudææ per Chaldæos illatam, primò, sub Ioakim; secundò, sub Ioachin; tertiò, sub Sedecia breui inferendam.

℣.5. ETIAM CVM adhuc INTEGRVM ESSET, virens & florens sub *Achaz*, *Manasse*, *Ioakimo*, &c. NON ERAT APTVM AD OPVS aliquod vtile inde fabricandum.

℣.7. DE IGNE, seu afflictione vna, EGREDIENTVR nonnulli, cum Godolia, Ieremiæ 40. v.7. Sed, EOS alius mox IGNIS CONSVMET, nempe ab Ismaele excitandus in Iudæa, Ieremiæ 41. v.2. & à Nabuchodonosore transferendus in Ægyptum, Ieremiæ 42. v.15.

b *Ioan.* 15. v.5. Nota. Vineæ comparatur Ecclesia (*b*) ob amœnitatem & fructus præstantiam, inquit Pradus. Vinum enim loco ligni vitæ datum est hominibus, vt cor exhilaret, spiritus instauret, mentem excitet, vitam foueat: ex vili ligno succus suauissimus, nobilissimus, efficacissimus; symbolum & typus gratiarum spiritualium defluentium ex sarmentis Sacramentorum, orationis & piorum odorum. *Vinum germinans virgines* puritissimas & immortales. Virgo enim semper virens symbolum est incorruptionis & immortalitatis. Nulla arbor feracior *vite* pro sui tenuitate, inquit Plinius, sed addit, *emori frigore, nitro, alumine, marina aqua calida: lædi raphano, lauro, caulibus & corylo.* Simili modo Ecclesia, & quæuis anima pia læditur *raphano* acoris, *lauro* ostentationis, *caulibus* vanitatis, *corylo* æmulationis: quasi emoritur *frigore* acediæ, *nitro* iræ, *alumine* vindictæ, *aquâ* amaritudinis & odij.

Plin. l.14. c.4 & l.17. c.14.

CAPVT XVI.

Sub persona adulteræ describitur Ierosolyma, ★ id est, Synagoge, ortus, educatio, nuptiæ, adulterium, id est, idololatria, castigatio, repudium; & rursus reuocatio, pœnitentia, reconciliatio cum Deo. Tropologicè, omnia conueniunt animæ peccatrici.

℣.2. IEROSOLYMÆ quasi ægrotæ; sed stupenti, nec malum suum agnoscenti vel fatenti (quod in morbis est calamitosissimum, inquit Theodoretus) NOVAS FAC per epistolam ABOMINATIONES SVAS & miserias.

℣.3. RADIX; hebraicè, *excisio*, id est, GENERATIO TVA *ex* TERRA CHANAAN, non ob generis eductionem, sed ob morum similitudinem. Videtur PATER TVVS fuisse non Abraham Hebræus, sed nescio quis improbus Amorrhæus: ET MATER TVA non Sara, sed impudens aliqua CETHÆA] ità Origenes, Hieronymus, Theodoretus, & Rabbini. Nam inter septem Chananææ populos, Amorrhæi vt viribus & opibus, ita & sceleribus eminebant, Gethæorum verò mulieres impudentiâ & lubricitate. (*c*)

c *Hic v.45. & Gen.27. v.46. & Amos 2.v.9.*

℣.4. QVANDO NATA ES, in Ægypto *quasi germen* multiplicata Exodi 1. v.7. Hæc enim fuit infantia reipublicæ Israeliticæ: iuuentus in Exodo ex Ægypto: desponsatio & nuptiæ in Sinai: (*d*) prouecta ætas tempore regum: senectus post captiuitatem Babylonicã. NON EST PRÆCISVS VMBILICVS TVVS: vt solet recèns natis præcidi fistula pellicea instar farciminis ab vmbilico pendens; per quam embryo matri in vtero cohærebat, & ex ea alimentum trahebat, teste Plutarcho & medicis. Nato, verò fœtu cùm deinceps ore sugere debeat, nullus amplius est vsus illius pelliculæ, ac proinde præscinditur. LXX. legunt, *non ligauerunt mamillas tuas*, (*e*) quod facere solent obstetrices mox natis puellis, vt à tenero tumere desuescant.

d *Osee* 2. v.15.

e *Ierem.* 2. v.32.

NON ES LOTA IN SALVTEM, id est, ad sanitatem & incolumitatem. Aquâ enim calidâ lauantur recèns natorum corpuscula, non solùm vt à sordibus vteri purgentur, sed etiam vt membra antè in vtero contracta extendantur, & concinnè formentur. Solent olim etiam *saliri* adhuc calentia membra, vt solidiora fierent, teste Galeno: & *pannis*, seu fasciis, constringi, ne diffluant, curuentur vel deprauentur. Ergo in memoriam reuocat Synagogæ, quòd cùm nasceretur in Ægypto, nemo illi adesset qui matris vel obstetricis officia illi præstaret, sed lege, doctore, directore destitutam, informem, incultam, sordidam vitam egisse in fœda luxuria, idololatria & aliis sceleribus Ægyptiorum.

℣.5. NON PEPERCIT SVPER TE OCVLVS cuiuspiam hominis; hebraicè, *nemo ex compassione coniecit aculum in te.* Sed vt eras eiecta ex vtero matris, cooperta secundinis & sordibus, fœda, abominabilis, nuda, illota, insulsa, *iacebas* SVPER FACIEM TERRÆ; hebraicè, *in agro*, cæli iniurijs & bestiis exposita, IN ABIECTIONE ANIMÆ, id est, personæ, TVÆ: vel etiam vitæ tuæ, q. d. Proiecta es vt morereris, inquit Maldonatus. Id factum cùm Pharao iussit infantes omnes masculos occidi & demergi: adultos autem relegauit in agros, ad lateres formandos, inquit R. Dauid, Chaldæus & Scholiastes.

℣.6. TRANSIENS ego quasi rex, venatum vel rusticatum egressus, incidi in te sic expositam, sic CONCVLCATAM IN SANGVINE TVO, qui recèns ex vtero cùm fœtu & secundinis eiectus erat. Et mox compatiens TIBI, DIXI, id est, decreui, iussi, effeci (dicere enim Dei efficax est, idemque quod facere) vt IN SANGVINE TVO & sordibus volutata, & iam quasi moribunda, *viueres* tamen & valeres & roborareris & cresceres. q.d. Ego tibi obstetrix fui, (*f*) ego obstetrices Ægyptias contra Pharaonis imperium tibi beneficas reddidi.

f *Osee* 11. v.3.

℣.7. INGRESSA, id est, progressa, ES ætate, adoleuisti ad tempus pubertatis, vt esses iam nubilis, quæ ætas postulat MVNDVM MVLIEBREM, vt pares

paret se & ornet futuro sponso; hebraicè est, *ornamentum ornamentorum*, id est, omnigenum ornamentum, putà pretiosas vestes, armillas, inaures, torques, & monilia omnigena, inquit Theodoretus. VBERA TVA INTVMVERVNT, quod non fit ante pubertatem: ET PILVS genitalium GERMINAVIT: nubilis iam, decora & speciosa, sed NVDA, seu vestibus nobilioribus quales sponsam decent, destituta, vtpote serua & captiua: carens tegumento atque ornamento legis, inquit Theodoretus; & protectionis ac benedictionis diuinæ, inquit S. Hieronymus.

¶.8. TEMPVS TVVM TEMPVS AMANTIVM; hebraicè, *vberum*, id est, eras ea ætate, vt marito esses copulanda. Sed nemo te ob inopiam & sordes tuas ducere volebat. Ego ergo vestiui te, ET EXPANDI AMICTVM; hebraicè, *alam meam*, id est, oram pallij mei, SVPER TE, id est, desponsaui te (*a*) mihi in vxorem: ET inij PACTVM TECVM nuptiale, Exodi 19. v. 5. etiam *iuratum*, si non verbis, certè facto execratorio, Exodi 24. victimis in frusta dissectis, quasi dicerem: Dispeream & in frusta dilanier, sicut hæ victimæ, si fidem datam violarim. & hoc ritu FACTA ES MIHI (*b*) vxor, meo coniugio copulata es. Mox, vt decebat nouam nuptam,

¶.9. LAVI TE ab omnibus sordibus natiuitatis & paupertatis tuæ, inquit Maldonatus: variis baptismatibus & lustrationibus lege præscriptis sustuli immunditias tuas, inquit Pradus. Alludit ad Exodi 19. vers. 10. vbi ante fœdus cum Deo ineundum populus iussus est lauare vestes. ET VNXI TE: vt solent nouæ nuptæ, (*c*) Esther 2. v. 12. Polychronius, recreaui te ex laboribus.

¶. 10. VESTIVI TE DISCOLORIBVS, nempe acu pictis & variegatis opere Phrygionico, sic dicto quòd Phryges id primùm inuenerint, inquit * Plinius. Hebræum *ricma* vel *recama*, vnde Italicum & Hispanicum *ricamo* vel *ricamato*, Noster & LXX. subinde vertunt, *multicolor*, vel *versicolor*, (*d*) subinde *variegatum*, (*e*) subinde *polymitam*, (*f*) subinde *pluma-rium*, (*g*) subinde *scutulatam*. (*h*) de quibus vide Plinium. Per has porrò vestes æquè ac per vnctionem significatur sacerdotium & pontificatus (*i*) à Deo collatus Synagogæ. Cumque hactenus instar captiuæ ac seruæ discalceata incesseris, ecce nunc CALCEAVI TE IANTHINO, seu calceis hyacinthini, id est, violacei coloris, symbolo non libertatis modò, sed & regni, maximè cælestis. Videtur alludere ad pelles ianthinas quibus tectum fuit tabernaculum, Exodi 27. v. 14.

CINXI TE BYSSO (*k*) id est, fascia ex lino mollissimo & candidissimo, quasi cingulo te cinxi. Quod symbolum est puritatis, & constantis amoris coniugalis. Allusio est ad cortinas & vela tabernaculi, & ad cingulum sacerdotale. INDVI TE SVBTILIBVS; hebraicè, *texti te serico*, seu bombycina veste subtilissima, nempe peplo, quo se nunc quoque in Italia & Hispania tegunt matronæ & virgines à capite vsque ad talos. Gen. 38. v. 14. & alibi (*l*) *theristrum* vocatur: & signum est casti pudoris ac decentis verecundiæ, & subiectionis erga maritum.

¶. 12. DEDI INAVREM) monile erat persimile illi quod ex auribus dependebat, inquit S. Hieronymus) SVPER OS TVVM; hebraicè, *super nares tuas*. Nempe, dependebat ex fronte in nasum, teste Isaia c. 3. v. 21. & etiamnum in vsu est. Hactenus de veste & vestium ornamentis. Iam de cibo.

¶. 13. SIMILAM, ET MEL, ET OLEVM, id est, similam mellitam & oleatam, (vt sit hendyadis) (*m*) COMEDISTI] q.d. Non glandibus, non cepis, non sicco pane, vt solebas in Ægypto, sed cibis delicatissimis ex flore* farinæ, melle & oleo confectis enutriuite, vt decebat reginam. Alludit ad manna, & ad mellitos ac pingues fructus terræ Chanaan. (*n*) Tu verò quomodo te gessisti?

¶. 15. HABENS FIDVCIAM IN PVLCHRITVDINE TVA, quâ etiam ab extremis terræ finibus spectatores eliciebas, 3. Reg. 10. & cum fiducia superbiam atque audaciam concipiens, IN NOMINE, non tam meo, sed TVO, id est, propria auctoritate, quasi libera esses ac tui iuris, palàm, publicè (prô pudor!) & cum obuiis quibusque idolis FORNICATA (*o*) ES.

¶. 16. FECISTI TIBI EXCELSA, seu pro excelsis peripetasmata, aulæa, cortinas, HINC INDE EX variis coloribus CONSVTAS: ET SVPER *his*, atque sub his, FORNICATA ES, SICVT NON EST FACTVM, id est, quale nihil vmquam simile factum etiam inter Gentiles, vt feminæ cultum corporis sui nobiliorem conferrent in ornatum lupanarium.

¶. 17. TVLISTI VASA DECORIS TVI, id est, inaures, torques armillas, & alia instrumenta ornatus tui, & inde conflati tibi primò vitulos (*p*) in Sinai, deinde etiam MASCVLINAS idolorum IMAGINES] Baalim, (*q*) & Astaroth, inquit Polychronius, Sed S. Hieronymus id accipit de sacris vasis templi, è quibus Achaz idola (*r*) conflauit.

¶. 18. OLEVM MEVM, quod mihi instituì, & in mei solius honorem componi mandaui, Exodi 30. v. 23. tu idolis apposuisti.

¶. 21. FILIOS MEOS, nempe infantes innocentes, IMMOLASTI idolo Moloch (*s*) & aliis falsis diis.

¶. 25. SIGNVM PROSTITVTIONIS, id est, prostibulum, lupanar, *excelsum*, (*t*) vt est in Hebræo hîc & v. 31. ET DIVISISTI PEDES] id est, diuaricasti ad coitum crura tua.

¶. 26. FILIIS ÆGYPTI MAGNARVM CARNIVM, (*u*) seu genitalium, id est, libidinosissimis, maximè spirituali libidine, idololatria.

¶. 27. AVFERAM IVSTIFICATIONEM TVAM, id est, fauorem meum, inquit Maldonatus, & benedictionem quâ te prosequor, omnes opes, omnem potentiam, omnem gloriam, quâ affluis, & ex qua tamquam mercede iustitiæ tuæ, apud incautos & imperitos probas te iustam esse. Hoc falsum iustitiæ velamen tollam à te, vt appareat toti orbi te iustam esse. ET DABO TE IN ANIMAS, (*v*) id est, in desideria & vota FILIARVM, id est, ciuitatum vel ciuium Philisthæorum, vt te pro libito suo abutantur, spolient, capiant, occidant. Qui licèt scelerati sint, tamen ERVBESCVNT IN VIA TVA] id est, pudet illos tui longè sceleratioris, vt infrà (*y*) clariùs exponet.

¶. 30. IN QVO, id est, quo instrumento, quo lixiuio, MVNDABO COR TVVM, non modò sordidum, sed & putridum ac corruptum?

¶. 31. NEC FACTA ES QVASI ordinaria MERETRIX, quæ conscia suæ pulchritudinis, finit se diu multumque solicitari, & oblatum vltrò PRETIVM sæpe *fastidit*, vt maius extorqueat: SED QVASI ADVLTERA, QVÆ non mercedis, sed libidinis insatiabilis causâ, præter maritum aliis se prostituit, etiam mercede data prouocasti & emisti tibi amasios. Alludit ad factum Achaz regis Iuda, qui multis auri talentis emit sibi gratiam regis Assyriorum, eiusque idola induxit in templum Domini,

4. Re-

רקמה

a *Ruth* 3. v. 9. & *Luc.* 1. v. 34.

b *Hic* v. 15. *Osee* 3. v. 3. *Rom.* 7. v. 3. 4 *Matt* 1. v. 6.

c *Ruth* 3. v. 3. & *Iudith* 10. v. 3.

* *Plin.* l. 3. c. 48.

d *Hic* v. 13.

e *Exodi* 26.

f *Hic* v. 13. & c. 27. v. 24. *Gen.* 37. v. 3. & 2. *Reg.* 13 v. 18.

g *In Exodo passim.* *Plinius sup.*

h *Ezech.* 27. v. 16

i *Sap.* 18. v. 24.

k *Plin.* l. 19. cap. 1. & *Delrio in Genes.* 41. v. 42. & *Aldrouandus* l. 3. *de Insectis* c. 77

l *Genes.* 10. v. 16. & 24. v. 65. & 1. *Cor.* 11 v. 10.

m *Prol. g. de Idiotismis Hebr.* n 41.

* *Proleg. de Idiotismis Hebr.* n 41.

n *Exodi* 13. v. 5.

o *Isaiæ* 57. v. 8.

p *Exodi* 32. v. 2.

q 3. *Reg.* 16. v. 32. 14. *Reg.* 16. & 2. *Par.* 28. v. 24.

r *Ieremiæ* 7. v. 31. & c. 19 v. 5. & 4. *Reg.* 16. v. 3 & c. 21 v. 6. & 4. *Reg* 16. & 21.

s *Psal.* 105. v. 37.

t *Ezech.* 24. v. 20.

u *Ezech.* 23. v. 11. *Amos* 6. v. 2.

x *Psal.* 77. v. 1.

y *Hic* v. 52.

4. Regum 16. & Osee 2. vers. 8.

℣. 34. Certè talis FORNICATIO NON ERIT POST TE, nempe vt meretrix suómet ære sibi amasios conducat; CONTRARIVM quàm ab omnibus aliis fiat.

℣. 38. IVDICABO, id est, vlciscar me de te pœna tum lapidationis, (a) quasi de adultera: tum gladij, quasi de homicida. patet ex vers. 40. occidisti enim infantes tuos, cremando & immolando eos idolo Moloch. Iure igitur DABO TE vicissim IN SANGVINEM, id est, in eodem, IVRORIS ET ZELI] id est, truculentam, seu crudelem, qualem exercent furibundi & zelotypi (b) mariti in vxores deprehensas cum adulteris.

a Ioan. 8. v. 5. Leuit. 20. v. 10. Deut. 22. v. 22.

b Prou. 6. v. 34.

℣. 42. Tum demum REQVIESCET & satiata cessabit INDIGNATIO & vltio MEA: ET ZELVS, seu zelotypia mea AVFERETVR, NEC IRASCAR AMPLIVS] id est, sanguis mihi non vltrà efferuescet ob tuam impudentiam. Nempe satur ego vindictæ, & securus quòd tandem desines fornicari, & mea bona prodigere. ita Theodoretus & alij. Et licèt sic te puniam,

℣. 43. NONDVM tamen FECI IVXTA meritum *scelerum tuorum*: longè enim acerbiores pœnas merebaris, ita LXX. & S. Hieronymus.

℣. 44. QVI VVLGO DICIT PROVERBIVM: id est, qui delectatur scommate; sumpto de te scommate, dicet tritum illud: *Matri similis est filia*. Et SICVT MATER tua *Cethæa* (c) & *Chananæa* ob scelera sua planè vastata est, ita & IVILIA, id est, imitatrix eius, iam vastata iaces, inquit Theodoretus, Polychronius & Vatablus. Verè *filia* atque imitatrix es egregiæ

c Hic v. 3.

℣. 45. MATRIS, QVÆ, quò liberiùs posset cum amasiis libidinari, PROIECIT, seu abiecit, VIRVM SVVM, ET FILIOS SVOS. Nempe, sic & tu, ô Synagoga, me abiecisti, & curam filiorum ac ciuium tuorum, vt cum idolis libidinareris. ET SORORIBVS TVIS similis etiam esse voluisti in suis sceleribus. Quarum

℣. 46. MAIOR, SAMARIA, metropolis decem tribuum, ET FILIÆ EIVS, id est, oppida (d) Samariæ subiecta: MINOR verò potentia, frequentia ciuium, numeroque ciuitatum, SODOMA, QVÆ A DEXTRIS TVIS in lacu Asphaltite (e) HABITAT, id est, manet, seu iacet, ostentans ruinas antiquæ gloriæ suæ. Hæc enim est *à dextris* Ierosolymæ, sicut Samaria *à sinistris*, si templi situm facie ad Orientem prospicientis attenderis: Sodoma enim vergebat ad Meridiem, Samaria ad Aquilonem.

d Prolog. de Idiotismis Hebr. n. 40.

e Gen. 19. v. 20.

℣. 49. HÆC FVIT INIQVITAS SODOMÆ, scilicet Prima, & origo ceterarum, SVPERBIA; Secunda, SATVRITAS PANIS, seu ciborum, id est, comessatio, compotatio, crapula; Tertia, ABVNDANTIA omnium rerum, & luxus. (Hæc tria etiam S. Ioannes commemorat mundo propria, *superbiam*, *delicias*, *diuitias*.) Quarta, OTIVM, puluinar diaboli; Quinta, immisericordia: MANVM EGENO NON PORRIGEBANT] Ea est prosperitatis natura, vt diuitum præcordia ad luxum emolliat, ad misericordiam induret, vt patuit in Epulone, Lucæ 16. Sic Pythagoras dicebat, in vrbes ingredi primò, delicias; secundò, saturitatem; tertiò, violentiam; quartò, exitium.

1. Ioan. 2. v. 16.

Pythag. apud Laert.

℣. 50. ET ELEVATÆ SVNT in tantam arrogantiam, vt ABOMINATIONES, id est, abominanda contra naturam (f) scelera facerent. En aliam prosperitatis filiam: & quidem CORAM ME, id est, publicè & palàm sub dio. VIDISTI] & vides etiam.

f Gen. 19. & Rom. 1. v. 24. & 26.

A num in effectu peccati, nempe in lacu Asphaltite sulphureo, quàm grauis fuerit iniquitas Sodomæ.

℣. 51. SAMARIA DIMIDIVM NON PECCAVIT, Procul enim aberat à templo Domini, neque illud profanauit, inquit Theodoretus, Scholiastes & Græci. Vnde IVSTIFICASTI SORORES illas TVAS, non absolutè vel simpliciter, sed respectiuè, (g) sicut lumen lucernæ dicitur obscurari ad lumen solis. Verùm quia præcelluisti in scelere, postponeris in beneficio.

g Luc. 18. v. 14. & Psal. 142. v. 2. & Matt. 12. v. 41. & Thren. 4. v. 6.

℣. 53. CONVERTAM enim seu reducam priùs è captiuitate, CONVERSIONEM SODOMORVM, id est, captiuos Sodomitas, Per *Sodomitas* intelligo omnem Pentapolitanam regionem, è qua remansit salua *Segor* (h) CVM FILIABVS SVIS, id est, pagis & villis sibi subiectis: item Sodomæ vicinos *Moabitas* & *Ammonitas* origine Sodomitas, vtpote ex filiabus Loth incolis Sodomæ procreatos Priùs item reducam CONVERSIONEM (sic est in Græco) SAMARIÆ, id est, captiuos ex decem tribubus. TVAM autem REVERSIONEM, id est, ex tuis captiuos, nempe Ierosolymitanos, CONVERTAM quidem, id est, reducam quoque in patriam, sed IN MEDIO EARVM] id est, vnà cum illis. q. d. Non illas liberabo propter te, sed potiùs te propter illas, inquit Maldonatus. Cyrus enim primariò intendit, præcepit ac promulgauit restitutionem & liberationem omnium qui *colerent Deum cæli*, vt patet ex initio primi libri Esdræ, sub quibus comprehendebantur non solùm Iudæi, sed & Israelitæ decem tribuum, imò & Moabitæ atque Ammonitæ, vt de omnibus illis prædixerat etiam Ieremias. Sed Ezechiel hîc videtur magis spectare sensum Allegoricum, quo in reductione captiuorum è potestate diaboli & peccati per Christum, Gentiles per Samaritanos & Sodomitas designati, primarium (i) locum tenent, Iudæi non nisi secundarium, vt res ipsa loquitur, & Pradus, Maldonatus & à Lapide fusè demonstrant. Sic ergo etiam hîc te humiliabo,

h Gen. 19.

Ieremi. 48. v. 47. & c. 49. v. 6. &c.

i Matth. 8. v. 11.

℣. 54. VT PORTES etiam tum, in læto alioqui reditu, IGNOMINIAM TVAM & confusionem, CONSOLANS sorores tuas, quasi præ illis tu magis plectaris, quod miseris solet esse solatio in pœnis, inquit Vatablus.

℣. 56. NON FVIT SODOMA AVDITA IN ORE TVO, id est, non dignabaris vel nominare Sodomam, IN DIE SVPERBIÆ, id est, tempore felicitatis & gloriæ TVÆ, (cùm donis meis superbires) ANTEQVAM REVELARETVR MALITIA TVA duplò maior malitiâ Sodomorum, SICVT reuelatur NOC TEMPORE, cum magno *probro* tui apud omnes Syros, Philisthæos & alios vicinos tuos. ita Pradus & à Lapide. Nempe Iudæi semper aspernabantur Gentiles, vt patet ex Pharisæo & Publicano, Lucæ 18.

℣. 59. ET FACIAM TIBI pro meritis tuis, puniam te per Chaldæos SICVT promeritaes, *despiciendo* IVRAMENTVM, id est, execrationem, quam transgressoribus legis meæ intentaui Deuter. 27. & Iosue 8. adeò VT IRRITVM FACERES PACTVM & fœdus tecum tunc initum, Deut. 29. v. 12. Verùm licèt tu pactis tunc conuentis non steteris, ego tamen stare decreui. Vnde

℣. 60. RECORDABOR PACTI MEI TECVM tunc initi, recipiendo te resipiscentem, rursumque in vxorem admittendo. nempe cùm educam te è carcere Babylonico per Zorobabel, vel potiùs è carcere iniquitatis per Christum: tuque mihi rursus eris in populum acceptum, vnà cum sororibus tuis

adiungenda mihi in Ecclesia Christi, fœdere & *pacto* non amplius temporaneo, quale erat Mosaicum, sed *sempiterno*, (a) per Christum ineundo.

a *Ierem. 31. v. 31.*

¥.61. Tunc *recordata* VIARVM TVARVM & scelerum anteactorum, CONFVNDERIS & erubescès, cùm te tam indignam senties nouo isto & inexspectato honore à me in sublime elatam, & vnà cum sororibus tuis, quæ longè minùs peccarant, in gratiam, in domum, in thalamum meum receptam. Quin; quod amplius est, DABO SORORES TVAS TIBI IN FILIAS, id est, Gentes ad te tamquam ad matrem deducam, vt eas adscribas quasi filias, tuo cœtui, tuæ familiæ, tuo regno. Ierosolymæ enim cœpit Ecclesia Christi: vnde Ierosolymitana Ecclesia mater est omnium fidelium. Sic Isaiæ 60. *Filij tui de longè venient*, &c. SED NON faciam istud EX PACTO TVO, id est, tecum inito per Moysen, quod tu violasti: sed ex pacto meo, quod EGO olim cum Abrahamo (b) iniui, & iam breui SVSCITABO, implebo, præstabo per Christum, vt *in eo benedicantur vniuersa cognationes terræ.*

b *Gen. 12. v. 3. & c. 22. v. 18.*

¥.63. Non SIT TIBI VLTRA APERIRE OS] Id est, non audebis vltrà conqueri, imò nec hiscere vel mutire contra sorores tuas *Gentiles*: cùm nempe videbis te licèt prorsus indignam, & illis longè indigniorem, tamen fauore meo & merito Christi, vnà cum illis receptam in gratiam, reductam in familiam, reuectam in thalamum meum.

CAPVT XVII.

Aquila Chaldaica debellat aquilam Ægyptiam. Rex Sedecias adhærens aquilæ Ægyptiæ, regno, patriâ, oculis priuandus: Iechonias, subdens se aquilæ Chaldaicæ, exaltandus prædicitur.

¥.3. AQVILA hieroglyphicum est imperij, etiam apud Ægyptios, Persas ac Romanos: vnde & apud Græcos sceptro Iouis præfigebatur. est enim princeps auium, viribus, potentiâ, pernicitate & altitudine volatus, & audaciâ omnibus præcellens, & rostri aduncitate regiam præ se ferens maiestatem, inquit Aristoteles. Designat verò hîc (c) Nabuchodonosorem regem Chaldæorum, MAGNARVM ALARVM, id est, magnos secum trahentem exercitus: hæ enim sunt alæ militares. LONGO MEMBRORVM DVCTV, id est, imperio amplo, forti & diuturno. regnauit enim 45. (d) annis. PLENA PLVMIS ET VARIETATE] id est, plumis (e) versicoloribus, instar pauonis, inquit R. Dauid. Significatur exercitus conflatus ex variis gentibus.

c *Ierem. 49. v. 22.*

d *Chronici c. 34.*

e *Prolog. de Idiotismis Hebr. n. 41.*

VENIT AD LIBANVM, id est, in Iudæam (f) cuius terminus est Libanus, & quæ instar Libani florebat, vigebat, superbiebat, maximeq; Ierosolyma, cui v. 12. hęc applicantur. ita Origenes, Apollinaris & Theodoretus. ET inde TVLIT MEDVLLAM; Hebræi vertunt, *cacumen*, CEDRI, id est, regem Iechoniam cum regia familia & primis Iudææ principibus. SVMMITATEM FRONDIVM; Chaldæus, *proceriores stolones*, seu surculos. Alludit ad teneram ætatem Iechoniæ (vtpotè solũ 18. annorum) (g) & quorumdam aliorum principum. ET TRANSPORTAVIT EOS IN TERRAM CHANAAN, id est, (h) mercatorum, IN VRBEM NEGOTIATORVM] id est, Babylonem, emporium omnium merciũm, potentia, opibus, hominum frequentia nulli secundum. ita S. Hieronymus, Maldonatus, Pradus & alij.

f *Ierem. 22. v. 6. & Zach. 11. v. 1.*

g *4. Reg. 24. v. 8.*

h *Iosue 16. v. 10. & Prou. vlt. v. 24.*

¥.5. ET TVLIT DE SEMINE regio eiusdem TERRÆ Iudææ, scilicet Sedeciam patruum Iechoniæ, & præfecit eum regno, PRO SEMINE consetuando, nempe vt sceptrum maneret penes stirpem regiam: & *radix* eiusdem *firmaretur* ac stabiliretur SVPER AQVAS MVLTAS, id est, super populos (i) multos, quibus tunc imperabat rex Iuda. Non altè tamen infixit terræ hunc surculum, sed IN SVPERFICIE POSVIT ILLVM] vt poni solent vites. q. d. Nabuchodonosor non valdè firmauit Sedeciam, sed fractis eius viribus ita illum præfecit regno, vt cùm vellet, facilè posset remouere.

i *Apoc. 17. v. 1.*

¥.6. CREVIT hæc IN VINEAM LATIOREM palmitibus luxuriantem & lasciuientem, sed HVMILI STATVRA: subditus enim mansit Sedecias Babylonio; RESPICIENTIBVS RAMIS EIVS AD EAM aquilam, ET RADICES EIVS SVB ILLA] Et quamdiu sub alis eius fuit, pace ac prosperitate vsus fuit Sedecias cum omnibus suis. ita S. Hieronymus & Pradus.

¥.7. AQVILA ALTERA GRANDIS, Pharao *Vaphres* rex Ægypti, aliàs *Apries* vel *Ephree*: AD quem VINEA Iudaica, rupto fœdere & violato iureiurando cum Nabuchodonosore, MISIT RADICES SVAS] optans & orans *irrigari* copiosis & fœcundis aquis Nili, variis aggeribus in multas *areolas* dissecti. Nempe volebat iuuari milite & apparatu bellico atque annona Ægyptia. ita S. Hieronymus, Maldonatus & alij. Non quòd egeret illis,

¥.8. IN TERRA enim BONA, pingui & fertili, SVPER, id est, iuxta, AQVAS MVLTAS, sub alis potentissimi regis Babylonici PLANTATA *erat* vinea Iudaica; sed ex mera superbia & ambitione deflexit ad Ægyptium. Sed quid ad hæc Babylonius?

¥.9. NONNE RADICES EIVS EVELLET, & robur ac fundamentum funditus exscindet? ET FRVCTVS EIVS DISTRINGET, seu decerpet? id est, filios (k) regis immatura nece tollet de medio: ET SICCABIT OMNES PALMITES GERMINIS EIVS, seu germinantes? id est, proceres ac principes trucidabit: VT *euellat* vineam RADICITVS. Neque ad id opus habebit BRACHIO GRANDI, aut POPVLO MVLTO] Vnico enim conflictu superatis Ægyptiis, quasi ludibundus hærens in Reblatha, per latrapam vnum suum Nabuzardan reliquum belli conficiet, vt videre est 4. Regum vlt. capite.

k *4. Reg. vlt.*

¥. 10. NONNE CVM TETIGERIT & leuiter afflauerit EAM VENTVS VRENS; hebraicè, *ventus Orientalis*, qui siccus est & vrens, nempe vis bellica è Chaldæa, quæ Iudææ est partim ad *Orientem*, partim ad *Aquilonem*, (vnde nunc *Aquilonaris* (l) vocatur, nunc *Orientalis*) simulatque Iudæam tetigerit, etsi copiis Ægypti irrigatam; subitò tamen deficabit & aduret, & *areas* eius omnes, antea lætè germinantes, *exarescere* faciet.

l *Ier. 1. 14.*

¥.12. REX BABYLONIS ASSVMET REGEM Iuda, ET ADDVCET IN BABYLONEM] Ex Hebræo verti potest, *assumpsit, & adduxit*, scilicet Iechoniam regem, iam ante sex annos. Præponitur enim in Hebræo *vau* conuersiuum, vi cuius futurum vertitur in præteritum.

¥. 17. NON IN, seu cum, EXERCITV GRANDI Chaldæorum FACIET PHARAO PRÆLIVM: neque (hoc enim per hebraismum repetendum) IN IACTV AGGERIS aut VALLORVM, VT MVLTOS Chaldæorum INTERFICIAT] Sed primo congressu cum sat exiguis Chaldæorum copiis, fundetur, fugabitur, & totâ Syriâ cedere cogetur, inquit Polychronius & alij Græci. Explicat enim hîc versum nonum.

¥. 18. SPREVERAT Sedecias, in cuius gratiam excus-

excurrebat Pharao, IVRAMENTVM fidelitatis præstitum Nabuchodonosori, ita VT SOLVERET FOEDVS] quod cum illo sanxerat datâ dextrâ in obsidem pacti testem iuramenti, inquit Vatablus & Pradus.

℣.19. PONAM IN CAPVT EIVS, id est, vlciscar in eius capite, (a) IVRAMENTVM meum, ET FOEDVS meum, (ita est enim in Hebræo & Græco) id est, fœdus interposito nomine meo initum cum Chaldæo. Vide, quàm velit Deus seruari fidem semel datam hosti, etsi infideli, inquit à Lapide.

a *Ierem.* 39. *v.6.&c.*

℣. 22. SVMAM loco eius alium DE MEDVLLA CEDRI, id est, ex regia Dauidis familia, DE VERTICE RAMORVM EIVS, id est, ex filijs seu nepotibus Iechoniæ, ramum TENERVM, nempe Zorobabelem: & hunc vnum DISTRINGAM, id est, tollam & extollam, vt plantem eum in monte Sion excelso, id est, in Ierusalem & in præfectura Iudææ. De hoc enim obiter loquitur ad litteram, sed principaliter intendit designare Messiam, Iechoniæ filium, cui soli hæc tam ampla promissa accommodari possunt, inquit Chaldæus, Theodoretus & Pradus.

℣. 23. ERIT IN CEDRVM (b) MAGNAM; id est, euadet rex magnus. Cedrus enim proceritate ceteras arbores excellens, regiæ dignitatis Christi symbolum est: sicut odoris fragrantia gloriam eiusdem & nominis celebritatem significat, & incorruptione æternitatem repræsentat. SVB VMBRA FRONDIVM EIVS NIDIFICABIT VNIVERSVM (c) VOLATILE] id est, omnes fideles, seu iusti, inquit Chaldæus, quorum conuersatio in cælis est. Sed possent etiam intelligi omnes nationes, imò omnes creaturæ, quia omnes Christo subiectæ sunt.

b *Isaiæ 4. v.2.*

c *Dan.4. v.17.*

℣.24. LIGNVM SVBLIME ET VIRIDE, sed *humiliatum & exsiccatum* à Deo, est regnum Sedeciæ: LIGNVM HVMILE ET ARIDVM, iam *frondens & exaltatum*, est regnum Iechoniæ. EGO FECI] Id est, certissimò faciam. Et fecisse constat ex c. vlt. lib. 4. Regum.

CAPVT XVIII.

Docet, filios non puniri pro peccatis parentum, sed vnicuique pro meritis propriis reddi vel vitam vel necem.

℣.2. PATRES COMEDERVNT VVAM ACERBAM, &c.] Chaldæus, *patres peccauerunt, & filij vapulant*. Occasionem prouerbio dedisse videtur, quòd Prophetæ passim comminarentur, euertendam Iudæam ob peccata Manassis, sicut Israel euersus fuerat ob peccata Ieroboam, inquit Theodoretus. Sed hoc prouerbiũ alibi (d) exposui.

d *Ierem.31. v.29. & Thren.5. v.7.*

℣.3. SI (e) ERIT VLTRA] Id est, iuro, quòd efficiam vt vlteriùs non vtamini isto prouerbio: quia scilicet reipsa contrarium ostendam.

e *Proleg. de Idiotismis Hebr. n.13.*

℣.4. OMNES ANIMÆ, id est, omnes homines, MEÆ SVNT. q.d. Communis omnium parens, creator, dominus, iudex sum: æquale in omnes vitæ & necis imperium habeo: omnibus ex æquo prospectum volo: omnium pari cura tangor. ita Polychronius & Pradus. Vnde perperam calumniamini meam prouidentiam & iustitiam. Absit verò vt innocentem puniam: nemo enim nisi ANIMA, id est, homo, QVÆ PECCAVERIT, MORIETVR] nempe morte temporali, & multò minùs æterna.

℣. 5. IVDICIVM fit à iudice, cùm reos damnat: IVSTITIA, cùm innocentes absoluit & vindicat. Sed à priuato *iudicium* (f) fit, cùm nulli facit malum: *iustitia*, cùm alteri benefacit & bona opera accumulat, inquit Pradus. Et posteriori modo hic

f *Psal. 88. v. 15. & Psal. 118. v. 121.*

A accipitur, vbi de priuatis agitur, & 17. gradus virtutum ab eis exiguntur, inquit S. Hieronymus.

℣.6. IN MONTIBVS, id est, in excelsis idolorum, NON COMEDERIT de idolothytis: ET OCVLOS SVOS NON LEVAVERIT AD adorandum (g) IDOLA. AD MENSTRVATAM NON ACCESSERIT] quod lex (h) morte plecti iubet.

g *Psal. 5. v.4. Psal.122. v. 2.*

h *Leuit. 20. v.18.*

℣. 7. HOMINEM NON CONTRISTAVERIT, id est, neminem læserit, vel *oppresserit*, vt vertunt LXX. PIGNVS DEBITORI (i) pauperi REDDIDERIT.

i *Exod. 22. v.26.*

℣. 9. FACIAT VERITATEM] Id est, exequatur officium vel debitum virtutis. Sicut enim veritas in dictis est adæquatio dictorum ad id quod est in mente: sic veritas factorum, est adæquatio operum ad id quod dictat lex, ratio, aut fides hîc & nunc agendum esse, inquit Pradus.

VITA VIVET: id est, iucundè & cum voluptate (i) vitam traducet felicem. Sic v.13. MORTE MORIETVR, id est, infelici morte rapietur. SANGVIS EIVS IN IPSO (k) ERIT] id est, luet sanguine, id est, morte, quam sibi ipse conflauit, ipse sibi causa erit mortis.

B

k *Prolegom. sup. n.49. & Ezech.33. v.4.*

℣. 17. NON MORIETVR IN, seu propter INIQVITATEM PATRIS SVI] Sic Ezechias & Iosias, malorum parentum pij filij vixerunt felices & glorioſi. Quòd huic Ezechielis loco non repugnet illud Exodi 20. *Ego Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios*, supple, etiam impios; ibidem ostendi.

℣. 18. IN MEDIO POPVLI SVI] Id est, inter suos populares; vel vt, Pradus, palàm, sine rubore, sine timore.

℣. 21. SI IMPIVS EGERIT POENITENTIAM, id est, si corde conteratur, si seriò doleat ac detestetur peccata propter offensum Deum summum & infinitum bonum, cum proposito cauendi deinceps, legesque omnes obseruandi; VITA VIVET tum temporali, tum spiritali, tum æterna: OMNIVM INIQVITATVM EIVS NON RECORDABOR] seu ad imputandum illi, seu ad puniendum. Est enim quasi connaturale veræ contritioni, abolere peccata omnia, tum quoad culpam, tum quod pœnam æternam, licèt subinde non quoad omnem pœnam temporalem, vel pœnalitates connexas, ita Tridentinum & Scholastici passim. Vnde cùm dicit Deus, *Non recordabor*, intelligit, quasi manens illi infensus aut hostis, cum voluntate se de accepta iniuria vindicandi, vt ante pœnitentiam. Non autem intelligit, quòd non recordabitur quasi medicus, amicus & parens, imò iustus iudex, qui studio corrigendi quod delictum, purgandi quod fœdatum, & compensandi quod diuinæ gloriæ detractum fuit, etiam in charissimis amicis ac filiis suis punit, seu hîc, seu in Purgatorio, si quid subinde reliquum reatus manserit. Simili modo

Trid. sess.14. c.4.

℣.24. SI AVERTERIT SE IVSTVS A IVSTITIA per peccatum lethale, OMNES IVSTITIÆ EIVS NON RECORDABVNTVR] ita scilicet vt propter eas tamquam amicus vita donetur spiritali & æterna. Nam quoad compensationem per bona temporalia, certum est, Deum non rarò recordari bonorum operum ab impiis patratorum, vt S. Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus & alij Patres expressè docent.

Hieron. in c.29. Ezech. Chrysost. hom.67. ad popul. Aug. l.5. de ciu. c.15.

℣.31. FACITE VOBIS COR NOVVM, (l) id est voluntatem, propositum, studium aliud amplectimini, ET SPIRITVM NOVVM] id est, affectum, desiderium, ardorem animi diuersum ab eo quo hactenus flagrastis: nempe transferte illa ab idolis ad me,

l *Ephes. 4. v. 22. & 2. Cor.5. v.17.*

à vitiis ad virtutes, à peccato ad iustitiam. Notat libertatem arbitrij humani etiam in iis quæ dependent à gratia diuina.

ET QVARE MORIEMINI DOMVS ISRAEL?] Id est, quid causæ fingi potest, cur, si velitis, mortem alioquin imminentem, euasuri non sitis? An quia me offendistis? at ego, si pœnitueritis, non recordabor ampliùs offensæ. An quia in legem, quæ mortis ministra est, peccastis? at ego auctor & dominus legis, pœnitentes absoluo. An quia patres vestri promeriti sunt vt etiam filij plectantur? at viuo ego, innocens filius non portabit iniquitatem patris. *Quare* ergo *moriemini*? Fortè quia pactum inistis cum morte, & fœdus cum inferno? sed in manu est vestra fœdus dissoluere, pactum rescindere. At lege membrorum grauati, in mortis barathrum detrahimur. sed potestis facere vobis cor nouum & spiritum nouum. At diuinæ iustitiæ traditi sumus puniendi. verùm ego nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat æternùm.

CAPVT XIX.

Duplici metaphora, leonum & vineæ describit & plangit cladem Ierosolymæ & miseram sortem filiorum Iosiæ, scilicet Ioachaz, Ioakim, Ioachin & Sedeciæ regum Iuda.

℣.1. ASSVME PLANCTVM, id est, plange lugubri carmine calamitosam sortem PRINCIPVM ISRAEL, seu regum Iuda iam nominatorum.

℣.2. MATER TVA Synagoga, inquit Vatablus; vel, vt Origenes, Theodoretus & Pradus, Ierosolyma, verè LEÆNA, si nobilitatem, si audaciam, si incolarum sæuitiam spectes; INTER LEONES, id est, in medio aliorum Gentilium regum, intrepida *cubans*: IN MEDIO LEVNCVLORVM, id est, inter aliorum regum ac principum filios, ENVTRIVIT in nido, seu palatio suo, CATVLOS (*a*) SVOS] Iosiæ filios suprà nominatos. Commentum verò est Ægyptiorum quod tradit Epiphanius, leænam tota vita non nisi vnum parere catulum. Quod optimè refellit Aristoteles, Plinius, Solinus, Oppianus, Ælianus, Rhodiginus & Gesnerus. Et sic species leonina necessariò interire deberet.

a Ierem. 22. v. 6.

Arist. Solin. & alii apud Gesnerum, in leone. Plin. l. 8. c. 16. Ælian. l. 10. Rhodig. l. 29. c. 9.

℣.3. ET EDVXIT VNVM DE LEVNCVLIS SVIS, putà Ioachaz, (*b*) alio nomine *Sellum*, (*c*) quem licèt secundò vel tertiò genitum filiorum Iosiæ, tamen primo loco populus succedere iussit parenti defuncto, & sic FACTVS EST LEO] id est, rex Iuda. Quo audito,

b 4 Reg. 23. v. 30. & 2. Par. 36.

c Ierem. 22. v. 11.

℣.4. GENTES quæ erant in castris Pharaonis, indignatæ secundò genitum eripuisse sceptrum primogenito, castra aduersus EVM mouerunt, & bello (sed non incruento) deuictum CEPERVNT, ET VINCTVM CATENIS ADDVXERVNT (*d*) IN ÆGYPVM, substituto ei

d 4 Reg. &c. sup.

℣.5. *Vno* altero *leunculo*, nempe *Ioakimo* (*e*) primogenito. Hic FACTVS LEO, id est, rex,

e Ibid. & Ierem. 22.

℣.7. DIDICIT VIDVAS FACERE, occisis earum maritis, & bonis fisco addictis. ET CIVITATES EORVM hominum quos occiderat vel expilarat, *desertas reddere*. Vnde ob sæuitiam huius leonis, DESOLATA EST TERRA, & destituta incolis, qui anteà eam implebant.

℣.8. ET CONVENERVNT ADVERSVS EVM GENTES (*f*) Chaldaicæ, quarum coptis, quasi retibus, sed sanguine vtriusque patris fœdè cruentatis, captus est, & AD REGEM BABYLONIS *deductus*, atque ab eo IN CARCEREM *missus est*: sceptro regio æternùm spoliandus, nisi Babylonio regi supplex factus, spopondisset se subditum illi & stipendiarium futurum. Tum remissus Ierosolymam & regno restitutus est: sed paulò pòst rebellis eidem factus, octauo pòst anno ab iisdem Chaldæis occisus est. Ioachin verò eius filius vltrò se dedidit (*g*) Chaldæis, à quibus in Babylonem abductus, ibi in carcere hæsit vsque ad mortem Nabuchodonosoris. Porrò filium comprehendit hîc Ezechiel sub parente: *Sedeciam* verò patruum illius præterit, vtpotè regnantem adhuc tunc temporis.

f 4. Reg. 24. v. 1.

g Ibid. & seq.

℣.10. MATER TVA, ô Ioakim, ô Ioachin, quæ hactenus comparata est *leænæ*, potest etiam comparari *vineæ*, seu viti generosæ, SVPER, id est, iuxta, AQVAM, seu aquæ fluenta, iam ab olim PLANTATÆ IN SANGVINE TVO] id est, per nobilissimam stirpem tuam, ex Dauide (cui id Deus promiserat) prognatam, mirum in modum elatæ potentia, diuitiis, gloria. Sed hæc vitis

℣.12. EVVLSA iam EST IN, seu per IRAM furoris diuini: ET VENTVS (*h*) VRENS, nempe Chaldæorum impetus, SICCAVIT omnem FRVCTVM EIVS] id est, omnes filios, incolas & opes Ierosolymæ, putà sub Sedecia, quando capta & exusta est vrbs à Chaldæis.

h Ezech. 17. v. 10.

℣.13. ET NVNC TRANSPLANTATA EST IN DESERTVM] translatis ciuibus in Chaldæam, vbi destituti aquis donorum ac benedictionum Dei, quasi in arido *deserto*, omnium indigni degùt. Nisi malis per *desertum* ipsam Iudæam incolis & opibus spoliatam accipere cum S. Hier. Vnde sequitur:

℣.14. ET EGRESSVS EST IGNIS DE VIRGA RAMORVM huius vitis, nempe *Ismael* (*i*) è regio semine oriundus, QVI inuidens Godoliæ principatum Iudææ, FRVCTVM EIVS reliquum COMEDIT, id est, abstulit è medio Godoliam & omnes illi adhærentes Iudæos. ET NON FVIT IN vite, alia VIRGA tam FORTIS, vt succedere posset in SCEPTRVM DOMINANTIVM] id est in regnum Iuda.

i Ierem. 41. v. 2.

PLANCTVS, id est, lamentatio, EST hæc ipsa quam nunc edidi prophetia: ET ERIT IN PLANCTVM] id est, reipsa deseruiet pro planctu, cùm euenient quæ per eam prædixi, & abducto rege, iugulatis eius filiis, excisa vrbe, exusto templo, complebitur vaticinium meum.

CAPVT XX.

Deus per Ezechielem consultus à senioribus Iudæorum Babylone de euentu belli Iudaici, negat se illis pro voto responsurum, sed exprobrat illis peccata tum parentum, tum propria. Quò verò magis eos ad æmulationem prouocet, asserit se breui ab aliis veris Israelitis piè rectèque colendum. Denique nona parabola ignis & flamma extremum Iudæis excidium intentat.

℣.1. ANNO SEPTIMO transmigrationis Ioachin, QVINTO mense *Ab*, qui ferè nostro Iulio (*k*) respondet, DECIMA die MENSIS. Igitur post vndecim menses & quinque dies à visione hactenus commemorata ab initio c. 8. ita S. Hier. VENERVNT VIRI DE SENIORIBVS Babylone captiuis, VT per me INTERROGARENT DOMINVM de successu rebellionis Sedeciæ contra Chaldæos.

k Ezech. 1. c. 4.

℣.3. NON RESPONDEBO] quia ex mera curiositate rogatis, non verò animo perficiendi si quid iussero contrarium votis vestris, inquit Theodoretus & Apollinaris.

℣.4. SI IVDICAS EOS] (*l*) Id est, istosne defensores istorum suscipies patrocinium apud me? inquit

l Ezech. 22. v. 2.

Theodo-

Theodoretus & Pradus. Sed Maldonatus cum Chaldæo vertit, *nonne iudicabis eos?* id est, argues more iudicis, & arguendo damnabis eorum impietatem? Sic Lucæ 22. *Si percutimus in gladio?*

ABOMINATIONES PATRVM OSTENDE EIS? vt quorum scelera imitantur, eorum supplicia pertimescant: *quia hereditario malo longissimum funem trahunt peccatorum*, inquit S. Hieronymus.

℣. 5. LEVAVI MANVM MEAM] Id est, ostendi diuinam potentiam & opem meam. Orditur expostulationem à commemoratione beneficiorum Israeli à se præstitorum. Aliud ergo hîc designat *leuare manum*, quàm v. 15. & 23. vbi idem valet quod *iurare*, vt alibi (a) dixi.

a *In Prolog. de Idiotism. Hebr. n. 13.*

℣. 7. OFFENSIONES] Hebraicè, *abominationes*, vt Noster vertit v. sequ. Symmachus, *nauseas oculorum*, id est, idola abominanda & deos penates, qui cordato cuique nauseæ, horrori & abominationi sunt, licèt ab Israelitis cum voluptate suspicerentur.

℣. 8. ET DIXI in mente mea. q. d. Cogitabam de Israelitis tam impiis perdendis in Ægypto. Sed cohibui me.

℣. 9. ET FECI, VT EDVCEREM EOS DE TERRA ÆGYPTI, non propter illorum merita, sed PROPTER NOMEN MEVM, VT illud NON VIOLARETVR, id est, blasphemaretur vel infamaretur, CORAM GENTIBVS] quasi non potuissem eos liberare, vti promiseram.

℣. 11. DEDI EIS IVDICIA MEA, id est, leges meas, *quas* si impleuerit HOMO, VIVET IN EIS] id est, propter eas viuet vitam longam, (b) lætam & beatam in terris & accedente fide in Christum, & charitate in Deum, viuet etiam *vita gratiæ*, vt Theodoretus vertit; & *vita* gloriæ *æternæ*, vt Chaldæus. Neque enim agit hic Ezechiel de nudis præceptis legis naturæ vel Mosaicæ, vt agit S. Paulus, (c) sed coniunctis cum fide & gratia venturi Messiæ in lege promissi.

b *Deut. 30. v. 19.*

c *Rom. 3. v. 20. Galat. 2. v. 21. & 2. Cor. 3. v. 6.*

℣. 12. SABBATA MEA & reliqua festa DEDI EIS pro *signo*, quo constaret toti orbi, Israelitas *mihi sanctificatos*, id est, peculiari religione & cultu adstrictos esse. ita Irenæus & Theodoretus. De quo alibi (d) plura.

Iren. l. 4. c. 30.

d *Exodi 31. v. 16.*

℣. 25. ERGO ET EGO DEDI EIS, id est, dari permisi, PRÆCEPTA NON BONA, (e) sed admodum mala, imò pessima, molestissima, difficillima, IN QVIBVS NON VIVENT] sed morientur. q. d. Meis præceptis viuere noluerunt: morientur ergo & occidentur alienis, v. g. Ammonitarum, Moabitarum, Philisthæorum, &c. ita Hebræi, & ex iis Pradus. Simili modo quia spreuerunt mea sabbata, sacrificia & alium cultum mihi debitum, ego viciſſim

e *Prolog. sup. n. 8.*

℣. 26. POLLVI EOS, id est, contaminari permisi, IN MVNERIBVS, id est, oblationibus, SVIS, nempe CVM OFFERRENT OMNE QVOD APERIT VVLVAM, id est, omnia primogenita sua, idolis æneis & candentibus *Moloch*, (f) & aliis, vt dicitur vers. 31. Quod ab Israelitis etiam in deserto factum putat à Lapide ex Actorum 7. v. 43. Saltem de Palæstina hic affirmatur v. 28. vbi etiam additur, illos ibi dedisse *irritationem oblationis suæ*, id est, obtulisse infandas victimas idolis ad irritandum verum Deum; iisdemque posuisse *odorem suauitatis suæ*, id est, suauissimum ac fragrantissimum. Insinuatur enim, iucundissimum accidisse Israelitis sacrificium idololatricum, quo tamen scirent Deum extremè irritari.

f *Leuit. 18. v. 21. & 4. Reg. 3. v. vlt.*

℣. 29. QVID EST EXCELSVM?] scilicet altare idolorum. q. d. Quæ religio, quæ excellentia, quæ vtilitas in excelsis idolorum fanis, ad quę tanta voluptate procurritis? adeò vt per antonomasiam vocetis illa, speciosо ac glorioso nomine, *excelsa*? quasi essent loca totius orbis celsissima, dignissima, nobilissima, cùm non sint nisi dæmonum spurcissimæ speluncæ? ita ferè Theodoretus & Apollinaris.

℣. 32. ERIMVS SICVT GENTES, VT impunè COLAMVS LIGNA ET LAPIDES] id est, idola, quæ cultoribus suis, v. g. Chaldæis, victoriam, opes, gloriam, omniaque bona largiuntur. A Deo enim cæli nil nisi minas & clades accipimus. Sed frustra: nam

℣. 33. IN MANV FORTI REGNABO SVPER VOS] Id est, violentè vos detinebo subiectos iugo meo, vt furorem meum in vos effundam, quatenus & quamdiu eritis scelesti & mihi rebelles. Nam quando pœnitebit vos scelerum vestrorum,

℣. 34. EDVCAM VOS DE carcere vestro Babylonico, vbi EFFVSO FVRORE REGNABO tantisper SVPER VOS, donec emendemini.

℣. 35. ET ADDVCAM VOS IN DESERTVM POPVLORVM: id est, faciam vos populum egenum, omnibus corporis & animæ commodis destitutum, vt videamini vobis esse in deserto. IBI, id est, in tali statu vobis constitutis, IVDICABOR, id est, iudicium subibo VOBISCVM, non ex auctoritate, quasi dominus, rex & Deus vester, sed FACIE AD FACIEM] quasi par cum pari, ex caulæ solius æquitate. Ac si dicat: Reipsa ostendam toti orbi me iustè vos castigasse, vos fœdifragos fuisse, me verò in promissis fidelem ac constantem. Porrò victâ lite, & triumphatâ causâ, velitis, nolitis, vos iure damnatos

℣. 37. SVBIICIAM SCEPTRO MEO: ET, vt mihi subiecti maneatis, INDVCAM VOS VINCVLIS FOEDERIS] id est, vt pacti mecum initi, quo spopondistis vos mihi perpetuò deseruituros, alioqui pœnas (g) daturos. Vnde iure merito

g *Deut. 27. & 29. & Iosue 8. v. 33.*

℣. 38. ELIGAM DE VOBIS TRANSGRESSORES fœderis, nempe ad puniendum: & semel è patria in exilium expulsos, non sinam regredi in patriam. Subaudi, reliquos verò morigeros mihi & fideles, patriæ restituam per Cyrum, & Cyri antitypum, Christum.

℣. 39. SINGVLI POST IDOLA VESTRA AMBVLATE, si vultis iis seruire. q. d. Publicè & palàm pro talibus vos gerite, quales reuera estis: apertè præ vobis ferte vos colere idola, quæ secretò colitis: nolite iactare vos mei cultores esse, & interim sacrificare idolis. ita Hebræi, LXX. & Chaldæus. QVOD SI *etiam* IN HOC NON AVDIERITIS ME; ET falsa simulatione POLLVERITIS NOMEN SANCTVM MEVM, iactantes vos cultores esse Dei cæli, cùm sitis cultores dæmoniorum; (est aposiopesis, subaudiendum enim) Grauiùs adhuc vos puniam, imò stirpitus exscindam. Neque est quòd putetis, me vestro egere cultu:

℣. 40. IN MONTE enim SANCTO MEO, id est, in Sion, Ierosolymæ, post reditum è carcere Babylonico, SERVIET MIHI, & non ampliùs idolis suis, OMNIS DOMVS ISRAEL. Allegoricè & principaliter, *omnis Ecclesia* (h) *Christi* inchoanda Ierosolymis in monte Sion. ita Maldonatus, Pradus & à Lapide. IBI QVÆRAM, id est, exigam & accipiam à vobis, PRIMITIAS VESTRAS, id est, oblationes quascumque mihi debitas, ET INITIVM DECIMARVM VESTRARVM] Hebraicè & græcè, *primitias onerum*, seu debitorum *vestrorum*, v. g. ex decimis,

h *Isaiæ 2. v. 2. Malach. 1. v. 10. Rom. 9. v. 6*

ex censu semisicli, (a)ex voto,ex delicto,&c.

a *Exodi* 30. v. 12.

IN OMNIBVS SANCTIFICATIONIBVS VESTRIS,id est, in omnibus oblationibus mihi consecrandis, SVSCIPIAM VOS IN ODOREM SVAVITATIS] id est, habebo vos mihi gratos quasi thymiama suauissimum ac fragrantissimum. Atque ita

b *Psal.* 113. v. 2.

℣.41. SANCTIFICABOR, (b) id est,glorificabor, celebrabor quasi sanctus per totum orbem, IN VOBIS]id est,occasione vestræ sanctitatis,pietatis, religionis.

℣.46. PONE FACIEM TVAM, id est, obfirmato vultu, liberè & intrepidè vaticinare CONTRA VIAM AVSTRI,id est, contra Ierosolymam, vt dicitur v.2.cap.seq. (quod propter identitatem materiæ, S.Hieronymus & quidam alij hinc ordiuntur.)quia Ierosolyma,respectu Babylonis (vbi erat Ezechiel,)partim erat Australis, partim Occiden-

c *Ezech.*13. v.10.

talis. (c) Directè autem erat AD AFRICVM; vnde mox eò versus iubetur *stillare*, id est, guttatim effundere verba, id est; loqui, prophetare, vel etiam comminari. SALTEM AGRI MERIDIANI, id est; silluam ad Meridiem positam, vocat totam *humum Israel*, cap. seq. v.2. quia montosa erat & nemorosa,inquit Polychronius.

℣.47. COMBVRAM IN TE OMNE LIGNVM, seu VIRIDE, (d) seu ARIDVM, id est, omnes incolas tuos,seu iustos, seu impios,vt explicat v.3.cap.seq. impios in pœnam: iustos ad meritum. Et licèt in particulari vindicta,seu strage,non inuoluantur iusti,vt dixit c.18.v.4.tamen in generali,seu communi excidio (quale erat hoc Ierosolymæ) etiam in-

d *Luca* 23. v. 31.

e *Exod.*20.

sontes inuolui solent, vt alibi (e) dixi. NON EXTINGVETVR FLAMMA SVCCENSIONIS] Id est, flamma succensa, id est, *gladius* Chaldæorum (vt ibidem explicatur) non reddetur vaginæ, donec cædem integram perfecerit.

ET COMBVRETVR IN Iudæa OMNIS FACIES, id est, quidquid pulchrum, amœnum, spectabile est. Hebræum enim *panim*,(f)significat exteriorem, seu anteriorem faciem, vel aspectum cuiusque rei. Quidquid enim pulchrum fuit in Iudæa AB AVSTRO VSQVE AD AQVILONEM] id est, à Ierosolyma vsque in Chaldæam, vel saltem vsque ad fines Iudææ tendendo Babylonem versus, à copiis militaribus Chaldæorum euntibus ac redeuntibus,excisum, protritum, vel etiam flammis absumptum fuit.

פנים

f *Genes.* 1. v. 2. *Psal.*131. v. 10.

CAPVT XXI.

Explicat parabolam flammæ grassantis in siluam, quam proposuit in fine capitis præcedentis. Praedicit, Nabuchodonosorem in biuio ex sagittis commixtis omen capturum, an prius Iudæos, an Ammonitas inuadere debeat: atque omine in Iudæos vergente, illos primo loco excisurum: secundò, Ammonitas & alias gentes. Denique ipsos etiam Chaldæos in terra sua perdendos per Cyrum & Darium.

℣.2. SANCTVARIA bina erant in templo Ierosolymitano, nempe aula anterior, dicta *Sanctum*, & cella interior, *Sanctum sanctorum*. Reliqua exposui in fine cap. præced.

℣.3. EIICIAM, id est, educam, impetu distringam, GLADIVM MEVM DE VAGINA SVA] id est, Nabuchodonosorem è patria sua Babylone, vt in-

g *Hic* v. 19. & 30.

frà(g)explicatur.

h *Cap.* 20. v. 47.

℣.4. PRO EO QVOD OCCIDI IVSTVM (h) ET IMPIVM,id est, passim omnes, IN TE, qui populus meus es, æquum est vt & in alienos Ammonitas, Moabitas,& alios sæuiam, AB AVSTRO VSQVE AD AQVILONEM] (i) idque gladio *irrenocabili*, id est, quem ne no revocare vel impedire poterit, donec

i *Ibid.*

A iustam vindictam compleuerit.

℣.6. INGEMISCE,& eiula, IN, id est, præ, CONTRITIONE, seu acri dolore, LVMBORVM, qui te de facto corripiet, ac si parturientis in morem, lumbi tibi contererentur: vnde AMARITVDINES] id est, amarus animi sensus præ dolore lethifero. Amarum enim mortis epitheton est, psal.63. v. 4. *Rem amaram*, id est, mortem amaram. *Aqua amaritudinum*, (k)id est,mortem amarissimam secum adue-

k *Num.*5. v. 18.

hentes. Mox insigni hypotyposi viuam proponit imaginem eximij doloris,pauoris & luctus.

℣.7. PRO AVDITV, id est, propter auditum (l) nuntium, vt LXX. vertunt, supple aduentantis Chaldæorum exercitus, DISSOLVENTVR VNIVERSÆ MANVS, nempe timore robur omne corporis & animi eneruabitur: ET PER GENVA FLVENT (m) AQVÆ]id est, vrina, inquit Hieronymus.

l *Proprie de Idiotismo Hebr.* n. 41

m *Ezech.*7. v. 17.

℣.10. EXACVTVS EST & LIMATVS, id est, politus, GLADIVS diuinæ vindictæ, VT CÆDAT VICTIMAS, id est, vt homines more pecudum mactatos immolet Deo in victimam. Quia cædes impiorum non minùs grata est Deo, quàm oblatio victimarum: & illâ æquè placatur, atque sacrificio, (n)vt patuit in cæde Achan Iosue 7.v.25. Adeò dum ergo ô gladie Chaldæorum, QVI suo loco MOVES, id est, destruis, succidis virgam, seu SCEPTRVM,id est,regnum, FILII MEI dilectissimi, putà Israelis; multò minori negotio partim SVCCIDISTI, partim succides OMNE aliud LIGNVM, seu regnum mihi inimicum. ita Maldonatus, Pradus & alij.

n *Isaiæ* 34. v. 6. & *Ierem.*46. v.10.

℣.12. HIC gladius FACTVS, id est, aptatus, expolitus, exacutus EST IN POPVLO, id est, in populum *meum*,& IN CVNCTOS DVCES *Iudæorum fugitivos*. IDCIRCO PLAVDE super FEMVR.] id est. percute manu femur: (o) vel, VT v. 14. *manu manum*.

o *Ieiem* 31. v. 19.

Vtrumque est stupentium & valdè dolentium.

℣.13. QVIA PROBATVS EST esse probus & fidus gladius, nempe immersus iugulis ciuium Ierosolymitanorum, non est distortus neque obtusus. CVM ergo iam SVBVERTERIT ac succiderit tam robustam virgam, seu SCEPTRVM Iuda, ET NON ERIT] id est, adeò vt desierit esse; certè probauit se aptissimum esse excisioni etiam aliorum regnorum.

℣.14. DVPLICETVR AC TRIPLICETVR GLADIVS INTERFECTORVM] nempe triplici cæde per Nabuchodonosorem Iudæis obuentante; prima, sub *Ioakimo*;(p) secunda,sub *Ioachin*; (q) tertia, sub *Sedecia*.(r)

p *Ezech* 17. v. 6.

q *4. Reg.* 24. v. 10.

r *4.Reg.* 25.

℣.15. MVLTIPLICAT RVINAS: (s)id est,multos facit corruere occisos vel læsos: *amictus*, id est, inuolutus hactenus & pallio carnificis de more tectus,sed nunc inde repentè exemptus AD CÆDEM] ita R.Dauid & Pradus.

s *Psal.*109. v. 6.

℣.17. ET EGO PLAVDAM manibus,non præ dolore vel stupore,vt tu plaudis, sed præ gaudio, (t) insultans tibi quasi hosti meo. Sic solent tripudiantes manus frequenter complodere.

t *Psal.* 46. v. 2. *Thren.* 2. v. 15. & 4. *Reg.*11. v.12. &

℣.19. PONE, id est, delinea, TIBI in latercvlo, vel in assere, DVAS VIAS, id est, biuium, quod egresso à Chaldæa Nabuchodonosori occurret in fine deserti Arabiæ, IN CAPITE duplicis VIÆ, ducentis ad duplicem *ciuitatem*, nempe Ierosolymam, versus dexteram; & RABBATH metropolin FILIORVM AMMON, versus sinistram. Hoc in biuio stans Nabuchodonosor ritu gentis suæ CAPIET CONIECTVRAM, id est, inquiret vtram in partem debeat priùs inclinare. Inquiret autem triplici ser-

te seu diuinatione: Primò, manu COMMISCENS SAGITTAS. hæc *Belomantia* vocatur. Immittunt varias sagittas in vnam pharetram inscriptas, seu signatas nominibus singulorum de quibus est quæstio: cuius sagitta prior exierit, illius est sors. Secundum genus sortis, seu diuinationis Nabuchodonosori fuit ex responsis idolorum suorum, Bel, Nebo, &c. Tertium, ex cadauerum *extis*. (a)

a *Cicero l. 2 de Diuinat.*

℣. 22. Et omnis DIVINATIO per omnia hæc tria genera FACTA EST AD DEXTERAM EIVS, SVPER IERVSALEM, vt eò versus iter captaret, Deo sic permittente & sortes moderante, vt priori loco puniretur Ierosolyma. Ergo mox imperat Nabuchodonosor, eatur Ierosolymam, festinatque *ponere* ARIETES (b) quibus portas eius & muros quatiat: APERIT OS IN CÆDE, id est, mandat incolas omnes occidi: ELEVAT VOCEM IN VLVLATV] id est, sonat classicum cum fremitu ac clamore militum sese mutuo ad obsidium & excidium vrbis adhortantium; LXX *in clangore tubæ*. Sed quid ad hæc Iudæi?

b *Ezech. 4. v. 2.*

℣. 23. IN OCVLIS & opinione EORVM ERIT Nabuchodonosor QVASI CONSVLENS FRVSTRA ORACVLVM, id est, quasi frustrandus successu expeditionis ex oracuIo susceptæ. Hinc erit Iudæa & præsertim Ierosolyma, quasi SABBATORVM OTIVM IMITANS, id est, perinde otiabitur ac si sabbatum & festum ageret. Et putat Pradus, festa tunc de facto egisse *hebdomadum*, seu Tabernaculorum, mense Tisri, seu nostro Septembri, de quibus alibi. (c) Nempe Iudæi nil territi apparatu belli, securi otiabuntur, lætabuntur, festos agent dies, conuiuia celebrabunt. IPSE AVTEM Nabuchodonosor RECORDABITVR INIQVITATIS Iudæorum, maximè verò perfidiæ & periurij Sedeciæ; *recordabitur*, inquam, AD puniendum ea & vindicandum, nempe expugnatione, interceptione & excidio totius vrbis. Et quid mirum, recordari Nabuchodonosorem iniquitatis & perfidiæ vestræ! Vos ipsi etiam

c *Leuit. 23. & Num. 29*

℣. 24. RECORDATI ESTIS eiusdem perfidiæ à vobis commissæ, iactantes vos hoc nomine palàm & publicè, & vbique *reuelantes* præclarum hoc facinus vestrum, adeò vt etiam Chaldæi inaudierint; *idcirco* MANV eorumdem CAPIEMINI] ita Chaldæus, Pradus & à Lapide.

℣. 25. TV PROFANE DVX Sedecia, hebraicè, *polute*, nempe perfidia & periurio, & tot aliis sceleribus, CVIVS iam ADVENIT DIES vltionis, IN TEMPORE INIQVITATIS PRÆFINITÆ] id est, prædecreta à Deo, vt tibi tuisque obueniret eo tempore quo fœdus Chaldæo iuratum *iniquè* & perfidè violares.

℣. 26. AVFER CIDARIM, (d) id est, TOLLE CORONAM, seu tiaram regiam de capite tuo. NONNE HÆC EST corona, QVÆ te HVMILEM & abiectum SVBLEVAVIT in solium regium? sed iam capiti detracta SVBLIMEM HVMILIAVIT, & è summo fastigio ad ima deturbauit. Hanc igitur coronam tuam seu tiaram

d *Exod. 28. v. 4.*

℣. 27. PONAM INIQVITATEM; hebraicè, *ponam peruersitatem*, curuitatem vel obliquitatem: id est, efficiam vt ex *recta tiara*, (qualis Iolorum regum capitibus imponebatur, teste Alexandro,) fiat *incurua*, quali vtebantur priuati: id est, regem in ordinem redigam, & regiam dignitatem Iudæis adimam. idque sensim & gradatim: Primò, per Chaldæos; Secundò, per Græcos; Tertiò, per Herodem (e) & Romanos, quando extincto Hyrcano

Alex. l. 3. Curtil. c. 12.

e *Gen. 49. v. 10.*

A planè auferetur Iudæis sceptrum regium. Sed HOC NON FACTVM EST, id est, non fiet DONEC VENIAT CVIVS EST IVDICIVM] seu ius ad hoc sceptrum, id est, cui iure debetur. q. d. Dilatus est vltimus & completus regni Iudaici casus, donec veniat ille ad quem de iure pertinet illud regnum, qui est Messias & Christus. ita S. Hieronymus & alij Patres. *Huic* enim, vbi aduenerit, TRADAM hoc sceptrum & regnum, Lucæ 1. v. 32. *Et regnabit in domo Iacob in æternum.*

℣. 28. FILII AMMON, occupato in Iudæa Nabuchodonosori insultabant quasi non ausо bellum contra ipsos suscipere, simulque *exprobrabant*. Iudæis & Deo Iudæorum, quasi imbelli, nec potenti Chaldæis resistere. Sed vtrumque OPPROBRIVM dicit breui præcidendum eodem Chaldaico *mucrone*, qui nunc in iugulum sæuiebat Iudæorum.

B Idque

℣. 29. CVM TIBI, ô Ammon, VIDERENTVR ac prædicerentur VANA, seu MENDACIA, à tuis pseudoprophetis, putà immunitas & securitas. Agedum ergo ô mucro, distringere etiam SVPER COLLA VVLNERATORVM & cæsorum IMPIORVM Ammonitarum, TEMPORE *præfinito*, vt (f) suprà. Et peractâ etiam hac vindictâ, tum

f *Hic v. 25.*

℣. 30. REVERTERE ô mucro, AD VAGINAM TVAM, id est, in Chaldæam, in Babylonem: IBI TE quoque IVDICABO & puniam, per Cyrum & Darium, inquit S. Hieronymus & Theodoretus.

℣. 31. IN IGNE FVRORIS MEI SVFFLABO IN TE, ô mucro, in fornace quasi ignita, & sufflando accensa, exuram & consumam te: DABOQVE TE IN MANVS HOMINVM INSIPIENTIVM, nempe Persarum & Medorum, quos tu pro stultis nunc habes; sed deprehendes non insaniisse, cùm senties eos

C tibi INTERITVM *fabricasse*. Hebræum *baarim* potest etiam cum LXX. & Vatablo verti, *barbarorum*; cum Prado, *ardentium*, supple, ira & furore & sæuitia, inquit Polychronius. בערים

℣. 32. IGNI ERIS CIBVS: id est, igne absumeris. SANGVIS TVVS ERIT IN MEDIO TERRÆ] Id est, sub dio, palàm, publicè, audacter, inuerecundè, sine respectu, sine misericordia trucidaberis, neque vllus comparebit amicorum qui sanguinem tuum & cadauer colligat & sepeliat; sed in sanguine tuo & sanie computresces sub dio.

OBLIVIONI TRADERIS] nemo te plangет, nemo cadauer efferet, nemo sepulchro inferet, nemo mausolæum excitabit, quo solent nomina mortuorum viuis in memoriam reduci. q. d. Nomen tuum & fama simul cum vita extinguetur, & æterna obliuione spelietur. ita Pradus & à Lapide.

D

CAPVT XXII.

Recenset varia Ierosolymitanorum scelera, cædes, idololatriam, adulteria, incestus, vsuras, &c. quæ igni expianda prædicit.

℣. 2. NONNE IVDICAS? Id est, vt quid non arguis, non increpas, non damnas (*iudicare* enim significat quemuis actum *iudicij*) CIVITATEM SANGVINVM, id est, Ierusalem, quæ tot innocentum sanguinem fudit? Porrò synecdochicè per *effusionem sanguinis*, intelligit omnem iniuriam proximo illatam (g) contra secundam tabulam Decalogi: sicut per *idololatriam*, versu sequ. significat, omnia peccata contra primam tabulam, seu contra Deum, commissa.

g *Psal. 54. v. 24.*

h *Ezech. 21. v. 32.*

℣. 3. IN MEDIO VT, id est, palàm, (h) & impu-

ne, *effundit* SANGVINEM,id est, ius omne & æquitatem violat: ET IDOLA *facis* CONTRA SEMETIPSAM, id est, in damnum & perniciem suam; VT VENIAT tantò citiùs TEMPVS punitionis & supplicij EIVS. Tot enim nefandis sceleribus

℣. 4. APPROPINQVARE FECISTI DIES TVOS, id est, tuæ vltioni destinatos à Deo; chaldaicè, *dies interitus tui*. ET ADDVXISTI, id est, accelerare fecisti, contraxisti, TEMPVS ANNORVM TVORVM, quod diuina longanimitas tibi ad pœnitentiam agendam prolongare parata erat. Sic tempore Noë abbreuiati sunt 20. anni, Gen. 6. & 7.

Gen. 6. v. 3. & 6. 7. v. 11.

℣. 5. TRIVMPHABVNT DE TE; hebraicè, *insultabunt tibi*, irridebunt te, dicentes: O SORDIDA, NOBILIS. q. d. Quæ antè eras regina nobilis stemmate, opibus, potentia, gloria, quàm nunc facta es vilis & sordida meretricula! GRANDIS solo INTERITV, id est, clade, ruina, excidio tui. Quantò enim sublimior eras, tantò maiore fragore corruisti, tantò maiore vi collapsa es, tantò maiori probro contrita iaces. ita ferè S. Hieronymus.

℣. 6. SINGVLI PRINCIPES ISRAEL, ac præ aliis reges Iuda, IN BRACHIO SVO, id est, pro viribus suis, pro posse suo, conati sunt *effundere* SANGVINEM (a) & opprimere innocentes. Nempe non legibus iustitiæ, sed sola violentia rempublicam administrabant,

a *Hic v. 2.*

℣. 8. De *sanctuariis* (b) & *sabbatis* (c) vide alibi dicta.

b *Ezech. 22. v. 2.*

c *Cap. 23. v. 12. & 5.*

℣. 9. VIRI DETRACTORES: LXX. *viri latrones* (ex detractione enim rixæ & odia, inde bella & homicidia) SVPER MONTES, id est, in excelsis: COMEDERVNT idolothyta, ET SCELVS infandum patrarunt IN MEDIO (d) TVI, nempe quod sequitur:

d *Cap. 23. v. vlt.*

℣. 10. VERECVNDIORA PATRIS DISCOOPERVERVNT, id est, rem habuerunt cum vxore patris sui, seu cum nouerca sua: & *menstruis* immundam compressérunt. (e)

e *Leuit. 18. v. 19.*

℣. 13. COMPLOSI MANVS MEAS, more irati, indignantis & vindictam indicentis, SVPER AVARITIAM TVAM, quæ fons est omnium viginti quatuor scelerum hîc enumeratorum, inquit R. Dauid & alij Hebræi: *radix* (f) *enim omnium malorum est cupiditas*: & *auaro nihil scelestius*. Verùm misella ac superbula,

f *1. Tim 6. v. 10. & Eccli. 10. v. 9. Coloss. 3. & c*

℣. 14. NVMQVID SVSTINEBIT COR TVVM, id est, eritne animus tuus ferendo, ET MANVS, seu vires, TVÆ resistendo, IN DIEBVS afflictionis & supplicij, QVOS EGO FACIAM TIBI & superinducam? non odio, sed amore tui: nempe vt his pœnis

℣. 15. DEFICERE, seu desinere, FACIAM IMMVNDITIAM TVAM, & inolitas scelerum sordes. Quibus pœnitentiâ elutis, iterum vt antè

℣. 16. POSSIDEBO TE tamquam proprium peculium & hereditatem meam. ita Theodoretus, & ceteri Græci.

℣. 18. DOMVS ISRAEL, quæ priùs erat purum argentum, virtute nitens, religione splendens, nunc VERSA EST MIHI IN SCORIAM, (g) & in meras sordes. Quidam degenerarunt in Æs impudentiis malitiæ & obstinationis: quidam in STANNVM simulatæ pietatis: alij in FERRVM tyrannidis: alij in PLVMBVM auaritiæ, inquit Scholiastes. Ergo vt corruptum & adulteratum argentum, expurgare vos decreui, in fornace; vt moris est: quam vobis constituo

g *Ieremi. 6. in fine.*

℣. 19. IN MEDIO IERVSALEM] vbi pro lignis & carbonibus hostes accumulabo Chaldæos: pro folle potentiam & iram meam: pro igne, pestem, fa-

A mem, gladium. His omnes conflabo obstinatos, vt conficiam & absumam: alios, vt expiem, expurgem, & puros reddam.

℣. 20. ET REQVIESCAM] Id est, hærebo, continuabo in opere meo; hebraicè, *relinquam*, dimittam, sinam, vos hærere in fornace, donec *conflauero* vos, & vel plenè purgauero, vel planè absumpsero.

℣. 24. DIC EI, scilicet Iudææ, (h) TV ES TERRA IMMVNDA, tot sceleribus polluta, indigna quæ rore cælesti irrigeris, vel opis diuinæ pluuiâ compluaris, (i) quâ posset vel extingui flamma imminentis vltionis, vel saltem mitigari, IN DIE, seu tempore, FVRORIS.

h *Hic v. 19.*

i *Deut. 11. v. 16. Isaiæ 5. v. 6. Ierem. 3. Amos 4. v. 7.*

℣. 25. CONIVRATIO pseudo-PROPHETARVM celebratur IN MEDIO Iudææ & Ierosolymæ: qui instar leonum, ANIMAS miserorum ciuium DEVORANT, excitantes eos ad rebellandum Chaldæis; idque turpi lucri gratia, vt *pretio* falsarum prophetiarum suarum ad nutum & voluntatem vestram confictarum OPES sibi conquirant & augeant.

℣. 26. INTER POLLVTVM ET MVNDVM NON INTELLEXERVNT discrimen; LXX. *non distinxerũt*; Vatablus, *non indicarunt* plebi quid immundum, quid mundum; quid prohibitum, quid concessum esset lege diuina. v. g. in victimis, in contractibus, &c. A SABBATIS MEIS, aliisque festis AVERTERVNT OCVLOS SVOS, non curantes illa obseruari & sanctificari: ET sic COINQVINABAR] id est, profanè, neglectim & irreligiosè tractabar *ab illis*.

℣. 27. PRINCIPES politici, sunt QVASI LVPI, & plebeios per vim, per calumniam, per falsos testes opprimunt. In quo scelere

℣. 28. PROPHETÆ isti falsi *liniunt* EOS ABSQVE TEMPERAMENTO] (k) id est, confirmant & animant ipsos suis adulationibus & mendaciis, promittentes omnem securitatem & impunitatem.

k *Ezech. 13. v. 10.*

℣. 29. POPVLI TERRÆ, id est, plebeij & subditi, exempla magistrorum suorum sequentes, CALVMNIABANTVR CALVMNIAM, (l) ET RAPIEBANT *rapinam* (ita est in Hebræo:) id est, toti erant in calumniis concinnandis, & rapinis exercendis, ABSQVE IVDICIO, seu forma iustitiæ, contra omne ius & fas.

l *Prolog. de Idiotism. Hebr. n. 49.*

℣. 30. De *sepe* inter Deum & peccatores interponenda, vide alibi (m) dicta.

m *Ezech. 13. v. 5.*

CAPVT XXIII.

Sub parabola duarum meretricum, Oolla & Oolibæ, describit fornicationem, id est, idololatriam, tam Ierusalem, quàm Samariæ, id est, tam duarum Iudæ & Beniamin, quàm decem tribuum Israel: imò asserit Ierusalem in scelere superasse Samariam: vnde vtrique pœnam intentat adulterarum & homicidarum, putà lapidationem, incendium, gladium & excidium.

℣. 2. DVÆ MVLIERES, duæ respublicæ, scilicet Israel, & Iuda, FILIÆ MATRIS VNIVS, Saræ, Rebeccæ; vel in genere, Synagogæ.

℣. 3. FORNICATÆ SVNT, mysticè, id est, idolis se prostituerunt IN ÆGYPTO. Vbi SVBACTA SVNT VBERA EARVM ET FRACTÆ MAMMÆ] id est, conciderunt & laxatæ sunt mammæ, vt fit in corruptis: nam in virginibus solidæ & erectæ manent.

℣. 4. *Maiori* nomen erat OOLLA: id est, *tabernaculum eius*, supple, Samariæ, est in *Dan & Bethel*, continens vitulos aureos. Et hæc soror erat MAIOR, quia numerosior, constans decem tribubus.

Minori, quæ non nisi duas continebat tribus, NOMEN erat OOLIBA] id est, *tabernaculum meum in ea*.

Quia

Quia templum Domini erat Ieroſolymæ.

Et ambas HABVI quaſi vxores : cùm ſub Ioſue, (a) Dauide, & aliis piis principibus, mihi quaſi marito adhærerent.

a *Ioſue vlt. v. 31.*

℣. 5. OOLLA, id eſt, Samaria, prior defecit, & FORNICATA EST SVPER ME, id eſt, contra me, Chaldæus, *à cultu meo*, nempe ſub Ieroboam. (b) Maximè verò INSANIVIT IN ASSYRIOS PROPINQVANTES, id eſt, venientes ad ſe, vt vertit Noſter v. 12.

b 3. *Reg.* 12. *v.* 28.

℣. 7. ET DEDIT FORNICATIONES SVAS SVPER EOS, id eſt, proſtituit ſe illis, qui erant IVVENES CVPIDINIS] (c) id eſt, expetibiles, amabiles, formoſi, illecebroſi. q.d. Forma, opibus, veſtitu & luxu Aſſyriorum illecta, deos eorum coluit. Videtur loqui de principibus Aſſyriis, qui cum *Phul* (d) in terram Iſrael venerunt, 4. Reg. 15. *v.* 19. inquit R. Dauid.

c *Dan.* 9. *v.* 23.

d *Chronici c.* 33.

℣. 10. IPSI Aſſyrij DISCOOPERVERVNT IGNOMINIAM EIVS; Chaldæus, *nuditatem*. Phul enim & Teglat-phalaſar, (e) & Salmanaſar, (f) ſpoliarunt Samariam, & ignominioſè tractarunt, quin ET OCCIDERVNT, id eſt, vaſtarunt, exciderunt, incenderunt. Vt ſolet adulter, qui adulteræ libidine ſatiatus, eam ſpoliat, nudamque abigit vel occidit : vt & dæmon facit peccatoribus, inquit S. Hieronymus. Et ſic Oolla cum filiabus ſuis, id eſt, Samaria cum vrbibus ſibi ſubiectis, FACTÆ SVNT MVLIERES toto orbe FAMOSÆ, id eſt, celebres, vt flagitiis, ita & ſuppliciis. Horrenda enim IVDICIA ; LXX. *vltiones*, PERPETRAVERVNT Aſſyrij IN EA.

e 4. *Reg.* 15. & 1. *Paral.* c. 5. *v.* 26. &c.

f 4. *Reg.* 17. *v.* 4. & 6.

℣. 11. OOLIBA, quæ hoc ſororis exemplo melior fieri debuerat, facta eſt deterior, & FORNICATIONEM SVAM auxit SVPER FORNICATIONEM SORORIS SVÆ] id eſt, magis inſaniuit *Ieruſalem* (g) in idola, quàm inſanierat *Samaria*.

g 4. *Reg.* 16. & 21. & *Ierem.* 3. *v.* 6. &c.

℣. 12. PRÆBVIT IMPVDENTER] ſupple, ſe ad fornicandum cum Aſſyriis. (h)

h 4. *Reg.* 16. *v.* 10. & c. 21. *v.* 2.

℣. 14. CVMQVE VIDISSET (i) IMAGINES etiam CHALDÆORVM EXPRESSAS COLORIBVS] Hebraicè, *depictas minio*, quod ceruſſæ admixtum, ad viuum refert roſeum colorem carnis humanæ, inquit Plinius. Quæ imagines referebant

i *Ezech.* 2. *v.* 3. & 5. *Plin. l.* 33. *c.* 7.

℣. 15. SIMILITVDINEM FILIORVM BABYLONIS, IN QVA ORTI SVNT] id eſt, ita erant adornatæ, ſicut ornantur nobiles Babylonij. Porrò ex amore iuuenum proſerpſerunt Iudæi ad deos eorumdem amandos & colendos, & ad

℣. 17. CVBILE MAMMARVM] id eſt, amorum, ſeu amantium. Vtrumque enim ſignificat Hebræum *dodim*, vt alibi (k) dixi.

k *Cant.* 1. *v.* 1.

דדים

℣. 18. RECESSIT ANIMA MEA, id eſt, affectus meus, AB Ooliba, & fœdifragam atque adulteram exoſam habere cœpi.

℣. 20. Chaldæorum CARNES ; LXX. *pudenda*, SVNT vt pudenda ASINORVM : ET ſeminis EORVM FLVXVS, SICVT FLVXVS EQVORVM] Indicatur profuſa Chaldæorum libido & idolomania, quam æquè effusè ſectati ſunt Iudæi, inquit Theodoretus, Polychronius & Scholiaſtes.

℣. 21. ET nihilo tamen minùs VISITASTI quoque, id eſt, iteratò repetiiſti, SCELVS ADOLESCENTIÆ (l) TVÆ] id eſt, veterem in Ægypto hauſtam idololatriam.

l *Hic v.* 8.

℣. 24. ET DABO CORAM (m) Chaldæis IVDICIVM cauſæ tuæ : id eſt, permittam illis ſcelerum tuorum cognitionem, damnationem & vltionem, vt pro ſuo arbitratu de te ſtatuant, *iudicentq;* te IVDICIIS non meis miſericordia plenis, ſed SVIS (n) crudeliſſimis.

m *Deut.* 30. *v.* 15.

n 4. *Reg. vlt.*

℣. 25. ZELVM MEVM, id eſt, zelotypam vindictam, ſeu punitionem, PONAM IN TE per Chaldæos : QVEM *exercebunt* ipſi meo nomine TECVM ſummo FVRORE : NASVM TVVM ET AVRES PRÆCIDENT, id eſt, reddent te turpiſſimam. Alludit ad pœnam adulterarum, quas Ægyptii, teſte Rhodigino, naribus truncabant. Hebræi, Chaldæus, S. Hieronymus, Maldonatus & Pradus per *naſum* regem intelligunt, vniuerſo populo præeminentem : per *aures* pontificem, quia per eum vox Dei audiebatur. Sed hic ſenſus eſt ſymbolicus. ET NOVISSIMVM TVVM id eſt, vrbis reliquiæ, palatia, templum, DEVORABITVR IGNI.

Rhodig. l. 21 *c.* 45.

℣. 28. DE QVIBVS, id eſt, quorum libidine & idololatria, SATIATA EST ANIMA TVA] id eſt, appetitus tuus.

℣. 29. TOLLENT OMNES LABORES TVOS] id eſt, omnem ornatum, omnes theſauros, omnia monilia tua, quibus parandis & concinnandis adeò laboraſti.

℣. 31. IN VIA SORORIS TVÆ AMBVLASTI : id eſt, imitata es mores & ſcelera Samariæ ; bibes ET CALICEM (o) EIVS] id eſt, iiſdem pœnis plecteris.

o *Pſalm.* 15. *v.* 5. *Pſalm.* 74. *v.* 9. *Pſalm.* 115. *v.* 4. *Matth.* 26. *v.* 39.

℣. 32. CALICEM, inquam, BIBES PROFVNDVM ET LATVM, altitudine & amplitudine pœnarum & ſubſannationum. Qvæ, ſupple, *patera*, in Hebræo enim *calix*, vt Noſter vertit, eſt feminini generis) EST CAPACISSIMA vini meri & calidi, MOERORIS ET TRISTITIÆ, vt ſequitur,

℣. 33. EBRIETATE ergo ET DOLORE REPLEBERIS : nam EPOTABIS ILLVM VSQVE AD FÆCES, vſque ad fundum. Quòd ſi calicem confringi contigerit. FRAGMENTA EIVS DEVORABIS] vt cogunt ſubinde importuni compotores. Vel *deuorabis*, id eſt, linges, lambes, vt ne guttula quidem reliqua adhæreat fragmentis:

℣. 35. QVIA PROIECISTI ME POST CORPVS, ſeu poſt tergum, TVVM retrorſum : id eſt, oblita es mei, ſpreuiſti me, antepoſuiſti mihi idola tua & voluptates, inquit S. Hieronymus & Theodor.

℣. 36. NVMQVID IVDICAS?] vide ſuprà. (o)

p *Ezech.* 22 *v.* 2.

℣. 37. SANGVIS ecce adhuc hæret IN MANIBVS EARVM, nempe ex occiſis Prophetis & aliis innocentibus, inquit à Lapide : vel, vt Pradus, de homicidiis publicè ſe iactant, oſtentant & gloriantur. INSVPER ET FILIOS SVOS ac meos OBTVLERVNT idolis AD DEVORANDVM] id eſt, vt in eorum honorem igne cremarentur (q) & deuorarentur.

q *Leuit.* 18. *v.* 21 & 3. *Reg.* 3. *v.* 27. & *c.* 11. *v.* 5. & 4. *Reg.* 23. *v.* 10.

℣. 39. IN DIE ILLA eadem qua in valle Gehennon (r) IMMOLARANT FILIOS SVOS idolo Moloch, auſi ſunt *ingredi* etiam SANCTVARIVM, id eſt, templum MEVM, illudque polluere, inquit Chaldæus. Quin & IN MEDIO DOMVS MEÆ FECERVNT HÆC eadem, id eſt, idolis immolarunt, &c. vt patet ex (ſ) dictis.

r *Ibid.*

ſ *Ierem.* 7. *v.* 30. & *Ezech.* 8. *v.* 10.

℣. 40. AD VIROS VENIENTES DE LONGE, id eſt, Chaldæos, MISERANT NVNTIVM ad procos inuitandos & accerſendos. Ecce hi iam VENERVNT, iam adſunt illi proci, illi amaſij tui, QVIBVS vt placeres, TE LAVISTI, ET STIBIO CIRCVMLINISTI OCVLOS, &c.] vt ſolent meretriculæ excepturæ amaſios ſuos, inquit Theodoret. Sic lota, ſic compta, ſic fucata

℣. 41. SEDISTI ad menſam IN *lectulo* PVLCHERRIMO, inſtar reginæ cuiuſdam aut deæ. Cùm enim in femina turpis ſit accubitus, ſedebant illę ad menſam, viris de more (t) cubantibus, inquit Valerius Maximus.

t *Eſther* 1. *v.* 6. *Val. Max. l.* 2, *c.* 1.

MENSA

MENSA epulis sumptuosè ac splendidè *instructa* erat ANTE TE. Notat mensam sacram, id est, altare quod idolis instruxit. (a)

a Ezech. 41. v. 22.

THYMIAMA MEVM, id est, mihi soli apponi licitum, apposuisti idolis.

¥. 42. VOX MVLTITVDINIS, seu turbæ procorum EXVLTANTIS & carmina amatoria concinentis ERAT IN Ooliba, id est, in Ierusalem: ET IN VIRIS, seu inter viros mœchos, audiebatur similis vox exultationis & cantus. Viros, inquam, non modò speciosos & nobiles, quales fuerant Assyrij (b) & Chaldæi: (c) sed & viles ac deformes, QVI DE MVLTITVDINE, seu fæce HOMINVM erant, vilia mancipia, deformes Æthiopes, VENIENTES DE DESERTO Arabiæ; hebraicè, *sebaim*, id est, Sabæi: סובאים סובאים LXX. legerunt *sobeim*, id est, ebrij. His tam vilibus, tam sordidis amasiis suis, insani Ierosolymitani, in signum grati aduentus, POSVERVNT ARMILLAS IN MANIBVS, ET CORONAS SPECIOSAS IN CAPITIBVS] vt hilariùs conuiuarentur. more priscis vsitato, inquit Aristoteles, Athenæus, Plutarchus, Rhodiginus & Stuckius.

b Hîc v. 6.
c Hic v. 23.

Arist. libro Sympos. Athenæus l. 25. Plutarch. 3. Sympos. 1. Rhodig. l. 27 c. 26. Stuckius de Conuiual.

Notat proiectam Iudæorum libidinem, & sub hac idololatriam, inquit Theodoretus, Hieronymus & Latini omnes. Nam LXX. & Chaldæus volunt amasios meretricibus dedisse armillas & corollas, non meretrices amasiis. Potest vtrumque dici factum.

¥. 43. ET DIXI Oolibæ iam ATTRITÆ; Chaldæus, *inueteratæ*, IN ADVLTERIIS: Itáne verò? ETIAM HÆC vetula *fornicari* perget NVNC quoque in decrepita ætate? & quidem tam multiplici, tam fœda, tam publica FORNICATIONE, atque solet in adolescentia sua. Ecce enim promiscuè omnes qui voluerunt

¥. 44. INGRESSI SVNT AD EAM QVASI AD MERETRICEM omnibus prostitutam. Sed benè habet, qui ad eam ingrediuntur,

¥. 45. VIRI IVSTI SVNT, iustitia politica, quæ ius suum cuique tribuit. sunt & iustæ sententiæ diuinę executores. Hi (d) IVDICABVNT Iudęos IVDICIO & pœnâ ADVLTERARVM ET EFFVNDENTIVM SANGVINEM] nempe lapidatione, incendio, gladio & excidio, vt hîc & in Leuitico exponitur. Designat verò lapides, quos è balistis in obsessos eiaculabantur.

d 4. Reg. vlt.

Leuit. 20.

CAPVT XXIV.

Metaphora lebetis pleni carnibus, appositi ad ignem, significat Ierosolymam cum ciuibus obsidendam & igni absumendam. Moritur inde vxor Ezechielis, quam vetat plangi Deus: vt portendat, in communi clade & excidio neminem planctum singulari planctu mortem, seu vxoris, seu patris, seu fratris sui.

¥. 2. SCRIBE TIBI NOMEN & omnes circũstantias DIEI HVIVS IN QVA Nabuchodonosor CONFIRMATVS EST, id est, castra fixit ad mœnia vrbis Ierosolymitanæ, & eam vallare cœpit, nempe *anno nono regni Sedeciæ, decima die mensis decimi*, vt 4. Reg. vlt. v. 1. expressè adnotatur: & eâdem illa die, imò diei articulo, reuelauit hæc Deus Ezechieli Babylone tum degenti.

¥. 3. ADDOMVM (e) IRRITATRICEM] Id est, ad Iudæam mihi rebellem, meque irritantem suis sceleribus & exasperantem.

e Ezech. 2. v. 3. & 6. 3. v. 5. &c.

PONE OLLAM de qua c. 11. v. 3. hæc est Ierosolyma. (f) MITTE IN EAM AQVAM, id est, miserias & calamitates ex longa obsidione in vrbem inuectas. Anagogicè, olla hæc est mundus, conflagraturus in fine sæculi, vt omnes eius sordes expientur, inquit S. Hieronymus.

f Hic v. 6.

¥. 4. CONGERE IN EAM FRVSTA *pinguissimi pecoris*, id est, membra reipublicæ admodum lasciuientis: OMNEM PARTEM BONAM, id est, optimum quemque ac ditissimum incolarum, nempe caput, id est, regem: cor, pontificem: viscera & adipem, sacerdotes: femora, milites: armos, magnates: crura, opifices: electa & ossibus plena, id est, optima & solidissima quæque membra, quæ ossibus & medulla plena esse solent, sunt magistratus.

¥. 5. OSSIVM STRVES SVB olla, quæ vnà cum ligneis ardeant, & focum augeant, sunt ossa innocentium à Iudæis iugulatorum, quæ causa sunt maioris tormenti ossibus quæ in olla coquuntur, id est, magistratibus & iudicibus, vt iam dixi. Adeò verò EFFERBVIT, paulatim procedente obsidione, COCTIO *olle*, VT DISCOCTA, id est, percocta, seu coquendo consumpta, (g) SINT, & in minuta frusta dissilierint etiam OSSA, alioqui durissima, id est, attriti & absumpti sint fame, peste, gladio, etiam potentissimi Iudæorum.

g Hîc v. 10

¥. 6. RVBIGO; hebraicè, *adustio*, est illa immunditia, seu sordes, (h) quæ ob nimiam adustionem carnium, ollæ adhærescunt. Designat impœnitentiam & obstinationem obsessorum.

h Hic v. 11.

PER PARTES EIICE: id est, euacua ollam frustatim, & frusta dissice quoquouersum. hoc symbolo denuntians, obsessos, postquam omni genere afflictionum percocti fuerint, tandem vel morte educendos; vel, si in viuis manserint, in omnem ventum ventilandos, idque temerè & citra delectum: NEQVE enim CECIDIT aut cadet SORS vlla SVPER EOS, qua exquiratur quot & quinam perituri sint, quinam seruandi: sed manet omnes communis interitus. ita S. Hieronymus, Apollinaris, Maldonatus & alij.

¥. 7. SANGVIS ENIM EIVS, id est, in ipsa & ab ipsa profusus (i) (Allegoricè, sanguis Christi) IN MEDIO EIVS, (k) id est, in propatulo & publicè profusus est, SVPER LIMPIDISSIMAM PETRAM, vbi scilicet nulla est terra, nullus puluis, à quo sanguis imbibatur ac tegatur. Talis erat rupes Golgotha, in qua Christus occisus est, inquit S. Hieronymus & Theodoretus. q. d. Ierusalem non abscondit cædes Prophetarum vel aliorum innocentum, sed apertè & publicè in oculis omnium eas patrauit.

i 4. Reg. 12. v. 10.
k Ezech. 22. 3. & 13.

¥. 8. DEDI igitur & ego vicissim SANGVINEM EIVS SVPER PETRAM LIMPIDISSIMAM] q. d. Publicè peccauit, publicè à me plectetur.

¥. 9. CVIVS EGO GRANDEM FACIAM PYRAM] seu rogum, nempe cæsorum vel cremandorum, sicut illa congessit *grandem* scelerum *pyram*.

¥. 12. NON EXIVIT RVBIGO ollæ NE quidem PER IGNEM: id est, malitiâ Iudæorum cladi & captiuitati superstitum, ne illo quidem igne abrasa est quò arsit templum & omnia vrbis palatia. (hoc infrà (l) ipsis exprobrat.) Neque verò abradetur, DONEC INDIGNATIONEM MEAM exsatiauero IN TE plectenda, & satiatam QVIESCERE (m) *fecero*.

l Ezech 33. v. 24 &c.
m Cap. 16. v. 42. &c.

¥. 16. DESIDERABILE; hebraicè, *desiderium*, OCVLORVM TVORVM, id est, vxorem tuam vnicè gratiosam & à te adamatam, TOLLO A TE IN PLAGA] hebraicè, *violenta morte*. Hęc est Ierosolyma vi à Chaldęis euertenda.

¥. 17. INGEMISCE TACENS, id est, secretò

gemc,

geme, sed gementem nemo audiat. Innuit Deus, etiam se præter voluntatem suam sustinere illatas populo suo clades, inquit Theodoretus: MORTVORVM LVCTVM, seu consueta in funeribus adhiberi lamenta, NON FACIES. CORONA TVA, id est, *cæsaries*, vt LXX: vel, vt alij, *mitra* & tiara tua sacerdotalis maneat CIRCVMLIGATA capiti tuo vittis seu lemniscis suis. NEC AMICTV ORA tua VELABIS, vt (in signum quasi intercepta respirationis) fieri solet ad mortem damnatis. (a) q.d. Noli more lu-
a *Esther 7. v.8. & 8.6. v.12. & 2.Reg.15. v.30.* gentium, (qui miserrimam vitæ conditionem, qualis est mancipiorum, vel supplicio afficiendorum, affectare ac præ se ferre solent) caput crinibus vel pileo denudare, calceos pedibus detrahere, vultum obuelare, epulum (b) funebre instituere, Præsignificant hæc omnia, in occasu Ieroso-
b *Tob.4. v.18. & Prov. 31. v.6.* lymæ vicinas gentes non facturas luctum, sed plausum; neque repertum iri qui afflictæ condoleant vel compatiantur: ipsos verò illius incolas adeò timore & miseriis opprimendos, vt deuicta ac prostratâ naturâ, ne lacrymas quidem in morte amicorum fundere, aut iusta funebria curare pos-
c *Ierem.16. v.5.* sint. (c)

℣. 21. EGO POLLVAM, id est, profanabo per Chaldæos, SANCTVARIVM, id est, templum, MEVM, SVPERBIAM IMPERII VESTRI; græcè, *templum magnificum*, quo adeò superbitis & gloriamini. Nisi malis *superbiam imperij* interpretari superbum ac gloriosum imperium, seu regnum Iudaicum. ET DESIDERABILE OCVLORVM VESTRORVM, id
d *Hic v.25.* est, VXORES (d) vestræ, & proles GLADIO CADENT.

℣. 25. FORTITVDO Iudæorum vocatur templum, quòd munitissimum (e) esset tum situ loci, tũ
e *3.Reg.8.* protectione Dei: vnde Iudæis omne auxilium, potentia & robur. Item GAVDIVM DIGNITATIS vocatur, eò quòd pulchritudine & ornatu suo omnes recrearet & gaudio afficeret: suaque dignitate & maiestate diuinæ præsentiæ omnibus esset summæ veneration. Quod magis quadrat in templa Christianorum, & in Vener. Eucharistiam, inquit Pradus & à Lapide. Et hæc quidem rectè iam & per parabolas significabis Iudæis obuentura. Sed

℣. 26. ILLA DIE, qua *veniet ad te* nuntius captæ, incensæ & euersæ vrbis ac templi, vt infrà (f) vide-
f *Ezech.33. v.22.* bimus, tunc

℣. 27. APERIETVR OS TVVM, ET apertè ac liberè LOQVERIS, & quasi digito monstrabis, Ecce videris iam excisam vrbem & templum, vt prædixeram. Tunc ERIS *illis* IN PORTENTVM] id est, agnoscent te verè portendisse futura.

CAPVT XXV.

Etiam Ammonitis, Moabitis, Idumæis ac Philisthæis prædicit excidium per Chaldæos; eò quòd de Iudæorum vastatione exultarint, & ad eam inuerint, etiam cum exprobratione diuini numinis, quasi se suosq; ac templum suum tueri non posset.

℣. 3. DICES FILIIS AMMON] Non illis audientibus dicit, sed Iudæis conceptiuis suis: idque vt hos soletur, ex eo quòd Deus iniurias ipsis illatas vlturus sit. Et poterant hæc litteris etiam perscribi Ammonitis, de quibus suprà (g)
g *Ezech.21. v.19 & 28. & 25. Cap.24. v.21. Sophon.2. v.8. & Amos 1. v.13. & Ierem. 49.* pluribus. DIXISTI, EVGE, EVGE, SVPER SANCTVARIVM MEVM; LXX. *gauisi estis in euersione templi*, QVIA POLLVTVM, (h) id est, profanatum EST] Similia de Ammonitis habet Sophonias & Amos & Ieremias.

℣. 4. TRADAM TE FILIIS ORIENTALIBVS] id est, Chaldæis, inquit S. Hieron. & Hebræi. Nam quinto anno post excisam Ieroso-
Ioseph. l.10. Antiq. c.11. lymam excidit Nabuchodonosor etiam Ammonitidem, vt refert Iosephus. Possunt etiam per *Orientales* cum Theodoreto & Maldonato intelligi *Arabes*, qui passim
Gen.25. v.6. &c. in Scriptura (i) vocantur *filij Orientis*, erantque tunc socij & adiutores Chaldæorum: alioqui vt plurimùm pastoritiam exercebant: quibus aptissimè conueniunt quę de caulis, pecoribus & camelis hîc subiunguntur.

℣. 7. INTERFICIAM TE DE POPVLIS] Id est, excindam te, ne sis amplius de numero populorum. Simile excidium prædic etiam

℣. 8. *Moabitis* (k) fratribus ac vicinis Ammonitarum. Item SEIR, id est, Idumæis, (l) posteris Esau. Quia exprobrastis Iudæis, quòd sint SICVT OMNES aliæ GENTES] scilicet obnoxij calamitatibus bellicis & arbitrio victoris Chaldæi, nec Deum habeant sibi assistentem, nec quidquam aliud eximium præ aliis populis.
k *Ierem.48. & Isaiæ 16.*
l *Genes.25. v.25. & Ierem. 49. v. 7. & Abdiæ 1. v.10. & Psal.136. v.7.*

℣. 9. ECCE APERIAM FILIIS ORIENTIS, id est, Chaldæis & Arabibus, HVMERVM MOAB DE CIVITATIBVS, id est, firmissimas ac munitissimas ciuitates & arces Moabitarum. Hæc enim speciem habent humerorum: & omne robur hominum est in humeris ac brachiis, sicut tauro in cornibus. DE FINIBVS EIVS, INCLYTAS TERRÆ] id est, limitaneas regionis Moabiticæ arces & oppida, quæ *inclyta*, id est, nobilissima, seu munitissima esse solent. qualia erant tria ista quæ hîc nominantur in textu.

℣. 11. IN MOAB FACIAM IVDICIA, seu vltionem, sicut feci in *Ammon.* ita S. Hieronymus. Faciam item *in Idumæam*,

℣. 12. PRO EO QVOD FECIT VLTIONEM DE FILIS IVDA] coniungens se Chaldæis in expugnatione Ieroso-
Abdiæ 1. v.14. lymæ, vt patet ex Abdia: & terras illorum iam in Chaldæam abductorum violentè occupans vnà cum Ammonitis, qui teste Ieremia
Ierem. 49. v.1. Iudæam vindicabant sibi quasi propriam hereditatem.

℣. 13. *Idumæam* FACIAM DESERTAM *à Theman* (sic est in Hebræo, & Hebręum nomen retinent LXX.) id est, AB AVSTRO, (m) vt Noster vertit. *Theman* enim, Idumęę vrbs primaria, sic dicta à nepo-
m *Proleg. de Idiotismis Hebr. n.17.* te (n) Esau, sita erat ad *Austrum*, sicut *Dedan* ad Aquilonem. ita Maldonatus & à Lapide. Innuit ergo, totam Idumęam ab Austro ad Aquilonem vas-
n *Genes 36. v.15.* tandam per Chaldęos: vt reipsa vastatam fuisse quinquennio post excisam Ieroso-
lymam, testatur Iosephus. Neque per Chaldęos solùm, sed & subsecuturis temporibus vastabitur

℣. 14. PER MANVM POPVLI MEI ISRAEL] Quod de Machabæis interpretatur Vatablus, & res gesta narratur 1. Mach. 5. v. 3. Vide plura de excidio Idumęorum Ieremię 49.

℣. 16. INTERFICIAM INTERFECTORES; hebraicè, *interficiam Ceretbim*, (o) id est, interfectores כרתים (vt etiã verterunt Aquila, Symmachus & Theodo-
o *1.Reg.30. v. 14. & Proleg de Idiotismis Hebr n.17. Ribera in Sophon.2. num.11.* tion) vel excisores. Quod nomen obtinuerunt omnes Philisthęi, vt vult Ribera; vel, vt alij, prouincia vna Philisthęorum, quòd prę ceteris bellicosi essent & feroces. E quibus Dauid sublegit cohortem vnam ad corporis sui custodiam, 2. Reg. 15. v. 18. LXX. pro *Ceretbim* verterũt *Cretenses*: quo nomine designant non insulanos nostros, sed Palęstinę incolas, qui coloniam videtur duxisse in insulam; inde *Cretum* dictam, inquit Pradus, Pineda & à Lapide. Eosdem Palęstinos vocat hîc RELIQVIAS
Pineda l. 2. de rebus Salom. c. 4.

MARI-

MARITIMÆ REGIONIS]quòd accolæ essent maris Mediterranei. Ex toto capite discè quàm displiceant Deo qui proximorum calamitati non condolent, sed gaudent, insultant & exprobrant.

CAPVT XXVI.

Etiam Tyro idem quod aliis regnis excidium minatur, hoc & duobus sequentibus capitibus, eò quòd & ipsa invidens & æmula gloriæ Ierosolymorum, in eorum clade exultarit. Similia Tyro comminati sunt Isaias, Ieremias & Amos.

Isaiæ 23. Ierem. 47. v. 3. Amos 1. v. 9

℣.1. PRIMA die MENSIS quinti, inquit Rabbi Dauid, Pradus & à Lapide. Cùm enim capta sit Ierosolyma mense 4. die 9. eiusdem huius anni 11. Sedeciæ: & iam hic Prophetæ reueletur *prima* die *mensis* Tyrum Ierosolymæ insultasse, *Euge, confracta sunt portæ*, &c. non potuit illud citiùs quàm prima die proximi mensis quinti, qui erat *Ab* (a) & ferè nostro Iulio respondebat, contigisse.

a *Chronici c. 4.*

℣.2. PORTÆ POPVLORVM, id est, portæ vrbis Ierosolymæ, receptaculi omnium populorum. Erat enim emporium celeberrimum ad quod mercaturæ & religionis causa ex toto orbe concurrebatur, q.d. Mercatus, seu negotiatio Iudæorum concidit, & AD ME CONVERSA, seu, translata, EST: vnde loco ipsius, ego TYRVS exinceps IMPLEBOR mercatoribus, mercibus, opibus.

℣.4. Ego verò DE TYRO RADAM etiam PVLVEREM EIVS. Est hyperbole. q. d. Iactat Tyrus se totius orbis opibus implendam: ego autem faciam vt ne puluisculus quidem in ea remaneat, sed relinquatur nuda ac LIMPIDA PETRA] qualis erat antequam vrbs ibi construeretur. Vnde & hebraicè צור *tsor*, id est, *petra*, vocatur. Terra enim deforis eò inuecta fuerat ad ædes & hortos inibi excitandos. Quâ rursum per Chaldæos detersâ, manebit *limpidissima petra*; LXX. *nitidissima rupes*, nec nisi

℣.5. SICCATIO SAGENARVM] in qua piscatores sagenas, seu retia sua madefacta extendant & exsiccent. ita Theodoretus.

℣.6. FILIÆ QVOQVE Tyri, putà Sidon & aliæ vrbes ac vici Tyro quasi metropoli, seu matri subiectæ, (b) GLADIO *cadent*.

b *Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 40. c 4. Reg. vlt. v. 18.*

℣.7. REGEM REGVM (c) vocat Nabuchodonosorem qui multos reges habebat sibi subiectos; multos etiam captiuos (d) Babylone, fortitudine autem & rerum gestarum magnitudine reges pæne omnes superauit, etiam Herculem, inquit Megasthenes apud Iosephum.

d *Dan 2. v. 37. Ioseph. l. 10. Antiq. c. 13.*

℣. 8. ELEVABIT CONTRA TE CLYPEVM, seu testudinem, quæ erat continuata clypeorum series à subiectis militibus, curuata in formam animalis quod testudo vocatur. q. d. Iubebit milites suos sublatis consertisque clypeis contra te testudinem facere, per quam in muros tuos inscendant, vrbem inuasuri. De quo vide Liuium & Vegetium.

Liuius l. 4. de Bello Macedon. Veget. l. 4. de Milit.

℣.9. VINEÆ (q.d. viminеæ) erant magni corbes ex vimine contexti, quibus terra impletis obsidentes se tegebant aduersus ictus obsessorum, dum ad murorum fundamenta subruenda penetrarent, inquit Vegetius. De arietibus (e) alibi dixi.

e *Ezech. 4. v 2. Curt. lib. 4. vitæ Alex. Plutarch. problem. 61.*

℣. 11. STATVÆ TVÆ NOBILES deorum tuorum, *Herculis* & *Apollinis*, inquit ex Curtio & Plutarcho Pradus: vel generatim, vt Vatablus, imagines clarorum virorum, columnæ, pyramides, arcus triumphales, CORRVENT.

f *Isaiæ 23. v. 15. & Proleg. sup. v. 27.*

℣. 14. NEC ÆDIFICABERIS VLTRA] id est, in longum tempus, vt alibi (f) dixi.

℣.20. CVM DETRAXERO TE EX RVPE tua in mare, id est, ex summa gloria in profundum miseriarum, CVM mortuis QVI DESCENDVNT IN LACVM, id est, in foueam, in sepulchrum: AD POPVLVM SEMPITERNVM] (g) id est, æternùm mortuum. Sic *terram nouissimam*, seu infimam, vocat sepulchrum vel infernum.

g *Ierem. 51. v. 35 & 47. & Tetu 3. v 6.*

PORRO CVM DEDERO aliis postliminio rediuiuam GLORIAM suam IN HAC TERRA VIVENTIVM] id est, cùm restituero Iudæos, Ammonitas & Moabitas pristinæ felicitati & gloriæ suæ:

℣. 21. TE IN NIHILVM REDIGAM, id est, tuim gloriam, imperium, opes, delicias, palatia, incolas è medio tollam, & VLTRA non erunt IN SEMPITERNVM] id est, toto sæculo, seu longissimo tempore non instaurabuntur, vt suprà. (h)

h *Hic v. 14. & Isaiæ 23. v 13.*

CAPVT XXVII.

Sub nauis onerariæ allegoria superbiam, diuitias & gloriam Tyri commemorans, eiusdem ruinam in naufragio non absimilem prædixit.

℣.3. HABITAT IN INTROITV MARIS: ac si dicat, Est portus, & quasi porta maris. NEGOTIATIO POPVLORVM, id est, celebertimum emporium, vbi negotiationem exercent populi ex omnibus insulis ac regnis, inquit S. Hieronymus. *Dicis* & iactas te, quòd PERFECTI sis DECORIS] quasi plena & vniuersalis pulchritudo insit tibi, non iam dono Dei, sed propria tua virtute atque industria. Quæ ingens est superbia, inquit S. Hieronym.

℣.4. IN CORDE, id est, in medio, MARIS SITA] vtpotè insula, quatuor stadiis, id est, 500. passibus, seu medio milliari Italico distans à terra, inquit Curtius & Plinius. Sed Nabuchodonosor, & post eum Alexander Magnus, saxis, trabibus, terræ immensa quantitate in mare coniectis, ex insula fecit peninsulam, vt pedibus adiri & expugnari posset: & sic vsque hodie perseuerat.

Curtius l. 4. sup. Plin. lib 5. c. 19.

FINITIMI TVI QVI TE ÆDIFICAVERVNT, puta Phœnices, (quorum est metropolis,) etiam IMPLEVERVNT DECOREM & ornatum TVVM] id est, omni genere ornamentorum exornarunt te. q. d. Tu tibi arrogas ornatum & splendorem tuum; falleris, ab alienis accepisti illum.

Nota. Primus, Tyri conditor fuit *Thiras* (i) septimus filiorum *Iaphet*. Sed tempore Iosiæ à Sidonus ceterisque Phœnicibus instaurata, ampliata, & magnificentissimè exornata fuit, teste Beroso & Iustino apud Adrichomium.

i *Genes. 10. v. 2.*

Iustin l. 5. Adrichom. in Aser n. 34.

℣.5. TABVLATA MARIS, id est, quæ mare præpediunt. nempe infima tabulata, *construxerunt tibi* ex ABIETIBVS DE SANIR vel Sarion monte, sic dicto quòd niuosus sit, inquit Chaldæus, quia niuibus semper riget: vnde alio nomine *Chermon* dicitur vel *Hermon*, (k) id est, perditus, excisus, sterilis, inquit Masius. MALVM nauis *fecerunt ex cedro Libani*.

k *Deuter. 3. v. 8.*

℣.6. TRANSTRA, q. d. Transuersim strata, sunt tigna, quæ in ædificio transuersim ponuntur, vt latera connectant & stringant; LXX. vertunt, *templa*. Sic enim vocantur tigna transuersa in quibus sedent remiges, inquit Sextus Pompeius & Cæsar, & alij.

PRÆTORIOLA nauis sunt conclauia & cœnacula, in quibus prætor, seu gubernator nauis degere & honoratiores vectores excipere solet circa puppim. Hęc Tyrij construebant ex ligneis pretio-

sis *kittim*; LXX. *Chetim*, id est, ITALIÆ] vt vertunt Rabbini Chaldæus, *Apulia*. De quo alibi; (*a*) Vti & de byssо (*b*).

a *Num.24. v.24. Dan.11. v.30.*
b *Exod 25. v.4. & Iob.17.v.18*

℣.7. HYACINTHVS (*c*) ET PVRPVRA, DE INSVLIS ELISA, id est, Græciæ, vt Theodoretus & Polychronius exponunt. *Elisa* (*d*) enim fuit filius *Iauan*, à quo culta & nuncupata est *Græcia*: hæc enim hebraicè vocatur *Iauan*. Alij volunt esse Campos Elisios, seu Fortunatas insulas, quas Villalpandus, Pineda, & Ioannes Annius putant ab Homero designatas iuxta Gades Hispaniæ, ob loci illius amœnitatem & fertilitatem. Ex his byssinis, hyacinthinis ac purpureis pannis factum est OPERIMENTVM TVVM] id est, nautarum tuorum: vel etiam nauis tuæ tegumen, quod aduersus æstum solis tranquillo mari vectoribus vmbraculum præbet, inquit S. Hieronymus. Porrò omnis hæc pretiosa nauis materia ac supellex designat sumptuosas vrbis fabricas, mœnia, templa, palatia, merces & opes.

c *Exodi.25. sup.*
d *Genes.10. v.4.*

יון
Pineda l.4. de Rebus Salom.c.14. Io.Annio in Beroſ.l.5. in nono rege Aſſyr.or.

℣.8. SIDON Phœniciæ perantiqua & celebris vrbs, iuxta ortum Libani, à primogenito filiorum Chanaan *Sidon* (*e*) vti condita, ita & nominata: Tyro vicina & fœdere coniuncta. Huic adiacet *Aradus* insula teste Plinio, sic dicta ab *Aradio* (*f*) nono filio *Chanaan*. Sensus ergo Prophetæ est, ARADII olim tibi pares, & *Sidonij* etiam superiores, iam REMIGES TVI & serui sunt.

e *Genes.10. v.15. Plin.l.5. c.20.*
f *Genes.10. v.18.*

℣.9. GIBLII; græcè *Biblij*, incolæ sunt vrbis Phœniciæ *Gibli*, aliàs *Gobel* vel *Gebal* (*g*) dictæ, quæ nobiles habebat fabros lignarios, qui Salomoni (*h*) pro templo ligna præciderunt. *Hi* (vt hic in Hebræo est *instaurauerunt in te*; LXX. *rimas tuas, confortauerunt consilium tuum*, id est, iuuerunt te. q.d. Relictis proprijs commodis, tibi consilio, ope & industria sua in omnibus adfuerunt. ita ferè Theodoretus.

g *Psal.82. v.8.*
h 3. *Reg.5. v.18.*

FVERVNT IN POPVLO NEGOTIATIONIS TVÆ] Id est, fuerunt de numero administrantium negotiationem tuam; LXX. *facti sunt tibi in Occidentem Occidentis* (*i*), id est in mercatores aduentantes ab extremo Occidentis, id est, ex remotissimis Occidentalibus regionibus, putà ex *Tarteſſo* Hispaniæ ac Gades, colonia Tyriorum, inquit Pineda ex S. Hieronymo & Theodoreto.

i *Proleg. 4. Idiotiſmis Hebr.n.10. Pineda ſup. c.3.*

℣.10. LYDII vel Lydi, quorum rex paulò pòst Crœsus: LYBVES verò etiam olim (*k*) Ierosolymæ infesti. & PERSÆ] Terni populi, strenuissimi tum temporis bellatores, præsidio erant Tyro, simul & ornamento, nempè cùm erepta hostibus spolia suspenderent ex malis, antennis & lateribus nauium tuarum.

k 2 *Par.12. v.3.*

גמדים
Homer. Vide & Ariſt.l.8. Animal. c.12. Plin l.7. c.2. Ouid l.6. Faſtor Iuuen ſatyra 3. Aug.l.16. de Ciu.c.8. Eustath.in Homerum. Aldrouan. l.20.c.5. Gell l.9.c.4 Cardan.l.8. de Var.c.40.

℣.11. PYGMÆI] hebraicè, *gammadim*, id est, cubitales, qui non pedibus mensurentur, sed cubitis, vt solent gigantes. Vel *cubitales*, id est, cubitis, armis ac lacertis valentes, vt solent pugiles. Chaldæus vertit, *Cappadoces*: Symmachus, *Medos*: fortè quia inde aduenerant Tyrum: LXX. *custodes*, quia custodiæ turrium deputati erant. Sed Aquila, Vatablus, Pagninus, Hugo, Liranus cum S. Hieronymo vertunt *Pygmæos*, ἀπὸ τῆς πυγμῆς, id est, *à luctu & certamine*, quòd *bellatores* essent fortissimi & *ad bella promptissimi*, inquit S. Hieronymus. Fabulosa porrò sunt quæ ex Homero Aristoteles, Plinius, Ouidius, Iuuenalis & S. Augustinus de Pygmæis gruum hostibus, non nisi cubitum vnum altis, sed nusquam & numquam ab vllo hominum visis conscripserint: & fusè fabulam refellunt Eustathius, Aldrouandus, Gellius, Cardanus, Villalpandus, à Lapide & alij.

Virg.1. Æneid.

℣.12. *Carthago* colonia Tyriorum (*l*) æmula (*m*) & terror Romani imperij. Hebræum *tharsis* omnes transmarinos subindè significat, vt alibi (*n*) dixi, inter quos excellebant. CARTHAGINENSES.

l *Iust.Tirin.Tom.I.*
m *Cicero pro Marcello*

תרשיש
n 2. *Par.6. v.21.*

℣.13. GRÆCIA hebraicè *Iauan*, id est, Ionia, id est, Græcia, vt supra dixi (*o*) TVBAL (*p*) id est, Iberi, seu Hispani, inquit S. Hier. & Liranus.

Mosoch Cappadocum metropolis sic dicta à sexto (*q*) filio Iapheth, inquit Iosephus, quæ etiamnum lingua ipsorum *Mazaca* vocatur, sed latinè ab Augusto Cæsare *Cæsarea* appellata fuit. Alij *Moscho* in Sarmatia hîc intelligi volunt.

יון
o *Hic v.7.*
p *Gen.10. v.2. & Ioſeph.l.1. Antiq.c.6.*
q *Gen 10. v.2.*

℣.14. DE DOMO, id est, de familia & natione, THOGORMA, id est, Phrygiæ (*r*) vt volunt Iosephus & Theodoretus: Phryges enim à filio *Gomer* dicti Thogormæi, vel *Thigranæi*, & corrupto vocabulo *Turcæ*, inquit Maldonatus. Chaldæus, & Vatablus vertit, *ex prouincia Germaniæ*.

r *Ibid. v.3.*

℣.15. FILII DEDAN] id est, *Rhodij*, vt vertunt LXX. à quarto filio Iauan dicta priùs *Dedan*, dein *Redan*, inde græcè *Rhodon*, quia insula rosæ similitudinem habet, inquit Maldonatus. Estque hæc *Dedan* diuersa ab illa cuius meminit Ieremias cap. 25. v. 23. quæ est in continenti vrbs Idumææ: hæc verò Ezechielis est insula.

Hebenus. iuxta Virgilium, Plinium & Seruium arbor est Indica nigri coloris, sat etiamnum pretiosa. Sed eamdem fert etiam Æthiopia & Ægyptus. R. Dauid vult esse belluæ genus, v g. equum marinum, vel simile animal, ex cuius ossibus varia fiunt cimelia, vt ex ebore elephantorum.

Virgil.2. Georgic. Plin.l.12. c.4.

ארם
s *Gen.10. v.22. t 2. Reg.8. v.5. & Pſal 59. in tit. u Ezech.16. v.10.*

℣.16. SYRVS, hebraicè, *Aram*. Sic vocabatur filius Sem (*s*) nepos Noè, primus Armeniæ cultor: à cuius vna prouincia *Sur*, nomen accepit *Syria* (*t*) vel *Suria*, nunc *Soria* dicta. De *scutulatis*, seu acupictis & squamatis vestibus alibi (*u*) dixi.

CHODCHOD Hebræis quasuis pretiosas merces significat.

כרכר
x *Genes.43. v.11. Plin.l.12. c.15.22.*

℣.19. MOSEL, nomen loci, sed incogniti, iuxta Græciam. De *Iuncte* (*x*) & *calamo* vide alibi dicta, & apud Plinium.

℣.21. CEDAR Arabiæ regio, vt alio (*y*) loco dixi. NEGOTIATORES MANVS TVÆ] id est, tibi ad manum quasi ministri tui. Eodémodo supra v.15.

y *Pſal.119. v.5. & Cant.2.v.4.*

℣.22. De SABA dixi 3. Reg. 10. v.1. REEMA vrbs vel prouincia Arabiæ Felicis, potest dici nomen accepisse à Regina (*z*) patre Sabæ, ita vt finitimas patri regiones filius incoluerit.

z *Gen.10. v.7.*

℣.23. HARAN siue *Charan* (*aa*) vel *Charre* Parthorum, vbi cæsus est Crassus. Pro CHENE, LXX. vertunt *Chanaan* EDEN, id est, deliciæ, voluptas, regio est Syriæ (*bb*) amœnissima iuxta Damascum, vbi Adamum fortunatum & paradisum (*cc*) fuisse multi putant. CHELMAD est Medorum prouincia, inquit Chaldæus.

aa *Gen 11. v.31. Act.7 v.2.*
bb *Geneſ.2. v.8. & 15.*
cc *4. Reg.16. v.12.15. & Iſaiæ 37. v.12.*

℣.25. NAVES MARIS PRINCIPES TVI] Hebraicè, *naues tuæ sunt principes*, id est, præcipuæ, *in mari*. Imò iuxta Plinium & Pierium Phœnices (quorum caput est Tyrus) primi inuentores sunt artis nauticæ, bellicæ, astrologicæ & litterariæ. Atque hactenus de potentia, splendore & gloria Tyri: nunc casum illius audiamus.

Plin.l.5. c.13. Pierius hieregl. 43.c.10

26. IN AQVIS; verti posset, *in aquas multas*, seu in altum mare, ad summum verticem prosperitatis, ADDVXERVNT & euexerunt TE REMIGES, seu rectores TVI. Cùm ecce VENTVS AVSTER (hic est Nabuchodonosor, qui ab excidio Ierosolymæ ad Austrum sitæ, Tyrum veni:) flatibus procellosis CONSTIVIT TE] idque tanto fragore, vt

℣.28. A SONITV CLAMORIS GVBERNATORVM

TORVM TVORVM & remigum *conturbatæ* sint CLASSES omnes quæ antea tibi quasi dominæ ac reginæ necessaria omnia aduehebant; nempe pertimescunt sibi similem cladem.

℣.32. QVÆ EST alia ciuitas tam diues, tam potens, tam gloriosa VT TYRVS olim? & quæ tam miserabilis vt nunc est Tyrus? Hoc est CARMEN LVGVBRE (a) seu næniа, vel lessus, de quo hic Propheta.

OBMVTVIT] id est, perdidit vocem & vitam. *Obmutescere* enim & *silere* tum apud Hebræos, tum apud Latinos idem est quod *mori*. Sic Virgilius, sic Ouidius *animas silentum* vocant, id est, mortuorum.

℣.33. IN EXITV NEGOTIATIONVM] id est, in exportatione mercium per mare.

℣.36. SIBILAVERVNT SVPER TE, ridentes & cachinnantes, vt solent qui in luto volutantem conspiciunt: insultantque (b) afflicto, NON ERIS vltrà, &c. vt suprà (c).

a Ierem. 9. v. 17. Matth. 9. v. 23. Alex. l. 3. Genial. c. 7. Virg. 6. Æneid. Ouid. 5. Fastor.

b Ierem. 19. v. 8. & c. 49. v. 17.

c Ezech. 26. v. 21.

CAPVT XXVIII.

Regem Tyri de superbia & arrogantia redarguit, eiusque ruinam deplorat. Sidoni simile excidium præmisit: è contrario Israeli reditum è captiuitate, & felicem patriæ inhabitationem promisit.

℣.2. DIC PRINCIPI, id est, regi, TYRI, *Tobael* cognominato, inquit Iosephus. Allegoricè diabolo, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, Anastasius Sinaita, Tertullianus, Gregorius & alij: DIXISTI tam verbis quàm factis, DEVS EGO (d) SVM] Hebraicè, *el ani*, id est, ego sum fortis ille Deus qui omnia possum.

Ioseph l. 1. cont. Apion. sub fin. Hieron. ad Dalmasium epist. 146.

אל אני Cyr. l. 6. in Ioan. c. 6. Anast. in Hexamer. Tertull. l. 2. cont. Marcion. c. 10. Greg. l. 20. Mor. c. 1.

IN CATHEDRA DEI SEDI, & adhuc sedeo, sedeboque æternùm: q. d. Deum quemdam ago *in mari*: omnia possum, nullius egeo, mei egent reliqui omnes: in Tyro celsa & inaccessa tutus dego, vt Deus in cælo, quem nemo an sit, nemo possit attingere vel lacessere.

d Dan. 3. v. 1 Iudith. 3. v. 13.

DEDISTI COR TVVM, id est, tribuis & arrogas tibi *cor*, QVASI COR DEI] id est; animum, consilium, sapientiam, prudentiam (hæc enim omnia significat *cor*, seu *mens*) tantam quanta est in Deo, id est, immensam, seu infinitam.

℣.3. ECCE SAPIENTIOR ES TV DANIELE] scilicet, est enim ironia. Vnde LXX. vertunt, *numquid tu sapientior es Daniele?* quasi dicat: Tu tibi arrogas sapientiam Dei: ausisne conferri cum Daniele, homine Hebræo, mortali, infirmo, Babylone captiuo, iam non nisi 38. annum (e) vitæ agente?

e Ezech. 14. v. 14 & præamio in Danielem.

℣.4. FECISTI TIBI FORTITVDINEM, id est, munitiones; Chaldæus, *opes substantiam, copias & exercitus*: adde, & leges ac disciplinam tum ciuilem, tum militarem: quæ robur ac stabilimentum sunt rerum publicarum.

℣.7. ROBVSTISSIMI GENTIVM Chaldæi EVDABVNT, id est, euaginabunt, GLADIOS SVOS SVPER PVLCHRITVDINEM SAPIENTIÆ TVÆ, id est, ad excidendum & euertendum quidquid pulchrum est, seu in te, seu in vrbe & regno tuo, quod omne tu iam tribuis tuæ sapientiæ & industriæ: ipsi omnia POLLVENT] id est, fœdabunt, conspurcabunt tuomet ac tuorum sanguine.

℣.8. MORIERIS IN INTERITV OCCISORVM IN CORDE MARIS] Nempè. vulneribus confossus demergeris in profundum, & fies esca piscium, ipsique erunt tuum sepulchrum. An etiam tunc

℣.9. IN MANV OCCIDENTIVM TE, iactabis te

A Deum esse inaccessum & immortalem?

℣.10. MORTE INCIRCVMCISORVM, id est, supplicio à Chaldæis *incircumcisis*, id est, nullis, seu pietatis, seu humanitatis legibus astrictis, sed barbaris, crudelibus æquè ac impijs, tibi inferendo MORIERIS ita Maldonatus & à Lapide.

℣.12. TV SIGNACVLVM, seu signum sigillo expressum, SIMILITVDINIS] id est, simillimum sigillo tuo, nempè Deo opt. max. qui te similitudine potentiæ, gloriæ ac felicitatis suæ tanta insigniuit, quanta nullum alium principem, adeò vt in te præ cæteris omnibus perfectiones eius diuinæ reluceant ac resplendeant; quasi signa ad viuum expressa & sigillo suo simillima. Vnde Vatablus vertit; *tu es omnibus nunciis absolutum exemplar*, viua Dei imago, & quasi alter Deus.

℣.13. IN DELICIIS PARADISI DEI (f) FVISTI] Hebraicè, *in horto eden*, id est, in loco amœnissimo & deliciosissimo: qualis erat Tyrus, vt patet ex cap. præced.

f Genes. 13. v. 10. Psal. 35. v. 9 Ezech. 1. v. 1.

OPERIMENTVM TVVM regium, & regiæ familiæ tuæ, OMNIS LAPIS PRETIOSVS] Quorum mox nouem genera enumerat: LXX. duodecim: & sunt ijdem lapides qui erant in *rationali* pontificis Iudæorum, Exodi 28. & qui in fundamentis Ierosolymæ cælestis, Apocal. 21. Et forsan ex consuetudine cum Iudæis notitiam horum lapidum hauserant Tyrij, eosdemque ad regem suum condecorandum adsciuerant.

AVRVM OPVS DECORIS TVI, id est, auro artificiosè elaborato exornasti omnia vtensilia tua; hebraicè, *tympana* tua: ET FORAMINA TVA; hebraicè *excauata*, nempe instrumenta musica, quæ vt plurimùm concaua sunt, vt sonum quem intra se recipiunt, auctiorem reddant. Hæc omnia instrumenta, omnis hic ornatus, non ab heri vel nudiustertius tibi adsunt, sed à prima DIE QVA CONDITVS ES, seu creatus, & in regem assumptus. Significant autem symbolicè omne genus spiritualium ornamentorum, tum naturalium, tum supernaturalium; quibus Lucifer eiusque angeli ante lapsum ornati fuerunt.

℣.14. TV à me positus es IN MONTE SANCTO DEI, nempè in finibus terræ Chanaan, quæ perpetuò in Scripturis (g) *sancta* vocatur, quia populo sancto destinata. Erat autem Tyrus intra terminos *tribus Aser*, (h) licet eam nunquam obtinuerint Iudæi. Ergo in terra sancta positus fuisti (i) velut

D CHERVB (k) EXTENTVS ET PROTEGENS, nempe vt alis potentiæ & prouidentiæ tuæ quaquauersum extentis & expansis populos tibi subditos; quin & ipsam terram sanctam, & in ea templum meum protegeres, haud secùs quàm Cherubini arcam & propitiatorium protegunt in sanctuario meo, ita S. Hieronymus & alij Patres. IN MEDIO LAPIDVM] id est, inter lapides *ignitos*, seu pretiosos, & instar ignis splendentes. q. d. Positus es intra terminos 12. tribuum Israel, quæ 12. lapidibus pretiosis in rationali pontificis insculptæ (l) erant, & per eosdem adumbrabantur.

g Sap. 12. v. 3. Deut. 32. v. 8. & 9.

h Vide Adrichom.

i Prolog. ad Isaiam. Hebr. 2. 9.

k Ezech. 10. v. 20. & Isaiæ 6. v. 2.

l Sap. 18. v. 24.

℣.15. PERFECTVS, seu perfectè felix, IN VIIS TVIS] id est, in omnibus quæ moliebaris. Ex allegorico, (sed à Spiritu sancto principaliter intento) sensu huius loci colligunt S. Augustinus, Gregorius & Theologi, angelum creatum à Deo perfectum & gratiâ plenum, & plures operationes bonas ac meritorias in statu viæ exercuisse priusquam laberetur. de quo fusè Molina, Valentia & & alij Scholastici.

Luc. Molina 1. p. q. 63. a. 6 & ibi Sanch.

℣.16.

חטא

℣.16. IN MVLTITVDINE, id,est,occasione multitudinis mercaturæ tuæ tuorumque, *repletus es* auaritiâ,fraudibus,iniustitiâ,superbiâ,gulâ, luxuriâ & omni INIQVITATE : nec ab ea deflexisti,neque tuos præpediuisti,cùm facilè posses, inquit Rabbi Dauid. ET VNÀ CÙM illis PECCASTI, & peccare perseueraſti.ita ferè Scholiastes.Hebræum *chata*,& Græcum ἁμαρτάνω etiam significat abérrare à spe, à scopo,à fine sibi proposito. q.d. Inhiabas perfectæ,imò immensæ,felicitati & gloriæ:sed contraria fini isti media delegisti;vnde & fine tuo excidisti.

℣. 17. PERDIDISTI ;hebraicè, *corrupisti*, SAPIENTIAM TVAM & omnem reliquum ornatum tuum, IN DECORE, id est, occasione decoris seu pulchritudinis tuæ:dum scilicet decori præter decorum studes,& præter fas augere contendis. Pro supremo cæli loco quem ambiebas, PROIECI TE in infimum terræ (*f*) spoliatum omni lapide pretioso.ita S.Hieronymus, Apollinaris, Polychronius & Villalpandus.

f Luca 10. v.18.

ANTE FACIEM, id est, in conspectu omnium REGVM DEDI TE præcipitem, vt tuo terreantur doceanturque exemplo.

℣. 18. POLLVISTI SANCTIFICATIONEM TVAM]Hebraicè,*sanctuarium tuum*,id est,quidquid in te sanctum,& instar rei sanctæ intactum ab hostibus & intemeratum, tu tuis tuorumque sceleribus fœdasti,& quasi profanum hostibus diripiendum obiecisti.

℣.19. NIHILI FACTVS ES. Qui volebas esse Deus,ecce res nihili iam es, vilissimus, abiectissimus, miserrimus omnium: ET IN PERPETVVM NON ERIS qui fuisti, neque vnquam restitueris pristinæ felicitati vel dignitati.

℣.22. ECCE EGO AD TE quoque puniendam accingor,ô SIDON,quia sicut Tyro vicina es loco, ita & moribus ac vitijs es simillima: sis ergo etiam pœna & excidio similis illi.

g Gen.10. v.15. Ioseph.l.1. Antiq.c.6.

Nota.*Sidon*, sic dicta à *Sidone*(*g*)filio Chanaan nepotis Noë,teste Iosepho, sita erat etiam ipsa ad radices montis Libani,Palæstinam in angulo Occidentis & Septemtrionis terminans promontorio sui littoris, quòd S.Scriptura (*h*)vocat *Hor*. Distat Tyro ducentis stadijs, id est,25.milibus passuum, teste Strabone,id est,octo (*i*)leucis & vna tertia.

h Num.34. v.7.

i Proleg.de mensuris longitudinum.

GLORIFICABOR IN MEDIO TVI]scilicet ea gloria quæ strenuè dimicantibus, victoria de hostibus parta,solet meritò exhiberi.

℣.23. IMMITTAM EI SANGVINEM]id est cædem,seu effusionem sanguinis. Qua ratione Sidon euersa fuerit,narrat Diodorus Siculus & alij historici.

Diod Sicl.16.Bibliothec.10.

℣.24.NON ERIS VLTRA Sidon DOMVI ISRAEL OFFENDICVLVM AMARITVDINIS, id est, amarum vel amaricans:ET SPINA(*k*)vel aculeus in via stratus,qui pungit calcantem,& progressum impedit.q.d.Ex ingenti affectu quo prosequor Iudæos, causâ illorum euertam tum Sidonios, Tyrios, Ægyptios,tum alios vicinos populos,ne deinceps exemplo suæ impietatis, maximéque idololatriæ sint illis offendiculo,seu scandalo.ita Theodoret.

k Iosue 23. v.13.

℣.25.SANCTIFICABOR IN EIS, id est,per Iudæos, CORAM GENTIBVS]q. d. Liberatione & reductione Iudæorum per Cyrum, & principaliùs per Cyri antitypon Christum, celebrabitur per orbem vniuersum sancta mea iustitia, misericordia, fidelitas erga populum meum.

CAPVT. XXIX.

Ægypti excidium per Chaldæos bis prædicit, semel anno decimo, & iterum anno vigesimo septimo transmigrationis Iechonia, & idem prosequitur per tria sequentia capita.

℣.3. ECCE EGO AD TE(*l*) DRACO MAGNE fluuiatilis, seu crocodile, vastum animal ferox,sæuum,celer & inuictum,teste Plinio. *Crocum* eiusque odorem fugit, vnde & *crocodilus* dictus, inquit à Lapide.

l Ezech. 28. v.22.

Plin.l.8. c.25.

EGO FECI MEMETIPSVM]supple, regem, vt Chaldæus exponit:LXX.vertunt;*ego feci ea*,supple, flumina Nili. Sic v. 9. *ego feci flumina*, nempe Nilum. Nili enim riuos & aggeres, qui Ægyptum partim sepiunt & muniunt, partim irrigant ac fœcundant,construxerat, vel potiùs instaurarat superbus hic rex,cognomento *Apries* vel *Ephree*: (*m*) de quo Herodotus, *Persuadebat sibi*, inquit,*quòd nullus hominum vel deorum posset sibi regnum adimere, quòd ita stabiliuisset.*

m Ieremi. 44. v.30. Herod.l.2.

℣.4.PONAM FRÆNVM, Chaldæus & Vatablus *hamum*,IN MAXILLIS TVIS, nempe Nabuchodonosorem,cuius studio & industria ex aquis Ægyptijs,id est,è regno & ditione tua extraheris ET PISCES FLVMINVM TVORVM, id est,subditos omnes tuos, AGGLVTINABO SQVAMIS TVIS]vel potiùs agglutinatos tibi,seu adstrictos, vnà tecum extraham ex aquis,vno eodemque reti Chaldaico.

℣.5.ET PROIICIAM TE IN DESERTVM, id est, in aridam, vbi destitutus omnibus luxui fouendo necessarijs,squalore & miserijs contabesces: NON COLLIGERIS, NEQVE CONGREGABERIS in sepulchrum, sed insepultus sub dio præda eris ferarum.

℣.6. PRO EO QVOD FVISTI DOMVI ISRAEL BACVLVS ARVNDINEVS]id est, sustentaculum promittens opem aduersus Chaldæos:sed cùm ad rem ventum est,promissis non stetisti, sed vacuus, inanis & fallax omni ope Iudæos destituisti, causam præbens Chaldæis æmulis tuis cur in Iudæos acriùs sæuirent(*n*),vt fusiùs explicat v.seq.

n Isaiæ 36. v.6.& Ierem.37. v.7.

℣.10. DABO TERRAM ÆGYPTI IN SOLITVDINES A TVRRE SYENES,vbi initium est Ægypti, (putà inter mare Rubrum & Nilum,teste Solino,) VSQVE AD *Aethopiam*, vbi Ægyptus terminatur versus Occasum.q.d. Destruam Ægyptum à principio vsque ad finem.

Solin.c.45.

℣.11. DABO eam DESERTAM IN MEDIO(*o*) TERRARVM DESERTARVM,id est, faciam eam similem alijs terris desertis,idque QVADRAGINTA ANNIS]qui videntur cœpisse hoc ipso anno, quo à Nabuchodonosore fusi fugatique; ac paulò pòst à Cyrenæis, teste Herodoto, nouis cladibus attriti bellis intestinis dissecti;rursumque à Nabuchodonosore septemdecim post annos(*p*)expugnati & excisi sunt: denique cùm sub Cyro caput iterum extollere conarentur, à filio eius Cambyse rursus destructi sunt,vt S.Hieronymus,Iustinus & alij historici narrant. Iam computa à 10.anno transmigrationis Iechoniæ,seu à 17 anno regni Nabuchodonosoris, vsque ad sextum annum imperij Cambysis, iuxta ea quæ in Chronico proposui reperies præcisè 40.annos.

o Luca 21. v.27.& Ezech.30. v.7.& 31. v.14.

p Hic v.17.

Chronici 34.35.37.

℣.13.POST FINEM QVADRAGINTA ANNORVM, mortuo Cambyse, CONGREGABO ÆGYPTVM DE POPVLIS,IN QVIBVS DISPERSI FVERANT:

℣.14. ET REDVCAM EOS IN TERRAM PHATHVRES, de quo Genes. 10. v. 14. ET ERVNT

IBI IN REGNVM HVMILE]id est, exiguum, vile & abiectum:quia tributarium Persis, qui regem illis, vel potiùs vice-regem pro libito dabant.

a Ezech 26. v 14 &c.

℣.15. NON ELEVABITVR VLTRA(a) Ægyptus SVPER NATIONES alias. Quod intellige de longo & immemorabili tempore, putà ducentorum circiter annorum:nam sub Ptolemæis redijt ad pristinam(b)potentiam & gloriam.

b Chronici c.39.

℣.16. NEQVE ERVNT VLTRA DOMVI ISRAEL IN CONFIDENTIA,id est, non confident ampliùs Iudæi in Ægyptijs:neque *docebunt* hi ampliùs Iudæos INIQVITATEM id est,idololatriam & alia scelera: neque illi exinceps ad Ægyptios pro ope *confugient*.

c Ierem.48. v.10.

℣.17. IN VIGESIMO ET SEPTIMO ANNO transmigrationis Iechoniæ (semper enim vtitur Ezechiel hac ætâ)qui erat annus regni Nabuchodonosoris 35.(iuxta dicta in Chronico:) post excisam Tyrum,quam 13.annos obsederat, teste Iosepho ex Beroso & alijs; MERCES hîc illi à Deo,non ex condigno,sed ex congruo decernitur, nempè regnum & spolia Ægypti.ita Hector Pintus Emanuel Sà & à Lapide.

Chron.c.34. & 35. Ioseph.l.1. cont.Apion.

℣.18. QVIA SERVIVIT MIHI ADVERSVS Tyrum:si non formaliter, seu ex intentione obsequendi diuinæ prouidentiæ(c)(vt S. Hieronymus, & quidam alij contendunt;)saltem materialiter & reipsa, complendo id ipsum quod Deus completum optabat ac volebat,nempe punitionem, excidium ac vastationem Tyriorum,vt docet à Lapide.

OMNE CAPVT militum eius DECALVATVM EST ex continua galearum & onerum gestatione per 13.annos,ET OMNIS HVMERVS DEPILATVS & atritus est tot saxis & trabibus humero aduectis vt Tyrum(d)continenti adiungerent.

d Ezech.17. v.4.

ET MERCES NON EST REDDITA EI]Tyrij enim, desperatâ iam salute, conscensis nauibus, pretiosiora quæque Carthaginem & ad alias insulas Ionij atque Ægæi pelagi deuexerant,(inquit S.Hieronym.ex antiquis Assyriorum historijs,)victori Nabuchodonosori *limpidam petram*(e)pro spolio relinquentes.Sed spolijs Ægypti resarcit iam damnum Deus.

Hieron. in Ezech.29.

e Ezech.26. v.4.

℣.21. DIE ILLO,id est,eo tempore quo Ægyptus à Chaldæis vastabitur, & vastata manebit, PVLLVLABIT CORNV DOMVI ISRAEL]id est, reflorescet potentia Iudæorum, primò per *Euilmerodach* (f)qui Iechoniam regio honori restituet; deinde per Cyrum(g)Darium Hystaspis & alios reges,qui Iudæos pristinæ reddent libertati, & magnis honoribus sub Mardochæo(h)& Nehemia(i)extollent.

f 4 Reg. vlt.v 27. g 1.Esdr.1. &c. h Esther 8. i 2.Esdr.1. &c.

Tunc TIBI,ô Ezechiel,DABO APERTVM(k)os] quo possis liberè & fidenter omnibus inculcare,te vera ipsis prædixisse,utpote quæ tunc de facto impleta videbuntur & sentientur.

k Ezech.24. v.27.&. Ephes.6. v.19.

CAPVT XXX.

Pergit describere cladem Aegypti,simul & vicina illi Aethiopia Eusè de ijsdem vaticinatus fuit Isaias & Ieremias,qua huic loco etiam subseruiunt.

℣.3 TEMPVS GENTIVM vlciscendarum & vastandarum ERIT] putà. Ægyptiorum & Æthiopum.ita Chaldæus,Sic *dies Aegypti* v.9. vocatur dies excidij eiusdem.

℣.4.FVNDAMENTA Ægypti sunt vrbes & arces illius probè fundatæ & munitæ.

℣.5.De *Libya* & *Lydia* vide suprà (l) CHVB,Pto-

A lemæo *Cobij*:Symmacho & S.Hieronymo,*Arabes*.

1 Ezech.27. v.10. Ptolem.l.4. Geogra.c.5.

ET FILII TERRÆ FOEDERIS,id est,incolæ illarum terrarum quæ cum Ægyptijs fœdere iunctæ sunt:quas v.sequ.vocat *fulcientes Aegyptum*.De turre SYENES suprà vidimus:(m)vt & de *medio*(n)*terrarũ*.

m Ezech.29 v.10.

℣.9.A FACIE MEA,id est,me prouidente ac dirigente, EGREDIENTVR IN TRIERIBVS ex Ægypto NVNTII per Nilum in *Aethopiam* AD CONTERENDAM eius CONFIDENTIAM. nempe nuntiabunt, iam excisam esse Ægyptum per Chaldæos, eosdemque imminere nunc Æthiopiæ:sic nimiam Æthiopum præfidentiam conuertent in terrorem ac *pauorem*: QVIA ABSQVE DVBIO VENIET cò Chaldæus.

n Ibid.v.11. &c.5.v.2.

℣.12.FACIAM ALVEOS FLVMINVM ARIDOS] deductis aliò aquis.Vel sternam Chaldæis tam facilem viam etiam per flumina,ac si riuis arefactis terra vbique complanata esset.

℣.13.DISPERDAM IDOLA DE MEMPHIS]inter quæ præcipuum *Apis*(o)seu *Serapis*. Erat hæc ciuitas amplissima haud procul Heliopoli, olim sedes regum Ægypti,in qua regum sepulturæ, columnæ & pyramides,orbis(p)miracula.Pòst dicta fuit *Aegyptij Babylonia*:nunc Arabum lingua *Cair*, seu *Cayrus*. Ludouicus Romanus eam quinquies Parisijs maiorem affirmat:& dux Radziuilius incolaseius numerat septuagies centena millia.

o Genes.41. v.43.

p Martial. l.1. Lud Rom. l.1.Nauig. c.1. Radziuil. in suaiperegrinat.

DVX,seu rex proprius, NON ERIT AMPLIVS DE TERRA ÆGYPTI] sed aliundè submissus vice-rex vt suprà(q)dixi.

q Ezech.29. v.14.

℣.14.TAPHNIS,seu *Tanis*, altera vrbs Ægypti, vt antiquissima,sic & celeberrima, de qua alibi(r).

r Isaiæ 19. v.11. Psal.77. v.12.

ALEXANDRIA per Prolepsin hîc vocatur, quæ hebraicè & chaldaicè dicitur *No*,quæ teste Nahum amplitudine non cedebat *Ninive*, complectebaturque 20.leucas in ambitu,inquit Diodorus Siculus. LXX.vocant Diospolin,id est,*Iouis vrbem*. Hanc inter alias excidit Nabuchodonosor, sed postea instaurauit Alexander Magnus, & de nomine suo *Alexandriam* vocauit.

Nahum 3. v.8. Diod.l.p. c.1.

℣.15.PELVSIVM ROBVR ÆGYPTI]portus inter primos & arx munitissima,mare respiciens.

℣.17.HELIOPOLIS]id est,ciuitas Solis, ita dicta à celeberrimo Solis simulacro & templo,quod ibi erat.A Græcis alio nomine vocabatur *Thebe*,inquit Diodorus Siculus.Ciues illius,ait Herodotus, apud Ægyptios omnium sapientissimi habebantur.

Herod l.2.

BVBASTI,vel potiùs *Pubasti* vbrs est prope Pelusium,ad ostium Orientale.*Nili*. Ptolemæo vocatur *Heroum ciuitas* in qua celebre *Dianæ* templum: vnde & *sanctas Bubastis* ab Ouidio appellatur.

Ouid.l.9. Metamorp.

IPSÆ (supple ex v.sequ.)filiæ earum, CAPTIVÆ DVCENTVR]nempè matronæ, imò omnes incolæ.

℣.18.DIES NIGRESCET Ægyptijs ex *nube* afflictionis & calamitatis, de qua v.3.tenebris mœroris & luctus omnia cooperiente.

℣.20. IN VNDECIMO ANNO transmigrationis Iechoniæ,qui etiam vndecimus atque vltimus fuit annus Sedeciæ, cùm paucis antè mensibus Pharao (dum suppetias Iudæis ferret, Ieremiæ 37.v.4.) à Chaldæis cæsus fuisset,ait Deus Ezechieli quasi de victoria gloriabundus:

℣.21.ECCE CONFREGI BRACHIVM,id est,præcipuum robur, PHARAONIS, Primò, in Charcamis(f),anno 4.Ioakim,quando regnum Syriæ,alterum brachiorum eius,illi ademit Nabuchodonosor.Secundò,rursus in Syria(t),anno 10. Sedeciæ, vt iam dixi.Quibus cladibus ita contusæ sunt vires illius,vt nulla arte,nulla ope in integrum & pristinum

f 4.Reg.24. v.7. t Ierem.37 v.4.

num ſtatum reſtitui, imò nec GLADIVM TENERE; id eſt, bellum proſequi, POSSIT] Vnde facile erit mihi

¥. 22. *Confracto* iam vno *brachio*, nempe regno Syriæ, etiam alterum eius BRACHIVM, Ægypti, regnum, *comminuere*. Tunc vtroque brachio mutilus, non poterit ampliùs GLADIVM TENERE, vel bellum inſtaurare.

¥. 25. CVM DEDERO GLADIVM MEVM IN MANV REGIS BABYLONIS] lictoris & ſtrategi mei. Sicut enim prætor dat gladium carnifici, vt reo caput amputet, ita Deus vires & animos dat tyrannis, vt gentes peccatrices plectant, inquit Cornelius à Lapide.

CAPVT XXXI.

Sub parabola cedri, primùm regis Aſſyrij, dein etiam Ægyptij gloriam, ſuperbiam, caſum & ruinam deſcribit.

¥. 2. CVI SIMILIS FACTVS ES, ô Pharao? cui te comparaſti? cui te æquaſti? *Cedro Libani*, (a) inquit v. ſeq. ob animi altitudinẽ, regni amplitudinem, fructuum ſuauitatẽ, virium robur, ſtabilitatem & incorruptionẽ, de quibus Plin. Atqui

a Dan. 4. v. 7. Plin. l. 13. cap. 1. & 13. & l. 14. c. 19. l. 16. c. 18. 21. 24. 26. & 40.

¥. 3. ECCE ASSVR, ſeu Aſſyrius monarcha, etiam CEDRVS fuit, & quidem longè te altior ac ſublimior, & RAMIS ac FRONDIBVS, id eſt, prolibus ac principibus, multò *pulchrior*, opum ſuarum ac potentiæ RIVOS *mittens* AD VNIVERSA LIGNA REGIONIS] id eſt, ad omnes alios reges & regna terræ.

¥. 8. CEDRI IN PARADISO DEI NON FVERVNT ALTIORES ILLO] Id eſt, nullus rex quantumcumque potens, quantacumque deliciarum, voluptatum & opum copia affluens, par fuit Aſſyrio monarchæ. Allegoricè, Lucifero, inquit S. Gregorius & Rupertus: vel etiam Adamo, vt à Lapide, qui pet *Aſſyrium* mauult hìc intelligi regem Ægypti, vt Iſaiæ 8. v. 4. & non monarcham propriè dictum Aſſyriorum, de quo S. Hieronymus, Maldonatus, & alij hæc exponunt, & littera requirit, & patet ex cap. ſeq. v. 22. Ergo Aſſur

¥. 10. PRO EO QVOD DEDIT ex faſtu & ſuperbia SVMMITATEM SVAM] id eſt, verticem, ſeu faſtigium potentiæ & gloriæ ſuę ſupra omnes alios principes extulit;

¥. 11. TRADIDI EVM IN MANV FORTISSIMI GENTIVM, nempe Chaldæi tyranni, qui FACIENS FACIET EI] id eſt, quidquid libuit fecit ei, & adhuc quidquid libuerit faciet ei, vtpotè ſibi iam plenè ſubiecto.

¥. 13. IN RVINA, ſeu in tuitioſo iam trunco huius cedri, HABITARVNT ante OMNIA VOLATILIA CÆLI] id eſt, magnates & principes. Nunc

¥. 14. OMNES illi antè confœderati & adnexi Aſſyrio monarchæ, à Chaldæis TRADITI SVNT IN MORTEM AD TERRAM VLTIMAM, ſeu *infimam*, (b) id eſt, in ſepulchrum, in infernum vnà cum ipſo relegati, IN MEDIO (c) FILIORVM HOMINVM] id eſt, inſtar aliorum communium & vulgarium hominum.

b Hic v. 16.

c Ezech. 29. v. 11.

¥. 15. INDVXI LVCTVM, id eſt, omnes eius amicos lugere feci. OPERVI EVM ABYSSO] ſed eſt, multitudine calamitatum & miſerarium, loco abyſſi diuitiarum quæ illum v. 4. exaltarant.

PROHIBVI FLVMINA EIVS] & fontes ac ſcaturigines opum illius exſiccaui atque arefeci.

¥. 16. OMNIA LIGNA VOLVPTATIS EGREGIA IN LIBANO, id eſt, omnes principes ac reges alij, *conſolationem* hauſerunt IN TERRA INFIMA. (d)

d Hic v. 14.

A id eſt, in inferno, id eſt, iam mortui, vel vnà cum ipſo morituri: nempe gaudebunt ſe tam potentem monarcham habituros ſocium in pœna. Vnde

¥. 17. SVB VMBRACVLO EIVS SEDEBIT BRACHIVM VNIVSCVIVSQVE illorũ: id eſt, ſub vmbra grauioris pœnæ tyranni illius, quaſi cubito innixi reges alij in inferno, refocillabũtur aliqua ex parte, cùm ſentient ſe minùs, illum grauiùs puniri. Ecce

¥. 18. CVI ASSIMILATVS ES, ô Pharáo? Cedro te comparaſti. Sed en cedrum omnium altiſſimam humi ſtratam, & in infernum deductam: nempe potentiſſimum Aſſyriorum monarcham; cum aliis LIGNIS VOLVPTATIS, id eſt; amœniſſimis, pulcherrimis, delicioſiſſimis, nempe cum aliis regibus ipſi ſubditis vel confœderatis. Ecce diuino decreto & tu eodem deductus es, & breui etiam reipſa deduceris: IN MEDIO (e) INCIRCVMCISORVM DORMIES] id eſt, morieris more & morte aliorum infidelium & damnatorum, nempe morte æterna in ignibus inferni.

e Ezech. 28. v. 12.

B

CAPVT XXXII.

Duplici leſſo plangit caſum, ruinam & excidium Pharaonis totiuſq; Ægypti: nempe more apud omnes gentes recepto, vt defunctis lamento (quo virtutes illorum, & opes, & trophæa, & caſus enarrabantur) parentaretur, & quaſi iuſta perſolucrentur. Sic Bruto perſoluit Valerius Publicola, (f) Fabius (g) filio ſuo, Tiberius (h) parenti: Dauid (i) Sauli & Ionathæ: Ieremias Ieroſolymæ (k) & Babyloni (l) exciſis: Ezechiel Tyro (m) ſuprà, & hic Ægypto eiuſque regi Pharaoni.

f Plutar. in Public. & Dionyſ. Halicarnaſſ. l. 5.

g Plutarc. in Fabio.

h Suetonius in Tiberio.

¥. 2. ASSIMILATVS ES, ô Pharao, LEONI GENTIVM, ET DRACONI *maris*, id eſt, eras inter Gentes quod leo inter beſtias ſiluæ, & balæna inter piſces maris: nempe ſumma ferocia & crudelitate dominabaris ſæuiebaſque in ſubditos, & cùm luberet, etiam illos deuorabas. VENTILABAS potentia tua quaſi CORNV IN ſeptem Nili FLVMINIBVS] terrens, fugans, ſternens obuios quoſque: nempe tyrannide tua & inſanis bellis turbabas omnia.

i 2 Reg. 1. v. 18.

k Thr. nor. 1. 2 & c.

l Ieremi. 51. v. 41 in Ezech. 28 v. 12.

¥. 3. *Reti meo*, id eſt, Chaldæorum exercitu, EXTRAHAM TE ex aquis & finibus Ægypti, & extractum

¥. 4. PROIICIAM TE IN aridam, vt rerum omnium inopiâ iſtic extinguaris, & *habitent* SVPER TE ac poſſideant te corui aclupi alique VOLATILIA CÆLI ET BESTIÆ TERRÆ] His deſignat milites Chaldæos, qui Ægyptum dilaniarunt, deprædati ſunt & deuorarunt.

¥. 6. VALLES, imò ET COLLES v. 5. IMPLEBVNTVR EX TE, & natabunt in cruore tuo. Eſt hyperbole, vt & illa:

¥. 7. OPERIAM tenebris CÆLVM, ET NIGRESCERE FACIAM STELLAS] nempe ſubtracto lumine & extincto ſplendore tuo, quo tu priùs ea omnia colluſtrare videbaris. Non quòd illa verè obſcutanda ſint, ſed quòd tanta ſit futura doloris acerbitas, & mentis ac ſenſuum perturbatio in hominibus, vt eis ſol ac ſtellæ obſcurari, vel ſedibus excidere videantur. Allegoricè, veriùs hæc contingent in fine (n) mundi.

n Matt. 24. v. 29.

¥. 9. IRRITABO id eſt, ira, horrore, indignatione, metu, ſtupore percellam, (o) COR POPVLORVM MVLTORVM, etiam remotiſſimorum, tibique ignotorum, nempe CVM ad eos INDVXERO famam CONTRITIONIS TVÆ] imò ipſos ciues tuos à Chaldæis contritos, fuſos, fugatos, & quaquauerſum diſperſos.

o Hic v. 10.

℣.10. CVM VOLARE & coruscare COEPERIT A GLADIVS MEVS etiam SVPER FACIES & ceruices EORVM, nempe, te cæso & excisо, qui habebaris inuictus, etiam sibi meritò timebunt, & contremiscentes OBSTVPESCENT PRO ANIMA SVA] actum putabunt de vita sua. Porrò, tanta erit Ægypti iam expugnatæ solitudo, vt nullius

℣. 13. PES HOMINIS *conturbaturus sit* VLTRA AQVAS Nili, vt fit in adaquatione, natatione, nauigatione, &c. sed

℣.14. QVASI OLEVM reddam illas quietas, indeque puras, claras, limpidas.

℣.16. PLANCTVS hic EST, seu lamentum, seu lessus, quo PLANGENT ÆGYPTVM, non modò Ezechiel (a) aut alius priuatus quispiam Pharaonis amicus, sed & FILIÆ (b) GENTIVM, id est, externæ nationes & vrbes remotissimæ. ET PLANGENT (c) planctum, id est, vehementer & lamentabiliter plangent.

a *Hic v.2.*
b *Proleg. de Idiotismis Hebr. n.40.*
c *Ibid n.49.*

℣.18. DETRAHE, id est, prædic detrahendam (d) Ægyptum, ET FILIAS, id est, vrbes, vicinarum GENTIVM quantumcumque ROBVSTARVM: detrahendam, inquam, ex altissimo fortunæ vertice, ad imum sepulchri lacum & AD TERRAM VLTIMAM, seu infimam, id est, in infernum.

d *Ibid. n.58.*

℣.19. QVO PVLCHRIOR ES, quo speciosior, quo altior, eo profundiùs rues & in lacum sordidiorem. Ergo ob fastum tuum DESCENDE è sublimi throno regio, ET iugulatus ense hostili DORMI in sepulchro, in inferno CVM INCIRCVMCISIS & damnatis. ita S. Gregorius. Ecce iam

Greg. l.24. Moral c.3.

℣. 20. GLADIVS iustitiæ ac vindictæ diuinæ DATVS EST Chaldæis in manus. ATTRAXERVNT EAM] nempe Ægyptum in os gladij, & in mortem. Contossæ verò & extinctæ, & ad inferos aduentanti occurrent &

℣. 21. LOQVENTVR gratulabundi DE MEDIO INFERNI principes alij & heroës olim simili fato extincti. v.g.

℣. 22. ASSVR, id est, Assyrij monarchæ, de quibus c. præced. ET OMNIS MVLTITVDO principum ac clientum EIVS, quorum SEPVLCRA & statio apud inferos est IN CIRCVITV Assyrij, quondam domini sui,

℣.23. DATA, id est, posita, IN NOVISSIMIS LACI] id est, in imo inferni: nempe ex summo tyrannidis fastigio detracti ac præcipitati sunt in imum gehennæ.

Nota Primò, impiis in inferno attribui hîc sepulchra, sed metaphorica, quia sunt in morte secunda, Apoc. 20. v. 14. Sic Epulo Lucæ 16. dicitur *sepultus in inferno.*

Nota Secundò, apud Isaiam exprimi etiam verba quibus heroës isti excipiunt aduentantes tyrannos in infernum, quæ c. 14. v. 10. consule si lubet.

℣.24. IBI occurret aduentanti etiam ÆLAM, id est, Persarum (a) rex, inquit S. Hieronymus & omnes principes Persici, qui ex hac vita secum ad inferos aſPORTAVERVNT non opes, non delicias, non gloriam, sed nudam IGNOMINIAM SVAM ex patratis olim sceleribus, & præsentibus scelerum pœnis ac suppliciis æternis.

e *Ierem. 49. v 34.*

℣. 25. CVBILE infernale EIVS, nempe *Ælam*, seu regis Persarum, POSVERVNT dæmones in medio *populorum* eius ipsi antè subiectorum, & IN CIRCVITV EIVS fixerunt SEPVLCHRVM ILLIVS] scilicet multitudinis populorum eius. Vt qui in terris iuncti fuerunt sceleribus, in inferno quoque suppliciis æternùm iungantur.

℣. 26. IBI etiam occurrent rex & principes Mosoch, id est, Cappadocum: ET THVBAL, id est, Hispanorum, vt suprà. (f)

f *Ezech. 27. v.13.*

℣. 27. NON DORMIENT hi CVM FORTIBVS licèt INCIRCVMCISIS: id est, non morientur morte gloriosa, vti solent heroës & victores, qui morte, seu naturali, seu violenta sublati, magnifica pompa *descendunt in* sepulchrum & *in* INFERNVM CVM ARMIS SVIS, gladiis, hastis, galeis, aliisque, bello nobilitatis instrumentis. Neque enim vel tantillus honor, qui vulgari cuique nobili solet exhiberi, obtinget his tyrannis; sed summo probro ac dedecore cadauera eorum insepulta obijcientur canibus ac feris discerpenda: quia INIQVITATES & scelera EORVM FVERVNT non modò in anima, sed & IN OSSIBVS EORVM, & omnibus membris, quibus sceleratè & fœdè abusi sunt: ac proinde etiam in illis plecti debuerunt.

℣. 30. IBI PRINCIPES etiam AQVILONIS, id est, Babylonij, Tyrij, Sidonij, aliique Aquilonares VENATORES, non ferarum, sed hominum: id est, prædones & tyranni. Sic Gen. 10. v.9. *Nemrod* vocatur *magnus venator coram Domino*, id est, insignis prædo ac tyrannus.

℣.31. VIDIT hos omnes PHARAO cùm ad inferos descenderet, ET CONSOLATVS EST] id est, cõsortio illorum refectus & recreatus est, dum sensit tam præstantes heroës socios sibi esse in pœnis. Cur verò hîc enarrem, tam seueras depoſci pœnas ab his sceleratis principibus, inter alias causas hæc vna est:

℣. 32. QVIA sic DEDI TERROREM MEVM IN TERRA VIVENTIVM] id est, terreo omnes viuentes, vt exemplo illorum moniti cessent se iisdem sceleribus inquinare.

CAPVT. XXXIII.

Docet, officium Prophetæ & prædicatoris esse, præmonere populum de instante clade: inuitat peccatores ad pœnitentiam; edicit Ierosolymam à Chaldæis ob indigenarum scelera captam esse & vastatam. Quod postridie superueniens ex Iudæa nuntius, verum esse confirmat. vnde Iudæis quoque à Nabuchodonosore in Iudæa relictis cladem intentat, si præcedentium scelera imitentur.

℣.2. LOQVERE AD FILIOS POPVLI TVI, id est, ad populares tuos Iudæos. q.d. Hactenus contra Gentes iussi te vaticinari: nunc redi ad tuos, quibus te SPECVLATOREM dedi vt ipsis sua scelera, & sceleribus debitas pœnas, iam iam imminentes apertè denunties.

℣.5. SANGVIS EIVS IN IPSO ERIT] Id est, ipse sibi causa erit mortis suæ, nec eam poterit in alium reiicere.

℣. 6. SI GLADIVS, id est, hostis gladio instructus, TVLERIT DE medio ANIMAM, (g) id est, hominem; ILLE IN INIQVITATE SVA CAPTVS EST: id est, ob iniquitatem & scelera sua capietur, (h) punietur, morietur: quia Deus hostes non immittit nisi ob peccata populi. SANGVINEM AVTEM EIVS DE MANV SPECVLATORIS REQVIRAM] Id est, puniam speculatorem vt homicidam: quia mortem alterius non præpediuit, cùm posset ac deberet.

g *Proleg. de Idiotismis Hebr. n.28.*
h *Ibid. n.44.*

℣.10. PECCATA NOSTRA, id est, pœnæ peccatorum, SVPER NOS SVNT] id est, nobis incumbunt, grauant nos.

℣. 11. NOLO MORTEM IMPII] scilicet voluntate antecedenti, & quãtum est ex parte mea. Vide dicta

a Eccli. 15. v. 11.

dicta cap. 18. v. 23. & alibi. (a)

℣. 14. SI FECERIT IVDICIVM ET IVSTITIAM]. Id est, si innocenter & iustè vixerit.

℣. 21. DVODECIMO ANNO TRANSMIGRATIONIS NOSTRÆ, DECIMO MENSE, QVINTA die MENSIS, nempe totis 18. mensibus post expugnatã à Chaldæis Ierosolymam *vndecimo anno, mense quarto die quinta*; (b) nuntius aduenit DICENS, VASTATA EST CIVITAS] non quòd hic primus esset nuntius (iam enim tot captiui cum Sedecia aducti erant (c) Babylonem) sed inter alios erat hic vnus, & vt oculatus omnium testis, omnia etiam minutissima referebat. Porrò præcedentis diei

b Ierem. 39. v. 2.

c Ierem. 40. v. 1.

℣. 22. VESPERE MANVS DOMINI FACTA FVERAT AD ME; id est, virtute, potentia, efficacia diuina excitatus fueram ad prophetandum contra Iudæos in patria relictos. APERVITQVE Dominus OS MEVM] id est; dedit mihi loquendi libertatem, fiduciam & vires.

℣. 24. QVI HABITANT IN RVINOSIS HIS] Id est, Iudæi qui remanserunt in ruinis Ierusalem & Iudææ iam à Chaldæis euersæ, cùm dolere deberent, gaudent & lætantur, quòd pauci numero possideant totam Iudæam: dicuntque non esse hoc mirum: cùm vni Abrahæ Deus illam totam promiserit: illi verò filij sint Abrahæ, & numero multi.

℣. 25. IN, id est, cum, SANGVINE COMEDITIS carnes, contra decretum legis, Leuit. 19. ET OCVLOS LEVATIS, id est, respicitis cum amore & affectu ingenti, ADIMMVNDITIAS VESTRAS] Id est, ad spurcas libidines, & adulteria, maximè spiritualia, id est; ad idololatriam, inquit Chaldæus, Vatablus & alij.

Leuit. 19. v. 26.

℣. 26. STETISTIS IN, id est, cum, GLADIIS VESTRIS] id est, non iure, non æquitate, sed vi & armis omnia geritis. q. d. Præcedentium incolarum scelera imitamini, præcedentium quoque pœnis plectemini. Pars

℣. 27. GLADIO CADET: pars BESTIIS TRADETVR: pars PESTE MORIETVR] Vide Iosephum.

℣. 30. LOQVVNTVR DE TE, iocantes & subsannantes, vt solent otiosi pro foribus & in circulis.

℣. 31. VENIVNT confertim & multi simul AD TE, QVASI SI INGREDIATVR POPVLVS ad concionem. ita LXX. Interim SERMONES TVOS prophetico VERTVNT IN CANTICVM ORIS SVI] id est, in cantilenas & iocos. q. d. Rident, contemnunt monita & vaticinia tua.

℣. 32. ES EIS QVASI CARMEN MVSICVM] Id est, solius curiositatis & voluptatis ergò te audiunt, ac si musicum instrumentum pulsares. Et verò pulsabis, sed luctuosum ipsis ac funebre, quo intendentes impiis imminentes pœnas, quas velint, nolint, propediem dabunt:

CAPVT XXXIV.

Submittit pastoribus, qui non gregem, sed seipsos pascunt, sponsor se breui verum pastorem Iudæis missurum, putà Messiam, qui gregem dissipatum colligat, pascat, saluet.

℣. 2. VÆ, etiam æternùm, PASTORIBVS, tam Ecclesiasticis, quàm politicis, QVI SEMETIPSOS PASCVNT lacte & carnibus ouium suarum, sua lucra, non gregis commoda quærentes.

℣. 3. LAC ET LANA sunt opes subditorum, è quibus alimenta superioribus, ceteraque vitæ ac statui fouendo necessaria præstari debent: sed iniquum est voluptatis causa OCCIDERE quidquid A CRASSVM seu pingue est in gregibus, id est, diuites vitâ spoliare, vel exilio mulctare, vel iniquis sententiis opprimere, vt opibus illorum diteris. Iniquum etiam, exigere lac, & lanam ouibus detrahere, nec tamen ipsis de commodo pastu prospicere, officiorum ac beneficiorum lucra captare, pensiones pensionibus accumulare, nec tamen saluti subditorum inuigilare, aut communi bono, sed propriùs solùm commodis studere.

℣. 4. QVOD ABIECTVM, hebraicè, *deiectam* ouem, v. g. in fossam, vel depulsam in auia & deuia, NON REDVXISTIS in viam. IMPERABATIS CVM POTENTIA, id est, violentè & tyrannicè. Vnde factum, vt

℣. 6. GREGES MEI *aberrarint* palabundi IN CVNCTIS MONTIBVS] fœuitia principum illos fugante ac dispergente, & causam dante confugiendi ad opem & ad idola Gentium vicinarum.

℣. 10. ECCE EGO IPSE SVPER PASTORES tales; Chaldæus, *super gubernatores mittam furorem meum* & DE MANV EORVM

℣. 11. REQVIRAM OVES MEAS, id est, rationem ab eis exigam, cur oues meæ dispersæ sint vel perierint, & damnum à pastoribus reposcam. Interim recollectas oues, & ad propria reductas, EGO IPSE VISITABO & pascam, præficiendo eis alios pastores fidos ac strenuos, putà Zorobabelem, Esdram, Nehemiam, Mardochæum, Machabæos & alios similes: ac tandem etiam *pastorum* (d) omnium *principem*, Messiam, id est, Christum (ad quem sensim assurgit Propheta, donec v. 23. ad litteram de illo agat.) Per hos

d 1. Petr. 5. v. 3.

℣. 16. PASCAM OVES meas, non *cum potentia*, seu violentè & tyrannicè, vti vos vers. 4. sed IN IVDICIO] id est, cum æquitate & ex iustitia, dans cuique quod suum est, quodque iure illi debetur. His & sequentibus versiculis explicat omne munus & officium veri pastoris: vti postea explicarunt etiam S. Petrus, (e) S. Paulus, (f) & ipsemet pastor pastorum Christus (g) Dominus. non solùm verbo, sed & factis ipsis, exemplo suo ideam pastoris perfectam delineans. Talem quoque ideam graphicè nobis depinxit in Athanasio Nazianzenus, in Malachia Bernardus, in aliis Gregor. Magnus & alij. Increpitis pastoribus, increpat & oues:

e Sup. v. 2. & seqq.
f 1. Tim. 3. & totis epistolis ad Timoth. & Titum.
Isaiæ 40. v. 11. & g Ioan. 10. Matth. 5. v. 13. & seq. Nazian. orat. 21. in Athan. Bern. in Vita Malachiæ. Greg. l. de Cura pastorali.

℣. 17. ECCE EGO IVDICO INTER arietes & hircos, inter bonos & malos, & hos ad sinistram, illos ad dextram (h) meam collocabo: bonos præmiabo, malos puniam.

h Matt. 25. v. 33.

℣. 18. RELIQVIAS PASCVARVM VESTRARVM CVNCVLCASTIS, *& aquam turbastis*. Notat petulcos diuites, qui ne reliquiis quidem opum suarum pauperes iuuare volunt. Et idem immisericordiæ peccatum etiam Christus in iudicio præ omnibus inculcat, Matth. 25.

℣. 20. PECVS PINGVE vocat diuites, qui *vers.* 21. LATERIBVS, HVMERIS ET CORNIBVS, id est, totis viribus, MACILENTVM ET *infirmum pecus*; id est, pauperes & imbecilles exagitant, mordent, & è pascuis expellunt.

i In Euangelijs passim.

℣. 23. SVCITABO PASTOREM VNVM, nempe SERVVM MEVM DAVID] id est, Zorobabel, inquiũt moderni Iudæi. Sed antiqui Hebræi, teste R. Dauid, id intelligunt de antitypo Zorobabelis, putà Messia, qui per excellentiam in Scripturis vocatur *filius Dauid* (i) vel etiam absolutè *Dauid*, (k) inquit S. Ambrosius, Augustinus & alij Patres. Et vocatur hîc *seruus* Patris, ratione humanæ naturæ assumptæ, inquit Franc. Suarez.

k Ezech. 37. v. 24. & 25. Osee 3. v. 5.
b Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 39. Suarez 3. p. q. 20. a. 1. disp. 44. sect. 1.

℣.25. PACTVM PACIS, seu quietis & prosperitatis, est nouum testamentum, nouum fœdus factum per Christum inter homines & Deum, Ioan. 14. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Nam CESSARE FACIAM BESTIAS PESSIMAS DE TERRA]id est, auferam dæmonibus, eorumque emissariis tyrannis potestatem (quam habuerunt amplissimam) nocendi Ecclesiæ meæ. Vt sint

℣.26. *Benedictio*, id est, gens benedicta, felix, fœcunda, bonis omnibus affluens IN CIRCVITV COLLIS MEI Sion, id est, templi mei, vt vertit Chaldæus, id est, per vniuersam Ecclesiam meam. PLVVIÆ BENEDICTIONIS, id est, fertilitatis & fœcunditatis, ERVNT vbique. Intus enim irrigabo illos gratia mea, foris doctrina Euangelica.

℣.27. CVM CONTRIVERO CATENAS IVGI EORVM, id est, cùm liberauero eos à captiuitate & seruitute IMPERANTIVM SIBI, nempe Chaldæorum (vt habent Hebræa) & aliorum tyrannorum: maximè verò peccati, diaboli & mortis æternæ.

℣.29. SVSCITABO EIS GERMEN (*a*) NOMINATVM; hebraicè, *plantam ad celebritatem*, id est, celebrem illam ac nobilem plantam, putà Christum, toto orbe, toto cælo famosissimum germen, à quo omnes etiam clientes eius sortituri sunt celeberrimum nobilissimumque nomen Christianorum. Qui NON ERVNT VLTRA IMMINVTI, id est, consumpti, FAME verbi & pabuli diuini, vt antè contigit. Porrò

a Isaiæ 11. v.1. & Zach.3.v.8.

℣.31. GREGES MEI, de quibus egi hucusque, non sunt bruta pecora, sed vos, ô HOMINES: & pastor vester, cuius toties memini, non est quispiam de triuio, sed EGO DOMINVS DEVS VESTER, vt dixi v.16.

CAPVT XXXV.

Prædicit excidium Idumæorum, eò quòd Iudæos perpetuò diuexarint, afflictis insultarint, absentium terras inuaserint. Idem est argumentum posterioris partis cap. 25. suprà, & totius prophetiæ Abdiæ.

℣.3. MONS SEIR est Idumæa, vt alibi (*b*) dixi.

b Gen.36. v.8. &c.

℣.5. EO QVOD CONCLVSERIS FILIOS ISRAEL IN MANVS GLADII : id est, eò quòd Iudæos à Chaldæis profugos, & azyli causâ ad te confugientes, partim occideris, partim captiuos feceris, vt ait Abdias: IN TEMPORE INIQVITATIS EXTREMÆ] id est, vltimæ punitionis & calamitatis Iudæorum per Chaldæos, inquit Maldonatus.

Abdiæ v.14.

℣.6. PROPTEREA etiam SANGVINI TRADAM TE, id est, cædi, occisioni: ET CVM SANGVINEM ODERIS atque extremè horreas, tamen PERSEQVETVR TE]q.d. Obueniet tibi cædes & excidium à quo tantoperè horres. Dixisti,

℣.10. DVÆ GENTES, ET DVÆ TERRÆ, id est, duarum gentium terræ, seu regiones, putà Iudææ & Samariæ, deinceps MEÆ ERVNT, (*c*) ego vtramque occupabo, ET quasi propriam *hereditatem* POSSIDEBO, CVM tamen DOMINVS ESSET IBI verus dominus, heres & possessor. q.d. Deum ipsum voluisti sua statione ac possessione excludere, non reueritus tantæ maiestatis præsentiam ac potentiam. ita S. Hieronymus.

c Ierem. 49. v.1.

℣.11. FACIAM IVXTA IRAM TVAM] Id est, ita tibi irascar, sicut tu iram tuam exercuisti in Iudæos, inquit Maldonatus. Dixisti,

℣.12. DESERTI montes Iudææ, id est, regiones à Iudæis in Chaldæam abductis derelictæ, NOBIS AD DEVORANDVM DATÆ SVNT.

℣.13. INSVRREXISTIS SVPER, id est, contra, ME ORE VESTRO; hebraicè, *magnificastis* (d) *os vestrum super me*, id est, superbè mihi insultastis: ET DEROGASTIS ADVERSVM ME VERBA VESTRA] id est, derogastis & detraxistis gloriæ ac maiestati meæ per vestra verba, quibus impiè atque impudenter mihi vel impotentiam, vel ignorantiam, vel improuidentiam exprobrastis. LXX. *vociferati estis contra me*, nempe ex petulantia, vel etiam ex ira & contemptu. Sed SICVTI tu GAVISVS ES SVPER excidio populi mei, ita FACIAM vicissim,

d Psalm.72. v.9.

℣.14. VT VNIVERSA TERRA lætetur, gaudeat, exultet in tui vastatione. Quæ quando, & per quos contigerit, dixi c.25. v.13.

CAPVT XXXVI.

Promittit Iudæis liberationem à captiuitate Babylonica per Cyrum: Allegoricè, (& quidem sensu principaliter intenso à Spiritu sancto) à captiuitate diaboli, peccati & mortis æternæ, per Cyri antitypum Christum.

℣.2. INIMICVS Iudæorum hic vocatur Idumæus, Ammonita & Moabita, vt ex cap. præced. & c. 25. v.3. & seqq. patet. Hi quia cognati Iudæorum, (partim ex Esau fratre Israelis, partim ex Loth nepote Abrahæ (*e*) procreati,) Iudæis è Iudæa abductis, dicebant, NOBIS tanquam proximis heredibus DATÆ SVNT (*f*) ALTITVDINES SEMPITERNÆ]id est, alti terræ Israeliticæ montes, semper deinceps nostri futuri, vt semper fuerunt nostræ familiæ Abrahamiticæ.

e Gen. 19. v.36.

f Ierem. 49. vs.1. & Ezech. 35. v.10.

℣.3. ASCENDISTIS SVPER LABIVM LINGVÆ, id est, facti estis fabula POPVLI, dicterium ET OPPROBRIVM vulgi, vt comminatus fuit Ieremias.

Ierem. 24. v.9.

℣.4. PARIETINIS]Id est, parietibus, seu muris dirutis.

℣.5. IGNE ZELI MEI; LXX. *furoris*; Chaldæus, *vltionis meæ*. q.d. Ardenti ira ac furore decreui, minatus sum & prædixi me funditus excisurum Ammonitas, Moabitas atque Idumæos, qui terram Israeliticam sibi tamquam iure cessam rapuerunt, ET EIECERVNT EVM] id est, incolas eius, à Nabuchodonosore post cladem in Iudæa relictos.

℣.6. *Quia* ergo vos, ô Iudæi, CONFVSIONEM GENTIVM SVSTINVISTIS, id est, à Gentibus affecti estis probris & iniuriis: idcirco EGO ad vestri vltionem & consolationem LOCVTVS SVM, id est, decreui talionem reddere Gentibus istis, & IPSÆ proprij excidij & exterminij sui

℣.7. CONFVSIONEM PORTENT. Et super hoc LEVAVI MANVM MEAM]Id est, iuraui (*g*) quasi elatâ manu, sic me facturum.

g Prolog. in Ieremiæ Hebr. n.13.

℣.8. PROPE EST VT VENIAT]Id est, instat tempus quo *populus meus* è captiuitate Babylonica redeat in patriam.

℣.11. DONABO VOS MAIORIBVS BONIS, QVAM HABVISTIS AB INITIO] Hoc de bonis temporalibus intelligi non potest, cùm constet, Iudæos sub Iosue, Dauide, Salomone & pluribus aliis regibus, plura maioraque bona temporalia habuisse, quàm post reditum è Babylone. Ergo de spiritalibus bonis, beneficiis ac gratiis id intelligendum, Iudææ per Messiam obuenturis. ita S. Hieronymus & alij Patres. Sic & illud:

℣.12. NON ADDES VLTRA, ô Iudæa, VT SIS ABSQVE *populo meo Israel*; non tam (*h*) de terrena Iudæa, & carnalibus Israelitis (cùm his sub Tito & aliis subsecutis Impp. Romanis Iudæa planè caruerit) quàm de spiritalibus Iudæa & Israelitis, id est, de

h Ibid n.17 & Ezech. 26.v.14.

de Ecclesia Christi & Christianis, exponendum: A his enim numquam Ecclesia destituetur.

℣.13. DICVNT tibi & exprobrant hostes: DEVORATRIX HOMINVM ES]nempè peste, fame, aliisque miseriis vt olim etiam tibi exprobrarunt perfidi exploratores(a) à Moyse submissi,)absumis incolas tuos. Sed faxo

a *Num.*13. *v.*33.

℣.14. NON COMEDAS EOS AMPLIVS]Id est, non obueniat tibi vel corruptus aër; vel sterile solum, vel malum aliud quo noceatur incolis tuis.

℣.17. VIA Israelitarum FACTA EST CORAM ME IVXTA IMMVNDITIAM MENSTRVATÆ]id est studia & nequitas Israelitarum, putà idololatriam, homicidia, aliaque nefanda scelera abominatus sum, vt solent abominationi esse fœdissima(b) menstrua.

b *Leuit.*15. *v.*9. & *c.*20 *v.*18.

℣.20. INGRESSI etiam AD GENTES, ad Chaldæos, POLLVERVNT ijsdem sceleribus NOMEN SANCTVM MEVM: id est, causam dederunt Gentilibus me blasphemandi, quasi auctorem; patronum & laudatorem talium scelerum. Dicebant enim, ECCE POPVLVS DOMINI, in TERRA sancta enutritus, & in schola Dei cæli perpetuò instructus, colit passim idola, litibus, fraudibus, cædibus infestat proximum suum, fœneratur, furatur, fornicatur, mœchatur, & tot alia patrat facinora; utique Deo ipsorum probante: atque ita etiam in nobis improbari non possunt. Quòd si fiant Deo improbante, cur non impedit? cur non punit? nisi quia vel non potest, vel non audet, vel non curat, atque ita en tibi egregium Deum. Et quidem propter huiusmodi blasphemias quibus causam dedistis, merebamini funditus exscindi & exstirpari, vt ita cessaret occasio tanti scandali. Sed

B

℣.21. PEPERCI NOMINI SANCTO MEO, ne illud alio rursus ex capite denigraretur, quasi infidelis essem vel impotens in complendis promissis quibus toties olim Patriarchis promisi, me ex ipsorum semine producturum in orbem Messiam. Quod non fieret si semen ipsorum prorsus interiret vnde statui, etiam huic malo obuiare, & *clementiâ* vobiscum *vti* (vt est in Hebræo) *vers.* 22. NON PROPTER VOS, qui nullis beneficijs digni estis: SED PROPTER NOMEN SANCTVM MEVM]vt illud ab omni calumnia vindicem, & tam fœdè per vos pollutum, ego *vers.*23. *sanctificem*, id est, sanctum, iustum, admirabile, venerandum toti orbi exhibeam: omnibus palam faciendo primò iustitiam meam, per vestram tam prolixam captiuitatem & & punitionem: dein misericordiam & fidelitatem, per vestri liberationem: denique in vtraque potentiam, sapientiam ac prouidentiam meam diuinam. D Ex hoc fonte

C

℣.25. SVPER VOS iam in patriam reductos IN-FVNDAM AQVAM MVNDAM quâ MVNDABIMINI AB OMNIBVS INQVINAMENTIS VESTRIS] id est, abundantiam bonorum, non temporalium (vt volunt moderni Iudæi: hæc enim non emundant peccata, quin potiùs augent:) sed spiritalium (vt etiam Chaldæus & R. Dauid exponunt) putà quæ merito & dono Christi per Sacramenta, per sacrificium, per omnia pia opera in animas fidelium dimanant; vt pulchrè S. Augustin.* Cyprianus & Paulinus demonstrant fieri per baptismum per pœnitentiam, per alias vias.

* *Aug. l.3. de Doctrina Christiana c.34. & l.9. Confess. c.12. Cypr. l.2. epist.2. ad Donat. S. Paulin. epist.12. in carmine ad Senerum.*

℣.26. ET DABO VOBIS COR NOVVM, ET COR CARNEVM]Hoc alibi(c) expositi, vt & reliqua hîc adiuncta.

c *Ezech.*11. *v.*19.

℣.29. VOCABO FRVMENTVM]& ad iussum, imò ad unicum nutum meum aderit summa abundantia non tantùm corporeæ, sed & spiritalis alimoniæ, quâ anima pascatur & delicietur.

℣.35. CIVITATES Iudææ à Chaldæis EVERSÆ, & tempore Babyloniæ captiuitatis DESTITVTÆ cultoribus, iam MVNITÆ SEDERVNT]id est, iam instauratæ sunt, nouisque munitionibus in tuto positæ; Chaldæus, Vatablus & Hebræi, *inhabitantur.*

℣.37. ADHVC, seu insuper, FACIAM filijs Israel *hoc* quod sequitur: nempe, MVLTIPLICABO homines in Iudæa, vel potiùs in Ecclesia Christi, SICVT solet multiplicari *grex* pecorum; maximè pecorum *sanctorum*, id est, in sanctuario immolandorum.

℣.38. IN præcipuis SOLEMNITATIBVS IERVSALEM]Paschæ, Pentecostes & Tabernaculorum, quando innumeri greges eò cogebantur. Nempè sic multiplicabo reduces in patriam Iudæos, vel potiùs Christianos, oues primarij pastoris Christi, qui propriè sunt *grex sanctus* & grex Dei.

CAPVT. XXXVII.

Captiuorum à Babylone liberationem; & symbolicè peccatorum à morte animæ suscitationem, eleganti parabola ossium & lignorum aridorum infusione spiritus vitalis reuiuiscentium adumbrat.

℣.1. FACTA EST SVPER ME MANVS DOMINI vel angeli(d) apprehendens me, non corporaliter, aut reuera, sed IN SPIRITV DOMINI, id est, per visionem à Deo submissam. Sic enim visus sum mihi in CAMPVM PLENVM OSSIBVS aridis: nempè in campum *Senaar*, seu Babylonicæ prouinciæ, vbi tum degebant Iudæi, instar ossium aridorum exsucci & quasi emortui. Ex hoc loco vult Dominicus Soto, & ex eo noster Ioannes Salas colligi, omnium mortuorum ossa ex toto orbe in hunc campum per angelos sub tempus iudicij transferenda, vt vno eodemque loco omnes simul homines reuiuiscant. Sed verisimilius est quòd Richardus, Suarez & alij docent, quemque resurrecturum vbi fuerit cuiusque cadauer(e), vel maior illius pars: indeque singulos iam redluiuos manu angelica transferendos in vallem Iosaphat ad tribunal Christi.

d *Ezech.*8. *v.*3.

Io. Salas 1. 2. *q.*5. *a.*4. *tract.*2. *disp.* 14. *sect.*7.

Richard. in 4. *dist.*48. *c.*1. *q.*7.

*Suarez to.*2. *p.*3. *disp.*50. *sect.*7.

e *Ezech. hic v.*12.

℣.5. INTROMITTAM IN VOS, ô ossa arida. SPIRITVM vitalem, ET sic VIVETIS]& in vos, ô captiui Iudæi, mittam nouum auxilium quo reducamini è morte(f) seruitutis ad vitam libertatis: & è morte peccati ad vitam gratiæ. Horum enim symbolum profertur hîc resurrectio ossium. Vnde certò colligitur ex hoc eodem loco futuram corporum resurrectionem, inquit Tertullianus, Iustinus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus & alij Patres. Nam, vt ijdem addunt, non assumeretur similitudo resurrectionis ad confirmandam restitutionem Israelitici populi, nisi certò constaret de futura resurrectione: nemo enim per res non certò constantes incerta confirmat.

f *Psal.*67. *v.*7.

*Tertull. de Resurr. c.*29 *Iust. Apol.*2. *pro Christianis. Cypr. l.*3. *ad Quirin. c.*49. *Ambr. de Fide resurrect. August. l.*3. *Doct. Christiana. c.*34.

℣.9. VENI SPIRITVS, id est, anima cuiusque defuncti adesdum, & ad corpus quæque suum redeat, A QVATVOR VENTIS]id est, ex omni parte vniuersi; vbi corpora ceciderant.

℣.11. DICVNT Israelitæ in Chaldæa captiui, ARVERVNT OSSA NOSTRA. q.d. Iam pridem quasi mortui hîc contabuimus in exilio, omnem vigorem, robur, animum perdidimus, PERIIT SPES

in

in patriam remeandi: ABSCISSI SVMVS à radice A terræ ſanctæ, ſicut ramus à radice arboris præciſus, ſine ſpe redintegrationis aut vitæ. Sed ego, dicit Dominus,

¥.12. APERIAM TVMVLOS ET SEPVLCHRA VESTRA] id eſt, carceres Babylonicos; Symbolicè carceres peccati, dæmonis, inferni. Captiuitas enim habetur pro morte ciuili.

¥.16. SVME TIBI LIGNVM; LXX. *virgam vnam*, id eſt, ſcipionem, ſeu ſceptrum: & INSCRIBE *illi* nomen IVDÆ, & duarum aliarum tribuum FILIORVM ISRAEL illi adhærentium, putà *Beniamin* (a) *& Leui* (b.) Sume & ALTERVM ſcipionem, & INSCRIBE illi nomen IOSEPH (ſiue *Ephraim* (c) primarij filij Ioſeph,) & decem tribuum illi quondam ſubiectarum.

a 3.Reg.12. v.21. & 2.Paral.11. v.12.
b 2 Par.11. v.13.
c Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n.21.

¥.17. Hæc duo ſceptra ADIVNGE TIBI IN LIGNVM VNVM IN MANV TVA] Id eſt, ita iuncta geſtabis manu, ac ſi vnicũ eſſet lignum. Quo ſymbolo deſignabis Primò, ramos Iſraelis, quos dicunt mortuos iam eſſe & exaruiſſe, rurſus vitæ reſtituendos. Secundò, diuiſos antè in duo regna, coalituros deinceps in vnum regnum Iuda, nempe ſub Zorobabele, quando è decem tribubus plurimi ſe iunxerunt & ſubiecerunt tribui Iudæ. Tertiò, Iudæos & Gentes, anteà iuratos hoſtes, per Chriſtum in vnam eius Eccleſiam coalituros (d.)

d Epheſ.2. v.14. Coloſſ.3. v.11. & Ioan.4.v.21.

¥.19 LIGNVM, ſeu ſceptrum, IOSEPH, id eſt, decem (e) tribuum, QVOD EST IN MANV EPHRAIM] quia primi reges Iſraelis (f) & plerique ſequentium fuerunt ex tribu Ephraim.

e Proleg. ſupr. & 2.Reg.19. v.20. Pſal.79. v.2.
f Chronici c.46.tab.2. in Ephraim.

¥.22. FACIAM EOS IN GENTEM VNAM, ſeu in vnam rempublicam: ET REX VNVS ERIT OMNIBVS IMPERANS] Quod certè in Zorobabelem, alioſque eum ſecutos duces non quadrat, quia totis trecentis & pluribus annis, nullum habuerunt Iudæi tunc regem, nempe vſque ad Machabæos. Ergo de Chriſto id intelligendum, vt omnes SS. Patres, & plerique etiam Rabbinorum intelligunt. Quem mox v.24. vocat *Dauidem*, id eſt, Dauidis filium, vt c.34.v.23. fuſiùs explicui.

¥.23. SALVOS EOS FACIAM, id eſt, captiuos liberabo, DE VNIVERSIS SEDIBVS, id eſt habitaculis ſuis, IN QVIBVS hucuſque habitarunt, & PECCAVERVNT, idololatriam Gentium aliaq́; ipſis familiaria ſcelera imitantes: *Commixti* enim *inter Gentes* (g,) *didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorum.*

g Pſal.105. v.35.

¥.26. FOEDVS PACIS, de quo ſuprà, (h) PERCVTIAM ILLIS, id eſt, ſanciam, paciſcar, ſtabiliam. Solent enim fœdera & pacta iniri partim *ſtipulatione*, id eſt, mutua manuum percuſſione: partim *ſacrificio*, id eſt, victimarum fœderalium percuſſione, ſeu mactatione. ET FVNDABO EOS tam firmis radicibus ac fundamentis, vt nec *portæ inferi* præualitura ſint *aduerſus* (i) ea.

h Ezech.34. v.25.
i Matt.16. v.18.

ET SANCTIFICATIONEM MEAM, id eſt, ſanctuarium, ſeu templum meum, vt Chaldæus vertit, nempe Eccleſiam Chriſti, DABO, id eſt, figam, IN MEDIO EORVM IN PERPETVVM] Nam teſte Apoſtolo (k) Chriſtiani ſunt verum Dei templum & *tabernaculum*, hîc inchoatè in terris per multiplicem gratiam, ſed completè in cælis per omnimodam gloriam, vt S.Ioannes in Apocalypſi declarat.

k 1.Cor.3. v.16. 2.Cor.6. v.16. Apoc.21. v.3.

CAPVT XXXVIII.

Deſcribit principis ac tyranni Gog arma, copias & gentes auxiliares, item vim & impetum, quo Eccleſiam, ac nominatim Ieruſalym, circa finem mundi concutiet: mox ſtragem eiuſdem ſubiungit, nempe mutuis cadibus, peſte, lapidibus, igne cæleſti & fulmine omnes interituros.

¥.2. GOG ſecundùm corticem litteræ eſt Antiochus Epiphanes (l,) MAGOG (quæ teſte Plinio & Ptolemæo vrbs eſt Syriæ, à Græcis ob multitudinem templorum dicta *Hierapolis*) ſubditæ Antiocho gentes Scythæ, Tartari & alij Aſiatici: qui duce Antiocho valdè afflixerunt (m) Iudæos. ita ferè Theodoretus, Pererius & Alcazar. Sed ſenſu Allegorico, principaliter intento à Spiritu ſancto, *Gog* eſt Antichriſtus, vt vult Liranus, Vatablus & Paulus Burgenſis: vel potiùs primarius copiarum Antichriſti princeps, ſeu archiſtrategus, vt Bellarminus, Valentia & à Lapide contendunt. huius enim figura ſeu typus fuit Antiochus. *Magog* ſubditæ Antichriſto gentes Scythæ, Tartari, Turcæ & alij Aſiatici. *Magogos* enim poſteros *Iaphet*, vt conſtat ex Geneſ.10. Scythas eſſe & Tartaros, qui à monte Caucaſo, & palude Mæotide prope mare Caſpium, ad Indiam vſque protenduntur, docent * Ioſephus, Hieronymus, Theodoretus, Dorotheus & Eucherius. Ex nũc enim princeps Tartarorum vocatur *Gog*: vt *Gog Cham*, *Gog Elp*. Pro quo Turcæ dicunt *Gioc*, Mogores *Gio*, teſte Leunclauio & Serario. Porrò *Gog* non ſolorum *Magog* princeps erit, ſed etiam CAPITIS, ſeu regis MOSOCH, id eſt, Cappadocum (n) ET THVBAL] id eſt, Iberorum, qui Scythis vicini ſunt ad Aquilonarem Aſiæ partem iuxta Pontum, inter Colchidem & Armeniam, quæ Caucaſijs montibus circumdatur. Vnde educta olim colonia Europæorum Iberorum, qui Hiſpani vocantur. ita Ribera & Maldonatus.

l Chronici c.40. Plin. l.5. c.21. Ptol.in 4. tab.Aſiæ.
m In libris Machab.
Bellar.l.3. de Pont.c.17. Valentia de Pont.
* Ioſeph.l.1. Antiq.c.6.11 Hieron 99. Hebr. in Geneſ. Doroth. in Synopſi. Eucher l.2. in Gen c.10. Leuclau. c.1.Turcici Pandect. Serar. in Tob.14.q.4.
n Ezech.27. v.13.
Ribera Apoc.20.n.61

¥.4. CIRCVMAGAM TE, ô Gog, quaſi frænо in gyrum, vt per te, per tuos, infeſtes vniuerſum orbem: EDVCAM ergo TE è ſolo natiuo in remotas terras, & vnà tecum innumerabiles copias.

¥.6. GOMER ſunt Galatæ, inquit Ioſephus, Theodoretus, Vatablus: vel, vt Pomponius Mela, Cimmerij.

DOMVS THOGORMA ſunt Germani, inquit Chaldæus & Vatablus: vel potiùs Phryges, ſeu Turcæ, vt alibi (o) dixi.

o Ezech.27 v.14.

¥.7. ESTO EIS IN PRÆCEPTVM] Id eſt, præcipe, impera, dux eſto ſubditis & confœderatis tuis. q.d. Subiuga gentes, latè circùm impera, ſtabili regnum tuum, quouſque ſinet diuina prouidentia.

¥.8. POST MVLTOS DIES, nempe ſub finem monarchiæ Antichriſti; S. Ioannes in Apocalypſi dicit, *poſt mille annos*, (de ijſdem enim perſonis agunt Ezechiel & S.Ioannes, vt patet ex verbis vtriuſque, & docent communiter interpretes) etiam tu VISITABERIS, id eſt, punieris à Deo. Nempe cùm IN NOVISSIMO ANNORVM, vltimo anno monarchiæ Antichriſti, VENIES cum innumeris copiis tuis AD TERRAM ſanctam, id eſt, Iudæam, aduerſus Eccleſiam Chriſti, QVÆ recèns REVERSA EST A GLADIO, quo penè *contrita* fuerat, vt vertunt Vatablus & Pagninus: nempe ad reliquias Eccleſiæ ſubtractas furori Antichriſti, & iam in vnum collectas in Iudæa, vt Antichriſto reſiſtant. AD MONTES ISRAEL DESERTOS IVGITER, nempe à Titi temporibus vſque ad monarchiam Antichriſti.

Apoc.20. v.7.

HÆC

HÆC terra, id est, incolæ terræ, seu Ecclesia, A EDVCTA EST DE POPVLIS multis ac varijs, per quos antè dispersa erat. Confluent enim Christiani tanto numero, tanta potentia, vt etiam CONFIDENTER ac liberè habitationem figere audeant in Iudæa, nec terreantur præsentia Antichristi Ierosolymæ residentis. Sed mox aduersus hos

¥.9. ASCENDET (a) ab Antichristo euocatus Gog cum omnibus copijs suis, vt stirpitus excindat POPVLVM Christianum,

¥.12. QVI COEPIT ESSE HABITATOR VMBILICI TERRÆ, id est, Iudææ, sitæ in medio (b) terræ tunc habitatæ.

¥.13. SABA (c) id est, Sabæi: DEDAN (d), id est, Idumæi: NEGOTIATORES THARSIS, seu maris, id est, insulani (e) ET OMNES LEONES] id est, reges, vt vertit Chaldæus, expostulabunt tecum ô Gog, cur tantas frustra coegeris undique copias, cùm bellum ab imbellibus Christianis nullum timendum sit, sed sola spolia ex ipsis legenda? Sed alia impendet capiti tuo plaga:

¥.14. CVM POPVLVS MEVS ISRAEL, eius antitypus Ecclesia Christianorum, HABITAVERIT; seu, vt (f), habitare cœperit, CONFIDENTER in Iudæa; me auctore, me protectore, tum SCIES & senties quid possim; Chaldæus, *scies vltionem potentiæ meæ.*

¥.15. VENIES A LATERIBVS AQVILONIS] ex Scythia, vt suprà (g).

¥.16. ET ADDVCAM TE SVPER TERRAM MEAM, id est, in Iudæam, tamquam ad macellum, vt mox (h) patebit: VT SCIANT passim omnes GENTES ME, vt omnipotentem, ita & infinitè iustum esse, CVM SANTIFICATVS & glorificatus FVERO IN TE puniendo, & Ecclesia mea protegenda. Tunc enim ad tam iustum, ad tam potentem Deum colendum undique confluent & Gentiles & Iudæi, quantumcumque anteà obstinati.

¥.27. TV ERGO ILLE ES tyrannus, ô Gog, DE QVO tam multa *prædixi* IN MANV PROPHETARVM] id est, per Prophetas *meos*, Danielem, Isaiam, Ieremiam, Ezechielem, & plures alios, quorum scripta non exstant.

¥.19. ERIT COMMOTIO, id est, turbatio, MAGNA Vatablus, *terræmotus maximus*, SVPER seu, *in* TERRA ISRAEL, aduentante eò Gog.

PISCES ET VOLVCRES turbabuntur.

¥.20. SVBVERTENTVR MONTES, ne tibi sint præsidio: CADENT SEPES] Hieronymus, *munitiones*; Chaldæus, *turres* tuæ.

¥.21. GLADIVM non modò Christianorum, sed & subditorum tibi militum (i) CONVOCABO ADVERSVS te, in exitium tuum.

¥.22. ET IVDICABO, id est, puniam, te PESTE, SANGVINE, id est, cæde & strage copiarum tuarum; ET (k) IMMENSIS LAPIDIBVS grandinis, vt Chaldæus & LXX. exponunt.

CAPVT XXXIX.

Pergit describere cladem Gog, tantam vt per septem annos foco struendo deseruitura sint hastæ clypei, arcus, conti, reliquaque ipsius arma. Feræ omnes & aues inuitat ad epulum tot cadaverum. Denique prædicit, Iudæos caso Gog & Antichristo, ad Christum conuertendos.

¥.3. PERCVTIAM ARCVM TVVM] Speciem ponit pro genere. q.d. Excutiam arma omnia è manibus tuis: exarmabo te.

¥.4. SVPER MONTES ISRAEL, id est, in Iudæa CADES TV] victoriâ penes Christianos (l) principes remanente, duce & archistratego Christo (m) & igne, id est, fulminibus, hostes non terrente tantùm sed & prosternente (n).

¥.5. Neque solùm Gog, sed etiam MAGOG, id est, regionem & terram Scytharum (o), Tartarorum, Turcarum, & aliarum nationum subiectarum Gog vel confœderatarum. Nempe regnum totum Antichristi subuertetur.

¥.7. NON POLLVAM AMPLIVS, id est, non sinam diutiùs pollui, seu profanari & blasphemari, NOMEN SANCTVM MEVM] vti per Gog & Antichristi victorias hactenus pollutum fuit.

¥.8. ECCE VENIT, id est, iam iam instat quòd dico, & rà certò & citò fiet, ac si iam FACTVM esset.

¥.9. SVCCENDENT IGNI arma hostilia SEPTEM ANNIS] id est, multis annis, inquit Maldonatus & alij. Vnde colligitur post mortem Antichristi, fluxuros plures annos antequam adueniat dies iudicij, inquit Pintus, Barradius, Ribera & Lessius. Et confirmatur ex Apostolo Rom. 11. v. 25. prædicente, omnes tunc Iudæos ad Christum conuertendos, quod verisimiliter fiet fundatis tota Iudæa Ecclesijs, vt vult Ven. Beda, Dionysius Carthusianus, Pannonius, Liranus, & alij. Deus enim Iudæis æquè ac Gentilibus tempus concedet sufficiens ad conuersionem & ad Ecclesiarum fundationem, vt religio Christiana solidè etiam apud ipsos stabiliatur. Et erit toto tunc orbe summa Ecclesiæ pax. Quamdiu præcisè duratura, solus nouit qui omnia nouit.

¥.11. DABO GOG IN ISRAEL, seu Iudæa, non oppida vel arces quas ambiebat, sed VALLEM unicam, non in vsum quem quærebat, sed *in* SEPVLCHRVM sui suorumque cadaverum. Erit hæc illa VALLIS QVI VIATORES ab Oriente in Iudæam aduentantes; eunt ad *mare* Genezareth, vt vertit Chaldæus, postea ab vrbe vicina in honorem Tiberij Cæsaris cõstructa vocatum mare Tiberiadis. Et hoc propriè dicitur *mare Iudææ*. Hæc vallis antonomasticè vocabitur *sepulchrum* nempè totorum eorumque exercituum: græcè, *polyandrion*; item VALLIS MVLTITVDINIS GOG] Syrus & Arabicus, *vallis perditionis Gog*.

¥.14. POST SEPTEM MENSES quibus occupati fuerint sepeliendis tot cadaueribus vers. 12. *in valle* repertis, INCIPIENT per publicos lustratores quaquauersum QVÆRERE quæ in remotioribus locis cecidernnt cadauera.

¥.15. CVMQVE VIDERINT OS HOMINIS, mandabunt illud obiter terræ, vt defluant carnes: sed IVXTA ILLVD SIATVENT TITVLVM, seu signum, quo dignosci possit, vt postea simul omnia per POLLINCTORES, qui curant funera, transferantur in commune sepulchrum, putà IN *vallem* MVLTITVDINIS GOG] Et ab hac eadem cæsorum ac sepultorum ibi multitudine dessametur

¥.16. NOMEN vicinæ CIVITATIS: vocabiturque AMONA] id est, *multitudo eius*, scilicet Gog iltic cæsa & sepulta iacet.

¥.18. CARNES FORTIVM hîc prostratorum COMEDETIS, ô volucres, ô feræ, ac (p) si essent carnes ARIETVM, TAVRORVM, ALTILIVM, &c.

¥.19. DE VICTIMA, id est, de strage hostium meorum, quam EGO IMMOLABO diuinæ iustitiæ in satisfactionem, VOBIS autem in epulum.

¥.20. SVPER MENSAM MEAM] id est, in hac valle, in qua tamquam in ara victimas istas mactaui. Nempe sic

¥.21.

a Daniel 11. v. 40. & Ierem. 4. v. 13.

b Psal. 73. v. 12.

c 3. Reg. 10. v. 1. d Ierem. 25. v. 23. & Ezech. 27. v. 15. e 2. Par. 9. v. 21. & Ezech. 27. v. 12.

f Hic v. 12.

g v. 2.

h v. 19. & seq.

i 1. Reg. 14. v. 10. k Exod. 9. v. 14. & Psal. 10. v. 7. & Iosue 10. v. 11. & Sap. 5. v. 23. & Eccli. 46. v. 6. & Apoc. 16. v. 21.

l Ezech. 38. v. 2. m Apoc. 19. v. 14. n Apoc. 20. v. 9. o Ezech. 38. v. 2.

Barrad. to. 3. l. 9. c. 7. Ribera & Pannonius in Apoc. 20. Lessius de Attrib. diu. c. 19. Beda in 1 Luc. 21.

p Prolog. de Idiotismis Hebr. n. 9.

℣. 21. PONAM, id est, ostentabo toti vniuerso GLORIAM MEAM, per nobile hoc *manus meæ*, id est, diuinæ potentiæ ac iustitiæ meæ trophæum. A

℣. 23. ET SCIENT GENTES quòd DOMVS ISRAEL, id est, Iudæa, per Titum CAPTA & euersa SIT; manseritque hucusque capta & euersa; non mea culpa, quasi vel noh potuerim, vel neglexerim illi succurrere: sed sua culpa: nempe propter INIQVITATEM SVAM] maximè quâ Christum Messiam & Dominum suum tam crudeliter occidit, inquit Finus & à Lapide. Hoc suum scelus tunc demum agnoscent Iudæi, cùm cæso Antichristo, sentient se ab eo fœdè delusos; manibus palpantes; non illum impostorem, sed Iesum Mariæ filium, esse suum Messiam; vnde & mox generaliter ad illum pro Messia suo amplexandum colendumque conuertentur. Quo facto, inquit Deus,

Adrian. Finus l. 7. Flagelli Iudæorum c. 15.

℣. 25. NVNC REDVCAM CAPTIVITATEM & dispersionem IACOB, id est, Iudæos toto orbe dispersos & exules *reducam* in patriam suam; in terram sanctam: ET ASSVMAM ZELVM, id est, zelabor eorum salutem, PRO NOMINE SANCTO MEO etiam inter illos propagando.

℣. 26. ET PORTABVNT, id est, tollent de medio, CONFVSIONEM SVAM, ET OMNEM PRÆVARICATIONEM] id est, desinent rebelles esse mihi & Christo suo: & consequenter non erunt amplius probro & confusioni Gentibus pridem Christum colentibus.

℣. 27. CVM SANCTIFICATVS IN EIS FVERO] Id est, ab ipsis habebor & colar pro Domino & Deo suo non minùs quàm à Gentibus.

℣. 28. EÒ QVÒD *transplantatos* olim IN NATIONES, & dispersos per orbem, nunc CONGREGAVERIM SVPER TERRAM SVAM, id est, in Iudæam reduxerim, ET NON DERELIQVERIM QVEMQVAM EX EIS IBI] id est, apud exteras & inimicas nationes. Quod sanè non potest de alia reductione Iudæorum intelligi, quàm de hac extrema post mortem Antichristi. Nam post illam quæ per Cyrum & Zorobabelem facta fuit, vel per Machabæos, plurima Israelitarum & Iudæorum millia remanserunt apud exteras nationes. Multò minùs de aliis Iudæis, quàm qui post cæsum Antichristum conuersi fuerint ad Christum, intelligi potest quòd sequitur: C

℣. 29. NON ABSCONDAM VLTRA FACIEM MEAM AB EIS: id est, non subtraham illis amplius meum fauorem, misericordiam, auxilium. Nam hæc omnia iam mille sexcentis annis subtracta esse Iudæis constat toti orbi, nec ipsi negare possunt. Ast tunc liberalissima manu ipsis omnia exhibebo, non guttatim stillando, sed copiosissimè *profundendo* SPIRITVM (*a*) MEVM sanctum, inquit Chaldæus, nempè dona gratiæ, iustitiæ, sanctitatis, non super pauculos aliquos, sed SVPER OMNEM DOMVM ISRAEL] id est, in omnes Iudæos. Plura de Gog & Antichristo vide in Apocalypsi S. Ioannis. D

a *Isaiæ* 11. v. 2.

Apoc. 19. & 20.

CAPVT XL.

Decimo quarto anno post excisum à Chaldæis templum & vrbem Ierosolymitanam, vt captiuos Babylone Iudæos in spem erigeret templi reædificandi, ac consequenter reipubl. ac religionis restauranda, Deus Ezechieli depingit his vltimis capitibus ideam noui templi, ad instar prioris Salomonici, nouam item vrbis Ierosolymæ, per Zorobabel materialiter, per Christum spiritualiter instauranda. ita veteres Rabbini apud Galatinum & Finum, S. Chrysost. Theodoret, Richardus Victorinus, Hugo, Liranus, Torniellus, Villalpandus, Ribera, à Lapide & alij. Allegoricè ergo & quidem sensu principaliter intento à Spiritu sancto, templum hoc & vrbs est Ecclesia Christi tam quoad spiritualia, putà sacerdotium, sacrificium, ædes sacras: quàm quoad temporalia & politica. Tropologicè, est anima fidelis & sancta: Anagogicè, Ecclesia in cælis triumphans b. *Porrò hoc quadragesimo capite in duplici atrio templi, nempe laicorum & sacerdotum, describit mensuras longitudinis, latitudinis, & altitudinis portarum, thalamorum, fenestrarum, vestibulorum, cubiculorum, graduum, totiusq; fabricæ. Tertiarij c, quòd erat Gentium, non meminit hic Propheta.*

* *Galatinus l. 5. c. 12. Adrianus Finus sup. l. 2. c. 8. Chrysost. hom. 17. in ep. ad Hebr. Richard. l. de Ezechiel. templo Torniell. in Chron. anno 3460. Ribera l. 1. de Templo. c. 27.*

℣. 1. IPSA HAC DIE, scilicet DECIMA primi MENSIS Nisan (*d*) eadem nempe die quâ olim (*e*), imò quotannis iubebantur Hebræi tollere agnum paschalem, eumque seruare in 14. diem quâ debebat immolari: FACTA EST SVPER ME MANVS (*f*) DOMINI: &

b *Exech.* 47. v. 6. *collata cum Apoc.* 22. v. 1. *&c.*

c *Ioseph. l. 3. Antiq. c. 5. & l. 6. Belli c. 6.*

d *Chronici c. 4.*

e *Exod.* 12.

f *Ezech.* 1. v. 3.

℣. 2. IN VISIONIBVS (*g*) DEI, id est, non corporaliter, sed mentaliter per visionem, eamque sublimem, mirabilem ac verè diuinam, rapuit ME & ADDVXIT IN Iudæam, SVPER MONTEM EXCELSVM (*h*) NIMIS, nempe montem Sion, *in quo* ERAT QVASI ADIFICIVM CIVITATIS, id est, in quo templum inchoabatur amplum, vastum, munitum instar ciuitatis; VERGENTIS AD AVSTRVM, respectu Babylonis, inquit Apollinaris. Mons hic est *Christus*, ait S. Gregorius.

g *Ezech.* 1. v. 1.

h *Genes.* 35. v. 10. *Psal.* 35. v. 7. *Isaiæ* 2. v. 2.

℣. 3. ET ECCE VIR, id est, angelus formâ viri, & verisimiliter Gabriel, vt apud Danielem (*i*); CVIVS SPECIES QVASI (*k*) ÆRIS politi & splendentis: ET FVNICVLVS LINEVS cæmentariorum, vt vertunt LXX. IN MANV EIVS, quo exploret æqualitatem vel rectitudinem surgentis fabricæ, inquit S. Gregorius: ET CALAMVS MENSVRÆ, id est, canna mensoria. (*l*) Allegoricè, hic vir est Christus, inquit S. Hieronymus & Gregorius, qui totius Ecclesiæ partes describit, distribuit, ædificat, exornat. Hic *stat in porta*, quia via est ad Patrem, & indignos excludit, dignos læto hilarique vultu excipit & introducit.

i *Dan.* 9. v. 21.

k *Exech.* 1. v. 4. & 27.

l *Zach.* 2. v. 1. & *Apocal.* 21. v. 15.

℣. 5. CALAMVS SEX CVBITORVM ET PALMO] Villalpandus vult hunc calamum fuisse sex cubitorum & vnius tantùm palmi. Sed tunc dixisset Ezechiel, *& palmi*, non *& palmo*, inquit Alcazar, qui cum S. Hieronymo, Vatablo, Maldonato & Rabbinis vult calamum hunc habuisse sex cubitos non vulgares, sed sacros, seu regios, qui vulgarem cubitum superant (*m*) vno *palmo*, seu quaternis digitis transuersim iunctis. hebraicè enim est, *sex cubitorum ex cubito & palmo*, supple, constantium.

Alcazar de mensuris propos. 9.

m *Prolegom. mensurâ longitudin. & his Ezech. 43. v. 13.*

℣. 6. VENIT AD PORTAM ORIENTALEM atrij, non extimi, seu Gentium (nam illius hîc non meminit) sed medij, quod vocabatur atrium Iudæorum mundorum: & respectu intimi atrij sacerdotum, dicebatur atrium exterius. Porrò vnumquodque atrium habebat ternas portas, seu ingressus; vnum ex opposito frontis templi, qui spectabat Orientem: alterum ad latus Aquilonare: tertium ad Meridionale. Per hos ingressus, seu portas, ascendebatur ex vno atrio in aliud. LXX. dicunt

fuisse

fuisse 7. *gradu* ex atrio Gentium ad atrium Iudæorum, & patet ex v. 22. Inde ad atrium sacerdotum erant octo gradus, v. 31. In his 15. gradibus decantabant Leuitæ 15. psalmos, dum sacerdotes ad iugè sacrificium Deo offerendum se conferrent, vnde dicti sunt *psalmi graduum*, seu Graduales; inquit S. Hieronymus & Hebræi. Denique ex atrio sacerdotum vsque ad *sanctum*, seu vestibulum templi, erant iterum octo gradus. (a)

a *Hic v. vlt.*

℣. 8. VESTIBVLVM vocat spatium quod inter duas portæ cuiusque facies intercipiebatur & peruium erat intrantibus: in eo erant *sex thalami*, seu cubicula ianitorum, (b) putà Leuitarum ad portas excubantium, tria ex vno latere, & tria ex altero. Ichnographiam horum omnium habes accuratissimè delineatam apud Villalpandum: & mysticos sensus apud S. Hieronymum, Gregorium, Riberam, Liranum, Cornelium à Lapide & Petrum Bongum Bergomatem, qui singulorum numerorum in SS. Scripturis celebrium significationes fusè prosequitur.

b 1. *Par.* 26.

Villalp. figura 9. & lib. 1. de Templo c. 25. Pet. Bong. l. de Numer. myster.

℣. 9. Per FRONTES R. Salomon, Vatablus, Isidorus Clarius & Villalpandus accipit postes vel columnas, seu semicolumnas, in quibus non rarò cochleæ erant, quibus gradatim ascendebatur ad verticem ædificij, inquit Maldonatus, & patet ex v. 14. & 16. Mysticum sensum vide apud S. Hieronymum.

℣. 17. ATRIVM EXTERIVS Iudæorum mundotum subdiale PAVIMENTO constabat marmoreo tessellato, cingebaturque porticibus vndique marmoreis, & post porticus *gazophylacijs*, seu exedris, vniuersim TRIGINTA. Alio nomine *pastophoria* dicebantur, erantque cubicula in quibus habitabant sacerdotes & Leuitæ, & templi supellex ac thesauri recondebantur, inquit S. Hieronymus, Ribera, Maldonatus, Villalpandus & alij.

℣. 18. PAVIMENTVM, &c.] Id est, latitudo gazophylaciorum simul cum porticibus, vtrimque à lateribus portarum, erat 50. cubitorum, quanta nimirum erat longitudo, seu profunditas portarum: longitudo verò porticuum erat longè maior, nempe 500. cubitorum; ita S. Gregorius & Villalpandus. Atrium hoc exterius laicorum subdiale dissectum erat in plures areas, quarum vna

c *S. Gregor. in Ezech. hom.* 18.

℣. 19. A FACIE PORTÆ INFERIORIS, id est, à principio portæ Orientalis, v. 6. atrij exterioris, VSQVE AD FRONTEM ATRII INTERIORIS sacerdotum EXTRINSECVS, (nempe vsque ad gradus (c) infimos quibus ascendebatur ad atrium sacerdotum) habebat tam in longitudine (putà ab Occidente AD ORIENTEM) quàm in latitudine (à Meridie AD AQVILONEM) centum cubitos. Erat enim quadrata omnibus suis lateribus & costis. ita Liranus, Maldonatus, Villalpandus. Similis per omnia erat proportio

c *Hic v. 6.*

℣. 20. *Portæ, thalamorum, vestibuli, graduũ, & areæ* subdialis ad latus Aquilonare atrij eiusdem Israelitici: & *portæ Australis*, cum reliquis ei annexis.

℣. 28. Transit ad dimensionem atrij interioris, seu sacerdotum: cuius partium omnium eadem erat figura, mensura ac proportio, quæ atrij Israelitici.

℣. 29. THALAMVM] Hebraicè, & apud LXX. habes *thalamos*: erant enim sex in vnoquoque vestibulo, vt patet ex supradictis. (d) Sic

d *Hic v. 8. & 10.*

℣. 30. VESTIBVLVM; hebraicè, *vestibula eius*, PER GYRVM. vocat spatia quæ erant inter thalamos magni vestibuli, & procurrebant ab vno poste ad oppositum postem alterius lateris vestibuli maioris: vnde longitudo singulorum eadem est quæ latitudo maioris vestibuli, nempe 25. cubitorum: latitudo verò 5. cubitorum, quanta erat etiam latitudo singulorum thalamorum. ita Maldonatus.

℣. 38. PER SINGVLA GAZOPHYLACIA (e) ad vtrumque latus vestibuli maioris singularum PORTARVM atrij interioris, LAVABANTVR HOLOCAVSTA, quæ ex atrio exteriori per OSTIA in exedras inferebantur, mundanda ante oblationem: his enim vsibus seruiebant hæc gazophylacia seu exedræ minores.

e *v. 17.*

℣. 39. IN eodem VESTIBVLO interiori cuiusque portæ atrii sacerdotalis, partim ad ingressum, partim ad exitum, octonæ erant mensæ lapideæ quadratæ, nempe binæ ad singulos postes. Super his mensis expansæ pecudes iugulabantur, vt postea in altari offerrentur. Binæ autem erant vtrobique mensæ, vt vni victimia, alteri

℣. 42. VASA imponerentur, IN QVIBVS victima IMMOLATVR] seu iugulatur; v. g. cultri, phialæ ad sanguinem excipiendum, acetabula, (f) scutellæ, quibus sal, simila, thus & alia (g) eiusmodi imponebantur. Harum mensarum

f *Proleg. de vten. nus.*

g *Exodi 25. v. 29.*

℣. 43. LABIA, (sic etiam vertunt LXX.) Id est, additamenta superiora reflexa, habebant latitudinem PALMI. Græcè, *cymatia* vocantur à κῦμα, id est, *vnda*, quòd vndæ speciem præ se ferrent.

℣. 44. EXTRA & iuxta quamlibet trium portarum INTERIORVM ATRII INTERIORIS sacerdotalis; erant GAZOPHYLACIA (h) decem: ad vnum latus portæ 5. & totidem ad alterum latus, id est, vniuersim 30. (i) In his habitabant sacerdotes & Leuitæ qui templo ministrabant. Ad latus Aquilonare habitabant (k) *cantores*. Iuxta illos ad dextrum & ad sinistrum *latus* PORTÆ ORIENTALIS, *vers.* 45. *erat* GAZOPHYLACIVM, seu alter ordo cubiculorum, in quibus agebant SACERDOTES QVI EXCVBANT IN CVSTODIIS TEMPLI, nempe ad ea curanda quæ concernunt altare thymiamatis, candelabrum septiramum, propositionem panum, & alia ministeria Sancti & Sancti sanctorum.

h *Hic v. 17.*

i *Ibid.*

k 1. *Par.* 25.

℣. 46. PORRO tertius ordo *gazophylaciorum*, ad latus Meridionale templi *respiciens* versus *Aquilonem*, nempe ex opposito cantorum, seruiebat habitationi SACERDOTVM QVI EXCVBANT AD MINISTERIVM ALTARIS holocaustorum, vt ignem istic perpetuum fouerent, victimas immolarent, & alia curarent quæ altare concernunt, quod

℣. 47. ERAT ANTE FACIEM, seu frontispicium, TEMPLI] id est, Sancti & Sancti Sanctorum.

℣. 48. VESTIBVLVM vocat porticum quæ erat immediatè ante fores domus sanctæ, alta *centum* (l) *viginti cubitos*: longa 20. cubitos, (nempe quanta erat latitudo domus sanctæ:) lata, seu profunda præcisè decem cubitos cum dimidio, inquit Villalpandus: vnde liberum fuit scriptori sacro vel 10. cubitos supputare, vt fecit 3. Reg. 6 v. 3. vel vndecim cubitos, vt hìc Ezechiel facit v. vlt. *Vestibuli* huius *postis* (Chaldæus & R. Dauid *frontem* (m) vocant) vtrimque erat *quinque cubitorum*: latera verò *portæ* vtrimque *lata* erant *tres cubitos*. Et duæ COLVMNÆ ERANT IN FRONTIBVS, seu ante frontes vestibuli, similes illis duabus æreis columnis Salomonis, quarum vna dicebatur *Booz*, id est, fortitudo: altera *Iachim*, id est, firmitas, 3. Regum 7. v. 15. vnde reliqua hauries huc spectantia.

l 3. *Reg.* 6. *v.* 3. & 2. *Par.* 3. *v.* 4. & *Ioseph. l.* 8. *Antiq. c.* 2. *Villalp. p.* 2. *l.* 3. *c.* 46.

m *Hic v.* 9.

CAPVT XLI.

Dimetitur angelus sanctam domum, puta Sanctum & Sanctum sanctorum, cum thalamis, seu cubiculis templo adhærentibus: item cochleam, plateam, oratorium, ethnicas, limina, fenestras, Cherubinos, palmas, altare incensi, & ostia templi. Allegoricè Ecclesiæ hierarchiam, Sacramenta, sacrificium, aliaque ornamenta depingit.

a Ezech.40. v.9. FRONTES (a) *templi*, id est, postes, seu semicolumnæ vtrimque ad portam sanctuarij dispositæ, erant *sex cubitorum*: nempe tantæ *latitudinis*, quantæ erat *tabernaculum*, seu murus totius sanctuarij; hic enim erat vnius calami, id est, sex (b) cubitorum.

b Ibid.

¥.2. LATITVDO PORTÆ, seu intercapedo inter vtrumque postem, ERAT DECEM CVBITORVM. LATERA verò PORTÆ, id est, partes parietis à lateribus portæ vtrimque reliquæ, quæ stipant & muniunt portam, erant singula 5. cubitorum. Cùm enim tota templi latitudo esset 20. cubitorum, & ex iis porta decem occuparet, non poterant pro lateribus portæ nisi quinque cubiti reliqui esse ex vna parte, & quinque ex altera. Porrò *longitudo* sanctuarij, ab interiori limine vsque ad Sanctum sanctorum erat QVADRAGINTA (c) CVBITORVM.

c 3. Reg. 6. v. 2. &c.

¥.3. INTRINSECVS ad ingressum Sancti sanctorum, FRONS PORTÆ, id est, postis portam fulciens, quæ erat in muro quo Sanctum sanctorum secernebatur à Sancto, vtrimque latus erat DVOS CVBITOS: PORTA verò SEX CVBITOS. Vnde *latera* (d) *portæ*, seu spatium reliquum à porta vsque ad lateralem murum totius templi, vtrimque habebat LATITVDINEM SEPTEM CVBITORVM] Bis enim 7. faciunt 14. Quibus si addas 6. cubitos portæ, habebis 20. cubitos, qui faciunt latitudinem totius templi.

d Hic v. 2.

¥.4. *Longitudo & latitudo* Sancti sanctorum erat VIGINTI CVBITORVM. Sed in 20. *cubitis* latitudinis, (quæ erat ANTE FACIEM TEMPLI, id est, quæ protendebatur ab Occidentali muro versus Orientem, & respiciebat sanctuarium) includitur crassities muri duorum cubitorum, interiecti inter Sanctum & Sanctum sanctorum. Tota enim longitudo templi non erat nisi 60. *cubitorum* intra muros, vt constat ex libris Regum.

3 Reg. 6. v. 3.

¥.5. PARIES totius DOMVS sanctæ, seu templi, erat latus *sex cubitos*. *Latera* verò, id est, anterides, seu pilastri è muro extantes, & ipsum fulcientes, vt vult Villalpandus: vel potiùs, vt Maldonatus & à Lapide, thalami, (e) cubicula lateralia, seu cellulæ inter & intra anterides constructæ in infima contignatione erant QVATVOR CVBITORVM cum medio, vt opinor: vnde possunt (f) dici fuisse vel quatuor, vt hîc vel quinque cubitorum, vt 3. Reg. 6. v. 6. & hîc v. 11. Erantque hæ cellæ

e 3. Reg. 6. v 5. & Ioseph. l. 8. Antiq. c. 2.

f Ezech. 40. v. 48.

¥.6. BIS TRIGINTA TRES: & LATVS AD LATVS, seu cubiculum, ad cubiculum, id est, mutuò collateralia, mutuò subordinata, & mutuò versus alterum latus opposita. In Meridionali enim latere templi triplex erat ordo istiusmodi cubiculorum, id est, ter vndena: & totidem in latere Septemtrionali. In infimo ordine erant quatuor cubitorum cum medio, vt iam (g) dixi: in secundo ordine, quinque cubiti cum medio: in supremo, sex cum medio.

g Hic v. 5.

ET ERANT EMINENTIA quædam marmora ex muro templi (*canes* ab architectis vocantur, à Chaldæo *proiecturæ*,) quibus imponebantur transuersæ trabes cubiculorum templo adhærentium: quo fiebat, vt cubicula non inhærerent muris templi.

¥.7. PLATEA ERAT IN ROTVNDVM ASCENDENS] Id est, gradus, seu scalæ attollebantur in altum per modum *cochleæ*, (h) vt ex imo ordine cubiculorum ascenderetur ad medium, & ex medio ad summum. Et quia cubicula cuiusque lateris peruia erant, vt ex vno in aliud pateret ingressus, satis erat vnum ostium cochleæ ad vnius lateris cubicula penetranda. ita Beda & ex eo Ribera. Porrò singulos ordines cubiculorum, maximè superiorum, vocat *cenaculum*, quia vt habitationi, ita & *cenationi* seruiebant sacerdotum templo deseruientium.

h 3. Reg. 6. v. 8.

Ribera l. 1. de Templ. c. 15.

LATIVS ERAT TEMPLVM] Id est, domus hæc seu series cubiculorum templo appensa, cubito vno latior erat ab intus in secundo ordine, quàm in infimo: rursus in tertio, seu supremo, ordine latiora erant cubicula cubito vno, quàm in secundo: nempe murus extenuabatur ad singulas contignationes integro cubito, & per consequens tantumdem spatij accedebat cubiculis.

¥.8. ALTITVDINEM vocat tertium ac supremum cubiculorum ordinem ad vtrumque latus templi: erant enim hæc cubicula omnium altissima, inquit Chaldæus, Theodoretus, Maldonatus, Villalpandus. Hîc FVNDATA, seu constructa erant LATERA, id est, thalami, seu cubicula lateralia, SEX CVBITORVM, vt iam dixi.

¥.9. *Paries* horum cubiculorum FORINSECVS versus atrium, *latus* erat QVINQVE *cubitos*: & totidem cubitos habebat INFERIOR pars DOMVS; hebraicè, *interuallum domui cubiculorum*, id est, spatium interiectum inter cubicula & murum templi. Vnde spatium omne quod

¥.10. GAZOPHYLACIA hæc, seu cubicula adificabant templo, erat VIGINTI CVBITORVM IN CIRCVITV DOMVS VNDIQVE] Nam murus extimus versus atrium erat 5. (i) cubitorum: cubiculum erat 5. (k) cubitorum: murus interior cubiculi etiam 5. cubitorum: denique interuallum inter hunc cubiculi murum & murum templi, 5. (l) cubitorum: simul 20. sunt cubiti.

i Hic v. 4.
k Hic v. 5.
l Hic v. 9.

¥.11. OSTIVM ex vtroque templi latere vnicum erat, per quod sacerdotibus patebat ingressus AD ORATIONEM] id est, ad hæc infimi ordinis cubicula templum ambientia, quæ erat *orationi*; hebraicè, *quieti*, destinata, sicut 2. ordinis cœnationi. (m)

m Hic v. 7.

¥.12. ÆDIFICIVM ergo omne, QVOD ERAT SEPARATVM iam dicto modo ab ædificio templi, AD VIAM RESPICIENTEM AD MARE] id est, versus Occidentem (Iudæis enim mare Mediterraneum est ad Occidentem) *latum* erat *septuaginta cubitos*: Sanctum enim sanctorum erat 20. (n) cubitorum, & singulæ alæ adnexæ erant 20. (o) cubitorum: & spissitudo parietis intermedij bis sex, (p) id est, simul 12. cubitorum; qui simul faciunt 72. cubitos: quot etiam præcisè expressisset hîc Propheta, nisi supra v. 5. cubiculis illis lateralibus non consignasset nisi 4 cubitos, vt ibidem dixi. Totum verò ædificium longum erat 100. (q) cubitos. Nam intercapedo Sancti & Sancti sanctorum erat 60. (r) cubitorum: porticus 11. (s) cubitorum: murus templi in fronte 6. & à tergo 6. cubitorum: intercapedo inter murum Sancti sanctorum, & extimum murum huius ædificij separati versus Occidentem, 5. cubitorum, vt à lateribus, (t) imò verisimiliter 7. cubitorum (quia versus Occidentem non erant thalami, seu cubicula, vt ad latera:) vnde habes vniuersum in longitudine 90 (u) cubitos. His adde latitudinem muri (x) extimi 5. cubitorum versus Occidentem, & 5. versus

n Hic v. 4.
o v. 10.
p v. 1. & 5.
q v. 13.
r v. 2. & 4.
s c. 40. v. 48.
t Hic v. 9.
u Hic v. 13.
x Ibid.

sus Orientem, innentes simul 100. cubitos. Vnde æqualis erit longitudo *domus* sanctæ, seu templi, & *ædificij* huius *separati* sicà templo.

℣.14 LATITVDO AVTEM arcæ ANTE FACIEM, seu frontispicium, DOMVS sanctæ, simul & *separati* huius ædificij, versus ORIENTEM, erat CENTVM CVBITORVM.

℣.15. MENSVS EST etiam LONGITVDINEM ÆDIFICII quod erat ad Occidentem post Sanctum sanctorum. Ibi erat porticus CONTRA FACIEM, id est, opposita, QVÆ ERAT SEPARATVM AD DORSVM templi, id est, ædificio adhærenti dorso Sancti sanctorum: & inuenit longitudinem ibi 106. cubitorum, quæ eadem erat longitudo *ethecarum*, id est, porticuum, quæ vtrimque cingebant latera alterius porticus iam dictæ. erat enim area intermedia 100. cubitorum in quadrum. Erant autem *ethecæ*, seu porticus, non solùm à tergo templi, sed &c.

B

℣.16. IN CIRCVITV templi PER TRES PARIES reliquas, singulæ CONTRA LIMEN, id est, ex opposito limitis, seu lateris *cuiusque*, nempe ex opposito lateris Meridionalis, Aquilonaris & Orientalis. Nec tamen erant *ethecæ* nudæ, sed ethecis INSTRATVM erat EX LIGNO cedrino tabulatum IN CIRCVITV porticuum PER GYRVM] tabulato autem superstruebatur duplex ordo cubiculorum, quorum fenestræ respiciebant templum.

A TERRA AVTEM VSQVE AD FENESTRAS spatium erat AD MENSVRAM, (*a*) id est, iustum & quale exigebat proportio: erat nempe 25. cubitorum: & erat æqualis hæc altitudo omnium fenestrarum eiusdem contignationis, etiam per DOMVM INTERIOREM, seu templum, tam FORINSECVS, quàm INTRINSECVS, id est, tam versus exteriora, quàm versus interiora domus. Vna erat omnium fenestrarum altitudo, latitudo, materia & forma. Et C erant singulæ supra singula *ostia*, vel supra singulos arcus porticuum. Et erant *obliquæ*, id est, introrsum latiores quàm extrorsum, inquit Angelomus & Abulensis & à Lapide. Talium enim fenestrarum lineæ laterum non sunt parallelæ, sed obliquæ. Et FENESTRÆ templi ab intus erant CLAVSÆ triplici tegmine, cancellis, valuis & aulæis, quæ pro libito sacerdotum vel attollebantur, vel demittebantur.

a v.17.

Angelom & Abul. in 3. Reg. 6. v.4.

℣.18. Et in parietibus templi FABREFACTA, seu fabrili opere sculpta erant CHERVBIM alternis ET PALMÆ, symbola *victoriæ*, quam vt Deo perpetuo victori in omnibus casibus acceptam ferrent Israelitæ, templum hoc posuerant, inquit Alcazar. Cherubini enim iuuenes alati & armati, vt c.1.v.6. dixi, victoriam parare censebantur: palmæ verò (de quibus vide Aristotelem, & Gellium) victores condecorabant etiam apud Græcos & Romanos: qui ritum hunc ab Israelitis mutuati videntur, & verisimillimè ex templo Salomonico, inquit Cornelius à Lapide. Porrò *Cherub* cùm non esset rotunda statua, sed solùm dimidiata, in pariete plano insculpta (Galli vocant *demi-relief*) non quaternas facies, vt (*b*) alibi, sed solùm binas referebat, nempe *hominis* & *leonis*: quarum vna respiciebat palmam à dextris, altera palmam à sinistris positam. Non erat ergo facies leonis in tubis, neque facies aquilæ in alis, vt volunt Pradus & Villalpandus. Sed de hoc alibi.

Alcazar Apoc. 3. v.12. not 1. Arist. in 7. Problem Gellius l. 3. c.6.

b Ezech. 1. v.6.

℣.21. LIMEN QVADRANGVLVM: id est, fornix portæ templi non erat semicircularis, sed planus, ita vt porta esset prorsus quadrata. ET FACIES, seu frontispicium SANCTVARII, erat omnino simile quoad formam, dispositionem, incrustaturas, aliaque ornamenta, cum *facie* Sancti sanctorum, vtpote quæ *aspectum* haberent CONTRA ASPECTVM] id est, vno eodemque aspectu videri poterant, & spectabunt eandem cæli plagam, nempe Orientalem. In sola magnitudine esset disparitas. ita Villalpandus, qui addit, portam templi Iudaici similem fuisse portæ templi Romani quod *Pantheon* vocatur, constructum à M. Agrippa tempore Augusti Cæsaris in honorem omnium deorum.

c Hier. v. 2. & 3.

℣.22. ALTARIS thymiamatis siue incensi, ante portam Sancti sanctorum LONGITVDO, seu mensa, ET PARIETES, id est, latera, & ANGVLI, id est, tigilla angularia, erant *ex ligno*, sed aureis laminis contecta, vt alibi (*d*) dicitur. Mensæ propositionis panum, & candelabri septiformi, arcæ propitiatorij, non meminit angelus: forte quia hæc Ieremias (*e*) absconderat: nec erat arca à Zorobabele instauranda; vnde, teste Iosepho, caruerunt illa deinceps Iudæi.

d Exod. 25. v.1. & c. 30 v.3.

e 2. Mach. 2 v.4. Ioseph. l. 9. Vatic. c. 6.

℣.23. DVO OSTIA ERANT] Id est, binis foribus claudebatur vtrumque ostium, nempe Sancti, & Sancti sanctorum.

℣.24. IN singulis foribus rursum erant aliæ binæ plicatiles fores: nempe in quolibet ostio quaternæ erant minores fores. ita Maldonatus & Villalpandus. Porrò valuarum istarum

℣.25. GROSSIORA ERANT LIGNA, & eminebant extrinsecus, vt ex eis Cherubini & palmæ sculperentur. Mysticas horum omnium significationes vide apud Riberam & alios suprà (*f*) citatos.

f Ezech. 40. v.8.

CAPVT XLII.

Atria templi, quæ c. 40. solùm generaliter dimensus fuerat; iam sigillatim dimetitur: vti & extimum ambitum omnium atriorum; quem bis mille calamis, id est, duodecies mille cubitis, circumscribit.

℣.1. ATRIVM EXTERIVS (*g*) est atrium laicorum, seu Israelitarum, tribus constans areis, ad quarum vnam VERGENTEM AD AQVILONEM, dicit fuisse GAZOPHYLACIVM, id est, seriem gazophylaciorum, respondentem à tergo areæ quæ erat ante SEPARATVM ÆDIFICIVM lateris *Aquilonarii ædis* sacræ. Hæc series gazophylaciorum.

g Ezech. 40. v.6.

℣.2. Ad *ostium Aquilonare*, longa erat 100. cubitos, lata 50. Cetera quæ proportionem spectant harum fabricarum vide fusè exposita, imò delineata apud Villalpandum.

℣.5 GAZOPHYLACIA IN SVPERIORIBVS contignationibus ERANT HVMILIORA quàm infima contignatio: nam infimæ PORTICVS SVPPORTABANT, seu fulciebant columnas mediane porticus, quæ EX ILLIS INFERIORIBVS EMINEBANT, seu sursum assurgebant, vnde & exiliores & breuiores erant secundæ primis, & tertiæ secundis: sicut *arbor*, inquit Vitruuius, *quò altiùs excrescit, eò fit gracilior.* Et Tropologicè, quantò homo fit excelsior, tantò debet fieri humilior.

D

Vitruu. l. 5. c. 3.

℣.6. TRISTEGA ERANT, id est, tres erant contignationes: sed tertia, seu suprema contignatio, NON HABEBAT COLVMNAS tam altas, tam latas, quàm secunda, PROPTEREA quòd EMINERET, seu exsurgeret, DE INFERIORIBVS, vt iam (*h*) dixi

h Hic v. 5.

℣.7. PERIBOLVS, id est, septum, seu murus EXTERIOR, iuxta GAZOPHYLACIA, erat 50. cubitorum, sicut & ipsa gazophylacia lateris Aquilonaris, de quo hactenus. Nam gazophylacia Australia atrij interioris,

✠.8. ANTE FACIEM TEMPLI, quod erat sacerdotum, habebant in longitudine 100. *cubitos.*

✠.11. OMNIS INTROITVS; LXX. *exitus*, EORVM, id est, omnis forma, dispositio, mensura, conditio *gazophylaciorum*, QVÆ ERANT AD NOTVM, seu ad Austrum; similis erat Aquilonaribus. SECVNDVM LONGITVDINEM EORVM, SIC ET LATITVDO EORVM] id est, longitudo vtriusque par fuit, par item vtriusque latitudo. Sunt enim hîc frequentes hebraismi.

✠.13. IN his GAZOPHYLACIIS VESCVNTVR victimis Deo oblatis SACERDOTES, QVI per vices APPROPINQVANT, seu accedunt, AD DOMINVM IN SANCTA SANCTORVM, id est, in templū sanctissimum: IBI PONENT SANCTA SANCTORVM] id est, sanctissimas (a) victimas Deo immolatas, nempe partes illas quæ sacerdotibus ex lege debebantur.

a *Proleg. de Idiotismis Hebr. n.* 50.

✠.14. NON EGREDIENTVR IN ATRIVM EXTERIVS, vt ibi comedant de immolatis: quin & in eodem loco sancto REPONENT omnia SVA VESTIMENTA (b) sacra.

b *Exodi* 28.

✠.15. & sequentibus metitur murum extimum atrij Israelitici simul (verisimiliter) (c) & Gentium: asseritque quadratum fuisse, & quodlibet latus habuisse 500. *calamos* iustæ *mensuræ*, id est, simul in ambitu calamos bis mille, id est, cubitos duodecies mille. ita S. Hieronymus, Liranus, Maldonatus, Pineda & à Lapide, contra Villalpandum, qui vult totum ambitum quatuor laterum simul non excessisse mensuram 500. calamorum. Sed planus litteræ textus, singula latera seorsum dimetiens, singulis lateribus tribuit calamos 500. Et confirmatur ex c. 45. v. 3. vbi locum templi longè ampliorem facit Propheta.

c *Pineda l. 5. de Rebus Salom. c. 5.*

✠.20. PER QVATVOR VENTOS, seu ad singulas mundi plagas, MENSVS EST LONGITVDINEM QVINGENTORVM, non CVBITORVM, vt vitiosè hîc ponunt typographi (nam in Hebræo, & in Latino, Glossæ Ordinariæ textu, & in pluribus aliis codicibus id non reperitur) sed *calamorum*, vt ex præcedentibus quatuor versibus subintelligi & repeti debet. ita S. Hieronymus, Liranus, Maldonatus, à Lapide & alij.

VVLGI LOCVM vocat hîc atrium exterius Israelitarum, itemque atrium Gentilium: hic enim locus septo hoc 500. calamorum disiungebatur à *sanctuario*, id est, atrio sacerdotum & templi.

CAPVT XLIII.

Gloriosa Dei maiestas, quæ templo egredi visa fuerat ✠ *cùm illud à Chaldæis euertendum esset, iam cùm illud à Zorobabele, Allegoricè à Christo, reædificandum est, in illud reuersuram iubetur Ezechiel, vt ideam templi, eiusque ritus ac diuina præcepta Iudæis ob oculos ponat. Quæ si custodierint, promittit se in eo cum ipsis perpetuò habitaturum. Describit etiam altare holocaustorum, & ritus in eo sacrificandi.*

✠ *Ezech.* 9. v. 3. & c. 10. v. 4. & 18.

✠.2. GLORIA DEI ISRAEL, nempe currus Cherubim (d) gloriosam Dei maiestatem repræsentans, INGREDIEBATVR portam ORIENTALEM atrij exterioris Israelitarum; ex quo loco trahit secum v. 5. Ezechielem *in atrium interius* sacerdotum.

d *c.* 1. v. 8. & c 10. &c.

ET VOX gloriæ Domini, id est, currui Cherubico, ERAT QVASI VOX (e) AQVARVM inundantium, dum summo impetu, strepitu, fragore inter se, & ad littora vel saxa alliduntur. ET TERRA SPLENDEBAT; LXX. *splendebat instar fulguris*, ex præsentia MAIESTATIS EIVS] Mystice, S. Thomas id adaptat beatissimæ Virgini, nouo & pecu-

e *Apoc.* 1. v. 15.

S. Tho 3. p. q 27. a. 3.

liari modo sanctificatæ eo momento quo concepit in vtero filium Dei.

✠.6. DE DOMO, id est, ex Sancto sanctorum, vbi Deus sedem fixerat, AVDIVI eum LOQVENTEM AD ME: sed cùm fragore vocis diuinæ perculsus, non sat eam perciperem, VIR, id est, angelus forma viri, *astans mihi*, eamdem vocem moderato sono mihi repetiit, vt commodè perciperem. ita Maldonatus.

✠.7. DIXIT AD ME: Hic est LOCVS SOLII MEI, ET LOCVS VESTIGIORVM; hebraicè, *plantarum*, PEDVM MEORVM] id est, hîc pedes, hîc plantas meas fixi, quasi perpetuò hîc habitaturus: hoc templum erit mihi pro domo, pro palatio, pro throno regio. Et sicut *cælum mihi sedes* (f) *est, & terra scabellum pedum meorum*, ita erit mihi & templum istud, inquit Maldonatus.

f *Isaiæ* 66. v. 1.

NON POLLVENT VLTRA DOMVS ISRAEL, NOMEN SANCTVM MEVM, FORNICATIONIBVS SVIS, id est, idololatriis, ET RVINIS; hebraicè, *bepigrè*, id est, cadaueribus, (quæ quia cadunt & ruunt, *ruinæ* (g) non rarò vocantur:) REGVM SVORVM] id est, à regibus iugulatorum. q.d. Nec idololatriis, nec homicidiis polluent locum sanctum, vt antè fecerunt. Alij per *cadauera* intelligunt humanas victimas, quas regibus, id est, idolis suis, sacrificabant Iudæi. Sed post reditum è Babylone per aliquot sæcula Iudæi idola non ampliùs coluerunt (si paucules sub Antiochis excipias:) absit humanis victimis litarint.

נפגרי

g *Psal.* 109. v. 6.

✠.10. OSTENDE DOMVI ISRAEL TEMPLVM, id est, ideam templi iam à me delineatam, ET METIANTVR ipsi quoque FABRICAM, vt videant an templo nuper euerso respondeat idea templi pòst paulò restaurandi: ostende eis FABRICAM EXITVS ET (b) INTROITVS, id est, omnem formam, dispositionem & mensuram partium singularum.

h *Ezech.* 41. v. 11.

✠.11. ET ERVBESCANT, quòd ob sua scelera templum tam magnificum sit euersum. Explica etiam illis VNIVERSA PRÆCEPTA ET LEGES EIVS] id est, ritus & cæremonias sacrificiorum præscriptas olim in Leuitico, sed hîc v. 18. rursum repetitas, quòd occasione excidii & exilij vix vlla penes ipsos memoria illarum extaret.

✠.12. ISTA quam capitibus præcedentibus exposui, EST LEX DOMVS] id est, descriptio templi & idea à me præscripta, quam volo obseruari in eius instauratione, inquit Vatablus, Hebræi & alij. Debet autem construi eodem loco quo antè, nimirum IN SVMMITATE MONTIS Moria, cuius OMNIS FINIS, seu terminus, IN CIRCVITV SANCTVM SANCTORVM (i) EST] id est, locus est sanctissimus, vtpotè destinatus condendo ibi templo Domini, & atriis eius ac peribolis, quæ omnia Deo sacra sunt.

i *Ibid.* v. 13. & *Ieremiæ* 17. v. 12.

✠.13. ALTARIS holocaustorum SINVS, id est, cauea ex marmoreo pauimento excisa, cingens vndique altare. CVBITO vno, sed VERISSIMO, id est, perfectissimo, (nempe regio (k) seu sacro, qui constabat cubito vulgari & insuper vno palmo) alta erat, & simili cubito lata, in quam fundebatur victimarum sanguis, qui deinde per subterraneos cuniculos ducebatur in torrentem, de quo infrà. (l) ita ferè Chaldæus, Maldonatus, Villalpandus, & à Lapide.

k *Ezech.* 40. v. 5.

l *Cap.* 47. v. 5.

ET DEFINITIO, hebraicè, *limes*, seu corona fossæ, per labium eius circumcirca procurrens, erat lata PALMVM vnum maiorem, (m) seu extensum. Nam in Hebræo est *zereth*, in Græco ἀνασπαμή, ad distinctionem à palmo minore, cuius meminit initio

m *Prolog. de mensuris longitudin.* זרת

טבח tio versus, dicto hebraicè, *topach*; græcè, παλαιστὴ. Hæc corona præpediebat ne sacerdotes incautè in foueam decidérent.

✠.14. DE SINV TERRÆ, id est, à labio superiore huius sinus qui erat terræ immersus, vt iam dixi, VSQVE AD CREPIDINEM NOVISSIMAM, id est, inferiorem altaris, erant DVO CVBITI. Ibi crepido arctabatur, & gradum faciebat circum aram latum cubito vno. Dicitur autem *crepido* à discrepando, & significat podium, seu fulcrum illud latius extans, cui reliqua fabrica innititur, quòd quia *discrepat* à reliqua fabricæ latitudine, *crepido* latinè; hebraicè, עזרה *azara* vocatur. AB hac inferiore CREPIDINE, (quæ *minor* dicebatur, quia tantùm duos cubitos alta erat) VSQVE AD CREPIDINEM *superiorem* QVATVOR erant CVBITI, vnde & *maior* vocabatur, quia duplo altior, inquit Maldonatus; & Villalpandus & à Lapide. Vtrique crepidini iam dictæ, quasi duplici basi insistebat ipsum proprie dictum *altare*, in quo victimæ cremabantur: vocaturque

✠.15. ARIEL] Id est, leo Dei, quòd instar leonis ferocissimi, victimas omnes sibi inlectas absumeret: & quia Deus in altari, quasi leo excubabat ad totius templi, vrbis ac regni tutelam. Vnde & toti vrbi nomen *Ariel* tribuitur ab Isaia. Volunt Hebræi, & ex ipsis Villalpandus, altare hoc etiam formam leoninam prætulisse; putà crura, iubas & vultus vndique leoninos. Quibus monerentur sacrificaturi, Deum similem esse leoni, (a) qui superbos discerpit, humilibus parcit. Allegoricè, Christus est altare nostrum, Apoc. 6. vers. 9. Item crux Christi, inquit S. Gregorius. Altare hoc supra altiorem crepidinem attollebatur ad 4. *cubitos*. Vniuersim ergo à terra eleuabatur ad 10. cubitos. Latum erat in vertice 12. cubitos in quadrum, sed humi (comprehensâ etiam fossâ, seu sinu suo & corohâ, de qua vers. 13.) latum erat 20. cubitos, vt de altari Salomonico constat ex 2. Paralip. 4. v. 1. In vertice altaris ad quatuor angulos erant CORNVA, id est, tigilla, pyramidum instar, sursum ascendentia, quasi prædæ vel victoriæ trophæa.

Isaiæ 29. v. 1.

a Ad Hebr. 12. v. vlt.

✠.17. ET CORONA, id est, limbus instar coronæ, ambiebat extimam altaris superficiem. *Coronicem* vocant architecti. GRADVS AVTEM, quibus ad altare ascendebatur, erant VERSI AD ORIENTEM] Per sacrificia enim accedebatur ad Deum, cuius thronus erat in Sancto sanctorum ad Occidentem. Vt sic Iudæi auocarentur ab idololatria Gentilium, qui adorabant solem orientem: (b) ita S. Gregorius Nyssenus, S. Thomas & Pineda.

b Ezech. 8. v. 16. Nyss. q. 18 in S. Scrip. S. Tho. 1. 2. q. 101. a. 4. ad 3 Pineda in Iob 31. v. 26 c Exod. 29. v. 12 &c. d Levit. 16. v. 18 & 27. & c. 22. v. 19. e Exodi 29. v. 9 & 35.

✠.18. RITVS præscribit, quibus altare iuxtà legem Mosaicam, expiari debebat, & Deo consecrari, seu sanctificari. Præscribuntur hi omnes in Exodo (c) & Leuitico: (d) sed Babylonicum exilium memoriam multis abstulerat, inquit Maldonatus.

✠.26. IMPLEBVNT MANVM, (e) id est, concauitatem altaris, victimis; & sic consecrabunt illud Deo. *Implere* enim *manum* Hebræis idem est quod *consecrare*, inquit Maldonatus.

CAPVT XLIV.

Iubet Deus claudi laicis omnibus, solo principe excepto portam Orientalem atrij sacerdotalis. Iubet, incircumcisos arceri à templo: Leuitas idololatras à seruitio templi. Denique vitas varias & vestes præscribit sacerdotibus, & partis victimarum, vt olim sanxerat in Leuitico.

f Ezech. 40. v. 5.

✠.1. CONVERTIT ME angelus (f) architectus à loco altaris ad egressum atrij sacerdotalis, quod vocabatur *sanctuarium exterius*, ad distinctionem domus sanctæ quæ dicebatur *sanctuarium interius*. Porrò atrij huius *porta Orientalis*, postquam gloria Domini per eam transierat, (g) CLAVSA ERAT.

g c. 43. v. 4.

✠.2. Et CLAVSA detineri iubetur omni non repræsentanti Deum, id est, omnibus laicis excepto *principe* populi, qui, sicut sacerdotes in spiritualibus, ita ipse in politicis locũ tenet Dei. Vnde illud

✠.3. CLAVSA ERIT PRINCIPI, idem est, quod, in vsum principis solius reserabitur; non vt per eam transeat, & in atrium sacerdotale ingrediatur (hoc enim illicitum ei erat) sed vt *sedeat* IN EA, spectetque sacrificia & sacrificantes sacerdotes. PER VIAM PORTÆ VESTIBVLI] Id est, per portam exterioris atrij Israelitici vnà cum alijs laicis subintrabit hanc portam quæ ducit ad atrium interius sacerdotale; ipso primum limen transeunte, & sub concauo portæ (b) consistente, reliquis laicis extra limen remanentibus. Allegoricè, SS. Patres omnes & interpretes dicunt hanc portam vterum esse virginalem Deiparæ: nulli peruium, nisi soli supremo principi Deo. Quod etiam Zuinglius & plures alij hæretici teste Canisio, agnouerunt; ex hoc loco perpetuam eius virginitatem, non modò ante & in partu, sed & post partum (vnde & tertiò *clausa* hîc dicitur) stabilientes. Plurimi Doctores hinc etiam colligunt, portam hanc nullo instanti, ne primo quidem conceptionis, patuisse dæmoni, sed absque originali peccato conceptam fuisse Deiparam. Alij per ipsam, quasi per cæli portam, dona omnia cælestia ad nos deriuari, vt pulchrè S. Bernardus demonstrat, & Ioannes de Auila, & Ribadineira & alij. Anagogicè, porta cæli clausa fuit vsque ad Christum, qui claue crucis suæ nobis illam reserauit. (i)

h c. 46. v. 1 & 12.

Canis. l. 2. Marial. t. 6.

Bern. ep. 74. & serm. 3. super Miss. sus, & ser. 3 in Salue Reg. & serm. 4. de Assump. Ribad. in vitâ SS. 8. Decemb.

i Actor. 7. & 10.

✠.7. ALIENOS vocat alienigenas, seu Gentiles, non modò INCIRCVMCISOS CORDE, id est, scelestatos, sed & INCIRCVMCISOS CARNE, id est, infideles & idololatras. Hos admouetis ministerio *sanctuarij mei*, & constituitis sacerdotes, ET CVSTODES sanè egregios OBSERVATIONVM & legum MEARVM. Ita factum sub Manasse, Achaz & aliis impijs regibus testantur sacræ historiæ. SED ET Leuitæ publici idololatræ, QVI ideo PORTAVERVNT INIQVITATEM SVAM] id est, puniti sunt condigna tantis sceleribus pœna, & hoc nomine infames sunt toto orbe, iam

✠.11. ERVNT, si superis placet, IN SANCTVARIO MEO ÆDITVI ET IANITORES, &c. abit:

✠.12. LEVAVI MANVM MEAM SVPER EOS, id est, iuraui, quòd pergent *portare* INIQVITATEM, SVAM] totaque vita irregulares erunt & infames. Tales enim, vt probro mihi sint,

✠.14. DABO IANITORES & custodes DOMVS meæ, qui seipsos custodire noluerunt? q.d. Non faciam, non permittam. FILIIS SADOC debetur is honos, boni patris bonis filiis, de (k) quibus alibi.

k Chronici c. 42.

✠.17. NON ASCENDET SVPER sacerdotes QVIDQVAM LANEVM] Lana enim, (vt benè Apuleius) segnissimi corporis excrementum, pulueris ac sordium receptaculum, spurcos mores, desidiam ac segnitiem significat, quæ procul esse debent à ministris Dei. Vnde & Orphei ac Pythagoræ scitis, inquit idem Apuleius, lanea vestis profana erat. E contrario *linum*, ob miram tenuitatem ac subtilitatem, & quia summo labore atque industria ex nobilis plantæ medulla colligitur, sordesque repellit; symbolum est diligentiæ, strenuitatis ac nitoris, quæ

Apul. in Apologia.

maximè decent & condecorant seruos Dei. Vide plura Exodi 28.de vestitu sacerdotali.

℣. 18. NON ACCINGENTVR IN SVDORE] seu cum sudore,id est,ita arctè(LXX. *violentè*,) vt sudent.ita Vatablus. Causam addit S. Hieronymus, quia sic inhabiles fierent ad obeunda ministeria templi.

℣. 19. AD POPVLVM regredientes Leuitæ *vestiant* SE VESTIBVS ALIIS nempe communibus & profanis:VT NON *sanctificent* POPVLVM VESTIBVS SVIS sacris : cogantque sic, etiam inscios vel inuitos subire leges (*a*) Nazaræorum, & templo deseruire,inquit S. Hieron. Profana enim ex contactu sacrorum fiebant sacra,iuxta legem Exodi 30.v.29. ita Vatablus,Maldonatus & à Lapide.

a *Leu.* 27. & *Num.*6.

℣.20.CAPVT NON RADENT] Causam, & alia huc spectantia dixi Leuitici 19.

℣.24.STABVNT IN IVDICIIS MEIS]Id est,legibus & decretis meis insistent, & ex horum præscripto,non verò pro suo placito vel arbitrio, diriment subortas lites.

℣.25.CONTAMINABVNTVR] Id est, contaminari,seu legalem irregularitatem subire permittuntur sacerdotes (excepto tamen summo pontifice, Leuit.21.v.11.) accedendo ad funera propinquorum suorum.Vide quæ ibi dixi.

℣.26.POSTQVAM FVERIT EMVNDATVS ab hac immunditia sua legali, NVMERABVNTVR EI SEPTEM DIES, antequam ad ministerium sacerdotale accedere permittatur. Hæc nouia est sanctio, inquit Vatablus; pro nouo templo : nam in Leuitico nil tale præscribitur.

*Leu.*6.&c.

℣. 28. EGO HEREDITAS, EGO POSSESSIO EORVM]Nempe ex victimis & primitiis mihi oblatis alam illos;quàm lautè,quam copiosè,alibi (*b*) dixi.

b *Num.*18.

℣.29. OMNE VOTVM]Id est, quidquid ex voto oblatum fuerit Deo;hebraicè,omne *cherem*, (*c*) seu anathema.Item

חרם

c *Leuit.*27. v.28.

℣. 30. PRIMITIVA, id est, primitiæ(*d*) omnes, OMNIVM PRIMOGENITORVM, putà tam pecorum & fructuum,quàm hominum,cedent sacerdotibus. Etiam *primitiæ* CIBORVM;hebraicè,*pastarum*,id est, panum confectorum ex primitiis frugum, qui in Pentecoste(*e*)sacerdotibus offerebantur.

d *Exod.*36. v 3. *Num.* 15. v. 19. & c.18. v. 8.

e *Exod.* 19. *Leuit.*23.

℣. 31. OMNE MORTICINVM NON COMEDENT SACERDOTES, sed neque laici, vt præscribitur Leuit.5.v.2.tamen solorum sacerdotum hîc meminit, quia illi laicis debent esse exemplo.

CAPVT XLV.

Secat Ierosolymam in quatuor portiones : primam deputat sacerdotibus & templo : secundam Leuitis; tertiam ciuibus: quartam principi. Sancit varias leges, maximè de ponderibus & mensuris,de primitiis & victimis in Neomenijs, in Paschate,in festo Scenopegia offerendis.

℣.1. CVM reuersi è Chaldæa in Iudæam COEPERITIS TERRAM DIVIDERE SORTITO inter tribus & familias; hebraicè, *cùm feceritis terram cadere in hereditatem* (*nachala* enim significat sortem hereditariam;) SEPARATE DE TERRA portionem vnam in PRIMITIAS DOMINO, vt illi *sanctificetur* & consecretur.Portionem,inquam, *longam* VIGINTIQVINQVE *millibus*, *latam* DECEM *millibus* calamorum,inquit S.Hieronymus. Vatablus,Maldonatus & à Lapide. Sed spatium hoc exorbitans videtur : esset enim ferè sexdecim leucarum in longum,& sex in latum :quale spatium deseruisse vsibus templi vel habitationi Leuitarum Ierosolymis non est verisimile. Quare malim cum aliis, inter-

נחלה

Vide Prolog. de mensur. longitud.

A pretibus *cubitos* hîc intelligere, vt versu seq. disertè exprimitur ; & hæc mensura erat Iudæis vsitatissima.Et sic spatium hoc longum fuerit duabus leucis cum dimidia,latum vna leuca.Quale libens concesserim *sanctificatum*, seu consecratum fuisse Deo, non ad solum templū condendum (de cuius spatio suprà) (*f*) sed etiam ad varios templi vsus, & habitationem sacerdotum,quorum plurimi fixa domicilia & suburbana habebant non minùs Ierosolymæ,quàm in aliis locis Iudææ. Ex toto hoc spatio ante omnia

f *Ezech.* 42. v.13.

℣.2.SANCTIFICATA erit Domino area *quaquauersum quadrata* quingentorum cubitorum ad singula latera, quæ seruiet sanctuario tum *interiori*, tum *exteriori* (*g*) construendo cum omnibus arcis, porticubus & palatiis suis. Addentur alij QVINQVAGINTA *cubiti* PER GYRVM, IN SVBVRBANA EIVS] Sic vocat spatium vacuum quod circum murum extimum quadratæ huius areæ, non minùs decoris, quàm reuerentiæ causa, relinqui iubetur, inquit S.Hieronymus.

g *Cap.* 42. v.1.

℣.3.MENSVRA ISTA cubiti, vt immediatè præcessit, MENSVRABIS totum prædictum spatium VIGINTIQVINQVE MILLIVM]. In quo erit primò templum,seu sanctuarium:deinde

℣.4.*Sacerdotum* domicilia, domui sanctæ ministrantium. Tantumdem spatij cedet etiam habitationi

℣. 5. *Leuitarum* eidem domui ministrantium: eruntque proprij ipsis VIGINTI ordines(*h*)*gazophylaciorum*.

h *Cap.* 40. v.17.

℣.6.SECVNDVM SEPARATIONEM SANCTVARII;hebraicè,*è regione sortis*,seu portionis sacerdotum ac Leuitarum, DABITIS etiam CIVITATI, seu ciuibus,suam POSSESSIONEM atque habitationem, sed dimidio minorem: in qua habitent ex OMNI *domo* ISRAEL]id est, ex omnibus duodecim tribubus aliqui.Denique spatium suum dabitis

℣. 7. PRINCIPI QVOQVE ad sua palatia, suosque hortos, vineas & agros concinnandos, HINC ET INDE,id est ad vtrumque latus, à terræ sanctæ finibus(*i*) Orientalibus & Occidentalibus IN, id est, vsque ad, SEPARATIONEM SANCTVARII, ET POSSESSIONEM CIVITATIS]seu vsque ad spatium quod suprà separatum volui in vsus templi, Leuitarum, & habitationem ciuium. Occupabit enim ille quantum volet spatij versus *mare*, id est, Occidentem, & versus Orientem. Erat ergo principis portio & secundùm latitudinem, & secundùm longitudinem,multò maior quàm portio sanctuarij simul & populi Ierosolymitani. Idque eo fine,vt occasionem ampliùs non habeat inuadendi vicinos populi agros vel vineas, sed sinat quemque gaudere terminis cuique assignatis in quaque tribu.

i *Cap.* 48. v.13.

℣.11.De *ephi*,*bato*,*coro*: de *sicli*,*obolo* & *mna*,seu *mina*,dixi in Prolegomenis.

Proleg. de Ponderib. & mēsuris.

℣.12. VIGINTI SICLI faciunt tertiam partem minæ regiæ;QVINDECIM sicli quartam partem:VIGINTIQVINQVE SICLI faciunt medium partem vulgaris minæ. Erant autem hæc tria distincta numismata, quæ simul iuncta, constituebant vnam regiam *minam* sexaginta siclorum. ita Rabbi Dauid,Vatablus, Maldonatus & Villalpandus. Ergo mina regia & sacra superabat quinta vna parte vulgarem minam Hebræorum, quæ non constabat nisi 50.siclis: & tales 60. minæ faciebant talentum Hebræum 3000.siclorum,vt ibidem dixi.

℣.13.Præscribit,quanta fruguum portio pro primitiis offerenda sit à populo, nempe *sexagesima*

pars:

pars: nam EPHI, cuius SEXTA PARS pro singulis *coris* hîc dari iubetur, est decima pars CORI. Ast olei iubetur dari *centesima* pars, nempe *decima pars* BATI (vt est hebraicè) ex *coro*, qui constat decem *batis*. Ex quibus verò *ducentesima* exigitur. Has primitias.

℣.16. TENEBITVR OMNIS POPVLVS persolvere PRINCIPI] nempe sacerdotum, id est, pontifici, inquit à Lapide. Sed melius alij id exponunt de principe politico, de quo hactenus semper actum, & deinceps agetur. Et huius erat ex his primitiis curare stata sacrificia pro *sabbatis*, *calendis*, reliquisque *solemnitatibus*, exemplo Salomonis, (*a*) & aliorum (*b*) regum.

a 3. Reg. 9. v. 25.
b 4. Reg 16. v. 15.
c Chronici c. 4.

℣. 18. VNA, id est, prima, die MENSIS PRIMI Nisan. (*c*) Est enallage numeri cardinalis pro ordinali.

℣.19. Per *domum* intelligit templum: per *crepidinem* podium altaris, de quo suprà. (*d*)

d Exech. 43. v. 14.

℣.22. FACIET PRINCEPS] id est, sacrificabit, nõ per se, sed per sacerdotem, vt c. seq. (*e*) explicatur.

e Cap. 46. v. 2.

℣.23. Per *solemnitatem* intelligit festum Scenopegiæ, seu Tabernaculorum, quod 15. *die mensis septimi* Tisri celebrabatur, Leuit. 23. v. 39.

CAPVT XLVI.

Stata principi sacrificia suis quaque temporibus præscribit: leges item de donarijs & legatis principis, de loco & culinis victimarum.

℣.1. PORTA ATRII sacerdotum Orientalis, de qua suprà, (*f*) reserari iubetur principi, sed solis SABBATIS & CALENDIS (sed sub his intellige reliquas etiam solemnitates per annum occurrentes.) Item ex v. 12. quotiescumque voluerit sacrificium pro se offerri. ita Hebræi, Maldonatus & alij.

f Ezech. 44. v. 2.

℣.5. IN AGNIS, seu agnorum immolatione, non præscribo principi certũ SACRIFICIVM; hebraicè, מנחה *mincha*, id est, certam mensuram libaminis, v. g. similæ, olei, salis, thuris, quæ sacrificiis omnibus quasi pro condimento adiungi debebant. Adiungat ex his QVOD DEDERIT MANVS EIVS, id est, quantum voluerit, dummodo ad SINGVLA EPHI similæ iungat vnum HIN (*g*) OLEI.

g Prolog. de mensuris.

℣.8. *Egressus principi* præscribitur PER EAMDEM VIAM, qua subingressus fuerat portam, nempe ne intraret in atrium interius sacerdotum: quod quia ausus Ozias rex, (*h*) leprâ percussus est.

h 2. Par. 26. v. 16.

℣.9. POPVLVS verò PER PORTAM atrij Israelitici Aquilonarem ingressus, EGREDI iubetur PER *portam Meridionalem*, & contrà: idque ad euitandos subsequentium occursus per vnam eamdemque portam.

℣.10. PRINCEPS AVTEM sua ingressus porta Orientali, & iam IN MEDIO populi, id est, inter populares suos, in atrio Israelitico consistens, EGREDIATVR quacumque lubet porta CVM reliquis Iudeis EGREDIENTIBVS: sicut *ingredi* in idem atrium potest CVM aliis promiscuè INGREDIENTIBVS.

℣.14. CATA MANE MANE. Græcismus est, q.d, Secundum, seu per singula: mane, id est, singulis matutinis temporibus, FACIET, id est, offeret, IVGE (*i*) SACRIFICIVM Deo.

i Exod. 29. v. 38. & Leuit. 6. v. 9. & 13. Num 28.

℣.16. SI PRINCEPS ex bonis regalibus sibique propriis DEDERIT DONVM ALICVI DE FILIIS SVIS] poterit filius ille partem sibi donatam, quasi hereditariam transmittere ad posteros suos, iure perpetuo.

℣.17. SI AVTEM VNI SERVORVM, seu subditorum SVORVM DEDERIT simile LEGATVM; hebraicè, vt præcessit, REVERTETVR AD PRINCIPEM ANNO REMISSIONIS, seu iubilei, quo possessiones omnes venditæ, vel aliis modis alienatæ, primis dominis lege diuina (*k*) restitui debebant.

k Leuit. 25.

℣.20. NON *efferantur* victimæ IN ATRIVM EXTERIVS Israeliticum, ne forsan attactu rerum sanctarum SANCTIFICETVR POPVLVS] Idem suprà (*l*) statuit de *vestibus* sacris.

l Ezech. 44. v. 19.

℣.21. *In atrio exteriore* Israelitico, PER QVATVOR ANGVLOS ATRII maioris DISPOSITA erant quatuor minora ATRIOLA, longa 40. lata 30. *cubitos*, pariete, cui PORTICVS PER GYRVM imminebat, distincta à maiore atrio. Sub his porticibus CVLINÆ erant in quibus Leuitæ *coquebant* eas *victimarum* POPVLI partes, quæ ex altari ad offerentes referebantur, quas etiam in iisdem atriolis comedebant. Nam partes victimarum quæ sacerdotibus debebantur, in exedris atrij interioris sacerdotalis coquebantur & comedebantur, vt alibi dixi. (*m*)

m Leuit. 3. v. 7.

CAPVT XLVII.

Aquæ emanant è templo: & terra diuiditur inter duodecim tribus.

℣.1. ECCE AQVÆ EGREDIEBANTVR SVBTER LIMEN DOMVS sanctæ, AD ORIENTEM] De quibus sic Aristæas oculatus testis: *Erant in templo occulta receptacula aquarum, quæ ad diluendum sanguinem iugulatarum hostiarum funduntur fluxu assiduo. Et sunt iuxta basin aræ frequentes aperturæ, solis ministris cognitæ. Hæc subterranea receptacula ad quinque vsque stadia per circuitum templi cuncta penetrant. Plumbea ad ea fistulæ quacumque per muros & templi solũ, quibus omnia abluantur mundenturq; descendunt.* Tales aquæductus verè admirandos habes Romæ complures, de quibus Plinius & alij; sed Romanis istis Salomonicos præfert Villalpandus. Allegoricè, & principaliùs, hæ aquæ significant septem Sacramenta, omniaque Spiritus sancti charismata, & doctrinam Euangelicam, ceteraque beneficia quæ ex solio diuino per altare, (*n*) id est, Christum, primò in Sion, (*o*) deinde in vniuersum (*p*) orbem defluxerunt, defluuntque continuò, inquit S. Hieronymus, Theodoretus, Vatablus, Maldonatus, Pintus, Fernandius, à Lapide & alij. Anagogicè, S. Ioannes hæc omnia adaptat deliciis cælestibus Beatorum in Ecclesia triumphante, Apoc. 22.

Aristæus lib. de LXX. Interpretib. subinit.
Plin. lib. 36. c. 15.
Villalp. p. 563.
n Apoc. 6. v. 9.
o Isaiæ 2. v. 3. Zach. 14. v. 8.
p Isaiæ 66. v. 12. & hic v. 8. & 9.

℣.2. ET ECCE AQVÆ per dextrum templi latus delapsæ, cùm templum totum circumambiuissent, *redundabant* A LATERE DEXTRO, id est, redibant ad portam Orientalem, vnde mox ad inferiora delabebantur, intumescentes paulatim, primò vsque ad talos, deinde vsque ad genua, vsque ad renes; vsque supra caput, constituebantque *profundum torrentem*. Quibus adumbrabatur, diuina beneficia Ecclesiæ communicanda, maximis paulatim incrementis auctum iri, inquit Maldonatus, conformiter Ecclesiastico, qui sapientiam, quæ primò erat exigua, quasi *dioryx*, id est, aquæductus, creuisse dicit in *fluuium immensum*. Fernandes & à Lapide adaptant diuersis Christianorum statibus, incipientium, proficientium, perfectorum, & beatorum.

Fernand. vis. 20. sect. 1.

℣.7. LIGNA, seu arbores, AD RIPAM huius TORRENTIS vtrimque enatæ, sunt vel ipsi Christiani, vel Christianorum virtutes habituales, fides, spes, charitas, prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia,

rantia.&c. Anagogicè, dotes animi & corporis glorioſi.

℣. 8. AQVÆ ISTÆ ad inferiora delapſæ verſus Orientem, (LXX. *ad Galilæam Orientalem*,) curſu ſuo vehementi trahunt ſecum arenas multas, eriguntque tumulos earum in alueo ſuo, ET DESCENDVNT in *planitiem* DESERTI, vbi ingredientur MARE inortuum (a) (quod Iudææ eſt Orientale) tanto impetu, vt ex aduerſo littore rurſus ex eo *exeant*, (vt idem mare ingreditur & exit fluuius Iordanis) ita vt aquæ maris amaræ & inſalubres, huius fluminis ingreſſu dulcorentur & ſanentur; & piſces ac reptilia, quæ priùs ſalſedine & fœtore maris emoriebantur, iam innoxiè in eo victitent & mirificè multiplicentur. Hoc mare deſignat corda infidelium & peccatorum, inquit à Lapide.

a *Geneſ.* 19. v. 16. & *Num.* 34. v. 3.

℣. 10. AB ENGADDI (b) (ciuitas eſt in finibus maris mortui) VSQVE AD ENGALLIM (vicum ad initia eiuſdem maris, inquit S. Hieronymus) id eſt, per totum tractum maris ERIT SICCATIO SAGENARVM] & conſequenter captura piſcium.

b 1. *Reg.* 24. v. 1. & *Cant.* 1. v. 13. & 8. v. 11.

℣. 11. IN LITTORIBVS AVTEM, quæ torrente hoc templi ſolum medium maris penetrante, non continguntur, vti neque *paluſtres* ſinus eiuſdem maris, NON SANABVNTVR, neque dulceſcent aquæ. Deſignant ſymbolicè homines deſides, & terrena ſectantes: Hi IN SALINAS DABVNTVR] id eſt, relinquentur in ſalſugine & ſterilitate ſua, nulli alteri rei deſeruientes, quàm vt horrenda punitione ſui exemplo ſint aliis, & ſic eos ſaltem (c) id eſt, prudentiores reddant, ait S. Hieronymus.

c *Prou.* 19. v. 25.

℣. 12. SVPER TORRENTEM autem vndique ad ripas enatæ arbores, PER SINGVLOS MENSES, id eſt, continuò, *afferent* PRIMITIVAS, id eſt, optimos optatiſſimoſque bonorum operum & heroicorum actuum fructus, quibus & Deum oblectent & homines paſcant, & morbis *medicinam* faciant, vt pulchrè S. Ambroſius, Gregorius, Theodoretus, & ex eis Alcazar demonſtrat.

Ambr. in c 7. *Luca & in Apoc.* 22. *Gregor.* 22. *Moral.* c. 2. *Alcazar in Apoc.* 22.

℣. 13. IOSEPH DVPLICEM FVNICVLVM HABET] Id eſt, duplex ſors, ſeu portio hereditaria (d) debetur poſteris Ioſeph, ex ſpeciali patriarchę Iacobi indulto Geneſ. 48. v. 13. Quare licet tribus Leui partem nullam accipiat, vt antè decreui, (e) debebit tamen diuidi terra in duodecim omninò partes.

d *Prolog. de Idiotiſmis Hebr. n.* 36. e *Ezech.* 44. v. 28.

℣. 15. HIC EST AVTEM TERMINVS TERRÆ. Sicut olim ſub Moyſe (f) primùm, deinde ſub Ioſue, (g) ita nunc hìc deſcribuntur limites terræ ſanctæ. Limes Septentrionalis inchoabitur A MARI MAGNO Mediterraneo, & vtrimque procurret per varia oppida ex vno latere vſque ad *chatzer*, id eſt, ATRIVM ENON; ex altera parte vſque ad EMATH, poſtea *Epiphaniam* dictam ad Antiocho Epiphane, inquit S. Hieronymus.

f *Num.* 34. g *Ioſue* 15.

חצר

℣. 18. ORIENTALIS limes erit linea deducenda iuxta Auran, Damaſcum, Galaad & Iordanem, terminantem TERRAM ISRAEL AD MARE ORIENTALE] id eſt, ad mare Galilææ, ſeu Tiberiadis: vel, vt alij, ad mare mortuum. Vtrumque enim mare (h) erat Orientalis terminus terræ ſanctæ; & Iordanis ex vno in aliud mare defluebat.

h *Num.* 34. v. 3. & 11.

℣. 19. AVSTRALIS limes erit ab vrbe THAMAR (id eſt, palma, quia palmis abundabat, vnde & *Palmira* dicta fuit, ſita in tribu Manaſſe, à Salomone condita, (i) ab Adriano Imp. inſtaurata multis poſt ſæculis, & Hadrianopolis dicta) VSQVE AD CADES, qui locus ob Iudæorum murmur vocatus eſt *aquæ* (k) *contradictionis*. Item à TORRENTE Ægypti *Rhinocolura*, (l) VSQVE AD MARE Mediterraneum.

i 3 *Reg.* 9. v. 18 k *Num.* 20. l *Ioſue* 13. v. 3. & *Iſaiæ* 27. v. 12. & 2. *Reg.* 8. v. 65.

℣. 20. MARIS denique, id eſt, Occidentalis limes, erit ipſum MARE MAGNVM Mediterraneum, qua parte iſtud per ſua *confinia directè* reſpicit & tendit in EMATH ſupradictum. (m)

m *Hic* v. 15.

℣. 21. Hanc omnem TERRAM DIVIDETIS PER 12. TRIBVS ISRAEL] vt erat antè diuiſa. Sed quia pauciores erunt reduces Iſraelitæ.

℣. 22. ADVENIS quoque, id eſt, proſelytis (n) è gentiliſmo ad iudaiſmum conuerſis, MITTETIS EAM IN HEREDITATEM] id eſt, hereditario iure vnà vobiſcum poſſidendam tradetis, & vna ex vtriſque coaleſcet Eccleſia & reſpublica: vti per Chriſtum coaluit ex Gentilibus & Iudæis. (o)

n *Exodi* 12. v. 48. o *Ad Epheſ.* 2. v. 19.

CAPVT XLVIII.

Septem tribubus ſuam cuique in terrâ ſanctâ ſortem aſſignat verſus Septemtrionem: quinque reliquis verſus Meridiem. Leuitis, ciuibus Ieroſolymitanis, & principi ſedes attribuit in medio duodecim tribuum. Eſt porrò hæc terræ diſtributio ferè eadem cum illa quæ ſub Moyſe & Ioſue ★ facta olim fuerat.

★ *Ezech.* 47. v. 15.

℣. 1. HÆC NOMINA TRIBVVM, Metonymia, q. d. Hæc ſunt nomina & hi termini portionum, ſeu poſſeſſionum ſingulis tribubus aſſignatarum: A FINIBVS AQVILONIS, id eſt, ad latus Aquilonare terræ ſanctæ, ex quo latere collocabuntur ſeptem tribus, inchoando longitudinem ſingularum à PLAGA ORIENTALI (q) verſus MARE, id eſt, verſus Occidentem. ita Vatablus & Hebræi. Prima ſors, proxima finibus Aquilonaribus, dabitur tribui DAN; vt à templo & à meditullio terræ ſit remotiſſima.

p *Ezech.* 47. v. 15. q *Ibid.* v. 18

℣. 2. SVPER, hebraicè, *al*, id eſt, iuxta, (r) TERMINVM DAN, extenſum ab Oriente verſus Occidentem, erit ſors ASER.

ע

r *Ibid.* v. 12 & *Luc.* 2. v. 39.

℣. 3. ET iuxta ſortem ASER ſors NEPHTHALI; dein MANASSE, EPHRAIM, RVBEN, IVDA.

℣. 8. IVXTA TERMINVM IVDA, extenſum ſimili modo verſus Occidentem, ERVNT PRIMITIÆ, id eſt, portiones illæ terræ, quas primo loco & ante omnia ſegregandas eſſe ſacerdotibus & Leuitis & ciuibus Ieroſolymitanis ſuprà (f) dixi, nempe VIGINTIQVINQVE MILLIA cubitorum ab Aquilone verſus Meridiem: & totidem millia cubitorum ab Oriente verſus Occidentem; vt ex tribus illis partibus confletur perfectum quadratum: SICVT ferè habent SINGVLÆ PARTES tribuum prædictarum.

f *Ezech.* 45. v. 1.

℣. 12. PRIMITIÆ, id eſt, prima pars PRIMITIARVM TERRÆ in tres iam dictas verſu præcedenti portiones diſſectarum, cedet ſacerdotibus FILIIS SADOC, (s) eritque SANCTVM SANCTORVM] id eſt, ſanctiſſimus locus, propter *ſanctuarium*, ſeu templum in eo erigendum. Secunda pars primæ contigua & ſuppar

s *Chronic.* c. 42.

℣. 13. LEVITIS cedet. Et ſicut primæ partis, & huius OMNIS, ſeu vtriuſque lateris LONGITVDO erit VIGINTI ET QVINQVE MILLIVM cubitorum: & vtriuſque tranſuerſi lateris LATITVDO erit DECEM MILLIVM.

℣. 14. EX vtroque hoc ſacerdotum & Leuitarum ſpatio; quia totum Deo ſacrum erat, licet ædibus etiam pro habitatione laicorum, multis locis inſeſſum & elocatum; tamen nihil poterat diuendi laicis, vel cum locis alibi poſitis commutari, vel ad alios dominos transferri: ſicut poterat

℣. 15. EX ſpatio QVINQVE aliorum MILLIVM, quæ IN LATITVDINE *ſupererant* ad perfectum quadratum 25000. cubitorum conflandum, de

de quo vers.8.& seruiebant vsibus primariorum ciuium,& PROFANA erant,id est, *laica*, vt Symmachus & Theodotion vertunt. Porrò ciuitatis huius

℣.16. HÆ MENSVRÆ erunt. Versus omnes quatuor plagas extendetur murus, & intra muros primariorum ciuium habitatio ad quatuor millia & quingentos cubitos: eritque vrbis planè quadratæ ambitus octodecim millium cubitorum. Cumque latitudo spatij, quod vrbi condendæ designabatur v.15.esset quinque millium cubitorum, supererant adhuc 500. cubiti ad illud explendum, qui hîc

a Ezech. 45. v.2. ℣.17. *Suburbana* (a) CIVITATIS deputantur, nempe DVCENTA QVINQVAGINTA vtrimque.

℣.18.QVOD RELIQVVM FVIT EX 25000.cubitorum IN LONGITVDINE eiusdem spatij, SECVNDVM PRIMITIAS SANCTVARII; hebraicè, *iuxta oblationem sanctam*,id est, iuxta spatium sacerdotum Deo consecratum, quod longum erat 25000. cubitos: omne, inquam, illud spatium, DECEM MILLIVM *versus* ORIENTEM, ET DECEM MILLIVM *versus* OCCIDENTEM, adiacens spatio sacerdotum (hoc enim sibi vult istud, ERVNT SICVT PRIMITIÆ SANCTVARII; pro quo hebraicè est, *iuxta oblationem sanctam*, vt suprà(seruiet pro habitatione promiscui vulgi,item pro vineis & hortis, ex quorum prouentu vel elocatione alentur QVI SERVIVNT CIVITATI]magistratus, prætores,consiliarij,alijque ministri publici,omne genus,qui ex omnibus tribubus desumi poterunt.

℣.20. OMNES PRIMITIÆ, id est, omnia hæc tria spatia,sacerdotum, Leuitarum & ciuium, primo loco decerpta ex tota terra sancta, (quæ continent simul VIGINTIQVINQVE MILLIA cubitorum IN QVADRVM,) non deseruient aliorum vsibus, quàm ministrorum sanctuarij seu templi, & ciuitatis seu ciuium.

℣.21.QVOD RELIQVVM spatij FVERIT à tribus illis portionibus vsque ad Iordanem versus Orientem, & VSQVE AD MARE Mediterraneum versus Occidentem, PRINCIPIS ERIT] vt ipse vtrimque ambiat, sepiat, muniat ac defendat sacerdotes, Leuitas ac ciues suos.

℣.23. RELIQVIS quinque TRIBVBVS versus plagam Australem sua cuique spatia admetitur angelus, extensa in longum ab Oriente in Occidentem. Proximum templo spatium obuenit tribui BENIAMIN. Huic vicinus erat SIMEON: deinde ISSACHAR: illi ZABVLON: vltimo loco GAD, cuius

℣.28. FINIS, seu terminus, AVSTRALIS erit idem qui totius terræ sanctæ,putà *Thamar*,*Cades & mare* Mediterraneum, vt suprà(b) dixit. b Ezech. 47 v.19.

℣.31. Et sequentibus describit duodecim portas ciuitatis Ierosolymæ; ternas ex quolibet latere, inscriptas nominibus duodecim tribuum Israel, fortè quia ab illis exstructæ, iuxta ea quæ recensent Nehemias 2.Esdræ 3.

Notat Alcazar, portam *Ephraim*, quæ eadem est cum porta *Ioseph*, ab Ezechiele poni ad *Orientem*, cùm in veteri Ierosolyma fuerit ad *Septemtrionem*, teste Adrichomio,Villalpando & aliis. Simili modo permutat Ezechiel sortes *Iudæ* & *Beniamin*,multarumque aliarum tribuum. Nam Iosue 18.v.5.tribus *Iuda* constituitur ad *Austrum*,*Beniamin* v.12. ad *Aquilonem*:hîc verò prorsus contrario modo. Idem deprehendes in tribubus *Issachar*, *Zabulon*, *Gad*, &c. vt significetur, per Christum multa innouanda in Ecclesia,& primos fore nouissimos, & nouissimos primos: humiles exaltandos,elatos humiliandos.

℣.35. NOMEN quoque CIVITATIS EX ILLA DIE, seu ex illo tempore quo restaurata fuerit, etiam innouabitur:nam pro Ierosolyma,id est, *visione pacis*, vocabitur *Adonai samma*,id est, DOMINVS IBIDEM] Quod typicè & valdè exiguo tempore conuenit terrenæ Ierosolymæ: sed propriè & completè conuenit Ecclesiæ Christi. Imò de hac sola hæc intelligunt S. Hieronymus, Dionysius, Liranus,Vatablus, Hugo, Maldonatus, Pintus,imò etiam Thalmudistæ alijque Rabbini recentiores, quos citat Adrianus Finus. In hac distincti ordines Ecclesiasticorum, laicorum, & principum politicorum. In quadro est posita, quia pulcherrima simul ac firmissima, vt nec portæ inferi præualituræ illi sint vnquam. A singulis lateribus tres habet portas, quibus vndique ex quatuor mundi plagis patet omnibus in eam ingressus. Hic, si vspiam, *Emmanuel*, id est, *nobiscum*(c) *Deus*; & Christus eius, ipsomet promittente, (d) *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus,vsque ad consummationem sæculi.* Anagogico sensu perfectissimè hæc omnia conueniunt Ecclesiæ in cælis triumphanti, cui idcircò S. Ioannes Apostolus in Apocalypsi sua pæne iisdem verbis omnia applicat. Et de illa absque dubio etiam Ezechielem intelligendum affirmat Rabbi Salomon,& plures alii Rabbini.

אדני שמה

Adr.Fin. l.2.. Flagelli Iudæorum c.8.

עמנואל

c Isaiæ 7. v. 14.

d Matt. 28. v 20. Apoc.21. v.10. &c.

DANIEL,

a Dan.1. v.3.& Isaiæ 19. v.7.

EX semine regum Iuda(a)natus anno circiter 15. Iosiæ, vt Maldonatus & à Lapide supputant,adhuc puer seu adolescens 20. annorum captiuus à Nabuchodonosore ductus est Babylonem vnà cum rege & cognato suo Ioakim,anno tertio regni eiusdem: vbi quarto pòst anno Susannam à morte liberauit,& Prophetam agere cœpit. Vir omnium hominum sui sæculi & sanctissimus(vt apparet ex Ezech. 14.vers. 14.vbi comparatur cum Noë & Iob, nec tamen excesserat annum vitæ 34.)simul & sapientissimus,vt ex Ezech.28. v.3. colligitur, vbi regi Tyrio, qui se sapientissimum reputabat,per sarcasmum obijcitur, *Ecce sapientior es tu Daniele*,iam tum non nisi 38.annos nato,vt ibid.dixi. Anno ætatis 57. monarchiæ Nabuchodonosoris secundo, interpretatus est eidem somnium tam quod cap.2.quàm quod quarto describitur. Anno 66.visionem habuit quæ cap. 7.

Anno

Anno 68. quæ c. 8 Eodem cædem Baltaſſaris prædixit, quæ c. 5. narratur. Sequenti anno tempus aduentus & mortis Meſſiæ, 70. illis hebdomadis c. 9. comprehenſum diuinitus cognouit. Biennio pòſt, nempe 3. anno monarchiæ Cyri, reuelata ſunt ei quæ c. 10. & 11. de excidio Vrbis Ieroſolymæ & orbis totius de Antichriſto, de extremo iudicio prædixit. Quo eodem anno ſi mortuus eſt Daniel (quia Scriptura deinceps non meminit illius) vixerit vniuerſim annis 71. & prophetarit annis 47. vide Chronicon noſtrum cap. 30. & 34. Scopus Danielis eſt regnum Chriſti deſcribere, quod incipit facere c. 7. & proſequitur capp 9. 10. 12. Nam hiſtoriæ regnum Babylonis, Medorum & Perſarum, quæ primis ſex capitibus præponuntur, & reliqua quæ capp. 7. 8. & 11. de quatuor monarchiarum viciſſitudine narrantur, eò pertinent, vt intelligamus, omnia alia regna & imperia aliquando peritura, ſolum Chriſti regnum æternum futurum.

Scriptus eſt hic liber ab ipſomet Daniele, vt ex decurſu (*a*) patet, licet id olim negarit Porphyrius, (*b*) & S. Iſidorus, & etiamnum negent Anabaptiſtæ. A v. 4. cap. 2. vſque ad finem c. 7. conſcriptus eſt primùm chaldaicè, vtpote de rebus in Chaldæa geſtis. Cetera hebraicè ex quo idiomate omnia in Græcum tranſlata ſunt à LXX. interpretibus, ab Aquila & Theodotione, etiam quatuor illæ particulæ, quæ iam inde à temporibus Hieronymi ex Hebræo exciderunt, nempe oratio Azariæ, hymnus trium puerorum, hiſtoria Suſannæ, Beli & draconis: vnde & de illarum auctoritate olim Origenes, Euſebius & Apollinaris: & noſtro ſæculo Liranus, Dion. Carthuſianus & quidam alij, qui ante Concil. Trident. vixerunt. A cuius definitione iam certò conſtat, etiam haſce particulas canonicas eſſe. Et S. Athanaſius, Auguſtinus, Cyrillus, Chryſ. Greg. & paſſim SS. Patres, (*c*) eas vt canonicas ſæpiſſimè citarunt. Quòd S. Hieronymus *fabulas* vocet, (*d*) nil huic rei præiudicat: nam *fabula* ipſi non res ficta eſt vel falſa, ſed quæ *fando* paſſim vſurpatur; neque loquitur ex animi ſui, ſed ex Iudæorum quorumdam ſententia, vt ipſemet ſeſe explicat, (*e*) *fabulas* vocans *non fabulas*. Vide Bellarm. à Valentia, Salianum & alios.

In vetuſto codice Baſilij Porphyrogeniti Imperatoris, qui exſtat in Bibliotheca Vaticana, dicitur Daniel cum tribus pueris ſub Attalo, neſcio quo, plexus capite. Sed nullus veterum meminit eiuſmodi ſupplicij, Laurea tamen martyrij ipſi denegranda non eſt, qui ob eximiam pietatem & zelum honoris Dei, bis miſſus eſt in lacum leonum, etſi miraculo inde illæſus euaſerit. Virginitatem illibatam ad mortem vſque conſeruaſſe tam Danielem, quàm tres pueros, omnes Patres conſentiunt: & hoc nomine hos ab igne Babylonio, illum à dentibus leonum, intactos manſiſſe, affirmat Damaſcenus.

a *Ezech. 8. v. 1. c. 9. v. 2. c. 10. v. 1. & Matth. 24. v. 15.*

b *Apud S. Hieron. præfat. in Danielem.*

Trid. ſeſſ. 4.

c *Citati à Bellar. de verbo Dei l. 1.*

d *Præfat. in Daniel.*

e *Apolog. 2. cont. Rufin. Bellar. ſup. Valentia in controuerſ. Salianus in Annalibus in hiſtoria Sujanus*

Damaſc. l. 4. de fide c. 25.

CAPVT I.

Daniel cum tribus ſociis Babylonem abducitur, illi omnibus diſciplinis inſtruitur: abſtinet regio cibo & potu. Indeque præſtantiorem corporis formam, ſapientiam & prophetiæ donum à Deo omnes ſuperat: & apud reges Babylonios in maximo venit gratia & gloria.

¶. 1. ANNO TERTIO REGNI IOAKIM VENIT NABVCHODONOSOR IN, id eſt, contra, IERVSALEM, ET OBSEDIT EAM] Hæc eſt prima expeditio Nabuchonoſoris aduerſus Iudæos, qua captum *regem Ioakim & vinctum* (f) *catenis duxit in Babylonem*, vnà cum Daniele eiuſque ſociis. Sed Ioakim ſupplex factus tyranno, & tributum illi pollicitus, regno ſuo mox redditur, relictis Babylone obſidum loco Daniele eiuſque ſociis & aliis è ſemine regio, vt

f 2. *Paral. vlt. v. 6.*

A dixi 4. Reg. 24. ita Euſebius, Scholaſtica Hiſtoria, Cornelius à Lapide, Iacobus Salianus & alij. De aliis duabus Nabuchodonoſoris expeditionibus aduerſus Iudæos vide 4. Reg. 24. & 25. & Chronicon noſtrum c. 34. & 35.

¶. 3. PRÆPOSITO EVNVCHORVM] Id eſt, ſupremo præfecto miniſtrorum aulicorum, qui, quòd eunuchis, ſeu caſtratis, maioris cautelæ cauſa ſolerent olim omnia aulica officia demandari, omnes deinceps, etſi non caſtrati, eunuchi appellari conſueuerunt, vt alibi (g) dixi. Vnde malè Ioſephus, Origenes, S. Hieronymus & Zonaras ex hoc loco colligunt, Danielem eiuſque ſocios fuiſſe caſtratos. Sic enim non veneration apud ſuos, ſed ſummo probro fuiſſent, cùm ſpadones lege Deut. 23. arcerentur ab Eccleſia & populo Dei, eſſentque publicè infames, inquit S. Epiphanius, Dorotheus, Liranus, Maldonatus & à Lapide.

g *Geneſ. 37. v. 36. Orig. hom. 4. ſuper Ez. ch. Hieron. l. 1. cont. Iouinianum. Zonar. tom. 1 Annalium. Doroth. in vit. a Daniel.*

¶. 4.

℣.4. ERVDITOS OMNI SAPIENTIA, id est cognitione rerum sublimium & diuinarum: CAVTOS SCIENTIA, id est, solertes & sagaces in scrutatione rerum naturalium: ET DOCTOS DISCIPLINA ethica, politica, œconomica. En quibus scientiis polleredebeant aulici.

℣.7. DANIELI, id est, iudici Dei, imposuit nomen BALTASSAR, id est, Beli, seu domini, thesaurus, inquit Maldonatus: ANANIÆ, id est, protectioni Dei, nomen SIDRACH, id est, mitilis, seu legatus: MISAELI, id est, postulato à Deo, nomen MISACH, id est, mensor terræ vel agri: AZARIÆ, id est, adiutori Deo, vel adiuto à Deo nomen ABDENAGO, id est, seruus qui coram rege ingreditur, v.g. cubicularius, vel secretarius. Et videntur hæc officia primùm eis data, & ab his officiis suum cuique nomen Chaldaicum inditum fuisse. Porrò nominum mutatio arguebat, plenum Chaldæis in ipsos imperium esse, vt (a) alibi dixi. simul tamen commonebat, debere illos animum, affectum, mores non ampliùs Iudaicos, sed Chaldaicos inducere, vt decebat ciues Chaldæos & aulicos regios.

a 4.Reg.24. v.17.

℣.8. PROPOSVIT DANIEL cauere NE POLLVERETVR DE MENSA REGIS] non superstitiosè aut ridiculè, vt fingit Caluinus; sed piè ac religiosè, Primò, quia delicatis epulis & generoso vino iuuenilis sanguis plus æquò accenditur, & si non corporis, saltem animi polluendi periculum creatur. Secundò, quia regiæ mensæ carnes porcinæ & alia lege Moysis vetita permiscebantur, quæ Iudæos polluissent. Tertiò, vt plurimùm Belo, & aliis idolis oblati erant cibi regij priusquam mensæ imponerentur: saltem nomine idolorum benedicebantur: quæ omnia horrori & execrationi erant Iudæis. Et sanè pergratam Deo fuisse hanc religiosam Danielis sociorumque abstinentiam, patet ex insignibus præmiis quibus illam Deus miraculosè prosecutus est, vt v.15.17. & sequentibus narratur.

℣.21. FVIT AVTEM & vixit in regis aula DANIEL magna apud omnes gratia, auctoritate & gloria, VSQVE AD ANNVM PRIMVM CYRI REGIS] id est, toto tempore captiuitatis, seruitutis & afflictionis Iudæorum in Babylone, quos quibus poterat viis solabatur & iuuabat, inquit Maldonatus.

CAPVT II.

Quadrimatariata, quam Nabuchonosor in somnis vidit statua, & portendebat quatuor orbis monarchias, per Lapidem ne monte praciſum, id est Christum, conterendas praedicitur à Daniele, qui omnium idcirco honoribus à rege afficitur & toti Babyloniæ praficitur.

℣.1. ANNO SECVNDO REGNI NABVCHODONOSOR] non ex quo primùm regnare cœpit in Chaldæa, vel Syria, sed ex quo monarcha factus est, subiugata paulatim tota Asia, & magna parte Africæ, ac nouissimè Ægypto; vt videre est in Chronico nostro, & apud Iosephum, S. Hieronymum, Pererium, Maldonatum, & alios.

Chronicis. 30.34. &c. Ioseph. l.10. Antiq c.11.

℣.2. ARIOLI, id est, incantatores, vt alibi (b) dixi, vel certè diuinatores. MAGI sunt philosophi, secreta naturæ rimantes. MALEFICI sunt præstigiatores, & qui manes animasque mortuorum inuocant, vel ex extis auspicia petunt, vnde v. 27. *aruspices* appellantur. CHALDÆI vocantur astrologi & genethliaci, qui ex inspectione siderum & diei natalis euenta cuique obuentura prognosticant. ita ferè S. Hieronymus, Maldonatus & Arias.

b Deut. 18. v.11.

℣.4. SYRIACE] Id est, chaldaicè, nempe lingua ipsis natiua. Quum Hebræi ad distinctionem suæ linguæ vocabant *Syriacam* à potiori Asiæ parte. Quamquam lingua Chaldæa etiam à propriè dicta Syriaca tam moderna, quàm antiqua, (quæv. g. conscriptum est nouum testamentum,) vix differat, nisi dialecto, ferè vt Græca Attica differt ab Æolica & Dorica. Porrò ab hoc loco vsque ad finem capitis 7. omnia chaldaicè conscripsit Daniel, quò nos de verbis & sententiis singulorum certiores redderet.

℣.18. MISERICORDIAM vocat somnij regij patefactionem SVPER SACRAMENTO ISTO v. seq. appellat MYSTERIVM] id est, arcanum. q. d. Orabant Deum vt sibi patefaceret secretum regis somnium, eiusque arcana detegeret.

℣.21. IPSE MVTAT TEMPORA ET ÆTATES] Nam detegendo mysterium somnij iam indicarat Danieli Deus, Chaldæorum monarchiæ successuram mox aliam Persarum & Medorum, ab his ad Græcos, à Græcis ad Romanos, inde ad Christum transferendam.

℣.30. NON IN SAPIENTIA, id est, non per sapientiam vel scientiam aliquam naturalem, quasi talis IN ME sit maior QVAM IN alus hominibus, SACRAMENTVM HOC & arcanum somnij tui, ô rex, REVELATVM EST mihi; SED id à solo DEO hausi qui IN CÆLO dominatur. Ita præfari voluit Daniel, vt prophetiæ donum, quo iam inclarescebat, Deo acceptum ferret, simulque vt regem ad vnius Dei veri hæc reuelantis cognitionem, fidem & cultum pelliceret.

℣.38. TV ES CAPVT AVREVM, metonymicè, id est, regnum tuum, seu imperium Chaldæorum, est *caput aureum*, Caput, quia ordine temporis primum, & sapientia reliquis præcellens, vt patet Isaiæ 47. vers. 13. Aureum, quia maximè opulentum ac splendidum, simul & amplissimum ac felicissimũ, vt ait hîc Daniel v. 37. & c.4.v.19. &, quod omnia superat, orbi longè carius ceteris. Vnde breuissimo tempore, Tertulliano, Metasthene & aliis testibus, extendit se in vniuersam Asiam & maiorem partem Africæ & Europæ. Adeò vt respectu illius subsequentes monarchiæ, (vt ferè res humanæ in peius ruunt) licet vi & robore potentiores, (nam ferrum maioris violentiæ & roboris symbolum est quàm æs, & hoc quàm argentum vel aurum;) tamen amplitudine, felicitate, & imperij tum adipiscendi & retinendi, tum administrandi facilitate multum cesserint Chaldaicæ. Polleque meritò prima hæc monarchia, si cum secunda comparetur, *aurea* appellari, vtpotè blandior, suauior & felicior: secunda quoque respectu tertiæ *argenteæ*: tertia *ærea*, humano generi magis aduersa, minùs grata: quarta *ferrea & lutea*, minùs sibi cohærens, sed validior ceteris omnibus; maximè violenta, sed & maximè ingrata. Easdem quatuor monarchias alio symbolo, nempe *quadrigarum disparium*, depingit Zacharias c.6.v.1. ita ferè Alcazar & à Lapide, qui vult ex his propheticis visionibus Ouidium reliquosque Gentiles suam procudisse fabulam de quadruplici sæculo, aureo, argenteo, æneo & ferreo.

Tertull. l. contra Iudæos. Metasthen. l.4. de rebus Indicis.

Alcazar tractat. de Ponderib. & mensuris pag.63. & in Apoc. 9. v.5 not.3. Ouid. 1. Metamorp.

℣.39. POST TE seu post finem regni tui Chaldaici, CONSVRGET REGNVM ALIVD MINVS tuo: Hebræa omittunt ARGENTEVM] nempe regnum *Persarum & Medorum*, per *duo brachia* v.32. designatum, argento & opibus instructissimum, vt dixi Isaiæ 45.v.3. sed felicitate & gloria longè Chaldæo inferius, vt patet ex infelici clade Cyri, Xerxis, Darij Codomanni, vt alia præteream.

REGNVM TERTIVM ÆNEVM, nempe Alexandri Magni

Magni & Græcorũ, QVOD IMPLEBIT VNIVERSÆ TERRÆ] notitrati puta, & iam tum cognitæ, de qua 1. Mach. 1. v. 3. *Siluit terra in conspectu eius*, quasi tacitè agnoscens Alexandrum dominum suum, saltem non ausa facessere illi negotium vel bello lacessere: Regnum hoc & sapientiæ, & eloquentiæ, & potentiæ, & opum fama vocalissimum fuit & sonantissimum, ac proinde non immeritò æneum vocatur. Ventri verò & femoribus comparatur, ad notandam tum insignem Alexandri crapulam, (a) tum successorum eius, & præ omnibus Ptolemæorum, effusam luxuriam, quibus solemne erat etiam sorores suas sibi in vxores desumere.

a *Curtius l. 5. & Athenæus l. 10. c. 11.*

℣. 40. REGNVM QVARTVM, nempe Romanorum, erit VELVT FERREVM forte, vt addunt Hebræa & Græca: forte, inquam, robore & armis, & inuicto labore (b) COMMINVENS ET CONTERENS OMNIA] Vers. 33. assimilatur *tibijs*, quia vltimum, & quia excursionibus maximè propagatum. (c) *Duabus* verò *tibijs*, quia plerumque penes duos fuit, v. g. Duumuiros, binos Consules, binos Imperatores, vnum in Oriente, alterum in Occidente. vnde & illius insigne est *aquila biceps*.

b *Lipsius de Militia Romana. Valtrinus de ead. re l. 1 c 1. Mach. 15. v. 22. & 23.*

℣. 41. REGNVM DIVISVM ERIT, tum in capita duo, vt iam dixi: tum in factiones & discordias, vt cùm plebs in senatum, Sylla in Marium, Cæsar in Pompeium, Augustus in Antonium, alij in alios insurgent. Maximè verò, cùm subditæ illi gentes se ab illius obedientia subducent, proprioque sibi reges statuent, vt fecerunt Hispani, Poloni, Angli, Franci, & tot alij populi. Denique cùm sub finem mundi dissecabitur Romanorum Imperium in decem reges, quasi in totidem digitos pedum, alios aliis maiores vel robustiores. Portò hæc diuisio ORIETVR EX PLANTARIO FERRI] id est ex ipsa planta, seu radice pedis ferrei. q. d. Non causabitur ab extrinseca vi vel aggressione hostili, sed ex ipso intrinseco robore pedum ferreorum, putà ex nimiis opibus & copiis partium inter se dissidentium, de quibus initio versiculi. Vnde

℣. 42. EX PARTE REGNVM hoc ERIT SOLIDVM, nempe qua concors & vnanime manebit; ET EX PARTE CONTRITVM] id est, caducum & fragile, cùm nempe bellis ciuilibus semetipsum discerpet. ita S. Hieronymus.

℣. 43. COMMISCEBVNTVR QVIDEM HVMANO SEMINE, iungendo inter dissidentes connubia, v. g. inter Pompeium & filiam Cæsaris, inter Marcum Antonium & Octauiam Augusti sororem &c. SED ob connubia NON sat ADHÆREBVNT SIBI animi principum dissidentium, quin in mutuas cædes & bella prorumpant. Maior enim est vis ambitionis quàm cognationis vel affinitatis. Quod vtinam nostris quoque temporibus non experiremur!

℣. 44. IN DIEBVS AVTEM REGNORVM ILLORVM, nempe stante adhuc regno temporali Romanorum, SVSCITABIT DEVS CÆLI REGNVM quintum, non temporale, terrenum vel corporale, sed spirituale QVOD IN ÆTERNVM NON DISSIPABITVR] nempe regnum Christi, & Ecclesiæ Christi: quod quamuis in mundo sit, *non est* tamen *de hoc mundo*, vt ait Christus, & omnes Prophetæ (d) vbique declamant.

d *Daniel 9. v. 24. 26. &c. Psal. 21. & Isaiæ 53. Ierem. 11. v. 19. Zachar. 9. v. 9.*

COMMINVET AVTEM ET CONSVMET VNIVERSA REGNA HÆC] non quoad temporale regimen illorum (quia istud parui est momenti, & regnum Romanorum debet sic durare vsque ad finem mundi, vt constat ex Daniel. 7.) sed quoad spirituale imperium quod in animas vsurpabant, A iubendo & præscribendo vbique idololatricum cultum, seu sui, seu aliorum hominum, seu dæmonum, vt de Nabuchodonosore videbimus, c. seq. & de Xerxe, Alexandro, Antiocho, Epiphane, Augusto, Caligula, Domitiano, aliisque regibus Persis, Græcis, Romanis constat ex omnibus historiis. Hoc ergo idololatriæ, cæterorumque scelerum imperium tollet vbique & euertet Christus, per se, per suos, sibi suoque cultui & obedientiæ paulatim omnes terræ nationes subiiciens. Ita nato recèns Christo Magi relictis idolis adiuncti sunt cum suis: & in Ægyptum fugiens Christus idola pluribus locis prostrauit; testes citat Baronius. Imp. Claudius multa deorum sacrificia, multa festa, aliud agens abrogauit, vt scribit Dio Cassius. Apostoli & Apostolorum successores maximam idolorum stragem variis locis ediderunt. Constantinus denique totum *Romanum Imperium*, eliminata idololatria, *Christo subiecit, & cum subiectis populis tota ad Deum mente conuertit*, inquit S. Gregorius. B

Du Cass. l. 6. & 12 Baronius.

Greg. ep. 60.

Quoad temporale verò regimen, etiam hæc aliaque omnia regna terræ destruet Christus; sed sub finem mundi, inquit Tertullianus & Theodoretus, quando nempe inchoatum hic regnum suum transferet è terris in cælum, vbi perfectum & consummatum per gloriam durabit in omnes æternitates.

Tertull. lib. extremo contra Iudæos.

℣. 45. LAPIS SINE MANIBVS ABSCISSVS DE MONTE populi Iudaici, vel melius de B. Virgine quæ instar celsissimi montis præcellebat omnibus virtutibus & gratiis; est Christus, lapis fundamentalis & angularis Ecclesiæ, qui quà Deus, à Patre genitus est sine manibus creationis, inquit Ambrosius, & quà homo è Virgine conceptus est sine *manu*, id est, opere virili, vt S. Hieronymus, Iustinus, Epiphanius, Augustinus & alij passim exponunt. Quomodo hic lapis coniectus in gigantæam mundi statuam, illam indies magis magisque comminuat, & quibus prærogatiuis regnum Christi, seu Ecclesia præcellat omnibus regnis mundi, vide hoc loco apud Pererium.

Ambros. serm. 70. Hieron. ep. ad Eustochium de custodia virginit. c 22. Iustin dialog. cont. Tryphon. Epiph. ser. de laudibus Virgin. Aug. tract. 9. in Ioannem.

℣. 46. TVNC REX DANIELEM ADORAVIT] & quidem adoratione latreutica, quæ soli debetur Deo. Patet tum ex humili prolapsu in terram ad genua Danielis, tum ex sacrificio quod illi iussit offerri. Sic enim cap. sequ. voluit rex, se quoque adorari. Et vsu receptum erat apud Gentiles, vt homines virtute & sapientia præcellentes, quasi numina & deorum filij adorarentur & sacrificiis colerentur, vt patuit in Paulo & Barnaba Actor. 14. v. 10. Sed absit consenserit in hoc scelus Daniel (vt olim Porphyrius, & nunc Caluinus blasphemè illi impingit.) nam executionem mandati regii inhibuisse & præpediuisse vel inde colligitur, quòd nulla executionis facta mentione, mox subdatur, Danielem à rege aliis honoribus affectum fuisse, nempe præfectura totius Babyloniæ. ita Liranus, Dionisius Carthusianus, Maldonatus & alij.

℣. 49. DANIEL ERAT IN FORIBVS REGIS] primus & maximus aulæ princeps, regi proximus & intimus, absque cuius nutu nemini patebat ingressus ad regem, inquit S. Hieronymus.

CAPVT

CAPVT III.

Aurea erecta statua Nabuchodonosor vult in se ab omnibus adorari. Quod dum recusant Sidrach, Misach & Abdenago, mittuntur in ardentem fornacem: in qua ab angelo seruati illesi canticum Deo canunt. Quo miraculo rex perculsus, Dei nauctatem, potentiam ac prouidentiam celebrat.

℣.1. NABVCHODONOSOR REX ex tot victoriis, tot triumphis iam insolentior factus, maximè cùm ex diuino vate (*a*) audisset, se inter orbis monarchas *caput* esse, & quidem *aureum*, occasione *statuæ* quadrifidæ sibi tum in somnis exhibitæ, aliam illa nobiliorem, putà ex mero auro, quæ suam repræsentaret personam, erigi iussit, instar noui Dei publicè ab omnibus adorandam. ita Theodoretus, Pererius, Pintus & Maldonatus, qui vult suggestione ariolorum & Chaldæorum id factum, vt inuiso sibi Danieli eiusque sociis Iudæis Sidrach, Misach & Abdenago, quos scirent numquam hoc idolum adoraturos, insidias & exitium struerent, vt aliàs eidem Danieli struxerunt Medi c.6.v.13. Tropologicè, statua hæc est mundana felicitas & pompa, inquit Irenæus; vel hæresis, vt S. Hieronymus. Tres pueri Iudæi primitiæ sunt & typus Martyrum Christianorum, inquit Rupertus. Quod si Danieli fuerint coæui, iam agebant annũ ætatis 57. vt dixi in prologo. Nazianzenus censet fuisse filios Ezechiæ: ego non nisi nepotes concesserim. Nam à morte Ezechiæ hucusque fluxerunt facilè anni 136. vt videre est ex Chronico.

(*a*) Dan. 2. v. 38.

Iren. in fine l. 5.

Nazianz. orat. 47.

Chron. c. 29.

℣.2. SATRAPA vox est Persica, latinè præfectum significans: sicut *satrapia* præfecturam. Pro *tyranni* Vatablus, Arias & alij ex Chaldæo vertunt *quæstores*, seu ærarij regij præfectos.

Petes, Quare nulla hîc mentio fit Danielis? Respondet Liranus, aliò ad negotia missum fuisse à rege. Forsan morbo præpeditus domi remansit. Vel, si præsens adfuit, regi proximus astabat, vt potè primus aulicorum, cui rex innitebatur. Vnde sicut rex suammet statuam non adorabat, ita nec Daniel adorare cogebatur. Quid si dicamus, sat notam regi fuisse Danielis religionem: ipsumque chariorem ei fuisse, quàm vt pateretur ob hanc similemve causam quidquam mali illi inferri?

℣.5. SAMBVCA siue sambyx genus erat instrumenti musici trianguli, quod neruis longitudine & crassitudine inæqualibus constabat: & leuiori carminum generi adhibebatur: vnde Prouerbium, *Sambucam aptare cothurno*, id est, leuia aptare grauibus.

℣.16. NON OPORTET NOS RESPONDERE] id est, ad respondendum anxiè vel diu deliberare, cùm res certa nobis certoque constituta sit. Sic etiam S. Cyprianus (*b*) Proconsuli ad sacrificandum idolis hortanti, *In re*, inquit, *tam iusta, nulla consultatio est.*

(*b*) *Pontius Diac. in Vita S. Cypr.*

℣.21. De *tiara*, capitis tegmine; seu pileo, quo Chaldæi & Persæ sat alto & acuminato vtebantur, dixi Exodi 28.

℣.24. AMBVLABANT IN MEDIO FLAMMÆ] nempe postquam angelus ignem ab eis circumcirca abegit, & vincula eorum dissoluit v.49. & sequenti. Porrò tam Azariæ, quàm alia sequens trium puerorum oratio vsque ad v. 91. iam non extant in Hebræo, sed ea ex Theodotione transtulit S. Hieronymus.

℣.33. OPPROBRIVM FACTI SVMVS SERVIS TVIS] putà Iudæis, fidelibus tuis, quibus Gentiles A publicè exprobrant, quòd v.g. socij & contribules sint tam vilium hominum, qui & in seruitutem abducti, & iam impietatis ac perduellionis conuicti in infamem fornacem coniecti sunt.

℣.38. NON EST IN TEMPORE HOC PRINCEPS ET PROPHETA] supple, in Iudæa iam à Chaldæis exciſa & infesta. Patet ex seqq. verbis, *holocausto, incenso*, &c. quæ non poterant nisi Ierosolymis sperari. Porrò loco talis *sacrificij* & *holocausti* legalis offerunt hîc seipsos Deo, si sic illi visum fuerit, in sacrificium & holocaustum mysticum & metaphoricum.

℣.40. FIAT SACRIFICIVM NOSTRVM IN CONSPECTV TVO HODIE, VT PLACEAT TIBI] nempe sacrificium hoc publicæ confessionis, laudis diuinæ & martyrij, quod tibi in hac fornace offerimus.

Petes, Quare martyrium fidelium non possit dici propriè dictum sacrificium? Respondeo, quia vt tale non est à Deo institutum & ordinatum. Hoc B enim vnius Christi martyrio concessum est, nempe vt expiatorium esset peccatorum totius mundi: Et hoc vnum sufficit toti vniuerso. Neque aliud est, sed idem quod in Eucharistia quotidie repræsentatur & reiteratur.

℣.46. NAPHTHA teste Plinio, fomes & pabulum est ignis, simile bitumini. *Malleoli* sunt manipuli spartei pice obliti, inquit Nonius Marcellus, qui hausto igne iaci solent in muros hostiles vel in testudines, vt eas succendant.

Plin l. 2. c. 105.

℣.50. NON TETIGIT (*c*) EOS IGNIS] Hoc ieiunio illorum tribuit S. Bernardus & S. Basilius comparans illos *amianto* lapidi, qui in igne ardet, sed purior redditur: & salamandræ, quæ sua frigiditate & humiditate prunas (nisi nimiæ fuerint) restinguit. S. Damascenus id eorum puritati & virginitati asscribit. Origenes, Isychius & Cassianus C fornacem hanc Babylonicam faciunt typum fornacis diabolicæ libidinum, quibus anima uritur & perditur, nisi ope angelica flammæ dissipentur vel temperentur.

(*c*) *Isaie 43. v. 2.*

Bernard. de modo bene viuendi c. 24.

Basil. hom. de laud. ieiunij.

Damasc. l. 4. c. 25.

Orig in c. 7. Leuitici.

Isychi. l. 6. in Leuit.

Cass. l. 6. Instit. c. 7.

℣.53. SVPERLAVDABILIS ET SVPERGLORIOSVS] Id est, qui omnem laudem, gloriam ac glorificationem, seu hominum, seu angelorum superas, imò in immensum transcendis.

℣.55. SEDES SVPER CHERVBIM] tum in cælo, tum in Sancto sanctorum. Vide Exodi 25. v. 23. Et licèt templum Ierosolymis destructum esset, integra tamen erat adhuc arca cum propitiatorio & Cherubinis, à Ieremia loco secreto recondita, vt dicitur 2. Machab. 2. v. 5.

℣.60. De *aquis* QVÆ SVPER CÆLOS SVNT fusè egi psalmo 148. vers. 4. vti & de reliquis huius hymni.

℣.88. ERVIT NOS DE INFERNO] id est, limbo ad quem per mortem (ni Deus præcauisset) rectà D tendebamus.

℣.90. RELIGIOSI] Id est, cultores Dei.

℣.92. SPECIES QVARTI est SIMILIS FILIO DEI] id est, angelo, vt hîc vertunt LXX. & ipse rex v.95. sesemet exponit. Sic & alibi in Scripturis (*d*) angeli sæpe vocantur filij Dei. Allegoricè, designatur Christus, naturalis filius Dei, inquit S. Hieronymus, Tertullianus & Augustinus, de quo huc alludens canit Ecclesia: *Surrexit Christus de sepulchro, qui tres pueros liberauit de camino ignis ardentis.*

(*d*) *Iob 38. v. 7.*

℣.94. SARABALA chaldaicè, significant femoralia, quæ vers. 21. *braccas* vocauit, & Hispani etiamnum vocant *saraguellas*. Erant caligæ laxæ &

longæ, ad talos vsque porrectæ, & ferè ex tela vel byſſo verſicolori. A

℣. 95. VERBVM REGIS IMMVTAVERVNT] Id eſt, contra imperium regis (quia impium) fortiter egerunt, inquit Vatablus.

℣. 98. NABVCHODONOSOR REX OMNIBVS POPVLIS, &c.] Eſt hic titulus epiſtolæ regiæ quæ proximè ſequitur c. 4.

CAPVT IV.

Epiſtola Nabuchodonoſoris, quâ alterum ſomnium ſuum enarrat de procera arbore ab angelo ſucciſa quam Daniel interpretatus eſt eſſe ipſummet Nabuchodonoſorem è regno ob ſuperbiam expellendum & in beſtiam commutandum. Quod cùm reipſa completum eſſet, ſe poſt ſeptem demum annos reſipuiſſe narrat, ſuoque regno reſtitutum eſſe. Quo nomine Deum cœli laudat & glorificat.

℣. 5. DANIEL COLLEGA, ſupple, meus. Nam rex participem eum fecerat imperij ſui, B cùm præfecit eum adminiſtrationi totius Babyloniæ, c. 2. v. 48. CVI NOMEN BALTASSAR SECVNDVM NOMEN DEI MEI. Nam *Baal*, ſeu, *Bel* Deus erat Babyloniorum. Vnde *Baltaſſar* idem eſt ac ſi dicas *Baalis theſaurus*, vt cap. 1. dixi. Solebant verò præluſtrioribus perſonis, & præſertim regibus, nomina propriorum deorum præfigi, vt alibi (*a*) me dixiſſe memini. HABET SPIRITVM DEORVM SANCTORVM] Plurale, magnificentiæ cauſa, pro ſingulari, q. d. *Spiritum Dei ſancti*, vt vertunt LXX. & Theodotion, teſte S. Hieronymo. Et paſſim Hebræi ac Chaldæi nomen vnius Dei efferunt numero plurali *Elohim*, *Elahin*. Porrò per *ſpiritum* hunc *Dei* intelligit *ſpiritum prophetiæ*. Diuinitati enim propria eſt diuinatio & prænotio futurorum contingentium, æquè ac ſecretorum cordis.

a *Iſaiæ* 46. v. 1.

℣. 6. OMNE SACRAMENTVM NON EST IMPOSSIBILE TIBI] Id eſt, nullius myſterij, ſeu arcani detectio ſuperat tuam facultatem, tuam ſcientiam, tuam intelligentiam. C

℣. 10. VIGIL, & quidem SANCTVS, DE CÆLO DESCENDENS eſt angelus, vt vertunt LXX. iſque Babyloniæ præſes & vindex, vt ex v. 14. colligitur. Vocantur autem *vigiles* angeli, tum quia incorporei, ſomno numquam egent, ſed indefatigabiles nutui & operi Dei perpetuò intendunt: tum quia rebus humanis præpoſiti à Deo, iiſdem gubernandis acerrimè inuigilant, inquit S. Hieronymus.

℣. 11. CLAMAVIT, SVCCIDITE ARBOREM] id eſt, imperium & gloriam Nabuchodonoſoris. Simili metaphora Ezechiel ſuperbum (*b*) Sedeciam, & regem quoque Aſſyriorum (*c*) comparat arbori excelſæ. Comparari etiam poſſet Adamus, cuius gloria, robur & deliciæ quàm fœdè proſtrata ſunt per peccatum! Relicta tamen ei *radix*, B. Virgo, quæ intacta protulit nobis *germen*, Chriſtum, qui exciſam arborem flori ſuo reſtituit, imò florentiorem inſtaurauit. Tropologicè, per hanc Nabuchodonoſoris arborem intelligit Liranus quemuis hominem virtutibus florentem, vel opibus, vel ſapientia, vel aliis talentis, ſi vel peccato, vel punitione, ſeu diuina, ſeu humana euerti contingat.

b *Ezech.* 17. v. 23.
c c. 31. v. 3.

℣. 12. ALLIGETVR id quod ſucciſa arbore reliquum manſit, nempe corpus Nabuchodonoſoris: *alligetur*, inquam, VINCVLO FERREO ET ÆREO, ponaturque, (vt ex Chaldæo vertit Pagninus) IN HERBIS agri QVÆ FORIS SVNT extra ſepta palatij regij, intra circum tamen palatio vicinum, in quo multæ agreſtes feræ concludebantur. D

℣. 13. COR EIVS AB HVMANO COMMVTETVR: id eſt, phantaſia & appetitus eius non ſint ampliùs vt in homine bene ſano eſſe ſolent, ſed COR FERÆ DETVR EI] id eſt, ita turbetur phantaſia, vt videatur ſibi eſſe beſtia, v. g. vrus vel biſon, vel alius bos ſilueſtris, inquit S. Thomas. Nec tamen ſola phantaſia & appetitus eius ſic turbata fuerunt, ſed etiam cordis & corporis temperamentum ita immutatum & efferatum eſt, vt eſſet ſimile temperamento feræ beſtiæ, quantum fieri potuit citra naturæ humanæ amiſſionem. Vnde & facies eius ab humana fuit nonnihil diuerſa, & accedens ad ferinam: cutis non mollis, ſed dura, pilis veſtita craſſiſſimis, longiſſimis & nigerrimis ex fuligine craſſiſſimæ melancholiæ ſenſim ſubortis, quæ referrent horridas & minaces criſtas *aquilæ*, vt dicitur v. 30. manus & pedes calloſi vnguibus quaſi aquilinis armati, quibus humi inſtar quadrupedis incuruus, pronus & ſemper nudus reptabat, nec niſi herbis & radicibus, vt bouino appetitui ſibi à Deo indito obſequeretur, victitabat: omni vſu rationis, loquelæ & vocis articulatæ deſtitutus mugiebat vt bos. ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rupertus, S. Gregorius, Ludouicus Molina, Delrio & Maldonatus. Sed hic putat, vti & Cornelius à Lapide, eum ſaltem per interualla aliquem rationis & priſtinæ dignitatis ſenſum habuiſſe, idque inſinuari verbis illis v. 22. *Donec ſcias quòd dominetur Excelſus*: Et quomodo alioquin ex hac intemperie pœnam vel dolorem hauſiſſet?

S. Thom. l. 2. de Regimine Principum (*quem librum negat Bellarm. eſſe S. Thomæ.*)

Greg. l. 5. Moral. c. 6. Molina 1. p. q. 111. Delrio l. 2. de Magia q. 18.

ET SEPTEM TEMPORA, id eſt, ſeptem anni (vt vertit Arabicus Alexandrinus) MVTENTVR SVPER EVM] Sic infrà c. 12. v. 7. & paſſim in Scripturis per *tempora* deſignantur anni.

℣. 14. IN SENTENTIA VIGILVM, id eſt, angelorum, ſic DECRETVM EST, nempe Deo iubente: ET hic eſt SERMO SANCTORVM ET PETITIO] Id eſt, ita pronuntiarunt & iudicarunt ſancti angeli præſides monarchiæ Babylonicæ, ad petitionem & ſupplicationem aliorum angelorum tutelarium ſingularum prouinciarum, vrbium & perſonarum, qui de nimia tyranni ſuperbia querebantur, quaſi de altero Lucifero. (*d*)

d *Iſaiæ* 14.

℣. 24. PECCATA TVA, ſeu pœnas pro peccatis tibi intentatas, REDIME ELEEMOSYNIS, ET MISERICORDIIS; hebraicè, *iuſtitia* in pauperes exhibita. Eleëmoſyna enim opus eſt *iuſtitiæ* nō ſtrictè, ſed latè ſumptè, qua proximo ex charitate debemus quod nobis præſtari vellemus. Item cauſa eſt, ſeu præparatio, & effectus; & ſignum iuſtitiæ & ſanctitatis internæ. Vide dicta Tobiæ 4. FORSITAN IGNOSCET Deus DELICTIS TVIS] Chaldaicè, *forſitan prolongatio erit pacis & proſperitati tuæ*. Et quidem S. Hieronymus atque alij putant, regem Danielis conſilio obſecutum largas eleemoſynas feciſſe, ideoque ad integrum annum (*e*) dilatam eſſe Dei contra eum ſententiam, donec fructum eleëmoſynarum obruit noua ſuperbia, vt refertur v. 27. Nam gloriam Deo propriam ſibi ſtultè aſſcribens;

v. 12.

e v. 16.

℣. 30. EADEM HORA, tamquam amens factus, ne ſibi & aliis noceret furibundus, manicis *æneis* (*f*) & compedibus *ferreis* adſtrictus, cùm nollet in palatio commorari, monitu Danielis in proximum ferarum circum abductus, & ita EX HOMINIBVS, id eſt, ex hominum conſortio, ABIECTVS EST] regnum interim Chaldæorum adminiſtrante Euilmerodach, ſeu Baltaſſare eius filio, vnà cum regni optimatibus: qui completo demum ſeptennio Nabuchodonoſorem iam ſanæ menti redditum,

f v. 12.

tum,regno quoque & solio suo restituerunt, vt dicitur v.33. Sed paucis pòst mensibus è vita demigrauit,4.Reg.25.v.27.& Ezech. 26.v.1.& c.29.v. 1.verosimiliter in inchoata pœnitentia & animi erga Deum submissione ad mortem vsque perseuerans;ac proinde æterna salute donatus,vt docent Iosephus, Dorotheus, Epiphanius, Augustinus, Theodoretus, Liranus, Carthusianus, Pererius & alij. Quòd enim v. 5. *Belum* vocet Deum suum,loquitur de tempore non præsenti,sed diu præterito, quo olim Danieli adhuc puero nomen à *Belo* desumptùm indiderat, c.1.v.7.Quòd Iudæos è captiuitate non liberarit,& alia tyrannicè occupata non restituerit,solùm argumento est, non diu superuixisse. Forsan moribundus hæc & alia similia filio suo Euilmerodacho commendauit: & ideo hîc Iechoniam regem Iuda mox à morte patris vinculis exemit,& regio honore condecorauit, 4. Reg.25. B vers.27.

Doroth. in Synopsi. Epiph. in Vita Daniel. August. epist.122.

CAPVT V.

Baltassaro seu Euilmerodacho Nabuchodonosoris magni filio & successori temulento & sacra templi vasa profananti terrorem incutit manus scribens in pariete. Scripturam legit Daniel,docetq; per eam exitium regi portendi. Eâdem nocte occiditur Baltassar, succedit Darius.

℣.1. BALTASSAR REX FECIT GRANDE CONVIVIVM](a)nempe vt Cyro Persę,ac Dario Medo Babylonem cum innumeris copiis tam pæne biennio cingentibus, tam splendido epulo,in honorem Beli,cuius tum festus dies (*b*) Babylone agebatur, publicè celebrato ægriùs faceret,& spem omnem vrbis fame ad deditionem cogendæ præcideret. Idem fecit aliquando Epaminondas, teste Diodoro, & Viriatus Lusitanus à Romanis obsessus, teste Floro. C

a *Isaiæ 21.*

b *Ita ex Gueuara Alcazar in Apoc. 16. v.12. Diodor.l.12*

VNVSQVISQVE SECVNDVM SVAM BIBEBAT ÆTATEM] vtique & secundùm vires; forsan etiam præmio proposito qui victoriam bibendo retulissent.

℣.5. APPARVERVNT DIGITI,QVASI MANVS HOMINIS SCRIBENTIS] Verè enim non erat manus hominis,sed ei similis formata ex aëre condensato,& assumpta ab angelo, qui per eam scribebat, in pariete.Quia verò sola manus comparebat, nullus autem scribens,

℣.6.FACIES REGIS ex rosea in pallidam COMMVTATA EST] Videbat enim sibi parari insidias, nec tamen poterat auctorem agnoscere, inquit Pineda.

Pineda in Iob 17.v.10

℣.8.OMNES SAPIENTES REGIS NON POTVERVNT SCRIPTVRAM LEGERE] Quia peregrinis & insolentibus litteris exarata erat, inquit Pineda. D Vel quia solæ initiales litteræ singulorum verborum depictæ erant, inquit Maldonatus & Antonius Fernandes.Vel,si integra erant verba,non nisi consonantibus constabant, sine punctis, seu vocalibus subiectis.Ita enim moris erat non solùm apud Hebræos, sed & apud Chaldæos. Nesciebant ergo hi sapientes quæ puncta quibus verbis essent subijcienda. Multò minùs connectere poterant verba tam disparata, quorum singula non nisi per integram sententiam explicanda erant, vt Daniel illa explicuit v.26.ita Cornelius à Lapide.

Pineda l. 5. de Rebus Salomonis c.13. Ant. Fernandes visione 13. sect.1.

℣.10.REGINA,nempe mater Baltassaris,nomine *Nitocris*,quæ teste Herodoto, sapientissima fuit femina. ita Origenes, Theodoretus, & alij. Nam quòd Porphyrius vxorem Baltassaris fuisse ponat, somnium vocat S. Hieronymus. INGRESSA DOMVM CONVIVII]id est,triclinium in quo rex cum optimatibus cœnabat, quod distinctum erat à triclinio feminarum; in quo hæc regina cum regijs vxoribus epulabatur.

℣.11.EST VIR IN REGNO TVO]nempe Daniel. An ergo ignotus erat Daniel regi Baltassari? cui c.14.v.1.vt ibid.dicemus,*conuiua erat, & honoratus super omnes amicos eius*? Respondeo, Notissimus erat, sed solùm vt vir prudens ac politicus, qui sub Nabuchodonosore patre suo totum rexisset imperium Babylonicum: non tamen innotuerat illi vt diuinator aut Propheta. Vel certè perculsus horrore & metu non meminerat illius, vel non aduertit,illum à loco conuiuij abesse. Forsan etiam defunctus præfecturâ suâ Daniel,vel per æmulos hac dignitate exutus (vt ferè fit sub nouis regibus, & colligitur ex vltimis verbis versiculi 16.) etiam à conuictu regio se subduxerat, & quieti & otio sancto se dederat ab vno alterove anno; vt memoria illius regi facilè excidere potuerit.Sed illam regina hîc refricat,& Danielem etiam vt Prophetam regi innotescere facit.

℣.12. SOLVTIO LIGATORVM INVENTA EST IN EO] id est, enodatio secretorum, & explicatu difficilium. Quæ enim ligata sunt peruideri nequeunt nisi dissoluantur & explicentur.ita S.Chrysostomus.

Chrysost. in psal. 95.

℣.25.MANE, THECEL, PHARES]Id est,*numerauit,appendit,diuisit*;chaldaicè est,*mene,mene,tekel, vphrasin*,id est,*numerauit numerauit*) id est,exactissimè & accuratissimè calculos subduxit) *appendit*, supple,in bilance:*& diuidentes* sunt, seu diuidũt regnum tuum *Persæ* & Medi. Nam *vpharsin* vtrumque significat,putà & *diuidentes*, & *Persas*.q.d.Persæ imminent iugulo tuo,ô Baltassar, qui cum Medis diuident regnum tuum. ita Arias Montanus.

מנא מנא תקל ופרסין

℣.27.INVENTVS ES MINVS HABENS de bono, vt addit textus Arabicus Alexandrinus. q. d. Deprehensus es habere minus probitatis & bonorum operum,plurimum verò superbiæ, crapulæ & aliorum scelerum. Vtinam hi diuinarum rationum libri,hæc diuinæ iustitiæ statera,hic diuini iudicij & irreuocabilis sententiæ gladius æternùm mortalibus ob oculos,ob animos versentur!

℣.29.TVNC IVBENTE REGE per publicos præcones PRÆDICATVM EST DE Daniele, QVOD HABERET POTESTATEM TERTIVS IN REGNO]nempe à rege & regina proximus, inquit Maldonatus. Vel, vt S. Hieronymus, quòd esset *triştata*, seu triumuir, id est, è tribus primis regni principibus vnus.Sic videbimus c. 6. v.2. Darium Medum inter tres primates quos toti regno præfecerat, Danielem posuisse. Porrò tantis honoribus voluit rex Baltassar condecoratum Danielem etsi mali nuntij baiulum,fortè quòd speraret, oratione & cooperatione Danielis Deum placandum & cladem diuertendam,inquit S. Hieronymus. Fortè etiam putauit solùm comminatoriè hæc prædicta, vel saltem non nisi post multum temporis executioni mandanda. Vt vt est, fidem promissis regijs in tam nobili confessu noluit vel ob ingrata nuntia derogari.

℣.30.EADEM illa NOCTE eiusdem illius conuiuij capta est à Cyro & Dario Babylon, & INTERFECTVS EST BALTASSAR REX vltimus & monarcha CHALDÆVS] Cùm enim probè nosset Cyrus vrbem terrâ inexpugnabilem esse, fluuium Euphraten, qui mediam ciuitatem interluit, per innume-

innumeras fossas in id antè paratas, aliò diuertit, & ita sicco pede suos per alueum aquis iam nudatum in vrbem immisit eâdem illa nocte qua sciebat Babylonios festum suum, de quo v. 1. acturos, & genio potiùs quàm armis se daturos. ita Xenophon & Herodotus, & ex eis Rupertus, S. Thomas, Pererius, Gueuara, Alcazar & à Lapide. Prædixerat id annis antè 140. Isaias c. 21. & aliis. Iidem dicunt, Baltassarem à profugis detectum, eâdem nocte per milites Cyri iugulatum fuisse. vt nesciam quid Iosepho in mentem venerit, cùm ex Beroso, sed contra expressa Scripturæ verba, & contra tot alios auctores scribit, Cyrum captâ Babylone, regem Chaldæum benignè accepisse, eique ad habitandum Carmaniam assignasse. Sed Danielem, cuius iam virtus & sapientia passim celebris erat, etiam apud Persas & Medos, mandato Cyri & Darij (quibus etiam vltimæ illius noctis vaticinium innotuisse potuit) in viuis seruari iussum, facilè crediderim: sicut iussu Chaldæorum seruatus fuit Ieremias cap. 40. cò quòd Iudæorum excidium per Chaldæos prædixisset. Captam Babylonem pro magna parte euertit & flammis absumpsit Cyrus, vt Isaias prædixerat. Tantæ verò erat magnitudinis, vt, teste Aristotele, captâ vrbe, pars magna illius tertia die nihildum senserit. Idem accidisse fetunt Cayro, seu Memphi, Ægypti metropoli, cùm præcedenti sæculo à Selymo Turcarum Imperatore esset expugnata.

Xenophon l. 7. Herod. l. 1. Rupert. & Perer. hic S. Thom. de regimine Princ. l. 3. cap. 7. Gueuara in Habacuc 2. v. 7. Alcazar supr. Ioseph. l. 1. contra Apionem.

Aristot. in Politicis l. 3. c. 2.

✠. 31. DARIVS MEDVS, imò Medorum rex, Cyri auunculus, SVCCESSIT IN REGNVM Babylonicum; Cyro aliis præpedito, & ad vlteriora regna occupanda sese accingente. Vide Chronicon nostrum. Darium hunc LXX. vocant *Artaxerxen*, Xenophon *Cyaxaren*, Ctesias *Darieum*, Herodotus *Herxien*, id est, qui alios coërcet, ita Scaliger.

Chron. c. 33 36. 37. Xenoph. in Cyripæd ia. Herod. l. 6. Scaliger l. 6. Emend. tēp.

CAPVT VI.

Satrapæ inuidentes Danieli summam regni præfecturam, captioso regis edicto dolos ei struunt, & vt in lacum leonum mittatur, extorquent. Sed illo manente inter leones illæso, ipsi in eumdem lacum coniiciuntur, & omnes populi Deum Danielis honorare iubentur.

✠. 3. IN Daniele AMPLIOR ERAT SPIRITVS DEI] putà spiritus sapientiæ, prudentiæ, prophetiæ: item iustitiæ, zeli, religionis, & aliarum virtutum. Vnde inuidentes ei

✠. 4. PRINCIPES ET SATRAPÆ QVÆREBANT OCCASIONEM VT INVENIRENT aliquid obijciendum DANIELI, quò semoueri ac depelli posset EX LATERE REGIS, cui tamquam primus regni princeps assiduò inhærebat. Ita Hector Pintus. Vnde aliqui codices pro *inuenirent*, legunt, *auferrent*. Ah quàm difficile est placere principibus, & satisfacere aulicis! Ergo

✠. 6. SVRRIPVERVNT REGI] Id est, fraudulenter & insidiosè suggesserunt.

✠. 7. VT OMNIS QVI PETIERIT ALIQVAM PETITIONEM AQVOCVMQVE DEO, NISI A TE REX, &c.] Suadent regi vt diuinitatis nomen & munus sibi arroget, & omni alio Deo ad tempus excluso, ipse quasi solus Deus supplicum vota excipiat. Sic familiare regibus Gentilibus fuisse, vt dij haberi vellent, suprà vidimus. (*a*) Sed nihil territus hac impiâ lege

(a) c. 2. v. 44.

✠. 10. DANIEL FLECTEBAT GENVA SVA CONTRA IERVSALEM, nempe versus locum templi, quod Pineda noster ex Ezechielis 5. v. 5. dicit

Pineda l. 5. de Salom. c. 5. §. 32.

A fuisse in centro sphæræ mundi, seu terræ inhabitatæ, ad quod tamquam ad thronum Dei, diuina suggestione Deut. 12. v. 11. & Salomonis consilio 3. Regum 8. v. 44. omnes Iudæi cùm Deum orare vellent, oculos conuertebant. Et faciebat hoc publicè Daniel TRIBVS TEMPORIBVS IN DIE] nempe hora *tertia, sexta & nona*, id est, manè, meridie & vesperè, inquit Liranus. Meridie enim computabant Iudæi horam *sextam*: tribus ante meridiem horis *tertiam*: tribus post meridiem horis *nonam*, vt dixi in Chronico. (*b*) Porro tribus istis horis solemne erat Iudæis orare. Hora tertia, quia tunc data est eis lex in Sinai: Ecclesiæ verò Christi, quia tunc datus est Spiritus sanctus in Pentecoste. Hora sexta orant Iudæi, quia tunc lapsus est Adam, & tunc erectus fuit serpens æneus in deserto: & orat Ecclesia, quia tùc crucifixus est Christus in Caluaria. Hora nona petra dedit aquas in Cades: & Christus sanguinem & aquam è latere suo. ita Lorinus ex S. Hieronymo, Augustino, Cypriano & aliis.

(b) Chron. 2.

Lorinus in Actor. 3. v. 1.

✠. 15. INTELLIGENTES REGEM] Id est, animum & intentionem regis, volentis tutari Danielem. Chaldaicè est, *congregauerunt se supra regem*, nempe, quasi factâ manu, simul omnes regem agressi sunt, & pæne tumultuati contra eum. Tandemque consensum extorserunt.

✠. 16. MISERVNT DANIELEM IN LACVM LEONVM] Hæ sunt secundæ vices, quibus vulgato hoc apud Babylonios supplicio mulctatus est Daniel. Primò enim id illi inflixerunt Chaldæi sub Baltassare, vt videbimus c. 14. Nunc secundò idem præstant Medi & Persæ sub Dario.

✠. 17. OBSIGNAVIT REX lapidem ANNVLO SVO, NE QVID ab optimatibus dum viderent fortè parcitum à belluis Danieli, CONTRA eum violentè attentaretur. Obsignarunt eumdem vicissim OPTIMATES annulis suis, ne absentibus ipsis rex Danielem è lacu erueret. ita S. Hieronymus & Theodoretus.

✠. 22. ANGELVS Dei CONCLVSIT ORA LEONVM & rictum, ait S. Hieronymus, & vngues. nempe ademit eis famem, seu cibi appetitum. Quo casu Plinius & Gellius docent, leones, nisi irritentur, in hominem naturaliter non sæuire: vti nec si in eos beneficum te exhibeas, vel supplex eis adsternaris. Fortè etiam angelus mutauit leonum phantasiam, vt apprehenderent Danielem tamquam sibi formidabilem & noxium: sicut Aristoteles & Plinius docent, leones naturaliter terreri ad rotas circumactas & strepitum curruum, ad galli cristas & cantum, ad fulgentes ignes & flammas ostentatas, ad pallium vel aliam vestem oculis & capiti irruentium iniectam. Denique potuit sola vi sua detentiua angelus continere & comprimere rictus & vngues leonum. Sicut de Raphaele Asmodæum alligante in Ægypti deserto dixi Tobiæ 8. v. 3. Et sic S. Paulus factum hîc insinuat, cùm alludens ad Danielem, Hebr. 11. v. 33. dicit sanctos *obturasse ora leonum*. Hinc Rabbini ænigma hoc proponunt: *Venit leo, & liberauit leonem de ore leonis*. Leo enim est Deus, Amos 3. *Leo rugiet, quis non timebit?* & de rictu leonum liberauit Danielem, de tribu Iuda, de quo Genes. 49. *Catulus leonis Iuda*. Id merito ieiunij illius adscribit S. Basilius; sed magis *castitati* eius S. Hieronymus, Epiphanius, Dorotheus, Damascenus & alij cap. 3. v. 50. citati. Similia miracula in *S. Malcho* Hieronymus, in *Pachone* Palladius, in *Daria* auctor Vitæ illius, in *Thecla* & plurimis aliis virginibus S. Ambrosius, Nazianzenus & alij Patres, castitati

Rabbini apud Galatinum l. 5. c. 8. Hieron. in Vita S. Malchi. Pallad. in Lausiaca c. 29. Vita Daria c. 25. Ortib. Ambr. l. 2. de Virgin. Nazianz. in prat. ad viri.

castitati eorumdem accepta ferunt.

℣. 22. IVSTITIA CORAM DEO INVENTA EST IN ME. En contra Nouatores duplicem in Daniele *iustitiam*. Vnam *coram Deo*, seu in oculis Dei, & hæc est vera, perfecta & absoluta iustitia; quia oculi Dei lucidissimi falli non possunt. Et huc alludit Ezechiel c. 14. v. 14. cùm ait, quòd *Noë, Iob, & Daniel in iustitia sua liberabunt animas suas*. Alteram coram hominibus, de qua hîc mox subditur: SED ET CORAM TE, Ô REX, DELICTVM NON FECI] Iam vide pœnam talionis.

℣. 24. QVI ACCVSAVERVNT DANIELEM, conuicti quòd fraude & dolo, nec nisi odio innocentis Danielis extorsissent edictum regium, REGE IVBENTE, IN eumdem LACVM LEONVM MISSI SVNT, IPSI, ET FILII, ET VXORES EORVM] quia hæ maritos, illi parentes ad scelus excitarant vel adiuuerant, inquit Hector Pintus. Addit Iosephus, plurimum carnis leonibus priùs datum esse, quàm hi illis obiicerentur, vt publicè constaret, leones non saturitate retardatos (vt hi calumniati fuerant) sed solâ diuinâ potentiâ præpeditos, à Daniele abstinuisse. *Ioseph. l. 10. Antiq. c. 11.*

℣. 26. IN VNIVERSO IMPERIO MEO PAVEANT DEVM DANIELIS] & ex sancto pauore caueant eum offendere, blasphemare, vel irritare: curét verò seruire illi & in omnibus obedire. Hinc videtur Darius rex verè conuersus fuisse ad Deum.

℣. 28. PORRO DANIEL in maximo regis fauore, honore & gloria PERSEVERAVIT VSQVE AD REGNVM, id est, vsque dum durauit regnum, DARII, qui sub finem huius primi anni regni sui Babylonici è viuis excessisse putatur, teste S. Hieronymo. Item quousque durauit REGNVM CYRI PERSÆ) quod tertio anno finem accepit, Cyro à Tomyri Scytharum regina castris & vitâ exuto. Vide Chronicon suprà citatum. Allegoricè, Daniel typus fuit Christi & patientis, & in lacu inferni sine noxa delitescentis, & mox gloriosè resurgentis, inquit Rupertus: & Anagogicè, resurrectionis omnium nostrûm non tam figura, quàm prælibatio fuit & quasi primitiæ.

CAPVT VII.

Hîc incipit propria visio & propriè dicta prophetia Danielis: nam hactenus historiam præcipuè, & alienas visiones prosecutus est. Hoc ergo capite (quod, vt & sequens cap. 8. si ordinem temporis spectes præponendum esset capiti 5.) per quatuor bestias describit quatuor monarchias, & regnum Antichristi: mox Deum quasi iudicem inducit, causam Christi & Antichristi, de regno & imperio vniuersi quasi certantium, pro tribunali cognoscentem, diiudicantem, & Christo adiudicantem. Denique regnum vtriusque ad viuum depingit.

℣. 2. ECCE QVATVOR VENTI, id est, quaternæ commotiones, strepitus, bella, quibus quatuor monarchiæ suo singulæ tempore cœperunt & stabilitæ fuerunt, IN MARI MAGNO id est, in mundo, (a) qui instar maris perpetuis fluctibus, & quidem salsis atque amaris, agitatur. (a) *Isa. v. 17.*

℣. 3. ET QVATVOR BESTIÆ GRANDES ASCENDEBANT] id est, quatuor ingentia regna, vt dicitur ℣. 17. quæ ideo bestiis potiùs quàm hominibus assimilantur, quòd non tam iure & ratione, quàm vi & tyrannide parta & acquisita sint. ita Durandus, Pighius, Driedo, & ex iis Lud. Molina. Vnde & S. Augustinus *magna regna* vocat *magna latrocinia*. Et Ieremiæ 4. v. 7. Nabuchodonosor vocatur *prædo gentium*. Porrò quatuor hæ bestiæ feroces omnes, potentes & terribiles, sed in aliis plurimis rebus multùm *diuersæ inter se* & dissimiles. *Molina de Iust. & iure tract. 2. disp. 24. August. l. 4. de Civ. c. 4. & 6.*

℣. 4. PRIMA, id est, Chaldæorum monarchia, QVASI LEÆNA, animis heroicis ac generosis res maximas gerens: ET ALAS HABEBAT quasi AQVILÆ, quibus & geminum imperium, nempe Assyriacum & Babylonicũ: & stupenda celeritas in vtroque occupando designatur. Ierem. 4. v. 13. *Velociores equi illius*. & c. 48. v. 40. *Ecce quasi aquila volabit*, &c. In hac monarchia ASPICIEBAM vnum præ ceteris eminentem monarcham, Nabuchodonosorem magnum, ob nimiam animi elationem cælitus vsque eò depressum DONEC EVVLSÆ SVNT ei ambæ ALÆ EIVS, & priuatus vtroque imperio, priuatus quoque vsu rationis & sensu humano, instar bouis humi serperet in siluis, donec agnosceret Deum cæli, & seriò resipisceret: tunc enim SVBLATA demum, seu erecta fuit hæc bestia DE TERRA SVPER PEDES QVASI HOMO STETIT, &c. vt c. 4. vidimus. Nec diu tamen pòst in gradu hoc suo stetit hæc bestia: nam

℣. 5. ECCE BESTIA ALIA, nempe secunda monarchia *Persarum & Medorum*, vt Syrus & Arabicus vertunt, IN PARTE, id est, ad latus vnum, STETIT SIMILIS VRSO] qui laborum atque inediæ (b) tolerantissimus, informes catulos suos, quos sine pilis, sine oculis, sine cruribus in lucem edit vrsa, lambendo (c) sensim format & perficit. Ita Persæ viles, rudes, inexperti, Cyri prudẽtiâ & arte militari sensim ad bella formati, & ad imperij fastigiũ euecti sunt. b *Arist. l. 8. hist. anim. c. 17.* c *Plin. l. 8. c. 36.*

TRES ORDINES escarum, seu prædarum, ERANT IN ORE EIVS, ET *inter dentes* EIVS, vt Chaldæus, LXX. & Vatablus vertunt, nempe tria imperia, Babylonicum, Medicum & Persicum, quæ Cyrus suis armis acquisiuit & in vnam monarchiam compegit, inquit S. Hieronymus. ET DICEBANT EI, seu socij exhortantes, seu inimici insultantes: SVRGE insatiabilis bestia, COMEDE CARNES quas vnguibus tuis PLVRIMAS discerpsisti. Sic *Tomyris* Scytharum regina, victo cæsoque Cyro, caput eius in vtrem sanguine plenum demergens, *Iam*, inquit, *satia te Cyre sanguine quem* adeò *sitiisti, & cuius insatiabilis fuisti.*

℣. 6. ET ECCE ALIA bestia, monarchia tertia, nempe Græcorum, QVASI PARDVS, seu pardalis (quem Aristoteles, Plinius & alij volunt eumdem esse cum *panthera*, vel *παν θήρω*; id est, planè fero) quia sicut pardus pellis suæ varietate ac pulchritudine, simul & suaui corporis odore, vt ait Plinius, (occultans interim caput turpe & fœdum) animalia ad se allicit ac deuorat; ita Græci speciosis ad oculum virtutibus suis permixtis vitiis, plurimas nationes dementarunt; pardica sagacitate, astutiâ, acrimoniâ reliquis longè præcellentes: arrogantiâ, velocitate, intemperantiâ, vini maximè, omnes superantes. Sed vino inebriati pardi facilè capiuntur, inquit Oppianus & Gesnerus. Et quid in Alexandrum eiusque sequaces aptiùs quadret? Vide Curtium. Denique in pardo figuratur ingens gloria Alexandri, quam sibi ex tot gentium subiugatione comparauit, inquit Alcazar. *Curtius l. 10.* *Alcazar in Apoc. 13. v. 2. p. 685.*

ET ALAS HABEBAT QVASI AVIS, QVATVOR SVPER SE] Pardicæ velocitati adiectæ alæ, & quidem quaternæ, victoriarum Alexandri celeritatem incredibilem, simul & animi celsitudinem: vigorem atque acrimoniam denotant. Sic *Iulio Cæsari* dabat Plinius *ingenium*, instar ignis *volucre*. *Plin. l. 7. c. 25.*

ET QVATVOR CAPITA ERANT IN BESTIA] Hi sunt primi quatuor Alexandri duces, quibus, & imperium suum moriturus diuisit, Philippo Macedoniam reliquamque Græciam: Antigono minorem

norem Asiam: Seleuco Babyloniam, reliquamque Asiam maiorem, seu Syriam: Ptolemæo Ægyptum. ita S. Hieron. & alij. & nos in Chronico.

Chronici c. 40. &c.

℣. 7. BESTIA QVARTA, non vna aliqua certi nominis, sed ex plurium commixtione conflatum monstrum; Romanorum est imperium, quod Primò, reges; Secundò, consules, Tertiò, decemuiri, Quartò, rursus consules, sed his additi tribuni plebis, & subinde dictator; Quintò, Imperatores vnà cum consulibus & tribunis administrarunt. Forma sanè monstrosa ex monarchia, aristocratia, & democratia variè conflata: verè TERRIBILIS bestia, ATQVE MIRABILIS; chaldaicè, *stupenda*, ET FORTIS NIMIS: DENTES FERREOS & MAGNOS HABEBAT, id est, copiosos forteſque exercitus: nam arma bestiæ sunt dentes. COMMINVENS, id est, discerpens, occidens: COMEDENS, seu deuorans alia regna, vel si quæ non deuoraret, PEDIBVS SVIS CONCVLCABAT, tributis subiiciens: Ita vniuersa orbis regna in vnum quasi imperium cogens, vt *Roma esset quasi compendio mundus*, inquit S. Cyprian. & colligitur ex 1. Mach. 15. v. 22. & 23.

Epist. 41.

ET HABEBAT CORNVA DECEM] id est, decem reges potentes ac robustos, sub finem mundi, exorituros quidem ex Romano Imperio, sed non erunt Romani Imperij, qui orbem & Imperium Romanum inter se diuident. Ita innuit angelus explicans mox (*a*) hæc mysteria; & ita exponunt omnes *scriptores Ecclesiastici*, inquit S. Hieronymus & Iosephus Acosta & Ribera.

a v. 9. 13. 24. 26. & Apoc. 17. v. 12. *Ios. Acosta l. 2 de Temporib nouiss. c. 9. Ribera in Apoc. 13. & 17.*

℣. 8. DE MEDIO EORVM decē cornuum; LXX. *in medio eorum*, ORTVM EST CORNV ALIVD vndecimū, PARVVLVM initio, obscuro loco natum & plebeium, sed sensim crescens in tantam potentiam, vt ausit se palàm opponere decem prioribus cornibus. Et quidem tria illorum, nempe reges *Ægypti*, *Æthiopiæ* & *Libyæ*, bello confringet, (*b*) euertet & excidet, vt dicitur v. 24. quibus excisis, reliqui septem reges victori colla submittent. Qui futuri sint hi septem reges, nusquam indicatur. Quidam fingunt fore reges, primum, Syriæ, seu Asiæ maioris; secundum, Asiæ minoris, tertium, Græciæ; quartum, Angliæ; quintum, Galliæ; sextum, Hispaniæ; septimum, Germaniæ; quòd hæ partes aliquando fuerint Romani Imperij. Sed alia velim argumenta priusquam his fidem habeam. Porrò *cornu parvulum* istud non est Christus, vt somniant Iudæi: nam Daniel hîc vers. 26. dicit hoc cornu post tres annos cum medio *contritum* iri & *disperditum vsque in finem*; illos verò contra quos pugnauerit, æternùm deinceps regnaturos & beandos. An Iudæis id obtigit à morte Christi? an Christi regnum post eius necem non multò plus floruit? an non totum mundum sibi subiecit? Multò minùs exponi potest de Mahomete vel Turca, vt volunt Vatablus, Ioannes Annius & Hector Pintus. Nam vt alia taceam, quomodo dicemus, hunc non nisi tribus cum medio annis imperasse, quem constat pæne mille annis rerum in Asia potitum esse? Ergo ex omnium Catholicorum sententia, inquit S. Hieronymus, intelligendus hic est Antichristus, sub finem demum mundi exoriturus, & decem reges iam dictos subacturus. Vide Lessium de hoc argumento.

b Dan. 11. v. 43.

ET ECCE OCVLI, QVASI OCVLI HOMINIS ERANT IN CORNV ISTO paruulo, id est, perspicaciâ, prudentiâ, scientiâ politicâ præcellet, inquit Theodoretus. item humanitate, comitate, virtutis simulatione, quâ multos decipiet. Interim os habebit LOQVENS INGENTIA, id est, mira, stupenda, incredibilia iactans de se ac promittens suis: *in excelsum* verò Deum horrendas blasphemias euomens, & minas ac tormenta inaudita spirans in Sanctos, vt dicitur v. 25. Sed dum sæuire pergit crudelis hæc bestia, & à nullo homine domari potens;

℣. 9. ASPICIEBAM in cælum ad Deum, & ecce THRONI ibi iudiciarij POSITI, ET ANTIQVVS DIERVM, Deus Pater, adeoque tota SS. Trinitas, cum assessoribus (*c*) angelis, SEDIT pro tribunali, tamquam iudex cogniturus causam Christi & Antichristi de regno & imperio totius mundi disceptantium. Simile tribunal habes Apocalyp. 4. & 5. Vocatur autem *antiquus dierum*, tum quia plenus est dierum: tum quia fuit ante omnes dies & tempora, imò conditor omnis temporis, ac notitiam habens omnium quæ in tempore acta sunt, vel agentur. Innuitur enim sufficiens instructio ac scientia iudicis ad infallibilem sententiam ferendam. Sicut per VESTIMENTVM EIVS CANDIDVM QVASI NIX, & comam CAPITIS QVASI LANA MVNDA, puritas & sinceritas iudicij, nullius ob metum vel gratiam ab æquitate deflectentis. Per THRONVM eius FLAMMEVM, splendor & efficacia iudicij diuini. Per ROTAS igneas præsentia vbique & prouidentia iudicis, quasi curru semper instructo, rotisque in omnem partem voluentibus per omnia cæli & terræ spatia continuò sese extendit.

c Dan. 14. v. 14.

℣. 10. FLVVIVS IGNEVS RAPIDVSQVE A FACIE & ore iudicis quasi ex igneo fonte EGREDIENS, sententia est quam pronuntiat, instar ignis efficacissima simul & celerrima, inquit S. Hieronymus. Quam Apoc. 1. v. 16. *gladium* vocat *ancipitem*.

MILLIA MILLIVM, imò *mille milliones* ministrantes & assistentes ei sunt angeli vt multitudine innumeri, (*d*) ita ad exequendam iudicis sententiam promptissimi, expeditissimi, celerrimi. Describitur hîc spirituale & inuisibile iudicium, quo Deus cognitâ causâ & Christi & Antichristi, imperium totiusterræ & cæli Christo adiudicat, vt dicitur v. 13. & 14. Antichristum verò omnesque eius asseclas damnat & ad ignes æternos ablegat, v. 11. 12. &c. Rectè tamen hæc ipsa ab aliquibus aptantur etiam iudicio extremo, quo Christus corporaliter & visibiliter iudicabit omnes viuos & mortuos, quia illud istius erit quasi præludium, præparatio & inchoatio, quâ Christus quasi creatur iudex, & publicè inauguratur dominus vniuersi, nempe in actu secundo, seu quoad exercitium actuale. Porrò à prolata iudicis sententia, extemplò

d Dion. de Cal. hierar. c. 13. & 14. & Gabriel Vasquez 1. 2 quæst. 53. disp. 180.

℣. 11. VIDI QVONIAM INTERFECTA ESSET BESTIA: q.d. Non solus Antichristus, cornu vndecimum bestiæ, cum suis omnibus occidit, sed & tota bestia, id est, totum Romanum Imperium, IGNI TRADITVM, in cineres redactum, & prorsus excisum est: sicut &

℣. 12. ALIARVM QVOQVE trium BESTIARVM, putà Chaldæorum, Persarum & Græcorum, POTESTAS omnis ABLATA est, suoque quæque tempore: nam TEMPORA VITÆ & durationis CONSTITVTA cælitus fuerunt singulis, VSQVE AD TEMPVS ET TEMPVS] id est, vsque ad durationem & periodum prædefinitam à Deo; quâ euolutâ vidi singula imperia occidere & euerti: nec enim præfixos à Deo terminos excedere potuerunt. Euersis omnibus his quatuor monarchiis,

℣. 18. SANCTI homines Christi asseclæ & DEI ALTISSIMI fideles serui, antè sub iugo iustorum imperiorum pressi, depressi, excisi, iam mutatis

tis vicibus SVSCIPIENT de manu iudicis REGNVM,(a) illudque OBTINEBVNT æternùm. Sed antequam conteratur Antichristus,

a 7. 25. 9. 10.

℣.25. PVTABIT QVOD POSSIT MVTARE TEMPORA singulis monarchiis & regnis præscripta à Deo,vt dixi vers. 12. item LEGES, id est, decreta Dei de duratione, amplitudine & potentia singulorum.ita Maldonatus.Sed falletur miser:nam duratio monarchiæ, seu pleni imperij ipsius, quo TRADENTVR Sancti & Christi fideles IN MANV EIVS, vt liberè in omnes sæuiat, non durabit nisi VSQVE AD TEMPVS ET TEMPORA duo, ET DIMIDIVM quarti TEMPORIS] id est, ad tres annos cum medio,vt passim veteres Patres exponunt, & ipsemet Daniel c. 12. v. 7.& 11. & S. Ioannes in Apocalypsi (b) ita explicant, ipsos etiam menses omnes,imò dies enumerantes.

b Apoc. 12. v. 6. & 6. 13. v. 5.

Petes,Quare hæc non possunt exponi de persecutione Antiochi Epiphanis per tres annos cum medio? Respondeo, Quia falsum est, post illos tres annos cum medio Sanctos obtinuisse regnum quod *est subter omne cælum*, illudque æternum, vt hîc vers. 27. affirmat Daniel. Hoc enim quadrare non potest nisi in regnum Christi & Sanctorum, quod mox à nece Antichristi inchoabunt SVBTER OMNE CÆLVM id est, vbique terrarum,siue in omni plaga cælo subiecta. Confirmabunt autem & stabilient hoc suum regnum paulò pòst, cùm peracto vniuersali iudicio, triumphabundi demigrabunt in cælum,vbi corpore & anima glorioßis,cum Christo æternùm regnabunt. Noster tamen Alcazar vult tam hæc,quam illa c. 12. v. 7. ad litteram intelligenda etiam de persecutione Antiochi, & profanatione si non templi, certè vrbis sanctæ, quam vnà cum arce Sion occupauit tribus annis cum dimidio,vt ex Iosepho colligitur.Quod si verum est,figura ad amussim respondebit figurato suo.

Ioseph. l. 12. Antiquit. c. 10. & in prologo libror. de Bello, & c. 1.

CAPVT VIII.

Præuidet Daniel qua in secunda Persarum, & tertia Græcorum monarchia gerentur ab hirco & ariete, id est, ab Alexandro Macedone & Dario Codomanno Persa, de imperio inter se decertantibus. Item de cornu vno hirci, id est, successore vno Alexandri, postà Antiocho Epiphane, eiusq; potentia & impietate in Iudæos.

℣.1. POST IDQVOD de quatuor monarchiis cap. præced. VIDERAM,

℣.2. VIDI quæ sequuntur, CVM PER VISIONEM,non verò per præsentiam corporalem,ESSEM IN SVSIS CASTRO tum in *Ælamitide* regione Persarum, sed paulò pòst totius Persidis metropoli & sede regia. Vnde Plinius Susianam prouinciam ab Ælamitica distinguit intermedio flumine *Eulæo*, à quo porta vna vrbis *Susarum*,nomen suum *Vlai*, cuius hîc Propheta meminit,accepisse videtur.

Plin. l. 6. c. 27.

℣.3.ECCE ANTE PALVDEM Vlai, seu fluuium Euleum. Hebræum & Græcum verti potest, *ante portam Vlai* (vt vers. 2.& 6.) STABAT ARIES VNVS pugnacissimus,Persici & Medici (c) gregis dux & rex, præsertim vltimus *Darius Codomannus*, inquit Theodoretus. HABENS CORNVA bina, combinatum imperium Persarum & Medorum: sed illud EXCELSIVS isto. ita Pererius, Fernandes & alij. Hic *aries* lana & vellere,id est, opibus grauis

c Inf. v. 20.

Pererius, Fernand. vt sæpe alij.

℣.4.VENTILABAT CORNIBVS CONTRA OCCIDENTEM,AQVILONEM ET MERIDIEM, totam Asiam,Pontum & Africam bello exagitans. Contra hunc arietem iam benè pastum & pinguem,ecce tibi AB OCCIDENTE,nempe è Macedonia,hostis inopinatus, tanta velocitate, vt pedibus *terram non* videretur *tangere*. Et quis hic?

℣.5. HIRCVS CAPRARVM dux, vt aries ouium, rex Græcorum, qui capris comparantur ob ingenij sagacitatem, visus acumen, & pedum agilitatem,quibus capræ præcellunt ouibus, inquit Plinius,& Græci Persis.Maximè autem comparantur hircis reges Græcorum,tum ob feruidam & igneam eorum complexionem, tum ob fœtorem libidinum,inquit Rupertus. PORRO HIRCVS hic HABEBAT CORNV VNUM INSIGNE, nempe Alexandrum,primum è Græcis monarcham. *Cornu* enim, vt alibi dixi, insigne regum & symbolum regni est, roborisque & maiestatis regiæ. Vnicum erat hoc *cornu*, quia pondus omne imperij in vnum incumbebat Alexandrum, quoad vixit. Vnde & *cornu* illud dicitur *hirco* fuisse INTER OCVLOS, quia viuente Alexandro *hircus* Græcus *vnicornis* erat: animalia verò vnicornia cornu suum habent inter oculos. HIRCVS iste subacto ariete

Plin. l. 18. c. 34.

℣.8. MAGNVS FACTVS EST re & nomine: nam à rerum gestarum magnitudine vocatus est *Alexander Magnus*, & CORNV MAGNVM. Verùm quantumuis *magnum*, & forte,&, vt videbatur, inuictum, breui tamen CONFRACTVM EST non vi hostili, sed violenta morte:nam non nisi 32. annos & octo menses natus Alexander, postquam 12. annos,nec amplius regnasset, crapulâ, vt vult Athenæus: vel veneno, vt scribit Curtius, Iustinus & alij, extinctus est Babylone. Iam *loco* illius *insignis cornu* sic con*fracti*, vt habent Hebræa, SVBORTA SVNT QVATVOR CORNVA, id est,quatuor primarij duces Alexandri, de quibus suprà c. 7. v. 6. PER QVATVOR VENTOS CÆLI] id est, per quatuor mundi plagas imperium Alexandri inter se partiti. ita S.Hieronymus.

℣.9.DE VNO AVTEM EX EIS,nempe ex Seleuco,EGRESSVM EST CORNV VNVM, scilicet Antiochus Epiphanes,qui octauus, descendit ex Seleuco, vt videre est in Chronico. Vocatur CORNV MODICVM, quia minor natu fuit filius Antiochi Magni, ac proinde opibus initio viribusque infirmus. Sed à morte fratris sui Seleuci Philopatoris, ejecto Demetrio eius filio, regnum Syriæ capessens, FACTVS EST GRANDIS, præualuitque armis CONTRA ORIENTEM, Artaxiam regem Armeniæ deuincens: ET CONTRA MERIDIEM,Ptolemæum Philometorem Ægypti regem profligans. Sed Ægypto coactus per Romanos excedere, omnem suum furorem & vim vertit CONTRA FORTITVDINEM,id est,contra Iudæam,quæ idcirco per antonomasiam *fortitudo* vocatur hîc & vers. sequent. *fortitudo cæli*,eò quòd propter templum & è templo præsidium cæleste, inuicta esset instar arcis munitissimæ à Deo insessæ & propugnatæ. ita S.Hieronymus.

Chron. c. 40.

℣.10. ET MAGNIFICATVM EST cornu istud,id est, magno ac superbo ausu deuenit VSQVE AD FORTITVDINEM CÆLI,id est, Iudæam cælesti ope fortissimam,imò inuictissimam, bello lacessendam & inuadendam.Quod frustra sanè fuisset, nisi propter Iudæorum peccata Deus fortissimam manum suam ab illis protegendis subtraxisset. Iraque præualuit etiam *fortitudini*,id est,Iudææ, (d) superbus Antiochus,ET DEIECIT DE STELLIS eius,id est,de præclaris tribus,seu nobilitate, seu doctrina,seu pietate personis,ET CONCVLCAVIT EAS, vi, minis,tormentis abducens à patria lege, vel constantes enecans,

d 1. Mach. 1. v. 11. &c.

Greg. l. 32. Moral. c. 12. cans. ita S. Hieronymus, Theodoretus, Gregorius, Vatablus & alij. Sic Apoc. 12. *draco*, id est, diabolus, per Antichristum (cuius præcursor & typus fuit hic crudelis Antiochus) *trahet post* se in fine mundi *tertiam partem stellarum*, id est, illustrium Sanctorum & personarum in Ecclesia. Quinimò creuit vsque eò superbia Antiochi, vt

℣. 11. VSQVE AD PRINCIPEM FORTITVDINIS & militiæ Iudaicæ, nempe Deum ipsum, *magnificaretur*, in eum petulanter insurgens, & quasi duello lacessens, maiestatem diuinitatemque illius sibi vindicans, 2. Machab. 9. *Sibi videbatur fluctibus maris imperare, & montium altitudines in statera appendere, & sidera cæli contingere.* Ex ingenti verò in

a 1. Mach. 1 v. 47. Deũ odio, TVLIT AB EO IVGE SACRIFICIVM, (a) vetans Deo sacrificari agnum illum, quem quotidie manè & vesperè sibi offerri iusserat Deus, Exodi 29. & Leuit. 6. Neque hoc solùm, sed & reliqua sacrificiorum genera (quæ sub hoc iugi sacrificio intelliguntur) sustulit Antiochus. Ipsum insuper B LOCVM SANCTIFICATIONIS Dei, id est templum vni Deo colendo destinatum, DEIECIT de gradu & vsu suo, iubens ne amplius esset templum Dei,

b 2. Mach. 6 v. 2. sed *Iouis Olympi*, (b) cuius idcircò statuã inibi erexit.

℣. 12. ROBVR AVTEM, id est, potestas quâ sic CONTRA locum sanctum & IVGE SACRIFICIVM præualeret Antiochus, DATVM EST EI cælitus, non ob eius merita vel excellentiam, sed PROPTER PEC-

c Ibid. v 15. CATA Iudæorum, (c) & maximè sacerdotum in defraudandis sacrificiis, admissa, vt hîc LXX. insinuant. Porrò his Antiochi machinis PROSTERNETVR VERITAS IN TERRA] id est, vera Dei fides, cultus & religio.

ET FACIET, ET PROSPERABITVR] Id est, prospero euentu faciet quidquid volet mali. Est hendyadis. (d)

d Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 41. ℣. 13. ET AVDIVI VNVM DE SANCTIS angelis C Iudææ tutelaribus LOQVENTEM ALTERI NESCIO CVI. Fernandius putat fuisse *Gabrielem*, cuius mox mentio fit v. 16. rogantemque, VSQVEQVO VISIO, id est, quamdiu durabit quod iam visum est? nempe IVGE SACRIFICIVM ab Antiocho sublatum, quamdiu manebit sublatum? item quamdiu durabit PECCATVM DESOLATIONIS, id est, desolatio templi & vrbis propter peccatum Iudæorum FACTA?

℣. 14. ET DIXIT EI, respondit que alter angelus; VSQVE AD VESPERAM ET MANE: id est, vsque ad illam diem, quâ finietur dicta desolatio, effluent DIES naturales DVO MILLIA TRECENTI] id est,

e Chronici x. 4. & 5. anni sex (lunares) (e) menses quinque & dies viginti. Tot enim fluxerunt ab anno 143. Græcorũ, quo primùm cœpit hæc per Antiochum desolatio, 1. Machab. 1. v. 21. vsque ad annum 149. quo mortuus est tyrannus, 1. Machab. 6. v. 16. Licèt enim vno anno antè, putà 148. (vt dicitur 1. Machab. 4. v. 52.) mundatum fuerit templum, nondum tamen plenè cessabat desolatio & persecutio, quæ morte demum tyranni sublata fuit. ita Pererius, Serarius,

Serar. in 1. Mach. 6. q. 1. & ferè S. Hieronymus. Vnde Gabriel mox ad Danielem:

℣. 17. IN TEMPORE FINIS, id est, tempore definito & constituto à Deo, COMPLEBITVR VISIO, id est, desolatio quam vidisti. Sic enim explicat se v. 19. cùm vocat *nouissimum* MALEDICTIONIS & vltionis diuinæ: QVONIAM HABET TEMPVS maledictionis FINEM SVVM] nempe cum morte maledicti tyranni.

℣. 23. REX IMPVDENS FACIE Antiochus, qui nec Deum, nec homines reuerebitur: ET INTELLIGENS PROPOSITIONES abstrusas & occultas; hebraicè, *chidot*, id est, ægnimata, strophas, versutias. חידת q.d. Erit acuto, sagaci & callido ingenio.

℣. 24. SED NON IN VIRIBVS SVIS præualebit ipse & ROBORABITVR, sed nutu & permissu Dei, volentis per illum tamquam per lictorem & flagellum suum punire peccata filiorum suorum, vt suprà v. 12. dixit. Ergo à nemine præpeditus, imò COPIA RERVM OMNIVM *vers.* 25. instructus ad malè agendum, putà opibus, milite, armis, astutiâ, prosperâ vbique fortunâ, &c. OCCIDET PLVRIMOS sanctorum. Sed vt hæc omnia præstitit non humanis viribus, sed Dei, ita etiam cadet telo non hominum, sed Dei, SINE MANV enim hominum CONTERETVR] morbo percussus insanabili, & fœtore intolerabili, ac vermibus è viuo corpore proserpentibus miserrimè absumptus, vt 2. Machab. 9. graphicè depingitur. Sic antitypum Antiochi Antichristum non manu humana, sed *spiritu*, seu flatu, solo *oris sui* Christus occidet 2. Thessal. 2. v. 8. Denique catastrophe, seu, vt est in *vers.* 26. VISIO quæ tibi exhibita est de VESPERE ET MANE, id est, die vltimo finiendæ desolationi cælitus præfixo, suprà v. 14. VERA EST, vereque complenda, sed POST MVLTOS DIES] nempe post annos 368. Totenim effluxisse à tertio anno Baltassaris Chaldæi, vsque ad mortem Antiochi Epiphanis, videbis in Chronico nostro. Chron. c 36. 37. 40.

℣. 26. TV ERGO VISIONEM hanc SIGNA & diligenter annota, & obsignatam studiosè conserua, olim vobis vsui & solatio futuram.

℣. 27. NON ERAT QVI INTERPRETARETVR] scilicet in particulari nomina singulorum & tempora, & alias circumstantias visionis totius. Nam quæ angelus exposuit Danieli, valdè generalia erant, neque ex illis colligi tum poterat, quando, à quibus, & quomodo singula essent patranda.

CAPVT IX.

Daniel dum orat Deum pro finienda captiuitate Babylonica, ex Gabriele intelligit non solùm liberandos breui Iudeos, sed & vniuersum genus humanum per Messiam post septuaginta hebdomadas annorum, à peccatis suis & potestate diaboli liberandum.

℣. 2. ANNO VNO, id est, anno primo, REGNI Darij in Babylone. Neque verò regnauit ibi nisi vno anno, vt constat ex historiis. Erat idem hic annus monarchiæ Cyri primus: erat & septuagesimus, seu vltimus captiuitatis & seruitutis Babylonicæ, vt dixi 1. Esdræ 1. & in Chronico. (f) Vocatur hic Darius *filius Assueri*, id est, magni principis, seu regis Medorum, nempe Astyagis, vt dixi D in Chronico. (g) Neque enim *Assuerus* erat nomen proprium, sed commune regibus Medorum, sicut Artaxerxes Persarum, vt alibi (h) dixi. Hinc Cambyses, (i) & maritus Estheræ (k) & alij reges secundæ monarchiæ vocantur nunc *Assueri*, nunc *Artaxerxes*, prout vel à Medis, vel à Persis, quibus vtrisque præerant, proprio gentium illarum nomine compellari contingebat.

f Chronici c. 35.
g In fine c. 33.
h In Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 19. & Esth. 1. v. 1.
i 1. Esdræ 4. v. 6.
k Esther 1. v. 1.

EGO DANIEL IN & EX LIBRIS Ieremiæ Prophetæ INTELLEXI *compleri* iam NVMERVM SEPTVAGINTA *annorum* DESOLATIONIS IERVSALEM, DE QVO numero FACTVS olim fuerat SERMO DOMINI *ad* eumdem IEREMIAM] De quibus annis, vnde inchoandi, vbi finiendi sint, fusè egi in Chronico. Chronici fin. Cùm ergo videret Daniel, ex vna parte instare finem anni 70. ex altera Iudæos non desistere à consuetis

consuetis sceleribus, sed noua potiùs antiquis superaddere, timuit ne Deus pœnæ quoque tempus prorogaret. Ideo peccata hîc sua suorumque contribulium humillimè confessus, ex intimis præcordiis veniam rogat, & libertatem cælitus promissam deposcit.

℣. 11. STILLAVIT; hebraicè, *effusa est*, SVPER NOS MALEDICTIO, quam nobis peccantibus comminatus es Leuitici 26. v. 16. ET DETESTATIO, id est, execratio, quam violantibus legem tuam imprecatus es, Deut. 27. v. 14. Ergo iure meritoque

℣. 12. STATVIT Deus, id est, stare fecit, confirmauit, SERMONES SVOS] nempe complendo quod prædixit, & immittendo plagas quas comminatus est,

℣. 14. ADDVXIT SVPER NOS MALITIAM] id est, afflictionem, miseriam, calamitatem omne genus.

℣. 15. FECISTI TIBI NOMEN potentis simul & misericordis Domini, cùm nempe patres nostros *ex Ægypto* eduxisti, & toties à crudelissimis hostibus liberasti, SECVNDVM DIEM HANC] id est, sicut vsque hodie sentimus & experimur: nam indies audimus te hoc nomine passim celebrari.

℣. 17. OSTENDE; hebraicè, *illustra* FACIEM TVAM] (*a*) Id est, lucido, sereno, benigno vultu respice templum & vrbem sanctam tuam, vt illa instaures.

a *Psal. 4. v. 6.*

℣. 18. CIVITATEM Ierosolymam, SVPER QVAM INVOCATVM EST NOMEN TVVM, id est, quæ vocabatur nomine tuo, nempe *ciuitas Dei*, in qua habebas domum & palatium tuum terrestre, vbi à toto orbe colebaris, inuocabaris, seruiebaris.

℣. 21. ECCE VIR GABRIEL, nempe Archangelus assumpta specie viri, QVEM VIDERAM IN VISIONE A PRINCIPIO] id est, in priore visione, suprà c. 7. v. 15. & 16. S. Ambrosius, Hieronymus, Irenæus, Andreas Ierosolymitanus, & ex iis Suarez notant, aptissimè in hac legatione de 70. hebdomadibus, vti & de quatuor monarchiis cap. 7. adhibitum fuisse eumdem Gabrielem qui postea ad B. Virginem legatus missus est ad denuntiandam incarnationem Verbi diuini Lucæ 1. v. 26. Quia hæc præambula erant & quasi prænuntia illius mysterij. Vnde & Proclus Cyzicenus, *Gabriel*, inquit, idē est ac si dicas, *homo Deus*: vel, vt Theophylactus, *homo Dei*, vel *vir Dei*. *Geber* enim virum significat, *el* Deus. Alij *Gabriel*, id est, fortis Deus, vel fortitudo Dei, quo nomine vocatur Isaiæ 9. v. 6.

Ambros. serm. 63. Iren. l. 5. c. 25. Andr. Ieros. serm. de Annuntia. Suarez 3. p. q. 22. a. 1. disputat. 9. sect. 2. Proclus homilia quæ habetur in Concilio Ephesin. Theop. in Luca 1.

גבראל חמודות

℣. 23. EGRESSVS EST SERMO, id est, exiit à Deo præceptum, vt ad te venirem, teque docerem tempus aduentus Messiæ. QVIA VIR DESIDERIORVM ES; hebraicè, quia tu es *chamudot*, id est, *desiderium* vel *desideria*, id est: quia tu es multùm desiderabilis, expetibilis, amabilis, dignus quem omnes earum habeant & impensè diligant, & cum voluptate intueantur. Scriptura enim *res desiderij*, vocat ea quæ chara sunt, quæ amantur, quæ in pretio habentur. Vnde & Symmachus hîc vertit, *vir es amabilis*. Simili phrasi Gen. 49. vers. 26. Messias vocatur *desiderium collium æternorum*. & Salomon 2. Reg. 12. v. 25. Iedidia, id est, dilectio Domini. ita Hier. Pradus, & Cornelius à Lapide. Alij *virum desideriorum* non passiuè, sed actiuè accipiunt. q. d. Quia tetus ardes desiderio salutis tuæ tuorumque, vt educamini non solùm è carcere Babylonico, sed etiam, & quidem multò magis, è carcere diabolico peccati, mortis & inferni. Quod cùm non possit fieri nisi per Christum Messiam, venio tibi nunc

ידידיה

A aduentum illius denuntiaturus.

℣. 24. SEPTVAGINTA HEBDOMADES, seu septuaginta septenarij annorum, vt omnes Hebræi Græci & Latini consentiunt, id est, 490. anni (Sic Leuitici 25. v. 8. dicuntur *septem hebdomades annorum* numerandæ ante iubilæum, id est, (vt ibid. explicat Deus) *septies septem* anni, seu 49. *anni*) Ergo 70. *hebdomades* ABBREVIATÆ SVNT] id est, breues, seu paucæ definitæ sunt à Deo vsque ad Christi aduentum, cùm potuisset Deus longè plures decernere. Ergo τὸ *abreuiata* non dicit ordinem ad decretum Dei semel antè factum, de differendo diutiùs aduentu Messiæ, sed ad decretum Dei quod facere potuisset, & quo forsan retardasset aduentum Messiæ, nisi Daniel hîc, & olim Isaias, alijque SS. Prophetæ & Patriarchæ suis precibus ac suspiriis eius accelerationem vrsissent, eamque de congruo meriti fuissent, vt S. Bonauentura, Gabriel, Richardus, Almainus, Marsilius, Alensis, & ex iis Suarez aliique Scholastici promeritos docent. *Suarez 3. p. q. 2. a. 10. disp. 10. sect. 6.*

B Simili phrasi Matth. 24. v. 22. dies persecutionis Antichristi dicuntur *breuiati*, id est, breues, seu pauci decreti à Deo.

VT CONSVMMETVR; hebraicè, *lehatem*, id est, vt finiatur, PRÆVARICATIO, seu peccatum totius mundi, nempe delendum (vt sequitur) per Christum, qui est *Agnus* (*b*) *Dei tollens peccatum mundi*. להתם

b *Ioan. 1. v. 29.*

ET ADDVCATVR in orbem IVSTITIA SEMPITERNA] Hebraicè, *iustitia seculorum*, nempe Christus, qui suo merito iustitiam aduehet omnibus hominibus omnium sæculorum. Christus enim *factus* (*c*) *est nobis à Deo iustitia & sanctificatio & redemptio*. Ita passim Interpretes, etiam Thalmudistæ & Rabbini alij apud Adr. Finum & Galatinum.

c 1. *Cor. 1. v. 30.* *Adr. Finus l. 5. Flagelli c. 5. Galatin. l. 4. c. 18.*

ET IMPLEATVR VISIO ET PROPHETIA omnis tum huius Danielis, tum reliquorum omnium Prophetarum. Sicut enim *lex*, sic & *Prophetæ* non C se extendunt nisi *vsque ad Ioannem*. Tunc enim comparuit ipse Christus, finis legis & omnium Prophetarum, qui sua prædicatione, morte & resurrectione impleuit omnes de se prophetias, inquit Tertullianus, Chrysostomus, & alij.

Tertull. l. contra Iudæos. Chrysost. orat. 2. cont. eosd.

ET VNGATVR SANCTVS SANCTORVM] Id est, Messias consecretur in sanctissimum pontificem, regem, legislatorem, doctorem & redemptorem mundi. ita omnes, etiam Rabbini iam dicti. Hæc vnctio & consecratio Christi facta fuit primo incarnationis eius instanti: sed publicata & mundo declarata est in baptismo.

Petes, Quando inchoandæ sunt istæ 70. hebdomadæ? Respondet Gabriel,

℣. 25. AB EXITV SERMONIS, VT ITERVM ÆDIFICETVR IERVSALEM, iam à Chaldæis euersa & exusta. Quam reædificationem ostendi in Chronico factam octauo anno Artaxerxis Longimani, D ex quo à morte Xerxis patris sui solus regnare cœpit, id est, anno 4. olympiadis 80. & vrbis Romæ 297. A quo anno si calculos subduxeris vsque ad 15. Imperatoris Tiberij, quo baptizatus & publicè doctor & ductor populi proclamatus est Christus, id est, vsque ad annum 3. olympiadis 201. & vrbis conditæ 780. deprehendes præcisè annorum hebdomadas 69. id est, annos 483. Vt fusiùs in Chronico demonstraui.

Chronici c. 38.

RVRSVM ergo ÆDIFICABITVR PLATEA, id est, forum publicum & alia interiora vrbis Ierosolymitanæ ædificia, ET MVRI eiusdem vrbis, seu mœnia, nempe per Nehemiam à rege Artaxerxe ad id è Perside in Iudæam remissum 2. Esdræ 2. Sed

hæc

hæc murorum instauratio fiet in ANGVSTIA TEMPORVM] tum ob multas angustias quibus Iudæi à vicinis hostibus premuntur, 2. Esdræ 4. tum ob angustum & breue temporis spatium, quo illa instauratio fiet, putà 52. diebus, vt habetur 2. Esdr. 6. v. 15. Vnde tertio demum pòst anno interiora vrbis plenè instaurata fuisse Iosephus tradit. Porrò à puncto illo instauratæ plenè Ierosolymæ, nempe quoad muros & interiora loca publica, vt dixi, sursum computando

℣. 26. POST HEBDOMADES iam dictas, septem & SEXAGINTA DVAS, id est, post annos 483. OCמשיח CIDETVR CHRISTVS] Hebraicè, *masiach*, (& sic etiam legunt Rabbini) id est, *vnctus* Christus, non verò *vnctio*, vt hîc vertunt LXX.

ET NON ERIT EIVS (in Hebræo & Græco omittitur quod sequitur) POPVLVS QVI EVM NEGATVRVS EST] nempe populus Iudaicus, qui Christum publicè coram prætide Pilato abnegabit, desinet esse populus Dei, & Ecclesia Dei, iuxta illud Oseæ: *Voca nomen eius, Non populus meus: quia vos non populus meus, & ego non vester Deus.* Sed hûc Danielis locum nimis sibi contrarium eliminarunt posteriores Iudæi, (vt putat Adrianus Finus) ex textu tam Græco, quàm Hebræo: veteres tamen Hebræi agnouerunt, teste S. Hieronymo, cùm sic verterunt & explicarunt: *Non erit illius imperium quod putabat se redempturum*, id est, Iudæi non amplius erunt regnum nec populus Christi, ad quos tamen rediamendos & saluandos præcipuè venerat. Quod cum textu nostro optimè quadrat. Sed pergit Gabriel:

Adr. Finus sup.

ET CIVITATEM Ierosolymam, ET SANCTVARIVM, id est, templum, DISSIPABIT, non dux belli (nam Titus seruatum illud voluit, teste Iosepho) sed POPVLVS Romanus CVM DVCE VENTVRO, quia flammis omnia absument, & numquam amplius instaurabuntur, saltem vsque ad extrema Antichristi tempora. Hæc est enim quæ hîc prædicitur, à Romanis inuehenda vastitas & statuta cælitus desolatio tum templi, tum Ierosolymæ, Iudæis omnibus vel occisis, vel expulsis, & in omnes ventos dispersis. En pœnam abnegationis Christi. Cuius paterno & glorioso imperio dum nolunt subesse Iudæi, ipsi omni suo imperio exuti, templo, vrbe, patriâ spoliati coguntur durissimam fœdissimamque sub exosis sibi dominis vbique terrarum seruire seruitutem. Sed ne quis putet, statim ab hebdomada 69. finita abnegatum & occisum iri Christum, vel exscindendum templum & Ierosolymam; subdit mox, quòd, rescisso antiquo cum perfidis Iudæis fœdere,

℣. 27. CONFIRMABIT Christus PACTVM, fœdus, testamentum nouum inter Deum & alios homines, eosque *multos*, imò omnes quicumque volent hoc pacto & fœdere comprehendi. Confirmabit, inquam, HEBDOMADA VNA, seu prima subsequente illas alias 69. hebdomadas, id est septuagesima hebdomade: cuius tribus primis annis cum medio pactum illud eiusque conditiones & leges explicabit prædicando, docendo, practicando; confirmabit plurimis ac stupendis miraculis; comprobabit testimoniis angelorum, stellæ, Simeonis, Annæ, Ioannis Baptistæ, Moysis, Eliæ, Patris cælestis, adeoque & ipsorummet dæmonum. &c. denique obsignabit morte sua, pro symbolo, memoriali & æterno pignore mortalibus relicto Eucharistiæ sacrificio & Sacramento. ita communiter interpretes.

ET ita IN DIMIDIO HEBDOMADIS septuagesi-

A mę, id est, exactis tribus prioribus annis cum medio, DEFICIET HOSTIA ET SACRIFICIVM omne legale Mosaicũ. Cùm enim hoc omne typus esset ac figura sacrificij Christi, partim cructi in cruce, partim incruenti in Eucharistia, decuit cessare figuram simulatque veritas accessit. Et in huius rei signum, Christo exspirante *velum templi scissum est*, & arcana omnia eousque clausa patuerunt, inquit Apostolus ad Hebræos 9. & cuncta cęremonialia antiquata & abrogata, imò mortua sunt, licèt non statim mortifera. ita S. Hieronym. & passim Hebræi, Græci & Latini.

ET ERIT IN TEMPLO ABOMINATIO DESOLATIONIS. Hebraicè, *ad alam*, id est, ad extremitatem, putà templi & vrbis, erunt *abominationes desolantes*, id est, res fœdæ, turpes, execrabiles, abominabiles, quæ templo, vrbi, & genti Iudæorum vniuersæ desolationem & extremum exitium portendent &

B afferent.

Petes, Quænam est hæc *abominatio desolationis*? Abulensis, Iansenius, Hesselius, Baronius & Barradius dicunt esse, abominabilem profanationem templi factam à seditiosis Iudæis, qui ex impio zelo patriæ & legis, se Zelotas nuncupabant, reuera autem erant scelerati homicidæ, occupato & profanato templo, atque in morem castrorum communito, rapinis & cædibus grassantes etiam in conciues suos, priùs sub Cestio Iudææ præside, deinde sub Vespasiano & Tito. Origenes, S. Augustinus, Caietanus, Salmeron, Pererius & Suarez volunt esse exercitum Romanorum Ierusalem obsidentium. Probantque ex verbis Christi Lucæ 21. v. 20. vbi explicans quid Matth. 24. v. 15. per *abominationem desolationis* intellexerit, ait, *Cùm videritis ab exercitu circumdari Ierusalem*. Ego cum Cornelio à Lapide vtrumque simul iunxerim. Vtrumque enim

C tempore simul iunctum fuit, vtrumque extremè abominabile fuit, istud ob idola quæ in vexillis circumferebat: illud ob exercranda scelera quæ impunè patrabat. vtrumque *in loco sancto* stetit, vtrumque *ad alam* templi & vrbis, vtrumque in ipso *templo*, quod Zelotæ tamquam arcem occuparunt, Romani cuniculis suffoderunt primùm, deinde & inuaserunt & flammis absumpserunt, Iudæos inibi instar pecorum iugularunt & euiscerarunt, & Romana vexilla imaginibus Iouis, Martis, Palladis, aliorumque idolorum (quæ in Scripturis *abominationes* passim vocantur) insignita, pro trophæis collocarunt, teste Iosepho, horum omnium oculato inspectore. Qui etiam addit, *veterem* inter Iudæos *sermonem* fuisse, *tunc vrbem capiendam, cùm in ea, subortâ seditione, templum Dei propriæ Iudæorũ manus violassent*. Vnde *multi*, inquit, etiam *nobilium Iudæorum, post Cestij* præsidis à Iudæis cæsi *aduersos casus*, ominati Iudæis instare extremam cladem, *ex ciuitate*, quasi *è naui pessum itura* certatim *enatabant*. Hos inter Christianos fuisse qui monitis Christi obsequentes, partim in vrbem Pellam, partim aliò secesserint, Epiphanius, Eusebius & alij testantur. Allegoricè, hæc abominatio typus & præludium fuit abominationis, quam & in templo Ierosolymitano, & in vniuerso orbe Christiano faciet Antichristus, de quo S. Irenæus, Hilarius & auctor imperfecti hunc locum exponunt. Moraliter est hæresis, quæ quocumque pedem infert, extremam secum desolationem trahit, si non semper temporalium, certè spiritualium bonorum, vt plurimis exemplis Barradius, Thomas Bozius & alij historici testantur, & nos experientia docet.

Abulens. Iansenius, Hesselius, Barrad in Matth. 24. Baron. anno Christi 68.

Origen. homil. 29. in Matth. August. epist. 80. ad Hesychium. Caietan. Salmer. in Matth. 24. Suarez 3. p. q. 59. a. 6. disput. 54. cit. 5.

Ioseph. l. 2. Belli c. 25. l. 5. c. 2. l. 7. c. 13.

Barrad. to. 3. l. 9. c. 8. Bozius de signis Eccles.

Porrò

Porrò DESOLATIO ista templi & vrbis Ieroso-
lymitanæ PERSEVERABIT non ad pauculos annos,
vt illa Chaldaica; sed VSQVE AD CONSVMMATIO-
NEM mundi ET FINEM sæculorum. Quotiescum-
que enim templum istud instaurare conati sunt,
seu Iudæi sub Iuliano Apostata, seu alij aliàs, cæle-
stibus prodigiis semper præpediti fuerunt, teste
Socrate, Rufino, Chrysostomo & aliis. Vrbs quo-
que Ieroso lyma perpetuo anathemati subiecta ma-
net: nam quæ pòst exstructa est & etiamnum ex-
stat, alia prorsus & alio loco in vicinia constructa
est. Et licèt ab Antichristo rursus instaurandum sit
saltem aliqua ex parte templum & vrbs, manebit
nihilominùs etiam tum *abominatio* & *desolatio*,
nempe idolum Antichristi, qui *in templo* instar
Dei sedebit & publicè adorabitur, 2. Thessalon. 2.
v. 4. Quæ *abominatio* iteratum loci excidium & *de-
solationem* causabit, & totius paulò pòst vniuersi in-
teritum portendet. ita Suarez & alij suprà citati.

Socrat. l. 3. Hist. c. 17. Ruffin. l. 1 c. 37. Chrysost. orat. 2. cont. Iudæos.

CAPVT X.

Daniel ob præpeditam templi restaurationem 1. Esdræ 4. lugeni, mœrens, ieiunio sese affligens, ac Deum pro salute populi orans: videt angelum mirè fulgidum à quo accipit, exauditas esse preces suas, & angelum Persarum ac Græcorum cedere coactum angelo Iudæorum. Est ergo hoc caput de prælio angelorum, quasi præfatio eorum quæ duobus seqq. capp. 11. & 12. particulatim exponunt de prælijs hominum.

¶. 1. VERBVM VERVM] Id est, visio non ficta, non in somnis, vt præcedentes aliquot c. 7. & 8. Danieli exhibita, sed reipsa & in veritate, atque in plena vigilia; patet ex v. 7. & seqq.

צבא ET FORTITVDO MAGNA] Hebraicè, *tsaba*, id est, exercitus magnus, militia multa, nempe angelorum, fuit obiectum visionis Danielis. Licèt enim de vno solùm angelo meminerit hîc Scriptura, tamen dubium non est, illi vni tamquam principi plures assèclas, socios, imò exercitus adfuisse; & hoc innuit *vox multitudinis* v. 6.

¶. 2. LVGEBAM] ob præpeditam dolis hostium, templi Ieroso lymitani à Cyro concessam instaurationem 1. Esdræ 1. & 4. & quòd non possem à Cyro iam ad bellum Scythicum profecto remedium tantis malis deposcere: à Cambyse verò eius filio & regni interim administratore, sed Iudæis parum addicto, (a) nihil opis sperarem. Vnde ad Deum, unicum & vltimum miseris refugium, ieiuniis & precibus solicitandum me contuli.

a 1. Esd. 4. v. 6. 7. &c.

¶. 3. PANEM DESIDERABILEM, id est, delicatum, primarium, regium, NON COMEDI, contentus pane cibario & vulgari, inquit S. Hieron. CARO ET VINVM NON INTROIERVNT IN OS MEVM. Notent hoc nostri Nouantes, nec adeò petulanter reprehendant ciborum in ieiunio delectum.

¶. 5. ECCE VIR VNVS] id est, angelus specie viri, verisimillimè Gabriel, qui & præcedentibus capitibus Danieli apparuit, à Deo specialem curam Iudæorum captiuorum accepisse videtur. ita Theodoretus, Carthusianus, Pererius & à Lapide.

VESTITVS LINEIS] id est, veste linea, seu byssina, sed tenui & subtili, per quam corpus angeli transpareret, vt dicitur v. 6. Porrò vestis linea designabat non solùm angelicam puritatem & innocentiam, sed etiam dignitatem sacerdotalem Machabæorum principum, quorum bella, victorias, gloriam & maiestatem Danieli prænuntiaturus Gabriel aduenerat. Quæ, quia typus & figura erant bellorum, victoriarum & triumphorum, quos Christiani relaturi olim erant de idololatris, aliisque infidelibus & Ecclesiæ persecutoribus, ideo Christus simili specie (b) & ornatu, quo hîc Gabriel Danieli, apparuit Apoc. 1. v. 13. Ioanni, vt illi eadem Christianorum victorias ac triumphos iam-iam instantes altiùs inculcaret.

b *Alcazar in Apoc. 1. v. 18.*

RENES EIVS ACCINCTI zona EX AVRO OBRIZO] (c) instar ducis armati & expediti ad prælium. Hæc zona symbolum est aureæ charitatis, tum in Deum, pro quo renes, id est, concupiscentiam carnalem & mundanam, libentes Machabæi constringebant: tum in proximos suos, pro quibus bella suscipiebant. Erat & symbolum regiæ dignitatis, quæ sacerdotali muneri in Machabæis coniuncta fuit: baltheus enim aureus olim insigne erat regum.

c 2. Par. 9. v. 13.

¶. 6. CORPVS EIVS QVASI CHRYSOLITHVS] id est, aureus lapis, aureo vel potiùs solari colore translucens, adeoque fulgens & quasi ardens, vt aurum cum eo collatum albicare videatur, inquit Plinius & Anselmus Boëtius Rudolphi II. Imp. nobilis gemmarius. Significat in angelo spiritualem & cælestem naturam, in Machabæis & Christianis regium animum, virtutem, gloriam.

Plin. l. 37. c. 9. Boët. l. 2. de Gemmis c. 65.

FACIES EIVS VELVT SPECIES FVLGVRIS angelicum notat splendorem, maximè ex aspectu Dei; zelum quoque, terrorem, iram Machabæorum & Christianorum contra hostes Dei; denique in bello acrimoniam, ardorem & celeritatem. Verè *fulmina belli* Machabæi. *Fulminatrix legio* Christianorum celeberrima sub M. Aur. Antonino Imp. Et filij Zebedæi similes ob causas vocati à Christo *Boanerges*, id est, filij tonitrui, nempe tonantes & fulminantes.

OCVLI VT LAMPAS ARDENS, in angelo claritatem luminis gloriæ, in Machabæis & Christianis prudentiam, industriam, vigilantiam:

BRACHIA robur & fortitudinem; *crura* ET PEDES celeritatem; QVASI EX *ære* polito & terso, vt est hebraicè, ideoque *candente*, seu albicante & *fulgente*, vt LXX. notant prompta, tersa, polita & splendentia semper arma.

VOX SERMONVM EIVS VT VOX MVLTITVDINIS, nempe magna, multiplex, confusa, magnum sociorum numerum, auxiliorum copiam, virium multitudinem arguit. ita ferè S. Dionysius, Gregorius & alij SS. Patres.

Dion. de Cal. hier. Greg. l. 3. Dialog. 24.

¶. 12. EX DIE PRIMO, QVO POSVISTI COR TVVM, id est, ex quo animum adiecisti, VT TE per ieiunia, preces, gemitus & lacrymas AFFLIGERES, & hac viâ *intelligentiam* à Deo impetrares, quo modo, qua ratione, quo tempore obuiam eundum esset recentibus malis quæ populum tuum premebant, & te anxium reddebant. ex tunc, inquam, *exaudita* SVNT preces *tuæ*, ET EGO iussu Dei ad te VENI PROPTER SERMONES TVOS] id est, ad res quæ te tuosq; concernunt, tibi explicandas: sed, quominùs totis iam tribus hebdomadis id effectui dare potuerim, in mora fuit princeps regni Persarum.

Rupert. l. 9. de Victoria verbi Dei c. 6. Cass. collat. 8. c. 13. Prosper in dimidio temp. c. 4. Basil. l. 3. cont. Eunomium. Greg. 17. Mor. c. 7.

¶. 13. PRINCEPS REGNI PERSARVM contrariis precibus & rationibus tua postulata subuertere conatus est, atque ita MIHI RESTITIT hucusque totis VIGINTI ET VNO DIEBVS.

Petes, Quisnam hic *princeps regni Persarum?* Iudei & hæretici dicunt fuisse Cyrum, vel Cyri filium Cambysen. Rupertus & Cassianus & Prosper, fuisse dæmonem à Lucifero præpositum regno Persarum turbando & euertendo. Sed dico cum S. Dionisio, Basilio, Clemente Romano, Gregorio Nazianzeno

zianzeno citatis à Molina, item cum S. Hieronymo, Theodoreto, S. Thoma, Lirano, Carthusiano, Pererio, Fernandio & aliis, fuisse bonum angelum à Deo præpositum regno Persarum tutando & promouendo. Sicut enim ex infimo ordine angelorum præsides & custodes assignati sunt singulis hominibus; ita singulis prouinciis & regnis ex tertio ordine, nempe Principatuum, assignati sunt tutores angeli, & hi vocantur hîc *principes* vnus *Persarum*, alter *Græcorum*, alij aliarum nationum, inquit idem Molina.

S. Thom. 1. p. q. 113. a. 7. Lud. Molina ibid. q. 108.

Petes Secundò, Si bonus fuit angelus, cur restitit Gabrieli? Respondeo, Quia alteri illorum, vel etiam vtrique, necdum certò innotuerat absoluta voluntas Dei, & variæ rationes occurrebant tam vni, quàm alteri, cur putarent hoc potiùs quàm istud expedire. v. g. optabat rogabatque Gabriel vt, iuxta preces Danielis, omnes Iudæi etiam qui reliqui manserant, è Babylone in patriam primo quoque tempore remitterentur, item vt templum Ierosolymis ex Cyri decreto quamprimùm instauraretur. Opponebat angelus Persarum, diuinæ iustitiæ conformius esse, vt qui tot sceleribus Deum offendissent; neque adhuc desinerent offendere, diutiùs seueriusque punirentur. Respondenti Gabrieli, iam decreuisse Deum, vt in Iudæam remigrarent, templumque instaurarent, cœptumque opus ab iis qui primo anno Cyri se eò transtulerant; non posse sine probro, etiam Dei, opus benè inchoatum præcidi vel intermitti; reponebat angelus Persarum, morâ aliquâ magis exacui desiderium: nec inutilem esse habitationem Iudæorum in Perside & Chaldæa: multos enim Gentilium per Iudæos ad agnitionem & cultum vnius veri Dei paulatim traduci. Replicanti Gabrieli, multos etiam Iudæorum praua cum Gentilibus conuersatione peruerti fortiores aliquos, v. g. Danielem, Nehemiam & similes Babylone & in Perside ad Gentiles conuertendos relictum iri; sinantur saltem reliqui in tutum portum remigrare: respondebat angelus Persarum, ad tam nobile opus non posse sat multos relinqui. & an non magis expediat per vniuersum orbem dispergi præcones veritatis, quàm vnius Iudææ angulo, quasi carcere concludi? At Gabriel: Ad id seruiant tot alij Israelitæ qui ex decem tribubus è Palæstina per Assyrios educti, per vniuersum mundum dispersi sunt: Iudæos ex diuino decreto iussos in vnam prouinciam Iudææ iteratò colligi, vrbemque Ierosolymam & templum instaurare, vt toti vniuerso constet, hunc esse populum Dei, ex hoc populo nasciturum Christum mundi redemptorem, ad cuius populi exemplum à reliquo etiam orbe colendum Deum: denique à Deo promissum id olim Abrahæ, Isaac, Iacob, Moysi, &c. Ita exposcere vota, merita, preces tum antiquorum Patrum, tum viuentium adhuc sanctorum Nehemiæ, Iesu, Danielis, &c. Cùm verò rationibus & votis adeò contrariis hi duo principes inter se decertant,

ECCE MICHAEL, VNVS DE PRINCIPIBVS PRIMIS, VENIT IN ADIVTORIVM MEVM] meæ causæ, meisque rationibus subscribens, inquit S. Gregorius suprà.

S. Thom. sup. a. 3. Ægid. Rom. in 2. dist. 10. a. 1. Tolet. in c. 1. Luc. v. 26. Vasq. in 1. p. disp. 144.

Petes, An S. Michael non sit princeps absolutè primus omnium angelorum? S. Thomas, Ægidius Romanus, Toletus & Vasquez dicunt primum esse tertiæ hierarchiæ. Sed omnium trium hierarchiarum supremum principem esse tum præstantiâ naturæ, tum gratiæ & gloriæ dignitate, censent S. Basilius, Rupertus, Laurentius Iustinianus, Ambrosius, Catarinus, Molanus, Molina, Viegas, Salmeron, Bellarminus & alij. Imò Ecclesia tota vocat eum primatem cælestis exercitus, signiferum Christi, præpositum totius Ecclesiæ, nempe tam cælestis, quàm terrestris: vnde & Apoc. 12. opponitur Lucifero, principi omnium dæmonum princeps omnium angelorum.

Basil. hom. de Angelis. Rup. in c. 8. Apocal. Iustinian. serm. de S. Michaele. Catarin. in c. 1. ad Hebr. Molan l. 1. de Fide c. 39. Molina in 1. p. q. 103. & 113. Viegas in Apoc. 12. Salmer. in tomo 3. c. 3. Bellar. to. 1. contro. 3. c. 9.

ET EGO REMANSI IBI sic disputando & contendendo totis tribus hebdomadis IVXTA eumdem principem seu REGEM PERSARVM] Nisi malis per *regem Persarum* cum à Lapide hîc intelligere Cyrum, vel Cambysen, quem Gabriel conatus sit beneuolum Iudæis ac fauentem reddere. Sic enim cum cælitibus & cum Deo res nostras agere debemus, vt humana interim auxilia apud eos quorum interest vrgere non negligamus.

℣. 16. ET ECCE QVASI SIMILITVDO FILII HOMINIS] Nempe Gabriel, cùm videret Danielem tam augustam splendidaque forma nimium percelli, languescere & in terram corruere; assumit vulgarem hominis formam, & comiter eum affatus, os metu antè & reuerentiâ clausum, tangendo distendit & aperit. sicut olim Isaiæ labia tetigit Seraphim, Isaiæ 6. v. 7. Præ se tulit ergo hîc Gabriel figuram Verbi diuini, quod naturam induit humanam, vt homines eo familiariùs vterentur.

℣. 20. NVMQVID SCIS QVARE VENERIM AD TE? Videris id ignorare. Sed partim iam dixi, partim dicâ iterum prolixiùs & specialiùs. Sed priùs reuertar ad Dei tribunal, vt istic prælium inchoatum perficiam: video enim grauius mihi certamen ab illo imminere postquam auxilio illi aduenit angelus PRINCEPS GRÆCORVM, qui me ad te egrediente, ad tribunal aduenit, vt iunctis viribus causam suam aduersus me & vos vrgeant. Omnes enim in hac causa mihi aduersantur, vno excepto Michaele principe vestro & totius Ecclesiæ præposito, vt suprà (a) dixi. Rationes enim omnes ibidem à principe Persarum prolatæ, tangebant etiam principem Græcorum, & alios angelos aliorum regnorum tutelares: vnde mirum non est, omnes vnanimiter eamdem Gabrielis causam impugnasse. Ne qui ergo noui motus exsurgant, ad diuinum tribunal causam meam peracturus propero. Priùs tamen

(a) v. 13.

℣. 21. ANNVNTIABO TIBI QVOD EXPRESSVM EST IN SCRIPTVRA VERITATIS] id est, in libro prædestinationis & voluntatis diuinæ, quæ verissima, infallibilis & immutabilis est scriptura. IN hac porrò scripta sunt hæc tria. Primum, remittendos ex voto tuo in patriam reliquos etiam Iudæos, templumque & vrbem Ierosolymam pòst paulò rursus instaurandam: Secundum, varios casus obuenturos populo Persico, qui vos iam suo sinu fouet: Tertium, varios item regibus Græcorum, à quibus longè acriùs exercebimini, maximè verò ab Antiocho Epiphane, eiusque antitypo Antichristo. Sed de his c. seq.

CAPVT XI.

Gabriel prædicit casus varios regum Persicorum & Græcorum, maximè Ptolemæorum & Seleucidarum: & in particulari crudelitatem ac tyrannidem Antiochi Epiphanis, eiusque antitypi Antichristi.

℣. 1. EGO Gabriel iam inde AB ANNO PRIMO DARII MEDI STABAM VRGENS & procurans VT in accepto recèns regno Babylonico CONFOR-

CONFORTARETVR, ROBORARETVR & stabilire-
tur. Sciebam enim illum, vti & Cyrum, Iudæis fo-
re beneuolos, eosque è captiuitate in patriam re-
missuros. ita Theodoretus & Hebræi.

℣. 2. ECCE ADHVC TRES REGES post Cyrum STABVNT IN PERSIDE. Primus erit *Cambyses* Cyri filius; Secundus, *Smerdes* Magus; Tertius, *Darius* Hystaspis filius, Estheræ maritus, qui anno secundo regni sui potestatem Iudæis faciet intermissam templi fabricam repetendi, multisque aliis beneficiis ipsos afficiet; Quartus, *Xerxes* Darij filius DITABITVR OPIBVS NIMIS SVPER OMNES prædecessores suos: numerabit in exercitu suo, quē aduersus Græcos, sed infausto successu educet, *decies* (neque enim ausim dicere, quod dicit Cornelius à Lapide, *tricies*) centena armatorum millia, naues decem millia, Cornelius decies centena millia; Iustinus, Thucydides, Herodotus & alij non conueniunt in certo numero. In hoc aduersus Græcos infelici bello continuabunt reliqui nouem reges Persici, quos singulos recensere non est opus: habes recensitos in Chronico cap. 37. Vltimo verò, nempe Dario Codomanno, imperante, transferetur monarchia à Persis ad Græcos. Nam tunc è Græcia

Chron. c. 39 40. 41.

℣. 3. SVRGET REX FORTIS] Alexander Macedo, qui superato pluribus præliis Dario, dominium totius Asiæ, & magnæ partis Africæ atque Europę sibi vendicabit. Sed vix *sexennio* fructibus monarchiæ fruetur, morte violenta & repentina sublatus è viuis, vt dixi c. 8. v. 8. & fusiùs in Chronico. Ergo

℣. 4. CVM VIX STETERIT, CONTERETVR REGNVM EIVS: nam diuidetur ET DIVIDETVR IN QVATVOR VENTOS CÆLI, vt c. 8. v. 8. dixi: SED NON IN POSTEROS id est, filios, EIVS Nam licèt filium vnum sibi cognominem reliquerit, &, vt quidam volunt, etiam secundum; hi tamen à Cassandro eorumdem tutore regio excluſi, imò è viuis sublati sunt, vt dixi in Chronico. Ergo REGNVM omne Alexandri in quatuor discerptum partes nobiliores, cessit quatuor externis eius ducibus, de quibus c. 7. v. 6. Et EXCEPTIS HIS partem aliquam imperij tenuerunt Perdiccas, Craterus, Lysimachus, Arsaces, & quidam alij. Sed præ omnibus

Chron. c. 41.

℣. 5. CONFORTABITVR REX AVSTRI, nempe *Ptolemæus Lagi*, primus post Alexandrum Ægypti rex, (inquit S. Hieronymus) eiusque successores alij reges Ægypti, quæ Iudææ est ad Austrum, sicut Syria & reliqua Asia ei est ad Aquilonem: vnde Seleucus eiusque posteri reges Asiæ passim hîc vocantur reges Aquilonis, sicut reges Ægypti reges Austri. De vtrisque fusè egi in Chronico. De duobus porrò solis his *Ægypti* & *Asiæ* regibus hîc agit Gabriel, quia bellorum per hos gerendorum particeps futura erat Iudæa, media inter vtrosque, perinde atque isthmus inter duo maria interiacens, vt ait S. Hieronymus. Reliquorum ducum Alexandri, vel successorum non meminit, eò quòd Iudæam non attingerent.

Chron. c. 39 & 40.

Quantumcumque porrò confortatus fuerit rex Ægypti, tamen EX PRINCIPIBVS Alexandri Magni, (de quo versibus præcedentibus) alius quidam PRÆVALEBIT SVPER EVM, nempe Antiochus Θεὸς, Seleuci Nicanoris ex filio nepos, Asiæ rex, à genero suo Magas Ptolemæi Philadelphi regis Ægypti germano fratre sed hoste, solicitatus, totis Asiæ Orientis viribus Ægyptum impetet. Sed Ptolemæus Philadelphus, vbi se viribus inferiorem senserit, vt ait Pausanias, Iustinus, Hieronymus & alij, prudenti consilio,

Pausanias in Attic. Iustin. l. 27.

℣. 6. FOEDERE malet quàm prælio rem componere, FILIAMQVE suam Berenicen vxorem Antiocho cum maxima dote dabit. Sed per hoc matrimonium NON OBTINEBIT Berenice FORTITVDINEM BRACHII, id est, robur regni Asiæ, quod per matrimonium suum quasi per brachium in totam Asiam porrectum, se adepturam sperarat: NEC STABIT in throno Asiæ SEMEN EIVS] Nam Laodice prior Antiochi vxor non ferens prælatam sibi Berenicen, dolis illam, illiusque filium & socios illius Ægyptios, quin & Antiochum quoque maritum suum veneno tollet è medio, substituetque in thronum regium filium suum ex Antiocho, Seleucum Callinicum. ita S. Hieronym. & alij iam citati. Interim

℣. 7. STABIT in regio Ægypti throno, DE GERMINE RADICVM Philadelphi, PLANTATIO, Ptolemæus Euergetes frater Philadelphi. Hic vlturus iniuriam fratri suo fratrisque filiæ & ex filia nepoti illatam, CVM valido EXERCITV INGREDIETVR PROVINCIAM Seleuci Callinici REGIS Syriæ & Asiæ, ET victor pro libito ABVTETVR EIS & Laodicen Berenices æmulam interficiet: thesauros omnes Asiæ diripiet: quadringenta auri talentorum millia inde efferet.

℣. 8. INSVPER ET DEOS EORVM ET SCVLPTILIA, & VASA PRETIOSA ad duo millia & quingenta ABDVCET IN ÆGYPTVM] Inter quæ cùm viderent Ægypti etiam illa idola sibi reddita, quæ olim Cambyses ex Ægypto in Persidem auexerat, in tanti beneficij à suo rege accepti recognitionem & memoriam, cognomen illi *Euergetæ*, id est, benefactoris, esse voluerunt, inquit S. Hieronymus.

℣. 10. FILII AVTEM EIVS, scilicet Callinici Syriæ regis, qui cum Ptolemæo Euergete infeliciter pugnauerat, & ex equo præcipitatus interierat, teste Iustino: Huius, inquam, duo filij Seleucus Ceraunius & Antiochus Magnus ad vlciscendam præteritam parentis & totius Syriæ cladem PROVOCABVNTVR ad arma, ET CONGREGABVNT MVLTITVDINEM EXERCITVVM PLVRIMORVM. Sed altero illorum, nempe Ceraunio, dolo à suis interfecto, solus superstes Antiochus rem aggredietur: vnde in singulari numero subdit angelus: ET VENIET PROPERANS ET INVNDANS, totam Syriam breui recuperabit, adiutus proditione Theodoti, & mox in Ægyptum properabit. Interim è viuis sublato Ptolemæo Euergete, filius eius

Iustin. sup.

℣. 11. Ptolemæus Philopator REX Ægypti tantis cladibus PROVOCATVS, collectis è Græcia & aliunde maximis copiis, obuiàm EGREDIETVR Antiocho *regi* AQVILONIS] & iuxta Raphiam vrbem in foribus Ægypti cum eo confliget, & quidem conflictu sat felici, Arsinoë Philopatoris sorore lacrymis suis Ægyptios (a) roborante.

a *l. 3. Machab. c. 1.*

℣. 12. SED tamen NON omninò PRÆVALEBIT] Nam præter Syriam nihil extorquere potuit ab Antiocho iam fuga elapso. Qui & paucis pòst annis, compertâ Philopatoris ignauiâ (noctes in stupris, dies in epulis absumentis vt ait Iustinus)

℣. 13. CONVERTETVR ad arma resumenda, & bellum contra Ægyptios instaurandum. Ergo INFINE TEMPORVM ANNORVMQVE, id est post euolutum aliquot annorum tempus, sed mortuo interim Philopatore, contra filium eius Ptole-

mæum Epiphanem, quatuor annorum puerulum VENIET PROPERANS CVM EXERCITV MAGNO, ET OPIBVS NIMIIS. Porrò in auxilium Antiochi

℣.14. ADVERSVS REGEM AVSTRI Ptolemæum Epiphanem MVLTI antea ipsi confœderati CONSVRGENT] iam hostes, ac nominatim Philippus Macedonum rex, partiturus (a) cum Antiocho Ægyptum, si eâ potiri contingat.

a *Iustin. l.30. & 31.*

FILII QVOQVE PRÆVARICATORVM POPVLI TVI, id est, Iudæi præuaricatores legis diuinæ, adhærebunt alij Antiocho, alij Ptolemæo. Et ex his non pauci, cum Onia filio Oniæ tertij sancti & summi pontificis, in Ægyptum delapsi, nouâ superbiâ EXTOLLENTVR, vt nouum in Ægypto templũ dictum ab Onia (b) *Onion*, Heliopoli, permissu Ptolemæi Philometoris exstruant æmulum templo Ierosolymitano, ibique sacrificia offerant Deo; falso protextu VT IMPLEANT VISIONEM Isaiæ 19. v.19. vbi dicit, futurum *altare Domini in medio terræ Ægypti*. Falso, inquam, nam Isaias ibi non loquitur de altari Iudæorum, (quod iuxta legem Domini nõ poterat esse extra templum Ierosolymitanum,) sed de altaribus & templis Christianorum, vt ibid. dixi. Sed CORRVENT] Neque enim altare hoc & templum stabiliet res profugorum Iudæorum, sed potiùs atteret & pessumdabit, Deo pœnas violatæ legis suæ seuerissimas exacturo, vt patet ex Iosepho, ac tandem per Vespasianum funditus templum istud cum vrbe & incolis Iudæis exstirpaturo, vno anno post excisum à Tito templum Ierosolymitanum, id est, 233. annis post 18. regni Ptolemæi Philometoris, vt alibi (c) dixi. Sed reuertamur ad Antiochum Magnum.

b *Chronici c.39. in Philometore.*

Ioseph. l.13. Antiquit. c.6. & l.7. Belli c.30.

c *In Chron. c.50. sub fin.*

℣.15. VENIET versus Ægyptum REX AQVILONIS: ET BRACHIA AVSTRI, id est, exercitus, duces, & vrbes munitæ in Syria Ægyptiis (d) subiecta NON SVBSTINEBVNT impetum copiarum Antiochi. CONSVRGENT quidem ELECTI EIVS, nempe Scopas dux copiarum Ægyptiarum in Syria, item Eropus, Menocles, & Damoxenus, ex Ægypto submissi, sed NON ERIT eis FORTITVDO AD RESISTENDVM Antiocho: qui

d *Sup. v.11. hic.*

℣.16. VENIENS contra EVM, eiusque duces prædictos, FACIET de eis IVXTA PLACITVM SVVM, recipietque totam Syriam. Nec illa contentus, STABIT quoque sua potentia & armis IN INCLYTA TERRA Israel, (vt Syrus & Arabicus vertunt,) quæ vastabitur ET CONSVMETVR IN MANV EIVS] Iudæis vltrò se illi dedentibus, imò adiuuantibus in arce Ierosolymorum Ptolemæi præsidiis infessa, expugnanda. ita testatur Iosephus, Polybius, & S. Hieronymus. Tandem delapsus in Ægyptum ad regem pupillum iam tum septennem,

Ioseph. l.12. Antiquit. c.10. &c.

℣.17. RECTA FACIET CVM EO, id est, non bello, non armis nocebit ei, sed simulata amicitia, finget se velle protegere pupillum, eique benefacere. Vnde & *filiam* suam Cleopatram, FILIAM FEMINARVM, id est, inter feminas pulcherrimam, DABIT EI in sponsam. Quam etiam sexennio pòst illi submisit, consignatâ ei pro dote Cœlesyriâ & Iudæa. Hæc autem omnia dolosè faciet, non vt stabiliat Ptolemæo regnum Ægypti, sed VT EVERTAT ILLVD, ereptumque Ptolemæo sibi subiiciat suoque sceptro adiungat. Vnde & Cleopatræ filiæ suæ in mandatis dabit, vt incautum maritum & pæne adhuc puerum vel occidat, vel dolo circumueniat, & regnum Ægypti regnis suis Asiaticis adnectat. Sed NON STABIT, non succedet ei hic dolus: NEC A hac via ERIT ILLIVS hoc regnum. Nam Ptolemæus eiusque duces, comperto dolo Antiochi, cautiùs se gerent: & Cleopatra mariti, quàm parentis amantior, Ptolemæi partes fouebit. ita ex Iosepho & Appiano S. Hieronymus.

Appianus in Syriaca.

℣.18. CONVERTET FACIEM SVAM & arma AD INSVLAS, occupabitque Rhodum, Samum, Colophonem, Phocæam, & plures alias. Vnde auctis pæne in immẽsum viribus & copiis, CESSARE quidem ad tempus FACIET PRINCIPEM OPPROBRII SVI, nempe L. Scipionem, qui vnà cum fratre suo P. Scipione Hannibalis in Africa deuictore, iunctis copiis Antiocho occurret, & primus eum deuincendo, insignis opprobrij & infamiæ causa illi erit. Postquam enim Antiochus partim vi, partim fraude & dolo variisque artificiis, suggestione Hannibalis, qui victus ad eum confugiet, Romanum principem aliquamdiu præpediuerit, quin & muneribus & promissis amplissimis eum corrumpere, & totius imperij sui socium adsciscere, atque ita suspectum Romanis reddere tentauerit: tandem tamen OPPROBRIVM EIVS CONVERTETVR IN EVM] cùm cæsus secundò à Scipione, summo probro cogetur totam Asiam (e) cedere Romanis, imò æmulo suo Eumeni, & solâ Syriâ sibi retentâ naues vniuersas, captiuos & transfugas victori tradere, sumptus omnes belli restituere, obsides Romam mittere, insuper infame tributum quotannis bis mille talentorum (2.Mach.8.v.10.) pendere. vt fusè Liuius, Appianus, Plutarchus, Iustinus & alij. Denique victus à Scipione Antiochus, & intra Taurum montem in sola Syria regnare iussus,

e *1.Mach.8. v.6.*

Liuius l.37. Plutarch. in Scipione. Iustin. l.31.

℣.19. CONVERTET se AD repetendum IMPERIVM TERRÆ SVÆ sibi relictæ, nempe ad Apamiam, Susam, aliasque vltimas regni sui vrbes: cumque aduersus Elimæos bello decertabit, fœdissimè IMPINGET, ET victus ab eis cum omni suo exercitu CORRVET] ita S. Hieronymus. Sic defuncto Antiocho Magno

℣.20. STABIT IN LOCO EIVS successor in regno Syriæ VILISSIMVS (hoc epitheton in Hebræo & Græco omittitur:) *stabit*, inquam, loco parentis Antiochi Magni filius natu maior Seleucus Philopator, INDIGNVS DECORE REGIO ob ignauiam & auaritiam & sacrilegium, quo volet per Heliodorum expilare ærarium templi Ierosolymitani, 2.Mach.3. Vnde & iusta Numinis vindicta PAVCIS pòst DIEBVS per eumdem Heliodorum conteretur & occidetur. Vide Appianum.

℣.21. ET IN LOCO defuncti Seleuci Philopatoris STABIT successor frater ipsius, sed æquè atque ipse vilis ac DESPECTVS initio, scilicet Antiochus Epiphanes; ET NON TRIBVETVR EI HONOR REGIVS à suismet Syris, qui Demetrium Seleuci Philopatoris filium & legitimum heredem sibi in regem adsciscent. Quo comperto Antiochus, Româ (vbi obses (f) detinebatur) CLAM profugus VENIT in Syriam, ET OBTINEBIT REGNVM IN FRAVDVLENTIA] simulans se velle agere tutorem pupilli nepotis sui Demetrij, regnum eius sibi vindicabit, adiuuantibus eum Attalo & Eumene (g) aliisque in Asia regibus.

f *1.Mach.1. v.11.*

g *1.Mach.8. v.6.*

℣.22. ET BRACHIA, id est, vires, PVGNANTIS contra eum pro Demetrio exercitus CONTERENTVR.

INSVPER ET DVX FOEDERIS] nempe Ptolemæus Philometor Ægypti rex nepos Antiochi Epiphanis ex sorore eius Cleopatra: (h) quę cùm fœderis

h *Hic v.17.*

deris cum Asiatico rege iungendi causâ nupsisset Ptolomæo Epiphani, (a) meritò filius ex eo fœdere procreatus Philometor; *dux fœderis* hîc appellatur. Et fortè prior ipse fœdus cum Antiocho sollicitarat. Sed versipellis Antiochus, cæsis iam inter Pelusium & Casium montem copiis omnibus Philometoris, inhians regno Ægypti, sed diffisus copiis suis quas modicas tum penes se habebit, astu rem peraget. Igitur.

a *Ibid.*

℣. 23. POST acceptatas, quas Philometor per legatos obtulerat, AMICITIAS, finget se tutorem velle agere Philometoris sui ex sorore nepotis: & in hunc finem iubebit Ægypti magnatibus vt patrio more se regni insignibus & coronâ inuestiant tamquam regni administratorem. Quo facto, ASCENDET ad omnes arces & loca munita, milites omnes & præsidiarios in sua verba iurare compellet. Insuper

℣. 24. VRBES omnes Ægypti ABVNDANTES ET VBERES, nempe mercatorias longo otio, pace, opibus florentes, quasi inopiæ pupilli regis prospecturus, expilabit. quod nemo anteceſſorum eius regum Asiæ, etsi hostes, vmquam fecerat.

B

CONTRA FIRMISSIMAS verò, & sibi tum inaccessas Ægypti vrbes, quòd patefactâ eius tyrannide, nolent ipsi portas patere, nec tamen vires ipse tum habeat quibus eas expugnare possit, re AD TEMPVS dissimulatâ, COGITATIONES secum ipse INIBIT & consilia, quibus alia occasione, seu dolo, seu aperto marte easdem sibi vindicet. Pòst paulò ergo

℣. 25. CONCITABITVR, id est, concitato colligetur iussu ipsius, omnis FORTITVDO EIVS bellica, ET COR & cura EIVS omnis in hoc intendet, vt euerso nepote suo *rege* AVSTRI, regnum totum Ægypti sibi subiiciatur. Qua nequitia & perfidia *prouocatus* Philometor, coget & ipse quanta poterit auxilia. Sed hæc aduersus Antiochum NON STABVNT, nec quidquam efficient, quia dolis Antiochi subuersi, & ad defectionem promissis & donis solicitati primates regni Ægypti, pro Antiocho contra suum met regem stabunt. Horum tamen operâ

℣. 27. DVORVM istorum REGVM fœdus & pax rursum conciliabitur; ET AD MENSAM VNAM conuenient ambo, sed fictè & simulatè: nam MENDACIVM LOQVENTVR, ET COR amborum ERIT VT sibi inuicem MALEFACIANT. Sed his VIS NON PROFICIENT quidquam, neuter alterum tollet aut delebit: QVIA FINIS vtriusque regis & regni ADHVC differetur IN ALIVD TEMPVS à Deo præstitutum. Antiochus ergo re in aliud tempus dilatâ,

℣. 28. REVERTETVR IN Syriam, onustus OPIBVS MVLTIS & spoliis Ægypti: ET COR EIVS, id est, cogitatio, intentio, machinatio ipsius erit ADVERSVM TESTAMENTVM SANCTVM, id est, contra Iudæam, Ierosolymam & templum, vbi diuina lex, (quæ est *sanctum* Dei *testamentum*) seruatur. ET FACIET aduersus eam quod animo conceperit: nempe primò pacificus intrabit Ierosolymam, 2. Machab. 4. v. 22. at secundò paucis pòst annis hostiliter illam inuadet, expilabitque eam vniuersam Iudæam & templum, vt 1. Machab. 1. vers. 23. & 2. Machab. 5. v. 21. dicetur.

D

℣. 29. STATVTO TEMPORE, cùm primùm sibi commodum fuerit, nempe post quadriennium, REVERTETVR Antiochus cum ingentibus copiis in Ægyptum; (b) aperta iam vi regnum illud sibi rapturus. Sed NON ERIT NOVISSIMVM hoc eius iter SIMILE PRIORI. Nam

b 2. *Mach.* 5. v. 5.

℣. 30. VENIENT SVPER EVM de Italia TRIERES, ET in iis ROMANI, qui vt paterna constitutione tutores, ita & defensores erunt pupilli regis. Hebræum *kittim*, propriè Cyprios significat, sed sub Cypriis omnes insulanos & transmarinos, & inter hos antonomasticè Italos ac Romanos, vt & alibi (c) sæpiùs. Porrò Romanorum dux qui ex Vrbe aduersus Antiochum missus est, fuit familiaris illi olim Publius Popilius Lenas, qui Alexandriam cum ingenti classe aduectus, nomine S.P.Q. Romani mandauit Antiocho, excederet Ægypto. Tergiuersanti & se deliberaturum affirmanti, Popilius compertâ hominis vafricie, virga quam forte manu tenebat, circulum in arena circum Antiochum describens, *Isto*, inquit, *in loco respondeas quid consilij geras; an pacem, an bellum capias.* Quibus ille perculsus, Noster vertit, *percussus*, nempe metu; hebraicè, *infirmatus*; Vatabl. *consternatus*; respondet, *Si hoc placet Romanis*, Ægypto *excedendum est*. Excessit, sed vt probro ac dolore, sic & irâ plenus; quam cùm in Ægyptios hac vice non posset, effudit in Iudæos, *suspicatus desertores* illos *societatem*, vt dicitur 2. Machab. 5. v. 11. Vnde subdit Gabriel:

כתים

c *Num.* 24. v. 24. & *Ezech.* 27. v. 6.

ET INDIGNABITVR CONTRA TESTAMENTVM SANCTVARII, seu sanctum, vt suprà v. 28. id est, contra Iudæam & Ierosolymam: ad quam facilius subiugandam COGITABIT ADVERSVM EOS; hebraicè, *obseruabit eos*, QVI DERELIQVERVNT TESTAMENTVM SANCTVARII, id est, exquiret quinam sint apostatæ & desertores legis Iudaicæ: nam horum operâ vtetur ad reliquos subiugandos. Hi erunt Simon, Iason, Menelaus & alij de quibus 2. Machab. 4. & sequent.

℣ 31. ET BRACHIA, id est, duces potentes cum validis copiis, EX EO STABVNT, id est, eius imperio tenebunt arcem Dauidis, & alia munita Iudææ loca: ET POLLVENT SANCTVARIVM FORTITVDINIS, (d) id est, profanabunt templum fortissimi Dei fortissimam arcem, vt constat ex 1. Machab. 1. v. 30. & 53. ET DABVNT ABOMINATIONEM IN DESOLATIONEM] hebraicè, *ponent* in templo *abominationem desolationis*, seu *abominationes*, *desolantes*, vt suprà cap. 9. v. 27. nempe profanos milites cum abominando simulacro Iouis Olympij, 2. Mach. 6. v. 1. & 2. quod templi iam planè desolati, verisque sacris destituti signum erit pariter & causa.

C

d *Dan.* 8. v. 9.

℣. 32. ET IMPII IN TESTAMENTVM, id est, apostatæ & desertores legis diuinæ SIMVLABVNT FRAVDVLENTER se velle bono communi consulere, cultum diuinum seu stabilire, seu restaurare, pacem læsam resarcire: sed reipsa prodere tentabunt tyranno religionē & patriam, 1. Mach. 1. v. 12. POPVLVS AVTEM SCIENS DEVM SVVM, eiusque cultui ex animo adhærens, OBTINEBIT; hebraicè, *corroborabit cor suum*, ET FACIET, id est, viriliter aget & felici euentu, constanter ad mortem vsque decertando. Quin & si qui ex eis fuerint

℣. 33. DOCTI IN POPVLO, vberiore scientia præditi, singularibus donis, seu talentis instructi, DOCEBVNT PLVRIMOS contribulium suorum, quæ sit vera religio, quis veri Dei cultus, qua ratione exercendus & fouendus. Hi, & horum discipuli potiùs quàm à legibus patrijs desciscant, vltrò RVENT in supplicia, cadentque hi GLADIO, illi FLAMMA, alij CAPTIVITATE, alij RAPINA DIERVM, id est, deprædatione bonorum, quam per multos dies, imò annos aliquot patientur sub Antiocho. Certè 2. Mach. 5. v. 14. solo triduo vno occisi

cisi dicuntur ab Antiocho Iudæorum 80. millia, ca[illegible] 40. millia, totidem venundati.

¥.34. CVMQVE CORRVERINT, seu corruisse penitus videbuntur Iudæi, ecce tibi ex insperato SVBLEVABVNTVR singulari prouidentia diuina, non magnis copiis, sed AVXILIO PARVVLO, nempe fratrum Machabæorum, (a) qui parua manu sæpe maximos fundent exercitus Antiochi. Sed ET horum gloriæ æmuli *complures*, & quidem *proximi* cognatione & sanguine, nempe Alcimus & alij suprà vers. 30. ex eâdem qua ipsi familia Aaronis, FRAVDVLENTER APPLICABVNTVR EIS, 2. Machab. 4. &c. non sincero, sed proditorio animo. Vnde & operâ illorum & fraude,

a 1. Matth. 8 &c.

¥.35. DE ERVDITIS in lege, puta Scribis, quamplurimi RVENT, 1. Machab. 7. v. 12. VT hac via martyrij CONFLENTVR, id est, probentur & coquantur sicut aurum in fornace, ET ELIGANTVR; hebraicè, *purgentur*: ET DEALBENTVR, id est, nitescant & splendescant. Nec tamen æternùm durabit hæc afflictio, sed VSQVE AD TEMPVS PRÆFINITVM à Deo: QVIA ADHVC ALIVD ERIT TEMPVS, nempe quietis, prosperitatis & gaudij, post tot luctus, lacrymas & funera.

¥.36. Interim tyrannus REX FACIET aduersus Sanctos IVXTA VOLVNTATEM SVAM & placitum: ET MAGNIFICABITVR ADVERSVS OMNEM DEVM, id est, magnifico superboque animo extollet se non solùm supra idola profanarum gentium, sed & supra DEVM DEORVM verum Dominum. Ab hoc versu deinceps pergit quidem Gabriel prosequi gesta Antiochi, sed sub typo illius describit nobis præcipuè antitypum eius Antichristum, ipsiusque impietatem, tyrannidem, mores & mortem. ita Chrysost. Maldonatus, & alij etiam hæretici.

ET DIRIGETVR; hebraicè, *prosperabitur*, tum Antiochus, tum Antichristus, etiam in hoc ipso bello aduersus Deum cæli, Deo quasi permittente se vinci, ad tempus, propter scelera populi, 2. Machab. 6. v. 12. DONEC COMPLEATVR IRACVNDIA Dei, & satietur eius vindicta. Nam ob immania populi scelera planè PERPETRATA; hebraicè, *facta* vel decreta EST apud Deum hæc DEFINITIO] seu præscriptio certi temporis, sceleribus puniendis opportuni.

¥.37. ET DEVM PATRVM SVORVM NON REPVTABIT. q.d. Nihil tribuet maiorum suorum, seu pietati, seu scientiæ: omnes errasse, omnes insaniisse dicet quòd aliud Numen præter se agnouerint, vel coluerint. Patet ex seqq. Interim ipse totus ERIT IN CONCVPISCENTIIS FEMINARVM] Et quidem Antiochus etiam publicè scortis & mimis miscebatur, inquit S. Hieronymus. Adeoque vt vni concubinæ suæ dono daret duas integras prouincias. *Mallotarum & Tharsensium* 2. Machab. 4. v. 30. Antichristus verò multitudinem insuper vxorum publica quoque lege permittet sequacibus suis. In Hebræo est, *neque amabilitatem feminarum curabit.* Scilicet publicè eas prostituet, tormentis exagitabit, suppliciis afficiet; non minùs quàm viros. Ita de Antiocho constat ex 2. Machab. 5. v. 13. Et de Antichristo res est testatissima.

¥.38. DEVM AVTEM MAOZIM, id est, fortitudinem, VENERABITVR id est, colet & per suos coli iubebit, IN LOCO SVO, hebraicè, *ipsius loco*, id est, loco verbi Dei, nempe in templo Ierosolymitano. מעוזים Oz enim & *Maoz* idem est quod *fortitudo*: & hoc nomine solet Deus in Scripturis vocari & inuocari, v. g. psal. 42. v. 2. *Deus fortitudo mea*; hebraicè, *maozi*, Prou. 18. 10. *Turris fortissima* (hebraicè, oz) *nomen Domini*. Vnde & Antiochus & Antichristus vt incautis imponant; idolum repræsentans personam suam, quam toti orbi colendam obtrudent, hoc diuino nomine vocabunt *Deum Maozim*. q. d. Deum fortissimum & fortitudinis atque excellentiæ omnis auctorem ac datorem. Item omnium fortium locorum, & arcium præsidem tutelarem. Et hoc simulacrum ponet quisque illorum non solùm in templo Ierosolymitano, volens ibi publicè coli vt Deus, 2. Mach. 6. v. 2. & 2. Thessalon. 2. v. 4. & Apoc. 11. v. 8. sed & in omnibus arcibus locisque munitis, sub generali titulo *Dei Maozim*: in particulari verò pro ratione diuersorum locorum vel gentium, nomen induent, ille *Iouis Olympi*, quasi Numinis omnium fortissimi, iste *Martis*, quasi in bello potentissimi & inuictissimi, vel aliud alterius falsi dei, QVEM IGNORAVERVNT PATRES EIVS] Licet enim nomen istud antiquos non latuerit; res tamen nomine illo significata, nempe ficta deitas talis personæ, nulli antè nota fuit. Sic olim Nabuchodonosor in statua sua aurea coli ab omnibus voluit vt Deus.

¥.39. ET FACIET VT validis præsidiis, muris ac legibus communiat vbique loca MAOZIM CVM DEO ALIENO, seu in quibus erit simulacrum noui idoli, quod ipse primus inuenit, & pro Deo COGNOVIT, & ab omnibus cognosci & agnosci & coli voluit. Quotquot verò illud pro Deo agnoscent & colent, illis MVLTIPLICABIT opes, munia, GLORIAM.

¥.40. ET IN TEMPORE PRÆFINITO PRÆLIABITVR; hebraicè, *arietabit*, ADVERSVS EVM REX AVSTRI, nempe Ptolemæus Philometor aduersus Antiochum; aduersus verò Antichristum, alius è decem regibus suprà (b) recensitis, quicumque tunc fuerit rex Ægypti, iunctis viribus cum regibus Libyæ & Æthiopiæ. Sed omnes tres fundet, sternet, expilabit tum Antiochus, tum Antichristus. Reliqui verò septem illis confœderati reges, territi cladesociorum vltrò se tyranno adiungent & subiicient. Nec quisquam effugiet manus tyranni, præter *Idumæos, Moabitas*.

b Dan. 7. v. 8.

¥.41. ET PRINCIPIVM FILIORVM AMMON] Hebræum *reschit* significat etiam *primitiua, præcipua* & *selecta* terræ Ammoniticæ. Nempe hæ gentes tempore Antiochi, vel qui tempore Antichristi regiones illas incolent Arabes vel alij, propter præruptos montes & speluncas inaccessas, ne remoram victricibus tyranni copiis iniiciant, studio præteribuntur. Fortè etiam confœderatis & subiectis anteà tyranno parcetur, vt vult Theodoretus. Hæc quoad Antiochum, de secunda ipsius in Ægyptum expeditione, quam suprà v. 29. inchoauit, & hic iam prosequitur, intelligi volunt Polychronius, Hugo, Maldonatus, & à Lapide. Sed bellum istud secundum non inchoauit rex Ægypti, vt hoc præsenti bello hîc insinuatur v. 40. Et quomodo potuit tunc Antiochus prohibitus à Romanis, vt dixi v. 30. conterere & expilare Ægyptum? quod tamen hîc affirmatur v. 40. & 43. Itaque vel fatendum est, cum S. Hieronymo & veteribus, passim hæc solum Antichristum concernere: vel, si etiam Antiochum tangunt, tertiam aliquam illius expeditionem aduersus regem Ægypti simul & Æthiopiæ ac Libyæ, sub finem vitæ Antiochi, priusquam in Persidem concederet, licet Scriptura alibi huius expeditionis non meminerit, admittamus necesse est;

est: Et sic optimè cohærebunt sequentia.

℣. 44. EVM his bellis perfunctum, & iam nouis spoliis inhiantem, FAMA TVRBABIT AB ORIENTE ET AB AQVILONE] id est, à Iudæa quæ respectu Ægypti est partim Orientalis, partim Aquilonaris; vbi Machabæi fundent, fugabunt, prosternent eius exercitus. His ergo obuiam iturus malis.

℣. 45. FIGET TABERNACVLVM SVVM & castrametabitur APADNO. Nomen erit proprium loci qui sic vocabitur à palatio tyranni istic extruendi. *Apadno* enim hebraicè, significat *palatium suum*, nempe castrense, seu tentorium regium, quod cum aliis ducum aliorum suorum tentoriis figet INTER duo MARIA, id est, in Iudæa, quæ iacet inter mare Mortuum, & mare Mediterraneum, inquit S. Hieronymus & Theodoretus. Et quidem SVPER MONTEM INCLYTVM ET SANCTVM] putà Ierosolymis supra montem *Sion*, vel supra montem *Olueti*, vt vult S. Hieronymus. אפרנו

ET VENIET VSQVE AD SVMMITATEM EIVS montis, residens istic & dominans, seu per se, vt facturum Antichristum constat ex dictis v. 38. seu per suos, vt de Antiocho colligitur ex 1. Mach. 6. v. 16. 17. & 26. vbi dicitur, arcem Sion à præsidiis Antiochi infestam, post mortem demum illius à Iudæis obsessam, sed ne tunc quidem expugnatam fuisse.

ET NEMO AVXILIABITVR EI] nempe monti Sion, inquit Maldonatus. Sed alij passim id Antiocho applicant & Antichristo. q. d. Vbi ad summum potentiæ, superbiæ ac malitiæ euectus fuerit, subitò corruet, nec vllus ei subsidio vel solatio esse potecit. Vnde Vatablus vertit, *cum venerit finis eius*, scilicet imperij, tyrannidis & vitæ, *nemo ei auxiliabitur*. Finis verò illius describitur cap. sequ.

CAPVT XII.

Pronuntiat angelus Michaelem fideles adiuturum contra Antichristum, spiritu oris Christi extinguendum: mox subsequendum resurrectionem vniuersalem piorum & impiorum: neque duraturam monarchiam & horrendam persecutionem Antichristi, nisi ad tres annos cum medio, seu ad dies 1290.

℣. 1. MICHAEL PRINCEPS MAGNVS, vt ostendi cap. 10. v. 13. CONSVRGET in prælium contra regem Aquilonis, seu Antichristum, vt fideles aduersus illius tyrannidem tueatur. Neque enim hic sermonem esse de Antiocho, contra Porphyrium acriter vrget S. Hier. Theodoretus, & alij passim. Et patet ex subiuncta mox resurrectione mortuorum, quæ in tempora Antiochi non quadrat. Hoc Michaelis prælium fusè describitur Apoc. 12. vbi ad hunc Danielis locum alludit S. Ioannes. Vnde S. Thomas & alij docent, in hoc prælio Antichristum à Michaele occidendum, *spiritu oris*, id est, iussu Christi, idque cùm ex monte *Olueti* tentabit in cælum ascendere.

ET VENIET TEMPVS. In Hebræo, additur *tsara*, id est, afflictionis. *Erit enim tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi.* Sed quantacumque fuerit tribulatio, SALVABITVR tamen POPVLVS TVVS, id est, Iudæi, IN TEMPORE ILLO mundi nouissimo, maximè cùm viderint Antichristum, in quem vt Messiam suum crediderant, à Christo profligatum & in tartara detrusum. *Saluabitur*, inquam, non absolutè omnis populus Israeliticus: nam quidam dementati persistent in sua infidelitate: plerique tamen ac pænè omnes conuertentur צרה Matth. 24. v. 21.

A & saluabuntur, (a) nempe, OMNIS QVI INVENTVS FVERIT SCRIPTVS IN LIBRO (b) præscientiæ Dei & electionis ad gloriam. ita Theodoretus, S. Gregorius, & alij. a Rom 11. v. 26. b Exodi 32. v. 32.

℣. 2. ET MVLTI DE HIS QVI DORMIVNT, id est, multi dormientes, vt vertunt LXX. id est, omnes (c) mortui, qui erunt valdè multi, è PVLVERE TERRÆ EVIGILABVNT, id est, rediuiui resurgent. *Omnes* enim *resurgemus*, 1. Corinth. 15. & *omnes qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei, & procedent in resurrectionem*, Ioan. 5. v. 28. ALII IN VITAM ÆTERNAM, ALII IN OPPROBRIVM, id est, in probrosissimam & ignominiosissimam mortem, non quâ insensibiles fiant malorum & pœnarum, sed quâ VIDEANT, (d) id est, sentiant viuacissimè & experiantur omne genus suppliciorum, probrorum & dolorum: neque hoc ad breue tempus, vt accidit morituris; sed SEMPER, & per omnem æternitatem. c Rom. 5. v. 19. & Matth. 26. v. 28. d Isaiæ vlt. v. vlt.

B ℣. 3. QVI AVTEM non iusti tantùm FVERINT, sed & DOCTI, aliosque tum verbo, tum exemplo docuerint, & mox sequitur, de quibus etiam cap. præced. v. 33. hi præ aliis FVLGEBVNT peculiari Doctorum aureola, sicut *splendidiores* partes FIRMAMENTI, id est, STELLÆ, fulgent præ reliquo corpore firmamenti. Sicut enim hæc aliorum institutio arguit maiorem in instruente charitatem, gratiam, spiritum & feruorem: ita meretur etiam maius præmium tum essentiale, tum accidentale in cælis, nempe maius lumen gloriæ in anima, & maiorem splendorem in corpore; quem Dominicus Soto claritatem vocat stellatam, forsan ad modum coronæ, seu stellæ, radiantem supra caput, vel ad modum viridis lauri in manibus Doctorum. Sicut Virginibus erunt albicantia lilia, & Martyribus purpureæ rosæ. Ita de his aureolis docent Iosephus C Angles, Paludanus, S. Antonius, Bonauentura, Maior, Henriquez & alij. *Ioseph. Anglès q. de beatitudine a. 6 Palud. in 4. dist. 49. q. 8. a. 4. Maior ibid. q. 23 in fine. Anton. 3. p. tit. 30 c. 8. Bonau. in Breuiloquio c. vlt. Henriq tract. de fine hominis c. 27. §. 8.*

℣. 4. TV AVTEM DANIEL CLAVDE SERMONES, id est, res istas tibi huc vsque à me expositas diligenter annota, annotatas obsigna & claude, & studiosè conserua VSQVE AD TEMPVS à Deo STATVTVM, vt reipsa compleantur. PLVRIMI enim ex his sermonibus paulatim PERTRANSIBVNT & complebuntur: interim MVLTIPLEX ERIT illorum intelligentia, expositio & SCIENTIA] Nam, vt verè ait S. Irenæus, à Maldonato citatus, *omnis prophetia priusquam compleatur, ænigma est: cùm autem completa est, manifestam habet expositionem & intelligentiam.* Sic quæ de quatuor monarchiis, ac nominatim de Antiocho, Daniel prædixit, iam facilè intelliguntur: quæ verò de Antichristo, pænè adhuc ænigmatica sunt: sed cùm reipsa complebuntur, facilè intelligentur.

D ℣. 5. ECCE DVO ALII STABANT SVPER RIPAM] Hos censet S. Hieronymus fuisse principes angelos, vnum Persarum, alterum Græcorum, quibuscum certamen Gabrieli iterum incundum erat, vt dixit c. 10. v. 20. Sed priùs quàm missum facerem Gabrielem,

℣. 6. DIXI, humillimè illum rogans, VSQVEQVO FINIS HORVM MIRABILIVM? quamdiu durabit, & quando finietur atrox illa tyrannis Antichristi & persecutio Sanctorum, quam ita operosè descripsisti, & quæ me valdè anxium habet? Respondet Gabriel:

℣. 7. IN TEMPVS, ET TEMPORA, ET DIMIDIVM TEMPORIS id est, durabit per tres annos cum medio, vt dixi in fine c. 7. ET CVM COMPLETA

IVERIT DISPERSIO MANVS, seu multitudinis POPVLI, id est, cùm Christiani magno numero dispergentur in solitudines & speluncas, vt cedant furori Antichristi, Apoc. 12. v. 6. tum VNIVERSA quæ hîc prædixi COMPLEBVNTVR] Interim sæua ista afflictione

℣. 10. ELIGENTVR, id est, electi purgabuntur & probabuntur, vt suprà c. 11. v. 35. NEQVE IMPII tempore Antichristi INTELLIGENT hæc à me iam prædicta, multoque minùs credent, aut in rem suam conuertent, etiam cùm viderint ita ad amussim compleri, sicut prædixi. Nam quæcumque fauebunt ipsis, adscribent Antichristi sui industriæ ac potentiæ: quæ verò aduersabuntur, casui seu fortunæ vel causis naturalibus attribuent. PORRO DOCTI probè omnia INTELLIGENT] observantes singula, & in rem suam vertentes.

℣. 11. ET A TEMPORE CVM iussu Antichristi ABLATVM FVERIT è publico IVGE SACRIFICIVM Eucharistiæ seu Missæ, omnisque cultus veri Dei, vt S. Hieronymus, Irenæus, Hippolytus, Primasius, Theodoretus & alij exponunt; ET POSITA FVERIT ABOMINATIO IN DESOLATIONEM] id est, abominandum idolum, nempe Antichristi simulacrum, vice Christi & Dei coli volétis in templo Ierosolymitano, omen & causa extremæ desolationis & ruinæ instantis. Ab illo, inquam, puncto temporis, vsque ad finem persecutionis, tyrannidis & vitæ Antichristi, effluent dies 1290. id est tres anni solares cum dimidio, & insuper alii 12. dies. ita SS. Patres suprà citati. Vides porrò hîc iam tertiò per angelum inculcari *abominationem desolationis* in templo, Primò, sub Antiocho Epiphane, c. 11. v. 31. Secundò, sub Tito, c. 6. v. 27. Tertiò, sub Antichristo, hoc loco. Cur verò Antichristus *iuge* Eucharistiæ sacrificium è publico. tollendum putabit, in promptu sunt eædem causæ, quæ typum eiusdem Antichristi Antiochum induxerunt ad tollendam è medio hostiam agni, figuram nostræ Eucharistiæ, quotidie manè & vespere offerri consuetã in templo; nempe Primò, vt sublato omni cultu veri Dei, solus ipse tyrannus publicis votis, sacrificiis & precibus toto orbe colatur. Secundò, vt memoria & vestigium omne Christi veri Messiæ, eiusdemque passionis, mortis, ac redemptionis humani generis stirpitus exscindatur, & ipse pro Messia ab omnibus habeatur. Tertiò, vt hoc spirituali subsidio, pharmarco ac solatio destitutos fideles sibi facilius subiiciat & obnoxios faciat. Sed hi non adeò destituentur omni consilio, quin media reperturi sint quibus priuatim in speluncis sacrum Missæ officium celebrent, & Synaxes suas peragant, vt olim fecerunt sub Decio, Diocletiano, & aliis Antichristi prodromis tyrannis. ita iidem Patres.

Iren. l. 5. Hippol. de consum. mund. Primas. in c. 11. Apoc.

℣. 12. BEATVS QVI PERVENIT VSQVE AD DIES MILLE TRECENTOS TRIGINTA QVINQVE] id est, qui deuenit ad 45. diem à morte Antichristi: nam sublato è viuis tyranno, timor nihilominus & horror omnibus vbique terrarum à viuente incussus, aliquamdiu adhuc perseuerabit. Meruent enim ne potentes Antichristi assecla, tot principes, tot reges, inchoatam semel tyrannidem prosequantur: vnde nec audebunt se suamve fidem prodere, vel Ecclesiæ Christi se palàm adiungere. Verùm vbi viderint, assecias tyranni paulatim omnes succumbere, Prælatos Ecclesiæ vires animosque resumere, cathedras repetere, idola comminuere, erigere publicum fidei trophæum, iuge Eucharistiæ sacrificium palàm vbique offerre, (quod fiet sub diem 45. à morte Antichristi) tunc posito metu & pauore detestabuntur errores suos, & Ecclesiæ Christi sese liberè associabunt. ita Liranus, Carthusianus, Pererius & alij. Hinc ergo colligi non potest, à morte Antichristi 45. die futurum vniuersale iudicium: nam nihil hic simile indicat angelus. & ex Ezech. 39. v. 9. colligitur, facilè septem annos effluxuros à cæde Gog & Magog primariorum principum Antichristi, qui vnà cum tyranno de medio tollentur. Et sanè tam exiguum spatium non sufficit conuertendis tot myriadibus hominum per Antichristum antea seductis; item nec instaurandis fundandisque toto orbe Ecclesiis. Et sic falsum esset quod dixit Christus: *De die autem illa nemo scit, neque angeli cælorum, nisi solus Pater.* Certò enim præsciretur ille dies iudicij extremi statim ab exordio monarchiæ & persecutionis Antichristi, nempe supputando exinde dies 1335. vt optimè S. Hieronymus & alij demonstrant.

℣. 13. TV AVTEM Daniel VADE AD PRÆFINITVM omnibus mortalibus locum; nempe per mortem ad limbum patrum: ibi REQVIESCES ad tempus ad mortem vsque Messiæ; & postea eductus per ipsum è limbo STABIS IN SORTE TVA, euectus in cælum collocaberis in ordine & gradu tuo, tibi pro mensura meritorum tuorum ab omni æternitate destinato. Ibi stabis IN FINEM DIERVM; LXX. *in consummationem dierum*, id est, donec compleantur ea omnia tempora de quibus hucusque egi, id est, vsque ad finem mundi, vsque ad generalem resurrectionem, vsque ad extremum iudicium. ita Theodoretus, Vatablus & alij.

CAPVT XIII.

Susanna falsò adulterij à duobus iudicibus accusata, à Daniele liberatur. Videtur hæc prima fuisse Danielis prophetia, per quam cæpit populo innotescere, vt dicitur v. 64. vnde reliquus Danielis gestus præponenda est, saltem post primum caput. Imò in Græcis codicibus, & apud S. Athanasium, & in Arabica versione, hæc historia caput primum est Danielis. Quòd autem à S. Hieronymo in Latinis vetita sit in vltimum locum, vnà cum historia Belis & draconis, ideo factum, quòd illas historias in Hebræo tum non reperit, sed ex Græcis exemplaribus, non septuaginta Interpretum, fortè nimis hic corruptis, sed Theodotionis, in Latinum transtulerit. Octo coniecturas quibus inductus olim Iulius Africanus (& iam nostri Nouantes) has historias è Canone eliminare voluit, optimè refellit Origenes, & nos in historia decursu refellemus.

Africani & Origen. ap. recitat. Leo Castr. initio commentar. in Isaiam.

℣. 2. SVSANNA, id est, lilium. fortè ob eximiam formæ morumque præstantiam hoc cognomen sortita est. Maritus eius

℣. 4. IOAKIM ERAT DIVES VALDE: ex numero illorum qui cum rege Iuda *Ioakimo, tertio anno regni* (a) eius abducti fuerant à Nabuchodonosore in Babylonem, ibique retenti, non tamquam captiui, sed tamquam obsides, ac proinde fortunis adhuc integris & intactis.

(a) Dan. 1. v. 1.

℣. 5. CONSTITVTI SVNT Babylone DE POPVLO Iudaico DVO SENES IVDICES] Ita passim fit cùm multi ex vna gente aliò commigrant, vt causas quæ leges illius gentis spectant ipsimet iudicent. Sic videmus sub Rege Catholico Flandros Hispali & Vlyssipone, Lusitanos & Italos Antuerpiæ suos suæque gentis habere magistratus & iudices.

DE QVIBVS LOCVTVS EST DOMINVS per Prophetam Ieremiam c. 29. v. 21. inquiunt Hebræi, & ex eis Rabanus, Hugo, S. Thomas & Liranus & nostri Salianus, Delrio & alij; qui etiam volunt, hos Susannæ iudices fuisse *Achab & Sedeciam* pseudoprophetas de quibus ibi Ieremias. Nec video

Delrio, adagio 8. l.

cur

cur Africanus, S. Hieronymus & noſter Maldonatus id fabulis iure adcenſeant, cùm omnia perbellè reſpondeant. Vtrique enim degebant Babylone, vtrique tempore Nabuchodonoſoris & Aſtyagis Medi: vtrique mendaces: vtique adulteri: vtrique ob adulteria ſupplicio affecti: vtriſque dictum à Deo, *Ego ſum iudex & teſtis.* Neque repugnat, prophetas deligi in iudices populi, vt cõſtat ex Nehemia, Eſdra, Daniele & pluribus aliis. Multò minùs repugnat, iudices tam enormis ſceleris conuictos, cùm non haberent ex Iudæis ſuperiores ſe quibus damnarentur, ad tribunal Nabuchodonoſoris delatos, ab ipſo ſententiam mortis accepiſſe, & iuſſos primò lege talionis & vt adulteros lapidibus obrui ſecundùm legem Moyſis Deut. 19. v. 19. vt factum innuit hîc Daniel v. 62. & futurum inſinuarat Ieremias ſuprà. dein vt pſeudoprophetas & falſarios, igni tradi & frigi, ſeu aſſari, vt prædicit Ieremias verſ. 22. Nam vt olim Achan Ioſue 7. ita hos duos Ieremias dicit, primò percuſſùm iri, nempe lapidibus; ſecundò, frixum, ſeu aſſatum iri igni. Sic frixi poſtea Machabæi l. 2. c. 7. & alij Iudæi Amos 4. v. 2. Sed Suſannam cum adulteris luctantem audiamus.

℣. 22. ANGVSTIÆ SVNT MIHI VNDIQVE: SI ENIM HOC quod à me petitis EGERO, MORS MIHI EST, ſi non corporis (quamquam & huius rea ero, per legem quæ iubet adulteras lapidari, inquit S. Hieronymus;) certè animæ, ſi veſtræ conſentiam libidini, vobiſque ſponte commiſcear, vti poſtulatis. ita S. Auguſtinus, Chryſoſtomus, Bernardus, & alij. Verùm anguſtias omnes effugiſſet Suſanna ſi vi, & metu infamiæ, imò mortis, compulſa permiſiſſet adulteris ſuam explere libidinem, non conſentiendo vel cooperando, ſed permittendo & negatiuè ſe habendo. Neque enim tenebatur ad conſeruandam caſtitatem clamando ſeſe diffamare & in mortis periculum conijcere, cùm integritas corporis minus bonum ſit quàm fama vel vita. ita Domin. Soto, Nauarrus & alij Doctores. Sed Reſpondeo, Non ſatis fuiſſe caſtiſſimæ heroinæ, animam à peccati labe intactam conſeruare, voluiſſe inſuper etiam corporis pollutionem deuitare. Quod inſignis caſtitatis, & heroicæ virtutis fuit: tantique ſemper æſtimatum etiam ab Ethinicis, v.g. Lucretia, Lacæna, Micca & aliis apud Plutarchum & Valer. Maximum, vt meritò à Chriſtianis famæ & vitæ præponi ſi non debeat, certè laudatiſſimè poſſit.

Auguſt. l. 1. de Ciuit. c. 18. & 19. Bernard. ſerm. 3. de Annuntiat. Chryſoſt. homil. de Suſanna. Soto l. 5. de Iuſt q. 1 a. 5 Nauar. in Manuali c. 16. n. 1. Plut. de Virtut. mulierum. Val. Max. de pudicitia.

℣. 34. POSVERVNT MANVS SVAS SVPER CAPVT Suſannæ, pro conſuetudine gentis, & ex præſcripto legis Leuit. 24. v. 14. ſignificantes hoc ritu, ſe caput iſtud accuſare & ad necem depoſcere, & ſe rationem Deo reddituros ſuper teſtimonio ſuo.

℣. 45. SVSCITAVIT DOMINVS SPIRITVM SANCTVM PVERI IVNIORIS] nempe ſpiritum propheticum, quo Danieli innotuit & falſitas accuſationis, & modus detegendæ illius falſitatis. Erat ergo hic ſpiritus in Daniele, inquit Origenes, ſed iam excitatur à Deo ad opus hoc heroicum adgrediendum. Ex quo diuini Numinis prouidentiam fusè comprobat Nyſſenus, Chryſoſtomus & alij. S. Ignatius Martyr, & ex eo Theodoretus, Torniellus & quidam alij, putant Danielem hoc tempore non niſi duodennem fuiſſe. Sed quomodo populus omnis puero duodenni iudicem agere volenti, ipſoſque iudices ad iudicium ſuum vocanti auſcultaſſet? Ergo *puer iunior* ſignificat hîc *iuuenem*, qui comparationem *ſenum* iſtorum meritò cẽ-

Orig. apud Huron. Nyſſ. l. 8 de Prouidentia c. 1. Chryſ. ſup.

A ſeri poterat *puer.* Agebat enim iam tuum Daniel annum circiter 24. vt dixi in præfatione, eruditus iam in omni ſapientia Chaldæorum, Dan. 1. v. 4. Et contigit hæc hiſtoria ſub annum 4. à tranſmigratione eius in Babylonem, inquit Cornelius à Lapide & alij. Quid verò ſenes adulteri?

℣. 50. SEDE, inquiunt Danieli, IN MEDIO NOSTRVM, ET INDICA NOBIS, quid in hac cauſa verum, quid falſum lateat, & qualem ſententiam pronuntiare debuiſſemus: QVIA TIBI, iuueni ſcilicet, DEDIT DEVS HONOREM SENECTVTIS] id eſt, dignitatem iudicandi, quæ ſenibus propriè conuenit; in quibus vt plurimum eſt longa experientia, prudentia, apathia, & aliæ dotes, quæ ad iudiciarium munus requiruntur. Hæc ironicè & per ſarcaſmum dicunt Danieli ſenes: vel ſi ſeriò, per adulationem, vt Prophetam ſibi concilient, ne ſcelus eorum prodat.

℣. 52. INVETERATE DIERVM MALORVM: id eſt, nequiſſime ſenex, qui vt es inueteratæ ætatis, ita es & malitiæ, qui ætatem totam in luxuria & iniuſtitia aliiſque ſceleribus tranſegiſti, NVNC VENERVNT PECCATA TVA ad plenum cumulum & maturitatem, & in apertam lucem, vt ex hoc facinore publicè prodantur & plectantur.

℣. 54. DIC ERGO SVB QVA ARBORE VIDERIS EOS COLLOQVENTES SIBI, ſeu commercium adulterij inter ſe habentes. QVI AIT: SVB SCHINO] id eſt, ſub lentiſco: quam arborem Hippocrates & Ruellius dicunt eſſe magnitudine ilicis, ſeu quercus, odore terebinthi, acinis dum matureſcunt rufis, dum maturuerunt nigris, ſudare reſinam, quam maſtichen vocant: & ter quotannis fructus proferre, etiam Cicero refert. Mirum eſt, his adulteris, vel eorum alteri, non veniſſe in mentem, poſſe ſe negare, memoriam tam nefandæ arboris ſibi inhæſiſſe, vel turbatos facinore, ad arborem, qualis eſſet, non attendiſſe. Sed diuinâ prouidentiâ factum, vt arboris nomen aliud atque aliud ambo edicerent, vt aperti mendacij ac calumniæ conuincerentur.

Ruell. l. 1. c. 20. Cicero de Diuinat.

℣. 55. DIXIT enim DANIEL: RECTE, id eſt, certè, verè, MEMTITVS ES IN CAPVT TVVM, id eſt, mendax teſtimonium dediſti in tui ipſius perniciem & exitiũ: ECCE ENIM ANGELVS DEI SCINDET TE MEDIVM] nempe curabit, interficiaris & pereas. Pulchra hîc eſt alluſio tam in Latino, quàm in Græco, ad nomen arboris ab adultero prolatæ: putà σχίσει ad σχῖνον, & *ſcindet* ad *ſchinum*. Sic & verſ. 59. ſaltem in Græco, ſimilis eſt paronomaſia πρίσῃ, id eſt, ſecare, ad πρῖνον arborem, quæ & ipſa ilex eſt, ſed alterius generis, nempe ex qua coccus naſcitur, inquit Plinius. At in Hebræo & Chaldæo nulla ſimilis eſt inter has arbores & verba Danielis alluſio, inquit Africanus: ergo conficta hæc ſunt à Græco interprete. Reſp. negando conſeq. Nam licet nulla iam ſit, cùm paucas habemus voces Hebraicas, neque alias quàm quæ in Bibliis extant: potuit tamen olim fuiſſe cùm hæc primùm ſcriberentur, cùm multò plures extarent voces Hebrææ, iam nobis prorſus ignotæ. Deinde, eſto non fuerit in Hebræo eiuſmodi vocum alluſio, vti nec iam eſt in Latino, inter *prinum* & *ſecare*: potuit tamen Græcus interpres Hebræa fideliter & ad verbum conuertens, eiuſmodi paronomaſiam in Græcis vocabulis inuenire, vti inuenit Latinus in *ſchino* & *ſtindet*. ita Cornelius à Lapide.

Plin. l. 16. c. 6. & 8.

℣. 65. ET REX ASTYAGES Perſarum & Medorum princeps, auus Cyri maternus, paucis poſt hæc geſta

gesta annis, ne npe 18. (quot intercedunt à 4. anno transmigrationis Danielis vsque ad mortem Astyagis) non violentè cæsus à Cyro (vt narrant Herodotus & Iustinus) sed naturaliter defunctus, APPOSITVS EST AD PATRES SVOS: ET CYRVS PERSES nepos eius ex filia Mandane, iure hereditario SVSCEPIT REGNVM EIVS, non Medicum (quia *Dario* filio Astyagis, auunculo Cyri illud cessit) sed Persicum, cuius anno 27. expugnatâ Babylone, initium factum monarchiæ Cyri, vt alibi (a) dixi. Liranus, Hugo, Dionysius Carthusianus, Tornielius, & plures alij, secuti Græca exemplaria, inchoant ab hoc versu caput sequens 14. Idem facit editio Arabica, tam Ægyptia Alexandrina, quàm Antiochena. Vnde videtur titulus esse chronologicus historiæ Belis & draconis, quæ contigit 25. anno regni Persici Cyri, & primo regni Balthasaris in Babylone.

a *In Chron.* c. 36. & 37.

CAPVT XIV.

Daniel Baltassari regi Babylonico, singulari industria detegit impostvras sacerdotum Belis. Itaque sacerdotes occidvntvr, & idolvm Belis destrvitvr. Draco qvoqve, alter Babyloniorvm deus, à Daniele occidvtvr: sed eam ob causam Daniel in lacvm leonvm mittitvr: ibi ab Habacvc cibatvr, & septimo die è lacv incolvmis educitvr.

℣. 1. ERAT DANIEL CONVIVA REGIS] Non Astyagis, vt videtur velle Athanasius, quia hic numquam fuit rex Babylonis. Nec Darij vel Cyri (vt volunt Theodoretus & Irenæus) quia hi non Belum, sed Solem colebant; (vnde & Xerxes sepulchrum Beli, teste Strabone, penitus destruxit:) nec verò ausi fuissent Babylonij iam à Dario & Cyro subacti, mortem illis intentare, vt huic regi intentant v. 28. Ergo rex iste cuius conuiua erat Daniel, fuit Euilmerodach siue Baltassar, qui seu proprio genio, seu mandato parentis sui, sub initium regni sui valdè addictus fuit Iudæis, vt patet ex dictis c. 4. in fine. Quòd si Daniel quando primùm Babylonem demigrauit, annorum fuit 20. vt in procemio dixi, fuerit hoc primo Baltassaris anno annorum 65. Nam 45. anni effluxerunt à 3. anno regni Ioakim vsque ad annum primum regni Baltassaris, vt patet ex Chronico nostro.

Athanas. ser. 4. cont. Arianos. Iren l. 4. c. 11. Strabo l. 16.

Chronici c. 34. &c.

℣. 2. BEL quis fuerit, dixi Genes. 10. Quæ mensura *attaba*, quæ *amphora*, in Prolegomenis de vasis & mensuris.

℣. 13. CRIBRAVIT, id est, cribrando spargi iussit cinerem tenuiorem PER vniuersum pauimentem *templi*. Ne, si lapilli cineribus immixti spargerentur, sacerdotes pedibus in eos impingentes, fraudem persentiscerent, cineremque euerrerent. Iam verò tenui cinere non animaduerso, nescientes impressa ei reliquerunt nocturna pedum suorum vestigia, è quibus manè deprehensi sunt per pauimentum inambulasse; & escas idolo appositas absumpsisse.

℣. 22. ERAT DRACO MAGNVS, quem COLEBANT BABYLONII pro deo. Gaudet enim diabolus, *ad primi* (in Eua) *facti memoriam commendandam*, forma serpentum, inquit S. Augustinus. Et Scriptura (b) passim diabolum ob eius versutiam, malitiam & sæuitiam, vocat & depingit quasi draconem. Adde, quòd draco, vt corpore est forti, robusto, longæuo, monstroso & horribili, oculorum acie acri & peruigili (vnde *draco* dictus videtur ἀπὸ τοῦ δέρκεσθαι, id est, à videndo) ita diuinum quid præ se ferre putabatur. Vnde & prisci symbolum erat sapientiæ, prudentiæ & præscientiæ, seu vaticinij, teste Carolo Paschalio: & illi assignabatur custodia Pædium, adytorum, oraculorum, thesaurorum, heroum in infantia, &c. vti de Hercule, & de Nerone fabulantur Poëtæ. Sic Colchicus draco custodiebat vellus aureum. Et Romani ad pestem eliminandam serpentem Epidaurium Romam inuexerunt & coluerunt, quasi vrbis Æsculapium, inquit Val. Maximus. Et apud Gentiles passim *draconia*, id est, templa draconi sacra, fuisse Strabo testatur, & prima circa serpentes idololatriæ semina iacta, quòd diabolus hanc speciem in deliciis haberet. Nec à solis Ethnicis, sed & ab hæreticis voluit dæmon coli draconis seu serpentis specie: vnde & Ophitæ dicti sunt, quòd serpentem alerent & colerent quasi Christum, inquit Epiphanius, Theodoretus & Augustinus.

b *Apoc. 12. v. 3. 9. 13. Isaiæ 27. v. 1.*

August. l. 11 de Genes. ad lit. c. 28.

Car. Paschal. l. 9. de Coronu c. 15. sub fin.

Val. Max. l. 1. c. 8 & Val. Flac. l. 2. Argonautic. Strab. l. 14.

Epiph. hæres. 37. Theod. l. 1. Hæret. fabul. Augustin. de Hæresibus.

℣. 26. *Pice, adipe & pilis* PARITER COCTIS DIRVPTVS EST DRACO] non quòd pix aut pili venenati sint, sed quòd boli ex ea massa conflati, vt erant glutinosi & emplastrici, inhæserint gutturi draconis & viæ angustiori ad ventriculum: qua penitus obturata, & anhelitu ac respiratione præpedita, suffocari, imò crepare necesse fuit, inquit Valesius.

Vales. de sacra Philosophia c. 81.

℣. 30. BABYLONII, compertâ morte draconis sui, MISERVNT Danielem IN LACVM LEONVM] Et hæ primæ vices sunt quibus huic vulgari Babyloniorum supplicio destinatus fuit Daniel, nempe à Babyloniis, sub rege Baltassare. Nam secundò idem ei accidit triennio pòst sub Dario, inuidentibus illi Medis & Persis. Quod enim olim nonnulli apud S. Hieron. ex corruptis LXX. interpretum exemplaribus finxerunt alium esse hunc Danielem draconis interfectorem ab illo satrapārum principe sub Dario; passim ab aliis omnibus reiicitur, neque Ecclesia agnoscit nisi vnum Danielem; eumque non ex tribu Leui (nisi fortè ex latere materno) sed ex tribu Iuda oriundum, & ex stirpe regia, vt dicitur initio c. 1.

Hieron. in præfat. in Daniel.

℣. 31. Leonibus DABANTVR QVOTIDIE DVO CORPORA cæsorum animalium, seu hominum, seu bestiarum, ET DVÆ OVES viuæ. Prædâ enim viuâ gaudet leo, quam vnguibus discerpere possit.

℣. 32. ERAT AVTEM HABACVC PROPHETA, idem ille qui inter minores Prophetas numeratur ordine octauus. ita S. Hieronymus, Epiphanius & Dorotheus, Pererius & Hector Pintus: licèt Torniellus & quidam alij id negent. Sed ratio cur negant, non conuincit: nam potuit vnus idemque captiuitatem Babylonicam prædixisse & præcessisse, & nihilominus ad annum vsque primum Baltassaris, quo hæc draconis historia contigit, superuixisse, cùm intermedium spatium non sit valdè multorum annorum, vt in Chronico demonstraui. Hic ergo *Habacuc propheta erat* tum temporis IN IVDÆA cum MESSORIBVS agrorum suorum. Vnde patet, terram Iudææ durante captiuitate Babylonica non ita Iudæis cultoribus, seu in patria relictis, seu è fuga reductis destitutam fuisse, vt non aliquibus saltem locis sereretur ab iisdem & meteretur.

Hieron. præfat. in Habacuc. Epiph. & Dorath. in Synopsi.

Chron. c. 35.

FINIS TOMI PRIMI.

REV. PAT.

IACOBI TIRINI

ANTVERPIANI

è Societate IESV

COMMENTARIORVM

IN

S. SCRIPTVRAM

TOMVS SECVNDVS;

QVO

MINORES PROPHETÆ

ET

NOVVM TESTAMENTVM

EXPLICANTVR.

EXPLICANTVR
HOC SECVNDO TOMO

- XII. Minores Prophetæ
  - Oſee.
  - Ioël.
  - Amos.
  - Abdias.
  - Ionas.
  - Michæas.
  - Nahum.
  - Habacuc.
  - Sophonias.
  - Aggæus.
  - Zacharias.
  - Malachias.
- Liber Machabæorum
  - Primus.
  - Secundus.

Quando, vbi, à quibus, quo ordine, & qua occaſione ſinguli libri ſcripti ſint, & quantæ auctoritatis in Eccleſia ſint, in præfatione ſingulorum exponetur. Reliqua huc facientia iam expoſita ſunt in Ghronico à cap. 29. vſque 43.

NOVVM TESTAMENTVM,
NEMPE

- Euangelium ſecundùm
  - Matthæum.
  - Marcum.
  - Lucam.
  - Ioannem.
- Acta Apoſtolorum.
- S. Pauli Epiſt. ad
  - Romanos.
  - Corinthios
    - Prima.
    - Secunda.
  - Galatas.
  - Epheſios.
  - Philippenſes.
  - Coloſſenſes.
  - Theſſalon.
    - Prima.
    - Secunda.
  - Timotheum
    - Prima.
    - Secunda.
  - Titum.
  - Philemonem.
  - Hebræos.
- S. Iacobi Epiſtola Catholica.
- S. Petri Epiſtola
  - Prima.
  - Secunda.
- S. Ioannis Epiſtola
  - Prima.
  - Secunda.
  - Tertia.
- S. Iudæ Epiſtola Catholica.
- Apocalypſis S. Ioannis Apoſtoli.

Quinam & quales ſingulorum ſint auctores, quo tempore, quo loco, qua occaſione ſcripſerint, & an omnia ſint canonicæ auctoritatis, vbique in præfatione explicatur. Quo verò ordine omnia quæ narrantur geſta ſint, habes etiam ibidem & in Chronico octo vltimis capitibus.

Poſt finem Commentarij ſubnectuntur Indices quinque.

I. Auctorum toto Commentario citatorum, adnotato tempore & loco quo quiſque vixit, & ſcriptis & officiis quibus claruit.
II. Nominum & rerum quæ totis duobus Tomis pertractantur.
III. Controuerſiarum, ſeu Quæſtionum fidei, quas vel hæretici, vel Iudæi, vel Mahometani, vel Politici in dubium vocant, quæ ex SS. Scripturis toto hoc Commentario explicatis probantur ac ſtabiliuntur.
IV. Antilogiarum ſeu Contradictionum apparentium, quæ paſſim in Scripturis occurrunt, ſed in hoc opere conciliantur.
V. Variarum materiarum & conceptuum pro Euangeliis totius anni, in gratiam & vſum Concionatorum.

PRO-

PROPHETÆ MINORES,

ICdicti ob ſcriptorum breuitatem; numero duodecim, quaſi duodecim ſui æui Patriarchæ, Apoſtoli, & duodecim tribuum Doctores, quo tempore, quo ordine ſcripſerint, dixi in Chronico. Vti quatuor Maiores, ita & Minores omnes inuehuntur in idololatriam, aliaque ſcelera Iſraelitarum, comminando ipſis captiuitatem vel Aſſyriacam, vel Babylonicam: inſperſis hinc inde lætis vaticinijs de Chriſto, de Eccleſia Chriſti, de Sacramentis, gratiis cæleſtibus, omnique felicitate per Chriſtum mundo obuentura. Quæ omnia, ſolo nomine mutato, facillimum fuerit, Tropologicè applicare Chriſtianis, & cuilibet animæ peccatrici, vt paſſim applicat S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoret. Theophyl. Ruffinus, Remigius Altiſiodorenſis, Rabanus, Rupertus, Liranus, Hugo, Dionyſius: qui in hos Prophetas ſcripſerunt, vt ex recentioribus noſtris Chriſtophorus à Caſtro, Gaſpar Sanchez, Franciſcus Ribera, Emmanuel Sà, Ioannes Mariana & Cornelius à Lapide. Mores, vitam & mortem ſingulorum Prophetarum deſcripſerunt S. Epiphanius, Iſidorus & Dorotheus in Synopſi. Viciſſim & ſucceſſiuè prophetarunt pluſquam 300. annis, vt in Chronico demonſtraui. *Chronico.* *Chron. ibid.*

OSEE, id eſt, ſalua

ARadice *iaſca*, id eſt, *ſaluauit*. optat enim vbique oratque Dominum pro *ſalute* populi. Ab eadem radice deducitur & nomen *Ioſue* (qui & ipſe antè vocabatur *Oſee* (a) ſeu *Ieſus*, id eſt, *ſaluator:* & nomen *Iſaiæ*, id eſt, *ſalus Dei*. Igitur non ſolis oraculis, geſtis & vitæ ſanctitate, ſed & *nomine* ſuo Chriſtum præfigurat Oſee, inquit S. Hieronymus & Leo Caſtrius. Cœpit prophetare etiam ante *Iſaiam*, ſub initium regni *Oziæ*, ſeu *Azariæ*, ante initium Olympiadum, & ante Romam conditam, vt patet ex dictis in Chronico. Totus patheticus eſt, ideoque *commaticus*, vt ait S. Hieron. id eſt, conciſus. Agit enim perſonam Dei quaſi ſponſi ſponſam Synagogam depereuntis, eamque in adulterio deprehenſam obiurgantis, punientis, repudiantis, aliamque ſubinducentis. Primò enim prædicit & ad viuum repreſentat carnalium Iſraelitarum, ſeu Synagogæ, excidium ac reprobationem, ſpiritualium verò Iſraelitarum, præſertim Gentilium, electionem ac vocationem. Secundò, idololatriam, aliaque Iſraelitarum ſcelera acriter inſectatur, minando illis excidium & alias plagas. Tertiò, pœnitentibus clementiam promittit & gloriam. Vitæ morumque ſanctitate illuſtris, Sanctorum catalogo adſcriptus eſt 4. Iulij. ita prædictus Epiphanius, Iſidorus & Dorotheus. (a) *Num. 13. v. 17.* *Chron. e. 29. 30. 31. & 32.*

CAPVT I.

VSSV Dei ducit Oſee vxorem fornicariam, & fornicationu ex ea filios procreat, quorum primo nomen (a) *indit* Iezrahel, *id eſt, ſemen Dei: ſecundò*, lo rachuma, *id eſt, abſque miſericordia: tertio*, lo ammi, *id eſt, non populus meus. Quibus nominibus, & prolibus quaſi viuis imaginibus, continuò inculcabat Iſraelitis, ſpiritualibus fornicariis, id eſt, idololatriis, imminens capitibus illorum triſte repudium & excidium. Pœnitentibus tamen promittit gratiam, additq; ſpiritalem & verum Iſraelem, putà populum Chriſtianum, innumerabilem ex Gentibus conflandum, fore genuinum populum Dei.*

a *Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n.17.* יזרעאל לא רחמה לא עמי

בארי ℣. 1. SEE FILIVM BEERI] id eſt, putei mei, inquit S. Hieronymus, vel, *in lumine meo*, vt Leo Caſtrius exponit. Allegoricè, deſignat IESVM filium æterni Patris, è cuius ſinu, quaſi è primo & perenni diuinitatis fonte procedit Deus de Deo, lumen de lumine. B

IN DIEBVS IEROBOAM ſecundi REGIS ISRAEL (a) ſic nominari: prior enim *Ieroboam* filius erat (b) *Nabath*: poſterior verò filius *Ioas*. (c) Hunc verò idcircò nominat Oſee, præaliis ipſum ſecutis regibus Iſrael (nam omnibus reliquis conuixit, vſque adexcidium regni Iſraelis per Aſſyrios anno 6. (d) Ezechiæ,) vt ſignificet, ſe non extremo, vel medio tempore regni Oziæ (qui totos 52. annos (e) regnauit) ſed ſub initium eius prophetare cœpiſſe, nempe fluentibus primis 14. annis, (f) quibus Ieroboam conuixit Oziæ. Cùm ergo ab initio regni Oziæ vſque ad annum 6. Ezechiæ fluxerint 90. anni, ſequitur, Oſee prophetaſſe omnibus illis annis, item prædixiſſe tot ferè annis excidium regni Iſraelitici priùs quàm illud euenit: excidium verò regni Iudaici, totis 220. Nam hoc poſterius eſt excidio Iſraelitici regni (g) annis 130.

a *Chronic. c. 29.*
b *3. Reg. 11. v. 16.*
c *4. Reg. 14. v. 16.*
d *Ibid. c. 18. v. 10.*
e *c. 15. v. 1.*
f *Ibid. v. 1. collato cum v. 23. c. 14.*
g *Chronici c. 29.*

℣. 2. PRINCIPIVM LOQVENDI DOMINO fuit IN OSEE] Quod ſignificat, non ſolùm ſic cœpiſſe Deum primò loqui cum Oſee, vt Chriſtophorus à Caſtro vult; ſed etiam, primò omnium, putà ante Iſaiam quoque & Ioelem & Ionam, reliquoſque Prophetas, Deum loqui cœpiſſe cum Oſee, atque hunc fuiſſe primum omnium Prophetarum. ita S. Hieronymus, Baſilius, Ruffinus, Rupertus, Haymo, Vatablus, Albertus, Hugo, Dionyſius, & à Lapide. Iſaias enim prophetare demum cœpit anno 25. Oziæ, cum Oſee cœperit anno 2. vel 3. eiuſdem, vt dixi in Chronico. C

Baſil. & Ruffin. in Iſa. c. 1.
Chron. c. 30. Alf. à Caſtro l. 7. contra hæreſ. v. fornicatio.

SVME TIBI VXOREM FORNICATIONVM] Id eſt, mulierem fornicationibus valdè deditam, ſeu inſignem fornicariam, vel publicam meretricem, copula tibi matrimonio & duc in vxorem. ita S. Hieronymus, Chaldæus & alij. Fruſtra ergo Græci (quibus id attribuit Alfonſus à Caſtro) hinc colligunt, fornicationem iure naturæ non eſſe illicitam. Quia hæc Oſee fiebat vxor legitima, & non manebat fornicaria, niſi denominatione extrinſeca ab eo, quod antè fuerat. Et hoc ſufficit, vt filij, licet ex legitimo matrimonio procreati, vocentur *filij* (h) *fornicationum*, id eſt, filij matris quæ antè paſſim habebatur eratque fornicaria & publica meretrix. Hoc enim nomen à publica meretrice non detergitur apud populum etiam ſubſequente matrimonio. ita S. Hieronymus, Auguſtinus, Baſilius, Irenæus, Cyrillus, Theodoretus, S. Thomas, Arias, Hugo, Dionyſius, Vatablus & Hebræi. D

h *Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 40. Auguſt. l. 3. doctr. Chriſtianæ c. 12. & l. 22. cont. Fauſtum c. 23. Baſil. in Iſaia 19. Iren. l. 4. cont. hær. c. 37. S. Tho. 1. 2. q. 100. a. 8. ad 3. & 2. 2. q. 154 ad 2.*

QVIA FORNICANS (i) FORNICABITVR, id eſt, A impensè & exorbitanter fornicabitur TERRA Iſrael, id eſt, decem tribus, quaſi dicat: Præſcripſi tibi, ô Oſee, ducere fornicariam, & ex ea procreare filios fornicationum, vt per hoc Iſraelitis repræſentes fœdum ipſorum ſtatum, in quo degunt, tori dediti myſticæ fornicationi, id eſt, idololatriæ, in qua valdè exorbitant: & tamen volo Synagogam eorum mihi tamquam marito copulare matrimonio, vt ex publico ſcorto caſtam coniugem efficiam. Allegoricè, Filius Dei iunctus eſt humanæ naturæ in incarnatione, & Eccleſiæ in paſſione, fornicariæ per peccatum, ſeu originale, ſeu actuale, inquit S. Ambroſius, Auguſtinus & Proſper, imò & S. Paulus in Epiſtola ad Romanos.

Ambr. l. 1. Apologiæ Dauid c. 10 & l. de Salomone c. 5. Aug. ſuppt. cont. Faust. c. 89. Proſper. l. de Prædictionib. c. 15. p. 2 S. Paul. ad Rom. 9. v. 24.

℣. 4. VOCA NOMEN primi filij IEZRAHEL, id eſt, ſemen Dei, ſed fruſtra effuſum ac perditum. Quia SANGVINEM IEZRAHEL, id eſt, cædem & ſtragem à Iehu contra domum Achab patratam in vrbe & vrbi vicina *valle Iezrahel*, (k) ob fœdam Achabi eiuſque poſterorum idololatriam, (l) VISITABO, id eſt, inducam viciſſim SVPER Ieroboam regem & reliquam omnem DOMVM IEHV, nempe ob æquè fœdam idololatriam (m) poſterorum eius: vt ſicut Achabo pares ſunt in ſcelere, ſint etiam pares in pœna. ita ferè Mariana, à Lapide & plures alij. *Exiſtimas* (n) *enim ô homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis eadem, quia tu effugies iudicium Dei?*

k *4. Reg. 9. & ſeqq.*
l *3. Reg. c. 21. v. 22. & 26.*
m *4. Reg. c. 10. v. 29.*
n *Rom. 2. v. 1. 2. 21. &c.*

℣. 5. ARCVM ISRAEL, id eſt, vires & robur omne decem tribuum per Aſſyrios CONTEMNAM IN eadem VALLE IEZRAHEL, quæ à Burchardo & Adrichomio *planicies Galilææ* vocatur, & longiſſimè patet, & multis (o) conflictibus cruentata fuit. Videntur ergo cæſi ibi ab Aſſyriis Iſraelitæ, (p) quia deinde victoriam proſecuti Samariam obſederunt & euerterunt, atque ita QVIESCERE, id eſt, deſinere *fecerunt* omne REGNVM DOMVS ISRAEL, ſeu decem tribuum. ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Vatablus & Haymo.

o *Iudic. 6. & 7. & 1. Reg. 31. & 2. Reg. 10. &c.*
p *4. Reg. 18. v. 9.*

℣. 6. NOMEN *filiæ* ſecundo loco tibi natæ VOCA *lo rachama*, id eſt, ABSQVE MISERICORDIA. Quod nomen Iſraelitis pro ſymbolo erit, quòd illorum VLTRA NON *miſerebor*, ſicut *miſerebor* Iudæorum. Primò, contra Aſſyrios, quos patiar exſcindere regnum (q) Iſraelis, ſed abigam ex finibus Iudææ (r) cum inſigni clade & probro. Secundò, abductos in captiuitatem Iudæos reducam per Cyrum in patriam, non item decem reliquas tribus. Licet enim plurimi ex decem tribubus ſub idem tempus redierint in terram ſanctam, vt hic *Oſeas*, & ſubinde *Ieremias*, *Ezechiel*, *Michæas* & *Tobias* futurum prædixerunt, non erant hi (præter paucos Michææ vlt. v. 12. fugitiuos) ex illa captiuorum maſſa quam Teglatphalaſar (s) & Salmanaſar (t) in Aſſyriam abduxerunt, quia hi numquam magno numero vel cateruatim redierunt, teſte S. Scriptura, (u) Ioſepho, S. Hieronymo & omnium tum Hebræorum, tum Catholicorum conſenſu. Sed erant ex iis qui antea fugerant tyrannidem & idololatriam Ieroboami, (x) vel crudelitatem aduentantium Aſſyriorum, & ſe tranſtulerant in fines Iudææ, ſeſeque ſubdiderant imperio regum Iuda. Hi enim vt vnà cum Iudæis in Chaldæam abducti ſunt, ita cum ijſdem ſub *Cyro*, *Dario* & *Artaxerxe* reducti ſunt in Palæſtinam, & ibidem ſedes fixerunt: è quibus prognati plerique Apoſtoli & diſcipuli Chriſti. ita ferè S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Rupertus, Haymo, Liranus, Vatablus & Hugo.

לא רחמה

q *Ibid. v. 12.*
r *Ibid. v. 7. 13. & c. 19. v. 35. Oſeæ hic v. 11. & c. 11. v. 8. c. 12. v. 9. c. 14. v. 6 Ierem. 50. v. 4. Ezech. 37. v. 16. & 24. & c. 48. v. 1. & 21. Tob. 14. v. 6. & c. 25. v. 29. 1. 4. Regum. c. 17. v. 6. & 23.*
s *Ibid.*
t *Ioſeph. l. 11. Antiq. c. 5. Hieron. hic & in Malachiæ 2.*
u *2 Par. 11. v. 5. 6. & c. 15. v. 9. & c. 30. v. 1. & Ioſeph. l. 8. Antiq. c. 3.*

℣. 7.

℣. 7. Vtroque autem caſu SALVABO Iudæos: NON ARCV vel GLADIO, id eſt, vi externa & aperto marte, ſed IN DOMINO DEO SVO, id eſt, vi occulta à Deo cælitus immiſſa, putà vi angelica, quâ cæſi vna nocte 185. millia (a) Aſſyriorum: & prouidentiâ diuinâ mentem (b) Cyri regis permouente vt captiuos Iudæos vltrò relaxaret.

a 4. Reg. 19. v 35.
b 1. Paral. vlt. v. 21. & 1. Eſdr. 1. v. 1.

℣. 9. NOMEN tertij *filij* VOCA *lo ammi*, id eſt, NON POPVLVS MEVS] ſed idolorum ſubditi ac mancipia eritis, ô Iſraelitæ, à me reiecti, reprobati & obliuioni (c) traditi. Non tamen idcircò ero ſine populo qui ſeruiat mihi: imò nec ſine Iſraelitis. Quia vobis abiectis, qui nomen Iſraelis immeritò & falsò vſurpatis, ſubſtituam veros ac genuinos *Iſraelitas*, partim ex fugitiuis reliquijs veſtris, (de quibus v. 6.) quas per Cyrum, (d) & per Chriſtũ, (e) maximè ſub finem mundi. (f) mihi adgregabo: partim ex Gentilibus, qui profeſſione vnius eiuſdemque cum patriarchis Abrahamo & Iſraele fidei Chriſtianæ, veri ac genuini illorum filij (g) cenſebuntur. ita S. Hieronymus & omnes SS. Patres, imò & Apoſtolus Rom. 9. v. 25. de his hunc Oſee locum exponens. Et his ad vnguem conuenit quod ſequitur:

לא עמי
c Hic v. 6.
d 1. Eſdr. 1. &c.
e Matth. 5. v. 15. Actor. 8. &c.
f Rom. 11. v. 26.
g Geneſ. 22. v. 17. & Rom. 9. v 5. 6. &c. Gal. 3 v. 6. 1. Petri 2. v. 10.

℣. 10. FILII DEI vocabuntur, quia antea ne POPVLVS quidem *Dei* dicebantur. Quò alludit etiam S. Petrus, cùm ſcribens Chriſtianis per *Bithyniam*, *Pontum*, *Galatiam* & *Aſiam* diſperſis, ait, *Vos aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti.*

℣. 11. ET CONGREGABVNTVR FILII IVDA, ET FILII ISRAEL PARITER in vnum populum. Quod non de ſolis naturalibus Iudæis & Iſraelitis è captiuitate in patriã reductis, & ex iudaiſmo ad Chriſtum conuerſis; ſed etiam, & quidem principaliùs, de myſticis ac ſpiritualibus, putà de Gentilibus ex infidelitate ad lumen fidei reductis intelligi debet. ita S. Hieronymus, Liranus, Ribera, à Lapide & alij. Et ſicut naturales Iudæi atque Iſraelitæ non manſerunt diſſecti in duo regna à reditu ſuo Babylone, ſed in vnum coaliti paruerunt omnes vni Zorobabeli: ſic ſpirituales Iſraelitæ & Iudæi ex quantacumque gentium & nationum diuerſitate coaleſcent in vnam Eccleſiam, ET PONENT SIBIMET CAPVT VNVM, principem, ducem, paſtorem vnum, nempe Chriſtum, ciuſque vicarium Pontificem Romanum, cui omnes ad vnum ſubiacebunt: ET ſub eius auſpicijs ASCENDENT DE TERRA ſurſum, creſcentes paulatim magis ac magis, ſeſeque per vniuerſum orbem ſpargentes ac propagantes. QVIA, (Hebræum *ki* ſæpè idem valet quod certè, equidem, profectò) MAGNVS DIES IEZRAHEL, id eſt, celeberrimus, feſtiuiſſimus, felicisſimus erit ille dies, illud ſæculum, quo benedictum *ſemen* iſtud *Dei* germinabit, florebit, fructificabit: quo Verbum diuinum incarnabitur, naſcetur, patietur, reſurget, cælum conſcendet, mundum iudicabit: quo populus Dei ex iudaiſmo, ex gentiliſmo, ex ſcelerum abyſſo aſcendet ad fidem, ad cultum veri Dei, ad montem virtutum & perfectionis, ad vitam cæleſtem, ad gloriam, ad gaudium æternum. Ita ferè S. Hieronymus, Rupertus, Haymo, Hugo, Liranus, Vatablus, Leo Caſtrius, Sà, Mariana, Ribera & à Lapide.

CAPVT II.

Arguit Iſraelem inſignis ingratitudinis & perfidiæ, quòd beneficia quæ a Deo valdè copiosè ipſi obuenerant, acceptatulerit idolis, vnde minatur ſe rurſus ea ipſis ablaturum. Pœnitentibus tamen bona omnia promittit, & fœdus cum eis ſempiternum.

℣. 1. DICITE, ô Prophetæ, FRATRIBVS VESTRIS ET SORORI; Hebraicè, *ſororibus veſtris*, id eſt, omnibus (h) Iſraelitis adhuc, integris & ſinceris Dei cultoribus. qui proinde ſunt etiamnum *animi*, id eſt, *populus meus*: & *rachuma*, id eſt, *miſericordiam conſecuti*; Dicite, inquam, illis, vt.

h Prolog. de Idiotiſmis Hebr. n. 51.

℣. 2. IVDICENT, id eſt, arguant & increpent, MATREM ſuam Synagogam, ſeu cœtum Iſraelitarum idola colentium, ac præ omnibus congregationem primatum, iudicum ac magiſtratuum quos ſubditi ſequuntur, vt ſolent filij matrem: eique denuntient meo nomine, quòd, quamdiu in hoc ſcelere perſiſtet, NON ſit VXOR MEA, ſed adultera repudiata: ET EGO NON VIR EIVS, ſed iudex & vindex, imò hoſtis iuratus.

AVFERAT ergo FORNICATIONES, id eſt, idololatrias, SVAS A FACIE MEA, nec ampliùs me præſente & vidente copuletur alijs amaſijs. AVFERAT etiam ADVLTERIA, id eſt, ſigna & illecebras adulterij, DE MEDIO VBERVM SVORVM] Alludit ad bullas, gemmas & torques, aliaque pectoris meretricum ornamenta, quibus amaſios in ſui concupiſcentiam pelliciunt. Et ſimilia geſtabant Iſraelitæ in honorem idolorum ſuorum, ac præſertim medallia & imagines illorum, quas è collo ſuſpenſas ad pectus deferebant, (i) partim vt his ſignis palàm facerent ſe talis idoli cultores, clientes & ſeruos eſſe: partim vt his illecebris iugem idoli ſui memoriam & affectum non modò in ſe, ſed & in alijs obuijs excitarent ac fouerent.

i Hic v. 13. & Cant. 8. v. 6.

℣. 3. NE EXPOLIEM EAM NVDAM, SECVNDVM DIEM NATIVITATIS SVÆ] Id eſt, ni reſipiſcat, ſinam eam reuolui in primam infantiæ ſuæ miſeriam & inopiam, quà afflicta fuit in Ægypto, (k) vbi pauperculà, imbellis, abiecta, informis, carens rege, duce, tutore, lege, religione, imò Deo, expoſita ludibrio, prædæ, neci, miſerrimã trahebat vitam ſub Pharaonis tyrannide. Pari modo iam permittam ſpoliari & vaſtari illam ab Aſſyrijs. ita S. Hieronymus, Theodoretus, Rupertus, Haymo, Hugo & alij. Sic caſtigata matre, quid filijs fiet?

k Ezech. 16. & Ierem. 2.

℣. 4. FILIORVM EIVS miſererer ſi innoxios deprehenderem, vt ſæpè (l) promiſi. ſed iam NON MISEREBOR eorum, QVONIAM FILII FORNICATIONVM (m) SVNT] id eſt, imitantur matrem, idololatrijs etiam ipſi addictiſſimi.

l Ezech. 18. v. 20 &c.
m Proleg. ſup. n. 40.

℣. 6. SEPIAM VIAM TVAM SPINIS ET MACERIA, ſeu muro, id eſt, incurſione & obſidione hoſtili, multiſque calamitatibus & afflictionibus, vt SEMITAS, quibus ad amatores tuos, id eſt, ad omnia idola & idololatras Syros, Ægyptios, alioſque tibi confœderatos Gentiles procurrere ſolebas, iam NON *inuenias* apertas. Tales *ſpinæ* & *maceria* tibi erunt *Phulbelochus*, (n) *Teglatphalaſar* (o) & *Salmanaſar*, (p) qui copijs ſuis vias omnes tibi præcludent ad amaſios tuos. Donec omni ſpe opis ab illis impetrandæ exclusâ, & ſcelerum tuorum pœnitudine ducta, ad me VIRVM TVVM PRIOREM ſupplex recurras.

n 4 Reg. 15. v. 19.
o Ibid. v. 29
p c. 17. v. 3. &c.

℣. 8. NESCIVIT] Id eſt, ſcire noluit, noluit agnoſcere ſe opes ſuas omnes à me accepiſſe, ſed acceptas retulit *Baali*, & ex ijs ſimulacra & ſacrificia ipſi confecit. Sed ego viciſſim

℣. 13. VISITABO, id est, inducam, SVPER EAM DIES BAALIM] id est, pœnas decretas & infligi solitas cultoribus idolorum. ita ferè Chaldæus, Haymo, Hugo, Vatablus, & S. Bernardus. Sic tamen exercebo in eam iudicia & iustitiam meam, vt non obliuiscar misericordiæ meæ, si, vt dixi v. 7. ipsa pœnis his sapientior facta, ad me per pœnitentiam recurrat.

Bern. ser. 3. & 4. in Cantic.

℣. 14. PROPTER, id est, iuxta, HOC omne malum, quod illi infligam, ECCE EGO LACTABO (*a*) EAM maximis promissis & spebus, vt eam rursus ad me pelliciam, & quasi lacte porrecto attraham, atque ex adulterorum lupanaribus extractam DVCAM mecum IN SOLITVDINEM, id est, in domum, in tabernaculum, in Ecclesiam meam; vbi quies, silentium & solitudo est vnius Dei, vnius (*b*) fidei, vnius religionis. In hac tamen solitudine est cælestium ac spiritualium bonorum omnium abundantia, vt olim in deserto Sin sub Moyse: hîc habes manna, hîc coturnices; hîc aquam è petra, hîc columnam nubis & ignis, hîc vocem, hîc legem Dei: hîc LOQVAR AD COR (*c*) EIVS] id est, secundùm cor seu affectum eius, vt sonát Hebræa, id est, dicam & addicam ei quæ optat, & quæ libenter audit, alloquar eam blandis verbis consolatione & suauitate plenis, vt solet sponsus alloqui sponsam. Sic Sichem Genes. 34. v. 3 pro eo quod Latinus ait, Dinam *tristem blanditijs deliniuit*; in Hebræo est, *locutus est ad cor puellæ.*

a Prou. 1. v. 10.

b Ephes. 4. v. 5.

c Isaiæ 40. v. 2. Ruth 2. v. 13.

℣. 15. DABO EI VINITORES; Chaldæus, *gubernatores.* q. d. Sicut olim vineæ meæ. id est, Synagogæ exeunti ex Ægypto dedi curatores & cultores, putà Moysen, Aaron, Iosue; ita eidem reduci ex Assyria & Chaldæa (*d*) dabo Esdram, Nehemiam, Zorobabel, Aggæum, Malachiam, &c. & tempore Christi Apostolos, Euangelistas, alioſque pastores ac doctores, oriundos EX EODEM LOCO, id est, ex eadem stirpe Israelitica. Ex hac enim educti sunt omnes primi Ecclesiæ Christianæ pastores: quibus postea successerunt alieni ex Gentilibus assumpti, vt Isaias futurum prædixerat. *Dabo* quoque eidem sponsæ meæ VALLEM ACHOR, (*e*) amœnam, compascuam & fœcundam, (quæ alibi (*f*) *Baal Hamon* vocatur, in qua *vineæ* (*g*) *Engaddi* fertilissimæ ac famosissimæ) sed sacrilegio Achan (*h*) fœdè deturpatam: post illud tamen scelus iustò supplicio expiatum facta est eadem vallis initium omnis victoriæ & felicitatis Israeli. Sic nempe etiam regressis è Chaldæa Israelitis, hæc ipsa vallis primò occurrens, iam purgata & expiata publicis pœnis quas istic Chaldæis dederunt, erit AD APERIENDAM SPEM nouæ perpetuæque salutis ac prosperitatis inibi omnibus obuenturæ. Et tempore Christi, Iudæa (cuius typus, imò pars est hæc *vallis Achor*) per Romanos excisa, etsi Iudæis triste, Christianis tamen lætum erit omen & initium amplioris victoriæ & salutis per vniuersum orbem obtinendæ. ita ferè S. Hieronymus, Rupertus, Liranus, Ribera. Allegoricè, *vallis Achor* est turbatio & passio Christi, (à villa Gethsemani vsque ad Golgotha) quæ ianua fuit cæli & vitæ æternæ. Moraliter, *vallis Achor* est humiliatio & tribulatio, quæ pœnitentibus est ianua spei, & initium victoriæ ac salutis.

d Osee 1. v. 6.

Isaiæ 61. v. 5

e Isaiæ 65. v. 10.

f Cant. 1. v. 13.

g Cant. 1. v. 13.

h Iosue 7. v. 25.

ET CANET IBI lætum epinicion, IVXTA quod cecinit in *diebus* IVVENTVTIS SVÆ, Exodi 15. cùm primùm egressa est ex Ægypto.

אישי בעלי

℣. 16. VOCABIT ME *isci*, id est, VIR MEVS, seu maritus meus Et licet BAALI idem prorsus significet, nempe dominus & maritus meus: quia tamen hoc nomen iam pridem translatum est ad falsum deum Gentilium designandum, nolo deinceps hoc nomine à populo meo compellari, *ne, cum de me loquitur, Beli recordetur, & virum nominans, idolum cogitet*, inquit S. Hieronymus. Perinde ac si diceret, Esto sim *Iehoua*, vel *Iova* (vt vertunt Nouantes) nolo tamen sic à vobis vocitari, ne me *Iouem* æstimetis. Ita Rupertus, Haymo, Dionysius, Vatablus, Emanuel Sà & alij.

℣. 18. ET PERCVTIAM EIS FOEDVS (ita in Hebræo est & apud LXX) CVM BESTIA AGRI] Id est, faciam vt pacem habeant cum Barbaris, (*i*) putà cum Persis, Græcis Romanis, inquit Theophylactus, Theodoretus & à Lapide. Vel etiam cum feris propriè dictis, vt idem Theophylactus censet. Sed de hoc alibi. (*k*) Et antè ob adulteria repudiatam

i Prolog. 4. Idiotismi Hebr. n. 36.

k Isaiæ 11. v. 6.

℣. 19. SPONSABO TE rursus MIHI, eriscque, ô Synagoga, sponsa mea, vsque dum me repelles Messiam & sponsum tuum: sed tunc potiorem tui partem detinebo mihi desponsatam, faciamque illam Ecclesiam meam, a qua non diuellar IN SEMPITERNVM. Desponsabo autem eam mihi quadruplici dote. Primò, IVSTITIA, qua te tuaque perpetuò tuebor; Secundò, IVDICIO, quo hostes & aduersarios tuos damnabo & puniam. Hæc enim bina iudicis officia designat Scriptura per *iustitiam & iudicium*, quando illa simul iungit; Tertiò, MISERICORDIA ET MISERATIONIBVS] Est hendyadis, (*l*) id est, misericordia ex viscerali commiseratione profecta. Quartò, FIDE, seu fidelitate. His quatuor virtutibus (*m*) fulcitur thalamus sponsi & thronus Dei.

l Prolog. 4. Idiotismi Hebr. n. 41.

m Psal. 88. v. 15. & Prou. 20. v. 29.

℣. 21. CÆLOS, qui quasi naturali appetitu desiderant succurrere vniuerso, & poscunt à me nubes, pluuias, ventos, EXAVDIAM; & sic *cæli* per rorem & pluuiam respondebunt votis *terræ* sitientis: & *terra* satisfaciet desiderio *tritici* cupientis vberrimè crescere: & TRITICVM explebit vota IEZRAHEL, id est, seminis Dei, id est, populi Israelitici. Sic vniuersæ creaturæ cum suo creatore conspirant (*n*) in commoda hominum, præsertim fidelium & sanctorum, inquit Pineda. Agit autem Propheta de Israelitis è Chaldæa in patriam reductis, vti notant S. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus & Hugo. Sed allegoricè & principaliùs de Ecclesia Christi, cui pro voto promittit abundantiam gratiarum, institutionum, Sacramentorum, omniumque spiritualium donorum, inquit S. Hieronymus, Rupertus & alij. Porrò Ecclesiam illam Christi

n Sap. 18. v. 17. Pineda in Iob 37. v. 11. n. 3.

℣. 23. SEMINABO, id est, instar seminis spargam, non in vno terræ angulo, vt Synagogam sparsi, sed IN VNIVERSA TERRA: erit enim *Catholica*, id est, vniuersalis, per omnia regna, per omnes gentes dispergenda. ita Rupertus, Vatablus & Haymo.

CAPVT III.

Iubetur Osee adulteram deducere domum suam, cum ea facisci, vt notabili tempore seorsim à coniuge suo, & procul ab adulterio, quasi caelebs domi desideat: & sic repræsentet Israelem multo tempore fore sine Deo, sine idolis, sine lege, sine republica, sine rege, sine regno, sine templo, sine altari, sine sacrificio: nec nisi sub finem mundi, reuersurum ad Dominum.

℣. 1. ADHVC præter *Gomer*, de qua suprà, (*o*) DILIGE aliam MVLIEREM DILECTAM AMICO, id est, marito (qui per antonomasiam est *amicus* vxoris) sed ADVLTERAM, & à marito profugam,

o Osee 1. v. 3.

fugam, quò possit liberiùs adulterari. *Dilige*, inquam, & eme tibi non in vxorem (vt volunt Ruffinus, Theophylactus, Rupertus, Vatablus, Ribera & Sanchez:) sed in ancillam, vt domi tuæ quasi cælebs latitet, donec post aliquot annos ad maritum suum reuocetur, & in eius gratiam thorumque restituatur. ita S. Hieronymus, Chaldæus, Isidorus, Liranus, Paulus à Palatio, Arias & à Lapide. Hic *amicus*, id est maritus Israelitarum, est Deus qui teneerrimè illos *diligit*, & illi tamen adulterijs fœdissimis sese polluunt, deflectentes AD DEOS ALIENOS; & relictis vuis præstantissimis vinoque nobilissimo, quo domi mariti sui potabantur, appetunt VINACEA VVARVM,] id est, aridos & exsuccos vuarum folliculos, seu pelliculas, quæ in torculari expressis vuis, vinoque exhausto supersunt. soletque superinfusâ aquâ potus inde parari rusticis ac tamulis, teste Varrone, Catone, Plinio & Columella. Nempe stulti peccatores pro panibus filiorum amplexantur siliquas porcorum, (a) & pro croceis stercora. (b) Ergo

Varro l. 1. de re Rustica c. 54. & l. 3 c. 11. Cato c. 10. Plin. l. 14. c 10. & l. 17. c. 22. Colum. l. 6. c. 3.

a Luca 15. v. 16.

b Thren. 4. v 5.

c Proleg. de ponderibus. d Ibid. de mensuris Terentius in Phormione.

℣. 2. FODI: Syrus, *emi*; Arabicus, *conduxi*, EAM MIHI in ancillam; LXX. *mercede*, seu pretio *conduxi*. Et simili modo exponunt S. Hieronymus, Chaldæus, & alij v. 1. citati: *Conduxi*, inquam, QVINDECIM ARGENTEIS, (c) id est, quindecim florenis Belgicis: insuper *sesqui* CORO HORDEI, (d) pro annua eius sustentatione. seruis enim Romæ teste Terentio, quatuor modij dabantur in singulos menses: ergo 48. modij in annum. *Sesquicorus* autem continebat 45. modios Hebræos, qui ferè æquiualebant 48. modiis Romanis. Porrò hordeaceus panis, erat cibus seruorum & pauperum. Quo significatur, Israelitis à Deo profugis, de victu vestituque prospectum iri, sed (vt solet mancipiis) parcè ac tenuiter; idque ne, vel penuriâ rerum necessariarum ad illicita delabantur, vel bonorum affluentiâ in sceleribus suis ac perfidiâ roborentur. ita ferè Ribera, à Castro, & à Lapide. Sed quæ conductionis pacta seu conditiones? Quatuor recensentur.

℣. 3. DIXI AD EAM Primò, DIES MVLTOS, nempe annum integrum, EXPECTABIS ME, seu iussa & imperia mea; hebraicè, *sedebis mihi*; vel mecum habitabis, mihi deseruies, instar fidelis & strenuæ ancillæ, inquit Theodoretus, Theophylactus, Pagninus & alij. Osee enim hîc non Deum, sed Salmanasarem repræsentat. Secundò, NON FORNICABERIS, nec alienis commisceberis toto illo tempore. Tertiò, ET NON ERIS VIRO vlli copulanda, ne proprio quidem marito tuo. Quartò, ET EGO EXSPECTABO TE, vt post finem anni purgatam te ac pœnitentem marito tuo reconciliem ac restituam. ita Chaldæus, S. Hieronymus, Haymo, Hugo & Liranus. Mox applicat hæc Propheta Israeli.

℣. 4. QVIA abductæ decem tribus in Assyriam, DIES MVLTOS, nempe vsque ad finem mundi, SEDEBVNT desolati ac dispersi, afflicti, squalidi, SINE PRINCIPE, SINE SACRIFICIO, SINE EPHOD (e) pontificali, ET SINE THERAPHIM] id est, sine simulacris idolorū, maximè verò Larium, seu Penatum: hæc enim passim in Scripturis (f) significantur per *theraphim*. q. d. Erunt & sine vero Deo, & sine Laribus ac Penatibus suis, quibus assueuerunt, putà vitulis aureis, Serapide, & Baal. ita Hebræi, Liranus, Isidorus, Vatablus, Arias, Pagninus, Serarius & à Lapide.

c Exodi 28.

f Genes. 31. v. 19. Iudic. 17. v. 5. 1. Reg. 10. v. 16. Ezech. 21. v. 21. Zach. 10. v. 2.

Serar. in Iudic. 17. q. 5.

℣. 5. POST HÆC, longa bis mille annorum

& amplius, desolatione & afflictione excocti, pœnitentes ac resipiscentes Israelitæ, tandem aliquando REVERTENTVR ad verum maritum, Dominum Deum suum, & ad DAVID, id est, Messiam filium (g) Dauidis, REGEM SVVM, vt sancti Patres, imò & plerique Hebræi exponunt apud Galatinum: ET PAVEBVNT AD DOMINVM, id est, summâ reuerentiâ, quasi pauentes & attoniti præ magnitudine beneficij, prosequentur Dominum, & omne BONVM EIVS, seu omnem beneficentiam, omnia dona ab ipso profecta, ac præ omnibus *Christum* filium eius, inquit S. Hieronymus & Hugo. Item multiplicia dona Spiritus sancti, ita Haymo, Albertus, Arias. Alij Sanctissimam Eucharistiam, cui adaptant illud Zachariæ: *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Sed hæc non facient Israelitæ, nisi IN NOVISSIMO DIERVM] id est, sub finem mundi, quando extincto, cui tanquam Messiæ suo adhæserant, Antichristo, perspectis illius fallacijs, ab errore suo resilient, & ad Christum eiusque Ecclesiam vnanimiter conuertentur, & sic *omnis Israel saluus fiet*, inquit S. Paulus, (h) & omnes Orthodoxi.

g Item. 30. v 9. Ezech. 34. v. 23. Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 39. Galatin. l. 3. c. 23.

Zachar. 9. v. 17.

h Rom. 11. v. 26.

CAPVT IV.

Causas cur ira & vindicta diuina adeò desuitura sit in Israelem, id est, in decem tribus; recenset frequentia maledicta, mendacia, homicidia, furta, adulteria, aliasque lasciuias, & neglectum religionis tam apud sacerdotes, quàm apud plebem.

℣. 1. IVDICIVM DOMINO CVM HABITATORIBVS TERRÆ Israeliticæ: id est, habet Deus quod in iudicio & pro tribunali iustè vobiscum expostulet, inquit Vatablus & alij. NON EST IN TERRA VERITAS, id est, fidelitas, quâ pacta & promissa seruetis, seu Deo, seu proximis vestris: nullam MISERICORDIA erga egenos & pauperes: DEI verò ne SCIENTIA quidem, maximè practica, quâ Deum vera fide cognitum æstimetis, reuereamini, ametis, colatis & seruiatis vt par est. Hanc enim scientiam passim inculcat S. Scriptura. (i) *Qui enim dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax (k) est.*

i In Prouerbiis, Ecclesiastico, &c.

k 1. Ioan. 2. v. 4.

℣. 2. SANGVIS SANGVINEM TETIGIT] Id est, cædes cædibus, vel, in genere, scelera sceleribus accumulantur, tam frequentia, tam densa, vt contigua sint, seque mutuò quasi manu contingant. Domus, vici, fora, templa, mœnia, agri, flumina, maria sceleribus inundant & exundant. ita Chaldæus, S. Hieronymus, Cyrillus, Gregorius, Haymo, Hugo & à Lapide.

Gregor. hom 11. in Ezech.

℣. 3. PROPTER HOC, in pœnam tot tantorumque scelerum, LVGEBIT; Chaldaicè, *vastabitur & desolabitur* omnis TERRA Israel: ET INFIRMABITVR ac debilitabitur OMNIS QVI HABITAT IN EA; Chaldaicè, *fame conficietur*, tabescet & morietur, IN, id est, vnà cum, (l) BESTIA AGRI, & cum VOLVCRE CÆLI: SED ET PISCES MARIS ad eumdem mortis acerbum CONGREGABVNTVR; LXX. & Chaldæus, *deficient ac morientur*. Idem Ægyptijs minatur Isaias. Nempe sic solet Deus hominum impiorum, qui terrâ & aquâ, iumentis & piscibus abutuntur, luxum sterilitate castigare, vt etiam nostro sæculo vidimus in Gallia, Scotia, Hollandia & aliis regionibus.

l Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 12.

Isai. 19. v 5.

℣. 4. NON IVDICET, id est, non increpet amplius, nec arguat quis alium delinquentem: quia frustra in ventos verba sparget apud tam peruicaces, tam obstinatos in scelere. q. d. Nimis leuis ac lenis est hæc medicina, vstione & sectione curandum

malum. POPVLVS ENIM TVVS, ô Osee, sic se gerit, SICVT QVI CONTRADICVNT SACERDOTI, renuentes obedire illius sententiæ: quòd scelus morte expiare iubetur in (a) lege. Vnde etiam tu, ô Israel,

a *Deut. 17. v. 12.*

℣. 5. CORRVES gladio Assyriorum, non post centenos aut millenos annos, sed HODIE, id est, breuî: nam præ foribus est lictor. Et pseudoprophetæ tui, qui falsò tibi adblandiuntur, VNÀ TECVM CORRVENT. Imò totam MATREM TVAM, id est, Synagogam Israeliticam, TACERE, id est, desinere, FECI. Alij ex Hebræo vertunt, *excidi*, idque *nocte*, id est, densis atque horridis calamitatum tenebris, quibus inuolueris. Fortè etiam noctu capta est ab Assyriis Samaria.

℣. 6. QVIA TV, ô Synagoga Israelitica, & Synagoga nobilior pars, cœtus sacerdotum, SCIENTIAM Dei, de qua suprà, (b) REPVLISTI, contempsisti, abiecisti; ex lege & pœna talionis tecũ agam, & ego TE quoque REPELLAM, NE SACERDOTIO FVNGARIS MIHI] ne me colas tibique deuincias aut reconcilies sacrificio, vel aliis veræ religionis actibus, ne sincera fide propinques mihi. Ex sacerdotio enim pendet fides, religio, reconciliatio, connexio cum Deo; ita vt eo sublato, hæc pariter omnia tollantur. ita ferè Chaldæus & Arias.

b *v. 1. hic.*

℣. 7. SECVNDVM MVLTITVDINEM EORVM] Id est, prout magis auxi sacerdotes prolibus, opibus, honoribus, eò magis auxerunt ipsi ingratitudinem suam & *peccata* in me, impẽdentes omnia seruitio & cultui non meo, sed meorum hostium, putà idolorũ.

℣. 8. PECCATA POPVLI MEI COMEDENT, id est, comedere solent. Futurum enim apud Hebræos sæpè designat consuetudinem agendi. Porrò *peccatum* sumitur hîc (c) pro victima oblata pro peccato. q.d. Ex hostiis & oblationibus populi (vt ipsis indulsi) epulantur ac ditantur: sed corrigendis compescendisque peccatis populi (quod maximè intendo) non studeut; potiùs, AD augendam INIQVITATEM popularium suorum, SVBLEVARE, erigere, excitare solent ANIMAS EORVM] Primò, negligentiâ suâ & socordiâ; Secundò, prauo exemplo; Tertiò, palpatione & adulatione, dum exc-nuant scelera, & alleuiant pœnas, quasi Deus populo suo non possit grauiter irasci. ita S. Hieronymus, Rupertus, Haymo, Liranus, Hugo, Ribera & alij. Vnde vt nunc est in scelere, ita

c *2. Cor. 5. v. 21.*

℣. 9. ERIT & in pœna SACERDOS par & similis *populo*.

℣. 11. FORNICATIO tum corporalis, tum spiritualis, (nempe idololatria, seu infidelitas) ET VINVM immodicè sumptum, id est, EBRIETAS AVFERVNT homini (d) COR] id est, mentem, rationem, iudicium, animum: dementant enim hominem & brutis similem faciunt, inquit Theodoretus, Theophylactus & Vatablus. Exemplo sit Samson, Salomon & tot alij apud Laërtium, Plutarchum, Brissonium & Valerium Maximum. Et en tibi signa dementiæ.

d *3. Esdr. 3. Prou. 20. v. 1. & c. 23. v. 29. c. 31. v. 4. Laertius l. 4. & 6. de Vitis Philosophorum. Brisson. l. 3. c. 33.*

℣. 12. POPVLVS MEVS pro eo quòd me Deum viuum & omniscium consuleret, iam luxu & libidine dementatus INTERROGAVIT & consuluit *lignum* surdum, cæcum, mutum, inane & mortuum. Quod vel de idolo accipias licet, vt accipiunt Chaldæus, Rupertus, Liranus: vel de *baculo* diuinatorio, vt S. Hieronymus, Haymo, Hugo, Vatablus & R. Moyses: qui addit, decorticato vna ex parte baculo, & in altum iecto, si primo casu latus decorticatum superius appareat, & secundo casu latus vestitum, prosperum sibi successum pollicebantur: sin contrà, aduersum: si vtroque iactu vel nudatum, vel vestitum latus appareat, dubium mixtumque euentum augurabantur. Fusiùs de ῥαβδομαντείᾳ, vt & (e) βελομαντείᾳ Rhodiginus & Delrio. ET BACVLVS *eorum* RESPONDIT *eis*. En secundum dementiæ indicium, quòd fortuito iactui & casui baculorum quasi diuino oraculo fidem habeant: nec aduertant, quòd SPIRITVS FORNICATIONVM, id est, ardor & libido fornicandi, vt Theodoretus, Theophylactus, Arias & alij exponunt: vel etiam dæmon fornicationi maximè spirituali, id est, idololatriæ, promouendæ inuigilans, DECIPIAT EOS hac viâ, vt sic eos pertrahat ad *fornicandum* A DEO SVO, prout reipsa contigit.

R *Moyses in explicat. 5. præceptis negatiuis.*

e *Ezech. 21. v. 21. Rhodig. l. 4. c. 29. Delrio l. 4. Disquis. Magic. c. 2. q. 7. sect. 3.*

℣. 13. IDEO etiam vobis in pœnam, FORNICABVNTVR FILIÆ VESTRÆ] cùm captiuæ abducentur ab Assyriis, qui pro libito eis abutentur, inquit Theodoretus, Haymo, Albertus & Hugo. Cumque id contingèt etiam in oculis vestris,

℣. 14. NON VISITABO SVPER illas, id est, non puniam, non impediam scortatores qui violant filias & sponsas vestras: quia VOS IPSI perpetuò scortamini non modò CVM MERETRICIBVS, sed & cum EFFEMINATIS, (f) seu scortis masculis, *consecratis* (vt est apud LXX:) Priapo aut Veneri, (g) aut Baali aut Astaroth. ita Cyrillus, Theodoretus, Rupertus & alij.

f *3. Reg. 14. v. 24. & c. 15. v. 12. & l. 4. c. 23. v. 7.*

g *Ibid. & Baruch 6. v. 42.*

℣. 15. QVOD SI TV, ô Israel, ô decem tribus, obstinatè decreueris in *fornicationibus* & idolomaniis tuis continuare; saltem ne serpat idem malum ad IVDA, ad duas primarias tribus, condecoratas templo, pontificatu, præsentia singulari & protectione Dei. NOLITE saltem vos, ô Iudæi, INGREDI ad idola exposita in *Galgalis* (h) & in *Bethel*. Quid dico *Bethel*, id est, *domus Dei*? debebam dixisse BETHAVEN, id est, *domus iniquitatis*, vt vertit Theodotion; vel *domus nihili*, vt Symmachus & Aquila. *Bethel* ergo hîc Propheta vocat *Bethauen*, in contemptum vituli aurei qui istic colebatur, inquit S. Cyrillus & alij antè citati. Et colligitur ex Amos 5. v. 5. qui penè eadem Osee verba vsurpat.

h *Iudic 3. v. 19. Iosue 3. v 9. & 1. Reg 10. v. 8. & c. 15. v. 33. & 4. Reg. 2. v. 1 & 4. v. 38.*

בית אל
בית און

NEQVE IVRAVERITIS per vitulum, tribuendo ei nomen *Iehoua*, seu Dei, dicendo de eo, VIVIT DOMINVS, seu iuro per hunc Deum, tamquam per primam, increatam & infallibilem veritatem: qui est actus latriæ. ita Theodoretus, Albertus, Hugo, Liranus, Ne serpat in tua viscera, ô Iuda, pestis quæ afflauit Israelem.

שררה

℣. 16. SICVT VACCA LASCIVIENS DECLINAVIT ISRAEL. Hebræum *sarera* significat vaccam quæ œstro vel lasciuiâ agitata, quasi furens, iugo excusso, huc illucque discurrit. q.d. Israel carens cerebro lasciuit vt petulca & insana vacca: ast tu, ô Iuda, persta vt leo, (cui te similem feci,) in lege, in fide, in cultu veri Dei. ita S. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, & Haymo. Quia verò voluit Israel vaccæ assimilari, PASCET DOMINVS Israelitas IN LATITVDINE, id est in campo lato, spatioso & fertili, sicut pascitur *agnus* qui saginatur ad victimam. q.d. Ne te, ô Iuda, offendat, quòd lasciuientem Israelem non statim puniam condignis pœnis, sed sinam diuitijs ac delicijs affluere: hoc enim facio, vt impinguetur magis magisque in dies. & sic Assyrios prouocet ad se spoliandum aciugulandùm. ita S. Hieronymus, Vatablus ac Liranus. Ergo ô Iuda,

i *Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 21.*

℣. 17. DIMITTE EPHRAIM, (i) id est, decem tribus: fuge commercium illius & societatem, etiam mensalem! Primò, quia PARTICEPS est IDOLORVM

IORVM & idolothytorum; Secundò, quia SEPARATVM est à lautitie solita CONVIVIVM EORVM. Ex Hebræo possis vertere, *defecit*, seu euanidum factum est *vinum*, id est, sympolion *eorum*. q.d. Non reperies penes illos quas soles, & quas quæris delicias? pro vino reperies acetum, pro saccharo absinthium. Tertiò, epulis distenti, vino inflati, FORNICATIONE *fornicantur*, (a) id est, toti ardent, toti feruntur in libidines. Quartò, PROTECTORES, id est, principes EIVS, Ecclesiastici & politici, non student honori, commodo vel vtilitati, seu suæ, seu reip. sed publico probro, ruinæ & euersioni, dum partim exemplo, partim legibus sanciunt fœdissimam idololatriam, fornicationem, crapulam. ita ferè S. Hieronymus, Chaldæus, Haymo, Hugo, Liranus, Arias. Quinta causa cur suadeam tibi, ô Iuda, procul fieri ab Israele, sequitur:

a *Ibid. n.* 49

℣. 19. LIGAVIT EVM SPIRITVS, id est, ventus, seu turbo, nempe diuinæ indignationis & vindictæ, IN ALIS SVIS] Vento enim dantur *alæ* per metaphoram, ad designandam illius velocitatem. q. d. Iam Israel traditus est arbitrio ventorum, vt cum celerrimè hinc transferant in Assyriam, indeque dispergant per vniuersum orbem, vt solent paleæ ventis & turbine in aëra tolli, contorqueri; dissipari, dispergi. ita Ruffinus, Theodoretus, Theophylactus. Ah, qualem turbinem, ô peccator, procreas tibi sceleribus tuis!

CAPVT V.

Etiam sacerdotes, etiam principes citat ad iudicium; quòd populo fuerint in laqueum & in ruinam. Vnde eis vnà cum populo, quin & vnà cum Iuda (qui Israelis scelera sequebatur) excidium intentat.

℣. 1. VOBIS IVDICIVM EST; LXX. *ad vos*. q.d. Vos Deus vocat ad dicendam causam in iudicio, sententiamque vestram & condemnationem audiendam. ita S. Hieronymus, Theodoretus, Theophyl. Hugo & Ribera. Quia *lemitspha*, id est, ipsi *speculationi*, (b) id est, populo speculando, seu vestræ speculationi, curæ & custodiæ commisso, FACTI ESTIS LAQVEVS, & pro pascuis amœnis ac lætis, qualia sunt per 26. stadia super verticem pulcherrimi Galilæę montis THABOR, quibus creditum vobis gregem reficere debebatis, retendistis ipsi RETE & insidias prauorum dogmatum & exemplorum, quibus eum præcipitastis in extremas miserias & calamitates. ita S. Cyrillus, Albertus, Hugo, Liranus, Sà & Mariana. Minùs rectè ergo Vatablus, Arias, Pagninus & alij Hebraizantes per *mitspha* hîc vrbem *Maspha* (c) accipiunt. Quia hæc non erat in finibus *Israelis*, de quo hîc agitur, sed in finibus *Iudæ*, teste S. Hieronym. Adrichomio, Borchardo & alijs: & etiam LXX. ac Chaldæus nomen hoc non propriè, sed appellatiuè accipiunt.

לְמִצְפָּה
b *Ezech.* 3. v. 17.

c 1. *Reg.* 7. v. 5. *Item* 40. v. 10.

℣. 2. ET VICTIMAS, quibus expiauda erant scelera, DECLINASTIS, id est, diuertistis à vero Deo, eiusque templo & altari Ierosolymitano, ad idola, & ad illorum fana & aras in Dan & Bethel: miserrimum populum sic trahentes IN PROFVNDVM idololatriæ, aliorumque scelerum, & scelera consequentium pœnarum, miseriarum & exitij. in Hebræo enim est, *victimam declinantes profundauerunt*. (d) ita S. Hieron. Albertus & alij iam citati. SED EGO ERVDITOR ERO OMNIVM EORVM] id est, docebo eos peruersè & perfidè agere, castigabo, puniam omnes condignis supplicijs.

d *Osee* 9. v. 9. *Isaiæ* 32. v. 6. & 6. 30. v. 33.

℣. 3. EGO SCIO, & probè perspectum habeo, ingenium EPHRAIM familiæ ac tribus inter vos regiæ & capitalis, vt ET ISRAEL, id est, reliquarum nouem tribuum. Videtur enim hîc, vt & v. 5. distinguere primates & regiam familiam ac tribum, à reliquo populo Israelitico. ita Theodoret. Rupertus, Arias, & alij suprà citati. De *spiritu fornicationum* suprà (e) dixi.

e *Osee* 4. v. 12.

℣. 5. ARROGANTIA, superbia, fastus Israelis, quo spernit Deum ac diuina, non opus est probetur multis argumentis, signis vel exemplis: sat RESPONDEBIT IN FACIE EIVS, id est, cernere illam est in vultu eius, relucet ex oculis & supercilijs altis, tumidis, inflatis. Sic Isaiæ 3. v. 9. *Aquitio vultus eorum respondit eis*, inquit Arias. Et notat ex hoc loco S. Gregorius ordinariam arrogantiæ pœnam esse lapsum in luxuriam, *iure* enim *prælium à subiecta carne suscipit*, qui *auctorem suum superbiendo contemnit*.

Greg. l. 26. Moral. c. 13.

℣. 6. IN, id est, cum, GREGIBVS SVIS VADENT AD QVÆRENDVM placandumque DOMINVM, nempe pressi iam & cincti, & vincti ab hoste, vouebunt offerentque victimas, quibus depellant imminentia vel incumbentia ceruicibus mala. sed frustra: nam ABLATVS EST AB EIS Deus; chaldaicè, *subduxit se maiestas eius ab eis*. Nolet afflictis adesse, oppressos iuuare, nolet agnoscere pro suis.

℣. 7. QVIA parentes alienati à Deo, à cultu diuino, à religione & pietate, GENVERVNT etiam FILIOS simili modo ALIENOS: quos proinde, vt spurios, reijciet & reprobabit Deus. Porrò reiectos ac desertos, NVNC, id est, iam iam, CVM omnibus PARTIBVS SVIS; LXX. *cleris*, id est, sortibus, id est, omnibus agris & terris quæ sortito cuilibet tribui & familiæ obuenerunt, (f) DEVORABIT ac perdere incipiet MENSIS proximè sequens. Videtur enim Propheta hæc dixisse iam finibus imminente Assyrio, inquit Vatablus, Clarius & à Lapide.

f *Iosue* 15.

℣. 8. CLANGITE BVCCINA è specula vrbium GABAA ET RAMA, quæ in monte sitæ erant in tribu Beniamin: nuntiate omnibus adesse Assyrios. q.d. Etiam vobis, ô Beniaminitæ, ô Iudæi, periculum imminet à vicino hoste. *Vlulatus* enim captorum & iugulatorum Israelitarum IN BETHAVEN, ecce ad cælum ascendit POST TERGVM TVVM, id est, iuxta te, ô BENIAMIN: imminet idem hostis etiam tergo & iugulo tuo. ita S. Hieronym. Hugo, Liranus, Ribera & à Castro. LXX. vrbes illas non propriè, sed appellatiuè accipiunt, cùm vertunt, *clangite tuba super colles, resonate in excelsis. Gabaa* enim *collem* significat, *Rama excelsum*.

℣. 9. EPHRAIM (id est, decem tribus) IN DIE CORREPTIONIS, id est, tempore punitionis per Assyrios, ERIT prorsus IN DESOLATIONE, id est, planè desolabitur. Et de hoc præmoneo tempestiuè omnes, sic *ostendens* FIDEM, seu fidelitatem, quam videor, debere amicis olim meis. ita ferè Chaldæus, Clarius, Vatablus & à Castro.

℣. 10. PRINCIPES IVDA pro eo quòd territi supplicijs Israeli inflictis, cauerent sibi ab illorum sceleribus, FACTI SVNT similes raptoribus qui *assumũt*; LXX. & Syrus, qui *transferunt*, agrorum TERMINVM, nempe vt illos inuadant. Nam terminos fidei, religionis & cultus diuini transferunt etiam ad idola Assyriorum & Chaldæorum, vt patuit in Achaz., (g) Manasse & alijs impijs idololatris. ita Theodoretus, Theophylactus, Ribera & alij. Quare etiam SVPER *illos* EFFVNDAM omnem IRAM MEAM, *vt* effundi solet AQVA, (h) ne guttulâ quidem in vase relictâ.

g 4. *Reg.* 16. v. 10. & 18.

h 1. *Reg.* 7. v. 6. & *Psalm.* 21. v. 15.

℣. 11. CALVMNIAM, vim & oppressionem PATIENS EST EPHRAIM sub iugo impiorum Assyriorum & crudelium tyrannorum. Et si quando vult

vult iudicio contendere cum oppressoribus, ab iniusto iudice frangitur & contemitur. Hæ quotidianę sunt Israelis querelæ. Et ita prorsus accidit. Sed sibi ipsi hoc imputet, QVONIAM COEPIT ABIRE POST SORDES, seu stercora, id est, post idola, inquit S. Hieronymus & LXX. Chaldæus, *post mammona iniquitatis*. Quid verò mirum, iniustè affligi: qui spreto iusto iudice, ad iudices iniustos vltrò confugerunt? Vnde licet iniustè opprimatur ex parte tyrannorum, iustè tamen sic punitur respectu suorum scelerum à iusto iudice Deo, cuius manum & iudicium numquam effugiet.

℣. 12. EGO autem nolo subitò & vno ictu fontes conterere, sed ero EPHRAIM QVASI TINEA, sensim ac paulatim consumens decem tribus per Assyrios, vt patet ex 4. Reg. 15. v. 19. & 29. DOMVI quoque IVDA ERO QVASI PVTREDO, seu phthisis, vel apostema, quod v. seq. vocat *vinculum*; Hebraicè, *colligationem*, id est, vulnus pannis obuolutum & vinculis obligatum. Porrò morbi & vlceris curandi causâ medicum, seu chirurgum vterque accessit:

a 4. Reg. 15. v. 19.

℣. 13. EPHRAIM sub Manahem (*a*) & Osee (*b*) ABIIT AD Phul & ad Salmanasar reges ASSVR. Simili modo ET Iuda sub impio rege suo Achaz (*c*) misit AD REGEM Teglatphalasar legatos & munera, tamquam ad communem oppressorum VLTOREM] Aquila & Theodotion vertunt, *iudicem*; Symmachus, *defensorem*. Sed frustra. Quia ego sum qui bellum contra VOS gero, ego qui hostes immitto.

b 4. Reg. 17. v. 3.

c 4. Reg. 16. v. 7.

℣. 14. EGO QVASI LEÆNA fortissima & ferocissima immineo ceruicibus EPHRAIM, ET QVASI CATVLVS LEONIS impauidus & inuictus, persequor *domum* IVDA: sternam, exscindam, absumam omnia, & onustus quantâ libuerit prædâ,

℣. 15. REVERTAR AD LOCVM MEVM in cælum. Persistit in metaphora leonis ac leænæ, quæ discerptâ ferâ, raptaque prædâ recurrit in speluncam suam, vt illic eam cum catulis suis per otium absumat. ita S. Cyrillus, Hieron. Theodor. & alij.

CAPVT VI.

Afflictis Israelitis & Iudæis, si sapiant, suadet vt ad cælestem medicum & chirurgum, nempe ad Christum, verum vnicumq; mundi redemptorem quantocyùs recurrant. Inuehitur in refractarios & immisericordes, maximeq; in Galaaditas, qui fidos Dei cultores ad templum Ierosolymitanum ascendentes, in via iugulabant.

℣. 1. TRIBVLATIONE SVA quasi igne excocti & purgati Israelitæ complures (*d*) ac Iudæi, transacta longa 70. annorum nocte, MANE noua felicitatis luce per Cyri victorias suborta, erecti animis, firmati viua fide, elati certissima spe CONSVRGENT vnanimiter AD ME placandum, sibique postliminio reconciliandum, (*e*) ita S. Hieronymus, Theodoretus, & Theophylactus.

d Osee 5. v. 6.

e Osee 3. v. 3.

℣. 2. VIVIFICABIT NOS: id est, è tristissima captiuitate, in qua quasi mortui, imò quasi *aridà* (*f*) *ossa* degimus, in libertatem, quasi in nouam vitam reducet nos Deus, POST DVOS miserrimos DIES, seu post duo tempora, primum, captiuitatis Assyriacæ; secundum, captiuitatis Babylonicæ. Suborta TERTIA DIE læta ac fausta victoriarum ac triumphorum Cyri, RESVSCITABIT NOS à morte ciuili ad vitam, à seruitute ad libertatem, ab exilio ad regressum in patriam. ita Hebræi & Hebraizantes. Nam SS. Patres omnes & Doctores orthodoxi contendunt agi hîc de Christo, & de redemptione ac resuscitatione à morte peccati & æterna ad vitam gratiæ, iustitiæ & gloriæ per Christum toti orbi obuentura *post duos*, id est, paucos *dies*, (*g*) seu post breue tempus, circiter 690. annorum: tot enim effluxerunt ab hoc tempore vsque ad mortẽ (*h*) Christi. ita explicant S. Cyrillus, Arias, Vatablus, à Castro & alij. Posset etiam cum Lirano & R. Salomone primus dies dici tempus quo floruit Synagoga sub regibus suis, cui successit nox captiuitatis Babylonicæ: Secundus dies, tempus quo floruit sub ducibus, cui successit nox seruitutis Romanæ sub Herode, eiusque filijs ablato prorsus sceptro (*i*) de Iuda: Tertius dies, tempus gratiæ sub Christo. Quin & ex hoc eodem *Osee* loco, * Tertullianus, Origenes, Lactantius, Cyprianus, Cyrillus, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Ruffinus, Nyssenus, Theodoretus, Haymo, Hugo, Liranus, Sà, Mariana, à Lapide & alij Catholici, imò & veteres Hebræi citati à Galatino, probant resurrectionem Christi post primum diem passionis, & secundum sepulturæ. Vnde illud Pauli, (*k*) *Resurrexit tertia die secundùm scripturas*, Anselmus & Dorotheus de hac *Osee* Scriptura intelligunt. Probant ijdem omnes ex hoc eodem loco etiam nostram resurrectionem meritis Christi tunc procuratam: quia resurrectione Christi, tamquam termino & coronide redemptio generis humani completa fuit, planeque perfecta: quâ Christus Ecclesiam suam vnà secum quasi viuificauit, & suscitauit ad vitam beatam & immortalem. Tropologicè partim, partim anagogicè, post diem primum naturæ & culpæ, & secundum gratiæ, contritionis & virtutum, sequetur tertius resurrectionis ad vitam & gloriam æternam, inquit S. Bernardus.

f Ezech. 37.

g Num. 9. v. 22. & c. 11. v. 19. Isaiæ 17 v. 6 Psal. 89. v. 4. Aggæi 2. v. 7.

h Chronm. 6. 7. 29. 36. 39. collata cum præfat. in Osee

i Genes. 49. v. 10.

* Tert. l. 4. cont. Marc. c. 43. Orig. hom. 5. in Exod. Lactan. l. 4. c. 19. Cypr. l. 2. cont. Iudæos c. 25. Cyr. Hieros. catechesi 14. August. l. 18. Ciuit. c. 28. & serm. 90. de Tempore Greg. hom. 20. in Ezech. Ruffin. in expos. Symboli. Nyssen. l. de cognit. Dei. Galatin. l. 8. c. 22.

k 1. Cor. 15. v. 4. Anselm. in 1. Cor. 15. v. 4. Doroth. in Vita Osee. Bern. serm. 72. in Cantica.

Porro EGRESSVS Messiæ è sinu Patris in mundum, dies incarnationis, natiuitatis ac resurrectionis eius PRÆPARATVS EST à Deo, iam inde ab æterno; Hebraicè, *nachon*, id est, fixo decreto & certissimo præparatus ac prædefinitus est, vt sit toti orbi QVASI DILVCVLVM vel aurora. Quia instar auroræ, depellet tenebras & fastidia longæ noctis ignorantiæ, peccati & mortis, optatissimamque toti orbi ac iucundissimam lucem doctrinæ cælestis, rorem multiplicis gratiæ, ac gloriæ plenitudinem aduehet, inquit Rupertus, Vatablus & alij suprà citati: De *imbre temporaneo* & *serotino*, alibi (*l*) dicam. Et hæc quidem maxima est misericordia erga vos mea: sed

l Ioel. 2. v. 23.

℣. 4. MISERICORDIA VESTRA in proximos egentes, quâ vultis subinde videri gratos vos erga me exhibere, modica est, & subitò pertransit atque euanescit, instar *nubis matutinæ* & *roris*, qui mox ad ortum & calorem Solis dispellitur, absorbetur atque exsiccatur. E contrario nequitia vestra solidissima constantissimaque permanst, marmoris instar vel adamantis.

℣. 5. PROPTER HOC DOLAVI vos multis dolabris, seu scalpris per meos *prophetas*, sed frustra: (*m*) potiùs scalpra mea confregi, ministros ac *prophetas* meos OCCIDI, dum VERBIS ORIS MEI, id est, meis monitis ac iussis, quibus vos instruebant, minabantur, carpebant, occasio illis fui necis à vobis illatæ. Exemplo sit *Iehu* filius Hanani, (*n*) *Addo*, (*o*) & tot alij Prophetæ (*p*) à Iezabele occisi. ita S. Hieronymus, Haymo, Albertus, Liranus, à Castro, Prado, Sà, Mariana, à Lapide.

m Ierem. 6. v. 27.

n 3 Reg. 16. v. 7.

o 3. Reg. 11. v. 4. & 24.

p 3. Reg. 18. v. 24 &c. Pradus in Ezech. 24. v. 12.

IVDICIA TVA, id est, condemnatio tui & castigatio in iudicio tum diuino, tum humano, EGREDIETVR QVASI LVX] id est, ab omnibus vbique, velut in clarissima luce videbitur, censebiturque

turque iustissima esse. ita S. Hieronymus, Theodoretus, Arias, & alij iam citati. Neque est quòd putetis, me victimis vestris, quas importunè ingeritis, placandum:

a *Proleg. de Idiotismis Hebr. n.6. & Isaiæ 1. v.11. Ierem. 7. v.22. Psalm.49. v.13. 1.Reg.15. v.22. Cypr. supr. l.3. c.5. August. l.10 Ciuit. c.5. & l.9.c.5. & alibi.*

¥. 6. QVIA MISERICORDIAM & pietatem in egenos VOLVI, ET NON (*a*) SACRIFICIVM. Est hebraismus. q.d. *Misericordiam malo, quàm sacrificium*, vt LXX. Chaldæus & alij verterunt. Licet enim sacrificium nobilius sit ratione formalis obiecti, quod est honor Dei; tamen misericordia ratione caritatis eam imperantis, & ratione necessitatis eam exigentis, sæpè melior nobiliorque est, ideoque præferenda, teste etiam Christo Matth. 12. v. 7. ita S. Cyprianus, Augustinus, Theodoretus & alij suprà citati. Porrò *misericordia* hîc non sumitur pro solo actu externo, sed prout internæ pietati conb *Osee 4. v. 1.* iunctus est. Sic SCIENTIAM DEI intelligit hîc non merè speculatiuam, sed practicam, quæ coniungitur cum interna externaque Dei reuerentia, pietate, caritate & misericordia, vt alibi (*b*) dixi. Opponit enim hîc veram solidamque pietatem nudo externoque actui sacrificij. Quo solo contenti Israelitæ, neglexerunt internos verosque pietatis actus: sic PACTVM *meum*, (id est, fœdus, quo stipulatus sum, vt tam internum quàm externum cultum mihi deferrent,) liberrimè *transgredientes*, & IBI, id est, in ea re audacissimè contra ME Dominum ac Deum suum *præuaricantes*; non secùs ac si pactum quod mecum inierunt, pactum esset ADAM, id est, hominis, seu cum simplici homine initum, qui non intuetur cor, neque curat interna, sicut ego, qui sum cardiognostes, nec contentus sum solis externis cæremonijs; sed veras, internas, solidasque virtutes deposco. ita ferè Theodoretus, Vatablus, Clarius & Arias. Sed C S. Hieronymus, Cyrillus, Rupertus, Hugo & Liranus hæc de *Adamo* propriè sumpto intelligunt. q.d. Imitantur primum suum, totiusque orbis parentem: nam, sicut ille in paradiso terrestri, ita ipsi ibidem, id est, in suo paradiso spirituali, putà Iudæa, Ierosolyma, templo, *præuaricati sunt in me.*

c *Iosue 21. v.17. & 1.Par.6. v.80.* ¥. 8. GALAAD ciuitas sacerdotalis (*c*) & refugij, ideoque sancta, eis Iordanem, alio nomine dicta *Ramatha*, (*d*) vel *Ramoth* (*e*) *Galaad*, iam facta est CIVITAS & metropolis OPERANTIVM, id est, fabricantium, ornantium, colentium IDOLA. ita S. Hieronymus. SVPPLANTATA SANGVINE] Leo Hebræus vertit, *oppressa sanguine*; alij Hebræi & Pagninus, *fœdata sanguine*. q.d. Ita dedita fuit sanguini fundendo, vt sub plantis incolarum nil nisi sanguis appareret in quo tota ciuitas natat. Quæ perpetuò hiat. D

d *Iosue 21. v.38.* e *4.Reg.9. v.1.*

¥. 9. QVASI FAVCES LATRONVM, inhians nouis continuò cædibus: PARTICEPS & consociata cuneo SACERDOTVM idololatricorum vicinæ Bethel, qui cultores veri Dei ascendentes DE SICHEM Ierosolymam in Paschate, Pentecoste, Scenopegia, trucidabant in via. Quod SCELVS est horrendum & execrabile; hebraicè, *zimma*, id est, piaculum, abominatio. Neque tamen culpo solos Galaaditas: etiam reliqua omnia oppida fœdis abominandisque sceleribus inquinata sunt. זמה

¥. IN tota DOMO ISRAEL, per omne regnum decem tribuum, VIDI rem *horrendam*, putà FORNICATIONES, id est, idololatrias; EPHRAIM, nempe cultum vitulorum aureorum quos Ieroboam ex Ephraim (*f*) oriundus, inuexit in omnes decem (*g*) tribus: & sic CONTAMINATVS EST his sordibus totus ISRAEL, SED ET IVDA quoque afflatus est eodem malo. Ita distinguunt

f *3.Reg.12. v.26.* g *Ibid. c.12. v.16.*

A Hebræa, Chaldæus & LXX. Etiam, ô ingrate Iuda,

¥. 11. PONE MENSEM TIBI, id est, demete, reconde, comede fructus infelicis seminis idololatrici in te sparsi: & gusta, an respondeant fructibus tibi ex cultu veri Dei suboris, tum olim, tum recèns, CVM CONVERTI CAPTIVITATEM POPVLI MEI] id est, tuam tuorumque liberorum, cùm ducenta millia (*b*) à *Phacee* capta, iussi sine lytro vobis restitui: & recentissimè per *Ieroboam* regem Israel reddidi vobis ereptam Syris *Damascum* & *Emath.* (*i*)

h *2.Par.28 v. 8. &c.*

i *4.Reg.14. v.25. & 28.*

CAPVT VII.

Inuehitur in nequitiam Iehu regis, totiusque Israelis cum eo idololatrantis: comparatque furno succenso, fermento, serpenti, pani subcinericio, columbæ excordi & ignaui doloso.

B ¥. 1. CVM per regem *Iehu*, quasi per chirurgum meum euocatum è Galaad, (*k*) vbi ob aromatum & pharmacorum copiam, plurimi præstantissimique medici & chirurgi degunt; (*l*) SANARE VELLEM apostema idololatriæ Israelis per Ieroboam, (*m*) Achab (*n*) & Iezabelem nuper inuectæ, atque in hunc finem præceperim ei euertere cultum Baal, eiusque Prophetas ac totam familiam Achab: (*o*) & iam parum abesset, quin totum idololatriæ regnum penitus euerteretur; ecce tibi, præter omnium opinionem, reuiuiscentem rursus, palamque, REVELATAM per eumdem Iehu INIQVITATEM EPHRAIM, id est, idololatriam per Ieroboamum ex *Ephraim* oriundum inuectam in Israel, putà cultum vitulorum aureorum, quem neglectũ iam pridem, & superinducto cultu Baal penè suppressum, Iehu rursus excitauit (*p*) & in lucem pertraxit. Idque MALITIA SAMARIÆ, id est, maligno consilio Samaritanorum regis consiliariorum, qui fraudulenter ac mendaciter nouo regi suggerebant, non posse nisi hac viâ subditos contineri in fide & obedientia regis. Quod splendidissimum est mendacium, cùm solidum regni fundamentum, ac firmamentum sit vera fides, vera religio, & sincerus cultus veri Dei, vt optimè demonstrat S. Augustin. editis de hoc argumento tot libris de Ciuitate Dei. & res ipsa loquitur, quàm stabile, quàm tutum, quàm firmum redditum sit hac via regnum Iehu. Vix enim publicarat cultum vitulorum, ET subitò FVRES AC LATRONES, tum domestici, (*q*) tum externi nempe Syri & Assyrij inuadunt agros & vrbes Israelitarum, (*r*) vastantes & expilantes omnia. ita Chaldæus, Theodoret. Theophyl. Dionysius, Liranus, Arias, Ribera & à Lapide.

k *4.Reg.9. v.1.* l *Ierem.8. v.22.* m *3.Reg.18. v.16. & c.21. v.25.* n *c.16. v.32.* o *4.Reg.9. v.7.* p *Ibid. c.10. v.29.* q *Osee 6. v.9.* r *4.Reg.10. v.32.*

¥. 2. Nec est quòd DICANT, quòd cogitent, quòd querantur, ME præteritam patentum EORVM MALITIAM RECORDATVM, ob eam solam filios iam plectere: nam propriæ illorum ADINVENTIONES, quas impudenter CORAM FACIE MEA quotidie nequiores ac sceleratiores ingerunt, tanto numero sunt, vt eos undique *circumdent* & in orbem cingant, adeò vt eas negare, occultare vel excusare non possint. ita ferè S. Hieron. Haymo, Hugo, Liranus, Arias, Ribera.

¥. 3. REGEM Iehu, ET PRINCIPES cum eo conspirantes, LÆTIFICAVERVNT & exhilararunt SVA MALITIA ET MENDACIIS] id est, perfidiâ suâ, quâ Primò, defecerunt à regia familia (*s*) Achabi; Secundò, occiderunt 70. filios Achabi commissos suæ (*t*) fidei, & 40. fratres Ochoziæ. Hæc enim omnia parrarũt non intuitu iussi diuini, (quod ignorabãt) sed affectu complacendi nouo regi violentè

s *Ibid. v.5.* t *v.6. & 7.*

lentè ac tyrannicè, (vt opinabantur) regnum inuadenti. Quòd enim Iehu mandato Dei per Prophetam vnctus esset & creatus rex, secretum (*a*) erat, & latebat Samaritas. Qui

a c.9.v.2.

℣. 4. OMNES sunt ADVLTERANTES, id est, idololatrantes, maximè cum vitulis aureis. Quarũ cultui, in gratiam (*b*) noui regis sui adeò inhiant, vt videantur satiari non posse illis colendis, sed QVASI CLIBANVS SVCCENSVS, quò plus fomenti injicitur, eò magis accenduntur & ardent. (*c*) Non tamen simul vno eodemque momento proruperunt in hoc malum, sed sensim ac pedetentim. Quamdiu enim Iehu occupabatur exstirpando cultu Baal, & posteris Achabi delendis, tacuit de cultu vitulorum: atque ita QVIEVIT tunc PAVLVLVM CIVITAS Samaria A COMMISTIONE FERMENTI illius idololatrici; sinebat tamen occultè, ac paulatim etiam publicè inualescere fermentum, atque ad plures proserpere, DONEC tandem, adiectis etiam legibus ac mandatis, quibus iussit rex publicè vitulos vbique coli, *tota* reipubl. massa fermentata, infecta & corrupta fuit. ita S. Hieronymus, Cyrillus & alij iam citati.

b c.10.v.29

c Prou. 30. v.15.

℣. 5. DIES hæc est REGIS NOSRTI, læta, fausta, & qualem diu vouimus. Acclamantis populi voces sunt. Nec in plebeiis res stetit: COEPERVNT & PRINCIPES ac primates regni omnes FVRERE quasi ebrij ex pestilenti hoc VINO. Quin & rex ipse EXTENDIT MANVM SVAM ad eosdem calices, id est, etiam ipse vnà CVM ILLVSORIBVS istis Samaritis coluit publicè vitulos: nec aduertit, hoc politico, sed pestilenti consilio, turpiter sibi *illudi* & imponi, vt sic præda fieret hostibus (*d*) suis, & vt citiùs sceptro priuaretur, & omnis eius posteritas stirpitus (*e*) exscinderetur. Porrò deceptus ipse, decepit & suos:

d 4.Reg. 10. v. 32. & c.13. v. 3. 7. 12.

e Ibid. c. 15. v. 10. 12.

℣. 6. QVIA CVM anxius de successu rei *insidiosè* per emissarios ageret cum primarijs vt eos ad cultum vitulorum pelliceret; omnes statim eò APPLICVERVNT COR SVVM QVASI CLIBANVM, affectu erga idola hæc æstuantem. Quo cognito Iehu, securus, instar hominis TOTA NOCTE in vtramque aurem dormientis, permisit eos in hoc suo errore *coqui*, id est, fermentari paulatim: ipse interim, instar pistoris, furnum tota nocte calefecit, cui massam plenè iam fermentatam, summo MANE, id est, prima commoditate inferret: quâ oblatâ, intulit tanto ardore, vt videretur totus ardere, adeoque ipsemet esse IGNIS SVCCENSVS, & FLAMMA. Quâ omnes vicissim

℣. 7. CALEFACTI SVNT, vt non iam viderentur esse massa furno imposita, sed ipsemet CLIBANVS flammâ succensus: vnde & mox instar clibani ardentis DEVORAVERVNT, & in se suamque idololatriam pertraxerunt IVDICES SVOS, si qui forsan adhuc integri superessent: coëgeruntque non solùm vitulos vnà secum colere, sed & lege lata cultum eorumdem stabilire. Et in hunc patefactum ab eis clibanum CECIDERVNT OMNES, qui Iehu secuti sunt REGES: nullus eorum omnium CLAMAT ad ME, omnes idola inclamant. ita S. Hieronymus, Haymo, Hugo & Liranus, nisi quòd hi omnia applicent non Iehu, sed Ieroboamo primò. Verùm his obstat, quòd Samaria tunc temporis necdum condita (*f*) fuerit: nec tunc sanandus erat Israel, sed potiùs Iuda, qui causa (*g*) erat omnium malorum, vt optimè notauit à Lapide.

f 3.Reg.16. v. 24.

g Ibid. c 12. v.13.

℣. 8. EPHRAIM, id est, populus Israel, COMMISCEBATVR varijs POPVLIS, Tyrijs, Ægyptijs, Syris, Assyrijs, cum quibus Israelitæ fœdus & amicitiam inierunt, commercia exercuerunt, connubia iunxerunt; & hæc est causa lapsus (*h*) illorum in tam fœdas idololatrias. Quin & vsque eò se coniunxit Israel externis populis, vt instar PANIS SVBCINERICII, numquam in aduersum latus inuersi, solertiâ, fraudibus & potentiâ illorum paularim ambustus sit vna ex parte, comestus ex altera; verbo vno, totus ab illis absumptus est, nec tamen scit aut agnoscit malum suum, etiam nunc, cùm CANI EFFVSI SVNT IN EO] id est, cùm prorsus incanuit, & per consequens morti & exitio proximus est. Nec audet sese hostibus, instar animosi leonis opponere, sed

h Psal. 105. v.35.

℣. 11. QVASI COLVMBA excors & imbellis, sinit se irretiri, capi, & captiuum abduci.

℣. 12. SECVNDVM AVDITIONEM COETVS EORVM] Id est, sicut olim à Moyse, (*i*) & recens à Prophetis (*k*) audiuit tota congregatio Israelis, scilicet se grauissimè puniendam à Deo, si ab eo deflecteret ad deos & mores Gentium: ita nunc de facto puniam, *cædam* & exscindam illam.

i Deut. 17. & 18.

k 4.Reg.17. v.13.

℣. 13. EGO sum qui REDEMI EOS, & eduxi è manu Ægyptiorum per Moysen, Chananæorum per Iosue, Madianitarum per Gedeonem, Ammonitarum per Iephte, Philisthæorum per Samsonem, per Samuelem, per Dauidem, Syrorum per Eliseum, &c. IPSI tamen eiusmodi redemptionem non mihi, sed idolis suis, (*l*) vel Gentibus auxiliatricibus mendacissimè adscribunt, inquit Chaldæus, S. Hieronymus, Theodoretus, Cyrillus, Vatablus & alij.

l Exodi 32. v. 8.

℣. 14. VLVLABANT, id est, vlulatu & horrendis clamoribus opem exposcebant deorum suorum, vt factum sub Elia. (*m*) De reliquo non aliud cogitant, non aliud sitagunt, quàm SVPER TRITICVM ET VINVM *ruminare*, id est, escis & potibus ventres implere, flocci pendentes opem meam, quam toties sunt experti. ita Vatablus, Clarius, Arias.

m 1.Reg.18. v.19.& 28

℣. 15. EGO enim sum qui perpetuò ERVDIVI EOS ad bellum, (*n*) viam, vires, media subministraui, quibus hostes suos debellarent. At ipsi COGITAVERVNT MALITIAM IN ME] id est, statuerunt, viribus & armis à me acceptis vti aduersum me pro suis idolis, iuratis hostibus meis.

n Psal. 143. v. 1.

℣. 16. REVERSI SVNT ad pristinum suum ingenium, VT ESSENT filij Belial, (*o*) id est, ABSQVE IVGO, effrænes, exleges, Deo rebelles, imò athei, omnis imperij, omnis disciplinæ impatientes. Imò FACTI SVNT QVASI ARCVS DOLOSVS, qui sagittam in sagittarium remittit. Iehu enim cum suis à me dirigebatur vt idola & idololatras exscinderet: (*p*) at ille telum in me retorsit, meique cultum excidit, & cultum vitulorum propugnauit. (*q*) Sed vicissim faxo ego, vt non modò plebs, sed & PRINCIPES EORVM, A FVRORE LINGVÆ SVÆ, id est, ob impias & furibundas blasphemias suas iam (*r*) recensitas, CADANT MOX GLADIO (*s*) Syrorum. ita S. Hieronymus, Albertus, Haymo, Liranus & Hugo. Porrò nihil nouum est sic delirare Israelitas; ISTA est inolita & consueta SVBSANNATIO EORVM, qua mihi perpetuò illuserunt, & idolis arriserunt atque applauserunt, iam inde à tempore quo captiui fuerunt IN TERRA ÆGYPTI] ita Theophylactus, S. Hieronymus, & alij iam citati.

o Deut. 13. v.13. & Prou. 6. v.12.

p 4.Reg 9. v.7.

q c.10.v.29. & 31.

r Hic v.13. & sqq.

s 4. Reg 10. v.31.

CA-

CAPVT VIII.

Minatur Israelitis excidium Deus, quòd se inconsulto, factiosè ac violentè secesserint à domo Dauid, & vitulos aureos coluerint, & Assyrius confœderati sint. Ideoq; ab illis ipsis exscindendos praedicit vnàcum delubris, palatijs & vrbibus suis.

℣. 1. IN GVTTVRE TVO SIT TVBA, id est, clamore quasi tubali, proclama (*a*) publicè: Ecce imminet tyrannus Assyrius, & post etiam Chaldæus, qui QVASI AQVILA (*b*) ex improuiso & summo impetu ruet SVPER DOMVM DOMINI] id est, irruet in terram sanctam, (*c*) primò decem tribuum, dein & reliquarum duarum, imò & in ipsum templum Dei, omniaque diripiet, succendet, exscindet. De Assyrio Sennacherib accipit hæc Arias: de Salmanasare à Castro & plures alij: de Nabuchodonosore S. Cyrillus, Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus; Albertus, Hugo, Liranus, Vatablus & Ribera.

a *Isaiæ* 58. *v.* 1.

b *Ezech.* 17. *v.* 3. *Ierem.* 48. *v.* 40. *Habacuc* 1. *v.* 8.

c *Ierem.* 11. *v.* 15. & 12. *v.* 7.

℣. 2. INVOCABVNT tunc ME, cùm sentient imminere sibi exitium. Tunc dicent, O DEVS noster, ad te sunt oculi nostri. Nos qui sumus ISRAEL, id est, Iacobi patriarchæ, filij & heredes, COGNOVIMVS TE iam inde ab antiquo, & etiamnum agnoscimus te Deum vnicum protectorem, adiutorem, saluatorem nostrum. ita Chaldæus, S. Hieronymus & alij iam citati.

℣. 3. PROIECIT ISRAEL à se omne BONVM, nempe Deum, eiusque cultum, fidem, religionem, pietatem, omnemque virtutem. nec nisi ex seruili metu iam confugiunt ad me, cùm à nullo alio sentiunt se posse iuuari. Vnde meritò denegabo Israeli opem meam: quâ destitutum INIMICVS PERSEQVETVR, & certò citoque obruet. Sed sunt & aliæ causæ, cur Israelitas deserere decreuerim. Prima, quia non sunt ampliùs meus populus, mea resp. meum regnum, sed alienum, sed spurium, sed adulterinum. Nam

℣. 4. REGNAVERVNT, id est, reges sibi (*d*) constituerunt. vel etiam propriè IPSI reges eorum *regnauerunt*, ET NON EX ME, (*e*) id est, meo iussu, meo decreto, mea institutione vel nutu, sed ex se, & mera vi ac tyrannide. Vnde nec legitimi sunt reges, sed inuasores & iniusti vsurpatores, contra ius & fas inducti, imò intrusi per meros sicarios, factiosos & legitimo principi suo rebelles. Loquitur enim hic non de Ieroboamo, vel Iehu, vt multi opinantur, (quia hi diuino decreto regnum (*f*) capessiuerunt:) sed de vltimis regibus *Sellum*, (*g*) *Manahem*, (*h*) *Phaceia*, (*i*) *Phacee* (*k*) & *Osee*, (*l*) quorũ tempore prophetauit hæc noster (*m*) Osee, qui mera vi ac tyrannide regnum inuaserunt, ac tenuerunt. ET ego NON COGNOVI, scilicet practicè, id est, non (*n*) approbaui, non agnoui eos pro legitimis regibus, inquit S. Hieronymus, Gregorius & alij. Secunda causa est, idololatria, VT INTERIRENT] id est, ad interitum suum & excidium inuecta atque hactenus continuata. Nam vnà cum *vitulo tuo* ô Samaria, qui diuino decreto per Assyrios ex nunc, pro tunc

d *Proleg. de Idiotismo Heb. n.* 60.

e *Prou.* 8. *v.* 15.

f 3. *Reg.* 12. *v.* 31. & 37. & 15. 12. *v.* 14. *Item* 4. *Reg.* 9. *v.* 6. & 10. *v.* 30.

g 4. *Reg.* 15. *v.* 10.

h *Ibid. v.* 14.

i *v.* 22.

k *v.* 25.

l *v.* 30.

m *Osee* 1. *v.* 1.

n *Matth.* 25 *v.* 21. *Greg. l.* 2. *Moral. c.* 4.

℣. 5. PROIECTVS EST in terram, & in frusta comminutus, etiam tu proijcieris & comminueris. Et quousque NON POTERVNT EMVNDARI istæ tuæ sordes? quousque durabit hæc tua obstinata idololatrandi & vitulum colendi pertinacia?

℣. 6. IPSE EST vitulus, putà Apis, qui ex fæcibus Ægypti adhęsit Israelitis inde egressis: sed mox à Moyse confractus & in puluerem redactus, non comparuit ampliùs in Israel, donec nequitiâ Ieroboami rursus ex cineribus eductus est: vnde A non iam ex Ægypto, sed EX ISRAEL proserpsit hoc monstrum: sed faxo, breui per Assyrios instar TELÆ ARANEARVM diffletur & pessumdetur. Neque verò proderit illis vel hilum hæc vituli erectio ad stabilitatem (*o*) (vt putant) regni sui.

o 3. *Reg.* 12. *v.* 26.

℣. 7. VENTVM SEMINABVNT, id est, facient opus inane, futile, stultum & noxium sibi. Quos enim alios fructus sperent ex vento proseminato, quàm terræ motum, pulueris nubem, & ventorũ (*p*) TVRBINEM? Et verò hæc METENT, neque alia. Nam vt inde nascatur CVLMVS aut aliud germen, ex quo FARINA vel panis colligatur, scilicet superni auxilij, protectionis, solatij, spes nulla est. QVOD SI, me conniuente, ipsis inde (vt falsò opinantur) aliquæ temporales opes, aliáve commoda obueniant, ALIENIS, id est, Assyrijs, cedent hi fructus, isti COMEDENT & absument omnes.

p *Osee* 4. *v.* 19.

℣. 8. ISRAEL ex vase gloriæ, FACTVS EST QVASI VAS IMMVNDVM] id est, matula, vt Hebræi vertunt, quæ omnium *nationum* sordes & stercora, id est, ingestam ab omnibus ignominiam, probra & iniurias excipiat, inquit S. Hieronymus & Ruffinus. Et verò damnatos etiam à Romanis ad stercora efferenda, testes sunt Iuuenalis, Martialis, Fortunatus & alij. Sic scorta, sic epulones, sic omnes peccatores, quid aliud sunt quàm matulæ, quàm cloacæ, quàm latrinæ? inquit Delrio.

Iuuen. Satyra 3. *Martial. l.* 4. *epigramm.* 4. *Fortun. l.* 5. *Carm. epist. ad Gregor. Delrio adagio* 949.

℣. 9. IPSI Israelitæ, petendæ opis causâ, ADSCENDERVNT AD *Assyrios*. Diffidebat enim propijs viribus ONAGER, id est, asinus siluester (qui iugum legis diuinæ iam pridem excusserat) SOLITARIVS SIBI relictus: vnde & *muneribus* coemit opem amasiorum suorum. Ita coëmisse *Manahem*, *Osee* & alios reges testatur sacra historia. (*q*) Sed coëment in perniciem suam.

q 4. *Reg.* 15. *v.* 19. & 17. *v.* 3.

℣. 10. Nam CONGREGABO EOS nihilominus, scilicet ad plures iam mortuos, id est, perdam & exscindam illos, & quidem per ipsosmet Assyrios quos MERCEDE & muneribus ad se euocarunt. QVIESCENT quidem PAVLISPER, beneficio *oneris*, seu tributi quod rex Manahem & Osee consilio principum Israelitis imposuit (*r*) ad redimendam vexam Assyriorum: sed quies ista non diu durabit: nam mox ab ijsdem nouis bellis impetentur, (*s*) obruentur, exscindentur. Quid verò iuuat Israelem, quòd

r *Ibidem.*

s 4. *Reg.* 15. *v.* 29. & 17. *v.* 4.

℣. 12. SCRIBAM EI, seu olim per Moysen, seu recèns per tot Prophetas, MVLTIPLICES LEGES MEAS, quibus conor eum in officio continere, promittendo cultoribus ampliſſima præmia, transgressoribus horrendas pœnas; cùm hæ meæ leges omnes ab ipso VELVT ALIENÆ, & ad se nil spectantes, perpetuò COMPVTATÆ SINT? Ita ferè S. Hieronymus & Syrus & Vatablus & alij recentiores. Nihil item iuuabit miseros, quòd proximi iam exitio

℣. 13. HOSTIAS OFFERENT Domino, quia DOMINVS NON SVSCIPIET EAS, non habebit gratas, non placabitur illis; Hebraicè *non volet* hostias, *non delectabitur illis*. Causam alibi (*t*) exposui. Vnicum desperatis erit refugium, *Aegyptus*: eò CONVERTENTVR, eò diffugient qui gladios & carceres effugerint Assyriorum. Sed heu, ad quale asylum! in quo non vitam, sed sepulchrum inuenient, vt patebit cap. sequenti. (*u*) ita S. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Vatablus & Arias. Ad idem asylum, sed pari successu confugerunt etiam Iudæi (*x*) post Ierosolymam à Chaldæis excisam. Tropologicè, peccator aduersus offensum Deum frustra

t *Isaiæ* 1. *v.* 11. *Osee* 6. *v.* 6.

u *Osee* 9. *v.* 6.

x *Ierem.* 44. *v.* 12. *&c.*

quærit

quæritauxilia vel solatia ex creaturis, quæpotiùs A
a *Sap.* 14. *v.* 11. erunt ipsi in laqueum(*a*)& ruinam. Sic tribus Iuda, territa clade Israelis

℣. 14. MVLTIPLICAVIT, id est, multas exstruxit sibi VRBES MVNITAS, non tam Deo fidens, quàm mœnibus & armis: sed cui bonos
b 2. *Par.* 28 *v.* 20. & *c.* 31. *v.* 1. MITTAM enim primò per Sennacherib, (*b*) vt vult Haymo & Hugo: deinde per Nabuchodonosorem, (*c*) vt S. Hieronymus, Liranus & alij, IGNEM
c *Ibid. c. vlt. v* 19. IN EIVS CIVITATES & arces, qui DEVORABIT & absumet omnes magnificas ÆDES; Hebraicè,
ארמנות *armenot*, id est, palatia, ILLIVS.

CAPVT IX.

Israeli ex opibus lasciuienti, deosque Gentium quasi earum datores ludu & festu colenti minatur egestatem, captiuitatem, cædem filiorum, vuluam sterilem, ubera arentia, perpetuum repudium, & vniuersale excidium.

℣. 1. NOLI, ô ISRAEL LÆTARI, NOLI ludis & festis publicis, SICVT solent POPVLI Gentiles, testarum facere animi tui gaudium, ex eo conceptum, quòd FORNICATVS sis A DEO TVO, id est, quòd auersus à Deo, iam colas idola, à quibus quasi nouis amasiis, *diligis*, optas & exspectas MERCEDEM meretriciam (pro adulterio tuo) SVPER OMNES AREAS, id est, ex omnibus areis, TRITICI. Neque enim hæc idolorum sunt, sed mea. Vnde efficiam, vt

℣. 2. AREA ET TORCVLAR non modò non ditent vos, sed & *ne* PASCANT quidem. Quin ET VINVM, quod vitis ex vuarum copia valdè multum & præstans promittebat, MENTIETVR vobis & fallet vos, cùm vel nihil ex eis succi boni, vel parùm admodum exprimetur: &, quod amplius est, saxo vt Israelitæ omnes in exilium deportentur, &

℣. 3. NON amplius *habitent* IN TERRA DOMINI sancta, fertili, amœna: sed vel profugi recurC
d *Osee* 8. *v.* 13. rant (*d*) IN ÆGYPTVM, terram profanam & Israelitis fatalem: vel captiui abducantur in Assyriam, vbi POLLVTVM cibum COMEDENT, nempe idolothyta,
e *Leuit.* 12 *&c.* & cibos lege *e* vetitos, ideoque immundos. ita S. Hieronymus, Chaldæus, Theophylactus, Haymo, Hugo, Liranus.

℣. 4. LIBABVNT ibi VINVM, non Deo, sed idolis & dæmoni: vel certè si qui Deo sacrificare voluerint, NON PLACEBVNT EI eiusmodi sacrifi
f *Osee* 8. *v.* 13. cia, tum quia sine interna pietate, vt suprà (*f*) dixit, tum quia extra locum à Deo præscriptum, putà extra templum Ierosolymitanum, offeruntur, con
g *Leuit.* 17. *v.* 3. & *Deut.* 12. *v.* 6. tra expressum mandatum (*g*) Dei. Ergo SACRIFICIA EORVM QVASI PANIS, seu cibus, LVGENTIVM, id est, sunt immunda, & contaminant eos qui ex illis degustant, sicut epulum funebre degustantes omD
h *Num.* 19. *v.* 11. 14. 16 nes per septiduum immundos (*h*) reddit. QVIA soli ANIMÆ IPSORVM, seu vitæ fouendæ deseruire, NON verò *intrare*, seu inferri permittitur IN DOMVM DOMINI, vt Deo offeratur, cùm sit immundus eiusmodi cibus, vt iam dixi. ita ferè S. Hieronymus, Ruffinus, Theophyl. Hugo, Arias & Ribera. Quòd si sacrificia vestra sint immunda omnia & tristia,

℣. 5. QVID FACIETIS miselli, IN DIE SOLEMNI, IN DIE FESTIVITATIS DOMINI tertiò quotannis recurrente?. q. d. O quàm triste vobis istic in exilio agendum Pascha, Pentecoste, Scenopegia, & reliqua anni festa, quæ tanto gaudio in patria peragere solebatis! inquit Theodoret. Arias & Liranus.

℣. 6. ECCE ENIM A VASTITATE & excidio Samariæ profugi Israelitæ procul à patriæ finibus PROFECTI SVNT in Ægyptum, vulgare, sed fatale asylum. CONGREGABIT quidem EOS ÆGYPTVS, & sinu suo excipiet, sed mox, seu ferro, seu veneno, seu inopiâ, seu tabe, seu alio exitiali morbo ex viuis mortuos reddet: ET MEMPHIS, (*i*) prima- i *Ioan.* 1. *v.* 16.
ria regni ciuitas, ex publico ærario SEPELIET (*k*) EOS, ære omni antè exhaustos. In Palæstina inte- k *Osee* 2. *v.* 13.
rim DESIDERABILE ARGENTVM EORVM, id est, palatia & cubilia argento ita vestita & exornata, vt montes argentei viderentur, Assyrius ad solum vsque lternet & radet, adeò vt loco eorum VRTICÆ & LAPPÆ germinent. ita S. Hieronymus, Chaldæus, Albertus, Arias. *Lappa* flos est spinæ aculeis plenus, qui à ludibundis pueris iniectus in vestem, tenaciter adhæret, inquit Dioscorides & Pli- *Dioscor. l.* 3. *c.* 98.
nius. *Plin. l.* 21. *c.* 17.

℣. 7. SCITOTE, ô Israelitæ, ex iam dictis, STVLTVM esse omnem pseudo-PROPHETAM, & INSANVM quicumque sub pallio VIRI SPIRITVALIS, seu spiritu Dei afflati, vobis prospera omnia prædicit & promittit, vt hac viâ stabiliat, imò augeat MVLTITVDINEM INIQVITATIS vestræ & AMENTIÆ] quâ horrendas capitibus iam imminentes, quas dixi, pœnas, cùm pœnitendo possetis effugere, negligitis tamen & contemnitis, atque ita in certissimum præsentissimumque exitium vltrò ruitis, non tam malitiâ vestrâ, quàm perfidiâ nequissimi seductoris, qui cùm dici velit

℣. 8. SPECVLATOR EPHRAIM CVM DEO MEO, id est, verus propheta constitutus à Deo in specula, vt perichitanti Israeli mala, si quæ ingruant vel immineant, ex fide & tempori denuntiet; hic à contrario FACTVS EST toti Israeli LAQVEVS quo in *ruinam* & exitium pertrahetur. *Laqueus* hic falsa est eius prædictio, promissio, doctrina. Hunc
C laqueum tetendit incautis non vno loco, sed SVPER OMNES VIAS Israelis, etiam IN DOMO DEI EIVS, vbique perpetuò inclamans, nil mali imminere peccantibus, læta, fausta, prospera omnia obuentura, quæ extrema est INSANIA, hoste potentissimo portis iam propinquante, & inermi iugulo gladium admouente.

℣. 9. SICVT IN DIEBVS antiquis GABAA, seu Gabaonitæ è tribu Beniamin fœdo & insano stupro occiderunt vxorem Leuitæ, causamque dederunt excidij penè toti tribui suæ, Iudicum 19. & 20. ita nunc Israelitæ omnes PROFVNDE PECCANT stupro spirituali, id est, idololatriâ, adeò vt nulla exinde emergendi spes sit, nisi vniuersali totius gentis excidio & abductione. ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theophylactus, Liranus, Vatablus, Ribera & à Lapide.

℣. 10. ISRAELEM *inuentum* IN DESERTO, verè desertum ab omnibus, ego charum gratumque habui, QVASI si lassus & famelicus in solitudine reperissem dulcissimas VVAS, vel PRIMA POMA, id est, primas (*l*) seu primitiuas ficus è CACVMINE l *Num.* 24. *v.* 2. &
FICVLNEÆ decerptas. Et vt charum habui, laui, *Isai* 23. *v.* 4.
foui, millenis beneficijs mihi deuinxi: at ipse ingratus, stultus, stolidus, me fugiens, *intrauit* ad colendum, seruiendumque probroso idolo BEELPHEGOR, id est, Priapo. (*m*) Sic nunc quoque post totâ m *Num.* 25.
me accepta beneficia, me spreto currit post vitulos *v.* 1. &c.
suos, inquit Chaldæus, Albertus, Arias & alij.

℣. 11. GLORIA EPHRAIM, id est, filij, seu posteritas decem tribuum (filij enim sunt decus, gaudium & gloria (*n*) parentum) non diu superet: n *Prou.* 20.
nam QVASI AVIS, id est, velocissimè, visa est mihi *v.* 1.

auolare,

auellere, ſeu extingui, partim ſtatim A PARTV matrum: partim AB VTERO, priuſquam prodirent in lucem: partim A primo CONCEPTV, priuſquam vel embryo formaretur. q.d. Sterileſcet Iſrael, nec maſculam aut robuſtam prolem dabit deinceps.

℣. 12. QVOD SI fortè contigerit, aliquam eiuſmodi prolem adoleſcere, non ſinam ſaltem deuenire ad virilem ætatem, ſed antè vel gladio, vel peſte, vel alio morbo de medio tollam. ET VÆ illis CVM orbauero eos non tantùm prolibus, quæ obuenturo hoſti reſiſtere poſſint, ſed & cura mea & auxilio cæleſti. Tunc enim vndique patebunt omnium iniuriis. ita Chaldæus, Vatablus & Rabbini.

℣. 13. EPHRAIM cùm Deum coleret, erat (VT ipſe VIDI) par *Tyro* in opibus, munitione, fortitudine, copia prolium, FVNDATVS non minùs ſupra firmam petram & ſcopulum diuinæ prouidentiæ, quàm ſupra fundum pulcherrimum, amœniſſimum, fertiliſſimum: at nunc à me deſertus, ſuperatus ab hoſte Aſſyrio cogetur ex arcibus ſuis quantumcumque munitis, & ex agris atque vrbibus omnibus *educere* FILIOS SVOS, & INTERFECTORI, id eſt, carnifici, iugulandos dare. ita S. Hieronymus, Albertus, Liranus & Vatablus.

℣. 15. OMNES NEQVITIÆ EORVM, quibus iam in me exſurgunt, cœperunt IN GALGAL. Idcircò etiam IBI cœpi EOS *odio habere*. In Galgalis enim primùm erexerũt idola *Baalim* (a) *& Aſtaroth*. Deinde excuſſo regiminе Dei, popoſcerunt ſibi regem proprium, qui more nationum Gentilium eos regeret pro libito & placito ſuo. ita ferè S. Hieronymus, Theodoretus, Hugo & alij iam citati. Cùm ergo nolint ipſi me agnoſcere pro rege, domino, parente ſuo, neque ego agnoſcam eos pro filiis, pro ſeruis, pro ſubditis meis: ſed EIICIAM & expellam EOS DE DOMO & familia MEA, id eſt, de terra ſancta, in qua hactenus quaſi filij in paterna domo, ſub alis & protectione mea ſecuri ac felices egerunt. Abeant iam rebelles in malam crucem: agantur captiui & vincti ad Gentes & ad idola quæ depereunt. ita S. Hieronymus, Theophylactus & alij. OMNES non modò plebeij, ſed & PRINCIPES EORVM, politici & ſacri, à tempore primi Ieroboam, vſque ad præſentem Oſee, (b) *receſſerunt* à Deo vero ad idola & vitulos. Cùm ergo peſtifera hac lue

a *Iudic* 3. v. 7. & 19.

b 4. *Reg.* 15. v. 30. & c. 17. v. 2.

℣. 16. RADIX arboris Iſraeliticæ iam pridem EXSICCATA ſit, id eſt, reges ac principes, qui inſtar radicis vegetant & ſuſtentant totum populum; & truncus totus, nempe regia tribus EPHRAIM, PERCVSSVS *ſit* eodem malo, & quaſi ſideratus; neceſſe eſt, etiam ramos & folia, id eſt, reliquas nouem tribus, exareſcere. Vnde nullo negotio tyrannus Aſſyrius arborem totam conuellet, diſcerpet, & in fruſta comminutam pabulum ignibus dabit. ita ferè Chaldæus, Theodoretus, Theophylactus, Arias.

CAPVT X.

Comparat Iſraelem viti frondoſæ, ſed vuis vacuæ, ac proinde ſtirpitus exſcindendæ: comparat & vitulæ amanti trituram: ſuadetq; vt loco impietatis in cordibus ſuis creſcere faciant iuſtitiam quam ſeminatum veniet Meſſias; vt ſic latam virtutem ac benedictionem frugem demeſſam poſſint cum gaudio triturare: ni faxint, iugulandos omnes praedicit ac perdendos.

בקק ℣. 1. ISRAEL hucuſque fuit VITIS FRONDOSA; hebraicè, *boker*, Id eſt, euacuans ſe, primùm in plurimas ac pulcherrimas frondes, deinde A etiam in optimos FRVCTVS, qui ADÆQVATI *ſunt* EI] id eſt, reſponderunt numero palmitum (c) & ſurculorum & frondium ipſius. Notat uberes terræ ſanctæ prouentus, opes, victorias, delicias, quibus abundabant Iſraelitæ, ſed ingrati abutebantur: nam quantò plura percipiebant bona, (d) tantò plura conſtruebant non Deo, bonorum omnium largitori, ſed hoſtibus eius iuratis, nempe dæmonibus, altaria, ſimulacra & fana. ita S. Hieronymus, Haymo, Hugo & Liranus. Tropologicè, peccatores beneficia cælitus accepta vertunt in maleficia, diuitias in vitia, fruges in gladios, quibus contra Deum pugnent pro diabolo.

c *Pſalm.* 79. v. 12. & *Iſaiæ* 5. v. 7

d *Oſee* 4. v. 7.

℣. 2. DIVISVM EST COR & animi EORVM, mutuis odiis inter ſe diſſidentes, vti diſſident omnes à Deo & à lege Dei, inquit Chaldæus, S. Cyrillus, Theodoretus, Theophylactus, Albertus & Hu- B go. Nempe volun- hi placari muneribus Aſſyrios, alij bello peti, alij deditionem fieri, alij euocari Ægyptios, Syros, Iudæos, in auxilium aduerſus communem hoſtem. NVNC certò INTERIBVNT; LXX. *exſcindentur* & deſolabuntur. Schiſma enim cauſa eſt ruinæ etiam maximorum imperiorum. IPSE hoſtis Aſſyrius CONFRINGET SIMVLACRA EORVM] id eſt, tam ſacra, quàm profana deuaſtabit.

℣. 3. *Tunc*, capto rege, (e) occupatâ regiâ, (f) DICENT deſperabundi: NON EST NOBIS REX, qui aduerſus Aſſyrios nos tueatur. Et vt adeſſet rex noſter, quid nos iuuerit, cùm deſerti ſimus à Rege regum Deo, quem nec colimus nec habemus pro rege vel Deo noſtro? ita S. Hieronymus, Theodoretus & Albertus. Nunc heus pſeudoprophetæ:

e 4. *Reg.* 17 v. 4.
f *Ibid.* v. 6.

℣. 4. LOQVIMINI iam populo VERBA VISIONIS INVTILIS & mendacis, quâ pollicebamini omnia proſpera Iſraeli. eſt ironia. FERIETIS FOEDVS (g) cum Aſſyrio tyranno. Sed ex hoc fœdere non GERMINABIT niſi AMARITVDO & IVDICIVM, id eſt, amariſſimum (h) vobis iudicium, damnatio & ſupplicium, non vnum, neque ſimplex ſed multiplex & copioſum, vtpote SVPER omnes SVLCOS AGRI veſtri.

g *Ibid.* v. 3.

h *Proleg. de Idiotiſmis Hebr.* n. 41

℣. 5. VACCAS BETHAVEN, id eſt, vitulas à Ieroboamo poſitas in Bethel & Dan, aut potiùs in Bethauen, de quo ſuprà, (i) COLVERVNT hucuſque Samaritæ ET ÆDITVI, ac ſacerdotes fani earum, EXVLTAVERVNT IN GLORIA, ſeu in glorioſo cultu earumdem. Sed mox lugebunt vtramque vitulam ſuam demigrantem ab eis in Aſſyriam, & REGI Salmanaſari communi oppreſſorum (k) VLTORI & iam vindici iniuriæ tum Deo tum ſibi (l) illatæ, pro ſingulari *munere*, ſeu xenio deferendam. Porrò Apin, ſeu Iſidem (m) exprimi conſueuiſſe figurâ vitulæ, feminei ſexus, docet Herodotus. Et Hebræum, *eglot* femininum eſt, & vitulam ſignificat, & ita vertunt LXX. (n) & Ioſephus. Noſter tamen Latinus ferè ſemper vertit *vitulum*. Vnde S. Hieron. Rupert. Vatabl. & Arias videntur velle maſculini fuiſſe generis. Porrò ſublatis vitulis, capto rege, occupatâ Samariâ, CONFVSIO CAPIET vniuerſum EPHRAIM ET ISRAELEM, IN VOLVNTATE SVA] Hebraicè, *à conſilio ſuo*, nempe quo vitulos ſibi quaſi numen poſuerint, & vero Deo prætulerint, à quibus tam fœdè iam deluſi ſunt. ita Liranus, Arias, Vatablus, Ribera, à Caſtro & à Lapide. Porrò eâdem ſuâ idololatriâ

i *Oſee* 4. v. 15.
k *Ibid.* c. 5. v. 13.
l 4. *Reg.* 17. v. 4.
עגלות
m *Gen.* 41. v. 43. & *Exodi* 32. v. 20. *Herod. l.* 2, n 3. *Reg.* 12. v. 28. *Ioſeph. l.* 8. *Antiq. c.* 3.

℣. 7. TRANSIRE in aliam vitam FECIT SAMARIA REGEM SVVM Oſee, minùs alioqui (o) nocentem. Hunc enim vel inuitum pertraxerunt in

o 4. *Reg.* 17. v. 2.

commune

commune scelus, & consequenter in commune exitium, instar *spumæ* ex se natæ, illum vnà secum absumentes & perdentes. Allegoricè, desperata hæc decem tribuum calamitas typus fuit calamitatis & excidij vniuersalis partim Synagogæ per Nabuchodonosorem (*a*) & Titum; (*b*) partim totius (*c*) orbis in fine mundi.

a *Isaiæ* 2. v. 19.
b *Lucæ* 23. v. 30.
c *Apoc.* 6. v. 16.

℣. 9. EX DIEBVS GABAA, id est, iam ab olitano tempore, PECCAVIT ISRAEL hac infami idololatria: nempe ex quo Gabaitæ, seu Beniaminitæ nefandũ stuprum patrarunt, in vxorem Leuitæ, Iudicum 19. & 20. id est, paulò post mortem *Iosue*, vt (*d*) alibi demonstraui. Nam ex tunc coluerunt Israelitæ *Baalim* (*e*) *& Astaroth*, & idolum *Michæ*, Iudicum 17. v. 1. vt docent Hebræi, & S. Hieronymus, Ruffinus, Rupertus, Theodoretus, Theophylactus, Liranus, à Castro, à Lapide, & alij quos ibidem citaui.

d *Iudic.* 19. v. 2.
e *Iudic.* 3. v. 7. & 29.

IBI, id est, in infanda ista idololatria, STETERVNT hucusque immobiles & pertinaces Israelitæ (*f*) æquè ac Gabaitæ olim in propugnatione (*g*) stupri sui. ita Theodoretus & Theophylactus. Vnde vt tunc Gabaitas, ita & nunc vos COMPREHENDET *bellum*, in quo NON victores eritis, vt fuistis in prælio Gabaæ: sed deuincendi, exscindendi & in seruitutem abripiendi: idque PROPTER DVAS, id est, multiplices, (*h*) INIQVITATES vestras.

f *Iudic.* 18. v. 30. & 31.
g *Ibid.* c. 20. v. 13.
h *Eccli.* 20. v. 10.

℣. 11. EPHRAIM est instar VITVLÆ, quæ à iuuentute sua *didicit & dilexit* non arare, sed *triturare*, id est, aream pedibus terere, & ferreos orbes super aceruum segetum trahere, vt paleæ à tritico separentur, inquit S. Hieronymus, Vatablus & alij. q.d. Ephraim detrectat subire iugum legis diuinæ, iugum obedientiæ & subiectionis, quia molestum, quia laboriosum, quia procul à præsepio: amat verò & ambit inter medios segetum aceruos ambulare, segetes ore carpere, (*i*) pedibus terere, imperium in subditos vsurpare, ex alieno labore fructus decerpere, tributa exigere, alienis opibus ditari, deliciari, impinguari: vnde instar vitulæ benè pastæ ac saginatæ *collum* ac dorsum habet admodum pingue, pulchrum & insessioni percommodum. Et verò vtar occasione, & insiliens transibo super tam *pulchrum* ac speciosum *collum*, iniectoque fræno & iugo, & impactis lateri calcaribus, tumentes eius ceruicum toros edomabo, & ad aratra etiam in remotissimis à pastu ac sterilibus locis trahenda vel inuitam ablegabo, nempe in Assyriam, inquit S. Hieronymus. Porrò vitulæ huius sic domitæ, sic constrictæ, sic ablegatæ exemplo, IVDAS & ipse sat antè petulcus ac rebellis, metu similis mali, sponte subibit iugum meum, & ex meo præscripto ARABIT, & diuinæ legis meæ SVLCOS aperiet, glebas scelerum CONFRINGET, virtutum remoras omnes tollet: & vnà cum *Iuda* idem tunc tamquam famulus eius faciet etiam IACOB, id est, plurimi ex reliquijs excisi regni Israelitici in Iudæam (*k*) profugi. Ita factum constat sub Ezechia, 2. Paralipomenon 30. & 31. ita S. Hieronymus, Haymo, Albertus & Liranus.

i *Deut.* 25. v. 4.
k *Osee* 1. v. 6.

℣. 12. SEMINATE ergo VOBIS, ô Israelitæ id est, in bonum vestrum, non vt hactenus semina impietatis, è quibus iam imminet tristis tot pœnarum messis: sed semina IVSTITIÆ, nempe iusta ac pia desideria, proposita, opera; & certò *metetis* IN ORE MISERICORDIÆ] id est, secundùm os, seu capacitatem & amplitudinem diuinæ misericordiæ. Nempe veniam assequemini præcedentium culparum, & remissionem imminentium pœnarum; insuper plenissimam fructuum optatorum, tam spiritualium, quàm corporalium mensuram, amplissimamque mercedem recipietis à Deo, cuius misericordia immensa est & inexhausta. Igitur si sapitis, operi manum quantocyùs admouete, lolia peruersarum cupiditatum, & spinas tot vitiorum euellite atque exstirpate, vt instar *noualis*, seu agri nouiter exculti: semina diuinæ gratiæ & virtutum excipiatis, foueatis, & germinare faciatis.

TEMPVS AVTEM REQVIRENDI DOMINVM nunc adest, CVM VENERIT ad thronum & cathedram regiam in tribu Iuda, vobisque ad manum sit pijssimus rex Ezechias, (*l*) inquit Liranus; vel, vt alij, antitypus Ezechiæ Christus Messias, totius orbis & rex & doctor, QVI DOCEBIT VOS veram IVSTITIAM] nec docebit modò, sed & pretio sanguinis sui comparabit, vobisque liberalissimè impertiet, non politicam vel externam, sed internam, spiritualem, cælestem iustitiam, quam coram Deo reuera iusti sitis, eiusque filij efficiamini, & regni heredes. ita S. Hieronymus, Haymo, Hugo, Theophylactus, Vatablus, imò & veteres Hebræi à Galatino citati.

l 4. *Reg.* 18. v. 3. & 2. *Paral.* 29. v. 1.
Galatin. l. 3. c. 29.

℣. 14. IN POPVLO TVO, si se ad Deum & ad pœnitentiam non conuerterit, CONSVRGET TVMVLTVS, dissidium, (*m*) rebellio, tum cùm maximè deberent in vnum conspirare, nempe propinquante finibus & mœnibus tuis Assyrio. A quo proinde MVNITIONES TVÆ, vrbes & arces OMNES, destitutæ necessarijs præsidijs, occupabuntur & VASTABVNTVR, SICVT olim A DOMO, id est, à familia, seruis, assecljs & militibus, EIVS QVI IVDICAVIT (*n*) BAAL, eiusque aram excidit, id est, à Gedeone, VASTATVS & exciſus EST SALMANA (*o*) cum omnibus Madianitarum copijs ipsi adhærentibus. q.d. Tunc ob idololatriam aliaque scelera cæsus est *Salmana*: iam vos ob eadem delicta cædemini à Salmanasar. Et hoc acceptum ferte BETHEL, id est, vitulis à vobis toties adoratis in *Bethel*. In Hebræo est elegans paronomasia & antithesis inter *Beth arbel*, & *Bethel*. q.d. Sicut *Beth arbel* (id est, domus *Ierobaal*, vt vertunt LXX. *Arbel* enim per crasin idem est quod *Ierobaal*, id est, iudicis Baal, id est, Gedeonis) excidit Madianitas, sic *Bethel*, id est, domus Dei, sed per vos facta domus idoli, vos excidet. ita S. Hieronymus, Cyrillus, Ruffinus, Theodoretus, Rupertus, Albertus & alij passim.

m *Hic* v. 2.
n *Iudic.* 6. v. 31.
o *Iudic.* 8. v. 18. & *Psal.* 82. v. 12.

CAPVT XI.

Exprobrat Israeli collata in eum beneficia, & ingrato captiuitatem & alias pœnas intentat. Quibusdam tamen reditum spondet in patriam, vnà cum tribu Iuda.

℣. 1. EX ISRAELIS vltimus Osee PERTRANSIIT in alteram vitam, SICVT MANE; Hebraicè, *in aurora*, TRANSIIT, id est, sub initia regni sui; cùm post longam ærumnarum ab Assyrijs regibus inflictarum noctem, Israel nonnihil lucis (*p*) ac prosperitatis, maximè ex accursu *Sua* (*q*) regis Ægypti, persentiscere cœpisset, subita *Salmanasaris* indignatione spes omnis euanuit, rex captus (*r*) & occisus, Samaria obsessa (*s*) & excisa est. ita S. Hieronymus, Cyrillus, Ruffinus, Theodor. & Theophyl. Causa tanti mali est ingratitudo Israelis in me, eiusque rebellio. QVIA cùm ipse adhuc PVER (*t*) esset tenellus, se regere nescius, neglectus ab omnibus, ab Ægyptijs oppressus & neci destinatus; ego EVM instar nutricij, imò instar matris DILEXI, adoptaui, foui, protexi, & quasi FILIVM MEVM vterinum primogenitum & vnigenitum, (*v*)

p 4. *Reg.* 17. v. 3.
q *Ibid.* v. 4.
r *Ibid.*
s *Ibid.* c. 5. & 6.
t *Ezech.* 16. v. 5.
v *Exod.* 4. v. 22.

IX

EX ÆGYPTO VOCAVI, & ex Ægyptiaca ſeruitute A in terram ſanctam, patribus eius olim promiſſam, manu forti traduxi; LXX. & Chaldæus vertunt, *filios eius*, ſcilicet Iſraelis: de hoc enim ad litteram hîc agitur, licet Allegorico & principaliori ſenſu, atque à ſpiritu ſancto præcipuè intento, agatur de Chriſto, cuius ex Ægypto regreſſus figura ac typus fuit hæc totius populi Iſraelitici ex Ægypto euocatio: maximè cùm Chriſtus populi iſtius pars & propago eſſet, eaque nobiliſſima. ita ſancti Patres paſſim & Doctores, imò S. Matth. cap. 2. v. 15. Vide Franc. Suarez & Vaſquez. Porrò ſicut

Suarez 3. p. q. 37. a. 4. diſp. 7. ſect. 1. Vaſquez 1. p. q. 1. a. 10. diſp. 14. c. 4.

℣. 2. VOCAVERVNT EOS eduxeruntque ex Ægyptiaca ſeruitute & idololatria Moyſes, Aaron, Ioſue, iuſſu & ductu meo, sic Iſraelitæ ipſis & mihi rebelles, ABIERVNT A FACIE EORVM, id eſt, obuerterunt eis terga, currentes ad BAALIM, id B eſt, ad idola, putà ad *vitulos* (*a*) aureos, ad *Beelphegor*, (*b*) ſeu Priapum (*c*) & alios deos Gentium, quibus etiam hoſtias IMMOLABANT me præſente ac vidente. Verùm non obſtante omni hac ingratitudine, perpetuò traxi, & adhuc

a Exodi 32. v. 4.
b Num. 25. v. 3.
c Ibid. & Pſal. 105. v. 28.

℣. 4. TRAHAM EOS ad me IN FVNICVLIS ADAM, id eſt, hominis, vt verterunt LXX. Aquila, Symmachus, Theodotion & Syrus, id eſt, funiculis quibus ſolent homines trahi, id eſt, doloribus & aduerſitatibus, inquit Pradus: vel, vt paſſim alij, amore ac beneficentia. q. d. Iſraelem, etſi more petulcæ *vitulæ*, (*d*) aſſiduò mihi obnitatur, nolo tamen vt beſtiam tractare, & funibus canabinis vel ferreis flagellorum vinculis inuitam cogere, ſed vt hominem ingenuum, & quidem chariſſimum filium, amore ac beneficijs allicere decreui. ita S. Hieronym. Vatablus, Sà, Mariana, à Lapide & alij. Tales funiculi fuerunt, columna in deſerto, manna, aqua de petra, coturnices & tot victoriæ, inquit Ruffinus; C Symbolicè, leges & cæremoniæ, inquit Paulus à Palatio; Allegoricè, incarnatio Verbi, prædicatio, paſſio, Euchariſtiæ inſtitutio, inquit Delrio ex S. Bernardo, Ruperto, Theophyl. & alijs. Perpetuò fui, ET, ſi velint, adhuc ERO EIS clemens Dominus, & QVASI prouidus arator, EXALTANS & eleuans, imò auferens per interualla IVGVM & capiſtrum quo inter arandum grauantur colla & *maxillæ* boum: ET ſic DECLINAVI cibum AD Iſraelem, VT VESCERETVR] ita Chaldæus, S. Hieron. Haymo, Albertus, Vatablus & Liranus. Et iam rebelhs mihi recurret (*e*) in Ægyptum? implorabit opem Pharaonis *Sua*, me ſpreto, me relicto?

Pradus in Ezech. 6. v. 9.
d Oſee 10. v. 11.
e 4. Reg. 17. v. 4.

℣. 5. NON REVERTETVR IN TERRAM ÆGYPTI. non ſinam, non feram. ASSVR, id eſt, Aſſyrius tyrannus Salmanaſar, IPSE REX EIVS erit, id eſt, præuertet, præualebit, prædominabitur Iſraeli, priùs quàm poſſint ſuppetiæ ab Ægyptio ſubmitti. Et ex nunc per Phul, Teglathphalaſar & Salmanaſar,

D

℣. 6. COEPIT ſæuire Aſſyrius GLADIVS IN variis CIVITATIBVS Iſraelis, vt patet ex Regum (*f*) hiſtoria.

f Ibid. c. 15. v. 19 & 29. & 17. v. 3.

℣. 7. POPVLVS, ſcilicet ſolo nomine MEVS, oppreſſus iam ab Aſſyrijs, PENDEBIT AD REDITVM MEVM, anhelabitque ad opem meam quam ſolebam perpetuò ipſi ferre, quamdiu mihi ſeruiuit: at nunc, mihi rebellis, fruſtra illam ſperet. Vnde, me conniuente, imò prouidente ac iuuante, IVGVM IMPONETVR ſeruitutis & captiuitatis Aſſyriacæ toti SIMVL genti, QVOD numquam (*g*) AVFERETVR, inquit S. Hieronymus, Albertus, Haymo, Clarius & alij ſuprà citati. Verùm

g Oſee 1. v. 6.

℣. 8. QVOMODO paterno pectori poſſibile erit, vt totum TE *dem* Aſſyrijs exſcindendum? Quid ergo? PROTEGAMNE TE tam mihi rebellem, tam obſtinatum filium? Non permittunt horrenda ſcelera tua, quæ in cælum clamant vindictam. Quid ergo? DABO TE SICVT olim dedi Sodomam, Gomorrham, ADAMAM ET SEBOIM vrbes Pentapoleos? QVOMODO id feret maternum pectus? En luctam amoris ac miſericordiæ diuinæ cum iuſtitia vindicatiua eiuſdem. Vtrius erit victoria? vincat amor, triumphet miſericordia. CONVERSVM EST IN ME & immutatum COR MEVM, intimo animi ſenſu quaſi *pœnitens conturbor* dum menti occurrit tam ſeuera ſententia. Statuo igitur

℣. 9. NON FACERE, non explere FVROREM IRÆ MEÆ, vt ſtirpitus exſcindam ac DISPERDAM omnes decem tribus: QVONIAM EGO NON ſum HOMO, qui furore ebrius ſoli iræ ſuæ obſequitur, ſed ſum DEVS, qui vindictam miſericordiâ tempero, imò ſupero. ita S. Cyrillus, Theodoret. Ant. Fernandes & alij ſuprà citati. Diſcant hinc qui probro ſibi ducunt offenſas remittere, de reconciliatione offenſum interpellare, iniuriarum obliuiſci: diſcant, inquam, puſilli hoc & arcti animi eſſe, ſuique impotentis: at ampli, excelſi, generoſi, imò diuini animi eſſe, iniurias vltrò remittere, ad pacem prouocare, beneficijs malefacta compenſare, vt optimè demonſtrant S. Ambroſius, Chryſoſtomus & noſter Sanchez.

Ant. Fern. Viſion. 29. ſect. 3.

Ambr. ſer. de obitu Theodoſij. Chryſoſt. homil. de ſimultate & i. a. to. 5.

IN MEDIO TVI, id eſt, inter vos habito, non vt hoſtis aut tyrannus, ſed vt SANCTVS, pius, clemens Dominus, cupiens non perdere vos, ſed ſaluare. Vnde, ſi vultis pœnitere, etiam nunc cùm portis vrbis regiæ Samariæ, per Aſſyrios immineo, (*h*) recedam infecto negotio, ET NON INGREDIAR CIVITATEM. ita Ruffinus, S. Hieronymus & Rupertus. Sed heu, fruſtra omnes blanditiæ: manent peruerſi, manent auerſi à me Iſraelitæ, idolis ſuis adhæreſcunt.

h 4. Reg. 17. v. 5.

℣. 10. POST DOMINVM AMBVLABVNT quidem nonnulli, ſed non priùs quàm quando RVGIET QVASI LEO, & per Aſſyrios regnum illorum omne in fruſta diſcerpet. QVIA igitur ſic vultis, agedum IPSE RVGIET, & tanto tamque horribili rugitu, vt formidini ac terrori futurus ſit etiam FILIIS MARIS, id eſt, inſulanis & tranſmarinis, id eſt, vſque ad extremos fines terræ & orbis. Sic Amos 3. v. 8. *Leo rugiet, quis non timebit?* Sed & qui vel ſic conuerſi ad me fuerint, hoc rugitu ſaluabuntur, alijs pereuntibus. Nam per Cyrum (*i*) libertati priſtinæ reddentur, ſaltem qui voluerint, ad quæcumque demum loca captiui abducti fuerint.

i 1. Eſdr. 1. v. 1.

℣. 11. ET AVOLABVNT etiam EX ÆGYPTO, quò plurimi diffugerant. Et *euolabunt* non furtim aut cum periculo retractus, ſed indemnes ac liberi, imò cum honore, & gloria, (*k*) & reuerentia quâ redeuntes proſequentur Ægyptij & Aſſyrij, QVASI eſſent AVIS Ægyptij, ET COLVMBA (*l*) ASSYRIÆ. *Ibis* enim & *accipiter*, quaſi dij, diuinis honoribus colebantur ab Ægyptijs, vti & *columba* alba ab Aſſyriis & Chaldæis, nec fas erat cuiquam eiuſmodi auem lædere vel perſequi, inquit Pierius ex Cicerone, Martiali, Tibullo, Euſebio & aliis. Sed hæc vſui venient futuro tempori, quando poſt 160. annos (*m*) fracti longa ſeruitute & captiuitate tandem aliquando nonnulli eorum reſipiſcent: Nunc obſtinatus in malo

k Ibid. v. 6. &c.
Oſee 1. v. 6.
l Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 54. Pſal. 67. v. 14. Pierius Hieroglyph. 21. & 24. Cic. l. 1. de Nat. deorũ. Euſeb. l. 8. Prepar. Euang. c. ult.
m Chronici c. 29. & 35.

℣. 12. CIRCVMDEDIT ME EPHRAIM NEGATIONE: id eſt, denegat mihi omni ex parte debitum

bitum amorem, cultum, ſeruitium: inhærens mordicus, vt eſt, Hebraicè, *mendacio*; id eſt, cultui mendacium & falſorum deorum: ET DOLO, id eſt, fraudi multiplici, quâ quiſque proximum ſuum circumuenire & fallere conatur. NON ſic tribus *Iudæ*, quæ ſub religioſo ac pio rege Ezechia TESTIS diuinitatis meæ, omni ex parte FIDELIS, etiam ad vos conuertendos DESCENDIT CVM DEO, ET CVM SANCTIS] id eſt, innitens & fulta ſingulari ope Dei, & ſacerdotum ſuorum auxilio, quos rex per
a 2. Par. 30. v. 1. 5. &c. omnes tribus Iſrael quaſi (*a*) legatos, doctores ac concionatores miſit, vt errantes ad vnius veri Dei cultum ac ſeruitium reuocaret. Vnde & in compenſationem tantæ charitatis, cùm exſcindam regnum decem tribuum, parcam regno Iudæ, (*b*) faciamque vt *adhuc dominetur* per complures (*c*) annos. Sic enim illud *ed rad*, quod Noſter vertit, *teſtis deſcendit*, Chaldæus, Leo Hebræus, Liranus, Pagninus & alij recentiores, mutatis nonnihil punctis legentes *od rad*, vertunt, *adhuc dominatur*.

b *Ibid* c. 32. v. 21.

c *Chronici* c. 19.

עד רד *vt ſit inſinuatum à* ירד *id eſt deſcendit*: עד רד *Vt ſit preteritum à* רוד *id eſt, dominatus eſt.*

CAPVT XII.

Primò Iſraeli exprobrat, quòd opis cauſa recurrat ad idola, ad Aegyptios & ad Aſſyrios, deinde Iudam quoque reprehendit, quòd iisdem idolis adhæreat, neglecto Deo, à quo tot beneficiis affectus fuit. Atque ob hanc ingratitudinem, aliaque innumera ſcelera prædicit Iſraeli imminentem captiuitatem & exitium: Iudæ verò minatur eadem, ni reſipiſcat, ſed ſpatium dat pœnitentiæ.

℣. 1. EPHRAIM, cùm ſi mihi ſeruiret, immenſos fructuum tum corporalium, tum ſpiritualium aceruos colligere poſſet, mauult iam colendo idola, & fœdera cum Gentilibus ſanciendo, ſeminare (*d*) & *paſcere* (*e*) ventum, id eſt, occupare ſe re inutili, imò noxia, cùm ſic faciat ſe cibum
d *Oſee* 8. v. 7. e *Prou.* 6. v. 10. *Aug. l.* 5. *conf. Creſcon.* ventis, id eſt, hoſtibus ſuis, à quibus deuorabitur & abſumetur, inquit S. Auguſtinus.

קדים f *Geneſ.* 41. v. 6. ET SEQVITVR ÆSTVM] Hebræum *kadim* ſignificat ventum Orientalem, vrentem (*f*) & noxium LXX. vertunt καύσωνα, id eſt, æſtum malignum, qui febres, inflammationes, alioſque morbos corpori afferre, frugeſque adurere ſolet. En quale malum ſibi ſerat Ephraim.

TOTA DIE, id eſt, continuò, ſtudet *multiplicare* & coaceruare ſibi non modò MENDACIVM, id eſt, res futiles & fallaces: ſed ET VASTITATEM, id eſt, quæ vaſtitatis & excidij cauſa ipſi erunt, putà FOEDVS CVM ASSYRIIS, & cum Ægyptiis. Cùm enim intellexit Salmanaſar rex Aſſyriorum, quòd tributarius ſibi *Oſee* rex Iſrael, miſſo *oleo* (quo Samaria abundat, & caret Ægyptus) aliiſque muneribus, Pharaonem *Sua* ad fœdus ſecum ineundum ſolicitaret, 4. Regum 17. v. 4 irâ vſque eò exarſit, vt omne regnum Oſeæ funditus euerterit: ita S. Hieronymus, Liranus, à Lapide & alij. Et hæc quoad Ephraim, ſeu decem tribus. Quibus exciſis, abductis, & triſti ſeruituti mancipatis, reſtat

℣. 2. IVDICIVM DOMINI, id eſt, diſceptatio etiam CVM IVDA eiuſdemque iuridica accuſatio, condemnatio ET VISITATIO, id eſt, punitio, in quo iam recumbit tota domus IACOB, aliis tribubus in exilium abductis, inquit S. Hieronymus, Theodoretus, Hugo & plures alij. Quia nec Iudæ parcetur peccanti, & ſcelera Iſraelis paulatim imitanti, nec minùs ingrato (prô pudor!) in Deum. Nam Primò

g *Geneſ.* 25. v. 25. ℣. 3. SVPPLANTAVIT (*g*) nutu ac decreto diuino FRATREM SVVM primò in lucem proditurum Eſau, adhuc ipſo IN VTERO materno: quo

A ſigno indicabatur, ipſum à me præponi fratri ſuo. Secundò, *robur* ei datum cælitus, quo DIRECTVS, id eſt, feliciter & cum victoria luctatus, EST CVM ANGELO (*b*) vicem Dei gerente: quo ſignificabatur, b *Geneſ.* 32. cum præualiturum omnibus hoſtibus ſuis. Tertiò, v. 11. FLEVIT Iacob ET *flendo* ROGAVIT angelum, vt ſibi benediceret. Hoc vel ex traditione, vel ex diuina reuelatione accepit Oſee, & hiſtoriæ Geneſeos ſuperaddidit, inquit S. Hieronymus, Theodoretus, Haymo & Hugo. Petitam benedictionem, tum temporalium tum ſpiritalium bonorum, ac præ omnibus, Meſſiæ ex ipſius ſemine procreandi, impertiuit illi per angelum Deus. Quartò, INVENIT Iacob Deum IN (*i*) BETHEL, innixum ſcalæ, i *Geneſ.* 28. ſibique ac poſteritati ſuæ promittentem de cælo v. 13. & tutelam & proſperitatem perpetuam, de terra he- *ſequent.* reditariam portionem lacte & melle manantem. *Geneſ.* 35. De hac enim nobis danda LOCVTVS EST IBI Deus v. 1. & 9.

B NOBISCVM, nempe in Iacobo patre noſtro, è cuius lumbis proceſſimus. Deus, inquam, non falſus aut fictus quiſpiã, vt eſt *Apis*, ſeu *vitulus*, veſter, vel *Baal*, vel k *Exodi* 32. *Beelphegor*: ſed *Iehoua* (*k*) DEVS EXERCITVVM] Quo v. 14. nomine & *memoriali* vult ipſe à nobis coli & nominari, (*l*) inquit Chaldæus, Arias, Liran. & à Caſtro. l *Ibid.*

℣. 6. ET (id eſt, idcircò) TV quoque ô Iuda CONVERTERIS, Hebræa enallage, pro, *conuertere* ab idolis, quæ colere cœpiſti, AD verum Dominum ac DEVM TVVM, patris tui Iacobi veſtigiis inſiſtens, ſi benedictionis ipſi conceſſæ hæres eſſe velis: erga proximum verò tuum, exemplo eiuſdem parentis tui, & mandato Dei tui, CVSTODI MISERICORDIAM & caritatem, ſimul & IVDICIVM, id eſt, iuſtitiam, nemini nocendo, ſed vnicuique ius ſuum tribuendo.

℣. 7. CHANAAN, id eſt, mercatorem (*m*) auarum, lucrionem, doloſum, iniuſtum, quales ſunt m *Ioſue* 16. *Chananæi*, noli ô Iuda, imitari. ita vertit Chaldæus, v. 10. Leo Hebræus, Pagninus, Liranus & Arias. Neque *Prou. alt.* attendas ad ſtultam replicam inſani v. 14. *Ezech.* 17. ℣. 8. EPHRAIM, ſeu Iſraelis qui ineſcatus lu- v. 4. cri dulcedine, DICIT: VERVMTAMEN DIVES EFFECTVS SVM, id eſt, lucro qualicumque via parto ditior fio: nil curo obſtrepentium monita vel minas: INVENI MIHI quod quærebam IDOLVM: Hebraicè, *on*, id eſt, *iniquitatem*, vel *rapinam*, vt vertit Chaldæus: aut *vim & robur*, vt Arias & Vatablus: aut *requiem*, vt LXX: aut *diuitias*, vt Pagninus & Liranus. Reuera enim diuitiæ auaro ſunt *idolum*, vt plurimum *fraudibus* ac *rapina* partæ, *vim* inſtar tyranni, animo inferentes: *robur* omne, & ſpes, & *requies* ſtultorum. Adeò oculos mentis obcæcantes, vt, licet vſuris ac fraudibus ſcateant penè omnes contractus; auſit tamen auarus, cum Ephraimo iactare ſe quaſi neſcium vllius iniuſtitiæ, publicéque conteſtari, OMNES LABORES MEI NON INVENIENT MIHI INIQVITATEM] id eſt, omnis negotiatio mea, omnia pondera, omnes ſtateræ, omnes contractus mei mundi & puri ſunt ab omni iniquitate & iniuſtitia; ſcrutetur ea quiſquis voluerit. ita Arias & Vatablus. De his, ô Iuda, monitum te volui, vt tibi proſpicias tempori, ne vt Ephraim mihi pertinaciter rebellis, etiam tu exſcindaris, & pari pœna plectaris.

℣. 9. TVVS enim DOMINVS EGO & DEVS iam inde EX TERRA ÆGYPTI, ſingularem tui curam ſemper habui, habeboque deinceps: vnde etiam ADHVC SEDERE TE FACIAM IN TABERNACVLIS, in ſedibus, in vrbibus tuis, non triſtem, non miſerum, non oppreſſum ab hoſte, ſed liberum,

rum sed lætuni, sicut soles in festo Scenopegiæ, (a) & alijs FESTIVITATIBVS] q.d. Etsi decreuerim funditus exscindere regnum decem tribuum, tibi tamen adhuc parcam, vt probem an resipiscere ac pœnitere decreueris. ita ferè S. Hieronymus. Idem vt curent, teque ad pœnitendum prouocent,

a Leuit. 23. v. 39.

℣. 10. *Prophetis* meis iniunxi, ET VISIONEM, id est, apparitiones, monita, instructiones eumdem in finem *illis*, & per illos tibi, MVLTIPLICAVI: ET IN MANV, id est, ministerio & opera, PROPHETARVM quasi legatorum meorum ASSIMILATVS, adumbratus & repræsentatus SVM tibi, quis, quantus, qualis sim, quid item à te velim, quid exigam, quid mihi debeatur. Prophetæ enim suis non minùs actionibus, (b) quàm verbis, ine meamque indolem ac qualitatem, simul & voluntatem, leges, præcepta ac monita tibi perfectè repræsentant & ob oculos ponunt. ita Pineda, Sá, Mariana, & à Lapide.

b Osee 1. 3. 4. &c.

Pined. l. 7. de Rab. Salom. c. 23.

℣. 11. SI vitulus cultus ab Israele in GALAADitide, (c) non est nisi IDOLVM; Hebraicè *auen*, id est, iniquitas, vanitas, numen fictum & inane, nec potens se suósve clientes tutari aduersus hostes, vt vos, ô Iudæi, oculis vestris iam conspicitis: (d) nam altaria vitulorum nunc redacta videtis in *aceruos* lapidum, & terram arabilem; cur ergo etiam vos vsque eò insanitis, vt ijsdem BOBVS, seu vitulis, hostias *immoletis* in ditione vestra, nempe IN GALGALIS? (e) idque nullo vestro emolumento, sed FRVSTRA prorsus, imò cum maximo vestro damno (f) spirituali & temporali. ita ferè S. Hieronymus, Liranus, Clarius, Sanchez & alij.

c Osee 6. v. 8.

און

d 4. Reg. 15. v. 29.

e Osee 9. v. 15.

f c. 12. v. 1.

℣. 12. FVGIT IACOB IN Mesopotamiam, (g) & me prouidente effugit manus irati fratris sui Esau. Prosequitur hìc beneficia Israeli collata, quæ v. 3. & 4. cœperat enumerare & ingratis exprobrare: & hoc est ordine quintum. Sextum, SERVIVIT ISRAEL auunculo suo Laban septem annis IN VXOREM, (h) id est, ad vxorem hoc seruitio sibi coëmendam, nempe *Rachelem*: alijs item septem annis ad aliam VXOREM Liam (i) sibi comparandam SERVIVIT, & pauit oues reliquosque greges auunculi sui; tam felici successu, vt & Iacob, (k) & auunculus (l) ditarentur quasi in immensum: & posteritas Iacobo succresceret quasi arena maris. (m) Sequitur septimum beneficium:

g Genes. 28. v. 2.

h Genes. 29 v. 18.

i v. 27.

k c. 30. v. vlt.

l v. 27. & 30

m Gen. 29. v. 31. & c. 30. vsque v. 24. & Exod. 1. v. 7

℣. 13. IN PROPHETA, id est, per Prophetam Moysen, EDVXIT DOMINVS ISRAELEM DE ÆGYPTO. (n) Octauum, per eumdem Prophetam SERVATVS EST toties Israel, in transitu maris rubri, (o) in Sinai, (p) in tot alijs locis in deserto. (q) Noli ergo tu saltem, ô Iuda, ingratum te mihi præbere pro tot beneficijs, sicut ingratum se præbuit

n Exodi 12. 13. 14. o c. 14. v 16. &c.

p Exodi 32. v. 11. & 31.

q Exodi 17. v 4. 9. &c.

℣. 14. EPHRAIM SVIS AMARITVDINIBVS, id est, sceleribus amarissimis, & maximè idololatriâ & homicidio. Sed non impunè: SANGVIS enim EIVS SVPER EVM VENIET] id est, pœnas dabit omnium homicidiorum, aliorumque scelerum patratorum.

CAPVT XIII.

Pergit ob idololatriam excidium prædicere Israeli: pœnitentibus tamen promittit liberationem, sed post multa tempora, & maximè per Christum, qui morte sua tam ipsos, quàm alios omnes in ipsum credentes liberabit à morte, à peccato, ab inferno: impœnitentibus verò pœnas infliget æternas.

℣. 1. EPHRAIM, seu tribu Ephraimitica, vel LOQVENTE tantùm, HORROR *inuadebat* reliquas omnes tribus Israel. Patuit in *Iosue*, (r) &

r Num. 13. v. 9. & 17.

A sub *Gedeone*, (s) & sub *Iephte*, (t) item in Ieroboamo, (u) eiusque posteris. Sed simul atque DELIQVIT IN BAAL, id est, coluit & coli iussit idola, MORTVVS EST Ieroboam, non morte tantùm spiritali animæ, sed & corporali, excisa tota eius domo & stirpe regia: (x) & ciuili etiam morte, nullo deinceps loco habitus, sed vilis, infamis, reiectus ab omnibus. ita ferè Chaldæus & Vatablus. Quis diceret, degustatis tam amaris idololatriæ fructibus, non statim ab ea, tamquam à certissima peste deflexuros? Et tamen etiam nunc

s Iud. c. 8. v. 1 & 3.

t Iudic. 12. v. 1.

u 3. Reg. 11. v 26. &c.

x Ibid. c. 15. v. 29.

℣. 2. ADDIDERVNT AD PECCANDVM, idem idololatriæ peccatum repetentes, continuantes, adaugentes. Quodq; sceleratissimum est omnium, simul & stolidissimum, DICVNT, imò edicunt voce præconis: O VOS qui VITVLOS aureos *adoratum* venitis, IMMOLATE his, non solas oues vel boues (victimæ istæ nimis vulgares sunt: sed etiam HOMINES vitulis *immolate* exemplo Abrahami, (y) Iephte, (z) & regis Moab, (aa) & aliorũ Gentiliũ. ita LXX. & S. Hieronymus, Cyrillus, Hugo & plures alij.

B

y Genes. 22.

z Iudic. 11. v. 34.

aa 4. Reg. 3. v. 27.

℣. 3. IDCIRCO dabunt mihi celerrimè grauissimas pœnas: faxo absumantur ab Assyrijs, sicut à sole NVBES vel ROS MATVTINVS absumitur, & PVLVIS vel FVMVS TVRBINE dissipatur.

℣. 4. DEVM ABSQVE, seu præter, ME NESCIES, q. d. Experientiâ tunc discES nullum alium *Deum*, aut *saluatorem* tibi esse, præter me, qui iam inde ex quo fuisti in TERRA Ægypti, iugé curam tui gessi:

℣. 5. & COGNOVI TE, & agnoui pro filio meo, vnde & foui, beneficci, direxi te IN DESERTO. Sed quid?

℣. 6. IVXTA PASCVA SVA, (bb) id est, iuxta mensuram beneficiorum à me acceptorum, admensi sunt mihi ingratitudinem, inobedientiam & rebellionem. ita ferè S. Hieronymus, Chaldæus, Hugo & Liranus. Sed an impunè?

bb Deut. 32 v. 15.

C

℣. 8. OCCVRRAM EIS QVASI VRSA, (cc) quæ RAPTIS CATVLIS suis sæuit in raptorem, & in obuios quosque. De quo vide Plinium vel Ælianum. ET QVASI LEO, DIRVMPAM INTERIORA IECORIS EORVM] Hebræus, Chaldæus, LXX. *dirumpam clausuram cordis eorum*. Cor autem per synecdochèn significat omnia interiora, putà, præcordia, iecur, viscera, &c. Alludit ad morem leonum, aliarumque ferarum, quæ captæ prædæ corpus diffindunt vsque ad cor, & ipsum primo loco deuorant, adipemque & sanguinem circa cor diffusum exsugunt. ita S. Hieronymus, Vatablus & Liranus.

cc Ierem 5. v. 6. Plinius l. 8. c. 38. Ælian. l. 2. c 19.

℣. 9. PERDITIO, hæc ruina & excidium regni Israelitici, TVA sunt ô ISRAEL] id est, ex te, tuisque sceleribus & demeritis tibi obueniunt: tu vadis te perditum: ego non aliud opto & conor, quàm auxiliari tibi, teque tutari ac saluare, putà per Prophetas, qui te ad virtutem omnem excitent; per angelos meos, qui te aduersus hostes tuos tueantur? per memetipsum, qui perpetuò tibi adsum dux, protector, saluator. Et verò præter me nullum reperies totò orbe qui tibi auxilio esse vel possit, vel velit. Quòd ergo iam castigem te, tu me tuâ nequitiâ & obstinatione cogis etiam inuitum. Ex hoc loco, à minori ad maius, colligunt Scotus, Herueus, Caietanus, Ferrariensis, Ioannes Maior, Syluester, Sotus, imò & S. Augustinus, Prosper, Fulgentius, Bernardus, quos citat & sequitur Lud. Molina, Vasquez, Bellarminus, Suarez, à Valentia, Lessius, Deum neminem reprobare nisi ob præuia & præuisa eius peccata, in quibus vitam finit.

D

Molina 1. p. q. 23. a. 4. & 5. disp. 3. & ibid. alij. Lessius in Opuscul.

℣. 10. VBI NVNC EST REX TVVS, cùm MAXIME eges auxilio illius? q.d. Vana est omnis spes auxilij aduersus Assyrios, etiam à rege tuo, quem tamen tanta contentione tibi dari postulasti (a) à Samuele. Et verò

a 1. Reg. 8. v. 5.

℣. 11. DABO TIBI etiam nunc, sed vltimum REGEM Osee, (b) non tam ex amore, quàm ex ira & FVRORE MEO depromptum, qui non auxilio sit tibi, sed (c) exitio: & mox AVFERAM eum de medio, vnà cum toto (d) regno suo, sic exigentibus, sic me cogentibus (e) sceleribus tuis.

b 4. Reg. 15. v. 30.
c Ibid. c. 17 v. 4. &c.
d v. 6.
e v. 7. & seqq.

℣. 12. INIQVITAS EPHRAIM COLLIGATA & ABSCONDITA EST in loculis (f) diuinæ memoriæ meæ, sicut colligari solet & abscondi pecunia in bursa vel in arca: idque ne excidat, sed opportuno tempore in lucem proferatur, nempe ad punitionem & vltionem, inquit Chaldæus, S. Hieron. Theodoretus & Vatablus.

f Deut. 32. v. 34.

℣. 13. Tunc OBVENIENT EI DOLORES VT PARTVRIENTIS? nec tamen vel sic resipiscet, FILIVS verè insipiens: qui cùm, si vellet, posset *stare*, id est, persistere in ptiore statu, honore, dignitate sua, mauult iam in terram prosterni, pedibus Assyriorum conculcari, imò *conteri* vnà cum omnibus *filijs* suis. Nolo tamen spem omnis omninò salutis tollere antiquis clientibus meis.

℣. 14. DE MANV, seu potestate, MORTIS; Hebraicè, *sceol*, id est, inferni, LIBERABO EOS] Primò, per *Cyrum*, qui captiuos & morti atque inferno deuotos Israelitas (g) vnà cum Iudæis pristinæ libertati, quasi nouæ vitæ restituet. Secundò & potiùs per Christum, Cyri antitypum, qui merito mortis & passionis suæ in resurrectione tum sua, tum generali omnium hominum, destruet imperium famosissimorum istorum tyrannorum, putà mortis & inferni. De Christo enim hic allegoricè agi censent Theodoretus & à Castro. Imò ad litteram omnia hæc de Christo accipiunt S. Hieronymus, Eusebius, Augustinus, Gregorius, Haymo, Hugo, Rupertus, Liranus, Vatablus, Arias, Ribera, quin & veteres Rabbini à Galatino citati. Et ipse denique S. Paulus, qui 1. Cor 15. v. 54 hæc Christo applicat, sed ex versione LXX. qui pro eo quod Noster habet, *ero mors tua, ô mors: morsus tuus ero inferne*: alteri significationi earumdem vocum Hebraicarum adhærentes verterunt, *vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus?* Quia Hebræum *ehi* id est, *ero*, per metathesin fit *aje*, id est, *vbi*. Rursus *deberecha*, id est, *pestes tua*, seu *mors vel exitium tuum*, significat etiam, *δικὴν*, id est, *sententiam* iuridicam, quâ causa alicui adiudicatur, id est, *victoriam*. Eodem modo *katob*, id est, *excisio*, verti potest vel *morsus*, quo quis conficitur, vel *aculeus*, seu *stimulus*, quo quis confoditur. Denique *sceol* & *infernum* significat & *mortem*, quæ tunc omnes ad infernum deducebat. Eodem ergo redit utraque versio, & vtraque est Canonica, (h) & potest vtraque simul iungi hoc modo: Vbi est, ô mors, victoria & aculeus tuus, quo soles omnes conficere? Ego, ego illum confregi, qui morte mea mortem & exitium tibi attuli, & morsu meo infernum vnà tecum discerpsi & absorpsi. Quod cœptum impleri in regressu Christi ex inferis, quando non modò SS. Patres è limbo, sed & purgantes (i) animas ad vnam omnes eduxit, (vt piè tenent S. Augustinus, Gregorius, Anselmus, inclinant Marsilius, Gabriel, Maior, Sotus; sed Gerson dubitat; & S. Thomas ac Suarez negant:) perfectè verò complebitur in vniuersali resurrectione, vt docet Apostolus, & omnes SS. Patres.

שאול

g Osee 1. v. 6.

Euseb. l. 4. Demonstr. c. 12. August. serm. 157. de Tempore. Gregor. homil. 22. in Euang. Galatin. l. 8. c. 21.

אהי
איה
דברך
מטב
שאול

h Proleg. de Idiotismo Hebr. n. 11.
i Isaiæ 49. v. 9. August. sup. Gregor. l. 13. Moral. c. 20 Anselm. in Elucidario. Marsil. in 3. dist. 22 q. 13 a. 2. dub. 3. Gabr. & Maior ibid. Sotus in 4. dist. 45. q. 1. a. 1. Gerson alphabeto 83. lit. F. S. Tho. 3 p. q. 52. a. 8 & Suarez ibid.

CONSOLATIO ABSCONDITA, seu subtracta EST, id est, prorsus recessit & aufugit, AB OCVLIS MEIS] quasi dicat: Nil video, nil scio quod me solari possit,

℣. 15. QVIA IPSE infernus, seu tyrannus infernalis, DIVIDET INTER FRATRES: Primò, diuellens decem tribus Israel à consortio reliquarum duarum, has in Assyriam, illas pòst paulò in Chaldæam dispergens. Secundò, secernens mortuos à viuis, & damnatos à beatis, inquit S. Hieronymus & Haymo. ADDVCIT enim mox Deus VENTVM VRENTEM, nempe Salmanasarem, qui FONTEM ET VENAS opum Israelis, omniaque desiderabilia ipsius funditus exhauriet atque exscindet. ita Clarius & Arias. Sed S. Hippolytus id exponit de Antichristo; Liranus & Vatablus de igne quo conflagrabit mundus ante extremum iudicium: S. Cyrillus, Hieronymus, Rupertus, Haymo & à Lapide, Christo adaptant ad inferos descendenti.

CAPVT XIV.

Decernit excidium Samariæ, duci & auctori idololatriæ toti Israeli: hortatur omnes ad pœnitentiam, confessionis & deprecationis formula præscripta. Pœnitentibus veniam, gratiam, benedictionem omnem promittit, maximè per Christum. Israelus ad Christum conuersi felicitatem ampliè describit.

℣. 1. PEREAT SAMARIA sedes regia regum Israel, quæ vt reliquis vrbibus decem tribuum dux (k) fuit & auctor idololatriæ, ita & dux erit ipsis in pœna & supplicio; prima (l) obsidebitur ab Assyriis, prima capietur, prima exscindetur. In Hebræo enim & LXX. est, *peribit*. Et solemne est Prophetis, (m) optatiuo vti pro futuro. FOETÆ, id est, grauidæ & prægnantes matres, DISCINDANTVR (n) vnà cum fœtu quem vtero gestant.

k Osee 7. v. 1. &c.
l 4. Reg. 17. v. 5.
m Psal. 68. v. 19. Psalm. 108, &c.
n 4. Reg. 8. v. 12.

℣. 3. VERBA submissionis, pœnitentiæ, confessionis, deprecationis & laudis diuinæ, TOLLITE VOBISCVM, pro munere Deo gratissimo, quo animum ipsius iratum atque exacerbatum mulceatis, leniatis, & ad misericordiam inflectatis.

DICITE EI: Pœnitet nos peccasse, reuocamus, detestamur, corrigimus admissa scelera: ignosce, condona, ô Deus, & condonando OMNEM AVFER à nobis INIQVITATEM, & loco eius ACCIPE (o) BONVM in pias manus tuas, nobisque confer, putà internam iustitiam, virtutem, gratiam omnigenam, externam quoque benedictionem, prosperitatem, pacem, omniaque bona tum corporalia, tum spiritualia, quæ soles conferre amicis tuis.

o Psal. 67. v. 19.

ופרים

ET REDDEMVS tibi *parim*, id est, VITVLOS, vel (aliis (p) punctis) *perim*, id est, *fructus* (vt legunt LXX. & S. Paulus) LABIORVM NOSTRORVM] id est vitulos & alios animalium fructus, seu fœtus, quos labiis nostris tibi vouemus & promittimus: vel loco vitulorum, laudes & gratiarum actiones, quas pro beneficiis à te acceptis, tibi labiis nostris offeremus. ita S. Hieronymus, Chaldæus, Vatablus, Arias & alij complures. Moraliter, pœnitentiâ quasi gladio vel cultro iugulamus veterem nostrum hominem, omnesque prauas cupiditates, vt hostia fiat Deo gratissima ac iucundissima, inquit S. Ambros.

p Prolog. sup. פרים

℣. 4. Non ampliùs recurremus opis causâ ad ASSVR, ad Assyrios, vt *saluent* NOS: nec ad *equitatum* Ægyptiorum, (q) aliarúmve gentium: multò minùs ad idola: sed ad te solum, ô Deus, ad tuum vnius sinum accurrimus filij & famuli tui: MISERERE populi tui, iam PVPILLI & ab omnibus deserti, QVI IN TE (r) EST] id est, qui tuæ vnius curæ fidei,

Ambros. epist. 28 ad Theodosium.
q 2. Par. 16. v. 16. Isaiæ 31. v. 1.
r 1. Petr. 5. v. 2.

fidei, custodiæ creditus ac relictus est, ideoque in A te vno spes suas omnes repositas habet: *Tibi enim* a *Psalm.* 10 *derelictus est pauper, (a) orphano tu eris adiutor.* ita *v.* 14. S. Hieronymus, Cyrillus & Theodoretus. Pœnitentibus respondet exemplo benignus Deus.

¥. 5. SANABO CONTRITIONES, id est, vulnera, & confracta seu contrita membra, EORVM, typicè quidem per Cyrum, sed verè ac plenè per Cyri antitypon Christum, inchoatè in primo illius aduentu, completè in secundo. ita S. Hieronymus, Haymo, Vatablus & alij citati. DILIGAM EOS SPONTANEE id est, gratuitò, sine ipsorum meritis de condigno, ex mera beneuolentia: hebraicè est, *nedaba*, id נדבה est, animo liberali, magnifico, regio.

¥. 6. ERO QVASI ROS ISRAELI, lege, doctrinâ, gratiâ, beneficijs cælestibus eum leniter, si- B lenter, latenter humectans, fœcundans & *germinare* faciens ac florere SICVT LILIVM, (*b*) amplè, b *Cant.* 2. *v.* 1. splendidè, mirabili candore ac fragrantia. ET RADIX (*c*) EIVS altissima profundissimaque VT cedri c *Isaiæ* 11. *v.* 1. LIBANI, in parem altitudinem ERVMPET, ramos ad cælum vsque protendens. Chaldæus, *crescent Israelitæ filijs & filiabus*: adde, & animis, & virtutibus, & opibus omnigenis.

¥. 7. ET GLORIA EIVS ERIT QVASI OLIVA, d *Psal.* 127 *v.* 3. & *Ierem.* 11. *v* 16. & *Apoc.* 11. *v.* 4. id est, Israel erit glorioſus, fœcundus, (*d*) semper virens ac speciosus, instar *oliuæ* frondibus perpetuis, ac pinguissimis fructibus undique vallatæ & quasi coronatæ. ET ODOR EIVS ac fragrantia erit VT C LIBANI, thure, cedro, pino, alijsque resinosis atque odoriferis arboribus abundantis. Quæ omnia Ecclesiæ Christi ad amussim quadrant.

¥. 8. CONVERTENTVR, id est, è captiuitate reuertentur Israelitæ in patriam: ibi SEDENTES erunt, id est, securi, stabiles, felices degent IN VMBRA EIVS, id est, in consortio & sub tutela Ecclesiæ, remigrantis typicè è Chaldæa in patriam: propriè è potestate diaboli in libertatem filiorum Dei. ita ferè Chaldæus, S. Hieronymus, Rupertus, Liranus, à Castro & à Lapide. VIVENT & abundabunt TRITICO, id est, annona tum corporali, tum spirituali, verbi Dei, vt S. Hieronymus, Chaldæi, & Theodoret. & Sacramentorum, & præ omnibus Eucharistiæ, vt Sà & à Lapide exponunt. MEMORIALE; Hebraicè, *memoria*, EIVS, id est, commemoratio Israelis accidet omnibus gratissima, suauissima, optatissima, SICVT VINVM è monte *Libano* collectum, quod ex soli fœcunditate, & radiorum solis refractione nobilissimum istic etiamnum nascitur, teste Burchardo, & alijs qui ea loca frequentarunt. Tot igitur, tantaque bona; cùm ex me vno haurire possis, *Burchardo. in Antilibano.*

¥. 9. Ô EPHRAIM, Ô Israel, QVID MIHI VLTRA iungis & obiectas IDOLA, res vanas, vmbraticas & nihili? EGO sum solus qui EXAVDIAM rogatus, ET DIRIGAM, id est, ad optatam metam rectà deducam EVM, item rectà in altum eucham, VT ABIETEM; quæ semper viret. hæc enim in celsissimam altitudinem filo recto, ac penè sine nodis ascendit, teste Plinio. Nec tamen sola trunci al- *Plin. l.* 16. titudine & frondium amœnitate præcelles, vt *c.* 10. & 21. abies; insuper etiam abundabis *fructibus* suauissimis ac saluberrimis, vt vitis & oliua, inquit Chaldæus, S. Hieronymus & alij suprà citati.

¥. 10. QVIS inter vos, ô Israelitæ, SAPIENS est, ET INTELLIGET (*e*) ISTA tam ampla promissa, e *Psal.* 106. tam fœcunda mysteria, tam luculenta beneficia, *v. vlt.* & quæ quatuordecim numero præcedentibus quin- *Deut.* 32. que versiculis, per Christum obuentura vobis ad- *v.* 28. numerauit? q. d. Quàm pauci erunt ex Israele, qui hæc capient, credent & amplectentur! Et hæ tamen SVNT RECTÆ VIÆ DOMINI, rectà ducentes ad Deum, ad iustitiam & sanctitatem, ad æternam felicitatem: sed solis *iustis* accessæ & peruiæ. PRÆVARICATORES enim, quales sunt plerique Israelitarum, CORRVENT IN EIS, vbique impingentes, seseque lædentes, ac tandem in gehennam proruentes. *Lata porta (f) & spatiosa via est*, sed la- f *Matth.* 7. queis & offendiculis plena, *quæ ducit ad perditionem*, *v.* 13. *& multi intrant per eam. Quàm angusta porta, & arcta via est*, sed certa, sed secura, sed compendiosa, sed amœna, *quæ ducit ad vitam*! & quàm *pauci sunt qui inueniunt eam*, & inuentæ insistunt!

IOEL,

IOD est, *descensus Dei*, vel, vt S. Hieronymus exponit, *Dominus* יהוה אל *Deus*, q. d. *Iehoua el*, vel per crasim *ia el*. Natus est è *tribu Ruben*, in agro *Bethor*, inquit Epiphanius; vel *Bethomeron*, vt vocat Dorotheus. Prophetauit eodem tempore, & sub ijsdem *Epiphan. & Doroth. in Synopsi.* regibus, sub quibus *Osee*, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, Augustinus, Theodoret. & Ruffinus: licet Hebræi in *Seder-olam*, & ex eis *Aug. l.* 18. *Ciuit. c.* 27. R. Dauid, Genebrardus, Arias & à Castro, velint eum prophetasse sub so- *Genebr. in Chronol.* lo *Ezechia* & *Manasse*, eò quòd solis duabus tribubus Iuda & Beniamin prophetet, non verò reliquis decem tribubus iam in Assyriam anno sexto Ezechiæ (*a*) deportatis. Argumentum prophetiæ eius est excidium Ieroso- a 4. *Reg.* 18. lymæ totiusque Iudææ per Chaldæos, & sub hoc typo, excidium vniuersi, & *v.* 10. iudicium extremum, in quo reprobi omnes gehennæ, probi cælo adscribentur. Inter Sanctos relatus, Romano Martyrologio inseritur 13. Iulij.

CAPVT I.

PEr erucam, locustam, bruchum & rubiginem, id est, per varias Chaldæorum irruptiones Iudæam atterendam, exhauriendam, exscindendam prædicit: adhortans omnes ad lamenta & pœnitentiam, quâ Deum offensum placare, plagasq; calitus intentatas auertere festinent.

℣. 4. IRVCA (sic dicta ab *erodendo*, teste Isidoro) leuiter fruteta arrodens, significat *Pharaonem* (a) Nechao regem Ægypti, qui occiso *Iosia* (b) rege Iuda, filium eius *Ioachaz* captiuum (c) abduxit in Ægyptum, & tributum Iudæis indixit. Huic post triennium successit LOCVSTA, (d) q. d. *loca ustulans*, seu exurens, vt numero & volatu, sic etiam morsus acrimonià longè superans *erucam*: designat *Nabuchodonosorem* regem Babylonis, qui primo anno regni sui, id est, tertio anno regni Ioakim, regem regnumque Iudæorum sibi subiecit, (e) ac tributarium fecit. *Locustæ* tamquam parenti successit *bruchus*, locustæ pullus, seu primus partus, (vt loquitur Albertus Magnus, S. Hieronymus, Chrysostomus, Cœlius, Aldrouandus & alij Phylici.) qui paulò grandior vocatur *attacus* (f) vel *attelabus*: matura iam ætate, *ophiomachus*, post procreatos pullos, *locustæ*. Vnde Hebræum *ielec*, id est, *ligurio*, pro quo Nolter superuertit *bruchum*, LXX. vertere solent (g) ἀκρίδα, id est, *locustam*, quia BRVCHVS species & partus est *locustæ*. SIC vertit & Syrus & Arabicus vterque. Designat autem turmas Chaldaicas, Syriacas, Moabiticas & Ammoniticas, quas Nabuchodonosor anno 8. regni (h) sui, id est, anno 11 Ioakim effudit (i) in Iudæam, quæ Ioakimum occiderunt, & filium eius Ioachin, seu Iechoniam, Babylonem cum vasis templi & præcipua Iudæorum nobilitate deuexerunt. *Bruchо* superuenit *chasil*, id est, perditor, depastor, & variæ est significationis, vnde tam à Nostro & Chaldaico interprete, quàm à LXX. & Syriaco & aliis, accipitur subinde (k) pro *locusta*: sed hic vertunt *rubiginem*, segetum pestem, vt alibi (l) dixi. Designat vltimam Nabuchodonosoris aduersus Iudæos expeditionē, 11. anno Sedeciæ, (m) qua & templum, & vrbs regia exciſa, & populus vel occisus, vel cum rege suo Babylonem auectus fuit. ita ferè S. Hieronymus, Christophorus à Castro & Cornelius à Lapide: & ipsemet Ioel ita sese explicat (n)

℣. 6. GENS Chaldæa cum aliis auxiliaribus copiis, decreto diuino iam ASCENDIT, ascensura etiam reipsa suo tempore, SVPER TERRAM MEAM, id est, in Iudæam. DENTES EIVS, id est, gladij & hastæ, VT DENTES LEONIS, (o) acutissimi & fortissimi, quibus omnia audacissimè, celerrimè, crudelissimè sternent, discerpent, exscindent: ET MOLARES dentes EIVS, id est, balistæ, arietes, & aliæ machinæ bellicæ, omnia confringent, comminuent, euertent, VT solet CATVLVS (p) LEONIS obuiam prædam conuellere, dentibus adhuc integris & recentibus, necdum pugnando attritis vel euulsis, vt subinde contingit leonibus grandæuis, inquit Pineda.

℣. 8. PLANGE, ô Ierusalem, ô Iudæa, vt solet plangere VIRGO recèns nupta, cùm perdit VIRVM PVBERTATIS (q) SVÆ; LXX. *virum suum virgineum*, id est, virum cui pubertatem & virginitatem suam dedicarat, ac proinde tenerrimè illum atque intimè diligebat. ita Sanchez, à Lapide & alij complures.

℣. 10. CONFVSVM EST VINVM. Est prosopopœia. q. d. Hostili incursione exciſis vel conculcatis viribus, erubuit vinum, & quasi pudore suffusum est, videns se non respondere votis & laboribus vinitorum, & spei de se datæ. Sic v. 12. CONFVSVM EST GAVDIVM, quod ex vbere messe ac vindemia solet maximum erumpere & excitari A FILIIS HOMINVM, corrupta iam messe, non audet prodire.

℣. 13. ACCINGITE VOS saccis cilicinis, ô sacerdotes; pio exemplo præite populo, placate pœnitentiâ offensum Numen.

℣. 14. SANCTIFICATE (r) IEIVNIVM] Id est, segregate certos dies ieiunio sanctè impendendos. ita Chaldæus, Tertullian. Theodor. Arias, Vatabl.

℣. 15. A, A, A, (s) diei, LXX, *hei mihi, hei mihi, hei mihi in diem*; Syrus & Arabicus vterque, *heu, heu, heu diei*, nempe quo Ierusalem, totaque Iudæa vastabitur à Chaldæis. PROPE EST DIES DOMINI, id est, instat, imminet tempus iudicij, vindictæ & punitionis diuinæ per Chaldæos exercendæ: ET QVASI VASTITAS A POTENTE; Hebraicè, *keshod mishshadai*, id est, *vastitas potens à vastante potente* superveniet. בשד משדי

℣. 16. ALIMENTA sacerdotum, puta victimas & oblationes videbitis *perire* DE templo, & consequenter omnem *lætitiam*, quâ solebatis in publicis sacrificijs per singula festa lætari, exultare & epulari. Nec homines modò, sed &

℣. 17. IVMENTA euertet hæc clades. Hæc enim pascuis, ob vicinum hostem exclusa, cogentur in stabulis, IN STERCORE SVO *computrescere*, deficiente non solùm gramine & herba, sed & fœno & stramine. Chaldæus vertit, *computruerunt dolia vini*, id est, ebriosi & gulosi, quorū ventres dolia sunt, inquit Delrio. Ab eodē hoste DISSIPATÆ & exciſæ SVNT APOTHECÆ in quibus annona recondebatur. CONFVSVM EST TRITICVM, vt suprà. (t)

℣. 18. *Gregibus* NON EST PASCVA, supple, regio vel terra. Ex adiectiuo enim transiit in substantiuum: &, vt exemplis (u) probat Antonius Nebrissensis, tam latinè dicitur *pascua pascuæ*, quàm *pascua pascuorum*.

℣. 20. BESTIÆ *agri* assuetæ compascuis, nunc in stabulis vacuis fame & siti enectæ, suspiciunt ad te ô Deus, & suo balatu, mugitu, ruditu vociferantur & inclamant opem tuam, sicut area sicca inclamat imbrem. FONTES enim præcisis venis, vel interruptis & auersis riuis, EXSICCATI ipsis SVNT ab hoste: & *igni* absumpta omnia SPECIOSA DESERTI] id est, omnes speciosæ villæ, horti, pomaria, arbores, segetes, & quidquid ruri pulchrum erat, inquit S. Hieronymus, Theodoretus, Liranus & Ribera.

CAPVT II.

Pergit describere horrorem fatalis diei excidij Ierosolymæ, & sub huius typo horrorem excidy vniuersi, & extremi iudicij. Pergit & hortari omnes ad pœnitentiam, quâ Deum offensum placent & sibi reconciliant. Pœnitentibus promittit salutem per Cyrum, & multò magis per Cyri antitypum Messiam. Denique dat signa quædam prauia excidio Iudæorum, & excidio vniuersi, atque extremo iudicio Christi.

℣. 1. CANITE TVBA, & VLVLATE; Hebraicè, *claßicum canite* (vt etiam Tigurini vertunt) triste & horrisonum, quale solet cani appropinquante hoste: CONTVRBENTVR; Tigurini, *contremiscant*, OMMES HABITATORES TERRÆ Iudææ: QVIA ecce

℣. 2.

Isidor. l. 12. Originum c. 5.
a 4. Reg. 23. v. 9.
b Ibid.
c Ibid. v. 33
d Leuit. 11. v. 22.
e 4. Reg. 24 v. 1. & Dan. 1. v. 1. Alb. l. 26. de Animal. Hier. in c. 3. Nahū v. 15. Chrysost. in Psalm. 104 v. 34.
Cæsius l. 3. Variar. lect. c. 25. Aldron. l. de insectis, de Brucho. p. 406. & 414
f Leuit. 11. v. 22.
g Ierem. 51. v. 14. 27. & alibi.
h Chron. c. 29.
i 4 Reg 24. v. 2. & 10. & 2. Paral. vlt. v. 10.
k Isaiæ 33. v. 4. & 2. Parai. 6. v. 28.
l Deut. 28. v. 22. Psalm. 77. v. 46.
m 4. Reg. vlt. & 2. Par vlt.
n Hic v. 6. & 15. & c. 2. v. 2 4. & c.
o Apoc. 9. v. 8
p Iob 4. v. 11. Pineda ibid
q. Ierem. 3. v. 4.
Delrio ad Agg. 969.
t Hic v. 10.
u 1. Par. 4. v. 40. Lib 39. v. 8. Psalm. 22. v. 1. & Psalm. 78. v. 13. Isaiæ 37. v. 27. Ezech. 34. v. 18. Anna Nebriss. in Dict. Ilanum.

℣. 2. POPVLVS MVLTVS ET FORTIS, duce Nabuchodonosore infunditur in Iudæam, sicut MANE, id est, matutina aurora, *expanditur* SVPER MONTES. Qualis & quantus hucusque Iudæam numquam inuasit, neque inuadet VSQVE IN ANNOS GENERATIONIS ET GENERATIONIS] id est, ad vnam alteramque, imò ad plures generationes & sæcula. Putà vsque ad Romanos, qui longè magis nocebunt Iudæis, vt loquitur historia excidij per Titum, & experientia etiam hodierna. ita Theodoretus, Remigius, Hugo & Clarius.

℣. 3. IGNIS devORANS omnia, præcedet ipsum & subsequetur, quo terram vniuersam omnibus segetibus, plantis, ædibus, arcibus, vrbibus nudatam, redigat in *solitudinem*, quæ antea erat quasi perpetuus HORTVS VOLVPTATIS] ita S. Hieronymus. Sanchez putat hîc alludi ad ignem, qui regibus Chaldæorum & Persarum, quasi comes & dux viæ, imò quasi deus, in publico præferebatur, vt (a) alibi dixi.

a *Iudith* 10. v. 17. & *Isaiæ* 1. v. 13.

℣. 4. QVASI ASPECTVS, seu species, EQVORVM, nempe toruus, interritus, horridus est ASPECTVS EORVM: & licet pedibus ambulent, velocitate tamen EQVITES assequuntur: tanta pernicitate tantoque strepitu armorum insilientes etiam in suprema

℣. 5. CAPITA MONTIVM, vt videantur ferratis quadrigis in eadem inuolare.

℣. 6. A FACIE, seu præsentia huius populi, OMNES VVLTVS Iudæorum, præ timore ac pauore REDIGENTVR IN OLLAM] id est, nigrescent instar ollæ. Sic Isaiæ 13. v. 8. *Facies combustæ vultus eorum.* Timor enim sanguinem vndique retrahit ad cor tutandum: vnde extremæ partes corporis velut exsangues & exanimes, primò pallescunt, mox metu ingrauescente nigrescunt, & instantis *mortis lurido vestiuntur*, vt videre est in ijs qui suffocãtur vel strangulantur, inquit Ruffinus, S. Hieron. & Theophyl.

℣. 7. ASCENDENT cataphracti MVROS VRBIVM Chaldæi, summa quidem velocitate, vt decet FORTES milites, sed tamen seruatis perpetuò ordinibus, vt moris est in acie benè instructa. VIRI, id est, singuli, GRADIENTVR IN VIIS SVIS sibi ab archistratego designatis.

℣. 8. SED ET PER FENESTRAS in domos Iudæorum summâ audaciâ, simul & saliendi ac digladiandi dexteritate prouolabunt, CADENTque etiam in subiectos gladios vel hastas, (sic enim vertunt LXX. Pagninus, Vatablus & alij recentiores, quia Hebræum *scelach*, id est, immissio & emissio, tam significat telum, seu iaculum, quàm fenestras;) שלח ET tamen NON DEMOLIENTVR] id est, non destruentur, (b) non sauciabuntur, inquit Sanchez. Sic enim etiam Vlpianus & Alphenus & alij vetustiores vsurparunt hanc vocem tam actiuè, dicentes, *demolio, demoliui*, id est, destruo, destruxi: quàm passiuè, *demolior*, *demolitus sum*, id est, destruor, destructus sum.

b *Ioel* 1. v. 17. *Vlpian. in l. Quid tamen* §. 2. *ff. Quibus modis vsus fructus amitt. Et in l. Qui insulam in prin. ff. locati. Alphen. in eand. l. Qui insulam. C. l. 414 13. v. 10. & 13. & Psal.* 17.

℣. 10. A FACIE & præsentia tam numerosi, tam bellicosi populi, non modò TERRA CONTREMVIT, sed & MOTI SVNT CÆLI, SOL ET LVNA (c) ET aliæ STELLÆ OBTENEBRATÆ SVNT] nempe perculsis & attonitis Iudæis, quibus præ copia pulueris à tantis exercitibus excitati, præ horrisono tubarum clangore, tympanorum sonitu, tormentorum fragore, equorum fremitu & cursu, vngularum ad saxa collisione, armorum strepitu, militum clamore & furore, *terra fluctuare, cælum* & stellæ obnubilari, concuti, *ruere* videbantur, ait S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo & Ribera. Verùm Theodoretus & Arias hæc non hyperbolicè, sed propriè accipiunt, voluntque Deum horrendis procellis, terræmotibus, fulguribus & *voce sua*, id est, tonitruis, (d) ANTE *exercitum suum*, id est, appropinquantibus Chaldæis perculisse animos Iudæorum. Terræmotu enim verè contremiscit terra, tonitruis cælum, id est, aër totus concutitur, procellis sol, luna, ceteraque sidera nobis obtenebrantur. Allegoricè, verius hæc quadrant in tempus extremi iudicij & occasus vniuersi, cuius hoc Iudæorum excidium typus est & viua imago.

d *Psal.* 28. v. 3.

℣. 13. CONVERTIMINI, ô peccatores, AD DEVM, quia ipse, & nullus alius, potest vos tutari, ingruentibus his malis. & ipse BENIGNVS est ac gratiosus erga pœnitentes; Secundò, MISERICORS; Hebraicè, *commiserans ex* intimis *visceribus*; Tertiò, PATIENS, longanimis, tardus ad vindictam; Quartò, MVLTÆ MISERICORDIÆ; Hebraicè, *multus pietate* ac bonitate; Quintò, PRÆSTABILIS, id est, præstans, excellens, eminens SVPER MALITIA] id est, super ira, vindicta, punitione. q.d. Maior, potentior, fortior est omni ira & cupidine vindictæ, nec finit se ab ea regi aut vinci, sed ipse vt dominus eam vincit, frænat & regit: cùm in hominibus ira ferè instar lænæ dominetur iratis, eisque habenas rationis & imperij excutiat, imò verò illos quasi mancipia sibi obsequi & seruire faciat. Ita *præstabile* pro præstante, seu excellente vsurpat etiam Cicero, Gellius, & alij Latini. Quindecim nobilissimas Dei perfectiones enumerat S. Thomas, quas vult nos imitari atque æmulari, vt diuinæ reddamur consortes naturæ & indolis, vt decet filios Altissimi.

Cicero l. de Amicitia: & l. 2. de Natura Deor. & l. 3. de Oratore. Gellius citatus ab à Lapide. S. Thomas opusc. 62. de Diuinis moribus.

℣. 14. QVIS SCIT SI CONVERTATVR à decreto & sententia sua de pœna temporali per Chaldæos vobis infligenda? Licèt enim certus sim, Deum pœnitentibus remissurum omnem offensam, quoad culpam & pœnã (e) æternam: non ausim tamen pro indubitato idem asserere quoad pœnam temporalem, quam iustas ob causas sæpè non omnem remittit, vt patuit in Dauide (f) pœnitente & tot (g) alijs. ita S. Hieronymus, Theodoretus, Ruffinus & Rupertus. Spero tamen, quòd seriò conuersis IGNOSCET etiam hanc temporalem pœnam, ET RELINQVET POST SE BENEDICTIONEM] id est, copiam frugum & aliorum bonorum, tamquam symbola redintegratæ vobiscum amicitiæ, è quibus illi vicissim in gratiarum actionem, *sacrificia & libamina* crebrò & largè referatis.

e *Ezech.* 18. v. 21. 22. f 2. *Reg.* 12. v. 10. g *Exodi* 32. v. 14. & 17. *Num.* 20. v. 12.

℣. 16. SANCTIFICATE ECCLESIAM] Id est, segregate & indicite sanctos conuentus populi iam pœnitentis & sanctificati: conuocentur ad placandum Deum omnes, nullo excepto, ne quidem *sponso* vel *sponsa*. (h)

h *Proleg. de Idiotismis Hebr. n.* 51.

℣. 17. INTER VESTIBVLVM, seu porticum basilicæ, ET ALTARE holocaustorum, dum victimæ cremantur, humi prostrati SACERDOTES, cinereq; & sacco cooperti *plorent*, & clament ad Deum, & sic populo præeant, suoque exemplo accendant ad communes complorationes & preces. ita S. Hieronymus, Liranus, Ribera & à Castro. Nec verò in cassum fusæ preces, etsi seriùs nunc fusæ, nempe post excisam iam vrbem. Nam sub Cyro (i)

i 1. *Esdr.* 1. v. 1.

℣. 18. ZELATVS iterum EST DOMINVS TERRAM Iuda: Hebraicè, *zelotypiâ prosecutus est*. Et iam resipiscentibus Iudæis

℣. 19. RESPONDIT per me, & promisit Deus, se omnia eis redditurum, quæ priùs per *erucam*, (k)

k *Ioel.* 1. v. 4.

locustam, bruchum & rubiginem abstulerat.

℣. 20. ET EVM QVI AB AQVILONE EST, id est, Aquilonarem tyrannum, putà *Nabuchodonosorem*(a) cum omni eius familia, vt Theodoretus & à Castro: vel *Holofernem*, (b) vt S. Hieronymus, Ribera & à Lapide, PROCVL FACIAM A VOBIS] Allegoricè *diabolum*, inquit Hugo & Richardus.

a *Ierem.* 1. v. 14.
b *Iudith* 16. v. 5. & *in Prefat.* & c. 2. &c.

EXPELLAM EVM, id est, omnes copias eius è finibus Iudææ, fugaboque per auia, deuia, & *inita*, CONTRA, seu versus, MARE ORIENTALE, seu mare Galilææ, seu Tiberiadis: ET AD MARE NOVISSIMVM] id est, Mediterraneum, quod Iudæis est extremum, seu Occidentale.

℣. 21. MAGNIFICAVIT DOMINVS VT FACERET] Id est, magnificentissimè tecum aget Deus: magna damna maiori munificentia sarciet & obruet.

℣. 23. DEDIT VOBIS fixo iam decreto, dabitque reipsa suo tempore, DOCTOREM (c) IVSTITIÆ] In Hebræo non est *iore*, id est, *pluuia*, vt quidam recentiores vertunt, sed *hammore*, (d) id est, *ille doctor*, nempe eximius & singularis totius orbis doctor, nempe Messias, toties per Prophetas nobis promissus. Doctor qui non verba modò sparget in aëra, sed qui etiam interna cordium illuminatione, excitatione & immutatione nos deducet ad veram iustitiam & sanctitatem. Ita omnes penè SS. Patres & interpretes. Licet enim hîc alludatur ad *Zachariam*, *Aggæum*, *Malachiam*, alioque Prophetas, qui post solutam captiuitatem Babylonicam Iudæis doctores dati sunt; primariò tamen ac prioriè agitur de antitypo omnium doctorum (e) ac prophetarum Christo, vt in simili vidimus Deuter. 18. v. 15. *Prophetam sicut me, suscitabit tibi Dominus.*

c *Isaiæ* 30. v. 20. & c. 35. v. 4. *Ierem.* 23. v. 5. *Danul* 9. v. 24. יורה המורה
d *Isaiæ* 30. v. 20.
e *Matth.* 23 v. 8.

ET DESCENDERE FACIET AD VOS IMBREM MATVTINVM, qui semina recèns terræ mandata humectet & germinare faciat in autumno: ET SEROTINVM, qui tempore verno segetes incrasset. q. d. Vberem & copiosam messem vobis subministrabit. Allegoricè, & principaliùs, copiam frugum & bonorum spiritualium per Christum, inquit S. Hieronymus, Rupertus, Haymo, Arias, Ribera, à Castro & alij.

℣. 25. REDDAM VOBIS ANNOS, id est, fructus præteritorum annorum, QVOS COMEDIT & absumpsit LOCVSTA, BRVCHVS, &c.] Ex hoc loco & alijs similibus colligit S. Hieronymus S. Thomas & alij Theologi, (f) merita, virtutesque antè deperditas per peccatum, reuiuiscere per pœnitentiam, non solùm in altera vita, vt vult Scotus & Durandus, sed & in præsenti, & quidem primo pœnitentiæ instanti: nec tantùm per actus pœnitentiæ prioribus virtutum actibus intensiores, vti censet S. Thomas & Paludanus, sed etiam per actus eiusdem remissiores, vt cum Ioanne Maiore, Gabriele, Ockam, Medina & Henr. à Gandauo fusè docet Franc. Suarez, Ægydius Koninck & alij Theologi.

f *In tract. de Pœnitentia.*

Suarez opusc. 5. de Reditu bonor. operum disp. 2. sect. 3. Ægid. Koninck in 3. p. tract. de Pœnit.

℣. 28. ET ERIT POST HÆC, id est, post Christi doctoris aduentum, prædicationem, mortem, resurrectionem & ascensum in cælum, EFFVNDAM maximâ copiâ SPIRITVM MEVM sanctum ac diuinum, primò visibiliter in Pentecoste, & ferè primo Ecclesiæ sęculo, deinceps verò inuisibiliter SVPER OMNEM CARNEM] Arabicus vertit, *inundare faciam spiritum meum super vniuersos homines*, scilicet iam per baptismum Christo incorporatos, cuiuscumque demum fuerint ætatis, sexus vel conditionis, etiam in Gentiles iam conuersos, vt patet Actor. 10. v. 44. De Pentecoste ergo Christianorum & subsecutis temporibus hunc locum accipiendum esse patet non solùm ex omnibus SS. Patribus, Doctoribus & interpretibus, sed etiam ex Rabbinis à Lirano & Galatino citatis. Et omne dubium tollit S. Petrus Apostolus, qui Act. 2. v. 17. eumdem locum de tempore illo exponit, vocatque *dies nouissimos*, quia nulla alia temporum, religionis vel legis mutatio erit post tempora vel post legem Messiæ. Porrò non sola dona Spiritus sancti, vel donorum incrementa, sed ipsummet quoque Spiritum sanctum iustis infundi in animam, ita vt eam per se impleat, possideat, sanctificet, patet ex Scripturis (g) passim, inquit Cornelius à Lapide, & fusè prolixeque inter alios docet Leonardus Lessius.

Galat 5. *citâ.*

g *Ioann.* 14. v. 23. & 2. *Petri* 1. v. 4. *Rom.* 5. 5. *Leonis de Ascens. d. 2. de glorificatione.*

ET FILII VESTRI tum naturales, tum ascititij ex Gentibus, & iam Christo per fidem incorporati, PROPHETABVNT, partim futura prædicendo, vt solemne erat in primitiua (h) Ecclesia; partim laudes diuinas variis linguis celebrando, (i) partim docendo, exhortando, (k) orando, &c. SOMNIABVNT SOMNIA, sed cælitus immissa, (l) qualia fuerunt illa Pharaonis Gen. 40. & 41. & Nabuchodonosoris, Dan. 2. & 4. Et hæc quidem pro filiis & *seruis* Christi: pro hostibus verò ipsius, id est, pro incredulis & impijs,

h *Actor.* 21. v. 9. *In Apocal. & apud Eusebium l. 6. c. 12.*
i *Actor.* 2. v. 11.
k 1. *Cor.* 14. v. 1. & *Prolog. de Idiotismis Hebr. n.* 11.
l *Num.* 12. v. 6. *Cornel. à Lap. in Actor. 2. Prud. in Ezech.* 10. v. 2. *Isaiæ* 24. v. 23. *Apoc.* 8 & 9 *Christus Matth.* 24. v. 29. & *Luc.* 21. v. 25 &c. *Tertull. l. 4. cont. Marcion. c.* 39. *Orig. tract.* 30. *in Matt. S. Thom. in Matth.* 24. *in lob* 9. 26. *Isaiæ* 13. v. 10. & 14. v. 19. *Ezech.* 32. *c.* 10. &c. *Isaiæ* 2. v. 2 & 66. v. 3. *Dan.* 12. v. 10 &c.

℣. 30. DABO PRODIGIA & portenta IN CÆLO, seu aëre, ET IN TERRA, ad illos terrendos, suique officij commonefaciendos. Cœperunt hæc in passione Christi (cui illa applicat S. Hieronymus, Remigius & Hugo:) creuerunt in excidio Hierosolymitano per Titum (quo de hîc agi volunt S. Chrysostomus, Oecumenius & Pradus:) sed perfectè complebuntur sub finem mundi, ante extremum iudicium & excidium vniuersi. De hoc enim similia prorsus prædixit Isaias, & Ioannes in Apocalypsi, adeoque & Christus ipse pluribus locis. ita Tertullianus, Origenes, Theodoretus, Rupertus, S. Thomas, Liranus, Vatablus, Arias, Ribera, à Castro, à Lapide & alij complures. Qui per *sanguinem* intelligunt horrendas cædes & strages hominum: per *ignem* fulgura, cometas, aliaque phænomena, ac tandem prunas ignitas quas cælum dopluet, quo terrena omnia conflagrabunt, & in *vaporem* ac *fumum* abibunt.

℣. 31. SOL CONVERTETVR IN TENEBAS ET LVNA IN SANGVINEM] Quomodo id fiet, alibi (m) dixi. Tunc

m *Isaiæ* 13. v. 10. & 34. v. 4. *Ezech.* 32. v. 7. *Matth.* 24. v. 29. *Marc.* 13. v. 24. *Luc.* 21. v. 25. *Apoc.* 6. v. 12. & 8. v. 12.

℣. 32. SALVVS ERIT, seu saluabitur, OMNIS & solus QVI INVOCAVERIT NOMEN DOMINI, id est, qui Deum coluerit, eique fideliter seruierit, IN spirituali MONTE SION ET IERVSALEM, id est, in Ecclesia Christi, SICVT alibi (n) DICIT DOMINVS. Tunc etiam IN RESIDVIS ERIT SALVATIO] id est, residui, id est, *reliquiæ* Iudæorum, post extinctum Antichristum, *vocandæ* à Deo & conuertendæ ad Christum, saluabuntur. quod & Apostolus docet ad Romanos 11. v. 26.

n *Ioel* 3. v. 17. & 21. *Isaiæ* 4. v. 3. *Dan.* 12. v. 1.

CAPVT III.

Describit extremum iudicium, pœnamque reproborum, & beatam viam electorum.

℣. 1. IN DIEBVS ILLIS, id est, nouissimis mundi temporibus, quorum iam iam memini in fine cap. præced. CVM CAPTIVITATEM IVDA, non Babylonicam, sed Babylonicâ abumbratam, longeque crudeliorem Iudæorum captiuitatem sub iugo peccati & diaboli & legis Mosaicæ, sub finem mundi, cæso (o) iam putatitio ipsorum Messia Antichristo, CONVERTERO ad fidem & cultum Christi; paucis pòst annis, ad extremum iudicium instituendum,

o *Ezech.* 39. v. 23. *Isaiæ* 59.

℣. 2.

℣. 2. CONGREGABO vndique OMNES omninò GENTES, quotquot toto orbe ad illud vsque tempus fuerint. ita SS. Patres & interpretes passim, vt & veteres Hebræi citati à S. Hieronymo & Galatino. ET DEDVCAM EAS IN VALLEM IOSAPHAT, id est, in vallem *iudicij Domini*, inquit Chaldæus, S. Hieronymus, Albertus, Rupertus, Haymo, Arias & Clarius: *Iosaphat* enim idem est quod *Domini iudicium*. Verùm LXX. Syrus & Arabicus vterque & alij interpretes non appellatiuè, sed propriè accipiunt nomen *Iosaphat*: voluntque hìc designari vallem latam, longam & profundam quæ est inter *Ierusalem* & *montem Oliueti*, quam perluit torrens *Cedron*, (a) & in qua hortus erat *Gethsemani*, (b) vbi Christus extrema nocte orauit (c) & proditus (d) fuit à Iuda. vbi & *Gehēna* (e) erat & *Topheth*, (e) & infantes cremabantur idolo *Moloch* (e) vbi & commune vulgi cœmiterium erat. vbi & sepulta B. Virgo Maria, inquit Adrichomius. vbi & à pijs regibus Asa. (f) Ezechia (g) & Iosia (h) combusta templi idola & aliæ sordes. Nomen verò accepit *vallis Iosaphat* ex triumpho quem istic egit, & ex arcu triumphali ac pyramide, quam ipsi istic erexerunt póst victoriam (i) partam de Ammonitis, Idumæis, Moabitis & Syris, inquit V. Beda & Saligniacus. Fuerunt autem omnia ista quasi typi & figuræ eorum quæ in iudicio extremo in hac valle peragenda sunt. Et Ioël hìc v. 16. sat indicat, vallem hanc iudicij propinquam fore vrbi Ierosolymitanæ, supra cuius verticem in aëre Christus iudex thronum suum & tribunal regium figet, è quo *disceptabit*, id est, iudicio contendet CVM omnibus gentibus in subiecta valle Iosaphat, vicinisque circùm regionibus in vnum collectis. Et verò cùm debeat aliquo loco iudicium institui, non videtur toto orbe, commodior designari posse, quàm meditullium (k) orbis inhabitati, in quo ipsemet iudex per passionem & mortem suam *operatus est salutem* totius orbis. Vt vbi ipse ab impijs iudicatus, damnatus, crucifixus est, & summâ ignominiâ affectus, summo vicissim honore ab omnibus excipiatur, (vt ipsemet Caiphæ (l) prædixit) & *omne genu* ipsi *flectatur*, (m) *cœlestium, terrestrium & infernorum*. ita S. Hilarius, & alij Patres, S. Thomas, Albertus, Remigius, Liranus, Vatablus, Sà, Mariana, Dominicus Sotus, Paludanus, Suarez & alij Doctores.

℣. 3. SVPER POPVLVM MEVM Israel MISERVNT SORTEM: id est, sortitò inter se partiti sunt tum corpora, tum fortunas fidelium mihi famulorum. Horum enim typus (n) erat populus *Israel*, olim à Deo electus quasi in peculium & hereditatem Dei. Alludit ad sortem quam iecit *Aman* super Iudæos, de mense & die quo trucidandi essent, Esther 3. v. 7. Et hæc est prima scelerum classis, nempe *auaritiæ* & *iniustitiæ*, de quibus arguentur impij in iudicio Christi, inquit Hugo Victorinus. Secunda classis est *luxuriæ*: POSVERVNT PVERVM IN PROSTIBVLO, vt illo pæderastis exposito ad innaturalem libidinem, inde lucrum & quæstum facerent. Tertia est *gulæ*, cui vt obsecundarent, etiam innocentes ac repugnantes *puellas* lenonibus VENDIDERVNT in scorta & mancipia, vt vino ex pretio tam infami coëmpto sese ingurgitarent. Sub his quæuis alia scelera intellige, inquit Liranus. Neque solùm in genere omnes simul impios coarguet iudex, sed etiam in specie & sigillatim compellabit singulas gentes, singula regna, singulas prouincias, singulas vrbes, singulas familias, denique singula capita. Pro exemplo ponit hìc *Tyrios*, *Sidonios* & *Philisthæos* vicinitate & scelcribus notissimos apud Iudæos.

℣. 4. NVMQVID, ô Tyrij, ô Sidonij, ô Philisthæi, & omnes impij decreuistis, iam quoque cùm vincti astatis pro tribunali, VLTIONEM MIHI *reddere*, iram quam in me non potestis; euomendo in membra mea? vti nunc (cùm hæc per Ioëlem vobis denuntio) vos CONTRA ME VLCISCIMINI, populum meum Iudaicum multis iniurijs lacessentes, fructus & opes Iudæorum, etiam mihi consecratas diripientes, vt delubra Beli vestri ijs inuestiatis, denique Iudæos quasi (o) mancipia *Græcis*, id est, Gentibus transmarinis, diuendentes. Quamquam neque iam sinam hæc impune à vobis factitari, sed CITO VELOCITER, primo quoque tempore talionem vobis reddam: faciamque vt ipsimet Iudæi vicissim vos vestraque diripiant, filiosque vestros in mancipia diuendant *Sabæis*, prædonibus (p) notissimis & à vestra terra remotissimis. Hæc meo nomine audacter ô Prophetæ,

℣. 9. PROCLAMATE IN GENTIBVS, id est, apud omnes gentes, SANCTIFICATE BELLVM; (q) Chaldæus, *præparate*; Tigurini, *indicite* tam impijs pium ac sanctum bellum. Aggredere, ô Nabuchodonosor, (r) obside & exscinde scelestas vrbes. Nemo à sancta hac expeditione se subtrahat.

℣. 10. INFIRMVS resumptis animis & viribus DICAT, Sat FORTIS EGO SVM, vt aduersus tam scelestos pro Deo, pro iustitia, pro innocentibus depugnem.

℣. 11. IBI, id est, in isto bello per Chaldæos, alioque Chaldæis militantes populos aduersus Tyrum, Sidonem & Philisthæam propediem excitando, OCCVMBERE FACIET DOMINVS omnes ROBVSTOS TVOS, ô Tyre, ô Sidon, ô Philisthæa: quibus occumbentibus, excideris funditus, vt alibi sæpiùs dictum. Sed hæc per transennam pro præsenti tempore vobis prædicta habetote. iam ad extremum totius vniuersi excidium, & vniuersale iudicium redeamus.

℣. 12. CONSVRGANT è monumentis, excitæ tubis angelicis GENTES omnes, ET ASCENDANT IN VALLEM IOSAPHAT, ad tribunal supremi iudicis Christi iam de cælo aduentantis, & supra Ierosolymam in regio thróno suo residentis. Si qui adhuc homines in viuis supersunt, in hos

℣. 13. MITTITE FALCES (s) vestras ô angeli, demetite ad vnum omnes, quia MATVRAVIT MESSIS, id est, completus est iam numerus hominum, euoluta sunt sæcula à Deo præstituta, inquit Rupertus, Haymo, Liranus & Vatablus. Sic Christus Matth. 13. v. 39. *Messis, consummatio sæculi est: messores autem, angeli sunt.*

EXVBERANT TORCVLARIA vuis ac botris, calcandis (t) (addunt LXX.) & exprimendis.

℣. 14. POPVLI POPVLI, id est, plurimi, (v) imò omnes populi aderunt istic IN VALLE CONCISIONIS, id est, in valle Iosaphat, vbi ex singulis nationibus, vrbibus, familijs, ah quàm multi *concidentur*, id est, perdentur! inquit S. Hieronymus & Vatablus. qui addit, Hebræum *charuts* etiam *decisionem* significare: vnde verti posse, vallem concisi, decisi, definiti, determinati iudicij vel causæ, vt vertunt LXX. & Theodotion: & sic ad omnes iudicandos extendetur etymon verbi.

℣. 15.

a *Ioan.* 8. v. 1.
b *Matt.* 26. v. 39. & 36.
c *Ibid.* v. 39.
d v. 47.
e 4. *Reg.* 23. v. 10.
f 3. *Reg.* 15. v. 13.
g 4. *Reg.* 18. v. 4 & 2. *Par.* 29. v. 16.
h 4. *Reg.* 23. v. 4. 6. & 12. *Par* 20. v. 2. & 10.
k *Psal.* 73. v. 12. *Ezech.* 5. v. 2.
l *Matt.* 26. v. 64.
m *Philip.* 2. v. 10. *Hilar. can.* 25. *in Matt* S. *Thom.* & *Albert. in Matt.* 24. 25 *Sotus, Palud.* & *alij in* 4 *dist.* 47. & 48. *Suarez in* 3 *P.* 9 17. & 6. *disp.* 53. *sect.* 3.
n *Rom.* 9. v. 8. *Galat.* 6. v. 16.
o 2. *Mach.* 8 v. 14.
p *Iob.* 1. v. 15. & 3. *Reg.* 10. v. 1.
q *Ierem.* 6. v. 4. *Ibid.* 1. v. 14. & c. 2. v. 16.
r *Isaiæ* 14. v. 29. & c. 23. *toto. Ierem.* 47. *Ezech.* 27. & 28.
s *Apoc.* 14. v. 15.
t *Isaiæ* 63. v. 3. *Thren.* 1. v. 15. *Apoc.* 19. v. 15.
v *Proleg. de Idiotismis Hebr. n.* 51. חרוץ

℣. 15. SOL, LVNA, STELLÆ turbatis & attonitis hominibus *obtenebrari* videbuntur, vt suprà (a) dictum. Remigius & Liranus volunt dici hæc obtenebratum iri non absolutè, sed respectu claritatis Christi, & tot aliorum corporum sanctorum, suo fulgore offuscantium lumen solis & stellarum.

a *Ioel. 2. v. 31. & loc. alib. ibi citatis.*

℣. 16. DOMINVS & iudex omnium Christus, ex sublimi throno suo aëreo supra SION, id est, Ierusalem omnibus conspicuus, instar leonis spirans in impios iras & ignes, horribili voce & quasi rugitu, sententiam æternæ damnationis in eos torquebit, tanto fragore, vt cæli ac terra, si non reipsa, (vt nonnulli cum Didymo & Hugone Victorino futurum censent,) certè externâ apparentiâ concutiantur & contremiscant. (b) Sed qui impiis tam terribilem se exhibet, *populo suo*, vero & spirituali Israeli, erit summo solatio ac gaudio; SPES, id est, complementum omnis spei, anhelationis ac desiderij illorum: ET FORTITVDO tum animi, tum corporis eorumdem, vt *constantes*, (c) immoti, interriti iudicem iudiciisque sententiam excipiant. Tunc vos, ô beati,

b *Ibid. & Iob 9. v. 6. Didymus in Catena Græcor. in Iob ibid. & c. 1. v. 9.*

c *Sap. 5. v 1.*

℣. 17. SCIETIS experimentaliter, id est, sentietis *me* vobiscum, imo in vobismet *habitare*, (d) non solùm per gratiam, sed & per gloriam, exhibendo communicandoque vobis cælestes ac diuinos thesauros meos, imò meipsum, non iam in terreno, sed in cælesti SION & IERVSALEM, seu *visione pacis*, quæ omni ex parte SANCTA (e) est, *sine macula & ruga*, (f) PLE quam ALIENI, id est hostes, ne TRANSIBVNT (g) quidem, absit illam polluant, profanent aut deuastent, vt terrenam sæpiùs deuastarunt. ita Remigius, Haymo, Rupertus, Hugo, Liranus, Ribera, à Castro, à Lapide.

d *Apoc. 21. v. 3.*

e *Ibid. v. 10.*

f *Ephes. 5. v. 27.*

g *Apoc. 21. v. 27.*

℣. 18. MONTES cælestis Ierosolymæ, putà tres diuinæ personæ (vt exponit à Castro) quæ creatis omnibus immensum præeminent, DVLCEDINEM ac suauitatem omne genus perpetuò STILLABVNT in animas Beatorum, pro cuiusque captu & conditione: ET COLLES angelorum ac nobiliorum Sanctorum, vti DEFLVVNT ipsi LACTE & melle, id est, omnibus delicijs ac bonis, ita & in alios eadem deriuant, superioribus inferiores illuminantibus, inflammantibus, recreantibus. OMNES etiam *riui*, etsi minimorũ hortorum, (h) scatebunt omnigenis *aquis* gaudiorum ac deliciarum æternarum. FONS (i) enim vberrimus, seu profluuium (k) bonorum *emanabit* perpetuò DE DOMO (l) DOMINI, *de sede Dei & Agni*, (m) fluxuque continuo IRRIGABIT TORRENTEM, seu alueum, SPINARVM, id est, hominum spinis olim peccatorum & tribulationum obsitorum. nempe maledictionem terræ, quæ vix aliud præter *spinas & tribulos* iam nobis *germinat*, (n) tollet tunc & corriget benedictio cælestis, nil præter gaudia deliciasque immissura. Hebræum *sertim*, quod Noster, & Theodor. & Symmachus verterunt, *spinarum*; (o) LXX. vertunt, *funiculorum*; Nazianz. & Gregentius Archiepisc. Thephrensis, legunt, *iuncorum*? recentiores, *cedrorum*. Et ex horum genere putant fuisse lignum *sertim*, (p) ἄσηπτον id est, imputribile, ex quo *arca*, *tabernaculum* & *omnia* illius *vasa* confecta fuerunt. Quadrant verò omnes hæ significationes in hunc locum: Beati enim vt *spinis* olim peccatorum ac tribulationum obsiti, ita *funiculis* passionum ac miseriarum, & *iuncis* mortalitatis ac variarum infirmitatum constricti tenebantur: nunc verò sunt plusquam ligna *sertim* imputribiles, incorruptibiles, immortales, in quibus tamquam in nobilissimo *tabernaculo* habitat Altissimus, &c. Interim

h *Num. 24. v 6.*

i *Psal. 35. v. 9.*

k *Apoc. 22. v. 1.*

l *Ezech. 47. v. 1.*

m *Apoc. 22. v. 1.*

n *Genes. 3. v. 18.*

שׁשִׁים

o *Etiam Isaiæ 41. v. 10. Nazianz. orat. 40. in S. Baptisma S. Gregentius Archiep. Theophrensis apud Erbanum Iustin. tom. 4. Bibliob. SS. Patrum*

p *Exod. 25. v. 5.*

℣. 19. ÆGYPTVS adeò noxia vobis & iniqua, ET IDVMÆA tam infensa, tam infesta (sed sub his intellige reliqua omnia mundi regna iustis pari modo inimica) *perdentur*, exscindentur, desolabuntur. Sed

℣. 20. IVDÆA ET IERVSALEM cælestis IN ÆTERNVM HABITABITVR: *& per vicos eius* perpetuum *Alleluia cantabitur*, inquit Tobias & Psaltes regius. (q) Credo Iudæos, qui omnia similia Scripturæ loca violentè trahunt ad terrenam suam Ierosolymam instaurandam, terrenumque Messiæ sui regnum stabiliendum, saltem hunc locum nobis pro cælesti Ierosolyma intactum relicturos: cùm de nulla terrena Ierosolyma verificari possit, quòd *æternùm* sit inhabitanda, sed omnis finem acceptura sit, saltem cum fine mundi. Item, quòd à solis Sanctis inhabitanda sit, & *quòd nulli alieni per illam transibunt*, (r) vt alia omittam. Porrò exscindendo impia impiorum regna,

Tobiæ 13. v. 22.

q *Psal. 83. v. 5. &c.*

r *Hic v. 17.*

℣. 21. MVNDABO SANGVINEM: id est, vlciscar cædes & iniurias illatas Sanctis meis, quas dum mundus stat & floret, non decreui plenè pro meritis vlciscì. ita LXX. Chaldæus, Syrus & Arabicus vterque pro *mundabo*, vertunt, *vindicabo*: & sic exponunt S. Hieronymus, Theodoret. Remigius, Hugo, à Castro & à Lapide. Et hoc optant & inclamant Sancti Apocalyp. 6. vers. 10. *Vsquequo Domine non vindicas sanguinem nostrum?* Et verò vulgata Scripturæ (f) phrasi, polluta manet terra sanguine iniustè profuso: quin & ipse etiam sanguis infami ac probrosa simul atque iniusta sui profusione manet pollutus saltem apud homines, donec iustâ iudicis sententiâ, vltione ac vindicta emundetur & à macula sua expurgetur. Porrò peractâ vltione, DOMINVS Christus, cum omnibus Sanctorum suorum agminibus, reuectus IN cælestem SIONEM, in cælum empyreum, COMMORABITVR istic in omnem æternitatem.

f *Ezech. 24. v. 6. & 15. & c. 7. v. 23. Psal. 105. v. 39. & 3 Reg. 21. v. 31.*

AMOS,

עמוס

ID est *populus auulsus*, supple, à Deo, à sceptro Dauidico; vt tunc temporis erat Israel, cuius typum nomine hoc suo gerebat Amos, non ille *Isaiæ* (*a*) parens, è regio sanguine, (vt vult Epiphanius & Clemens Alexandr.) sed rusticus, *armentarius*, (*b*) bubulcus; vel, vt ait S. Hieronymus, opilio: indeque à Spiritu sancto, qui humiles exaltat, instar alterius Dauidis, euectus ad munus propheticum, inquit idem S. Hieronymus, Basilius, Nazianzenus, Augustinus, Isidorus, Gregorius & alij. Ab anno 23. secundùm Torniellum; secundùm quosdam alios anno 25. *Oziæ* (*c*) *regis Iuda*, cœpit prophetare ad regnum *Israel*, seu ad decem tribus: obiter tamen etiam ad *Iudam*, & ad alias gentes. *Israeli* captiuitatem prænuntiat Assyriacam, *Iudæ* Babylonicam: mixtis hinc inde lætis prænuntiis de *Messia*, qui libertatem, pacem, omnemque prosperitatem, & quasi aureum sæculum in orbem inuehet. Dum in Samaria & *Bethel* idololatras increpat, ab *Amasia* (*d*) vitulorum sacerdote frequenter plagis afflictus, tandem per filium eius Osee tempora vecte transfigitur, ac semiuiuus in Thecue deuectus, post pauculos dies ex vulnere occubuit: cuius sepulchrum istic tempore S. Hieronymi adhuc visebatur. Vnde & sanctorum Martyrum catalogo adscriptus legitur in Martyrologio Rom. 31. Martij. ita Sanchez ex Epiphanio, Isidoro, Dorotheo & alijs.

a *Isaiæ* 1. v. 1. *Epiphan. in Vita Amos. Clem. l. 1. Stromat.*

b *Amos* 7. v. 14. *Basil. in c. 1. Isaiæ. Nazianz. orat. 25. August. l. 18 Ciuit. c. 27. Isid. in Vita Amos. Greg. hom. 39. in Euang.*

c *Amos* 1. v. 1.

d *S. Hieron. hic, & in Ierem. 6. & in Locu. Heb.*

CAPVT I.

Damasco, Gazæ, Tyro, Idumææ & Ammonitidi, ob innumera scelera, maximè in Iudæos admissa, excidium prædicit.

¶. 1. HECVE vrbs erat Iudææ, vnde illa Thecuitis, quæ Absalomo reditū ab exilio impetrauit: (*a*) in monte sita, vberrimis cincta pascuis: *sex passuum millibus*, id est, duabus leucis, à Bethlehemo, tribus ab *Ælia*, *contra Meridionalem plagam*: Nunc tantùm *vicus* est, & quidem *vltimus* versus *eremum quæ ad mare Rubrum, Persarumq; & Æthiopum atque Indorum terminos procurrit*, inquit S. Hieronymus & Adrichomius. Addit Guilielmus Tyrius fuisse istic etiam domicilium *Habacuc* Prophetæ.

a 2. Reg. 14. v. 4.

Adrichom. in terra sancta descriptione. Guil. Tyrius l. 8. belli sacri c. 1. & 15. Zachar. 14. v. 5.

DE DIEBVS OZIÆ ET IEROBOAM vide quæ dixi initio primi capitis Osee.

TERRÆMOTVS, cuius hîc meminit Amos, & etiam Zacharias Propheta, ex sententia S. Hieronymi, Cyrilli, Remigij, Procopij, Ruperti, Hugonis, Clarij, & etiam Hebræorum, accidit 27. anno regni *Oziæ*, seu *Azariæ* regis Iuda, vel, vt verisimilius Torniellus & alij Chronologi, annos 25. eiusdem, quando victoriis contra Philisthæos, Arabes & Ammonitas (*b*) insolentior factus, arrogauit sibi munus sacerdotale, & ingressus templum adoleuit incensum in altari thymiamatis. Tunc enim & leprâ percussum regem, & terram Iudææ vehementissimè concussam, & vicinum montem dimissum fuisse tradit Iosephus, & ex eo scriptores iam citati, vt alibi (*c*) dixi. Et ab hoc anno vsque ad excisum per Salmanasar regnum Israeliticum decem tribuum, effluxerunt 65. anni illi, post quos Isaias c. 7. v. 8. prædicit, illud vnà cum vrbe *regia* Syriæ *Damasco*, excisum iri, vt patet ex nostro Chronico. Porrò duobus annis ante hunc terræmotum, id est, 25. anno regni Oziæ, cœpit noster Amos prophetare.

b 2. Par. 26. v. 6. & 16. & 21.

Ioseph. l. 9. Antiq. c. 11 & 2 Par. 26. v. 22.

Chronic. c. 29. in Ozia, & Isaiæ 7. v. 8.

¶. 2. DOMINVS, qui non in Dan aut Bethel, vti vos præsumitis, sed in SION, in templo Ierosolymitano, in Sancto sanctorum, quasi in throno suo residet, ibique legitimè colitur, breui inde RVGIET, & instar leonis in hostes suos idololatras exiliet, grauis vltor iniuriæ sibi suisque illatæ, inquit S. Hieronymus. Hoc leone rugiente, ecce tibi mox fugam vndique gregum & pastorum è pascuis, atque ita *lugentia* vbique SPECIOSA PASTORVM prata & pascua. Quâ rusticâ metaphorâ rusticus (*d*) Propheta designat deuastationem terræ sanctæ, vicinarumque regionum per Assyrios & Chaldæos; quorum incursu etiam EXSICCATVS EST VERTEX CARMELI] id est, quidquid altum, excelsum, splendidum, fertile & amœnum fuit, instar *Carmeli*, qui (*e*) typus est amœnitatis, fertilitatis ac præcellentiæ. Vnde Chaldæus vertit, *desolabuntur habitacula regum, & præsidium arcium illorum*: regum, inquam, Syriæ, Philisthææ, Phœniciæ, Idumææ, Ammonitidis, &c. vt sequitur.

d Amos 7. v. 14.

d *Ierem. 2. v. 7. & Cant. 7. v. 5.*

¶. 3. SVPER TRIBVS, id est, plurimis, SCELERIBVS, seu ob plurima scelera, DAMASCI, id est, Damascenæ Syriæ, cuius metropolis est vrbs *Damascus*, & maximè ob *quartum*, vt Syrus & Arabicus vertunt (ponitur enim numerus cardinalis, QVATVOR, more Hebraico, (*f*) pro ordinali, *quarto*) NON CONVERTAM EVM, id est, non reuocabo populū Damasci, seu Syriæ, à pœna, à supplicio, ab excidio,

f *Prou. 6. v. 16 & c. 30. v. 15. 18. 21. 29. & Ezech. 45. v. 18.*

excidio, à morte ipsi per me decreta. ita ferè Chaldæus, S. Hieronymus, Albertus, Hugo, Pagninus, Sanchez & à Lapide. Quod verò *quartum* istud & omnium maximum Syrorum scelus, ideoque irremissibile quoad vindictam? Quòd GALAAD, id est, Israelitas habitantes in Galaaditide, crudelissimo spectaculo, stratos humi TRITVRAVERINT PLAVSTRIS FERREIS] id est, rotis subter ferreis ac dentatis perinde contriuerint, vt solent spicæ conteri in area, vt grana excutiantur; LXX. vertunt. *dissecuerunt* eos *serris ferreis*. Symmachus, *rotis*; Tigurini, *rastris*. Vatablus, *tribulis ferreis*. Ita sæuitum subinde in hostes eximiè perfidos, sæuos ac barbaros, v.g. à Dauide in Ammonitas: (*a*) & ab Azaele Syrorum rege, iuxta prædictionem (*b*) Elisæi, in Israelitas. (*c*) Quam sæuitiam in populum Dei, non potuit non grauissimo supplicio, vt semper aliàs, (*d*) vlcisci amantissimus pater. Idcirco

a 2. *Reg.* 12. *v.* 31.
b 4. *Reg* 8. *v.* 12.
c *Ibid. c.* 13. *v.* 3. & 7.
d *Isaiæ* 14. *v.* 29. *Ierem.* 4. *Ezech.* 25. *& seqq.*

℣. 4. MITTAM IGNEM, id est, flammâ & ferro Assyriaco grassabor IN DOMVM, id est, in familiam & posteros tam crudelis tyranni AZAEL, putà in filium eius (*e*) BENADAD, & in huius successorem Rasin, (*f*) quem occidit Teglatphalasar, (*g*) & Damascenos *transtulit Cyrenen*. (*h*) ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Liranus, Arias & alij.

e 4. *Reg.* 13. *v.* 24.
f *Ibid. c.* 16. *v.* 5. & 6.
g *Ibid. v.* 9.
h *Ibid.*

℣. 5. CONTERAM gladio Assyriaco VECTEM, & vectibus obseratas portas DAMASCI, id est, omne robur Syriæ: ET DE CAMPO IDOLI, id est, è planicie Damascena idolis abundante, DISPERDAM omnem HABITATOREM. (*i*).

i *Pompon. Mela l.* 1. *de Sit. orbis c.* 11. & *Ptolomæus l.* 6. *c.* 2.

℣. 6. *Gaza* triplex reperitur, vna Mediæ, (*k*) altera Æthiopiæ, (*l*) tertia Palæstinæ, (*m*) postea dicta *Gazera*, eratque vna ex quinque vrbibus primarijs, seu satrapijs Philisthæorum. quæ omnes (vnâ demptâ Geth, patriâ Goliath, (*n*) hîc enumerantur, & pari modo quo *Damascus*, exscindendæ prædicuntur, tum ob alia innumera & infanda scelera, tum maximè quòd ex finibus Iudæorum TRANSTVLERINT CAPTIVITATEM PERFECTAM] direptis agris & vrbibus, omnibusque earum incolis, & sine spe liberationis *concluserint* eos in perpetua seruitute apud Idumæos, iuratos Iudæorum hostes, quibus miseros in mancipia dederunt aut vendiderunt. Narratur historia 2. Paralip. 21. Similia exprobrat illis Ioël c. 3. v. 4. ita ferè S. Hieronymus & alij suprà citati.

k *Ptolem. l.* 4. *c.* 7.
l *Ier.* 47. *v.* 1
m 1. *Reg.* 17 *v.* 4.
n 2. *Paral.* 21. *v* 16. & 17 *collatus cum v.* 8. & 10.

℣. 9. *Tyro* & alijs Phœnicibus ob eamdem crudelitatem minatur idem supplicium tum Amos, tum Ioël, (*o*) tum Isaias, Ieremias & Ezechiel. Quia & ipsi captiuarunt Iudæos, & illos vendiderunt in mancipia *Idumæis*, sub idem tempus quo Philisthæos iam dixi fines Iudæorum expilasse: nam Philisthæis tunc & Idumæis sociarant arma sua (*p*) Tyrij: non RECORDATI FOEDERIS arctissimi quod inter Hiram regem Tyri, & Salomonem regem Israel olim initum fuit, adeò vt se inuicem *fratres* vocitarent, 3. Reg. 5. & 9. ita S. Hieronymus, Theodoretus, Hugo, Liranus & alij.

o *Ioel.* 3. *v.* 4. *& seq. Isai. c.* 23. *Ierem c.* 27 *v.* 3 & *c.* 47. *v* 4. *Ezech. c.* 27 & 28.
p *Psa.* 82. *v* 8.
q *Ierem. & Ezech. sup.*
r *Ierem.* 25. *v.* 20. & *c.* 47. *v.* 4.

℣. 10. MITTAM ego vicissim IGNEM IN MVRVM TYRI] nempe per Nabuchodonosorem, qui post 13. annorum obsidionem, vrbe potitus, eam funditus excidit, (*q*) vt & antè exciderat Philisthæos, (r) Idumæos (*s*) & Ammonitas. (*t*) Ergo

s *Ierem. ibid. & Ezech.* 27.
t *Ierem.* 49. *v.* 2.

℣. 11. *Idumæis* eamdem ob causam, excidium prædicit, quòd gladio persequendo FRATREM SVVM *Israel*, (*u*) VIOLAVERINT MISERICORDIAM EIVS] id est, ei debitam ac meritò præstandam, irâ ac furore perpetuò in eum delæuientes, citra & vltra metas humanitatis.

u *Num.* 20. *v.* 18. *Psalm.* 82. *v.* 7. & 2. *Paral.* 20 *v.* 10.

℣. 12. De THEMAN (*x*) & BOSRA (*y*) alibi egi. Sub his duabus Idumææ vrbibus totam Idumæam, subintelligit. vt sub

x *Baruch* 3. *v.* 22.
y *Isaiæ* 34. *v.* 6.

℣. 13. RABBA Ammonitarum metropoli totam Ammonitidem complectitur, prædicitque etiam hanc à Chaldæis ferro flammaque excidendam, EO QVOD pari cum Syris crudelitate etiam ipsi DISSECVERINT Israelitas incolêtes GALAADitidem, & nec vel *prægnantibus* pepercerint. Idque vt exhaustam incolis regionem *suis terminis* adijcerent, quod & Ieremias c. 49. v. 1. ijsdem exprobrauit: vbi etiam vide de *Melchom*. (*z*)

z 1. *Par.* 20. *v.* 2. & *Leuit.* 18. *v.* 21.

CAPVT II.

Moabitidi, Iudææ, & Israeli excidium prædicit, & huic ingratitudinem exprobrat & alia scelera.

℣. 1. MOAB decernitur excidium, EO QVOD INCENDERIT OSSA REGIS IDVMÆÆ, eaque VSQVE AD CINERES concremarit. Hunc *regem Idumææ* Hebræi, S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo, Liranus, Pererius, Ribera, à Castro & à Lapide, dicunt illum *Amet* fuisse qui vnà cum *Iosaphat* & *Ioramo* impugnauit Moabitas 4. Regum 3. Erant enim crebra bella inter Moab & Edom, ob viciniam & confinia: & in aliquo horum bellorum victor Moab potuit effossis sepulti æmuli sui ossibus hanc iniuriam & contumeliam ei intulisse. Quam, etsi in profanum regem admissam, vlcisci tur hic Deus, vt orbi palàm faciat, se non tantùm Iudæorum, sed & aliarum gentium esse Deum, dominum, curatorem ac vindicem, & vt pro tali vbique agnoscatur, timeatur & colatur.

Pere. in 3. in Genes. c. 22. *n.* 98.

℣. 2. Ignis DEVORABIT ÆDES CARIOTH, id est, vrbium, vt Chaldæus vertit: sed hîc videtur proprium esse nomen metropolis Moab, quæ ob amplitudinem sic vocari videtur tum hîc, tum Ieremiæ cap. 48. quòd quasi plures vrbes in se complectatur, vt Praga, Cracouia, Cayrus, Parisij ternas & plures vrbes complectuntur. Porrò SONITV, seu horrisono strepitu tubarum, tympanorum, balistarum, atque harum impulsu cadentis tam vastæ vrbis, MORIETVR, extinguetur & occumbet omne robur & gloria MOAB. Quod quinto post excisam Ierosolymam anno per Nabuchodonosorem fuisse peractum, scribit Iosephus & alij historici.

Iosph. Lib. Antiq. 4. 11.

℣. 4. IVDÆ & Iudæis idem excidium minatur, & v. 6. *Israeli*, seu decem tribubus, EO QVOD VENDIDERINT PRO ARGENTO IVSTVM, nempe 30. argenteis caput omnium iustorum Christum Messiam, inquit R. Samuel, & ex eo Galatinus & Adrianus Finus. Sed hîc sermo est de quouis iusto, ac paupere, ab Israelitis iniustè oppresso. Inter quos tamen cùm excelluerit Christus, potest etiam in hunc Propheta, tamquam in præcipuum scopum collimasse. Et sic meritò censebitur hoc *quartum*, id est grauissimum, Israelitarum scelus, PRO CALCEAMENTIS; hebraicè, *pro duobus calceis*, id est, vilissimo pretio, quale est 30. argenteorum, seu florenorum (*aa*) Belgicorum, vêdidisse Dominum cæli ac terræ. Quamquam non leue etiam scelus censendum sit, iniusta pauperum quorumlibet oppressio, quæ vindictam clamat in cælum. Vide S. Hieronymum, Vatablum, Riberam, à Castro & à Lapide.

R. Samuel. Marochianus tract. de Aduentu Messiæ c. 6. *Galatin. l.* 4 *c.* 24. *Finus l.* 6. *Flagellat. c.* 47.

aa *Prolog. de Ponderibus.*

℣. 7. CAPITA PAVPERVM instar canum SVPER PVLVEREM TERRÆ deiectorum, pedibus CONTERVNT insigni fastu ac sæuitia (quod insolentibus

Pineda l. 6. de Rebus Salom. c. 20 n. 14.

lentibus Israelitis non insolens fuisse docet Pineda.) LXX. *mendicum pugnis percutiebant in capite:* ET VIAM HVMILIVM DECLINANT, id est, consilia, conatus, opera pauperum subuertunt, cogentes cœpto desistere, & spe sua excidere. ET FILIVS AC PATER EIVS nefando incestu, introIERVNT AD vnam eamdemque (vt LXX. vertunt) PVELLAM: nempe pater abusus est *nuru* sua, seu vxore filij sui, & filius *socru*, seu vxore patris sui: sic *violantes* NOMEN SANCTVM *Dei*, dum illud exponunt infamiæ & ludibrio Gentilium, passim iactantium, Ecce quàm spurci, quàm obscœni sunt Israelitæ! quàm spurca ergo illorum fides & religio, quàm fœdus Deus, qui ista tolerat, nec punit! ita S. Hieronymus, Remigius, Hugo & Liranus.

a Deut. 24. v. 12. Mart. de Real. 2. Singular. num c. 9. Herod. l. 8. Delrio Disquis. Mag. l. 4. c. 3. q. 6.

℣. 8. ET conuiuantes in idolijs suis IVXTA OMNE ALTARE, mensis ACCVBVERVNT SVPER VESTIMENTIS PIGNORATIS] id est, in lectulis & stragulis quæ à pauperibus vi in pignus extorserant; cùm tamen lege (*a*) iuberetur pignus pauperi ante noctem reddi, ita Hebræi, & ex his S. Hieronymus, Liranus & Vatablus. Putat Martinus de Roa, impios istos vestibus illis se diis suis oppignorasse, id est, deuouisse & consecrasse: Clarius, dormientes in his vestibus captasse oracula, more Græcorum, qui dormientes in pelle arietis Ioui immolati, captabant illius responsum, teste Herodoto. Et iisdem vsibus seruiebant lectisternia in fano *Serapidis, Æsculapij, Podalyrij*, & aliorum, de quibus vide Delrionem.

Seruius in 4. Æneidos. Isid. r. l. 6. ex Festo. De Roa sup. h Num. 6.

ET VINVM DAMNATORVM, id est, collectum vel coëmptum ex spoliis eorum quos per calumniam aut vim damnarant ad mortem, BIBEBANT IN DOMO DEI SVI] Nempe ex spoliis istis primò sacrificium idolo offerebant, quod *supplicium* vocabatur: deinde symposion & epulum ex iisdem instituebant, inquit Seruius, Isidorus & de Roa.

℣. 12. NAZARÆIS contra votum (*b*) & professionem ipsorum, PROPINABATIS (sic legunt Græci, Hebræi, & penè omnes Latini codices) VINVM & siceram: ET PROPHETIS à Deo ad vos corripiendos submissis MANDABATIS] ne prophetarent, neque vos scelerum vestrorum admonerent, pœnâ necis propositâ qui id ausint. Sed qui monita respuitis, verbera non euadetis.

e Isaiæ 1. v. 24. & 43. v. 24.

℣. 13. ECCE EGO, nimis pressus multitudine, nimis grauatus pondere scelerum vestrorum, STRIDEBO SVBTER VOS, id est, sub infami hoc onere (*c*) indignabundus fremam, stridoremque vindictæ talem edam, qualem solet edere PLAVSTRVM nimio FOENO ONVSTVM] Notat stridorem & strepitum armorum & bellicæ vastitatis per Assyrios breui excitandum. ita ferè Chaldæus, Syrus, LXX. S. Hieronymus, Remigius, Hugo, Vatablus, Liranus, Sanchez & Ribera. Allegoricè, Christus in die iudicij, stridore sententiæ suæ stridere faciet impios.

℣. 16. ROBVSTVS etiam CORDE INTER FORTES, id est, etiam robustissimus quisque tum corpore, tum animo; Tigurini, *qui inter heroes magnanimus est*, non poterit sustinere impetum & insultum Assyriorum, (*d*) sed fractis animis, proiectis armis, terga vertet, & NVDVS AVFVGIET.

d 4. Reg. 17. v. 3. & 6. & c. 18. v. 9.

CAPVT III.

Predicit Israelem Assyrijs, & irato Deo, quasi leoni & aucupi in prædam dandum: vnde vicinos conuocat Philisthæos & Ægyptios, vt, quemadmodum scelerum, ita & stragis Israelitarum sint spectatores.

℣. 1. AVDITE FILII ISRAEL, id est, decem (*e*) tribus, VERBVM durum & onerosum, QVOD per me DOMINVS *eloquitur* SVPER vos] imò & super cognatos vestros Iudæos, & in genere contra omnes tribus quas olim eduxit ex Ægypto. ita Theodoretus, Albertus & Arias.

e Hic v. 12. & 14.

℣. 2. EX OMNIBVS COGNATIONIBVS, seu nationibus, TERRÆ TANTVMMODO VOS COGNOVI] id est, vos solos *elegi*, (vt vertit Chaldæus) in populum mihi proprium in familiares, in amicos, in filios, vt vos quasi pater, alerem, tuerer, proucherem, exaltarem. cur ergo, spreto me, deflexistis ad idola? inquit Chaldæus, Vatablus & à Lapide. Sed benè habet? non vultis me ampliùs habere patrem, habebitis iudicem & vindicem.

B

℣. 3. NVM AMBVLABVNT DVO PARITER, maximè vt pater & filius, NISI CONVENERIT EIS, sinatque se regi alter ab altero, & ductum patris libens sequatur filius? At ecce filius, me spreto, mauult ductum sequi idolorum. Ergo non ambulabo deinceps cum illo vt pater, sed vt iudex, & vt hostis (quod olim (*f*) minatus sum) imò vt carnifex cum reo, quem trahit ad furcam: item sicut *leo* ambulat cum *præda* sua, & *auceps* cum *aue* capta, & venator cum fera quam *illaqueauit*. Rugiam ergo deinceps in Israelem, quasi in prædam, laqueos illi struam, insidiabor illi per Assyrios ministros meos, nec desistam donec cepero, & captum pro meritis castigauero. ita S. Hieronymus, Rupertus, Clarius, Ribera, Sà, Mariana & à Lapide.

f Leuit. 26. v. 24.

℣. 4. LEO enim *non rugit*, NISI (*g*) HABVERIT PRÆDAM] id est, non rugit, quin prædam capiat, laceret & deuoret.

C

g Isaiæ 31. v. 4. Psalm. 103. v. 21.

℣. 5. LAQVEVS (*h*) etiam ab AVCVPE tolli non solet, nisi capta auicula. Neque putetis, fortuitò vobis obuenturos Assyrios, & casu vos ab illis illaqueandos, capiendos, iugulandos. Nam *auicula* non CADIT IN LAQVEVM ABSQVE AVCVPE, (*i*) qui laqueum illi tetendit. Ego vobis auceps sum, meo nutu, meo ductu irruet in vos Assyrius. ferrum quod ille stringet, flammam quam inijciet, strages quas edet, scitote à me proficisci. Dispereã,

h Ezech. 12. v. 13. Psalm 68. v. 23. i Matth. 10. v. 29. Actor. 27. v. 34.

℣. 6. SI (*k*) ERIT MALVM aliquod pœnale IN CIVITATE, seu Samariæ, seu alia, QVOD DOMINVS NON (*l*) FECERIT] Sine ipsius enim nutu, qui creator & gubernator est vniuersi, & iudex ac vindex omnium, nullus seu hominum, seu dæmonum potest vel manum mouere, vel verbum effutire quo quis lædatur vel contristetur. Et pari modo, cùm voluerit ipse ferire, non est vel in cælo, vel in terra, qui præpedire possit. Et ecce iam in altum tollit manum vt vos feriat: & hoc ego vice ipsius vobis denuntio: nec tamen horrescitis; aut de ipso placando satagitis?

D

k Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 13. l Isaiæ 45. v. 7. Thren. 3. v. 37.

CLANGITNE vmquam TVBA IN CIVITATE, significans hostem adesse portis, & muros petere, ET POPVLVS NON EXPAVESCET?] Ego, ego tuba sum Dei, classicum insono, Assyrios iam affuturos denuntio; prospicite, pœnitemini, malis occurrite. Hunc enim in finem per me prædenuntiat vobis Deus imminentes pœnas, vt certi de grauitate, de causa, de auctore pœnarum curetis per pœnitentiæ remedia causam tollere, Deum placare, pœnas

diuertere. Sic nullam *Pharaonis*(*a*)inflixit olim plagam, nisi per Moysen priùs eum præmonuisset. Sic & erga Saulem,(*b*)erga Dauidem,(*c*)erga Ieroboamum, (*d*) erga tot alios semper se gessit.

a *Exodi* 7. 8.9. *&c.*
b 1.*Reg.*15. *v.*23. *&c.*
c 2.*Reg.* 12. *v.*10.
d 3.*Reg.*13. *v.*4.

℣. 8. LEO toti orbi terribilis, nempe Deus, ecce iam *rugit*, iam fremit, iam imminet capitibus nostris. QVIS NON TIMEBIT? QVIS audito tam horrendo rugitu, NON PROPHETABIT?] id est, non prædicet, non denuntiabit amicis suis (vt ego nunc denuntio & prædico) imminentia pericula, imò præsens exitium, ni tempori obuient? Certè amicus non sim, si amicis hic desim. Quòd si vos in malis obstinati, contemnitis audire me, audiant me exteri:

℣. 9. AVDITVM FACITE IN ÆDIBVS AZOTI, & proclamate in omnibus finibus Philisthæorum, & per vniuersam *Ægyptum*; aduolent omnes in amphitheatrum SVPER MONTES vrbi regiæ (*e*) SAMARIÆ adiacentes, nobilissimam spectaturi tragœdiam. Actus primus exhibebit INSANIAS MVLTAS IN MEDIO Samariæ, nempe insanos cultus vitulorum aureorum, & alias idololatrias, inquit S.Hieronymus, Rupertus, Hugo & Liranus. Alter actus proferet innumeram turbam pauperum & innocentum *calumniis* oppressorum, rapinis expilatorum, & mille tormentis excruciatorum. In tertio actu

B

e 3.*Reg.*16. *v.*24.

℣. 11. CIRCVIETVR, id est, cingetur obsidione ab Assyriis, TERRA, seu territorium Samariæ, & TRIBVLABITVR, id est, quasi tribulis conteretur, DIRIPIETVR & euertetur. Quartus actus oculis subijciet cædem ignominiosam regis (*f*) & procerum ipsius: Quintus deportationem (*g*) captiui populi in Assyriam & Mediam. Neque euadet quispiam manus vel vngues Assyriorum ex omnibus Israelitis, nisi pauperculi quidam

f 4. *Reg.*17. *v.*4. *&c.*
g *Ibid. v.*6.

C

℣. 12. QVI HABITANT IN PLAGA LECTVLI, id est, qui ægri vel læsi decumbunt in *lectulo plagato*, seu plagis, id est, assumentis vel centonibus, resarcito, & (vt S.Franciscus dicebat) rappeciato. q d. Soli pauperes, ægri & miseri, qui in finibus Samariæ, vel Damasci, sub centonibus decumbentes deprehendentur, pro reliquiis relinquentur ibidem ab Assyriis tantæ cladi superstites, qui fidem posteris faciant cæsæ & exisæ gentis Israeliticæ olim tam florentis ac potentis: vt fidem solet suis facere PASTOR, veruecis à *leone* discerpti, si possit vel DVO CRVRA, vel EXTREMVM AVRICVLÆ, ex rictu ipsius iam saturi ereptum ostentare. ita ferè à Castro & à Lapide. Per eosdem Assyrios

℣. 15. PERCVTIAM, incendam, euertam DOMVM Israelitarum HIEMALEM CVM DOMO ÆSTIVA] Mutabant enim proceres & alij opulentiores subindo domos & palatia sua, pro varietate temporum, frigoris & calòris, hieme affectantes quæ Austrum respiciunt, æstate quæ Aquilonem. Sic Ioakim rex Ieremiæ 36. erat *in domo hiemali mense nono*, qui respondet (*h*) nostro partim Nouembri, partim Decembri. De *domibus eburneis* alibi (*i*) dictum.

D

Ierem. 36. *v.*22.
k *Chronici* c.4.
i 3.*Reg vlt. v.*39.

CAPVT IV.

Prædicit auehendos ab Assyriis Israelitas in Armeniam: exprobrat quòd castigati fame, siccitate, vento vrente, aurugine, eruca & peste, nihilo tamen meliores effecti sint: vnde pessima quaque, imò extremum excidium ipsis intentat.

℣. 1. VACCÆ PINGVES; Hebraicè & Græcè, *vaccæ Basan*, quia hæc regio pascuis opima, pingues (*k*) alebat boues & vaccas: vnde Symmachus vertit, *boues saginatæ*; alij, *vaccæ lasciuientes*; secundùm Theodoretum, Liranum, Ariam & Vatablum, sunt mulieres Samariæ lasciuæ, salaces, imperiosæ ac rapaces; Ruperto sunt sacerdotes Dan & Bethel; Chaldæo, Hieronymo, Ruffino, Alberto, Hugoni, Clario & Glossæ sunt proceres & opulenti, (*l*) sed effeminati, lasciui, impudentes, bona pauperum depascentes, toti gulæ & ventri dediti, atque ita saginæ & mactationi se se apparantes.

k *Deut.*32. *v.*14.

l *Psalm.*67 *v.*31. *Osee* 10. *v.*11.

DICITIS DOMINIS VESTRIS, id est, regibus, principibus, magistratibus, sat ex se ad rapinam propensis, suggeritis & suadetis, AFFERTE, ET BIBEMVS, id est, ex spoliis pauperum conuiuia & symposia instituite, vt vnà vobiscum epulemur & compotemus. Sed agite vaccæ iam benè pastæ & obesæ,

℣. 2. IVRAT DEVS IN SANCTO SVO, id est, per sanctitatem suam, vt est in Hebræo, id est, per semetipsum, quòd LEVABVNT VOS Assyrij IN CONTIS; Theodotion, *in hastis*, id est, configent vos suis hastis, & cæsorum capita lanceis seu contis affixa deferent in triumphum: RELIQVIAS autem VESTRAS, putà plebem & populum, in vrbibus, arcibus, domibus suis, vel in speluncis ad quas confugient, quasi pisces IN OLLIS FERVENTIBVS elixabunt & comburent, inquit Liranus, Dionysius, à Castro & à Lapide. Vel si vita miseris indulgeatur,

℣. 3. PER APERTVRAS murorum, balistis & arietibus dirutorum educemini & EXIBITIS captiuæ ALTERA CONTRA ALTERAM, id est, binæ & binæ, ET PROIICIEMINI IN stabula ARMON, id est, in Armeniam, sic dictam ab *Aram*, (*m*) filio Sem, vicinam & subiectam Assyriis. ita Chaldæus, S.Hieronymus, Symmachus, Remigius, Rupertus, Hugo & Clarius. Mox apposito sarcasmo insultat vaccis:

m *Genesis*10. *v.*22.

℣. 4. VENITE AD pinguia vestra pascua in BETHEL, vitulamini istic cum vitulis vestris, & cum aliis idolis IN GALGALIS. (*n*) Satiate vos *victimis*, quas MANE & vesperè, instar iugis (*o*) sacrificij à me instituti, offerre ipsis consueuistis: item ditate vos *decimis*, (*p*) quas TRIBVS solemnioribus anni DIEBVS, (*q*) etiam Israelitæ, (*r*) velut simiæ ludæorum afferunt ad idola sua, vt olim solebant ad me afferre in templum Ierosolymitanum. ita Rupertus, Liranus, à Castro & alij.

n *Osee* 9. *v.*15. & 12. *v.*11.
o *Exodi* 23. *v.*18. *Leuit.*6. *v.*9 & 23. *Deut.*12. *v.*17. *Num.*28. *&c.*
p *Deut.*14. *v.*22.

℣. 5. ET LAVDEM, id est, sacrificium laudis, seu gratiarum (*s*) actionis, quod mihi ex meo instituto (*t*) non potest nisi ex azymo offerri, vos idolis vestris offerte *ex* FERMENTATO: ET VOCATE, id est, indicite, ET ANNVNTIATE, seu inclamate, vt vndique vobis afferant VOLVNTARIAS OBLATIONES] quales frequentes afferri solent. (*v*) ita Vatablus & alij. Sed quia vos me priuastis victimis mihi debitis, & incrassari voluistis victimis idolorum, ego ex aduerso priuaui vos pane & cibo ad vitam sustentandam necessario,

q *Exod* 23. *v.*14. & 19.
r *Tobiæ* 1. *v* 6. *&c.*
s *Leuit.*7. *v.*12.
t *Ibid* & *c.*2. *v.*11.
v *Leuit.*7. *v.*16.

℣. 6. ET DEDI VOBIS STVPOREM DENTIVM, partim ex esu fructuum immaturorum, qui vt acerbi sunt & pontici, faciunt dentes stupere: partim ex subtractione cibi & longa fame, quæ vti minuit sopitque appetitum, ita contrahit etiam gingiuas, hebetatque & stupefacit dentes, inquit Ruffinus. Loquitur de publica & longa fame quâ Israelitæ sub *Elia* (*x*) & *Eliseo* (*y*) afflicti fuerunt, ait S.Hieronymus, Theodoretus, Rupertus & alij.

x 3.*Reg.*17. *v.*1.
y 4.*Reg.*6. *v.*25.

℣. 7.

a *Ioel 2. v. 23. Osee 6. v. 3*

Ÿ. 7. IMBREM QVOQVE A VOBIS PROHIBVI serotinum, (a) CVM ADHVC TRES MENSES SVPERESSENT VSQVE AD MESSEM] Sic effeci vt exaresceret spicæ, nec grana conciperent, nec triticum parerent, inquit S. Hieronymus. In qua siccitate fuit istud mirabile, quòd pars vna ciuitatis, vbi iusti commorabantur, opportunis pluuijs irrigaretur, non altera, in qua impij degebant, vt olim quoque factum in terra Gessen: & pòst subinde precibus S. Francisci concessum narrat S. Bonauentura.

Bonau. Vita S. Francisci c. 8.

Ÿ. 9. Commemorat ternas agrorum plagas cælitus immissas, *ventum vrentem*, putà Boream, qui acri frigore suo & pruinâ quam aduehit, fruges adurit & arefacit. *aruginem*, (b) vitium pestem & quasi regium morbum: denique *erucam*, de qua suprà. (c) Subiungit grauiorem plagam.

b *Psalm. 77 v. 46. Item. 30. v. 6.*

c *Ioel 1. v. 4*

Ÿ. 10. MORTEM; Hebraicè, *deber*, id est, pestem, vt vertit Chaldæus, & quidquid instar pestis exitiale est ac mortiferum. Post ingentem enim cladem illam, quâ cæsus est à Syris totus exercitus Israelitarum 4. Reg. 13. aër putredine cadauerum infectus pestem superstitibus afflauit, sicut IN VIA (d) ÆGYPTI, id est, secundùm morem & modum quo contigit in Ægypto, vbi agente Moyse pestis (e) exarsit tam grauis, vt eâ extincti sint non modò homines, sed & equi, asini, cameli, ceteraque animantia Ægypti. ita Ribera, à Castro, & à Lapide cum Chaldæo. Et colligitur ex eo quod subiungit, VSQVE AD CAPTIVITATEM EQVORVM VESTRORVM] Nam ex eo prælio non superfuerunt Israelitis nisi *quinquaginta equi*, vt ibidem narratur. Per eosdem illos Syros

d *Isaiæ 10. v. 25. & 26*

e *Exodi 9. v. 5. & 6.*

Ÿ. 11. SVBVERTI VOS SICVT SODOMAM] absumptis penè omnibus ad vnum. Vix enim pauculi euaserunt, qui excidio subtracti sunt, sicut ex incendio subtrahitur torris aliquis fumigans & ambustus. Et his quidem plagis exercui te hactenus: sed in vanum, nullâ enim istarum redditus vel hilo melior, nec ab idolis rediisti ad me.

Ÿ. 12. QVAPROPTER FACIAM TIBI HÆC] supple, alia longè grauiora, imò omnium grauissima quæ mente irata concepi, sed horreo eloqui, (est enim aposiopesis, sicut illud Virgilij, *Quos ego*.

Virgil. Æneid. 1.

POSTQVAM AVTEM HÆC atrocissima supplicia TIBI inflixero, PRÆPARARE tunc, Ô ISRAEL, IN OCCVRSVM DEI TVI] vt irato & armato, etiam tu armatus occurras, inquit Symmachus, Aquila, Albertus, Arias, à Castro, Pradus & à Lapide, qui volunt esse sarcasmum. Vel si armatus non audes, occurre supplex & venerabundus, vt vertunt LXX. Chaldæus, Syrus & Arabicus vterque. Vnde S. Hieronymus, Remigius, Hugo, Vatablus & Liranus volunt moneri hìc Israelem, vt Dei Filio iam incarnato se subdat. Neque est quòd te deterreat eius paupertas, vel humilis & abiecta conditio.

Ÿ. 13. QVIA ECCE idem ipse est creator & dominus cæli ac terræ, FORMANS MONTES, CREANS (f) VENTVM, ET ANNVNTIANS HOMINI ELOQVIVM SVVM] Hebraicè, *ma sicho*, id est, conceptionem, meditationem, verbum, eloquium suum. Hæc enim omnia significat Hebræum *siach*, sicut & Græcum λόγος. vnde & Theodotion vertit hìc λόγον. Et diu ante Theodotionem S. Ioannes Euangelista videtur ex hoc loco Amos, & alijs similibus nomen λόγου, seu *verbi* desumpsisse quo totics Christum compellat. Ex vterò LXX. hìc generale nomen *eloquij*, seu *verbi* diuini, restringunt ad particulare (g) ipsius *Verbum*, putà summum illud, immensum, infinitum, increatum, connaturale & coæternum illi, nempe Filium consubstantialem Patri: vnde vertunt, *annuntians*, seu mittens *in homines Messiam suum*, seu Christum, vt Tertullianus, Athanatius, Didymus, Basilius, Ambrosius, Augustinus, & etiam Sardicense Concilium exponit. Et Ecclesia in Officio diuino hisce Amos verbis filios suos excitat, vt Christo aduentanti occurrant. Et Theophanes Nicænus vult hanc prophetiam completam fuisse in transfiguratione, quando in monte ex nube lucida proclamauit Pater, (h) *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.*

f *Iob 28. v. 25. Ierem. 10. v. 13.*

מה שיחו שית

g *Simile Deut. 18. v. 18.*

Tertull. l. cont. Hermog. c. 32. Athan. de Fid. vn. & Trinit. Didymus l. 2 de Spiritu sancto. Ambr. eod. l. c. 7. Basil. l. 4. con Eunom. Aug. l. 18. Ciuit. c. 2. Conc. Sard. apud Socr. l. 2. c. 20 Theophan. Nican. in Symbolo noui & veteris testament. quem citat Turrianus l. 2. de Hæresib. c. 1.

h *Matth. 17 v. 5*

CAPVT V.

Prædicit simul & plangit extremum, imò æternum regni Israelitici excidium, ob enormia eius scelera, ac præsertim ob rapinas & oppressiones pauperum. Hortatur interim omnes ad resipiscentiam & pœnitentiam.

Ÿ. 1. AVDITE Ô Israelitæ, VERBVM ISTVD, nempe PLANCTVM, lamentum, lugubre carmen, (i) QVOD LEVO SVPER VOS] Tigurini, *sumo de vobis*; Chaldæus & LXX. *assumo contra vos*. eritque pro epitaphio sepulti regni vestri.

i *Similia in Threnis Ieremiæ, & Ezech. 32. initio.*

CECIDIT DOMVS ISRAEL] id est, regnum decem tribuum excisum ab Assyrijs: nec vnquam resurget. Semel enim abducti Israelitæ in Assyriam, & dispersi per vicinam Mediam (k) & Armeniam, (l) numquam amplius coaluerunt in vnam remp. nec in patriam reuersi sunt, nisi pauculi qui se tribui Iuda inseruerant. (m)

k *4. Reg. 17 v. 6.*

Ÿ. 5. NON TRANSIBITIS, si sapitis, IN BERSABEE, (n) ad idola istic (o) colenda: sed neque IN BETHEL, aut IN GALGALAM, QVIA GALGALA, etsi tribus & sortis *Iudæ*, tamen propter viciniam decem tribuum, adhæsit (p) idolis, & sic diuinâ prouidentiâ etiam cum decem tribubus exciſa est, & incolæ eius *captiui* in Assyriam *abducti*: ET BETHEL, (q) quod significat domum Dei, ERIT *in Auen* (sic est in Hebræo) id est, erit (r) nihil, erit domus INVTILIS, vacua & inanis.

l *Amos 4. v. 3.*

m *Osee 1. v. 6.*

n *Genes. 21. v. 31.*

o *Ibidem. v. 33. & 4. Reg 23. v. 8.*

p *Osee 9. v. 15 & c. 12. v. 11. Amos 4. v. 4.*

בת אל

q *Genes 28. v. 17.*

לאין

r *Osee 4. v. 15. c. 10. v. 5.*

Ÿ. 6. DOMVS IOSEPH] Id est, posteri Ephraim filij Ioseph. Per hunc verò intelligit decem tribus, vt (s) alibi dixi.

s *Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 21.*

Ÿ. 7. IVDICIVM magistratuum, quod afflictis & oppressis vnicum est azylum & solatium, CONVERTITIS ipsis IN ABSINTHIVM, causam innocentibus abiudicantes, & nocentibus ac reis, quia amici, quia munifici sunt, adiudicantes: atque ita IVSTITIAM IN TERRA RELINQVITIS, seu humi iacere finitis. ita Rupertus, Hugo, Liranus & Vatablus.

Ÿ. 8. QVÆRITE, si sapitis, non idola, sed Deum FACIENTEM ARCTVRVM ET ORIONEM, (de quibus Iob 9.) reliquasque omnes constellationes & sidera, quæ sub his duobus primarijs & orbi notissimis, illo Septemtrionali, isto Meridionali comprehenduntur, inquit S. Hieronymus. Addit Ribera & Pineda, duo hæc *horrida sidera*, vt loquitur Plinius, & tempestates cientia, præ aliis hic nominati, quod symbola sint iræ & vindictæ diuinæ, quæ hìc Israelitis intentatur.

Iob 9. v. 9.

Pineda ibid. Plin. l. 18. v. 28.

VOCAT AQVAS MARIS, nempe calore solis euocat & attollit in aera vapores ex aquis maris, quos condensatos resoluit deinde in pluuias, EFFVNDITQVE SVPER FACIEM TERRÆ.

Ÿ. 9. QVI SVBRIDET more irati atque indignantis herôis hostes quantumcumque *robustos* sibi occur-

occurſantes, imò ſolo (a)riſu, ſed Sardonio, (b) ſed amarulento, (vt de Ioue ait Heſiodus) ſternit, *vaſtat*, conterit omnes.

a *Pſalm.2. v.4. Pſalm. 36. v 13. Prou. 1. v.26. Sap. 12. v. 25. Iob 39.v 18 & c. 4. v. 20.*

b *Dioſcorides l.6. Heſiodus in Prometheo. c Ierem.17. v. 19. & 2.Eſd.8.v.2 d Deut. 21. v.19.*

℣. 10. ODIO HABVERVNT Prophetam quemlibet CORRIPIENTEM eos publicè IN PORTA VRbis, vbi olim erat quaſi forum, (c) tum ciuile rerum venalium, tum iudiciale (d) cauſarum forenſium, inquit S. Hieronymus, Theodoretus, Liranus & alij.

LOQVENTEM PERFECTE, id eſt, perfectum & *ſanctum ſermonem*, vt vertunt LXX. ABOMINATI SVNT & repulerunt.

℣. 12. HOSTES eſtis IVSTI cuiuſuis: amici verò & patroni cuiuſuis iniuſti & impij, dummodo MVNVS ab eo *accipiatis*.

℣. 13. IDEO PRVDENS pauper, etſi preſſus, imò oppreſſus iniuſtè à potentioribus, TACEBIT tamen, ferétque in ſilentio illatas iniurias, ne, ſi TEMPORE tam *malo*, tam iniquo apud tribunalia veſtra conqueratur irriſus & exploſus, & nummis, ſi quos reliquos habet, exhauſtus, grauiùs affligatur, inquit Arias. Sed ego hæc non feram diutiùs.

℣. 16. PLANCTVS & luctus erit vobis breui IN OMNIBVS PLATEIS omnium vrbium veſtrarum, ET etiam IN CVNCTIS vicis & villis QVÆ FORIS SVNT. Nam etiam AGRICOLAS EVOCABVNT AD LVCTVM, (e) ET quotquot SCIVNT ſeu poſſunt, PLANGERE per ætatem, etiam pueros & repuerascentes. q.d. Vniuerſalis erit clades, & omnes plangent & vlulabunt, à minimo vſque ad maximum.

e *Ierem.9. v.11. & 17. & Iob 3. v.8.*

℣. 17. QVIA VT olim in Ægypto, (f) ſic etiam nunc in regno Iſrael, PERTRANSIBO quaſi fulgur, omnia momento peruadens, percellens & ſternens, inquit S. Hieronymus.

f *Exod.11. v. 11. 12. &c.*

℣. 18. VÆ vobis, ô Iſraelitæ, qui exploditis & irridetis minas Prophetarum, intentantium DIEM DOMINI, diem vindictæ, diem excidij: imò cum ſannis & cachinnis petulantiſſimè iactatis, optare VOS AC DESIDERARE, vt dies illa toties intentata, toties decantata, ſemel tandem adſit & compareat, ita Theodoretus, Liranus & Vatablus.

℣. 19. QVOMODO SI QVIS *fugiens* LEONEM (qui vt generoſior, ita etiam mitior eſſe ſolet, & ſalvtem proſtratis & ſupplicibus parcit) incidat in *vrſum*, (g) qui nulli parcit, & etiam cadauera dilaniat: & *vrſum* fugiens è via publica in ſpeluncam, ibi mordeatur à *colubro*, (h) morſu prorſus exitiali & irremediabili. Sic vobis continget in die ſeu tempore vindictæ diuinæ. Plena hoſtibus, plena cædibus erunt omnia domi æquè ac foris. Leoni *Teglatphalaſari* tribus aliquot ſtementi, (i) ſuccedet crudelior vrſus *Salmanaſar*, qui omnes (k) abripiet. Denique *Sennacherib* etiam in ipſis Aſſyriæ penetralibus ſæuiet in captiuos, (l) nec tale quid exſpectantes. ita ferè à Caſtro, & à Lapide. Fallimini verò toto cælo, ſi perſiſtentes in priſtinis ſceleribus, perſuaderi vobis ſinatis, intuitu ſacrificiorum veſtrorum & victimarum facilè depulſum iri triſtem hanc diem.

g *Thren.3. v.10.*

h *Geneſ.49. v.17.*

i *4.Reg 15. v.29.*

k *Ibid.c.17. v. 6.*

l *Tobiæ 1. v.18. & 21.*

℣. 21. ODI enim iam pridem, & longè à me PROIECI, tum hoſtias, tum FESTIVITATES VESTRAS, cum inſtrumentis muſicis, & canticis omnibus. Nam vt iam taceam, non offerri mihi à vobis ſacrificia loco à me deſtinato, (m) nempe Ieroſolymis in templo meo; certè non prodeunt hæc ex (n) animo puro, pio, mihi amico, mihi deuoto, ſed ex animo ſpurco, ſcelerato, mihi inimico & iniurio. Cùm igitur hoſtili ſemper in me animo permaneatis, permanebo & ego in vos,

m *Leuit.17 v.3. Deut.12. v. 6.*

n *Iſaiæ 1. v.13.*

℣. 24. ET REVELABITVR, id eſt, ſubitò comparebit, & deuoluetur in capita veſtra IVDICIVM meum, & ex iudicio promanans ſupplicium, ſicut emanat & prorumpit ingens vis aquæ è fonte priùs occluſo & obturato, vel ex torrente aggeribus antè coarctato. ita LXX. Chaldæus & Rabbini. Nec verò putetis me ſacrificijs veſtris indigere, cùm

℣. 25. QVADRAGINTA ANNIS caueritis illis, peregrinantibus vobis IN DESERTO] Quia enim nulla vnquam die poſt dedicatum in Sinai tabernaculum, certi erant Iſraelitæ de ſtabili aliqua ſeu duratura manſione in deſerto, ſed omni hora, ad motum columnæ nubis prompti paratique eſſe debebant ad caſtra mouenda; non erat integrum eis pro decentia vel victimas parare, vel ad ſacrificandum concurrere, ſicut nec integrum erat recèns natos circumcidere, vel alias eiuſmodi cæremonias publicas obſeruare. Vnde totis 38. annis, & penè vndecim (o) menſibus, nempe vſque ad ingreſſum in terram ſanctam, ijs abſtinuerunt. Hîc verò 4. anni fluxiſſe dicuntur, more ſcriptoribus etiam ſacris vſitato, quo numeros, quibus parum quid vel deeſt, vel ſupereſt, integros ac rotundos (p) conſignant. ita ferè Liranus, Vatablus & à Lapide. Interum ſat ſpatij, ſat otij, ſat animi vobis tum erat.

o *Chronic. c.19. & 20.*

p *Proleg.de Idiotiſmis Hebr. n.26.*

℣. 26. Ad *portandum* TABERNACVLVM, & illud adornandum, & victimis inſtruendum idolo MOLOCH] (q) Nempe cùm Numer. 25. colerent *Beel-phegor* Deum Moabitarum, etiam plures alios deos aliarum vicinarum nationum coluerunt, inquit Ioſephus & Ribera, haud dubiè ergo etiam *Moloch* vicinorum Ammonitarum idolum. Quod etſi Scriptura ibi non commemoret, ex hoc tamen loco, & ex S. Stephani quoque narratione Act. 7. cui ex maiorum traditione, vel diuina reuelatione id innotuit, ita acciduſſe certiſſimum videtur.

q *Leuit.18. v. 21. & 1. Par.20. v.2. &c.*

Act.7.v.43

ET IMAGINEM] In Hebræo eſt *kiun*, quod retinent Aquila, Symmachus & Chaldæus: Syrus habet *keuon*. Quod ſi deducas à radice *kon* (quod ſignificat *apparare, concinnare, erigere, firmare*) aptè deſignabit imaginem, ſeu ſtatuam concinnè apparatam, erectam ac firmatam ad cultum, putà ſtatuam Herculis, qui à Gentilibus teſte Giraldo, Hebræa voce, *con*, vel *conen* vocabatur, id eſt, erectus, ſtator, firmatus & firmator. Vel, vt recentiores Hebræi cenſent, ſtatuam Saturni, qui ab Arabibus & Perſis vocatur *kiuan*. Sed Leo Caſtrius & à Lapide volunt eſſe nomen barbarum, & proprium idoli à Perſis & Iſmaelitis olim culti (vt paſſim interpretes & Rabbini tradunt;) quod cùm Hebræi non intelligerent, leui litterarum mutatione, linguâ ſuâ vocarunt *Rephan*, id eſt, *gigantem*, vel *ſanatorem*, (vnde *Raphaim*, (r) id eſt, gigantes, & *Raphael*, (s) id eſt, ſanatio, ſeu medicina Dei.) Et ſic verterunt LXX. & ex illis S. Stephanus. (t) Et hunc *Rephan* dicunt fuiſſe ſtellam Veneris, quæ manè præiens ſolem vocatur *Lucifer*, veſperè ſequens, *Heſperus*: & colebatur paſſim ab Ægyptijs, Phœnicibus, Syris & Aſſyrijs, (u) teſte eodem Giraldo. Vnde mirum non eſt etiam ab Hebræis in deſerto inter alios falſos deos *Luciferum* quoque cultum fuiſſe quaſi ducem itineris in terram promiſſam, idque in deſpectum columnæ (x) nubis & ignis ita ferè S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Beda & Liranus.

כמן

כון

רפאים

r *Iſaiæ 17. v.2. & 8.*

s *Tobiæ 5. v. 17.*

t *Act.7. v. 43.*

u *Giral. Syntagm.3*

x *Exodi 13. v.21.*

℣. 27. MIGRARE VOS FACIAM TRANS DAMASCVM (y) (ſic & LXX. vertunt) imò & longè vlteriùs, putà etiam *trans Babylonem*, vt S. Stephanus expoſuit. ita ijdem iam citati cum Ribera, à Caſtro & à Lapide.

y *Ieremiæ 49. v.23.*

CA-

CAPVT VI.

Inuehitur in optimates Israelis, qui ex rapinis pauperum lasciuiebant in stratis eburneis, bibebant vinum in phialis, nihil curantes impendentia reipublica mala: vnde iurat, illos meritum iri & perditum funditus.

A ℣. 1. VÆ vobis optimatibus, QVI OPVLENTI ESTIS ad æmulationem principum
השאננים *Sionis*, seu Ierosolymitanorum. Hebræum *hassçaannim* non solùm significat *opulentos*, sed etiam *fertiles*, *securos*, indeque *insolentes*, & alios præ se *spernentes*. Vnde LXX, vertunt, *væ spernentibus Sion.* ita Theodoretus.

INGREDIENTES POMPATICE DOMVM, id est, cœtum, congregationem populi ISRAEL] nempe *pomparum ferculis similes* (vt Cicero loquitur) tumore corporis tumorem animi ostentabant, summo fastu pedes figentes, latera mouentes, gradu compositò incedentes, quod & Isaias in Iudæis quoque reprehendit, & Ecclesiasticus.

Cicero l. 1. Officior.

Isaias 3. v. 16.

Ecclesiasticus 6. 19. v. 27.

℣. 2. TRANSITE & lustrate optimas quasque vrbes Orientis: ET VIDETE, an TERMINVS EORVM LATIOR SIT TERMINO VESTRO] Deprehendetis *Samariam* nihil illis debere, sed longè præstare. Quid ergo in me; cuius dono illam possidetis, ingrati insurgitis. quasi vestrâ industriâ & potentiâ (*a*) illam ad tantum splendorem euexeritis. Cùm istæ aliæ nationes, vt ampliores, ita etiam longè vobis potentiores sint, nec tamen potuerint metropoles suas ad similem splendorem euehere? ita S. Hieronymus, Theodoretus, Liranus & Vatablus

a Deut. 4. v. 27.

Nota. CHALANNE celebris erat vrbs haud procul Babylone, condita à Nemrod, Genes. 10. v. 10. quæ pòst aucta à Parthis, teste Plinio, ad exhauriendam Babylonem & Seleuciam, dicta est *Ctesiphon*, & regni metropolis constituta.

Plin. l. 6. c. 26.

חמתי EMATH MAGNA (sic dicta ad distinctionem *Emath* minoris, quæ alio nomine *Reblatha* (*b*) dicebatur) est Antiochia caput Syriæ, quam multi putant esse Alapiam, vulgò *Aleppo*. Quæ olim ab Antiocho eius instauratore sit cognominata Antiochia: cùm antea *Emath*, seu, vt in Hebræo est, *Chammat*, (*c*) diceretur, id est, *sol* quòd instar solis inter omnes Orientis vrbes effulgeret, tam vasta, vt à Strabone *Tetrapolu* vocitetur, quod ambitu suo quatuor ciuitates complecteretur, quarum vnam multitudo incolarum construxerat, alteram Antigonus (*d*) primus ab Alexandro Magno Minoris Asiæ rex, tertiam Seleucus Callinicus, quartam Antiochus Epiphanes, à quo Antiochiæ & Epiphaniæ nomen sortita est: licet & altera illa *Emath minor* subinde *Epiphania*, imò & Antiochia à scriptoribus nominetur: nam facilè quatuor fuisse Epiphanias, & decem Antiochias, sed in diuersis prouincijs, constat ex Stephano & aliis Geographis. *Emath maioris* sæpiùs meminit Iosephus, Isaias, Ieremias, Ezechiel & Zacharias, & Scriptura (*e*) passim. Et quomodo superbire potestis

b 4. Reg. 18. v. 34. & c. 23 v. 33. & c. 25. v. 21. Num. 13. v. 22. & 2. Paral. 8. v. 5. & 2. Machab. c. 11. v. 25.

c Genes. 10. v. 18. Strabo l. 16

d Chronic. c. 40.

Steph. l. de Vrbibus. Ioseph l. 1. Antiq. c. 7. e 2. Reg. 8. v. 9. Isai 19. v. 13. Isai 10. v. 9. Ierem. 49. v. 23. Ezech. 47. v. 16. Zachar. 9. v. 2. Augustin. 4. Dei Ciuit. c. 7.

℣. 3. QVI SEPARATI ESTIS, id est; à Deo propter enormia scelera vestra destinati quasi anathemata, IN DIEM MALVM, nempe cædis, captiuitatis & excidij? ET iam APPROPINQVATIS SOLIO iudiciali, quod sentietis admodum vobis *iniquum*, id est, noxium, aduersarium, molestum. Agit de solio imperij & tyrannide iamiam imminente Assyriorum, inquit S. Hieronymus, Augustinus, Albertus & alij suprà citati. Interim quasi nihil impenderet mali, otiosi & securi

℣. 4. DORMITIS IN LECTIS *ebore* (*f*) alioque superbo ac superfluo ornatu condecoratis, ET IN triclinijs mensalibus, omni genere pretiosorum stragulorum in STRATIS, gulæ & lasciuiæ indulgetis, ex rapinis & sanguine pauperum splendidè, opiparè, perpetuò conuiuantes. Et sic genio indulgentes suo,

f 3. Reg. vlt. in fine, & Esther 1. v. 6.

℣. 6. NIHIL PATIEBANTVR SVPER CONTRITIONE IOSEPH] Id est, nullo sensu tangebantur, nulla commiseratione fratrum suorum ex decem tribubus, magno vbique numero tyrannicè oppressorum; imò contritorum, partim ab impijs & crudelibus optimatibus, partim ab hostibus Syris & Assyrijs, cùm, si viscera ipsis essent fraterna, deberent singulos eo affectu complecti, quo suos olim fratres complexus est *Ioseph.* (*g*) ita iidem cum Sà, Mariana & à Lapide.

g Genes. 45. v. 1. &c.

℣. 8. ODI DOMOS IACOB; Hebraicè *palatia* (*h*) Israelis, vt vertit Chaldæus, vtpote ex vsuris & rapinis constructa. Vnde TRADAM hostibus Assyrijs omnem vestram CIVITATEM CVM omnibus HABITATORIBVS SVIS.

h Isaiæ 5. v. 8. Ierem. 22. v. 13. Amos 5. v. 11.

℣. 9. QVOD SI QVI, seu fuga, seu latitatione, manus hostiles effugerint, & reliqui fuerint à generali clade, etsi DECEM fuerint tales IN VNA DOMO, faxo tamen vt ET IPSI quoque mox fame vel peste MORIANTVR.

℣. 10. ET TOLLET vnumquemque sic mortuorum PROPINQVVS quispiam, vt COMBVRAT EVM, & combusti OSSA EFFERAT in vrnam, quam adseruandis illis solent olim pauperiores testaceam, ditiores vel æream, vel marmoream, vel argenteam vel auream, in prædio suo suburbano in cryptis vel mausoleis tempori præparare. Vide de his Tibullum, Suetonium, Seruium, Quintilianum & alios. Rarò tamen Iudæis & Israelitis in vsu erat, saltem quamdiu veri Dei cultores erant: malebant enim, vt nunc Christiani, obsequi non tantùm sententiæ diuinæ Gen. 3. *Puluis es & in puluerem reuerteris*: sed & consuetudini naturæ, cadauera sponte in sua elementa resoluentis; & superstitibus fidem ac spem resurrectionis ingerere, corpora integra terræ quasi in depositum postea reddendum commendantes. Aromata tamen subinde in funeribus regum suorum & primarum, supra & circum ipsa cadauera solebant honoris causà cremare, (*i*) cadaueribus intactis. Dixi, *rarò*: quia aliquando necessitate vrgente & festinare cogente, vt accidit in funere Saul (*k*) & filiorum eius: item in communi lue vel peste, vt eam reprimerent, igneque purgarent ne in alios proserperet, vt hîc futurum Amos prædicit, etiam ipsa cadauera cremabantur.

Tibullus l. 3. elegia 20. Sueton. vita Augusti c. 100. Seruius in l. 3. & 11. Æneid. Quintilian. declam. 10.

i 2 Par. 16. v. vlt.

k 1. Reg. vlt. v. 12.

℣. 11. ET DICET incola domus propinquo suo eum solanti, & vt Deo damnum aliunde compensaturo confidat, monenti; TACE de damno, ne mihi refrices memoriam tanti mali. tace de Deo, ET NON RECORDERIS apud me NOMINIS DOMINI, tam in me meosque crudelis. Sic Gentiles in graui afflictione dijs, quasi illius auctoribus maledicebant: (*l*) & etiamnum Sinæ ac Lapones (*m*) flagellis in eos sæuiunt. Vide Liranum, Sanchez, Riberam & à Lapide.

l Virg. Æneid. 2.

m In Epistolis Indicis & historia Maffæi.

℣. 12. QVIA ECCE DOMINVS nimis populo suo iratus, non cessabit cum hac plaga, sed integram DOMVM MAIOREM, id est, regnum decem tribuum PERCVTIET RVINIS, seu vsque ad plenam ruinam & excidiũ. (*u*) Plerosque enim gladio sustulit, reliquos in Assyriam captiuos deuexit, paucos superstites iam peste, & paulò pòst leonum (*o*) incursi-

n Osee 1. v. 6.

o 4 Reg. 17. v. 25.

incursibus absumet. Neque verò intactam sinet NOMVM MINOREM, Iudæ & Benjamin, sed & illam *percutiet* SCISSIONIBVS, id est, rupturis & fissuris, partem magnam occidendo, partem in exilium ablegando. Has tamen scissuras sarciet aliquando & restituet per Esdram & Nehemiam sub Cyro & Dario & Artaxerxe, inquit Chaldæus, S. Hieronymus, Remigius, Rupertus, Hugo, Liranus & Ribera.

℣. 13. AN CVRRERE QVEVNT EQVI IN PETRIS præruptis, AVT ARARI POTEST BVBALIS; Hebraicè *bobus, in* iisdem petris?] q. d. Præposterè laboratis, ô Israelitæ, cùm ex cultu idolorum, ex rapinis pauperum, ex aliis sceleribus, conamini vos vestramque remp. augere, extollere, stabilire; perinde enim facitis ac si in præruptam rupem aut equum ad cursum, aut boues ad arandum incitaretis, quod non frustra modò & inutile, sed & noxium foret, imò impossibile. ita Syrus, Palacius, Clarius, Pagninus, Vatablus, & alij recentiores.

a *Hic v. 2.* ℣. 15. AB EMATH (de quo suprà) (*a*) VSQVE AD TORRENTEM DESERTI (de quo Iosue 13. v. 3.) id est, ab vna extremitate terræ sanctæ, vsque ad alteram, CONTERET VOS DOMINVS, per Assrios & Chaldæos.

CAPVT VII.

Amos precibus suis plagam locustæ & ignis auertit ab Israele, cuius horrendis sceleribus tandem fatigatus Deus, diuinam curam ac prouidentiam suam ab illo auertit, sinitque ruere in interitum. Pseudosacerdos Amasias quà dolo, quà vi conatur impedire Amos, quo minùs prophetet in Bethel. Sed Amos illi prædicit uxoris stuprum, liberorum necem, bonorum expilationem & exilium, totique Israeli captiuitatem & excidium.

℣. 1. ECCE FICTOR, id est, plastes seu formator quidam, formans ingens examen LOCVSTARVM, IN PRINCIPIO GERMINANTIVM herbarum, ET SEROTINI IMBRIS, (*b*) id est, sub initium veris, cuius beneficio detonsa per regios ministros prata repullulabant. Nempe floreiceute ac quasi repullulante per *Ieroboam* (*c*) Israelitarum republica, quam varijs irruptionibus detotonderat & demessuerat rex Syriæ *Benadad*, (*d*) & *Hazael*, infudit se in eam ingens exercitus Assyriorum ductore *Phulbelocho*: sed hanc cladem diuertit Deus ad preces Amos, redempta per *Manahem* vexatione pretio mille talentorum argenti, 4. Reg. 15. v. 19. ita ferè à Castro & à Lapide. Sed mox

b *Ioel 2. v. 23.*

c 4. *Reg. 14. v. 25.*

d 3. *Reg. vlt. v. 31. & 4. Reg 13. v. 7. & 22.*

℣. 4. ECCE tibi nouam cladem: DEVS vniuersi DOMINVS IVDICIVM, id est, sententiam, seu decretum suæ condemnationis & vltionis, quasi vindicem vel lictorem suum, *vocat* mittitque AD IGNEM per omnes Israelis fines excitandum. Hic lictor fuit *Theglatphalasar*, (*e*) qui instar ignis, ingenti ardore, celeritate ac ferocia DEVORAVIT ABYSSVM MVLTAM, id est, maximam populi turbam, putà tribum *Ruben*, *Gad*, & dimidiam *Manasse* trans Iordanem humili loco velut in *abysso* sitas: ET SIMVL COMEDIT PARTEM alteram insignem Israelis cis Iordanem, putà tribus Nephthalim, Aser & Zabulon. Et absumpsisset etiam reliquas omnes, ni Deus flexus precibus Amos, ardorem tyranni Assyrij inhibuisset, inquit idem à Castro & à Lapide. Sed ingrati Israelitæ pertexerunt rebellare Deo suo. Vnde

e 4. *Reg. 15. v. 29.*

℣. 7. ECCE DOMINVS STANS SVPER, id est, iuxta, (*f*) MVRVM calce illitvm, id est, adstans Israeli, eumque calce ac TRVLLA diuinæ suæ potentiæ, curæ & prouidentiæ firmans, muniens, exornans, cùm vidit se frustra laborare, & Israelitas in sceleribus suis quotidie magis ac magis obstinari; pertæsus, indignans, & quasi desperans de restauratione tam ruinosi muri;

f *Luca 4. v. 39. Psalm. 136. v. 1.*

℣. 8. ECCE, inquit, EGO PONAM TRVLLAM] Id est, de manu mea deponam curam omnem ac tutelam Israelis, sinamque illum funditus corruere, ita S. Hieronymus, Remigius, Haymo, Hugo, Liranus, Ribera & Fernandius. Porrò subtractâ meâ trullâ, Fernand. in Pisid. c. 3.

℣. 9. DEMOLIENTVR Assyrij per Salmanasarem (*g*) omnia tam sacra, quàm profana, etiam EXCELSA *Isaac* (sic habent Hebræa) id est, *excelsa risus*, vt vertunt LXX. Syrus & Arabicus, id est, altaria & fana IDOLORVM verè ridicula (*h*) & risu explodenda: ET DESOLABVNTVR omnes SANCTIFICATIONES ISRAEL; Habraicè, *sanctuaria*, seu templa deorum, quæ pro tam sanctis habent. ita Liranus, Vatablus, Arias & alij suprà citati.

g 4. *Reg. 17. v. 4. &c.*

h *Item. 10. v. 15. & c. 51. v. 18. & Baruch 6.*

ET CONSVRGAM GLADIO, nominatim SVPER DOMVM, id est, familiam & posteros, IEROBOAM filij Ioas, tam ingrati in me post tot adeptas ope mea victorias. (*i*) Id quomodo contigerit, narratur 4. Regum 13. vers. 10. vbi Ieroboami filius Zacharias cum omni sua familia per Sellum tyrannum palàm iugulatur.

i 4. *Reg. 14. v. 25.*

℣. 10. REBELLAVIT, LXX. *congregationes & coniurationes* CONTRA TE, ô rex Ieroboam, *fecit* AMOS] Sed non credit rex pseudopontificis contra Prophetam Dei calumnias: ergo prophetam ipsum aggreditur veterator, ac primùm blandis verbis:

℣. 12. QVI VIDES, id est, ô videns, ô Prophetà (*k*) Amos, FVGE, si sapis, ex *Bethel*, (vbi ab idolorum cultoribus insidiæ tibi struuntur,) IN TERRAM IVDA, vbi securus deges, & in pretio atque honore eris, vtpote Propheta Domini.

k 1. *Reg. 3. v. 9.*

℣. 13. BETHEL verò tibi exitium creabit, si contra vitulos eius insurgere pertexeris: QVIA SANCTIFICATIO REGIS EST, ET DOMVS REGNI] Id est, Bethel est locus sacer rege Israelis ad publicum vitulorum cultum peculiariter designatus & consecratus in sorte decem tribuum, sicut Ierosolyma in sorte duarum tribuum consecrata est ad publicum Dei cultum. Insuper rex habet in Bethel suum palatium, in quo frequens degit: quare metuendum est, ne te publicum vitulorum suorum hostem capiat, & in malam crucem agat: ita Remigius, Albertus & Arias, Respondet Amos:

℣. 14. NON SVM PROPHETA] scilicet ex prima mea institutione & professione; LXX. *non eram Propheta*. q. d. Ordinarium officium meum non est prophetare: sed pascere armenta, putà boues, mulos, equos, camelos, & similia maiora animalia, quæ proprie *armenta*, vocantur, quasi arare menta, inquit Valla. quibus arari soleat. Pro *armentario* tamen LXX. vertunt, *caprarium*, S. Hieronymus, *opilionem*. Nec id mirum, cùm non infrequens sit, vt bobus & vaccis immisceantur in ijsdem pratis oues & capræ.

VELLICANS SYCOMOROS] id est, ficus fatuas, vel ficus similes *moris*. Quæ in Græcis Lexicis Hesychij, Henrici Stephani & Ioannis Scapulæ per ω mega (*l*) scribuntur, sed ab aliis etiam per ο micron: vnde & sycómorus, dici potest, & sycomòrus. Hanc arborem *vellicabat* Amos, quia frondes decerpebat in pastum

l *Etiam Luca 19. v. 4.*

in pastum pecorum, fructus verò immaturos ferreis vnguibus incidebat ac scalpebat vt maturescerent, maturos in suos vsus colligebat. *Sycomora* enim quia dura & amara, teste Theophrasto, Athenæo, Galeno, Dioscoride, Plinio, Ruellio, incidi ac sculpi solent, vt à sole penetrentur, maturescant & dulcescant. Arbor est in Syria frequens, nunc *gemmayz* vocatur, magna & lata, sed non admodum alta, foliis paruis ac rotundis & *moro* quàm proximis: tantę fœcunditatis, vt ternos, quaternos, aliquando septenos anno vno fructus fundat, similes caprificis, qui mespilum forma & magnitudine referunt, verguntque in rubedinem; incisi dulcescunt, sed non adeò vt ficus. Indigna hortis, vt plurimum in platęis & viis publicis consistit, vt quicumque voluerit, ex fructibus eius, vtpote nullius pretij, decerpat quantum libuerit. Vnde Amos Propheta, vt ostendat se tenui & plebeio victu contentum, non inhiare amplioribus fortunis, dicit solere se vellicare sycomoros. q. d. Ego non propheto spe panis & lucri, nec mensis aut bursis alienis inhio, vt tu facis ô Amasia, sed sycomoris agrestibus contentus victito. Symbolicè *sycomorus*, id est, crux & doctrina Christi, Christianis mente meditationeque perpetuò vellicanda, si fructibus eius arcanis atque omni melle dulcioribus pasci optemus, inquit Theophylactus & Beda.

Dioscor. l. 1. c. 144. Aly apud Ruellium l. 1. de Stirpibus c. 79.

Theoph. & Beda in Luc. 19. v. 4.

℣. 16. NON STILLABIS, id est, doctrinam, monita, minas cælestes non ampliùs infundes aut instillabis populo SVPER DOMVM IDOLI, id est, contra *Bethel*, quæ ex domo Dei facta est *Bethauen*, id est, domus idoli & vanitatis. Vbi Nota, minas & pœnas omnes huius sæculi, quantumcumque horribiles, tamen in Scripturis (*a*) comparari stillæ seu guttulæ vni, si cum pœnis inferni componantur, vbi plenum est mare tormentorum.

a Iob 26. v. 14.

℣. 17. VXOR TVA, ô Amasia, in pœnam adulterij tui spiritualis, te vidente, fremente ac frendente, palàm IN media CIVITATE adulterabitur, seu cum priuatis amasiis, vt vult Arias; seu cum hostibus tuis Assyriis, vt S. Hieron. Theodoretus, Remigius & Hugo. Neque hoc modò, sed ET FILII TVI ET FILIÆ IN GLADIO CADENT. Deinde HVMVS TVA, id est, fundi & agri tui, FVNICVLO (*b*) dimensi, ab Assyriis diuidentur & diuendentur æmulis tuis. Denique TV IN TERRA POLLVTA sordibus infidelium seu Gentilium, id est, in Assyria captiuus MORIERIS, ET omnis ISRAEL tecum, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, & alij suprà citati.

b Iosue 17. v. 5. & 14. & c. 19. v. 9. & 29.

CAPVT VIII.

Vncino, quo poma ex arbore decerpuntur, præsignatur, Israelitas ab Assyrio è patria diuellendos & in exilium abducendos: solem illis obtenebratum, & factum & caluitium omnibus inductum iri; cum extrema rerum omnium penuria.

℣. 1. ECCE VNCINVS POMORVM] Id est, ecce fustis supernè incuruus & hamatus quo rami attrahuntur, & ex iis decerpta poma in corbem appensum deiiciuntur. Vnde Chaldæus, Pagninus & Tigurini, & Rabbini passim vertunt, *canistrum*, seu *corbem æstatis*, id est, in quem colliguntur fructus æstiui. Sed Hebræum *kelub* propriè significat instrumentum attractorium, quale est *vncinus*, *venabulum*, *sagitta*, vt Arabicus vertit. Significat autem hastas & spicula Assyriorum, imò & *vncos* quibus victi & vincti Israelitæ trahebantur ad carceres vel ad supplicium. Ribera & Fernandius symbolicè mortem hic intelligunt, quæ variis vncinis, id est, variis morborum & casuum generibus

כלוב

Fernand. in hunc locum.

attrahit ramos pomis graues, id est, familias copiosas, è quibus decerpit etiam robustissima capita, & quæ à morte videbantur remotissima. Hîc per *vncinum* designatur

℣. 2. FINIS (*c*) regni Israelitici, seu excidium cælitus ei præfinitum. NON ADIICIAM VLTRA VT tot scelerum reum, impœnitentem atque obstinatum PERTRANSEAM, seu prætereram, dissimulando ipsumque impunitum relinquendo. q. d. Non possum, si iustum me probare velim, diutiùs conniuere & parcere, inquit S. Hieronymus, Theodoretus & Rupertus.

c Ezech. 7. v. 6. &c.

℣. 3. STRIDEBVNT CARDINES TEMPLI] Hebræum *scirot*, etiam significat *laquearia*, vt hîc vertunt LXX; & *cantica*, vt Chaldæus, Vatablus & alij recentiores. q. d. Tantus erit clamor hostium, tantus vlulatus cæsorum in templis seu fanis idolorum, vt ipsi *cardines* stridere & conuelli, ipsa *laquearia* loco lætorum *carminum*, nil nisi eiulatus morientium, pro echo reuerberare videantur. Porrò agi hîc de templo non Ierosolymitano (vt putat S. Hieronymus, Theodoretus & Rupertus,) sed Israelitico in *Bethel*, patet ex sequ. v. 7. & 14. & docent Ruffinus, Liranus, Clarius, Arias, à Castro, à Lapide & alij passim.

שירות

IN OMNI LOCO Israelitici regni, abductis incolis, PROICIETVR & quasi seminabitur SILENTIVM, ex solitudine & desolatione tum vrbium, tum agrorum, inquit S. Hieronymus. Vis nosse causam?

℣. 4. DEFICERE & interire FACTIS EGENOS monopoliis vestris.

℣. 5. QVANDO tandem, inquitis, TRANSIBIT MENSIS septimus Tisri, quo iubemur toto octiduo, imò totò penè mẽse (*d*) feriari? Quando transibit longum illud & mercatoribus incommodum atq; ingratũ SABBATVM, seu quies, quo possimus, minuente iam annonæ copia, referare horrea *frumenti* nostri, & cariùs populo diuendere? ita Remigius, Albertus, Rupertus, Liranus & Hugo. Nec contenti pretium auxisse, etiam dolos & fraudes adhibeamus: MINVAMVS MENSVRAM (*e*) quâ frumentum emptoribus admetimur: è contrario, cùm nos aliquid ab aliis emimus, AVGEAMVS SICLVM (*f*)] Hebraicè, *pondus*, id est, pondere, quod æquo maius sit, empta appendamus, inquit S. Hieronymus & Vatablus.

d Leuit. 23. v. 24. &c.

e Prol. eg. de mensuris.

f Ibid. de ponderibus.

℣. 6. VT his artibus ac fraudibus redacti pauperes ad extremam inopiam, cogantur se nobis in mancipia diuendere, & sic eos POSSIDEAMVS seruos & ancillas, idque paruo pretio, imò PRO pari CALCEAMENTORVM obtrudamus & falsas merces pro veris, v. g. QVISQVILIAS FRVMENTI, paleas, ciceres, auenam simul commixta & commolita, pro pura frumenti farina DIVENDAMVS. Sed

℣. 7. IN hanc tantam SVPERBIAM Israelis, quâ adeò tyrannicè dominatur pauperibus, eosque deprædatur, IVRAVIT (*g*) Dominus, se fore egregium vltorem. ita LXX. S. Hieronymus & alij suprà citati.

g Prolog. de Idiotismis Hebr. n. 13.

℣. 8. ASCENDET contra vos exercitus Assyriorum, QVASI FLVVIVS VNIVERSVS, id est, instar Nili inundabit totam terram, nec priùs DEFLVET, quàm omnia euerterit & absumpserit. ita Chaldæus. Vtitur autem comparatione *Nili* potiùs quàm alterius fluminis, quia auari isti & iniusti Israelitæ mercatores, ex Ægypto (vtpotè horreo totius (*h*) Orientis) plurimum frumenti accersere solebant,

h Isaiæ 23. v. 3.

solebant, quod deinde dolosis ponderibus ac mensuris & magna ex parte vitiatum, vt suprà (a) dixi, pauperibus diuendebant. A

a *Hic v. 5. & 6.*

℣. 9. OCCIDET, id est, mœstis ac consternatis occidere & tenebrescere videbitur SOL (b) IN MERIDIE] ita S. Hieronymus, Theodoretus & Chrysostomus. Tropologicè, in summa Israelis felicitate superueniet ei inexpectatum excidium, inquit Remigius, Rupertus, S. Gregorius, Hugo & Liranus. Allegoricè, Christo patiente in meridie sol obtenebratus est, inquit S. Cyprianus, Isidorus, Cyrillus, Tertullianus, Eusebius, Augustinus, Ruffinus & alij.

b *Ioel 2. v. 10. Chrysost. homil. 2. ad popul. Gregor. l. 5. Moral. c. 1. Cypr. l. 2. ad Quirinum c. 23. Isidor. l. de Passione Domini c. 45 Cyrillus catechesi 13. Tertull. l. 4. cont. Marc. c. 42. Euseb. l. 10. Demõst. c. 6. August. l. quæst. ex vtroque testamento. qu. 15.*

℣. 11. MITTAM FAMEM (c) ET SITIM AVDIENDI VERBVM DOMINI] Nempe cùm maximè egebunt & inhiabunt Prophetarum, quos iam contemnunt, responsis & oraculis, ad consilia captanda quomodo possit hostibus obsisti; efficiam vt tunc prorsus ijs destituantur, atque ita inopes mentis & consilij ruant in interitum. B

c *Ezech. 3. v. 26.*

℣. 12. COMMOVEBVNTVR cursitantes vagabundi A MARI, Galilææ vergente ad Meridiem terræ sanctæ, VSQVE AD MARE Mediterraneum Occidentale Israelitis, vt Prophetam aliquem conquirant, & ex eo diuina oracula accipiant, ET NON INVENIENT (d)] ita Chaldæus, Liranus & alij suprà citati. Allegoricè, cum Hieronymo, Remigio, Hugone & Aria possunt hæc omnia aptari Iudæis iam inde à Vespasiani & Titi temporibus hucusque quærentibus verbum Dei. Tropologicè, quibusuis peccatoribus remedia salutis dum adsunt respuentibus & contemnentibus.

d *Psalm. 73. v. 9.*

℣. 14. IVRANT IN DELICTO SAMARIÆ: id est, iurant per *vitulum aureum*, quem Ieroboam & secuti eum reges summo scelere delegerunt toti regno Samariæ, seu Israelis in Deum. Iurant autem, & vniuersaliter colunt, adorant, honorant non modò vitulum, sed & VIAM quâ itur ad vitulum, dicentes, Floreat, teratur, frequentetur (e) assiduò tam nobilis via, quà peregrinatum itur à DAN *vsque* BERSABEE] id est, ab vno extremo terræ sanctę vsque ad alterum extremum. Erant autem multa per viam illam erecta idolis sacella & aræ (quasi in memoriam peregrinantium istic olim Abrahæ, Isaac, Iacob,) quæ postea Iosias profanauit ac destruxit 4. Regum 23. vers. 8. ita Albertus & Liranus. C

e *Thren. 1. v. 4.*

CAPVT IX.

* *Amos 7. v. 7.* *Stans Deus super, id est, iuxta, * altare Bethel, iubet angelo, vt percusso cardine illud euertat cum toto regno Israelitico, ob horrenda populi scelera, ob quæ comparat illum Æthiopibus, Philisthæis & Syris: sed vt in culpa, sic etiam in pœna excidij ac dispersionis dicit illum ipsis æquandum. Nouam tamen instaurationem, bonorumq; omnium affluentiam Israeli iam repurgato promittit per Messiam Christum.* D

f *Isaiæ 6. v. 1 Ezech. 1. v. 26.*

℣. 1. VIDI oculis (f) mentis, seu intellectus, STANTEM DOMINVM iuxta ALTARE holocaustorum in Bethel. ita Ruffinus, Clarius, à Castro & à Lapide. ET DIXIT, iussitque angelo sibi assistenti, PERCVTE CARDINEM, in quo ostium templi voluitur: ET COMMOVEANTVR & loco suo excidant SVPERLIMINARIA, adeoque tota porta, imò totum templum portæ superincumbens, euertatur & corruat, cum omnibus qui templum ingredi, vel adire consueuerunt. Hoc enim symbolo præsignabat Deus, Assyrios templum, religionem, regnum, remp. Israelitarum, à cardine & ab imis fundamentis conuulsuros & subuersuros, inquit S. Hieronymus, Remigius, Ruffinus, Theodoretus, Sá, Mariana, & alij iam citati. Causam nosse vis cur adeò grauiter in eos sæuiam? IN CAPITE OMNIVM est, id est, dominatur omnibus, possidet omnes tamquam mancipia & seruos domina, regina, dea AVARITIA. (g) Hebræum *betsaam* & *nomen* est, significans *auaritiam eorum*: & *verbum*, significans, *dissice*, vel *dissecta*, vt vertunt LXX. Vatablus, Pagninus, Tigurini & Arabicus. q. d. Dissilientia postium frusta dissice in capita eorum, ijsque ista dissecta. Vsque ad NOVISSIMVM, id est, abiectissimum ac vilissimum, omnes GLADIO INTERFICIAM] Hyperbole, *omnes* pro plerisque. Sic

g *Ierem. 6. v. 13. Thren. 1. v. 5. Ephes. 5. v. 5 & Prou. 10. v. 11. & 1. Tim. 6. v. 15. & Esdr. 10. v. 9. &c.*

℣. 2. INFERNVS (h) pro fouea profundissima: CÆLVM pro montibus altissimis, inquit Chaldæus, S. Hieronymus, Liranus & Arias.

בְּגֵעַ h *Psal. 138. v. 8. Iob 11: v. 8.*

℣. 3. De *Carmelo* (i) alibi dictum.

i *Ierem. 2. v. 7.*

℣. 4. SI ABIERINT IN Assyriam *captiui*, IBI MANDABO GLADIO, vt exertus è vagina OCCIDAT EOS. Ita contigisse legimus Tobiæ 1. vers. 21. ET PONAM atque hostiliter firmabo OCVLOS MEOS, seu prouidentiam meam, SVPER EOS IN MALVM, ET (k) IN BONVM] id est, infligam illis vndique omne genus afflictionis sine admistione solatij vel alterius boni. ita S. Hieronymus, Remigius, Liranus, Albertus, & Vatablus. Et verò ne putetis, vanas esse & euanidas Dei minas; vt omnipotens est, ita & terribilem se præbet impijs.

k *Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 49.*

℣. 5. TANGIT TERRAM, & solo attactu, imò solo nutu facit prata *tabescere*, agros exarescere, montes corruere, integra regna absorberi, vt suprà (l) dixit.

l *Amos 8. v. 8. & Psalm. 12. v. 8. & 16. & Isaiæ 64. v. 1.*

℣. 6. IN CÆLO ÆDIFICAT ASCENSIONEM SVAM; id est, altissimum palatium, thronum, solium suum regale, ad quod per varias sphæras, quasi per gradus ascenditur: ET FASCICVLVM, seu colligationem elementorum, meteororum, aliarumque rerum sublunarium, FVNDAVIT SVPER TERRAM] quasi suprà basin, creaturas tam multas, tam magnas, tam varias, tam inæquales, tam contrarias admirabili sapientia simul ac potentia pulcherrimè connectens & consocians, vt sociari solent sarmenta in fascem, (m) aut, si mauis, flores vel aromata in *fasciculum*, (n) seu olfactoriolum naribus atque oculis oblectandis. ita ferè Theodoretus, Liranus, Arias, Clarius, Vatablus, Pagninus & Mariana. Neque verò est quòd vos, ô Israelitæ, præ aliis omnibus gentibus gloriemini, quasi primas teneatis in hoc fasciculo, vtpotè quos mihi iam pridem ex horto Ægypti decerpserim, & in Palæstina collocarim:

m *Isaiæ 24. v. 22.*

n *Cant. 1. v. 12. & Cicero 3. Tusculan.*

℣. 7. NVMQVID in eo pares vobis sunt FILII ÆTHIOPVM, quos simili modo ex Ægypto traduxi in *Æthiopiam* vicinam & adiacentem Ægypto? Et quidem per eumdem Moysen, (si vera est historia Iosephi,) per quem vos eduxi ex Ægypto in Palæstinam? Numquid & pari cura ac prouidentia CAPPADOCES collocaui in *Palæstina*? vt alibi (o) dictum: *& Cyrenenses* in *Syria* Damasci? quæ priùs ab *Aram* (p) filio Sem, dicebatur *Aram*; à nouis autem incolis istuc venientibus ex *Kir* (q) Medorum vocata est Κύρια, & euphoniæ causâ *Syria*. Neque video cur præ his quidquam vobis debeam, qui horum scelera scelerибus vestris non æquatis modò, sed & superatis. Vnum superest, vt pari cum ipsis pœna, vel etiam grauiore plectamini. Sicut ergo cc-

Ioseph. l. 2. Antiq. c. 5.

o *Deut. 2. v. 23. & Ierem. 47. v. 4.*

p *Genes. 10. v. 22.*

q *4. Reg 16. v. 5.*

a 2. Par. 14. v. 9. & 13.
b Iosue 11. v. 12.
c 1. Reg. 7. v. 10. vsque 15.
d 1. Reg. 17. v. 40. 52. &c. & 2. Reg. 5. v. 18. & c. 8. v. 1. &c.
e 4. Reg. 16. v. 9.
f 4. Reg. 15. v. 29. & c. 17. v. 6.
g Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 49.
h Osee 1. v. 6.
i Hebr. 13. v. 14.
k 3. Reg. 12. v. 16.
l 4. Reg. 13. v. 7.
m 3. Reg. 14. v. 25. & 4. Reg. 23. v. 29.
n Ibid. c. 15. & 17.
o Ibid. c. 24. & 25.
p In libris Machabaeorum.
q Chronici c. 40. in fine, & c. 42. in Hyrcano.
r Ibid. & c. 45.
s Luca 1. v. 32.
t Isaiæ 19. v. 24.

go cecidi *millionem Æthiopum* sub rege *Asa*: (a) & tot phalanges *Philisthæorum* sub *Iosue*, (b) *Samuele*, (c) *Dauide*: (d) & regem regnumque *Syrorum* exscindam (e) breuî per *Teglatphalasar*: ita & vos regnumque vestrum exscindam per eumdem *Teglatphalassar*, (f) eiusque successorem *Salmanasar*. Neque enim vel acceptor sum personarum, vel iniustus iudex, sed pœnas pro meritis decerno SVPER omne REGNVM PECCANS, statuto tempore *conterens* illud & exscindens.

℣. 8. VERVMTAMEN CONTERENS NON CONTERAM, id est, *non* planè (g) *conteram* DOMVM IACOB] sed reliquias ex ea mihi adseruabo.

℣. 9. CONCVTIAM quidem illam per Assyrios, & agitabo, euentilabo ac dispergam eam per omnes gentes, non tamen vt stercora vel alias sordes, quæ prorsus abijciuntur, sed VT TRITICVM, quod in CRIBRO vel *vanno* non in alium finem CONCVTITVR, quàm vt à paleis, & alijs sordibus secernatur & expurgetur, & purum in horrea recondatur, nec sinitur vel LAPILLVS, id est, granum (vt alij clariùs vertunt) duritie & forma sua referens lapillum, decidere IN TERRAM] Sic nec ego sinam spiritaliter perire quemquam iustorum Israelitarum, etsi eodem cribro vel vanno afflictionum corporalium cribrandi sint vnà cum impijs. Hac enim cribratione puriores, sanctiores, splendidiores euadent. Exemplo sit Tobias, & alij in exilio conuersi ad Deum, qui sub *Cyro* cum Iudæis (h) è captiuitate corporali, & maximè sub *Christo* è captiuitate spirituali, *in* patriam suam, putà in regnum & Ecclesiam Christi, demigrarunt.

℣. 11. In DIE enim ILLA, id est, tempore Messiæ, TABERNACVLVM, (i) id est, domum regiam DAVIDIS, nempe regnum & regium sceptrum Iuda, tam spirituale, quàm corporale, quod varijs scissuris ac rupturis paulatim attritũ per Ieroboam, (k) per Syros, (l) per Ægyptios, (m) per Assyrios, (n) per Chaldæos, (o) per Aliaticos, (p) per Romanos, (q) tandem planè corruit sub Herode (r) tyranno, qui quidquid reliquum erat regiæ stirpis excidit; excisum SVSCITABO rursus per Messiam, cui reddam *sedem* regiam *Dauid* (s) *patris eius*, *& regnabit* per se, & per vicarios suos, Pontifices & reges, *in* tota *domo Iacob*, non vno vel altero sæculo, sed *in æternum*, *& regni eius non erit finis*. Lapides porrò, seu materialia, quibus hanc regiam Messiæ domum instaurauit Deus, desumpsit primùm ex Iudæis, aliisque Israelitis, è quibus Apostoli, discipuli, & primi Ecclesiæ filij prodierunt: deinde sparsim atque indiscriminatim ex omnibus gentibus & nationibus terræ, Ægyptiis, (t) Assyriis, Ammonitis, (v) Moabitis, (x) Sodomitis (y nam & hos omnes aliquando per Christum restaurandos prædixerant Prophetæ) Persis, Medis, Parthis, &c. qui quasi viui lapides, (z) maiorem huius structuræ partem mox confecerunt, & in eam qua nunc stat altitudinem atque amplitudinem euexerunt. Ita locum hunc de regno Christi, per Gentiles ad cum conuersos instaurando, explicat S. Iacobus Apostolus in Concilio primo (aa) Ierosolymitano, & est communis interpretatio omnium Orthodoxorum: & ita ad litteram explicandum, contra Theodorum Mopsuestenum, sub anathemate definitum est à Vigilio Papa in Concilio Romano. (bb) Allegoricè, Cyrillus, Theodoretus, imò & Rabbini quidam apud Galatinum; per *tabernaculum Dauid* intelligunt corpus (cc) Christi à mortuis rediuiuum: S. Chrysostomus humanam nostram naturam peccato Adæ collapsam, sed per Christum restauratam.

u Ieremiæ 49. v. 6.
x Ieremiæ 48. v. 47.
y Ezech. 16. v. 55.
z Rom. 11. v. 17.
aa Actor. 15. v. 16.
bb Apud Turrianum l. 2. Constit. Apostolicar. c. 5. Cyrill. l. 4. in Ioannem c. 35. Galatin. l. 8. c. 22.
cc Ioan. 2. v. 19. Chrysost. homil. 16. in Ioan.

℣. 12. VT POSSIDEANT RELIQVIAS IDVMÆÆ, iuratos antè (dd) hostes Israelitarum; & inaccessos & inuictos. Sed sub his, vtpotè vicinis, notis & perpetuò rebellibus Iudææ, intelliguntur quiuis hostes, imò quiuis Gentiles. Vnde LXX. paraphrasticè vertunt, & ex ijs S. Iacobus & Lucas (ee) Euangelista, *vt quærant me reliqui hominum*: imò & Noster sic se explicans addit, ET OMNES NATIONES, SVPER quas INVOCATVM (ff) est NOMEN MEVM] id est, quæ sunt, & vocantur populus meus.

dd Gen. 25. v. 23. & 2. Reg. 8. v. 14. Psalm. 59. v. 10. & 3. Reg. 11. v. 14. & 4. Reg. 14. v. 7.
ee Actor. 15. v. 17.
ff Gen. 48. v. 16. & Isaiæ 4. v. 1.

℣. 13. COMPREHENDET ARATOR MESSOREM, (gg) ET CALCATOR VVÆ MITTENTEM SEMEN] Id est, tanta erit frugum & vini abundantia, vt messis duratura sit vsque ad tempus arandi, & vindemia vsque ad tempus seminandi. ita S. Hieronymus, Rupertus, Ruffinus, Ribera & alij. Quod ad reduces è Babylonia Iudæos malè refert Theodoretus & Rabbini, quia tunc potiùs laborarunt inopiâ frumenti & vini, teste Aggæo (hh) tunc prophetante. Et istis saltem non conuenit quod sequitur, *Plantabo eos super humum suam, & non euellam eos vltrà*. Nam Iudæi per Titum è Iudæa rursus euulsi sunt, manebuntque euulsi vsque ad finem mundi, Daniel. 9. v. vlt. Per hanc ergo messis & vindemiæ abundantiam designatur tantam fore in Ecclesia Christi conuertendarum & excolendarum animarum copiam, vt nullam permittant agricolis, seu pastoribus, tempus quietis. Patuit in S. Paulo, Vincentio Ferrerio, Antonio de Padua, Xauerio, & tot aliis verbi diuini præconibus, tantùm non obrutis laborum multitudine & assiduitate.

gg Psal. 64. v. 12.
hh Aggæi 1. v. 6. 10. 11.

ABDIAS,

ABDIAS,

IDD est, *seruus Dei*, etiam nomine suo Christum, qui *seruus Dei* dictus fuit Isaiæ 42. v. 1. repræsentans. Ex Idumæa oriundus, inquiunt Rabbi Salomon & R. Dauid, incertum quo tempore. Sed alij omnes tradunt fuisse Iudæum, & quidem Sichimitam. Hebræi, (quibus fauent Dorotheus, Epiphanius, Isidorus, Eusebius, Clemens Alexandr. Rupertus, Hugo, Liranus, Sanchez, à Castro, & Mariana,) volunt hunc esse illum, qui sub impio *Achab* & *Iezabele* 3. Regum 18. v. 13. pauit centum Prophetas, eratque *dispensator*, (a) id est, œconomus regiæ domus. Ioan. Episcopus Ierosolymitanus, quem alibi citaui, (b) & Hebræi quidam (inquit Mariana) putant fuisse tertium Pentacontarchum regis *Ochoziæ*, cui supplici pepercit Elias, (c) duobus prioribus igne cælesti absumptis. Theodor. Comestor, Abulensis ex Iosepho & quibusdam Rabbinis dicunt fuisse maritum illius viduæ cuius inopiæ prospexit *Eliseus* multiplicando oleum in vasis, 4. Reg 4. v. 1. Sed his omnibus repugnat tempus quo ex communi Interpretum sententia traditur prophetasse noster *Abdias*, nempe sub Ioathan, Achaz & Ezechia regibus Iuda: & coæuum fuisse Oseæ, Ioeli, Isaiæ, Amos & Michææ, expressè docent S. Hieronymus, Theodoret. Cyrillus, Remigius, Rupertus, Albertus, Vatablus, Hugo, Ribera, à Lapide & plures alij. Et quis credat, Abdiam, si vixit tempore Achabi, Ochoziæ, vel Elisei, tam incurium fuisse, vt cùm cædes & clades intentat Idumæis, omittat celebrem illam, quæ tum præ foribus erat, stragem ab Amasia rege Iuda inferendam Idumææ, 4. Reg. 14. v. 7. & solùm minetur aliam à Chaldæis post trecentos demum annos obuenturam? Accedit, quòd prophetia *Abdiæ* penè eadem sit, etiam quoad verba, cum prophetia *Ieremiæ* (d) contra eosdem Idumæos; vnde potiùs sub tempora Ieremiæ prophetasse dicendus erit. Breuissimus est omnium Prophetarum, *numero verborum*, *sed gratiâ mysteriorum* cuiuis *æqualis*, inquit S. Hieronymus, Isidorus & Ribera. Vitæ sanctitate claruit, & Sanctorum catalogo adscriptus est 19. Nouembris. Sepulchrum eius in Samaria, inquit S. Hieronymus, visitauit aliquando S. Paula, multis miraculis coruscum.

Dorath. Epiphan. Isidor. in Synopsi de Vita & morte Prophet. Euseb. in Chronico. Clemens l. Strom.

a *3. Reg. 18. v. 3.*
b *Ibid.*
c *4. Reg. 1. v. 13.*
Comest. & Abulens. in 3. Reg. 18. Ioseph. l. 9. Antiq. c. 2.

Hieron. initio Comm. in Oseæ. Ribera in proœmio hic praludio 2.

d *Idem. 49. v. 7.*

Isid. l. Alleg. S. Script.

PROPHETIA ABDIÆ.

IDumæis per Dauidem, per Amasiam, per alios toties, sed frustra castigatis, vltimum tandem per Chaldæos excidium prædicit, propter insignem eorum in fratres suos Iudæos inhumanitatem & crudelitatem. Iudæis è contrario felicia omnia post reditum è Chaldæa promittit, adeoq; & imperium in ipsosmet Idumæos, & alias vicinas gentes.

℣. 1. HÆC DICIT DOMINVS contra Idumæos. Idque scimus, quia AVDITVM, id est, rem auditam; Chaldæus, *nuntium*, vel *famam*, vt Vatablus, AVDIVIMVS A DOMINO, non ego solus, sed mecum etiam Isaias, Amos, Ioel, Ieremias, & alij Prophetæ. ita S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo, Liranus, Clarius & Arias. Reliqua primorum quatuor versuum alibi exposui. (a)

Isaias c. 21. v. 11. Amos 1. v. 11. Ioel 3. v. 19. Ierem. 49. v. 7.

a *Ier. b. d.*

℣. 5. SI FVRES ET LATRONES *nocturni*, etiam te non repugnante, sed præ metu prorsus A conticescente, spoliarent domos tuas, pro libito auferentes quantum *sufficere* SIBI putant; non ita tamen exactè omnia exhaurirent & expilarent, atque exhaurient te & expilabunt Chaldæi mox à me submittendi. Quin neque VINDEMIATORES etsi pretio ad id à te conducti, racemos ad vnum omnes decerpunt: at Chaldæi decerpent tua omnia, quantumcumque ABSCONDITA & sepositа. ita accidit anno 5. post excisam Ierosolymam, inquit Iosephus, Nabuchodosore, anno regni sui 23. inuadente & vastante Idumæam. Nec tamen soli hostes tui Chaldæi, sed &

Ioseph. l. 10. Antiq. c. 11.

℣. 7. VIRI FOEDERIS TVI, id est, gentes tibi confœderatæ, &, vt videri volunt, amicę putà Ammonitæ, Moabitæ, & alij populi vicini, *illudentes* TIBI, & Chaldæis se iungentes, EMISERVNT TE VSQVE AD TERMINVM, id est, eliminarunt te è ditione tua, & extra proprios fines expulerũt nullo loco passi te subsistere. ita Chaldæus, S. Hieronymus, Vatablus & alij suprà citati. NON EST PRV-

B

PRVDENTIA IN populo Idumææ, quâ possit discernere fidos ab infidis, proditores ab amicis, sana consilia à temerariis & prauis: cùm tamen Idumæa celebris semper fuerit fama prudentiæ ac sapientiæ, vt patet ex Iobo, eiusque amicis, qui omnes erant Idumæi. (a) Quin &

a Gen. 36. v.10.11.&c.

℣. 9. FORTES bellatores TVI, nempe *Themanitæ*, qui tibi sunt ad MERIDIEM, dextrum regionis tuæ latus claudentes, hucusque toti orbi formidabiles, Chaldæis ab Aquilone aduentantibus, obliti roboris sui, TIMEBVNT, ac pauebunt ad primos eorum ingressus.

Nota. *Theman* Hebræis & proprium nomen est primariæ vrbis Idumææ, quod hic retinuerunt LXX. & appellatiuum, significans Austrum, vel *Meridiem*, vt Noster & Chaldæus verterunt. Nota Secundò. Cùm Deus euertere destinat rempublicam, aufert à magistratibus prudentiam, consilium, vigilantiam, à præsidiariis animos, audaciam & robur. Et ita se facturum etiam Ierosolymæ minatur per Isaiam c.3.v.1. Causam vis nosse, ô Edom, cur tantas tibi pœnas decernam?

℣. 10. PROPTER INTERFECTIONEM, quam vnà cum Chaldæis, inuexisti in terram *fratris tui* IACOB, id est, in Iudæam: cùm iunctis Nabuchodonosori copijs tuis,

℣. 11. STARES armatus contra Ierosolymam, ET EXERCITVM, id est, præsidium EIVS militare: QVANDO EXTRANEI, id est, Chaldæi, Ammonitæ, Moabitæ, capta iam vrbe *Ierosolyma*, MITTEBANT SORTEM SVPER spolijs & captiuis; TV QVOQVE pari modo illam inuadebas, spoliabas, deuastabas: quin & alios ad eam funditus exscindendam impellebas, dicens: *Exinanite, exinanite (b) vsque ad fundamentum in ea*. Et 3.Esdræ 4.v.45. templum Ierosolymitanum dicitur non ab alijs incensum fuisse quàm ab Idumæis. Iustè igitur plectam te pœnâ talionis, exscinderis & peribis etiam tu per eosdem Chaldæos.

b Psalm.136 v. 7.

℣. 12. NON amplius ex alta rupe tua, cum voluptate DESPICIES humi iacentem (c) Ierosolymam, IN DIE tristi & amara excidij FRATRIS TVI, ET PEREGRINATIONIS, id est, exilij ac deportationis EIVS in Chaldæam. ET NON MAGNIFICABIS (d) OS TVVM] id est, non amplius loqueris Iudæis *magna*, id est, verba superba, arrogantia & acerba.

c Prou.14. v.28.

d Psalm. 11 v.4.5. Psalm.14. v.13.

℣. 13. ET NON ampliùs EMITTERIS à Chaldæis ADVERSVS EXERCITVM Iudæorum, vt eum ex vrbe vel erumpentem, vel profugientem persequaris, prosternas, comprehendas. ita LXX.

℣. 15. IVXTA EST, id est, instat, DIES DOMINI, dies vltionis & excidij tum Idumæis, (e) tum alijs *omnibus gentibus*, Iudæorum hostibus & exisoribus, vt etiam Ieremias, Ezechiel, & alij (f) Prophetæ prædixerunt.

e Psalm.136 v. 8. Ierem. 25. v.15. & c.27. v.6. Ezech.35. v.9.

℣. 16. QVOMODO ENIM in symposijs vestris. ô Idumæi, BIBISTIS, & bibendo atque epulando exultastis vnà cum Chaldæis, Ammonitis, Moabitis & alijs gentibus, SVPER clade & excidio *montis sancti mei* Sionis; ita vicissim BIBENT, sed alium calicem, puta iræ & vltionis diuinæ, OMNES illæ GENTES, inter quas vos eritis ex primis. ET BIBENT non vno alteróve die, sed IVGITER, donec penitus ABSORBEANTVR (g) (ita habent LXX. Complutenſia) ET NON amplius SINT aut compareant in rerum natura. ita S. Hieronymus Remigius, Haymo, Hugo & alij. Sic Idumæos, vnà cum Moabitis, Ammonitis & alijs vicinis populis, constat vastatos esse à Chaldæis; (h) deinde rursus à Iuda Machabæo, (i) iterumque ab eius nepote Hyrcano; (k) denique à Romanis, (l) alijsque principibus, vt iam ne nomen quidem illorum ampliùs supersit. E contrario,

f Isaiæ, Amos, Ioel supr.

g Ierem.49. v.12. & c.25.v.15.

h Ioseph. l.10. Antiq. c.11. i 1.Mach.5 v.65. & 2.Mach.10. v.16.32. &c. k Ioseph. l.12. Antiq. c.17. l Idem l.7. Belli c.15. & Iosippus Gorionid. l.4.hist.c.4

℣. 17. IN MONTE SION, id est, Ierosolymæ & in Iudæa, ERIT SALVATIO populo Dei, corporaliter & ad litteram sub Cyro; spiritualiter & allegoricè sub Cyri antitypo Messia, inquit S. Hieronymus, Theodoretus, Rupertus, Haymo, Liranus, Burgensis, Hugo, & alij plerique.

ET ille mons ERIT tunc SANCTVS, ob templum Dei, cultumque eius sanctum ibidem restaurandum, sanctior futurus per præsentiam ibi & prædicationem Christi. sanctissimus verò per Spiritum sanctum die Pentecostes ibidem profundendum, & exinde per vniuersum orbem, inquit Theodoretus.

Tunc POSSIDEBIT iterum DOMVS IACOB non solam Iudæam, & antiquas in ea possessiones suas, quas remouere & Iudæis reddere coacti sunt Idumæi, Samaritæ & Syri, Dario rege Persarum sic mandante, vt narrat Iosephus: sed *possidebit* insuper etiam ipsosmet *Idumæos*, & agros ipsorum. Ita contigisse liquet ex dictis v. 16. Sed plenius id perfectum à Christo, qui tam Idumæos, quàm alias omnes gentes veræ *Sioni*, id est, Ecclesiæ, subiecit, vt ait Liranus, Vatablus & Arias.

Ioseph. l.11. Antiq.c.4.

℣. 18. DOMVS IACOB, id est duæ tribus, Iuda & Beniamin, (in quibus totum robur & gloria familiæ & stirpis Iacobi tunc consistet) iunctis tamen illis qui è *domo* IOSEPH, id est, ex decem (m) alijs tribubus, vel ante vel post captiuitatem se duabus istis tribubus coniungent, & in vnam eamdemque cum illis remp. & Ecclesiam conspirabunt & coalescent. hi iunctis viribus inuadent Idumæam, sibique subijcient, vt solet IGNIS subdere sibi STIPVLAM. Nempe & Iudas Machabæus, & nepos eius Hyrcanus, vsque eò perdomuerunt sibique subiugarunt Idumæos, vt cogerent etiam circumcidi & Iudæorum religionem amplecti, teste Iosepho. Atque ita tunc perfectè *possederunt eos*, vt dicitur v. præced. ET NON remanserunt VLLÆ eorum RELIQVIÆ, vt hoc versu dicitur, vel, vt LXX. vertunt, vllus πυροφόρος, id est, *frumentarius, veredarius*, seu *nuncius*; vel, vt aliqui legunt πυρφόρος, id est, *ignifer*, qui Græcorum & omnium Orientalium more facem castris præferebat, *quem violare summum nefas habebatur, quòd legati munere fungeretur*, inquit Suidas, Pollux & Hetychius. (n) Vnde cùm hic periisse dicitur, perinde est ac si dicatur, castra funditus excisa esse, vt ne vel vnus quidem, seu *ignifer*, seu *nuntius*, cladi superfit. Quod de Idumæis ab Hyrcano subactis verissimè dici potuit: nam tunc desierunt esse *Idumæi* quoad religionem & imperium, & cœperunt esse *Iudæi*. Allegoricè conuersi ad Christum, desierunt esse *Idumæi*, & facti sunt *Christiani*. Necampliùs à se mutuo diuellentur, sed

Ioseph. supr. & c.17. & l.4. Belli c.6.

m Apud Alexand. ab Alex. l.5. Genial. c.3. & Delrionum ad Agg. 984.

℣. 19. HEREDITABVNT HI Iudæi MONTEM ESAV, id est, Idumæam, & omnes eius incolas, QVI Iudææ SVNT AD AVSTRVM: sicut etiam hereditabunt CAMPESTRIA PHILITHIIM, quæ sunt ei ad Occidentem: item *Samariam*, ad Aquilonem totamque sortem tribus EPHRAIM] Nam & hanc subegit idem Hyrcanus excisо templo eorum in Garizim, teste eodem Iosepho. *Galaaditidem* quoque vicinam Beniaminijs versus Orientem, vt constat ex (o) Machabæorum historia.

Ioseph. supr. & c.18. o 1. Mach.5 v 36.

℣. 20

℣. 20. Denique OMNIA LOCA CHANAANÆORVM, omnesque vrbes maritimas, VSQVE AD SAREPTAM inclusiuè, quæ est inter Tyrum & Sidonem, vt Iosephus & Iosippus enarrant. Vnde & Augustus Cæsar hæc omnia tamquam Iudææ subiecta, dedit Herodi Ascalonitæ, eoque mortuo filijs eius, sed iam in tetrachias (*a*) dissecta. Nec ij soli Iudæi qui *Babylone* subsistent, remigrabunt ad suas AVSTRI, seu Australis plagæ CIVITATES & prouincias, sed etiam qui IN BOSPHORVM deuehentur; id est, ad extremos imperij Chaldaici fines. Hebræum *bisparad* potest vel vt nomen proprium loci accipi, vt acceperunt Aquila, Symmachus, Theodotion, LXX. & Noster: nam si consonãtes spectes, idem penè est quod *Bosphorus*. Vel accipi potest vt nomẽ appellatiuũ, quasi *Soph pered*, id est, *terminus diuisionis*. Et verò talis est *Bosphorus*, siue Thracium hîc cum S. Hieronymo, Rabbinis, Sà & Mariana accipias; diuidit enim duo maria, & Asiam ab Europa: siue cum quibusdam aliis Cymmerium (*b*) Bosphorum in introitu Mæotidis paludis, vbi finis seu terminus erat imperij Chaldaici, & horrida atque aspera regio, & secundùm Homerum sedes inferni. Ibi enim est Cerberion mons, & fluuius Cocytus, & Phlegethon, & Tartarus: & plurimi exules eò relegabantur, (quid ni & Iudæi?) ad metalla & marmora effodienda. Siue denique Hispanicum *Bosphorum*, putà *Gades* ad fretum Herculeum accipias, vt vult Chaldæus, Syrus, & vterq; Arabicus, Iosippus, & plurimi Rabbini, (*c*) Liranus, Clarius, Pagninus, Arias, Vatablus, Burgensis, à Castro, à Lapide & alij multi. Fauetque Iosephus, dum ait, Nabuchodonosorem post excisam Ierosolymam, subiugasse etiam Hispaniam, vtique & captiuos Iudæos eodem deportasse. Allegoricè, ab extremis etiam terræ finibus aduolabunt Iudæi tum carnales, tum spirituales (*d*) in Ecclesiam Christi. Et nominatim Iudæos Hispanos ope S. Iacobi Apostoli ad eam conuolasse docet Lucius Dexter, S. Hieronymo familiaris & alij apud Baronium. Vndique ergo

℣. 21. ASCENDENT & venient IN SION tam corporalem, quàm spiritualem, SALVATORES, id est, (*e*) propugnatores, qui *iudicabunt* MONTEM ESAV, id est, coërcebunt, vltionem sument, subiicient sibi Idumæam, vt suprà (*f*) dictum. Tunc ERIT DOMINO Deo plenum REGNVM & pacificum imperium in Idumæos anteà tam rebelles; tunc verò morigeros per omnia & ad nutum obsequentes, vt vidimus v: 18.

Ioseph. supr. c. 23. Iosip. l. 4. c. 12. — *a Luc. 3. v. 1.* — בספרד — ספרד — *Hier. hic & Zach. 10* — *b Plin. l. 2. c. 15. Tibull. l. 3. eleg. 5.* — *Ioseph. l. 11. c. 5. & l. 5. c. 2.* — *c R. Salomon. R. Dauid, &c.* — *Ioseph. l. 11. Antiq. c. 11. ex Eusthen.* — *d Rom. 9. v. 6. &c. Lucius Dexter in Chronic.* — *e Iudic. 3. v. 9. c. 6. v. 36.* — *f Hic v. 16. 18. 19.*

IONAS,

ID est, *columba*, ex *Geth* oriundus, non illa Philisthinorum (licet id senserint Epiphanius, Dorotheus & Rupertus,) sed alia *quæ est in Opher*, vt ait Scriptura, (*a*) & pertinet ad tribum Zabulon. (*b*) Prophetauit ferè ab initio regni Oziæ regis Iuda (vt dicam c. 3. v. 6.) & continuauit vsque ad posteriora tempora Ieroboam secundi regis Israel, vt colligitur ex 4. Regum 14. v. 25. & affirmat Iosephus, S. Hieronymus, Theophyl. & alij passim. Ex quibus refellas Hæbræos, & cum ijs Epiphanium, Dorotheum & Isidorum, qui volunt, *Ionam* filium esse viduæ Sareptanæ, quem mortuum Elias vitæ restituit tempore Achab, 3. Regum 17. vers. 17. Neque enim *Sareptanus* erat Ionas, sed *Gethæus*. & à morte Achab vsque ad mortem Ieroboami secundi interceserunt 116. anni. (*c*) Ex alijs Hebræis (*d*) censet Mariana, *Ionam* fuisse adolescentem, quem *Eliseus* misit vt Iehu vngeret in regem, 4. Regum 9. v. 1. & qui laudauit regem Iehu ob excisam domum Achab, 4. Regum 10. vers. 30. Sed & hîc tot anni intercurrunt, vt longè maior centenario debuerit fuisse Ionas, si vsque ad posteriora Ieroboami tempora prophetarit, vt sentiunt plerique Hebræi, & S. Hieronymus, Eusebius, Clemens, Augustinus, Abulensis, & alij, qui illum *Osee*, *& Ioeli*, *Amos*, *Abdiæ* & *Isaiæ* synchronum faciunt. Porrò Ionas vnus ex omnibus Prophetis missus est ad *Gentes*, in quo typus Christi fuit, vti & reditu suo tertia (*e*) die ex ventre ceti. Vitæ sanctitate illustris, catalogo Sanctorum adscriptus est in Martyrologio die 21. Septembris, *Sepulchrum eius ostenditur in Geth* supradicto iam *viculo haud grandi*, inquit S. Hieronymus, *secundo à Sephorim (nunc Diocæsarea) euntibus Tiberiadem milliario.*

Epiph. & Doroth. in Synopsi. 4. Reg. 14 v. 25. — *h Iosue 19. v. 13.* — *Ioseph l. 9. Antiq. c. 11.* — *c Chronici c. 29.* — *d In Seder-olam.* — *Clem. Alexand. l. 1. Strom. Aug. l. 18. Ciuit. c. 27. Abulens. in 4. Reg. 9. q. 3.* — *e Matth. 12. v. 40.*

CA-

CAPVT I.

Ionas à Deo mittitur in Niniuen: ille fugit in Tharsis. Sorte deprehensus causa esse tempestatis, volens mittitur in mare, & cessat tempestas.

¶. 1. ILIVM AMATHI] quod *veritatem* significat. Etiam in hoc similis *Christo*, qui æternæ *Veritatis* filius est. Sed hinc refelluntur Hebræi, qui Ionam volunt filium fuisse *Abdiæ* Prophetæ, mariti, vt aiunt, viduæ Sareptanæ. Quod fieri non potuisse, iam ostendimus in Prologo *Abdiæ* & *Ionæ*.

¶. 2. NINIVE, q. d. Nini *naue*, id est, Nini *habitatio*, inquit Serarius & à Lapide; vel Nini *species*, vel *pulchritudo*, vt S. Hieronymus & Pagninus, à radice *naue*, quæ & pulchritudinem & habitationem significat. Erat enim pulcherrima monarchæ Assyriorum habitatio & sedes regia: non ad Euphratem, vt vult Diodorus; sed ad Tigrim sita, vt Ptolemæus, Plinius, Herodotus & alij passim docent.

PRÆDICA IN EA, non pœnitentiam, vt putat Arias, sed excidium & subuersionem. QVIA MALITIA EIVS nimis exorbitans ASCENDIT AD ME in cœlum, & vindictam inclamat. Qualia fuerint hæc scelera, facilè assequetur qui sordidissimos Sardanapali tunc istic imperantis mores ex Iustino, Cicerone, Iuuenale & alijs perspectos habet: nam *regis ad exemplum totus componitur orbis.*

¶. 3. VT FVGERET non oculos aut manus Dei (hoc enim sciebat esse impossibile) (*a*) sed executionem imperij & mandati diuini: ne resipiscentibus ad minas eius Niniuitis, ipse *mendax* haberetur, vt infrà (*b*) agnoscit. Sed cur seruus timet nomen mendacis, cùm dominus qui seruum mittit, illud non timeat? Minæ enim conditionem hanc semper includunt; si maneat occasio minarum: vnde hac sublatâ, tollitur & effectus minarum. neque mendax haberi potest, qui pœnas quas stante conditione minatus est, eâ sublatâ non infligit. Dicitur autem hîc, A FACIE, seu à præsentia, DOMINI, id est, è Iudæa, vbi Deus se illi præsentem & alloquentem exhibuerat, fugere IN THARSIS, id est, in *Tharsum* Ciliciæ vrbem primariam, vt Iosephus, Tertullianus, Rheticius, Abulensis, Liranus, Villalpandus, à Castro, à Lapide, & nos alibi. (*c*) Sperabat enim, ex tam remotis regionibus se à Deo non reuocatum nec remissum iri in Niniuen. Infelix quicumque se subtrahit vocanti Deo, fugitque eum in quo solo tuta certaque est salus. Felix Abraham, qui vocantem statim secutus est, (*d*) *nesciens quò iret*. Igitur Ionas DESCENDIT IN IOPPEN] Portus est celebris totius Iudææ; Hebraicè *Japho* vocatur, (& hodie *Iaffa*,) id est, pulchritudo: à *Iaphet* filio *Noë* vrbs primùm condita, inquit Hegesippus & Adrichomius, sita ad mare in edito promontorio, (ex quo Ierosolyma conspici potest) littore saxoso, alto & arduo, arce ac mœnibus munita valdè. Portus autem impetuosissimus est, & ob id ad excursus piraticos commodus: in quem vsum tempore Machabæorum sæpè à varijs est occupatus. Hospitio S. Petri, & resuscitatione Tabithæ celebris, Actor. 9. vers. 40. Ludouicus Francorum rex anno Christi 1250. turribus eam cinxit ac muris. Eò peregrinantes ad terram sanctam primùm appellunt. Ex hac Ionæ fuga in Ioppen, vbi à cete absorptus, sed à Deo liberatus fuit, opinatur Sanchez, Poëtas hausisse occasionem fabulæ *Andromedæ* in Ioppe ad saxum religatæ vt à marina bellua deuoraretur, sed à Perseo liberatæ, de quâ Ouidius, Plin. Solinus, Mela & alij.

Serarius in Iudith 1. q. 6.

נינוה

Diodor. l. 2. Ptolem. l. 6. c. 2. Plin. l. 6. c. 13. Herod. l. 2.

Iustin. lib. 1. Cic. 3. Tusc. Iuuen. sat. 3.

a *Psal. 138. v. 7.*

b *Ionæ 4. v. 2.*

Ioseph. l. 9. Antiq. c. 11. Tertull. l. de Fuga c. 10. Rheticius apud S. Hieron. epist. 134. ad Marcellam. Villalp. in Ezech. 27. v. 12. c 2. Par. 9. v. 21.

יפו

d *Genes. 12. v. 1. Hebr. 11. v 8. Sap 10. v. 11. 17. & c. & Iean. 10. v. 27. Hegesipp l. 3. excidij Ierosol. c. 20.*

Adrich. in Descript. terræ S. Ouid. 4. Metamorph. Plin. lib. 5. c. 13. Solin. c. 13. Polyhist. Mela lib. 1. c. 11.

¶. 7. MITTAMVS SORTES] Nempe videbant nautæ maris sat periti subitam illam ex tranquillo æquore tempestatem non esse naturalem, sed sine præuijs signis, & præter cursum ventorum, siderum, aliarumque causarum secundarum, repentè cælitus immissam. Quo casu decebat, vt quisque conscientiam consuleret suam: consuleret & alios, num quis aliquem vel aliquid nosset tanti mali causam. At sortes mittere diuinatorias rei arcanæ & occultæ (sine speciali iussu vel inspiratione Dei, vt alibi (*e*) dixi,) prorsus illicitum est; & iure tam humano, (*f*) quàm naturali prohibitum, propter commercium sortitioni inclusum cum dæmone, qui istic quasi doctor consulitur, inquit Lessius & Delrio.

e *Iosue 7. v. 14.*

f *Canonibus ibid. citatis c. 1. de sortilegijs. Lessius l. 2. c. 43. de superstit. dub. 9. Delrio de Magia, tractat de diuinat. & sortibus.*

ET CECIDIT SORS SVPER IONAM] Syrus, & *ascendit sors Ionæ*, verbi gratiâ, chartula nomine Ionæ inscripta, primo loco educta est ex vrna; Deo sortem, licet malam ac superstitiosam, ob maius bonum quod inde elicitum voluit, sic temperante ac dirigente, vel per dæmonem dirigi permittente, vt Ionas reus deprehenderetur, culpam agnosceret, ad se rediret. Sic & Deum sortibus & diuinationibus eiusmodi subinde interuenisse cõstat ex omine Philisthæorum, 1. Reg. 6. vers. 9. & Pythonissa Saulis cap. 28. vers. 15. & alijs.

¶. 8. QVOD EST OPVS TVVM? An forte exerces vsuras, rapinas, magiam, vel similem artem illicitam? QVÆ TERRA TVA? Venisne ex aliqua scelerata & damnata regione vel populo? QVÒ VADIS] An necem alicui, vel aliud damnum illaturus? ita Arias. Omnis enim hæc nautarum interrogatio huc tendit, vt ingens aliquod scelus Ionæ, seu publicum, seu priuatum expiscentur, quod superi exosum haberent, ac proinde tam horrenda tempestate vlciscerentur.

¶. 11. QVID FACIEMVS TIBI?] An mari, instar lictoris te hostiliter insequenti dedemus te? an verò, quia *Deum cæli times*, id est, colis, innoxium te seruare debemus? Propheta es, consilium suggere.

¶. 22. TOLLITE ME ET MITTITE IN MARE] Ex instinctu enim diuino sciebat velle Deum, vt quasi piaculum & lustramentum emitteretur in sinum & in fauces irati maris. Alioqui rem illicitam suasisset.

¶. 13. REMIGABANT interim nautæ, VT AD *terram* alicubi appellerent; & Ionam in littus exponerent. Certabat enim pietas nautarum cum charitate & magnanimitate Ionæ, cupiebantque non minùs ipsi consultum, quàm sibi. Sed cùm vident se nulla via posse eluctari, satius arbitrati, vnum perire, quàm omnes, *mittunt* Prophetam IN MARE, respectu illorum *innocentem*, vt aiunt, sed coram diuino tribunali nocentissimum. Addit R. Eleazarus, qui circa Christi ætatem diuinos libros interpretatus est, inquit Arias, nautas Ionam funibus alligatum in mare sæpiùs collo tenus immersisse, rursumque eductum in nauim recepisse. sed quoties demitteretur, mare conquieuisse;

quoties reciperetur, iterum infremuisse. Eoque signo certiores factos diuinæ volũtatis, tandem penitus mari permisisse. Quo facto, MARE STETIT A FERVORE SVO] id est, cessauit ab æstu, tumore & furore: nempe, faucibus & visceribus suis iam tenebat stringebatque optatum pignus, inquit S. Hieronymus, quid vltra iraſceretur? Allegoricè, Christo in fauces mortis iniecto, stetit feruor iræ diuinæ, furor idololatriæ & perfidiæ: suborta est tranquillitas fidei, pax orbis, & conuersio Gentium, sicut & hi nautæ conuersi sunt ad Deum:

¥.16. ET IMMOLAVERVNT ei HOSTIAS in gratiarum actionem, verisimiliter in ipsa sua naui. ET alias insuper victimas VOVERVNT se Domino oblaturos in templo suo Ierosolymitano, simulatque ex itinere sospites eò reuertissent, inquit Theophylactus & Hugo. Crediderim, eos etiam Iudaicis sacris initiatos, & proselytos factos.

CAPVT II.

Ionas in mare demissus absorbetur à cete; in cuius ventre laudat & inuocat Deum: cuius proinde iussu die tertia euomitur in aridam.

¥. 1. PRÆPARAVIT DOMINVS PISCEM GRANDEM] LXX. *præcepit Deus ceto magno.* Nempe Hebræi omnem ordinationem, dispositionem, seu prouidentiam vocant *præceptum*. Porrò *cetum* fuisse etiam ex Euangelista Matthæo constat. de cuius magnitudine & qualitatibus omnibus vide dicta in Iobo. Pineda & à Castro cum Rondeletio & Aldrouando videntur ignorasse tantam cetorum seu balænarum gutturis ac ventriculi vastitatem, vt hominem integrum atque illæsum deglutire vel continere possint: ac proinde putant hunc Ionæ piscẽ fuisse quem Theophrastus & Columella vocant *carchariam*, seu *canem* (vt eum vocat Aristoteles;) seu *Lamiam*, vt alij; nec nisi generali nomine *cetum* vocari, quomodo quisque vastus & immanis piscis, vulgò cetus vocari solet. Vt vt est, patebat rictus huius monstri, instar apertæ ianuæ, inquit S. Augustinus, per quam in ventrem, quasi in *speluncam* ingressus dabatur Prophetæ. Sed hîc multa intercurrunt miracula. Primum, quòd venter calidissimus Ionam, vt alios cibos, non absumpserit. Secundum, quòd respirationem & aëris frigidi attractionem permiserit. Tertium, quòd nidore ac fœtore suo hominem non exanimarit. Quartum, quòd non vitæ tantùm, sed & mentis compotem reliquerit. Eâdem nempe potentiâ, quâ tres pueros in Babylonica fornace, & omnes infantes in materno vtero tot mensibus sine esu, sine potu, sine frigida respiratione illæsos fouet, etiam Prophetam hunc in ventre ceti sanum intactumque seruauit, inquit S. Hieron. & Theophylactus.

Matth. 12. v. 40.

Iob 40. v. 20. & c. 41. toto. Pineda l. 4. de Rebus Salom. c. 12. Rondelet. l. 13. de Piscib. c. 12. Vlyss. Aldrou. l. 3. de pisc. c. 32. Theophrast. l. 4. Histor. plant. c. 8. Aug. epist. 49. q. 6.

¥.3. DE VENTRE INFERI] Id est, ex ventre ceti, qui sua vastitate, profunditate & obscuritate speciem mihi præfert inferni.

Nota. Carmen hoc Ionæ lyricum est in Hebræo, inquit Arias, tricolon tetrastrophon, verbis & sententijs valdè affine psalmo Dauidis 68. è quo bona ex parte depromptum videtur.

¥.7. AD EXTREMA MONTIVM; LXX. & Tigurini, *ad fissuras* vel *incisuras*, id est, ad fines, ad extremitates, vbi terminantur montes. In promontorijs enim, (quæ mox vocat VECTES TERRÆ] quia illis quasi vectibus terra concluditur & inaccessa redditur) solent esse horrendæ fissuræ & cauernæ, quibus quasi cubilibus gaudent ceti. q.d. Ab hoc ceto deuectus sum in montosa, saxosa & scopulosa loca (qualia fuisse littora Ioppe dixi suprà,) (a) è quibus in æternum non emersissem, absque singulari ope diuinæ potentiæ tuæ.

a *Ionæ 1. v. 3.*

¥.9. QVI colunt, obseruant, & CVSTODIVNT VANITATES FRVSTRA, nempe idololatræ & quotquot sectantur vanas & illicitas cupiditates, MISERICORDIAM SVAM, id est, beneficia sibi cælitus à Deo præstita, DERELINQVVNT à tergo, obliuiscuntur, negligunt, contemnunt: sed non sic ego, &c. ita S. Hieronymus, Rupertus, Vatablus.

¥. 11. ET DIXIT, id est, ordinauit, (b) DOMINVS PISCI, ET EVOMVIT IONAM IN ARIDAM] In littus maris Rubri, inquiunt Rabbini & Pineda: in littus Ponti Euxini, inquit Iosephus & ex eo Clarius: in littora Niniuæ, inquit Sulpitius & Gregorius Magnus. Sed spatio tridui non potuit cetus tanta terrarum mariumque spatia peruadere, inquit Mariana, à Lapide & alij, qui volunt, Ionam iectum haud procul à *Ioppe*, vnde solucrat, indeque ascendisse Ierosolymam, quæ in vicino (c) est, & ibi gratias Deo, & vota illi facta persoluisse. Porrò vocula *euomuit* significat, Ionam ita grauasse, arctasse & afflixisse ventrem ceti, vt coegerit eum euomere. Ita Christus antitypus Ionæ, descendens in mortem & infernum, ita afflixit illa, vt cogerentur euomere non modò Christum, sed & sanctos omnes patres, & inter hos etiam Ionam, quos antè absorserant. Quin & instar *ichneumonis* (d) per os ingressus in ventrem infernalis *crocodili*, illum erosit & occidit: *Ero mors* (e) *tua, ô mors, morsus tuus ero inferne.* Vide S. Augustinum, Chrysostomum, Eusebium Emissenum, & Chrysologum. Occasione Ionæ finxerunt Gentiles, Herculem cùm rediret ex Colcide cum argonautis, tempestate delapsum in mare, & à pisce deuoratum fuisse, sed post triduum ex eo saluum emersisse. ita Lycophron, & alij.

b *Hic, n. 1.*

Pineda sup. Ioseph. l. 9. Antiq. c. 11. Sulpit. l. 1. histor. in Ionæ. Gregor. l. 6. Moral. c. 12.

c *Ionæ 1. v. 3.*

d *Plin. l. 8. c. 25.*

e *Osee 13. v. 14. Aug. l. 4. de Symbolo c. 6. Chrysost. hom. 25. de amore proximi. Eusebius Emiss. vel quicumque auctor est homil. 2 de Pascha p. 261. Petrus Chrysolog. serm. 37. Lycophron in tragœdia Herculis.*

CAPVT III.

Ionas excidium Ninive predicit post quadraginta dies. Niniuitæ cum suo rege agunt pœnitentiam ieiunio, cilicio & cinere: vnde & parcitur illis à Deo.

¥. 3. NINIVE ERAT CIVITAS MAGNA] Hebraicè & Græcè, *erat magna Deo*, seu *coram Deo*, vt vertit Chaldæus, id est, erat reuerà magna, & magna valdè, imò maxima, inquit S. Hieronymus, Theodoretus & alij. Iudicium enim Dei est infallibile. Et verò magna fuerit oportet, quæ cùm primò conderetur à Nino, stadia 480. id est, milliaria 60. id est, leucas Gallicas 20. habuerit in circuitu, teste Diodoro. Quanta enim incrementa putamus spatio tredecim sæculorum accessisse vrbi illi, in qua residebant totius penè orbis monarchæ? Certè Ptolemæus & Strabo dicunt *Niniuen* maiorem fuisse non modò Babylone, sed & alijs omnibus vrbibus quæ vel ante, vel post eam conditæ fuerunt. Iam cogita Romam, in qua sub Claudio censa ciuium capita penè septem milliones, teste Tacito. Cogita Tartaricum

Diod. Sicl. l. 3. c. 1.

Tacitus in Claudio.

ricum Quinzai, cuius ambitus est centum milliarium, inquit M. Paulus Venetus oculatus testis, & ex eo Ortelius, & Lipsius. Cogita Thebas in Ægypto antiquas, & modernam Cayrum, quæ Lutetias Parisiorum quinquies magnitudine superat, inquit idem Ortelius. Cogita alias vrbes de quibus Aristoteles ait, non tam vrbes, quàm regiones muris circumdatas dici oportere. Quod ergo hîc iam de Niniue dicitur, fuisse magnam *itinere trium dierum*, non debet accipi de ambitu vrbis, vt vult S. Hieronymus, Haymo & Remigius: multò minùs de plateis simul omnibus & vicis ac mæandris, vt vult Theophylactus, Liranus, Vatablus, (quia hoc nimis exile esset) sed accipiendum est de solo vrbis diametro, vt Sanchez & alij contendunt: nempe vt ad eam ab vno extremo ad aliud directa via peruadendam, opus esset itinere tridui totius.

M. Paulus l. 1. de Rebus Orient. c. 64. Ortel. in Theatro orbis. Lipsius de Magnitud. Rom l. 3. c. 3. Arist. lib. 3. Polit. c. 2.

¥. 4. IONAS ergo COEPIT INTROIRE CIVITATEM ITINERE DIEI VNIVS, primam vrbis partem peruadens, quæ erat tertia pars diametri; clamans vbique & omnium auribus intonans, ADHVC QVADRAGINTA DIES, ET NINIVE SVBVERTETVR, cum vniuerso regno & monarchia Assyriorum, quæ trãsferetur ad Babylonios & Medos, vt habent LXX. Sed errore scriptoris (*γ gamma* legentis, id est, tria, pro *μ mi*, id est, 40.) apud ipsos legitur, *Adhuc tres dies.* vti etiam est in Arabico Alexandrino, & apud Origenem, Chrysostomum ceteroſque Græcos Patres. Sed Hebræa, Chaldæus, Aquila, Symmachus, Theodotion & alij omnes constanter legunt, *Adhuc quadraginta dies.* Allegoricè, Ierosolyma 40. anno post prædicationem Christi subuersa est à Romanis, inquit Eusebius. Gentiles interim obsequentes Christi & Apostolorum monitis saluati sunt.

¥. 6. *Rex* NINIVE tum temporis erat *Sardanapalus.* Hic enim tempore Ieroboami secundi regis Israel, & initio *Azariæ*, seu *Oziæ* regis Iuda erat *monarcha* (a) Assyriorum, teste Eusebio, Hieronymo, Augustino, & ex ijs Torniello, à Castro, à Lapide & alijs. Qui etsi perditissimis esset moribus, totusque luxu diffluceret, auditis tamen Ionæ Prophetæ minis, compertoque ex nautis & vectoribus miraculo eductionis Ionæ è ventre ceti, quod iam toto Oriente celebrabatur, compunctus & conuersus est, egitq; pœnitentiam cum omnibus suis Niniuitis: ac proinde parcitum illis à Deo, donec pòst paulò relapsis omnibus in antiqua vitia & rex, & regia vrbs, & omnis regia stirps per Babylonios & Medos excisa fuit, vt dixi in Chronico. Simili penè iciunio ac pœnitentia Christiani anno Domini 1124. in terra sancta, cùm non essent nisi tria millia, fuderunt fugaruntque Saracenorum 40. millia, vt ex Roberto Sigeberti narrat Card. Baronius.

a *Chronici c. 29. & 33. Euseb. in Chronico. Hieron. in c. 1. Amos v. 1. Aug. l. 18. Civ. c. 27. Torniell. anno mundi 3215.*

Chronici c. 33.

Baron. anno Christi 1124.

¥. 9. QVIS SCIT SI IGNOSCAT DEVS?] Non dubitant de remissione culpæ, sed solius pœnæ temporalis (vt alibi (b) dixi) per Ionam intentatæ. Nemo enim quantumuis iustus potest de condigno satisfacere pro pœna accidentali, temporanea & extraordinaria, qualis hîc erat euersio Niniues: sed neque potest aliquid facere, quo infallibiliter de congruo remissionem talis pœnæ consequatur, vt optimè ex his alijsque similibus locis docet Franciscus Suarez, & alij Theologi.

b *Ioel 2. v. 14.*

Suarez to. 4. de pœnitentia disp. 37. sect. 9.

CAPVT IV.

Ægrè fert Ionas quòd Niniuitis, contrà quàm illis prædixerat, parcatur à Deo: sed Deus per vmbram hederæ, vermemq; hederam corrodentem, festiuè corripit illum & castigat.

¥. 1. AFFLICTVS EST IONAS ET IRATVS, quòd videret Deum parcere Niniuitis pœnitẽtibus: & consequenter, oraculum suum, quo prædixerat vrbem euertendam, reddi vanum & irritum: vnde timebat se quasi pseudoprophetam, ab omnibus irridendum & explodendum; optatque mori potiùs, quàm cum ignominia superuiuere, inquit Theodoretus, Theophylactus, & S. Ephrem, qui Niniuitas ita Ionam consolantes inducit: *Noli, ô Iona, contristari, sed gaude, quia nouam vitam agimus: per te enim vniuersorum Dominum agnouimus. Non es mentitus, ne timeas: subuersa enim nostrâ est malitia, & exaltata fides in manu tua. Angelos in excelsis gaudio perfundimus: Deus de nobis gaudet in cœlis: meritò* igitur & tu *super terram in eo gloriari & exultare debes.* Discc autem ex his, quantò clementior sit Deus homine etiam sancto. Si Ionas in hac causa iudex sedisset, in omnes Niniuitas etsi pœnitentes, sentẽtiam mortis ob præcedentia scelera tulisset. At Deus ob pœnitentiam omnes vt à culpa, sic & à pœna absoluit. *Melius* (c) ergo *est incidere in manus Domini, quàm in manus hominum.*

S. Ephrem serm. de Iona.

c *2. Reg. 24. v. 14.*

Petes, An in hoc peccarit Ionas? Respondeo, Non peccauit mortaliter, quia optat rem iustam, nempe vt Niniuitæ ob præterita peccata temporali pœna puniantur, & sententia Dei semel in eos lata, non reuocetur, esto pœniteant. Sic enim iudex latronem suspendit, esto eum pœniteat. Quia tamen Ionas id optat indiscreto zelo, & vano fine, nimirùm vt suo honori consulat, cum tanto Niniuitarum damno, peccat saltem venialiter, inquit Cornelius à Lapide. Quantò discretiùs Michæas, *Vtinam*, inquit, *mendacium potiùs loquerer!* Et (d) Moyses, *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo.* Et S. Paulus, (e) *Optem anathema esse pro fratribus meis.*

Michæa 2. v. 11.

d *Exodi 32. v. 32.*

e *Roman. 9. v. 3.*

¥. 6. Pro *hedera*, vt vertit non modò S. Hieronymus, sed & Aquila, Symmachus & Theodotion, (vnde immeritò à S. Augustino *nouitatis*, à Caluino etiam *perfidiæ & impostura* arguitur S. Hieronymus) LXX. Arabicus vterque & Syrus, & Pagninus vertunt, *cucurbitam*; R. Dauid, & ex eo Arias & Nouatores, venenatæ genus herbæ quod Græci & Ægyptij *kikin*, Latini *ricinum* vocant; alij *cucumerem*, alij *platanum* vertunt. Tantæ varietati causam dedit Hebræum *kikaion*, genus virgulti in Oriẽte notissimum, sed alibi vt ignotum, ita & nomine carens: Vnde interpretes maluerũt affine aliquod virgultum, alijs regionibus notum substituere, quàm ignotum nomen Hebræum ignaris obtrudere, vt alibi (f) dixi. Exarescente hederâ,

Aug. epi. 10. ad Hieron.

קיקיון

f *In Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 16.*

¥. 9. BENE IRASCOR EGO, inquit Ionas, id est, *iustè* ac *meritò*, vt Tigurini vertunt; vel, vt LXX. & Pagninus, *valdè & vehementer*, & quidem VSQVE AD MORTEM] id est, adeò vt ira me penè exanimet & vitam adimat, nempe præ tristitia, indignatione ac desperatione coniuncta.

¥. 10. Tu DOLES & tam impotenter irascceris ob excisam vilem herbam, QVÆ *filia noctis erat* (vt est Hebraicè) *& filia noctis perijt*, id est, quæ VNA NOCTE NATA EST, & altera NOCTE PERIIT: &

non dolebis, nec pœnitebis vnà mecum de interitu tantæ vrbis, totque centenorum millium animarum? maximè cùm illas pœniteat admissorum scelerum, & misericordiam meam inclament? Porrò numerum adultorum collige ex numero infantium, quia

℣.11. IN NINIVE SVNT PLVSQVAM CENTVM VIGINTI MILLIA HOMINVM, QVI NESCIVNT QVID SIT INTER DEXTERAM ET SINISTRAM, vtra sit valentior, aut vsui cuilibet aptior, id est, nesciunt discernere bonum à malo. Quâ igitur impudentiâ fingit Lutherus, infantes in baptismo discernere inter credenda & non credenda? inquit Vasquez. Pulchrè S. Ephrem: *Tu, ô Iona, parcitum vis cucurbitæ, & non vis parcitum ciuitati? Tugurium abiectum quæris, & Niniuen fundatus euertis? Vbi rectum iudicium tuum?* Et paulò pòst historiam Ionæ sic finit: *Congregati* Niniuitæ *adorabant eum, ac munera cum decimis suis offerebant. Aperuit rex thesauros, & obtulit ipsi dona valdè honorifica. Vno omnium ore celebrabatur Ionas, ingressusq; in curru regio consedit, & comitantibus qui per hospitia tractarent, Ierosolymam honorificentissimè reuectus est.* At hæc Niniuitarum pœnitentia, licèt seria, tamen diuturna non fuit: nam paulò pòst in antiqua scelera relapsi, nono anno Oziæ, seu Azariæ regis Iuda, à *Phul (a)* Babyloniorum præfecto, & *Arbace* Medo validissimis exercitibus cincti, expugnati, subiugati sunt, *Sardanapalo* rege, ne suis hostibus derisui ac ludibrio esset, in medio vrbis in excelsa pyra, se suasque concubinas ac thesauros omnes flammis absumente, vt in Chronico dixi.

Vasquez 3. p. q. 68 a. 8. disput. 254. c. 3.
S. Ephrem sup.
a 4 Reg. 15. v. 19.
Chronici t. 29. & 33.

MICHÆAS,

Hebraicè, MICHAIAHV, *

* 3 Reg 22. v 10 & 2. Paralip 13. v. 2. & c 18. v 8.

IDest, quis sicut Deus? è *Moraſthi* viculo tribus *Iuda* (b) iuxta Eleutheropolin oriundus, ætate suppar præcedentibus Prophetis, ac nominatim Isaiæ, cui vt spiritu, ita & stylo quàm simillimus est, citatque illum subinde (c) ad verbum. Inuehitur in idololatriam, & in alia inde enata scelera, tam *duarum*, quàm *decem* tribuum: vnde vtriusque excidium & captiuitatem, his per Assyrios, illis per Chaldæos prænuntiat. Tandem tamen lætum reditum è Babylonia per Cyrum promittit, & lætiorem ex seruitute peccati, mortis & diaboli per Christum, quem in Bethlehem nasciturum prædicit. Occisum gladio *Michæam* (fortè sub Manasse) (d) Martyrem occubuisse vult Theophyl. Vnde Sanctorum catalogo adscribitur in Martyrologio 15 Ianuarij. & corpus eius diuina reuelatione (quam Sozomenus, Cassiodorus & Nicephorus enarrant) sub Theodosio seniore, vnà cum corpore S. Habacuc Prophetæ repertum fuit haud procul Eleutheropoli, vbi sepultum fuerat. ita ferè Remigius, Haymo, Rupertus, Hugo, Liranus, Adrichomius & alij. Ex quibus refelluntur S. Epiphanius, Isidorus & Dorotheus, qui *Michæam* hunc confundunt cum altero *Michæa*, qui non ex Iuda, sed ex Ephraim ortus fuit, nec vixit sub Ioathan, Achaz & Ezechia, sed centum quinquaginta (e) antè annis, sub Achab & Iosaphat. (f)

b *Micheæ 1 v. 9.*
c *Cap 1 v. 2. cap 4 v. 1. & 5. v. 1.*
d 4. *Reg 21. v. 16.*
Sozom l. 7. c. vlt. Cassiod. in Histor Tripart. lib. 1. cap. 49. Nicephor. l. 12. c. 48
e *Chronici v 22.*
f 3. *Reg. 22. v. 14.*

CAPVT I.

Denuntiat excidium primò Samariæ, quia prior amplexa est idololatriam: deinde etiam tribui Iudæ, quæ secuta fuit Samariam in eâdem idololatria & alijs sceleribus.

℣. 2. PORVLI OMNES, id est, incolæ omnes terræ sanctæ, AVDITE latam cælitus de scelerib⁹ vestris plectendis sententiam. ET DOMINVS DE TEMPLO SANCTO SVO, id est, de cœlo, in quo quasi in templo suo & palatio regali glorioſus resident, ipse SIT VOBIS mihique *testis*, quòd officio mihi commisso fideliter perfunctus sum, vos monendo, corripiendo, & imminentes capitibus vestris pœnas prænuntiando.

℣. 3. ECCE DOMINVS DE LOCO SVO, & è solio cælesti EGREDIETVR, noua expeditione suscepta, A ET DESCENDET iratus, armatus, sæuiens, instar archistrategi grauiter offensi. ET CALCABIT, conteret, exscindet etiam EXCELSA TERRÆ, & principes quantumcumque potentes. Sic vidit eumdem Dominum egredientem Dauid, (g) Ezechiel, Apostolus Ioannes, &c.

g *Psal. 17. v. 10. & c. Ezech. 1. 3. & c. Ioannes in Apocalyps.*

℣. 5. OMNE ISTVD malum, omnis strages, omne excidium terræ sanctæ: vnde, quæso, & quo ex fonte? IN SCELERE; id est, scelus posterorum IACOB, & ob horrenda PECCATA totius DOMVS B ISRAEL. ita Remigius, Liranus, Vatablus.

QVOD SCELVS IACOB? Pagninus, *quis fuit causa transgressionis Iacob?* NONNE SAMARIA? seu reges Samariæ id est, decem tribuum, qui acceptos ab Ieroboamo primo vitulos aureos, cultu perpetuo prosecuti sunt, alijsque, vt prosequerentur, duces, auctores, impulsores fuerunt: in tantum vt etiam tribus *Iudæ*, quæ hucusque penè inuicta steterat, nunc similibus sordibus tota scateat, sub impio & pro-

& profano rege Achaz, (*a*) quo regnante excelsa idolis per totam Iudæam erecta sunt. Etenim QVÆ causa, quis auctor, vel vnde EXCELSA ista IVDÆ, antea istic inuisa & incognita? NONNE ex IERVSALEM? nónne à sacrilego rege Achaz? qui idolis in ipso quoque Dei templo statuas & aras (*b*) erexit: & hoc exemplo suo pestem hanc in totum regnum inuexit. Sed

6. SAMARIA, vtpote princeps, & prima origo huius mali, primo loco plectenda. Per Assyrios ergo destruam, euertam, in puluerem redigam muros eius, templa & palatia: vt ex ijs nil supersit præter ACERVVM LAPIDVM, reliquâ vrbe non nisi vineis plantandis, & conserendis agris deseruitura. ita Hebræa, Chaldæa, LXX. Pagninus, Vatablus, Arias & à Lapide. Et patet ex simili pœna quam Ierosolymæ infrà (*c*) comminatur. Et verò Samariam solo æquatam fuisse à Salmanasare, & agris ac vineis destinatam, licet non expressè asseratur in Regum historia, sat tamen insinuatur, cùm, abductis in Assyriam Israelitis, *Chutæi* eò inducti dicuntur tantùm *possedisse* (*d*) *Samariam, habitasse* verò *in* alijs *vrbibus* ipsi antè subditis & annexis. Postea tamen instauratam paulatim, & pristino splendori subinde redditam constat ex Iosepho, & alijs alibi (*e*) adnotatis.

¥.7. MERCEDES EIVS, id est, fruges & opes Samariæ, quas iactat sibi illa meretrix, (*f*) id est, idololatra, ab idolis suis quasi mercedes sui meretricij, seu idololatriæ, cælitus obuenire, OMNES IGNE COMBVRENTVR ab Assyrijs. ita S. Hieronymus, Remigius, Hugo & Liranus. Vel si quæ maneant reliquæ, REVERTENTVR AD MERCEDEM MERETRICIS] id est, à priori possessore deuoluentur ad alium, ab Israelitis ad Assyrios, vt his tanquam antiquioribus meretricibus seruiant pro mercede laboris impensi in expugnanda, subigenda & exscindenda noua hac meretrice Samaria.

¥.8. SVPER HOC, ex intimo viscerum dolore quem ex hac Samariæ ruina concipio, simulque vt vobis reipsa ob oculos ponam miserrimum statum in quem deuoluemini, VADAM plena luce per mediam vrbem SPOLIATVS extimis & honoratioribus vestibus, pannosus, lacer ac seminvDVS, vt nuper fecit etiam collega meus Isaias. (*g*) Plangam VELVT DRACO, qui deuicti elephanti sanguine, quem auidissimè exsugit, ebrius ac turgidus, mole ac pondere corruentis supra se elephanti moribundi oppressus, horrendos ac lamentabiles eiulatus emittit, teste Solino & Plinio. Et lugebo QVASI STRVTHIO] (*h*) maximè femella, quæ quando in ferrea hastilia, quæ venatores circa nidum illi defigunt, incautior sese induit, flebiliter luget ac stridet, teste Æliano. LXX. pro *struthionibus*, vertunt, *sirenes*, alludentes ad fabulam Gentilium, vel, si mauis, ad *meretrices* per sirenes designari solitas, quæ more præficarum, (*i*) cõposito luctu ac planctu, non minùs quàm blanditijs vel cantu solent amasios suos detinere, ne se deserant, aut amores inchoatos abrumpant. R. Dauid & Nouantes vertunt *vlulas*, præter vsum vocis Hebręæ (*k*) *saana*, quæ nusquam *vlulas* significat, quod sciam. S. Cyrillus accipit *passeres marinos*, vel *philomelas*, quæ raptis, seu ouis, seu pullis, lugubre melos fundunt, cùm aliàs suauissimè cantillent. Sic & ego, inquit Michæas, lugubri planctu prosequar pereuntem Samariam.

¥.9. PLAGA EIVS, id est, vulnus & clades Samariæ inflicta ab Assyrijs, incurabilis EST AC DESPERATA. Neque in illa sola stetit, sed PERVENIT VSQVE AD IVDAM, attigit & obruit etiam PORTAS vrbium POPVLI MEI Iudaici, quin & VSQVE AD IERVSALEM deuenit. Factum id à Sennacherib, qui multas Iudææ vrbes cœpit, ipsamque Ierosolymam obsedit, 4. Regum 18. & 19. ita S. Hieron. Theodoretus & alij. Hæc tam tristia

¥.10. NOLITE ANNVNTIARE (*l*) LACRYMIS vestris indicare vicinis hostibus Philisthæis IN GETH, ne scilicet inde lætentur, tibiique insultent. In sequentibus pulchrè ludit Propheta in vrbibus quibusdam primò Samariæ, deinde etiam Iudææ, nomina vrbium (*m*) partim vt propria, partim vt appellatiua accipiens, hoc modo: Vos ô incolæ vrbis *Aphra*, (*n*) id est, PVLVERIS, iuxta nomen vestrum, PVLVERE VOS præ luctu CONSPERGITE. Et tu

¥.11. HABITATIO, id est, incola, vrbis *Sappir* (*o*) seu *Sephoron*, id est, PVLCHRÆ, transmigra ad squalorem carceris, *confusionem* & *ignominiam*. Tu QVI HABITAS IN *Saanan*, (*p*) id est, in *egressu*, seu in abundantia, & hactenus non es egressus cum reliquis à Teglatphalasar (*q*) abductis, iam sub Salmanasare apage & tu in Assyriam. Porrò sub his tribus vrbibus Samariæ subiectis, intelligit synecdochicè reliquas etiam omnes vrbes decem tribuum: sicut Isaias & Ieremias sub pauculis vrbibus Moab & Ægypti, reliquas omnes illarum regionum; & noster hic Michæas sub duabus vel tribus vrbibus Iudææ totam Iudęam comprehendit, cùm subdit in fine versiculi, O *Bethaetsel*, id est, DOMVS VICINA vrbi *Saanan* (hæc enim est in finibus terræ Iuda, sicut Saanan in finibus est decem tribuum) PLANCTVM ex vicinæ vrbis vastatione, cum non minimo etiam damno tuo ACCIPIES] quæ tamen hucusque *stetisti tibimet*, id est, tuo proprio robore ac munitione.

¥.12. Denique QVI HABITAT IN *maroth*, id AMARITVDINIBVS, amara & acerba multa patietur ab hoste Sennacherib, qui omnia vrbis munimenta *infirmabit*, deijciet & euertet: pergetque nemine resistente vsque ad PORTAS IERVSALEM: sed primùm

¥.13. *Tumultum* ac strepitum *quadrigarum* Assyriacarum stupebit & excipiet vrbs LACHIS, (*r*) PRINCIPIVM PECCATI, seu idololatriæ Iudæorum, QVIA SCELERA ISRAEL, nempe vituli aurei, & alia idola decem tribuum, primò omnium IN TE INVENTA SVNT, & à te in reliquas Iudææ vrbes proseminata ac propagata. Captâ *Lachis*

¥.14. DABIT Sennacherib EMISSARIOS, id est, mittet volones & velites in *maresa*, id est, *in* HEREDITATEM, seu in agros & vicos hereditario iure subiectos vrbi & satrapiæ GETH, nempe vt ea depopulentur ac deuastent: eò quòd Gethæi, qui semper fuerunt DOMVS MENDACII, & fefellerunt *reges* ISRAEL, nunc etiam instigarint eosdem Israelitas, & ciues etiam Lachis, vt resisterent Assyrijs, promittentes omnem opem, sed nullam præstantes. ita S. Hieronymus, Ribera & à Lapide. Nec propterea destitueris herede, ô *Maresa*:

¥.15. HEREDEM enim ADHVC TIBI ADDVCAM, non *Geth*, sed Assyrium monarcham, vt sis deinceps illius *maresa*, id est, hereditas. Et copijs suis PERVENIET VSQVE AD ODOLLAM] id est, ornamentum, seu *gloriam Israel*. Odolla enim, seu *Odulla*, iuxta quam latuit *Dauid*, (*s*) vrbs fuit vt anti-

a 4. *Reg.* 16. v. 3. & *seqq.*
b *Ibid.* v. 4. 10. &c.
c *Michæa* 3. v. 12.
d 4. *Reg.* 17. v. 24.
Ioseph. l. 13. *Antiq. c.* 17.
e 3. *Reg.* 16. v. 14.
f *Osee* 2. v. 4. & 12.
g *Isaiæ* 20. v. 2.
Solin. c. 38. *Polybist. Plin. lib.* 8. *c.* 11.
h *Iob* 39. v. 14. & *Thren.* 4. v. 3.
Ælian l. 14. *c.* 7. 19. 20.
i *Iob* 3. v. 8. *Ierem.* 9. v. 17.
k *Proleg. de Idiotismo Hebr. n.* 16.
יענה
l 2. *Reg.* 1. v. 20.
m *Proleg. sup. nu.* 16.
עפרה
n *Iudic.* 6. v. 11.
שפיר
o *Iosue* 15. v. 16.
צאנן
p *Iosue* 19. v. 33. *Iudic.* 4. v. 11.
q 4. *Reg.* 15. v. 29. *Isaiæ* 15. v. 2. *Ierem.* 46. v. 14.
בית האצל
מרות
מורשה
r 4. *Reg.* 18. v. 13. 14. &c.
מרשה
s 1. *Reg.* 22. v. 1. & 2. *Reg.* 23. v. 13.

antiqua, & ſedes regia, (*a*) ita potens, vaſta (*b*) & elegans: quâ corruente, corruere cenſebatur fortitudo, robur & gloria Iſraelis.

a Ioſue 12. v. 15. b 2. Machab. 12.

℣.16. DECALVARE ergo, ô Odolla, inquit Vatablus, vel ô *Samaria*, vt S. Hieronymus & Rupertus. Neque per caput tantùm, ſed per vniuerſum corpus DILATA CALVITIVM TVVM, SICVT AQVILA, quæ toto corpore depilatur ac deglabratur, & quidquid habet plumarum, cum ipſis etiam radicibus amittit quando ſeneſcit. Quia tu ſimili modo ſpoliaberis omnibus *filijs* DELICIARVM TVARVM; LXX. *filijs delicatis tuis*, & qui tibi nunc in delicijs ſunt. Omnes enim vel occidentur, vel capientur ab Aſſyrio, & quaſi mancipia decalua-
c Deut. 32. 42. buntur, vt olim in more fuiſſe, alibi (*c*) dixi.

Nota. Sub hac *aquilæ* depilatione videtur tacitè promitti noua Iſraeli (*d*) gloria, litteraliter ſub Cyro; Allegoricè ac principaliter, ſub antitypo Cyri Chriſto; Anagogicè, in cœlo. Aquilæ enim depilatæ ſuccreſcunt nouæ plumæ, ipſaque reiuueneſcit, vt auctores omnes tradunt.
d Oſee 1. v. 6.

CAPVT II.

Exprobrat tam Iudæis, quàm Iſraelitis, (inquit Arias & à Lapide) iniuſtas pauperum oppreſſiones, aliáſque iniurias proximis illatas: vnde pudendam captiuitatem ipſis & excidium comminatur.

℣. 1. VÆ QVI IN CVBILIBVS VESTRIS etiam per noctem EXCOGITATIS & machi-
אוֹן namini INVTILE ET MALVM. Hebreum, *auen*, id eſt, *vanitatem*, *iniquitatem*; Chaldæus, Vatablus & Pagninus vertunt, *rapinam*; Syrus, *fraudem*. Agit enim hîc de iniurijs in proximũ, ſicut præced. cap. de peccatis in Deum. Quæ ergo noctu excogitarant fraudulenta conſilia, prima LVCE MATVTINA, id eſt, ſummo manè, ſumma celeritate & auiditate explent: QVIA MANVS, id eſt, conſilium, machinatio, conatus, EORVM omnis EST CONTRA DEVM] cuius odio ſatagunt etiam membra eius, id eſt, proximos ſuos, perſequi & affligere vbicumque poſſunt. Hoc quadrat in tyrannos, perſecutores Chriſtianorum. LXX. vertunt, *quia non leuauerunt ad Dominum manus ſuas*. q.d. Neglectus orationis, cauſa impijs eſt tam multiplicium ſcelerum. Quod idem & regius Propheta *Dauid*, & *Daniel* ſubinde inſinuarunt.
Pſal. 13. v. 1. & 4. Daniel. 13. v. 9.

℣. 3. NON AMBVLABITIS SVPERBI; Chaldæus & LXX. *erecti*, id eſt, non ampliùs erigetis ſuperbam ceruicem, & tumidum collum, QVONIAM TEMPVS quod inducam vobis, PESSIMVM (*e*) EST] id eſt, extremè calamitoſum, quod ſuperbiam & tumorem veſtrum facilè contundet & deprimet.
e Epheſ. 5. v. 16. Matth. 6. v. 34.

℣. 4. SVMETVR SVPER VOS PARABOLA: id eſt, cantabitur de vobis nænia, ſeu lamentum vel carmen lugubre: CANTICVM CVM SVAVITATE, id eſt, ſuauiſſimum ac pulcherrimum canticum, ſed funebre, ſed lugubre, ſed lamentabile, quali ſolent præficæ animos mœrentium demulcere. In Hebræo eſt, *lamentabitur lamentum lamenti*, (*f*) id eſt, maximum, pulcherrimum, elegantiſſimum lamentum. ita Pagninus, Vatablus & alij. Erit autem hæc nænia: DEPOPVLATIONE VASTATI SVMVS; Hebraicè, *vaſtando* (*g*) *vaſtati* id eſt, penitus vaſtati ſumus: PARS magna POPVLI MEI Iſraelitici, & pòſt etiam Iudaici, COMMVTATA EST, id eſt, commutauit patriam cum exilio: pars reliqua vitam commutauit cum morte. QVOMODO
f In Proleg. de Idiotiſm. Hebr. n. 50.
g Ibid. n. 49.

A RECEDET A ME rex Aſſyriæ Salmanaſar (vt nobis promittebant pſeudoprophetæ,) CVM etiam poſt acceptum à nobis tributum, (*h*) REVERTATVR ad nos, vt REGIONES NOSTRAS ſibi vindicet, ſuiſque DIVIDAT ac diſtribuat? Idem de Nabuchodonoſore conquerentur Iudæi ſuo tempore.
h 4. Reg. 17. v. 3.

℣. 5. TIBI, ô Samaria, ô Iudæa, poſthac NON ERIT qui *mittet* FVNICVLVM menſorium SORTIS heriditariæ IN COETV DOMINI] id eſt, non ampliùs inter filios tuos, ſed inter hoſtes tuos diuidentur ac diſtribuentur agri tui.

℣. 6. NE LOQVAMINI LOQVENTES; Hebraicè, *ne ſtilletis ſtillantes*, (*i*) id eſt, nolite loqui, nolite prophetare, ô Prophetæ, nolite concionari tam incredulo, tam rebelli, tam obſtinato populo. Eloquium veſtrum ne *ſtillet* SVPER ISTOS increduloS: NON enim COMPREHENDET illos CONFVSIO, dolor, pœnitentia. Fruſtra monita, fruſtra minæ omnes. ita Chaldæus.
i Proleg. ſupr.

℣. 7. DICIT & obſtrepit DOMVS IACOB: NVMQVID ABBREVIATVS EST SPIRITVS DOMINI? id eſt, an arctatus, contractus, anguſtatus eſt ſpiritus miſericordiæ Dei, vt nolit nos ampliùs pro populo ſuo agnoſcere, habere, tutari? An COGITATIONES EIVS TALES SVNT, quales nobis Prophetæ depingunt, acerbæ, triſtes, exitiales? Quin potiùs conſtat nobis, benignas eſſe, ſuaues ac pacificas, iuxta quod ipſemet ait: (*k*) *Cogito ſuper vos cogitationes pacis, & non afflictionis.* ita S. Hieronymus, Remigius, Haymo. Sed obſtreperis reſpondet Deus, ſe reuera bonum eſſe, & oracula ac promiſſa ſua ſimiliter bona eſſe, ſed bonis (*l*) & rectis, ſeu QVI RECTA viamandatorum diuinorum GRADIVNTVR, mihique propinquare, obedire & placere ſtudent. Sed hoſtibus meis dura ſunt, auſtera & triſtitia. Vos autem
k Ieremiæ 29. v. 11.
l Pſal. 17. v. 26.

℣. 8. POPVLVS olim MEVS *conſurgitis* mihi IN ADVERSARIVM, id eſt, hoſtiliter, &, vt S. Hieronymus, tyrannicè aduerſum me arma corripitis. Et miramini me duriùs vobiſcum agere? querimini me iudicem, me vindicem inſurgere in raptores, in latrones, in homicidas? DESVPER TVNICA, id eſt, præter tunicam, etiam PALLIVM SVSTVLISTIS, id eſt, pauperibus omnia quæ habebant eripuiſtis, tã quibus domi ſe ſuſtentare debebant, quàm quibus in publicum prodibant. Etiam EOS QVI SIMPLICITER per viam TRANSIBANT, nullaque re vos læſerant, innoxios, inermes, nihilque mali metuentes, vos CONVERTISTIS IN BELLVM] prouocaſtis ad rixam, pugnis contudiſtis, vulneribus confeciſtis. Neque his contenti, vt ædes occiſorum & prædia occuparetis, etiam vxores ipſorum

℣. 9. MVLIERES POPVLI MEI, tantoperè mihi curæ & cordi, iam viduas & omni ope deſtitutas, tyrannicè EIECISTIS (*m*) DE DOMO DELICIARVM SVARVM, id eſt, quæ ſolebat ipſis eſſe delicioſiſſima in complexu maritorum & liberorum: à quibus TVLISTIS LAVDEM MEAM, id eſt, materiam & occaſionem laudis, IN PERPETVVM] nempe bona hereditaria, quibus ſi eos gaudere permiſiſſetis, laudarent & glorificarent me perpetuò: nunc his orbati gemunt, fremunt, maledicunt vobis & mihi, vindictam & recuperationem bonorum, etiam vijs illicitis procurantes. ita Albertus, Hugo & alij. Nunc ſententiam veſtram audite:
m Exemplo Achab. 3. Reg. 21. v. 16.

℣. 10. SVRGITE & vos è ſedibus veſtris, ET

abite

abite in exilium,in malam crucem:quia tam impij,tam scelerati REQVIEM *habere* non potestis in terra tam sancta,quæ PROPTER IMMVNDITIAM quâ illam polluistis, CORRVMPETVR ab hostibus PVTREDINE PESSIMA, tum cadauerum vestrorum,tum aliarum sordium. Atque vtinam falsus sim vates!

℣.11. VTINAM NON ESSEM VIR HABENS SPIRITVM propheticum,qui fallere non potest?vtinam quæ prædico,non sint mihi reuelata à Deo, sed mendacia; à vano timoris vel melancholiæ spiritu(vt vos opinamini) suggesta! Sed heu, nimis vera sunt hæc mea oracula. Ego enim tibi,ô Israel,ô Iuda,mittor à cælesti sympoſiarcha minister & quasi pincerna.En calicem vobis submissum B à Deo.Huius iussu in eum INSTILLO TIBI VINVM

a *Proleg.de Idiotismis Hebr.n.41.* IN EBRIETATEM] Est *hendyadis,*(a)id est,vinum inebrians, nempe strages, cædes,carceres,funera, exilia,excidia. Neque hæc in paucos, sed in omnes.Nam

℣.12.CONGREGATIONE CONGREGABO, id est,

b *Ibid.n.49.* exactissimè (*b*) & ad vnum per Assyrios & Chaldæos congregabo IACOB TOTVM populum, omnesque eius reliquias, è prioribus cladibus superstites. Captos autem compingam in circum, in carceres,sicut oues compinguntur in caulas. He-

צרה braicũ *tsara* significat septũ arctum & angustum; LXX. verterunt, *tribulationem.* Porrò tanta erit multitudo & compressio captorum,vt præ loci rerumque necessariarum penuria *tumultuaturi,*& ingentem strepitum,vt solent balantes oues,edituri sint hi suis singultibus, isti querelis ac lamentis, illi maledictis & blasphemijs, alij opis & auxilij inclamatione,

℣.13. ASCENDET ENIM DOMINVS;Hebraicè,

יהוה *Iehoua,in capite* Assyriorum & Chaldæorum quasi dux & archistrategus, PANDENS ITER ANTE EOS in omnes arces & vrbes vestras: DIVIDENT illi & discindent machinis suis bellicis muros omnes & propugnacula,& per patentes PORTAS INGREDIENTVR victores ac triumphantes, & ante currum triumphalem vinctus catenatusque REX EORVM, Osee & Sedecias, TRANSIBIT CORAM D EIS, trahendus mox ad infame supplicium.ita ferè Theodoretus & Vatablus & multi recentiores, quibus potiùs fauet Scripturæ contextus, quàm

c *S.Hieron. Remigius, Rupertus, Haymo,Hugo,Liranus, Clarius, Arias, Ribera,à Lapide,&c.* alijs(*c*) qui hæc in bonam partem accipiunt, & de reditu è Babylonia,vel de reductione Iudæorum ad Christum exponunt.

CAPVT III.

Increpat optimates & principes tam sacerdotum, quàm populi,quòd iura peruertant,& plebem opprimant. Inuehitur in pseudoprophetas qui adulabantur & imponebant populo, fausta omnia, sed falsa promittentes, quæstus solius causâ. Tandem Ieroſolyma & templo excidium comminatur.

℣. 1. NVMQVID, ô principes tam Iudæ,quàm Israelis,NON VESTRVM EST SCIRE IVDICIVM,vtique & facere? Nimirum, procurare vt cuique quod suum est tribuatur?At vos ipsi estis

d *Ezech.34. 2.* primi QVI VIOLENTER TOLLITIS (*d*) PELLES filiorum Iacob,insuper& CARNEM EORVM,*& ossa,* id est, substantiam & facultates subditorum, (è quibus sibi victum,& consequenter carnem, pellem & ossa hauriunt,) tam auarè & ferociter rapitis,vt non tantùm illos excoriare, sed & excarnificare,imò exossare,atque in frusta concisos de-

A uorare velle videamini. ita Chaldæus. O quanta vos vltio manet de cælo!

℣. 4. TVNC CLAMABITIS AD DOMINVM, vt mitiùs agat vobiscum.Sed frustra.sicut enim vos modò faciem vestram ab ipso auertitis,illique rebelles tergum vertitis, ita vicissim ipse tunc subtrahet vobis FACIEM(*e*)SVAM] id est,diuinum fa- e *Prou.8.v.* uorem,opem, curam, præsentiam ac prouiden- 14. tiam: ac dorsum ostendet derelictionis, neglectus,obliuionis ac reiectionis. Væ & pseudoprophetis

℣.5. QVI MORDENT DENTIBVS SVIS, id est, masticant & vorant liberaliter quæ illis in os ingeruntur: & pro mercede largientibus PRÆDICANT & promittunt PACEM,id est, prospera omnia.SI QVIS VERÒ NON DEDERIT IN ORE EORVM quod mordeant & vorent, SANCTIFICANT(*f*) f *Ieremi.6.* SVPER EVM PRÆLIVM]id est,nomine Dei indicũt *v.4.* illi bellum,& omnia aduersa minantur, tanquam impio ac reprobo,qui pios ac sanctos Dei Prophetas (quales se iactant) neglexerit ac sprouerit.

℣.6.PROPTEREA audite & vos sententiam vestram:NOX VOBIS PRO VISIONE ERIT: ET TENEBRÆ PRO DIVINATIONE,id est, loco pacis ac lucis,loco prosperitatis ac gaudij,quæ falsò diuinatis & prædicitis obuentura, deprehendet vos & obruet altissima nox & horrendæ tenebræ calamitatum & miseriarum,adeò vt præ anxietate,pa-

C uore ac mœrore, SOL VOBIS IN MERIDIE *occumbere,* (*g*)*& dies obtenebrari* videatur. Tunc præ confu- g *Amos 8.* sione *v.9.*

℣.7. OPERIENT OMNES VVLTVS SVOS] cùm rerum euentus deteget fraudes & impostura ipsorum,inquit S.Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus,Remigius,Haymo, Clarius, Vatablus,Palacius, Ribera & à Lapide. Addit Delrio, *operient vultus suos* tamquam rei,damnati & mortis suppli- *Delrio adagio 992.* cio addicti.His enim facies,vt aliàs(*h*)dixi,velabatur,etiam apud Romanos:*Caput obnubito,infelici arbori suspendito.* h *Esther 7. v.8.*

℣.8.VERVM EGO REPLETVS SVM, non, vt illi, cibo,potu,muneribus alijs,sed SPIRITV DOMINI] ex quo mihi non blandimenta vel adulationes, sed heroica *fortitudo* ac robur animi; non falsæ diuinationes, sed *iudicium,*quo vera vobis certaque supplicia,iure merito sceleribus vestris infligenda denuntio: non denique vana & garrula eloquentia,vt pseudoprophetis,sed *virtus,*id est potentia & efficacia sermonis emanat, quam nullus infringere vel labefactare valeat vel ausit.

℣. 10. Vos, ô Iudæi principes ÆDIFICATIS SION,id est,exstruitis in Ierusalem magnificas domos & palatia, IN seu ex SANGVINIBVS(*i*)subdi- i *Eccli.34.* torum vestrorum,exsugendo illorum substantiam *v.24.& Ie-* & facultates iniquis seruitijs,tributis,litibus,vsu- *rem.22.v.* ris,fraudibus,& alijs oppressionibus, *13.*

℣.11.IN,id est,pro,MVNERIBVS IVDICABANT, sententiam venalem proponendo,imò & peruertendo. Sacram quoque legis diuinæ doctrinam non nisi mercede vendebant, vt & oracula sua. Quorum vtrumque simoniacum esse docet Lessius & alij Theologi. Nec pudet fallaces illos ac *Less. tract.* seductores pseudoprophetas, *requiescere* SVPER *de simonia* DOMINVM]id est,inniti & incumbere diuinæ cu- *dub.2.&* ræ,prouidentiæ & benignitati: persuadentes po- *13.* pulo,Deum ipsi affuturum, nec vnquam permissurum, vt Ieroſolyma, vbi sedes & thronus Dei, hostium libidini cedat. ita S.Hieronymus & alij suprà citati.Cedet tamen,& quidem

℣.12. CAVSA VESTRI] Id est, vestra culpa, ob vestra scelera. Hæc à Michæa prædicta fuisse tempore regis Ezechiæ testantur principes & seniores Ieroſolymitani, Ieremiæ 26.v.18.

CAPVT IV.

Montem Sion & templi, quem in fine capitis præcedentis vastandum dixit à Chaldæis, hic promittit restituendum, imò supra omnes montes extollendum per Christum, qui Ecclesiam suam in monte Sion inchoabit, ad quam velut ad firmissimam arcem ex toto orbe confluent turmatim omnes gentes. Vt explicui Isaiæ secundo: unde priorem & maiorem partem huius capitis penè ad verbum mutuatus est Michæas.

℣. 5. OMNES alij POPVLI AMBVLENT VT VOluerint, QVISQVE IN NOMINE DEI SVI, ab illo nomen mutuantes, illum colentes, & illi seruientes ac sese subijcientes: ego autem, & mei similes Deo fideles, AMBVLABIMVS IN NOMINE solius DOMINI] id est, vnanimiter ac constanter adhærebimus vni & soli Deo cæli, & Christo eius. De tempore enim Christi & legis Euangelicæ hîc agi, de fide est, ex vnanimi consensu omnium sanctorum Patrum quos hîc citat à Castro, & ego docui Isaiæ 2. Et potuit Michæas, licet Iudæus, & filius veteris testamenti, tamen animo, voto, fide & spe coniungere se filijs noui testamenti, id est, Christianis, quasi fratribus suis, ex eodem parente Christo, eiusque gratia regenitis. Quia Sancti veteris testamenti, ob fidem in Christum venturum, ex quo omnem gratiam ad salutem necessariam hauriebant, non secùs atque iam Christiani, vt doctè explicat S. Augustinus, possunt ex ea saltem parte dici etiam ad nouum testamentum pertinuisse.

Augusti. l.3. cont. duas epistolas Pelag. c.4.

℣.6. IN DIE ILLA, id est, tempore Messiæ & noui testamenti, CLAVDICANTEM (*a*) in fide & religione Synagogam & collectionem Iudęorum, QVAM idcircò EIECERAM è terra sua in exilium, CONGREGABO ET COLLIGAM ET PONAM, seu adseruabo, IN RELIQVIAS, (*b*) ET EAM QVÆ valdè LABORAVERAT, varijs afflicta malis, ponam IN GENTEM ROBVSTAM, tum numero, tum fortitudine, tum virtute. Hæc cœpta sunt impleri typicè in reductione è Babylonia, sed reuera in conuersione multorum millium (*c*) Iudæorum ad Christum: perfectè autem complebuntur sub finem mundi, cùm *omnis Israel salvus (d) fiet.*

a 2.Reg.18. v.21.

b Rom.11. v.5.

c Act.2. v.41.& c. 4 v.4.

d Rom.11. v.26.

℣.7. REGNABIT tunc DOMINVS plenè & pacificè SVPER IVDÆOS omnes antea tam rebelles, tam refractarios: REGNABIT, inquam, vt olim pater eius Dauid, IN MONTE SION spirituali, id est, in Ecclesia, inchoanda in corporali monte Sion.

℣.8. TV enim ô SION, quæ es instar TVRRIS GREGIS, & NEBVLOSA, seu nebulis ac nubibus ob altitudinem contecta; Hebraicè, *ophel*, (*e*) id est, tenebræ, caligo, nubilum. Erat hæc arx munitissima, inaccessa & inexpugnabilis, in mõte (*f*) Sion, iuxta atrium exterius templi, in arce *turris* enormi altitudine, inquit ex Iosepho Adrichomius. Tu, inquam, ô FILIA *Sion* (sic enim, & non, *filiæ*, legunt LXX. Symmachus & Romana) accipies hunc regem, & hoc regnum æternum: VSQVE AD TE VENIET, dico, non mutilum, non dissectum, non accisum, sed integrum, quale fuit REGNVM FILIÆ IERVSALEM, id est, Sionis, sub Dauide & Salomone: PRIMA, inquam, id est, prisca & auita POTESTAS regia, cum omni gloria, opibus, amplitudine, potentia tunc illi annexis. *Dabit (g)* enim

עפל

e 2.Par.27. v.3.& c.33. v.14.& 2. Esdræ c.3. v.26.

f 1.Mach.1. v.35.& c. 4.v.60. Ioseph l.6. Belli c.6.

g Luc.1.v. 32. & Psal. 2.v.6.

A *Dominus* Messiæ suo *sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum*; non regno typico vel vmbratico, (quale erat Dauidis, terrenum, corporale, mundanum,) sed vero ac solido, spirituali, cælesti, diuino. ita ferè S. Hieronymus, Clarius, Vatablus, Arias, Ribera, à Castro, à Lapide & alij. Hebræi, teste S. Hieronymo, & ex his Emmanuel Sà, Mariana & Villalpandus cum alijs recentioribus putant *turrim gregis* hîc vocari non totam *Sion* aut *Ieroſolymam*, sed præcisè *portam (h)* *gregis*, quæ erat in radicibus montis Sion, (ac proinde vocari hîc *filiam Sion.* (Diciturque *turris*, quia de more inædificata erat illi turris altissima, instar speculæ: vocatur *gregis*, quia per eam *greges* offerendi inducebantur in templum ex vicina valle (*i*) Ioſaphat pascuis ac pecoribus abundante. Et certum est, ex Lucæ 19.v.37. Christum verum agnum paschalem, in Paschate immolandum, ex monte Oliueti, die Palmarum, per vallem Ioſaphat & *portam gregis* prædictam, in vrbem asello (*k*) inuectum fuisse. Hæc enim erat porta triumphalis, quâ patebat aditus non modò in vrbem tum superiorem, tum inferiorem, sed etiam in templum, in regium palatium, in arcem Sion. Et ad hunc Christi in vrbem triumphalem ingressum volunt prædicti auctores Michæam hîc alludere. Sed Haymo, Remigius, Beda, & ex his Baronius & alij, volunt, eum C alludere ad primam Christi recèns nati manifestationem per angelum (*l*) factam pastoribus iuxta aliam *turrim Ader*, id est, *gregis*, prope *Bethlehem*, vbi olim Iacob patriarcha suos pauit *greges*, Gen. 35.v.21. q.d. Tu, ô *turris Eder*, pastoritia, rustica, obscura, vilis & contempta, caput attolle, gaude & trumpha, quia primus ad te de cælo veniet nuntius nati Messiæ, cuius potestas & regnum primò incipiet in Ieruſalem, indeque propagabitur per vniuersum orbem. Verùm clariùs hoc ipsum explicabit Michæas cap. seq. v.2. *Et tu Bethlehem*, &c.

Hieron. in Tradit. Hebr.

Villalp. in p.3.l.3.c.7.

h *Ezech.3. v.10. vlt.*

V. Beda in Lucæ 2. Baron. ad annũ 1. Christi.

עדר

l *Luc. 2.v.*

℣.9. QVARE NVNC MOERORE CONTRAHERIS ô Sion? Etsi enim iam ad tempus priueris temporali rege tuo Sedecia, & regijs consiliarijs, legisperitis, ac doctoribus; breui tamen donaberis altero æterno rege Messia, & nobilioribus consiliarijs, Apostolis, Ecclesiæ doctoribus, pastoribus ac principibus.

℣.10. DOLE tamen per me licet, ET SATAGE, id est, anxiè distorquere. Neque enim deerit tibi iusta causa dolendi: EGREDIERIS enim NVNC captiua è propria CIVITATE: ET HABITABIS IN REGIONE, sub dio; LXX. *in cãpo*; Chaldæus, *in agro*. Sed liberaberis, sed redimeris primò per Cyrum, deinde per Cyri antitypum Christum. Et vis tibi signum?

℣.11. Ecce NVNC CONGREGATÆ SVNT SVPER seu contra, TE GENTES MVLTÆ duce Sennacherib Assyriorum monarcha, QVÆ nil aliud clamant, quàm LAPIDETVR, id est, lapidibus, instar adulteræ, obruatur SION: ET ASPICIAT OCVLVS NOSTER cum voluptate ruinam & excidium illius. ita S. Hieronymus, Remigius, Haymo. Sed

℣.12. Dominus CONGREGAVIT Assyrios istos in Iudæa, QVASI FOENVM AREÆ; LXX & Chaldæus, *sicut manipuli* colliguntur in *area*, vt tribulis istic exagitentur. Et verò cecidit ex illis angelus vnica (*m*) nocte centum octoginta quinque millia.

m 4.Reg.19. v.35.

℣.13. SVRGE ergo & animos attolle, ô FILIA SION, & tu quoque TRITVRA, non iam ligneis flagellis, aut corneis VNGVLIS boum sed ferreis

& æneis

2.Reg.12. v.31. & *aneis* rotis,& ferratis *(a)* carpentis, proſtratos hoſtes,perſequere,ſterne,concide fugientes nunc Aſſyrios,& poſt aliquot ſæcula,etiam Syros, reliquoſque Aſiæ *populos*;duce Iuda,Ionatha,Simone, Hyrcano & alijs Machabæis: denique omnes totius mundi POPVLOS duce Chriſto.ita S.Hieronymus,Remigius, Rupertus, Albertus, Liranus, Clarius &alij.Porrò proſtratis hoſtibus, INTERFICIES & immolabis DOMINO RAPINAS EORVM, id eſt,victimas quas victrix illis eripuiſti,ET FORTITVDINEM EORVM, id eſt, ſubſtantiam, opes, arma & ſigna hoſtilia. Quæ bello capta vt olim Gentiles,*(b)* & nunc Chriſtiani,ita ſolent etiam Iudæi*(c)* Deo deuouere,quo ſignificent ſe victoriam omnem illi acceptam ferre. Teſtis Moyſes *(d)* Ioſue*(e)* Dauid,*(f)* Machabæi. *(g)* Quin & Ezechiam quoque ex ſpolijs Sennacherib plurima Deo obtuliſſe tradit Ioſephus.

b *Virg.* 7. *Æneid.*
c *Iſaiæ* 60. v.5.& 11.
d *Exodi* 17. v.15.
e *Ioſue* 6.v. 19.& *Num.* 21.v.2.
f 1.*Reg.* 21. v.9.
g 1.*Mach.* 4.v.57.c 5. v.54.c.7.v. 47.&c. *Ioſeph.l.*10. *Antiq.c.*3.

CAPVT V.

Vaſtatis Aſſyrijs, predicit Chriſtum naſciturum in Bethlehem,& magnificandum vſque ad terminos terræ: reliquias verò Iacob, putà Apoſtolos & primos Chriſtianos, inſtar cæleſtis roris,irrigaturos reliquum orbem,& inſtar leonis, illum ſibi & Deo ſubingaturos. Denique ablatum iri per Chriſtum maleficia, diuinationes, lucos, & arma atque alia præſidia,in quibus infideles antea confidebant.

¥. 1. NVNC VASTABERIS FILIA LATRONIS id eſt,latro ſeu latrocinijs aſſueta,Hebræum *gedud* & latronem ſignificat & militem, ſeu turmam vel exercitum. Intelligit autem exercitum Aſſyriorum,& caſtra Sennacherib,qui quaſi latro populatus eſt Iudæam,& obſedit Icroſolymam, & VIRGA *percuſſit* MAXILLAM IVDICIS ISRAEL, id eſt ignominioſè tractauit regem Ezechiam, & principes ac legatos ipſius, Iſaiæ 35. & hanc ob cauſam,ſimul & ob blaſphemias in Deum, vaſtatus eſt ab angelo,cæſis vna nocte 185.millibus militum in caſtris eius. De Aſſyrijs enim hactenus egit Michæas,itemque agit v.5.& 6.alludens more ſuo ad Iſaiam, qui ſimilia de Aſſyrio totidē verbis prædixit tum alibi,*(h)* tum initio c.33.ita Albertus, Liranus,Pagninus,à Lapide,& alij.Allegoricè poteſt applicari Icroſolymæ,ob occiſos Prophetas,& Prophetarum principem Chriſtum, à Romanis obſidendæ, vaſtandæ & excidendæ.ita S.Hieronymus,Remigius, Rupertus, Albertus,Haymo,Hugo,Clarius, Liranus & Vatablus, qui etiam litteraliter id illi applicant.Hebræi & Vatablus etiam de Roma accipiunt.Et verò fuit hæc admodum iniqua in Chriſtum primis 300.annis.ſed per Conſtantinum vaſtata Roma Ethnica,ex *filia latronis* facta eſt mater vitæ,& cathedra Paſtoris ac *iudicis Iſrael* & Eccleſiæ vniuerſæ. Porrò noſſe vis,ô Sennacherib, vnde tibi hoc malum? & tu,Ezechia, vnde vobis ſalus? certè vnde minimè ſperaras.

גדוד

h *Iſaiæ* 10. v.5.

¥.2. TV BETHLEHEM ducem illum & regem ſubminiſtrabis, cuius merito & virtute latro iſte Sennacherib,qui te nunc depopulatur,& alij omnes Iſraelis hoſtes,Chaldæi,Perſæ,Græci,Aſiatici, Ægyptij,Romani,ſuo ſinguli tempore vaſtandi & excidendi ſunt. Vocatur *Bethlehem*,id eſt,domus panis, à loci fertilitate,q.d.Locus ferax frumenti ex quo panis conficitur.Et quia duplex erat *Bethlehem*,vna in tribu Zabulon,*(i)* altera in trib Iuda; *(k)* vt conſtare poſſit,non de illa,ſed de hac loqui Michæam,additur ei cognomen *Ephrata*, quod fertile ſeu creſcens*(l)* ſignificat.Eratque nomen ſe-

בית לחם
i *Ioſue* 19. v.10.
k 1.*Par.*2. v.51.54.&c.
אפרתה
l *Geneſ.*41. v.52.

A cũdæ vxoris*(m)* Caleb,à qua tota illa tam fertilis regio in ſorte tribus Iuda,nomen deſumpſiſſe videtur,in qua vrbs inædificata dicebatur *Bethlehem Ephrata*,vel *Bethlehem Iuda*,*(n)* qui PARVVLVS ES vicus,inquit Ianſenius;vel,vt alij,paruulus populus IN MILLIBVS IVDA, id eſt, inter chiliarchias tribus Iuda. Singulæ enim tribus vt à Moyſe *(o)* olim diſtributæ fuerant in chiliadas,ſeu millenarios cœtus,ita per chiliadas occupabant & incolebant oppida ſua, quæ inde dicebantur Chiliades,id eſt, *millia*. Porrò Hebræum *alaphim*, non tantùm *millia*,ſeu *chiliarchiam* ſignificat,ſed etiam *principes* ſeu *principatus*.Vnde S.Matthæus legit, *in principibus Iuda* : ſed an memoria lapſus hîc Euangeliſta,(vt quidam apud S.Hieron. blaſphemè aſſerebant)cùm pro eo quod Michæas ait,*Paruulus es*,vel,vt LXX.& Syriaca,*paruula* vel *minima es*,ipſe citat,*Nequaquam minima es*? Abſit;iniurium hoc eſſet Spiritui ſancto,cuius inſtinctu ſic ſcripſit Matthæus.Quoad ſenſum autem,idem prorſus dicit vterque: Michæas enim dicit, *minimam eſſe* Bethlehem,ſi domos,ſi ciues, ſi numerum incolarum ſpectes:ſed *nequaquam minimam* eſſe,ſi principes ex ea ſeu procreatos,ſeu procreandos expendas.Idem,ſed paucioribus verbis,Matthæus dicit, nempe,*nequaquam minimam eſſe*,quoad principes, licet(vt vulgò notiſſimum erat,ac proinde ſubticuit)minima eſſet quoad omnia reliqua.Et fortè olim etiam in Michæa apud LXX. (licet iam exciderit)legebatur,*nequaquam minima es*. Certè ex illis ſic legerunt Origenes,Cyprian.Euſebius,Ambroſius,Auguſtinus & Theodoretus,vt omittam Arabicum tam Alexandrinum quàm Antiochenum.Cauſàm,cur nequaquam inter minimas cenſenda ſit Bethlehē,ſubiungit per Prophetam Deus. Quia EX TE MIHI,*(p)* vtpote patri filius,EGREDIETVR,id eſt,naſcetur, QVI SIT DOMINATOR,dux, rector ſeu rex,IN ISRAEL.Quod de Chriſto accipiendum eſſe,non modò Chriſtiani omnes,ſed & Iudæi olim vnanimiter ſenſerunt,& ita Herodi*(q)* regi & populo*(r)* reſponderunt,teſtibus & approbatoribus Euangeliſtis Matthæo & Ioanne: qui reſponſum hoc Iudæorum idcirco in medium afferunt, vt probent impletum fuiſſe in Chriſto illud ſignum Meſſiæ,quod inter Iudæos communi omnium confeſſione erat receptum, eò quòd in oraculo Michææ eſſet expreſſum,vt bene aduertit Franc.Suarez.Chaldæus clarè vertit,*ex te coram me prodibit Chriſtus*.Et eadem eſt etiam recentiorum Rabbinorum pulrimorum ſententia, quos citat Galatinus. Porrò ne putetis, eum quem iam dixi naſciturum & egreſſurum è Bethlehem: fore nudum hominem,ſimilem Dauidi, vel Abrahamo, ac tum primùm in rerum naturam proditurum cùm ſecundùm carnem naſcetur in Bethlehem; ideo nunc addo,eumdem illum ſecundùm alteram naturam ſuam,nempe diuinam,æterna generatione ex me EGRESSVM ac genitum,& continuò naſci atque egredi,iam inde AB INITIO, *(ſ)* id eſt,ante omnes creatas,imò A DIEBVS ÆTERNITATIS, ſeu ab omni æternitate. ita SS.Patres & DD.omnes Orthodoxi, cùm multis Rabbinis apud prædictum Galatinum.

m 1.*Par.*2. v.19.
n *Matth.*2. v.6.
o *Exodi* 18. v.25.
p *Rom.*1. v.3.
q *Matth.*2. v.6.
r *Ioan.*7.v. 42.
*Orig.lib.*1. *cōt.Celſum.* *Cypr.*2.*Teſtimon.*c.12. *Euſeb.l.*6. *Demonſt.* c.15. *Ambroſ.l.* 5.*epiſt.*1. *Aug.l.*18. *Ciu.c.*30. *Suarez* 3.p. q.35.*diſp.*13. *ſect.*3. *Galatin.* *l.*4.*c.*13.

E

¥.3.PROPTER HOC,ſcilicet,quia diuino decreto Chriſtus mundi ſaluator naſci debet in Bethlehem Iuda,idcircò Iudæos,etſi nunc extremè periclitantes ab Aſſyrijs, & poſtea magis periclitaturos à Chaldæis, Perſis & Aſiaticis, DABIT tamen Deus perſtare ac perdurare VSQVE AD illud TEMPVS,

ſ *Geneſ.*1. v.1.& *Ioan.* 1.v.1.*Eccli.* 24.v.14.&c. *Galat.ſup.*

PVS,

PVS, IN QVO Virgo mater PARTVRIENS summo gaudio PARIET prædictum Christum in prædicto Bethlehē. ita ferè Euseb. S. Hieronymus, Haymo, Remigius, & Hugo. Edito hoc partu, & partus curriculo in terris peracto, sinet Deus collabi Synagogam tum spiritualiter, tum corporaliter, exceptis paucis *reliquijs* FRATRVM Christi secundùm carnem, qui monitis & doctrinæ eius obsequentes CONVERTENTVR AD veros & genuinos FILIOS ISRAEL] id est, ex carnalibus euadent spirituales Israelitæ, æmulantes fidem, pietatem, sanctitatem Iacobi, & reliquorum Patriarcharum ac Prophetarum cultorum (a) & seruorum Christi. ita ijdem Patres. Sed corruente Synagoga, non corruet tamen regnum Christi: sed æternùm

Euseb. l. 7. Demonst. c. 2.

a *Michæ 4. v. 5.*

¥.4. STABIT & perstabit hic rex cum regno suo, id est, Ecclesia, *pascens*, regens, protegens, multiplicans maxima FORTITVDINE atque inuicto robore (b) oues sibi ex vniuerso orbe iungi & subdi volentes, tam ex Gentilibus, quàm ex Iudæis. Et verò pascet ac reget illas non vulgari modo, vt rexerunt patres eius, Abraham, Iacob, Dauid & alij reges subsecuti, sed IN SVBLIMITATE NOMINIS DOMINI DEI SVI, id est, ea gloria, (c) magnificentia, maiestate quæ decet ipsum Deum, seu Patrem, à quo legatus missus est: seu Filium, qualis ipsemet est: seu Spiritum sanctum per quem Ecclesiam suam recturus est. Loquitur autem de maiestate & excellentia doctrinæ, Sacramentorum, gratiæ & miraculorum. Et ad Christum tali modo suos tam excellēter regentem CONVERTENTVR innumeri ex omnibus nationibus terræ per quos ipse ipsiusque regnum MAGNIFICABITVR, celebrabitur, extolletur, ampliabitur per vniuersum mundum.

b *Ioan. 10. v. 27.*

c *Ioan. 1. v. 14. Isaiæ 60. v. 15.*

¥.5. ISTE Messias ERIT PAX, causaliter, non nostra tantùm, sed & totius mundi, allaturus quietem & securitatem ab omni hoste spirituali & corporali, saltem quando & in quantū vnicuique expediet, vt alibi (d) dixi. Ipse enim est *princeps* (e) *pacis*, *interficiens* (f) omnes *inimicitias in semetipso*. Hoc pacifico rege nixi, non timemus *Assyriū*, non alium quempiam tyrannum. CVM VENERIT, vti certò venturus est, SVSCITABIMVS aduersus EVM SEPTEM PASTORES, imò OCTO PRIMATES, id est, excitabimus & obijcimus tyranno multos, imò plurimos militiæ principes. q.d. Virtute & merito Christi erunt nobis ad manum sufficientes belli duces, cum copijs militaribus sibi subiectis: qui PASCENT TERRAM ASSVR ET NEMROD, id est, Assyriam, seu exercitus Assyriacos, non præda frugum vel aliarum opum suarum, sed GLADIIS & LANCEIS EIVS] Et licet aliquando in pœnam nouorum scelerum suorum succubituri sint Iudæi hostibus suis Chaldæis, Persis, Asiaticis, Romanis, Semper tamen

d *Isaiæ 2. v. 4.*
Colos. 2. v. 15.
e *Isaiæ 9. v. 6.*
f *Ephes. 2. v. 16.*

¥.7. ERVNT RELIQVIÆ IACOB, quæ protritæ, resectæ, aridæ & exsuccæ Synagogæ erunt QVASI imber & ROS cælestis. SVPER HERBAM QVÆ NON EXSPECTAT VIRVM, seu manum auxiliatricem, qua irrigetur, humectetur & fœcundetur. Erunt nihilominus simul

¥.8. QVASI LEO inter *iumenta*, heroica fortitudine, audacia & robore suo tum animi, tum corporis, in hostes suos inuolantes, eosdemque sternentes ac dissipantes. Notat Esdrā, Mardochæum, Nehemiam, Iudam (g) & fratres eius Machabæos: sed præcipuè Apostolos discipulos Christi, qui doctrina sua quasi rore suauissimo irrigarunt arida & sitientia hominum corda, & quasi leones ad

g 1. *Mach. 3. v. 4. & l. 2. c. 11. v. 11.*

A nullius hostis pauerunt occursum. Exemplo sint Petrus in *Simonem*, (h) Paulus in *Elymam* (i) magum, & omnes Apostoli in *principes* (k) sacerdotum & magistratus populi. Nempe diuina *Sapientia*, (l) etiam per ministros suos, *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*. ita S. Hieronymus & alij suprà citati.

h *Actor. 8. v. 20.*
i *Actor. 13. v. 9.*
k *Actor. 4. v. 19.*
l *Sap. 8. v. 1.*

¥.10. IN DIE ILLA, id est, tempore Messiæ, auferam à te, ô Ecclesia mea, Iacob prognata, sed per Gentiles propagata, AVFERAM, inquam, EQVOS TVOS & QVADRIGAS, id est, arma (m) omnia ac præsidia, quibus solebas Deum & Christum eius impugnare. Auferam item MALEFICIA; Hebraicè & Chaldaicè, *maleficos*, seu præstigiatores; SCVLPTILIA, *lucos* & idolorum fana, ac ciuitates illis consecratas, Dan, Bethel, &c. q.d. Tollam præcipuas scelerum occasiones & instrumenta, etsi quædam eorum videantur ad regni, id est, Ecclesiæ meæ, propagationem ac tutamen deseruire posse. Neque enim eges eiusmodi armis, neque volo, citra necessitatem, violentis instrumentis propagari fines tuos, sed doctrina cælesti, morum sanctitate, pio exemplo mansuetudinis, patientiæ, ceterarumque virtutum, inquit Arias, Vatablus & Liranus.

m *Isaiæ 2. v. 4.*

¥.14. IN GENTIBVS verò QVÆ NON AVDIERVNT, id est, quæ audire, credere & obedire noluerunt Euāgelio & monitis Christi, FACIAM VLTIONEM cum FVRORE] (n) v.g. in rebellibus Iudeis per Romanos: in apostatis prouincijs per reges Christianos: vel per angelos; quorum plurima exempla videre est apud Baronium, Bozium & alios historiographos.

n 2. *Thess. 1. v. 8.*

CAPVT VI.

Expostulat cum ingratis Iudæis iniuria sui, quòd, non obstantibus tot tantisque beneficijs cælitus acceptis, deflexerint tamen à Deo ad idola: docet, qua via possint, si velint, Deo reconciliari. Alioquin ob tanta scelera, maximeque ob iniquas pauperum expilationes, minatur omnibus egestatem, excidium & captiuitatem.

¥.1. SVRGE, ô Michæa, & mea nomine CONTENDE IVDICIO *, id est, litem iudicialem institue ADVERSVM MONTES (o) ET COLLES Iudææ, quibus quasi *fortibus fundamentis*, seu fulcris *terra* fulcitur, firmatur & continetur, ne vel impetu ventorum, vel aquarum inundatione diffluat aut dissipetur. Est prosopopœia, qua *montes*, vt personæ viuæ, rationales & scelerum reæ, citantur ad tribunal: quia per aras & idola, per victimarum nidorem, sanguinem, cineres, ossa, quæ sinu suo fouebant, muta sed clara voce prodebant admissa in se scelera. Sed per metonymiam intelliguntur ipsi Iudæi incolæ & accolæ *montium*, quibus scatebat tota terra sancta. Symbolicè, designantur principes & magistratus, fundamenta & fulcra reipubl. qui in populo eminent sicut montes (p) in terra. ita S. Hieronymus, Haymo, Remigius, Liranus & Vatablus.

* *Imm. 2. v. 4. & 6. 21. v. 29.*
o *Isaiæ 1. v. 2.*
p *Psalm. 71. v. 3. Habacuc 3. v. 6.*

¥.4. *Aegyptus* vocatur *Domus* SERVIENTIVM; Chald. & LXX. *seruitutis*, non solùm quòd ibi seruierint Israelitæ, sed etiam quòd ipsimet Ægyptij fuerint antonomasticè *serui*, à Noë quondam maledicente filio suo *Cham* eiusque posteris, seruituti addicti, Gen. 9. *Seruus seruorum erit fratribus suis*, inquit Arias & Vatablus. Filius enim Cham fuit *Mesraim* primus Ægypti incola, pater & nomenclator Ægyptiorum: Hebraicè enim Ægypus vocatur *mesriam*. מצרים

Et

ET MISI ANTE *te tres Prophetas*,(ita vertit Chaldæus,)MOYSEN,ET AARON,ET MARIAM:*Moysen ad docendum iudiciorum traditionem*, *Aaron ad expiandum populum*, *Mariam ad eruditionem feminarum*.q.d. Dedi vobis talia capita familias,qualibus meliora vel optare nō potuissetis.ita S.Hieronymus& alij suprà citati. Ex hoc loco Michææ,simul & ex Ieremiæ 11. desumpsit Ecclesia pro officio Parasceues threnos illos, quasi Christi de cruce cum Iudæis expostulantis certè elegantissimos, qui etiam saxea corda soluant in lachrymas. Et similem expostulationem in die iudicij reprobis à Christo iudice intentandam habes inter opera S. Augustini,tomo 9. tractatu de Vanitate sæculi c.3.

℣.5.MEMENTO,quàm noxiū tibi,quàm pestilens cōsilium BALAAM ariolus suggesserit BALACHO REGI MOAB, (*a*) nempe vt puellas Moabitides & Madianitides speciosas,quasi vēdituras edulia Israeli,in castra submitteret,non vna aut altera vice,sed continuò per omne Israelis iter à SETIM VSQVE A GALGALAM,id est,ab initio vsque ad fines regni sui:vt tantò prolixior esset hæc puellarum tentatio,& ad fornicationem, & per hanc ad idololatriam sollicitatio: atque ita continuò & diu peccarent Israelitæ, ideoque desererentur à Deo, & deserti cæderentur & exscinderentur à Moabitis. Et verò successisset exitiale consilium, nisi tempori id per Moysem Deus discussisset,occurrendo primis initijs,primosque delinquentes principes suspendendo,& 24.millia de populo (*b*) similiter occidendo.

a *Num.* 22. *& seqq.*

b *Num.*25. *v.*9.*&* 6.

VT COGNOSCERES & reipsa experireris IVSTITIAS DOMINI]quibus vt sua compleret facta olim patribus tuis promissa, de te perducendo in terram sanctam,impedimenta eius rei tam diabolica,quàm humana, prouidè benigneque omnia sustulit,noxios puniens, innoxios in terram promissam sine noxa inducens.

℣.6.QVID tantis beneficijs recognoscendis DIGNVM OFFERAM DOMINO?Verba sunt populi Iudaici, acerrima Prophetæ increpatione commoti ac resipiscentis. Quid,inquit, faciam, vt placatum mihi reddam Deum? sufficitne *curuare illi* GENV,& externis cęrimonijs,holocaustis, alijsque victimis illum honorare; vultne Deus,

℣.7.PRIMOGENITVM filium MEVM offeram illi in expiationem omnis sceleris mei,vt Moloch(*c*) seu Saturnus deposcit à cultoribus suis? Minimè gentium.causam alibi(*d*)dedi.

c *Leuit.* 18. *v.*21.*&* 3. *Reg.*11.*v.*5. *&* 4.*Reg.*c. 23.*v.*10.*Ierem.*19.*v.*5.

d *Isaiæ* 1.*v.* 11. *Ierem.*6. *v.*20. *Amos* 5.*v.* 22.

℣.8. QVID verò DOMINVS omninò REQVIRAT A TE,INDICABO TIBI;Hebraicè, *indicauit*, scilicet per Moysen,per varios Prophetas,tandem etiam per me: vnde iterum indicabo iam tibi, & memoriam refricabo. VTIQVE FACERE IVDICIVM,vel iustitiam,id est,complere quod iure debes siue Deo,siue proximo,siue tibi;siue illud debeas obligatione iustitiæ, siue obligatione charitatis,siue religionis,siue pœnitnetiæ,siue gratitudinis,siue cuiuscumque alterius virtutis.*Iudicium* enim opponitur *misericordiæ*, quæ significat opera liberalia & indebita,seu charitatis,seu aliarū virtutum.Per vtrumque verò simul iunctum,putà per *iudicium & misericordiā*, significare solet Scriptura (*e*) omne virtutis officium,seu omne opus bonum.Omne enim vel debitum est, & ita est *iudicium*:vel est indebitum,& est *misericordia*. Porrò duplici isti officio *iudicij* & *misericordiæ*, mox v. 10. opponit duplicem Iudæorum iniquitatem,

e *Psal.*100. *v.*1. *Ps.*83.*v*12. *Ps.*84.*v.*11. *Ps.*60.*v.*8.

A nempe *iniustitiam* & *immisericordiam*,putà dolosas mensuras &alias fraudes.Tertium quod requiritur à te; est,SOLLICITVM AMBVLARE CVM DEO TVO] Hebræum,*tsana* significat *agere humiliter & submissè*,vt vertit Chaldæus, Vatablus, Pagninus & alij recentiores: item *agere promptè ac sollicitè*, vt vertit S.Hieronymus, LXX. Theodotion & quinta editio. Nam ob sublimem ac tremendam Dei maiestatem,in cuius præsentia columnæ cæli contremiscunt,non possumus vilissimi terræ vermiculi, toties læsæ maiestatis eius rei, non nisi summa humilitate,nostrique detectione, ac submissione cum ipso agere, nutus eius omnes sollicitè obseruando & promptissimè exequendo. Ita
B teste Scriptura ambularunt cum Deo Henoch, (*f*)Noë,(*g*) Iob,(*h*)Tobias,(*i*) Dauid,(*k*)& alij Sancti.Ad hanc sollicitudinem ambulandi perpetuò cum Deo excitandam,

צנע

f *Genes.*5. *v.*22.
g *Genes.*6. *v.*9.
h *Iob* 9.*v.* 28.*&* 6.31. *v.*23.
i *Tob.*4 *v.*6
k *Psal.*118. *v.*10, 57. 125.*&* 168

℣. 9. Vox tubalis DOMINI per me CLAMAT AD vniuersam CIVITATEM Ierosolymitanam.ET verò SALVS ERIT audientibus hanc vocem, & iuxta illam TIMENTIBVS NOMEN TVVM, id est, colentibus te,& seruientibus tibi,ô Deus. Ceteri omnes fame,gladio,peste peribunt.AVDITE ergo TRIBVS Iuda(est enim Hebraicè singularis numeri:)*audite*,inquam,sceleratum,infame,probrosum opus vestrum,quod nunc in iudicio Dei publicè arguo:ET QVIS tam impudens,qui audeat ILLVD
C suo calculo *approbare*?ita Rupertus.

℣.10.ADHVC iam post tot monita & minas cælestes,IGNIS (*l*)auaritiæ & iniustitiæ ardet IN DOMO IMPII populi.Testes sunt THESAVRI INIQVITATIS,seu iniquis artibus comparati,ET MENSVRA iusto MINOR,& proinde PLENA IRÆ & vindictæ diuinæ: quod enim deest illi in capacitate, supplebitur atque implebitur *ira* & vltione Dei. Quid enim? Ego qui Deus sum,adeoque ipsa iustitia,

l *Isaiæ* 50. *v.*11.

℣.11.IVSTIFICABO,id est,instam habebo & declarabo,aut certè dissimulabo vel impunitam relinquā, STATERAM iniustam? ET SACCELLI (seu sacculi,in quo circumferuntur) PONDERA DOLO-
D SA, quæ lege(*m*)mea tam seuerè prohibui?Metonymicè intelligit mercatores vtentes stateră & ponderibus dolosis.

m *Deut.*25. *v.*13.

℣.13.COEPI quidem iam PERCVTERE TE sterilitate tum terræ,tum vteri,*perdente* fructus tuos. sed longè acriùs sæuiam in te, ni desistas ab hac scelerata pauperum exhaustione.

℣.14.HVMILIATIO TVA IN MEDIO TVI:id est, humiliaberis,deprimeris,deijcieris non solùm in in finibus aut angulis terræ tuæ, sed & in medijs visceribus, excisa vrbe tuâ regiâ, cum templo & omnibus palatijs tuis. APPREHENDES & colliges subinde fructus aliquos tum vteri, tum agri tui,
E putà proles & segetes:sed NON SALVABIS,nec tibi retinebis,Chaldæo omnia rapiente, sibique vendicante. Ecce in quantas deuolueris miserias,eò quòd nolis *ambulare*,vt monebam, *cum Deo tuo*, sed

℣.16.AMBVLASTI cum AMRI(*n*) ET ACHAB (*o*)regibus Israel impijs atque idololatris,obsequēs VOLVNTATIBVS,id est,placitis & institutis eorum, & *custodiens* PRÆCEPTA ET OMNE OPVS DOMVS seu(*p*)familiæ eorum,perinde ac si fuisses ex seruis ac mancipijs ipsorum. Adeò sollicitè ipsos sequeris atque imitaris in idololatria,in cæde Prophetarum,(*q*)in expilatione(*r*) pauperum,in alijs sceleribus. ita Theodoretus. Vnde ET OPPRO-

n 3.*Reg.*16. *v.*16.
o *Ibid.v.*30.
p *Ibid.in fine cap.vlt.*
q *Ibid.c.*18. *v.*13.
r *C.*21.*v.*8; 19.*&* 6.

BRIVM

a *Deut.28. v.36. & Leuit.26. v.32.*

BRIVM POPVLI MEI (*a*) putà excidium, captiuitatem, irrisionem & sannas hostiles, vos ô diuites, ô principes, PORTABITIS præ alijs omnibus, quia maior & ponderosior pars in vestros humeros incumbet.

CAPVT VII.

Queritur Propheta, se frustra concionando laborasse, quòd vix vllum reperiat qui mores in melius commutet: excidium ergo & captiuitatem Babylonicam Iudæis predicit, sed post liminio liberationem, pacem & omnem prosperitatem, typicè per Cyrum, sed reipsa per Christum. Vnde & in diuinæ clementiæ ac beneficentiæ laudes erumpit.

¥. 1. VÆ; Hebraicè, *heu*, MIHI. Est enim non B minantis vox, sed gementis. q.d. O me miserum! oleum & operam perdidi. Post multos ac prolixos labores *vineæ Domini sabaoth* excolendæ tot annis impensos, cùm sperarem amplam vindemiam, vix licuit racemationem instituere, quâ

b *Isaiæ 24. v.13.* pauculos quidem RACEMOS (*b*) VINDEMIÆ reliquos collegi, sed *botrum* esui aptum ne vel vnum reperi. Quotquot enim reliqui sunt, vel prematuri & acerbi sunt, vel ex imbre corrupti & putrefacti. Pauculos enim ex auditoribus suis Ierosolymitanis principibus ac ciuibus: (nam de his solis agit Propheta, non verò de Iudæa vniuersa;) reperit, qui territi minis Prophetæ, videbantur velle resipiscere: sed cùm ad deferenda pocula, scorta, rapinas deueniretur, præmaturum id, & nimis acerbum erat, aut si qui subinde se induci sinerent, inolita peccandi consuetudine putrefacti, citò redibant ad vomitum. PRÆCOQVAS, id est, præ alijs primo calore solis benè excoctas FICVS, vt alibi (*c*)

c *Ierem.24. v.2.* dixi, post tot labores famelicus & anhelus DESIDERAVI] at ne vel ex his quidem vnam consequi potui. Triste sanè concionatori, cum videre & ferre cogitur, quòd integram vindemiam ac messem diabolus in infernale torcular suum & horreum conuehat, Christo verò vix racematio vel spicilegium concedatur.

¥. 2. OMNES IN SANGVINE; Hebraicè. *sanguinl*, id est, vitæ proximi sui INSIDIANTVR] Nec mala solùm agunt, sed &

D ¥. 3. MALVM negant esse malum, & DICVNT BONVM esse, iniustum iustum, impium pium. Si PRINCEPS *postulet* aliquid quantumcumque iniquum & illicitum, sibi adiudicari; IVDEX statim IN REDDENDO EST, rem illi omnem quasi legibus concessam, publica sententia adiudicans: ET simili modo quiuis MAGNVS, diues, nobilis, potens, simul ac LOCVTVS EST, seu exposuit non ius quod habet, non apparentem causam aliquam vel honestum prætextum, sed nudum placitum & DESIDERIVM ANIMÆ SVÆ, dicto citiùs id omne impetrat à corrupto & peruerso iudice. Atque ita CONTVRBA-

d *Hic v.2.* VERVNT terram, (*d*) iura omnia peruertentes, & E sanguinem pauperum exsugentes, & in subditorum ruinam vnanimiter conspirantes.

¥. 4. QVI OPTIMVS IN EIS, id est, pijssimus, benignissimus, mansuetissimus inter illos esse videtur, est tamen QVASI PALIVRVS, (*e*) genus spinæ

e *Virgil. eclog. 5.* est asperæ & acutæ, quod vulgò *agrifolium* dicitur, ET QVI RECTVS, id est, æquus, iustus, sanctus videri vult, est QVASI SPINA DE SEPE] id est, pungit & lædit nihilominus, & licet vitæ parcat, sanguinem tamen elicit, cutem lacerat, & vestem. Nempe latrones isti mites haberi volunt cùm detrectis viatori spolijs, & inflictis vulneribus, vitæ solius vsuram relinquunt. Sed tantis malis quodA nam tandem remedium? Certè nullum præter sectionem & vstionem. Ergo

VENIT DIES SPECVLATIONIS TVÆ: id est, instat & breuî aderit tempus quod tibi Prophetæ speculati sunt & totics prædixerunt, nempe VISITATIO, id est, punitio, TVA per Chaldæos. NVNC vnâ eâdemque operâ ERIT etiam VASTITAS] id est, vastabuntur & excidentur omnes isti iniqui iudices, crudeles magnates, & tyranni principes, qui in rapinas & expilationes pauperum, & consequenter in euersionem reip. antea conspirabant, iustitiam, charitatem; fidem omnem proscribentes. Et verò, durante hac perfidia, suaserim cuique:

¥. 5. NOLITE CREDERE (*f*) AMICO; Hebraicè, f *Ierem.9. v.4.* *socio:* NOLITE CONFIDERE etiam IN DVCE, principe, rege: cuius alioqui verbũ deberet esse sacrosanctum. Caue sis quoque reueles secreta tua cuipiam, ne vxori quidem, ne filię, ne filio tuo, etsi charissimo. Tanta enim iam est omnium peruersitas ac perfidia, vt nulli, quantumcumque arcto vinculo, seu sanguinis, seu officij, seu beneficij tibi adstricto, credere aut fidere possis. Citat Christus hæc eadem Michææ verba Matth.10. cùm ait, *Veni separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam: & inimici hominis, domestici eius.* q.d. Occasione Euan-C gelij mei talè orietur dissidium inter filios & parentes & alios sanguine iunctos, quale fuit olim tempore Michææ apud Iudæos. Sicut enim tunc, ita etiam nunc impij conspirabunt in ruinam piorum, infideles in euersionem fidelium. nullo habito respectu, seu sanguinis, seu propinquitatis, solo odio virtutis & opum extorquendarum cupidine impulsi.

¥. 7. EGO AVTEM in tanta rerum omnium perturbatione, amicorum perfidia, hostium malitia, nullum reperio præsentius remedium, quàm vt AD DOMINVM ASPICIAM] (*g*) ille in rebus etiam g *2.Par.20. v.12.* deploratis tutum est perfugium, & certum asylum, gaudetque tum vel maximè opitulari, vt summam potentiam ac beneficentiam suam ostendere possit, in eos præsertim qui indubitanter id credunt, sperant, & ab ipso deposcunt.

¥. 8. NE LÆTERIS, ô Idumæa, (*h*) ô æmula, ô h *Abdiæ v. 12. & Ier. Amos 1. v. 11.* INIMICA iam pridem MEA, SVPER casu & excidio meo, inquit Ierosolyma. CONSVRGAM enim iterum, expletis 70. annis, quibus *sedebo* IN TENEBRIS *Ierem.49.* calamitatum & afflictionum: DOMINVS enim LVX *v.11.* MEA EST: id est, *illuminabit me*, vt vertunt LXX. *Psalm.136. v.7.* & Chaldæus: id est, restituet me pristinæ lætitiæ, libertati, felicitati & gloriæ; nam harum omnium symbolum (*i*) est *lux*. Interim forti patientique i *Psal.4 v.7 Psal.26.v.1.* animo

¥. 9. PORTABO IRAM DOMINI; Syrus & Arabicus, *plagam Domini*, id est, pœnam excidij, exilij & carceris Babylonici, quam ira & iustitia diuina k *1.Reg.3. v.18.* pro tot sceleribus meis mihi infligere decreuit. Sic & Heli, (*k*) sic Ezechias, (*l*) Machabæi. (*m*) sic l *4.Reg.20. v.19.* Mauritius (*n*) Imp. sic Sancti omnes volenti libentique animo pœnas cælitus immissas excipiunt & m *2.Mach. 7.c.18.* exsorbent, suis peccatis eas asscribentes. Et ita faciendum ægrotis suadet S. Basilius. *Portabo* autem n *Theophanes apud Baronium anno Christi 602. Basil. in regulas fusius explic. interrogat. 55.* DONEC CAVSAM MEAM, id est, mihi cum hostibus meis controuersam, DIIVDICET, putà per Cyrum, Darium; quorum operâ Chaldæos ob iniustam mei oppressionem & alia scelera supplicio mortis damnabit, & ex hac quia nunc gaudent luce detrudet in tenebras æternas: ME verò è tene-

bris

bris Babylonicis EDVCET IN priſtinam LVCEM libertatis & felicitatis. Et ita VIDEBO, id eſt, reipſa ſentiam, IVSTITIAM EIVS, quâ par pari reddet Chaldæis alijſque omnibus hoſtibus meis. Videbit enim etiam Idumæa

℣.10. INIMICA & æmula MEA antiqua, ſed ſummo luctu & confuſione ſua; quòd me in priſtinam felicitatem reductâ, ſibi adhuc hærendum ſit in miſerijs: vnde inuidiâ rumpetur ac contabeſcet. Ego vice versâ, ex alto Sionis vertice, ex culmine felicitatis, deſpiciam (a) alijs iam oculis iacentem humi & in *luto* volutantem Idumæam, maximè quando per Machabæos illam deuictam pedibus meis ſubſternam, vt alibi (b) dictum. Breui ergo, ô Ieroſolyma, tibi

a *Abdiæ v. 11.*

b *Ibid. & v. 18. 19. 21.*

℣.11. DIES aderit optatiſſima, qua MACERIÆ TVÆ, id eſt, ruinæ ædificiorum tuorum à Chaldaico incendio reliquæ, inſtaurentur & reÆDIFICENTVR iuſſu Cyri. Tunc LONGE à te FIET LEX tyrannica Chaldæorum, &, vt Pagninus vertit, *tributum* quod illis nunc pendere cogeris. Cùm autem reddita fueris, ô Ieroſolyma, priſtinæ libertati & gloriæ,

℣. 12. VENIET redux AD TE POPVLVS tuus Iſrael, non modò ex Chaldæa, ſed & de ASSVR, id eſt, ex Aſſyria, (c) & Media, quò decem tribus iam abductæ ſunt. Ex his enim aliqui paulatim, auditâ Iudæorum per Cyrum reſtitutione, remigrarunt & ipſi in Iudæam, & indulto Iudæorum (quibus quaſi ſurculi inſerebantur, vnam eamdemque conflantes remp.) redierunt AD CIVITATES MVNITAS terræ ſanctæ, ſuas olim ſingularum tribuum, deinceps vni ſceptro tribus Iudæ ſubiectas, ſub cuius auſpicijs ſpargent & diffundent ſe VSQVE AD FLVMEN Euphratem, inquit Chaldæus & Vatablus; occupabuntque totam terram & ditionem olim (d) ſibi à Deo aſſignatam, quaquauerſum ad omnes mundi plagas, putà A MARI Galilææ, ad Orientem Iudææ, vſq; AD MARE Mediterraneum Occidentale eidem: & A MONTE Libano, Septemtrionali, vſque AD MONTES Idumææ Meridionales.

c *Oſee 1. v. 6.*

d *Ioſue 1. v. 4. Deut. 1. v. 7. 3. Reg. 4. v. 21. &c.*

℣.13. TERRA ſancta vſque ad finem 70. annorum, & vſque ad reditum Iudæorum è captiuitate, ERIT IN DESOLATIONEM, PROPTER ſcelera incolarum eius, ET PROPTER FRVCTVM COGITATIONVM, id eſt, propter peruerſa opera, EORVM] Reductos ergo in patriam, ſed deſertam, ſed incultam, & inter medios hoſtes ſuos,

℣.14. HABITANTES iam SOLOS quaſi IN SALTV, (e) inter feras, omnium rerum egenos, ab omnibus deſertos, omni ope deſtitutos, tu ô Deus, PASCE VIRGA TVA paſtorali, rege ſceptro tuo, GREGEM tibi *hereditarium*, POPVLVM Iſrael tot nominibus TVVM. Paſce, inquam, IN MEDIO pinguium paſcuorũ CARMELI, (f) id eſt, liberaliter, largè, affluenter. Reſpondet & annuit petitioni Prophetæ Deus: Ne dubita, PASCENTVR quaſi IN BASAN ET GALAAD, & depaſcentur fertiliſſimos agros & pinguiſſima paſcua, colligentque optimos atque vberrimos fructus, IVXTA DIES ANTIQVOS] vt olim ſub Dauide & Salomone. Et vt miraculoſo planè modo eduxi ſub Moyſe Iſraelitas

e *1. Mach. 4 v. 18. 2. Eſdræ 2. v. 13. &c.*

f *Cant. 7. v. 5. Amos 1. v. 2. Ierem. 7. v. 7.*

℣.15. E TERRA ÆGYPTI, & per prolixum ac ſterile deſertum, per tot hoſtes, per tot caſus in-

A duxi ſaluos in Palæſtinam, ibique eos ſtabiliui, ditaui, propagaui in immenſum; ita faciam ijſdem in regreſſu è Chaldæa. Allegoricè, S. Hieronymus, Haymo, Remigius, Rupertus. Hugo & Arias cenſent colloquium hîc eſſe inter æternum Patrem & Filium eius Meſſiam, & illum commendare huic Eccleſiam ſuam: hunc verò ſpondere, illam ſibi fore commendatiſſimam.

℣.16. VIDEBVNT hæc omnia GENTES, hoſtes Synagogæ & Eccleſiæ Chriſti, & ſtupebunt, ET CONFVNDENTVR quòd OMNI FORTITVDINE, omni induſtria, omnibus machinationibus *ſuis* non poſſint illi nocere vel obeſſe

PONENT MANVM SVPER OS, id eſt, obmutescent, obloqui, contradicere, contramutire non B audebunt. AVRES EORVM SVRDÆ ERVNT] nempe præ inuidia & dolore obturabunt aures, ne proſperos populi mei ſucceſſus audire cogantur.

℣.17. LINGENT interim PVLVEREM (g) terræ SICVT SERPENTES, id eſt, victoribus Iudæis ſupplices humi adſternentur, & more gentium ſuarum fronte humum feriẽt, vt ore terram tangere & lambere videantur: & VELVT REPTILIA PERTVRBABVNTVR etiam IN proprijs ÆDIBVS SVIS, quando hoſtili telo vel gladio exagitantur. Sanchez vult alludi ad elephantos & ceruos, qui ſolo halitu ſuo ſerpentes è cauernis extrahunt. (h) q.d. Pari facilitate Iudas, Ionathas, & alij Machabæi, Idu- C mæos, Ammonitas, Moabitas & alios hoſtes ſuos è latibulis & arcibus ſuis educent; & Apoſtoli atque Apoſtoliçi viri barbaras, feroces, & antea inimicas gentes, è ſuis errorum antris ad Chriſti ouile pertrahent.

g *Pſal. 71. v. 9. Iſaiæ 49. v. 23.*

h *Plin. l. 11. c. 53.*

℣.17. QVIS, ô DEVS, SIMILIS TVI, fortitudine, ſapientia, maieſtate, ſed præ omnibus, bonitate, miſericordia, beneficentia? QVI per filium tuum Chriſtum, AVFERS INIQVITATEM omnem, ET perinde ac ſi non videres, TRANSIS, præteris, diſſimulas, imò remittis omne PECCATVM RELIQVIARVM HEREDITATIS TVÆ, tum quoad culpam, tum quoad pœnam? Iam enim pœnitentibus cum Daniele Iudæis, & Babylonica ſeruitute ſat caſtiga- *Daniel. 9. v. 2. &c.* D tis NON IMMITTET VLTRA DEVS FVROREM SVVM, nempe ob ſcelera antè admiſſa. Nam relapſis iterum nouas decreuit pœnas ſub Antiocho, & ſub Tito. Incipit hoc verſu Propheta doxologiam ſuam, qua in Dei laudes gratulabundus erumpit, & proſequitur vſque ad finem capitis.

℣.19. DEPONET ex humeris noſtris graues *iniquitatum noſtrarum* ſarcinas, ET PROIICIET IN PROFVNDVM MARIS] id eſt, omninò abolebit, perdet & extinguet.

℣.20. DABIS VERITATEM IACOBO, & MISERICORDIAM ABRAHAMO: id eſt, miſericorditer, ſed verè ac fideliter implebis in Iacobi & Abrahæ poE ſteris, quæcumque eidem Abrahæ, Iacobo, alijſque PATRIBVS NOSTRIS olim promiſiſti: Primò, de perpetua cura (i) ac protectione poſterorum. Secundò, de liberatione eorumdem, (k) ſi quando pœniterent, è captiuitate alijſque miſerijs in quas ob ſua ſcelera deuoluentur. Tertiò, ac præcipuè, de Meſſia ex eorum ſemine (l) naſcituro, qui ſuo merito mundum vniuerſum à peccatis peccatorumque pœnis, & omni alio malorum genere liberet, donetque cæleſti gratia, ſalute, felicitate & gloria ſempiterna.

i *Geneſ. 15. v. 14. & c. 28. v. 12.*

k *Deut. 30. v. 1.*

l *Geneſ. 12. v. 3. c. 18. v. 18. c. 22. v. 18.*

NAHVM,

a *Genes. c. v. 29.* נחם

b *Nahum 1. v. 1.*

IDEM est quod *Noë* (a) scilicet consolator, à radice *nacham*, id est, consolatus est, inquit Pagninus: in *Elkesi* (b) Galilææ viculo natus trans Iordanem, versus Begabar, in tribu *Simeon*, inquit Epiphanius & Dorotheus in eius Vita. Minas Ionæ contra Niniuen renouat & instaurat. Etsi enim post relapsum in priora sub Sardanapalo scelera, paucis annis à discessu Ionæ, vtcumque grauiter punita esset Niniue, dum à Phul-bel-ocho Babylonio, & Arbace Medo capta & subiugata est, Sardanapalo ad mortem sibi conscisscendam compulso, vt dixi in Chronico, & in fine commentarij Ionæ: eadem tamen vrbs tunc non est funditus excisa, quin potiùs magis paulò pòst floruit sub eodem Phul-bel-ocho, alijsque potentissimis regibus Assyriorum, Teglat-phul-asar, Salman-asar, Sennach-erib, & Assar-haddon: quibus ducibus ad priora, imò grauiora scelera & tyrannidem redijt. Vnde de nouo vindictam diuinam, & plenum excidium illi intentat Propheta *Nahum*, & cum illa toti Assyriæ & Assyriacæ monarchiæ, cuius sedes regia & metropolis erat Niniue. Fluxerũt autem à Ionæ prophetia, sexto anno Oziæ regis, vsque ad prophetiam Nahum duodecimo circiter anno regis Ezechiæ, (c) anni nonaginta. sub hoc tempus *Nahum* prophetasse constat ex eo, quòd post abductas à Salman-asare decem tribus, hoc est, post sextum (d) annum Ezechiæ. prædixerit aduentum (e) Sennacherib in Iudæam, qui contigit inchoãte decimoquarto anno eiusdem Ezechiæ. ita S. Hieron. Theod. Theophyl. Remigius, Haymo, Albertus, Hugo, Torniellus, Ribera, à Castro, à Lapide. Excidium porrò Niniuæ totiusque monarchiæ Assyriacæ contigit 85. annis post hanc prædictionem Nahum: tot enim fluxerunt anni à decimotertio Ezechiæ, vsque ad decimumtertium Iosiæ regis, quando à Nabuchodonosore seniore Chaldæo & Cyaxare Medo, expugnata & excisa est vrbs, & imperium ac monarchia ad Chaldæos translata, vt dixi in Chronico. Per excidium Niniuæ, id est, *speciosæ* S. Hieronymus Anagogicè excidium vniuersi vult designari. Sanctè & vixisse & obijsse Nahum, sepultumque in Begabar, tradunt ijdem qui suprà Epiphanius, Dorotheus & alij scriptores.

c *Chronici c. 29.*
d *4. Reg. 18. v. 10.*
e *Nahum 1. v. 8.*
Torniellus anno mundi 3321.
Chronici c. 33. in Cyaxare, & c. 34. in Nabopolassare. & c. 35. in fine.

נינוה

CAPVT I.

Niniuitis toties relapsis extremum tandem extidium praedicit: Israelitas verò consolatur, promittens, regis Sennacheribi hostis sui in Iudæa turpem stragem, totiusque tandem Assyriaci imperij euersionem per Chaldæos.

f *Isaiæ 13. v. 1.*

V. 1. ONVS (f) NINIVE] Id est, prophetia onerosa *Niniuitis, libro* à Nahum comprehensa & Niniuitis transmissa: neque enim adijt ipsemet vrbem *Niniuen*, vti Ionas adierat, inquit Arias.

V. 2. DEVS ÆMVLATOR] Hebraicè, *fortis zelotis & vltor est Iehoua*, id est, vehemens atque ardens amator suorum, & vltor hostium.

V. 3. MVNDANS NON FACIET INNOCENTEM] (g) Id est, nullo modo declarabit Niniuen mundam vel innocentem, putà perpetuò tacendo, patiendo, dissimulando: sed potiùs nocentissimam ac sordidissimam esse declarabit coram toto mundo, grauissimè illam statò tempore puniendo.

g *Num 14. v. 18. & Exodi 34. v. 6.*

A IN TEMPESTATE VIÆ EIVS] Poëtica catachresi describit pugnam Dei cum Assyrijs, quasi magno impetu & fragore in eos irruentis, pulucrem pedibus equorum (h) & rotis curruum suorum excitantis, eoque aërem obscurantis. Symbolicè significat strepitum & multitudinem copiarum Chaldæarum & Medarum Niniuen aggredientium, oppugnantium & expugnantium.

h *Ezech. 26. v. 10.*

V. 4. INCREPANS; (i) LXX. *comminans*, id est, more increpantis & comminantis cogens MARE diuidi vel *exsiccari* concuti vel tranquillari, prout ei libuerit. Symbolicè mare & flumina designant copiam ciuium, militum & opum Niniuæ: sicut B BASAN, CARMELVS ET LIBANVS, vbertatem frugum, fructuum & gregum. quæ omnia in excidio Niniuæ sustulit & extinxit Deus.

i *Psal. 105. v. 9. & Matth. 4. c. 39.*

V. 6. INDIGNATIO, ira & vindicta EIVS, ex nunc certo decreto EFFVSA EST, (k) & suo tempore etiam reipsa effundetur in vos ô Niniuitæ, & in omnes peccatores, vt solet è fornace conflatoria ferrum, æs, vel plumbum liquatum & ignoscens, pertuso obice defluere instar IGNEI torrentis, *petras* & saxa & alia quælibet omnia momento incendentis

k *Isaiæ 33. v. 14. Iudic. 5. v. 20.*

cendentis & absumentis. Sed qui hostibus suis adeò terribilis est, amicis vice versa summè & extremè

¥.7. BONVS est; LXX. χρηστὸς, id est, suauis, beneficus, vtilis, vt nunc, ô Iudæi, experiemini in aduentu potentissimi Assyriorum regis Sennacherib. Exanimes *(a)* enim metù *confortabit*, *(b)* ac roborabit. Hebraicè est *maoz*, id est, fortitudo, locus munitus, arx, præsidium erit suis Deus IN omni TRIBVLATIONE. Vnde desumptum nomen Dei Antichristi, Deus *Maozim*, *(c)* id est, Deus fortitudinum, id est, *Mars*, vt vertit Pagninus. *Scit (d)* etiam, sed scientia approbationis & practica, seu efficaci, id est, amat, charos habet, protegit, propugnat SPERANTES & confidentes IN SE. Vti experiemini

a 4. Reg. 18. v. 14.
b Ibid. c. 19. v. 6.
c Dan. 11. v. 38.
d Exodi 33. v. 12. & 2. Tim. 2. v. 19. & Matt. 7. v. 23.

¥.8. IN DILVVIO PRÆTEREVNTE; id est, in castris numerosis Sennacherib, instar diluuij inundantibus *(e)* & opplentibus Iudæam, inquit Rupertus & Liranus: Deus enim CONSVMMATIONEM *(f)* FACIET LOCI EIVS, id est, consummatè & plenè perdet *locum*, id est, Assyrios castramentãtes in loco per tyrannum ad id delecto. Sed Theodoret. Clarius, Arias, Vatablus & à Castro, per diluuium hoc intelligunt exercitus Chaldæorum & Medorum, innumerabili multitudine, impetu & celeritate Assyriam inuadentes, & vrbem regiam Niniuen obsidione cingentes, imò & diluuio aquarum obruentes, teste Diodoro Siculo, qui scribit, supra quadringenta millia ex Chaldæis, Medis, Persis, Arabibus & Bactrianis (en hominum diluuium) ad Niniues expugnationem confluxisse: cumque biennali obsidione parùm promouissent, tandem continuis imbribus excrescentem supra modum fluuium Tigrin, (en & aquarum diluuium) magnam vrbis partem inundasse, & muros ad viginti stadia deiecisse, & hostibus ingressũ fecisse. Quod etiam Nahum cap. sequenti indicat, cùm v. 6. ait: *Portæ fluuiorum apertæ sunt, & templum ad solum dirutum*: & v. 8. *Ninive quasi piscina aquarum: ipsi verò* incolæ *fugerunt*. Et his subscribũt S. Epiphanius, & Dorotheus & alij complures.

e Isaiæ 7. v. 7.
f Isaiæ 10. v. 23.
Diod. lib 3. & 5. hist.
Epiph. & Doroth. in Vita Nahum.

¥.9. QVID, ô Assyrij, COGITATIS mala CONTRA DOMINVM, cùm in ipsũ blasphemi, (g) & in populum eius iniurij, tanto impetu ruitis ad excidendos Iudæos, sicut excidistis Samaritas? Ipse profectò vos consumet & disperdet, vt iam dixi: nec permittet, *duplicem* per vos *consurgere tribulationem* aduersus populum suum. ita Chaldæus, Arabicus & Syrus, cum S. Hieronymo, Remigio, Haymone, Lirano, & Hebræis. q.d. Sufficiat vobis, quòd Deo permittente regnum decem tribuum per Salmanasarem exciderit is: non patietur clementissimus Dominus vt altera simili generali strage populum eius absumatis, reliquas duas tribus excidendo & perdendo. Sat enim pœnarum iam dederunt etiam hæ duæ tribus, in tot amicorum, imò fratrum suorum excidio & obductione. Quin potiùs, Assyrij, dum in Iudæa & obsidione Ieroso lymæ,

g 4. Reg. 18. v. 35. & Isaiæ 36. v. 20.

¥.10. SICVT SPINÆ SE INVICEM densis agminibus COMPLECTENTVR, epulantes, compotantes & obsessis insultantes, ex improuiso manu angelica *(h)* sternentur, & QVASI *arida* STIPVLA, igne cælestis vltionis absumentur. Pari modo, capietur à Chaldæis & Medis *Ninive*, cùm ciues muris & munitionibus suis præfidentes, conuiuijs & symposijs vacabunt. & ità factum scribit idem Diodorus. Porro causa cladis tuæ

h 4 Reg. 19. v. 35.
Diod. l. 3.

¥.11. EX TE, ô Niniue, EXIBIT, nempe rex tuus Sennacherib, qui more priscorum gigantum, cum ipso Deo bellum gerere præsumit, populum, vrbem, templum ipsi sacrum & tam charum subuertere studens & exscindere.

¥.12. ETSI PERFECTI FVERINT Assyrij copijs, opibus, viribus, ita vt nihil ipsis desit, ET ITA PLVRES, vt Iudæi cum illis comparari non possint; tamen ATTONDEBIT eos angelus suo gladio *pertransiens* & feriens: nempe, quasi capillos facillimè ac celerrimè quotquot volet resecabit, & sic PERTRANSIBIT atque euanescet omne illud robur exercitus Assyriorum: & ipse præ omnibus rex Sennacherib probrosa fuga *pertranssibit* è Iudæa in Assyriam, & ibi manu filiorum suorum *transsibit (i)* ex hac vita in gehennam. ita ferè S. Hieronym. & alij suprà citati.

i 4. Reg. 19. v. vlt.

AFFLIXI TE, ô Israel, ô Iuda, satis superque pro culpis hucusque patratis NON AFFLIGAM TE VLTRA, nisi nouis scelcribus ad id me de nouo coëgeris.

¥.14. SVPER TE autem, ô Sennacherib, PRÆCIPIET, decernet, sanciet DOMINVS, VT NON SEMINETVR EX NOMINE TVO AMPLIVS: id est, vt deinceps nulli filij ex te procreentur, qui nomen & stirpem tuam propagent, inquit S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo, Liranus, Vatablus & Ribera: qui verò iam ex te procreati sunt, exitio erunt tibi tuæque familiæ. Nam filij tui Adramelech & Sarassar proprijs te manibus iugulabunt IN DOMO DEI TVI Nesroch, *(k)* ibi (sic vertit Chaldæus & Pagninus) PONAM SEPVLCHRVM TVVM: QVIA enim INHONORATVS è fuga Iudaica rediisti in patriam, non dignabuntur te subditi alio mausolæo: sed in ipso templo tam infami parricidio iam profanato, submotis inde omnibus idolorum quasi indignantium statuis ac sculptilibus, leui opere te tumulabunt. Assar-haddon autem filius tuus succedet quidem tibi, sed in probrum & in ruinam familiæ tuæ. Nam tyrannide sua & alijs infamibus scelcribus, odium omnium in se prouocabit, & sceptro exutus æmulæ illud familiæ transscribet, putà Nabuchodonosori Chaldæo, vel saltem ex non tua familia oriundo (vt dixi in Iudith & in Chronico:) & sic extincta familiâ tuâ, etiam regnum & monarchia ad exteros demigrabit.

k Ibidem.
Iudith c. 1. v. 5.
Chronici c. 33. in Assar-Haddon.

¥.15. ECCE iam SVPER MONTES adsunt PEDES EVANGELIZANTIS tibi, ô Ierosolyma, ô Iudæa, cæsum, fusum, fugientemque regem Sennacherib, & pristinam PACEM tibi redditam. NON PERTRANSIBIT IN TE ampliùs BELIAL, *(l)* id est, impius ille & Deo rebellis Assyrius, iam enim totus vel cæsus, vel dissipatus, INTERIIT. ita S. Hieronymus, Hugo & Vatablus. Allegoricè, S. Cyrillus & Theophyl. hęc omnia adaptant diabolo, peccato & morti per Christum prostratis, cæsis, contritis.

l Deut. 13. v. 13. Proverb. 6. v. 12.

CAPVT II.

Prædicit obsidionem & excidium regiæ vrbis Niniues & imperij Assyriaci per Chaldæos & Medos, quorum arma, castra & milites graphicè depingit.

¥. 1. ASCENDIT contra te, ô Niniue, hostis Chaldæus & Medus QVI CORAM TE, id est, in oculis tuis, in suburbana tua DISPERGAT *(m)* copias suas militares, quibus dissipabit ac disperdet omnes aggeres, vallos ac munitiones tuas, ET biennio toto CVSTODIET OBSIDIONEM, arctissimè

m Nahum v. 9.

sim.è te concludens omni ex parte. ita Hebræi, S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo, Liranus, Clarius, Ribera, à Castro, à Lapide. CONTEMPLARE è speculis tuis VIAM qua vndique ad te cingendam accurrunt: CONFORTA LVMBOS, collige quidquid virium habes, vt aduentantibus resistas.

¥.2. QVIA REDDIDIT DOMINVS Niniuitis SVPERBIAM, id est, pœnam debitam *superbiæ* ac tyrannidi exercitæ tam per Sennacherib (*a*) in IACOB, id est, in duas tribus toti familiæ Iacobi reliquas; quā in ISRAEL, id est, in regnum decem tribuum per Teglath-phalasar (*b*) & Salmanasar: (*c*) qui PROPAGINES, id est familias EORVM, partim excidio, partim abductione & exilio CORRVPERVNT. ita S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo, Liranus, imò & LXX. Nunc ergo primam Chaldaici & Medici exercitus aciem contemplare:

a 4. Reg. 18. v. 13.

b 4. Reg. 15. v. 29.

c C. 17. v. 3. & seqq.

¥.3. CLIPEVS FORTIVM EIVS, qui in prima acie collocantur, IGNITVS, id est, aureus est vel ex aurichalco: (*d*) VIRI induti COCCINEIS, id est, purpureis vestibus. q.d. Nobiles omnes erunt, ac proinde generosi, strenui, imperterriti milites, qui ignem & æstum internum animi, & sitim sanguinis, etiam externa veste sanguinea & quasi ignita contestentur. Et hæc est ratio cur non modò olim Chaldæi, Medi, Persæ, (*e*) Græci, (*f*) Romani, (*g*) Hispani (*h*) sed & nunc Galli ac Germani, saltem nobiliores milites veste vtantur purpurea, vt fusè docet Martinus de Roa, Additque ipsos hoc etiam habitu sanguineo exprimere velle, promptos se paratosque pro rege suo, pro republica sanguinem profundere. Vt & Cardinales sua purpura testantur, se pro Christo & pro Ecclesia paratos proprio sanguine purpurari. Nunc ad secundam aciem,

d 3. Reg. 7. v. 45.

e Xenophon l. 6. Cyropædia.

f Homer. Iliad. 9. Plutarchus in Antioch. & Cleomene.

g Lipsl. 4. militiæ Roman. c. 12.

h Diodor. l. 6. Roa lib. 1. Singular. s. 2.

IGNEÆ, id est, aureæ, & instar ignis fulgentes, HABENÆ CVRRVS IN DIE PRÆPARATIONIS, seu expeditionis bellicæ. Pro *habenis*, Chaldæus, Tigurini, Vatablus, Pagninus & Rabbini vertunt *Lampades* vel tædas. q.d. Currus eorum falcati tanta rapiditate ferentur, vt ferro rotarum versantium ad silices allisо, ignis emicet vndique instar facis vel fulguris. ET AGITATORES curruum peritissimi ac dexterrimi, vino, insuper, vel (si mauis) furore CONSOPITI SVNT] non quoad sensus aut præsentiam animi, sed quoad apprehensionem periculi vel metum prælij. q.d. Adeò ardentes & præcipites feruntur in pugnam, vt furor illis & vinum mentem omnem & consilium eripuisse videantur, inquit Sanchez.

¥.4. IN ITINERIBVS tanto numero, tanta celeritate, tanto impetu discurrunt, vt non rarò sese inuicem *conturbent & collidant*, ac collisione ignem flammasque excitent. ita S. Hieronymus, Remigius, Rupertus, Hugo, Liranus, Arias & à Lapide.

¥.5. RECORDABITVR FORTIVM SVORVM. q.d. Ad Niniues expugnationem seliget Nabuchodonosor & Cyaxares fortissimos quosque suorum exercituum, qui impetu muros petant: hi tanto numero & contentione & velocitate adcurrent & inuolabunt, vt subinde corruant per viam. PRÆPARABITVR nihilominùs, & muris suffodiēdis aut ariete quatiendis admouebitur VMBRACVLVM] id est, testudo, (*i*) seu machina ligneis tabulatis contexta, & corijs cilicinis, aduersus ignes contecta, sub qua delitescebant qui arietem agebant, vel muros suffodiebant. Eius loco successit alia, non

i Procop. l. 1. Belli Gothici. & Valtrin. l. 5. de Re militari c. 6.

A multùm alteri absimilis, modernæ militiæ machina, quam *galeriam* seu porticum vocant, quòd sub ea, tamquam sub tuta & commoda porticu, pateat transitus & accessus ad murum vel vallum hostilem suffodiendum. Suffossæ hoc modo, arietibus concussæ.

¥.6. PORTÆ FLVVIORVM, id est, portæ quæ ducunt ad fluuium, seu ad brachia fluuij Tigris, accedente eiusdem fluuij inexspectata eluuione, de qua cap. 1. v. 8. exesis fundamentis, collapsis muris, APERTÆ SVNT: ET TEMPLVM Niniues, fortè Nesroch; (*k*) opibus ac fama celebre, inquit Liranus, eadem exundatione *dissolutum* EST, vt vertunt Tigurini, & *solo* æquatum; LXX. *regalia*, id est, regium palatium & vicina (vt fit) palatio basilica, *conciderunt*.

k Nahum 1. v. 14.

¥.7. MILES Niniuæ præsidiarius, hostium superuentu obrutus, CAPTVS & in carcerem ABDVCTVS EST; LXX. *& substantia revelata est*, id est, opes omnes & thesauri Niniues patuerunt Chaldæis & Medis: Chaldæus vertit, *& regina quæ* in regia *sedebat* regi *assistens, in captiuitatem abijt*. Hebræum enim *hatzab* vel *hutzab* significat in genere subsistentem vel *stantem*, quod Noster de milite statario; LXX. de substantia seu opibus; Chaldæus de regina regi assistente exposuit; Pagninus ipsum Hebræum nomen *hutzab* quasi proprium reginæ retinuit, vertitque, *& Hutzab regina captiua ducta est, currum ascendere iussa.*

הצב
הצב

ET ANCILLÆ EIVS, virgines ac matronæ nobiles, nunc captiuæ, quasi mancipia, imò quasi pecudes MINABANTVR (*l*) ab hoste, & gregatim abducebantur in seruitutem: nec audebant ipsæ præ metu vel eiulare vel queri, solùm secretò gemebāt & murmurabant in corde.

l Exodi 5. v. 1.

¥.8. Interim tota vrbs NINIVE QVASI PISCINA, seu lacus, erat AQVARVM, plena vbique & scatens aquis, quas Tigris effractis cataractis in eam effuderat, sitam loco humili & paludoso, vt Herodotus & Diodorus testantur. IPSI VERO incolæ eius & milites præsidiarij, viso hoste, DIFFVGERVNT: frustra principibus Niniues inclamantibus, STATE viriliter, STATE intrepidi, & hosti resistite. Melius auscultabunt Chaldæi & Medi ducum suorum monitis:

Herod. l. 1. Diodor. l. 3.

¥.9. DIRIPITE ARGENTVM omne ET AVRVM tot sæculis in vnam vrbem congestum: *vasa* eius & monilia vt numero infinita, sic specie sunt pulcherrima ac pretiosissima. Atque ita

¥.10. DISSIPATÆ sunt opes & thesauri Niniues, & vrbs in frusta CONSCISSA ET DILACERATA: incolis COR erat TABESCENS dolore, pauore, nimiaque angustia. Inde DISSOLVTIO, tremor & collisio GENICVLORVM: DEFECTIO *renum*, seu lumborum & virium: denique vultuum NIGREDO instar OLLÆ, de quâ alibi. (*m*)

m Ioel 2. v. 6. Isaiæ 13. v. 7.

¥.11. VBI nunc EST speciosa illa & superba Niniue, spelunca & HABITACVLVM LEONVM, regia sedes Assyriacorum prædonum ac tyrannorum? in qua quasi in pascuis vberrimis & deliciosissimis æquè ac tutissimis, pascebant se reges & regum filij spolijs & prædis totius orbis terrarum.

¥.12. SVFFICIENTER iam CEPIT ac prædatus est LEO iste Assyrius, vt CATVLIS AC LEÆNIS, id est, filijs ac filiabus, vel potiùs vxoribus ac concubinis, SVIS epulum instruat opiparum.

¥.13. ECCE EGO AD TE, ô Niniue, subuertendam & exscindendam per Chaldæos & Medos, adsum in procinctu. QVADRIGAS TVAS, id est,

omne

omne robur bellicum, omnia arma, quibus te restituram præsidis, in FVMVM & flammam conuertam. *Neque* VLTRA AVDIETVR VOX NVNTIORVM & emissariorum TVORVM] quos vel ad vrbes debellandas, vel ad tributa colligenda, vel ad alia imperia exequenda solebas per vniuersum orbem destinare. ita Remigius, Albertus, Hugo & alij.

CAPVT III.

Pergit describere currus, equites, gladios & hastas Chaldæorum ac Medorum, quibus Niniven meretricem, ob eius rapinas, cades ac maleficia penitus conficient: comparat eam cum Alexandria, cui vt similis est frequentia incolarum, robore, opibus, ac sceleribus, ita similis etiam fiet excidio & euersione.

¶.1. VÆ tibi, ô CIVITAS *sanguinaria*, gentium omnium sanguine ebria, in qua nulla veritas, nulla iustitia, sed omne *mendacium*, omne genus doli ac fraudis: DILACERATIONE prædarum, & rapinis PLENA. Numquam enim RAPINA RECEDET A TE] sed vt à tot sæculis cæpisti, ita perpetuò continuabis in hac tua tyrannide.

¶.2. VOX FLAGELLI aurigarũ è curribus Chaldæorum & Medorum, en auribus meis insonat. Atque ita pergit Nahum pulcherrima hypotyposi viuam belli Niniuitici imaginem repræsentare.

¶.3. ET CORRVENT IN CORPORIBVS SVIS, vel suorum. Nempe tanta erit Niniuitarum strages, tanta multitudo cadauerum, vt viam subinde tum Assyrijs fugientibus, tum Chaldæis insequentibus intercludent, vtrisque in ea impingentibus ac corruentibus. Porrò mala hæc omnia obuenient Niniuæ,

¶.4. PROPTER MVLTITVDINEM FORNICATIONVM impudentis MERETRICIS huius, quæ & nomine & re SPECIOSA est, ac proinde omnibus gentibus GRATA, cùm ob MALEFICIA sua & superstitiones atque artes magicas, quibus omnium oculos fascinat, & ita incautos præcipitat in ruinam, deberet omnibus esse ingratissima & extremè exosa. Nam innumeras FAMILIAS, imò integras GENTES, sibi qua vi, qua dolo, qua alijs malis artibus subiectas & in seruitutem redactas, pro eo quòd opibus suis, vt reginam decebat, eas pasceret, ditaret, protegeret; summa perfidia VENDIDIT hosti, dum prætextu idolorum suorum propugnandorum, & finium dilatandorum coëgit secum exire in aciem contra Chaldæos, Medos & alios hostes, obijciens incautas, gladijs hostilibus ouicularum instar mactandas. ita S. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Rupertus, Hugo & Liranus.

¶.7. QVIS COMMOVEBIT SVPER TE CAPVT] in signum (*a*) condolentiæ & compassionis?

¶.8. An tu, ô Niniue, MELIOR, fortior, potentior, populosior es populosissima & fortissima Ægypti metropoli *Minno amon*, seu *No*, (*b*) quæ tot populos sinu suo fouet, & post terna sæcula, ab Alexandro Magno vocata est ALEXANDRIA? QVÆ HABITAT IN FLVMINIBVS, abortu & occasu cincta *Nilo*; qui in varias riuos dissectus vrbem interluit, multasque in ea insulas facit. AQVÆ IN CIRCVITV EIVS] Nam ab Oriente & Occidente, Nilo, vt iam dixi: à Septemtrione, mari: à Meridie lacu Marcotico vallatur, teste Iosepho, Solino, & alijs.

¶.9. ÆTHIOPIA, ET tota reliqua ÆGYPTVS est FORTITVDO EIVS, quia inde auxiliares copias ad se euocabat Alexandria, sine *fine* & numero, vt & ex tota AFRICA, & maximè ex viciniore eius parte *Libya*. (*c*)

¶.10. SED ET hæc ISPA tam potens, tam munita Alexandria, decreto diuino ex nunc à Chaldæis expugnata est, & DVCTA IN CAPTIVITATEM, & suo tempore reipsa expugnabitur & ducetur, nempe 17. anno (*d*) post euersam Ierosolymam. SVPER INCLYTOS, id est, super primarios nobiles ac principes Alexandrinos iam captos MISERVNT Chaldæi SORTEM, quis cui cederet in seruum & mancipium.

¶.11. ET TV ERGO, ô Niniue, pari modo quo Alexandria INEBRIABERIS calice iræ & vindictæ diuinæ: ET ERIS DESPECTA; Chaldæus, *pessumdata*: ET QVÆRES AVXILIVM AB INIMICIS tuis, quos antè despexeras, sed ipsi denegabunt tibi.

¶.12. SICVT FICVS quæ *grossi* vocantur, vento agitatæ, vel alio modo CONCVSSÆ, facili negotio & sine labore decidunt IN os hominis sub arbore hiantis, ita MVNITIONES TVÆ, arces & propugnacula, quibus præfidis, ô Niniue, leui arietum concussione corruent IN OS, seu in manus, in sinum & potestatem Chaldæorum. ita Vatablus, à Castro, à Lapide. Sic Tropologicè, animæ peccatorum: & Anagogicè, munitiones totius orbis in die iudicij cadent in os extremi incendij, glutientis abyssi, deuorantis inferni, torquentis & mordentis diaboli, inquit Rupertus & Theophylactus.

¶.13. ECCE POPVLVS & miles TVVS imbellis & effeminatus instar *mulierum*: eius ignauia & metu PANDENTVR INIMICIS omnes PORTÆ TVÆ.

¶.14. AQVAM potabilem HAVRI TIBI, & cisternas tuas imple, PROPTER instantem OBSIDIONEM diuturnam (*e*) ac molestam: INTRA IN LVTVM, subige argillam, lateres confice, quibus ruinas murorum obstruas, & propugnacula instaures. Etiam isto in loco, isto in opere Chaldæi igne & ferro te absument VT (*f*) BRVCHVS germina absumit. CONGREGARE ERGO & tu, ET MVLTIPLICARE VT BRVCHVS, vel alia species *locustæ*, contrahe quantum vis numerum militum auxiliariorum: sicut

¶.16. PLVRES FECISTI & collegisti tibi NEGOTIATIONES, id est, mercatores, merces & opes, QVAM STELLÆ SINT CÆLI; BRVCHVS ille omnis, id est, collectio hæc omnis auxiliariorum & mercatorum & opum, *expansis* alis *auolabit* à te, fugient ad primum hostium accessum.

¶.17. CVSTODES TVI: id est, duces (*g*) ac præfecti. Hebræum *minnezaraich*, à *nezeer*, id est, corona, lamina diadematis, coma, consecratio; Vatablus vertit, *coronati tui*; Chaldæus, *lamina tua*; Tigurini, *comatuli tui*; Pagninus, *magnates & principes tui*; alij, *consecrati, separati*, vel *nazarai tui*. Nempe principes & sacerdotes, qui corona, diademate, & prolixa cæsarie à vulgo separantur, & quasi res sacra Deoque consecrata coluntur & honorantur; infami fuga tempore tantæ necessitatis se subducent, vt solet se subducere locusta cùm deficit herba quam depascebatur. ET PARVVLI TVI: id est, inferiores & gregarij milites omnis generis & ex omni gente. Hoc enim significat Hebræum *taphsar*, quod propterea LXX. vertunt, *commistos*: nisi malis per *taph* significari *paruos*, & per *sar* principem, q.d. Paruos principis, supple, seruos, mili-

a *Iob 16. v. 5. Ierem. 18. v. 16. &c.*

מנא אמון

b *Ierem. 46. v. 25.*

Ioseph. l. 2. Bell. c. 16. Solinus Polyhist. c. 35.

c *Ierem. 46. v. 9.*

d *Chronici c. 34 sub fin.*

e *Nahum 3. v. 8.*

f *Ioël 1. v. 4.*

g *Ierem. 4. v. 17. Iob 7. v. 20.*

מנזיך נזר

טפסר טף

milites, subditos: omnes à te iam periclitante diffugient QVASI LOCVSTÆ LOCVSTARVM proles, scilicet *attelabus*, vt LXX. & Tigurini vertunt, de quo nos alibi. (a)

a *Ioël 1. v. 4. Leuit. 11. v. 22.*

℣. 18. PASTORES TVI, id est, præfecti militiæ tuæ, ô rex Niniues, ô *Assyriæ* monarcha, desides atque oscitantes DORMITAVERVNT: vnde vt vino somnoque, ita & mox humo sepulti sunt, iugulati à Chaldæis.

℣. 19. CONTRITIO TVA, id est, excidium & euersio tua, ô Niniue, NON EST OBSCVRA, non A est secreta, sed publica & toti orbi conspicua: OMNES QVI AVDIERVNT AVDITIONEM, id est, famam (b) cladis & excidij tui, COMPRESSERVNT MANVM SVPER TE; Chaldæus, *complosserunt manibus latantes* de tuo infortunio. Quæ enim natio est sub cælo, SVPER *quam* NON TRANSIIT MALITIA & tyrannis TVA per iniqua tributa, aliasque exactiones & oppressiones? neque id exiguo tempore, sed semper & continuò per tredecim (c) & plura sæcula.

b *Prolog. de Idiotismis Hebr. n. 46.*

c *Chronici c. 55.*

HABACVC,

Hieron. in Prologo Habacuc & Galeato. Isidor. & Epiph. in Vita Habacuc.

ID est, amplexator, vel luctator, inquit S. Hieronymus, ex agro *Bithicucat* (secundùm S. Isidorum) vel *Bexzochar* (secundùm Epiphanium) in tribu Simeon oriundus, prophetauit post Nahum, ante, vel vnà cum Sophonia & Ieremia. ita Hebræi, Vatablus, Clarius, Arias, Gueuara & à Castro. Vnde nihil obstat quo minùs hic Noster Habacuc vnus idemque sit cum illo qui Danielis vltimo v. 32. per aërem ab angelo è Iudæa in Babyloniam traductus, prandium tulit Danieli coniecto in lacum leonum, vt ibidem dixi, & sentit S. Hieron. Epiphan. Dorotheus, Remigius, Albertus, Hugo, Liranus, Hector Pintus, Pererius & alij. Prædicit excidium Ierosolymæ & Iudææ per Chaldæos, ac deinde Chaldæorum euersionem, & Iudæorum liberationem per Cyrum & Persas: & totius humani generis per Christum, cuius natiuitatem, vitam, passionem, resurrectionem, & extremum iudicium insigni carmine pangit ac depingit. Vitâ sanctè peractâ, Sanctorum catalogo asscriptus legitur 15. Ianuarij: corpus eius sub Theodosio seniore diuina reuelatione repertum fuit, vt dixi in procemio Michææ.

Hieron. sup.

CAPVT I.

Propheta de nimia Iudæorum prauitate conquerenti promittit Deus, se totius Iudææ per Chaldæos excidio illam vindicaturum: quo audito Habacuc Deum precatur, vt populum suum quasi filium virga corripiat, non verò quasi hostem, gladio interimat & exscindat.

℣. 2. VSQVEQVO DOMINE clamabo, & non exaudies? VOCIFERABOR AD TE VIM PATIENS à nimia scelerum populi mei multitudine & enormitate, quotidie, vt ab illis populum liberes & expurges; sed VSQVEQVO NON SALVABIS, non expurgabis?

℣. 3. QVARE OSTENDISTI MIHI, seu quare fecisti me videre tantam tamque multiplicem INIQVITATEM ET LABOREM, (d) id est, iniuriam ac molestiam quam alij alijs inferunt, iniustè eos deprædantes, etiam CONTRA ME, id est, è regione mei, vt est in Hebræo & Chaldæo, id est, coràm me, in præsentia mea? Quòd si ad IVDICIVM vel *contradictionem*, seu priuatam, seu publicam coram tribunalibus deueniatur, ipsa semper ex parte iniquorum est potentior ac præualet, vt Chaldæus exponit. Et quia iniqui sola sua potentia leges omnes & iura, & iudices, & iudicia sic peruertunt;

d *Psalm. 9. c. 29. Ps 54. v. 11. Psalm. 139. v. 10.*

℣. 4. PROPTER HOC LEX omnis tam diuina, quàm humana, iacet LACERATA, & *dissipata*, vt LXX. verterunt. ita S. Hieronymus, Theodoret. Hugo & Liranus. ET IVDICIVM iudicum NON PERVENIT AD FINEM suum, id est, non assequitur A quod intendit, putà vt cuique ius suum tribuatur, & quisque pro merito causæ vel triumphet, vel plectatur. Verùm non erunt diuturnæ hæ tuæ querelæ, ô Habacuc: mox enim profiliam ad vindictam, eamque horrendam atque extremè expauescendam. Adesdum ergo Iudæi

בגדים

℣. 5. *Bogedim*, id est, *contemptores* mei mearumque legum, Sic enim legerunt & verterunt LXX. & ex illis S. Paulus Actor. 13. v. 41. pro eo quod in Hebræo est *baggoim*, id est, IN GENTIBVS, vt cum Nostro legerunt & verterunt Chaldæus, Aquila, Symmachus & Theodotion. Volente Spiritu sancto, ad plures sensus procreandos, vti tali littera, quæ si caput habeat breuius, est *vau*, in *baggoim*: sin longius, est ד *daleth* in *bogedim*, vt subinde alijs (e) in Scripturis vsu venit. Sed in idem redit hîc res: nam, esse *in Gentibus*, seu instar Gentium, vel de numero Gentium, idem est quod esse *contemptores* Dei & hominum: & vtrumque poterat meritò exprobrari Iudæis.

בגוים

B

e *Osee 13. v. 14. Genes. 47. v. 31.*

OPVS FACTVM EST à Chaldæis, nempe excidium & euersio Ierosolymæ, & abductio incolarum in Babyloniam. Allegoricè, opus vastationis Iudæorum spiritualis per excæcationem & reprobationem: & corporalis per Romanos, vt explicat S. Paulus loco iam citato. Quod antequam fiat, NEMO CREDET. Persuaderi enim non poterat Iudæis, templum & ciuitatem tam sanctam tradendam infidelibus, populum Dei destituendum ope diuina, & abducendum in exilium. Credebant cœlum citiùs ruiturum.

℣. 6. Ecce

℣.6. EGO tamen SVSCITABO CHALDÆOS ad hæc patranda, GENTEM AMARAM, id est, trucem ac ferocem, mira *velocitate* circumeuntem & PERAMBVLANTEM, sibique subijcientem LATITVDINEM totius TERRÆ, seu regionem in circuitu sibi adiacentium, VT eas non spolient tantùm, sed & stabiliter POSSIDEANT quasi TABERNACVLA, olim NON SVA, iam verò sua, vtpote bello capta.

℣.7. IVDICIVM quo gens Chaldæa gentes alias vel damnat & exscindit, vel conseruat & exaltat, item ONVS seu iugum quod quibus vult imponit, EX SEMETIPSA (*a*) EGREDIETVR, id est, ex sua ipsius voluntate & sic faciendi libidine, non verò ex certa ratione, iustitia vel iure. ita Theodoret. Theophyl. & Hugo.

℣.8. EQVI ET EQVITES EIVS LEVIORES, ac proinde VELOCIORES sunt PARDIS ET LVPIS VESPERTINIS, de quibus alibi. (*b*) LXX. & Arabicus Alexandrinus pro *ereb*, id est, vespera, alijs punctis legentes *Arab*, verterunt *lupos Arabes*, id est, lupos prædones & latrones. *Arabes* enim, quia latrocinijs infames, appellatiuè sumi solent pro latronibus, sicut *Chaldæus* pro ariolo, *Chananæus* pro mercatore, *Bœotus* pro hebete, &c. Allegoricè in diabolum optimè quadrant.

℣.9. FACIES EORVM VENTVS VRENS] Chaldæus, *vehemens*; Vatablus, *Orientalis*, quia hic in terra sancta, reliquaque Syria & Asia est vehementissimus; Tigurini, *quidquid faciebus eorum obijcitur, flaccidum fit, ac si vredo* illud *exussisset*. Et sicut turbine congregantur *arenæ*, ita Chaldæi colligent innumeros *captiuos*.

℣.10. TYRANNI, id est, reges, quantumcumque potentes, ERVNT RIDICVLI] LXX. *ludibria* Nabuchodonosori, id est, erunt illi risui, habebit illos ludibrio, faciet eos moriones suos, vel scabella pedum, vt Sapores postea fecit Valeriano Cæsari, & Tamberlanes Baiazeti Turcarum Imperatori.

℣.11. TVNC elato tot victorijs Nabuchodonosori MVTABITVR SPIRITVS, ex humano quasi in diuinum, (*c*) (volet enim in aurea statua sua adorari vt Deus:) deinde ex humano quasi in ferinum, (*d*) ita vt bos sibi esse videatur: vnde & ex hominum cœtu PERTRANSIBIT ad conuictum belluarum. ET ex altissimo fortunæ fastigio CORRVET in abyssum miseriæ & infelicitatis. Atque ob similem superbiam reliquorum Chaldæorum transibit ab ipsis monarchia ad Persas & Medos.

HÆC, scilicet, EST diuina illa FORTITVDO EIVS & DEI SVI; Chaldaicè, *idoli sui*. Est ironia & hostilis irrisio. q.d. Glorietur nunc de sua, & Beli sui fortitudine, quâ adeò insolescebat. Porrò minis his irati Dei in Iudæos territus Propheta, nomine totius populi supplicat Deo, stragem istam auertat,

℣.12. NVMQVID NON A PRINCIPIO vniuersi, imò æternitatis, TV, ô DOMINE es DEVS MEVS, pater, protector, sponsus meus? qui me tibi ex tot nationibus in proprium quasi peculium & hereditatem selegisti, segregasti, *sanctificasti*. An ergo iam relicti à te, reiecti & resecti prædæ erimus Chaldæo tyranno, ET MORIEMVR, & extinguemur? Fatemur ah DOMINE, te *posuisse* misisseque Nabuchodonosorem IN IVDICIVM, id est, in iustam vindictam reliquarum gentium, quarum peccatum VT CORRIPERES & castigares, firmasti, FVNDASTI, stabiliuisti EVM tot opibus, tot imperijs, tot victorijs.

℣.13. OCVLI, mens & affectus TVI SVNT MVNDISSIMI ac iustissimi, adeò vt nõ possis *videre* equis oculis, id est, approbare, MALVM, (*e*) aut fauere *iniquitati*. QVARE ergo nunc RESPICIS SVPER Chaldæos tam multa INIQVA AGENTES? & permittis vt ipsi nos *deuorent*? Esto enim simus peccatores: tamen Chaldæis tantis idololatris & tyrannis sumus *iustiores*, seu minùs iniusti & minùs impij.

℣.14. FACIESNE HOMINES tibi faciosac deuotos prædam fieri barbaro tyranno, sicut PISCES ET *reptilia*, seu MARIS, (*f*) seu terræ, (*g*) præda fiũt piscatori, vel alteri animali fortiori scil. *nec habent* PRINCIPEM qui eos ab iniuria tueatur, vel illatam vim propulset. In quo similes sint homines piscibus & reptilibus, vide apud Cornelium à Lapide.

℣.15. TOTVM, id est, totam piscium collectionem, quidquid in stagno est, rapax iste & auarus piscator Chaldæus suo hamo, sagena & reti exhaurit. Primò, regem *Ioakim* cum Daniele & socijs, (*h*) & alios pauculos è Iudæa quasi HAMO eduxit anno 1. regni sui. Deinde anno 8. SAGENA, seu minori reti *Ioachinum* (*i*) regem, omnemque eius aulam ac præcipuam nobilitatem cœpit & auexit. Denique anno 18. latissimo RETI *Sedeciam* (*k*) regem cum toto populo suo captiuum fecit. Ribera & à Lapide per *hamum* accipiunt dolos, technas, stratagemata: per *sagenam* & *rete* apertam vim & prælia Nabuchodonosoris.

℣.16. PROPTEREA quia tanta felicitate piscatur, ipse IMMOLABIT ET SACRIFICABIT SAGENÆ ET RETI SVO, tanquam Deo & auctori tot victoriarum. q.d. Arti suæ militari, & suis suorumque viribus, non tibi, ô Deus, acceptos feret suos triumphos, vt Mezentius apud Virgilium: *Virg. lib. 10. Æneid.*

Dextra mihi Deus, & telum quod missile libro.

Et fauebis tam impio, tam blasphemo? Patierisque vt his suis retibus pergat magis magisque in dies *incrassare* & roborare *partem* suam, seu sortem imperialem? & mensas suas instruere selectis ex toto orbe dapibus ac ferculis? Huius enim solius rei causa

℣.17. EXPANDIT quaquauersum SAGENAM SVAM] Chaldæus, *mittet exercitus suos*, vt expilet, exhauriat, absumat paulatim omnes gentes. ita S. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Remigius, Albertus, Hugo. Qui allegoricè omnia adaptant diabolo.

CAPVT II.

Querenti Habacuc, indignum esse tam multa concedi Chaldæis, respondet Deus, se, postquam per Chaldæos punierit Iudæos aliasque gentes, illicò perditurum illos. Vnde carmen lugubre occinit Nabuchodonosori, multiplex væ illi intentans: docétque frustra illum confidere in Belo & alijs idolis suis.

℣.1. STABO, etsi tot tentationum ictibus assiduè concussus, immota tamen & firma mente constanter FIGAM (*l*) GRADVM, quasi SVPER MVNITIONEM meæ *custodiæ* cõmissam. q.d. Non capio quidem, quâ ratione velit Deus populum suum tam scelesto tyranno tam indignis modis diuexandum, excidendum, & perdendum obijcere: nolo tamen propterea vel tantillum deesse muneri mihi cõmisso, sed pergam qua

a *Ierem. 44. v. 27. & Deuter. 8. v. 3. Matth. 4. v. 4.*

b *Ierem. 5. v. 6. Daniel. 7. v. 6.* ערב ערב

c *Daniel. 5. v. 1.*

d *C. 4. v. 30*

e *Psalm. 5. v. 7.*

f *Psal. 103. v. 25.*

g *2. Reg. 23. v. 8.*

h *Dan. 1. v. 1.*

i *4. Reg. 24. v. 11.*

k *Cap. 25.*

Eccli. 11. v. 22.

docendo,qua monendo, qua increpando inuigilare bono & saluti gregis mihi crediti tanquam Prophetæ,doctori & pastori.Interim summa vigilantia & attentione CONTEMPLABOR, num QVID cælitus MIHI reuelandum aut indicandũ sit,quod RESPONDEAM AD ARGVENTEM ME intellectum meum. ita Theodoretus,Theophylactus,Pagninus & Vatablus, qui vertunt, *ad disceptationem meam*,vel *ad argumentum meum*, quo cap.præced. euincere conatus sum,non debere cõmitti Chaldæis excidium & euersionem populi Dei.

¶.2.ET RESPONDIT MIHI anhelo & anxio benignissimus DOMINVS:SCRIBE VISVM]id est,rem à te visam, quam tibi nunc reuelo & videndam propono. Atque vt omnibus innotescat,*scribe* nõ in libro vel volumine, mox claudendo & seponendo,sed *in tabulis* apertis & expansis,vt publicè legi & percurri possit à quocumque prætereunte. LXX.*scribe visionem manifestè in buxum*. Quia enim buxus læuis est & facilè characteres excipit, olim frequens vsus erat tabularum è buxo, in quas vel incidebant characteres stylo chalybeo, (& talem esse titulum crucis Christi, testatur Beda & alij testes oculati, qui cum Romæ in ecclesia S.Crucis viderunt:) vel ceram inducebant,atque in cera complanata litteras efformabant, vt fusè docet Cucuara.Scribe autem ad memoriam posterorum :

Beda in Collectaneis & Floribus.

¶.3.QVIA VISVS hic,seu res quæ iam tibi videnda proponitur,ADHVC PROCVL est,post multos demum annos, cum fine 70. annorum captiuitatis Babylonicæ complenda.Nam ad litteram hîc agi de Chaldaici imperij euersione, & Iudæorum è Babylone liberatione, patet ex contextu Prophetæ,& docent S.Cyrillus,Theodoretus,Albertus,Arias,Vatablus,à Castro & à Lapide.Allegoricè, tamen loquitur de euersione regni diaboli,& mundi liberatione per Christum,vt S.Paulus (*a*) & alij exponunt.

a Rom 1. v. 17. *Hebr.*10. v. 38.

¶.4. ECCE QVI INCREDVLVS EST huic prophetiæ de liberatione per Cyrum & Christum obuentura,NON ERIT RECTA ANIMA EIVS,seu vita,sed distorta erit & iniqua & molesta, & misera,tum naturaliter, quia carebit certissimo liberationis aliquando obuenturæ solatio : tum supernaturaliter,quia carebit interna iustitia & gratia iustificante,ac proinde *displicet Deo*,vt vertunt LXX.& ex illis S.Paulus. (*b*) Nam *sine fide* & fiducia *impossibile est placere Deo*.E contrario IVSTVS & fidelis, qui Deo promittenti credit, per hanc *suam* (vt etiã vertit Aquila, Symmachus & Theodotion;) vel *meam fidem* (vt LXX.vertunt,sed eadem est fides *nostra*,quæ *Dei*,nempe nostra est subiectiuè,sed Dei est obiectiuè;) VIVET vita recta, sancta,felici & amœna secundùm vtrumque hominem,spe futurorum sese recreans, (*c*) & interea constanti tolerantia aduersitatum, maiorem perpetuò gratiam, fauorem & gloriam sibi comparans apud Deum.

b Ibid.

*c Genes.*49. v.18. *Iob* 13.v.15. *Prou.* 16. v.20. *Eccli.*2. v. 6.& 8.

¶. 5. QVOMODO VINVM immodicè sumptum DECIPIT & inebriat & *dedecorat* POTANTEM, facitque non modò reuomere,sed & ruere in extremã subinde perniciem:SIC ERIT VIR iste SVPERBVS Nabuchodonosor, vino fortunæ nimis prosperæ inebriatus & mente dimotus insanit, furit, tumultuatur,turbat omnia,sed mox ad belluas relegatus,fabula & ludibrium erit toti mundo, cogeturq; pòst paulò per filium suum Balthasarem omnia quæ cepit, vnà cũ imperio & vita reuomere. ita S.Hieronymus, Theophylactus,Remigius, Hugo,Liranus,Clarius,Vatablus, Delrio,Ribera, à Castro,à Lapide. Tum breui vrna concludetur, cui antea non sufficiebat vniuersus orbis, *& dilatabat* QVASI INFERNVS ANIMAM SVAM,seu sitim & auiditatem appetitus sui, quæ insatiabilis atque inexplebilis est:ET QVASI MORS,quæ licet omnibus dominetur,omnesque deuoret,nunquam tamen satiatur,sed quò plures debellat, subiugat & mactat,eò plures perdere anhelat.Ita ijdem.

Delrio adag. 1002.

¶.6.OMNES ISTI qui nunc tyrannicè per Nabuchodonosorem subiguntur,tunc SVMENT SVPER EVM PARABOLAM ET ÆNIGMA, id est,parabolico & prouerbiali carmine,imò scommate ludent in eum,& subsannabunt illum *dicentes*, VÆ, &c.Simile carmen de eodẽ Chaldæo tyranno pangit etiam Isaias, & alij de (*d*) aliis. AGGRAVAT, id est,multiplicat, CONTRA SE DENSVM LVTVM,id est,aurum,argentum,aliasque opes; LXX.*torquem suam*.Sed hęc *torques* erit ei laqueus & catena quibus tota eius familia & stirps illaqueabitur & strãgulabitur à Persis & Medis,qui etiã instar canum in te CONSVRGENT,VT MORDEANT TE,prædamque quam cepisti,faucibus eripiant. Ita ijdem,nisi quòd Clarius & Vatablus id de *vermibus* exponant,quos Balthassari intentat Isaias c.14.*Subtus te sternetur tinea,& operimentum tuum erunt vermes.*

Isaiæ 14. v.4. *d Ezech.*32. *in argum.*

C ¶.8.PROPTER SANGVINEM HOMINIS] LXX.& Chaldæus, *hominum*, id est, quia tam copiosum sanguinem humanum profudisti; & præ alijs tam *iniquè* ac crudèliter in Iudæam, vrbemque Ierosolymam,& in omnes eius incolas sæuijsti.

¶.9. VÆ QVI CONGREGAT AVARITIAM, id est,opes auarè per vim & rapinam extortas, MALAM,id est,pernicioſam & exitialem DOMVI SVÆ] Tigurini, *væ inhianti lucro, idq; malo domus suæ.* Lucri enim odore attracti Persæ & Medi stimulabuntur ad domum eius inuadendam, spoliandam & exscindendam.

¶.11.LAPIS DE PARIETE,ET LIGNVM,etsi abditum in *iuncturis* palatiorum tuorum, toti orbi testabuntur, & CLAMABVNT, (*e*) te raptorem & tyrannum esse,qui nullo iure,sed mera vi sustuleris illa de loco suo,tibique vsurparis:inde

e Isaiæ 14. v.7.& 24. 33.v.9.

¶.12.ÆDIFICANS CIVITATEM tuam regiam IN SANGVINIBVS] id est,oppressionibus, expilationibus, cædibus pauperum, quos præter ius & morem coëgisti in tuis istis turribus, arcibus, hortis pensilibus, alijsque insanis substructionibus (*f*) noctu & diu desudare, suosque spiritus & sanguinem exhaurire. ita Chaldæus,Albertus & alij suprà citati.

*f Ioseph.*l. 10. *Antiq.* c.1.

¶.13. NONNE HÆC omnia, quæ iam dixi tibi, ô tyranne,obuentura, SVNT decreta & præparata tibi A DOMINO EXERCITVVM, cui nec tu, nec vlli mortales resistendo sunt ? LABORANT quidem & desudant in arcibus & machinis tuis erigendis,quibus te tuaque aduersus hostium irruptiones & insultus tuearis, tot POPVLI, tot myriades,sed IN MVLTO IGNE] id est,præparant luculentam materiam igni, quem Persæ & Medi in tuas illas arces inijcient. Innumera enim Persarum & Medorum,qui ignem iecturi sunt,multitudine

¶.14. REPLEBITVR tota TERRA Babylonica, sicut *aquis operitur maris* alueus : vt tandem aliquando discant vel sic *cognoscere* & agnoscere GLORIAM DOMINI, ciusque diuinam potentiam,atque infinitam iustitiam,quam hucusque tam pro-

ternè contempserunt & deriserunt Chaldæi.

℣. 15. VÆ tyranno illi, QVI AMICO SVO pro suaui nectare, FEL SVVM, id est, bilem & amaritudinem; Aquila, *furorem suum*, DAT in POTVM, eoque INEBRIAT illum, vt inebriato ac turpiter denudato illudat. Nempe crudelis & barbarus tyrannus etiam amicos reges tamdiu diuexabat iniquis armis donec opibus, sceptris, regijs insignibus, ac libertate eos exuisset ac denudasset. ita S. Hieronymus, Ribera, & alij iam citati.

℣. 16. Sed TV vicissim, ô tyranne, iustâ talionis pœnâ BIBE QVOQVE ex calice iræ & vindictæ diuinæ, inebriare, CONSOPIRE, denudare & reuome quæ hausisti.

℣. 17. INIQVITAS LIBANI, id est, in Libano, & circa Libanum, id est, in Iudæa, à te commissa, OPERIET, obruet & perdet TE. Sicut enim Ierosolymam excidisti, templum Dei exussisti, tot alias nobiles vrbes euertisti: ita pari modo tua Babylon, tua Chaldæa, à Persis & Medis euertetur, exuretur, excidetur: ET VASTITAS ANIMALIVM, id est, vastatio inferenda per Persas & Medos, qui quasi pardi, vrsi, leones & similes feræ in Chaldæam irrumpent, DETERREBIT, consternabit, exanimabit Chaldæos, ne contrà vel latrare, vel mutire audeant. ita prædicti Patres. Tunc, ô Chaldæi,

℣. 18. QVID vobis *proderit* omne vestrũ SCVLPTILE & idolum? quod non est aliud quàm *imago falsa* Dei, ac Numen mendax, omnis diuinitatis, potentiæ, prouidentiæ, imò & vitæ expers.

℣. 20. DOMINVS AVTEM per essentiam suam est & viuit, idque necessariò & ab æterno, (*a*) immensus & infinitus in omni genere entis: cuius palatium, *templum* & solium in cœlo est, vnde humana & creata omnia pro libito & nutu suo moderatur ac dirigit. Habet & in terra tabernaculum suum, quasi campestre, non in delubris aut idolis, sed IN augustissimo TEMPLO Ierosolymitano, vbi audit & exaudit vota supplicum, & succurrit egẽtibus, iustitiam vnicuique administrans, pijs præmia, impijs supplicia decernens & infligens. Vnde meritò SILEAT A FACIE EIVS OMNIS TERRA; LXX. *reuereatur eum*; Arabicus, *timeat*; Syrus, *contremiscat coram eo*. Præ stupore enim, timore ac reuerentia solemus tacere, (*b*) & tacendo nostram testari insufficientiam, impotentiam & indignitatem, maximè respectu immẽsæ maiestatis, sapientiæ, sanctitatis & potentiæ diuinæ, in cuius conspectu tremunt *cardines* (*c*) *cæli*: & totum hoc vniuersum si cum ipso conferatur, nec guttula (*d*) quidem est cum vasto Oceano collata.

a Exodi 3. v. 14.

b Sophon. 1. v. 7. & 1. Mach. 1. v. 3.

c Isaiæ 6. v. 4.

d Daniel. 4. v. 31.

CAPVT III.

Diuino responso de Babyloniæ excidio, & Iudæorum ex ea liberatione per Cyrum, Allegoricè per Christum, recreatus Propheta, lato carmine gratias agit Deo, rogatq; vt promissum redemptionis opus reipsa suo tempore præstet & perficiat. Atque vt olim Moyses, (*e*) Debora, (*f*) Anna, (*g*) Dauid, (*h*) Iudith, (*i*) *ita & noster hic recolit ac celebrat, magnalia & prodigia quæ Deus pro Hebræis patrauit in eorum egressione ex Ægypto: tacitè rogans, vt simili modo liberet illos è Babylonia, Allegoricè è captiuitate diaboli, idque meritis Christi, per Cyrum typicè adumbrati, cuius natiuitatem, miracula, & alia gesta vsque ad vltimum eius iudicium, typicè describit. ita Chaldæus, & plurimi Hebræi, S. Hieronymus, Theodoret. Theophyl. Euthymius, Rupertus, Vatablus, Arias, Iansenius, Tirelmanpus, Ribera, à Lapide, & plures alij.*

e Exodi 15.
f Iudic. 5.
g 1. Reg. 2.
h Psal. 71. 88. &c.
i Iudith vlt.

℣. 1. ORATIO HABACVC PROPHETÆ PRO IGNORANTIIS] id est, pro peccatis tum A suis (vt vult S. Hieronymus, Remigius, Albertus & Iansenius;) tum populi Iudaici, vt alij exponunt. q. d. Oro Domine, ne intuitu tot tantorumque scelerum negligas aut differas promissum redemptionis opus. Voco autem scelera *ignorantias*, (sed culpabiles, sed crassas, sed affectatas subinde,) quia omni peccato, quantumcumque voluntario, semper coniuncta est aliqua ignorantia & error, nempe inconsideratio. Si enim peccator, vt par est, consideraret & æstimaret malitiam, turpitudinem, & damna peccati, Deumque vindicem, cuius in se prouocat iram & æterna tormenta; vtique non peccaret.

℣. 2. DOMINE AVDIVI, intellexi, expendi, AVDITIONEM TVAM, id est, oraculum iam à te auditum duobus præcedẽtibus capitibus, putà primò excidium Iudæorũ per Chaldæos, deinde euersionem Chaldæorum per Medos & Persas. Idcircò TIMVI, expaui, cohorrui, tum ob insolentiam rei, tum ob periculum nouæ cladis inde nobis forsan obuenturæ. Quid enim si Iudæos in Babylonia captiuos inuoluat idem incendium quo illa conflagrabit? ita S. Hieronymus, Remigius & Theodoretus. Sed vanum hunc metum mihi excutit certâ nobis à te facta promissio de liberandis Iudæis per eumdem illum *Cyrum* per quem Babyloniam euertes. Vnde intrepidus oro: DOMINE, illud OPVS TVVM, redẽptionis Iudæorum, & (Allegoricè) totius generis humani, VIVIFICA, id est, suscita, adimple, perfice, optimâ quâ tibi probabitur viâ, & quanto citiùs fieri poterit, saltem IN MEDIO ANNORVM, id est, intra (*k*) annos, seu intra terminum septuaginta annorum à te ad id prædefinitorum ac destinatorum. ita vertunt Symmachus, Aquila & LXX. qui vt erant Prophetæ, prophetica libertate quædam hîc addũt quæ in Hebræo & Latino non reperiuntur, nempe, *Considerans opera tua & expaui*. Item, *In medio duorum animalium cognosceris*. q.d. Per Cyrum & Dariũ, qui duobus animalibus, putà asino & camelo assimilantur ab Isaia & alijs Prophetis, innotescet toti orbi completio hæc promissi tui. ita Eusebius, Sanchez, à Lapide, & plures alij. Allegoricè, Origenes, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Nyssenus, Nazianzenus, Cyrillus & Paulinus, id exponunt de Christo recèns nato, & in præsepio inter bouem & asinum reclinato & à pastoribus agnito, conformiter illi Isaiæ 1. v. 3. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*. Certè Ecclesia in Officio natiuitatis & circumcisionis Christi, hoc sensu locum hunc vsurpat.

k Genes. 1. v. 6. c. 2. v. 9 Exodi 3. v. 2. & 6.

Isaiæ 21. v. 7. Euseb. lib. 9. Præpar. Euangel. cap. vlt. Origenes homil. 13. in Lucam. Ambros. in Luc. 2. v. 7. Hier. ep. 27. ad Eustoch. Aug. contr. Iudæos c. 13. Nyssen. & Naz. orat. in Christi natiuitatem. Cyr. Ierosol. catechesi 12. Paulinus epist 10. ad Severum.

Porrò certus iam Propheta se exauditum à Deo, non ampliùs sub dubio, sed assertiuè pronuntiat: IN MEDIO ANNORVM, seu intra terminos prædictorum annorum, NOTVM FACIES, ô Domine, toti orbi, quid? quòd, CVM IRATVS valdè FVERIS, & multis annis per Chaldæos sæuieris in populum tuum, statoque definitoque à te tempore *recordaturus* sis promissæ illi MISERICORDIÆ ac liberationis è seruitute Chaldaica, ac tandem etiam è diabolica. Vnde meritò in lætissimum canticum (*l*) prorumpo.

l In argum. cap.

℣. 3. DEVS, vt olim patribus nostris ex Ægypto egredientibus dux, protector & saluator aduenit AB AVSTRO, id est, à læta regione Australi, putà ex monte *Sinai*, (*m*) vbi lex diuina concessa; item ex mõtibus *Seir*, (*n*) seu Idumææ, (pro qua in Hebræo, & LXX. ponitur hîc *Theman*, metropolis Idumææ) vbi serpẽs (*o*) æneus Hebræis saluti fuit: denique ex MONTE PHARAN] (quem LXX. vocant *vmbrosum*

m Exodi 19. &c.
n Deut. 33. v. 2.
o Num. 21. v. 4. 6. &c.

& con-

& condensum) vbi spiritus propheticus illapsus in 70.(*a*) iudices: ità pari modo iam per Cyrum & Darium à Persîde & Media, quæ Chaldæis ad Austrum sunt, nouus Hebræis saluator aduenier idem Deus. Et ipsemet homo factus ad nos accurret ex *Austro*, id est, calore charitatis: è Bethlehem, quæ ad Austrum est Ierosolymæ: & ex Sione, vbi erecta crux Christo, vbi promulgata noua lex, vbi repleti discipuli Spiritu sancto. ita ferè S. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus & alij.

a *Num.* 11. v. 25.

℣. 4. SPLENDOR, claritas & fulgor Dei in monte Sinai, fuit quasi LVX (*b*) solis, terram vbique illustrans. Et aduentante Cyro similis affulgebit Iudæis lux redemptionis, libertatis, prosperitatis. Et nato Christo, *claritas Dei circumfulgebit* (*c*) pastores: passo autem & resurgente, totum illuminabit orbem.

b *Deut.* 33. v. 2.

c *Luca* 2. v. 9.

CORNVA, (*d*) id est, robur, (*e*) vires & arma sunt IN MANIBVS Dei. His instar ferocis & inuicti tauri Primùm, ab Hebræis in deserto per Moysen & Iosue; Secundò, ab ijsdem in Babylonia per Cyrum & Darium; Tertiò, ex tota Ecclesia & regno suo per Christi diuinitatem & humanitatem, vel, vt SS. Patres (*f*) & Doctores exponũt, per bina illius brachia in cruce extensa, quasi per bina cornua, in quibus omne robur eius consistit, mortem & diabolum repulit, fudit, fugauit, & quasi ferales lictores (*g*) suos immisit in hostes populi sui. Pro Hebræo *deber*, id est, peste, & quæ inde cõsequitur *morte*, LXX. mutatis punctis legerunt *dabar*, id est, verbum, seu præceptum, nempe quo iubet Deus hostes occidi. Hebræum *resceph*, præter *diabolum* significat etiã fulgur, (*h*) scintillas & sagittas ignitas, quibus vt Chananæos, ita etiam Chaldæos postea cælitus confectos fuisse, docet Liranus.

d *Deut.* 33. v. 17.
e *Psal.* 43. v. 6. *Psal.* 74. v. 5.
f *Cypr. l.* 2. *cont. Iudæos* c. 21. *Euseb. lib.* 6. *Demonstr. Euang. c.* 15. *August. l.* 18. *Ciuit. c.* 32. *S. Hieron. Theodoret. Rupertus, Haymo, Ribera, Sà, à Lapide.*
g *Psal.* 77. v. 47.
דבר דבר רפש
h *Luca* 10. v. 18.

℣. 6. STETIT hoc modo victor mortis & diaboli Deus, & per Iosue, (*i*) per Esdrã, (*k*) per Christum (*l*) ADMENSVS EST populo suo TERRAM olim promissam, cùm priùs, solo quasi toruo aspectu *dissoluisset* animos & manus aduersariorum omnium, qui antea magnitudine, celsitudine, firmitate sua videbantur quasi montes æternùm immobiles, inaccessi & inexpugnabiles. Sed illos facili negotio penetrauit, expugnauit, loco cedere coegit Deus, ITINERIBVS ÆTERNITATIS suæ, id est, æternis, seu perpetuis, *deambulationibus*, (vt ex Hebræo verti potest) deambulans cum populo suo, ac pro illo depugnans. Hoc archistratego

i *Iosue* 15.
k 1. *Esdræ* 2. v. vlt.
l *Matt.* vlt. v. 18.

℣. 7. TENTORIA ÆTHIOPIÆ, & PELLES TERRÆ MADIAN, id est, castra Æthiopum Orientalium, id est, Madianitarum (per hos intellige etiam reliquos populi Dei hostes,) sub pellibus suis & tentorijs expansa, VIDI prorsus *turbari*, exscindi, euerti sub Moyse, sub Cyro, sub Christo, idque PRO INIQVITATE in populum Dei toties (*m*) patrata.

m *Num.* 25. v. 1. &c. & c. 31.

℣. 8. An FLVMINIBVS, seu fluentis Iordanis, & MARI rubro furibundus *irascaris* aut indignaris, quando (*n*) tanta violẽtia dissecas illorum aquas, & cogis ex vna parte immotas stare, ex altera præcipites fugere, vt per eas iter pandas populo tuo? Et sub Cyro aquas Euphratis per nouos alueos diuertis (*o*) sub Christo, impedimenta fidei omnia tollis, *ascendens* SVPER EQVOS TVOS ET *quadrigam* (*p*) bellicam, è qua, vt *saluos* populum tuum,

n *Exod* 14. & *Iosue* 3.
o *Dan.* 5. *in fine.*
p *Psal.* 103. v. 3.

℣. 9. SVSCITANS *suscitas*, id est, vehementer intendis, ARCVM TVVM, ad hostes configendos ac sternendos turbinibus, tonitruis, fulminibus: vt sic *suscites* atque impleas IVRAMENTA, id est, promissa tua iuramento confirmata, QVÆ TRIBVBVS Israelitarum olim præstitisti. ita Albertus, Hugo & alij. Hac sanè via

A

℣. 10. FLVVIOS, id est, fluenta Iordanis & maris, *scidisti*, coactis vndis cum sonitu & fremitu contra naturam suam hærere, relabi, intumescere & ascendere in *montium* altitudinem, & quasi supplices *manus* in cœlum attollere ad Deum, quò licentiam obtineant rursus per consuetos alueos remeandi.

℣. 11. SOL, LVNA & reliqua astra STETERVNT immota ad nutum & obsequium Iosue. (*q*) Eadem IBVNT & inseruient Cyro & *Christo tuo*, vnà cum LVCE SAGITTARVM] id est, cum sagittis & hastis tuis lucentibus ac fulgurantibus, nempe fulminibus, tonitruis, grandinibus, lapidibus quæ è nubibus eiaculaberis in hostes tuos, donec omnes *obstupefactos* ac prostratos *conculces*. ita Albertus, Hugo, Liranus, & Dionysius. Sic, sic in bellum aduersus hostes

B

q *Iosue* 10. v. 12, 13.

℣. 13. EGRESSVS ES CVM CHRISTO TVO, Moyse, & egredieris cum Cyro: (*r*) & cum Messia tuo. ita ijdẽ illi, & S. Hieronymus & Augustinus, & multi Hebræi: imò Sexta editio vertit, *egressus es vt saluares populum per Iesum Christum tuum*. Sic PERCVSSISTI; Pagninus, *transfixisti*; Tigurini, *contudisti*, Pharaonem, CAPVT, id est, principem, *domus*, seu familiæ IMPII Cham, (*s*) id est, regẽ Ægypti, quæ vocabatur terra Cham. (*t*) Simili modo percuties & cõteres caput familiæ Chaldaicæ Balthasarem: & caput, seu principem, mundanæ & infernalis nequitiæ (*u*) diabolum. ita ijdem. FVNDAMENTVM domus EIVS DENVDASTI, & denudatum euertisti VSQVE AD COLLVM] id est, ab imo sursum, q.d. Integrum, quantum quantum erat. Porrò per *fundamentum* intelligit duces & principes exercitus, adeoque tota castra hostium, quia in illis robur est & fortitudo totius regni, & illis euersis euertitur regnum.

C

r *Isaiæ* 45. v. 1. *August. sup.*
s *Genes.* 9. v. 22.
t *Psal.* 77. v. 51. *psalm.* 104. v. 23.
u *Ioan.* 12. v. 31. c. 14. v. 30. & c. 16. v. 11.

℣. 14. MALEDIXISTI non nudis verbis, sed efficacibus ictibus ac cædibus perdidisti impijssimi tyranni *sceptra*, id est, potentiam, imperium, dignitatem, vnà cum ipso *capite* & archistratego omnium exercituum eius. Quorum EXVLTATIO & gaudium, cùm viderent Israelitas mari conclusos, similis erat gaudio latronis, cùm *pauperculum* viatorem in latebris concluſum spoliat, vbi nemo illi auxiliari potest. Finito carmine seu epinicio suo subdit Habacuc:

D

℣. 16. AVDIVI ex Deo, vt v. 1. dicebam, stragem horrendam, primò Iudæorum per Chaldæos, dein Chaldęorum per Persas, denique dęmonum, peccati & mortis per Christum; & propter occisum Christum, totale Iudæorum excidium per Romanos, inquit Theodoretus. Sed audiens totus *contremisco* & cohorresco: cor mihi *conturbatur* & palpitat, vox tremuit & hæret, genua labant, animo linquor. Quis mihi nunc det vitâ hac defungi, vt, carne & ossibus putredine absumptis, anima procul ab horrenda illa tribulatione, se recipiat in locum quietis & pacis, in limbum patrum, in sinum Abrahæ, ibique accensear POPVLO NOSTRO ACCINCTO olim gladio, cùm bellandum esset; nunc cùm parta est victoria, baltheo & paludamento triumphi? Vide S. Augustinum, Hieronymum & Iansenium. Tanta enim erit strages, tanta vastitas, tanta desolatio, vt

E

Augustin. c. 14. *Manual. to.* 9.

V. 17. *Ficus, vinea, oliua*, gramina exarescant, *oues & armenta* penitus intereant. Sed longè maior

erit

erit ſpiritualium bonorum ſterilitas Iudæis, poſt & propter cæſum ab ipſis Chriſtum, inquit S. Auguſtinus. Verùm, etſi ſummè volupe mihi eſſet, vt dixi, vita hac tam triſti, tam ærumnoſa defungi: quia tamen video necdum id placere Deo, componam me ad æquanimitatem, imò ad gaudium, ad exultationem, ad iubilum mentis. Sæuiant ergo tyranni, ardeat Iudæa, templum excidatur, deportemur in exilium, gemant, plorent omnes;

Auguſt. lib. 18. Ciuit. c. 32.

℣.18. EGO AVTEM GAVDEBO, non in fratrum meorum miſerijs, ſed IN DOMINO, diuinaque eius prouidentia, ſapientia, iuſtitia, cui vel ſic, cum aliquo noſtro incommodo, ſatisfieri gaudeo. Sed accedit & alia gaudendi exultandique occaſio, nempe ingens miſericordia, & erga nos beneficentia coniuncta iuſtitiæ *diuinæ* iam dictæ, putà ſaluatio ac *liberatio noſtri ab exilio*, à carcere, à ſeruitute *Babylonica*, in quam abripimur, quin & à ſeruitute diabolica & infernali, in qua tot iam millibus annorum totus mundus detinetur. Video enim ex diuina reuelatione, *Deum* met fore *Ieſum meum*. Legit enim Noſter non *ijſci*, ſicut nunc eſt in Hebræo, id eſt, *ſalutem meam*, vt Pagninus, Vatablus & alij recentiores vertunt: ſed alijs punctis *ieſcui*, id eſt, *Ieſum meum*, ſeu *ſaluatorem meum*, vt etiam legerunt ac verterunt LXX. Chaldæus & Syrus. Reuelabatur enim Prophetæ, verbum Dei incarnandum, (cuius meritis ſalus omnis obuentura erat tum Iudæis, tum reliquo toti orbi,) non re tantùm, ſed & nomine fore *Ioſue* ſeu *Ieſum*, ac totius mundi ſaluatorem ac redemptorem. ita S. Auguſtinus & alij. Hic

ישוע

Auguſt. ſup.

℣.19. FORTITVDO MEA erit, roborabitque me ne collabar, ne deficiam, ne etiam perpetuò maneam in hoſtium poteſtate, dabit enim mihi tibias & PEDES agiles, expeditos, celeres, QVASI CERVORVM, quibus impigrè, citò & alacriter in patriam recurram ad EXCELSA Iudææ & montoſa loca, ad quæ ME VICTOR omnium hoſtium ſuorum & meorum *Ieſus meus* poſtliminio *re*DVCET, ſumma lætitia ac iubilo laudes & gratiarum actiones feſtis PSALMIS & hymnis ipſi bonorum omnium auctori decantantem. Aliqui vertunt, *ſuper colla inimicorum meorum imponet me*. Promittit hæc ſibi Habacuc in perſona tam ſua, quàm populi Iudaici, feſtiuè è Babylone, Allegoricè è vinculis diaboli, in diu optatam libertatem recurſuri. Potuit enim ipſe tanto tempore facilè ſuperuiuere, vt in procemio dixi.

SOPHONIAS,

HID eſt, *ſpeculator Dei*, vel *abſconditus Domini*, inquit S. Hieronymus è nobili proſapia & tribu Simeon oriundus, iuxta montem Sarabatha, vt vult Epiphanius & Dorotheus; tempore Ioſiæ (a) regis Iuda conuixit Ieremiæ, cui per omnia ſimilis eſt, etiam in ſtylo, vt videatur quaſi abbreuiator illius eſſe, ait Iſidorus. Hortatur ergo Iudæos, vt, relictâ idololatriâ, alijſque ſceleribus, ad pœnitentiam & veri Dei cultum redeant: ni faxint, ineuitabile excidium per Nabuchodonoſorem ipſis prædicit, æquè ac Moabitis, Ammonitis, Æthiopibus & Aſſyrijs. Solatur tamen ipſos ſpe reditus è Babylonia ſub Cyro: & è ſeruitute diaboli, ſub Chriſto & per Chriſtum, inquit Theodoret. Vitâ ſanctè tractâ, in agro proprio ſepultus eſt, ait S. Dorotheus, Epiphan. & Iſidorus. In Martyrologio Rom. adſcribitur catalogo Sanctorum die 3. Decembris.

Hieron. hic & ad Paulinum.

Epiphan. & Iſid. in vita Sophoniæ. Dorotheus ibid.

(a) *Sophon. 1. v. 1.*

CAPVT I.

Ob idololatriam, aliaque Iudæorum ſcelera, prædicit excidendam per Chaldæos Ieroſolymam reliquamque Iudæam. Deſcribit planctum & vlulatum Iudæorum, ſimul & acerbitatem iræ & zeli Dei.

℣. 1. CONGREGANS CONGREGABO, (b) id eſt accuratè & exactè colligam & coaceruabo omnes incolas Iudææ, HOMINES & iumenta, VOLVCRES ET PISCES] Colligam, inquam, ex diſperſione per creaturas in primum vitæ fontem qui eſt in creatore, quod fit moriendo, inquit Pineda. Colligam ergo omnia iſta ad excidium, ad mortem, ad interitum. *Quia*, vt ait S. Hieronymus, *vaſtatis vrbibus & hominibus interfectis, raritatem & ſolitudinem beſtiarum quoque fieri, & volatilium, piſciumque, teſtis eſt Illyricus, teſtis Thracia, teſtis in quo ortus ſum ſolum, vbi præter cœlum & terram, & creſcentes vepres, & condenſa ſiluarum, cuncta perierunt.* Vobis ergo, ô Iudæi, vel extinctis, vel in exilium deportatis, ipſa quoque bruta animalia, quaſi dominorum ſuorum ſeruitio iam perfuncta, partim extinguentur, partim aliò defugient, & ſic

(b) *Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 49.*

Pineda in lib. 14. v. 14 n. 5.

℣.3. RVINÆ IMPIORVM plenæ ERVNT] quando non ipſi tantùm, ſed & omnia illorum ſeruitia è medio tollentur.

℣.4. DISPERDAM funditus; Hebraicè, *exſcindam*, omnes RELIQVIAS BAAL, templa, altaria, ſtatuas, ſacerdotes, & ipſorum ÆDITVOS, adeò vt ne nominandi quidem ſint deinceps, nec vlla eorum memoria, nomen aut fama ſuperfutura. Hebræum *kemarim*, propriè ſignificat *accenſores*, putà ignis vel thuris, quia fuligine vt plurimum obducti, & atra erant facie ac veſte: hinc Vatablus & Mariana vertit *exuſtos*; Pagninus *atratos*, vel *pullatos*; Noſter alibi *aruſpices*, (c) additque poſitos fuiſſe *ad ſacrificandum in excelſis*; Hebraicè, *lecatter*, id eſt, *ad ſuffumigandum* vel *thus adolendum* idolis. *Ædituorum* ergo officium, præter ſacræ ædis tuitio-

כמרים

(c) *4. Reg. 23. v. 5.*

לקטר

tuitionem, vnde nomen sortiti videntur, erat fouere perpetuum ignem in templo, thus idolis adolere, & in victimis cremandis *sacerdotes* subseruire: licet & ipsi, ob dictam thuris suffumigationem, quæ species erat sacrificij, *sacerdotes* subinde vocarentur, vt & hîc vocantur à LXX.

℣.5. SVPER TECTA, quæ plana erant in Iudæa, & etiamnum sunt in Syria, ADORANT MILITIAM, seu exercitum, CÆLI, cuius rex est sol, regina luna, (*a*) signifer Venus, seu lucifer, alia sidera turmæ & phalanges instructæ: ET IVRANT tam per MELCHOM, (*b*) quàm per verũ Deum, colentes vtrumque pro numine & Deo: iuramentũ enim est actus latriæ, quo protestamur, eum per quem iuramus, esse primam & increatam veritatem (hæc enim sola est infallibilis,) ac proinde esse Deum.

℣.7. SILETE A FACIE DOMINI: id est, silentes præ admiratione & stupore, timete, seruite, *reuereremini* Dominum, vt vertunt LXX. QVIA instat DIES DOMINI, nempe quo solemnem victimam & sacrificium offerre designauit, (*c*) in quo vos ô Iudæi, victima eritis seu hostia: Chaldæi erunt ministri, seu sacerdotes, ad hanc lanienam à me ex Chaldæa in Iudæam *euocati*, auctorati & quasi *consecrati*. ita S. Hieronymus, Theodoret. Haymo & Liranus.

℣.8. IN illo DIE quo HOSTIÆ mactabimini DOMINO, id est, tempore excidij Ierosolymorum, primo loco VISITABO (*d*) SVPER PRINCIPES, id est, cædam, iugulabo, mactabo principes Iuda, Sedeciam regem, ET FILIOS REGIS, quos Nabuchodonosor occidet in conspectu parentis: item principem (*e*) sacerdotum, principem (*e*) militiæ, & alios principes (*e*) populi interficiet in Reblatha. Secundo loco, OMNES QVI INDVTI SVNT VESTE, non Iudaica, sed PEREGRINA (*f*) & Gentili, putà Ægyptia, Tyria, Chaldaica: & cum veste etiam mores & ritus gẽtiles, inquit S. Hieronymus. Tertiò, QVI ARROGANTER (*g*) INGREDITVR; Hebraicè, *qui saltat* SVPER LIMEN DOMVS DOMINI, vt sequitur, id est, qui fastuosè, pompaticè & quasi subsultim ascendit in templum, vbi summa animi corporisq; demissione atque humilitate agendum cum Deo. Videtur maximè notare sacerdotes, qui dilatatis phylacterijs magno fastu atque arrogantia, quasi præfecti & præsides templi, per atria & *vestibula* illius (vt habent LXX.) incedere solebant. Neque hoc modò, sed & *complebant* illud INIQVITATE ET DOLO, vt ijsdem Christus (*h*) exprobrat, quòd prætextu longæ seu multæ orationis, emungerent domos & bursas viduarum ac pauperum, inquit S. Hieronymus, Haymo, Albertus, Hugo & plures alij.

℣.10. VOX CLAMORIS audietur, irrumpentibus in vrbem Chaldæis, A PORTA PISCIVM, sita iuxta turrim seu arcem Dauid in valle Mello, inter montem Sion & ciuitatem inferiorem, ad plagam Occidentalem, (*i*) inquit S. Hieron. Salignacus, Borchardus & Adrichomius. Dicta *piscium porta*, quòd per eam à Ioppe & à mari Galilææ pisces quotidie in vrbem inferrentur, inquit Villalpandus. Qui cum Ribera & alijs docet, per hanc portam Chaldæos primùm in vrbem irrupisse fracto muro extimo, &, cæsis de plebe, quæ istic habitabat, obuijs quibusque, irruisse in secundum murum, ciusque portam, quæ à muro secundo SECVNDA (*k*) seu media vocabatur, occupasse. Vnde, cùm nobiles, studiosi ac doctores, quorum istic domicilium erat (vnde LXX. vocant *Acade-*

a *Ierem.7. v.18.c.44. v.25.*
b *Leuit.18. v,21.& 1. Paral.20. v.2. Ierem. 49. v.1. Amos 1.v. 15.c.5.v.26.*
c *Isaiæ 34. v.6. Ierem. 46. v.10. Ezech.39. v.17.*
d *4. Reg. vlt.v.7.*
e *Ibid.v.18. 19.21.*
f *Ezech.23. v.12.& 15. & 2.Mach. 4.& 13.*
g *Amos 6. v.1.*
h *Matth.15. v.6.& c.23. v.14.*
i *2.Par.33. v.14. Salign. & alij apud Adrichom. in terra Sancta. Villalp. de Apparatu vrbis p.1.l. 3.c.9.*
k *Ierem.39. v.3.& 4. Reg.22.v. 14.*

miam) magno *vlulatu* confugerent ad intimum murum, qui colles Sionis & templi secernebat à reliqua vrbe; fugientes insecuti Chaldæi, simulque irrumpentes in eosdem COLLES, & in subiectam collibus inferiorem ciuitatem, quæ inde *filia Sion* dicebatur, maxima istic cæde contriuerunt Iudæos. Vide Iosephum, Adrichomium & Villalpandum. *Ioseph.l.7. Antiq & de Bello l.6.c. 6.19. &c. Villalp sup. l.2.c.3.*

℣.11. VLVLATE HABITATORES *Machtes*, id est, PILÆ, seu mortarij. Sic vocabatur *vallis Mello*, (*l*) quam Iosephus *Tyropœon*; S. Hieronym. *vallem Siloë*, Chaldæus *vallem Cedron* vocat, quia vsque ad *Siloen & Cedron* per portam aquarum excurrebat. Vocatur autem *Pila*, tum ob profunditatem, tum ob cædem istic patratam olim, vel patrandam breuî è Chaldæis, qui è collibus iam dictis in subiectam vallem delapsi, incolas eius accruatim maximo numero, sine vllo discrimine quasi legumina in mortario contuderunt, inquit S. Hieron. Remigius, Ribera, Sà, Mariana & à Lapide. Simili metaphora Ezechiel vocat Ierusalem *ollam* c.24.v.3. Tropologicè, pilæ & ollæ sunt vrbes & prouinciæ tyrannis subiectæ; Anagogicè, infernus, Vulcani *ollæ*, Proserpinæ *pilæ*. Nec tamen soli Ierosolymitani in hac pila contusi sunt: etiam OMNIS POPVLVS CHANAAN, id est, omnes incolæ Chanaanitidis, seu terræ sanctæ, ab ijsdem Chaldæis eodem impetu contriti & excisi sunt, adeò vt prorsus *conticuerint*, nullaque vox eorum amplius, vel repugnantium strepitus, vel lætantium sibilus auditus, sit, omnibus aut iugulatis, aut in exilium & seruitutem abreptis. ita S. Hieron. Theodoret. Haymo, Liranus & Chaldæus: qui addit, Iudæos ideò vocari Chananæos, quòd scelestis moribus suis similes essent Chananæis. (*m*) Deniq; DISPERIERVNT OMNES INVOLVTI ARGENTO] id est, opibus cincti & circumsepti, indeque superbientes ac proteruientes, inquit S. Hieron. LXX. *elenati argento*; alij, *portatores argenti*. Talibus enim vel maximè inhiabunt Chaldæi. Porrò ne quis cuadat,

℣.12. SCRVTABOR per Chaldæos vrbem totam IERVSALEM IN LVCERNIS, omnes vrbis & ædium latebras excutiendo & rimando, ne quis incolarum se subducat. Simili studio etiam Romanos inuestigasse Iudæos sub Vespasiano & Tito, cùm cloacas quoque ac sepulchra excuterent, testis est Iosephus, & ipse in spelunca ab ijsdem deprehẽsus. Anagogicè, in die iudicij Deus infinita sua scientia & perspicacia scrutabitur & detegет omnia conscientiæ arcana, inquit Apostolus, & etiam Ecclesiasticus. Vnde & Ecclesia in Officio defunctorum omnia hæc & sequentia adaptat diei iudicij. *Ioseph.l.3. Belli c.14. & l.7.c.17. 26.30. Hebr.4.v. 12. Eccli.23. v.27.*

℣.16. DIES TVBÆ SVPER ANGVLOS EXCELSOS] id est, super *turres excelsas*, (vt Tigurini vertunt,) quæ sunt in angulis palatiorum. q.d. Celerimè inuolabunt Chaldæi etiam in altissimas turres, vt inde tubis proclament victoriam, & insonent triumphum de vobis deuictis.

m *Ezech. 16.v.3. Daniel.13. v.56.*

CAPVT II.

Hortatur Iudæos ad pœnitentiam, vt sic euadant manus Chaldæorum, à quibus deuastandos dicit etiam Philisthæos, Ammonitas, Moabitas, Æthiopes, ac pra omnibus Assyrios orbis tunc dominos.

℣.1. GENS Iudæa NON AMABILIS; Pagnino, *non desiderabilis*, sed odibilis, inuisa & exosa, tum Deo, propter vestra scelera: tum vicinis

vicinis gentibus. propter religionis & politiæ differentiam, inquit Pineda; CONVENITE in vnum, CONGREGAMINI in publicum cœtum, vt vnanimi prece, lamento ac pœnitentia communem Deum placetis, ipsíque quasi vim faciatis, & flagellum quod manu tenet, extorqueatis.

Pineda l.1. de Rebus Salom.c.1.

℣.2. PRIVSQVAM IVSSIO diuina PARIAT vobis DIEM excidij & exilij TRANSEVNTEM QVASI PVLVEREM] id est, instar turbinis, qui puluerem & paleas violenter dispergit, ac celerrimè transit, omnia dejicientem, vastantem, miscentem, diripientem & auferentem, inquit S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Hugo & Liranus.

℣.3. QVÆRITE fugientem, placate iratum DOMINVM, saltem VOS OMNES quotquot superestis in hac TERRA humiles, MANSVETI, iusti. Vos verò qui iusti aut mansueti non estis, QVÆRITE quod IVSTVM est & MANSVETVM] id est, conamini per pœnitentiam euadere iusti & mansueti. Hebraicè est, *quærite iustitiam & mansuetudinem.* Insinuat Propheta, vnicum, sed certissimum leniendæ iræ diuinæ remedium esse, resipiscentiam & mansuetudinem, vt patuit in Moyse, *(a)* Dauide *(b)* & alijs.

a *Num.12. v.3. & Exod.32. v.32.*

b *Psal.131. v.1.*

℣.4. AZOTVM, id est, Azoti incolas, (& reliquas etiam Philisthinorum satrapias, quas hîc enumerat) EIICIENT è suis arcibus & vrbibus Chaldæi non dolo, vel occulta fraude, sed aperta vi, clara luce collatis signis, IN MERIDIE] ita S. Hieronymus, Remigius, Albertus & Hugo. Quod si Philisthæos & alios infideles qui me non nouerunt, tam seuerè ob idololatriam & in proximum perfidiam ac crudelitatem puniam; quomodo vos ô Iudæi, qui mihi tam arctè deuincti, obstricti & adstricti, ijsdem sceleribus me irritatis, impunè id vobis cessurum sperare potestis?

℣.5. FVNICVLVM *(c)* MARIS vocat partem vel oram maritimam, quam vt hereditariam incolebat GENS *Cerethim*, id est, gens perditionis, seu perditioni destinata.

c *Psalm.15. v.6.*

d *1.Reg.30. v.14.* כרתים

e *2.Reg.15. v.18. 1.Paral.18. v.17.*

f *Ezech.25. v.16.*

Notat autem regionẽ illam Philisthæorum *ad Meridiem*, *(d)* è qua Dauid cohortem suam prætoriam *(e)* olim sublegit, de qua alibi. *(f)* q.d. Vos ô Cerethim soletis perditioni esse alijs, iam vobis ipsis eritis. Dicimini *perditores*, sed iam ipsi perdemini à Chaldæis

℣.7. FVNICVLVS, seu terra ista Philisthæorum in Chanaanitide, ERIT aliquando EIVS QVI REMANSERIT superstes DE DOMO IVDA]. Id est, abductis vel excisis per Chaldæos Philisthæis, terra illorum cedet olim reductis ab exilio Iudæis, qui illa vtentur pro *pascuis pecorum* suorum. Quod contigit sub Machabæis. *(g)*

g *1.Mach. 5.v.vlt.c. 10.v.84. & seqq.*

℣.8. MOAB ET AMMON, qui MAGNIFICATI, id est, magnis ac superbis animis elati, SVNT SVPER TERMINOS Iudæorum, iactantes, quòd excisos à Chaldæis & vastatos illorum fines inuasuri essent & occupaturi; vice versa excisi ipsi funditus instar Sodomæ & Gomorrhæ, cedent in prædam Iudæis sub Iuda Machabæo, *(h)* eiusque nepote Alexandro, *(i)* vt dixi in Abdia *(k)* & Ezechiele. Allegoricè, Christus & Apostoli deuicerunt & possederunt Philisthæos. Ammonitas & alias barbaras gentes, vti de *Gaza* & *Azoto* constat ex Actis *(l)* Apostolorum.

Abdia 19.

h *1.Mach. 5.v.6.*

i *Ioseph. l. 12. Antiq.c. 11.& l.1. Bells c.3.*

k *Abdia v. 12.& c. Ezech.25. v.2.& 8.*

℣.9. ERVNT SICCITAS SPINARVM, id est, nihil in eis reperietur præter siccas spinas, ET ACERVOS SALIS] ex inundatione maris *(m)* mortui cui vicina est Moabitis; & maris Ga-

l *1.Mach. 8.v. 26.& 40.*

m *Genes.19. v.26.*

A lilæa, cui adiacet Ammonitis.

℣.11. ATTENVABIT Deus, id est, consumet, OMNES falsos DEOS vniuersæ TERRÆ] Chaldæi diripient illorum statuas: Machabæi etiam cultum & adorationem eorumdem adiment Moabitis & Ammonitis, Idumæis, & alijs gentibus, vt dixi in Abdia. Sed omnem idololatriam funditus exscindet Christus per Apostolos & discipulos suos, inquit Eusebius, S. Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Remigius, & alij passim. Nam in solum legis Euangelicæ tempus quadrat quod sequitur: ADORABVNT Deum & sacrificijs colent VIRI, id est, singuli singularum nationum, non in vna vrbe Ieroſolyma, vt solebant Iudæi, sed vbique terrarum, *singuli in* LOCO SVO, id est, in regione sua: OMNES INSVLÆ GENTIVM] Per *insulas* intelligunt Iudæi quidquid ipsis trans mare erat, & nauibus adiri debebat, vt alibi *(n)* dixi. ita S. Chrysostomus, à Castro, à Lapide & alij.

Abdia v 16. 18.20.& c. Euseb.l.2. Demonst. Euang.c.16. Aug.l.l.18. Civ.c.33.

n *Isaiæ 23. v.1. Ierem. 25. v.22.& 1. Mach.1.v.1.*

℣.12. SED ET VOS ÆTHIOPES *interficiemini* eodem GLADIO MEO] Chaldaico corporaliter, Euangelico spiritualiter. Quia enim etiam ipsi Iudæis aliquando *(o)* infesti fuerunt, ideo puniendi dicuntur, vt egregiè puniti sunt à Nabuchodonosore, vnà cum Ægyptijs Æthiopiæ adiacentibus, itemque à Cyro, & è Cambyse, vt inquit S. Hieronymus & Iosephus; & Isaias ita futurum disertè prædixerat. Sed & conuertendi prædicuntur ad Christum à regio Propheta psalmo 67. v.32. & alibi. *(p)* Plinius vult *Aethiopiæ* nomen inditum ab *Aethiope* filio Vulcani. Sed alij id deducũt ab αἴθω, id est, cremo, & ὤψ, id est, aspectu, cò quòd vultu sint quasi exusto, propter solis vicinitatem & ardorem.

Chrysost. orat.2.cont. Iudæos.

o *2.Par.14. v.9. Ioseph.l.10. Antiq.c.11. & l.1.cont. Apion. Isaiæ c.20. v.3.*

p *Psalm.86. v.5. Plin.l.6.c. 30.*

℣.13. EXTENDET etiam Deus per Nabuchodonosorem, MANVM vltricem SVAM SVPER AQVILONEM, id est, super Assyriam, quæ Iudæis est Aquilonaris: ET regiam vrbem *Niniuen* (ita habent Hebræa, Chaldæa & Græca) id est, SPECIOSAM, *(q)* PONET IN SOLITVDINEM] vti prædixerunt etiam Ionas & Nahum. ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Liranus, Vatablus, Ribera, à Lapide. Factum id 13. anno regni Iosiæ, vt alibi *(r)* dixi. Ex quo loco constat, Sophoniam non sub finem, sed sub initia regni Iosiæ prophetasse.

נינוה

q *Proleg. de Idiotismo Hebr. n.17.*

r *In præmio Nahũ, & Chronici c.33. ibi citato.*

℣.14. OMNES BESTIÆ GENTIVM vicinarum ACCVBABVNT IN herbido & pingui *Ninives* solo, inquit S. Hieronymus & alij iam citati. De *onocrotalo (s)* & *ericio (t)* alibi dictum. Per *cantantem* IN FENESTRA intelligit auiculas siluestres. Per quas designat, summam fore Niniues desolationem, vtpotè quæ non ampliùs hominum, sed siluestrium & soliuagorum animalium habitationi sit deseruitura.

s *Deut.14. v.15.*

t *Psal.103. v.18. Isaiæ 14.v. 23.& c.34. v.11.15.*

CAPVT III.

Accusat Ieroſolyma scelera, rapinas principum, iniustitiam iudicum, mendacia pseudoprophetarum, impietatem sacerdotum, stultitiam omnium Iudæorum, quòd ne quidem alieno exemplo, nempe Niniuitarum & aliarum gentium ob sua scelera iam excisarum, sapientiores aut meliores euaserint. Prædicit destruendum maximè sub Messia, tam iudaismum, quàm gentilismum: omnésque gentes terra subiugandas Christo, illique seruituras vno humero, vno animo. ita S. Hieronymus, Theodoretus, Haymo, Vatablus & Dionysius.

℣.1. VÆ tibi, ô Ieroſolyma, CIVITAS PROVOCATRIX iræ seu bilis diuinæ, toties à

tis à iugo hostium REDEMPTA sub Moyse, sub totiudicibus ac regibus; COLVMBA stolida, seducta, sine corde, sine prudentia, vltrò ruens in laqueum, in necem. Idem exprobrabat Oseas Samariæ c.7. v.11. *Factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor.* Syrus & Arabicus Antiochenus pro *columba* retinent Hebræum *Iona*, volunt- יונה
que hîc agi de *Ninive*, quæ vsque hodie ab Orientalibus vocatur *ciuitas Ionæ*, id est, columbæ, partim à Propheta Iona, partim à Semiramide prima Assyriorum regina, quam (vt fingebant,) conuersam in columbam, colebant sub specie co-
a *Psal.67. v.14.* lumbæ tam Assyrij, quàm Chaldæi, vt alibi (*a*) dixi. Sed Patres & Interpretes omnes censent hîc agi non de Ninive, sed de Ieroſolyma.

¥.2. NON AVDIVIT VOCEM Dei, per Prophetas eam à laqueis aucupis, ab insidijs accipitris ad manum suam vel ad proprium columbarium reuocantis. ita Chaldæus, Hugo & Vatablus.

¥.3. PRINCIPES instar *leonum* obruunt, expi-
b *Habacuc i.v.8.* lant, deuorant populum. IVDICES quasi LVPI (*b*) *vespertini*, diurna inedia & fame rabidi, iniquis iudicijs suis exhauriunt bona pauperum, tanta auiditate, vt nihil reliquum faciant.

¥.4. PROPHETÆ EIVS VESANI, insani; Aquila, *enthusiasmo* seu furore fanatico *perciti*; Pagninus, *contemptibiles*; Vatablus, *homines nihili*; LXX. *spiritu acti*, non diuino, sed diabolico. Nempe vilissimi & ignorantissimi tenebriones, singebant se furere & agi spiritu prophetico, cùm agerentur *spiritu immundo*, vt vertit Arabicus; & *lascivo* atque *impudico*, vt Syrus. Mox in sacerdotes quoque inuehitur, accusans illos contemptus & profanationis sacrorum, & perfidiæ ac transgressionis legum. Ita verum erat etiam sub Sophonia, quod
Isaiæ i.v.6. olim Isaias eidem populo exprobrarat, *A planta pedis vsque ad verticem* capitis *non est in eo sanitas.*

¥.5. DOMINVS, qui IN MEDIO EIVS, in templo & throno suo residet, IVSTVS per omnia iudex, NON FACIET INIQVITATEM, colludendo cum iniquis, & tanta scelera, quæ se spectante fiunt, perpetuò dissimulando: sed acriter illa castigabit, & citò, MANE MANE IVDICIVM, id est, iustum supplicium suum, proferendo IN LVCEM: neque clam id faciet vel in obscuro angulo, sed palàm & clara luce, toto orbe spectante, vti ex nunc fecit in excidio decem tribuum, item in excidio Niniues & monarchiæ Assyriacæ, 13. anno Iosiæ regis Iuda, vtique & vicinarum aliarum gentium Assyrio tyranno adhærentium: quarum ANGVLI, id est, arces & munitiones, quæ in angulis & limitibus regionum excitari solent, iam de facto DISSIPATI SVNT. Et tamen INIQVVS iste Iudæorum populus, etsi sciat pares, imò grauiores, pœnas sceleribus suis debitas ac paratas, NESCIT CONFVSIONEM, negligit resipiscere, contemnit pœnitere. Ex hoc loco, vbi insinuatur, iam tum prophetante Sophonia excisam fuisse
c *In Proœmio Nahũ, & alijs locis ibi citatis.* Niniuen, confirmari videtur quod aliàs (*c*) docui, excisam fuisse Niniuen à Chaldæis, non post excisam Ieroſolymam, vt quidam contendunt; sed diu antè, nimirum tempore Iosiæ regis Iuda, vt iam dixi: nam sub hoc solo rege prophetauit So-
d *Sophoniæ i.v.1.* phonias. (*d*)

¥.7. DIXI, retlixi, toties per Prophetas monui populum meum Israel, vt relictis idolis TIMERET, id est, coleret, ME, meæque disciplinæ ac legibus adhæresceret: tum NON *periturum* HABITACVLVM EIVS, neque excisum iri Ieroſolymam & A reliquam Iudæam; addicens me fore contentum datis iam mihi pœnis, QVIBVS EAM VISITAVI, id est, puniui per Sennacherib (*e*) Assyrium, & Ben-
e *4.Reg.18. v.13. 2.Par.33. & Chronici c. 34. & initio Iudith.* Merodach (*f*) Chaldæum tyrannum. Sed stolidi Iudæi, spretis monitis & minis, DILVCVLO, id est, festinatò, solicitè, ante & super omnia huic vni rei intenderunt perpetuò, vt prauos mores & studia sua magis magisque *corrumperent* in dies.

¥.8. QVAPROPTER, ô Sophonia, non est quòd *exspectes* morum populi huius commutationem in melius, nisi exiguam admodum paucorum post datas acres pœnas & post totius Iudææ excidium per Chaldæos & alias ipsis sociandas gentes, IVDICIVM enim MEVM est firmum ac fixum, vt ad-
B uertendos Iudæos CONGREGEM varias ex Aquilone GENTES ET REGNA, duce Nabuchodonosore, à quibus DEVORABITVR OMNIS TERRA Iudææ. Atque vtinam vel sic resipiscant contumaces & rebelles! Sed, vt dixi, paucorum hoc erit. Nam vt vniuersus populus ad me recurrat, mihique vt legitimo domino subdatur ex toto, tum demum EXSPECTA cùm ego ipse vestra indutus carne, IN FVTVRVM, nempe post sex sæcula, adcurram ad vos, & actus ab ingratis ac perfidis in crucem, tertio post mortem die rediuiuus, merito passionis meæ cor nouum & animum nouum impetrabo non Iudæis modò, sed & omnibus gentibus. Hic enim de Christi temporibus agi con-
C stans est sanctorum Patrum, & etiam Hebræorum sententia.

¥. 9. TVNC, id est, à DIE RESVRRECTIONIS MEÆ IN FVTVRVM, tollam omne genus idololatriæ, tollam diuersa illa diuersarum nationum studia, dissensionem cultuum, rituum, religionum, animorum: & REDDAM omnibus POPVLIS LABIVM VNVM, labium ELECTVM; Symmachus, *labium purum*, quo OMNES INVOCENT, colant & laudent vnum eumdemque Deum cæli & terræ, idque HVMERO VNO, id est, vnanimi consensu, consonantia & conspiratione. Cœpit hoc post Christi resurrectionem in Pentecoste, & continuat augeturque quotidie, sed plenè perficietur
D sub finem mundi, in generali omnium Iudæorum ad Christum conuersione, ac demum post resurrectionem vniuersalem, in futura vita, vbi omnium gentium erit vnus animus, vnum labium, vna lingua quâ Deum laudabunt & benedicent in æternum. Hanc linguam dicit Arias, Galatinus & à Castro, futuram in cælo eamdem quæ in paradiso fuit, nempe Hebræam, primigeniam vniuersi, & passim *sanctam* vocari solitam. *Galat. l.12. de Arcanis fidei c.3.*

¥. 10. VLTRA FLVMINA ÆTHIOPIÆ] Non illius Africanæ quæ Ægypto adiacet, & Abyssia vocatur, & nunc recèns cum Imperatore suo Preto-Ioanne, ope Patrum Societatis Iesu reconcilia-
E ta est Ecclesiæ Romanæ: sed alterius Arabicæ, in qua degebant Madianitæ, passim in Scriptura (*g*) *Aethiopes* vocitati. Huius flumina sunt *Gihon*, *Traianus*, lacus *Sirbonides*, sinus *Arabicus*, fossæ *dioryges*, inquit à Castro. Et vltra hæc flumina à Chaldæis in exilium deportati fuerunt Iudæi, & ab Assyrijs Israelitæ, atque ibi per totum Orientem dispersi degebant: quos Sophonias hîc dicit *supplices* aduolaturos ad templum Ieroſolymitanum: & vnà cum his gentes omnes trans eadem flumina sitas, vsque ad Indos Orientales (de quibus hæc exponunt Chaldæus, Arias, Vatablus, à Castro,) & Occidentales (de quibus S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo, Sà, Ribera:) imò vsque ad extre-
g *Exodi 2. v. 21. & Num. 12. v.1. Psalm. 71. v.10.*

mos

mos fines terræ, vt Hugo, Clarius, Mariana, à La-
Iuv. 11. v. 51. pide & alij volunt. Et fauet S. Ioannes, cùm alludens ad hunc locum Sophoniæ dicit, *moriturum* Christum *non tantùm pro gente* Iudaica, *sed vt* quoslibet *filios Dei*, etiam ex alijs quibusuis gentibus, *qui erant* per vniuersum orbem *dispersi, congregaret in vnum.*

℣.11. IN DIE ILLA, ô Sion iam Christiana, NON CONFVNDERIS ampliùs, seu coram me, seu coram hominibus, ob priora tua scelera, idololatriam,
a Hic v. 3. rapinas, pauperum (*a*) expilationes, &c. ab omnibus enim mundaberis per sanguinem Messiæ tui, inquit S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Hugo & Liranus. Quin & AVFERAM DE MEDIO TVI MAGNILOQVOS SVPERBIÆ TVÆ, id est fastuosos quibus nunc subiaces, principes tam politicos, quàm Ecclesiasticos, Scribas & Pharisæos, qui nil aliud crepant, curant vel agunt, quàm fouere, stabilire, augere externum splendorem, superbiam ac magnificentiam ædificiorum tuorum. Sed neque sinam diutiùs gloriari & EXALTARI te IN materiali MONTE SANCTO MEO] per
b Ierem. 7. v. 4. superbum illud templum (*b*) quod in eo constructum habes: nam illud funditus exscindam primò per Chaldæos, deinde per Romanos. Sed excitabo in te & ex te templum longè nobilius & splendidius, spirituale, putà Ecclesiam meam, sanctam fidelium congregationem, cuius hoc Salomonicum templum non nisi typus est & figura. Ac pro superbis & fastuosis Scribis, Pharisæis ac principibus
c Act. 2. v. 43. tuis, efficiam vt constes *populo paupere & egeno*, (*c*)
d Ibid. v. 43 si spectes terrenas opes, sed diuite gratijs, potente miraculis. (*d*) splendente virtutibus. Tales erant Apostoli & primi discipuli Christi, inquit S. Hieronymus & alij iam citati. Vnde ad se suamque familiam alendam vel augendam
e Hic v. 3. ℣.13. NON, vt vos hactenus, (*e*) FACIENT alter alteri INIQVITATEM, calumniam, vim, dolum, sed paucis omnes contenti, PASCENTVR in commu-
f Act. 2. v. 44. ne: (*f*) & benè pasti tum corporaliter, tum spiritualiter, sub fida pastorum suorum cura ac tutela læti hilaresque ACCVBABVNT in pinguibus Ecclesiæ pascuis, primùm in hac vita ad modicum tempus, deinde plenè satiandi in altera, in perpetuas æternitates.

℣.14. IVBILA ISRAEL iam Christiane, tot beneficijs aucte & decorate à Deo: nam

℣. 15. ABSTVLIT Primò, IVDICIVM TVVM, quo reus agebaris tot tantorumque scelerum, & propter ea damnationis æternæ. Nam renato per Christum condonabit omnem culpam ac pœnam. Secundò, AVERTIT à te INIMICOS TVOS iuratos, dæmones, infernum, mortem, iugum Mosaicæ legis, vt non ipsa ampliùs dominentur tibi, sed tu A domineris illis, & solus Dominus dominetur tibi Tertiò,

℣.17. SILEBIT, Chaldæus, *abscondet delicta tua.* q.d. Non exprobrabit tibi scelera tua præterita, non etiam ob præsentes infirmitates, aut leuiores lapsus, vltor statim exsurget; sed silentio inuoluet, donec ipse resipiscas & pœnitentia deleas admissa: vnde LXX. vertunt, *innouabit te*: idque IN DILECTIONE SVA] id est, propter ingentem amorem quo te prosequitur. Quartò,

℣.18. NVGAS; Hebraicè, *nuge*, id est, homines נוגי nugaces, abiectos, viles, nullius pretij (sic enim etiam Cicero & Plinius & Plautus hoc verbum B vsurpant) putà *Iudæos*, QVI ob nugas, id est, nugacia bona terræ, & nugaces suas traditiones, A LEGE Dei, quæ Christum ipsis digito demonstrat, iam ab olim RECESSERVNT, etsi deferentes & contemnentes me possem iustè tanquam quisquilias & *nugas* contemnere ac deserere; QVIA tamen EX TE ERANT, ô chara mihi primorum fidelium Synagoga, CONGREGABO illos ad me & ad te, nunc quidem inchoatè per Apostolos (*g*) & Apostolicos viros: completè autem sub finem mundi, quando *omnis Israel* (*h*) *saluus fiet*, ita S. Hieronymus & alij suprà citati. Quintò,

Cicero l. 6. ad Atticum epist. 31. & lib. 1. ad Quint fratrem ep. 38. Plin. l. 10. c. 19. Plaut. & alij apud Athenæum l. 6.

g *Act.* 21. v. 41. c. 4. v. 4. c. 6. v. 7.

h *Rom.* 11. v. 26.

C ℣.19. INTERFICIAM OMNES QVI AFFLIXERVNT TE, tyrannos, hæreticos, schismaticos; & in die iudicij omnes etiam impios & hostes tuos, æterna morte & infernali supplicio mulctabo. Interea Sextò, SALVABO CLAVDICANTEM ex te, & horrore tormẽtorum vel tyrannorum nutantem firmabo ac stabiliã gratia & ope mea cælesti. Septimò, collectionem fidelium QVÆ vel iussu tyrannorum EIECTA FVERAT è domo & vrbe paterna, vel metu eorumdem vltrò secesserat in exilium, CONGREGABO, & postliminio suæ patriæ restituam, vt ibi sint in honore & laude, vbi priùs affecti fuerant *confusione* & ignominia. Factum id per Constantinum Magnum & alios subsecutos Im-D peratores ac principes Christianos, inquit Theodoretus, Remigius & Vatablus.

℣.20. IN TEMPORE ILLO, supple, faciam hæc iam dicta, QVO ADDVCAM VOS ad optatam libertatem & pacem etiam temporalem. Nam statui prorsus, vos non solùm è *captiuitate* diaboli, mortis & inferni; sed etiam è *captiuitate* & seruitute qua saltem initio christianismi sub Gẽtilibus magistratibus quasi captiui delitescetis, ducere, & plena libertate donatos etiam supra hostium vestrorum, putà Gentilium, qui antea vobis dominabantur, capita glorioſos euehere, vt ipsis iam vos dominemini, & templa, palatia, sceptra illorum paulatim toto orbe occupetis, & ita me & Christum meum gloriosè, splendidè, magnificè colatis, inquit Vatablus & Liranus.

AGGÆVS,

ID est, *festiuus*, lætus, festum agens, inquit S. Hieronymus, cum Iudæis sub Cyro è Babylonia, vbi natus est; redux Ierosolymam, primus ibidem in templo, quod ipsius maximè & Zachariæ hortatu restauratum (a) fuit, *Alleluia* cecinit, teste Epiphanio, Dorotheo & Isidoro. Putant aliqui psalmos 111. 137. 145. & tres sequentes, quòd partim in Hebræo, partim in Græco LXX. interpretum exemplari, titulum habeant, *Alleluia Aggæi & Zachariæ*, ab illis ipsis Prophetis compositos esse: sed alij verisimiliùs censent, hoc solùm præcinentibus his Prophetis, à populo è Babylonia reduce decantatos fuisse, quòd festiui sint & eucharistici, ideóque materiæ illi & iubilo cõgruentes. In decursu prophetiæ suæ elidit Aggæus friuolas Iudæorũ excusationes de fabrica templi diutiùs differenda: Principi autem Zorobabeli fabricam resumenti promittit Messiam ex eius stirpe nasciturum, qui templum hoc sua præsentia, doctrina & miraculis condecorabit, reddetque glorioſius quàm fuerit Salomonicum: thronum quoque regni sui supra omnium gentium regna, illis subactis, extollet. Origenes, teste S. Hieronymo, Gabriele Vasquez, & alijs, putauit Aggæum, vt & Malachiam & Ioannem Baptistam, non fuisse purum hominem, sed angelum incarnatum, vt dicam c. 1. v. 13. Sed hic est error: ex eo tamen colligas, eximia fuisse morum vitæque innocentia ac puritate: adde, & magno spiritu, vt rectè aduertit S. Hieronymus, vtpote qui aduersus potentissimi Persarum monarchæ Cambysis edictum, & Samaritanorum, aliorumque in circuitu hostium violentiam, iusserit exstrui templum Domini. Catalogo Sanctorum adscriptus legitur in Martyrologio Romano vnà cum Osee Prophetа, die 4. Iulij.

(a) 1. Esdr. 5. v. 1. Epiphan. Dorot. & Isidorus in vita Aggæi.

Hieron. c. 1. v. 13. Vasquez 1. p. tom. 1. disp. 184. numer. 7.

CAPVT I.

Reprehendit Iudæos, quòd pretextu inhibitionis factæ à rege Cambyse & Samaritanis, negligerent instaurare templum Domini, sua interim propria palatia singuli splendidissimè construerent. Voluntatem Dei esse, vt ante omnia templum excitent, & ilicò manum operi admoueant. Id ita se velle, sat declarasse Deum, cùm ob neglectam hanc fabricam immisit extraordinem Iudæis famem, sterilitatem & inopiam. Obsequũtur oraculo Prophetæ Zorobabel, Iesus, & vniuersus populus, operi strenuè se accingentes.

Philo Annij, apud Genebrard. in Chronico, & Mercatorem. Cyrill. Ierosol. catechesi 12. Tertull. lib. cont. Iudæos tit. de Passione Christi. Iansenius Concordiæ Euang. c. 19. Sulpit. l. 2. Histor. Scaliger. in Emend. tempor. Ioseph. l. 11. Antiq. c. 2. Euseb. in Chron. Clem. lib. 1. Stromat.

¶. 1. ANNO SECVNDO DARII, non Medi, (vt putauit Philo, Cyrillus, Tertullianus. Genebrard. & Gerardus Mercator, quia hic iam pridem mortuus erat;) neque Artaxerxis Longimani (vt Iansenius;) neque Darij Nothi (vt Sulpitius & Scaliger) quia hi diu post Esdram & Aggæum vixerunt: sed Darij Hystaspis filij, qui à satrapis electus per hinnitum equi, post Cambysen & Smerden Magum, rex fuit Persarum. ita Iosephus, Eusebius, S. Hieronymus, Clemens Alexandrinus, Theodoret. Albertus, & alij passim. Vide Chronicum nostrum. (b)

b Chron. c. 37.

MENSE SEXTO anni non vulgaris, (vt vult Liranus & Vatablus,) qui inchoatur circa æquinoctium autumnale, sed anni sacri, qui inchoabatur ab æquinoctio verno. ita Iosephus, (c) Hieronymus & alij iam citati. Et patet ex simili locutione, Zachariæ & Esdræ; qui socij fuerũt Aggæi. Zacharias enim c. 1. v. 7. & cap. 7. v. 1. nonum mensem vocat *Caseu*, vndecimum *Sabath*: qui numeri non subsistunt, nisi annum inchoes ab æquinoctio verno.

c Ioseph. l. 3. Antiq. c. 4.

A Esdras quoque l. 1. cap. 6. v. 14. & 19. post duodecimum mensem *Adar* anni sacri, computat mox primum mensem *Nisan*, quo pascha comedebatur. De his etiam fusè egi in Chronico c. 4. Sextus ergo hic mensis erat *Elul*, & respondebat nostro partim Augusto, partim Septembri, quando occasione malignæ messis & vindemiæ recens actæ, monuit Aggæus Iudæos, ob neglectam templi instaurationem illos puniri ab irato Deo.

ZOROBABEL hic ex proauis Christi vocatur FILIVS SALATHIEL filij Ioachin, seu Iechoniæ regis Iuda, ad distinctionem alterius Zorobabelis
B filij Phadaiæ filij eiusdem Iechoniæ, & fratris Salathielis prædicti, vt constat ex 1. Paralip. 3. v. 17. & 19. & Chronico (d) nostro. Vbi etiam (e) vide de Iesu filio Iosedec summo tunc temporis pontifice Iudæorum. Porrò hic Zorobabel idem est cum illo qui 3. Esdræ 4. v. 42. inter tres principes primarios corporis regij custodes recensetur, qui obtentâ à rege veniâ, Ierosolymam contendit sub initium secundi anni Darij (f), vt ex indulto eiusdem regis fabricam templi instauraret. Sed Iudæi memores
C præteritarum difficultatum, toti etiam rebus (g) proprijs promouendis intenti, ad curandam sacram fabricam induci non potuerunt, donec sterilitate puniti, metu grauiorum pœnarum, & hortatu Prophetarum Aggæi & Zachariæ eò perraherentur.

d Chron. c. 46. tabula vlt.

e Chron. c. 42. initio

f 3. Esdræ 5. v. 6.

g Ibid. v. 47

¶. 5. PONITE CORDA VESTRA SVPER VIAS VESTRAS] Id est, attenta mente prependite fructum operum vestrorum, simulque causam inquirite, cur, ex quo neglexistis instaurationem templi, omnia vestra studia sint infelicia & infausta.

Certè

Certè deprehendetis non aliam esse, quàm neglectum sacræ fabricæ, inquit Vatablus, Liranus, Arias & alij.

¥.6. COMEDISTIS collectas fruges, sed adeò parcas ac modicas, vt ijs NON *sitis* SATIATI, nec INEBRIATI, id est repleti & exhilarati. Hæc & similia alia pœnarum genera peccantibus Iudæis infligenda prædixit iam olim Moyses in Leuitico & Deuteronomio. Vnde cùm nullum aliud adueretur publicum in populo peccatum, facile erat notare ex inflictis cælitus pœnis, neglectu sacræ fabricæ offensum esse Deum.

Leuit. 26. Deuter. 28.

¥.8. ASCENDITE IN MONTEM Libanum, inde LIGNA cedrina & trabes exscindite, & Ierosolymam DEPORTATE, ET DOMVM Domini iam sub Cyro fundatam, (a) pergite *ædificare* & perficere. ERIT illa MIHI ACCEPTABILIS & grata, & proinde orantes in ea, vel versus eam, vt olim (b) promisi, exaudiam, ET sic GLORIFICABOR, dum in ea magnificè colar, & ex ea gloriosè vobis succurram ac benefaciam.

a 1. Esdr. 5. v. 16. & 6. 6. v. 3.
b Deut. 12. v. 11. & 3. Reg. 8. v. 29.

¥.13. DIXIT AGGÆVS NVNTIVS, id est, legatus seu Propheta, DOMINI DE NVNTIIS DOMINI, id est, vnus è numero probatorum & selectorum nuntiorum, seu Prophetarum Dei: cui proinde Zorobabel & populus vniuersus meritò fidem habuit. Hebræum *malach*, & Græcum ἄγγελος significat non eum solum qui natura angelus est, sed etiam qui officio, id est, nuntium seu legatum in genere, vt etiam Chaldæus vertit. Vnde immeritò hinc collegit Origenes, Aggæum, vt & Malachiam (c) & Ioan. Baptistam, (d) quia *angeli* vocantur in Scriptura veros & naturales angelos fuisse humana carne indutos, vt dixi in proœmio.

מלאכ

c Malach. 1. v. 1.
d Malach. 3. v. 1.

CAPVT II.

Vt atriùs exstimulet Iudæos ad instaurandum templum, promittet maiorem fore templi illius secundi gloriam, quàm fuerat primi à Salomone constructi, eò quòd in secundo isto docturus & miracula facturus sit Christus tot seculis à toto orbe expetitus. Tardiores in fabrica, & contendentes sufficere altare ac victimas, neque opus esse integro templo, redarguit, dicens, nullo modo sufficere altare sine templo. Si porrò pergant illud instaurare, promittit omnium bonorum affluentiam: & cumprimis Zorobabeli, nasciturum ex eius stirpe Messiam, Regem regum ac regnorum omnium Dominum.

¥. 1. IN DIE VIGESIMAQVARTA MENSIS SEXTI] supple, cœperunt aggredi instaurationem templi. Pendent enim hæc verba à fine cap. præced. inquit S. Hieronymus, Theodoretus & alij passim.

¥.4. QVIS vestrum VIDIT DOMVM ISTAM IN GLORIA SVA PRIMA, antequam euerteretur à Chaldæis? *Viderunt* autem illam plurimi non modò plebeij, sed & *principes patrum & seniores*, etiam tum superstites, vt ait Esdras. Vix enim effluxerant 40. anni, vt in Chronico demonstraui.

1. Esdr. 3. v. 12. Chron. c. 35.

ET QVID VOS VIDETIS HANC NVNC prout illam instaurare decreuistis? NVMQVID NON ITA EST IN OCVLIS VESTRIS QVASI NON SIT?] Chaldæus, *quasi res nihili*; LXX. *quasi non existens*, nempe si cum magnificentia prioris templi conparetur. Templum enim hoc posterius non ex lapidibus pretiosis vndique laminis aureis tectum, vt Salomonicum, (e) sed ex vulgaribus lapidibus excitabatur: neque in parem (f) altitudinem, neque cum tot appendicibus, gazophylacijs & porticu-

e 3. Reg. 5. v. 17. & 6. 6. v. 7.
f 2. Par. 3. v. 4. & 1. Esd. 6. v. 3.

A bus. Vnde cùm vtrumque inter se conferrent, *flebant voce magna*, inquit Esdras. (g) Sed

g 1. Esdr. 3. v. 12.

¥.6. VERBVM FACITE QVOD PEPIGI VOBISCVM: id est, obseruate legem meam, quam in pacto vobiscum inito, quasi conditionem fœderis ex vestra parte præstandam exegi; & ego vicissim præstabo quod ex mea parte præstandum addixi, nempe vt SPIRITVS MEVS sanctus tum secundùm personam suam, (h) tum secundùm dona (i) sua perpetuò vobis adsit, prouidentia sua vos dirigens, fortitudine corroborans ac defendens, sapientia, scientia, consilio suo instruens ad inchoatam iam fabricam, & alia opera concinnè & assabrè perficienda. ita Hebræi, & passim SS. Patres. Nec solum Spiritum meum, sed & Filium meum vobis dabo. Exspectate enim

h Sap. 7. v. 22.
i Num. 11. v. 25. Exodi 31. v. 3.

¥.7. ADHVC VNVM MODICVM, puta 515. annos (tot enim sunt à secundo anno Darij Hystaspis (i) vsque ad Christi aduentum) qui reuera modicum quid sunt respectu temporis elapsi ab orbe condito, putà 3485. annorum: (k) respectu verò æternitatis vix momentum vel punctum faciunt. Addit Arias, esse modicum respectu legis Christianæ, ad finem vsque mũdi duraturæ, quæ tamen & ipsa in Scripturis *hora* vocatur, 1. Ioan. 2. v. 18. *Filioli, nouissima hora est.* Exacto hoc modico, multis magnisque prodigijs COMMOVEBO CÆLVM, TERRAM, MARE, ET OMNES GENTES, vt excitæ C quasi è somno prosiliant ad excipiendum Messiam regem & dominum suum. VENIET enim tunc in hunc orbem DESIDERATVS CVNCTIS GENTIBVS] Hebraicè, *desiderium cunctarum gentium*; LXX. *venient electa omnium gentium.* Messias enim vnus est ex omnibus gentibus & præ omnibus electus, per quem ceteri omnes electi & dilecti sunt à Deo: per ipsum mala omnia ab omni creatura remouentur, & bona cuique omnia obueniunt: ipse est principium, finis, exemplar, cẽtrum, nodus, vinculum, vita, salus, felicitas totius vniuersi, summa, caput, compendium omnium operum Dei. Vnde meritò gentes omnes ad ipsum anhelant & ardent, ipsum desiderant, amant, & exoptant vehementiD simo appetitu, non modò naturali (sicut terra arida sitit & exoptat pluuiam, & quęuis res desiderare dicitur illud quo eget, inquit Martinus de Roa:) sed & rationali: nam etiam Gentes ex maiorum suorum traditione iam inde ab initio mundi, pòst etiam ex relatu Iudæorum sciebant venturum aliquando saluatorem ac redemptorem mundi, vt constat de primis Patriarchis, de Iobo, ciusq; amicis, de Sibyllis, & tot alijs. Quæ verò nesciebant, simulatque ex Apostolis & Apostolicis viris de aduentu illius certiores factæ sunt, ardentissimo desiderio ad ipsum aspirarunt, tantoque affectu amplexæ sunt, vt ipsius amore, & pro ipsius honore E substantiam omnem, & sanguinem, & vitam libentes profunderent. Porrò locum hunc de Christo ad litteram exponendum esse concors est sententia, non modò omnium SS. Patrum, sed & Rabbinorum, maximè antiquorum, quos citatos habes apud Galatinum: qui ex hoc loco clarissimè conuincit Iudæos, aduenisse iam pridem Christum, quia iam pridem desijt hoc templum Zorobabelis, quod Christi præsentia dicitur hîc glorioſius rẽdditura quàm antè fuerit templum Salomonis.

k Chronici c. 36. & 37. 1 Chronici c. 7. & 47.

Roa l. 1. Singular. c. 13.

Galat. l. 4. c. 9. & 10.

Petes, Quænam commotio veniente in mundum Christo, facta est in cælo, in terra, in gentibus, in mari? Respondeo, è cælo missus est archangelus ad Zachariam (m) nuntiaturus præcursorem

m Luc. 1. v. 11.

Messiæ, ad Mariam, (*a*) ad Ioseph, (*b*) ad pastores (*c*) incarnationem & natiuitatẽ Messiæ: missa est stella (*d*) Magorum; missa & alia phænomena, quæ ex Suetonio, Dione & Tacito recenset Orosius grauis historicus à S. Augustino laudatus, & ex eo Baronius, Barrad. & alij. His adde, quæ in baptismo, (*e*) transfiguratione, (*f*) passione, (*g*) resurrectione, (*h*) ascensione (*i*) & pentecoste, (*k*) facta fuit cælorum apertio, angelorum emissio & vocum demissio. Terra, & in terra gentes nascente Christo commotæ fuerunt. Primò, armorum per totum orbem discussione, bellorum compositione, & animorum in vniuersalem (*l*) pacem conspiratione. Secundò, omnium ad commune lustrum & cẽsum (*m*) concursu. Tertiò, omnium vel perturbatione (*n*) vel metu ob nasciturum vel natum Messiam, vt etiam Romanis persuasum erat, teste Tacito (*o*) & Suetonio. (*p*) Quartò, oraculi Delphici & aliorum subito silentio, vt ait Cicero, (*q*) Arnobius & Eusebius: statuarum & idolorum tum in Capitolio, vt scribit Dio, tum alibi, de cælo percussione, liquefactione, deiectione, vel delapsu, vt alibi (*r*) dixi. Quintò, numquam audito in terris miraculo, incontaminatæ virginis partu, inquit S. Augustinus l. 18. Ciuit. c. 35. Sextò, petrarum & rupium patiente Christo, disruptione, & horrendo terræ motu, (*s*) de quo Plinius, (*t*) *Terra*, inquit, *maximus memoria mortalium extitit motus Tiberij Cæsaris principatu, duodecim vrbibus Asiæ vna nocte prostratis.* Taceo conuulsionem & disruptionem viscerum terræ, quando anima Christi ad limbum, inferos spoliatura descendit. Taceo commotionem animorum factam prædicatione & miraculis Christi & Apostolorum. Ad mare venio. quod & ipsum insolitis modis in aduentu Christi concussum fuit partim per bella naualia, quæ Suetonius; (*u*) partim per tempestates. quas alij historici apud à Castro recensent; partim per Christi imperium quo & sedatæ procellæ, & vndæ pedibus calcatæ, & pisces in retia coacti, denique per terræ generalem motum, patiente Christo, etiam mare concussum constat.

Huius tam prodigiosi, tam illustris, tam potentis Domini præsentia, doctrina, & miraculis gloriosis, inquit hîc Deus, IMPLEBO DOMVM ISTAM, quam nunc instauratis. Et ex his longè maior GLORIA accedet *huic domui*, quàm alteri olim accessit ex omni auro & argento Salomonico. Et verò

℣. 9. MEVM EST quidquid toto orbe extat ARGENTVM ET AVRVM] neque decedit mihi ex eo quidquam, licet hanc domum non vndique cingatis auro, vt fecit Salomon: nam quocumque loco fuerit aurum, etsi in terræ visceribus, in maris fundo, in regum thesauris, perinde meum est, ac si vestiendo templo meo, vel ornando altari circumdaretur. Et verò quando lubebit mihi, v.g. sub aduentum Messiæ, efficiam vt auro circumdetur intus & foris ab Herode Ascalonita, vt Iosephus, (*x*) Iosippus, Hegesippus, & ex his S. Hieronymus, Chrysostom. Genebrardus, Ribera & alij describunt. Nunc etsi careat hoc ornatu, non carebit tamen mea benedictione, quia

℣. 10. IN LOCO ISTO DABO vobis omnem PACEM] id est, prosperitatem, & omnium bonorum copiam & affluentiam, per Christum, qui de cœlis illam secum deuehet in (*y*) terras, & plena manu vobis impertiet. *Pax vobis*, (*z*) *Pacem meam* (*aa*) *do vobis, pacem relinquo vobis.*

℣. 12. INTERROGA SACERDOTES binas quæstiones, vt ad eas ex præscripto *legis* tibi respondeant. Primò,

℣. 13. SI quis CARNEM Deo immolatam & ita SANCTIFICATAM ferens in veste sua, TETIGERIT veste illa PANEM vel aliud edulium, an panis ille contactu isto SANCTIFICABITVR? *Respondent* SACERDOTES, *Negnaquam* & benè: nam licèt caro Deo oblata, si tangat vestem, illam sanctificet, vti lex (*bb*) sancit: non tamen idcircò vestis sic sanctificata, vim habet vlteriùs sanctitatem similem in alias res quas tangit, transfundendi. Loquitur de sanctitate legali & cęremoniali, quâ res sanctæ in veteri lege ab vsu profano separandæ erant, Deoque donandæ & sanctè tractandæ. Applicat mox vers. 15. responsionem sacerdotum scopo suo Propheta, hoc modo: SIC POPVLVS ISTE, qui neglecto templo quod Deus instaurari iusserat, contentus solo altari, 1. Esdræ 3. v. 3. licet victimis in eo altari oblatis sanctificetur legaliter; non tamen idcircò sanctificat ipse vlteriùs quidquid agit, molitur aut tractat, abstergens ab omni opere suo quidquid illi inest vitij, maculæ aut peccati: quia talem sanctificandi vim non habet illa legalis sanctificatio. Sed potiùs è contrario, vitium & peccatum inhærens personæ, contaminat omnia ipsius opera & actiones, quibus vtitur quasi medijs seu instrumentis ad peccatum suum patrandum vel fouendum. Numquid enim (& hæc secunda quæstio;)

℣. 14. SI quis POLLVTVS IN (*cc*) ANIMA, id est, contaminatus contactu cadaueris, *contaminat* & immunda reddit quæcumque tangit? ET *respondérunt*, CONTAMINABIT] (*dd*) Ergo & vos, ô Iudæi, quia immundi fuistis ex inobedientia & contemptu fabricæ sacræ, non potuistis mundari ab hoc peccato quibuscumq; victimis Deo in altari oblatis, quin potiùs eadem inobedientia contaminastis omnia alia opera & actiones vestras quibus illam inobedientiam fulcicbatis & fouebatis, v.g. fabricas priuatarum ædium vestrarum, procurationes propriorum lucrorum & commodorum quibus sponte vos à sacra domus meæ fabrica distrahebatis.

℣. 16. PONITE CORDA VESTRA; id est, attendite expendite penuriam, sterilitatem & inopiam quâ afflicti fuistis, A DIE HAC retrò computando, cùm ex *aceruo*, qui videbatur daturus VIGINTI MODIOS frumenti, vix DECEM excussistis; non aliam deprehendetis tanti mali causam, quàm neglectum instaurationis templi mei, toties vobis inculcatæ. Contrà verò

℣. 19. PONITE CORDA VESTRA: id est, attendite & expendite fertilitatem & bonorum omnium copiam, quæ EX DIE ISTA quâ iacta sunt fundamenta non prima, quæ terrâ occultantur (hæc enim iam pridem iacta sunt sub Cyro, 1. Esd. 3. v. 8.) sed secunda, quæ supra terram reliquo operi substernenda erant, id est, ex ea die qua neglectam hactenus fabricam templi, nouis animis nunc cœpistis instaurare; expendite, inquam, fertilitatem quæ deinceps IN FVTVRVM tempus vobis obueniet, reperietis curam sacræ huius fabricæ causam vobis esse tantorum bonorum. ita Arias, Ribera & alij.

℣. 20. An SEMEN iam recèns NONO MENSE Casleu, (respondente ferè nostro Nouembri,) terræ commissum germinauit? Minimè. Vnde neque possumus ex eodem, seu copioso, seu raro, conijcere messem fore vel copiosam vel raram. Ego tamẽ

EX DIE

a *Ili. v. 16.*
b *Matth. 1. v. 20.*
c *Luce 2. v. 9.*
d *Matth. 2. v. 2.*
Orosius l. 6. c. 18. & seqq. Barrad to. 1. l. 8. c. 12. Baron. in Apparatu.
e *Matth. 3. v. 17.*
f *Matth. 17. v. 5.*
g *Matt. 17. v. 45.*
h *Matt. 28. v. 2.*
i *Actor. 1. v. 9 & to.*
k *Act. 2. v. 2*
l *Chronici c. 44.*
m *Ibid.*
n *Matth. 2. v. 3.*
o *Tacit. l. 21*
p *Sueton. in Vespasiano c. 4. & in Augusto c. 94.*
q *Cicero l. 2. de Diuinat. Arnob. l. 3. Liv. Gentes Euseb. l. 3. Præparat. Euang. c. 9. Dio. l. 37.*
r *Isaiæ 19. v. 1.*
s *Matt. 27. v. 51.*
t *Plin. l. 2. c. 48.*
u *Sueton. in Augusto.*
x *Ioseph. l. 15. Antiqu. c. 14. Iosippus l. 5. c. 25. Hegesipp l. 1. excidij Ierosol. Chrisost. demõst. Quod Christus sit Deus to. 5. Genebr. l. 2. Chronologiæ.*
y *Luce 2. v. 14*
z *Ioan. 20. v. 19. 21. 26.*
aa *Ioan. 14. v. 27.*
bb *Levit. 6. v. 27.*
cc *Levit. 15. v. 18. Numer. 5. v. 2.*
dd *Num. 19. v. 13. & 22.*

EX DIE ISTA messem vobis addito copiosam, quia ob diligentiam quam præstatis in sancta fabrica, BENEDICAM semini terræ commisso, faciamque vt in multos culmos, & plenas spicas extuberet. Quòd si materialem fabricam promouentibus sic benedicit Deus, quam putamus mercedem daturum qui spiritualem animarum ædificationem totis viribus tum in se, tum in alijs procurant?

℣.22. MOVEBO CÆLVM PARITER ET TERRAM] commotionibus tum elementorum, suprà v. 7. tum regnorum & imperiorum inter se tumultuãtium & bellantium, inquit S. Hieronymus.

℣.23. ET SVBVERTAM SOLIVM REGNORVM quæ nunc tenent Persæ & Medi, destruendo hos per Alexandrum & alios principes Græcos: & istos rursum per Romanos: & Romanos quoque per mutua & ciuilia bella: vnumquemque GLADIO FRATRIS SVI, Pompeium gladio Cæsaris, Cæsarem gladio Bruti, Antonium gladio Augusti, &c.

℣.24. IN DIE ILLA, id est, tempore tantorum tumultuum, excisis tot regibus, tot regnis, ego TE, ô ZOROBABEL, dux fabricæ templi mei, pro mercede operis mihi gratissimi, in singularem protectionem meam ASSVMAM, seruaboque tam personam tuam, quàm familiam, domum, posteritatem tuam inter tot pericula & bella intactam atque illæsam: imò & carnem tuam mihi assumam, quam QVASI annulum (a) *signatorium* aureum inseram dexteræ meæ, nempe Filio meo, qui virtus & fortitudo mea est: vt tali filio ex te progenito colaris & glorificeris ab omni creatura, & super omnes reges exalteris, & quasi deificeris in natura humana, quam ex posteritate tua, nempe ex virgine Maria Filius meus assumet, sibique æternùm vniet longè arctiori nexu, quàm annulus digito adnectatur, nempe vnione hypostatica, quæ faciet hominem Deum. Alluditur autem ad Ieremiæ 22.v.24. vbi auus Zorobabelis, putà Iechonias, rex Iuda vocatur *annulus in manu dextera* Dei, sed inde euellendus, & manui Nabuchodonosoris committendus: hîc verò nepos eius dicitur manui & digito Domini restituendus.

a *Eccli.49. v.13. Ioannis 6. v.27. & Cant.6.v.6.*

ZACHARIAS,

ID est, *memoria Dei.* verè memoria mirabilium Dei: quidquid enim per ceteros Prophetas sparsim prædictum fuit à Deo, in vno Zacharia, quasi in memoriali seu compendio reperitur. Synchronos & coæuus fuit Aggæo, vnde & vnà cum ipso vrget instaurationem (b) templi Ierosolymitani. Simulque monet Iudæos ne Idola & vitia maiorum imitentur, quorum viderũt acerbam punitionem, excidium & captiuitatem. Per hieroglyphica, parabolas & ænigmata prædicit varios euentus Iudæis obuẽturos vsque ad Christum, maximè quatuor monarchiarum successiones, quæ desinent in regnum Christi, cuius vitam ac passionem, penè instar Euangelistæ recenset. Imitatus videtur Ezechielem & Danielem: & omnes tres imitatur S. Ioannes in Apocal. Cyrillus scribit, oriundum illum è tribu Leui, & sacerdotem fuisse ac doctorem populi. S. Epiphanius & Dorotheus multa, quæ iam non extant, ab eo prædicta scribunt, v.g. Salathicli nasciturum filium Zorobabel, Iosedecho pontifici nasciturum Iosue seu Iesum; Cyrum Persam de Chaldæis triumphaturum, & templum cultumque diuinum Ierosolymis instauraturum: multa de Crœso Lydiorum, & de Astyage Medorum rege, &c. Virtutibus & senecta grauem decessisse in Iudæa, & iuxta Aggæum Prophetam humatum esse, scribunt ijdem, & etiam Martyrologium Romanum, in quo adscribitur Sanctorum catalogo die sexta Septembris. Venerandum illius corpus, ipsomet reuelante, detectum sub Theodosio Imperatore iuniore, vt refert Sozomenus, & ex eo Baronius. Martyrem esse, & lapidibus à tumultuante populo occisum inter templum iam instauratum & altare, vt ait Christus Matth.23. v.35. sentiunt S. Chrysost. Vatablus, Arias, Sanchez, Ribera & alij nonnulli. Et verissimillimam reddunt hanc sententiam, quòd *filius* sit *Barachiæ*, vt Christus eum vocat: & quòd vltimus sit (si violenta morte interijt) Prophetarum à Iudæis occisorum: Christus enim videtur vltimum cum primo componere voluisse. Hoc certum, non subsistere argumentum, quo S. Hieronymus hanc sententiam conuellere nititur, nempe, quòd tempore huius Zachariæ vix ruinæ vel vestigia templi superfuerint; nam vt omittam iacta sub Cyro (c) noui templi fundamenta, cœpit illud seriò instaurari mense sexto anni secundi Darij (d) & completum fuit anno sexto (e) eiusdem: atqui *Zacharias* auctor & promotor eiusdem operis, (f) dicit se

b 1. *Esdræ* 5. v.1.

Epiphan. & Doroth. in vita Zachariæ.

Sozom. l.9. cap. vlt. Baron anno Christi 415. Chrysost. homil.1.in Lucam. Hieron. in Matth.23. c 1. Esd.3. v.10. d Aggæi 1. v.vlt. & c. 2.v.1. e 1. Esdr.6. v.15. f 1. Esd.5. v 1. & c.6. v.14.

adhuc *puerum* (a) prophetasse anno secundo (b) & quarto (c) eiusdem Darij, & adhuc diu pòst, vt patet ex septem vltimis prophetiæ eius capitibus, & quia obijt ætate valdè prouecta, vt suprà audiuimus: ergo non vestigia solùm, sed & fastigia templi vidit Zacharias. Sed de hac re iterum Matth.23.

a Zachar.2. v.4.
b Zachar.1. v.1.
c Zachar.7. v.1.

CAPVT I.

Monet Iudæos, vt relictis idolis & sceleribus parentum, ob quæ tam dure ac diuturno exilio & seruitute multati sunt, ad Deum & ad virtutem colendam totos se transferant. Per equos nigros, rufos, albos & varios, varium variarum gentium statum repræsentat. Audit reddendam Iudæis pacem & felicitatem pristinam. Videt quatuor fabros ferentes quatuor cornua quibus ventilarant Iudæam.

¥. 1. ADDO] Si fuit hic ille Addo, qui scripsit Chronica regum Iuda, 2.Paralip.12. v. 15. & Ieroboamo ob erectos vitulos aureos interitum prædixit, 3.Reg.13.v.1. vt censet Remigius, Albertus, Haymo, Hugo & Dionysius; non potuit esse auus nostri *Zachariæ*, sed sextus vt minimum vel septimus atauus illius. Probabilius tamen putarim non fuisse eumdem, sed alium illi cognominem, vt ibi (d) dixi.

d 3.Reg.13. v.1.

¥.5. PATRES VESTRI, idololatræ, raptores, pauperum oppressores, Dei contemptores, VBI NUNC SVNT? nónne vel occisi à Chaldæis, vel in seruitutem abrepti, & miserijs confecti sunt, vt comminatus fueram per meos Prophetas? Pari modo scitote certò complendas minas, quas nunc quoque vobis, nisi conuertamini, intento per meum Zachariam. Et pseudo*prophetæ* patrum vestrorum, qui perpetuam illis, etsi peccantibus, prosperitatem & pacem promittebant, an VIVENT IN SEMPITERNVM?] Minimè, nam omnes vel gladio, vel ærumnis extincti iacent. Interitu igitur suo, suorumque quibus longam felicemque vitam promiserant, apertè testantur, se mendaces & fallaces fuisse.

¥.6. VERVM mei Prophetæ, qui MEA VERBA ET LEGITIMA, id est, minas & pœnas lege mea decretas in præuaricatores legis, intentarunt patribus vestris, non fefellerunt illos: nam quæcumque illis intentarant, reipsa illos COMPREHENDERVNT] Qui proinde flagellis istis eruditi, iustum meum iudicium, suam verò culpam tandem agnouerunt, inquit S.Hieronymus, Albertus, Hugo, Liranus, Arias, Clarius & Vatablus.

¥.7. VERBVM, id est, visio, DICENS] id est, ostendens mihi: Deus enim non solis verbis, sed & symbolis loquitur.

¥.8. ECCE VIR, id est, angelus specie viri, vt dicitur v.11. ASCENDENS SVPER EQVVM, quasi accelerans suppetias ferre populo Dei: & quidem *equum* RVFVM] quasi vindex sanguinarius futurus in omnes hostes. S. Hieronymus, Theodoretus & alij passim censent fuisse S. Michaelem, Ecclesiæ Dei primarium custodem ac ducem. (e) Idem Theodoretus equum illum *rufum* vocat *spadicem*, id est, punicei coloris, qui iuxta Virgilium maximè commendatur in equis. Ex equi verò generositate, equitis animos, vires & iras metire.

e Dan.10. v.21.& c. 12.v.1. Virgil. 3. Georgic.

STABAT INTER MYRTETA, id est, in loco myrtis consito, IN PROFVNDO] id est, demisso & humili loco, qualis est ad ripas fluminum: myrtus A enim, sicca & calida herba, amat loca demissa, profunda & irrigua. Ad litteram designat Babyloniã adiacentem Euphrati & Tigri, inquit Chaldæus, Vatablus & Arias. Inde enim S. Michael Iudæorũ partem aliquam eduxerat nuper sub Cyro, & partem aliam paulò pòst deducturus iam venit. Symbolicè verò significabat familias Iudæorum adhuc in Babylonia & Persida degentes, ac præomnibus familiam Mardochæi & Estheræ, quæ Hebraicè *hadissa*, Latinè *Edissa*, id est, *myrtus* vel *myrtea* vocabatur, inquit S. Hieronymus, Remigius, Albertus & Hugo. In huius familia, virtutum omnium fragrantia, pulchritudine, soliditate tunc celeberrima stabat cum assecla suis præses Ecclesiæ Michael, nouum de cœlo beneficium portendens isti familiæ, & per familiam istam toti reliquæ genti Iudæorum, putà connubium Estheræ cum Dario rege, anno sequenti incundum, vt patet ex dictis Estheræ 1. vers.1. Allegoricè, nostra *hadissa*, seu myrtus, est B. Virgo, in cuius medio stat Christus, humana carne inde desumpta, cui tanquam equo rufo insequitat natura diuina; & quam ipse sanguine tum suo, tum hostili rubricauit, iuxta illud Isaiæ, *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Quare rubrum est vestimentum tuum?* ita Petrus Abbas Cellensis.

הדשה

Isaiæ 63. v.1.

Petr. Cellensis l. de Panibus c. 23. tom. 8. Biblioth. SS. Patrum

ET POST EVM sequebantur multi alij EQVI & equites, quidam RVFI, nempe angeli præsides gentium sanguinolentarum & Iudæis infestarum, putà Chaldæorum, Assyriorum, Samaritanorum, &c. quidam ALBI, præsides gentium pacificarum & Iudæis amicarum, putà Persarum & Medorum: reliqui VARII coloris, præsides gentium nunc benè, nunc malè Iudæis affectarum, quales erant Ægyptij, Tyrij, Sidonij, Syri & alij similes.

¥.9. ANGELVS quidam, (fortè custos Zachariæ) QVI LOQVEBATVR IN ME, (est Hebraismus, (f) pro, *ad me*, seu *mecum*, vt vertit Chaldæus:) rogat Michaelem, vt explicet Zachariæ, quinam sint, & quid velint hi equites.

f In Proleg. de Idiotism. Hebr. n.14.

¥.10. QVI RESPONDIT: ISTI SVNT angeli præsides regnorum, QVOS DOMINVS MISIT lustrare commissas sibi prouincias. Mox ipse tanquam princeps illorum, interrogat singulos, quo in statu repererint regiones sibi creditas. Respondent illi:

¥.11. OMNIS TERRA vicina Iudææ QVIESCIT à bellis, ab odio & ira in Iudæos. Vnde nil verendum quòd inchoatam templi Ierosolymitani instaurationem impedient, aut nocent Iudæis. ita S. Hieronymus & alij suprà citati.

¥.12. ANGELVS Michael, audito quòd omnes circùm nationes alta pace & prosperitate fruerentur, ad Deum conuersus, VSQVEQVO, inquit, TV Ô DOMINE EXERCITVVM, NON MISERERIS IERVSALEM, ET VRBIVM reliquarum Iudææ, QVIBVS adhuc IRATVS ES, sinens eas hucusque dirutas iacere ac penè desertas? ISTE IAM SEPTVAGESIMVS ANNVS EST] imò octogesimus, & quod excurrit. Vide de hoc calculo Chronicum nostrum. Respondet extemplo Deus:

Chronic. c. 35 in 2. conclus.

¥.14. ZELATVS SVM IERVSALEM ZELO MAGNO]

gno] Id est, vehementissimè illam amo, vt maritus zelotypus amat vxorem suam. Ideoque

℣.15. IRA MAGNA IRASCOR Chaldæis alijsq; gentibus quæ illam tam crudeliter cuerterunt, & ex eius spolijs diuites & opulentæ euaserũt. QVIA EGO IRATVS SVM PARVM, id est, moderatam solùm castigationem per illos iubebam infligi Iudæis, vti pater iubet infligi filijs: IPSI VERÒ non meæ modicæ, sed suæ immodicæ iræ obsecuti, ADIVVERVNT IN MALVM] afflictis addentes totis suis viribus afflictiones quantas possent.

℣.16. PERPENDICVLVM EXTENDETVR SVPER & templum & vrbem IERVSALEM] id est, rursus instaurabitur ab architectis.

℣.18. ECCE QVATVOR CORNVA, verisimiliter ferrea; Chaldæus, *quatuor regna*; QVÆ VENTILAVERVNT, (*a*) diuexarunt, cuerterunt tam IVDAM ET IERVSALEM, quàm ISRAEL & Samariam. Significant autem non quatuor monarchias, vt volunt Hebræi & ex illis S. Hieronymus; sed vniuersim omnes populos ex quatuor orbis plagis, qui tam *duas*, quàm *decem* tribus bellis attriuerunt; putà Ammonitas & Moabitas ab Oriẽte: Philisthæos ab Occidente: Idumæos & Ægyptios à Meridie: Assyrios & Chaldæos ab Aquilone, ita Theodoretus, Clarius, Ribera, Sanchez, à Castro, à Lapide.

℣.20. QVATVOR FABRI ferrarij, sunt quatuor angeli præsides, custodes & tutelares Iudææ. Hi

℣.21. VENERVNT DETERRERE, tremefacere, deprimere, *deijcere* & resecare prædicta quatuor CORNVA, quæ ita impetierant Iudæos, VT NEMO illorũ auderet vel CAPVT *leuare*] His symbolis designabatur, sublatũ iri hostibus Iudæorum vires omnes ad impediẽdam instaurationẽ templi, & Ierosolymæ, & reliquarũ vrbium Iudææ: vnde mox cap. seq. videt Propheta apparari instaurationẽ iam dictam. Symbolicè, quatuor cornua quę Christi Ecclesiam ventilarunt, sunt Iudæi, Gentiles tyranni, hęretici, Saraceni. Fabri hæc resecãtes, Apostoli & Apostolici viri, Imperatores & reges Christiani, Patres & Doctores, Clerici & Religiosi, etiam militares.

CAPVT II.

Angelus funiculo mensorio metitur vrbem Ierosolymam mox à Zorobabele & Nehemia instaurandam, tanta amplitudine, vt pra copia hominum certũ limitibus seu muru circumdanda non sit, sed Deum habitura pro muro in circuitu. & pro gloria in medio sui. Vnde Iudæos in Chaldæa adhuc reliquos, nec ausos metu vicinorum hostium redire in patriam, inuitat vt audacter eò se transferant. Allegorico sensu principaliùs intento à Spiritu sancto conueniunt hæc omnia Ecclesiæ Christi, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoret. Haymo, Liranus, Vatablus & alij passim.

℣.1. ECCE VIR, id est, angelus formâ viri, cum FVNICVLO MENSORVM] quo solent architecti lõgitudinem & latitudinem ædificiorum dimetiri, an iusta sit partium omnium symmetria, seu proportio. Hoc symbolo designabat angelus Michael, se iam accingi ad plenè instaurandam Ierosolymam & reliquas ciuitates Iudææ. Similẽ architectum vidit etiam Ezechiel c. 40. v. 3. & S. Ioannes Apoc. 21. v. 15. Porrò tertius ille angelus, qui

℣.3. EGREDIEBATVR IN OCCVRSVM angeli custodis Zachariæ, plerique putant fuisse *Gabrielem*, curatorem negotiorum populi Dei, Danielis 9. & 10. vbi similes tres angeli, & forsan ijdem qui hîc, nuntiant similia Danieli.

℣.4. LOQVERE AD PVERVM ISTVM] nempe Zachariam, clientẽ, discipulum, ministrum (*b*) tuum; quidni & annis adhuc iuuenẽ ac robustũ, vt solent esse ministri? Zacharias viso in manu Michaelis funiculo in glomum conuoluto, ac proinde tenui & exiguo, videtur timuisse, exiguâ fore Ierosolymæ instaurandæ capacitatem, vtpotè breui funiculo comprehensam. Huic timorem istum eximi iubet angelus, spondens, Ierosolymam tãta amplitudine & capacitate instaurandam, vt certis muris terminari non possit, qui incolas omnes complectantur: multos per suburbia & villas vicinas coactum iri habitationem figere. Non igitur negat, Ierusalem cingendam muro (nam id factum constat à Nehemia:) (*c*) sed tantam ait confluxuram eò hominum frequentiam, vt spatium intra muros etsi capacissimum, non capiat tamẽ omnes, sed multos cogẽdos extra muros domicilium quærere. (*d*) Vnde illud, *absque muro*, quidam exponunt, *extra murum*. Sicut illud Iosue 17. v. 5. *Funiculi Manasse cecidерunt absque terra Galaad*, id est, extra terram Galaad. Porrò Ierosolymis ita rẽ habuisse testatur oculatus testis Iosephus. Neque est tamen, quòd propterea quis metuat, non futurã sat tutam incolarũ istic degentium habitationem, vtpotè ad quam pateat facilis etiã hostibus accessus. Ecce enim promitto, quòd

℣.5. EGO ipse Deus vester, qui *ignis consumẽs* (*e*) sum, ERO Ierosolymitanis pro *muro*, (*f*) eoque non lapideo, sed *igneo*. Nã instar ignei muri cingam, tutabor, exhilarabo Ierosolymę ciues, hostes verò vel solo aspectu fugabo. Alludit ad flammeũ gladiũ, quo Cherubim custodit paradisum Gen. 3. v. 24. quem Lactãtius & plures alij *murum igneum* interpretãtur. Allegoricè, murus igneus Ecclesiæ & etiã singulorũ fidelium est *Spiritus sanctus* (cuius figura fuit olim colũna (*g*) ignis:) sunt & angeli custodes, vt Eliæ, (*h*) Eliseo, (*i*) & tot alijs apparuerunt.

ET IN GLORIA; LXX. *in gloriam*, ERO IN MEDIO EIVS] Id est, glorificabo Ierusalẽ, & gloriam ei afferam, inquit S. Cyrillus, Theod. Haymo, Vatablus, Ribera, Sãchez, à Lapide. Deus enim per instauratum templũ & in eo sui cultũ, per legem, oracula, miracula, tutelã & protectionẽ cælestem, reddebat eam celebrem & gloriosam apud omnes Gẽtes, vt Iosephus aiebat, & Regius Propheta (*k*) Dauid, & Isaias. Quæ in Christi Ecclesiã verissimè quadrãt, cuius gloria summa est Christus in medio eius, inquit S. Hieronym. Haymo, Albertus & Remigius.

℣.6. O, Ô FVGITE Iudæi, DE TERRA AQVILONIS, id est, è Babylone, quæ respectu Iudææ est Aquilonaris: QVONIAM si Babylone subsiteritis, ex nunc diuino decreto meo IN QVATVOR VENTOS CÆLI DISPERSI VOS, dispersurus & reipsa suo tẽpore. Expugnatâ enim per Darium Hystaspis Babylone iã iterum rebelli (quod factum biennio post hãc (*l*) Zachariæ prophetiã, nẽpe anno 4. Darij, industria Zopyri seipsum mutilantis & ad obsessos transfugientis, vt narrãt Iustinus, Herodotus, Torniellus, Gordonus, & alij) vos quoq; istic deprehẽsi, dispergemini, & quasi socij rebelliũ mulctabimini, atque vt minimũ, in nouũ exiliũ deportabimini. Quare præstat, ex nũc inde demigrare in optatã patriam.

℣.8. QVIA HÆC DICIT DOMINVS EXERCITVVM, quòd POST redditam Ierosolymæ GLORIAM diuinæ suæ præsentiæ in templo, (de qua v.5.) MISIT ME Gabrielem AD GENTES pessumdandas, QVÆ VOS antè SPOLIAVERVNT, id est, ad excidendos Babylonios, Idumæos, Philisthæos, Ammonitas, Moabitas, &c. ita Chaldæus, Hugo, Mariana & à Lapide. Et sensu allegorico principaliùs intento à Spiritu sancto, *Deus exercituum* Pater cælestis, cœli & terræ monarcha, *post gloriam* plena manu & mensura admensam Synagogæ, ME Fi-

---

a 2. Esdr. 4. v. 17.

d Isaiæ 49. v. 20. Ierem. 31. v. 38.

Ioseph. l. 6. Bell. c. 6.

e Hebr. 12. v. 29.

f Isaiæ 26. v. 1. Psal. 124. v. 2.

Lact. lib. 2. Instit. c. 13.

g Exodi 13. v. 21. & Sap. 10. v. 17.

h 4 Reg. 2. v. 11.

i 4. Reg. 6. v. 17.

Ioseph. l. 12. Antiq. c. 26.

k Psal. 47. v. 2. Ps. 86. v. 3.

Isaiæ c. 48. v. 1.

l Zachar. 1. v. 7.

Iustin. l. 1. in fine. Herod. l. 3. in fine. Torniell anno mundi 3532. Gordonus in Chronol.

a Esaiæ 24. v. 12 & Luc. 21. v. 24. & 69. Act. 4. v. 27.

ME Filium suum, Gabrielis antitypum, & *Deum* etiam *exercituum*, vtpotè *Deum verum de Deo vero, misit* quasi archistrategum suum, *ad gentes* & nationes omnes totius terræ, vt eas debellem, exspoliem, mihiq; & Ecclesiæ meæ subijciam per Apostolos & alios prædicatores Euangelicos, qui animas ereptas tyrannis diabolo, mundo, carni, subijciant Deo legitimo domino & regi totius vniuersi. ita S. Hieronymus, Theodoretus, Haymo, Remigius, Liranus, Vatablus, Ribera & alij. Tam enim chari mihi vos estis, ac si *pupilla* (a) essetis *oculi mei*: vnde quicumque vobis molestiam creat, mihi lædit. Gentes ergo vobis inimicas, in vestri gratiam, ne amplius noceant, omnes debellabo, & vel amicas vobis, imò subditas faciam; vel, si hostiles manserint, perdam & exscindam. Ita Iudæis fecit per Mardochæum & Estherem, per Nehemiam, per Machabæos. Sed plenius Christianis per Apostolos & Apostolicos viros, per Constantinum & alios Imperatores ac Principes Catholicos, inquit Albertus, Hugo & alij iam citati. Vnde meritò nomen Christo, (b) *Accelera spolia detrahere, festina prædari.* Sic sic notum toti orbi fiet, quòd

a *Deut.* 32. v. 10.

b *Isaiæ* 8. v. 3.

℣. 12. DOMINVS POSSIDEBIT IVDAM, & è Iuda prognatam Ecclesiam, quasi PARTEM SVAM, (c) id est, peculium proprium, seu portionem sibi hereditariam, IN TERRA diuino cultu suo SANCTIFICATA, & præsentia corporali filij sui, quin & sanguine quoque ipsius nobilitata.

c *Deut.* 32. v. 9.

℣. 13. QVIA DOMINVS noster, qui tot iam millibus annorum, permittēdo mundum vniuersum in dominio & potestate diaboli, mortis & inferni, visus est quasi dormire, tandem excusso somno, CONSVRREXIT DE thalamo & HABITACVLO SANCTO SVO, vires suas gigantæas (d) & arma cælestia expediens, primò per Mardochæum, vt dixi, & Machabæos prodromos Filij sui, deinde per ipsummet Filium suum è sinu patterno emissum, & in hostes immissum. A cuius FACIE, seu in cuius conspectu; si sapit, SILEAT OMNIS CARO] Id est, nemo illi reclamet, nemo rebellet, repugnet, recalcitret, sed omnes summo silentio, reuerentia, timore, tremore, subiectione, gratitudine, ipsum agnoscant, suspiciant, amplectantur, celebrent & colant. ita S. Cyrillus, Theodoretus & alij. His verbis olim in Liturgia S. Iacobi, dum sacerdos ad altare sacrificaturus accederet, excitabatur populus ad debitum tantis mysterijs præstandū silentium, attentionem & reuerentiam, Diacono præeunte & proclamante: *Sileat omnis humana & mortalis caro, stetq; cum metu ac tremore.* Et similia inclamabunt angeli cum Christus in vallem Iosaphat ad extremum iudicium descendet, inquit S. Hieronymus, Haymo, Vatablus & Liranus.

d *Psal.* 18. v. 7.

CAPVT III.

e *Zachar.* 3. v. 8. & 4. *Reg. vlt.* v. 18. & 21.

Iesum filium Iosedec, (e) nepotem Saraiæ (f) summi pontificis à Nabuchodonosore occisi, iubet angelus exui sordidis reorum vestibus, nouisq; indui, & cidari ac dignitate pontificia decorari, vt templum, cultumq; diuinum restauret. Eidem promittit ORIENTEM, *id est, Christum, qui in templo per illum instaurando se præsentem exhibebit, docebit, miracula patrabit, Ecclesiam suam colliget, cuius ipse futurus sit pontifex in æternum, & lapis angularis septem oculis insignitus, clauorum, spinarum, flagellorum ictibus celatus, qui auferet iniquitatem terræ, & pacem toti orbi conciliabit.*

℣. 1. DOMINVS per angelū Gabrielem, OSTENDIT MIHI in visione, IESVM filium Iosedec, nuper in reditu è Babylonia designatum SACERDOTEM MAGNVM, seu summum Iudęorum pontificem: quem Iosephus dicit vixisse toto tempore imperij Darij Hystaspis. Hic cùm pro munere suo Iudæos è longo exilio in patriam reductos, & iam penè oblitos legis cultusque diuini, deberet instruere, & ad legis implenda præcepta perurgere, ad templum excitandum prouocare, (g) à matrimonijs cum alienigenis vxoribus auertere; segnior in his & iusto remissior erat, sinebatque etiam proprios filios & fratres suos alienigenis copulari, vt dicitur 1. Esdræ 10. vers. 18. ita Chaldęus, Liranus, Vatablus, Sà. Mariana & à Lapide. Interim pontificio fungens munere supplicabat Deo pro salute populi, pro vrbis & templi restauratione, pro religionis diuiniq; cultus incremento, pro reliquis Iudæorum familijs è Babylonia & Persida in patriam reducendis, inquit Ven. Beda, Vatablus & Arias. Indignum hoc visum *Satanæ*, id est, aduersario; LXX. *diabolo*, putà *Lucifero*, principi dæmoniorum. Qui si veteris testamenti pontificibus SATAN, id est, aduersarium, se præbuit, multò magis Pontificibus noui testamenti, à quibus quasi capitibus pendet salus totius Ecclesiæ. Sed ijsdem tanquam custos & propugnator assistit Luciferi antagonista Michael Archangelus, qui technas & insidias principis tenebrarum facilè dispellet. Ergo ad Iesum Iudæorum pontificem spe & supplicatione sua, quin & pontificatu deturbandum insurgit hîc Lucifer. Indignum enim illi videbatur, obnoxium non leuibus peccatis audiri à Deo, & vice ipsius fungi in Synagoga. Stat ergo vt actor in iudicio aduersus Iesum, CORAM ANGELO DOMINI Michaele, Dei vicario & principe (h) Synagogæ. Iure enim merito victor Luciferi constituitur etiam iudex ipsius. Quin & omnes Ecclesiæ causas, adeoque & animarum iudicium immediatè à morte cuiusq; hominis, S. Michaeli tāquam iudici delegata esse à Deo, videtur communis Ecclesiæ (i) sensus, & ita pijs quibusdam (k) personis reuelatum. Licet Bartholomæus Sibylla velit particulare iudicium per angelum custodem exerceri. Stat autem Lucifer, vtpotè *princeps* tunc totius *mundi*, (l) & actor in hac causa, pontifici reo A DEXTRIS. Sed dum in reo accusando vehementiùs excandescit, nimisque improba petit, Deoque indigna, imò iniuria; non exspectato rei responso,

a *Aggæi* 1. v. 1. & 2.

h *Dan.* 10. v. 21. & 12. v. 1.

i *In Officio Eccles. de S. Michaele.*

k *B. Ioannes de la Cruz Religiosus tertij Ordinis de Pœnitentia, S. Francisci, lib. 3. Vitæ B. Ioannæ c. 12.*

Barth. Sibylla in Speculo peregrinarum quæst. decade 1. cap. 1. quæst. 6.

l *Ioan* 12. v. 31. *c.* 14. v. 30. *c.* 16. v. 11.

℣. 2. DOMINVS, (m) nempe iudex Michael, vicarius Dei, DIXIT AD SATAN: INCREPET (n) DOMINVS IN TE] id est, Deus increpatione, obiurgatione, imperio suo diuino reprimat & compescat audaciam, nequitiam, impudentiam tuam, quâ audes, occasione erratorum ab infirmo homine admissorum postulare non solùm subuersionem ipsius, sed & totius Ieroſolymæ ac Synagogæ ruinam: quam tamen probè nosti electam à Deo, vt templo in ea restaurato, colatur ibidem & adoretur à toto mundo. Et ad *Iesum* quod attinet, an nescis, ipsum ex incendio Babylonico, quo & auus (o) eius, & penè reliqua tota familia cōflagrauit, instar ambusti TORRIS VIX ERVTVM, & hucusque reductum, vt opera illius templum, vrbs & religio, iuxta diuina promissa restauretur? Aut fortè vis morte ipsius, promissa diuina aboleri, Deumque mendacem fieri?

m *Exod.* 20. v. 2. *Galat.* 3. v. 19. *Iudæ* 6. v. 12. *Epist. Iudæ* v. 9.

n *Psal.* 105. v. 9. *Psal.* 67. v. 31. *Luc.* 8. v. 25. *Mar.* 4. v. 39.

o 4. *Reg. vlt.* v. 18. & 21.

℣. 3. IESVS autem, vtpotè reus, INDVTVS VESTIBVS SORDIDIS, nudo capite, intonsa coma, oculis flebilibus in iudicem defixis, STABAT CORAM

ram tribunali, gratiam orans & opem. Habes hîc typum veri *Iesu* cum eodem Lucifero primùm *in deserto*, (a) deinin horto *Gethsemani*, denique & in *cruce* colluctantis, coram diuino tribunali verè sordidati tum sceleribus nostris, tum sanguine suo, & sputis, sanie, vulneribus ab hoste inflictis, inquit S. Hieronymus, Ambrosius & Gregorius. Et tamen his ipsis sordidis plagis ac vulneribus Lucifer um sternentis, & de toto inferno ac mundo triumphantis.

(a) *Matth. 4. v. 1.*

Ambros. in Psalm. 118. v. 33. Greg. l. 20. Mor. c. 18.

℣. 4. Prò *mutatorijs*, id est, speciosis ac pretiosis vestibus, quales die festo cum alijs quotidianis commutari solent, LXX. habent, *podere*, (b) id est, tunica pontificia. Qua, vt & *cidari*, (c) id est, mitra, seu tiara, iussu iudicis reddita Iesu, designabatur, reddi illi liberum vsum & continuationem pontificiæ potestatis: vt per illud, ABSTVLI À TE INIQVITATEM TVAM, de qua v. 1. pronuntiabatur absolutio ipsius in iudicio, & causa Lucifero abiudicabatur. Quæ omnia Christo recèns mortuo ac deinde resurgenti commodissimè adaptes, cum Origene, Tertulliano, Eusebio & alijs iam citatis.

(b) *Sap. 18. v. 24. Eccli. 27. v. 9. Apoc. 1. v. 13.*

(c) *Exodi 28. v. 36. & 40.*

Orig. hom. 14. in Luc. Tertull. l. 3. contr. Marcion. c. 7. Euseb. l. 4. Demonst. c. vlt.

℣. 7. SI tu, ô Iesu, cum posteris tuis, CVSTODIAM, id est, legem, MEAM exactè CVSTODIERIS, & per te, perque tuos subditos obseruari curaueris; TV QVOQVE, non minùs quàm Zorobabel, IVDICABIS, id est, instar principis reges DOMVM (d) MEAM, seu familiam Israeliticam. q. d. Non solùm vt pontifex CVSTODIES ATRIA templi mei, custos supremus ac præfectus omnium sacrorum: sed etiam vt princeps sæcularis, reges totum Israelem. Nam post reditum è Babylonia, summa potestas ac regimen Iudæorum, teste Iosepho, penes *pontifices* fuit, regibus Persarum, quibus omnes subditi erant, (e) ita iubentibus. (f)

(d) *Num. 12. v. 7.*

Ioseph. l. 11. Antiq. c. 4.

(e) *2. Esdr. 9. v. 36.*

(f) *1. Esdr. 7. v. 25. & 26.*

ET DE HIS angelis QVI NVNC HIC tribunali ASSISTVNT, DABO AMBVLANTES TIBI] qui te tuosque comitabuntur vbique, & suo auxilio dirigent, protegent, promouebunt, inquit S. Hieronymus, Hugo & Liranus: Chaldæus, *in resurrectione mortuorum suscitabo te, pedesque veloces inter Seraphim istos ambulantes tibi donabo.*

℣. 8. AVDI nunc IESV, TV ET AMICI TVI Prophetæ, Zacharias, Aggæus, Malachias, Zorobabel, Esdras, Nehemias, &c. QVIA vt tu, ita & ipsi SVNT VIRI PORTENDENTES futura: nam & factis & oraculis suis portendunt venturum Christum, eiusque vitam doctrinam, passionem, & alia mysteria. *Audi* ergo nunc, quid portendat illa, quam seruo meo Zachariæ per visionem exhibui, accusationis, absolutionis & reuestitionis tuæ tragicomœdia. Tu Iesus in scenam inductus reus & sordidatus, contrà (sed frustra) nitente Lucifero, à me liberatus es ab omni iniquitate tua, & exauditæ preces tuæ pro communi populi tui salute, pro vrbis & templi instauratione, pro reliquorum Iudæorum ab exilio in patriam reductione: quin & tu ipse stabilitus es à me pontifex & princeps totius Synagogę, vt sis in hoc opere primus lapis fundamentalis, tuaque prouidentia ac vigilantia inchoëtur, promoueatur, perficiatur & fabrica, & populi adhuc exulantis reductio, & vtraque tuis tuæque familiæ decorata insignibus, æternùm tibi tamquam præcipuo ministro meo adscribatur. Hæc portendunt alium quemdam alterius longè nobilioris & fabricæ & reductionis auctorem.

(g) *Chronici c. 36. & seqq.*

ECCE ENIM post quinque (g) sæcula EGO in orbis theatrum, ac primò in Iudæam, è cœlis ADDVCAM excellentem illum SERVVM, imò Filium MEVM Messiam, *germen*, (h) seu surculũ cælestem simul & terrestrem, diuinum & humanum, secundũ diuinam suam naturam ex vtero meo ORIENTEM ab æterno, secundùm humanam exoriturum suo tempore ex vtero Virginis. Vnde meritò nomen illi *Oriens*, tam *ex alto*, vtpotè sol totum mundum illuminaturus; quam ex imo, seu è terra, instar arboris vitæ sanaturus & instauraturus omnia. ita ferè S. Hieronymus, Cyrillus, Remigius & alij SS. Patres ac Doctores.

(h) *Isaiæ 4. v. 2. & c. 11. v. 1. & Ierem. 33. v. 15.*

℣. 9. ECCE hic est nobilis ille ac toties à Prophetis (i) decantatus, LAPIS Ecclesiæ fundamentalis & angularis, QVEM iam Zachariæ spectandum DEDI CORAM IESV typo & figura veri *Iesu*, id est, saluatoris, veri, summi, æterni Pontificis ac mediatoris inter Deum & homines. Super hoc fundamentali lapide constructur fabrica templi mei spiritualis, nempe Ecclesiæ Catholicæ, & *portæ inferi non (k) præualebunt aduersus eam.* ita S. Hieronymus, Haymo, Remigius, Albertus, & Liranus.

(i) *Isaiæ 28. v. 16. Zachar. 6. v. 12.*

(k) *Matt. 16. v. 18.*

SVPER hunc VNVM LAPIDEM SEPTEM, id est, multiplices, OCVLI partim intenti SVNT, partim infixi. Intenti sunt oculi omnium angelorum, & hominum sanctorum, tum vt iussa ipsius, tamquam domini ac principis sui, ad prosecutionem & perfectionem fabricæ excipiant, tum vt gratiam ab eo & media ad complendam fabricam, ad salutem & gloriam propriam & alienam promouendam accipiant. ita Liranus, Vatablus, Fernandez, & Sanchez. Ipse Zacharias infrà (l) sic se explicat, vt & S. Ioannes in Apocalypsi, vbi *septem oculos* Christi vterque vocat *septem spiritus, qui missi discurrunt in vniuersam terram.* Alludit ad *septem* primates regni Persarum, qui teste Hesychio & Suida vocabantur *oculi regis*, sicut erant & alij qui *aures regis* nominabantur. Infixi simul & intenti sunt Primò, oculi diuinitatis ipsius Christi, nempe plena, perfecta, perspicacissima prouidentia & vigilantia diuina circa Ecclesiæ inchoationem, promotionem, conseruationem & perfectionem. Secundò, oculi humanæ naturæ ipsius inditi, qui & ipsi *septem spiritus* ab Isaia vocantur, putà septem dona Spiritus sancti infusi partim intellectui, partim voluntati Christi; item multiplex ac perfectissima scientia tam naturalis, quàm supernaturalis infusa Christo, qua perpetuò circumspicit, lustrat, prouidet, curat omnia necessaria, & protegit, promouet, perficit Ecclesiæ suæ fabricam. ita S. Hieronymus & alij suprà citati. Porrò *lapidem* hunc non committam vulgari cuipiam artifici, seu humano, seu angelico, cædendum, cælandum, sculpendum; sed ego ipse propria manu mea & præcidam de monte, & CÆLABO. & poliam, & sculpam. Sculpam autem in eo, ô quàm nobiles *sculpturas*! stemmata nempe & insignia quibus inclarescere volumus per omnem æternitatem. Sunt autem hæc: Primum, vnio hactenus inuisa, inaudita, substantialis & hypostatica Filij Dei cum humana anima & carne. Secundum, stupenda connexio gaudij beatifici & doloris, tædij, mœroris, tristitiæ lethiferæ (m) in vna eademque illius anima. Tertium, fixuræ clauorum, pũcturæ spinarum, flagellorum, crucis & lanceæ: vibices, plagæ, vulnera, quibus totum corpus eius *à planta pedum vsque ad verticem* (n) *capitis* perfodietur. In Hebræo enim ad verbum hîc est, *ecce ego aperiam aperturam eius*, seu quidquid in eo aperiri potest. Sed non frustra si-

(l) *Zachar. 4. v. 10. Apoc. 5. v. 6. Hesych. & Suidas in voce ὀφθαλμὸς βασιλικὸς.*

(m) *Matt. 26. v. 38.*

(n) *Isaiæ 1. v. 6.*

ſtra ſinet hic *lapis* tot plagis ſe incidi & excauari, nec ſine fructu ſanguineis his ſtemmatibus decorabitur. Nam per hæc Primò, AVFERAM & remittam INIQVITATEM TERRÆ ILLIVS, id eſt, totius (*a*) vniuerſi, idque IN DIE VNA, imò hora vna, momento vno, id eſt, ſemel & ſimul: nempe ipſo momento mortis Chriſti, *deleto* (*b*) *quod aduerſum* vos omnes *eſt* ferali *chirographo*, remittam ex parte mea peccata omnia toti vniuerſo. Secundò, tam nobili fundamento ſuperſtruam nobiliſſimam fabricam Eccleſiæ non ex ſolis Iudæis, ſed & ex Gentibus omnibus, quæ vndique ad ampliandam eius familiam ac regnum concurrent. Tertiò, ex longa horrendaque captiuitate ac ſeruitute principis tenebrarum educam, & filio meo domum reducam non modò reliquias Synagogæ, ſed & ſuo tempore regna omnia totius mundi. Quartò, bonorum omnium tam ſpiritualium, quàm corporalium affluentiam, intuitu meritorum tam chari capitis, impertiam toti illius familiæ. Vnde

a *Pſalm.2. v.8. Matth.vlt. v.18.*
b *Coloſſ.2. v.14.*

℣.10. IN DIE ILLA victoriæ, reſurrectionis ac triumphi Chriſti, & ex *die illa* deinceps, VIR quiuis Eccleſiæ inſertus, VOCABIT & inuitabit ad lætas epulas & ſympoſia AMICVM quem volet ſuum, SVBTER VITEM ET FICVM ſuam. Quâ phraſi & parœmia ſignificant Hebræi plenam pacem, opulentiam & ſecuritatem. Sicut ſub Salomone, (*c*) cùm quiſque dicitur *habitaſſe ſub vite & ficu ſua*, ſignificatur, ipſo imperante plenam fuiſſe pacem, & copiam omnium bonorum.

c 3.Reg.4. v.25.

CAPVT IV.

*Vt capite præcedenti Ieſum pontificem, ita hoc capite Zorobabelem principem populi docet inſtauraturum templum Domini. Hos duos comparat duabus oliuis Deo aſſiſtentibus, vt ſepticeps candelabrum aureum, id eſt, templum & rempubl. Iudæorum proſtratam, erigant, inſtaurent, attollant. Allegoricè Henoch & Elias, vt explicat * S. Ioannes, ſub finem mundi inſtaurabunt Eccleſiam Iudaicam: & ante ipſos Apoſtoli & Apoſtolici viri excitabunt, ampliabunt, expolient Eccleſiam Catholicam, fruſtra repugnantibus omnibus aduerſarijs.*

* *Apoc.11. v.4.*

℣.2. ECCE ingens CANDELABRVM AVREVM ſimile candelabro Moſaico, (*d*) in cuius vertice LAMPAS, id eſt, vas concauum & ſphæricum inſtar magnæ lampadis, intus plenum oleo, & ſupernè patens, maximaque flamma ardens & colluceus, vt vult Fernandez, Ribera, Sanchez & à Lapide. Hanc lampadem maiorem circumdabant SEPTEM LVCERNÆ, ſeu lampades minores, quæ per totidem calamos, arcuatim ex fundo maioris lampadis prodibant. Calami iſti erant concaui inſtar fiſtularum: nam per eos deriuabatur oleum ex maiori lampade ad lucernas calamis inſiſtentes. Vnde & calami iſti vocantur hîc *infuſoria*, ſcilicet olei in lucernas. Vtrimque ad latus candelabri erat *oliua* ſeu olea plena oliuis.

d *Exodi 25. v.31.*

Fernand. viſ.32. ſect. 1.

℣.6. HOC EST VERBVM, ſeu myſterium à *Domino* reuelatum de (*e*) *Zorobabele*, principe politico Iudæorum. Quòd nimirum Zorobabel & Ieſus, iſte vt pontifex, ille vt princeps, ſingulari ſtudio adſtabunt & ſubſeruient diuinæ ſapientiæ ac prouidentiæ per candelabrum hoc vndequaque ardens & lucens deſignatæ. Quæ per *ſeptem infuſoria, calamos & lucernas*, id eſt, per multiplices & varias vias, partim angelicas, (*f*) partim humanas, vti gubernat & dirigit totum vniuerſum, ita ſpeciatim deſignat nunc inſtaurare templum & vrbem Ieroſolymitanam, id eſt, religionem & rempubl. Iudæorum. Allegoricè, Eccleſiam (*g*) Chriſti, inquit S. Hieronymus, Vatablus, Fernandez & alij. Perficient autem hoc opus NON IN EXERCITV vel ROBORE humano, SED SPIRITV MEO diuino, *ſuauiter* ſimul ac *fortiter* omnia diſpoſituro, & humana conſilia, induſtrias ac labores proſperaturo.

e *Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n.12.*

f *Hoc cap. ℣.10.*

g *Apoc.11. v.vlt.*

℣.7. QVIS TV MONS MAGNE, Lucifer (*h*) qui per te, per Cambyſen, per Sanaballat, per alios emiſſarios tuos, millena CORAM ZOROBABEL obijcis impedimenta; quibus quaſi vaſtiſſimis montibus vis conatus ipſius præpedire? ita Hebræi, & ex illis S. Hieron. Remigius, Liran. & Sà. IN PLANVM deſcende & complanare. q.d. A page cum omnibus impedimentis & remoris tuis. quia vel inuito te, in altum EDVCET iactum iam PRIMARIVM LAPIDEM, id eſt, fabricam inchoatam attollet vſque ad faſtigium: ET GRATIAM, ſeu beneficium perfectionis fabricæ, EXÆQVABIT GRATIÆ inchoationis EIVS] id eſt, tanta gratia, fauore, proſperitate perficiet, quanta cœpit. ita enim ſeſe explicat angelus verſ. 9. ſequenti, ita S. Hieron. Theodoret. Remigius. Rupertus, Liranus, Arias, Vatablus & à Lapide.

h *Zach.4. v.1.*

℣.10. QVIS ENIM *deſpiciet* DIES hos PARVOS, id eſt, dies in quibus parua patrantur? ſicut Oſee 1.v.11. *magnus* vocatur *dies Iezrahel*, eò quòd magna in eo gererentur. Occurrit enim hic tacitæ obiectioni, quâ quidam fortè conabantur eleuare & extenuare opus Zorobabelis, dicentes, Egregia certè initia, magno operi ſuperſtruendo, & Salomonico templo inſtaurando. Quibus reſpondet, non attendenda parua initia, (*i*) exilem materiam, tenuia media. Conijciant oculos in progreſſum fabricæ: videant quantis incrementis exiguo tempore illa exſurgat. Certò enim maxima lætitia LÆTABVNTVR quicumque oculos conijcient in nobilem illam & excelſam fabricam, quæ quotidie magnis paſſibus promouetur, Deo adſpirante, & *Zorobabele* principe LAPIDEM STANNEVM MANV dirigente, quo iubet ad perpendiculum (*k*) aſſurgentes parietes exædificari. ita Chaldæus & plerique interpretes. Neque eſt cur de hoc celeri incremento, adeoque & de felici fabricæ perfectione dubites vel ambigas: nam illi promouendæ ac complendæ inuigilant SEPTEM ISTI OCVLI DOMINI, *diſcurrentes* IN VNIVERSAM TERRAM, media tanto operi neceſſaria vndique conquirentes, & omnia impedimenta propulſantes. Sunt autem hi (præter oculatiſſimam diuinæ Sapientiæ prouidentiam quæ per candelabrum totum adumbratur, (*l*)) SEPTEM *primary ſpiritus* angelici, vt S. Ioannes huc alludens explicat: (*m*) & Prælati Eccleſiæ ac reipublicæ, qui per minores iſtas lucernas, ſeu potiùs lucernarum orificia, quæ oculi ſpeciem habent, hîc deſignantur, lumen quod cælitus à Deo hauriunt, toti populo impertientes. Talia *mille millena lumina fulgurant ante thronum diuinitatis à primo diluculo*, inquit S. Bernardus.

i *Aggæi 2. v.4.*

k *Zach.14. v.10.*

l *Hic c.4. & c.3. v.9.*

m *Apoc. v.5. & c.5. v.6.*

Bernard. in laudat. B. Virginis.

℣.11. RESPONDI] Id eſt, ſermonem inieci interrogando. Cumque non ſtatim acciperem reſponſum, iteratò interrogaui:

℣.12. QVID SVNT DVÆ OLIVÆ, vel potiùs DVÆ SPICÆ, ſeu rami, OLIVARVM pleni oliuis, (ſicut ſpicæ ſunt plenæ granis frumenti) QVÆ SVNT IVXTA DVO ROSTRA?] LXX. *iuxta duas nares*; Marinus & alij Hebræi, *iuxta duos canales*. Extuberantia enim bina brachia è trunco candelabri, è quibus ſurſum erumpebant ab vtroque latere ſuſ-

fuſoria,

fusoria, seu infusoria supradicta, *nares* vocabantur, quòd instar naris sublimatorij sursum essent elata: *rostra* verò, quòd adunca essent.

℣.14. ISTI per duas oleas designati, SVNT DVO FILII OLEÆ: id est, sunt duo Synagogæ supremi principes vncti oleo, seu duo *christi* Domini, nempe Iesus vnctus pontifex, & Zorobabel vnctus princeps politicus, *qui* primarij ministri in excitanda fabrica & republica Iudæorum ASSISTVNT DOMINATORI VNIVERSÆ TERRÆ] & Deus vicissim diuina sua prouidentia assistit ipsis illuminandis, dirigendis, adiuuandis, vt inchoatum opus ad perfectionem deducant. ita Hebræi, Theodor. Liranus, Vatablus, Clarius, Mariana & à Lapide. Alludit ad duos Cerubinos, quos ex ligno oliuarum, quasi filios oleæ, fabricauit Salomon. *(a)* Sicut enim illi propitiatorium & arcam, ita hi Ecclesiam & rempublicam sustentabant. Allegoricè, *duo filij olei* sunt Moyses & Elias assistentes Christo in monte transfigurato, inquit Tertullianus. sed melius, vt S. Hieronymus, imò & S. Ioan. Apostolus, *(b)* erunt Henoch & Elias, hic ex circumcisione, ille ex præputio. Quod enim fecit Iesus & Zorobabel in populo è Babylonia in Ierusalem reuocando, in templo Domini instaurãdo: idipsum facient Elias & Henoch in vltima sæculi ruina, vt tam Iudæos, quàm Gentes ab Antichristo reuocent ad Christum, & Ecclesiæ collabentis fabricam instaurent. Arias per *duas oleas* accipit duplicem in Christo dignitatem, regiam scilicet & sacerdotalem: Ribera duas in Christo naturas, diuinam & humanam: alij duos principes Ecclesiæ Petrum Iudæorum, Paulum Gentium Apostolum.

a 3. *Reg.* 6. *v.* 23.

b *Apoc.* 11. *v.* 4.

CAPVT V.

Symbolo voluminis & amphoræ in Babyloniam deuecta significat, idololatriam, eiusque pœnam ac vindictam à Iudæis translatam ad Babylonios: his imminere certum excidium, illu nihil amplius mali metuendum, sed posse tutos, lætos atque alacres patriam suam incolere templum & vrbes instaurare.

מגלה ℣. 1. ECCE VOLVMEN] Pro Hebræo *megilla*, id est, mẽbrana vel charta conuolubilis, vt etiam Syrus & Arabicus Antioch. Chaldæus ac Rabbini vertunt; LXX. & Arabicus Alexandr. legisse videntur *maggal*, id est, *falcem*: & sic legunt S. Cyrillus, Theodoretus & passim Græci. Et fortè huc alludit S. Ioannes, cùm dicit, *(c)* vidisse se in manu Christi *falcem* acutam. Sed in idem redit: nam & falx demetens ac succidens, & membrana continens sententiam damnationis, pro symbolo vsurpari solent punitionis, stragis & excidij. Aquila & Theodotion eleganter verterunt Διφθέραν, id est, membranam è pelle caprina: alludentes ad *diphtheram* Iouis à pelle *Amalthea* capræ, à qua nutritum fabulabantur, confectam, in qua descripta habet omnia omnium hominum peccata, & pœnas peccatis decretas. Vidit autem seu membranam, seu falcem, *volantem*: quo significabatur, properare vindictam cælestem, & iam iam capiti imminere, & quasi inuolare, & quidem improuisam atque ineuitabilem, inquit S. Chrysostomus, Cyrillus, Rupertus, Albertus, Hugo, Clarius, & à Castro.

מגל

c *Apoc.* 14. *v.* 14.

Chrysost. homil. 15. & 27. *ad populum.*

℣. 2. LONGITVDO EIVS VIGINTI CVBITORVM, LATITVDO DECEM] Quia, vt inquiunt Rabbini, & ex ijs Liranus ac Pineda, porta templi, è quo volumen exilire videbatur, erat tantæ altitudinis & latitudinis. Et vt idem Liranus, cum Theodoreto & Vatablo, longitudo terræ sanctæ, in quam primò volumen inuolabat, duplo longior erat quàm lata. Sed in genere significabatur multitudo & copia scelerum & suppliciorum in volumine tam amplo descriptorum, inquit S. Chrysost. Mariana & Fernandez.

Pineda in Iob 24. *v.* 5.

Chrysost. sup.

℣. 3. HÆC EST MALEDICTIO: id est, hoc volumine continetur sententia condemnationis & supplicij, QVÆ EGREDITVR è templo, vt volunt Rabbini, vel certè è throno & tribunali Dei, inquit S. Chrysostomus

OMNIS FVR, ET OMNIS IVRANS, seu peierans, *(d)* sententia volumine isto contenta IVDICABITVR] id est, condemnabitur & punietur. Quia enim ædificando templo magna vis pecuniarum collecta erat, verisimile est multos Iudæorum aliquid ex ijs in proprios vsus auertisse, & iuramentum quo spoponderant se fideliter illas administraturos, fefellisse; hinc contra *fures & periuros* maximè intonat Propheta, inquit S. Cyrillus. Sed verisimilius est, per furta & periuria, fortè tunc frequentiora, designari omne genus scelerum: per *furta*, nempe omnem iniuriam aduersus proximum contra secundam tabulam decalogi: per *falsa iuramenta*, omnem impietatem in Deum contra primam tabulam, vt ait S. Hieron. & Theodoret. Simile volumen vidit etiam Ezechiel, & S. Ioannes in Apocalypsi. Et sunt hæc symbola diuinæ memoriæ, voluntatis atque ordinationis, qua cuique sceleri suæ decretæ ac signatæ sunt pœnæ, inquiunt ijdem Patres. & idem significabat virga, baculus *vigilans* Ieremiæ, item *olla succensa*, &c.

d *Hic v.* 4.

Ezech. 2. *v.* 9. *Apocal.* 10. *v.* 10. *Ierem.* 1. *v.* 11. & 13.

℣. 4. EDVCAM ILLVD volumen, seu supplicium in volumine descriptum, proferam in publicum, in theatrum orbis: & inducam IN DOMVM, in familiam, in caput, FVRIS ET IVRANTIS, id est, in singulos peccatores: & incubabit illis, & familiæ illorum instar latronis, vel instar cancri, ipsa quoque tigna, imò fundamenta, paulatim exedentis, atque ita familias quantumuis ampliſſimas euertentis.

איפה ℣. 6. AMPHORA; *(e)* Hebraicè, *epha*, vulgaris Iudæorum mensura, capiens tres modios, symbolum est, Primò, mensuræ, seu cumuli peccatorum à Iudæis alijsque gentibus partim patratorum, partim patrandorum. Secundò, mensuræ punitionis & supplicij peccatis proportione commensurati. Simulatque enim impleta est mensura scelerum cuique genti, cuique familiæ, cuique homini præfixa, tum sequitur infallibiliter proportionata punitio & quasi expurgatio eorumdem, inquit S. Hieronymus & alij suprà citati, & nos alibi *(f)* diximus. Hanc mensuram tam *impietatis*, seu culpæ, quàm *plumbi*, id est, pœnæ, videt Propheta *egredi* & efferri è Iudæa, vbi antè dominata fuerat, *in terram Sennaar*, *(g)* id est, in Babyloniam, vt istic domicilium exinceps figat. Quo significabatur, Iudæam partim excidio vrbium suarum, partim deportatione impiorum incolarum in Babylonicum exilium, iam ab impietate expurgatam, & à pœnis ei respondentibus immunem esse: Babylonem verò sedem & cloacam, vt impietatis, ita & pœnarum factam. Quò monentur Iudæi in Babylonia adhuc hærentes, vt relictâ illâ cloacâ, redeant in sanctam terram & vrbem Ierosolymam. ita Mariana, Sanchez, à Lapide & alij. Notat maximè profusam Babyloniorum idololatriam & tyrannide, & ob hæc scelera imminens illi excidium per Darium Hystaspis, de quo suprà. *(h)* Allegoricè, hor-

e *In Prol. de mensuris, & de Idiotism. Hebr.* n. 16.

f *Genes.* 15. *v.* 16. *Matth.* 23. *v.* 32.

g *Genes.* 11. *v.* 2.

h *Zachar.* 2. *v.* 6.

horrenda Synagogæ Iudaicæ scelera sub Christo & in Christum, expurgata per Vespasianum & Titum: ac rursus sub Antichristo verè ac propriè *in terra Sennaar*, id est, Babylone, (*a*) tanquam loco stabili & firma regia sua à Iudæis colendo, inquit Rupertus, Sà, Ribera & Fernandez; quando igne & vltione cælesti tota amphora exhaurietur.

a *Apoc.16. v.12.& c. 18.v.2.& seq.*

HÆC amphora EST OCVLVS EORVM, id est, obiectum oculi seu visus impiorum, IN VNIVERSA TERRA] Neque enim ad aliud respiciunt, aut alteri rei intendunt, quàm vt continuatis scelcribus suam amphoram impleant: sed faxo vicissim, vt & mensura pœnarum tot tantisq; scelcribus respondentium, fiat obiectum *oculi*, id est, conspicua sit vniuersæ terræ, vt Chaldæus vertit. Omnes enim videbunt enormes scelcratorum pœnas, sicut viderunt enormia illorum scelera, inquit S. Hieronymus.

B

¥.7. TALENTVM, seu massa, PLVMBI quo os AMPHORÆ occluditur, notat grauem rigidamque Dei sententiam, simul & supplicij diuturnitatem, inquit Ribera, qua tamdiu manet quasi obsignata & concluſa impietas & reatus impietatis in amphora, donec prorsus exhausta & exsoluta fuerint supplicia illi præfixa. Tropologicè, significat obstinationem maximè Iudæorum, in suo scelere & perfidia. Anagogicè, perpetuitatem tum culpæ, tum pœnæ scelcratorum in inferno, vbi infami ore concluso, (*b*) ad æternum silentium, carcerem & tormentum damnati degunt, quasi in ignita amphora constipati. Sic *angelus* in Apocal. *misit draconem in abyssum, & clausit & signauit* os abyssi *super illum*.

b *Psal.106. v.42. Apocal.20. v.3.*

¥. 9. DVÆ MVLIERES *alata* ALIS MILVI (Hebræum חסידה *chasida* significat etiam, vt LXX. vertunt, *vpupam*, &, vt recentiores, *ciconiam*,) (*c*) quæ rapidissimo volatu amphoram Iudæorum deportauerunt in Babyloniam, possunt dici Ioakim & Sedecias reges Iuda, qui fœdifragi causa fuerunt exilij & excidij Iudaici: vel, si mauis, bini exercitus, binæ expeditiones Nabuchodonosoris: vnde Chaldæus vertit, *populos leues & expeditos*. Amphoram verò pœnarum Chaldæis ipsis aduexerunt Cyrus & Darius, inquiunt Hebræi apud S. Hieronymum & Theodoretus. Item Darius Hystaspis & Zopyrus, de quibus suprà. (*d*) In genere pœnas omnibus peccatoribus debitas, tum in hac, tum in altera vita aduehunt dæmones quasi lictores ad id destinati à Deo.

c *Proleg. de Idiotismis Hebr. n.15. & 16.*

d *Zachar.2. v.6.*

C

D

CAPVT VI.

Ad impietatem Babylone quasi in basi fixam, vt dixit in fine capitis præcedentis, excidendam ac perdendam, videt accurrere reliqua orbis regna ac monarchias, Persarum, Græcorum, Romanorum: quibus succedit regnum Messiæ stabile & æternum. Vnde iubetur corona aurea coronare Iesum pontificem, typum & synonymum Messiæ.

E

¥. 1. DE MEDIO DVORVM MONTIVM *æreorum*, id est, è septis diuinæ potentiæ ac prouidentiæ, instar æreorum montium impenetrabilibus, ECCE tibi EGREDIENTES QVATVOR QVADRIGAS] id est, quatuor monarchias, quas Deus diuina sua prouidentia ac potentia successiuè in lucem eduxit ad impiam Babylonem occupandam, puniendam, vastandam. ita Chaldæus, S. Hieronymus, Cyrillus & alij passim. Addit Mariana, Prophetam alludere ad montem Taurum, seu Caucasum, vbi duo montis iuga in fauces cocunt, sicut portæ ferreæ, de quibus Hegesippus l.5.c.50. *Portæ*, inquam, non propriè dictæ, sed ob loci munitionem sic vocitatæ. Et verò ex hisce montibus regressi sunt eorum accolæ Persæ, qui in vastando Babylonicæ impietatis regno primi fuerunt ac præcipui. De ijsdem quatuor monarchijs dicitur,

¥.5. ISTI SVNT QVATVOR VENTI, id est, velut (*e*) quatuor venti, primò inter se confligentes, deinde obuia quæque violenter ac celeriter subuertentes, denique instar turbinis citò transeuntes ac desinentes. Alludit ad Danielis 7.v.2. vbi eædem quatuor monarchiæ inducuntur quasi quatuor venti confligentes in mari. ita Theodoretus, Vatablus, Pererius & Sanchez. Porrò hæ quadrigæ, hi venti STANT CORAM Deo parati continuò ad omnia ipsius iussa excipienda; quibus exceptis EGREDIVNTVR ad eadem exequenda. Quid egerint *equi rufi*, id est, Assyrij & Chaldæi, (sic dicti, quia sanguinarij, & quia rufis vestibus, id est, purpureis, seu coccineis, ornati,) (*f*) hîc non explicatur, quia ipsi Babylonem non euerterunt, sed euexerunt, & iam esse desierant. De secundis *equis nigris*, id est Persis & Medis, qui primi Babylonijs lethalem horrorem, mœrorem & luctum inuexerunt, dicit

e *Prolegom. sup. num 9.*

f *Nahum 2. v.3. Apoc. c.17. v.3. cap.18. v.16.*

¥.6. Et 8. *quòd* EGRESSI IN TERRAM AQVILONIS id est, in Chaldæam, quæ Iudæis est ad Aquilonem, sic rem ibi gesserunt, vt SPIRITVM; LXX, *furorem*, MEVM exsatiarint, atque ita *quiescere* FECERINT ab vlteriori appetitu vindictæ. Cogita Babylonem armis Persicis bis deuictam, bis spoliatam, bis excisam, primò per Cyrum, deinde per Darium (*g*) Hystaspis. Per tertios *equos albos* intelligit Græcos, Alexandrum Magnum & socios eius Macedones, qui apud Arbellam, (*h*) haud procul Babylone, profligatis Darij Codomanni, (*i*) vltimi Persarum monarchæ, copijs, Babyloniam, imò totam Asiam victores obtinuerunt. cæterùm subditis, ac præsertim Iudæis, sat benigni ac beneuoli, quod albo colore repræsentabatur. Denique per quartos *equos varios & fortes* per excellentiam, Romanos designat, qui vt robore omnibus superiores, ita regimine, seu politia valdè varij fuerunt, Primò, sub regibus; Secundò, sub consulibus; Tertiò, sub tribunis plebis; Quartò, sub Imperatoribus. Et his ex varia gente, cùm alij essent Itali, alij Hispani, alij Galli, alij Græci, &c. & in Iudæos affectu valdè vario: tempore Machabæorum beneuoli, quales etiam Iulius Cæsar, Augustus, Tiberius & Claudius se illis exhibuerunt: alij, vt Pompeius, Caligula, Nero, Vespasianus, Titus & Adrianus, valdè ipsis infensi & infesti fuerunt. ita S. Hieronymus. Ex his quadricoloribus Zachariæ quadrigis putant aliqui originem sumpsisse quatuor Circensium aurigarum factiones totidem coloribus distinctas, quæ graues sæpè tumultus apud Græcos & Romanos concitarunt, de quibus Dio, Suetonius & alij in Anthologia. *Albati* enim Circenses respondebant albis Zachariæ, *russati* rufis, *prasini* seu subuirides nigris, *veneti*, cærulei, seu marini, varijs. Ijsdem repræsentantur quatuor elementa, rubro *ignis*, albo *aër*, prasino *terra*, veneto *aqua*. Allegoricè, sunt quatuor Euangelistæ, vel quadruplices Euangelij præcones: Primi, Apostoli ac Martyres; Secundi, Virgines; Tertij, Prophetæ ac SS. Patres; Quarti, Doctores Scholastici cum Religiosis tam varijs. ita ferè Clarius & Burgensis, vt veteres (*k*) taceam.

g *Zecharæ. v.6.*

h *Curtius lib.5. Plutarch. in Vita Alexandri.*

i *Chronici c.37.*

Dio lib.59. Sueton. in Vitellio c.14. Anthologia lib.1.

k *Apud S. Hieron. hic.*

¥. 10. A TRANSMIGRATIONE, id est, ab ijs qui sub

sub Nabuchodonosore olim transmigrarunt è Iudæa in Babyloniam, iam recèns DE BABYLONE VENERVNT Ierosolymam, putà AB HOLDAI, qui infrà (a) *Helem* vocatur, ET A TOBIA, ET AB IDAIA, & à *Iosia*, seu *Hem*, (b) in cuius DOMO reliqui tres hospitantur, (Hos quatuor tradunt Hebræi fuisse Danielem, eiusque socios Ananiam, Azariam & Misaelem, qui munerum Deo offerendorum, simulque & patriæ & amicorum reuisendorum causâ huc excurrerint,)

a v.14.
b Ibid.

℣.11. SVMES, ô Zacharia, AVRVM ET ARGENTVM quod in donaria templo afferunt, ET EX EO FACIES CORONAS, Hebræum *ataroth* nõ est dualis, sed pluralis numeri, vnde tres vt minimum coronas designat, vel certè vnã *coronam*, vt LXX. vertunt, eamque *magnam*, vt Chaldæus, seu multiplicem, è tribus partialibus coronis contextam, qualis etiam num capiti summi Pontificis Romani imponitur. Hanc triplicem coronam PONES IN CAPITE IESV SACERDOTIS MAGNI] id est, sũmi põtificis Iudæorum, quo designes, illum fore triplici nomine maximè illustrem, Primò, dignitate pontificia; Secundò, potestate politica; (c) Tertiò, gloria rastaurati templi Domini. Et quia in his typum geret veri *Iesu* Messiæ pontificis, (d) regis (e) & instauratoris (f) vniuersi.

עטרות

c Cap. 3. v.7.
d Psal.109. v.4.
e Psal.2. v.6. Luc.1. v.32.
f Ephes.1. v.10.

℣.12. ECCE hic est VIR toties orbi promissus, & tandem aliquando exhibendus ORIENS, Hebraicè, *tsemach*, id est, germẽ, NOMEN EIVS, vt suprà (g) dixi. ita S. Hieronymus, Haymo, Albertus, Rupertus, Vatablus, Liranus, & etiam veteres Rabbini apud Galatinum. Vnde Chaldæus clarè vertit, *ecce vir cuius nomen est Messias*. q.d. Hanc coronam tibi, ô Iesu fili Iosedec, impono, vt ea repræsentes triplicem iam dictam dignitatem Messiæ, cuius tu typũ geris. SVBTER ipsum enim; Hebraicè, *de sub, ipso*, breuî ORIETVR & germinabit innumera multitudo ramorũ, putà Christianorum eius sequacium, per quos hic *Oriens*, seu hoc *germẽ* propagabitur per totum vniuersum. Et ex his conflabitur nobile illud TEMPLVM quod ipse ÆDIFICABIT DOMINO] nempe *Ecclesiam* seu fidelium congregationem, primò militantem in terris, deinde & triumphantem in cœlis. Hanc ædificabit nõ tam manibus, quàm sanguine suo & morte, cùm nullus alius ex toto vniuerso tantum opus vel inchoare possit, multò minùs perficere. Vnde iure merito ipsi vni laus & gloria hæc omnis debetur. (h)

צמח

g Hic v.3. v.8. Galatin. l.3. c.13.
h Apoc.5. v.12.

℣.13. IPSE PORTABIT hanc GLORIAM æternùm, quæ per primam & maximam coronam tiaræ tuæ præfiguratur. Per secundam autem potestas eius *regia*, quâ princeps absolutè summus SEDEBIT ET DOMINABITVR SVPER SOLIO (i) SVO regali. Per tertiam coronam dignitas eiusdem pontificia, qua *super* eodem *solio suo* glorioſus effulgebit. Neque enim dissensionem, vt in alijs solent, ita & in Christo parient duo isti supremi throni, regalis & pontificalis, sed CONSILIVM summæ PACIS ac concordiæ, & optima conspiratio atque vnio maxima ERIT INTER ILLOS DVOS thronos, seu duos illos principatus, Sicut in tiara tua binæ illæ coronæ, quę istorum principatuum duorum symbola sunt, optimè & pulcherimè vniuntur. ita S. Hieronymus, Clarius, Arias & alij suprà citati. Etsi autem prædictæ CORONÆ primariò, vt audisti ô Zacharia, deseruiant ornando capiti summi pontificis, ac proinde asseruandæ sint IN TEMPLO DOMINI in MEMORIALE mysterij iam expositi: volo nihilominùs seruiant etiam pro *memoriali* perpetuo muni-

i Luc.1. v.32.

A ficentiæ quatuor istorum virorum, qui ad sacrum hoc munus opes suas contulerunt: quaré iubeo nomina ipsorum in ijsdem coronis ab aurifabro incidi, è quibus posteri colligent, qui fuerint sacri istius monilis auctores. Simulque excitamento erunt ijdem exemplo suo alijs plurimis tam Gentilibus, quàm Iudæis

℣.15. QVI PROCVL SVNT, id est, locis à Iudæa remotis habitant toto orbe dispersi, qui simili modo Ierosolymam cum donarijs sacris VENIENT, ET sic vnà vobiscum ÆDIFICABVNT varias partes IN TEMPLO DOMINI. Et ex hoc aduenarum & donariorum affluxu, tamquam ex certo, quod nunc B do vobis, signo *scietis*, me Zachariam nõ ex me hæc confinxisse. sed *missum* & inspiratum *à Deo* omnia prædixisse. Simulque ex eodem signo colligere poteritis, vera esse quæcumque Dei nomine vobis hucusque de Christo, deque Ecclesia per ipsum instauranda, bonisq; omnibus per ipsum vobis olim obuenturis prædixi, certissimoque complenda suo tempore, si tamen AVDITV AVDIERITIS VOCEM DOMINI, eiusq; legibus obedieritis. Nam si rebelles ei cuadatis, nolo falsitatis argui, si hæc sua meaque promissa reuocet Deus. ita Theodoretus.

CAPVT VII.

Occasione quæstionis à Iudæis propositæ, num ieiunia quæ in captiuitate Babylonica, ob vrbis gentisque suæ excidium sponte susceperant, soluta captiuitate continuari debeant; cui quæstioni respondet capite sequenti v.19. hîc docet, verum Deoque gratum ieiunium esse abstinentiam ab iniurijs proximo inferendis & ab alijs peccatis: ob hæc enim punitos illos fuisse tam longa & molesta captiuitate.

שראצר רגמלך

℣.2. SARASAR; Hebraicè, *saretzer*, id est, præfectum thesauri, seu quæstorem: & ROGOMMELECH, id est, ducem, seu officialem regis, misérant Iudæi Babylone adhuc degentes Ierosolymam AD DOMVM DEI, seu ad templum; Primò, AD DEPRECANDAM FACIEM DOMINI, eumdemque placandum sacrificijs publico nomine oblatis. Secundò, ad inquirendum EX SACERDOTIBVS templi ET PROPHETIS; an, sicut durante captiuitate Babylonica *fleuerant*, ieiunarant, seseque *sanctificarant*, id est, separarant à cibis & voluptatibus corporis; Hebraicè, *nazaraarãt*, id est, instar Nazaræorum (k) abstinuerant à vino ac delicijs, QVINTO MENSE *Ab*, die decima, (l) qua exustum fuerat templum à Chaldęis deberent id continuare etiam nunc cùm nouum templum instauratur? ita Rupertus, Liranus, Vatablus & Arias. Pia sanè laudataque cõsuetudine solebant Iudęi, cùm maior aliqua publica clades incumberet, ieiunio (m) placare iratum Deum, Deo ipso per Prophetas sic suadente. (n) Sed cùm putarent, sufficere ad id ieiunium solum corporale à cibis, nec interim abstinerent à consuetis sceleribus, voluit Deus hac de re priùs illos moneri per Zachariam, quàm responderetur ad quæstionem de nouo propositam.

k Num.6.
l Ierem.52. v.12.
m 1.Reg.7. v.6.& 13. & 2.Par. 20.v.3. Iudith 4. v.8. Esther 4. v.16.& 1.Esdræ 8. v.21.
n Ioël 1. v.14.c.2. v.12.&c.
o Ierem. 41.v.1.& seq.

℣.5. CVM IEIVNARETIS mense QVINTO, vt iam dictum, item mense SEPTIMO, ob cæsum tunc *Godoliam* (o) ducem & spem populi reliqui in Iudæa; *an ieiunando* IEIVNASTIS MIHI?] mihi, inquam, placando vel demerendo: q.d. Minimè. Nam si hoc vobis propositum fuisset, vtique non à solis cibis corporalibus abstinuissetis, sed insuper etiam à peccatis, quibus sciebatis me grauiter offendi ac lædi. Vobis ergo solis ieiunastis, nempe vt concepto ex tantis cladibus dolori faceretis ex parte satis: sicut quando dies festos agitis & epula-

mini, non ad me laudandum vel colendum, vel gratias agendum id facitis, sed solùm vt genio vestro obsequamini.

Isaiæ 58. v. 4. Ierem. 14. v. 12.

℣.7. NVMQVID hæc de ieiunio spirituali à peccatis, iungendo corporali ieiunio à cibis, NON SVNT illa VERBA QVÆ toties patribus vestris olim LOCVTVS SVM per Isaiam, Ieremiam & alios *Prophetas*, stante adhuc & florente IERVSALEM? Et verò stetissent hucusque si benè monenti obsequi voluissent. ita Theodoretus, Liranus & alij interpretes.

℣.11. Sed AVERTERVNT à me SCAPVLAM RECEDENTEM] instar refractariorum famulorum vel rebellium filiorum, faciem à me auertentes, & dorsum obuertentes, & sic proteruè me fugientes ac spernentes.

℣.12. COR SVVM POSVERVNT (Chaldæus, *induraverunt*) VT ADAMANTEM, (*a*) nullis scalpris, nullis malleis domabilem.

a Ezech. 3. v. 9.

℣.13. Vnde FACTVM EST illis à Chaldæis SICVT LOCVTVS & minatus fuerat Dominus. SIC CLAMABVNT] Est enallage (*b*) temporis, pro *clamarunt*, seu etsi clamarint postea ad me pro pœnis auertendis, nolui vicissim clamantes exaudire: sed traditos arbitrio Chaldæorum

b Proleg. de Idiotismo Hebr. n. 44.

℣.14. DISPERSI iam in mancipia venditos PER OMNIA terrarum REGNA: propria illorum TERRA, id est, Iudææ, ita AB EIS DESOLATA, imò incolis etiam alijs destitutâ, vt comparatione (*c*) priorum temporum NON ESSET TRANSIENS quispiam aut REVERTENS per eam. Nam Chaldæi TERRAM illam omnem, etsi ob amœnitatem & fertilitatem summè DESIDERABILEM; LXX. *electam*, POSVERVNT tamen IN DESERTVM, vel, vt alij vertunt, *in stuporem*, vt qui viderit terram priùs lacte & melle manantem, iam incolis exhaustam, & ruderibus ac spinis coopertam, stupeat, horreat, expauescat. ita Albertus & Hugo.

c 4. Reg. 25. v. 12.

CAPVT VIII.

Ob ingentem amorem quo afficitur erga populum suum, promittit excisam nuper Ierosolymam & iam necdum, vel non nisi tenui opere instaurari cœptam, more pristino plenè magnificoq; instaurandam & incolis complendam. Atque in mercedem operis impensi in instaurationem templi Domini, addicit illis diuinam suam benedictionem, frugum copiam, latamque ac longaeuam sobolem, si tamen iustitiam & charitatem colant. Ad quæstionem autem cap. præced. propositam, respondet, indicta ob vrbis & templi excidium ieiunia, deinceps commutanda in festa lætaque conuinia. Quæ omnia longè verius ac plenius Allegoricè quadrant in Ecclesiam Christi per Ierosolymam & templum adumbratam, vt S. Hieronymus & alij Patres exponunt: imò Rupertus, Arias & Vatablus, adeoque & Rabbini, ad litteram volunt omnia bona hoc cap. promissa, non nisi sub Messia, Ecclesia obuentura.

℣.2. SIon, id est, Synagogam Iudæorum sponsam meam, sed fugitiuam, sed adulteram, ZELATVS (*d*) sum ZELO ET INDIGNATIONE MAGNA] quòd me sponsum suum tam sui amantem tam fœdè dereliquerit, & ad idola confugerit. Vnde & coactus sum tradere illam Chaldæis puniendam, inquit Theodoret, Remigius, Haymo, Liranus & Vatablus. Sed illâ iam resipiscente

d Sophoniæ 3. v. 8.

℣.3. REVERSVS SVM AD illam eodem quo antea amore & affectu, supplicemque recepi in gratiam & in thorum meum: ET HABITABO deinceps cum illa, vt cum electa sponsa mea, IN VRBE IERVSALEM, quæ est CIVITAS VERITATIS Hebraicè, אמת *emeth*, id est, stabilitatis, constantiæ, fidelitatis, quæ non ampliùs ad idola & falsos deos deflectet, sed fidem mihi sponso suo iam datam perpetuò deinceps conseruatura est. Et verò post reditum è Babylonia numquam ampliùs ad idola deflexit. En typum Ecclesiæ Christi, quæ *columna* (*e*) est *& firmamentum veritatis*. Est eadem MONS (*f*) etiam DOMINI EXERCITVVM, Syrus & Arabicus, *mons Domini fortis*, vtpote quem stipant tot exercitus angelici. Est & MONS SANCTIFICATVS Primò, sacrificio Isaaci, eiusque antitypi *Messiæ*, istic immolati. (*g*) Secundò, templo istic erecto; in quo tot sacrificijs, votis, hymnis, precibus, psalmis quotidie colebatur Deus. Tertiò, doctrina, miraculis, sanguine Christi, & institutis ibi Sacramentis, inchoatâ Ecclesiâ, effusis Spiritus sancti donis, præ omnibus terræ locis sanctificatus. ita S. Hieronymus & alij iam citati.

e 1. ad Timoth. 3. v. 15. & Matth. 16. v. 18.
f Isaiæ 2. v. 1.
g Genes. 22. v. 14.

℣.7. ECCE DE TERRA ORIENTIS ET OCCASVS SOLIS, subaudi, & è Meridie ac Septemtrione, SALVABO dispersum POPVLVM MEVM, & reducam Ierosolymam. Neque enim hæserant captiui omnes in Babylonia, sed inde distracti atque in mancipia diuenditi fuerant per vniuersum (*h*) orbem: multi etiam ante excisam per Chaldæos Iudæam, inde profugerant (*i*) ad Ammonitas, Moabitas, Idumæos Syros & Ægyptios; qui instaurato rursus templo & vrbe Ierosolyma, procul dubio redierunt in patriam: Allegoricè Gentiles in Christi Ecclesiam, vt ait Isaias, (*k*) imò ipsemet Christus. (*l*)

h Zachar. 7. v. 14.
i Isaiæ 16. v. 4.
k Isaiæ 49. v. 12. & 66. v. 19.
l Matth. 8. v. 11. & 14. v. 31.

℣.8. ERVNT MIHI IN POPVLVM, IN VERITATE ET IVSTITIA: id est, fideliter & iustè colent me vt Dominum & Deum suum: ET EGO vicissim fideliter ac iustè ERO EIS IN DEVM, tutando, promouendo, ditando illos, vt promisi. ita Vatablus, Arias & à Lapide.

℣.9. CONFORTENTVR MANVS VESTRÆ, ad inchoatam iussu Aggæi & Zachariæ Prophetarum, fabricam templi strenuè prosequendam & perficiendam. Ad quod sanctum opus vos etiam exstimulet cælestis benedictio, vobis hoc nomine à Deo concessa.

℣.10. SIQVIDEM ANTE DIES ILLOS cùm fabrica iaceret adhuc neglecta, NON ERAT MERCES, (*m*) id est, fructus aut lucrum operæ, seu HOMINVM, seu IVMENTORVM: tam enim agri, villæ, prata, vineæ, quàm iumenta, post omnem culturam & saginam manebant sterilia, inquit Cyrillus. NEQVE ERAT PAX Samaritis, Moabitis, alijsq; vicinis hostibus vndique vos infestantibus. Sed & domi, permissu meo, seditiones erât, vnoquoque CONTRA PROXIMVM SVVM insurgente, rixante, pugnante, inquit idem Cyrillus & S. Hieronymus.

m Aggæi 1. v. 6.

℣.11. NVNC AVTEM, cùm domus meæ fabrica cordi vobis, & curæ est,

℣.12. SEMEN PACIS ERIT vobis] Id est, semen fœcundum fruges copiosas & fructus vberes proferet, quales solent proferri tempore plenæ pacis, quando liberè coluntur agri, nec est hostis qui sementem impediat, vel messem auehat, inquit Vatablus & à Castro. Addit S. Cyprianus, *habenti Deum nihil defuturum, si ipse non desit Deo.* Et etiam Cicero felicitatem, imperium, triumphos omnes Romanorum ascribit eorumdem religioni (vt ipse vocat) ac pietati.

Cypr. tract. de Orat. Dominica. Cicero l. 2. de Nat. Deor. & orat. in P. Clodium.

℣.13. SICVT ERATIS MALEDICTIO] (*n*) id est, exemplũ, parabola, formula maledictionis quam exteri vsurpabant cùm vellent alicui maledicere, dicentes, Sis maledictus vt sunt Iudæi, vel vt sunt Israelitæ; ita nunc faciam vt è conuerso sitis omnibus exemplum & formula benedictionis. ita Vata-

n Ierem. 14. vers. 9. & Ezech. 14. v. 8.

Vatablus. Meminit autem hîc Israelitarum perinde ac Iudæorum, quia plurimi Israelitarum, auitæ fidei ac religionis sectatores, transierant ad tribum Iuda, & illi inserti erant, vt alibi (a) dixi.

a Osee 1. v. 6.

¥.16. IN PORTIS, id est, in curijs, in tribunalibus VESTRIS, quæ sunt in portis vrbium vestrarum, IVDICATE VERITATEM ET IVDICIVM PACIS] id est, verum, iustum & pacificum iudicium, vt vertunt LXX. & Chaldæus.

¥.19. IEIVNIVM, de quo cap. præcedenti quærebatis, nolo vos amplius obliget, sed ERIT deinceps DOMVI IVDA IN GAVDIVM ET IN SOLEMNITATES PRÆCLARAS] quibus festo lætoq; conuiuio vos mutuo recreabitis, & hilares agetis dies, menses & annos.

Nota. Non omnia mensium quorum hîc meminit iciunia relaxat Deus, sed ea solummodò quæ occasione vltimi excidij instituta fuerant, quę iubet in hilares dies & epulas commutari. Abolet ergo mense quarto *Tammuz*, qui ferè Iunio nostro respõdet, iciunium diei nonæ, ob perfractum (b) ea die murum Ieroſolymæ per Chaldæos: non abolet iciunium diei 17. ob extortos ab Aarone vitulos (c) aureos. Quinto mense *Ab* remittit iciunium, diei decimæ, ob exustum (d) ea die templum & vrbem: non remittit iciunium primæ diei, quâ mortuus fuit Aaron: (e) neque nonæ, quâ murmurantes occasione exploratorum (f) repulsi olim fuerant ab ingressu terræ sanctæ. Septimo mense *Tisri* relaxat iciunium tertiæ diei, ob cæsum tunc Godoliam: (g) non relaxat iciunium decimæ diei in expiationem (h) publicam olim institutum à Deo. Mense decimo *Thebeth* soluit iciunium decimæ diei, quâ cœpit (i) obsideri Ieroſolyma à Nabuchodonoſore. Sed eodem mense die octaua ducentis pòst annis decretum nouum iciunium, ob legẽ ex Hebræa in Græcam linguam per 72. interpretes translatam tempore Ptolemæi (k) Philadelphi. ita ex Calendario Hebræorum Genebrardus. Porrò ad huius tam antiquæ abstinentiæ & pietatis imitationem docent S. Leo & Calixtus Papæ institutum in Ecclesia Christi, iam inde ab illius initio iciunium quatuor ferè eorumdem temporum anni, quasi gratissimam Deo præparationem ad præcipuas anni solemnitates mox subsequentes. Extendent autem se festiuitates vestræ & gaudia publica

b Ierem. 52. v. 6.
c Exodi 32. v. 2.
d Ierem. 52. v. 12.
e Num. 20. v. 28.
f Num. 13. & 14.
g Ierem. 41. v. 1.
h Leuit. 23. v. 27.
i 4. Reg. vlt. v. 1.
k Chronici c. 39. Genebr. ante Commẽt. in Psalmos. Leo serm. 7. de iciunio 7. mensis & ser. 4. & 6. de iciunio 10. mensis. Calixt. ep. ad Benedictum.

¥.20. VSQVEQVO, seu vsque eò, vt VENIANT illecti fama illa & rumore, POPVLI vndique, etiam è longinquo, vt ijsdem sese oblectent & pascant, inquit S. Hieronymus.

¥.23. IN DIEBVS ILLIS fient hæc iam dicta, IN QVIBVS DECEM, (l) id est, plurimi, HOMINES EX OMNIBVS LINGVIS & nationibus, APPREHENDENT FIMBRIAM VIRI IVDÆI inter ipsos commorantis, vt bona illius pace possint vnà cum ipso statis festis ascendere Ieroſolymam, eumdemque ibi Deum colere & sacrificijs honorare. Loquitur de proselytis magno numero ad iudaismum conuersis sub Esthere, (m) Esdra, (n) Machabæis: (o) sed præcipuè de Gentilibus per Apostolos & discipulos Christi ad Ecclesiam conuersis, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, Remigius, & alij passim.

l Leuit. 26. v. 26.
m Esther 8. v. 17.
n 3. Esdr. 5. v. 10.
o Abdiæ v. 18.

CAPVT IX.

Pro maiori Iudæorum Babylone reductorum solatio promittit Deus, se vicinos ipsorum hostes Syros, Tyrios, Philisthæos debellaturum, ipsisq; subiecturum. Deinde Christum se ipsis missurum saluatorem, qui mitis & humilis, asina vectus, vrbem Ieroſolymam, quasi rex, victor ac triumphator, ingredietur, ac sublatis bellorum procellis tranquillitatem & pacem orbi aduehet, dominium suum protendens à mari vsque ad mare, imò ad infernum vsque, è quo vinctos patriarchas educet iam moriuus: à resurrectione verò mittet legatos suos per vniuersum orbem, qui gentes omnes ipsi adlegant & subijciant.

¥. 1. ONVS, id est, oneroſa & minax prophetia, quâ clades intentatur TERRÆ HADRAC ET DAMASCI. metropoles sunt, illa Cœlesyriæ, hæc Syriæ Damascenæ. ita ex S. Hieronymo, Ptolemæo, Guilielmo Tyrio Adrichomius. In duobus his locis *requiescet*, incumbet, insidebit hoc onus iam dictum, hoc calamitatum pondus, inquit Albertus, Clarius & Arias. QVIA OCVLVS DOMINI tam inspicit, curat & tangit reliquos omnes *homines*, quàm *tribus omnes Israelis*. ita LXX. Chaldæus, Syrus & Arabicus cum S. Hieron. & Theodoreto. Quin &

Adrich. in Descript. terræ sanctæ pag. 75.

¥.2. EMATH QVOQVE, seu Antiochia, (p) reliquæ Syriæ caput, erit IN TERMINIS, seu intra limites EIVSDEM oneris, vti ET TYRVS ET SIDON primariæ vrbes Phœniciæ: quia ASSVMPSERVNT, id est, arrogant, SIBI SAPIENTIAM (q) incõparabilem, & MVNITIONES insuperabiles, & opes infinitas, quibus putant se prorsus inuictas fore. Sed ego primò per Alexandrum Macedonem, deinde per Machabæos, denique per Christum meum toti orbi notum faciam, *non esse sapientiam*, non esse potentiam, *non esse consilium contra Dominum:* (r) & *quod stultum (s) est Dei, sapientius est hominibus*. Quidquid enim contrà moliatur Tyrus,

p Amos 6. v. 2.
q Ezech. 28. v. 3.
r Prou. 21. v. 30.
s 1. Cor. 1. v. 25. Plutarc. & Curs. in Vita Alex. Ioſipp. Gorion. l. 4. c. 7.

¥. 4. ECCE DOMINVS victor POSSIDEBIT EAM] Quo modo Alexander Magnus post septimestrem obsidionem expugnarit Tyrum, vide apud Plutarchum & Curtium. Quo modo & Aristobulus, Iudæ Machabæi nepos, eamdem obtinuerit, describit Ioſippus filius Gorionis. Quo modo denique Christus eam sibi vindicarit, patet ex tanta hominum turba quæ ex finibus Tyri & Sidonis (t) ad ipsum confluebat: & ex innumeris Martyribus quos cum Episcopo suo Tyrannione cœlo dedit sub Diocletiano atque alijs Imperatoribus, vt narrat oculatus testis Eusebius, & Theodoretus & alij Historici. Porrò de excidenda Tyro eadem prædixerunt etiam Isaias (u) & Ezechiel.

t Matt. 15. v. 21. Marc. 7. v. 24. Euſ. Cæſar. l. 8. hiſt. c. 7. & 14. aliàs 25. Theod. l. 3. hiſtor. c. 6.
u Isaiæ 23. & Ezech. 28.

¥.5. VIDEBIT hoc Tyri excidium vicina & ipsi confœderata ACCARON, reliquaque Philisthæa, & extremè dolebit: quia excisâ Tyro, CONFVSA & sublata EST omnis eius SPES resistendi hostibus. Vnde & mox PERIBIT DE GAZA REX, id est, regulus vel satrapa illius. Huic nomen erat *Betis*, quem Alexander captâ post bimestrem obsidionem Gazâ, iussit circum vrbem probrosè raptari, inquit Curtius. Eamdem postea expugnauit Simon (x) Machabæus, eiusque nepos Alexander Iannæus, vt Ioſephus enarrat. Sed *nostris* maximè *temporibus*, inquit S. Hieronymus, *videmus hoc esse completum*, quãdo vt *Serapium* (seu Scrapidis delubrum) *Alexandriæ*, ita *Marnæ templum Gazæ, in ecclesias Domini surrexerunt*, instinctu S. Porphyrij & Ioannis Chryſoſtomi, sic iubente Arcadio Imperatore,

Curtius l. 4. Vita Alex.
x 1. Mach. 13. v. 43. & Chronici c. 42. Ioſeph. 13. Antiq. c. 21. Hieron. l. 1. in Iſaiam. Marc. Diac. Gaz. in vita S. Porphyr. Theod. lib. 5. hiſt. c. 19. Baron. anno Chriſti 398. & 401.

ratore, vt ex Marco Gazenſi, Theodoreto & alijs docet Baronius.

ASCALON vſque cò deſtruetur, vt NON ampliùs *inhabitanda* ſit ab hominibus, ſed ſolis pecorum paſcuis deſeruitura, vt Sophonias prædixit. Poſt Alexandrum Magnum expugnauit & excidit Aſcalonem, vt & Accaronem & Azotum, Ionathas (a) Machabæus. Sed rurſus inſtaurata fuit, & ex ea prodijt Herodes (b) infanticida, (c) inde *Aſcalonita* dictus. Et etiamnum hodie fortiſſimum propugnaculum eſt Saracenorum ad mare. Muros eius diruit Saladinus, ſed inſtaurauit Richardus Anglorum rex, inquit ex Tyrio Adrichomius.

Sophon. c. 2. v. 4. & 6.

a 1. *Mach.* 10. *v.* 84.

b *Chronici c.* 45.

c *Matth. 2. v.* 16.

Adrichom. ſup. in Aſcalone.

℣. 6. IN AZOTO quoque deuicta & ſubacta SEDEBIT SEPARTOR] id eſt, dominus vel iudex idem qui victor, ſeparabitque reos ab innocentibus, morti deſtinatos à vita donatis, ſeruos à liberis. Hebraicè eſt *mamzer*, quod etiam *ſpurium* ſignificat, vt vertit Vatablus & recentiores cum Alberto, Hugone & Lirano. Qui volunt notari hîc Alexandrum Magnum, non ex Philippo, ſed ex Neſtabano mago, Iouem ſe fingente, conceptum, vt mater eius Olympias confeſſa, ac proinde à Philippo quaſi repudiata fuit. Significat & *alienigenam*, ſeu *exterum* vel *extraneum*, vt vertit Chaldæus. LXX. Pagninus & alij: & ſic deſignat Ionatham Machabæum, Philiſthæis verè extraneum, qui octo Azotiorum millia (d) gladio & igni ſeparauit à reliquis deuictis.

ממזר

d 1. *Mach.* 10. *v.* 84.

℣. 7. ET SANGVINEM EIVS, ſeu victimarum in ea oblatarum idolo *Dagon*, AVFERAM DE ORE EIVS: id eſt, impia & ſacrilega Azotiorum ſacrificia, ſuccenſo templo (e) ipſorum, impediam & tollam, & illorum loco inducam ſacra mea, primùm Iudaica per Machabæos, (f) dein & Chriſtiana per Philippum diaconum, (g) & alios diſcipulos Chriſti. ita Arias ex Chaldæo. ET ita RELINQVETVR aggregatus DEO NOSTRO ETIAM IPSE populus Azoti: imò ERIT QVASI DVX IN IVDA; LXX. *quaſi chiliarchus*. nempe zelo & feruore præcellet reliquis Philiſthæis ad veram fidem ac religionem capeſſendam: præcedet & Iudæos inſtar (h) ducis ad Chriſtum & Euangelium amplexandum. ACCARON etiam QVASI IEBVSÆVS olim à Dauide (i) ſubactus, ſubigetur à Machabæis, & à diſcipulis Chriſti.

e *Ibid.*

f *Abdiæ v.* 19.

g *Actor. 8. v.* 40.

h *Ibid.*

i 2. *Reg. 5. v.* 6.

℣. 8. Ex HIS alijſque gentibus antea MIHI, Hebraicè, Græcè, Chaldaicè, *contra me, militantibus*, ſed iam ſubactis, iam ad me conuerſis, CIRCVMDABO quaſi fidis præſidiarijs DOMVM, id eſt, Eccleſiam, MEAM: ET NON TRANSIBIT VLTRA EXACTOR pœnarum, ſeu tyrannus, ſuper Eccleſiam meam, neque etiam SVPER ILLOS præſidiarios iam aggregatos Eccleſiæ meæ. q. d. Nemo exinceps vim illis vel moleſtiam inferet, QVIA NVNC VIDI, id eſt, aſpexi, tam illos, quàm vos Iudæos, OCVLIS MEIS beneuolis ac benignis. ita ferè Theodoretus, Albertus & Liranus.

℣. 9. EXVLTA SATIS, ſeu valdè & *vehementer*, vt Chaldæus vertit, & LXX. & Tigurini, Pagninus, Vatablus & alij. S. Ioannes (k) paraphraſticè legit, *noli timere*, potiùs gaudio plena exulta ô SION: quia non iam rigidus aliquis *exactor*, (l) aut crudelis tyrannus, ſed mitis, clemens ac ſuauis Dominus & REX TVVS Meſſias VENIET TIBI IVSTVS ET SALVATOR, vt te iuſtificet & ſaluet. ita LXX. S. Hieronymus, Tigurini & alij. Hunc enim locum de Chriſto Ieroſolymã Dominica Palmarum gloriosè inuecto interpretantur etiam S. Matthæus

k *Ioan. 12. v.* 15.

l *Hic v. præced.*

Matth. 21. v. 4.

& Ioannes Euangeliſta, & Orthodoxi omnes: quin & Rabbi Salomon & alij veteres Hebræi citati à Galatino id Meſſiæ ſuo adaptant. Et ita defi- *Galatin. l.* nit Vigilius Papa in Concilio Romano, contra *8. c. 9.* Theodorum Mopſueſtenum, qui Zorobabeli; & alios qui Alexandro Macedoni, vel Iudæ Machabæo adaptabant. Veniet autem non regio faſtu tumeſcens, aureis inuectus quadrigis, ſed PAVPER IPSE] Chaldæus & LXX. quos ſequitur S. Matthæus, vertunt *manſuetus* (qualis eſſe ſolet *pauper ſpiritu*) vectus *aſina*, deinde etiam *pullo* eiuſdem *aſinæ*: nam ſucceſſiuè vtrique inſediſſe Chriſtum, expreſsè docẽt S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Liranus, Caietanus, Ribera, à Caſtro, à Lapide. Volebat enim Chriſtus in triumphali ſuo Ieroſolymam ingreſſu palàm omnibus facere, ſe non ſoli Iudæorum populo, qui inſtar *aſinæ ſubiugalis* iugo legis aſſueuerat, ſed etiam Gentilibus, ex legibus & indomitis Meſſiam & ſaluatorem aduenisſe, inquit S. Iuſtinus, Cyrillus & Origenes. Vbi verò aduenerit, operâ illius

Iuſtin. tom. Tryphon. Cyrill. & Orig. in Ioan.

℣. 10. DISPERDAM EX EPHRAIM ET Iuda, id eſt, ex Eccleſia mea promiſcuè collecta è duodecim tribubus, adeoque & ex Gentibus, QVADRIGAM, EQVVM ET *arcum* (m) id eſt, bellica diſſidia & pugnas quæ inter illos eſſe ſolent. Ipſe enim omnibus præcipiet colere iuſtitiam, concordiam & pacem, quibus lites & bella excludentur. ita S. Hieronymus, Hugo, Arias & alij. POTESTAS EIVS regia extendetur A MARI Mediterraneo VSQVE AD MARE (n) magnum, ſeu Oceanum & ab Euphrate & Tigri alijſque FLVMINIBVS VSQVE AD FINES TERRÆ] id eſt, toto orbe dominabitur. ita Rupertus, Remigius, & alij iam citati.

m *Iſaiæ 2. v.* 4.

n *Pſal. 71. v.* 8.

℣. 11. TV QVOQVE, ô Meſſia, IN SANGVINE, id eſt, per ſanguinum, ſeu merito & pretio ſanguinis tui, quinto poſt triumphalem ingreſſum die, in cruce effuſi, quo *teſtamẽtum*, (o) ſeu fœdus *tuum* inter Deum & homines de nouo initum ſanciuiſti & confirmaſti, & quaſi lytrum pro captis & vinctis filijs tuis dependiſti. Huius, inquam, ſanguinis tui merito, mox vt victor ad deuictum infernum deſcendiſti, perruptis carceribus, inde liberos EMISISTI VINCTOS omnes TVOS, (p) & DE arido LACV infernali, id eſt, à limbo patrum, in quo nulla refrigerij vel ſolatij inerat aqua, tecum eduxiſti in optatam tot ſæculis libertatem, gaudium & gloriam. ita SS. Patres Græci & Latini inhærentes verſioni LXX. & expoſitioni Origenis, S. Hieronymi, S. Auguſtini & aliorum antiquorum. Rabbini recentiores cum Chaldæo, mutatis, vt opinor, librariorum vitio punctis, pro *ſcillachta*, id eſt, emiſiſti, iam legunt *ſcillachti*, id eſt, emiſi. Sed in idem redit, vt Bellarminus & à Lapide clarè demonſtrant. Hoc ergo tam illuſtri ſaluatore donati, ô Iudæi, ô Gentiles,

o *Exodi 24. v. 8. & 1. Cor. 11. v.* 25. *Heb 9. v.* 15.

p *Iſaiæ 61. v.* 1.

Origen. tract. 14. in Matth. Aug. lib. 18. Ciuit. c. 35.

שלחת

שלחת

Bellar. l. 4. de Anima Chriſti c. 10.

℣. 12. VINCTI hucuſque SPEI, id eſt, qui ita ſpe aſtricti eſtis Meſſiæ, vt ab illo vno toti pendeatis, CONVERTIMINI iam & adcurrite AD MVNITIONEM, ad arcem Sion, ad Eccleſiam, ad ſinum Meſſiæ vobis tranſmiſſi. ita Clarius, Arias & alij. Poteſt & cum S. Hieronymo & Hugone applicari Patribus in limbo, de quibus immediatè antè. Neque eſt neceſſum præſtolari realem Meſſiæ aduentum, HODIE QVOQVE, id eſt, ex nunc, ſi in ſinum venturi Meſſiæ quiſpiam per fidem, per ſpem, per amorem in ipſum, ſe coniecerit, *annuntio tibi* quiſquis is es, quòd REDDAM TIBI DVPLICIA] (q) id eſt, multi-

q *Iſaiæ 40. v. 1. &c.*

multiplicia illa bona quæ à venturo Messia præstolaris.

℣.13. QVONIAM EXTENDI MIHI IVDAM QVASI ARCVM: id est,delegi mihi tribum Iuda,vt sit mihi pro arcu, quem validè distendam in hostes. Et quotquot ex EPHRAIM, id est,ex alijs decem tribubus,se illi coniunxerint,*implebo* & illos *quasi arcum* meum, id est, etiam illis vtar quasi validè tẽsis arcubus in hostes & suos & meos. *Arcus* enim, teste S.Cyrillo, Vegetio & Sidonio, *impleri* censetur,cùm neruus & ferrum arcus quanta possunt vi attrahuntur,vt tota concauitas arcus telo repleatur,& fortior sit eiaculatio.

Veget. lib.1. de Re milit. c.15. Sidon.lib.1. epist.2.

ET SVSCITABO FILIOS TVOS,ô SION,VT VIctores fiant SVPER FILIOS TVOS,ô GRÆCIA,maximè sub Machabæis, vt constat ex ipsorum historia. ET PONAM TE, ô Sion,instar herois inuicti,qui gladio suo sternit omnia aduersa.

℣.14. ET DEVS SVPER EOS VIDEBITVR] id est,manifestè illis aderit ex alto,vibrans tela quasi fulgura in hostes:excitatione interna, quasi clangore tubali,suos excitans,animans, roborans, & instar turbinis ab Austro immissi conuoluens aduersarios & secum abripiens. His bellicis metaphoris designatur bellica Machabæorum fortitudo: sed Allegoricè ac præcipuè,vis & energia prædicationis Euangelicæ.

℣.15. LAPIDIBVS FVNDA excussis DEVORABVNT hostes suos.q.d. Primo congressu deijciẽt & sternent illos: nam solent velites & fundibularij in prima acie constitui, & prælium inchoare. Et sternent tantam hostium copiam,vt,si sanguinem cæsorum bibere (*a*) vellent (quod nonnulli efferati olim fecerunt) prorsus *inebriarentur*, & collo-tenus *replerentur*, VT repleri solent PHIALÆ ET CORNVA ALTARIS sanguine victimarum. Ijdem principes Machabæi, & Allegoricè, Apostoli Christi & viri Apostolici,

a *Psal.109. ℣.7.*

℣.16. ELEVABVNTVR, honore,dignitate,gloria extollentur, SVPER TERRAM EIVS, id est, in Ecclesia Dei; sicut LAPIDES SANCTI, qui rationale pontificis, vel coronam eius decorabant, inquit Vatablus,Mariana & Sanchez. Vel qui fabricam templi attollunt, vt S.Hieronymus, Theodoretus,Remigius & Liranus: vel, vt Sanchez, lapides terminales:vel denique, vt à Lapide & alij exponunt, lapides qui in titulum victoriæ, triumphi, vel alterius rei illustris memoriam erigũtur. Quales erant duodecim illi lapides à Iosue (*b*) erecti,in signum obtentæ possessionis terræ toties optatæ. Qui typus erant duodecim Apostolorum, pari modo à Christo erectum in titulum obtentæ possessionis Ecclesiæ & orbis vniuersi. Et hæc quidem obuenient cælitus filijs Sion in ordine ad hostes suos repellendos, sternendos ac subiugandos: Vt verò penes seipsos,& inter se mutuò etiam delicientur, deerit prorsus nihil.

b *Iosue 4. v.20.*

℣.17. QVID ENIM in omnibus cælestibus thesauris BONVM aut PVLCHRVM magis habet Deus, quàm quod illis quotidie largitur, FRVMENTVM, seu panem, ELECTORVM? Hebræum *bachurim*, LXX. Syrus,Arabicus, Vatablus & Pagninus vertunt,*iuuenum*:nempe panis hic facit selectos iuuenes,validos,alacres, florentes, viuidos, ad omnia etiam ardua expeditos. ET VINVM; Hebraicè,*tiros*, id est,mustum,quod simul est suaue, potens, feruens,ebulliens,& GERMINANS VIRGINES] nempe facit castos,nitentes,speciosos,succulentos,viuido roscoque colore insignes, verbo vno incorA ruptos & immortales: virginalis enim iuuenta typus est incorruptionis & immortalitatis, inquit Hieronymus Pradus. Per hoc *frumentum* ac *vinum* Hebræi, Theodoretus, Sanchez & Mariana intelligunt vberem alimoniam temporalem Iudæis concessam: Albertus & Hugo alimoniam spiritualem legis Mosaicæ ijsdem cælitus submissam: Clarius, Vatablus & Arias legem & doctrinam Euangelicam. Sed omnium aptissimè S. Hieronymus, Remigius, Paschasius, Haymo, Liranus, Ribera,à Castro, à Lapide, & alij passim, corpus & sanguinem Christi in Eucharistia accipiunt velatum speciebus panis & vini. Hoc enim alimento nihil pulchrius, nihil nobilius, nihil melius habet Deus, nihil etiam efficacius ad prauos animi motus passionesque compescendas,ad castitatem, alacritatem,vigorem,robur,pulchritudinẽ,vtriusque hominis viuacitatem, & incorruptionem, adeoque & immortalitatem inducendam. *Qui* enim *manducat hunc panem, viuet in aternum*, *& resuscitabitur in nouissimo die.*

Paschas.lib. de corpore Domini c. 21.

Ioan.6. v. 55.& 59.

CAPVT X.

Fruges & benedictiones temporales docet petẽdas non ab idolis, (quæ causa fuerunt ruinæ patribus eorum) sed à Deo: qui ex Iudæa excitabit principes Machabæos; Allegoricè, Apostolos, qui sua virtute, præliis & victorijs Iudæam & Ecclesiam omni genere bonorum replebunt,adeò vt ad eam turmatim recursuri sint qui iam per Ægyptum & Assyriam dispersi degunt Iudæi & Israelitæ.ita Hebræi,S.Hieronym.Theodoretus,Albertus, Remigius, Rupertus,Liranus & Hugo.

℣.1. ADOMINO cœli & terræ, non ab idolis, PETITE necessariam vobis PLVVIAM IN TEMPORE SEROTINO] (*c*) id est, tempore vere no vel exeunte hieme. Tunc enim pluuiâ egent fruges vt adolescant,inquit Macrobius. Allegoricè, matutina Iudæis pluuia fuit doctrina Moysis & Prophetarum, quibus suadet vt iam petant serotinam Christi & Apostolorum,vt adolescant & in viros perfectos euadant.ita S.Cyrillus, Hieronymus & Rupertus.

c *Ioël.2.v. 23.*

Macrob.l.5. Saturnal. c.20.

ET DOMINVS FACIET NIVES ad terram fœcundandam, & copiam frugum exprimendam. *Niues* enim,vt ait Plinius,*animam terræ euanescentem exhalatione, includunt & comprimunt, retroque agunt in vires frugum atque in radices:* dein *& liquorem sensim præbent,& purum & lenissimum*,quia *nix aquarum cælestium spuma est*, qua *tellus fermentescit & succi plena* redditur. Tropologicè, niues sunt tribulationes, quæ faciunt ne homo sese in extrema nimis effundendo euanescat, sed secum habitet, & animum virtutibus omnigenis fermentet.

Plin. lib.17, c.2.

℣.2. SIMVLACRA & idola LOCVTA SVNT INVTILE,id est,non afferunt vtilitatem, sed damnum. Ex liuore enim & studio nocendi hominibus,suadent seu per se,seu per *diuinos*, id est,magos & sagas,vt plurimum rapinas & alia scelera:vel si quid boni subinde indulgeant, mox ingentes clades & damna subinferunt,vt multis exemplis docet Delrio. Et quia eiusmodi diuinis & ariolis parentes vestri fidem habuerunt,IDCIRCO in tantam miseriam prolapsi sunt, vt instar *gregis* ouium *abducerentur* à Chaldæis in Babyloniam, & ibi præda fierent lupis, destituti vero *pastore* qui eos tutaretur.ita Chaldæus.Nam

Delrio In Disquisit. Magicis.

℣.3. PASTORES quos illi sequebantur,putà diuini & arioli, non erant veri *pastores*, sed fures &

latrones,quos etiam *furore meo* contriui & peſſumdedi.Erant ET HIRCI fœdi & fœtidi,populo meo ad omne nefas duces & auctores, ſicut hirci præeunt capris & hœdis. Vnde cùm iam *viſitet Deus* GREGEM SVVM DOMVM IVDA,ſeu gentem Iudaicam,ex omnibus omnium tribuum,qui in Iudæam reuerterant, conflatam; ſeparabit & ſubmouebit à grege ſuo fœtentes hircos iſtos,& alios ſubſtituet veros paſtores ac duces,putà nepotes Zorobabelis, & poſteros Ieſu pontifices, ac tandem etiam principes Machabæos: Allegoricè,Apoſtolos & alios Prælatos Eccleſiæ Chriſti, qui quaſi *equi* a *Iob* 39. v. 20. (*a*)generoſi,& ſtrenui équites,ad bella pro populo procedent,hoſtes illius profligabunt, & regnum ac *gloriam* Dei quaquauerſum propagabunt. ita S.Hieronymus & alij ſuprà citati.Porrò Prælatis Eccleſiæ modis omnibus curandum, vt Chriſto *equi* ſint GLORIÆ,non ruinæ,qualis erat ille Seianus equus,qui quaternos ordine heros ſuos & ſeſſores,*Seium*,*Dolabellam*,*Caſſium* & *Antonium* perdidit;ne & ipſi regnum & gloriam Chriſti perdant potiùs quàm propagent.

¥.4. EX IPSO Iuda prodibit princeps *Machabæus*,deinde & *Chriſtus Meſſias*, qui in republica & Eccleſia ſua id præſtabit quod in domo præſtat Primò, ANGVLVS, (*b*) illam fulciens, ſtringens, vniens; Secundò,PAXILLVS,*(c)* qui firmus & immotus alia à ſe dependentia firmat & ſuſtentat; Tertiò,ARCVS*(d)* PRÆLII, per quem fugatur & ſternitur hoſtis; Quartò,EXACTOR,(*e*)qui curam diſciplinæ,cuſtodiam legum, obſeruantiam debiti cultus,officij & obſequij conſtanter & exactè deposcit.

b *Iſaiæ* 19. v.13. *Epheſ.*2.*v. vlt.*
c *Iſaiæ* 22. *v.*23.
d *Zach.*9. *v.* 13.
e *Bernard. l.*4.*de Conſiderat.c.*4.

¥.5. CONCVLCABVNT hoſtes ſuos quaſi LVTVM VIARVM, ipſi FORTES IN PRÆLIO;Hebraicè,*ghibborim*,id eſt,prævalidi, præpotentes,inuicti heroës, gigantes. Quorum virtute & robore CONFVNDENTVR & ſternentur ASCENSORES EQVORVM] putà duces & milites Antiochi, qui pollebant & ſuperbiebant equitatu ſuo,cùm Machabæi ferè pedites pugnarent.

גבורים

¥.6.CONVERTAM,id eſt,ab exilio reducam in patriam,etiam qui de *domo* IOSEPH,ſeu Ephraim, id eſt,ex decem tribubus, *(f)* ſunt oriundi,ſi reuerti voluerint.

f *Oſeæ* 1. *v.*6.

¥. 7. ET ERVNT QVASI FORTES; Hebraicè, *ghibborim*,de quo ſuprà: & quidem *quaſi fortes* EPHRAIM] quæ tribus inter reliquas decem fuerat fortiſſima*(g)* ac glorioſiſſima: vnde & ceteris tribubus dedit penè continuos reges.

g *Pſal.*77. *v.* 9.

¥.8.SIBILABO EIS] Id eſt, ſibilo illos conuocabo in patriam,ſicut oues in ouile. Sibilus hîc erit fama inſtauratæ reipublicæ & religionis per Zorobabelem,per Machabæos,per Chriſtum.

¥.9.SEMINABO quidem plurimos illorum IN varijs ac remotis POPVLIS , vt ad tantò plures notitia mei pertingat : nam ipſi etiam DE LONGE & ex locis iſtis remotiſſimis RECORDABVNTVR cultus MEI, & legis meæ; ſed ſtato tempore REVERTENTVR in patriam.

¥.10.DE TERRA ÆGYPTI,in quam vel ſponte profugerunt,vel vi pertrahentur ſub Ptolemæo Lagi,quorum centum viginti millia reducam in Iudæam ſub Ptolemæo Philadelpho,vt alibi(*h*)dixi.& quidem tanto numero aduolabunt, vt LOCVS EIS ſufficiens NON INVENIATVR] Vnde cogentur ampliare pomœria ſua.

h *Chronici c.*39.*initio.*

¥.11. ET TRANSIBIT tribus vel populus Iuda etiam IN FRETO MARIS: q.d.Etiam trans mare & vltra flumina transferet imperium & ſedes & colonias ſuas. Corã eo CONFVNDENTVR OMNIA PROFVNDA,tum *fluminum*,tum marium,quia victoribus cedere,& liberum tranſitum concedere cogentur. Neque reſiſtendo illis erunt etiam *ſuperbiſſimi Aſſyry*,(id eſt,quiuis tyranni,)aut potentiſſimi *Ægyptij*, quo minùs per illorum regna, adeoque & per vniuerſum orbem, populus Dei ſeſe diffundat ac propaget. Quod in Machabæis vix inchoatum, ſed in Chriſto eiuſque Apoſtolis, & Apoſtolorum ſucceſſoribus perfectè completum videmus & gaudemus.

CAPVT XI.

Prolatis Iudæorum finibus,quia etiam vitia creuerunt,excidenda rurſus prædicuntur vrbs & templum Ieroſolymitanum,quæ tunc à Zorobabele & Ieſu pontifice recèns inſtaurabantur. Cùm enim virgâ Dei paſtoritiâ ſuaui & gratioſâ ſub Machabæis,& ſub Chriſto, deteriores quotidie euaderent Iudæi,rigidâ illos & ſpinosâ virgâ Romanorum corripuit Deus. Sed cùm nec illâ quidem in melius commutarentur,curam illorum ac prouidentiam paſtoralem depoſuit,paſtori ſtulto illos permittens non tam regendos,quàm perdendos & mactandos.

¥. 1. OMons LIBANE,qui in finibus Aquilonaribus Iudææ,aduerſus Syros & alios hoſtes quaſi pro muro es Iudæis: vel,vt S.Hieron. & alij communiter exponunt, ô Ieroſolyma,(*i*) ô templum(vt vertit Chaldæus)inſtar montis Libani eminens,nitens,candicans,cedris,id eſt,palatijs cedrinis,vel,ſi mauis,ſuperbis principibus, lupis, vrſis,leonibus,id eſt, raptoribus,prædonibus,tyrãnis ſcatens; aduentantibus Romanis APERI PORTAS TVAS,quia potentiæ illorum reſiſtendo non es,inquit Vatablus, Ribera, à Caſtro & alij paſſim.Narrat Ioſephus, Orientalem portam templi æneam, quæ vix à viginti viris claudi poterat, ipſo obſidionis Titi initio,in Paſchate media nocte,ſponte apertam fuiſſe.Narrant & veteres Hebræi,atque ex eis Rabbi Dauid, Liranus & Galatinus,quadrageſimo anno ante exciſum templum à Tito,portas templi ſimili modo ſponte ſua reſeratas fuiſſe.Quod cùm videret R.Iohanam filius Zachai,qui inter Rabbinos tunc eminebat,dixiſſe fertur:*O domus,ô ſacra domus,quid ſibi vult quòd tu tibi timeas? Equidem* nunc *ſcio interitum tibi ac vaſtationem imminere, & iam olim vaticinium illud de te editum fuiſſe; Aperi Libane portas tuas.* Quod ſi in Paſchate contigit,vt illud Ioſephi,contigerit profectò eodem die,& veriſimiliter eadem hora,qua Chriſtus *exſpirauit* in cruce,*& velum templi ſciſſum eſt à ſummo vſque deorſum*,vt benè notat Ribera.Nam Chriſtum quadrageſimo anno ante exciſum à Tito templum cruci affixum fuiſſe,in confeſſo eſt apud omnes, vt in Chronico demonſtraui.

i *Ezech.*17. *v.*3.
*Ioſeph.l.*7: *Belli* 6.12.
Galatin.l. 4.*c.*8.
Chron. cap. 47.& 50.

¥.2.VLVLA ABIES: id eſt, vlulate ſenatores & magiſtratus, & minores principes: QVIA CECIDIT CEDRVS, id eſt,magnifici illi & primi ordinis principes,qui vos tegebant & protegebant. VLVLATE & VOS QVERCVS BASAN] id eſt, diuites & potentes ciues reliqui.Quia vt nuper vidiſtis magnifica illa & ſuperba Ieroſolymæ palatia cum tẽplo iſto auguſtiſſimo ignibus abſumi per Chaldæos;ita hæc eadem,quæ nunc tantis impenſis inſtauratis,poſt aliquot centurias annorum poſteri veſtri videbunt iterum per Romanos ſimilibus ignibus abſumi.ita S.Hieronymus,Cyrillus,Euſebius.Quanta tunc

*Euſeb lib.*8. *Demonſt. c.*4.

¥.3.

¥. 3. VOX VLVLATVS, non modò ciuium & plebis, sed & PASTORVM, tum politicorum, tum Ecclesiasticorum! verè rugient instar LEONVM, quando eorum cubilia in siluis ad radices montium *Sanir (a)* & *Hermon* iuxta Iordanem, fluuio illo *superbiente* & exundante, aquis obruuntur, & catuli in nidis suis suffocantur; LXX. vertunt, *quia miser factus est*, seu potiùs miseros fecit, *fremitus Iordanis*.

a *Cant. 4. v. 8.*

¥. 4. PASCE, ô Zacharia, PECORA OCCISIONIS, id est, Iudæos occisioni destinatos, q.d. Indue personam pastoris veri & prudentis, & monitis atque oraculis tuis pasce, doce, instrue ouiculas meas, quas video à stultis & impijs pastoribus non pascendas, sed vel iugulandas & dilaniandas, vel certè alienis dominis *diuendendas*. Non enim mihi, vero ac legitimo ouium domino, non commodis meis, non ouium saluti, sed proprio solùm lucro student. Nec tamen *dolent* vel minimum de tanto scelere, perinde ac si nil deliquissent: quin potiùs quasi re bene gesta gaudent & exultant, & aucti pretio laudant hypocritæ Deum, DICENTES. BENEDICTVS DOMINVS, QVIA *ditati* SVMVS. Sed bene habet. Illi ouiculis meis non pepercerunt, sed crudeli laniena in eas sæuierunt, ego quoque lupis istis

¥. 6. NON PARCAM VLTRA, sed ad vnum omnes HABITANTES hanc TERRAM vicissim dilaniandos & iugulandos TRADAM, primò ciuilibus factionibus, VNVMQVEMQVE de medio tollens MANV PROXIMI SVI, deinde aperto bello, destruens illos MANV SVIMET proprij REGIS. Theodoret. vult hæc impleta sub Hyrcano & Aristobulo (b) Asmonæis, qui cùm de regno contenderent, Iudæam in factiones traxerũt, & à Pompeio alijsque Romanis, quos in auxilium euocarant, subacti, expilati, imò iugulati sunt. Alij meliùs tempore Vespasiani hæc completa dicunt, quando Zelotæ alijque factiosi Iudæi mutuò sese expilarunt & mactarunt, ac tandem *manu* proprij regis sui Agrippæ iunioris, itemque Vespasiani & Titi Cæsaris, (qui & ipse rex erat Iudæorum, Iudæis sic volentibus, & coram Pilato protestantibus, *Non habemus regem, nisi Cæsarem*;) stirpitus excisi sunt, vt enarrat Iosephus & alij historici.

b *Chronici c. 42. classe 2.*

Ioseph. l. 6. Belli, &c.

¥. 7. PROPTER HOC, quia video miseras ouiculas à proprijs pastoribus tam crudeli tradendas lanienæ, & quia Deus iubet vt assumpta probi primùm, dein & improbi pastoris persona, in me futura hæc repræsentem, idcirco scenam nunc ordiar, & PASCAM varijs vijs PECVS OCCISIONIS, vos, inquam, ô PAVPERES, vos mansuetos, vos simplices, vos adhuc innocentes Iudæos. ita ferè Arias, Vatablus, à Castro, à Lapide.

ET ASSVMPSI MIHI DVAS VIRGAS, seu duos baculos pastorales. VNAM VOCAVI DECOREM; Syrus, *suauem* vel *iucundam*; Hebræum *noam*, significat iucunditatem, gratiam, decorem, pulchritudinem, suauitatem, mansuetudinem amabilitatem. Et hæc virga typus erat suauis regiminis diuini per amorem & beneficia, maximè tempore Machabæorum & Christi. ALTERAM VOCAVI FVNICVLVM. ita vertunt etiam LXX. & Aquila & Symmachus & Syrus & Arabicus vterque, qui legerunt חבלים *chabalim*, id est, funiculos. Pro quibus recentiores Hebræi alijs punctis iam legunt חבלים *chobelim*, id est, colligantes. Significat hæc virga durum regimen, quo Deus ceruicosos & brutos ac seruilis ingenij Iudæos, flagellis, minis, mulctis, pœnis, suplicijs ad officium pertrahere conatus est, maximè post occisum ab illis Christum, vt ait Vatablus & alij iam citati.

נועם

¥. 8. ET SVCCIDI VNO MENSE TRES PASTORES] Quod S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo & Ribera accipiunt de *Moyse*, *Aarone* & *Maria*, vno eodemque mense primo *Nisan* mortis sententia damnatis à Deo. Nam mortua tunc est de facto *Maria* quæ feminis præfuerat. Numer. 10. v. 1. Moyses verò & Aaron morti addicti, vers. 12. quam & eodem anno subierunt. (c) Sed Zacharias noster de futuro tempore hîc prophetat. Vnde per tres pastores Arias accipit *Iudam*, *Ionatham* & *Simonem* fratres Machabæos, quos *vno mense* annorum, id est, spatio 30. annorum, (d) è viuis sustulit Deus. Possent etiam eodem modo intelligi tres vltimi Asmonæorum principes, Hyrcanus, Alexander & Antigonus, qui longè breuiori spatio, & morte etiam violenta, & quidem carnificis manu perierunt, vt in Chronico (e) dixi. Sed malim ego per hos tres intelligere Christum, & Christi cognatos duos, Apostolos Iacobum Zebedæi, & Iacobum Alphæi, primæ notæ pastores Iudæorum, qui omnes tres vno mense annorum, id est, intra spatium 30. annorum, & omnes vno eodemque mense Nisan, & quidem vno eodemque mensis die, puta pridie magni festi Paschæ, omnes Ierosolymis, omnes per Iudæos omnes violenta morte succisi sunt, vt constat ex auctoribus fide dignissimis quos in Chronico (f) citaui. Erga eosdem Iudæos iam veris pastoribus orbatos CONTRACTA; Hebraicè, *angustiata*, EST ANIMA MEA] id est, factus sum illiberalior, nempe subtraxi illis virgam suaue, de qua v. præced. & corripere illos cœpi varijs flagellis, vt vel sic *variantes* & à me dilapsos illorum animos, in viam retraherem. Cùm verò ne flagellis quidem fierent meliores,

c *Chronici c. 19.*

d *Chronici c. 42. classe 2.*

e *Ibid.*

f *Chronici c. 50. ad annum à morte Christi 12. & 30.*

¥. 9. DIXI, decreui, denuntiaui illis per Christum, (g) per Apostolos: (h) NON PASCAM VOS VLTRÀ, non agnoscam vos exinceps pro ouibus meis, nolo vos vestraque ampliùs tutari aduersus hostes, pereant omnes peste, gladio, inedia, quid ad me? ita ferè Vatablus & Clarius. In signum verò plenæ & æternæ desertionis ac reiectionis eorumdem,

g *Matt. 21. v. 43.*

h *Act. 13. v. 46.*

¥. 10. ABSCIDI & in frusta dissecui VIRGAM MEAM pastoralem, QVÆ VOCABATVR DECVS, simulque aboleui, rescidi & IRRITVM *feci* FOEDVS MEVM, QVOD olim CVM OMNIBVS duodecim tribubus, quasi totidem POPVLIS PERCVSSI in Sinai, Exodi 24. Ipsis enim occisione Messiæ sui, & tot pastoricidijs, alijsque horrendis scelcribus, continuaque rebellione fœdus cõuellentibus, nec vlla via se ad mentem reduci sinentibus; æquum non videtur, vt ego illo, iam conuulso ab illis fœdere, diutiùs obstringar. Ergo disrupi & irritaui etiam ego *fœdus*.

¥. 11. Et eheu! COGNOVERVNT, & senserunt id statim etiam PAVPERES ouiculæ GREGIS Iudaici SIC iam à me deserti, meaque ope ac protectione destituti & lupis obiecti. Nempe senserunt irruentes in Iudæam exercitus Romanorum, & ingruentem famem, pestem, aliasque millenas plagas, quibus etiam ipsi, licèt innocentes, & MIHI pristinum fœdus *custodientes*, quia vnius reipublicæ membra, simul inuoluuntur. VERBVM enim, id est, decretum, DOMINI EST, VT in pœnam communis perfidiæ tota deuastetur Iudæa cum omnibus incolis, etsi hinc inde innocentibus.

¥. 12. ET DIXI ego Zacharias, sed in persona Dei,

Dei, interpellatus in proscenio à Iudæis, cur cùm pastor illorum essem, ipsos desererem; dixi, inquam, seu respondi: SI BONVM EST IN OCVLIS VESTRIS, id est, si vobis arridet & placet vt pergam vos pascere, AFFERTE mihi MERCEDEM pastori debitam: neque enim par est vt nullo prorsus fructu pascam tam molestas oues. Cumque exspectarem, vt pro mercede mea se suaque omnia, iustum affectum & amorem, debitam obseruantiam, obedientiam, omne obsequium, cultum, honorem mihi, vt æquum erat, æternum addicerent; ecce APPENDERVNT pro omni MERCEDE MEA, TRIGINTA sicles ARGENTEOS (a) seu triginta florenos Belgicos, quorum singuli constant quatuor Iulijs, seu regalibus argenteis. Nisi malis per *argenteos* non sicles, vt passim solet, sed abusiuè *minas* intelligere, vt subinde Iosephus intellexit, vt dicam Matth. 26. v. 13. Sic 30. argentei essent 750. floreni Belgici: si minas Atticas accipias. DECORVM PRETIVM. Est ironia, q.d. Egregium certè, dignumque tanti laboris pretium! quo iuxta legem (b) æstimabatur & redimebatur vita serui seu mancipij occisi. Sed en aliam nequitiam, eamque intolerandam: Appendunt istos 30. argenteos non mihi, sed proditori mei in manus, nulli meo commodo, sed euersioni & exitio.

a *Proleg. de monetis.*

b *Exodi 31. v. 32.*

¥. 13. ET DOMINVS AD ME Zachariam, Christi personam in theatro gerentem, sed subinde etiam aliam, vt nunc proditoris Iudæ personam inducentem, DIXIT: PROIICE, seu abijce, sanguinarium istud pretium AD STATVARIVM. Hebræum יוצר & Latinum *statuarius* generatim significat eum qui statuas effingit siue ex luto, siue ex metallo. Vnde LXX. & Symmachus vertunt, *ad conflatorem*; Aquila, teste Eusebio, Tigurini, Clarius, & Arias, *ad plastem* vel *figulum*. ET PROIECI ILLOS IN DOMVM DOMINI (ex qua illos ad me detulerant,) ad pedes alicuius sacerdotis, conferendos mox diuina prouidentia ad figulum pro agro eis coëmendo *in sepulturam peregrinorum*, vt addit & explicat S. Matthæus, ex sententia S. Hieronymi, Ruperti, Lirani, Iansenij, Baronij, Maldonati, Suarez, Francisci Lucæ & plurium aliorum. Desperatâ igitur causâ Iudeorum, cùm nec prosperis, nec aduersis; beneficijs nec flagellis ad frugem eos reducendi spes vlla supereesset, vt nuper *præcidi* iucundam & suauem virgam, ita nunc quoque alteram, seu, vt est ¥. 14. SECVNDAM VIRGAM MEAM PRÆCIDI, nempe *funiculum* flagellorum; hoc typo curam & regimen omne illorum exuens ac deponens, atque hostibus discerpendos relinquens, putà Vespasiano & Tito, qui excisо mox templo & vrbe regia, regnum, rempublicam & religionem Iudæorum funditus euerterunt: ET GERMANITATEM, id est, germanam seu fraternam societatem ac connexionem, qua domus Israel decem tribuum cum domo Iuda, iam inde à soluta captiuitate Babylonica perpetuò vnita fuerat, penitus *dissoluerunt*, Iudæis omnibus patria expulsis, & per vniuersum orbem dispersis, vt constat ex Iosepho, Eusebio & alijs Historicis.

Matth. 27. v. 7. Baron. ann. Christi 34. Suarez 3. p. tom. 2. disp. 54 sect. 1. Iansen. & aly in Matth. 27.

Ioseph. l. 7. Belli, &c.

¥. 15. ADHVC indue, ô Zacharia, personam aliam, nempe PASTORIS STVLTI, non tam speculatiuè, quàm practicè, id est, pastoris improbi, scelerati, rapacis, crudelis, qui vt suæ cupidini obsequatur, gregem stultissimè perdit, affligit, spoliat, enecat, inquit Theodoretus & Cyrillus. VASA ergo seu instrumenta talis pastoris TIBI assvme, nimirum pro pedo gladium, pro cupedijs laqueum, pro fistula fustem:

¥. 16. Talem EGO Iudæis à me declinâtibus PASTOREM SVSCITABO, putà Antichristum, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Remigius, Hugo, Liranus, Arias, Vatablus & Ribera. Huic enim ambitiosissimo simul atque crudelissimo tyranno seruire cogentur Iudæi: non minùs quàm aliæ gentes, & omnes illorum opes, corpora & animæ. Extendit id Arias etiam ad Herodem (c) Ascalonitam: Theodoretus ad Antiochum (d) Epiphanem typum Antichristi: à Castro ad Titum & Romanos: Sanchez & à Lapide ad Iasonem, (e) Menelaum, (f) Caipham, (g) omnesque peruersos pontifices, ad Herodem quoque eiusque posteros impios principes, ad Theodam & Iudam (h) Galilæum, ad Barchocebam (i) qui tempore Adriani, ad Pseudomoysen (k) qui tempore Theodosij Imperatoris Iudæos fœdissimè deceperunt, vt Eusebius, Socrates & alij describunt. Omnes enim isti fuerunt typi & præcursores Antichristi, in quem per antonomasiam maximè quadrant quæ sequuntur.

c *Chronici e. 45.*
d *Ibid. c. 40.*
e *2. Mach. 5. v. 6.*
f *Ibid. c. 4. v. 25.*
g *Chron. c. 42. classe 3.*
h *Actor. 5. v. 36. 37.*
i *Euseb. l. 4. hist. c. 6.*
k *Socrat. l. 7. c. 37.*

¥. 17. O PASTOR (l) ET IDOLVM! LXX. Chaldæus & Arabicus & Tigurini vertunt, *væ pastori vano & nihili*. q.d. Væ tibi ô pastor, qui non es pastor, sed solùm larua pastoris: qui nihil habes veri pastoris, nisi solam vmbram & simulacrum. Notatur tamen etiam arrogantia Antichristi, quod volet adorari vt *idolum* & numè, inquit S. Hieronymus. sicut crudelitas & tyrannis verbis sequentibus, GLADIVS SVPER BRACHIVM EIVS, ET SVPER OCVLVM DEXTRVM EIVS, quia instar *lanionis*, non aliò collimat, quàm vt iugulet oues. Ita Chaldæus exponit. Sed alij id accipiunt de diuina vltione ipsimet tyranno imminente, vt *brachium*, id est, potentia; *& oculus dexter*, id est, calliditas & intentio eius, præcidantur ac destruantur. (m)

l *Ierem. 6. v. 3. Nahum 3. v. 18. Isaiæ 44. v. 28.*

m *2. Thess. 2. v. 8.*

CAPVT XII.

Predicit varias calamitates Iudais sub Antiocho Epiphane eiusque posteris obuenturas, Ierosolymam (Allegoricè, Ecclesiam Christi) à Gentilibus, imò & à perfidis Iudeis, oppugnandam; sed Dei dextera & scuto per Machabæos protegendam: Christum Ierosolymis in omnium oculis cruci affigendum, clauis & lancea configendum: Spiritum sanctum Ierosolymis in Christi fideles effundendum. Ita S. Hieron. Theodoret. Remigius, Albertus & Hugo.

¥. 2. ONAM IERVSALEM, (Allegoricè, Ecclesiam Christi,) SVPERLIMINARE CRAPVLÆ] LXX. *sicut superliminaria quæ mouentur*. Est metaphora desumpta à popina, vbi vinum prostat sapidum quidem sed venenatum, ad quod hauriendum vndique certatim accurritur: sed mox vt quis gustarit, ebrius, tremulus, stupens fiat & amens, cui omnia moueri, inuerti & corruere videātur. q.d. Quicumquè hostis vel limen attigerit Ierosolymæ, mox quasi ebrius & mente captus, retroagetur, trepidus & tremulus. Sicut de antro Sibyllæ Cumanæ quod Puteolis haud procul Neapoli ostenditur, scribit Virgilius, solo liminis ipsius transgressu ipsam extra se rapi & furere consueuisse. Et ipse ibidem in vicinia vidi aliud antrum, in quod si vel canem, vel aliud animal inieceris, illico incipit emori & exanimari: & verò exanimaretur penitus, nisi è vestigio in vicinũ Auerni lacum immergeretur, vbi mox redditur sibi ac reuiuiscit. Pari modo exitiosum ac lethiferum erit vel limen vrbis Ierosolymæ hostiliter attigisse, inquit S. Hieronymus, Remigius & Hugo. Experti id sunt non modò

Virg. 6. Æneid.

modò Antiochus Epiphanes, eiusque duces & sequaces Gentiles, sed etiam IVDA, id est, transfugæ Iudæi Iason, Menelaus, Simon & alij, qui Antiocho in oppugnanda Ierosolyma adiutores fuerunt, vt videbimus in historia Machabæorum, & Iosephus fusè enarrat.

1.Mach.1. v.44.& 55. & 2.Mach. 4.& 5.& seqq. Ioseph. l.12. Antiq.c.6.

℣.3. PONAM IERVSALEM LAPIDEM ONERIS, id est, onerosissimum, quem qui attollere vel auferre voluerit, in ipso nisu & eleuatione, grauissima CONCISIONE vulnerabitur, LACERABITVR, opprimetur. Alludit ad athletas, qui ponderosissimorum lapidum subleuatione vires suas tentare & ostentare solebant, non sine grauissima subinde læsione & exitio suo. Patuit hoc in Heliodoro, (a) in Iasone, (b) in Menelao, (c) in Lysimacho, (d) in Alcimo, (e) in Antiocho (f) Epiphane & Eupatore, (g) in Nicanore, (h) Bacchide, (i) Apollonio, (k) Tryphone, (l) alijsque Asiaticis tyrannis mala morte ob vim Ierosolymæ illatam mulctatis, vt de M. Crasso, Cn. Pompeio, & Herode (m) taceam, qui post expugnatam Ierosolymã infelices admodum & tristes casus subierunt, vt Iosephus, Plutarchus & alij enarrant: taceam etiam Ammonitas, Moabitas, Philisthæos, Idumæos, Syros, Tyrios, aliosque Iudæorum hostes, ab illis non modò repulsos, sed & subactos non rarò, vt alibi (n) dixi. COLLIGENTVR enim ADVERSVS Ierosolymã OMNIA REGNA TERRÆ] sed suo potiùs, quàm illius malo, quamdiu illa fida Deo potenti eius dextera protegetur.

a 2.Mach. 3.v.24. b Ibid.c.4. v.26. c Vers.29. d Vers.41. e 1.Mach.9. v.55. f 2.Mach.9. v.28. g 1.Mach.6. v.62.& c. 7.v.4. h Ibid.v.43. i C.9.v.68. k C.10.v.77 l Chron.c. 40.Ioseph.l. 14. Antiq. c.13. Plutarch.in Pompeio & Crasso. m Chron. c.45.

℣.4. OMNEM EQVVM & equitem hostilem PERCVTIAM CÆCITATE] Factum id etiam ad litteram 2.Machab.10.v.30.

℣.5. DVCES IVDA Machabæi non suis præfident viribus, sed auxilio omnipotentis Dei, quem CORDE SVO, & etiam ore precabuntur, vt de cœlo *confortet ciues* IERVSALEM, nẽ hostibus succumbant. Semper enim Iudas Machabæus (& idem dici potest de Ionatha & Simone) ante aciem orasse legitur, & opem diuinam imploraſſe, excepto vltimo prælio, in quo succubuit. Ijdem

n Abdiæ v. 18.& seqq. & Zachar. 9.v.1.4.& c.

℣.6. DVCES IVDA, SICVT CAMINVS, vel fax IGNIS, omnia circumcirca populabuntur, absument & ad se conuertent. Quod Allegoricè, de Apostolis in Pentecoste exponit S. Hieronymus, Remigius, Albertus & alij. Profugient quidem ciues Ierosolymitani subinde metu Antiochi & similium tyrannorum, sed virtute & armis Machabæorum restituentur pristinis sedibus, & sic vrbs euacuata ciuibus suis, RVRSVS ijsdem replebitur & INHABITABITVR (o) vt antè. Sed hæc omnia

o 1.Mach. 14.v.4.& c.

℣.7. DOMINVS faciet, & diuinis potiùs, quàm humanis vijs, per paucos & imbelles Iudæos sæpè maximos hostium exercitus sternens (p) & profligans: VT NON suis viribus MAGNIFICE GLORIETVR DOMVS DAVID, id est, familia & posteri Dauidis, inter quos & Machabæi, materna stirpe oriundi ex familia Dauidis; quoad paternam verò etsi essent ex tribu Leui, tamen insiti seu inserti erant familiæ Dauidis, quæ illos sibi totique reipublicæ delegit in duces, & constituit in capita, & sic succedere fecit in principatu Dauidis & in regimine familiæ & regni ipsius, vt alibi (q) dixi. Ne igitur vel hi principes, vel alij ciues qui *gloriosè* ac triumphanter *habitant* & incolunt IERVSALEM, GLORIENTVR CONTRA IVDAM] id est, præ reliquis Iudæis, qui in alijs vrbibus degunt: nam victoriæ quæ illis obtigerunt, non illorum industria vel studio, sed diuina ope partæ sunt.

p 2.Mach. 8.v.18.& c.

q Gen.49. v.10.

℣.8. QVI EX EIS OFFENDERINT initio, impingentes, corruentes, retroacti potentia & dolis aduersariorum, vt sub Antiocho accidit penè omnibus Iudæis, (nam plurimi metu tyranni deflectebant ad gentilissimum;) hi ipsi IN DIE ILLA, excitati victorijs Iudę & fratrum ipsius, ERVNT QVASI DAVID] id est, instar Dauidis resipiscent à scelere, (r) & fidem resument, & cum fide tantos animos ac vires, vt bellicosissimo Dauidi suppares videantur, inquit S. Hieron. Theod. & alij. Allegoricè, Matthæus, Magdalena, Petrus, Paulus, Pelagia, Augustinus, & tot alij prolapsi priùs in scelera, postea à Deo tacti, instar Dauidis fortiores resurgent, inquit S. Gregorius, Albertus. Hugo & Liranus.

r 1.Mach. 2.& seqq. Gregor. homil.20.in Ezech.

ET DOMVS, seu familia, DAVID erit QVASI domus DEI, id est, SICVT ANGELI] qui sunt de domo seu familia Dei. q.d. Principes Iuda nõ tantùm cum Dauide, sed & cum angelis comparari poterunt in fortitudine, prouidentia, regimine, gloria & felicitate. Addit Theodoretus, illos fore *domum Dei*, id est, tutum refugium & asylum afflictis omnibus.

℣.9. QVÆRAM enim & satagam, per illos CONTERERE OMNES GENTES, aduersarias Iudæis: Allegoricè, Christianis, inquit S. Hieronymus, Albertus, Remigius & Vatablus. Sed longè magis satagam, vt Iudæi qui tempore Christi tam miserè impingent & offendent in Messiam suum, affigentes illum cruci, seriò instar Dauidis resipiscant à suo scelere. Mox enim à morte Christi, sed longè magis in Pentecoste ac deinceps,

℣.10. EFFVNDAM liberalissima manu tam in principes, quàm in vulgares ciues Ierosolymitanos, SPIRITVM, seu donum, GRATIÆ, qua cognitum iam scelus suum detestentur, & pœnitendo abolcant, atque ita gratiosi (s) & chari mihi fiant. ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, & alij passim. Effundam in eosdem etiam SPIRITVM PRECVM; LXX. *misericordiæ* Chaldæus, *miserationum*; Clarius, *propitiationis*. Hæc enim omnia significat Hebræum *tachaunnim*. q.d. Spiritum, id est, תחנונים vehementem mentis impetum ad preces coram Deo fundendas, (t) quibus ipsum per merita sanguinis Christi in eum finem recèns profusi, ad misericordiam, miserationem & propitiationem inflectant.

s Ephes.1. v.6.

t Rom.8. v.26.

ASPICIENT enim oculis viuæ fidei ac spei, non tam ad suam indignitatem ac nequitiam, quàm AD ME fontem omnis gratiæ & omnium bonorum, confisi quòd, etsi tam indignè ME dominum, patrem ac Deum suum CONFIXERINT caput spinis, manus & pedes clauis, latus lanceâ, flagellis & tot iniurijs totũ hominem; nihilominus veniam, gratiam, reconciliationem sint impetraturi. Ita aspexit crucifixum Christum *centurio* ciusque socij, *dicentes, Verè (u) filius Dei erat iste. Et omnis (x) turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.* Porrò sermonem hîc esse de Christo seu Filio Dei incarnato, præterquàm quòd sit communis interpretatio non modò omnium SS. Patrum, sed & priscorum Iudæorum quos citat Galatinus: euidenter id colligitur ex vocula, *me*, quæ significat loqui hîc non purum hominem, sed *hominem Deum*. Et ita eumdẽ hunc locum de Christo crucifixo exponit S. Ioannes cap.19.v.37. Licet idẽ Anagogicè, hæc eadẽ exponat de Christo ad extremum iudicium venturo Apoc.1.v.7. vt ibi dicam.

u Matt.27. v.54.

x Luc.23. v.48.

Galatin.l. 8.c.,17.

℣.11.

℣.11. IN DIE ILLA MAGNVS ERIT PLANCTVS A IN IERVSALEM, plangentium Primò, ob indignam Christo(a)illatam necem. Secundò,ob sua scelera,quæ causa fuerunt necis(b)ipsius. Tertiò, ob imminentes tantorum scelerum pœnas,(c)clades publicas ac priuatas, & excidium Iudææ totius. Erit certè hic *planctus* similis, imò maior planctu,quem ob mortem pij regis Iosiæ olim Ieremias & reliqui Iudæi instituerunt in ADADREMMON vrbe iuxta Iezrahel, IN CAMPO MAGEDDON,(d)dicta postea Maximianopoli, sed ob copiam malogranatorum iam vocata *Adad*, vel,ꝑvt Chaldæus legit,*Hadar-remmon*,id est,decor malogranatorum, vel decor ῥοῶν, id est, *puniceti*,vt vertunt LXX.more suo nomina propria ex etymo B interpretantes.

a *Hic v.10.*
b *Thren 4. v.20.& c 5.v.18.*
c *Luc 23. v 28.*
d *2.Par.35. v.22.*

℣.12. PLANGENT autem FAMILIÆ ET FAMILIÆ,id est,omnes(e)familiæ,sed SEORSVM MVLIERES à viris, more recepto non solùm apud Hebræos,sed & apud Græcos & alias nationes Orientales,vt sicut in conuiuijs,ita etiam in oratione,& alijs actibus publicis,cœtus virorum seperentur à conuentu mulierum.Porrò quatuor familiæ præ alijs dicuntur hîc planctum Christo facturæ,nempe FAMILIÆ DAVID ex Salomone,FAMILIÆ eiusdem Dauid ex filio suo NATHAN fratre Salomonis,FAMILIÆ LEVI,id est,sacerdotum & Leuitarum,denique FAMILIÆ SEMEI,seu *Sammei*,auctoris seu magistri sectæ Pharisæorum,*(f)* inquit S. Hieronymus,Theodoretus, Remigius,Albertus, Ribera & alij complures:multos enim ex his familijs(quæ ob arctiorem cum Christo coniunctionem,seu sanguinis,seu officij,sanè maiorem præ reliquis plangendi occasionem habuerunt)doluisse de morte Christo illata,imò ad Christum conuersos fuisse, constat ex Actis Apostolorum, vbi *ex omni (g)natione* Iudæorum *quæ sub cælo est*,vno die *tria(h)millia*,altero *quinque(i)millia;multa (k) etiã turba sacerdotum* conuersa narratur,& *omni animæ (l) timor* incussus,&c.

e *Proleg. de Idiotismis Hebr.n.51.*
f *Chronici cap.42. in Ioanne Hyrcano.*
g *Act.2. v.5.*
h *V.41.*
i *C.4.v 4.*
k *C.6.v.7.*
l *C.2.v.43.*

CAPVT XIII.

Prædicit ex Christo crucifixo, tamquam vberrimo fonte, affluxuram ad omnes gentes copiosissimam gratiam, remissionem peccatorum,iustitiam & salutem:abolenda ex orbe idola & pseudoprophetas: & tertiam populi partem passione Christi saluandam.

℣. 1. ILLA DIE qua Christus (vt c. 12. præcessit) è cruce suspensus aspicietur, *patescet* ex illo & ex illius vulneribus(m)FONS vberrimus, non solùm doctrinæ,vt vult Remigius,sed & Sacramentorum & gratiarum omne genus;idque IN ABLVTIONEM PECCATORIS cuiuscumque, ET etiam MENSTRVATÆ, id est, ad tollendam omnem immunditiam & sordes ex transgressione,seu legis naturæ,seu legis Mosaicæ contractas.Alludit Primò,ad aquas expiationis,Numer.19.v.11.deinde ad aquas Siloë,Isaiæ 8.v.6.& Ioan.9.v.7.denique ad aquas sub limine templi erumpentes, Ezech.47.v.1. Quæ omnes erant typi & figuræ viui fontis nostri Christi,vt etiam Hebræi à Galatino citati agnoscunt. *Patet* autem perpetuò hic fons non solùm DOMVI,id est,familiæ & posteris, DAVIDIS,id est,primatibus & nobilioribus personis, sed promiscuè omnibus HABITANTIBVS IERVSALEM,etiam plebeijs,etiam è gentilismo conuersis: *Erant* enim tunc *habitantes in Ierusalem ex omni natione quæ sub cælo est.*

m *Hic v. 6.*
Galatin. l.4.c.vlt.
Act.2.v.5.

℣.2. IN DIE ILLA, id est eodem illo tempore, DISPERDAM idola,quin & NOMINA IDOLORVM DE omni TERRA.Ita factum per Apostolos & discipulos Christi,& horum successores, loquuntur omnes historiæ. Neque per SPIRITVM IMMVNDVM hîc aliud intelligit quàm dæmonem,qui idolis,quasi illorum anima, assistebat, & per illa loquebatur ac responsa dabat,vt ait S.Cyrillus,Remigius & Albertus.

℣.3. CVM QVISPIAM PROPHETAVERIT] scilicet falsa vel impia,ex instinctu maligni spiritus, vt præcessit,tanto zelo compescetur etiam à proprijs parentibus, vt mortis supplicio plectendus sit(n)potiùs quàm ab illis tolerandus.

n *Deut. 13. v.6.*

QVIA MENDACIVM LOCVTVS ES,nempe hæresin vel idololatriam.Ex quo loco discant Lutherani, non solùm in veteri, sed etiam in noua lege hæreticos morte plectendos.Nam & proprij parentes,si zelo ardeant honoris diuini,sententia & manu iudicum CONFIGENT filium sic apostatantem; Tigurini,*cõfodient*;Vatablus, *transfigent*, supple,gladio,lancea vel telo,vel clauis in cruce;LXX. compedibus eum *constringent*.Hebræum *dakaruhu* & Latinum *configent*,vt & *vrent*,*secabunt*,& similia,in Scripturis idem significant, quod, grauem dolorem vel supplicium inferent, vt benè notat Sanchez. Porrò metu tantorum suppliciorum territi tales pseudoprophetæ, non audebunt exC inceps personam suam agere, vel more Prophetarum

דקרוהו

℣.4.*Operiri* PALLIO SACCINO;Pagninus,*pilloso*; Tigurini,*villoso*;LXX.*pelle cilicina*.Vestis enim exterior Prophetarum erat saccus cilicinus, ex pilis camelorum, equorum vel similium animalium contextus,vt ipso etiam habitu externo populum prouocarent ad luctum & pœnitentiam,vt nostri quoque Capuccini faciunt.Similem vestem assumebant etiam impostores isti, vt Prophetas se mentirentur:

℣.5.SED veriti plagas DICET quisque illorum, NON SVM PROPHETA amplius,discessi ab illo viuendi genere, iusto manuum labore victum mihi
D paro:HOMO AGRICOLA SVM:ADAM EXEMPLVM MEVM] id est, à puero imitatus sum *Adamum* & alios primos patres meos,qui suo exemplo docuerunt me colere agros, & *sudore* (o) *vultus* victum o *Gen.3. v.19.* mihi meisque parare.

℣.6.ET DICETVR EI] non pseudoprophetæ,vt S.Hieronymus;Cyrillus, Theodoretus, Liranus, Albertus,Arias & Vatablus putant:sed Messiæ de quo præcessit,(p)seu de Messia in cruce clauis, flagellis, spinis,lancea transfixo,inquit Rupertus,S. Thomas,Ribera,à Lapide, & alij passim, imò & R.Samuel & plures alij Hebræi à Galatino citati. Et patet ex v.seq. *Percute pastorem,& dispergentur*
E *oues*,quod ipsemet Christus de se explicat Matth. 26.v.31. & Ecclesia in Officio Missæ de passione, hæc omnia applicat Christo. Vult autem Zacharias propheta his manuum Christi plagis explicare quo sensu dixerit v.1.ipsum esse *fontem* omnibus *patentem*,nimirum patefactione manuum, pedum lateris,cordis,totiusque corporis per clauos,lanceam,flagella,spinas.

p *Hic c.12. v.10.& c. 13.v.1. S.Thom.in psal.21. R.Samuel de Aduentu Messiæ c.7. Galatin.l. 8.c.19.*

Respondet Christus:HIS PLAGATVS, vulneratus,transfixus SVM IN DOMO EORVM QVI antè DILIGEBANT ME] id est,in Iudæa,in vrbe Ieroso-
lyma.q.d.Ciues,contribules,cognati,filij mei,tot nominibus mihi obstricti, cùm tot sæculis ad meum aduentum anhelassent,& præsentem summè

mè amare, venerari, colere deberent, extremo acti odio me in hanc crucem tot plagis conscissum egerint. *Filij matris meæ (a) pugnauerunt contra me.* Quis cogitet vel possibile esse tam indignum facinus? Sed hoc factum diuina mea (inquit Pater cælestis) prouidentia, (b) vt sic percussâ petrâ (*petra autem (c) erat Christus*;) patescceret clausus antea *fons*, de quo suprà. (d) Igitur

a *Cant.* 1. v. 5.

b *Act.* 2. v. 23.

c *Exodi* 17. v. 6. & 1. *Cor.* 10. v. 4.

d *Hic* v. 1.

℣. 7. FRAMEA SVSCITARE; Tigurini, *excitare*, LXX. *consurge*; Chaldæus, *denudare ô gladie*, euaginare, distringere: PERCVTE, & occide PASTOREM MEVM, id est, quem ego toti orbi pastorem dedi, VIRVM *clarum*, vt vertit Arabicus Antiochenus, & omni exceptione maiorem, vtpotè arctissimè adstrictum & COHÆRENTEM MIHI, nempe consubstantialiter secundùm diuinam eius naturam; hypostaticè secundùm humanam. Vnde Chaldæus & Pagninus vertũt, *socium*; Aquila & Theodotion, *contribulem meum*; Vatablus, *coæqualem mihi*. Porrò *percute*, *suscitare*, & similia verba non significant hîc imperium, sed permissionem diuinam, absque qua nihil eiusmodi potuisset obuenire vnigenito Filio Dei. (e)

e Ioan. 19. v. 11.

Percusso pastore DISPERGENTVR OVES illius, etiã primariæ, putà Apostoli & discipuli, vt Christus ipsemet exponit. (f) Nec stabit hîc tempestas, sed etiam AD PARVVLOS eius agnos, nẽpe recèns conuersos ad Christum, pari modo percutiendos, CONVERTAM & extendam MANVM MEAM, per lictores meos tyrannos, non Ierosolymæ tantùm, sed & Romæ, & in reliquo toto orbe. Idque vt similes illos reddam pastori suo, suumq; in me & in ipsum amorem contestandi, aliasq; virtutes exercendi ansam illis obijciam, gloriamque tum ipsorum, tum meam illustrem & augeam. ita Theodoretus, Liranus & alij. Sed non solã Ecclesiam Christi infestabunt tyranni. Infestabunt sanè, & quidem acerrimè, etiam Synagogam. Nam ante ista Messiæ tempora, acerbissimam Iudæis afflictionem ac tribulationem mouebunt Asiatici reges, Antiochus Epiphanes, & alij sequaces ipsius, quorum partim minis & edictis crudelissimis, (g) partim tormentis intolerabilibus, facilè

f *Matt.* 26. v. 31.

g 2. *Mach.* 5. v. 14. 22. 26.

℣. 8. DVÆ PARTES totius *terræ* Iudaicæ DISPERGENTVR, vel potiùs (vt Louanienses legunt) *dispердentur* (nam Hebræum יכרתו *ijcaretu* significat *exscindentur*, vel *consumentur*, vt Chaldæus; vel *peribunt*, vt LXX. verterunt:) vel, si in viuis mancant DEFICIENT à fide, à religione ad impia (h) Gentilium sacra; ita vt VIX TERTIA PARS in vita & in officio mansura sit; & hæc ipsa *pars tertia* millenis adhuc afflictionibus, SICVT AVRVM in fornace, excoquetur.

יכרתו

h 2. *Mach.* 6. v. 6. & *seq.*

CAPVT XIV.

Pergit predicere mala per Antiochum Epiphanem obuentura Iudææ, & præsertim Ierosolymæ ab ipso intercipienda ac deuastanda. Sed promittit, affuturum suis Deum, cuius ope contritis hostibus, pax & quies aterna & opes amplissima obuenient Ierosolymæ; Allegoricè, Ecclesiæ Dei: & hic sensus præcipuè intenditur à Spiritu sancto. ita Eusebius & alij ab ipso citati, item Theodoret. Palacius, Mariana, à Castro & à Lapide.

Euseb. l. 6. Demonst. c. 18.

℣. 2. OMNES GENTES Antiocho Epiphani (i) subiectas vel confœderatas CONGREGABO aduersus IERVSALEM, ET CAPIETVR (k) CIVITAS, ET MVLIERES (l) VIOLABVNTVR: ET MEDIA, id est, maxima, PARS ibit IN CAPTIVITATEM: (m) ET RELIQVVM POPVLI NON AVferetur quidem EX VRBE, sed mille alijs (n) iniurijs diucxabitur. Sed pòst paulò

i Ciuitici c. 40.

k 1. *Mach.* 5. v. 11.

l *Ibid.* v. 13.

m ℣. 14.

n *V.* 15. 21. 22. & c. & 1. *Mach.* 1. v. 55.

℣. 3. DOMINVS, Ecclesiæ suæ perpetuus tutor & protèctor, EGREDIETVR per duces suos Machabæos, (o) ET PRÆLIABITVR CONTRA omnes GENTES ILLAS, SICVT olim PRÆLIATVS EST IN DIE famosi illius CERTAMINIS, quo Pharaonem (p) contriuit in mari rubro. Sicut enim tunc fisso mari per angelos decertauit contra Ægyptios, ita sub Machabæis fisso *monte Olineti*, (q) etiam visibiliter per *angelos* (r) tutàbitur populum suum, & hostes prosternet.

o 1. *Mach.* 2 & *seqq.* & 2. *Mach.* 8. & *seqq.*

p *Exodi* 14. v. 24. & 1. *Mach.* 4. v. 9.

q *Hic* v. 4.

r 2. *Mach.* 10. v. 29. & c. 11. v. 8. & c. 15. v. 12.

℣. 4. STABVNT enim PEDES EIVS SVPER MONTEM OLIVARVM, vt inde auxilio sit vicinis Ierosolymitanis, & Antiochi copias profliget. Calcando verò montem, discindet illum ab *Oriente*, *Occidentem* versus in duas partes, quarum vna SEPARABITVR; LXX. *inclinabit*; Tigurini, *deflectet*; Pagninus, *recedet*, AD AQVILONEM, altera AD MERIDIEM. Vnde patet, non in quatuor partes, (vt vult S. Hieronymus, Cyrillus, Theodor. Burgensis & Palacius,) factam scissionem, sed in duas dumtaxat, (vt Chaldæus, Eusebius, Liranus, Vatablus, Ribera, Sanchez, à Lapide & alij exponunt) relicto hiatu PRÆRVPTO, id est, valle, vt Chaldæus; vel *voragine*, vt LXX. GRANDI VALDE] Hanc scissionem factam putat Palacius quando tot signa visa sunt in cœlo 2. Machab. 5. puta equites per aëra discurrentes, cohortes armatæ, &c. Erant enim myrriades angelorum cum quibus in pugnam prodibat Deus; prodeunte autem Deo *terra mota (s) est* & contremuit, *& contriti sunt (t) montes sæculi*. Etsi enim in Machabæorum historia id non expressè enarretur, ex hoc tamen loco verisimile est ita tunc factum. Sicut factum in simili casu sub *Ozia* rege constat ex v. sequenti, licèt in historia Oziæ nulla istius rei mentio fiat.

s *Psalm.* 67. v. 9.

t *Habacuc* 3. v. 6.

℣. 5. ET præ metu ac horrore terræmotus, quo mons Oliueti discindetur, FACIETIS, ô Iudæi, AD VALLEM MONTIVM MEORVM (sic enim habent Hebræa, LXX. & S. Hieronymus in commentario) id est, fugietis in *vallem Mello*, quæ interiacet inter montem Sion & montem Moria, qui propter templum & arcem *Dauid* inibi constructa, vocantur *montes mei*. Huc verò confugietis, & non ad alteram *vallem Iosaphat*, quæ inter montem Oliueti & montem Sion interiacet, quia istic non putaretis vos sat tutos fore, cùm VALLIS Iosaphat CONIVNGATVR & pertingat VSQVE AD PROXIMVM montem recèns discissum, inquit Liranus. FVGIETIS autem ea contentione, trepidatione, celeritate, tumultu & consternatione animorum, qua olim FVGISTIS A TERRÆMOTV IN DIEBVS OZIÆ (u) REGIS IVDA. Sed non est quòd vereamini: neque enim ad vos obruendos, sed ad hostes vestros cõterendos VENIET tanto strepitu DOMINVS, ET OMNES SANCTI (x) angeli CVM EO. Non quòd omnes simul vno impetu velit conterere, sed paulatim ac lentè.

u *Isaiæ* 7. v. 8. *Amos* 1. v. 1. *Chron.* c. 29.

x *Deut.* 33. v. 2. *Psal.* 17. v. 11. & *seqq.* *Ezech.* 1. &c.

℣. 6. NON ERIT ipso primo initio plena LVX, neque intensus calor solis, id est, perfecta felicitas & tranquillitas, SED admiscebuntur adhuc aliquæ tenebræ, & cum ijs FRIGVS ET GELV; adeò vt tempus illud (quod quamdiu durabit, solus nouit Deus) NON sit vocandum vel DIES, vel NOX, sed participans de vtroque, instar crepusculi vel auroræ. Patuit id sub Mathathia & primis Iudæ initijs, quando alternante fortunâ Iudæi nunc victi, nunc victores abibant. Sed tandem

℣.7. IN TEMPORE VESPERI, quando tenebræ naturaliter ingruunt, & nox plena præ foribus est, præter omnium exspectationem suboritur clara & perfecta LVX] Nempe cæso & occumbente Iuda, (*a*) videbatur actum de rebus Iudæorum; cùm subitò versâ fortunâ sub Ionatha (*b*) pax & plena quies obuenit.

a 1. *Mach.* 9. v. 18. & *seqq.*
b *Ibid* v. 31. 49. 58. 71. &c.

℣.8. EXIBVNT tunc rursus AQVÆ VIVÆ, seu fontanæ, è suis venis ebullientes, quas olim Salomon (*c*) & Ezechias (*d*) maximis impensis Ierosolymæ curarant, vti & Nehemias, (*e*) & Simon (*f*) pontifex; sed iam confractis vel collapsis sub Antiocho aquæductibus, magna ex parte diffluxerant. Has instaurarunt Machabæi, ad maius incolarum cõmodum & loci amœnitatem, v.g. fontes Siloë, (*g*) Dogel, (*h*) & Draconis, (*i*) cum Torrente Cedron, & Probatica piscina: AD MARE ORIENTALE, id est versus mare Mortuum, seu lacum Asphaltitem. (*k*) Vtrumque fontem Gihon (*l*) superiorem & inferiorem, aquæductum Gabaon, (*m*) & alios, versus MARE NOVISSIMVM, id est, Occidentale Iudææ, nempe mare Mediterraneum. Hæc aquarum copia Ierosolymis, quibus omnia circùm iri igabantur & fœcundabãtur, erat typus summæ felicitatis, maximarum opum, & deliciarum: item nobilissimarũ victoriarum quas Machabæi (*n*) Ierosolymis egressi versus quatuor mundi plagas, ex hostibus retulerunt, inquit Paulus à Palacio. Sic sic paulatim

c *Eccles.* 2. v. 4.
d 4. *Reg.* 20. v. 20.
e 2. *Esdr.* 3. v. 15. 16. &c.
f *Eccli.* 50. v. 3.
g 2. *Par.* 32. v. 3.
h 3. *Reg.* 1. v. 33.
i 2. *Esdr.* 2. v. 13.
k *Genes.* 19. v. 28.
l 2. *Par.* 32. v. 4. & 30. &c.
m 2. *Reg.* 2. v. 12. & 13.
n 1. *Mach.* 5. v. 6. & 55. & c. 10. v. 76. & *seqq.*

℣.9. DOMINVS DEVS REX ERIT, & instar regis coletur PER OMNEM TERRAM, non Iudææ tantùm, sed & totius orbis, nempe per *Christum* mox subsecuturum. Et abactis idolis, VNVS vbique Dominus, ET VNVM NOMEN EIVS, putà Christi, celebrabitur toto orbe. ita S. Hieron. Remigius, Rupertus. Haymo, Vatablus, Ribera & à Lapide.

℣.10. OMNIS TERRA seu incolæ terræ, qui metu Antiochi fugerant vsque ad deserta, montes & speluncas, pacatâ per Machabæos Iudææ, eò *reuertentur* à COLLE Gabaa (*o*) (vt habent Hebræa,) eratque limes Aquilonaris regni Iudæ, vsque ad REMMON, (*p*) qui est alter limes Iudæ ex parte Australi. Ita Palacius & Mariana. ET magis quàm antè EXALTABITVR IERVSALEM muris, palatijs, gloria, fama & potentia: ET HABITABIT, id est, quietè, securè, lætè degent incolæ ipsius IN LOCO SVO, A PORTA BENIAMIN, quæ terminat *Bezetham*, καινόπολιν, id est, nouam vrbem, (quæ *tertia* vocari solet, & erat de nouo adiecta Ierosolymæ) VSQVE AD LOCVM PORTÆ PRIORIS, seu veteris ciuitatis, ET VSQVE AD PORTAM anguli, vel ANGVLORVM, de quibus alibi: (*q*) ET A TVRRE HANANEEL, quæ erat vltima veteris ciuitatis, per *Secundam*, (*r*) seu mediam interiacentem ciuitatem, VSQVE AD TORCVLARIA REGIS, in aduersa & inde remotissima parte, putà in monte Sion. His omnibus significatur, Ierusalem vndique magnis incrementis ampliandam (*s*) versus quatuor plagas cœli, inquit Mariana, Palacius & à Lapide.

o 1. *Reg* 10. v. 26.
p *Zach.* 12. v. 11. *Iosue* 19. v. 7.
q 2. *Esdr.* 3. v. 1. &c. 14. *Reg.* 22. v. 14.
r *Isaiæ* 51. v. 2. *Ier.* 31. *fin.* & *Leuit.* 27. v. 28.

חרם

s *Isaiæ* 54. *Ezech.* 36. *Zach.* 2. v. 4. *Apoc.* 21. v. 2.

℣.11. ET NON ERIT AMPLIVS ANATHEMA] (*t*) Hebraicè, *cherem*, id est, excisio vel succisio, id est, non exscindetur ampliùs à tyrannis: scilicet vsque ad longum (*u*) & immemorabile tempus, & quamdiu perstiterit in fide & sincero cultu Dei. Interea

t *Proleg. de Idiotismis Hebr.* n. 27.
u 1 *Mach* 4. v 27.

℣.12. CARO hostium Iudæ CONTABESCET] Hebraicè, *liquescet, dissoluetur*, vt Pagninus vertit & Vatablus. Patuit in Lysia, (*x*) in Antiocho, (*y*) in copijs Timothei (*z*) & pluribus (*aa*) alijs.

x 1 *Mach* 4. v 2. *Mach.* 9 v. 5. & *seqq.*
z C. 12. v 22.
aa C. 10. v. 30

℣.13. TVMVLTVS DOMINI, id est, à Domino excitandus, ERIT, ideoque MAGNVS, inter hostes Iudæorum: (*bb*) adeò vt APPREHENDAT quisque MANVM PROXIMI SVI, & mutuis se vulneribus concidant, inquit Theodoret. & Liranus.

bb *Ibid.*

℣.14. SED ET IVDAS, id est, plurimi Iudæi, vt suprà (*cc*) dixit, qui spe honorum vel opum deficient ad Antiochum, & patriam suam *oppugnabũt*, etiam ipsi simili mala morte peribunt, (*dd*) SICVT ERIT RVINA HÆC Antiochi, Lysiæ, aliorumque hostium Iuda, de quibus iam dixi quòd *contabescent* & mutuis vulneribus cadent.

cc *Zach.* 12. v. 2.
dd *Ibid.* v. 3.

℣.16. QVI DE VNIVERSIS GENTIBVS hostilibus RELIQVI FVERINT, putà Idumæi & alij ab Hyrcano subacti, teste Iosepho, quotannis ADSCENDENT Ierosolymam, VT ibi CELEBRENT FESTIVITATEM TABERNACVLORVM & alia festa Iudaica, id est, Iudaismum suscipient, vt constat ex alibi (*ee*) dictis: puniendi alioquin defectu *imbris*, (*ff*) id est, sterilitate & alijs plagis. In quo præ alijs peccabit *Ægyptus*, id est, Iudæi in Ægypto commorãtes, qui occasione noui templi sub Ptolemæo (*gg*) Philometore ibi excitati, schisma fecerunt à Iudæis in Iudea degentibus; vnde & grauiter exinceps afflicti sunt, teste Iosepho & alijs historicis.

Ioseph. l. 13. Antiq. c. 17.
ee *Abdiæ* v. 18. & *seqq.*
ff *Deut.* 11. v. 10.
gg *Chron.* v. 39.

℣.20. QVOD SVPER FRÆNVM EQVI EST, ERIT SANCTVM DOMINO] Ita verterunt etiam LXX. Syrus & Arabicus Antiochenus; Chaldæus & S. Hieronymus in commentario *phaleras* vertunt; Clarius, *collaria*; Pagninus, *tintinnabula*; alij, *stragula*, & alia equorum *ornamenta*. Sensus verò est, manubias hostium, phaleras, stragula, aliaque ornamenta equis (quibus ornandis maximè student milites) detracta, consecratum iri Deo in templo Ierosolymitano, in trophæa & in gratiarum actionem. Vt olim fecit Dauid, (*hh*) qui gladium Goliath; & Israelitæ in deserto, qui spolia Madianitarum, (*ii*) & Abraham, (*kk*) qui decimas prædæ quatuor regibus ereptæ, Deo per Melchisedecum consecrauit. ita S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Vatablus, Arias Ribera & à Lapide. E quibus Theodoretus id etiam exponit de clauo crucis Christi, quem Constantinus Magnus, vt profiteretur se Christi crucifixi ope & auspicijs victoriam & salutem sperare, partim galeæ, partim fræno equi sui inclusit. Ridet hanc expositionem S. Hieronymus. sed probat S. Cyrillus, Ambrosius, Sozomenus, Nicephorus, Gregorius Turonensis & alij plures. Et certum est, omnia huius capitis, vt in proœmio dixi, saltem Allegoricè competere Ecclesiæ Christi & principibus Christianis.

hh 1. *Reg.* 21
ii *Num.* 31. v. 50.
kk *Gen.* 14. v. 20.

ET LEBETES, in quibus coquuntur carnes victimarum, ERVNT tanto numero IN DOMO DOMINI, quanto nunc sunt PHIALÆ, quæ penè innumeræ erant, ad sanguinem victimarum excipiendum: ad thymiama, ad thus, ad tot libamina capienda. Designat maximum fore vndique concursum Ierosolymam ad victimas Deo offerendas. Imò

℣.21. OMNIS LEBES ex omni *Iudæa* certatim aduehetur in templum Ierosolymitanum, vt immolantium multitudini, in *festo tabernaculorum* possit fieri satis. Vbi verò semel adhibitus fuerit vsibus sacris, relinquetur templo, vtpotè DOMINO SANCTIFICATVS] ita Paulus à Palatio, & à Lapide.

ET VLTRA IN DOMO DOMINI NON ERIT MERCATOR, qui lebetes & similia vasa pretio vendat vel elocet aduenis & peregrinis, vt fiebat in magnis solemnitatibus. Nam liberalitate Iudæorum

rum sat multa gratis subministrabuntur, quæ relicta dein vsibus templi, seruient alijs aduentantibus; vt idem Palacius & à Lapide exponunt. Sed Theodoret. Albertus, Clarius retinent Hebræum nomen *Chananæus*, per quod non *mercatorem* intelligunt, (vt Nosser cum Chaldæo & Aquila optimè vertit, quia Chananæi mercatura celeberrimi erant) sed sceleratum, improbum & scelerlbus infamem, quales olim fuerant Chananæi. q.d. Non tolerabuntur tales in templo, Allegoricè in ministerio Ecclesiæ Christi: nam si qui irrepant, grauiter in eos animaduertetur, & incorrigibiles officio & lôco mouebuntur, &, si opus, etiam excommunicatione à cœtu fidelium arcebuntur.

MALACHIAS,

ID est, *angelus Domini*, non naturâ, vt voluit Origenes & Tertullianus, sed moribus, officio & sanctitate: è tribu Zabulon post reditum populi è Babylonia, natus in Sopha. adhuc iuuenis fato functus, iuxta maiores suos in proprio agello repositus est, inquit S. Epiphanius, Dorotheus & Isidorus. E quorum sententia, vt & Chrysostomi, Athanasij, Augustini, Theodoreti, Lirani, Vatabli, Clarij, Ariæ, à Castro & à Lapide, non est vnus idemque Propheta Malachias cum Esdra sacerdote & Scriba, vt voluerunt quidam Hebræi, & S. Hieronymus, Remigius, Rupertus, Ribera & plures alij. nam hic non iuuenis, sed senex admodum & (a) grandæuus vita excessit, neque ex Zabulon post solutam captiuitatem, sed ex Leui ante inchoatam illam (b) natus est. Instaurato (c) per Zorobabel templo, & florente iterum Synagogâ, arguit Primò, Iudæos ingratitudinis in Deum tantorum bonorum auctorem. Secundò, sacerdotes taxat negligentiæ, socordiæ & impietatis. Tertiò, prædicit abolendum sacerdotium & sacrificium Aaronicum, eique substituendum aliud Eucharisticum. Quartò, reprehēdit Iudæos, quòd repudiatis legitimis vxoribus, inducant alienigenas. Quintò, promittit aduentum Christi, eiusque præcursorem Ioan. Baptistam. Sextò, ob negatas Deo decimas & primitias, dicit perituras Iudæis fruges & annuos prouentus. Vltimò, denuntiat extremi iudicij diem, eiusque prodromum Eliam, qui reliquias Iudæorum conuertet ad Christum. Hebræi apud Genebrardum tradunt, Iudæos tempore Darij (d) Hystaspis celebrasse Concilium, pro canone librorum S. Scripturæ concinnando: & illi Concilio præsedisse dicunt Danielem, Aggæum, Zachariam & Malachiam: scribam verò fuisse Esdram. Catalogo Sanctorum in Romano Martyrologio asscriptus est Malachias die 14. Ianuarij.

Orig. tom. 2. & 5. in Ioannem, & alibi. *Tertull. l. de Carne Christi c. 3. & 6.* *Epiphan.* *Doroth. Isidor. in vita Malachiæ.* *Chrysost. orat. 2. cont. Iudæos, & homil. 14 in epist. ad Roman.* *Athanas. in Synopsi.* *August. l. 18. de Ciu. c. 39.* a *1. Esdr. 7. v. 6.* b *Ibid. & Chron. c. 35. concluf. 3 §. Probatur 3.* c *Malach. 2. collato cum c. 9 & 10. libri 1. Esdræ.* d *Chronic. c. 37.*

CAPVT I.

Arguit Deus Iudæos ingratitudinis, quòd teneerimè amantem non redament. Arguit & sacerdotes, quòd contra legem offerant subinde panem pollutum, & hostias cæcas vel mancas. Vnde submotis talibus sacerdotibus edicit surrogandos alios, qui piè sanctèq; Deo offerant, non in vno templo Ierosolymitano, sed in omni loco, purissimum & augustissimum mincha, *putà sacrificium corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, in Eucharistia.*

מנחה

¥. 2. IN QVO DILEXISTI NOS?] quo signo, quo dono, quo beneficio tuam in nos dilectionem prodidisti? Vah ingratitudinem! Tot tantisque beneficijs, antiquis, recentibus, perpetuis à Deo cumulati, rogant, num quid vmquam boni ab illius manu acceperint. Verè *obliti sunt benefactorum eius, & mirabilium quæ ostendit eis.* Sed vt alia innumera omittam, an obliuisci potestis maximi manifestissimique beneficij, quo neglectâ familiâ ESAV, fratris gemelli IACOB patris vestri, vos Iacobi posteros in filios & heredes mihi delegi, & vt tales in terram sanctam lacte & melle manantem, tot tantisque prodigijs ac miraculis olim induxi, & nunc recèns iterum reduxi: vrbem, templum, palatia vestra excisa à Chaldæis instaurani, religionem, remp. reflorescere feci? cùm è contrario *Esauitas*, id est, Idumæos, ODIO semper *habuerim*, id est, neglexerim, *(e)* parum curarim, & grauissimè afflixerim, vt solent qui aliquos odio prosequuntur. Nam pro habitatione dedi illis

¥. 7. MONTES præruptos, nec sat fertiles aut amœnos: & inde ob sua scelera expulsos *(f)* à Chaldæis, non reduxi è captiuitate in patriam: sed reliqui *montes* EIVS *desertos*. Porrò nō loqui hîc Prophetam de personis Iacob vel Esau, sed posteris illorum: neque de prædestinatione illorum, seu ad gratiam, seu ad gloriam, & horum æterna reprobatione; sed solùm de dilectione & electione ad bona temporalia, vel reiectione ab ijsdem; certò constat ex ratione & explicatione quam subijcit versibus sequentibus: & quia contrarium sat notum est, nempe plurimos Israelitas impios fuisse & damnatos, Idumæos verò multos saluatos: & quia S. Hieronymus, Theodoretus, Liranus, Vatablus, Arias, Ribera, Vasquez, à Valentia, à Lapide & alij Doctores ita expressè docent.

Psalm. 7. v. 11.

e *Proleg. de Idiotismis Hebr. nu. 7.*

f *Abdiæ v. 16. &c.*

Vasquez in 1. p. qu. 23. disp. 95. nu. 45. Valentia & alij DD. ibid.

℣.4. QVOD SI DIXERINT Idumæi, (qui clam & pauci numero reuersi sunt in patriam,) ÆDIFICABIMVS QVÆ in vrbibus nostris DESTRVCTA SVNT per Chaldæos, vt Iudæos videmus suum templum & vrbes feliciter instaurasse; permittam id quidem, sed lentè ac sobriè: & quæcumque ædificauerint, ego tum per Medos, Persas, Græcos & alios communes hostes, tum per vosmet, ô Iudæi, destruam: adeò vt passim terra *Idumææ* vocanda sit TERMINI IMPIETATIS, id est, terra obnoxia & subiecta pœnis grauissimi sceleris ab incolis admissi: incolæ verò vocentur POPVLVS CVI ob maxima scelera IRATVS EST DOMINVS IN ÆTERNVM] & per consequens, perpetuis pœnis & miserijs subiacet. Nempe quàdiu stetit Idumæa B respublica & religio, nempe vsque ad *Hyrcanum*, (*a*) Iudæ Machabæi ex Simone fratre nepotem, à quo armis subacti, & ad Iudæorum religionem transire (*b*) coacti sunt.

a Chron. c. 42. classe 2.
b Abdiæ v. 18.

℣.5. OCVLI VESTRI post 400. (*c*) annos id VIDEBVNT, cùm publicè acclamabitur Deo laus & gloria, quòd TERMINVM ISRAEL, id est, fines & imperium Iudæorum tam spirituale, quàm temporale, tam latè propagarit. Quod in Ecclesiam Christi partim militantem, partim triumphantem longè veriùs quadrat, inquit S. Hieronymus.

c Chron. c. 37. & 42. sup.

℣.6. VOS ô SACERDOTES, qui vt præ ceteris Israelitis, quasi primogeniti (*d*) mei, ad primariam dignitatem à me delecti estis, ita peculiari præ C alijs amore & TIMORE, id est, reuerentia, honore, cultu, me prosequi deberetis; præ alijs *me* DESPICITIS & contemnitis, dum mihi

d Exodi 13. v.2. Numer. 8. v.16.

℣.7, OFFERTIS PANEM, id est, cibum, POLLVTVM. Hebræi enim *panem* vocant omnem escam. ita Chaldæus, Vatablus, Clarius, Arias & alij. Porrò victimæ in altari apponebantur quasi cibus Deo, vt dixi Leuit. 1. Vnde & hîc Malachias *altare* vocat *mensam Domini*. *Panem* ergo *pollutum* hîc vocat Primò, panes propriè dictos, quos in sacrificio *mincha*, (de quo Leuit 2.) offerebant Deo, fortè non ritè coctos aut frixos, vel ex frumento non sat puro & præstanti. Secundò, boues, oues, aliasq; victimas, quas subinde claudas, cæcas, mancas contra D præscriptum (*e*) legis ex auaritia vel neglectu Deo immolabant, DICENTES MENSA DOMINI DESPECTA, vilis & contemptibilis EST, ac proinde viliora quæque illi sufficiunt. O quàm errant, qui non selecta & optima quæque deferunt Deo omnium domino, creatori & donatori! inquit Card. Bellarminus.

e Leuit. 22. v.19.22. &c.
Bellarm. de Gemitu columbæ.

℣.10. QVIS IN VOBIS CLAVDIT OSTIA templi, vel INCENDIT ignem ALTARIS MEI GRATVITO? Nonne satlauta stipendia ex tot victimis, decimis & donarijs meo iussu (*f*) accipitis? Ergo si non vultis duci religione, certè iustitiæ legibus tenemini, fideliter, accuratè & diligenter fungi in his supradictis officio vobis commisso. ita S. Hieronymus, Cyrillus & alij. Nunc cùm id negligatis, NON EST MIHI VOLVNTAS amplius IN VOBIS aut in vestris *muneribus*, seu sacrificijs. In quibus & hoc displicet, quòd tam angustis vnius Ierosolymitani templi finibus sacrificia vestra con- g stringantur. (*g*)

f Num. 18. v.8.
g Leuit. 17. v.3. Deuter. 12. v.6.

℣.11. AB ORTV ENIM SOLIS VSQVE AD OCCASVM, id est, per vniuersum mundum, etiam IN GENTIBVS, seu in regnis Gentilium, vt per instantem aduentum Christi. & prædicationem discipulorum & legatorum ipsius, MAGNVM & celebre EST NOMEN MEVM, omnibus mę pro summo & vnico Numine agnoscentibus, colentibus, seruientibus: ita etiam ex meo decreto & Christi instituto, SACRIFICATVR mihi IN OMNI LOCO ET OFFERTVR OBLATIO absolutè & perfectè MVNDA, non multiplex & varia, vt apud vos, sed unica, quæ omnium oblationum vestrarum vim & energiam eminenter continet. Hebraicè est, *mincha*, מנחה quod licet in genere *munus* seu *donum* significet, à Deo tamen appropriatur particulari speciei sacrificij ex pane vel farina confecti, vt dixi Leuitici 2. Quod, accedente ordinario libamine (*h*) vini, ty- h *Numeri* pus erat sacrificij nouæ legis Eucharistici, in quod *v.5.6.* vnum & solum quadrant omnia iam dicta, vt SS. Patres & Doctores Orthodoxi ad vnum omnes, & etiam Rabbini non pauci, quos citat Galatinus, & Tridentinum Concilium, expressè docent: & res ipsa loquitur. Nam in Eucharistia in honorem Dei, ad summum eius in omnia dominium contestandum, panis & vinum transsubstantiata in corpus & sanguinem Christi, offeruntur per vniuersum orbem terrarum, oblatione mundissima, siue substantiam spectes, siue effectum, quæ nulla offerentium ministrorum immunditia inquinari potest. Vide Bellarminum, à Valentia, Suarez, Coninck & alios Doctores.

Galatin. l. 11. cap. 11. Trident. sess. 22. c. 1.
Bellarm. l. 1. de Missa c. 10. Valentia & alij in 3. p.

℣.12. Vos autem, ô sacerdotes Aaronici POLLVITIS nomen meum, id est, vilipenditis & contemnitis, EO ipso *quo* DICITIS, id est, indigno modo vestro agendi palàm toti orbi facitis, MENSAM, id est, altare meum, rem vilem esse & quasi pollutam, seu CONTAMINATAM, cum omnibus hostijs impositis, & *igni* suppositо, sacro alioquin & *(i)* cælesti.

i 2. *Mach. 1. v.21.*

℣.13. DIXISTIS pro excusatione vestra, ECCE DE LABORE; LXX. *hæc de afflictione sunt*, id est, quòd meliores victimas non offeramus, oritur ex paupertate nostra, quam peperit nupera afflictio Babylonica: & tali figmento tegitis scelus vestrum & EXSVFFLATIS quasi rem nihili. Verùm hic dolus non mihi imponet, sed vobismet exitio erit. Nam

℣.14. MALEDICTVS erit à Domino omnis defraudator DOLOSVS, QVI cùm ex voto teneatur offerre victimam Domino, & HABET IN GREGE SVO, vel coëmere potest, animal MASCVLVM, id est, robustum, perfectum, integrum & sine vitio, tamen eo neglecto IMMOLAT quod est DEBILE, mancum, vitiosum, corruptum. Nam in omni holocausto id lege prohibitum (*k*) erat: vti & in hostia pacifica, quando ex voto debebatur: secùs si hostia esset voluntaria. (*l*) ita S. Hieronymus, Cyrillus & alij Patres.

k *Leuit. 1. v.3.*
l *Leuit. 3. v.1. c.22. v.21.23.*

CAPVT II.

Sacerdotibus in diuino cultu iniurijs minatur egestatem, maledictionem & infamiam. Deinde eosdem, & etiam reliquos Iudæos, prolixè redarguit, quòd repudient vxores suas Israelitides, & ducant alienigenas.

℣.2. SI NOLVERITIS PONERE SVPER COR, id est, cordi habere, seriò & solicitè curare, VT DETIS GLORIAM NOMINI MEO magno debitam, colendo me, meoque altari & victimis inuigilando, vt suus cuique constet decor, honor & gloria; MALEDICAM BENEDICTIONIBVS VESTRIS] id est, fruges, opes, honores, aliaque bona quæ ex mea benedictione possidetis, corrumpam, euertã, tollam, inquit S. Cyrillus, Remigius & Vatablus.

℣.3. BRACHIVM, id est, robur omne virium, opum,

opum, prolium, amicorum, alimoniæ, PROIICIAM & adimam VOBIS: ET STERCVS SOLEMNITATVM VESTRARVM] id est, extremam ignominiam & probrum, ob neglecta mea sacra, congeram in vos, maximè sub Antiocho Epiphane, alijsque tyrannis, quibus vexandi, ridendi, illudendi trademini. Tunc malo vestro edocti,

℣. 4. SCIETIS MANDATVM ISTVD de sacris meis ritè procurandis, missum à me AD VOS, tamquam conditionem necessariò ex parte vestra implendam, VT PACTVM (a) MEVM CVM familia LEVI initum olim tempore Moysis, perpetuò firmum & stabile consistat. ita S. Hieron. Remigius, Albertus, Hugo, Liranus. Ex mea verò parte

a Eccli. 45. v. 7. & seq.

℣. 5. PACTVM MEVM CVM EO, nempe cum Aarone, abnepote Leui, FVIT pactum VITÆ ET PACIS: id est, pepigi & promisi Aaroni, eiusque posteris, si munia sacerdotalia ritè obirent, longam, pacificam, opulentam & felicem vitam, & omnia prospera. ita Theodoretus. Nec aliud EI DEDI aut præscripsi, quod ipse ex sua parte complere deberet, quàm TIMOREM (b) *mei*, id est, reuerẽtiam, cultum & seruitium mihi præstandum. Et ipse (c) quidem, eiusque nepotes vt plurimum, præstiterunt quod debebant mihi.

b Malach. 1. v. 6.

c Eccli. 45. v. 11.

℣. 6. LEX VERITATIS FVIT IN ORE EIVS] Id est, ore & exemplo suo verè, rectè, sincerè docuit subditos suos legem meam.

℣. 7. LABIA ENIM SACERDOTIS, maximè supremi, id est, pontificis, CVSTODIENT, id est, custodire debẽt, SCIENTIAM legis diuinæ, vt opportuno & congruo tempore illam eloquantur populo, qui & quando illam requiret aut indigebit. ita S. Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Bernardus. QVIA ANGELVS, id est, nuntius; Tiguri-ni, *legatus*, DOMINI EST] Vnde debet, instar *legati*, voluntatem principis sui integrè denuntiare, nihil addendo, nihil detrahendo: debet, instar angeli, Deo iugiter astare ac ministrare, & nihilominus subditos suos opportunis monitis purgare, illuminare, perficere, vt ait S. Dionysius; & sanctificare, vt addit Basilius.

Ambr. l. 3. de Fide c. 7. Chrysost. homil. de eo qui incidit in latrones. Et de Sacerdotio. Bern. l. 2. de Consid. c. 13. Dionys. in Gelasti hierarchia. Basil. hom. de Spiritu sancto.

℣. 8. VOS AVTEM bonorum parẽtum mali filij, RECESSISTIS procul ab hac VIA legis, scientiæ, veritatis, & timoris diuini, SCANDALIZANTES PLVRIMOS IN LEGE, dando subditis exemplum contemnendæ & violandæ legis: atque ita ex parte vestra IRRITVM FECISTIS PACTVM initum olim inter me & familiam LEVI, quia non seruastis pacti conditiones, quas iam recensui.

1. Esdr. 9. & 10.

℣. 9. ACCEPISTIS FACIEM IN LEGE] Id est, personarum qualitatem respexistis potiùs quàm præscriptum legis diuinæ, quando illa executioni mandanda erat. Nam diuitum victimas, etsi mutilas & lege vetitas, admittitis, pauperum reijcitis, inquit Theodoretus. Item, vt Rupertus, ad pulchras mulierum alienigenarum facies respicitis, easque in vxores ducitis, proprias verò Israelitides non æquè formosas & diuites repudiatis, ait S. Hieronymus; vel saltem, vt Liranus, præ illis *despicitis*, & quasi ancillas habetis. Quod vitium Esdras quoque coæuus Malachiæ acriter reprehendit, atque etiam emendauit.

℣. 10. NVMQVID NON PATER VNVS est OMNIVM NOSTRVM, putà Abraham, & Isaac, & Iacob; NVMQVID NON etiam DEVS VNVS nobis est, qui CREAVIT NOS? QVARE ERGO, & quo iure *despicimus* FRATRES nostros eiusdem cognationis & religionis, filias illorum repudiantes vel reijcientes, & copulamur extraneis, sic *violantes* PACTVM per *patres nostros* initum cum Deo?

℣. 11. CONTAMINAVIT IVDAS SANCTIFICATIONEM DOMINI, id est, sanctum fœdus & pactũ cum Deo initum, violando legem quâ iubentur Israelitæ *sanctificari*, id est, separari, seu procul esse à connubio gentium idololatrarum, & solis cultoribus veri Dei copulari. *Iudea* enim *sanctificatio (d) Dei est*, id est, gens ab alijs separata, & vni Deo dicata & consecrata, inquit S. Hieronymus, Remigius & Hugo. ET FILIAM DEI ALIENI, id est, alienæ gentis alienum deum seu idolum colentis, HABVIT in vxorem.

d Psal. 113. v. 2.

℣. 12. QVICVMQVE HOC FECERIT, DISPERDET eum DOMINVS, siue MAGISTER is fuerit, herus vel princeps, siue DISCIPVLVS, seruus plebeius: siue sacerdos OFFERENS MVNVS in altari, siue laicus. ita Chaldæus & S. Cyrillus. Plurimi enim tam ex sacerdotibus, *(e)* quàm ex principibus rei erant eius criminis.

e 1. Esd. sup.

℣. 13. RVRSVM FECISTIS HOC aliud malum: Vxores vestras priores Israelitides vel repudiando, vel indignè quasi ancillas habendo, cogitis ad ALTARE & ad templum meum confugere, & illud vberrimis lacrymis *operire*, & perpetuo FLETV, imò horrisono MVGITV omnia implere. Mox septem rationibus conatur Iudæos ab hoc crimine seuocare. Prima est:

℣. 14. QVIA DOMINVS TESTIFICATVS EST INTER TE ET VXOREM: id est, iam inde ab initio mundi palam contestatus est & sanxit, matrimonij vinculum debere perpetuum esse, diligendamque vxorem etiam præ proprijs parentibus, Genes. 2. *Relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Secunda ratio: Quia prior VXOR tua est PVBERTATIS seu *adolescentiæ* TVÆ VXOR; nempe, quam summo amore & affectu, cùm primùm coniugio te dares, tibi copulasti: noli tam teneros, tam antiquos amores abrumpere. Tertia ratio: HÆC est PARTICEPS; Pagninus, *socia*; Tigurini, *consors* TVA, tibi à Deo data in adiutorium, in solatium, in lenimen laborum & dolorum. Quarta: est VXOR FOEDERIS TVI, quam indissolubili fœdere & nexu tibi vltrò copulasti. Quinta:

℣. 15. NONNE VNVS FECIT; alij vertunt, *nónne vnum fecit Deus*; q. d. Ex prima matrimonij & Dei institutione, maritus & vxor *non sunt duo, sed vna caro. (f) Quod* ergo *Deus coniunxit, homo non separet.* Sexta ratio: VXOR EST RESIDVVM SPIRITVS, seu halitus vitalis à Deo inspirati marito. Deus enim sicut ex costa Adami plasmauit corpus Euæ, ita *spiraculo vitæ* quasi vno & eodem (neque enim nisi semel in eos inspirasse *(g)* legitur,) animauit vtrumque, vt indicaret, vnius planè animi & affectus illos esse debere, inquit S. Chrysostomus. Septima ratio: QVID VNVS Deus, ex vnius cum vna fideli coniugio à se sancito QVÆRIT aut intendit, NISI SEMEN DEI, id est, filios fideles & sanctos sibi procreari; At ex matre alienigena & idololatra, non *Dei*, sed diaboli *semen* procreabitur, matre instillatura prolibus suum erga idola affectum, & in horum cultu illas educatura, inquit S. Hieronym. Quæ eædem rationes etiam suadent Catholicis, ne cum hæreticis vel alijs fidei hostibus matrimonia coniungant. Dissuadent item diuortia atque adulteria, æquè ac iurgia & dissidia coniugum. His enim omnibus vnio coniugalis, quæ Deo tantoperè cordi est, dissoluitur, aut minuitur saltem & labefactatur. CVSTODITE ERGO

f Genes. 2. v. 24. & 1. Cor. 6. v. 16. & Matth. 19. v. 5. & 6.

g Genes. 2. v. 7. Chrysost. homil. de libello repud.

omni custodia SPIRITVM VESTRVM]id est,amorem & affectum quem maritus debet vxori, quasi alteri parti corporis & spiritus sui.

℣.16.CVM ODIO HABVERIS VXOREM,DIMITTE illam,dato repudij libello, vt alteri nubere possit. Hoc enim minùs illi graue fuerit, quàm si domi retentam,instar ancillæ,contemptim habeas,verberes,mutiles,vel alijs modis affligas. Porrò quia repudiare ex solo odio, etsi validè fieret, grande tamen peccatum erat,ideo subdit:

OPERIET AVTEM INIQVITAS VESTIMENTVM EIVS]nempe repudiantis, vt patet ex Hebræo,id est,operiet te.q.d. Hæc violentia & iniuria illata vxori tam quoad pœnam, quàm quoad culpam,operiet te vndique,vt in omnium oculis futurus sis infamis, Deo scelus tuum occultum publica pœna palàm vindicante.ita ferè Liranus, Arias, à Castro, Lapide.

a *Isaiæ 1. v.14.*

℣.17.DOMINVM LABORARE (*a*) FECISTIS; Arias & Tigurini,*fatigastis* & delassastis; LXX. *provocastis* Deum SERMONIBVS VESTRIS impijs, blasphemis,atheis,dicentes: Nulla inest Deo prouidentia vel cura rerum humanarum:OMNIS QVI FACIT MALVM,BONVS EST; Chaldaicè,*rectus est*, IN CONSPECTV DOMINI, gratus est & placet Deo. AVT si displicet, VBI EST DEVS (*b*) IVDICII]id est, cur impios non punit? quin imò prosperat, ditat & exaltat? Huic blasphemiæ respondet cap.sequenti.

b *Habac.1. v.4.*

CAPVT III.

Quærentibus Iudæis, Vbi est Deus iudicij? *respondet, mox affuturum per Messiam, cuius duplicem describit aduentum; vnum pacificum,cui præcurret Ioan.Baptista: alterum terribilem,cuius præcursor erit Elias,vt dicet c.4.*

℣.1. ECCE EGO (inquit SS.Trinitas) MITTO ANGELVM MEVM, nempe Ioannem Baptistam, vt ipsemet Christus explicuit Matth.11. v.10.& docét omnes SS.Patres:angelum,inquam, non natura vel incarnatione, (vt somniabat Origenes & quidam Hebræi apud Eusebium & S. Hieronymum,) sed officio,dignitate,excellentia, puritate & sanctitate, vt suprà (*c*) dixit de sacerdotibus. Ioannes enim proximè præcessit Christum quasi honoratissimus eius legatus, prodromus,pronubus,& quasi vox,Propheta & plusquam Propheta,lucifer,aurora,amicus coniunctissimus: QVI testimonio,doctrina,exemplo,baptismo suo PRÆPARABIT VIAM ANTE FACIEM MEAM, seu ante me:id est,disponet animos Iudæorũ,vt quando ego Messias me mundo patefaciam, ipsi me recipiant. Vnde STATIM post Ioannem, VENIET DOMINATOR, Hebraicè,*haadon*, id est, ille (per excellentiam) Dominus, QVEM tot sæculis VOS QVÆRITIS,& post priorem illum *angelum* sequetur alter vobis optatissimus ANGELVS TESTAMENTI; Tigurini,*legatus fœderis*, id est,internuntius, mediator, conciliator fœderis inter Deum & homines,non typici, vmbratici, corporalis & temporalis, quale fuit vetus seu Mosaicum; sed veri,spiritualis,cælestis & æterni,quale est nouum testamentum,seu fœdus ab hoc *magni consilij (d) angelo* conciliandum.

Orig. sup. cit.in præmio. Euseb.lib.9. Demonst.5.

c *Malach. 2.v.7.*

הָאָדוֹן

d *Isaiæ 9. v.6.*

℣.2.ET QVIS, seu hominum,seu angelorum, POTERIT COGITARE, vel mente capere splendorem huius angeli,imò Filij Dei incarnandi?quis gloriam, emolumenta & fructus diei quo aduenier,vel à longè comprehendat? *Quis ferre potest* diem aduentus eius? *& quis stabit ad videndum eum?* Quis irretortis oculis STABIT AD VIDENDVM hunc solem? Hæc cogita, ô anima mea,dum Christum in Eucharistia præsentem habes,imò præsentem facis,& manibus tenes,& ore manducas.

IPSE ENIM QVASI IGNIS CONFLANS, in ardentissima fornace succensus, quo sicut metalla conflantur, à scoria perpurgantur, mollescunt, splendescunt & ignescunt,atque ita in quamlibet formam pro conflatoris arbitrio deducuntur: ita & animis hominum accidet succensis igni (*e*) doctrinæ,Sacramentorum,virtutum,& gratiarum à Christo submittendarum. *ignem* enim *mittet (f) in terram: & baptizabit vos Spiritu S. & igne. (g)* Tropolog.etiam igne (*h*) tribulationis & afflictionis excoquet & mundabit Martyres & electos suos Christus,vt Vatablus ait. ET QVASI HERBA FVLLONVM; Hebraicè,*sicut borith lauantium* pannos, de quâ alibi (*i*) egimus,) emundabit vestem suorum nuptialem, candidamque & splendidam reddet.Et cumprimis

e *Isaiæ 4. v.4*

f *Luc.12. v.49.*

g *Luc.3. v.16.*

h *Psalm.16. v.3.*

i *Ierem.2. v.22.*

℣.3. *Filiorum* LEVI, quos iam nominatim præ ceteris coargui. Patebit hoc in Stephano, (*k*) in Barnaba, (*l*) in tot sacerdotibus, quorum multa turba (*m*) obediet fidei & Christo. ita Theodoret. Et hi sic emundati OFFERENT Deo non amplius pollutas victimas Mosaicas,sed SACRIFICIVM,Hebraicè, *mincha*, (de quo supra) (*n*) puta corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini, idque IN IVSTITIA,id est,iustè,purè,sanctè,inquit idem Theodoret.Rupertus & Liranus.

k *Actor.6. v.5.*

l *Actor.4. v.36.*

m *Actor.6. v.7.*

n *Malach. 1.v.11.*

℣.4.ET hoc SACRIFICIVM nouum nouæ IEROSOLYMÆ,id est,Ecclesiæ Christi Ierosolymis inchoandæ,quæ verè & propriè erit IVDA, id est,cõfitens Deum, PLACEBIT; Hebraicè, *arebu*, id est, dulce, sapidum, gratissimumque erit, DOMINO, SICVT DIES SÆCVLI,id est, (vt sequitur) SICVT ANNI ANTIQVI,seu sicut sacrificia quæ prisci patriarchæ Abel,Noë,Melchisedec,Abraham,Moyses,Aaron & alij viri sancti obtulerunt olim Deo. Si enim hæc,quæ tantùm typi & vmbræ erant sacrificij Eucharistici,adeò placuerunt Deo,vt propterea benediceret toti illorum posteritati, imò toti orbi; quantò magis placebit illorum antitypum sacrificium Christi à quo prisca illa vim omnem dignitatemque suam hauserunt,& quod infinitis partibus præstantius est?

עֲרֵבָה

℣.5. ACCEDAM AD VOS IN, seu cum, IVDICIO, partim correctiuo, de quo hactenus: partim vindicatiuo & punitiuo,quod paulatim exeram pro re nata,& pro occasione, sed perfectè demum complebo in die extremi iudicij.Nec subterfugiet quis iudicium istud, neque iudici imponet, quia qui iudex futurus sum, simul ERO ET TESTIS. (*o*)

o *Apocal.1. v.7.*

℣.6.ET NON MVTOR,seu prece,seu pretio: sed constans & immutabilis sum in exequendis dictis, decretis,promissis meis,præmia bonis,pœnas malis (contrà, quàm vos suprà (*p*) calumniati estis,) impertiens, sed suo cuique tempore. ita S.Cyrillus, Theodoret.Remigius,Rupertus,Hugo,Vatablus, Liranus. Porrò ad hoc vobis comprobandum,non alijs testibus vtar, quàm vobismet, ô FILII IACOB,qui etsi *recedendo* à LEGITIMIS, seu legibus MEIS,millies promeriti sitis,vt vos conterrerem & stirpitus exscinderem; tamen à me CONSVMPTI NON ESTIS, quia patribus vestris olim promisi (*q*) me vobis etsi peccantibus parciturum,

p *Malachiæ 2.v.17.*

q *Deut.30. v.1.*

dum-

dummodò pœnitere velletis: vnde etiam nunc suadeo vobis, REVERTIMINI AD ME per pœnitentiam, ET ego consuetâ beneficentiâ (quam vobis subtractam querimini) REVERTAR AD VOS, vt alibi (*a*) sæpiùs promisi.

a Zachar. 1. v. 3. Thren. 5. v. 21. Vide Trid. sess. 6. c. 5.

℣. 8. SI AFFIGET HOMO DEVM; LXX. *si supplantabit*; Pagninus & Vatabus, *an spoliabit*; Aquila, Symmachus, Theodotion, *an fraudabit*; Syrus & Arabicus, *an opprimet*: hæc enim omnia significat Hebræum קבע *kaba*: sed præ omnibus, etiam Chaldæorum & Syrorum linguâ, vt ait S. Hieronymus, significat *affigere*. Sensus ergo est: Fieríne potest, cò dementiæ prolabatur *homo*, vt Deum suum supplantare, bonis suis spoliare vel defraudare, quin & opprimere, & varijs iniurijs atque opprobrijs, quasi iaculis, clauis aut lanceis in cruce, configere conetur, vti vos conamini, subtrahendo mihi meisque ministris debitas *primitias ac decimas*; quarum defectu ministri cultum meum negligunt, sacra adulterant, calcant, pessumdant, vt antè (*b*) querebar. ita Remigius, Albertus, Hugo, Liranus, Ribera, à Lapide. De hac eadem defraudatione, sub hoc idem tempus etiam Nehemias conqueritur 2. Esd. 13. v. 10. S. Hieronymus refert hoc ad realem Filij Dei confixionem in cruce. Sed hoc mysticum est. Tropologicè, omnes peccatores peccato suo quasi sagitta, quantum in se est, Deum configunt, *rursum crucifigentes Filium Dei, & ostentui habentes*, vt ait S. Paulus. (*c*) Et non est vnius hoc aut alterius crimen;

b Malach. 3. v. 7.

c Hebr. 6. v. 6.

℣. 9. CONFIGITIS ME VOS omnes & GENS TOTA. Quid mirum si etiam tota gens PENVRIA & fame maledicatur & plectatur? Quæ citò cessabit, si vos ab hoc scelere resipueritis. Statim enim

℣. 11. INCREPABO, id est cohibebo, locustam DEVORANTEM iam segetes vestras.

℣. 12. ET VOS ERITIS TERRA DESIDERABILIS] (*d*) Hebraicè, *desiderij* & complacentiæ, in qua scilicet complacebit sibi Deus, & quam benedicet, ac bonis omnibus cumulabit, vt fusè atque eleganter demonstrat S. Augustinus, cùm de reddendis Ecclesiæ decimis agit. Interim

d Isaiæ 62. v. 3. Ierem. 3. August. ser. 219. de Tempore.

℣. 13. VERBA VESTRA blasphema, quibus diuinæ iustitiæ ac prouidentiæ petulanter, imò scurriliter detrahitis, INVALVERVNT & increscunt quotidie SVPER, id est, contra, ME, vt exponitur v. sequ.

℣. 14. VANVS, id est, irremuneratus abit, QVI SERVIT DEO. Audin' stulta mundi iudicia? ERGO NVNC felices vocamus, non TRISTES; Pagninus, *humiles*; LXX. *supplices*; Chaldæus, *spiritu depressos*; sed BEATOS *dicimus*,,

℣. 15. ARROGANTES, superbos, Deo rebelles, qui quiduis audent, neminem reuerentur, proximum calcant, obruunt, exsugunt. Nam quantumcumque impij in Deum, & in proximum iniurij, tamen ÆDIFICATI SVNT, id est, creuerunt, aucti & ditati sunt prolibus, opibus, imperio; scelerum enormitate, frequentia, assiduitate TENTAVERVNT DEVM, explorare volentes an ad iram vel vindictam concitaretur, inquit à Castro. Sed vt saluos se & impunitos senserunt, quasi victores, Deo, & iustis quibusque insultantes, liberrimè in quæuis scelera proruerunt.

℣. 16. TVNC qui *timebant* DOMINVM, id est, pij cultores Dei, palàm contrà LOCVTI SVNT, & Dei sui causam aduersus blasphemos istos tuendam susceperunt, varijs rationibus animantes se mutuò ad fidem, fiduciam & cultum Deo debitum fortiter constanterque præstandum. ita S. Hieronymus & alij passim. ET verò ATTENDIT vtrisque DOMINVS, fidelis (*e*) testis omnium etiam minutissimorum futurus & iudex: vnde & in LIBRO MONVMENTI, (*f*) seu *memoriæ* suæ (vt habent Hebræa, Græca, Syriaca & Arabica) singulorum dicta, facta, cogitata omnia accuratissimè describit, & cuique pro meritis condigna præmia vel pœnas decernit, quas statò tempore infliget partim in hac, partim in futura vita. Hic liber (*g*) publicè patescet toti vniuerso in die iudicij. Tunc, sed seriùs,

e Malach. 3. v. 5.

f Esther 2. v. 23.

g Dan. 7. v. 10. Apocal. 20. v. 12.

℣. 18. CONVERTEMINI ET mutabitis sententiam, quando VIDEBITIS & reipsa sentietis, impios & *arrogantes* æternis inferiorum ignibus, *humiles* verò & iustos cælestibus paradisi gaudijs addici, vt fusiùs explicatur cap. seq.

Deuter. 32. c. 43. Luc. 19. v. 20.

CAPVT IV.

Describit diem iudicij, vt impijs terribilem, ita pijs iucundissimum ac felicissimum, in quo cuique pro meritis decernetur vel gloria, vel pœna. Vnde monet omnes vt diuinis mandatis ac legibus sedulò obsequantur, vtpote ex hîs vel damnandi, vel saluandi. Addicit autem præmissurum se Eliam prophetam, qui aberrantes ad legum diuinarum obsequium reducat.

℣. 1. ECCE ENIM DIES iudicij tum particularis, tum vniuersalis, ADVENIET vnicuique, illa in morte singulorum, ista in fine mundi, SVCCENSA ardentissimo igne, (*h*) non tantùm metaphorico, iræ & vltionis diuinæ, vt S. Hieronymus, Remigius & Clarius exponunt, sed etiam physico & propriè dicto, putà igne conflagrationis mundi, qui præibit iudicium: & igne infernali, qui instar lictoris assistet iudici, inquit Liranus, Vatablus & à Lapide. Hoc igne ita excidentur opes, deliciæ, gloria *impiorum*, vt *nec germen*, *nec radix*, id est, spes recuperandi vlla relinquatur. Pijs è contrario

h Isaiæ 50. v. 11. Psal. 96. v. 3. Dan. 7. v. 9. & 1. Cor. 3. v. 13.

℣. 2. ORIETVR SOL IVSTITIÆ, id est, iustus seu verus Sol, nempe *Christus*, non ad eos excæcandos, adurendos, affligendos, (vt impijs, (*i*) contiget,) sed ad eos viuificandos, illuminandos, recreandos, ac plenè sanandos: SANITAS enim est IN PENNIS, seu alis, id est, in radijs, EIVS] Nam vt horum claritate fugantur tenebræ, calore verò plantæ & animalia vegetantur, sanantur, recreantur, reuiuiscunt; ita dotibus glorioſis & gloria beatifica quasi radijs solaribus à Christo iudice in omnes iustos emittendis, perfectè sanabuntur, instaurabuntur, recreabuntur tum corpora, tum animæ illorum, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Remigius, Liranus & alij, vno excepto Aria, qui hæc omnia primo Christi aduentui accommodat.

i Matth. 25. v. 41.

℣. 4. MEMENTOTE, ô Iudæi, LEGIS QVAM MANDAVI MOYSI IN HOREB, VT PRÆCEPTA istic tradita ET IVDICIA, id est, sanctiones iudiciales, imò & cæremoniales, quamdiu istæ obligabunt, (nam loquitur Iudæis istius ævi) exactissimè compleatis: nam in die iudicij rationem seruatæ, vel non seruatæ legis, iudex ante omnia deposcet. ita Remigius, Albertus, Hugo, Vatablus, Arias, à Lapide. Porrò ad magis vos exstimulandos, & officij vestri commonefaciendos,

℣. 5. ECCE EGO sub id tempus MITTAM VOBIS notum charumque monitorem, doctorem, PROPHETAM ELIAM Thesbiten, vt est in Arabico,

& etiam in LXX. Vaticana editione, & est communis non modò SS. Patrum Græcorum ac Latinorum, sed etiam antiquorum Hebræorum sententia. (a) Et Ecclesiasticus alludens ad hunc locum, aptat hæc Eliæ qui cælũ continuit seu clausit (b) annis tribus cum medio, qui ter (c) deiecit ignem de cęlo, qui mortuum suscitauit (d) filium viduæ Sareptanæ, qui curru igneorum (e) equorum raptus est in paradisum. quæ nulli alteri quàm Eliæ Thesbitę conueniunt. Hic præcursor erit secundi aduentus Christi, sicut Ioannes Baptista præcursor fuit primi. Par erit vtriusque officium, zelus, prædicatio: vnde & nomen *Eliæ* idem vtrique, (f) sed vni typicum, alteri proprium. Ioannes enim *præcedet* Christum *in (g) spiritu & virtute Eliæ*: Thesbites autem etiam in persona. Vterque CONVERTET COR PATRVM AD FILIOS, ET COR FILIORVM AD PATRES] id est, efficiet sua prædicatione, vt Iudæi filij priorum Patriarcharum idem circa personam Messiæ, aliaque fidei mysteria sentiant quod senserunt (h) Patriarchæ: & ita cor Patriarcharum antè ab incredulis filijs auersum & alienatum, ad eosdem iam credentes & Christo seruientes conuertet, vt illos pro legitimis & charissimis filijs suis agnoscant, inquit S. Hieronymus, Remigius, Rupertus, Liranus. *Ipse restituet (i) omnia*, id est, omnes *tribus Iacob* (vt Ecclesiasticus (k) ait) reducet ad pristinam patrum & sinceram fidem. Quod Ioannes solùm inchoatè fecit: sed Elias plenè perficiet: nam ipsius ope *omnis (l) Israel saluus fiet*, vt est communis Patrum sententia, & Ecclesiæ traditio. Præuertet ergo Elias & impediet

a *Matth* 17. *ver.* 10. & *Galatin. l.* 10 *c.* 6. *Eccli.* 48 *v.* 10.
b 3. *Reg* 17. *v.* 1. & *Iacobi* 5. *v.* 17.
c 3. *Reg.* 18. *v.* 38. & 4. *Reg.* 1. *v.* 10. & 12.
d 3. *Reg.* 17. *v.* 22.
e 4. *Reg.* 2. *v.* 11.
f *Matth.* 11. *v.* 14. & 17. *v.* 10.
g *Luc.* 1. *v.* 17.
h *Ioan.* 8. *v.* 56. *Luc.* 10. *v.* 24. *Matth.* 13. *v.* 17.
i *Matth.* 17. *v.* 10.
k *Eccl. sup.*
l *Rom.* 11. *v.* 26.

¥.9. NE FORTE VENIAM ET PERCVTIAM (est hendiadys, pro, *ne veniens percutiam*) ANATHEMATE, id est, maledictione æternæ damnationis, TERRAM, id est, incolas terræ: nam conuersos tam ex Iudæis quàm ex Gentilibus non damnabo, sed saluabo æternùm, inquit S. Hieronymus & alij Patres. Quo loco, quo statu iam sit Elias, & quo socio sub finem mundi ad nos rediturus, exposui Gen. 5. v. 24. & 4. Reg. 2. v. 12. & Apoc. 11. v. 3.

LIBRI MACHABÆORVM,

CIRCVMFERVNTVR numero quatuor, sed soli duo priores Canonici sunt, reliqui adhuc apocryphi, id est, occultæ & incertæ auctoritatis. Explicant autem quis status fuerit Ecclesiæ Dei sub tertia monarchia, quæ fuit Græcorum. Sicut ergo libri Esdræ, Nehemiæ & Estheræ exponunt varios casus Synagogæ partim prosperos, partim aduersos tempore secundæ monarchiæ, Persarum & Medorum: ita hi libri Machabęorum recensent eiusdem casus tam calamitosos, quàm felices tempore tertiæ monarchiæ sub regibus Asiæ & Ægypti, iuxta prophetiam Dan. c. 2. 7. 8. & 11. Quòd si temporis habenda esset ratio, Primum locum inter quatuor obtineret tertius, cùm ea, quæ quarti Ægyptiorum regis Ptolemæi Philopatoris, & Antiochi Magni tempore Iudęis contigerint, enarret. Secundus locus deberetur ei qui nunc quoque secundus est, & continet acta Antiochi Epiphanis & Iudæ Machabęi. Tertio loco esset qui nunc primus vocatur, & pręter acta Iudæ Machabęi, insuper etiam fratrum illius, Ionathæ & Simonis victorias prosequitur. Quarto loco maneret qui nunc quartus est, quia gesta recenset Ioannis Hyrcani, filij Simonis. Sed horum quatuor sic ordine temporis digestorum primus & vltimus, vt dixi, apocryphi sunt, quòd à nullo probato Concilio, nulliśque Patribus in sacrorum librorum Canone recensentur. Duo verò medij, qui soli iam in Biblijs extant, à * Concilio Carthaginensi III. à Tridentino, ab Innocentio I. à Gelasio in Synodo 70. Episcoporum, à S. Cypriano, Clemente Alexandr. Ambrosio, Chrysost. Prospero, Isidoro, Leone Papa, & innumeris alijs SS. Patribus (m) vbique Canoni sacro adcensentur. Et Ecclesia eo loco & tempore, quo non nisi diuinas Scripturas proponit, & hisce libris, ac nominatim ex secundo (qui, quòd preces pro mortuis inculcet, adeò exosus est hæreticis) non obiter pauca verbula (vt subinde ex Esdræ 3. vel 4.) sed integras lectiones legit, vt in Missa defunctorum, in Missa sabbathi Quatuor temporum vernorum, in Matutinis toto mense Octobri, &c. Quod licet Rabanus suo tempore per Apostolicam Sedem decretum affirmet, diu tamen antè consueuisse in Ecclesia legi S. Leo, Augustinus & alij suprà citati testantur, & etiam agnoscit Caluinista Wittakerus. Et

* *Cœcilium Carth. III can.* 47. *Trid sess.* 4. *Innocent. I epist* 3. *ad Exuperium c. vlt. Gelas. in Conc. decr. de lib. Can. Cyprian. l.* 1 *epist.* 3. *ad Cornel l* 4. *ep.* 1. *&c. Clem. lib.* 1. *Stromat. Ambros. l.* 1. *Offic. c.* 40. & 41. *Chrysost. orat. de* 7. *Machab. Prosp. de Prædict. p.* 2. *c.* 40. *Isidor. l.* 6. *Orig. c.* 1. *Leo in natiuit. SS. Machabæor.*

m *Citatu à Bellar. controuersia* 1. *l.* 1. & *Sermone hîc Aug. l* 2. *Doct. Christiane c.* 8. & *l.* 18. *de Ciuit. c.* 36. & *in Ps.* 90. & 148. *Wittaker. l.* 1. *contra Bellar. c.* 14.

aliæ Scripturæ Canonicæ non rarò res & verba hiſce libris comprehenſa citant, v.g. Ioannis 10.quæ hîc de Encænijs.S.Paulus ad Hebræos 11.ἐτυμπανίσθησαν,quod hîc l.2.c.6.& alibi alia. Vnde licet *Machabæorum libros non habeant Iudæi pro Canonicis,Eccleſia* tamen Dei *pro* talibus habet,inquit S.Auguſtinus,quæ non minorem poteſtatem habet declarandi libros Canonicos,quàm habuit Synagoga.

Duorum iſtorum librorum duos eſſe auctores diuerſos patet Primùm , ex materia, quia poſterior liber eadem quæ prior proſequitur,ſed prorſus aliter,nec tamen meminit vmquam alter alterius. Secundò,ex chronologia,ſeu annorum ſupputatione, quæ in priore libro eſt Alexandrina, in poſteriore Chaldaica , differentes ferè ſemper integro ſeſquianno,vt alibi dixi.(a) Tertiò,ex ſtylo & phraſi,quæ in priore libro Hebræum redolet, in poſteriore Græcum. Origenes & S. Hieronymus dicunt vidiſſe ſe priorem Machabæorum librum Hebræum. Qui tamen fuerint iſti auctores , non liquet , vt ait Iſidorus : *niſi* quòd auctor libri poſterioris, qui à Serario vocatur Iudas Eſſenus, de quo 2.Mach.1.v.10. ibidem dicat c.2.v.24. ſe quæ iſto volumine deſcribit, ex Iaſonis cuiuſdam Cyrenæi quinque libris,quaſi hiſtoriæ epitomen collegiſſe.

Nomen verò *Machabæorum* , quod à robore deſumptum vult Ioſephus Gorionides , libris his inditum à præcipuo ſacrorum bellorum duce *Iuda Machabæo* , eiuſque fratribus ac poſteris,inquit S.Hieronymus,& ex eo S.Thomas,& alij.

a *In Chron. c.40. Origen in Pſal.1. apud Euſeb.lib.6. c.25. Hieronym. epiſt. 106. Iſid. ſup.c. 2. & l. de Offic.c.11. Ioſeph.Gorion.l.3.c 9. Hieron. in prologo.*

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Alexander Macedo moriturus , regna quæ plurima & ampliſſima obtinuerat,inter ſuos principes diuidit.Ex horum vno Seleuco progenitus Antiochus Epiphanes crudeliſſimus tyrannus, ſpoliatâ Ægypto, Iudæam & Ieroſolymam inuadit,templi theſauros diripit, idololatriâ illud polluit, pios ciues interficit , libros ſacros exurit , circumciſionem prohibet,Iudæos ad idololatriam compellit, renuentes tormentis exagitat & morte plectit.

℣.1. ALEXANDER PHILIPPI filius,à rerum geſtarum magnitudine dictus *Magnus*, QVI PRIMVS REGNAVIT IN GRÆCIA , nempe tota, vt exponit Serarius. Græcè nō eſt *primus*,ſed πρῶτον, id eſt,primùm, ſeu priùs. EGRESSVS anno 2.regni ſui,inquit Diodorus,DE TERRA (b) CETHIM] id eſt,ex Occidentalibus inſulis & regionibus maritimis, quales erant Græcia,Macedonia, Cyprus,Italia,&c. vt S.Hieronymus & alij exponunt.Hebræi enim populos omnes mari Mediterraneo à ſe diſcretos vocabant *Cethim*,ſeu *inſulanos*, cò quòd non niſi nauibus ad ſe in continente cōmorantes accederent:vti nunc Itali Germanos,Gallos, Belgas, Anglos,ceteroſq; omnes trans Alpes habitātes, vocant vno nomine *Tramontanos.* ita S.Hieronymus,Theodoretus & Ioſephus. Qui etiam addunt,*Cethim* nepotem Iaphet filij Noë, primùm occupaſſe *Cyprum*; inde *Cypro* inditum nomen *Cethim.* Alioquin & in Macedonia nominatim mons eſt & vrbs *Citium* dicta, vnde fortè toti etiam regioni nomen *Citthim.*Eodem illo anno primum inijt prælium cum ducibus *Darij regis Perſarum & Medorum.*Anno 3.ſecundum prælium. Anno 6. ſubiugatis interim Phœnicia,Ægypto & Iudæa,Darium tertio prælio penitus proſtrauit,totiuſq; Aſiæ Imperator ſalutatus eſt.Hic eſt ille Danielis 7.v.6.alatus pardus ille *Occidentis hircus* c.8.v.5.bicornem *Orientis arietem* proſternens & conculcans,v.7.Nec his contentus victorijs,imperio totius mundi inhians.

Diod.l.17.
b Num.24. Iſaiæ 23. Ierem. 27. Hieron. in Iſaiæ 23 & Ierem.27.
Ioſeph.l.1. Antiq.c.6. & 11. Theodor.in c.17.Ezech.

℣.2. CONSTITVIT PRÆLIA MVLTA cum alijs regibus,& *tyrannis*, id eſt,terrarum præfectis, dominis,ducibus,ad Gangem vſque & Oceanum Indicum omnia ſibi ſubijciens,teſte Ioſepho,Iuſtino,Liuio,Plinio & alijs.

Ioſeph. l.11. Antiquit. c,vlt. Iuſtin. l.11. Liuius l.45. Plin. lib.10. c.7.

℣.3. ET SILVIT TERRA,ſeu mundus vniuerſus, IN CONSPECTV EIVS] nemine auſo vel contrà hiſcere.

℣.6.POST HÆC,exacto anno regni ſui 12.monarchiæ verò 6. ætatis 32. cum 8. alijs menſibus, (vt ex Arriano,Liuio & alijs probat noſter Pererius:) DECIDIT IN LECTVM] ſeu veneno,ſeu crapulâ proſtratus,de quo alibi. (c)

Arrian. l.7. Perer.l.9 in Daniel. c Dan. 8. v.8.

℣.7. ET VOCAVIT PVEROS SVOS NOBILES, id eſt, præclariores exercituum ſuorum duces , Seleucum, Ptolemæum, Antigonum, Aridæum, & alios,de quibus Dan.7.v.6.& in Chronico.Porrò *pueri regij apud Macedonas vocabantur principum liberi ad miniſterium regis delecti*, inquit Liuius. His DIVISIT REGNVM SVVM non per Perdiccam vel alios poſt mortem ſuam, (vt Iuſtinus,Diodorus,Curtius & Oroſius ſcribunt) ſed per ſe, CVM ADHVC VIVERET, quod etiam Ioſephus Gorionides affirmat.

Chron.c.40. Liuius l. 25. Iuſtin.l.12. Diod. lib.8. Curtius in morte Alex. Oroſius l.3. c.23.

℣.11. EX EIS Alexandri pueris, ſed iam regibus,putà ex *Seleuco* eiuſque poſteris, exijt tandem RADIX VNA PECCATRIX, id eſt,peſſima, peſſimorum fructuum mater & nutrix, nempe ANTIOCHVS cognomento Ἐπιφανὴς, id eſt, ILLVSTRIS, ſeu nobilis, à rerum geſtarum gloria ſic dictus à ſuis Gentilibus. Sed bellicam gloriam fœdè obſcurauit inſanus in Deum Deique cultores furor, ſordidæque helluationes & ſcortationes : vnde & paſſim Ἐπιμανὴς , id eſt,inſanus, audiebat, inquit Ioſephus Gorionides , Athenæus & Cedrenus ex Polybio & alijs. Hic aliquando pro *Antiocho* Magno, patre ſuo, à Scipione in Aſia deuicto, obſes Romæ fuerat:ſed morte fratris ſui Seleuci Philopatoris compertâ, Româ profugit in Syriam , vt Daniel c.11.v.21. prædixerat. Ibi regnare cœpit ANNO CENTESIMO TRIGESIMO SEPTIMO REGNI GRÆCORVM in Syria.De quibus annis vide Chronicon initio cap.40.

Ioſeph. Gorion.l.3.c.6. Polyb. l.2.5. 10.&c.

℣.12.

¥.12. EXIERVNT EX ISRAEL FILII INIQVI] & inter hos etiam ipse Iesus Oniæ summi pontificis frater, qui Gentile nomen *Iasonis* accepit, homo ambitiosissimus, de quo l.2.c.4.v.7. Item Menelaus, Alcimus, Simon & alij, de quibus eodem l.2. c.5.&c.& apud Iosephum passim.

Ioseph. l.13. c.6. Antiq. & l.1. Captiuitatis c.1.

¥.14. DEDIT ILLIS REX POTESTATEM VT FACERENT IVSTITIAM GENTIVM] id est, vt Ethnicos religionis ritus & mores impunè, imò cũ laude susciperent, & in Iudæam inducere possent. Hi ergo

¥.15. ÆDIFICAVERVNT IN IEROSOLYMIS GYMNASIVM SECVNDVM LEGES NATIONVM] id est, iuxta morẽ Gentilium: vbi iuuenes exercebantur non solo *disco, (a) arcu, saltu, cursu, lucta*, vt putat Ioannes Mariana; neque in solis profanis ac superstitiosis litteris, vt vult S. Thomas, Liranus & Genebrardus: sed insuper etiam in impuris omne genus libidinibus. Vnde li.2. cap.4.v.12. *gymnasio* huic *ephebia*, seu *lupanaria*, & quidem mascula coniunguntur. Talia quoque olim Ierosolymis effeminatorum lustra instituerant impij reges Iuda, 3.Reg.15.v.12.& l.4.c.23.v.7.& instaurauit postea Herodes, teste Iosepho & alijs.

a 2.Mach. 4.v.14.

Ioseph. l.14. Antiq.c.9. & L15.c.11.

¥.16. ET FECERVNT SIBI PRAEPVTIA] pellem paulatim attrahentes, qua glans antè nudata rursus tegeretur. Quod S.Paulus 1.Cor.7.v.18. vocat *adducere præputium*. Id enim adductione, seu attractione, certisque medicamentis sensim reduci posse, docent Celsus, Epiphanius, Sixtus Senensis & alij. Et erat ἐπισπασμὸς, seu *repræputiatio* symbolum apostasiæ à Iudaica religione.

Celsus l.7. c.25. Epiph. l.de Mensuris. Sixtus Sen. l.4. in Symmacho.

¥.17. ET PARATVM EST REGNVM Syriæ IN CONSPECTV ANTIOCHI] nempe pulso Heliodoro inuasore, & Demetrio quoque nepote suo fraudibus sublato, regnum iam pacificè possidebat. Sed non contentus vno regno paterno, tentauit etiam partim dolo, partim vi, potiri sceptro Ægyptio, vt prædixerat Gabriel Dan.11.v.22 & seqq. Et hæc est secunda Antiochi huius in Ægyptum expeditio. (*b*) De priore habes 2.Mach.4.v.21. quæ suscepta videtur anno 2. regni eius: posterior verò anno 6. nempe 142. anno regni Græcorum, vt hic insinuatur. Nam sequenti anno regressus, ASCENDIT IEROSOLYMAM, vbi

b 2.Mach. 5.v.1.

¥.23. *Ingressus* SANCTIFICATIONEM, id est, sanctuarium, seu templum, totius orbis locum sanctissimum, extulit inde ALTARE thymiamatis AVREVM, & MENSAM auream in qua panes Deo sacrati apponi solebant, ET LIBATORIA] id est, crateres, ad vinum Deo libandum. Vnde

¥.29. COMMOTA, conturbata, mœrore repleta, EST tota TERRA Iudæa, SVPER HABITANTES IN EA] id est, propter sæuitiam quæ in incolas exercebatur.

¥.30. POST DVOS ANNOS DIERVM, id est, post duos plenos annos, ita vt dies aliquot superfluerent, MISIT REX Antiochus PRINCIPEM TRIBVTORVM] exigendis tributis præpositum quæstorem, nempe Apollonium, 2.Machab.5.v.24. ad expilandos de nouo Iudæos, imò ad iugulandos, vt ibidem dicitur. Is ciuitatem Ierosolymitanam expilatam

¥.33. SVCCENDIT IGNI, ET DESTRVXIT DOMOS ET MVROS EIVS IN CIRCVITV] ne seruiret pro munitione Iudæis aduersus Antiochum. Solam

¥.35. CIVITATEM DAVID, id est, arcem Sion, quæ ciuitati Ierosolymæ quasi castrum imminebat, ÆDIFICAVERVNT munierũtque vndique MVRO alto ET FIRMO, ET FACTA EST ILLIS IN ARCEM, A quæ dominabantur toti vrbi: & maximè seruiebat GENTI PECCATRICI, id est, sceleratissimis præsidiarijs.

¥.38. AD INSIDIAS SANCTIFICATIONIS] Id est, ad insidiandum ijs qui seu sacrificij, seu orationis gratia ascendebant ad templum. Nam si quos deprehendebant eò contendere, subitò eruptione facta ex arce in sanctuarium, malè omnes mulctabant.

¥.43. ET SCRIPSIT, id est, scripta lege mandauit REX omnibus subditis suis, vt ESSET OMNIS POPVLVS, VNVS quoad religionem: ac proinde, vt RELINQVERET VNVSQVISQVE LEGEM SVAM] id B est, patriam religionem, & amplecteretur eam quam Antiochus sectabatur.

¥.49. IVSSIT COINQVINARI SANCTA, nempe violari sabbatha & festa, profanari templum & sacra vasa, ET SANCTVM POPVLVM ISRAEL] per profana sacrificia, per vetitas epulas, vt sequitur.

¥.50. IVSSIT ÆDIFICARI passim ARAS idololatricas, ET TEMPLA Ethnica, ET erigi vbique IDOLA, ET IMMOLARI PECORA COMMVNIA] id est, immunda, v.g. porcos, quibus ne vesci quidem licebat Iudæis. Adeò VT paulatim Iudæi, ac præcipuè rudiores,

¥.51. IMMVTARENT OMNES IVSTIFICATIONES DEI] Id est, leges diuinas promiscuè & liC berè transgrederentur. Saltem

¥.55. MVLTI DE POPVLO Iudaico CONGREGATI SVNT quotidie, id est, accesserunt AD numerum apostatarum, QVI iam antè DERELIQVERANT LEGEM DOMINI] nempe ad Iasonem, ad Menelaum, &c. Interim præfecti Antiochi passim ex vrbibus

¥.56. EFFVGAVERVNT de POPVLO ISRAEL, si qui constantiores nollent accedere partibus Gentilium. Hi metu mortis vel tormentorum fugiebant ad loca deserta, seseque occultabant IN ABSCONDITIS FVGITIVORVM LOCIS] in antris & specubus, quibus abundat Iudæa, vt alibi (*c*) dixi.

c 1.Reg.14. v.4 & 1.Chron. c.4

¥.57. DIE QVINTADECIMA MENSIS CASLEV, D (*d*) id est, sub finem Nouembris, ÆDIFICAVIT REX & constituit SVPER ALTARE DEI in templo Ierosolymitano, ABOMINANDVM IDOLVM DESOLATIONIS, vt prædixerat angelus Danielis 11.v.31.

¥.61. IN VIRTVTE SVA, id est, violentè ac tyrannicè, FACIEBANT ministri Antiochi HÆC POPVLO ISRAEL, QVI INVENIEBATVR IN OMNI MENSE ET MENSE] id est, qui Neomenias primo die cuiusque mensis celebrare deprehendebatur ex præscripto legis diuinæ. Si qui enim tunc feriarentur, vel sacros conuentus agerent, subitò trucidabantur ab impijs militibus. Ipsi verò assectæ regis Antiochi, ad abolendam omnem Neomeniarum memoriam, nolebant primo die cuiusque E mensis publica & festa sacrificia offerri ne quidem idolis suis, sed

¥.62. SACRIFICABANT ijs QVINTA ET VIGESIMA DIE cuiusque MENSIS, idque non super altare Domini, iam profanatum superposito idolo; sed SVPER nouam ARAM, CONTRA, seu ante, ALTARE Domini excitatam.

¥.67. FACTA EST IRA MAGNA Dei SVPER POPVLVM Israel VALDE] Id est, ingens afflictio ex diuina indignatione effusa est & inundauit in Iudæos.

CAPVT

CAPVT II.

Sacerdos Mathathias miserrimum deplorat statum Ecclesiæ Dei, & constanter tam ipse, quàm filij eius renuunt obsequi imperijs Antiochi. Quin potiùs zelo religionis accensus Mathathias impium Iudæum idolis sacrificare parantem, simulque præfectum regium propria manu confodit, ex urbe sua Modin ad montes concedit: vbi collecto paulatim exercitu, Gentiles hinc inde profligat, aras idolorum euertit, circumcisionem restituit. Moriturus filijs suis curam Ecclesiæ & religionis commendat, Iudam Machabæo belli duce declarato.

¶. 1. MATHATHIAS, id est, Dorotheus, seu donum Dei. à Iosepho & Theodoreto vsitata syncope *Matthias* vocatur, certè magno Dei dono, in tanto religionis discrimine, Iudæis donatus. Ab abauo suo *Assamonæo*, (vt vult idem Iosephus, & alter Iosephus Gorionides, Zonaras, Nicephorus & alij) tam ipse quàm parentes eius omnesque posteri, dicti sunt *Hassamonim* vel *Chasmonim*, vel *Hasmonij*, id est, magni principes: eò quòd è prima essent classe sacerdotali, nempe *Ioarib*, (a) vt hîc dicitur: & inter ipsos *Ioaribæos* ceteris dignitate, forsan & primogenituræ nobilitate præstarent. Vnde & summum sacerdotem, seu pontificem fuisse Mathathiam, non sola electione, sed & successionis iure, probabiliùs putant Serarius, Mariana, Abulensis & alij. Certè in Rituali Hebræorum, & à Chaldæo Paraphraste, & à Rabbinis Kimhi, Abenesra, Iosepho Gorionide, & alijs passim *summus sacerdos*, vel *sacerdos magnus*, vel *pontifex* vocatur. Occiso enim Onia tertio sancto & summo pontifice anno 141. regni Græcorũ, quinto regni Antiochi, vt dicitur 2. Machab. 4. v. 23. & 34. filio autem eius Onia in Ægyptum profugo, vt Iosephus affirmat: fratre autẽ Iasone ad ritus Gentilitios delapso, vt idem Iosephus & historia Machabæorum testatur; ad quem, quæso, deuoluebatur pontificatus nisi ad Mathathiam, primæ sacerdotalis classis principem primum? Et licet fortè primo & secundo anno, pro sua modestia, spe conuersionis fratrum Oniæ perpetuò inter se tumultuantium, abstinuerit vsurpatione pontificatus; vbi tamen re desperatâ coactus est (pereunte alioqui religione & republica, & consentientibus (b) ac probantibus indigenis) temporalem principatum suscipere, admisit eadem operâ etiam pontificatum, cui iam inde à relaxata captiuitate Babylonica, iussu regum Persarum, adnexus erat, magna ex parte, principatus temporalis, teste Iosepho, imò S. Scriptura, vt alibi (c) dixi. Admisit, inquam, anno regni Antiochi nono, Græcorum 145. tenuitque anno vno, sed non integro.

Hic ergo zelo Dei plenus, non ferens impij tyranni nequitiam, occiso Ieroso lymis, teste Iosepho, ex Antiochi præfectis Bacchide, ex ea vrbe aufugit, & cõcessit IN MODIN oppidulum monti inædificatum. Hîc v. 7. se suosque filios ad religionis pessum euntis defensionem excitat, instar parturientis exclamans, inquit Rupertus eodem penè modo quo postea S. Polycarpus apud Eusebium. Inde v. 14. conuertitur ad opera pœnitentiæ, ad cilicia, ad planctus publicos.

¶. 23. IVDÆVM apostatam publicè IDOLIS SACRIFICARE parantem zelo Phineitico, in ipsa ara, deinde & præfectum ipsum à rege submissum *Apellem* nomine, inquit Iosephus, eodem impetu occidit.

¶. 24. SECVNDVM IVDICIVM, seu decretum LEGIS diuinæ, Deuter. 13. v. 6. vbi iubet Deus, si quis aliquem abstrahere velit à patria religione, ab ipsomet occidatur, inquit S. Cyprianus.

¶. 27. VOCE MAGNA, quemadmodum post Cannensem pugnam Scipio apud Liuium, & contra Gracchum Nasica apud Paterculum & Valerium Maximum, & paucis pòst sæculis Narses contra Francos iturus, apud Agathiam; sic noster hic MATHATHIAS *exclamat*, OMNIS, QVI ZELVM HABET LEGIS seruandæ & propugnandæ, STATVENS TESTAMENTVM, id est, initum cum Deo fœdus religionis conseruare, & vt stet stabiliaturque & vigeat, procurare studens; verbo vno, qui saluam vult religionem & rempublicam, EXEAT POST ME, me sequatur.

¶. 29. TVNC secuti sunt MVLTI QVÆRENTES IVDICIVM ET IVSTITIAM, id est, volentes piè & iustè viuere. Sed contra hos in deserto profugos missæ mox à regijs armatæ copiæ, quibus ipsi DIE SABBATHI licet absque peccato potuissent resistere, & iniustam vim iusta vi repellere, maluerunt tamen crudeli nece perire, quam sabbathi violatores, vel opinione hostium, audire. Quod cùm ex zelo religionis, & sincero in Deum eiusque legis affectu fecisse constet, non arguendi sunt aut superstitionis, aut imprudentiæ, vt eos arguit Lucas Osiander alijque hæretici: sed tamquam Martyribus summæ laudi illis dandum, quòd pro legum diuinarũ custodia voluerint grauissima quæque perpeti, etsi fortè scirent, se tali occasione, loco & tempore ad id non obligari: nam idem in Martyribus quotidie vsu venit. Et à Lacedæmonijs alijsque Gentilibus in simili casu factitatum, Plutarchus testatur. Et extabant recentia aliorum Iudæorum exempla, prorsus huic similia, sub Ptolemæo Lagi, vt Iosephus enarrat, sub Apollonio, sub Philippo, 2. Machab. 5. v. 6. Et multis pòst annis, imò sæculis, simili modo passi sunt dicbus festis & sabbathis sese inuadi impunè & iugulari, à Mithridate, (d) à Pompeio, (e) à Cæsareensibus, (f) ab alijs. Nihilo tamen minùs prudenter & piè decretum à Mathathia (penes quem, vt potè summum pontificem, potestas erat declarandi dubia si quæ occurrerent, vt dicitur Deute. 17.) vt aduersus inuasores etiam sabbato sese defenderent. diuino, opinor, instinctu, ne stirpitus ea familia exscinderetur, è qua Christum Iesum in salutem totius humani generis nasci oportebat. ita Rupertus, Abulensis, Serarius.

¶. 42. TVNC AGGREGATA EST Mathathiæ SYNAGOGA, seu collectio ASSIDÆORVM, Græcè simplici sigma scribitur: Hebraicè, *chasidim*; omnes FORTES VIRIBVS, quin & à probitate sæpiùs à Iosepho laudati. Suspicatur Mariana & quidam alij, *Essæos* fuisse, qui olim *Cinæi* & *Rechabitæ* dicebantur, vt dixi Numer. 10. sub finem. Item OMNIS VOLVNTARIVS IN LEGE, id est, omnis qui desiderabat legem Dei obseruare.

¶. 44. CETERI apostatæ FVGERVNT AD NATIONES vicinas Gẽtilium, VT EVADERENT gladium Mathathiæ, qui percutiebat eos IN IRA SVA, id est, iusta in impios ira, furore, zelo.

¶. 46. ET IN FORTITVDINE CIRCVMCIDERVNT PVEROS] q. d. Etiam inuitis parentibus, etiam reluctantibus. Atque ita tandem

¶. 48. OBTINVERVNT LEGEM, id est, defenderunt, tutati sunt, sartam tectam conseruarunt legem & ritus patrios aduersus vim & furorem *Gentilium*, & regum tyrannorum: ET NON DEDERVNT

CORNV

Cypr. Exhortat. ad martyrium c. 5.
Liuius l. 2. Dec. 3.
Paterc. l. 2.
Valer. Max. l. 3. c. 2.
Agathias l. 2.

Ioseph. l. 12. c. 8.
Theodor. in Dan. 11.
Ioseph. sup. Gorionid. l. 3. c. 7.
a *Chronici c. 46. tab. 3.*
Chald. Cant. 6. v. 6.
Ioseph. Gorion. l. 3. c. 9.
Ioseph. l. 12. Antiq. c. 6. & l. 13. c. 6.
b *Hic v. 42. & seqq. & c. 14. v. 25.*
Ioseph. l. 11. Antiq. c. 4. c. 1. Esdr. 7. v. 25. & 26. & 2. Esd. 9. v. 36. & Zachar. 3. v. 7.
Ioseph. l. 1. Bell. c. 1.
Rupert. l. 9. de Vict. c. 28.
Euseb. l. 5. hist. c. 19.
Ioseph. l. 12. Antiq. c. 8.

Plutarch. in Aristide.
Ioseph. l. 12. Antiq. c. 1.
d *Ioseph. l. 18. c. vlt.*
e *Idem. l. 14. c. 8.*
f *Ioseph. l. 2. Captiuit. c. 32 &c.*
Rupert. l. 10. de Vict. c. 2.
Abulens. in Exod. 1. c. 20. q. 35.

חמירים

CORNV PECCATORI] Id est, Antiocho eiusque A assectis non fuerunt Iudæi deinceps occasio, seu gloriæ, seu potentiæ amplioris, neque passi sunt eos vlteriùs crescere, cornua tollere aut ferocire, inquit S. Thomas.

℣.49. NVNC CONFORTATA EST, id est, inualuit, SVPERBIA, imò ad culmen malorum iam ventum: obtinet iam CASTIGATIO Dei per hostes nostros: iam TEMPVS EVERSIONIS rerum nostrarum publicarum: iam sæuit IRA INDIGNATIONIS, seu indignantis Dei.

℣.65. SIMON ERIT VOBIS PATER] id est, loco patris, propter insignem prudentiam, experientiam, & dexteritatem in rebus administrandis. Iosephus Gorionides facit illum primogenitum Mathathiæ, vti & Viterbiensis. Sed Flauius Iosephus, Iosippus, Seder minor, alijque libri Hebræorum omnes *Iudæ* id tribuunt. Secundo loco Ionathan, Tertio Ioannem, Quarto demum Simonem collocantes.

Ioseph. Gorion. l.3. c.9. Viterbiensis parte 11. Fl. Iosephus l.1. Belli c.1.

℣.70. DEFVNCTVS EST MATHATHIAS ANNO regni Græcorum CENTESIMO QVADRAGESIMO SEXTO] An sicca & naturali morte? Ita prorsus insinuat mortis eius narratio. Porphyrius tamen apud S. Hieronym. vult Mathathiam in prælio occisum. Fieri potest, vulneratus fuerit, Iosiæ instar vel Epaminõdæ, ac domum relatus, post insignem suorum adhortationem, è vulnere pòst paulò interierit.

Hieronym. Dan.11.

ET SEPVLTVS EST IN SEPVLCHRIS PATRVM SVORVM IN VRBE MODIN] vbi sicut in vrbe palatium suum fixerant olim parentes, ita in suburbio sepulchri locum sibi constituxerant: quem paucis pòst annis Simon filius Mathathiæ magnificis columnis & pyramidibus exornauit, 1.Mach.13.v.27. quæ tempore S. Hieron. adhuc extabant. Sed & modò dicunt sepulchralia illa Machabæorum in Modin extare, eadem forma qua 1.Machab.13. describuntur, inquit Ioannes Mariana.

CAPVT III.

Mortuo Mathathia succedit in pontificatu simul & principatu filius eius Iudas Machabæus; plurimis exinceps victoriis celeberrimus. Profligat Apollonium Syriæ pro Antiocho rege præfectum: dein & Seronem militiæ regiæ principem. Aduersus Lysiam verò Antiochi vicarium, eiusq; duces Ptolemæum, Nicanorem & Gorgiam primò precibus auxilium à Deo deposcit, dein lustrum instituit & suos animat: denique castra mouet. D

℣.3. INDVIT SE Iudas LORICAM SICVT GIGAS] Id est, ad modum fortissimi herois viribus & animo inuicti, Deo confisi, nullum mortalium metuentis. Ex Rabbinis refert Sixtus Senensis & Genebrardus, consueuisse Iudam eiusque fratres in labaris & vexillis suis has quatuor litteras gestare *mem, caph, beth, iod.* Quibus compendio, & pro quaque littera voce integra substitutâ, hæc sententia exillorum mente continebatur, *mí camocha baelim iehoua?* id est, * *quis similis tui in fortibus Domine?* Vulgus autem cùm ignarum huius sententiæ, litteras istas suo sensui iungeret, legisse *Machabai*, & inde conflatã vocem *Machabæi*. Sed Iosephus Gorionides vult nomen istud Iudæ ab ipsomet parente inditum fuisse propter eius *robur* militare, nempe à radice *caba*, id est, extinxit, dictum *Machabi*, id est, *extinctorem*, scilicet hostium Ecclesiæ.

Sixtus Sen. l.1. Bibliothecæ. Genebr. in Chronolog.

מכבי מי כמוך באלים יהוה

* Exodi 15. v.11.

Ioseph. Gorion. l.3. c.9.

℣.6. DIRECTA EST SALVS IN MANV EIVS] Id est, salutem feliciter consecuti sunt Iudæi duce, industria & fortitudine Iudæ. Qui prosperis suis successibus & egregijs victorijs

℣.7. EXACERBABAT, fremere & frendere faciebat, REGES MVLTOS, Antiochum Epiphanem, Antiochum Eupatorem, & Demetrium: cũ his enim omnibus bellum gessit. Primò, prioris Antiochi regis in Syria vicarium

℣.11. APOLLONIVM maximis copijs instructum exigua manu PERCVSSIT ET OCCIDIT] Cùm enim inter pugnandum (verba sunt Iosephi Gorionidis) *videret Iudas Apollonium stantem in medio exercitus* sui, summo *furore decurrit ad eum, ad medium vsque castrorum, omnia penetrans, ad dextram, ad sinistram fortissimos* hostium *prosternens, haud secus ac messor manipulos ac spicas messis suæ deijcit, pergensq; ad Apollonium, percutit eum sternitq; suomet gladio.* Quo deinceps, vtpotè valdè probo, *lato & acuto*, vt subdit idem Iosephus, simulque in memoriam ac trophæum primæ suæ victoriæ, instimulum quoque atque excitamentum paris perpetuò fortitudinis, in omnibus sequentibus bellis vsus est Judas. Secundo prælio

Ioseph. Gorion. l.3. c.10.

Ioseph. ibid. c.13.

℣.13. SERONEM EXERCITVS SYRIÆ *principem* pari felicitate fudit, prostrauit, occidit, cùm non nisi *paucos* suorum haberet ad manum, eosque fat pauidos v.17. *ieiunio fatigatos*, quòd tota nocte iter fecissent, inquit idem Iosephus.

Quibus compertis ℣.27. ANTIOCHVS REX extremè IRATVS, CONGREGAT EXERCITVM, & vires VNIVERSI REGNI SVI, STIPENDIA IM ANNVM integrum omnibus adpendens. Sed profusis his largitionibus breui exhausto ærario,

℣.29. VIDIT sensitque *deficere* PECVNIAM DE THESAVRIS SVIS: nec exhaustos iterum de nouo compleri, quòd TRIBVTA à vicinis *regionibus* pendi solita, iam valdè MODICA subministrarentur, idque PROPTER DISSENSIONEM, id est, defectionem non solùm Iudæorum, sed verisimiliter etiam quarumdam aliarum nationum hac occasione regi rebellantium: item propter bellum in Syria & vicinis Iudææ partibus semel iterumque infeliciter gestum, quo ferè exhaustæ regiones non erant subministrando tributo antè condicto. Denique propter PLAGAM, QVAM ipsemet Antiochus tum per se, tum per suos FECIT IN TERRIS sibi antè subiectis, cùm TOLLERET eis LEGITIMA sua & patrios ritus ac leges, *quibus* illæ gauisæ fuerant A PRIMIS conditarum rerumpublicarum suarum DIEBVS] Ita tyrannicè egisse Antiochum vidimus cap.1.v.43. Ergo destitutus tributorum subsidio,

℣.30. TIMVIT NE post primam illam stipendiorum primi anni liberalem exhibitionem, NON HABERET vnde iterum similes SVMPTVS ET DONARIA in vsus belli subinde necessaria sufficere posset. Erant & bis mille talenta Romanis pro tributo iam à tempore Antiochi Magni à Scipione deuicti quotannis pendenda, Dan.11.v.18. Vnde

℣.31. CONSTERNATVS ANIMO VALDE, COGITAVIT IRE IN PERSIDEM, & pecuniam inde emungere, partim expilando, vt 2.Mach.9.v.2. dicitur, partim cogendo ad TRIBVTA vel augenda, vel de nouo pendenda. Ergo *assumptâ* medietate exercitus iam parati concessit in Persidem, v.37. *relicto* in Syria pro vicario suo *Lysia homine nobili* de stirpe *regali*, v.32. cum mandatis

℣.33. VT ANTIOCHVM Eupatorem FILIVM SVVM & heredem regni NVTRIRET] eo modo quo decebat tantum principem educari. Deinde

℣.34.

℣.34. vt Iudæos contereret & exstirparet, traditâ ei in hunc finem alterâ medietate exercitus sui, cum instructis elephantis.

℣. 38. LYSIAS obsecuturus imperio regis sui mittit ternos duces in Iudæam, PTOLEMÆVM FILIVM DORYMENIS, vt est in Græco, *Cælesyriæ & Phœnicis ducem*, 2. Machab. 8. vers. 8. ET NICANOREM Patrocli filium, ET GORGIAM *in bellicis rebus experientissimum*, ibid. CVM QVADRAGINTA MILLIBVS peditum, ET SEPTEM MILLIBVS EQVITVM.

℣.40. APPLICVERVNT EMMAVM] non illam quæ prope Tiberiadem est, sed quæ prope Ierosolymam, & postea dicta fuit Nicopolis, inquit S. Hieronymus. Vtriusque meminit Iosephus.

Hieron. de Locis Hebr. Ioseph. l. 4. Belli c. 3. & l. 17. Antiquit. c. 12.

℣.41. ET ADDITI SVNT insuper AD EOS aliæ nouæ copiæ, nempe EXERCITVS SYRIÆ, propriis Syrorum impensis collecti, &c. Quibus adeò præfidebat *Nicanor*, vt quasi certus de victoria, euocaret vndique MERCATORES, *ad Iudaica mancipia*, quasi iam capta teneret, vilissimo pretio coëmenda, 2. Machab. 8. vers. 11. Et hi maximo numero mox confluebant ad castra. Quid interim Iudæi?

℣.43. Excitant alij alios, animant se mutuò: ERIGAMVS DEIECTIONEM POPVLI NOSTRI] Id est, gentem Iudaicam ludibrio passim habitam, linguis omnium deiectam, pedibus hostium protritam, virtute & robore nostro erigamus, pristino splendori restituamus. Sic animati

℣.46. CONGREGANTVR IN MASPHA, non illa in tribu Ruben, 1. Mach. 5. v. 35. neque altera illa in tribu Gad, Iudic. 11. v. 29. sed tertia, quæ erat in tribu Beniamin CONTRA, seu prope & è regione IERVSALEM, vbi ANTE constructum Salomonis templum, ERAT publicus ORATIONIS LOCVS, 1. Reg. 7. v. 5. Hic vnanimi prece implorant opem cælestem,

Iudic. 20. v. 1.

℣.47. IEIVNANT, CILICIIS SE INDVVNT, CINEREM CAPITI inspergunt, VESTIMENTA DISCINDVNT.

℣.48. EXPANDVNT LIBROS LEGIS diuinæ, exemplo Ezechiæ, qui litteras Sennacherib tyranni, blasphemiis plenas, 4. Regum 19. coram Domino expandebat. Sic hi sacra Biblia à Gentibus profanata, & idolorum imaginibus nominibusque ad contumeliam hinc inde inscriptis fœdata, inquit Emanuel Sà & Ioannes Mariana, & quidam alij: qui conformiter textui Græco dicunt, hac ratione GENTILES SIMILITVDINES SIMVLACRORVM SVORVM *è libris legis scrutatos* fuisse, quia Græcè est, *scrutabantur inscribere in ipsis similitudines idolorum suorum.* Sed textui Latino conformior est expositio Fabri, Gentiles solitos fuisse insigniores quasque Bibliorum historias & diuina miracula, ad suos falsos deos transferre. v. g. de gigantomachia, de diluuio, de turri Babel, de Iosepho, de Moyse, de mari Rubro, de solstitio Iosue, de Samsone, de quadrigis Eliæ, de aliis. Ita testatur Iosephus, Theopompum & Theodectem fecisse, non tamen impunè. Ita alios Beda & Serarius. Quin & sacros ritus ac cerimonias, quibus coli volebat Deus, Gentiles ad inania deorum suorum sacra traduxisse notat Rupertus. Et hoc est propriè scrutari similitudinem simulacrorum de libris sacris. Neque hîc stetit Iudæorum deuotio. Insuper in conspectum Dei

Ioseph. l. 12. Antiq. c. 2. Beda in libros Reg. 9. 27. Rupert. l. 6. in Gen. c. 15.

℣.49. ATTVLERVNT ORNAMENTA SACERDOTALIA, quibus solemniori ritu celebrarent diuinum officium: attulerunt & redditus Deo debitos, PRIMITIAS (*a*) ET DECIMAS: (*b*) ET SVSCITAVERVNT NAZARÆOS, id est, excitarũt quosdam qui sese Domino, Nazaræorum (*c*) ritu, sanctificarent, seu perpetuò, seu ad tempus. Si QVIS verò ex Nazaræis iam antè Deo dicatis IMPLEVERANT DIES] id est, expleuerant tempus sui nazaræatus, hos excitarunt vt hostias quæ in fine nazaræatus ex præscripto legis (*d*) offerẽdæ erant Deo, ritè offerrent. De quibus sanè solliciti quærunt,

a *Exod. 36. v. 3. Num. 15. v. 19.* b *Leuit. 19. v. 23. & c. 27. v. 30.* c *Num. 6. v. 2.* d *Ibid. v. 13.*

℣.50. QVID FACIEMVS ISTIS Nazaræis, vt ritè compleant quæ in fine nazaræatus complenda lex præscribit. ET QVO EOS DVCEMVS?] Ducendi erant *ad ostium tabernaculi fœderis*, vt præscribitur Numer. 6. v. 13. Sed istud,

℣.51. ET SANCTA omnia templi loca & vasa CONCVLCATA ET CONTAMINATA iacent: SACERDOTES autem quibus sisti iubentur, FACTI SVNT IN LVCTVM ET IN HVMILITATEM] id est, in luctuoso & tristi exilio vagantur, absque vllo honore. Porrò diuinis subsidiis hac via procuratis, addit Iudas etiam humana.

℣.55. CONSTITVIT DVCES POPVLI, TRIBVNOS, ET CENTVRIONES, &c.] partitur aciem in duos ordines, & hos in quatuor partes, quarum singulis singulos fratrum suorum præficit, 2. Machab. 8. v. 22. Deinde

℣.56. HIS QVI ÆDIFICABANT DOMOS, SPONSABANT VXORES, PLANTABANT VINEAS, vel FORMIDOLOSI erant, iussit ex præscripto diuinæ legis (*e*) DOMVM SVAM repeterent.

e *Deut. 20.*

℣.58. suos adhortatur ad fortitudinem, ad promptitudinem, ad mortem potiùs pro patria subeundam, quàm vitam in ignaua seruitute trahendam. Fusiùs hæc explicantur 2. Machab. 8. vers. 20. & seqq.

CAPVT IV.

Bipartitas Gorgiæ copias profligat Iudas Machabæus, deinde & ipsum quoque Lysiam Syriæ proregem. Et dum is exercitum rursus instaurat, Iudas templum Ierosolymitanum repurgat, & cultum Dei restaurat.

℣. 1. GORGIAS è tribus primariis Antiochi ducibus (*f*) vnus, & cum eo SEX MILLIA, MOVERVNT CASTRA NOCTE, clàm & secretò, VT PERCVTERENT Iudæos SVBITO, ex improuiso, nihil adhuc tale exspectantes. His DVCES, seu ductores, ERANT FILII QVI ERANT EX ARCE] id est, præsidiarij arcis Ierosolymitanæ, (*g*) quorum nonnulli viarum periti ad Gorgiam decurrerant. Sed

f *Suprà. c. 3. v. 38.* g *c. 1. v. 35.*

℣.3. IVDAS, comperto dolo, præuertit Gorgiam, & quas ipse Iudæis insidias parabat, retorsit in relictas à Gorgia copias IN EMMAVM, vbi præcipua erat VIRTVS EXERCITVVM REGIS Antiochi, sed ADHVC DISPERSVS ERAT EXERCITVS A CASTRIS] Id est, sine ordinibus degebant, non ad modum castrorum benè compositorum, vtpotè nihil hostile metuentes. Sed milites Iudæ

℣.6. TEGVMENTA, id est, loricas, thoraces ferreos, clypeos, ET GLADIOS NON HABEBANT, nempe *sicut volebant*, vt in Græco additur, & etiam in pluribus Latinis, seu manuscriptis, seu editis. q. d. Iudæi quoad arma non erant pro voto suo sat instructi, certè hostibus nulla ex parte æquandi:

℣. 14. CONGRESSI nihilominus *contriuerunt* illos, & in *fugam* egerunt per *campos* & agros. Qui verò inter fugientes erant

℣.15. NOVISSIMI, OMNES GLADIO trucidati sunt, AD TRIA MILLIA VIRORVM.

℣. 16. Hac obtentâ victoriâ non contentus IVDAS, REVERSVS in castrorum Gorgiæ locum spoliis refertum, prudenti sanè consilio suos omnes sub signis continuit,

℣. 17. NON CONCVPISCATIS, inquit, SPOLIA præproperè & præmaturè: QVIA BELLVM adhuc CONTRA NOS EST, priùs cum hoste ceruicibus nostris imminente confligendum nobis, quàm spolia legere, vel prædæ incubare possimus.

℣. 18. ETenim GORGIAS ET EXERCITVS EIVS, sex electa millia, castris nuper egressi v.1. ad nos noctu opprimendos, iam reuersi ecce PROPE NOS sunt IN MONTE] Ah quoties victori iam & B triumphabundo exercitui præproperè collecta spolia fœdissimam stragem attulerunt! De quo
Polyb.l.10. vide Polybium. Recens exemplum orbis vniuersus vidit ad *Agriam*, cùm victores Christianorum exercitus præmaturè ad spolia legenda delapsos Turcæ ex fuga retracti obruerunt, ceciderunt, in fugam compulerunt. Cautiores hi Iudæi, qui spoliis tantisper abstinentes, victoriam benè cœptam prosequuntur,

℣.20. ET SVCCENDERVNT CASTRA] id est, relicta à fugitiuis tuguria. Nempe flammis istis voluerunt indicare *Gorgiæ* fusas esse copias eius omnes, & inuasa castra; quò & illum terrerēt, & in fugam compellerent: vti accidit pro voto. Tum C licuit Iudæis per otium spolia legere hostilia, inter quæ, præter alias OPES nobiliores, repererunt

℣.23. HYACINTHVM, id est, vestes plurimas
a Exodi 25. v.4. Vitruu.l.7. c.14. Plin.l.4. c.38. & 39. hyacinthinas (*a*) violacei coloris: ET PVRPVRAM, non fictam ex vaccinijs vel violis, sed veram, nempe MARINAM, ex ostreis teste Vitruuio & Plinio, qui addit, Tyriam purpuram omnium præstantissimam fuisse. Egi de his fusè Exodi 25.

℣. 28. Pari felicitate Iudas ANNO SEQVENTI
b 1.Mach.3. v.32. LYSIAM (*b*) ipsum cum multò maioribus copiis cædit, fugat, sternit. Neque armorum magis quàm sacrorum dux felicissimus, post nobilissimas has victorias, interim dum copias suas instaurat Ly-D sias, ipse,

℣. 36. ASCENDAMVS, inquit, Ierosolymam, MVNDARE SANCTA templi loca, & abolitum Dei cultum RENOVARE, atque instaurare, & postliminio reducere.

℣.38. SANCTIFICATIONEM, id est, templum, quod Sancto constabat & Sancto sanctorum, VIDERVNT DESERTAM esse, vti ET PASTOPHORIA] id est, sacerdotum cubicula ad latus templi, vt dixi 3.Reg.6.

℣. 43. LAPIDES CONTAMINATIONIS, id est,
c c.1. v.50. & l.2.c.10. idolorum statuas, bases & aras, de quibus suprà, (*c*) TVLERVNT IN LOCVM IMMVNDVM] nempe in *Topheth*, aliàs dictam *Gehennam*, 4. Reg. 23. v. 10. E Sed quid agant

℣. 44. DE ALTARI HOLOCAVSTORVM, ab Esdra, & aliis sacerdotibus olim exædificato, sed
d 1.Mach.1. v.57. 62. iam per impositam Iouis Olympij statuam (*d*) fœdè *profanato*? Eluéntne illud & mundabunt, & vtentur deinceps? At timebant

℣. 45. NE ID FORTE ILLIS cederet IN OPPROBRIVM, tam apud Deum, quàm apud homines, eò quòd tam fœdè *contaminato* altari ad tam sancta sacrificia vterentur, quasi sumptui parcentes in re tam graui. An ergo deiectum & dissolutum altare, vt reliquas aras profanas idolorum, abiicient in immundam Topheth, seu Gehen-

nam? Verùm horrebant, rem Deo semel consecratam, oleoque sancto & ritu sacro dedicatam loco spurco committere. Ergo INCIDIT ILLIS CONSILIVM BONVM, vt mediæ insisterent viæ, & dissoluerent quidem altare, sed LAPIDES REPONERENT non in *Topheth*, sed IN LOCO sacro ad id APTO, nempe in angulo aliquo areæ vnius in templo, vel etiam extra templum, sed in eodem MONTE Sion, in quo DOMVS Dei, seu templum constructū erat. Ex quibus discimus quanta nunc veneratio debeatur rebus longè sacratioribus, (*e*) *e Cap. Altaris, de consecrat. dist.1.* v.g. altaribus Christianorum, vestibus sacerdotalibus, calicibus, cælitum reliquiis, &c. Saltem eo loci putarunt Iudæi lapides istos tantisper adseruandos, donec certius quid de illis *responderetur* per *venturum Prophetam*, quicumque is esset Propheta qui primùm à Deo mitteretur: vel certè per *Prophetam* intelligunt Christum Messiam, qui nomine Prophetæ sæpiùs in Scripturis (*f*) desi-*f Deut.18. v.15. & 1.Mach.14. v.41.* gnatur. Et verò sciebant ex hebdomadibus Danielis paulatim accelerare tempus aduentus Messiæ. Nam ab hoc anno 148. regni Græcorum, (*g*) *g Hic 1. Machab.4. v.52.* vsque ad Messiæ aduentum, seu natiuitatem, non effluxerunt nisi 159. anni. Expectabant autem Iudæi ex Messia suo solutionem omnium dubiorum suorum, vt colligitur ex Ioannis 4. v.25. *Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus: cùm ergo venerit ille nobis annuntiabit omnia.*

℣.48. QVÆ INTRA DOMVM ERANT INTRINSECVS, ET ÆDEM, id est, interiora omnia sanctuarij & Sancti sanctorum, ET ATRIA exteriora templi SANCTIFICAVERVNT] id est, emundarunt, consecrarunt, dedicarunt:

℣.49. ET INIVLERVNT CANDELABRVM septiceps, seu septiramum: ET MENSAM auream, in qua panes sacri proponerentur Deo. Non ergo Salomonico more (qui dena candelabra, & denas mensas in sanctuario posuit, vt dixi 3.Reg.6.) sed Mosaico, (qui non nisi vnum è singulis habebat) templum hoc suum instruxerunt Iudæi.

℣. 54. SECVNDVM TEMPVS ET SECVNDVM DIEM: id est, eodem prorsus die, nempe 25. MENSIS NONI CASLEV, id est, 14. nostri Decembris (inquit Scaliger) quo cœpit profanatio templi per *Scalig. Lc. Emend. tempor.* profana & idololatrica sacrificia, 1.Mach.1. v.62. eodem etiam desiit vertente triennio, vt hîc & l.2. c.10. v.5. disertè affirmatur. Nam *biennium*, cuius ibi v.3. mentio fit, non respicit initiū profanationis templi, sed initium principatus Iudæ, vt legenti (*h*) patet. Et licet ibi hæc tēpli repurgatio narretur *h Hic c.1. v.vlt. & c.4. v.52.* post enarratam Antiochi mortem, non tamen dicitur, accidisse illam post illius mortem, & ex hoc l.1.c.4. constat, accidisse anno Græcorum 148. cùm Antiochus non sit mortuus nisi anno 149. vt dicitur c.6.v.16. Sicut verò idem hic dies obtigit sacrilegio & consecrationi, tenebris & luci, calamitati & lætitiæ: ita notat Iosephus, eumdem quoque *Ioseph. l.6. Capt. c.26.* mensem & diem obtigisse excidio Ierosolymorum per Nabuchodonosorem, & per Titum, vt dixi in fine Chronici. Porrò *innouatio* hæc, seu noua templi & altaris dedicatio facta fuit cum CITHARIS ET CINYRIS, musicis instrumentis, quæ aliquando *i 1. Mach. 13.v.51.* pro iisdem sumuntur, v.g. 2.Paralip.9.v.11. vbi pro Græco *cinyris*, Latinus vertit *citharas*. Aliquando distinguuntur, vt hîc & alibi (*i*) *Beza in Ioan.10. v.22. Biblia Caluiniana in margine huius loci.*

℣.59. STATVIT IVDAS ET VNIVERSA Iudæorum ECCLESIA, VT festum hoc DEDICATIONIS quotannis exinceps per octidnum celebretur. De quibus *encæniis*, etiam Beza teste, & aliis Caluinistis,

stis, meminit Ioannes c.10.v.22. *Facta sunt encænia* A *in Ierosolymis, & hiems erat.* Quod de encæniis Salomonicis mense Tisri, seu Septembri, 3.Reg.8. vel de encæniis Esdræ, mense Adar, seu Februario nostro, 1.Esdræ 6. commodè intelligi nequit, quia tunc in Iudæa propriè non est hiems, nam post medium sequentis mensis *Nisan* spicas maturas colligebant, & postridie Paschæ Deo offerebant.

¥.60. ET ÆDIFICAVERVNT MONTEM SION] Id est, arcem præsidiariam construxerunt in monte Sion, ex opposito arcis hostilis, 1.Mach.1.v.35. Licet enim coërcuerit excursionem præsidiariorum hostilium Iudas, interim dum templum repurgaretur, vt vidimus hoc c.4.v.41. certum tamen est, ipsum arce hostili potitũ non fuisse tum B temporis: nam biennio pòst, nempe anno 150. Græcorum, vt c.6.v.20. narratur, cœpit demum illam obsidere. nec nisi post 23. annos, nempe 171. anno Græcorum, ea arce potiti sunt Iudæi, c.13. v.50. Ergo ad compescendos hostes, ne more consueto erumperent, & templum infestarent, nouam hanc illis arcem obiecerunt Iudæi, fortè parte vnâ extimæ aræ templi in eum vsum conuersâ, vt insinuatur eod.c.6.v.51. Construxit insuper Iudas & aliam munitionem contra *Idumæos vers.* 61. in vrbe *Bethsura* (*a*) quinto stadio (*b*) ab Ierosolymis, vbi intra montium fauces & angustias munitionem insignem erexit, Thermopylarum instar, inquit Iosephus, (*c*) quæ *Lacedæmoniorum* virtute C toto orbe celebrantur. Vide eumdem (*d*) de pluribus aliis Machabæorum ædificiis.

(a) Hic c.6. v.7.31.49. & c.9.v.52. & 65. & c.14.v.7. & 33.
(b) l.2.c.11. v.5.
(c) Ioseph. l.13.c.9. & l.14.c.16.
(d) Ioseph. l.15.c.vlt. & l.20.c.7. & l.2.Capt init.c.28. & l.5.c.13.

CAPVT V.

Idumæos & Ammonitas, perpetuos hostes populi Dei, debellat Iudas: Iudæis in Galaaditide & Galilæa laborantibus, bipartito exercitu succurrit: Timothei copias bis dissipat: Israelitas à Galilæa & Galaaditide ad tutiorem locum, in Iudæam transfert: vrbem Ephron expugnat. Iosephus interim & Azarias, & sacerdotes complures, dum citra consensum ex ambitione in pugnam eunt, insigni clade caduntur: sed illam Iudas aliis victoriis resarcit.

¥.3. A *Crabathanæos*, ex Idumæorum numero, *obsidentes* oppidum aliquod *Israelitarum* percutit Iudas. Dein D

¥.4. *Beanitas*, forsan ab vrbe *Beon* Amorrhæorum, Num.32.v.3. sic nominatos *anathematizat*, (*e*) id est, funditus delet, eò quòd essent Iudæis IN LAQVEVM ET IN SCANDALVM] instar latronũ ex insidiis erupentes in inermes & incautos viatores.

(e) Iosue 6. v.17.

¥.8. CEPIT GAZER Ammonitarum vrbem, de qua Iosue 13.v.25. Neque enim hîc agitur de *Gazara* Iudææ, 1.Paralip.14.v.16. & Iosue 10.v.33. Exin diuisis copiis Iudas in *Galaaditidem* concessit, Simon in *Galilæam*: è qua

¥.23. ASSVMPSIT Iudæos, seu Israelitas, incolas eius regionis, sed ob Philisthæorum aliorumque Gentilium viciniam minùs tutos, TRANSTVLIT IN IVDÆAM.] Neque enim poterant Iudæi tam vastæ regioni, & à Iudæa remotæ præsidio tunc esse, cùm numero essent admodum exiguo, & vrbes Galilææ simul & vici recensérentur 204. teste Iosepho, *quorum minimus* contineret *incolas* Ioseph. in vitâ, & *plusquam quindecim millia*. Quid pauculi Israelitæ Capt. 4. facerent inter & contra tot hostes? Iudas interim transito Iordane in Galaaditide succurrit aliis Israelitis, quorum multi

¥.26. COMPREHENSI, id est, obsessi, cincti & quasi capti, tenebantur ab hoste IN BARASA] Græcè, *in Bosra* (& sic vocatur Ierem.48.v.24.) E

¥.28. BOSOR ciuitas erat Moabitarum trans Iordanem in tribu Ruben, sed Leuitis donata Iosue 20.v.8. Hac vrbe captâ & succensâ,

¥.29. succurrit periclitantibus Israelitis in MVNITIONE, id est, in munita arce vel oppido ei loco vicino.

¥.33. ET CLAMAVERVNT non solis TVBIS, sed & ORATIONE, alta voce implorantes opem diuinam. Ita hostes in fugam acti, & turpiter cæsi. Inde

¥.35. *expugnat* MASPHA in terra Moab, in tribu Ruben 1.Reg.22.v.3. vt dixi 1.Mach.3.v.46. Et cepit CASBON v.36. Græcè, *Casphor*, vt v.26. dixerat. Interim

¥.37. TIMOTHEVS Ammonitarum dux instaurato rursus EXERCITV, CASTRA PONIT CONTRA; id est, è regione vrbis RAPHON TRANS TORRENTEM qui vrbem alluit, & v.41. *flumen* vocatur. Sic Lucianus fluuiũ *Nilum* subinde *torrentem* vocat. & infrà c.16.v.5. pro Græco χείμαρρος, id est, *torrens*, Latinus vertit, *fluuius torrens*. Porrò ex traiectu torrentis omen captat Timotheus: Lucian. l.9.

¥.40. SI Iudas TRANSIERIT TORRENTEM PRIOR, & AD NOS impugnandos vltrò adcurrerit, signum erit quòd nos non timeat, quasi fortior nobis: ac proinde POTENS POTERIT ADVERSVM nos] id est, præualebit nobis vtpotè infirmioribus. Iudas ergo, ad torrentem

¥.42. constitutis SCRIBIS, id est, præfectis militaribus qui descriptos habebant singuli suos milites, cum mandato, *ne quis* militum *relinqueretur*, supple, in castris, & abesset à pugna iam iam instante; TRANSFRETAVIT PRIOR AD hostes, eosdémque cecidit, contriuit, reliquos in fugam egit. Mox

¥.45. ISRAELITAS VNIVERSOS QVI incoluerant GALAADITIDEM, inde in Iudæam transtulit, ob causam suprà v.23. allatam.

¥.46. Vrbem EPHRON trans Iordanem Iudas expugnat, POSITAM IN INGRESSV, seu aditu Galaaditidis, cuius etiam alibi (*f*) sit mentio in Scripturis: sed longè alia est ab *Ephrem* vrbe ad Iordanem sita, cuius infrà meminit c.11.v.34. & Ioan.11.v.54. Nam vt ibi notat Toletus, non situ tantùm, sed & scriptione differunt hæ vrbes, cùm vna inchoetur ab *ain*, altera ab *aleph*.

(f) l.2.Mach. c.12.v.27. & 2.Par. 13.v.19.

¥.52. CAMPVS MAGNVS hic est cis Iordanem respectu Iudææ, & à S. Hieronymo vocatur Hebraicè, *Aulon*, aliàs *vallis Silvestris*, Genes.14.v.3. quam post Sodomæ incendium maiori ex parte cooperuit mare Mortuum. Hieron. in Locis Hebr.

¥.53. ERAT IVDAS, vt prouidum ducem decebat, CONGREGANS EXTREMOS agminis, ne qui fortè præ ignauia, fatigatione vel infirmitate, in tanta multitudine, etiam feminarum & puerorum, deuiaret à reliquo agmine, & sic hostibus præda fieret. Rursus instar pij parentis, opportunis *exhortationibus* animos addebat populo, vt alacriter procederet. Duo interea magnæ dignitatis sacerdotes,

¥.56. IOSEPHVS ET AZARIAS PRINCIPES VIRTVTIS, seu exercitus in Iudæa relicti. Machabæorum gloriæ, quæ omnium linguis longè latéque celebrabatur, æmuli, ducunt copias in hostem, sed funestissimo successu: nam fugati ipsi, & è POPVLO cæsi AD DVO. MILLIA VIRB] Et quæ causa tam funestæ cladis?

¥.61.

℣. 61. QVIA NON AVDIERVNT IVDAM, superà v.19. disertè præcipientem, ne bellum vltrò mouerent. Item quia

℣. 62. IPSI NON ERANT DE SEMINE ILLORVM, PER QVOS SALVS FACTA EST IN ISRAEL] Id est, non erant ad id munus à Deo destinati vel vocati: non erant ex familia illorum, quorum operâ Deus vti voluit in liberando populo suo. Simile factum leges in Onia, apud Iosephum. Quàm multi sese ingerunt hodie in quæuis officia, ad quidlibet in quolibet vitæ statu per fas nefasque audendum! & miramur tam infaustos subinde successus? Vtinam diuinæ vocationi tam obsequentes sint omnes, quàm impulsui propriæ laudis, gloriolæ, honoris vel vtilitatis! Porrò accepta damna breuî resarciuit Iudas,

Ioseph. l.23. Antiq.c.6.

℣. 65. *expugnans* FILIOS ESAV, reliquias Idumæorum; *alienigenas* quoque, id est, Philisthæos, & *Samaritas*, aliosque Israelitarum hostes; reipsa complens quæ totantè annis de illorum per Iudæos excidio prædixerant Abdias, Sophonias & alij Prophetæ.

Abdiæ 1. Sophoniæ 2.

℣. 67. IN DIE ILLA, & in expeditione illa aduersus Samaritas, rursus CECIDERVNT aliquot SACERDOTES socij & æmuli Iudæ, DVM SINE CONSILIO, forsan & sine consensu ducis sui EXEVNT IN PRÆLIVM] Plerumque enim temeritas & stulta virium præfidentia, infelix esse solet: inobedientia verò infeliciſſima. Mariana & Sà putant hos sacerdotes esse *Iosephum* & *Azariam*, de quibus suprà v.56. Sed historica hæc narratio diuersos esse probat, ni fallor.

CAPVT VI.

*Antiochus Epiphanes frustra conatus spoliare templum Veneris * in Elymaide, cognitâ clade Lysiæ, & victoriis Iudæorum, ex animi mœrore, morbum primò, dein & mortem incurrit: cui filius succedit Antiochus Eupator. Iudas arcem Ierosolymitanam obsidet & impugnat: sed rege cum innumeris copiis aduentante soluit obsidionem, & obuiam it regi, cum quo non infeliciter pugnat. Eleazarus elephantem generosè subit & confodit. Bethsura se regi dedit. Penè etiam se dedidit arx Iudæorum Ierosolymitana: sed bona fortuna rex auocatus in Syriam, solvit obsidionem, & pacem iniit cum Iudæis.*

* *Simile 2. Mach. 1. v.12.*

℣. 1. REX ANTIOCHVS Epiphanes, (interim dum Iudas Machabæus victoriis potitur in Iudæa & vicinis regionibus,) PERAMBVLABAT REGIONES Persidis. Cuius vrbem primariam ELYMAIDA, 2.Mach.9. *Persepolin*, id est, Persidis vrbem, verisimiliter tum primariam, & in ea templum Veneri, more Persico, sacrum, expilare tentabat. Sed Persis arma in eum vertentibus, re infectâ, mœrore confectus, inde in Babyloniam refugit. Nuntio quoque cladis Lysiæ, & victoriarum Iudæ magis irritatus, IN LANGVOREM INCIDIT,

℣. 9. ET ERAT ILLIC, in Babylonia, PER DIES MVLTOS] Quin & mortuus illic est

℣. 16. ANNO Græcorum CENTESIMO QVADRAGESIMO NONO] De morbis, & morte illius fusè omnia enarrat liber 2. c.9. Successit parenti

Iustin. l.34. Appian. in Syriacis.

℣. 17. Filius, paruulus admodum, inquit Iustinus; *nouennem* facit Appianus, additque à Syris, annitente *Lysia*, dictum EVPATOREM] quasi felicem tanto patre. Sub hæc tempora Gentiles

a 1.Mach.1. v. 35.

℣. 18. QVI ERANT Ierosolymis IN ARCE (*a*) sua, vsi absentia Iudæ bellis alibi distenti, continuis excursionibus infestabant Iudæos: neque poterant à præsidiarijs alterius arcis (*b*) Iudaicæ, ob horum paucitatem, compesci: quin potiùs CONCLVSERANT hos illi IN CIRCVITV SANCTORVM, vt extra septa templi & arcis suæ nullus egredi vel posset, vel auderet. Et hoc modo crescebat continuò FIRMAMENTVM GENTIVM] id est, robur & potentia Gentilium. Cui malo auertendo, Iudas cum omnibus suis copiis

b Ibid. cap.

v.60.

℣. 20. *obsidet* arcem, anno 150. Græcorum. Quo per legatos & apostatas quosdam Iudæos *cognito*, *rex* iuuenis mox adcurrit

℣. 30. cum CENTVM MILLIBVS PEDITVM, ET VIGINTI MILLIBVS EQVITVM, ET TRIGINTA DVOBVS ELEPHANTIS, DOCTIS instructisque AD PRÆLIVM] Ante omnia obsidet

℣. 31. BETHSVRAM, de quâ cap. 4. v. vlt. Sed egressi *Bethsura* præsidiarij Iudæi, MACHINAS regias IGNI SVCCENDVNT.

℣. 32. IVDAS relictâ quam obsidebat arce Ierosolymitanâ, CASTRAmetatur CONTRA, id est, ex aduerso, seu iuxta castra REGIS] Cuius iussu

℣. 33. ANTE LVCEM *comparantur* EXERCITVS omnes AD PRÆLIVM, instruuntur acies, machinæ expediuntur:

℣. 34. ELEPHANTIS *ostenditur* SANGVIS VVÆ, id est, rubrum vinum, (*c*) & sanguis, id est, succus, MORI, qui & ipse *vinosus* est, teste Plinio. Neque verò solo vini aspectu vel olfactu irritabantur elephanti, vt vult Franc. Valesius, sed reipsa epotandum ipsis dabatur, teste Æliano, & libro 3. Machab. Et licet elephanti, vt & tauri, leones & apri, teste eodem Æliano, nulla egeant ad pugnam cohortatione, vel stimulo, sed suopte sese impetu accendant, quandores aliqua, cum qua iis est antipathia, seu naturalis dissensio, oculis vel phantasiæ occurrit: quando tamen nulla res talis occurrit, proritatione opus habent, maximè si in homines sint immittendi, quibus alioquin infesti esse non solent.

c Deut.32. v.14. Plin. l.15. c.24. Vales. Sacra Philosophia c.82. Ælian. de Animalib. l.6.

℣. 35. *Elephantis* PER LEGIONES distributis *assistebant* SINGVLIS MILLE VIRI tecti LORICIS CONCATENATIS, seu hamatis. Ex sunt maculæ ferreæ, ad modum retis confectæ, hamis seu annulis inter se concatenatis. Hispan. *cota de malla.*

℣. 37. SVPER singulos elephantos LIGNEÆ TVRRES ERANT FIRMÆ, sic vallis & loricis instructæ, vt *protegerent* tum machinas impositas, tum milites, qui EX VIRIS VIRTVTVM, id est, ex robustioribus, selecti imponebantur singulis turribus numero TRIGINTA DVO, præter *Indum* (ita etiam legit Græcus) *magistrum* ac rectorem BESTIÆ] Ex quo constat, elephantos hos non fuisse Africanos, qui iam vix senos aut septenos armatos ferrent in ligneaturri: sed Indicos Africanis longè maiores, testibus Plinio, Liuio, Gesnero, Solino & Philostrato. Horum verò elephantorum maximum, insigni fortitudine animi

Plin. sup. & l.7. c.2. Liuius dec.4. l.7. Gesner. l.1. de Quadruped. Ioseph. l.12. Antiq. c.14. Gorionid. l.3. c.20.

℣. 43. inuasit, confodit & prostrauit ELEAZARVS FILIVS SAVRA] Hunc Iosephus vterque asserit fratrem fuisse Iudæ Machabæi. Et Græca id insinuant, in quibus vocatur *Eleazarus Auaran*, eodem modo quo suprà c.2. v.5. frater Iudæ vocatur *Eleazarus Abaron*, id est, fortis ipsorum, (*d*) seu qui inter illos est fortissimus. Ad Latinam lectionem tutandam posset quis dicere, Mathathiæ cognomen à robore fuisse *Abaron*, vel litteræ vnius adiectione *Saura*, & hoc filio eius Eleazaro adhæsisse. Erant enim olim polynomij, & à variis euentibus varia nomina sortiebantur.

d Iosue 24. v.19. & 2. Reg.21. v.7. Tobiæ 3. v.4.7. &c.

Verùm

Vcrùm licuítne Eleazaro, cum certissima vitæ A
iactura facinus istud aggredi? Licuit sanè, vt benè docent Abulensis, Nauarrus & alij: imò vt summè laudabile celebrant SS. Ambrosius & Gregorius & alij SS. Patres, quòd vitam pro publica salute prodegerit. At fecit hoc, VT ACQVIRERET SIBI NOMEN ÆTERNVM, v.44. quod meræ *ambitionis* fuit, inquit Lucas Osiander. Sed malafide dissimulat hæreticus, hanc non nisi secundariam fuisse intentionem Eleazari; primariam verò fuisse quæ verbis immediatè præcedentibus exprimitur, ipsũ id feciſſe VT LIBERARET POPVLVM SVVM. Quod & consecutus est, inquit S. Ambrosius: nam *rex territus vnius fortitudine, pacem rogauit*, &c. Simile penè facinus edidit ille apud Xenophontem, qui ventre equi, cui Cyrus insidebat, perfosso, Cyrum prostrauit. Porrò cæsis è regiis primò 600. vt hîc dicitur v.42. deinde 4000. vt lib. 2. cap.13. v.15. *& summo metu ac perturbatione repletis castris* regiis: cùm tamen VIDERENT Iudæi, vt hîc v.47. dicitur tantam esse VIRTVTEM seu potentiam REGIS, prudenti consilio declinauerunt ad tempus. Nec tamen ausus fuit rex vi aggredi secedentes: sed *arte*, vt l.2.c.13.v.18. dicitur, & astutia reliquum peragere decreuit. v.g. muneribus animos expugnando, rumores falsos spargendo, insidias struendo, aquam diuertendo, cuniculos agendo, &c. His certè vel similibus viis

Abulens. 1.Reg.15. quæst.73. Nauar. de sinibus, n.53. Ambr.l.1. Offic.c.40. Gregor.19. Mor.c.13.

Ambr.sup.

Xenoph.l.7. Cyropæd.

℣. 49. PACEM FECIT CVM HIS QVI ERANT IN BETHSVRA, quos etiam fames compulit, QVIA SABBATHA ERANT TERRÆ] id est, erat tum annus septimus, seu sabbathicus, (*b*) quo nec serere nec metere licebat Iudæis. Simili anno sabbathico cepit postea Herodes Ieroſolymam, vt Iosephus enarrat. Et iam quoque tentabat eamdem rex Antiochus, vel potiùs arcem illam quæ nuper in extima templi parte à Iudæis constructa fuit c.4. v.60. quam hîc

(*b*) *Chronici c.21. & Exodi 23. & Leuit. 25. Ioseph.l.14. Antiq.c.28.*

℣. 51. LOCVM SANCTIFICATIONIS vocat. Aduersus hanc SCORPIOS expedit, id est, catapultas, ET FVNDIBVLA; Græcè, σφενδόνας, id est, fundas, nempe balistas maiores, quæ lapides fundebant, inquit Lipsius & Vegetius. SPICVLA in Græco omittuntur. Interim prælio iterum *cum Iuda* inito, iterum *superatus* est rex, 2.Machab.13. vers.23. Quando accessit & Philippi rebellio, cui moriturus Antiochus Epiphanes, vt hîc v.14. dictum fuit, summam administrationis regni, tamquam proregi commiserat. Hac occasione æmulus Philippi Lysias regi persuasit, vt initâ cum Iudæis pace, Antiochiam sedem regni sui totis viribus aggrederetur, vnde summa rei dependeret. Persuasus rex *Iudæos* pacem *precatur*, etiam *subdens* se *illis*, 2.Mach.13.vers.23. Sed pace obtentâ, dum in templum admittitur, & Deo sacrificat, perfidus iubet DESTRVI MVRVM arcis IN GYRO, vt hîc v.62. dicitur. Sed citò pœnituit perfidiæ, cùm videret valdè vtilem sibi futuram Iudæorum operam in bellis instantibus. Quare instaurato fœdere, & Iudæis quæcumque iusta essent concessis, Iuda quoque summis honoribus aucto, (*b*) Antiochiam aduersus Philippum contendit:

Lipsius l.3. Poliorcetis. dial.3. Veget.l.3. c.14.

(*b*) *2.Mach. 13.v.23. & 24. Ioseph. Flauius sup. Ios. Goriomid. sup. c.20.*

℣. 63. quam, & Iudæis multum adiuuantibus, teste vtroque Iosepho, tandem victor obtinuit.

CAPVT VII.

Demetrius Seleuci Philopatoris filius, Antiochi Eupatoris patruus paternum Syriæ regnum recuperat, Antiocho Eupatore cum Lysia à propriis militibus ingulato. Alcimus apostata summum apud Iudæos pontificatum ambiens, extortâ à rege Demetrio veniâ, simul cum Bacchide multa perfidè & crudeliter agit in Iudæa. Sed Iudas vtrinsque petulantiam armis reprimit: Nicanorem quoque à rege submissum, secundò vincit, & mortui caput at manum de muro suspendit.

℣. 1. DEMETRIVS SELEVCI Philopatoris FILIVS, ↄextincto parente, fraude patrui sui Antiochi Epiphanis spoliatus paterno regno, cùm propter teneram ætatem minùs idoneus esset rebus gerendis, Romæ tantisper latuit dum adolesceret, nempe per annos circiter quatuordecim. Adultior factus, ANNO CENTESIMO QVINQVAGESIMO PRIMO regni Græcorum EXIIT AB VRBE ROMA, ET CVM PAVCIS VIRIS, quo tutiùs lateret, ASCENDIT IN CIVITATEM MARITIMAM: Tripolim fuisse dicitur 2.Mach.14. vers.1. Vbi volentibus omnium animis pro legitimo rege agnitus & admissus REGNAVIT ad tempus: nempe donec collectis copiis, & certior factus de mente ducum exercitus Syriaci, iis inuitantibus

B

℣. 2. INGRESSVS, EST DOMVM REGNI PATRVM SVORVM, id est, Antiochiam vrbem regiam, & sedem regni paterni. Cùm mox EXERCITVS ab Antiocho ad Demetrium deficiens, comprehendit ET ANTIOCHVM iam vndecennem, (*c*) & LYSIAM proregem, VT captiuos ADDVCERENT AD Demetrium. Qua re compertâ, Demetrius,

C

(*c*) *1.Mach. 6. v.17.*

℣. 3. NOLITE, inquit, MIHI OSTENDERE FACIEM ILLORVM] q. d. Nolo viuos habere, sed mortuos. Hoc accepto mandato:

℣. 4. OCCIDIT EOS EXERCITVS. Nec verò fauit Iudæis Demetrius, tum ob auxilium Antiocho (*d*) submissum: tum ob falsas delationes ei factas ab *Alcimo* sacerdote, (*e*) sed apostata; interim pro pontifice summo (*f*) se iactitante, qui à Iuda tamen vero pontifice reliquisque probis Iudæis numquam admissus vel agnitus fuerat. (*g*) Huius Alcimi fraudulentis verbis seductus

D

(*d*) *Suprà, in fine c.6.* (*e*) *Infrà hîc, v.14.* (*f*) *2. Mach. 14. v.3.* (*g*) *Ibid. v.7.*

℣. 8. REX *mittit* ad Iudæos BACCHIDEM QVI DOMINABATVR TRANS FLVMEN Euphratem; præfectus erat Mesopotamiæ, inquit Iosephus.

Ioseph. l.12. Antiq. c.16.

℣. 9. ET ALCIMVM CONSTITVIT IN SACERDOTIVM] Etsi enim antè iam ab Antiocho Eupatore, post cædem Menelai (*h*) constitutus fuisset summus sacerdos, 2.Mach.14.v.3. quia tamen acta omnia Antiochi, vtpotè tyranni & vsurpatoris regni, à Demetrio cassata & annullata fuerant, iteratò debebat hæc pontificia dignitas per Demetrium legitimum regem conferri Alcimo, si vellet pro pontifice agnosci. Sed hæc omnia nihil præiudicare poterant legitimo pontificatui Iudæ Machabæi, vt iam dixi. Et verò cautior is fuit, quàm vt Alcimo sibi blandienti fidem haberet. Habuerunt tamen

(*h*) *2. Mach. 13. v.4.*

℣. 12. SCRIBÆ complures, id est, doctores & legisperiti Iudæorum, & inter hos

E

℣. 13. PRIMI, seu primo loco, ASSIDÆI, sic dicti à radice *chasid*, id est, misericors, sanctus, pius: quales hos fuisse testatur Iosephus. Et psal.78.v.2. & 3. (vbi de his agitur, vt hîc v.17. explicatur) *hasidecha* & ὅσιοι vocantur, id est, *pij & sancti*, tum professione religionis & fidei, tum præstantia morum,

חסיד

Ioseph. sup.

חסידך

rum, inquit ibid. Genebrardus. Præceteris enim maiorem religionis zelum & sanctitatis studium præ se ferebant, speciali societatis vinculo inter se deuincti, & specialibus institutis non minùs quàm nomine à reliquo populo distincti, ferè vt nunc Religiosi. Id insinuatur 2. Machab. 14. v. 6. & à Iosepho passim, qui quos Scriptura & Gorionides *Assidæos* vocat, ipse *Essenos* vbique nominat: & eosdem fuisse fusè demonstrat Serarius: & olim *Rechabitas* ac *Cinæos* dictos, Ioannes Mariana & alij nonnulli, vt dixi Numer. 10. sub finem. Horum præfectus, seu præpositus generalis, iam erat Iudas Machabæus, 2. Mach. 14. v. 6. antea solùm *decimus*, seu *decadarchus*, ibid. c. 5. v. vlt. id est, ex *decemviris* vnus, qui cum præposito generali omnia B eius ordinis administrabant, inquit Iosephus. Ibidem insinuatur, *fœni cibo*, id est, herbarum esu, contentos vixisse *in montibus* & speluncis. De *resurrectione* carnis, & animarum immortalitate, exemplo Iudæ præpositi sui *religiosè* & *piè* sensisse. c. 12. v. 43. vxores vel numquam, vel non nisi tardè duxisse, c. 14. v. 25. zelo religionis admirabili, & animi fortitudine incredibili fuisse, exemplo Iudæ fratrumque illius, & Raziæ, c. 14. v. 38. Et eadem omnia de iisdem testantur Iosephus vterque iam sæpiùs citatus, Epiphanius, Eusebius, Plinius, Solinus, Baronius, Serarius, & alij.

Ioseph. l. 2. Belli c. 12. Gorionid. l. 3. c. 31. l. 4. c. 6. Serar. hic & in Triheresio. Mariana in 1. Mach. 2. v. 42. Ioseph. sup. Epiphan. de hæres. Euseb. lib. 2. hist. c. 16. Plin. l. 5. c. 17. Iulius Solinus c. 44. Baron. to. 1. Annal. Serar. sup.

℣. 16. EX HIS primæ notæ viris summa perfidia OCCIDIT ALCIMVS prope Ieroſolymam C SEXAGINTA VIROS: sed multò plures IN BETHZECHA *vers.* 19. MACTAVIT BACCHIDES EX IIS QVI ex Iudæis ad se *perfugerant*, sed territi perfidia *Alcimi*, iterum A SE ad suos EFFVGERANT, seu effugere tentabant.

℣. 26. REX Demetrius in Iudæam MISIT NICANOREM è potentioribus ducibus suis, qui peculiariter infensus erat Iudæis. Iosephus dicit, eum iam inde ab vrbe Roma veniſse cum Demetrio, & ideò gratissimum illi fuisse. Hic cæditur à Iuda

℣. 31. IVXTA CAPHARSALAMA, vrbem Palæstinæ, quæ postea *Antipatris*, hodie *Arsur* dicitur. D Iosephus campum vbi erat *Antipatris*, vocat *Capharsabam*. Qui verò euadere potuerunt ex sociis Nicanoris,

Ioseph. l. 16. Antiqu.

℣. 32. FVGERVNT è campo IN CIVITATEM DAVID, id est, in arcem, quam Gentiles habebant in monte Sion, 1. Mach. 1. v. 35. Quò & ipse Nicanor mox contendit: vbi & à sacerdotibus, quorum tunc vices erant in templo, honorificè salutatur, ostensis ei sacrificiis, quæ PRO salute *regis* ipsius ibidem OFFEREBANTVR Deo. Sed ipse

℣. 34. RIDENS & *sperneus* omnia, POLLVIT sacerdotes, vt est in Græco, cogens scilicet eos ad illicita & lege vetita, seu offerenda, seu comedenda. E

℣. 39. Egresso *Ieroſolyma* Nicanori OCCVRRIT EXERCITVS SYRIÆ] id est, ex Syria collectus & submissus, vt illi contra Iudæos opem ferret. Sed omnes illæ copiæ

℣. 40. IN ADARSA; Græcè; *in Adasa* (vt & v. 45.) à TRIBVS MILLIBVS VIRIS Iudæ, TERTIADECIMA DIE MENSIS ADAR] id est, principio nostri Martij, v. 43. cæso ante omnes ipso Nicanore,

℣. 44. fusæ, fugatæ, *contritæ* SVNT. Iudæis fugientes persequentibus v. 45. ab ADAZER; Græcè, *Adasa*, vbi pugna v. 40. commissa fuerat, vsque in GAZARA, vrbem tribus Ephraim, quæ Leuitis cesserat Iosue 21. v. 21. haud procul Nicopoli. ET TVBIS POST fugientium terga *canentibus*, CVM SIGNIFICATIONIBVS partæ victoriæ: vel potiùs cum signo bellico, quod cantu tubarum dabant vicinis & accolis omnibus, vt & ipsi in hostes fugientes arma verterent: vti & fecerunt:

℣. 46. ET VENTILABANT EOS CORNIBVS: Metaphora est à tauris desumpta, qua significare volunt, Iudæos omni ex parte fugientibus institisse, nullo ad euadendum vel latitandum loco relicto. Nam post cæsos semel vno loco, CONVERTEBANTVR ITERVM AD EOS qui effugerant, seu in eodem, seu in vicino loco indagandos & iugulandos, adeò vt NEC VNVS EX EIS RELICTVS sit in viuis. Fusiùs hæc omnia describuntur l. 2. Machab. c. vlt. vbi prostrata dicuntur 35000. Addit Gorionides, Nicanorem ipsiusmet Iudæ manu in duas partes dissectum fuisse. *Ioseph. Gorion. sup.* c. 22.

℣. 47. Porrò CAPVT & DEXTERAM blasphemi tyranni SVSPENDERVNT Iudæi cõtra IERVSALEM, id est, è regione, seu prope vrbem, nempe *caput in arce*, *manum* prope *templum*, vt dicitur 2. Mach. vlt. v. 33. & 35. Idque in memoriam perpetuam tum victoriæ, tum vltionis diuinæ, vt ibid. additur.

CAPVT VIII.

Rationes explicantur, quibus permotus Iudas Machabæus, fœdus cum Romanis iniit. Capita fœderis recensentur. Iubeturq; Demetrius rex ab iniuria molestiaq; Iudæis inferenda deinceps abstinere.

℣. 1. AVDIVIT IVDAS. & *vers.* 2. AVDIERVNT Iudæi. Certum ergo hæc omnia fuisse Iudæis enarrata de Romanis: sed necessum non est, vt quæ narrata illis sunt, omnia vera sint. Sic certum est, blasphemos Iudæos dixisse de Christo, *potatorem esse vini, populi seductorem, dæmonio plenum:* Non tamen ideo vera erant quæ dicebantur. Nam Scriptura, quid narretur, enuntiat: non tamen affirmat, verum esse quod narratur. Hoc responso eludi possent, si quæ in his quæ de Romanis hîc sanè ampla & magnifica narrantur, deprehendi cõtingeret quæ probatis historiographis aduersarentur. Ego tamen nihil eiusmodi deprehendere possum, & vera esse omnia ex sequentibus manifestum faciam. Nam quod

℣. 2. de *Galatis* subactis narratur, siue per hos intelligas Asiaticos, siue Europæos Gallos, certum est ex Liuio, Diodoro, Iustino, Floro, Iosepho & aliis, verè vtrosque à Romanis tum subactos fuisse, paulò antè hoc tempus. Quando & Punica bella, quæ hîc v. 4. obscurè, sed clarè apud Iosephum Iudæis enarrantur, confecta constat. *Ioseph. l. 12. Antiq. c. 17.*

℣. 3. LOCVM OMNEM HISPANIÆ prudenti CONSILIO SVO ET singulari PATIENTIA, post 230. annos tandem sibi subiecisse, quantum tempus nullâ aliâ prouinciâ subigendâ posuerunt; ijdem auctores disertè enarrant: vti & de *fodinis auri & argenti* in Hispania, Strabo, Plinius & alij. Et nostra quoque ætate, inquit Mariana, *Guadalcana* fodina magnam nobis argenti vim exhibuit. *Strabo l. 3. Plin. in fine sui operis.*

℣. 5. PHILIPPVM Epiri & Macedoniæ regem, eiusque filium nothum PERSEN, seu Perseum, CETÆORVM, (*a*) id est, Macedonum, REGEM bello OBTINVERVNT Romani per L. Æmilium Paulum, qui & deuictum Perseum in triumphum duxit, & Macedoniam in prouinciam redegit. Quæ mox *a Sup. c. 1. v. 1. & in Chron. c. 41.*

℣. 6. de *Antiocho Magno, Asiæ rege* narrantur,

vera

vera esse patet ex dictis Danielis 11.v.10. & Chronici cap.40. Hunc Polybius dicit aduersus Ptolemæum eduxisse in aciem ELEPHANTOS centum & duos: quid mirum, si contra Romanos, vt hîc dicitur, eduxerit CENTVM VIGINTI? Quòd *vinum ceperint*, fateor, nonasserunt Liuius, Florus, Appianus. Dicunt nihilominus à L. Scipione ita pressum & in arctum redactum, vt instar captiui cesserit Romanis quæcumque petierunt, nempe *Polyb.l.5.*

TRIBVTVM bis mille talentorum quotannis, proprium insuper filium inter obsides. CONSTITVTVM quoque; Græcè, διαιρλω, id est, diuisionem, scilicet regnorum suorum, pati debuit, & vt OPTIMÆ REGIONES suæ, nempe *Media, Lydia, & India* (quo nomine videntur designari remotiores prouinciæ vltra montes Tauri sitæ, vt ex Strabone, Procopio & aliis fusè docet Serarius) sibi subtraherentur, & EVMENI Pergami & Bithyniæ REGI, hosti & æmulo suo, sed Romanorum amico, donarentur: ipse sola Syria & aliis ignobilioribus regnis cis Taurum contentus viueret, vt Dan. 11. v.18. exposui. Quis has tam duras, tam probrosas conditiones, nisi captus, vel quasi captus subeat? Fieri etiam potuit, vt ad breue spatium reuerà captus fuerit, sed iussu Scipionis statim dimissus. Cur enim alioquin adeò suspectus fuit postea Romanis Scipio? cur inius pertractus?

¥.9. ET QVIA QVI ERANT APVD HELLADAM; Græcè, *in Hellade*, id est, Græci, VOLVERVNT IRE & bellare aduersum Romanos, ET TOLLERE EOS de medio, nempe Romanas legiones istic in vicinia degentes; MISERVNT AD EOS debellandos Romani DVCEM VNVM suum Nabidem, & post hunc alios, qui variis prælijs omnes paulatim subegerunt, teste Liuio, Floro & aliis.

Liuius l.34. 35. &c. Flor.l.2.c.7

¥.12. AMICOS autem ET QVI IN IPSIS REQVIEM HABEBANT, id est, *qui acquiescebant* Romanis, vt est in Græco, fidentes illis & iussis & monitis illorum obtemperantes; opibus auxerunt & regnis. Exẽplo sit Eumenes, de quo v.6. & tot alij.

¥.15. ET CVRIAM FECERVNT SIBI Romani, id est, senatum constituerunt ex TRECENTIS VIGINTI capitibus. Qui numerus non semper idem fuit: primò enim centum dumtaxat à Romulo constituti, mox ducenti, paulò pòst trecenti. Et hic numerus cum aliquo subinde auctario, (vt ex hoc loco colligitur,) vsque ad Gracchi seditiones durauit, quando 600. fuerunt senatores: pòst etiam 900. imò mille, & plures, teste Liuio & aliis.

Liuius sup. l.2. &c.

¥.16. COMMITTVNT VNI HOMINI MAGISTRATVM SVVM PER SINGVLOS ANNOS] Verum id est, non de solo Dictatore, sed & de Consule Romano. Nam licet duo quotannis crearentur, numquam tamen ambo simul vno eodemque loco imperabant: sed vnus in vrbe, alter in exercitu: vnus in vna orbis parte, alter in altera. Quòd si vterque simul vel in vrbe essent, vel in vno eodemque exercitu, singuli alternis diebus imperabant, & alteri soli fasces illo die præferebantur, inquit Liuius & Sigonius. Et huius rei nimis euidens testis fuit infelix illa dies, quâ contra Hannibalem ad Cannas pugnatum à Romanis fuit, iubente Varrone Consule, *cuius fors eius diei imperij* erat, nihil cõsulto collega suo Paulo, penes quem pridie summa imperij fuerat, & postridie rursum futura erat, vt ait idem Liuius. Qui & alibi (*a*) in M. Liuio Consule simile quid notat, & Plutarchus in Numa & Fabio. Idem in suis Strategis obseruabant Græci, in Epistatis suis Athenienses, in Decemuiris suis antiqui Romani, testibus iisdem Plutarcho, Sigonio, Liuio & aliis. *Decimo* enim *die ius populo singuli reddebant*: quo *die penes præfectum iuris fasces duodecim erant*: *collegis nouem singuli accensi apparebant*.

Liuius l.2. Sigon.l.2. de Antiquo iure Romanor.c.2.

Plutarch. in Aristide. Sigon. l.4. de Rep. Athen c.2.

ET NON EST INVIDIA, NEQVE ZELVS INTER EOS] nempe publica, & quæ remp. in apertas factiones vel bella traherẽt, vt postea sub Graccho, Mario, Iulio Cæsare & aliis contigit. Eamdem Romanorum concordiam sub hæc tempora eximiè commendat Aristides apud Plutarchum, Iosephus, S. Augustinus & alij. Cum Romanis ergo tam potentibus, tam æquis, tam laudatis amicitiam & fœdus ineundum putauit Iudas Machabæus, eo maximè consilio, vt auctoritate illorum compesceret insolentiam Demetrij regis Syriæ, cui alioquin humanis viribus se diu resistendo non esse sentiebat. Inter pacis, seu fœderis, conditiones vna erat, vt, si bellum Romanis, sociisve Romanorum aliunde ingrueret, Iudæi illis

Liuius l.3.

Ioseph.l.12. Capt.c.28. & 42 August. l.2. de Ciu.c.17. & 18. & l.5.c.12.15. 16.17.

¥.25. AVXILIVM FERANT CORDE PLENO] id est, promptissimè & alacerrimè. Iudæis tamen sic pro Romanis

¥.26. PRÆLIANTIBVS NON DABVNT Romani TRITICVM, ARMA, PECVNIAM, NAVES: sed de his omnibus aliisque necessariis ipsimet Iudæi suis prospicient, NIHIL A Romanis ACCIPIENTES] sed gratis, ac propriâ impensâ illis succurrentes.

¥.27. SIMILITER vicissim, SI GENTI IVDÆORVM PRIVS ACCIDERIT BELLVM, ADIVVABVNT eos ROMANI EX ANIMO:

¥.28. ET ADIVVANTIBVS NON DABITVR seu commeatus, seu apparatus bellicus à Iudeis: sed his Romani succurrent gratuitò & propriis impensis. Sic exigit vera amicitia: durumque esset afflictis & laborantibus, nullam ab amicis opem sperare vel accipere, nisi quantam proprio ære coëmptum ab illis vellent.

CAPVT IX.

Bacchides & Alcimus iterum cum nouis copiis à rege Demetrio in Iudæam remissi, horrendè in Iudæos grassantur Iudas Machabæus dilapsis fuga sociis, cum solis octingentis innumeros hostes aggressus, vincit quidem, sed dum victos fugientesq; insequitur, à tergo conclusus fortiter pugnans occumbit. Iudæi pòst paulò fame coacti, certis conditionibus Bacchidi se dedunt. Ionathæ fratri suo Iudæ in vtroque principatu sufficitur, cuius tertius frater Ioannes à filiis Iambri capitur & occiditur. Sed ea cædes mox à Ionatha vindicatur. Quin & Alcimus diuinitus punitur. Bacchides in Syriam recurrit. Et reuocatus ab apostatis in Iudæam, tentatâ infeliciter belli aleâ, conuersâ in apostatas illos irâ, stabilem perpetuamq; pacem init cum Iudæis.

¥.3. MENSE PRIMO Nisan, ANNI CENTESIMI ET QVINQVAGESIMI SECVNDI regni Græcorũ APPLICVERVNT Bacchides & Alcimus EXERCITVM AD IERVSALEM. triginta armatorum millia enumerat Gorionides. Quid istic egerint, vel quamdiu hęserint incertum. Fortè spe potiundæ vrbis exclusi, Iudæ cum suis aduentanti procedendum obuiam putarunt. Ergo relictis hinc inde pro præsidio, vel in arcibus octo millibus, solutâ obsidione Ierosolymæ,

Gorion. l.3. c.25.

¥.4. ABEVNT IN BEREAM obuiam Iudæ, ducentes secum VIGINTI MILLIA peditum, ET DVO MILLIA EQVITVM, cùm Iudas *v.5.* IN LAISA; Græcè, *in Eleasa*, non haberet vniuersim nisi TRIA MILLIA, sed fortium & *electorum virorum*;

tunc tamen temporis minùs constantium, minùs fidelium: nam duo millia & ducenti conspectâ hostium tantâ multitudine, suorum verò paucitate, panico correpti timore, desertis in præsenti periculo sociis, obliti fiduciæ in Deum, SVBSTRAXERVNT SE DE CASTRIS Iudæ, ET NON REMANSERVNT cum eo NISI OCTINGENTI VIRI.

¥.7. Hîc IVDAS CONFRACTVS EST CORDE ET DISSOLVTVS EST] nempe perturbato naturaliter animo, dubius quid in tantis angustiis ageret, & inops consilij hærebat, ac penè concidebat. Sed rebus humana via desperatis, mentem mox erigit ad Deum, & ex certa in ipsum fiducia, simul & ex ipsa necessitate animum recipiens,

¥.8. DIXIT RESIDVIS sociis suis: EAMVS AD B profligandum ADVERSARIOS NOSTROS, non nostris nixi viribus, sed ope cælesti. tentemus si POSSIMVS prosperè PVGNARE, & victoriam ADVERSVS EOS obtinere. Neque enim Deo vel difficile, vel insolitum esse, ipsimet sæpiùs experti sumus, (a) per paucos profligare etiam maximas hostium copias. Olim verò tantis aduersariorum exercitibus vt obuiam irent Abraham, Iosue, Gedeon, Ionathas, Dauid, & tot alij, quantillas ipsi copias eduxerunt? His, simul & magnificis Dei promissis Deuter. 28. & passim in Prophetis, animatus Iudas, potuit prudenter, piè & fortiter, etiam cum tam paucis incurrere in confertos hostes. Heroica enim fortitudo, non communem tritamque viam, sed arduam magis ac difficiliorem ingreditur, Dei potiùs quàm humano robori confisa.

(a) 2. Mach. vlt. v. 7. & 19.

Dices, Fugere dum necessitas vrget, non minoris virtutis est, quàm certamen inire. Respondeo, Nullâ hîc absolutâ necessitate putabat Iudas se premi: fidebat enim virtute & robore suorum, quos etsi paucos, tamen selectos habuit. fidebat & ope diuina, vt dixi. Et certè euentus, & victoria docuit, non temerè tale ab ipso consilium susceptum fuisse.

Dices Secundò, Fugere noluit, ne, vt dicitur, *maculam inferret* GLORIÆ SVÆ. Respondeo, Gloria illa ipsius non erat vana & futilis gloriola mundana, sed vera, religiosa & solida gloria, quam B 1. Mach. 3. v. 59. l. 2. cap. vlt. vers. 18. & alibi (b) disertè explicuit, nempe quæ ex defensione gloriæ Dei, veræ religionis, templi, patriæ & piorum ciuium subnascebatur. Ita S. Augustinus, Ambrosius & alij SS. Patres. Ergo, MORIAMVR, inquit, IN VIRTVTE, id est, fortiter, generosè, gloriosè, SI ex decreto diuino APTROPIAVIT TEMPVS NOSTRVM, vt ex hac vitâ excedamus. Neque enim glorioſore morte defungi possumus, quàm pro sacris aris, pro focis, pro Deo.

August. l. 5. de Ciu. c. 12. 13. 14. 15. &c. Ambr. l. 1. Offic. c. 41.

¥.18. AT CECIDIT IVDAS, ET CETERI eius socij vel tum saltem FVGERVNT] Respondeo, Fugerunt certè, sed post glorioſissimam victoriam, post contritum cornu dextrum exercitus regij, post cæsa tot hostium millia, cùm viribus iam exhausti, diutiùs arma tractare non possent. Quòd verò dux omnium Iudas cadere à Deo permissus sit, altioris consilij fuit, quàm vt à nobis capi possit. Auguratur Rupertus, Petrus Blesensis, Emanuel Sà, & quidam alij, displicuisse Deo fœdus initum cum Romanis. Addit Lucas Osiander & alij hæretici, aliquid humani passum hîc fuisse Iudam, debuisse plus fidere diuino auxilio: Ionathæ quoque & Simoni fratribus eius ab innouato fœdere cum Romanis omnia infeliciùs cessisse,

Rupert. l. 10. de Vict. verbi Dei c. vlt. Blesensis epist. 146.

imò citò extinctos esse. Verùm temerarium videtur ex euentu consilia metiri. Et quis tantos viros ausit tantæ vecordiæ, vel de Deo diffidentiæ accusare? Cur verò & hos potiùs damnemus, quàm Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Dauidem, Asam, & totalios, qui cum Gentilibus fœdera societatemque inierunt? An non permittunt diuinæ leges; an non suadet ratio naturalis, vt ad sui suorumque defensionem, humana diuinis præsidia iungantur? Vita, patria, religio mediis omnibus (quæ vetita esse non constet) propugnentur? Potiùs dixerim, mortem in forti pugna & pleno victoriæ prælio Iudæ nostro, & omnibus viris cordatis non inter aduersa vel pœnas, sed inter trophea adnumerandam esse, vti meritò adnumeratur Samsoni, Ionathæ Saulis, Iosiæ & tot aliis heroibus. Vide de hoc fusiùs Serarium.

Serarius pag. 7. à fine sui Comm. in libros Machab.

¥.22. CETERA VERBA BELLORVM IVDÆ, id est, plurimæ aliæ res in bello fortiter gestæ à Iuda, NON SVNT DESCRIPTÆ] Hic enim liber non nisi breue quoddam excerptum, seu compendium est heroicarum illius virtutum. Extincto Iuda, q. 23.

¥.23. EMERSERVNT & cristas erigere cœperunt INIQVI apostatæ, qui anteà metu illius nec hiscere audebant. Sed &

¥.24. FAMES exorta EST MAGNA, fortè frugibus ab hoste protritis. Cùm ergo gemino hosti, bello simul & fami, resistendo non essent Iudæi, C vrgerentque apostatæ vt pacem cum hostibus, etiã iniquis conditionibus, inirent, TRADIDIT SE BACCHIDI OMNIS REGIO EORVM CVM IPSIS incolis, exceptis Machabæis, eorumque assecIis, quorum iussu

¥.31. SVSCEPIT IONATHAS PRINCIPATVM tum Ecclesiasticum, tum politicum, LOCO IVDÆ FRATRIS SVI] Qui mox vnà cum sociis, quòd pauci admodum essent, nec tuti in vrbibus Bacchidi iam deuotis, FVGERVNT TRANS IORDANEM, (c) c Hic v. 34

¥.33. IN DESERTVM THECVÆ] quæ alia vrbs est ab illa Thecua cis Iordanem prope Bethlehem, vnde Thecuitis femina prudens, 2. Reg. 14. v. 2.

Cùm arma & instrumenta bellica deessent fugitiuis Machabæis; ex Thecuæ deserto D

¥. 35. MISIT IONATHAS FRATREM SVVM Ioannem, an seniorem incertum, certum primo loco inter fratres numeratum c. 2. v. 2. & hîc POPVLI DVCEM à Ionatha designatũ fuisse, missumque AD NABVTHÆOS sic dictos ab vrbe *Nabo* in tribu Ruben, Numer. 32. v. 38. vicinos & AMICOS SVOS, VT COMMODATO Iudæis DARENT APPARATVM SVVM bellicum, arma, machinas. Sed *Iambritæ*, Bacchidi magis quàm Iudæis addicti,

¥.36. Ex oppido MADABA hostiliter aggressi IOANNEM, eiusque socios & impedimenta OMNIA rapuerunt, & Ioannem occiderunt. Cuius mortem vltus egregiè Ionathas *vers.* 42. rediit obuiam Bacchidi AD RIPAM IORDANIS] Vbi suos ad fortiter præliandum inflammat:

¥. 44. NON EST HODIE, inquiens, SICVT HERI ET NVDIVS TERTIVS] vt pro libito declinare possimus impetum hostilem, vel fuga nobis consulere. Necessitas nos cogit, & quidem ineuitabilis, cum hoste confligere. Mox impetu in hostes facto, perruptis aciebus,

¥.47. EXTENDIT IONATHAS MANVM SVAM VT PERCVTERET & occideret BACCHIDEM, qui Iudam nuper deuicerat & occiderat. Sed Bacchides effugit ictum, ET DIVERTIT AB EO RETRO] Cumque in Ionatham eiusque socios

cios agmina hostilia vndique incurrerent,

℣. 48. DISSILIIT ex composito IONATHAS ciusque socij IN IORDANEM, ET TRANSNATAVERVNT in vlteriorem ripam, vt est in Græco: nec ampliùs reuersi sunt ad Bacchidem impugnandum. Quid verò hîc hostes? Non *transnatauerunt* ipsi IORDANEM AD EOS persequendos, nam assequi non potuissent, Ita in Græco & apud Iosephum. Ergo desideratis *ex* sua PARTE MILLE VIRIS, Iosephus ponit duo millia;

Ioseph. l. 13. Antiquit.

℣. 49. REVERSI SVNT Bacchides & ipsius exercitus IN IERVSALEM, subditam sibi tum vrbem. Nec ausus exinde bello lacessere Ionatham, *munitiones* solùm construxit hinc inde, ET CVSTODIAM, id est. præsidiarios, iis IMPOSVIT:

℣. 51. VT INIMICITIAS EXERCERENT IN ISRAEL] Id est, excursionibus inde factis diuexarent Iudæos.

℣. 52. IMPOSVIT etiam APPARATVM ESCARVM] frumentum, vinum & commeatum omnigenum, vt obsidionem ferre possent, si à Ionatha vrgerentur.

℣. 53. ACCEPIT quoque FILIOS PRINCIPVM totius REGIONIS Iudææ in OBSIDES, ne parentes ipsorum rebellare, & cum Ionatha conspirare auderent. Quid inter hæc pseudopontifex ALCIMVS?

℣. 54. Is eodem ANNO CENTESIMO QVINQVAGESIMO TERTIO, MENSE SECVNDO PRÆCEPIT DESTRVI MVROS DOMVS SANCTÆ INTERIORIS] Græcè, *aulæ*, seu atrij templi. Nempe iussit deiici muros interiores arcis quam in atrio templi Iudas Machabæus c.4.v.60. aduersus munitionem hostilem construxerat, non propria inuentione, sed ad exemplum *operum* olim à *prophetis* Aggæo, Zacharia & aliis designatorum, vt præsidium & tutelam perpetuam haberent sacerdotes & Leuitæ in suo templo. Hoc præsidio ne iam gauderent, & aduersus arcem regiam se tutarentur Iudæi, iussit impius Alcimus muros ab intus destrui: sed destructionis initio, diuina vindicta

℣. 55. PARALYSI PERCVSSVS interiit] Cœpto tamen operi institerunt ipsius assecl æ. Nam septimo demum pòst anno restaurauit muros illos Ionathas, c.19. v. 11. Interim *Alcimi* huius morte territus

℣. 57. BACCHIDES recurrit in Syriam AD REGEM suum Demetrium. Et sic biennio toto pax & quies à bello Iudæis fuit, quam etiam Florus describit. Quam dum ægrè ferrent impij apostatæ, Machabæorum æmuli, reuocant Bacchidem.

Florus initio c.3. l.2.

℣. 61. Sed PRINCIPES tantæ MALITIÆ, pacisque publicæ turbatores APPREHENDIT Ionathas, ET OCCIDIT QVINQVAGINTA VIROS. Aduolat interim BACCHIDES *cum exercitu multo*: sed à Machabæis *afflictus* v. 68. cæsus ET CONTRITVS, in impios apostatas,

℣. 69. QVI CONSILIVM EI DEDERANT, VT *rediret* IN Iudæam, iras omnes vertit, & MVLTOS EX EIS OCCIDIT] Inde à *Ionatha*

℣. 70. interpellatus de *pace*, vltrò dedit, captiuis omnibus ei redditis, neque ampliùs in Iudæam rediit. Gorionides dicit, fugientem *Bacchidem* in desertum, à Ionatha eiusque fratribus captum, cùm supplex iis esset, iurasse, se quæ è Iudæa abduxerat, omnia redditurum, atque ita firmata cum illis pace liberum in Syriam dimissum esse. Fides sit penes auctorem.

Gorion. l.4. c.1.

CAPVT X.

Ionatha amicitiam duo potentissimi reges, Demetrius Seleuci, & Alexander Antiochi Epiphanis filius ambiunt, sed solus Alexander eam potitur, qui Ionatha summum pontificatum confirmat, additâ purpurâ & coronâ aureâ. Mox, deuicto & occiso Demetrio, in nuptiis suis cum Cleopatra, Ionatham summis honoribus prosequitur inuidis & æmulis frustra illum calumniantibus. Apollonium deinde Alexandri & Iudæorum hostem profligat Ionathas, quo nomine vrbem Azaron omnemq; viciniam dono ab Alexandro accipit.

℣. 1. ANNO CENTESIMO SEXAGESIMO, cùm ab vltimo Bacchidis abscessu Iudæa toto quinquennio egisset in pace, rebus Machabæorum iam planè stabilitis; ecce tibi ex improuiso ALEXANDER *Balles* Iosepho, *Balas* Straboni, aliis *Veles* dictus, ANTIOCHI (*a*) Epiphanis, seu NOBILIS illius tyranni FILIVS, frater *Eupatoris*. (*b*) ita etiam Iosephus. Nescio verò vnde Iustinus, Appianus & Liuij Epitome habeant, infimæ sortis hominem fuisse, *Prompanum* nomine, mentitumque se ex nobili Seleucidarum stirpe procreatum. Credo, ad exemplum *Pseudophilippi*, qui hoc eodem tempore contra Romanos bellum Macedonicum tertium excitauit, teste Floro & Epitome Liuij: (*c*) vel certè alterius *Pseudoalexandri*, de quo multis pòst annis Iosephus, (*d*) voluisse etiam nostrum hunc *Alexandrum Veles* fictitiis & falsariis regibus adcensere. Sed standum Scripturæ, quæ cum Iosepho disertè affirmat, *filium* fuisse *Antiochi Nobilis*. Igitur Demetrio propter superbiam, luxum & ignauiam suis admodum exoso, volentibus Syris ASCENDIT in thronum regium *Alexander*, ET primò OCCVPAVIT PTOLEMAIDAM Phœniciæ vrbem, nunc *Accon* vel *Acre*: vbi incolæ illius & vicinæ regionis RECEPERVNT EVM in regem & dominum suum. Mox vterque rex *Ionatham* sibi adiungere, multis magnisque promissis ac donis studet. REX ALEXANDER *vers.18.* vocat eum *fratrem* (*e*) suum, id est, singularem amicum & socium, qui fratris instar esset.

Ioseph. l.13. Antiq. c.2. Strabo l.16. 2 1. Mach.6. v.1. &c.
b Ibid. v.17. &c.
Iustin. l.35. Appian. in Syriacis. Liuij Epitome l.52. Florus l.2. c.14.
c Liuij Epit. l.49.
d Ioseph. l.17. c.14.
e 2. Mach. 11. v.22.

℣. 20. VT QVÆ NOSTRA SVNT SENTIAS] Id est, adhæreas partibus nostris aduersus Demetrium, faueas & opituleris causæ nostræ. Oblata ab vtroque rege beneficia admittit Ionathas. Sed ob iniustam tyrannidem & hostilitatem aduersus Iudæos iam inde ab initio exercitam, meritò deserit Demetrium, adhæret Alexandro. Ac tum demum

℣. 21. INDVIT SE IONATHAS STOLA SANCTA, id est, veste pontificali, SEPTIMO MENSE, die 15. IN festo SCENOPEGIÆ] Hactenus enim occupatâ ab hostibus Ierosolymâ, (*f*) non vsus fuerat ornatu pontificio. Demetrius pòstpositum se dolens, nouis beneficiis tentat animos Iudæorum. Et quasi nesciret à se delapsos ad Alexandrum, alloquitur tamquam fideles amicos, v.26.

f c.9. v.24.

℣. 28. REMITTEMVS VOBIS PRÆSTATIONES] id est, tributa nobis præstari solita à Iudæis.

℣. 29. PRETIA SALIS, id est, vectigal & alia emolumenta quæ ex salis confectione (*g*) & venditione & deuectione mihi obueniebant. Item v. 35. CORONAS quæ mihi quotannis deferri debent, cap. seq. v. 35. aureas vtique (*h*) & gemmeas, iam REMITTO: VTI & TERTIAS SEMINIS] id est, tertiam partem omnium frugum, quæ ex agris semine consitis colligi solent. Item

g l.1. c.11.
h l.1. Mach. c.13. v.37.

℣. 30. DIMIDIAM PARTEM FRVCTVS LIGNI, seu omnium fructuum qui ex arboribus colliguntur;

liguntur ; quæ portio hactenus ad me spectabat. A Nihil horum volo DEINCEPS exigi vel à TERRA IVDA, vel à TRIBVS CIVITATIBVS, seu præfecturis, illi adiunctis, quæ cap. seq. vers. 34. recensentur.

¥.31. ET IERVSALEM non amplius profanetur aut refrænetur à præsidiariis arcis (*a*) meæ, sed SIT SANCTA ET LIBERA, gaudeatque plena immunitate, qualis decet locum tam sanctum. Vnde DECIMÆ ET TRIBVTA, quæ ex illa vrbe, totaque vicinia colligebantur, & in meum ærarium inferebantur, iam deinceps SINT IPSIVS reip. Ierosolymitanæ.

a 1. *Mach.* 1. v. 35.

¥.32. POTESTATEM verò, id est, imperium, ARCIS meæ, QVÆ EST IN IERVSALEM in monte Sion, DO SVMMO SACERDOTI.

¥.33. OMNEM ANIMAM IVDÆORVM, QVÆ CAPTIVA EST A TERRA IVDA] Id est, omnes Iudæos captiuos, qui tamquam mancipia hinc inde detinentur in toto regni mei districtu, & duram seruiunt seruitutem, absque pretio libertati pristinæ restituo. Neque volo, vt quisquam illorum, seu suo, seu pecorum suorum nomine quidquam tributi pendat.

¥.34. OMNIBVS verò IVDÆIS, QVI SVNT & manere volunt IN REGNO MEO, ne in exercendo cultu suo diuino præpediantur, volo vt OMNIA SABBATHA ET DIES DECRETI, seu destinati, certis festiuitatibus, SINT OMNES hoc meo statuto dies IMMVNITATIS, REMISSIONIS & quietis. Eodemque priuilegio gaudeant TRES DIES antecedentes, & TRES subsequentes aliquem solemniorem diem.

¥.35. explicat in quo consistat hæc immunitas, quam diebus istis omnibus concessam vult Iudæis, nempe, nemini liceat vllam ipsis litem vel molestiam mouere, quocumque iuris prætextu.

¥.36. *Adscriptis* IVDÆIS IN EXERCITVM REGIS DABVNTVR COPIÆ, id est, copiosè ac liberaliter curabuntur stipendia, aliaque omnia necessaria. Ex EIS desumentur qui præSINT MVNITIONIBVS REGIS MAGNI; Græcè, *magnis*, id est, præcipuis arcibus & vrbibus regni.

¥.37. Ex iisdem Iudæis desumentur qui præsint arcanis regis *negotiis*, QVÆ *constituuntur* EX FIDE, id est, quæ summam fidem & taciturnitatem requirunt. ET PRINCIPES ac magistratus etiam EX EIS deligantur : LEGIBVS interim SVIS omnibus passim toto regno meo vtantur, perinde atque IN propria TERRA IVDA ex præcepto regis vterentur.

¥.39. PTOLEMAIDA vrbem, quam nunc *Alexander* (*b*) hostis noster occupat, eiusque confinia *dono do* SANCTIS QVI; Græcè, *quæ*, SVNT IN IERVSALEM (vt est v. 42. & 44.) id est, templo Ierosolymitano, & quidem in eum finem vt ex his prouentibus foueatur cultus diuinus.

b *Sup. v. 1.*

¥.41 OMNE QVOD ANNIS PRIORIBVS quæstores mei subtraxerunt prouentibus templi ad illius fabricam fouendam destinatis, volo reddant IN OPERA DOMVS sanctæ prosequenda.

¥.42. ET SVPER HÆC, QVINQVE MILLIA SICLORVM ARGENTI, seu florenorum Belgicorum, QVÆ mei quæstores ACCIPIEBANT quotannis DE SANCTORVM RATIONE, id est, ex ærario & prouentu templi, & in vsus profanos conuertebant, iubeo reddi & impendi in stipendia *sacerdotum*.

¥.43. TEMPLVM eiusque confinia priuilegium habeant asyli, etiam pro omnibus exteris, quorum seu vitam, seu bona, licet alibi sita, nemo interim infestet. Hæc & plura alia priuilegia Iudæis offerebat tyrannus Demetrius. Sed hi iam pridem perspectum habentes hominis ingenium inconstans & fallax, memores quoque

¥.46. MALITIÆ MAGNÆ & tyrannidis QVAM *exercuerat* IN ISRAEL ; illo deserto deflexerunt IN ALEXANDRVM;

¥.47. QVIA IPSE FVERAT EIS PRINCEPS SERMONVM PACIS] id est, ipse prior Iudæos de pace & amicitia interpellarat, neque eos vmquam læserat. Ergo iuuantibus Alexandrum Iudæis, pugnâ inter duos reges commissâ, victus, cæsus, vita exutus est Demetrius v. 50. equo ipsius cadente, & telis ipsum obruentibus, inquit Iosephus. *Ioseph. l. 13.*

Victori Alexandro REX ÆGYPTI *Ptolemæus* 6. 5. Philometor FILIAM SVAM CLEOPATRAM dat vxorem. OCCVRRE, inquiens

¥.56. MIHI PTOLEMAIDAM, VT SPONDEAM TIBI, seu despondeam filiam meam ; Græcè, *vt sim tibi socer*. Accessit eodem

¥.60. etiam IONATHAS euocatus ab Alexandro rege. Vbi PVRPVRA *v.* 62. id est, regio amictu, INDVI *iubetur* : eiusque GLORIA per MEDIVM CIVITATIS publicè per præcones PRÆDICATVR, *v.* 64. id est, dignitas eius regia, qua (si non quoad nomen, certè quoad rem) decoratus fuerat ab Alexandro, iubetur toto oppido per primarios *principes*, quasi per publicos præcones, denuntiari ac diuulgari.

¥.67. Triennio post regis nuptias, DEMETRIVS iunior, FILIVS senioris DEMETRII Seleuci, nuper ab Alexandro profligati & occisi, VENIT ex insula CRETA, vbi hactenus latitarat, IN TERRAM PATRVM SVORVM, id est, in Syriam, regnum suum hereditarium recuperaturus, & cædem patris vlturus. Quo *audito vers.* 68. REX ALEXANDER CONTRISTATVS VALDE, ob nouam quam regno suo sentiebat imminere calamitatem, mox Ptolemaide *recurrit* ANTIOCHIAM] Sed iam in armis & in agro erat

¥.69. DEMETRIVS nouus REX, pro *duce* exercitus sui habens APOLLONIVM quemdam, QVI antè pro Alexandro PRÆERAT COELESYRIÆ, sed iam ab Alexandro defecerat ad illius hostem Demetrium. Ionathas in fide persistens Alexandri, eo absente se opponit Apollonio: *vers.* 70. TV SOLVS RESISTIS NOBIS, & noui regis regnique quietem perturbas, cur non vt ceteri omnes, tu quoque accommodas te tempori? Ego cum rege meo *derideor* à te & contemnor, imò probris afficior, QVIA POTESTATEM EXERCES IN MONTIBVS] Montosa enim est Iudæa : & facile est inter montium angustias, etiam cum exiguis copiis maximorum exercituum vim eludere. Sed si vir fortis es, &

¥.71. SI CONFIDIS IN VIRTVTIBVS TVIS, seu copiis militaribus, age, è latebris erumpe, ex angustiis proserpe, è montibus DESCENDE AD NOS IN CAMPVM, ET COMPAREMVS ILLIC INVICEM] id est, copias copiis opponamus, periculum faciamus vter alteri virtute præstet. Quòd si

¥.72. PATRES, id est, maiores, TVI à nostris Syris BIS IN FVGAM CONVERSI SVNT, idque IN TERRA SVA, inter illas montium angustias :

¥.73. QVOMODO POTERIS IN aperto CAMPO SVSTINERE EXERCITVM nostrum, & TANTVM

TVM EQVITATVM? VBI NON EST LAPIS, NEQVE SAXVM] Id est, vbi nulla reperies latibula, nulla loca petrosa & cauernosa, ad quæ te recipias vel tuos.

Acris certè prouocatio, nec frustranea. Quid enim timeat leo?

¥. 74. COMMOTVS ANIMO IONATHAS, irâ incandescens, & zelo exardescens, cum DECEM *millibus & Simone fratre* suo, obuiam it *Apollonio* etiam IN apertum CAMPVM:

¥. 78. vbi equitibus Syris à fronte & à tergo, imò vndique

¥. 80. *iaculis* & spiculis Iudæos infestantibus A MANE AD VESPERAM, immotos, neque vlla ex parte turbatis ordinibus, fortissimè resistit, donec tandem *vers.* 81. LABORAVERVNT, id est, valdè delassati sunt, EQVI Syrorum. Tunc enim ex præscripto Ionathæ,

¥. 82. SIMON expansis subitò alis EIECIT omnem EXERCITVM SVVM in hostes, fundens, cædens, fugans pedites, equites omnes. Qui euadere potuerunt,

¥. 83. FVGERVNT IN AZOTVM vrbem loco pugnæ vicinam; nec vrbe sat tuti, INTRAVERVNT
11. *Reg.* 5. v. 2. IN BETHDAGON, (*a*) id est, in domum seu templum *Dagon* ad IDOLVM SVVM, sibi (vt sperabant) tutelare; Græcè est, in *εἰδολεῖον* (*b*) suum, id est, in templum idoli sui. Sed quomodo tutabitur clientes suos Dagon, qui seipsum tutari non potuit? Nam subiectis à Ionatha flammis, & idolum, & idolium, ET OMNES QVI FVGERANT IN ILLVD, & vrbs vniuersa Azotus, & vicinæ omnes conflagrarunt. Prudentiores Ascalonitæ, qui
b 1. *Cor.* 8. v. 10.

¥. 86. *Ionatha* ad vrbem oppugnandam CASTRA *applicanti* OBVIAM EXIERVNT, portarum claues ei offerentes, & MAGNA GLORIA atque honore eum excipientes. His à Ionatha aduersus Apollonium ac Demetrium tam præclarè gestis,

¥. 88. ALEXANDER REX mirè lætatus, ADDIDIT ADHVC longè magis GLORIFICARE & honorare IONATHAN.

¥. 89. ET MISIT EI FIBVLAM AVREAM] Græcè, *μίτρην*, quod *monile* verti posse censet Mariana, putatque ex torque dependisse, vt in Gallia *S. Michael*, in domo BVRGVNDICA *vellus aureum*. Serarius vult vel ad pectus, vel ad cingulum, vel ad quamcumque aliam vestium partem applicatum fuisse monile, quo tamquam fibula, subnecterentur longiora & fluxiora vestimenta. Vnde Virgilius:

Encid. 4. *Aurea purpuream subnectit fibula vestem.*

Vt vt est, constat, primæ notæ ornamentum fuisse, *Liuius l.* 39. etiam *militare*, teste Liuio: & paucis admodum, nec nisi REGVM consanguineis *concedi* solitum, vt ex hoc loco colligitur.

CAPVT XI.

Rex Ægypti Ptolemæus Philometor genero suo Alexandro vxorem & regnum eripit. Is in Arabiam fugit, vbi perfidè à Zabdiele rege capite truncatur. Quo exhibito regi Philometori, ipse tertio pòst die moritur. Demetrius iunior stabilitus in regno Syriæ, reconciliatur Ionatha & Iudæis: sed breui in alium mutatus, in eosdem rursus insurgit. Ionathas ab Antiocho Alexandri Velis in Arabia occisi filio miris honoribus decoratur: pro quo mox plures vrbes eripit perfido Demetrio, eiusque exercitum profligat.

¥. 1. REX ÆGYPTI Ptolemæus ambitione exæstuans, inhiat regno Syriæ. Ergo socer in generum armatur. Priùs tamen rem DOLO tentat, & amicitiæ atque affinitatis prætextu abusus, Syriam cum validissimis copiis ingreditur, vsus vbique

¥. 2. VERBIS PACIFICIS, quasi generum suum reuisurus, & maximi momenti negotia cum eo tractaturus. Quamcumque interim

¥. 3. CIVITATEM INTROIRET, IMPONEBAT ei præsidium MILITARE. Nec diu latuit dolus; mox enim vt *vers.* 12. FILIAM SVAM Cleopatram ABSTVLIT ALEXANDRO, ET DEDIT EAM æmulo eius DEMETRIO, MANIFESTÆ SVNT omnibus INIMICITIÆ EIVS aduersus Alexandrum. Et ecce honestum prætextum. *v.* 10. QVÆSIVIT Alexander ME INTERFICERE veneno, vel per sicarios. ideò, scilicet, VITVPERAVI, id est, repudiaui, EVM, & à thoro filiæ repuli, & regno exui. Sed vera causa fuit, *v.* 11. QVOD Ptolemæus CONCVPIERAT REGNVM Alexandri, velletque illud annectere regno Ægypti. Vnde vtriusque regni *diadema*

¥. 13. ÆGYPTI scilicet ET ASIÆ, IMPOSVIT *Antiochiæ* CAPITI SVO] Neque verò intendebat Ptolemæus tradere regnum Asiæ nouo genero suo Demetrio, licet hoc illi promisisset v. 9. sed illo solùm pro vasallo vti volebat.

¥. 14. ALEXANDER absens tum IN CILICIA vt REBELLANTES istic compesceret, auditis dolis & perfidia soceri, voluit bello cum ipso congredi: sed primo congressu fusus fugatusque *v.* 16. IN ARABIAM se recepit, VT IBI PROTEGERETVR à *Zabdiele Arabum* rege, Iosephus *Zabelum Ioseph. l.* 13. vocat. Sed hic veritus, ne hac occasione Ptolemæus *c.* 8. tot iam regnorum potentiâ auctus ac proinde insuperabilis, etiam regnum Arabiæ inuaderet, præuertit inhumano scelere, *præciso capite* ALEXANDRI, & ad *Ptolemæum transmisso*, illum sibi hoc munere deuincire; & periculum à suis finibus amouere. Sed en celerem Numinis vindictam.

¥. 18. PTOLEMÆVS à conspecto generi capite, non superuixit nisi vsque ad *tertiam diem*, vulneribus extinctus, inquit Iosephus, quæ in nupera cum Alexandro pugna acceperat. Inchoabatur tunc annus Græcorũ 167. regni Philometoris 36. *Chron. c.* 39. Quo extincto milites Ægyptij, QVI à Ptolemæo relicti erant IN MVNITIONIBVS Syriæ nuper ab illo occupatis, mox iubente Demetrio inuasi sunt & occisi AB HIS QVI ERANT INTRA CASTRA, id est, à Syris & Asiaticis, quos DEMETRIVS tum temporis habebat secum in castris. Atque ita regnum vniuersum Syriacum cessit Demetrio anno 167. Græcorum.

¥. 20. Horum tumultuum occasione vsus IONATHAS ARCEM obsedit *Ierosolymitanam*, quæ Syriaco præsidio etiam tum insidebatur. Nam licet *Demetrius* senior cap. præced. vers. 32. dederit hanc arcem Ionathæ; donatio tamen ista, quia conditionata erat, (nempe, si Iudæi fauerent Demetrio aduersus Alexandrum) nec conditio hæc acceptata fuerat, in rem deducta non fuit. Dum ergo Ionathas arcem sibi iam vindicare conatur, en tibi perfidos apostatas,

¥. 21. QVI ODERANT propriam GENTEM SVAM Iudaicam, AD DEMETRIVM nouum REGEM querelas deferentes.

¥. 22. IRATVS Demetrius inhibet IONATHÆ NE ARCEM OBSIDEAT, sed PTOLEMAIDAM mox aduolet, collaturus secum super hoc & aliis pluribus negotiis. Sed Ionathas nil territus litteris regiis, suis in obsidenda arce occupatis,

¥. 23.

¥.23. IVSSIT porrò OBSIDERE, & ſtrenuè in A opere benè cœpto progredi. Ipſe interim excurrit ad regem Ptolemaidam: à quo honorificentiſſimè exceptus, & ampliſſimis dignitatibus auctus eſt. Atque hac occaſione obtinuit à rege non quidem *arcem* prædictam, (nam ex v.41. contrarium colligitur: vnde veriſimile eſt Ionathan à reditu ſuo ſoluiſſe obſidionem arcis,) ſed alia longè maiora: nempe

¥.28. VT IMMVNIS eſſet tota IVDÆA ab omni externo præſidio, ab omni tributo, ab omni onere. Nec Iudæa ſolùm, ſed & omnia quæ annexa erant Iudææ, putà TRES TOPARCHIÆ, ſeu præfecturæ, v.34. nominatæ: item SAMARIA ET EIVS CONFINES ciuitates. Porrò ad hanc immunitatem fa- B ciliùs extorquendam, PROMISIT Ionathas regi TALENTA TRECENTA pro honorario munere.

¥.31. EXEMPLVM EPISTOLÆ QVAM SCRIPSIMVS nos rex Demetrius LASTHENI PARENTI NOSTRO, ſeu inſtar parentis charo & grato, (vicario noſtro in finibus Iudææ, vel etiam Syriæ proregi,) MISIMVS AD VOS, ô Iudæi, VT SCIRETIS quid in vſum & commodum veſtrum illi mandauerim.

¥.34. STATVIMVS ERGO genti Iudæorum immunes deinceps relinqui OMNES FINES IVDÆÆ, item TRES CIVITATES, ſeu præfecturas, (Ioſephus *ſatrapias* vocat,) nempe ἀφαιρέματα (hæc enim ex Græco ſupplenda) LYDAN, ET RAMA- C THAM, cum OMNIBVS CONFINIBVS EARVM. Et omnia, quæ inde quotannis, ſeu *tributa*, ſeu *decimæ*, ſeu regalia colligebantur, volumus SEQVESTRARI, & cedere deinceps in vſus *ſacrificantium* ſacerdotum Ieroſolymis, eo ſenſu quo cap. præced. v.28. & ſeqq. addixerat Iudæis ſenior Demetrius, & iam Ionathas à iuniore depoſcebat hoc c.11. v.28.

¥.35. REMISIT quoque Iudæis rex AREAS SALINARVM] Græcè, *ſtagna ſalis*. Solet enim aqua maris in areas, ſeu lacunas, vel ſtagna redigi, ibique euaporare, & calore ſolis concreſcere in ſal. De
Lipſ. l.2. e.1. ſalariis reditibus multa refert Lipſius in Admirandis.

¥.38. DEMETRIVS REX cùm nullum ampliùs haberet regni æmulum, exauctorat TOTVM EXERCITVM SVVM, quem ex Syris & Aſiaticis ciuibus & ſubditis ſuis collectum habuerat, qui ſtrenuam ipſi & ipſius parentibus operam perpetuò nauarat: retinuit autem penes ſe *peregrinum exercitum* QVEM AB INSVLIS, ſeu regionibus, externarum GENTIVM ſecum *traxerat* in Syriam: quaſi plus fidens externis militibus, quàm propriis ſubditis & ciuibus ſuis. Et verò debebat magnis ſumptibus alere externum illum militem, cùm poſſet longè minore impenſa ſubditorum ſuorum fauore ac benevolentia frui, quæ tunc in odium commutata fuit: nam idcirco INIMICI facti ſunt EI E OMNES EXERCITVS PATRVM EIVS, omnes antiquæ legiones Syriacæ & Aſiaticæ.

¥.39. Vſus eſt occaſione TRYPHON QVIDAM,
Appian. in Syriacis. Ioſeph. l.13. c.14. Strabo l.16. Iuſtin. l.36. dictus antea *Didotus*, inquit Appianus, natione *Apamæus*; vel ſaltem educatione, vt Ioſephus, Strabo & Iuſtinus volunt; homo potens & factioſus, & ope harum legionum viam ſtrauit ad regnum ANTIOCHO iuniori FILIO ALEXANDRI Velis, recèns à Zabdiele Arabe capite plexi, apud alium principem ARABEM nomine EMALCHVEL ſecretò latitanti. Sed de hoc infrà. Vſi ſunt & ciues Antiocheni,

¥. 45. qui ſeditioſo furore CONVENERVNT *in medium ciuitatis* (vt additur in Græco) id eſt, in forum, ad CENTVM VIGINTI MILLIA, ET VOLEBANT INTERFICERE REGEM Demetrium: & iam cœperant

¥.46. *oppugnare* AVLAM, ſeu arcem, in quam rex confugerat. Sed ope *trium millium Iudæorum* à Ionatha v.44. Antiochiam ſubmiſſorum, liberatus eſt rex, cæſis Antiochenorum facilè CENTVM MILLIBVS. Sed partâ rurſum quiete

¥. 53. MENTITVS EST REX Demetrius, nihil præſtans eorum omnium quæ Ionathæ & Iudæis verſ. 34. & 42. ampliſſimis verbis addixerat. Quin potiùs VEXABAT EVM VALDE, pro bonis referens mala benefactori & conſeruatori ſuo. Vnde & Ionathas cum ſuis adhæſit deinceps æmulo Demetrij, Antiocho iuniori, quem TRYPHON ex Arabia

¥.54. in Syriam eduxit, & regio diademate inſigniuit, Demetrio primâ pugnâ in fugam abacto:

¥.56. ET BESTIIS, id eſt, elephantis omnibus turritis & machinis, & impedimentis, adeoque & regia ſede ANTIOCHIA, victori in ſpolium cedentibus. Victoriæ cauſa non minima fuerant *Ionathas & Simon*; vnde mox inſignibus à nouo rege muneribus atque honoribus decorantur v. 57. & 59. Et proſecutus victoriam Ionathas pro Antio- *Ioſeph. ſup.* cho, vt ait Ioſephus, *c.9.*

¥. 60. TRANS FLVMEN Iordanem, adiutus omnibus Syriacis legionibus, omnia DAMASCVM VSQVE detraxit Demetrio, & nouo regi Antiocho ſubiecit. Interea

¥.63. PRINCIPES exercitus DEMETRII PRÆVARICATI SVNT IN CADES, id eſt, ad rebellionem concitarunt incolas *Cades*, Ioſepho *Cedaſa*; QVÆ ſita EST IN GALILÆA, perſuadentes eis vt pro Demetrio arma ſumerent aduerſus Antiochum; VOLENTES hoc ſtratagemate reuocare à Syria & REMOVERE Ionathan A NEGOTIO REGNI pro Antiocho conquirendi & ſtabiliendi: ne, dum aliena curatum iret, propria perderet. Sed D Ionathas, rebus in Syria compoſitis,

¥. 64. OCCVRRIT cum victore exercitu ſuo ILLIS Demetrij ducibus, relictâ *fratri ſuo Simoni* INTRA PROVINCIAM Iudæam curâ expugnandæ BETHSVRÆ iuxta Ieroſolymam. (*a*) quod illi *a c.4. in f.* ſucceſſit ex animi ſententia v.6. *ne.*

¥. 67. SED IONATHAS cum ſuis AD lacum GENEZAR, ſeu Genezareth, ANTE LVCEM VIGILAVERVNT IN CAMPO; Græcè, *in campum*, ASOR: nam eò feſtinabant Iudæi. Cumque eò appuliſſent ſummo manè aciem inſtruunt: ſed dum ab inſidiis à tergo poſitis non ſat cauent, circumuenti v.70. aguntur in fugam, nemine apud ſigna militaria reliquo præter MATHATHIAM FILIVM ABSALOMI, forſan illius cuius mentio eſt c.13. verſ.11. vel 2.Mach.11. verſ.17. ET IVDAM FILIVM CALPHI, *principes* MILITIÆ EXERCITVVM (vt eſt in Græco:) ſed cum duobus his principibus manſerunt veriſimiliùs illorum quoque milites, ſaltem fortiores & nobiliores. Quomodo enim duo iſti ſoli cum Ionatha potuiſſent *prælium* inſtaurare & continuare, donec hoſtes *in fugam* verterentur? inquit Serarius. Ioſephus dicit cum duobus iſtis ducibus ad ſigna remanſiſſe circiter quinquaginta milites. Quid verò ad hæc Ionathas?

¥.71. SCINDIT VESTIMENTA, *puluerem capiti* inſpergit, *orat* ſupplex Deum, vt in rebus deplora-

ploratis ipſe ſuccurrat è machina. Sic nouis animis, nouo robore, nouo impetu recurrit cum ſuis in hoſtes, cædit, ſternit, fugat: nec priùs vrgere deſinit, quàm

A

℣. 73. Reuerſis è fuga Iudæis, & in hoſtes iam fugientes reuectis, ſterneret ILLA DIE TRIA MILLIA VIRORVM.

CAPVT XII.

Ionathas cum Romanis & Spartanis fœdus renouat: Demetrij copias iterum fugat: Arabas cædit. Simon vrbem Ioppen rebellare parantem nouis præſidiis communit, vti & alia Iudææ oppida. Tandem Ionathas dolo & inſidiis Tryphonis Aſiæ imperio inhiantis capitur, & cuſtodiæ mandatur.

℣. 1. ROmanis, *verſ.* 2. SPARTIATIS, ſeu Lacedæmoniis nouo fœdere Ionathas coniungitur. Dicuntur *Spartiatæ*, ſeu *Spartani*, ab vrbe *Sparta* in Achaia regione Laconiæ in Peloponneſo. Dicuntur & Lacedæmones ab vrbe Laconica λᾶς, ſeu, λάας, id eſt lapis, & κάδμυ. q.d. *lapis Cadmi*, vt ex Clemente Alexandrino & aliis fusè Serarius. Ab aliis *Lacones* vocantur, & erant poſteri *Heraclidarum*, Agidæ dicti. De quibus fusè Pauſanias, Euſeb. Sigonius & alij. Horum rex *Arius*, vel, vt alij,

B

Clem. l. 1. Strom. Pauſan. in Laconicis. Euſeb. in Chronico.

℣. 7. AREVS, quartus à fine inter *Agidarum* reges, contra Pyrrhum Epiri, & Antigonum Gonatam Macedoniæ reges multa bella geſſit, & amicas dedit litteras AD ONIAM ſecundum teſte Euſebio Iudæorum pontificem, quæ hîc citantur v.20. Vbi & Spartanos *fratres* vocat Iudæorum, & *de genere Abraham*, putà ex *Cetura*, quam poſt partum Saræ ſecundariam vxorem duxit Abraham, Geneſ. 25. verſ. 1. ita Ioſephus ſuprà. Ita *inuentum eſt in ſcriptura*, non ſacra, ſed profana, nempe in antiquis Spartanorum annalibus. Alij volunt, eos ex poſteris eſſe Agar ancillæ Saræ, eiuſque filij Iſmaelis, Geneſ. 25. v. 12. & his ſubſcribit etiam Matthæus Dreſſerus.

C

Droſſer. in epiſt. ad amicum contra Reinecium.

℣. 8. Spartanorum *ſocietatem & amicitiam* ambabis vlnis amplexi ſunt Iudæi. Quia tamen à bellis tunc feriabantur, addunt

℣. 9. SE NVLLO HORVM INDIGERE, nempe quoad opem vel ſubſidium vltrò à Spartanis tamquam amicis & ſociis oblatum, vt explicant v. 14. pro SOLATIO ſuo HABENTES SANCTOS LIBROS] quibus tempore pacis ſecuri incumbebant. Iam verò

℣. 10. MALVIMVS, inquiunt, MITTERE legatos AD VOS, ad renouandam AMICITIAM priſtinam, ne diuturniore mora forſan illa intercidat, & nos ſic loco fratrum, ALIENI EFFICIAMVR A VOBIS & peregrini. Licet nos numquam veſtri deponamus

D

℣. 11. *Memoriam* IN SACRIFICIIS, ET OBSERVATIONIBVS ſacrarum cæremoniarum noſtrarum. Græcè & meliùs, *in obſecrationibus.*

℣. 23. POSSESSIONES NOSTRÆ, VESTRÆ SVNT, ET VESTRÆ NOSTRÆ] q.d. Amicorum omnia ſunt communia Formula hæc fuiſſe videtur arctiſſimæ amicitiæ explicandæ. Copias interim
a 11.9.72 ſuas nuper (*a*) à Ionatha fuſas fugataſq; inſtaurant

℣. 24. PRINCIPES exercitus Demetrij, SVPRA QVAM PRIVS] id eſt, longè maiore numero quàm antea. Quo comperto, IONATHAS

℣. 25. OCCVRRIT EIS extra Iudæam IN AMATHITE Arabiæ REGIONE] Prudentis enim ducis eſt, extra fines ſuos in hoſtico bellum gerere. Sed timidiores hoſtes, non auſi palàm manus conſerere cum Iudæis, fugam capeſſunt.

℣. 30. TRANS FLVMEN ELEVTHERVM (*b*) in Syria, nunc *Vellapia* dictum. Ergo Ieroſolymam REVERSVS IONATHAS verſ. 35. cùm arcem iſtic à Gentilibus adhuc inſeſſam expugnare ſe poſſe diffideret, ſtatuit *altiſſimo muro*

b c.11. v.7.

℣. 36. Illam A CIVITATE SEPARARE ac diſcludere, VT IPSA SINGVLARITER ac ſeorſim RELINQVERETVR: & qui in ea eſſent præſidiarij, NEQVE *emere* quidquam à ciuibus, NEQVE *vendere*, neque commercium aliud exercere poſſint. felici ſanè conſilio, vt c. ſeq. v. 50. videbimus.

℣. 39. Interea TRYPHON bis perduellis, non ſat habuit deflexiſſe à Demetrio, in eiuſque locum intruſiſſe iuniorem ANTIOCHVM, vt ſuprà (*c*) vidimus; nunc in ipſum quoque inſurgit ANTIOCHVM, ſibique imperium ASIÆ rapere conatur. Conatui obſtiturus erat præ ceteris *Ionathas*. Ergo & hìc de medio tollendus.

c c.11. v.54

℣. 41. IONATHAS nil veritus mali, ſummâ magnificentiâ Tryphoni occurrit IN BETHSAN, aliàs Scythopoli, Syriæ oppido, non procul Tiberiade. Quia tamen de amicitia Tryphonis non prorſus ſecurus erat, è præſtantiſſimis ſuis militibus ſecum duxit 40. millia. Sed mox ſuaſu verſipellis tyranni

℣. 46. *Remiſſis* penè omnibus *in Iudæam*, cum ſolis *milleviris* v.47. ſe fidei illius credidit in vrbe *Ptolemaide*. Vbi iuſſu tyranni

℣. 48. Comprehenſus ipſe à præſidiariis, ſocij verò ipſius omnes gladio cæſi ſunt. En diuinam vindictam, ait Oſiander, proſequentem Ionathan, quòd nullâ cogente neceſſitate, ad humana Romanorum aliarumque impiarum & idololatricarum gentium præſidia nuper (*d*) reſpexerit, nec in ſolo Deo ſpem & fiduciam ſuam collocarit. Sed aduerſus eiuſmodi hæreticorum calumniam iam ſuprà reſpondi c. 9. v. 18.

d Sup. v. 1. &c.

CAPVT XIII.

Capto Ionatha ſubſtituitur frater eius Simon in principatu & pontificatu: qui pro redimendo fratre, centum talenta, & duos illius filios obſides Tryphoni mittit, qui ſpoponderat ſe his conditionibus Ionathan liberum in Iudæam remiſſurum; Sed mentitus eſt perfidus, & accepto lytro occcidit tam Ionathan quàm filios eius: quos magno honore ſepelit Simon, conſtructo illu & toti familiæ ſuæ nobiliſſimo mauſoleo. Tryphon regem Antiochum occidit, regni diadema ſibi imponit. Aduerſus eum communit Simon præcipua Iudææ loca: cum rege Demetrio Tryphonis æmulo, pacem facit, vrbem Philiſtinorum Gazam, ac tandem etiam arcem Ieroſolymitanam deditione recipit: & filium ſuum Ioannem, poſtea Hyrcanum dictum, exercitibus ducendis præficit.

℣. 1. SIMON dux & pontifex Iudæorum anno Græcorum 170. finiente (*e*) loco Ionathæ delectus v.8. inchoatos cap. præced. v. 36. muros Ieroſolymis

cc. 13. *v.* 22. *&* 23. *&* 41.

℣. 10. ACCELERAT CONSVMMARE, ſeu perficere. nempe ne quid aduerſi, eo abſente, ciuibus accideret ab iis qui erant in arce. Mox

℣. 13. Aduerſum Tryphonem mouet, APPLICANS exercitum ſuum IN ADDVS, quam vrbem c. 12. v. 38. ipſemet communierat. Sed ibi vocatur *Adiada*; Græcè, *Adida*; Ptolemæo, *Adada*, in Palmyrena eſt Phœniciæ regione. Eſt & mentio Palmyræ 3. Reg. 9. v. 18. iuxta Euphraten, à Salomone exædificatæ: vnde *Odenatus* Zenobiæ maritus, de quo ibi Mariana. Hìc caſtra metatur Simon CONTRA FACIEM CAMPI] id eſt, in proſpectu, vel iuxta campum latiſſimum, irritans hoc modo Tryphonem ad prælium. Sed is

℣. 14. diffisus suis viribus, dolum excogitat, A quo & impetum Simonis elusit, & capti Ionathæ filios ambos obtinuit, & insuper grandem pecuniæ summam Iudæis extorsit. Fingit paratum se liberare Ionathan, quasi non hostili animo captum, sed solùm

℣. 15. PRO ARGENTO, quod IN RATIONIBVS *regijs* compertum fuerat *Ionathan debere* regi, detentum penes se in custodia. Exsoluat ergo

℣. 16. Simon hoc fratris sui debitum, nempe CENTVM TALENTA auri: quæ si Attica fuerint, faciunt sexcenta millia aureorum in auro: sin Hebræa, duplam summam. Mittantur insuper mihi in OBSIDES ambo EIVS FILII, quibus quasi compedibus patrem mihi aduinctum teneam, VT DIMISSVS & libertati suæ redditus, ad vlciscendam hanc captiuitatem, NON FVGIAT & abalienet se A NOBIS, atque ad hostes nostros transfugiat, illis aduersum nos adhærens & studens.

℣. 17. ET COGNOVIT quidem sat probè SIMON, Tryphonem non sincerè, sed fraudulenter SECVM agere. Ne tamen populo ansam daret queritandi, quasi ex auaritia neglexisset fratri succurrere, vt ipse principatu frueretur: & quia pietas in fratrem omnia, vt in viuis conseruaretur, tentare suadebat: neque certus omninò erat, Tryphonem consilia tam perfida & crudelia capturum, inquit S. Thom.

℣. 19. MISIT SIMON petitam pecuniam, ET PVEROS; sed, heu! ad lanienam, vt dicitur vers. 23. Acceptâ enim pecuniâ & obsidibus, non abijt retrorsum, vt conuenerat, sed porrò perrexit vers. 20. *intrare* REGIONEM Iudæorum, non quidem recto itinere pergens (sic enim incurrisset in Simonem, sed GYRANS PER VIAM QVÆ DVCIT in ADOR: Ptolemæo *Dor*, seu *Dora*: vrbs est in Phœnicia maritima non ita procul à Ptolemaide; *Ioseph. l. 13. Antiq. c. 13.* Iosephus vrbem Idumææ esse dicit. Igitur semicirculo facto circum fines Iudææ, ductabat exercitum suum Tryphon; Simone vestigijs eius vbique insidiante, ne qua irrumperet. Interim muris altissimis obsepti, & fame pressi præsidiarij Gentiles

℣. 21. QVI ERANT IN ARCE Ierosolymitana, rogant per LEGATOS TRYPHONEM, festinet ALIMONIAS submittere, & viam quâ inferri possint, suggerunt, nempe PER DESERTVM] Sed submissos equites, utique cum sacculis frumento vel alia annona plenis

℣. 22. Præpediuit nimia NIX nocte illa delapsa. Vnde NON PERVENIT ad arcem Ierosolymitanam:: SED (vt in Græco est, & apud Iosephum) *abijt & venit* IN GALAADITIM] Vbi cùm non posset alia ratione Iudæis nocere, vt saltem aliquo ægrè illis faceret,

℣. 23. OCCIDIT quem captiuum hucusque secum traxerat, IONATHAN, ET EIVS FILIOS, cùm pontificatum & principatum Iudæorum is administrasset annis omnino 19. Occisorum cadauera, post Tryphonis in Asiam recessum,

℣. 25. SEPELIVIT SIMON IN patria sua MODIN, constructis illic pro mausolæis SEPTEM altissimis nobilissimisque è secto, inciso, POLITOque LAPIDE PYRAMIDIBVS, VNA CONTRA VNAM, id est, sibi mutuo è regione aptè oppositis, VNA PATRI suo Mathathiæ, altera MATRI, QVATVOR alijs *quatuor* FRATRIBVS suis, Judæ, Ionathæ, Ioanni, Eleazaro, (*a*) septima sibi. pyramidibus *a 1. Mach. 1. v. 2. &c.*

℣. 29. HIS CIRCVMPOSVIT alias COLVMNAS MAGNAS, ET SVPER COLVMNAS affixit ARMA suorum bellica, ET SCVLPTAS è marmore NAVES, quibus designabat partas terra marique victorias per Machabæos. De hoc mausolæo, aliquid dixi in fine capitis 2.

℣. 31. TRYPHON AVTEM capta opportunitate, CVM ITER quoddam per Asiam FACERET CVM nouo REGE ANTIOCHO adhuc ADOLESCENTE, forsan vt varijs in prouincijs solemni ritu nouus rex inauguraretur, clàm & DOLO OCCIDIT EVM, seu veneno, seu laqueo, seu alio genere mortis: & assumpto, imò rapto, SIBI *diademate* ASIÆ, REGNAVIT LOCO EIVS,

℣. 32. ET FECIT PLAGAM, seu afflictionem, MAGNAM IN omni TERRA sua, persequens & exscindens quotquot sibi aduersari compererat. Hic à tempore Alexandri Magni primus est qui extra ordinem & stirpē Seleucidarum vi se ingessit: B in regnum Syriæ & Asiæ, tenuitque triennio: quo euoluto occisus ab *Antiocho Sedete* filio Demetrij Nicanoris, sceptrum Seleucidis restituit. Aduersus hunc tyrannum vt magis se communiat

℣. 34. SIMON, amicitiam acceptat DEMETRII Nicanoris, nuper à Tryphone (*b*) regno pulsi, & à Ionatha semel (*c*) iterumque (*d*) cæsi vel fugati, & nunc Iudæorum auxilia solicitantis. Sed inter amicitiæ & fœderis leges hanc vnam à rege Demetrio deposcit, VT REGIONI Iudæorum FACIAT REMISSIONEM ab exactionibus, à tributis, à iugo Gentilium. QVIA ACTVS TRYPHONIS, quibus Iudæam de nouo grauarat, OMNES PER DIREPTIONEM, subreptionem & tyrannidem GESTI FVERANT, ac proinde rescindi iure merito debebant. Rescidit omnia Demetrius, v. 37. acceptâ à Iudæis in beneuoli animi signum CORONA AVREA, quâ regnum illi postliminio stabilitum, seu gratulabantur, seu vouebant: miserant item Iudæi Demetrio BAIHEM; Græcè, *βαΐνην*, id est, ramum palmarem, vtique aureum, victoriæ de tyranno symbolum vel omen. *Baij* enim & *baion* ramum palmæ significat, vt etiam Nolter hîc v. 51. vertit. Neque solam remissionem onerum quam Simon postulârat, indulsit rex Iudæis, sed & alia omnia, inquit v. 38. QVÆCVMQVE VOBIS CONSTITVIMVS iam olim c. 11. v. 34. CONSTARE iam & firma ac rata esse volumus.

b c. 11. v. 55. c Ibid. v. 61. d c. 12. v. 18. &c.

℣. 39. REMITTIMVS QVOQVE IGNORANTIAS ET PECCATA: id est, quidquid aduersum nos, seu per imprudentiam, seu alio modo peccastis. Nam post iniurias à Demetrio acceptas c. 11. v. 53. hostes illi se semper exhibuerant Iudæi. ibid. v. 63. & c. 12. v. 24. Ex illo itaque tempore, liberati sunt Iudæi *vers.* 41. ab omni IVGO GENTIVM, nempe ANNO CENTESIMO SEPTVAGESIMO regni D Græcorum iam finiente. Interim occasione horum inter nouos reges & Iudæos tumultuum, Gazenses nuper (*e*) à Ionatha subacti, iugum rursus excussérant. Sed à Simone vi ad officium reducti, v. 43. & aliò migrare iussi suffectis illorum loco VIRIS QVI LEGEM Dei FACERENT, id est, Israelitis (*f*) vel proselytis diuinæ legis studiosis. *e c. 11. v. 61. f c. 14. v. 36.*

℣. 49. QVI ERANT IN ARCE IERVSALEM, cincti & concluſi muris (*g*) altissimis & fame iam enecti, deditionem tandem faciunt Simoni ANNO CENTESIMO SEPTVAGESIMO-PRIMO MENSIS SECVNDI Iiar DIE VIGESIMA-TERTIA, cùm Gentiles totis 26. annis, nempe ab anno 145. (*h*) vsque ad 171. eam tenuissent. Addit Iosephus, eam à Simone funditus euersam esse, vtpote *g c. 12. v. 36. h c. 1. v. 11. 30. 35. Ioseph. l. 13. c. 11.*

℣. 51.

℣. 51. INIMICVM MAGNVM Israeli, & templo, totiqúe Iudææ infestissimum. De *cinyris* (*a*) & *nablis* (*b*) alibi dixi. Ex opposito dirutæ arcis Gentilium *vers.*53. communit alteram Iudæorum arcem in MONTE TEMPLI; (*c*) nuper à Iuda exstructam, sed ab Alcimo (*d*) destructam, rursumque à Ionatha (*e*) instauratam, nunc nouis munitionibus auctam & perfectam. Et hîc sedem fixit Simon domicilio *Gazara* (*f*) Ierosolymam translato, & FILIO SVO IOANNE Hyrcano, iam DVCE VIRTVTVM VNIVERSARVM, id est, præfecto copiis omnibus militaribus, loco suo *Gazara* collocato.

(*a*) 1.Mach. 4.v.54. (*b*) 1.Par. 15. v.20. (*c*) 1.Mach.4 v.60. (*d*) c.9. v.54. (*e*) c.10.v.11. (*f*) Hic v.48.

CAPVT XIV.

Rex Demetrius ab Arsace Persarum & Medorum rege vincitur & comprehenditur. Simon pergit laudabiliter & feliciter remp. Iudaeorum administrare: cum Spartanis & Romanis amicitiam instaurat, Virtutes eius & heroica facinora in as incidunt Iudaei, & in templo appendunt.

℣. 2. ARSACE SEX PERSIDIS ET MEDIÆ, (vtique & *Parthorum* rex: quod nomen *Arsaces* indicat, Parthorum regibus familiare:) cognito QVIA DEMETRIVS Syriæ & Asiæ rex se inconsulto FINES SVOS INTRAVIT cum exercitu, vt maiores inde copias sibi colligeret; mittit præfectum militiæ suæ, qui Demetrium vi aggrederetur, &, si posset, viuum caperet. Aggressus est, viuum capit, regi Arsaci sistit, & custodiæ mandat. Capto Demetrio, vxor (*g*) eius *Cleopatra* Seleuciam ad se fratrem illius *Antiochum* euocat, eumque ex Ieuiro virum suum facit, Iosepho teste. Sequitur felix imperium Simonis.

(*g*) 11.v.12 Ioseph. l.13. c.13. & in Coron. nostro c.40.

℣. 6. IOPPEN ciuitatem maritimam, per *Ionathan Absalomi filiũ*, vicarium suũ, ACCEPIT (*h*) IN PORTVM, certè Iudæis valdè opportunum, vt INTROITVM haberent IN INSVLIS MARIS, id est, ex hoc portu soluerent in alias regiones, etiam remotissimas.

(*h*) c.13.v.11

℣. 7. ET CONGREGAVIT CAPTIVITATEM MVLTAM] Id est, captiuos multos Iudæos è manibus hostium liberauit: hostes verò ipsos maximo numero captiuos fecit.

Ipso remp. administrante. aurea erant tempora.

℣. 9. IVVENES INDVEBANT SE GLORIAM, id est, ornabant se veste pretiosa & triumphali, nempe spolijs hostilibus: & STOLIS BELLO partis.

℣. 10. Vrbes Iudææ minùs antè munitas, nouis muris, vallis & arcibus adiectis, effecit VT ESSENT VASA MVNITIONIS, seu receptacula munitissima.

℣. 14. OMNES HVMILES POPVLI SVI, id est, afflictos Iudæos, seu à contribulibus suis, seu ab hostibus, CONFIRMAVIT opportunis remedijs & auxilijs: & ABSTVLIT OMNEM INIQVVM ET MALVM] id est, facinoroso & publico bono noxios è medio sustulit.

℣. 15. SANCTA GLORIFICAVIT: id est, auxit gloriam, ornatum, splendorem sanctuarij & templi Dei, eiusque VASA, id est, supellectilia sacra, magno numero auxit.

℣. 20. Gratulantur illi SPARTIATÆ, (*i*) seu Lacedæmonij: dicta legatorum Iudaicorum conscribentes ad perpetuam memoriam,

(*i*) c.12.v.1.

℣. 22. IN CONCILIIS POPVLI] Id est, in publicis libris, quibus acta reipublicæ nostræ continentur.

℣. 24. Cùm *Romanis* quoque renouauit fœdus & societatem, misso eis CLYPEO MAGNO AVREO MNARVM (*k*) MILLE] .i. centũ millium aureorum.

(*k*) In Proleg. de Tondribat & mensis.

℣. 25. CVM AVTEM AVDISSET POPVLVS ROMANVS SERMONES ISTOS, seu res præclarè gestas Simonis. In Græco, solùm legitur, *populus*

A non addito, *Romanus*. Et verò ex sequenti serie tota videtur subintelligi hîc debere, non *Romanum*, sed *Iudaicum* populum, qui de principe & pontifice suo, quibus potuit modis, etiam ipse bene mereri voluit, publico *sanedrim* decreto, concessa, EI, eiusque toti familiæ plena libertate, non à solis tributis, aut alijs publicis & communibus oneribus, sed etiam ob omni subiectione. Nempe, constituerunt illum principem suum supremum, in eiusque posteros voluerunt hanc dignitatem æternùm deriuari, adeò vt omnes Iudæi illi subijcerentur, ipse nulli subiaceret. Patet ex publicis tabulis hac de re confectis, v.35.42. & sequentibus. Publicæ autem tabulæ sic incipiunt:

℣. 27. MENSIS ELVL sexti apud Hebræos, DIE DECIMA OCTAVA (sub initium nostri Septembris) ANNO Græcorum CENTESIMO SEPTVAGESIMO SECVNDO, pontificatus SIMONIS B ANNO TERTIO, IN VRBE ASARAMEL] fortè legendum *Ierusalem*: vel dic, *Asaramel* denotare locum publici synedrij, seu conuentus, in quo hæc decreta à comitiis generalibus concepta & firmata sunt. In quibus primùm à

℣. 29. vsque 35. recensent præclara facta & merita Simonis, eiusque fratrum, ac præ aliis *Ionathæ*. Cumque in his omnibus

℣. 35. SIMONIS *actibus* VIDIT sentitq; POPVLVS vniuersus Iudęorũ, non alium scopum ab illo heroë intendi, quàm publicum commodũ ET GLORIAM GENTIS Iudaicæ; detulit illi communibus suffragiis in præmium rei benè gestæ summum sacerdotium, & supremum principatum. (*l*) Qua dignitate non minùs feliciter, quàm prudenter vsus est, adeò vt, ipso demum imperante, sublatæ sint (*l*) c.13. v.8.

℣. 36. GENTES, earumque imperium ac dominatus, DE REGIONE (*m*) Iudæorum, coactis ad deditionem iis quæ vltimæ supererant IN CIVITATE DAVID, (*n*) id est, in arce Sion, (*o*) E QVA perpetuò prosiliebant in Iudæos, ET CONTAMINABANT OMNIA QVÆ IN CIRCVITV SANCTORVM, seu sanctuarij, vel templi, SVNT, ET INFEREBANT PLAGAM MAGNAM CASTITATI, seu puritati loci sancti. Nempe scelerati milites isti subitò erumpebant ex arce, & rapinis, cædibus, constuprationibus polluebant ac profanabant templum, ministros templi, sacrificia & sacrificantes. Et in hæc populi Iudaici suffragia consensit quoque (m) c.13.v.41 (n) c.1.v.35. (o) c.13.v.50

℣. 38. DEMETRIVS Syriæ & Asiæ REX, maximè cùm audisset tam arctam Iudæis amicitiam esse cum Romanis: & Iudæos omnes

℣. 41. In id conspirasse, vt SIMONEM DVCEM haberent, ET SVMMVM SACERDOTEM IN ÆTERNVM, & dignitas vtraque perpetuò in ipsius familia & posteritate permaneat, DONEC SVRGAT PROPHETA FIDELIS] id est, donec veniat in orbem magnus ille Propheta (*p*) Messias, à Moyse (*q*) aliisque Prophetis toties promissus. Et verò mansit vterque principatus in Hasamonæorum familia ac posteris Simonis vsque ad Herodem, (*r*) cuius tempore natus est Christus, summus princeps & Pontifex totius Ecclesiæ & populi Dei. Ergo omnium prorsus consensu, & Iudæorum & Gentium, vnanimiter decretum, (p) c.4.v.46. (q) Deut.18. (r) Chronici, c.42.

℣. 42. VT *Simon* SIT DVX SVPER Iudæos, ET VT CVRA suprema PRO SANCTIS, id est, sanctuario, seu templo, *sit* penes *illum*,

℣. 43. ET VT AVDIATVR, obediaturque ei AB OMNIBVS, ET SCRIBANTVR IN NOMINE EIVS OMNES CONSCRIPTIONES IN REGIONE; Græcè,

omnes syngraphæ, mandata & edicta publica. Quin A & æra & subductio annorum apud Iudæos fiat secundùm annos principatus Simonis. Atque ita deinceps factum patet ex initio harum tabularum v.27. & iam antè factitari cœptum dicitur c.13.v.42. De *purpura*,(a) de *fibula aurea*(b) alibi diximus. Denique

a *Exodi* 25. *v.* 4.

b 1.*Mach.*10 *v.* vlt.

¥.48. SCRIPTVRAM ISTAM, id est, decreta hæc totius populi Iudaici, TABVLIS ÆREIS incidi iubent, & PONI IN PERIBOLO SANCTORVM, id est, in vna porticuum templi, quæ sanctuarium vndique ambiebant. Iubent postremò, vt eorumdem decretorum exemplar reponatur in ÆRARIO, seu gazophylacio, id est, in publicis templi thesauris & archiuis, vt, si quando SIMON vel FILII vel posteri EIVS illo egerent, inde depromere possent.

CAPVT XV.

Antiochus Sedetes Demetrij Seleuci filius, Demetrij Nicanoris à Parthis capti frater, amicitiam Simonis ambit, multis magnisq; promissis illi factis: fugat Tryphonem, eumq; obsidet in oppido Dora, atque inde profugum persequitur. Interim legati Simonis amplas pollicitationes à Romanis afferunt. Antiochus rex animum à Iudæis abalienat, & Cendebæum cum validis copijs in eorum fines immittit.

¥.1. ANTIOCHVS, capto fratre suo Demetrio Nicanore, regnum illius, simul & vxorem sibi vindicat, vt suprà(c) dixi: Etiam AB INSVLIS MARIS, nempe ex Rhodo, vbi eum fuisse scribit Appianus, litteras honoris plenas mittit ad Simonem, & Iudæos, vt eos sibi aduersus æmulum suum Tryphonem deuinciat: alioquin hostis infestissimus Iudæorum, vt patebit v.27. Inter alia v.5. STATVIT SIMONI OMNES OBLATIONES] Græcè, ἀφαιρέματα, id est, ablationes, supple, onerum, seu immunitates à præcedentibus regibus indultas Iudæis. Has nempe ratas esse vult Antiochus. Porrò Tryphon impar copiis Antiochi

c c.14.v.1.

C

¥.11. FVGIT DORAM, vrbem Phœniciæ maritimam, quam c.13.v.20. *Adoram* vocauit. Sed Antiochus mox

¥.14. CIRCVIT, id est, circumdat, cingit, obsidet, vndique CIVITATEM TERRA ET MARI. Interim

¥.15. NVMENIVS à Simone missus Romam legatus, redditas à S.P.Q.R. litteras in fauorem Iudæorum ad varios REGES AC REGIONES, seu respublicas Simoni refert. Litteris nomen suum inscribit *Consul Romanorum Lucius*, vtique *Furius*, cuius consulatus incidit in annum conditæ Vrbis 617. teste Sigonio, Cicerone & aliis. Qui annus cùm posteriore sui parte concurrat cum anno 174. Græcorum, cuius hîc v.10. fit mentio; certum hinc habes vinculum sacræ chronologiæ cum profana. Eiusdem prorsus formæ litteras dant Romani

Cicero 3. de Officiis. & in Bruto.

D

¥.16. Ad *Ptolemæum* Euergetem Ægypti *regem*: *Vers.* 22. ad *Demetrium* Nicanorem Syriæ, licet apud *Arsacen* in carcere regem: ad *Attalum* Asiæ: ad *Ariarathem* Cappadociæ: ad *Arsacen* Persarum & Parthorum reges. Item ad respubl. Primò, *Lampsacenum*, in Syria (liberam tum) regionem Ptolomæo teste; Secundò, *Spartiatarum*;(d) Tertiò, in insulam *Delum*, &c. Sed hæ Romanorum litteræ ad tot tamque potentes reges & resp. Romanorum quidem tum temporis potentiam arguunt, sed Iudæis exiguo solatio, nulli prorsus vsui, nulli auxilio fuerunt, vt ex sequentibus patebit. Bilem potiùs Antiocho, Iudæis odium crearunt. Nam

Ptolem. l.3. c.15.

d *Suprà c.12.v.2.*

¥.17. Antiochus, repulsis Iudæorum auxilijs, repudiatis muneribus, hostem se illis apertum declarat, misso in Iudæam *vers.*28. ATHENOBIO legato, qui cum eis de iniurijs & damnis regno Syriæ illatis expostulet, ablata reperat, tributa deposcat: sin autem, bellum indicat. Nil territus minis

¥.33. SIMON, generosè RESPONDIT: NEQVE ALIENAM TERRAM SVMPSIMVS, seu occupauimus, NEQVE ALIENA iniusto titulo DETINEMVS: SED HEREDITATEM PATRVM NOSTRORVM, id est, quæ nobis hereditario iure debentur, opportunum tempus nacti, armis repetiuimus AB INIMICIS NOSTRIS quæ ea INIVSTE *possidebant*.

¥.35. Quòd verò de occupatis à nobis IOPPE ET GAZARA conquereris, summa necessitas nos coegit, eas vrbes occupare: incolæ enim earum perpetuis eruptionibus maxima nobis damna dabant. vnde si velimus in pace esse, cogimur eas vrbes nobis detinere. Sed earum ratione parati sumus *dare* regi Antiocho CENTVM TALENTA argenti, id est, centum & viginti millia aureorum, pro grati animi & beneficij quasi ab ipso accepti recognitione. Hæc modesta Simonis responsio iram tyranni non restinxit, sed auxit. Cumque non posset ipsemet expeditionem in Iudæam suscipere, præpeditus prosecutione *Tryphonis*, qui ex vrbe Dora clàm elapsus, NAVI *profugerat* IN ORTHOSIADA, (quæ Ptolemæo in Phœnicia est,) loco suo misit eò CENDEBÆVM classis suæ præfectum supremum, seu architalassum, cum validis copijs, iubens ei *Iudæam* vastare vniuersam: communita initiò vrbe *Gedore*; Græcè, *Cedrone*, in finibus & ingressu Iudææ, *& obstructis*, Græcè, *munitis*, *portis* eiusdem CIVITATIS, vt eruptiones inde & incursiones in Iudæam reliquam tutò facere posset.

B

Ptolem. l.5. Geogr. c.15.

CAPVT XVI.

Simon, cognito aduentu Cendebæi, exercitum suum ducibus Iuda & Ioanne filijs suis aduersus eum mittit, qui castra Cendebæi fuderunt & fugarunt, cæsis bis mille virìs. Ptolemæus filius Abobi, gener Simonis, socerum suum, & Iudam & Mathathiam filios eius, conuiuio exceptos in arce Doch proditoriè occidit, imperium Iudææ sibi sceleratè vendicare conatus, missis qui tertium quoque Simonis filium, Ioannem, similibus dolis è medio tollerent. Sed Ioannes insidias præuertit, & parenti suo in summo pontificatu & principatu succedit.

¥.3. ESTOTE LOCO MEO (inquit Simon filijs suis) ET FRATRES MEI] Græcè, *& loco fratris mei*.

Ergo capessunt imperium; & prior *vers.* 6. ADMOVIT CASTRA sua Ioannes, propter ætatem primarius (e) belli dux, loco patris, CONTRA FACIEM Cendebæi & copiarum ipsius.

e 1.*Mach.*13 *v.*54.

¥.8. ET EXCLAMAVERVNT SACRIS TVBIS, de quibus Numer. 10. Et facta impressione fuderunt & *fugarunt Cendebæum*, cæsis quàm plurimis, reliquis IN MVNITIONEM Gedoris (f) *fugâ* se recipientibus. Sed insequitur

f c.15.v.39.

¥.9. IOANNES fugientes hostes, DONEC VENIT CEDRONEM, QVAM ÆDIFICARAT (g) & communierat Cendebæus. Hinc colligimus, *Cedronem* non tantùm vallis vel torrentis, (h) sed & vrbis nomen esse. Sed præclaram victoriam paulò pòst magna excipit clades. Nam Simon summus Iudæorum pontifex & princeps indigna morte

g *Ibid.* & v.40.

h 2 *Reg.*15. v.23. & *Ioan.*18. v.1.

¥.11. A *Ptolemæo* genero suo, dolosè in conuiuio, è medio tollitur, vnà cum filijs suis IVDA ET MATHA-

MATHATHIA, Græcorum ANNO CENTESIMO A SEPTVAGESIMO SEPTIMO, idque IN MVNITIVNCVLA, seu arce, DOCH, Iosepho *Dagon*, IN CAMPO IERICHO.

Iosph.l.13. c.14.

¥.16. CVM INEBRIATVS ESSET, id est, liberaliore potu exhilaratus esset, SIMON. Nam teste Nonio Marcello, *ebrij* dicuntur, *non* soli *vinolenti, sed & qualibet re expleti*: exemplo fratrum Iosephi Gen.43. & psal.64. *Visitasti terram, & inebriasti eam.* Voluit & primogenitum Simonis, nempe Ioannem, simili dolo è medio tollere, v.19. sed detectis Ioanni insidiis, percussores ad se missos ipse præuertit,

¥. 22. ET OCCIDIT. Præter hos tres, fuisse B plures Simoni filios affirmat diserte Iosephus, cùm inter alios obsides Antiocho Sedeti datos, ipsum Ioannis fratrem collocat, & alios captos ac vinctos narrat, vnà cum matre eorumdem. Regnauit Simon annis vniuersim septem, nempe à 170. (*a*) Græcorum anno vsque 177. (*b*) Iosephus octo annos illi dat, quia octauum inchoarat. Sed multùm fallitur Iosippus, qui 18. annos illi consignat, & à Ptolemæo Ægypti rege veneno necatum dicit, manifestâ Dei vindictâ, quòd cum Spartiatis & cum Romanis fœdus (*c*) pepigisset. Sed hoc suprà (*d*) refellimus. Simoni defuncto successit filius eius

Ioseph. supr. c.15.

a 1.Mach. 13.v.8. & 41.

b c.16. v.14.

c c.14. v.20 & 24. & c.15. v.16. d c.9. v.18.

¥. 23. IOANNES cognomento *Hyrcanus*, cuius præclara gesta prosequitur liber 4. Machabæorum, vt suprà in proœmio huius primi libri dixi: prosequuntur & ambo Iosephi, Flauius & Gorionides.

Flau Ioseph.l.13. Antiq c.14. & seqq. Gorion. l.4. 2. & seqq.

Vocatur *Hyrcanus*, à deuictis Hyrcanis. inquit Eusebius & S. Thomas. Perfidum patricidam Ptolemæum in arce sua *Doch*, seu Dagon, mox obsedit Ioannes: sed cùm ante sabbathicum annum iam imminentem arce potiri non posset, solutâ obsidione, effugere passus est. Cum Antiocho rege, qui Tryphone Apameæ, (*e*) quò confugerat, occiso, Ierosolymam obsessurus cum ingentibus copiis aduolarat, inducias primò propter Scenopegiorum solemnes dies, deinde etiam pacem pepigit, rege complures auratis cornibus tauros ad templi sacrificia submittente. Eumdem *regem* ad bellum *Parthicum comitatus est: Syriæ plurimas vrbes cepit, Samaritas vicit, Garizitanum templum euertit, Idumæos domuit, ad innouandum societatem legatos Romam misit.* Tandem post 31. annos principatus & sacerdotij sui fatis concessit, relicto successore filio suo Aristobulo, qui loco *ducis*, nomen *regis* cum diademate primus Hasmonæorum assumpsit, & pontificatui adnexuit, & adnexum reliquit fratri suo Alexandro, & Alexandri filio Aristobulo secundo: quo regnante capta à Pompeio Ierosolyma, & Iudæa in prouinciam redacta, & dignitas regia à pontificali prorsus auulsa est, vt in Chronico dixi cap.42. Aristobulus à Pompeio captus Romam (*f*) mittitur: filio eius Antigono ceruices ab Antonio (*g*) præciduntur, sic rogante Herode. Atque ita extinctis Hasmonæorum regibus, & sceptro de tribu Iuda sublato, Herode alienigena per vim à Romanis intruso, natus est in Bethlehem Iuda *Iesus qui vocatur Christus.*

e Ioseph.l.14 c.6.8.11

f Ioseph.l.15 c.1.& 6.

g Ioseph.l.15 c.1.& 6.

LIBER SECVNDVS.

De cuius auctore & auctoritate Canonica, de materia, & phrasi, deque alijs huc spectantibus egi in proœmio libri primi.

CAPVT I.

FRagmentum epistolæ quâ Iudæi Ierosolymitani Iudæos Ægyptios hortantur, vt etiam ipsi festum celebrent Scenopegiæ anno Græcorum 169. (a) *Item altera epistola (quæ protenditur vsque ad vers. 20. cap. 2.) data nouemdecim pòst annis, nempe anno 188.* (b) *hortantur eosdem, vt vnà secum diem dati cælitus ignis celebrent, historiâ rei gestæ fusè enarratâ, vtî & morte regis Antiochi Sedetis. Ordine igitur temporum vtraque hæc epistola subnectenda est fini libri primi.*

a 1.v.7.

b v.10.

¥. 1. FRATRIBVS, QVI SVNT PER ÆGYPTVM, IVDÆIS, qui vel vi eò abrepti à Ptolemæo Lagi, vel suapte sponte eò concesserunt cum Onia filio Oniæ tertij pontificis sub Ptolemæo Philometore, & ibidem in Heliopolitana regione nobilissimum templum excitarunt, teste Iosepho, & Chronico nostro. PACEM BONAM: &

Ioseph.l.12. Antiq. c.1. & 6. & l.13.6. Cornel.c.39.

B

¥. 2. BENEFACIAT VOBIS DEVS; formulæ Hebræis familiares, quibus omne genus bonorum mutuò adprecantur. MEMINERIT Deus TESTAMENTI, seu pacti, SVI, QVOD pepigit & LOCVTVS EST AD ABRAHAM, ET ISAAC ET IACOB, *seruos suos fideles*: & ratione pacti illius, misereatur vestri qui successores & filij illorum A estis, & consequenter heredes bonorum illis promissorum.

¥. 4. ADAPERIAT COR VESTRVM gratiâ sua & lumine cælesti, vt seriò obediatis legi & præceptis ipsius. Maximè verò vt à profano templo & vetitis sacrificiis, ad templum Domini, quod non nisi Ierosolymis (*h*) est, postliminio redeatis.

h Leuit.17. v.3. & Deut.12. v.6.

¥. 7. REGNANTE DEMETRIO Demetrij Seleuci filio: nam huius regni *tertius* annus concurrit cum ANNO CENTESIMO SEXAGESIMO NONO Græcorum, cuius hîc fit mentio. Captus enim est Demetrius anno demum 172. (*i*) Porrò de *Iasone*, qui hîc inducitur, fusè infrà c.4. v.7. Hoc duce hostes nostri sub Antiocho Epiphane

i 1.Mach. 14.v.1. & 3

¥.8. PORTAM templi & vrbis Ierosolymitanæ, & portas quoque reliquarum vrbium Iudææ, SVCCENDERVNT. Sed piorum gemitus & orationes exaudiuit tandem Deus, adeò vt repurgato iam ab omnibus abominationibus templo, *offeramus* in eo quotidie iuge SACRIFICIVM & holocausta, ET SIMILAGINEM, seu florem farinæ: & in candelabro septiramo ACCENDIMVS sacras (*k*) LVCERNAS: & in mensa aurea *ponimus* PANES (*l*) propositionis. Igitur & vos

k Exod. v.31.

l Ibid.v.30.

¥. 9. FREQVENTATE nobiscum DIES SCENOPEGIÆ,

a *Ibid.* 23. & 34. & *Leuit.* 23.

NOPEGIÆ, non illos mensis septimi Tisri, (a) sed dies A *encæniorum* MENSIS noni CASLEV, quando à Iuda Machabæo repurgatum fuit templum, & de nouo dedicatum altare, 1. Machab. 4. v. 52. & l. 2. c. 10. v. 6. tunc enim licet non occurrerent dies Scenopegiæ, seu Tabernaculorum, tamen dies totos octo dedicationis illius peregerunt festiuè Iudæi, *in modum* festiuitatis *Tabernaculorum*, vt ibidem dicitur, & nos ibidem explicabimus.

℣. 10. Sequitur altera epistola ab ijsdem ad eosdem in Ægyptum data ANNO Græcorum CENTESIMO OCTOGESIMO OCTAVO. Vbi in titulo, IVDAS is esse Ruperto, Serario & Marianæ videtur auctor huius epistolæ, adeoque & libri huius secundi totius, nempe *Iudas Essenus*, (b) qui tum temporis Iosepho teste, ob sapientiam, futurorumque prædicendorum infallibilem scientiam, magnæ apud omnes auctoritatis erat, & viginti pòst annis *Antigono* Ioannis Hyrcani pontificis secundogenito mortem pòst paulò secutam prædixit. *Aristobolus* verò sacerdos in Ægypto quis qualisue fuerit, incertum; certum, magnæ auctoritatis dignitatisque virum fuisse non solùm inter Iudæos, sed & inter Ægyptios vtpotè *magistrum Ptolemæi regis* Ægypti, qui anno illo 188. erat Euergetes, filius Philometoris natu maior. *Consueuerant* enim, inquit Rupertus, *Ægyptij reges*, iam inde *à diebus Philadelphi* (*qui legem per 72. sibi fecit interpretari,*) *magistros habere Iudæos.*

Rupert. l. 10. Victoria verbi Dei c. 15.

b 1 *Mach. 7 v. 13.*

Ioseph. l. 13. c. 19.

Rupert. sup.

℣. 11. ADVERSVS TALEM REGEM DIMICAVIMVS] nempe *Antiochum Sidetem*, vt Rupertus, Medina, Sigonius, Serarius & Mariana exponunt. Licet enim Antiochus iste initio videri voluerit Iudæis amicus, 1. Machab. 15. v. 1. postea tamen in acerbissima aduersus eosdem odia, inimicitias & arma prorupit, ibidem. v. 27. & ingentia damna ijs intulit, vt ibidem. v. vlt. Et fieri potest, vt post innouatam rursum amicitiam, de qua ibidem egi, ad vomitum more suo tyrannus redierit, & ex amico iuratus iterum hostis euaserit. *Bis enim in Persidem irrupit*, inquit Iustinus: primò comitante Ioanne Hyrcano, vt dixi in fine libri 1. Secundò, sine illo, fortè iam hostis illius & Iudæorum. Quando &

Rupert. sup. c. 6. 16. 24. Sigon. l. 2. in Sulpitium.

Iustin. l. 36.

℣. 12. EBVLLIRE FECIT milites DE PERSIDE] id est, maximâ copiâ prodire aduersum Iudæos. Sic *ranæ ebullierunt* Exodi 8. & *mures* 1. Reg. 5. Sed suis adfuit iustus scelerum vindex Deus: nam

℣. 13. CVM DVX IPSE Antiochus IN PERSIDE ESSET, occisus ibidem est à *sacerdotibus* TEMPLI NANEÆ] id est, *Dianæ*, inquit S. Thomas, Liranus, Sà, Pererius, Lutherus & quidam alij; vel potiùs *Veneris*, vt ex Agathia, Clemente, Berosо, Athenocle, Symmacho, Gyraldo & pluribus antiquioribus auctoribus ostendit Serarius, Mariana & alij. Vtraque in Perside colebatur: sed sequentia magis Veneri fauent quàm Dianæ.

Ioseph. l. 11. c. 6. Herod. l. 1. & 4. Plutarch. in M. Crasso. Iustinianus Nouella 79. Xiphilin. in Heliogabal. Sueton. in Calig. c. 22. Isocrates in Euagora. Seneca l. 1. Suasoriarum.

℣. 14. *Venerat* ANTIOCHVS REX HABITATVRVS CVM illa dea; Græcè, συνοικεῖν, id est, coniugalem cohabitationem initurus cum illa. Ita enim hanc vocem vsurpat passim Iosephus, Herodotus, Plutarchus, Iustinianus Imperator & alij Græci. Et verò solitos regum veterum nonnullos suis cum deabus matrimonia inire, docet Heliogabali Vrania, seu Venus apud Xiphilinum: & altera illa Caligulæ apud Suetonium. Pelei Thetis apud Isocratem. Et Theridis seu maris desponsatio, quam Veneti quotannis in Ascensione Domini tanta solemnitate faciunt, nónne vestigium est priscini eiusmodi erroris? Sed clarissimum habemus exemplum in *Antonij Minerua* apud Senecam: *Desponderunt*, inquit, *Athenienses Antonio in matrimonium Mineruam. Antonius ait se ducturum, sed dotis nomine imponere se illis mille talenta.* Sic noster hic Antiochus Venerem ducturus aderat, VT DOTIS NOMINE PECVNIAS MVLTAS ACCIPERET, & honesto prætextu thesauros templi expilaret. Sed cautiores erant sacerdotes quàm vt tam facili negotio paterentur sibi imponi.

℣. 15. CVM enim SACERDOTES PROPOSVISSENT, seu polliciti essent, regi se quas dotis nomine postularat pecunias subministraturos, deducto in templum rege CVM PAVCIS socijs, & clausis valuis, quasi peracturi sacres nuptiarum ritus, è parietum lateribus, vel ex superiori laqueari *Lapidibus fulminarunt* (ita est in Græco) in subiectum regem eiusque comites, & omnes ad vnum occiderunt, sparso forsan in vulgus rumore, profanos Syros à Numine, vel Numinis proco alio cæsos, prostratos & in orcum relegatos esse. Hæc tyranni tam infamis mors non sat innotuisse videtur profanis scriptoribus, qui tamen sat innuunt simili aliquo modo illum occubuisse. Nam Iustinus *desertum* ait *à suis, & occisum* cùm contra Parthos pugnaret; Appianus, *seipsum interfecisse*; Ælianus, *seipsum præcipitasse*. Nempe secretò peracta cædes variis variam loquendi ansam dedit. Pro tanto cæsi tyranni beneficio gratias vt Deo rependant, hac epistolâ intuitant Iudæi Ierosolymitani Iudæos Ægyptios. Simùlque

Iustin. l. 38. Appian. in Syriacis sub fin. Ælian. de Animalibus l. 10. c. 34.

℣. 18. Festa *encæniorum*, more *scenopegiorum*, de quibus v. 9. vt celebrent hortantur, vti ET DIEM IGNIS, qui eodem tempore quo *encænia* videtur à Iudæis celebrari quotannis consueuisse. Historia hîc ad longum describitur, & de ea dixi obiter 2. Esdr. 12. v. 27. Porrò quod hîc dicunt Iudæi, se VIGESIMA QVINTA DIE CASLEV FACTVROS PVRIFICATIONEM TEMPLI, idem est ac si dicerent, se die illâ celebraturos vertente anno festum, in memoriam repurgati nuper templi, 1. Mach. 4. vers. 52.

Cùm verò *vers.* 19. IN PERSIDEM dicunt *abductos* à Nabuchodonosore Iudæos, indicare volunt, non in solam Chaldæam; sed & in Persidem, & alia regna Chaldæo monarchæ subiecta Iudæos abductos fuisse. Vel certè nomen *Persidis* latiùs sumunt, vt omnes Orientales partes complectatur, vti suprà v. 12. 20. & alibi subinde vsurpatur, & ex Lucano, & Chrysostomo & alijs probat Serarius, Mariana & Sà. Sic nomine Hispaniæ designamus omnia illa regna vicina quæ vni regi parent. Verisimile autem est, pios hos sacerdotes, hortatu Ieremiæ Prophetæ, sacrum *ignem* hunc in hoc *puteo* abscondisse. Quorum fidem valdè commendat Rupertus: *Ignem* inquit, *morientem, qui nutriri non poterat, qui vbi nutriretur non habebat, illi resuscitandum commiserunt, in quo est spes resurrectionis mortuorum. Nec eos fefellit spes. Quomodo?* Reuixit ignis post centum annos, (c) aqua lignis & lapidibus superfusa accensa est & in flammam erupit, v. 22. & 32. vbi additur, *Ex lumine*, seu igne qui *resulsit ab altari*, *consumptam* esse *flammam*, quæ ex aqua lapidibus vicinis superfusa eruperat. Nempe ignis qui ex ea aquæ portione quæ hostiis & lignis altari superpositis infusa fuit, eruperat, debebat in eodem altari æternùm conseruari: non item is qui ex altera portione lapidibus superfusa exortus fuerat; meritò proinde hic ab illo absorptus & absumptus est. Similes ignium de ex-

Rupert. de Vict. verbi Dei l. 10. c. 18.

c *Chron. c. 35. & 37. 38.*

de cælo delapsus habes Leuit. 9. & 2. Paralip. 7. & 3. Reg. 18. & alibi. S. Ambrosius & Chrysostomus, Abulensis, Ribera & alij dicunt ignem hunc typum fuisse Spiritus sancti die Pentecostes formâ ignis in Apostolos delapsi.

S. Ambr. in libro Patriarchar. de Tobia, &c. Chrysost. homil. 11. ad Hebræos. Abulens. in Exodi 29. quæst. 20. Ribera de Templo l. 5. c. 17. 21. Par. 25. b Chronici c. 37. Genebr. in Notis.

Ionathas, cuius mentio est *vers.* 23. non fuit summus sacerdos, vt quibusdam visum fuit, sed *cantorum* (a) præfectus, cuius tum vices erant.

℣. 33. *Rex* PERSARVM erat tunc Artaxerxes (*b*) Longimanus, qui miraculo hoc DILIGENTER *examinato*, FECIT *vers.* 34. EI loco TEMPLVM: Græcè, ἱερὸν, quod Genebrardus, Beda & Serarius de sacro aliquo ædificio exponunt quo rex locum *putei* istius cohonestarit, vt quia tea profanus puteus erat, iam sacer haberetur. Vnde & *vers.* 36. NEPHTHAR vocatur, vel, vt Serario legendum videtur, *Ephthar*, id est, purificatio, seu sanctificatio, à radice פטר *potar*, quod Hebræis, Chaldæis & Syris significat *dimittere* & *liberare*. Loca enim purificata & Deo consecrata, solent ab omni profano vulgarique vsu *libera* esse, & à tributis aliisque oneribus immunia *dimitti*. Græcè est, νεφθαεὶ.

CAPVT II.

Altera epistolæ pars, quâ narrant Iudæi, Prophetam Ieremiam tradito igne & voluminibus legis diuinæ tranſmigrantibus in Chaldæam, abscondisse in monte Nebo tabernaculum Mosaicum, arcam & altare incensi. Sequitur deinde præfatio huius libri secundi, in qua auctor promittit, se facta Antiochi Epiphanis & Eupatoris, & Iudæ Machabæi fratrumq; illius, ab aliis prolixè conscripta, breuiter vno hoc volumine recitaturum.

℣. 1. DESCRIPTIONES IEREMIÆ PROPHETÆ liber erat, in quo res à Ieremia gestæ recitabantur, verisimiliter ab ipsomet Ieremia conscriptus. Hoc libro continebantur Primò, leges & monita quæ Ieremias Iudæis in Babyloniam demigrantibus tradidit Secundò, instructio de igne altaris holocaustorum, in puteo per eum recondito. Tertiò, de tabernaculo, arca fœderis & altari incensi per eumdem delatis in specum montis Nebo. Sed hic liber interciderit: neque quidquam eorum quorum hic fit mentio, habetur in eo volumine quod inter Canonicos Prophetas secundo loco nunc extat. Iussit ergo Ieremias sacerdotibus in Chaldæam transmigrantibus, sacrum *ignem* ex altari sectum *accipere*, putà certo loco defodiendum, vt c. 1. v. 19. dictum est. Dedit & volumina *legis* diuinæ in Chaldæam deferenda pro suo suorumque contribulium solatio & instructione.

℣. 4. TABERNACVLVM quoque Mosaicum, quod in templo Salomonico prope sanctuarium asseruabatur, vt dixi 1. Reg. 21. v. 7. Item ARCAM fœderis & v. 5. ALTARE INCENSI, seu thymiamatis IVSSIT idem PROPHETA diuino oraculo monitus, COMITARI SECVM, seu angelorum (vt vult Serarius) seu potiùs Leuitarum baiulorum opera, vt ex v. 6. Liranus exponit, deuehentium omnia IN MONTEM È QVO MOYSES VIDIT DEI HEREDITATEM] id est, terram sanctam Iudæis hereditariè promissam & donatam. Hic est mons *Nebo*, Deuteron. vlt. v. 1. Porrò facilè fuit Ieremiæ, tam charo Nebuzardani militiæ Chaldæorum præfecto, veniam ab eo extorquere transferendi hæc sacra lipsana. Et post vrbem occupatam, priusquam templum succenderetur, sat multum spatij intercessit, quo commodè efferri possent, Ierem. 39. & 4. Reg. vlt. ita ferè Gorionides, Dorotheus, Epiphanius, & ex his S. Thomas, Serarius & Salianus.

Gorionid. l. 1. c. 17. Dorath. in Sinopsi. de Ieremia. Epiph. de vita & morte Prophetarum. Salian. in Annalib.

℣. 7. ET DIXIT IEREMIAS, QVOD LOCVS, in quem hæc omnia recondidit, IGNOTVS ERIT hominibus, DONEC CONGREGET DEVS CONGREGATIONEM POPVLI] Quod cùm constet ex v. 27. cap. præcedent. nondum factum tempore Nehemiæ sub Artaxerxe; sed neque tempore Machabæorum sub Antiocho Grypho, anno Græcorum 188. vt ex vers. 18. huius 2. cap. colligitur; & certum sit, ex eo tempore res Iudæorum continuò in peius prolapsas esse; non potest de alio, quàm de nouissimo mundi tempore exponi, quando per Henoch & Eliam hæ Iudæorum arrhæ proferentur in lucem, & illorum ad Christum conuersioni subseruient, vt probant auctores suprà citati, & plerique Rabbini, item Richardus à S. Victore, Rupertus, Canus, Ribera, Mariana. Et testis est Iosephus, tempore Romanorum nihil omnino fuisse *in Sancto sanctorum*. Nec vllibi mentio est arcæ post captiuitatem Babylonicam. Et cùm spolia templi sæpiùs recensentur, (*c*) nusquam mentio fit arcæ, licet auctor Historiæ Scholasticæ, Iudith 3. puret (sed fallitur *d*) arcam in Titi triumpho Romæ fuisse. Neque in arcu Titi triumphali, qui etiamnum Romæ visitur, arca comparet. De *altari* incensi Mosaico idem dico: nam quo postea vsi sunt Iudæi, ad imitationem Mosaici illius constructum fuit. Vti & *tabulæ* illæ testamenti, & *Cherubini*, quos (*e*) Egesippus commemorat, Pompeium, cùm intima templi Hierosolymitani lustraret, ibidem conspexisse. Porrò ad commendandum festum hoc encæniorum Nehemiæ, comparant illa cum encæniis Moysis & Salomonis: nam in omnibus tribus nubes maiestatem Domini præsentem adesse designabat, & victimæ altari impositæ, igni cælitus submisso absumptæ, gratum accidisse Deo sacrificium & dedicationem indicabant. Simul tamen innuunt, quòd, quando Deus sub finem mundi adhibebit Iudæis hęc sua sacra lipsana, simili modo per nubem splendidam, & ignem cælitus submittendum, manifestabit illis præsentiam & fauorem maiestatis suæ diuinæ.

Richar. l. 4. Exceptionum c. 11. Rupert. l. 7. c. 21. Ribera in Aggæi 1. &c. Ioseph. l. 6. Belli c. 6. c Ioseph. l. 7. Belli c. 17. & 19. & l. 14. Antiq. c. 8. d Ioseph. l. 7 Belli Iud. e Egesipp. l. 1. c. 17.

℣. 8. MANIFESTABAT HÆC, supple, Salomon. *Vers.* 9. MAGNIFICE ETENIM SAPIENTIAM TRACTABAT, non est in Græco.

℣. 11. ET DIXIT MOYSES: EO QVOD NON SIT COMESTVM à sacerdotibus QVOD ERAT oblatum Deo PRO PECCATO (vtpotè immundum;) ideò à flamma EST CONSVMPTVM] Historiam habes Leuit. 9. & 10. quò hic alludunt. ita Rupertus & Serarius. Quòd si quis dixerit, hæc quæ de Nehemiæ sacrificio iam dicta sunt, nullibi in sacris Scripturis reperiri; respondebunt Iudæi:

Rupert. sup. c. 23.

℣. 13. INFEREBANTVR; Græcè, *referebantur*, IN *scriptis* ET COMMENTARIIS eiusdem NEHEMIÆ] non quæ nunc extant libr. 2. Esdræ, sed quæ olim extiterunt, sed iniuriâ temporum & bellorum iam interciderunt, vt v. 1. dixi de scriptis Ieremiæ. Ex ijsdem Nehemiæ scriptis constat, ipsum nobilissimam vndique collegisse bibliothecam, maximè librorum sacrorum, v. g. Prophetarum, Psalmorum & gestorum Dauidis, aliorumque regum Iudæ & Israelis. Item *de donariis* per Cyrum, Darium, Artaxerxen alioſque reges donatis templo Hierosolymitano & sacerdotibus illius, suprà cap. 1. v. 33.

A ℣. 14. *Simili* ſtudio ETIAM IVDAS Machabæus, diſſipata nuperis bellis ſacra volumina, rurſum omnia congregauit. Credo, Ieroſolymitanos hæc de reſtitura ſua bibliotheca tam operosè inculcare, vt oſtendant, ſe diligentiæ Ægyptiorum, Ptolemæi Philadelphi bibliotheca famoſiſſima gloriantium, nolle cedere: quin potiùs, ſi quidem de ſacris libris eſſet quæſtio, penes ſe habere quibus ſcirent Ægyptios carere. *Strabo l. 13.* Ex his verò videas falli Strabonem, cùm primum bibliothecarum auctorem tradit fuiſſe Ariſtotelem in Græcia. Nam Ariſtotele antiquior Nehemias bibliothecam in Iudæa collegit, vt hic dicitur. Et apud Chaldæos ac Perſas fuiſſe bibliothecam, dicitur 1. Eſdræ 6. verſ. 1. & alias alibi, vt Plutarchus, Gellius, Iſidorus & Goropius demonſtrant.

Plutarch. in Æmilio & Antiocho. Gellius l. 6. c. vlt. Iſidor. l. 6. Goropius l. 4

℣. 20. DE IVDA VERO MACHABÆO, &c.] Hic incipit præfatio totius lib. 2. vt verſu vlt. indicatur: imò & maioris partis libri primi. Vnde & à Serario ponitur primo loco, quaſi totius operis præfatio. B

℣. 22. ILLVMINATIONES DE CÆLO FACTÆ, ſunt ſigna cælitus exhibita, quæ portendebant victoriam Iudæis.

℣. 24. IASON CYRENÆVS non profanus aut Gentilis ſcriptor fuit, vt Caluinus & Witakerus confingunt; ſed Iudæus, &, vt appareret, vir ſanctus. Multi enim erant in *Cyrene* Iudæi, vt conſtat ex Actorum 2. & 6. & Ioſepho paſſim.

Caluin. in Antidoto Trident. & VVitaker. c. 14. Ioſeph. l. 14. Antiq. c. 12. & l. 16. c. 10. & l. 7. Belli c. 38. & de Vita ſua.

℣. 27. NEGOTIVM PLENVM VIGILIARVM ET SVDORIS, non arguit, hunc librum non eſſe Canonicum, vt ijdem hæretici & eorum ſequaces blaſphemant. Nam licet Spiritui ſancto, qui auctor eſt Canonicarum Scripturarum, nihil ſit moleſtum; homini tamen, quo tamquam inſtrumento ſuo vtitur Spiritus ſanctus, poteſt ſubinde moleſtus eſſe labor, ſeu colligendi, ſeu abbreuiandi, ſeu ſcribendi. Neque enim omnibus Hagiographis ita ſemper ſuggerit omnia aut dictat Spiritus ſanctus, ſicut Ieremiæ ſuggerebat c. 36. v. 18. ſed ſæpè relinquit illis quærendi & diſponendi & concinnandi curam: ipſe verò ſolùm adſiſtit illis, cauens necubi à vero abberrent in conſcribendis ijs quæ ſuo ipſi ſtudio repererunt vel concinnarunt. C

Quod denique auctor noſter dicit ℣. 29. VERITATEM DE SINGVLIS ſe CONCEDERE AVCTORIBVS; Græcè; *auctori*, ſolùm arguit, ſcriptorem huius libri 1. Machabæorum non inſtituiſſe peculiari ſtudio inquirere de ſingulis etiam minutiſſimis rebus, an eo modo ſeſe habeant quo à Iaſone Cyrenæo conſcripta fuerant: ſed, hac curâ illi relictâ, cui, vtpotè viro induſtrio, prudenti & ſancto, plena meritò fides in omnibus haberi poterat, ſe hoc vnum hîc agere, vt quæ fusè ille perſequitur, ipſe in compendium redigat. Vnde Iaſonem *verſ.* 30. vtpotè totius hiſtoriæ auctorem, comparat *architecto*, cui incumbit de omnibus & ſingulis accuratè diſponere, quæ ad ædificij, ſeu ſubſtantiam, ſeu ornatum ſpectant. Se verò, vtpotè ſolùm breuiatorem hiſtoriæ, ſeu metaphraſten, comparat *pictori*, cui non alia incumbit cura circa ædificium, quàm vt illud concinnis coloribus & figuris hinc inde exornet. D

CAPVT III.

Felix Iudæorum ſtatus ſub Onia tertio & ſancto pontifice deſcribitur. Quem ambitio Simonis cuiuſdam è præpoſitis templi perturbare cœpit, proditis per Apollonium regi Seleuco ſacri templi theſauris. Mittitur enim mox à rege Heliodorus, vt eos theſauros expilet & ad regem deferat: ſed is ab angelis ſeueriſſimè flagellatus, à cœpto deſiſtit, & precibus Onia pontificis ſibi redditus, Dei iuſtitiam ac potentiam vbique diuulgat. Quòd ſi ordo temporum ſeruandus eſſet in hac hiſtoria, deberet hoc caput & initium ſequentis vſque ad v. 7. immediatè ſubſequi v. 11. c. 1. libri 1. Machabæorum.

℣. 1. DE hoc *Onia* (*a*) vide Chronicon noſtrum. vti, & de rege *Seleuco*, (*b*) cognomento *Philopatore*: qui exemplo Cyri, (*c*) Darij, (*d*) Artaxerxis, (*e*) regum Perſarum, & Seleuci primi Aſiæ regis, itemque Antiochi Magni (*f*) & aliorum regum, nobiliſſimis donarijs templum Ieroſolymitanum condecorauit initio ſui regni; ſed pòſt auaritiâ in tranſuerſum actus, idem illud per Heliodorum expilare conatus eſt.

a Cap. 42.
b Cap. 40.
c 1. Eſdræ 1.
d Ibid. c. 6.
e 2. Eſdræ 1.
f Gorion. l. 3. c. 1. Ioſeph. l. 12. Antiq. c. 3. l. 16. c. 10. lib. 2. Belli c. 32. & l. 2. cont. Appionem. Item Goriunides l. 4. c. vlt. &c.

℣. 4. SIMON PRÆPOSITVS TEMPLI, non in ſacris (nam erat DE TRIBV BENIAMIN) ſed in politicis. Forſan præerat theſauris, vel certè militari cuſtodiæ templi, de qua 1. Machab. 4. v. vlt. Hic CONTENDEBAT INIQVVM ALIQVID IN CIVITATE MOLIRI, nempe ciuium animos ad ſe trahere, dominium ſupremum ſibi vindicare, forſan & ſummum pontificatum affectare, vt poſtea fecit *frater eius Menelaus.* (*g*)

g 2. Mach. 4 v. 23. &c.

℣. 5. APOLLONIVS hic COELESYRIÆ ET PHOENICIS DVX, ſeu prorex, inferioris Syriæ à rege Seleuco præfectus, idem eſt cum illo qui poſt aliquot annos cum Ionatha infeliciter conflixit, 1. Mach. 10. v. 69. & ſeqq. Hic iam ex ſuggeſtione impij Simonis ſuadet regi Seleuco, vt ſacros templi theſauros ſibi vindicet. Sed hunc in finem miſſo *Heliodoro*

℣. 10. SVMMVS SACERDOS Onias OSTENDIT, theſauros hos non eſſe templi proprios, ſed ESSE variorum DEPOSITA, partim VIDVARVM ET PVPILLORVM, qui inde victitare debebant, partim HYRCANI TOBIÆ filij, VIRI opibus & dignitate, forſan & vitæ ſanctitate, vt S. Ambroſius & Liranus volunt, VALDE EMINENTIS] Videtur Tobias hic eſſe ille qui Oniæ ſecundi pontificis ſororem duxerat, teſte Ioſepho, qui dicit filios, id eſt, poſteros eius, ad Antiochum Epiphanem profugiſſe. Vnumque illorum, ex filio Tobiæ nepotem, *Hyrcanum* dictum fuiſſe.

Ambroſ. 2. Officior. c. 29. Ioſeph. l. 12. Antiq. c. 4. & l. 1. Capti. l. 1.

℣. 11. ARGENTI TALENTA QVADRINGENTA faciunt ducenta millia aureorum (*b*) in ſpecie, ſi Attica fuerint talenta: duplum verò, ſi Hebræa. AVRI TALENTA DVCENTA Attica faciunt duodecies centena millia aureorum: Hebræa duplam ſummam. Quæ tamen parua cenſeri debet reſpectu theſaurorum quos conſtat alijs temporibus in templo repertos fuiſſe: nam, vt Salomonica & aliorum regum Iuda tempora omittam, Pompeius cùm Ieroſolymam obtinuiſſet, bis mille talenta in templi gazophylacijs, ſeu *corbona* inuenit, nec quidquam tamen abſtulit: (*i*) Quæ ſumma decuplo maior eſt hac præſenti quam Heliodorus auferre conatus eſt. Porrò ſolere depoſita eiuſmodi in loco ſacro deponi, pro veneratione & ſanctitate loci, vt immunia eſſent ab omni vi & iniuria, non modò in vſu fuit tum apud Iudæos, tum apud Gentiles, tum apud Chriſtianos; ſed etiam ſeueriſſimis legibus perpetuò ſancitum, vt Ioſephus, Cicero, Suetonius, S. Ambroſius & Ius Canonicum (*k*) teſtantur. Vnde meritò ſubdit hîc Onias,

h Prolegomena de ponderibus.

i Ioſeph. l. 14 Antiq. c. 8. Ioſeph. ſupr. Cicero l. 2. de Legib. & l. 5. epiſt. 20 & l. 5. ad Atticum. Sueton. de Iulij teſtamento. Ambr. ſupr.

k Cap. Gratuis. Extra. de depoſit.

℣. 12.

℣. 12. DECIPI, id est, depositō suo frustratiA EOS QVI fortunas suas TEMPLO CREDIDISSENT, OMNINO IMPOSSIBILE ESSE, nec vlla ratione vel prætextu permitti posse: obstare loci sanctitatem, obstare fidem datam, obstare leges humanas & diuinas. Sed frustra omnia. Ergo publicis precibus, lamentis & supplicationibus recursum ad Deum, ETiam à VIRGINIBVS *vers.* 19. QVÆ aliàs CONCLVSÆ ERANT, & domi parentum latere solebant, vt Gorionides & Liranus exponunt: vel certè quæ intra templi certa claustra concludebantur, vt alibi (*x*) dixi, iam in publicum, quasi ad restinguendum commune incendium, prouolant, aliæ ad Oniam pontificem, solatij vel consilij causâ: ALIÆ AD MVROS templi, quasi locum turaturæ: ALIÆ AD FENESTRAS eiusdem, precibus saltem & lamentis, cùm aliud non possent, seu tyrannum exoraturæ, seu Deum in tutelam euocaturæ. Et verò adfuit subitò è machina Deus, vt fusè auctor enarrat. S. Ambrosius huius Heliodori exemplo terruit Imp. Theodosium, ne simile depositum viduæ cuiusdam in Ecclesia Ticinensi abripere auderet. B Est verò hic idem ille Heliodorus, qui postea regi suo Seleuco necem ex insidiis attulit, & regium sceptrum sibi rapuit; sed mox ab Attalo & Eumene regibus; Antiochi Epiphanis Româ redeuntis tunc studiosis, eiectus est, vt (*b*) alibi dixi. Hac saltem vice flagellis angelicis seriò resipuit Heliodorus, à Gentilitia superstitione cōuersus ad verum Deum. Vtinam resipuisset & Simon ille Beniaminius malorum horum omnium causa & origo! Sed huius tragœdiam enarrabunt capita sequentia.

a Exodi 28. v. 8. & 1. Reg. 2. v. 22.

Ambr. supr.

b In Chron. c. 40.

CAPVT IV.

Simonis impij proditoris calumniae pium pontifex Onias apud regem Seleucum diluit. Sed defuncto Seleuco, à fratre ipsius Antiocho Epiphane frater Onia Iason summum pontificatum auro emit, & Ethnicam impietatem in Rempub. Iudaeorum inuehit. [Haec à v. 7. vsque 21. ordine temporis sequuntur v. 16. cap. 1. l. 1. Machab. Sequentia verò à v. 21. vsque finem capitis huius, imò vsque v. 11. capitis 5. subnecti debent versui 20. eiusdem 1. cap. lib. 1.] Ergo Antiochus à prima sua expeditione Ægyptiaca Ierosolymam ingreditur, vbi à Iasone pseudopontifice honorificè excipitur. Sed idem Iason à Menelao Simonis fratre fraudulenter pontificatu exuitur: vti & Menelaus à Lysimacho. Interim Onias pontifex rogatu Menelai per Andronicum interficitur. Andronicus iussu regis Antiochi propter occisum Oniam infami supplicio mulctatur. Sacrilegus Lysimachus à tumultuante plebe occiditur. Menelaus pecuniâ vitam redimit, iustis accusatoribus vita iniustè adimitur.

℣. 1. SIMON impius proditor accusat sanctum pontificem ONIAM, TAMQVAM IPSE HELIODORVM INSTIGASSET, & malis artibus impulisset AD HÆC flagella subeunda. Quin & affectati regni ausus est insimulare

℣. 2. PROVISOREM, seu procuratorem, boni communis fidelissimum, tum CIVITATIS Ierosolymitanæ, tum reip. vniuersæ Iudaicæ.

℣. 4. Sed ONIAS AD REGEM Seleucum excurrit ipsemet, & detersis calūnijs, regia auctoritate petulantiā Simonis facilè compescit. Mortuo tamē Seleuco, en aliud longè grauius domesticum malū.

℣. 7. FRATER ONIÆ IASON, ab ANTIOCHO Epiphane Seleuci fratre & successore summum pontificatum maximo pretio coëmit, & extruso fratre sibi vindicat. Mox ad religionem Ethnicam & ritus Gentilitios se totum transfert, & vnà secum trahere conatur vniuersum populum Iudaicum. In quem finem maxima vi pecuniæ impetrat à rege

℣. 9. POTESTATEM constituendi Ierosolymis GYMNASIVM ET EPHEBIAM, de quibus l. 1. c. 1. v. 15. Emit & *Ierosolymitanis* ius ciuium *Antiochenorum*, cui (quòd ibi sedes esset regia) magna erant annexa priuilegia: vti & iuri ciuium Romanorum & Alexandrinorum, vt omnibus est notissimum.

℣. 11. AMOTIS ergo & abolitis pijs omnibus institutis, sacris ritibus, & honestis exercitijs, QVÆ A prisci REGIBVS HVMANITATIS & beneuolentiæ CAVSA IVDÆIS olim indulta & præstITVTA FVERANT, cœpit contra patriæ IVRA surrogare PRAVA Gentilium INSTITVTA, vsus ad id opera *Ioannis* diuitis ac præpotentis viri, PATRIS EVPOLEMI, QVI postea fœderis cum Romanis sanciendi gratiâ à Iudâ Machabæo Romam missus est, 1. Mach. 8. v. 17. Nec hîc resistetit.

℣. 14. SACERDOTES etiam CONTEMPTO TEMPLO, festinabant ad theatra, vt PARTICIPES ESSENT profanæ PALÆSTRÆ, seu exhibendæ seu spectandæ: participes item essent PRÆBITIONIS EIVS INIVSTÆ] id est, præmiorum quæ in ludis istis & luctis præberi & erogari solent victoribus, vestes, coronæ, aurum, & his similia. Quæ quia non virtutis, sed impudentiæ & scurrilitatis, vt plurimùm præmia erant, idcirco *præbitionem* illorum *iniustam* vocat.

PRO EXERCITIIS DISCI, de quibus l. 1. cap. 1. v. 15. in Græco est, *post disci prouocationem*: id est, post inuitationem ad exercitia quæ fiebat præmiis disco impositis, & in disco per medium stadium circumferri solitis, ad plures agonistas prouocandos in certamen, inquit Petrus Faber.

Faber l. 3, Agonistic. c. 22.

℣. 15. Porrò præmia hæc agonistica GRÆCAS GLORIAS vocat, quia Græci, id est, Gentiles, his vanitatibus maximè gloriabantur, vt ex Isthmicis, Pythiis & Olympicis patet, de quibus egi in Chronico, vti & de aliis agonum generibus. Sed an impunè hæc omnia? Minimè gentium. Nam *vers.* 16. quorum INSTITVTA tam anxiè ÆMVLABANTVR, eos postea HOSTES ET PEREMPTORES HABVERVNT, vt est in Græco.

Chron. c. 31.

℣. 18. CVM QVINQVENNALIS AGON & ludi in vrbe TYRI CELEBRARENTVR IN honorem HERCVLIS, MISIT eò pseudopontifex IASON *vers.* 19. TRECENTAS ARGENTI DIDRACHMAS, id est, trecentos florenos Belgicos, pro victimis aliquot coëmendis, & Herculi offerendis in sacrificium. Sed religiosiores legati, etsi PECCATORES; Græcè, θεωροὶ, id est, *precatores*, vel sacrorum procuratores, vel (vt Henricus Stephanus vult) oraculorum scisitatores; rogarunt regem, ne sacræ pecuniæ, vel à persona sacra submissæ, in profani idoli sacrificium impenderentur. Et iustæ petitioni annuit rex, iussitque

Henr. Steph. in Thesauro, in dict. θεωροὶ.

℣. 20. Impendi IN FABRICAM TRIREMIVM] quibus vteretur in priore sua Ægyptiaca expeditione, quam adornabat specie tenus

℣. 21. PROPTER PRIMATES Ægyptios, qui à Ptolemæo Philometore defecerant ad fratrem eius natu minorem Euergetem. Simulabat enim Antiochus auunculus istorum duorum fratrum, se velle lites eorum componere, ac proinde poscebat tutelam puerorum sibi committi. Sed reuerà inhiabat ipsemet sceptro Ægyptio, vt prædixerat de eo Gabriel Dan. 11. v. 22. & seqq. CVM verò *resciisset* ANTIOCHVS, ALIENVM SE A NEGOTIIS REGNI Ægyptiaci EFFECTVM, & primates Ægyptios tutelam puerorum regum nolle sibi deferre, (*c*) PROPRIIS CONSVLTVRVS VTILITATIBVS in Syriam recurrit, vbi

c Chronici c. 39. in Philomet.

℣. 22.

℣. 22. IEROSOLYMIS MAGNIFICE A pseu- A dopontifice IASONE, ET CIVIBVS SVSCEPTVS est, nihilque tum nocuit ciuitati vel Iudææ.

℣. 23. POST TRIENNII TEMPVS, IASON à *Menelao* SIMONIS proditoris *fratre*, quem pro se ad regem Antiochum cum muneribus & mandatis legatum mittebat, eodem quo fratrem ipse suum
a *Hic v.7.* Oniam (*a*) scelere nuper CAPTIVARAT, circumscripserat & deceperat, iam ipse quoque circumscriptus & deceptus est: nam Menelaus CVM MAGNIFICASSET FACIEM POTESTATIS Antiochi, id est, regiam eius maiestatem ac potentiam tam magnam esse ostendisset, vt quiduis, etiam in omnia sacra, pro libito posset? hac adulatione extorsit vt summus Iudæorum pontificatus à *Iasone* in se, qui ne quidem ne tribu Leui, sed solùm de Beniaminia erat, inaudito hactenus facinore transferretur.

℣. 29. Sed cùm de pecunia regi submittenda fidem datam falleret MENELAVS, citò A pontificatu SVO AMOTVS EST, Lysimacho fratre eius æquè impio ac sacrilego, forsan & pari fraude, saltem pari simonia, ipsi suffecto. Interea

℣. 30. *Tarsus* & *Mallus* duæ insignes Ciliciæ
Strabo l. 14. vrbes, de quibus Strabo, indignatæ, quòd in regiæ pellicis, quæ se Antiochidem vocabat, sumptum donatæ essent; tumultuari & rebellare cœperunt. Erat hoc sordidum donationis genus apud Orientis reges vsitatissimum, testibus Platone, Cicerone,
Plato in Alcibiade. Cicero Verrina 5. Plut. in Themistocle. Athenæo l. 1 Plutarcho & Athenæo.

℣. 31. REX tumultum vt sedaret, in Ciliciam excurrit, RELICTO Antiochiæ protege ANDRONICO.

℣. 32. Huius *Andronici* animum sibi sacrilegis muneribus deuincit MENELAVS. Sed impia sa- C crilegia zelo magno

℣. 33. ARGVEBAT sanctus pontifex ONIAS,
b *Sup. v. 7.* è sede quidem sua pontificia deturbatus, (*b*) pontificis tamen munere fungens, asylo tutus ad quod profugerat, nempe ANTIOCHIÆ, seu in Antiocheno districtu, SECVS templum DAPHNES] Græcè clariùs, *in Daphne, quæ iuxta Antiochiam est*, 40. tantùm stadijs ab ea distans, teste Strabone,
Dio. l. 51. vnde & *suburbium* eius à Dione vocatur: à Plinio & alijs *Antiochia epidaphnes*. Locus erat amœnus & augustus, Dianæ & Apollinis luco ac fano celebris,
Cod. de expressis ex luco Daphnensi, lib. 11. planeque inuiolabilis. Eius mentionem facit Codex Iustinianæus, & S. Babylæ historia.

℣. 34. Ex hoc ASYLO nequitiâ Menelai & Andronici eductus pontifex ONIAS proditoriè *occiditur*.

℣. 37. Quo audito rex ANTIOCHVS innocentis viri necem LACRYMIS; Andronici verò impietatem condigno supplicio prosequitur.

℣. 39. LYSIMACHVS Menelai frater iam pseudopontifex, cùm inauditis facinoribus & sacrilegijs se inuisum suis omnibus redderet, insurgente in eum populo, cùm tueri se tribus armatorum millibus DVCE TYRANNO; Græcè, *Aurano*, QVODAM, frustra conaretur, *iuxta* ÆRARIVM templi, seu gazophylacium occiditur.

℣. 43. *Menelaüs* quoque eius frater in IVDICIVM vocatur A SENIORIBVS, & apud regem sacrilegij ac perturbatæ publicæ quietis accusatur.

℣. 45. Sed is CVM SVPERARETVR multitudine & euidentiâ criminum, neque causam suam pessimam defendere posset, corrumpit multâ pecuniâ *Ptolemæum* Dorymenis filium, vt Græcè hîc
c *1. Mach. 3. v. 38.* & alibi (*c*) vocatur. Atque huius interuentu à rege absoluitur.

℣. 47. *Miseri verò* accusatores illius, pro præmio quod merebantur, *innocentissimi* MORTE iniustissima afficiuntur, contra ius gentium, & morem etiam *Scytharum*, ac maximè barbararum nationum.

℣. 49. QVAMOBREM TYRII QVOQVE, apud
d *Sup. v. 44.* quos (*d*) hæc gerebantur, indignati, & immane scelus detestati, legatos illos qui in bona causa innocentes occubuerant, honorifica *sepultura* prosecuti sunt: & Menelai nequitiam detestati. Qui

℣. 50. AVARITIAM exsatians primatum Antiochi regis, PERMANSIT aliquot annis IN pontificia dignitate, nempe post mortem Lysimachi restitutus est loco suo. Numquam tamen legitimus pontifex fuit, cùm non esset de tribu Leui, sed Beniaminia. (*e*) Ergo à morte Oniæ, quæ contigit anno
e *Sup. v. 23. & 3. v. 4.* Græcorum 141. vsque ad Mathathiam, qui exsur- B rexit anno 145. pontificatus in manu spuria fuit per quadriennium. Licet enim iure deuolui debuisset à morte Oniæ tertij ad filium eius Oniam, de facto tamen numquam ei obtigit, vt potè iam profugo in Ægyptum: (*f*) sed neque Iasoni fratri Oniæ ius vllum erat, iam ad ritus Gentilitios delapso, (*g*) & in Ammonitide (*h*) exulanti.

f *1. Mach. 2. v. 1. & in Chron. c. 39. in Philometore.*
g *Hic v. 7. & seqq.*
h *v. 26.*

CAPVT V.

Antiocho rege secunda in Ægyptum expeditione occupato, variis prodigiis in aere terrentur Iudæi, quorum vrbem Ierosolymam Iason ex Ammonitide reuersus vi occupat, & in ciues horribiliter sæuit. Antiochus spe sua in Ægypto frustratus, iram omnem in Iudæos effundit, quorum 40. millia Ierosolymis in vincula rapit, 80. millia trucidat, alia 40. millia in mancipia diuendit: templum spoliat: per præfectos suos vbique Iudæos grauiter affligit. Iudas Machabæus cum suis in desertum secedit. Hoc caput à v. 11. vsque ad finem, cum 6. & 7. seqq. capitibus subnecti debet versui vltimo cap. 1. lib. 1.

℣. 1. DE expeditionibus Antiochi in Ægyptum tam prima quàm secunda, vide quæ Gabriel 340. & pluribus antè annis prædixerat Daniel. 11. v. 23. & seqq.

℣. 4. Meteorologica in aere ostenta Græcus Θηφάνειαν, id est, visionem, seu apparitionem; Latinus MONSTRA vocat, quia futurum quid monstrabant. Quæ rideant quantum volunt Caluinistæ: nimis certâ experientiâ constat etiam nostri sæculi, monstris, seu ostentis, eiusmodi præsignari bella & clades imminentes. & fusè id docent Plinius, Seneca, Iulius Obsequens, Niphus, Gemma, Lycosthenes & tot alij.

Caluinista præfationes Gallicæ in huncl. 2. Plin. l. 2. c. 56. Seneca in Quæst. natural. Iulius Obseq. c. 9. & 76. Niphus in Meteorologicis. Gemma in Cosmocriticis. Lycosth. de prodigiis f. 189. 210. 228. 566.

℣. 5. Certè occasione horum ostentorum, si- D mul & fama de morte regis Antiochi aduersarij sui, excitatus est IASON Oniæ frater, vt cum paucis armatis CIVITATEM Ierosolymam vi *aggrederetur*, & pontificatum, è quo per Menelaum (*i*) extrusus erat, sibi postliminio vindicaret. Et in vrbem quidem per *insidias* irrupit, & ingentem ciuium stragem edidit: sed

i *Sup. c. 4. v. 23. & seqq.*

℣. 9. PRINCIPATV, seu dominio, spirituali vel politico potiri non potuit. Quin potiùs fuga quasi Cainica (*k*) vitam, si saluam vellet, tueri coactus, tandem exitu infelicissimo extinctus est, nec sepulturâ dignus habitus.

k *Genes. 4. v. 14. &c.*

℣. 11. SVSPICATVS EST REX Antiochus IVDÆOS SOCIETATEM, quam hactenus cum eo habuerant, DESERTVROS] Suspicionis argumenta erant, quòd mortuum (*l*) esse sparsissent, quòd victum à Romanis, quòd Ægypto excedere iussum: quòd Lysimachum cõstitutum à se summum pontificem lapidassent: quòd *Iasonem* hostem suum se

l *Hic v. 5.*

insci-o

inscio quidam reuocassent: quòd in factiones discissâ vrbe, pars maior aduersaretur *Menelao* pseudopontifici, & consequenter Antiocho regi, qui mortuo fratre eius Lysimacho pontificatum illi reddiderat. Et verò sciunxerant hi sese ab aliis qui Menelao & Antiocho studebant, & aduentanti cum omnibus copiis regi portas occluserant: vnde *armis* opus fuit regi ad ciuitatem intercipiendam. Et hæ causæ quoque impulerunt tyrannum ad sæuiendum tam atrociter in optimos quosque ciues, prodente ipsos, & regem impellente Menelao.

℣. 17. ALIENATVS MENTE; Græcè est, *elatus animo*, ANTIOCHVS, non sat habuit impræsentiarum & per se afflixisse populum. Abiens quoque

℣. 22. RELIQVIT vbique PRÆPOSITOS, seu præfectos militares, AD AFFLIGENDAM pro libito suo GENTEM Iudaicam: IEROSOLYMIS quauis tigride CRVDELIOREM PHILIPPVM: IN monte verò GARIZIM, vbi Samaritanorum (*a*) erat templum, constituit ANDRONICVM quendam nihilo Philippo mitiorem. Vtrique adiunxit pseudopontificem MENELAVM totius huius tragœdiæ auctorem (*b*) & architectum.

(a) 4. Reg. 17. v. 24.

(b) Hic v. 15.

℣. 24. CVMQVE APPOSITVS: fortè legendum, *oppositus*, ESSET Antiochus, id est, hostili prorsus animo, CONTRA IVDÆOS, vt est in Græco, MISIT insuper APOLLONIVM Iudæis admodum ODIOSVM PRINCIPEM, qui paucis antè annis in Ægyptum (*c*) ab eodem rege missus fuerat, & tempore parentis eius *Antiochi Magni*, teste Liuio, classis dextrum cornu duxerat, cùm læuum Hannibal teneret. Idem, inquam, ille Apollonius, qui paucis pòst annis à Iuda Machabæo cæsus & occisus (*d*) est. Hic quiete Iudæorum fraudulenter vsus *die sabbathi*, OMNES QVI AD SPECTACVLVM, seu ad spectanda sacrificia, aliaque festo propria in publicum PROCESSERANT, eximprouiso TRVCIDAVIT, Iudæis propter festi solemnitatem non ausis arma capere, & tyranno resistere, vt pòst paulò contigit etiam aliis qui ad deserta loca confugerant, de quibus lib. 1. c. 2. v. 29. Vbi etiam exposui, laudandumne istud in Iudæis fuerit, necne. Porrò occasione harum turbarum,

(c) 4. v. 21.

Liuius l. 37

(d) 1. Mach. 3 v. 11.

℣. 27. IVDAS MACHABÆVS CVM cognatis, fratribus & cognatis SVIS SECESSERAT IN DESERTVM LOCVM, & NE PARTICIPES ESSENT COINQVINATIONIS, seu contaminationis; id est, ne polluerentur profano conuictu, esu, vsu vel consuetudine Gentilium, malebant summâ rerum inediâ INTER FERAS, FOENI CIBO, id est, herbarum & radicum esu, vitam ductare. Quod alioquin *Assidæis*, piis ac religiosis viris non erat insuetum, quorum tum DECIMVS, seu decadarchus erat Iudas, id est, vnus ex Assidæorum decemuiris, vt exposui lib. 1. cap. 7. v. 13. Licet aliqui (*e*) malint per *decimum* hic intelligere, pontificem ordine decimum à tempore Alexandri Magni. Quod licet verum sit, inchoando ab Iaddo, & excludendo spurios pontifices, Iasonem, Menelaum, Lysimachum, Alcimum, & includendo Mathathiam; minùs tamen congruit huic loco, vbi de *Iuda* dicitur, quòd ante fugam in desertum *fuerat decimus*: cùm sic dicendum esset, quòd postea factus sit decimus pontifex.

(e) Emanuel Sà, & Mariana.

CAPVT VI.

Tyrannus Antiochus submisso Ierosolymam è senatoribus Antiochenis nouo tortore, nouis plagis affligit Iudæos: templum Ierosolymitanum Ioui Olympio, Garizitanum Ioui Hospitali iubet dicari: Iudæos omnes ad Ethnica sacra cogit. Mulieres, quæ filios suos circumciderant, è muris præcipitantur. Eleazarus mori maluit, quàm porcina carne contaminari.

℣. 1. SENEX, seu ex ordine senatorio, ANTIOCHENVS, in Græco *Atheneus* vocatur: forsan quia inde oriundus, forsan etiam proprium id ei nomen fuit. Mariana suspicatur fuisse illum *Bacchidem* quem Mathathias Ierosolymis occidit, vt dixi l. 1. c. 2. v. 1. Hic profanato templo Ierosolymitano, nomen illi indidit

℣. 2. IOVIS OLYMPII, cum nouo nomine, nouâ dedicatione publicè celebratâ. Hîc iam habemus in templo Dei *abominandum desolationis idolum*, vt vocatur l. 1. cap. 1. v. 57. & Danielis 11. v. 31. Quod verò IN monte GARIZIM (*f*) Samaritani construxerant, PROVT ERANT HI, & publicè vocari volebant, *hospites* & aduenæ, imò datâ ad Antiochum epistolâ (*g*) tales se scribebant: sic iussit templum eorum vocari IOVIS HOSPITALIS, cui peregrini curæ sint. De hoc Ioan. 4. v. 20. dicebat Samaritana: *Patres nostri in monte hoc adorauerunt*. Et multis pòst sæculis excitauit ibi Zeno Imp. aliud nobilissimum templum in B. Virginis Deiparæ honorem, teste Procopio.

(f) 4. Reg. 17. v. 24.

(g) Ioseph. l. 12. c. 9.

Procop. l. 5. de Ædific. Iustiniani.

℣. 7. IN DIE NATALIS REGIS, qui à Gentilibus ex antiquissimo vsu (*h*) sacer vbique habebatur, AMARA NECESSITATE, seu violenta coactione, DVCEBANTVR IVDÆI agminatim AD idololatrica SACRIFICIA: maximè verò ad Bacchanalia, seu *Liberalia*, id est, LIBERO, seu Baccho, SACRA, cui multa ebrietate, libidine, furore atque insania litare mos erat, teste Plutarcho, (*i*) Tertulliano, Pithœo & Gyraldo: præsertim in Oriente, vbi ex Iouis femore Bacchus natus credebatur, inquit Dionysius. Et quidem HEDERA CORONATI COGEBANTVR miseri Iudæi LIBERO, id est, Baccho, cultum vt præstarent, vrbem CIRCVIRE. Erat enim hedera Baccho sacra, & solent eâ ministri & cultores Bacchi in eius festis coronari, quoniam ob innatam illi herbæ frigiditatem, putabatur ebrietati contraria; teste (*k*) Plinio, Tertulliano & Rhodigino.

(h) Testibus Pharaone Genes. 40. v. 20. Herode. Matth. 14. v. 6. Platone in Alcibiade. Herodoto l. 1 Iosepho l. 14 Ammiano l. 24. Plutarcho in Sympos. c. 9. Athenæo l. 4

(i) Plutarch. in Alexandro. Tertull. de Spectaculis Pithœus l. 1. Aduers. c. 9. Gyrald. de Diis Gentium syntagm. 8. Dionys. in orbe Periegesi.

(k) Plin. l. 16. c. 34. Tertull. l. de Corona mil. c. 7. Rhodigin. l. 14. c. 49.

℣. 8. PTOLEMÆI, quorum suggestione tam nefanda patrabantur, non erant reges Ægypti, Philometor & Euergetes fratres, vt putat Mariana, quia hi vix adolescentes erant etiamnum, neque aduersabantur Iudæis, vt colligere est ex dictis in Chronico c. 39. Sed erant de familia *Ptolemæorum*, qui pro rege *Antiocho* præerant Cœlesyriæ & Phœniciæ, & maritimis regionibus circa Tyrum & Sidonem, suprà c. 4. v. 44. & seqq. & infrà c. 8. v. 8.

℣. 11. PHILIPPVS FLAMMIS sæuiens in sabbathizantes, is est qui c. 5. v. 22. Ierosolymis ab Antiocho Iudæos diuexare iussus fuit. Historia ad longum narratur l. 1. c. 2. v. 31.

En constantiæ nobilissimum exemplum:

℣. 18. ELEAZARVS DE PRIMORIBVS SCRIBARVM, scientiâ diuinarum litterarum præcellens. *Sacerdotem* vocat Gorionides, imò *principem sacerdotum*, nempe vicis seu classis vnius. Additque eum *inter 72. interpretes præcipuum* fuisse. Quod si verum esset, non iam *nonaginta* (vt hic v. 24.) sed plusquam centum viginti *annorum* fuisset hoc tempore Eleazarus.

Gorionid. l. 3 c. 2. & 4

Ambr.l.2. de Iacob c.10.& 11. Nazianz. orat.22. Cypr. de Orat.Dominica. 22.Par.24. v 20.

zarus. S. Ambrosius & Nazianzenus vocant ipsum *patrem*, id est, magistrum & doctorem septem puerorum Machabæorum, de quibus c. seq. Vocant & *primitias Martyrum veteris testamenti*, sicut Stephanum *noui*; non quòd tempore primus fuerit (nam sic Abel Protomartyr à S. Cypriano dicitur, & Zacharias, (*a*) Isaias, (*b*) ac tot alij Prophetæ Eleazaro priores sunt,) sed quòd nobilitate martyrij certarit cum primis. Sic in libro Numer. & alibi sæpius *primitiæ fructuum* vocantur non soli primi fructus, sed præstantiores quique.

b Præfat. in Isaiam. Num.85. v.19 c.18.

℣. 23. Per INFERNVM limbus patrum, seu sinus Abrahæ intelligitur, in quo Lucæ 16. visus fuit *Lazarus*, quem Tertullianus pro *Lazaro* vocat ELEAZARVM.

Tertull. l.3. de Anima c.32. & l. de Idololatria.

℣. 28. Vt & suprà 19. vbi Latinus vertit, *supplicium* in genere, Græcus habet in specie τύμπανον. Quò S.Paulus alludit ad Hebræos 11.v.35. vbi dicit de quibusdam Sanctis. ἐτυμπανίσθησαν: pro quo Latinus vertit, *distenti sunt*. & versionem approbant etiam Erasmus, Caluinus, Beza, & Arctius hæretici: fatenturque alludi à S. Paulo ad hunc nostrum Eleazarum & Machabæos Martyres. Sed cur ergo Machabæorum hosce libros non admittunt tamquam Canonicos, quos à Sancto Paulo admissos agnoscunt? Erat porrò *tympanum* tormenti genus, quo cruci vel palo adstricti rei, instar tympani distendebantur, ac tum vel baculis contundebantur, vel flagellis discindebantur, vel viui excoriabantur, vel vulneribus punctim, cæsim conficiebantur, vt Suidas, Hesychius, Lipsius volunt: vel facibus aut laminis ignitis vstulabantur, terris ad nares admotis odoribus, vt nostro Eleazaro factum vult Iosephus; vel pice feruenti in os infuso cruciabantur, vel igne in cineres redigebantur, vel capite minuebantur, vt Varinus, Oecumenius, Theophylactus & alij docent.

Erasmus, Calu. &c. in Hebr. 11.

Suidas, Hesychius, Varinus, Oecumen. Theoph. in Hebr. 11. Lipsius de Cruce. Iosephl.1. de Machab. c.6.

CAPVT VII.

Septem vnius matris filij, vnà cum matre, pro sincera religione, crudelissima mortis supplicium constantissimè tolerant.

Ioseph in libelli de Machabæis versione Latina.

SEPTEM horum fratrum nomina à Iosepho recensentur hoc ordine: *Machabæus, Aber, Machiri, Iudas, Achas, Areth, Iacob*. dicunturque è Susandro ipsis proprio castello ad Antiochum regem adducti, non Ierosolymam, vt putauit Cedrenus; sed Antiochiam, teste etiam Gorionide, Sancto Ambrosio & Augustino. E quorum sententia etiam *Eleazarus* ille cap. præced. martyrio ibidem coronatus est. Erant omnes genere illustres, corpore formosissimi, cælibes plerique, inquit idem Iosephus. Etsi verò quidam illorum nuptiis alligati essent, nullus tamen liberos adhuc procreauerat: nam mater, quam Iosephus *Machabæam* vocat, disertè affirmat, se necdum *auiam* factam. Omnes porrò vocantur *Machabæi*, à matre sua, inquit S. Thomas, vel à primo fratrum, vt mauult Serarius: vel certè à robore & fortitudine animi quâ tyrannum superarunt, vt putat Scaliger, à qua eadem dixi lib. 1. cap. 3. vers. 3. Iudæ filio Mathathiæ inditum nomen Machabæi. Tempus quo passi sunt, ex contextu historiæ colligi videtur, fuisse anno 8. regni Antiochi Epiphanis, paulò antè quàm aduersus tyrannum arma capesseret Mathathias, vt hic insinuatur vers. 38. In horum Martyrum honorem templum postea à Christianis Antiochiæ excitatum fuisse, dicit S. Augustinus. *Eorum reliquias* Antiochiâ *Romam translatas, & in ecclesia S. Petri ad Vincula reconditas*, ait Romanum Martyrologium prima Augusti: qua die festum illorum iam inde ab initio Ecclesiæ maxima hominum religione frequentiaque celebratum fuisse, testes è veteribus sunt SS. Ambrosius, Nazianzenus, Chrysostomus, Augustinus, Leo Papa, S. Gaudentius, Maximus & alij. Sed Romanis litem indicunt Colonienses, qui iam à 400. & pluribus annis horum septem fratrum, & matris eorumdem, corpora sibi vendicant, & hoc nomine gratulatur illis non semel Erasmus & alij auctores, vt videre est hîc apud Serarium. Historia martyrij sat claris verbis à scriptore sacro proponitur.

Gorionid. l.3.c.5.& 6. Ambr.l.2. de Iacob c.10. August. serm.109. c.6. Ioseph. supr. c.16.

Scaliger l.5. de Tempor.

Augst. sup.

Ambros. epist. 29. Nazianz.& August.sup. Chrysost. & item in orationibus habitis in laudem horum Martyrum.

℣. 1. EXCRVCIANTVR FLAGRIS ET TAVREIS, seu loris ex corio vel neruis tauri confectis, quorum frequens vsus olim & in Martyrologiis.

℣. 5. INVICEM SE HORTABANTVR ad constantiam, ne quis deflecteret à lege Dei: his inter alia verbis vsi,

℣. 6. DEVS ASPICIET VERITATEM, id est, considerabit, expendet & præstabit quod iustum est, ET CONSOLABITVR IN NOBIS, id est, subsidio & solatio nobis erit, QVEMADMODVM MOYSES in CANTICO suo Deuter. 32. v. 36. protestatus est Deum facturum.

℣. 18. NOLI, ô tyranne, FRVSTRA ERRARE, quasi putes nos esse infelices aut exosos Deo, quòd tam acerbis tormentis excruciemur: te verò, quia nihil aduersi pateris, felicem esse & charum Deo. NOS ENIM in bonum nostrum tormenta HÆC PATIMVR sanè DIGNA alioquin ADMIRATIONE, quia per illa satisfacimus Deo pro peccatis quibus illum offendimus. Tibi verò tua scelera manent impunita in hoc sæculo, sed tantò acriùs punienda in futuro.

℣. 24. Spondet rex, se illi RES NECESSARIAS PRÆBITVRVM] Ex Græco verti potest, se ei *creditum negotia sua*, nempe secretiora regni, id est, se illum habiturum inter primos amicos & officiales suos.

℣. 27. FILI MI, MISERERE MEI, ne fœda & tristi apostasia excrucies miseram matrem.

℣. 30. QVEM SVSTINETIS?] Id est, qualem me fore exspectatis? certè non alium quàm quales reliquos fratres meos experti estis, me experiemini. Sic suprà vers. 17. *Sustine* pro expecta, interpres vsurpat.

℣. 36. FRATRES MEI, MODICO NVNC DOLORE SVSTENTATO, seu tolerato, SVB TESTAMENTO ÆTERNÆ VITÆ EFFECTI SVNT] id est, fruuntur iam vitâ æternâ & immortali, ex pacto & fœdere diuino fidelibus promissâ. Martyrum horum encomia ex SS. Patribus plurima & præclarissima citat Serarius, vti & similia heroicæ fortitudinis in nouo testamento exempla, non modò adolescentum, sed & puerorum & puellarum, ac penè infantium ex Europa, Asia, Africa & Indiis. Celebrat nominatim S. Gregorius, itemque Chrysologus S. Felicitatem: Mombritius S. Symphorosam: ἑπταμήτορα vtramque, id est, septem sanctorum filiorum Martyrumque matrem, vt videre est in Martyrologio Romano, & Cardinali Baronio ibidem, hanc 18. Iulij, illam 23. Nouembris.

Gregor. homil. in Euang.3. Chrysol. serm.134. Mombritius To.2. Martyrologij Romani.

CA-

CAPVT VIII.

Iudas Machabæus collectis sex millibus Iudæorum graviter affligit Gentiles: Nicanoru, Timothai & Bacchidu exercitus profligat: de Callisthene supplicium sumit. Nicanor turpi fuga Antiochiam recurrens, Dei potentiam apud suos deprædicat. Huius capitis priores septem versiculi, ubnecti debent versui 1. c. 3. Li. Reliqua huius capitis inseri possunt inter 37. & 38. versum eiusdem capitis 3.

¥. 5. IRA DOMINI IN MISERICORDIAM CONVERSA EST] & minui ac mitigari cœperunt flagella quibus antè sæuiebat in populum suum. Et hoc est quod vltimus septem fratrum cap. præced. promiserat vers. 38. *quod in se & in fratribus* suis, id est, cum martyrio & morte sua suorumque fratrum, *desineret Omnipotentis ira* grassari in Iudæos.

¥. 8. PHILIPPVS, qui Ierosolymis ab Antiocho præfectus erat, cap. 5. vers. 22. VIDENS, Iudam Machabæum PAVLATIM proficere, & maiores vires acquirere indies, opem implorat Ptolemæi ducis Cœlesyriæ: à quo *Nicanorem* PATROCLI filium, itemque Gorgiam impetrat cum VIGINTI promiscuarum nationum MILLIBVS. Sed longè plura millia postmodum accesserunt, vt dicitur l. 1. c. 3. v. 38. & 41.

¥. 11. His copijs præfisus NICANOR, Tyrijs, Sidonijs, alijsque MARITIMARVM CIVITATVM mercatoribus in castra euocatis, promittit, SE NONAGINTA IVDAICA MANCIPIA TALENTO VNO, vtique argenti Attico, id est, quingentis aureis scutis, DISTRACTVRVM. Nempe vix quinque scuta cum dimidio pro singulis capitibus exegisset, cùm paulò antè Hyrcanus quidam, teste Iosepho, vnicum adolescentulum vno talento, vnicamque puellam vno item talento coëmisset. Hæc bilem mouerunt plerisque Iudæis animosioribus: qui quò expeditiores essent ad bellum,

Ioseph. l. 12. Antiqu. c. 4.

¥. 14. VENDEBANT, SI QVID adhuc bonorum EIS domi SVPERERAT] volebant nempe toti vacare militiæ.

¥. 16. Pro SEPTEM MILLIBVS, in Græco non habentur nisi *sex millia*. Et ita requirere videtur v. 1. & 22. huius capitis.

¥. 20. PRÆLIVM ADVERSVS GALATAS IN BABYLONIA, in quo SEX MILLIA; Græcè *octo millia*, Iudæorum PEREMERVNT CENTVM VIGINTI MILLIA hostium; quo nomine PLVRIMA BENEFICIA Iudæi CONSECVTI SVNT à rege; puto contigisse sub Antiocho primo, cui cognomen *Soter*. Nam de hoc scribit Appianus, eum Galatas ex Europa in Asiam irruentes eiecisse. Quo vtique nomine consecuti sunt ingentes illos honores & priuilegia, quæ tum ab Antiocho Sotere, tum ab eius filio Antiocho Deũ consecutos esse scribit Iosephus, narrat Plutarchus, consentit Iustinus, subscribunt Thomas Bosius, Lipsius, Serarius, Mariana & tot alij.

Appian. in Syriacis.

Ioseph. supr. c. 3. Plutarch. in Demetrio. Iustin. l. 24. & 25. Bosius l. 23. de signis Eccl. c. 11. Lipsius in Admiranda l. 4.

¥. 22. IOSEPHVS frater Iudæ, Serario idem est qui *Ioannes* l. 1. c. 2. v. 2. In Græco adijcitur etiam vers. 23. ELEAZARVS, quartus Iudæ frater: nam pro verbis istis, AD HOC ETIAM AB ESDRA; ex Græco quidam vertunt, *adhuc etiam Eleazarum*, supple, præfecit Iudas simili modo mille quingentis viris. Tum noua periodo inchoant vers. 23. Iudas pontifex LECTO socijs suis SANCTO LIRRO Deuteronomij, quo Deus timentibus se pollicetur A victoriam: ET SIGNO belli DATO, seu tessera militari, hac nempe, *Auxilium suis Deus*; IPSE DVX Iudas IN PRIMA ACIE COMMITTIT CVM NICANORE & ipso alterius partis supremo duce: è cuius exercitu

¥. 24. NOVEM MILLIA cadunt, reliqui in fugam aguntur: quos ne ad omnium internecionem persequerentur Iudæi, præpediti fuerunt

¥. 26. HORA, seu crepusculo vespertino, SABBATHI ingruente, quo CONCLVSI, propter festi diei reuerentiam, à prosequendis hostibus REVERSI sunt in sua castra.

¥. 28. Exacto autem *sabbatho*, DEBILIBVS, ORPHANIS ET VIDVIS SPOLIA hostibus erepta distribuunt: nec sibi suisve familijs nisi residua deposcunt. O milites non milites! ô æternâ memoB riâ factum dignissimum! Quod utinam imitentur Christiani!

¥. 29. Rogant exinde Deum VT SERVIS SVIS RECONCILIETVR, & propitius esse ac fauere pergat IN FINEM] id est, perpetuò, ad plenam vsque à iugo hostili liberationem.

CAPVT IX.

Morbus & mors Antiochi, quæ l. 1. c. 6. breuiter narrata sunt, hic susiùs explicantur: vti & hypocrisis eiusdem promittentis mirabilia Iudæis si conualesceret: sed impius & blasphemus à vermibus corrosus, vini adhuc corporis sui fœtore intolerabili, in Babylonia extinguitur.

¥. 3. CIRCA ECBATANAM Persidis vrbem nobilissimam audijt ex nuntijs & litteris suorum fugam Lysiæ, (a) *Nicanoris, & Timothei.* Iratus vindictam minatur, & excidium Iudæorum, v. 4. Sed mox feritur à *Deo*.

a *l. 1. c. 6. v. 6.*

¥. 5. INSANABILI ET INVISIBILI PLAGA teterrimæ melancholiæ & cholicæ.

¥. 7. PRÆCIPIENS ACCELERARI NEGOTIVM profectionis, nempe vt primo quoque tempore suam omnem in Iudæos iram euomere posset; dum auriga currum violentiùs rapit, excutitur rex, terræ illiditur, & grauissimè læditur. E vulneribus

¥. 9. VERMES SCATVRIVNT & pediculi, carnes putrefactæ defluunt, tantâ graueolentiâ, vt iam à propriis famulis portari amplius non posset. Hoc pediculari supplicio (de quo vide, si lubet, Lucretium, Serenum, & alios medicos,) legimus grauissimos olim peccatores diuinitus affectos fuisse, verbi gratiâ, Herodem Ascalonitam, teste Iosepho: & alterum huius nepotem Herodem Agrippam, Actor. 12. Maximianum teste Eusebio: Iulianum teste Sozomeno: & alterum apostatam Theotecnum, de quo Nicephorus: & tertium, de quo S. Antiochus Palæstinus: Hunericum Wandalorum regem, de quo Victor: & nostro sæculo Caluinum, vt Bolsecus, Beza & alij testantur.

Lucret. l. 5.

Ioseph. l. 17. Antiqu. c. 8. Euseb. l. 8. c. 28. Sozom. l. 5. c. 7. Nicephor. l. 10. c. 29. S. Antiochus homil. 84. Victor. l. 3. Bolsecus c. 22. Vita Caluini. Beza in eiusd. Vita.

¥. 11. Hoc morbo, hoc fœtore intolerabili tandem tamen deuehitur in prouinciam Babyloniæ: vbi auctis notabiliter doloribus, COEPIT è tenebris *superbiæ* emergere, & AD AGNITIONEM SVI VENIRE, vt cogitaret se hominem esse miserum & mortalem, non Deum.

¥. 13. ORABAT AVTEM SCELESTVS DOMINVM, A QVO NON ESSET MISERICORDIAM CONSECVTVRVS, quia non verè & ex animo, sed fictè & simulatè orabat ac pœnitentiam agebat, hoc vnum quærens vt à morbis & doloribus liberaretur,

raretur, nihilò melior futurus si conualuisset. Vnde A signanter dicitur, *orasse Dominum*, sed manens scelestus. Simile de Esau dicit Apostolus ad Hebræos 12. *non inuenisse pœnitentiæ locum, etsi cum lacrymis inquisisset eam.* Pœnitentia enim talis non est de offenso Deo, sed de caducis bonis amissis, vel de malis aut miseriis (quæ scelerum pœnæ sunt) incursis & perpessis.

℣. 15. Pari animo promittit Iudæis SE FACTVRVM ipsos ÆQVALES ATHENIENSIBVS] nempe αὐτονόμους καὶ αὐτοπολίτας, vt ait Iosephus, id est, vt propriis legibus, propriisque institutis viuere sinerentur: quo nihil optatius Iudæis accidere posse probè sciebat. *Ioseph. l. 14. Antiq. c. 16.*

℣. 20. GRATIAS AGIT Deo, sed fictè. *Vers. 21. memorem* se Iudæorum dicit, & quidem BENIGNE, seu benenolo animo. *Vers. 25. commendasse* se SÆPE B Iudæis FILIVM suum ANTIOCHVM postea dictum *Eupatorem*; vicissimque se iam commendare illi Iudæos SVBIECTA, seu annexa his AD EVM singulari epistola.

℣. 26. Meminit BENEFICIORVM PVBLICE ET PRIVATIM in Judæos à se collatorum. Sed mendaciter omnia & ex mera hypocrisi, cùm constet, ipsum perpetuò atrocissimum Iudæis hostem fuisse. Quale verò est istud,

℣. 27. CONFIDO filium meum VOBIS COMMVNEM, seu comem, benignum, benenolum, FORE; Græcè, *obsecuturum* vobis, SEQVENTEM PROPOSITVM MEVM] Nam si intelligat, imitaturum ipsum mores parentis benignos & clementes; splendidissimè mentitur, & falsissimè de seipso sentit, more tyrannorum, qui quantamcumque crudelitatem exerceant, pro benignitate prædicari & haberi volunt. Sin impios & crudeles mores, nimis verè loquitur, vt ex seqq. capp. patebit. Sed C hoc non se *sperare*, verùm timere, debebat dixisse tyrannus.

CAPVT X.

Iudas Machabæus templum & vrbem Ierosolymam ab idolatricis sordibus repurgat. (Et hæc concurrunt cum iis quæ narrantur lib. 1. c. 4. & ibidem inseri possunt ante v. 36. Reliqua huius & sequ. capitis & 11. imò & 12. inseri debent c. 6. lib. 1. post v. 17.) Ergo Antiocho Epiphani succedit filius Antiochus Eupator, Ptolemæus cognomento Macer, quia Iudæis fauit, calumniis apud regem circumuentus, vitam veneno sibi abrumpit. Gorgias à Iudæis iterum superatur, vti etiam Idumæi. Proditores puniuntur. Timotheus profligatur primùm, dein & occiditur, cum Charea & Apollonio. Deo vindici laudes canuntur.

℣. 3. IGNITI LAPIDES à Ioanne Mariana & quibusdam alijs hîc vocantur silices qui ignem in se continere videntur, & ferro percussi ignem reddunt. Sed Serarius putat, precibus ignem è cælo deuocatum lapides ibi fortè vicinos corripuisse & inflammasse, vt factum sub Nehemia & aliàs sæpiùs, dixi l. 2. Mach. c. 2. v. 7. Et ita hîc factum scribit Gorionides. Porrò hæc templi repurgatio, & noui altaris dedicatio, etsi hîc narretur post mortem Antiochi, certum tamen, accidisse ante mortem illius: nam facta est *anno Græcorum* 148. (*a*) cùm Antiochus mortuus sit anno 149. (*b*) *Gorionid. l. 3. c. 13.*

BIENNIVM, cuius hîc fit mentio, inchoatur non à profanatione templi, sed ab initio principatus Iudæ, vt alibi (*c*) dixi.

℣. 7. THYRSI virgulta sunt vel hastæ frondibus ornatæ, quibus olim, vbi parta esset victoria, castrorum tabernacula vestiebantur, teste Plutarcho, Appiano & alijs. *Plutarch. in Æmilio & Mario. Appian. l. 3. Belli ciuilis.*

℣. 11. LYSIAS iste, quem SVPER NEGOTIA REGNI, seu proregem, CONSTITVIT nouus rex *Eupator*, de *stirpe regia* erat, l. 1. c. 3. v. 32.

℣. 12. Sed quis iste PTOLEMÆVS MACER? Ex particula causatiua, *nam*, quæ etiam est in Græco, videtur antecessor Lysiæ fuisse in proregis dignitate. Et idem ipse qui suprà cap. 8. vers. 8. Nicanorem & Gorgiam aduersus Iudæos misit: sed iam meliùs instructus de illorum innocentia, PROPTER INIQVITATEM, seu iniustitiam ipsis factam tum à se, tum ab alijs, statuit exinceps iustitiæ & innocentiæ eorumdem patrocinari. Sed hoc ipsum ei odium apud amicos & regem, dein etiam exitium peperit. Maximè quòd diceretur etiam *à* rege *recessisse*; & ad Iudæos regis hostes proclinior esse.

℣. 14. ADVENÆ vocantur eæ copiæ militares quæ ex Thracibus, Lydis, Galatis, & aliis exteris nationibus erant conflatæ. Hæ infrà v. 24. vocantur *exercitus peregrinæ multitudinis.*

℣. 15. IVDÆI; Græcè, *Idumæi* (& sic legendum patet ex vers. sequ.) reiectitios & apostatas Iudæos excipiebant arcibus suis, & armis instruebant, & vnà secum in bellum aduersus Iudam Machabæum educebant. Ex his verò cæduntur mox à Iuda

℣. 17. VIGINTI MILLIA] Qui cædem effugerunt, in Græco dicuntur fuisse *nouem millia.*

℣. 19. IOSEPHVS idem esse videtur, qui c. 8. v. 22. proprius *Iudæ* frater.

℣. 20. SEPTVAGINTA MILLIA DIDRACHMÆ argenti Atticæ (*d*) faciunt aurea scuta 5833. cum vna tertia. Hac summâ *v.* 21. dicit Iudas quosdam Iudæos φιλαργυρίᾳ *vendidisse* FRATRES suos reliquos Iudæos, eo ipso quo aduersarios illorum iam in arctum coactos effugere permisissent. Salutem enim amicorum prodit: qui inimicos captos soluit. *d Prolog. de moneta.*

℣. 28. Duo præclara habes gerendorum bellorum, & obtinendæ victoriæ certissima instrumenta. Primum, *Deum* per pœnitentiam, preces & certam fiduciam inuocatum. Secundum, *virtutem* tam animi, quàm corporis, nempe quæ labores, vigilias, inediam, aliáque belli incommoda generosè tolerat, acriter pugnat, nec è pugna nisi victrix recedit. E contrario calamitatum & exitiorum in bellis fons & auctor certissimus is, quem Iudæorum hîc hostes habebant, *dux belli animus*; Græcè, θυμὸς, id est, cupiditas, ira, superbia.

℣. 29. APPARVERVNT DE CÆLO QVINQVE VIRI, id est, angeli virorum formâ, IN EQVIS, D tutantes vndique Iudæos, IN ADVERSARIOS verò TELA omne genus ET FVLMINA IACIENTES] Non sunt ergo hæc, vt quidam subinde mussitant, inania spectra, cùm vi illorum res tantæ perficiantur. Neque dæmonum ludibria, vti olim Castor & Pollux: neque enim vellent veræ religionis hostes dæmones veram religionem suo auxilio stabilitum vel amplificatum ire. Et plenæ sunt historiæ subsidiis eiusmodi angelicis, Constantino (*e*) contra Licinium, Theodosio (*f*) contra Eugenium, Venceslao (*g*) contra Curinêsem principem, tot Hispanis (*h*) & Lusitanis (*i*) regibus contra Saracenos, Mauros, Indos: Congi quoq; regi Alfonso (*k*) Christiano contra parricidam Pansum: & plurimis aliis etiam nostra ætate ducibus Christianis aduersus Christianæ fidei rebelles Gentiles, Turcas, hæreticos in ipso ardore certaminis è cælo submissis. *e Panegyrico sexto. f Theod. l. 5. c. 24. g Vita S. Venceslai. h Mariana Hispania. i Maffæi hist. Indica l. 4. & 12. k Maff. ibid. l. 1. Gorionid. l. 3. c. 13.*

℣. 32.

℣. 32. TIMOTHEVS deletis copijs ſuis, ad litora maris priùs profugit, inquit Gorionides, vbi collectis à Palæſtina fuga ſocijs, iterum cum Iuda committit, iterum vincitur, victus includit ſe non *Gazæ*, vt ait, ſed GAZARÆ mœnibus. Qua quinta pòſt die, virtute IVVENVM VIGINTI *Haſſamonæorum* expugnata, ibidem cum *fratribus ſuis Chærea & Apollophane* interemptus eſt, IN LOCO; Græcè, *in lacu* QVODAM.

CAPVT XI.

Iudas Machabæus ab angelo adiutus ingentem Lyſia exercitum fundit. Quare Lyſias pacem procurat inter Antiochum Eupatorem & Iudæos. Subnectuntur litteræ eorumdem, vti & Romanorum ad Iudæos.

℣. 1. LYSIAS PROCVRATOR & vicarius regis iunioris Antiochi Eupatoris, eiuſdemque PROPINQVVS, id eſt, (*a*) conſanguineus, ac NEGOTIORVM regiorum PRÆPOSITVS, comperta clade Gorgiæ & Timothei, nouas conflat copias. Sed auxilio Iudæis venit

a l. 1. c. 3. v. 32.

℣. 8. EQVES, id eſt, angelus, formâ equitis cataphracti. Fuit is veriſimiliter *Michael*, vniuerſæ Eccleſiæ præpoſitus. huius ope hoſtes omnes fuſi, cæſi, in fugam acti ſunt. Hac clade commotus *Lyſias*,

℣. 13. QVIA NON INSENSATVS, nec mentis expers erat, ſed prudens admodum princeps, REPVTANS FACTAM ERGA SE DIMINVTIONEM virium & copiarum ſuarum, cæſis tot millibus peditum & equitum; ſimulque INTELLIGENS, HEBRÆOS, quamdiu cæleſti ope niterentur, INVICTOS ESSE; MISIT AD EOS pro pace inter partes concilianda.

℣. 19. SI FIDEM CONSERVAVERITIS IN NEGOTIIS tum fœderis huius, tum aliis olim tractandis cum rege, TENTABO ET EGO DEINCEPS CAVSA BONORVM VOBIS ESSE, id eſt perpetuò ſtudebo veſtris commodis & vtilitatibus.

℣. 20. DE CETERIS articulis à vobis mihi propoſitis ſigillatim reſpondi ET ISTIS Ioanni & Abſalomo legatis veſtris, ET HIS QVI vnà cum iſtis A ME ad vos *mittuntur*. Ipſi ore tenùs vobis omnia exponent.

℣. 21. ANNO CENTESIMO QVADRAGESIMO OCTAVO regni Græcorum datæ dicuntur tam hæ litteræ quas Lyſias, quàm ſequentes, quas rex ipſe Antiochus Eupator ad Iudæos tranſmittit. Ex quo chroniſmo patet, verũ eſſe quod in Chronico, & in præfatione libri primi dixi, auctorem libri 1. Machabæorum in annorum ſupputatione quæ Alexandrina eſt, differre toto ſeſquianno à calculo Chaldaico, quo vtitur auctor libri 2. Nam præſens hic annus, qui auctori libri 2. eſt 148. quo iã mortuo Antiocho Epiphane regnarat aliquamdiu filius eius Antiochus Eupator; ab auctore libri primi vocatur 149. & quidem ad finem vergens: nam morte Antiochi Epiphanis annotat ipſe *anno* 149. (c. 6. v. 16.) à cuius morte effluxerunt aliquot menſes haud dubiè, vſque ad præſentem copiarum Eupatoris cladem, quæ hic annotatur accidiſſe anno 148. *menſe Dioſcoro* vel Δοσκόρῳ, vel, vt in Græco textu eſt, Δοσκορινθίῳ, id eſt, Iouis Corinthij. Quod nomen in Græcorum parapegmatibus, vbi plurima menſium nomina reperies, nuſquam inuenitur. Scaliger putat fuiſſe *embolimum*, ſeu intercalarem menſem: ſed meliùs Serarius, fuiſſe ipſum menſem *Dyſtrum* qui noſtro partim Februario, partim Martio reſpondet. Hoc enim tempus eſt quo ſolent in Aſia reges ad bella procedere. Et colligitur ex chroniſmo litterarum Antiochi regis, & legatorum Romanorum ſub hoc idem tempus datarum, nempe *menſe Xanthico*, *Dyſtrum* proximè ſubſequente. Neque nouum eſt, vnum eumdemque menſem diuerſa nomina ſortiri, non ſolùm apud diuerſos, ſed & apud eoſdem populos, vt patet ex noſtro *Quintili*, aliàs *Iulio*: & *Sextili*, aliàs *Auguſto*, atque ita de aliis.

Chron. c. 40 in Seleuc. 1.

Pro eo quod *verſ.* 23. Antiochus Eupator more Gentilium dicit, PATREM ſuum Antiochum Epiphanem INTER DEOS TRANSLATVM; apud Gorionidem, vſitatâ Hebræorum parœmiâ, dicitur, inter *angelos* aſſumptum. Sed voces *angelos*, voces *deos*, ad quos demigrauit tam impius, tam blaſphemus tyrannus, nolim ego tali ſocietate donari. Quàm verò & iſtud lepidum, quòd

Gorion. l. 3. c. 14.

℣. 24. Dicit rex, IVDÆOS A ſe POSTVLARE, CONCEDI SIBI SVA LEGITIMA] id eſt, liberum ſuæ religionis exercitium. Item quòd decernit

℣. 25. RESTITVI ILLIS TEMPLVM] cùm conſtaret, Iudæos iam pridem habere illud in ſua poteſtate, & victores non pendere ab arbitrio victi regis. Sed ſolent tyranni, dum nocere non poſſunt, fingere ſaltem ſe bene velle: & ne officiant famæ vel exiſtimationi ſuæ, ſimulant ſe beneficia dare, pacemque vltrò offerre iis à quibus petere debuiſſent. Eſt porrò hæc pacificatio, ſeu fœdus longè aliud ab eo quod infrà c. 13. in fine & l. 1. c. 6. iidem Lyſias & rex Antiochus cum Iudæis pepigerunt. De priore quod hîc deſcribitur, agit Gorionides l. 3. c. 14. de poſteriore, quod l. 1. in fine c. 6. narratur, agit eodem libro Gorionides, ſed c. 20. Iſtic rex præſens eſt, & Ieroſolymam poſt fœdus ilico ingreditur: hîc abſens eſt & Lyſiam litteris alloquitur. Iſtic factio Philippi regem ad fœdus vocat: hîc Lyſiæ ſtrages, Deique operum prudens conſideratio. Vnde patet, regem & Lyſiam à priore hoc fœdere citò reſiliiſſe, vt ſolent qui ſolo metu ſuaſore fœdera ſanciunt. Niſi malis dicere, non plenè inter partes hoc tempore conueniſſe, & fœdus hoc prius non niſi ad breue tempus, ac per modum induciarum ſancitum fuiſſe; vt colligi videtur ex litteris ipſiuſmet regis ad Iudæos hîc datis *verſ.* 30. vbi Iudæis vltrò citroque commeare volentibus, ſeu pacis conciliandæ, ſeu negotiorum aliorum tractandorum causâ, non concedit rex inducias & ſaluum conductum niſi ad *quindecim dies*. Ad pacem hanc conciliandam offerunt operam quoque ſuam, & propenſam voluntatem legati Romani, qui tum in caſtris aderant, ea veriſimiliter occaſione quam narrat Appianus, ad annum Vrbis 591. teſte Sigonio, nempe vt Antiocho regi iuberent, quas vltra præſcriptum à Romanis numerum habebat, naues comburere, & elephantes occidere.

Appianus in Syriacis.

CAPVT XII.

Non obſtante fœdere, duces Antiochi Eupatoris Iudæos infeſtant: Ioppita ducentos ſubmergunt: & ſimilia tentant Iamnienſes. Sed Iudas Machabæus ferro flammaque citò vindictam ex vtriſque ſumit: Arabes vincit: vrbem Caſpin expugnat: Timothei copias fundit: vrbem Ephron capit: Scythæ Iudæorum tum amicis parcit. Cum Gorgiâ rurſus non infeliciter pugnat: ac pro ſalute ſuorum qui in acie ceciderant, duodecim millia drachmarum argenti Ieroſolymam mittit, vt inde pro defunctis ſacrificia Deo offerantur.

℣. 1. IVDÆI firmam fore pacem arbitrati, paſſim AGRICVLTVRÆ vacabant. Sed importunitas ducum Eupatoris, (qui duces prorſus alij ſunt à ſuprà dictis, ſic quidé nominatis, ſed iam occiſis) *verſ.* 2. QVI circa Iudæam RESIDERANT cum copijs ſuis, ſeu præſidiis militaribus, breui turbauit pacem. Gorionides dicit, quietem octo menſium

Gorion. l. 3. c. 17.

sium Iudæis fuisse: interea Iudam Machabæum in quosdam perduelles Iudæos animaduertisse: Iudæos & Macedonas in pluribus Iudææ vrbibus, maximè ad littus maris, simul habitasse & negotia exercuisse. Sed *Ioppitas & Iamnienses* ea occasione perfidè vsos, in exitium & excidium Iudæorum.

a *Prolog. de mensura longitudinũ*

℣.9. STADIIS DVCENTIS QVADRAGINTA, vel, vt Gorionides, *stadiis* 246. distabat Iamniæ portus IEROSOLYMIS, id est, ferè decem leucis. (*a*) Hic è vicinis Iamniæ fanis, quædam idolorum anathemata, seu sacra donaria Iudæi quidam clàm sustulerunt, vt infrà v.40. dicetur.

℣. 27. In EPHRON CIVITATEM anno 148. Græcorum incolis omnibus à Iuda exhaustam l.1. c.5. v.46. paulatim promiscua confluxerat MVLTITVDO ex *variis gentibus*. Hæ iterum se iam opponunt eidem Iudæ, sed eodem successu, nimirum cum strage & cæde suorum ad *viginti quinque millia*. B

℣.29. A CIVITATE SCYTHARVM; græcè, *Scythopoli*, redit Iudas IEROSOLYMAM, INSTANTE iam DIE SOLEMNI SEPTIMANARVM] i. festo Pentecostes: nempe triduo ante festum, inquit Gorionides.

Gorion. sup. c.18.

℣.31. GORGIAS IDVMÆÆ PRÆPOSITVS exit *obuiam* Iudæis: *vers.*35. penè capitur à *Dositheo* DE BACENORIS filiis vel prosapia. Est idem hic *Dositheus* cũ illo cuius meminit v.19. è primariis Iudę ducibus.

℣. 38. *Superueniente* SEPTIMA DIE, seu sabbatho, *purificantur* Iudæi à sanguinis profusione & cadauerum contactu.

℣. 39. SEQVENTI DIE, nempe feria prima hebdomadæ (nos Dominicã diem iam vocamus) paucos suorum qui in pugna contra Gorgiã ceciderant (erant horũ quidã è fortissimis Hasmonæis, inquit Gorionides) sepulturæ mandant. *Vix* enim, inquit Curtius, *vllum tam solemne munus in bello, quàm humandi suos.*

Gorion. sup. & c.19. Curtius l.5.

℣. 40. SVB TVNICIS INTERFECTORVM deprehendunt latentem mortis ipsorum CAVSAM, nempe impura illa è fanis Iamnensibus furta; de quibus suprà vers. 9. Quæ lege diuina Deuter.7.v.5. & Exodi 34. vers. 13. Iudæis disertè vetantur, iubente Deo, vt etiam bello capta idola, & omnis idololatrica supellex comburatur, neque in vllos domesticos vsus conuertatur. Horum peccatum C

℣. 42. ROGANT Deum Iudæi, VT OBLIVIONI TRADATVR] Græcè, *perfectè deleatur*. quod v.vlt. vocat *solui à peccato*. Supponebant enim horum peccatum, saltẽ in plerisque, solùm veniale fuisse, ratione vel exiguæ quantitatis, vel finis: vel, si mortale fuerit, pœnituisse illos ante mortis articulum. Nam expressè v.45. agunt de iis *qui cum pietate dormitionem acceperunt.*

℣. 43. DVODECIM MILLIA DRACHMÆ ARGENTI, quas è collatitia pecunia MISIT Iudas IEROSOLYMAM, vt ex ijs *sacrificia* ibidẽ Deo *offerentur* PRO illo defunctorum *peccato* expiando, si Atticæ fuerint, faciunt *mille scuta aurea*: si Hebręæ, *duo millia scutorum*. En clarissimum Scripturæ testimonium pro suffragijs defunctorum: en factum & exemplum nobilissimum pontificis & Ecclesiæ illius temporis, ab auctore sacro, id est, à Spiritu sancto, non modò narratum, sed & laudatum atque approbatum, vt Serarius, Bellarminus & alij Doctores fusè explicant. Neque possunt id hæretici negare, nisi vel Canonicam horum librorum auctoritatem conuellendo: (sed hanc iam antè in præfatione stabiliuimus:) vel certè fingendo, vt fingit Munsterus, hanc coronidem non esse genuinam huius cap. partem, sed per audaculum quempiam textui insertam vel D

Prolog. de Monetis.

Bellarm. l.1. de Purgatorio c.3.

A assutam. Sed hoc hæretici cerebri figmentum refellunt omnia, seu edita, seu manuscripta librorum horum exemplaria, etiam antiquissima: veterum item Patrum, in Præfatione citatorum, testimonia, qui locum hunc vbique pro Canonica & genuina libri huius parte agnoscunt & citant. Quàm verò istud splendidum Munsteri (*b*) mendaciũ, non solere Iudæos ad hunc vsque diem orare pro defunctis? Cui refellendo non aliud argumentum deposco, quàm ipsiusmet Munsteri (*c*) retractionẽ, & Iudæorum ipsorummet testimonium, quod per me licet, petatur vel ex ore superstitũ, vel ex scriptis defunctorum, vel ex Ritualibus Iudaicis, quæ, hîc ad verbum citat Serarius, Genebrar. & Bellar. & ego attigi Tob. 4. & fatetur Fagius, Wittaker. & alij hæretici.

b *Præfat. in librum Gorionidis, & infrà l.5. c.19.*

c *Munster. in Deut.14.*

Genebr. in lib. 5. quæ à Maccab. vertit. Fagius in Deut.14. Witak. l.1. contra Duræum f.81.

CAPVT XIII.

Antiochus Eupator & Lysias instaurato exercitu bellum resumunt aduersum Iudæos. Menelaus pseudopontifex dum à nouo rege principatum sibi stabiliri deposcit, præcipitio ab eodem enecatur. Iudas Machabæus noctu ex Antiochi exercitu multos occidit. Antiochus Bethsuram obsidet & deditione capit: cum Iuda committit, sed vincitur, pacem precatur & impetrat. Concurrit hoc caput cum cap. lib. 1. post v. 29.

℣. 2. PRO CENTVM DECEM MILLIBVS PEDITVM, QVINQVE MILLIBVS EQVITVM ET ELEPHANTIS VIGINTI DVOBVS, habes l.1.c.6. vbi hæc eadem Antiochi Eupatoris expeditio describitur, *peditum centum millia, equitum viginti millia, elephantos triginta duos.* Nimirum variis diebus varius erat numerus, prout aliquæ copiæ vel de nouo accederent, vel aliò, vt fit, ablegarentur. Huic expeditioni aduersus Iudæos sese admiscet

℣. 3. MENELAVS pseudopontifex ab Antiocho Epiphane iam pridem (*d*) constitutus. Sed SVGGERENTE *vers.* 4. LYSIA, HVNC Menelaum ESSE CAVSAM OMNIVM MALORVM & turbarum in Syria; IVSSIT rex cum IN EODEM LOCO, id est, in eadem illa Syriæ regione, in qua tum rex degebat, APPREHENSVM NECARI, VT Syris istis EST CONSVETVDO, id est, eo mortis genere & supplicio, quo solent istic proditores plecti: nempe vt ex altissima *turri*, quæ subtus CINEREM è sacrificijs vicini forsan delubri colligi solitum, in cumulos VNDIQVE AGGESTVM *habebat*, IN PRÆCEPS deijceretur. Sic profanis cineribus immersus est, qui sacros diuini altaris *vers.* 8. CINERES sacrilegijs suis sæpiùs contaminarat.

d 2 *Mach. c.4. v.13. & vlt.*

Pergit nihilominus in Iudæos procurrere rex Antiochus. Sed Iudas Machabæus aduentantem præuertit *v.*13. & noctu in castra ipsius clàm illapsus, *v.* 14. DANS POTESTATEM DEO, id est, committens se suosque, & sua omnia nutui ac beneplacito diuino, *vers.* 15. DATO SVIS SIGNO, symbolo, seu classico, VICTORIÆ DEI, sternit, cædit, INTERFICIT QVATVOR MILLIA hostium.

℣. 18. HOC AVDACIÆ & fortitudinis IVDÆORVM specimine *gustato* REX, non iam vi, sed ARTE & solertia TENTAVIT *difficiliora* Iudææ *loca* sibi vindicare, putà proditione; sed qui BETHSVRAM (*e*) prodere tentabat,

e *l.1. c.4. in fin.*

℣. 21. RHODOCVS QVIDAM IVDÆVS, opportunè detectus, & captus, pœnas dedit. Dein blanditijs, amplis promissis & muneribus: quo modo

℣. 22. ITERVM REX SERMONEM HABVIT, egitque cum *ijs* QVI ERANT IN BETHSVRA. Et successit ex animi sententia. Nam vsi beneuolentia regis præsidiarij, fame iam penè (*f*) enecti, honestis conditionibus sese illi locumque dediderunt. Ergo

f *l.1. c.6. v.49.*

dexistra

dextera illis *data & accepta* rex inde mouit aduersus Iudam: sed *vers.* 23. *commisso* prælio, SVPERATVR. Sub idem tempus COGNOVIT REBELLASSE PHILIPPVM ANTIOCHIÆ, & affectare regnum Syriæ se absente. Vnde suasu (*a*) Lysiæ *deprecatur* IVDÆOS vt pacem admittant, SVBDITVS ERI, id est, obediens, obsequens, obsecundans eis in OMNIBVS quæ postulabant. Insuper *Iudam* ipsum *vers.* 24. FECIT DVCEM ET PRINCIPEM A PTOLEMAIDE VSQVE AD GERRENOS, iubens vt regis nomine partes illas regni Syriaci administraret. Quo comperto PTOLEMENSES, veriti NE FORTE Iudæi, regionum illarum, seu possessione, seu administratione accepta, tantoque potentiores facti FOEDVS iam recens cum rege initum, MOX RVMPERENT, & ita se vicinasque regiones vnà secum aduersus regem rebellare cogerent; expostulant cum rege & Lysia super hoc Iudæis concesso tam amplo imperio. Sed Lysias *conscenso tribunali*, *vers.* 26. RATIONEM facti EXPOSVIT, docens, è re non minùs ipsorum, quàm regis esse, cum amicis tam fortibus, tam fidis fœdere iungi & pacem colere. Reliqua huius capitis exposita habes l. 1. c. 6.

(*a*) *Ibid. v.* 53. & *seqq.*

CAPVT XIV.

Antiocho Eupatore & Lysia è medio sublatis, à successore Antiochi Demetrio rege, suasu Alcimi, mittitur Nicanor cum ingentibus copiis aduersus Iudæos. Sed is pacem cum illis init: quòd ægerrimè tulit Demetrius, insitoque Nicanori, mittat quamprimum ad se vinctum Iudam Machabæum, qui sub id tempus vxorem duxit & in locum tutum se subduxit: eius loco Nicanor Raziam maxima inter Iudæos auctoritatis ad mortem rapi iubet, sed is triplici via manus violentas sibi ipsi inferre maluit quàm hostibus ludibrio fieri. Hoc caput & sequens concurrit cum cap. 7. l. 1. Machab.

¶. 1. POST TRIENNII TEMPVS] Id est, tertio anno à morte Antiochi Epiphanis, quem auctor libri huius obijsse vult anno 148. regni Græcorum Chaldaico, vt dixi cap. 11. v. 21. Nam ab initio huius anni, vsque ad finem anni 150. quo cœpit regnare Demetrius hîc v. 4. effluxit ferè triennium. De initijs huius Demetrij vide l. 1. initio c. 7. vti & de Alcimo ibidem v. 7. qui hîc

¶. 3. Dicitur fuisse MAGNVS SACERDOS, id est, pontifex, nuper ab Antiocho Eupatore, post necem Menelaï, (*b*) ad eam dignitatem euectus: SED quòd VOLVNTARIE COINQVINATVS esset, id est, sponte deflexisset à vera religione, & profanis Gentilium ritibus sese contaminasset TEMPORIBVS COMMISTIONIS, cùm Gentiles dominarentur & permiscerentur Iudæis; desperabat non modò de ACCESSV AD ALTARE & functionibus pontificijs, sed & de SALVTE sua, si in Iudæam, vbi æmulus eius Iudas Machabæus rerum potiebatur, se contulisset. Ergo opem implorat regis Demetrij,

(*b*) *l. 2. c. 13. v. 4. &c.*

¶. 4. OFFERENS EI CORONAM AVREAM, quâ regiam illi dignitatem gratulabatur: ET PALMAM auream, quâ victoriam adprecabatur: ET THALLOS, id est, ramos, seu surculos, oleaginos, ex auro, quibus pacem deposcebat. Sed de alieno liberalis erat sacrilegus: nam clinodia hæc omnia VIDEBANTVR, id est, certò sciebantur, ESSE TEMPLI, è quo ipse furto illa subduxerat.

¶. 6. De *Assideis* egi l. 1. c. 7. v. 13.

¶. 16. Loco *castelli Dessau* habemus l. 1. cap. 7. ¶. 31. *Caphærsalama*. Sed varijs diebus castra occupant varia loca.

¶. 18. NICANOR METVIT SANGVINE IVDICIVM FACERE] id est, refugit ferro decernere, & cum hoste confligere qui mori mallet quàm fugere. Legatos ergo mittit pro pace, v. 19. de qua facilè inter partes conuenit. Ex quo tempore

¶. 24. NICANOR HABVIT IVDAM SEMPER CHARVM EX ANIMO. fortè legendum, *non ex animo*: quia Græcè est, ἐν προσώπῳ, id est, in facie, seu vultu tenus. Eodemque modo ERAT VIRO INCLINATVS, id est, propensum se & benevolum erga Iudam gerebat. ROGAVITQVE EVM DVCERE VXOREM, FILIOSQVE PROCREARE] qui tanti parentis virtutem æmularentur. Hoc præ se ferebat Nicanor, sed reipsa intendebat, his nuptijs Iudam à bellandi studio abstrahere, & vires tam corporis, quàm animi, rebus vxorijs enervare. Ex his nuptijs ait Gorionides Iudam filiolum accepisse. Sed huius nullibi alia mentio, forsan præpropera morte sublatus est, etiam ante parentem, qui proximo anno è viuis excessit. *Gorionid. l. 3. c. 21.*

¶. 7. CHARITAS horum duorum principum displicet *Alcimo*, qui *Nicanorem* proditionis accusat hoc nomine apud regem.

¶. 27. REX NICANORI SCRIBIT, non probari sibi pacta cum Iudæis conuenta, iubetque Iudam Machabæum Antiochiâ vinctum ad se mitti.

¶. 30. MACHABÆVS, VIDENS SECVM AVSTERIVS AGERE NICANOREM, facilè aduertit, illius animum alienatum à se, aliquid mali coquere, cum PAVCIS SVORVM sese occultat.

¶. 31. NICANOR VT COGNOVIT, SE A Iuda PRÆVENTVM FORTITER] Græcè, *generosè superatum* astutiâ, seu militari stratagemate, minatur

¶. 33. *Sacerdotibus*, se FANVM ISTVD DEI, seu templum, funditus excisurum, ET LIBERO PATRI. id est, Baccho, *consecraturum*, NISI IVDAM VINCTVM sibi TRADIDERINT. Neque hoc contentus, iram quam non poterat in Iudam, effundit v. 37. in *Raziam* è SENIORIBVS, id est, è præcipuis senatoribus Ierosolymitanis, QVI PRO pio in commune bonum, AFFECTV, PATER IVDÆORVM APPELLABATVR.

¶. 38. HIC perpetuò CONTINENTIÆ PROPOSITVM TENVIT IN IVDAISMO] Id est, in vera Dei religione constanter sese continuit purum integrumque ab omnibus Gentilium impuritatibus. Addit Gorionides, ex Assidæorum numero ipsum fuisse. *Gorion. sup. c. 22.*

¶. 41. Is verò CVM IAM à satellitibus COMPREHENDERETVR, GLADIO SE PETIIT. Sed cùm præ FESTINATIONE *vers.* 43. NON sat CERTO ac directo ICTV vulnus sibi inflixisset, ex alto *muro* PRÆCIPITAT SE IN medias TVRBAS] Sed ne sic quidem extinctus.

Nam ¶. 44. TVRBIS LOCVM DANTIBVS CASVI EIVS, VENIT, seu decidit in terram, PER MEDIAM CERVICEM; Græcè, *per medium ventrem*. q.d. Non decidit prono capite in terram, sed in latus aut in ventrem, mediam ceruicem allidendo terræ. Vnde *spirans* adhuc vers. 45. imò sat adhuc robustus corpore, & ACCENSVS ANIMO, CVRSV TVRBAM perrumpens, & in PRÆRVPTAM PETRAM vers. 46. ascendens, INTESTINA SVA VTRISQVE MANIBVS è visceribus educta PROIICIT IN medias TVRBAS, Deum INVOCANS VT HÆC ITERVM sibi *reddat* in nouissimo iudicij die. Quæ Numinis inuocatio, vtpotè ex constanti fide, spe & caritate promanans, mihi persuadet (vti persuasit & Francisco Victoria & Serario) non peccasse hoc in actu Raziam, etsi id putarit S. Augustinus, S. Thomas & quidam alij, sed ex peculiari Dei instinctu sibi vim attulisse, vt de Samsone dixi, & alibi. S. Augustinus *Franc. Vict. relect. de homic. Augustin. epist. 61. & l. 2. contra Gaudentium c. 20. S. Tho. 2. 2. q. 64. art. 5. ad 5.*

a l.1. de Ciuit c. 21. & 26.

gustinus(a) de *virginibus* quibusdam concedit, *quæ vt insectatores suæ pudicitiæ deuitarent, in flumen* vel *ignem se proiecerunt*. Suadet id pia sanctaque Raziæ vita, tot virtutibus ornata: suadet pia in hoc facinore intentio, v.42. NE SVBDITVS FIERET PECCATORIBVS, & forsan vel blanditijs, vel tormentis, vel dolosis stratagematis aliquid ex ore eius eliceretur, quod vel honori diuino, vel populi commodis officere videretur: norat enim in suo vnius capite negotium totius populi versari. suadet etiam, vt dixi, pia admodum iam moribundi oratio, & spiritus sui in diuinas manus commendatio, suadet denique sacri scriptoris, seu Spiritus sancti, eximia laus quâ factum hoc Raziæ prosequitur. Dicit v.42. *nobiliter*, v.43. *audacter* & *viriliter* egisse. Quali sanè laude nũquam prosequitur liber Iudicum Samsonis factũ, de quo tamen nemo iam dubitat. Et verò falsum esset, *viriliter nobiliterq;* egisse, nisi Spiritus sancti instinctu id egisset, cùm prorsus abiecti pusillique animi sit αὐτοφονία καὶ αὐτοχειρία, id est, sui ipsius occisio & carnificina, testibus non solo ipso Augustino & Lactantio aliisq; Christianis, sed & Aristotele, Euripide, Virgilio & aliis Gentilibus à Lipsio & Serario citatis.

August. lib. de Ciu. c. 19 20. 21. 23. contra Circumcellienes Lactant. l. 3. c. 18. Arist. e. l. 3. Nicomachiorum. Eurip. in carminib. Virgil. l. 6. Æneid. Lips. cent. 1. epist. 26.

CAPVT XV.

Nicanor contra Iudam nouis instructus copijs proficiscitur. Iudas à Propheta Ieremia & pontifice Onia in somnio animatus, eiusdem somnij recitatione etiam commilitones suos corroborat: ante pugnam & in pugna ardenter inuocato Deo, Nicanoris copias profligat: caput blasphemum Nicanoris & manum petulantem de muro è regione templi suspendit. Iudæi pro victoria Deum laudant & festos dies agunt.

℣. 1. NICANOR iubet suis DIE SABBATHI COMMITTERE prælium, quòd speraret Iudæos propter festi sanctitatem non repugnaturos. Sed iussa eius declinare conantur qui in castris eius aderant

℣. 2. IVDÆI, PER NECESSITATEM, seu vim, coacti ILLVM *sequi*. Ne (obsecramus, aiunt,) ITA FEROCITER ET BARBARE cogas nos die sancto arma sumere: ne etiam ignobiliter & tyrannicè obruas fratres nostros Iudæos eo tempore quo ipsi per leges suas putant sibi non licere vim vi repellere. Sed persistit tyrannus in sententia *v.* 5. NEC TAMEN OBTINVIT VT CONSILIVM PERFICERET] Iudæis fortiter recusantibus se die festo contra fratres suos arma sumpturos.

℣. 9. Iudas MACHABÆVS, vt fortem decebat ducem, suos hortatur ad fortiter agendum, *alloquiturq;* DE LEGE ET PROPHETIS] nempe depromptis inde egregijs præliorum & victoriarum exemplis, simulque promissionibus diuinis de certo auxilio cælitus submittendo.

℣. 11. EXPOSITO etiam ipsis DIGNO FIDE SOMNIO, ὡσεί π, id est, PER QVOD omnes *exhilarauit* & animos addidit. Ita legunt Biblia Regia: sed Romana habent ὕπαρ π, id est, quod *verum somnium*, seu quę *veram visio* omnes recreauit. Sic Homerus, οὐκ ὄναρ ἀλλ' ὕπαρ, id est, non qualecumque somnium, sed verum somnium. Et ita eamdem vocula vsurpant Plato, Plutarchus, Ammonius & Budæus. Vidit ergo & certa visione

Homer. Iliad. e & Odyss. τ. & υ. & ibidem Eustachius. Plato ep. 3. & l. 2 de Republ. ca. Plutarch. de Seranumin. vindicta. a Supr. c. 4. v. 34.

℣. 12. ONIAM SVMMVM pontificem, nuper proditoriè è viuis sublatum, (a) iam è limbo PROTENDENTEM MANVS ad Deum, *orantemq;* PRO OMNI POPVLO IVDÆORVM. Et hunc quidem, ob recentem viri memoriam, facilè agnouit Iudas: sed socium eius v. 13. qui longè splendidiore forma simul apparebat, non potuit agnoscere. Sed A detexit eum Onias v. 14. HIC EST, inquiens FRATRVM nostrorum Iudæorum AMATOR, ET totius POPVLI ISRAEL: HIC EST QVI MVLTVM ORAT PRO POPVLO, IEREMIAS PROPHETA DEI.

℣. 15. Tum IEREMIAS *protensâ* versus Iudam *dextrâ*, DEDIT ei in manus GLADIVM AVREVM seu deauratum, hac addita monitione: ACCIPE SANCTVM, id est, benedictum, GLADIVM, missum tibi ex singulari affectu MVNVS A DEO: QVO *gladio* DEIICIES & profligabis ADVERSARIOS POPVLI MEI ISRAEL] Ex qua visione tam clara, tam certa certissimò colligitur, Sanctos iam vitâ functos nosse quæ geruntur in terris, nostri quoque curam gerere, pro nobis orare, & cùm visum Deo fuerit, etiam nobis opitulari ac proinde meritò à nobis inuocari & honorari. Neque potest Caluinus, aut alij Sanctorum hostes telum hoc declinare, nisi libros hos reijciendo; quos tamen constat, vt dixi in præfatione libri primi, ab vniuersa Dei Ecclesia iam inde ab illius exordio pro Canonicis Scripturis vsurpatos fuisse, vt fusiùs docet Bellarminus, à Valentia & alij Doctores.

Allegoricè, Rabanus per *Ieremiam* Christum Dominum, per *aureum gladium* diuinam Scripturam intelligit. Porrò ijsdem verbis quibus hic Ieremias gladium Iudæ tradit, tradunt hodie quoque primates Ecclesiastici recèns inaugurato regi Romanorum, Polonorum, & aliarum nationum, quo illos ad iustitiæ religionisque defensionem excitent, inquit Guagninus.

℣. 28. COGNOVERVNT NICANOREM RVISSE] Gorionides dicit, Iudam, cognita morte *Raziæ*, succensum furore, prouocasse Nicanorem in apertum campum: ibique post infelicem pugnam, cùm fugam pararet Nicanor, ab ipsomet Iuda Machabæo in duas illum partes dissectũ fuisse, vt dixi l. 1. c. 7. v. 46. quo cap etiam reliqua huius Nicanoris explicantur. Iusto verò Dei iudicio

Gorion. l. 5. c. 22.

℣. 30. 33. & 35. in caput, linguam & manum blasphemi Nicanoris sæuitur, penè eodem modo quo postea in Ciceronis caput, linguam & manum sæuijt Antonius & Fuluia. Porrò in perpetuam tantæ victoriæ memoriam

℣. 37. Placuit diem festum indici TERTIADECIMA DIE MENSIS, *qui* VOCE SYRIACA DICITVR ADAR, (b) & respondet ferè nostro Februario. Hæc verò 13. *dies Adar* erat PRIDIE MARDOCHÆI DIEI, id est, præcedebat immediatè festiuitatem *sortium* Mardochæi, quæ consequentibus duabus diebus, 14. & 15. Adar celebrabatur, vt patet Esther 9. v. 27. & 31. Ieiunium Esther, quod hodie Iudæi in suo Calendario habent illa ipsa 13. *die Adar*, verisimiliùs tunc à Synagoga vel antiquarum fuit, vel in præcedentem 12. diem, aut certè in aliud tempus translatum: nam triumphali eiusmodi festo ieiunium non congruebat.

b *Chronic. c. 4.*

℣. 39. Auctor libri huius secundi petit sibi ignosci, non (vt VVittakerus aliique hæretici fingunt) errata, quæ probè sciebat nulla operi suo inesse, seu rem spectes, seu rei circumstantias, sed stylum minùs fortè politum, minùs tersum, minùs splendidum, &, vt auctor ipse ait, MINVS DIHGVM, quàm vel historiæ grauitas, vel diuini verbi maiestas, vel delicatæ legentium aures & palata deposcere videantur. In stylo enim, modoque scribendi, vt plurimum scriptores sacros relinquit sibi suæque naturali scientiæ Spiritus sanctus. Vnde fit quòd alius alio eloquentior subinde & grandiloquentior

quentior sit, numquam tamen veriloquentior. Sic ergo auctor noster, etsi satis disertus ac facundus, ex modestia tamen rogat sibi ignosci, si quid fortè hac ex parte vota vel iudicia legentium requirant. Simili modo S. Paulus 2. Corinth. 12. vocat se *imperitum sermone*, non quòd talis esset, sed quòd opinione & sensu quorumdam talis haberetur. Causa verò, cur auctor noster putarit licere sibi, imò expedire lectori, si *sermonem*, seu stylum minùs subinde *exactum*, minusque grauem suæ scriptioni adhibeat, ab ipsomet profertur v. 40. & vlt. totius libri: nempe, quòd gratius accidere soleat LEGENTIBVS, si stylum subinde reperiant exiliorem, neque semper graui & ampla illa atque exactiore orationis constructione detineantur: sicut, inquit, gratius conuiuis accidit, si *vino & aqua* ALTERNIS, vel certè vino aqua diluto detur VTI, quàm si vinũ semper purum, seu meracum haurire cogantur. *Omnium* enim quantumcumque excellentium *rerum satietas* est, inquit Isocrates & Aristophanes, adeòque *etiam* ipsiusmet *gaudij*, vt Moschus probat. Nec quidquam suauius aut gratius mortalibus quàm quod apta varietate & concinna vicissitudine conditur.

Isocrates ad Demonicum. Aristoph. in Pluto. Moschus in idyllio. Leo serm. de Passione Domini.

HIC ERGO ERIT CONSVMMATVS] Græcè, *consummatio*, id est, finis huius libri. Sic S. Leo *exercituum instructum* dicit, pro instructione: & vulgò *iussum* pro iussione vsurpamus. *Erit* & *hic*, sed post reliqua libri primi, *consummatus*, seu *consummatio* & *finis* antiqui fœderis & testamenti, terminante ibi historiâ prisci temporis, & succedente Christo Iesu, scopo, fine, complemento legis, Prophetarum, totiusque veteris testamenti.

SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MATTHÆVM.

HIc titulus in omnibus exemplaribus, Latinis, Græcis, Syriacis adscriptus reperitur, non ab ipso Matthæo (quia id frustra fuisset,) sed ab Ecclesia sic iudicante ac definiente. q.d. Hic liber continet lætum nuntium de aduentu Messiæ, eiusque vita & doctrina, & redemptione generis humani, &c. prout hæc à Matthæo, suggerente Spiritu sancto, conscripta sunt. Scripsit autem Matthæus primus omnium Ierosolymis Euangelium, teste S. Hieronymo, Irenæo, Athanasio & alijs, Hebræo, seu potiùs Syriaco tunc Iudæis vsitato sermone, rogatu discipulorum, & iussu Apostolorum, anno à morte Christi 8. (a) adhuc fluente, 3. Caij Caligulæ Imp. 208. Olympiadis anno 3. inquit Eusebius, & ex illo Baronius. Exemplar illius detulit secum S. Bartholomæus ad Indos, teste eodem Eusebio & Hieronymo: & in Græciam S. Barnabas, cum cuius etiam corpore repertum (b) est sub Zenone Imp. & S. Iacobus frater Domini Ierosolymitanis pro concione exposuit, vt S. Athanasius scribit. Sed autographum illud Hebræum iam intercidit: nam quod nuper Munsterus & Ioannes Tillius nobis obtrusere, spurium olet. Et Syriacum quod nunc exstat, longè recentius est sæculo S. Matthæi.

Iren. l. 3. c. 1. Athan. in Synops. a Chronic. c. 50. Euseb. in Chron. & l. 5. hist. c. 10. Hieron. de scriptor. Eccles. in Panteno. c. 36.

b *In vita S. Barnabæ.*

CAPVT I.

Texitur catalogus auorum & proauorum Christi secundùm carnem. Ioseph ab angelo instruitur de Maria coniugis sua supernaturali de spiritu sancto conceptione, & futuro Messia partu.

¥. 1. LIBER GENERATIONIS, id est, catalogus, vel, vt Græcè est, descriptio genealogiæ, IESV CHRISTI, FILII, id est, nepotis, DAVID regis, & patriarchæ ABRAHAM] Vult enim Matthæus ostendere, impletam promissionem duobus istis speciatim factam (*a*) de Messia ex ipsis nascituro.

a *Gen.* 12. *v.*3 & *c.* 22 *v.*18. & 2.*Reg.* 7. 12.

¥.3. THAMAR; (*b*) *vers.*5. RAHAB (*c*) & RVTH; (*d*) *vers.*6. BETHSABEE. (*e*) Hæ solæ quatuor fœminæ, eæque insignes peccatrices, & quædam illarum etiam Gentiles, hìc recensentur, non ob id solùm, quòd singulari & miro accidente viris suis copulatæ fuerint: sed etiam vt toti orbi innotescceret, non dedignatum Christum nasci ex peccatricibus & Gentilibus, qui venit vt peccatores saluos faciat, & Gentiles associet Ecclesiæ suæ; vt vbi abundauit iniquitas, superabundet & gratia, inquit S Hieron. Chrysost. Ambros. & August. Allegoricè ergo præfigurabant, magnum aliquando numerum maximorum peccatorum, adeoque & Gentilium, post seriam pœnitentiam Christo tamquam sponso suo copulatum iri. Et tropologicè, nulli erubescendum de peccatis alienis, etiam parentum, citra propriam culpam admissis: veramque nobilitatem non tam ex stemmate, quàm ex propria virtute quærendam, inquit idem Chrysostomus.

b *Gen* 38. *v.*13.
c *Iosue* 2. *v.*1.
d *Ruth* 1. *v.*4.
e 2.*Reg.*11. *v.*2.
Chrysost. hom 5. *de pœnitentia.*
*Ambr. l. de Salom. c.*5.
*August. in Psalm.*86.

¥. 8. IORAM GENVIT OZIAM abnepotem suum: filius enim Iorami fuit *Ochozias*, (*f*) filius Ochoziæ *Ioas*, (*g*) filius Ioasi *Amasias*, (*h*) Amasiæ denique filius fuit *Ozias*, (*i*) alio nomine dictus *Azarias*. Sed cur tres medios omittit Matthæus? Resp. Quia noluit excedere tesseradecadem capitum seu personarum in singulis trium ordinum classibus, de quibus v. 17. Cur verò hos potiùs, quàm alios tres omittendos putarit, ratio fuisse videtur, quòd, hi tres geniti essent ex *Athalia*, filia (*k*) impiissimorum Achabi & Iezabelis, quorum stirpem penitus delendam prædixerat (*l*) Deus. Vnde Matthæus saltem memoriam illorum, quasi numquam vixissent ad quartam vsque generationem, abolitam voluit.

f 4.*Reg.*8. *v.*14.
g *c.*11. *v.*1.
h *c.*12. *v. vlt.*
i *c.*14. *v.*21
k 4.*Reg.*8. *v.*18. & *c.*11. *v* 1.
l 3.*Reg.* 21. *v.*21.

¥. 11. IECHONIAM] Sic nominabatur tam *Eliacim*, (*m*) pòst à Pharaone vocatus *Ioakim*, (*n*) Iosiæ filius; quã *Ioachin* filius Joakimi, (*o*) nepos Iosiæ. Scriptorum autem vitio contigit, vt nomen *Iechoniæ* non bis, vt oportuit ad tesseradecadem, sed semel dumtaxat hîc exprimatur. Dicendum ergo: IOSIAS GENVIT *Iechoniam*, alio nomine dictum *Ioakim*, & FRATRES EIVS *Ioachan*, (*p*) & *Matthaniam*; (*q*) *Ioakim autem* IN TRANSMIGRATIONE (Græcè, sub tempus abductionis Iudæorum in Babyloniam, quæ cœpit anno 3. regni (*r*) eiusdem Ioakimi,) *genuit Ioachin*, alio nomine iam dictum IECHONIAM: (*s*) qui POST TRANSMIGRATIONEM, id est, postquam demigrasset, GENVIT SALATHIEL.

m 4.*Reg.*23 *v.*34.
n *ibid.*
o *c.*24. *v.*6. & *Chron. c.*29.
p *c.*23. *v.*30
q *c.*24. *v.*17
r *Dan.* 1. *v.*1.
s *Ierem.*22. *v.*24.

Dices, Ieremiæ 22. v. 30. *Iechonias* hîc vocatur *vir sterilis*. Respondeo: Sed explicat se mox Ieremias, nempe carituram liberis, non qualibuscũque (nam certum est (*t*) plures genuisse) sed regiis, *qui sedeant super solium Dauid*, id est sceptrum regium teneant in Iuda, vt ibidem dixi. Posteri enim eius, etsi ob generis splendorem titulo *principum* gauderent, vt patuit in *Zorobabele*, (*v*) filio Salathielis; præcipuata men potestas & imperium erat penes pontifices, teste Iosepho. Quomodo tamen sceptrum non ideo de Juda sublatum fuerit, dixi Gen. 49. v. 10.

t 1.*Paral.* 3 *v.*17.
v *Aggæi* 1. *v* 1. *Ioseph. l.* 11. *Antiq. c.*4. & *l.*10. *c.*8.

¥. 16. JACOB AVTEM GENVIT IOSEPH VIRVM MARIÆ, simul & fratruelem seu consobrinum illius: nam secundùm Menologia Græcorum, & alios auctores, quos c. 46. Chronici sub finem citaui, *Anna* mater Mariæ, amita erat Iosephi, soror Iacobi. Secundùm Eusebium verò, & S. Ambrosium, Iustinum, Nicephorum, Theophyl. Euthymium, Damascenum & Bedam, (*x*) Ioachim pater Mariæ, patruus erat Iosephi, frater Iacobi. Vnde vnus idemque fuit auus tam Iosephi, quàm Mariæ, nempe *Mathan*, & consequenter iidem reliqui omnes abaui & proaui vtriusque. Neque de hoc quisquam dubitat. Nam & Iudæi fatentur, perfamiliare perpetuò fuisse suæ genti, fratrum liberos inter se matrimonio copulare, lege id permittente, adeoque & iubente, quando deficientibus aliis proli-bus hereditas ad externos deuolueretur, vt dixi Num. vlt. & Tobiæ 6 v. 12. Atqui certum est, inquit Euthymius, & alij, Mariam fuisse prolem vnicam parentibus suis: & hereditarium aliquem agrum habuisse, à maioribus transmissum, quis possit dubitare, cum Iudæi tenacissimi essent hereditatum paternarum, vt patuit in Naboth, (*y*) nec quantauis pressi necessitate vmquam integras diuenderent.

x *Citatus à Salmeron tom.*3. *tract.* 28. *p.* 2.
Euthym. in Ioan. 19. *v.*25.
y 3.*Reg.*21 *v.*1.

Petes: Si vtriusq; fuit idem auus *Mathan*, cur Euãgelista delabitur ad Iacobum & Iosephũ, qui Christũ non procrearunt? cur non potiùs dixit, *Mathan autẽ genuit* Annam, vel Ioachimum: Ioachimus autẽ, vel Anna, genuit *Mariam, de qua natus est Iesus*? Respõdeo Primò, cum S. Hieronymo, non esse consuetudinis Scripturarum, vt mulieres in genealogiis intexantur. Secundò, quia genus Josephi necessariò prodi debebat, cùm is passim & publica fama haberetur pater Iesu. Vt ergo constaret, Jesum, si probari vellet Messias, è familia Dauidis oriundum esse, cui id (*z*) promissum fuerat, constare idipsum debuit de Iosepho, qui vulgò pater eius habebatur. Tertiò, quia Euangelista (si Ruperto, & quibusdam alijs credimus: nam repugnat communi sentẽtiæ) simul voluit insinuare, ius sceptri & regni Dauidici, non sola concessione diuina, sed etiam sanguinis prærogatiua, ad Iesum tamquam ad verum heredem, legitima nec vmquam interrupta successione (si ratio illius haberetur) deuolutum esse. Id autem ex Mariæ genealogia non obueniebat Christo, cùm feminis nullum sit ius ad regnum quamdiu proles masculæ supersunt.

z 1.*Paral.* 17. *v.*11. & *c.*22. *v.*10. *Psal.*71. &c.

Dices: Iesus non fuit naturalis filius Iosephi: ergo, licet occisis per Herodem reliquis è stirpe regia, (vt Iosephus, & ex eo Galatinus testatur) ius regni ad Iosephum deuolueretur, non tamen ideo ad Iesum deuoluebatur. Respondeo, debuisse omninò deuolui, cùm iure gentium in paternam hereditatem & iura succedant etiam ij qui solius publicæ famæ testimonio filij habentur, vel à parentibus adoptantur; quantò magis is qui reipsa proprius ac legitimus est filius, etsi non coitu naturali, sed supernaturali Spiritus sancti virtute marito prognatus sit ex legitima sua coniuge? Nam quia maritus est caput ac dominus corporis vxoris sux, ideo est etiam dominus fructus, quicumque & quocumque demum modo ex isto corpore procreatur. Sicut qui agri dominium habet, dominus est etiam omnium metallorum quæ in agro nascũtur. Vnde sicut Iosephus omnia habuit iura veri domini

domini ac patris in Iesum, vt erat homo, & sic vocatur (a) *pater* Iesu, etiam ab ipsa B. Virgine: ita vicissim Iesus, vt erat proprius ac legitimus (etsi non naturalis) filius Ioseph, habebat omnia iura filij respectu illius, ac proinde etiam ius regni à morte Ioseph. vide de hoc fusiùs S. Augustinum. Ex dictis patet, nobilissimum fuisse ministerium, maximamque auctoritatem & imperium Ioseph, vtpote paternum, circa personam Filij Dei, & maritale circa personam matris Dei: ac proinde virum fuisse excellentis gratiæ ac sanctitatis: quem Suarez suspicatur antecellere Apostolos tum in gratia, tum in gloria: & tam corpore, quàm anima assumptum in cælum.

a *Luc. 2. v. 48.*

Aug. l. 5. in Iulian. c. 9.

Petes Secundò: Si hæc est genealogia tam Mariæ quàm Ioseph, quænam vel cuiusnam erit illa Lucæ 3. v. 23. vbi catalogus texitur posterorum Nathan filij Dauidis, sicut hîc posterorum Salomonis fratris (b) Nathan? Respõdeo: Secundùm Menologia Græcorum, qui per *Heli*, seu Eliacim, intelligunt Ioachimum recenset Lucas stirpem paternam Mariæ, putà parentes Ioachimi, sicut Matthæus recenset stirpem maternam, seu parentes Annæ, vt ostendi in Chronico. Secundùm Eusebium verò, Ambrosium, Hieron. & alios, Lucas genealogiam texit legalis parentis Ioseph, putà Heli: Matthæus verò naturalis parentis eiusdem, putà Iacobi. Dicunt enim Iacobum hunc vterinum fratrem fuisse Heli, ex vna eademque matre *Iesca*, quæ cùm ex *Mathat* genuisset *Heli*, iam vidua nupserit Mathano, & procrearit Iacobum. Cùm ergo Heli sine liberis defungeretur, ex præscripto legis (c) de suscitando semine fratri, id est, consanguineo suo, accepit vxorem illius frater vterinus Iacob, & ex ea procreauit Ioseph, naturalem suum, sed legalem Heli filiũ: sicut Booz (d) ex Rutha vidua cognati sui Mahalonis procreauit *Obed*, naturalem suum, sed legalem Mahalonis filium. Ita Africanus apud Eusebium dicit se accepisse ex ipsismet consanguineis Ioseph. Eligat lector, vtram mauult sententiam.

b 1. *Paral. 3. v. 5.*

Chronici c. 46. in fine vlt. tabulæ.

c *Deut. 25.*

d *Ruth 4.*

v. 18. CVM ESSET MARIA DESPONSATA IOSEPHO] non per nuda sponsalia (vt volunt S. Hilarius, Origenes, Basilius, Epiphanius,) sed per verum matrimonium & veras nuptias: mox (e) enim vocatur *coniux* Ioseph, & Ioseph *vir* seu maritus eius; & quomodo alioqui voluit dimittere vel repudiare, si necdum duxerat illam vxorem? Cùm enim à reditu ex domo Elisabethæ, post trimestre à Christi conceptione, vtero intumescente deprehenderetur grauida, certus non suam, sed alterius esse prolem, non potuit minùs suspicari, quàm vi compressam ab aliquo fuisse sine sua culpa: noluit tamen puellam (quomodocumque id accidisset, commiseratione dignam) expostulando affligere, vel quærendo pudefacere, multò minùs *traducere*, παδειγματίσαι, id est, publicum exemplum statuere, ignominiâ afficere, in iustrahere. Etsi enim id lege permissum (f) esset, non erat tamen præceptum maritis. Ergo suos apud se æstus concoquens (quod animi fuit verè magni & constantis) de secreto diuortio, seu per libellum repudij, seu per longinquã peregrinationem, & suæ & vxoris famæ consulere cogitabat. ita ferè S. Hieron. Auctor imperfecti & Haymo. Sed cur B. Virgo non detexit marito arcanum? Respondeo: Fortè non putabat id illi à se persuaderi posse. Et vt posset, maluit insigni humilitate laudes suas celare, certa Deo rem curæ futuram, quem senserat iam (g) indicasse Elisabethæ cognatæ suæ. Et voluit hac via Deus illustre exemplum prudentis æquanimitatis dari coniugibus zelotypis, simul & constantis fiduciæ in prouidentiam diuinam.

e *Hic v. 20.*

f *Num. 5. v. 12.*

g *Luc. 1. v. 43.*

v. 22. HOC AVTEM TOTVM FACTVM EST, VT ADIMPLERETVR QVOD DICTVM EST PER PROPHETAM Isaiam, c. 7. v. 14. vbi illud exposui. Hìc solùm Nota, *to vt* non causaliter hîc accipi, sed consecutiuè, vt alibi sæpè vsu venit. Neque enim prophetiæ sunt propriè causa rerum, sed res præuisæ vel prævolitæ causa fuerunt prophetarum. Etsi etiam dici possit, quòd qui prophetarat, futurum aliquid quod facere vel permittere statuerat, idipsum quoque suo tempore faciat vel permittat quia prædixerat futurum, nempe ne mendax, sed verax deprehendatur.

v. 25. NON COGNOSCEBAT EAM Ioseph, id est, matrimonij vsum non exercuit cum illa, DONEC PEPERIT FILIVM SVVM PRIMOGENITVM] Hinc & ex v. 18. colligebat Ebion, Heluidius, Iouinianus & alij Antimariani, Mariam non mansisse virginem post partum. Sed Respondeo cum S. Hieron. *primogenitum* in Scripturis vocari eum omnem ante quem nemo natus est, licèt sit vnigenitus. Patet Exodi 4. v. 22. vbi *Israel* vocatur *primogenitus filius* Dei. & Exodi 13. v. 2. vbi omnia *primogenita* iubentur Deo donari, sine dubio etiam vnigenita intelliguntur. *Donec* autem, *vsque dum* & *antequam* & similes particulæ tantùm significant quid antè factum vel non factum sit, non verò quid postea. Sicut si dicerem, Iudices nõ cognouerunt causam, donec ipse armis sibi ius dixit: & psalmo 109. *Sede à dextris meis, donec ponam*, &c. & 2. Reg. 6. v. 23. *Michol* filiæ Saul *non est natus filius vsque* dum moreretur: & Matthæi 28. v. 20. *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*. Porrò Mariam semper mansisse virginem, patet ex Lucæ 1. v. 34. & Ezechielis 44. v. 2. & ex communi Ecclesiæ sensu, atque Apostolica tradione.

CAPVT II.

*Decimatertia ab ortu Christi die, * sexta Ianuarij, in stabulo à Magis adoratur: proxima ætate cum parentibus fugit in Ægyptum. Herodes vertente anno iubet occidi omnes infantes Bethlehemiticos à bimatu & infra: sed paulò pòst etiam ipse * extinguitur, cum multis aliis qui quærebant animam pueri. Cùm Christus initio tertij anni * vita sua ex Ægypto in Iudæam regreditur.*

Chronici c. 43. initio.

Ibid. §. Mense Martio. Ibid. §. Anno 3.

v. 1. IN BETHLEHEM] Id est, in domo panis, ita coctus est panis angelorum, vt etiam hominum vsibus fieret accommodus. Porrò ad distinctionem alterius *Bethlehem*, quæ erat in *Galilæa*, (h) in terra tribus *Zabulon*, vocatur hæc *Bethlehem Iuda*, alio nomine dicta *Ephrata*. (i)

h *Iosue 19. v. 15.*

i *Gen. 35. v. 19. Michææ 5. v. 2.*

IN DIEBVS HERODIS Ascalonitæ REGIS (k) Iudææ, annò regni eius 36. seu penultimo, vt dixi in Chronico. (l) Tempus autem regni *Herodis* alienigenæ notatum voluit Euangelista, vt innueret, impletum iam tum tempus, quo iuxta propheriam Patriarchæ Iacobi, (m) Messias adesse debebat, sublato iam Iudæis sceptro regni, & ad alienigenam translato, vt dixi Gen. 49. v. 10.

k *Chronici c. 45.*

l *Cap. 47.*

m *Gen. 49. v. 10.*

ECCE AB ORIENTE, id est, ex Arabia (n) Felice, seu Sabæa, (à metropoli Saba) Orientali respectu Iudææ, inquit Iustinus, Tertull. Cyprian. Epiphanius & alij quos citat & sequitur Baronius: vnde & olim regina Saba ad Salomonem cum similibus muneribus accurrit, vt in eius historia (o) dixi, vbi & de reliquis huc spectantibus. MAGI VENERVNT

n *3. Reg. 10. v. 1.*

o *Ibid.*

RVNT IEROSOLYMAM] Sic Græci, Chaldæi, Perſæ, Arabes & Syri vocant ſapientes & aſtrologos, teſte Plinio & Cœlio, à radice *haga*, id eſt, meditari, inquit Genebrardus. q.d. Meditantes, ſpeculantes. Sed quia ſucceſſu temporis multi horum ſeſe dæmonum pactis miſcuerunt, factum (quod aliàs in nominibus aſtrologi, ſophiſtæ ac tyranni,) vt nomen quod antè honori fuerat, vitium deinceps notaret, incantatoris, maleſici, præſtigiatoris. Erant autem hi qui ad Chriſtum accurrerunt, tres numero, & quidem (etſi rideat Caluinus) *reges*, vt communis habet traditio, id eſt, reguli, ſeu principes, phraſi Scripturæ. Quæ tamen maluit *Magos* vocare quàm principes, quia Chriſtum ex ſtella agnoſcere, ſapientum erat, non principum. Neque improbo, vnum illorum fuiſſe *Aethiopem*, (*a*) vt vulgò ſentiunt, dummodo per *Aethiopiam* intelligas non Abaſſiam, ſed *Arabiam*, ſeu Petræam, ſeu Sabæam, de qua ſuprà, quomodo uxor Moyſi è (*b*) Madianitide, Arabiæ parte, oriunda, vocatur *Aethiopiſſa*, Numer. 12. v. 1. Porrò ex Arabia Ieroſolymam facilè deueniri poteſt ſpatio ſex dierum, maximè ſi camelis vel dromedarijs vtaris, vt hos facturos inſinuat Iſaias c. 60. v. 6. ita S. Hieron.

Plin. l. 25. c. 2. Calius l. 9. c. 23.

הנה *Genebr. in Pſalm. 1.*

a Pſalm. 71. v. 9. & 10.

b Exodi 2. v. 16.

℣. 2. VBI locorum EST, aut vbi degit, QVI recens NATVS EST REX IVDÆORVM, ille olim promiſſus, & hucuſque ab omnibus maximè tamen à Iudæis, exſpectatus Meſſias? Nam natum certò ſcimus: VIDIMVS ENIM STELLAM indicem natiuitatis EIVS primùm apparentem nobis IN ORIENTE, ac deinceps toto itineris decurſu nos comitantem, Ieroſolymam vſque: ita enim habet communis Patrum opinio contra Caietanum & Ianſenium: ſicut enim poſt egreſſum Ieroſolyma, ita & ante ingreſſum, *ſtella quam viderant in Oriente, antecedebat eos.*

Sed vnde potuerunt ex ſtella agnoſcere natum Chriſtum? Reſpondeo, ex maiorum traditione, quâ acceperant, Regem regum Meſſiam non ſolùm ex Iudæis naſciturum, ſed & natiuitatem eius peculiaris ſtellæ ortu demonſtrandam. Hoc enim Sibylla Erythræa, (quæ in vicina Chaldæa floruit,) hoc Balaam (*c*) quoque, qui in Moabitide Arabiæ regione vixit, expreſsè prædixerant: vnde probabile eſt, etiam Iudæis vulgo non ignotum fuiſſe, nouam ſtellam Chriſto naſcente apparituram, vt apud Moyſen legerant Num. 24. v. 17.

c Num. 24. v. 17.

Petes Secundò, vnde ſciuerint, hanc quam videbant, eſſe iſtam ſtellam? Reſpondeo, partim ex nouo illius ortu, partim ex inuſitata ſpecie, ex admirando ſplendore, alijſque proprietatibus, (vt quæ etiam interdiu, ſplendente ſole fulgeret, &c.) Deo ſimul mentes eorum illuminante, &, vt ait S. Leo, aſpicientibus intellectum dante.

Leo ſerm. 1. de Epiphania.

Petes Tertiò, an fuerit vera ſtella cæleſtis? Reſpondeo, non fuiſſe, ſed aliquod meteorum, ſtellæ figura apparens inſtar cometæ, ex aërea materia pellucida ab angelo formatum, & angelico ductu motum (vt olim columna (*d*) nubis & ignis,) primò ab Oriente in Occidentem, contrà quàm proprio motu mouentur aliæ ſtellæ; deinde à Septemtrione, verſus Bethlehem, inter Orientem & Meridiem. Et ibat cum euntibus, & quieſcebat cum quieſcentibus, vt dicitur hîc verſ. 9. Allegoricè *ſtella ex Iacob* exorta Chriſtus eſt, vt dixi Num. 24. & ita vocatur Apocalypſis 22. v. 16. Tropologicè, ſtella cæli & ſalutis Primò, eſt fides; Secundò, prudentia; Tertiò, præceptà Dei; Quartò, conſilia Chriſti; Quintò, illuminatio interna & vocatio diuina ad pietatem, ad actus heroïcos, ad ſtatum perfectiorem; Sextò, beatiſſima Virgo, vt pulchrè explicant Sasbout, Barradius Salmeron.

d Exodi 13. v. 21.

℣. 3. HERODES, *audita* noui regis, æmuli (vt putabat) ſui natiuitate, totus TVRBATVS, iubet extemplò *congregari*

℣. 4. OMNES PRINCIPES SACERDOTVM. nempe capita 24. (*e*) claſſium ſeu familiarum ſacerdotalium: ET SCRIBAS, γραμματεῖς, id eſt, litteratos, (*f*) quos S. Lucas *legiſperitos* ſæpè (*g*) vocat. Et de hoc numero erant multi Phariſæi. Et ex his principibus ac Scribis, ſimul & capitibus primarum quarumdam familiarum, conflabatur Sanedrim, (*h*) ſeu magnum concilium Iudæorum, cui præſidebat ſummus pontifex. AB *his* in vnum collectis SCISCITABATVR Herodes, VBI CHRISTVS NASCERETVR.

e 1. Paral. 24. & Chronici 6. 46. tab. 3. f 4. Reg. 18. v. 18. & 1. Eſdr. 7. v. 6. Eccli. 10. v. 5. g Luc. 7. v. 30. & 11. v. 46. h Num. 10. v. 14.

℣. 5. ILLI vnanimi conſenſu ac voce *reſpondent* EI: IN BETHLEHEM IVDÆ. Et probant ex Micheæ 5. v. 2. vt ibidem oſtendi. Et erat hæc per-vulgata apud Iudæos opinio, teſte turba Ioan. 7. v. 42. *Nonne Scriptura dicit, Quia ex ſemine Dauid, & de Bethlehem caſtello, vbi erat Dauid, venit Chriſtus?*

℣. 7. HERODES, patefactâ MAGIS concilij ſententiâ, DILIGENTER & exactè ſed CLAM, (ne dies nati Meſſiæ Iudæis innoteſceret,) perquirit ex illis TEMPVS quo *ſtella* cœperat apparere: ratus, quod res erat, ſtellam ſimul cum ortu Meſſiæ exortam fuiſſe. Porrò idem ſtudium rei, quoad poſſet, occultandæ Iudæis, derinuit Herodem, ne de ſuis quempiam comitem Magis adiungeret, qui prætextu ſeruitij per iter illis exhibendi, in Bethlehem penitiùs omnia exploraret.

℣. 11. INTRANTES DOMVM, putà ſtabulum: Hebræi enim omnem manſionem, ſeu receptaculum, etiam beſtiarum, vocant domum. Nam ob continuum populi affluxum ad cenſum, (*i*) verſimile eſt, coactam fuiſſe B. Virginem, etiam 13. à partu die, hærere in ſpelunca ſuburbana, ſed iam pretio per Ioſephum ſuis vnius vſibus conducta. Et ita permiſit Deus, ad probandam conſtantiam & fidem Magorum, inquit S. Iuſtinus, Chryſoſt. Auguſtinus, Nyſſenus, Euthymius, Rabanus & S. Thomas. APERTIS non loculis, ſed *theſauro*phylaciis SVIS OBTVLERVNT Chriſto non ſtipem, ſed MVNERA] more Arabum, & ceterorum Orientalium, qui quoties regem adoraturi accedunt, munera deferunt, quo teſtentur, ſe ſuaque omnia illi ſubdita eſſe. Offerunt autem ſinguli AVRVM, THVS, MYRRHAM, quia horum prouentu maximè diues eſt Arabia, teſte Ezechiele & Plinio. Et vt profiteantur, *auro* (quod regibus in tributum penditur) ſe Chriſtum regem ſuum agnoſcere: *thure*, Deum (quia Deo adoletur:) *myrrha*, mortalem & morituram: nam myrrha mortuorum corpora condiuntur, ne putreſcant. ita S. Irenæus, Leo, Anſelmus, & alij SS. Patres ac Doctores, contra Eraſmum, qui negat Magos Chriſti deitatem agnouiſſe. Tropologiam vide apud Barradium.

i Luc. 2. v. 4.

Ezech. 27. v. 22. Plin. l. 12. c. 14. & 17.

Barrad. l. 9. c. 14.

℣. 13. CVM deluſo Herode, RECESSISSENT Magi, & 40. poſt Virginis partum die, (*k*) vlnis Simeonis oblatus eſſet in templo Chriſtus, poſt aliquot menſium moram in Nazareth; (*l*) iubetur fugere in Ægyptum. Volebat enim Deus, occaſione tyrannidis Herodis filium ſuum etiam Ægyptijs oſtentare, vt quibus olim plurima mala inflixerat, iam futuræ mox reconciliationis arrham daret. Et degebant in Ægypto multa Iudæorum millia, maximè circa *Heliopolim*, vbi & templum habebant

k Luc. 2. v. 22. l Ibid. v. 39. & 40.

bant ὀνεῖον magnificentissimum & Ierosolymitano æmulum, vt dixi in Chronico; (a) in quorum cœtu facile erat puerulum occultare.

a *1 Chron. c. 39. in Philometo-ri.*

¥. 15. ET ERAT IBI VSQVE AD OBITVM HERODIS, qui contigit paschate sequentis anni, vt patet ex dictis in Chronico. (b) ita VT reducto pòst iussu Dei, puero ex Ægypto in Iudæam, ADIMPLERETVR, sed in sensu Allegorico, QVOD Oseas *Propheta* c. 11. v. 2. litteraliter de toto *populo Israel (filio* Dei (c) *primogenito)* ex Ægypto liberando prædixerat, vt ibidem exposui. *Quærebat (d)* interim *Herodes puerum* ad necē, & cum illo *quærebant (e)* plurimi alij Herodis familiares & clientes. Cùm verò nullis vijs, occultatum, vt putabant, pererire possent, inaudita crudelitate iubent *occidi* OMNES PVEROS QVI ERANT IN BETHLEHEM, ET IN OMNIBVS FINIBVS EIVS, dispositis verisimiliter per omnia compita militibus, qui signo dato simul omnes eodem quasi momento in omnium ædes inuolarent, pueros raperent, raptos iugularent. Et ne quis error irrepat, aut parentum fictione, vel præmatura corporis excretione, seu naturali, seu miraculosa, Christus fortè maior, quàm ferret ætas, appareret, atque ita cædi subtraheretur; ampliat tyrannus cædendorum puerorū tempus ad BIMATVM vsque: cùm Christus SECVNDVM TEMPVS exortæ nouæ stellæ, QVOD EXQVISIERAT A MAGIS, tunc non ageret nisi 15. ab ortu suo mensem, vt censent Eusebius, Epiphanius, Augustinus, Anselmus, Haymo, Liranus, Carthusianus, Barradius. In Missi Æthiopum recensentur occisi tū supra 14. millia puerorum, tanto militum strepitu & matrum eiulatu, vt vsque IN RAMA (f) (vrbs est in finibus tribus *Beniamin* iuxta *Gabaa*, 12. millibus passuum, seu dúabus leucis (b) à Bethlehem, loco excelso sita: vnde & *Rama*, id est, excelsa, dicebatur, teste S. Hieron.) vox plorantium exaudiretur, *Rachele*, id est, districtu toto Bethlehemitico, vbi sepulta erat *Rachel*, (h) indignam filiorum suorum necem deplorante, neque vllam consolationem admittente, quòd filij qui parentibus vnicum erant solamen, subitò omnibus subtracti & extincti essent. Ita enim futurum prædixerat Ieremias c. 31. v. 15. vt ibidem exposui.

b *Chron. c. 45. 47. 49*

c *Exod. 4. v 22.*

d *Hic v. 13.*

e *v. 20.*

f *Iosue 18. v. 25. & Iudic. 19. v 13.*

g. *Prolog. de mensura longitudin.*

h *Gen. 35. v. 19.*

Sed Nota diuinam hìc prouidentiam. Ex vna parte Bethlehemitæ, quòd virginem puerperam hospitio dignati non fuissent, cæde prolium condignè puniuntur. Ex altera parte, pueruli innocentibus laurea martyrij donatur. Tertiò, Christus, eiusque natiuitas hac tam crudeli laniena, lōgè notior celebriorque euasit, ipso in tuto tempestiuè posito. Quartò, Herodes, qui hac via regnum sibi suisque stabilitum volebat, paucis pòst infanticidium diebus (vt dixi in Chronico) dysenteriâ, podagrâ, phthiriasi, putredine verendorum, & totius corporis incredibili dolore simul ac fœtore absumptus infelicem animam efflauit: filij verò eius vix ad partem vnam regni, & quasi precariò admissi sunt, vt ibidem (i) exposui. Quintò, Herode rege Iudææ simul & Samariæ sic extincto, & sub idem tempus etiam *Oboda* rege Damasci Syriæ è viuis subducto, impleta est prophetia Isaiæ 7. v. 16. *Antequam sciat puer* Emmanuel *reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra* Samariæ & Damasci, *à facie duorum regum suorum*. Vide ibi dicta.

Chron. c. 49

i *Ibid. & c. 45.*

¥. 19. DEFVNCTO AVTEM HERODE sub tempus paschale, octauo pòst mense Christo angeli monitu reuehitur in Iudæam. Vetera enim omnia Martyrologia reditum Christi consignant 7. Ianuarij: cùm iam tum in Iudæa regnaret, sed sine regio titulo, *Archelaus pro Herode patre suo*, teste Iosepho. Nec potuit citiùs habenas regni capessere Archelaus, vtpote totâ æstate quæ patris monem consecuta est, Romæ exacta, vt à Cæsare Augusto regnum, vel partem illius aliquam sibi deposceret: sed neque seriùs vt in Chronico (k) demonstraui. Vnde consequens est, Christum in Ægyptō non nisi sesquianno hæsisse, putà à Iulio circiter anni sui primi, vsque ad 7. Ianuarij anni 3.

Ioseph. l. 17. Antiq. c. 11. 12. &c.

k *Chron. c. 45. & 49.*

¥. 20. DEFVNCTI iam SVNT QVI QVÆREBANT ANIMAM PVERI] nempe tres filij Herodis Alexander, Aristobulus & Antipater, frater item Herodis & regni consors Pheroras, vxor Herodis Malthace mater Archelai, principes penè omnes sacerdotum & primarum familiarum, & alij complures, vt dixi in Chronico. (l)

l *Chron. c. 49.*

B ¥. 22. *Archelai* IN IVDÆA regnantis metu SECESSIT Iosephus IN PARTES GALILÆÆ, quæ Archelao non suberat, sed fratri eius & æmulo Herodi Antipæ. (m) Et quis natum in *Bethlehem* Iudæ quærat in *Galilææ* tribus Zabulonicæ? Ibi enim erat *Nazareth*, vrbs exigua, in monte (n) constructa, duarum leucarum itinere distans à monte Thabor. Ab hac vrbe nomen Christo obuenit *Nazareni*, id est, floridi, à *netzer*, id est flos, seu germen, vt illum vocat Isaias c. 11. v. 1. Errant igitur qui nomen Christi *Nazareni* à *nazir*, id est, separatum, seu sanctum, deductum putant, quasi Christus voto vel religione fuerit nazaræus, vt fuit *Samson*, *Rechabitæ*, *& alij* Numer. 6. (neque enim talis fuit Christus, quem constat vinum bibisse, nazaræis talibus illicitum.) Deducitur ergo ab vrbecula *Nazareth*, C vt hîc ait Euangelista, quæ à *netzer* nomen accepit. Et patet ex titulo crucis, qui Romæ adseruatur, in quo Christus *notzeri*, id est, Natzarenus, scribitur per ץ *tsade*, qua litera quia Græci & Latini carent, ideoque scribunt per ז *zain*, seu zeta, occasionem multis errandi dederunt.

m *Chron. v. 45.*

n *Luca 4. v. 29.*

נצר

נזיר

נצר

CAPVT III.

Ioannes Baptista austeriore vita Iudæis omnibus admirationi, præparat iuxta Isaiæ vaticinium, animos populi, ad Christum per seriam pœnitentiam condignè excipiendum: reprehendit Pharisæos & Saduczos: discrimen assignat inter suum, & Christi baptismum. Super Christum à Ioanne baptizatum descendit Spiritus sanctus, specie columbæ. Voce Patris cælestis constituitur Christus doctor, legislator, reformator Ecclesiæ & totius vniuersi.

¥. 1. IN DIEBVS ILLIS, quibus Iesus Nazarethi adhuc habitabat, & iam triginta annos ætatis (o) complerat, Iosephum in fabrili arte exercenda sedulò adiuuans, vnde & *faber* (p) vocabatur; cùm iam tempus adesset quo debebat publicè mundo inclarescere, sub initium septuagesimæ Danielis hebdomadæ; (q) VENIT præcursor ipsius & præambulo (vt solis Aurora) IOANNES BAPTISTA, è latebris siluarum & montium, (r) vbi à puero vitam verè angelicam egerat, in lucem prosiliens, diuinoque (s) iussu denuntians palàm omnibus, aduentum instare Messiæ. Cœpit autem primùm hæc denuntiare incolis & accolis DESERTI IVDÆÆ] Sic vocabatur illa apud Iordanem, non procul à Iericho, regio vasta & ampla, (t) alibi dicta *campestria deserti*. Porrò in *deserto* prædicaturum Ioannem aduentum Messiæ prædixerat Isaias cap. 40. vers. 3. vt ibidem exposui.

D

o *Chronici c. 47. 48. 49*

p *Marci 6. v. 3.*

q *Dan. 9. v. 25. & Chronici c. 18.*

r *Luce 1. v. vlt.*

s *Malach. 3. v. 1.*

t *2. Reg. 17. v. 16. & 22*

¥. 2. APPROPINQVAVIT, instat, in proximo est, REGNVM CAELORVM] id est, cæleste, nempe quod

quod omnibus retrò sæculis patres vestri exopta- A runt, & Prophetæ toties prædixerunt, orbi aliquãdo obuenturum, putà regnum Messiæ vestri, & consequẽter etiam personam Messiæ: (neque enim regnum esse potest nisi sit & rex:) *regnum*, inquam, non terrenum, vt suspicamini, sed cæleste & spirituale, quo per fidem, spem, charitatem, gratiam & dona cælestia regnet in animis vestris; hic quidem inchoandum in terris, sed lætissimè demum consummandum in cælis. Hinc omnibus suadeo, vt per seriam *pœnitentiam* animos disponatis, vt Messias sua in eos dona diffundere atque ita in eis pro voto regnare incipiat.

¥. 4. HABEBAT IOANNES VESTIMENTVM DE PILIS CAMELORVM contextum, quod S. Anselmus & Emissenus cilicium vocant, ET ZONAM PELLICEAM, id est, cingulum coriaceum, vt olim Elias, (a) CIRCA LVMBOS.

a 4 Reg. 1. v. 8.

ESCA AVTEM EIVS ERAT LOCVSTÆ, Iudæis B in escam permissæ Leuit. 11. v. 21. Sed pauperiorum ferè ac rusticorum cibus (b) erat, & vel crudæ comedebantur, (vt nunc conchilia & limaces,) vel elixæ, vel tostæ, vel fumo & sale duratæ: quo modo in annum integrum asseruari poterant, teste Plinio. Adeò verò alienus erat hic cibus à lautioribus, imò & vulgaribus Iudæorum mensis, vt absque cibo victitare diceretur Ioannes, Matth. 11. 18. *Venit Ioannes neque manducans, neque bibens.* Nam & *vino & sicera*, (c) vulgari aliorum potu, & ordinarijs mensarum ferculis, prorsus abstinebat, solâ aquâ, *locustis*, & *melle siluestri*, (d) ab agrestibus apibus confecto ac proinde insipido, contentus, inquit S. Chrysostomus, Theophyl. Euthymius & Isidorus Pelusiota.

b S. Hieron. in cap. 4. Ionæ, & in Iouinian. c. 6.
Plin. l. 6. c. 30.
c Luc. 1. v. 15.
d Iudic. 14. v. 8. & 1. Reg. 14. v. 26.

¥. 6. BAPTIZABANTVR à Ioanne CONFITENTES PECCATA SVA] Neutrum insuetum erat Iudæis, imò certis casibus vtrumque ipsis lege præceptum (e) erat. Sed nec baptismus Ioannis, neque hæc confessio Sacramentum erant quo peccata remitterentur (nam sola contritione deleri illa tunc poterant:) sed nuda cæremonia, quâ testabantur internum dolorem de vita malè anteacta, & desiderium expurgandi animi per pœnitentiam, sicut expurgabant aquâ sordes corporis: & sic disponebantur ad contritionem, & veram scelerum remissionem, aliaque beneficia accipienda à Christo, in quem credere iubebantur à Ioanne, Actor. 19. v. 4. & Ioannis 1. v. 26.

e Eccli. 34 v. 30. Leuit. 5. v. 5 & c. 6. v. 6. & 7. Num. 5. v. 7

¥. 7. PHARISÆORVM ET SADDVCÆORVM sectæ primũ ortæ sunt tempore Ioannis Hyrcani, (f) filij Simonis Machabæi, teste Iosepho. *Sadducæi* (sic dicti à Sadoc sectæ principe) negabant corporum resurrectionem, (g) animæ immortalitatem, spiritus angelicos, (h) æterna bonorum præmia, malorum supplicia, nec vllas admittebant traditiones maiorum non scriptas in lege Moysis. Et hos sectabantur multi princeps sacerdotum, (i) & ferè optimates Iudæorum, libertati carnis præ aliis inhiantes. *Pharisæi* omnia ista admittebant, sed multas inanes cæremonias, superfluos ritus, ac superstitiosas traditiones obseruabant; vt vulgò religiosi audirent. Matth. 16. v. 6. & c. 23. toto. Sunt autem nominati Pharisæi à *pharas*, quod separare, seu diuidere significat, q. d. Separati ab aliis doctrinâ, sanctitate, habitu, inquit S. Hieron. Et his ferè adhærebat populus. Princeps verò sectæ illorum erat *Semei* quidam seu *Sammai*, de quo Zach. 12. v. 13. & Iosephus, & Serarius. Sed omnium vt antiquissimi, ita & religiosissimi erant *Esseni*, vt alibi (k) dixi qui tertiam conflabant sectam. Ex omnibus his sectis plurimi conuolabant ad Ioannem, sed plerique non tam baptismi vel pœnitentiæ, quàm carpendi gratiâ, & suũ pietatis (vt videri volebant) studium populo comprobandi. Vnde & acriter eos insectatur Ioannes: PROGENIES VIPERARVM, (l) id est, malorum parẽtum pessimi filij, qui optimos quosque calumniosis morsibus perdere studetis, QVIS VOBIS DEMONSTRAVIT; Græcè, *submonuit*, suggessit, persuasit, FVGERE A VENTVRA & capitibus vestris impendente Dei IRA, seu vltione? maximè in futura vita, quam vos *Sadducæi* non creditis: & vos *Pharisæi*, vestra præsisi inani iustitia non timetis. Omnes autem tanto fastu inflati estis, vt nullum agnoscatis vobis magistrum aut superiorem, à quo edoceri velitis. Quòd si tamen Deo sincerè reconciliari intenditis;

f Chron. c 42. Ioseph. l. 13. Antiq. c. 9. & 18.
g Matth. 22 v. 23.
h Act. 23. v. 8.
i Act. 5. v. 17.

¥. 8. FACITE FRVCTVM DIGNVM POENITENTIÆ] Id est, edite signa aliqua seu opera, qualia dignum est edi à pœnitentibus, v. g. lacrymas, confessionem, (m) detestationem, punitionem peccatorum, vitæque morumque in melius conuersionem, inquit S. Chrysost. Vnde patet, pœnitentiam non consistere in sola noua vita, vt vult Caluinus. Nec putetis sufficere quòd

l Matth. 23. v. 33.
m Hic v. 6.

¥. 9. PATREM *habeatis* ABRAHAM, cuius posteritati promissa (n) est salus à Deo. *Non enim qui filij carnis*, (o) *ii sunt* promissionis heredes, sed qui sectantur vestigia fidei & obedientiæ patris sui Abrahæ. Quòd si tales in orbe defuerint, atque adeò defectu legitimorum posterorum non possit Deus fidem Abrahæ semel datam exsoluere; hoc certò VOBIS *addico*, potiùs quàm Deus verbo suo desit, transmutaturum lapides in homines, vt olim limũ terræ in Adamum. q. d. Vobis, qui degeneres filij estis, non eget Deus, ad fidem Abrahamo datam, integrè liberandam: non deerunt illi seu ex aliis Iudæis, seu ex Gentilibus, (qui saxis à Dauide (p) assimilantur) veri & germani filij atque imitatores Abrahæ, in quos promissa illi bona deriuet. ita ferè S. Hieron. August. & alij Patres.

n Genes. 21. v. 12. & c. 26. v. 5.
o Rom. 9. v. 8.
p Psalm. 113 v. 16.

¥. 10. IAM *autem &* SECVRIS (sic enim habent Græca) AD RADICEM ARBORVM POSITA EST] Id est, vltimum exterminium vobis imminet, ni pœnitueritis, & Messiæ regi vestro, quâ par est veneratione atque obedientia vos subiecceritis. Neque singuli modò, sed & gens vestra tota excidetur à stirpe, & consequenter à benedictione Abrahæ promissa, & loco vestri Gentes inserentur (q) *auferetur q; à vobis regnum Dei*, (r) *& dabitur genti facienti fructus eius.* ita Origenes & Toletus. *Cogitantibus* autem *omnibus* (s) *in corde* suo *de Ioanne, ne forte ipse esset Christus*, vt hanc opinionem refellat, quantum inter vtrumque interfit, clarissimè exponit:

q Rom. 11. v. 17.
r Matth. 22 v. 43.
s Luc. 3. v. 15.

¥. 11. Ego sola externa AQVA VOS BAPTIZO IN POENITENTIAM, id est, in signum quo profitemini vos velle serio pœnitere: sed hæc cæremonia nullam vobis gratiam, nullam remissionem peccatorum impertit. Messias verò, cuius ego non nisi præcursor & vilissimus seruulus sum, longè ME FORTIOR, imò infinitè potentior, BAPTIZABIT VOS etiam IN SPIRITV SANCTO, id est, donis Spiritus sancti, quibus animas interiùs emundabit à peccatis, & spiritualibus ac cælestibus gratiis replebit, illis quasi (t) IGNI vos purificans, illuminans, inflammans, & ad cælestia rapiens. Neque enim hic sermo est de materiali *igne* (vt somniabant Hermiani & Seleuciani hæretici, qui idcirco suis baptizandis stigma inurebant ferro candenti, teste

t Prolog. de Idiotismis Hebr. 9.

Aug. ep. 59. teste S. Augustino,) sed de igne metaphorico, id est, de gratia & donis Spiritus sancti, inquit S. Hieron. Euthymius & alij Patres.

℣. 13. TVNC VENIT etiam IESVS VT BAPTIZARETVR A *Ioanne*: non quòd baptismo egeret, sed vt omnibus exemplum daret perfectæ humilitatis & completæ iustitiæ, quâ perficiant non sola mandata Dei, sed insuper omne illud quod iustum, id est, æquitati & rectæ rationi consentaneum esse norunt, quantumuis humile vel abiectum fuerit. Secundò, voluit Dominus suscipere baptismum serui, vt non dedignentur serui suscipere baptismum Domini, inquit S. Augustinus. Tertiò, voluit Iesus Ioanni, dum eius baptismo se subijcit, auctoritatem addere apud Iudæos. Voluit & sacro corporis sui contactu aquas sanctificare, & vim regenerandi non physicam, sed moralem illis indere, quâ postea per baptismum à se instituendum, animas reuera purgarent & sanctificarent, inquit Nazianzenus, Chrysost. & S. August. Sed præ omnibus intendit, hac occasione, tum per Ioannem, tum per Patrem cælestem & Spiritum sanctum palàm fieri & manifestari turbis eò confluentibus, quòd esset Messias. Vt enim *ille manifestaretur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans*, inquit ipse Ioannes. Baptizatum Christum 6. Ianuarij, feria 3. *anno* 15. *imperij Cæsaris Tiberij*, patet ex Lucæ 3. v. 1. & variis auctoribus citatis in Chronico.

Aug. tract. 4 in Ioan.

Ioan 1. v 31

Chron. c. 48 & 49.

℣. 14. EGO DEBEO A TE BAPTIZARI] Græcè, *indigeo baptismo tuo*: non præcisè illo visibili & corporali à te instituendo, sed spirituali & inuisibili, id est, infusione gratiæ & donorum tuorum: quibus sicut me in utero matris meæ perfudisti, ita etiamnum opus est vt pergas me perfundere: quò & à leuioribus peccatis expurger, & sancto Spiritu tuo magis magisque exorner & perficiar in dies. Ex hoc tamen loco S. Hieron. Auctor imperfecti, Theophyl. & Euthymius colligunt, Ioannem postea etiam corporaliter à Christo baptizatum fuisse, vt membrum fieret Ecclesiæ Christi, cuius ianua est baptismus. Idem de B. Virgine, S. Petro & alijs Apostolis docet S. Euodius & alij complures. Porrò baptizato Christo,

℣. 16. APERTI SVNT EI verè & realiter CÆLI] non illi propriè dicti, (quia naturaliter discindi non possunt, supernaturaliter autem esset superfluum,) sed cælis propinqua aëris regio (quæ in Scripturis sæpè cælum appellatur:) cuius duæ partes aliquæ hinc inde condensantur, medio manente, ratiore, hiatus & scissura apparet, Sic & *S. Stephano* (*a*) contigit & *Ezechieli* (*b*) Prophetæ & aliis.

a Act. 7. v. 55.
b Ezech. 1. v. 1.

ET VIDIT Iesus SPIRITVM sanctum DEI, corporali (*c*) specie DESCENDENTEM SICVT COLVMBAM] id est, specie, similitudine, figura columbæ repræsentantis ac præsentem ostendentis Spiritum sanctum. Non ergo fuit vera columba, vt putauit S. Hieron. Anselmus & D. Thomas, sed corpus aereum simile corpori columbæ ab angelo formatum & motum, vt S. Ambros. Chrysost. Theophyl. Euthymius, Iansenius & Suarez docent, & S. August. insinuat. Columba porrò, candida, mitis, innocens, simplex, zelotypa, fœcunda, fœtus sui amans, homini amica, gratiosa, bono gaudens odore ac nitore, proprietates tam Christi, quàm Spiritus sancti aptissimè adumbrat. Et quæ olim allato oliuæ virentis ramusculo, finem diluuij nuntiarat Noè, (*d*) iam mundi Saluatorem Joanni, & Iudæis præsentibus demonstrat. Nam & Ioannem vidisse

c Luc. 3. v. 22.

Ambr. præfat. 3. de Spir. sancto August. tract. 10.

d Genes. 8. v. 11.

columbam, constat ex Marci 1. v. 10. & fuerat hoc illi promissum Ioan. 1. v. 33. De reliquis Iudæis ex sequenti hîc Patris cælestis oraculo id satis colligitur. Nemo tamen putet hîc designari, Christum tunc temporis auctum fuisse nouis gratiis Spiritus sancti (nam à primo assumptæ naturæ humanæ momento spiritum sine mensura dederat ei Pater:) multò minùs, virtute baptismi Ioannis collatum (*e*) seu Christo, seu aliis Spiritum sanctum: nam Christo ex aquis iam egresso, apparuit demum columba; supra alios verò baptizatos non apparuit. Solùm ergo designabatur, Christum plenum esse Spiritu sancto, & per ipsum alios replendos. *Super quem enim videris Spiritum descendentem, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.*

e Hic. v. 11.

Ioan. 1, v. 33

℣. 17. ET ECCE VOX DE CÆLO, in personâ Patris, angelorum ministerio, in aëre efformata, inquit Victor Antioch. HIC EST, Marcus & Lucas, *tu es* ille FILIVS MEVS, tot nominibus mihi DILECTVS, toties orbi promissus Messias, doctor, legislator, summus sacerdos, rex, dominus, redemptor vniuersi: IN QVO solo singulariter MIHI COMPLACVI ab æterno, in quo nihil mihi displicet, & cuius in tuitu ac merito alij omnes (nemo autem nisi per ipsum) mihi placere, planéque reconciliari poterunt. Hebræum enim *ratza* non tantùm significat *complacere*, sed & *placari* & *reconciliari*. O quàm hæc alia vox est ab illa Genes. 6. v. 7. *Pœnitet me fecisse hominem!* Porrò hac voce Christus publicè declaratur (*f*) Messias, doctor, magister totius orbis, quod futurum prædixerat Daniel sub initium septuagesimæ *hebdomadæ*, vt alibi (*g*) explicui.

Marc. 1. v. 11.
Luc. 3, v. 22

רצה

f Heb. 5. v. 5
g Dan. 9. v. 25. & in Chronico c. 38.

CAPVT IV.

Christus post quadraginta dierum ieiunium vincit diaboli tentationes. Capto dein Ioanne, cœpit etiam ipse prædicare pœnitentiam, & discipulos conuocare, & infirmos curare & dæmonia expellere, turbis vndiq; ad ipsum confluentibus.

℣. 1. TVNC regressus à Ioanne IESVS, eadem die qua baptizatus fuerat, (*h*) DVCTVS EST IN vicinum DESERTVM (*i*) non coactè, sed sua sponte, A SPIRITV, scil. sancto, qui paucis antè horis eius vertici insidere visus fuerat, inquit Syrus, & ex Didymo S. Hieron. VT TENTARETVR A DIABOLO] & quidem à diabolorum omnium principe Lucifero, qui Filium Dei ad duellum sibi hîc deposcit. Et permisit Deus, Primò, vt sic gloriosum de superato cacodæmone triumphum (*k*) ageret. Secundò, vt Christum reliquis hominibus similem, (*l*) etiam in tentationum palæstra comprobaret. Tertiò, vt nos Christi exemplo doceret cum infernali hoste & carne & mundo viriliter decertare, inquit S. Augustinus. Denique vt viam patefaceret tentationes superandi, scilicet oratione, vigilia, ieiunio, Scripturarum, præceptorum, promissionum Dei meditatione, fiducia in Deum, contemptu suggestionum hostilium, & interriti animi constantia. (*m*)

h Chron. c. 49.
i Matth. 3. v. 1.

k Ioan. 14. v. 30.
l Hebr. 4. v. 15.

m Eccli. 2. v. 1.

℣. 2. CVM ad instar Moysis & Eliæ IEIVNASSET QVADRAGINTA DIEBVS ET NOCTIBVS continuis, sine cibo vel potu vllo corporeo viuens, (quo vno ieiunio vniuersam Ioannis Baptistæ abstinentiam longè superauit;) POSTEA vehementissimè ESVRIIT, diuinitate, quæ hactenus actionem caloris naturalis, aliorumque contrariorum agentium ex parte suspenderat, iam relinquente humanam naturâ naturali suæ infirmitati, vt quæ antè solùm mediocriter, instar aliorum ieiunantium esurierat,

iam extraordinariè latrante ſtomacho torqueri inciperet. Vnde arreptâ tentandi occaſione diabolus, humanâ formâ, forſan eremicolæ, ACCEDENS Chriſtum, ait:

℣.3. SI FILIVS DEI ES, DIC, id eſt, iube, vtpote omnipotens, VT LAPIDES ISTI per deſertum ſparſi, PANES FIANT] id eſt, in cibum conuertãtur.

Nota. Dæmon ex oraculis Prophetarum, & ex tot ſignis quæ partim in natiuitate, partim in baptiſmo Chriſti viderat, probè ſciebat Ieſum eſſe Meſſiam. Audierat quoque vocem cæleſtis Patris, & teſtimonium Ioannis, (a) quòd eſſet *Filius Dei*. Sed an naturalis filius, an ſolùm adoptiuus per excellentiam, anxius hærebat. Vnde variis modis illum hîc tentat, vt vel ex miraculo, vel ex miraculi impotentia, certior de alterutro reddatur. Simulque Secundò, vt Chriſtum (ſi fortè purus ſit homo) vel per gulam (vt olim primos (b) parentes) vel per diffidentiam opis diuinæ (vt Moyſen (c) & Aaronem) vel per vanam oſtentationem (vt Dauidem d) vel per ambitionem (vt tot alios heroas) è ſublimi iuſtitiæ ſtatu deiiceret. Et quidem non hos ſolùm tres aſſultus, quos Matthæus commemorat, paſſum Chriſtum, ſed multos alios antè toleraſſe, videtur colligi ex Lucæ 4. v. 2. vbi de omnibus 40. diebus indifferenter dicit, Chriſtum tentatum, ſeu tentationem paſſum fuiſſe, vt eſt in Græco, & expreſsè docent Origenes, Auguſtinus, Euſebius, Euthymius, Beda, Caietanus & Ianſenius.

a *Ioan.* 1. v. 18. & 34.

b *Gen.* 3. v. 6.

c *Num.* 20. v. 12.

d 2. *Reg.* 24 v. 1.

℣.5. ASSVMPSIT EVM DIABOLVS verè & corporaliter per aëra raptando, ad eum modum quo maleficos & ſagas (inquit S. Hieron. Gregor. & S. Thomas,) in loca diſſita transfert, & quo bonus angelus tranſtulit Habacuc è Iudæa (e) Babylonem.

e *Dan.* 14. v. 35.

ET STATVIT EVM SVPER PINNACVLVM TEMPLI] id eſt, ſuper turrim veſtibulo templi (f) inædificatam. E qua ſi Chriſtus deſiliiſſet, in atrium ſacerdotum, inter *templum & altare* (g) holocauſtorum delapſus fuiſſet, in quem locum oculi omnium in templo præſentium conuertebantur.

f 3. *Reg.* 6. *poſt init.*

g *Matth.* 23 v. 35. *Ioel* 2, v. 17

℣. 8. OSTENDIT EI OMNIA REGNA MVNDI, ET GLORIAM, ſplendorem, & faſtum omnem EORVM, & quidem *in momento*, vt addit S. Lucas, (h) aere ſic contemperato & illuſtrato, vt omnia iſta ſimul repræſentaret, & ob oculos poneret, vt etiam nunc varia hominibus ſpectra, quaſi ante oculos depicta obiicit, vt Theophyl. ait & Ianſenius. & vt etiam Deus aliquando totum mundum S. Benedicto obiecit in globo, inquit S. Gregorius.

h *Luc.* 4. v. 5.

Gregor. l. 2. *Dial. c.* 35.

℣.9. HÆC OMNIA TIBI DABO] Addit S. Lucas, *quia mihi tradita ſunt, & cui volo do illa*. Nempe expiſcari volebat aſtutiſſimus ſerpens, an non cum bile replicaret Chriſtus, non dæmonem, ſed ſe, monarcham eſſe vniuerſi, vtpote naturalem filium Dei. Sed *non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum*. Chriſtus callidi ſerpentis technas omnes ſic diſſoluit, vt ne vel hilum illi concederet; nec tamen ſe Deum eſſe (quod Satanas reſcire peroptabat) vel minimo indicio proderet.

Prou. 21. v. 30.

℣. 10. VADE SATANA, apage ſacrilegũ monſtrum: SCRIPTVM EST ENIM in Deuteron. DOMINVM DEVM TVVM, & præter hunc nullum alium, ADORABIS adoratione, honore & cultu qui ſummo rerum omnium Domino debetur, te illi tamquam creaturam & mancipium eius ſubdendo, ipſum tamquam inexitabilem iudicem ac vindicem timendo, (vt eſt in Deuteronomio) ipſum tamquam ſupremum bonum & vltimum finem tuum amando. ET ILLI SOLI SERVIES ſeruitute & ſubiectione illi ſingulariter debita, qualem iam deſcripſi, & qualem dæmon hîc ſibi depoſcebat. Hanc S. Scriptura (i) & SS. Patres vocant *latriam* & ſoli Deo propriam faciunt. Vnde nihil facit hic locus contra *dulíam* Sanctorum, quæ eſt ſeruitus, adoratio & cultus longè inferioris ordinis.

Deuter 6. v. 13. & c. 10 v. 20.

i *Hic & in Deut. ſupr. in Græco.*

℣. 11. TVNC RELIQVIT EVM DIABOLVS] victum ſe faſſus, & vltrò cedens victori palmam. Sed non *receſſit ab illo*, (vt Lucas ait) niſi *vſque ad tempus*. Nam ſæpiùs (k) repetendum fuit duellum, & maximè ſupremo vitæ die, quando cum omnibus infernalibus (l) legionibus ſuis *venit princeps (m) huius mundi* aduerſus Chriſtum: ſed vt modò, ita etiam tum *non habuit in eum quidquam*.

Luc. 4. v. 13.

k *Ioan.* 12. v. 31 & c. 16 v. 11.

l *Luc.* 22. v. 53.

m *Ioan.* 14. v. 30.

℣. 12. CVM TRADITVS ESSET IOANNES Herodi (n) Antipę *Galilææ* (o) Tetrarchæ. Sed quid iuris Tetrarchę Galilææ in *Iudæam*, cuius procurator erat *Pontius Pilatus* (p) nomine *Cæſaris Tiberij*? nam Ioannes baptizabat in *deſerto* (q) *Iudææ*. Reſpondeo, Scribæ & Phariſæi raptum è Iudæa tradiderunt Ioannem Herodi, tamquam in illum iniurium ob reprehenſas illius nuptias cum (r) Herodiade. Colligitur ex Matth. 17. v. 12. vbi de Scribis dicit Chriſtus, *Fecerunt* in Ioanne *quæcumque voluerũt*: ſicut & Chriſtus ſuo tempore (s) *paſſurus eſt ab eis*. At iam necdum exoſus Scribis, necdum notus *Herodi* Ieſus liberè moratur in Galilæa. Ex inferiore tamen, vbi hactenus habitarat in Nazareth, (t) demigrat in ſuperiorem Galilæam, cuius emporium erat Capharnaum, adiacẽs mari Geneſareth, ſeu Tiberiadis, ſic dicto ab vrbe vicina, quã Herodes iſte nouis ędificiis ampliatam in honorem Cæſaris Tiberij, Tiberiadem nominatam voluit. Non eſt tamen mare propriè dictum, ſed paraſi, qua omnis collectio plurium aquarum, etſi ſtagnantium, *mare* vocatur: S. Lucas vocat *ſtagnum Geneſareth*: Ioſephus longum facit 30. ſtadia, (v) latum 20. medium interſecat & perluit fluuius *Iordanis*. Cur verò Galilæam primo loco prædicationi ſuæ delegerit Chriſtus, cauſa fuit, inquit Euangeliſta,

n *Matth.* 3. v. 1.

o *Luc.* 3. v. 1

p *Ibid.*

q *Matth.* 3. v. 1.

r *Marc.* 6. v. 17.

s *Matth.* 16 v. 27.

t *Matth.* 2. v. 22.

Luca 5. v. 1. *Ioſeph. l.* 3. *Bellic.* 18. v *Proleg. de menſura Longitudinum.*

℣. 14. VT ADIMPLERETVR prophetia *Iſaiæ*, qui prædixerat, terram ZABVLON ET NEPHTHALIM, id eſt, Galilæam, fore ſpolium Chriſti, vt ibidem expoſui. Accedebat, quòd Galilæa oppidis & vicis abundaret, quorum minimus, inquit Ioſephus, ſupra quindecim millia colonorum numerabat: vnde opportuna admodum erat diſſeminationi Euangelij. Capharnaum autem, vbi Chriſtus domicilium fixit, vt erat in extremitate ſortis Nephthalim ex parte Auſtrali, ita propinquum erat terminis ſortis Zabulon ex parte Orientali; atque ita in finibus vtriuſque Galilææ.

Ioſeph. ſupr. c. 2.

℣. 17. EXINDE COEPIT IESVS PRÆDICARE] Nempe cùm præcurſor perfunctus iam eſſet ſuo munere: cùm lucifer iam occidiſſet, comparuit ſol.

APPROPINQVAVIT REGNVM CÆLORVM] Hoc iam ſuprà (x) expoſui.

x *Matth.* 3. v 2.

℣. 18. AMBVLANS IVXTA MARE GALILÆÆ, ſeu mare Tiberiadis, *cùm turbæ irruerent in eum*, vt ait S Lucas, audiendi ipſius causâ; poſtquam è naucula Simonis, qui nuper à Chriſto (y) cognominatus fuerat *Cephas*, id eſt Petrus, docuiſſet turbas, & noua piſcium captura exhilaraſſet piſcatores, (z) & iam naues in terrã ſubductę eſſent; (aa) AIT *Petro*, & *Andreæ* ſeniori fratri eius, item *Iacobo & Ioanni filijs Zebedæi*, filij Cleophæ, qui erat frater Ioſephi: (bb) VENITE POST ME, id eſt, ſequimini me, meumque vitæ inſtitutum, a lhærete mihi, non iam amplius per interualla, vt ſoletis hactenus, ſed ſtabiliter & indi-

Luca 5. v. 1.

y *Ioan* 1. v. 42.

z *Luca* 5. v. 4.

aa *Ibid.* v. 11

bb *Chron.* c. 46. *tab.* v 1.

indiuulsè: LT FACIAM VOS FIERI PISCATORES, non vilium pisciculorum, sed HOMINVM, etiam principum & regum, vt reti prædicationis vestræ eos capiatis in salutem æternam. Hæ deinceps erunt vestræ deliciæ, vestra studia, vestra lucra. Porrò hanc à Matthæo hîc breuiter descriptam vocationem horum quatuor primorum Apostolorum eamdem esse cum illa quam Lucas fusiùs enarrat, docent S. Chrysost. Theophyl. Euthymius, Iansenius, & Franc. Lucas. Neque enim verisimile est, secundò hic vocatos apostatasse, vt tertiò vocari debuerint apud Lucam, licèt id omnino velint S. August. Liranus; Toletus & Maldonatus. Prima Petri & Andreæ vocatio fuerat statim à baptismo Christi, cùm ad eum mitterentur à Ioanne Baptista necdum incarcerato, Ioan. 1. v. 37. tunc enim ad familiarem notitiam sunt vocati, sed iam ad stabilem sequelam. En quatuor primos lapides & bases Ecclesiæ Christi. Iustitiam in *Simone*, שמע dum Iesu vocanti obedit (*fama* enim *audire* significat:) iustum enim est hominem Deo obedire. Fortitudinem in *Andrea*: nam ἀνδρεῖος, idem est quod *virilis*. In *Iacobo*, id est, *supplantatore*, (*a*) temperantiam. In *Ioanne*, id est, *gratiâ Dei*; prudentiam, quæ docet gratiam Dei assiduè implorare. His sociis cinctus, his virtutibus stipatus Iesus.

a Genes. 26. v. 25.

B

C

D

℣. 23. CIRCVIBAT TOTAM GALILÆAM, PRÆDICANS EVANGELIVM noui REGNI Messiæ IN SYNAGOGIS Iudæorum. Synagogæ loca erant in quibus non ad sacrificium (nam hoc non nisi vno locó, (*b*) nempe in templo Ierosolymitano, offerre licebat) sed ad publicam orationem, ad legis diuinæ explanationem, ad sacram concionem, (*c*) maximè sabbatis conueniebatur. Erantque in singulis vrbibus & vicis frequentioribus subinde etiam plures (*d*) Synagogæ, Ierosolymis supra 480. fuisse narrantur. Prædicabat ergo Christus non in occulto, non in angulis, sed palàm & in locis ad publicè docendum destinatis.

b Leuit. 17. v. 3. Deut. 12. v. 5.
c Act. 15. v. 21.
d Act. 6. v. 9.

℣. 24. ET OBTVLERVNT EI OMNES omnis generis MALE HABENTES, ET CVRAVIT EOS, etiam LVNATICOS, quibus pro lunæ inclinatione vis morbi vel accrescit, vel decrescit, vt sunt qui laborant morbo comitiali, seu caduco, qui σεληνιαζὸς, id est, *lunaris*, ideo vocatur, quòd eorum ferè sit morbus qui in interlunio nati sunt, & quia sub defectum lunæ illo maximè corripiuntur. Et est morbus medicis incurabilis: sed Christo nihil erat incurabile.

℣. 25. DECAPOLIS regio erat decem complectens ciuitates cum interiectis vicis, partim cis, partim vltra *Iordanem* & mare *Galilææ*, inquit Iosephus.

Iosephus l. 3. Belli c. 16.

CAPVT V.

Cum in monte Galilææ prope Bethsaidam pernoctasset in oratione, * *& manè duodecim designasset Apostolos,* * *cum hu de cendens in inferiorem partem montis valli capacissimæ imminentem, inde quasi è suggestu nobilissimam concionem, quam discipulis suis antè in monte priuatim exposuerat, iam ad ipsos simul habet & ad vniuersam turbam. Continet autem hæc summarium totius euangelicæ prædicationis & perfectionis, v. g. In quo sita sit vera hominis beatitudo, quæ virtutes excolendæ, quæ vitia maximè cauendæ.*

* Luc. 6. v. 11.
* ibid. v. 13.
Matth. 10. v. 2.
Marc. 3. v. 13.

℣. 3. BEATI sunt beatitudine viæ, seu inchoatione & spe infallibili perfectæ & completæ beatitudinis, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus: beati, inquam, non diuites, non epulones, non risu, non deliciis, non honoribus diffluentes, vt mundus opinatur (nam A his omnibus væ dicit Christus Lucæ 6. v. 24.) Sed, BEATI PAVPERES, πτωχοὶ, id est, mendici, inopes, bonis fortunę destituti, non vi vel miserabili conditione, sed SPIRITV, id est, vltroneâ & laudabili voluntate à Spiritu sancto inspiratâ, & propter Deum vel susceptâ, vel toleratâ, inquit S. Hieron. Basilius & Bernardus. Quod addunt, ad excludendum Cratetem, Diogenem, Aristidem & similes, qui vel ex vana gloria, vel philosophandi studio diuitias contempserunt, non verè propter Deum, aut propter regnum cælorũ. Sicut ergo malorum omnium radix est φιλαργυρία, seu studium diuitiarũ, ita bonorum omnium, & perfectionis ac beatitudinis radix & basis est paupertas Euangelica; quæ hominem omni terrenarum rerum solicitudine liberat, spemque curamque & amorem omnem in vno Deo figit, vnde & ad euangelizandum, & regnum Dei propagandum toto orbe, est aptissima, vt optimè demonstrat Hieron. Platus: non quòd oporteat actu & reipsa omnia relinquere, vt Religiosi faciunt, & fecerunt Apostoli (hoc enim vt est perfectissimum, ita solùm est consilij:) sed animo relinquenda sunt, & ita spernenda, vt malis omnia perdere, quàm vel fidem negare, vel proximum lædere, vel quouis alio peccato mortali Deum offendere. Sic enim est præcepti. Porrò qui diuitiis iam superior est, secundum felicitatis gradum ascendat oportet, qui in ira, cacozelia & aliis animi passionibus domandis consistit. Et sic

Platus de Bono statu Religiosi l. 2. c. 9.

℣. 4. BEATI MITES, qui nec Deo punienti, vel exercenti obmurmurant, nec hominibus quantumcumque iniquis malè volũt. Hi POSSIDEBVNT, κληρονομήσουσι, id est, hereditario iure obtinebunt TERRAM, sed viuentium, (*e*) id est, cælum: nostra enim hæc terra morientium est, ac proinde exigui momenti. ita S. Hieron. Basilius, Nyssenus & Cyrillus. Sæpissimè tamen in hac etiam morientium terra vsu venire solet, diuina sapientia sic prouidente, quod ait Psalmista, (*f*) *Mansueti hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.*

e Psalm. 36. v. penult.
f Psalm. 36. v. 11.

℣. 5. BEATI QVI delicijs & voluptatibus sæculi contemptis, LVGENT ærumnosam hanc & miseram vitam, inquit S. August. & Nyssenus: item exilium à cælesti patria, & carentiam summi atque infiniti boni, inquit idem Nyssenus & Iansenius: denique sua & aliena peccata, atque imminutionem gloriæ magni Dei, inquit Chrysost. Ambros. Hilarius

℣. 6. BEATI QVI ESVRIVNT, seu corporaliter, seu spiritualiter, id est, qui ardenter inhiant, & quibus possunt modis, seu tolerando, seu agendo, conantur in se, & in alijs tueri, stabilire, promouere IVSTITIAM, seu id quod iustũ est & æquitati consonum & gratum Deo. ita iidem omnes Patres. Hi SATVRABVNTVR *cùm apparuerit gloria tua*, (*g*) ad quã tanto desiderio semper anhelarunt. In omnibus enim his promissionibus cælum, seu gloria cælestis pro præmio addicitur: sed pro congruentia cuiusque generis bonorum operum, idem præmium varijs nominibus exprimitur, inquit S. Ambrosius, August. & Chrysost. Porrò virtutes istæ omnes, in quibus octo hæ beatitudines statuuntur, ita sunt inter se connexæ, vt, nisi simul omnes habeas (saltem in præparatione animi, & quantum in te est,) beatus esse non possis. Quare cùm in singulis dicitur, *Beati*, &c. intellige, si nihil eorum desit, quæ alibi ad veram beatitudinem requisita sunt. Et hoc

g Psal. 16. v. 15.

commune est penè omnibus propositionibus affirmatiuis, vt sensu commodo, & cum requisitis conditionibus exponi debeant.

℣. 13. Vos, ô discipuli mei, ESTIS SAL non vnius Iudææ, vt fuerunt Prophetæ, sed totius TERRÆ, seu totius mundi] q.d. Vos à me delecti estis, vt sapientia verbi & exempli vestri (quasi spirituali sale) Primò, hominum vitia exsugatis; Secundò, æternæ incorruptioni illos seruetis & condiatis; Tertiò, Deo, angelis, hominibus sapidos & gratos reddatis; Quartò, sitim rerum cælestium in cordibus omnium excitetis. Vide sexalias proprietates apud Salmeronem. Porrò *sal*, terræ combustæ species, vti cogitur calido & sicco, ita frigido & humido liquescit, vel saltem *euanescit*, id est, acrimoniam & saporem perdit. *Salmeron tom. 5 tract. 27.*

Nota. Quadruplici similitudine, *salis, lucis, vrbis in monte*, & *lucernæ in candelabro*, quibus discipulos suos comparat Christus, docet quodnam sit ipsorum officium, nempe vt doctrina & exemplo conspicui sint toti mundo, non tamen suam, sed vnius Dei gloriam, & animarum salutem intendentes. B

℣. 17. NON VENI SOLVERE, destruere, reprobare, transgredi LEGEM Mosaicam (quo nomine intelligebant Iudæi Pentateuchum) AVT PROPHETAS (id est, reliqua scripta veteris testamenti) SED ADIMPLERE, absoluere & perficere. Quod de præceptis naturalibus & moralibus clarum est: his enim nihil detraxit Christus, sed exponendo magis elucidauit, & addendo consilia Euangelica, noua Sacramenta, & vberiores gratias, perfecit & exornauit. Cæremonialia abrogauit quidem secundùm litteram, sed substituendo typis antitypa, figuris figurata, secundùm rem & veritatem omnia complcuit & perfecit, vt pulchrè S. Thomas demonstrat. *S. Tho. 1.2. q.107. a.2. 2 Isaiæ 34. v.4. & c 51 v 6 & c.65 v.17.*

℣. 18. DONEC TRANSEAT (*a*) CÆLVM, &c. q.d. Maxima solidissimaque vniuersi corpora, cæli & terra, mutanda quandoque sunt, & à præsenti statu, quo seruiunt rerum generationi & corruptioni, dimouenda; sed *legis* diuinæ (vtpote ab æterna & incommutabili veritate profectæ) *ne* IOTA quidem (litterarum omnium minima) AVT APEX VNVS mutandus est, quin omnia quæ in ea scripta sunt, compleantur & perficiantur. Nam quòd cæremonialia abolenda sint, hoc ipsum lex Mosaica prædixit futurum post aduentum Messiæ, vt S. Paulus in epist. ad Hebræos passim demonstrat. C

Nota. *Amen*, quòd hîc & alibi sæpiùs vsurpat Christus, idem est quod, *verè*, vt Aquila & S. Hieron. vertunt. Neque enim est iurantis, vt quidam opinantur: sed, cùm alicui sententiæ præponitur, est assuerantis, seu seriò affirmantis; cùm postponitur, est confirmantis. Vnde LXX. tunc vertunt, γένοιτο, id est, fiat. q. d. Verum sit, ita fiat. Fusiùs de hoc vide Angelum Caninium.

℣. 19. QVI ERGO SOLVERIT, seu transgressus fuerit, VNVM DE MANDATIS ISTIS legis diuinæ, etsi opinione vestra MINIMIS; hîc verè MINIMVS, id est, vilissimus, & quasi postremus hominũ maximè contemptibilis habebitur iudicio Dei & Sanctorum, & consequenter indignus REGNO CÆLORVM] Vnde Chrysost. & Theophyl. exponunt, *minimus* id est, nullus erit. Ludit enim Christus amphibologicè in voce, *minimus*, perstringens Pharisæos, qui internam concupiscentiam, (*b*) seu consensum in adulterium, quasi *minimum* quid minimi faciebant. Ex horum enim opinione, manda- *b Matth. 5. v. 28.*

ta similia vocat Christus etiam *minima*, etsi in se sint maxima, maximique momenti. At transgressores dicit verè *minimos*, id est, postremos ac vilissimos habendos. Quando ergo Christus hîc, vt legislator noui testamenti, condit legem nouam Euangelicam, nil contrarium affert legi antiquæ Mosaicæ, sed illam explicat, & perficit: neque opponit se Moysi latori antiquæ legis, sed peruersis legis enarratoribus Scribis ac Pharisæis.

℣. 20. SCRIBARVM ET PHARISÆORVM iustitiam excedere debet VESTRA, vt vera sit IVSTITIA, in his tribus: Primò, vt non sola exteriora opera seu effectum, sed & internum effectum omnem legi (*c*) conformetis. Secundò, vt quæ lex olim ex mera necessitate permittere coacta fuit, (*d*) ea deinceps minimi vobis licere persuadeatis. Tertiò, vt legem non iuxta nudum verborum sonum, sed iuxta intentionem legislatoris (*e*) obseruetis. *c Hic v.21. d v.31. e v.22.34. &c.*

℣. 21. AVDISTIS, id est, à Scribis ita edocti estis, quasi primo præcepto secundæ tabulæ decalogi, ANTIQVIS patribus, seu per legem naturæ, seu per legem Mosaicam, solùm inhibitum sit actuale & reale homicidium, sub pœna mortis corporalis ab ordinario tribunali humano infligendæ: cùm simplex & nuda ira, seu appetitus vindictæ, si *sine causa*, vt est in Græco, deliberatè foueatur, tantam vt minimum pœnam, diuino iudicio mereatur. Nam quæ prorumpit in vocẽ contumelioſam, qua vitium aliquod, seu naturæ, seu fortunæ, FRATRI, id est proximo, SVO exprobratur, dicẽdo, v.g. RACA, id est, *uacue*, scil. opibus, vel scientia: (vox enim est Syriaca, ab Hebræa radice *rec*, id est, vacuus, inanis, pauper, quomodo in Scripturis (*f*) vsurpatur:) REVS ERIT non solò IVDICIO, seu pœnæ qualis in ordinario tribunali infligi solet: sed & CONCILIO, Græcè συνεδρίῳ, id est, pœnæ qualem *Sanedrim*, magnum Iudæorum concilium infligere solet, id est, longè grauiùs plectetur. QVI AVTEM DIXERIT, FATVE, id est, qui proximum suum, animo grauiter illi nocendi vel conuiciandi, notat impietatis & neglectus legis diuinæ (hæc est enim vera *fatuitas*, maximè repugnans rectæ rationi) REVS ERIT GEHENNÆ IGNIS, id est, pœnæ infernalis, vt alibi (*g*) dixi. Hac gradatione, & supplicij aggrauatione designat Christus grauitatem peccati *iræ*, quæ in appetitum grauioris vindictæ, vel in contumelioſa verba prorumpit, etsi desit actuale homicidium. Vtitur autem ad id declarandum metaphora Iudæis familiari & nota triplicis generis supplicij fontibus apud illos infligi soliti. Nam in ordinario tribunali politico, quod septemuiris, vel decemuiris, (*h*) subinde & vigintitriumuiris cõstabat, & *misphat*, id est, iudicium, vocabatur, vel *dine nephæsorh*, id est, iudicia animarum; infligebatur homicidis vel mutilatoribus pœna ordinaria, quæ ferè erat talionis, iuxta præscriptum (*i*) legis. At in extraordinario sacro tribunali, quod *sanedrim* vocabant, de quo c. 2. v. 4. & constabat 71. iudicibus, eratque supremum maximumque concilium, vt causæ grauiores euentilabantur, ita & pœnæ longè acerbiores decernebantur. Sed omnem mensuram pœnarum humanarum excedunt infernalia tormenta. Quæ si subire cogatur qui solis contumelioſis verbis in proximum suum iniurius est; quanta supplicia manebunt homicidam, qui ex ira vel odio sanguinem actu profundit? ita ferè S. Hieron. Hilarius, Chrysost. Augustinus, & Angelus Caninius. רק *f Iudic. 11. v. 3. & 2. Reg. 6. v. 10. & 2. Paral. 13. v. 7.* *g 4. Reg. 11 v. 10.* *h Ruth 4. v. 2.* *i Exodi 21. & Deut. 19*

℣. 23.

℣. 23. SI OFFERS MVNVS, seu victimam tuam, AD ALTARE, ET IBI RECORDATVS FVERIS, QVIA proximus TVVS HABET ALIQVID ADVERSVM TE, seu de quo tecum iure expostulet, & queratur (*a*) de iniuria sibi à te facta; VADE PRIVS RECONCILIARI, id est, vt illi reconcilieris. Reconciliatio enim, seu læsæ charitatis vel iustitiæ instauratio, præcepti est diuini positiui & naturalis: cùm sacrificium non sit nisi consilij: & hoc sine altero placere Deo non possit. Contrà quàm docebant Pharisæi, qui quidquid in proximum sceleris admissum esset, solo sacrificio expiari volebant. Christus autem vult charitatis & pacis instaurandæ primam curam haberi, etiam antequam sacrificium quis offerat. ita Auctor imperfecti. Quod tamen intellige, si persona, locus, tempus & prudentiæ ratio permittat ire ad offensum. Alioqui, non pedibus (inquit S. August.) sed affectu eundum: nempe odium remittendo, offensam deponendo, & pro data commoditate offenso satisfaciendo. Chrysost. tamen, Theophyl. & Euthymius hoc intelligunt tam de offenso, quàm de offendente, idque siue iure, siue iniuria. Sed sic tantùm consilium est, non præceptum. Porrò ex hoc loco exortus est antiquus Ecclesiæ vsus, in Missa ante communionem dandi inuicem osculum sanctum, (*b*) vel, vt nunc fit, tabellam pacis.

a Simile. Apoc. 2. v. 10.

b 2. Cor. vlt. v 12.

℣. 25. ESTO CONSENTIENS ADVERSARIO, id est, compone, transige cum ἀντιδίκῳ, id est, contralitigatore TVO, illo scilicet *qui* (c) *habet aliquid aduersum te*, quem tu iniustè læsisti. Age modis omnibus vt CITO IN VIA, id est, primo quoque tempore in hac vita cum eo redeas in gratiam, priùs quàm ab *aduersario*, id est, à iustâ causa proximi te reum agente, tradaris iudici Deo, qui *te carceri* vel infernali, si mortalis sit culpa; vel Purgatorio, si venialis, mancipet, donec plenissimè satisfeceris vel satispassus fueris, inquit Origenes, S. Hieron. Hilarius & Ambrosius.

c Hic v. 13.

℣. 28. OMNIS QVI VIDERIT MVLIEREM AD CONCVPISCENDVM] id est, hoc fine, vt accensâ in se illius concupiscentiâ, seu desiderio, animũ suum pascat & oblectet. Neque enim agitur hîc de motibus primò primis & inuoluntariis; vt somniat Caluinus: sed refellitur triplex error Scribarum. Primus, quòd putarent, concupiscentiam purè internam non esse peccatum, sed eam solam quæ in turpes tactus, oscula vel verba lasciua prorumperet, teste Iosepho, qui ait, *voluisse tantùm & non perfecisse sacrilegium, non videri rem supplicio dignam.* Secundus, quòd putarent peccata concupiscentiæ, v. g. vxoris alienæ, non esse eiusdem speciei cum actu externo adulterij contra quintum præceptum decalogi, sed alterius contra solum nonum præceptum. Tertius, quòd illo nono præcepto tantùm dicerent vetari concupiscentiam vxoris alienæ, non autem mulieris innuptæ. Quæ omnia corrigit hîc Christus.

Ioseph. l. 12. Antiq. c. 13.

℣. 29. SI OCVLVS TVVS SCANDALIZAT TE] Metaphora sumpta à chirurgo. q.d. Sicut læsi cupiunt vt chirurgus excindat membrum etiam nobilissimum, si ex eo periculum toti corpori creetur: ita vos moneo, vt instrumenta & occasiones peccandi, quæ offendiculo sunt animæ, v.g. lasciuientes sodales, aspectus, contactus, colloquia, studiosè præcidatis, aut saltem ita cohibeatis (etsi cum aliquo dolore & damno) ac si reipsa careretis. ita Iansenius & Maldonatus. Realem Origenis castrationem damnauit Ecclesia.

℣. 31. De *libello repudij* vide Deuteron. 24. v. 1. De thori separatione, Matth. 19. v. 6.

℣. 34. DICO AVTEM VOBIS, supplè, præceptum esse, NON IVRARE OMNINO. Docebant Scribæ Primò, solum periurium prohiberi, Exodi 20. v. 7. Secundò, peierare per creaturas nihil esse, Matth. 23. v. 16. Vtrumque errorem explodit Christus voculâ *omnino*. q. d. Non solùm veratur omne falsum iuramentum, sed & verum, idque siue per Deum fiat, siue per creaturas, intelligendo ex mente Scribarum, putà leuiter aut temerè, nulla cogente necessitate. Et sic soluitur argumentum Pelagianorum, VValdensium, VViclefistarum & Anabaptistarum quod hinc desumunt, quo probare volunt, nullum iuramentum Christianis vmquam licitum esse. Nam id aliquàndo licere (nempe quando adsunt *veritas, iustitia* & *iudicium*, Ierem. 4. v. 2) patet exemplo ipsiusmet Dei toties (*d*) iurantis, & Apostolorum, (*e*) & tot aliorum Sanctorum, (*f*) & perpetuo vsu Ecclesiæ. Et conuincit ratio: quia iuramento exhibetur cultus & honor Deo, dum ipsum in infallibilem testem inuocando, fatemur omniscium esse, & primam veritatem, supremum iustitiæ præsidem, & perfidiæ vltorem.

d Gen. 22. v. 16. Psalm. 104. v. 9. Psalm. 109. v. 4 &c.

e Rom. 9. v. 1. & 2. ad Cor. 15. v. 31

f Genes. 25. v. 33. & Genes. 26. v. 31. &c.

Dices, Ergo saltem non licet iurare per creaturas: esset enim idololatria tribuere creaturis infallibilem veritatem. ita Marloratus & hæretici passim. Respondeo, nego sequelam. Neque enim tribuimus infallibilem veritatem creaturis, sed creatori, quem ex communi omnium gentium sensu & vsu quasi auctorem & supremum dominum illarum præsentem in illis & assistentem agnoscimus, & quasi symbola veritatis ipsius, & potentiæ, & sapientiæ, & gloriæ adhibemus, quando per illas iuramus. Ac proinde per Deum in creaturis repræsentatum iuramus, quoties per creaturas iuramus, siue id faciamus simplici affirmatione, seu cõtestatione: siue addamus execrationem, quâ v. g. caput vel vitam, seu nostram, seu alienam, vel aliam quãcumque rem, Deo offerimus perdendam, si falsum sit quod iuramus. Cùm enim Dei sint omnia, & quidem summo & absoluto dominio, nobis verò tantùm concessa quasi commodato; iniuriam vel honorem, quem illis quis defert vel infert, censetur quàsi Deo illorum domino, in illis præsenti, & per illa repræsentato, deferre vel inferre. Et en tibi clarum exemplum:

℣. 36. NON POTES VNVM cápitis tui CAPILLVM ALBVM FACERE] Quo igitur iure possis *caput* quasi *tuum* temerè deuouere? neque enim tuum est absoluto dominio, sed solius Dei.

℣. 37. SIT igitur SERMO VESTER, EST, seu affirmans aliquid, EST: & NON, id est, sermo vester negans aliquid, *sit* NON. Nam QVOD HIS ABVNDANTIVS EST, nempe iuramẽtum quod simplici affirmationi vel negationi, ad hanc confirmandam adiicitur, EST, seu ortum habet, A MALO; (*g*) id est, ex vitio, putà vel proprio leuitatis & irreuerentiæ tuæ, vel alieno, incredulitatis & diffidentiæ proximi. Bonus tamen & purus subinde est vsus quarumdem rerum, quarum origo ex malo est, vt patuit olim in libello repudij, & iam in separatione thori, in bello, in litibus forensibus & tot dispensationibus. Temerariam iurandi consuetudinem acriter reprehendit Ecclesiasticus, Apostolus Iacobus, S. Chrysost. Salmeron.

g Eccli. 23. v. 9.

℣. 39. DICO VOBIS præceptum esse, NON RESISTERE MALO, seu retaliare malum malo, nempe eo quo fieri solet modo, animo iniuriarum impatien-

Eccli. supr. Iacobi 5. v. 12. Chrysost. in homilia pluribus ad populum. Salmeron tom. 5. tract. 40.

patiente, cupidoque vindictæ, vel ex priuata auctoritate; vt licitum esse, modò lex talionis non excederetur, docuisse videntur Scribæ. Non ergo vetamur, vt Anabaptistæ volunt, iniuriam declinare cum moderamine inculpatæ tutelæ, vim vi repellere, magistratui iniuriam nobis illatam vindicandam committere: nam hæc sunt iuris gentium & naturæ. Et acueretur alioquin impiorum malitia. Multò minùs prohibetur, magistratibus publica vindicta, vel principibus bellum, cùm his ex officio incumbat curare vt læsa iustitia reparetur, impij plectantur, & respubl. tranquilletur. At priuatis personis suadet, non tamen imperat, Christus, & etiam Paulus, (a) vt, quando charitas proximi, conuersio infidelium, Dei gloria, vel prudentia id exiget (v.g. tempore publicæ persecutionis, qualis erat penè continua in primitiua Ecclesia) non propellamus violentè illatam iniuriam, sed potiùs repetitam patienter feramus, quàm maleficijs certemus, aut de vindicta cogitemus. Et hoc explicat hîc Christus tribus exemplis, *maxillæ, pallij, & mille passuum*, quæ non ad corticem litteræ, sed ad mentem Christi iam dictam exponenda sunt.

a *Rom.12. v.11. & 1.Corint. 6. v.7.*

℣. 43. DILIGES PROXIMVM TVVM, id est, (inquiebant Scribæ) amicum & iunctum tibi sanguine & cognatione, putà Iudæum. Vnde malè, & contra expressum legis etiam Mosaicæ (*b*) decretum, inferebant, Ergo ODIO HABEBIS INIMICVM TVVM. Sed Christus docet, per proximum intelligi quemuis hominem, etiam extraneum, etiã inimicum: & omnes diligendos non animo tantùm & lingua, sed & opere: quia omnes ab vno eodemque Deo, ex vno primo patre Adamo & Noe procreati sumus ad similitudinem Dei, & à secundo patre ad eamdem hereditatem cælestem reuocati. ita S. Hieron. August. & Theophylactus.

b *Leuit. 19. v.17. & 18. Exod. 23. v.4. & 5. & 1.Reg. 24. v. 5. & c.26. v.9. & 4.Reg. 6. v.1. Tob. 31. v.29. Prou. 25. v.21.*

℣. 48. ESTOTE PERFECTI in exhibenda etiam extraneis, etiam inimicis, dilectione ac beneficentia, SICVT PATER VESTER CÆLESTIS in his, & in alijs omnibus PERFECTVS EST] Particula, *sicut* significat similitudinem, non æqualitatem.

CAPVT VI.

Quomodo faciendæ eleemosynæ, instituenda oratio, condonanda proximo offensa, ieiunandum, thesaurizandum, oculus mundandus, solicitudo seu anxietas tollenda.

℣. 1. PER IVSTITIAM, licèt in Græco sit ἐλεημοσύνη, id est, misericordia, intelligit S. Augustinus quoduis opus bonum in genere: quod mox Christus dispescit in varias species, putà in in *eleemosynam*, quæ respicit proximum: in *orationem*, quæ Deum: in *ieiunium*, quod nos ipsos.

August. l. de Perfect. iustitiæ ratiocinat. 17.

℣. 2. NOLI TIBA CANERE ANTE TE, præeunte præcone, & clangore suo pauperes vndique conuocante, quod faciebant Scribæ prætextu quidem, ne quis egenus beneficio excluderetur: sed reuera, vt multos haberent beneficentiæ suæ spectatores.

RECEPERVNT MERCEDEM SVAM, nempe vanum & fugacem flantis auræ rumusculum, loco solidi atq; æterni præmij quod Deus daturus fuisset. *Quid enim à Deo accipias* (inquit Auctor imperfecti,) *qui Deo nihil dedisti?* Pœnas potiùs daturus es Deo tum stultitiæ, tum fallaciæ, tum peruersitatis tuæ. Stultitiæ; qua diuina humanis postpoueris: fallaciæ, qua hominibus impoueris simulata virtute; peruersitatis, qua laudem Deo debitam, tibi arrogaueris.

℣. 3. NESCIAT SINISTRA TVA] Parabolica hyperbole. q. d. Adeò fuge virtutis ostentationem, vt, si sinistra manus tua oculos haberet vel aures, videre tamen vel audire non posset quid boni dextra faciat. ita Chrysost. & Theophyl.

℣. 4. ET PATER TVVS, qui solus remunerandi potestatem habet, REDDET TIBI pleniſſimam mercedem: addit S. Lucas, *in resurrectione iustorum*, toto prorsus orbe inspectãte & te collaudãte. Quid ergo pauculorum hominionum vanissimas laudes hîc venaris, qui Regem regum habes approbatorem, habiturus postea ètiam orbẽ vniuersum?

Luc. 14. v. 14.

℣. 6. CLAVSO OSTIO, ORA IN ABSCONDITO] Non damnat publicam in Ecclesia orationem, quæ antiqua cõsuetudine, & communi tum Iudæorum, (*c*) tum Christianorum (*d*) vsu recepta, totoque orbè semper laudata fuit: & ipsa naturalis ratio probat, nempe vt publica oratione publicè colatur Deus, proximus ad orãdum excitetur, & quod petitur, facilius, quasi vi Deo illata, impetretur, inquit Tertullianus, Origenes & Chrysost. Sed comparatiuè loquitur, q. d. Potiùs quàm videri velis orare, & gloriolam inde captare, fugias testes, deuites turbam; quæras secessum.

c *3.Reg.8. v 29.* d *Act.1. v. 14. & c.6. v.6.* *Tertull. l.6. de Orat. c.1. Orig.hom.7 in Iosue. Chrysost. hom. 3. de incomprehensibili Dei natura.*

℣. 7. ORANTES NOLITE MVLTVM LOQVI. Non damnat longas preces (cùm ipsemet pernoctarit (*e*) sæpiùs in oratione Dei, docueritque perpetuò (*f*) nobis orandum,) sed inanẽ & superuacuam verbositatem. Addit enim, SICVT ETHNICI faciunt: in quibus duo reprehendit; Primũ, PVTANT QVOD MVLTILOQVIO SVO vel lenocinio verborum flexuri sint Deum, vt rhetorum vel poëtarum verbositate flectuntur animi hominũ. Secundum, volunt docere Deum quasi ignorantem statum & miseriam mortaliũm. Ab his duobus caue, & non erit *multiloqua*, etsi longa & multiroga oratio. Rogator sis oportet, non enarrator, inquit S. Hieron. Cyprian August. Nam plerãque dona sua dare quidem, sed nonnisi rogatus, decreuit Deus, & vult orando nos coram ipso humiliemus, indigentiam nostram agnoscamus, ipsum bonorum omnium fontem & largitorem fateamur, ipsiusque beneficia promereamur. Quæ omnia cùm eò accuratiùs fieri soleant, quò diutiùs feruentiusque mente cum Deo colloquimur, etsi etiam voces accedant; eiusmodi prolixæ preces non reprehensionem sed summam laudem promerentur.

e *Luc. 6. v. 12.* f *Luc. 18. v 1.*

℣. 9 SIC ORABITIS. Primò, agnoscetis, laudabitis, implorabitis infinitã Dei perpetuò vobis præsentis, vos amantis, vestra curantis bonitatem, potentiam, prouidentiam: PATER NOSTER, QVI ES non modò in terra dominans, sed & IN CÆLIS. Tum firmâ fiduciâ ab illo deposcetis quæ ipsius honorem, vestrumque vltimum finem, seu beatitudinem æternam concernunt. Nempe vt ipse ab omnibus creaturis SANCTIFICETVR, id est, agnoscatur, colatur, glorificetur: in omnibus perfectissimè regnet per gratiam, per gloriam in pijs, in impijs per iustitiam. Quidquid optat, quidquid imperat aut suadet, tanta integritate, concordia & alacritate compleatur ab hominibus in terra, quanta completur ab angelis & Sanctis in cælo. Dein media omnia ad hæc ex parte vestra perficienda, vtilia & necessaria fidenter deposcatis:

℣. 11. PANEM, inquã, vestrum SVPERSVBSTANTIALEM] τὸν ἐπιούσιον, id est, qui super vel ad substantiam, seu naturam nostram fouendam requiritur, sufficit & necessarius est. Interpres in Lucam vertit *quotidianum*, nempe cibarium, frugalem, vulgatum.

gatum. ita S. Basilius, Cyrillus, Chrysost. & alij SS. Patres. Et subscribit etiam Beza, Henricus Stephani, Scapula & alij.

Henric. & Scapula in Lexicis.

Denique mala, quæ vos à tantis bonis consequendis præpedire vel remorari possent, deprecemini omnia. Primum, *peccata*, vt meritis Christi vobis condonentur. Secundum, *tentationes*, id est, sollicitationes ad peccatum, ne subtractâ vobis gratiâ ad illis resistendum necessariâ, in illarum consensum inducamini. Tertium, quoduis aliud *malum*, quod in hac vita, seu à *malo* dæmone, seu à mundo, seu aliundè obuenire possit, seu vobis, seu proximis vestris. Hæc vbi petierimus à Deo, nihil remanet, inquit S. Cyprianus, quod vltrà debeat postulari.

℣.17. CVM IEIVNAS, VNGE CAPVT TVVM, ET FACIEM LAVA] Familiare erat omnibus Orientalibus sæpè, sed maximè festiuis ac lætis diebus, faciem lauare, nitoris ac refrigerij causa: item caput vngere fragranti aliquo liquore, primò, sanitatis; secundò, recreationis; tertiò, deliciarum causâ; quartò, sudoris ac graueolentiæ tollendæ gratiâ. Pharisæi, vt omnibus palàm facerent ieiunia sua, omittebant tum temporis vtrumque, *exterminantes*, ἀφανίζοντες, id est, corrumpentes, delentes, obscurantes solitum faciei nitorem ac serenitatem, in modum lugentium & valdè tristium. Præcipit autem hìc Christus ieiunantibus vnctionem & lotionem, non materialem, sed metaphoricam, nempe lætitiam & serenitatem vultus, perinde ac si lotus esset & vnctus, inquit S. Hieron. Hilarius, Chrysost. Theophyl. Euthym. Iansenius, Maldonatus. Hactenus de inani gloria. iam de auaritia:

℣.20. THESAVRIZATE IN CÆLO] opes facultatesque vestras liberaliter in Dei gloriam, & proximi necessitates erogando.

℣.21. VBI ENIM EST THESAVRVS TVVS, id est, id quod præ omnibus rebus maximè appetis, maximique facis; IBI meritò debet *esse* ET COR TVVM, seu affectus cordis tui, cogitatio, solicitudo, studium omne & cura.

℣.22. LVCERNA CORPORIS TVI EST OCVLVS TVVS] Per *oculum* parabolicè designat cor, seu partem superiorem animæ, putà voluntatem coniunctam intellectui: per *corpus* partem inferiorem animæ, putà appetitum sensitiuum concupiscibilem & irascibilem; qui à parte superiore illustrari & regi debet ne impingat vel erret. ita S. Hieron. & alij iam citati.

℣.23. SI OCVLVS TVVS, non SIMPLEX, seu purus, sed NEQVAM, id est, vitiosus aut noxio humore infectus, FVERIT. Vel SI LVMEN oculare, QVOD IN TE EST, seu esse deberet, id est, si pars illa quæ data est tibi vice luminis, versa *sit* in *tenebras*; quanta erit caligo reliquarũ partium quæ ex se nullum lumen habent? v.g. si cor ipsum, seu pars animæ superior, libidine vel auarita excæcatur, quanta erit cæcorum affectuum inferiorum, operumque inde procedentium tenebrositas, quæ nil luminis, nil recti nisi à corde habent?

המון

℣.24. MAMMON Hebraicè, chaldaicè, syriacè significat diuitias, inquit S. Hieron. & punicè lucrum, inquit S. August. & quidquid ad rem nummariam spectat. Cur *mammonam iniquitatis* vocet, dicam in S. Luca. Huic lucro comparando, fouendo, augendo studere non prohibemur, vt volebant *Euchitæ*, sic dicti, quòd contenderent, non esse laborandum, sed solùm orandum, contra quos S. August. librum scripsit de Opere monachorum. Proinde mandatur tamen *seruire* tamquam hero, seu domino, & *sollicitè*, id est, anxiè, illi studere, seu, vt in Græco est, μεριμνᾶν, quod deriuatur ἀπὸ τοῦ μερίζειν τὸν νοῦν, id est diuidere animum, discruciare & rapere in varias partes. Sic & *sollicitudo* à Cicerone definitur *ægritudo* esse *cum cogitatione*, nempe timida, anxia, diffidente, vt hic Christus exponit, & septem validissimis argumentis animo nostro eximere conatur. Primum est:

Luca 16. v. 9.

Cicero 4. Tusculan.

℣.25. NONNE ANIMA, id est vita, (*a*) PLVS EST QVAM ESCA?] q.d. Deus vobis nihil sollicitis dedit vitam & corpus (quæ sine comparatione nobiliora sunt escis & vestibus) ergo dabit proculdubio etiam illa quæ his sustentandis necessaria multoque minora sunt. ita S. Hieron. Chrysost. August. Secundum:

a Iob 2. v. 6.

℣.26. VOLATILIA CÆLI, seu volucres aëreas, (Lucas (*b*) habet *corvos*) viles ac desides bestias pascit (*c*) Deus, quantò magis vos pascet qui MAGIS, id est, longè, PLVRIS apud ipsum ESTIS, & *sereudo*, ac laborando vobilipsis ex parte prospicere potestis? Tertium argumentum: *Si quod minimum est* (vt ait S. Lucas) (*d*) *non potestis* omni vestra sollicitudine perficere,

b Luca 12. v. 24.
c Iob 38. v. vlt. Psalm. 146. v. 9.
d Luc. 12. v. 26.

℣.27. CVBITVM nempe VNVM ADIICERE *staturæ* vestræ; vt QVID SOLLICITI ESTIS seu angimini *de ceteris* quæ sollicitudinem & potentiam omnem vestram longè magis excedunt? v.g. de vita diutiùs quàm Deus decreuerit proroganda, vt immensam annonæ opumque copiam hunc in finem congeratis, inquit Euthymius, Maldonatus & Franc. Lucas. Quartum argumentum:

℣.28. LILIA AGRI] id est, agrestia, flores passim in agris & pratis enascentes, nulla sua sollicitudine, nullo labore elegantiam nanciscuntur à Deo tantam, quantam nec Salomon omnibus suis thesauris, omni sua sapientia vel solertia potuit procurare: ars enim naturam imitari potest, sed non assequi. Et vos negliget Deus tantò lilijs nobiliores?

℣.30. MODICÆ FIDEI] Exclamatio amicè obiurgatoria quintum subministrat argumentum. q. d. Diffidentia de Deo, diuinaque prouidentia fons & causa est vestræ anxietatis: illam tollite, & hæc euanescet. Sextum:

℣.32. GENTES, id est, pagani, sic discruciantur terrenorum sollicitudine: non decet illa filios & heredes Dei, Septimum: SCIT PATER VESTER QVIA HIS OMNIBVS INDIGETIS: nam ita vos condidit inopes & indigos suæ opis & prouidentiæ, quæ vobis numquam deerit. S. Lucas (*e*) addit,

e Luc. 12. v. 29.

Nolite in sublime tolli, Græcè, μετεωρίζεσθαι, id est, ad meteora, ad sidera, ad nubes, ventos, influentias cælestes, vel alia externa, sed incerta, præsidia anxiè respectare, inquit Theophylactus: sed

℣.33. PRIMVM: id est, ante omnia, non tempore, sed dignitate, id est, maximè & præcipuè, QVÆRITE omni studio, sollicitudine & contentione animi REGNVM DEI, quo per gratiam suam plenè & iucundè in vobis, & vestra opera etiam in proximis vestris regnet. Tam diuite rege cum omnibus thesauris suis apud vos inhabitante quid vobis possit deesse? Porrò *regnum* hoc *Dei* tum quæritur, quando *iustitia eius*, scilicet Dei (in Græco *enim est αὐτοῦ*) id est, leges, (*f*) imperia & nutus Dei quæruntur & obseruantur. ET HÆC OMNIA vitæ fouendæ necessaria ADIICIENTVR VOBIS, non mercedis, sed auctarij loco, inquit S. Cyprianus & Augustinus merces enim vobis integra reseruatur in cælo.

f Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 14.

℣. 34. NOLITE ERGO SOLLICITI ESSE modo iam dicto IN CRASTINVM, assumentes in præsenti non necessariam curam illarum rerum quæ iuxta rectæ rationis dictamen à futuro tempore & obuenturis causis ac circumstantiis dependent. Quid enim necesse miseri sitis ante tempus? idque frustra. SVFFICIT cuique DIEI MALITIA, id est, molestia & afflictio, SVA: Hebræi enim sicut *bonum* vocant quod lætum & iucundum est, ita *malum* quidquid molestum est vel affligit. Vult ergo Christus, vt, reiectis intempestiuis & inutilibus curis libero animo vacemus primò diuino seruitio, deinde conquisitioni rerum necessariarum, quisque iuxta statum & vocationem suam: successum verò & fructum huius conquisitionis committamus benignæ ipsius & certæ atque infallibili prouidentiæ, quæ omnia diriget ac disponet in bonum & salutem nostram. ita S. Hieron. Chrysost. & August.

A agunt Prophetæ, vt qualem in se quisque prudenter alium esse cupit, talem se illi vicissim in simili casu & circumstantiis præbeat.

℣. 13. ANGVSTAM PORTAM & ARCTAM VIAM vocat rationem viuendi institutam secundùm virtutem (quæ inter bina excessuum & defectuum continua præcipitia non nisi vnica in medio est) & diuinam legem à se hactenus magna ex parte elucidatam.

Difficiles aditus primùm spectantibus offert:
Sed requiem præbet sessis in vertice summo.

℣. 15. VESTIMENTA OVIVM vocat ouinam simplicitatem, quam mentiuntur pseudo prophetæ, id est, falsi (*a*) doctores perpetua verbi Dei inclamatione, densissima Scripturarum citatione, ficta verborum compositione & blandiloquio, vnde & *hypocritæ* vocantur apud Sanctum Lucam. (*b*) Sed *fructus*, putà doctrina (vt idem Sanctus Lucas (*c*) exponit) & etiam opera citò prodent lupos: licèt enim apparentem sanctitatem aliquamdiu fingant, breui tamen, si attendas vel tentes, certa deprehendes nequitiæ signa.

a 1. Cor. 14. v. 3.

B b Luc. 6. v. 42.

c Ibid. v. 45.

℣. 18. NON enim POTEST ARBOR MALA, quamdiu manet mala, BONOS FRVCTVS FACERE, supple, diu & constanter, & qui prosint ad vitam & salutem æternam, vt explicat Concil. Arausicanum: *neque* COLLIGVNT FICVS DE TRIBVLIS, (spinarum genus est, inter frugum pestes à Plinio numeratum:) *neque* VVAS DE SPINIS. quia diuersæ sunt hæc naturæ. Potest tamen metaphorica hæc arbor, id est, homo, vel humana voluntas, desinere esse tribulus, spina, & mala, & euadere bona arbor, ficus vel vitis, si nempe voluerit auscultare & cooperari diuinæ gratiæ, & tunc proferet fructus bonos, inquit S. Hieron. Chrysost. August. & alij SS. Patres. Atque ita corruunt argumenta omnia, tum Manichæorum, hinc concludentium, homines naturâ suâ alios bonos esse, alios malos: tum Iouiniani, contendentis bonos non peccare: tum denique Caluini, volentis nullum liberum arbitrium ad bona vel ad mala opera. Corruunt, inquam, quia non dicit Christus, Arbor mala non potest fieri bona, vel contrà: sed, Mala non potest bonos fructus facere, quãdiu nempe manet mala.

Arausic. can.
Plin. l. 18. c. 17.

C

℣. 21. NON OMNIS QVI DICIT MIHI, DOMINE, DOMINE, id est, non omnis qui in me credit, me inuocat, me Dominum suum agnoscit, INTRABIT IN REGNVM CÆLORVM: SED præter fidem, debet etiam impleri *voluntas* PATRIS MEI, id est, præcepta, seu mandata Dei, quæ his tribus capitibus magna ex parte sunt exposita.

D

℣. 22. IN ILLA DIE iudicij, quæ antonomasticè vocatur dies Domini, MVLTI DICENT MIHI iudici tum futuro, DOMINE, NONNE IN NOMINE TVO, id est, ex auctoritate & delegatione (*d*) tua, PROPHETAVIMVS, id est, futura prædiximus (vt olim Balaam (*e*) & alios docuimus (*f*) verbum Dei: ET VIRTVTES MVLTAS, id est, miracula & prodigia FECIMVS, ad montium vsque translationem. (*g*)

d Iorem. 27. v. 15.
e Num. 24.
f Hic v. 15.
g 2. Cor. 15 v. 15.

℣. 23. NVMQVAM NOVI VOS pro meis, quos nempe probarem vel diligerem, ne tum quidem cùm signa tam stupenda ederetis in nomine meo. Hanc Theologi vocant *scientiam approbationis*, secundùm quam idem est *nesciri* quod reprobari, inquit S. August. & Gregor.

Augustin. in Psalm. 1. v. vlt.
Gregor. hom. 12. in Euangel.

℣. 25. PLVVIA, FLVMINA, VENTI, sunt varia genera tentationum à dæmone, mundo, carne: item iudicium *diuinum*, quod sæpè in Scripturis, (*h*)

h Psalm 49 v. 3.
Isai 28 v. 2. tempest.

CAPVT VII.

Non temerè iudicandum de proximo: non dandum sanctum canibus: præstandum proximo quod nobis factum vellemus: cauenda via lata, ineunda arcta: vitandi pseudoprophetæ: arborem ex fructibus dignosci: non supra arenam, sed supra petram ædificandum.

℣. 1. NOLITE IVDICARE. Prohibet priuatum iudicium temerarium, & omnem iniquam, vel iusto seueriorem censuram morum, verborum vel factorum proximi: VT NON IVDICEMINI, scilicet à supremo iudice Deo, qui vicissim nil vobis indulgeat, nil dissimulet, nil impunitum relinquat. Væ autem, inquit S. Augustinus, etiam laudabili vitæ hominum, si remotâ misericordiâ, discutiat eam Deus. Fit quoque non rarò, vt eiusmodi critici experiantur etiam homines suæ vitæ censores tales, quales ipsi fuerunt alienæ.

August. l. 9. Confess. c. vlt.

℣. 3. QVID curiosè & carpendi studio VIDES FESTVCAM, id est, leuius peccatum, v. g. subitam choleram, IN OCVLO & anima FRATRIS TVI: TRABEM autem IN TVOmet OCVLO, id est, grauissimum peccatum, v. g. odium inueteratum, quod vetustate quasi in trabem concreuit, NON VIDES, non sentis?

℣. 6. SANCTVM & MARGARITAS, id est, Euangelicam doctrinam ac mysteria, & consequenter etiam Sacramenta, NOLITE obiicere CANIBVS vel PORCIS, id est impudentibus & obstinatis; ne pretiosa diuini thesauri monilia conspurcentur, sancta profanentur, & vos periculum incurratis, inquit S. Augustin. Quod intellige, nisi aliud suadeat vel astantium necessitas, vel scandalum quod ex silentio oriretur, vel honor Dei qui læderetur. Quibus casibus *sancta* non *porcis*, etsi adsint, sed Deo & electis Dei committuntur. Sic Christus, sic Paulus, sic Stephanus, etiam peruersissimis & obstinatissimis Iudæis prædicarunt.

℣. 8. OMNIS QVI plena fiducia PETIT à Deo aliquid vtile ad salutem, & illud magna diligentia QVÆRIT, & ad idem obtinendum constanti perseuerantia PVLSAT (omnia enim tria iunctim sumenda sunt, vt S. August. & Chrysost. exponunt,) certò quod optat assequetur, si non iam, certè opportuniori tempore: & si non in specie, seu formaliter, saltem eminenter, seu in alio meliori. Vide Lucæ 11. reliqua huc spectantia.

August. l. 1. Retract. c. 19.

℣. 12. HÆC EST LEX ET PROPHETÆ] id est, hæc est summa totius secundæ tabulæ legis (neque enim dicit, hæc est *vniuersa* lex, vt obseruauit S. August.) & idem tam multis & variis exhortationibus

tempestas vocatur. PETRA. fides est bonis operibus A solidata: ARENA, sola fides fluxa & dissoluta, vt hic Christus sat insinuat, & S. Chrysostomus, Augustinus & alij SS. Patres exponunt. Quod valdè notandum contra hæreticos fidem solam perpetuò inclamantes.

CAPVT VIII.

Descendens de monte leprosum sanat, & seruum Centurionis, & socrum Petri, & alios plurimos malè habentes. Scribam sequi volentem deterret, alium etiam insepulto parente sequi iubet. Mare procellosum sedat. Duos damoniaços curat; damonibus in porcos subintrare & omnes in mare precipites dare permisit.

a *Marc.* 1. *v.* 40. ℣. 2. ECCE LEPROSVS, in genua (*a*) & faciem, (*b*) prolapsus, ADORABAT EVM. Cui Christus:

b *Luc.* 5. *v.* 12. ℣. 3. MVNDARE] Id est mundus esto; Græcè, καθαρίσθητι. *Sic volo*, sic iubeo. Vbi notat S. Ambrosius, dixisse Christum, *volo*, propter Photinum: B imperasse, propter Arium: tetigisse, propter Manichæum.

℣. 4. VIDE, NEMINI DIXERIS] Voluit Christus docere suos discipulos non ambire vanam hominum gloriolam. Addit Marcus, (*c*) etiam *commi-*

c *Marc.* 1. *v.* 43. & 45 *natum* illi si rem spargeret, *statim* eiecisse illum à se ne ab astantibus aduerteretur miraculum. Sed illum mox omnia euulgasse & apud omnes *dissamasse*, id est, famam rei gestæ sparsisse * cum magna Christi laude.

* *Proleg. de Idiotismo. Hebr. n.* 34. VADE, OSTENDE TE SACERDOTI: Marcus

d *Ibid. v.* 44 dicit, (*d*) *principi sacerdotum*, ostende te, inquàm, IN TESTIMONIVM ILLIS] id est, vt sacerdotes publici testes sint & declarent te verè liberatum esse leprâ tuâ, & solutum irregularitate legali, vt ita restituaris communi hominum conuictui, templo & sacrificijs, iuxta legem Leuit. 14. Putat tamen S. Ambrosius & Chrysost intendisse etiam Christum, vt C hac miraculosa curatione tanquam certo testimonio conuincerentur sacerdotes, Christum pro suo Messia agnoscere. Mysticè, lepra animæ est hæresis, ob summam fœditatem & contagionem, inquit S. August. aut quoduis peccatum mortale, vt Theodoretus & Radulphus. Varia enim sunt genera lepræ, vt dixi Leuitici 13. Nullum ijs curandis remedium præstantius absolutione sacerdotali.

* *Matth.* 4. *v.* 13. ℣. 5. CENTVRIO qui Capharnai *teste S. Luca (*e*) præsidio Romanorum præerat, ac proinde

e *Luc.* 7. *v.* 5. 8. & 9. Gentilis erat, sed credens in Deum & in Chri-

f *Ibid. v.* 3. stum, ACCESSIT AD EVM: Primò, per seniores (*f*)

g *v.* 6. Iudæorum; Secundò, per amicos (*g*) suos; Tertiò,

h *Matth.* 8 *v.* 8. & 13. per semetipsum, (*h*) cùm Christus iam vicinior esset domui. ita S. Chrysost. Theophyl. Euthymius. D

℣. 8. TANTVM DIC VERBO] Id est, solo sermone iube. Sciebat enim Messiæ omnia à Deo subiecta esse, vt posset quæcumque vellet facere.

i *Luc.* 7. *v.* 3 Quod ergo Lucas (*i*) ait, rogasse eum *vt* Iesus *veniret & saluaret seruum*; patet à solis Iudæis, qui causam Centurionis apud Christum agebant, profectum fuisse, vt colligi videtur ex adiuncto pronomine, *eius*, dum ait, rogasse *vt veniret & saluaret seruum eius*, dicturus alioqui, *seruum suum*.

℣. 9. EGO SVB POTESTATE tribuni mei & Cæsaris CONSTITVTVS, & meus HOMO, si quid subditis meis impero, mox obtineo; quantò magis tu, qui sub nullius es potestate, & præes omnibus creaturis, vtpote Filius Dei, poteris imperio tuo quidquid volueris. ita S. Chrysostomus & Augustinus.

℣. 10. AVDIENS id Iesus, MIRATVS EST.] Nempe mirantium more se habuit & locutus est, vt astantes idem admirari atque imitari doceret. Propriè dicta enim & absoluta *admiratio*, quia est de rebus insolitis & inopinatis, non potuit esse in Christo, ne quidem secundùm humanam naturam: nam præter beatificam, etiam infusa animæ scientia nouerat omnia etiam absentia: vnde nihil illi absolutè insolitum aut inopinatum accidere potuit, inquit S. August. & D. Thomas. Qui tamen *S. Tho.* 3. p. addunt, respectu cognitionis experimentalis, quæ *q.* 45. *a.* 8. erat in Christo, potuisse aliquid noui ipsi occurrere, atque ita ex ea parte eum admiratum fuisse.

℣. 11. VENIENT MVLTI AB ORIENTE, &c.] Id est, ex omnibus terræ partibus ad Ecclesiam accurrent magno numero *Gentiles*, quorum primitias cernitis in hoc *Centurione*.

℣. 12. FILII AVTEM REGNI, id est, indigenæ, seu naturales (*k*) heredes, quibus destinatum erat k *Proleg. de* regnum Ecclesiæ meæ militantis & triumphantis, *Idiotismo* nempe Iudæi, ex Patriarchis, quibus id promissum *Hebr. n.* 40. fuit, oriundi, EIICIENTVR IN TENEBRAS EXTERIORES] Græcè ἐξώτερος, id est, exteras, id est, quæ extra locum cœnæ, seu conuiuij (*l*) cælestis erunt l *Matth.* 8. densissimæ, copiosissimæ, profundissimæ. Nam vt *v.* 11. tempore cœnæ in solo cœnaculo copiosa luminaria reperiuntur, ita extra cœnaculum nulla, sed altissima nox & tenebræ Et verò etiam ignis infernalis non lucebit damnatis ad aliud, quàm vt suas suorumque sociorum pœnas videant & videndo adaugeant, inquit S. Basilius & Gregorius.

IBI ERIT FLETVS] id est, planctus atque eiulatus, vocalis quidem, sed absque materialibus lacrymis, licèt has concedat Maldonatus. Quæ enim maria sufficerent tantis in æternum ciendis lacrymis? & an ignis istic feruentissimus, & intima corporum penetrans, non exsiccet, non cohibeat tantillos humores? *Stridorem* DENTIVM propriè dictum, cum D. Thoma, Beda, Lirano & alijs libens concesserim, partim ex rabie ob intolerabiles ignis pœnas (quas natura nondum victa, d n integris sensibus pati cogitur, compressione & collisione dentium lenire conatur) partim ex niuali frigore istic futuro, vt docui Iob 24. *v.* 19. *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium.*

℣. 17. IPSE INFIRMITATES NOSTRAS ACCEPIT, id est abstulit à nobis: ET ÆGROTATIONES NOSTRAS PORTAVIT, seu asportauit. Sic Isaiæ 53. *v. tulit*, id est. abstulit. Loquitur primariò Isaias de infirmitatibus & morbis animæ, id est, de peccatis, vt S. Petrus & 70. exponit. Secundariò tamen 1. *Petr.* 2. loquitur etiam de peccatorum pœnis, non æternis *v.* 24. modò, sed & temporalibus. Nam Christus promeritus nobis est vt omni malo quod peccata consequitur liberemur, si non semper in hac vita, certè in futura. ita S. Chrysost. Hilarius. Theophyl. & Euthymius

℣. 18. IVSSIT discipulis suis, conducto nauigio IRE vnà secum TRANS FRETVM, seu trans *mare Genesareth*, (*m*) nempe ex vrbe *Capharnaum* m *Matth* 4 traiicere *in regionem* (*n*) *Gerasenorum*. *v.* 13.

℣. 19. Cùm SCRIBA, seu legis doctor (*o*) quidā, n *Hier v* 28. AIT ILLI: SEQVAR ET magistrum discipulus, late- o *c.* 2. *v.* 4. ri tuo perpetuò inhæsurus. Cui Christus: Adhærere vis mihi quia putas me splendidè viuere, & exspectas nescio quas à me dignitates & opes. Erras: nam ego ne quidem tantum proprij habeo, quantum habent aues aut vulpes, quibus saltem non desunt proprij nidi & foueæ. Ex quo patet qualis & quanta

quanta fuerit Christi, & esse debeat Euangelica paupertas, si quis eam amplecti desideret, nempe vt ne tantillum quidem proprij singulis habeatur quoad ius & dominium: quoad vsum verò haberi potest quidquid est necessariũ: potest & communitas etiam dominium habere. Ita Christus, ita Apostoli victitarunt. Vocat autem se Christus passim *filium*, non Dei, (etsi iure posset) sed *hominibus*, hebraismo, id est, vilem & vulgarem hominem: sicut *filius ancillæ* plus vilitatis insinuat quàm nomẽ *serui*.

¥. 21. ALIVS DE DISCIPVLIS Christi, ab ipso vocatus ad sequelam, sed necdum indiuulsè ipsi inhærens, vetatur vel tantillas moras nectere, quantæ sepeliendo parenti necessariæ essent.

¥. 22. MORTVOS spiritualiter, id est, destitutos gratiâ & spiritu (vt S. August. exponit) DIMITTE, sine, permitte, SEPELIRE MORTVOS SVOS] id est, sibi analogicè similes, vel sibi cognatos & affines mortuos corporaliter. q. d. Sunt alij qui commodè possint hoc charitatis officium præstare, vt opus non sit, te, qui à me ad vitam cælestem agendam & alijs prædicandam vocaris, tali obsequio retardari: maximè cùm periculum sit ne testamento, hereditate, tutela, & alijs subnascentibus remoris, à diuino obsequio diuellaris, inquit S. Chrysostomus & Basilius.

¥. 24. MOTVS MAGNVS FACTVS, id est, ingens tempestas excitata, EST IN MARI, seu in lacu *Genesareth.* (*a*)

a *Matth. 4. v. 13.*

¥. 26. QVID TIMIDI ESTIS, MODICÆ FIDEI?] non creditis, etiam dormientem me posse vos exaudire & iuuare? aut quia dormit humanitas, putatis etiam dormire diuinitatem?

¥. 28. REGIO GERASENORVM, olim *Gergesæorum* sic dicta à *Gergesæis*, quos inter septem Chanaanitidis nationes exstirpari iusserat Deus Deuteron. 7. v. 1. sita est trans Iordanem & trans lacum Genesareth. Syrus & Græcus apud Marcum (*b*) & Lucam (*c*) vocat *Gadarenorum* regionem, quia *Gerasa* alio nomine vocabatur *Gadara*, cuius meminit Iosephus, S. Hieron. & Arias Montanus. eratque à Cæsare donata Græcis, id est, Gentilibus, vt ait idem Iosephus; vt mirum non sit, tantam illic porcorum copiam repertam.

b *Marc. 5. v 1.*
c *Luc. 8. v. 26.*
Ioseph. l. 5. Belli c. 3. & l. 17. Antiq. c. 13.
Hieron. de Locis Hebr. Arius de Chanaan c. 7.

DVO HABENTES DÆMONIA, EXEVNTES DE MONVMENTIS, quæ Iudæi, ne contaminarentur, extra vrbes habebant, alta & lata fornicibus obducta, in quæ plures simul ingredi possent. En digna dæmonibus domicilia. Nempe spurcis & olidis antris volebant acriùs torquere obsessos, & maiorem horrorem transeuntibus incutere, simul & omnibus palàm facere qualibus rebus potissimùm dæmones oblectentur, putà hominum morte, quam procurant; cadaueribus, quæ induunt; fœdis sepulchris, quæ incolunt: an ergo *spiritus immundi* immeritò vocantur? (*d*) Ex his duobus dæmoniacis oportet alterum notabiliter præcelluisse, in quo integra legio dæmonum hospitabatur, vt Marcus & Lucas (*e*) non nisi vnius meminerint. ita S. Augustinus & alij.

d *Matt. 10. v. 1. &c.*
e *Marc & Luc. supr.*

¥. 29. QVID NOBIS ET TIBI, supple, rei est, vel commune (*f*) est? cur nos eijcis? quid tibi facimus mali? IESV FILI DEI. (*g*) VENISTI ANTE TEMPVS extremi iudicij TORQVERE NOS? expellendo nos ex obsessis, vel in abyssum quoque ablegando. Hoc enim metuebant, vt patet ex S. Luca, (*h*) & extremè horrebant dæmones, arbitrati permissum sibi, vsque ad extremi iudicij diem terram vel aërem incolere, & impunè in homines

f 2. *Paral. 35. v 21. & Ioan. 2. v. 4.*
g *Matth. 4. v. 3.*
h *Luc. 8. v. 28.*

A grassari, vt S. Athanasius & Augustinus affirmant. Et in hoc sensu dicunt alij quidam Patres, ante diem iudicij dæmones non omnes torqueri, nempe pœna ista accidentali carceris infernalis? nam pœna ignis certum est, omnes ad vnum, quantumuis inferno absint, continuò torqueri & vri, Deo potentias illorum sensitiuas applicante, vt ignem licèt maximè distantem, viuacissimè sentiant vrentem se & excruciantem. *Athan. in vita S. Ant.* *fine*

¥. 31. MITTE NOS; Græcè & Syriacè, *permitte nos abire*, seu subintrare IN PORCOS. Volunt Primò, incolas noua clade afficere, tanto hominum odio flagrant. Secundò, Christum in odium adducere. Tertiò, dominos porcorum, tanta iactura exasperatos in maledicta & blasphemias concitare, & à Christo, eiusque prædicatione absterrere, inquit Euthymius. Permisit tamen Christus, Primò, vt palàm omnibus faceret, se non minùs dæmonibus, quàm alijs creaturis omnibus dominari. Secundò, vt pateret dæmonum vis & multitudo, & consequenter Christi illos expellentis potentia & gloria, inquit S. Chrysostomus, Theophylactus. Tertiò, vt iudicaretur, atrociora illos commissuros fuisse in homines, nisi à Deo & Christo cohibiti fuissent. Quartò, vt doceret, nullam fortunarum iacturam comparandam cum possessione hominis à spiritu maligno. Quintò, vt huius occasione latiùs spargeretur miraculum in gloriam Dei. Sextò, vt incolæ domini porcorum, fortè in Christum ingratiores & acerbiores ex parte punirentur. Septimò, vt refutaret Saducæorum (*i*) & plurium aliorum errorem, qui dæmones non essentiales spiritus, sed prauas corporum & animorum hominum affectiones esse fingebant, inquit S. Hilarius. Denique vt hoc symbolo doceret, homines qui porcorum more voluptantur in cœno voluptatum, simili modo in abyssum præcipitandos.

i *Matth. 16. v. 7.*

CAPVT IX.

Paralyticum sanat remissis illi peccatis: Matthæum vocat, & peccatores: principis Iairi filiam à morte suscitat: mulierem à fluxu sanguinis, duos à cæcitate curat, vt & mutum & dæmoniacum.

¥. 1. CIVITATEM SVAM vocat Capharnaum, quia ibi domicilium habebat (*k*) tum temporis.

k *Matth 4. v. 13.*

¥. 2. HÎC *offerunt* EI PARALYTICVM, *per tecti tegulas* (*l*) *eum cum lecto* submittentes *ante Iesum*. Paralysis enim, humore noxio neruos corporis (qui sunt organa motus) ita torpefacit, vt membra moueri non possint, sed sint instar cadaueris, animati quidem & spirantis, sed non nisi in pœnam sibi & in sarcinam.

l *Marc. 2. v 3. Luc. 5. v. 18.*

VIDENS EIVS FIDEM fiduciamq; *horum* baiulorum simul & paralytici, *dicit illi*, vtique iam pœnitẽti, (cur enim alioqui tanto feruore postulasset prosterni ad pedes publici pœnitentiæ (*m*) præconis?) REMITTVNTVR tibi à me PECCATA TVA, ob quæ morbus iste tibi à Deo inflictus fuit. Cùm subitò *Scribæ* offensi hoc dicto, INTRASE cogitare cœperũt,

m *Matth 4. v. 17.*

¥. 3. HIC BLASPHEMAT] id est, impiè loquitur; vindicans sibi quod vni Deo est proprium.

¥. 4. Sed IESVS COGITATIONES EORVM mox detegit, hoc ipso declarans illis, verè sibi competere quod vni Deo est proprium, nempe καρδιογνώστω esse, id est, *cordium inspectorem*: (*n*) & consequenter, se Deum esse. VT QVID COGITATIS MALA? detrahentes & obtrectantes mihi, non zelo hono-

n *1. Reg. 16. v. 7. & 2. Paralip. 6. v. 30. Psal. 7. v 10 & 1. Cor. 2. v. 7.*

honoris Dei, sed sola nocendi mihi & calumniandi libidine.

℣. 5. QVID EST FACILIVS? Ex natura rei longè difficilius est remittere peccata, (quia altioris est ordinis quàm omnia naturalia, spectans ad ordinem gratiæ, quam secum adducit: vnde per se facilius est creare cælum & terram, inquit S. Chrysost. & Augustin.) Christus tamen illud hic proponit vt facilius, sed nostro iudicio fallaci, qui res physicas, seu corporeas, vt meliùs capimus, ita & pluris facimus quàm spirituales aut morales. Accedit, quòd dicendo, *Remittuntur* TIBI PECCATA, faciliùs possis imponere auditoribus: nam cùm sit res obscura, quæ non videtur, non possunt te ex re ipsa statim arguere mendacii, temeritatis vel præsumptionis, etiamsi non fieret, quod dicis. at dicendo, SVRGE ET AMBVLA, nemini potes imponere: nã oportet vt id statim oculis pateat claro rei assertæ spectaculo, mendax alioquin habendus & fallax. Vnde ex patratione miraculi corporalis, ipsorum opinione difficilioris, aptissimè probat, etiam patratam à se spiritualem interni hominis curationem, quam faciliorẽ arbitrabantur. Et in genere quoduis miraculũ, certum est argumentum veritatis eius rei ad quam probandam patratur: est enim clara attestatio, & quasi sigillum Dei qui solus id patrare potest, & mentiri vel falsum attestari non potest.

Aug. tract. 71. in Ioan.

℣. 8. TALEM POTESTATEM, remittendi peccata, & mirificis signis id comprobandi, DEDIT Deus HOMINIBVS] nempe Christo, in quo nihil adhuc nudo homine maius agnoscunt, etsi crederent hanc insignem potestatem illi cælitus concessam.

℣. 9. IN TELONIO ciuitatis Capharnai residebat *Matthæus Alphæi* filius, teste S. Marco: vtique natione Iudæus, sed qui more aliorum Romanis operam suam in tributis & vectigalibus colligendis elocabat. Et apud Romanos quidem, teste Cicerone, *flos equitum, ornamentum ciuitatis firmamentum reipublicæ publicanorum ordine continebatur.* sed apud Iudæos, quibus probrosum erat seruire vel iungi Gentilibus, & exosa omnis tributorum extorsio, *publicani* publicè infames (vt fœneratores apud nos) nec honoratorum ciuium loco habebantur, & ab omnibus magistratibus arcebantur.

Marc. 2. v. 14.

Cicer. pro Plancio.

℣. 10. Horum MVLTI IN DOMO Matthæi, Christum epulo (*a*) excipientis, DISCVMBEBANT CVM IESV, vt & publici PECCATORES, legis desertores, vel saltem dissolutioris vitæ homines, qui promiscuè cum quibuslibet, etiam Gentilibus, commercium haberent, vt fieri natum erat, Gentilibus inter Iudæos degentibus, imò regnantibus.

a Marc. 2. v. 15. Luc. 5. v. 29

℣. 13. DISCITE, id est, expendite apud vosipsos, QVID sibi velit illud Oseæ 6. v. 6. MISERICORDIAM, id est, beneficentiam erga egenos, VOLO, seu malo, præ *sacrificio*, seu cultu externo Dei. De quo vide ibi dicta. NON ENIM VENI VOCARE IVSTOS ad fidem, ad pœnitentiam (ad quam tunc deducti sunt *b*) SED PECCATORES. Ostendit non modò non esse prohibitum quod ipsi vituperabant, sed etiam lege sancitum à Deo.

b Rom. 8. v. 30.

℣. 14. DISCIPVLI TVI NON IEIVNANT] supple *frequenter*, vt præcessit, & extraordinariè, vt ille, (*c*) *ieiuno bis in sabbato.* Sed an

c Luc. 18. v. 12.

℣. 15. FILII SPONSI; Græcè, υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος, id est, filij thalami nuptialis, & *nuptiarum*, vt habet Marcus (*d*) id est, qui thalamo sponsali cohonestando, & nuptijs concelebrandis atque exhilarandis destinati sunt, (*e*) nempe familiares & contubernales sponsi, *ieiunare* POSSVNT durantibus nuptijs? Ad refellendos discipulos Ioannis Baptistæ, aptissimè alludit Christus ad id quod ipsis verisimiliter præsentibus Ioannes (*f*) dixerat, Christum sponsum esse, & sponsam habere, & se ex amicis sponsi esse: de quibus vide quæ dixi Iudicum 14. in fine. IEIVNABVNT AVTEM, CVM AB EIS AVFERETVR SPONSVS per mortem & ascensionem in cælũ: tunc enim subtracta illis corporali sponsi præsentia, *lugere*, id est, *ieiunare* (ieiunium enim lugentis *g*) actio est) abundè concedetur.

d Marc. 2. v. 19.

e Prolog. de Idiotism. Hebr. n. 40.

f Ioan. 3. v. 29.

g Matth. 6. v. 17.

℣. 16. NEMO prudens VESTIMENTO VETERI, & iam rupto, resarciendo IMMITTIT COMMISSVRAM PANNI RVDIS, id est, insuit frustum noui & impexi panni: sic ENIM *tolleret* PLENITVDINEM EIVS A VESTIMENTO] id est, laceraret etiam illam veteris vestis partem quæ adhuc integra erat, & faceret fissuram maiorem, deformiorem & instauratu difficiliorem, & vtrumque periret duplicato damno. q. d. Ita nec ego prudenter facerem, si discipulis meis adhuc imperfectis & parum firmis, noua, robusta & grauia onera extraordinariorum ieiuniorum & precum, (*h*) vt vos vrgetis, imponerem. ita Theophylactus, Euthymius, Iansenius.

h Luc. 5. v. 33.

℣. 17. VTRES VETERES, *nouo vino immisso* RVMPVNTVR, musti efferuescentis violentiâ. Nempe discipuli mei paulatim mihi formandi fingendique sunt, donec planè noui & robusti euadant, hausto Spiritu (*i*) nouo. Tunc sponte suscipient ieiunia, aliasque (*k*) austeritates.

i Act. 2. v. 2

k Act. 13. v. 2. &c.

℣. 18. PRINCEPS VNVS, scilicet *Synagogæ*, vt Lucas (*l*) vel, *de Archysynagogis quidam, Iairus nomine*, vt Marcus (*m*) habet. (erat hæc dignitas è primis (*n*) apud Iudæos;) procidens *ad pedes Iesu*, (*o*) rogabat vt *filiam* suam *vnicam ferè annorum* (*p*) *duodecim*, quæ *in extremis* (*q*) *erat, manu imposita* (sic viderat vel audierat alios à Christo sanari) erat autem symbolum plenæ potestatis & imperij;) pristinæ sanitati restitueret: & cùm defunctam (*r*) intellexisset, iterum rogauit, vt vitæ illam redderet; & tantæ fiduciæ merito facilè impetrauit. Sed ex itinere curat mulierem,

l Luc. 8. v. 41.

m Marci 5. v. 22.

n Luc. 13. v. 14.

Act. 13. v. 15

o Luc. 8. v. 41. & 42.

p Marc. 5. v. 23.

q Luc. 8. v. 49. Marc. 5. v. 35.

r Leu. 15. v. 25.

℣. 20. QVÆ SANGVINIS FLVXVM PATIEBATVR, totis iam DVODECIM ANNIS, frustra opibus suis omnibus in medicos erogatis. Oritur hic morbus ex debilitate membrorum vitalium, quâ præpeditur quo minùs alimentum conuertatur in probum sanguinem & nutritioni accommodum: sed neque potest, propter virium defectum, natiua virtus sanguinem illum ineptum digerere vel in venis continere, vnde effluere cogitur per partes secretiores. Fœdus ac pudendus morbus, quin & contagiosus, & qui legaliter immundam (*s*) reddebat. Vnde nec ausa fuit palã accedere vel rogare Christum, sed RETRO & clam TETIGIT FIMBRIAM extimi VESTIMENTI, seu pallij Iesu, quod more omnium Iudæorum gestabat funiculis ad quatuor angulos dependentibus, vt lege (*t*) decernebatur. Et subitò *siccatus est* illi (*v*) *fons sanguinis.* Quòd si tantam vim habet fimbriæ contactus, quid ni & reliquiarum veneratio, ac præ omnibus SS. Eucharistiæ vsurpatio? Nempe vt eximij vnguenti odor, quo corpus fortè delibutum est, vestibus etiam fragrantiam afflat; ita excellens virtus non soli possessori, sed & omnibus quæ illius sunt, dignitatem & excellentiam impertit.

s Num. 15. v. 38. Deut. 22. v. 12.

t Marc. 5. v. 29.

℣. 22. CONFIDE FILIA, bono animo esto, ne timeas displicuisse mihi contactum tuum. Placuit quàm maximè FIDES & fiducia, quâ fimbriam tetigisti. Hæc enim fides quasi optima dispositio tibi fuit

fuit ad sanitatem obtinendam, & velut meritum de congruo, vt Theologi loquuntur,

Nota. Non fuit mulier hæc Martha Lazari soror, vt innuit S. Ambrosius, sed alia ex Cæsareâ Philippi oriunda, quæ in eadem vrbe statuâ postea Christo erexit huius beneficij indicem, sub qua nascentes herbæ, simul ac statuæ simbriam attigissent, morbis quibuslibet medebantur, inquit Eusebius. Statuâ hac deiectâ Iulianus Apostata suam substituit, quæ mox fulmine icta est, teste Zozomeno, & Theophylacto.

Ambr. l. de Salom. c. 5.

Euseb. l. 7. hist. c. 14.

Zozom. l. 5. c. 21.

℣. 23. TIBICINES in funeribus puellorum vel puellarum, *tubicines* in virorum exequijs apud Iudæos & Gentiles adhibebantur vtriusque sexus; vt notat Lactantius Placidius in illud Statij, *Tibia cui teneros suetum deducere manes.* Et prostabant publicè locandi planctores & planctrices, quas Festus & Varro *præficas* vocant, vt alibi dixi. (a) Hi quasi histriones, funebria carmina & lessus miris gesticulationibus decantabant, pectora tundentes, capillos vellentes, eiulantes, & amicis ac vicinis dolorem ambitiosè prouocantes, inquit S. Ambros.

Statius 6. Thebaidos.

a *Iob 3. v 8. Iere. 9. v. 17.*

℣. 24. PVELLA NON EST MORTVA, scilicet mihi, cui omnia viuunt, vt S. Hieron. Chrysost. & Theophyl. vel, vt alij, *non est mortua* eo quo vos putatis modo, scilicet vt maneat in morte: SED DORMIT, exspectans vt à me suscitetur, cui facilius est illam à morte, quàm hominibus à somno excitare.

℣. 31. DIFFAMAVERVNT EVM] Id est, famam rei præclarè ab illo gestæ quaquauersum sparserunt, (b) magna cum laude illam celebrantes.

b *Matth. 8. v. 4. & Prolegom. de Idiotism. Hebr. n. 34.*

℣. 34. De Beelzebub PRINCIPE DÆMONIORVM (c) alibi egi.

c *4. Reg. 1. v. 1. & Luc. 11. v 15. * Chron. c. 49.*

CAPVT X.

*Duodecim Apostolis suis gratiam curationum impertit, mittitq; ad prædicandum Euangelium, priùs optimis monitis instructos & roboratos. Factum id mense Iulio * anni secundi prædicationis Christi.*

℣. 2. DVODECIM præcisè APOSTOLOS non iam, sed ante sermonem in monte, vt S. Lucas (d) ait, delegit Christus ex omni turba discipulorum suorum, vt numero responderent duodecim Patriarchis, filijs Iacob. Sicut enim hi omnium Iudæorum, sic Apostoli omnium Christianorum parentes sunt. Inter hos PRIMVS PETRVS, non vocatione, neque ætate, (nam *Andreas*, quoad vtramque senior illo erat, teste S. Ioanne, (e) & Epiphanio,) sed dignitate & præcellentia, vt ex sequentibus capitibus patebit. Et ex hac vocula, *primus*, S. Hieron. Chrysost. & alij (f) Patres deriuarunt nomen *primatus* Petri. Petrus enim etiam Apostolorum caput & pastor constitutus postea fuit à Christo, vt dicam suo loco. (g) Quod fuerit officium Apostolorum, dicam in Luca.

d *Luc. 6. v. 13.*

e *Ioan. 1. v. 40.*

Hieron. l. 1. in Iouinianum c. 14.

f *Auctor Comm in Ep. S. Pauli apud Ambr. in 2. Cor. 12*

g *Matth. 16 v. 18.*

℣. 3. IACOBVS (dici solitus *Maior*, quia vocatione antiquior altero Iacobo) ZEBEDÆI filius, EIVSQVE FRATER IOANNIS postea Euangelista, cognati vocabantur Christi, vt & IACOBVS Minor, filius ALPHÆI (non illius parentis Matthæi, Marc. 2. v. 14. sed alterius, alio nomine dicti *Cleophæ*) eiusque frater THADDÆVS, quia nepotes erant *Iosephi* ex fratre, vt dixi in Chronologia (h) Christi. Significat autem *Thaddæus* idem quod *Iudas*, nempe laudem (i) seu confessionem. Græcè cognominatur *Lebbæus*, id est, *corculum*, inquit S. Hieron. quia amabilis & charus omnibus: vel, vt alij, *leunculus*, propter generositatem, & quia alluditur ad patriarcham Iudam, qui à patre vocatus est *leo* Gen. 49. v. 9. Qui & vnde fuerint PHILIPPVS, BARTHOLOMÆVS & THOMAS, incertum. nisi quod *Galilæi* vocentur cum aliis, Act. 2. v. 7. Sic &

Ioan. vlt. v. 17.

h *Chronic. 46. sab. 4.*

i *Gen. 49. v. 8.*

℣. 4. SIMON hîc CHANANÆVS vocatur, quia ex *Cana Galilææ* oriundus, inquit S. Hieron. Et quia *Canna* zelum significat, hinc à S. Luca (k) *Zelotes* vocatur, propter insignem eius *zelum* & feruorem. Nicephorus putat *sponsum* fuisse in *nuptijs Canæ*: (l) sed plures auctores id S. Ioanni Euangelistæ adscribunt, vt dixi in fine Chronici. IVDAS Christi proditor ISCARIOTES vocatur à vico *Iscarioth* in tribu *Ephraim* non longè à *Samaria*, inquit S. Hieron. & Adrichomius.

קנה

k *Luc. 6. v. 15.*

l *Ioan. 2. v. 1.*

Sed cur eligit Christus in *Apostolum*, quem sciebat fore *proditorem*? Respondeo, Vt hoc eximio beneficio arctiùs illum sibi deuinciret, & magis obstrictum redderet. Secundò, vt familiariori sui copia illi data, non deesset suo tempore facultas & occasio. Tertiò, vt indicaret, semper in Ecclesia permiscendos bonis malos, donec area planè (m) permundetur. Quartò, vt ostenderet, non eneruari vim Sacramentorum, neque inanem reddi illorum administrationem propter ministrorum (qui semper aliqui erunt mali) indignitatem.

m *Matth. 3 v. 12.*

℣. 5. HOS DVODECIM MISIT iam IESVS ad prædicandum Euangelium: nempe, vt officium ad quod vocati erant, obire & exequi incipiant, & sub se tirocinium ponant, quod postea facti sacerdotes & Episcopi, & roborati Spiritu sancto, post mortem & ascensionem Christi plenissimè prosequantur & consumment. Vt verò iam à faciliori palæstra initium faciant, vetat ne fines Iudææ egrediantur, & ad Gentiles se conferant: vbi plenè roborati fuerint, præcipiet vt per vniuersum orbem Euangelium euulgent Matthæi vltim. & Marci vltimo.

Marc. vlt. v. 19.

℣. 8. GRATIS ACCEPISTI. Excludit occasionem vanæ gloriæ, inquit S. Chrysost. GRATIS DATE, damnat auaritiam & simoniam. Nota. Causa cur *gratis dare* debeant, non est præcisè quia *gratis acceperunt*, (qui enim scientiam vel artem naturalem à Deo infusam haberet, vti *Bezeleel*, vel *Salomon*, posset eius functiones vendere:) sed quia quod spirituale vel supernaturale est, v. g. patrare miracula, res talis ac tanta est, vt nõ possit humanâ industriâ, sed solo Dei munere obtineri, ac proinde id pretio vendere indignum esset. Vnde patet simoniam non solo iure positiuo, sed & naturali prohibitam esse.

Marc. vlt. v. 15.

℣. 9. NOLITE POSSIDERE AVRVM. Nempe vt omni solicitudine expediti pendeatis toti à diuina prouidẽtia, toti Euangelio insistatis, & exemplo contemptus terrenorum omnes ad Christum trahatis. Nec tantùm possessionem thesaurorum, sed & viaticum circumferre prohibet IN ZONIS, id est, in crumenis, in loculis, zonæ vel intextis, vel appensis, inquit Nebrissensis. PERAM item & cucurbitulam:

Ant. n. Nebrissensis in Quinquagena c. 50.

℣. 10. DVAS TVNICAS, id est, vestimenta mutatoria, quorum vno in itinere, altero in locis vbi hæreatis, vt amini. Etiam CALCEAMENTA, quæ non infernè tantùm, vt *sandalia*, sed & supernè pedes communiant & tegant, vt calcei nostrates & ocreæ, quia præter vulgarem vsum erant, prohibet suis, iubetque soleis (n) contentos esse. ita S. Hieron. August. Tostatus, Toletus, Iansenius, Maldonatus. Denique VIRGAM defensoriam vel vindicatoriam, quæ hebraicè *scheueth* (o) vocatur, & synecdochicè

n *Marc. 6. v 9.*

שבט

o *Ps. 2. v 9. Isai. 14 v 5.*

chicè quæuis arma inhibet per viam: concedit tantùm virgam seu baculum viatorium, dictum hebraicè *mischan*, (a) vt Marcus (b) expressit.

מטין

a Gen. 32. v. 10.

b Marc. sup.

Nota. Hæc ad litterã hac sola vice suis præcepit Christus, vt patet ex Lucę 22. v. 35. *Misi vos sine sacculo & pera & calceamentis.* Pro alijs vicibus tantùm prohibet id quod per hæc significabatur, putà curã minùs necessariã corporis, maximè quæ offendiculo alijs esset, vel ipsismet impedimento. Patet, quia neq; Christus, neq; Apostoli aliàs hęc ad litterã obseruarunt, cùm constet & *loculos* (c) habuisse, & *mulierei sorores*, à quib⁹ necessaria curarẽtur, circũduxisse.

c Luc. 8. v. 3. Ioan. 13. v. 29. 1. Thess. 2. v. 9. & 2. Tim. 4. v. 13. & 1. Cor. 9. v. 5.

℣. 11. INTERROGATE, inuestigate per occasionem, QVIS IN EA ciuitate DIGNVS SIT, qui Euangelij præcones hospitio excipiat, & bonis quæ afferunt fruatur. Nempe pro beneficio habere, & in lucro ponere debent, quòd vos hospitio possint excipere, inquit S. Hieron. Et quid mirum? Hospites tales comitatur PAX, id est, prosperitas & salus, etiam æterna. Quæ si ab aliquo fortè nõ admittatur,

d Psal 34. v. 13.

℣. 13. REVERTETVR intacta AD vos, (d) vt alibi, vbi gratiores sitis, decucat. Sic antea

℣. 14. EXCVTITE PVLVEREM DE PEDIBVS VESTRIS] quo significetis, tantũ abesse, terreni lucri vel cõmodi causa ipsos accesseritis, vt nulla prorsus re, ne quidem omnibus cõmuni, puta terra & aqua, communicare velitis cum his qui Euangelium Dei reijciunt. Ita ad litteram fecerunt Paulus & Barnabas Act. 13. Signum hoc est anathematis, maledictionis & dãnationis impendentis. ita Origenes, Hilarius, Hieron. Chrysost. August. & Theophyl.

℣. 15. TOLERABILIVS ERIT TERRAE SODOMORVM, id est, Sodomitis, QVAM ILLI CIVITATI] Etsi enim *Sodomia* grauissimum peccatum sit in specie libidinis, contra naturam & in cælum clamans: cedit tamen peccato infidelitatis, inobedientiæ, contumaciæ & rebellionis in Deum, peccato contra legem etiam naturalem & diuinam, contra Spiritum sanctum & cælestem illius gratiam tam clarè, tam promptè, tam liberaliter ipsis oblatam & miraculis confirmatam. Quorum nihil habuerunt Sodomitæ. ita S. Hilarius, Hieron. Beda, Theophy.

℣. 16. ECCE patentes vestras; EGO cæli & terrę dominus, qui Prophetas olim misi, animaui, foui, protexi, liberaui, promoui, MITTO iam etiam vos, eadem omnia vobis præstiturus. Sic Absalom aiebat, * *Ego sum qui præcipio vobis.* Mitto autem non vt leones, non vt canes, sed SICVT OVES, innocentes, mansuetas, simplices, inermes, vndique lupis, id est, aduersarijs, insidiatoribus, persecutoribus vallatas. vt lupos non effugiatis tantùm vel superetis, sed & in oues commutetis, inquit S. Chrysost.

* 2. Reg. 13. v. 28.

Chrysost. hom. de Pentecost. tom. 3.

ESTOTE ERGO PRVDENTES, prȩuidete, cauete, fugite struendas vobis insidias, ne seducamini, ne vincamini, sed ipsos structores capiatis & Deo aggregetis. SICVT SERPENTES, qui cùm norint se exosos hominibus, maxima cura & astutia sibi cauent ab omni eo quo se impugnari sentiunt: contra incantationes (e) obturant aures: contra enses aliaque arma caput suum (vos, fidem) membrorum reliquorum obiectu tutantur: pellem subinde, per angustum foramen rependo, sibi detrahunt, vt nouam inducant: venenum in guttur collectum tamdiu seruant, donec opportunum sit illud iacere, nec nisi quàm cautissimè effundunt. ita S. August. Nolo tamen malitiosos vos instar serpentum, sed SIMPLICES, grȩcè ἀκέραιοι, id est, absque cornibus, nulli nocentes, nullis infestos, nullis infensos, SICVT COLVMBAE, fellis, vt aiunt,

c Psal. 57. v. 6.

A expertes, quæ ne ijs quidem à quibus malè excipiuntur, quorum pullorumque suorum direptoribus, aut nocent, aut sese opponunt, nec desinunt ad illos redire & bene de illis mereri.

℣. 19. NOLITE COGITARE] μὴ μεριμνήσητε, id est, ne anxiè (f) soliciti sitis, quasi vobis solis sisi, & diffisi Deo, cuius tamẽ causa, honos & voluntas hic agitur. Non ergo vetat prudentem præmeditationem, sed intempestiuam & nimis anxiam, inquit S. Augustinus. Sic. v. 20. *Non estis vos qui loquimini*, non negat illos loqui, sed potiores partes dat Spiritui sancto per illos loquenti, vt alibi (g) dixi.

f Matt. 6. v. 25. & Prolegom. de Idiotis. Hebr. n. 6. Aug. l. 4. Doct. Christiana c. 15.

g In Prolegom sup.

℣. 23. NON CONSVMMABITIS CIVITATES ISRAEL, scilicet perambulando, & in fide Euangelij instituendo ac perficiendo populum Israeliticum, *antequam ego* ad iudiciũ *veniam*. Quia oportet priùs *plenitudo Gentium intret* in Ecclesiam Christi, & tunc demum *omnis Israel saluus fiet*, Rom. 11. v. 25. q.d. Semper erit vobis fugæ locus, vbi positis operam vestram vtiliter collocare, inquit S. Hilarius.

B

Nota, aliquando prȩceptum esse fugere, putà quando vel Ecclesiæ, vel Euangelij necessitas, vel lapsus proprij periculum ita exigeret. Aliquando consultum, etsi non præceptum, nempe quando ex fuga maior perfectio speratur, seu propria, seu aliena. Aliquando tantùm permissum, cùm scilicet quis valdè metuit pœnas, nec obligatur manere. Sed prohibitum est fugere, cùm fidei, iustitiæ vel ouibus (h) inde periculum aut scandalum crearetur. Eth sunt hæc omnia iuris naturæ. Vide Athanasium, & Augustinum. De *Beelzebub* v. 25. alibi (i) egimus.

h Ioan. 10. v. 11.

i Athan. l. de Fuga sua. Aug. ep. 180 ad Honorat.

℣. 26. NE TIMVERITIS EOS] Non vetat timorẽ naturalem mortis vel tormentorũ, sed pusillanimitatem, quâ metu illorũ vel à fidei confessione defle-ctant, vel iustitiâ excidãt, vel saltem munus sibi iniunctũ deserant. Et licèt tyrãni subinde fictis falsisque calũnijs vos obruãt, vt nõ fidei, sed scelerũ causã videamini supplicio mulctari, ne curetis quidquam.

4. Reg. 1. v. 3.

C

NIHIL ENIM EST OPERTVM, QVOD NON REVELABITVR] & diu pressa laus maiore cum luce erumpet, quando illuminabit Deus *abscondita tenebrarum*, 1. Cor. 4. vers. 5.

℣. 27. Vnde & QVOD iã DICO VOBIS de hac materia IN TENEBRIS, ET IN AVRE (est catachresis) id est, priuatim & secretò, vos suo tẽpore DICITE IN LVMINE & SVPER TECTA (k)] id est, palã & apud omnes euulgate per totum orbem: nã omnes cõcernit.

k 4. Reg. 1. sub init.

℣. 32. OMNIS QVI CONFITEBITVR ME: id est, libera confessione agnoscet, & ingenuè ac constanter fatebitur me Christum esse filium Dei, Dominum ac redemptorem suum, meque vt talem colet, meæque doctrinæ inhærebit; (hinc natum nomen *Confessorum*) CONFITEBOR ET EGO EVM CORAM PATRE MEO] id est, vicissim agnoscam & habebo illum pro meo, nempe in cælis, in domo & gloria Patris mei æterna.

D

℣. 34. NON VENI PACEM MITTERE, SED GLADIVM] per accidens tamen, & præter intentionem meam. Nam Euangelio & doctrina mea omnes excito & prouoco ad pacem cum Deo, cum proximo, cum propria conscientia. Sed tanta est plerorumque nequitia & pertinacia, vt nolint vel mihi bene monenti obsequi, vel obsequentibus impunè id esse; vnde proditiones, bella & neces. Videque Micheæ 7. 6. fusiùs de hac re dixi.

℣. 37. QVI PATREM AVT MATREM appretiatiuè (vt Philosophi loquuntur) PLVS AMAT QVAM ME, fidem, doctrinam, mandata mea deserendo vt illis placeat, NON EST ME, meove nomine

DIGNVS, multò minùs meo consortio, meo regno, A meis promissis. Idem dico de eo

℣. 38. QVI NON æquo & patienti animo, tamquam de manu Domini, ACCIPIT CRVCEM SVAM, id est, passionem, tribulationem, aduersitatem quamlibet diuinitus sibi destinatam; ET non SEQVITVR, seu imitatur, ME, tam in causa motiua quàm finali, & modo baiulandæ crucis, nempe vt propter iustitiam, & ad gloriam Dei, & libenti ac constanti animo illam baiulet.

℣. 39. QVI enim INVENIT ANIMAM SVAM, seu seipsum, id est, qui excussa cruce & abnegata fide (hoc enim supplendum patet ex sequenti antithesi) è periculis quibus ob fidei confessionem vallabatur se extricauerit, atque ita opinione sua suique similium seruarit, & quasi de nouo salutem suam temporalem & corporalem inuenerit, is reuera B PERDET salutem æternam: contrà verò, qui PROPTER ME, id est, mei causa, propter fidei confessionem, vel aliam virtutem, fortiter morti occubuerit, atque ita opinione stultorum seipsum perdiderit; is certò se seruatum, salutemque æternam sibi partam inueniet, & quidem eodem ipso mortis temporalis instanti, inquit S. Chrysost. & Theoph. Martyrium enim abolet omnem & culpam & pœnam.

℣. 41. QVI RECEPIT PROPHETAM, id est, a 1. Cor. 14. v. 3. & Matt. 7. v. 15. doctorem (a) Euangelicum IN NOMINE PROPHETÆ, id est, eo nomine quia talis doctor est, MERCEDEM (b) PROPHETÆ ACCIPIET, non quidem b 1. Reg. 30 v. 24. æqualem, sed secundùm proportionem cooperationis & charitatis. Sicut è contrario, receptores furum simili cum eis pœna plectuntur. Subaudi tamen, nisi quid aliunde defuerit, v. g. intentio, C vel status gratiæ, vel aliud eorum quæ ad meritum prærequiruntur.

CAPVT XI

Ioannes è carcere mittit discipulos ad Christum, Christus Ioannem præfert omnibus Prophetis: Iudæos incorrigibiles arguit, obstinatis minatur: paruulis, seu humilibus gratulatur: fatigatos & oneratos ad requiem inuitat.

℣. 3. TV ES QVI VENTVRVS ES] Græcè, ὁ ἐρχόμενος, id est, ille venturus (c) in orbem ex omnium Prophetarum vaticinio, *Messias*. Non dubitat de hoc Ioannes, (etsi ita sentiat Iustinus & Tertullianus:) nam pridem (d) testatus publicè fuerat illum esse Messiam. Sed quia plerosque discipulorum suorum alieniores experiebatur à Christo, vtpote qui Ioannem Christo præferrent, vo- D luit ficta legatione illos coràm sisti Christo, & hac occasione, per illum instrui tum dictis, tum factis, atque ita ad illum traduci. Vnde & prudenter, vt discipulorum consulat pudori, suo nomine rogat Ioannes. ita S. Hilarius, Chrysost. & Cyrillus.

c Gen. 49. v. 10.

d Ioann. 1. v. 26. &c. c. 3. v. 28. c. 5. v. 33. c. 10. v. 41.

℣. 4. RENVNTIATE IOANNI QVÆ AVDISTIS ET VIDISTIS] Græcè & syriacè, *quæ auditis & videtis*, nam præsentibus illis multos Christus sanabat, (e) & vt semper aliàs, etiam prædicabat. Legatis ergo non tam verbis respondet Christus (quia calumnijs obnoxium esse solet quod verbo quispiam de seipso testatur,) quàm factis, putà miraculis talibus, qualibus Messiam tamquam certis notis & indicibus dignoscendum prædixerat Isaias.

e Luc. 7. v. 21.

Isaiæ 35. v. 5 c. 61. v. 1.

℣. 5. PAVPERES EVANGELIZANTVR] Id est, etiam inopi turbæ offertur gratia Euangelii, & promittitur regnum cœlorum, vt pauperes euadant reges. Et quia legatos istos rigidæ Ioannis pœnitentiæ assuetos offendere videbatur vulgaris vitæ ratio & ciuica consuetudo, cui Christus insistebat, ideo mox subnectit:

℣. 6. BEATVS EST, QVI meo agendi modo NON *scandalizatur*, neque offenditur. Quo dicto, ne quis suspicaretur taxari à Christo Ioannem, quasi hac legatione reuocantem in dubium, quod nuper (f) tantâ constantiâ affirmasset, nempe Iesum f Hic v. 3. esse Messiam; remouet hanc omnem suspicionem Christus,

℣. 7. QVID EXISTIS IN DESERTVM (g) VIDERE? g Matt. 3. ARVNDINEM VENTO AGITATAM?] id est homi- v. 1. nem leuiculum & inconstantem, qui ad quamlibet occasionem mente & doctrina vacillet, reciprocet, ac sententiam mutet? ita S. Chrysost. Gregor. & alij.

℣. 8. HOMINEM MOLLIBVS VESTITVM] qui aulicis deliciis, lasciuia, mollitie, ambitione in transuersum agitur. q. d. Si talem eum crederetis, numquam ad eius prædicationem exisseris in desertum, inquit idem Chrysost. Theophyl. Euthymius & Cyrillus.

℣. 10. HIC EST, teste Malachia, *angelus*, seu legatus, qui aduentantem regem Messiam non à longè venturum, vt reliqui Prophetæ, sed è vicino & propinquo præsentem digito vobis demonstrauit. (h) Alludit tum Malachias, tum Christus ad au- h Ioan. 1. v. 6, 33 &c. licam regum consuetudinem, quâ solet primus palatii detecto capite sceptrum vel gladium regium præferens proximè regem antecedere, ac iamiam subsequentem indicare.

℣. 11. INTER NATOS MVLIERVM NON SVRREXIT MAIOR Propheta (vt addit S. Lucas: (i) sed i Luc. 7. hoc nomine viros omnes sanctos vocabant Iudæi.) v. 28. Agit tamen hîc Christus de solis hominibus veteris testamenti & præcedentium sæculorum, quibus omnibus præfertur hîc Ioannes: Primò, munere prophetandi, vt iam dixi: Secundò, donis ac priuilegiis gratiæ & Spiritus sancti, vt S. Hilarius & Ambrosius exponunt: Tertiò, vitæ sanctitate ac meritis, vt S. Hieron. Auctor imperfecti, & August.

QVI AVTEM MINOR EST ætate, ordine prædicandi, & præsertim vestra opinione, id est, ego Christus (quod addit, ne videretur etiam sibi præposuisse Ioannem,) MAIOR EST ILLO, naturâ, sanctitate, virtute, doctrinæ sublimitate, signorum efficacitate, & omnibus veræ magnitudinis & præcellentiæ modis: nam vel ipsomet Ioanne teste, Christus est Filius (k) Dei, sponsus (l) Ecclesiæ, domi- k Ioan. 1. nus & princeps vniuersi: (m) Ioãnes seruus (n) & præ- v. 34. cursor, seu præambulo, (o) & amicus sponsi. (p) Quòd l Ioan. 3. si fortè talis de vtroque opinio non est in regnis v. 26. terrarum, est certè IN REGNO CÆLORVM, id est, in m v. 31. Ecclesia Dei, vbi sola & semper regnat veritas & n Ioan. 1. æquitas: & qua parte militans est, inchoat & causat: quà triumphans, perficit & complet regnum cæleste & beatitudinem æternam. v. 27. o v. 25. p Ioan. 3. v. 29.

℣. 12. A DIEBVS IOANNIS, id est à tempore quo Ioannes cœpit prædicare, ad hunc vsque diem & deinceps: REGNVM CAELORVM, hactenus non nisi obscurè cognitum, sed à Ioanne & me vobis clarissimè ostensum, & vt brauium viriliter certantibus propositum, VIM PATITVR, id est, vi quæritur, inuaditur, occupatur. Primò, quia magna multitudine ac feruore incipiunt homines illi inhiare (sic merces, cùm ab omnibus auidè expetuntur, rapi dicuntur.) Secundò, quia quibus nullum ius regni esse videbatur, putà peccatores (q), publicani, meretrices (r), Gentiles (s), in illud iam irruunt, & præ

q Matt. 9. v. 10. r Matt. 21. v. 31. s Matt. 8. v. 11. Hilar. can. 11. in Matt. Ambr. l. 5. in Lucam, sub fin.

Hilar. can. 11 in Matt. Ambr l 5. in Lucam. fub fin.

& præ filijs regni intrare contendunt, inquit S. Hilarius & Ambrosius. Alludit Christus ad figuram regni cælorum, nempe *terram promissionis*, quæ non nisi viribus & armis erat obtinenda.

℣. 13. OMNES ENIM PROPHETAE ET LEX antiqua, VSQVE AD IOANNEM solum PROPHETAVERVNT] id est, prædixerunt, promiserunt, & figuris adumbrarunt futurum Christi regnum: à Ioanne verò & à me iam præsens adesse ostenditur, & quasi ob oculos ponitur. Vnde mirum non est, si iam potiùs quàm olim, tanta vi illud rapiatur,

℣. 14. IPSE Ioannes EST ELIAS, QVI (vt Scribæ vos docent) VENTVRVS EST Christo præcursor, & per quem Christus innotescere debet, *Elias*, inquam, non ille Thesbites in propria persona (nam hunc Malachias non nisi ante diem Domini magnum & terribilem extremi iudicij, venturum
a *Luc. 1. v. 17.* prædicit cap. 4. v. 5.) sed *in spiritu (a) & virtute* illius, id est, simili zelo, vestitu, vitæ austeritate & puritate, vt vos iam ad Christum conuertat, sicuti Thesbites vestros nepotes conuertet in fine mundi, inquit S. Hieron.

℣. 17. CECINIMVS, & LAMENTAVIMVS] Erat ludi genus, pueri in duas classes distributi diuersas diuersorum hominum conditiones (instar Democriti & Heraclitii) repræsentabant, vna classe lamentante, altera tibiis læta cantillante, reliquis liberum erat cui se vellent classi adiungere. Sed morosi non rarò pueruli neutro lusu trahebantur. Ita nempe etiam morosi Scribæ & Pharisæi (nam hos per *generationem istam*, seu per istius ætatis homines, hîc designari à Christo, & populo reliquo oppo-
b *Luc. 7. v. 30. & 31.* ni, patet ex S. Luca, (b) nec planctu, id est, severa vita Ioannis; nec cantu, id est, laxiore & suauiore vita Christi, prouocari volebant ad conuersionem & C
Ambr. ser. 80. Theoph. in c. 7. Luca. salutem, ita S. Ambros. Cyrill. & Theophyl. Quomodo S. Ioannes dicatur non manducasse neque bibisse, supple, more communi aliorum hominum, suprà (c) exposui.
c *Matt. 3. v. 4.*

℣. 19. Portò diuina SAPIENTIA, quæ per Ioannem & me tam studiosam se declarauit procurandæ viis & modis omnibus, salutis mortalium, nihil quod huc conduceret intentatum relinquens, etsi derisa, contempta & exsibilata sit ab impiis
d *Luc. 7. v. 35.* Scribis ac Pharisæis; tamen ab omnibus (d) FILIIS SVIS, id est, ab omnibus verè sapientibus ac piis, IVSTIFICATA EST, seu iusta & irreprehensibilis declarata, laudata ac probata est, vt S. Hilarius, Hieron. August. Chrysost. Theophyl. & Euthym. exponunt.

℣. 21. CORAZAIN vrbs erat vltra mare Galilææ, BETHSAIDA citra: CAPHARNAVM media D inter vtramque, & vtrique vicina. Iudæorum erant: sed *Tyrus & Sidon* vrbes Phœniciæ ad littus maris Mediterranei, Gentium idololatrarum erant, con-
e *Iesue 19. v. 28.* terminæ Galilææ ex parte tribus *Aser.* (e) Qua verò
f *Matt. 10. v. 15.* ratione dicantur hi Gentiles, imò & Sodomitæ, minùs peccasse, quàm isti Iudæi, iam antè (f) exposui. Ex eo autem quòd hi Gentiles hîc dicantur pœnitentiam acturi fuisse si signa vidissent quæ Iudæi, colligunt Theologi, Deum certò præscire omnia contingentia & libera, etsi numquam euen-
g *1. Reg. 23. v. 11.* tura, vt alibi (g) noraui.

℣. 25. RESPONDENS. hebraismo, pro loquens, sermonem instituens: Hebræum enim *hana* significat proferre cogitatam & opportunam orationem.
h *Luca 10. v. 21.* Addit Lucas, (h) *exultasse* Iesum *Spiritu sancto*, cùm diceret: CONFITEOR, id est, laudo, gratias ago: quia HAEC regni cælestis mysteria, & magnifica gratiæ tuæ munera, ABSCONDISTI, id est, absconsa manere permisisti SAPIENTIBVS huius sæculi, Scribis, Pharisæis, superbis Capharnaitis, subtracto ingratis & admittere nolentibus, copiosiore lumine & impulsu interno: ET REVELASTI EA PARVVLIS & humilibus discipulis meis, & simplici turbæ.

℣. 27. OMNIA MIHI TRADITA SVNT A PATRE] Nam cùm natura diuina, quæ per æternam generationem mihi communicatur, etiam concomitanter concessa mihi est omnis potentia, dominium & imperium in omnes homines & in omnes creaturas. Non id conuenit superbo dæmoni, (licèt sibi arroget, (i)) sed mihi: & ego illud commu-
i *Luca 4. v. 6.* nico quibus volo, & qualiter volo: vnde nil mirum quòd dæmones quoque & morbi omnes vobis subiiciantur. (k) Sed & aliud longè nobilius donum
k *Luca 10. v. 20.* vobis, & per vos toti orbi, communicatum volo, nempe notitiam mysterij Sanctissimæ Trinitatis, incarnationis Verbi, redemptionis mundi, quod absque mea reuelatione tum interna per illuminationem & inspirationem, tum externa per doctrinam meam, nemo vmquam assequeretur: ego autem omnibus ex animo propono, ad illius notitiam, cultum, amorem, fruitionem omnes inuito.

℣. 28. VENITE AD ME OMNES affectibus religiosæ fidei, spei & obedientiæ. Liberum cuique est, & integrum. Ego fessos (l) & anhelos sub iugo
l *Sup 5. v. 7.* veteris (m) legis, veteris (n) hominis, veterum peccatorum, suaui quiete sub leui iugo meo REFICIAM.
m *Act. 15. v. 10.*

℣. 29. DISCITE & experientiâ probate, me
n *Rom. 7. v. 5. & seq.* non esse rigidum aut superbum tyrannum, sed mitem ac suauem Dominum. Sub alis meis, & in lege mea plenam requiem inuenietis & solidum refrigerium (o) & gaudium. Primò, ex tranquillitate
o *Idem. 6. v. 16.* & serenitate conscientiæ. Secundò, ex remissis peccatorum non modò culpis, sed & pœnis. Tertiò, ex compresso concupiscentiarum ardore, vel certè sufficienti robore ad illis resistendum. Quartò, ex diuite gratiarum, donorum spiritualium, & inde nascentium virtutum, meritorum, gloriæ interno & æterno thesauro. Quintò, ex spe certa beatitudinis cælestis.

℣. 30. IVGVM ENIM MEVM, id est, doctrina & lex Euangelica, quam ego vobis impono, asperitate & pondere suo collum vestrum non atteret, humeros non deprimet vt facit iugum legis veteris, mundi, carnis, dæmonis. Primò quia pauciora & facilióra continet præcepta. Secundò, quia ad ea implenda vbertimam & efficacissimam gratiam confert. Tertiò, quia non timore pœnarum vos impellit, sed amore deducit, & spe præmij inducit ad ea complenda. Denique, si quid molestiæ vel laboris intercurrat, abundè compensat spirituali solatio, & quiete ac beatitudine æterna. Vide S. Hilarium, Bedam, Iansenium, Maldonatum.

CAPVT XII.

Discipulos sabbatho spicas vellentes excusat, vt & manum aridam à se curatam, neglectis Pharisæorum obloquijs, & confutatis blasphemiis, quibus ob curatum energumenum cæcum & mutum iactabant, illum in Beelzebub hæc facere. Signum de cælo petentibus dat signum Ionæ. Denique docet, quinam sint veri & Euangelici parentes sui.

℣. 1. DE *spicis* istis vide Lucæ 6. v. 1. De *Panibus propositionis*, Exodi 25. v. 30. De *Dauide* illos præter legis (p) præscriptum absumente, 1. Reg. 21. vers. 6.
p *Leuit. 24. v. 8.*

℣. 5. NON LEGISTIS IN LEGE Mosaica, (q)
q *Num. 28. v. 9.*

QVIA SABBATIS SACERDOTES IN TEMPLO, boues, oues, vitulos iugulando, excoriando, dissecando, lauando, ligna comportando, ignem struendo, &c. SABBATVM VIOLANT ET SINE CRIMINE SVNT? Licèt enim hæc tam laboriosa, sordida & seruilia opera, quantum ex se est, sabbatum violent, tamen pietas, sanctitas & mandatum Dei illa excusat & ex profanis sacra facit. Vnde Iudæi dicebant in templo non esse sabbatum.

℣.6. MAIOR AVTEM TEMPLO EST HÎC, seu hoc in loco, nempe Filius Dei cuius domus est templum, ac proinde longè dignior & sanctior templo. Si ergo opera seruilia, vel ob hoc solùm quia ministerio templi exhibentur, fiunt sacra Deo grata, nec vlla lege sabbati prohibita; quanto potiori iure talia fient quæ & quia ministerio Filij Dei hîc præsentis exhibentur? Atqui ministratur
a *Deut. 23. v. 25.* Filio Dei à suis discipulis, quando spicis auulsis (*a*) & manu attritis pascunt famelicum corpus suum, vt Filio Dei prædicanti & iter facienti adsint, seruiant, iuuent. quod longè Deo gratius est quàm quæuis templi sacrificia. Ergo,

℣.7. MISERICORDIAM VOLO, ET NON SACRIFICIVM, exposui cap. 9. vers. 13. De *manu arida*, Marc. 3. v. 1. Quæ ex Isaia hîc v. 17. vsque 21. recitantur, explicui initio cap. 42. Isaiæ. De *damoniaco cæco & muto*, Lucæ 11. v. 14. De *Beelzebub*, 4. Reg. 1. v. 3. Tot verò tantisque miraculis obstupescentes turbæ dicebant:

b *2. Reg. 7. v. 12. & 1. Paral. 22. v. 9. &c.* ℣.23. NVMQVID HIC EST FILIVS DAVID? ille ille Dauidi promissus (*b*) filius Messias seu Christus.

c *1. Timoth. 1. v. 13.* ℣.31. OMNIS BLASPHEMIA vulgata, etiam in Christum, quâ purus homo esse creditur, vt credebat blasphemus adhuc Paulus, (*c*) & Pharisæi, cùm dicerent, esse *vini potatorem*, (*d*) *amicum publicanorum*, &c. facilè REMITTETVR HOMINIBVS. quia etsi iniuria Christo, minùs tamen veniâ indigna est propter adiunctam personę ignorantiam; & tales facilè possunt instrui, atque ita ad agnitionem erroris & pœnitentiam deduci. AT BLASPHEMIA SPIRITVS, seu *contra Spiritum sanctum*, id est, quâ quis sciens & volens calumniatur opera diuina & miraculosa (vt hîc erat expulsio dæmonum) quibus quasi certis sigillis probè nouit, Deum obsignare, attestari & confirmare fidem & veritatem à se traditam; NON REMITTETVR, scilicet facilè: quia tales nec instructionem admittunt, nec de pœnitentia cogitant, imò directè oppugnant id sine quo pœnitere nequeunt, putà bonitatem & beneficentiam diuinam, omnemque tam internam quàm externam mentis illuminationem, atque inspirationem, à qua dum manent alieni, magis magisque excæcantur & obdurantur in dies, ac tandem in reprobum sensum traduntur. Sic morbus ille dicitur incurabilis, qui directè impedit & oppugnat id sine quo sanitas recuperari nequit, vt qui prohiberet omnem cibum, omnem concoctionem, omnem medicinam.

d *Matt. 11. v. 19.*

Petes, Quare talis *blasphemia* vocetur *in Spiritum sanctum*, cùm sit etiam in *Patrem* & in *Filium*? Respondeo, Quia directè impugnat bonitatem & sanctitatem Dei, quę appropriantur Spiritui sancto, tamquam attributa quibus primariò nobis innotescit.

℣.32. NEQVE IN HOC SÆCVLO, NEQVE IN FVTVRO] Hebraismo, id est, numquam. Frustra adderetur, *in futuro*, nisi aliqua peccata, vel peccatorum pœnæ solerent post mortem remitti, (putà in Purgatorio, vt tenet Ecclesia:) sicut frustra quis A diceret, se non ducturum vxorem neque in hoc sæculo, neque in futuro.

℣. 33. AVT FACITE ARBOREM BONAM, &c. q.d. Vt cohærentia loquamini, alterutrum fateamini necesse est; aut principium effectiuum meorum miraculorum esse bonum, putà Spiritum sanctum, si nempe ipsa miracula mea vobis bona & laudabilia videntur: Aut, si principium velitis esse malum, putà dæmonem, debetis fateri etiam ipsa miracula mea esse mala. Nam EX FRVCTV ARBOR (*e*) AGNOSCITVR] At vos ordinem omnem peruertentes, miracula mea probatis, principium improbatis. ita S. Hieron. Hilarius, Chrysost. Theophyl. Euthymius. Sed quid mirum. e *c. 7. v. 17.*

℣.34. *Viperam* (*f*) progigni à vipera? QVOMODO *possetis* de me meisque negotijs BONA LOQVI, CVM SITIS ipsi MALI? & EX ABVNDANTIA CORDIS, id est, ex thesauro cogitationum & affectionum quibus cor abundat, *os loqui* soleat? f *c. 3. v. 7.*

℣.36. *De omni verbo otioso*, (nempe quod sine loquentis vel audientis vtilitate profertur, inquit S. Basilius, Gregorius, & Bernardus) REDDENT HOMINES RATIONEM] Quantò magis vos de tam improbis blasphemijs in Spiritum sanctum? Neque enim ex solis operibus, sed & *Basil. in breuiorib. q. 23. Bern. de triplici custodia.*

℣.37. EX VERBIS TVIS IVSTIFICABERIS, id est, iustus declaraberis, vel CONDEMNABERIS. ita S. Hieron.

℣.38. VOLVMVS A TE SIGNVM] infrà (*g*) addi- g *Matth. 16. v. 1.* tur, *de cælo*. q. d. Vt quæ facis probes te non satanæ, sed Dei virtute facere, fac id nobis testatum fiat insigni aliquo miraculo, tamquam diuino sigillo, non è terris, vel ex inferis, vt hactenus fecisti, sed è cælis petito. v.g. fac ignem (*h*) de cęlo descendere, vel tonitrua (*i*) vel fulgura, vel manna, (*k*) &c. qualibus signis olim probata fuit auctoritas Moysis, Samuelis, Eliæ. Petunt autem, vt, si fortè Christus ipsorum curioso desiderio non faceret satis, ansam haberent ipsum iure merito reijciendi, inquit S. Hieron. Sed h *4. Reg. 1. v. 10.* i *11. Reg. 7. v. 10.* k *Exodi 16. v. 14.*

℣.39. *Generationi* huic *adulterę*, seu adulterinæ, id est, parentes suos minimè referenti, quia non ad agnoscendam, sed ad impugnandam veritatem, signum hoc deposcit, NON DABITVR signum de cælo, sed ex imo terræ, quod & aliàs (*l*) ipsis assignaui, nempe resurrectio mea, quæ est SIGNVM IONÆ, quia in Ionæ emersione post triduanam in ventre (*m*) cetі sepulturam præfigurata fuit. Hoc enim resurrectionis meæ miraculo, utpote omniũ postremo vobis à me in terris exhibendo, & quidem omnium certissimo, grauissimo & maximo, clarè toti orbi testatum faciam, me esse Filium Dei, mortis victorem, mundi redemptorem. ita Eusebius Emissenus, Chrysost. & alij. Et sicuti Ionas è ceto emersus prædicauit Niniuitis, *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur*: ità & ego rediuiuus, vobis per me, vel per meos prædicabo, *Adhuc quadraginta dies* (annum pro die (*n*) accipe) *& Ierosolyma subuertetur* à Tito. Erit autem l *Ioan. 2. v. 19.* m *Ionæ 2. v. 1. & 11.* *Emiss. hom. 2. de Paschi.* n *Dan. 9. v. 25.*

℣.40. FILIVS HOMINIS IN CORDE TERRÆ, id est, in interioribus terræ, scilicet secundùm corpus in sepulchro, secundùm animam in limbo, vt Tertull. Irenæus, Hieron. Chrysost. & Theoph. exponunt, TRIBVS DIEBVS ciuilibus, (qui ex die naturali simul & nocte (*o*) conflantur,) tribus, inquam, sed non integris: (*p*) nam tantùm primi dici vltima parte, & tertij prima, cum toto secundo intermedio. ita S. Augustinus, & alij iam citati. o *Chronici c. 1.* p *Proleg. de idiotismis Hebr. n. 28.*

℣.41. NINIVITÆ *generationem istam* Scribarum

lum & Phariſæorum, IN IVDICIO CONDEMNABVNT, non iudicandi poteſtate, ſed comparationis exemplo, quando ſcilicet conferentur cum Scribis. Ipſi enim barbari, à cultu Dei alieni, audito Iona viro extraneo & ignoto, nec niſi vno miraculo commendato, pœnitentiam agunt: ET ECCE PLVS QVAM JONAS HIC, id eſt, apud hanc Scribarum generationem prædicans Meſſias ipſorum & Filius Dei, reijcior tamen ab ipſis, qui videri volunt cultores veri Dei, inter S. litteras enutriti, doctores & paſtores populi Dei: totq; Prophetarum vaticinijs Meſſiam me eſſe comprobantibus inſtructi, tot miraculis irrefragabilibus conuicti, nolunt pœnitentiam ſuadenti obſequi, nolunt pœnas comminanti fidem habere.

℣. 42. REGINA AVSTRI, id eſt, regni verſus Auſtrum ſiti, reſpectu Iudææ, vt dixi 3. Reg. 10 v. 1. Mulier Gentilis, difficillimis regni negotijs diſtenta, ſapientiæ Salomonis ſola fama excita, longiſſimum iter arripuit, vt conſilia illius exciperet.

ET ECCE hîc Sapientiam ipſam diuinam, præ qua *Salomonis* ſapientia non niſi tenebræ ſunt: & tamen ſpernitur, contemnitur, ridetur. Sed accidet huic generationi, ſicut accidere ſolet energumenis, qui ſemel à malo dæmonio liberati, rurſus ſua ignauia feneſtram illi aperiunt, & longè grauiùs exinde torquentur.

℣. 43. SPIRITVS IMMVNDVS (de hoc vide Tobiæ, 8. 3.) AMBVLAT PER LOCA ARIDA, ἀνύδρων, id eſt, inaquoſa, ac proinde ſterilia & deſerta. q. d. Inſtar exulis domicilio expulſi vagatur per alias terras: ſed omnis illi extra hominem (quem infeſtare vnicè geſtit) ingrata eſt habitatio, & tamquam triſte exilium in triſti & ſqualido deſerto. Vnde ait:

℣. 44. REVERTAR IN DOMVM MEAM, VNDE EXIVI, omnem mouebo lapidem, vt iterum in hominem intromittar. ET VENIENS INVENIT domum VACANTEM, ſeu vacuam habitatore Deo & gratia iuſtificante, id eſt, nihil inuenit quod impediat. Quin potiùs SCOPIS MVNDATAM (eiectis cogitationibus & affectionibus pijs) ET tenſis vanæ gloriæ aulæis ORNATAM deprehendit, ac ſi redux ipſe hoſpes auidè exſpectaretur. Ipſe ergo non contentus domum illam ſolus inhabitare,

21. *Reg.* 2. v. 5. & *Iſaiæ* 4. v. 1. ℣. 45. ASSVMIT SECVM SEPTEM, (a) id eſt, multos, ALIOS SPIRITVS NEQVIORES SE, oppoſitos ſpiritibus ſeptem bonis, Apocal. 1. v. 4. & Iſaiæ 11. verſ. 2. ET FIVNT NOVISSIMA HOMINIS ILLIVS PEIORA PRIORIBVS. SIC ERIT ET GENERATIONI HVIC PESSIMÆ Scribarum, imò omnium obſtinatorum Iudæorum, qui toties fauore & ope mea liberari à tot malis, recidiuam perpetuò ſua ſocordia & ignauia, imò perfidia patiuntur.

b Gen. 13. v. 8. c. 14. v. 14. & 20. v. 12. c. 29. v. 15. c Chron. c. 45. tab. 4. d Marc. 3. v. 21. Ioan. 7. v. 5. ℣. 46. FRATRES, id eſt, (b) conſobrini, ſeu cognati, EIVS, veriſimiliter filij *Cleophæ*, (c) fratris *Ioſephi quærebant* LOQVI EI] S. Marcus (d) addit, venisſe vt *tenerent eum* & in Nazareth abducerent: *dicebant enim: Quoniam in furorem verſus eſt. Neque* (e) *enim fratres eius credebant in eum.*

℣. 48. QVÆ EST MATER MEA, ET QVI FRATRES MEI?] q.d. Nullam matrem, nullos fratres carnales agnoſco, cùm occupor in diuino Patris mei miniſterio, præſertim ſi in hoc mihi voluerint aduerſari vel remoræ eſſe. In hoc enim ſolos eos qui mihi & Patri meo ſubſeruire volunt, agnoſco pro conſanguineis, & charos habeo quaſi fratres, ſorores & matrem.

CAPVT XIII.

*Parabole * ſeminis, zizaniorum, ſinapis, fermenti, theſauri, margaritæ, ſagenæ. Obloquuntur Chriſto ciues ſui Nazarethani.*

* Prou. 1. v. 6 & 10. initio. c. 15. v. 2. & 1. Iob. 27. v. 1. Pſ. 48. v. 5.

℣. 3. EXIIT QVI SEMINAT, SEMINARE] Hanc parabolam exponam Lucæ 8. v 5.

℣. 12. QVI HABET, DABITVR EI; exponam infrà cap. 25. Matth. v. 29.

℣. 16. VESTRI BEATI OCVLI, exponetur Lucæ 10. v. 24.

Nota, ſeptem diuerſis parabolis, ſeu ſimilitudinibus explicat hoc capite conditionem Euangelij, ſeu doctrinæ Euangelicæ, quo nimirum ſucceſſu, quo fructu ſit annuntianda per orbem terrarum. Vocat autem eam *regnum cælorum*, quia Deus per illam regnat in nobis, & nos ad ſuum cæleſte regnum deducit. ita S. Hieron. Ambroſ. & Beda.

℣. 24. HOMO, id eſt, Chriſtus, (f) SEMINAVIT IN AGRO SVO, id eſt, in mundo, (g) BONVM SEMEN, & ex bono ſemine procreatum bonum *triticum*, id eſt, filios Eccleſiæ fideles, ſinceros, &c. iuſtos & in iuſtitia perſeuerantes, ac proinde *filios* (h) *regni*, id eſt, heredes (i) regni cælorum. Hi enim vt ex bono ſemine *verbi* (k) *Dei*, ſpiritaliter progeniti, conantur viciſſim inſtar fœcundi ſeminis, etiam alios complures ſua induſtria, oratione, exemplo & doctrina Chriſto procreare.

f *Hic v.* 37. g *v.* 38. h *Ibid.* i *Proleg. de Idiotiſm. Hebr. n.* 40. k *Luc.* 8. *v.* 11. & 1. *Petr.* 1. *v.* 23.

℣. 25. CVM AVTEM DORMIRENT HOMINES, & ſegniùs inuigilarent ſementi Dominicæ, VENIT INIMICVS EIVS; *verſ.* 28. INIMICVS HOMO. Hebraiſmo, id eſt, aliquis Chriſto inimicus, qui infrà, (l) declaratur eſſe *diabolus*, qui tam malè vult Chriſto, vt etiam nullo ſuo bono conetur vbique illi nocere. ET triticO SVPERSEMINAVIT ZIZANIA. id eſt, *filios nequam*; græcè, τὰ ζιζάνια id eſt illius nequã (m) diaboli, quos paulò pòſt (n) vocat *ſcandala* & *qui faciunt iniquitatem*, quia nempe ſua impia vita & doctrina ſunt & ſibi & aliis ſcandalo, id eſt, offendiculo ac ruinæ. Ex hac expoſitione, quæ eſt ipſiuſmet Chriſti, patet non hîc agi de ſolis hæreticis; neque vetari quo minùs hi morte aliquando plectantur, vt ſenſit initio S. Auguſtinus, ſed poſtea (o) retractauit. Agitur enim hîc in genere de omnibus peccatoribus, vt ipſemet S. Auguſt. (p) agnoſcit, qui ſine dubio nec debent, nec poſſunt ſimul omnes euelli vel exſtirpari; quia non facilè poſſunt à tritico dignoſci, vnde periculum eſſet *ne ſimul cum zizanijs* euelleretur etiam *triticum*. Alioqui ceſſante hoc periculo, quando quis manifeſtè ſceleſtus, & communitati valdè noxius eſt, vt ſunt fures, homicidæ, & his deteriores hæretici, vt ait Origenes, poſſunt, imò debent, ſubinde à magiſtratu morte plecti. *Vtinam abſcindantur qui vos conturbant!* inquit (q) S. Paulus. Vide de hoc fuſiùs Bellarminum & à Valentia in ſuis Controuerſiis.

l *Hic v.* 39. m *Ioan.* 8. *v.* 44. n *v.* 41. *hic.* o *Aug. l.* 2. *Retract. c.* 5. p *Aug ſer.* 39. *de Sanctis.* q *Galat.* 5. *v.* 12.

℣. 31. GRANVM SINAPIS MINIMVM EST, id eſt, ex miminis olerum SEMINIBVS vnum eſt: nam ſemina papaueris, rutæ, & quædam alia, minora ſunt. FIT tamen paulatim ARBOR, dureſcens à ſtirpe ſurſum. Et quidem in Syria, aliiſque calidioribus regionibus longè vltra humanam ſtaturam aſſurgit, inquit Caietan. & Salmeron. Iam ſubaudi: ita Euangelium quo creſcit, ampliatur & cõditur Eccleſia Dei, paraturq; cæleſte regnum in terris, inter omnia doctrinarum genera, quæ in mũdo ſunt, minimum eſt, minimum habet ſplendoris & commendationis; ſiue à naturali ratione, ſiue ab hominum conſuetudine, ſiue à magiſtrorum eloquen-

a 1 Cor. 1. v. 23.

tia, dignitate, frequentia, imò abhorret ab insito hominibus iudicio, *Iudæis scandalum, (a Gentibus stultitiæ*: tamen vbi à me meisque legatis sparsum, diuulgatum, explanatum fuerit; cetera omnia doctrinarum genera superabit celebritate, soliditate, firmitate, & per vniuersum orbem sese diffundet. ita ferè S. Ambros. Hieron. August. Subscribit Plinius, *Semen*, inquiens, *sinapi minimum est, sed igneæ & subtilis naturæ, nec aliud magu in nares & cerebrum penetrat, cuius & pituitam purgat: vim habet vaporem aspirandi, & contritum maximè vim suam indicat, magisque accendit: condit cibos, tritum cum aceto ad ictus serpentium & scorpionum illinitur, fungorum venena discutit, stomacho, capiti, dentibus, pectori, asthmati, comitiali, hydropi medetur: est enim acre & mordax, hinc lacrymas prouocat: vmbram & nidum auibus præstat*, &c. Ita doctrina Euangelica sublimis ac cælestis, intima mentium penetrat: errores, concupiscentias expurgat: spiritum fidei, spei, charitatis aspirat, maximè si meditatione vel tribulatione acuatur: virtutum exercitia & omnia ardua condit præmij magnitudine: peccata & vitiosos habitus tollit: morbis omnibus animæ medetur: ad pœnitentiam, ad crucem prouocat: quietem, refrigerium, gaudium, pacem, beatitudinem æternam causat.

Ambr. ser. 1. & 2. Plin. l. 20. c. 22.

B

V. 33. SIMILE etiam EST FERMENTO, QVOD MVLIER, diuina Sapientia, ABSCONDIT, ἐνέκρυψεν, id est, immiscuit, TRIBVS IARINÆ SATIS Mensuræ (*b*) genus est, & symbolum est orbis in tres partes distributi, inquit S. Aug. & Cæsarius. Sicut ergo *fermentum calore suo humidum panu maturat*, inquit Albertus Magnus, *& subactum in se quasi totum conuertit, spirituale efficit, & acore suo eleuat, leue reddit & sapidum & digestum præparat*: ita exigua & humilis doctrina Euangelica totum orbem alterabit, &c.

b *Proleg. de mensuris.*

C

V. 34. SINE PARABOLIS, id est, doctis & gravibus, sed obscuris sententijs, NON LOQVEBATVR EIS, scilicet hac vice, in hac concione.

V. 35. ERVCTABO ABSCONDITA A CONSTITVTIONE MVNDI] Id est, manifestabo iam illis quæ nulli antè, vel non nisi paucissimis Prophetis aperueram. Quomodo & S. Paulus (*c*) ait, *Mysterium temporibus æternis (d) tacitum*, putà incarnationis Filij Dei, nunc patefactum esse.

c *Rom. 16. v. 25.*

d *Hic v. 17.*

V. 42. De *fletu & stridore dentium* in *camino ignis*, id est, in ignea fornace inferni, iam suprà (*e*) dixi.

e *Matth. 8. v. 12.*

V. 44. SIMILE EST THESAVRO, *quem abscondit*, id est, relinquit absconditum eo loco QUO INVENIT] Hac & sequenti parabola margaritæ ostendit, Euangelicam doctrinam tanti pretij esse, vt meritò rerum omnium temporalium iactura sit comparanda, vt & de sapientia docetur Prouerb. 8. v. 11. & 19. Quàm nobiles margaritæ & thesauri sint Christus, anima nostra, charitas, status Religiosus, & vita æterna, vide Salmeronem.

Salmer. tract. 11.

D

V. 52. IDEO, quia iam nostis quàm pretiosus sit hic thesaurus, vos qui à me constituimini SCRIBÆ, id est, doctores, IN hoc REGNO CÆLORVM, nouæ legis Euangelicæ, debetis instar prouidi patrisfamilias, inde depromere & alijs erogare noua & vetera, id est, omnis generis documenta, auditorum captui & statui accommoda. Hebræi enim hoc adagio designant omnia alendæ familiæ necessaria & vtilia, ita S. Hilarius, Hieron. August. Chrysost. & Beda.

V. 55. NONNE HIC EST FABRI FILIVS? Marci 6. v. 3. *Nonne hic est faber?* Videtur igitur Christus Iosephum in arte fabrili exercenda iussisse. S. Ambros. & Hilarius putant fuisse fabrum *ferrarium*; Hugo *murarium* vel *aurificem*: sed Chrysost. S. Thomas & alij passim *lignarium*. Vnde Iustinus, Erat *Christus aratra & iuga boum conficiens*: & ille apud Zozomenum, *fabricat feretrum Iuliano*. Qua ratione IACOBVS Alphei, IOSEPH, ET SIMON, ET IVDAS, filij Cleophæ, vocentur FRATRES, id est, consobrini Iesu, ET SORORES, seu consobrinæ EIVS, Salome & Maria, vide in fine quartæ tabellæ genealogiæ (*f*) Christi.

Iustin. contra Tryphonem. Sozom. l. 6. cap. 1.

f *Chron.*

V. 57. ET SCANDALIZABANTVR IN EO, id est, offendiculi occasionem acceperunt ciues eius Nazarethani ex paupere illius educatione & progenie, quo minùs crederent ipsum Messiam esse. Sed PROPHETA, id est, doctor rerum sacrarum, nusquam minùs honoratur aut æstimatur quàm in propria PATRIA, à ciuibus & consanguineis suis. Parit enim familiaritas contemptum; & pluris semper æstimantur peregrina quàm domestica: neque finit inuidia parem nuper, mox anteferri, suam confusionem reputans gloriam contribulis, inquit Theophyl.

c. 46.

CAPVT XIV.

*Herodis Antipæ * iudicium de Iesu: carcer & decollatio Ioannis Baptistæ. Quinque panibus & duobus piscibus saturantur quinque millia virorum, & supersunt duodecim cophini fragmentorum. Apostoli fluctibus iactati roborantur à Christo supra fluctus ambulante. Supra quos dum & Petrus graditur, & mergi incipit, manu Christi detinetur. In terra Genesar tactu fimbriæ Christi languores omnis generis curantur.* * *Chron. c. 45.*

V. 3. HERODES TENVIT IOANNEM, tradidit scilicet eum in carcerem, tum sibi à Scribis, vt suprà (*g*) vidimus. Decollationem Ioannis explicabo Marci 6. v. 17.

g *Matth. 4. v. 12.*

De multiplicatis panibus & piscibus, Ioan. 6. v. 5. vbi fusiùs hæc narrantur.

C

V. 23. VESPERE, cùm *tenebræ iam factæ* essent, inquit S. Ioannes, (*b*) *orante Iesu in monte*:

b *Ioan. 6. v. 15.*

V. 24. NAVICVLA, quâ discipuli vehebantur, FLVCTIBVS IN MEDIO MARI Galilææ (*i*) IACTABATVR, vento ipsis aduersante, quem ipse Iesus sponte suscitarat, vt fidem suorum & in aduersis constantiam probaret, suique desiderium excitaret. Symbolicè de ventis persecutionum & tentationum, quæ Ecclesiam, & fidelem animam in hoc turbido mundo infestant, vide S. Augustinum, Salmeronem & Barradium. Et verò

Ibid.

i *Exodi 14. v. 24.*

V. 25. QVARTA demum VIGILIA, id est, sub finem NOCTIS, vt alibi (*k*) docui, (vnde vocari solet *vigilia (l) matutina*) VENIT AD EOS iuuandos Iesus AMBVLANS SVPER MARE] Quo viso turbâtur discipuli,

k *Chron. c. 2.*

l *Exodi 14. v. 24.*

V. 26. DICENTES, QVIA PHANTASMA EST; latinè, *spectrum*; Syrus, *visio mendax*, seu fallax; putabant illusionem diabolicam esse. Vnde & *clamant* PRÆ TIMORE] quia persuasum plerisque, spectra nocere ijs quibus apparent, & nauigantibus præsens exitium portendere. Sed hoc sæpissimè non est verum.

D

V. 27. STATIMQVE Iesvs, EGO (*m*) SVM, NOLITE TIMERE] Vbi summè increuit periculum, præsens adest Dei auxilium.

m *Exodi 3. v. 14. Ioan. 18. v. 6.*

V. 28. SI TV ES DOMINE, IVBE ME AD TE VENIRE SVPER AQVAS] Iube, inquam, non sola voce, (nam & spectrum posset sic iubere,) sed & reipsa & efficaciter, ita vt iussioni respondeat euentus: nempe animo meo inde audaciam, & ne aquis absorbear effice.

Petes, An sic Petrus non tentarit Deum? Respondeo,

ſpondeo, Nequaquam, quia iuſtam habebat cauſam dubitandi num eſſet phantaſma: & ſciebat id futurum gratum Chriſto in res eiuſmodi liberaliſſimo: imò gaudere Chriſtum heroico fiduciæ exercitio. Et iam aſſueuerat Petrus edendis nomine Chriſti miraculis. (a) Videbat autem, velle Chriſtum iter perficere calcando pedibus mare, teſte Marco; (b) vnde geſtiebat quam primùm illi adeſſe, complecti, comitari & deſeruire. Iesu ergo iubente

a *Matt.* 10. v. 1. *Marc.* 6 v. 30.
b *Marc.* 6. v. 48.

℣. 29. PETRVS AMBVLABAT SVPER AQVAM, veroſimillimè nauj primùm manu hærens, & pedibus tentans num aqua cederet: Chriſto interim diuina virtute ſua Petrum ne ſubſideret detinente, (vt angelus (c) tenuit Habacuc:) vel grauitatem, ſeu ponderoſitatem corporis Petri ad tempus ſuſpendente: vel denique non concurrente concurſu (d) ſuo generali cum aqua, vt cederet pedibus Petri. Et ecce tibi hîc ſpecimen aliquod dotis *agilitatis* dandæ poſt reſurrectionem corporibus glorioſis.

c *Dan.* 14. v. 35.
d *Gen.* 19. v. 11.

℣. 31. MODICÆ FIDEI, QVARE DVBITASTI? O quantum remoræ apud Deum parit diffidentia!

Nota quinque hîc ſimul miracula. Primò, ambulat Chriſtus ſupra mare; Secundò, ambulat eo iuuante & Petrus; Tertiò, & cùm cœpiſſet mergi, ſaluus educitur; Quartò, tempeſtas ſubitò ſedatur; Quintò, nauis ſtatim eſt in portu, vt addit Ioannes. (e) Sic myſticè, ſi vis, calcabis cum Chriſto mundum vniuerſum & vortices ſæculi, ſedante ipſo paſſionum, tentationum & perſecutionum tempeſtates, & ad portum vitæ æternæ, fida & perpetuò ſociata manu deducente.

e *Ioan* 6. v. 21.

CAPVT XV.

Occaſione lauandarum manuum reprehendit præpoſteras Phariſæorum & Scribarum traditiones: docet quæ ſint ſordes animam coinquinantes. Chananæa filiam, & aliorum varios languores curat. Denique quatuor millia virorum paſcit ſeptem panibus & paucis piſciculis.

℣. 2. SCRIBAE ET PHARISAEI, cùm nihil in Chriſto poſſent reprehendere contrarium legi diuinæ, accuſant violatæ traditionis humanæ à maioribus acceptæ: DISCIPVLI TVI NON LAVANT MANVS CVM PANEM MANDVCANT. Non eſt exiſtimandum, Apoſtolos tam ruſticos fuiſſe, vt menſæ ſordidis manibus accumberent. Solùm abſtinebant ab illa crebra, (f) religioſa & ſcrupuloſa lotione manuum, calicum, menſarum & lectulorum, quam citra præceptum Dei haud ita pridem Phariſæi (g) in morem induxerant, iuſſis ſemper apponi hydrijs (h) aqua plenis, vt, ſi fortè contactu morticini vel alterius rei immundæ irregularitatem quis contraxiſſet; iuxta legem, (i) mox illam ablueret, & vaſa mundarentur, ne cibos, & conſequenter conuiuas (quod verebantur) (k) polluerent. Vnde illud Coloſſ. 2. v. 21. *Ne tetigeris, neque guſtaueris, neque contrectaueris*, ſemper ipſis in ore erat, de animi luſtratione parum intereà ſolicitis. Chriſtus è contrario, ad animi luſtrationem volebat omnem curam dirigi, paruipendens ſuperfluas illas lotiones, vtpote exiguæ, vel potiùs nullius pietatis aut vtilitatis.

f *Marc* 7. v. 4.
g *Hic* v 3. & 6.
h *Iud*, 2 v. 6
i *Leuit.* 11. v. 31. *Num.* 19. v 21.
k *Hic* v. 11.

℣. 3. QVARE VOS TRANSGREDIMINI MANDATVM DEI, naturale & poſitiuum, vt, de parentibus *honorandis* & in neceſſitate adiuuandis, & ſaltem non *maledicendis*, id eſt, non dehoneſtandis, A contumeliaue aut dedecore non afficiendis, quod fit ſubtractione rerum ad honeſtam ſuſtentationem neceſſariarum: vt vos facitis, qui filijsfamilias volentibus inopi patri vel matri ſuę ſuccurrere, id diſſuadetis, vrgentes vt in victimas templi nummulos ſuos impendant, id eſt, vt veſtro reti ſacrificent, (plerique enim Phariſæorum ſacerdotes erant aut ſaltem Leuitæ:) & *vtrà* (vt addit Marcus, (l) *non dimittis eos quidquam facere patri ſuo aut matri*, quantumcumque egenti & filiorum opem imploranti.

l *Marc.* 7. v. 12.

℣. 5. DICITIS: Legem Dei de honorandis parentibus abundè implet, & gratius obſequium Deo præſtat, QVICVMQVE DIXERIT PATRI, etſi egentiſſimo; & MATRI, etſi fame pereunti: *Corban*, (m) id eſt, *donum* ſeu MVNVS à ME offerendum Deo, non mihi ſoli, ſed & TIBI PRODERIT, ô pater, ſi non quoad corpus, ſaltem quoad animam. Sed toto cælo erratis, HYPOCRITAE: nam vinculum pietatis, & obligatio erga parentes egenos, eſt iuris naturæ, cui proinde omnis victima, omne votum, omne aliud vinculum iure, ſeu humano, ſeu diuino poſitiuo inductum cedere neceſſariò debent. ita Ianſenius & alij interpretes. Alioqui

m v. 11.

℣. 8. LABIIS Deum *honoratis*, cultuque externo, SED COR LONGE EST abeo, id eſt, longè diuerſa & aliena à diuina voluntate & mente cogitatis, deſideratis, intenditis & agitis.

℣. 9. SINE CAVSA; græcè, μάτην, id eſt, fruſtrà, ſic COLVNT ME, ſeu colere ſe putant, qui mandata diuina negligunt: vt *mandatis* HOMINVM obſequantur. Non ergo reprehendit hîc Chriſtus præcepta Eccleſiæ vel traditiones Apoſtolicas, vt ſommiant hæretici: quia hæ (vt palàm conſtat) legibus diuinis non aduerſantur; potiùs illis ſtabiliendis & in praxin redigendis ſubſeruiunt; nec tam hominum ſunt, quàm Dei præcepta, per vicarios & legatos ſuos nobis tradita. Sed ſolùm reprehendit MANDATA HOMINVM, quę ita ſunt hominum vt nó ſint Dei, id eſt, quæ homines nõ inſpirante Deo, ſed ſuopte ingenio & arbitratu effingunt contra mentem & voluntatem Dei; qualia ſunt de quibus hîc agitur, nempe vana prorſus & futilia, vt lotiones illæ ſuperſtitioſę v. 2. Vel etiam erronea, vt inquinari animam per cibos v. 11. Vel apertè contraria legi naturali & diuinæ, vt parentum defraudatio v. 6. Sed en nouum hæreticorum argumentum:

℣. 11. QVOD INTRAT IN OS, NON COINQVINAT HOMINEM: ergo nec carnes comeſtæ in Quadrageſima. Et verò libenter id conceſſerim: neque enim carnes, ſed inobedientia, intemperantia & ſcandalum, quæ tunc eſu carnium committuntur, inquinant animam, id eſt immundam, inuiſam, ingratam Deo reddunt. Sicut olim in pomo (n) Adami, & in eſu ciborum lege Moſaica vetitorum (o) contingebat. Neque hoc negat hîc Chriſtus, (alioquin eum ſtatim reum legis peregiſſent:) ſed ſolùm, cibos immundos non ex ſe, ſeu ex ſubſtantiâ ſua polluere comedentem: quod Phariſæi opinabantur, & Pythagoras antè docuerat, & S. Paulus (p) poſtea acerrimè redarguit.

n *Gen* 3.
o *Leuit.* 11.
p 1. *Timoth.* 4 v. 4.

℣. 15. EDISSERE NOBIS PARABOLAM ISTAM. Licet clariſſima ſit ſententia, tamen obſcura videtur Apoſtolis, quòd à puero contrarium imbibiſſent, nempe plurima eſſe immunda, (q) quæ comeſta reddant hominem immundum.

q *Leu* 11. *Deuter.* 14.

℣. 17. QVOD IN OS INTRAT, ſi ſordidum eſt, vel immundum, IN VENTREM, ſeu ſtomachum, VADIT, *neque intrat in cor*, vt addit Marcus, (r) id

r *Marc.* 7. v. 19.

id est, non tangit neque fœdat animam, vt putant Pharisæi, sed IN SECESSVM EMITTITVR, & rursus è corpore expellitur. Ex his verbis fœdi hæretici fœdissimum hauriunt argumentum contra Sanctissimam Eucharistiam, si istic verè ac realiter præsens est corpus Christi, Ergo, inquiunt, in ventrem etiam vadit, & in secessum emittitur. Respondeo, *In ventrem vadit*, sic Christo volente per modum cibi & potus sumi, deglutiri, alterari. Sed non ideo in secessum emittitur, quia facta digestione, & alteratis, immutatis, absumptis speciebus panis & vini, desinit ibidem esse corpus Christi.

℣. 18. QVAE PROCEDVNT DE ORE, quia DE CORDE EXEVNT: id est, ab hominis nobilissima parte, putà libero eius arbitrio & voluntate procedunt; si mala sint, coinquinant hominem: & sic etiam esus cibi prohibiti egreditur è corde, & coinquinat animam, vt suprà (*a*) exposui. Quæ verò solùm extrinsecus adueniunt & intrant in hominem, v. g. cibi non (quod constet) prohibiti, item sordes manuum, de quibus tam anxii sunt Pharisæi, cùm tantùm naturali modo sint in homine, neque ex se mala sint, non coinquinant hominem.

a *Hic v. 11.*

℣. 21. INDE, id est, è terra Genesar, seu, vt Marcus habet, *Genesareth*, mari illi cognomini adiacente, EGRESSVS IN PARTES TYRI ET SIDONIS, id est, in Phœniciam, interpellatur à *muliere* CHANANAEA, id est, progenita ex Chananæis, primis Phœniciæ incolis, inquit Andreas Masius. Nam Iosue 5. v. 1. vbi hebraicè & latinè est *Chanaan*, in Græco LXX. verterunt *Phœniciam*. Et Marcus hanc *Chananæam* vocat *Syrophœnissam*, quia erat ex ea Phœniciæ parte quæ contermina est Syriæ.

And. Mas. in Iosue 5. v. 1.
Marc. 7. v. 26.

℣. 24. NON SVM MISSVS legatus à Patre, NISI AD OVES ISRAEL] id est, ad Iudæos, nempe hoc tempore, vt corporalem meam præsentiam, annuntiationem Euangelij, & miraculorum gratiam (quam hîc vocat *panem*) illis iam exhibeam. Iudæis enim primatiò promissus erat Messias, Gentibus solùm ex accidenti, teste S. Paulo, (*b*) qui idcirco Christum vocat *ministrum circumcisionis*, id est, circumcisorum, id est, Iudæorum, doctorem, ad confirmandam *veritatem*, seu veracitatem, *promissionum* Dei *factarum* Patriarchis: *Gentes autem super misericordia* impertiti, seu concessi, etiam ipsis Christi, sed gratuitò, *honorare Deum*. Vnde si Christus absque discrimine tam Gentibus, quàm Iudæis se doctorem & miraculorum operatorem passim præbuisset, ansam dubitandi habuissent Iudæi, an ipse esset qui promissus fuerat Iudæis Messias.

b *Rom. 15. v. 8.*

℣. 26. NON EST BONVM præripere PANEM, seu cibum filijs alendis destinatum, supple ex Marco, (*c*) filijs necdum saturis. q. d. *Sine prius saturari* doctrina & miraculorum meorum gratia Iudæos, qui *filij* (*d*) sunt *regni* Dei: *canes* enim, quales vos Gentiles estis, decet exspectare donec filii plenam refectionem acceperint. Volebat Christus longa tergiuersatione & probroso hoc nomine, vt ait Chrysost. probare testatamque facere insignem mulieris huius modestiam, fidem, spem & constantiam. Et verò conuertit ipsa egregiè omnia in rem suam, stringens Christum sua ipsius sententia, & (vt loquitur idem Chrysost.) ipsum diuinam Sapientiam laqueo verborum oris sui volentem capit.

c *Marc. 7. v. 27.*
d *Matth. 8. v. 12.*

℣. 27. ETIAM] Marcus, *vtique Domine*; res ita habet vt dicis: non debet filiis præripi panis, & canibus obiici: catellis tamen fortè sub mensa repentibus non denegantur deciduæ micæ: cùm ergo me tuam agnoscas catellam, poterisne mihi vel micam exiguæ gratiæ denegare?

℣. 28. O MVLIER, MAGNA EST FIDES TVA] tum in se, tum in effectis suis. In se, quia sublimia credit de me Messia, de populo Dei, de conditione Gentilium. In effectis, quia firmam fiduciam, feruentem perseuerantemque orationem, veram animi humilitatem, ac magnanimitatem ab omni inuidia alienam, insignem denique sapientiam producit. Vnde & micam petitam mox illi impertit. Quàm copiosè verò, ac penè prodigè, *panem*, id est, beneficia omnis generis, impertiat *filijs*, etsi ingratissimis, loquuntur tum alia, tum curationes omnium morbidorum, versu 30. & 31. epulum item in deserto quatuor virorum millibus appositum; de quo Marci 8. v. 1. & innumera alia miracula.

℣. 39. MAGEDAN oppidum est vltra mare Galilææ, non procul à *Dalmanutha*, vt habet Marcus. Sed caue sis, pro *Magedan*, legas μαγδαλὰ, vt corruptè est id Græco: vel *Mageddo*, seu *Mageddon*, vt est Zachariæ 12. v. 11. Nam vtrumque horum citra mare Galilææ est, & quidem longiusculè dissitum, haud procul à mari Mediterraneo.

CAPVT XVI.

*Pharisæis & * Sadducæis signum è cælo petentibus dat Iona signum à terra. Monet cauendum ab illorum fermento. Petrum petram fundamentalem Ecclesiæ suæ designat & claues regni cælorum promittit. Mortem suam Ierosolymis obeundam predicit: Petrum illam dehortantem facessere iubet. Baiulationem crucis & sui abnegationem omnibus inculcat.*

* *Matth. 3. v. 7.*

℣. 2. VESPERE, SI RVBICVNDVM SIT CÆLVM, DICITIS, SERENVM ERIT cras, & ita ferè contingit. Ratio physica est, quòd, dum vespere solis occidentis radij nubes inflammant igneasque reddunt, eo ipso demonstrent, nubes tariores esse, adeò vt illa nocte facilè sint dispellendæ & absumendæ.

℣. 3. MANE, SI RVTILAT; græcè, πυρράζει, id est, ignescit, seu rubet, TRISTE CAELVM, diciris, TEMPESTAS HODIE erit pluuiæ vel venti: & ita plerumque accidit. Cùm enim manè solis orientis radij rubefaciunt nubes, facilè ex eo quòd hæ solis aduentantis virtuti non cedant, colligimus, maiores illas esse quàm vt à sole dissipari vel consumi queant: ex eo autem, quòd radiorum penetrationem admittant, intelligimus rarefactas iam esse, & resolutioni in pluuiam aut ventum propinquiores, quàm vt procul à sole retrudi possint.

℣. 4. FACIEM ERGO CAELI, id est, vultum, habitum, dispositionem, speciem externam aëris, DIIVDICARE NOSTIS ex probabilibus signis, & his contenti alia non requiritis: ET NON POTESTIS pari ratione SCIRE certissima SIGNA TEMPORVM istorum, ab æterno prædestinatorum, toties promissorum, & iam palàm completorum, scilicet aduentus mei, seu Messiæ vestri? Huius autem infallibilia signa erant, ablatio sceptri regij à tribu Iuda, Genes. 49. v. 10. expletio hebdomadarum (*e*) Danielis, ex illius c. 9. v. 25. curatio cæcorum, (*f*) surdorum, claudorum, mutorum tanto numero, ex Isaiæ 35. v. 5. & c. 61. v. 1. His adde angelos Bethlehemiticos, stellam Magorum, testimonium Patris cælestis, descensum Spiritus sancti specie columbæ, vt taceam testimonium Ioannis Baptistæ, adeoque & dæmoniorum: denique tot miracula, omnis generis, quæ ad hanc veritatem comprobandam edita, certissimè, clarissimè, infallibiliter

e *Chronici c. 35.*
f *Matt. 11. v. 5.*

2 Mar 12. v.39 liter conuincebant & veniſſe iam Meſſiam, & hunc Ieſum eſſe Meſſiã. De *ſigno Ionæ* egi ſuprà.(a)

¥.6. CAVETE à FERMENTO, id eſt, à doctrina (b) acida & putrida, PHARISAEORVM ET SADDVCAEORVM] nempe quam non ex libris ſacris, vel à ſanctis Patribus acceperunt, ſed ex ſuomet cerebro commenti ſunt, vt ſuprà (c) vidimus. *Phariſaorum* enim doctrina omnis præcipuè in componenda exteriori pietatis ſpecie(d) verſabatur, finem ſtatuens, probari magis hominibus quàm Deo. Hoc fermentum inflat hominem ambitione, inuidia, hypocriſi, adeoque tumentem facit, vt præ ſe ſuiſque alios quoſuis & aliorum omnia deſpiciat. Quale ſit *Sadducæorum* fermentum, alibi (e) expoſui. nempe impia prorſus & athea dogmata, quæ hominem, planè belluinum, in exteros inhumanum, in ſocios ferum, ſuis verò voluptatibus libidinibuſque extremè addictum reddant: quorum non aliæ voces, quàm, *Edamus & bibamus, (f) cras enim moriemur.*

b Hic v.12.

c Matth. 5. v.20. & ſeqq. c.15. v.3. &c.

d Matt. 6. v. 2. & ſeqq.

e Matth. 3. v.7.

f Sap. 2. v.6 Iſaiæ 22. v.13. & 1. Cor. 15. v.32.

¥.13. CAESAREA PHILIPPI ad radices montis Libani adiacet Iordani, olim dicta *Lais*, ſeu *Leſem*, (g) inde *Dan*, à tribu illa quæ hanc vrbem occupauit: dein à Græcis Syriæ dominantibus, quibus notior erat *Pan*, quàm *Dan*, nominata eſt *Paneas*. Tandem à *Philippo* (h) Tetrarcha Herodis Magni ex Cleopatra filio, aucta & ampliata, in honorem Tiberij Cæſaris, dicta eſt *Cæſarea*, adiuncto nomine *Philippi*, ad diſtinctionem alterius *Cæſarea* quam Herodes Magnus in gratiam Cæſaris Auguſti antè conſtruxerat in loco *Turris Stratonis* ad mare Mediterraneum. ita Ioſephus.

g Ioſue 19. v. 47. & Iudic. 18. v.29.

h Luc. 3. v.1 & Chronici c.45.

Ioſeph. l.15. & 18. Antiq. c.3.

QVEM, id eſt, qua dignitate, qua auctoritate, DICVNT HOMINES, me prædituM ESSE?

¥.14. ALII dicunt te eſſe IOANNEM (i) BAPTISTAM, ob doctrinæ conformitatem, & morum vitæque innocentiam: ALII ELIAM ob perſonæ grauitatem, prædicandi libertatem, zelum & miracula ſtupenda: ALII VERÒ IEREMIAM] quia huic (k) dictum fuerat, *Ecce conſtitui te ſuper Gentes*, &c. *Ne formides*, &c. *Dedi te in ciuitatem munitam*, &c. Erant quoque nonnulli qui ipſum Meſſiam acclamarent, (l) ſed ij perpauci.

i Matt. 14. v.2.

k Ierem. 1. v.10, 17.18.

l Ioan. 1. v. 49. c.4. v. 42. & 53. Matth. 8. v.8.

¥.15. VOS AVTEM, qui plus ſapitis quàm vulgus, qui mihi familiariores meliùs me noſtis, qui pluribus maioribuſque beneficijs & gratijs à me aucti, pluris etiam me facitis, QVEM ME, tandem ESSE opinamini?

¥.16. PETRVS, vt *primus* erat à Chriſto conſtitutus (m) in collegio Apoſtolorum, ita dignitate præcellens ceteris & zelo, nihil hæſitans, nomine tam aliorum quàm ſuo, quaſi os omnium, ſtatim clariſſimè & animoſiſſimè *reſpondet*, TV ES CHRISTVS orbi promiſſus redemptor, non purus homo, ſed ſimul naturalis FILIVS DEI VIVI. ita Chryſoſt. Cyrillus, Ambroſ. Auguſt.

m Matt. 10. v.2.

¥.17. BEATVS ES hac fide & confeſſione, ô SIMON BAR, id eſt, fili, IONA (contractum eſt ex *Ioanna*, vel *Ioannes*, vt alibi (n) vocatur, id eſt, gratia Dei:) QVIA myſterium hoc non innotuit tibi, neque edoctum aut *reuelatum* eſt à *carne, aut ſanguine*, id eſt, ab hominibus, aut humana ſapientia vel ſagacitate (nam hęc eò aſcendere ſuis viribus non poteſt:) ſed hoc habes ex peculiari illuminatione & inſpiratione *Patris mei cæleſtis*. Et quia tu tam liberè, tam apertè meam fateris excellentiam, ego viciſſim tuam tibi pandam quam præ alijs omnibus tibi conferre decreui dignitatem. Igitur

n Ioan. vlt. v.15. Simon Ioannis.

¥.18. EGO DICO & aperio nunc TIBI, quare A te olim (o) dixerim vocandum *Petrum*. TV enim ex meo decreto conſtitutus ES CEPHAS, id eſt, petra, vel, quia viro nomen inditur, maſculinè Πετρὸς, ſeu Petrus: idem enim prorſus ſignificant, putà ſaxum vel rupem. & erit hæc petra fundamentum (à me ſecundarium) SVPER quod AEDIFICABO ECCLESIAM MEAM, tanta firmitate, vt ne PORTAE quidem INFERI, græcè ᾅδου, id eſt, inferni (continens pro contento, id eſt, magiſtratus, qui iudicij cauſa ſolent in portis reſidere, vel milites qui iſtic excubare ſolent) vmquam, ſeu viribus, ſeu aſtutia *prævalituræ* ſint ADVERSVS hanc, ſeu Eccleſiam, ſeu petram: nam ſi fundamentum ſubuerterent, id eſt, te tuoſve ſucceſſores, eo ipſo totam Eccleſiam fundamento innixam diuerent. Promittit ergo hîc Chriſtus Petro, quòd Eccleſiæ perpetuò in terris duraturæ futurus ſit ipſe, eiuſque ſucceſſor omnis, ſupremum caput, princeps, monarcha. Quam eandem dignitatem poteſtatemque mox explicat alia metaphora à clauibus deſumpta.

o Ioan. 1. v.42.

¥.19. TIBI DABO CLAVES, ideſt, ſummam abſolutamque auctoritatem, & regendi poteſtatem (hoc enim fine claues vrbium ſolent regibus tradi) & quidem totius REGNI CAELORVM, id eſt, integræ Eccleſiæ meæ militantis, cui tamquam heredi deſtinatum eſt regnum cæleſte. Hoc vno verbo promittit Chriſtus Petro, eiuſque ſucceſſoribus omnem poteſtatem tum ordinis, tum iuriſdictionis, neceſſariam ad regendam vt oportet Eccleſiam, deducendoſque Eccleſiæ filios ad vitam æternam.

QVODCVMQVE LIGAVERIS in Eccleſia SVPER TERRAM militante, ERIT LIGATVM *etiam* IN CAELIS] Quamuis ergo mortalis homo ſit Petrus, eiuſque ſucceſſor, tamen cæleſti præditus eſt poteſtate, inquit S. Chryſoſt. nec aliunde petenda eſt vitæ mortiſve certitudo poſt latam à Petro ſententiam, ſed quod ille iudicarit, habendum eſt tamquam diuinum è cælo reſponſum, & quod ille è ſua cathedra decreuerit, tamquam ab ipſo Deo decretum. Porrò generalis hæc *ligandi* poteſtas exercetur Primò, culpam non abſoluendo, ſed vt erat relinquendo; Secundò, remiſsâ culpâ pœnitentiam iniungendo; Tertiò, excommunicando, ſuſpendendo à ſacris vel interdicendo; Quartò, præcepta & leges Eccleſiaſticas præſcribendo; Quintò, definitione controuerſiarum Scripturæ vel fidei iudicium noſtrum aſtringendo. E quibus à contrario patet qua ratione poteſtas ſoluendi exerceatur.

¥.20. PRÆCEPIT VT NEMINI DICERENT QVIA IPSE ESSET CHRISTVS] ſcilicet eo tempore, eo loco, & ne videretur gloriam inde captare velle, vt ſuprà (p) in ſimili vidimus. Et quia Apoſtoli necdum videbantur idonei ad id omnibus perſuadendum, inquit S. Chryſoſt. Theophyl. & Euthymius. Denique (vt inſinuatur v. ſequ. & clariùs apud Lucam) (q) ne tenella fides eiuſce rei ægrè animis inſita, ſuperuenientis paſſionis tempeſtate ſubuerteretur abſque ſpe reſtitutionis: homines enim qui aliquem ſummo loco habent, ſi ſemel ille exciderit, difficillimè poſſunt ad priſtinam de illo æſtimationem reduci. Oſtendebat ergo

p Matth. 8. v.4.

q Luc. 9. v.22.

¥.21. QVIA ad præſtandum Meſſiæ officium, ex decreto Patris cæleſtis & ſuo, OPORTERET EVM MVLTA, imò extrema, PATI Ieroſolymis non à fœce populi, ſed A SENIORIBVS, ſeu ſenatoribus, (r) ET SCRIBIS (ſ) ET PRINCIPIBVS (t) SACERDOTVM.

r Dan. 3. v.5. 28. 34. 61.

ſ Matt. 26. v.3.

¥.22. PETRVS hoc audito, neſcius ſecretorum diuinorum, COEPIT INCREPARE ILLVM,

t Matt. 26. v.4.

NON

non iurgantis auctoritate, sed amantis & miserantis affectu.

℣. 23. VADE POST ME, græcè, facesse è conspectu meo. SATANA, id est, aduersarie* in hac causa: q.d. Præpostero zelo tuo, diaboli (qui antonomasticè *satanas*, seu aduersarius dicitur) partes orbis, idemque cùm diabolo, licèt nescius, moliris; nempe, ne per me saluetur humanum genus. SCANDALVM, id est, offendiculum & impedimentum ES MIHI, quantum ex te est. NON SAPIS QVAE DEI SVNT hac in parte, seu quæ Deus probat. Ergo, inquiunt hæretici, Christus paulò antè noluit Petrum vocatum *petram*, id est, solidum & constans fundamentũ *Ecclesiæ*. Respondeo, neg. conseq. Quia poterat in moribus & factis errare, etsi non in dogmatibus fidei è cathedra definiendis, vt docent S. August. & passim Theologi. Deinde necdum erat hæc petra iacta in fundamentum, sed iacienda demum post resurrectionem Christi: ac proinde poterat iam adhuc aduersari Christo, inquit S. Hieron.

* *Zach* 3. v. 1.

℣. 24. SI QVIS VVLT POST ME VENIRE, id est, me imitari, meus discipulus, meus sectator fieri, & ciuis regni cælorum: liberum id cuique, sed saluari volenti necessarium, siue princeps sit, siue plebeius; doctus, idiota; vir, femina, senex, iuuenis; oportet ABNEGET SEMETIPSVM] id est, habeat se quasi qui (stulto mundi iudicio) omnino non norit, id est, non amet, non diligat semetipsum: vel vt habet Lucas, *qui oderit* (*a*) *animam suam*, id est, iudicium voluntatemque suam propriam, quæ & quatenus non consonant voluntati diuinæ. De *cruce, de perdenda anima*, iam suprà (*b*) exposui.

a *Luc.* 14. v. 26.

b *Matt* 10. v 38.

℣. 26. QVAM COMMVTATIONEM, quod lytrum, DABIT HOMO PRO ANIMA SVA semel apud inferos capta, semel diuino iudicio damnata. q.d. Damnum est irreparabile.

℣. 27. FILIVS ENIM HOMINIS, id est, ille ego, etsi agendus à Iudæis in crucem, suo tamen tempore VENTVRVS sum ad vniuersale totius orbis iudicium, IN, seu cum, GLORIA PATRIS mei, id est, ea gloria, dignitate, maiestate quâ Pater est conspicuus; reddamque tunc iustam cuique pro meritis mercedem ac præmium. Et verò

℣. 28. SVNT QVIDAM DE HÎC STANTIBVS Apostolis meis, QVI NON GVSTABVNT MORTEM, DONEC VIDEANT FILIVM HOMINIS, saltem ex parte aliqua VENIENTEM, seu apparentem; IN REGNO SVO glorioso, de quo iam dixi, nempe eo splendore, claritate, magnificentia quâ venturus est ad iudicium. Id præstitit Christus Primò, in Transfiguratione quam idcirco omnes Euangelistæ statim huic promissioni subnectunt. Secundò, in apparitione tam frequenti post resurrectionem, & in ascensione in cælum. Vide S. Hilarium, Hieron. Chrysost. & Ambros. Hinc *Ioannes* (*c*) & *Petrus*, (*d*) palàm testantur vidisse se gloriam Christi, cuius hîc promiserat specimen aliquod quibusdam discipulorum suorum breui exhibendum.

c *Ioan.* 1. v. 14. d 2. *Petri* 1. v. 16.

CAPVT XVII.

Christus in monte transfiguratur: sed iubet hoc premi silentio donec à mortuis resurrexerit. Dicit venturum Eliam ante extremum iudicium: imò mysticum Eliam, Ioannem Baptistam, iam venisse. Puerum lunaticum curat, quem discipuli defectu fidei curare nequiuerant. Passionem suam rursus prædicit. Didrachmam census annui pro Petro soluit, statere in ore piscis inuento.

℣. 1. POST euolutos à recenti promissione DIES SEX integros, (nam Lucas (*e*) id fa-

c *Luc.* 9. v. 28.

Actum dicit *ferè* octauo) sexta Augusti mensis, die Dominica, vt in Chronico dixi, ASSVMIT tres sibi familiariores Apostolos, ET DVCIT ILLOS IN MONTEM EXCELSVM. Communis opinio est de *Thabor*, vnde & Christianis hoc nomine sanctus & peregrinatione celebris est, inquit S. Hieron. Addit Beda, pro tribus tabernaculis tres ibi constructas fuisse ecclesias. Ex Marco tamen colligi videtur, non fuisse montem Thabor, qui est in medio Galilææ, nam concludens hanc historiam, dicit Christum, eiusque discipulos, dum ex loco, vbi transfiguratus fuerat, abeunt, *prætergressos* (*f*) esse *Galilæam*: dicturus, egressos Galilæâ, si istic transfiguratus fuisset. Fortè ergo *Libanus* mons fuit, quia hîc imminet Cæsareæ Philippi, in cuius finibus videtur Christus (*g*) tum versatus fuisse. Hic enim teste S. Hieron. celsissimus est omnium montium Palæstinæ: & de illo prædixit Isaias. *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron: ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri.* ita Franciscus Lucas.

Chron. c. 49.

f *Matt* 9. v. 29.

g *Matt.* 16. v. 13. *Hieron. in Zach.* 11. *Isa.* 35. v. 2.

℣. 2. TRANFIGVRATVS EST] græcè μετεμορφώθη, id est, figura exterior mutata est in aliam longè splendidissimam, seu, vt Theophyl. exponit, manente charactere, id est, lineamentis & proportione, qualis antè erat, ineffabilis lucis accessit augmentum. Addit S. Lucas, (*h*) transfiguratum fuisse *dum oraret*; vt nos doceat efficaciam & fructum orationis.

h *Luc.* 9. v. 29.

Notat Euthymius, S. Thomas, & Caietanus, hunc splendorem non aforis Christo accessisse (vt olim Moysi (*i*) ex consortio sermonis diuini) sed ab intus, ex diuina ipsius natura in humanam, ex anima, in corpus, morali quadam, & connaturaliter ipsi debita emanatione (quæ toto reliquo vitæ tempore, ne passio Christi præpediretur, quasi perpetuo miraculo repressa fuit:) denique ex corpore in VESTIMENTA profluxisse: vnde FACTA SVNT non tantùm ALBA SICVT NIX, id est, albissima, sed & *refulgentia*, vt addit Lucas. (*k*) Nempe voluit Christus specimen hîc aliquod præbere dotis *claritatis* corporum glorioforum, (vt suprà (*l*) præbuerat *agilitatis*, & aliquando etiam *subtilitatis* (*m*) & incorruptionis, (*n*) vt hac ratione diuinitatem suam Apostolis, & per Apostolos nobis certiùs probaret: simul vt omnes ad crucem pro Euangelio fortiter subeundam, spe similis gloriæ in resurrectione pro præmio donandæ, animaret, inquit S. Leo.

i *Exod.* 34. v 29.

k *Luc. sup.*

l *Matt* 14. v. 25 & 29

m *Luc.* 4. v. 30.

n *Matt* 4. v. 2.

Leo serm de transfigur.

℣. 3. ET ECCE APPARVERVNT ILLIS MOYSES ET ELIAS: addit Lucas, *in*, seu cum *maiestate*; græcè, *cum gloria*: CVM EO LOQVENTES *de excessu* per crucem ex hac vita, *quem* octauo (*o*) post mense *completurus erat in Ierusalem.*

o *Chron.* c. 49.

Petes. Cur hi potiùs apparent quàm alij? Respondeo Primò, vt constaret, Iesum non esse *Eliam* aut vnum ex alijs Prophetis, v. g. Moysen, vt vulgus (*p*) opinabatur: sed Prophetarum omnium dominum Messiam & Filium Dei. Secundò, vt Moyses legislator, & Elias Prophetarum princeps coràm manifestarent, se olim Christi legatos fuisse, & iam adesse vt palàm faciant, legis vmbras ac figuras, omniaque Prophetarum oracula in Christo, tamquam omnium scopo & fine, terminari & compleri, inquit S. Hieron. Chrysost. & Ambros. Tertiò, vt præ omnibus virtutibus, mansuetudo Moysis, & zelus Eliæ, Apostolis commendaretur, quæ spe similis gloriæ imitarentur, inquit Euthymius.

p *Matt.* 16. v. 14.

Petes Secundò, An in propriis corporibus apparuerint? Negant S. Thomas, Liranus, Abulensis & Salmeron, qui dicunt corpora fuisse aërea.

Sed

Sed malo affirmare cum Tertull. Origene, S. Hieron. & Irenæo, cùm deceret, in tam splendido testimonio omnia solida esse & sincera. Et hoc tam facile sit Deo, quàm alterum. Quod Glossa (a) dicit, *angelos* fuisse, Suarez erroneum affirmat.

a *Glossa in Luc. 9.*

Petes Tertiò, Quo signo agnouerint illos Apostoli? Respondeo Primò, ex specie externa, seu habitu quo in SS. litteris describuntur. v.g. Moyses ex facie nimio lumine (b) cornuta, vel ex duabus tabulis (c) legis: Elias ex curru (d) igneo vel zona (e) pellicea. ita Drutmarus hic ex Origene. Secundò, ex colloquio, quo nomina sæpè ingeminantur. Et volunt quidam, etiam Apostolos ab ipsis compellatos fuisse, dicente forsan Moyse, hic est de quo dixi, (f) *Prophetam de gente tua, sicut me, suscitabit tibi Dominus: ipsum audies.* Tertiò, & præcipuè, ex inspiratione diuina, inquit Tertullianus.

b *Exodi 34. v. 29.*
c *Ibid.*
d *4. Reg. 2. v. 11.*
e *4 Reg. 1. v. 8.*
f *Deut. 18. v. 15.*

℣. 4. RESPONDENS AVTEM, id est, (g) sermonem inferens Petrus, cùm nempe videret *discedentes* à Christo Moysen & Eliam, (vt addit Lucas,) (h) detinendorum illorum auidus, simul & continuandæ voluptatis & gaudij ex præsenti illorum consortio & gloria Christi, promptum se suosque socios offert ad perpetua istic TABERNACVLA, seu tentoria figenda tam gratis hospitibus. *nesciens, (i) quid diceret.* Quid enim Petre, putas Sanctis opus esse tentorijs tuis? putas triumphum tibi dandum ante victoriam, coronam ante certamen? aut vis tibi soli tuisque duobus socijs detinere Saluatorem destinatum orbi vniuerso? an ex colloquio non audisti, Ierosolymam ad crucem eundum, & regnum morte parandum? nescis, abeundum omnino Moysi & Eliæ, id est, legis ac Prophetarum vmbris, vt solum Euangelium (k) cum Christo conspicuum maneat?

g *Matt. 11. v. 25.*
h *Luc. 9. v. 33.*
i *Luc. ibid.*
k *Matt. 11. v. 13.*

℣. 5. HIC EST FILIVS MEVS DILECTVS, IN QVO MIHI COMPLACVI, (suprà (l) expositum est:) IPSVM AVDITE, cui iam vidistis legem & Prophetas cedere, quasi suo munere perfunctos. *Ipsum audite*, os & verbum meum diuinum, in quo sunt omnes thesauri (m) scientiæ & sapientiæ meæ. Ipsi obedite, credite, seruite, non secùs ac mihi ipsi, quæcumque demum & quantumcumque ardua vobis imposuerit, aut difficilia creditu proposuerit. Ipsi, inquam, & nulli alteri, qui ab ipso vel tantillum dissideat, adhærete.

l *Matt. 3. v. 17.*
m *Coloss. 2. v. 3.*

℣. 9. NEMINI DIXERITIS VISIONEM] Causas suprà (n) protuli.

n *Matt. 16. v. 20.*

℣. 10. SCRIBÆ DICVNT, QVOD ELIAM OPORTEAT PRIMVM VENIRE] id est, priùs quàm veniat Christus. q d. Cur ergo iterum in paradisum suum abscessit, & non potiùs mansit hîc nobiscum, vt te præcurrat? Respondet Iesus distinctione duplicis personæ Eliæ.

℣. 11. ELIAS QVIDEM (vt rectè docent Scribæ) VENTVRVS EST, & præcurret aduentum meũ, sed secundum ad iudicium extremum: tunc enim comparebit *Elias* Thesbites, vnà cùm Henoch, ET RESTITVET (o) OMNIA, id est, omnes reliquos Iudæos reducet ad me, meumque ouile, seu Ecclesiam. Sed qui primum aduentum meum præcurrere debebat, non est Thesbites, sed alius ELIAS (p) non nomine, sed re & virtutibus: is IAM pridem VENIT, nempe Ioannes Baptista, vt (q) alibi dictum. Et ita corruit argumentum Marlora-

o *Malach. 4. v. 5. & Rom. 11. v. 14. c. 14. v. 9.*
p *Malach. 3. v. 1.*
q *Matth. 11. v. 14. c. 14. v. 9.*

A ti & aliorum hæreticorum, hinc volentium colligere, non esse expectandos Eliam & Henoch tempore Antichristi. Nam hic expressè dicitur *venturus* adhuc Elias, vt & Apocalypsis 11. vers. 6. & Eccli. 48. vers. 10. & Tertull. Irenæus, Hieron. Chrysostomus, Augustinus, Gregorius, & alij SS. Patres vnanimiter id affirmant.

℣. 14. De curato lunatico (r) & alijs eò spectantibus vide Marci 9. vers. 17.

r *Matth. 4. v. 24.*

℣. 19. SI HABVERITIS FIDEM ac fiduciam de ope diuina vobis affutura, SICVT GRANVM SINAPIS, id est, humilem, minimeque elatam exteriùs, sed intus viuam, acrem, feruidam. Vt enim patrationi miraculorum officit diffidentia, ita prorsus aduersatur superbia & fastuosa præsumptio. ita ferè Origenes, Hieron. & Beda. Exempla efficacis fidei recenset Apostolus ad Hebræos 11. Et tali fide Gregorius Neocæsareæ Episcopus montem qui templi fabricam impediebat, ad litteram recedere fecit, teste Eusebio & Beda: & alius idem præstitit in Tartaria, vt refert Marcus Paulus Venetus.

Euseb. l. 7. Hist. c. 5. Mar. Paul. Ven. in sua Tartaria.

℣. 21. Iterum (f) inculcat discipulis passionem, mortem & resurrectionem suam.

f *Matth. 16 v. 21.*

℣. 23. DIDRACHMA, vel didrachmum medius erat siclus, medius stater, medius florenus Belgicus, vt alibi (t) dixi. Hoc tributum iusserat semel iterumque pendi Deus in vsus necessarios tabernaculi, & quoties contingeret Israelitas recenseri, vt dixi Exodi 30. vers. 12. Sed Iudæi id vltrò traxerunt in consuetudinem quotannis tantumdem persoluendi, vt ibidem notaui. Quod Imperatores Romani Iudæâ (u) subactâ, deinceps u in rem suam traxerunt, (x) & capitatim solui pertinuò iusserunt.

t *Proleg. de ponderibus.*
u *Chron. 44. & 45.*
x *Matt. 22. v. 17. & Ilic v. 24.*

℣. 25. FILII regum cum sua familia LIBERI SVNT à tributo pendendo: quantò magis ego (qui Regis regum naturalis sum filius) cum mea familia, meisque Apostolis, immunis ero ab omni tributo? ita S. Augustinus. Non tamen hinc sequitur, vt volunt nonnulli Canonistæ, Clericos omnes, eò quòd sint adoptiui filij Dei, iure diuino liberos esse ab omni tributo. Nam pari iure omnes etiam iusti, imò omnes Christiani, exempti essent, vt volunt Anabaptistæ, quod repugnat Apostolo ad Roman. 13. vers. 7. Et illa adoptio est hereditatis & ordinis cælestis, non terreni. Rectè tamen & appositè ad hoc Christi dictum, principes sæculares exemerunt Ecclesiasticos à tributis, eò quòd peculiariter sint quasi de familia Christi, vt vult S. Hieronym. & Theologi passim.

Aug. l. 1. qq. Euang. c 23

℣. 29. IN ORE PISCIS INVENIES STATEREM, (y) id est, tetradrachmum, seu quatuor regales Hispanicos argenteos. Hunc DA EIS PRO ME ET TE] Pro ceteris pretium subministrabunt vel loculi Iudæ, vel amici ditiores. Quia tamen hac cum Christo aliquali comparatione videbatur aliquid Petro quasi primo & proximo à Christo præ ceteris delatum, vt & in omnibus ferè alijs occasionibus fiebat, cœperunt Apostoli de præcellentia contendere initio cap. sequ. ita Origen. Hieronym. & Chrysost. cum suis.

y *Proleg. de ponderib.*

CA-

CAPVT XVIII.

Instar parvuli fiat qui vult intrare in regnum cælorum, cauendúmq; ne cui illorum scandalum cræt. Frater in nos peccans quomodo corripiendus: qui Ecclesiam non audit pro Ethnico habendus. Potestas ligandi & soluendi discipulis omnibus communicatur. Plurium in idem conspirantium oratio commendatur. Integra offensarum remissio, etsi septuagies septies, indulgenda, & quidem ex intimo corde, vt docet parabola regis rationem ineuntis cum seruis suis.

Mar. 9. v. 33. & 34.

¶. 1. ACCESSERVNT DISCIPVLI, sed à Christo conuocati, vt habet Marcus, rogantes, QVIS MAIOR EST, seu maximus erit, & Christo regi, dignitate, honore, auctoritate proximus IN REGNO CAELORVM, id est, in Ecclesia, tum militante, tum triumphante? fingebant enim animo, Christum etiam in terris, saltem mox à resurrectione sua, regnum sibi suisque splendidum, glorioſum, & omni bono refertum, haud dubiè erecturum.

¶. 3. NISI CONVERSI FVERITIS ab ambitioso isto primatus & præcellentiæ desiderio, ET EFFICIAMINI SICVT PARVVLI, id est, quales isti sunt per ætatem, tales vos per voluntatem reddamini, putà humiles, simplices, ambitionis & inuidiæ expertes, omnibus cedentes, nulli vos præferentes, vos pro paruulis, alios pro magnis habentes, &c. NON INTRABITIS IN REGNVM CAELORVM] tantùm abest, primas in eo occupetis. Licet enim desiderium istud primatus verisimillimè non esset peccatum mortale, sternebat tamen eò viam. Et saltem non poterat, quamdiu illud non exuissent, patere illis ingressus in cælum, in quod nihil intrabit (a) inquinatum. Alia longè ad primos honores captanda via.

a *Apoc. 21. v. 27.*

¶. 4. QVICVMQVE HVMILIAVERIT SE SICVT PARVVLVS. iam dixi, Lucas, (b) *Qui minor est inter vos omnes*, id est, omnium humillimus; HIC MAIOR EST, imò maximus erit, IN REGNO CAELORVM, vbi erit felix & constans solidi honoris præcellentia.

b *Luc. 9. v. 48.*

¶. 5. QVI SVSCEPERIT hospitio, vel alio beneficio affecerit, VNVM PARVVLVM TALEM, talibus moribus, tali simplicitate, innocentia, humilitate, qualis hic paruulus est per ætatem, (patet ex antitheſi versus sequentis;) idque IN NOMINE MEO, quia scilicet propter me ita sese exinanit, vel quia mihi deseruit; ME SVSCIPIT, & me suscipientium mercede præmiabitur. S. Lucas habet, *Qui susceperit puerum istum*: nempe agit non tantùm de paruulis animo, sed & ætate, qui in nomine Christi suscipiuntur, quando vel ad baptismum vel ad instructionem in doctrina Christiana promouentur, vel hac de causa beneficio alio afficiuntur.

¶. 6. QVI AVTEM SCANDALIZAVERIT, id est, causam vni tali præbuerit ruinæ in via iustitiæ vel salutis, v. g. qui erronea doctrina, qui irrisione, contemptu, repulsa, dissuasione, malo exemplo, vel vi conatur aliquem à virtutis studio seuocare; EXPEDIT EI VT MOLA non trusatili, vel alia minore quæ manu hominis circumagitur, sed maiore & ponderosiore, qualis est ASINARIA, quæ ab asinis circumagitur; vel qualis est lapis molaris ille grandior, qui alteri in gyrum versando immotus substernitur, & græcè ὄνος, id est, asinus, vocatur; IN PROFVNDVM MARIS DEMERGATVR, id est, grauissimo supplicio expiet hîc scelus suum, potiùs quàm in altera vita ob id æternis gehennæ incendijs mancipetur.

¶. 7. NECESSE EST VT VENIANT (c) SCANDALA; nempe præsuppoſita tanta hominum fragilitate, corruptione, malitia, ambitione. VÆ TAMEN ILLI PER QVEM SCANDALVM VENIT. Necessitas enim iam dicta non vrget, vt ab hoc vel ab illo indiuiduo scandalum detur, sed solùm arguit datum iri ab aliquibus in confuso, ac proinde relinquit vnicuique indiuiduo plenam libertatem: vnde si quis sua libertate peruersè vtatur & scandalum det, meritissimò punietur. Quid verò sit scandalum explicui v. 6. Vti de *manu*, *pede & oculo scandalizante*, suprà c. 5. v. 30. Porrò paruulorum

¶. 10. ANGELI custodes, quorum propria habitatio IN CAELIS est, SEMPER VIDENT FACIEM PATRIS MEI, id est, intimi, coniunctissimi, familiarissimi sunt Deo (vt apud regem esse solent quibus faciem eius continuò videre datur, (d)) proindeque in promptu ipsis est, iniurias clientibus suis illatas & Deo exponere iudici ac vindici, & accepta ab illo potestate continuò vlcisci. Ex hoc & aliis plurimis Scripturæ (e) locis SS. Patres colligunt, Christianos omnes à prima sua natiuitate angelum habere custodem. Nec dubium quin & Ethnicis omnibus idem beneficij præstetur, vt à noxiis præseruari, & ad ea quæ salutem eorum spectant, subinde excitari possint. Nec sola tamen angelorum custodia saluti paruulorum inuigilat, & vlciscitur illatas ipsis iniurias: sed & vnigenito Filio Dei idem incumbit.

d *Esthus. v. 1.*

e *Gen. 48. v. 16. Psal. 33. v. 8. Psal. 90. v. 11. Act. 12. v. 15. Hebr. 1. v. 14. &c.*

¶. 11. VENIT ENIM FILIVS HOMINIS SALVARE (f) QVOD PERIERAT, nempe ad pusillos istos ex diaboli, mortis & inferni faucibus educendos. Quanto igitur furore sæuiet ipse in eos, qui istiusmodi pusillos tanto labore, tanto pretio saluatos, scandalis obiectis, iterum in perditionis barathrum pertraxerint?

f *Rom. 14. v. 15. & 1. Cor. 8. v. 11.*

¶. 12. De *centesima oue* vide Lucæ 15. v. 4. Per illam autem insinuat Christus, nolle se

¶. 14. VT DE PVSILLIS ISTIS vel VNVS PEREAT] græcè ἀπόληται, id est, perdatur, seu scandalis auertatur à via iustitiæ.

¶. 15. SI PECCAVERIT IN TE FRATER TVVS: id est, si quis te offenderit (& simile esto iudicium de quouis alio occulto peccato) ne cogites de vindicta, neque statim publices factum, sed priùs CORRIPE secretò & amicè. Quòd si non iuuerit,

¶. 16. ADHIBE TECVM ADHVC VNVM VEL DVOS] qui diuini honoris & fraternæ salutis æquè studioſi sint, & apud præfractum animum auctoritate valeant. Sic plus ponderis habebit admonitio: vel, si contumax esse pergat, hos saltem habebis idoneos & paratos testes, qui animum eius in scelere obstinatum testentur.

¶. 17. ECCLESIAE] Quo nomine non intelligitur hîc multitudo, seu congregatio fidelium, vt vult S. Hieron. & Anselmus. (Noceret enim potiùs quàm prodesset propalatio criminis apud plebem: & quomodo hanc audiet peccator? quomodo illi obediet?) sed pastor vel Prælatus eius Ecclesiæ, seu congregationis particularis cuius ille membrum est: Prælatus enim repræsentat Ecclesiam, sicut magistratus rempublicam. ita S. Chrysost. Theophyl. Euthym. Imò & Caluinus: & ita habet praxis. Nota, non hîc agi de illa correptione, quâ qui publicè alijs est scandalo, v. g. blasphemus, impostor, maledicus, &c. publicè arguendus est statim; nec etiam de correptione paterna, seu iudiciali, in ordine ad pœnam & reparationem damni illati reipubl. etsi ita senserint Panormitanus, Ioannes Andreæ, Innocentius, Angelus, Armacanus & quidam

c *1. Cor. 11. v. 19.*

quidam alij Iurisperiti) nam hæc ad solos Superiores spectat, sed de fraterna & priuata correptione, quæ ad emendationem proximi tendit, & omnes obligat, quandocumque spes affulget correctionis, & ille non putatur alia via corrigendus. ita S. Thomas & alij Doctores (a) Scholastici. Est enim hoc iuris naturæ, connaturale charitati erga proximum.

a In 2.2. q. 33.

Petes, Quo iure igitur in quibusdam Religionibus hic ordo non seruatur, sed peccatum fratris iubetur immediatè ad Superiorem deferri? Respondeo, Quia Superior istic, quasi alter ego, & pater vtriusque, & in hoc genere prudentior, magisque expertus, subit locum meum, & corripit delinquentem non publicè vt iudex, sed priuatim vt pater. Et hoc gratius esse solet delinquenti, quàm si à confratre suo corriperetur. Quæ inde suboriri videtur leuis infamia, aut æstimationis apud Superiorem imminutio, nullius momenti est, vtpotè apud patrem, honoris filiorum suorum non minùs quàm proprij studiosum. Strictioti verò iuri famæ propriæ censetur quiuis Religiosus tum renuntiasse, cùm Religionem ingrederetur, in qua, vtpote schola & palæstra humilitatis, sciebat eiusmodi legem vigere, & ob maius bonum inde consequens, ab omnibus obseruari debere.

SI ECCLESIAM NON AVDIERIT, SIT TIBI SICVT ETHNICVS, &c.] id est præcidatur à cõmunione fidelium, expellatur à cœtu Christianorum, non ampliùs illum habeas vt fratrem, sed vt insanabilem, noxium & contagiosum peccatorem, ita vt *nec Aue ei dixeris*, 2. Ioannis v. 10. Et verò sententia hæc excommunicationis à vobis factæ, rata erit etiam in cælo. Et in genere

℣. 18. QVÆCVMQVE VOS, vestrique successores Prælati Ecclesiæ, ALLIGAVERITIS SVPER TERRAM, seu interiùs in foro conscientiæ per peccatorum retentionem, de qua suprà: (b) seu exteriùs in foro publico, per excommunicationem; ERVNT LIGATA ET IN CÆLO] & sic ligatus à vobis, & ab Ecclesia eiectus, etiam à me cælesti cœnaculo eiicietur (c) *in tenebras exteriores.*

b Matt. 16. v. 19.

c Matth. 8. v. 12.

Petes, Quomodo ex potestate ligandi suprà (d) colligi potuit primatus Petri etiam supra reliquos Apostolos, cùm eadem potestas hîc omnibus Apostolis communicetur? Respondeo, Quia Petro potestas ligandi etiam reliquos Apostolos data fuit, vtpote totius Ecclesiæ pastori & principi: at Apostolis nulla fuit potestas in se mutuo data, multò minùs in Petrum.

d Matt. 16. v. 19.

℣. 19. SI DVO EX VOBIS fidelibus CONSENSERINT, id est, concordibus animis, votis & precibus postularint aliquid eorum à Deo quæ sæpius vos docui (e) postulare, FIET ILLIS infallibiliter, supple, vel in specie, vel in (f) æquiualenti.

e Matth. 6. v. 9. f 1. 7. v. 8.

℣. 20. VBI ENIM SVNT DVO VEL TRES CONGREGATI IN NOMINE MEO, id est, auctoritate à me accepta, modo à me instituto, item propter me, seu mei causâ, nil nisi me meamque gloriam quærentes (ita Chrysost. Theophyl. Euthymius,) IBI SVM IN MEDIO EORVM] id est, inter eos, ab intus in eis operans, aforis illis assistens, cooperans, dirigens, vt id, cuius causa conuenerunt, infallibiliter consequantur. Quis ergo de infallibili auctoritate pleni & legitimi Concilij possit exinceps dubitare?

℣. 22. SEPTVAGIES SEPTIES] Id est, innumerabilibus vicibus, nempe quoties illum contigerit peccare, *dimitte illi*, supple ex Luca, (g) *si conuerta-*

g Luc. 17. v. 3. & 4.

A tur, seu *pœnitentiam egerit*, id est, si facti pœniteat, & emendationem spondeat. Sed hæc dimissio culpæ non impedit iustam pœnæ impositionem, inquit S. Augustinus, maximè ad præcauendam frequentem recidiuam.

Aug. serm. 15. de verbis Domini.

℣. 24. DECEM MILLIA TALENTA argenti Attica) quorum singula sunt 600. scutorum) faciunt 60. vasa auri, id est, sex milliones scutorum. Hebræa duplum: duodecupulum verò si auri talenta accipias. Ponitur autem hîc à Christo pro summa incomparabiliter maiore quàm sit *centum denariorum*, id est, Iuliorum vel regalium argenteorum: qui si Attici sint, non faciunt nisi 25. florenos Belgicos, seu siclos Hebræos. Supponit Christus seruo isti, tamquam quæstori grandem prouinciam commissam fuisse, vnde tantam summam potuerit regi subtrahere.

B ℣. 34. *Qui* IRATVS TRADIDIT EVM TORTORIBVS] Solebant enim iure Romano antiquo (cui etiam Iudæi tempore Christi obstringebantur) debitores à creditoribus in ergastulum compacti flagris sæpe & plumbatis excipi, & aliis tormentis cruciari. Durauitque mos iste vsque ad Constantinum Magnum, qui abiectibus plumbatorum debitores exemit.

℣. 35. SIC ET PATER MEVS CÆLESTIS FACIET VOBIS, SI NON REMISERITIS VNVSQVISQVE FRATRI SVO] Non quòd repetet debitum semel remissum (hoc enim alienum est ab infinita eius misericordia, cuius opera sunt sine pœnitentia:) sed quòd non remittet, imò seuerissimè puniet ingratitudinem & inhumanitatem illam, quâ post acceptam à Deo tantorum scelerum tam liberalem condonationem, membro seu filio ipsius, nempe proximo tuo, negas remissionem leuis offensæ in te admissæ. Quæ vel sola inhumanitas &

C ingratitudo respectu tam leuis offensæ proximi æquiparari posset decem millibus talentis: vt quælibet iniuria mortifera in Deum, quasi infinitis gradibus excedit iniuriam leuem in nos admissam. Vide S. Chrysost. Theophyl. & Euthymium.

CAPVT XIX.

Docet matrimonij vinculum esse indissolubile: triplicis esse generis eunuchos: paruulos non contemnendos: neminem absolutè bonum esse nisi solum Deum: mandatorum obseruationem necessariam ad salutem, sed ad perfectionem assequendam requiri insuper vt omnia relinquas & Christum sequaris.

℣. 3. LICETNE vnicuique per libellum repudij DIMITTERE VXOREM SVAM QVACVMQVE EX CAVSA, siue iusta, siue iniusta: siue graui, siue leui, pro arbitrio & libito cuiusque? Vulgò ita opinabantur Iudæi, teste Iosepho. Sed lex id non

D concesserat nisi in casu fœditatis vel physicæ, vel moralis, vt in Deuteronomio explicui. Deuter. 24.

℣. 4. AB INITIO FECIT EOS Deus MASCVLVM ET FEMINAM] Id est, in prima rerum creatione, Genes. 1. de nullis aliis animantibus, licèt gemino sextu creatis, sed de solo homine dicitur vers. 27. quòd masculum vnum cum vna femina coniugarit. ita S. Hieron. Chrysost. & Theophyl. Ex quo patet, Deum ab ipso statim rerum initio monogamiam & quidem indissolubilem inter coniuges instituisse, inquit S. Augustinus. Vnde & Deus, per Adamum, vel saltem per Moysen locutus,

v. 1.

℣. 5. DIXIT Genesis 2. v. 24. PROPTER HOC, quia masculus vnus vni feminæ vinculo matrimonij iunctus est à Deo, & simul quia prima primi viri

viri vxor ex ipsiusmet viri ossibus & carne prodiit, & ex vno facti sunt duo; DIMITTET HOMO posthac omnibus futuris sæculis PATREM suum ET MATREM, si non possit horum simul & vxoris vti consuetudine & conuictu, ET ADHÆREBIT VXORI SVÆ; græcè *adglutinabitur*, scilicet cohabitatione, familiari conuersatione & individua vitæ societate: ET ERVNT DVO IN CARNE VNA; hebraismo, id est, vna caro, & velut vnus homo: non absolutè ad omnem effectum, seu naturalem, seu supernaturalem, seu ciuilem, sed in ordine ad procreationem prolis per congressum maritalem, ad quem tamquam vnius corporis duo membra concurrunt, ex duabus partibus imperfectis (vt Plato aiebat) in ordine ad generationem, constantes quasi vnum hominem perfectum.

℣.6. QVOD ERGO DEVS CONIVNXIT; græcè, συνέζευξεν, id est, coniugauit, seu in vnum iugũ copulauit (vnde & *coniuges* & *coniugati* dicuntur) HOMO NON SEPARET: id enim esset & contra institutionem Dei, & contra naturam: perinde ac si vnam carnem, vnam personam diuideres in duas partes, inquit S. Chrysost. Ex quibus patet, monogamiam & insolubilitatem matrimonij esse iuris naturæ, sic à Deo (omnium auctore & domino) institutæ, ad hoc vt maior esset coniugum amor, & commodior prolium educatio: nec, nisi dispensante Deo, & ius naturę quasi remittente, licuisse polygamiam ad tempus, & libellum repudij, seu diuortium, & dissolutionem matrimonij, idque

℣.8. AD, seu ob, DVRITIAM CORDIS VESTRI] Nisi enim permissum id vobis fuisset, maiora mala patrassetis, v. g. vxoricidia, apostasiam à lege & à Deo, &c. vt alibi (*a*) dixi. Sed iam, quia legem instauraturus, completurus & perfecturus veni, seuerè deinceps prohibitum volo. Desidero enim vt, quemadmodum initio naturæ rectè à me institutæ, ita & deinceps matrimonium typus sit insolubilis vnionis hypostaticæ diuinæ personæ meæ cum humana natura, item nuptialis coniunctionis mei cum Ecclesia mea: ac proinde vt sit indissolubile.

a *Deut. 24. v. 1.*

℣.9. DICO ergo, QVICVMQVE DIMISERIT VXOREM SVAM, ET ALIAM DVXERIT, non init verum matrimonium, sed mœchiam, seu adulterium committit. Ita sine vlla exceptione habent Marcus (*b*) & Lucas & exponit S. Paulus (*c*) & Concilium Tridentinum. Et hîc etiam in sequenti parte versiculi omittit omnem exceptionem Matthæus, cùm ait, ET QVI DIMISSAM DVXERIT, MOECHATVR] Et certò omittendam, vel ex eo constat, quòd alioqui quæ ob fornicationem, seu adulterium dimitteretur, melioris esset conditionis, (vtpote quæ posset alteri viro nubere,) quàm quæ citra crimen aut culpam suam dimitteretur, quia hæc alteri nubere non potest. Voluit tamen Matthæus in priori versiculi parte excipere casum *fornicationis*, vt ostenderet, plenè ac solidè à Christo responsum esse petitioni Pharisæorum, scilicet non *quacumque ex causa*, sed OB solam FORNICATIONEM) subaudi, vel aliud grauius (*d*) crimen) licere diuortium facere; diuortium, inquam, non quoad vinculum matrimonij, quod ex natura sua (quam fornicatio non immutat) hactenus probatum fuit esse insolubile: sed quoad thorum seu cohabitationem. Atque ita corruit Achilles Græcorum, & nostrorum hæreticorum, item Catarini, Caietani & Erasmi, qui volebant ex hoc loco probare, licere in casu fornicationis, seu adulterij, ad alias nuptias deuolare.

b *Marc. 10. v. 11. Luc. 16. v. 18.* c *1. Cor. 7. v. 10. & 11. Trident. sess. 24. canon. 6. & 7.*

d *Cap. Meretrices, causa 32. q. 4.*

℣.10. SI ITA CAVSA EST HOMINIS CVM VXORE, vt ab illa, quantumuis aspera, morosa, rixosa, prodiga, fœda, morbida, &c. expedire te pro libito non possis. NON EXPEDIT NVBERE, id est, vxorem ducere, vt Syrus habet.

℣.11. NON OMNES CAPIVNT VERBVM ISTVD, id est, rem istam, scilicet continentiam ab vxore. Non dicit, *capaces non sunt*, vt voluit Origenes & Nazianzenus, & auidè arripiunt Bucerus ac Caluinus, ceterique hæretici: sed χωροῦσι, id est, non accipiunt, seu non admittunt (instar vasis) in se, nempe amplectendo & fouendo, vt Auctor imperfectt & alij Catholici exponũt. Multi enim implent ita animum spurcis cogitationibus, desideriis & variis æstuosæ libidinis irritamentis, vt diuinum castitatis liquorem non capiant, non admittant. SED ij soli capiunt QVIBVS DATVM id EST à Deo. Datur autem (sicut aliæ quælibet virtutes) cuique petenti, quærenti, pulsanti, id est, feruenter ac perseueranter à Deo deposcenti, & pro virili sua adlaboranti. Cùm enim duo ad id concurrere debeant, nempe gratia, seu auxilium Dei, & electio ac studium hominis, prius istud omnibus paratum est, sed posterius plurimis deest. vnde pauci capiunt illud, putà

℣.12. EVNVCHI, (*e*) non QVI DE MATRIS VTERO SIC, id est, testibus trunci, vel frigidi *nascuntur*, nec spadones QVI AB HOMINIBVS iniuriam, excisis, contusis vel attritis testibus, passi sunt: sed QVI SEIPSOS CASTRAVERVNT, non physicè, sed moraliter, sicut suprà (*f*) dixit pedem ac manum præcidendam, oculum eruendum, nempe ita abstinendum vsu horum membrorum, cùm ad peccandum pruriunt, ac si verè quis mancus, decoculus, aut spado foret. Et hæc castratio fit vel voto, vel saltem firmo proposito, quo quis impotentiam saltem moralem sibi inducit ad actum venereum. ita S. Hieron. August. Epiphanius & Fulgentius contra Origenem & quosdam hæreticos, quos (*g*) S. Augustin. Valesios appellat, qui contra legem diuinam & naturalem, quâ prohibetur omnis mutilatio saltem non necessaria, nec vtilis, seipsos physicè castrabant, quod teste S. Chrysost. imò Ecclesiastico, (*h*) itemque Galeno, Cælio, & aliis, pruritum carnis & appetentiam venerearum non restinguit, valetudinem verò vireſque tum animi, tum corporis notabiliter accidit. Vtitur autem Christus vocula *castrauerunt*, vt indicet, dolorem aliquem & luctam carnis subeundam. Addens verò, *seipsos*, ostendit, ita esse donum Dei (sicut antè dixerat) vt tamen in nostra sit potestate & libero arbitrio. Vnde & inuitat mox omnes ad rem tam nobilem, eximiam ac sublimem, arduam quidem, sed tamen possibilem, heroico animo capessendam: QVI POTEST CAPERE, CAPIAT. Qui potest à seipso, Dei gratia adiuto, impetrare vt velit capere, capiat; tentet, audeat; nihil deerit ex parte Dei: seipsum, si voluerit, superabit, vincet, triumphabit, & insignem in cælo aureolam obtinebit, si in proposito constanter perseuerarit: PROPTER REGNVM CÆLORVM non modò commodiùs prædicandum, (vt Caluinus exponit) sed & altiori gradu promerendum, & faciliùs obtinendum, vt S. Paulus (*i*) insinuat, & S. Hieron. Ambros. Chrysost. alij fusè probant.

e *Gen. 17. v. 36. & Isa. 39. v. 7.*

f *Matth. 5. v. 30. & c. 18. v. 8.*

g *Aug. de haer. c. 57.*

h *Eccli. 30. v. 21. Cælius l. 4. Lect. antiq. c. 7. Lis. c. 9.*

i *1. Cor. 7. v. 32.*

℣.13. OBLATI SVNT EI PARVVLI, VT MANVS EIS IMPONERET, id est benediceret, ET Deum pro illis ORARET] Hauserant hunc ritum Hebræi

ex

ex facto Iacobi Patriarchæ Geneſ.48 v.14 & monito Eccleſiaſtici cap.3.v.10. Et Chriſtianis valdè commendat Auctor imperfecti.

Luce 18. v.18. ✠. 16. ECCE princeps VNVS, inquit Lucas, (*a*) ACCEDENS genu flexo ante eum, vt addit Mar-
b Marc. 10 v.17. cus, (*b*) AIT, MAGISTER BONE, &c.

✠. 17. QVID ME INTERROGAS DE BONO? Marcus & Lucas, & pleraque Græca hîc, *Quid me dicis bonum?* VNVS; ſeu vnicus, EST BONVS, DEVS] ſcilicet ex natura ſua & propria eſſentia neceſſariò, abſolutè, infinitè, immutabiliter, vndequaque bonus, fons, origo, cauſa omnis creati boni, vt dixi Exodi 3. v. 14. Hic princeps non credebat Chriſtum eſſe Deum: vnde Chriſtus laudem ſibi adſcriptam dicit ſoli Deo deberi. q. d. Vel fatearis me eſſe Deum, vel noli tali titulo me honorare.

✠. 19. DILIGES PROXIMVM TVVM] Supple, ſed & præ omnibus Deum. Neque de hoc dubium erat vllum.

✠. 21. SI VIS PERFECTVS ESSE, & perfectiſſimo modo charitatem in Deum exercere, & ſic ad ſublimiſſimum cæleſtis gloriæ gradum pertingere: VADE ſtatim, ET amore Dei VENDE, ſeu aliena quæcumque HABES temporalia bona, ſcilicet ſimul & ſemel pro ſemper. En alterum conſilium Euangelicum, nempe *paupertatis*: nam conſilium *caſtitatis* ſuprà v. 12. tradidit. Et tertium *obedientiæ* mox hîc ſubiungit; dum ait. SEQVERE ME, futurus mihi ſubditus & diſcipulus perpetuus. Hæc tria vt aptiſſima media ſeu inſtrumenta ad exercendam charitatem, & quæ in charitate conſiſtit perfectionem aſſequendam, vt S. Thomas docet, (*c*) propo-
c 2. 2. q. 184. a. 3. nit hîc Chriſtus. Et Apoſtolos etiam voto ſe ad
Aug. l. 17. de Ciuit. c. 4. hæc obſtrinxiſſe, docet S. Auguſt. Idemque ipſummet Chriſtum Dominum feciſſe, ex variis Scriptu-
d Hic v. 27. Lu. 14. v. 33. Pſal. 21. v. 26. & c. Salmeron tom. 5. tract. 4. Suarez 3. p. q. 40. diſp. 20. ſect. 2. ræ (*d*) locis colligunt Salmeron & Suarez.

✠. 24. CAMELVM, animal vaſtum, gibboſum, tortuoſum, PER FORAMEN quod ACVS vel habet, vel facit, TRANSIRE FACILIVS EST, QVAM DIVITEM diuitiis animo & affectu immerſum ſaluari. Hoc prouerbio, inquit Angelus Caninius, deſignabant Hebræi aliquid naturaliter eſſe impoſſibile. Neque alio modo ſaluationem diuitis hîc dicit Chriſtus *impoſſibilem* eſſe, quàm APVD HOMINES, ſeu humanis & naturalibus viribus: APVD DEVM enim, id eſt, diuina virtute, ſeu viribus ſupernaturalibus, vtrumque non modò *poſſibile*, ſed & facillimum eſt, nempe & diuitem auelli ab affectu diuitiarum, & ſic ſaluari: & camelum per foramen acus tranſire, contrahendo totam cameli ſubſtantiam in punctum, vt contrahitur corpus Chriſti in SS. Euchariſtia.

✠. 27. ECCE NOS OMNIA, vxores, retia, naues, & quæcumque ſperare poteramus, RELIQVIMVS tum affectu, tum reipſa, ſemel pro ſemper, ET SECVTI SVMVS TE] En omnia conſilia Euangelica ab Apoſtolis completa, etiam addito voto, inquit S. Au-
Hic v. 21. guſtinus ſuprà. (*e*)

✠. 28. IN REGENERATIONE, id eſt, in vniuerſali reſurrectione, quæ quia corporis humani, totiuſque mundi renouatio erit, meritò *ſecunda generatio* vocatur. Vide Ezech. 37. SEDEBITIS ET VOS SVPER SEDES, ſeu thronos ex ſplendidiſſima nube angelorum miniſterio compactos, ſinguli in ſingulis thronis, primi & proximi Chriſto iudici aſſeſſores, imò & ipſi propriè dicti iudices, ex quorum, vtpote præcipuorum regni principum, conſilio & calculo, ſummus iudex Chriſtus ſententiam feret. Æquum enim, vt qui in terris totos ſe vocandis

A conuertendiſque hominibus, negotiiſque regni Chriſti promouendis impenderunt, ipſi quoque in iudicio præmia obſequentibus, refractariis ſupplicia decernant quæ olim addixerant. IVDICANTES DVODECIM TRIBVS ISRAEL, id eſt, omnes Iudæos, & qui Iudæis inſerti ſunt & ſucceſſerunt fideles ex Gentibus, vt notat Theophyl. & Euthymius. Infidelium non fit hîc mentio, quia *qui non credit; iam iudicatus* (*f*) *eſt*. Sed Nota hîc numerum duodenarium tam in iudicibus, quàm in iudicandis, definitum poni pro indefinito. Nam præter duodecim Apoſtolos, etiam S. Paulus, (*g*) non ſe tantùm, ſed & plures ex Corinthiis dicit iudicaturos, non modò duodecim tribus, ſed & vniuerſum mundum, quin & ipſos etiam angelos. Et idem honos iudiciariæ poteſtatis manet omnes Apoſtolicos viros, nempe qui relictis terrenis bonis Chriſto indiuidui mente adhærent, eiuſque regnum & Euangelium quibus poſſunt modis propagant. ita S. Hieron. Auguſt. Greg. & alij Patres. Antoninus & Suarez negant, & meritò, hanc prærogatiuam dandam tepidis & imperfectis, etſi Religioſis.

f Ioan. 3. v.18.

g 1. Cor. 6. v.2. & 3.

✠. 29. QVI verò non omnia ſua, ſed tamen aliqua, v. g. DOMVM, PATREM, FRATRES, &c. RELIQVERIT PROPTER NOMEN MEVM, id eſt *propter me*, vt habet Marcus, *& propter Euangelium*, id eſt, vt fidem & doctrinam Euangelij diligentiùs obſeruet, mihique meliùs ſeruiat & magis placeat, inquit Origenes, Ianſenius & alij; CENTVPLVM; græcè, *centuplicia*, ACCIPIET; addit Marcus, (*b*) *nunc in tempore hoc*: & mox exponit non de ſolis ſpiritualibus bonis, interna conſolatione, gaudio, pace (etſi hæc longè ſuperent & abundè compenſent omnia terrena bona pro Chriſto relicta:) ſed etiam de corporalibus: dicit enim accepturum centuplo plures *domos, fratres, matres*, &c. id eſt, reperturum plurimos fideles qui amorem, curam, opem, ſolatium tantum illis impendant, quantum centũ fratres, patres, matres, vxores, filij impendere poſſent; centum etiam domos, & centum agrorum prouentus, ſi opus ſit, ſubminiſtrent: & quidem *cum perſecutionibus*; adeò vt ipſæ quoque tyrannorum perſecutiones, tamquam inſigne beneficium, teſte Paulo, (*i*) pro acceſſorio mercedis accedant: vel *cum perſecutionibus*, id eſt, etiam in mediis perſecutionibus. Nempe quando videtur homo deſtitui omnium auxilio, diuina prouidentia faciet illum planè contrarium experiri, vt expertos conſtat Apoſtolos, (*k*) & quotidie experiuntur feruentes Religioſi. Quòd ſi ſubinde Deus alias ob cauſas hæc talia ſubtrahit ad tempus, ſeipſo qui inſtar omnium, imò ſupra omnia eſt, defectum hunc abundè ſupplet, & ſpiritalibus deliciis ac donis millecuplo compenſat, inquit Origenes, Ambroſ. Auguſtin. Theophyl. Euthymius, Caſſianus. Sed in omnibus iam dictis ſubaudi, ſi cetera requiſita non abſint.

h Mar. 10. v. 30.

i Philip. 1. v.29.

k Act. 4. v. 35.

Caſſian. collat. vlt. c. vlt.

✠. 30. MVLTI, (non tamen omnes) qui in terris ſunt PRIMI, in cælis ERVNT NOVISSIMI, & contrà. Occurrit tacitæ obiectioni Apoſtolorum, quomodo nos viles piſcatores præcellere poterimus tantis tamque illuſtribus viris quibus plenæ ſunt 12. tribus? Reſpondet longè alium meritorum & conditionum reſpectum fore apud Deum, quàm ſit apud homines.

CAPVT XX.

Multos opinione hominum nouissimos primos apud Deum tenere, docet parabola de variis operis in vineam conductis. Passionem suam iterum Apostolis prædicit. Zebedæi filiis primatum ambientibus calicem passionis suæ propinat, & humilitatem docet. Cæcis duobus visum restituit.

¶.1. SIMILE EST REGNVM CÆLORVM] Id est, perinde agit Deus in Ecclesia, atque agit paterfamilias in vinea sua.

Petes, quinam hîc *primi*, quinam *nouissimi* vocati? Plerique sanctorum Patrum intelligunt Sanctos diuersorum graduum & statuum in cælo: nulli enim obfuturum quòd in vltima ætate, seu mundi (vt Hilarius, Theophyl. Gregorius;) seu vitæ suæ (vt Basilius, Hieron. Fulgentius interpretantur) ad diuinum seruitium accesserit: imò hunc præferendum aliis, si maiori gratiæ maiore feruore cooperatus fuerit. Murmur Sanctorum est admiratio eorumdem, inquit Theophyl. & Vasquez. Sed Christus videtur hîc potiùs agere de militante, quàm triumphante Ecclesia. Vnde malo cum eodem Vasquez, Iansenio, Hesselio, Molina & Franc. Luca, per *primos* intelligere Iudæos, per *nouissimos* Gentiles & Christianos. Iudæi enim sub grauissimo legis pondere tot sæculis æstuantes *denarium diurnum*, id est, pro opera diei vnius pendi solitum, putà mercedem operibus legis Mosaicæ addictam, acceperunt quidem: sed nihilò minorem, imò multò lauriorem mercedem accipiunt Christiani sub suauissimo legis nouæ iugo modicè laborantes: vt enim opera horum Deo sunt gratiora, ita ampliore etiam præmio compensantur. Pari sensu cap. sequ. v.31. dicit Christus Iudæis, *Publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei*: & Lucæ 13. v. 29. *Venient ab Oriente*, &c. Vnde & murmurant, quòd, cùm primi essent & vocatione, & operâ, & publica æstimatione, non tamen præponantur aliis longè quoad hæc omnia posterioribus.

¶.12. HI NOVISSIMI non nisi VNA HORA FECERVNT opus, id est, parum admodum laborauerunt respectu nostri, ET tamen PARES ILLOS NOBIS FECISTI] Cum his murmuratoribus murmurat etiam Iouinianus, & moderni quoque hæretici non pauci, ex vno omnibus persoluto denario concludentes, præmia meritorum omnium esse æqualia. Sed falluntur: nam in hoc solùm seruit hîc vnitas, seu par quantitas denarii, vt indicetur, compensatum iri singulis integrè laborem anteacti diei, seu partis diei. quæ compensatio fieri potest denariis, seu nummis quoad substantiam valdè inæqualibus, prout merita singulorum etiam in pari labore possunt esse valdè (a) inæqualia. Solent autem tum in hæc, tum in aliis parabolis multa adiici solius ornatus gratiâ, quæ proinde non debent necessariò accommodari.

a Matth.19. v.21.28.&c

¶.16. MVLTI SVNT VOCATI. Ex parte enim Dei & Christi omnes vocati sunt, Matth.11.v.28. *Venite ad me omnes*. & de facto multi vocantem etiam secuti sunt ad fidem & iustitiam. PAVCI tamen ELECTI ad æternam gloriam: quia longè maior pars non obedit vocanti, & venire recusat: multi etiam eorum qui venerant, rursus aufugiunt: atque ita pauciissimi respectu pereuntium reperientur sub finem temporis qui seligentur ad gloriam cælestem.

¶.21. DIC, id est, statue, decerne (tuum enim id est, vtpote summi regis,) VT HI DVO FILII MEI, A cognati (b) tui SEDEANT IN REGNO TVO, tibi vtrimque proximi. Alludit à filiis instructa mater, ad promissionem suprà (c) Apostolis à Christo factam, *Sedebitis & vos super sedes duodecim*. &c.

b *Chron. c. 46. in fine tabul. 4.*

c *Matt. 19. v. 28.*

¶. 22. NESCITIS QVID PETATIS] multis erroribus implicita est petitio vestra. Primò, putatis regnum meum futurum mundanum, & ambitioso gentium more adornandum. Secundò, existimatis vos hoc statu idoneos esse meo regno: petitis triúphum ante victoriam. Tertiò, arbitramini, sanguinis adnati prærogatiua vel precum ambitu primas huius regni impetrari: cùm potiùs effuso sanguine comparari debeant, vt exemplo meo mox videbitis.

POTESTIS ergo BIBERE CALICEM (d) QVEM EGO BIBITVRVS SVM?] Decreuistis eandem mecum sortem obire? & qualem mihi Pater meus passionem subeundam destinauit, talem & vos subire B apud animum vestrum decreuistis? Addit Marcus, (e) *Poteslis baptismo* (proprij sanguinis) *quo ego baptizor*, (id est, quo ego mox totus inspergar, immergar, submergar) etiam vos *baptizari*? Nam si primas vultis in triumpho meo, debetis & primas mecum in prælio & in acie tenere.

d *Ps. 15. 5. Isaiæ 51. 17. 22 &c.*

e *Marc. 10. v. 38.*

DICVNT EI, POSSVMVS] decreuimus, prompti, parati ad omnia: sit quantumcumque ardua conditio, amplectimur ambabus vlnis.

¶.23. AIT ILLIS, CALICEM QVIDEM MEVM BIBETIS, & *baptismo* (f) passionis, *quo ego baptizor, baptizabimini*. & in hoc vobis gratificabor, vt inter primos mihi adsitis in acie. Sed sic primas obtinere in regno meo, sicut vos petistis, sine labore, sine cæde, sine sanguine, NON EST MEVM DARE, id est, non decet me dare, VOBIS præ aliis, SED QVIBVS modo iam à me dicto PARATVM, decretum, destinatum EST A PATRE MEO, & consequenter etiam à C me. Nempe primo loco pro me certantibus, laborantibus, vincentibus. ita ferè Origenes, Chrysost. Theophyl. & Euthymius.

f *Ibid. v. 39.*

¶. 25. PRINCIPES GENTIVM DOMINANTVR EORVM: græcismo, id est, in eos. q. d. Ambitiosi principes huius mundi tantùm quærunt dominari, ET POTESTATEM imperiosè ac pro libito *exercere* in subditos, nec illorum commodo, sed suo honori atque vtilitati student. Vestra ergo hæc ambitio, quâ simili modo quisque primatũ affectat, Gentilium ambitio est. Sed absit hoc à vobis. Potiùs, si quis VOLVERIT (vt video velle singulos) MAIOR, id est, princeps aliorum, ESSE, studeat instar veri principis, non tam dominari, (g) quàm SERVIRE aliis, & meo exemplo, non suis sed aliorum commodis vndique procurandis inuigilet, etiam cum vitæ propriæ dispendio, si opus fuerit. Sic ad mei imitationem vos comparando, & quàm proximè D accedendo, primas apud me in cælis sperare poteritis.

g *1. Par. 9. 2. 1.*

CAPVT XXI.

Iesus asinâ vectus Ieroso'ymam cum triumpho ingreditur, negotiatores templo expellit, Pharisæis indignantibus ei obtemperat, ficulnæ maledicit, fidei efficaciam docet: principum sacerdotum quæstionem, qua potestate talia signa faceret, alta quastione de baptismo Ioannis retundit: duplici vinea parabola prædicit regnum Dei à Iudæis ad Gentes transferendum.

בית פגי

h *Zachar. 14. v. 4.*

i *Ioel. 3. v. 2.*

k *Prolog. de mensuris Longinq.*

¶. 1. BETHPHAGE, id est, *domus oris*, seu in ore *vallis*, vicus erat ad pedem MONTIS OLIVETI, (h) in ipso vallis Iosaphat (i) orificio, quinque (k) stadiis Ierosolyma distans, teste Iosepho. (l) Veteres

l *Ioseph. 20. Antiq. c. 6. & l. 6. de Bell. c. 3.*

Veteres tradunt, villam fuisse sacerdotum, fortè quòd agnos paschales & alias victimas istic alerent, inquit Iansenius. Inde *mittit* Christus DVOS DISCIPVLOS, nempe Petrum & Ioannem, inquit idem Iansenius: nam & hos paulò pòst misit etiam ad parandum agnum (*a*) Paschalem.

a *Luce* 22. v.8.

℣.2. ITE IN CASTELLVM QVOD CONTRA VOS EST: εἰς κώμην τὴν κατέναντι ὑμῶν id est, in vicum istum qui ex opposito, seu è regione vestri est. ET ASINAM *subiugalem*, id est, sub iugo incedere solitam, cum PVLLO suo istic ALLIGATAM, ADDVCITE MIHI. Volo enim iuxta Zachariæ (*b*) prophetiam triumphabundus vrbem Ierosolymam inuehi, vt me illum esse quem prædixit, putà Messiam, publicum faciam, inquit Chrys. Vt iremi typo, seu figuræ veritas respondeat. Nã *decima* (*c*) *die mensis* primi *Nisan* debebant induci agni paschales in vrbem. Eâdem ergo die decima volo & ego in eamdem inuehi, post quinque dies (*d*) in cruce immolandus verus agnus qui tollo peccata mundi. ita idem Chrys. S. Thomas, Rupertus, Anselmus, Liranus. Simul ridere designo, & ridendam exponere vanam mundi gloriam & factum, pariter & humanæ mentis inconstantiam. Nam ab iisdem illis qui me nunc Messiam & regem suum inclamabunt, post quinque dies ad mortem deposcar & in crucem agar. Quæ & causa erit excidii totius vrbis & Iudææ. Vnde & flere (*e*) potiùs mihi iam lubet, quàm gaudere oblato triumpho.

b *Zach.* 9. v.9.

c *Exodi* 12. v.3.

d *Ioan.* 12. v.1. & 2.

e *Luc.* 19. v.41.

℣.5. ECCE REX TVVS VENIET TIBI MANSVETVS, non curru aureo inuectus, non purpura fulgens, inquit Auctor imperfecti, non etiam feruido superbiens equo, discordiæ & belli (*f*) amatore; sed SEDENS SVPER ASINAM, tranquillitatis, & pacis amicam, oneris patientissimam ac laboris. Non vides in circuitu splendentes gladios, & bipennes; sed quid? *Ramos* frondentis oliuæ, testimonia pietatis & insignia pacis.

f *Iob* 39. v.25.

הושה נה

℣.9. HOSANNA, id est, salua quæso FILIVM DAVID, id est, Messiam, vel salus *filio Dauid*. ita S. Hier. & Theophyl. Erat enim solemnis formula gratulantium & fausta acclamantium, vt apud nos, *Io triumphe*, *Viuat rex*, &c. BENEDICTVS sit à DEO QVI VENIT IN NOMINE DOMINI, id est, missu, auctoritate & vice Dei. IN ALTISSIMIS] Hebræa enallage, pro de, vel ex, altissimis cælis, id est, à Deo salus & prosperitas omnis obuenit Messiæ eiusque regno: (*g*) &, vt Lucas habet, *pax in*, id est, de, *cælo*, & *gloria in*, seu de, *excelsis* descendat super Messiam, eiusque populum. ita Maldonatus.

g *Marc.* 11. v.10.

℣.10. QVIS EST HIC, qui tali apparatu, comitatu, honore, plausu & acclamatione vrbem regiam inuehitur, & rex Israel ab omnibus salutatur?

℣.12. EIICIEBAT OMNES VENDENTES IN TEMPLO] nempe in extimo templi atrio, quod dicebatur *atrium Gentium*, eò quòd etiam Gentilibus pateret in illud accessus. In hoc atrium sacerdotes mercatum hostiarum in altari immolandarum introduxerant, accepto non leui pretio pro elocatione loci tam opportuni ad quæstum. Quia ergo mercatores istic toti lucris, siue iustis, siue iniustis interiti, sub vmbra templi, quasi in tuta spelunca latitantes, cariore venditione, fraude, furto & vsuris pauperes expilabant, meritò vocat *speluncam latronum*, vt & olim vocarat Ieremias. Est hæc alia eiectio ab illa quam fecit initio suæ prædicationis Ioan. 2. v. 14. inquit S. August. Chrysost. & Euthymius.

Ierem. 7. v.11. *Marc.* 11. v. 15. & 17.

℣.16. EX ORE INFANTIVM ET LACTENTIVM PERFECISTI LAVDEM] nempe solemnem laudationem quâ celebratis ô Deus, vel celebrari debetes ore adultorum, perfici curasti ore puerulorum. q. d. Laudationem quam vos ipsi edere debebatis, exprimunt hi pueri: addit Lucas: Quòd *si hi tacuerint, lapides clamabunt*. In psalm. 8. vnde hæc verba desumpta sunt, additur, *Propter inimicos tuos*; id est, ad maiorem æmulorum tuorum, Scribarum & sacerdotum confusionem. Sed Christus modestiæ causa, partem illam hîc subticuit.

Luca 19. v.40.

℣.17. ABIIT, cùm iam vespera (*h*) esset, FORAS EXTRA CIVITATEM, vt omnem præripiat occasionem suspicandi, ipsum aliquid noctu molituriim, vrbem occupaturum, opes copiasque recenti regno suo stabiliendo comparaturum, &c. Pergit ergo IN BETHANIAM, vicum 15. (*i*) stadiis, id est, itinere paulò plus quàm mediæ horæ dissitum (*k*) Ierosolymis, ibique in domo Lazari & Marthæ pernoctat.

h *Marc.* 11. v. 11.

i *Proleg. de mensuris longitud.*

k *Ioan.* 11. v. 18.

℣.19. AREFACTA EST CONTINVO FICVLNEA] Hoc signo declarabat Christus, populum Iudaicum, quòd famelico Deo, præter nuda sterilium cæremoniarum folia subministraret nihil, breui subtracto gratiarum cælestium humore, reprobatum, arefactum, excisum iri, inquit S. Hier. Chrys. Hilarius, Beda & Abulensis.

℣.21. De efficacia *fidei*, seu fiduciæ, de *non hæsitando* per diffidentiam, de *monte transferendo*, iam suprà (*l*) audiuimus.

l *Matth.* 7. v.8. & 17. v. 19.

℣.23. PRINCIPES SACERDOTVM rogant Christum, QVA POTESTATE, seu qua auctoritate ingrediatur vrbem pompa planè regali, ejiciat ementes de templo, doceat passim populum, &c. q.d. Auctoritas in alios nulli est à semetipso, sed vel à Deo, ab ordinariis, seu legitimè præpositis hominibus, id est, à nobis supra cathedram (*m*) Moysis sedentibus. QVIS ergo DEDIT TIBI HANC POTESTATEM?] Promptum erat Christo respondere, se illam à Deo habere. Sed mox calumniati fuissent, etiam pseudoprophetas id prætexere solitos. Miracula produxisset; diabolo adscribebant. Vnde prudentissimè quæstionem quæstione retundit, ex cuius tamen solutione pendebat solutio quæstionis ipsorum.

m *Matt.* 23. v. 2.

℣.25. BAPTISMVS IOANNIS, & synecdochicè omnis eius prædicatio ac doctrina: nam & ipsi sic hoc intelligunt vers. sequ.) VNDE ERAT quoad primam institutionem? à quo accepit ille suam potestatem? E CÆLO ne, immediatè à Deo, AN EX HOMINIBVS? SI E CÆLO, vt reuera accepit, more omnium Prophetarum; iam habetis solutionem quæstionis vestræ, nempe etiam me meam è cælo potestatem habere: nam ipse id publicè testatus est, cùm me Dei Filium, Messiam vestrum, & saluatorem mundi digito vobis (*n*) demonstrauit.

n *Ioan.* 1. & 3. & alibi.

Nota. Hebræi metonymicè, continens vsurpando pro contento, Deum vocant *scamaim*, id est, cælum: hos secuti Græci poëtæ, patrem *Saturni* vocarunt οὐρανον, id est, cælum, inquit Angelus Caninius.

שמים

Caninius c. 2. *Nominum Hebraicorum.*

℣.27. NEC EGO clarioribus aut magis disertis verbis DICO iam VOBIS (nam aliàs sæpissimè (*o*) dixit) IN QVA POTESTATE HÆC FACIO.

o *Ioan.* 10. v. 24. 30. 33. 36. *Matth.* 26. v. 64. &c.

℣.28. Per priorem *filium* dicit ipse Christus se intelligere publicanos & meretrices, qui etsi primò & verbis & factis mandata Dei repulerint, postea tamen ad Ioannis & Christi prædicationem resipuerunt: vnde v. 31. de illis dicit, PRÆCEDENT; græcè, προάγουσι, id est, præcedunt vos Scribas

Scribas & Phariſæos (qui per poſteriorem filium deſignamini) IN REGNVM DEI, id eſt, in Eccleſiam & in cælum: q. d. Qui à vobis adduci debebant, ipſi iam vobis duces ſunt: vtinam ſaltem ſequamini! Origenes tamen, Athanaſius, Hieron. & Chryſoſt. per priorem filium volunt Gentiles intelligi, per poſteriorem Iudæos. (a)

a *Exodi 24. v. 3. 7. &c.*

b *Iſaiæ 5. v. 7.* *Pſ. 79. v. 9.*

¥. 33. PATERFAMILIAS eſt Deus: VINEA Synagoga, (b) ſeu Eccleſia: SEPES tutela diuinæ prouidentiæ & angelorum cuſtodia; inquit Origenes, Hier. Ambroſ. TORCVLAR lex eſt premens & vrgens quemque vt ſuccum edat pietatis: TVRRIS eſt templum & celſitudo cultus diuini, vt iidem & etiam Ven. Beda exponunt. Alij per hæc omnia iunctim deſignari volunt omnia neceſſaria & vtilia Iudaicæ Synagogæ ſubminiſtrata à (c) Deo. AGRICOLÆ ſunt primates Iudæorum, pontifices, reges, ſacerdotes, Scribæ, magiſtratus & iudices. His vineam LOCAVIT Deus, paciſcens fructuum certam ſibi portionem, & ipſis amplam mercedem. *Peregrè* proficiſcitur cùm ſe gerit tamquam abſentem.

c *Iſaiæ 5. v. 4.*

¥. 34. & 35. SERVI patrisfamilias ſunt Prophetæ qui vrgebant condictos fructus. Horum alios CECIDERVNT, v. g. Hananum, (d) Michæam, (e) Ieremiam: (f) alios LAPIDAVERVNT, v. g. Zachariam, (g) Ieremiam: (h) alios alio modo OCCIDERVNT, vt Iſaiam, (i) Ezechielem, (i) Amos, (i) & tot alios, Hebr. 12. v. 36. & ſequentibus.

d 2. *Paral. 16. v. 7.*
e 3. *Reg. 22. v. 24.*
f *Ierem. 20. v. 2.*
g 2. *Paral. 24 v. 25. & præfat. in Zachar.*
h *In præf. Ieremiæ.*
i *In præfat. ſingulorum.*

¥. 37. VEREBVNTVR FILIVM MEVM, niſi prorſus deſperatâ ſint malitiâ. Sed quid agricolæ?

¥. 38. DIXERVNT: HIC EST HERES] Ex quo patet, principes Iudæorum probè compertum habuiſſe, Ieſum eſſe Meſſiam; quid ni etiam eſſe filium Dei? ſi non prorſus naturalem, certè præ omnibus creatis præcellentem, cui iure naturæ deberetur imperium vineæ. Sed inuidia excæcati poſterius hoc videntur non potuiſſe planè ſibi perſuadere. *Si enim* certò *cognouiſſent*, (k) *numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Niſi hoc malis intelligere de ſolis plebeiis. nam de principibus id ægrè credi poteſt, cùm toties (l) Chriſtus id illis inculcarit, dicatque, (m) illos *excuſationem non habere*, & mero *odio* agi tum in Filium, tum in *Patrem*.

k 1. *Cor. 2. v. 8.*

l *Hic v. 27.*
m *Ioan. 15. v. 22. & 24.*

VENITE, OCCIDAMVS EVM, Ioan. 11. v. 50. *Expedit vobis vt vnus moriatur*, &c. ET HABEBIMVS, græcè κατάσχωμεν, id eſt, obtineamus, occupemus, HEREDITATEM EIVS] Occiſo enim Chriſto, nobis per omnia contrario, manebit nobis ſarta tecta dignitas noſtra, & dominium, & emolumenta, quibus alioquin omnibus exuemur. En prodit Chriſtus ſecretum conſcientiæ ipſorum, iam pridem in necem ſuam conſpirantium.

¥. 42. De *lapide angulari* fusè alibi. (n)

n *Pſal. 117. v. 22. & Epheſ. 2. v. 14. & 20.*

¥. 43. AVFERETVR A VOBIS REGNVM DEI, id eſt, deſinetis eſſe vera Eccleſia & populus Dei, & conſequenter priuabimini bonis omnibus quæ comitantur populum Dei, ſcilicet & temporalibus, & ſpiritalibus gratiæ & gloriæ. ET DABITVR GENTI, putà Gentili populo, FACIENTI FRVCTVS EIVS] græcè ἄυτῆς nempe regni, id eſt, proferenti tales fructus quales conueniunt regno & populo Dei. Sunt hi fructus fidei & ſpiritus, *charitas, gaudium, pax, patientia*, & alij, quos S. Paulus (o) enumerat. Sic ſolet Deus regnum etiam temporale non rarò transferre de gente in gentem, quando illa negligit facere fructum regni.

o *Galat. 5. v. 22.*

¥. 44. QVI CECIDERIT SVPER LAPIDEM ISTVM, impingens pede in illum, id eſt, qui offenſionem ex Chriſti doctrina aut vita ceperit, qui Chriſtum vel eius membrum perſequitur, &c. CONFRINGETVR ex parte: nam ita lædetur, vt quaſi toto corpore fractus, acerbiſſimè doleat. q. d. Nihil Chriſto nocebit, ſed ſeipſum grauiſſimè lædet, ſi non ſemper in corpore, certè in anima: ſic tamen vt per pœnitentiæ pharmaca curari poſſit. SVPER QVEM VERO lapis ille (p) grandis ex alto CECIDERIT, id eſt, Chriſtus graui ſua vltione iratus incubuerit, (v. g. Iudæis in deſtructione Ieroſolymæ, damnandis in die iudicij,) ſic EVM CONTERET, vt inſtaurando numquam ſit, inquit S. Auguſtin.

p *Zachar. 12. v. 3.*

Auguſt. in Pſal. 1.

CAPVT XXII.

De vocatis à cæleſti rege ad filij ſui nuptias Iudæis & Gentilibus, de veſte nuptiali, de cenſu Cæſari dando, de reſurrectione mortuorum, de maximo mandato legis, de parente Meſſiæ.

¥. 2. SIMILE FACTVM EST REGNVM CÆLORVM] Id eſt, tale quid accidet in condenda colligendaque Eccleſia Dei, quale ſi rex quiſpiam, propinquis ſuis ad nuptias filij ſui venire recuſantibus, quoſuis è plateis indiſcriminatim accerſat & admittat, modò aſſumant veſtem nuptialem. Hic *rex* eſt Deus: *nuptiale conuiuium* eſt menſa doctrinæ Euangelicæ, Sacramentorum (præſertim Euchariſtiæ) & omnis generis gratiarum, inquit Origenes, Auctor imperfecti & Euthymius. *Sponſus* eſt Chriſtus: *ſponſa* Eccleſia, adeoque anima cuiuſque inuitatorum, ſi velit. In terris celebrantur ſponſalia, & oſculis fidei, ſpei, charitatis adglutinatur anima Chriſto, ſed perfectum matrimonium conſummabitur demum in cælo, beata, plena, æternaque ſponſi fruitione. Primi *inuitati* ſunt Iudæi per Prophetas, per Ioannem Baptiſtam, per Apoſtolos, per ipſummet ſponſum. *Tauri*, & *altilia* ſunt cibi exquiſitiſſimi, magnificentiſſimi, lautiſſimi vndique accerſiti, inquit S. Hieron. & Euthymius. *Villa* & *negotiatio* ſignificant ſtudium voluptatum, opum, honorum, quod Iudæos à Chriſto ſeuocauit. Et quaſi hoc parum eſſet, etiam

¥. 6. SERVOS regis, putà tam Prophetas, (q) quàm Apoſtolos, (r) CONTVMELIIS AFFECTOS OCCIDERVNT.

q *Matt. 21. v. 34.*
r *Act. 9 v. 40. & 1. Cor. 11 v. 24.*

¥. 7. REX AVTEM MISSIS EXERCITIBVS SVIS, peſte, fame, gladio, PERDIDIT HOMICIDAS (ſ) Iudæos. Ioſephus dicit, durante obſidione Titi periiſſe Iudæorum vndecies centum millia: captos nonaginta ſeptem millia.

ſ *Chron. v. vlt. Ioſeph. l. 7. Bell.*

¥. 11. INTRAVIT REX in die iudicij vel particularis, vel generalis. ET VIDIT IBI inter alios Chriſtianos HOMINEM (ſub vno reliquos omnes ei ſimiles intellige: nemo enim effugiet oculos Domini;) NON VESTITVM VESTE NVPTIALI, ſeu quæ nuptiali conuiuio apta eſſet ac deceret, id eſt, munda, pretioſa, ſplendida.

Petes, Quænam hæc? fides, inquit Melanchthon & alij hæretici. Sed qui in Eccleſiam intrarat, iam fide præditus fuerit oportet. Reſpondeo ergo cum Tertull. Origen. Hieron. Hilario, Ireneo, eſſe conſcientiam mundam à peccatis, pretioſarum virtutum monilibus ſplendentem, maximè verò charitate, Coloſſ. 3. v. 12.

¥. 12. AT ILLE nihil habens quo ſuam poſſet inertiam excuſare, OBMVTVIT] neque enim valebit apud Deum vlla quantumuis ingenioſa vel ſubdola excuſatio. Nulla quoque,

¥. 13.

℣.13. LIGATIS MANIBVS ET PEDIBVS, erit resistendi potentia, vel defectum admissum alio exinceps bono opere compensandi facultas.

De *tenebris exterioribus*, de *fletu & stridore dentium*, suprà (a) dixi, vt & de *multis vocatis*, (b) & *paucis electis*.

a Matth. 8. v. 12. b c. 20. v. 16

℣. 15. VT CAPERENT EVM IN SERMONE, id est, vt ipsum suisnet verbis illaquearent, PHARISÆI,

℣. 16. MITTVNT EI cum *discipulis suis* etiam *Herodianos*; Syrus, *eos qui de familia erant Herodis* Antipæ, *Tetrarchæ* (c) *Galilææ*, qui Ierosolymis tunc præsens (d) *aderat*, pascha ibi celebraturus, & totus Cæsari, eiusque tributo fauebat. Per hos rogant, blandulâ præfatione factâ, MAGISTER, pridem iam compertum habemus, te VIAM DEI, seu quâ ad Deum & ad salutem æternam itur, verè, fideliter, sine fuco, sine delectu vel exceptione personarum publicè *docere*.

c Luca 3. v. 1. d Luca 23. v. 7.

B

℣. 17. LICETNE ERGO nobis, salua religione, & sine offensa Dei, CENSVM annuum CÆSARI persoluere? Erat hęc quæstio tunc temporis valdè controuersa & cornuta, vt, si Christus assereret, inuidiam Iudæorum; sin negaret, Cæsaris & Herodis iram incurreret. Iam enim à tempore Iudæ Galilæi, qui occasione professionis (e) (qua se Romanis subditos profiteri debebant Iudæi) & vniuersalis tributi (quod iussu primum Pompeij, & dein Cęsaris Augusti indictum sępius, & perpetuò deinceps continuatum, vt à reliquo orbe, ita & à Iudęis exigebatur quotannis,) vniuersum populum sub tempus nati Christi ad rebellionem concitarat, indignum clamitans, populum Dei seruire Gentilibus; etsi ipso per Romanos extincto, tamen multorum adhuc animis insidebat opinio, id nequaquam licere: quin &, teste Iosepho, plurimi etiam Pharisęorum mordicus id sustinebant. Et ex his Galilęis (ab auctore sectę sic dictis) Pilatus non paucos recèns occiderat, miscens sanguinem sacrificiis eorum, Lucę 12. v. 1. Vnde facile fuisset persuadere Pilato, Christum (si vel tantillum, seu verbo, seu nutu, seu responsi detrectatione, in hanc partem declinasset,) cùm & ipse & omnes eius Apostoli è Galilęa prodirent, eiusdem sectę fautorem esse. Nam ob hanc solam causam, etsi disertè resolueret dandum Cęsari tributum, non tamen puduit eos triduo vel quatriduo pòst, eiusdem hæresis illum reum agere, *Hunc*, inquiunt, (f) *inuenimus prohibentem tributa dari Cæsari*.

e Luca 2. v. 1. & 2. Chron. c. 44 & Act. 5. v. 37.

Ioseph. l. 18. Antiq. c. 1. & l. 20. c. 3. & l. 7. Belli c. 29.

f Luca 23. v. 2.

℣. 19. OSTENDITE MIHI NVMISMA CENSVS, quod pro censu, seu tributo annuo exigi & dari solet. OBTVLERVNT EI DENARIVM. Duplex hic erat, vnus vulgaris *Atticus*, (g) seu *minor* dictus, æquiualens drachmæ argenti Atticæ, seu regali argenteo. Alter *Hebræus* erat & *maior* dicebatur, eratque dupli ponderis & valoris. Sed qualiscumque hic pro tributo exigebatur, certè modestum & leue tributum fuit. Et verò Romani, teste Plinio, non aurum, sed solum argentum solebant à deuictis gentibus pro tributo deposcere.

g Proleg. de Ponderib.

Plin. l. 33. c. 3.

C

D

℣. 21. REDDITE ERGO QVÆ SVNT CÆSARIS CÆSARI] nempe tributum quod exigit. Cùm enim sitis illi subiecti (quod vltrò fatemini, dum nummis eius, quibus se dominum Asiæ, Syriæ, Iudææ inscribit, passim vtimini,) æquum est vt præstetis ei quod dominis suis subditi debent. Neque est, quòd religionem hîc prætexatis: nam Cæsar non nisi temporalia, & quodammodo sua (vtpote sua imagine & suo nomine insignita,) ita exigen-

A te bono publico deposcit. Quæ verò *spiritalia* sunt, ac proinde vni Deo debita, putà animam Dei imagine insignitam, item cultum & obsequium religiosum, Cæsar à vobis non deposcit, sed Deus: hæc date Deo, illa Cæsari, & vtrique feceritis satis, neutrum offendetis.

℣. 29. ERRATIS, ô Sadducæi, NESCIENTES SCRIPTVRAS, è quibus, vt mox dicam, constat, mortuos aliquando resurrecturos: nescientes etiam VIRTVTEM, id est, potentiam, DEI, scilicet infinitam, qua nullo negotio potest hominem mortuum in vitam reuocare, quod vos negatis. (b)

h Matth. 3. v. 7.

℣. 32. DEVS qui essentialiter est, & qui omnibus dat esse, NON potest esse DEVS, dominus, iudex, remunerator eorum qui se totis *mortui* sunt, seu qui omnino non sunt, nec vlla ampliùs sui parte viuunt aut sunt: sic mortuorum brutorum non dicitur ampliùs Deus aut dominus. Atqui Exodi 36. ipsemet dicit, *Ego sum Deus Abraham, Isaac & Iacob*: & hoc nomine quasi gloriatur: ergo illi adhuc existunt, putà quoad animam: & per consequens etiam suo tempore resurgent quoad corpus: nam anima naturaliter requirit coniungi corpori vt comparti suæ. Et de hac posteriore sequela probanda non erat quòd laboraret Christus, cùm Sadducæi illam admitterent: nam nulla alia de causa vel illi, vel alij Philosophi, (vel etiam nostri iam athei) negarunt resurrectionem corporum, quàm quòd non crederent immortalitatem animæ. Hinc etiam S. Paulus (i) passim ex animæ immortalitate

i 1. Cor. 15. v. 18. 32. & c

recte probat corporis resurrectionem. Cur verò inter plurima alia, etiam clariora, Scripturæ testimonia hoc vnum proferre voluerit Christus; mouisse eum videtur, quòd Sadducęi ex Moyse (k)

k Deut. 25. v. 6.

argumentum suum deprompsissent: quod voluit alio ex eodem Moyse deprompto argumento refellere, inquit S. Chrysost. Theophyl. & Euthymius.

℣. 36. MANDATVM MAGNVM] id est, maximum (nam Hebræi superlatiuis (l) carent,) explicui Deuteron. 6. v. 5.

l Prolog. de Idiotism. Hebr. n. 5.

℣. 36. SECVNDVM AVTEM SIMILE EST HVIC, quoad dilectionem, quoad amplitudinem, (complectens omnia secundæ tabulæ præcepta,) & quoad obiectum formale: nam propter Deum *diligis* PROXIMVM, id est, quemuis hominem (m) insignitum imagine Dei.

m Matth. 5. v. 43.

SICVT TEIPSVM] Non dicit, Æquè ac teipsum, vel quantum teipsum (quamuis id liceat) sed *sicut*, id est, simili amore, vero, sincero, solido, quo teipsum amas, bonum illi optando, ac pro viribus tuis, vbi opus fuerit, etiam præstando, malum illi nolendo, quin, si potes, auertendo.

℣. 40. IN HIS DVOBVS MANDATIS VNIVERSA LEX PENDET ET (n) PROPHETÆ] Hæc totius Scripturæ summa est.

n Matth. 7. v. 12.

℣. 43. SI Christus Dauidis est filius, & per consequens minor illo; QVOMODO DAVID IN SPIRITV, id est, instinctu Spiritus sancti, VOCAT EVM DOMINVM suum, ac proinde se seruum illius? Inculcat hîc Pharisæis ex claris Scripturis, Messiam non esse purum hominem, vt ipsi credebant, sed esse simul Deum; & sic filium quidem Dauidis secundùm humanam naturam, sed dominum eiusdem secundùm diuinam naturam.

o Psal. 109. v. 1.

℣. 44. SEDE A DEXTRIS MEIS] etiam secundùm humanam naturam exaltare supra omnes potestates & principatus, proxima Deo beatitudine, gloria, auctoritate gaudens, vt alibi (o) dixi.

Ephes 1. v. 20. Philip. 2. v. 9. Hebr. 1. v. 13

2 *Chron.c.* 19. ℣.46. EX ILLA DIE Martis, tertia (*a*) ante passionem suam, NON AVSVS QVISQVAM Phariſæorum EVM publicè docentem, AMPLIVS INTERROGARE, eo modo quo ſolebant, ſcilicet tentandi causâ.

CAPVT XXIII.

Scribarum & Phariſæorum doctrinam & imperia, (ubi non conſtat eos errare,) docet ſequenda; ſed vitam mores, in quos acerrimè inuehitur; prædicens, impletâ breui ſceleꝛum menſurâ, Ieroſolymam ab hoſtibus excidendam & ab incolis deſerendam.

℣.2. SVPER CATHEDRAM MOYSI SEDERVNT SCRIBÆ] Id eſt, Moyſis locum tenent, ius & auctoritatem habent docendi, & explicandi legem, regendi & iudicandi populum, vt olim habuit Moyſes. Dicitur autem & *Moyſes*, Moyſis: & *Moyſeus*, Moyſei, & per craſin Moyſi.

℣.3. OMNIA ERGO (de quibus non conſtet eſſe contraria legi Moyſis) QVÆCVMQVE DIXERINT VOBIS, SERVATE ET FACITE, etſi fortè minùs neceſſaria ſint, aut futilia videantur. Sic generale præceptum, Coloſſ. 3. v. 20. *Filij obedite parentibus per omnia*, requirit exceptionem, niſi præcipiant quæ legi diuinæ aduerſantur. B

DICVNT ENIM bene & bona, ſed NON FACIVNT] q. d. Non reſpondet vita verbis. En primum vitium, quòd præcepta Dei negligant, contemnant, tranſgrediantur; & exemplo ſuo malo noceant aliis. Secundum vitium:

℣.4. ALLIGANT aliis ONERA IMPORTABILIA, (*b*) ob multitudinem traditionum (*c*) humanarum, ob moleſtiam plerarumque, ob rigidam legis expoſitionem, v.g. de Sabbatho (*d*) celebrando, de voto (*e*) explendo, &c. item ob difficillimam veniæ impetrationem poſt lapſum.

b *Act.* 15. *v.*10.
c *Matth.*15. *v.* 9.
d *c.*12. *v.*2.
e *c.*15. *v.*5.

℣.5. OMNIA SVA FACIVNT VT VIDEANTVR AB HOMINIBVS. Tertium vitium κενοδοξία, vana gloria. Nam PHYLACTERIA, id eſt, conſeruatoria, ſcilicet memoriæ legis diuinæ (nempe, membranas quibus inſcripta erant præcipua legis mandata, quas, ſcrupuloſiores Iudæi, nimis ad litteram exponentes illud Deuter. 6. v. 8. *Ligabis ea in manu tua, & inter oculos tuos*; circumdabant brachio ſuo ſiniſtro, & fronti quaſi coronam alligabant) ipſi Phariſæi & Scribæ præ aliis DILATANT, id eſt, latiora, ſplendidiora, magis conſpicua, & pluribus mandatis inſcripta geſtant, quo ſe ſtudioſiores legis diuinæ ſimulent, inquit Hieron. Oleaſter. In eumdem etiam finem MAGNIFICANT, id eſt, maiores, longiores, denſiores aliis faciunt FIMBRIAS palliorum ſuorum, vt addit Græcus & Syrus. Sed de his alibi. (*f*) C

Hieron. Oleaſt. in Deut., 6.

f *Num.*15. *v* 38. *Deut.*22. *v.*12.

℣.6. AMANT PRIMOS RECVBITVS, (*g*) primum vbique locum, primos honores. Quartum vitium. D

g *Eſther* 1. *v.* 6.

℣.8. VOS AVTEM, quantum in vobis eſt, NOLITE affectare VOCARI RABBI, id eſt, magiſter mi. Prohibet enim ſolam arrogantiam & affectationem honoris. Aloquin etiam Apoſtolus vocat ſe (*h*) *doctorem Gentium.*

h 1. *ad Tim.* 2. v. 7.

VNVS EST ENIM, ſeu unicus, MAGISTER VESTER] cui propriè, principaliter & per excellentiam hoc nomen debetur, nempe *Chriſtus*, vt ſupplet Græcus, & etiam Noſter verſ. 10. Solus enim Chriſtus ſcientiam habet omnium rerum infallibilem, docendi auctoritatem à ſeipſo: numquam ignorans aut diſcipulus fuit, nec ſola verba auribus A intonat, ſed mentes etiam illuſtrat. denique eſt ipſa prima & ſumma veritas, fons & ſcaturigo omnis veritatis. Simili modo

℣.9. VNVS EST PATER VESTER, ſcilicet primarius & præcipuus, cui abſolutè conueniat tota paternitatis perfectio, vtpote qui auctor & donator eſt totius vitæ veſtræ, corporis & animæ, qui vos continuò paſcit, fouet, ſeruat, prouehit, hereditatem æternam donat, *ex quo* (*i*) *omnis paternitas nominatur in cælis & in terra.* Tantùm ergo vetat agnoſcere i *Eph.* 3. *v.* 15. SVPER TERRAM, id eſt, ex mortalibus in terra degentibus, *patrem* qui præcipuus habeatur vitæ noſtræ, victuſque & hereditatis auctor, à quo totu, vel ſaltem magis quàm à Deo pendeamus, more Gentilium, atheorum & Sadducæorum. (*k*) Alioquin, k *Matth.*3. vt ait S. Hieron. quomodo *vnus* per naturam *Deus*, *v.*7. & *vnus filius*, non præiudicat ceteris, ne per adoptionem *dij* vocentur & *filij*: ita & *vnus pater*, & *vnus magiſter* non præiudicat aliis, quo minùs appellentur ſecundariè *patres* & *magiſtri*.

℣.13. REGNVM CÆLORVM, id eſt, Eccleſiam & cælum, quod ego omnibus aperio, VOS CLAVDITIS, impedientes eos qui per ſinceram fidem in me (qui ſum *oſtium*) (*l*) *introeunt*, id eſt, introire (*m*) vellent & conantur. En quintum vitium, Sextum: l *Ioan.* 10. *v.*7. m *Prolog. in Idiotiſm. Hebræum.*

℣.14. COMEDITIS, id eſt, abſumitis, ſpoliatis, exhauritis, DOMOS VIDVARVM, nimis ampla ab eis exigentes ſtipendia, prætextu longarum orationum. Sequitur ſeptimum:

℣.15. CIRCVITIS MARE ET ARIDAM, mouetis cælum & terram & omnem lapidem, VT FACIATIS VNVM PROSELYTVM, id eſt, aduenam, ſeu adſcititium è gentiliſmo ad religionem Iudaicam. Quia enim hoc rarum, ideo maximè ambiebant ſuperbi Phariſæi, gloriolæ & queſtus à ſuis captandi gratiâ. ET CVM FVERIT FACTVS proſelytus, FACITIS EVM FILIVM GEHENNÆ, (*n*) id eſt obnoxium (*o*) ſuppliciis infernalibus, quia ſcilicet malè illum inſtituendo tum doctrina, tum exemplo veſtro, redditis eum ſceleratiorem DVPLO QVAM vos ſitis. Nam probos doctores (inquit Chryſoſt.) vix imitari poſſumus: improbos autem, quia facileres ad mala ſumus, etiam ſuperamus. Exemplum habes in Herode (*p*) Aſcalonita. C

n 4. *Reg.* 17. *v.* 10.
o *Prolog. ſup. n.* 40.
p *Chron.*

℣.16. QVI IVRAVERIT PER TEMPLVM, EST NIHIL] id eſt, non tenetur iuramento, quia putatis hoc non eſſe iuramentum. En octauum vitium. Ex eo enim quòd Deus iuſſiſſet vt per ſe iuretur, ſtultè colligebant, quotieſcumque nomen Dei non exprimeretur, iuramentum, etſi per creaturas Dei editum, nullum (*q*) eſſe. Cogebat tamen auaritia, quaſdam creaturas excipere, nempe *aurum* gazophylacij, & *donum*, ſeu donaria Deo in templo oblata: hæc enim in ipſorum, vtpote ferè ſacerdotum, vſus cedebant, inquit S. Hieron. & Ven. Beda. Quaſi id quod ſanctificatur, ſanctius quid eſſet, quàm quod ſanctificat. q *Matth.*23. *v.*34.

℣.20. QVI IVRAT IN ALTARI, ſeu (*r*) per altare, IVRAT eo ipſo per victimas QVÆ SVNT in altari. Contentum enim ſimul cum continente conſideratur: ſicut & inhabitator vnà cum domo quam inhabitat: & DEVS vnà cum TEMPLO ſuo, & vnà cum CÆLO, vtpote tabernaculo & THRONO ſuo. Sequitur nonum: r *Prolog. in Iudicum. Hebr.* n 12. ſ *Leu.* vlt. *v.* 30. *Num.*18. *Deut.*14. 26. *&c.*

℣.23. DECIMATIS, id eſt, decimas ſcrupuloſè ſoluitis; nempe ſummo (*ſ*, pontifici, vel ſacerdotibus, (*ſ*) & Leuitis, ſi qui ex vobis ſacerdotes aut Leuitæ non ſunt,) ex *anetho*, (*t*) *mentha*, *cymino*, *ruta* (*u*) id eſt, t *Thn Ieiu. c.* 18. u *Luc* 11. *v.*42.

id est, ex minimis & vilissimis rebus, quæ à Leuitis non multum desiderantur : interea *negligitis* quæ Deus præcipuè & præ omnibus exigit ; FIDEM in Deum & in Christum eius, MISERICORDIAM erga peccatores(*a*) & pauperes, (*b*) IVDICIVM, seu iustitiam erga (*c*) oppressos iniuriis, charitatem erga (*d*) omnes.

(*a*) *Matth. 9. v. 11. 12. & c* (*b*) *Hier. c. 23. v. 14. cc 22. v. 34 c. 22. v. 6. d c. 5. v. 43.*

℣. 24. EXCOLANTES CVLICEM. Metaphora desumpta à percolantibus vinum, si fortè minimũ animalculum in illud inciderit, ne sordes tales hauriendo strangulentur, lædantur, vel certè polluantur. CAMELVM interim *deglutiunt*, id est, rem maximam, maximeque nocentem nihili faciunt.

℣. 29. ÆDIFICATIS, & nouis structuris ac sculpturis exornatis MONVMENTA IVSTORVM; hoc facto primùm testificantes quòd consentitis (vt est Luc. 11. v. 48.) propheticidiis patrum vestrorum: quia perinde facitis ac solent latronum filij, qui iugulatorum à parentibus cadauerà terræ mandant. Secundò, inani hoc fuco fauorem vulgi & immortalem gloriam captatis: nam nomina vestra monumentis inscribitis, insignia appenditis, &c. En decimum vitium. Sequitur vndecimum:

℣. 32. IMPLETE (per me licet) MENSVRAM PATRVM VESTRORVM] q.d. Solent filij exempla parentum imitari, ac telam quam ipsi orsi sunt, pertexere, atqui vos fatemini vos esse filios propheticidarum. ergo consequens est, vos quod restat perfecturos, nempe, me Messiam, meosque Apostolos, seu legatos, qui loco Prophetarum iam sunt, occisuros. Non ergo imperat Christus, sed prophetat, seu prædicit ipsos hoc omnino facturos: simul tamen insinuat, se hoc permittere cùm possit, vtpote Deus, impedire. Sicut Ioannis 13. v. 27. dicit Iudæ, *Quod facis, fac citiùs.* Porrò me per vos occiso, meisque legatis peremptis, mensura scelerum vestrorum (quæ certo numero & quantitate priùs impleri permittet Deus, quàm ad plenè puniendum(*e*) prosiliat) ad summum vsque complebitur: & tunc diuinæ vltionis pondus totum vobis incumbet, vos pessumdabit & conteret.

(*e*) *Gen. 15. v. 16. & 1. Reg 15. v. 2. &c.*

℣. 33. GENIMINA VIPERARVM (vide c. 3. v. 7.) quâ viâ EFFVGIETIS, quod vobis imminet, *iudicium* GEHENNÆ?

℣. 34. IDEO vt illud effugiatis: vel *ideo* vt impleatur mensura vestra; MITTO, id est, mittere iamiam (*f*) decreui complures ad vos legatos meos, præcones ac doctores, efficacibus Spiritus sancti donis instructos, inquit S. Hieron. Sed vos EX ILLIS plurimos OCCIDETIS, Stephanum, vtrumque Iacobum & tot alios.

(*f*) *Prolog. sup n. 56.*

℣. 35. VT, id est, ita vt, VENIAT SVPER VOS & in caput vestrum meritò redundatura sit vindicta debita effusioni *omnis sanguinis*, AB ABEL primo iusto celebri, & propter iustitiam perfidè necato, VSQVE AD ZACHARIAM FILIVM BARACHIÆ. Quis sit hic Zacharias, disputant Interpretes. S. Hieron. Beda, & plerique alij, etiam heterodoxi, volunt esse filium *Ioiadæ* summi pontificis occisum à rege Ioas INTER TEMPLVM ET ALTARE holocaustorum, id est, in atrio sacerdotali, 2. Paralip. 24. v. 22. posse enim *Ioiadam*, vtpote virum sanctissimum, vocari *Barachiam*, id est, benedictum Domini. Et in Nazaræorum Euangelio, inquit S. Hieron. pro eo quod nos hîc habemus *filium Barachiæ*, legitur *filius Ioiadæ*. S. Chrysost. Vatablus, Arias, Sanchez, Ribera & quidam alij contendunt, intelligendum *Zachariam* penultimum inter minores Prophetas, verè ac litteraliter *filium Barachiæ*, A in eodem atrio, vt aiunt, lapidibus obrutum, de quo (*g*) alibi. Origenes, Epiphanius, Basilius, Cyrillus, Theophyl. Euthymius, & ferè reliqui Græci, & cum his Baronius & noster à Castro, dicunt fuisse *Zachariam* patrem Ioannis Baptistæ: parentem enim eius *Barachiam* dictum fuisse affirmat Hippolytus Martyr apud Nicephorum. Occisum porrò ab Herode, quòd filium suum, quum & ipse ad necem quæreretur, prodere noluerit, asserit Petrus Alexandrinus apud Baronium: verisimiliter etiam, quòd aduentum Messiæ publicè prædicarit. Omnes hæ sententiæ probabiles sunt. Eligat lector quam voluerit.

(*g*) *In præfat. Zachariæ.* *Niceph. l. 2. hist. c. 3.*

Petes, Quo iure vltima ætas cogitur sola pati quod non sola promeruit? Respondeo, Quia etiam sola æquè multum promeruit, vt (*h*) alibi fusiùs exposui.

(*h*) *Exodi 20. v. 5.*

B ℣. 27. QVOTIES VOLVI per Prophetas, per angelos, per internas inspirationes, per externas illecebras ad me trahere & CONCREGARE FILIOS, id est, incolas TVOS; ET ingrata, refractaria, obstinata NOLVISTI] Tibi ergo, nulli alteri causam adscribe perditionis, reprobationis & damnationis tuæ.

℣. 38. DOMVS VESTRA, id est, templum, incuit S. Hieron. vel ciuitas, imò regio tota vt Beda & alij exponunt, RELINQVETVR VOBIS DESERTA à me, à Deo, à diuino fauore & præsidio: & sic prædæ erit hostibus tam inuisibilibus quàm visibilibus, putà Romanis aquilis, quæ pullos tuos implumes & desertos pro libito absument. Quin & corporali mea præsentia vos destituam ad tempus, & verbo vitæ ceteriſque gratiis, quas vbi adsum, liberaliter conferre soleo, vos deinceps priuabo.

C ℣. 39. NON ENIM VIDEBITIS ME AMODO, DONEC triumphali in vrbem regiam inuectione, me pro Messia vestro agnoscatis, DICATISque: BENEDICTVS QVI VENIT IN NOMINE (*i*) DOMINI] Ex quo versiculo patet, dicta hæc à Christo cùm postremò Ierosolymâ & Iudæâ excederet peracto festo *encæniorum*, vt (*k*) alibi dixi. & colligitur ex Lucæ 13. v. vlt. collato cum c. 17. v. 11. Nisi malis cum S. August. Chrysost. & Theophyl. dicere, alluisse Christum ad Iudæorum instantem cæcitatem, quâ inuoluti manebunt vsque ad extrema mundi tempora, quando tandem Christum pro suo Messia agnoscent, vt prædixit Osee 3. v. 3.

(*i*) *Matth. 21. v. 9.*

(*k*) *Chron. c. 49. in fine anni tertij prædicationis Christi.*

CAPVT XXIV.

Prædicit excidium templi & vrbis Ierosolymitanæ, ac demum etiam totius mundi, cui multa præambula signa denuntiat in terris & in cælis : diem iudicij omnibus esse ignotum; ideoque semper vigilandum.

D ℣. 3. DISCIPVLI quatuor, *Petrus, Iacobus, Ioannes & Andreas*, teste Marco, (*l*) rogant SECRETO Christum, QVOD SIGNVM habituri sint ADVENTVS eius glorioſi, destructionis templi & vrbis, simul & finis mundi. Putabant enim hi Apostoli, tria ista simul obuentura, & iam imminere; Quibus Christus:

(*l*) *Marc. 13. v. 3.*

℣. 4. VIDETE, cauete, NE QVIS VOS vestrumve gregem SEDVCAT] q. d. Vos de temporibus istis curiosè quæritis; sed malim vos ante omnia de vobismet & grege vobis committendo solicitos esse, nam antè cingent vos multa & grauia pericula.

℣. 5. MVLTI VENIENT IN, id est, sub, NOMINE MEO,

a *Act.* 5. *v.* 36. b *Act.* 21. *v.* 38. & *Ioseph. l.* 2. *Bell. c.* 12. c *Act.* 8. *v.* 9 d e *Euseb. in Chron.* f *Euseb. l.* 4. *hist. c.* 6. 8.

DEO, meum sibi nomen vsurpantes: v.g. *Theodas*, (*a*) & *Ægyptius* (*b*) ille, & *Simon* Magus (*c*) *Menander*, (*d*) *Saturninus*, (*e*) *Barchochabas* (*f*) & tot alij, apud Eusebium: & nostro etiam sæculo *David Georgius* & *Ioannes Leidanus* rex Anabaptistarum: & plures erunt sub tempora Antichristi.

℣. 6. OPORTET AVTEM FIERI, præsuppositâ hominũ malitiâ ex vnâ parte, & ex altera parte diuinâ prouidentiâ, cui vilum est eiusmodi mala permittere ad maiora bona inde elicienda, nempe malorum punitionem, & bonorum exercitionem.

Lact. l. 7. *c.* 15. 16. &c.

℣. 7. CONSVRGET GENS IN GENTEM] Hæc & sequentia signa omnia de orbis totius excidio interpretantur Lactantius, Irenæus, Hilarius & Gregorius: de excidio verò Ierosolymæ Chrysost. cum suis. Ego malim cum S. Hieron. August. & Beda de vtroque interpretari, saltem vsque ad vers. 15. de vtroque enim confusè rogarant Apostoli. A v. 15. vsque 21. distinctè agit de excidio vrbis: inde vsque ad finem de excidio orbis. Porrò *gentem in gentem* insurrexisse etiam ante Ierosolymæ obsidionem patet ex oculato teste Iosepho, qui narrat, Iudæos insurrexisse in Samaritanos, in Syros, in Romanos: vicissim Syros, Ptolemæenses, Scythopolitas, Cæsareenses, Ascalonitas, Romanos, & omnes vicinas gentes in Iudæos. De fame patet ex Actis Apostolorum, & ex eodem Iosepho. Bellum autem & famem consequi solet *pestis*. De terræmotu sub Nerone, quo tres vrbes in Asia partim collapsæ, partim absorptæ sunt, testatur Eusebius.

Ioseph. l. 2. *Belli &* seq. *Act.* 11. *v.* 28. *Ioseph.* 20. *Antiq. c.* 2. &c. *Euseb. in Chron.* 4.

℣. 14. PRÆDICABITVR HOC meum EVANGELIVM IN VNIVERSO ORBE, per omnes nationes, regna, prouincias & vrbes, IN TESTIMONIVM OMNIBVS GENTIBVS mei erga omnes affectus, & curæ salutis omnium. Nempe testatum volo toti orbi, æternam salutem omnibus esse paratam, si amplexi fuerint hoc quod prædico Euangelium: sin verò, perditionem æternam. Hinc & ex aliis S. Scripturæ locis colligunt SS. Patres, (*g*) Euangeliũ non obiter tantùm & clàm, vt tempore Apostolorum contigit, toto orbe promulgandum, sed publicè ac solemniter, permittentibus, imò amplexantibus illud omnibus regibus & regnis terræ, factâ subditis potestate idem liberrimè amplexandi; præconibus verò Euangelij licentiâ euulgandi, Sacramenta omnia administrandi, templa fundandi. Psal. 21. v. 28. *Conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ: vniuersæ familiæ gentium.* Psal. 71. v. 11 *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei:* non simul tamen, (nisi fortè sub finem mundi,) sed successiuè ac vicissim. Postquam verò sic per vniuersum orbem prædicatum, creditum & acceptatum fuerit Euangelium, TVNC VENIET breui totius mundi CONSVMMATIO & finis.

g *Citati à Bellarmino, Valentia, Suar. &c.*

℣. 15. CVM VIDERITIS ABOMINATIONEM DESOLATIONIS] id est, rem abominabilem desolantem, seu desolationem & extremum exitium portendentem, nempe intus in vrbe Zelotas seditiosos ac sceleratos homicidas Iudæos, qui templum sub aduentum Vespasiani vi occuparunt, profanarunt, & more castrorum contra suosmet ciues communierunt: foris verò profanas Romanorum (*b*) aquilas & phalanges, locum & vrbem sanctam vndique cingentes, vt dixi Dan. 9. v. 27. & in Chronico.

h *Luc.* 21. *v.* 20. *Chron. c.* 50 *sub finem Imperij Neronis.*

℣. 16. TVNC QVI IN IVDÆA SVNT, si nolint cadentis vrbis inuolui ruinis, FVGIANT AD MONTES, & ad speluncas. Nam & aliæ ciuitates Iudææ pòst paulò à Romanis obsidebuntur & excidentur, teste Iosepho. Et quidem sub initia belli Iudæos plurimos, ac nominatim Christianos, (*i*) ex his signis instans Iudææ excidium coniectantes, in alias prouincias profugisse testantur Epiphanius, Eusebius & alij apud Baronium.

Ioseph. l. 3. *Belli, &c.* i *Chron. sup. an.* 12. *Neronis.*

℣. 17. QVI IN TECTO est, vt inde in aliud tectum prosiliat, & sic manus insequentium euadat per alienas ædes, caueat descendere in domum propriam, vt nummos vel alium commeatum inde sibi accersat. Hac hyperbole significat fore omnia periculorum plena, ad quæ euadenda opus sit ocyssima fuga, inquit S. Augustin. & in simili S. Ieremias.

Aug. ep. 80. *circa med. Ierem.* 46. *v.* 5.

℣. 20. ORATE VT NON FIAT FVGA VESTRA IN HIEME, tempore perincommodo; VEL SABBATO, quo non licet Iudæis vltra 500. (*k*) passus integros ambulare: & seruabant id religiosissimè, vt mallent mori, (*l*) quàm vlteriùs tendere. Hieme tamen fugiendum illis fuit, qui obsidionem cum Paschate inchoatam (*m*) effugere voluerunt. Die sabbati & *templum* à Romanis occupatum, & vrbem interceptam ex pluribus testibus constat, quos in Chronico (*n*) citaui.

k *Prolog. de mensuris longitud.* l 1. *Mach.* 2. *v.* 34. m *Chron. c.* 50. *anno* 2. *Vespasiani.* n *Ibid.*

℣. 21. ERIT TVNC TRIBVLATIO MAGNA] scilicet genti Iudææ, de qua S. Lucas (*o*) exponit, & Iosephus (*p*) ait, nullam aliam ciuitatem talia vmquam perpessam. Patres tamen vt plurimum hæc accommodant persecutioni & calamitati Christianorum sub Antichristo, cuius typus fuit illa calamitas Iudæorum.

o *Luc.* 21. *v.* 23. 24. p *Ioseph. l.* 6. *Belli c.* 11.

℣. 22. NISI BREVIATI FVISSENT, id est, numero imminuti, DIES ILLI calamitiosi, NON FIERET SALVA OMNIS CARO, id est, nullus homo Iudæus in persecutione Romana, nullus Christianus in persecutione Antichristi, vt S. Augustin. exponit, superstes relinqueretur. SED PROPTER ELECTOS, id est, eximiè pios & sanctos Christianos, vel tunc viuentes, vel ex tunc viuentibus prodituros, vt idem S. Augustin. & Chrysost. explicant, BREVIABVNTVR & temperabuntur.

S. Aug. ep. 80. *sup.*

℣. 24. SVRGENT tunc, quasi miseris opitulaturi, aliquot PSEVDOCHRISTI, imò antichristi, ET DABVNT SIGNA MAGNA & mira, sed fictitia & illusoria, & ope dæmonis patrata, inquit S. Augustin. Eiusmodi pseudochristos recenset Iosephus (*q*) varios tempore obsidionis & captiuitatis Iudaicæ, putà *Eleazarem* filium Simonis, & *Ioannem* filium Leuiæ Zelotarum principes, item *Simonem* filium Gioræ, &, quod mireris, etiam *Vespasianum* Imper. vt dixi in Chronico. (*r*) Sub tempora verò Antichristi longè plures exsurgent eiusmodi præstigiatores, qui fictis prodigiis populum seducent, ITA VT IN ERRORE M INDVCANTVR (SI FIERI POTEST, seu posset) ET IAM ELECTI, id est, eximij Sancti.

q *Ioseph. l.* 7 *Belli c.* 11. 12. r *Chron. sup. an.* 1. *Vespasiani.*

Petes, An ergo electi non possint in errorem induci? Respondeo, Non poterunt nisi volentes: nam partim luce diuina, partim instructione prudentiorum, facilè detegent fraudes & præstigias impostorum, & falsum à vero discernent.

℣. 26. ECCE IN PENETRALIBVS templi est Christus vester. Eò enim penetrarant *Eleazarus* ille & *Ioannes*, de quibus suprà, & alij, vt narrat Iosephus. Sed NOLITE CREDERE eiusmodi præstigiatoribus. Neque opus habebitis nouis signis ad meum secundum *aduentum*, quando glorioſus ad iudicium redibo, dignoscendum: erit enim omnibus conspicuus & per se manifestus.

Iosep l. 6. *Belli c.* 1. & 4 & l. 7. *c.* 11. &c.

℣. 27. SICVT FVLGVR] quod licèt subitum & inexspe-

inexpectatum, tamen neminem latet, nèque prorepit è terra, sed dissilit ex aëre, neque vno orbis loco, sed toti simul orbi momento innotescit. ita S.Hieron.& Chrysost.

℣.28. VBICVMQVE FVERIT CORPVS, πτῶμα, id est, cadauer, ILLIC CONGREGABVNTVR ET AQVILÆ] Prouerbium est, significans facilè ea coniungi quæ naturâ suâ iungi postulant, v. g. aquila & cadauer, prædo & præda. q.d. Quando Christus veniet ad iudicium, non opus erit inquisitione vel signis, vt sciatur vbi sit: nam sicut aquilæ & vultures naturali instinctu atque impetu, solo odore allecti feruntur vndique ad cadauer vt ad optatissimam escam: ita electi mei è morte rediuiui & instar aquilarum iuuentute renouati, simulatque in nubibus apparuero, sentient virtutem præsentiæ meæ, & mox vndique ad me conuolabunt, mihique *obuiam rapientur*(a) *in aera*. Hinc S. Hilarius vult iudicis Christi tribunal ibi fore vbi crucifixi cadauer pependit, vtique prope vallem Iosaphat, vbi iudicium extremum instituendum docet Ioel Propheta. Non deerunt nihilominus etiam extraordinaria signa toti orbi conspicua, quæ aduentum illum meum immediatè præcedent. Nam

a 1. Thessal. 4.v.16. Hilar. can. 25. in Matt. Ioel.3,v.2.

℣.29. STATIM, id est, non multò, POST TRIBVLATIONEM illam Antichristi prædictam, ante tamen resurrectionem, vt patet ex S. Luca(b) & Ioele, (quamuis id negent S.Hieron.& Chrysost) SOL OBSCVRABITVR pleno die, subtracto (vt in passione Christi contigit) diuino concursu ad emissionem radiorum & luminis necessario: ET LVNA solari lumine destituta, NON DABIT LVMEN SVVM consuetum, sed teste S.Ioanne, (c) tota *fiet sicut sanguis*: ET STELLÆ CADENT DE CÆLO, nempe inusitatis motibus agitatæ, & omni lumine subitò spoliatæ videbuntur omnes cælo excidere, vt alibi(d) fusiùs explicui. Accedent quoque cometæ & similes ignitæ constellationes, quæ ex aëre in terram præcipitabuntur, inquit S.Hieron. August.& Beda.

b Luc. 21. v.25. Ioel.2.v.31.

c Apoc.6. v.12.

d Ezech.32. v.10. Iob 9.v.6. Isaiæ 24. v. 19. &c. Aug.l.10. Ciuit.c.24.

ET VIRTVTES, δυνάμεις, id est, potentiæ, vires CÆLORVM COMMOVEBVNTVR, id est, ipsa cæli robora: fundamenta, cardines insolitis motibus loco disturbari videbuntur: (& hanc quasi rationem assignat S.Lucas,(e) cur stellæ cadere videantur:) & consequenter omnes cælorum aspectus & influentiæ perturbabuntur: vnde & in terris omnia ex cælorum influentiis pendentia pessum ibunt. Simile Iob 36.vers. 30. Nempe hæc mundi occumbentis, exspirantis & quasi animam agentis symptomata sunt.

e Luc.21. v.29.

℣. 30. TVNC palàm in sublimi aëre PAREBIT SIGNVM FILII HOMINIS] id est, insigne illud trophæum quo Christus toto orbe celebratur, designatur & dignoscitur, putà *crux*, vt S. Hieron. Hilarius, & Leo & alij SS. Patres exponunt. Et quidem S. Chrysost. Sibylla, Thomas Waldensis putant, ipsissimam fore crucem cui affixus fuit Christus: sed alij dicunt, eius fore similitudinem ministerio angelorum ex splendidissimo aëre efformandam, & antè conspectum aduenientis iudicis præferendam vnà cum columna, flagello, spinea corona, clauis & lancea, vt credunt Doctores, inquit Salmeron.

TVNC PLANGENT OMNES TRIBVS TERRÆ] id est, omnes omnium nationum & familiarũ, quotquot tunc in viuis adhuc fuerint, mali & boni: *nescit* enim *homo, an odio an amore dignus sit*. (f) Sed mox igne, quo conflagrabit vniuersus mundus, etiam homines omnes absumentur. cùm paulò pòst

f Eccles. 9. v. 1.

℣.31. TVBA, seu voce tubali per angelos in aëre efformanda, vndique è cineribus & sepulchris euocati tam reprobi, (g) quàm electi, ante thronum iudicis cogentur: A SVMMIS, ἀπ' ἄκρων, id est, ab extremitate vna CÆLORVM VSQVE AD alteram extremitatem; siue in cælo, siue in terra, siue sub terra, in Purgatorio vel inferno fuerint: vnde Marcus habet, *à summo*, seu infimo, *terræ vsque ad summum cæli*. Visis ergo signis suprà dictis,

g Matt 13. v. 41.

℣.33. SCITOTE QVIA PROPE, imò, IN IANVIS adEST iudex, vel, vt Lucas, (h) *regnum Dei* gloriosum, & *redemptio vestra*. Et quidem propinquiùs sequetur, quàm germinationem *ficus* vel aliarum arborum sequatur tempus æstiuum.

h Luc. 21. v.28.31.

℣. 34. GENERATIO HÆC, seu gens quæ nunc est Iudæorum, NON PRÆTERIBIT, id est, non desinet esse, DONEC OMNIA iam dicta compleantur. Nam etiam vsque ad extremum mundi diem supererunt reliquiæ (i) Iudæorum.

i Rom.11. v.25.26.

℣.35. CÆLVM ET TERRA TRANSIBVNT (k) in aliam speciem, formam, qualitatem: ex præsenti statu, quo seruiunt rerum generationi & corruptioni, transibunt ad meliorem quietis statum.

k Matth.5. v.18.

℣.36. DE DIE ILLA NEMO SCIT, NISI SOLVS PATER] & qui cum Patre sunt eiusdem, vt essentiæ, ita & scientiæ, Filius & Spiritus sanctus. Nam quòd in Marco (l) id etiam *Filio* denegetur, exponendum est de Filio, vt legatus est Patris, vt ibid. dicam.

l Marci 13. v.32.

℣.39. NON COGNOVERVNT impii, id est, cognoscere noluerunt imminens orbi excidium, Noë id prædicentem irridentes, & in sordibus suis lasciuire pergentes: ita etiam erit instante *aduentu* Christi ad iudicium. Sed quomodo in tantis miseriis (m) lubebit vacare voluptati? Respondeo, Lucidum erit aliquod paucorum annorum interuallum inter mortem Antichristi, & apparitionem signorum cælestium, de quibus suprà. (n) Quemadmodum sæpe videmus, hominem sub tempus agonis extremi, nonnihil respirare & quasi conualescere, inquit S.Hieron. Tunc dicetur, *Pax & securitas*. (o) Et *Vbi est promissio aut aduentus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ*. (p)

m Hic v. 21. 29.30.

n v. 29.

o 1. Thessal. 5. v.3.

p 2. Petri 3. v. 4.

℣. 40. DVO ERVNT IN AGRO, id est, colentes vnum eumdemque agrum. DVÆ ancillæ MOLENTES, id est, vnam eamdemque molam in pistrino vertentes, (hoc enim erat ancillarum (q) in Orientalibus regionibus:) VNA inde ASSVMETVR obuiam Christo in aëra: altera RELINQVETVR in terra, pòstpaulò damnanda. q.d. Longè alia erit mox etiam parium hîc & similium conditio: & habet electos suos Deus etiam in vilissimo rusticorum & mancipiorum genere: & omnibus non minùs piis quàm impiis repentinus & inexpectatus superueniet extremi iudicij dies.

q Exodi 11. v. 5.

℣.45. QVIS PVTAS EST FIDELIS SERVVS ne fallat, ET PRVDENS ne fallatur, in administrandis bonis domini sui? exemplo Iosephi. (r) Hæc addit Christus maximè propter Apostolos, alioquè Superiores in Ecclesia, vel in republ. inquit S. Hilarius. Et in genere vult omnes admonitos, etiam qui ante illum diem è viuis excedent. *Tunc enim vnicuique venit dies ille, cùm venit ei mortis dies, vt talis hinc exeat qualis iudicandus est illo die*, inquit S. August. Addit S. Hieron. *Quod in die iudicij futurum est simul omnibus, hoc in singulis seorsim die mortis impletur*.

r Gen.41. v.40.

August.ep. 80.sup. Hieron. in Ioel. 2.

CAPVT

CAPVT XXV.

Parabola de virginibus quinque fatuis, quinque prudentibus: item de talentis variis variè distributis, probat distribuenda cuique in iudicio præmia vel pœnas pro merito operum cuiusque Formam denique & quasi historiam futuri iudicij subnectit.

¶.1. REGNVM CAELORVM, id est, Ecclesia Christi, assimilatur collectioni DECEM, (a) id est, plurium, *virginum*, quæ instructæ LAMPADIBVS, id est, fide in Christum, vt Origenes, Hilarius, Hieron. & Auctor imperfecti exponunt, imò & S. Paulus (b) fideles virginibus comparat: EXIERVNT OBVIAM SPONSO Christo, cum *sponsa* sua Ecclesia triumphante nuptias agituro. Alludit ad morem antiquum, quo solebat sponsus vespere adire ædes sponsæ, indeq; sponsam in ædes suas, aut certè in amplam aliam ad id antè paratam conuiuij domum deducebat, vbi nuptiæ celebrandæ erant & consummandæ: pueri autem & virgines honoris causa obuiam ibant præferentes tædas pronubas & ferè quinas, teste Plutarcho & aliis apud Alexandr. ab Alexandro, & Tiraquellum, & Salmeronem. Iudæi autem loco ceræ *oleo* vtebantur. Quod hic pro symbolo ponitur bonorum operum, charitatis & solidæ pietatis, sine quibus lampas fidei non lucet, sed extincta est & quasi mortua: cum illis verò viua est, accensa & lucens. ita S. Augustin. Gregor. & alij Patres.

a Num. 14. v. 22. Iob 19. v. 3.

b 2. Cor. 11. v. 2.

Alex. l. 5. Genial. c. 3. & ibi Tiraquell. Salmeron tract. 38. tom. 7. Aug. ser. 23. de verbis Domini. Greg. hom. 12 in Euang.

¶.4. *Vasa* sunt corda. *Mora sponsi* pœnitentiæ tempus est. *Dormitare*, ægrotare; *dormire*, mori. MEDIA NOCTE, id est, inexspectatò instar *furis*, vt ait S. Petrus. CLAMOR excitatio est interna per inspirationes diuinas, & externa per præcones verbi Dei, inquit Origenes, Hilarius, Chrys. Hier. Gregor. & Emmanuel Sà. Et fortè vocibus istis angelicis, ECCE SPONSVS VENIT, EXITE OBVIAM EI, omnes electi post resurrectionem monebuntur obuiam ire iudici Christo.

2. Pet. 3. v. 10.

¶.8. DATE NOBIS DE OLEO VESTRO] Hæc & sequentia tantùm ornatus causâ iunguntur parabolæ, significantq; eos qui in vita negligentes fuerunt, etsi post mortem possent & vellent supplere defectum, seriùs tamen & frustra opem aliorum imploraturos. Morte enim clauditur ianua meritorum, numquam ampliùs aperienda, inquit S. Augustin.

¶.9. ITE ADVENDENTES, &c.] Exprobrandi & irridendi causâ dicitur, inquit idem S. August. Sed nimis seriò

¶.12. NESCIO VOS] scilicet scientia (c) approbationis, id est, non agnosco vos pro meis inuitatis, pro amicis, pro sociis cœnæ meæ.

c Matth. 7. v. 23.

Alia parabola idem quod suprà confirmat. Sic enim accidet in Ecclesia Dei:

¶.14. SICVT si quis diues mercator dum PERGERE PROFICISCITVR, seruis suis BONA SVA committat, vt ex iis lucrum faciant. Largitur enim Deus singulis fidelibus varia gratiarum tam gratis datarum, quàm gratos facientium talenta: (d) item externa tam corporis, quàm fortunæ bona, non omnibus æqualia, vel æquè multa, sed

d Prolog. de Bonis eccl.

¶.15. VNICVIQVE SECVNDVM PROPRIAM VIRTVTEM, δυνάμιν, id est, potestatem, & vires, id est, prout videt quemque ferendo esse, & egere pro statu suo. Neque enim deest in necessariis: & alia dat subsidia regibus quàm rusticis, alia Episcopis quàm nautis. Sed absit cum Pelagio dicamus, (vt mentitur nos dicere Caluinus,) gratias & dona Dei dari hominibus secundùm vires & merita naturæ cuiusque. Etsi enim gratias datas sæpe viribus naturæ contemperet: id tamen non facit intuitu meritorum naturæ, sed pro nudo beneplacito suo: nam sæpe præstantiori naturæ minora paucioraque largitur, quàm minùs præstanti. Gratias verò gratum facientes nullo modo naturæ, sed vel nudæ voluntati suæ, vt in prima gratia excitante & iustificante, vel meritis cuiusque ex gratia Dei cooperante profectis commensurat. *Gratia* enim *meretur augeri*, inquit S. August. *vt aucta mereatur & perfici.* Illud, PROFECTVS EST STATIM, indicat libertatem quam Deus nobis relinquit, seu negotiandi, seu otiandi pro arbitrio, tamquam Domino procul absente. Et vnus quidem

¶.16. OPERATVS, id est, negotiatus per accepta talenta, LVCRATVS EST ALIA QVINQVE, ALIVS ALIA DVO] Pro mensura enim cooperationis cuiusque cum gratiis diuinis, intenduntur habitus gratiarum supernaturales, gratiorem continuò hominem reddentes Deo: adeò vt respectu doni diuini in conuersionis exordio accepti, sæpe millecuplum lucrum successu temporis comparetur.

¶.18. QVI AVTEM VNVM ACCEPERAT talentum, mera pigritia & inertia DEFODIT IN TERRAM, vbi nulli est vsui. Tales sunt qui vel pusillanimitate, vel laboris formidine, vel otij appetentia subterfugiunt charitatis officia, *in vanum*, id est, frustra, & *in vacuum*, id est, otiosam, infructuosam *gratiam Dei recipientes.* (e) Sed an nullus eorum qui duo vel quinque talenta accepit, defodit illa in terram? Respondeo, Prò dolor, nimis multi: nec defodiunt modò, sed & pessimè abutuntur. Vnius tamen solius hîc meminit, quia ignauiæ vt plurimùm indulgent qui paucioribus prædili sunt gratiis & donis.

e 2. Cor. 6. v. 1.

¶.24. METIS VBI NON SEMINASTI] Calumnia est pigrorum, quasi Deus grauiora iubeat, vel maiorem perfectionem requirat, quàm præstari ab imbecilli homine possit. Sed cur saltem facili illo & securo negotiandi modo

¶.27. COMMITTENDO PECVNIAM MEAM NVMVLARIIS, τραπεζίταις, id est, mensariis, campsoribus vel fœneratoribus, sine labore & periculo tuo lucrum aliquod comparare neglexisti? Poteras enim vel aliis ministrando & cooperando, vel orationi subinde insistendo, vel Sacramenta (quæ gratiam ex opere operato augent) frequentando, maxima tibi lucra minimo labore, nullo perdendi periculo comparare.

¶.28. DATE TALENTVM eius non idem numero, sed specie & æstimatione, EI QVI HABET DECEM] date, inquam, non ad vsum, sed ad gaudij, honoris & gloriæ incrementum. Adeò enim cumulantur Sancti bonis omnis generis, vt etiam reproborum dona omnia in ipsos translata videantur, idque eò cumulatius, quò pluribus Dei donis in vita rectè vsi fuerint.

¶.29. OMNI ENIM HABENTI DABITVR, & nihil æquè conatur diuina munificentia, quàm dona sua quotidie in nobis quàm maximè ampliare, augere & perficere. EI AVTEM QVI NON HABET lucrum quod habere debet, etiam id QVOD HABERE VIDETVR, & ad id vsque tempus habuit, (f) putà habitum fidei, spei, aliasque gratias supernaturales, *auferte* ab eo. q.d. Prouerbium quod vulgò spargi solet, *Ditioribus datur, pauperibus semper aufertur*, in præsenti negotio verissimum deprehendetur.

f Matth. 13. v. 12.

¶.30.

℣. 30. De *tenebris exterioribus*, de *fletu & stridore dentium* in inferno, egi Matth. 8. v. 12.

Nota. Quatuor harum parabolarum, furis, seruifamilias, virginum & talentorum, talis est ordo, vt, quò posteriores sunt, eò perfectius explicent formam iudicij vniuersalis: cuius mox historia subiicitur.

℣. 31. *Veniente* cum Christo ad iudicium OMNES ANGELI, à primo supremi, vsque ad vltimum infimi ordinis & chori, cælis euacuatis, inquit Chrysost: Tunc angelorum ministerio

℣. 32. CONGREGABVNTVR ad tribunal iudicis, in vallem (a) Iosaphat, OMNES GENTES, id est, omnes homines, cuiuscumque sint nationis, sæculi, conditionis, sexus, ætatis, siue olim, siue recèns mortui. Mox Christus *instar pastoris*, (qui è pascuis, vbi promiscuè toto die pasti fuerant, vesperè greges suos ad stabula reducit, sua cuique gregi consignans,) *segregabit oviculas* suas innocentes, mansuetas, simplices, patientes, per omnia sibi morigeras, per omnia vtiles, AB HOEDIS & hircis immundis, fœtidis, asperis, lasciuis, luxuriosis, rixosis, auia, inuia, præcipitia captantibus.

℣. 33. ET QVIDEM OVES sic ab *hœdis* seiunctas STATVET, A DEXTRIS SVIS] id est, loco honoratiori ac nobiliori, putà in aëre, ante & iuxta tribunal, inquit S. Thomas: impiis hœdis loco inferiori, in terra (b) relictis.

℣. 34. VENITE, adiungamini mihi æternùm, BENEDICTI (c) PATRIS MEI, id est, dilecti à Patre ab æterno, & tot gratiis ab illo decorati, tanta nunc quoque gloria decorandi: (Dei enim *dicere* facere est:) POSSIDETE, κληρονομήσατε, id est, hereditate, seu iure hereditario possidendum accipite; vt veri *heredes* Patris, & *coheredes* (d) mei. Duplici enim titulo dabitur Sanctis gloria cælestis, Primo, *hereditatis*, vtpote filiis; Secundo, mercedis, vtpote promeritis. Neque enim, vult Deus, vt solent homines, filiis suis cæca manu dare regnum suum, siue illud mereantur & digni sint, siue non; sed tantùm pro brauio, & dignis ac promerentibus.

PARATVM VOBIS ac prædestinatum (præuisâ vestrâ virtute & perseuerantiâ) A prima MVNDI CONSTITVTIONE, imò ab omni æternitate. *Quanta nobilitas nostra*, clamat Chrysost. *quòd non nuper, sed ab olim; ab ipsis* mundi *initiis*, ab omni æternitate *dilecti* & ad regnum delecti *sumus*!

℣. 35. ESVRIVI ENIM in membris & fratribus meis, ET DEDISTIS MIHI MANDVCARE] Sub vno genere bonorum operum, putà misericordiæ corporalis, intelligi vult Christus omnia alia virtutum genera. Tantùm enim exempli causa profert vnius generis opera, maximè facilia, & omnibus obuia, & à quibus, saltem ope, consilio, commiseratione præstandis nemo sese excusare potest. Simul vt illa nobis seriò commendet & inculcet. Denique vt ostendat quanto præmio remuneraturus sit alia longè excellentiora opera, si pro his minimis regnum æternum largiatur.

℣. 41. DISCEDITE A ME MALEDICTI; en pœnam damni, priuationem visionis Dei & gloriæ cælestis: IN IGNEM ÆTERNVM; en pœnam sensus, *supplicium* ignis æternum. (e) Ignem enim verum in inferno esse, contra Caluinum & alios nostros hæreticos, expressè docent S. Hieron. Ambros. Damascenus, & nos (f) alibi docuimus: vti, & quomodo dæmones, (g) illo igne torqueantur.

Petes, An hæ sententiæ sensibilibus verbis pronuntiandæ sint à Christo? Respondeo, Verisimillimè generales quædam sententiæ sic pronuntiandæ sunt in singulas classes tam Sanctorum, quàm damnatorum: (neque enim iudicium momento consummandum est, sicut resurrectio:) sed singulorum in particulari tam examen, quàm sententia proferetur (h) spirituali & interna locutione, vt S. August. docet. Quando *diabolo* Lucifero *& angelis eius* affectis paratus sit ignis infernalis, dixi Gen. 1, 1.

CAPVT XXVI.

Consultant principes sacerdotum de occidendo Christo, qui discipulis suis id futurum prædicit. Vngitur pretioso vnguento à Magdalena; vnde murmurant discipuli, & Iudas de illo prodendo pascitur cum Iudæis. Eam proditionem detegit Christus suis in cœna paschali, & iisdem panem in corpus suum, & vinum in sanguinem transsubstantiata porrigit, iubens vt eadem simili modo deinceps Deo in sacrificium & passionis sua æternam memoriam offerant. Prædicit omnes scandalizandos, Petrum etiam ter se negaturum. Post trinàm in horto orationem capitur à Iudæis, diffugiunt discipuli: sistitur & accusatur coram Caipha, & vesperi mortis iudicatur, conspuitur, caditur, illuditur, interea ter à Petro negatur.

℣. 2. POST BIDVVM PASCHA FIET, nempe 15. mensis primi (i) *Nisan*, quando vnà cum agno paschali, immolabor verus *Agnus Dei, vt tollam peccatum mundi*? (k) Et erat vetus Iudæorum traditio, populum Israel à Messia redimendum eodem die quo per Moysen olim eductus fuerat ex Ægypto, testibus Eugubino, Masio & aliis.

℣. 3. TVNC, nempe 13. *Nisan*, feria 4. seu die Mercurij, ante meridiem, CONGREGATI SVNT 24. (l) PRINCIPES SACERDOTVM, ET SENIORES, seu senatores POPVLI, id est, magistratus politici, IN ATRIVM, vel aulam, supremi PRINCIPIS SACERDOTVM, id est, pontificis, QVI DICEBATVR CAIPHAS, (m) prænomine *Iosephus*. (n) Ibi decernunt vnanimi consensu

℣. 4. IESVM DOLO *tenere*, id est, occultè ex insidiis captiuum facere, ET dein *occidere*.

℣. 5. NON IN DIE FESTO Paschæ iam instante: NE FORTE IN POPVLO (qui vndique maximo numero ad festum (o) confluxerat,) TVMVLTVS FIERET, multis Christo bene volentibus. Hoc tamen consilium paulò pòst mutarunt, oblato scilicet tam commodo proditore Iuda. Huic verò & discipulo, & Apostolo & contubernali, imò œconomo (p) Christi, cupido prodendi dominj fui incessit hac occasione:

℣. 6. CVM Christus nuperrimè, putà sexto die ante Pascha, die sabbati ad vesperam è vicino loco venisset *Bethaniam*, ibique IN DOMO SIMONIS cognomento LEPROSI (videtur enim cognomen fuisse familiæ, sicut *Cocles*, *Claudius*, &c. nisi malis dicere curatum aliquando fuisse per Iesum à lepra:) cœna lautiore exciperetur, Martha (cognata Simonis, vel certè vicina & familiari) epulum instruente, inquit S. Augustinus; & *Maria* sorore (q) eius

℣. 7. ALABASTRVM VNGVENTI PRETIOSI SVPER CAPVT & pedes (r) RECVMBENTIS Iesu *effundente*; ob nimis effusam (vt interpretabantur) liberalitatem indignati sunt omnes quidem Apostoli, sed præ omnibus procurator rerum Apostolis necessariarum Iudas. Est autem *alabastrum* pyxis vnguentaria

1 *Ioel.* 3. v. 1. 12. &c. *Zach.* 14. v. 4. & *Matth.* 24. v. 28.

b *Matt.* 24. v. 40.

c *Gen.* 24. v. 31.

d *Rom.* 8. v. 17.

Chrys. hom. 1. *in epist. ad Titum*

e *Vide vlt. Psalm. & Isaiæ* 30. 20 *Eccli.* 7. v. 19. f *Matth.* 8. v. 29.

g *Apoc.* 20. v. 12. *Aug.* l. 20. *Ciuit.* c. 14.

h *Exodi* 12. v. 2. 6. &c. *Chron.* c. 4.

k *Ioan.* 1. v. 29. *Eugub. in Exodi.* 12. *Masio in Iesue* 5. v. 10.

l *Paral.* 24. & *Chronic.* c. 46. *tab.* 3.

m *Luc.* 3. v. 2.

n *Chron.* c. 42. *classe* 3.

o *Exodi* 34. v. 23. &c.

p *Ioan.* 12. v. 6.

Aug. l. 2. *de Consensu Euangelist.* c. 78.

q *Ioan.* 11. v. 1.

r *Ioan.* 12. v. 3.

guentaria delicatior ex *alabastrite* lapide confici
Plin. l. 36. c. 8. solita, teste Plinio, qui, vt & Horatius, *onychem* vocat, quòd marmor illud humani vnguis colorem referat. Per *vnguentum* verò intellige liquorem non crassum & pinguem, qualis à chirurgis adhibetur, sed subtilem & quasi aqueum ex herbis odoriferis & aromatibus expressum, qui corpus & vestes quibus infunditur, non commaculet, sed irriget duntaxat, instar aquæ nostræ rosaceæ vel lauendulæ, gratissimum odorem afflando ad valetudinem & voluptatem. S. Ioannes vocat *nardum pistícum*, id est, fidelem, syncerum, non pseudonardum, vt Vatablus, Iansenius, Baronius, & Toletus
Ioan. sup. exponunt. Nisi malis dicere πιστικὸν apud Ioannem in Græco corruptè vel per metathesin positum pro σπικατὸν, id est *spicatum*, vt habet Marcus,
Marc. 14. v. 3. Plin l. 12. c. 12. id est, ex spicis nardi expressum, ad distinctionem nardi *foliati*, seu ex foliis expressi, vt ibidem Plinius. Et optima quidem ac pijssima mente liquorem hunc profudit Magdalena, Primò, vt Iesu dignitatem conuiuis palàm faceret. Secundò, vt suam erga eum fidem, amorem, gratitudinem testaretur. Tertiò, vt iuxta conuiuiorum morem exhilararet, & laboribus fatigatum reficeret. Quartò, vt ad mortem properanti, (quod iam sæpius audierat,) & sibi quoque solamen aliquod exhiberet. Denique

℣. 12. AD SEPELIENDVM ME: quod breuî fiet, hoc vnguento me vnxit. q. d. Ipsa mihi breuî morituro & sepeliendo iam præstitit, quod omnibus passim Iudæis in sepultura præstari solet, vt nempe cadauera vngantur & aromatibus condiantur. ad testandum sic constantem suum erga amicos etsi defunctos affectum: ad arcendam quoque, quamdiu liceret, putrefactionem & fœtorem: sed primariò ad fidem & spem resurrectionis publicè contestandam. Vnde pium hoc & laudabile Magdalenæ officium,

℣. 13. QVOD iam erga me FECIT, DICETVR, seu enarrabitur, TOTO MVNDO, non in vituperium, sed IN MEMORIAM laudemque perpetuam EIVS] Discite ergo, non in solis pauperibus pascendis (vt cum Iuda Caluinus contendit) sed & in templis ornandis ungere Christum: cur enim iubeat, factum Magdalenæ toto orbe tamquam laudatissimum euulgari, si nolit quemquam imitarî? Certè
a Matth. 10. v. 4. auaro *Iudæ Iscariotæ* (*a*) persuaderi non potuit probum factum fuisse: interpretabatur subtractum
b Ioan. 12. v. 6. tantumdem loculis (*b*) suis: quibus proinde alia via implendis consultum voluit nouo, sed omnibus sæculis pudendo facinore, proditione proprij domini, magistri, saluatoris sui, & sanè pro-
c Zach. 11. v. 13. bo ac decoro (*c*) pretio, & quod egregiè satiet inexplebilem illum auaritiæ gurgitem, nempe 30. *argenteis* siclis, seu 30. florenis Belgicis, vel 15.
d Ibid. & in Proleg. de Ponderib. vnciis argenti, vt alibi (*d*) dixi. Franc. Lucas & quidam alij per *argenteos* putant abusiuè designari hîc *minas* argenti, sicut Iosephus patriarcha Gen. 37. venditus dicitur 20. *argenteis*, id est, 20. minis
e Ioseph. l. 2 Antiq. c. 3. argenti, vt explicat Iosephus (*e*) historicus. Et tunc summa notabiliter maior esset, nempe 750. florenorum Belgicorum, si Atticas, vt oportet, minas intelligas, quarum tunc vsus vulgò frequentior erat.

℣. 17. PRIMA DIE AZYMORVM, synecdochicè, id est, ea die à cuius sequente vespera incipiebat
f Marc. 14. v. 11. Pascha, seu 15. dies mensis Nisan, quæ erat prima
g Luc 22. v. 8. dies azymorum, rogant DISCIPVLI eius duo, (*f*) Petrus & (*g*) Ioannes, VBI VIS PAREMVS TIBI A COMEDERE PASCHA, seu agnum paschalem? Ex his verbis, & adhuc clariùs ex aliis Euangelistis patet contra Græcos, Christum non comedisse agnum paschalem, neque Sanctissimam Eucharistiam instituisse, nisi prima die azymorum, & consequenter in pane azymo.

℣. 18. ITE IN CIVITATEM Ieroselymitanam, (extra hanc enim non licebat (*b*) comedere agnum
h Deut 16. v. 6. paschalem) AD QVEMDAM. Hic ex communi traditione putatur fuisse *Ioannes* cognomento *Marcus*, in cuius etiam domo post mortem & resurrectionem Christi latitarunt Apostoli, & receperunt Spiritum sanctum. vbi & postea constructa est in Sion prima & celeberrima Ecclesia Christianorum, inquit Baronius. Porrò ex verbo, MAGISTER DICIT, colligitur fuisse ex discipulis Christi, vt qui Christum pro suo magistro agnosceret.

TEMPVS MEVM PROPE EST] Id est, hora mortis B meæ propinquat.

De cæremoniis in esu agni paschalis obseruatu
Exodi 12. v. 5. necessariis egi in Exodo. Hîc solùm addo, agni corpusculum dum assaretur, veru perfodi solitum, pedes verò bacillis in volas infixis distentos, & sic crucifixi speciem non obscuram exhibuisse. Peractâ primâ cœnâ, seu esu agni, vbi standum (*i*) erat
i Ibid. v. 11. omnibus & festinandum.

℣. 20. DISCVMBEBAT tempore secundæ & profanæ cœnæ, quam per otium & pro libitu sumebant accumbendo (*k*) mensæ. Dicit eis:
k Esther 1. v. 6. &c.

℣. 21. TRADITVRVS EST ME hostibus meis Iudæis VNVS VESTRVM duodecim, quibus præteris benefeci, quos apostolatus honore insigniui, in familiam meam adlegi, tanto tempore alui, docui, instruxi.

℣. 22. NVMQVID EGO SVM DOMINE? etsi quisque sciret se esse innocentem, potiùs tamen verbis C Christi, quem sciebant falli non posse, quàm propriæ conscientiæ credunt. q. d. An forte ego subitò tam impius, tam sceleatus euadam? si sic, aperi, confundar & peream.

℣. 23. QVI INTINGIT MECVM MANVM IN PAROPSIDE] Marcus *in catino*, id est, qui eâdem mecum lance & patella etiam nunc vtitur. Alludit ad illud psalmi 40. v. 10. *Qui edebat panes meos*, &c. Nolebat enim publicè Iudam prodere, ne passioni suæ remoram iniiceret, (inquit S. Aug.) soli Ioanni (*l*) id indicasse contentus.
Aug. l. 1. de Consens. Euang. c. 1. Ioan. 13. v. 26.

℣. 24. Et ego QVIDEM libens *vado* ad mortem, sinens me prodi & capi, vt quod DE me SCRIPTVM EST in lege & Prophetis, compleatur. VÆ tamen proditori meo. Sed en effrontis hominis intolerabilem impudentiam. Videbat iam Christo innotuisse scelus suum; tamen rogat,

℣. 25. NVMQVID EGO SVM RABBI? an id de D me suspicaris, qui ex tua designatione œconomum familiæ tuæ tam diu, tam strenuè, tam fideliter egi? Persuadebat sibi, Iesum ob innatam mansuetudinem, id non manifestaturum: vel, si manifestaret, negare impudentissimè decreuerat, & quasi certissimam calumniam passus, è domo se proripuisset, proditionem quasi non præmeditatam specie vindictæ adornaturus. Respondit ei Christus, sed verisimiliter in aurem & submissa voce: TV DIXISTI, interrogando quidem, verè tamen quod res est, totidem verbis enuntiasti. Modus erat respondendi perfamiliaris Hebræis. Et videtur Christus sic illi respondisse, cùm *intinctum* (*m*) *panem* seu *buccellam* (qui Ioanni prodebatur) illi porrexit: quâ sumptâ, continuò se proripuit (*n*) è mensa,
m Ibid. n Ibid. & 30 è domo,

à domo, ad meditatum scelus executioni mandandum. Sed paulò antè

℣. 26. IESVS, vt suum in nos amorem nouo modo testatum faceret, ACCEPIT PANEM in sanctas manus suas, & eleuatis in cælum oculis, *gratias* (a) *agens* Deo Patri, BENEDIXIT eumdem panem, diuinam omnipotentiã super illum inuocans, vt præsto esset & iam & futuris sacerdotum consecrationibus. Benedictio tamen hæc non fuit consecratio, vt vult S. Thomas, sed præuia oratio, qualis illa Lucæ 9. v. 16. aliis panibus impertita, vt docet Tridentinum. Deinde FREGIT panem in 13. partes (nam etiam Iudam sacrorum mysteriorum participem fuisse constat ex S. Luca (b) & ferè cõmuni Doctorum sententia,) DEDITQVE singulis DISCIPVLIS in manus, vnà sibi retenta, & porrigendo ait: ACCIPITE ET COMEDITE: HOC EST CORPVS MEVM] Quibus postremis quatuor verbis facta tunc est à Christo, & etiamnum ore sacerdotum hæc in persona Christi proferentium fit *transsubstantiatio*, seu substantialis conuersio panis in corpus Christi; & sequentibus, vini in sanguinem Christi, remanentibus ibi duntaxat speciebus, seu accidentibus externis. Est enim hæc oratio non enuntiatiua eius quod antè fuit, sed practica, seu factiua eius quod non fuit, sed quod per eam ipsam orationem plenè prolatam factum esse significatur: facit enim quod dicit, & eo ipso quo dicit. Sicut si simili modo dicerem, *Hic annulus est tuus*, vel, *hic est annulus tuus*; dicendo donarem tibi, & hoc dicto verè esset tuus, qui antè erat meus. Ex quibus patet, consecrationis verba, cùm à sacerdote proferuntur, non historicè tantùm aut narratiuè proferri, sed etiam personaliter & practicè, perinde ac si sacerdos ipse esset Christus, quia in eo supplet ipse locum Christi: vt alibi * fusiùs.

1 Marci 14. v. 23. & Luc. 22. v. 17. & 1. Cor. 11 v. 24.

Trident. sess. 13. c. 1.

b Luca 22. v. 20. & 21. Ioan. 13. v. 21.

* Luc. 22. v. 19.

℣. 28. HIC EST SANGVIS MEVS NOVI TESTAMENTI, id est, quo sancitur & confirmatur nouum fœdus inter Deum & homines: item noua vltima voluntas testatoris Christi. Alludit ad illud Exodi 24. *Hic est sanguis fœderis quod pepigit vobiscum Deus.* Sicut enim olim sanguine & morte animalium confirmatum & quasi sigillatum fuit antiquum testamentum, seu fœdus, & vltima pro illo tempore voluntas testatoris Dei, quâ Iudæis legabat terram Chanaan & alia bona temporalia, hac conditione si seruarent mandata & cæremonias ab ipso tunc præscriptas: ita iam Christus vero suo sanguine hîc effuso, id est, in sacrificiũ oblato (nam liquida offerri solent effusione sui,) partim incruentè in vltimâ hac cœnâ, partim cruentè paulò pòst in cruce, confirmat nouum fœdus, (c) nouam pro hoc tempore vltimam voluntatem suam, quâ nobis legat spiritualia bona & cælestem hereditatem, hac conditione vt præceptis eius inhæreamus, & Sacramentis ab eo institutis vtamur. An communicaturis laicis vtraque species exhibenda sit, dicam in Luca & Ioanne.

c Item 31. v. 31. & Hebr. 8. v. 1.

Luc. supra v. 20. Ioan. 6. v. 54.

Porrò verum, reale & substantiale corpus & sanguinem Christi, & quidem vnum idemque numero cum eo quod ad dexteram Patris iam residet in cælo, tum hîc à Christo, tum quotidie à sacerdotibus in Missa offerri Deo in propriè dictum sacrificium non modò Eucharisticum, sed & impetratorium & propitiatorium, certissimò constat tum ex clarissimis verbis Christi, quæ ante Berengarium per annos 1150. nemo aliter intellexit: tum ex vnanimi omnium Conciliorum, Patrum ac Doctorum consensu, vt videre est apud Bellarminum, à Valentia, Suarez & alios orthodoxos, & fusiùs exponam in Marco.

Marc. 14 v. 23.

℣. 29. NON BIBAM AMODO, seu exinceps, DE HOC GENIMINE VITIS. Sic vocat partim speciem vini consecrati adhuc reliquas (nam etiam hæ reuera natæ sunt ex vite:) partim vinum omne profanum quod in mensa vel in hydriis supererat: donec ILLVD NOVVM, id est, noui & alterius generis, BIBAM VOBISCVM IN REGNO PATRIS MEI cælestis, vbi *inebriabimur* (d) continuò *ab vbertate* deliciarum *domus Dei*, *& torrente* perpetuæ *voluptatis*.

d Psal. 35. v. 9.

Dices, Christus post resurrectionem adhuc comedit & bibit vinum naturale cum Apostolis suis. Respondeo, Sed non consueto & ordinario modo, scilicet ad seruiendum necessitati naturæ, vel nutritioni. Quo solo modo negat hic se deinceps cum illis comesturum vel bibiturum.

℣. 30. HYMNO DICTO] Id est, gratiis Deo actis, fortè cum cantu, vt Græcus insinuat. Notat Paulus Burgensis, post esum agni paschalis solitos Iudæos canere, vel legere psalmum 112. *Laudate pueri Dominum*, cum quinque sequentibus, *In exitu Israel*, *Dilexi*, *Credidi*, *Laudate Dominum omnes gentes*, *Confitemini Domino quoniam bonus*. Et verò si vmquam, certè iam pro sumpto corpore & sanguine Dominico, debebantur eximiæ gratiæ Deo.

EXIERVNT IN, seu versus, MONTEM OLIVETI, (e) ad cuius radices prædium erat *Gethsemani*, quò Christus de more (f) oratum ibat.

e Zachar. 14 v. 4.

℣. 31. TVNC, id est, sub egressum, nempe eadem illa hora, sed antequam (g) excederent, DICIT ILLIS IESVS: OMNES VOS SCANDALVM PATIEMINI IN ME] id est, peccandi occasionem accipietis ex iis quæ fient circa me: nempe deseretis Dominum vestrum, (h) & nimio timore fugietis, nec me magistrum vestrum fateri audebitis, aliqui etiam negabitis. Et quidem priuati mea corporali præsentia, cogitabitis de repetendâ Galilæa patria vestra, vbi tutò degatis: sed priùs quàm eò pertigeritis, ego,

f Luca 22. v. 39. Ioan. 18. v. 2.

g Luc. 22. v. 31. 39. Ioan. 16. v. 32. & 6. 38. v. 1.

h Hic v. 56. & Ioan. 16. v. 32.

℣. 32. POSTQVAM RESVRREXERO, EÒ VOS PRÆCEDAM] Non ergo negat, se priùs illis apparitum: nam antè in Iudæâ aliquoties apparuit. sed in Galilæa decreuerat sæpius, & pluribus, & diuturniùs, & familiariùs apparere.

℣. 34. ANTEQVAM GALLVS CANTET, id est, cantum suum compleat, *bis canendo*, vt habet Marcus; (i) TER ME Petre NEGABIS; Lucas, (k) *abnegabis nosse me*. Modum, tempus, horam (nempe statim à media nocte, tunc enim gallus primùm cantat; causam (l) alibi dixi) & numerum negationum prædicit Petro, vt se omniscium etiam futurorum contingentium demonstret, inquit Beda.

i Mart. 14. v. 30. k Luc. 22. v. 34. l Ioh 38. v. 36.

℣. 36. SEDETE HIC in anteriore parte prædij Gethsemani. Id ni iussisset, non facilè passi fuissent octo isti Apostoli se diuelli à Domino suo. Sed vt minùs fortes, noluit habere spectatores agoniæ suæ & naturalis infirmitatis: sed hoc solis tribus primariis & constantioribus indulsit. Coram his, iam aliam quàm in transfiguratione (m) formam induit,

m Matt. 17. v. 2.

℣. 37. COEPIT CONTRISTARI ET MOESTVS ESSE] ἀδημονεῖν, id est, vehementissimè angi, seu animo cruciari: addit Marcus, *Et pauere & tædere*, idque ad stuporem vsque, vt Græca insinuant.

℣. 38. TRISTIS EST ANIMA MEA VSQVE AD MORTEM] id est, perinde dolet ac si à corpore diuelleretur, inquit Euthymius. Erat autem hæc tristitia non in solo appetitu sensitiuo, sed etiam in rationali, seu in voluntate quatenus agit vt ratione prædita. Patet ex sequentibus, *Non mea voluntas, sed tua fiat.* (a) Semper tamen rectæ rationi conformis fuit, & liberè atque vltrò à Christo assumpta, vt colligitur ex verbo, *capit*, scilicet præcisè quando, quomodo & quantum voluit. Neque enim vt in nobis, ita & in Christo passiones animi vel inuito obrepere, vel rationem præuertere aut turbare, vel in illicita obiecta ferri poterant, cùm ipse esset sapientia & sanctitas infinita. Sed vltrò admittebat subinde, & maximè in præsentia, passiones eiusmodi, Primò, vt sic verum ac passibilem hominem se declararet, cui nihil connaturalius quàm cruciatus & mortem exhorrescere. Secundò, vt omnibus sui partibus pro nobis pateretur ac satisfaceret. Et cùm peccatum sumat exordium suum ab illicita animi oblectatione, ipse passionem suam ab indebita tristitia exordiri voluit.

a *Luc.* 22. v. 42.

Peres, Quomodo ex viua apprehensione instantis passionis & mortis, etsi crudelissimę atque ignominiosissimæ potuit contristari anima Christi, quæ erat in summo & continuo gaudio, vtpote videns Deum? Respondeo, Quia diuersum erat obiectum tam materiale, quàm formale summi eius gaudij, & summæ tristitiæ. Et Deus præter naturam, seu citra ordinarium agendi modum, suspendebat actiuitatem summi gaudij beatifici, quo minùs omnem tristitiam ac dolorem (quæ alioqui necessariò & connaturaliter respectu omnium obiectorum excludit,) in Christo, (quem & quia pati volebat) excluderet.

℣. 39. ET PROGRESSVS PVSILLVM, seu modico spatio, *quantum iactus est lapidis*, (b) à discipulis illis tribus *auulsus*: nempe vt spectari ab illis commodè posset; PROCIDIT primùm in genua, (c) dein IN FACIEM SVAM, pronus terræ adhærens, partim præ angustia animi, partim ac præcipuè præ reuerentia diuinæ maiestatis, cui supplex fiebat. Disce & tu in omni tristitia ad Deum, & ad preces (d) confugere.

b *Luc.* 22. v. 41.
c *Ibid.*
d *Iac.* 5. v. 13.

SI POSSIBILE EST, (e) *si vis*, TRANSEAT A ME CALIX ISTE] id est, prætereat me, & intactum relinquat, auferatur à me tam dura & acerba passio, quam cùm iam gustare solùm cœperim, amarissimam experior, quid erit cùm ad fundum vsque exhauriam? Non dubitat Christus siue de potestate, siue de voluntate Patris, siue de rei euentu: sed exprimit vehementissimum desiderium naturæ quod in se sentiebat; sic tamen vt modis omnibus illud subijciat beneplacito Patris. Neque verò pugnant inter se inefficax desiderium non moriendi, cum efficaci desiderio moriendi, inquit S. Augustinus.

e *Luc.* 22. v. 42.

Aug. l. 3. de Consens. Euang. c. 4.

℣. 41. VIGILATE ET ORATE, seriò vos moneo, VT NON INTRETIS IN TENTATIONEM] id est, in instantis tentationis & persecutionis laqueum vel gurgitem. Is verò intrat, qui sollicitationi ad peccatum consentit & succumbit. q.d. Si vos non mouet mea miseria, moueat vestrum ipsorum periculum: cui vt consulatis, necesse est vigilare & orare.

SPIRITVS QVIDEM, seu animus, voluntas, appetitus rationalis, PROMPTVS EST ad resistendum tentationi, & ad non desecendum me: CARO AVTEM, id est, appetitus sensitiuus, licet ex se fortis sit ad ea prosequendum quæ sibi iucunda sentit, & sic sæpe præualeat spiritui; tamen *infirmus* est ad resistendum tentationi. Non ergo sufficit promptitudo spiritus, sed is magis magisque oratione confirmandus, & diuino auxilio fulciendus est, vt roboratus dominetur carni, eamque contineat ne diffluat vel succumbat. Væ ergo iis quorum etiam spiritus segnis & torpidus est, inquit Origenes.

℣. 44. ORAVIT TERTIO, EVMDEM SERMONEM DICENS, & eâdem animi resignatione totum se nutui Patris offerens. Fructus perseuerantis orationis fuit, agoniæ (de qua in S. Luca) depulsio, tristitiæ compressio, animi corroboratio.

℣. 45. DORMITE IAM. Ironia est, inquit Theophyl. & Euthymius. q. d. Iam scilicet dormiendi tempus est, cùm præ foribus est hostis. ECCE APPROPINQVAVIT HORA pugnæ toties à me prædicta, qua capiar & abducar ad mortem.

℣. 46. EAMVS obuiam proditori & assecliis eius peccatoribus, id est, flagitiosis, nempe militibus & seruis principum Iudæorum. Vltroneo occursu doceamus quòd nos non lateat ipsorum aduentus, imò quòd vigiles & prompti ipsos præstolemur: denique quòd sciens & prudens liberè me ipsis vinciendum donem.

℣. 47. TVRBA MVLTA. Constabat hæc partim tribuno & cohorte militum Romanorum, vt patet ex Ioanne, (f) partim ministris & seruis principum sacerdotum & magistratuum. Imò teste Luca, (g) aderant etiam principes aliquot & *seniores*, seu magistratus populi: CVM GLADIIS ET FVSTIBVS ferratis; Marcus *cum lignis*, id est, hastis & lanceis. Nempe vt, si fortè populus tentaret vi eripere vinctum, compesci posset & repelli.

f *Ioan.* 18. v. 3. & 12.
g *Luca* 22. v. 52.

℣. 48. DEDIT proditor ILLIS SIGNVM, quo nosse possent quem captum ibant, ne, quod pronum erat, errarent in persona, seu ob vultum plerisque incognitum, seu ob faciei similitudinem cum Iacobo Alphæi *fratre*, id est, fratruele (h) Domini, seu denique ob tenebras nocturnas.

h *Chronicl. c. 46 tab. 4. fine.*

℣. 49. OSCVLATVS EST EVM] Signo pacis, amicitiæ & beneuolentiæ perfidus abutitur pro signo bellico & proditorio. Mos is erat salutandi Iudæis. Sed crediderim, Iudam videri voluisse ex præsenti subitoque periculo imminentium Christo militum, quasi repentè expauefactum irruere in amplexus domini sui, & extremum ei osculum porrigere.

Sed quomodo potuit Iudas in animum inducere, se posse osculo fallere Filium Dei? Respondeo, Eo modo quo putauit se posse tradere illum Iudæis: nempe non credebat esse Filium Dei, (vt constat ex Ioanne:) (i) sed vt summùm, Prophetam: & audierat (k) in cœna dicentem, *Filius hominis vadit*, &c.

i *Ioan. 6. v. 65. & c.*
k *Hic v. 24.*

Petes Secundò, Quare id permisit Christus? Respondeo Primò, Ne videretur refugere vel inuitus pati proditionem, captiuitatem vel mortem. Secundò, Vt ad sceleris pœnitudinem sua hac mansuetudine prouocaret proditorem, inquit S. Ambrosius. Tertiò, Vt & nos doceret inimicos nostros, etiam capitales, non aspernari, sed diligere, inquit Hilarius.

Ambros. in Lucam.

Petes Tertiò, Cur permisit se prodi à domestico, cùm id parum ex honore Iesu videatur? Respondeo,

spondeo, Maximè seruiebat tutando honori & innocentiæ Christi. Nam si quid minùs rectè clàm apud discipulos solitus fuisset aut agere aut docere; domesticus iste ex discipulo factus hostis id proculdubio euulgasset, vel excusandi sceleri sui causa. Cùm ergo nil tale euulgarit, hoc ipso herum suum omni ex parte inculpabilem probauit.

Petes Quartò, Quid ergo apud principes prætexuit Iudas cur herum suum illis prodendum putaret? Respondeo, Idem quod principes apud Pilatum, putà seductionem populi, affectationem regni, vsurpationem nominis Messiæ & Filij Dei. Et satis erat in genere præ se ferre, quòd certò sibi constaret, ipsos quibus publici boni cura incumbebat, iustas causas habere cur ipsum captum & occisum vellent.

℣. 50. TVNC ACCESSERVNT, &c. non statim à Iudæ osculo: nam illud Christus eluſit & euanidum reddidit, vt constat ex Ioanne, (a) qui dicit, a *Ioan. 18. vers. 4. & seqq.* post Iudæ osculum rogatos Iudæos à Christo & quidem secundò, quem quærerent, & omnes resupinos humi collapsos: nec priùs iniecisse manus in Iesum, quàm ipse sui copiam & capiendi potestatem illis fecisset. Irruentibus illis in Iesum,

b *Ioan. 18. v. 10.* ℣. 51. VNVS Petrus, (b) recenti lapsu & resupinatione hostium factus animosior, arbitratus gratum se Domino suo facturum, cui facile esset, etiam vnico gladio omnes conficere, irruit in SERVVM Caiphæ *Malchum*, (c) qui primus in Iesum inuolarat, & cùm caput illi medium findere contendit, ictu aberrante præscindit dexteram AVRICVLAM] Quo portendebatur, inquit Ambrosius, perdituros Iudæos aurem dextram, quâ spiritualia & cælestia capiant; nec nisi sinistram retenturos, quâ sola corporalia & terrena hauriant. Sed Iesus, qui ferendo, & non feriendo vincere volebat, tacta auriculà eius, & capiti restitutâ ac *sanatâ*, (d) corripit & cohibet suos.

c *Ibid. v. 10*

Ambros. in Luc. 22.

d *Luc. 22. v. 51.*

℣. 52. OMNES QVI sine legitima auctoritate ACCEPERINT, seu vsurparint, GLADIVM, vt tu Petre facis, iure & meritò plectentur & PERIBVNT GLADIO, id est, rei sunt mortis. De iure enim sermo hîc est, non de euentu. Et licet Caluinus odio Petri miris modis peccatum hoc eius exaggeret, certum tamen non nisi leue fuisse; quòd subita passio, & zelus defendendi innocentissimi heri sui, & præsumpta illius (qui facultatem concedere poterat) voluntas facti malitiam sufficienter excusarint.

℣. 53. AN PVTAS, si mihi placeret violenta defensio, defuturum auxilium longè & efficacius, & certius, quàm tuum tuorumque condiscipulorum? scilicet loco 12. homuncionum imbellium & tractandis armis ineptorum, DVODECIM LEGIONES ANGELORVM tam fortium, tam pugnacium, vt vnus vna nocte ceciderit centum octoginta quinque millia armatorum. (e) Legio complectitur decem cohortes, cohors 50. manipulos, manipulus aliquando 12. aliquando 15. milites.

e *4 Reg. 19. v. 35. & Isaiæ 37. v. 36.*

℣. 54. QVOMODO ERGO si non tradar hostibus IMPLEBVNTVR SCRIPTVRÆ?] Tertia hæc est ratio quâ compescit pugnacem Petrum, simul & causam exponit cur non deposcat à Patre duodecim legiones, vel alia via sese aduersus hostes suos tueatur.

℣. 56. TOTVM HOC, quòd Christus sic comprehensus sit ab impiis, prodente discipulo, non in templo, sed foris, &c. FACTVM EST, VT ADIMPLERENTVR SCRIPTVRÆ, id est, dispositio diuini consilij & voluntatis iam olim Scripturis infallibilibus declarata, v. g. Isaiæ 53. v. 7. *Sicut ouis ad occisionem ductus est.* Dan. 9. v. 26. *Occidetur Christus.* Thren. 4. v. 20. *Christus Dominus captus est*, &c. Zachar. 13. v. 7. *Percutiam pastorem, & dispergentur oues*, &c.

TVNC DISCIPVLI OMNES, RELICTO EO, FVGERVNT] humano quidem timore, sed tamen inexcusabili. Nam tuti imperio Christi, *Sinite hos* liberos *abire*, (f) memores quoque promissi sui, (g) memores officij & obseruantiæ debitæ magistro suo, debebant cum illo permanere, &, si opus, etiam in carcerem & in mortem sequi, constanter profitentes ipsum esse Christum filium Dei. Sed *nondum erat* tantus illis *Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* (h)

f *Ioan. 18. v. 8.* g *Matt. 26. v. 39.*

h *Ioan. 7. v. 39.*

℣. 57. TENENTES IESVM DVXERVNT ex iniquo ad Annam (i) socerum Caiphæ (k) pontificis, sed obiter, & fortè non in alium finem, quàm vt Iudas 30. argenteos sibi promissos, istic acciperet. Nam examen primum, & alapam, & omnes Petri negationes contigisse in domo Caiphæ, patet ex Matthæo, Marco & Luca. Huc enim tamquam ad pontificem CONVENERANT SCRIBÆ ET SENIORES, seu magistratus, saltem primarij, qui soliciti de successu, istic præstolabantur, vt, si Iesum adduci contingeret, ad manum essent qui rei & sat noti crimina pro potestate cognoscerent, & præ iudicio suo, quod pòst ab integro Sanedrim, seu magno concilio, sequenti manè (l) conuocando confirmaretur, causam illius desperatam facerent.

i *Ioan. 18. v. 13.* k *Matt. 26. v. 3.*

l *Matt. 27. v. 1.*

℣. 59. Sed deerat (quod tamen in promptu esse iam pridem debuerat, etiam antequam capi aut vinciri iuberent) sufficiens criminis alicuius TESTIMONIVM. Hoc ergo, (quia agebant vt illum possent reum agere coram Pilato) QVÆREBANT iam omnibus viis, vtique ex ministris suis, & aliis præsentibus qui Christi doctrinam aliquando audierant. (Ex his enim quærendum Christus monuerat, (m) antequam alapam acciperet.) Sed frustra erat omnis inquisitio. Tam erat munda & irreprehensibilis vita Iesu, vt, quantumcumque mali essent, & multi, & ingenioſi, & astuti, non tamen possent vel apparentem criminis speciem in eo deprehendere. *Talis decebat vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*, cui necesse non esset *priùs pro suis* ipsius *delictis hostias offerre.* (n)

m *Ioan. 18. v. 21.*

n *Hebr. 7. v. 26. 27.*

℣. 60. DVO FALSI TESTES, tam verba, quàm mentem verborum Christi falsificantes, DIXERVNT; HIC DIXIT: POSSVM DESTRVERE: Marcus, (o) *Ego dissoluam* (solùm dixerat, (p) *Soluite*, per me licet:) TEMPLVM DEI manu factum, vt addunt apud Marcum (q) (sed Christus non addiderat:) ET POST vel per TRIDVVM REÆDIFICARE (Christus, *excitabo*) ILLVD: applicantes lapideo Salomonis templo, quod Christus de carneo corporis sui templo dixerat. (r) Sed quantumcumque falsum & palliatum testimonium, *non erat conueniens* præsenti causæ. Quid enim verò? dixerit. Iactabunda sint verba; cui iniuria, vt ob ea reus mortis agatur? & qui quatriduanum suscitauit à mortuis, non poterit ædium instaurare ruinas?

o *Marc. 14. v. 58.* p *Ioan. 2. v. 19.* q *Marc. sup.* r *Ioan. ibid. v. 21.*

℣. 63. IESVS AVTEM TACEBAT] Primò, quia responsione vel refutatione non erant digna, nec egebant, vt quæ ipsa se refellerent. Secundò, quòd

scirет, quęcumque respondisset, trahenda in calumniam, inquit S. Hieron. & Chrysost. cum suis. Tertiò, quia nolebat vi verborum se tueri, cùm sciret venisse *horam suam.*(a) Quartò, quia volebat secundus Adam taciturnitate sua apologiam primi Adæ absoluere, inquit auctor commentarij in Marcum, falsò asscripti S. Hieronymo. Verùm ne obstinato silentio frustraretur Iesus impia Iudæorum consilia, pontifex ex parte Dei imperat illi, quasi superior subdito suo, vt ad quæstionem, quæ causa mortis ipsi erit, disertè respondeat.

a *Ioan.* 13. v. 1.

ADIVRO TE PER DEVM VIVVM, id est, auctoritate pontificia mihi concessa à Deo, quem in testẽ nunc inuoco, & vindicem si fallas, ego tibi seuerè præcipio, VT NOBIS hîc congregatis apertè DICAS SI TVES CHRISTVS, promissus nobis Messias, & an tu sis naturalis FILIVS DEI, æqualis Deo Patri, vt passim iactasti. Quid hîc Christus? negabit? Reum mox agent diuturnæ blasphemiæ, & læsæ, toties maiestatis etiam diuinæ; vt qui antè sæpissimè asseruerit se esse Christum. Perget silere? at silendo in publico concilio legitimè rogatus & adiuratus, prodet pudere eum dicti sui, atque ita tacitè negasse præsumetur: saltem dubium reddet quod omnes scire & credere oportet qui volunt salui fieri. His malis vt obuiet Christus, simul vt reuerentiam deferat diuino nomini, & ne videatur contemnere summi pontificis auctoritatem, clarissimis verbis fatetur se illum esse de quo quærebat.

b *Matth.* 26 v. 25. c *Marc.* 14. v. 62.

℣. 64. TV DIXISTI. (*b*) *Ego sum.* (*c*) Vos quidem hoc non vultis credere, imò sacrilegij ac blasphemiæ loco habetis, eò quòd nihil aliud quàm FILIVS HOMINIS, id est, plebeius, vilis & purus homo vobis videar: VERVMTAMEN PRÆDICO VOBIS, breuî vos reipsa experturos, me non iniustè hos titulos mihi arrogasse: nam AMODO, id est, posthac, C nimirum inchoatè post meam mortem, resurrectionem & ascensionem, clarissimis miraculis contestantibus: perfectè in iudicio singulorum particulari: completè denique in iudicio omnium vniuersali, VIDEBITIS ME SEDENTEM A DEXTRIS VIRTVTIS DEI] id est, assidentem proximè omnipotenti Deo, æqualem illi vt naturâ, ita & potestate, imperio, honore, gloria. Alludit ad illud psalmi 109. *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis;* quod his ipsis Scribis paulò antè (*d*) obiecerat.

d *Matth.* 22 v. 44.

℣. 65. Hoc audito responso Iesu, PRINCEPS SACERDOTVM Caiphas, ex nimia animi indignatione SCIDIT VESTIMENTA SVA] id est, vestem anteriorem, seu tunicam anteriùs clausam disrupit vtraque manu supernè ad cingulum vsque. Quod solemne erat Iudæis cùm ingentem animi dolorem aut indignationem ob visam subitò rem detestandam aut calamitosam testari (*e*) vellent. Summo tamen pontifici saltem certis casibus id expressè D inhibitum erat Leuitici 21. v. 10. Sed Caiphas hoc casu ita omnino faciendum censuit, vt causam Iesu, tamquam rem nimis intolerandam, inaudito hoc facto magis aggrauaret. Significans interea mysticè, sacerdotium legis iamiam dilacerandum & auferendum, sicut similitypo designarat Samuel (*f*) regnum tollendũ à Saule, & Ahias à Salomone. (*g*)

e *Gen.* 37. v. 34. *Iosue* 7. v. 6. & 4. *Reg.* 19. v. 1. *Act.* 14. v. 13. &c.

f *Reg.* 15. v. 28. g 3. *Reg.* 11. v. 30.

℣. 66. REVS EST MORTIS] Leuit. 24. v. 16. blasphemus iubetur obrui lapidibus. Sed hi liberũ sibi volunt relinqui necis genus. Sed quàm omnia in hoc mundo præpostera! veritas censetur blasphemia, vita à morte, iustitia ab iniustitia morti adiudicatur.

A ℣. 67. TVNC, scilicet damnato Iesu, & soluto concilio, rursumque in matutinum tempus indicto, cœperunt omni genere contumeliarum atque iniuriarum inuehi in mitissimum Iesum non ministri modò, sed & *quidam* principum ac Scribarum, vt ex Marco (*b*) colligitur. Primò, *palmas*, seu alapas, in faciem impingunt. Secundò, *colaphis*, manu in pugnum contractâ verberant caput, collum, dorsum. Tertiò *sputis* faciem commaculant: quod summæ ignominiæ est & contemptus. Quartò, genas vellunt, barbam (*i*) expilant, calcibus corpus impetunt. Quintò, faciem velant, (*k*) blasphemijs & conuitiis incessunt, *Prophetiza*, &c. Dolorem augebat probrosa Petri negatio, audiente Iesu tertiò repetita.

b Marc. 14. v. 65. i Luc. 22. v. 63. k Luc. 22. v. 64.

℣. 74. COEPIT DETESTARI] καταναθεματίζειν, id est, execrari & diris seipsum deuouere, Deique maledictionem sibi imprecari, si nosset hominem. Graue profectò hoc Petri peccatum fuit, etsi non B animo, sed ore dumtaxat Christum negaret, *Qui* enim *me* (*l*) *negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Ita Deo permittente, vt de se non ampliùs præsumeret Petrus, & experientiâ disceret quàm nihil ex se possit humana infirmitas, & qui futurus esset summus pastor ouilis Christi, ouium infirmiorum facilè misereretur, inquit S. Chrysost. Augustt. Leo & Gregor. Sed licet charitatem amiserit negando Christum, & contra præceptum fidei peccarit; fidem tamen hac negatione non amisit: rogauit enim (*m*) Christus *pro te Petre vt non deficiat fides tua.*

l Matth. 10. v. 33. m Luc. 22. v. 32.

℣. 75. RECORDATVS EST PETRVS VERBI IESV. Gallo clamante, inquit Origenes, & Iesu Petrum respiciente, (*n*) non solius corporis, sed & mentis oculis, illustrando & mouendo cor ad pœnitentiam, cœpit recordari, agnoscere, flere culpam suam. ET EGRESSVS (en citam) FORAS (en prudentem) FLEVIT AMARE (en vehementem pœnitentiam.) Tradit Clemens Romanus, adeò Petrum totâ vitâ pœnituisse huius peccati, vt, quotiescumque galli cantum audiret, procidens in genua lacrymas funderet & veniam à Deo peteret. Vnde & oculi eius, teste Nicephoro, ex assiduo ploratu quasi sanguine respersi apparebant.

n Ibid. v. 61.

CAPVT XXVII.

Christus Pilato vinctus traditur ad crucifigendum: Iudas seipsum strangulat: vxor Pilati Christum innocentem dicit: Iudæi pertinaciter ad crucem deposcunt, Barabbam ei præponunt: Pilatus frustrà nisus Christum liberare, flagellis cæsum, spinis coronatum, publica sententia damnat ad crucem: quam humeris eius iniectam baiulare cogunt in Golgotha, vbi fellco vino potatus cruci clauis affigitur medius inter duos latrones, mille conuicijs ac blasphemijs incessitur, tenebræ suboriuntur meridie: post trium horarum in cruce tormenta, clamans Iesus expirat, velum templi scinditur, terra concutitur, petræ finduntur, monumenta reserantur. Sub vesperam è cruce depositum cadauer à Iosepho sepelitur, sepulchrum à Iudæis obsignatur, à militibus custoditur.

℣. 1. MANE FACTO, (*o*) confestim cogunt iterum concilium, sed omni ex parte plenum. Nempe nocturna concilia videri poterant non sat legitima: neque omnes adfuerant noctu: nec genus mortis omnino definitum fuerat in nocturno conuentu. Omnibus ergo summo manè domi Caiphæ rursum collectis, obiter repetitâ accusatione, confessione, damnatione; (*p*) *surgens* mox *omnis multitudo*, (*q*) iniectis denuo funibus & catenis (nam stantem in concilio, de more soluerant.)

o Marc. 15. v. 1. p Luc. 23. v. 1. q c. 23. v. 1.

℣. 2.

℣. 2. VINCTVM è domo Caiphæ per mediam vrbem DVXERVNT ad prætorium Romani præsidis, qui tunc erat *Pontius Pilatus*, totius Iudææ pro Tiberio Imp. gubernator, cuius gubernationis agebatur tunc annus quintus, vt alibi (*a*) dixi. Huic tradunt IESVM non examinandum (quod ipsi volebant videri ex æquo fecisse,) sed crucis supplicio mulctandum, inquit S. Leo. Sed sic ipsos vicissim tradidit pòst paulò Deus Romanis excruciandos & exstirpandos, inquit Cyrillus, Victor Antiochenus & Theophyl.

a Chron. c. 45.

Leo serm. 8. de passione. Cyrill. in Ioannem. Victor & Theophyl. in Marco.

Petes, Cur ipsi Iudæi non occiderunt Iesum? Respondeo, Primò cum S. Chrysost. Quia Romani ius necis inferendæ illis ademerant, relictâ solâ potestate cognoscendi & iudicandi in criminibus quæ legem ipsorum peculiariter concernebant. Sed ne tunc quidem licebat illis damnato necem inferre sine Romanorum consensu. Patent hæc ex eo quòd Pilatus dimitteret eis vnum vinctum quotannis in pascha, (*b*) scilicet, quia nullos ipsi reos capitis habebant in sua potestate. Facilè tamen in id consentiebat præses, vt & hîc (*c*) consensit de IESV. Subinde quoque dissimulabat, maximè cùm constaret subito furore & indignatione factum, vt Stephano (*d*) contigit. Respondeo Secundò, vrsisse Iudæos vt non quouis genere mortis mulctaretur Christus, sed crucis supplicio: hoc autem modo *non licebat* eis *interficere quemquam*, vt ipsimet fatentur. (*e*) Tertiò, nolebant ipsi pascha suum contaminare. Hinc etiam *Herodes Agrippa*, etsi rex, Petrum tamen in vinculis detinuit vsque dum peractum esset Pascha. (*f*) Denique timebant plebem, cui sciebant Christum acceptum esse: vnde illius occisi inuidiam volebant à se in iudicem Gentilem transferre: & præsidi ad manum erant militaria præsidia, quibus populus, si insurgeret, compesci posset.

b Hic v. 15.

c Ioan. 18. v. 31.

d Act. 7.

e Ioan. sup.

f Act. 12. v. 4.

℣. 3. IVDAS, compertâ Iesu damnatione ad mortem, (persuaserat sibi, vt videtur, rem eò, seu principum clementia, seu Christi industria & potentia numquam deducendam:) POENITENTIA DVCTVS; græcè non est *μετανοηθεὶς*, id est, in mentem rediens, & factum emendare studens: sed *μεταμεληθεὶς*, id est, posteriore seu subsequente cura (scelerissimum patrati) se excrucians, eò solùm quòd conscientia remorderet, sine petitione aut spe veniæ, sine cura offensi Dei ferè vt in inferno.

℣. 4. PECCAVI, TRADENS SANGVINEM IVSTVM] Est hebraismus, id est, hominem insontem & innocentem. Famam quam iniustè læserat, in integrum restituit: principes iniusti homicidij publicè insimulat, si in cœpto pergant: & ita quantum in se est, conatur illos à scelere deterrere & Iesum liberare: & pecuniam restituendo, pactum, quoad potest, ex sua parte rescissum vult. Laudabile & efficax initium pœnitentiæ: sed defuit spes vepiæ, & cura reconciliandi offensi Dei.

QVID AD NOS? TV VIDERIS] Ad desperationem adigunt perditam ouiculam pastores populi. Tuum, inquiunt, est videre, expendere, curare quid feceris: nostrâ nihil interest. En præmium eorum qui in aliorum gratiam peccant; ridentur contemnuntur, deseruntur.

℣. 5. ET ABIENS desperabundus, LAQVEO SE SVSPENDIT, & crepuit (*g*) medius. Occumbant animo infelici multitudo & magnitudo scelerum, instantia probra & flagella, etiam in hac vita, maximè rediuiuo mox Christo, & regno eius toto orbe efflorescente: in altera verò vita sceleribus suis debita & à Christo prædicta damnatio æterna. Cumque nulla spes obtinendæ veniæ occurreret, nec valeret diutius perferre mordentis conscientiæ stimulos ac flagella, resolùit instigante diabolo, vitæ tam tristi, tam desperatæ quantocyus finem facere, inquit Origenes, Chrysost. Theophyl. Euthymius.

g Act. 1. v. 18.

℣. 6. PRINCIPES SACERDOTVM peractâ tragœdiâ, cùm *triginta argenteos* recepissent à Leuitis, qui eos à Iuda in atrium templi proiectos collegerant, non ausi EOS MITTERE IN CORBONAM, id est, inter dona Deo sacra referre: (*corbona* enim idem est quod * oblatio facta Deo, sed hîc metonymicè ponitur pro ærario, (*h*) seu gazophylacio in quo eiusmodi oblationes recondebantur:) QVIA PRETIVM SANGVINIS EST] id est, illo emptus est homo ad cædem destinatus. Hinc patet, hos 30. argenteos ex corbona desumptos fuisse, vtpote templi legisque aduersario (vt iactabant) tollendo. Nam si vel de suo, vel de alio profano thesauro desumpsissent, cur veriti fuissent eos ad se recipere, & in profanos vsus conuertere? Iam verò

* *Matt. 7. v. 11.*

h Ioseph. l. 2 Bell. c. 8.

℣. 7. CONSILIO super hac re INITO, EMVNT EX ILLIS (suppletâ aliunde iustâ summâ) AGRVM FIGVLI IN SEPVLTVRAM PEREGRINORVM] nempe, immunda pecunia emunt locum immundum, in quo sepelirentur peregrini, verisimiliter milites Romani vel alij Ethnici.

℣. 8. PROPTER HOC VOCATVS EST AGER ILLE, HACEL, (id est chaldaicè & syriacè *ager*) DEMA, id est, sanguinis. Sic factum, vt cædis à se Christo illatæ perpetuum ipsimet monumentum posuerint. Nam talis locus semel sic profanatus non poterat alteri deinceps vsui applicari; vnde nec anno iubilei redibat, instar aliorum (*i*) agrorum, ad primum heredem.

הקל דמא

i Leuit. 25. v. 5. & 23. & seqq.

℣. 9. TVNC IMPLETVM EST QVOD DICTVM EST PER PROPHETAM, non IEREMIAM (cuius nomen incuria librariorum, vt censent S. Hieron. Rupertus, Liranus, Iansenius, Franc. Lucas, Baronius, Maldonatus, Suarez, videtur hoc loco irrepsisse: nam Matthæus non solet exprimere nomina Prophetarum quos citat. Et textus Syriacus, & nonnulli codices Latini, olim teste S. August. quorum vnum adhuc videre est Romæ, (*k*) non habent nomen *Ieremiæ*:) sed Zachariam, qui cap. 11. v. 13. similia habet, vt ibidem exposui. Nisi quis malit, cum Origene, Tertulliano, Eusebio, August. à Castro & à Lapide sustinere, hæc eadem omnia in Ieremia olim extitisse, (vt in apocrypho vno exemplari se vidisse testatur S. Hier.) sed intercidisse, vel à Iudæis erasa fuisse.

Baron. an. Christi 34. Suarez 3 p. tom. 2. disp. 34 sect. 1.

k in Bibliotheca Aug. Patrum Eremitarum S. August. Tertull. l. 4. cont. Marcion. c. 39. Euseb. l. 10. Demonst. c. 4.

℣. 11. IESVS AVTEM tamquam reus STETIT ANTE PRÆSIDEM sedentem in prætorio. Qui instructus à Iudæis de causa (*l*) Christi, INTERROGAVIT EVM, Túne adeò vilis & abiectus, ES ille REX IVDÆORVM, tanto iam tempore ab illis exspectatus? Post pauculas interlocutiones, de quibus Ioannes, (*m*) respondet Christus categoricè, TV DICIS (*n*) *ego sum*. (*o*) Sed alia mox quærenti, post remissionem à rege Herode, de qua Lucas, & multiplicem Iudæorum accusationem,

Aug. l. 3. de Consensu Evang. c. 7. à Castro, à Lapide in Zach. 11.

l Luce 23. v. 2. Ioan. 18. v. 30.

m Ioan. ibid. v. 34. & seqq.

℣. 14. NON RESPONDIT EI AD VLLVM VERBVM, ob causam de qua capite præced. v. 63. ITA VT MIRARETVR PRÆSES VEHEMENTER, tum Iudæorum in accusando contentionem, conspirationem & instantiam: tum Iesu in ferendo constantiam, mansuetudinem, fortitudinem, generosita-

n Matth. 26. v. 25. o Ioan. 18. v. 37.

tem, mortis contemptum: ac præ omnibus, quòd homo innocens, prudens ac disertus, in periculo capitis obticeſceret, cùm frigidas & inanes calumnias refellere promptum eſſet, iudice etiam vrgente, & ſe propitium ac beneuolum præbente. Sed hoc Chriſti ſilentium tam efficax fuit, vt iudici Ethnico perſuaſerit, ficta falſaque eſſe omnia quæ factioſi principes contra eum proferrent, inquit S. Athanaſius. Vnde etiam mox omnia media abſoluendi liberandique innocentis conquirit.

Athan. de Paſſ. & cruce Domini.

¶. 15. PER DIEM SOLEMNEM paſchæ, ſolebat olim rex, ſeu dux populi Iudaici, in lætam gratamque memoriam redemptionis ex Ægypto, quæ illo die contigerat, relaxare vnum ex vinctis, quemcumque populus poſtulaſſet. Et hanc conſuetudinem ſeruabat etiam quotannis Romanus in Iudæa præſes, & iam in rem Chriſti conuertere voluit. Ex vinctis ergo omnibus deligit vnum

¶. 16. BARABBAM, omnium maximè INSIGNEM flagitiis, nulli non notum & exoſum ob recentem ſeditionem, homicidium & alia immania ſcelera. Hoc cum innocentiſſimo Ieſu compoſito, rogat non principes, ſed populum, cui ſciebat hunc gratum fuiſſe, vtrum è duobus dimiſſum vellent. Neque enim liberum illis relinquit, vt more priſtino ex omnibus vinctis deligant quemcumque velint: ſed iubet vt ex duobus ſolis, vno peſſimo, altero optimo, alterutrum deſignent. Cunctantibus illis nonnihil, ſubingerit teſte Ioanne, (*a*) *Vultis dimittam vobis regem Iudæorum?* Sed iam perſuaſerant principes populo, vt Barabbam deligeret, Ieſum autem ad crucem depoſceret. Quin etiam, quod mirere,

a *Ioan.* 18. v. 39.

¶. 19. VXOR Pilati) Lucius Dexter vocat eam *Claudiam Proculam*,) apud maritum inſtat, vt nihil acerbius in Chriſtum ſtatuat: NIHIL TIBI negotij ſit cum IVSTO illo: miſſum fac, ſi ſapis. MVLTA ENIM PASSA SVM HODIE (vt ſolent matronæ diutiùs manè in lecto hærere) PER VISVM, id eſt, in ſomnio, PROPTER EVM malè à te tractatum. Somniauit veriſimiliter (ſomnio non à dæmone, vt vult S. Ignatius & Beda, ſed à bono angelo, immiſſo, vt Origenes, Hilarius, Hieron. Chryſoſt. cum ſuis, item Ambroſius & Auguſt. docent,) ob iniurias Chriſto illatas iratum Deum plagis atrociſſimis proſequentem Iudæos, adeoque & ipſum Pilatum, vt reuera pòſt contigit illi Viennam Galliæ exulatum miſſo, vt Ioſephus, Ado & alii deſcribunt. Vnde vehementiſſimè conterrita & afflicta, ſuadebat marito ne ſe periculo exponeret. Sed acriùs pungebant minæ principum Iudæorum, quàm terriculamenta vxoris.

L. Dexter in Chronico an. Chriſti 34

Ambr. l. 10. in Lucam. Aug. ſerm. 121. de Tempore. Ioſeph. l. 18. Antiq. c. 5. Ado in Chronico.

¶. 23. DICVNT OMNES tam populus, quàm principes, CRVCIFIGATVR. QVID ENIM MALI FECIT? *Ego nullam inuenio in eo cauſam*, (*b*) Pro omni cauſa & culpa ſit noſtra voluntas: CRVCIFIGATVR] Præomni ſupplicio vrgent crucem, in qua ſumma erat tum pœnæ atrocitas ac diuturnitas, tum ignominia: viuus enim ac videns exponebatur omnium inſpectioni & ludibrio: & erat *maledictus à Deo, qui pendet in ligno.* (*c*) Quę cauſæ Deum mouerint cur vellet Filium ſuum crucifigi, exponam Marci 15. v. 14. Fruſtra ergo tentatis omnibus viis, tandem importunitati cedit poſtulantium

b *Ioan.* 18. v. 38.

c *Deut.* 21. v. 23.

¶. 24. PILATVS: ſed antè ſolemniter proteſtatus, INNOCENS EGO SVM A SANGVINE, id eſt, à cæde, HVIVS IVSTI viri] q. d. Non ego illum occido, ſed vos: idque cæremonia tam vobis, quàm Gentibus ſolemni palàm conteſtor. Sic ſaltem metu pœnæ impendentis conatur retrahere illos à ſcelere. Sed illi obſtinati in malo ad pœnas omnes vltro ſe offerunt:

¶. 25. SANGVIS EIVS eſt SVPER NOS ET SVPER FILIOS NOSTROS] id eſt, nobis imputetur, in nobis vel in poſteris noſtris vindicetur. Et verò id ſenſerunt, cùm, teſte oculato Ioſepho, & locus tandem crucibus deeſſet, & corporibus cruces.

Ioſeph l. 6. Bell. c. 12.

Petes, An metu ſeditionis potuerit Pilatus parere vniuerſo populo petenti, & quaſi vim facienti, & omne delictum in ſe recipienti? Reſpondeo, Nulla ratione: potiùs mille mortibus debet ſe iudex obiicere, quàm à iuſtitiæ ſemita deflectat: nec poteſt quis alium crimine ſuo, quantauis ſponſione exſoluere apud Deum. Itaque pronuntiatâ pro tribunali ſententiâ,

¶. 26. TRADIDIT EIS; Lucas; (*d*) *voluntati eorum, adiudicans fieri petitionem eorum.* Pilatus enim non iudicauit Ieſum cruce dignum eſſe: (quòd enim id facere potuiſſet quē toties & ad extremum vſque clamarat inſontem?) ſed iudicatum & damnatum antè à Iudæis, non valens obſiſtere illorum furori, permiſit plecti (*e*) morte, & tradidit militibus crucifigendum, & ſic voluntati eorum ſatisfecit. Tradidit, inquam, ſed priùs *flagellatum*, nempe non virgis modò, ſed & loris cæſum: (hoc enim propriè deſignat flagellum.) Et quidem moris apud Romanos erat, damnatos omnes ad mortem, maximè verò crucifigendos, etſi liberi eſſent, quaſi iam viles factos & ſeruos, flagellare, vt Lipſius & Greſerus demonſtrant: vnde & latrones qui cum Chriſto crucifixi ſunt, flagellatos conſtat. Sed Chriſtum flagellarat Pilatus non poſt pronuntiatam in eum crucis ſententiam, ſed ante, nimirum vt flagrorum acerbitate Iudæorum efferatos animos leniret, & ſic emendatum dimitteret. (*f*) Hæc tamen flagellatio effecit, ne poſt ſententiam rurſus de more flagellaretur. Alligatum fuiſſe columnæ negat Caluinus, ſed docent S. Hieron. Paulinus, Prudentius, & eſt communis traditio: & Romæ ſpectanda etiamnum exhibetur in templo S. Praxedis marmorea columna cui adſtrictus fuit.

d *Luc.* 23. v. 24. 25.

e *Matt.* 27. v. 2.

f *Luc.* 23. v. 22.

¶. 27. TVNC ſcil. cùm flagellandus eſſet, (*g*) CONGREGAVERVNT AD EVM ſpectandum, cædendum, illudendum, VNIVERSAM COHORTEM prætoriam, ſexcentos (*h*) minimum, qui nocte ſuperiore illum comprehenderant. (*i*) Addit Chryſoſt. diabolum non milites modò, ſed & omnes infernales ſpiritus quaſi dato ſigno ad choreas concitaſſe. Flagellato & proprio ſanguine purpurato,

g *Iom.* 19. v. 1. & 2.

h *Matth.* 26. v. 53.

i v. 47.

¶. 28. CHLAMYDEM *circumdant* COCCINEAM (*k*) pro regio paludamento, quam miles quiſpiam iam detritam abiecerat.

k *Exodi* 25. v. 4.

¶. 29. Regiam CORONAM plectunt ipſi DE SPINIS. Pererius & Toletus putant fuiſſe ex iunco marino, cuius ſpinæ longiſſimæ ſunt & acutiſſimæ. Sed Baronius & Greſerus dicunt ex rhamno fuiſſe, qui locis illis eſt frequens. En tibi hîc *arietem cornibus herentem inter vepres.* (*l*) Pro ſceptro ARVNDINEM dant in manum. Typham paluſtrem vocat Leuinus Lemnius, altitudine & duritie famoſam. Nempe non ſat erat dæmoni, cui hæc omnia adſcribit Origenes, tota nocte per Iudæos inſultaſſe Filio Dei, voluit & clara luce per Gentiles omne genus ſannarum depromere, vt *opprobriis* Chriſtus ferendis, dęmon inferendis *ſatiaretur.* (*m*) Similibus pæne ſannis in theatro illuſerunt poſtea

l *Gen.* 22. v. 13.

Lemnius l. de Herbis Bibliis

m *Terent.* 3. v. 30.

Antio-

Antiocheni *Herodi* Agrippæ Iudæorum regi, teste Iosepho.

℣.32. EXEVNTES è prætorio, &c. Ecce Abel, qui à fratre in agrum occidendus (*a*) abducitur: en Isaac fasce lignorum (*b*) onustum, quibus immoletur in ara. En Iosephum, (*c*) en Danielem (*d*) deductum ad lacum. Septimum hoc iter est quod Christus ab egressu cœnaculi, non citra extremã fatigationem & dolorem emensus est. Præcedebat bucinator more consueto Romanorum, inquit Gretserus. Latera vtrimque stipabant milites prætoriani cum suis centurionibus: comitabantur principes & magistratus: sequebatur innumera populi turba. Medius ibat Iesus *baiulans* sibi suismet humeris oblongam CRVCEM; nam id moris fuisse affirmat Plutarchus. Et ferendo erat quamdiu per vrbem & in plano ibatur. Sed cùm extra vrbem cliuus ascendendus esset, ipseque viribus deficeret, ne mora longior interiiceretur, detractam humeris Iesu crucem Simoni Cyrenæo fortè obuio baiulandam iniiciunt: non vt Iesu benefacerent, sed vt maioribus tormentis robore adhuc integrum reseruarent, inquit S. Augustus. *Simone* sic coacto ferre crucem *post Iesum*, (*e*) non vnà cum Iesu, vt pictores fingunt, deuenitur ad iugum vnum montis *Moria*, in quo olim iussus fuerat Abraham (*f*) immolare filium suum,

a Gen. 4. v. 8.
b Gen. 22. v. 6.
c Gen. 37. v. 22. &c.
d Dan. 6. v. 16 & c. 14. v. 30.
Plutarch. de Sera num. vindicta.
Aug. l. 3. de Consensu Euang. c. 10.
e Luca 23. v. 26.
f Gen. 22. v. 2. & 14.

℣.33. GOLGOTHA dictum à craniis damnatorum qui istic morte plectebantur, inquit S. Hieron. Neque enim ausim cum aliis asserere, sic vocatum esse à cranio Adami istic sepulti: quomodo enim Iudæi locum sepultura protoplasti & communis omnium parentis celebrem, patibulatorum cædibus & sepulturis inquinassent? Cruci iam figendo

℣.34. VINVM dant, sed acetosum, (nam Græcus & Syrus acetum vocãt:) CVM FELLE MISTVM, antè exsiccato, & iam vino loco buccellarum panis intrito. Nisi malis per *fel* hîc intelligi *myrrham* de qua Marcus, (*g*) amaram instar fellis. Nempe vinum quod damnatis præstantissimum dari solebat ad robur in tormentis addendum, insolentia militum & Iudæorum nequitia impotabile Christo reddidit, ad illum acriùs torquendum atque illudendum, & gustum quoque, cui vni parcitum hactenus, amariissimo hausto cruciandum. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* (*h*) Et quidem insolentem potum non abnuit, sed *gustare* voluit Iesus, ne videretur beneficium de more oblatum ex indignatione contemnere, simulque indicaret se ex itineris & afflictionum molestiis extremè sitire: & etiam vt nostro delicatiori palato ac gustui mederetur. *Gustatum* tamen NOLVIT BIBERE, seu in copia transmittere, ne tam insano potu videretur velle sibi malum vltrò accersere & mortem accelerare: simulque vt indicaret, displicere sibi tam barbaram crudelitatem, & mysticè, non imbibisse se antiqui serpentis venenum, sed solam peccati pœnam absque interiore macula in se admisisse. Mox vestibus exutum, nec vlla parte tectum, sed corpore toto lacero,

g Marc. 15. v. 23.
h Psal. 68. v. 22.

℣.35. CRVCIFIXERVNT non funibus, sed ferreis (*i*) clauis, & verisimiliter quaternis, suppedaneo pedibus, cui insisterent, subiecto, vt S. Iustinus, Irenæus, Gregor. Turonensis, & alij apud Gretserum tradunt. Facies erat à Ierosolymis, à Iudæis auersa, *Occidentem* & Gentiles respectans. Corona spinea capiti etiam pendentis infixa. Milites qui

i Ioan. 20. v. 25.

A *eum*, ne de cruce à quopiam deponeretur, *seruabant*, spolia regis iam victi, capti, in crucem acti, inter se ludibundi diuidunt, tunicam eius exteriorem in quatuor (*k*) frusta dissecantes, & sortem iacientes (*l*) quodnam frustum quisque tolleret: interiorem seu inconsutilem tunicam, placuit integram seruare, iactâ sorte cui illa cederet. (*m*) En duces aleatorum. Pallium Christi verisimiliter direptum fuerat cùm apprehenderetur in horto, inquit Euthymius. Principes sacerdotum, (*n*) cum Scribis & magistratibus, quin & qui vnà cum ipso pendebant latrones, (*o*) conuiciabantur ei, & illudebant, blasphemantes, impotentiam exprobrantes, & mille calumniis pendentem incessentes: nihilque erat omnino quod non verteretur in ludibrium & in tormentum. *Consolantem me quæsiui, & non inueni.* (*p*) Adsunt quidem amici aliquot & *noti* mei, sed *stant à longè*; (*q*) pudet illos mei. Mater sub cruce, quia mei causà tantopere affligitur, etiam mihi B dolorem auget, vt videre est in amantibus. Pater verò meus cælestis, vnicum certissimumque afflictis solatium, me tamen in tanta afflictione solatus non est: sed vt radios solares subtraxit aëri, densissimas orbi *tenebras* (*r*) inducens, ita cordi meo gaudium, refrigerium, refocillationem omnem subtraxit, nil nisi mœrorem, tristitiam, pauorem, stuporem in eo relinquens. De sociis latronibus, de Iudæorum blasphemiis, de titulo crucis, de trium horarum tenebris dicam in Marco.

k Ioan. 19. v. 23.
l Marc. 15. v. 24.
m Ioan. ib.
n Hic v. 41.
o Marc. 15. v. 32.
p Psal. 68. v. 21.
q Luc. 23. v. 49. & Hic v. 55.
r Luc. 23. v. 44.

℣.46. ELI, ELI, LAMMA SABACTHANI? id est, DEVS MEVS, & tot nominibus MEVS, VT QVID DERELIQVISTI ME, (*s*) me tot nominibus tuum? quare cum facillimè possis, nullo me (vt soles omnes tuos) solatio roboras? nulla, seu corporis, seu animi refocillatione, externa, interna, cælesti, humana recreas? Hoc enim propriè est deseri, seu derelinqui à Deo. Crediderim Christum, in cruce totum psalmum 21. cuius hæc verba initium sunt, percurrisse, quo comprehenduntur pæne omnia quæ pendens in cruce pati decreuerat. Blasphemus Caluinus (& etiam Ioan. Ferus, sed, vt puto, ab hæreticis corruptus) vult Christum hîc desperationis vocem emisisse, metuisseque Deum sibi offensum, vel Dei gratiã se excidisse, atque ita inferni tormenta (neque enim alia agnoscit Caluinus) sustinuisse iam inde à primo in hortum Gethsemani ingressu. Quæ vnica blasphemia desiderabatur, vt insanas Iudæorum blasphemias perficeret. Sed procul hæc à Filio Dei, cuius solùm natura humana sibi relicta, & persecutorum libidini exposita, dolorum magnitudine & multitudine ingemiscẽs, modestè exprimit malum quo premitur, simulque desiderium vt breui finiatur. Exprimit autem per D modum conquerentis, & quasi causam inquirentis. Primò, vt insinuet ex parte sua nullam in se esse causam. Secundò, vt posteris certum det argumentum, quo nosse possint (vt omnino nosse debebant) Christum & multa & verè passum: nec gaudium animi ex visione Dei, nec aliud cæleste aut spiritale solatium, dolorem sustulisse, aut mœrorem disputlisse, vt suprà (*t*) insinuaui.

s Psalm. 21. v. 2. &c.
t Matth. 26. v. 38.

℣.47. Porrò auditâ voce *Eli*, QVIDAM è Romanis militibus, qui Hebraicam vel Syriacam vocem non intelligebant, putarunt Iesum opem ELIÆ (de quo subinde ex Iudæis audierant) inclamasse. Cùm verò etiam *sitire* se dixisset, (*u*) statim

u Ioan. 19. v. 28.

℣.48. SPONGIA (nam poculo non poterant) arundini impositâ, *acetum* (quod in eos vsus istic in vase ad (*x*) manum aderat) pendenti porrigunt, partim

x Ibid. v. 29.

a *Luc.* 23. v. 36. tim illudendi, vt ait Lucas: (*a*) partim refocillandi causâ, vt vitam in tormentis diutiùs prorogare posſit: nam acetum præſertim hyſſopo (*b*) mixtum, deficientibus animos addit, & ſanguinis è vulneribus profluuium ex parte ſiſtit. Quia tamen ſumma valet exſiccandi facultate, & tantum abeſt ſitim reſtinguat, vt longè maiorem excitet.

b *Ioan.* 19. v. 29.

℣. 50. IESVS AVTEM ITERVM CLAMANS VOCE MAGNA, (*Pater* (*c*) *in manus tuas commendo*, & tamquam nobile depoſitum apud te cuſtodiendum depono *ſpiritum meum*, id eſt, animam meam, vt tertia die illam corpori reddam, inquit S. Ambroſius) EMISIT SPIRITVM, id eſt, mortuus eſt. De hoc, & de aliis Chriſti verbis in cruce fuſiùs Lucæ 23. Expirauit autem in cruce *Agnus Dei* eodem tempore, quo agnus veſpertinus, ſeu iuge ſacrificium, offerebatur in templo, nempe hora 9. quæ noſtro computu eſt 3. poſt meridiem. Alias multò notabiliores temporis circumſtantias in Chronico expoſui c. 48. concluſione 3.

c *Luc.* 23. v. 46.

℣. 51. VELVM TEMPLI SCISSVM EST] nempe celeberrimum illud ex hyacintho, byſſo, cocco & purpura, Exodi 26. mira varietate contextum, intima adyta, ſeu Sanctum ſanctorum ſecernens à Sancto. De hoc enim velo hîc agi docent Lactantius, Cyrillus, Theophyl. Euthymius, Leo, Beda, & ferè reliqui Patres: niſi quòd Origenes & S. Hieron. id exponant de anteriore velo, quod erat in primo ingreſſu Sancti, prætenſum inauratæ portæ templi, altum cubitos 55. latum 16. eiuſdem cum altero velo & materiæ & operis. Significabatur autem hac ſciſſione luctus templi, veſtem ſuam more Iudaico conſcindentis. Allegoricè, Deum irâ percitum, ex templo & regione Iudæorum demigrare. Tradit S. Ephrem ſciſſo velo columbam viſam è templo euolare. Addunt Origenes, Hieron. & Ambroſius, hac ſciſſione deſignari velamen legalium ſacrificiorum & cæremoniarum per Chriſtum eſſe diſſolutum, patefactum, reuolutum, vt etiam Ethnici per Euangelium clarè iam videant quę Iudęi tot figuris adumbrabant & occultabant. Anagogicè, iam apertam eſſe viam in cælum, vt Apoſtolus (*d*) exponit.

Lactant. l. 4 c. 19. Cyrill. in Ioan. Leo ſer. 10. de Paſſione. Hieron. ep 150. ad Hedibiam. q. 8.

Ephrem ſer. de Paſſione.

d *Hebr. 9. v. 8.*

TERRA MOTA EST non Ieroſolymæ tantùm, ſed & toto reliquo orbe, teſte de Bithynia Phlegonte apud Euſebium, & aliis de reliquis terræ partibus apud Baronium. Quo terræmotu non ſolæ ædes collapſæ, ſed ET PETRÆ SCISSÆ SVNT, tum aliæ, tum rupes *Golgotha*, vbi Chriſtus in cruce pendebat. ita Lucianus Martyr, Euſebius & Cyrillus. Significabant hæc Primò, iram Dei aduerſus impios filij ſui interfectores Pſal. 17. v. 8. *Commota eſt & contremuit terra, fundamenta montium conturbata ſunt & commota ſunt, quoniam iratus eſt eis.* Secundò, dignitatem, imò diuinitatem crucifixi, vtpote cæli & terræ domini, cuius gratia ſidera & rupes, ſumma & ima concuterentur. Tertiò, ſenſum terræ horrentis & indignantis tantum ſcelus admiſſum in dominum ſuum: ſolent enim qui horrent, congremiſcere. Myſticè, commouenda terrea & ſaxea corda ad pœnitentiam, inquit S. Hieron. Et de centurione quidem militibuſque Romanis teſtatur hîc Matthæus, (*e*) illos ex his ſignis agnouiſſe Filium eſſe Dei: de Iudæis verò Lucas, (*f*) percuſſiſſe pectora ſua, &c. Eodem mortis Chriſti inſtanti

Lucian. apud Euſeb. l. 9. hiſt. c. 6. Cyrill. Ieroſol. catech. 13. ſub finem.

e *Matth. 27.*

f *Luc. 23. vlt.*

℣. 52. MONVMENTA APERTA SVNT, fiſſis diſſilíſque terræmotu marmoribus: quaſi mortui horrerent cædem, quam viui non verebantur inferre.

A Significabat, Chriſtum etiam mortuorum & inferni dominum eſſe ac domitorem.

ET MVLTA CORPORA SANCTORVM, v. g. Adæ, Euæ, Noë, Abrahæ, Iſaac, Iacob, Ioſeph, &c. fortè etiam Simeonis, Zachariæ, & Ioannis & Baptiſtæ, SVRREXERVNT, non tamen ante, ſed cum Chriſto reſurgente, vt patet ex v. ſequ. Chriſtus enim eſt *primogenitus mortuorum*, (*g*) *& primitiæ reſurgentium*. (*h*) Porrò teſtandæ liberationis ſuæ gratia per Chriſtum, è limbo, ſimulque reſurrectionis Chriſti cum quo conreſuſcitati fuerant, inquit Euſebius (*i*) Emiſſenus & Hieron.

g *Apoc. 1. v. 5.*

h *1. Cor. 15. v. 23.*

i *Euſeb. Emiſſ. hom. 6. de Paſch.*

℣. 53. EXEVNTES DE MONVMENTIS, quæ erant in ſuburbiis, VENERVNT IN SANCTAM CIVITATEM (*k*) Ieroſolymam, ET APPARVERVNT MVLTIS, non diſcipulis tantùm, ſed & aliis qui non omnino alieni erant à Chriſto. S. Auguſtinus, Theophyl. Euthymius, D. Thomas & Franc. Lucas ex Hebr. 11. v. vlt. volunt hos iterum mortuos

B eſſe, & corpora ſua in ſepulchris repoſuiſſe, nec niſi ad breue tempus euocatos, vt teſtes eſſent Chriſti rediuiui, ſicut nuper Moyſes & Elias (*l*) in transfiguratione. Sed Origenes, Epiphanius, Clemens Alexandr. Euſebius, Hieron. Anſelmus, & reliqui pæne omnes cenſent in viuis manſiſſe, & cum corpore pòſt in cælum aſſumptos: hoc enim decentius videbatur, & glorioſius tum ipſis, tum Chriſto.

k *Pſal. 47. v. 2. &c.*

l *Matt. 17. v. 3. Epiph. hæreſi 75. Clem. l. 6. Stromat. Euſeb. l. 6. Demonſt. c. 12. Metaphraſt. 16. Octobr.*

℣. 54. CENTVRIONEM hunc Metaphraſtes *Longinum* vocat, (& eòdem inclinat etiam Chryſoſt.) dicitque martyrio poſtea coronatum: licet iam non naturalem veri DEI FILIVM, ſed vnius ex particularibus, ſeu Iudæorum, ſeu Gentium diis, errore apud Romanos vſitato, agnouiſſe videatur. Si Chronico Lucij Dextri fides habenda, centurio hic fuiſſet Hiſpanus, ſed ciuis Romanus, C. *Oppius* nomine, filius C. *Cornelij* centurionis in Capharnaum, Matthæi 8. v. 5. baptizatus à S. Barnaba, tertius poſtea Mediolanenſis Epiſcopus. Fides ſit penes auctorem.

℣. 56. MARIA IACOBI Minoris ET IOSEPH, ſeu Ioſes, MATER, eadem eſt cum Maria Cleophæ, (*m*) ſeu Alphæi vxore, quam Ioannes (*m*) vocat *ſororem* Deiparæ, quia ſoror erat Ioſephi ſponſi Deiparæ, *Matrem* FILIORVM ZEBEDÆI Marcus (*n*) vocat *Salomen*.

m *Ioan. 19. v. 25.*

n *Marc. 15. v. 40. vide Chron. c. 46. ſub vlt.*

℣. 57. CVM SERO ESSET, ante tamen ſolis occaſum: (iam occidente ſole inchoabatur ſabbatum, quo non licebat vacare ſepelitioni mortuorum:) VENIT IOSEPH AB ARIMATHÆA (aliàs *Ramatha* (*o*) Samuelis patria) oriundus; vt Hieron. ait, ſed ciuis iam ac ſenator Ieroſolymitanus, ET DISCIPVLVS IESV hactenus occultus; (*p*) ſed iam exerente ſe virtute paſſionis Chriſti, palàm ſe manifeſtat, & (ſuaſu Deiparæ, inquit Metaphraſtes) *accedit* AD PILATVM, ET PETIT (oblato veriſimiliter auro, quia DIVES erat,) CORPVS IESV ſibi ad ſepeliendum quo vellet loco donari, ne cum aliorum cadaueribus in vicinam vallem Ennon, commune damnatorum polyandrion proiiceretur. Mox impetratum cadauer, ac ſtudioſè lotum & vnctum, teſte Ioanne, (*q*) vnà cum *Nicodemo*, (*q*) INVOLVIT IN SINDONE MVNDA, & ſepelit IN MONVMENTO NOVO, nempe in ſpelunca quam

o *2. Reg. 1. v. 1. Hieron. in Locis Hebr.*

p *Ioan. 19. v. 38. Metaph. 15. Auguſti.*

q *Ioan. 19. v. 39.*

℣. 60. EXCIDERAT, ſeu excidendam ſibi curarat ex viuo ſolidoque ſaxo. Erat hoc monumentum non procul à loco crucis, vt ait Ioannes, (*r*) nempe in Occiduo latere montis Caluariæ. Formam illius vide apud Bedam. (*ſ*) Porrò diuina prouiden-

r *Ibid. vlt.*

ſ *Beda in Marc.*

tia

tia factum, vt in saxeo sepulchro reconderetur cadaüer Christi, ne quis calumniari posset, inquit Hieron. suffossis fortè tumuli fundamentis per subterraneos cuniculos, furto sublatum fuisse. Itemque vt perpetuum & immobile extaret mortis resurrectionisque Christi monimentum.

¶.62. PARASCEVE, id est, præparatio, scilicet ciborum, &c. vocabatur feria sexta, quia illa die præparari (a) debebant quæcumque sabbato necessaria essent ad victitandum. Marcus vocat *antesabbatum*, seu prosabbatum.

a Exodi 16. v.23.

¶.63. SEDVCTOR ILLE (en quo titulo Messiam suum cohonestent Iudæi,) DIXIT ADHVC VIVENS, POST TRES DIES RESVRGAM] id est, tertia die, vt explicant v. sequ. Ne igitur à discipulis furto tollatur cadauer, IVBE CVSTODIRI tantisper SEPVLCHRVM. Alioqui

¶.64. *priori* errori, id est, falsæ eius doctrinæ falsis miraculis adstructæ, succedet alius posterior & PEIOR ERROR, resurrectionis persuasio, quâ tamquam sigillo, *nouissimo* seu vltimo loco adpresso, confirmabuntur omnia anteriora eius dogmata: afferetque tum nobis, tum Romanis, æternum & inextinguibile probrum, quasi occisoribus Filij Dei.

¶.65. HABETIS CVSTODIAM: nempe cohors illa militum quæ heri vobis seruiuit in capiendo, torquendo & crucifigendo illo, præstò vobis est & ad nutum: ITE celeres, CVSTODITE cadauer SICVT SCITIS, id est, qua optima ratione potestis, pro vestro libito & prudentia. Subindicat, si Iesu sit facultas resurgendi, vano ipsos labore conari id impedire.

¶.66. ILLI præter militarem custodiam, etiam lapidem (b) sepulchralem, quo os speluncæ claudebatur, SIGNANT sigillo, seu præsidis, seu suo magni Synedrij, (c) vinculis ferreis appresso, quibus lapidem sepulchro affixerunt, vt tradunt Nicephorus & Beda.

b Hic v. 60.

c Num. 11. v. 14. Niceph. l. 1. hist. c. 32. Beda de locis sacris c. 2.

CAPVT XXVIII.

Terræmotu & angeli descensu terrentur custodes sepulchri. Mulieribus ab angelo narratur resurrexisse Christum. Quæ dum id vadunt nuntiatum Apostolis, in via vident redeuntem. Milites pecuniâ corrumpuntur, & spargere iubentur, cadauer ipsis dormientibus furto sublatum. Apostoli, vt iussi erant, in Galilæam profecti, vident eumdem resuscitatum, à quo & per vniuersum mundum mittuntur ad hoc Euangelium vbique euulgandum.

¶.1. VESPERE SABBATI iam transacti, id est, hebdomada iam peracta (in Græco enim est ὀψὲ σαββάτων, id est, sero sabbatorum) inchoante vespera QVÆ LVCESCIT, * seu lucere, id est, fulgere, incipit, IN PRIMA die SABBATI, seu hebdomadæ sequentis, estque initium primæ diei ciuilis (d) proximæ hebdomadæ: quod clariùs exprimit Marcus, (e) *cùm transisset sabbatum*; MARIA MAGDALENE, ET ALTERA MARIA Iacobi mater, vt Marcus (e) expressit, *& Salome*, (e) emptis eadem vespera aromatibus, *manè vna*, id est, primâ, *sabbatorum*, (quam nos exemplo Apostolico (f) *Dominicam* vocamus à gloriosa *Domini* Iesu resurrectione,) *valdè manè* (e) *veniunt* videre sepulchrum. Ordinem huius apparitionis & omnium reliquarum vide in Chronico. (g) Solùm hîc addo, verisimilius esse, Christum resurrexisse non statim à media nocte, vt volunt Euthymius, Gregorius & quidam alij; sed primâ aurora rutilante, vt canit Ecclesia, & S. Marcus insinuat, dum dicit, (h) *manè* surrexisse, &

* Luce 23. v. 54

d Chronici c. 1.

e Marc. 16. v. 1.

f Apoc. 1.

g Cæsar. c. 49. 50. 51.

h Marc 16.

docet Augustinus in illud psalmi, (i) *Exsurgam diluculo*. Item Eusebius, Hieron. Prosper & alij passim. Cùm solicitæ essent de *lapide* (k) *ab ostio* sepulchri remouendo,

i Ps. 56. v. 9. Euseb. l. 10. Demonstr. c. vlt. Prosper sent. 203. inter Sentent. Augustin. k Marc. 16. v. 3.

¶.2. ECCE ANGELVS ACCEDENS, attactum manu LAPIDEM REVOLVIT, non resurrecturo Christo (nam hic clauso sepulchro iam ab vna circiter hora surrexerat, matrem suam, vt piè credunt Catholici, primo loco reuisens;) sed vt mulieribus aditum in sepulchrum referaret, & tam ipsis quàm custodibus recenti terræmotu excitatis Christum resurrexisse ostenderet. Ita Hieron. Iustinus, Chrysost. Euthymius, Nazianzenus & August. Quando ergo S. Leo dicit, Christum *resurrexisse reuoluto lapide*, non assignat causam vel adiumentum, sed signum, effectum & indicium veræ resurrectionis: agit enim contra eos qui omnia Christi phantastica esse contendebant. Manfit autem angelus *sedens super lapidem*, Primò, vt omnibus palàm faceret, se esse qui illum reuoluisset, neque hoc factum casu vel terræmotu, vel ab aliis fugâ dilapsis. Secundò, vt sepulchro custos adesset, ne aliud fortè cadauer à militibus in id rursus inferretur. Tertiò, vt mulieribus accedere gestientibus, sed propter milites non audentibus, animos adderet. Videntur autem illæ ignorasse munitum pridie sepulchrum militari custodia & publico sigillo: nam si sciuissent, numquam sine virorum comitatu venissent, nec tam de lapide reuoluendo, quàm de sigillo refigendo, & custodia fallenda sollicitæ fuissent.

Hieron. q. 6. ad Hedibiā. Chrysost. hom. 85. in Ioan. August. ser. 138. de Tempore. Leo ep. 83.

¶.6. SVRREXIT rediuiuus Christus. Priùs nuntiatur resurrexisse, quàm videatur. Primò; vt via sternatur & animi præparentur, ne viso repentè Christo, exhorrescerent quasi viso spectro. Secundò, vt aliqua dilatione desiderium magis magisque accendatur. De descensu animæ Christi ad inferos, & eductis è limbo patribus dixi Zachariæ 9. v. 11. & Eccli. 24. v. 45. Qua ratione cadauer fuerit triduo in sepulchro, Matth. 12. v. 40.

Petes, Quid opus fuerit resurrectione Christi ante diem extremi iudicij? Respondeo, Quia propter personæ dignitatem, meriti excellentiam & copiam indecens erat, imò vt Scriptura ait, (l) *impossibile*, *illum ab inferno teneri*, vel in sepulchro diutiùs detineri. Secundò, quia sic debebat absoluere opus nostræ redemptionis ex diuino decreto. Tertiò, debebat etiam reipsa ostendere quid nobis morte sua promeritus sit, putà iustificationem animarum, & resurrectionem corporum.

l Actor. 2. v. 24.

VIDETE LOCVM VBI POSITVS ERAT DOMINVS, seu corpus Domini; quod etiam à morte semper mansit hypostaticè vnitum diuinæ personæ Verbi.

¶.7. ECCE PRÆCEDET VOS IN GALILÆAM] De hoc supra (m) egi. Id Apostolis statim nuntiatum currit Magdalena, (n) reliquæ

m Matt. 26. v. 32.

n Ioan. 20. v. 2. & Luc. 24. v. 10.

¶.8. EXIERVNT CVM TIMORE, ob admiranda quæ viderant: CVM GAVDIO, ob læta quæ audierant, inquit Euthymius.

¶.9. OCCVRRIT ILLIS in itinere IESVS formâ quâ solet in viuis. Vnde agnitum statim ADORAVERVNT humi prostratæ, simulque amplexæ & exosculatæ sunt PEDES EIVS, sincerâ fide & magno affectu illos amplexantes.

¶.10. NOLITE TIMERE. Naturale est homini, cùm quid supra naturam videt, timore percelli, inquit Druthmarus. NVNTIATE FRATRIBVS MEIS me surrexisse. Sic vocat quos antè solebat discipulos

los vel Apostolos, vel vt summum amicos suos vocare. Primò, vt blanda compellatione leuiat mœrorem illorum partim ex morte heri sui, partim ex fœda defertione eiusdem. Secundò, vt metu ac pudore deiectos inuitet & excitet ad se reuisendum ac fruendum. Tertiò, vt significet, se cum illis eiusdem esse naturæ, etiam à resurrectione. Quartò, illos etiam esse filios Dei, sed adoptiuos, & coheredes Christi. Quintò, vt nobis omnibus exemplum daret humilitatis: *Quò maior es, humilia te in omnibus.* (a) Cur priùs mulieribus apparuerit, quàm viris, à placito ipsius vnius pependit. Congruentiæ erant, quòd sedulitate sua, & officiosi ac grati animi declaratione id quasi promererentur. Adhæserant etiam Christo ad mortem & sepulturam vsque. (b) Deinde, à mulieribus aberat omnis suspicio fraudis vel violentiæ adhibitæ. Denique hoc priuilegio voluit abolere Christus infamiam illius sexus ex eo quòd prior peccarit in paradiso, & viro, imò toti orbi causa mortis fuerit. Vnde & iam vicissim primo loco iubetur lętum vitæ nuntium, viris, & per hos toti orbi deferre, inquit S. Chrisostomus & Euthymius.

a *Eccli.* 3. v. 20.

b *Matt.* 27. v. 56. & 61.

¥. 11. Cvm mulieres omnes ABIISSENT à monumento, (tamdiu enim videntur angeli (c) istic visibili forma remansisse) QVIDAM DE CVSTODIBVS, ingressi & ipsi sepulchrum, & omnia contemplati, iussu reliquorum in statione sua persistentium, VENERVNT *nuntiatum* PRINCIPIBVS SACERDOTVM OMNIA QVÆ circa sepulchrum FACTA viderant, terræmotum, descensum angeli, eius operâ reuolutum lapidem, apertum os sepulchri, eius testimonio Iesum resurrexisse, corpus à nullo alio sublatum, sepulchrum à se visum vacuum, &c. Principes coacto mox concilio, decernunt obruendam mendacio veritatem.

c *Ioan.* 20. v. 12. & *Chronici c.* 49. *sub finem.*

¥. 12. MILITIBVS ergo PECVNIAM non modicam, vt Iudæ, sed COPIOSAM largiti, persuaserunt, vt in vulgus spargant

¥. 13. *discipulos* Christi NOCTE DORMIENTIBVS custodibus *furatos* cadauer. Nisi resurrectionem Christi pro indubitata principes habuissent, non iam militibus *copiosam pecuniam* adnumerarent, sed proditi officij illos arguissent. Sed quomodo fides expertis eiusmodi rerum fiet, tot milites, vigiliis perpetuis assuetos, circumfusos sepulchro, in tanto strepitu iacuisse omnes quasi lethargo sepultos? Quòd si tamen; quâ viâ scire possunt, discipulos cadauer furatos fuisse? Fortè viderunt, sed seriùs, & iam abductum; quare non sunt insecuti? cur non inquisierunt inter discipulos? cur domos non scrutantur? & quomodo tantam segnitiem militum in re tanti momenti impunitam relinquat præses?

¥. 14. NOS EI SVADEBIMVS & persuadebimus, vt placatus rem dissimulet. Neque enim dubium est, quin præsidi suboluerit mentiri milites, & rem omnem ex centurione, & aliis seorsim conuentis: prout contigerat, inquisierit & intellexerit: sed suasu principum Iudæorum, & metu seditionis popularis, occultè dissimulandum putauit, maximè cùm pars magna mali, si quod obueniret, in se redundatura esset, qui Christum vitâ spoliari iussisset.

¥. 15. ILLI FECERVNT & mendacium sparserunt, SICVT à Iudæis ERANT EDOCTI] Longinum centurionem id fecisse negat Metaphrastes. Multos etiam alios verisimile est, veritatem saltem amicis, paulatim & clàm aperuisse. *Metaph. 15. Martij.*

¥. 16. VNDECIM Apostoli cum multis aliis, vbi Christum aliquoties (d) in Iudæa rediuiuum vidissent, tandem post octauum à resurrectione ipsius diem, (e) ABIERVNT IN GALILÆAM, vbi loco condicto IN MONTE Thabor, (vt Ianssenius & alij exponunt) apparuit *plusquam quingentis* simul *fratribus*: (f) qui omnes cà quà par erat submissione ac reuerentiâ,

d *Luc.* 14. v. 34-36. *Ioan.* 20. v. 19. &c.

e *Ibid* v. 16

f 1. *Cor.* 15. v. 6.

¥. 17. ADORAVERVNT EVM vt Dominum suum, Messiam & Filium Dei, iam à mortuis rediuiuum. QVIDAM AVTEM non præsentium, sed absentium discipulorum, v. g. Thomas, & alij, de quibus Marcus (g) & Lucas, DVBITAVERVNT, sed dubium illis omne iterata subinde apparitione (h) exemit Christus.

g *Marc.* 16. v. 11. & 13. *Luc.* 24. v. 11. & 37.

¥. 18. OMNIS POTESTAS IN CÆLO ET IN TERRA faciendi quidquid volo, DATA EST MIHI. tum quà Dei Filio per æternam generationem: tum quà homini per & propter hypostaticam vnionem: & quidem inchoatè in incarnatione, completè verò iam in resurrectione, scilicet quoad plenum vsum, & quoad omnium notitiam. Quæ vt celeriùs totum orbem peruadat,

h *Ioan* 20. v. 27. *Luc.* 24. v. 31. 34. 41. *Marc.* 16. v. 14. &c.

¥. 19. EVNTES VOS, quos mihi vicarios & legatos constituo, DOCETE non modò Iudæos, sed & OMNES GENTES, (i) BAPTIZANTES EOS IN NOMINE, id est, auctoritate, vel appellato & inuocato nomine, & consequenter persona, diuinitate & potentia PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI] ita S. Athanasius, Cyrillus & Nyssenus. Hinc formam illam esse baptismi insinuat, simul & quæ mysteria sunt primo loco omnibus explicanda, nempe de Deo trino & vno, de Verbo incarnato, de redemptione generis humani, de remissione peccatorum, de iustitia & æterna beatitudine obtinenda per meritum Christi.

i *Isai* 49. v. 6.

¥. 20. DOCENTES EOS SERVARE OMNIA QVÆCVMQVE MANDAVI VOBIS, vel adhuc mandabo, seu per meipsum, seu per eos quos mihi vicarios relinquam in terris, & meo loco mandandi auctoritatem concedam. Et licèt corpore iam visibiliter à vobis auellar, spiritu tamen perpetuò VOBISCVM SVM, id est, vobis præsens adero, tum quà Deus, tum quà homo, certam vbique opem vobis vestrisque successoribus semper allaturus.

Nota. Non fuit hæc vltima solemnis apparitio Christi, sed post hanc factam in Galilæa (vbi multi tutò conuenire poterant,) aliam rursus eamque vltimam in Iudæa iuxta Ierosolymam, (quò Apostoli paulò pòst reuersi sunt) in monte Oliueti exhibuit, post quam videntibus omnibus in cælum ascendit, de qua Act. 1. v. 4. & sequentibus, & in Chronico nostro in fine cap. 49.

SAN-

SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM.

* *Act.* 12. *v. vlt. & c.* 13. *v.* 5. *& 13.*
a *Coloss.* 4. *v.* 10.
b *In Act. supr.*

NOn est ille *Marcus* qui in Actis Apostolorum * vocatur *Ioannes*, S. Pauli discipulus, Barnabæ (*a*) consobrinus, vt volunt Theophyl. Euthymius & Sixtus Senensis: nam hic Ioannes eo ipso tempore comes adhærebat Paulo (*b*) Antiochiæ, quo noster Romæ adhærebat Petro, vt ex Eusebio, Hieron. & aliis benè notat Baronius. Non videtur etiam fuisse è 72. discipulis Christi, vt voluit Origenes, Epiphanius & Dorotheus: hoc enim alicubi insinuaretur: & tunc Petrus illum non vocaret filium
c 1. *Petri* 5. *v.* 13. suum, (*c*) sed honoris causâ fratrem. Vnde verisimilius apparet, post Christi mortem conuersum hunc nostrum Marcum à S. Petro, ac proinde iure vocatum illius filium, inquit S. Hieron. & alij passim. Scripsit Euangelium ex ore S. Petri magistri sui, & quidem latinè, vtpote Romæ (& sic habet textus Syriacus in fine Euangelij: & est communis opinio;) primo anno quo Petrus cathedram suam istic fixerat, id
d *Chron. c. vlt. an.* 3. *Claudy.* est 3. anno imperij Claudij 13. à morte Christi. (*d*) Illud ipsum Latinum vertit ipsemet postea Aquileiæ in Græcum, vt habet traditio, quod etiamnum Venetiis ostenditur. S. Augustinus Marcum vocat *breuiatorem* Matthæi, quia multa breuiùs quàm Matthæus enarrat. Missus paulò pòst à S. Petro Alexandriam in Ægyptum, tam florentem istic Ecclesiam instituit, & per 19. continuos annos tam sanctè rexit, etiam Philonis Iudæi testimonio, vt ab Eusebio, Hieronymo & aliis apud Baronium, *cœnobitarum princeps & institutor* vocetur. Tandem 8. anno Neronis, 31. à morte Christi, Alexandriæ in octaua Paschæ, 25. Aprilis, cùm pridie ad altare sacris operans comprehensus esset, martyrio afficitur, vt habent Græca Menologia, & Latina Martyrologia, & Eusebius, Hieron. Isidorus & alij scriptores.

CAPVT I.

IOanne Zachariæ filio prædicante & baptizante in deserto, baptizatur ab ipso etiam Iesus, & voce cælesti Filius Dei declaratur: inde ieiunat 40. diebus continuis, tentatur à diabolo, prædicat, & ipse regnum Dei, colligit discipulos, habitat in vrbe Capharnaum, docet in synagogis, dæmones expellit, socrum Simonis febribus exsoluit, leprosum mundat & ad principem sacerdotum allegat.

℣. 1. INITIVM EVANGELII, seu Euangelicæ prædicationis tale fuit, quale prædixit *Isaias*, nempe

℣. 3. VOX CLAMANTIS IN DESERTO] (*e*) id est, prædicatio & testimonium Ioannis Baptistæ. Interserit tamen Marcus hîc v. 2. alterius Prophetæ (cuius nomen vtpote sat
e *Isai.* 40. *v.* 3.

A notum, non exprimit) putà *Malachiæ*, (*f*) vaticinium de eodem Ioanne: vt significet vocem illam ab Isaia prædictam, non ab hominibus, sed à Deo missam fuisse.
f *Malach.* 3. *v.* 1.

Nota. Tam Lucas quàm Marcus inchoant Euangelium suum à Ioanne, sed ille ab eius natiuitate, hic à prædicatione. Matthæus autem & Ioannes incipiunt à Christo: sed ille ab humana eius generatione, iste à diuina.

℣. 4. BAPTISMVM POENITENTIÆ] id est, ad pœnitentiam inducentem & disponentem, vt alibi, (*g*) dixi. Sicut & de confessione (*b*) peccatorum coram ipso fieri consueta.
g *Matth.* 3. *v.* 6.
h *Ibid.*

℣. 6. VESTITVS ERAT PILIS CAMELI] Si Dauidi Chytræo aliisque Nouatoribus quis fidem habere velit, erat hæc vestis vndulata, quam vulgò *camelot* vocamus. Sed quo iure commendabit tunc Christus Ioannem ab asperitate vestis? Matth. 11.

v.8.Et si per locustas,cancros marinos cum iisdem intelligas,quomodo dicetur ib. v.18. venisse Ioannes *neque manducans,neque bibens?* Et excidit credo Nouantibus,cancros Iudæis lege prohibitos fuisse, & abominabiles & execrandos, Leuit.11.v.10.Vt taceam , desertum Ioannis procul abfuisse à mari: & in Græco non esse καρκίνους , id est,cancros , sed ἀκρίδες , per quod Beza vult intelligi pira syluestria; Euthymius, arborum frondiumque summitates: sed aptissimè Origenes, Hilarius , Ambros. Chrysost. August. propriè dictas *locustas* intelligunt,vulgatum Æthiopibus,Libyis,Parthis & aliis Orientalibus cibum , teste Plinio ,& S. Hieron. & Iudæis edi permissum eodem Leuit. cap. v. 22. vt fusiùs dixi in Matthæo.(a)

Plin. l.6. c.30. Hieron.l.2. contr.Iouinianum.

a Matth. 3. v.4.

Mel silvestre putat Rabanus esse arborum folia candida & tenera , quæ trita manibus saporem quasi mellitum exhibent ; Suidas , rorem ex arboribus collectum , qui *manna* vocatur. Sed dico cum Chrysostomo , Theophyl. Euthymio & Isidoro Pelusiota , esse mel ab agrestibus apibus confectum in lapidum fissuris , vel arboribus subinde inhærens , sat insipidum & ingratum palato.

℣. 15. Impletvm est tempvs] puta aduentus Messiæ,& redemptionis generis humani. Iam pridem sceptrum à Iuda ablatum est:(b)hebdomadæ Danielis transactæ sunt : (c) tot alia signa & Prophetarum oracula completa sunt.

b Gen. 49. v.10.

c Dan 9. v 25. & Chronici c 38.

℣.22. Erat docens eos quasi potestatem, id est,auctoritatem , habens. Nam cælesti scientia & absoluta auctoritate pollens, non agebat solùm legis interpretem, vt Scribæ,sed tamquam legislator ipse veterem legem explicabat , & nouam proponebat;non futiles & ieiunas cæremonias,vt Scribæ, sed solidissima & diuina dogmata: nec ore tantùm , sed & opere docebat & exemplo: denique interiùs mentes audientium illuminans , & affectum inflammans , ex stupidis efficiebat doctos,ex malis probos : exteriùs etiam miraculis doctrinam suam confirmans, efficacissimè & plurimis illam persuadebat,quorum nihil præstare poterant Scribæ.

℣.24.Scioqvi sis,Sanctvs Dei,scilicet ille vnicè & excellentissimè sanctus,à Deo toties promissus , & à toto orbe hactenus exspectatus Messias.Hoc enim dæmonem non latebat.

℣. 26. Exiit ab eo discerpens evm , non discindendo aut mutilando (nam Lucas dicit , *nihil* illi *nocuisse*,)sed torquendo,conuellendo,& collidendo eius membra : hoc enim est συνεσπάραξεν. Nempe rabidus dæmon nocere misero voluit quantum potuit: sicut & iam videmus energumenos pœnitentes curari volentes, imò subinde etiam curatos, miserè ab eodem tentari & diuexari , inquit S.Gregorius.

Luca 4. v. 35.

CAPVT II.

Paralytico per tectum in grabato ad pedes Iesu demisso peccata remittit & valetudinem restituit. Murmurantibus ob id Scribis , vti & quia in domo Matthæi cum publicanis manducabat,os obturat.Rationem etiam reddit cur discipuli sui se præsente non ieiunent extra ordinem : eosdemq; spicas sabbato vellentes excusat.

℣.2. Convenervnt tam mvlti ad eum Capharnaï , (d) vt non caperet eos locus qui ad ianvam erat, (patet ex Græco :) nempe vestibulum & adiuncta cubicula , forsan & platea ostio vicina.

d Matth. 4. v.13.

℣.14. Levi filius Alphæi est Matthæus, de quo alibi.(e)Erant enim Iudæi vt plurimùm binomij.Sit quod

e Matth. 9. v.9.

℣.26.Svb Abiathar principe sacerdotvm accidisse hîc dicit Christus , 2. Regum 21. sub *Achimelech* contigisse narratur. Erant enim binomij tam filius , quàm parens , inquit Iansenius, Toletus ,Salmeron & Sanchez ibid. Quamquam etiam dici posset , adfuisse parenti Achimelecho filium Abiatharum , & sic Dauidem ab vtroque accepisse panes sanctos,vt ibidem dixi,& Beda;Salianus,Mariana & Sà confirmant.

℣. 28. Itaqve vel est particula solùm continuatiua,& idem quod,denique : vel etiam est propriè illatiua & causalis,hoc sensu: quia sabbatvm propter hominem factvm est: Christus autem dominus est hominum , & omnium quæ ad hominum salutem facta sunt : ideo etiam est dominvs sabbati, & consequenter potest in eo pro libito dispensare.

CAPVT III.

Curata sabbato manu aridâ , & ob id indignatis Pharisæis secedit Christus , turbis vbique illum prosequentibus , quarum infirmos curat. Duodecim Apostolos ex plurimis discipulis delectos mittit prædicatum verbum Dei, data potestate morbos curandi & dæmones pellendi. Blasphemos Scribas, quasi virtute Beelzebub expelleret dæmonia, falsitatis conuincit,docens blasphemiam in Spiritum sanctum non facilè remitti:& quæ sit mater & fratres sui.

℣.2. Observabant evm Pharisæi. Addit Matthæus,ipsos illum *interrogasse*, an *liceat sabbatis curare* infirmos,idque vt,si respondisset licere , accvsarent evm apud magistratum contemptæ & violatæ legis. Sed Christus quæstionem quæstione soluit, vicissim interrogans eos,

Matth.12. v. 10.

℣. 4. An liceat sabbatis bene facere, an male, id est, prodesse, an nocere? tacitè insinuans,non bene facere egenti cùm primùm possis, esse malè illi facere : & animam , seu vitam , *non saluare*, esse illam perdere.Ac proinde cùm hoc sit legis naturæ , non esse vetitum lege positiua sabbati. Allegoricè , Adam pomum carpens, manum humani generis arefecit , id est , fœcunditate boni operis & meriti priuauit:sed Christus eam illi restituit, cùm suas ipse manus in cruce extendit, inquit Beda. Tropologicè , manum habet aridam qui eam ad Deum per orationem , ad proximum per misericordiam, non extendit, vt idem Beda ait cum Athanasio,Theophyl. & Euthymio.

℣.12. Tv es filivs Dei. Dici potest , dæmones id non seriò dixisse,sed fictè & tentandi causâ: vel certè fraudulenter & adulatoriè , vt pœnam euaderent,inquit Theophyl. & Euthymius. Potest tamen etiam admitti,seriò, vt alibi * dixi,id putasse,tot iam miraculis conuictos, quæ ad eam veritatem probandam videbant quotidie ab ipso patrari. Et licèt ex Scripturis probè scirent , eum redempturum genus humanum , modum tamen quo id facturus esset, v. g. per crucem , per mortem, &c. ignorasse videntur. Vnde cùm extremo illius odio flagrarent,simulque suo regno metuerent, cui sentiebant prædicatione & miraculis eius continuò detrahi , statuerunt priùs quàm totum corrueret, hostem illius è medio tollere , quod per clientes suos Iudæos tandere effectui dederunt , sed maximo suo & probro & damno. ita S. Leo.

** Matth. 4. v.3. Cr 2 4. v.18.*

Leo serm. 9. de Pass. Dn.

℣. 16.

Matth. 21. v. 15. &c.

¥.16. SIMONI Ioannis (a) filio imposuit nouũ NOMEN CEPHAS, id est, saxum, petra, rupes, indicans hoc nomine futurum ipsum aliquãdo petram fundamentalem Ecclesiæ. Sed quia terminatio femminina non decebat virum, inde pro *petra*, verterunt Latini *Petrum*, Græci Πέτρον, quod idem prorsus significat ac πέτρα. Porrò soli Petro nomen mutat, & duobus ZEBEDÆI filiis, vtpote sibi charissimis, & præ aliis in Apostolorum choro excellentibus. His imposuit nomina BOANERGES. Legendum *Banarges*, vel syriacè *Bonarges*: quod secundùm Iansenium & Caninium componitur ex *bane*, id est filij, & *reges*, id est, tumultus, strepitus, fremitus, id est, tonitrui, vt vertit Noster & Syrus. Sic Iupiter altitremens, id est, altitonans. Porrò *filij tonitrui* hebraismo idem est quod *tonantes*, vt *filius pacis* idem est quod *pacificus*, inquit Epiphanius. Vel certè *filij tonitrui* sunt ipsa *fulmina*, vt Baronius exponit, sicut *filij pharetræ* sunt *sagittæ*. (b) q.d. Hi duo & verbis & factis tonabunt & fulminabunt per vniuersum orbem, Euangelij prædicatione, virtutibus ac miraculis percellendo Iudæos, Gentiles, hæreticos, & improbos quosque. Sic ille, *Duo fulmina belli Scipiadæ*. Et Iacobus quidem tam altè intonuit, vt præ omnibus Apostolis iram regis *Agrippæ*, (c) & principum Iudæorum in se concitarit, & ideo primus ab illis ad mortem expetitus sit. Quomodo verò Ioannes tonuerit, patet ex initio Euangelij ipsius & Apocalypsi, & cùm Euangelium suum conscriberet, tonitrua & fulgura, vt olim in monte Sinai emicasse, tradit Baronius ex Prochoro & Metaphraste.

b *Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 40.*

c *Act. 12. v. 2.*

Baron. an. Christi 99.

CAPVT IV.

Parabola seminantis, lucernæ, seminis, & sinapis, quas Apostolis suis seorsim exponit. A quibus etiam in naui à somno excitatus, tempestatem, sedato mari, depellit.

¥.10. SINGVLARIS] græcè κατὰ μόνας, id est, solitariè, seu solus extra vrbem, semotus à turbis.

¥.17. TEMPORALES] Id est, exiguo tempore perdurantes.

¥.19. ÆRVMNÆ, græcè μέριμναι, id est curæ, seu solicitudines SÆCVLI, ET DECEPTIO DIVITIARVM, id est, diuitiæ decipientes ac fallentes; ET CIRCA RELIQVA CONCVPISCENTIÆ, id est, cupiditates quæ circa res alias huius mundi versantur, SVFFOCANT & infructuosum reddunt VERBVM Dei.

¥.22. NEC FACTVM EST quid vt perpetuò maneat OCCVLTVM] q.d. Hæ parabolæ & doctrina Euangelica, & gesta mea, licèt iam sint adhuc occulta, nolo tamen semper occulta maneant, sed suo tempore per vos, vestrosque successores innotescant toti orbi, inquit S. Hieron. & Beda.

Matth. 10. v. 7.

¥.24. IN QVA MENSVRA MENSI FVERITIS, REMETIETVR VOBIS] q.d. Si largè ac sedulò doctrinam meam aliis communicaueritis, ego quoque largissimam vobis mercedem, gratiam & gloriam rependam.

¥.26. QVEMADMODVM iacto IN TERRAM semine, & homine interea noctu dormiente, die exsurgente, & aliis negotiis vacante, SEMEN continuò crescit, ipso non percipiente: ita prædicatio Euangelij sensim sine sensu crescet perpetuò, etsi subinde videri cuipiam possit Deus & Christus in cælis dormire, quando scilicet tyrannos, hæreticos, aliosque impios contra Euangelium & Euangelij præ-

A præcones insurgere sinet, perinde ac si illi curæ non forent. Imò persecutionibus ac tempestatibus eiusmodi magis crescet: nec desinet continuò crescere, donec totum orbem occuparit. Tunc enim matura messe, scilicet in consummatione mundi, vel in consummatione vitæ cuiusque, MITTET FALCEM, id est, decretum mortis, quâ FRVMENTVM, id est, electos suos, colliget in horreum cæleste. Tropologicè, *terra* cordis nostri producit primùm *herbam*, cùm bona opera inchoat: *spicas*, cùm illa sedulò exercet: *frumentum*, cùm ad perfectionem heroicam deducit.

CAPVT V.

Legio dæmonum ab obsesso expellitur, & ingressa in porcos præcipitat omnes in mare: mulier à profluuio sanguinis curatur: principis Iairi filia à morte excitatur.

B ¥.2. OCCVRRIT HOMO IN, seu (d) cum SPIRITV IMMVNDO] Matthæus (e) dicit, *duos* occurisse. Sed vnus erat celebrior, vtpote in quo esset integra dæmonum legio, (f) seu integer exercitus.

d *Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 12.*

e *Matth. 8. v. 28.*

f *Matth. 26 v. 53.*

¥.7. ADIVRO TE PER DEVM: id est, ex parte Dei, seu diuini nominis auctoritate (quasi iurando obstrictus illi esses) interposita, precor, (g) obtestor, & quoad possum impero, NE ME TORQVEAS, hinc expellendo, & in abyssum ablegando. quod dæmones valdè horrebant, vt alibi (h) dixi.

g *Hic v. 10. Luc. 8. v. 28.*

h *Matth. 8. v. 29.*

¥.13. GREX PRÆCIPITATVS EST IN MARE] nempe ex vertice vel cliuo montis lacui Genezareth imminentis, vbi antè pascebantur, præcipites ruerunt in lacum. Quid ad hoc porcorum domini?

¥.17. ROGARE COEPERVNT EVM, perculsi partim religione, partim damni magnitudine, VT C DISCEDERET DE FINIBVS EORVM] Verebantur enim grauiora mala, & ne Deus propter præsentiam ipsius, qui Iudæus & sanctus erat, Gentiles (quales erant hi *Geraseni*) à Iudæorum religione alienos planè perderet: pluris facientes suas opes, quàm veritatis cognitionem, & suarum salutem animarum.

¥.21. *Transcendere* ponitur pro *traiicere*.

CAPVT VI.

Prædicans Iesus in patria sua Nazareth contemnitur à suis. Mittit Apostolos suos prædicatum cum potestate sanandi ægros & dæmones expellendi. Herodes ✶ Antipas auditâ fama Christi, dicit Ioannem Baptistam (cuius ab Herode decollati historia subsequitur) à mortuis resurrexisse. Reuersis à prædicatione Apostolis, pascit Christus quinque panibus quinque millia virorum. Supra mare ambulat, tempestatem sedat, plurimos solius fimbriæ contactu sanat.

✶ *Chron. c. 45.*

D ¥.3. DE *fratribus*, id est, cognatis Iesu vide tabulam vltimam capitis 46. in Chronico.

¥.5. NON POTERAT propter illorum incredulitatem, IBI VIRTVTEM VLLAM, seu miraculum aliquod, FACERE] Nolebat nempe (quia nec conueniebat) margaritas spargi ante porcos. Simili modo Ioann. 7. v. 7. dicitur, *Non potest*, id est, non vult, *mundus odisse vos*.

Nota. Ad miraculum, vt modo conuenienti fiat, duo requiruntur, scilicet potentia in patrante, & fides ac fiducia in patiente: cùm alterutrum deest, dicitur fieri non posse, inquit Theophyl. & Euthymius. Quod Lucæ 4. v. 22. dicitur, Nazarethanos *omnes testimonium* Christo *dedisse mirates in ver-*

bis gratiæ, &c. solùm conuincit coactos fatèri insignem doctrinam eius & eloquentiam, & obstupuisse vnde talis ac tanta obuenerit filio fabri: sed non conuincit non mansisse incredulos doctrinæ, & contemptores personæ ipsius: neque enim agnoscebant illum pro Messia, multò minùs pro Filio Dei. Porrò Apostoli

¥. 13. VNGEBANT OLEO MVLTOS ÆGROS] Theophyl. Beda, Liranus, Richelius & Franc. Lucas volunt hanc vnctionem esse eam de qua S. Iacobus agit cap. 5. suæ epistolæ, nempe Sacramentum Extremæ vnctionis. Verùm istius Sacramenti minister solus est, sacerdos: atqui Apostoli tunc necdum erant sacerdotes. Et Apostoli promiscuè quosuis ægros vngebant, etiã non moribundos, non baptizatos. Dico ergo hanc Apostolorum vnctionem non fuisse Sacramentum, sed typum seu figuram Sacramenti Extremæ vnctionis, vt Tridentinum insinuat. Erat enim (sicut & baptismus Ioannis) nuda cęremonia ad hoc solum adhiberi iussa à Christo, vt congruo symbolo testatum facerent Apostoli se missos à Messia, seu à Christo, id est, vncto: virtutemque quâ ægrorum corpora curabant, ab eo promanare quẽ *vnxit* (*a*) *Deus oleo lætitiæ præ consortibus suis*. Huic cęremoniæ pro illo tempore Christus annexã volebat miraculosam curationem morborum omnis generis. Sicut postea variis subinde Sanctis concessit, vt S. Genouefæ & aliis.

Trid. sup. 14. c. 1. de Extr. vnct.

a Psal. 44. v. 8.

¥. 17. HERODIAS filia erat Aristobuli ab Herode Ascalonita parente suo iam pridem occisi, sotor regis Agrippæ (*b*) senioris. Hæc nupsit patruo suo Philippo (quem Iosephus (*c*) Herodem vocat, nomine, vt videtur, communi toti familiæ:) sed quia hic petulantiæ vxoris non sat respondebat, vt erat vir modestus, transilijt ipsa ad fratrem Philippi Herodem Antipam. Sed an viuo adhuc Philippo? Respondeo, viuo: nam teste Iosepho, (*d*) Philippus vigesimo demum anno Tiberij Cęsaris è vita excessit, cùm Ioannis ob improbatas has nuptias incarceratio & decollatio contigerit anno 16. Tiberij. Philippus autem, vt amator quietis & otij, malebat dissimulare acceptam iniuriam, quàm bello vindicare. Et vt mortuus fuisset, adhuc nihilominùs vetitæ erant *Herodiadi* eiusmodi nuptiæ: nam Philippus semen ex ea reliquerat, nempe saltatricem hanc, quam Iosephus *Salomen* vocat. ita definitur Leuit. 18. v. 16.

b Chron. c. 41.

c Ioseph. l. 18. Antiq. c. 7.

d Ibid. c. 6.

¥. 26. CONTRISTATVS EST REX] An seriò? Negat S. Hieron. & Hilarius: affirmat Chrysost. cum suis: licet enim non ægrè ferret necem Ioannis, quem omninò sublatum optabat; doluit tamen quòd tam probrosam sibi & crudelem Ioanni necem inferre cogeretur. Quo minùs tamen se opponeret, effecit *iusiurandum*: licet sciret, illud eo casu non obligare (tantùm enim iurat quis se facturum quod poterit facere: atqui quod sine offensa Dei fieri nequit, omninò facere non potes;) sed vanus homo putabat regalis esse constantiæ non retractare.

¥. 27. SPICVLATOR, sic dictus à *spiculis* quæ stipatores regij corporis gestare solebant; pro carnifice hîc ponitur. DECOLLAVIT IOANNEM, in castello Macheronte, in finibus Galilææ & Arabię, inquit Iosephus. Capitis in disco prolati linguam Herodias acu discriminali confodit, inquit S. Hieron. vt Fuluia linguam Ciceronis. Sepultum corpus in vrbe Sebaste. Vbi, & quomodo, caput eius postea repertum, vide apud Baronium. Ob tam impiam Ioannis necem, inquit Iosephus, sed magis ob spretum & delusum (*e*) Christum, regno suo privatus Herodes & in exilium actus est à Cæsare Lugdunum Galliæ, vnà cum sua Herodiade (ipsomet fratre Herodiadis Agrippa id procurante:) cùm & antè ab Areta rege (*f*) Damasci prælio turpiter victus fuisset.

Ioseph. ib. c. 7. & 9.

Hier. contra Ruffinum.

Ioseph. sup.

e Luc. 23. v. 11.

f 2. Cor. 11. v. 32.

CAPVT VII.

Phariseorum calumnias de non lotis manibus discipulorum, reciproca superstitionum & scelerum ipsorum reprehensione refellit: Syrophœnissæ filiam à dæmonio liberat: surdum & mutum sanat.

¥. 19. CIBVS NON INTRAT IN COR: vnde quantumuis sordidus vel immundus non inficit illud, neque tetrum odorem eo exhalat, atque ita HOMINEM COMMVNICAT, id est, polluit & profanat, & communem ac similem cum Gentilibus facit, vt putant stolidi Pharisæi. Sed factã in stomacho secretione purioris & nobilioris alimenti, quod ad hepar & cor destinatur; quidquid fecium, sordium aut immunditiarum fuerat in cibo, rectà ad intestina mittitur, & mox è corpore IN SECESSVM EXIT, PVRGANS, id est, exitu suo puras relinquens, ESCAS in corpore relictas: cùm enim id quod in secessum exit, fex sit & purgamentum cibi, eo ipso quo exit, cibum reliquum expurgat. *Cor* autem hic pro anima ponitur, & pro illius propriis facultatibus intellectu & voluntate: accedit enim quàm proximè ad spiritualem naturam, est primum & vltimum viuens in homine, est primarium animæ instrumentum ad omnes actiones.

¥. 33. EXSPVENS] non in os muti, sed in propriam manum suam, & sic digito sputum admouens ori muti, quasi os siccitate constrictum humectaturus & soluturus. Patet ex Græco textu.

¥. 36. PRÆCEPIT ILLIS NE CVI DICERENT] non propriè dicto præcepto, sed pro decentia: nempe vt palàm ipsis & omnibus aliis faceret, se reuera & sincerè nullo teneri inanis gloriæ desiderio. Vnde nec peccabant qui miracula eius euulgabant.

¥. 37. BENE OMNIA FECIT. Facilè iudicamus, benè facere Deum quando SVRDOS FACIT AVDIRE, ET MVTOS LOQVI, Sed an æquè promptè idem sentimus, quando audientes facit surdos, & loquentes mutos?

CAPVT VIII.

Septem panibus pauissq; pisciculis satiat quatuor millia virorum: & monet cauendum à fermento Pharisæorum: cæcum curat: quis qualisve habeatur ab hominibus, ex discipulis inquirit: passionem suam & mortem prædicit: Petrum ab ea deterrentem, tanquam satànam repellit: suadet tollere crucem & sedulam animæ curam gerere.

¥. 8. SATVRATI SVNT] ita vt nihil amplius ad plenam refectionem desiderarent. Vinum non dedit, quia vicini erant sat multi fontes & riui.

Petes, quomodo Christus multiplicarit hos panes? Respondeo, Diuina sua virtute sensim aerem vel aliam materiam in panem conuertens, vel certè panes de nouo creans, idq; ie continuato miraculo primùm in manibus suis deinde discipulorum, denique etiam in manibus accumbentium.

¥. 10. PRO DALMANVTHA in Matthæo (*g*) est *Magedan*. Nempe duo erant oppida trans mare Galilææ,

g Matt. 15. v. 39.

lilææ, sibi mutuo vicina: vnde etiam vna & eadem regio vtrique vicina erat.

✠.15. De *fermento*, id est, doctrina, *Pharisæorum* alibi (*a*) dixi. *Fermento Herodis* intelligit absurda dogmata sectę *Herodianorum*, (*b*) Herodem (*c*) Ascalonitam pro vero Messia obtrudentium, Romanis abblandientium in pensitatione tributi & omnibus, & nil nisi terrena ambientium. ita ferè Iosephus, Origenes, & Hieron.

a *Matth.* 3. v.7.c.16. v.6.c.23. toto.
b *Matth.*22 v. 16.
c *Chronici* c.45.

✠.23. APPREHENSA MANV CÆCI, EDVXIT EXTRA VICVM] seu extra suburbia & fines *Bethsaidæ*. Nam *Bethsaida* non erat pagus, sed *ciuitas*, Ioan. 1.v.44. Sed quare extra vicum eduxit? Respondeo Primò, Ne videretur inanis gloriæ referendæ causa coram multitudine populi miracula patrare. Secundò, vt commodiùs orationi & recollectioni animi se daret cum suis: nam Christum sequebantur Apostoli, & etiam qui cæci curam gerebant. Tertiò, quia incolæ Bethsaidæ, multis visis miraculis credere numquam (*d*) voluerant; vnde indignos se reddebant nouo beneficio, inquit Theophylactus & Euthymius.

d *Matt.* 11. v.21.

✠.24. VIDEO HOMINES VELVT ARBORES AMBVLANTES] Id est, video confusè homines ambulantes, sed nisi ambulatio seu motus localis faceret, non possem discernere, homineśne sint an arbores. Sed, cur illum non nisi sensim curauit Iesus? Respondeo Primò, vt miracula omnis generis & modi ederet. Secundò, vt cæci fidem, spem ac desiderium magis magisque accenderet: vnde & fidei eius initio imperfectæ, sed mox paulatim crescenti se attemperabat Christus. Tertiò, vt miraculum certiùs appareret & pluris fieret.

✠.39. REGNVM DEI vocat gloriam regni sui, quam in transfiguratione tribus Apostolis suis exhibuit, VENIENTEM, id est apparentem, IN, seu cum, VIRTVTE] id est, potenter, efficaciter, clarè ac distinctè.

CAPVT IX.

Transfiguratur Christus. Elias præcursurus dicitur aduentum Christi. Dæmoniacus surdus & mutus curatur. Quis maximus in regno Christi. vetat impedire quemdam non suum discipulum, tamen in nomine suo dæmonia expellentem. Amputari iubet scandalum manus, pedis, oculi.

✠.11. ELIAS CVM VENERIT PRIMO, seu priùs, ante aduentum Christi, RESTITVET OMNIA] vt alibi (*e*) dictum.

e *Malach.* 4.v.5. & *Matth.*17. v.11.

SCRIPTVM EST IN (*f*) FILIVM HOMINIS] id est, de Filio hominis, seu Christo.

f *Proleg. de Idiotismis Hebr.*n.12.

✠.14. POPVLVS VIDENS IESVM, STVPEFACTVS EST, ET EXPAVERVNT, eò quòd tam inexspectatò, sed opportunè adesset Iesus ad vindicandum tuendumque discipulos, nomenque suum ab obloquio & opprobrio Scribarum. Nisi dicere malis, ex transfiguratione durasse adhuc in facie Iesu aliquid splendoris, sicut olim (*g*) in facie Moysis cornuta.

g *Exodi* 34. v.29.

✠.16. ATTVLI FILIVM MEVM AD TE HABENTEM SPIRITVM MVTVM] Matthæus (*g*) dicit fuisse *lunaticum*, & talis hîc etiam describitur à Marco. Laborabat ergo *epilepsia*, seu morbo comitiali, qui pro varia *lunæ* mutatione variè hominem exagitat, nempe crescente lunâ crescunt humores cerebri, quibus luna dominatur, decrescente decrescunt, inquit Valesius. Huic tamen homini non videtur hic morbus fuisse naturalis, sed ex agitatione dæmonis, vt S. Lucas affirmat.

g *Matt.* 17. v.14.
Franc. Valesij Sacra Philosophia c.71.
Luc 9.v.39.

✠.18. O GENERATIO INCREDVLA] Matth.17. v. 16. hanc non curationem pueri asscribit Christus *incredulitati*, id est, imperfectæ fidei, discipulorum suorum. Sed v. 17. vt & hîc apud Marcum, increpat patrem pueri, & astantes Scribas aliosque Iudæos. Pater enim diffisus antè de potentia discipulorum Iesu, cœpit & de Iesu diffidere: & ei plures ex præsentibus astipulabantur: Scribæ verò qui numquam in Iesum credere voluerant, iam magis obdurabantur & exultabant de infelici successu.

QVAMDIV APVD VOS ERO? quamdiu tempus vobis instruendis frustra perdam? quamdiu luctari pergam cum vestra pertinacia? tot tantisque miraculis, tam cumulatis beneficiis ac gratiis nihil proficio. QVAMDIV VOS PATIAR, & mores vestros intolerabiles feram?

✠.28. HOC GENVS IN NVLLO POTEST EXIRE, NISI IN ORATIONE ET IEIVNIO] putà exorcistæ: licèt sine dubio plurimùm etiam iuuet exorcizandi ieiunium & oratio, ita Origenes. Sed cur non nisi ieiunio & oratione? Respondeo, Quia sic visum Deo: hinc Christus etiam sine his prout vellet eiiciebat. Congruentiam dat Eusebius Emissenus, quòd per ieiunium caro spiritui subiiciatur, per orationem spiritus Deo vniatur, & sic homo fiat quasi angelus, carne & dæmone superior. Deinde hæc & similia virtutum exercitia postulant, quærunt, pulsant, merentur & impetrant expulsionem dæmonum, vt & alias gratias.

Sed Nota, Christum id non asserere de omni genere dæmonum (vt vult S. Chrysost.) sed de pessimis & obstinatissimis dæmonibus, è quorum genere erat iste obsidens puerum ab infantia. Alios enim vulgares dæmones Apostoli passim expellebant, non adhibitis ex professo oratione & ieiunio. ita Iansenius, Salmeron & Maldonatus. Morale habet S. Ambros.

Ambr. serm. 82.

✠.36. QVISQVIS VNVM EX PVERIS RECEPERIT IN NOMINE MEO, mei amore, mei causâ, ME SVSCIPIT & patrem meum. Hac occasione

✠.37. RESPONDIT ILLI & rogauit IOANNES Zebedæi, quid de iis sentiendum, qui NOMINE TVO DÆMONIA *ejiciunt* & morbos curant, nec tamen adhærent tibi? Erant isti ex imperfectis, abhorrentes ab aspera paupertate Apostolorum & sequela Christi: credebant tamen in Christum, cuius virtute dæmones pellebant, inquit Ambros. Et sic maior ostendebatur virtus & gloria Christi, inquit Theophyl. Hos prohibebant Apostoli, amore & zelo ducti gloriæ Christi (quasi illius ordinationi cap. 3. v. 15. vbi solis Apostolis hanc potestatem concedit, aduersarentur.) Sed immeritò & indiscretè: nam, vt ait Christus, etsi me non sequantur, tamen idem agunt quod vos, scilicet non detrahunt, sed celebrant nomen meum. Deinde

✠.40. QVISQVIS POTVM AQVÆ DAT IN NOMINE MEO, bene facit & mercedem habebit; quantò magis qui in nomine meo dæmones è miseris pellit. ita idem Theophyl.

✠.45. De *vermibus* in *gehenna* alibi (*i*) dixi.

i *Iudith* vlt.v.21. *Isaiæ* 66. v. 24.

✠.48. OMNIS ENIM homo IGNE SALIETVR] Id de infernali reproborum igne exponunt Maldonatus & Franciscus Lucas: is enim damnatis erit pro sale, non consumens, sed conseruans perpetuò cruciandos. Sed Theophyl. & Beda id intelligunt de igne metaphorico partim tribulationis, partim doctrinæ Euangelicæ: dicuntque reddi hîc

rationem, cur antè dixerit, eruendum potiùs oculum, vel manum scandalizantem præcidendam, nempe vt sic homo victima fiat spiritualis & grata Deo. Cùmque OMNIS VICTIMA secundùm legem (a) SALE *condiri*, debeat, debebit etiam hæc victima spiritualis sale & igne tribulationis expurgari, & sale Euangelicæ doctrinæ condiri.

a Leuit. 2. v. 13.

℣. 49. BONVM, id est, vtile, EST SAL, nempe vos (b) ô Apostoli mei. Sed SI hoc SAL INSVLSVM reddatur, scilicet si vel ambitione vel aliis cupiditatibus euanescat, vel timore diffluat; nihil est quo possit iterum colligi, condiri & exacui. HABETE perpetuò, si sapere vultis, IN VOBIS SAL, scilicet sapientiæ virtutumque omnium. Ludit (c) enim Christus in voce *sal*, quod nunc propriè, nunc figuratè & mysticè vsurpat.

b Matth. 5. v. 13.

c Proleg. sup. n. 29.

CAPVT X.

Vxorem negat dimittendam: parvulis benedicit: diviti adolescenti suadet, sed frustra, vt relictis opibus sibi adhæreat. Quanta præmia maneant eos qui omnia propter Christum relinquunt. Prædicit passionem suam: discipulorum ambitionem compescit: Bar-Timæum cæcum curat.

℣. 21. IESVS candorem animi adolescentis INTVITVS, DILEXIT EVM, & per metalepsin, instar summè dilecti prehendit, amplexatus & exosculatus est eum.

℣. 32. ASCENDENTES IEROSOLYMAM, vbi Christus se mortis supplicio afficiendum prædicebat, STVPEBANT, ἐθαμβοῦντο, id est, ex ingenti metu stupebant, scilicet quòd Christus tam deliberato ac resoluto animo seipsum & suos omnes in manifestissimum vitæ periculum coniiceret. Hinc SEQVENTES TIMEBANT & timidè sequebantur, veriti ne fortè iisdem etiam ipsi malis, quæ Christus se passurum dixerat, implicarentur, inquit Beda.

℣. 38. POTESTIS BAPTISMO passionis & afflictionis, cui certò & breuî totus immergar, etiam VOS BAPTIZARI?] q. d. Sat animorum vobis, vt mecum contra hostes depugnando, mecum vulneremini, mecum moriamini? sic enim & non alia via, spes erit, etiam mecum in eodem triumphali curru considendi.

CAPVT XI.

Asello vectus Ierosolymam triumphabundus inuehitur: ficui infructuosæ maledicit & arefacit: ementes & vendentes expellit è templo: efficaciam fiducia in Deum ostendit, & peccata fratribus remittenda: Scribis, qua potestate hæc faciat, quærentibus, alia quæstione de baptismo Ioannis os obturat.

℣. 10. BENEDICTVM sit à Deo, id est, felix, firmum, stabile ac perpetuum sit REGNVM DAVID, id est, regnum Israeliticum, pristinæ suæ integritati, libertati, decori ac perfectioni restitutum, quale sub Dauide fuit amplissimum, splendidissimum, felicissimum. QVOD iam VENIT, id est, iterum ad nos redit, & iam in foribus est, duce & instauratore Messia. Huius verò nomine vocant *Dauidem patrem* suum, quia pater erat Christi, cuius hîc causa agitur. Quamquam etiam dici possit, plurimos è Dauidis posteris (vt erant amplissimæ inde exortæ inter Iudæos familiæ) præsentes tum affuisse & etiam proprio nomine de *regno patris* sui iam instaurando sibi congratulatos fuisse.

℣. 16. NON SINEBAT VT QVISQVAM PER TEMPLVM DEFERRET VAS] hebraismo, id est, instrumentum aliquod vel supellectilem quamcumque, putâ, quæ profanis vsibus deseruiret, v. g. cophinos, lagenas, sarcinas.

CAPVT XII.

De vinea infidis agricolis locata: de tributo Cæsari dando: de certitudine resurrectionis contra Sadducæos: de maximo mandato: de Messia, cuius sit filius: de vitijs Scribarum cauendis: de vidua paupercula, ob duo minuta in gazophylacium missa, prolixè laudata.

℣. 1. VINEAM PASTINAVIT] græcè ἐφύτευσε, id est, plantauit. Sed *pastinari* propriè dicitur de vitibus, quæ & *repastinari* dicuntur, quando sterilescentes refodiuntur.

ET FODIT LACVM, seu lacunam, in quam vinum torculari expressum recipiebant. (d) Hac eâdem parabolâ vsus est olim Isaias initio cap. 5. & vsurum prædixit Christum.

d Isaiæ 5. v. 1.

℣. 34. NON ES LONGE A REGNO DEI] Id est, parum abes à cognitione veri Dei, veræque viæ salutis. item ab ingressu Ecclesiæ meæ, cui vt ciuis inscribereris, si non deesset tibi fides in me Christum, seu Messiam vestrum.

℣. 40. PROLIXIVS IVDICIVM, hebraismo est seuerior sententia, & acerbior damnatio.

℣. 42. MISIT DVO MINVTA] id est, duos nummulos æreos minutissimi ponderis & pretij: nam simul ambo non conflant nisi *quadrantem*, (e) id est, quartam partem assis, seu medij stuferi Belgici, seu grossi, seu baioci. Hæc tamen vidua

e Proleg. de Monetis.

℣. 43. PLVS OMNIBVS MISIT, QVIA TOTVM VICTVM SVVM] id est, omnem substantiam sibi necessariam ad sustentandum vitam.

Nota. Ceteris paribus eleëmosyna eò maior tenetur, magisq; est meritoria, quò plus datur. Sed per accidens maior est, quæ aut maiore affectu charitatis vel pietatis fit, aut intuitu maioris boni per eam procurandi, aut denique quæ respectu dantis difficilior accidit, vt si dans multis indigeat, si sit pauper, &c. vt hîc accidit.

CAPVT XIII.

De destructione vrbis Ierosolymæ, totiusq; vniuersi: de abominatione desolationis, de grauissima persecutione, & aliis variis signis excidium præcessuris: de Euangelio per totum orbem promulgando: de aduentu Christi ad iudicium: cuius tempus quia omnibus est ignotum, iubet omnes continuò vigilare & orare.

℣. 2. NON RELINQVETVR LAPIS SVPER LAPIDEM] Post expugnatam vrbem per Titum, ad fundamenta vsque euersum est templum partim flammis, partim manibus. Sed fundamenta tunc relicta, tribus ferè post sæculis, nempe anno Christi 362. iussu Apostatæ Iuliani eruta sunt à Iudæis, nouum templum substituere parantibus: à quo tamen prohibiti sunt horrendis terræmotibus, & flammarum globis è terra erumpentibus, & opera & operas absumentibus, vt narrat etiam Gentilis Amianus, & S. Chrysost. Nazianzenus, & alij complures.

Ammian. l. 23. Chrysost. aduers. Iudæos orat. 2. & hom. 4. in Matt. & hom. 41. in Acta Apostolor. Nazianz. orat. 2. in Iulianum.

℣. 32. DE DIE AVTEM extremi iudicij VEL HORA NEMO SCIT, NEQVE FILIVS, NISI PATER, & qui eiusdem cum Patre est naturæ, intellectus & scientiæ, nempe Filius & Spiritus sanctus. Particula enim exclusiua, *non nisi*, non excludit alias personas in diuinis, nisi quando & vbi opponuntur, vt fit in relationibus, & subsistentiis relatiuis, & actionibus notionalibus. Porrò *scientia* est quid absolutum, & essentiale, ac proinde omnibus

bus tribus personis commune. Quòd ergo *Filius* dicatur hîc *ignorare horam illam*, de Filio vt est homo, seu secundùm humanam naturam eius, exponendum est: non quòd verè illam ignoret, etiam vt sic spectatus (nam per scientiam infusam animæ primo conceptionis instanti, vt reliqua omnia quæ in tempore euenient, ita & horam iudicii extremi certissimò cognouit, cùm hoc scire ad ipsum, vtpote iudicem, maximè spectaret:) sed quia illud ignorat vt legatus à Patre ad nos missus: neque enim sciebat eo modo, vt posset illam hominibus reuelare. Sicut legatus de secreto regis sui, quod scit ipsum nolle patefactum, rogatus, potest dicere; se illud nescire. Simili modo Ioan. 15. v. 15. dicit Christus, *Omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis*, nempe quæcumque vt legatus Patris audiui, vobisque communicanda accepi.

A

CAPVT XIV.

Consultant principes de occidendo Iesu. Murmurant discipuli ob unguenti pretiosi profusionem, & Iudas inde occasionem captat prodendi heri sui: proditionem detegit Christus etiam Iuda audiente, nec tamen impedit. Panem in corpus & vinum in sanguinem suum commutatum tradit Apostolis: predicit omnes scandalizandos illa nocte, & trinam Petri negationem. Tertiò, supplex sit Patri in horto Gethsemani: capitur à Iudæis, quorum vni Petrus auriculam præscindit. Diffugiunt omnes Apostoli. Iesus coram Caipha à falsis testibus accusatur, à concilio reus mortis iudicatur, conspuitur, ceditur, illuditur: à Petro ter negatur.

B

¥.5. TRECENTI DENARII Attici faciunt 75. florenos Belgicos. (*a*) *Denarius* enim Atticus idem est cum Iulio vel regali argenteo, qui est quarta pars floreni Belgici. Denarius Hebræus duplum conficit.

a Proleg. de Monetis.

¥.14. VBI EST REFECTIO MEA?] Id est, vbi vis concedere mihi refectorium, seu locum in quo me reficiam cum meis? Lucas, (*b*) *vbi est diuersorium* meum?

C

b Luc. 22. v. 11.

¥.15. COENACVLVM GRANDE STRATVM] id est, instructum mensis, lectulis, aliisque vtensilibus, vestitum tapetibus, ornatum frondibus, omninoque paratum ad condecorandum solemnissimum sacrificium, conuiuium & festum paschale.

c Matt. 26. v. 26. ¥.22. MANDVCANTIBVS ILLIS] Matthæus, (*c*) *cœnantibus*. Nempe peracta iam erat non modò prima cœna paschalis & sacra, sed & altera profana ac vulgaris: (*d*) sed adhuc accumbebant mensæ epulis constratæ, cùm tertiam cœnam nempe Eucharisticam, Christus instituit, lotis priùs (*e*) suorum, & etiam Iudæ pedibus, vt indicaret ad tanta mysteria non nisi cum summa munditie accedendum.

d Luc. 22. v. 20.

& 1. Cor. 11 v. 25.

e Ioan. 13. v. 4.

Nota. In memoriam extremæ cœnæ, quam *Dominicam* (*f*) Paulus vocat, indixerunt primi Christiani *agapen*, seu epulum omnibus accumbere volentibus commune, quod vel potentiores in signum charitatis instruebant egentioribus, vel communitati præbebant è publico, sed post distributam Eucharistiam, decentiæ & modestiæ maioris causa: licèt Christus ob aliam rationem præmitti voluerit Eucharistiæ non solam paschalem, sed & vulgarem cœnam, quòd deceret typum præire antitypum, figuram præcedere veritatem: & vt vltimum morituri memoriale esset nobilissimum monile sacrificij & Sacramenti Eucharistici. Propter varios dein abusus, de quibus etiam S. Paulus (*g*) conqueritur, sublata fuit ista solemnis epuli exhibitio, & pro cœna designatum tempus antemeridianum distribuendæ Eucharistiæ, nec nisi solis ieiunis extra mortis periculum hæc distribui iussa, ex Apostolica traditione, inquit S. Augustinus.

D

f 1. Cor. 11. v. 20.

g Ibid.

Aug. epist. 118.

¥.23. GRATIAS AGENS Patri cælesti, nempe oculis, more suo, in cælum eleuatis. (*h*) Ex hac Christi gratiarum actione, nomen *Eucharistiæ* Sacramento corporis Domini inditum ab Ecclesia, vt ipso quoque nomine moneremur, eximium hoc munus, & fontem omnium gratiarum ac donorum, summa *gratiarum actione* prosequi. HOC EST enim CORPVS MEVM: HIC EST SANGVIS MEVS, non figuratiuè vel figuratè, vt somniant Sacramentarij, (nullus enim hîc vel apiculus adest ex quo possit tropus seu figura colligi.) sed verus, naturalis & propriè dictus, & verè, realiter ac substantialiter præsens, sed sacramentaliter, id est, modo Sacramentis proprio quo res significata inuisibilis occultatur sub signis visibilibus. Qui modus essendi sacramentalis non est metaphoricus, moralis, vel mysticus, sed est verus & realis, seu à parte rei. Et verò si sola figura corporis Domini est in hoc Sacramento, ergo figuris veteris testamenti non successit veritas in nouo testamento, sed figuris nobilioribus successit simplicior figura & vilior. Clariùs enim & aptiùs indicabat agnus paschalis occisus, & tot aliæ victimæ iugulatæ mortem Christi, quàm frustulum panis vel cochlear vini. Sed absit iniuriam hanc verbis Christi irrogemus, quæ tam clara sunt, vt clariora habere nec optes, nec possis. Porrò vi verborum iam dictorum ponitur sub speciebus panis, corpus Christi: sub speciebus vini, sanguis eiusdem; sed sub vtrisque concomitanter (vt Tridentinum loquitur) totus Christus, vti constat anima & corpore. Qualis enim est in suo esse naturali, talis est in Sacramento: nisi quòd in esse suo naturali coextendatur loco v. g. sex pedum; in Sacramento verò non coextenditur loco, sed modo spiritualium substantiarum, inuisibile & indiuisibile existit tam in indiuisibili quolibet puncto hostiæ, quàm in tota hostia, & quidem totum in qualibet particula & puncto hostiæ. Nec manet quidquam hîc substantiæ panis vel vini, sed sola accidentia, seu species, vt definit Concilium Lateranense & Tridentinum, & SS. Patres vnanimiter tradunt.

h In Canone Missæ: & Matth. 26. v. 26.

BIBERVNT OMNES. Est hysterologia: præmisit enim formulam consecrationis, HIC EST SANGVIS MEVS: dein primus ipse calicem consecratum libauit (sicut antè etiam de corpore suo sub speciebus panis delibarat:) tum vicino suo calicem dedit, iubens vt ille proximo porrigeret, & ita consequenter omnes biberent. Vocat verò *sanguinem* NOVI TESTAMANTI, quia per hunc confirmabatur nouum testamentum, seu fœdus inter Deum & homines, item noua vltima voluntas testatoris Christi, vt alibi (*i*) dixi. Condebat enim hîc Christus suum testamentum, seu vltimam voluntatem, & fœdus nouum cum Ecclesia inibat. Et quidem commodiùs hîc quàm in cruce, quia liber adhuc erat, & aderant Apostoli, qui nomine Ecclesiæ acceptarent: pro victima & sanguine, quo solent fœdera sanciri, erat ipsum corpus & sanguis Domini sub speciebus panis & vini oblata Deo. In S. Luca & Paulo non est, *sanguis noui testamenti*; (quo modo Christus dixisse videtur, vt patet ex Matthæo, qui præsens adfuit:) sed, sanguis *nouum testamentum*; intelligunt enim hoc nomine rem ipsam testamento seu vltima voluntate relictam;

i Matt. 26. v. 28.

Luc. 22. v. 20.

1. Cor. 11. v. 25.

ctam: sicut vulgò dicimus, Accepi testamentum, obuenit mihi legatum, &c. Hoc Christi testamentum in hac cœna conditum, mox sequenti luce publicè obsignatum est in cruce, & plenè confirmatum morte testatoris. Ibi & litteræ publicæ expeditæ communes toti generi humano. In Eucharistiæ verò sacrificio, quoties illud repetitur, expediuntur authentica exemplaria primarij illius autographi, quæ singulis seorsim deseruiunt vt ius illo autographo omnibus concessum, singulis in particulari applicetur & prosit hîc, nunc & sic.

℣. 51. ADOLESCENS QVIDAM AMICTVS SINDONE] Epiphanius vult hunc fuisse *Iacobum*, (a) *Alphæi*. Sed hic non erat tum temporis νεανίσκος, id est, adolescentulus, sed ferè sexagenarius. S. Chrysost. Ambros. Gregorius & Baronius dicunt fuisse *Ioannem* Euangelistam. Sed vnde hic nudus? An cum reliquis Apostolis non adfuerat Christo in horto, vtique vestitus, media & frigida nocte sub dio? Dico ergo, verisimilius fuisse filium vel famulum villæ horto adiacentis, qui strepitu tumultuantium militum excitus è lecto, spectatum accurrit. Hoc insertum voluit historiæ suæ S. Marcus, vt indicio nobis esset, quanti periculi fuerit, Christum ea nocte sequi, & quàm graue Iudæorum odium, etiam in omnes Christi sequaces, qui & certò apprehendissent omnes Apostolos, nisi imperiò & virtute Christi prohibiti (b) fuissent.

a *Chron. c. 46. tub. vlt.*

b *Ioan. 18. v. 8.*

CAPVT XV.

Christus coram Pilato accusatur à Iudæis, Barabba postponitur, flagellatur, spinis coronatur, crucifigitur inter duos latrones, à transeuntibus blasphematur & irridetur: vestimenta eius sorte distribuuntur: tenebræ in meridie subeuntur: Iesus opem Patris cælestis inclamat sitiens aceto potatur, & valide clamans exspirat: corpus à Iosepho sepelitur.

℣. 14. CRVCIFIGE EVM] Quanta populi inconstantia! Sexto abhinc die in solemnissimo triumpho licèt id ægerrimè ferrent principes, acclamarant omnes Christo, *Hosanna filio Dauid*, &c. iam leui verbo persuasi ab iisdem principibus, clamant omnes, *Crucifige*. Vah *filij hominum*, (c) *dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus*. Cur adeò vrserint crucem, alibi (d) dixi. Sed cur Deus præ aliis suppliciis voluerit Filium suum crucifigi, in causa fuit, inquit Tertullianus, vt qui per lignum vicerat, æmula operatione per lignum quoque vinceretur. Secundò, vt extensione ad quatuor partes vniuersi, Orientem, Occidentem, Septemtrionem, Austrum, cælum & infernum, ostenderet se pro omnibus pati, Ioan. 12. vers. 32. *omnia trahens ad se*, inquit Lactantius. Tertiò, vt perpessione crudelissimi supplicij copiosam nobis pararet redemptionem, largissimè satisfaciendo iustitiæ diuinæ, vt ait S. Chrysostomus. Quartò, vt tot figuris, tot Prophetarum oraculis, quibus id prædictum & præsignatum fuerat, fieret satis. Denique vt nobilissimarum virtutum nobis exemplar esset ac prototypon, putà contemptus omnium rerum terrenarum, & omnis generis tormentorum præ iustitia ac veritate: eleuationis spiritus & affectuum versus cælum & cælestia: crucifixionis carnis nostræ cum vitiis suis & concupiscentiis, vt ait S. Paulus (e) & Augustinus.

c *Psal. 56. v. 5.*

d *Matt. 27. v. 23.*

e *Galat. 5. v. 24. Aug quæst. 25. inter 83.*

℣. 25. ERAT AVTEM HORA TERTIA] Ioannes dicit fuisse *quasi sextam* quando Pilatus tradidit Iesum crucifigendum. Respondeo, Erat *hora tertia* finiens, seu vltima pars horæ tertiæ, quæ durabat vsque ad meridiem, à qua inchoabatur *hora sexta*. Colligitur ex v. 33. vbi crucifixo Christo dicit fuisse *horam sextam*. Quidam tamen malunt hic mendum in numeris agnoscere, vt dixi in Chronico.

f *Ioan. 19. v. 14.*

Chron. c. 1. & 49. sub finem.

℣. 26. TITVLVS CAVSÆ EIVS. Tabella erat vel membrana tabellæ affixa, (inquit Lipsius,) exprimens causam cur Iesus esset crucifixus, nempe quòd esset REX IVDÆORVM] Et quidem Pilatus planè sibi persuadebat, hunc esse illum Iudæis olim promissum Messiam. Vnde licet sciret innocentem esse, non tamen adeò inuitus è medio sustulit, ne quid ab illo forsan in Iudæa aduersus Romanorum imperium innouaretur. Simul tamen voluit appensâ tali tabellâ damnare & carpere Iudæos, seque de illorum importunitate & pertinacia, qua etiam reluctantem coëgerant ad iniustam necem innocenti inferendam, ex parte vlcisci. Quid enim poterat vniuersæ genti Iudæorum ignominiosius facere, quàm publico scripto testatum toti orbi reddere, regem ipsorum crucifixum esse ipsismet rogantibus atque instantibus? nec aliam ob causam crucifixum, quàm quòd, cùm rex esset ipsorum, nollent ipsum pro suo rege habere? Sic nempe exceperunt regem suum, ad cuius aduentum tot sæculis anhelarant, cuius operâ sperarant se excussuros aliquando iugum Romanorum, adeoque toti orbi dominaturos.

Lip. l. 2. de cruce c. 11.

℣. 27. ET CVM EO CRVCIFIGVNT, seu crucibus vtrimque affigunt DVOS LATRONES] Credo Iudæos id curasse memores illius. *Tamquam ad latronem existis*, (g) &c. Si enim ægrè tulit, comprehendi tamquam latro, multò ægriùs (aiebant) feret si inter latrones crucifigatur: nam sic maleficis permixtus, ab imprudentioribus habebitur etiam maleficus, cùm crimen commune iis putetur quibus est commune supplicium. Fortè etiam Pilatus indignam innocentis necem voluit hoc tegmine probrosæ societatis velare. Maximè autem diaboli instinctu gesta omnia, sic Deo permittente, vt Scriptura (h) impleretur, *Et cum iniquis reputatus est*.

g *Matt. 27. v. 48.*

h *Isaiæ 53. v. 12.*

℣. 29. BLASPHEMABANT EVM] Id est, contumelias & conuitia iaciebant in diuinam regiam quoque maiestatem illius. Psal. 21. *Omnes videntes me deridebant me, locuti sunt labiis, & mouerunt caput*, hoc gestu declarantes animi sui gaudium ex eius miseria. *Euge, euge, viderunt oculi nostri*, quod diu desiderauit cor nostrum, scilicet crucifixionem & mortem tuam.

VAH, irridentis & subsannantis est, inquit Euthymius, simulque insultantis, exprobrantis ac detestantis, vt apud nos, *Phi*: q.d. O egregium impostorem, QVI DESTRVIS TEMPLVM DEI!] Hoc principes euulgarant in populum, cui nihil ingratius accidere poterat quàm mentio destruendi templi, in quo suam omnem repositam habebant & fiduciam & gloriam.

℣. 31. SEIPSVM NON POTEST SALVVM FACERE] q.d. Magus fuit, nam sibi ipsi succurrere nequit. Neque enim solet diabolus maleficis iure dinatis, & in extremis malis constitutis opitulari.

℣. 32. DESCENDAT NVNC DE CRVCE, VT VIDEAMVS ET CREDAMVS] Vtrum est difficilius, de cruce adhuc viuentem descendere, an mortuũ de sepulchro resurgere? resurrexit, & non credidistis; quomodo, si de cruce descendisset, credidissetis? sed bene habet; plurisapud Christum valuit nostra salus, quàm vestra conuitia. Sed vbinam, ô Iudæi, scriptum est, Messiam de cruce descensurum, vt hoc

vt hoc pro signo deposcatis? Ascensurum crucem multæ Scripturæ clamant: *Foderunt manus meas & pedes meos.*(a) *Regnabit à ligno.*(b) *Aspicient in eum*(c) *quem confixerunt. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* &c. Conuitiis, sannis, maledictis impetendum, vt vos nunc impetitis, & quidem totidem verbis, Dauid, Isaias, Zacharias passim prædicunt: (d) moriturum iidem, & Daniel (e) quoque expressè affirmant. Sepeliendum, & è sepulchro resurrecturum, instar Ionæ, tam Isaias, (f) quàm Christus ipse (g) sæpissimè pollicetur. Vt verò mortem effugiat, de cruce descendat, sine passione triumphet, nusquam scriptum, nusquam prædictum.

a *Psal.* 21.
b *Psal.* 95. v. 10. *quod Iustinus ait Iudæos erasisse.*
c *Zach.* c. 12. & 13.
d *Psal.* 21. *Isaiæ* 53. *Zach. ibid.*
e *Dan.* 9. v. 26.
f *Isaiæ* 11. v. 10.

ET QVI CVM EO CRVCIFIXI ERANT, CONVITIABANTVR etiam ei] Vterque initio, inquit Origenes, Hilarius & Chrysost. cum suis. Sed Cyprianus, Ambros. Hieron. & August. volunt alterum solùm id fecisse cui S. Lucas (h) id asscribit, & per synecdochen positos hìc *latrones* pro *latrone*: nec tam notari personarum numerum, quàm cõditionem seu qualitatem, quasi ne illi quidem ei compateretur qui iisdem cum eo tormentis torquebantur. Quàm verò durum generoso animo accidat, & morte ipsa acerbius insultari patienti, prodit mutorum animi impotentia, qui ne quid eiusmodi ferre cogantur, manu sibi mortem consciscunt. Sed Christus, *opprobrium hominum, & abiectio plebis,* (i) *saturari* (k) voluit his ferculis.

g *Matt.* 12. v. 39. &c.
h *Luc.* 23. v. 39.
i *Psal.* 21. v. 7.
k *Thren.* 3. v. 30.

✠. 33. TENEBRÆ FACTÆ SVNT PER TOTAM TERRAM] haud dubiè per subtractionem radiorum solarium, vt S. Cyprianus, Hieron. & Chrysost. affirmant, & non tantùm per oppositionem densarum nubium, vt Origenes; aut, vt alij, per interpositionem lunæ: quia hæc non sufficit ad vniuersalem toti orbi eclipsin, qualem constat hanc fuisse, tum ex Euangelistis omnibus, tum ex Dionysio, qui in epistola ad Polycarpum dicit, se illam tum in Ægypto vidisse. Addit Phlegon Ethnicus, apud Eusebium, hanc eclipsin inter omnes quæ antè acciderant, excellentissimam fuisse, die hora sexta, id est, meridie, in tenebrosam noctem verso, vt etiam stellæ viderentur. Significabat autem indignitatem necis Christi, quam sol, luna, omniaque elementa, quasi Domino sub compatererentur, atrata seu pullata lugebant. ita S. Dionysius.

Euseb anno passi Christi.
Dion. ep. ad Apollophanem.

✠. 34. ELOI] *Eloah*, id est, Deus, & cum pronomine affixo, *Eloi*, id est, Deus meus, Syris & Chaldæis vsitatius est in singulari, quàm Hebræis, qui ferè plurali *Elohim* vtuntur.

אלוה
אלוהי
אלוהים

✠. 36. DICENS, SINITE, &c. Matthæus & Syrus hìc habent, socios dixisse, *sine*, &c. Verisimile est, non solos socios, sed & hunc quoque militem qui acetum Christo abtulit, eadem inclamasse. q.d. Sinite me hoc adhuc modo illudere pendenti: nihil hoc officiet quo minùs Elias adcurrat, quin potiùs quò magis vexabitur, eò magis accelerabit Elias:

✠. 37. IESVS AVTEM EMISSA VOCE MAGNA EXSPIRAVIT] *Clamans*, inquit Matthæus, nempe, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Miraculum id fuit: nam vox sub finem deficit iis qui longo cruciatu & lenta morte extinguuntur. Neque enim tales occupat mors nisi viribus prorsus defectos: absque viribus autem & laterum robore non potest edi clamor. Indicatum verò voluit clamore suo Christus Primò, se adhuc viuere, inquit Chrysost. Secundò, se non vt impostorem, sed pium Dei cultorem mori. Quod vt omnibus innotesceret, altissima voce vtitur. Tertiò, se suis probam moriendi methodum & publicum exemplum relinquere. Quartò, se non infirmitate victum morti succumbere, sed sponte mori, quasi qui vitæ mortisque imperium habeat. Vnde & Centurio (l) ex hoc clamore cognouit eum esse Filium Dei.

l *Hic v.* 39.

CAPVT XVI.

Angelus mulieribus nuntiat Christum resurrexisse, & nuntiari iubet discipulis. Mox apparet Christus Mariæ Magdalenæ, dein duobus discipulis euntibus in Emaus: denique vndecim Apostolis, quos mittit vt in vniuerso mundo prædicent Euangelium ac baptizent, subiunctis signis seu miraculis quæ sequentur credentes. Atque ita in cælum ascendit.

✠. 1. QVÆ fit MARIA mater IACOBI Minoris, quæ item *Salome*, vide in Chronico. Emptis vespere aromatibus,

Chron. c. 46. *sub vlt. fine.*

✠. 2. VNA SABBATORVM, * id est; prima die hebdomadæ (nos diceremus, die Dominica) VALDE MANE portis egressæ, VENIVNT AD MONVMENTVM.

* *Chron. c.* 3

✠. 5. VIDERENT IVVENEM, id est, angelum iuuenili forma, SEDENTEM IN DEXTRIS, seu dextro latere sepulchri *super* (m) *lapidem* quem ab ostio monumenti reuoluerat, COOPERTVM STOLA, id est, veste, CANDIDA instar *niuis*, (n) & vultu instar *fulguris* (n) refulgente. Symbola sunt hæc cœlestis naturæ, & angelicæ gloriæ. Porrò angeli huius aspectu *perterriti* milites *custodes* (o) sepulchri, *facti sunt velut mortui.* Vnde facile fuit mulieribus sine noxa sepulchrum ingredi & omnia perlustrare.

m *Matth. vlt. v.* 2.
n *Ibid. v.* 3.
o *v.* 4.

✠. 7. DICITE DISCIPVLIS EIVS, ET præ omnibus PETRO] Hoc ad animos Petro addendos seruiebat, qui ob negatum Dominum suum subtristis & anxius, ab aliorum fortè Apostolorum consortio, quo indignùs sibi videbatur, se subduxerat vt lacrymis liberiùs indulgeret,

✠. 8. INVASERAT mulieres TREMOR corporis ex *pauore* ortus. Nimis enim admiranda & stupenda hæc ipsis videbantur. Timori nihilominùs erat mixtum *gaudium*, inquit Matthæus, (p) ob lætum resurrectionis nuntium quod acceperant.

p *v.* 8.

NEMINI tamen per viã occurrenti QVIDQVAM DIXERVNT hac de re, inquit Euthymius: nam discipulis nuntiasse diserte affirmat S. Lucas. (q)

q *Luc.* 24. *v.* 9.

✠. 9. IESVS AVTEM primo MANE cum aurora surrexerat: & postquam matri suæ primùm se spectandum præbuisset, vt piè credimus, ante reliquos omnes APPARVIT PRIMO MARIÆ MAGDALENE, instar hortulani, vt fusè S. Ioannes (r) enarrat.

r *Ioan.* 20. *v.* 11.

✠. 12. POST HÆC ante vesperam eiusdem primæ diei, IN ALIA EFFIGIE, seu forma, nempe peregrini, OSTENSVS EST DVOBVS discipulis EVNTIBVS IN VILLAM Emaus, vt S. Lucas (s) ad longum describit.

s *Luc.* 24. *v.* 13.

✠. 14. NOVISSIME, cùm vespera eiusdem diei RECVMBENTIBVS, seu mensæ accumbentibus, VNDECIM Apostolis APPARVIT, vt Lucas (t) & Ioannes (u) enarrant (Etsi Thomas de numero vndecim abesset, & præter Apostolos quidam alij præsentes adessent; (x) à nobiliori tamen parte confessum illum vocat *vndecim* virorum, quia collegium Apostolorum tunc temporis constabat totidem capitibus;) EXPROBRAVIT durisquidem sed amicis verbis INCREDVLITATEM EORVM ET DVRITIAM CORDIS, QVIA IIS, QVI VIDERANT EVM RESVRREXISSE, putà Magdalenæ, reliquisque matronis, & duobus discipulis ex Emaus iam reuersis, NON CREDI-

t *Ibid. v.* 36
u *Ioan.* 20. *v.* 19.
x *Luc. ibid.*

CREDIDERVNT] Erat hæc discipulorum *duritia* & *incredulitas* non obstinata peruicacia, sed tarditas nata ex stupore, quia scilicet nimis attoniti, ægrè sibi persuadere poterant Christum resurrexisse: quod alioquin extremè desiderabant. Vnde non videntur adeò grauiter in hoc peccasse, maximè cùm mysterium istud tum primùm promulgaretur, antea inauditum: nec deessent rationes dubitandi de verbis mulierum. &c. Saltem constat non peccasse ex malitia. Et cùm multis deinceps aliis vicibus per dies 40. apparuisset eis, tandem vltima die, iam valedicturus,

℣. 15. DIXIT EIS: Post aliquam Ierosolymis moram, (*a*) *ite* IN MVNDVM VNIVERSVM, & PRÆDICATE EVANGELIVM OMNI CREATVRÆ, id est, *omnibus Gentibus*, vt habet Matthæus. (*b*) *Parum est*, inquit Isaias, (*c*) *vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & faces Israel conuertendas: ecce dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.*

a Act. 1. v 4 & Chron. c. vlt. an. 2. Claudy.
b Matth. vlt. v. 19.
c Isaiæ 49. v. 6.

℣. 16. QVI CREDIDERIT, & iuxta fidei præscriptum vitam instituerit, ET BAPTIZATVS FVERIT baptismo vel fluminis, vel flaminis, vel sanguinis, SALVVS ERIT: QVI VERO NON CREDIDERIT, vel cùm posset, baptizatus non fuerit, vel vitam suam ex fidei præscripto non instituerit, CONDEMNABITVR] Loquitur enim hîc de solis adultis, quibus A iubet prædicari Euangelium. De infantibus alibi (*d*) audiemus.

d Ioan. 3. v. 5.

℣. 17. SIGNA, id est, miracula, SEQVENTVR credentes vel comitabuntur, vt iis tamquam diuinis sigillis prædicatio Euangelij comprobetur, & vobis aliisque Euangelij præconibus fides atque auctoritas toto orbe concilietur.

Sed Nota, non dicere Christum, quòd omnes credentes sequentur hæc miracula, (quia in plurimis id non est necessarium:) sed *eos*, seu aliquos ex eis, nempe vbi opus vel vtile fuerit. *Beati* enim *qui non viderunt & crediderunt.* (*e*)

e Ioan. 20. v. 29.

℣. 19. ASSVMPTVS IESVS IN CÆLVM quadragesimo die à resurrectione, SEDET A DEXTRIS DEI] id est, Patri maiestate est æqualis, (inquit S. Athanasius:) tum quà Deus, per eamdem cum Patre essentiam: tum quà homo, per communicationem idiomatum, seu proprietatum, vt Theologi loquuntur. Alludit ad illud psalmi, *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis.* Qua phrasi propriè significatur supremus locus, proxima à Deo dignitas & gloria in cælo: quæ etiam naturæ humanæ Christi obuenit partim titulo vnionis hypostaticæ cum Verbo diuino, partim titulo meriti ex tot virtutibus exercitis & laboribus exantlatis. Vide Franciscum Suarez.

Suarez 3. p. disp. 51. sect. 3. &c.

SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM LVCAM.

Greg. præfat. in Iob. Doroth. in vita S. Luc. Tertull. l. 4. cõtra Marcion c. 2. Theodor. in Isaiæ 65. Iren. l. 1. c. 25. Theolor. in præfat. Vit. SS. Patrum. Niceph. l. 2 c. 43. Cedren. in compendio histor. Glycas l. 3. Annal. Nazianz. orat. 1. in Iulian. Paulin. in versibus. Gaudent. serm. in dedicat. Eccles.

LVCAS Antiochia Syriæ metropoli oriundus, pictor & medicus, ad Christum non ante eius passionem) vt putauit S. Gregorius, Dorotheus & & Mariana) sed pòst conuersus per S. Paulum, (vt docent Tertullianus, Hieron. Irenæus, Theodoretus, Baronius & alij,) in eiusdem Pauli comitatu dum in Achaia versatur, Euangelium græcè conscripsit stylo cæteris elegantiore, (vtpote in Græcis apprimè eruditus) anno 3. Neronis, 26. à morte Christi, vt S. Hieron. & alij apud Baronium testantur. Pari postea elegantia conscripsit Acta Apostolorum, maximeque S. Pauli, vsque ad prima eius vincula Romana, nempè quousque illi comes adhæsit. Mox enim, Epiphanio teste, Roma in Dalmatiam abiit, Galliam peragrauit, Macedoniam, Græciam, Libyam euangelizando transiit: ac tandem apud Patras vrbem Achaiæ, cælebs anno 84. ætatis apostolatum suum nobili martyrio concluſit, ex olea arbore suspensus, inquit Nicephorus, Cedrenus & Glycas, anno Neronis sexto, à morte Christi 29. ita Nazianzenus, Paulinus, Gaudentius & alij apud Baronium. Vbi & de imaginibus Christi, Deiparæ, & sanctorum Petri & Pauli à Luca depictis, item de miraculis ad eius sepulchrum patrari solitis multa habes & pulchra.

CAPVT

CAPVT I.

POst præfationem describit Lucas annuntiationem concepti Ioannis Baptistæ per Archangelum Gabrielem factam parenti eius Zachariæ, qui cum non satis promptam fidem adhibet, mutus efficitur. Describit & annuntiatam ab eodem Archangelo Mariæ virgini conceptum Iesu filij Dei in vtero illius, sed ex Spiritu sancto: Ioannem in vtero matris suæ Elisabethæ subsilientem ad præsentiam & salutationem Mariæ: Elisabetham prophetantem, Mariam laudes Deo decantantem, Ioannem nascentem, Zachariam loquelam recuperantem, Deum laudantem, & multa de filio suo, & de Messia prædicentem.

¶.1. MVLTI pseudo-euangelistæ CONATI SVNT partim verbo, partim scripto multa de Christo Iesu obtrudere fidelibus quæ à variis non B satis fidis auctoribus acceperunt. Vnde MIHI, inquit Lucas, ASSECVTO OMNIA EX ore Apostolorum, QVI AB INITIO IPSI VIDERVNT, & vt viderant euulgarunt, VISVM EST, OMNIA DILIGENTER & EX ORDINE CONSCRIBERE, & quidem A PRINCIPIO; nempe à prima conceptione præcursoris Christi. Idque TIBI, seu in gratiam tui, OPTIME THEOPHILE: κράτιστε, id est, potentissime vel præstantissime; Syrus, *victoriosissime*. Fuit ergo hic Theophilus è primatia nobilitate vel dignitate. Nam *optimi* nomen solis optimatibus, v.g. præsidibus prouinciarum, tribui solebat, eò quòd censerentur fortitudine, clementia, iustitia, aliisque virtutibus ac meritis in rempubl. primi, optimi, ac præstantissimi esse. Et Traianus Imperator titulo *optimi*, præ aliis omnibus titulis maximè gaudebat, teste Dione: Vnde & Paulus sine mendacio vel adulatione dicebat præsidibus Syriæ, *Optime Felix*, (a) *optime Feste*, (b) licet moribus essent scelerati ita. S. Chrysost. Oecumenius & alij apud Baronium: qui & ex S. Clemente addit, hunc Theophilum videri fuisse optimatem illum, qui Antiochiæ à S. Petro conuersus, domum exinde suam in ecclesiam conuertit, in qua S. Petrus, quamdiu cathedram Antiochiæ fixit, conuentum agere solebat.

Dio in Traiano.
a *Act.* 24. *v.* 3.
b *Act.* 26. *v.* 25.

¶.5. DE VICE, id est, classe, seu familia, ABIA] quæ inter 24. classes sacerdotales, (hebdomadatim per vices templo deseruientes,) octauum tenebat locum, vt alibi (c) dictum.

c 1 *Paral.* 24. & *Chronici* c. 46. *tab.* 3.

¶.6. *Incedere* IN OMNIBVS MANDATIS ET IVSTIFICATIONIBVS (d) dicitur, qui leges & præcepta Dei omnia custodit. quod contra nostros hæreticos notandum, qui negant, præcepta Dei à D nobis impleri posse.

d *Proleg. de Idiotismis Hebr. n.* 14.

¶.9. SORTE EXIIT VT INCENSVM PONERET] Quatuor enim erant munia sacerdotum, primum, sacrificare; secundum, lucernas accendere, (e) tertium, panes propositionis curare, (f) quartum, thymiama adolere in altari incensi. Hoc quartum hac hebdomada sorte obtigit Zachariæ. Plurium est opinio, hanc thymiamatis oblationem factam à Zacharia ipso scenopegiæ (g) festo, 15. Tisri, 29. nostri Septembris, & quidem in Sabbato, vt alibi (h) dixi. Ex his autem patet, Zachariam (etsi id putarint S. Ambrosius, Theophyl. & Beda) non fuisse summum pontificem; nam is non sorte, vt vulgares sacerdotes, sed quando & quoties volebat, poterat in templo ministrare.

e *Exod.* 30. *v.* 8.
f *Exod.* 25. *v.* 30.
g *Leuit.* 23. *Num.* 29.
h *Chron. c.* 27. *§. secunda sententia.*

¶. 13. EXAVDITA EST DEPRECATIO TVA] A tum quâ olim rogasti pro habenda prole: tum quâ nunc nomine totius populi, oras pro aduentu Messiæ: nam huius præcursorem & paranymphum concipiet & pariet tibi tua vxor Elisabeth, ita Chrysostomus cum suis, & August. & Beda.

VOCABIS NOMEN EIVS IOANNEM] quod *gratiam Dei* significat, nempe insignem, quam Deus Primò, tibi, vt iam dixi; Secundò, ipsi Ioanni, etiam in vtero; Tertiò, toti populo ipsum præstabit.

per

¶.15. ERIT ENIM MAGNVS (i) CORAM DOMINO] Id est, verè & absolutè etiam diuino iudicio magnus, Primò, sanctificatione in vtero; Secundò, gratiarum præcellentia; Tertiò, castitate & vitæ integritate angelica, adeò vt à multis Messias putaretur; Quartò, pœnitentiæ raritate; Quinto, zeli feruore; Sextò, doctrinæ sublimitate; Septimò, munere paranymphi; Octauò, martyrij celebritate. 28. prærogatiuas S. Ioannis recensct Barradius.

i *Gen.* 10. *v.* 9. *c.* 13. *v.* 13.
Barrad. to. 1. *l.* 7. *c.* 3. & 4.

VINVM ET SICERAM, (k) & quidquid inebriare potest, NON BIBET] Id est, erit nazaræus (l) toto vitæ suæ tempore.

k *Leuit.* 10. *v.* 3. & *Num.* 6.
l *Ibid.* & *Leuit. vlt.*

ET REPLEBITVR, SPIRITV SANCTO, & gratia iustificante, & dono prophetiæ, ADHVC EX VTERO MATRIS SVÆ] nempe quando visitabitur à Deipara v. 44. Ex quibus verbis contra Hieron. (m) & August. colligunt Cyprianus, Athanas. Cyrill. Ambros. Gregorius, Bernardus & alij apud Toletum, Ioannem in vtero verò fuisse purgatum à peccato originali, & iustificatum: & idem tribuunt Ieremiæ Prophetæ, vt cap. eius 1. v. 5. dixi.

m *Hieron in Ierem.* 1. *v.* 5.
Aug. ep. 57.

Dices, Renasci præsupponit nasci. Respondeo, Natus censetur homo peccato originali, simul atque animatus est.

¶. 17. PRÆCEDET ANTE DOMINVM IN, seu C cum, SPIRITV, id est, indole, ET VIRTVTE, id est, fortitudine, ELIÆ, quam scilicet ostendit olim, (n) & iterum ostendet quando redibit in orbem (o) præcursurus secundum aduentum Christi ad iudicium. ita Theophyl. & Beda.

n 3. *Reg.* 18. 19 *&c.*
o *Malach.* 4. *v.* 5. & *Matth.* 11. *v.* 14.

VT CONVERTAT CORDA, id est, sensum & affectum, PATRVM, seu Patriarcharum, IN (p) FILIOS, seu posteros suos; nempe efficiet vt filij circa personam Messiæ, aliaque fidei mysteria, prorsus idem sentiant cum eo quod Patriarchæ senserunt, & pari affectu erga illa ferantur. Hoc est enim quod subdit, conuertet INCREDVLOS AD PRVDENTIAM IVSTORVM, putà ad prudentem fidem & pietatem Patriarcharum: vt sic DOMINO Messiæ aduentanti *præparetur plebs perfecta*; græcè perfectè instructa, putà ad excipiendam doctrinam & gratiam Christi, inquit Toletus.

p *Eccli.* 48. *v.* 8. & *Malach. supr.*

¶.26. GABRIEL ARCHANGELVS, qui olim Danieli (q) prædixerat tempus venturi Messiæ, nunc eo completo mittitur quasi cælestis paranymphus, AD VIRGINEM Spiritui sancto desponsandam, è qua Messias nascatur: sed DESPONSATAM iam antè mortali VIRO, & quidem vero ac perfecto matrimonio, licet rato tantùm, & non consummato, vt alibi (r) dictum.

q *Dan.* 6. *v.* 21.
r 2. *Matt.* 1. *v.* 18.

¶.28. GRATIA PLENA] κεχαριτωμένη, id est, gratis electa, inquit Beza; Erasmus, gratiosa. Sed hæc Græca vox propriè significat gratificatam, gratiosam factam, gratiâ repletam, vt SS. Patres verterunt. Erat enim *Maria*, vtpote futura mater Dei, supra omnes Sanctos donata omnis generis gratiâ, maximè verò gratia sanctificante: vnde & præ omnibus creaturis placuit Deo, inquit Toletus & Suarez.

Tolet. hic n. 67. *Suarez* 3. *p. disp.* 18. *sect.* 4.

¶. 32.

℣. 32. FILIVS ALTISSIMI Dei VOCABITVR, A quia talis reuera erit & toto orbe agnoscetur: nam per hypostaticam, seu substantialem vnionem natura eius humana ita adnectetur Verbo diuino, seu Filio Dei, vt ex duobus illis non nisi vna resultet persona, nempe Christus. Huic DABIT DEVS SEDEM regiam, id est, regnum, DAVID PATRIS EIVS vt prædixit & promisit Isaiæ 9. v. 7. vbi expossui quale sit hoc regnum, & quantò nobilius regno Dauidis, quod non nisi typus seu figura fuit regni Christo donati: regni, inquam, *superexcellentiæ*, vt Theologi vocant, inchoati in incarnatione, promoti per prædicationem ante & post mortem eius, sed plenè demum perficiendi & consummandi in vniuersali resurrectione, inquit Toletus.

℣. 34. QVOMODO FIET ISTVD?] Non dubitat de veritate prædictionis, vt vult Caluinus, sed solùm de modo, solicita ne fieret cum aliqua voti sui & virginitatis iactura. ita Ambrosius, Aug. Theophyl. & Beda. Malebat enim esse virgo, quàm mater Dei, inquit Anselmus & Nyssenus. B

VIRVM NON COGNOSCO] Id est, maritum meũ nec soleo, nec possum cognoscere. Sicut dicimus, Non bibo vinum, non vescor caseo. Vnde SS. Patres, citati à Canisio, passim docent, B. Virginem votum virginitatis emisisse ante hanc annuntiationem: & verisimiliùs etiam, vt S. Augustinus docet, ante desponsationem, Iosepho (cui id antequam nuberet, indicarat) consentiente & inuiolatum Ispondente. Et hic est communis Ecclesiæ sensus ac traditio. Et ita præfiguratum fuerat apud Ezechielem: *Porta hæc clausa erit, vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Et quàm ridicula fuisset alioquin hæc Virginis excusatio? Respondisset enim angelus, Etsi iam non cognoscas, poteris suo tempore cognoscere. At nunc probato Virginis voto, docet, sine illius violatione imprægnandam.

Canis. l. 2. Marialis c. 14. Aug. de S. Virginit. c. 4.

Ezech. 44. v. 2.

℣. 35. SPIRITVS SANCTVS SVPERVENIET IN TE, *virtute*, seu potentiâ suâ diuinâ, OBVMBRABIT TIBI, id est, vmbra, seu nebula, quâ solet hactenus suam in terris præsentiam declarare, te conteget & obuelabit. Honesta phrasi dicit angelus Virginem non opus habituram complexu viri, vtpote ab ipsomet Deo occultissimè ac castissimè fœcundandam & ingrauidandam. C

Petes, An solus Spiritus sanctus obumbrarit Virgini? Respondeo, Nequaquam: nam tota Sanctissima Trinitas, vt efformauit naturam humanam Christi, & in ea substantialem illum nexum produxit quo hypostaticè vnita est Filio Dei; ita absolutè dicenda est operata fuisse incarnationem Filij Dei, sicut operatur omnes alias actiones ad extra, vt Philosophi loquuntur. Appropriatur tamen speciatim Spiritui sancto hæc incarnatio, quia opus est sanctissimum & summæ bonitatis Dei erga nos; qualia solent adscribi Spiritui sancto, inquit S. Augustinus.

Petes Secundò, Cur ergo tota Trinitas non dicitur incarnata? Respondeo, Quia nexus ille substantialis etsi ab omnibus tribus personis productus; formaliter tamen non connectebat naturam humanam cum alia quàm cum *persona Filij*, vt fusè Suarez & alij Theologi.

Suarez. & alij in 3. p.

IDEOQVE FILIVS DEI erit & passim VOCABITVR, & pro tali celebrabitur id QVOD EX TE, id est, ex tua substantia, NASCETVR omni ex parte SANCTVM sine vlla macula vel peccato, etiam originali: nam præterquam quòd prædicta vnione ad Verbum necessariò immunis esset Christus etiam conceptio immunem reddebat, vtpote quæ non ordinario modo (per complexum parentum) ex Adamo, sed extraordinario modo & supernaturali virtute Dei, ex intacta Virgine (*a*) promanarit. D

a Psal. 71.

℣. 36. ELIZABETH etsi esset è tribu Leui & *filialus Aaron* (*b*) ex parte patris sui, COGNATA tamen ex parte matris erat Mariæ virginis ex tribu Iuda procreatæ: quia Leuitis solemne erat ex quauis tribu vxores accipere, sed primarij ferè tribui Iuda copulabantur.

v. 6.

b Hic v. 5.

℣. 38. FIAT MIHI SECVNDVM VERBVM TVVM] Partim consentientis est, partim optantis, & in omnem Dei nutum se resignantis. Quo consensu obtento, statim Deus ex purissimo Virginis sanguine formauit corpusculum Christi plenè & perfectè organizatum, eodemque momento animam infudit, & vtrumque diuino Verbi supposito hypostaticè copulauit, vt S. Basilius, Gregor. Damascenus, & alij docent.

℣. 39. ABIIT IN MONTANA, id est, in regionem montanam Iudææ, IN CIVITATEM vnam tribus IVDA, verisimiliùmè in Hebron, inquit Toletus & alij: quæ erat ciuitas sacerdotalis, (*c*) sita in montanis Iuda, olim dicta *Cariath-arbe*. (*d*) Abiit autem CVM FESTINATIONE, impellente Spiritu sancto, & quia pudebat hærere diu in publico.

c 1. Paral. 6. v. 55. & Iosue 21. v. 10.

d Gen. 23.

℣. 41. EXVLTAVIT INFANS] ἐσκίρτησε, id est, saliit, exiliit, vt solent vituli bene pasti.

v. 2.

Petes, An hæc Ioannis subsultatio in vtero fuerit motus animali naturalis vel supernaturalis, an verò rationalis? Caluinus vult fuisse naturalem, nempe ex gaudio matris exsiliente infante. Sed v. 44. innuit mater, subsiliisse infantem ex proprio gaudio hausto ex præsentia Christi & salutatione Mariæ. S. Augustinus, Eucherius & Iansenius dicunt fuisse supernaturalem motum, sed animalem & sine vsu rationis. Sed quomodo exiliet quis, prę, seu ex, gaudio sine vsu rationis? Dico ergo cum aliis omnibus Patribus, quos citat Toletus, fuisse motum rationalem cum vero vsu rationis. Eodem enim verbo dicitur hîc infans ἐν ἀγαλλιάσει, id est, gaudio exultasse, quo v. 47. Beata Virgo dicit, ἠγαλλίασε, id est, exultauit spiritus meus: quæ exultatio Virginis citra dubium fuit rationalis: ergo. Et hic est sensus Ecclesiæ dum canit, *Hinc parens nati meritũ vterque abdita pandit*: merita autem sunt actus rationis, vtpote liberi. E

Petes Secundò, Quæ causa infanti tam extraordinarij gaudij? Respondeo, Præsentia Christi, domini & regis sui, quem accelerato rationis vsu, agnouit, dilexit, adorauit. Cum vsu verò rationis accepit etiam gratiam sanctificantem (cum omnibus virtutibus infusis) quâ purgatus est à peccato originali: accepit & donum prophetiæ, & munus præcursoris Messiæ, &c. iuxta angeli promissum suprà v. 15.

Petes Tertiò, An deinceps manserit semper compos rationis? Respondeo, verisimiliùs mansisse. Et hoc insinuat S. Lucas v. vltim. *Puer crescebat & confortabatur spiritu.* Et ita expressè docent Origenes, Ambros. Theophyl. & Euthymius, qui addunt, Ioannem intellexisse illud parentis sui, *Tu puer Propheta Altissimi*, &c. & fusè probant Suarez ac Toletus. Si enim ad Christi & Mariæ præsentiam accepit vsum rationis, cùm illa eadem præsentia durarit vsque ad eius natiuitatem, oportuit etiam rationis vsum tamdiu durasse. Iam verò extra vterum priuatus non videtur dono quod habuit

buit in vtero. Idem de B. Virgine à fortiori docet Suarez ex SS. Patribus.

Suarez 3. p. q. 27. a. 4. sect. 7.

Porrò intuitu filij sui ELISABETH quoque REPLETA EST SPIRITV SANCTO] id est, maiore quàm antè habuerat, & vberiore gratia Spiritus sancti, atque insuper dono prophetiæ, quo statim agnouit incarnatum in Virgine Filium Dei.

a Habacuc 3. v. 18.

℣. 47. EXVLTAVIT SPIRITVS MEVS IN DEO SALVTARI] Hebraicè, *Iesu* (*a*); græcè, σωτῆρι, id est, saluatore meo, iam in me incarnato. Nota, Virginis primatias ac summas delicias fuisse, nostras esse debere, non tam dona Dei, quàm Deum ipsum, fontem & auctorem omnium donorum; secundarias tamen etiam ex donis & beneficijs diuinis hauriri debere, vt hîc hausit B. Virgo, dum imitata canticum *Annæ* 1. Regum 2. laudat Deum pro beneficijs omnis generis præstitis primò sibi vsque ad v. 50. dein toti Israeli ante aduentum Christi, vsque B ad v. 54. denique eidem Israeli post & per Christi aduentum.

℣. 48. HVMILITATEM] ταπείνωσιν, id est, vilitatem, exiguitatem, abiectam conditionem, quam opponit Virgo magnitudini diuinæ. Quòd si virtutem humilitatis, superbiæ oppositam intellexisset (vt voluere Origenes, August. Bernardus & Beda) vsa fuisset verbo ταπεινοφροσύνης. Sed tunc humillima Virgo se ipsam laudans, humilis esse desiisset, inquit Theophyl. & Euthymius: sola enim inter virtutes humilitas seipsam ignorat.

ECCE EX HOC tempore (græcè enim est, ἀπὸ τοῦ νῦν,) BEATAM ME *prædicabunt* OMNES GENERATIONES, id est, omnes & gentes & ætates. Quàm hoc verum sit, clamat experientia. Nullus enim toto orbe apud Catholicos angulus est terræ, in quo non singulari studio colatur & glorificetur Deipara Virgo. Sicut

℣. 49. NOMEN Christi & Dei est eritque perpetuò SANCTVM toto orbe, & consequenter omni honore, omni affectu venerandum, colendum, celebrandum. Videtur applaudere ei quod angelus dixerat (*b*), *Ex te nascetur Sanctum.*

b Hic v. 35.

℣. 50. MISERICORDIA & beneficentia EIVS, A PROGENIE IN PROGENIES, id est, per omnes ætates & sæcula perpetuò adfuit TIMENTIBVS EVM.

℣. 51. SVPERBOS & elatos tyrannos DISPERSIT vt plurimum MENTE CORDIS SVI] Διανοίᾳ καρδίας αὐτῶν, id est, cogitatione, seu machinatione cordis eorum, consilia & technas illorum in propria capita retorquens. Sic fecit Pharaoni (*c*) in mari: regi Moab in benedictione Balaam (*d*): & Chananæis (*e*), Philisthæis (*f*), aliisque gentibus toties

c Exodi 14.

d Num. 23.

e Iosue 8. 9. &c.

f Lib. Iudic. passim.

℣. 53. ESVRIENTES, id est, pauperes Iudæos, IMPLEVIT, id est, ditauit, BONIS, partim ipsorummet hostium, v. g. Ægypti, Chanaanitidis, &c. partim de cælo submissis, v. g. manna, coturnicibus, &c.

℣. 54. SVSCEPIT Deus ISRAELEM, id est, adiunit, & quidem singulari modo, nempe mittendo illi Messiam tot sæculis exoptatum, tot oraculis promissum.

℣. 56. MANSIT MARIA CVM Elisabeth QVASI, id est, plus minùs, MENSIBVS TRIBVS] nempe donec complexa fuisset natum filio suo præcursorem Ioannem, inquit Origenes, Ambros. Beda, Toletus & Maldonatus.

℣. 62. INNVEBANT PATRI EIVS] Hinc colligit S. Ambros. & Theophyl. Zachariam non mutum tantùm, sed & surdum fuisse. Et solent hæc duo ferè coniungi. Puniebatur ergo surditate, quia inobediens; & taciturnitate, quia obloquens.

℣. 65. Inuasit OMNES TIMOR non panicus, sed religiosus, nempe reuerentialis metus Dei, ob tot & tam stupenda miracula.

℣. 66. MANVS DOMINI ERAT CVM ILLO] Id est, Deus potentiam suam mirabilem ostendebat in puero Ioanne, maximeque in eius natiuitate.

℣. 68. VISITAVIT PLEBEM SVAM, & nouis illam beneficiis cumulauit per Messiam, quem submittendo, FECIT, id est facere (*g*) cœpit, REDEMPTIONEM illi & liberationem ex omnibus hostibus & malis. Priore enim parte cantici sui laudat Zacharias Deum ob missum Messiam, cuius opus redemptionis & vim gratiæ describit. Posteriore parte, filij sui Ioannis præcursoris Messiæ officium declarat.

g Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 56.

℣. 69. CORNV, id est, robur, potentiam, gloriam, SALVTIS scilicet operatricem, EREXIT NOBIS per Messiam, q. d. Potentissimum & glorioßissimum regnum Israeliticum, quod olim sub Dauide mirificè floruit, sed iam concidit, rursus per Messiam Dauidis filium instaurabitur, & longè maiori splendori restituetur (*h*). ita Theophyl. Euthymius & Beda. Metaphora *cornu* desumpta est à cornutis animalibus, quorum omnis potentia & gloria est in cornibus.

h Hic v. 32.

℣. 71. SALVTEM, seu saluationem, ab INIMICIS NOSTRIS, satana eiusque ministris, quam olim LOCVTVS EST, prædixit & promisit nobis per Prophetas, iam de facto præstat, dando nobis hoc *cornu salutis*. Idque

℣. 72. AD FACIENDAM MISERICORDIAM non nobiscum tantùm, sed & CVM PATRIBVS NOSTRIS] C quia nempe promissa fuit ipsis hæc saluatio: & beneficium quod prolibus exhibetur, sibi præstitum æstimant parentes: denique quia ipsi quoque parentes vi meritorum Messiæ misericorditer saluati sunt à peccatis suis, ab ergastulo inferni, & ab omni dæmonis potestate.

MEMORARI TESTAMENTI SVI SANCTI] Græcismus est, q. d. Ad declarandum, se memorem esse fœderis, seu pacti inuiolabilis olim cum illis initi. Item ad *faciendum*, seu complendum *iusiurandum* quo iurauit Abrahæ, in semine eius, id est, per Messiam filium eius, benedicendas & saluandas omnes gentes (*i*).

i Gen. 12. v. 16.

℣. 74. VT SINE TIMORE seruili, ex mero amore SERVIAMVS, non carni vel peccato, sed *Deo*; non nudis externis cæremonijs, sed SANCTITATE ET IVSTITIA; nõ ficta ad oculum vel æstimationẽ hominum, sed vera & solida CORAM (*k*) *Domino*; non in- *k Hic v. 15.*
D terruptè vel ad breue spatium, sed OMNIBVS DIEBVS NOSTRIS; non gementes sub hostili iugo, sed LIBERATI DE potestate omnium hostium NOSTRORVM. En præcellentiam legis gratiæ seu Christi, præ lege veteri.

℣. 78. ORIENS, ἀνατολὴ, substantiuum est, nomen proprium Messiæ, vt alibi (*l*) exposui. *l Zachariæ 6 v. 12. & c. 3. v. 8.*

℣. 79. VMBRA MORTIS pro extrema miseria (*m*) ponitur: *illuminatio* pro liberatione (*n*): PEDES pro affectibus: VIA PACIS pro via ducente ad pacem & felicitatem.

m Iob. 3. v. 5. Psal. 22. v. 4.

n Psal. 4. v. 7.

℣. 80. PVERERAT IN DESERTIS locis VSQVE IN DIEM OSTENSIONIS SVÆ AD ISRAEL] id est, donec publicè se toti populo exhibuit præconem & præcursorem Messiæ, nimirum 30. ætatis suæ anno. Occasio fugæ videtur fuisse infanticidium Herodis (*b*). Nam licet Ioannes finibus

o Matth. 2. v. 16.

Bethlehem nō contineretur, tamen ob famam mi- A
ræ natiuitatis ipsius, & celebritatem officij præcursoris Messiæ, etiam ad illum extendit metum & iram suam Herodes & eius assecl æ. Itaque ferè bimulus à matre abductus in desertum, latuit in aliqua spelunca, quales plurimæ erant & amplæ & commodæ in Iudæa, & quasi inaccessæ (a). ad quas solebant ingruentibus hostibus se recipere Iudæi. ita Petrus Alexandr. Nicephorus & alii apud Baronium. Addit Cedrenus, post 40. dies matrem in eadem spelunca diem obiisse, & angelum curam Ioannis suscepisse: sed crediderim etiam domestica seruitia non defuisse.

a 1. Reg. 3. v. 6. & 1. Mach. 2. v. 28. &c. Baron in Appar. p. 84

Petes, Cur tamdiu latere voluit? Respondeo, Ex instinctu Dei, qui noluit Messiam citiùs in publicum prodire, ita nec præcursorem voluit diu antè innotescere. Interim oratione assidua & cælesti contemplatione parabat se futuro certamini, & vitæ austeritate nomen sibi & auctoritatem conciliabat, subtrahens se quoad posset commercio & colloquio hominum, *ne leue saltem maculare vitam famine posset.* B

CAPVT II.

Iussu Cæsaris Augusti describitur vniuersus orbis Romani subiectus. Hac occasione Maria cum Ioseph ascendit in Bethlehem, ibique parit Saluatorem, & partum eius annuntiat angelus pastoribus istic vicinis. Puero circumciso nomen inditur Iesus. Quadragesimo die secundùm legem purgatur Deipara, & Iesus in templo sistitur Domino: vltio Simeonis excipitur, & Annæ prophetissæ. Iam 12. annorum subducit se ad triduum, ac multùm quæsitus reperitur in templo in medio doctorum.

℣. 1. IN DIEBVS ILLIS, nempe 37. anno imperii Cæsaris Octauiani *Augusti* (b) EXIIT C
b Chron. c. 44. eiusdem iussu EDICTVM publicum, VT DESCRIBERENTVR omnes prouinciæ Romano imperio subiectæ, relatis singulorum capitum, etiam puerorum, & feminarum, nominibus in tabulas, & *denario* in censum (c) pro singulis persoluto. Sic & opes Cæsari colligebantur, & quid singulæ prouinciæ possent, innotescebat. Eiusmodi descriptio ferè quinquennium occupabat, & videtur quarto anno (d) Bethlehemi instituta, anno penultimo vitæ Herodis magni: diuinâ prouidentiâ sic disponente, vt hac viâ per Augustum nil tale cogitantem, nascituro Messiæ secundùm oracula Prophetarum (e) in Bethlehem, cunæ pararentur, vel pro cunis præsepium. Vocatur autem, & reuera fuit
c Matt. 22. v. 19.
d Chronic. c. 44. & c. 47.
e Michæa 5. v. 2.

℣. 2. HÆC DESCRIPTIO PRIMA non Augusti (qui aliam ante 20. annos instituerat) sed CYRINI Syriæ PRÆSIDIS, qui iam prima vice, secunda D
post 20. alios annos, hoc munere functus est. teste Suetonio, Iosepho, & aliis quos eam in rem citaui in Chronico (f). vbi etiam notaui, hunc *Cyrinum*, vel, vt ab alijs vocatur, *Quirinium*, inchoasse quidem per se hanc suam primam descriptionem, sed bello cum Homonadensibus occupatum non perfeciisse, perficiendam tamen suo nomine commisisse Sentio Saturnino cum collegis, à quo Christus in Bethlehem descriptus fuit. Quoto verò anno mundi, quoto imperij Augusti, quoto Herodis regis, quoto vrbis Romæ conditæ, quota olympiade, quibus consulibus, quoto mense, quoto die mensis & hebdomadæ, quota diei hora natus sit Christus, fusè explicui in Chronico (g).
f Chron. c. 44.
g Cap. 47. & 48.

℣. 3. IBANT OMNES VT PROFITERENTVR sua nomina: græcè, *vt describerentur*. Quare coactus est etiam

℣. 4. IOSEPH cum vxore sua *ascendere* IN CIVITATEM DAVID, id est in Bethlehem in qua natus Dauid, & ex qua omnis eius familia originem traxerat.

℣. 7. IBI PEPERIT Virgo FILIVM SVVM PRIMOGENITVM, imò vnigenitum, vt alibi (h) dixi: ET PANNIS INVOLVIT exceptum priùs virgineis vlnis, in quas angeli recèns natum deposuerant, inquit Suarez. Neque enim obstetricibus egebat, quæ vt sine concupiscentia concepit, ita sine ruptura vteri, sine dolore aut aliqua molestia peperit ex omnium Patrum sententia. Prodigia quæ contigerunt sub ortum Christi, quædam recensui Aggæi 2. v. 7. Sed plura vide apud Baronium, Salmeronem & Barradium.
h Matth. 1. v. 23.

℣. 8. IN EADEM REGIONE, iuxta Turrim *Ader*, id est, gregis, (vnico milliari ab vrbe Bethlehem, loco pascuis vbertimo, vbi Iacob olim pauit (i) gregos suos,) ERANT PASTORES VIGILANTES] græcè ἀγραυλοῦντες, id est, in agro pernoctantes & stabulantes, quod in calidis regionibus, etiam in hieme, etiam media nocte frequentissimum esse docui in Chronico contra Scaligerum stolidè hinc inferentem, non fuisse Christum media hieme natum.
i Gen. 33. v. 21.
Chron. t. 48. initio.

℣. 12. HOC VOBIS erit SIGNVM, *infans* IN PRÆSEPIO] Ad partem Orientalem vrbis Bethlehem, inquit Iustinus, Hieron. & Burchardus, spelunca erat excisa in rupe, & in hac præsepium ligneum commune & notum omnibus circùm pastoribus, vt ex hoc signo facilè locum agnouerint. Porrò repertum ab illis infantem *inter bouem & asinum*, colligunt S. Hieron. Nazianzenus, Nyssenus, Paulinus & Cyrillus ex Habacuc 3. v. 2. (iuxta versionem 70.) *In medio duorum animalium cognosceris.* & Isaiæ 1. v. 3. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui.* Loco huius stabuli constructa est à S. Helena in honorem Virginis Deiparæ nobilis ecclesia: sicut iuxta Turrim *Ader* alia sub titulo trium *pastorum*, inquit Beda, qui, vt & Bernardus, vult tres numero Christum accessisse.
Iustin cont. Tryphon Hier. ep. 18. ad Marc. Burchard. de Locis sanctis. Beda de Locis Sanctis c. 8. Bern. serm. 6. de Natali Domini.

℣. 14. PAX, id est, prosperitas, felicitas, omne bonum, HOMINIBVS BONÆ VOLVNTATIS] id est, hominibus quibus bene vult Deus: (nam Græcum εὐδοκία, sicut & Hebræum רָצוֹן, in Scripturis soli Deo tribuitur, & significat Dei beneplacentiam seu beneuolentiam erga homines: (q. d. Iam pax erit certa hominibus, quos tam bona voluntate, tantaque beneuolentia prosequitur Deus, vt Saluatorem eis dederit, qui pacem inter ipsos & Deum componet, & omne bonum illis afferet. Ita qui hìc *homines bonæ voluntatis*, alibi (k) vocantur *filij dilectionis* (l), id est, filij dilecti à Deo. ita Nyssenus, Theophyl. Euthymius & alij.
רָצוֹן
k Ephes. 2. v. 9. &c.
l Prolog. de Idiotism. Hebr. n. 40.

℣. 17. ET COGNOVERVNT] Græcè & syriacè, *diuulgarunt*, seu notificarunt.

℣. 21. POSTQVAM COMSVMMATI SVNT DIES OCTO] Est hebraismus (m), q.d. Cùm ageretur octaua dies. De circumcisione vide Gen. 17. De nomine Iesu, Num. 13. v. 17. & plura apud S. Thomam, Suarez, Salmeron & Barradium. De præputio Christi Romæ inuento sub Clemente VII. & denuo sub Pio IV. cum varijs miraculis vide Toletum.
m Ibid. n. 56

℣. 22. PVRGATIONIS lege, de qua Leuitici 12. non obstringebatur Deipara, vt ibidem dixi. Voluit tamen, qua erat humilitate, perinde ac si immunda fuisset, ex præscripto legis purgari, & quidem vt paupercula, offerendo par turturum Deo in sacrificium, vbi, si dives fuisset, pro altera turture agnum offerre debuisset. Nempe voluit

vestigia

vestigia tenere filij, qui cùm dives esset, factus est pro nobis egenus; & cùm esset ipsa sanctitas, peccati tamen remedium, circumcisionem, ac si peccator esset, non detrectauit. Sicut & hoc quadragesimo die non obstringebatur communi lege aliorum
a *Exodi* 13 *v.* 2. primogenitorum, *vuluam* (*a*) *adaperientium*, id est, vuluam reserando egredientium, quia matris suæ
b *Hic v.* 7. vuluam, vt suprà (*b*) dixi, non reserarat, sed clausam penetrarat, vt omnes SS. Patres docent: perinde tamen ac si teneretur, sisti voluit in templo, & instar mancipij diuino obstricti seruitio, vt erant
c *Num.* 3. *v.* 47. omnia primogenita Iudæorum, *quinque* (*c*) *filia*, seu quinque florenis Belgicis, redimi.

℣. 25. EXPECTANS CONSOLATIONEM ISRAEL per aduentum Messiæ, quem ex vaticinio Jacob (*d*),
d *Gen.* 49. *v.* 10. ex hebdomadibus Danielis (*e*), & alijs Prophetis, & nouissimè ex nupero natali præcursoris Messiæ, iam
e *Dan.* 9. *v.* 25. & *Chron. c.* 38 instare sciebat. Si Simeon sacerdos vel Leuita fuisset, S. Lucas id non subticuisset. ET SPIRITVS SANCTVS ERAT IN EO, etiam per donum prophetiæ.

℣. 27. Hic IN SPIRITV, id est, incitatus à Spiritu sancto, VENIT sub idem tempus IN TEMPLVM; accepto signo ab eodem Spiritu sancto, quo Messiam agnosceret: vel certè Spiritus sanctus illum ipsi coràm ostendit. ita Theophyl. & Euthymius. Porrò vlnis exceptum complexus, *dixit*:

℣. 29. NVNC DOMINE, SECVNDVM VERBVM TVVM, id est, iuxta promissum mihi factum, DIMITTIS me IN, seu cum, PACE, animo quieto, & voti compote: QVIA, quod unicum in hac vita optaram, VIDI SALVTARE (*f*) TVVM, id est, Saluatorem à te nobis missum qui erit
f *Hic c.* 2. *v.* 47.

℣. 32. LVMEN AD REVELATIONEM, id est, illuminationem, GENTIVM] quo cæci Gentiles illuminabuntur, & quo Israelitæ maiori gloria potientur. Alludit ad illud Isaiæ, *Venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, & ambulabunt Gentes in lumine tuo.*
Isaiæ 60. *v.* 1. & 3.

℣. 33. PATER EIVS Ioseph, publica fama pro tali habitus, imò verum ius patris habens in Iesum
g *Matth.* 1. *v.* 16. *in respons. ad obiectionem, Isaiæ* 8. *v.* 13. 14. & 18. vt erat homo, quod alibi (*g*) explicui.

℣. 34. Hic Messias IN RVINAM; Isaias, *in lapidem offensionis, & in petram scandali & in ruinam*, nempe in maiorem cæcitatem & obdurationem malorum Iudæorum, POSITVS EST à Deo, non formaliter aut per se, sed per accidens, & occasionaliter, licet inculpatè: ET IN RESVRRECTIONEM etiam MVLTORVM à peccatis suis; Isaias, *in sanctificationem*, scilicet piorum & fidelium, ita Origenes, Theophyl. Euthymius & Beda. ET IN SIGNVM, seu scopum, quem omnes certatim figere contendent; Isaias, *in signum & in portentum*, seu in mirum & insolitum spectaculum, mira & mundo contraria doctrina sua, vita, morte, resurrectione, & miraculorum patratione per se, per suos. Nam his signis portendet ipse redemptionem & salutem per se mundo exhibitam: sed signis illis increduli Iudæi, & plurimi Gentiles tam verbo, quam re contradicent: atque vtinam non etiam Christiani subinde malis suis moribus & impia vita contradicant! Porrò GLADIVS & telum quo contradicent & repugnabunt filio tuo, etiam TVAM, ô mater, ANIMAM PERTRANSIBIT: nam vno eodemque impetu tormentorum, quasi validissimo ictu gladij, filius tuus occidetur, & tu simul vulneraberis. An non sub cruce sensit hunc ictum piissima mater? Seruiet verò hoc signum & hæc signi contradictio.

℣. 35. VT REVELENTVR EX MVLTIS CORDIBVS COGITATIONES] Id est, vt manifestum fiat quo quisque sit animo, pio an impio, fideli an perfido. v.g. Scribæ & Pharisæi, qui se iactant eximios iustitiæ, legis, Messiæ fautores ac patronos, ex nece quam Messiæ suo inferent, palam toti orbi facient, se ab illo & ab omni æquitate alienissimos esse. ita S. Augustinus & Beda. *Aug. ep.* 59.

℣. 37. VIDVA VSQVE AD ANNOS OCTOGINTA QVATVOR ætatis suæ. Cùm enim nupsisset Anna A VIRGINITATE SVA, id est, à prima pubertate, quæ puellis est anno ætatis 12. post exactum septennium mortuo marito, exinceps rara continentia, ab anno ætatis 20. in ipso adolescentiæ & iuuentutis flore vidua perpetuò mansit vsque ad hunc 84. vitæ suæ annum: tempus omne suum impendens seruitiis templi, in cœtu religiosarum mulierum, quæ iuxta templum domicilia sua habebant, vt alibi (*b*) dixi SERVIENS *Deo* (vt est in Græco) per
h *Exodi* 38. *v.* 8. ieiunia & orationes assiduas, inquit Origenes. Vnde contra hæreticos nostros patet, ieiuniis & pijs operibus etiam coli Deum.

℣. 38. ET HÆC quoque (ne Messiæ excipiendo status vllus deesset) CONFITEBATVR DOMINO] id est, laudabat Deum, publicè gratias illi agens pro Messia iam in orbem misso.

℣. 41. IN DIE SOLEMNI PASCHÆ, item Pentecostes & Tabernaculorum debebant viri omnes (*i*) ascendere Ierosolymam, non item feminæ, nisi
i *Exodi*, 23. *v.* 17. quando collibitum ipsis esset. Deiparæ videtur solemne fuisse saltem in Paschate ascendere.

℣. 46. POST TRIDVVM saltem inchoatum (vt Ambrosius & Euthymius exponunt,) id est, die tertio, INVENERVNT filium suum in exedra vna templi SEDENTEM IN MEDIO Scribarum, seu DOCTORVM, INTERROGANTEM EOS, verisimiliter de de tempore & signis aduentus Messiæ.

℣. 49. IN HIS QVAE PATRIS MEI cælestis SVNT, OPORTET ME ESSE & occupari. Patris sui negotia vocat opera theandrica, seu diuino-humana, Messiæ propria, v.g. docere cælestia, Sacramenta instituere, discipulos formare, miracula edere, mundum redimere, &c. Ad hæc enim propriè missus fuerat à Patre, imò faciebat ex Patris præcepto, & vi diuinitatis suæ quam accipit Filius à Patre. Vnde in his nemini vmquam se subiecit, nisi vni Patri suo cælesti. Sed Ioseph & Maria

℣. 50. NON INTELLEXERVNT tunc hoc VERBVM, nempe quænam essent illa Patris negotia, & quomodo vel quando ipse esset docturus, & liberaturus mundum. Hæc enim progressu temporis reipsa didicerunt.

℣. 51. ERAT SVBDITVS ILLIS] & quidem iure ac merito si solam humanam eius naturam vt in se est spectemus, vt in Matthæo (*k*) dixi. Sed si eamdem
k *Matth.* 1. *v.* 16. spectes, vt eleuata est ad hypostasin Verbi, & vnam cum Filio Dei personam constituit, sic eximebatur legibus & obedientiâ non modò Iosephi, sed & Mariæ, vtpote longè dignior vtroque, imò vtriusque Dominus ac Deus. Sicut Religiosus in Pontificem electus, eo ipso eximitur obedientiâ sui Ordinis, imò totius Ordinis fit Superior. Christus tamen vt exemplo nobis esset summæ humilitatis, voluit se vtrique subdere. quod S. Bernardus valdè exaggerat. Communis opinio est, Christum Iosepho subseruiisse in arte fabrili lignaria exercenda, vt alibi (*l*) dixi.
Bern. serm. 1. *super* missus.
l *Matth.* 13. *v.* 55.

℣. 52. PROFICIEBAT VT AETATE, sic & SAPIENTIA ET GRATIA, non habituali vel infusa, (quibus à primo conceptionis suæ instanti plenus fuit, vt insinuatur

sinuatur v. 40. & exigebat vnio hypostatica; & est communis Patrum & Doctorum sententia) sed sola experimentali, seu vsu acquisita scientia, & actuali, seu exercitio actuum sapientiæ & gratiæ, quos perfectiores parrabat in dies, non solùm APVD HOMINES, sed & *apud* DEVM, id est, tam Dei, quàm hominum iudicio. ita Origenes, Hieron. Nazianz. Theoph. Damascenus & passim Theologi.

CAPVT III.

Quo tempore cœperit Ioannes prædicare in deserto, qua eius doctrina, quod testimonium de Iesu, cur captus ab Herode. Iesus ab illo baptizatur, & voce cælesti Filius Dei proclamatur, & eius genealogia contexitur.

℣. 1. ANNO QVINTODECIMO (*a*) TIBERII, PROCVRANTE PONTIO (prænomen est, sicut Marcus, Publius, Lucius) PILATO IVDÆAM, instar præsidis, vt est in Græco: HERODE Antipa TETRARCHA GALILÆÆ: PHILIPPO AVTEM FRATRE EIVS (sed ex alia matre, nempe Ierosolymitana, nato, cùm Herodes esset ex Samaritide, teste Iosepho,) TETRARCHA ITVRÆÆ, (ad radices montis Libani, à Paneade seu Cæsarea Philippi vsque ad montes Tyri in longum porrectæ, sic dictę ab *Iethur* (*b*) Ismaelis filio) ET TRACHONITIDIS REGIONIS, sitæ vltra Iordanem, sicut *Ituræa* citra, sic dictæ à τραχὺς, quod locum saxosum significat: erat enim regio saxosa & aspera, quam cum vicina Gaulanitide & Baranæa Augustus regno Herodis Magni adiecerat, postquam ille ex Turre Stratonis Cæsaream Palæstinæ in Cæsaris honorem construxisset, teste eodem Iosepho. Has omnes tetrarchias, in quas Augustus olim regnum Herodis dissecuerat, Agrippa postea simul rursum iunctas cum titulo regio, à Caio Caligula Imp. obtinuit. Sed de his alibi (*c*) fusiùs.

a 2 *Chron. c.* 43 & 47. *post medium.*

b Ioseph l. 17. *Antiq c.* 1. *b Gen* 25. *v.* 15 & 1 *Paral.* 5. *v.* 19.

Ioseph. l. 15. *c.* 13. *c Chronici c.* 45.

Lysanias non erat Herodis filius, sed ex genere dynastarum Chalcidis, inquit Iosephus (*d*): fortè filius Lysaniæ senioris qui iuxta Libanum imperabat, & impulsu Cleopatræ occisus est ab Antonio, vt idem Iosephus (*e*) narrat. *Abilina* regio sic dicta ab *Abila* (*f*) ciuitate sita inter Libanum & Antilibanum.

d Ioseph. sup. *e Ibid c.* 4. *f Ioseph l.* 18. *c.* 8 & *l.* 19. *c.* 4.

℣. 2. SVB PRINCIPIBVS SACERDOTVM, id est, pontificibus, ANNA ET CAIPHA] Non quòd duo simul fungerentur summo pontificatu, nam soli Caiphæ id competebat tum temporis: sed quòd duo isti principem locum inter omnes sacerdotales familias obtinerent: & *Caiphas* quidem actu pontifex erat, *Annas* verò Iosepho *Ananus*, ante illum pontifex per septennium fuerat, & socer erat *Caiphæ* (*g*) (vnde & ipsi illum hîc præponit Lucas) & summæ apud omnes auctoritatis, qui & quinque filios post se summos pontifices habuit, vt Iosephus (*h*) testatur.

g Ioan. 18. *v.* 13. *h Ioseph. l.* 20. *c.* 8 & *Chronici nostri c.* 42. *sub finem.*

FACTVM EST VERBVM, id est, vox, iussio, præceptum, DOMINI SVPER, id est, ad, IOANNEM. q. d Iussit Deus Ioanni siue voce externa, siue inspiratione interna, vt inciperet baptizare, prædicare, & præcursorem agere Messiæ. Voluit Euangelista Lucas hac tam accurata principum chronologia indicare missum iam tum Ioannem ad Christum populo demonstrandum, cùm inchoaretur septuagesima annorum hebdomada Danielis, quâ prædixerat ei angelus Messiam publicè compariturum, vt alibi (*i*) dixi.

i Chron. c. 38. & *Dan.* 9. *v.* 25.

℣. 6. ET VIDEBIT OMNIS CARO SALVTARE DEI] id est, saluatorem mundi à Deo submissum. Publicè enim hunc Ioannes digito demonstrauit, Pater cælestis è nubibus proclamauit, ipse Christus millenis miraculis se illum esse comprobauit. Cetera huius capitis exposui partim Isaiæ 40. partim Matthæi 3.

℣. 11. QVI DVAS TVNICAS, id est, plures quàm sibi necessariæ sint, HABET, DET aliquam NON HABENTI, abundantia vnius supplente inopiam aliorum (*k*). *k* 2. *Cor* 8.

℣. 13. Et vos, ô publicani, NIHIL AMPLIVS FACIATIS in tributo & vectigalibus exigendis: græcè enim est, *nihil exigatis* præter iussum. ℣. 14

℣. 14. ET VOS MILITES NEMINEM CONCVTIATIS, vi, verbere, vel metu iniustè ijs incusso quos tueri potiùs debetis. NEQVE CALVMNIAM cuiquam seu commilitoni, seu extraneo, FACIATIS, falsò aliquem accusando apud duces, tribunos, vel præsides.

℣. 15. IESVS cùm baptizaretur, & inciperet se manifestare, ERAT QVASI, seu circiter, ANNORVM TRIGINTA, de quo alibi (*l*). De genealogia Christi, quam Lucas hîc per posteros Nathan filij Dauidis, sicut Matthæus per posteros Salomonis fratris Nathan ad Dauidem, indeque ad Adamum deducit, vide quæ dixi initio Matthæi, & in Chronico (*m*). Ex quibus etiam patet, Salathielem & Zorobabel, de quibus hîc Lucas v. 27. prorsus alios esse ab ijs quos habet Matthæus v. 12. Et vsitatissimum erat tum Judæis, tum alijs Gentibus, ex alienis familijs nomina prolibus suis indere, maximè cum sanguine vel affinitate copularentur. *l* 1 *Chron.* 3. *c.* 47. *m Chron* 3. 46. *maximè tab.* 4. &c.

℣. 36. CAINAN intexerit Lucas ex interpretatione LXX. quos passim ipse sequitur: sed in Hebræo & Latino Genes. 11. v. 12. *Cainan* non habetur. Probè tamen id factum ab Euangelista probaui in Chronico. *Chron. c.* 13.

CAPVT IV.

Post ieiunium 40. dierum ac repulsas Satanæ tentationes, regressus in Galilæam Iesus in Nazarethana synagoga explicat editum de se oraculum Isaiæ, addens, nullum Prophetam acceptum esse in propria patria. Quare volunt eum de monte præcipitare, sed ipse se subducit, & abit Capharnaum ubi dæmoniacum curat, socrum Simonis à febribus, & plures alios à varijs languoribus & dæmonijs liberat.

℣. 13. DIABOLVS (de cuius tentatione egi Matthæi 4.) RECESSIT AB ILLO VSQVE AD TEMPVS, scilicet opportunum (vt ex Græco colligitur,) nempe à Deo præfinitum, maximè verò tempore passionis *venit* iterum *princeps huius mundi*, &c. Ioan. 14. v. 30. &, *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum* Lucæ 22. v. 53.

℣. 14. Portò IESVS IN VIRTVTE SPIRITVS, id est, Spiritus sancti impulsu.

℣. 16. VENIT *Nazarethum*, vbi more suo DIE SABBATI IN SYNAGOGA SVRREXIT, offerens se ad aliquid legendum, simul & exponendum ex S. Scriptura, vt à doctioribus in tali consessu fieri solebat.

℣. 17. REVOLVIT LIBRVM] erat enim membrana inuoluta, quali etiamnum vtuntur multis locis Iudæi in suis Synagogis. Mox ex Isaiæ 61. v. 1. probat se Messiam esse, eò quòd quæ de Messia ibi prædicuntur, in se completa iam essent, etiam

℣. 21. IN AVRIBVS VESTRIS, id est, vobis audientibus, supple, euangelizantem me pauperibus ANNVM ACCEPTVM (hebraicè, *ratzon*, ; græcè, εὐδοκίας (*a*), id est, diuinę beneuolentiæ erga homines, nempe *a Luc. 2. v.* 14

nempe tempus gratiæ & plenæ remissionis : alludit enim ad annum iubileum, Leuit. 25.) & reliqua facientem quæ Isaias ibi prædicit Messiam facturum.

℣. 22. ET OMNES TESTIMONIVM ILLI DABANT] non quòd Messias esset, vel quòd Isaias de illo vaticinatus fuisset ; sed quòd piè, sanctè, sapienter atque eruditè doceret.

℣. 23. MEDICE CVRA TEIPSVM] id est tua, tuosque, seu tuam familiam & patriam, quæ tibi chara sit oportet, vt tu tibi. Patet ex sequentibus. Similitudo desumpta est ab eo qui, cùm domi suæ millenis malis inuoluatur, extraneis iuuandis totus vacat.

℣. 27. NAAMAN alienigena, nempe SYRVS] q. d. Sicut Elias & Eliseus non ediderunt miracula apud suos ob eorum incredulitatem, sed apud exteros : ita & ego iam facio, sed magis facturus postea, quando relictis Iudæis transferam Euangelium ad Gentes, quarum typus olim fuerunt *Naaman Syrus & vidua Sareptana.*

℣. 30. TRANSIENS PER MEDIVM ILLORVM vel inuisibilis, vel inaccessibilis, IBAT quò animo destinarat. Nempe vel oculos eorum aut phantasiam diuertebat, vel manus eorum obstupefaciebat & quasi ligatas tenebat, inquit Chrysost. Ambros. Euthymius.

a Psal. 136. v. 1.

℣. 39. STANS SVPER, id est, iuxta (*a*) ILLAM] scilicet socrum Simonis Petri. En quibus vijs anima sanetur. Primò, magnitudo mali mouet Iesum ad compassionem, & opem ferendam. Secundò, rogant Sancti pro ea. Tertiò, Iesus domum ingreditur. Quartò, stat iuxta illam. Quintò, imperat febri & depellit.

Sophron. in fragmento de laboriб. SS. Petri & Pauli to. 7. Biblioth. Helcias in addition. ad Chronicon Lucij Dexiri.

Nota, ex sententia Sophronij Patriarchæ Ierosolymitani, & Helecæ Episcopi Cæsaraugustani, *socrum Simonis* Petri fuisse *Salomen*, cuius filia vna nomine *Concordia* nupserit Petro, altera (quam non nominat,) Andreæ fratri Petri. Fuissent ergo hæ sorores Iacobi Maioris, & Ioannis Euangelistæ. Addit Helecas, Salomen hanc iam nonagenariam, anno Christi 42. Verulis in Italia 24. Maij sanctissimè decessisse, plurimisque miraculis ibidem editis nobilitari. Maritum verò eius Zebedæum, alio nomine Aristobulum dictum, vnum è 72. discipulis Christi, postquam cum Petro Romam petiisset, missum ab eo in Angliam Episcopum, martyrio ibidem affectum anno 2. Neronis. Fides sit penes auctores.

b Matth. 15. v. 20.

℣. 41. NON SINEBAT LOQVI DÆMONIA, etsi se Christum esse inclamarent. Causam alibi (*b*) dixi. Sed hîc adiicio, Satanam perpetuum veritatis hostem, & salutis nostræ iuratum inimicum, ne tum quidem audiendum cùm veritatem dicit, vel aliquid profuturum suader, quia venenum in cauda occultat.

CAPVT V.

Docet è nauicula Petri, iubet retia laxari, & copiam piscium submittit, Petrum eiusque socios inuitat ad homines in posterum capiendos, leprosum mundat, in deserto orat, paralytico peccata remittit, & valetudinem restituit, publicanum Leui ad sequendum vocat, & domi eius conuiuatur, murmurantibus ob id Pharisæis causam exponit cur cum peccatoribus conuersetur, & cur discipuli sui necdum se affligant indebitis ieiunijs.

℣. 5. IN VERBO TVO] id est, iussu tuo, seu vt præcipis, & quia præcipis. Hanc discipulorum vocationem esse prorsus eamdem cum illa Matth. 4. v. 18. licet ibi nulla mentio fiat miraculi piscium comprehensorum, docui ibidem.

℣. 8. EXI A ME, id est, excede, obsecro, naui mea, QVIA PECCATOR, id est, multis peccatis obnoxius SVM, ac proinde indignus te hospite sanctissimo, Deoque gratissimo. Verendum enim ne ob tuam, quasi lucidissimi solis præsentiam, clariùs appareant scelera mea (dum scilicet viciniùs opponentur integerrimæ innocentiæ & sanctitati tuæ,) atque ita pronior ad ea vlciscenda reddatur Deus, & me perire iubeat. Idem clamabat illa Sareptana 3. Regum 17. v. 18. *Ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?*

℣. 27. PVBLICANVS NOMINE LEVI idem est qui *Matthæus* (*c*); & hoc nomine *Matthæi* magis innotuerat, vnde honoris Euangelistæ & Apostoli magis tegendi causâ, illud subticent Marcus & Lucas, sed Matthæus sui magis deprimendi studio planè expositum voluit. SEQVERE ME : nec aliis illecebris pellexit publicanum Christus : & tamen, relicto mox telonio, relicta mensa, relictis rationum libris, relictis socijs, SVRGENS SECVTVS EST EVM ; ac si vox Christi cæleste haberet incantamentum.

c Matth. 9. v. 9.

CAPVT VI.

Discipulos spicas sabbato vellentes excusat, manum aridam alio sabbato curat, duodecim Apostolos designat, explicat qui verè sint beati, qui infelices, varia proponit præcepta & consilia Euangelica, varias parabolas de festuca & trabe in oculo, de bona & mala arbore, de domo supra petram, & supra arenam fundata.

℣. 1. SABBATVM δευτεροπρωτον, id est, SECVNDOPRIMVM (*d*) est sabbatum quod primum erat à secundo die azymorum, seu altero die post Pascha, quo manipulus primitiarum spicarum offerri debebat. Ab hoc enim die, Leuitici 23. v. 15. debebant numerari septem hebdomadæ plenæ vsque ad festum Pentecostes, & consequenter septem sabbata, hoc ordine & his omnibus, sabbatum secundoprimum, secundosecundum, secundotertium, secundoquartum, secundoquintum, secundosextum, secundoseptimum. Sicut nos iam computamus Dominicam post Pascha primam, secundam, tertiam, quartam, quintam, sextam, septimam. Vide Iosephum Scaligerum & auctores ab ipso citatos. Porrò Pharisæi non reprehendunt discipulos quòd spicas ex alieno agro vellerent & absumerent, id enim lege concessum erat Deuter. 23. v. vlt. sed quòd id sabbato facerent. Sed Christus necessitate, quæ supra leges est, illos egregiè excusat, vt dixi apud Matthæum.

d Chronc. a. 42. anno 2. §. 23. April.

Scalig. l. 6. Emendat. tempor. c. 6.

℣. 11. IPSI AVTEM REPLETI SVNT INSIPIENTIA] ἀνοίας, id est, amentia. q. d. In furorem, in rabiem acti sunt, non ferentes pondus rationum, splendoremque miraculorum, quibus conuincebantur & opprimebantur. Vnde & necem Christo machinari cœperunt.

℣. 13. DVODECIM ex omni discipulorum numero selectos NOMINAVIT APOSTOLOS] Hos Christus sibi indiuiduos socios, imò domesticos adiunxit, & præ omnibus alijs familiares habuit : & post mortem suam totius Ecclesiæ suæ colligendæ ac regendæ curam commisit, suo nomine quasi legatos in vniuersum orbem mittens : & hoc volebat indicatum hac voce, *Apostoli*. Hinc longè maior erat potestas illorum, quàm nunc est Episcoporum certis diœcesibus constrictorum : Apostoli enim, vt immediatè atque illimitatè missi ab

ipso Christo, quasi vniuersalis legati ipsius, habebant summam potestatem in totam Ecclesiam quocumque terrarum loco, seu instituendam, seu regendam, vnde vbique locorum poterant prædicare Euangelium, libros Canonicos scribere, fundare Ecclesias: colligere, pascere, regere fideles: vbique constituere & ordinare sacerdotes, Pastores, Episcopos, reliquosque ordinis Hierarchici ministros: vbique præscribere cæremonias sacrificij, & ritus Sacramentorum, & leges Ecclesiasticas. Et in his omnes pares erant S. Petro. suberant tamen Petro quasi capiti & pastori(a) suo, cuius erat dirigere illos, imò & corrigere, si qua in re contigisset errare, prouincias illis distribuere, & lites, si quæ inciderent, dirimere ac decidere. Hæc enim subordinatio necessaria erat ad vnitatem, concordiam, pacem & bonum regimen Ecclesiæ, inquit S. Cyprianus. Vnde & Petrus solus habuit potestatem ordinariam, in qua succedunt ei Pontifices Romani. Alij Apostoli, vt tales, tantùm habebant delegatam potestatem, in qua proinde nemo successit: Episcopi tamen dicuntur eis succedere, Primò, ob participationem Ordinis & iurisdictionis saltem Episcopalis; Secundò, ob analogiam similis eminentiæ supra simplices sacerdotes.

Matt 16. v. 18.

Cyprian. l. de Vnitate Ecclesiæ.

℣. 16. IVDAS IACOBI frater, cognomento THADDAEVS, vt alibi (b) dixi.

b *Matt* 10. v 3 & *Chron* c. 46. *tab. vlt.* c *Iac.* 5. v 1. & c. 2 *mis* 6. v 1. *Eccli.* 31. v. 8.

℣. 24. VAE VOBIS DIVITIBVS (c) animo diuitiis plusculum affixis, QVIA HABETIS in terris CONSOLATIONEM VESTRAM] q.d. Quidquid boni vnquam vobis obtingere potest, iam ex vestris opibus pro voto percipitis: itaque non est quòd aliam in futura vita speretis felicitatem.

℣. 25. VÆ QVI SATVRATI ESTIS, inflati præsentium deliciarum copiâ, & cælestia bona respuentes: QVIA subtractis (hoc est paulò ambobus egeni & famelici ESVRIETIS (d).

d *Isaiæ* 65. v. 13.

VAE QVI RIDETIS: id est, qui epicuræ lætitiæ dediti, & in carnis voluptatibus demersi, molestias & labores omnes pro regno Dei promouendo subterfugitis: QVIA fluminis cum Epulone (e) immersi LVGEBITIS aliquando ET FLEBITIS.

e *Luc.* 16. v 24. *Eccl.* 3. v. 4.

℣. 35. MVLTVM DATE pauperibus, etiam inimicis (si ita vrgeat necessitas) NIHIL INDE lucri SPERANTES] id est, etsi nullum ab eis par aut simile beneficium exspectetis: nam solo benefaciendi affectu impelli debetis, non spe lucri, vel reciproci beneficij.

℣. 39. POTESTNE CÆCVS CAECVM DVCERE? NONNE AMBO IN FOVEAM CADVNT?] Ita imperiti reprehensores, maximè si odio vel inuidia excæcentur, dum fratres vel subditos suos indiscretè carpunt, iudicant, damnant, se simul & suos perdunt.

CAPVT VII.

** Matth. 8. v. 5.* *Curat seruum Centurionis * in vrbe Capharnaum: suscitat filium viduæ in Naim: discipulis Ioannis Baptistæ roganibus an ipse esset Christus, editis plurimis miraculis, Christo proprijs, probat se illum esse: Ioannem prolixè apud populum commendat, Scribas verò & Pharisæos tam Christum, quàm Ioannem contemnentes, acriter reprehendit: à Magdalena pedes inter epulandum inunctus, peccata illi omnia dimittit.*

℣. 11. NAIM oppidum est Galilææ ad ripam torrentis *Cison*, haud procul à *magno campo Esdrelon.*

A ℣. 12. DEFVNCTVS EFFEREBATVR] Erant enim Iudæorum sepulchra extra vrbes, idque ob nitorem & sanitatem. Sic Iosephus ab Arimathæa suum sibi sepulchrum (f) exciderat in rupe Caluariæ. Allegoricè, quomodo Ecclesia tristis ob peccata mortalia filiorum suorum, lacrymis & precibus suis veniam illis & vitam impetret, vide S. Ambrosium, August. & Theophyl.

f *Ioan* 19. v. 41 & *Matth* 17. v. 10.

Aug serm. 44. *de verbis Domini.*

℣. 29. PVBLICANI IVSTIFICAVERVNT (g) DEVM] id est, iustum, rectum, benignum ac prouidum laudarunt, quòd eis misisset ex vna parte Ioannem Baptistam, ex altera Iesum, qui viam salutis ipsis panderent. Sed

g *Hic* v 35. & 1. *Tim.* 3. v. 16.

℣. 30. PHARISAEI ET LEGIS PERITI, in sua malitia obstinati, prouidum CONSILIVM DEI, quo inuitabantur, partim rigida Ioannis Baptistæ pœnitentia, partim suaui morum Christi comitate, ad iustitiam pietatemque sectandam, indignè SPREVERVNT IN, id est, aduersus, SEMETIPSOS, seu damno suo; Syriacè, *apud animos suos*, vel, vt infrà vers. 39. *intra se.* Reliqua huc spectantia exposui Matth. 11.

B

℣. 37. MVLIER IN CIVITATE illa (vt est in Græco, scilicet aliqua ciuitate Galilææ) PECCATRIX] id est, meretrix, saltem priuatos, sed publicè notos habens amasios. ita S. Ambrosius, Hieron. Chrysost. August. Gregor. & Beda. Erat hæc *Maria Magdalena* soror Marthæ & Lazari, ex qua septem propriè dicta dæmonia (h) eiecit Christus, quæ eadem Christi pedes vnxit Matth. 26. & Ioan. 12. sex diebus ante eius mortem. ita ijdem Ambrosius, August. Gregor. & accedunt Cyprianus, Euthymius, Rossensis, Iansenius, Baronius: & est communis sensus Ecclesiæ.

h *Luc.* 8. v. 2.

C Dices, Soror Marthæ erat Iudæa, iuxta Ierosolymam (i) habitans in Bethania: atqui Magdalena secuta est Christum à Galilæa, Matth. 27. v. 55. Respondeo, Erat & Magdalena Iudæa ratione prosapiæ & originis; sed videtur habitasse in castello Galilææ dicto Magdalum ad Occidentale latus maris Tiberiadis, quòd fortè loci illius domino vel præfecto in delicijs esset. sed Christi prædicatione, simul & dæmonum, à quibus ob sua scelera corporaliter obsidebatur, exagitatione retracta, veniam ad Christi pedes quæsiuit & inuenit. De alabastro alibi (k) egi.

i *Ioan* 11. v. 1. & 18.

k *Matth.* 26. v. 7.

℣. 38. STANS RETRO ad PEDES EIVS] Veteres in thoris, id est, lectulis * conuiualibus vel iacentes cubito innixi, vel quasi sedentes erecto pectore, mensæ accumbebant, capite versus mensam, pedibus versus exteriorem partem ita porrectis, vt aliis, qui in eodem lectulo ferè terni solebant discumbere (vnde & triclinium dictum) commodus esset locus. Vnde facile fuit Magdalenæ pedes Christi tangere & ungere: quod in conuiuijs, ad lautitiam maiorem & fragrantiam, solemne erat per mulieres perfici, vt colligitur ex 1. Regum 8. v. 13. *Filias vestras faciet sibi vnguentarias.* Stare autem debebat, quòd thori altiores essent (l) vtpote mensis adaptati.

* *Esther* 1. v. 6

l *Sueton. in Caligula.*

(m) *Inde thoro pater Aeneas sic orsus ab alto.* Multa hîc meritò admiranda. Primò, fides Magdalenæ, qua contrà quàm Pharisæi (n) & Scribæ, credidit Christum habere potestatem dimittendi peccata. Secundò, deuotio & religio, quâ non, vt alii, sanitatis corporis, sed animæ causâ Christum accessit. Tertiò, copia lacrymarum; de quarum vi pulchrè disserit Chrysostomus (o). Quartò, sapientia & discretio, qua non voce, sed corde & intimis suspi-

m *Virg.* 3. *Æneid.*

n *Matth.* 9. v. 3.

o *Chrysost. tom.* 5 *serm. de pœnit.*

suspirijs veniam postulabat. Quintò, feruor pœnitentiæ, quo quasi impudens irruit in alienam mensam, in publicum conuiuium, ad pedes se abiicit, in lacrymas, in oscula pedum prorumpit, capillis crispatis sordes tergit, &c. Vide (a) Chrysost. Greg. & Sylvestrum Prieratem.

a Chrysost. hom. 6 in Matth. Greg hom. 33. in Euāg. Sylvester Prieras apud Surium in festo S. Magdalenæ.

℣. 47. REMITTVNTVR EI PECCATA MVLTA, QVONIAM DILEXIT MVLTVM] Conformiter parabolæ præmissæ inuertenda videbatur sententia, dicendumque, *Dilexit multum, quia remittuntur ei peccata multa.* Et hoc sine dubio Christus etiam subintelligendum reliquit, vt ex antecedentibus ac sequentibus clarissimè colligitur. Simile infrà c. 10. v. 36. *Quis horum trium tibi videtur proximus?* Sed Christus adhuc vlteriùs respexit, voluitque etiam indicare causam remissionis tot peccatorum, scilicet dilectionem Dei super omnia, quæ in heroicis illis plenæ contritionis actibus, quos Magdalena in omnium oculis edebat, includebatur & manifestè colligebatur. q. d. Tu Simeon hanc spernis vt meretricem, & me arguis ignorantiæ, quasi id nesciam. Atqui scito, me optimè nosse, fuisse quidem illam, sed iam desiisse esse peccatricem, imò ardentiùs Deum amare, quàm tu ames, idque quia scit, Deum (qui, instar liberalis creditoris, cuiuis pœnitenti cuncta debita libentissimè remittit) sibi quàm maxima debita remittere paratum. Et hic amor causa est, cur verè illi omnia peccata, etiam quoad pœnam integrè remittantur. Tu verò cùm pauca tibi à Deo remitti credas, parum vicissim illum amas, sicut solent debitores quibus pauca debita remittuntur. Ex his S. Augustinus & Theologi inferunt, actum contritionis, quæ includit dilectionem Dei super omnia, præcedere naturâ remissionem peccatorum & iustificationem, sed ita vt eodem instanti temporis illam quasi vltima dispositio adducat.

℣. 50. FIDES TVA contritioni & charitati mihi nunc exhibitæ coniuncta, TE SALVAM (b) FECIT] Hinc S. Augustinus & Tridentinum colligunt, non remitti peccata fide nuda & sterili, sed ea sola quæ per charitatem operatur.

b Matth. 9. v. 2.

CAPVT VIII.

Pia mulieres seruiunt Christo de facultatibus suis. Ipse populo parabolam de seminante proponit, & discipulis seorsim exponit, vt & de lucerna super candelabrum collocanda. Qui fratres, & mater Christi. Tempestatem in mari sedat: obsessum à legione dæmonum liberat, quos in porcos ire permittit. Iairi filiam à mortuis suscitat, mulierem priùs à fluxu sanguinis, contactu fimbriæ sanatam.

℣. 2. MARIA MAGDALENE (c), DE QVA SEPTEM DÆMONIA EXIERANT] non metaphorica, putà septem vitia, vt S. Gregor. Theophyl. & Beda volunt, sed propriè dicta, vt S. Ambrosius, Euthymius, Rossensis & Iansenius exponunt: & hoc insinuat verbum *exierant*, & *ieiecerat*, vt habet Marcus.

c Luc. 7. v. 37.

Marc. 16. v. 9.

℣. 5. EXIIT QVI SEMINAT] Finis parabolæ est, ostendere quibus ex causis vnum idemque semen, putà verbum Dei, tam diuersimode fructificet, vel etiam subinde non fructificet. Nempe vitio terræ, seu culpa liberi arbitrij auditorum, eaque triplici: Prima, ob petrosum fundum, seu innatam animo duritiem. Secunda, ob spinas mundanarum occupationum. Tertia, quia secus viam, negligendo & apertis periculis exponendo. Alij suscipiunt semen in corde bono, meliore, vel optimo, & proferunt fructum trigesimum, sexagesimum, centesimum; nempe secundùm Theophylactum & Euthymium, incipientes, proficientes, perfecti: vel, vt S. Hieron. & Athanasius, coniugati, vidui, virgines: vel, vt S. Cyprianus & Augustinus, coniuges, virgines, Martyres. Vnde contra Iouinianum, Caluinum & alios nostri temporis hæreticos colligitur inæqualitas meritorum, & consequenter etiam præmiorum in cælo, inquit S. Chrysost. Nazianz. August. & alij iam citati. Colligitur Secundò, hanc fructuum inæqualitatem non ex solius terræ varia conditione nasci, sed subinde etiam ex maiore vel minore solis (id est, gratiæ interiùs illuminantis & inflammantis) vel pluuiæ (id est, adminiculorum exteriùs aduentantium) affluxu & cooperatione. Porrò quod hîc de centesimo fructu, seu centum granis ex vno exortis meminit, non est hyperbole. Nam & *Isaac inuenit in Geraris centuplum*, Genes. 26. v. 12. & Libyphœnicum terra centesimam vt plurimum frugem dabat, teste Plinio, & multis etiam-num locis idem contingit.

Plin. lib. 5. Natural. hist. c. 4.

℣. 8. QVI HABET AVRES AVDIENDI] id est, ad audiendum, seu ad id agendum ad quod à Deo creatæ sunt aures, scilicet ad audienda ea quæ auditu digna sunt, v.g. quæ salutem animæ æternam spectant idque eo animo quo audire oportet, putà cum conamine intelligendi & obediendi. Neque enim visus, auditus & alij sensus eo solo fine hominibus dati sunt quo bestiis, vt sola carni noxia fugiant, conducibilia prosequantur: verùm etiam, & quidem maximè, vt quæ animæ, seu noceant, seu conueniant. Talis AVDIAT hæc à Christo proposita, utpote auditu dignissima & maximè salutaria. Sed ô cæcas mentes mortalium! Nullus auditorum solicitus est nosse quid sibi Christus velit. Soli

℣. 9. INTERROGABANT id EVM DISCIPVLI EIVS, soluto iam populi conuentu & dimissâ multitudine, vt est apud Marcum. Reliqui contenti erant solis parabolis, seu obscuris sententijs & similitudinibus, nihil curantes de sensu vel intellectu,

Marc. 4. v. 10.

℣. 10. VT VIDENTES NON VIDEANT (d)] nam solo externo sensu ex mera curiositate percipiunt doctrinam meam, vt illam exagitent, carpant & calumnientur: mente verò non volunt percipere, nec in animum dimittere. ita S. Hilarius, Chrysost. Theophyl. Euthymius & Beda. Pij verò audita doctrina mea, totis viribus ille bene intellectæ cooperantur, atque ita

d Isaiæ 6. v. 9.

℣. 15. FRVCTVM optatum AFFERVNT IN, seu cum, PATIENTIA] ὑπομονῇ, id est, sustinentia, nempe laborum, afflictionum, molestiarum in arando, serendo, occando, sarriendo, sepiendo, & messe longanimiter exspectanda.

℣. 21. MATER MEA ET FRATRES MEI HI SVNT, QVI VERBVM DEI AVDIVNT ET FACIVNT (e)] q.d. Nulla est inter homines tam arcta sanguinis coniunctio, quàm est Christi & eorum qui ipsum vera fide amplectuntur & charitate copulantur.

e Matth. 12. v. 46.

℣. 23. PROCELLA VENTI, id est, tempestas immissa iussu Christi, DESCENDIT IN STAGNVM (f) Genezareth, ET COMPLEBANTVR aquis non discipuli, sed nauis.

f Matth 8. v. 28.

℣. 31. VT IN ABYSSVM IRENT, id est, in illam immensæ profunditatis voraginem, quam alibi (g) ἅδλω, id est, infernum, vocat. Cur hoc petierint dæmones, explicui in Matthæo, vt & reliqua huc spectantia.

g Luc. 16. v. 25. Matth. 8. v. 9.

℣. 39. PER VNIVERSAM CIVITATEM Gera- A sam *prædicabat* factum Iesu. Marcus (a) dicit in *Decapoli* prædicasse: quia *Gerasa*, alio nomine *Gadara*, (b) etiam Plinio teste, vna erat ex vrbibus *Decapoleos*, quæ & cis & trans Jordanem extendebatur;

a *Marc.* 5. *v.* 20.

b *Matth.* 8. *v.* 28.

℣. 41. De *Iairi filia* à mortuis suscitata, & fluxu sanguinis fimbriâ curato, dixi Matth. 9. versu 18.

CAPVT IV.

Mittit Apostolos euangelizatum, data illis potestate daemones expeliendi, & morbos curandi, & instructione quomodo se gerere debeant. Opinio Herodis & vulgi de Christo. Quinque panibus & duobus piscibus saturantur quinque millia virorum. Petrus confitetur ipsum esse Messiam. Praedicit suis passionem suam, & coram tribus illorum transfiguratur. Daemonium à lunatico expellit, contentionem discipulorum de primatu compescit, vt & zelum filiorum Zebedaei vrgentium B *vt igne caelesti absumerentur Samaritani, quemdam volentem se sequi, paupertate sua deterret, alterum sequi vltrò iubet, nec permittit vt vel defunctum patrem primùm sepeliat.*

℣. 2. MISIT ILLOS PRÆDICARE Euangelium REGNI DEI (c)] Hæc in Matthæo (d) exposui, vti & in Marco (e) de *Herode tetrarcha* (f) v. 7. De quinque panibus & 2. piscibus dicam Ioan. 6. v. 9. De Petri confessione dixi Matth. 16.

c *Matth.* 3. *v.* 2.
d c 10 *v.* 1.
e *Marc.* 6. *v.* 14.
f *Chron.* c 45.

℣. 23. TOLLAT CRVCEM SVAM QVOTIDIE (g)] Id est, libens admittat quidquid miseriarum vel molestiarum quotidie occurret: vt enim dies diem sequitur, & abyssus abyssum inuocat, ita crux crucem excipit, Deo prouidè sic disponente, partim ne animus hominis vlli vspiam creaturæ adhærescat, nec in vllo, præterquam in vno Deo, conquiescat: partim vt noua indies meritorum & gratiæ & gloriæ nobis seges accrescat.

g *Matth.* 10. *v.* 38.

℣. 31. DICEBANT EXCESSVM EIVS] græcè ἔξοδον, id est, exitum, scilicet ex hac vita per mortem crucis. De transfiguratione, vide Matth. 17. v. 1. De lunatico curato, Marci 9. v. 16. De contentione discipulorum pro primatu, Matth. 18. v. 1.

℣. 51. DVM COMPLERENTVR (h), id est, compleri inciperent, DIES ASSVMPTIONIS EIVS (i) ex hoc mundo per mortem in cælum, in regnum, in thronum suum; IPSE FACIEM SVAM FIRMAVIT] Id est, firmo animo atque imperterrito vultu rectà perrexit Ierosolymam, ardens ad vltimum duellum cum Lucifero (k), ad crucem, ad mortem, inquit Theophyl. & Euthymius. Non fuit tamen hæc eius vltima Ierosolymam profectio, sed antepenultima, nempe ad festum Scenopegiæ (l), vt ex Ioannis 7. v. 3. colligitur, quod in Septembri celebrabatur. Postea rursus in Decembri ascendit ad Encænia, Ioan. 10. v. 22. Ac tandem nouissimè in Martio ad festum Paschæ, quo ipsemet ibi immolatus est.

h *Proleg. de Idiotism. Hebr. n.* 56.
i *Act.* 1. *v.* 1.
k *Luca* 12. *v.* 53.
l *Chronic. c.* 49. *in* 3. *anno Christi praedicat.*

℣. 53. Samaritani NON RECEPERVNT EVM, QVIA FACIES EIVS ERAT EVNTIS IN IERVSALEM] Id est, quia præ se ferebat, velle se ire Ierosolymam adorationis causâ: Samaritani autem contendebant non Ierosolymæ, sed in suo monte *Garizim* (m) adorandum esse. De templo Garizim dixi Eccli. 50. v. 28. Qui sint Samaritani, 4. Reg. 17. v. 24.

m *Ioan.* 4. *v.* 20.

℣. 55. NESCITIS CVIVS SPIRITVS ESTIS, id est, esse debeatis: q. d. Vultis imitari zelum Eliæ (n), & spiritum vindictæ: sed nescitis, hunc spiritum non esse Euangelicum, & maximè non esse meæ personæ: meus enim spiritus est mansuetudinis, patientiæ, beneficentiæ, NON PERDERE, SED SALVARE.

n 4. *Reg.* 1. *v.* 10.

℣. 58. De foueis vulpium egi Matth. 8. v. 19. vt & de sepelitione parentum postponenda sequelæ Christi.

℣. 62. NEMO MITTENS MANVM AD ARATRVM, &c.] q. d. Sicut qui se dat agro arando, debet rectà ante se, vt rectos ducat sulcos, aspicere: (nam qui retro respicit, corrumpit omnia, vel certè opus interrumpit:) ita qui regno Dei promouendo, & sanctæ vitæ tum in seipso, tum in aliis procurandæ studet (quò Deus regnet in omnium cordibus,) debet in id vnum totus incumbere, nec solicitus esse de iis quæ in sæculo reliquit, alioquin ineptè fungetur munere suo (o). *Nemo militans Deo implicat se negotiis* (p) *saecularibus.*

o 1 *Cor* 9. *v.* 24.

Nota. Poterant amici, vel etiam ipsemet absens de bonis & fortunis relictis facilè disponere: & fortè sui diuertissent ipsum à sequela Christi: vnde prudenter non permittit ei Christus ad suos redire vel ad tempus, quod alioqui non inhibuisset. Sicut illi alteri Matth. 19. v. 21. non inhibuit, sed, *Vade*, inquit, *vende quae habes, & da pauperibus*, & tum *veni, sequere me*. Et Elias Eliseo (q), *Vade, osculare patrem & matrem, & reuertere.*

p 2 *Timoth.* 2. *v.* 4.

q 3. *Regum* 19. *v.* 20.

CAPVT X.

Praeter duodecim Apostolos designat Christus 72. discipulos, & mittit praedicatum, monitis ad id idoneis & miraculorum dono instructos. Ingratis vrbibus impietatem exprobrat. De fide humilibus impertita. Patrem caelestem laudat. Per parabolam hominis à latronibus vulnerati explicat quis noster sit proximus. Excipitur hospitio à Martha, cui de sorore, quòd pedibus Christi adhaereret, conquerenti respondet, ipsam C *partem optimam elegisse.*

℣. 1. DESIGNAVIT SEPTVAGINTA DVOS. Sicut olim Moyses initio sui principatus delegit duodecim (r) principes & quasi patres duodecim tribuum Israel, & successu temporis sex alios ex singulis tribubus, id est, vniuersim 72. (s) quasi senatores & assessores: ita etiam Christus cuique tribui suum Apostolum & sex presbyteros dedit. Ex his *Matthias* (t) fuisse putatur, euectus postea ad apostolatum, inquit Clemens Alexandr. His discipulis successerunt sacerdotes, sicut Apostolis Episcopi, (vt docent S. Anacletus Papa & S. Hieron.) magno vtrorumque discrimine in officio & gradu. Idem hic numerus mysticè præsignatus fuit non solùm in iam dictis 72. consiliariis Moysis & concilio Sanedrim (u), sed & in 70. palmis, iuxta 12. fontes in Elim (x): & in 72. interpretibus (y) Scripturæ.

r *Num* 1. *v.* 11. *&c.*
s *Num.* 11. *v.* 24.
t *Act.* 1. *v.* 23.
Anacl. ep. 2. *Hieron. ad Marcellam.*
u *Num* 11. *v.* 24.
x *Exodi* 15. *v.* 27.
y *Chron. c.* 19 *in Philadelpho.*

D

℣. 4. NEMINEM PER VIAM SALVTAVERITIS] Non prohibet humanitatis officia, sed omnem inutilem confabulationem, distractionem & moram. Vt & olim Eliseus Giezi, 4. Reg. 4. v. 29. & c. 4: *in classe* 2. *in Eliezaro.* ita S. Ambros. August. Gregorius. Cetera huc spectantia communia sunt cum præceptis quæ Apostolis data sunt Matthæi 10. v. 8. & seqq. vbi illa explicui.

℣. 12. De *Sodomis, Corozaim, Bethsaida, Capharnao, Tyro, Sidone*, &c. egi Matth. 11. v. 21.

℣. 18. VIDEBAM SATANAM SICVT FVLGVR DE CÆLO CADENTEM] id est, instar fulguris, summa celeritate, impetu & vi. q. d. Non mihi rem nouam affertis, cum nuntiatis dæmonia per vos in nomine meo expelli: iam enim olim (y) vidi *Lucifer-*

z *Gen.* 1. *v.* 1.

rum

rum coram me, & à me cælo deiici. Vos potius cauete vobis, ne in superbiam elati cadatis vt Lucifer. ita S. Hieron. Ambrosius, Gregorius.

℣. 19. DEDI VOBIS POTESTATEM CALCANDI SVPRA SERPENTES ET SCORPIONES, litteraliter, vt sonant. Idem repetit Marci vltimo v. 18. & reipsa fecit Paulus Actor. 28. v. 3. & fecisset Adam in statu innocentiæ. Insuper do potestatem SVPER OMNEM VIRTVTEM cuiuscumque INIMICI, seu mundani, seu infernalis. Facit ergo Christus suos hîc omnibus bestiis, hominibus, dæmonibus superiores. ita Theophylactus, Euthymius & Beda.

℣. 20. NOMINA VESTRA SCRIPTA SVNT IN CÆLIS, in libro vitæ, seu in præscientia, memoria & prædestinatione Dei. Sed huic libro dupliciter quis inscribitur. Primò, absolutè & perfectè, scilicet secundùm statum æternitatis, seu in quo æternùm permansurus præuidetur à Deo. Et sic inscribuntur soli prædestinati, id est, qui in gratia Dei ex hac vita excessuri præuidentur. Et sic inscripti numquam deleri possunt. Secundò, imperfectè & quasi inchoatè tantùm, nempe secundùm statum præsentis dispositionis, seu secundùm iustitiam in qua in hoc mundo saltem ad tempus perdurant. Et sic inscribuntur omnes & soli iusti, seu quotquot actu sunt in gratia Dei, siue excisuri sint iterum & damnandi, siue non. Ex hoc libro delentur iusti quando in mortale peccatum incidunt. Et de hoc posteriore libro, de hac inscriptione loquitur hîc Christus, & Apostolus cùm commendat fideles *quorum nomina sunt in libro vitæ.* Et huic duplici *libro vitæ* duplex proportione respondet *liber mortis.*

Philip. 4. v. 3.

℣. 21. CONFITEOR TIBI PATER, &c. explicui Matth. 11. v. 25.

℣. 25. De hoc *legis perito* aliquid dixi Matth. 22. v. 36. Hic

℣. 29. VOLENS IVSTIFICARE SEIPSVM, id est, ostendere se iustum esse & timoratæ conscientiæ, utpote qui tam solicitus esset de cognoscenda, intelligenda & complenda lege diuina; quærit QVIS EST MEVS PROXIMVS, vt eum ex præscripto legis diligã?

Hieron. ep. ad Eustochium.

℣. 30. Inter *Ierusalem* & *Iericho* dicit S. Hieron. locum fuisse nomine *Adomin*, id est, sanguinum, quòd in eo crebri essent latrones multum sanguinis profundentes.

℣. 31. SACERDOS VISO SOLÙM LÆSO PRAETERIVIT, nihil opis aut solatij impertiens: SIMILITER ET LEVITA] Notat præposteram Iudæorum, & imprimis sacerdotum ac Leuitarum religionem, qui externis cæremoniis scrupulosè curandis toti incumbebant, interna pietate ac misericordia prorsus neglecta: & Samaritanos præ se contemnebant, quorum tamen aliqui longè illis superiores erant in operibus charitatis erga proximum, etsi religione seiunctum, exercendis.

℣. 34. OLEVM ET VINVM] Illud lenit & fouet, hoc tergit & corroborat. Pro *stabulo* græcè & syriacè est *diuersorium*, seu hospitium, Allegoricè, peregrinus hic est Adam eiusque posteri: *Ierusalem*, status pacis & innocentiæ: *Iericho*, id est, luna, status peccati: *latrones*, dæmones: hi *spoliarunt* Adamum donis supernaturalibus & gratuitis, *vulnerarunt* in naturalibus: *Sacerdos & Leuita*, sunt lex vetus: *Samaritanus*, Christus: *iumentum*, Christi humanitas: *diuersorium*, Ecclesia: *vinum*, sanguis Christi: *oleum*, misericordia: *stabularius*, seu hospes, Petrus. ita Origenes, Hieron. Ambros. Augustin. & alij.

℣. 36. QVIS HORVM TRIVM VIDETVR TIBI FVISSE læso PROXIMVS?] id est, proximi, vt decet, functus officio.

℣. 37. QVI FECIT MISERICORDIAM IN ILLVM. Sed iam à correlatiuis infer(*a*): Ergo etiam cui facta est misericordia, proximus est illi qui fecit. Maximè enim intendit Christus huic legisperito exemplum proponere exhibendæ misericordiæ, simulque docere, omnes omnino homines, & præsertim miseros, etsi inimicos (*b*), pro proximis esse habendos.

a *Simile Luc. 7. v. 47.*

b *Matt. 5. v. 43.*

℣. 38. CASTELLVM erat Bethania.

c *Ioan. 11. v. 1.*

℣. 39. MARIA Magdalene etiam tum cùm soror maximè *satageret*, angeretur & laboraret in apparando tali hospiti conuiuio, SEDENS *sibi* (vt addit Syrus) AVDIEBAT VERBVM seu doctrinam Christi. Norat enim gratissimum ei cibum (*d*) esse, obsequium animi ad omnem eius nutum.

d *Ioan. 4. v. 34.*

℣. 41. TVRBARIS ERGA PLVRIMA] Id est, turbida solicitudine studes multa parare fercula corpori recreando & reficiendo.

℣. 42. PORRO VNVM ferculum EST NECESSARIVM, & nobis sufficiens, inquit S. Basil. Theophyl. Cyrillus, Hieron. & Toletus. Sed quis credat Christum de solo corporeo cibo hic tam serio egisse? Malim ergo cum S. August. Euthymio, Beda, Emmanuele Sà, & aliis, per *vnum* intelligere vnum studium rerum diuinarum, & circa illas seriam occupationem, maximè per internos actus contemplationis & amoris. Hoc enim, utpote spirituale, optimum suauissimumque est animæ ferculum, & erit æternus cibus illi in cælo, nec vmquam AVFERETVR AB EA] Vnde Patres hîc contra Caluinum aliosque sectarios dicunt Mariam mysticè typum gessisse vitæ contemplatiuæ, sicut Martha actiuæ.

Petes, Quid hoc Euangelium ad B. Virginem Deiparam, quòd præcipuo ipsius festo, nempe Assumptionis, legatur in Officio diuino. Respondeo Primò, quia Deipara omnium officiosissima fuit hospita Christi. Secundò, quia vtrumque officium, Marthæ scilicet & Magdalenæ, in perfectissimo gradu obiuit. Tertiò, quia tota vita, & in omni negotio optimam partem studiosissimè selegit, inquit Petrus Canisius.

Canis. l. 6. Marialis c. 7.

CAPVT XI.

*Docet discipulos suos orare *, & perseueranter orare: eijcit daemonium mutum, negatque se in Beelzebub eijcere daemonia, beatasque fuxit ubera; sed nihilo minùs beatos qui obediunt verbo Dei. De signo Ionæ, de regina Austri, de Niniuitis, de oculo simplici, de superstitiosis Pharisæorum lotionibus, de eorumdem hypocrisi, propheticidio & impietate.*

* *Matth. 7. v. 9.*

℣. 8. IMPROBITATEM] Græcè & syriacè, *impudentiam*, id est, importunitatem. Vult ergo Deus nos in oratione perseueranter vrgere, quasi vsque ad importunitatem, quâ maximè delectatur. Vide Matth. 7. de quærente, petente, pulsante.

℣. 13. Pro *spiritu bono*, in Græco & Syriaco est, *Spiritus sanctus.* Quo nullum aliud donum libentiùs nobis impertit Deus.

℣. 14. DAEMONIVM, seu dæmoniacum hunc MVTVM, Matthæus dicit etiam cæcum fuisse, non natura, sed dæmone id causante.

Matth. 12. v. 22.

℣. BEELZEBVB] Id est, dominus muscarum: Accaronitis is deus erat, qui alijs Iupiter, vt dixi 4. Reg. 1. v. 3. Vnde meritò vocant hîc *principem daemonio-*

damoniorum, & credo Iudæos *Luciferum* (a) intelle- A xisse.

a *Gen. 1. v. 2.*

℣. 16. ALII TENTANTES, SIGNVM AB EO QÆREBANT, non iam ex inferno, ope Luciferi patrandum, sed DE CAELO] quo declararet se diuina virtute patrare miracula. de quo fusè in Matthæo (b).

b *Matth. 12. v. 38. &c.*

℣. 18. SI SATANAS, id est, regnum vel respublica Satanæ, IN SEIPSVM, seu in se mutuò, intra sua viscera, pugnat dissidetque, dum alij lædere, alij liberare homines studeant; QVOMODO STABIT REGNVM EIVS?] nam vt collusioni id ascribatur, fieri nequit, cùm non collusionis, sed manifestæ hostilitatis sit, palàm, ex professo, semper & vbique (vt ego facio) conatibus alicuius aduersari, & quanta possibile est damna inferre.

℣. 19. FILII VESTRI, id est, exorcistæ vestri, (quos vos non vt dæmones reijcitis, sed vt filios amplectimini & probatis,) IN QVO, seu cuius virtute, EIICIVNT ipsi dæmonia? Tales erant illi *septem filij Sceuæ principis sacerdotum & alij*, Act. 19.* Iosephus scribit, Iudæos exorcistas à Salomone accepisse artem coniurandorum & pellendorum dæmonum.

B

* *v. 13. & 14. Ioseph. l. 8. Antiq. c. 2.*

IDEO IPSI IVDICES VESTRI ERVNT, condemnabuntque vos inanitæ inuidiæ & odij in me, & blasphemiæ in Deum: quia scilicet eiectionem dæmonum in exorcistis vestris (in quibus nil supra hominem apparet) diuinæ virtuti: in me (in quo illustrissima fulgent diuinæ præsentiæ ac potentiæ argumenta) diabolo asscribitis.

℣. 20. PORRO SI IN DIGITO (c), id est, virtute, DEI; Matthæus (d), *in spiritu Dei*, seu per Spiritum sanctum, EIICIO DAEMONIA, vt reuera eiicio; PROFECTO PERVENIT IN VOS REGNVM DEI] q. d. Non solùm destruitur passim regnum dæmonis, dum ille undique diuina Spiritus sancti virtute è corporibus & animabus hominum per me expellitur: sed etiam inchoatur nunc, & præsens vobis exhibetur regnum Dei & Messiæ, toties per Prophetas promissum, à Ioanne Baptista propinquum nuper (e) denuntiatum, & à me iam sæpiùs oblatum (f), imò ostensum.

c *Exodi 8. v. 19.*

d *Matth. 12. v 28.*

C

e *Matth. 3. v. 2.*

℣. 22. FORTIOR ego dæmone SVPERVENIENS, vinco eum continuò, dum tot centena immò millena capita, quorum ille & animas & corpora possidebat, illi per me, perque meos subtraho. Fortitudinem dæmonis sub nomine & typo Behemoth & Leuiathan graphicè describit Iob cap. 40. & 41.

f *c. 4. v. 17. c. 5. v. 3. & seqq.*

℣. 23. QVI NON EST MECVM, &c.] q. d. Cùm dæmone perpetuum mihi & vniuersale (pro communi generis humani bono) bellum est: cui nullus hominum se subducere potest, quin stet à partibus alterutrius, meis vel Satanæ. Quicumque ergo vestrum mihi adhærere detrectat, aduersarius est meus, vel hoc ipso, quo se mihi, prout tenetur, non adiungit. ita Chrysost. Theophyl. Maldonatus & Franc. Lucas. Taxat Scribas & Pharisæos, qui, vtpote duces aliorum, debebant primi Messiam recipere, seque illi adiungere, cùm è contrario aduersarentur ac repugnarent. Quod alibi (g) dicit, *Qui non est aduersum vos, pro vobis est*; intelligit de eo qui re & doctrina cum ijs consentit & conspirat, licet id explicitè non præ se ferat, aut iis palàm ac manifestè non societur.

g *Marc. 9. v. 39. & Luc. 9. v. 50*

℣. 24. De *immundo spiritu per arida loca* peregrinante, & cum *septem alijs nequioribus* ad priorem stationem redeunte, alibi (h) dixi.

h *Matt. 12. v. 43.*

℣. 27. BEATVS VENTER QVI TE PORTAVIT] Parœmia Hebræis vsitata cùm volunt aliquem laudibus extollere. Sic R. Iohannan (i) filius Zaccai cùm vellet discipulum suum laudare, *Felicem*, inquit, *illam quæ te genuit.*

i *Id tract. Tamudico.* אבית פרקי

℣. 28. QVINIMO] μενοῦνγε, id est, imò verò. Non est negantis, sed aliud inferentis, quod quis magis inculcatum optat. Et quomodo negaret Christus, matrem suam (quod vult Caluinus) beatam esse? Tantùm ergo vult, felicitatem suorum auditorum magis sitam esse in obsequio verbi diuini. Nam & B. Virgo, (vt ait S. Augustin.) ex eo beatior fuit quòd mente Christum, quàm quòd ventre conceperit.

℣. 29. De *signo Ionæ*, de *Niniuitis*, de *regina Austri*, iam suprà (k) egi: vt & de *lucerna corporis*, (l) & *oculo simplici.*

k *Matt 12. v. 38. vsque 43.*

℣. 40. QVI FECIT QVOD DEFORIS EST, NON ETIAM ID QVOD DEINTVS EST FECIT?] Cur ergo non curatis vt sint vtraque munda? nempe tam anima, quàm corpus?

l *Matt 6. v. 22.*

℣. 41. VERVMTAMEN QVOD SVPEREST VOBIS; græcè, *quæ adsunt*, seu penes vos sunt, & quæ habetis & potestis *dare*, in ELEEMOSYNAM *erogare*, inquit Theophyl. Euthymius & Syrus; ET OMNIA MVNDA SVNT VOBIS] nempe tunc etiam mundabuntur interiora, scilicet anima. Nam eleëmosyna debito modo facta, nempe ex propriis & nulli debitis, item ex contritione vel amore Dei super omnia, remittit peccata etiam mortalia, vt in Tobia fusiùs dixi. Sic Daniel suadebat Nabuchodonosori, *Peccata tua eleëmosynis redime.* ita Origenes, Cyprianus, Ambros. Basilius & Euthymius. Sed de his plura Matthæi 23.

Tobiæ 4. v. 7. &c. Dan. 4. v. 24.

℣. 44. MONVMENTA NON APPARENT, quoad ea quæ intus continent, scilicet quoad ossa mortuorum, saniem, fœtorem, &c. quæ, splendido ornatu (quo monumenta exteriùs nitent) decepti homines, NESCIVNT, seu ignorant iis intus inesse. Vide de his & seqq. Matth. 23. v. 27.

C

℣. 52. TVLISTIS, id est, è medio sustulistis, solas vestras traditiones futiles inculcando. ita Cyrillus, Theophyl. Euthymius. Vel *tulistis*, id est, vobis solis ita vsurpastis, vt nulli alteri attrectare sinatis vel copiam faciatis. CLAVEM SCIENTIAE, id est, potestatem & munus interpretandi SS. Scripturas, quæ clarissimè docent & viam aperiunt ad regnum cælorum, & indicant me verum Messiam, &c. ita Tertull. & Ambros. De *claue potestatis*, vide dicta Matth. 16. v. 19. Dicuntur autem

℣. 53. OS EIVS OPPRIMERE] quia varijs quæstionibus captiosis conabantur illum obruere, vt aliquid pateretur sibi excidere, quod vel veritati D repugnaret, vel saltem malè sonaret; vt sic haberent quo illum possent vel apud iudices accusare, vel apud plebem traducere.

CAPVT XII.

Cauendum ab hypocrisi: non timendos tyrannos: fugiendas curas superfluas, neque ad nos spectantes, multoque magis auaritiam, & anxiam rerum necessariarum solicitudinem: lumbos præcingendos; lucernas in promptu semper habendas, vigilandum continuò: dona DEI *prudenter ac fideliter dispensanda: ignem diuinum vbique accendendum: signa aduentus Christi diligenter obseruanda; cum aduersario tempestiuè transigendum.*

℣. 1. DE *fermento Pharisæorum*, vide Matth. 16. v. 6. vbi & de *fermento Sadducæorum.*

℣. 2. NI-

℣. 2. NIHIL OPERTVM, &c. Matth. 10. v. 26. A Vbi & de morte non timenda.

℣. 6. QVINQVE PASSERES VÆNEVNT DIPONDIO (*a*)] Id est venduntur duobus pondiis, seu duobus assibus, seu duobus baiochis, qui faciunt vnum stuferum Belgicum, vel quintam partem Iulii, vel regalis argentei. Sic Matthæi 10. v. 29. *Duo passeres asse væneunt.* *a Proleg. de Ponderibus & monetis.*

℣. 8. De *confitendo* Christo *coram hominibus*, Vide Matth. 10. v. 12.

℣. 10. De *blasphemia in Spiritum sanctum*, Matth. 12. v. 31.

℣. 14. QVIS ME CONSTITVIT IVDICEM AVT DIVISOREM SVPER VOS?] Non negat Christus se vel Ecclesiam habere potestatem iudiciariam (vt stultè somniant Anabaptistæ:) nam erat ipse Rex regum, Dominus & iudex omnium constitutus à Patre. Sed solùm negat obligari se, vel à quopiam cogi posse vt id faciat. Noluit autem hoc B vel simili casu forensibus negotiis occupari. Primò, ne carnalem Iudæorum de politico Messiæ regno opinionem foueret. Secundò, vt politicum imperium à ministerio Ecclesiastico distinctum esse doceret. Tertiò, ne suis ansam daret, Euangelii prætextu ad propria lucra abutendi. Quartò, vt reipsa ostenderet, doctrinam & munus suum non terrenam, sed cælestem hereditatem spectare & hominibus admetiri. ita ferè S. Ambrosius, Euthymius, Beda.

℣. 15. NON IN ABVNDANTIA CVIVSQVAM VITA EIVS EST] Id est, non quia quis opibus abundat, ideo diutiùs, quietiùs, feliciùs viuit. Nam hoc à solo Deo, vt auctore, ita & conseruatore vitæ dependet. opes, luxus, curæ vitam sæpiùs accidunt.

℣. 20. HAC NOCTE angeli, quasi exactores à Deo submissi, ANIMAM TVAM, quæ Dei est, sed C tibi instar depositi credita, iam A TE vel inuito, nec opinante, nec parato, REPETVNT, vt supremi iudicis tribunali sistatur, inquit Toletus. Hoc ipso ostenditur, alieni iuris esse vitam, quam homo subinde putat in manu sua esse.

℣. 21. ET NON EST IN DEVM DIVES] Hebraismo, id est, in Deo, seu apud Deum diuitias recondens, scilicet per pia opera, tum interna fidei, spei & amoris in Deum: tum externa, eleëmosynarum corporalium & spiritualium in proximum propter Deum, vt etiam S. Paulus docet (*b*). *b 1. Timoth. 6. v. 17.*

℣. 22. NOLITE SOLLICITI ESSE QVID MANDVCETIS, &c. Vide Matth. 6. v. 25. vbi multis argumentis id cauendum probat.

℣. 29. IN SVBLIME TOLLI; græcè μετεωρίζεσθαι quid sit, ibidem v. 32. exposui.

℣. 33. De *thesauro* animæ egi Matth. 6. v. 20. & in monitis Tobiæ. *Tobiæ 4. v. 7. & seqq.*

℣. 35. SINT LVMBI VESTRI PRAECINCTI, &c.] Id est, estote continuò parati, & omnibus virtutibus instructi, vt Deo reuertenti ad vos in morte (vt in cælestem thalamum vos secum inducat) promptissimi occurratis. S. August. & Gregorius, per *lumbos succinctos* frænatam luxuriam, per *lucernas ardentes* fidem & charitatem intelligunt.

℣. 37. PRAECINGET se vicissim sponsus, ET TRANSIENS MINISTRABIT ILLIS] Id est, discurret & circumspiciet undique an quid alicui desit in mensa, vt solent sponsi in nuptiis. Quâ parabolâ significatur, Deum plenissimè atque omni ex parte prospecturum, vt cælestes conuiuæ quàm honoratissimè, lautissimè, iucundissimè habeantur.

℣. 38. SI SECVNDA VIGILIA (*c*), quæ medium noctis antecedit, vel TERTIA VIGILIA, quæ immeditatè sequitur, (nempe, quando sopor magis vrget, & molestior est vigiliâ) VIGILANTEM tamen seruum dominus INVENERIT, eximiè gratum habebit, & egregiè remunerabitur. *c Chron. c. 2.*

℣. 39. De *fure* nocturno vide Matth. 24. v. 45. vti & de *fideli & prudente* dispensatore.

℣. 47. Infidelis enim serui PARTEM PONET dominus CVM INFIDELIBVS] Id est, separatum, & expulsum è numero fidelium seruorum suorum, consortem faciet cumuli & pœnæ perfidorum, qui torquentur in gehenna.

℣. 49. IGNEM VENI MITTERE IN TERRAM] Quis hic ignis? odia & persecutiones, inquit Tertullianus & Maldonatus. & probant ex v. 51. & 52. Sed quomodo vult Christus vt odia & persecutiones accendantur? Melius ergo Cyrillus & Ianlenius, esse doctrinam Euangelicam. Sed optimè Origenes, Ambrosius, Hieron. August. & alij, esse Spiritum sanctum, & dona Spiritus sancti, maximeque ardentem zelum, & inflammatam charitatem, inquit Theophyl. & Euthymius. Nempe hunc cælestem ignem optat Christus in omnium cordibus accendi, vt infernalem odiorum & tormentorum ignem ab hostibus accendendum, vt sequitur, fortiter tolerent & superent, cum S. Martyre Ignatio etiam leones in se prouocantes. Sed hic ignis cælestis non priùs magna copia exiliet, quàm ego baptizer *Ignat. epist. ad Roman.*

℣. 50. BAPTISMO passionis (nam aquæ in Scripturis (*d*) tribulationem significant) quo breui HABEO, seu debeo, BAPTIZARI] Videtur alludere ad fontem Epiri, in quem si faces extinctas immerseris accenduntur. *d Psal. 68. v. 2. & 16.*

ET QVOMODO COARCTOR, stringor, premor, angor, crucior, scilicet accensus igne cælesti iam dicto, putà zelo & desiderio subeundi illius baptismi, & superandi ignis hostilis? ita S. Ambros. Theophyl. Euthymius. Cetera huc facientia exposui Matth. 10. v. 34. De signis verò præuiis aduentui Messiæ, Matth. 16. v. 2. De transactione denique cum aduersario, Matth. 5. v. 25.

CAPVT XIII.

De Galilæis à Pilato occisis, & alijs in Siloe lapsu turris oppressis, de ficu infructuosa: quibus docet, citò omnibus pœnitendum, alioqui pari modo extirpandos. Archisynagogum indignatum quòd contractam mulierem sabbato curasset, egregiè perstringit. Regnum Dei comparat grano sinapis & fermento. Suadet intrare per angustam portam. Herodem vt vulpem nil curat. Excidium Ierosolyma predicit.

D. ℣. 1. GALILAEORVM secta sic nominata à Iuda primo eius auctore, qui origine Galilæus erat, vt alibi dictum, valdè Romanis exosa erat, quòd negaret, licere populo Dei tributum pendere Cæsari Gentili. Horum ergo non paucorum dum *in monte Garizim* sacrificant, iugulatorum SANGVINEM PILATVS MISCVIT cum sanguine victimarum quas offerebant. Historiam fusè narrat Iosephus: sed vocat *Samaritanos*, quia tales erant origine, sed secta Galilæi, inquit Baronius. Huius sectæ sæpiùs insimulati sunt Christus & Apostoli, vtpote ex Galilæa oriundi. Hinc passim inculcant studiosè, dandum Cæsari & regibus tributum. Et videntur hi qui de cæde hac nuntiabant Christo, captiosè id egisse, vt audirent quid ipse ea de re sentiret. *e Matt. 27. v. 17. & Act. 5. v. 37.* *Ioseph. l. 18. Antiq. c. 5.*

℣. 4. SV-

℣. 4. SVPER DECEM ET OCTO, forsan A ex vrbe Ierosolymitana ambulatum egressos, CECIDIT TVRRIS IN, seu iuxta, riuulum SILOE (*b*) antè *erecta*, & iam vel terræmotu, vel impetu ventorum repentè collapsa.

b Isaiæ 8. v. 6. & 2. Paral. 32. v. 4.

℣. 5. SI POENITENTIAM NON EGERITIS, OMNES SIMILITER PERIBITIS] nempe diuina etiam vltione oppressi.

℣. 7. ECCE ANNI TRES SVNT] Alludit ad naturam ficus, quæ subinde tertio demum anno fert fructum: sed si tertio non ferat, numquam feret. Cetera ornatus causa parabolæ adiunguntur. Euthymius per tres annos, tres Iudæorum politias intelligit, sub iudicibus, regibus, pontificibus: Theophyl. tres hominis ætates, adolescentiam, virilem statum & senectutem. Cur homo ficui comparetur, vide Salmeronem.

Salmeron tom. 7.

℣. 9. SI QVIDEM FECERIT FRVCTVM, sup. B ple, bene accidet, salua erit. Est apoziopesis.

℣. 11. HABEBAT SPIRITVM INFIRMITATIS] id est, dæmonem qui ipsi infirmitatem & morbum immiserat, vt patet ex v. 16. Et hoc dæmoni non infrequens esse docet exemplum Iobi, & lunatici istius apud Marcum.

Iob 2. Marc 9. v. 16.

℣. 12. MVLIER, DIMISSA ES, id est, curaris & liberaris, AB INFIRMITATE TVA] nempe per impositionem manuum mearum, vt sequitur. Tropologicè, mulier contracta & inclinata typus est animæ terrenis rebus inhiantis & affixæ. quod unicè suadet & curat diabolus, inquit Iansenius.

℣. 19. De *grano sinapis*, de *fermento*, egi Matth. 13. v. 32. De *angusta porta*, Matth. 7. v. 13. De *Nescio vos* ibid. v. 23. & c. 25. v. 12. De *fletu & stridore dentium*, c. 8. v. 12. De *primis & nouissimis*, c. 19. v. 30.

℣. 31. DICITE VVLPI ILLI] id est, fraudulento insidiatori. Sic vocat Herodem, insidias, vt apparet, Christo struentem: sed quam ob causam? eamdem verosimillimè, ob quam parens eius quærebat

c *Matth. 2. v. 13.* (*c*) *puerum ad perdendum eum.* Nempe timebat ne qui Messias vbique audiebat, populi paulatim ad ipsum delabentis potentiâ regnum Galilææ, vt & Iudææ, sibi vindicaret.

ECCE EIICIO DÆMONIA, (quantò faciliùs homines, si luberet?) ET SANITATES PERFICIO, quas & vbi volo, HODIE ET CRAS, id est, aliquanto adhuc tempore, scilicet quanto mihi placebit: q. d. Quantumcumque inuito Herode: & vobis indignantibus, qui me ex nunc sublatum velletis, faciam quidquid mihi libuerit, & quamdiu libuerit. Nam TERTIA demum DIE decretum mihi est (*d*) *consummari.* Nempe peracta demum legatione mea, glorioſissima morte perfungar. D Interim

d *Hebr. 5. v. 9.*

℣. 33. OPORTET ME pro libito AMBVLARE (*e*), hebraismo, id est, operari quæ volo miracula, HODIE ET CRAS ET SEQVENTI DIE, id est, vsque ad finem tertij diei, id est, toto quod mihi præfixi tempore vsque ad mortem: quam non statui hîc in Galilæa subire, sed in Iudæa, & quidem Ierosolymæ: QVIA NON CAPIT, græcè, οὐκ ἐνδέχεται id est, non conuenit, non continget, Fieri nequit. Est hyperbole. q. d. Tanta est Ierosolymorum impietas, vt prouinciam occidendi Prophetas & Sanctos, videantur sibi propriam fecisse: ac proinde non est quòd in Galilæa mihi metuam ab Herode, sed potiùs à vobis, ô Pharisæi, Ierosolymis. De quibus deserendis & excidendis dixi Matth. 23. v. 37.

e *Psal. 1. v. 1. in Hebr & Ioan. 8. v. 12.*

CAPVT XIV.

Curat hydropicum sabbato, docens id omnino licere. Carpit ambitiosam primi loci occupationem. Parabola de inuitatis ad cœnam docet omnia posthabenda procurationi salutis animæ. Parabola turris, belli & salis prouidè ac prudenter præcedendum in delectu status etiam perfectionis, studij salutis alienæ.

℣. 1. MANDVCARE PANEM] Id est, prandere vel cœnare: nam *panis* pro omni ciborum genere apud Hebræos vsurpatur.

ET IPSI conuiuæ OBSERVABANT EVM, in id vnum intenti, vt ex verbis vel moribus eius aliquid elicerent, quo possent illum accusare vel traducere. Cùm Christus è contrario, saluti æmulorum suorum studiosissimè esset

℣. 7. INTENDENS] προσέχων, id est, attendens: quam & captata occasione ex ambitu primi loci, multis parabolis promouere contendit.

℣. 12. NOLI VOCARE AMICOS] Non prohibet nec dissuadet officia humanitatis, aut gratitudinem quam pro acceptis beneficiis debemus: sed solùm vult indicare, communibus officijs in amicos vsitatis non sat probari charitatem quam proximo exhibere tenemur, maximè pauperibus.

℣. 15. BEATVS QVI MANDVCABIT PANEM IN REGNO DEI] id est, qui perfruetur dei cijs cælestibus & gaudijs vitæ futuræ. Ita omnes iudicant, omnes optant. Interim cùm ad rem venitur, cùm adsunt qui ad epulum cæleste inuitant & accersunt;

℣. 18. COEPERVNT SIMVL OMNES, seu C ad vnum omnes, quasi ex compacto & constituto, sese EXCVSARE] imò admincula & adiumenta in eum finem à Deo accepta, sponte in impedimenta conuerterunt.

℣. 23. EXI IN VIAS ET SEPES] id est, ad vicos & in agros, qui sepibus cingi solent. Et designantur Gentiles, qui apud Iudæos in summo contemptu erant. Cetera huc spectantia collige ex Matth. 22. v. 2. vbi similis parabola proponitur.

℣. 26. QVI NON ODIT PATREM SVVM, ET VXOREM, &c.] scilicet quatenus mihi, meoque obsequio contrarij sunt. Vnde Matthæus ait: *Qui amat patrem plus quàm me.* Et sic omnes concernit. Quòd si quis velit, etiam probos & pios parentes odio habendos, id est, ac si odissemus deserendos, non animo tantùm, sed & corpore, vniusque Christi seruitio inhærendum: tunc in eo quod sequitur, NON POTEST MEVS ESSE DISCIPVLVS, nomen *discipuli* strictè sumendum pro eo solo qui Christo perfectè & plenè adhæret, ad modum Apostolorum & 72. discipulorum; non sola præcepta seruantium, sed & consilia Christi Euangelica, de quibus hic agi videtur, vt ex v. 33. patet

Matth 10. v. 37.

℣. 28. Similitudine *turris*, *belli* & *salis* indicat Primò, quodnam sit officium proborum discipulorum Christi, nempe, *ædificare* tum in se, tum in aliis turrim perfectionis: *bellum* implacabile Sataniæ, mundo, carni indicere: & instar *salis* omnia condire, purgare, à corruptione præseruare. Secundò, non temerè, nec leuiter, deligendum vitæ statum, etiam perfectionis, & maximè curam salutis alienæ: sed cautè ac prouidè prætentandum robur tum corporis, tum animi, an par futurus sit ferendis non modò laboribus, sed & periculis ibi occurrentibus: ne, si iusto debilior sit, hosti

vel

vel cum damno succumbat, vel cum ignominia cedere cogatur. Reliqua ornatus causâ parabolis adiecta sunt. Quanta turris sit Religio, vide apud Salmeronem.

Salmer. to. 7. tract. 24.

℣. 35. Quomodo discipuli Christi sint *sal mundi*, vide Matth. 5. v. 13. Euanidum verò NEQVE IN TERRAM VTILE EST, potiùs steriles reddet agros: NEQVE IN STERQVILINIVM, quia nihil inde hauriet melioris succi, neque amissam recuperabit acrimoniam, neque fimum augebit, sed magis corrumpet. An non tales experimur Religionis apostatas.

CAPVT XV.

Parabolis de centesima oue perdita, de drachma reperta, de prodigo filio ad frugem reducto declarat, quàm grata, quàm læta Deo & angelis accidat conuersio peccatoris.

B ℣. 7. GAVDIVM ERIT, suple, maius, SVPER VNO PECCATORE, &c.] Nempe nascente regis filio nouo regni terreni herede quanta gaudia! Quid ni & nascente nouo regni cælestis herede? Loquitur autem Christus hîc (vt sæpè aliàs, & maximè in parabolis) more humano, & accommodatè nostro ingenio, qui nouum gaudium, recens, & ex insperato obueniens, meliùs sentimus & pluris facimus, quàm aliud antiquum quo multo tempore continuò fruebamur, licet reuera hoc in se maius sit: nam res omnes in hoc mundo longa duratione sensum sui minuere videntur. Quo modo Christus pro vnius hominis salute, si opus esset, iteratò crucifigi vellet, in visione exhibuit S. Carpo apud S. Dionysium.

Dionys. ep. 2. ad Demophilum.

℣. 12. ADOLESCENTIOR *filius* significat peccatores, quia adolescentia liberior, inconstantior & stultior esse solet: *senior* iustos, vel qui se putant iustos, vt se Pharisæi & Scribæ iactabant. Alioqui veteres passim per hos intelligunt Gentiles & Iudæos, quorum proprium erat murmurare. (a)

a Hic v. 25.

DA MIHI PORTIONEM SVBTANTIÆ QVÆ ME CONTINGIT, id est, quæ ad me pertinet] Hic est cumulus bonorum tum internorum, tum externorum, tam gratiæ, quàm fortunæ vel naturæ. Varia enim sunt quæ prodigit & perdit peccator, inquit S. Ambrosius & Theophyl.

℣. 13. *Regio longinqua* est vita perdita, sanè remotissima à Deo & virtute; vel, vt S. Augustinus, est obliuio Dei.

℣. 14. POSTQVAM OMNIA CONSVMMASSET, id est, absumpsisset, FACTA EST FAMES VALIDA, & ipse ad extremam redactus inopiam ac miseriam, VNI CIVIVM, putà diabolo, seruum se addi- D xit, vt cum *porcis* saltem comederet SILIQVAS] id est, inanes leguminum folliculos: per quos S. Hieronymus, Ambrosius, Augustinus accipiunt sæculares scientias & vanas artes; Iansenius res carnales, quæ appetitum non satiant, sed distendunt & cruciant.

℣. 17. IN SE, id est, ad mentem, REVERSVS, & serio de se cogitans, DIXIT: QVANTI, id est, quàm multi, MERCENARII, spe bonorum temporalium Deo seruientes, ABVNDANT PANIBVS] id est, omni re ad vitam sustentandam necessaria. Initium conuersionis agnitio est propriæ miseriæ, & diuinæ misericordiæ nos ad bene sperandum & resipiscendum excitantis.

℣. 18. PECCAVI IN CÆLVM, id est, grauissimè, sceleribus meis vindictam in cælum cla-

mantibus. Vel per metonymiam, *in cælum*, id est, in Deum (b) & in cælites: ET CORAM, id est, contra, TE.

b Matt. 21. v. 25.

℣. 20. PATER CECIDIT SVPER COLLVM filij, irruens in amplexus & oscula, indices celeris & singularis Dei in resipiscentes beneuolentiæ.

℣. 22. CITO PROFERTE STOLAM PRIMAM] græcè, primariam illam & eximiam vestem, v.g. togam illam talarem (quæ erat nobilium filiorum) quâ priùs ante abitum vtebatur. Significat gratiam habitualem cum omnibus habitibus supernaturalibus peccatori conuerso integra, imò nouis incrementis aucta, restitui, inquit S. Hieronymus, Augustinus & Beda. *Annulus*, est spiritus sancti participatio, & supernaturalis ac perfecta imago Dei, de qua Genesis 1. v. 26. *Calceamenta*, gratiæ actuales præuenientes & cooperantes. *Vitulus saginatus*, internæ & spirituales consolationes, cupediæ ac deliciæ filiorum Dei, de quibus fusè ijdem Patres.

℣. 24. MORTVVS ERAT, ET REVIXIT] An non iure dicendus mortuus, qui nihil potest vtile ad vitam spiritualem vel æternam? Nónne resurrexit, qui iam viuit Deo, sibi & cælo?

℣. 28. *Indignatio* & querelæ fratris senioris, hîc solùm adiungitur, vt murmur Pharisæorum ob reductionem peccatorum indignantium retundatur, vtpote qui immeritò doleant ob id quod Deo & cælitibus extremum gaudium creat. Hic enim est totius parabolæ scopus, vti fuit & occasio. Plura tropologica vide apud Salmeronem & Barradium.

Salmer. to. 7. tract. 27. & 28.

CAPVT XVI.

C *Parabola iniqui villici docet eleemosynis incumbendum: non posse Deo seruiri simul & mammonæ: vim faciendam regno Dei: vxorem non dimittendam: felicem pauperis Lazari, & infelicem diuitis Epulonis sortem in altera vita.*

℣. 1. VILICVM] οἰκονόμον, id est, dispensatorem, seu administratorem omnium bonorum domini sui, etiam villarum & frugum, tritici, olei, vini, &c. & qui etiam villas & agros elocaret.

℣. 6. Quæ mensura sit *cadus*, seu amphora Attica 120. librarum: quæ item *corus* seu *chomer*, librarum 800. dixi in Prolegomenis.

Proleg. de mensuris.

ACCIPE CAVTIONEM, seu syngrapham, TVAM, quâ olim mihi traditâ testatus es te debere domino meo centum cados olei; hanc tibi nunc reddo, accipe & lacera, ac pro ea aliam mihi conscribe, qua fatearis te non nisi quinquaginta cados illi debere. & sic dimidium debiti donatum à me tibi habe.

D

℣. 8. ET LAVDAVIT DOMINVS] non Christus, vt vult Erasmus, (quia Christus hic est enarrator parabolæ, & sunt hęc ipsiusmet verba, vt patet ex v. seq.) sed *dominus* villici, de quo hactenus. *Laudauit*, inquam, non factum & furtum villici, sed industriam & ingenium illius: sicut nos ingeniosum facinus, etsi iniquum, subinde extollimus.

FILII HVIVS SECVLI, seu tenebrarum, vocantur, homines mundani, rebus terrenis dediti, quos S. Paulus *carnales* vocat, IN GENERATIONE SVA, hebraismo, id est, in genere suo, in negotijs suis, nempe in temporalibus, & maximè in fraudulentis commercijs, PRVDENTIORES, id est, sagaciores, SVNT FILIIS LVCIS] scil. fidei, id est, fidelibus & iustis. Scopus parabolæ exponitur:

℣. 9. FACITE simili modo, sed iusto, vos ô auari

Pharisæi, & bona Domini vestri, quorum dispensatores estis, prudenter & tempestiuè per eleëmosynas expendite. Et est argumentum à minori. q.d. Si villicus hic tam solicitè pro terreno domicilio & victu sibi prospexit; quantò magis decet vos pro cælesti conuictu & æterno tabernaculo satagere? inquit S. Augustinus, Euthymius & Maldonat. Porrò terrena bona *mammonam* hîc vocat *iniquitatis*, seu diuitias iniquas, hebraismo, id est, vanas, inanes, non veras, sed falsas, vt explicat v. 11. Possent nihilominùs etiam *iniquæ* dici, quia vt plurimum ex iniquitate & iniustitia comparantur, & omnis peccati materiam, occasionem, instrumenta suppeditant. Vulgò dicitur, inquit S. Hieronym. Diues aut iniquus est, aut iniqui heres.

Hieron. q. 1. ad Hedibiam.

VT CVM per mortem DEFECERITIS, & à munere dispensatoris semouebimini, RECIPIANT VOS ipsi quos hîc nutristis pauperes, si nempe priùs ipsi in cælum abierint: *recipiant*, inquam, precibus suis & bonorum operum communicatione. Vult enim Christus insinuare, diuites non tam dare, quàm accipere beneficium à pauperibus, inquit S. Gregorius. Quòd si fortè sint impij pauperes, *recipient* tum vos in cælum ij quorum est recipere, scilicet angeli. Solenne enim Hebræis est, suppositum, quasi sat notum, subticere.

℣. 10. QVI FIDELIS EST IN MINIMO, putà in terrenis bonis administrandis, etiam FIDELIS EST IN MAIORI] nempe in spiritualibus siue gratum facientibus, siue gratis solùm datis, v.g. in munere euangelizandi, Sacramẽta administrandi, &c.

Nota, has & similes sententias practicas, (quales multæ sunt in Prouerbijs, Ecclesiaste & Ecclesiastico,) non semper, sed vt plurimum veras esse: significant enim solere vulgò homines sic agere & iudicare.

a *Hic v. 9.* ℣. 11. *Iniquus*, id est, falsus (vt iam (*a*) dixi) vocatur *mammon*, quia specie verarum ac solidarum opum fallit homines: neque enim mentem satiat, neque desiderium explet, neque constanter aut diu adhæret, sed citò perit, & facilè eripitur. Vnde meritò opponitur *vero*, id est, solidis diuitijs & spiritalibus opibus. ita Theophylactus, Euthymius, Beda.

℣. 12. *Alienum* vocat easdem, de quibus hactenus, opes temporales, quia non tam hominis, quàm mundi bona sunt, à mundo accepta & mundo relinquenda. QVOD VESTRVM EST vocat spiritualia & cælestia bona, æternùm nobis adhæsura. Solent autem homines in alieno ritè administrando, (alioqui rationem reddituri, & infamiam, imò pœnas incursuri,) diligentiores esse quàm in proprio. Vnde rectè infertur, SI IN ALIENO FIDELES NON estis, QVIS DABIT VOBIS aliquid quod fiat *vestrum*, seu verè proprium? nam istud multò citiùs, multò faciliùs dissiparetis? Cetera huc spectantia vide apud Matth. c. 6. v. 24. Mox applicat hæc omnia Pharisæis, vbi inter alia

℣. 15. QVOD ALTVM EST, seu magnum, mirabile, stupendum apud *homines*, putà iustitia & superstitio Pharisaica, ABOMINATIO EST ANTE DEVM, qui non contentus nitore corticis, id est, externarum cæremoniarum, vult nucleum ipsum, id est, cor mundum & rectum, quod ipsi contemnunt, sepulchra foris dealbata, (*b*) sed intus plena ossibus fœtentibus.

b *Matt. 23. v. 27.*

℣. 16. LEX ET PROPHETÆ VSQVE AD IOANNEM, in Matthæo (*c*) explicatum est, vt & de vi facienda (*d*) regno Dei. De *apice legis*

c *c. 11. v. 12. & 13.*
d *c. 5. v. 17.*

non (*e*) casuro: & de *vxore non dimittenda*.

e *c. 19. v. 6.*

℣. 19. HOMO QVIDAM Iudæus (*f*) nomine *Nineusis*, inquit ex Hebræorum traditione Euthymius, putatque vixisse sub id tempus, ac propterea nomini ipsius parcitum à Christo. Neque enim est hæc parabola, vt vult Theophyl. Iustinus, & Eucherius; sed solida historia, inquit Origenes, Tertull. Irenæus, Chrysost. Clemens Alexandr. Ambros. & alij passim. Et vnde alioquin pauperi nomen *Lazari*, seu Eleazari? vnde diuiti *quinque fratres*? vnde tam exacta damnationis & pœnarum descriptio? fateor quidem symbolica quædam interseri, vt de lingua diuitis, de gutta aquæ, &c. sed non poterat aliter nobis status eius innotescere. & solent eiusmodi corporalibus symbolis spiritualia adumbrari.

f *Hic v. 24.*

℣. 21. SED ET CANES, quos præ nimia debilitate non poterat repellere, LINGEBANT VLCERA EIVS iam penè cadaueroſi, & quasi mortui.

℣. 22. MENDICVS, ab auaro diuite repulsus, indeque mortuus, AB ANGELIS excipitur, & IN SINVM ABRAHÆ *defertur*, id est, in limbum sanctorum patrum: qui sinus Abrahæ vocatur, quia in eo omnes filij (id est, imitatores fidei & pietatis) Abrahæ, in summa quiete, quasi in optatissimo sinu parentum, suauiter quiescebant, inquit (*g*) S. Augustinus. Et quia Abraham hospitalitate excelluit in viuos, ideò etiam in mortuos hospitalis inducitur, inquit Chrysost. & Theophyl.

g *Aug. l. 4. de Anima, cius origine, c. 16.*

DIVES AVTEM SEPVLTVS EST quoad animam IN INFERNO] An ergo vestiri byisso (*h*) & purpura, (*i*) & splendido apparatu epulari, peccatum est mortale? Respondeo, Ex se non est, neque ideo præcisè detruditur hic in infernum, sed ob alia coniuncta scelera, v. g. ebrietatem, luxuriam, detractiones, fastum, immisericordiam, neglectum pauperum, contemptum miserorum, quæ rarò absunt, certè hîc non abfuerunt, cùm Lazaro causa mortis sua auaritia fuerit. ita S. Chrysost. Ambros. August.

h *Exodi 25. v. 4.*
i *Ibid.*

℣. 24. REFRIGERET LINGVAM MEAM, &c. Loquitur Christus accommodatè captui nostro, quasi anima linguam haberet, & aqua refrigerari posset: quia supplicia animarum non nisi per symbola corporea capere possumus. Item, vt congruam delicatulo auaro pœnam inflictam significaret, vt qui lingua peccarat, lingua torqueretur; & qui micam negarat, guttula frustraretur, inquit S. Augustinus. Posset addi, voluisse Christum integra damnati diuitis supplicia, quæ post resumptum corpus habiturus erat, ob oculos ponere.

Aug. serm. 117. de Temp.

℣. 26. IN HIS OMNIBVS, id est, super hæc omnia, seu insuper, INTER NOS sanctos ET VOS damnatos CHAOS magnum, χάσμα, id est, hiatus, seu vorago, q.d. Latissima & altissima fossa, id est, maximum interuallum, FIRMATVM EST, scilicet diuino decreto & constitutione immutabili. Vnde patet, locum limbi patrum non fuisse omnino vicinum inferno damnatorum.

℣. 28. TESTETVR Lazarus *fratribus meis*, de his meis supplicijs, vtpote testis oculatus, & occasio ex parte; NE ET IPSI, meum secuti exemplum, VENIANT IN HVNC LOCVM TORMENTORVM.

Dices, Damnati ex summa obstinatione in malo, execrantur omne bonum, nec cuiquam bene volunt: quomodo ergo hic fratribus consultum optat? Respondeo, Non fratribus (nisi per accidens) sed sibi consultum voluit: nam peccata fratrum (vtpote quibus ipse suo exemplo, & consilio,

lio, forsan & præcepto causam dederat,) sibi imputanda sciebat, & pœnâ illorum pœnam suam augendam, inquit S. Gregorius & Liranus.

℣. 31. NEQVE SI QVIS EX MORTVIS RESVRREXERIT, CREDENT] Quàm facile enim erit explodere eiusmodi apparitionem, & vel phantasię vel dæmoni asscribere? Nonne Lazarus (a) alter, nonne Christus à mortuis rediuiui? an illis ideo crediderunt Iudæi? vnde meritò omni mortuorum apparitioni præfertur S. Scriptura, tamquam certior testis tormentorum inferni, cuius auctoritas, vtpote diuina, eleuari vel reiici non potest.

a *Ioan. 11. v. 44.*

CAPVT XVII.

Væ scandalizanti pusillos: peccanti in nos ignoscendum: quanta fidei efficacia: nos esse seruos inutiles. Mundatus decem leprosis, non nisi vnus, & hic Samaritanus, gratias redit acturus. Aduentus Christi ad iudicium qualis futurus.

℣. 1. DE *scandalis*, de peccatis in nos admissis, totics quoties remittendis, vide quæ Matth. 18. v. 7. & 22. dixi.

℣. 10. Vos verò DICITE, SERVI INVTILES SVMVS] id est, mancipia, inquiunt hæretici, quæ suis operibus, vtpote Deo plenè debitis, nihil præmij prometeri possunt: ergo (inferunt) nulla sunt opera supererogationis, imò nulla merita. Sed contrà, Christus hîc apertè loquitur non de mancipio, sed de seruo qui mercedis promissæ causâ, opera ex pacto debita præstat. Qui si ea sola præstiterit, nullas sanè gratias, (b) condictam tamen mercedem promeretur & (c) accipit. Quòd si vltra pactum etiam alia seruitia Domino grata & optata præstiterit, gratias insuper & honorarium merebitur & accipiet. Sic ergo & nobiscum aget Deus, si vel sola præcepta, vel insuper etiam consilia Christi compleuerimus.

b 1 *Cor. 9. v. 16. 18.*
c *Matth. 10. v. 41. Apoc. 11. v. 18. &c.*

Petes, Quare ergo dicimur *serui inutiles*? Resp. Non sic nos vocat Christus,) qui alibi (d) ait, *Euge serue bone & fidelis*: item, *Iam (e) non dicam vos seruos, sed amicos*:) sed iubet vt ipsi sic nos vocemus, humilitatis fouendæ causâ, quia scilicet nostris operibus nihil vtilitatis Deo (qui nullo indiget) afferimus. Quia tamen sic obsequimur nutui diuino, eiusque gloriam propagamus, mercedem & præmium meritò referimus.

d *Matt. 25. v. 21.*
e *Ioan. 15. v. 15.*

℣. 12. LEPROSI STETERVNT A LONGE] ob lepræ fœditatem non ausi accedere.

℣. 14. ITE, OSTENDITE VOS SACERDOTIBVS] vt iuxta legis (f) præscriptum declarent, an verè leprâ laboretis. Id præcipit Christus non solùm ad obseruantiam ordinis sacerdotalis & legis, sed etiam ad probandam augendamque illorum fidem & obedientiam. Et obsequuntur illi statim, etsi scirent se certò leprosos esse, nec à sacerdotibus curandos, sed declarandos tantùm: nam certò sibi persuadebant, se hac obedientia à Christo curandos esse, vt & curati sunt. Sed non nisi vnus gratias acturus redit ad Christum. Quàm displiceat Deo vitium ingratitudinis vide S. Bernardum. Allegoricè, peccatores à Christo destinantur ad sacerdotes nouæ legis, qui lepram animæ non declarent modò, sed & curent, inquit S. Chrysost.

f *Leuit. 14. v. 2.*
Bern. serm. 51. in Cantic. Chrysost. l. 3 de Sacerdotio.

℣. 20. QVANDO VENIT; hebraismo, pro veniet vel venire oportet, REGNVM DEI, quod tu passim prædicas & inculcas, nempe quo per Messiam glorioissimè regnabit in nobis, seu inter nos Deus? Respondet Christus cum distinctione duplicis regni Christi, primi per gratiam, secundi per gloriam. De priori dicit, NON *venire* CVM OBSERVATIONE, id est, cum externo splendore, & apparatu regio, quo possit agnosci ab omnibus, vt exspectabant Iudæi.

℣. 21. ECCE ENIM REGNVM hoc DEI INTRA VOS EST] nam ego rex & Messias vester in medio vestri versor: & id per quod intra vos regnare decreui, nempe fides, gratia & alia spiritualia ac cœlestia bona, quæ vobis communicaturus veni, non extra vos visibilia, sed intra vos inuisibilia latent in anima vestra. An ergo Ecclesia Christi, vt fingunt hæretici, est inuisibilis? Nequaquam: nam licet anima lateat, & quæ in anima sunt, putà fides, gratia, &c. non latet tamen corpus, & functiones quæ exteriùs per corpus exercentur, putà professio externa fidei sub Christo & vicario Christi, quâ facilè toti orbi innotescit. Et iam quidem contemnitis me, inquit Christus, meumque hoc, vt vobis videtur, humile regnum. Sed

℣. 22. VENIENT breuî DIES, QVANDO DESIDERABITIS VIDERE VNVM DIEM FILII HOMINIS] quo scilicet vobiscum, vt nunc, conuersor, & quo me videre, consulere, & à me solatium haurire possitis in tribulationibus quæ vobis superuenient, inquit Theophylactus & Euthymius.

De posteriore regno & aduentu suo subdit Christus sequentia:

℣. 24. SICVT FVLGVR DE SVB CÆLO] id est, ex vna cæli plaga vsque ad alteram simul & semel fulget: ita subitus, manifestus & splendidus erit aduentus meus secundus ad iudicium, vt alibi (g) dixi.

g *Matt. 24. v. 27. 37.*

℣. 32. MEMORES ESTOTE (h) VXORIS LOTH] ne illius inobedientiam vel curiositatem imitemini.

h *Gen. 19. v. 26.*

℣. 34. ILLA NOCTE] Supià vocauit *diem*, (i) & *horam*, (k) quam hic vocat *noctem*, Primò, quia tunc *obscurabuntur sol, luna & stellæ*. (l) Secundò, quia tempus istud calamitosissimum erit; nox autem symbolum (m) est calamitatis. Tertiò, quia, sicut nox claudit tempus operandi, ita dies iudicij claudet tempus merendi: *Venit (n) nox quando nemo potest operari*. Reliqua vide exposita in Matthæo (o)

i *Hic v. 24.*
k *v. 31.*
l *Matt. 24 v. 29.*
m *Psal. 4. v. 7.*
n *Ioan. 9. v. 4.*
o *Matt. 24. v. 40. & 28.*

CAPVT XVIII.

Parabola iudicis iniqui & viduæ ipsi importunæ docet perseuerandum in oratione: parabola verò Pharisæi & publicani, quomodo sit orandum: parvulorum esse regnum Dei: omnia relinquenda si quis perfectus esse velit, & quanta illi præmia. Mortem suam Christus discipulis prædicit, & cæco lumen restituit.

℣. 1. OPORTET SEMPER ORARE, id est, perseueranter, non obstante tædio, metu, tentatione: ET NON DEFICERE, μὴ ἐγκακεῖν, id est, delassari, non animum despondere, si non statim exaudiamur. Itaque *semper*, non significat temporis continuationem, (vt Euchitæ (p) volebant;) quia sic est impossibile semper orare: sed constantiam & perseuerantiam in orando, donec exaudiamur. Vide Salmeronem. (q)

p *August. de Hæresib.*
q *Salmeron. tom. 7. tract. 35.*

℣. 5. NE IN NOVISSIMO, græcè & syriacè, *vsque in finem*, id est, perpetuò, ME SVGILLET, id est, traducat, ictibus linguæ me opprimat, caput obtundat, negotium facessere pergat. ita S. Augustinus, Euthymius & Beda. Argumentum est à minori, vt patet ex v. 7. Si ab iniquissimo iudice per importunitatem ius extorquetur, quantò magis assiduis precibus exorabitur æquissimus Deus? De

quo argumento pulchrè S. Chrysost.

℣. 10. DVO ASCENDERVNT IN TEMPLVM] erat enim editiori loco situm in monte Moria.(a) Præcedenti parabola perseueranter orandum docuit, nunc hac parabola humiliter orandum inculcat.

Chrysost. l. 2. de Orando Deum.
a *2. Paral. 3. v 1.*

℣. 11. PHARISÆVS STANS superbo & erecto animo, quasi Deum ad iudicium prouocans.

NON SVM SICVT CETERI HOMINVM] En aliorum omnium contemptum, & præsumptionem eius quod non est.

℣. 12. IEIVNO BIS IN SABBATO, seu in hebdomada, quæ à potissima die *Sabbatum*(b) vocabatur. En iactantiam inanium meritorum, quasi Deus multum illis debeat & quasi obstringatur. Quære quid orarit, nihil inuenies: neque verò orat, sed se laudat, inquit S. Augustinus & Gregorius. E contrario

b *Chronic. c. 3.*

Greg. l. 23. Moral. c. 7.

℣. 13. PVBLICANVS ALONGE, procul à Pharisæo, loco longè humiliori STANS, demisso vultu timorem & pudorem, *percusso pectore* pœnitudinem animi testatus, humillima prece diuinam misericordiam inclamat & gratiam: quam & dicto citius obtinuit.

℣. 14. IVSTIFICATVS AB ILLO] id est, præ illo, pluisquam ille: quia nempe publicanus ex iniusto iustus euasit, Pharisæus ex iniusto iniustior. Sic vnum subinde melius altero dicimus, etiam cùm vtrumque est malum. Sic Ezechielis 16. v. 51. *Samaria* etsi scelerata, tamen *iustificata* dicitur præ *Ierosolyma* sceleratiore.

℣. 15. De *infantibus*, (c) de *principe*, (d) de *Deo solo bono*, (e) de *deserendis omnibus* (f) propter Christum, de *camelo* & *foramine*(g) *acus*, de *centuplo*, (h) vide dicta in Matthæo.

c *Matth. 19. v. 13.*
d *v 16.*
e *v. 17.*
f *v. 21.*
g *v 24.*
h *v 27. & 29.*

℣. 35. CÆCVS QVIDAM, nomine *Bartimæus*, inquit S. Marcus,(i) cum altero socio etiam *cæco*, vt habet S. Matthæus, (k) CVM APPROPINQVARET, id est, cùm propinquus esset, vrbi IERICHO] Nam & Marcus & Matthæus id factum dicunt, *egrediente* Iesu & *proficiscente de Iericho*. sed mutato mox consilio, regrediente in vrbem: nam (vt ex cap. 19. Lucæ v. 1. patet) Christus paulò pòst Iericho rursus ingressus est.

i *Marc. 10. v. 46.*
k *Matt. 20. v. 29.*

℣. 39. INCREPABANT EVM] Sed ipse, etsi obiurgatus à *turba*, (l) perrexit inclamare opem Christi, donec illam extorsit; exemplo nobis, quo plures obices in via salutis obiiciuntur, eò acriùs contrà nitendum.

l *Ibid, v. 31.*

CAPVT XIX.

Publicanorum principem Zachæum conuertit: parabolam de minis proponit: Ierosolymam triumphabundus inuehitur, flens illius excidium prædicit, & vendentes expellit è templo.

℣. 2. ZACHÆVS significat purum & iustum, qualis ex Christi consortio euasit hic PRINCEPS seu præfectus PVBLICANORVM, de quibus alibi, (m) Erant enim illi in varias classes distributi, quibus suus singulis præfectus erat seu *princeps*.

m *Matth. 9. v. 9.*

℣. 4. Hic auidus videndi Christi, de quo tam multa inaudierat, ASCENDIT IN ARBOREM in via publica positam SYCOMORVM] id est, ficum morum, seu arborem similem moro, quoad folia: & etiam similem ficui, quoad fructus, inquit Theophrastus, A Plinio ficus Ægyptia vocatur, à Theodotione & LXX. *ficaminus*, à Dioscoride & alijs A *moroficus*, vel sycomorus, id est, ficus fatua, quia insipida, de qua fusè Amos 7. v. 14. Mysticè, est crux Christi & doctrina Euangelij, inquit Theophyl. & Beda.

℣. 8. Do, id est, statuo dare: REDDO, id est, reddere ex nunc constituo; (n) (scilicet ex altero dimidio bonorum, quod huic restitutioni reseruo & addico:) QVADRVPLVM] Non quòd ad id obligaretur, sed ex feruenti charitate, & pœnitentiæ zelo: conformiter tamen legi, Exodi 22. v. 1. vbi ouium furi quadruplum præscribitur, sed post iudicis sententiam. Ex quo Zachæi omnia sua deserentis facto colligi potest, ipsum numero discipulorum Christi sese aggregasse, saltem post aliquod tempus, vbi de rebus suis disposuisset. Clemens Romanus tradit, eum post Christi mortem asseclam fuisse S. Petri, & ab eo ordinatum Episcopum Cæsareæ in Palæstina.

n *Prolog. de Idiot. sm. Hebr. n. 56.*
Clem. l. 1. & 3. Recognit.

℣. 9. SALVS HVIC DOMVI, id est, toti familiæ, FACTA EST ex tam læta & fructuosa Christi præsentia. Quem vt quisque etiam in suo animæ hospitio dignè curet excipere, certissima salute per illum donandus, inuitat omnes Ecclesia, cùm in templorum dedicatione hanc Zachæi felicem hospitalitatem nobis imitandam proponit.

EÒ QVÒD ET IPSE hoc suo tam generoso facto declaret se verum ac genuinum esse *filium* ABRAHÆ] non modò carnalem (nam Iudæum fuisse vel nomen ipsum Hebræum indicat:) sed & spiritualem, nempe imitatorem fidei, (o) pietatis, ac præ omnibus hospitalitatis (p) & iustitiæ (q) parentis sui Abrahæ, proinde etiam heres futurus promissionum parenti factarum.(r)

o *Gen. 15. v. 6. c. 17. v. 1.*
p *Gen. 18. v. 1.*
q *Gen. 12. v. 2. c. 15. v 5. c. 17. v. 2.*

℣. 12. HOMO QVIDAM NOBILIS] putà princeps vel rex, qui etiam plurium vrbium gubernaculo soleat fidos sibi seruos remunerari. Hæc parabola quoad substantiam & scopum coincidit cum illa Matth. 25. de talentis.

℣. 13. *Mna*, hebraicè *maneh*, id est, numeratum, latinè *mina*, erat sexagesima pars talenti, si de vulgari mina Hebræa sit sermo, quæ constabat 50. siclis: siclus quatuor drachmis, id est, Iulijs seu regalibus, vt dixi in Prolegomenis.

מנה

Prolog. de ponderibus.

℣. 14. CIVES ODERANT EVM] nempe Iudæi Christum, quos postea occidit per Titum: sicut omnes alios impios puniet in die iudicij.

℣. 17. DECEM vel QVINQVE *vrbium* gubernatio designat consortium eiusdem cum Christo regni, gloriæ & gaudij, sed maioris minorisve pro meritis cuiusque.

℣. 22. Ex pœna inflicta defodienti vnicam *minam*, collige, multò acriore pœna plectendos qui pluribus talentis vel non vsi, vel abusi fuerint. Sicut autem vna eademque *mina* singulis donata, in vno excrescens ad *quinque*, in altero ad *decem* minas, significat parem gratiam dispares ferre fructus pro dispari voluntatis cooperatione: ita *duo* vel *quinque talenta* apud Matthæum, non aliud lucrum quàm duorum vel quinque aliorum similium talentorum proferentia, pari tamen modo laudata & compensata à Domino, designant ex merito actionum nostrarum supernaturalium habitus earumdem supernaturales, & quidem statim, intendi, licet actiones habitum à quo manant, non superent vel excedant.

℣. 29. De *Bethphage*, *Bethania*, & solemni Ierosolymam ingressu, vide quæ dixi Matth. 21. vers. 1. & sequentibus.

℣. 42.

℣. 42. SI COGNOVISSES; græcè, *si cognosceres*, ET TV, Primò, QVÆ AD PACEM TIBI, id est, ea quæ ad felicitatem tuam augendam & stabiliendam tibi nunc per me offeruntur, ET QVIDEM IN HAC DIE TVA] quâ tam benignè à Deo, & à me Messia rege tuo visitaris. Secundò, quæ & quanta te mihi rebellem & in sceleribus obstinatam mala propediem exceptura sint. Si hæc, inquam, perinde nosses atque ego noui, longè aliter ageres, alio affectu me exciperes, & Deo reconciliari studeres, mecum fleres scelera tua, miserias tuas depellere, calamitates arcere satageres.

℣. 43. CIRCVMDABVNT TE INIMICI TVI VALLO, ET, CIRCVMDABVNT TE (*a*)] id est, vndique concludent & arctissimè. Nam Titus, Iosepho, qui adfuit, teste, præter aggeres quibus Ierosolymam cinxit, etiam muro totam vrbem, & quidem spatio tridui, quasi per miraculum, ita circumdedit, vt nulli pateret effugium. Vide quæ dixi in Chronico. Alludit Christus ad Isaiæ 29. vbi initio capitis penè totidem verbis hæc eadem prædicuntur, vt Eusebius, Cyrillus, Theodoretus & alij exponunt.

a Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 49. Ioseph. l. 6. & 7. Belli Chron. c. vlt. in Vespasiano.

℣. 44. NON RELINQVENT IN TE LAPIDEM SVPER LAPIDEM] id est, funditus diruent. Est hyperbole. quis enim credat tantum otij fuisse Romanis? Quomodo tamen ex parte id etiam ad litteram completum fuerit, alibi dixi, (*b*) vt &

b Marc. 13. v. 2.

℣. 45. DE *vendentibus* templo (*c*) expulsis.

c Matth. 21. v 12.

℣. 47. PRINCIPES PLEBIS sunt primates ciuitatis; Syrus *seniores populi*.

℣. 48. POPVLVS SVSPENSVS ERAT] id est pendebat ab ore loquentis.

CAPVT XX.

Quæstionem Scribarum, vnde ipsi tanta potestas, quæstione de baptismo Ioannis refellit: parabolâ perfidorum vinitorum, minatur & prædicit excidium Iudæis: resoluit tributum Cæsari dandum: confirmat resurrectionem mortuorum: & Messiam non solùm filium, sed & dominum esse Dauidis: denique cauendam Scribarum ambitionem & alia vitia.

℣. 2. QVæstionem *qua potestate faceret* quæ faciebat, non eludit, sed reuera soluit alia quæstione de baptismo Ioannis reciprocè proposita, vt Matth. 21. v. 23. exposui.

℣. 20. OBSERVANTES tempus captioni opportunum, MISERVNT INSIDIATORES fraudulenter subornatos, nempe discipulos suos QVI SE IVSTOS SIMVLARENT, id est, prætextu cognoscendæ veritatis, & obligationis iustitiæ vel religionis, conarentur subinde aliquid ex eius ore extorquere, propter quod posset iure plectendus TRADI PRINCIPATVI ET POTESTATI PRAESIDIS] id est, præsidi *Pontio Pilato*, penes quem ex Cæsaris delegatione erat principatus & summa potestas in Iudæa. Vltimum perfidorum refugium, cùm non possunt Sanctos in suam pertrahere sententiam, crimen seditionis, perduellionis, vel aliter læsæ maiestatis perdendis illis affingere. Qua via se Christus extricarit, Matth. 22. v. 15. fusè explicatur: vt & v. 29. *Sadducæorum* quæstio de vxore septem fratrum.

℣. 34. FILII HVIVS SÆCVLI, seu huius æui, quamdiu in hac vita versantur, NVBVNT, si volunt, (quod etiam de masculis latinè dici solere, ex probatis auctoribus ostendit Iac. Gretserus,) vel nuptui TRADVNTVR; quod de puellis intelligit.

Iac. Gretser. pro controuersia 1. Bellarmini.

℣. 35. Sed QVI DIGNI HABEBVNTVR altero illo futuræ vitæ SÆCVLO, & felici æternitate,

A ℣. 36. ÆQVALES SVNT ANGELIS, non natura, sed puritate, incorruptione, immortalitate, ac proinde neque cibo, neque nuptijs opus habent, quæ soli corruptioni arcendæ, & interitui præcauendo institutæ sunt, ad speciem (vt Philosophi loquuntur) conseruandam, propagandam & perpetuandam. ET SVNT FILII RESVRRECTIONIS ET DEI] id est, per resurrectionem virtute & opera solius Dei, sine vlla carnali copula renascentur edenturque in vitam immortalem: ac proinde non vocabuntur ibi filij hominum, sed *filij Dei*, etiam secundùm carnem sic redniuiuam: sicut *Adam* Lucæ 3. v. vlt. vocatur filius *Dei*, & omnes iusti Ioan. 1. v. 13. *ex Deo nati* dicuntur, inquit Theophyl. Notat Auctor imperfecti, (*d*) nullam tam angelicam esse virtutem quàm *castitatem*. Et S. Basilius virginitatem ait semen esse futuræ incorruptionis: imò virgines futuram olim cum angelis similitudinem hîc iam præuenire & inchoare.

d In Matt. 22. v. 29. Basil. l. de Virginitate.

℣. 41. De Christo *Dauidis* & *filio* & *Domino*, vide dicta Matthæi 22. v. 43.

CAPVT XXI.

De vidua offerente duo minuta, de ruina templi, vrbis, & vniuersi.

℣. 6. DE *lapide non relinquendo super lapidem*, dixi partim Marci 13. v. 2. partim Lucæ 19. vers. 44. Vt & *vers.* 11. de præuijs excidio *terroribus de cælo*, aliisque *signis magnis*, Matth. 24. vers. 5. & sequentibus vbi & reliqua huius capitis exposui. De cometa, forma gladij; de luce nocturna; de prælijs in aere; de boue ad aram pariente; de valuis templi sponte reseratis; de vocibus angelicis; de continuato per septennium *væ* rustici Ananiæ, alijsque mirabilibus & præter naturam prodigijs sub tempus excidij Ierosolymitani, vide quę ex oculato teste Iosepho & alijs dixi in Chronico: vbi & de tempore & modo expugnatæ & excisę vrbis ac templi, dissipatæque vel potiùs sepultæ Synagogę.

Chronic. c. vlt. in an. 9. & 12. Neronis & 2. Vespasiani.

℣. 13. CONTINGET VOBIS acerrima ista hostium persecutio, IN TESTIMONIVM] q. d. Is erit exitus tragœdię, vt coram Deo & hominibus testatior fiat, vti perfidia & crudelitas hostium vestrorum, ita vestra vicissim constantia & zelus.

℣. 14. PONITE ERGO IN CORDIBVS VESTRIS, id est, memineritis, NON PRAEMEDITARI cum metu vel anxietate, quid vel quomodo responsuri sitis ad vos defendendos, & hostium sophismata vel calumnias refellendas.

℣. 15. EGO ENIM, etsi corpore absens, spiritu tamen semper futurus præsens, (*e*) DABO VOBIS OS ET SAPIENTIAM] id est, lucem, gratiam, aliaque dona requisita, vt dextrè, fortiter, industriè simul ac prudenter vos in omnibus gerere possitis. Solùm

e Matth. vlt. v. vlt.

℣. 19. IN PATIENTIA VESTRA, id est, fortè tolerantia tentationum & aduersitatum POSSIDETE ANIMAS VESTRAS, seu vosipsos. q. d. Non iubeo vos stringere gladios vel conuitia in hostes, sed iubeo patientes esse & constantes.

℣. 20. CVM VIDERITIS CIRCVMDARI AB EXERCITV IERVSALEM; en abominationem vnam prędictam à Daniele: nam altera erat Zelotarum exercitus, in ipso templo castrametantium, vt alibi (*f*) dixi; TVNC SCITOTE QVIA APPROPINQVAVIT DESOLATIO Ierosolymę.

f Dan. 9. v. 17. & Matth. 24. v. 15.

℣. 22. VT IMPLEANTVR OMNIA, quę de eius excidio

excidio & desolatione à Prophetis, & maximè ab Isaia & Daniele, prædicta & SCRIPTA SVNT.

Isaiæ 29. v. 1. & seq. Dan. sup. Ioseph. l. 7. Belli c. 17.

℣. 24. CADENT IN ORE, seu acie, GLADII] Id est, lethali morsu gladij necabuntur sine numero Iudæi. Iosephus scribit, solo obsidionis tempore, nempe spatio quinque mensium, mortuos in vrbe Iudæorum vndecies centena millia, captos nonaginta septem millia, reliquos per orbem dispersos. Et certè diuinâ prouidentiâ factum, quòd Iosephus Iudæos, sacerdos & belli ex parte dux, bellum Iudaicum tam accuratè in scripta retulerit vt omnia hîc à Christo prædicta, constaret posteris ad amussim completa fuisse.

IERVSALEM A GENTIBVS, seu à populo Gentili Iudæis tantopere exoso, CALCABITVR, partim metaphoricè, subiugando illam & profanando: partim realiter & physicè, possidendo & inhabitando; DONEC IMPLEANTVR, id est, consumentur & finiantur, TEMPORA NATIONVM] græcè ἐθνῶν, id est, Gentium, seu tempora quibus Deus decreuit, Gentes varias vicissim dominari Iudææ & terræ sanctæ: seu (vt Beda) tempora quæ Gentium ad fidem conuertendarum saluti, & Iudæorum per illas vltioni præconstituit Deus, id est, vsque ad finem mundi: nam teste Daniele, *vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio.* Numquam enim permittet Deus Ierosolymam restitui

Dan. sup.

à Rom. 11. v. 25.

pristino splendori, nisi postquam *plenitudo (a) Gentium intrauerit* in Ecclesiam Christi, nempe sub finem mundi quando ab Antichristo instaurari incipiet, qui suam istic sedem & thronum figet totius iam orbis mónarcha. Non defuerunt subinde qui illam instaurare olim conati sunt, sed irrito semper successu, vt ex Eusebio, Theodoreto, & aliis historicis Baronius prolixè narrat. Et hactenus de excidio vrbis, & signis illud præcedentibus. Iam subiungit signa excidium orbis præcessura.

Euseb. l. 4. hist. c. 6. Theodor. l. 6. c. 43. Baron. ann. Christi 362. &c.

℣. 25. ERVNT scilicet, vbi *impleta* fuerint *tempora nationum*, id est, sub finem mundi, SIGNA IN SOLE, ET LVNA, ET STELLIS] Quæ & qualia hæc signa sint futura, explicatur Matth. 24. v. 29. vbi vide etiam reliqua huius capitis.

℣. 31. CVM VIDERITIS HÆC FIERI, PROPE EST REGNVM DEI; non inchoatum, vt antè, sed iam perfectum & glorioſum, quo omnes electi deinceps tam corpore, quàm animâ beati, æternùm regnabunt in cælis cum Deo.

℣. 38. OMNIS POPVLVS MANICABAT, vel manitabat, id est, manè itabat, seu coire solebat, IN TEMPLO; ad eius doctrinam excipiendam.

CAPVT XXII.

Consultantibus Iudæorũ principibus de Christo occidendo, traditurum se illum ipsis spondet Iudas. Christus post esum agni paschalis sacrificium & Sacramentum corporis & sanguinis sui instituit: contentionem Apostolorum de primatu compescit: paratam à Iuda proditionem detegit: Petro trinam negationem prædicit: gladios coëmi iubet. In agonia sudat aquam & sanguinem: osculo Iudæ proditus, factâ hostibus potestate capitur, restitutâ Malcho aure quam Petrus absciderat. Captus sistitur summo pontifici, ter à Petro negatur, à Iudæis illuditur, caditur, blasphematur. In concilio rogatus, apertè Filium Dei se profitetur.

℣. 3. INTRAVIT SATANAS IN IVDAM] vt ipsum induceret ad nouum, & præcedentibus omnibus (furtis, odijs, dolis, &c.) maius scelus patrandum; nempe ad Dominum suum, regem cæli & terræ, redemptorem mundi, A Dei Filium iuratis ipsius hostibus vilissima mercede prodendum. Vide Matth. 26. v. 13. & 48. vbi etiam exposui, quid sceleri tanto prætexere potuerit, & cur id Christus permiserit, vt c. 27. v. 3. & seqq. infame sui ipsius suspendium & infelicem mortem.

℣. 15. DESIDERIO DESIDERAVI (*b*)] Id est summoperè desideraui, quia (vt sequitur v. seq.) hæc vltima mihi cena vobiscum est. Solent enim ij qui peregrè abeunt, anhelare ad vltimum conuiuium quo amicis sunt valedicturi, non propter conuiuium, aut instantem abitum, sed propter argumenta amoris, quæ tum verbis, tum donarijs & mnemosynis in eo conuiuio amicis exhibere decreuerunt. Iam lector expendat, an si Christus pro sui memoria non aliud quàm frustum panis & haustum vini in hac vltima cœna relinquere suis decreuisset, occasionem tantopere ad cœnam illam anhelandi habuisset.

b Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 49.

℣. 19. HOC EST CORPVS MEVM verum, reale, substantiale, vt alibi (*c*) dixi: QVOD PRO VOBIS DATVR, id est, offertur à me Deo Patri. & quidem propria mox specie & cruentè in ara crucis: sed iam nunc incruentè sub specie panis. Offertur autem *in remissionem peccatorum.* (*d*) Quia sacrificium est non modò Eucharisticum, & latreuticum, sed & propitiatorium, pacificum, & satisfactorium pro peccatis, vt alibi (*e*) dixi. non pro vobis tantùm, sed *&* *pro* (*f*) *multis*, nempe pro omnibus pro quibus quisque volet offerre, & speciatim pro omnibus qui sunt de Ecclesia: & hoc non pro deuotione ministri offerentis, sed ex opere operato, (vt Theologi loquuntur,) & ex merito primarij offerentis, qui est Christus Dominus. Neque enim ipse per se solùm semel in vltima cœna hoc sacrificium obtulit, sed voluit etiam per Apostolos & Apostolorum successores, & quotquot ab illis potestatem accipient, idem illud *quotidie* (*g*) offerre, vtpote *inge* noui testamenti sacrificium.

c Matth. 26. v. 26. & Marc. 14. v. 23.

d Matth. 26. v. 28.

e Leuit. 1. in fine.

f Matth. sup.

g 1. Cor. 11. v. 25.

HOC FACITE. q.d. Non agnum paschalem, non vitulos, arietes, boues, aut aliam Mosaicam victimam volo deinceps offerri, sed *hoc* quod iam postremum me facientem vidistis, pro sacrificio *facite*: nempe, panem & vinum, vt ego feci, accipite, gratias Deo agite, benedicite, verbis illis, HOC EST CORPVS MEVM, HIC EST SANGVIS MEVS, meo nomine, imò in persona mea prolatis, consecrate, & sic *corpus meum*, & *sanguinem meum* (in quæ ego principalis hîc offerens, ad vestram verborum pronuntiationem, substantiam panis & vini momento conuertam,) Deo Patri offerte in victimam ipsi optatissimam, vobis vtilissimam, mihi honorificentissimam. *Facite*, inquam, IN MEAM COMMEMORATIONEM, seu in memoriam tum aliorum mysteriorum vitæ meæ, & beneficiorum vobis per me præstitorum, tum maximè passionis & mortis meæ, redemptionisque totius generis humani per illam partæ. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc* cælestem, *& calicem bibetis, mortem* meam *annuntiabitis*, id est, grato animo, grata memoria recoletis: idque non semel aut ad breue tempus, sed continuò & perpetuò, *donec veniam*, id est, donec præsentia mea visibili, quam nunc subtrahere decreui, vobis iterum restituar, nempe in fine mundi, quando ad iudicium reuertar. Volo enim perpetuum esse in Ecclesia mea hoc sacrificium. Vnde potestatem quam vobis nunc do, volo per vos etiam aliis, quos ad id idoneos

neos iudicabitis, eo modo conferri, quo me nunc vobis conferre videtis. & ſicut vos iam conſecro & conſtituo ſacerdotes ad hoc ſacrificium mihi offerendum, ita etiam vos conſtituo Epiſcopos, vt eamdem ſacrificandi, & ſacerdotes ordinandi poteſtatem alijs, quibus volueritis, impertiatis.

Porrò ex dictis patet, calumniam eſſe qua fingunt Sacramentarij, Papiſtas velle ſuperiores & potentiores eſſe Chriſto, vtpote cuius corpus & ſanguinem creent, ſeu de nouo producant in Euchariſtia. Neque enim ſacerdotes ſunt qui de nouo producunt corpus Chriſti, ſed Chriſtus ipſe ad prolationem verborum ore ſacerdotum, producit illud diuina ſua virtute. Sicut ad prolationem verborum B. Virginis, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*, (a) Deus ipſum illud idem corpus Chriſti diuina ſua virtute in vtero eiuſdem virginis primùm efformauit. Vnde S. Chryſoſt. *Sacerdotis ore verba proferuntur, ſed Dei virtute ac gratia, propoſita conſecrantur. Et ſicut illa vox,* (b) *Creſcite & multiplicamini, & replete terram, ſemel quidem dicta eſt, ſed omni tempore ſentit effectum ad generationem operante natura: ita & vox iſta,* HOC EST CORPVS MEVM, ET HOC FACITE, *ſemel quidem à Chriſto dicta eſt, ſed per omnes menſas Eccleſia, vſque ad hodiernum diem, & vſque ad Chriſti aduentum, præſtat ſacrificio firmitatem.*

a *Luc. 1. v. 38.* *Chryſoſt. hom. 3. de prodit. Iuda* b *Gen. 1. v. 28.*

℣. 20. HIC EST CALIX continens NOVVM TESTAMENTVM IN SANGVINE MEO: id eſt, ſanguinem meum quo ſancitur, confirmatur & ſtabilitur nouum fœdus quod vobiſcum ineo, & noua voluntas mea extrema, vt alibi (c) dixi. Calix, inquam, QVI PRO VOBIS, & pro multis (d) FVNDETVR, id eſt, offeretur (nam liquida ſolent ſui effuſione offerri,) non modò cruentè craſtina die in cruce, ſed & incruentè iam iam in hac cœna, vobis & me bibentibus. Clariùs hæc in Græco, *τοῦτο τὸ ποτήριον ἐστὶν ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Hoc eſt poculum in ſanguine meo quod pro vobis effunditur.* Quod contra Caluiniſtas alioſque Sacramentarios notandum. Si enim poculum, quod Chriſtus ſuis in cœna propinauit, effuſum, id eſt, oblatum, fuit pro hominibus; clariſſimè ſequitur, poculum iſtud non niſi ipſiſſimum Chriſti realem ſanguinem continuiſſe: nam vinum, vt figura tantùm eſt ſanguinis, effundi, id eſt, offerri, non poteſt pro hominum ſalute. Quod Matthæus (e) addit, *Bibite ex hoc omnes*, nil iuuat Huſſitas vel Lutheranos, quaſi Chriſtus etiam laicis communionem ſub vtraque ſpecie præceperit. Neque enim alloquitur hîc Chriſtus laicos, ſed ſolos Apoſtolos, eorumque ſucceſſores ſacerdotes, quibus ſolis præcipit vt ſacrificantes abſumant vtramque ſpeciem, & ſic ſacrificium, quod inſtar perfecti conuiuij inſtituere placuit, conſumment. Laicis verò, quia ſub vtrauis ſpecie Chriſtus totus continetur, ideoque ad perfecti Sacramenti ſumptionem ſufficit participatio alterutrius ſpeciei, ob varia quæ ex vſu calicis oriebantur incommoda, iubet Eccleſia ſub ſola panis ſpecie Sacramentum iſtud exhiberi: neque hoc repugnat inſtitutioni Chriſti, vt alibi (f) dicam.

c *Matth. 26. v. 28.* d *Ibid.* e *Ibid.* f *Iſtius. 6. c. 51.*

Petes, Quare ergo Chriſtus vtramque ſpeciem adhibuit? Reſp. Ad perfectionem ſacrificij, vt iam dixi. Neque enim perfectum referret conuiuium, niſi tam potum repræſentaret quàm cibum. Sed vt quis participet de conuiuio, ſat eſt ſi vel de cibo, vel de potu ſumat, maximè cùm fercula ſic adaptata ſunt, vt vim habeant cibandi ſimul & potandi, vt in hoc Sacramento fieri certiſſimum eſt.

Petes Secundò, Quare voluit ſaltem in ſacrificio vtramque ſeorſim ſpeciem adhiberi, & ſic exteriùs repræſentari modum perfecti conuiuij, cùm reuera & à parte rei non minùs perfectum in ſe ſit ſub alterutra ſpecie quàm ſub vtraque ſimul? Reſp. Quia præter externam ſpeciem inſtructi conuiuij voluit ſimul eſſe claram repræſentationem mortis ſuæ, & ideò per ſpecies panis voluit repræſentare corpus ſuum exſangue; per ſpecies vini, ſanguinem ſuum à corpore ſeparatum & quaſi effuſum.

℣. 24. FACTA EST INTER Apoſtolos CONTENTIO, QVIS EORVM VIDERETVR ESSE MAIOR] Potuiſſetne importuniori tempore ſuper tali negotio à talibus contendi? Sed ex hac contentione colligimus quàm parum cordi eſſet diſcipulis periculum magiſtri: & quàm parum ſolatij ex ipſis hauſerit in ſuis anguſtijs: Sedat autem ipſorum contentionem eodem argumentorum genere, quo nuper eoſdem iratos ob filios Zebedæi compeſcuerat. (g) Non exprobrat tamen neque inſultat: ſed ſuauiter corripit & inſtruit. g *Matt. 20. v. 25.*

℣. 28. PERMANSISTIS ſæpè aliàs MECVM conſtantes IN TENTATIONIBVS MEIS] id eſt, in perſecutionibus & tribulationibus quas paſſus ſum: conſtantes eſtote etiam modò in hac omnium maxima tribulatione. hac via euadetis omnium maximi & ſummi.

℣. 30. VT EDATIS SVPER MENSAM MEAM IN REGNO MEO] Id eſt, vt in regno cæleſti ſitis primi principes, mihi omnium regi proximi & familiariſſimi. q.d. Quid de primatu temporali contenditis, qui primates eritis æternùm in cælis? De thronis duodecim & iudiciaria Apoſtolorum dignitate alibi (h) fuſiùs. h *Matt. 19. v. 28.*

℣. 31. SATANAS EXPETIVIT VOS à Patre meo (nam ſine particulari venia nihil poteſt) VT CRIBRARET, id eſt, tentationum impulſu agitaret, SICVT TRITICVM in cribro, non hac ſola nocte; ſed omnibus futuris temporibus. Sed Patrem

℣. 32. EGO ROGAVI pro omnibus quidem, ſed præ omnibus PRO TE, Petre, VT NON DEFICIAT, id eſt, non extinguatur, non intermoriatur, FIDES TVA. Vnde cùm tu perpetuò ſtabilitus ſis in fide, deſidero vt, licèt cum reliquis caſurus ſis hac nocte, & peccaturus contra charitatem fidelitatemq; Deo & mihi debitam; CONVERSVS tamen à ſcelere tuo, *confirmes* in fide (in qua conſtans permanebis) reliquos FRATRES coapoſtolos TVOS. Neque ſolùm perſonale eſt hoc tibi priuilegium, neque cum perſona tua extinguetur: ſed ſucceſſori quoque tuo perpetuò adhæreſcet. Cùm enim intuitu neceſſitatis Eccleſiæ meæ, quam Satan continuò ſæculis omnibus cribrabit, hoc tibi priuilegium impetrarim, ne deſit gregi meo qui in omni dubio poſſit illum ſine erroris periculo docere, confirmare, ſtabilire, ne cadat, ne erret, ne intereat; cùm hęc neceſſitas ad finem vſque mundi duratura ſit, debet & hoc priuilegium perpetuum eſſe, & tuis continuò ſucceſſoribus adhæreſcere. ita S. Cyprianus, Leo, Bernardus & alij apud Bellarminum. *Bellarm. l. 4. de Rom. Pont. c 3.*

℣. 36. NVNC QVI HABET SACCVLVM ET PERAM, TOLLAT, id eſt, aſſumat ſecum, & ferat quò abire cogetur. quin ET GLADIVM QVI NON HABET, EMAT, etiam *tunicâ*, ſi opus, *diuendità*. q.d. Hucuſque dum vobis paſtor præſens adfui, de omnibus neceſſarijs abundè proſpexi, & tutatus ſum: at nunc auferor à vobis: vnde ſuadeo, vt quiſque ſibi optimo quo poteſt modo proſpiciat non modò de cibarijs & nummis, ſed & de armis, quibus aduerſus iniuſtos inuaſores non me, ſed

vosipsos tueamini. Nolim enim instanti fœdæ fugæ vestræ prætexatis, desertos vos à me, nec præmonitos, nec præmunitos, contra hostium inuasionem. Iam enim sæpiùs hoc vespere prædixi, & iam clarissimis iterum verbis

℣. 37. DICO VOBIS, quia hac nocte & sequenti die CVM INIQVIS *deputabor*, seu computabor: id est, more maleficorum tractabor, nempe instar perduellis & seditiosi publicè comprehendar, raptabor in vincula, ad tribunalia trahar, damnabor, illudar, flagellis conscindar, ac tandem cum latronibus in crucem agar. Iam enim QVÆ DE ME decreta & prædicta SVNT, FINEM HABENT, seu accipiunt & consummantur. Hæc est enim totius meæ tragœdiæ catastrophe.

℣. 38. ECCE DVO GLADII HIC fortè parieti appensi. Non assequuntur mentem Christi, qui non iubebat accipi gladios, sed solùm inculcabat imminere maximam persecutionem & afflictionem: cui vt resistendo essent, permittebat, imò suadebat, vt quo vellent modo sese communirent, ne queri possent se non præmonitos, vt iam dixi. Vera autem ratio solidè sese communiendi erat, exemplo & hortatu magistri sui precibus seriò insistere, & opem cælitus euocare. Christus tamen dissimulat in hoc errore, SATIS EST, inquiens, supple, verborum hac de re: vt nos, cùm non benè intelligimur quid velimus, & aliò properamus, dicere solemus, *Satis est*, Benè habet. ita S. Chrysost. & Theophyl.

℣. 43. APPARVIT ILLI humanâ formâ, post agoniam in tertia oratione, ANGELVS Michaël, vt plurimi volunt, CONFORTANS EVM, externa voce proponendo voluntatem Patris, fructum, gaudium & gloriam ex passione prouentura.

ET, id est, nam, FACTVS IN AGONIA]. Id est, tanto angore & anxietate animi obrutus, ac si animam egisset.

℣. 44. SVDOR EIVS, SICVT GVTTAE SANGVINIS] græcè θρόμβοι, id est, grumi, seu guttæ ampliores & crassiores. Irenæus exponit, globos sanguinis. Non hyperbolicè, vt Theophyl. & Euthymius putant, sed propriè, vt S. Hilarius, Athanasius, Hieron. Augustt. & alij. Nempe quemadmodum ardor ignis aquam distillare facit è rosis: ita æstus angoris simul & amoris sanguinem è sacris Christi membris stillare coëgit. Id naturaliter fieri posse docet Aristoteles, maximè in corpore delicato, quod porosum est & subtiliorem habet sanguinem. Magno autem angore & ardore animi magis inflammatur & extenuatur sanguis, & pori aperiuntur, atque ita sudor primùm (qui est serum seu pars aquosa sanguinis,) dein & sanguis ipse sudori permistus (vnde Noster dicit, *quasi sanguis*) facilè excernitur. Quæ causa Christo tanti angoris, explicui in Matthæo.

Matth. 26. *v.* 38. Petes, Vndè potuit Apostolis vel Euangelistæ constare de his sanguineis guttis & agonia Christi, cùm & nox esset, & ipsi sat inde remoti somno se darent? Respondeo, Non distabant nisi *iactu lapidis*, (*a*) neque continuò dormierunt, sed cum somno luctabantur: & erat tum plenilunium, & angelus ingenti lumine radians, omnia spectari fecit. Et si quæ non sat assecuti sint, vel à Christo post resurrectionem, vel ex Spiritus sancti reuelatione didicerunt.

[a] *Nic v.* 41.

℣. 47. De *Iuda* vide quæ vers. 3. dixi.

℣. 48. OSCVLO FILIVM HOMINIS TRADIS? amicitiæ & pacis symbolo ad dominum tuum prodendum abuteris ô IVDA? vt olim Ioab, cùm *Abnerum* (*b*) & *Amasam* (*c*) proditoriè confodit. [b] 2. *Reg.* 3.

℣. 49. SI PERCVTIMVS IN GLADIO? Id est, percutiemusne gladio? Sed non expectato responso percutit Petrus Malchum. ℣. 17. [c] 2. 20. *v.* 9.

℣. 51. SINITE VSQVE HVC] Id est, permittite vt Iudæi progrediantur eò vsque, vt me (sicut volunt,) capiant, vinciant, abducant. ita S. Augustt. *Aug. l.* 3. *de Consens. Euang. c.* 1.

℣. 52. MAGISTRATVS TEMPLI erant præfecti militiæ templo custodiendo deputatæ: item præfecti varijs officijs & seruitijs in templo præstandis: denique ædificijs, quæ innumera erant & vastissima, fouendis, instaurandis, (*d*) tutandis: vt erant apud Romanos æditui, ædiles, quæstores. Iosephus dicit, subinde octodecim millia opificum diurna mercede in templo occupari consueuisse. Non erant hi præfecti militiæ Romani vel Gentiles: tales enim in loco sacro numquam tulissent Iudæi: sed erant ex ipsis sacerdotibus, vt Sigonius, Arias, Salmeron & alij docent. Romani tantùm in vicina templo arce *Antonia* suum tenebant præsidium, inquit Iosephus. [d] 4. *Reg.* 12. *v.* 8. & 10. *Ioseph. l.* 20. *Antiq. c.* 8. *Sigon. l.* 7. *Resp. Hebr. c.* 13. *Ioseph. l.* 15. *c.* 14.

℣. 53. HAEC EST HORA VESTRA, id est, quâ vobis permittitur à Deo agere in me quodlibet, quodque diu optastis, & sæpè tentastis, sed frustra. Hæc item est POTESTAS TENEBRARVM; seu tenebris concessa, ad lucem pro tempore promendam. Per *tenebras* Theophyl. & Beda impios intelligunt, quasi veros tenebriones: (*e*) Emanuel Sà & alij de dæmonibus (*f*) accipiunt, quibus plena isto tempore potestas facta Christum pro libito oppugnandi, torquendi, diuexandi. [e] *Ioan.* 3. *v.* 19. [f] *Gen.* 1. 31

℣. 55. ACCENSO IGNE IN MEDIO ATRII] Etsi enim maturescerent tum segetes (nam postridie paschæ debebat offerri in templo manipulus spicarum;) (*g*) noctes tamen erant subinde sat frigidæ, vt experientia docet in alijs etiam calidis regionibus. [g] *Levit.* 23. *v.* 10. &c.

℣. 59. *Galilæi* nomen tum Petro, tum Christo (*h*) exprobrant, vt insinuent, Iesum non esse Prophetam (qualem nullum è Galilæa (*i*) prodijsse volebant,) sed seductorem & perduellem, Iudæ Galilæo (*k*) similem. [h] *Matth.* 26. *v.* 69. [i] *Ioan.* 7. *v.* 52 [k] *Luca* 23. *v.* 1.

℣. 60. NESCIO QVID DICIS, seu quid dicere velis, quid verbis tuis indicare desideres. Est securè negantis. Matthæus (*l*) addit, etiam *cum iuramento* & quidem execratorio, Petrum negasse se nosse Christum, vt ibi exposui. *En columnam firmissimam ad vnius auræ impulsum totam contremiscentem*, inquit S. Augustinus. Sed nondum stabilita erat à Spiritu sancto columna, de quo pluribus in Matthæo. [l] *Matt.* 26. *v.* 72. 74. *Augst. in Ioannem.*

℣. 61. CONVERSVS è loco vbi conclusus detinebatur, Christus RESPEXIT PETRVM, non solùm spiritualiter per gratiam nouam excitantem, illuminantem, inflammantem, vt Augustinus exponit: sed etiam corporaliter, per physicum aspectum, v.g. è fenestra, vnde in atrium patebat prospectus. *Aug. l.* 3. *de Consensu Euang. c.* 6.

℣. 68. SI INTERROGAVERO vos aliquid, vnde conuinci possitis me esse Messiam, NON RESPONDEBITIS MIHI, vt aliàs subinde expertus sum: (*m*) NEQVE DIMITTETIS.] q.d. Non hoc agitis, quod in legitimis iudicijs agi solet & debet, vt cognita veritate vel nocentem condemnetis, vel innocentem dimittatis: sed hoc solùm, vt mortem, quam mihi certò inferre decreuistis, iustitiæ prætextu inferre videamini. [m] *Luca* 20. *v.* 7. & *Matth.* 21. *v.* 25.

CA-

CAPVT XXIII.

Accusatur coram Pilato; illuditur ab Herode, postponitur Barabbæ, flagellatur, morti adiudicatus ducitur ad locum crucis, vetat se defleri, crucifigitur medius inter duos latrones, quorum alter resipiscit: Patrem orat pro crucifigentibus, irridetur, blasphematur, aceto potatur, post tenebras clamans voce magna exspirat, velum templi scinditur, à centurione iustus pronuntiatur, à Ioseph honorificè sepelitur.

℣. 2. HVNC INVENIMVS SVBVERTENTEM GENTEM NOSTRAM] id est, peruertentem, seu prauis dogmatibus in errores inducentem. En errorum & turbarum ab hominibus in orbem inuectarum accusatur ipse iudex & vindex, vt pœnas luat scelerum omnium quæ in se luenda susceperat. Et hoc diserte fatetur Pilatus cùm ait:

℣. 4. NIHIL INVENIO CAVSÆ, nullam noxam, IN HOC HOMINE] propter tamen vestram improbitatem *v. 22. corripiam illum.*

a *Chronic. c. 45.* b *Marc. 6. v. 14. & Luc. 9. v. 8.*

℣. 9. INTERROGABAT EVM rex Herodes (*a*) MVLTIS SERMONIBVS, seu vrbis, sed vanis & curiosis. v. g. An ipse esset Ioannes rediuiuus, (*b*) an veterum Prophetarum aliquis? vndenam haberet potestatem edendi tot miracula? an non vellet in sui gratiam aliquod miraculũ edere? Nimirum, volebat quasi à præstigiatore spectacula quædam edi, quibus animum pasceret, & oculos oblectaret, inquit Theophyl. Vnde iure merito ne quidem responso Christus illum dignatur.

℣. 11. SPREVIT AVTEM ILLVM HERODES] Damnare ausus non est, spreuit tantùm à quo spretus videbatur. Spreuit autem tamquam semifatuũ, ignarum & inexpertum rerũ, qui cùm magna de se dici vellet, nihil, vbi res postularet, præstare posset.

ET ILLVSIT INDVTVM VESTE ALBA] græcè chlamyde splendida, scilicet quoad colorem, quem c *Exodi 25. v. 8.* Noster *album* fuisse dicit, Syrus (*c*) *coccineum* siue purpureum, regibus proprium. Potuit fuisse eadem illa chlamys quæ flagellato Christo iniecta fuit Matth. 27. v. 28. Nempe detritum & lacerum pallium militis alicuius, quod veteris elegantiæ dumtaxat vestigia referret. Quo notabant Christum Primò, ambitionis; Secundò, affectationis alieni regni; Tertiò, fatuitatis.

℣. 12. FACTI SVNT AMICI HERODES ET PILATVS] Remittendo enim Christum, testatus vterque fuerat, nolle se iurisdictionem alterius sibi vendicare: quin potiùs iudicium summi momenti, vtpote de Messia, alter alteri publicè deferebat.

℣. 16. EMENDATVM, seu flagellis castigatum, DIMITTAM] Politica prudentia ex duobus malis minus eligit. q. d. Si quid vana iactantia vel ambitione peccauit, abundè expiabitur flagello, vt non opus sit ad mortem decurrere.

℣. 22. TERTIO DIXIT AD ILLOS, NVLLAM CAVSAM MORTIS INVENIO IN EO] En, tertiò absoluitur Iesus antequam semel damnetur à iudice. Imò numquam à Pilato damnatus est quasi reus, sed solùm traditus & permissus voluntati Iudæorum, vt alibi (*d*) dixi.

d *Matt. 27. v. 26.*

℣. 28. NOLITE FLERE SVPER ME, SED SVPER VOS] Vobis enim vestrisque prolibus longè plus nocebit hoc supplicium, quàm mihi: nam malum quod mihi afferet, momentaneum erit, bonum verò æternum. malum verò quod vobis vestrisque posteris afferet, diuturnum erit, adeoque graue, vt mulieres steriles, quæ nunc habentur infelices, tunc habendæ sint valdè felices, vtpote quæ non cogentur cernere & tolerare mala filiorum suorum, sed propria dumtaxat.

℣. 30. TVNC *dicent* MONTIBVS, CADITE SVPER NOS, suffocate, perimite, conterite nos. Voces ex Osee desumptæ sunt, hominum extrema patientium vel metuentium. Impleta sunt hæc partim tempore Vespasiani & Titi (*e*) quadragesimo post anno, partim in morte cuiusque particulari, partim complebuntur circa tempus iudicij vniuersalis, inquit S. Hieron. ex Apocal. 6. v. 16. His verò significabat Christus, non sic se expositum libidini impiorum, quin Deo curæ sit & cordi etiam in deformi illo ac sordido habitu: Iudæos autem, qui nunc quasi victores superbè triumphant, non diu insanæ lætitiæ compotes fore: subsecuturam mox incredibilem mutationem ex horribili; quod impendet, iudicio Dei.

Osee 10. v. 8. Isaiæ 2. v. 19. Apoc. 6. v. 16. e *Chron. c. vlt.*

℣. 31. SI IN VIRIDI; græcè, *humido*, succulento, LIGNO HÆC FACIVNT, IN ARIDO QVID FIET?] Prouerbium est, q. d. Si ego qui sum instar viuæ arboris plenæ succo & fructu optimo, ac proinde ignibus indignæ, & inidoneæ, tam inhumaniter exscindor, & tormentorum ignibus iniicior; quomodò vobis vestrisque filijs parcetur omni bono opere vacuis ac sterilibus, qui instar aridorum truncorum, ad nihil aliud idonei estis quàm vt pabulum sitis igni diuinæ vindictæ?

℣. 34. NON SCIVNT QVID FACIVNT] Erat sine dubio ignorantia in plerisque, v. g. in Gentilibus, & plurimis è rudi Iudæorum plebe: in Scribis verò, Pharisæis, & principibus non erat ignorantia, nisi fortè crassa & affectata, voluntarijs inuidiæ atque odij tenebris inducta, quæ non minuit, sed aggrauat culpam. Porrò hac sua pro hostibus precatione Christus palàm facit, se & oblationem esse pro peccatis mundi, & pontificem pro populo deprecantem.

℣. 40. NEQVE TV TIMES DEVM, QVI IN EADEM qua iste DAMNATIONE ES?] græcè κρίματι, id est, iudicio, supplicio, id est, qui simili pœnæ subiaces, mortem tibi mox allaturæ, & ad diuinum tribunal transmissuræ?

℣. 43. HODIE MECVM ERIS IN PARADISO] non terrestri Adami, non etiam cælesti, vel in cælo empyreo, sed generaliter in loco voluptatis, putà in consortio tot myriadum sanctorum patrum, & in clara visione Dei, quæ intuitu mortis Christi, statim atque exspirauit, concessa est omnibus in limbo. S. Cyprianus & Augustinus latronem hunc vocant *Martyrem*, & baptismo sanguinis ablutum. Martyrem, inquam, ob liberam Christi confessionem, & mortis pro ea (saltem ex præparatione animi) constantem tolerantiam. En agit Christus, etsi in cruce & moribundus, iudicem supremum, vitam vni æternam, alteri supplicia gehennæ decernens.

℣. 54. SABBATVM ILLVCESCEBAT] id est proximum erat vt inciperet. Est catachresis. Quia enim diem naturalem (*f*) tunc illucescere dicimus cùm incipit, scilicet cum ortu solis; ideo etiam festum diem illucescere hîc dicit Lucas, (vt & Matthæus suprà) (*g*) cùm festum incipit, scilicet cum occasu solis, à quo omnia sua festa inchoabant (*h*) Iudæi.

f *Chronic. c. 1.*

g *Matt. v. 1.*

h *Chronic. c. 1.*

CA-

CAPVT XXIV.

Mulieribus ad Christi monumentum consternatis, quòd eius corpus non inuenirent, angeli nuntiant ipsum resurrexisse, & illa Apostolis; qui id sibi persuaderi non sinunt. Duobus discipulis in Emmaus euntibus illa ipsa prima die comitem se & conuiuam præbet, & panis fractione illis innotescit. Vndecim Apostolis eodem vespere visendum se & palpandum præbet, & conuescens eis intelligentiam impertit Scripturarum. Denique promisso ipsis Spiritu sancto in cælum ascendit.

a *Marc. 16. v. 1.*

℣. 2. VNA, id est, prima, SABBATI, seu (a) hebdomadæ, nempe quam nos Dominicam vocamus, *veniunt* AD MONVMENTVM] Quæ fuerint hæ mulieres, dicitur v. 10. sequenti.

℣. 2. INVENERVNT LAPIDEM REVOLVTVM, nempe manu angelica, vt habet Matthæus.

Matth. 28. v. 2.

℣. 4. ECCE DVO VIRI, id est, duo angeli specie, seu forma virili. Erant isti intus in sepulchro, vt confirmat S. Ioannes: & erant diuersi ab illo quem Matthæus & Marcus dicunt ante sepulchrum apparuisse. STETERVNT SECVS ILLAS] Ioannes

Ioan. 20. v. 12.

b *Ioan. 1. v. 26.*

dicit, sedisse. Sed *stare* phrasi Hebraica (b) pro quouis situ vsurpatur: tantùm enim significat, rem esse præsentem.

℣. 10. IOANNA *vxor Chusæ procuratoris Herodis.* (c) Quare ergo Ioannes non meminit nisi Mariæ Magdalenæ? Respondeo, Quia hæc feruentior erat ceteris, & quasi dux aliarum.

c *Luc. 8. v. 3.*

℣. 11. NON CREDIDERVNT ILLIS Apostoli. Sic Christus incredulitate suorum vtitur ad pleniorem resurrectionis suæ fidem posteris faciendam, ne, si statim credidissent, nimis credvli videri potuissent in re tanti momenti.

℣. 12. PETRVS ceteris feruentior, vnà cum Ioanne (d) CVCVRRIT AD MONVMENTVM: PROCVMBENS; græcè, παρακύψας, id est, prono capite & propenso collo prospiciens; Syrus, *introspiciens.* Reliqua vide apud Ioannem.

d *Ioan. 20. v. 3.*

℣. 13. DVO EX ILLIS, seu ex grege vndecim Apostolorum aliorumque discipulorum, de quibus vers. 9. IBANT IPSA illa prima DIE qua Christus resurrexit, IN CASTELLVM, seu vicum, EMMAVS, dissitum Ierosolymis SEXAGINTA STADIIS] id est, duabus leucis cum dimidia, (e) tendendo versus mare. Hic vicus postea sub M. Aurelio Antonino instauratus, imò in celebrem ciuitatem euectus, quæ in trophæum deuictæ à Romanis Iudææ, dicta fuit Nicopolis, inquit S. Hieronymus,

e *Prolegom. de mensuris longitudinum.*

Hieron. de Locis Hebr.

℣. 15. IESVS APPROPINQVANS, tamquam viator ipsos à tergo assecutus, IBAT CVM ILLIS:

℣. 16. sed OCVLI EORVM TENEBANTVR] id est, impediebantur, ne officio suo plenè fungerentur. Nempe Christus vel non sinebat, corpus suum glorioſum species quales oportebat, sed tantùm quales ipse volebat (v. g. viatoris incogniti & peregrini) emittere: vel medium ipsum aerem immutabat (vt fit per specula:) vel certè ipsum organum visus, aut phantasiam eorum cohibuit, quo minùs agnoscerent. Vnde infrà (f) dicuntur *oculi eorum aperti.* Idem dico de auditu: nam potuit facillimè vocis sonus immutari, inquit S. Thomas.

f *Hic v. 31.*

S. Tho. 3. p. q. 54. a. 1. Greg. præfat. in Iob c. 1.

℣. 18. NOMEN *vni* CLEOPHAS] Quod alteri nomen, incertum. S. Gregorius, Theophylactus & Dorotheus putant fuisse ipsummet Euangelistam nostrum *Lucam*, sed ex c. 1. v. 2. colligi videtur, Lucam numquam vidisse Christū. Origenes vocat *Simonem*: Epiphanius *Nathanaelem*: Ambrosius *Amaon.*

Epiph. contra Saturnilianos.

TV SOLVS adeò PEREGRINVS ES IN rebus *Ierosolyma* propalam gestis, vt ignores occisum istic Iesum?

℣. 28. IPSE SE FINXIT LONGIVS IRE] Non fuit mendacium, quia reuerà longiùs iuisset casu quo eum non detinuissent: & iam ad longiùs procedendum se componebat, idque vt ipsi hac occasione excitarentur ad hospitalitatem exercendam, & sic digni fierent quibus se patefaceret. Et quia hoc eos facturos præsciebat, hinc solùm hypotheticè, non verò absolutè volebat longiùs ire, sed *fingebat*, id est, simulabat tantùm.

Aug. l. 3. de Consensu Euangelist. c. 25.

℣. 30. ACCEPIT PANEM, ET BENEDIXIT, AC FREGIT] S. Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus & Beda sentiunt, Christum hîc consecrasse & discipulis his porrexisse SS. Eucharistiam. Primò, quia eodem modo loquitur hîc Lucas, quo B tam ipse quàm reliqui Euangelistæ loquuntur cùm agunt de Eucharistia. Secundò, quia non vulgaris, sed peculiaris fuit hæc & *benedictio* & *fractio panis*; neque initio mensæ, sed in medio vel fine adhibita: nam procul dubio cœnauit cum illis, ne phantasma crederetur. Tertiò, quia ex hoc pane sumpto statim agnouerunt Christum. Addit S. Hieron. Christum hoc facto suo domum istam (quam Cleophæ vocat, in ecclesiam consecrasse, nempe quia Sacramentum & sacrificium Eucharisticum istic celebrauit, quod in ecclesiis fieri solet. Porrò ex hac miraculosa oculorum apertione per sumptionem panis Eucharistici, colligere licèt vim spiritualiter animam illuminandi, deinde ad hunc, aliosque eius fructus consequendos sufficere vsum vnius speciei: nam pane sacro porrecto, statim & innotuit ipsis, & disparuit, abscedens ab eis corpore, dum teneretur fide, inquit S. August.

Augustin. serm. 140. de Tempor.

℣. 32. NONNE COR NOSTRVM ARDENS D ERAT?] id est, ita rapiebatur & inflammabatur amore rerum diuinarum quas ille nobis exponebat, perinde atque solebat ante mortem eius inflammari cùm nos ipse doceret. Quare ergo non potuimus vel ex hoc solo argumento ipsum cognoscere? quis torpor, quis somnus nos inuasit? quis stupor nos detinuit? Sed antequam duobus his discipulis visendum se Christus exhibuit,

g *1. Cor. 15. v. 5.*

℣. 34. APPARVIT SIMONI Petro, (g) nempe iam reduci à monumento, & crimen negati Domini sui amarè deflenti. Idque Primò, vt tristem solaretur; Secundò, vt designatum à se caput Ecclesiæ, & præ ceteris amore sui flagrantem, præ ceteris honoraret; Tertiò, vt ipsi, tamquam omni exceptione maiori, plena ab alijs fides haberetur.

℣. 38. QVID TVRBATI ESTIS viso me redi- E uiuo? ET COGITATIONES dubias, anxias, perplexas animo voluitis?

℣. 39. PALPATE] Petes Primò, quomodo corpus glorioſum, subtile & penetrabile, palpari possit? Respondeo, Quia Beatis relinquitur liber vsus dotis subtilitatis: vnde si velint, non penetrantur, sed resistunt: vel, si non resistant, saltem per primas qualitates & per alias tactiles: (neque enim desinunt esse eiusdem naturæ cuius antè fuerunt, licet iam corrumpi non possint,) sensum tactus immutant, & sic sentiri ac palpari possunt, sin nolint, non possunt.

Petes Secundò, an Apostoli reuera, vt iussi erant, palparint Christum? Respondeo affirmatiuè cum S. Leone, Didymo, Augustino & Maldonato, imò cum

cum S. Ioanne, de se socijsque disertè affirmante: A
1. *Ioan. 1. v. 1.* *Manus nostræ contractauerunt de verbo vitæ.*

Petes Tertiò, an hæc palpatio, locutio, esus, potus, conuersatio cum Apostolis fuerint infallibile signum resurrectionis Christi? Respondeo, Se solis non fuerunt infallibile signum: nam & angeli in assumptis aëreis corporibus palpati fuerunt à Loth,
a *Gen. 19. v. 1. 10. 16.* (a) Abrahamo (b) & alijs. Fuerunt tamen infallibile signum, quatenus iuncta erant claris verbis &
b *Gen. 18. v. 1. 4. &c.* miraculis Christi, quibus resurrectionem suam ex professo stabiliebat, & quibus nulla fraudis suspi-
S. Tho. sup. cio poterat subesse. ita ferè S. Thomas.

℣. 41. ADHVC tamen ILLIS, id est, quibusdam illorum, NON CREDENTIBVS, (quid enim obstare poterat quo minùs Petrus, Magdalena, Emmauntini crederent?) PRÆ GAVDIO; (Syrus enim & Græcus id adnectunt, *credentibus*;) escam poscit, &c. maioris fidei ipsis faciendæ gratia. Et quidem non apparenter tantùm, vt olim angeli B quidam, sed realiter ac verâ actione vitali absumebat apposita; non tamen conuertebat illa in substantiam suam, vt vult Durandus & Waldensis; sed post masticationem vel traiectionem in ventriculum conuertebat omnia in aërem, & sic euanescere faciebat, vt benè probat Suarez.

Durand. in 3 dist. 22. q. 6. ad 2. Suarez 3. p tom 1. disp. 47. sect. 5.

℣. 45. TVNC APERVIT ILLIS SENSVM; græcè, νῶν, id est, mentem eorum, VT INTELLIGERENT SCRIPTVRAS] ita Syrus. Et erat hoc interpretationis donum gratia gratis data, quæ postea pluribus alijs communicata fuit, teste S. Paulo,
c 1. *Cor. 12. v. 10.* (c) vt Baronius fusè demonstrat. Sed ex his verbis patet contra nostros hæreticos, Scripturam non esse omnibus vbique tam claram, quin interprete indigeat: neque interpretandam proprio sensu, vel spiritu priuato cuiusque; sed solo spiritu & sensu quem Christus aperuit suis Apostolis, hi Ecclesiæ, hæc nobis tradidit.

Baron. tom. 1. p. 394.

Quoties primo resurrectionis die, & quoties sequentibus, & quo ordine apparuerit Christus, explicui in Chronico. De ascensione in cælum, quam hîc obiter Euangelista perstringit, vide initio Actuum Apostolorum.

Chronic. c. 49. in fine.

SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM IOANNEM.

a *Chron. c. 46. tabula 4. in fine.* * *Ioan. 1. v. 44. & Luc. 5. v. 10.* IOannes Zebedæi & Salomes filius, frater Iacobi Maioris, nepos Iacobi Minoris (ex sorore eius Salome[a]) è Bethsaida *Galilææ ad mare Tiberiadis oppido oriundus, Ephesi postea Episcopus, vitæ suę anno 97. à morte Christi 66. ab excisa Ierosolyma 26. Imp. Neruæ primo[b], (reuersus ex insula Pathmos, vbi exularat & Apo-
b *Chron. c. vlt. in fine.* calypsin conscripserat,) rogatu Episcoporum Asiæ, biennio ante mortem suam, vltimus Euangelistarum conscripsit Euangelium hoc suum græcè: Primò, vt Cerinthi, Ebionis, aliorumq; tum nascentes aduersus Christi diuinitatẽ hæreses refutaret. Secundò, vt quæ ab alijs Euangelistis (qui ferè solius vltimi anni gesta Christi, puta à vinculis Ioannis Baptistæ prosequuntur,) prętermissa fuerant, suppleret: nam duorum potissimum priorũ annorum historiam contexit, vt S. Augustinus & ex eo Baronius annotarunt. Scripsit omniũ sublimissimè, præuio prolixo ieiunio, præuijs tonitruis & fulguribus, vt alter Moyses[c], & verus Boanerges[d], id est, filius tonitrui, inquit idem Baronius ex antiquis Patribus: qui propter doctrinæ sublimitatem, aquilæ illum comparant, & per excellentiam *Theologum* vocant. Plerique etiam volunt, fuisse ipsum in nuptijs Canæ Galilææ sponsum, sed aquæ in vinum commutatione permotum nuptijs renuntiasse, & virginem perpetuò remansisse, vt dixi in fine Chronici.

c *Exodi 19. v. 16.* d *Marc. 3. v. 17.*

CAPVT I.

VErbum, seu Filius Dei, cùm esset Deus, ante sæcula ab omni æternitate genitus ex Patre Deo, homo factus est in tempore: cui testimonium perhibet Ioannes Baptista, Iudæos ad ipsum excipiendum inuitans, vtpote promissum olim, & iam missum, ipsis Messiam, saluatorem & redemptorem. Andreas ex Ioannis discipulo fit assecla Christi; & fratrem suum Simonem ad eumdem deducit, vt & Philippus Nathanaelem.

a *Gen. 1. v. 1* ℣. 1. IN PRINCIPIO(a) vniuersitatis rerum, initio omnis temporis & durationis, ante C omnia creata. q. d. Non aliquo temporis instanti, vt reliqua entia, factum vel creatum est, vel esse cœpit: sed priusquam aliquid fieret, iam inde ab æterno, coæuum Patri, ac proinde increatum, ERAT, & etiamnum est, VERBVM, ὁ λόγος, id est, illud Verbum, nempe vnicum, singulare, diuinum, Deo Patri coæternum, eiusque naturalis Filius. (b) ita S. Aug. Basil. Chrysost. Theophyl. & Patres Niceni Concilij: qui proinde damnant hanc impiam Arianorum blasphemiam, *Erat* tempus *quando non erat* Verbum. Nota.

b *Hic v. 14. & 18. Augustin. de Genes. ad litt. ram c. 1.*

Nota. Græcum λόγ@ Tertull. Cyprianus & Ambros. subinde vertunt *sermonem*; Origenes, Basilius, Nazianz. & Chrysost. τὸ λογικὸν, id est, *rationem*: quia sicut ratio vel notitia à mente, ita Filius à Patre procedit. Idem Nazianzenus & Euthymius τὸν ὁρισμὸν, id est, *definitionem*, quia Filius naturam Patris & omnium rerum definitè & plenè exprimit. Iam quærit Caluinus & omnes Nouantes, qui *sermonem* verti volunt, cur Noster vertat *Verbum*? Respond. Primò, quia sic vertunt communiter reliqui SS. Patres, idq; optimè ac proprijssimè, vt ex dicendis patebit. Secundò, quia *verbum* simplicius est, nec innuit vllam compositionem, sicut ceteræ voculæ iam dictæ: atqui locutio illa quâ Pater Filium producit, est simplicissima & alienissima ab omni compositione. Tertiò, quia Filius Dei non est aliquid extra Patrem, quale quid denotat sermo, ratio, definitio, sed est cõceptus interior mentis paternæ: talis autẽ numquã *sermo*, &c. sed *verbum* semper vocatur.

ET VERBVM hoc ERAT APVD DEVM] illum scilicet *notum in Iudæa Deum*, (*a*) putà Patrem cælestem. Qua præpositione indicatur apertissimè distinctio personarum in diuinis. Quomodo enim qui vnus idemque per omnia est, apud seipsum esse intelligetur? inquit S. Hilarius, Cyrillus, Theophyl.

Petes, Quo modo Verbum erat apud Deum? Respondeo, Omni modo spiritibus proprio, quo genitus apud generantem est, seu apud Patrem ex quo nascitur, seu originem ducit. Nam Primò, est in eodem loco, vel potiùs per idem spatium diffusus. Secundò, in eadem dignitate, perfectione, imò & natura, seu essentia eadem. Tertiò, in summa coniunctione, consensu, complexu, amore.

ET quid mirum? DEVS ERAT VERBVM] Græcè, *Verbum erat Deus*. Nam articulus (qui non solet iungi prædicato, sed soli subiecto propositionis,) additur nomini λόγ@, nõ θεὸς. Inuertit tamẽ Euangelista propositionem, quia iuxta elegantiam sermonis Hebraici, volebat propositionem subsequentem inchoare ab ea voce quæ finit præcedentem, vt etiam infrà v. 4. Igitur tribus iam dictis propositionibus triplicem Verbi perfectionem proponit; Prima, æternitatem; Secunda, personalem subsistentiam & distinctionem à Patre; Tertia, identitatem naturę, seu essentiæ cum Patre. Atque hactenus de Verbo, quid sit, & quomodo ab æterno se habuerit erga Deum: iam in sequentibus exponet, quomodo in tempore se habuerit erga creaturas, Primò, in illis creandis, vbi suam ostendit omnipotentiam & omnisciẽtiam: Secundò, in ijsdem reparandis, vbi infinitam misericordiam & bonitatem.

℣. 3. OMNIA, scilicet quæ facta sunt, PER IPSVM FACTA SVNT. Patet ex altero membro huius versiculi, vbi, *quod factum est*, iungendum cum præcedentibus, vt monent S. Chrysost. & August. & habet communior lectio Græcorum & Latinorum, hoc modo, SINE IPSO FACTVM EST NIHIL QVOD FACTVM EST. Vnde excluditur *Spiritus sanctus* (inquit Chrysost.) quia ipse non est factus. Quòd si quis cum Tertulliano, Cyrillo, Clemente & Beda malit particulam illam sequentibus annectere, hoc modo, QVOD FACTVM EST, IN IPSO VITA ERAT; tum sensus erit, quòd omnis creatura priusquam existeret, fuerit in Verbo vitaliter & intellectualiter, siue in ideis & rationibus æternis, quæ viuunt in Verbo.

℣. 4. IN IPSO Verbo, tamquam in fonte, VITA ERAT vera, essentialis & æterna (sic enim ipse Ioannes alibi (*b*) se exponit,) qua & sibi perfectissimè viuit, & omnes nos viuificat: Primò, per vitam naturę, creando nos; Secundò, per vitam gratiæ, reparando nos; Tertiò, per vitam gloriæ, beatificando nos.

ET VITA; græcè, ἡ ζωὴ, id est, *illa vita*, putà Verbum, ERAT iam inde ab initio mundi, LVX HOMINVM] q.d. Verbum non solùm vita erat & sibi & hominibus, sed erat insuper etiam lux & sibi & hominibus: sibi natura, hominibus effectu & communicatione, paratum instar splendidissimi solis, omnes illuminare, vt infrà (*c*) dicitur.

℣. 5. LVX hęc IN TENEBRIS LVCET: lucis enim natura est, tenebras illuminando dispellere: vnde & Christus, vt reipsa ostenderet se veram esse lucem mundi, luxit quantum fuit ex parte sua. Sed TENEBRÆ, id est, homines tenebricosi, in ignorantia, infidelitate & peccatis obstinati, (quales erant plerique Iudæorum) hanc lucem fidei, gratiæ & gloriæ vltrò oblatam NON COMPREHENDERVNT] id est, recipere seu admittere noluerunt, inquit Cyrillus, Chrysostomus, Theophylactus.

℣. 7. VENIT præcursor solis prę MISSVS A DEO Ioannes Baptista, IN TESTIMONIVM, id est, ad testandum, nempe vt tamquam indubius testis & præco, hominibus indicaret præsentiam, nobilitatem, excellentiam huius solis, & lucis, seu luminis diuini: VT sic PER ILLVM Ioannem OMNES CREDERENT, & credendo comprehenderent, seu acciperent oblatam lucem, putà Messiam Verbum Dei.

℣. 8. NON ERAT Ioannes τὸ φῶς, id est, illa LVX, (*d*) de qua nobis hîc sermo, sed tantùm testis illius lucis.

℣. 9. VERA autem LVX ERAT Verbum diuinum, de quo suprà, quod vnicum meretur absolutè nomen lucis, vtpotè natura sua lucens, & non participatione: lucens, inquam, & quantum est ex se, (*e*) *illuminans* OMNEM HOMINEM VENIENTEM seu nascentem IN HVNC MVNDVM] id est, quotquot nascuntur, id est, omnes homines: supple, per ipsum etiam solum, & per nullum aliud lumen sic illuminari posse mundum.

℣. 10. IN MVNDO ERAT iam inde ab initio præsens per suam diuinitatem, ac tandem etiam incarnatum præsens factum est per suam humanitatem: sed MVNDVS, id est, homines mundo dediti, noluerunt ipsum pro domino suo, vt decebat, agnoscere vel recipere. ita S. Augustinus, Cyrillus, Chrysostomus, Theophylactus.

℣. 12. QVOTQVOT AVTEM RECEPERVNT illud Verbum: (helleniſmo tribus his versibus ponit, EVM, quia respicit λόγον masculinum:) DEDIT EIS POTESTATEM. Sic ἐξουσίαν vertunt Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, & inde probant vim liberi arbitrij, vt & ex eadem vocula alijs similibus (*f*) locis. Posset alioquin etiam verti, *dignitatem* vel *præeminentiam*, quâ participatiuè fiant etiam ipsi *filij Dei*, nempe adoptiui, si *credant* IN NOMINE EIVS] An ergo actus solius fidei iustificat? Nequaquam. Neque hîc dicitur, eos qui credunt, esse filios, sed posse fieri filios Dei, nempe si velint supplere quæ fides ad hoc requirit, putà pœnitentiam & Sacramenta. Nisi malis dicere, hîc agi de ijs, qui fide non nuda seu mortua, sed viua & per charitatem completa Christum recipiunt: hi enim fiunt omnes filij Dei, non generatione humana, vel simili humanæ.

℣. 13. EX SANGVINIBVS, seu semine viri ac feminæ, NEQVE EX VOLVNTATE, id est, concupiscentia, CARNIS femineæ ac virilis, seu ex complexu &

a *Psal. 75. v. 1.*

Hilar. l. 2. de Trinit.

Chrysost. hom. 4. in Ioan. Aug. tract. 1. in Ioan.

b *1. Epist. c. 1. v. 2. & c. 5. v. 11.*

c *Hic v. 9.*

d *Luc. 1. v. 15.*

e *Prolog. in Idiotismis Hebr. n. 56.*

f *Hic c. 5. v. 44. c. 10. v. 18. c. 19. v. 10. Act. c. 7.*

xu & copula maritali: SED EX DEO, & generatione simili diuinæ, putà per spiritum Dei & gratiam iustificantem prognati, quâ *consortes fiunt diuinæ naturæ.* (a) Et quidem hunc in finem

a 2. *Petri* 1. v. 4.

℣. 14. VERBVM FACTVM EST CARO: synecdoche, id est, homo, subsistantialiter vnitâ sibi naturâ humanâ, seu animâ & corpore humano. Quare ergo non dicit factum hominem, vel saltem animam, vel animal? Respondeo, Quia voluit insinuare, factum miserijs plenum hominem, mortalem, fragilem, ærumnosum, nostri similem: nam ratione carnis hæc nobis conueniunt. ET HABITAVIT, ἐσκήνωσεν, id est, tabernaculum fixit. nempe quasi peregrinus & hospes (nam patria illi cælum est) visibiliter, & ad modicum tempus, vixit IN NOBIS, id est, inter nos homines, tamquam vnus nostrûm. Eratque *Verbum* hoc incarnatum, PLENVM GRATIÆ ET VERITATIS] Nam etiam secundùm humanam naturam à primo conceptionis instanti plenissimum erat omni genere gratiarum, & veritate irrefragabili atque infallibili, absque vllis ignorantiæ tenebris, vtpotè in quo erant *omnes thesauri sapientiæ & scientiæ.* (b) Sed vnde hoc, ô Ioannes, nosti?

b *Coloss.* 2. v. 3. & 1. *Petri* c. 2. v. 22.

VIDIMVS GLORIAM EIVS, & certissima argumenta diuinæ dignitatis maiestatisque illius, nempe in baptismo, transfiguratione, morte, resurrectione, ascensione ipsius. idem collegimus ex cælesti eius doctrina, vita, miraculis, inquit S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius. GLORIAM, inquam, QVASI VNIGENITI A PATRE] Id est, talem excellentiam & maiestatem, qualis decet vnigenitum Dei Filium, cui, vt ait Basilius, Pater omnem suam gloriam & substantiam dedit, sicut parentes solent vnigenitis suis integram relinquere hereditatem. Neque tamen nos soli (qui quia domestici, fortè videri possimus ad gratiam loqui,) hæc de Christo testamur: sed &

℣. 15. IOANNES, homo ille missus à Deo, cuius nomen magnum est ac celebre totâ Iudæâ. ita S. Chrysostomus & Euthymius. QVI POST, seu pone, ME VENTVRVS EST, cuius ego præcursor sum, IS ANTE ME FACTVS EST, id est, honore & dignitate mihi antepositus est, vt S. Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus exponunt. Nam Græcum ἔμπροσθέν μου, numquam ordinem temporis, sed distantiam significat loci, seu dignitatis, inquit Beda. QVIA PRIOR ME ERAT] id est, præstantior, potior, præcellentior naturâ, maiestate & officio, vtpotè Messias & Filius Dei.

℣. 16. DE PLENITVDINE EIVS, nempe Christi; qui fons est inexhaustus, NOS OMNES ACCEPIMVS quidquid habemus, ET GRATIAM PRO GRATIA] Id est, ex, per, seu propter gratiam Christi (quaipse Deo gratissimus est, nobisque promeritus fuit vt & nos Deo gratificemur) consecuti sumus gratiam singuli nobis propriam, putà remissionem peccatorum, iustitiam, & alia omnia dona. ita ferè Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Zacharias Chrysopolitanus, Toletus, Franciscus Lucas & Cornelius à Lapide.

A Lapide in Zach. 4. v. 7

℣. 17. QVIA LEX quidem PER MOYSEN nobis DATA EST, & habuimus pro magno beneficio; sed longè maius est quod à Christo, seu propter Christum, à Deo nobis donatur, nempe GRATIA ET VERITAS] Lex enim Mosaica continebat nuda præcepta, & nudas figuras ac promissiones. Quod verò Christus nobis dat, est ipsa veritas, nempe res promissa, & per figuras illas pra si-

A gnata: est & ipsamet gratia, partim auxiliaris, quâ potentes reddimur ad omnia quæ exiguntur implenda; partim gratificans & iustificans, quâ efficimur filij Dei. His ergo verbis incipit Ioannes abducere lectorem à Moyse ad Christum, à lege ad Euangelium.

℣. 18. DEVM, id est, essentiam Dei, vt in se est, & subsistit in tribus personis, NEMO VIDIT VMQVAM mortalium, nemo Prophetarum, ne Moyses quidem: (c) solus Christus VNIGENITVS Dei FILIVS, QVI ab æterno & continuò EST IN SINV & gremio PATRIS, vt omnia iam dicta mysteria ibi vidit, ita etiam potuit nobis *enarrare*, q.d. Nullus præcedentium Prophetarum penetrauit secreta diuini consilij, vnde nil mirum si veritatem summorum mysteriorum nobis reuelare nemo potuerit. Vni enim Filio Dei id concessum. Nota, sinum duabus constare partibus, vna superiore ad pectus: B altera inferiore ad genitalia, quæ gremium vocatur. In superiore parte ad pectus, sedes ponitur consilij & secretorum hominis; vnde *esse in* Patris *sinu* designat communionem consiliorum & secretorum Patris: *gremium* verò vti est ad genitalia, ita *esse in gremio* Patris significat connexionem naturæ, & Filium Patri essentia coniunctissimum atque ὁμούσιον esse, & perpetuò ex Patre nasci. ita ferè S. Chrysostomus, Cyrillus & Augustinus.

c *Exodi* 33. v. 13.

℣. 21. NON SVM PROPHETA] supple, propriè dictus, qui futura prædicat, vt vos intelligitis: veni enim non vt Messiam olim venturum prophetem, sed vt præsentem vobis digito demonstrem, inquit idem Augustinus & Rupertus.

℣. 23. EGO VOX, &c.] q.d. Præter illos de quibus me rogastis, vnus adhuc alius in Scripturis promittitur Isaiæ 40. v. 3. nempe prodromus, præcursor, prænuntius Christi: is ego sum.

℣. 25. QVID ERGO BAPTIZAS] q.d. Baptismum tempore Messiæ populo administrandum scimus ex Ezechiele: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* & ex Zacharia: *In illa die erit fons patens domui Dauid,* &c. Sed qua auctoritate tu, qui fateris te ad Messiam nil pertinere (non intellexerant eius responsum de præcursore,) tam audacter præsumis populum publicè baptismo initiare?

Ezech 36. v. 25. *Zach.* 13. v. 1.

℣. 26. EGO BAPTIZO IN AQVA sola & mera. q.d. Rectè sentitis, baptismum qualem Prophetæ promiserunt, non pertinere nisi ad tempus Christi: nec ego mihi talem baptismum vsurpo: meus enim baptismus, etsi à Deo (d) mihi iniunctus, exigui præ illo momenti est, non *mundans ab inquinamentis* animæ, imò præter ablutionem corporis & confessionem peccatorum nihil habet: sed præambulum est tantùm baptismi Messiæ, vt alibi (e) dictum. ita Chrysostomus & Theophylactus.

d *Hic v.* 33.

e *Matth* 3. v. 6. & 11.

MEDIVS VESTRVM, id est, inter vos, STETIT, id est, (f) conuersatus est iam totis 30. annis, & etiamnum conuersatur, qui longè nobiliore baptismo (g) vos baptizabit.

f *Luca vlt.* v. 4.

g *Matth. suprà.*

℣. 28. HAEC legatio facta est IN BETHANIA, non illa Marthæ & Mariæ sororum Lazari, (h) quæ erat prope Ierosolymam, (i) sed alia TRANS IORDANEM sita: vnde multa exemplaria Græca pro *Bethania* hîc legunt *Bethabara*, id est, domus transitus, seu locus in quo traijcitur, scilicet vltra Iordanem. Contigit autem hæc legatio prima Martij, 56. die à baptizato Christo, vt dixi in Chronico.

h *Ioan.* 11. v. 1.

i *Ibid.* v. 18.

Chronici c. 49. *sub finè anni* 1. *prædicat. Christi.*

℣. 29. ALTERA, seu sequenti, DIE à legatione, nempe secunda Martij, VIDIT IOANNES IE-

SVM à Nazareth (quò post quadraginta dierum ieiunium secesserat ad quindecim dies, (a) inquit Epiphanius,) VENIENTEM AD SE reuisendum: ET AIT astantibus sibi, ECCE AGNVS DEI, id est, à Deo destinatus, vt instar agni offeratur & immoletur, vt Isaias & alij Prophetæ prædixerunt. ECCE QVI TOLLIT, id est, aufert, PECCATVM MVNDI] scilicet originale cum omnibus inde profluentibus, id est, vniuersam peccatorum colluuiem. *Tollit*, inquam, non alienâ, sed propriâ virtute, merito passionis & mortis suæ illa expians, debitas pro illis pœnas in se suscipiens ac luens, atque ita diuinæ iustitiæ omni ex parte satisfaciens. *Tollit* autem quantum ex se est; (b) & *tollit* adhuc quotidie inquit S. Chrysostomus. His verbis ind cabat Ioannes Iesum esse Messiam & salutorem mundi.

a *Ibid. id Chron. Epiphan. hæresi 51.*

Isaiæ 53. v. 7. Ierem. 11. v. 19. &c.

b *Hic v. 9. Chrysost. hom. 17.*

¥. 31. ET EGO NESCIEBAM EVM] Id est, non noueram eum, neque de nomine, neque de facie, antequam ille se mihi baptizandum offerret. Negat se habere aliam notitiam illius, quàm quæ diuinitus sibi obtigerat, ne cognationi, familiaritati gratiæ vel affectui dare aliquid videatur.

¥. 38. MAGISTER VBI HABITAS? Græcè, *vbi moraris?* vbi hospitaris? Cùm enim iam serum esset, vtpote HORA DECIMA, (c) seu secunda ante solis occasum; volebant tantùm hospitij locum nosse, vt sequenti die illum opportuniùs adire & de rebus suis conuenire possent. Horum duorum

c *Chronici c. 2.*

¥. 40. VNVS ERAT ANDREAS] Quis alter? An ipsemet Euangelista Ioannes? Ita aiunt nonnulli, inquit S. Chrysostomus.

¥. 42. TV ES SIMON FILIVS IONA. Quid ni norit singulorum nomina Christus, qui ante mundi constitutionem, imò ab æterno singulos præuiso statu eorum finali, destinauit vel ad vitam, vel ad mortem æternam? TV VOCABERIS CEPHAS, id est, rupes vel saxum, (d) nempe super quo fundabitur Ecclesia mea.

d *Matth. 16 v. 18.*

¥. 45. QVEM SCRIPSIT MOYSES (e) ET PROPHETÆ, (f) putà Messiam, nos iam inuenimus, nempe IESVM FILIVM JOSEPH.

e *Gen. 49: v. 10. Deuter. 18. v. 18.*

f *Isaiæ 4. v. 2. c. 40. v. 10. c. 45. v. 8. Ierem. 23. v. 5. c. 33. v. 15. Ezech. 34. v. 23. c. 37. v. 25. Dan. 9. v. 24.*

¥. 46. VENI mecum, ET VIDE ipsummet virum. Primo enim aspectu sat tibi manifesta redderur virtus & dignitas viri, vtpotè *speciosi formâ præ filijs hominum.* (b) Et *numquam sic locutus est homo.* (i)

g *Matth. 1. v. 16.*

h *Psal. 44. v. 3.*

i *Ioan. 7. v. 46.*

¥. 47. ECCE VERE ISRAELITA] Syriacè, *verus filius Israelis*, seu Iacobi patris sui; nempe vita moribusque refert candorem, & simplicitatem & sanctitatem Iacobi. Rupertus & Iansenius putant Nathanaelem eumdem esse cum eo quem alij Euangelistæ vocant Bar-tholmai, seu Bartholomæum. Sed negant hoc S. Augustinus & Toletus, qui volunt Nathanaelem non fuisse idiotam, vt erant Apostoli, sed legisperitum.

¥. 48. CVM ESSES SVB FICV, vbi sine arbitris hoc vel illud negotij peragebas, vel solo forsan animo pertractabas, ego TE pertractantem & agentem VIDI: vnde colligere potes, me maiorem esse homine, imò Deum, qui solus cardiognostes & vbique præsens est, inquit S. Augustinus, Cyrillus & Euthymius.

¥. 49. TV ES FILIVS DEI] Græcè, *ille filius Dei*, per excellentiam præ omnibus alijs charus & gratus Deo, quem pridem exspectamus saluatorem mundi.

k *Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 49. &c.*

¥. 51. AMEN, AMEN, (k) id est, verissimè, certissimè, DICO VOBIS, VIDEBITIS CÆLVM APERTVM, (l) ET ANGELOS DEI ASCENDENTES ET DESCENDENTES SVPRA me: id est, de cælo accurrentes, meque iubente reuertentes, & omne obsequium mihi tamquam domino suo exhibentes, inquit Cyrillus & Chrysostomus cum suis. Quibus verbis indicat Christus se non solius Israelis aut solius mundi, sed & cæli totius & angelorum dominum esse. Simul, doctrinam suam suaque omnia esse à cælo; seque cælum antea clausum hominibus reseraturum, eosdemque angelis & Deo reconciliaturum.

l *Matth. 3. v. 16.*

Petes, Quando contigit hæc visio? Respondeo, ab Euangelistis nusquam describi (vt & multa alia:) videri tamen factam paulò pòst, proprie vt sonat, & vt olim facta fuit Patriarchæ Iacobo Genesis 28. (ad quam Christus hîc alludit, occasione eius quòd Nathanaelem verum Israelis filium vocaret.) Si enim nato, (m) tentato (n) resurgenti (o) & ascendenti (p) Christo angelos famulatos constat, quid mirum si & alias subinde idem fecerint? ita B lantemus.

m *Luc. 2. v. 9. & 11.*

n *Matth. 4. v. 11.*

o *Ioan. 20. v. 12.*

p *Actor. 1. v. 10.*

CAPVT II.

In nuptiis Cana Galilææ Iesus aquam conuertit in vinum: Ierosolyma mercatores expellit è templo templum corporis sui soluendum à Iudæis predicit, sed tertio die à se rursus excitandum. Multi visis eius miraculis credunt in eum, quibus tamen ipse se non credit.

¥. 1. DIE TERTIA à vocatione Andreæ & Petri, (q) quinta Martij, sexagesima die à baptismo, vt ait Epiphanius NVPTIAE FACTAE SVNT IN CANA, non Phœniciæ, (r) (quæ *Cana maior* dicebatur, nec procul aberat Sidone,) sed GALILÆÆ Inferioris, non longè à mari Tiberiadis.

q *Ioan. 1. v. 41. Epiph. hæresi 51. & Chron. c. 49 sub finem anni secundi prædicat. Christi.*

ET ERAT MATER IESV IBI in istis nuptijs, Iosepho iam vitâ functo, inquit Epiphanius. (s)

r *Ioseph. l. 19. Antiq. c. 28.*

¥. 2. VOCATVS EST ET IESVS] quia cognatus vel affinis. Nam, vt ex plurimis auctoribus docui in fine Chronici, non improbabile est, sponsum in his nuptijs fuisse Ioannem Euangelistam cognatum (t) Christi. Voluit autem Christus nuptijs interesse: Primò, vt illas suâ præsentiâ sanctificaret, approbaret & cohonestaret, contra *Tatianos & Encratitas*, inquit S. Augustinus, Euthymius & Beda. Secundò, vt nos doceret humilitatem, ne despiciamus pauperes cognatos. Tertiò, vt ansam haberet patrandi miraculi, inquit Cyrillus.

s *Epiph. hæresi 78.*

t *Chron. c. 46. sub 4. fine.*

¥. 3. VINVM NON HABENT] Non indicat quasi ignoranti, sed modestè petit ab eo, quem sciebat diligere petentem, & benè velle ijs pro quibus petebatur. Sic infrà, (u) *Quem amas infirmatur.*

u *Ioan. 11. v. 3.*

¥. 4. QVID MIHI ET TIBI EST MVLIER?] Id est, quid mihi tecum commune est in hoc negotio? (x) quid te immisces eiusmodi negotio edendi D miraculi? q. d. Nihil ad te res ista: mea est, non tua. Nulla fuit culpa in B. Virgine: nam ex charitate & pietate petebat inopiam pauperum subleuari, & honori consuli, inquit S. Cyrillus, Rupertus, Bernardus. Vnde nec vera fuit reprehensio. videri tamen volebat Christus illam reprehendere, vt doceret, in operibus Theandricis, (quæ vocabat (y) negotia Patris sui,) se nec matrem, nec vllum superiorem agnoscere præter Patrem: nec in illis rebus quidquam tribuendum affectibus vel rationibus humanis.

x *Matt. 8. v. 29.*

Bern. ser. 2. in c. 2. Ioan.

y *Luc. 2. v. 49.*

NONDVM VENIT HORA MEA] Id est, necdum adest tempus præstitutum à Patre, quo miracula edere incipiam, & nominatim istud quod postulas. Plerumque enim mauult Deus, ad maiorem

suam

suam gloriam, tum demum adhiberi miraculum, A cùm de præsenti necessitate palàm omnibus constat, & iam de humano auxilio desperatur.

℣. 5. QVODCVMQVE DIXERIT VOBIS, FACITE] Non ita mandaret, nisi Spiritu sancto plena, aquæ in vinum commutandæ vniuersum ordinem præuidisset, inquit Eucherius, & Gaudentius Brixianus. Qui & notant hîc excellentissimam Deiparæ non modò charitatem & pietatem in egenos amicos, sed & mansuetudinem, prudentiam, fidem fiduciam, constantiam, & animi magnitudinem incomparabilem.

℣. 6. ERANT LAPIDEÆ HYDRIÆ SEX aqua plenæ SECVNDVM PVRIFICATIONEM IVDÆORVM]id est, iuxta ritum moremque receptum, quo sæpissimè religionis & puritatis causâ inter epulas lauabant manus, eluebant calices, lances, & cetera mensarum vtensilia. (a) Quanta mensura sit *metreta*, seu *batus*, vel *ephi*, dixi in Prolegomenis.

(a) *Marc. 7. v. 3 & Matt. 5. v. 2 &c. Proleg. de Mensuris.*

℣. 8. FERTE ARCHITRICLINO] id est, triclinij & mensurarum præfecto, qui ferè ex sacerdotibus apud Iudæos assumi solebat. Varro *modimperatorem* vocat, de quo alibi (b) fusiùs. Sed cur iubet ferri architriclino? Resp. Chrysostomus, quia is sobrius, magisque peritus saporum, poterat optimè de hoc vino iudicare, & miraculum apud alios celebrare. Addit Theophylactus, id factum, ne quis suspicetur conuentũ fuisse ebriorum, qui corrupto iam palato pro aqua putarent se vinum bibere.

(b) *Eccli. 32. v. 1.*

℣. 9. ARCHITRICLINVS VOCAT SPONSVM] qui & ipse mensas obibat recreandorum conuiuarum causâ.

℣. 10. CVM INEBRIATI, id est, (c) exhilarati, FVERINT conuiuæ, minùs præstans vinum apponitur. Quàm hoc verè quadrat in mundum! Sicut quod sequitur, Deo maximè conuenit, TV AVTEM SERVASTI BONVM, id est, melius, VINVM VSQVE ADHVC! Quamquam verbis istis ad litteram sponsus hîc imprudẽtię arguatur, quasi mensæ suæ honori non sat consuluisset, qui integro & sincero palato conuiuarum vilius; corrupto, seu infecto præstantius vinum apponeret.

(c) *Gen. 43. v. 34.*

Allegoricè, Christus frigidam & insipidam legis Mosaicę, aquam incipit commutare cum suauissimo generosissimoque Euangelicæ legis vino.

℣. 13. PROPE ERAT PASCHA primi anni prædicationis Christi. Alia est ergo hæc mercatorum è templo expulsio sub initium prædicationis Christi, ab illa quam narrant tres alij (d) Euangelistæ factam paulò ante pascha quarti anni quo passus est Christus.

(d) *Matt. 21. v. 12 Marc. 11. v. 15. Luc. 19. v. 45.*

℣. 17. ZELVS DOMVS TVÆ, id est, ardens studium vindicandi templum tuum ab omni iniuria: D vel, si mauis, iusta indignatio concepta ex profanatione templi cultusque tui, COMEDIT ME, id est, absorbuit, occupauit me totum, & instar ignis, intra præcordia mea se concluſit.

℣. 18. QVOD SIGNVM OSTENDIS NOBIS, quo probes quòd HAEC legitimè FACIS?] Id est, quo miraculo probas datam tibi cælitus auctoritatem & ius exturbandi hos mercatores, quos sacerdotum & principes & præfecti templi palàm admiserunt?

℣. 19. SOLVITE (non est imperantis, sed prædicentis simul & permittentis, inquit Euthymius:) TEMPLVM HOC] & manu pectori admota seipsum ostendebat, quasi diceret, Corpus meum ab anima dissolutis per mortem; tunc signum quod nunc petitis dabo, scilicet à morte resurgendo tertia post die. ex quo sat intelligetis me esse dominum templi vestri & totius vniuersi: ac proinde auctoritatem habere faciendi hæc & alia quæ voluerim. Meritò autem vocat corpus & animam suam *templum* Dei, cùm *plenitudo diuinitatis*, seu plena diuinitas *inhabitaret* in ijs *corporaliter*, (e) vtpote corpori & animæ substantialiter & hypostaticè vnita. Sicut enim anima nostra, quia substantialiter vnitur corpori, potest dici corporaliter habitare in corpore nostro vt ait S. Augustinus: ita longè potiori iure diuina Verbi hypostasis, quia substantialiter vnita tam corpori, quàm animæ Christi, potest dici corporaliter habitare in eius corpore, &c. Vide Cyrillum.

(e) *Coloss. 2. v. 9.*

(*Aug. epist. 57. &c.*

℣. 20. QVADRAGINTA ET SEX ANNIS AEDIFICATVM EST TEMPLVM HOC, non olim à Salomone vel Esdra, (qui longè paucioribus (f) annis suam fabricam expediuerunt, nec illa iam extabat B amplius, sed ab Herode Ascalonita, qui vt haberi posset Messias (quem Prophetæ prædixerant instauraturum templum Dei) diruto templo Esdræ, aliud longè magnificentius ædificare cœpit anno regni sui 21. Iuliano anno 27. à quo vsque ad præsentem annum 15. Tiberij, Iulianum 73. præcisè habes annos 46. vt fusiùs ostendi in Chronico.

(f) *1. Reg. 6. v. 38. 1. Esd. 6. v. 15.*

(*Chron. c 45*

℣. 24. NON CREDEBAT SEMETIPSVM EIS] Id est, non fidebat eis, inquit Euthymius: non vtebatur eis familiariter, vt stabilibus discipulis. Norat enim multos eorum citò & facilè mutandos, vt facilè mutatur, seu fides, seu deuotio, quæ solis miraculis extorquetur.

EO QVOD IPSE NOSSET OMNES] nempe præsumebant ipsi de sua constantia, vt & Petrus, cùm diceret paratum se cum Christo in carcerem & in C mortem ire; sed plus nouit artifex quid vitij, quid virtutis sit in opere suo, quàm norit ipsummet opus, inquit S. August. Et addit Będa, ideo numquam nos de nobismet sat securos esse debere.

(*Aug tract. 11. in Ioan.*

CAPVT III.

Christus Nicodemum de regeneratione per baptismum instituit: crucifigendum se praedicit, & morte sua redempturum mundum. Ioannes Baptista discipulis suis de Christo murmurantibus inculcat, debere ipsum crescere, se autem minui: nec posse vel ipsos, vel quemquam hominum saluari nisi per fidem in ipsum.

℣. 1. PRINCEPS] id est, vir primarius, dignitate inter suos præcellens: & hęc pudoris ac timoris causa illi, cur Christũ plena luce non accedat.

℣. 2. SCIMVS QVIA A DEO VENISTI MAGISTER] Syrus, *doctor*. q. d. Scio te à Deo datum doctorem mundo, cui omnes auscultare, credere, parere debeant qui saluari optent.

℣. 3. NISI QVIS RENATVS FVERIT DENVO, NON POTEST VIDERE REGNVM DEI] id est, non potest particeps esse cęli, seu saluari. Quia enim per peccatum originale mortui sumus spiritualiter, necesse est spiritualiter quoque renasci si vitam nanciscì spiritualem velimus. En primum christianismi fundamentum.

℣. 5. NISI QVIS, etiam paruulus, nec adhuc capax rationis, (nam negatio inclusa particulę, *nisi*, distribuit vniuersaliter:) RENATVS FVERIT (reipsa, vel saltem voto, seu desiderio, vt Tridenti- (*Trid. sess. 7.*
num exponit) EX AQVA naturali, quasi matre, & ex SPIRITV SANCTO, quasi patre; NON POTEST INTROIRE IN REGNVM DEI] ita S. Chrysost. Euthymius, Ammonius, & Tridentinum contra

Caluinum, qui per aquam intelligi vult dona Spiritus sancti; & negat hîc agi de baptismo, ne cogatur concedere, baptismum vim habere iustificandi, & etiam infantibus necessarium esse ad salutem, quod omnes SS. Patres vnanimiter docent, & Ecclesia perpetuò tenuit.

℣. 6. QVOD EX CARNE, id est, carnali generatione, NATVM EST, CARO EST, seu res carnalis: sed QVOD EX SPIRITV, seu spiritali generatione, NATVM EST, SPIRITVS, id est, res spiritualis, EST] Ideo *non mireris* quod dixi, *oportere vos denuo renasci*, quia locutus sum de spirituali regeneratione & natiuitate.

℣. 8. SPIRITVS, id est, ventus, SPIRAT VBI VVLT, id est, quòcumque eum trahit voluntas, seu inclinatio naturalis: SED NESCIS VNDE VENIAT, AVT QVÒ VADAT, quia præcisum ac determinâtum terminum, seu ortus, seu occasus, imò & particularem effectum illius ignoras; vt summum percipis generalem effectum aliquem illius, vel signum, putà *vocem*, seu stridorem. SIC EST OMNIS QVI NATVS EST EX SPIRITV] Id est, pari modo non potes in hac spirituali regeneratione baptismi percipere sensu vel naturali ratione, quæ qualisve sit origo illius vel terminus, quis effectus, quæ operatio illius in anima: solùm vides signum externum aquæ, & audis sonum verborum formæ, inquit S. Cyrillus, Chrysost. Theophyl. q.d. Fide hîc opus est, non sensu: credere oportet, non intelligere.

℣. 10. TV ES MAGISTER IN ISRAEL; Syrus, *doctor ille Israelis*, tantus, tanta auctoritate & existimatione? ET HÆC IGNORAS?] de quibus tam multa in Scripturis (a) & prædicta & præfigurata?

a *Sup. c. 1. Ioan. v. 25. & psal. 50. v. 9. Psal. 102. v. 5. & 16.*

℣. 12. SI TERRENA quæ DIXI, nempe regenerationem baptismalem, quam similitudine generationis humanæ & exemplo venti, quæ terrena sunt, elucidaui, NON CREDITIS; QVOMODO CREDETIS SI longè altiora, & merè CAELESTIA proferam? v.g. de æterna generatione Verbi diuini, & spiratione Spiritus sancti, inquit Chrysost. Theophyl. Cyrillus.

Chrysost. hom. 25. in Ioan. Cyril. l. 2. c. 49.

℣. 13. NEMO hominum ASCENDIT hactenus (b) IN CAELVM, vnde nec cælesti lumine vel scientia infallibili quispiam præditus est, præter vnicum Christum, QVI licet DESCENDERIT DE CAELO (quà Deus, non physicè, sed metaphoricè; non loco, sed operatione, humiliando & exinaniendo se, terrenamque naturam nostram assumendo:) EST tamen adhuc continuò IN CAELO, quà Deus per essentiam, quà homo per communicationem idiomatum seu proprietatum, & per visionem Dei. q.d. Igitur mihi licet sublimia & cælestia docenti, præ omnibus indubiè credere potestis: ego enim solus illa vidi in cælo, & ex sinu Patris cælestis illa hausi, vbi continuò versor. Non ergo dicit Christus se ascendisse, sed tantùm negat quemquam aliorum ascendisse in cælum: se tantùm dicit fuisse & adhuc esse in cælo. Quamquam posset etiam dici quà homo, iam inde à prima conceptione, adscendisse in cælum, eo ipso quo euectus est ad visionem Dei & rerum cælestium. ita ferè S. Cyrillus & Franciscus Lucas. Sed quid opus erat de cælo descendere? Respondet:

b *Ita est in Græco.*

℣. 14. Quia EXALTARI illum OPORTVIT in cruce pro totius mundi redemptione.

℣. 18. QVI CREDIT IN EVM, &, vt fides docet, eum amat, & ei seruit, NON IVDICATVR, id est, non est reus, non est obnoxius condemnationi iudicis. QVI AVTEM NON CREDIT, IAM IVDICATVS & condemnatus EST,] supple, in Dei præscientia & reprobationis decreto.

℣. 19. HOC EST AVTEM IVDICIVM: id est, hæc est ratio & causa iustæ condemnationis talium, quòd oblatam à Deo lucem, de quâ suprà, (c) neglexerint, spreuerint, repulerint, TENEBRIS scelerum & miseriarum suarum pertinaciter inhærentes.

c *Hic c. 1. v. 5.*

℣. 21. QVI FACIT VERITATEM, id est, qui operatur secundùm præscriptum veræ, rectæ, iustæ legis, (d) seu qui vitam ducit verè bonam & iustam, IN DEO, id est, secundùm Deum, (e) conformiter diuinæ voluntati & legi; non fugit, non veretur LVCEM, nec manifestationem operum suorum in luce & per lucem.

d *Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 14.*
e *Psal. 110. v. 8. Psal. 118.*

℣. 22. VENIT IN IVDÆAM, id est, in reliquam prouinciam Iudææ. Videtur enim Nicodemus Christum Ierosolymæ conuenisse. BAPTIZABAT autem Iesus non suis, sed discipulorum suorum manibus, vt pòst (f) explicabit, idque in Iudæa.

v. 1. & 1. Cor. 7. v. 39.
f *Ioan. 4. v. 2.*

℣. 23. IOANNES etiam BAPTIZABAT, sed in Galilæa, putà Inferiore, IN ÆNNON, IVXTA SALIM, ad ripam Iordanis, haud procul à mari Tiberiadis. Vnde

℣. 25. QVAESTIO mota DISCIPVLIS IOANNIS cum quibusdam IVDAEIS DE hac PVRIFICATIONE, seu baptismo Christi & Ioannis, vter pluris esset, & magis purificaret. ita S. August. Chrysost. & Cyrillus. Nempe, volebat Satan stulta æmulatione cursum Euangelij præpedire. Sed Ioannes prudenti consilio primis obuiat initijs, & Christum longè sibi præferendum docet.

℣. 27. NON POTEST HOMO ACCIPERE QVIDQVAM] Id est, nemo potest sibi maiorem auctoritatem vel præstantiam adscribere, quàm sit ei à Deo concessa: vnde nec ego possum aut volo quidquam mihi arrogare, præter nudum præcursoris officium.

℣. 29. QVI HABET SPONSAM, SPONSVS EST. q.d. Non sunt æqualis conditionis sponsus & amicus sponsi: nam sponso sponsa propria est: (sic Christo Ecclesia, quam per incarnationem sibi desponsauit:) amico autem solùm conuenit stare, instar prompti & expediti famuli, & vt summum audire blanda colloquia sponsi cum sponsa, & his sese oblectare & gaudere: sponsam verò sibi vendicare vel appetere nullo modo potest. Vnde nec ego possum Ecclesiam, seu populum ad me trahere: sed gaudere debeo, cùm ad Christum accurrit. HOC ERGO GAVDIVM MEVM iam IMPLETVM EST, si, vt vos nuntiatis, (g) OMNES AD EVM adcurrunt.

g *v. 26. hic.*

℣. 30. ILLVM OPORTET CRESCERE auctoritate & fama. q.d. Iam tempus est vt veritas à falsitate secernatur, nempe vt ego perdam nomen & opinionem Messiæ, quam populus de me falsò concepit: (h) ille verò nomen istud obtineat quod illi omnino debetur. Innuit Ioannes imminere sibi propediem silentium, inquit S. Chrysost.

h *Luca. 3. v. 15.*

℣. 31. QVI EST DE TERRA (vt ego sum) id est, qui originem & naturam terrenam habet, DE TERRA EST, id est, non erigitur, nec altiùs extollitur quàm terrenis conueniat: vnde & doctrina eius vt est eius, non excedit terrena, seu humana, neque altior est quàm quæ ex naturalibus principijs deduci potest. At verò QVI DE CAELO VENIT, & naturæ est cælestis ac diuinæ, SVPER OMNES EST, & supra omnia, omnibus præstantior & excellentior: vnde & doctrina eius longè sublimior est, nempe conformis ijs quæ VIDIT ET AVDIVIT

VIT in cælo à Patre suo cælesti. NEMO tamen vestrûm, vel saltem quasi nemo (comparatione eorum qui tanto testi credere deberent,) ACCIPIT seu admittit EIVS TESTIMONIVM] Hoc dicto pungit suos Ioannes, quòd malint sibi humilia docenti, quàm Christo sublimia tradenti, mordicus adhærere, inquit idem Chrysost.

℣. 33. QVI ACCIPIT, id est, admittit, credit, EIVS TESTIMONIVM, IS SIGNAVIT QVIA DEVS VERAX EST: quia illa fide sua, quasi sigillo quodam suo obsignat & profitetur, Deum loquentem per os Christi, veracem esse. sicut cùm quis aliqua narrat quæ solus ipse vidit, si dictis eius credam; illud meum credere, signum est & quasi sigillum, quo confirmo, me reputare illum esse veracem: nam si talem non reputassem, fidem dictis eius non habuissem.

℣. 34. DEVS NON DAT SPIRITVM, seu dona Spiritus sancti, Christo AD MENSVRAM] id est, limitatè, vt dat reliquis hominibus. Totam enim plenitudinem spiritus & gratiæ donauit Filio Pater: imò totam suam diuinitatem, inquit S. Augustinus. *Aug. tract. 14. in Ioan.*

℣. 36. QVI CREDIT IN FILIVM, vt suprà, (*a*) HABET iure & meritò, id est, meretur, VITAM & gloriam ÆTERNAM. *a Hic v. 18.*

CAPVT IV.

Christus à Iudea, vbi baptizarat, in Galilæam regrediens, ex itinere Samaritanam mulierem docet qua sit aqua viua, & qua vera adoratio, eidemque aperit se Messiam esse. Discipulis cibum apponentibus dicit se cibum alium habere ipsis ignotum, nempe obedientiam Patri suo cælesti exhibendam: multos Samaritanos conuertit: & reguli filium sanitati restituit.

℣. 2. IESVS ipse suis manibus NON BAPTIZABAT, scilicet vulgò & passim. Expediebat enim, vt publicè innotesceret ipsum esse auctorem baptismi, non nudum ministrum. Et volebat ipse vt omnibus constaret, sufficere si in nomine Christi baptismus conferretur, etsi non in propria persona. Sic tamen aliquando Christum proprijs manibus baptizasse affirmat S. Gregorius Nazianzenus & Augustinus, & alij, v. g. Ioannem Baptistam, Petrum, & alios Apostolos, vt alibi (*b*) dixi. *Aug. epist. 108.* b *Matth. 3. v. 14.*

℣. 3. RELIQVIT IVDÆAM] cedens odio & inuidentiæ Pharisæorum. Vt enim fortis animi est, metu non terreri: ita prudentis est, non accersere pericula, vel temerè sese illis exponere. Vt ergo è Iudæa regrederetur in Galilæam,

℣. 4. OPORTEBAT itineris necessitate TRANSIRE PER SAMARIAM prouinciam, (à sua metropoli (*c*) sic dictam:) quia Samaria media iacebat inter Iudæam & Galilæam, teste Iosepho & Geographis. c *3. Reg. 16. v. 24. Ioseph. l. 3. Bell. c. 2.*

℣. 5. VENIT IN, seu ad, iuxta, prope, CIVITATEM SICHAR, aliàs *Sichem*, vbi Dina (*d*) corrupta, vbi Iosephi ossa (*e*) sepulta, vbi regia sedes Ieroboami. (*f*) Hæc postea funditus à Romanis excisa, & iuxta illam alia exædificata de nouo, inde *Neapolis* dicta, teste S. Hieron. De *prædio & fonte* hoc Iacobi patriarchæ alibi (*g*) dictum. d *Gen. 34.* e *Iosue vlt. v. 32.* f *3 Reg. 12. v. 25. Hieron. in Locu Hebr.* g *Gen. 33. v. 18 & 48. v. vlt.*

℣. 6. FATIGATVS EX ITINERE, SIC vt erat lassus, non in sede vel puluinari, sed humi, vt res ferebat, SVPRA, id est, iuxta, (*h*) FONTEM SEDEBAT. ita Chrysost. Caietanus & alij. h *Psal. 136. v. 1.*

℣. 9. NON COVTVNTVR IVDAEI SAMARITANIS] Id est, nullum volunt cum illis habere commercium. q. d. Vos Iudæi non dignamini nobiscum agere: quomodo iam deposcis seruitium meum? Qui fuerint Samaritani, & cur adeò Iudæis exosi, dixi 4. Reg. 17. v. 24. Et plures causas vide apud Toletum. *Tolet. hic annot. 7.*

℣. 10. SI SCIRES DONVM DEI, quod Deus donauit, & tibi & toti mundo, (*i*) putà Filium suum; vt per eum omnes saluentur, etiam vos Samaritani: simulque si cognosceres, me esse illum (vt Ammonius & Toletus exponunt:) TV FORSITAN (græcè ἄν, id est, vtique) PETISSES AB EO, ET ipse DEDISSET TIBI AQVAM VIVAM] id est, fluentem, & è fonte vel scaturigine sua (perinde ac si spiritu vitali animata esset) exilientem. Hac metaphora designat gratiam Spiritus sancti, inquit Cyrillus, Theophyl. Euthymius: adeoq; etiam ipsum Spiritum sanctum, vt infrà (*k*) dicitur: nam ipse in iustificatis est instar fontis qui flumina gratiarum & donorum continuò in animam immittit, vt Athanasius, Basilius, Chrysostomus, Hieron. & August. exponunt. Et meritò vocatur *aqua*, quia Primò, animam à peccatis & vitijs abluit; Secundò, virtutibus fœcundam facit; Tertiò, æstum concupiscentiæ & passionum aliarum refrigerat; Quartò, sitim spiritualium explet & sedat, vt dicam v. 13. Quomodo sit *viua* aqua, vide apud Toletum. i *Ioan. 3. v. 16.* k *Ioan. 7. v. 39.* *Athan. l. 2. de Incarnatione.* *Basil. in illud. psal. 45* Fluminis impetus. *Chrysost. homil. 30.* *Hier. in illud Isaiæ 55.* Sitientes venite ad aquas. *August. tract. 15. in Ioan.*

℣. 12. Tune MAIOR ES PATRE NOSTRO IACOB?] q. d. Tune potentior es tanto Patriarcha, vt præstantiorem aquam aliunde subministrare possis, quàm sit hæc, quâ meliorem nullam Iacob olim reperit? quo iure Patriarcham Iacobum vocet suum quoque patrem, alibi (*l*) dixi. l *4. Reg. 17. v. 24.*

℣. 13. QVI BIBERIT EX AQVA QVAM EGO DABO EI, NON SITIET IN ÆTERNVM, scilicet ex defectu vel indigentia. Spiritus enim sanctus cum donis suis habitualibus, etsi aquæ comparetur, non tamen instar aquæ concoquitur in stomacho, vel corrumpitur, & paulatim excernitur: sed, quantum ex se est, perpetuò manet in stomacho animæ viuus & integer, statis temporibus per varia auxilia præuenientia, (*m*) & cooperantia, animam humectans, refrigerans, nutriens, donec per peccatum mortale aquam hanc sponte euomas. m *Trident. sess. 6. c. 16.*

Dices, Eccli. 24. dicitur, *Qui bibunt me, adhuc sitient.* Respondeo, *sitient*, non ex defectu, quasi aquâ careant (qualis sitis hîc negatur) sed ex desiderio ampliùs augendi aquam quam habent: sicut rem valdè delicatam, quò magis gustamus, eò magis augeri nobis optamus.

℣. 14. SED, ad explendam continuò sitim, FIET IN EO FONS perennis AQVAE SALIENTIS ad summum, ad extremum vsque, nempe IN VITAM AETERNAM, & vsque in sinum Dei. Nimirum aqua fontis ad tantum fastigium ascendit, quanta est altitudo principij, seu scaturiginis vnde emanat: Spiritus autem sanctus est Deus & vita æterna: ergo.

℣. 20. PATRES NOSTRI IN HOC MONTE Garizim vrbi Sichem imminente, (*n*) ADORAVERVNT] id est, oblationes & sacrificia Deo obtulerunt. q. d. Cùm Deuter. 12. v. 5. præceperit Deus, vno solo loco, quem ipse delegerit, offerri sacrificia; velim ex te (quem video esse Prophetam) rescire, vtrum locum Deus ad hoc delegerit, an templum Ierosolymitanum, vt vos Iudæi, sola vestra opinione, vt videtur, fulti asseritis: an verò templum Garizim, vt nos Samaritani, maiorum nostrorum exemplo contendimus, quia Patriarchæ olim hîc adorauerûnt, nempe Iacob, (*o*) Iosue, (*p*) imò n *Iudic. 9. v. 7.* o *Gen. 33. v. vlt.* p *Iosue vlt. v. 1.*

a *Dent.* 27. *v.* 12. b *Eccli.* 50. *v.* 28. & *Chronic.* 39. *in Philom.* & c. 42. *in Manasse.*

omnes tribus Israel.(a)De templo Garizim,à quo, qua occasione, & quando constructum sit, alibi dixi.(b)

℣. 21. VENIT HORA, seu adest tempus, nempe legis Euangelicæ,qua vterq; cultus, tam Iudæorum, quàm Samaritanorum tolletur (sicque cessabit contentio,) & nouus cultus multò perfectior succedet: quo Primò, Deum,non tantùm vt est essentiâ vnus (sicut hactenus,)sed etiam vt est *Pater* & Filium gignit, & Spiritum sanctum spirat,nempe in Trinitate personarum coletis. Secundò, coletis eum,non modò vt serui dominum, sed etiam vt filij parentem.

℣. 22. VOS ADORATIS hucusque QVOD NESCITIS:nam verum Deum, non vnicum, vt reuera est, creditis, sed illum vnà cum idolis, quasi

c 4. *Reg.* 17. *v.* 26. &c. socium & corriualem idolorum colitis. (c) SALVS EX IVDÆIS EST] Id est, vera Dei cognitio & colendi ratio,(quæ viæ sunt ad salutem) à Iudæis petendæ,quia Iudæis manifestatæ sunt à Deo per angelos & Prophetas. Videtur alludere ad illud I-

Isaiæ 2. *v.* 3. saiæ,*De Sion exibit lex*,&c.

℣. 23. VERI ADORATORES ADORABVNT non amplius in falsitate & ignorantia, vti vos Samaritani, sed IN VERITATE, id est cultu vero,sincero & recto. Non etiam amplius solo corpore, seu nudis corporeis sacrificijs, ritibus & cęremonijs, vt hactenus Iudæi, sed IN SPIRITV, id est,spirituali sacrificio & cultu, putà partim interno, fidei,spei, charitatis, &c.partim externo, sacrificij

Ambros. l. 3 *de spiritu sancto c* 12. *Cyril. l.* 2. *c.* 93. *Hilar. l.* 2. *de Trinit.* Eucharistici.&c. ita S. Ambrosius,Cyrillus, Hilarius, Iansenius, Maldonatus, Toletus. Hæc igitur *adoratio in spiritu*, seu spiritualis, non excludit actus omnes corporeos, vt volunt nostri hæretici, v.g. cęremonias & ritus Ecclesiasticos: (quia sine his impossibile est cultum publicum decenter exhibere Deo, & sunt vt plurimùm ornamenta, excitamenta, adiumenta, effectus vel declarationes actuum spiritualium,v.g. genuflexio,oratio vocalis, cantus, & omnes cæremoniæ quibus Sacramenta administrantur: & deberent alioquin omnes virtutum actus externi pari iure inhiberi in ordine ad cultum Dei, v.g.publicæ laudes & preces, administratio Sacramentorum,&c.) Sed excludit solùm actus merè corporeos, quales erant cæremoniæ & sacrificia Iudaica, quæ non erant nisi vmbræ & figuræ rerum spiritualium, & naturâ suâ non procedebant ex interiori spiritu, fide charitate, &c. & rarò iis sociabantur.

℣. 25. MESSIAS VENIT,id est,in proximo est vt veniat: ILLE NOBIS ANNVNTIABIT OMNIA] etiam solutionem quæstionis à me tibi propositæ. Non enim intelligebat, iam solutam esse à Christo.

℣. 26. EGO SVM Messias,de quo agis.

℣. 27. Interim cum cibarijs adsunt DISCIPVLI EIVS, ET MIRABANTVR quòd CVM MVLIERE ignota Samaritana, remotis arbitris LOQVEBATVR] Hoc enim nouum ipsis erat & insolitum.

℣. 29. DIXIT MIHI OMNIA QVAECVMQVE FECI] nempe præcipua vitæ meæ gesta mihi vltrò retexuit.

℣. 32. EGO CIBVM HABEO MANDVCARE, QVEM VOS NESCITIS] cibum,inquam,spiritualem, putà procurationem conuersionis Samaritanorum, quos vos iam iam huc ad me venturos ignoratis.

℣. 34. MEVS CIBVS, meæ deliciæ *sunt*, VT FA-

d 1. *Tim.* 2. *v.* 4. CIAM VOLVNTATEM (d) & OPVS Patris mei] id est, vt procurem salutem hominum, docendo illos, & à peccatis abstrahendo, à potestate dæmonis liberando, Deo & angelis reconciliando, & ad vitam æternam deducendo, vt Toletus, Barradius & Salmeron pulchrè declarant.

℣. 35. NONNE DICITIS, QVÒD ADHVC QVATVOR MENSES SVNT, ET MESSIS VENIT?] Ergo circa Ianuarium hæc acta. q. d, Nonne vos curam gerere soletis messis triticeæ multo tempore antequam veniat?quantò igitur potiori iure geram ego, & vos gerere oportet, curam messis spiritualis animarum, quæ nunc præ manibus est, imò semper parata est?ita S. Cyrillus, Augustinus, Beda.

℣. 38. ALII, scilicet Prophetæ & pij doctores, LABORAVERVNT in rudibus Iudæorum animis opportuna institutione, subigendis, excolendis & ad bonam frugem deducendis. IN horum LABORIS vos hucusque INTROISTIS: sed paulò pòst, etiam ad inculta Gentilium arua demigrandum erit: & iam viam vobis sternere incipio in hac prouincia Samariæ.

℣. 44. QVIA PROPHETA IN SVA PATRIA HONOREM NON HABET, ideo relictâ vrbe Nazareth,(e)reliquam percurrit GALILEAM.

e *Mat.* 13. *v.* 57. *Marc.* 6. *v* 4. & *Luc.* 4. *v.* 24. f *Marc.* 6. *v.* 34. & 36.

℣. 46. REGVLVS] Videtur interpres Noster legisse, βασιλίσκος: S. Hieron. & recentiores iam legunt, βασιλικὸς, id est, regius, aulicus, palatinus, fortè de familia Herodis, qui *rex* (f) vocitabatur. Sed nihil obstat quo minùs verè *regulus*, seu dynasta fuerit,oppidi alicuius dominus in ista vicinia.

℣. 47. HIC Christum rogat VT DESCENDERET è *Cana* remotiore à mari, IN CAPHARNAVM quod mari adiacebat, etsi in monte situm. Quòd igitur non crederet, posse Christum etiam absentem sanare filium,arguitur v. sequenti incredulitatis à Christo, inquit S. Gregor.cui vt medeatur, *Greg. hom.* 28. *in Euang.* absens verbo ægrum curat.

℣. 50. FILIVS TVVS VIVIT, hoc verbulo febrim pellens, & valetudinem ægro restituens. Et CREDIDIT HOMO regulus SERMONI isti,seu verbo Christi, id est,credidit verum dixisse: nempe filium morbo liberatum esse. Sed asserere non ausim,credidisse regulum,depulsam per Christum febrim, multoque minùs,solo verbo illius depulsam. Potuit enim sibi persuadere, innotuisse Christo tamquam Prophetæ, valetudinem filio redditam naturali via. Tropologicè, regulus mens nostra est, filius voluntas, febris cupiditas, serui omnia membra & potentiæ,inquit Salmeron.

CAPVT V.

Languentem trigesimo octauo anno ad piscinam sanat in sabbato: Pharisæos factum calumniantes, auctoritate Patris sui cælestis continuit: & diuinam virtutem suam multis argumentis, & etiam Moysis ac Ioannis Baptistæ testimonio confirmat.

℣. 1. ERAT DIES FESTVS IVDÆORVM] putà Paschæ, vt S. Irenæus, Rupertus, Iansenius & Toletus annotarunt. Et hoc erat Pascha secundi anni prædicationis Christi,primi enim suprà meminit c.2.v.13.aliorum infrà.(g)

Iren. l. 2. *c.* 10. g *c.* 6. *v.* 4. & *c.* 12. *v.* 1.

℣. 2. EST IEROSOLYMIS PISCINA PROBATICA] Id est, ouina seu pecuaria: προβάτιον enim ouem significat. Nempe aquâ stagni illius oues & aliæ pecudes in templo vicino immolandæ abluebantur,inquit S.Hieron. & Theophyl. Vel saltem erat hoc stagnum iuxta *portam* Gregis,(h) per quam h 2. *Esdr* 3. *Ezech.* vlt. greges in vrbem & inde in templum inducebantur, vt Barchardus, Toletus & Maldonatus exponunt. HEBRAICE dicitur BETHSAIDA, non per

Isaiæ

ע a Ioan. 1. v. 44.

ם

אסר

Aristeas l. de 70. Interpret.

ysade (sic enim est nomen vrbis ad mare Tiberiadis, patria Andreæ & Petri, (*a*) & significat *domum venationis*, vel *piscationis*:) sed per *samech*; quomodo idem significat quod *Bethesda*, vt S. Hieron. & Græca legunt, id est; *domum* (seu locum) *effusionis* (à radice *asad*) quod *effusionem* significat,) eò quòd in istud stagnum multis vndique subterraneis ductibus è templo se aquæ defunderent quibus victimæ lotæ fuerant, teste Aristea. Et erant circum stagnum QVINQVE PORTICVS, propter pauperum ægrorumque commoditatem, qui sanitatis recuperandæ causa illuc se recipiebant.

V. 4. ANGELVS DESCENDEBAT SECVNDVM TEMPVS, id est, certo quodam tempore, sed hominibus ignoto. Cyrillus scribit, tantùm semel in anno id fieri solitum, idque circa Pentecosten. ET MOVEBATVR ab eo AQVA] Græcè & syriacè *turbabat aquam*. Vnde patet, hanc vim sanandi non prouenisse à victimis, aut à ligno iacente in fundo, ex quo crux Christi postea sit fabrefacta, vt nonnulli fingunt: sed à diuina virtute aquis indita tunc cùm ab angelo turbarentur. Et hæc figura erat passionis Christi, & Sacramenti Baptismi ac Pœnitentiæ, quibus non nisi vnum genus humanum, relicto tanto angelorum numero, curatur à quacumque infirmitate, inquit Tertull. Ambros. Chrysost & August.

V. 5. TRIGINTA ET OCTO ANNOS infirmus ex sententia eorumdem Ambrosij & Chrysostomi paralyticus erat: sic tamen vt posset incedere, (*b*) licet ægrè. Designat tropologicè nostrum liberum arbitrium vitijs & prauis habitibus languens, inquit Origenes. Sed nullum tam inueteratum malum cui non possit facilè mederi Christus & Ecclesia Christi.

b *Hic v.* 7.

Orig. tract. 35. in Matt.

V. 13. DECLINAVIT A TVRBA CONSTITVTA IN LOCO, vbi paralyticum sanarat. Cui vt radicem mali sui perspectam reddat, ait

V. 14. IAM NOLI ampliùs PECCARE] insinuans, ob peccata sua ægrotasse hactenus: & hæc quidem iam illi remissa esse vnà cum paralysi: sed cauendum à recidiua. (*c*)

c *Luce 11. v. 26.*

V. 15. NVNTIAVIT IVDÆIS,] simplici, bono & grato animo, se à Iesu curatum fuisse, inquit Cyrillus, Chrysost. & August.

Cyrill. l. 2. c. 131. Chrysost. hom. 37. in Ioan.

V. 17. PATER MEVS VSQVE MODO OPERATVR] id est, hucusque semper & continuò, etiam omnibus sabbathis. q. d. Vos docetis ideo quiescendum sabbato ab omni opere, quia Deus tunc ab omni opere quieuit. Atqui Deus tantùm quieuit tunc ab *opere quod patrarat*, (*d*) nullas ampliùs nouas rerum species producendo: sed non quieuit simpliciter ab omni opere, quia continuò deinceps operatus est, & etiamnum operatur, mundum conseruando, fouendo, gubernando, propagando, sanando, iuuando, &c. ET sic EGO similiter OPEROR, sanando infirmos animo & corpore. Vnde sicut Pater meus sic operando non violat sabbatum, nec ego violare dicendus sum, qui non alia operor quàm quæ Pater, & illo natura, potentiâ, dignitate nihilo inferior sum, sed par omnino & æqualis. Sed quidquid diceret,

Aug. tract. 17. in Ioan.

d *Gen. 8. v. 2.*

V. 18. SOLVEBAT SABBATVM falsa illorum opinione. Porrò quòd AEQVALEM SE FACERET DEO, ex eo colligebant, & rectè, quòd Deum vocando patrem suum, indicaret se proprium eius filium esse, ipsi connaturalem, seu consubstantialem, eiusdem cum illo potentiæ, auctoritatis & dignitatis.

V. 19. NON POTEST FILIVS FACERE QVIDQVAM A SE, id est, solus, & sua solius virtute atque auctoritate, sed eâ solâ quam à Patre accipit, cum quo simul necessariò (nam vna eademq; est vtriusque vt natura, ita & actio, quam Filius vnà cum natura accipit à Patre:) operatur quidquid VIDERIT PATREM FACIENTEM,] id est, quidquid facit Pater. More enim humano loquitur, quo filij solent intueri, & sic imitari facta parentum. q. d. Me ergo non potestis accusare transgressionis sabbati, cùm non aliud faciam, quàm quod Pater meus facit, & ipse sabbatum suo opere non transgrediatur, vt omnes fatemini.

V. 20. PATER ENIM OMNIA QVÆ FACIT DEMONSTRAT FILIO, vt omnia eadem faciat. *Demonstrat* autem dando & communicando Filio vnà cum essentia omnem etiam scientiam & potentiam suam. Communicat, inquam, tum vt Deo: (sed huius communicationis non causa, sed signũ, maximè apud homines, est *dilectio* qua Filius prosequitur Patrem:) tum vt homini: & huius cõmunicationis causa est, dilectio quâ Filium prosequitur Pater. ita S. Aug. & Cyrillus. ET MAIORA HIS, id est, magis stupenda miracula, quàm sit curatio paralyseos vel alia quæ hactenus patraui, DEMONSTRABIT Pater Filio patranda, nempe mortuorum suscitationem, & iudicationem totius mundi, vt dicit versibus sequentibus. Ita VT multò magis MIREMINI & obstupeatis.

Augustin. tract. 18. Cyrill. l. 2. c. 137.

V. 22. PATER NON IVDICAT se solo (*e*) QVEMQVAM, neque specie visibili, vt iudicandum commisit Filio. ita S. August.

e *Ioan. 8. v. 50. Aug. l. 1. de Trin. c. 13.*

V. 24. QVI CREDIT, HABET VITAM AETERNAM, & sine iudicio, id est, sine damnatione, TRANSIT de MORTE corporis ad VITAM cœlestem, vt suprà (*f*) exposui.

f *Ioan. 3. v. 18. & alib.*

V. 25. VENIT HORA, ET NVNC EST, id est, iam iam instat tempus, quo videbitis sola voce & iussione mea mortuos quos voluero, reuiuiscere, patà filiam Iairi; (*g*) filiũ viduæ Naim, (*h*) Lazarum (*i*) & tot alios qui me resurgente simul resurgent. (*k*) Nec opus est exspectare diem resurrectionis vniuersalis. ita S. Chrysost. & Euthymius.

g *Luce 8. v. 41.* h *Luce 7. v. 11.* i *Ioan 11. v. 43* k *Matt. 27. v. 52. Chrysost. homil 39. Cyrill. l. 2. c. 44. August. tract. 12.*

V. 26. PATER communicando Filio suammet essentiam, DEDIT illi eo ipso VITAM HABERE IN SEMETIPSO, tamquam primo & pleno fonte, ex quo omnis vita emanet ad alios, & quidem independenter ab omni alio, inquit Cyrillus, Chrysost. & August. Causam enim hic dat, cur mortui tanta facilitate ac celeritate, solo verbo Christi reuocandi sint ad vitam.

V. 27. ET POTESTATEM DEDIT EI *iudicandi* totum mundum, QVIA FILIVS HOMINIS, id est, homo, EST] Voluit enim homines per hominem iudicari, & quidem per illum hominem qui vitam suam exposuit pro hominum salute.

V. 28. Per VOCEM, intelligit iussionem & mandatum Christi, nempe sonum tabalem Archangeli, (*l*) *Surgite mortui*, &c.

l 1. *Thes. 4. v. 15.*

V. 30. NON POSSVM A MEIPSO, id est, solus, (*m*) seu mea solius potentia, FACERE QVIDQVAM: sed SICVT AVDIO, seu intelligo ex Patre iudicandum esse, sic IVDICO: nã in diuinis idẽ est audire, videre & intelligere, NON QVAERO VOLVNTATEM MEAM] id est, nihil facio ex meo vnius nutu vel beneplacito.

m *Hic v. 19 & 30,*

V. 31. SI EGO TESTIMONIVM PERHIBEO DE MEIPSO, id est solus, (*n*) mea soliùs assertione, TESTIMONIVM MEVM NON EST VERVM, fidele, firmum, scilicet vestro iudicio. q. d. Concedo vt mi-

n *Hic v. 19.*

vt mihi soli fidem non habeatis.

℣. 32. Sed EST ALIVS omni exceptione maior, etiam vestro iudicio, nempe Pater meus cælestis, qui vnà mecum, vt idem cum illo Deus sum, TESTIMONIVM PERHIBET DE ME, vt homo sum, vt audistis in baptismo(a) meo, quidam etiam in transfiguratione,(b) omnes autem in tot tantisque miràculis à me patratis, quibus quasi certissimis sigillis testatur veram esse doctrinam meam. ita S. Athanas. Cyrillus, Toletus & alij. Verùm clariùs hæc explicat c. 8. v. 14. & 16. Sed & alium habetis de me testantem.

a *Matt.* 3. *v vlt.*
b *Matt.* 17. *v.* 5.
Athan. l. 2. de vnica Deitate Trinitatis. Cyrill. l. 2. c. 147.

℣. 33. IOANNEM Baptistam, quem vltrò adiistis, & vt testaretur coëgistis.(c)

c *Ioan.* 1. *v.* 19.

℣. 34. Et licet EGO TESTIMONIVM AB VLLO HOMINE NON ACCIPIO, id est, non requiro, quasi illo indigens: non tamen reiicio, VT VOS SALVI SITIS] q. d. Vestri causâ id in medium profero, vt ex eo quem vobismet testem delegistis, veritatem cognoscatis & amplectamini, & sic salutem consequamini. Non reijcit ergo hîc Christus testimonium omne humanum, etiam in controuersiis fidei, vt somniant hæretici: sed solùm negat se sui causâ illo egere; nostri verò causâ, quoties id vtile vel necessarium fuerit, adeò probat adhiberi, vt ipsemet etiam illo hîc vtatur.

℣. 35. IPSE ERAT LVCERNA ARDENS ET LVCENS. q. d. Ipse lumen mihi, seu facem, instar præambulonis præferebat (Videtur alludere ad illud psalmi, *Paraui lucernam Christo meo*:) & vos quidem VOLVISTIS EXVLTARE & gaudere LVCE EIVS, sed non nisi AD HORAM,] id est, breuissimo tempore: nam initio tamquam fide dignissimum testem habuistis, adiistis, rogastis; sed mox vt de me quod res erat, testari cæpit, repulistis ipsum, & dæmonium (d) habere dixistis. Sed en vobis alios irrefragabiles testes.

Psal. 131. *v.* 17.
d *Luca* 7. *v.* 33.

℣. 36. OPERA, miraculosa, QVAE iussu Patris mei FACIO, testantur ME MISSVM *à Patre* (vt suprà (e) dixi,) id est, me esse Messiam.

e *Hic v.* 32.

℣. 37. PATER etiam sonora voce TESTIMONIVM PERHIBVIT DE ME, in baptismo, &c. vt suprà: (f) NEQVE VOCEM EIVS horribilem VMQVAM AVDISTIS, NEQVE SPECIEM EIVS terribilem VIDISTIS. Alludit ad Deuteron. 18. vers. 16. *Vocem eius non audiam, & ignem hunc non videbo.* q. d. Obtinuistis etiam vos, quod patres vestri olim timore perculsi deposcebant, nempe vt voluntas diuina vobis innotesceret, non terrifica, sed blanda & suaui via. Sed VERBVM EIVS, id est, pactum cum Deo initum, (quo tunc per patres vestros etiam vos obstrinxistis quoad fidem Deo in omnibus habendam, eiusque nutum omnem perficiendum, nominatim quoad Messiam seu Christum eius sequendum,) nullo modo seruatis.

f *Hic v.* 32.

℣. 39. SCRVTAMINI SCRIPTVRAS] Potest accipi, vel vt est indicatiui modi, vel vt est imperatiui. Et hoc est tertium genus testimoniorum de Christo maiorum testimonio Ioannis. Primum erat vox Patris cælestis: (g) Secundum miracula. (b)

g *v.* 32. & 37.
h *v.* 36.

℣. 41. CLARITATEM, seu testimonium claritudinis, gloriæ & dignitatis meæ, NON ACCIPIO, non requiro AB HOMINIBVS] putà vel à Moyse, vel à Ioanne: quia non indigeo mei causâ; sed profero tamen vestri causâ, vt suprà. (i)

i *v.* 34.

℣. 43. EGO VENI IN NOMINE PATRIS MEI cælestis, id est, auctoritate, iussu & missu Dei; ET NON ACCIPITIS ME. SI ALIVS VENERIT IN NOMINE SVO, id est, propria auctoritate se pro Messia vestro venditans, nempe Antichristus, (vt SS. Patres passim exponunt,) ILLVM vltrò & obuijs vlnis ACCIPIETIS] etsi nulla pro se afferat solida testimonia, qualia ego pro me tot & tanta iam protuli. Verùm quid mirum si me Messiam vestrum non credatis, neque admittatis,

℣. 44. QVI GLORIAM, seu glorioſum, sed spirituale Messiæ regnum, quale à Deo decretum est, NON QVÆRITIS; sed solùm vultis, ACCIPITIS & admittitis GLORIAM AB INVICEM?] id est, regnum Messiæ tali modo glorioſum quo soletis inuicem gloriam procreare, id est, regnum terrenâ, humanâ, vanâ gloriâ fulgens: quâ cùm me carentem videtis, persuaderi vobis non finitis me vestrum Messiam esse.

℣. 47. QVOMODO VERBIS MEIS CREDETIS, quem præ Moyse nihili facitis? sed si tanti est ille apud vos, cur saltem illi de me toties scribenti(k) & inculcanti non creditis?

k *Gen.* 3. *v.* 15. *c.* 22. *v.* 18. *c.* 49. *v.* 10. *Deut.* 18. *v.* 15. *&c.*

CAPVT VI.

Quinque panibus & duobus piscibus cibat quinque millia virorum: fugit volentes ipsum regem creare: supra mare ambulat. De pane cælesti & Eucharistico multis disserit: quibus offensi, etiam plerique eius discipuli deserunt magistrum suum, sed Apostoli constanter ipsi adhærent.

℣. 1. POST HAEC circiter vno anno, nempe tertio prædicationis eius paschate, vt v. 4. dicitur, iam propinquante.

℣. 5. DIXIT AD PHILIPPVM. fortè quòd is intelligentior esset rerum œconomicarum: fortè quòd & magis solicitus de victu egentibus curando. VNDE EMEMVS vel PANES vitæ tam multorum fouendæ necessarios? q. d. Nullam nescis nobis rationem, quâ populo huic comparare possimus non dico carnes, vel alias cupedias, sed nudum panem?

℣. 6. TENTANS EVM] Id est, experimentum sumens fiduciæ eius in Deum, vt sic meliùs sibi ipsi innotesceret Philippus. Cumque astantes dicerent, (l) *Euntes emamus ducentis denarijs* Hebraicis (id est, quadringentis Iulijs (m) vel regalibus argenteis, seu centum florenis Belgicis) *panes, & dabimus illis;* Philippus negat id sufficere.

l *Marc.* 6. *v.* 37.
m *Proleg. de ponderibus.*

℣. 9. PVER VNVS HÎC in turba, venales HABET QVINQVE PANES HORDEACEOS ET DVOS PISCES] nec aliud hîc venale est.

℣. 11. DISTRIBVIT ex his ministerio discipulorum suorum turbis DISCVMBENTIBVS, QVANTVM VOLEBANT] id est, ad plenam vsque refectionem, vt nihil vltrà desiderarent. Quomodò hæc multiplicatio facta sit dixi in Marco. Tropologiam vide apud Salmeronem.

Marc. 8. *v.* 8. *Salmer. to.* 6 *tract.* 27.

℣. 14. HIC EST VERE PROPHETA ille, QVI ex Moysis vaticinio suprà (n) notato, VENTVRVS EST IN MVNDVM, nempe Messias: vnde volunt eum sibi REGEM præficere, vtpote quem experti iam fuerant & pium ad regendum, & potentem ad tuendum, inquit Beda. Sed Christus FVGIT terrenos honores & regnum mundanum. *Fugit*, inquam, in abruptum MONTEM, quem, vt Matthæus ait, etiam orandi causâ conscendit.

n *Ioan.* 5. *v. vlt.*
Matt. 14. *v.* 23.

℣. 19. STADIA VIGINTIQVINQVE Græca faciunt leucam vnius horæ, vt dixi in Prolegomenis.

Proleg. de mensuris longitudinum.

℣. 26. QVAERITIS ME, NON tantùm (o) QVIA VIDISTIS SIGNA, & experti estis tot miracula, SED etiam, & quidem maximè, QVIA PANIBVS à me SATV-

o *Hic v.* 2.

SATVRATI *fuistis*,& iterum saturari velletis.Sed velim vos de cibo animæ potiùs satagere.

℣. 27. OPERAMINI, ἐργάζεσθε, id est, opera, studio, labore contendite vobis comparare CIBVM numquam perituru, sed perpetuò vobiscum permansurum, qui non corpus alat modico tempore, sed animam perpetuò pascat deducatque IN VITAM ÆTERNAM: QVEM panem paratus sum vobis *dare* eadem liberalitate quâ heri panem dedi corporalem. Me ENIM SIGNAVIT DEVS PATER] Id est, mihi homini velut sigillo impressit diuinitatem, nempe vniendo substantialiter humanæ meæ naturæ Verbum suum diuinum, quod est *imago & character*(a) Patris.ita S. Augustinus.Cyrillus & Toletus.Et sic rationem dat, cur possit ipse dare cibum vitæ æternæ, & simul esse cibus vitæ æternæ.

a *Hebr.1. v.3. Sap.7.v.26 August. tract. 25. in Ioann. Cyrill.l.3. c.29.*

℣. 28. QVID *faciendum*, VT OPEREMVR OPERA DEI] id est, opera quæ Deus singulari fauore vnà nobiscum operatur in nobis & requirit tamquam media necessaria ad obtinendum cibum illum vitæ æternæ? Verbo vno, quid ad hoc requirit à nobis Deus?

℣. 29. HOC ante omnia EST illud OPVS DEI, seu requisitum à Deo, VT IN me, tamquam in Messiam & Deum vestrum CREDATIS] Hoc enim primum est fundamentum salutis.

℣. 30. QVOD SIGNVM TV FACIS, sufficiens, VT inducamus ad id de *te credendum*? Pauisti nos quidem semel heri, sed pane terreno. Verùm Moyses totis 40. annis patres nostros continuò pauit cibo cælesti, nempe *manna.(b)* Nec tamen ideo creditus fuit Moyses Deus, nec id exegit ipse. Quo ergo iure tu tibi hoc arrogas?

b *Exodi 16. v.14.& Num.11. v.7. Psal.77. v.24. Sap.16. v.20.*

℣. 32. NON MOYSES, SED PATER MEVS DAT VOBIS PANEM DE CAELO VERVM] id est, panem, seu cibum verè cælestem, nempe qui non de cælo aëreo, (vt manna,) sed de proprie dicto cælo empyreo descendit (c) qui solus DAT VITAM MVNDO]Et si vultis scire,

c *Ioan.3. v.13.*

℣. 35. EGO SVM ille PANIS VITAE, id est, viuus (vt infrà (d) explicat) & viuificans mundum, ipse fons vitæ, conferens vitam æternam. QVI VENIT AD ME, NON ESVRIET, NON SITIET VMQVAM, vt vt suprà (e) exposui.

d *Hic v. 41.*

e *Ioan.4. v.13.*

℣. 37. OMNE, id est, omnis sexus, status, conditionis, nationis homo, *quem* PATER MIHI per veram seu sinceram fidem DAT & adiungit tamquam propriam ouiculam; is AD ME tamquam ad verum pastorem suum VENIET; & charus ac gratus adueniet: meoque fultus auxilio, præsidio, patrocinio ac ductu (quia me ducem constituit Pater) deueniet ad vitam æternam.Sed

℣. 44. NEMO POTEST sic per veram fidem VENIRE AD ME, NISI PATER meus TRAXERIT EVM per internam gratiam suam, quâ & obscurum intellectum illuminet, & tardam voluntatem alliciat & suauiter trahat, non necessitando, sed inuitando. Fides enim, vt est de rebus supernaturalibus, ita solis viribus humanis acquiri non potest: sed opus est cælesti illuminatione & excitatione.

Petes, Quid si Pater me non trahat, & consequenter non me det Christo? Respondeo, Deus, quantum ex se est, seu in actu primo, omnes trahit, *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.* (f) Quòd autem non omnes in actu secundo, seu de facto trahantur, id vel ipsorum culpæ & peruersæ vitæ, vel negligentiæ aut imperfectioni aliorum, qui Deo in hac tractione cooperati deberent (quæ omnia Deus ab æterno præuidit,)imputandum est.

f *Ioan.1. v.9.*

A Per Deum autem numquam(g) stat quo minùs omnes trahantur & Christo donentur.

g *Eccli. 15. v.11.*

℣. 45. EST SCRIPTVM IN PROPHETIS, Isaiæ 54. v. 13. quòd OMNES ERVNT DOCIBILES DEI; græcè, διδακτοὶ, id est, docti à Deo, nempe interiùs illos, quantum ex se est, illuminante & excitante. OMNIS ergo, qui sic AVDIVIT, seu edoctus est, A Patre, ET quod audiuit, DIDICIT, id est, doctrinam auditam excepit, admisit, credidit; is est, qui VENIT AD ME, pedibus non corporis, sed animæ, putà intellectu assentiendo, & voluntate obsequendo mihi. Et talis omnis & solus HABEBIT VITAM AETERNAM, &

℣. 50. NON MORIETVR] Id est, non manebit in morte, sed resuscitabitur ad vitam æternam & immortalem. Et in eo superat hic panis quem ego dabo,panem quem Moyses dedit.

℣. 51. Porrò PANIS hic VIVVS & viuificans æternùm EGO SVM] Ego, inquam, non solùm secundùm diuinitatem meam, quam debetis(vt hucusque docui) per viuam fidem necessariò haurire, & sic ore animæ spiritualiter manducare:sed etiam secundùm humanitatem & *carnem meam*, (inquit S. Augustinus) quam breui in vltima cœna

August. tract 26. in Ioan.

℣. 52. DABO vobis in epulum, dein & in victimam in cruce, imò & in altari PRO VITA totius MVNDI] Hanc debetis non sola fide & ore animæ, sed & ore corporis sumere ac manducare quicumque viuere vultis æternùm. Corporis enim mei manducatio, erit vobis instar tesseræ immortalitatis, cuius intuitu etiam corpora vestra *resuscitabo in nouissimo die.* (h) Porrò Christum hic iam agere de reali manducatione corporis sui in Eucharistia, patet Primò, ex verbis *manducare* & *bibere*, quibus vtraque species clarissimè distinguitur, cùm in spirituali manducatione per fidem idem sit *bibere* quod *manducare*. Secundò, ex vocula *dabo*: nam fidem in Christum, vt spiritualem animæ cibum iam pridem illis dederat, & nominatim hoc cap. v. 29. & sequentibus. Tertiò, ex nominibus *carnis* & *sanguinis*. hæc enim non debuissent inculcari pro obiectis fidei, (quia Iudæi hæc vltrò admittebant in ipso,& videbant oculis suis;) sed diuinitas inculcanda erat si de sola fide hîc ageretur. Quartò, quia Iudæi vers. 53. intellexerunt Christum loqui de reali manducatione veræ carnis suæ: hoc enim *durum*, imò *impossibile* esse arbitrabantur, & tamen in eo intellectu non reprehenduntur à Christo, imò magis confirmantur: sed tantùm de modo realiter manducandi, quem non capiebant, instruuntur v.63. & 64. Quintò, permisit apostatare potiùs tot à se discipulos, quàm negaret realem manducationem veræ carnis suæ necessariam esse,cùm si de sola spirituali per fidem manducatione intellexisset, vno verbulo apostasiam omnem & scandalum auertere potuisset, imò debuisset, dicendo,se solam fidem vrgere, quæ facilis esset in re quam oculis suis coràm spectarent. Denique de reali manducatione veræ carnis Christi hunc locum exponunt Concilia Ephesinum, Cabilonense, Tridentinum, & passim SS. Patres Græci & Latini, à Bellarmino citati.

h *Hic v.55.*

Cabilon. 2. c.46. Trid. sess. 21.c.1.

℣. 54. NISI MANDVCAVERITIS CARNEM FILII HOMINIS, ET BIBERITIS EIVS SANGVINEM, NON HABEBITIS VITAM IN VOBIS] Quod intellige tum de spirituali vita, seu gratia iustificante, in hoc sæculo(Sicut enim corpus sine cibo corporeo, ita anima sine cibo hoc spirituali non potest diu viuere: cùm ex Christi institutione cibus hic omni-

omnibus adultis sit necessarius, saltem necessitate præcepti, quando illud vrget:) tum de cælesti vita in futuro sæculo, à qua excludetur qui suâ culpâ neglexerit vti hoc Sacramento, neque de hoc neglectu pœnituerit.

Petunt hîc Hussitæ & nostri hæretici, an non ergo etiam laicis communicandum sit sub vtraque specie? Respondeo, Nullo modo, quia etiam sub vna sola specie, verissimè sumimus corpus integrum & sanguinem Christi, propter necessariam vtriusque concomitantiam, seu connexionem in corpore viuo, quale est corpus Christi in Eucharistia. Vnde & Christus hîc v. 52. 58. & 59. de solo pane idem dicit, quod hoc versu de corpore & sanguine simul iunctis. Et ita explicat S. Paulus, (a) & Tridentinum & omnes SS. Patres.

a 1. Cor. 11. v 27. Trid. sup.

℣. 57. QVI MANDVCAT MEAM CARNEM, IN ME MANET, ET EGO IN ILLO] id est, mecum arctissimè vnitur, & ego cum illo. Nam etsi species absumantur paulatim, & ita desinat substantia corporis Christi nobis inesse; per gratiam tamen suam, quam specialem infundit animæ communicantis, manet Christus in anima, viuificans, pascens, nutriens, recreans & oblectans illam, vt suprà (b) in simili casu dicebat Samaritanæ.

b Ioan. 4. v. 13 & 14

℣. 58. SICVT EGO VIVO PROPTER PATREM] Id est, vitam omnem (tam diuinam, quàm humanam, naturæ, gratiæ, gloriæ) haurio à primo fonte omnis vitæ, id est, à Patre, & à diuinitate cui substantialiter coniungor: ita qui me in Eucharistia manducat, quia mihi, qui etiam fons vitæ sum, tam arctè coniungitur, vitam omnem ex me hauriet, inquit Leontius.

℣. 62. HOC VOS SCANDALIZAT] quòd ego ipse iam præsens vobis & adhuc passibilis, & post tam euidens miraculum multiplicatorum recèns quinque panum, & post tot alia miracula quibus probo me omnia posse; dico me eâdem potentiâ daturum vobis carnem & sanguinem meum in cibum & potum; quomodo id vobis persuaderi sinetis, cùm sublatus in cælum, immortalis, & procul absens, per solos discipulos & ministros meos idem inculcabo? Nempe tunc occlamabitis, Non posse carnem quæ in cælis est & impassibilis, reuera manducari in terris. Et tamen necessarium vobis est id credere si saluari velitis. ita ferè Toletus. Sed iam modum vobis exponam, quo, si vultis, facilè intelligetis, posse me commodissimè realiter manducari.

℣. 64. SPIRITVS EST QVI VIVIFICAT, id est, diuinitas mea carni meæ vnita, vitam omnem, de qua hactenus egi, & potentiam viuificandi tribuit: sola enim CARO mea *nihil* ad hoc PRODESSET. ita Cyrillus, Leontius, Rupertus. Vnde VERBA, QVÆ de manducanda carne mea LOCVTVS SVM, non sunt intelligenda de nuda carne mea, vt à spiritu meo seu diuinitate seiungeretur, (vt vos imaginamini;) sed de carne mea, prout simul SPIRITVS est, seu diuinitati hypostaticè coniungitur. (sic enim, & non aliter, VITA est & viuificat.) Et consequenter intelligi non debent mea verba de comestione instituenda modo merè carnali (quasi præcisurus sim particulas quasdam de visibili hoc corpore meo, vobisque dilaniandas daturus, ait S. Augustinus, †) prout vos apprehenditis: (nam talis comestio, vt impia & indecens, ita & prorsus inutilis esset.) Sed intelligi debent de comestione instituenda modo spirituali, seu spiritui accommodato, nempe quo totum, viuum & illæsum corpus

Cyrill. l. 4. c. 24.

† August. tract. 27. in Ioan. & in illud psalmi 98. Adorate scabellum.

A meum sub speciebus panis & vini inuisibiliter, sed tamen realiter ac substantialiter præsens sumatur, per modum Sacramenti, quo res inuisibilis, signus visibilibus tecta recipitur. Nihil ergo hîc contra realem præsentiam corporis Christi in Eucharistia, de qua pluribus alibi. (c)

c Matt. 25. Mar. 14. Luc. 22.

℣. 69. VERBA VITAE AETERNAE HABES q.d. Nullus est alius à quo nobis speranda sit vita æterna, nec qui rationem assequendi illam nos docere valeat, præter te vnum.

℣. 71. NONNE EX VOBIS VNVS DIABOLVS EST?] qui, vt olim Lucifer, à me desciscet: verus *Satan*, id est, aduersarius & hostis mihi: verus etiam *diabolus*, id est, calumniator, Iudas, non apud plebem modò, sed & apud principes omnia mea calumniaturus, & post annum me perfidè proditurus. Quis non miretur tam prolixam Christi patientiam in tam perdito homine, & proditionem ex tunc adornante, tanto tempore tam clementer tolerando, fouendo, & in propria mensa alendo?

B

CAPVT VII.

Cognatos suos ad festum scenopegia profectos, clàm subsequitur Ierosolymam, vbi varij de illo rumores. Frustra iubetur comprehendi, ministri, qui vt comprehenderent missi fuerant, ipsum collaudantibus, & Nicodemo propugnante.

℣. 2. SCENOPEGIA] Id est, tabernaculi fixio, seu constructio. Nam hoc festo, (quod 15. mensis Tisri, (d) circa initium nostri Septembris, toto octiduo celebrabatur) extra domos suas in tabernaculis ex arborum ramis in eum finem constructis habitare debebant Iudæi, in memoriam præteriti temporis, quo educti de Ægypto per desertum in tentorijs egerant totis 40. annis, vt alibi (e) dictum.

d Chronici c. 4.

C

e Leuit. 23.

℣. 3 FRATRES, id est, cognati & affines, EIVS (f) suadent, IN IVDAEAM ascendat, VT ET DISCIPVLI TVI, quos etiam istic plurimos habes, VIDEANT & sentiant OPERA & miracula TVA] Nempe vrgebant id cognati, vt hac occasione Ierosolymæ per principes sacerdotum & Legisperitos exactè inquireretur, solideque dijudicaretur, an ipse esset verus Messias: quod ipse asserebat, & fama passim spargebat.

f Chronici c. 46. in fine 4. tabula.

℣. 6. TEMPVS MEVM, id est, mihi commodum, NONDVM ADVENIT: TEMPVS AVTEM VESTRVM, quibus nihil imminet periculi Ierosolymis, SEMPER in promptu EST.

D

℣. 8. EGO NON ASCENDO AD DIEM FESTVM ISTVM, scilicet primum, seu primarium inter octo dies (quibus istud festum celebrabatur, vt iam dicebam.) (g) solùm enim decreui eò ascendere, post abitum vestrum, vt istic adsim

g Hic v. 2. & Leu. 23.

℣. 14. DIE FESTO IAM MEDIANTE] Id est, ad medium septimanæ deducto, scilicet quarto die festi. ita S. August. Chrysost. Euthymius. Posset etiam dici, & probabilius, Christum iuxta præscriptum legis, (h) ante diem primum festi ascendisse Ierosolymam, sed in occulto se continuisse vsque ad quartum diem, quo publicè se ostentauit in templo. Idque, vt interea Iudæorum malè Christo volentium ira nonnihil deferueseeret, inquit idem Chrysost. & Leontius: benè autem volentium ardor ac desiderium eius audiendi crescceret, vt Theophyl. ait: vniuersim verò vt liberiores haberet auditores, primis diebus plusculum occupatos. Cùm ergo diceret suis, *Non ascendo*; intellexit, palàm, stante pe-

August. tract. 28. in Ioan. Chrysost. homil 48.

h Deut. 16. v. 15. & 16.

a *Marc.13. v.32.*

te pede & vobiscum. Atque ita aliud (*a*) hîc habes ipsiusmet Christi exemplum pro restrictione mentali certis casibus probanda.

℣. 16. MEA, quam vobis trado, DOCTRINA NON EST MEA, seu à me ipso mero & puro homine excogitata (vt vos fingitis) SED à Patre meo cælesti illam accepi. Quod si certò cognoscere velitis;

℣. 17. VOLVNTATEM Patris EACITE, deponentes iram, inuidiam, odium contra me: nam hęc repugnant voluntati, decreto & præcepto Patris. tum sepositâ passione, veritas facilè vobis eluceſcet, vel hoc solo indicio:

℣. 18. quòd QVI A SEMETIPSO LOQVITVR, id est, qui doctrinam à se excogitatam, & à Deo alienam profert, is GLORIAM Dei parui pendens, suam PROPRIAM QVÆRIT, id est, ambit in honore & pretio haberi ab auditoribus. Qvi ergo non QVAERIT propriam GLORIAM (vt reuera ego non quæro;) is non loquitur à semetipso (est argumentum ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis:) sed à Deo: vnde VERAX EST tam ipse quàm doctrina ipsius, ET INIVSTITIA IN ILLO, seu falsitas in corde eius, NON EST: neque enim potest quidquam falsi aut iniqui prodire à Deo.

℣. 19. NEMO EX VOBIS FACIT, seu complet LEGEM. q.d. Clamatis me transgredi legem,

b *Ioan.5. v.18.* eò quòd paralyticum (*b*) sabbato sanarim, in vtilitatem & bonum commune: vos interea in commune malum transgredimini aliam longè maioris momenti legem de non occidendo: quia QVAERITIS ME INTERFICERE.

c *Ibid.* ℣. 21. VNVM OPVS FECI] scilicet curationem paralytici sabbato, quam toties (*c*) iam mihi exprobrastis, mirantes super hoc meo facto. Sed mirari desinetis, imò rectè me feciſſe agnoscetis, si scopum instituti sabbati attendere velitis, nempe vt saluti hominum consulatur, simul & honori Dei.

d *Leuit.12. v. 3.* e *Gen. 17. v,10.* ℣. 22. PROPTEREA DEDIT Deus Abrahamo, (*d*) & MOYSES VOBIS CIRCVMCISIONEM etiam sabbato (*e*) faciendam, quia per illam liberatur anima à peccato originali: igitur mihi multò magis licebit, TOTVM HOMINEM secundùm animam & corpus sanum facère sine violatione *sabbati*. ita ferè Cyrillus, Chrysost. Euthymius.

f *Hic v.42.* ℣. 27. NEMO SCIT VNDE SIT CHRISTVS] id est, quibus parentibus natus sit. Nam de loco nascituri Christi, putà in Bethlehem: item de stirpe, putà ex semine Dauid, ipsimet fatentur infrà (*f*) sibi probè constare. Porrò de proximis parentibus Christi quòd dicant ignotos fore, ex praua hausérant interpretatione istius Isaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Putabant enim ibi insinuari, Christum, quasi alterum Melchisedech, vel sine, vel saltem non nisi ignotis parentibus, repentè in mundo compariturum.

℣. 28. VNDE SIM SCITIS, secundùm vestram opinionem: ET tamen A ME IPSO, instar vulgaris hominis, NON VENI, SED veni missus ab eo, qui olim patribus vestris promisit, se me vobis missurum, & quia VERVS, id est, verax & fidelis in complendis promissis EST, iam de facto ME vobis MISIT] q.d. Non sum vulgaris nec merus homo, qualem vos me arbitramini, sed sum ille Messias & Filius Dei, missus in mundum à Patre secundùm promissa olim patribus vestris facta.

℣. 29. AB IPSO SVM] supple, genitus, vtpote naturalis filius ipsius. Sed hæc generatio vos latet.

℣. 33. ADHVC MODICVM TEMPVS, putà medium annum (à festo scenopegiæ vsque ad pascha,) VOBISCVM SVM] q. d. Quid properatis me interficere? modicum adhuc exspectate; tum voti compotes reddemini. Sic compescit aduersarios qui comprehensuri ipsum venerant: discipulos verò & alios sibi fauentes excitat ad auidiùs auscultandum, vtpote exiguo tempore præsentiâ suâ fruituros. ita ferè Chrysost. *Chrysost. homil.19.*

℣. 34. Seriùs tunc & frustra QVAERETIS ME, id est, verum Christum, seu Messiam vobis promissum: & optabitis vel vnâ horulâ me præsentem habere: sed VBI EGO SVM, id est, ad cælum; vbi vt Deus semper sum, & vt homo breui ero, vos quamdiu viuitis, NON POTESTIS VENIRE.

℣. 37. IN NOVISSIMO DIE MAGNO FESTIVITATIS, id est, octauo die scenopegiæ, qui, vt est in Leuitico, *celeberrimus* esse debebat *atque sanctissimus*. Et solemnitatem dici illius vltimi augebant cęremoniæ, quas ex maiorum traditione, imò (vt est in Thalmud) ex Prophetarum Aggæi & Zachariæ institutione, solemniores illo die, quàm septem alijs præcedentibus adhibebant. Cùm enim quotidie semel cum ramis atrium interius templi circuirent, *hosanna* (*g*) inclamantes; octauo illo die septies circuibant, vt olim Iosue vrbem (*h*) Iericho. Ex eorumdem institutione hauriebant eodem die aquam ex fonte *Siloë*, (*i*) quam sacerdotibus afferebant, vt cum vino libaminis super altare effunderetur, illud Isaiæ (*k*) decantantes, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris*. Et harum forsan aquarum occasione. CLAMABAT IESVS: SI QVIS SITIT, optat, ambit, desiderat cælestem doctrinam, gratiam, spiritum, beatitudinem, VENIAT AD ME, fontem aquæ viuæ, hauriat ex me, credendo; BIBAT, sperando; delicietur, amando.

Leuit. 23. v. 36. *Talmud tract. de Festo Tabernacul. cap.* Chalil. g *Leu sup. & Matt.21 v.9.* h *Iosue 6. v 15.* i *2. Par. 32. v. 4. & Ioan 9. v.7.* k *Isaiæ 12. v 3.*

℣. 38. QVI CREDIT IN ME; tanta cælestium aquarum copia replebitur iuxta Prophetarum (*l*) oracula, vt non sibi soli habiturus sit satis, sed ad alios quoque luculenter possit deriuare, non modò situlis vel cadis, sed totis fluminibus. (*m*)

l *Ioel 2 v.28. &c. Isaiæ 44. v.3. &c. Ezech. 11. v.19. c.36. v.25. &c.* m *Ioan 4. v.13. &c.*

℣. 39. Sed SPIRITVS sanctus tantâ copiâ NONDVM ERAT DATVS, QVIA IESVS per resurrectionem & ascensionem in cælum NONDVM ERAT GLORIFICATVS] Decebat enim Christum priùs mori, & ex morte glorioſum euehi in cælum, quàm cælestia Spiritus dona diffunderentur in terras, vt toti orbi constaret, tam larga dona fructum esse passionis & victoriæ Christi, inquit Leontius.

℣. 41. An CHRISTVS A GALILAEA VENIT?] Hoc dicunt, quia in *Nazareth* Galilææ Christus fuit enutritus. (*n*) Et verisimiliter ignorabant natum *in Bethlehem Iuda*. Sed qua fronte negant, natum

n *Matt. 2. v. vlt.*

℣. 42. EX SEMINE DAVID, cùm aliàs illi id vltrò obiecerint? (*o*)

o *Matt.13. v.15. & Mar.6.v.3. Luc.4. v.22.*

℣. 52. NVMQVID ET TV GALILAEVS; græcè, *ex Galilæa*, ES?] idcirco & Iesu Galilæi partibus faues?

CAPVT VIII.

Mulieri in adulterio deprehensa condonat peccata: lumen se dicit mundi: Phariſaos praedicit in peccatis suis morituros, & ex patre diabolo esse: se verò antiquiorem Abrahamo, & ex Deo natum, ac Dei Filium esse: vnde volunt eum lapidare, sed ipse se subducit.

℣. 5. IN LEGE MANDAVIT NOBIS MOYSES adulteram LAPIDARE. Occidere mandat Leui-

Leuitici 20. v. 10. & Deuter. 22. vers. 22. sed occi-
sionis formam, vel genus mortis non exprimit.
a *Leuit. 20. v. vlt. & Deut. 22. v. 24.* Quia tamen ijsdem locis præscribitur (*a*) lapidatio
ferè similibus criminibus, interpretati sunt Iudæi,
etiam adulteris id genus supplicij deberi. TV ERGO QVID DICIS?] Si dicat lapidandam, famam
perdet mansuetudinis, inquit S. Augustinus: sin
August. tract. 31. in Ioan. dimittendam, transgressæ legis accusabitur. Quid
ergo Iesus ad hæc?

℣. 6. DIGITO SCRIBEBAT IN TERRA, in puluere marmorei pauimenti. Et quid scribebat? verisimiliter sententiam aliquam quæ peccata eorum argueret. v.g. Vos adulteram ad mortem expetitis, & ipsi maiora scelera patratis. Quod ipsum verbis mox exprimit versu sequenti. q.d. Puniatur peccatrix, sed ab ijs qui peccati sunt expertes. Hæc iudicis sententia: nunc audi Redemptoris benignitatem. NEC EGO TE CONDEMNABO: peccatum damno, non hominem; NOLI AMPLIVS PECCARE.

℣. 12. LVMEN VITÆ est fides & gratia, quæ viam aperiunt & sternunt ad lumen gloriæ & ad viam æternam. Qua ratione Christus sit lux mundi,
b *Ioan. 1. v. 4. & seqq.* (*b*) suprà exposui.

℣. 13. TV DE TE IPSO TESTIMONIVM PERHIBES: quod communi hominum æstimatione NON EST VERVM, id est, idoneum, seu fide dignum TESTIMONIVM:] proprio laus sordet in ore. Imò verò, reponit Christus, fide dignissimum est quod dico.

℣. 14. QVIA SCIO VNDE VENI, ET QVO VADO] Id est, principium & rationem mei aduentus scio, scilicet me esse Filium Dei, missum doctorem & saluatorem mundo. Et quia noui dignitatem & munus meum, ideò palàm, fidenter & clarè pronuntio, me esse lumen mundi: nec est quisquam qui qui oppositum euincet. Et an lumini opus est alio lumine vt lumen se esse probet?

℣. 15. EGO NON IVDICO QVEMQVAM; supple, SECVNDVM CARNEM, VT VOS, id est, secundùm solos sensus externos, seu secundùm ea sola quæ exteriùs apparent. Vel etiam in genere, *non iudico*, non condemno iam *quemquam*: *non* enim
c *Matt. 18. v. 11. & Ioan. 3. v. 17.* *veni perdere*, (*c*) *sed saluare*. Si tamen liberet iudicare siue de meipso, siue de quouis alio, sanè pro iure meo facerem: nec haberetis quod contrà faceret, etiam vestro met iudicio:

℣. 16. QVIA SOLVS NON SVM, VT VOS calumniamini, SED EGO, ET PATER, duæ personæ diuinæ, duo testes omni exceptione maiores. Sed vos

℣. 19. NEQVE ME SCITIS, scilicet quoad diuinitatem meam, NEQVE PATREM. Quòd si ME SCIRETIS, FORSITAN; græcè ἄν, id est, *vtique*, ET PATREM MEVM SCIRETIS] nam correlatiuorum eadem est scientia. ita Theophyl. & Iansenius.

℣. 21. EGO VADO per mortem ad Patrem meum: ET QVAERETIS ME, persequendo me in membris meis: ET IN hoc aliisque PECCATIS VESTRIS obstinati hærebitis, & MORIEMINI, reiectis spretisque remediis quæ vltrò offeruntur. Hoc tamen dico, suppositio,

℣. 24. SI NON CREDIDERITIS, QVIA EGO SVM quem me esse dixi, Filium Dei, Messiam ve-
d *Hic v. 12.* strum, lumen mundi, (*d*) &c.

℣. 25. PRINCIPIVM. In Græco est accusatiui casus, & suppleri debet, *secundùm*. Simile illud
Chrysost. orat. de Christi baptismate. Chrysostomi, ἐκ πνεύματος ἁγίου κατηχούμενος ἦσαν τῷ ἀρχῷ, id est, *à Spiritu sancto præparata à principio*. S. Augustinus, & cum eo Toletus, vult Chri- *August. tract. 39.*
stum loqui de principio æternitatis. q.d. A princi-
pio, seu ab æterno ego sum (scilicet Deus de Deo)
QVI ET LOQVOR, id est, idipsum annuntio, VOBIS,
cùm dico, EGO SVM. Alij cum Nonno & Maldonato intelligunt de prædicationis principio, q.d. Sum is quem iam inde à primo prædicationis initio me esse professus sum, scil. Messias vester.

℣. 26. MVLTA HABEO DE VOBIS vestraque perfidia & obstinatione LOQVI, ET, si luberet, etiam IVDICARE ac punire possem: sed hoc relinquo Patri meo, QVI iam ME MISIT saluare mundum & non perdere: ipse VERAX, id est, fidelis,
e *Matt. 21. v. 41.* EST in vindicandis iniurijs filio suo illatis. (*e*) Mihi solùm propositum, docere vos quæ accepi à Patre, idque ad extremum vsque spiritum.

℣. 28. CVM autem in cruce EXALTAVERITIS me, TVNC COGNOSCETIS QVIA EGO SVM is quem dico, nempe ex signis & portentis quæ tunc se prodent partim in morte, partim post mortem & resurrectionem & ascensionem meam. Nam & Christo adhuc cruci appenso, *omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, percutientes pectora sua reuertebantur.* (*f*) Pòst baptizati sunt subinde
f *Luc. 13. v. 48* tria, (*g*) subinde *quinque millia*, (*h*) & *multa etiam*
g *Act. 2. v. 41.* *turba sacerdotum* (*i*) *obediebat fidei.*

℣. 32. COGNOSCETIS VERITATEM certiùs
h *c. 4. v. 4* perfectiusque in dies. ET VERITAS LIBERABIT
i *c. 6. v. 7.* vos: id est, Christus (vt ipsemet (*k*) explicat) eruet
k *Hic v. 36.* vos; græcè, ἐλευθερώσει, id est, *liberos reddet*, à seruitute: primò, legis Mosaicæ; secundo, peccati; tertiò, diaboli. Meritò autem vocatur Christus *veritas*, quia vmbras legis remouet, figuras terminat, promissiones implet. Porrò quoscumque non liberat Christus, serui manent & mancipia peccati, dæmonis, & æternæ mortis: nec sunt IN DOMO, seu in familia Dei, quæ est Ecclesia, sed in carcere & vinculis diaboli.

℣. 37. FILII ABRAHÆ ESTIS secundùm carnem, sed non secundùm spiritum, virtutem & indolem. Nam ipse summoperè exoptabat me: (*l*) VOS
l *Hic v. 59.* QVAERITIS ME INTERFICERE. Ipse per omnia obediebat etiam minimo nutui meo: (*m*) IN VOBIS
m *Gen. 15. v. 6. c. 22. v. 3. &c.* autem SERMO MEVS NON CAPIT vllum locum. Vnde colligo vos secundùm spiritum ex longè alio patre natos esse, putà ex diabolo: nam

℣. 38. QVAE VIDISTIS APVD illũ PATREM VESTRVM, id est, quę à diabolo didicistis, (*n*) & ex eius
n *Ioan. 5. v. 19.* instinctu hausistis, hæc studiosè FACITIS, nec alia.

℣. 41. NOS EX FORNICATIONE NON SVMVS NATI] Id est, non sumus idololatræ, vel spurij etiam secundùm spiritum: sed sicut carnalem parentem vnicum & legitimum habemus Abrahamum: ita & spiritualem agnoscimus solum Deum. Cur igitur

℣. 42. ME naturalem Dei Filium, ab ipso ad vos missum, NON *diligitis*?

℣. 43. QVARE LOQVELAM MEAM, quæ prorsus eadem est cum loquela Patris, NON COGNOSCITIS? quare SERMONEM, seu verba mea, NON POTESTIS vel AVDIRE, vtpote nimis exacerbato in me animo? vnde manifestè conuinco, vos non ex Deo, sed

℣. 44. EX DIABOLO tamquam PATRE spirituali natos *esse*. ILLE HOMICIDA *est* AB INITIO creati mundi, quia animam hominis occidit, & illam occidendo etiam corpus & totam eius posteritatem sub iugum mortis pertraxit. IN VERITATE quidem, seu rectitudine & iustitia creatus fuit, sed in illa

in illa NON STETIT, id est, non perstitit, non mansit constans (a): sed lapsus in perfidiam, perfidè etiam cum omnibus agit, & VERITAS, id est, veracitas, fidelitas IN EO *nulla* EST, sed totus mendaciis, scatet, vt meritò *spiritus mendacij* vbique (b) vocetur: adeoque addictus est falsitati & mendacio, vt proprium id illi esse, & quasi in naturam versum videatur; imò *pater mendacij* meritò audiat, quia primus eius inuentor, auctor, fautor & continuator perpetuus. ita ferè S. Augustin. Chrysost. & Leontius.

a Gen. 1. v. 1.

b 3 Reg. 22. v. 22 23.

August. tract. 42. l. 11. de Ciuit. c. 43.

℣. 46. QVIS ARGVET ME DE PECCATO, seu mendacij, seu alio quouis?

℣. 47. QVI EX DEO EST, seu diuino spiritu præditus est, & impellitur, is VERBA DEI libenter AVDIT, & illis obedit. Loquitur enim de auditione quæ cum assensu & obsequio voluntatis coniungitur.

℣. 49. EGO HONORIFICO PATREM MEVM, vindicans debitum ipsi honorem, illumque augens vbique ac stabiliens: vos verò INHONORASTIS ME, & per consequens eum qui me ad vos suo nomine & loco misit.

℣. 50. EGO in quantum homo, NON QVAERO GLORIAM MEAM: sed EST Pater QVI iure & merito QVAERIT mihi gloriam, ET IVDICAT] id est, vindicat inhonorantes, seu contumeliâ & iniuriâ afficientes me: quia iniuria facta legato redundat in legantem.

℣. 51. SI QVIS SERMONEM MEVM, seu doctrinam meam, non dico audierit vel crediderit tantùm (vt dicunt hæretici nostri,) sed SERVAVERIT, putà moribus & vitâ, (vt S. Chrysost. exponit;) MORTEM NON VIDEBIT IN AETERNVM] id est, non experietur mortem æternam, vel damnationem non subibit. Hæc sola enim est vera *mors*: nam illa temporalis potiùs somnus vel migratio dicenda est, inquit S. Augustin. quàm *mors*.

Chrysost. homil. 54.

August. tract 43.

℣. 54. SI EGO GLORIFICO MEIPSVM] Id est, si hæc aliaque quæ vel dico vel facio laudis & gloriolæ humanæ captandæ gratiâ dico vel facio, vt vos calumniamini, omnia nihili facienda sunt. Sed absit à me tam stulta ambitio. Gloriæ mihi parandæ sat inuigilat Pater cælestis, qui *dedit* mihi *nomen quod est super omne nomen* (c), &c. Vnde &

c *Philipp. 2. v. 9.*

℣. 56. ABRAHAM cum reliquis Patriarchis, EXVLTAVIT VT VIDERET, id est, summo desiderio optauit nosse & *videre* DIEM, id est, tempus aduentus *mei* in carnem, vtpote quem sciret de carne sua, seu posteris suis carnem desumpturum. Et verò VIDIT iam illud tempus, Deo id illi reuelante in limbo.

℣. 58. ANTEQVAM ABRAHAM FIERET, EGO secundùm diuinam naturam meam SVM (d) ab æterno: secundùm humanam naturam

d *Exodi 3. v. 14.*

℣. 59. ABSCONDIT SE, non in angulo *templi*, vel post murum aut columnam diuertens, sed inuisibilem (e) insidiantibus se constituens, per medium illorum EXIVIT E TEMPLO, inquit S. Augustinus.

e *Luc. 4. v. 30. August. sup.*

CAPVT IX.

Caco nato oculos sabbato restituit, & simul aeterna lucis cognitione donat.

℣. 2. QVIS PECCAVIT VT hic CAECVS NASCERETVR?] Vulgus supponit, morbos & alia aduersa non nisi propter peccata immitti à Deo. Et idem vrgebant olim amici Iob (f). Sed is optimè id refellit (g); vt & hîc Christus,

f *Præfat. in Iob.*

g *Iob. 6. & seqq.*

℣. 3. NEQVE HIC PECCAVIT, NEQVE PARENTES EIVS. Non negat, peccasse: sed peccata eorum, putà originale ipsius cæci, vel actualia parentum, dicit non fuisse causam cæcitatis ipsius, nempe proximam. Etsi enim omnium in genere malorum remota causa & origo sit peccatum, sæpè tamen non est illa propinqua causa cur Deus hîc vel nunc malum aliquod infligat: SED VT MANIFESTENTVR OPERA DEI] & diuina prouidentia, misericordiaque palàm fiat. Sic electi non ratò, licèt præ alijs non grauiter deliquerint, peculiaribus tamen & quidem grauissimis afflictionibus exercentur, vt eorum de n liberatione & Dei gloria, & ipsorum constantia agnoscatur & celebretur, vt Iob, Tobias, Susanna & tot alij. Et talis etiam est hic cæcus: vnde statui occasione hac vti, & illum curare, inquit Christus: nam

℣. 4. ME OPORTET OPERARI OPERA Patris, eiusque gloriam propagare, DONEC DIES EST] id est, quamdiu præsens vita mihi adest, & occasio sese offert.

℣. 6. LINIVIT LVTVM SVPER OCVLOS EIVS] quod naturaliter oculos magis excæcat. Sed Christus voluit, palàm constare, non naturali, sed supernaturali virtute curationem à se institui. Mysticè quoque probauit, se eumdem illum esse qui olim è luto totum hominis corpus efformarat, ac proinde dominum esse totius naturæ, nec sabbati legibus adstringi, inquit S. Chrysostomus & Leontius. Allegoricè, S. Augustinus, per saliuam, diuinam Christi naturam; per terram, humanam naturam eiusdem intelligit: his simul mixtis curatum est genus humanum à prima sui origine per peccatum primi parentis excæcatum. Addo cum Cyrillo, Si Christi saliua tam medica est & salutaris, quid de carne eius in Eucharistia sperandum?

Chrysost. homil. 56.

August. tract. 44.

℣. 7. SILOE fons est è radice montis Sion, incertis horis diebusque magno impetu ebulliens inquit S. Hieronymus. inde cum magno strepitu per saxa in *natatoriam*, id est, lauacrum, seu, vt alibi vertit *piscinam* vel stagnum delabitur: vnde vlteriùs in vicinos hortos silentio, seu sine strepitu, variijs tubis & canalibus deriuatur ac mittitur: vnde & *Siloë*, id est, missus, nomen stagno inditum. Figura erat & Christi à Patre ad nos missi: & baptismi ad abluenda peccata submissi, vt S. Ambrosius, Augustinus, & Rupertus fusè demonstrant.

Hieron. in Isaiam 13. c. 8.

℣. 16. SABBATVM NON CVSTODIT] Sed iam suprà (h) ostendit Christus, curatione ægrorum non h solum præceptum sabbati. Nimirum hypocritæ prætextu religionis euertere volunt auctorem religionis.

h *Ioan. 7. v. 22.*

℣. 24. DA GLORIAM DEO (i) Ipsi vni adscribe curationem tuam, non Iesu isti peccatori. ita Chrysostomus.

i *Iosue 7. v. 19.*

℣. 29. NESCIMVS VNDE EST] id est, à quo, seu cuius auctoritate missus sit. Alioqui de patria & parentibus eius sat sibi constare, suprà (k) asseruerant.

k *Ioan. 7. v. 27.*

℣. 31. PECCATORES DEVS NON AVDIT] dest, in peccatis perseuerantes non exaudit, scilicet ordinariè, inquit Iansenius: vel, vt Theophylactus & Euthymius, non ita exaudit, vt ad declarandam sanctitatem illorum, miracula faciat: quod, quia mendacium esset, Deo est impossibile. Vnde rectè infert,

℣. 33. NISI ESSET HIC HOMO A DEO, seu diuina auctoritate missus, NON POTERAT QVIDQVAM tale FACERE.

℣. 34. IN PECCATIS NATVS ES TOTVS] nempe non sola anima peccato originali infecta,

sed & corpore pœna peccati (putà cæcitate) fœdissimè afflicto. q.d. Totus quantus nil nisi peccatum es vel pœna peccati(a).

a *Hic v. 2. & 3.*

ET EIECERVNT EVM FORAS extra Synagogam: id est, excommunicarunt ipsum, & à consortio suo, seu populi Judaici (qui tunc solus habebatur populus Dei) præsciderunt; quod summæ apud ipsos ignominiæ erat.

¥. 38. ADORAVIT Iesum, non erecta ceruice, inquit Beda, sed PROCIDENS? & supplex in terram prostratus, cultu latriæ honorat vt Filium Dei.

¥. 39. IN IVDICIVM VENI, id est, ex meo in mundum aduentu consecutum est iudicium, seu discretio hominum mira ac stupenda, scilicet VT CÆCI, id est, simplices & ignorantes (qualis erat hic cæcus, & Allegoricè Gentilis populus,) visum mentis recipiant credendo in me: QVI VIDENT verò, id est, docti Scribæ & Pharisæi, CÆCI FIANT per obstinatam incredulitatem suam.

¥. 41. SI CÆCI ESSETIS opinione vestra, id est, si agnosceretis vos esse ignorantes, &, vt solent simplices idiotæ; à magistro vos instrui pateremini, NON HABERETIS iam PECCATVM infidelitatis. NVNC VERO, QVIA putatis vos *videre*, id est, sat doctos & instructos esse, ideo non patimini vos instrui à me, atque ita PECCATVM vestræ infidelitatis MANET & perseuerat in vobis. ita S. Augustinus.

August. sup.

CAPVT X.

Pastorem verum (qualem se esse probat) à falso discernit: vnum se cum Patre & Filium Dei esse affirmat, & operibus ipsis confirmat; vnde volunt ipsum quasi blasphemum lapidare: sed hanc non esse blasphemiam clarissimè conuincit.

¥. 1. QVI NON INTRAT PER OSTIVM, SED per fenestram vel tectum, vel ALIVNDE, ILLE FVR EST ET LATRO] Fur, quia quod alienum est, sibi vsurpat: latro, quia quod furatus est; occidit. Occasio huius prouerbij seu parabolæ fuit, expulsio cæci nati è Synagoga quasi ex ouili Dei, ob fidem eius in Christum. Vult enim docere, adeò nihil nocituram talem fidem, vt absque illa nemo sit vel legitimus pastor vel proba ouicula. Se solum enim esse *ostium*, id est, debitam ac rectam viam in Ecclesiam Dei: per quod ostium nulli ingressus patet nisi per sinceram fidem. Soli ergo credenti in Christum

¥. 3. APERIT OSTIARIVS, id est, Spiritus sanctus. Fides enim, per quam solam patet ingressus in Ecclesiam, donum est Spiritus sancti. Simili modo potestas pascendi animas & regendi Ecclesiam accipienda est per Christum à Spiritu sancto, vt rata sit ac valida. ita S. Augustinus. *Huius* vnius VOCEM *audire* debent OVES; nec alteri licet aurem accommodare: vnde nec hæreticorum libri legendi, nec conciones audiendæ, nec consortia captanda, inquit ex S. Cyrillo Iansenius.

August. tract. 45.

¥. 8. OMNIS QVOTQVOT aliâ viâ VENERVNT, aut etiamnum sedent ad clauum Ecclesiæ, non ingressi per hoc legitimum ostium, FVRES SVNT ET LATRONES. Notat Iudam Galilæum (*b*) & Theodam (*c*) & similes pseudoprophetas. Simul etiam perstringit Pharisæos (*d*), qui titulum pastorum Ecclesiæ sibi arrogabant, nec tamen in Christum credere vel ab ipso mitti volebant.

b *Act. 5. v. 37.*
c *Ibid. v. 36.*
d *Hic v. 6.*

¥. 11. EGO SVM PASTOR BONVS; græcè, *ille pastor, ille bonus*, scilicet Messias, pastorum omnium A pastor & princeps, de quo prophetauit Ezechiel c. 34. v. 11. vt ibidem exposui. ANIMAM, id est, vitam, MEAM PRO salute *ouium* expono: & illas

¥. 14. COGNOSCO, scientiâ approbationis, & cum singulari dilectione, SICVT ME NOVIT, diligit, gratissimum habet PATER meus cælestis. Et vicissim ME sic COGNOSCVNT & amant & sequuntur OVES MEAE, sicut EGO AGNOSCO, amo & in omnibus sequor PATREM meum. Vbi particula comparatiua, *sicut*, similitudinem proportionis, non verò æqualitatis significat.

¥. 16. ALIAS OVES suas vocat Gentiles, *qui* NON erant DE OVILI Iudæorum, sed per Apostolos inducti sunt postea in *ouile* Christi.

¥. 17. PROPTEREA DILIGIT ME PATER, QVIA non coactus, sed vltrò & sponte mea ANIMAM, id est, vitam, MEAM PONO pro ouibus meis, nullo alio intuitu, quàm vt hac viâ compleam *mandatum Patris* mei. q.d. Vos, ô pastores omnes, similiter facite, si simili modo velitis diligi æternùm à Patre meo.

¥. 22. FACTA SVNT ENCÆNIA] Id est, renouabatur memoria dedicati olim templi, non per Salomonem, nec per Zorobabel, sed per Iudam Machabæum, qui profanatum ab Antiocho Epiphane (*e*) templum & altare, triennio (*f*) pòst expurgauit, iterumque dedicauit mense *Caslen*, qui ferè respondet nostro Decembri (*g*): iussitque quotannis id festum eodem mense per octiduum (*h*) celebrari. Vnde hîc additur, *hiems erat*.

e *Chronic. c. 40. 1. Mach. 1. v. 57. & 61.*
f *c. 4 v. 52.*
g *Ibid. & Chron. c. 4.*
h *1. Mach 4. v. 59.*

¥. 23. ET AMBVLABAT IESVS IN PORTICV SALOMONIS] id est, in ea portione, quæ vt loco, ita & formâ respondebat pristinæ porticui quam olim erexerat amplissimam Salomon (*i*) in parte templi Orientali circum atrium Iudæorum, quod proximum erat atrio sacerdotum, teste Iosepho.

i *Vatab. tom. 2. Ioseph. l. 6. Bell. c. 6.*

¥. 24. QVOVSQVE ANIMAM NOSTRAM TOLLIS] Id est, quamdiu nos suspensos & anxios tenebis? En duo splendida mendacia. Primum, se anxios esse, num ipse sit Christus: Secundum, anxietatis huius causam esse Christum, quasi qui nolit prodere veritatem. Ita solent *increduli* & superbi tenebras quibus *inuoluuntur*, in doctrinam Euangelij reiicere, quam si vellent, nullo negotio possent ex suamet puritate & fructibus agnoscere: vt de miraculis, alijsque signis, quibus innotescit, iam taceam.

¥. 29. QVOD PATER MEVS MIHI vt homini DEDIT, putà diuinitas, seu inexistere Verbo diuino, MAIVS OMNIBVS EST, ac per consequens fortius ac potentius omnibus mihi aduersari volentibus: vnde non poterit quispiam mihi prævalere, vel oues mihi præripere. ita Patres Latini. Græci legunt, *qui dedit mihi*, scilicet oues, *maior omnibus est*, eodem sensu. Nam

¥. 30. EGO ET PATER non distinguimur quoad potentiam, vti nec quoad naturam, SED VNVM quid & idem SVMVS] Vbi per *vnum*, designatur identitas essentiæ & omnium proprietatum essentialium: per *sumus*, distinctio personarum & proprietatum personalium. Hoc Sabellio aduersatur: illud Ario, inquit S. Hilarius & Augustinus.

Hilar l. 7. de Trinit. sub fin. August. tract. 48.

¥. 32. MVLTA BONA OPERA OSTENDI VOBIS EX PATRE MEO profecta, seu potentiâ Patris mei, (quæ eadem est & mea) perpetrata.

¥. 35. SI LEX VESTRA, magistratus & iudices (AD QVOS, seu de (*k*) quibus, FACTVS EST SERMO DEI, id est, propheratum est psalmo 81. v. 6.) vocat DEOS; quia nempe vicarij sunt Dei, prædicti auctoritate quasi diuina, & munere Dei fungentes in iudicando

k *Proleg. in Idiotismus Hebr. n. 11.*

iudicando & regendo mundo, inquit Euthymius: ET NON POTEST SCRIPTVRA SOLVI, id est, vt mendax reijci, vel irrita reddi, vt S. Hilarius exponit, quo iure accusatis me blasphemiæ, eò quòd me DEI FILIVM vocem, QVEM PATER SANCTIFICAVIT seipso, seu eadem sanctitate quâ ipse sanctus est, nempe diuinitate sua? q.d. Si nomen Dei rectè tribuitur ijs qui solùm participant aliquid diuinæ functionis, quare mihi negabitur qui per essentiam Deus sum? ita S. Hilarius, Augustinus, Beda & Toletus.

℣. 38. PATER IN ME EST, ET EGO IN PATRE] non accidentali (vt in Sanctis) sed substantiali, seu essentiali inhabitatione, quam Ioannes Damascenus περιχώρησιν vocat, & ex illo Doctores *circuminsessionem*, quâ singularum trium personarum naturalia attributa singula sunt in singulis, & omnia in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & vnum omnia, inquit S. Ambrosius & Augustinus.

Ambros. in 2. Cor. 13. August. l. 6. de Trinit. c. vlt.

CAPVT XI.

Lazarum quatriduo mortuum ac sepultum resuscitat, praefatus antè, se vitam esse & resurrectionem. Multis hoc miraculo conuersis Pharisæi & pontifices communi consilio decernunt mortem Christo inferre, suggerente Caipha, expedire vnum mori pro multis conseruandis.

℣. 4. INFIRMITAS HAEC NON EST AD MORTEM, nempe talem qualis communiter esse solet hominum mors, quâ qui moriuntur mortui manent, nec ad vitam redeunt, inquit S. Augustinus. Quomodo nec ipsa *mors* erat ad mortem, SED potiùs ad miraculum PRO GLORIA DEI Patris & Filij eius collustranda per resuscitationem defuncti.

August. l. 3. de Cõsensu Euangelist. c. 79. & tract. 49. in Ioan.

℣. 9. SI QVIS AMBVLAVERIT IN DIE, etsi duodecima, seu vltima (*a*) hora diei, NON OFFENDIT, id est, non impingit. Ita & mihi præstitutum est certum tempus, quo viuere & mea opera perficere debeo; quo durante, etsi paulatim ad finem præcipitante, nil periculi metuendum à Iudæis, seu mihi, seu vobis: neque enim quidquam in me poterunt antequam vitæ meæ occasus & nox aduenerit. ita Rupertus, Maldonatus, Toletus.

a Chron. c. 2

℣. 11. LAZARVS DORMIT] respectu Dei, vt suprà (*b*) exposui. q.d. Curriculum vitæ suæ necdum absoluit Lazarus: solùm interquiescit non nihil.

b Hic v. 4. & Matt. 9. v. 24.

℣. 15. GAVDEO me istic non adfuisse, & Lazarum in vita continuisse; idque PROPTER VOS VT CREDATIS] q. d. Gaudeo iam oblatam mihi occasionem noui miraculi, quo vos in fide magis magisque roboremini.

℣. 16. THOMAS Hebræum, græcè significat DIDYMVM, latinè *geminum*, inquit Angelus Caninius: fortè quia gemelli, vt vult Euthymius: fortè etiam quòd à maioribus hoc cognomen acceperit: vt apud Romanos erant *Cæsares*, *Nasones*, *Spurij*, *Fusci*, &c.

℣. 18. QVINDECIM STADIA sunt paulò plus quàm iter mediæ horæ, vt alàs (*c*) docui.

c Proleg. de Mensuris longitudin.

℣. 25. EGO SVM RESVRRECTIO ET VITA] scilicet causalis. q. d. Per me & viuentes viuunt, & mortui resurgunt. Hoc addit, vt Martham plenius de personæ suæ diuinitate, immensitate & omnipotentia instruat, doceatque nec corporali præsentiæ, nec certo tempori diuinam suam virtutem adstringi.

℣. 26. QVI CREDIT IN ME, & conformiter fidei rectè viuit, & sic ad finem vsque perseuerat, NON MORIETVR IN ÆTERNVM] id est, non manebit in morte, sed suscitabitur ad æternùm in cælis viuendum.

℣. 33. INFREMVIT SPIRITV] Rupertus & Jansenius volunt indignantis id fuisse & irascentis. Sed quæ hîc occasio, seu iræ, seu indignationis? Malim ergo cum S. Augustino dicere, compatientis fremitum fuisse & condolentis: vt verum hominem se esse, & more humano visis aliorum miserijs & lacrymis ex animo compati se & condolere demonstraret. Non quòd ad eas passiones naturæ impetu cogeretur, vti nos cogimur; sed vltrò & sponte illas excitabat quando, vbi, & qualiter volebat: vnde signanter hîc dicitur, non turbatus fuisse, sed *seipsum turbasse*, seu ad compassionem & lacrymas sponte excitasse *d*). ita Damascenus & alij Doctores.

d Matt. 26. v. 37.

℣. 40. SI CREDIDERIS, VIDEBIS GLORIAM DEI] id est, videbis resuscitatum fratrem tuum: quo miraculo valdè inclarescet gloria Dei Patris & & mea. Sed volo firma in Deum fiducia te disponi, vt hoc beneficium accipere possis.

℣. 44. ET STATIM PRODIIT rediuiuus, sed adhuc LIGATVS PEDES ET MANVS INSTITIS] id est, fascijs funeralibus. Symbolicè, pœnitens peccator est contritione quidem iam rediuiuus, sed absolutione ministrorum Ecclesiæ à vinculis adhuc reliquis soluendus, vt S. Augustinus & Gregorius pulchrè declarant, adduntque similem Iairi filiæ mortuæ quidem, sed adhuc domi iacenti, peccatorem esse lapsum recèns in peccatum: filio verò viduæ Naim extra portam deuecto, publicum peccatorem scelus inuerecundè patrantem: Lazaro denique presso iam aggere & lapide sepulturæ, peccatorem praua consuetudine demersum. Sed posse omnes resuscitari per Christum.

Aug. supr. Gregor. hom. 26. in Euang.

℣. 48. VENIENT ROMANI, ET armis TOLLENT nobis LOCVM NOSTRVM, nempe regionem Iudææ, ET GENTEM, vniuersam exscindent, omnes nos vel occidendo, vel fugando, quasi qui rebellare ipsis velimus, alio rege præter Cæsarem nobis designato, nempe Iesu isto, qui vult haberi Messias & rex cælitus nobis promissus. Vah miseram carnis prudentiam, quâ, ne hominem offendas, iram incurris omnipotentis Dei! & te tuaque salua fore non credis, nisi illo læso per quem vnum salua reddi possunt.

℣. 50. EXPEDIT VOBIS, VT VNVS MORIATVR HOMO PRO POPVLO] id est, pro populi salute. Ex mente Caiphæ dicendum fuisset, Præ toto populo Iudaico. Sed illi hoc dicere volenti Spiritus sanctus ea verba obiecit, quibus pro salute totius mundi Christum passurum prædiceret. Vnde addit Euangelista, Caipham HOC A SEMETIPSO, seu ex mente & intentione sua, NON DIXISSE, sed

℣. 51. *prophetasse*, non formaliter (nam aliud omnino intendebat,) sed materialiter, Spiritu sancto linguam eius mouente, non cor, vt ait Chrysost. Caiphas enim intelligebat, utile esse Christo mortem inferre (quod malum erat) vt temporaliter liber maneret solus populus Iudaicus: Spiritus sanctus verò intendebat, vtile esse, Christum mortem subire (quod bonum erat) vt spiritualiter liberaretur totus orbis. *Vide*, inquit Chrysost. *quanta virtus sit Spiritus sancti. A mente mala voluit verba proferri prophetica. Vide etiam, quanta sit pontificalis virtus potestatis.* CVM enim ESSET PONTIFEX ANNI, id est, temporis; ILLIVS (*e*), cui propter summam il-

Chrysost. homil 64.

e Chron. c. 42. class. 3.

Iam dignitatem fides ab omnibus habebatur, voluit A Spiritus sanctus in huius prophetiæ prolatione, illo potiùs, etsi nequissimo instrumento, vti, quàm alijs ad fidem faciendam minùs idoneis.

CAPVT XII.

Christo in Bethania cœnanti pedes pretioso vnguento vngit Maria Magdalena, quæ idcirco accusatur à Iuda, sed à Christo defenditur. Principes etiam Lazarum interficere cogitant. Interim Christus cum triumpho Ierosolymam invehitur: à Gentilibus expetitur: voce cælesti clarificatur: instar grani frumenti moriturum se prædicit, & morte sua principem tenebrarum foras eijciendum, Patrem cælestem honorandum, Iudæos magis excæcandos.

a *Matt.* 26. *v.* 6. ℣. 2. IBI, id est, in domo (*a*) Simonis leprosi, FECERVNT EI amici eius COENAM solito lautiorem, in qua adornanda Martha, (cognata fortè Simonis, vel certè vicina, familiaris, & similium B rerum perita,) MINISTRABAT, vt in Matthæo dixi, vbi & de *nardo pistico*, de murmure *Iudæ*, & de alijs huc spectantibus.

℣. 6. QVÆ MITTEBANTVR; græcè, *quæ imittebantur*, scilicet in marsupium ab iis qui eleëmosynas Christo porrigebant, PORTABAT Iudas quasi communis procurator & œconomus. Verùm hoc munus auaritiam eius non explebat, sed magis acuebat in dies.

℣. 7. SINITE ILLAM sine obloquio quæ cœpit peragere: VT IN DIEM SEPVLTVRAE MEAE SERVET ILLVD, id est, seruasse comprobetur. græcè enim est, *seruauit*. q. d. Me mortuum non poterit vnguento isto ungere: permittite ergo vt iam quod optat pacatè perficiat, & me viuum, sed morti ac C sepulturæ proximum inungat; ne frustra vnguentum hoc in eum finem asseruarit.

℣. 17. TESTIMONIVM, scilicet publicum Lazari à Iesu suscitati.

℣. 20. GENTILES] Alij *Græcos* legunt: quo nomine Iudæi eos omnes vocabant qui Iudaicæ religioni aduersabantur, occasione accepta à Græcis Antiochis (*b*), Asiæ regibus, qui Iudæos horribiliter olim diuexarunt, vt ex libris Machabæorum liquet.

b *Chron. c.* 40.

℣. 23. VENIT HORA] q. d. Hic Gentilium ad me concursus, quasi prognosticon designat, adesse iam tempus quo clarificandus sum, id est, pro Dei Filio & mundi redemptore agnoscendus sum à Gentilibus & toto mundo: & consequenter imminere tempus passionis & mortis meæ, quia ante illam non annuntiabitur Gentilibus Euangelium. D

℣. 25. SI GRANVM MORTVVM, id est, corruptum, FVERIT, & calore terræ resolutum in aliam substantiam, MVLTVM FRVCTVM AFFERT] Sic & ego, qui cæleste granum sum, è cælo in terram iactum per incarnationem, multos & nobiles fructus proferam per mortem meam. De anima odio habenda & perdenda, vide apud Matthæum.

Matth. 10. *v.* 39. *c.* 16. *v.* 24 *&c.*

℣. 26. QVI MIHI, instar probi discipuli & fidelis famuli, *ministrare* desiderat, ME SEQVATVR, id est, vias meas ambulet, non suas: *non quærat quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi*, inquit S. Augustinus.

Augustin. tract. 51. *in Ioan.*

℣. 27. NVNC cùm de morte mihi instante cogito, TVRBATA EST ANIMA MEA: nempe tam terrificæ mortis horrore totus contremisco & conturbor; vt verum me hominem & passibilem agnoscatis.

c *Matt.* 26. *v.* 39.

PATER SALVIFICA, id est, libera & eripe *me* (*c*) ex angustijs & tormentis *illa* HORA mihi paratis. Est desiderium appetitus, seu voluntatis naturalis, sed inefficax: nam mox vt perpendit se PROPTER EA (scilicet vt moreretur, & morte sua genus humanum redimeret) *venisse* IN *hunc* mundum; absolutè & efficaciter petit, PATER, CLARIFICA NOMEN TVVM] q. d. Fac sicut tu statuisti, & quocumque modo tibi placuerit, siue per passionem & mortem, siue aliâ viâ, clarè & gloriosè manifesta toti orbi *nomen tuum*, id est, teipsum, & consequenter etiam me Filium tuum (*d*). ita S. Augustin. Chrysost. & Euthymius. Eiusmodi generosæ resignationi facilè & citò annuit Pater publicè de cælo proclamans: d *Hic v.* 23.

℣. 28. ET CLARIFICAVI, id est, glorificaui, ET ITERVM CLARIFICABO] q. d. Sicut hactenus per varia miracula, & opera potentiæ diuinæ toti Iudææ manifestum feci te Filium meum & Messiam esse: ita pergam deinceps id toti orbi propalare, etiam in ipsa passione & morte tua, per signa stupenda in sole, luna & elementis omnibus: præcipuè tamen in resurrectione tua, in ascensione, in missione Spiritus sancti, &c. ita S. Augustin.

Augustin. tract 52.

℣. 30. PROPTER VOS VENIT HÆC VOX è cælo, vt qualitas & dignitas personæ meæ vobis, & maximè Gentilibus hîc (*e*) præsentibus, certiùs innotescat. e *Hic v.* 20.

℣. 31. NVNC IVDICIVM EST MVNDI] Id est, iam instat tempus quo iustitia administretur mundo contra truculentissimum tyrannum diabolum. Mox enim ab vltimo hoc meo cum Satana duello sententia è cælesti tribunali pronuntiabitur, an mundus dominio diaboli, vt hactenus, debeat subiectus manere; an verò asserendus in libertatem & mihi concedendus. Imò ex nunc addico, quòd pretio mortis meæ, in libertatem asseretur, *principe* eius diabolo, qui hucusque mundo dominatus est, *foras* eiecto, id est, dominio illo penitus priuato. Vnde quòd tentet nihilominus etiam electos, non est indicium, regnare adhuc illum intrinsecus, vt antè, sed solùm forinsecus oppugnare, non instar domini, sed hostis nostri, inquit idem Augustin.

℣. 32. EXALTATVS, id est, in crucem à vobis elatus, TRAHAM, etiam inuito diabolo, OMNIA eius spolia (*f*), id est, omnes gentes, AD ME tamquam ad legitimum principem totius mundi. ita S. Leo.

f *Luc.* 11. *v.* 22. *Leo serm.* 8. *de Passion.*

℣. 35. ADHVC MODICVM LVMEN scientiæ de æterno Christi regno (*g*), IN VOBIS EST: sed AMBVLATE & porrò pergite ac proficite in hac scientia, discentes ex me, quòd toties inculcaui, & moriturum Christum, & postea æternùm regnaturum. ita Augustin.

g *Psal* 109. *v.* 2. *Psal* 116. *v.* 1. *Isai* 40. *v.* 6 & *Ezech* 37. *v.* 25.

℣. 38. QVIS CREDIT AVDITVI NOSTRO, id est prædicationi & sermoni nostro audito (*h*)? ET BRACHIVM, id est, potentia, DOMINI, quam in Christo & per Christum Deus exeruit, CVI REVELATVM EST? q. d. Quàm pauci sinent sibi hæc mysteria persuaderi? ita S. Paulus exponit & omnes antiqui Patres.

h *Prolog. de Idiotismis Hebr. n.* 46. *Rom* 10. *v.* 16.

℣. 39. PROPTEREA NON POTERANT CREDERE, QVIA DIXIT ISAIAS, EXCAECAVIT, &c.) Id est, quia Iudæi intellectu excæcati adhucerant & voluntate indurati, sicut Isaias (*i*) olim de illis prædixit, hoc, inquam, suppositio, non poterant credere. ita S. Chrysost. Augustin. & alij.

i *Isaiæ* 6. *v.* 9.

Nota. Excæcationis & indurationis causa propria ac directa est ipsa hominis malitia, vt alibi Scriptura (*k*) testatur: Deo tamen id subinde tribuitur, sed impropriè & indirectè tantùm, quia scilicet

k *Sap.* 2. *v.* 21.

cet peruersis sensim (iustitia sic exigente) subtrahit lumen veritatis & gratiæ, permittitque varias errorum atque offendiculorum occasiones illis obijci, vnde in malo indurentur, & toti demum excæcentur, vt patuit in Pharaone, in Iuda, in tot alijs.

℣. 41. HAEC DIXIT ISAIAS cap. 6. QVANDO VIDIT GLORIAM EIVS] scilicet Christi, seu Filij Dei, de quo præcessit & sequitur. Vidit enim Isaias gloriosam effigiem, quâ SS. Trinitatis unica essentiâ & ternæ personæ (vt ibi dixi) (a) distinctè repræsentabantur.

a *Isaia 6. v. 1.*

℣. 44. QVI CREDIT IN ME, vt credere oportet, NON CREDIT IN ME, solum & nudum hominem, SED simul etiam IN EVM QVI ME vnigenitum suum & consubstantialem Filium MISIT in hunc mundum.

℣. 45. ET QVI VIDET ME internis fidei oculis, VIDET ijsdem etiam Patrem meum, inquit S. Chrysost. & August. Nam Filius credi aut cognosci nequit sine Patre. Qui etiam externis oculis videt me tanta miracula patrantem, videt Patrem meum in opere suo, seu effectu externo: sicut qui videt hominem operantem, videt animam eius, in & ex effectu illius.

Chrysost. hom. 68. August. tract. 54.

℣. 47. EGO NON IVDICO, id est, non profero sententiam quâ peccantes condemnem, scilicet nunc, hoc primo meo aduentu, quo NON VENI *iudicare*, sed *saluare* MVNDVM] q.d. Iam tempus est misericordiæ, pòst erit iudicij.

℣. 48. SERMO QVEM LOCVTVS SVM, & quem de necessarijs fidei mysteriis vos hactenus docui, ILLE VOS IVDICABIT, id est, condemnabit, obiectiuè & causaliter, vtpotè causa & ratio iustissima ac clarissima damnationis impiorum, quia scilicet impiè & sine causa spernitur quod ex parte Dei legitimè & seriò per me annuntiatur & promulgatur.

℣. 50. ET MANDATVM EIVS VITA AETERNA EST] Id est, quæ mihi Pater mandauit vt vobis proponam, necessaria creditu & obseruatu sunt ad vitam & salutem æternam consequendam.

CAPVT XIII.

A cœna surgens Christus, humilitatem charitatemque commendaturus suis Apostolis, pedes eorum lauat: proditorem Iudam porrectâ illi buccellâ Ioanni indicat: Petro trinam sui negationem predicit.

b *Matt. 26. v. 17. & 20.* ℣. 1. ANTE DIEM FESTVM (b) inchoante iam nocte, festi PASCHAE: VT per mortem TRANSEAT AD PATREM. Alludit ad nomen *pasche* quod *transitum* significat. IN FINEM vsque DILEXIT SVOS] id est, perrexit continuis amoris indicijs sui in eos affectus perpetuitatem declarare, etiam vltima illa nocte, quâ sciebat se causa illorum tam indigna passurum. Tria verò hîc edit summi amoris argumenta. Primum, lotionem pedum, quâ adumbrabat se vnum esse qui sordes animi ipsorum ablueret. Secundum, sacram Eucharistiam, quâ corpus & sanguinem suum ipsis in perpetuum memoriale donabat. Tertium, cælestem doctrinam, quam instar cygnæi cantus, vt solito prolixiorem, ita suauiorem in hac cœna depromit. O quantò nobilior est amor Christi præ mundi amore, qui serò inchoat, citò desinit, parum efficit, parum donat! Igitur

℣. 2. FACTA COENA agni paschalis, & etiam cœna communi, sed bellarijs necdum remotis, A putà, priùs quàm S. Eucharistiam institueret, *pedes* omnium *lauat*, etiam Iudæ. Hoc facto designans, summa puritate, humilitate, ac charitate accedendum ad epulum Eucharisticum, inquit S. Cyprianus, Pacianus & Gregorius.

℣. 3. SCIENS QVIA OMNIA DEDIT EI PATER IN MANVS] En primum motiuum quo Christus impellitur ad tria illa iam (c) dicta summi amoris argumenta suis exhibenda, nempe sciebat vniuersi orbis imperium, administrationem, curam, & comprimis hominum instructionem ac redemptionem sibi à Patre commissam esse. Secundum erat, quòd consideraret, se A *Patre* EXIVISSE, id est, se esse naturalem Dei Filium: vnde voluit talia suis exhibere, qualia decerent tantam maiestatem. Tertium, quòd expenderet, se iam AD DEVM redire, id est, iam mortem suam instare, & hanc esse vltimam scenam; in qua quanto arderet erga Patrem amore, quanto diuini honoris ac gloriæ zelo flagraret, quantum denique sibi cordi esset salus hominum, manifestari decebat.

c *Hic v. 1.*

℣. 4. SVRGIT A COENA; mysticè descendit è throno cælesti: PONIT VESTIMENTA regalia, formam serui assumit: PRAECINGIT SE *linteo* humanæ naturæ: MITTIT (non alienis, sed suismet manibus) AQVAM IN PELVIM, sanguinem effundit in terram, & immunditiam abluit peccatorum, inquit S. Augustinus.

August. tract. 55.

℣. 6. TV LAVAS PEDES? & lauas MIHI? Dominus seruo, Deus homini, sanctissimus peccatori? Causam

℣. 7. SCIES POSTEA, cùm mysterium hoc vobis exposuero v. 12. *Scitis quid fecerim vobis*, &c.

℣. 8. SI NON LAVERO TE, NON HABEBIS PARTEM MECVM] id est, nihil amplius mecum habebis commune, non eris mihi vlteriùs familiaris vel amicus, multò minùs socius mensæ nouæ quam nunc paro, puta Eucharisticæ. Non quòd ablutio vt talis, esset ad hoc necessaria, sed obedientia, inquit S. Basilius & Toletus. Non igitur peccauit hîc Petrus, vt fingunt hæretici, quia ex sola humilitate recusat admittere, quo se indignum arbitrabatur, seruile heri sui obsequium.

Basil. orat. de peccato.

℣. 10. QVI LOTVS EST, v. g. in balneo, TOTVS, seu toto corpore, MVNDVS EST, nec INDIGET alio lauacro, quàm quo PEDES LAVET, qui pauimenti puluere quem calcant, iteratò infecti sunt. Ita & vos spiritualiter loti estis baptismi balneo, & toti mundi: solùm lotione aliqua spirituali leuiore egent *pedes*, id est, affectus animi vestri, qui exterrenarum rerum puluere, in quo versantur, subinde leues sordes contrahunt. Perficitur verò hæc lotio contritione, Sacramento pœnitentiæ, corporis afflictione, charitatis exercitio, &c. quorum hæc externa pedum lotio Christi symbolum erat. ita ferè S. August. Rupertus, Bernardus, Toletus. Sic & Gentiles ante sacrificium lauabant manus & pedes, inquit Brissonius.

Brisson. l. 1. de Formul. Rom pag. 4.

℣. 14. ET VOS DEBETIS ALTER-ALTERIVS LAVARE PEDES] non ad litteram, vt putarunt S. Ambros. & Bernardus; sed metaphoricè, obsequia humilitatis & charitatis inuicem exhibendo. ita passim SS. Patres.

℣. 18. NON DE OMNIBVS VOBIS DICO, nempe beatos fore, vel futuros quæ moneo. Norat toties Iudam, vt obstinatum pectus emolliat & ad pudorem suique agnitionem tandem deducat. Verùm sciebas fore pertinacem in scelere, cur ergo illum tibi in Apostolum delegisti? Vtique SCIO QVOS ELEGI-

ELIGERIM ad apostolatum, nec vmquam ignoraui quales essent singuli futuri: SED idcirco inter alios etiam Iudam adscripsi, VT ADIMPLEATVR SCRIPTVRA psal. 40. v. 10. QVI MANDVCAT MECVM PANEM, LEVABIT CONTRA ME CALCANEVM SVVM, id est, dolo & fraude supplantabit me, vel faciet me cadere, scilicet quantum in ipso erit.

¶. 21. CVM HÆC DIXISSET, cumque Sacramentum Eucharistiæ iam instituisset, suisque & etiam Iudæ porrexisset, vt patet ex S. Luca: nam etiam Iudæ porrectam Eucharistiam, contrà S. Hilarium, Clementem Romanum, Rupertum, Innocentium Tertium & Turrianum, docent S. August. Chrysost. Hieron. & alij communiter Patres. Porrò proditorem indicat secretò Ioanni.

¶. 23. QVEM DILIGEBAT] Id est, cui præ ceteris peculiaria exhibebat signa amoris, nempe propter eximiam morum probitatem, vitæ innocentiam, corporis castitatem (a), & excellentem in Christum charitatem. Quomodo recumbere potuerit in sinu Christi alias (b) explicui.

a Ioan. 2. v. 2.

b Esther 1. v. 6.

¶. 26. ILLE EST proditor, CVI EGO PORREXERO PANEM] græcè ψωμίον, id est, buccellam vel offulam panis (profani (c)) iusculo intinctam.

c Chrysost. homil. 71.

Nota, Ioannem hoc signo, certè clarissimo, accepto, nulli alteri, ne Petro quidem, id reuelasse, Christo prohibente, inquit Chrysost. ne prauis Iudæ machinationibus remora fieret.

¶. 27. IN quem POST sumptam BVCCELLAM, mox SATANAS INTROIVIT, plena iam & perpetua illius possessione capta, idque ad complendam proditionem: nam antea (d) solùm intrauerat in ipsius cor ad promittendam ac stipulandam proditionem, inquit S. Augustinus.

d Hic v 2.

August. tract. 62.

Nota. Non fuit hæc buccella causa cur diabolus Iudam totum occuparet, sed obstinatio eius in scelere proposito post tot admonitiones Christi, post tot humanitatis officia ab ipso accepta. Tunc enim desperata illius emendatione dominio satanæ plenè permissus est. Vnde Christus ad eum: QVOD FACIS, FAC CITIVS: non quòd iubeat vel suadeat progredi, sed potestatem concedit exequendi quamprimùm voluerit: vt nos dicere solemus, Fac quod potes, & quàm primùm potes. q. d. Ne existimes me ex aliquo timore tot beneficiis conatum te retrahere à concepto scelere: *quod facis*, id est, facere decreuisti, exequere quantò citiùs volueris, non contradico, non obsisto, non impedio, licèt facillimè possim. ita S. Chrysost.

¶. 28. Hoc AVTEM Christi dictum quid sibi vellet, NEMO SCIVIT præter vnum Ioannem. Iudas verò *accepta* BVCCELLA, accepta patrandi sceleris potestate, cùm fortè clandestino Petri cum Joanne, & Ioannis cum Christo colloquio, fortè & minacibus Ioannis oculis percellereiur, & se detectum putaret;

¶. 30. CONTINVÒ EXIVIT ex aula, & ex domo se proripuit, & facinus animo conceptum reipsa in opus deducere aggressus est.

¶. 31. NVNC CLARIFICATVS EST FILIVS HOMINIS: id est, nunc tempus adest (nempe mortis & resurrectionis meæ,) quo qui hactenus pro homine agnitus fuit, agnoscar deinceps vbique pro Filio Dei. quo item DEVS *clarificabitur* IN me, seu quo Filius Dei qui in me latebat, reuelabitur & innotescet toti mundo.

¶. 32. ET DEVS CLARIFICABIT EVM IN SEMETIPSO] Id est, gloriosum reddet Christum per se ipsum, suâ solius opera. q. d. Non indigebit declaratione externa, sicut egent Sancti & Prophetæ: sed Deus in comet existens (quia homo hic est Deus) per se solum, contra omnium insurgentium blasphemias, declarabit eum esse Filium Dei.

¶. 33. QVO EGO VADO, scilicet ad Patrem in cælum, vos NON POTESTIS VENIRE modò (e); venietis autem suo quisque tempore. Et en viam in promptu qua venire possitis.

e Hic v. 36.

¶. 34. DILIGATIS INVICEM, non quomodo Pharisæi & Scribæ diligunt & docent diligendum proximum (f); sed SICVT ego DILEXI vos, & inter vos etiam Iudam, & sicut ego (g) docui diligendum proximum, nempe etiam non merentem, etiam inimicum, etiam tibi nocentem, & te persequentem; & diligendum, etsi aliæ causæ desint, propter solum Deum. Vnde voco hoc NOVVM MANDATVM, quia nouo modo per me expositum & practicatum. ita S. Chrysostomus & Augustinus.

f Matt. 5. v. 43.

g Ibid. & segq.

Chrysost. homil 71. August. tract 65.

CAPVT XIV.

Apostolos ob instantem sibi mortem conturbatos consolatur variis argumentis: diuinitatem suam & fructum mortis suæ prolixiùs exponit: consolatorem Spiritum sanctum promittit: eiusque officium describit: pacem denique suam omnibus pollicetur.

¶. 1. NON TVRBETVR COR VESTRVM, seu ob instantem mihi mortem, seu ob imminentem vestrum singulis lapsum, quem (h) iam prædixi, seu ob carentiam externæ meæ præsentiæ, seu ob denegatum vlterioris societatis consortium. Confidite tantùm in me, qui non tam meam, quàm vestram causam acturus & salutem procuraturus abeo. Etsi enim primas in omnibus ego teneam, singulis tamen vestrûm suas quoque mansiones curabo, idque pro mensura meritorum cuiusque: nam

h In fine cap. prec. & Luca 22. v 31. &c.

¶. 2. IN DOMO PATRIS MEI, (quò EGO VADO PARARE VOBIS LOCVM) MANSIONES MVLTAE & variæ SVNT, quæ cuique suo tempore obuenient. Etsi enim aliquando per vnum eumdemque *denarium*, vnam eamdemque vitam æternam omnibus obuenturam designarim (i); iam tamen per multas diuersasque mansiones in vna eademque domo, diuersas meritorum in vna eademque vita æterna dignitates diuersis vestrûm obuenturas denuntio, ita S. Augustinus. SI QVO MINVS, id est, si res aliter haberet, & suæ singulos mansiones non manerent, id ego VOBIS DIXISSEM, nec vos decipi paterer. Sed nolite dubitare, QVIA vel ob hanc maximè causam VADO ad mortem, vt morte mea viam & ostium pandam, aditumque vobis parem in domum & regnum Patris mei.

i Matt. 20. v. 9.

August. tract. 67.

¶. 3. ITERVM VENIO] scilicet in secundo meo aduentu, & etiam in morte cuiusque vestrûm.

¶. 4. QVO EGO VADO, SCITIS, ET VIAM SCITIS] id est, facilè scire potestis ex meis dictis.

¶. 6. EGO SVM VIA, VERITAS ET VITA] Id est, ego sum via non fallax, sed vera, non mortis, sed vitæ; non lædens, sed viuificans; non ad mundanam aliquam felicitatem ducens, sed ad vitam & gloriam æternam. Est enim hendiadys (k). ita S. Hilarius. Nisi malis cum S. Chrysostomo, Bernardo & Toleto sic distinguere, *Ego sum via*, quia per fidem in me, per meam doctrinam, mei imitationem, meum meritum, certò peruenietis ad Patrem. *Ego sum veritas*, quia quæcumque promisi, reipsa præstabo. *Ego sum vita*, quia licèt occisi fueritis, viuificabo vos.

k Prolog. 4. Idiotismus Hebr n. 41.

¶. 7. Si

℣. 7. SI ME per plenam fidem perfectè cognovissetis esse Filium Dei naturalem, VTIQVE ET PATREM MEVM COGNOVISSETIS, quia Filius intelligi vel concipi nequit sine Patre. Sed AMODO, post acceptum Spiritum sanctum, perfectè COGNOSCETIS EVM: licet etiam hactenus aliquo modo *videritis* EVM, etiam oculo corporeo, videndo scilicet me, vt suprà (*a*) dixi, meaque miracula quæ Pater per me operatur.

a *Ioan.* 12. *v.* 45.

℣. 10. EGO IN PATRE, ET PATER IN ME EST] Licet enim distinctæ simus personæ, in unica tamen subsistimus essentia, & per unicam operamur potentiam: vnde & verba & opera mea, tam ipsius, quàm mea sunt. ita S. Chrysostomus.

℣. 12. Et saltem CREDITE PROPTER OPERA IPSA miraculosa, quæ ad hoc comprobandum & ego toties patraui, & vos patrabitis, & alij QVI IN ME vt Filium Patri consubstantialem CREDENT, patrabunt etiam MAIORA, magisque stupenda quàm ego patrarim, v. g. vmbrâ suâ (*b*) curabunt quosuis ægros, linguis omnium (*c*) loquentur, &c. Atqui miracula sunt indicia & testimonia veritatis ad quam probandam eduntur, certissima: ergo vel ex ijs solis id certissimò vobis totique orbi credendum. Et QVIA iam AD PATREM VADO per mortem, potestis liberrimè ad hanc diuinitatis meæ, & cum Patre æqualitatis veritatem orbi comprobandam, *petere* seu *à Patre*, seu *à me* qualiacumque & quantacumque signa, seu miracula, tempore ad id idoneo patranda: certò enim FACIAM QVODCVMQVE PETIERITIS, dummodò IN NOMINE MEO, id est, per & propter meritum meum, firma in me fiducia petieritis. Nec tamen satis est, hanc meam cum Patre æqualitatem nosse & credere: necessum insuper, idem de Spiritu sancto pari modo nosse & credere, quem rogatu meo, & loco meo mittet vobis Pater, vt dicam in sequentibus.

b *Act.* 5. *v.* 15.
c *Act.* 2. *v.* 8.

℣. 16. ALIVM, id est, personalitate à me distinctum, PARACLITVM, id est, aduocatum, exhortatorem, consolatorem, DABIT VOBIS Pater.

℣. 17. SPIRITVM VERITATIS] Id est, auctorem, doctorem, largitorem omnis veræ doctrinæ, sed maximè Euangelicæ per me vobis traditæ, quæ per figuras antiquæ legis adumbratur, quæ promissiones olim factas complet, quæ diuina mysteria ad salutem creditu necessaria aperit. ita Toletus.

QVEM MVNDVS, id est, homines mundo & vitijs mundanis dediti, atque Deo increduli, NON NOVIT, nec curant, nec *possunt*, quamdiu tales sunt, ACCIPERE. Sed IN VOBIS ERIT, dona sua cælestia in animas vestras infundens, ET etiam APVD VOS *erit*, exteriùs assistens conatibus vestris, vos docens, consolans, protegens, curam vestri perpetuam gerens. Nec tamen idcirco vos ego deseram: nam à morte mea rursus

℣. 19. VIDETIS, pro videbitis, (*d*), ME, QVIA EGO VIVO, id est, iam iam rursus viuam, nempe post resurrectionem meam. Tunc ET VOS VIVETIS nouâ, spirituali & cælesti vita, replebimini enim Spiritu sancto: cuius lumine & virtute pleni, certissimò

d Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 43.

℣. 20. COGNOSCETIS, quod iam adhuc obscurum videtur, QVIA EGO SVM, per essentiæ identitatem, IN PATRE MEO: ET VOS IN ME, tamquam membra in corpore & palmites in vite; ET EGO IN VOBIS, tamquam anima in membris. In primo designatur mysterium Trinitatis: in secundo mysterium incarnationis: in tertio mysterium sanctificationis, quæ est effectus Trinitatis & incarnationis.

℣. 22. Rogat IVDAS Thaddæus, vel Lebbæus (*e*), QVID FACTVM EST? id est, quid accidit? quid causæ est, cur non perinde reliquo MVNDO, atque NOBIS, TE MANIFESTATVRVS *sis*? Respondet Iesus, Non planè priuabitur mundus (vt tu supponis,) præsentiâ, fauore & gratiâ meâ: nam

e *Matt.* 10. *v.* 3.

℣. 23. SI QVIS voluerit *diligere* ME, præcepta mea seruando, continuò tam PATER, quàm EGO VENIEMVS AD EVM] non motu locali, sed viuifica operatione & nouæ gratiæ infusione: & sic perpetuò, licet inuisibiliter, ipsi præsentes aderimus, vnà cum Spiritu sancto,

℣. 26. QVEM MITTET PATER IN NOMINE MEO] id est, per & propter meritum meum (*f*). Item per me, quia à me quoque procedit, (sic exponit S. Cyrillus:) & loco mei, vt prosequatur quod ego cœpi, & mea negotia perficiat. ita Theophylactus, Euthymius, Maldonatus, Toletus & Sà.

f *Hic v.* 12.

ILLE SVGGERET; græcè, ὑπομνήσει, id est, in memoriam reuocabit, VOBIS OMNIA QVÆ DIXERO; græcè, ἃ εἶπον, id est, quæ dixi, VOBIS, sed non sat assecuti estis. Ex his colligit S. Augustinus & alij Patres, externam docentis vocem, & etiam miracula non sufficere ad assensum vel intellectum mysteriorum fidei; sed ad id opus esse interna operatione Spiritus sancti intellectum illustrantis, & voluntatem permouentis.

℣. 27. NON QVOMODO MVNDVS DAT PACEM suis cultoribus, dum nudis & sæpè fictis verbis illam precatur quam ipsemet non habet, nec in sua potestate habet; EGO DO VOBIS: sed veram ac cælestem pacem cum Deo, cum angelis, cum propriâ conscientiâ, cum proximo, curabo vobis per mortem meam, & ex nunc toto corde, & reali effectu dono vobis quantum ex me est. Neque tamen vestra solum causa, sed & mea hîc agitur: vnde

℣. 18. si vt oportet, & vos præ vobis fertis, cordatè DILIGERETIS ME: sanè GAVDERETIS de discessu meo: nam VADO exaltandus & glorificandus, exuta mortalitate, deposita exinanitione, humiliatione, paupertate, miserijs huius vitæ. Et verò iam adest Lucifer, seu, vt dicitur

℣. 30. VENIT (præsentis est temporis) PRINCEPS MVNDI HVIVS, (*g*) ad vltimum euocans me duellum, & ecce per ministros suos me comprehendet & occidet. SED IN ME NON HABET QVIDQVAM suum, vel sui iuris: vnde nec vel hilo præualebit mihi, sed quantus quantus succumbet cum omnibus suis.

g *Ioan.* 12. *v.* 31.

CAPVT XV.

Vitis & palmitum similitudine ostendit quomodo fructum ferre discipuli possint: perseuerantiam in fide & iustitia, & dilectionem mutuam commendat: ad patientiam in aduersis, exemplo suo hortatur.

℣. 1. EGO SVM VITIS, non spuria, sed genuina; non infructuosa, sed *fructificans* (h) *suauitatem odoris, & flores mei, fructus honoris & honestatis.* Viti ergo se comparat Christus Primò, propter fructuum copiam; Secundò, propter eorumdem præstantiam ac suauitatem; (*i*) Tertiò propter generosissimum vinum (*k*) quod inde exprimitur; Quartò, propter ramorum & palmitum amplitudinem, & alia de quibus alibi (*l*).

h *Eccli* 24. *v.* 23.
i *Iudic.* 9. *v.* 13.
k 3. *Esdræ* 3 *v.* 18.
l *Ezech.* 15. *v.* 7.

℣. 2. PALMITES sunt Christiani Christo per fidem insiti: sed nisi fructus proferant bonorum operum, reuellendi & abijciendi in ignem. Fructificantes verò purgandi continuò à cælesti agri-

cola; Primò, per amputationem ramorum superfluorum; Secundò, per remotionem impedimentorum; Tertiò, per agitationem, euentilationem, & excussionem sordium; Quartò, per solis irradiationem, & auræ, roris, pluuiæ tempestiuam submissionem. Pari modo vos iam purgati & mundi estis: Primò enim resectus est Iudas; Secundò, reiectæ curæ & occupationes mundanæ; Tertiò, tentationibus & aduersitatibus ex parte probati, sed liberalius exinceps probandi, Quartò, mundati estis

℣. 3. PROPTER SERMONEM] Id est, per verba mea exhortatoria, quibus tum aliàs, tum hac potissimùm nocte corda vestra & à multis imperfectionibus expurgaui, & plurimis egregiis documentis instruxi, illustraui, excitaui. Tantùm contendite iam omni studio, vt

℣. 4. IN ME *maneatis*, ET EGO IN VOBIS, per constantem vnionem fidei, spei, caritatis vestri mecum, & mei vobiscum.

℣. 5. HIC talis palmes, & nullus alius, FERT FRVCTVM MVLTVM: QVIA SINE ME, id est, sine influxu meæ gratiæ & auxilij, NIHIL POTESTIS FACERE] id est, nullos potestis proferre fructus iustitiæ, seu idoneos ad consequendam vitam æternam.

℣. 6. SI QVIS per sinceram fidem & charitatem IN ME NON MANSERIT, instar inutilis palmitis Primò, MITTETVR FORAS resectus à vite; Secundò, ARESCET; Tertiò, COLLIGENT EVM dæmones & suo seruitio mancipabunt; Quartò, IN IGNEM MITTENT infernalem titionem; Quintò, ibi ARDET æternùm.

℣. 7. Quòd SI è contrario IN ME constanti fide & charitate MANSERITIS, ET VERBA, seu monita, MEA IN VOBIS per seriam recordationem & impletionem perpetuò MANSERINT, *quidquid petieritis* ad vberiorem fructum spiritualem, seu in vobismet, seu in alijs proferendum, FIET VOBIS: Nam

℣. 8. IN, seu per, HOC *clarificatur* PATER MEVS, id est, gloria diuina magis elucescit, ET sic *efficiemini veri* DISCIPVLI MEI] seria imitatione, & propagatione doctrinæ meæ per vniuersum orbem.

℣. 9. SICVT DILEXIT ME PATER, naturam meam humanam gratis, nullisque præcedentibus meritis connectens substantialiter Verbo diuino, & tot tantisque donorum ac gratiarum thesauris illam complens, & sic vitem nobilissimam perficiens; ita ET EGO DILEXI VOS palmites meos.

℣. 11. VT GAVDIVM MEVM IN VOBIS SIT, id est, vt meritò possim in vobis gaudere, scilicet reperto in vobis quod mihi causam & materiam gaudij præbeat: ET vicissim GAVDIVM VESTRVM IMPLEATVR] nempe, dum laboris vestri vberem fructum & æternam mercedem, quam summoperè optatis, & de qua plenè gaudebitis, aliquando consequemini. En octo argumentis, à v. 4. hucusque hortatur suos ad perseuerandum constanter in fide, in gratia, in charitate Christi. Tribus sequentibus hortatur ad charitatem proximi, pro quo iubet etiam *animam*, id est, vitam, *poni* (vt Ioannes noster alibi (*a*) exponit) quando spiritualis proximorum salus id exiget. *Sed qui tranquillitatis tempore non dat pro Deo tunicam suam*, quomodo *in persecutione daturus est* pro proximo *animam suam*? inquit S. Gregorius.

(*a*) 1. *Ioan.* 3. v. 16.

Gregor. homil. 27. *in Euang.*

℣. 15. OMNIA QVÆCVMQVE tamquam legatus A PATRE missus, ex eo AVDIVI & accepi, nempe quæ vos vestrumque munus concernebant, & vos scire conueniebat, NOTA FECI VOBIS tamquam intimis & fidissimis amicis. ita S. Chrysost.

℣. 16. NON VOS priores ELEGISTIS ME in dominum, Messiam & Deum vestrum. Vnde infert S. Augustinus & alij Patres, electionem & vocationem ad fidem esse gratuitam. Licet enim assensus fidei pendeat à nostro arbitrio & consensu, illuminatio tamen interna, & excitatio ad assentiendum fidei, non pendet à nostro arbitrio, sed est à solo Deo.

August. tract 85. *in Ioan.*

℣. 19. EGO ELEGI VOS DE MVNDO, de tenebris infidelitatis & impietatis, de malorum & pereuntium consortio; PROPTEREA ODIT VOS MVNDVS] Sed tanta sequelæ mei commoda & emolumenta facilè compensabunt incommoda tantilli odij. Et vt durum sit odio haberi; *scitote* Primò, me in hac palæstra priores & potiores partes tulisse; Secundò, *propter me* vos pati; Tertiò, iniuriam hanc vobis illatam communem vobis esse cum Patre cælesti, *quem nesciunt*, id est, scire & nosse non cupiunt, non curant. Neque excusat eos hæc ignorantia, quia nimis crassa & affectata est.

℣. 22. SI NON VENISSEM ad eos instructus tam certis & euidentibus missionis meæ documentis, putà testimonio Patris cælestis (*b*), & tot miraculis, quibus eam comprobaui: si etiam NON FVISSEM EIS LOCVTVS, conuincendo eos (*c*) tam multis argumentis, tam certis rationibus (*d*) tam claris indicijs, me verè missum esse à Patre, seu Messiam esse & Filium Dei; PECCATVM NON HABERENT] scilicet incredulitatis, odij vel persecutionis, seu mei, seu vestri propter me. Tunc enim essent excusabiles. Sed nunc

(*b*) *Matt.* 3. v. vlt.

(*c*) *Ioan.* 5. v. 18. *& seq.*

(*d*) *Ibidem.*

℣. 25. ODIO *habent* ME GRATIS (*e*); id est, sine causa, sine iusta occasione. Sed omnium clarissimum

(*e*) *Psal.* 24. v. 19. *& psal.* 119. v. 7.

℣. 26. TESTIMONIVM PERHIBEBIT DE ME PARACLITVS, de quo suprà. (*f*) Nempe stupendis & inauditis miraculis per vos & vestri similes (*g*) patrandis in meæ diuinitatis & doctrinæ confirmationem: item longè copiosiore lumine & excitatione internâ conmouebit hominum corda ad credendum in me, mihique seruiendum, nunc tria (*h*), nunc quinque simul millia (*i*) trahens. Hunc *Paraclitum* dicit hîc Christus, PROCEDERE A PATRE] Sed subintelligi vult, etiam *à se filio procedere*, ex eo quod immediatè antè dixit, *se missurum ipsis illum*: nemo enim in diuinis mittitur nisi ab illo à quo procedit, vt docent Scholastici. Dicitur autem tunc *missi* persona diuina, cùm ex voluntate eius à quo procedit, incipit alicubi esse nouo modo, quo antè ibidem non fuerat: sic Filius per incarnationem, Spiritus sanctus per infusionem gratiæ & donorum missus dicitur. Porrò etsi Spiritus sanctus tam à Filio, quàm à Patre mittatur, aliqua tamen solet in modo mittendi notari diuersitas: Pater enim, quia à nemine procedit, sed alij ab ipso procedunt, dicitur *mittere à seipso*; Filius verò, quia procedit à Patre, & ab eo vim omnem spirandi & mittendi accipit, imò eadem numero spiratione & missione cum Patre spirat & mittit Spiritum sanctum; ideo dicitur hîc *mittere à Patre*: ferè sicut Genesis 19. v. 24. dicitur pluisse *Dominus à Domino*.

(*f*) *Ioan.* 14. v. 16.

(*g*) *Ibid.* v. 12.

(*h*) *Act.* 2. v. 41.

(*i*) c. 4. v. 4.

CA-

CAPVT XVI.

Persecutiones & cruces prænuntiat discipulis suis: sed Paraclitum promittit, qui vt ipsos solabitur, ita redarguet aduersarios; mulueri in partu dolenti, sed post partum gaudenti, comparat suos morte sua afflictos: sed resurrectione mox iterum recreandos, & dispersionem eorum ac fugam ea ipsa nocte, prædicit.

℣. 2. ABSQVE SYNAGOGIS FACIENT, id est, à cœtu suo præcident & excommunicabunt VOS: arbitrati, OBSEQVIVM; græcè, λατρείαν, id est, cultum, sacrificium, SE PRAESTARE DEO] Sed hæc ignorantia non excusat à grauissimo peccato, quia est voluntaria, crassa, facilè vincibilis, seu affectata: nam discipuli sufficientissimum perhibuerunt illis testimonium, cui si, vt debebant, auscultassent, certò veritatem cognouissent.

℣. 5. HAEC de Spiritus sancti aduentu & officio, & nominatim de consolatione & roboratione in aduersis, NON DIXI VOBIS AB INITIO, QVIA egomet VOBISCVM existens, illo munere fungebar: nunc per mortem iturus ad cælum, vobis meo loco illum addico. ita S. Augustinus. *Augustin. tract. 93.*

NEMO INTERROGAT ME, QVÒ VADIS] id est, qua de causa, quorsum, quid facturus abis? Sed parum soliciti de fructu vobis, totique orbi ex morte mea obuenturo, solùm indulgetis mœstitiæ & luctui ob meam absentiam. Verùm

℣. 7. SI NON ABIERO, PARACLITVS NON VENIET AD VOS] utpotè carnali præsentiæ meæ & sensibili solatio nimis etiamnum addictos, inquit idem Augustinus.

℣. 8. ILLE ARGVET MVNDVM] Id est, solidè conuincet tum Gentiles, tum Iudæos fidei in Christum adhuc expertes: conuincet autem partim interna sua illuminatione, partim externa vestra prædicatione & miraculis, vt rationabiliter quod opponant non sint habituri. Conuincet, inquam, trium præcipuorum errorum; Primò, quòd opinentur se non esse in peccato: Secundò, se iustos esse, nec indigere gratia aut iustificatione Christi, sed Iudæi suam legalem iustitiam, Gentes suam moralem (id est, solis moralibus virtutibus constantem) sibi sufficere putent; Tertiò, quòd sibi persuadeant, se ob neglectam fidem, gratiam & cultum Christi nihil mali passuros. Primùm ergo conuincet Spiritus sanctus illos omnes

℣. 9. DE PECCATO, nempe tam originali, quàm actuali, eoque multiplici & vario: ac præ omnibus de incredulitate, seu infidelitate: QVIA NON CREDIDERVNT; græcè, *non credunt*, IN ME Messiam, redemptorem, & Deum suum: cùm tamen fides in me, sit unica mundo medicina: ac remedium diuino decreto necessarium, vt quis à peccato, seu originali, seu actuali, expediri possit. Secundò, conuincet

℣. 10. DE IVSTITIA. Conuincet enim, neminem iustum esse posse verâ iustitiâ (id est, ea quæ apud Deum iustos facit) nisi per fidem & cultum Christi. QVIA ego iam per mortem AD PATREM VADO] non ampliùs à vobis videndus: interim morte mea reconciliaturus (quod nemo alius potest) mundum Patri, peccata deleturus, & gratiam quâ verè iustificari omnes possint, impetraturus. Vnde per me quiuis iustificari poterit, sine me nemo.

Denique Tertiò ℣. 11. conuincet mundum A DE IVDICIO, seu condemnatione quæ illi ob denegatam Christo fidem & cultum imminet ab illomet Christo Domino omnium & iudice: iam enim pronuntiata contra dæmonem condemnationis (a) sententiâ, exutus est ipse omni principatu quem sibi arrogarat: & Christo antagonistæ eius adiudicata est victoria, *omnisque* concessa illi, tum gubernandi, tum iudicandi, *potestas in cælo & in terra* (b). ita fetè Toletus. (a) 2 Ioan. 12. ℣. 31. (b) Matt. vlt. v. 18.

℣. 12. ADHVC MVLTA HABEO VOBIS DICERE, non quæ vos in particulari, vel statum & conditionem vestram concernunt (nam hæc *omnia* iam *nota feci vobis* (c):) sed quæ statum & regimen tangunt totius Ecclesiæ. Sed hæc discetis à Spiritu sancto, qui (c) Ioan. 15. v. 15.

℣. 13. VOS DOCEBIT OMNEM VERITATEM] id est, plenam perfectamque scientiam rerum, seu necessariarum, seu vtilium, ad bonum Ecclesiæ B regimen, v. g. abolitionem legalium obseruationum, institutionem Ecclesiasticorum rituum & cæremoniarum, &c. ita Theophyl.

QVAECVMQVE AVDIET, id est, accipiet à me. Sic v. sequenti, DE MEO ACCIPIET, id est, de mea scientia, quam vnà cum essentia diuina accipit à me. q. d. Nihil vos docebit contrarium doctrinæ vel voluntati meæ. Et hinc Patres probant processionem Spiritus sancti etiam à Filio. QVAE VENTVRA SVNT ANNVNTIABIT VOBIS] Id est, spiritum prophetiæ infundet, quo futura prænoscatis, & aduersus instantia pericula, quæ metuitis, tempori vos præmuniatis.

℣. 15. QVAECVMQVE HABET PATER, MEA SVNT: ergo & spiratio & missio Spiritus sancti mihi cum Patre communis est. PROPTEREA DIXI, quòd DE MEO ACCIPIET: quia quidquid à Patre habet, putà essentiam, scientiam, &c. etiam meum C est; ergo & essentiam suam omnem etiam à me habet. ita S. Hilarius, Chrysost. Augustin. & alij Patres. *Hilar. l. 8. de Trinit. Chrysost. hom. 77. Augustin. tract 100.*

℣. 16. MODICVM, ET IAM NON VIDEBITIS ME, scilicet tempore mortis meæ; sed ITERVM MODICVM, ET VIDEBITIS ME] scilicet in resurrectione mea: quia per mortem & resurrectionem eundum mihi in cælum ad Patrem. ita S. Cyrillus, Chrysost. Augustin. Leontius & Toletus. Tunc de cælo experiemini quis, qualis, quantus sim, & quàm vobis benè velim. *Cyrill. l. 11. c. 6. Augustin. tract. 101.*

℣. 20. PLORABITIS tempore passionis & mortis meæ: sed me resurgente, vobisque rursus apparente, iterum gaudebitis,

℣. 22. ET GAVDIVM VESTRVM NEMO TOLLET, quia scilicet resurgam victurus æternùm: & sic semper de me viuo, florente, triumphante gaudebitis: sicut solet mater gaudere de filio suo quamdiu viuit, valet, prosperatur: nam mortem suam comparat Christus partui, resurrectionem natiuitati, inquit S. Cyrillus, Augustin. Toletus & alij. Beda prius *modicum* accipit vsque ad ascensionem Christi, postquam non ampliùs visus est: posterius *modicum* vsque ad resurrectionem vniuersalem, post quam æternùm videbitur.

℣. 23. ILLO DIE ME NON ROGABITIS QVIDQVAM eorum de quibus iam dubitatis & me interrogatis: nam lumine copiosissimo Spiritus sancti omnia tam clara, tam certa vobis euadent, vt opus futurum non sit, quidquam eorum me interrogare. Quòd si QVID tamen rogandum vel experendum occurrerit, solùm PETITE, idque IN NOMINE MEO, id est, intuitu meritorum meorum; & *Pater* certò DABIT VOBIS.

℣. 25. Hæc

℣. 25. HÆC IN PROVERBIIS, id est, subobscurè, & quasi sub vmbris & ænigmatibus loqui vobis videor: sed post resurrectionem & ascensionem meam, per Spiritum sanctum, maximè in Pentecoste, PALAM VOBIS omnia ANNVNTIABO, nempe pulsis iam tenebris diffidentiæ, timoris, tristitiæ, quæ mentem vestram nunc obnubilant. ita ferè S. Chrysost. & August.

Chrysost. hom. 78. August. tract. 102. Cyrill supr. c 11.

℣. 30. IN HOC CREDIMVS] Id est, vel hoc solum satis est nobis vt credamus te esse verum Filium Dei, inquit Cyrillus.

℣. 32. VNVSQVISQVE vestrûm IN PROPRIA, id est, in suum quisque locum, seu latibulum, quod sibi proprium, suæque fugæ commodum selegerit, hac nocte DISPERGEMINI.

℣. 33. Hæc prædico VOBIS, vt licet IN MVNDO PRESSVRAM & turbationem ac tristitiam experiamini, saltem IN ME PACEM HABEATIS & læti conquiescatis, animo pacato, tranquillo, impertertito in me *confidentes*: quia EGO VICI MVNDVM] & vos meo exemplo, mea gratia, meo merito eumdem devincetis. B

CAPVT XVII.

Orat Christus Patrem vt mutua fiat illustratio gloriæ suæ & ipsius: orat & pro Apostolis suis, & pro toto credentium grege.

a *Ioan 12. v. 27.*

℣. 1. CLARIFICA (*a*), id est, clarè ac gloriosè manifesta toti orbi me esse FILIVM TVVM: VT ego vicissim *clarificem* TE] id est, tuam diuinitatem, gloriam, omnemque perfectionem omnibus manifestem, nempe per mortem, resurrectionem, ascensionem meam, & Spiritus sancti missionem, &c. Per hæc enim toti mundo innotuit mysterium SS. Trinitatis, & bonitas, potentia, sapientia, iustitia Dei infinita.

b *Matth. vlt. v. 8.*

℣. 2. SICVT DEDISTI mihi POTESTATEM (*b*) OMNIS CARNIS. q. d. Tam latè pateat clarificatio, quàm patet concessa mihi in homines facultas. Cumque omnes homines mihi commiseris instruendos, redimendos, saluandos, fac vt ab omnibus agnoscamur, clarificemur & glorificemur: vt hac via, putà per fidem in nos, OMNE genus mortalium, QVOD mihi saluandum DEDISTI, accipiat VITAM ÆTERNAM. Hebraismo, enim DET EIS, ponitur, pro, *accipiat*.

℣. 3. HAEC EST VITA AETERNA, non formaliter, sed causaliter: id est. hæc sola est via consequendi vitam & salutem æternam, credere in TE, qui es ille (*c*) SOLVS VERVS DEVS, ET in IESVM CHRISTVM tamquam Messiam & saluatorem mundi. ita S. Ambros. Cyrillus, Chrysost. Leontius & alij. Vnde patet, ad salutem necessariò requiri fidem SS. Trinitatis & incarnationis Filij Dei. Sicut ergo

c *Matt. 19. v. 17. & Exodi 3. v. 14.*

℣. 4. EGO TE CLARIFICAVI SVPER TERRAM, perficiendo quæcumque mihi hunc in finem commisisti; ita TV vicissim ℣. 5. CLARIFICA ME NVNC APVD TEMETIPSVM] id est, in cælesti solio, ad dexteram tuam: (nam opponitur ei quod antè dixerat, *super terram*:) q. d. Da vt claritas, seu gloria, quam ego vt Deus ab æterno tecum communem habeo, communicetur etiam & extendatur ac diffundatur in hanc carnem meam. ita S. Athanas & Toletus.

Athan. l. de salutari aduentu Christi.

℣. 6. & 9. DEDISTI MIHI, supple, discipulos. PRO HIS peculiariter iam te ROGO, (vt patet ex v. 12.) quia hac oratione, (qua speciatim peto vt eos conserues in fide, in gratia, in mutua charitate) A statui illis benedicere & ultimum Vale dicere. Infrà ℣. 20. orat pro omnibus omnino fidelibus, etiam ipsis benè precatus. Alias sæpissimè orauit & orandum docuit (*d*) pro vniuerso mundo, pro incredulis, pro persecutoribus, v.g. in cruce, *Pater dimitte illis* (*e*), &c Nec verò semper omnia pro omnibus petenda. Quin & hoc ipso capite v. 21. & 23. orat pro mundo, *vt cognoscat & credat* in Christum.

d *2. Cor. 5. v 14.*

e *Luce 23. v 34.*

℣. 11. IAM NON SVM IN MVNDO, quia iam-iam excessurus sum mundo. Itaque tu PATER SERVA EOS IN NOMINE TVO, id est, per teipsum, per tuam virtutem, seu potentiam diuinam. VT SINT VNVM, SICVT ET NOS, id est, imitatione coniunctionis diuinarum personarum, sint & ipsi concordes, & inter se coniuncti, non tantùm æqualitate naturæ seu substantiæ, sed & voluntatis & animorum conspiratione.

℣. 13. HAEC LOQVOR, id est, hæc postulo à te, existens adhuc visibiliter IN MVNDO, & ipsis præsens, VT HABEANT GAVDIVM MEVM IMPLETVM IN SEMETIPSIS, id est, vt tales euadant qui me pleno perfectoque gaudio afficere possint. B

℣. 17. SANCTIFICA EOS IN VERITATE] Id est, per Spiritum sanctum infunde eis *veritatem*, id est, plenam perfectamque cognitionem doctrinæ Euangelicæ, seu *sermonis tui*, id est, eloquij ac placiti, non Moysis, non philosophorum, sed tui, per me illis traditi. Ideò verò hanc plenam scientiam illis depoſco, quia illa omnino egent ad munus suum Apostolicum pro dignitate obeundum. Nam

℣. 18. SICVT TV ME MISISTI, ita ET EGO MISI EOS IN MVNDVM vniuersum, doctores & præcones Euangelij, & Ecclesiæ collectores ac principes, qui tam verbo, quàm vita prælucere ac præcellere aliis debent. Vt autem facilius hæc illis à te impetrem, ecce C

℣. 19. EGO PRO EIS MEIPSVM SANCTIFICO] id est, iam iam offeram in hostiam sanctam & sanctificantem, seu in sacrificium propitiatorium simul & pacificum (*f*) putà per mortem in ara crucis. q. d. Intuitu passionis & mortis meæ largire hæc illis & omnibus fidelibus.

f *Leuit. c. 1. in fine.*

℣. 21. VT OMNES inter se VNVM, id est, vnanimi concordia & pace coniuncti SINT: & etiam IN, seu cum, *nobis vnum sint*, per fidem, charitatem, gratiam nobiscum sic vniti, SICVT (similitudinis est, non æqualitatis,) TV PATER IN ME manens, & ego in te manens, vnum quid sumus, nempe non naturæ tantùm, sed & voluntatis plena & perfecta vnione. Vt hoc tam illustri mutuæ charitatis exemplo (*g*) attrahatur mundus ad fidem ipsis habendam, & ipsorum suasione credendum in me. D

g *Ioan. 13. v. 34.*

℣. 22. EGO CLARITATEM, seu gloriam, QVAM DEDISTI MIHI, nempe gloriam filiationis diuinæ, quam mihi vt Deo per naturam, vt homini per vnionem hypostaticam dedisti, ego EIS participatiuè DEDI, VT nempe etiam ipsi sint filij Dei adoptiui. q. d. Ego iam feci eos vnum quid nobiscum per id quod mihi proprium est, tu id perfice per id quod tuum etiam est, putà per Spiritum sanctum, VT ita SINT CONSVMMATI, seu perfecti, IN VNVM, id est, vt omni ex parte sit perfecta ipsorum vnio tam nobiscum, quàm inter se: & tam perfectæ ipsorum vnionis illecebrâ attrahatur mundus ad credendum quæ docent, nempe QVIA TV MISISTI, id est, quòd ego Messias & filius tuus sim.

℣. 24. VOLO, id est, maximè desidero & extremè cupio, VT VBI EGO SVM, scilicet in cælesti gloria, & fruitione diuinæ maiestatis tuæ, (vbi

quoad

quoad animam hactenus sum, quoad corpus etiam breuî ero,) SINT ET ILLI, suo tempore MECVM triumphaturi æternùm.

CAPVT XVIII.

Christus à Iuda proditur Iudæis, quos omnes verbo vnò resupinos prosternit: dein sponte capiendum se præbet: ad Annam, ad Caipham ducitur, vbi alapa casus cadentem iniustitiæ redarguit: ter à Petro negatur: Pilato traditur: regem se & Messiam profitetur: Barabba postponitur.

℣. 1. CEDRON] non *Cedrorum*, vt corruptè est in Græco. Nam est nomen proprium *torrentis* illius qui inter ciuitatem Jerosolymam & montem Oliuarum medius, intersecat *gehennam* (a), id est, vallem filiorum Hennon, quæ alio nomine *vallis Iosaphat* (b) vocatur; & ab hoc ipso torrente, *vallis Cedron* (c). Eundem torrentem transierat olim rex Dauid profugus à facie Absalom, 2. Reg. 15. v. 23. Hic hortum ingreditur expiaturus peccatum Adami in horto admissum. Huc Jesus alias

a 4. *Reg.* 23. *v.* 10.

b *Ioel* 3. *v.* 2.

c 4. *Reg.* 23. *v* 4. & *Ioseph. Belli c.* 4.

℣. 2. FREQVENTLR CONVENERAT, imò quotidie ab ingressu solemni in Ierusalem. Nam teste S. Luca, *noctibus* vrbe *exiens*, *morabatur in monte Oliueti.*

Luca 21. *v.* 37.

℣. 3. *Cohors* erat prætoria militum Romanorum, de qua alibi (d)

d *Matth.* 27 *v.* 27. & *hic Ioan.* 18. *v.* 12.

℣. 4. DIXIT EIS, QVEM QVAERITIS?] Sed antea Iudas obuium Iesum fuerat osculatus, dans sic militibus conditum signum (e).

e *Matth.* 26 *v.* 48.

℣. 6. EGO SVM (f). Ecce præsentem & alloquentem eos, adeoque & facibus & lucernis, & Judæ osculo demonstratum non norunt Iudæi: & ea ipsa voce quâ ipsemet vltrò se prodit, ABIERVNT RETRORSVM, repulsi in tergum, & resupinati ad vnum omnes, vim Dominicæ vocis ferre non valentes. Quo facto declarat Christus, eos non solùm non posse sibi resistere si viribus suis vti vellet, sed ne nomen quidem suum sustinere: ac proinde, quantumuis multos omni arte sua nihil omnino aduersum se posse, nisi vltrò permittat. Et quid faciet iudicaturus, qui iudicandus omnes vno verbo prosternit? inquit S. Augustinus.

f *Exodi* 3. *v* 14.

Augustin. tract. 112.

℣. 8. SINITE HOS meos Apostolos ABIRE liberos & intactos. Præcipiendo autem effecit vt non læderentur vel tenerentur. Sed cur istud? Quia sciebat, inquit Cyrillus, certamen istud & opus redemptionis nostræ ad se solum spectare. Dein nimius amor pastoris erga tenellas ouiculas non sinebat eas tam crudelibus lupis tam citò obiici. Et hos iam plenè instruxerat, & de rebus omnibus ad regimen Ecclesiæ spectantibus informarat, volebatque opera illorum viuum præberi testimonium virtutis factorumque suorum, & Euangelium vbique promulgari. Denique nolebat quemquam suorum sua causâ (vt paulò antè dixerat (g)) *perdi* vel aliquid iam durius pati.

g *Ioan.* 17. *v.* 12.

℣. 12. Pro *tribuno* græcè est χιλίαρχος, id est, præfectus mille virorum.

℣. 13. ADDVXERVNT PRIMVM AD ANNAM (h)] Idque Primò, honoris causâ, quia ætate, dignitate, affinitate, consilio & auctoritate non minori pollebat inter Iudæos, quàm ipse pontifex Caiphas (i), cuius socer erat, & ipse etiam pontifex antè fuerat, & plurium pontificum parens, teste Iosepho. Secundò, animi causâ, vt oculos senis tam grata præda recèns capta pascerent, tamquam de trophæo constituto gloriantes, inquit Euthymius; & quasi triumphum ducentes, Chrysost. Tertiò, vt hac eadem opera Annam ad synedrion aduocarent. Porrò *anni*, id est, temporis *illius* pontificem vocat Caipham, quia sæpè tum mutabatur summus pontifex (k), & ferè ad libitum Romanorum: vnde plures alij, & nominatim ipse Annas: eiusque filij superarant, qui & ipsi summum pontificatum vel gesserant, vel ambiebant: eratque incertum an Caiphas anno proximo pontifex esset permansurus.

h *Chron.* c. 42. *clas.* 3.

i *Luca* 3. *v.* 2.

Chrysost. hom. 82.

k *Chron. supr.* & c. 45.

℣. 15. ALIVS DISCIPVLVS NOTVS, id est, familiaris & gratus, summo PONTIFICI, ex sententia S. Chrysost. Theophyl. & Euthymij, erat Ioannes noster Euangelista, & eodem inclinat S. Augustin. Sed qua ratione ausus vel permissus fuisset ille ingredi palatium pontificis? quâ viâ notus illi vel familiaris & charus? nonne toto triennio publicè adhæserat Christo? & an tales grati pontifici, iurato hosti Christi? nonne omnes Christo adhærentes, synagogâ, id est, communione, Iudæorum (l) expelli iussi fuerant? Probabilibus ergo alij putant fuisse è nobilioribus & primarijs quempiam, quorum *multi credebant in* Christum (m), sed occultè, vt constat de Nicodemo, Iosepho ab Arimathæa & pluribus aliis.

Chrysost. supra. Augustin. tract. 113.

l *Ioan.* 9. *v* 21.

m *Ioan.* 12. *v* 42.

℣. 19. PONTIFEX, scilicet Caiphas, INTERROGAVIT IESVM] Iam enim ex domo Annæ eò deductus fuerat, vbi collectum erat commune Iudæorum concilium.

℣. 20. IN OCCVLTO LOCVTVS SVM NIHIL] quod scilicet vetuerim proferri in publicum, vel quod non ipse postea publicè docuerim, & publicè per meos doceri non iusserim (n).

n *Matt* 10. *v.* 27.

℣. 21. QVID ME INTERROGAS?] Liberè & acriter respondet, vt calumniam callidè intentatam, quâ clancularias & tenebricosæ doctrinæ tacitè arguebatur, fortiter repellat. Ad quod non vtitur declinatione tribunalis hostilis, neque negat, pontificis esse de doctrina cognoscere & iudicare: sed à proprio testimonio relegat pontificem ad testimonium publicum, & quidem hostium suorum; quo nullum potest esse certius innocenti.

℣. 23. TESTIMONIVM PERHIBE DE MALO] Id est, testificare, doce, declara quid mali dixerim, quid in respondendo peccarim. Adsunt iudices, depone, accusa, proba delictum; vt cognitâ causâ plectar si sim reus.

℣. 24. ET MISIT] Enallage (o) pro *miserat autem*, vt alij vertunt, etiam Tremellius, Iunius & alij heterodoxi. Hic enim supplet Euangelista quod v. 14. omiserat. Et ex aliis Euangelistis apertè constat, etiam primam Petri negationem, quæ alapæ Christo inflictæ præmittitur hîc à Ioanne, in domo Caiphæ contigisse, & consequenter alapam quoque ibidem inflictam fuisse, licet S. Augustin. in contrarium propendeat.

o *Proleg. de Idiotism. Hebr. n.* 43.

Augustin. supr & l. 3. *de Consensu Euang c.* 6.

℣. 28. PRÆTORIVM erat domus Pilati præsidis tunc Iudææ (p), adhærens arci *Antoniæ*, ceteris vrbis palatijs amplior, ornatior & eminentior; ad quam 28. marmoreis gradibus ascendebatur, inquit Adrichomius. Hoc, quia domicilium erat hominis Ethnici & incircumcisi, noluerunt ingredi Iudæi, VT NON CONTAMINARENTVR] id est, non redderentur immundi. *Culicem excolantes, & camelum glutientes* q.d. Pollui verentur ingressu domus profanæ, & pollui non timent occisione Messiæ sui, cælo & & terra testibus innocentis.

p *Chron.* c. 45. *Adrichom. in Theatro terræ sanctæ.*

q *Matt.* 23. *v.* 24.

SED VT MANDVCARENT PASCHA] Sic vocabant non solùm agnum paschalem (quem ex commu-

communiore sententia, præcedente vespera manducarant:) nec panes azymos (quia ab his immundi non arcebantur, imò nulli licebat alio pane vti:) sed hostias omnes paschales, ouium, vitulorum, boum, &c. quas celeberrimo Paschæ festo, totaque octaua penè innumeras offerebant (*a*), à quibus, si immundi fuissent, abstinere debuissent (*b*). Patent hæc ex Deuteron. 16. v. 2. *Immolabisque phase*, seu pascha, *Domino Deo tuo de ouibus & de bobus*, &c. & alibi (*c*) victimæ omnes paschales *paschata* vocantur in Hebræo. Vide tamen quæ dixi hac de re in Chronico (*d*).

a *Num* 28. v. 19. & 24.
b *Leuit.* 22.
c 2 *Paral.* 35. v 8. 9. &c.
d *Chron.* c. 2. *consectar.* 3.

V. 31. NOBIS NON LICET INTERFICERE QVEMQVAM maximè supplicio crucis, (vt S. Chrysostomus) & festo Paschæ (vt S. Augustinus.) Causam alibi dixi (*e*). Id verò

e *Matt.* 27. v. 2.

V. 32. *sermonem* IESV complendo seruiebat, quo sæpiùs & diu antè indicarat, (*f*) QVA MORTE, id est quo genere mortis, ESSET MORITVRVS, nempe crucifixione, quam nunc vrgent Iudæi apud Pilatum.

f *Ioan.* 3. v. 14 c. 12. v 32. *Matt.* 20. v 19. *Matt.* 26. v. 1. &c.

V. 34. A TEMETIPSO HOC DICIS?] Id est, ex tuâne, an ex aliorum sententia id me rogas?

V. 35. QVID FECISTI] Id est, quare Iudæos læsisti, vt sic omnes in te insurgant & ad crucem deposcant?

V. 36. REGNVM MEVM NON EST DE HOC MVNDO: id est, non est mundanum, neque de numero regnorum huius mundi, neque tale qualia sunt regna terrena. Alioqui comparerent alicubi MINISTRI MEI qui DECERTARENT pro me: illud enim primum & minimum est subditorum obsequium.

V. 37. IN, seu ad, HOC NATVS SVM, & missus IN MVNDVM à Patre, VT TESTIMONIVM PERHIBEAM VERITATI] & huic inprimis, quòd totius mundi rex sim & Messias. Hoc enim vt verbo & opere hactenus, ita nunc etiam ipsa morte mea testabor.

OMNIS QVI EST EX VERITATE, id est, qui amator & sectator est veritatis, AVDIT libenter, & credit quod dico. q. d. Ne mireris, primores Iudæorum mihi, licet regi suo, non adhærere, nec credere; nolunt scire, nolunt inquirere, nolunt sectari veritatem, sed mordicus adhærent *mendacio & patri eius* (*g*).

g *Ioan.* 8. v 44.

V. 38. QVID EST VERITAS?] Contemnentis & fastidientis ea vox est, non seriò inquirentis. Existimabat enim Christum agere philosophum, qui de veritate, regno, iustitia, fortitudine, bello, pace, republica, magistratu, &c. soleret palam & liberè sine superiorum iniuria disserere & docere, v. g. *solum sapientem regnare, veram fortitudinem patiendo maximè probari*, &c. Vnde nec exspectato responso, quòd nihili faceret, fortè quòd & Iudæorum clamoribus euocaretur, foras egreditur ad finem negotio faciendum.

CAPVT XIX.

Iesum flagellatum, spinis coronatum, & variis modis illusum cùm liberare nequiret Pilatus, Iudæorum improbitatè victus crucifigendum tradit, medium inter duos latrones, impositò cruci titulo, quo causa mortis innotesceret. Milites vestimenta eius sorte inter se distribuunt. Iesus matrem suam Ioanni commendat: aceto potatus moritur: mortui latus lanceâ transfigitur sanguine & aqua inde profluente. Cadauer aromatibus conditum à Ioseph ab Arimathea & Nicodemo sepulturæ mandatur.

V. 1. TVNC pro vltimo liberandi Iesu remedio PILATVS IESVM FLAGELLAVIT] ἐμαστίγωσε, id est, loris cecidit, non proprijs, sed lictorum manibus, inquit S. Hieronymus. Mox toto corpore flagellis conscissum, spinis coronatum, & purpureo paludamento & arundineo sceptro ornatum, nouo ludibrio quasi personatum in theatro miseriæ regem, populo publicè spectandum exhibet Pilatus.

V. 5. ET DICIT EIS: ECCE HOMO] ecce cui vobiscum est communis humana natura: intuemini quàm sæuis flagris; quàm crudelibus iocis luerit, si quo leui forsan sermone vos aliquandò offendit. Quid amplius optetis? si homines estis, miselli hominis miseremini.

V. 7. NOS LEGEM HABEMVS, &c. q. d. Si tu iuxta leges Cæsareas & Romanas nullam in eo mortis causam inuenis, nos iuxta diuinam legem inuenimus maximam causam. In Scripturis (*h*) enim passim docemur non esse nisi vnum Deum: atqui hic FECIT, id est, finxit, falsò asseruit, SE esse naturalem DEI FILIVM, & talis semper haberi voluit: ergo nobis introducere tentauit secundum Deum: nam Filius Dei naturalis necessariò est Deus. Iam verò lex iubet (*i*) pseudoprophetas & blasphemos omnes morte plecti, (mortis genus lege præscriptum, nempe lapidationem, callidè subticent:) ergo & hic morte plectendus.

h *Deut.* 5. v. 7. c 6. v 4. &c.
i *Leuit.* 24. v. 16. *Deuter.* 13. v. 5.

V. 8. PILATVS *audito*, quòd *filium Dei* se faceret, MAGIS TIMVIT] Sola enim innocentia absterruerat eum hactenus à ferenda damnationis sententia: nunc etiam religio hominem terret, ne fortè in deorum quempiam hominibus similem, vel certè in semideum, seu heroem, id est, ex Deo & homine (vt Gentiles credebant) prognatum impius existat. Vnde mox inquirit,

V. 9. VNDE ES TV?] Id est, quibus maioribus, quibus parentibus prognatus es? qua domo, qua familia?

V. 11. NON HABERES POTESTATEM ADVERSVS ME VLLAM, id est, auctoritatem vireisque nocendi, multò minùs crucifigendi, NISI DATVM, id est, permissum, TIBI ESSET singulari indulto ac priuilegio DESVPER, ἄνωθεν, id est, è supernis, è cælo, vnde ego sum, (quod iam inquirebas,) id est à Deo Patre meo cælesti. q. d. Neque à Cæsare, neque à teipso, neque ex merito causæ meæ, neque ex hostium meorum malitia & importunitate, neque ab alio quopiam mortalium quidquam iuris aut potestatis in me haberes, si non speciali decreto diuino ita statutum esset. sum enim superior omnibus hominibus, omnibus creaturis, omnium Dominus ac Deus. PROPTEREA QVI ME TRADIDIT TIBI, MAIVS PECCATVM HABET] q. d. Quia ego tantæ dignitatis sum, *propterea* etiam Iudæi, qui meam hanc dignitatem sat perspectam habent, & tamen me tam indignè persequuntur, longè maius peccatum habent, quàm tu qui me non æquè hosti: & quàm ipsi quoque haberent si scirent me non tantæ dignitatis esse. Porrò

V. 12. PILATVS EXINDE, id est, ex eo tempore, scilicet quo ipsi suboluit, Iesum esse Filium Dei, & suam fortitet retundi sensit arrogantiam, seq; ne submoneri peccati admittendi in ipsummet Deum; QVÆREBAT DIMITTERE Iesum, scilicet magis & studiosiùs quàm antè.

V. 13. LITHOSTROTOS, id est, lapidibus stratus. Sic vocabatur pauimenti genus illud quod incrustatione fiebat exiguis variorum colorum lapillis: ian. musiuum vocant vel mosaicum opus, de quo fusè Plinius. HEBRAICE, id est, Hebræis tunc vsitato

Plin. l. 36. c. 25.

vsitato idiomate, putà Syriaco, GABBATHA] quòd locus eleuatus & cancellis septus esset.

℣. 14. ERAT AVTEM PARASCEVE PASCHAE] id est dies præparationis rerum necessariarum ad sequens sabbatum: vnde Marcus προσάββατον, seu *antesabbatum* vocat. *Paschæ* verò hîc additur, quia dies hic parasceues incidebat in vnum (& quidem anno isto in primum) dierum Paschalium, seu azymorum, vt fusè Baronius contendit. *Marc. 15. v. 42.*

HORA QVASI SEXTA, de qua alibi. (a) *a Chron. 6. 2. & 49. sub fin. & Marc. 15. v. 25.*

℣. 20. PROPE CIVITATEM ERAT LOCVS *crucis* non multò ampliùs distans quàm duobus stadijs, (b) seu tertia parte quadrantis horæ. *b Proleg. de mensura longitudinum.*

℣. 22. QVOD SCRIPSI, SCRIPSI vt decuit & placuit, & etiamnum placet, nec decreui mutare. Nolebat enim Deus retractari solemne istud dignitatis. Christi testimonium ab eadem manu profectum, quæ iniustè crucifigendum tradiderat innocentem.

℣. 23. VNICVIQVE MILITI PARTEM vnam è quatuor. Vnde colligitur, quatuor fuisse milites lictores, inquit S. Augustinus. qui addit, quadripartitam hanc vestem Domini figurasse Ecclesiam per quatuor orbis partes diffusam: Tunicam verò inconsutilem, fidei in omnibus vnitatem. Alij, vnum eumdem thesaurum opum & meritorum Christi per omnes partes orbis distributum. *August. tract. 118.*

℣. 25. STABANT IVXTA CRVCEM, tam propè quàm poterant, saltem vt loquentem audire possent. Non igitur sub alis crucis, vt pictores nobis depingunt, (hoc enim non permisisset cohors (c) militum crucibus circumfusa,) sed è regione stabant, vtcumque *à longè*, vt alij Euãgelistæ dicunt. (d) MATER EIVS, non animi deliquio collapsa humi, vt nonnulli pictorum fingunt, sed forti constantique & in omne diuinum beneplacitum resignato animo *stabat* coram filio tantis tormentis excruciato. Cogita maternum pectus: cogita & pendentis filij sat matri perspectam dignitatem. Constabat tamen animo, quia sic velle pati videbat filium. ET *stabat* cum illa SOROR EIVS, (iure coniugij.) MARIA vxor CLEOPHÆ, fratris Ioseph (e) sponsi Deiparæ. *c Luca 23. v. 47. & Matt. 27. v. 54. d Matt. 27. v. 55. Marc. 15. v. 40. Luca 23. v. 49. e Chron. 46. tabul. 4. in fine.*

℣. 26. MVLIER. Non vocat *matrem*, propter hostes adstantes, & ne viscera materna æquo vehementiùs commoueret. ECCE Ioannes iste qui tibi proximus adstat, exinceps erit *tibi* loco *filij*, & omne officium probi filij erga te vt matrem suam explebit. Papè, exclamat Chrysostomus, quanto honore discipulum hunc hîc honorat Christus! Sed discipulus se modestè occultat. Nam si vellet gloriari, causam propter quam adeò diligeretur, vtique adiecisset: certum enim, magnam & mirabilem causam fuisse, de qua obiter suprà. (f) *Chrysost. homil. 84. f Ioan. 13. v. 23.*

℣. 27. EX ILLA HORA, seu tempore, ACCEPIT EAM DISCIPVLVS IN SVA, εἰς τὰ ἴδια, id est, in propria; Syrus, *ad se*, id est, in domum, habitationem & curam suam. Nec tamen idcircò necessum est Joannem Ierosolymis proprias tunc ædes habuisse: nam *suam* vocat *domum* quæ ipsi ad tempus ab aliquo tunc ad inhabitandum concessa, vel ex bonis communibus (g) postea consignata fuit. *g Act. 2. v. 44.*

℣. 28. POSTEA, nempe tribus ferè pòst horis, sub finem tenebrarum, reliquis omnibus iam consummatis, quæ Christo ex nutu & præscripto diuino ante mortem toleranda erant, vt hæc quoque Scriptura psalmi 68. *In siti mea potauerunt me aceto*, ad litteram compleretur, DIXIT, SITIO; hoc ipso occasionem militibus præbens acetum è vicinia (h) porrigendi, vt mox fecerunt. *h Hic v. sequ.*

℣. 29. SPONGIAM ACETO PLENAM HISSOPO, A seu ramusculis hyssopi quasi funiculis, CIRCVMPONENTES arundini, scilicet ne spongia dilaberetur, & vt acetum virtute hyssopi condiretur, (i) ita S. Augustinus & alij antiquiores. Nisi malis cum Estio; & quibusdam alijs dicere, vitio typographorum vel scriptorum olim positum ὑσσῴπῳ, pro ὑσσῷ, id est, pilo, hasta, telo, vel (vt Marcus) *calamo*: (vt Matthæus,) *arundine*. *i Matt. 27. v. 48.* *Marc. 15. v. 36. Matth. sup.*

℣. 30. CONSVMMATVM EST, quidquid; seu in Scripturis de me prædictum, seu à Patre decretum. ET INCLINATO CAPITE TRADIDIT SPIRITVM] Nos priùs exspiramus, dein caput inclinaturi sed Christus, vt dominus mortis, priùs caput inclinat, quasi vltrò succumbens morti, dein exspirat.

℣. 31. DIES ILLE SABBATI ERAT MAGNVS] id est, admodum solemnis ac celebris, nempe quia intra festa paschalia occurrebat.

℣. 34. VNVS MILITVM LATVS mortuo Christo APERVIT λόγχῃ, id est, hastâ seu lanceâ: vnde fortè nomen *Longini* huic militi à fidelibus postea impositum: quod Baronius & alij dicunt *Centurioni* nomen fuisse, cuius * Matthæus meminit & alij Euangelistæ. (k) *Aperuit* autem *latus*, vt exploraret an certò mortuus esset, inquit S. Cyrillus. Putat Cornelius à Lapide non solum latus sinistrum, vt plerique volunt, sed etiam dextrum, apertum fuisse. Impacto vulnere, CONTINVO EXIVIT SANGVIS ET AQVA vera & elementaris, inquit idem Cyrillus & Innocentius Tertius: non quæ ex resolutione mortui corporis nata fuerit, (vt sentit idem Innocentius, verùm minùs probabiliter: quia corpus Christi, etsi anima destitutum, corruptionem non sensit (l)) sed quæ in pericardio receptatur, vt medici docèt. Hac verò pericardij perfossione, mortis Christi plena omninò facta est fides: inde enim aqua promanante, certum dabatur signum, lanceam pericardium penetrasse, illius aquæ receptaculum: quo vulnerato necesse est omne animal protinus mori. ** Matt. 27. v. 54. k Marc. 15. v. 39. & Luca 23. v. 47. A Lapide in Zach 13. v. 1. Innoc. III. l. 3. Decretal tit. 41. de celebrat. Missar. c. 8. in quadam. l Psal. 15. v. 10.*

℣. 36. OS NON COMMINVETIS EX EO] Hoc de omni agno paschali (m) dictum, sed præcipua Spiritus sancti intentione de nostro *agno Dei*, per omnes paschales agnos præfigurato. Et prognosticon erat eorum quæ corpori Christi mystico, putà Ecclesiæ, obuentura erant, nempe lædendam, confodiendam, acerrimè torquendam: sed ne minimum quidem os necessarij roboris comminuendum. *m Exodi 12. v. 46.*

Nota. Quando S. Augustinus & alij Patres subinde dicunt, Ecclesiam è latere Christi, quasi secundi Adæ dormientis, (n) efformatam fuisse, indeque omnia Sacramenta emanasse; id mysticè intelligendum, quia *aqua* baptismum (qui basis, fundamentum & ianua est Ecclesiæ, & omnium aliorum Sacramentorum:) *sanguis* Eucharistiam, vel si mauis, nostram redemptionem designabat. *n Genes. 2. v. 21.*

Petes, An illa lateris apertio, & profusio aquæ & sanguinis, fuerit Christo meritoria? Respondeo, ipsam in se non fuisse meritoriam (vtpotè post mortem, quæ vt viam, ita & meritum omne terminat:) sed solùm in causa, scilicet in præuia voluntate Christi, cùm adhuc viueret, illam præuidentis, permittentis & acceptantis. Et sic expone quod quidam dicunt, etiam per illam Christum nostram salutem operatum fuisse. Quod sequitur,

℣. 37. VIDEBVNT, seu oculos conijcient, IN EVM QVEM TRANSFIXERVNT? fusè explicui in Zacharia, ex quo illud desumptum. *Zach. 12. v. 10. & 13. v. 1.*

℣. 39. MIXTVRA MYRRHÆ ET ALOES est myrrha & aloe simul commixta & in vnguenti m confusa. His solebant Iudæi cadauera condire, quia lacry-

lacryma myrrhæ; (alio nomine *stacte* dicta,) & herba aloë, vt sunt amarissimi succi, ita vim habent resistendi vermibus & putredini, inquit S. Chrysost.

℣. 41. IN LOCO, id est, prope locum crucis, nempe centum circiter passibus inde, POSVERVNT eum in MONVMENTO NOVO] Sic Deo prouidente, ne, si in antiquo positus fuisset, ansa daretur resurrectionem ipsius calumniandi, quasi non ipse, sed alius quispiam ex eo sepulchro surrexisset, inquit S. Chrysostomus & Theophylactus. Et eamdem ob causam, nempe ne quis de plena morte, vel de vero cadauere Christi dubium vllum mouere posset, voluit Deus, illud palàm, & plena luce, & loco celebri, à viris primarijs, conscijs, imò videntibus Iudæis, consentiente præside, & magno honore mandari sepulturæ.

℣. 42. IBI POSVERVNT IESVM, PROPTER PARASCEVEN] quia vespera inchoantis sabbati iam imminente, exspirabat tempus quo liceret operari: ac proinde non potuit cadauer longiùs deferri.

CAPVT XX.

Maria Magdalene nuntiat Apostolis Christum resurrexisse: quod exploraturi Petrus & Ioannes decurrunt ad monumentum: sed illis redeuntibus hærenti ibidem Maria Magdalenæ rediuiuus Iesus apparet: vt & eiusdem diei vespera discipulis domi congregatis, & iterum ijsdem post octiduum vnà cum Thoma, cui nolenti aliter credere, vulnera manuum & lateris exhibet contrectanda.

℣. 1. VNA SABBATI, id est, primo die hebdomadæ, quem deinceps Dominicum, à Domini resurrectione, vocarunt, inquit S. Augustinus, MARIA MAGDALENE cum Maria Iacobi & Salome, vt habet Marcus, (a) valde, MANE, CVM ADHVC TENEBRÆ ESSENT, VENIT, id est, egressa est domo sua & Ierosolymis, sed *orto iam* (b) *sole* deuenit AD MONVMENTVM, vt scribit etiam S. Dionysius.

a *Marc. c. 16. v. 1.*

b *Ibid. v. 2. Dion. epist. ad Basilidem.*

℣. 2. CVCVRRIT, sed postquam ex angelo audisset Christum viuere, & nuntiauit id Petro & Ioanni.

℣. 5. Qui CVM SE INCLINASSET ad ostium seu foramen speluncæ, vidissetque sine cadauere LINTEAMINA, CREDIDIT sublatum è sepulchro operâ alicuius cadauer, & aliò deuectum. Nam resurrexisse necdum sibi persuadebat, inquit S. Augustinus. Ergo adhuc ignari

August. tract. 125.

℣. 10. AD SEMETIPSOS; Syrus, *ad locum suum* vnde venerant, *redierunt*. Sed illis domum redeuntibus

℣. 11. MARIA Magdalene PERSTABAT AD MONVMENTVM] alijs sociabus etiam aliò dilapsis, vt dixi in Matthæo.

Matt. vlt. sub init.

℣. 13. TVLERVNT DOMINVM MEVM] id est, corpus, seu cadauer Domini mei, cui semper manc *Ibid. v. 6.* sit vnitum Verbum diuinum, vt aliàs (c) docui.

℣. 16. DICIT EI IESVS, MARIA] voce consueta & familiari auribus eius insonare, & propria effigie in oculos integrè incurrere permissa.

℣. 17. NOLI ME TANGERE: id est, ne diutiùs in mei complexu & pedum osculis immoreris hac vice: NONDVM ENIM ASCENDI] id est, non decreui tam citò ascendere in cælum. q. d. Sat sæpè, sat diu licebit adhuc me posthac complecti, nunc vade, & lætum resurrectionis meæ nuntium defer *fratribus*, id est, discipulis, *meis*. ita Vatablus, Suarez, Bagnez & alij.

℣. 19. CVM FORES ESSENT CLAVSÆ, manend *Hic v. 26.* tibus illis clausis, vt infrà, (d) VENIT IESVS ad discipulos suos. Priuilegiũ hoc est corporum glorioso-rum, vt nec pondere premantur, nec mole præpediantur, quo minùs & obuia quæque penetrare, & etiam tenuissimæ vndæ vel aëri inambulare possint, inquit S. August. Hieron. Chrysost. Cyrillus, & ex heterodoxis Andr. Osiander & alij contra Caluinum (e) qui mauult, fores diuina virtute pafactas Christo.

August. serm 159. Hieron. epi. ad Pammachium. Chrysost. hom. de Baptista. Cyrill. l. 12. in Ioan. c. 53. & 57.

℣. 21. SICVT MISIT ME PATER, nempe simili Ecclesiastica potestate, auctoritate, fine, modo, amore, MITTO VOS.

℣. 22. ACCIPITE SPIRITVM SANCTVM, seu singulare hoc Spiritus sancti donum & munus, vt QVORVM REMISERITIS PECCATA, REMITTANTVR EIS à Deo: QVORVM verò RETINVERITIS, id est, quos iudicaueritis indignos remissione peccatorum, nempe propter suam indispositionem, eorumdem peccata non remittantur etiam à Deo. Vnde patet, nouum hîc à Christo tribunal erigi, quo omnia omnium hominum peccata (mortalia, tamquam necessaria materia: venialia, tamquam sufficiens) diiudicentur, & sic vel remittantur vel reseruentur, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam, tam in foro diuino quàm humano. Et quia hoc conuenienter fieri nequit sine propria pœnitentis confessione, quâ spirituali iudici conscientia peccantis integrè innotescat; eadem confessio hîc à Christo instituitur, & omnibus reis eodem iure diuino iniungitur, vt vnanimiter docent SS. Patres, & definit Concilium Tridentinum.

c *Caluin. l. 4 Instit. c. 7. §. 29.*

Trident. sess. 14. can. 3.

℣. 24. De *Thoma*, id est, *Didymo*, id est, gemello, suprà dixi. (f) In huius vnius adhuc increduli gratiam,

f *Ioan. 11. v. 16.*

℣. 26. POST DIES OCTO, venit iterum IESVS IANVIS CLAVSIS, vt, & Thomam & alios omnes doceret conditiones & priuilegia corporis glorioſi: simul etiam qua ratione clauso exiisset sepulchro, inquit Theophyl. Quo modo autem tangi possint corpora glorioſa, & an ab Apostolis contactus sit Christus, & an hoc fuerit infallibile signum corporis eius rediuiui, in Luca expossui. Cur verò plagarum cicatrices in corpore suo glorioso retinuerit Christus, fusè explicant Salmeron, Barradius, à Lapide, & passim interpretes.

Luca vlt. v. 39.

A lapide in Zach 13. v. 6.

℣. 27. VIDE, id est, oculis & manibus explora veritatem carnis & vulnerum meorum: ET NOLI deinceps ESSE INCREDVLVS, SED FIDELIS, credens me verè resurrexisse. Verba sunt suauis & paternæ commonitionis, quæ simul indicant libertatem nostram in assentiendo mysterijs fidei. Non potuit Thomas tam validis ictibus diutiùs resistere: ergo victas dans manus, exclamat,

℣. 28. DOMINVS MEVS, ET DEVS MEVS] q. d. Tu verè es magister & dominus meus, Messias & Filius Dei, iam à morte rediuiuus.

℣. 29. QVIA VIDISTI ME, & vulnerum cicatrices explorasti, inductus es ad credendum. Nam, *quia*, hic non designat causam formalem assensus fidei (causa enim formalis est sola reuelatio & attestatio diuina:) sed tantùm occasionem, & vt summum causam disponentem & mouentem ad assentiendum. BEATI, id est, beatiores, sunt QVI NON VIDERVNT, nec huiusmodi adminicula habuerunt, ET nihilominus CREDIDERVNT] vbi enim minus experientiæ, minus luminis externi, minus argumentorum concurrit cum diuina attestatione, ibi fides vt difficilior, ita & maioris est meriti.

Petes, Quomodo potuerit Thomas credere quod

quod vidit, cùm fides secundùm Apostolum, (a) sit *argumentum rerum non apparentium*? & secundùm Augustinum, *quid est fides? credere quod non vides.* Respond. Quod naturali scientia noui, vel visu vel alio sensu percipio, illud idem potest mihi ex diuina attestatione seu reuelatione innotescere; ac proinde possu tunc illud simul credere: quia credere nihil aliud est quàm assentiri alicui veritati quam & quia Deus reuelauit, etsi etiam aliâ viâ mihi innotuerit. Sic B. Virgo simul sensit & credidit se virginem esse, Christum peperisse, &c. Et tam ipsa quàm Thomas, & reliqui Apostoli simul viderunt & crediderunt Christum passum, mortuum, redriuiuum &c. Vnde ad Apostolum & Augustinum Respondeo, ipsos non de omnibus, sed solùm de præcipuis ac difficilioribus obiectis fidei, v.g. de SS. Trinitate, incarnatione, gloria, cælesti, & similibus, affirmare quòd sub sensum non cadant: de reliquis verò obiectis fidei, etsi quorumdam aliunde habeatur euidens notitia, tamen obscura nobis esse, quatenus per fidem in illa tendimus, nempe quoad excessum certitudinis quam diuina reuelatio superaddit scientiæ vel sensationi naturali. Ita Doctores Scholastici.

a *Ad Hebr. 11. v. 1.*

In 2. 2. q. 1. a. 4 contra S. Thom.

℣. 31. VT CREDENTES VITAM HABEATIS IN NOMINE EIVS] Id est, vt virtute meritorum & satisfactionum Christi, quæ per fidem & per ea quæ fides adhiberi iubet (nempe per Sacramenta & per bona opera,) credentibus applicantur, salutem æternam obtineatis.

CAPVT XXI.

Piscantibus in mari Galilæa Apostolis iterum apparet Iesus, quem miraculo captorum piscium agnoscunt. Petro ouium suarum curam committit, & mortis seu martyrij sui genus illi prænuntiat.

℣. 1. MARE TIBERIADIS idem est quod *mare Galilæa*, seu *stagnum Genezareth*, vt alibi (b) dixi.

b *Matth. 4. v. 18.*

℣. 3. VADO PISCARI, scilicet vt victum necessarium comparem.

℣. 5. PVERI, id est, iuuenes, (c) NVM PVLMENTARIVM HABETIS?] προσφάγιον, id est, obsonium, seu quod solet addi & comedi cum pane vel pulte, quâ prisci loco panis vtebantur, teste Plinio: vnde & Romani *pultiphagi* vocabantur à Plauto. Petit hoc Iesus quasi emptурus ab eis, inquit S. Chrysost. Iam verò à piscatoribus quod aliud obsonium emi vel deposci potuit, quàm pisces? Porrò indicio piscium miraculo captorum innotuit suis Christus. Vnde

c *Gen. 41. v. 12. & Zach. 2. v. 4*

Plautus in Mostellar. Chrysost. hom. 86.

℣. 7. PETRVS non ferens nauigationis moras, vt quàm celerrimè Christo in littore stanti adesset, MISIT SE IN MARE] Hinc tamen non necessariò sequitur, super fluctus ambulasse, sed aut natando, aut pedibus arenas calcando ad Christum festinasse: nam erant prope terram, inquit Beda.

℣. 9. PISCEM ET PRVNAS ET PANEM Christus istic de nouo produxerat, inquit S. Chrysost. Theophyl. Euthymius & Leontius. Idque vt ostenderet, se quoque totam illam præcedentem piscium capturam procurasse, scilicet vel eos omnes ex varijs locis in dexteram nauigij cogendo, vel certè de nouo istic producendo, vt volunt prædicti Patres. Quos etiam, vt & S. Augustinum & Gregorium, consule de mysterio centum quinquaginta trium piscium vno reti captorum.

August. tract. 122. in Ioan. Gregor. hom. 24.

℣. 14. HOC IAM TERTIO MANIFESTATVS EST IESVS DISCIPVLIS SVIS] nempe multis simul congregatis, vt Euthymius exponit. Alioqui vel ipso Asolo primo die sexies suis apparuit vt aliàs (d) recensui.

d *Chron. c. 49 in fin.*

℣. 15. PASCE, βόσκε, id est, rege vt pastor, AGNOS & OVES, id est, fideles in me credentes, vel credere volentes, non hos vel illos tantùm; sed omnes MEOS] His verbis tertiò, maioris certitudinis causâ, repetitis, constituit Christus Petrum pastorem, caput supremum, & monarcham spiritualem totius Ecclesiæ suæ, etiam ipsorummet Apostolorum: cique soli (vt patet, quia præsentibus alijs solùm ipsum interrogat & alloquitur) eiusque successoribus, nempe Romanis Pontificibus, tradit claues totius Ecclesiæ & regni Christi in terris, promissas Matth. 16. vt ibidem, & alibi quoque (e) expositi.

e *Matt. 18. v. 18.*

℣. 17. CONTRISTATVS EST PETRVS, cùm TERTIÒ, num Christum plus quàm ceteri Apostoli diligeret, tam seriò rogaretur: timebat enim ne fortè trinam rursus negationem Christus præsignare vel prædicere vellet. Sed è contrario volebat Christus, hac publica & repetita confessione amoris Petri erga Dominum suum, Primò, ceteris manifestum facere, Petrum maculas præcedentis negationis sat nunc eluisse; Secundò, omnibus item declarare, quàlis esse debeat qui curam aliorum suscipit, quantoque amore eos regere debeat; Denique nos docere, quàm insigni affectu Christus suos prosequatur, quos non nisi amanti se plus ceteris, tradere voluerit regendos.

℣. 18. EXTENDES MANVS TVAS, scilicet clauis configendas in cruce, inquit Euthymius: ET ALIVS, nempe lictor, TE CINGET] Id est, ligabit te ducturus ad supplicium. q. d. Ne timeas, me tibi prædicturum, quòd rursum me meritò negaturus sis. Longè secus accidet: ad mortem vsque constanter me profiteberis, & sicut aliquando promisisti, (f) *animam tuam pro me pones*, & quidem in cruce, vt ego feci. Itaque quod iuuenis vel iam vir existens non pateris, patieris cùm senueris, inquit S. Chrysost.

f *Ioan. 15. v. 37.*

Chrysost. hom. 87.

℣. 19. SEQVERE ME, sequella corporali (videtur enim Christus è mensâ tunc surrexisse & cœpisse inambulare:) & hac corporali sequela demonstrabis te (vt vicarium meum decet) etiam me secuturum in fideli cura ouium & munere pastorali: ac denique etiam in genere mortis & supplicio crucis.

℣. 22. SIC EVM VOLO MANERE] In Græco & Syriaco est, *si eum volo manere.* Sed Romana Sixtina meliùs, *sic*, id est, sine violenta morte volo Ioannem in mundo agere, donec ego naturali morte suauiter illũ è viuis accersam. ita Emissenus. August. Rupert. Maldonatus. Vel, vt Theoph. & Toletus, donec veniam ad exscindendam vrbem & ditionẽ Iudaicam per Rom. Impp. Quòd si Ioannes à SS. Patribus subinde *Martyr* vocetur, id non intelligendum de martyrio sanguinis, quasi morte à tyrannis mulctatus sit: sed quia Romæ in feruentis olei dolium missus, ea tormenta passus est, quæ mortem naturaliter intulissent, nisi miraculo præpedita fuisset, inquit Tertullian. Hieron. & alij passim. Ceterùm Ioannem naturali morte Ephesi defunctum ac sepultum fuisse, certum est ex iis quæ idem Tertul. Hieron. Irenæus, Eusebius. Chrysost. August. & historici passim enarrant. Defunctus est autem anno à morte Christi 68. ab excisa Ierosolyma 28. ætatis suæ 99. Traiani Imp. primo, mensis Decembris die 27. vt ex pluribus auctoribus docui in fine Chronici. Corpus eius, vt & B. Virginis Deiparæ, post sepulturam nusquam inuen-

tum, sed cælo inuectum ait Nicephorus, nec reijciunt S. Ambr. Hieron. D. Thomas, & plures alij.

August. tract. 124.

V. 25. NEC IPSVM ARBITROR MVNDVM CAPERE POSSE, nempe intellectu, seu mente, LIBROS *scribendos.* ita August. Sed addit, etiam & quidem probabilius, posse exponi de captu locali, & esse hyperbolen, ad designandum multitudinem & magnitudinem rerum à Christo gestarum, sicut Ioan. 12. v. 19. *Ecce mundus totus post eum abiit.* ita etiam Cyrillus & alij complures.

Cyrill. l. 12. c. 68.

ΠΡΑΞΕΙΣ, id est,

ACTA APOSTOLORVM,

a In præfat. Euangelij S. Luca.

SYRIACE, *Historia Apostolorum*, à S. Luca medico & pictore Antiocheno[a] græcè eleganter conscripta. S. Chrysost. vocat *libri dogmatum de Spiritu sancto*; Oecumenius, *Euangelium Spiritus sancti.* Præcipua enim acta quæ Spiritus sanctus per Apostolos gessit, graphicè hîc depinguntur. *Conspicies hîc*, inquit idem Chrysost. *Apostolos* Spiritus sancti impulsu *ceu volucres terram mariaque percurrentes, timidos illos quondam rudesque subitò in alios homines versos, fastu diuitiarum, gloria, ira, concupiscentia, breuiter rebus omnibus superiores factos.* Conspicies hîc primam Ecclesię Christianę infantiam simul & perfectionem fidelibus aspiratam à Spiritu sancto per prædicationem Apostolorum; Petri præsertim ac Pauli, cuius comes indiuiduus & cooperator fuit Lucas. Hîc denique conspicies, Ecclesiam Christi non (vt optabant Iudæi) cum cruce & morte ipsius extinctam ac sepultam, sed maximis subitò incrementis auctam; ampliatam, stabilitam; & quidem primis nouem capitibus per Iudæam & Samariam: posterioribus nouemdecim, per Syriam, Lycaoniam, Pamphyliam, Græciam, & reliquum orbem. Horum Actorum lectione scribit Baronius anno Christi 239. Domnam genere, forma & opibus illustrissimam heroînam, ex Gentili, imò Gentilium sacrificiorum antistite, ad Christum conuersam fuisse, & tempore Maximiani Imper. insigni martyrio coronatam. Complectitur autem hæc historia annos omnino 27. nempe quot ab ascensione Christi effluxerunt vsque ad quartum annum Neronis Imperatoris, vt dixi in Chronico, vbi omnia Apostolorum acta in ordinem digessi.

Baron. ex Actis Martyrum Nicomedienſ. tom. 2.

Chronici c. vlt.

CAPVT I.

C Hristus quadragesimo die à resurrectione glorioſus in cælum ascendit: in locum apostatæ Iudæ surrogatur Matthias.

PRIMVM SERMONEM FECI, id est, priorem librum, nempe Euangelij mei, conscripsi, vt Syrus & Vatablus vertunt, DE OMNIBVS QVÆ COEPIT IESVS FACERE ET DOCERE] Id est, de primis ac præcipuis Christi gestis ac documentis, à prima infantia vsque ad ascensum eius in cælum. Nunc posteriore hoc libro prosequar gesta Apostolorum post mortem illius. De *Theophilo*, cui vt Euangelium suum, sic & hunc Actorum librum C dedicat Lucas, dixi initio Euangelij ipsius.

V. 2. PRAECIPIENS; græcè, ἐντειλάμενος, id est, cùm præcipisset, APOSTOLIS PER SPIRITVM SANCTVM, id est, cùm varia præcepta seu mandata (nominatim de Spiritus sancti aduentu Ierosoly-

B mis* exspectando) dedisset Apostolis; qui per Spiritum sanctum ad id munus electi, inauctorati & cõsecrati sunt. QVOS ELEGIT; græcè, *quos elegerat*; Tertullian. *quos lateri suo* Christus iam pridem *adlegerat*, & vt legatos à latere (*a*) suo per vniuersum mundũ mittere (*b*) destinarat, sed debebant per charismata Spiritus sancti ad id munus aptari atq; idonei reddi. Erant ergo Apostoli creaturæ (vt sic loquar) non modò Christi, sed & Spiritus sancti, inchoatè per ipsum creati die resurrectionis Christi, Ioan. 20. v. 22. *Accipite spiritum sanctum*, &c. completè verò die Pentecostes, vt patebit capite sequenti.

* *Hic v. 4.*

Tertull. de Præscript. c. 20.

a 2. Cor. 5. v. 20.

b Matt. 10. v. 1. & seq.

ASSVMPTVS EST] non alienâ, sed propriâ virtute, nempe per dotem agilitatis, quã diuinitas Christi humanæ ipsius naturæ iam rediuiuæ indiderat.

V. 3. PER DIES QVADRAGINTA non continuè, sed interpolatè, LOQVENS & instruens illos DE REGNO DEI] tum cælesti, tum terrestri, putà de Ecclesia in terris militante, quæ est via, pars & inchoatio Ecclesiæ triumphantis. En, quàm liberaliter, quadraginta horarum, quibus mortuus fuerat, absentiam compensarit discipulis suis corporali quadraginta

draginta dierum præsentiâ, inquit Glossa. Tanto autem tempore voluit cum suis morari, Primò, ob resurrectionis fidem certiorem; Secundò, ob veræ humanitatis probationem euidentiorem; Tertiò, ob Apostolorum informationem pleniorem. Tunc enim docuit illos Christus quomodo Ecclesiam formarent, regerent, perficerent: docuit ordines omnes, gradus & status varios tam Ecclesiasticos quàm laicos: docuit materias, formas, ritusque singulorum Sacramentorum & Ordinum, aliasque traditiones, quas ab Apostolis acceptas Ecclesia, tamquam certissimum nobilissimumq; thesaurum omni studio hucusque conseruauit. Fluentibus porrò quadraginta his diebus, tempore quod à reuisendis instruendisque discipulis reliquum erat, impendit oblectandis patribus, quos vnà secum è limbo reduxerat: impendit & Eliæ atque Henoch in paradiso (a) præsentiâ suâ recreandis, instruendisque de omnibus quæ olim ipsis aduersus Antichristum vsui esse possint, inquit Iustinus Martyr, Irenæus, Nicephorus, Bonauentura & S. Thomas.

a *Genes.5. v.24. Iustin. in quæst. ad Orthodoxos q.75. 76 85. Iren.l.5.c.5 Niceph l.1. hist. c.31. Bonau. in Meditat. c.9. 98. S Tho. in 3. dist.22 q.3. a.2. in fine.*

¥. 4. CONVESCENS] συναλιζόμενος, id est, communi cum illis sale viuens. De qua cometione alibi (b) susiùs. Ex hac temporis nota colligit S. Augustinus & Prosper Christum paulò post peractum prandium, plena luce & coram omnibus discipulis in cælum ascendisse. In cuius rei memoriam multis locis pia est consuetudo orationi publicæ post meridiem incumbendi, inquit Suarez.

b *Luca 24. v.41. Prosper sententia 203. ex S. Augustino in fine tom.3. Suarez 3 p. to.1. disp.51 sect.2.*

EXSPECTARENT PROMISSIONEM PATRIS PER OS MEVM] id est, Spiritum sanctum promissum ipsis à Patre per me, Ioan.14.v.26. & alibi. *Nolebat* enim *Christus discipulos* suos *ante Spiritus sancti aduentum inermes, & quasi absque auriga equos, prodire in publicum,* inquit S. Chrys. Nolebat etiam cælestia charismata dormitantibus vel torpentibus impertiri, sed sedula expectatione, ardenti desiderio, continua oratione deposci.

¥.5. BAPTIZABIMINI SPIRITV SANCTO] Id est, replebimini extraordinarijs & eximijs donis Spiritus sancti, qualia hactenus nulla accepistis, inquit S. Chrysost. Oecumenius, Beda, Liranus & alij. De differentia baptismi Christi à baptismo Ioannis, egi in Matthæo. Porrò infusionem Spiritus sancti vocat baptismum, nempe mysticum, quia instar baptismi, sed longè excellentiùs, purgabat, sanctificabat, ornabat, roborabat.

Matth. 3. v.11.

¥.6. SI vel an, (vt vertit Pagninus, Tigurini & alij,) HOC præsenti TEMPORE RESTITVES ISRAELI REGNVM;] quod à Romanis illi subtractum & ad Herodem Idumæum (c) nuper translatum est, sed per Messiam rursus recuperandum prædixerunt (d) Prophetæ? Errant vulgato illius gentis errore, regnum Messiæ fingentes fore temporale & mundanum, quale fuit Dauidis & Salomonis; cùm Prophetæ prædixerint fore spirituale, in mundo inchoandum per fidem, sed in cælo complendum per gloriam.

c *Chronici c.45.* d *Amos 9. v.11. Oseæ 14. v.6. Ioel.3. v.20. Abdiæ v.17 Lucæ 1. v.32. &c.*

¥.8. ACCIPIETIS VIRTVTEM; græcè, δύναμιν, id est, potentiam, fortitudinem, robur, SPIRITVS SANCTI, quo roborati, TESTES MIHI ERITIS vbique omnium quæ à me, per mé, circa me gesta vidistis: testes item mei erga omnes homines amoris, studij ac zeli: testes sanctitatis, innocentiæ, gloriæ. Hæc omnibus inculcabitis, his illecebris omnes ad me trahetis, volentes omnes meo amicorum, imò filiorum albo inscribetis: non modò Iudæos & Samaritas, sed & promiscuè Gentiles ac paganos.

¥.9. ET CVM HAEC aliaque multa, quæ alij Euangelistæ recensent, DIXISSET, finitoque prandio, conuocatos vndique suos è vicino (quos Lucas v.15. recenset centum & viginti) ex vrbe per *Bethaniam* (e) in vicinum *Oliueti* montem eduxisset; Vale omnibus facto, & benedictione impertitâ, (e) sensim à terra ELEVATVS] non alienâ, sed propriâ virtute, (f) & in supremum euectus cælum empyreum, comitantibus tot myriadibus Sanctorum (g) quos è limbo secum eduxerat, & angelis (h) omnibus honoris causâ domino regique suo occurrentibus; summa maiestate ac triumpho ad solium deductus est cælestis Patris, ad cuius dexteram residet cæli & terræ Dominus, vt pulchrè S. Cyprianus, Chrysost. Epiphanius, August. & Nyssenus describunt, & alij apud Suarez.

e *Lucæ 24. v.50.* f *Hic v.2.* g *Psal.67. v.19. & ex eo Paul. Eph.4.v.8.* h *Hebr.1. v.6. Isaiæ 63. v.1. Psal.13.v.7 Nyssen. & aly serm. de Ascensione Domini. Suarez sup. disp.52. sect.2. Ignat.ep.10. ad Smyrnens. Tertull. de Carne Christi c.24. & de Resurr. carnis c.31. i Chronici c.48. & 49. in fine. k Lucæ 21. v.37. & c.22.v.39. & 43. Hieron. in Locis Hebr. Paulin. ad Severũ ep 11 Sulpit.l.2. Hist. sacra. Beda de Locis sanctis c.7.*

¥.11. SIC VENIET] Id est, cum eadem gloria & maiestate, cum eadem anima & corpore, quæ nulla temporum duratione alterari poterunt aut immutari, è cælo descendet ad iudicium, qua nunc in cælum euectus est ad triumphum, inquit S. Ignatius Martyr, Tertull. Chrysost. & Beda. Quo mense, & quoto die mensis ascéderit Christus, dixi in Chron. (i) Sic diuina prouidentia factum, vt mons Oliueti, quem toties lacrymis, (k) subinde & sanguine suo Christus irrigarat, qui & initium dederat passioni, iam quoque initium fecerit cælesti ipsius triumpho. De vestigijs Christi saxo montis huius impressis, quæ ad hunc vsque diem permanent versus Occidentem porrecta, nec vmquam vel eradi, vel obduci, vel fornice tegi potuerunt, vide quę S. Hieronymus, Paulinus, Sulpitius, Beda, & recentiores geographi, alijque peregrini terræ sanctæ scripto reliquerunt.

¥.12. SABBATI ITER, quinta pars erat leucæ, seu itineris vnius horæ, vt alias (l) dixi.

¥.13. CVM INTROISSENT in vrbem, & in domum Ioannis Marci, consobrini Barnabæ, vbi & Christus pascha comederat (vt ex S. Hieron. (m) Beda, & alijs probat Baronius, eratque in monte Sion, iuxta arcem Dauid, vbi prima condita est Ecclesia, vbi Stephanus & alij Diaconi ordinati, vbi primum celebratum Apostolorum Concilium, vbi Symbolum compositũ, inquit Adrichomius:) ASCENDERVNT IN COENACVLVM] quod erat in superiore parte domus, vbi summa iuncti charitate, ardente prece, & constante perseuerantia præstolabantur aduentum Spiritus sancti. De nominibus Apostolorum vide dicta in Matthæo. (n)

¥.15. EXVRGENS PETRVS] vt Ecclesiæ caput & pastor supremus, inquit S. Chrysost. (o) vt decebat vicarium Christi, cœtum Apostolorum duodenario numero à Christo definitum, sed lapsu Iudę iam capite vno minutum, altero surrogando instaurare, supplere & perficere aggreditur.

¥.18. DE MERCEDE INIQVITATIS, nempe triginta argenteis in mercedem proditionis Christi à principibus sacerdotum Iudę adnumeratis, POSSEDIT AGRVM figuli: per Catachresin, quâ quod meo ære emptum est, meum censetur, & me mortuo possideo per successores meos. Vide dicta in Matthæum. Hoc proditoris Iudæ exemplo, inter alia plura eiusdem ferè sortis, purgat monasterium suum S. Augustinus ab infamia scandali ex vnius perfidia in eo suborti. Et certè horrendum est, si verum est quod Salmeron dicit Climacum scripsisse, ex primis his 120. in hoc cœnaculo collectis, & Spiritu sancto tanta copia repletis, prodiisse omnino quatuordecim hæresiarchas.

l *In Proleg. de mensuris longitud.* m *Hieron. epist.27. Beda supr. c.3. Adrichom. in Descrip. Ierusalem n.6.* n *Matt.10. v.3. &c.* o *Chrysost. homil.1. in Acta. Matt.27. v.3. &c. August. epist. 137. Salmeron in 1.Ioan.2. v.19.*

*Psal.68. v.26.

V. 20. COMMORATIO EORVM, putà Iudę & reliquorum Iudęorum Christicidarum, FIAT * DESERTA, id est, desoletur, vastetur, excidatur per Romanos, nec alijs vsibus seruiat quàm condendis cæsorum cadaueribus, vt seruit iam ager figuli pecuniâ Iudæ çoemptus. ET EPISCOPATVM; hebraicè, *pekuddato*, id est, præfecturam, regimen, principatum, EIVS, nempe apostolatum Iudæ, ACCIPIAT ALTER, illi surrogandus.

פקדתו

V. 23. STATVERVNT DVOS] Qui? vtique Apostoli ex voto & consensu ceterorum istic præsentium. an ergo ministrorum Ecclesiæ nominatio & electio penes plebem est? nullo modo: neque enim hîc à plebe, sed solùm coram plebe ab Apostolis facta est hæc nominatio. Vnde & Cyprianus contendit, *ordinationes sacerdotales* non nisi *præsente plebe* fieri oportere, *vt sic detegantur*, inquit, *malorum crimina, & bonorum merita.*

Cyprian. epist. 68.

IOSEPH alter candidatorum apostolatus, non est *Barnabas*, licet & hîc nominatus fuerit Ioseph, (*a*) sed BARSABAS, quod significat (*b*) filium iuramenti, vel saturitatis, vel conuersionis, inquit S. Hieron. & Pagninus: putaturque fuisse filius Alphæi, frater Iacobi Minoris & Iudæ Thaddæi, & consequenter, cognatus Christi, vt aliàs ostendi. (*c*) Postea creatus est Episcopus Eleutheropolis in Palæstina, ait Dorotheus, & inter Sanctos relatus in Martyrologio Romano annotatur 20. Iulij. QVI ob insignem vitæ sanctitatem COGNOMINABATVR IVSTVS, æquè ac frater ipsius *Iacobus*.

a *Actor.4. v.36.*
b *Genes.21. v.31.*
c *Chronici c.46. tab. vlt. in fine. Doroth. in Synopsi.*

MATTHIAS, quod donum Dei significat, vt nomine; ita & zelo similis Mathathiæ patri Machabæorum, (*d*) his apud S. Antoninum titulis decoratur: *fuit in lege Domini doctissimus, corpore mundus, animo prudens, in consilio prouidus, in sermocinatione expeditus, multorum signorum patrator*: ac tandem *Martyr extensis in cælum manibus spiritum Deo reddidit.*

d 1. *Mac.2. v.1. Antonin. 1. p. tit.6. c.2.*

V. 26. DEDERVNT SORTES EIS, coniectis nominum chartulis in vrnam, (inquit Lorinus & Mariana,) & instinctu diuino certiores redditi, Deum hac sortitione demonstraturum, vtrum è duobus vellet, inquit Leonardus Lessius. Quamquam etiam sine eiusmodi instinctu, poterât exemplo maiorum, (*e*) tali sorte rem decidere, maximè inter istos duos qui dotibus essent pares, & sine omni exceptione dignissimi. Vide etiam quæ alibi (*f*) de *sortibus* dixi.

Lessius l. 2. de Iustitia c.43. dub.9.
e *Iosue 7. v.16. c.15. &c.*
1. *Reg.10. v.20. &c.*
f *Ibid.*

Cur Deus Iosepho, etsi Christi (*g*) cognato, præpositum voluerit Matthiam, causa præcipua fuisse videtur, vt orbi palàm faceret, præeminentias & dignitates Ecclesiasticas non debere ratione consanguinitatis conferri, sed secundùm merita & talenta candidatorum, vt etiam sancit Concilium Trident. & SS. Patres (*h*) passim inculcant.

g *Hic v.23.*
Trid. sess. 24 c.18. de reformat.
h *Apud Less. sup.*

CAPVT II.

Spiritus sanctus cum vento valido & linguis igneis descendit die Pentecostes in discipulos Christi. Petrus prima concione conuertit tria Iudæorum millia: qui in oratione, Synaxi, & mutua charitatis obsequio strenuè continuant.

V. 1. CVM COMPLERENTVR DIES PENTECOSTES, nempe 50. illi dies qui à Paschate supputandi erant, & hoc die complebantur. In Græco est, *cùm compleretur dies Pentecostes*, nempe quinquagesimus à Paschate: qui phrasi Hebræa compleri dicitur quando aduenit & inchoatur. Sic Lucæ, 2. v. 21. *Postquam consummati sunt dies octo*, id est, die octauo: & v. 22. *Postquam impleti sunt dies purgationis eius*, id est, cùm illuxisset dies quadragesimus, &c. Porrò per diem Pentecostes intelligit Lucas festum ipsum Iudæorum, quod annuè celebrabant in memoriâ acceptæ illo die legis diuinæ per Moysen in monte Sinai, Exodi 19. & simul in gratiarum actionem pro nouis anni præsentis frugibus, quarum primitias, putà duos panes, debebant eodem die Deo in templo offerre. Erant hæc typus Christianæ Pentecostes, quâ promulgata est lex noua Christi per Petrum & reliquos Apostolos, & quâ primitiæ fidei, (nempe tria millia Iudæorum,) oblatæ & dicatæ sunt Deo. Quoto mensis die, & quota feria hebdomadæ celebrata tum fuerit tam Iudæorum, quàm Christianorum Pentecoste (quia vtraque in vnum eumdemque diem incidit illo anno,) dixi in Chronico. *

* *Chronici c.50. §.1. & c.48. conclus.3.*

ERANT OMNES discipuli numero 120. de quibus hactenus, PARITER; græcè, ὁμοθυμαδὸν, id est, vnanimiter, IN EODEM cœnaculi (*i*) LOCO] ita S. Cyprianus, Chrysostomus & alij Patres, imò & Propheta Ioël infrà (*k*) à S. Petro citatus, contra Bezam, qui ineptè id restringit ad solos Apostolos.

i *Actor.1. v.13.*
Cypr. serm. de Spiritu sancto.
k *Actor.2.*

V. 2. SONVS TAMQVAM ADVENIENTIS SPIRITVS, seu venti, VEHEMENTIS; græcè, *flatus violenti*. Non igitur necessum est fuisse verum ventum, sed sufficit, fuisse verum sonum, qualis excitari solet à vento valido ingruente. Si enim homines possint sine vento similem vento excitare sonum, cur id non possit Deus? Ita insinuat S. Cyprianus, Vatablus, Pagninus & alij. Significabat autem vehemens hic sonus vehementiam, efficaciam & impetum quo Spiritus sanctus inuadebat, excitabat, impellebat corda discipulorum ad prædicandum, totoque orbe diuulgandum Euangelium, inquit S. Thomas. Addit Chrysostomus sine hoc Spiritus impulsu nihil valere omnem sapientiam, eloquentiam, ceteraque talenta; sicut sine vento nil potest nauis, quantumcumque necessarijs omnibus instructa.

v.17.
Cypr. l.3. Testimon. contra Iudæos.
S. Tho. 1. p. q. 43. a. 7. ad 6 Chrysost. serm. de Spiritu sancto.

V. 3. DISPERTITÆ; Tigurini, *dissectæ*, LINGVÆ, singulis flammularum instar, in plures partes, sed infernè cohærentes, dissilientibus, repræsentabant multiplicitatem linguarum, ceterorumque donorum, quæ cuique communicabat Spiritus sanctus, inquit Cyprianus: maximè verò donum discretionis spirituum quo penetrarent intima hominum, & ijs congrua ad salutem suggererent. Erant autem hæ linguæ non carneæ, sed TAMQVAM IGNIS, seu speciem ignis referentes: videbantur enim ardere, lucere, agitari & in altum assurgere instar veri ignis. Videtur ergo vapor fuisse densior, luce rubente coruscus instar ignis, in linguæ sectilis speciem efformatus. Hoc schemate designabatur, discipulos cælesti Spiritus sancti igne prorsus purgari, (*l*) purificari, illuminari, accendi, (*m*) & ad cælestia eleuari, vt S. Thomas pulchrè demonstrat.

Cypr. serm. de Spiritu sancto.
l *Isaiæ 6. v.6.*
m *Eccli.48. v.1. S. Tho. sup.*

SEDITQVE hic ignis, id est, incubuit, effulsit, SVPRA capita *singulorum*: sic ostendens, eos cælesti sapientia, charitate & facundia præditos, mentis item & appetituum tranquillitate, animi constantia, morũ grauitate præcellentes, thronos quasi Cherubicos Spiritus sancti, præcones verbi diuini, magistros & doctores vniuersi: in quibus, vel quorum successoribus ad finem vsque mundi (*n*) residens permaneret Spiritus sanctus, inquit Chrysostomus, Nazianzenus, Ammonius & alij.

n *Ioan. 14. v.16. Nazianz. or.41.*

V. 4. REPLETI SVNT OMNES SPIRITV SANCTO,

CTO, cuius antea participationem aliquam acceperant, iam plenitudinem adipiscuntur, inquit S.Leo. Magna enim est differentia, vt ait Richardus de S. Victore, inter Spiritus sancti *infusionem*, dum hominem iustificat; & *diffusionem*, dum ita animam occupat, vt nullam partem vacuam relinquat; & *effusionem*, dum superefluere & in alios deriuare facit. Proprietates huius Spiritus graphicè nobis depingit Sapiens cap. 7. v. 22. & sequentibus. Vocatur autem *spiritus*, non solùm ratione essentiæ & modi procedendi, quia scilicet à Patre & Filio spiratur vt spiritus: sed etiã ratione efficaciæ, seu efficientiæ, quia subtilis est, penetrans, fortis, &c. vt spiritus. Additur *sanctus*, quia talis est per excellentiam, nempe sanctissimus & purissimus, omnisque sanctitatis creatæ fons, scaturigo & causa. Nec verò sola Spiritus sancti dona, seu munera, nobis in iustificatione communicari, sed ipsam quoque personam Spiritus sancti, & consequenter etiam Patrem ac Filium, patet ex illo Ioan. 14. v. 23. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* & fusè docent S. Bonauentura, Magister, S. Thomas, Scotus, Gabriel, Marsilius, Gregorius de Valentia, Vasquez, Suarez & Lessius.

Leo serm. 3. de Pentecoste. *Richard. de Missione Spiritus sancti.* *Bonauent. & alij in 1. dist. 14. a. 2. q. 1.* *S. Tho. sup. a. 3. & 6.* *Suarez l. 12 de Deo trino & vno c. 5.* *Lessius de Attributis Diuin.*

Hoc Spiritu impulsi discipuli COEPERVNT LOQVI VARIIS LINGVIS] Non vnâ solâ singuli, quæ ab omnibus intelligeretur, vt sensisse videtur* Cyprianus, Arator, Oecumenius, Dionysius Carthusianus & Erasmus: sed multis & *varijs*, vt hîc dicitur, quas Marcus *nouas* vocat, Græcus, *alias* seu *diuersas* à sua patria lingua. Et S. Paulus, (*a*) *Gratias*, inquit, *ago Deo meo, quòd omnium vestrûm linguâ loquor.* ita S. Ambro. (*b*) Cyrillus, Nazianzenus, August. Leo, Gregorius & alij passim. Nolo tamen Apostolis denegare etiam hoc priuilegium, vt subinde vnica lingua loquentes, à variarum linguarum auditoribus intelligerentur. Si enim hoc S. Vincentio Ferrerio, Antonio Vlyssiponensi & Bernardino concessum, & quibusdam alijs, cur Apostolis denegemus? Sed contendo, etiam alterum variarum linguarum donum ijs obuenisse. Nam si vtrumque concedimus S. Francisco Xauerio, (*c*) quo iure vtrũque negabimus Apostolis? Neque tamen solis Apostolis, vt Caietanus putat, sed & omnibus alijs tum præsentibus, etiam Deiparæ, etiam Magdalenæ, idem concessum, vt fusè docet Suarez. (*d*) Et Irenæus testatur, *se multos* suo etiam tempore *audisse qui vniuersis linguis loquebantur.*

Greg. hom. 30. in Euãg. *c In processu Canonizationis Xauerij.* *d Suarez 3. p. q. 35. disp. 10. sect. 2.* *Iren. l. 5. c. 6.* *e 4. Reg. 15. v. 19.* *f Ibid. c. vlt.* *g 1. Mach. 1. v. 34. 40. &c.*

℣. 5. VIRI RELIGIOSI, id est, cultui Dei addicti; Syrus, *timentes Deum*, EX OMNI NATIONE] id est, ex plurimis regionibus, in quas iam à tempore Teglatphalassaris, (*e*) Nabuchodonosoris, (*f*) & Antiochi Epiphanis (*g*) dispersi fuerant, & subinde Ierosolymam reuisebant vel pietatis, vel studiorum, vel negotiorum causâ.

℣. 6. MENTE CONFVSA; Syrus, *conturbata*: Chrysostomus, *perculsi sunt*, admiratione, stupore, horrore tanti tamque insoliti miraculi, inquit Vatablus, Caietanus & alij.

℣. 9. ÆLAMITÆ è Perside erant, vt alibi (*h*) dixi. Pro eo quod Noster hîc & Græcus habent *Iudæam*, putant aliqui legendum *Indiam*, ne Iudæi bis hîc recenseantur penè vno eodemque versu.

h Ierem. 49. v. 34.

℣. 11. PROSELYTI, id est, aduenæ vel aduentitij, vocabantur, qui ex Gentibus prognati Iudaicæ religioni sese adiungebant. q. d. Non loquor de illis solis qui Iudaicis parentibus nati erant, sed etiam qui Gentilibus.

℣. 13. MVSTO PLENI SVNT] Græcum γλεῦκος etiam omnem *succum dulcem* significat: Vnde enim 13. Maij (*i*) mustum propriè dictum? Nisi malis, irrisoriè locutos, q. d. Videntur ebrij & insanire, perinde ac si mustum hausissent. Sed mustum hoc erat noui testamenti spiritaliter inebrians & insanire faciens animas, vt S. Augustinus & Bernardus graphicè depingunt.

i Chronici c. 50. §. 1. *August. serm. 185. de Temp.* *Bern. de Natura diuini amoris c. 3.*

℣. 15. HORA DIEI TERTIA (*k*) ab ortu solis, non poterant ebrij censeri, cùm, teste Iosepho, solerent Iudæi festis omnibus abstinere vsque ad horam sextam, inquit Baronius. Quæ ex Ioele profert S. Petrus, primus hîc, vt Primatem & caput Ecclesiæ decebat, promulgans Euangelium, expositi Ioelis 2. v. 28. Ergo

k Chron. c. 2 Ioseph. in sua Vita.

℣. 23. HVNC Iesum PER MANVS INIQVORVM, tum iudicum, tum militum, AFFIGENTES *cruci*, vt habet Syrus, INTEREMISTIS, ô Iudæi, non casu, non industria vestra, non violentia vel necessitate eò adactum, sed à Deo ab æterno, DEFINITO CONCILIO ET PRÆSCIENTIA VOBIS TRADITVM. Potuisset enim se, si voluisset, subducere, potuisset vos omnes occidere, &c. Sed cùm vellet Deus, morte Christi redimi mundum, atque, vt mors illi inferretur, alia media non deessent, maluit decernere, vt illam à vobis ô Iudæi (quos præuidebat in Christum suum insurrecturos) inferri pateretur. In quo sanè vestra actio displicuit, sed Christi passio grata fuit.

℣. 24. QVEM DEVS SVSCITAVIT tertia die SOLVTIS DOLORIBVS INFERNI; Syrus, *solutis funibus inferorum*; Græcus, *soluens dolores mortis*, id est, dolores grauissimos, quales sunt in morte & in inferno. Sic psal. 17. vers. 5. *Circumdederunt me dolores mortis*, &c. *dolores inferni circumdederunt me: præoccupauerunt me laquei mortis.* Quò alludit hîc Petrus. Soluit autem hos dolores, hos funes, (nam vtrumque significatur Hebræo *chable*) tam quibus constrictus fuerat in cruce, quàm quibus constringendus videbatur in inferno ad morem aliorum morientium, discutiens illos ac dispellens, & ne constringeretur impediens, inquit S. Augustinus, & ferè Basilius, Theodoretus, Suarez & à Lapide. IMPOSSIBILE enim ERAT TENERI ILLVM AB EO, supple, inferno, vel doloribus aut vinculis inferni: erat enim Christus innocentissimus, erat & Deus, & per consequens dominus inferni, mortis & totius regni diabolici. Vnde

חבלי

August. epist. 99. Basil. & Theodor. in psal. 17. Suarez 3. p. q. 52. disp. 43. sect. 1.

℣. 25. DAVID DICIT IN EVM] id est, de eo, (*l*) vt Syrus & alij vertunt.

l Proleg. 2. Idiotismis Hebr. n. 12.

℣. 26. CARO MEA vsque ad tertium diem secura in sepulchro REQVIESCET IN SPE futuræ breui resurrectionis;

℣. 27. QVONIAM ANIMAM MEAM (quà rursus viuificanda sum) NON DERELINQVES diutiùs IN INFERNO, NEC DABIS SANCTVM TVVM: τὸν ὅσιον, putà Christum, qui per excellentiam est Sanctus sanctorum, VIDERE, id est, sentire, CORRVPTIONEM, seu putrefactionem vel incinerationem. q. d. Priùs suscitabis corpus eius mortuum, quàm possit putrefieri. Ex quibus verbis S. Ambros. Hieron. Augustin. & alij probant, animam Christi post mortem reuera ad inferos descendisse, contra Caluinum & alios hæreticos id stolidè negantes, quorum vnus Beza, vt vim loci huius effugiat, pro eo quod Scriptura dicit, *Non relinques animam meam in inferno*, ipse vertit, *non relinques cadauer meum in sepulchro*; animam in cadauer, infernum in sepulchrum commutans: cùm tamen *anima* hîc opponatur *carni*; &

Ambr. ser. 74. de Mart. *Hieron. in psal. 15.* *August. sup.*

ni, &. ἅδης, non sepulchrum, sed propriè dictum infernum significet in Scripturis. Porrò quòd Dauid hoc prædixerit non de suo, sed de Christi corpore, probat ex eo, quòd

℣. 29. SEPVLCHRVM EIVS APVD NOS extet VSQVE IN HODIERNVM DIEM] quod testis nobis est corporis eius in eo corrupti, putrefacti & in puluerem redacti. Non igitur suum, sed Christi filij sui corpus prædixit fore incorruptum. Qui

℣. 33. DEXTERA, id est, potenti virtute, DEI per resurrectionem & in cælum ascensionem EXALTATVS, iam A PATRE ACCEPTA potestate *promissum* priùs SPIRITVM SANCTVM mittendi in discipulos suos, hodie *illum* liberalissimè EFFVDIT, QVEM vos ipsi VIDETIS in linguis igneis, & AVDITIS per os nostrum varijs linguis magnalia, seu mirifica Dei opera proloquentem.

℣. 36. HVNC IESVM à primo conceptionis instanti FECIT DEVS DOMINVM cæli & terræ, ET CHRISTVM, seu Messiam & redemptorem mundi: QVEM vos inaudito facinore CRVCIFIXISTIS.

℣. 38. POENITENTIAM AGITE: id est, pœniteat vos scelerum admissorum, (saltem imperfectâ pœnitentiâ, quam Theologi *attritionem* vocant, & est dolor de peccatis ob imminentes inde pœnas) ET BAPTIZEMINI IN NOMINE, id est, fide, professione, virtute, IESV CHRISTI, supple, & reliquarum personarum diuinarum, quæ vt Christum comitantur & necessariò connexę sunt, ita debent in forma baptismi etiam distinctè exprimi. Vnde certum est, pœnitentes hos, tria millia, antequam baptizarentur, instructos fuisse de hoc SS. Trinitatis, alijsque fidei nostræ mysterijs quæ Symbolo Apostolico continentur, vt fusè docet Suarez, Coninck & alij Scholastici. Crediderim autem, primis illis temporibus formæ baptismi solitum fuisse addi nomen Iesu Christi, hoc modo: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij* eius Iesu Christi, *& Spiritus sancti*, vt nouo nomini maior fides & reuerentia conciliaretur.

Suarez & alij in 3. p. S Thomæ, disp. 21. sect 3. Coninck q. 66. a. 6. dub. vn.

℣. 39. VOBIS ENIM, vtpotè filijs Abrahæ, facta EST REPROMISSIO vitæ & salutis æternæ per Christum donandæ: vt i facta est etiam OMNIBVS QVI LONGE SVNT à semine Abrahæ & à Deo, putà Gentilibus.

℣. 40. SALVAMINI, id est, segregemini: A GENERATIONE ISTA PRAVA] id est, ab hoc sæculo impio & infideli. q. d. Per fidem & baptismum Christi festinate seiungere vos à reliquis obstinatis Iudæis & Gentilibus, vt cum illis non pereatis æternùm. Porrò fideles, conuersi illa unica concione Petri ad tria millia.

℣. 42. ERANT quotidie perseuerantes, Primò, IN DOCTRINA APOSTOLORVM audienda, meditanda, executioni mandanda; Secundo, IN COMMVNICATIONE FRACTIONIS PANIS; græcè, *in communione & fractione illius* (excellentis) *panis*, putà Eucharistici, vt Syrus vertit, & etiam Tremellius, Chemnitius, Osiander: & est communis Patrum expositio. Sic & S. Paulus, *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Tertiò, IN ORATIONIBVS] Ex quibus patet, statim à Pentecoste frequentari cœptam à fidelibus SS. Eucharistiam, & quidem quotidie, nec semper sub vtraque specie.

1. Cor. 10. v. 16

℣. 43. FIEBAT OMNI ANIMÆ, etiam obstinatorum Iudæorum, TIMOR] id est, horror, & ex horrore reuerentia erga Apostolos, quos quasi cælestes homines suspiciebant, qui instar Eliæ, ignem de cælo euocare & in hostes vibrare possent. Enquanta vis spiritus sancti. Antea timidi quasi cerui, nunc omnibus terrori sunt quasi leones.

℣. 44. OMNES QVI CREDEBANT, ERANT PARITER] Græcè, *erant in idipsum*; Syrus, *erant simul*; Tigurini & Pagninus, *erant coniuncti*, nempe statis horis ad concionem, communionem & orationem confluentes, vt antè (*a*) dicebat.

a *Hic v. 42. Tertull. in Apolog. c. 37 Hieron. de Viris illustribus in Marco. Basil. in Reg. fusior. reg. 19. & 32 August. epist. 109.*

ET HABEBANT OMNIA COMMVNIA] præter vxores, inquit Tertullianus. Iacta ergo hîc à primis Christianis, Religiosæ vitæ fundamenta, inquit S. Hieronymus, Basilius & Augustinus: & à verbo κοινὰ, id est, communia, ortum nomen κοινόβιον & cœnobitæ: Porrò hæc bonorum omnium communicatio, vti de medio tollebat *meum & tuum*, occasionem omnium litium, cupiditatum, vitiorum & tentationum: ita materiam suggerebat tempusque & commoditatem vacandi sibi & Deo, mutuæ item charitatis incentiua, & segetem meritorum: auocat à terrenarum rerum curis, ad studium contemplationemque cælestium; perpetuamque animi pacem, gaudium, iubilum parit, vt pulchrè Tertullianus exponit.

Tertull. de Spectaculis c. 29.

℣. 46. FRANGENTES PANEM Eucharisticum, vt Syrus, Oecumenius & alij v. 42. citati exponunt: & post Eucharistiam, etiam *agapen*, siue epulum & conuiuium commune, quod in memoriam & ad imitationem vltimæ cœnæ Domini præbebatur è publico, non vno semper loco, sed CIRCA, seu per varias DOMOS, prout multitudo requirebat fidelium, qui augebantur.

℣. 47. QVOTIDIE IN IDIPSVM] id est, in eamdem societatem, in idem institutum & rationem viuendi.

CAPVT III.

Petrus claudo gressum restituit: populum ad miraculum obstupentem docet id patratum nomine & virtute Iesu Christi, quem ostendit Messiam esse per Moysem & Prophetas toties promissum: monetque omnes vt in eius fidem & Ecclesiam transeant.

℣. 1. HORA ORATIONIS NONA respondebat tertiæ nostræ (*b*) post meridiem, qua iuge (*c*) sacrificium vespertinum offerebatur in templo: sicut manè horâ primâ sacrificium matutinum. Discrimen septem præcipuarum diei horarum orationi apud Iudæos olim destinatarum, (*d*) imitata est Ecclesia Christi per septem Horas Canonicas, in memoriam, honorem, & gratiarum actionem pro maximis beneficijs à Deo horis illis orbi concessis, vt fusè exponunt Tertull. (*e*) Cyprianus, Athanas. & ex ijs Nauarrus, Francolinus, Bellarminus, & Bonartius. Optandum verò, vt Petri exemplo, Ecclesiastici omnes stata precum horariarum tempora, quando per occupationes licet, ex mente & præscripto Ecclesiæ diligenter obseruent, non simul omnes citra necessitatem, sed diuisim suis quasque horis, vt ferè in choro fit, persoluentes.

b *Chron. c. 1*
c *Exodi 29. & 38.*
d *Psal. 118. v 164.*
e *Tertull. cõtra Psychicos c. 10. Cypr. serm. de Oratione Dominica. Athan. ser. de virginit. Bellarm. l. 1 de Bonis operib. c. 13. Nauar & alij tract. de Horis Can.*

℣. 2. CLAVDVM PONEBANT QVOTIDIE AD PORTAM TEMPLI,] more multis etiamnum locis recepto, vt ingressuros templum mendici doceant modum affectuosè orandi: admoneant etiam humanæ fragilitatis & miseriæ: cogitationes mentemque injiciant exercendæ eleemosynæ, & per eleemosynam aptiùs sese ad orationem disponendi: denique precibus suis compensent acceptam stipem, & ita iuuent suos mœcenates (*f*) apud Deum.

f *Luce 16 v 9.*

Mendi-

Mendici enim sunt ianitores, cubicularij Dei, diuitum patroni, inquit S. Chrysost. Sed Nota, positum hunc claudum *ad*, seu ante, *portam templi*, non autem in ipso templo, scilicet ne stipem emendicando interturbaret orantes. Dicebatur autem hæc *porta* præ alijs templi portis *speciosa*, quòd specie & pulchritudine omnibus præcelleret. Baronius vult eam esse quam Iosephus *Corinthiam* appellat, ex ære Corinthio, apud veteres laudatissimo; verisimiliter etiam formâ Corinthia (*a*) ab architectis constructam. Adrichomius depingit illam ad Orientem, & *Sur* vel *Seir* dictam affirmat: de qua pluribus Ribera & Villalpandus.

Chrysost. hom. 28. ad Popul. Antioch.

Baron. an. Christi 34. Ioseph. l. 15. Antiq. c. 14.

(*a*) *Vide Vitruvium. Adrich. in Chorographia urbis Ierusalem. Ribera l. 1. de Templo c. 32. Villalp. to. 2. de Templo.*

℣. 6. QVOD HABEO, TIBI DO] Id est, potestatem sanandi ægros, quæ mihi donata est, tibi applico. Diuinam enim omnipotentiam habebat Petrus sibi perpetuò assistentem, semperque paratam, vt quoties vellet, miraculum ederet.

℣. 7. PROTINVS CONSOLIDATÆ SVNT BASES EIVS, ET EXILIENS STETIT ET AMBVLABAT] vt Isaias prædixerat, (*b*) *Tunc saliet sicut cervus claudus.* Porrò *velocitas* hæc *ex debilitate surgentis*, symbolum est *velocis* nostræ *resurrectionis*, *in momento*, *in ictu oculi*, *in nouissima tuba*, inquit S. Augustinus.

Isaiæ 35. v. 6.

August. homil. 28. de Verbis Apostoli.

℣. 11. PORTICVS SALOMONIS erat illa quæ ex Chaldaico templi incendio, saltem bona sui parte superstes manserat, vt vult Oecumenius, cratque extima templi, in fine atrij Gentium, vt ex Iosepho docet Villalpandus.

Ioseph. l. 20. Antiq. c. 14. Villal. sup. l. 3. c. 9. & l. 5. disp. 4. c. 67. & 68. in fine.

℣. 16. IN FIDE, id est, per fidem & fiducialem inuocationem, NOMINIS Christi *confirmatus*, id est, consolidatus, sanatus est hic claudus: nam NOMEN *Christi*, id est, Christus à me nominatus & inuocatus, CONFIRMAVIT eum.

℣. 17. SCIO QVIA PER IGNORANTIAM FECISTIS, SICVT ET PRINCIPES VESTRI] Quid ergo sibi vult istud Matt. 21. v. 38. *Hic est heres, venite occidamus eum*, Et rogantibus illis Lucæ 22. *Dic nobis si tu es Christus, filius Dei*; an non sat clarè respondit, *Ego sum*? Quid ergo ignorantiæ fuit in principibus Iudæorum? Respondeo, fuisse crassam & affectatam ignorantiam, quâ licet audirent veritatem, nec possent contradicere, nolebant tamen sibi persuadere. Quod etsi non excuset à grauissimo scelere, minuit tamen aliqua ex parte grauitatem sceleris. Multò enim grauiùs peccassent, si persuasi rem ita habere, nihilominus in patrando scelere perrexissent. Vnde etiam Paulus, (*b*) imò & Christus met (*c*) hanc ignorantiam illorum, ad extenuandum ex parte facinus, allegant.

b 1. Cor. 2. v. 8.

c Luc. 23. v. 34.

℣. 18. DEVS AVTEM SIC, id est, per hanc vestram ignorantiam, IMPLEVIT QVÆ PRÆNVNTIAVIT PER OS OMNIVM PROPHETARVM, nempe vt Christus pateretur, & passione sua vos & mundum vniuersum redimeret.

℣. 20. VT CVM VENERINT TEMPORA REFRIGERII] Syrus, *tranquillitatis* & quietis, & tempora restitutionis omnium, puta in die iudicij, (*d*) supple, etiam vos refrigerium sentiatis, & restituamini in integrum per beatam resurrectionem.

d Luc. 21. v. 28. e 2. Cor. 9. v. 4. f Suarez 3. p. q. 83. in fine

℣. 21. OPORTET Christum CÆLVM SVSCIPERE, seu inhabitantem habere vsque ad diem extremi iudicij. Sed huic non repugnat, quod subinde replicetur, seu de nouo reproducatur etiam in alijs locis, v.g. quando apparuit Saulo, (*e*) matri (*f*) suæ moribundæ, fugitiuo (*g*) Petro, Antonio, (*h*) Tarsillę (*i*) & pluribus alijs, & quando quotidie præsens est in Eucharistia. Neque enim difficile est A Deo, rem vnam eamdemque sæpiùs reproducere, & reproductam in pluribus simul locis præsentem facere.

g In vita Petri, h Athan. in Vita Anton. i Greg. in Dialog. l. 4. c. 16.

℣. 22. MOYSIS de Christo prophetiam explicui Deuter. 18. v. 15.

℣. 24. PORRÒ OMNES PROPHETÆ ANNVNTIAVERVNT, id est, prędixerunt, DIES ISTOS aduentus Messiæ, & redemptionis mundi per Messiam. Et in vestri cum primis gratiam, qui

℣. 25. ESTIS FILII PROPHETARVM non tam carnales, quàm spirituales, id est, imitatores fidei & religionis Prophetarum, quasi germani eorum filij & hæredes. Vnde sicut illi in Christum, quem prædicunt; crediderunt, par est etiam vos in eumdem iam vobis exhibitum credere; degeneraretis alioquin à fide maiorum vestrorum. Estis ET *filij* B TESTAMENTI, id est, fœderis, pacti & promissionis à Deo factæ Abrahamo patri vestro, nempe de Messia ex semine (*k*) eius procreando, & de benedictione ac salute æterna per ipsum vobis donanda. Vnde VOBIS, tamquam primarijs heredibus

k Gen. 12. v. 3. Galat. 3. v. 26.

℣. 26. PRIMVM *suscitauit* FILIVM SVVM, vobis, seu in vestri gratiam, primariò MISIT EVM BENEDICENTEM VOBIS benedictionibus omnis generis, corporalibus, spiritualibus, temporalibus, æternis: hoc vnicum his omnibus vijs intendens, vt CONVERTAT SE VNVSQVISQVE vestrûm A NEQVITIA SVA. *Iste est* enim *omnis fructus*, inquit Isaias, *vt auferatur peccatum.*

Isaiæ 27. v. 9.

CAPVT IV.

C *Petrus & Ioannes dum prædicant Euangelium capiuntur, incarcerantur, concilio sistuntur, vbi Christi causam intrepidè agunt: redditi suis laudant Deum, & vberiorem Spiritus sancti gratiam ac robur accipiunt. Fideles summa animorum vnione inter se deuincti, vendunt promiscuè possessiones suas, inter quos etiam Barnabas numeratur.*

℣. 1. MAGISTRATVS TEMPLI; græcè, στρατηγὸς; Chrysost. *dux militum templi*; Beda, *prætor templi*, qualis fuerit, alibi (*l*) dixi: vt qui Sadducæi. (*m*)

l Luc. 22. v. 52. m Matth. 3. v. 7.

℣. 4. VIRORVM QVINQVE MILLIA, diuersa prorsus ab illis *tribus millibus*, capit. secundi, inquit S. Hieron. Chrysost. Augustin. Liranus & Beda. His adiice feminas & pueros, & horum tot millium virorum familias; en *quàm modicum fermentum quantam farinæ massam conuertit*! inquit idem Chrysost.

Hieron. in Isaiæ 40. August. tract 39. in Ioan. Chrysost. hic, & homil. de virtute & vitio.

℣. 6. ANNAS, etsi tum temporis non esset pontifex, tamen vocatur PRINCEPS SACERDOTVM, & præponitur *Caiphæ* ob causas quas Lucæ 3. v. 1. recensui. IOANNES filius erat *Annæ* cognomento *Ionathæ*, postea etiam pontifex factus, teste Iosepho, (*n*) & dixi in Chronico. ALEXANDER opibus & virtute clarebat, maximè Alexandriæ, vbi erat *Halabarcha*, id est, præfectus salis, inquit idem Iosephus, (*o*) & ex illo Baronius. Hi cum reliquis DE GENERE SACERDOTALI, seu pontificali, constituebant magnum Iudæorum concilium 72. virorum, quod græcè συνέδριον, indeque hebraicè & syriacè *Sanedrim* vocatum est, vt aliàs (*p*) dixi. Neque enim constabat istud solis principibus ex tribu Iuda oriundis, vt sensit Ioan. Annius & Lucidus: nec ex solis sacerdotibus, vt voluit Abulensis: sed ex duodecim tribuum principibus, ex 24. principibus (*q*) classium sacerdotalium: denique ex ceteris synagogæ primoribus, præsertim Scribis, seu legisperitis, summo pontifice omnibus præsidente.

n Ioseph. l. 2 Bellic. 25. Chron. c. 42 sub finem. o Ioseph. l. 20. Antiq. c. 3. Baron. an. Christi 34. p Num. 11. v. 24. Annius & Lucidus in Breuiario tempor. q 1. Paral. 24. v. 6.

℣. 8.

℣. 8. PETRVS de nouo REPLETVS insigni robore interno à SPIRITV SANCTO ipsi indito, generosissimè vt caput Ecclesiæ decebat, respondet principibus.

℣. 9. SI DIIVDICAMVR; græcè, *si in quæstionem*, seu examen; Syrus, *si in ius vocamur*, ob BENEFACTVM, seu beneficium sanitatis impensum huic INFIRMO, QVI iam SANVS VOBIS ASTAT (ergo etiam claudum, vt occasionem tumultus, compegerant in carcerem, & iam vnà cum Apostolis sistunt concilio,) scitote id factum IN NOMINE, id est, per inuocationem & virtutem, IESV à VOBIS CRVCIFIXI.

℣. 12. NON EST ALIVD NOMEN, id est, nullus est alius, IN QVO, seu per quem cuius virtute, merito vel inuocatione, OPORTEAT NOS SALVOS FIERI (a)] Hinc docent Hugo Victorinus, Magister, S. Thomas, Bonauent. Alensis, Albertus, Marsilius & Gabriel, quos citat & sequitur Greg. à Valentia, post promulgatum Euangelium necessariam esse fidem explicitam Christi, necessitate non tantùm præcepti, sed & medij, ad acquirendam iustitiam & salutem æternam.

a *Rom. 3. v. 24. Valentia 2. 2. q. 2. puncto 4.*

℣. 17. COMMINEMVR, Pagninus & Tremellius, minaciter *interminemur*, EIS, NE VLTRA LOQVANTVR IN, seu de, NOMINE HOC] Id est, ne ampliùs Iesu Christi nomen prædicent, inuocent, aut signis edendis immisceant. Enagnitæ veritatis obstinatam impugnationem.

℣. 27. CONVENERVNT Iudæi FACERE, seu exequi, QVÆ diuina MANVS, id est, potentia ac prouidentia, TVA, ET æternum CONSILIVM TVVM DECREVERVNT, seu prædefiniuerunt, FIERI] nempe pati & mori Christum, ad humani generis redemptionem & salutem. Præuisis enim per præscientiam conditionatam peruersis Iudæorum voluntatibus & actibus, quòd scilicet Christum, si ipsis vitia ipsorum carpens obijceretur, occisuri essent, decreuit Deus Primò, id permittere; Secundò, decreuit & iussit Christo, mortem à Iudæis inferendam excipere; Tertiò, decreuit, illa eius morte, & non aliâ viâ mundum redimere & saluare. Vnde quod nuper dicebam, (b) Iudæorum *actio displicuit* extremè Deo, sed Christi *passio*, & ab æterno resultatura mundi redẽptio, *grata fuit*, & ab æterno décreta ac prædefinita à Deo. ita S. Leo, Prosper & alij Patres ac Scholastici. Ex quibus patet, quomodo scelerati, etsi nil tale cogitantes, Dei consilium exequantur, nec tamen à culpa eximantur, vt alibi (c) dixi.

b *Actor. 2. v. 23.*

Leo ser. 16. de Passione Prosper ad Obiecta Gallorum, respons. 13. Scholastici in 1. p. q. 19.

c *Gen. 45. v. 8.*

℣. 29. DA SERVIS TVIS, non periculis omnibus eximi, sed in mediis periculis CVM OMNI FIDVCIA (παῤῥησία etiam libertatem & audaicam significat,) LOQVI VERBVM TVVM: hoc autem datum nobis censebimus.

℣. 30. IN EO QVOD MANVM TVAM EXTENDAS AD SANITATES] Id est, per hoc quòd prædicationem nostram manu tua, vt cœpisti, pergas iuuare, operando per nos ad inuocationem Iesu Christi, miracula, quibus & illum Messiam esse testeris, & nobis id euangelizantibus fidem apud auditores concilies.

℣. 31. ET CVM sic ORASSENT, MOTVS EST LOCVS] Et hoc tertæmotu indicabat Deus, se præsentem (d) illis esse, & omnibus illorum hostibus quantumcumque terribilibus terribiliorem fore: imò ipsosmet hostes audito Euangelio, metu illius ac reuerentia concutiendos, (e) ciqúe subiugandos esse, inquit Beda & Liranus. Indicabat

d *Psal. 113. v. 6. Exodi 19. v. 19. Eccli. 16. v. 18.*

e *Aggæi 2. v. 7.*

A quoque nouum Spiritus sancti aduentum, vt sequitur, in animos ipsorum, quo iteratò accenderentur, & magis inflammmarentur, inquit Chrysost. Ad acres enim tentationes & persecutiones fortiter superandas, vt & ad opera heroica constanter prosequenda, opus est sæpè nouo crebroque impulsu & robore Spiritus sancti, quod assiduis & ardentibus precibus à Deo deposcendum, laudatissimo horum primorum Christianorum exemplo.

℣. 33. GRATIA MAGNA ERAT IN OMNIBVS ILLIS primis Christianis; gratia, inquam, tum quâ à Deo cumulabantur, in vultu, verbo, moribusque eorum resplendente: tum quâ erga se mutuò vtebantur, maxima beneuolentia beneficentiaque se, vt mox sequitur, inuicem prosequentes, vt fratres, imò angeli esse viderentur.

℣. 34. QVOTQVOT POSSESSORES AGRORVM AVT DOMORVM ERANT, vendebant illa; B certi ob imminens Ierosolymæ excidium, aliò sibi breuî demigrandum; inquit Melchiades Papa. (f) Sed si hoc solum spectassent, pretia rerum venditarum sibi reseruassent. Et sanè poterant seruare quicumque volebant, teste ipsomet Petro, (g) dicente Ananiæ, *Nonne manens tibi manebat, & venumdatum in tua erat potestate?* Verum plerique perfectionis studiosi, illud Christi sequentes, (h) *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me*; non proposito solùm, sed & voto, vt castitatis & obedientiæ, ita etiam paupertatis, sese ad instar Apostolorum (i) obstringentes, exuebant se rerum omnium terrenarum dominio ac proprietate, ET PONEBANT ANTE PEDES APOSTOLORVM] Idque studio humilitatis ac reuerentiæ erga Apostolos, & in signum contemptus opum mundanarum, quasi eæ non manibus tractandæ, sed pedibus calcandæ essent: denique vt ostenderent se non tam gratiam præstare, quàm recipere ab Apostolis, inquit Chrysost. Mox affert Lucas eximium Leuitæ cuiusdam è potentissimis exemplum.

f *causa 12. q. 1. cap. Statutum.*

g *Actor. 5. v. 4.*

h *Matt. 19. v. 21.*

i *Ibid. & v. 27.*

Chrysost. in 1. Cor. 11.

℣. 36. IOSEPH, ob egregium benefaciendi omnibus studium, & insignia quibus fulgebat talenta, COGNOMINATVS AB APOSTOLIS BARNABAS] id est, *filius consolationis*, id est, totus consolatorius, consolatione plenus, & consolationem omnibus afferens. Hic

℣. 37. VENDIDIT AGRVM quem, vt vult Hugo, in *Cypro*, (vnde natus erat) vel etiam in Iudæa, vt ait Alexander, habebat amplissimum, magnificis constructum ædificijs: (nam agri pascuales (k) permissi erant Leuitis etiam in Iudæa:) ET PRETIVM omne POSVIT ad PEDES APOSTOLORVM] Sophronius Patriarcha Ierosolymit. & Helecas Episcopus Cæsaraugustanus volunt Barnabam ex D materno latere fratrem fuisse Zebedæi, (l) patruum SS. Iacobi Maioris & Ioannis Euangelistæ: consobrinum alterius Ioannis cognomento Marci, in cuius domo cœnam vltimam (m) Christus celebrauit, & Spiritum sanctum in discipulos misit. (n)

Alexand. Mona. hus in Vita Barnaba.

k *Num. 35. v. 3.*

Sophronius in fragmẽto de laboribus SS. Petri & Pauli tom. 7. Biblioth. SS. Patrum. Helecas in addition. ad Chronicon Lucij Dextri.

l *Chron. c. 46 in fine tabulæ 4.*

m *Matt. 26. v. 18.*

n *Actor. 1. v. 13. & 2. v. 1.*

CAPVT V.

Ananias & Saphira, ob fraudatum agri pretium, morte subitanea plectuntur à Petro, cuius & alia crebra miracula recensentur, vti & aliorum Apostolorum: qui incarcerati à Iudæis, liberantur ab angelo: sed rursus pertracti in concilium & suasu Gamalielis morti subtracti flagellis cæduntur: quibus gaudent & exultant, & alacriùs atque audaciùs Christum prædicant.

℣. 2. FRAVDAVIT DE PRETIO AGRI] Græcè, *callidè surripuit*; Syrus, *sustulit*. Contra vo-

tum

tum enim & paupertatis professionem, quam vel fecerat, vel facturus veniebat, decerptam pretij partem sibi sepofuerat. quod furtum erat & sacrilegium rei Deo dicatæ, inquit S. Augustinus. Chrysost. Basilius, Hieron. & alij Patres, & quod mireris, etiam Beza, qui ad mendacium, hypocrisin & diffidentiam, dicit etiam sacrilegium accessisse. Et quomodo alioqui diceretur hîc *fraudasse de pretio*, cùm fraus non sit nisi in re alteri debita? quomodo diceretur *mentitus non hominibus, sed Deo*, si res Deo non debebatur? Et an mendacium nulli iniurium, ac per consequens solùm veniale peccatum, morte subita & tam infami, plectendum censuisset Apostolus? Erant ergo hi duo ex numero eorum qui perfectum vitæ Christianæ institutum, vt nunc Religiosi faciunt, amplectebantur primis illis Ecclesiæ initijs Ierosolymæ, quod ad alia orbis loca paulatim deuexerunt Apostoli alijque discipuli Christi, Marcus (a) in Ægyptum, Paulus & Barnabas in Græciam, Matthæus in Æthiopiam, Dionysius, (b) Lazarus, Magdalena & Martha in Gallias, Petrus & Clemens in Italiam, alij in alias regiones. Porrò hæc Christianæ vitæ perfectio, &, vt Nyssenus loquitur, *vitæ diuinæ imitatio*, vt in ipsis initijs subinde adulterata fuit, vt in Anania, Saphira, & Græcis murmuratoribus (c) patuit: ita progressu temporis paulatim deferbuit, ac ferè penes solos selectiores continuauit, qui posterioribus sæculis *Religiosi*, ex eo quòd cultui diuino religiosiùs insisterent, nuncupati fuerunt.

August. serm. 27. de Verbis Apostoli. Chrysost. hom. 12. in Acta. Basil. serm. 1. de Instit. monach. Hieron. epi. 8. ad Demetriad.

a *Euseb. l. 8. Prepar. c. 4. ex Philone de Essæis.*
b *Dionys. Eccles. Hierarch. c. 10.*
c *Actor 6. v 1.*

NON ES MENTITVS solis HOMINIBVS, (d) SED etiam DEO, putà *Spiritui sancto*, spiritui veritatis, (e) candoris & sinceritatis, qui se tam liberaliter per dona sua in te effuderat. Et quidem S. Irenæus, (f) Basilius atque Augustinus aliquando putarunt, hos duos æternùm damnatos fuisse. Sed malim cum Origene, Isidoro Pelusiota & Cassiano dicere, post acrem Petri increpationem resipuisse, ac pœnituisse: cæsos tamen ab angelo ad terrorem nouellæ Ecclesiæ. (g) Et in hanc sententiam etiam S. Augustinus (h) postea concessit. Tertullianus censet typum hîc datum excommunicationis Ecclesiasticæ, de qua alibi. Sed hinc discant testamentorum executores, quàm seuera maneat illos pœna si pia legata in alios vsus conuerterint. Discant & Religiosi nihil sine Superioris venia sibi vsurpare.

d *Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 6.*
e *Ioan. 16. v. 13.*
f *Iren. l. 4. c. 46. & 47. Basil. & August. sup. Origen. tract. 8. in Matt. 9. Isidor. l. 1. epist. 181. Cassian. collat. 6. c. 1.*
g *1. Reg. 13. v. 13. in fine.*
h *August. l. 2. cont. Parmenion. l. 1. Tertull. l. de Pudicitia c. 21.*

℣. 13. CETERORVM fidelium NEMO AVDEBAT SE CONIVNGERE Apostolis, aut familiariùs ipsis adhærere, partim metu Iudæorum, partim reuerentiâ Apostolorum, qui, vt ait Chrysostomus, erant *sicut angeli, admirabiles*, grauitate venerabiles, oratione cælestes, moribus diuini, nil nisi ignem spirantes charitatis, deuotionis & zeli.

℣. 15. VMBRA PETRI saluificâ putat Beda adumbrari Ecclesiæ Sacramenta, quæ quasi velamenta sunt gratiæ, & viuificant contingentes. Addit S. Augustinus, si tam medicabilis fuit vmbra, quid poterit imago Petri? quid catenæ? quid aliæ reliquiæ?

Aug. ser. 29. de Sanctis.

℣. 16. VEXATOS A SPIRITIBVS IMMVNDIS] (quales tum temporis, nutu ac prouidentia diuina, ad refellendam hæresin Sadducæorum, (i) angelos & spiritus negantium, plurimi erant) ordinario exorcismo, cùm baptizarentur, vel confirmarentur, curari solitos, multis exemplis ex Prudentio, Lactantio & alijs probat Lorinus.

i *Matt. 3. v. 7.*
Prudent. in Apotheosi. Lactan. l. 4. c. 27.

℣. 17. PRINCEPS SACERDOTVM Caiphas, (k) & HÆRESIS SADDVCÆORVM] Syrus, *qui erant ex doctrina Sadducæorum*, vt ferè erant omnes magistratus, zelo tuendi partim iudaismi, partim sadducæismi sui & simul indignatione commoti, quòd minis nuperrimè (l) intentatis nihil terrerentur Apostoli, compingunt omnes

k *Chronici c. 42. sub finem.*
l *Actor. 4. v. 17.*

℣. 18. *in custodiam* PVBLICAM] græcè, δημοσίαν, id est, popularem, plebeiam, in quam fures passim & latrones compingi solebant, inquit Hugo.

℣. 19. Sed ANGELVS, nempe Michaël, vt Sophronius, Pantaleon, & quidam alij volunt, reseratis, & mox iterum reclusis valuis, liberos educit è custodia.

Sophron. in encomio Angelor. tom. 2. Biblioth. SS. Patrum. Pantaleon Chartophylax in encomio S. Michaelis apud Surium 29 Septemb.

℣. 28. VVLTIS INDVCERE SVPER NOS SANGVINEM HOMINIS ISTIVS] Id est, vultis nos reos facere homicidij, imò Christicidij, eiusque quasi iniustè occisi pœnas à nobis deposcere tum apud plebem, tum apud Romanos rerum dominos, & potentes scelerum vindices. Sed an oblitus es, ô Caipha, eius quod vobis imprecati estis, dicentes, *Sanguis eius super nos, & super filios nostros?*

Matt. 27. v. 25.

℣. 32. NOS SVMVS TESTES HORVM VERBORVM] id est, harum rerum, nempe resurrectionis, ascensionis & cælestis exaltationis Christi, itemque pœnitentiæ, remissionis peccatorum, iustificationis & saluationis æternæ, à Deo in Christum credentibus promissæ, inquit Liranus. Testis est eorumdem omnium etiam *Spiritus sanctus* tot miracula per, vel circa, nos patrans ad eas veritates cælestibus sigillis suis comprobandas. ita S. Cyrillus. His illecebris conatur Petrus pellicere principes, etsi Christicidas, ad veniam scelerum suorum, quæ vltrò omnibus pœnitere volentibus offertur, amplexandam: nec metuant iam ampliùs pœnas hoc nomine infligendas, sed fructibus ex eius morte subnatis pascantur & delicientur.

Cyrill. l. 10. in Ioan. c. 33.

℣. 34. GAMALIEL magister fuit Pauli, (m) Barnabæ & Stephani, ac fauebat Christo & Christianis. Imò S. Clemens & Beda volunt, iam tum fuisse Christianum, (licet id neget Chrysostomus) Apostolorum autem suasu fidem ad tempus celasse, vt in concilio Christianos tueri posset. Postea fidem publicè professus est, & inter Sanctos relatus vnà cum filio suo Abibone, 3. die Augusti, vt videre est apud Baronium.

m *Actor. 22. v. 3.*
Clem. l. 1. Recognit. c. 9.
Baron. ex Luciano Presbytero in relatione inuentionis corporum S. Stephani, Nicodemi, Gamalielis & Abibonis

℣. 35. ATTENDITE VOBIS] & nolite ex nimia ira vel zelo præcipitare sententiam, cuius postea, sed serò pœniteat.

℣. 36. ANTE HOS DIES, seu ante hæc tempora, nempe post medium imperij Cæsaris Augusti, ante Iudam (n) Galilæum, qui viguit sub finem imperij Augusti (o) IN DIEBVS PROFESSIONIS ac descriptionis totius mundi, de qua Lucæ 2. v. 1. & 2. EXTITIT THEODAS, DICENS SE ESSE ALIQVEM O *magnum*, vt in Græco & Syro additur. Hic ergo *Theodas*, de quo Gamaliel, alius est ab illo *Theoda*, seu *Theuda*, de quo Iosephus meminit, post 13. ab hinc annos occiso à Cuspio Fado præside Iudææ, nempe anno quarto Claudij Cæsaris, cui Iosephus coæuus fuit. Fortè hic Iosephi Theudas filius vel nepos fuit Theodæ Gamalielis, qui rebellionem patris vel aui ex parte sopitam resuscitare, vel necem vlcisci voluit. ita contra Eusebium, Bedam, Dionysium & Baronium Cornelius à Lapide, Franciscus Haræus & alij. Plurimi enim fuerunt sub tempus nascituri Messiæ in Iudæa pseudochristi & seditiosi, quorum meminit Iosephus tecto subinde nomine vel agnomine, quod potuit alicui esse Theodæ.

n *Hic v. seq.*
o *Chronici c. 44 & 47. Ioseph l. 20. Antiq. c. 2.*

℣. 37. POST HVNC Theodam EXTITIT IVDAS GALILAEVS natione, vnde sectæ ipsius nomen

men adhæsit *Galilæorum*, qui occasione census ab Augusto Cæsare omnibus prouincijs indicti, rebellionem excitauit in Iudæa, vt alibi (a) dixi, & Iosephus (b) fusè describit, additque (c) Iudæ istius filios Iacobum & Simonem, sub Claudio Imperatore ob eamdem hæresin cruci affixos fuisse. Nec priùs desijt hæc hæresis, quàm in apertum erumpens bellum, Vespasiano & Tito occasionem daret Ierosolymæ exscindendæ & Iudææ totius subuertendæ. q.d. Pari modo hæc Apostolorum noua dogmata citò qualia sint se prodent. Vel enim in seditionem prorumpent aut aliud facinus; & sic à Romano præside plectentur. Vel proferent vtiles & optatos reipublicæ nostræ fructus, è quibus constabit à Deo promanasse: quo casu nec debemus, nec possemus nos illis opponere. Quare suadeo, ne præcipitetis sententiam, sed euentum rei exspectetis.

a *Matt.* 22. *v.* 17. & *Luc.* 13. *v.* 1
b *Ioseph. l.* 18. *Antiq. c.* 1.
c *Idem l.* 20 *c.* 3.

℣. 38. DISCEDITE; Syrus, Tigurini & Pagninus, *abstinete*, AB HOMINIBVS ISTIS] Ergo & à puniendis hæreticis abstinete, inferunt ijdem hæretici: sed perperam. Nam causa hæreticorum non est Ecclesiæ iudicibus dubia (vt erat Iudæis hæc Apostolorum;) sed constat illis falsam esse, erroneam, & sæpiùs ac manifestè ab Ecclesia damnatam ac proscriptam: vnde non ampliùs probanda vel excutienda, sed plectenda, &, ne vlteriùs serpat, pluresque inficiat, succidenda. Principes auditis his rationibus,

℣. 39. CONSENSERVNT Gamalieli in eo, quòd censeret non occidendos Apostolos, vt ipsi antè propòsuerant, (d) sed non consenserunt in eo, quod censeret abstinendum prorsus ab omni pœna ipsis infligenda. Nam mox flagellis vel fustibus in eos sæuierunt: Syrus, verberarunt. quod aliqui de inflictis alapis exponunt: verùm Græcum δέιρω non *verberare* tantùm, sed & *excoriare*, vel corium conscindere significat. Hac acceptâ contumeliâ

d *Hic v.* 33.

℣. 41. APOSTOLI IBANT GAVDENTES; *omne*, id est, perfectum & plenum, *gaudium existimantes*, (e) PRO NOMINE, honore & amore, IESV CONTVMELIAM, & verbera PATI. Qui supremus & *excellentissimus fortitudinis gradus* est, & *mirabilior omnibus signis ac miraculis*, inquit Chrysostomus.

e *Inc.* 1, *v.* 2.

CAPVT VI.

Crescente in dies credentium numero, ad sedandum murmur Græcorum, creantur septem Diaconi: inter quos eminens Stephanus, à Iudæis, quos conuicerat, capitur, & reus agitur violatæ legis Mosaicæ.

℣. 1. FACTVM EST MVRMVR. Hactenus credentium, vtpotè paucorum & feruentium, fuerat *cor vnum* (f) & *anima vna*: iam crescente paulatim numero, & feruore decrescente, incipiunt murmurationes & schismata. Initium factum à *Græcis*, id est, à Iudæis in Græcia natis (g) & enutritis, ac proinde Græca lingua, Græcisque moribus, vt fit, vtentibus. In Græco enim hîc non Ἕλληνες, seu *Græci*, sed Ἑλληνισταὶ, id est, *Græcistæ*, seu Græcizantes vocantur. Quo minùs autem putem, *Græcos* propriè dictos, vel *Gentiles*, hîc notari, obstat quòd Gentilibus hoc tempore necdum aperta fuerit ianua Ecclesiæ, sed hi post conuersionem Cornelij (h) Centurionis demum admissi sint. Murmuris primi occasio cœpit à mulieribus, Græcorum *viduis*, EO QVOD DESPICERENTVR IN MINISTERIO QVOTIDIANO distributionis rerum communium, siue in *agape*, (i) siue alibi. Videntur enim Hebrææ Iudæorum in Iudæa natorum viduæ, sibi vt inquilinis arrogasse honoratiora quæque & lautiora ministeria; viliora verò Græcis demandasse, inquit S. Chrysostomus, Rabanus & Beda. Videntur etiam in distributione ciborum & vestium magis fuisse Hebræis, quàm Græcis, vt censet Occumenius, Gagneius, Caietanus & alij. Et notat Thomas Bozius, Græcos, vti primò hîc murmurant, ita primos quoque schisma fecisse & secessisse ab Ecclesia. Porrò sopiendę murmurationi, decernunt Apostoli, vt loco viduarum non sat accuratè suo officio fungentium, deligantur *septem* Diaconi, qui præfectos agant mensæ, non profanæ tantùm, (vt hæretici contendunt & Durandus, Caietanus & spurius canon Synodi Trullanæ, qui falsò vocantur canones Synodi sextæ:) sed etiam sacræ & Eucharisticæ mensæ, quæ quotidie præmittebatur olim Ierosolymis & alijs quibusdam locis cœnæ communi, seu conuiuio publico in signum charitatis ex thesauro Ecclesię præberi consueto, quod Agapen vocabant. Ministrabant ergo necessaria epulis eiusmodi instruendis, sed ante omnia deseruiebant Apostolis Eucharistiam conficientibus, & exin populo illam distribuebant: baptizabant quoque & prædicabant etiam, & alia munia sacra obibant, quæ sigillatim recenset S. Clemens Romanus, & Concilium magnum Nicenum. Qua ratione verò Diaconorum horum ordinatio sit verum ac propriè dictum Sacramentum, à Christo institutum, sed hîc ab Apostolis primùm collatum; patet ex impositione manuum, hîc adhibita, (quo signo repræsentatur illapsus & obumbratio Spiritus sancti:) & ita docet Innocentius III. & Doctores Scholastici. Quomodo denique ad instar horum septem, constituti sint Romæ septem Diaconi Cardinales, & horum postea duplicatus sit numerus, vide apud Sigonium. Creatum hoc eodem anno primo à Passione Christi, Iacobum Alphæi (k) Episcopum Ierosolymorum, ordinatumque à S. Petro 27. die Decembris, ac 29. annis ibi residisse, docet ex Eusebio & Beda Baronius.

Bozius de Signis Eccl. l. 19. c. 3.
Durand. in 4. d. ſ. 24. q. 2.
Caiet. to. 1. opusc. tract. 11.
Syn. Trull. c. 10 apud Theodorum Balsamon.
Clem. l. 2. Constit. c. 61
l. 3. c. 19. l. 8. c. 7 & 9.
Conc. Nicen. c. 14.
Innoc. III. l. 3. de Myst. Missæ c. 5. & 56.
Sigonius l. 9 de Regno Italiæ.
k Chronici c. 46. in fine vltimæ tabulæ.
Euseb. in Chronico.
Beda in Martyrol.
Baron. anno Christi 34.
l Leuit. 16. v. 18 & 34. & 2. Machab. 12. v. 43. & 44.
Ioan. 4. v. 20.
m Hic v. 9. & seqq.
n c. 8. v. 35. & 40.
Luc. Dexter in Chronico anno Christi 34.
o Actor. 9. v. 11.
p Actor. 8. v. 35. & c. 21. v. 8.
q Ibid. v. 9.
Euseb. lib. 1. Hist. c. vlt. Tertul. l. de Exhort. c. 8.

f *Actor.* 4. *v.* 32.

g *Ioseph. l.* 12. *Antiq. c.* 5. *l.* 14. *c.* 9. *l.* 16. *c.* 4. *&c.*

h *Actor.* 10 *v.* 1. *&c.*

i *Marc.* 14. *v.* 22.

℣. 4. NOS VERO ORATIONI, (sub qua intellige etiam sacrificium Missæ, quod nobilissimum est *orationis* genus, & solet in Scripturis (l) hoc nomine designari,) ET MINISTERIO VERBI Dei INSTANTES ERIMVS] id est, assiduè intendemus, totique vacabimus. Diaconi verò non continuò, neque ordinariè, sed per interualla tantùm prædicabant & baptizabant, vt patebit ex Stephano, (m) & Philippo. (n)

l *Leuit.* 16. *v.* 18 & 34. & 2. *Machab.* 12. *v.* 43. & 44. *Ioan.* 4. *v.* 20.

m *Hic v.* 9. & *seqq.*

℣. 5. STEPHANVS græcè coronam significat. Ex quo, vt & ex aliorum Diaconorum nominibus Græcis, patet, ipsos si non genere, certè natiuitate & patria Græcos fuisse, vt Lucius Dexter annotauit. Et ex sententia Sanchez, Salmeronis & aliorum multorum Stephanus cognatus erat Pauli: Paulus autem natus erat Tarsis (o) in Cilicia. Crediderim autem ex Græcis, id est, ex Iudęis inter Gentiles natis, creatos ideo omnes Diaconos, vt Græcis murmurantibus fieret pleniùs satis. Commendatur hîc Stephanus à triplici *fide*; Primò morali, quæ virtus est fidelitatis; Secundò, Christiana, qua & ipse plenè instructus erat, & etiam alios instruebat, & generosissimè aduersus Iudæos propugnabat; Tertiò, fide miraculorum, id est, fide ac fiducia in Deum adeò excellenti, vt etiam miracula patraret.

n *c.* 8. *v.* 35. & 40. *Luc. Dexter in Chronico anno Christi* 34.
o *Actor.* 9. *v.* 11.
p *Actor.* 8. *v.* 35. & *c.* 21. *v.* 8.
q *Ibid. v.* 9. *Euseb. lib.* 1. *Hist. c. vlt. Tertul. l. de Exhort. c.* 8.

PHILIPPVS hic infrà (p) vocatur EVANGELISTA, id est, præco Euangelij, parens quatuor filiarum Prophetissarum: (q) ab Eusebio, Tertulliano & Isidoro

Isid. Pelus. l. 1. epi. 447. Isidoro Pelusiota etiam *Apostolus* vocatur; id est, vir Apostolicus, inter Sanctos relatus die 6. Iunij, vt habes in Martyrologio Romano: visitque S. Paula (a) sepulchrum illius & filiarum eius Cæsareæ in Palæstina.

a Hieron. epist. 27. ad Eustoch.

Luc. Dexter anno Christi 94. PROCHORVS inter Diaconos tertius martyrio Antiochiæ celebris 9. Aprilis. Scripsit res gestas S. Ioannis Apostoli, inquit Lucius Dexter. Sed hæc scripta perierunt: nam quæ inserta sunt tomo 7. Bibliothecæ SS. Patrum, Prochoro indigna & suppositicia sunt.

Quartus *Nicanor* in Cypro 10. Ianuarij: Quintus *Timon* Corinthi 19. Aprilis: Sextus *Parmenas* Philippis in Macedonia 23. Ianuarij, coronâ martyrij celebres habentur. Sed septimus *Nicolaus aduena*; græcè, προσήλυτος, id est, ex Gentili ad iudaismum conuersus Antiochiæ, fœdissimæ hæreseos (b) (qua docetur licere fornicari, etiam promiscuè) si non auctor, vt volunt * Irenæus, Tertull. & Epiphanius, certè occasio fuit. Nam Clemens Alexandrinus, Eusebius & Augustinus eum ab hac fœda doctrina excusant, vt videre est apud Baronium.

* Iren. l. 1. c. 27. Tertull. de Præscrip. c. 46. Epiph. hæresi 25.

b Apoc. 2. v. 15.

¥. 9. SYNAGOGA LIBERTINORVM] id est, eorum qui prognati erant ex Iudæis in seruitutẽ per Pompeium (c) aliosve duces olim abductis, sed iam libertate donatis, inquit S. Chrysostomus, Beda, Caietanus, & à Lapide. Hos enim, quasi ex seruili genere prognatos, nolebant alij ex liberis prognati admittere in suas Synagogas, cogebantque seorsim conuenire. Horum Libertinorum Romæ in transtiberina regione degentium meminit Philo in sua Legatione. Oecumenius, Gagneius, Hugo, Liranus & Glossa per *Libertinos* intelligunt oriundos ex *Libya* inter Cyrenem (d) & Ægyptum. Per *Ciliciam* intelligitur quæ hodie *Caramania* dicitur à Turcis, è qua Synagoga crediderim fuisse *Saulum* Tarsensem, & eius consobrinum (e) *Stephanum*.

Clem. Alex. l. 5. Strom. c. 3. Euseb. l. 3. hist. c. 23. Augustin. de hæres. c. 5

c Chron. c. 42. class. 2 sub fin.

Philo in legat. ad Caiũ sub medium.

d 4. Reg. 16. v. 9. Isaiæ 16. v. 7.

e Hic v. 5.

¥. 18. FACIES ANGELI significat maiestatem quasi angelicam in vultu relucentem, vt alibi (f) dixi. Erat autẽ Stephanus vultu à natura speciosissimo, inquit S. Augustinus: (g) sed hîc supra naturam addit illi Deus nouam pulchritudinem, quæ index esset internæ venustatis & splendoris animi: vnde idem Augustinus (h) dicit vultum eius *radiasse instar solis*, vt olim etiam accidit Moysi, (i) & tempore noui testamenti S. Antonio, S. Francisco, S. Ignatio de Loiola & pluribus alijs. Chrysostomus vult splendorem hunc Stephano aduenisse ex conspectu gloriæ (k) Christi. Idque vt Iudæis constaret, ipsum eiusque doctrinam esse *lucem mundi*. (l)

f Esther 15. v. 16.

g August. serm. 6. de Sanctis.

h Idẽ serm. 99. de Diuersis.

i Exodi 34. v. 29.

k Actor. 7. v. 55.

l Matt. 5. v. 14.

CAPVT VII.

Stephanus in concilio perorans retexit obiter gesta Abrahæ, Isaac, Iacob, Moysis aliorumq; Prophetarum, qui prænuntiarunt venturum Christum: quibus sicut restiterunt prisci Iudæi, ita nunc posteros horum resistere Christo eiusq; discipulis, essedq; proditores & Christicidas. vnde furentes Iudæi rapiunt Stephanum & lapidibus obruunt, Saulo vestes lapidantium asseruante.

m Proleg. de laudibus Hier. n. 40.

¥. 2. DEVS GLORIÆ, (m) id est, gloriosissimus, APPARVIT PATRI NOSTRO ABRAHÆ IN MESOPOTAMIA] id est, in regione quæ est trans Euphraten, & complectitur etiam vicinam Chaldæam, è qua euocatum constat ex Genesi. (n) Sic nomen *Mesopotamiæ* dilatat etiam Plinius. Et hanc esse mentem S. Stephani constat ex v. 4. vbi dicit, exiisse illum *de terra Chaldæorum*.

n Genes. 12. v. 1. & Genes. 11. v. 31.

¥. 5. NON DEDIT ILLI DEVS in Chanaan HEREDITATEM, quam per se possideret instar prædij vel agri frugiferi. Nam quòd possederit in ea *speluncam duplicem*, Gen. 23. v. 9. solùm pro sepultura fuit, quæ non censetur hereditas viuorum, sed carcer mortuorum. Neque Deus hanc illi per se dedit, sed & ipse pretio illam coemit, inquit S. Augustin. & Glossa.

Aug. q. 56. in Genes.

¥. 6. SEMEN, id est, posteritas, EIVS ACCOLA, πάροικος, id est, aduena, ERIT, seu peregrinabitur, IN TERRA ALIENA Chanaan & Ægypti, ANNIS QVADRINGENTIS, qui cœperunt cum ablactatione Isaac, vt alibi (o) probaui.

o Chronicl. c. 15. sub medium.

¥. 14. ANIMABVS, id est, hominibus, SEPTVAGINTA QVINQVE] Includunt LXX. interpretes quinque nepotes Ioseph posteà natos in Ægypto, vt dixi Gen. 46. v. 26.

¥. 16. TRANSLATI SVNT duodecim Patriarchæ, filij Iacobi, IN SICHEM, siue *Sichar*, vrbe primaria prouinciæ Samariæ; dicta dein *Mabarta* Iosepho, *Mamortha* Plinio, & *Flauia Cæsarea* à Flau. Domitiano Cæsare, & vsque nunc *Neapolis* vocatur. Posteà tamen inde translatos omnes, vno dempto Iosepho (p) & sepultos in *Hebron*, insinuat hîc S. Stephanus, & disertè docet Iosephus. (q) Comestor, Dionys. & Gagneius, *positosque* IN SEPVLCHRO QVOD EMIT ABRAHAM A FILIIS HEMOR FILII SICHEM] & sic coniuncti sunt ossibus Abrahæ, Isaaci & Iacobi sepultorum in Hebron.

p Iosue 24. v. 32.

q Ioseph. l. 2 Antiqu. c. 4.

Dices, Abraham Gen. 23. v. 16. dicitur emisse agrum suum non *à filijs Hemor filij Sichem*, sed *ab Ephron filio Seor*. Respondeo, Vnus idemque est *Hemor & Seor*, & huius filius (vt apparet, primogenitus) erat *Ephron*, qui nomine tum suo, tum ceterorum fratrum suorum, vendidit Abrahamo speluncam. Porrò *Hemor* iste filius fuit *Sichem*, non illius à cuius filiis emit Iacob agrum suum Gen. 33. v. 19. sed alterius longè antiquioris. Frequens enim vsus apud Hebræos erat, plures eiusdem familiæ eodem nomine compellandi, & vni eidemque plura nomina indendi, vt patet ex primis capitibus libri primi Paralipomenon, & alijs Scripturæ locis, ita à Lapide.

¥. 17. PRO CONFESSVS seu professus EST, seu promiserat, græcè iam est, ὥμοσεν, id est, *iurauerat*.

¥. 19. CIRCVMVENIENS; græcè, *dolosis artibus* quasi retibus *capiens*, GENVS NOSTRVM, obruendo parentes vectigalibus & laboribus iniustis: filios verò per obstetrices, vel per emissarios suffocando sicque cogens parentes *exponere* INFANTES SVOS, in antris vel ripis fluminum, vt à matre expositum constat Moysen, Exodi 2. v. 3. Faciebat autem hæc omnia Pharao, NE VIVIFICARENTVR, id est, ne in viuis manerent infantes, & stirpem Hebræorum propagarent. Porrò quæ de Moyse hîc narrat Stephanus, explicui omnia in Exodo.

¥. 35. HVNC MOYSEN, QVEM patres vestri NEGAVERVNT, id est, detrectarunt habere *principem*, vel inuitis illis, MANV, id est, ope & ductu, ANGELI constituit DEVS PRINCIPEM ET REDEMPTOREM populi: supple: pari modo Christum à vobis reprobatum, vel inuitis vobis constituit redemptorem & principem tum vestrum, tum totius vniuersi.

¥. 37. HIC MOYSES DIXIT, (r) PROPHETAM, nempe Christum principem omnium Prophetarũ, SVSCITABIT VOBIS DEVS] Quo igitur iure fingitis me aduersari Moysi, cum Christum à Moyse promissum vobis ego denuntio? vos potiùs illi aduersamini, dum Christum ab illo promissum & à

r Deut. 18. v. 15.

me denuntiatum repellitis & opprimitis.

℣. 42. CONVERTIT DEVS ET TRADIDIT, id est, iterum tradidit, EOS SERVIRE MILITIÆ CÆLI: id est, adorare solem, lunam & reliqua astra: tradidit, inquam, non impellendo, sed permittendo, vt aliàs (4) exposui. Per LIBRVM PROPHETARVM] intelligi vult prophetiam Amos, cuius c. 5. v. 25. exposita habes quæ hîc S. Stephanus citat de *Moloch* seu Saturno, *& sidere* REMPHAM, id est, lucifero, seu Venere.

a Gen. 45. v. 8. & Exodi 7. v. 3.

℣. 44. TABERNACVLVM TESTIMONII, seu fœderis; quod Moyses fabricauit Exodi 26. SECVNDVM FORMAM in monte Sinai sibi exhibitam,

b Exodi 25. v. 40.

(b) INDVXERVNT PATRES NOSTRI duce IESV, seu Iosue, IN POSSESSIONEM GENTIVM, id est, in terram Chanaan à Gentibus antè possessam, vt narratur Iosue 3. & sequentibus. Mansitque tabernaculum istud apud ipsos in perpetuo vsu, VSQVE IN DIEBVS; græcè & syriacè, *vsque ad dies*, DAVIDIS:

℣. 46. QVI INVENIT GRATIAM ANTE DEVM quam PETIIT, nempe vt designatione diuina INVENIRET locum commodum condendo nouo & fixo TABERNACVLO, seu templo, DEO

c Psal. 131. v. 5.

Israelis. (c) Hunc locum sibi designari petijt cùm pestis tam horrendè sæuiret in populum, 2. Regum 24. Et tunc per Gad Prophetam intellexit, velle Deum eodem in loco æternùm coli, in quo Dauidi apparuerat angelus gladium vibrans, id est, in monte Moria. Vnde & coëmptum mox locum Dauid, & illi vsui destinatum, transcripsit Salomo-

d 2. Par. 3 v. 1.

ni, qui templum ibi postea construxit. (d)

℣. 48. SED Deus EXCELSVS, imò immensus, NON HABITAT, vt vos putatis, IN MANVFACTIS templis, quasi locis in quibus solis degat, & è quibus solis potentiam suam exerat. Nam sic implet

Isaiæ 66. v. 1.

cælum & terram, teste PROPHETA, scilicet Isaia, qui totam *terram* vix *scabellum* facit *pedum* eius. Porrò si quid ex omnibus à Stephano dictis pupugit Iudæos, postremum istud de templo Ierosolymitano, quasi non ita curæ esset Deo, ad extremam rabiem omnes concitauit, quam cùm nec vultu, nec gestu dissimularent, acriùs in eos insurgit Stephanus:

℣. 51. DVRA CERVICE, & ad bonum flecti nescia, peruicaces, obstinati in malo: qui *cor & aures* tegmine infidelitatis obductas habetis, nec vultis illam circumcidere vel auferre. Prophetarum more (e) & Christi exemplo (f) inuehitur magna libertate & zelo in Iudæorum perfidiam.

e Isaiæ 1. v. 2. & 10. Ierem. 22. & 23. Ezech. 2. & 3. &c. item 2. Machab. 7 &c.

℣. 53. QVI DISPOSITIONE, seu ministerio & ordinatione, ANGELORVM, Michaëlis eiusque sociorum concinnatam LEGEM ACCEPISTIS, quidem, sed NON CVSTODISTIS] vt iam (g) antè ostendi. En blasphemiam contemptæ legis in se detortam Stephanus iterum retorquet in ipsos aduersarios.

f Matt. 23. v. 13. & seqq. Luc. 13. v. 32. &c.

℣. 54. DISSECABANTVR CORDIBVS] διεπρίοντο, id est, differrabantur, ferra scilicet odij, iræ, indignationis. E contrario Stephanus,

g Hic v. 37. & 52 &c.

℣. 55. PLENVS SPIRITV SANCTO, terrena omnia vt vilia & exilia despiciéns, oculosque tam corporis, quàm animi, INTENDENS IN CAELVM, cælestis gloriæ iam candidatus, eò anhelans & suspirans, VIDIT GLORIAM DEI, non in essentia sua (sic enim Deum nemo mortalium vidit vmquam,

h Exodi 33. v. 19. & Ioan. 1. v. 17. & 18.

sed nec videre (h) potest) sed in imagine vel specie Deum glorioſum repræsentante instar regis vel iudicis summa maiestate effulgentis, vt in simili de Moyse dixi in Exodo. *Vidit* & FILIVM HOMINIS, id est, Iesum, STANTEM A DEXTRIS DEI, loco Patri proximo, qui debetur illi vt homo est vnitus Verbo diuino.

Exodi 33.

Nota, dici Christum *sedere* (i) *à dextris* Dei, quando regia ipsius maiestas, dominium & iudiciaria potestas designatur. *Stare* verò, quando instar militis vel ducis, vel aduocati, vel agonothetæ inducitur, vt Stephano hîc apparuit. Chrysost. August. & Gregor. notant, *stare* situm esse naturalem corporis valentis & glorioſi. Et hic situs decebat Christum certamen pugilis sui coram spectantem, imò cum ipso depugnantem.

i Marc. 16. v. 19.

Aug. q. 88. inter quæst. noui testamenti.

Greg. hom. 29. in Euang.

ECCE VIDEO CAELOS APERTOS] id est, patentes, non illos in quibus stellæ, vt vult Caietanus & à Lapide; sed aëreos, vt dixi in baptismo Christi Matth. 3. in fine. Et ita censent Euthymius, Iansenius, Suarez & alij in eum locum. Porrò his verbis Primò, ostendit Stephanus se nil curare minas, iras, tormenta Iudæorum, vtpote cui cælum & sinus Christi iam pateat. Secundò, inuitat eos ad pœnitentiam, reserato iam per Iesum cælo, & vlnis misericordiæ eius adhuc apertis. Tertiò, terret illos, ostenso iudice & vindice. Quartò, testem se ipsis exhibet oculatum Christi rediuiui. Et hæc etiam causa est cur potiùs vocet *Filium hominis*, quàm Filium Dei: quia de Filio Dei nulla quæstio erat apud Iudæos, sed omnis controuersia erat de *Filio hominis*, seu Verbo incarnato, inquit S. Augustinus.

Aug. ser. 5. de Sanctis.

℣. 56. CONTINVERVNT illi AVRES SVAS, ne tam horrendas (vt interpretabantur) blasphemias audirent: ET Stephanum ℣. 57. EXTRA CIVITATEM sanctam, ne vlteriùs suis blasphemijs illam contaminaret, EIICIENTES (cum Pilati præsidis consensu, inquit Caietanus, vel saltem connicuentia, vt alij,) LAPIDABANT, ad instar alterius blasphemi istius Leuit. 24. vers. 14. Baronius & alij passim censent lapidatum 26. Decembris anno 1. à morte Christi. Asseuerant peregrini, & ex ijs Lorinus & à Lapide, etiamnum in valle Iosaphat, vbi lapidatus est Stephanus, ostendi signa & effigiem capitis eius ac scapularum, lapidi, dum exspirans retrorsum caderet, impressa: ostendi & alium lapidem, in quo B. Deipara cum suo Ioanne, preces pro Stephano, dum lapidaretur, profuderint. In loco lapidationis ingentem postea basilicam exstruxit Eudocia Augusta, vt Euagrius, Nicephorus, Beda, Borchardus, Adrichom. & alij testantur.

Euagr. l. 1. hist. c. 22. Niceph. l. 14. c. 16. Beda de Locis S. c. 3. Borchard. & Adrichom. in Descript. terræ sanctæ.

TESTES (quibus ex præscripto legis (k) incumbebat auspicari lapidationem) quo expeditiùs lapides vibrarent, DEPOSVERVNT VESTIMENTA non Stephani (vt vult S. Bernardus: quamuis etiam lapidandi spoliabantur vestibus, vt aliàs dixi,) sed SVA, SECVS PEDES ADOLESCENTIS SAVLI] In Græco non est νεανίου, id est, adolescentulus, sed νεανίας, id est iuuenis iam adultus: expleuerat enim iam tum *Saulus*, vt & consobrinus & antagonista eius Stephanus, 34. annos, inquit S. Chrysostomus. Quamquam etiam Pythagoras, Cicero, (l) & multi physici adolescentiam extenderint vsque ad quadragesimum vitæ annum.

k Deut. 17. v. 7.

Vern. ser. de S. Stephano. Chrysost. homil. de Principibus Apostolor. tom. 5.

l Cicer. l. de Senect. & orat. 23.

℣. 58. DOMINE IESV SVSCIPE SPIRITVM MEVM, & tamquam supremus agonotheta tuis auspicijs victorem siste Deo Patri, corona gloriæ decorandum. En rationem rectè moriendi. Primò, non corporis, non corporalium, sed spiritus tui curam gere. Secundò, fidem exerce, maximè Iesu saluatoris tui; Tertiò, spem omnem in illum defige; Quartò, eius amore condona inimicis offensas, & animam tuam Christo consigna, exceptaro vtique

a Zachar. 3. v. 1.

vtique partim angelicis, (a) partim proprijs manibus suis, & æterno Patri vt nobilissimum spolium oblaturo.

¥. 59. NE STATVAS ILLIS HOC PECCATVM] Id est, ne stato fixoque ac perenni decreto decernas permittere illos hærere in hoc peccato: sed fac citò illos pœnitere, & sic à peccato expediri. *Nesciebat iis irasci*, inquit Hilarius, *per quos videbat aulam regni cælestis sibi aperiri.* Et Augustinus: *Putas verba ista* Stephani *audiuit Saulus? audiuit subsannans, sed irrisit.* Verùm *si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.* Addit Oecumen. plures etiam alios Stephani lapidatores, per has eius preces veniam, gratiam & salutem adeptos esse. Oratio enim pro inimicis, vt ex mera puraque charitate promanat, efficacissima est apud Deum. Nam si nos ignoscimus, non ignoscet qui infinitè clementior est? De miraculis ad reliquias S. Stephani patratis, vide S. Augustinum, (b) Prosperum, Gregor. Turonensem, Gennadium, Nicetam, Lucianum Presbyterum & Baronium. Narrat S. Clemens, Apostolos sanxisse, vt quotannis dies martyrij eius publicè festus haberetur: quod exinde ad hæc vsque tempora toto orbe factitatum.

Hilar. Arelat. serm. de S. Stephano. Augustin. serm. 94. de Diuersis, & serm 1. de Sanctis.

b *August. l. 22. de Ciuit. c. 8. Baron anno Christi 418. Prosper l. de Predict. dimidij temp. c. 6. Gregor. Turon. l. 1. hist. c 31. Clem. l. 8. Constit. c. 33. Lucian. in hist inuentionis S. Stephani.*

CAPVT VIII.

A morte & sepultura S. Stephani excitatur grauis in Ecclesiam Ierosolymitanam persecutio: vnde fideles dispergunturin varias regiones, & inter alios in Samariam inuehunt fidem Christi, quam etiam Simon Magus amplectitur: sed hic volens pecuniâ emere potestatem dandi Spiritum sanctum, acriter à S. Petro increpatur. Eunuchus Candacis reginæ à Philippo baptizatur.

¥. 1. ILLA DIE: id est, illo eodem tempore Iudæi continuatis in Christum odijs, ingentem excitant *persecutionem* Ierosolymis in Christianos. Dorotheus dicit, cum Stephano occisos esse bis mille Christianos: de quibus infrà (c) Paulus, *Cùm occiderentur, ego detuli sententiam.* Et hæc est prima persecutio, quam Iudæi iurati hostes Christi mouerunt Christianis. Qua occasione non soli seniores (vt ait Eusebius) sed & alij fideles OMNES, qui tutò latere non poterant, & quibus fugere commodum erat, DISPERSI SVNT PER REGIONES IVDAEAE ET SAMARIÆ] Vnde Nyssenus ait, persecutionem S. Stephani Euangelium per orbem euulgasse. Magdalenà cum Martha & Lazaro, & Iosepho ab Arimathia in Galliam, (d) alijs aliò dilapsis. Nec omnes continuerunt se intra fines Iudææ vel Samariæ, sed quidam in Phœniciam, Cyprum, imò Antiochiam vsque penetrarunt, teste S. Luca. (e) Lucius Dexter & Baronius, aiunt supra quindecim virorum millia Ierosolymis tum profugisse; & ex his plus quàm quingentos ait idem Lucius, in Hispaniam traiecisse, subsecutumque biennio pòst eòdem Iacobum Zebedæi, vt dixi in Chronico: reliquis Apostolis, vt decebat primos Ecclesiæ pastores, in statione sua Ierosolymis adhuc persistentibus, vt Ecclesiam istic à Christo fundatam, & inchoatam altiùs firmarent ac stabilirent.

Doroth. in Synopsi. c *Actor. 26. v. 10.* *Euseb. l. 2. hist. c. 1.* *Nysse. hom. de S. Stephano.* d *Chron. c. vlt. sub init.* e *Actor. 11. v. 19. Luc Dexter in Chronico.* *Chronic. c. vlt. supr.*

¥. 2. STEPHANVM vitâ functum GVRAVERVNT; Syrus, *positum in arca sepelierunt*, VIRI TIMORATI] Tigurini & Pagninus, *viri pij ac religiosi*, quorum dux fuit Gamaliel, (f) vt ipsemet reuelauit Luciano Presbytero, addens, cadauer à Iudæis abiectum in agrum, vt à feris & volucribus absumeretur, die vna & nocte intactum mansisse: ac secunda demum nocte per emissarios Gamalielis ad vil-

f *Actor. 5. v. 34. Lucian. in inuent. reliquiarum S. Stephani.*

lam eius septem leucis ab vrbe Ierosolyma dissitam deductum, ibique sepultum, adhibito planctu 70. dierum, (g) quòd tanto præfecto, tanto patrono, tanto doctore, tanto thaumaturgo priuatos se sentirent. Et studio auxerunt Apostoli pompam funebrem, vt primi & nobilissimi Martyris illustrius esset funus, inquit S. Hieron. Et ex hoc ritu putat Baronius originem sumpsisse ritus sacros in funeribus Christianorum adhiberi consuetos, putà lotiones, vnctiones, suffumigationes, cereos accensos, cantum, preces, sacrificia.

g *Gen. vlt. v. 10.* *Hieron. epist. 53. ad Riparium.*

¥. 5. PHILIPPVS Stephano inter Diaconos proximus, (h) eius in pietate, doctrina, zelo heres, vt ait Glossa, DESCENDENS Ierosolymis IN CIVITATEM SAMARIAE, (i) (quæ metropolis erat totius prouinciæ Samariæ, & sexdecim leucis distabat Ierosolymis:) PRAEDICABAT Samaritis CHRISTVM] Et hi sunt primi qui pòst Iudæos fidem Christi amplexi sunt. Missum eò Philippum ab Apostolis, dubium esse non potest, & expressè docet S. Cyprianus. Idque vt præcepto Christi facerent satis Act. 1. v. 8. *Eritis mihi testes in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.*

h *Actor. 6. v. 5.* i *3. Reg. 16. v. 24.*

¥. 9. SIMON ANTE MAGVS, simulat se credere in Christum, vt facultatem extorqueat conferendi Spiritum sanctum. Hic ab initio iactabat SE ESSE ALIQVEM MAGNVM] non modò Prophetam, angelum, vel semideum, sed ipsummet Deum, Patrem, Filium & Spiritum sanctum. In persona Patris se legem dedisse in monte Sinai: in persona Filij se apparuisse in Iesu: in persona Spiritus sancti se linguis igneis in discipulos delapsum. ita S. Augustinus, qui addit, illum apud Iudæos se vocasse *Messiam*, apud Gentiles *Iouem*, vt ab vtrisque haberetur Deus. Similia de illo habent S. Hieronymus, Irenæus, Theodoretus, Epiphanius, Philastrius, & quotquot de hæresibus scripserunt. En primum noui testamenti hæresiarcham: en antagonistam Simonis Petri, & ipsum dictum Simonem, à Lucifero (simia, vt solet, Christi) immissum in ouile Christi.

Augustin. de hæres. c. 1. Hieron. in c. 14 Matthæi. Iren. l. 1. c. 20. Theodor. l. 1. de Fabulis hæret.

¥. 12. Quomodo IN NOMINE CHRISTI baptizati olim fuerint, & etiamnum baptizentur fideles, alibi (k) expositi.

k *Actor. 2. v. 38.*

¥. 13 TVNC SIMON ET IPSE CREDIDIT, fide, vt apparet, solùm naturali & humana, ferè sicut *dæmones credunt.* (l) ET BAPTIZATVS ADHAERE-BAT PHILIPPO] plus delectatus potentiâ Apostolica, quàm Christianâ iustitiâ, inquit S. August. Sperabat enim hac via potestatem nanciscì varijs linguis loquendi, & vera solidaq; miracula patrandi.

l *Iacobi 2. v. 19. August in psal. 130.*

¥. 14. AD Samaritas MISERVNT APOSTOLI PETRVM ET IOANNEM] non imperio, sed fraterna charitate, vt Capitulares subinde mittunt Episcopum ad aulam, inquit Caietanus. Et verò opus erat præsentiâ summi Ecclesiæ Pastoris, vt in Ecclesiam Christi adlegeretur gens Samaritana, quæ implacabili schismate antè à Iudæis dissidebat.

¥. 16. NONDVM IN QVEMQVAM Samaritanorum baptizatorum VENERAT SPIRITVS SANCTVS] id est, vberior Spiritus sancti gratia, quam per Sacramentum Confirmationis impertit Deus, & ferè signo aliquo visibili linguarum vel ignis prodebatur tum temporis. Ex quo patet, Philippum hunc non fuisse Episcopum, nec potestatem habuisse Apostolicam (vt volebat Polycrates apud Eusebium:) nam sic Spiritum sanctum per Confirmationis Sacramentum Samaritis contulisset, nec debuisset

Euseb. l. 5. hist. c. 24.

debuisset ad id exspectari aduentus Apostolorum Petri & Ioannis. Porrò de hoc Sacramento vide quæ Bellarminus, Suarez, & alij Theologi conscripserunt. A

℣. 17. IMPONEBANT MANVS SVPER ILLOS] vngendo simul eos chrismate, id est, balsamo & oleo simul commixtis, & ab Episcopo benedictis. Qui enim inungit, manus imponit, inquit Hugo & Waldensis. Et phrasi Hebræa *manus imponere* idem est quod *tangere*. Porrò per hanc vnctionem accipiunt fideles, vt renati in baptismo & nouâ vitâ donati, iam per vberiorem Spiritus sancti illapsum, & pleniorem gratiam, fiant milites, athletæ & pugiles Christi, ad intrepidè fidem profitendam, maximè tempore persecutionis.

Hugo de S. Victore l. 2. de Sacram. p. 7. §. 2. Thomas Wald. to 2. c. 113.

℣. 19. DATE ET MIHI HANC POTESTATEM, VT CVICVMQVE IMPOSVERO MANVS, ACCIPIAT SPIRITVM SANCTVM. Et in hunc finem offert Simon Simoni PECVNIAM, vtique non exiguam. Videtur consequenter ambiuisse & emere voluisse episcopatum, & verisimiliter Samaritanum, vt in ea regione instar Hierarchæ & gloriâ præcelleret, & opibus augeretur. Vnde ab hoc *Simone* quotquot vel episcopatus vel alia beneficia Ecclesiastica vel res sacras emunt aut vendunt, *Simoniaci* vocantur, inquit Bellarminus. Etsi enim in antiquo testamento non pauci fuerint hoc scelere infames, Esau, (*a*) Balaam, (*b*) Giezi (*c*) Iason, (*d*) imò & Annas & Caiphas, pontificatum pretio ementes, à Romanis: potiùs tamen à *Simone* primo noui testamenti sacrilego institore, ad maiorem tantæ fœditatis detestationem placuit Ecclesiæ nomenclaturam sordidissimi criminis mutuari. B

Bellar. l. 4. de Notis Eccl. c. 13.
a Genes. 25. v. 31. & ad Hebr. 12. v. 16.
b Num. 22. v. 7.
c 4. Reg. 5. v. 20.
d 2. Mach. 4. v. 8. Clem. l. 6. Constit. c. 7.

℣. 20. PECVNIA TVA, vt est sceleris tanti materia & instrumentum, SIT TECVM IN PERDITIONEM] id est, pereas & damneris, ô sacrilege, cum tuis sacrilegis nummis. Tradit Clemens Romanus, consilium diaboli fuisse, per hunc Simonem emissarium suum Apostolos pecuniâ delinitos & captos, dono Dei priuare, sicut (*e*) Adamum olim per pomum vetitum promissa immortalitate, & iustitiâ acceptâ priuarat. Sed generosior sed cautior fuit Adamo Petrus: cuius verba non tam imprecationem continent, quàm comminationem & prophetiam, seu prædictionem, inquit Beda & Glossa: etsi ex officio hortetur illum ad pœnitentiam sequenti v. 22. Si enim fuisset seria imprecatio, seu efficax sententia, perdidisset extemplò Simonem, sicut perdidit Ananiam & Saphiram initio cap. 5. qui tamen minùs peccarant quàm Simon. Voluit nempe Deus Simonem in viuis adhuc seruari, ad maiores S. Petro contra eumdem Romæ coràm Nerone Imperatore procreandos agones & triumphos, de quibus alibi. (*f*) C D

e Genes. 3. v. 5.
f Chronici c. vlt. in Neronis anno 12 Clem. l. 6. Constit. c. 7. & can. 28. Apostolor. Ambr. l. 2. de Pœnit. c. 4. August. tract. 6. in Ioan.

℣. 21. NON EST TIBI PARS, NEQVE SORS IN SERMONE, seu negotio, ISTO, putà in receptione & collatione Spiritus sancti. q. d. Non es dignus, imò nec capax tantæ rei. Syrus legit, *non est tibi sors in fide ista*, & eodem modo legunt S. Clemens, Ambrosius, Augustinus, & quidam recentiores: qui hinc colligunt, Simonem hoc fulmine excommunicatum, & ab Ecclesia expulsum fuisse à Petro.

℣. 22. ROGA DEVM tibi antea per POENITENTIAM reconciliatum, SI FORTE REMITTATVR TIBI quoad pœnam, quod pœnitenti remissum fuit quoad culpam, patet ex fine vers. 24. Sæpè enim pœnitentibus non tam citò condonatur omnis pœna, vt patuit in Dauide; (*g*) & totalijs.

g 2. Reg. 12. v 14.

℣. 23. VIDEO TE ESSE IN FELLE AMARITVDINIS, seu amarissimo, (*h*) (nempe amarissimorum scelerum, non conscientiam solùm, sed & Deum ipsum (*i*) exacerbantium,) ET OBLIGATIONE] græcè, *in colligatione iniquitatis*: id est, video te multis peccatis, quasi funibus (*k*) & catenis vndique constrictum teneri, putà superbia, auaritia, inuidia, hypocrisi, magia, sacrilegio, &c. Ioannes Mariana. per *fel & obligationem iniquitatis* intelligit pœnam imminentem peccato, vt sæpè accipitur in Scripturis. (*l*) q. d. Video te grauibus supplicijs destinari.

h Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 40.
i Deut. 29. v. 18. & c. 32. v. 32.
k Psal. 68. v. 22. Osee 12. v. 4. Isaiæ 5. v. 18. l Iob 20. v 14. Ierem. 8. v. 14. c 23. v 15. & Thren. 3. v 15

℣. 24. PRECAMINI VOS PRO ME, non vt culpa mihi remittatur, sed VT NIHIL istarum pœnarum, quas minamini, VENIAT SVPER ME] Post discessum Apostolorum idem Simon multos Samaritanos seduxit, vt Irenæus ait. Clemens addit, Petrum rursus Cæsareæ cum Simone congressum, disputando conuicisse, & in Italiam profugere compulisse: vbi præstigijs suis Neronem Imperatorem circumuenit, donec à Petro sublimi aëre deiectus & quasi contritus est, vt in Chronico adnotaui.

Iren. l. 1. c. 20.
Chron. sup.

℣. 26. VADE CONTRA MERIDIANVM, id est, *Meridiem versus*, vt Tigurini & Pagninus vertunt: IN GAZAM, olim Samsonis (*m*) gestis & morte celebrem, sed iam DESERTAM, vtpotè vastatam & excisam ab Alexandro Magno, teste Curtio: nam quæ temporibus Machabæorum, Iosephi & Hieronymi floruit, noua fuit, haud procul à veteri iuxta mare constructa. de qua alibi (*n*) fusiùs.

m Iudic 16. v. 21. 29. &c. Curtius l. 4. vit. Alex. n Ierem. 47. v. 1. o 3. Reg 10. v 1.

℣. 27. ÆTHIOPS Abyssinus, (*o*) vbi nunc regnat Preto-Ioannes: EVNVCHVS, id est, palatinus princeps, (*p*) POTENS opibus, dignitate, auctoritate, vtpotè thesaurorum regiorum *summus* præfectus CANDACIS, quod teste Plinio, Strabone & Eusebio, commune erat nomen omnium *reginarum Aethiopiæ*, sicut Cleopatra reginarum Ægypti. Huic reginæ volunt Æthiopes (*q*) nomen proprium fuisse *Indich* (non *Iudith*, vt corruptè Ortelius) eamque ab Eunucho conuersam ad Christum, conuertisse pariter Æthiopiam, maximè cùm Matthæus Apostolus eò postea submitteretur. Et sic *Aethiopia præuenit*, id est, prima venit, prima extendit, *manus Deo* ad fidem, obedientiam, & cultum debitum illi præstandum, vt dixi psalmo 67. v. 32. & S. Hilarius, Basilius, & alij ibidem. C

p Gen. 37. v. 36. & Isaiæ 39. v. 7. Plin. l. 6. c. 29. Strabo l. 17. Euseb. l. 2. hist. c. 1. q Apud Damianum Goes c. 16. de Moribus Æthiopum. r Act. 8. v. 4. Sophonia 2. v. 11 &c. Leuit. 17. v. 3. Deut. 12. v. 6. Iren. l. 4. c. 40. Hieron in Isaiæ 6. Didym. l. 3. de Spiritu sancto. t Initio præmii ad lectorem. Hier. ep. 16. de Marcella. & ep 103 ad Paulinū. Ambr. ser. 35. & l. 1. Offic. c. 20. Chrys. hom. 35. in Genes. u Augu. serm. 11. d Tempor.

Hic VENERAT ADORARE, id est, sacrificium offerre (*r*) IN IERVSALEM (*s*) Ex quo colligo hunc Eunuchum non fuisse Gentilem religione (vt vult Beda, Hugo, Caietanus, Lorinus & Sanchez) sed *proselytum*, vt docet Irenæus, Carthusianus & alij apud Baronium. D

℣. 29. vt & 39. per *spiritum* intelligitur *angelus Domini*, de quo v. 26, ita S. Hieronymus, Chrysostomus, Didymus, Salmeron, Sanchez, Caietanus & Lorinus.

℣. 31. QVOMODO POSSVM *intelligere quæ lego*, SI NON ALIQVIS peritus interpres OSTENDERIT MIHI?] Quid ad hoc nostri hæretici, qui volunt Scripturam vbiquè tam apertam & facilem intellectu esse, (*t*) vt cuiuis etiam idiotæ sensus eius per se pateat? Porrò principis huius exemplo etiam periter Isaiam lectitantis, valdè commendant omnibus lectionem librorum piorum Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus (*u*) & alij Patres.

℣. 37. CREDO IESVM CHRISTVM ESSE FILIVM DEI] incarnatum, passum, rediuiuum, redemptо-

demptorem & iudicem mundi. Et sic in his verbis Eunuchi plena erat professio omnium necessariorum mysteriorum fidei Christianæ, etiam SS. Trinitatis. Sicut ex postulatione baptismi constat pœnituisse de peccatis, ceteraque ad iustitiam & salutem consequendam necessaria probè edoctum fuisse, inquit S. Augustinus. (a)

a *August. de Fide & oper. c. 8. & 9.*

℣. 30. SPIRITVS DOMINI, id est, angelus, RAPVIT PHILIPPVM, subitòque transtulit IN AZOTVM, 40. miliaribus dissitam à Gaza. Sic habes hîc innouatum exemplum Prophetæ Habacuc olim simili modo è Iudæa Babylonem translati, (b) inquit Chrysostomus, Oecumenius, Liranus & alij, qui addunt, id factum partim vt Philippus apud Eunuchum pluris fieret, vtpotè à Deo expressè & submissus & subductus, partim vt pluribus alijs vrbibus euangelizaret verbum Dei, Dorotheus & Nicephorus & Maffeius noster volunt, Eunuchum hunc, postquam S. Matthæum excepisset in vrbe *Nadaber* (vt addit Gagneius,) Euangelium prædicasse etiam in Arabia, Taprobana & vniuersa Erythræa, tandemque martyrio ibidem coronatum, sepulchro eius plurimis miraculis continuò coruscante.

b *Dan. 14. v. 35.*

Doroth. in Synopsi. Niceph. l. 2. c. 6. & 7. Pet. Maffeius l. 3. hist. Indic.

℣. 40. CÆSAREA vrbs primaria Palæstinæ ad mare, antea *Turris Stratonis* dicta, sed ab Herode Ascalonita in honorem Cæsaris Augusti, cui illam dedicauit, vocata est *Cæsarea*. Hîc Philippus domicilium suum habebat: (c) hîc Agrippa rex ab angelo percussus interijt: (d) hîc à S. Petro baptizatus Cornelius Centurio: (e) hîc vincula Paulo prædixit Agabus: (f) hîc coram Felice, Festo, & rege Agrippa perorauit Paulus. (g) Sed de hac vrbe sæpiùs alibi. (h)

c *Actor. 21. v. 8.*
d *Actor. 12. v. 23.*
e *Actor. 10. v. 1.*
f *Actor. 21. v. 10.*
g *Actor. 24. 25. 26.*
h *Matt. 16. v. 13. & Actor. 10. v. 1.*

CAPVT IX

Saulus conuertitur ad Christum. A S. Petro Aeneas paralyticus curatur, & Dorcas à morte ad vitam reuocatur.

℣. 1. SAVLVS è tribu Beniamin, vt *lupus rapax*, (i) totus fæuit in ouile Christi, *manè* seu initio crescentis ouilis, *comedit prædam*, vt antè (k) vidimus, nec *adhuc* satur *spirat* nouas *minas & cædes*. An hic Beniaminius non fuit verus *Benoni*, (l) id est, filius doloris, posteriori matri suæ Ecclesiæ? Nam Synagogæ, quæ prior illi mater erat, non doloris tantùm, sed & mortis occasio fuit.

i *Genes. 49. v. 27.*
k *Actor. 7. v. 57. & c. 8. v. 3.*
l *Genes. 35. v. 18.*

℣. 2. A PRINCIPE SACERDOTVM, qui tunc adhuc erat Caiphas, (m) EPISTOLAS PETIT IN DAMASCVM Syriæ Damascenæ metropolin, ad latus Libani, 50. leucis distans Ierosolyma: VT HVIVS VIÆ, seu instituti, putà christianismi, sectatores, in vincula abreptos PERDVCERET Ierosolymam morte ibidem mulctandos. Sed cur non Damasci? Respondeo, Quia qui istic degebant principes synagogarum, expertus fuerat in hoc negotio segniores, & Christianis minùs infestos. Verùm quid ad hæc Aretas *rex* (n) *Damasci*? Respondeo, Persuasus à Iudæis consenserat, & illis cooperabatur, vt alibi (o) videbimus.

m *Chron. 42. sub finem.*
n *2. Cor. 11. v. 31.*
o *Ibid.*

℣. 3. CVM APPROPINQVARET DAMASCO] medio ab vrbe miliari, inquit Guilielmus Tyrius apud Adrichomium: vbi in memoriam conuersi Pauli, à posteris insigne templum erectum, in quo etiamnum Christiani, qui Damasci degunt, sepeliri consueuerunt.

Adrichom. in Damasco.

℣. SVBITO in meridie (p) CIRCVMFVLSIT EVM LVX DE CÆLO tam copiosa, vt *splendorem solis* (q) vinceret: nec solius Pauli, sed & omnium comitum

p *Actor. 22. v. 6 & c. 26 v. 13.*
q *Ibid.*

eius oculos perstringeret, & omnes humi prosterneret. (r) Erat autem lux ista exterior symbolum lucis Euangelicæ internæ; quâ Christus mêti Pauli infundebat, (s) pulsis tenebris ignorantiæ, cacozeliæ & impietatis. Erat & symbolum lucidæ doctrinæ (t) & sanctitatis, quam sparsurus erat Paulus in vniuersam terram. Lucem hanc spargebat ex se corpus Christi glorioſum, cum quo hîc Paulo apparuit. Addit vocem horrisonam, instar tonitrui,

r *Ibid. v. 14.*
s *2. Cor. 4. v. 6. & Ephes. 5. v. 8. & 13.*
t *Actor. 26. v. 18.*

℣. 4. SAVL, SAVL, (sic est in Græco & Syro, QVID ME, meam Ecclesiam, meum corpus, mea membra, meos discipulos, mihi vitâ ipsâ chariores PERSEQVERIS? Hebræum *schaul* idem est quod *postulatus*. Et primus rex è tribu Beniamin verè postulatus erat à populo, sed in regni perniciem, & (ni Deus cauisset) in exitium Dauidis. Simili modo, inquit S. Hieronymus, noster Saulus à diabolo postulatus fuit ad vexandum & perdendum regnum Christi, id est, Ecclesiam, & persequendum antitypum Dauidis, id est, Christum, ita S. Augustinus. Instruxit ergo satanas hunc pugilem suum omni panoplia necessaria ad debellandum christianismum. Sed forti fortior superueniens Christus, primo ictu pugilem siderat, sternit, excæcat, debellat. Saulum peditem ambulasse cum manipulo vel cohorte sua sentit Salmeron, & innuit S. Augustinus, & probabile putat Cornelius à Lapide: sed Sanchez, Lorinus & alij volunt equitem fuisse, vt decebat prætorem, tam prolixum iter, circiter sex dierum, instituentem.

שאול

Hieron. in epistola ad Philemonem.
August. in Psal. 51.

℣. 5. QVIS ES DOMINE?] Viderat Saulus Christum priusquam prosterneretur, (vt constat ex v. 17. & 27. & 1. Corint. 15. v. 8. vbi inter oculatos testes rediuiui Christi Paulus se quoque citat: & ita docent Ambrosius, Tertullianus, Primasius, S. Thomas & Glossa istius loci.) Fuit ergo tûc corpus Christi in duobus simul locis, putà in cælo (quod ante diem iudicij numquam relinquet) (u) simul & in aëre vicino Paulo: nisi enim naturale istic corpus Christi præsens sibi vidisset Paulus, quo iure posset inter oculatos rediuini Christi testes (x) seipsum recensere? Rogat tamen, *Quis es Domine*? quia ob nimium corporis fulgorem non sat distinctè potuerat personam Christi agnoscere: meritoque dubitabat an angelus quispiam esset. Quicumque tamen esset, & Dominum illum agnoscit suum, & se quasi seruum vltrò illi submittit, inquit S. Chrysostomus.

Ambr. l. de Benedict. Patriarchar. c. vlt. Tertull. l. contra Praxeam c. 15. S. Tho. 3 p. q. 57. a. 6. ad 3. & alij.
u *Actor. 3. v. 21.*
x *1. Cor. 15. v. 8.*

EGO SVM IESVS Nazarenus, (y) QVEM TV PERSEQVERIS dum membra mea persequeris. DVRVM EST TIBI CONTRA STIMVLVM CALCITRARE] vt faciunt rebelles & ceruicosi boues, qui quò magis recalcitrant, eò grauiùs punguntur & lædunter. Nisi cesseris ergo mihi, ô Saule, pergam stimulis te pungere, sed acrioribus, & maiori damno tuo. Pupugi te tot miraculis, tot monitis, tot argumentis Stephani, Barnabæ, Apostolorum meorum: pupugi tot inspirationibus & excitationibus internis, tot remorsibus conscientiæ; sed semper in vanum. Quòd si ne iam quidem deiectus acriori verbere, mihi cesseris, duriores parabo stimulos. Neque enim decet, mancipium vel iumentum perpetuò rebelle esse domino suo. Sed *voletne rhinoceros seruire tibi*? An *alligabis* illum *ad arandum loro tuo*? (z) inquit S. Gregorius.

y *Actor. 22. v. 8.*
z *Iob 39. v. 9. & 10. Gregor. 31. Moral. c. 2. & 3.*

℣. 6. DOMINE, en me tibi seruum perpetuum; QVID ME VIS FACERE?] Habes deiectum, compunctum, resignatum, tibi vni deuotum, tibi in omnibus adstrictum, tibi quoad omnia se dedem-

tem. Porrò quid hîc seu violentiæ, seu coactionis? vt somniat Lutherus, Caluinus & ipsorum sequaces. Magnis quidem stimulis pungitur, insolita luce tam interna, quàm externa percellitur, sed vim animo illatam nullam sensit, vltrò cedit, liberè succumbit, sponte se dedit, volens & libens transit in Christi castra. Et generatim loquendo, verissimum est quod docet S. August. & Concilium Tridentinum, Deum internis externisque suasionibus mentem pulsare, vt se conuertat; sed pulsationi vel vocationi isti consentire vel dissentire, propriæ hominis voluntatis esse.

Augustin. l. de Spiritu & littera c. 13. Trident. sess. 6. c. 5. &c.

Nota hîc schema perfecti serui, domino suo in omnibus obsequentis, vt olim Abraham, (a) Iacob, (b) Moyses, (c) Samuel, (d) Dauid, (e) Isaias, (f) & Deipara, (g) & plures alij obsecuti sunt. Qua submissione obtinuit Saulus, vt non tantùm remitteretur illi omnis culpa & pœna, sed vt insuper etiam Apostolus fieret & doctor totius orbis, vt ipsemet Christus (h) hîc subnectit.

a *Gen.* 12. *v.* 1. *&c.*
b *Gen.* 31. *v.* 11.
c *Exodi* 3. *v.* 4.
d 1. *Reg* 3. *v.* 10.
e *Psal.* 107. *v.* 2.
f *Isaiæ* 6. *v.* 8.
g *Luc.* 1. *v.* 38.
h *Actor.* 26. *v.* 16.

℣. 7. IBI, id est, in Damasco, DICETVR TIBI, QVID TE OPORTEAT FACERE, putà suscipere baptismum, confirmari, &c. Nam quid te credere oporteat, iam ex me partim didicisti, partim disces proximo triduo; vt verè dicere olim possis, (i) te non ab homine, sed à me Euangelium didicisse.

i *Initio ep. ad Galat. & c.* 2, *v.* 12

VIRI AVTEM QVI COMITABANTVR, resumptis à prostratione animis & viribus, erecti in pedes STABANT, sed *stupore* pleni, NEMINEM VIDENTES apparentem Saulo, solam VOCEM loquentis Christi AVDIENTES confusam & inarticulatam, instar tonitrui: nam distinctam vel articulatam nullam audiuisse, constat ex Actor. 22. v. 9.

℣. 9. TRIBVS DIEBVS NON MANDVCAVIT Saulus, partim ex corporis debilitate, partim orationis & pœnitentiæ causâ, vt vult Chrysost. Hoc triduo didicit à Deo mysteria omnia fidei Christianæ & Euangelij: nam mox cœpit illa publicè prædicare v. 20. Beda, Hugo & Glosa putant Paulum hoc triduo raptum fuisse in tertium cælum, cuius meminit 2. Corinth. 12. v. 2. Sed ibi ostendam, seriùs id ei contigisse.

℣. 10. ANANIAS significat gratiam Dei, ad quam ablegatur Saulus. S. Augustinus vult fuisse presbyterum: Oecumenius diaconum, sed ex 72. discipulis vnum: Dorotheus creatum postea Damasci Episcopum. In Martyrologio Rom. 25. Ianuarij dicitur, postquam *Damasci, Eleutropoli & alibi Euangelium prædicasset, sub Licinio iudice nervis cæsus & lanceatus, demum lapidibus oppressus martyrium consummasse.*

August. l. 2. qq. Euangel. q. 47. Dorothe. in Synopsi.

℣. 11. IN VICO, id est, plateâ ceteris longiore & rectiore, QVÆRE virum recèns Damascum aduectum NOMINE SAVLVM, patriâ TARSENSEM, è Tarso Ciliciæ (k) metropoli oriundum. Neque metuas illum vt persecutorem; ECCE ENIM iam conuersus ORAT, vt se ad meliorem vitam, & ad baptismum disponat. Interim verò dum Ananiæ apparet Deus, Ananias per visum, seu imaginariam visionem apparet Saulo, quasi visum illi restituens. Hoc diuinâ prouidentiâ factum Lucas per parenthesin hîc interserit, vt ostendat, personam Ananiæ cælitus innotuisse Saulo, quo magis illi mox accessuro fideret.

k 2. *Par.* 9. *v.* 21.

℣. 15. VAS ELECTIONIS, (l) id est, instrumentum singulariter electum, EST MIHI ISTE, ex tot millenis hominum millibus, etiam præ alijs Apostolis, à me designatus ad euangelizandum vbique tam GENTIBVS, quàm Iudæis; tam REGIBVS, quàm plebeiis. Verè *vas (m) admirabile Excelsi: vas (n) auri solidum, ornatum omni lapide pretioso*, vt pulchrè exponit eius encomiastes Chrysostomus, qui non tantùm confert, sed & præfert ipsum Patriarchis, Prophetis, Sanctis & Angelis, etiam Cherubinis ac Seraphinis.

l *Proleg. de Idiotismo Hebr. n.* 40.
m *Eccli.* 43. *v.* 2.
n *Eccli* 50. *v* 10.
Chrysost. in fine epist. ad Rom. & homilys octo de laudibus S. Pauli.

VT PORTET NOMEN MEVM, instar præconis, legati, Prophetæ, doctoris, ducis ac vexilliferi, non in corde modò vel ore, vel calamo, sed & ipso opere, per labores & passiones continuas: vnde ait: (n) *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Coram regibus Agrippa, (o) Nerone, (p) & aliorum regnorum, quæ plurima obiuit, præsidibus, à quibus vt multa magnaque PRO *me* fortiter ac generosè *patiatur*, OSTENDAM, id est, præstabo, (q) concedam, ILLI. Et verò summa hæc dignitas & gloria est, quam Deus non omnibus; sed dilectis ac selectis amicis suis impertire solet.

n *Galat.* 6. *v* 17.
o *Actor.* 26. *v.* 16.
p *c.* 28.
q *Psal.* 4. *v.* 6. *Psal.* 19. *v.* 5 *Psal.* 70. *v* 0. *Dan.* 3. *v.* 44.

℣. 17. *Impositio manus* Ananiæ non erat collatio Sacramenti Confirmationis, (Saulus enim nondum erat baptizatus, & Ananias nondum erat Episcopus:) sed erat cæremonia, quam curationi morborum perficiendæ adhibere solebant discipuli Christi, iuxta illud Marci vltimo, *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.*

℣. 18. ET CONFESTIM CECIDERVNT AB OCVLIS EIVS TAMQVAM SQVAMAE piscium. Lux enim illa copiosior à corpore Christi glorioso in oculos Pauli vibrata, humores è cerebro in oculos deduxerat, ibique eos coagularat, vt in pelliculas instar squamarum duras concrescerent, itaque oculos obtegerent ac cæcarent. Sic olim contigerat Tobiæ, qui felle piscis, pelliculam exedente, curatus fuit. Et periti chirurgi norunt acu pelliculam detrahere. Sed Paulo sine adminiculo medicinæ, ad solam manuum Ananiæ impositionem, & nominis Iesu inuocationem deciderunt sponte sua ambæ pelliculæ.

ET BAPTIZATVS EST, vt christianismo initiaretur, Spiritu sancto repleretur, & sacerdos ordinaretur. Reliquorum enim Sacramentorum ianua est baptismus: in cuius receptione plus solito gratiarum & donorum Spiritus sancti infusum fuit Paulo, vt statim idoneus esset præco & doctor Euangelij. Contigit hæc Sauli conuersio 25. Ianuarij, non quæ necem Christi & Stephani immediatè consecuta est, sed post annum alium interiectum, cùm iam 35. annorum esset Paulus. Vnde subducto calculo ab inchoante anno tertio à morte Christi, vsque ad annum 37 iam mediantem, quo constat, (r) gladio cæsum Neroniano; deprehendes eum Christo seruiisse præcisè annos 34. cum medio: vniuersim verò vixisse ferè 70. annos. ita ferè Martyrol. Romanum & Vsuardi, Isidorus, Oecumen. Sanchez, Lorinus, Pererius, Baronius, à Lapide & alij. Itaque totis 13. mensibus à nece Stephani permissus est Saulus pro libito sæuire in gregem Christi

r *Chron. e. vlt. in anno vlt. Neronis Isidor. l. de vita & morte Sanctor. c.* 71. *Perer. in Prolegom. epist. ad Roman. disp.* 1. *n* 24.

℣. 23. CVM IMPLERENTVR DIES MVLTI] nempe post triennium. Nam Saulus Damasco abiit ad tempus in Arabiam, (s) Vnde Damascum reuerso positæ sunt ipsi insidiæ quæ hîc commemorantur, quibus elusis, profectus est Ierosolymam. Vbi propter diuturnam eius absentiam in Arabia, in dubium vocabatur fides & constantia ipsius, timebantque ne fortè exploratorem aut proditorem ageret.

s *Galat.* 1. *v.* 17 & 2. *Cor.* 11. *v.* 32.

℣. 27. BARNABAS AVTEM, cui intimè notus & familiaris erat Saulus, olim sub Gamaliele condiscipulus, & quem sæpius ad conuersionem

soli-

solicitarat;persuasit Apostolis vt eum collegio suo A adcenserent; vtpote instrumentum aptissimum conuertendis hominibus, & à Deo cælitus ad id electum.

℣. 29. LOQVEBATVR QVOQVE GENTIBVS, seu GRAECIS de Christo. Quod si de Gentibus in gentilismo adhuc hærentibus exponas, dic hæc contigisse post apertam à Petro Gentilibus portam Ecclesiæ in conuersione Cornelij, quæ contigisse videtur anno primo à conuersione Sauli, (a)dum is adhuc in Arabia peregrinaretur. Alioquin possent etiam per Gentiles accipi proselyti, ad iudaismum conuersi, & nominatim qui erant è *Cilicia*, (b)conterranei & olim familiares ipsius, qui vt nuper lapidarant Stephanum, quasi ex sua synagoga transfugam & proditorem, ita nunc videntur idem machinari velle Saulo Stephani consobrino. (c)

a Chron.e. vlt. anno 4. à passione Christi.
b Actor.6. v.9.
c Ibid.v.5.

℣. 31. ECCLESIA quarto iam anno à morte Christi, PER TOTAM IVDAEAM, GALILAEAM ET SAMARIAM HABEBAT PACEM; beneficio Tiberij Cæsaris, qui auditis stupendis Christi gestis in Syria, eum inter deos referendum censuit: & licet senatus, reclamante maximè Seiano, id respueret, Cæsar tamen in sententia mansit, comminatus supplicium accusatoribus Christianorum, inquit Tertull. Eusebius & alij.

Tertullian. Apolog.c.5. Euseb. in Chronico.

℣. 32. Pace benè vsus PETRVS, instar pastoris & principis totius Ecclesiæ, PERTRANSIBAT VNIVERSOS, visitans, curans, docens omnes SANCTOS] Sic olim vocabantur fideles, quòd sanctificati essent per baptismum, quòd professionem facerent vitæ sanctæ, & vt plurimùm viuerent etiam vitam sanctam.

LYDDA ciuitas est non procul à *Ioppe*, inter vndecim Iudææ toparchias ordine quinta. Tempore S. Hieronymi vocabatur *Diospolis*, id est, ciuitas Iouis: nunc *S. Georgij*, qui istic decollatus, sepultus, & à Iustiniano Imp. templo nobilissimo cohonestatus est, inquit Gulielm. Tyrius & Adrichomius.

Tyrius l. 7. Belli sacri c. 22. Adrich. in Descript. terræ sanctæ.

℣. 35. SARONA vel *Assaron*, vt est in Græco, mons est, & in monte vrbs egregia, imò regia, ante Iosue. (d)Vnde tota regio campestris à Cæsarea Palæstinæ vsque Ioppen vocatur *Saron*, estque pinguis & fertilissima. Quâ iam per Petrum ad fidem Christi conuersa, impletum est illud Isaiæ 35. v. 2. *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron: ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri.*

d Iosue 12. v.18.

℣. 36. IOPPE, qualis sit vrbs, quàm celebris portus, dixi Ionæ 1. v. 3.

DISCIPVLA] sic vocabantur matronæ & puellæ fideles, sicut viri *discipuli*, supple, Christi.

נבת TABITHA Syrohebræum à radice *nabat*, id est, cerno, video, significat capream, seu damulam, δόρκαδα, ob acrem oculorum aciem istius animalculi, quod teste Plinio, numquam lippit, & noctu peræquè cernit ac diu. Quod in nostram *Tabitham* optimè quadrabat, quæ mentis acie fideique penetrabat cælos & cælestia, (e)inquit S. Ambrosius.

Plin. l.28. c. 11.
e Cant.2. v.9.c.8. v. 14. Prou.6.v.5. Ambr.ser.6

℣. 38. NE PIGRITERIS; Tigurini & Pagninus, *ne graueris*, alij, *ne cuncteris*, ne tardes, VENIRE.

℣. 41. DANS Petrus Tabithæ MANVM, EREXIT adhuc debilem, & pedibus firmam stare fecit.

Bellarm. l.2. de Purgatorio c. 8.

Notant Bellarminus, Lorinus, à Lapide, *Tabitham* hanc, & quicumque semel in statu gratiæ vitâ excesserunt, vel ad extrema redacti sunt, si contigerit miraculo in vitam reduci, certos esse de suâ salute: alioqui non beneficium ipsis, sed ingens damnum inferretur.

Notant Secundò, neque ex inferno damnatorum, neque ex cælesti gloria quemquam reuocari ad vitam. *Tabitham* ergo vel ex Purgatorio fuisse reuocatam, vel, si nil purgandum habebat, suspensam fuisse eius sententiam, & dilatam visionem Dei, quia destinarat Deus illam in terras remittere.

℣. 43. APVD SIMONEM, non cutialem, vt vult Hugo & Dionysius; sed CORIARIVM] Id est, qui coria macerabat vel concinnabat, vt inde ocreæ, calcei vel aliæ vestes confici possent. Sed cur *Tabitha* domum declinauit? Respondeo, Ne pro miraculo videretur hospitij beneficium recipere. Fortè etiam domi suæ viros illa nullos habebat, vt tale hospitium non deceret principem Apostolorum. Verùm cur ad plebeium potiùs, quàm ad aliquem è ditioribus deflexit? Respondet Oecumen. Petrum solitudinis & quietis causâ segregatum ab vrbe locum sub rupe ad littus maris delegisse: vbi etiamnum peregrinis ostenduntur ruinæ istius domus, cum sacello ibidem erecto, inquit Gagneius. Crediderim & modestiæ causâ, & paupertatis affectu, & vt posteris exemplo esset, id Petrum factitasse, quod S. Bernardus vehementissimè commendat.

Bern.l.4. de Consideral. ad Eugenium Papam.

CAPVT X.

Cornelius Centurio Romanus iussu angeli Petrum ex Ioppe euocat Cæsaream, vt ab eo in fide Christi instruatur & baptizetur; Petro antè per visionem linteo & quadrupedum cælitus instructo, vt Gentibus omnibus ostium pandat Euangelij & Ecclesiæ.

℣. 1. CÆSAREA Palæstinæ metropolis ad mare sita, vt aliàs (f) dixi, maxima ciuitatum Iudææ, inquit Iosephus, ac proinde firmo Romanorum præsidio communita, vtpote arx & antemurale Palæstinæ. Vnde & conuersa ad Christum Metropolitanæ Ecclesiæ titulo præcellebat toti terræ sanctæ post excisam à Tito Ierosolymam, adeò vt Episcopus Ierosolymitanus subijceretur Cæsareensi, donec anno demum Christi 553. Vigilius Papa in Concilio Constantinopolitano Ierosolymitanam Ecclesiam in Patriarchalem euexit, & Cæsareensem illi subiecit. ita Baronius. Huic vrbi inter alios duces pro præsidio erat CORNELIVS, Italus, Romanus, ex illustri (vt apparet) Corneliorum familia, (g)CENTVRIO COHORTIS, seu in cohorte, QVAE vocabatur ITALICA, ex Italis solis conflata. Putat Baronius, hanc cognominatam fuisse *ferratam*, quam scribit Dio in Iudæa ab Augusto Cæsare collocatam. Caietanus vult *Cornelium* fuisse centurionem primæ cohortis ex decem, quibus legio constabat, qui proinde *primipilus*, seu primi ordinis ductor dicebatur, & aquila illi præferebatur, insigne Romanorum, & quadringentos milites in prima acie gubernabat, teste Vegetio, & equestribus ornamentis, & equestri censu gaudebat, vt docet Lipsius. Tanti militis necdum Christiani audi insignes quatuor virtutes. Primò RELIGIOSVS erat AC TIMENS DEVM. Secundò, curabat vt & *omnis domus*, id est, tota familia, *sua* talis esset. Tertiò, FACIEBAT ELEEMOSYNAS MVLTAS PLEBI. Quartò, DEPRECABATVR DEVM SEMPER, id est, assiduè orationi vacabat, nempe quantùm illi per negotia liceret. Imitentur id nostri duces & principes Christiani. Porrò ex his, ni fallor, contra S. Basilium, Chrysost. Oecumen. & Stapletonum constat, Cornelium antequam Petrum accerseret, iustũ fuisse & in statu gratiæ: quod & v. 22. & 34.

f Actor. 8. v. 40 Iosephi l. 3. Belli c. 14.
Baron. anno 553.
g Ant. Augustinus l. de Familijs Romanorum.
Vegt. l. 2. c. 6.
Lipsi. l. 2. de Militia Romana.
Basil in Reguli breuiorib reg. 224.

diserte affirmatur, & est penè communis Doctorum sententia. Colebat ergo Deum Cornelius, sicut olim Iob eiusque amici. Et iam Petrus ad illum mittitur, vt instruat de aduentu Messiæ, baptizet & in Ecclesiam admittat. Factâ enim iam promulgatione nouæ legis, opus erat fide explicita in Christum, itemque baptismo, non ad acquirendam, sed ad fouendam stabiliendamque Cornelio iustitiam. Et hoc sibi vult S. Gregorius cum ait, *Cornelium per fidem*, scilicet implicitam in Christum, *venisse ad bona opera*: & *per bona opera meruisse fidem*, scilicet explicitam: meruisse, inquam, non viribus vel operibus solius naturæ, vt fingebat Pelagius, seu adiutum gratia Dei tum excitante, tum cooperante, vt rectè docet S. Prosper & alij Doctores.

Gregor. homil. 9. & 19 in Ezechiel.

Prosper l. de Libertate arbitrij. a Chron. c. 2

℣. 3. HORA DIEI NONA, quæ est post meridiem tertia, (*a*) Cornelio verisimiliter occupato oratione vespertina horæ nonæ apparet illi angelus MANIFESTE, id est, corporaliter & visibiliter, vt omnem illusionis metum excluderet. Liranus & Dionysius volunt angelum hunc fuisse custodem Cornelij.

℣. 5. ACCERSI PETRVM] Vult enim Deus homines instrui per homines. Et hîc quidem hos Gentiles per *Petrum*, id est, per principem & caput supremum Ecclesiæ: quia huius erat aperire ianuam Ecclesiæ Gentilibus, & volebat Deus Petrum, sicut primus omnium post Christum (*b*) prædicarat Euangelium Iudæis, ita etiam primum prædicare illud Gentilibus.

b Actor. 2. & 3.

℣. 10. CECIDIT SVPER Petrum MENTIS EXCESSVS] Id est, raptus est in ecstasin Petrus, mente eius à terrenis & sensibilibus abducta ad percipienda cælestia & spiritualia mysteria.

℣. 11. VIDIT ergo, non oculo corporeo, sed mente, CÆLVM APERTVM, quod hactenus clausum fuerat Gentibus, sed iam per cæli clauigerum (*c*) reserari illis debebat.

c Matt. 16. v. 19.

VAS, id est, receptaculum ingens, sed lineum, infernè concauum, supernè apertum, QVATVOR sui INITIIS, id est, angulis, è CÆLO *demissum*, IN QVO ERANT OMNIA, id est, omnis generis, QVADRVPEDIA ET SERPENTIA ET VOLATILIA] id est, animalia tam immunda, quàm munda: ex mente Origenis, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Gregorij, Bedæ & aliorum, symbolum erat *Ecclesiæ*: quæ instar lini purissima, non modò fide & doctrina, sed & moribus, *non habens maculam, neque rugam*, (*d*) de cælo ad nos delapsa, (*e*) & per quatuor mundi plagas expansa, complectitur sinu suo quasuis gentes, quantumcumque turpibus antè ac ferinis moribus, atque à legali Iudæorum munditie alienas. Ter demittitur è cælo; Primò, in lege naturæ. Secundò, in lege Mosaica; Tertiò, in lege Christi.

Orig hom. 7 in Leuit. inter opera Cyrillo asscripta. Ambros. serm. 10. Hieron. epi. 89. ad S. August. August. serm. 25. de Diuersis d Ephes 5. v. 27. e Apoc. 21. v 2.

℣. 13. OCCIDE ET MANDVCA] Leonino sit animo, & struthionis habeat stomachum Prælatus Ecclesiæ, qui etiam serpentes & quæuis alia venenata animalia in bonum Christi succum & Ecclesiæ alimentum conuertat, qui errores omnes, praua mores & affectus iugulet, & digerit, inquit S. Gregorius.

Greg. l 30. Moral. c. 7. & 11.

℣. 14. COMMVNE] Id est, immundum, impurum, profanum. Iudæi enim, ne Gentiles offenderent, cibos eorum qui lege Mosaica vetabantur, (*f*) non vocabant *immundos* aut profanos, sed *communes*, quòd communiter à quouis Gentili comedi possent. Rabbi Moyses & R. Salomon apud Liranum tradunt, tempore Messiæ nulla amplius animalia fore immunda, sed omnia mundanda per ipsius legem, qua.

f Leuit. 11.

Liranus Gen. 9. v. 4.

℣. 15. DEVS PVRIFICAVIT omnia, eo ipso quo legem Mosaicam, certos cibos quasi immundos vetantem, per nouam Christi legem nil tale vetantem, aboleuit. Nihil ergo hîc contra ieiunium Ecclesiæ, & abstinentiam pœnitentiæ causa à certis cibis, subinde indictam.

℣. 22. VERBA] supple, vitæ & salutis æternæ, vt explicatur cap. seq. v. 14. Sic enim solet antonomasticè sumi *verbum* in Scripturis, maximè in Epistolis S. Pauli: sicut *Scriptura* pro libris sacris ac diuinis.

℣. 25. CORNELIVS Petrum vt Prophetam & patrem suum spiritualem ADORAVIT adoratione profunda & religiosa, non tamen latreutica, sed humana, quo modo olim Abraham adorauit filios Heth, (*g*) & Alexander Magnus (*h*) Iaddum pontificem Iudæorum, & modò Catholici adorant Pontificem Romanum aliosque Ecclesiæ Prælatos.

g Genes. 23. v. 7.

h Ioseph. l. 11. Antiq. c. 8. & in Chronico nostro t. 4.

Petes, Si non adorauit latriâ, cur Petrus dum modestiæ causâ recusat adorari, causam affert. *Ego ipse homo sum*? Respondeo, Quia tam profunda prostratio Iudæis Petri comitibus eiusmodi cæremoniæ insuetis, poterat quasi latreutica videri ac proinde scandalo esse: Quare nolo, inquit Petrus, à te talem mihi deferri honorem, qui angelis potiùs debetur, vt enim purus sum homo, ita instar puri hominis volo comiter & familiariter vobiscum agere. Simili de causa noluit angelus à Ioanne adorari genuflexione, vt videbimus in Apocalypsi.

Apoc. 19. v. 10.

℣. 30. A NVDIVSQVARTA DIE, seu nudius-quartus, vel quarta abhinc die, ERAM ORANS (in Græco, & Syro additur *ieiunus*) HORA NONA VSQVE AD HANC vndecimam, seu vespertinam, HORAM, quâ tu nunc Petre, domum meam ingrederis.

℣. 31. EXAVDITA EST ORATIO TVA] qua continuò & instanter oras pro tua tuorumque salute.

℣. 34. DEVS NON EST ACCEPTOR PERSONARVM, nempe in distribuendis suis fidei & gratiæ donis non respicit natales vel similes qualitates personarum, an videlicet ex Iudæis ortæ sint, an ex Gentilibus, an *circumcisus* quis sit, an præputiatus. Solùm respicit, *an quis* TIMEAT, id est, colat, *Deum*, & OPERETVR IVSTITIAM, id est, iustè viuat. Huic enim omni tali, ex quacumque demum GENTE, seu natione fuerit, sinum aperit vt gratiæ, ita & Ecclesiæ suæ

℣. 36. VERBVM, nempe Euangelij, vt suprà dixi, (*i*) MISIT quidem DEVS primùm FILIIS ISRAEL, id est, Iudæis, sed dein etiam omnibus Gentibus, omnibus PACEM & reconciliationem cum Deo ANNVNTIANS & impertiens PER IESVM, qui EST OMNIVM DOMINVS.

i Hic v. 21.

℣. 38. VNXIT, id est, quasi infuso oleo copiosissimè repleuit, SPIRITV SANCTO ET VIRTVTE, seu potentia, v.g. expellendorum dæmonum, patrandorum miraculorum, conuertendarum animarum, &c.

℣. 43. ACCIPERE, id est, quòd accipiant, REMISSIONEM PECCATORVM OMNES QVI CREDVNT IN Christum, fide non mortua, sed viua, quæ in spei, timoris, cultus diuini, & charitatis actus sese exerit, vt alibi (*k*) exponitur.

k Iacobi 2. v. 24.

℣. 44. SPIRITVS SANCTVS visibili specie, putà linguis igneis, (*l*) incumbendo capitibus singulorum, CECIDIT SVPER Cornelium, ciusque domesticos & amicos præsentes. Etsi enim hi nondum essent baptizati, per contritionem tamen & bapti-

l Hic v. 46 & cap. 11. v. 15.

baptismum in voto iam erant iustificati, atque ita capaces donorum Spiritus sancti. Hoc autem voluit Deus ex singulari priuilegio concedere his primis Gentilibus, vt palàm faceret Iudæis haud dubiè obmurmuraturis admissioni Gentilium, velle se etiam illos in Ecclesiam & ad Sacramenta admitti. Quis enim audeat repellere quos Deus admisit?

℣. 48. ET IVSSIT Petrus EOS per comites suos Iudæos BAPTIZARI IN NOMINE DOMINI IESV] id est, baptismo Christi, de quo suprà. (a) Atque ita per Cornelium Gentibus publicè apertum est ostium Ecclesiæ. Nam antè non nisi tectè, & quasi ex priuilegio, pauculis, & fortè non nisi proselytis antè factis id concessum fuerat, v.g. Centurioni in Capharnaum, (b) Syrophœnissæ, (c) & quibusdam alijs Gentilibus Christum videre volentibus, (d) item eunucho Candacis (e) reginæ Æthiopum, &c. Sed cum *Cornelio* solemniter & ex professo cœpit Gentilibus Euangelium prædicari & baptismus impertiri; & hoc deinceps toto orbe vsurpatum. Clemens Romanus & Martyrologium 2. Februarij dicunt, hunc Cornelium post Zachęum à S. Petro creatum esse Episcopum Cæsareensem: ipsamque Cornelij domum conuersam in ecclesiam, extitisse adhuc tempore S. Hieronymi, docet ipse Hieronymus. Quarto anno à morte Christi hæc contigisse, dixi in Chronico. Porrò reserato iam ostio Iacobus Apostolus in Hispaniam excurrit, vt ibidem adnotaui. Et Antiochiæ in Syria tantus conuersus est numerus Græcorum, id est, Gentilium, vt Petrus cathedram suam Episcopalem vno alterove pòst anno ibidem figere voluerit, ducto secum Cornelio, vti habes in eius Vita apud Surium, in qua tamen non pauca apocrypha, inquit Lorinus.

a 10.2 v.30.
b *Matt.* 8. v. 5.
c *Matt.* 15. v. 22. *Marc.* 7. v.26.
d *Ioan.* 12. v. 20.
e *Actor.* 8. v. 27.
Clem. l.7. Constitut. c. 46. Hieron. epist.27. de peregrinat. & Paula. Chronic. c. vlt.
Surius 13. Sept.

CAPVT XI.

Iudæo-Christianos ob inductum in Ecclesiam Cornelium expostulantes cum Petro, ipse compescit. Aucto valdè à Gentilibus fidelium numero in Syria, mittitur Barnabas Antiochiam, & mox etiam Saulus, & ibi primò discipuli cognominantur Christiani. Agabus Propheta famem toti orbi imminentem prædicit. Antiocheni factâ collectâ pecuniâ Ierosolymitanis fidelibus opportunè succurrunt.

℣. 2. DISCEPTABANT] Syrus, *litigabant*; S. Chrysostomus, *valdè offensi expostulabant*. Auctorem huius expostulationis facit S. Epiphanius *Cerinthum*, qui proximus post *Simonem Magum* (f) hæresiarcha fuit. & hunc eumdem vult excitasse Iudæos vt Paulum caperent, Actor. 21. v. 28. & contra hunc ab Apostolis celebratum fuisse Ierosolymis primum Concilium, Actorum 15.

Epiph. hæres 28. f *Actor. 8. v. 9.*

℣. 3. QVARE INTROISTI AD Gentiles, ET MANDVCASTI CVM incircumcisis? Nesciebant, per Christum sublatam veterem legem, & legales immunditias atque irregularitates.

Notat Chrysostomus, non ausos rogare, Quare baptizasti, quare prædicasti Gentibus Christum? Nam hoc iniurium fuisset Christo, eiusque præcepto contrarium, quo iusserat promiscuè omnes baptizari, & Euangelium prædicari *omni creaturæ*, (g) etiam *Gentibus*, (h) *vsque ad vltimum terræ*. (i) Petrus tamen etiam huius facti rationem reddit:

g *Marc. vlt. v.16.* h *Matth. vlt. v.19.* i *Actor. 1. v. 8.*

℣. 17. EGO QVIS ERAM, QVI POSSEM PROHIBERE DEVM?] Nempe, Spiritus sanctus charismata sua cælestia impertiens Cornelio totique familiæ ipsius, hoc signo iubebat aperiri illis per me (ad id euocatum) ianuam Ecclesiæ, id est, baptismum iubebat impertiri. An vultis ego me A opponam Spiritui sancto?

℣. 18. ERGO *etiam* GENTIBVS DEDIT DEVS POENITENTIAM, id est, tempus, locum, fructum pœnitentiæ, putà remissionem peccatorum & reconciliationem cum Deo, AD VITAM] id est, vt viuant, inquit Vatablus, nempe hîc vita fidei & gratiæ, in futuro vita gloriæ & felicitatis æternæ.

℣. 19. PHOENICE, seu Phœnicia, regio est Syriæ, (k) cuius metropolis erat Tyrus.

k *Marc. 7. v. 26.*

ANTIOCHIA Syriæ metropolis, *tertium inter omnes Romani orbis vrbes locum obtinebat*, inquit S. Hieronymus, id est, *post Romam & Alexandriam*. In Hierarchia verò Ecclesiastica & ordine Sedium Patriarchalium, quia Petrus sedem ibi aliquamdiu fixit, locum secundum obtinuit, præposita Alexandriæ, in qua S. Marcus præsedit, inquit Sigonius, Baronius & alij. Porro qui huc confugerant Christiani, NEMINI *loquebantur* VERBVM (l) B Euangelij, NISI SOLIS IVDÆIS, nempe, quousque per Petrum reserata est etiam Gentibus ianua Cæsareę (m) apud Cornelium. Ex eo enim tempore passim & promiscuè

Sigon. l. 1. de Regno Italiæ.
l *Actor. 10. v. 22.*
m *Ibid. v. 48.*

℣. 20. LOQVEBANTVR Antiochiæ ET AD GRÆCOS] id est, Gentiles, inquit Liranus, Hugo & Caietanus.

℣. 21. MVLTVSQVE NVMERVS CREDENTIVM recepta fide (vt Tigurini vertunt) CONVERSVS EST AD DOMINVM] Quibus confirmandis

℣. 22. MISERVNT Apostoli ANTIOCHIAM BARNABAM] Syrijs prædicatoribus *Cyprium* (n) prædicatorem iungentes, inquit Caietanus.

n *Actor. 4. v. 36.*

℣. 23. CVM VIDISSET GRATIAM DEI cælitus impertitam Gentilibus Antiochenis, putà egregiam & constantem illorum fidem, & charismata Spiritus sancti ipsis infusa, GAVISVS EST valdè. Euocat eodem veterem amicum & condi- C scipulum suum

℣. 25. SAVLVM, qui in patriam suam TARSVM (o) Ciliciæ ad tempus secesserat. Hi duo vnius anni spatio tantam fidelium messem collegerunt Antiochię, vt nouum militiæ nomen inde per totum Orientem percrebuerit, ac proseminatum sit, & qui hactenus *fideles*, vel *credentes*, vel *Nazareni*, vel *Galilæi*, vel *discipuli* dicti fuerant, iam CHRISTIANI *cognominati sint*, à duce & magistro suo *Christo*. Suidas & Baronius putant id factum paulò antè quàm Petrus sedem suam inde Romam transtulit, putà anno decimo à morte Christi. De excellentia huius nominis vide quæ Baronius, Lorinus & à Lapide collegerunt.

o *2. Par. 9. v. 21.*
Suidas verbo Christiani.

℣. 27. IN HIS DIEBVS, nempe eodem illo anno 10. à morte Christi, AGABVS PER SPIRITVM propheticum *prædixit* FAMEM MAGNAM FVTVD RAM *toto* ORBE. QVAE, vt prædixerat, mox biennio pòst FACTA EST SVB CLAVDIO, inchoata anno imperij eius secundo, vt vult Dio Cassius, & protensa ad vsque annum eiusdem quartum, quo Iosephus, Eusebius & Orosius illam consignant. Adduntque hi duo postremi, Helenam Adiabenorum reginam ad Christum conuersam, in hac fame Iudæis munificentia magna succurrisse. Sed & Antiocheni Christiani *fratribus in Iudæa*, qui diuenditis omnibus suis, in commune vluebant, (p) & ob annonæ penuriam plusculum egebant, opportunè succurrerunt. Romę verò adeò sæuijt fames, vt ob illam plebs in Claudium Imperatorem medio in foro insurrexerit, ait Suetonius. Huic malo vt tempestiuè occurrerent Christiani, voluit Deus illam ipsis prædici per *Agabum*, vnum è 70. Christi

Dio Cass. l. 60. Ioseph l. 20. Antiq c. 2. Euseb. in Chronico. Oros. l. 7. c. 6.
p *Actor. 2. v. 44.*
Sueton. in Claudio c. 18.

disci-

Dorath. in Synopsi Sanctorum.

discipulis, inquit Dorotheus; cuius nomen Martyrologio inscriptum 13. Februarij.

CAPVT XII.

Herodes Agrippa rex Iudæa à Caio Caligula Imp. creatus, vt Iudæis gratificetur, occidit gladio Iacobum Zebedæi, & Petrum in carcerem compingit. Sed Petrus ab angelo liberatur Herodes morbo lethali percutitur.

℣. 1. EODEM TEMPORE] putà anno 2. Claudij, 12. à morte Christi inchoante, pridie Paschæ Iudæorum Herodes Agrippa, Herodiadis Ioannicidæ germanus frater, à Caio Caligula Imp. (cui ob prædictum ipsi à morte Tiberij imperium, (a) charissimus erat) rex Iudææ, Galilææ, Trachonitidis, Samariæ & Cæsareæ creatus, cùm iudaismi & Iudæorum esset studiosissimus, (b) complacendi illis causâ.

a Ioseph. l. 18. c. 8. & l. 19. c. 5. & Chronici nostri c. vlt. à morte Christi 7. anno.

b Ioseph. l. 19. c. 7. c 4 Reg 6. v 31. & 32. d Marci 6. v. 16. & 27. e Chron. c. 46. in fine vlt. tabula. Luc. Dexter anno Christi 41.

℣. 2. IACOBVM Zebedæi filium, IOANNIS FRATREM OCCIDIT GLADIO] Cuius vsum apud Iudæos in reorũ supplicijs vix (c) legimus nisi postquam in Romanorum potestatem venerunt. Sic Herodes Antipas, patruus huius Agrippæ, gladio occidit Ioannem Baptistam. (d) Sed cur *Iacobum* præ ceteris Apostolis? Respondeo, Eò quòd Christi esset consobrinus, (e) & vnus è tribus primarijs Apostolis, atque instar tonitrui ceteris feruentior, & ex obita Hispania, Gallia, Britannia (vt vult Lucius Dexter) reliquis celebrior, ideoque extremè exosus Iudæis & regi ac fautori Iudæorum Herodi. Addit Lucius Dexter, discipulos S. Iacobi, corpus magistri sui, diuino instinctu & Deiparæ consilio, Ioppe in naui depositum reuexisse in Hispaniam, & in Galliciæ vrbe Iria Flauia sub altari deposuisse. Subdit, Petrum quoque nouennio pòst adijsse Hispanias, indeq; multis comitantibus in Africam & Ægyptum traiecisse. Fides sit penes auctorem. Occiso Iacobo, primariâ columnâ Ecclesiæ, etiam caput & fundamentum aggreditur Herodes,

℣. 3. PETRVM MITTIT IN CARCEREM, POST PASCHA, exactis septem diebus azymorum, (f) *producendum* coram POPVLO in publicum tribunal, ad causam cognoscendam, & in commune theatrum, ad oculos grato tanti Præsulis supplicio pascendos. Nolebat hypocrita dies festos azymorum fuso Petri sanguine funestare: sed non veretur iniusto carcere, indignis catenis, iniqua militum vexatione innocentem torquere. Sed Petrus his omnibus fortior, iucunda & secura hilaritate milites confundebat, custodes in ruborem conuertebat, inquit Chrysostomus.

f Exodi 12. v. 15.

Chrysost. in Encomio vinculorum S. Petri.

℣. 5. ORATIO AVTEM FIEBAT SINE INTERMISSIONE, etiam noctu, (g) AB vniuersa Ecclesia PRO EO] vtpotè summo capite & Pontifice totius Ecclesiæ, quem omnes intimè diligebant & colebant, vt qui instar Atlantis totum Ecclesiæ pondus suis humeris sustentaret. Nec frustra fusæ preces. Hæ angelos è cælo euocarunt, carceres perfregerunt, catenas dissoluerunt, tyranni consilia euerterunt, satanam profligarunt, Ecclesiam conseruarunt.

g Hic v. 12.

℣. 6. VINCTVS CATENIS DVABVS] quarum singulas singuli milites, inter quos medius cubabat manu tenebant stringebantque, inquit Arias, ne quo modo dormientes falleret aut elaberetur Petrus. Miris encomijs catenas istas prosequitur Chrysostomus: mira ad easdem patrata miracula narrat Magnus Gregorius & alij apud Baronium & Ribadeneiram. Vnde & solemni festo memoriam illarum celebrat Ecclesia quotannis 1. Augusti, ob causam quæ in Officio eiusdem diei fusè narratur. Vinctum Petrum vinculis extricat & è carcere educit

Chrysost. homil. 8. in epist. ad Ephesios & apud Surium.

1. Augusti. Greg. l. 5. epist. 6 & l. 6. epist. 25. Ribaden. 1. Augusti.

℣. 7. ANGELVS DOMINI, custos S. Petri. Pantaleon putat fuisse Archangelum Michaëlem, Ecclesiæ præsidem, ac proinde capitis Ecclesiæ singularem custodem, vt alibi (h) etiam dixi.

Pantaleon Chartophylax in Encomio S. Michaelis. h Zach. 3. v 1.

℣. 8. PRAECINGERE cingulo super extimâ tunicam, ET CALCEATE CALIGAS TVAS] Græcè, *subliga sandalia tua*, id est, indue & adstringe soleas vel calceos tuos. *Caliga* enim, à *ligando calce* sic dicta, quasi *calciliga*, Latinis olim calceum vel sandalium, seu soleam designabat, inquit Salmeron & omnes eruditi. Et colligitur ex Genes. 14. v. 23. vbi Abraham regi Sodomæ ait, *Non accipiam ex omnibus quæ tua sunt à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ*, id est, calcei: calceus enim habet corrigiam quâ pedi aduincitur, non tibiale. Vide Iulium Nigronium. Mysticè, inquit Beda, iubetur Petrus resumere insignia prædicationis, quæ sunt *cingulum* & *calcei*, & *pallium*, de quo fusè Tertullianus.

Nigron in libello de Caliga c. 4. num 6. Tertull. de Pallio.

℣. 9. NESCIEBAT Petrus præ stupore, VERVM & solidum *esse* QVOD FIEBAT, putà egressionem è carcere, sed EXISTIMABAT esse VISVM, seu visionem. Interea reseratis per angelum ostijs omnibus, militibus graui sopore depressis,

℣. 10. TRANSIERVNT omnes CVSTODIAS, ac demum etiam PORTAM FERREAM, VLTRÒ ope angeli APERTAM: atque ita è carcere & palatio regis, (quod erat in arce Sion, & tres turres habebat munitissimas, Hippicum, Phaselum & Mariamnem, teste Iosepho;) ierunt versus CIVITATEM veterem, quæ erat loco inferiore, & vulgò *Ierusalem* vel *filia Sion* vocabatur. Cumque VICVM, seu plateam VNAM PROCESSISSENT, Petro iam in tuto posito, ANGELVS quasi officio & legatione sua perfunctus, disparuit, corpus quod ex aëre assumpserat, in aërem rursus resoluendo, & Petri industriæ reliquum committendo, inquit Chrysostomus.

Iosepho l. 6. Belli c. 6.

℣. 11. PETRVS AD SE REVERSVS; græcè, *factus in seipso*, quasi qui antea prorsus attonitus, extra se fuisset, mente à se alienata; DIXIT, NVNC SCIO VERE] q. d. Hucusque putaui me in ecstasi mentis vidisse quæ vidi: at nunc vera, reali & experimentali notitia disco non ecstasin fuisse, sed veram rei per angelum peractæ historiam.

℣. 12. CONSIDERANS Petrus periculum in quo erat, nempe quòd iterum posset facilè incidere in manus Herodianorum, subduxit se statim è plateis, & ingressus est DOMVM MARIÆ MATRIS IOANNIS MARCI, qui socius inde fuit S. Pauli & Barnabæ, vt dicitur in fine capitis, ac denique Bybli in Phœnicia Episcopus, vt est in Martyrologio die 27. Septem.

℣. 13. DE PVELLA RHODE, id est, rosa, fortè filia vel nepte domus, quæ AD AVDIENDVM quis noctu fores pulsaret, prima procurrit, scribit Helecas Cæsar-augustanus, alio nomine dictam fuisse *Rosuliam*, fortè Rosaliam, & *in persecutione Traiani passam pro fide, cum alijs Martyribus in Sardinia.*

Helecas in addit. ad Chronicon L. Dextri & M. Maximi.

℣. 15. ANGELVS EIVS EST] scilicet custos: qualem cuique hominum à prima natiuitate cælitus adiungi, communis semper fuit opinio fidelium, vt ex hoc loco & alijs Scripturis (i) colligit S. Chrysost. Beda & alij Doctores. Et solent sæpiusculè angeli induere speciem, seu personam clientum suorum, vt res eorum curent, & negotia peragant, inquit noster Thyreus & à Lapide, & plurimis exemplis id demonstrant.

i Gen. 48. v. 16. Dan. 3. v. 92. Tob. 5. v. 18. & Matt. 18. v. 10. &c. Thyreus l. 1 de Spirit. apparit. c. 12. &c.

℣. 17.

℣. 17. NVNTIANTE HÆC IACOBO Alphæi, Ie- A rosolymorum Episcopo, ET FRATRIBVS, putà reliquis Apostolis ac discipulis. Nam plerosq; Apostolorum Ierosolymis etiamnum subsitisse, vel saltem non procul inde abscessisse, patet ex ijs quæ in Chronico ad 2. annum Claudij Imper. adnotaui. E quibus patet, hoc demum anno, & occasione huius Herodianæ persecutionis Apostolos à Iudæa & à se mutuo diuulsos, in suas singulos prouincias demigrasse: Petrum quoque rebus iam Antiochiæ, totoque Oriente vtcumque dispositis, (nam peragrarat non modò Sidonem, Berytum, Tripolim, Aradum, Antaradum, totamque Syriam, sed & Galatiam, Cappadociam, Pontum, Asiam, Bithyniam, vbique euangelizans, vbique Ecclesias, vbique Episcopos instituens:) Romam finiente hoc eodem anno secundo Claudij, cathedram suam pontificalem 18. Ianuarij transtulisse, idque iussu diuino, atque illi Ecclesiæ, (in qua ad mortem vs- B que penè per 25. annos Episcopus sedit,) pontificatum perpetuò adnexum reliquisse, vt plurimis argumentis & SS. Patrum certissimis testimonijs fusè probant Baronius, Bellarminus, Suarez, Valentia & alij Doctores. Congruum autem erat, Romæ potiùs, quàm alibi sedem figi pontificiam, vt, vbi caput erat imperij & orbis, etiam caput esset Ecclesiæ, & conuersis aliquando Romanis principibus, faciliùs orbis vniuersus Euangelio subijcèretur. Primum, quem Romæ Petrus conuertit, aiunt fuisse Pudentem senatorem, quem cum filijs Timotheo ac Nouato, & filiabus Pudentiana & Praxede, totaque familia Christo adiunxit, domo eius in ecclesiam (quæ prima Romæ fuit) consecratâ, & *titulo Pastoris* nuncupata, vbi etiamnum ostenditur altare, in quo S. Petrus celebrare consueuit. Vide acta istorum Martyrum. Sed quid rex C Herodes audita fugâ Petri?

℣. 19. INQVISITIONE FACTA DE CVSTODIBVS, & torturæ verisimiliter admotis, IVSSIT EOS DVCI ad supplicium, inquit Chrysost. Syrus, *iussit eos necari.* Petrus Alexandr. tradit, strangulatos seu suffocatos fuisse, in iustam crediderim pœnam multiplicis iniuriæ & inhumanitatis erga vinctum Petrum nuper exhibitæ. Porrò rex COMMORATVS aliquamdiu *Cæsareæ*, (quæ priùs dicta fuerat Turris Stratonis,) solemnes ibi ludos celebrauit pro salute Claudij Cæsaris, ad quos magna vndique multitudo nobilium confluxit, teste Iosepho. Hîc

Petr. Alex. canon. 13. apud Theod Ba. famonĕ.

Ioseph. l. 19. Antiq. c. 8.

℣. 20. à TYRIIS ET SIDONIIS, quibus IRATVS ERAT (ob receptum è fuga Petrum, inquit Baronius, sed hoc incertum:) veritis, ne frumenti aduectionem inhiberet, itaque famem (a) augeret, interpellatur de *pace*. Quibus,

a *Actor. 11. v. 28.*

℣. 21. STATVTO DIE percelebri, addit Syrus; nempe die secundo ludorum, inquit Iosephus; magnificentia regia sedens pro tribunali, redimitus corona & sceptro regio, vestéque ex argento & purpura nouo opere ita contexta, vt radiis solis percussa quasi diuinum fulgorem emittere videretur; dum verbis solito blandioribus pacem ex insperato impertit, adulantibus causam dat acclamandi quasi nouo Deo, & diuinos illi honores adscribendi. Quibus cùm non repugnat rex, sed potiùs consentit, D

℣. 23. NEC DAT diuinum HONOREM DEO, sed sibi sacrilegè asscribit, insanæ populi assentationi & acclamationi animo, forsan & nutu consentiens; CONFESTIM; Syrus, *eâdem horâ, percutitur* ab *angelo* DOMINI, diuini honoris zelote ac vindice, percutitur, inquam, plaga lethali, ex visceru dolore & torminibus, inquit Iosephus: item corporis putrefactione, è qua vermium, id est, pediculorum, agmina enata (b) miserum hominem quinto post die, incredibili tormento absumpserãt: vt absumpserant etiam autem cias Herodem Ascalonitã infãticidã. (c) Et solet sæpè tali supplicio Deus punire blasphemos, Ecclesiæ persecutores, sed maximè diuinitatis appetitores, vt patuit in Antiocho Epiphane; (d) in Pyerecyde (e) Pythagoræ magistro atheo, in Maximiano (f) Imp. in Nestorio (g) hæresiarcha, in Ioannne Caluino; (h) & tot alijs Theomachis. Mortuum Herodem Cæsarienses non tam luctu, inquit Iosephus, (i) quàm conuitiis prosecuti sunt, æquè ac viuentem præsentem ac videntem impetiuerant nuper Alexandrini; in publicum theatrum inducto nescio quo insano Carabba (Baronius putat legendum *Barabba*) qui Herodis personam referret; cuius capiti diadema imposuerunt papyraceum, pro paludamento induerunt storeâ, pro sceptro arundine manui impositâ, sic eum *marim*, id est, dominum seu regem, acclamantes, vti narrat Philo. Herodi defuncto successit filius & ipse *Herodes Agrippa*, sed iunior dictus, cuius sorores erant *Mariamne*, *Berenice* & *Drusilla*, de quibus infrà. (k)

b *Calm de Compos. medic secundã locã c. 7.*
c *Chron. c. 45. & 49.*
d *2 Mach. 9 v. 9*
e *Rhodigin. l. 19. c. 30.*
f *Euseb l. 8. c. 28.*
g *Nicephor. l. 14. c. 56.*
h *Bolsec. in Vita Caluini.*
i *Ioseph. l. 19. c. 8.*
Philo in Flaccũ c. 31.
k *Actor. 24. v. 24. & c. 25. v. 13.*

CAPVT XIII.

Saulus & Barnabas expleto *Ierosolymis* ministerio * *deferentes eleemosynarum, reuersi Antiochiam, iussu Spiritus sancti mittuntur vt etiam alibi Gentibus euangelizent. Ergo peragrata Seleucia, Cypro, Salamina, Paphi Sergium Paulum Proconsulem conuertunt exacato Elyma mago inde abeunt Pergen Pamphyliæ, & Antiochiam Pisidiæ: sed à Iudæis synagoga expulsi, excusso puluere pedum conuertunt se ad Gentes, & pergunt Iconium.*

* *Actor. 12. v. 25.*

℣. 1. NIGER cognomen erat familiæ; sicut & *Flauius, Rufus, Albinus*, à colore nigro, flauo, rufo, albo, nominibus olim mutuatis. LVCIVS Episcopus erat Cyrenensis, (l) inquit Beda, Ado, Vsuardus & Romanum Martyrol. 6. Maij. MANAHEN HERODIS Antipæ (m) Ioãnicidę COLLACTANEVS, id est, eiusdem cum Herode nutricis lacte olim lactatus. Erat ergo ex illustri familia, sed Christiano doctoratu & prophetia ac vitæ sanctitate longè illustrior, vt patet ex eodem Martyrologio 24. die Maij.

l *4. Reg 16. v. 9.*
m *Chron. c 45. & Marc. 6. c. 17.*

℣. 2. MINISTRANTIBVS ILLIS DOMINO] λειτουργούντων, id est, *sacrificantibus illis*, vt vertit etiam Erasmus. Licet enim λειτουργῶν, significet in genere *ministrare*, tamen antonomasticè vsurpari solet pro *sacrificare*. Et quod aliud, quæso, *ministerium* dices hîc exhibitum *Domino?* inquit Bellarminus.

Bellar. l. 1. de Missa c. 13.

DIXIT SPIRITVS SANCTVS per Prophetas, SEGREGATE MIHI quasi selecta instrumenta SAVLVM ET BARNABAM, INOPVS euangelizandi etiam alijs promiscuè Gentibus, AD QVOD diuina electione mea ASSVMPSI EOS; græcè, *accersiui eos*, vt Pagninus & Tigurini vertunt. Ab hac vocula *segregate*) Paulus vocat se subinde *segregatum*, (n) nempe in Apostolum Gentium & orbis doctorem. Iubet ergo Spiritus sanctus, vt hi duo, qui iam pridem secretò & quasi in actu inchoato designati erant (o) Apostoli Gentium, iam in actu completo & publicè ad id munus deputentur & mittantur. Ex hoc & similibus locis (p) colligunt Patres, non posse quemque pro libito se ingerere in ministeria Ecclesiastica, sed debere vocari à Spiritu sancto, &

n *Galat 1. v. 15.*
o *Actor. 9. v. 1. & c 11. v. 22. & 25.*
p *Rom. 10. v. 14.*

cto, & mitti à Prælatis Ecclesiæ. Quod velim attendant hæreticorum Ministri, nobisque palàm faciant à quo vocati, à quo missi sint.

℣. 3. TVNC IEIVNANTES (sicut & nunc ieiunat tota Ecclesia quando sacri Ordines conferuntur,) IMPONENTESQVE EIS MANVS, hoc ritu illos consecrarunt Episcopos, inquit S. Leo & Chrysost. Iam pridem enim ordinati fuerant *sacerdotes*, inquit Turrianus. Addit Oecumen. & Liranus, *Simonem*, *Lucium* & *Manahen* hos ordinasse Episcopos, anno 3. Claudij Imper. id est, 13. à morte Christi, (a) vt vult Baronius: nempe paulò pòst quàm Paulus raptus esset in tertium cælum, (b) & Petrus Romam concessisset. Volebat enim Spiritus sanctus sub idem tempus gentilismum in Occidente per Petrum, in Oriente per Paulum vnanimiter conuelli. Porrò ordinati iam Episcopi, prima expeditione adierunt vicinam Antiochiæ

Leo epist. 79 v. 81. ad Dioscorum. Alexandr. Turrian. l. 1. de Hierarc. ordin. c. 20.

a *Chronic. e. vlt. Claudij anno 3.*

b *2. Cor. 12. v. 2 & 1. Timot 3. v. 10. &c.*

℣. 4. SELEVCIAM, vrbem frequentem ac celebrem in Cœlesyria, oppositam Cypro, sic dictam à Seleuco (c) Nicanore primo post Alexandrum Magnum Asiæ rege.

c *Chron. c. 40.*

℣. 5. SALAMINA vrbs est ad Orientem insulæ Cypri: postea à Constantio Imp. dicta *Constantia*, cuius Episcopus fuit aliquando S. Epiphanius. Nunc *Famagosta*, seu Fama Augusta vocatur, à Selymo Turcarum Imper. ante centum annos Christianis erepta.

HABEBANT AVTEM ET IOANNEM Marcum (d) IN MINISTERIO suo; græcè ὑπηρέτην, id est, *ministrum*, nempe in cura victus, vestitus, rerumque temporalium. Quod longè aliud ministerij genus est à *liturgia* de qua v. 2.

d *Actor. 12. v. 25.*

℣. 7. PROCONSVL Romanis erat vicarius Consulis, (e) & potestate consulari prouinciam cui præerat, administrabat.

e *Sigonius de Magistr. Rom.*

℣. 8. ELYMAS barbarum est nomen, inquit Sanchez & à Lapide, Cyprijs fortè proprium, & significat ipsis *magum*. verisimiliter ab Hebræo עלם *alam*, id est, abscondere, vel à Græco εἱλύω, id est, inuoluo: vt *Elymas* idem sit quod abscondens, inuoluens, supple, mysteria & artes arcanas: quod proprium est magorum & præstigiatorum, quantumcumque absurda inuoluentium nescio quo pietatis prætextu, vel scientiæ aut potentiæ naturalis inuolucro. Et ideò fortè nomen assumserat hic magus *Barieſu*, id est, filius saluatoris, id est, saluator, (f) eò quòd per suas magias multis ægris salutem afferret. Sed potuit etiam pater eius nomen habuisse Iesu, seu Iosue, vt multis tum erat familiare, inquit Sanchez.

f *Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 40.*

℣. 9. SAVLVS hîc primùm vocatur *Paulus*, & sic semper deinceps. Vnde videtur occasione *Sergij Pauli* Proconsulis, nomen Hebræum *Saulus* in Romanum & Græcum *Paulus* commutasse, quo se faciliùs & blandiùs Romanis & Græcis insinuaret.

℣. 10. FILI, id est, imitator, DIABOLI, NON DESINIS; græcè & syriacè, *non desines*, SVBVERTERE VIAS DOMINI] id est, Euangelium, fidem, legem Christi. His enim vijs in animam ingreditur Deus, & anima graditur in cælum.

℣. 11. ERIS CÆCVS AD TEMPVS] Isidorus Peluſiota & Glossa censent, magum hunc hac pœna resipuisse, Paulo credidisse, & à cæcitate curatum esse. Sed rursus postea relapsum esse colligitur ex S. Dionysio, qui asserit, eum Paulo iterum restitisse. Et Beda damnatum affirmat. Paulus verò Proconsul à Paulo Apostolo creatus Episcopus, eo munere functus est non tantùm in Cypro, sed & Narbonæ in Gallia, Euangelium Christi etiam per totam Hispaniam disseminans, inquit Lucius Dexter & Martyrologium Romanum 22. Martij.

Isidor. l. 1. epist. 354.

Dionys. de Diuin. nom. c. 8.

Lucius Dexter in Chronico ad annum Christi 76.

℣. 13. IOANNES MARCVS, de quo v. 5. fortè pertæsus prolixioris itineris (vt Chrysost. & Baronius censent) discedens à *Paulo & Barnaba*, reuersus est Ierosolymam: quæ causa pòst fuit dissidij & diuulsionis Pauli à Barnaba, c. 15. v. 37.

℣. 14. ANTIOCHIA PISIDIÆ metropolis. Multas & varias vrbes Asiæ nomen habuisse Antiochiæ, vel ex eo collige quòd Volaterranus tradit, Seleucum Nicanorem *sedecim* vrbes in honorem & memoriam Antiochi patris sui vocasse *Antiochias*. Vti à se, nouem vocarat *Seleucias*: à matre sua *Laodice*, quinque *Laodicias*: ab vxore *Apamea*, tres *Apamias*. Sed *Antiochia* ad Orontem, Syriæ metropolis, postea à Iustiniano Imp. dicta *Theopolis*, antonomasticè vocabatur *Antiochia*: ceteræ cum addito, *Antiochia Pisidiæ*, *Antiochia Epiphaniæ*, &c.

Volater. l. 11 Geogr.

℣. 16. QVI TIMETIS, id est, colitis, DEVM verum. Sic Iudæi vocabant *proselytos*, seu Gentiles ad iudaismum conuersos, inquit Arias, Lorinus, à Lapide & alij.

Nota. Hæc est prima S. Pauli concio, à Luca descripta, cuius summa, inquit Liranus, hæc est: Deus qui patribus nostris tot tantaque beneficia contulit, inter alia vobis ex semine Dauid promisit Messiam & redemptionem ab omnibus malis. Hanc promissionem nunc per Iesum Nazarenum impleuit: ergo Iesu vt redemptori credite, seruite & adhærete.

℣. 20. ANNI isti QVADRINGENTI ET QVINQVAGINTA inchoantur à natiuitate Isaaci, vt probaui in Chronico. (g) Vbi etiam vide (h) de 40. annis Samuelis simul & Saulis, quorum hîc vers. 22. meminit S. Paulus.

g *Chron. c. 22*

h *Ibid. c. 26*

℣. 23. ISRAEL est datiui casus, vt patet ex Græco.

℣. 24. ANTE FACIEM ADVENTVS, id est, ante aduentum Christi, prædicauit IOANNES BAPTISMVM POENITENTIÆ] id est baptismum qui erat symbolum & incitamentum ad pœnitentiam, vt alibi (i) vidimus.

i *Matt. 3. v. 11.*

℣. 27. IGNORANTES, an & quomodo dici possint fuisse Iudæi, IVDICANTES, id est, condemnantes & occidentes Christum, dixi suprà. (k) Sal-tem sic IMPLEVERVNT VOCES PROPHETARVM] qui vno ore prædixerunt (l) Christum passurum & moriturum.

k *Actor. 3. v. 17.*

l *Ibid. v. 18.*

℣. 32. PROMISSIO, supple, de Christo & saluatione mundi per Christum, FACTA EST patribus nostris, sed

℣. 33. Adimpleta FILIIS NOSTRIS; græcè, *filijs eorum*, supple, patrum nostrorum, scilicet *nobis* & *vobis*. ita Pagninus, Vatablus, Erasmus & alij.

EGO HODIE GENVI TE. Id etiam exponi posse de resuscitatione Christi, aliàs (m) docui. De resuscitatione, inquam, in vitam immortalem, sine regressu IN CORRVPTIONEM] id est, in mortem. iuxta illud Isaiæ 55. vbi nobis addicit Deus,

m *Psal. 2. v. 7. & psal. 109. v. 3. Isaiæ 55. v. 3*

℣. 34. QVOD SANCTA (ita LXX. verterunt) nempe promissa DAVIDI olim facta, (Isaias vocat *misericordias*, quia misericorditer promissa) DABO VOBIS FIDELIA, id est, faciam rata, firma, stabilia, complendo reipsa quidquid promisi; atque inter alia, quòd *sanctus* meus NON *videbit*, (n) non percipiet, CORRVPTIONEM] id est, putrefactionem vel incinerationem cadaueris. Quod ad Dauidem non spectat, sed ad filium Dauidis Christum.

n *Psal. 15. v. 10.*

℣. 36.

℣. 36. DAVID ENIM IN SVA GENERATIONE, id est, suo sæculo, sua ætate, CVM ADMINISTRASSET, id est, seruijsset, VOLVNTATI DEI, perfunctus administratione regni à Deo ipsi commissi, DORMIVIT, id est, mortuus est, ET APPOSITVS AD PATRES SVOS in terra, corruptione & putredine. Hæc enim via est vniuersæ carnis.

℣. 38. PER Christum ANNVNTIATVR & offertur VOBIS REMISSIO PECCATORVM, æquè ac liberatio AB OMNIBVS cæremonijs, obligationibus & oneribus *legis Mosaicæ*, quibus (vtpotè inanibus & gratiâ vacuis) NON POTVISTIS IVSTIFICARI vel saluari. Nam solùm

℣. 39. IN HOC, id est, per hunc Christum, IVSTIFICATVR & saluatur OMNIS QVI CREDIT fide non mortua: sed viua, quæ per spem & charitatem operatur.

Habac. 1. v. 5. ℣. 41. OPVS OPEROR, &c.] Habacuc ad literam intelligit vindictam diuinam per Chaldæos exercendam in impios & peruicaces Iudæos & alias vicinas Gentes. Sed potest extendi ad quamlibet Dei vindictam de ijsdem peruicacibus sumendam, siue hæc sit spiritualis, v. g. excæcatio, reprobatio, desertio: siue corporalis, v. g. excidium per Romanos inuehendum.

℣. 43. COLENTES Deum ADVENÆ vocantur ijdem qui suprà (*a*), *timentes Deum*, nempe proselyti, vt est in Græco.

a Hic 1. 16.

℣. 46. VOBIS, vtpotè filiis & heredibus patrum, quibus promissus est Christus, OPORTEBAT PRIMVM & ante omnes alios LOQVI VERBVM DEI, & Euangelium annuntiare: SED QVONIAM repellendo illud, INDIGNOS VOS IVDICATIS, seu manifestum facitis, vos *indignos* esse VITAE ÆTERNÆ: (nemo enim illâ dignus esse potest, nisi qui fidem Christi capessit:) ECCE CONVERTIMVR AD GENTES Christo adiungendas.

℣. 47. SIC ENIM PRAECEPIT NOBIS DOMINVS (*b*) Iesus, iuxta illud quod Isaiæ 49. vers. 6. ei promissum fuit à Deo Patre, POSVI TE vt sis *lux & salus* non solis Iudæis, sed & *Gentibus* totius vniuersi.

Actor. 1. v. 8. & Matt. vlt. v. 19.

℣. 48. CREDIDERVNT in Christum QVOTQVOT ERANT PRAEORDINATI, id est, prædispositi, AD VITAM AETERNAM, nempe ex libera sua dispositione sibi à Deo indita. Quæ dispositio in eo sita erat, quòd sincero veritatis indagandæ studio, & salutis assequendæ affectu attenderent prædicationi S. Pauli. Atque ita antithesis est cum vers. 46. Vos repellendo prædicationem nostram reddidistis vos indignos vitæ æternæ: Gentiles verò auscultando & obsequendo prædicationi nostræ præordinantur, seu prædisponuntur ad vitam æternam, quasi tirones adscripti militiæ cælesti sub vexillo Christi. Græcum enim τεταγμένοι, verbum militare est, & significat, ordinatos, seu dispositos in acie vel in ordine militari. ita Isidorus. Clarius, Salmeron, à Lapide & alij. Vnde nihil facit hic locus pro Dionysio Carthusiano & alijs quibusdam ex eo probare conantibus, electionem ad gloriam fieri ante præuisa cuiuspiam merita. Neque enim agitur hîc de illa speciali, absoluta, completa & solis prædestinatis propria electione, sed (vt summum) de conditionata, inchoata & remota, vt patet ex dictis. Quis enim credat, S. Lucam hîc, vbi tantùm agit de fide, id est de initio salutis, velle dicere, hos omnes & solos perseueraſſe in fide & gratia, esseque saluatos? cùm constet, multos alios postea credidisse & saluatos esse: neque verisimile sit omnes saluatos esse qui tunc crediderunt.

℣. 50. MVLIERES RELIGIOSAS vocat quæ cæremonijs Mosaicæ legis & traditionum Iudaicarum plus ceteris addictæ erant, & maiore zelo religionis suæ tuendæ ac propagandæ agebantur, ac proinde repugnabant Christianæ doctrinæ pro viribus & ad æmulationem. Quàm noxiæ verò sint eiusmodi mulierculæ, depingit graphicè S. Hieronymus & Anastasius Nicenus.

Hieron ad Ctesiphontem, tom. 4. Anastas. Nicen tom 6. Biblioth. SS. Patrum. q. 62. §. omnis qui aspexerit.

℣. 51. EXCVSSO PVLVERE PEDVM] quod iusserat Christus Matt. 10. v. 14. vt ibi dixi.

ICONIVM vrbs est famosa in Lycaonia ad Taurum montem, de qua Plinius. Est & altera eiusdem nominis, sed in Cilicia, de qua alibi.

Plin. l. 5. c. 27.

CAPVT XIV.

Paulus & Barnabas Iconij multos conuertunt: vnde pulsi à Iudæis fugiunt Lystram, vbi ob claudum sanatum, diuinos honores Iouis & Mercurij sibi à Gentilibus delatos recusant ac refutant. Sed à Iudæis lapidati fugiunt Derben: ac tandem relegentes iter suum, confirmatis vbique fidelibus, ordinatisque Presbyteris redeunt Antiochiam.

℣. 1.] ICONII in Lycaonia CREDIDIT GRAECORVM, id est, Gentilium, COPIOSA MVLTITVDO] Inter quos præcelluit S. Thecla virgo tot laudibus celebrata à S. Chrysostomo, Epiphanio, Ambrosio, Hieronymo, Basilio Seleucensi & alijs: Martyrologio adscripta, 23. Septembris. Theclam subsecutæ sunt Tryphæna & Tryphosa, quas subinde laudat & salutat S. Paulus (*c*), & Martyrologio inscribuntur 20. Nouembris.

Chrysost. hom 25. in Acta. Epiph. hæres 78. Ambr. l. 2. de Virgin. Hieron. in Chron. Basil. Seleuc. in Vita Theclæ. c Rom 16. v 12. d Chron. c. vlt. in anno S. Claudij.

℣. 3. MVLTO TEMPORE Iconij DEMORATI SVNT Paulus & Barnabas: nempe vno circiter anno, vt alibi (*d*) vidimus: FIDVCIALITER AGENTES, id est, confidenter & intrepidè euangelizantes, IN DOMINO, id est, ope diuina fulti & aduti, in VERBO GRATIAE, id est, Euangelio, propagando, quod & in se plenum est gratia, & hominibus affert plenam gratiam, nempe remissionem peccatorum, amicitiam Dei, iustitiam, salutem, & vitam æternam.

℣. 6. INTELLIGENTES Apostoli conspirationem Iudæorum & Gentilium contra se, CONFVGERVNT LYSTRAM. Vbi

℣. 8. VIDENS Paulus claudum, QVIA FIDEM HABERET VT SALVVS FIERET] id est, quòd credens dictis Pauli speraret se ab eo curandum ac seruandum. (vnde colligit Chrysost. animam huius claudi priùs sanatam esse per fidem, quàm corpus;)

℣. 9. DIXIT MAGNA VOCE, vt ab omnibus audiretur, SVRGE, Græca, Syra, & nonnulla Latina Biblia addunt: *Tibi dico, In nomine Domini Iesu Christi, surge*: vbique enim inculcabant Apostoli nomen Iesu Christi.

℣. 10. DII assumpto corpore SIMILES FACTI HOMINIBVS, DESCENDERVNT AD NOS in terram. Vnde colligit Eusebius, Paulum & Barnabam aliquid supra hominem, & quasi diuinum spirasse in vultu, voce, moribus, miraculis. Et Chrysost. optat concionatores omnes diuinam beneficentiam, sanctitatem, suauitatem & gratiam spirare.

Euseb l. 3. Præparat. Euang. c. 9.

℣. 11. BARNABAM VOCABANT IOVEM, quia statura, forsan & ætate, grandior erat, inquit Liranus: vultu item pulchro erat ac Iouiali, benignus, beneficus in omnes, inquit Chrysost. PAVLVM VERÒ vocabant MERCVRIVM, QVONIAM IPSE ERAT DVX VERBI, facundiâ & dicendi efficaciâ præcellens. Mercurius autem eò quòd primus lit-

teras inuenerit, à stulta gentilitate habebatur Deus eloquentiæ & facundiæ, sic dictus quasi *Medicurrius*, quia sermo currit medius inter homines, inquit Tertullianus, Arnobius & Augustin. Ex Maria Atlantis filia, & Ioue, id est, ex mente, & prudentia natus: & ἑρμῆς, id est, interpres, dictus, vt vult Phauorinus, & quidem *Trismegistus*, seu ter maximus, quòd sermo & oratio omnia possint. Et verò quid deesse poterat, seu eloquentiæ, seu sapientiæ, Paulo rapto nuperrimè in tertium cælum, vnde hausit arcanos & cælestes verbi thesauros.

Tertull. de Corona mil. c. 8. Arnob. contra Gent. August. l. 1. Ciuit. c. 14.

℣. 12. SACERDOS IOVIS, QVI ANTE CIVITATEM, id est, in suburbio, suam habebat aram & templum & sacrificulum, TAVROS ET CORONAS, id est, tauros coronatos(a), AFFEREBAT, vt nouo Ioui sacrificaretur. Coronâ enim vt symbolo perfectionis, & cumuli omnium bonorum, item regni, victoriæ, triumphi, gloriæ & felicitatis, quæ soli Deo absolutè conueniunt, capiti victimarum impositâ, protestabantur Gentiles se deo suo non nisi coronata, id est, perfecta, selecta & eximia quæque offerre, neque in alium finem quàm vt bonorum omnium, & gloriæ ac felicitatis cumulum ei adgratulentur, vt fusè Valerius Maximus, Macrobius & alij.

a *Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 41.*

Valer. Max. l. 9, c. 1. Macrob. l. 3. Saturn. c. 13.

℣. 13. QVOD sacrilegum propositum VBI AVDIERVNT APOSTOLI, CONSCISSIS TVNICIS in tanti sceleris detestationem, & in signum extremi doloris, quo cor quasi discinderetur in partes, EXILIVNT IN TVRBAS, & indebitos honores à se diuertunt.

℣. 15. DIMISIT OMNES GENTES INOREDI VIAS SVAS] id est, viuere ex suo arbitrio, nulla eis lege externa (sicut Iudæis) præscripta. Nec tamen ipsis etiam Gentibus

℣. 16. SINE OMNI TESTIMONIO SEMETIPSVM RELIQVIT Deus, *Dedit* enim opportuno tempore PLVVIAS, vel fluuiorum exundationes, quæ terram fœcundent ad producenda omnia fructuum genera, quæ variis temporibus subministrat pro varijs hominum variorum vsibus. Quod diuinæ prouidentiæ testimonium semper Domino deseruiuit, nec vmquam de bonitate, potestate ac sapientia ipsius conticuit, vt bene S. Prosper annotauit.

Prosper 2. de Vocat. Gent. c. 4.

℣. 18. LAPIDANTES PAVLVM] Quanta populi inconstantia! iam Paulum vt Mercurium diuinis prosequitur honoribus; mox vt sacrilegum, lapidibus obruit.

℣. 19. CIRCVMDANTIBVS EVM DISCIPVLIS, vt, si adhuc viuus esset, tegerent & absconderent, inquit Liranus & Hugo: sin mortuus, sepelirent, inquit Caietanus. Cùm subitò, miraculosè instauratis viribus, SVRGIT, ambulat, vrbem ingreditur, & POSTRIDIE *proficiscitur* IN DERBEN. ita Liranus Dionysius, Lorinus & à Lapide.

℣. 21. PER MVLTAS TRIBVLATIONES OPORTET NOS INTRARE IN REGNVM DEI] Primò, quia talibus scatet hæc vita. Secundò, quia innumeri nobis inimici quid aliud procreent? Tertiò, quia regnum cæleste id meretur, & amplius. Quartò, quia virtus his fouetur, intenditur & stabilitur. Quintò, quia hoc nitro & lixiuio peccata abolentur & expiantur. Sextò, quia hæc est via trita Sanctorum, adeoque & ipsius Christi. Septimò, quia sic sanxit & decreuit Deus decreto inèuitabili.

℣. 22. CVM CONSTITVISSENT Apostoli discipulis PRESBYTEROS PER omnes ECCLESIAS, non temerè, sed præmisso *ieunio* atque oratione, per quam Liranus sacrificium Missæ vult intelligi, vt alias (b) dixi. Porrò χειροτονεῖν non spectare hic populum, neque idem esse quod per suffragia eligere, vt vult Erasmus, Pagninus & Tigurini: sed spectare Paulum & Barnabam, & idem esse quod *manus imponere*, & hoc ritu eos ordinare; patet ex ipso huius loci contextu, & ex aliis similibus Scripturæ locis (c), & vnanimi SS. Patrum expositione, vt videre est apud Bellarminum.

b *Act. 6. v. 4.*

c *1. Tim. 4. v. 14. & c. 5. v. 22. & 2. Timoth. 1. v. 6. Bellarm. de Ordinat. ministror. Eccles. Ptolem. l. 5. c. 6. Strabo l. 14. Plin l. 3. c. 48.*

℣. 24. ATTALIA (non *Italia*, vt perperam vertit Vatablus) regio est *Pamphyliæ* in Asia, teste Ptolemæo & Strabone, sic dicta à rege Attalo. Et inde ortum Attalicum opus, in quo staminibus sericis aurea subtegmina intexuntur. ita Plinius.

℣. 25. NAVIGAVERVNT ANTIOCHIAM (d) Syriæ metropolim, VNDE nuper à fidelibus emissi ERANT TRADITI GRATIÆ DEI, id est, commendati Spiritui sancto; auctori omnis gratiæ, qui quasi pædagogus & auriga deduceret eos IN OPVS Apostolicum, QVOD egregiè, vt vidimus, illo ductore COMPLEVERVNT, insumpto peregrinationi isti quadriennio, vt in Chronico demonstraui.

d *Act. 13. v. 14.*

Chron. c. vlt. ab an. 3. Claudy vsque 7.

℣. 27. MORATI SVNT Antiochiæ TEMPVS NON MODICVM, nempe biennium, à 7. vsque ad 9. annum Claudij, quo Ierosolymam ascenderunt, vt audiemus cap. sequenti.

CAPVT XV.

Suborta Antiochiæ quæstione, an à Gentilibus conuersi ad Christum deberent circumcidi & seruare legem Moysis; mittuntur Ierosolymam ad Apostolos & Presbyteros Paulus & Barnabas ad huius quæstionis solutionem petendam: qui concilio Concilio respondent, Christianos lege Moysis non teneri. Quo responso Antiochiam delato, Paulus assumpto Sila, & Barnabas Ioanne Marco, pergunt euangelizare Gentibus verbum Dei.

℣. 1. QVID DE IVDAEA] Epiphanius, Hieron. Philastrius & August. dicunt auctorem huius litis fuisse *Cerinthum*, de quo suprà (e).

Epih. hæres. 28. Hieron. epist. 89. Philast. l. de hæres. c. 8. Aug. in Catalog hæres. e Act. 11. v. 2

NISI CIRCVMCIDAMINI, NON POTESTIS SALVARI] Sub circumcisione per synecdochen intelligebant totam legem (f) Moysis, cuius initium & professio erat circumcisio. Huic suæ sententiæ prætexebant hi errones, quòd solis Iudæis vt promissus, ita etiam missus esset Messias, & per Messiam parta gratia, redemptio & salus æterna: ac proinde Gentiles non esse horum capaces nisi priùs fierent proselyti, & iudaismo insererentur. Sed his seditiosis opponunt se primo statim initio Paulus & Barnabas; vnde suborta maxima contentio: quæ sedari non potuit, nisi missa vtrimque legatione *ad Apostolos*, putà Petrum, Iacobum & Ioannem, qui, vt Gal. 2. v. 9. dicitur, Ierosolymis tunc aderant, *Petrus* enim anno 9. Claudij cùm ceteris Iudæis, vt dicitur Act. 18. v. 2. Româ excedere coactus, ad tempus Ierosolymam, quasi ad fidelium matricem, nutu Dei recèns secesserat. *Ioannes* detentus custodia (g) Deiparæ Ephesum necdum concesserat, vel certè negotiorum causa Ierosolymam recurrerat. *Iacobus* Episcopum Ierosolymis agebat. Præter hos nullus affuit aliorum Apostolorum, vt constat ex dicto cap. 2. epistolæ ad Galatas. Vnde quod Clemens in Constitutionibus (h) ait, omnes 12. Apostolos, instinctu diuino Ierosolymam tunc recurrisse, etiam Iacobum Zebedæi, quem iam ante octennium (i) Herodiano gladio sublatum vidimus; meritò apocryphum censetur à Baronio, Bellarm. & aliis

g *Act. 17 v. 34. & c. 19. v. 9.*

h *l. 6. Constit. c. 12. & 14.*

i *Chron. c. vlt. in anno 2. Claudy.*

& alijs passim, etsi Turrianus id excusare conetur.

a Matth. 3. v. 7.

℣. 5. SVRREXERVNT AVTEM QVIDAM DE *Pharisæis* (*a*). Si hæc verba velis esse S. Pauli, subaudiendum, *aiebat*.

b Hic v. 2.

℣. 6. CONVENERVNTQVE APOSTOLI ET SENIORES, seu presbyteri (*b*), VIDERE DE VERBO HOC, seu de hac quæstione quid censendum. Intelligit autem hoc nomine *sacerdotes*, atque inprimis *Episcopos*, qui propriè sunt iudices in Conciliis. Hoc autem primum est Ecclesiæ Christianæ *Concilium*, in quo acta est causa christianismi contra iudaizantes, anno 19. à passo Christo, 17. à conuerso Paulo, Claudij Imp. 9. vt patet ex dictis in Chronico.

Chron. ad ol.

℣. 7. SVRGENS PETRVS, quasi princeps omnium & primas Ecclesiæ, quæstionem quasi iudex definit ac decidit: cuius mox sententiam Jacobus & ceteri omnes approbant ac sequuntur, inquit S. Hieron. Theodoretus & alij Patres.

Hieron. ep. 89. quæ est 11. inter epistolas S. August. c. 3.

AB ANTIQVIS DIEBVS, nempe iam inde à conuersione Cornelij centurionis, ab annis sexdecim, DEVS IN NOBIS, seu inter nos Apostolos & discipulos suos, me primum omnium ELEGIT, VT PER OS MEVM GENTES AVDIRENT VERBVM EVANGELII (*c*).

c Act. 10. v. 13. & seqq.

℣. 8. ET QVI NOVIT CORDA; græcè, ὁ καρδιογνώστης, id est, cordis inspector. q. d. Non respicit Deus ad caruem, an circumcisa sit, necne: sed ad cor, an promptum paratumque sit excipere per fidem Deum & gratiam Dei. Et quia hanc promptitudinem reperit non minùs in Gentilibus incircumcisis, quàm in circumcisis Iudæis, voluit tam illos quàm istos sibi adiungi, & in Ecclesiam suam admitti. Et hoc ita se velle *testatus est* publico testimonio, DANS ILLIS SPIRITVM SANCTVM visibili specie linguarum igearum, SICVT antè NOBIS dederat in prima Pentecoste. Patuit hoc Act. 10. in Cornelio centurione & tota illius familia.

℣. 9. PVRIFICANS si non carnem illorum circumcisione externa, certè CORDA ILLORVM circumcisione interna, nempe fide, & quæ fidem consequuntur, contritione & charitate.

℣. 10. NVNC ERGO cùm constet de mente voluntatéque diuina, QVID TENTATIS DEVM, clara certaque iussa ipsius in dubium reuocando, vel ijs non obsequendo; dum contra nutum ipsius IMPONERE vultis Christi DISCIPVLIS IVGVM legis antiquæ penè importabile? Quod enim valde difficile est, solet moraliter impossibile vocari, vt alibi (*d*) dixi. Alioqui certum est, Deum non præcipere impossibilia: quod tyrannorum est: & constat, multos hoc iugum legis antiquæ olim portasse, vt de Iosue (*e*), Dauide (*f*) Iosia (*g*), Elisabeth & Zacharia (*h*) & pluribus alijs (*i*) Scriptura testatur. R. Moyses numerat præcepta legis Mosaicæ affirmatiua 218. tot quot sunt membra in corpore humano: negatiua verò 365. quot sunt dies in anno solari. Vnde meritò S. August. legem vocat sarcinam innumerabilium obseruationum, quâ dura ceruix Iudæorum premenda erat, ne ad idololatriam deflecteret. Nec tamen per hanc omnem tot præceptorum obseruationem saluabantur patres, sed

d Matt. 19. v. 24. Hebr 6. v. 4. & c. 10. v. 6
e Iosue 11. v. 15.
f Act. 13. v. 22. 4. Reg. 23. v. 25.
h Luc. 1. v. 6
i Aza 3. Reg. 15. v. 11. & Ezechiæ 4. Reg 18. v. 6. & Moyses l. 3 Doctoris exhor. c. 6. Aug. ser. 9. de Verbis Dom. m.
k 1 Timoth. 2. v. 5.

℣. 11. PER GRATIAM IESV CHRISTI olim venturi & mundum redempturi. Sicut enim *vnus* est *Deus*, ita *& vnus* est *mediator Dei & hominum homo Christus Iesus*, ait S. Paulus (*k*), S. August. & alij Patres. Cùm ergo eadem nobis Christi gratia iam adsit, quæ adfuit patribus, possumus non minùs quàm ipsi, per illam saluari, etsi legis cæremonias non seruemus. Hæc Petri peroratio tam efficax fuit, tam grata omnibus, vt

August l. 2. cons. 2 epist. Pelag. c. 21.

℣. 12. OMNIS MVLTITVDO, etiam aliter antè sentientium, prorsus *conticuerit*, conticentiâ suâ sententiam Petri comprobans & amplectens: & Paulus ac Barnabas etiam miraculis illam à Deo comprobatam enarrant.

℣. 13. IACOBVS Ierosolymitanorum, inter Iudæos præcellentium, Episcopus, quo facilius Petri sententiam contribulibus omnibus suis persuadeat, eamdem variis Scripturæ testimoniis stabilit ac confirmat. Vnde certè colligi non potest, quod vult Abulensis & Caluinus, Iacobum Concilio huic præsedisse. Præsidis enim est non tam confirmare sententiam, quàm definire, quod hîc Petrum fecisse videmus, non Iacobum.

Abulens. in Matt. 17. quæst. 13. ad 1.

℣. 14. SIMON Petrus (*l*) NARRAVIT, *quomodo* DEVS PRIMVM sub conuersionem Cornelij (*m*) VISITAVIT (*n*) EX GENTIBVS, id est, instar saluatoris adiit, accessit, complexus est Gentes, vt ex iis NOMINI SVO, id est, sibi: de*sumeret* POPVLVM, peræquè atque ex Iudæis: vt sic ex vtrisque instauretur spirituale TABERNACVLVM DAVID, id est, Ecclesia Christi filij Dauid, inquit S. Hieron. Quod licet vobis, ô Iudæi, nouum ac paradoxum videatur, tamen

l Matt. 10. v. 2.
m Actor. 10 v. 13 &c.
n Luc. 1. v. 68.
Hieron. in Amos 9. v. 11.

℣. 18. Domino auctori huius fabricæ NOTVM EST A SÆCVLO, seu ab æterno, quia nempe sic prædisposuit ab omni æternitate ac prædestinauit, ex vtrisque hoc SVVM OPVS Ecclesiæ Christianæ concinnare. Vnde immeritò compellere vultis Gentiles, vt priùs in Iudaicam, quàm in Christianam Ecclesiam commigrent.

℣. 20. ABSTINEANT primùm A CONTAMINATIONIBVS SIMVLACRORVM; id est, ab idolothytis, seu à cibis qui idolis immolati sunt: nam talibus vesci symbolum videbatur cultus idolorum (*o*). Secundò, A FORNICATIONE, quam, quum simplex esset, opinabantur pleræque gentes non esse graue peccatum. Quem eumdem errorem Græcis etiamnum tribuit Guido Carmelita: & Durandus vult, solo iure positiuo esse prohibitam vt peccatum mortale: sed hoc optimè refellit S. Thomas & alij Doctores passim. Tertiò, A SVFFOCATIS ET SANGVINE] A quibus quia Iudæi extremè abhorrebant, ob causas alibi (*p*) allatas, quo faciliùs ad Gentilium conuersorum familiarem vsum ac conuictum pellicerentur, iubentur Gentiles ab iisdem cibis, saltem ad tempus abstinere: maximè cùm etiam ante legem Mosaicam, iam inde à diluuio vetitus fuerit hominibus esus omnis sanguinis, vt patet ex Genesis 9. v. 4. Et duranit hæc Apostolorum constitutio primis ferè sæculis, vt colligitur ex Minutio Felice, Eusebio, Nouella Leonis, Concilio Gangrensi, Aurelianensi & Wormatiensi. Sed August. scribit, eam suo tempore non amplius in vsu fuisse in partibus istis Africanis. Iam certè à multis centenis annis vbique gentium (exceptis Græcis, qui etiamnum illam obseruant) vsu contrario abolitam constat.

1 Cor. 8. v. 1.
Durand in 4. dist 33. q. 2.
S. Thom. 2. 2. q. 154. a. 2
p Gen 9. v. 4. & Leuit. 17. v. 11.
Minut. Felix in Octauio.
Euseb. l 5. c. 1 in Elandina.
Leo Imp. in Nouella Const 58.
Concilium Gangrense c. 2.
Aurelian 2. c. 20.
VVormat. c 6.

℣. 21. MOYSES ENIM & lex Moysis non spectat ad Christianos, sed ad solos Iudæos in iudaismo persistentes. Prædicent ipsi illum in suis synagogis, vt hactenus: Ecclesia Christi, ad quam Moyses nos remittit (*q*), alijs legibus, alijs priuilegijs gaudet.

q Deut. 18. v. 18.

℣. 22. OMNIS Ecclesiæ nomine intelliguntur etiam laici: sed hi non dicuntur hîc condidisse decretum, vt iactant hæretici, sed conditum ab Apostolis probasse & euulgasse.

IVDAS BARSABAS frater fuisse videtur illius A *Iosephi* qui Actor. 1. v. 23. etiam *Barsabas* cognominatur.

Hieron. epist. 123. a Hic v. 40. & c. 16. v 19. & c. 17. v. 4.

SILAM (*a*) putat S. Hieron. eumdem esse cum *Silvano* comite deinceps S. Pauli 2. Corinth. 1. v. 19. Qui Martyrologio inscribitur die 13. Iulij.

℣. 28. VISVM EST SPIRITVI SANCTO, ET NOBIS ab eodem Spiritu directis. *Spiritus sanctus* enim in legitimis Concilijs infallibiliter adest, sic diuina prouidentia sua dirigens congregatos, vt in definiendo non errent. de quo fusè Bellarminus.

Bellarm. de Conciljs.

NIHIL VLTRA, legem excludit Mosaicam, non verò decalogum, vel leges naturales. Ab his enim, vt & à noua Christi lege, non voluerunt, sed nec potuerunt, Apostoli quemquam eximere. Quædam NECESSARIA verò dicunt tria ista præcepta, non quòd omnia præcisè & absolutè requirerentur ad salutem; sed quædam solùm pro præsenti B tempore, vt Gentilium cum Judæis esset maior familiaritas, & minùs dissentanea vitæ morumque conditio, vt v. 20. exposui. Sed ne sic quidem sublatam inter eos omnem simultatum materiam patet ex subsecuta mox Petri per Paulum reprehen-

b *Galat. 2. v 11.* sione, de qua alibi (*b*).

℣. 36. VISITEMVS FRATRES, an rectè circa illos omnia. *Oculus* enim *domini pascit equum, & vestigia pinguefaciunt agrum*, inquit Aristoteles. De necessaria ouium visitatione vide multa apud Lorinum.

Aristot. 1. Oeconom. c. 6.

℣. 38. PAVLVS Barnabæ sanctitatem reueritus non imperat, sed ROGAT EVM, ne IOANNEM

c *Actor. 13 v. 13.* *Marcum* nuper (*c*) ab ipsis desciscentem admittat rursus in suum consortium. Verùm cùm Barnabæ minùs probaretur illum reiici;

℣. 39. FACTA EST DISSENSIO; græcè, παροξυσμὸς, id est, exacerbatio, seu bilis acrior commotio: quę vtrimque iusta esse potest, cùm utraque pars iustis rationibus fulcitur, vt hîc contigit: Deo sic prouidente, vt hac via *Barnabas* à *Paulo* diuelleretur, atque ita pluribus Euangelium denuntiaretur, inquit S. Chrysost. Et *Barnaba* quidem non meminit exinceps Lucas. Sed Ecclesiæ Mediolanensis antiqua monumenta, & complures scriptores, teste Baronio, tradunt, è Cypro in Italiam traiecisse Barnabam, in Liguria prædicasse, Ecclesiam Mediolanensem erexisse, & fidem Christi longè lateque propagasse: tandemque reuersum in Cyprum, glorioso istic martyrio perfunctum 11. Junij, testatur Martyrol. Romanum.

℣. 40. PAVLVS cum SILA TRADITVS GRATIAE DEI (*d*), id est, commendatus ductui Spiritus

d *cap 14. v. 25.* sancti, PERAMBVLABAT SYRIAM, vbique PRAECIPIENS fidelibus CVSTODIRE PRAECEPTA non solius Dei, vt volunt nostri hæretici, sed & APOSTOLORVM ET SENIORVM Ecclesiæ. Quæ verba etsi hîc desint in Græco & Syro: non desunt tamen cap. sequ. v. 4. vbi etiam in Latino repetuntur.

CAPVT XIII.

Paulus ne Iudæos offendat, circumcidit Timotheum, eumque prædicationis suæ socium assumit in Asia & Bithynia: unde diuino monitu euocatur in Macedoniam, vbi Philippi conuertit Lydiam purpurariam, dæmonemque è puella ejic. Quam ob rem virgis cæsus cum Sila in carcerem compingitur, cuius ostia terræmotu orantibus illis nocte pandantur: ipsi verò in carcere persistunt, & conuerso ad Christum custode, totaque eius familia, liberi & cum honore à magistratu dimittuntur.

℣. 1. MVLIERIS huius IVDÆÆ, seu ex Iudæis oriundæ, sed iam FIDELIS, id est, ad Christum conuersæ, nomen erat *Eunice*, id est, Victoria, eratque mater *Timothei*, quam æquè atque auiam eius Loidem, laudat Paulus 2. ad Timoth. 1. v. 5.

℣. 3. CIRCVMCIDIT (*e*) Timotheum Paulus, e *Gen 17.* PROPTER IVDAEOS, vt eos sibi demereretur, ne *v 10.* quam Euangelio remoram inicerent, aut Timotheum reiicerent. neque enim sustinuissent Judæi verbum audire ab homine incircumciso. Tanto concordiæ studio adscribit Chrysost. tantam animarum conuersionem, quanta v. 5. & sequentibus insinuatur.

℣. 6. VETATI SVNT A SPIRITV SANCTO LOQVI VERBVM DEI IN ASIA Minore propriè dicta, iuxta Ephesum, ET BITHYNIA] Quid causæ? quia regiones istæ necdum dispositæ erant ad recipiendum Euangelium, sicut disposita iam erat *Macedonia*, inquit Sedulius. Ex quo etiam patet, *Sedul. in* quàm sint Deo curæ tum verba, tum itinera præco- *Rom. 1.* num Euangelij. Paulò tamen pòst prædicauit in Asia Paulus (*f*) per biennium: Petrus (*g*) item & f *Act. 19. v.* C Ioannes (*h*) Apostolus & alij quidam vineam illam *1. & 10.* strenuè excoluerunt. g *1. Pet. 1. v 1.*

℣. 7. SPIRITVS IESV est Spiritus sanctus, qui h *Apoc. 1.* vt declaretur; non minùs à Filio, quàm à Patre pro- *v. 11. & c.* cedere, contra quàm Græci sentiunt, idcircò hîc *Cyril. l. 2. in* *Spiritus Iesu* vocatur, inquit S. Cyrillus, Augustinus *Ioan. l. 3.* & Concilium Ephesinum. *Aug. tract. 99. in Ioan.* *Conc. Ephes. c. de 1 fur. veil. Christi.*

℣. 8. TROAS Syro & Pomponio Melæ regio est Asiæ, Ptolemæo Phrygia Minor: sed S. Hieron. i *Chron c.* & quibusdam aliis apud Baronium vrbs est Asiæ, *40 initio.* alio nomine *Antigonia* dicta ab Antigono (*i*) rege: & hoc ex c. 20. v. 6. colligi videtur. Porrò ex eo quòd mox in prima persona sequitur Euangelista Lucas,

℣. 10. QVAESIVIMVS PROFICISCI, nempe ego, & Paulus & Silas & Timotheus; colligitur, Lucam Troade adiunctum Paulo, à morte Christi D anno 19. ac proinde deinceps non tam audita, quàm visa à se Pauli gesta referre, inquit S. Hieron. Sub- *Hieron de* inde tamen à Paulo secessit, vt patet ex fine huius *Viris illustr.* capitis, vbi personam primam rursus mutat in ter- *in Luca.* tiam, idque constanter vsque ad c. 20. v. 5. vbi primam resumit. Crebrò enim Paulus socios suos nunc huc, nunc illuc amandabat (*k*). Quonam verò, vel k *A. 7. 19.* qua de causa missus fuerit Lucas, ipse subticet, qua- *v. 22. &* si sui, suorumque laborum prorsus oblitus, & *2. Cor. 8.* in vnius Pauli gesta totus effusus, sed Paulus vice *v. 18. &c.* versa Lucam celebrat, *adiutorem* (*l*) suum & *charis-* l *Ad Philesimum* (*m*) nuncupans, & aliis subinde sociis præfe- *mon. v. 24.* rens (*n*). m *Coloss. 4.* *v. 14.*

℣. 11. SAMOTHRACIA regio sic dicta à Sa- n *2. Tim. 4.* mijs & Thracibus vnius eiusdemque regionis illius *v. 11. & 16.* incolis, vt Diodoro placet. Huic adiacet Neapolis è o *Diodor l. 5.* regione insulæ Thesi. ita Gagneius, Caietanus & *c. 11.*

Arias.

Arias. Addidit Oecumenius, suo æuo *Christopolim* nuncupatam fuisse.

V. 12. PHILIPPI, vrbs à *Philippo* patre Alexandri Magni nomen sortita, PRIMA EST CIVITAS PARTIS, seu regionis, MACEDONIÆ, è Samothracia aduentantibus. Amplam enim fuisse Macedoniam vel inde colligas, quòd Imperator Romanorum Paulus Æmilius 72. illius vrbes direptas vna die venales exposuerit, teste Plinio. Erat autem *Philipporum* ciuitas colonia Romanorum, vt dicitur v. 21. ideoque iure ciuium Romanorum gaudens.

Plin l.4. c.10.

V. 13. ORATIO] Græcum προσευχὴ etiam *oratorium*, vt Syrus vertit, significat. Et Philo passim synagogas Iudæorum vocat *proseuchas*, de quibus fusè Turnebus.

Philo legat. ad Caium. Turnebus l. 1. Aduersar. c. 19.

V. 14. LYDIA PVRPVRARIA; græcè, πορφυρόπωλις, id est, purpuræ venditrix, (quales esse solent ex ditioribus,) COLENS DEVM, vel ex parentum institutione, vel ex familiaritate cum Iudæis, vt suprà Cornelius (*a*) centurio. vnde Liranus, Hugo, & Carthusianus censent fuisse proselytam. CVIVS COR APERVIT DOMINVS, intellectum illustrando, & voluntatem mouendo, vt fidem haberet dictis Pauli: frustra enim ferit aures orator, si cor non reseret Creator.

a Act. 10. v. 1.

V. 16. SPIRITVS *Pythonem* dæmon erat fatidicus, vt alibi (*b*) exposui.

b 1. Reg. 28. v. 7.

V. 17. ISTI SERVI DEI SVNT.] Ita spargebat dæmon non amore sed odio Pauli, vt importunæ laudis eius occasione expelleretur ab obsessa puella, & domini puellæ priuati suo diuinationis quæstu accenderentur in Paulum, & malè illum mulctarent. quod & accidit.

V. 20. IVDÆI nomen obiectant Paulo & socijs, quòd scirent Romanis id esse maximè exosum, non solùm ob fidei, sed etiam ob morum dissimilitudinem. Quod idem odium in Christianos quoque, quasi è Iudæis oriundos, deriuatum est à Gentilibus, vt patet ex Apologiis Tertulliani, Aristidis, Quadrati, Athenagoræ, Iustini & aliorum.

Tertull. Apolog. c. 7.

V. 24. LIGNVM vocat numellam vel cippum, cui captiuorum pedes seorsim singuli inserebantur.

V. 26. TERRAEMOTVS iste videtur non in solo carcere, sed & in reliqua vrbe fuisse: nam eo territus magistratus (vt est in quibusdam Græcis codicibus) iussit eos liberos dimitti, pro quibus videbat certare elementa & Deum. Terræmotu isto, vel potiùs secreta angelorum ope, VNIVERSORVM incarceratorum VINCVLA SOLVTA SVNT] nemo tamen effugit, quia territi & perculsi omnes, fortè non aduerterunt se esse vinculis exemptos; & ostia reserata.

V. 27. CVSTOS CARCERIS his territus miraculis, & pietate Pauli ac Silæ illectus, conuertitur ad Christum, & baptizatur illa ipsa nocte cum omni familia sua. Oecumenius vult hunc fuisse Stephanam illum, cuius se domum baptizasse scribit alibi (*c*) Paulus, & inter primitias Achaiæ adnumerat (*d*). Sed tunc dicendum, ex Achaia oriundum Philippos in Macedoniam demigrasse, ibique à Paulo conuersum rediisse Corinthum in Achaiam. Exprobrat mox Paulus magistratui, quòd præcipitatâ sententiâ flagellarit

1 Cor. 1. v. 16. & ibid c. 16. v. 15.

V. 37. INDEMNATOS, nempe indictâ causâ; Syrus, *innocentes*, HOMINES ROMANOS] quos flagellare nefas, vetantibus id legibus Publicola, Porcia, Sempronia, vt Cicero, Valerius Maximus & Sigonius docent. Vnde iure merito deposcit Paulus, vt publicam & iniustam ignominiam detergant publica & iusta retractione, atque innocentiæ contestatione. Et ita decet subinde, vitandi scandali causa, & ad ora maledicentium obturanda, viriles animos & iram assumere, & columbinæ simplicitati serpentinam prudentiam admiscere.

Cic. pro Rabirio. Val. Max. l. 4. c. 1.

Sigon. l. 1. de Antiquo iure Rom. c. 6.

CAPVT XVII.

Philippis excedens Paulus cum suis pergit Thessalonicam, vbi multos conuertit. Sed Iudæis eum persequentibus abit Beræam, inde Athenas: vbi occasione ara IGNOTO DEO *dicata. Deum hunc Christum esse demonstrans, plurimos ad eius fidem traducit, & inter alios Dionysium Areopagitam.*

V. 1. AMPHIPOLIS Macedoniæ ciuitas est vicina Philippis, ita dicta quòd aquis undique cingatur, solo isthmo terræ cohærens, inquit Pollux. Hæc Philippo Macedoni & Athenienſibus bellorum causam dedit: & à Brasida Lacedæmoniorum duce, bello Peloponnesiaco occupata, vt Thucydides enarrat. *Apollonia*, altera Macedoniæ vrbs vicina *Thessalonicæ*, sic dictæ à νίκη, id est, victoria, quam de Thessalis ibidem obtinuit Philippus Macedonum rex, teste Strabone.

Pollux. l. 9.

Thucyd. l. 4.

Strabo l. 7.

V. 4. COLENTES vocantur proselyti, id est, Gentiles ad iudaismum conuersi. Dicit ergo, ex Iudæis *quosdam*, sed paucos conuersos fuisse: plurimos verò ex proselytis & Gentilibus qui hucusq; in gentilismo vixerant. ita Beda, Hugo, Liranus & Carthus.

V. 5. Hanc ob causam seditionem *concitant* ZELANTES IVDAEI: Græca addunt, *increduli*; ASSISTENTES; Græca, *imminentes*, DOMVI IASONIS, nempe vt in eam vi facta irrumperent, & *Paulum* ac *Silam* istic hospitantes inde captos educerent. Si hic *Iason* idem est cum eo de quo Apostolus Rom. 16. v. 21. (vt vult Sixtus Senensis, Genebrardus, Baronius & quidam alij,) dicendum, fuisse Christianum, Pauli cognatum, & familiarem, qui cum Paulo Thessalonica demigrarit Corinthum, & Martyrol. Romano inscribitur 12. Iulij.

Sixtus Sen. l. 2. Bibliot. Genebr. in Kalendario Græcorum quod Psalmis præfixit.

V. 6. HI sunt QVI VRBEM; Græca, *orbem*, CONCITANT ad seditionem, ET aliunde HVC in eundem finem adVENERVNT] q. d. Sunt extranei & aduenæ ignoti, errones, vagabundi.

V. 9. ACCEPTA SATISFACTIONE, id est, excusatione & purgatione, DIMISERVNT EOS] Facile enim erat ostendere, nullas ab aduenis concitatas, nullas metuendas turbas: Christum non obfuturum imperio Romanorum, vtpotè iam pridem mortuum: neque regnum huius esse corporale, sed spirituale, &c.

V. 10. BEROEA vrbs est Macedoniæ, non longè à Pella, Alexandri Magni patria.

V. 11. HI, scilicet Iudæi Beroënses, NOBILIORES ERANT Iudæis THESSALONICAE commorantibus: *nobiliores*, inquam, non sola prosapia, sed & indole ac generositate. ita Chrysostomus, Oecumenius & Liranus. Vnde & promptiores se exhibuerunt ad capessendam doctrinam Euangelij, QVOTIDIE SCRVTANTES SCRIPTVRAS, sedulòque inuestigantes SI, id est, an, HÆC quæ Paulus ex Scripturis afferebat, ITA SE HABERENT] Et in hoc nihil est quod reprehendi possit. Sed hinc non sequitur, liberum esse cuique, etiam laico & idiotæ, de Scripturis iudicium.

V. 16. INCITABATVR, græcè, *exardescebat*, SPIRITVS Pauli IN IPSO] hinc dolore & compassione, quòd tam nobilis Athenarum ciuitas, schola sapientiæ atque eloquentiæ, dæmonum cultui tota

vacaret: inde cupidine ac zelo illam iuuandi, eru- A diendi & conuertendi.

a Hic v. 4. ℣. 17. PIR COLENTES intelligit (a) proselytos: per FORVM compita & publicas *plateas*, vt vertit Syrus.

℣. 18. EPICVRVS Xenocratis discipulus, natus anno tertio Olympiadis centesimæ nonæ, septimo anno à morte Platonis, omnem hominis felicitatem ponebat in voluptate. Negabat animæ immortalitatem, corporis resurrectionem, Dei prouidentiam & omne Numen, teste Laërtio, Augustino & alijs. Mundos asserebat innumerabiles esse, & ex atomis inter se coeuntibus coaluisse. quod à Democrito hausit, inquit idem Augustinus. Epicureis oppositi erant STOICI, sic dicti à στοὰ, id est, porticu, in qua docere solebat parens illorum Zeno. Docebant, fato seu naturæ necessitate omnia fluere: virtutem, in qua summam hominis felicitatem ponebant, in potestate & arbitrio B cuiusque esse: virtutes omnes pares esse & connexas, vt & vitia: misericordiam & compassionem vitium esse: licere sapienti, imò decere, seipsum occidere, ne miserè viuat: mundum esse animal animatum, viuum & rationale: animam mundi esse Deum; & alias nugas, quas Cicero, Plutarchus, Lactantius, Augustinus, & Lipsius fusè recensent ac refellunt: & Paulus Athenis refellere debuit, docendo, felicitatem hominis in Dei fruitione consistere, à Iesu crucifixo dependere, cuius gratia resuscitandi simus in vitam immortalem, &c. Quæ cùm acriùs vbique inculcaret, nec ipsi refellendo essent, exsibilatur Primò tamquam SEMINIVERBIVS; græcè, σπερμολόγος, id est, verborum seminator, qui instar rabulæ forensis & agyrtæ, seu circumforanei, nil nisi verba ad quæstum effutiat. Oecumenius censet alludere eos ad vilem auem è genere graculorum dictam σπερμολόγον, id est, seminilegam, quòd semina sola colligat; de qua Aristoteles, Eustathius & alij. Secundò, accusatur quasi NOVORVM DAEMONIORVM, græcè & syriacè, *peregrinorum deorum*, ANNVNTIATOR] Sic Iesum vocabant, & Deum vno-trinum. Tertiò, in AREOPAGVM deducitur, ad iudicum tribunal, vt istic nouæ religionis suæ rationem reddat, &, si reus deprehenderetur, acriter puniatur. Eamdem enim ob causam Socrates Athenis damnatus fuerat ad mortem 281. sententiis, eò quòd nouos deos induxisset. Porrò in *Areopago*, seu vico *Martis*, (qui vnus erat ex quinque vicis in quos distributæ erant Athenæ, sic dictus à templo Marti ibidem sacro, vt vult Plinius;) olim à Cecrope tribunal erectum erat, quo nihil constantius, nihil seuerius, nihil fortius, inquit Cicero: in quod, iussu Solonis, nulli deligebantur nisi qui *Archontes*, id est, principes reipublicæ, aliquando fuissent. Et erant hi rerum omnium speculatores ac custodes, inquit Plutarchus, tanta virtutis atque integritatis fama, vt grauissimæ causæ ex toto orbe, etiam à Romanis, teste Gellio, ad eos iudicandæ deferrentur, eorumque sententiæ, si Aristidi credimus, oraculis æquarentur: de quibus fusè Budæus. Hæc Areopagitici tribunalis maiestas magnum Euangelio & religioni Christianæ dignitatem attulit, cum in eo non modò non damnata fuerit, sed plerisque vsque eò probata, vt iudex ipse Dionysius eamdem amplecti voluerit.

Laërt. l. 10. in vita Epicuri. August. de Vtilitate credendi c. 4. & contra Academicos l. 3. c. 10.

Cicer. in Paradoxis. Plut. contra Stoicos. Lact. l. 3. c. 28. Aug. to. 6. tract. de Epicureis & Stoicis c. 4. & seq. Lipsius Manuduct. ad Stoicam Philosophiã l. 3. &c.

Arist. l. 8. Hist. animal. c. 3. Eustath. in Odyss. l. 1.

Plin. l. 7. c. 56. Cic. l. 1. ad Atticum epist. 9.

Plutarch. in Solone.

Gell. l. 12. c. 7. Aristides in Panath. Budæus in Pandectas Lege vltima de Sen.

℣. 22. QVASI SVPERSTITIOSIORES VOS VIDEO, nempe nimis religiosos & ad superstitionem vsque: nam præter multos falsos deos: video vos etiam colere quemdam *ignotum Deum*. At nemo nisi superstitiosus, colit, amat vel adorat quod non cognoscit: nam *ignoti nulla cupido*. Videntur Athenienses ex Trismegisti, Sibyllarum & variorum Philosophorum suorum, fortè & Iudæorum, doctrinâ resciuisse, Deum cæli & terræ conditorem esse innominatum, inuisibilem, inaccessum, incomprehensibilem, ineffabilem: sicut idem Iudæi significabant nomine tetragrammato (b) ineffabili. Vnde, ne quod Numen sine cultu præterijsse viderentur, aram posuerunt IGNOTO DEO. ita S. Hieronymus, Clemens Alexandrinus, Augustinus, Baronius, Lorinus & à Lapide. Et verò Deum hunc Athenienſibus ignotum, non falsum; sed verum Deum fuisse, innuit Paulus cùm subdit, QVOD ERGO IGNORANTES COLITIS; HOC EGO ANNVNTIO VOBIS] refellens ijsdem verbis obiectam sibi calumniam, quasi nouorum deorum annuntiatori. Neque enim, inquit, plures obtrudo, vel falsos & nuperos deos, sed vnum, verum, solum, & hactenus à vobis cultum, licèt occultum & ignotum, vobis Deum annuntio, atque ex ignoto notum facio.

b Exod. 3. v. 14.

Hieron. in c. 16. Ezech &c. Clem. l. 1. Strom c. 9. August. l. 1. cont. Gresc. c. 29.

℣. 24. NON IN MANVFACTIS HABITAT TEMPLIS] quasi in palatijs sibi necessarijs, quorum ambitu concludatur vt solent reges. Deus enim nulli loco alligatur, multò minùs terminatur, sed per vniuersum orbem, & super omnes cælos per immensa etiam vacui spatia se extendit.

℣. 25. NEC MANIBVS HVMANIS COLITVR] vt solent principes manibus famulorum suorum qui vestes illis & ædes & escas parant, alioquin interituris. Taxat errorem Gentilum, qui victimas putabant cibum esse & delicias deorum, sicut aras & fana dicebant eorumdem cubilia esse & palatia. Vnde nihil hîc contra Christianorum templa, altaria, imagines & cæremonias externas, quibus C Deo deseruimus, non quasi ipse illis indigeat, sed quia nos ad Deo decentiùs deseruiendum illis indigemus.

℣. 26. EX VNO Adamo, primo omnium parente, FECIT OMNE GENVS HOMINVM; prædefiniens cuique homini, genti & regno suam temporis & ætatis mensuram, ET HABITATIONIS spatia, limites ac TERMINOS. Vt his allecti beneficijs

℣. 27. QVAERANT & inuestigent auctorem & datorem omnium DEVM, eumque vt decet ament, colant, seruiant. Non quòd possit Deus in hac vita clarè cognosci aut videri, sed vt summùm per creaturas quasi per certa vestigia adiri, attrectari, palpari, vt est in Græco, perinde atque in tenebris palpando deprehenditur quod quæritur, vt Cicero pulchrè demonstrat, sed omnium pulcherrimè Theodoretus, Granatensis & Lessius. Esto enim Deus sit spiritus inuisibilis in se, adest tamen & inest intimè nobis, tum per substantiam suam, tum per continuam in nobis operationem, vnde facillimè potest à nobis ex operibus suis attrectari, non manibus, sed mente, id est, potest cognosci, credi, coli: sicut aërem quem respirando attrahimus etsi non videamus, ex eo tamen quòd nos refrigeret cognoscimus, sentimus & palpamus.

Cic. l. 2. de Nat. deor. Theodor. de Dei prouidentia. Granat. in Catechismo Lessius de Prouidentia Numinis.

℣. 28. IN IPSO ENIM quasi in diuino quodam & immenso continente, loco, æthere, adde quasi & anima & causa essendi, VIVIMVS omnes, MOVEMVR ET SVMVS] Vt enim *vita corporis anima est*, ita *vita animæ Deus est*, inquit S. Augustinus. Imò magis pendemus à Deo, quàm à nobis ipsis: & intimior nobis Deus est, quàm ipsi nobis, inquit S. Thomas, Liranus & alij DD. Vnde iure merito magis

August. serm. 18. de verbis Apostoli. S. Thom. & Scholastici in 2. 2. q. 26 art. 3.

magis Deum, quàm nos ipsos, id est, vitam & animam nostram diligere debemus. Porrò intimam hanc cum Deo coniunctionem agnouerunt & deprædicarunt etiam quidam vestrorum Poëtarum, Menander, Callimachus, Homerus, Pindarus, Hesiodus, & alij (verba illorum citant Salmeron, Lorinus & Cornelius à Lapide) & præ alijs *Aratus* antiquus & celebris poëta, Antiocho regi in delicijs, Olympiade 125. anno à Roma condita 472. patria Solensis, non longè à Tarso: ac proinde Pauli penè conciuis. Præclarè scripsit de stellis & signis cæ- *Cic. suprà.* lestibus: & eius versiculos Cicero è Græco in Latinum transtulit. Hic Aratus cùm dixisset, *A Ioue principium* esse omnium, & *omnia Iouis plena* esse, & *omnes vbique indigere Ioue*; subdit (quod solum Paulo citare placuit) *Huius etenim genus sumus*, seu progenies & proles, utpotè qui non semel, (vt homo hominem) sed assiduè & continuò nos quasi generat, conser- B uando, & iugiter influendo in nos vitam, motum & omne Esse nostrum, ferè sicut sol continuò gignit radios suos & lumen. Vnde patet arctissimam esse nostri cum Deo coniunctionem & à Deo dependentiam.

¥. 29. CVM ERGO SIMVS GENVS seu progenies DEI, & nos ex longè nobiliori substantia constemus quàm ex *auro*, *argento vel lapide*; consequens est etiam Deum ex ijs non conflari, neque DIVINVM, id est, diuinitatem, ijs assimilari posse, vt assimilant cæci & stupidi idololatræ.

¥. 30. ET TEMPORA QVIDEM HVIVS tam crassæ IGNORANTIAE; Syrus, *idololatriæ*, DESPICIENS; græcè. ὑπεριδὼν, in aoristo, id est, cùm de- *a Actor 14.* spexerit, id est, neglexerit (a), hucusque DEVS, Gen- *v. 15.* tes idololatras permittendo passim seruire idolis, quasi ad se non pertinentes; nunc post datum mundo Christum, & intuitu meritorum Christi, non ampliùs illas despicit, sed paterna sua prouidentia omnes complexus, statuit eas ex illis errorum tenebris in veritatis lucem protrahere: & hunc in finem per me vobis iam veritatem denuntiat, fidem, gratiam, salutem offert, per seriam POENITENTIAM de præteritis erratis: ad quam vt omnes festinetis necessum est,

¥. 31. EO QVOD, vt viuendi, sic & pœnitendi tempus admodum breue vobis & incertum sit: STATVIT enim ab æterno DIEM decretorium & infallibilem, QVO per Christum iudicem IVDICATVRVS EST ORBEM vniuersum, primò sigillatim in morte cuiusque: dein & simul ac collectim ultimo mundi die. Porrò iudicij istius per Christum exercendi FIDEM publicam & manifestam fecit hominibus, & abundè OMNIBVS probauit, quando in eius rei contestationem resuscitauit Christum om- *Rom. 14. v. 9* nium primum ad vitam immortalem. *In hoc* enim *Christus & mortuus est & resurrexit, vt & mortuorum & viuorum dominetur.* Hac S. Pauli concione inter alios conuersus est

¥. 34. DIONYSIVS ille AREOPAGITA celebris & famosus iudex, imò inter iudices princeps. Conuersionem iuuit collata cum dictis Pauli miraculosa eclipsis, quam moriente Christo viderat Dionysius Heliopoli in Ægypto, cùm iuuenis 25. annorum vnà cum Apollophane regionem illam peragraret, vt ipsemet describit (b). Visa enim illa eclipsi exclama- *b Dion. ep. ad Apollophanem & epist. 11. ad Polycarpum* bat: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dis-* *c Actor. 18. v. 22.* *soluetur.* Per triennium ferè adhæsit S. Paulo, à quo *d Lib. de Diuin. nomin. c. 3.* creatus Athenarum primus Episcopus, inde cum eodem Ierosolymam (c) ascendens, morti & funeri Deipatæ interfuit, vt ipse scribit (d). Post mortem Pauli hortatu S. Ioannis Apostoli profectus Romam ad S. Clementem, ab eo in Gallias missus est cum Rustico & Eleutherio, ac nobilissimo martyrio coronatus Parisijs die nono Octobris; anno Christi 119. imperante Adriano, cùm annum ætatis ageret 110. inquit Baronius.

ET MVLIER NOMINE DAMARIS] Hanc Dionysij vxorem fuisse vult Chrysostomus & Hilduinus, & insinuat Ambrosius. Sed, cùm Euangelista vocula γυνὴ, seu mulieri, non addiderit αὐτοῦ, id est, ipsius, verisimiliùs putant Pagninus, Tigurini, & alij passim, aliam fuisse è primarijs eius vrbis matronis. Cum Dionysio conuersum quoque fuisse collegam eius, imò & præceptorem *Hierotheum* (hominem prorsus diuinum, utpotè *diuina* non discere modò, sed & *pati* solitum, ex sententia eiusdem Dionysij) (e) affirmat Menologium Græcorum die 4. Octobr. Ioannes Mariana & alij Historici,

Chrysl. 4. de Sacerd. Hilduin. in Vita Dionysij. Ambr. epist. ad Eccles. Vercell.

e Dion. sup. & etiã c. 2. Mariana l. 4. de Rebus Hisp. c. 3.

CAPVT XVIII.

Athenis Corinthum pergit Paulus, vbi iussu Dei amplam messem promittentis, praedicat toto sesquianno. Accusatus à Iudaeis, se purgat apud Proconsulem, in cuius conspectu Iudaei furentes Sosthenem verberant. Post haec Paulus peragrat Ephesum, Caesaream, Antiochiam, Galatiam & Phrygiam. Apollo à Priscilla & Aquila instructus, Ephesi & in Achaia fidem Christi fortiter propugnat & propagat.

¥. 1. CORINTHVS metropolis erat Achaiæ, siue Peloponnesi, quæ nunc *Morea* dicitur. Plena erat philosophis & oratoribus, inquit S. Chrysostomus.

¥. 2. AQVILA PONTICVS GENERE, id est, oriundus ex prouincia *Ponti*, mirè laudatur à S. Paulo (f): C & cum vxore sua *Prisca*, seu PRISCILLA, catalogo Sanctorum ascriptus legitur in Martyrol. die 8. Iulij. Et longè antiquior est altero illo *Aquila*, etiam *Ponsico*, qui sub Adriano Imp. ex Gentili Christianus, ex Christiano Iudæus factus, primus post LXX. vetus Testamentum ex Hebræo in Græcum conuertit, teste Epiphanio, & Philastrio. Causam cur CLAVDIVS Imp. iusserit OMNES IVDÆOS, & ex Iudæis oriundos Christianos, ROMA *excedere*, dat Suetonius, *eò quòd Iudæi Romæ assiduè tumultuarentur*, idque *impulsore Christo*: dicere voluit, occasione Christi, de quo cum Christianis assidua Iudæis erat altercatio. Vnde Claudius, (vt erat, teste eodem Suetonio, naturâ timidissimus, & ad solum nomen vel vmbram noui regis exhorrescebat,) ne quod periculum sibi à nouo Christo vel eius assecl is crearetur, iussit omnes qui ad illum aliquo modo spectarent, Vrbe excedere. Factum id anno 9. Claudij, ex Paulo Orosio, Beda, Adone & alijs, demonstrat Baronius. Hugo & Liranus aliam addunt expulsionis Iudæorum causam, nempe quòd Messalinam Claudij vxorem pellexissent ad iudaismum. Nam simili de causa Tiberius eosdem Româ proscripserat, quòd Fuluiam Saturnini senatoris vxorem ad iudaismum traduxissent, vt Iosephus enarrat.

f 2. ad Timoth. 4. v. 19. & 1. Cor. 16. v 19.

Epiphan. l. de Mensuris. Philastr. haresi 90. Sueton. in Claudio c. 25.

Ioseph. l. 18. Antiq. c. 4 & 5.

¥. 3. ERANT SCENOFACTORIÆ ARTIS] Syrus, *opifices conopæorum*; Vatablus & alij, *aulæorum*, quæ scilicet ex consutis pellibus fiebant, vt & nunc apud Turcas. Hanc mechanicam artem Paulus, vt alibi (g) exponit, hîc exercere voluit, vt nulli fidelium pro victu vel vestitu molestus esset, & omnibus constaret, illum non lucra, sed animas venari, atque ita plures ad Christum pertraheret. quod eius consilium valdè dilaudat S. Chrysost.

g 2. Thessal. 3. v. 8. Chrysost. hom. 4. de laudibus Pauli.

V. 6. *Excussio vestimenti* eamdem ob causam fiebat, ob quam excussio pulueris pedum, de qua alibi (*a*). SANGVIS VESTER SVPER CAPVT VESTRVM, id est, mors vestra, nempe æterna, capiti vestro imminens, vobis imputabitur, non mihi. q. d. Quod mei muneris erat, præstiti; vos iuuari & morti atque exitio eximi non vultis: vestra ergo sola culpa peribitis.

a *Matt.* 10. *v.* 15.

V. 7. TITVS cognomento IVSTVS, fortè ab insigni iustitia quâ præcellebat, inquit Beda, Hugo & alij, alius est à *Tito* Cretæ Episcopo, ad quem scripsit S. Paulus.

V. 8. CRISPVS ARCHISYNAGOGVS, id est, princeps & præfectus synagogæ Iudæorum Corinthi, manu Pauli baptizatus cum *Caio* & *Stephano* (*b*), adscribitur Sanctis in Martyrol. die 4. Octobris.

b 1 *Cor.* 1. *v.* 14.

V. 10. PAVLVS EST MIHI MVLTVS IN HAC CIVITATE Corinthi; tua, ô Paule, prædicatione conuertendus, meæque Ecclesiæ adscribendus.

V. 11. SEDIT IBI ANNVM ET SEX MENSES, indeque scripsit vtramq; ad Thessalonicenses epistolam, quarum prior prima fuit omnium epistolarum S. Pauli, inquit Baronius ex Chrysost. & Theodor.

c *Chron. c. vlt. in anno* 10. *&* 11. *Claudij.*

V. 12. GALLIO hic germanus frater erat L. Annæi Senecæ, præceptoris Neronis, teste ipso Seneca: qui & librum eidem inscripsit de Remedijs fortuitorum: & alterum de Vita beata, inquit Baronius. Antè dicebatur M. Annæus Nouatus, sed adoptatus à L. Iunio Gallione, cum familia nomen eiusdem assumpsit, de quo fusè Lipsius. Porrò operâ Senecæ videtur à Claudio Proconsul factus Achaiæ. Cumque istic causam suam Paulus illi probasset, fortè hac occasione notitia & amicitia exorta est inter Paulum & Senecam, & hinc mutuæ litteræ, de quibus S. Hieron. Augustin. & alij meminerunt. Licet quæ hodie circumferuntur, sputiæ censeantur, nec dignæ tantis viris. Tam Gallio, quàm Seneca à Nerone damnatus, hic secta in balneo vena Ioui sanguinem ultimum libauit: ille propria se manu interfecit, inquit Eusebius.

Senec. præfat. l. 5. *quæstion. natural.*

Lipsius proœmio in Senecam c. 2 *de Vita eius.*

Hieron. l. de Scriptor. Eccles. Aug. ep. 54.

Euseb. in Chron. an. Christi 66.

V. 13. PERSVADET Paulus HOMINIBVS Christum hominem COLERE quasi DEVM CONTRA LEGEM tum Iudæorum, quæ vnum solum Deum incorporeum coli iubet: tum Romanorum, quæ vetat, sine senatusconsulto nouos inducere deos.

V. 15. DE VERBO, ET NOMINIBVS *legis vestræ*, (sic quidam codices legunt) quibus contenditis, an Jesus sit Messias & Dei Filius, necne; EGO qui rebus politicis intendo, IVDEX ESSE NOLO. Ita Gallio sese expediuit à causâ Pauli.

V. 16. ET MINAVIT; græcè, *depulit, abegit*; Syrus, *amandauit*, litigantes A TRIBVNALI SVO. Sed illi spe sua necandi Pauli per Proconsulem frustrati, furorem omnem euomunt in Sosthenem è primariis synagogæ suæ principibus vnum, sed Paulo plusculum pro tribunali fauentem, forsan & defendentem. Audito enim ex Proconsule, VOS VIDERITIS, putarunt permissam sibi hac voce vindictam legis suæ, in eum maximè quem experiebantur causæ suæ & legis diuinæ, vt censebant, proditorem. Hunc Sosthenem laudat, sociumque suum facit S. Paulus initio epistolæ 1. ad Corinthios. Menologium Græcorum 7. Decembris facit Colophonis Episcopum: & Martyrologium Romanum Sanctis eum asscribit die 28. Nouembris.

V. 18. HABEBAT VOTVM, supple, nazaræatus, quo cogebatur saltem ad tempus altere comam, & abstinere à vino & sicera. Hoc voto se obstrinxit Paulus, vt Iudæos & Iudæochristianos sibi, quasi legalia contemnenti, offensos deliniret. Professio enim nazaræatus erat professio rigidissimæ obseruantiæ legis & cæremoniarum Iudaicarum, ferè vt apud Christianos professio status Religiosi. Sed de his alibi (*c*). Hoc votum expleturus Paulus, & comam in templo positurus, NAVIGAT IN SYRIAM, Ierosolymàm versus.

c *Numer.* 6.

Petes, Cur ergo *totondit caput in Cenchris*? Respondeo, Quia forsan funere aliquo vel morticini contactu polluerat comam; quo casu qui votum nazaræatus habebat, pollutam comam resecare iubebatur, & de nouo tempus sui nazaræatus incheare. Complet verò votum suum Ierosolymis Paulus infrà v. 22.

CENCHRAE portus est Corinthi ad Orientem, inquit Strabo.

Strabo l. 8.

V. 19. Ephesus metropolis erat Asiæ Minoris, vbi philosophorum & oratorum erat maxima copia: vnde & Apollonius Tyanæus celebris ille magus sedem istic sibi delegit. Et Ioannes Apostolus, etsi totius Asiæ Ecclesiis intenderet, Ephesi tamen vt plurimum resedit. hîc Episcopum postea egit *Timotheus*, & eo defuncto *Onesimus*. hîc nobile illud Dianæ templum, de quo cap. sequenti.

V. 22. EPHESO digressus Paulus CAESAREAM Palæstinæ viâ maris DESCENDENS (inquit Caietan. Arias & Baronius,) inde ASCENDIT tertia (*e*) iam vice Ierosolymam, ET SALVTAVIT matricem istic ECCLESIAM, è qua ceteræ omnes prognatæ erant. Expletoque nazaræatus voto, inde ANTIOCHIAM Syriæ (*f*) DESCENDIT, vbi primùm creatus (*g*) fuerat Episcopus & Gentium Apostolus. ita Chrysost. Baronius & alij.

e *Act.* 20. *v.* 16. *&* c. 15. *v.* 4.

f *Act.* 13. *v.* 14

g *Ibid. v.* 2. *&* 3.

V. 23. *Galatæ*, ad quos Paulus diuertit, quasi angelum de cælo lapsum excipiunt (*h*).

h *Galat.* 4. *v.* 14.

V. 24. APOLLO, cuius sæpè meminit (*i*) Paulus, VIAM DOMINI, id est, christianissimum, EDOCTVS quidem ERAT, instar catechumeni, nondum tamen baptizatus baptismo Christi, sed solo BAPTISMO IOANNIS. de quo alibi (*k*). Ipsum ergo

i 1. *Cor* 3. *v.* 4. 6. *&c.*

k *Matth.* 3. *v.* 6. *&* *Act.* 19. *v.* 1. *&* 4.

V. 26. ASSVMPSERVNT in domum suam PRISCILLA ET AQVILA, & pleniùs instructum ac baptizatum dimiserunt Corinthum in ACHAIAM. Neque puduit virum eloquentissimum & in Scripturis versatissimum à laicis textoribus (*l*) instrui egregio omnibus humilitatis ac modestiæ documento.

l *Act.* 18. *v.* 2. *&* 3.

CAPVT XIX.

Paulus Ephesum reuersus, duodecim discipulos Ioannis baptizat & confirmat: in synagoga tres menses, in schola tyranni biennium prædicat, pluribus miraculis dicta sua confirmans, solis sudarijs suis ægros sanans & dæmones pellens. Quod dum volunt imitari Iudæi Sceua filij, inuaduntur à dæmone: quare territi alij magiam damnant, & magicos libros comburunt. Demetrius argentarius tumultum excitat contra Paulum sed à scriba compescitur.

V. 2. SI SPIRITVM SANCTVM ACCEPISTIS CREDENTES] Græcè, *postquam credidistis*, supple, & baptizati estis, an etiam confirmati estis Sacramento Confirmationis, quo confertur Spiritus sanctus? De fide illorum, aut baptismo, cùm dicerent se Christi discipulos esse, non dubitabat nec rogabat Paulus: solùm rogat de Confirmatione, quòd sciret, nullum hactenus Ephesi fuisse Episcopum, cuius solius est conferre hoc Sacramentum. Respondent, se ne vel audisse quidē vmquā an esset aliquis Spiritus sanctus,

sanctus, utpote non baptizatos nisi baptismo Ioannis. Vnde contra Caluinum & alios nostros hæreticos colligitur, baptismum Ioannis longè diuersum fuisse à baptismo Christi, vt definit Tridentinum. Baptismus enim Ioannis non conferebatur inuocatione SS. Trinitatis, sed solius Christi venturi; neque conferebat remissionem peccatorũ, sed illius nudum symbolum erat, & protestatio & excitamentum, vt alibi(a) dixi: & fusè docent Durand. Gabriel, Sotus, Suarez, Coninck & alij Doctores(b). Vnde meritò iubet illos Paulus baptizari IN NOMINE DOMINI IESV expressis omnibus tribus deitatis personis(c), sine quibus non potest administrari baptismus Christi, inquit S. August. Basilius, Cyprian. & alij Patres,

Trident sess. 7. c. 1. de baptis.

a *Matt. 3. v. 6.*

b *in 3. p. S. Thoma. c Actor 2. v. 38. August. l. 6. cont. Donat. c. 5. Basil. l. de Spiritu S. c 12. Cyprian. epist ad Iulianum.*

℣. 6. ET CVM IMPOSVISSET ILLIS MANVS, imperiendo Sacramentum Confirmationis, VENIT SVPER EOS SPIRITVS SANCTVS visibili forma ignis vel linguarum ignitarum: vnde MOX LOQVEBANTVR variis & antè ignotis LINGVIS, ET PROPHETABANT, celebrantes Dei laudes, & etiam prædicentes futura: qui solebant tum temporis effectus & indicia externa esse præsentis Spiritus sancti per Confirmationem collati, vt alias(d) dixi.

d *Actor. 2. v. 4.*

℣. 9. TYRANNI] nomen proprium viri alicuius Ephesini volunt esse Syrus, Dionys. Arias & Mariana. Sed alij vt appellatiuum, accipiunt pro principe, primate, vel ex regio sanguine oriundo. Fortè erat ex stripe *Androdi*, quem Strabo asserit fuisse Codri Athenarum regis filium, Ephesumque condidisse & Ionum regiam constituisse: vnde *etiamnum*, inquit, *omnes ex hoc genere reges vocantur, & quibusdam regis fruuntur honoribus, vt qui primo loco sedeant in certaminibus & spectaculis, purpuram habeant, scipionem quoque pro sceptro*, &c. Per SCHOLAM autem intelligi potest aula, porticus vel cubiculum quoduis, in quod otij seu quietis causâ secedi solebat: deriuatur enim teste Brissonio à σχολάζω, id est, otior, quiesco, ferias ago. Delegit autem Paulus domum huius principis, vt potentia & auctoritate illius contra Iudæorum audaciam se suosque tueretur. Hæsit hîc Paulus toto biennio, cui si adiungas trimestre v. 7. reperies tres annos incompletè, quot Ephesi à se exactos narrat Paulus c. seq. v. 31. Hinc rectè docet Baron. Ephesinam Ecclesiam primitus non à S. Ioanne, sed a Paulo fundatam esse. Et Epiphan. ait, S. Ioannem in senectute demum curandas suscepisse Ecclesias Asianas.

Strabo l. 14.

Brisson. l. 17. de verbor. signif.

Epiphan. hæresi.

℣. 11. VIRTVTES NON QVASLIBET, id est, miracula non vulgaria, sed rara & excellentia, FACIEBAT DEVS PER PAVLVM.

℣. 12. SVDARIA EIVS ET SEMICINCTIA quibus inter texendum (e) præcingi solebat, pellebant quosuis LANGVORES & dæmones. Addit Chrysost. vmbrâ Pauli etiam mortuos reuixisse. Et adhuc carpant hæretici nostri vsum, vim & energiam sanctarum reliquiarum?

e *Actor. 18. v. 3. Chrysost. hom 8. in epist ad Roman. & hom 6. in epist. 1. ad Corinthios.*

Nota. In textu Græco sunt Latinæ voces *sudaria* & *semicinctia*. Et multas similes notauit Mariana, quæ ex lingua Romana (Romanis tota Græcia & Asia tunc dominantibus) in Græcam ætate illa transierant. v. g. *Libertini* (f) *sicarij* g), *census*(h), *pretorium*, *custodia*(i), *flagellum*(k), *titulus* (l), *centurio*, *niger*, *Euroaquilo*, *denarius*, *quadrans*, *legio*, *speculator*, *linteum*, *colonia*, *membrana*, &c.

f *Act. v. 6. v. 9.*

g *Matt. 21. v. 31.*

h *Matt. 17. v. 24*

i *Matt. 27. v. 27 & 65.*

k *Ioan 2. v. 15.*

l *Ioan. 19. v. 19.*

℣. 13. IVDAEI EXORCISTAE, qui dæmones per nomen Iehoua, & per exorcismos à Salomone traditos, ex obsessis pellebant, teste Iosepho & aliis apud Delrionem, videntur etiam magicas artes immiscuisse, vt patebit ex v. 19. Sed Christiani exorcistæ suam omnem potestatem à Christo acceperunt Lucæ 10. v. 19. quorum exorcismi, id est, adiurationes sunt spiritualia *dæmonum flagra & tormenta*, inquit S. Cyprian. Quid enim magis cruciet dæmonem, quàm quo vincitur, prosternitur, constringitur, nomen, crux & merita Iesu Christi? Hoc idem nomen vsurpabant hi Iudæi, vt inde plausum sibi & quæstum facerent. Sed cùm increduli essent Christo, idcirco non ipsi diabolo, sed diabolus ipsis præualuit. ità idem Cyprianus (m), Chrysost. & alij.

Ioseph l. 8. Antiq c. 2. & l. 7. Belli c. 25. Cyprian. epist. ad Demetria.

m *Cyprian. serm. de baptismo Christi.*

℣. 14. SCEVA PRINCEPS SACERDOTVM erat Ephesi commorantium, vel fortè vnus è 24. capitibus familiarum sacerdotalium, de quibus alibi(n).

n *1. Paral. 24.*

℣. 15. VOS AVTEM QVI ESTIS?] nempe serui & mancipia nostra. Et volent mancipia suis iam heris seu dominis imperare, & domo sua expellere? Simili successu tentasse aliquando Lutherum expellere dæmonem, insigni suo periculo & probro, narrat Staphylus & Bredembachius.

Staphyl. contra Smidelinum pag. 404. Bredembach. collat. 9. c. 40.

℣. 16. DOMINATVS AMBORVM] nempe instar irati domini irruit in duos (qui è septem erant primarij,) quasi in vilia mancipia sua, pugnis & plagis vtrumque obtundens, vestes discerpens, dentibus vnguibusque dilanians, calcibus impetens, &c. Quòd si talia in corpus, quàm indigna putamus dæmonem exercere in animam quam per peccatum obsidet, possidet, agitat & cruciat? inquit Chrysost.

℣. 18. MVLTI CREDENTIVM; græcè, πεπιστευκότων, id est, eorum qui iam crediderant, id est, Christianorum, VENIEBANT ad Paulum eiusque socios Silam & Timotheum(o), CONFITENTES ET ANNVNTIANTES ACTVS SVOS; Syrus, *offensas suas*. Quod de secreta & particulari confessione, quæ fit in Sacramento pœnitentiæ, accipit Oecumenius, Hosius, Ruardus Tappetus, Gagneius, Baronius, Salmeron, Sanchez, Bellarminus, à Valentia, à Lapide & alij. Nam publica illa quorumdam peccatorum confessio, de qua Nectarius apud Socratem, primis Ecclesiæ initiis necdum erat in vsu; sed posterioribus demum temporibus ad sarcienda scandala, quæ sensim suboriebantur, ab Episcopis quibusdam hinc inde introducta fuit, neque admodum diu continuauit. At secreta & auricularis confessio, vt à Christo instituta (p), ita à primis Ecclesiæ initijs perpetuò in vsu fuit, vt de singulis sæculis accuratè probant Iodocus Coccius, Bellarminus & alij.

o *Act. 18. v. 5.*

Bellarm. l. 3 de Pœnit. c. 4. & alij ab eo citati. Socrat l. 6. c. 19.

p *Ioan. 20. v. 23. Coccius in Thesauro.*

℣. 19. PER CVRIOSA, artem chalchymiæ, seu metalla permutandi, intelligit Mariana: astrologiam iudiciariam & genethliacam alij: Eusebius, Chrysost. Oecumenius, Beda & Syrus magiam. Et verò Ephesios magiæ addictissimos fuisse vel inde probat S. Hieron. quòd Apollonius Tyanæus publicum magicæ artis ludum Ephesi tum temporis aperuerit, & ab Ephesiis statuâ donatus inter diuos relatus fuerit sub initia imperij Neronis, vt Philostratus testatur. Et cui non sunt notissima *Ephesia grammata*, notæ & signa magica, quibus vel ad expellendos dæmones, teste Plutarcho; vel ad obtinendam victoriam, vel ad depellenda pericula, teste Suida & Eustathio, passim omnes vti contendebant? Sed Paulus fœdas has artes è medio tollere satagens, comburi publicè curauit artium eiusmodi libros æstimatos vniuersim QVINQVAGINTA MILLIBVS DENARIORVM Atticorum, seu regalium vel Iuliorum argenteorum, id est, quinque millibus aureorum (q). Vnde discant Christiani, libros noxios, etiam hæreticorum, quantouis pretio æstimentur, ignibus tradere, quia dam-

Euseb. l. 3. Demost. c. 8. Hieron. præfat in ep. ad Ephes. Philost. l. 4. & 5. Vita Tyanæi. Plutarch. in Sympos. l. 7. q. 5. Eustach in Odyssean φ.

q *Proleg. de Monetis.*

na quæ inferunt, nullo auro pensari possunt. Et ita faciendum sanxerunt non modò Canones & Concilia, sed & Imperatores (a) Honorius, Theodosius & alij complures, de quibus vide Bellarminum.

(a) l. vlt. de haret. Cod. Theodos. & l. Mathemat. C. de Episcop. aud. Bellar. l. 1. de Laicis c. 20.

℣. 22. ERASTVS hic qui cum *Timotheo* IN MACEDONIAM præmittitur, partim parandæ Paulo viæ, partim collectæ pecuniariæ pro egentibus Ierosolymitis faciendæ (b) gratiâ, in epist. ad Romanos (c) vocatur *Arcarius*, id est, quæstor vrbis Corinthi: & postea à Paulo creatus est Philippensis Episcopus, vbi & martyrio coronatus, & Sanctis Martyrologij adscriptus est die 16. Julij.

(b) 1. Cor. 4. v. 17. & c. 16. v. 3. & seq.

(c) Rom. 16 v. 23.

℣. 24. ARGENTARIVS; Syrus, *cudens argentum*. Videtur præfectus & caput fuisse fabrorum argentariorum, FACIENS AEDES ARGENTEAS; græcè, ναὸς, id est templa, Polybius, ναΐδια, id est, parua templa, putà ædiculas ad effigiem seu formam maioris templi DIANAE: & has vel planas in lamina, vel solidas elato opere, quas tota Græcia diuendebat, vt in laratiis vel oratoris vsui essent.

℣. 27. HAEC PARS, seu sors nostra, opificium nostrum, quæstus noster, PERICLITABITVR IN REDARGVTIONEM, id est, in reprobationem & contemptum, VENIRE, Paulo cultum omnem deorum quasi impium & sacrilegum redarguente.

℣. 28. MAGNA DIANA EPHESIORVM] Gentiles numerabant duodecim magnos deos, sex mares, sex feminas, quos Ennius hoc disticho complectitur:

Iuno, Vesta, Minerua, Ceres, Diana, Venus: Mars,
Mercurius, Ioui, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Ceteri erant minorum gentium dij. Porrò plures erant *Dianæ*, inquit Cicero, sed illa nominatissima, quæ eodem partu cum Apolline, ex Ioue & Latona nata est: vnde & nomen *Dianæ* sumpsit, quasi Διὸς, id est, Iouis filia. Et sic *lunam* Gentiles vocabant *Dianam*, quòd noctu lucendo quasi *diem* effingeret, inquit idem Cicero. Vnde & *Diana* à Poëtis *noctiluca* & *Lucina* & *lucifera* vocari solebat: virgo quidem & integra, tamen πολύμαζος, id est, *multimammia*, inquit S. Hieron. quasi omnium viuentium nutrix. Quæ sanè in Christianorum Dianam, Virginem Deiparam, viuentium omnium matrem, aptissimè quadrant. Iam quod ad Ephesinum Dianæ templum attinet, erat illud adeò augustum, vt inter septem orbis miracula computaretur, *ducentis* (inquit Plinius, aliàs *quadringentis*) *viginti annis à tota Asia constructum*. Quod quo die natus est Alexander Magnus, incendit Herostratus, exotico facinore nomen sibi æternum ambiens. Instauratum Gothi rursus sub Galieno Imp. concremarunt, teste Capitolino.

Cicer. l. 2. de Natur. Deorum.

Hieron. sup.

Plin. l. 36. c. 14.

Capitolinus in Vita Galieni.

℣. 29. GAIVS hic comes Pauli MACEDO fuit: ergo alius à *Gaio Derbeo* de quo c. sequ. v. 4. ARISTARCHVS Thessalonicensium postea Episcopus, & Pauli *concaptiuus*, post longos agones sub Nerone martyrio coronatus est, vt habetur in Martyrol. die 4. Augusti.

℣. ECCLESIA, id est, cœtus & turba populi, CONFVSA ERAT, vt fit in seditione & tumultu. Cui sedando

℣. 33. ALEXANDRVM, virum doctum & eloquentem, &, vt apparet, amicum Christianorum, protraxerunt Iudæi ex medio turbæ in locum editum, ad perorandum pro communi causa & reipublicæ quiete. Neque enim in Iudæos minùs, quàm in Christianos hæc faba cudebatur, cùm vtrique essent hostes Dianæ. Alexandrum hunc putat Baronius & Hugo conuersum fuisse ad Christum, sed apostatasse, esseque illum, quem Paulus cum Hymenæo ob blasphemiam tradidit Satanæ, 1. Timoth. 1. v. 20. Sed Caietanus, Arias & alij dicunt alium fuisse, & hoc videtur probabilius.

℣. 35. SCRIBA] Græcè, γραμματεὺς, id est, legum doctor, qui iura reipublicæ callet & tuetur, atque ex iis magistratum informat & dirigit. *Syndicum* vocare solemus: Syrus vertit, *princeps ciuitatis*, quasi fuerit Cancellarius aut præses senatus: Gentilis quidem, sed Christianis non infensus, vt ex hac eius oratione colligimus.

Nota. Pro τῆς διοπετοῦς, id est, à Ioue profectæ seu genitæ Dianæ, vt Noster legit, iam in Græco est, τῆ διοπετῆς, id est, à Ioue delapsi, supple, ἀγάλματι, id est, simulacri Dianæ, vt vertunt Syrus, Chrysost. Pagninus, Vatablus & recentiores. Fingebant enim Ephesij, Dianæ suæ simulacrum non ab homine effictum, sed cælo delapsum, inquit Suidas: sicut Troiani *Palladium*, & Romani *Ancile* cælo lapsa finxerunt.

Suidas in voce διοπετῆς.

℣. 39. SI QVID ALTERIVS REI, quod non ad solos argentarios, sed ad publicum ciuitatis totius bonum spectet, QVAERITIS; POTERIT ABSOLVI, id est, decidi, transigi, expediri, IN ECCLESIA, seu populi conuentu non tumultuario, vt nunc, sed LEGITIMO, v. g. in comitiis publicis ex lege conuocandis. ita Gagneius, Vatablus, imò & Chrysost. qui addit, eiusmodi comitia ter quot mensibus Ephesi institui consueuisse. Hanc cum argentariis dimicationem Theophyl. Oecumen. Anselmus, & ex his alij recentiores interpretantur pugnam cum bestiis, quam Paulus Ephesi se pugnasse dicit 1. Corinth. 15. v. 32. Sed, vt ibi dicam, verius est, Paulum ad litteram cum bestiis propriè *dictis* Ephesi in publico theatro decertasse, & ope cælesti victorem euasisse. Rem, vt gesta est, narrat Nicephorus ex antiquis Pauli actis quæ citat probatque Origenes. Et certum est, Lucam alia plurima Pauli gesta prætermisisse, vt quod à *Iudæis quinquies quadragenas, vna minùs* acceperit, quòd *ter virgis cæsus, ter naufragium* passus fuerit, & alia quæ 2. Corinth. 11. ipse de se Paulus enarrat.

CAPVT XX.

Paulus Epheso exedens, per varias Asiæ & Græciæ vrbes pergit in Macedoniam inde Troadem, vbi Eutychum à morte reuocat: inde Miletum, quò seniores Ephesi accersit, & commendata ipsis Ecclesia, vltimum Vale dicit.

℣. 4. SOPATER per crasin pro *Sosipater*, vt nonnulli legunt, cognatus erat Pauli, vt patet ex epistola ad Romanos c. 14. v. 21. inquit ibidem Origenes, Chrysostomus & Theophylactus. PYRRHI, supple, filius: & ascribitur Sanctis in Martyrologio 25. Iunij. De *Aristarcho* (d), *Gaio* (e) & *Timotheo* (f) antè dixi.

d *Act.* 19. v. 29.

e *Act.* 16. v. 1. & *Ephes.* 6. v. 21. & *Coloss.* 4. v. 7.

TYCHICVS administer erat Pauli in litteris & mandatis ad absentes perferendis (g), & inscribitur Martyrologio 29. Aprilis.

f *Ephes.* 6. v. 21. & *Coloss.* 4. v. 7.

TROPHIMVS ex patre Gentili Ephesio natus, causa pòst fuit captiuitatis Pauli Ierosolymis (h). In Martyrologio 29. Decembris dicitur *à Paulo* constitutus *Episcopus Arelatæ, è cuius prædicationis fonte, vt S. Zozimus Papa scribit, tota Gallia fidei riuulos accepit.*

h *Act.* 21. v. 26.

℣. 6. POST DIES AZYMORVM] Id est, post exactum Paschæ septiduum. Sed an Christiani seruabant etiam tum, anno 26. à morte (i) Christi, cæremonias

i *Chron. Alex. in Nerone.*

Nerone.

monias istas Iudaicas? Respondeo, Iudæochristiani vt plurimùm seruabant, vt licitè poterant: nam etsi iam inde à morte Christi mortua lex esset, non tamen erat mortifera. Sed Gentilichristiani, & qui ex Iudæochristianis meliùs sapiebant, non nisi nomine tenus illas vsurpabant.

1 *Act.16. v.1.* — NAVIGAVIMVS TROADEM (*a*)] Ex tertia persona in primam commutata (*b*), colligimus Lucam, qui per aliquot annos à Paulo abfuerat, eidem iam redditum itineris Romam vsque socium. Causam pro sua modestia subticet Lucas, sed exprimit alibi (*c*) Paulus, nempe, quòd ad perferendas Ierosolymam eleëmosynas Achæorum & Macedonum, ab ijsdem Ecclesijs socius adiunctus esset Paulo, ira ipsomet Paulo petente, ne quis maleuolorum suspicari posset, ipsum aliquid ex ijs in suos suorumve vsus conuertisse.

b *Ibid. v.10.*

c 2. *Cor.8. v.19.*

B

℣. 7. VNA SABBATI, id est, prima die hebdomadæ (*d*), putà Dominica tertia post Pascha (*e*), CVM CONVENISSEMVS AD FRANGENDVM PANEM, non profanum, vt vult Liranus; sed Eucharisticum, vt Syrus & S. Augustinus, quin & Caluinus, Bullingerus & Beza exponunt. ERANT LAMPADES COPIOSÆ IN COENACVLO, non tantùm ad pellendas noctis tenebras (de quo dubium nulli esse poterat, neque opus erat eius rei Euangelistam meminisse,) sed etiam, & quidem maximè, ad decorandam Eucharistiæ celebrationem: quod etiamnum, cùm interdiu Missa celebratur, piè imitatur Ecclesia vniuersa, vt prolixè docet Baronius.

d *Chron. c.3*
e *Hic v.6. & 16.*
August. epist.86.

℣. 9. EVTYCHVS DVCTVS; græcè, *victus*, SOMNO, DE TERTIO COENACVLO; Syrus, *de tertia contignatione*, CECIDIT MORTVVS] Casus huius auctorem Chrysost. diabolum facit, vt fructum concionis Pauli interturbaret. Sed Deus nouo miraculo illam magis còmprobauit, mortuo per solum Pauli (ad instar Eliæ (*f*) & Elisei (*g*)) complexum, in vitam reducto.

C

f 3. *Reg. 17. v.21.*
g 4. *Reg. 4. v.34.*

℣. 13. ASSON vrbs est in Æolide iuxta Troadem (*h*), alio nomine dicta *Apollonia*, inquit S. Hieronymus.

h *Actor 16. v.8.*
Hieron. in Locis Hebr.

℣. 15. SAMVS, insula est in mari Ionio, patria Pythagoræ & Sibyllæ Samiæ. Vnde vasa *Samia* fictilia, quibus Agathocles ex figulo rex factus, perpetuò in mensa sua vtebatur, vt pristinæ fortunæ memoria semper ob oculos versaretur.

CHIOS, insula est inter Samum & Lesbum, præstantis vini ferax, quod *Maluasinum* vocamus, de quo Plinius.

Plin. l.14. c.7.

℣. 17. MILETVS, vrbs celebris Ioniæ, patria Thaletis, vnde lanæ optimæ, inde *Mileſiæ*, dictæ.

D

℣. 19. CVM OMNI, id est, perfecta, HVMILITATE SERVIENS DOMINO. Nulla enim re magis profitetur quis se seruire Deo, quàm profunda sui humiliatione non tantùm coram Deo, sed & coram hominibus propter Deum. Seruiuit eidem Paulus etiam LACRYMIS, non tantùm compunctionis, compassionis & zeli, sed maximè orationis, quibus extorquebat gratiam sibi suisque ouibus necessariam. Seruiebat denique Deo etiam TENTATIONIBVS, non illis quæ ad peccatum alliciunt, sed quæ molestiis & afflictionibus animum exercent. Tentatio enim sæpè in Scripturis (*i*) sumitur pro tribulatione.

i *Hebr 11. v.17 & Iac.1.v.2. &c.*

℣. 22. ALLIGATVS, astrictus, attractus SPIRITV sancto, viarum & omnium actionum mearum duce ac moderatore, VADO quarta iam vice (*k*) IN IERVSALEM. Vult enim Spiritus sanctus, vt vbi maximè persecutus sum Ecclesiam, maxima quoque patiar pro Ecclesia & sponso Ecclesiæ Christo. Vnde PER OMNES CIVITATES, ore prophetantium fidelium (quorum plurimi erant in primitiua (*l*) Ecclesia) id MIHI PROTESTATVR, seu attestatur & prædicit.

k *Act. 18. v.22.*

l *Act. 2. v.17. &c. 13. v.1. & 19. v.6. &c.*

℣. 24. NEC FACIO ANIMAM, seu vitam, MEAM PRETIOSIOREM QVAM ME] Atqui me totum consecraui iam pridem Christo & Euangelio: ergo & vitam. Græca iam non habent, πμωτέρων ἐμαυτῷ, vt Noster legit, sed πμίαν ἐμαυτῷ id est, *pretiosam* seu charam *mihi*; Syrus, *nihilo mihi habetur anima*, seu vita *mea*, scilicet vt pro Christo illam profundam. Notum militare axioma: *Ducem gloriæ auidum, debere nihili ducere vitam.* Et illud Heliogabali (*m*), *Basilicè moriendum, vt mors parem non viderit.*

m *Lamprid. in Vita Heliogabali.*

DVMMODO CONSVMMEM glorioso fine, putà martyrio; græcè, *cum gaudio*, CVRSVM MEVM, seu curriculum vitæ meæ.

℣. 26. MVNDVS SVM A SANGVINE OMNIVM] Id est, nullius vestrûm perditionis causa sum: si quis pereat, culpâ suâ peribit, non meâ. Ego enim officio meo perfunctus sum, docendo, hortando, monendo omnes. Amplius à me non exigitur (*n*). *A pastore enim requiritur cura, sed non curatio.*

n *Ezech. 3. v.17. &c.*

℣. 28. ATTENDITE primò VOBIS & propriæ perfectioni ac saluti; dein VNIVERSO GREGI singulis à *Spiritu sancto* commisso. Quò enim magis se perficit pastor, eò magis perficiet gregem suum: sicut mater quò meliùs se curat, eò plus & melioris lactis habet ad lactandum infantulum suum, vt pulchrè S. Gregorius & Chrysostomus declarant. Per EPISCOPOS autem intelligit vel Presbyteros primarios, quos v.17. vocauit *maiores natu*: vel etiam propriè dictos *Episcopos* non vnius, sed plurium ciuitatum prouinciæ Ephesinæ, quos, vt colligitur ex v.25. euocarat Miletum. ita Irenæus. Sed non dicit, commissam illis eram totius Ecclesiæ Dei, (vt commissa fuerat Petro, Ioan. vlt. v.15.) sed Ecclesiarum prouinciæ Ephesinæ.

Gregor in Pastorali. Chrysost. l.3. & 6. de Sacerdotio. Iren. l.3. c.14.

℣. 29. LVPI RAPACES; Syrus *feroces*, hæretici sunt, inquit Ambrosius. Vnde & luporum instar exstirpandi, inquit S. Clemens.

Ambros. l.7 in c.10. Luc. Clem. l.6. Constitut. Apost. c.18.

℣. 30. ET EX VOBIS IPSIS EXSVRGENT] Quàm verus vates fuit Paulus! Nam ipso adhuc viuente, in ipsum insurrexerunt *Hymenæus, Alexander, Phigellus & Hermogenes*, vt ex ipsiusmet Pauli scriptis (*o*) constat.

o 1. *Tim. 1. v.20 & epist.2. c.1. v.15.*

℣. 31. PER TRIENNIVM, (non integrum, sed tertio anno per trimestre inchoato, vt suprà (*p*) dixi,) NON CESSAVI (nota singula verba,) MONENS VNVMQVEMQVE, & quidem CVM LACRYMIS, idque NOCTE ET DIE] Hæc & nos faciamus, inquit Chrysostomus. *Non dolet malus? Tu dole; forsan & ille dolebit.*

p *Actor. 19. v.9.*

℣. 32. VERBVM GRATIÆ DEI, hebraismo est ipsa *gratia*, fauor, & beneficentia *Dei*: nam Hebræi omnem rem metonymicè vocant *verbum*. Porrò Deus, vt POTENS & pronus EST AEDIFICARE & stabilire inchoatam à me apud vos Ecclesiam, ita rogo eumdem, vt de facto etiam ædificet illam & perficiat, vsque dum vniuersi eius filij HEREDITATEM sibi in cælis paratam assequantur cum OMNIBVS alijs ad id SANCTIFICATIS, vel *sanctis*, vt Syrus vertit.

℣. 33. ARGENTVM NVLLIVS CONCVPIVI] In hoc similis fuit Paulus Moysi (*q*) & Samueli (*r*), sed in illo ipsis superior

q *Num. 16. v.15.*
r 1. *Reg. 12. v.3.*

℣. 34. AD

a *Hic v.4.* b *Actor. 28. v 8.*

℣. 34. AD EA QVAE MIHI OPVS ERANT, ET A socijs meis, (qui non pauci erant (*a*) MINISTRAVERVNT MANVS ISTÆ(*b*)] Quæ gloria Paulo propria fuit.

℣. 35. OMNIA OSTENDI VOBIS, id est, omnem modum iuuandi infirmos exhibui vobis & meo exemplo edocui, labores assiduos, continuam prædicationem, monitionem cum lacrymis, mille ærumnarum tolerantiam, munerum repulsam, victus vestitusque conquisitionem proprijs manibus. SIC OPORTET INFIRMOS SVSCIPERE; græcè, ἀντιλαμβάνεσθαι, id est, porrecta manu retinere, lapsuros alioqui vel abituros, inquit Vatablus. ET MEMINISSE VERBI DOMINI IESV, (etsi in Euangelio non descripti) BEATIVS EST MAGIS DARE QVAM ACCIPERE] Primò, quia *dare*, signum est abundantiæ: *accipere*, egestatis, inquit S. Augustin. Secundò, *dare*, est liberalitatis: *accipere*, B necessitatis aut cupiditatis, inquit Cassianus. Tertiò, *dare*, honorabilius est, utpotè regale ac diuinum: *accipere*, vilius, humanum ac plebeium, inquit S. Hieronymus. Quartò, *dare*, est alterum sibi obstringere: *accipere*, est libertatem vendere, inquit Aristoteles & P. Syrus. Quintò, qui *accipit*, solùm temporalia accipit: qui *dat*, spiritualia recipit, preces, benedictiones & gratiarum actiones ab accipiente: à Deo etiam mercedem gratiæ & gloriæ. Potrò generale hoc axioma negat S. Augustinus locum habere in diuinis, vbi tam nobile est accipere quàm dare diuinitatem. Et S. Chrysostomus, in creatis restringit ad beneficia: nam in iniurijs, inquit, beatius est accipere, quàm dare.

August. l. 3. cont. Maximum c. 14. Cassian. l. 10. de Instit. renunciat. c. 18. & 19. Hieron. ad Nepotian. Arist. l. 9. Ethic. P. Syrus in Mimo. August. sup. Chrysost. hom. 78. ad popul.

℣. 36. POSITIS, id est, flexis, GENIBVS] Hic situs est supplicum, reorum, orantium ac Numen reuerentium, vt pulchrè demonstrat Rupertus. Et C imitatione non modò Salomonis (*c*), Danielis (*d*) & aliorum Prophetarum, sed & Stephani (*e*) sui, imò & Christi (*f*) frequenter (*g*) id faciebat Paulus & alij Apostoli (*h*), inquit S. Chrysostomus (*i*).

Rupert. in Cant. 6. v. 7. c *3. Reg. 8. v 54.* d *Dan. 6. v. 10.* e *Actor. 7. v. 59.* f *Luca 22. v. 41.* g *Hic & e. seq v. 5. &c.* h *Actor. 9. v. 40.* i *Chrysost. hom. 5. in Matt.*

CAPVT XX.

Paulus nauigat Coum, Rhodum, Pataram, Tyrum, Ptolemaida, Cæsaream, vbi Agabus ei vincula Ierosolymitana prædicit: Ierosolyma suasu Iacobi purificat se in templo; sed à Iudæis penè occiditur. A tribuno Iudæu ereptus, potestatem accipit populum ex editiore loco alloquendi.

℣. 1. COVS, Coa vel Cea, insula est è Cycladibus in mari Ægæo ad Austrum. Patria fuit Hippocratis medicorum, & Apellis pictorum principis. Sed alia est à Coa Ægyptia, cuius alibi (*k*) fit mentio. D

RHODVS vicina Coo insula magis Australis, quam Selymus Turcarum Imperator anno Domini 1522. Christianis eripuit. De hac asserit Plinius, numquam tam nubilum esse diem, quin sol Rhodo appareat, & in ea ex ære colossum, seu statuam Soli erectam, altitudine pedum centum & quinque, vnum è septem miraculis mundi. PATARA vibs est in continenti, maritima Lyciæ pars.

k *3 Reg. 10. v. 28.* *Plin. l 2. c. 62. & l. 34. c. 7.*

℣. 4. DICEBANT PAVLO PER SPIRITVM propheticum, si *Ierosolymam* iret, capiendum à Iudæis: suadebant ergo, sed ex proprio spiritu, seu affectu, NE EÒ ASCENDERET. Alioqui voluntas erat Spiritus sancti, vt Jerosolymam pergeret (*l*): inquit Liranus.

l *Actor. 20. v. 22.*

℣. 7. PTOLEMAIS, *Akon* vel *Hakum* olim dicebatur, vt Syrus legit: ciuitas in tribu Aser ad mare. De *Cæsarea* alibi (*m*) dixi.

m *Actor. 10 v. 1.*

℣. 8. PHILIPPVS vocatur EVANGELISTA non quòd scripserit, sed quòd prædicarit (*n*) Euangelium: eratque vnus de septem primis (*o*) Diaconis.

n *Actor. 8. v. 5. & 35.* o *Actor. 6. v. 5.*

℣. 9. HVIC ERANT QVATVOR FILIÆ VIRGINES PROPHETANTES] id est, diuinas laudes celebrantes, vt nunc faciunt Moniales, inquit Ioannes Alba. Sed alij Prophetides propriè dictas vocant. Virginitatis (*p*) enim præmium est sapientia & prophetia, inquit Oecumenius. De vna harum, Hermione dicta, legimus in Menologio, grauissima sub Traiano passam, in Domino quieuisse 4. Septembr. Reliquæ etiam catalogo SS. virginum asscriptæ sunt: & tempore S. Paulæ extabant adhuc illarum cubicula Cæsareæ, inquit S. Hieronymus.

Ioannes Alba Elucid. c. 58. p *4. Reg. 22. v. 14.* *Hieron. in Epitaphio Paulæ. & l. 1. contr. Iouinian.*

℣. 10. AGABVS idem est qui famem sub Claudio Imp. ante 16. annos (*q*) prædixit (*r*).

q *Chron. vlt. in anno 4 Cal. & 3. Neronis.* r *Actor 11. v. 28.*

℣. 11. ALLIGANS SIBI PEDES ET MANVS] exemplo Isaiæ*, Ieremiæ & Ezechielis. Sed S. Gregorius, Dionysius & quidam alij pro αὐτῷ id est, *sibi*, legerunt αὐτῷ, id est, *ipsi*, scilicet Paulo.

* *Isaiæ 20. v. 2.* *Ierem. 27. v. 2.* *Ezech. 4. v. 8. & c. 12. v. 3.* *Gregor. homil. 37. in Euang.*

℣. 14. SVADERE ponitur pro *persuadere*.

℣. 16. MNASONEM (sic legendum, non *Iasonem*, vt quidam volunt,) Cæsarea Ierosolymam secum deducunt discipuli, vt istic domi eius hospitentur, ne Ierosolymitanis rapinam bonorum suorum nuper passis (quibus proinde Paulus collectas ex Achaia & Macedonia (*s*) eleëmosynas deferebat,) graues essent, maximè in Pentecoste, qua Iudæi vndique Ierosolymam ad amicorum hospitia confluebant (*t*).

s *Actor. 20. v. 6.* t *Exodi 23. v. 17.*

℣. 17. IEROSOLYMAM quarta vice *venit* Paulus, paulò ante Pentecosten anno à morte Christi 26. Neronis 3. (*u*).

u *Chron. & vlt. in an. 3. Neronis.*

℣. 18. INTROIBAT AD IACOBVM Jerosolymorum Episcopum eximiæ sanctitatis & auctoritatis Apostolum, cui deferre voluit Paulus. Hic 4. abhinc anno, putà 7. Neronis, postquam 29. annos & penè tres menses Ecclesiam Ierosolymitanam sanctissimè rexisset, à Iudæis è templi fastigio præcipitatus, fullonis vecte occisus est, vt dixi in Chronico (*x*).

x *Ibid. anno 7. Neronis.*

℣. 20. QVOT MILLIA; græcè, *quot myriades*, id est, quot dena millia Iudæorum, CREDIDERVNT in Christum. Ex quo patet, Deum non ita reiecisse Iudæos, quin ingentem numerum ex eis sibi delegerit quos saluaret. ET OMNES AEMVLATORES SVNT LEGIS] vt vnà cum christianismo cæremonias Mosaicas obseruent, quod adhuc licebat tum temporis, vt suprà (*y*) dixi. Hi extremè tibi offensi sunt,

y *Actor. 20. v. 6.*

℣. 21. quia AVDIERVNT, QVIA DISCESSIONEM; græcè, ἀποστασίαν, id est, defectionem, A MOYSE DOCEAS omnes Iudæos qui extra terram sanctam *inter* GENTES habitant; dicendo, NON DEBERE, id est, non licere, CIRCVMCIDERE FILIOS SVOS, NEQVE SECVNDVM receptos patriæ mores & maiorum CONSVETVDINES viuere. Sed erat hęc calumnia, nam circumcidendo Timotheum (*z*) & nazaræatus (*aa*) votum suscipiendo contrarium demonstrarat Paulus iam pridem. Tantùm docebat, iustificari nos per fidem & gratiam Christi, non per legem Moysis, quæ solùm vmbra erat & præambulum Christi.

z *Actor. 16. v 3.* aa *Actor. 18. v. 18.*

℣. 22. QVID ERGO EST faciendum? quid consilij? Vtique præuertere oportet zeloras illos, teque legis studiosum ipsis ostendere, ne malè de te informati, malè etiam te tractent & mulctent.

℣. 24. SANCTIFICA; græcè, *purifica*, TE CVM ILLIS

ILLIS QVATVOR viris QVI VOTVM nazaræatus HABENT SVPER SE. Nempe, IMPENDE TE VT nuper, (a) ita iam rursus, IN, seu cum, ILLIS, radendo caput, comam detondendo, & lustrando, & sacrificium per septiduum offerri iubendo publicè in templo, iuxta legis Mosaicæ præscriptum. (b)

a Actor. 18. v. 18. & 21.

b Num. 6. v. 13. &c.

℣. 25. DE HIS AVTEM QVI EX GENTIBVS CREDIDERVNT, ne sis anxius, quasi scandalo ipsis futurus sis, ansamque daturus, quâ existiment, se tuo exemplo debere quoque seruare legalia. Iam enim pridem constat illis ex publico nostro rescripto, quòd lege Mosaica nullatenus teneantur, sed solùm pauculis cæremonijs ad tempus aliquod se Iudæis accommodent, vt suprà (c) decretum.

c Actor. 15. v. 20. & 29.

℣. 26. PAVLVS obsequens benè monenti, POSTERA DIE PVRIFICATVS est CVM ILLIS, nempe à contactu cadaueris, vel alia aliqua immunditia legali, impendens illi rei septiduum, ex legis (d) præscripto: vt sic planè mundus inchoaret votum nazaræatus vnà cum quatuor socijs illis. Vt etiam nuper fecerat in Cenchris. (e) ita Sanchez & à Lapide, qui *annunciationem*, cuius hic fit mentio, censet sacerdotibus factam, ad quos spectabat cura cæremoniarum à Nazaræis explendarum.

d Num. 6. v. 10.

e Actor. 18. v. 18.

℣. 27. DVM SEPTEM DIES CONSVMMARENTVR] id est, consummari inciperent; (f) græcè, *cùm futurum esset vt complerentur*. Nam ex c. 24. v. 11. colligitur, primo ipso septidui die captum Paulum,

f Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 56.

℣. 28. GENTILES IN TEMPLVM, id est, in atrium Iudæorum, INDVXIT] Quod teste Iosepho, capitale erat. Licet enim *Trophimus* Gentilis esse desijsset eo ipso quo ad Christum conuersus fuit; quia tamen ad iudaismum non transierat, vt Gentilis adhuc à Iudæis habebatur, imò magis exosus erat, vtpotè capitalis iudaismi aduersarius.

Ioseph. l. 5. Antiq. c. 14.

℣. 30. TRAHEBANT PAVLVM EXTRA TEMPLVM, ne sanguine illius polluceretur, inquit Chrysostomus. ET STATIM CLAVSÆ SVNT templi IANVÆ à Leuitis, ne qua fortè à Gentilibus (quorum causâ tumultus hic oriebatur) irruptio fieret in templum, Trophimi vel Pauli vlciscendi causâ.

℣. 32. TRIBVNVS ex arce *Antonia*, (quam Iosephus, Aristæas & Hegesippus describunt,) cum Romanis cohortibus DECVRRIT AD tumultuantes:

Ioseph. apud Adrichom. in Descript. Ierusalem. Aristæus l. de 72. interpretibus. Hegesipp. l. 1. de Excidio Ierosol. c. 6.

℣. 33. ET IVBET Paulum ALLIGARI CATENIS DVABVS, vna quâ manus, altera quâ pedes constringerẽtur, vt ei futurum prædixerat v. 11. Agabus Propheta. Vinctum autem DVCIT IN CASTRA] id est, in arcem Antoniam, in qua erat Romanorum præsidium, & in quam non nisi per multos gradus patebat ascensus.

℣. 38. NONNE TV ES ÆGYPTIVS ille pseudovates & impostor, QVI ANTE HOS DIES, id est, ante triennium, nempe anno 13. imperij Claudij, TVMVLTVM hîc CONCITASTI, eductis ex Ægypto QVATVOR MILLIBVS SICARIORVM, qui postea facilè ad triginta millia excreuerunt? vt Iosephus & Eusebius narrant, adduntque à præside Felice (g) fusos fugatosque hos sicarios, multis occisis, multis captis, *Aegyptio* incertum quò dilapso.

Ioseph. l. 20. Antiq. c. 20 Euseb. l. 2. Historia. g Chronici c. 45 sub fin.

℣. 39. EGO, respondet Paulus, non sum Ægyptius, sed IVDÆVS E TARSO CILICIÆ, NON IGNOTAE sed celeberrimæ CIVITATIS, vtpotè metropolis illius prouinciæ, MVNICEPS] id est, ciuis, vt Vlpianus exponit. Et quia ciuis Tarsensis, consequenter etiam ciuis *Romanus* sum, vt clariùs exprimit cap. seq. v. 25.

Vlpian. in l. 1 ff ad municipales.

CAPVT XXII.

Paulus ad populum perorans, quamdiu vocationem suam de cælo & conuersionem ad Christum enarrat, cum silentio auditur: sed simul ac se ad conuertendas Gentes missum dixit, ab omnibus sublato clamore ad mortem deposcitur: à tribuno iubetur flagellari & torqueri, sed vbi innotuit ciuem esse Romanum, flagris eximitur, & postero die in publico Iudæorum concilio se purgare permittitur.

℣. 1. PATRES vocat pontifices, sacerdotes & alios ætate vel dignitate præstantes, seruato vbique decoro, vt causam suam meliùs commendet. REDDO RATIONEM; græcè, ἀπολογίαν, id est, *defensionem* contra iniquam Asiaticorum accusationem.

℣. 3. ERVDITVS SECVS PEDES (b) GAMALIEL, id est, discipulus Gamalielis, famosi apud vos doctoris, de quo suprà. (i) IVXTA VERITATEM; græcè, κατ' ἀκρίβειαν, id est, iuxta accuratam rationem, vel iuxta rigorem PATERNAE LEGIS Mosaicæ.

b Deut. 33. v. 3.

i Actor. 5. v. 34.

℣. 4. HANC VIAM, seu viuendi rationem quam nunc teneo, putà Christianam religionem, PERSECVTVS SVM VSQVE AD MORTEM] quam Stephano & tot alijs Christianis infligi curaui.

℣. 5. SICVT PRINCEPS SACERDOTVM, qui tunc erat Caiphas, (k) MIHI TESTIMONIVM REDDIT suismet litteris mihi tunc datis, & à me hucusque adseruatis. ita Sanchez.

k Chronici c. 42. classe 3.

℣. 9. VOCEM NON AVDIERVNT] supple, articulatam, seu distinctam: nam confusum vocis sonum audisse, patet ex dictis cap. 9. vers. 7. vbi etiam reliqua huius historiæ exposui.

℣. 11. CVM NON VIDEREM, sed excæcarer, PRAE CLARITATE; græcè, *præ gloria*, LVMINIS] à glorioso Christi mihi apparentis corpore euibrati, quo cælestis eius maiestas repræsentabatur.

℣. 12. VIR SECVNDVM LEGEM; græcè, εὐλαβὴς, id est, *pius secundùm exigentiam legis*, id est, religiosus obseruator legis diuinæ.

℣. 13. RESPICE] Id est, recipe visum, aperi, attolle clausos hactenus oculos. Hoc enim verbo Ananias excitatem Pauli discussit, & visum illi restituit.

℣. 14. DEVS PRAEORDINAVIT TE, vel, vt nunc est in Græco, προεχειρίσατο, id est, delignauit; Syrus, *constituit te*, VT in via Damascena VIDERES proprijs oculis IVSTVM] id est, Christum, qui antonomasticè *iustus* est, non solùm formaliter in se, sed & causaliter respectu omnium hominum qui vmquam fuerunt, sunt aut erunt iusti.

℣. 16. ABLVE PECCATA TVA per baptismum INVOCATO NOMINE Christi. Etsi enim per actum contritionis iam iustificatus esset Paulus, quia tamen is actus includebat propositum baptismi, meritò tribuitur baptismo ablutio tum à peccatis, tum à pœnis peccatorum, vt docet Concilium Tridentinum & Doctores Scholastici.

Trid. sess. 14. c. 4. Scholastici tractatu de baptismo & pœnitentia. l Actor. 9. v. 26. & Galat. 1. v. 18.

℣. 17. REVERTENTI IN IERVSALEM, tertio à conuersione anno, (l) ET ORANTI IN TEMPLO, obtigit STVPOR MENTIS; græcè, *ecstasis*, in qua à Christo iussus sum relictâ Ierosolymâ, pergere ad *nationes longè* dissitas, seu ad Gentes Christo adiungendas. Est ergo hæc ecstasis toto sexennio (m) anterior raptu Pauli in tertium cælum, (n) qui Antiochiæ (o) contigisse videtur. *Ego* autem, inquit Paulus, hanc ad Gentes missionem modestè declinare studui,

m Chronic. cap. vlt. in anno vlt. Tiberij. & 2. Claudij. n 2. Cor. 12. v. 2. o Actor. 13. v. 2.

studui,, optans Ierosolymis hærere, & ciuibus meis fidem Christi inculcare. Dicentique Christo,

V. 18. NON RECIPIENT Ierosolymitani TESTIMONIVM TVVM DE ME, (quod scientia sua conditionata (a) infallibiliter præsciebat:)

2. Reg. 13. v. 1. &c.

℣. 19. EGO replicaui dicens: DOMINE Ierosolymitani SCIVNT quàm feruenter propugnarim olim iudaismum. Vnde si iam illum apud eosdem oppugnem, faciliùs fidem inueniam, vtpote quem scient non priuato odio aut affectu id agere, sed solo Dei, qui me tam miraculosè ad se traxit, impulsu. En quanto artificio Paulus odium missionis ad Gentes à suis humeris excutiat, & in vnius Dei iussum conijciat: simulque aculeum conscientijs Iudæorum infigat, quo eos ad amplexandam Christi fidem exstimulat, vtpotè non ab hominibus inductam, sed de cælo à Deo testatissimis signis reuelatam & inculcatam. Sed tantum erat Gentium apud Iudæos odium, vt simul atque audierunt, à Paulo Messiam Iudæis promissum offerri Gentibus, intolerandam id sui contumeliam interpretati, publica conclamatione Paulum quasi iudaismi & Messiæ proditorem depoposcerint ad necem.

℣. 22. TOLLE DE TERRA HVIVSMODI monstrum, patriæ hostem & suæ gentis exitium, terræ, aëris, cæli perturbatorem. Id enim iactatione pulueris in aërem ipsos designare voluisse censet Caietanus. Sed Sanchez putat, hoc schemate ipsos poposcisse, vt lapidibus obrueretur blasphemus & proditor. Et huic fauet, quòd in lapidatione vestimenta abijciantur, vt hîc fiebat ab his seditiosis.

℣. 25. CVM Paulum flagellandum columnæ ASTRINXISSENT LORIS, ne publico hoc probro Christianis infirmioribus noceretur, vel causæ præiudicaretur; DICIT ASTANTI; græcè, ἑστῶτι, id est, superstanti, CENTVRIONI, quasi qui torturæ Pauli præesset: LICETNE VOBIS FLAGELLARE ciuem ROMANVM, ET quidem INDEMNATVM? nulla alia de causa, quàm quia populus in eum tumultuatur & furit?

℣. 28. EGO MVLTA SVMMA, id est, magno pretio, CIVILITATEM; alij legunt, *ciuitatem*, HANC (nam πολιτεία vtrumque significat) Syrus, *Romanitatem*, seu ius ciuitatis Romanæ, CONSECVTVS SVM. EGO AVTEM ET NATVS SVM ciuis Romanus, putà ex patre & patria iuribus & priuilegijs vrbis Romanæ donatis. Tarsus enim, etiam Plinio & Dione Cassio testibus, hoc priuilegio gaudebat, inquit Baronius. Iura & priuilegia ciuium Romanorum sanè multa & magna qui nosse volet, adeat Brissonium. Ad rem nostram facit, quòd verberibus cædi, in crucem agi, vel iniussu populi in eos animaduerti fas non esset.

Plin. l. 5. c. 27. Dio Cass. l. 47. Brisson. l. 1. Antiquit. Iuris ciuil. c. 13.

CAPVT XXIII.

Paulus in Iudæorum concilio causam suam exorsus, iubetur à pontifice percuti: inde Pharisæum se proclamat, vt illius secta fauorem sibi conciliet. A tribuno in arcem retrahitur: à Christo visitatur & animatur. Iudæi in eius necem conspirant, sed conspiratione detectâ, Cæsaream à tribuno ad Felicem Iudææ præsidem transmittitur.

℣. 1. INTENDENS] Græcè, ἀτενίσας, id est fixis intentisque oculis intuens assessores. quod magnæ erat confidentiæ, libertatis & animositatis, simul & prudentiæ, vt orationem & gestum suum suis auditoribus attemperaret: prodebat denique innocentiam, & conciliabat beneuolentiam & attentionem. Et certum est, maximam A persuadendi vim pendere ex obtutu & ardore oculorum.

EGO OMNI CONSCIENTIA BONA, nullius criminis mihi conscius, siue in iudaismo, siue in christianismo, respectu vestri vel legis vestræ, CONVERSATVS SVM ANTE DEVM] græcè, πεπολίτευμαι τῷ θεῷ id est, officium mihi concreditum administraui in honorem Dei. nam in iudaismo propugnaui strenuè legem, in christianismo Euangelium. Hac Pauli libertate, & quia non salutasset illos, de more *Patres*, (b) vt censet Dionysius, extremè offensus, b Act. 24. v. 1.

℣. 2. PRINCEPS SACERDOTVN ANANIAS Nebedæi(c) filius, teste Iosepho & Sigonio, PRÆCEPIT ASTANTIBVS SIBI PERCVTERE pugnis os EIVS] quasi notoriè impium & publicè blasphemum. Nempe publicus apostata, proditor religionis, hostis patriæ iuratus, in pleno iudicum consessu se innocentem, nulliusque culpæ conscium iactet? Sed quid ad hæc Paulus? an percussus & perculsus obmutescet, & causam hostibus prodet? c Chron. c. 42. class. 3. Ioseph. l. 18. & 20. Antiq. c. 3. Sigon. l. 5. de Republ. Hebr. c. 1.

℣. 3. PERCVTIET TE DEVS, PARIES DEALBATE, id est, hypocrita: (d) fingis enim te iustum iudicem agere, & SECVNDVM LEGEM ME meamq; causam IVDICARE; interea CONTRA LEGEM omnem, seu naturalem, seu positiuam, diuinam, humanam, IVBES ME PERCVTI nec damnatum, nec auditum? Hanc animi celsitudinem, indeque redarguendi iniquos principes libertatem in Paulo, aliisque Apostolis & Prophetis, mirè deprædicat S. Chrysost. Augustin. & Gregorius. Additque Chrysost. pontificem hoc Pauli tam iusto responso, quasi fulmine ictum, obstupuisse, & elinguem ac semimortuum, ne verbum quidem reponere potuisse: vnde alios astantes id pro ipso fecisse. d Matt. 23. v. 27. *Chryso. hic Augustl. 1. de Serm. Domini in monte c. 19. & l. de Mendacio c. 15. Greg. l. 7. Moral. c. 15.*

℣. 4. SVMMVM SACERDOTEM DEI MALEDICIS? græcè, λοιδορεῖς id est, conuiciaris? vocando parietem dealbatum, & malum illi precando. Multi enim pro, *percutiet te*, vt est in Romanis & Græcis, legunt, *percutiat te*. Sed & per enallagen (e) frequens est Hebræis vti futuro pro optatiuo, & contrà, vt docent S. Hieron. & Augustin. Poterat autem Apostolica auctoritate, & zelo iustitiæ iustam Dei vltionem non modò prædicere, sed & intentare vel imprecari iniusto pontifici, etiam agnito pro tali, maximè in præsentia tribuni, vt saltem coram illo ius suum & decus tueretur, inquit idem Chrysost. & Oecumen. Maluit tamen Christianæ modestiæ & obseruantiæ erga Prælatos, etiam impios ac tyrannos, publicum omnibus tam præsentibus, quàm posteris, exemplum relinquere, & quasi commissum ex ignorantia errorem agnoscere ac retractare. e *Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 44. Hieron. in psal. 11. Augustin. in psal. 78.*

℣. 5. NESCIEBAM QVIA PRINCEPS EST SACERDOTVM] Diu enim abfuerat Ierosolymâ Paulus, & nouus erat hic pontifex, & multis assidentibus atque astantibus cingebatur, inquit Chrysostomus, Liranus & Dionysius. Fortè etiam nesciebat Paulus, à quo vox esset profecta, inquit Sanchez. Fortè etiam tumultuariè & confusè sedebatur, nec erat certus pontifici locus, vtpotè non in templo, nec domi suæ, sed alienæ, in quam tamen tribuni conuenerant.

PRINCIPEM POPVLI TVI NON MALEDICES (f)] non conuiciaberis, non vilipendes, non detrahes. Si Paulus ita *reueritus est pontificem, qui tantùm inane nomen & vmbram pontificis gerebat*, quomodo *reuerendi sunt*, inquit S. Cyprianus, *Pontifices Catholici & Romani, quibus sacerdotalis auctoritas & legis ipsi potestas* f Exod. 22. v. 28. *Cyprian. l. ... epist. quæ in edit. Pamel.*

potestas de diuina dignatione firmatur?

℣. 6. SCIENS PAVLVS QVIA iudicum in consilio præsentium VNA PARS ESSET SADDVCÆORVM, (quod genus est omnium Iudæorum in iudicando crudelissimum, inquit Iosephus:)& ex iis ipse pontifex: ALTERA PHARISAEORVM, quæ secta licèt melior esset,& è diametro aduersaretur Sadducæis, in hac tamen Pauli causa conspirabat cum illis. *Sciens*, inquam, *Paulus*, se vtrisque simul iunctis resistendo non esse, prudenti consilio pomum discordiæ iacit in medium, alta voce exclamans: EGO PHARISAEVS SVM,(a)DE SPE ET RESVRRECTIONE (b) MORTVORVM EGO IVDICOR; Syrus, *in iudicium vocor*; Vatablus, *accusor eò quòd asseram sperandam esse corporum resurrectionem.* Nempe eò quòd doceam, Christum crucifixum resurrexisse, ac nobis omnibus resurrectionem & cælestem gloriam promeruisse. Porrò licere, imò B expedire, dissensionem ferere inter hostes in perniciem, seu meam, seu aliorum conspirantes, expressè docet S.Gregorius.S.Thomas & alii. Et successit Paulo ex animi sententia. Nam FACTA subitò DISSENSIONE INTER PHARISAEOS ET SADDVCAEOS, SOLVTA; græcè, *dissecta*, EST etiam MVLTITVDO astantium, in varias sententias & factiones, non iam amplius causam Pauli, sed propriam agitantium.

Ioseph.l.20. Antiq c.8.

a Actor.22. v.3.& c.5. v. 34.

b Matt.3. v.7.

Greg.l.34. Moral. c.4. S. Thom.2. 2.q.37. a.1. ad 2.

℣.9. QVID SI SPIRITVS, vel anima Iesu, AVT ANGELVS quispiam LOCVTVS *fuerit* Paulo? quis id culpet, aut in eo accuset? Græca addunt, *ne pugnemus cum Deo.* Quod & Gamaliel suprà inculcabat c.5. v. 39. Ita Pharisæi pro Paulo tamquam pro aris & focis pugnant, etsi iurato suo hoste, idque ob hoc solùm quòd ipse se Pharisæum profiteretur.

℣.12. QVIDAM, nempe Sadducæi, DEVOVERVNT se diris, anathematizantes seipsos, vt est in Græco, id est, deierantes se velut anathema perdi velle à Deo, si quid comederent aut biberent, antequam proprijs manibus PAVLVM *occidissent.*

℣. 21. EXSPECTANTES PROMISSVM TVVM] non factum ipsis, sed faciendum: nempe exspectant vt postulantibus promittas te cras producturum Paulum in eorum consessum, quò possint hac occasione ipsum ex itinere trucidare.

℣.23. PARATE MILITES leuis armaturæ DVCENTOS, LT EQVITES SEPTVAGINTA, LT LANCEARIOS siue hastatos, qui loricati longas hastas gerunt, etiam DVCENTOS; VT A TERTIA HORA NOCTIS, seu tertia hora ob occasu solis, cum Paulo LANT VSQVE CAESAREAM,(c)vbi teste Tacito, sedes tunc erat præsidis Iudææ, propter maris opportunitatem. Sicut Rauennæ, non verò Romæ, sedes postea fuit Exarchorum Italiæ. Nolebat culpari tribunus, quòd

c Act. 10. v. 1. Tacit. l. 18.

℣. 25. TAMQVAM ACCEPTVRVS PECVNIAM à Iudæis, permisisset occidi ab eis Paulum.

℣. 26. OPTIMO, κρατίστῳ etiam verti potest *potentissimo*, vt vertit Vatablus; *præstantissimo*, vt Pagninus; *victoriosissimo*, vt Syrus. Sed de hoc alibi. (d)FELIX hic, teste Suetonio, frater erat Pallantis, qui è seruo factus libertus à Claudio Imp maxima apud eum gratia & potentia pollebat: adeoq; nuptias Agrippinæ,(ex qua natus Nero)cum Claudio patruo suo conciliauit, & sic Neroni imperium parauit. In gratiam verò Pallantis, Claudius Felicem illius fratrem prouinciæ Samariæ, Trachonitidi, Bataneæ & Gaulanitidi, Nero toti dein Iudææ præfecit: sed senescente gratiâ, turpiter post biennium(e)submouit. Tacitus prænomen illi

d Luce 1. v. 3.

e Actor. 24. v.25.& 27. Tacit. l.5. Histor.

Adat, *Antonius*, ab Antonia matre Claudij, cuius fuerat seruus: Iosephus, Zonaras & Suidas, *Claudium* vocant, à Claudio Imp. qui ex seruo libertum fecerat. Vocabatur ergo & *Antonius*, & *Claudius Felix*, vt ferè solebant binomines esse liberti, inquit Lipsius.

Lips. in l 12. Annal. Tacit.

℣. 31. ANTIPATRIS antè *Caphar-salama* dicebatur, vrbs pulchra & amœna ad mare Mediterraneum, media inter Ioppen & Cæsaream, ab vtraque circiter 8. leucis dissita, Ierosolymis verò ferè 17. leucis. Iuxta hanc Nicanor à Iuda Machabæo est cæsus. (f) Herodes ab Antipatro suo *Antipatridem* nominari voluit. Tempore belli sacri, à Godefrido Bullonio frustra obsessa, abeius successore Balduino capta est. Nunc tantum est pagus, qui *Assur* dicitur, inquit Borchardus & Adrichomius.

f 1. Mach. 7. v.31.

Borch. & Adrich. in Descript. terræ sanct.

℣. 35. PRAETORIVM, palatium erat prætoris, seu præsidis: vocaturque *Herodis*, quia à rege Herode magnificentissimis fabricis constructum.

CAPVT XXIV.

A Tertullo oratore accusatus coram Felice Paulus, causam suam sic agit, vt Felix optarit infirmi in fide Christi, totus contremuerit disputante Paulo: quem tamen Portio Festo successori suo vinctum relinquit.

℣. 1. TERTVLLVS ex nomine videtur Italus fuisse. Præsides enim prouinciarum solebant ex Italia procuratores & aduocatos secum adducere, vt causas in prouinciis latinè coram se agerent. Talis *orator*, seu aduocatus etiam fuit postea *Tertullianus*, nomen à *Tertullo* mutuatus; sed vbi Christo nomen dedit, vale fecit foro.

Tertull. de Pallio c.5.

℣. 3. SEMPER ET VBIQVE SVSCIPIMVS; Clarius & Tigurini, *comprobamus*; alij, *complectimur*, supple, officia & obsequia tua. Hic Felix *Aegyptium* pseudoprophetam cum factiosis suis de quibus suprà, (g) armis cõpresserat: & sic Iudæos magno metu liberarat. Sed vicissim valdè ipsis nocuerat, cùm *Ionatham* pontificem Annæ filium, quòd liberiùs ab illo increparetur, per sicarios interfecit; permissis illis etiam in alios Iudæos impunè grassari, inquit Iosephus. Verùm Tertullus, vt solent rabulæ forenses, callidè subticet quod causæ suæ non fauturum sciebat. In innocentem verò Paulum ea crimina conijcit, quæ erant ipsorummet Iudæorum. Hi enim erant *pestes* orbis; hi *seditiones* in omnibus prouincijs (h)contra Paulum concitarant: hi *auctores* erant *sectionis*, seu schismatis popularium suorum à Christo suo: hi templum violarant, violentas inibi manus iniicientes (i)in Paulum, & tantùm non occidentes, mentitur enim cùm v. 6. ait Iudæos voluisse solùm *iudicare* illum, seu causam eius cognoscere: nam ne quidem audire sustinuerunt (k)pro se dicentem, sed omnibus viis occidere voluerunt. (l) Illud verò quàm absurdum, quòd AVCTOREM SEDITIONIS SECTAE v. 5. id est, sectæ seditiosissimæ, NAZARENORVM, seu Christianorum, dicit fuisse Paulum, cùm constaret toti orbi, id ipsi Christo tribuendum, nisi velis, Græcum verbum πρωτοστάτην, non *auctorem* proprie dictum, sed *antesignanum*, designare, & quasi primum in acie stantem: talis enim verè erat Paulus in acie Christi, inter primos fidem & religionem eius propugnans.

g Actor. 21. v. 38.

Ioseph. l. 20. Antiq. c. 5. & 6.

h Act 9 v. 23. c. 13. v. 50. c. 14. v. 5. c. 15. v. 12. c. 21. v. 30.

i Act 21. v. 29.

k Act. 23. v 2.

l Ibid. v. 10. 12. &c.

℣. 10. RESPONDIT AVTEM PAVLVS, non per aduocatum, qui reis dari iubetur, sed ore proprio, con-

confisus Deo & æquitati causæ suæ: MVLTIS ANNIS TE IVDICEM ESSE GENTI HVIC (a) terræ Palæstinæ SCIENS, BONO, alacri, securo ANIMO PRO ME SATISFACIAM] Cùm enim nullas vmquam de me querelas audieris, facilè colliges me nec *seditiosum*, nec *pestiferum* antehac fuisse, vt isti proclamant. Sed neque recèns conflare potui tanta crimina, cùm

a *Act. 23. v. 26.*

V. 11. NON PLVS QVAM DVODECIM DIES MIHI SINT, EX QVO ASCENDI ADORARE, seu sacrificare, (b) IN IERVSALEM, è quibus facilè nouem dies in vinculis exegi; vt etsi voluissem, tam exiguo tempore non potuissem aduena, peregrinus & incomitatus seditionem vel tumultum concitare. Hoc vnum fateor:

b *Ioan. 4. v. 20.*

V. 14. QVOD SECVNDVM SECTAM; græcè, κατὰ ὁδὸν, id est, iuxta viam, seu institutum, normamque viuendi Christianorum, QVAM ipsi DICVNT HAERESIM, deseruiam PATRI, tamquam obediens filius, ET DEO, tamquam fidelis seruus; græcè, *patrio Deo*, non nouo vel inuentitio, sed ab omni tempore à patribus nostris culto, & A LEGE AC PROPHETIS præscripto. ita Syrus, Oecumen. Tigurini & alij passim. Tantum verò abest, sim seditiosus, vt collectas in Asia,

B

V. 17. ELEEMOSYNAS IN GENTEM MEAM FACTVRVS *venerim* Ierosolymam, ET OBLATIONES quas Deo voui, idque non nisi POST PLVRES ANNOS, nempe 24. à conuersione mea ad Christum: (c) (etsi interea amicos subindè (d) reuiserim, sed cursim & rarò, neque vmquam cum strepitu vel tumultu. Et qua fronte audent dicere, me hoc vltimo aduentu templum violasse?

c *Chron. c. vlt. anno 3. & 26. à morte Christi.*
d *Act. 9. v. 26. c. 15. v. 4 c. 18. v. 22.*
e *Act 21. v. 26.*

V. 18. INVENERVNT enim ipsimet ME PVRIFICATVM IN TEMPLO (e)] An hoc est templum violasse?

V. 19. QVIDAM EX ASIA IVDAEI, supple, tumultum qui Ierosolymis fuit, excitârunt, non ego. ita Syrus & Vatablus. QVOS OPORTEBAT hîc APVD TE PRAESTÒ ESSE, VT SI QVID causæ HABERENT ità ADVERSVM ME insurgendi, ipsi depromant, vel talionis lege puniantur.

C

V. 22. DISTVLIT ILLOS FELIX, reiectâ sententiâ in aliud tempus; CERTISSIME SCIENS quidem DE VIA HAC, putà de instituto christianismi & moribus Pauli: quomodo enim latere hæc possent prudentem & expertum tot annorum præsidem, parte vtraque audita, & veritate rei gestæ ex litteris tribuni sat superque cognita? vnde iure merito debebat Paulum absoluere & missum facere. Sed metus offendendi pontifices, & spes pecuniæ (f) à Paulo emungendæ, suasit rem differre. Interim

f *Hic v. 17.*

V. 23. IVSSIT HABERE REQVIEM; græcè, ἄνεσιν, id est; *relaxationem*, id est, laxiùs & mitiùs haberi in custodia.

D

V. 24. DRVSILLA filia erat Herodis Agrippæ senioris, (g) qui Iacobum occidit: & soror Agrippæ iunioris, (h) qui vnà cum Tito Ierosolymam obsedit: neptis Antonij & Cleopatræ, ex horum filia *Cypride*, vxore Agrippæ, inquit ex Iosepho & Tacito Mariana. Nomen *Drusillæ* sortita videtur à *Druso* patre Claudij, qui Agrippæ amantissimus fuit: vel à Liuia *Drusillæ* vxore Augusti & matre *Drusi*.

g *Act. 12. v. 1*
h *Act. 25. v. 13.*
Ioseph. l. 2. Belli c. 10.
Tacit. l. 5. Hist.
Mariana in Act. 25. v. 13

V. 25. DISPVTANTE, seu perorante, Paulo coram Felice & Drusilla DE IVSTITIA, de CASTITATE, de IVDICIO FVTVRO, TREMEFACTVS est FELIX] Quid mirum? Felix enim per omnem sæuitiam ac libidinem ius regium seruili ingenio exercebat, cuncta maleficia sibi impunè licere ratus, inquit Tacitus. Drusillam verò nuptâ Azizo Emesæ regi, ob eximiam pulchritudinem, operâ magi cuiusdam, ad suum thorum pellexerat, inquit Iosephus. Et quid non audeat in plebeios ac subditos, qui externi & potentis regis thalamo non pepercit? Erat quidem periculi plenum negotium, coniuges hos de adulterio reprehendere, neque latebat Paulum, hac viâ Ioannem Baptistam, dum propatruum huius eiusdem Drusillæ Herodem Antipam de simili flagitio argueret, (i) mortem sibi accersiuisse: sed maior erat animus Pauli, quàm vt metu mortis ab opportuna commonitione deterreretur: & martyrium non horrebat, sed extremè ambiebat. Verùm tyranno huic non iram acuit libera hæc reprehensio, sed timorem ac tremorem: ad pœnitentiam tamen non pertraxit. Quin potiùs, in gratiam Iudæorum, quibus alioquin exosum se norat, Paulum in vinculis reliquit. Sed impius gratiam illorum nanciscì non potuit. Nam ab iisdem Romam accusatus, ad Neronem vinctus missus est à Festo successore, dedissetque omnino pœnas, nisi Pallantis fratris sui precibus illum Nero donasset, inquit idem Iosephus.

Tacit. l. 21. annal. & l. 5. Historiæ Ioseph. sup. c. 5.
i *Matt. 6. v. 18.*
Ioseph. sup. c. 7. & 12.

CAPVT XXV.

Festus audito Cæsarea Paulo, poscentibus Iudæis rogat, num velit causam Ierosolymis coram se dicere: ille negat, & Romam ad Cæsarem appellat. & Festus annuit: sed priusquam ad Cæsarem mittat, rogat Agrippam regem vt illum audiat & quid de eo faciendum sit suggerat.

V. 1. FESTVS CVM VENISSET IN PROVINCIAM Iudææ sibi à Cæsare commissam, eius curam & regimen susceptурus, CAESAREA, vbi sedes erat præsidis, ASCENDIT IEROSOLYMAM, vt solemni istic ritu inauguraretur à Iudæis. Solet autem à recèns inauguratis gratia aliqua prouincialibus concedi pro voto & petitione eorumdem. Iudæi non aliam petunt, quàm vt Paulus Cæsarea Ierosolymam transmitti iubeatur, prætextu cognoscendi istic causam illius, sed reuera animo occidendi ipsum in itinere. Summam enim rerum suarum in hoc vno capite verti arbitrabantur.

V. 4. FESTVS AVTEM, subodoratus quod erat, abnuit iniustæ petitioni, iubetque Cæsaream excurrere, si QVI essent ex ipsis *V.* 5. POTENTES seu validi ad dicendum & conuincendum reum. Hic *Portius Festus*, quisquis fuerit, non videtur multum studuisse commodis Iudæorum, vel gratiæ illorum aucupandæ: quin potiùs irritasse quoties licuit. & vestigijs eius institerunt etiam successores illius Albinus, & Florus, quorum prauis machinationibus cùm aliâ viâ non possent obuiare Iudæi, tandem arma sumpserunt, sed suo malo & extremo excidio, vt Iosephus & alij enarrant.

Ioseph. l. 2. Belli c. 16. &c.

V. 7. MVLTAS ET GRAVES CAVSAS; græcè, αἰτιώματα, id est, crimina, seu criminationes, OBIICIVNT IVDAEI Paulo, QVAS tamen iudici PROBARE NON POTERANT, neque idoneis argumentis confirmare vel demonstrare.

V. 9. VIS IEROSOLYMAM ASCENDERE ET IBI IVDICARI non à Iudæis, sed APVD ME, seu in meo tribunali? Nutare cœpit præses, & importunitati Iudæorum volebat aliquid indultum. noluit tamen iubere, ne videretur iniquior vel acerbior in ciuem Romanum. Sed Paulus de

perfidia

perfidia Iudæorum sat instructus,

℣. 10. AD TRIBVNAL, inquit, CÆSARIS STO]id est, decreui stare: vt enim hactenus steti coram tuo, ô Feste, tribunali, quod vice Cæsaris habes hîc Cæsareæ, ita deinceps stare volo coram eiusdem Cæsaris tribunali quod habet Romæ.

IVDÆIS NON NOCVI, SICVT TV MELIVS NOSTI, quàm vt plenioris instructionis causa oporteat te Ierosolymam excurrere, meamque causam ibidem exactiùs inuestigare. Cùm enim animaduerteret Paulus præsidem paulatim in Iudæorum partes deflectere, neque aliam superesse viam sese ex his laqueis extricandi, simul vt oraculo à Christo nuperrimè(a)accepto, quo prædicebatur, etiam Romæ ipsum pro fide decertaturum, hac occasione obsequeretur; prudentissimo consilio, etiam Festi præsidis declinat iudicium, & Romam AD CAESARIS *Neronis* tribunal APPELLAT.

a *Act.* 23. ℣. 11.

℣. 12. FESTVS hac iudicij declinatione suboffensus, iustæ tamen appellationi non ausus refragari, partes loco excedere iubet, & CVM CONCILIO, id est, *cum suis consultoribus*, vt Syrus vertit, secretò deliberat, an expediat annuere postulatis Pauli. Nam si constaret, seditiones à Paulo concitatas, vt accusabant Iudæi, debebat ex præscripto legum, ilicò plecti, omni appellatione reiectâ. Sed consiliarij declarant id nullo modo liquere, ac proinde appellationem admittendam.

℣. 13. AGRIPPA hic iunior, filius Agrippæ senioris, ante 13. annos ab angelo percussi, (b) & frater Drusi, (c) Drusillæ, (d) Berenicis (e) & Mariamnæ, REX erat non Iudææ sed Chalcidis & Trachonitidis. Vocatus vterque *Agrippa*, q. d. Ægrè parûs, in gratiam *M. Agrippæ* qui fuit gener Augusti Cæsaris.

b *Actor.* 12. *v.* 23 & *Chronici c. vlt. in anno* 13. & 26 *à morte Christi.* c *Ioseph. l.* 18. *Antiqu. c.* 7. d *Actor.* 24. *v.* 24. e *Ioseph. sup.* f *Ioseph. l.* 20. *Antiqu. c.* 5. *Tacitus l.* 1. & 2. *hist.*

BERNICE] q.d. Grauis, seu ponderosa victoria, sic dicta fuit à proamita sua *Bernice* Herodis Ascalonitæ filia. Fuit non modò soror Agrippæ iunioris, sed & concubina, lateri eius perpetuò inhærens: vnde & à S. Chrysostomo, vxor Agrippæ vocatur. Hunc rumorem vt dilueret Bernice, nupsit Polemoni Ciliciæ, vel, vt alij volunt, Lyciæ regi: cuius tamen mox thorum fastidiuit, vt Iosephus (f) enarrat. Tacitus vult eam postea placuisse Vespasiano, & nihil propius fuisse, quàm vt nuberet filio eius Tito. Eiusdem cum hac nominis fuit vxor Ptolemæi Lagi, item filia Ptolemæi Philaldelphi: denique & S. *Veronica*, quæ Christo ad crucem eunti sudarium porrexit, cui Christus vultum suum impressit: quod Romæ, etiamnum asseruatur, & quotannis in basilica S. Petri, die Cœnæ Domini, populo spectandum exhibetur.

℣. 18. NVLLAM CAVSAM; Syrus, *nullum crimen*, DEFEREBANT, seu proferebant, Pauli ACCVSATORES, ex illo malorum criminum genere, DE QVIBVS EGO SVSPICABAR ex illorum furijs reum ipsum agi, v.g. seditionis, rebellionis, vel affectati imperij.

℣. 21. PER AVGVSTVM intelligit Neronem Imp. Nam quilibet Imperator in gratam primorum antecessorum memoriam, vsurpabat nomen Cæsaris, & cognomen *Augusti*. (g) quod *venerandum* significat, & instar Numinis, sanctè colendum.

g *Chronici c.* 44.

℣. 23. AVDITORIVM Iurisperiti vocant aulam in qua audiuntur & deciduntur causæ reorum. Huc è carcere inducitur Paulus, vinctus quidem, sed præside, rege, totoque consessu celsior ac superior, vt videbimus cap. sequenti.

℣. 26. DOMINVS titulus erat Imperatorum,

A adeò sublimis, vt Cæsar Augustus, Dione & Tertulliano testibus, illum recusarit, quasi tanto nomine indignus. Sed faciebat hoc diuino instinctu, vt gloriosus ille titulus intactus maneret vni Dei Filio, Regi regum, & Domino dominantium, mox in orbem aduenturo, cuius ipse non nisi typus erat & vmbra. Sic Turcæ suum Imperatorem vocant *magnum dominum*: & Tartari, Persæ, alijque Orientales *Sultanum*, id est, dominum.

Dio l. 55. *Tertull. Apol. c.* 34.

CAPVT XXVI.

Paulus coram rege Agrippa, præside Festo, totoque proterum consessu vitam actam à iuuentute, diuinamque vocationem, tanto ardore & auctoritate exponit, vt præses exclamet eum insanire, rex Agrippa etiam in Christianam religionem se propendere affirmet, simulque Paulum innocentem pronuntiet, mittendum tamen ad Cæsarem, quia ad illum appellarat.

B

℣. 1. EXTENTA MANV, more oratorum, non tam ad silentium captandum, vt vult Apuleius, quàm ad auctoritatem, libertatem, animique præsidentiam contestandam. (h)

Apul. l. 2. *de asino aureo.* h *Actor.* 23. *v.* 1.

℣. 2. ÆSTIMO ME BEATVM, &c.] Non adulatur regi, sed vt beneuolentiam eius captet, laudat illum ex vero. Vir enim erat vt bonæ indolis & sedatæ mentis, ita prudens atque intelligens, teste Iosepho. Et collimabat Paulus vt regem ad Christum conuerteret, inquit Chrysostomus.

Ioseph. l. 2. *Belli c.* 16. *Chrysost. hom.* 35 *in* 1. *ad Corint.*

℣. 5. SECVNDVM CERTISSIMAM, ἀκριβεστάτην id est, exactissimam & religiosissimam, SECTAM VIXI PHARISÆVS (i)] q. d. Qui talis fui adolescens, potui seditiosus esse? sed desij fortè probus esse. Quin potiùs

i *Matth.* 3. *v.* 7.

℣. 6. ET NVNC quoque STO & persto in eodem proposito. Neque aliam ob causam trahor in iudicium, quàm quòd iustitiam & salutem per Christum orbi partam, olim à Deo patribus nostris promissam, & tot iam sæculis ab omnibus Iudæis speratam & exspectatam, tandemque reipsa concessam, vbique prædicem & inculcem. Sumitur enim hic metonymicè *spes* pro re sperata.

C

℣. 8. QVID VERÒ INCREDIBILE vel impossibile IVDICATVR, Iesum à Iudæis occisum, aliosque MORTVOS *suscitari à Deo*, cùm Deus sit omnipotens? qui enim potuit homines totumque mundum, cùm non essent, ex nihilo creare, non poterit eosdem iam creatos, sed per mortem dissolutos, redintegrare & in vitam reuocare? Et *quid mirum*, inquit S. Gregorius, *si ossa, neruos, carnem, capillosque reducat ex puluere, qui lignum, folia, fructus in magna arboris mole, ex paruo quotidie semine restaurat?*

Greg. hom. 26. *in Euang.*

D

℣. 10. SENTENTIAM damnationis Christianorum latam à iudicibus, DETVLI ego ad officiales, quorum erat illam executioni mandare. Et grauissimis supplicijs, quibus inuoluebam Christianos,

℣. 11. COMPELLEBAM EOS BLASPHEMARE, nempe negare Iesum esse promissum Messiam, seu Christum, quod blasphemum erat, vtpote Christo & Deo iniurium. *Compellebam*, inquam, non tam imperio, quàm

℣. 12. PERMISSV PRINCIPVM SACERDOTVM, à quibus hanc ego potestatem vltrò solicitabam & quasi extorquebam. Quo ipso significat ingentem ardorem & zelum suum pro iudaismo, contra Christum & Christianos: neque casu vel animi leuitate se ex iudaismo transisse ad Ecclesiam Christi, sed mira magnaque vi pertractum à Deo, vt mox exponit,

℣. 16. CONSTITVAM TE TESTEM EORVM QVAE iam, me tibi apparente, VIDISTI, ET etiam EORVM QVIBVS, seu quorum mysteriorum causa, sæpiùs iterum APPAREBO TIBI] Ex quo patet, Christum rediuiuum apparuisse Paulo in proprio corpore: neque enim aliàs potuisset oculatus testis esse rediuiui Christi: nec tantùm in conuersione, sed sæpiùs postea apparuisse Paulo, inquit Sanchez & à Lapide.

℣. 22. NIHIL EXTRA; Pagninus, *nihil aliud*, DICENS QVAM EA QVAE PROPHETAE LOCVTI SVNT FVTVRA ESSE, putà

℣. 23. SI PASSIBILIS CHRISTVS; hebraismo, id est, quòd passurus & moriturus esset Christus, & primus à morte resurecturus, ac deinde per illum ceteri Christiani, non ex solo POPVLO Iudaico, sed ET ex GENTIBVS colligendi: omnibus enim omnino per vniuersum orbem, vt Prophetæ prædixerunt, ANNVNTIATVRVS EST per discipulos suos Christus LVMEN veræ fidei, religionis & salutis. quod, idem etiam Simeon de Christo recèns nato prædixerat. Est hoc tertium argumentum quo in apologia sua vtitur Paulus. Primum desumpserat ex communi sensu & consensu omnium Iudæorum, tum antiquorum, tum modernorum: Secundum ex illustratione & vocatione diuina: Tertium ex oraculis Prophetarum.

Luca 2. v. 32.

℣. 24. INSANIS PAVLE, absurda passionis Filij Dei, & resurrectionis deliramenta nobis obtrudens, idque eo animi ardore & impetu; ac si emotæ mentis esses.

MVLTAE LITTERAE, quas tot annis deuorasti, iam TE AD INSANIAM CONVERTVNT] Pertinax enim studium subinde melancholiam plusculum adauget, indeque phrenesin & maniam inducit, teste Aristotele, qui addit, etiam Platonem, Socratem, Empedoclem, multosque Poëtas & Heroes laborasse melancholiâ, nonnullos etiam maniâ: nullumque magnum ingenium fuisse sine mixtura dementiæ.

Aristot. in Problem. sect. 30.

Sed Nota hîc insanum mundi iudicium, qui si quos viderit viros religiosos, zelosos, vereque diuinos, insigni contemptu stultos, stolidos, insanos vocat: (a) sed erit tempus cùm tales seipsos potiùs insaniisse deprehendent, nempe cùm in altera vita, horribili gemitu errorem hunc suum, sed seriùs corrigent, *Nos (b) insensati vitam illorum æstimabamus insaniam*, &c.

a 4. *Reg.* 9. *v.* 11. *Marci* 3. *v.* 21. b *Sap.* 5. *v.* 4.

℣. 25. NON INSANIO, OPTIME (c) FESTE: neque somnia vel deliria, SED VERITATIS VERBA, id est, verissima, narro: neque exaggero quidquam, aut suprà veritatem extollo, sed *sobriè*, circumspectè & attentè singula verba PROLOQVOR, nusquam veritatis aut modestiæ limites excedens.

c *Luca* 1. *v.* 1.

℣. 27. CREDIS REX AGRIPPA PROPHETIS?] Ergo crede in Christum, & crede quæ ego doceo de Christo. Quia eadem omnia, nec alia prædixerunt Prophetæ de Christo. Hac apostrophe Paulus acrem stimulum infixit cordi regis. Vnde & Gagneius & Salmeron putant, Agrippam occultè factum Christianum. Saltem hæsitanti vox hæc excussa:

℣. 28. IN MODICO SVADES, id est, propemodum persuades, ME CHRISTIANVM FIERI.

℣. 29. Cui PAVLVS: Opto & precor DEVM: vt & propemodum, & admodum persuadearis, seu, vt id quod parum abest, omninò perficiatur. ita Cyrillus, Caietanus, Sanchez & plures alij. *Opto* enim toto cordis affectu, OMNES FIERI TALES, QVALIS EGO SVM, putà Christi assecias & præcones; EXCEPTIS VINCVLIS HIS, seu captiuitate quà nunc detineor. Non quòd de vinculis suis doleret Paulus, in quibus exultare & gloriari (d) solebat; sed quòd Agrippa rex pompis (e) sæculi adhuc inuolutus, necdum capax esset sublimioris sapientiæ, inquit S. Chrysostomus, (f) qui vincula Pauli miris laudibus iure merito extollit. (g)

d 1. *Cor.* 11. & 12. e *Act.* 25. *v.* 23. f *Chrysost. hic hom.* 52.

℣. 32. DIMITTI POTERAT HOMO HIC, SI NON APPELLASSET CÆSAREM] Sed cur fraudi illi sit appellasse, cùm constet, coactè feciisse & appellando non aliud quàm liberationem quæsiisse? Sed rex solùm pro larua iustæ detentionis Pauli prætexit eius appellationem, vt & præses fecerat, (h) quia neuter volebat Iudæos offendere relaxando Paulum.

g *Hom.* 9. *in ep. ad Ephesios tom.* 4.

h *Act.* 25. *v.* 25.

CAPVT XXVII.

Paulus Romam deuehendus cum alijs pluribus vinctis traditur centurioni: Cretam appellit: prædicit instantem tempestatem & naufragium; sed fides illi non habetur. Iteratò idem inculcat, addito vectores omnes (vt salutis sibi reuelatum fuerat) post naufragium ex vndis eripiendos, & terræ saluos restituendos: & ita factum.

℣. 1. CVSTODIÆ hîc non sumuntur propriè pro carcere; vel pro custodibus, vt subinde sumit Tacitus, Cæsar & Virgilius: sed metonymicè (vt Suetonius & Iurisperiti vsurpant) pro ipsis custoditis & incarceratis, qui vnà cum Paulo Cæsareâ Romam, seu ob criminum enormitatem, seu ob causarum difficultatem, seu ob similem cum Paulo appellationem ad Cæsaris tribunal, seu aliam ob causam, eâdem operâ deuehebantur à CENTVRIONE COHORTIS AVGVSTÆ, seu Imperatricis, cui tutandæ & cohonestandæ deseruiebat de more; sed iam negotiorum causâ, fortè vt Festum præsidem deduceret, in Syriam transmissa fuerat.

Tacitus l. 1. Hist. Cæsar l. 3 de Bello Gallico. Virg. 9. Æneidos. Sueton. in Domitiano. Iurisp. ff. de reorum cust.

℣. 2. ADRVMENTVM Plinio & S. Hieronymo vrbs est in Africa. Sed alij malunt hîc vrbem Asiæ designari in Æolide, seu Mysia, quam Stephanus *Adramyteum* vocat.

Plin. l. 6. c. 34. Hieron. in Locis Hebr. Steph. l. de Vrbibus.

SVSTVLIMVS, supple, anchoras & antennas; Pagninus, *soluimus*, vela fecimus; PERSEVERANTE NOBISCVM ARISTARCHO, (i) Thessalonica Macedoniæ vrbe prognato, alijsque socijs, quibus S. Lucas se quoque adnumerat.

i *Act.* 20. *v.* 4.

℣. 5. LISTRA, Timothei patria, Lycaoniæ vrbs EST simul & LYCIAE] nam Lycia generatim sumpta & Lycaoniam & multas alias regiones complectitur, inquit Stephanus.

Steph. ibid.

℣. 7. GNIDVS promontorium est Asiæ, obiectum insulæ *Cretæ*.

℣. 8. VIX ob aduersos ventos IVXTA terram NAVIGANTES, VENIMVS THALASSAM] Græca & Syrus *Lasæam*, vrbem in littore Cretæ, inquit Gagneius.

℣. 9. MVLTO TEMPORE, nempe trimestri vel circiter (vt ex præcedentibus (k) colligitur) PERACTO, putà à Septembri vsque ad finem Decembris, CVM IAM IEIVNIVM (l) decimi mensis, qui ferè nostro Decembri respondet, PRAETERIISET, & propter hiemales tempestates NON ESSET TVTA NAVIGATIO; PAVLVS prophetico spiritu præuidens instans naufragium, CONSOLABATVR EOS, opportunè cohortando, consulendoque quid facto opus esset. Hęc enim omnia significat Græcum παραινεῖ. Porrò Syrus, Oecumenius, Sanchez & quidam

k *Hic v.* 4. 7. *&c.* l *Zachar.* 8. *v.* 19.

dam alij volunt hîc intelligi ieiunium Iudæorum, Baronius, Bellarminus & alij, Christianorum ieiunium hiemale Quatuor temporum, quod vocant. Sed in idem penè tempus coincidebant hæc tam Christianorum, quàm Iudæorum ieiunia, nempe post medium nostri Decembris, vt patet ex alibi dictis. (a)

Bellar. l. 2. de bonis operib. c. 19.

a Chron c. 4. & Zacharias sup.

℣. 12. PHOENIX non est Phœnicia Syriæ regio, cuius caput est Tyrus & Sidon: sed vrbs & PORTVS in Australi latere CRETAE, RESPICIENS AD AFRICVM (ventus est medius inter Austrum & Occidentem) ET AD CORVM] qui medius est inter Africum & Occidentem.

℣. 13. ASSON non est illa vrbs iuxta Troadem, de qua suprà (b) sed portus *Cretæ* ad Septemtrionem, inquit Baronius.

b Act. 20. v. 13.

℣. 14. TYPHON ventus est contortus & turbulentus, Græcis *ecnephias* dictus, id est, ex nube erumpens, nempe per exiguum nubis foramen & ingenti impetu: vnde procellosus est & quidquid obuium habet, sternit, conuellit, euertit, inquit Aristoteles & Plinius. Talis hic erat EVROAQVILO, flans teste eodem Plinio, inter *Eurum* ventum Orientalem, & *Aquilonem* Septemtrionalem: à Columella vocatur *Euronotus*, à Gellio *Vulturnus*. Sed hic mox cum aliis ventis, etiam contrarijs, vt fit in tempestate concurrens, extremum nauigantibus periculum creauit. S. Chrysostomus hanc tempestatem innuit à diabolo excitatam, ad demergendum & perdendum Paulum: permissam verò à Deo, vt per eam Pauli virtus, charitas, sanctitas ac dignitas magis eluceseeret.

Aristot. l. 3. Meteor. Plin. l. 2. c. 47. & 48. Columella l. 3. c. 11. Gellius l. 2. c. 22.

℣. 15. ARREPTA NAVI à ventis, qui illam instar turbinis gyrabant, nunc hac, nunc illac agentes.

℣. 16. IN INSVLAM CAVDAM; græcè, *Claudam*, (quæ à Plinio *Gaulos*, à Mela *Gaudos*, à Ptolemæo *Claudos*, ab aliis *Caudos* vocatur, & vicina est *Creta*, hoc nomine memorabilis, inquit Suidas, quòd istic ingentis magnitudinis onagri generentur,) DECVRRENTES, vi ventorum impellente, VIX SCAPHAM naui nostræ alligatam POTVIMVS OBTINERE, seu ex vndis subducere & in nauim imponere.

Plin. l. 3. c. 8. Mela l. 2. c. 17. Ptolem. l. 3. c. 17.

℣. 17. ADIVTORIA vocat catenas, vncos, funes, aliaque instrumenta, quibus fatiscentem NAVIM *accingebant* & constringebant, transuersim illam in medio & ad proram, de more, colligantes, ne, si in vada contingat impingere, diffringatur & in frusta dissiliat. ita Beda, Gagneius, Arias & alij.

SVMMISSO VASE, id est, naui, eiusque ventre & fundo, quantum possibile fuit, in mare depresso per anchoras eiectas, per saxa aliaque pondera in imum nauis deiecta, ne tam facilè vi ventorum euerteretur, vel IN SYRTIM ageretur. ita Salmeron & à Lapide. Erat autem *Syrtis* in singulari, vel *Syrtes* in plurali, conglobatio locorum arenosorum circa fines Africæ Ægyptum versus; sic dicta à σύρειν, id est, *trahere*, quòd naues trahat & sorbeat. Vnde *Sirenes* in Syrtibus naues & nautas incantare & sorbere fabulati sunt Poëtæ. Postea, ampliato nomine quælibet arenosa loca in quolibet mari, vocare placuit *Syrtes*, inquit Seruius. Quibus cùm vicini essemus, ne nauis adeò onerata, nimio impetu illis infigeretur,

℣. 18. IACTVM, seu iacturam, FECERVNT mercium & sarcinarum, dein & ARMAMENTORVM NAVIS minùs necessariorum, v. g. antennarum, contorum, remorum, &c. noua rursus

℣. 20. IMMINENTE NON EXIGVA TEMPESTATE nubium, imbrium, ventorum, fulminum ac tonitruorũ. qualem pulchrè describit Silius & Virg.

Silius l. 4. Virgil. Æneidos.

℣. 21. CVM MVLTA IEIVNATIO fuisset; græcè, cùm longa, seu prolixa, durasset inedia, partim ob metum instantis naufragij, & continuas occupationes: partim ad placandum & propitiandum Deum; STANS PAVLVS erecto non minùs animo, quàm corpore, DIXIT: OPORTEBAT NON TOLLERE, id est, non soluere, a CRETA, & sic LVCRIFACERE, id est, euitare, HANC INIVRIAM, eiectionis mercium & confractionis nauigij: quæ sanè damnosa & iniurioſa erat tam nautis & vectoribus, quàm dominis mercium. Sed error commissus; quid remedij?

℣. 24. TIBI, ô Paule, DONAVIT DEVS OMNES QVI NAVIGANT TECVM] in tui gratiam omnes salui euadent, etiam quoad animam, inquit Chrysostomus: additque *propter oracula, miracula, beneficia* per Paulum accepta, coactos vectores, *etsi lapides fuissent*, de Paulo magna præsumere. Tandem, *Cogita*, inquit, quàm vtile sit *habere domi sua virum sanctum*. Perditi erant hi 276. sed in vnius Pauli gratiam omnes intacti seruantur. Sed qui tanta potuit apud Deum mortalis adhuc & peccator, quid apud eumdem non poterit iam immortalis & glorioſus? inquit S. Hieronymus.

Hieron. l. cont. Vigilantium & Hagiomachos. Plin. l. 3. c. 16.

℣. 27. ADRIA; Syrus, *mare Adriaticum* vertit, sic dictum ab *Adria* veteri oppido & portu ad Padum fluuium à Tuscis condito, inquit Plinius. Porrò *Adriaticum mare* non solùm complectitur sinum Venetum, sed etiam mare Siculum & Ionium, teste Strabone, cuius ferè æuo contigit hæc Pauli nauigatio.

℣. 28. BOLIDE, seu perpendiculo nautico, nempe plumbeo globulo funi appenso, explorant aluei profunditatem, NE IN ASPERA LOCA, putà in vada, arenas & scopulos, ex improuiso nauis impingat. Interim nautæ SCAPHAM MITTVNT IN MARE

℣. 30. OBTENTV, id est, ficto prætextu, quòd in scapham descendere vellent, non fugiendi causâ, sed ANCHORAS A PRORA longiùs extendendi, & sic nauim meliùs continendi. Sed dolo comperto

℣. 31. DIXIT PAVLVS CENTVRIONI ET MILITIBVS: NISI HI nautæ IN NAVI MANSERINT, & opera atque industria sua vos iuuare perrexerint, VOS SALVI FIERI NON POTESTIS] Promissum enim de omnibus saluandis, quod suprà (c) protuli, hac conditione limitatur, si ordinarijs medijs, quæ ad manum sint, vtamini. Non vteminì autem, si nautis, qui soli rei nauticæ periti sunt, copiam fugiendi feceritis. ita Theophylactus.

c Hic v. 24.

℣. 33. QVARTADECIMA DIE HODIE IEIVNI PERMANETIS, NIHIL per modum iustæ refectionis ACCIPIENTES] ita Hugo, Cagneius, à Lapide & plerique alij, qui volunt, vectores carptim subinde quædam delibasse, ad vitam vireſque aliquo modo fouendas: quod absque omni cibo potuque naturaliter vltra septimum diem in corpore alioqui sano, fieri non posse, Hippocrates & alij medici docent. Chrysostomus & quidam alij malunt, miraculo tamdiu omnes sine vllo cibo victitasse. Et plura ciusmodi exempla profert S. Augustinus.

Hippocr. lib. de Carnibus

August. epist. 86.

℣. 40. LAXANT IVNCTVRAS GVBERNACVLORVM, id est, vincula quibus firmatur clauus nauigij, nempe vt expeditiùs clauo vterentur, ad dirigendam nauim in vicinum, vt putabant, littus,

LEVATO in altum ARTEMONE] id est, velo minoro & arctiore, sic dicto ab ἀείρω, id est, suspendo, inquit Iulius Pollux.

V. 41. DITHALASSVS, id est, bimaris (vt Tigurini vertunt) LOCVS est inter duo maria, siue *isthmus*, qui vtrimque mare quasi secat & diuidit, vbi certum solet esse naufragij periculum. Hic *dithalassus* adiacet Melitæ, & causatur à rupe vicina, nunc *Selmon* dicta, in qua sacellum S. Paulo sacrum. In medio huius littoris locus ostenditur, vbi, SVPER EA QVAE DE NAVI ERANT, id est, super ligna vel tigna; Vatablus, *super fragmenta nauis*, iam vi maris *soluta*, Paulus cum socijs appulit in terram, vocaturque vulgò *la Caladi S. Paolo*, id est, *portus vel appulsus S. Pauli*, inquit Philippus Cluuerius & Octauius Caetanus. Hoc quartum est Pauli naufragium: tria alia ipse recenset 2. Corinth. 11. v. 25. quæ epistola multis mensibus ante hoc iter Romanum (*a*) conscripta fuit.

Cluuer. l. 2. de Antiqua Sicilia c. 16. Oct. Caet. Isagoges Sicilia c. 19. a Chron. c. vlt. in anno Neronis 3. & prafat. in 2. ad Corinthios.

CAPVT XXVIII.

Paulus è naufragio Melitam appulsus viperam è manu excutit illæsus: sanat patrem Publij & quosdam alios: inde post trimestre navigat, pervenitq; Romam. Vbi convocatis Iudæis causam adventus sui & fidem in Christum exponit: ac biennio Romæ in libero carcere degens, intrepidè prædicat Evangelium.

V. 1. MELITA, quò Paulus è naufragio appulit, non est illa in Illyrico, vt optimè probat Philippus Cluuerius: sed altera opposita Siciliæ, vulgò *Malta* iam dicta, mellis præstantissimi ferax, vnde & *Melitæ* nomen illi inditum. aduersus Turcas inuictum propugnaculum, sedes Equitum toto orbe celeberrimorum: hospitio S. Pauli sociorumque illius, & merito prolixæ charitatis erga eos exhibitæ famosissima simul ac felicissima. Melitenses enim, etsi tum temporis adhuc BARBARI, seu mores, seu linguam spectes, PRAESTABANT tamen naufragis NON MODICAM HVMANITATEM. Sed qui barbariem in naufragos exuerunt, pro exilibus humanitatis obsequijs en quanta præmia retulerint. Primum: Euangelio instructi per Paulum & ad Christi fidem traducti sunt, tanta constantia, vt numquam ab illa defecerint, etsi Mauri insulam subinde occuparint, tenuerintque centenis & pluribus annis. Secundum: non homines modò exuunt barbariem, sed & viperæ, scorpiones & serpentes tam nati Melitæ quàm eò illati, ex quo tempore Paulus Melitam appulit, ponunt venenum suum. Tertium: glebæ quoque Melitenses antidota sunt aduersus venena: sanant enim morsus quoslibet venenatos, etiam canum rabidorum, si vel plagæ imponantur, vel poculis inspergantur, sanant & febres malignas, dysenteriam, variolos, quin & toxica, seu casu, seu sponte hausta, etsi è sublimato. Quartum: insulam omnem S. Paulus, quasi sibi sacram, suo præsidio tutari deprehensus est sæpissimè aduersus pestem, famem & hostiles incursus, vt pluribus exemplis probat noster Octauius Caetanus, Thomas Fazellus, Baronius, & Gagneius. Tanti est, benefeciſſe Sanctis, qui numquam sinent se vinci liberalitate.

Cluuer sup.

Oct. Caet. supr. Fazell. de Rebus Siculis decade 1. l. 1. c. 1.

V. 3. VIPERA non sic dicitur quasi *vi pariens*, erosa per fœtum aluo matris: hoc enim falsum esse docet experientia: sed quasi *viuipara*, eò quòd sola inter serpentes pariat viuum fœtum, non oua, vt alij, inquit Theophrastus, & ex eo Ælianus. Arabes *Therion* vocant à Græco θηρίον, id est, *fera*. Vnde

Ælian. l. 9. de Histor. animal. c. 31. & 32.

pharmacum contra viperarum & serpentum morsus, ex ipsius viperæ carnibus confectum, *theriaca* vocatur: cuius compositionem, qua nunc quoque vtimur, inuenit hoc ipso tempore Neronis Imp. Andromachus medicus, teste Galeno. Sed similem aliam compositionem diu antè in vsu fuisse constat ex Antiocho Philopatore (*b*) Asiæ & Syriæ rege, cui vsus illius contra omnia venena familiaris erat, inquit idem Galenus, & Plinius. Qui etiam addunt, viperam adeò venenosam ex se & pestilentem esse, vt non solo morsu, sed etiam sibilo & anhelitu quem efflat, hominem obstupefaciat, & morbum lethalem afferat. Cuius rei probè gnari Melitenses, simul ac vipera Paulum momordit, putabant extemplò IN TVMOREM CONVERTENDVM; Tigurini & Pagninus, inflammandum, seu incendendum, & è vestigio moriturum. Ex quibus verbis colligo, ante aduentum S. Pauli Melitam, eam insulam venenis obnoxiam fuisse: neque immunitatem à venenis naturalem illi esse, vt de Hibernia putat Beda, & de Sardinia Solinus: sed hanc S. Pauli præsentiæ & meritis meritò acceptam ferre Melitenses. Hi cùm vidissent morsum, sed illæsum Paulum, toti attoniti, CONVERTENTES SE ad inuicem, mutata iam mente & opinione, pro *homicida*, qualem priùs ex inopinato viperæ morsu, quasi certa Numinis VLTIONE, facinora eiusmodi vt plurimùm prosequente, suspicabantur, iam conuersa sententiâ dicunt EVM ESSE DEVM, vt suprà (*c*) dicebant etiam Lycaonij.

Galen. l. de Theriaca c. 5. b Chronic. c. 40. Plin. l. 20. c. 14. Beda l. 1. Histor. Anglor. c. 1. Solin. Polyhist. c. 35. c Act. 14. v. 11.

V. 7. PVBLIVS, quod Romanum est nomen, vocatur hic PRINCEPS; græcè, πρῶτος, id est, primus, seu primarius, INSVLÆ, fortè Proprætor: quia Melita suberat Romanis, æquè ac Silicia, & ab eiusdem prætore regebatur per vicarium, inquit Cluuerius. Diuitem hunc fuisse oportuit, qui naufragos numero 276. hospitio exceperit, & per TRIDVVM BENIGNE ac lautè necessaria omnia *exhibuerit*, vt ait Chrysostomus. Hos omnes ibidem à Paulo conuersos ac baptizatos fuisse communis est loci illius traditio, vti & Publij domum fuisse, quæ nunc in vrbe Melita ædes maxima visitur S. Paulo dedicata. Porrò trimestri toto, quo Melitæ substitit Paulus, incolis eius loci fidem Christi exposuit, & pleroſque conuertit, ipsumque Publium ipsis Episcopum præfecit, vt vult Ado, Beda & alij.

Cluuer sup.

Ado in Martyrol. die 21. Ianuarij. Beda 18. Ianuarij.

V. 11. INSIGNE CASTORVM erant iuuenes duo effigiati: cuique dabatur oui pars dimidia, & iaculum in manu, & equus candidus, stella supernè capitibus imminente. ita Lucianus. Signabatur hoc symbolo gemellos fuisse *Castorem* & *Pollucem*. Cùm enim Iupiter, vt fingunt Poëtæ, cygni formam induisset, & ex eo Leda, Tyndari regis coniux, ouum concepisset, ex eo ouo prognatos somniant hos geminos: qui quòd inter Argonautas excelluerint, & mare piratis liberarint, varioſque hostes debellarint, post mortem inter deos & sidera relati sunt à Gentilibus, teste Cicerone: signo cælesti, quod *Gemini* vocatur, in quo sol degit mense Iunio, ipsis appropriato: cuius si ambæ stellæ appareant, serenitatem, quasi propitijs ambobus dijs marinis; sin altera tantùm, tempestatem, quasi vno deorum subirato, spondere sibi nautæ solent, vt ex Diodoro Siculo & Valerio Flacco Gyraldus enarrat. Vt verò tutelares deos suos ad manum semper haberent nautæ, solebant eorum statuas puppi affixas gestare, teste Ouidio: & sic *Castores* huic *Alexandrinæ* puppi affixos fuisse, opinatur Chrysostomus, Sanchez & à Lapide.

Lucian. in Deorum Dialog. in fine. Horat. l. 1. Carmin. & l. 2. serm. satyra 1. Cicero in Verrem actione 7. Gyrald. Syntag. 5. pag. 182. Ouid. l. 4. Tristium eleg. 3.

V. 12.

℣. 12. SYRACVSA] S. Pauli prædicatione & S. Luciæ martyrio nobilis, ciuitas est Siciliæ maxima pulcherrimaque ad radices montis Pachyni: de qua Plinius tradit, numquam tam nubilum esse diem toto anno, quin sol Syracusis, æquè ac Rhodi cernatur. Syracusis S. Paulus à Marciano (quem paucis antè annis S. Petrus Episcopum eò miserat) aliisque Christianis incredibili lætitia exceptus est, inquit Octauius Caietanus. Additque ex veterum traditione, etiam reliquam Siciliæ oram à Pachyno ad Pelorum vsque, visitatam à Paulo, cum sat lenta esset ex insula Melita Syracusas nauigatio, sic Deo prouidente, vt hac via plures ex ea insula ad Christum perducerentur. Sed & post abitum Syracusis, Apostolum eamdem insulam circumlegisse docet hîc S. Lucas: & tradunt Siculi, primùm deflexisse in littus quod est inter Tauromenium & Messanam, vbi & ædes erat S. Paulo sacra. Inde per fretum naufragiis infame, quod Thucydides, Mela & Plinius vocant *Charybdin*, traiecit.

Plin. l. 2. c. 62.

Octau. Caetan. Isagoges c. 20. & 21.

Thucydides l. 4.

Mela l. 2. c. 8.

Plin. l. 13. c. 18.

℣. 13. RHEGIVM Calabriæ portum & vrbem obiacentem Siciliæ. Cumque visendi causa ad littus concurrerent Rhegienses, Paulus more suo exorsus prædicare Euangelium, miraculo succensæ subitò in illius gratiam marmoreæ columnæ, facili negotio illos ad Christum traduxit: vt habet illius Ecclesiæ, quæ totius Calabriæ, vt tempore, ita & dignitate prima est, constans traditio.

PVTEOLI Campaniæ ciuitas est iuxta Neapolim, sic dicta à putore aquarum calidarum è venis sulphureis ebullientium, ait Festus: à Samijs condita, vt vult Eusebius, eo tempore quo Tarquinij per Brutum Roma sunt expulsi: postea S. Ianuarij Martyrio nobilitata.

Martyrol. 19. Septēb.

℣. 14. SIC Puteolis terrestri itinere per Neapolim, & alia oppida interiecta tandem VENIMVS ROMAM.

℣. 15. FORVM APPII à Cicerone *Appia* vocatur ex aduerso Antij ad Pontinas paludes, distans Româ vno & quinquaginta passuum millibus, inquit Baronius. Vocatur autem *Forum Appij*, quòd fuerit Appij Claudij statuâ insignitum. Romani enim loca in quibus principum statuæ positæ erant, vocabant eorumdem principum *Fora*. v. g. *Forum Liuij*, vulgò *Forli*: *Forum Iulij*, vulgò *Friuli*: *Forum Sempronij*, vulgo *Fosembrone*. Paulò viciniores Vrbi erant TRES TABERNAE, vulgò *Cisterna*, quæ vrbecula est iuxta *Velitras*, patriam Augusti Cæsaris, triginta tribus passuum milibus Româ dissita. ita Oecumenius ex Isidoro Pelusiota & alijs. Hucusque Paulo fiebant obuij FRATRES, id est, Christiani Romani, de aduentu Pauli ex vrbe Puteolis vel Neapoli certiores antea redditi. Quibus *visis* ACCEPIT FIDVCIAM; græcè, *præsidentiam*, audaciam, animos maiores rei benè gerendæ, fideique Christianæ propagandæ apud Romanos, quos sentiebat tam comes, tam benignos, tam sibi fauentes esse, suamque operam in omnibus offerentes.

Cicer. ad Atticū l. 2. epist. 29.

Isidor. Pelusiota l. 1. epist. 337.

℣. 16. CVM ROMAM VENISSEMVS, tradidit centurio vinctos, omnes principi seu præfecto carcerum, vt addunt Græca, PAVLO excepto, cui ex centurionis commendatione PERMISSVM EST, SIBIMET MANERE, id est, pro suo arbitratu degere in quocumque vellet hospitio, non nisi vno MILITE ei adiuncto, *custodiæ* causâ. Paulus enim insigni sua comitate, rara sapientia, & heroïcis actibus rapuerat iam pridem animos centurionis, ceterorumque sociorum, qui laudes eius, quasi hominis diuini & è cælo prognati, passim euulgabant. Porrò ingressus Pauli Romam contigit anno 3. Neronis adhuc fluente, nempe anno à morte Christi 27. mensis Iulij die 6. vt in Chronico dixi, & Beda, Ado, Vsuardus & Onuphrius in suis quoque Chronicis annotarunt. Eratque annus iste decimusquintus, ex quo S. Petrus, (penè eodem itinere, vt docet Octauius Caetanus,) Romam primùm appulerat, & sedem suam Pontificiam ibidem collocarat.

Chronic. c. vlt. in anno 4. Neron.

Octau. Caetān. sup. c. 19.

℣. 19. NON QVASI HABENS ALIQVID de quo GENTEM meam apud Cæsarem velim ACCVSARE, vt alij plurimi quotidie adcurrunt, pontifices suos vel principes accusaturi. Eximit eius rei metum Iudæis, ne ipsi contra eum conspirent seseque arment.

℣. 20. Sed neque ob crimen aliquod admissum *vinctus* SVM, sed PROPTER SPEM ISRAEL] id est, propter Messiam quem sperarunt & exspectarunt Israelitæ tot iam sæculis, nempe quia prædico Iesum esse Messiam, & spem Israelis iam completam esse. Sed Ierosolymitani reiiciunt hunc Messiam suum. Quod spero vos non facturos: ideoque voluî vos iam super hoc negotio conuentos.

℣. 22. QVAE SENTIS tu de Messia, ô Paule: veneritne, vt insinuas; an adhuc venturus est? & an ille sit Iesus nuper crucifixus, an alius quispiam? NAM DE SECTA HAC, quæ Iesum Messiam esse credit, scimus QVIA non modò Ierosolymis, sed & Romæ, & aliis locis VBIQVE EI acerrimè CONTRADICITVR. Sed tuam, vtpote eximij & famosi doctoris, sententiam audire desideramus. Aſt auditâ sententiâ manserunt nihilominus increduli, saltem plerique.

℣. 25. DICENTE PAVLO VNVM, nempe appositum, selectum, illustre, VERBVM ex Isaiæ c. 6. v. 9. vbi illud explicui. Sic de *Fabio* dicebat Ennius: *Vnus*, nempe eximius & illustris, *homo nobis cunctando restituit rem.*

℣. 30. MANSIT AVTEM Paulus BIENNIO TOTO, ferè vsque ad finem anni quinti Neronis, IN SVO CONDVCTO, scilicet hospitio vel domicilio. Sic etiam Cicero *conductum* substantiuè accipit pro *loco conducto* adiectiuè. Porrò hospitiū istud Pauli postea versum in ecclesiam, vocatur nunc *Diaconia S. Maria in Via lata*, prope Collegium Societatis Iesu. In hoc hospitio S. Lucas hunc Actorum librum conscripsit, & S. Paulus varias epistolas, vt alibi (a) dixi, & prædicabat

Cicero orat. pro Cluētio.

(a) *2 Chron. c. vlt. in anno 4. & 5. Neron.*

℣. 31. CVM OMNI FIDVCIA] Græcum παῤῥησία significat etiam libertatem & audaciam. Hanc Paulo præstabant Primò, lenè Neronis ingenium primo imperij sui quinquennio, testibus Suetonio, Tacito & Eusebio. Secundò, copia amicorum quos Romæ partim reperit, partim sibi comparauit etiam ex intima Cæsaris familia: inter quos eminuerunt Torpes & Euellius, postea à Nerone iam crudeliore affecti martyrio. (b) item pocillator Neronis, inquit Chr. post. imò & concubina eius, Poppæa Sabina, (c) vt Baronius docet: & tot alij, de quibus ipse Paulus ex hoc suo libero carcere ad Philippenses (d) scribit, *Salutant vos omnes Sancti, maximè qui de Cæsaris domo sunt.* Atque horum amicorum operâ, simul & excusatorijs litteris Festi præsidis Iudææ, impetratum tandem à Nerone, vt post biennalem causæ Paulinæ discussionem per Romanos pontifices (nam his vult Baronius causam hanc, vtpote sacram, à Cæsare commissam fuisse,) prolatâ publice sententiâ Paulus à carcere & vinculis expediretur, anno à morte Christi 29. Neronis 5. fluente. Vinculis expeditus Paulus reli-

Sueton. & Tacit. in Nerone. Euseb. l. 2. Hist. c. 22.

(b) *Martyrol. Rom. die 11. & 27. Maij*

(c) *Tacit l. 13.*

(d) *Philip. 4. v. 22.*

L. Dexter in Chronico anno Christi 61. & sqq. Metaphr. in Vita S. Pauli Ado in Chronico. Anselm in epist. ad Rom. c. 15.

reliquam Italiam peragrauit, & Galliam & Hispaniã, vt proposuerat ad Rom. 15. v. 24. Quæ in hoc itinere egerit, sigillatim enarrat L. Dexter, Metaphrastes, Ado, Anselmus & Baronius. Superuixit autem totis adhuc octo annis; quando reuersus ex Hispanijs in Syriam, peragrata rursus Asia, Macedonia, Græcia, vt Theod. Oecumen. & alij tradunt, A tandem Romam reuectus, post acrem ibi cum Simone Mago, alijsque fidei hostibus cõcertationem, in S. Petri consortio captus, & vnà cum ipso morti adiudicatus, apostolatum suum glorioßissimo martyrio, capite plexus consummauit, anno à morte Christi 37. Neronis 13. adhuc fluente, mensis Iunij die 29. vt in Chro. multis auctoribus comprobaui. *Chronici c. vlt. anno à morte Christi 37.*

EPISTOLÆ APOSTOLORVM

OMNES *primùm græcè conscriptæ sunt, vtpote ad Græcos, vel saltem Græcæ linguæ, cuius tunc passim vsus, sat peritos. Excipio epistolam ad Hebræos, de qua suo loco. Argumentum earum ferè triplex est. Primum, sinceram fidei morumq; Christianorum doctrinam, ad quam per orbem promulgandam à Christo missi erant, euulgare, explicare, inculcare. Et quidem priore omnium epistolarum parte, quæ dogmatica est, ea quæ fidei sunt, exponunt: posteriore, quæ ethica est, mores componunt. Secundum argumenti genus est, iudaismum & cæremonias Iudaicas, per nouam Christi legem abrogatas, impugnare & conuellere. Id maximè in epistolis ad Romanos, Galatas, Philippenses & Hebræos præstitum videas. Tertium est, hæreses iam tum nascentes suffocare & eradicare, putà Simonis Magi, cum sua sobole Menandro, Saturnino, Basilide, Carpocrate, Cerintho, Gnosticis & aliis. Nam hos Apostolis coæ-*

Epiph. l. 1. hæresi 28. Philastr. hæresi 37. August. de Hæres. initio.

uos fuisse constat ex Actis Apostolorũ, S. Epiphanio, Philastrio, August. & aliis historicis. Ad has hæreses conuellendas scriptæ primariò epistolæ S. Pauli ad Ephesios, Colossenses & Timotheum, S. Petri epistola posterior, & S. Iudæ. Reliquis epistolis, v. g. ad Corinthios, Thessalonicenses, Titum, Philemonem, vt & S. Iacobi, Ioannis & priore Petri, ferè priuata documenta traduntur, proposita dubia dissoluuntur, & ad constantiam in fide & officio Christiano stimuli subduntur.

Chronici c. vlt. annis hic citatis.

Ordo quo singulæ scriptæ sunt, hîc esse videtur: omnium Prima est S. Petri prior epistola, Romæ scripta anno à morte Christi 13. Secunda, fuit S. Pauli prior ad Thessalonicenses, Corintho data anno à Christi morte 20. Tertia, posterior ad eosdem, ex eâdem vrbe data anno sequenti. Quarta, quadriennio pòst, prior S. Pauli ad Corinthios, Epheso missa anno à morte Christi 25. Quinta, eodem anno è Macedonia, prior ad Timotheum. Sexta, sequenti anno, posterior ad Corinthios; eodem Septima, ad Galatas; & Octaua, ad Titum, Nicopoli omnes. Nona, eodem anno scripta Cenchris epistola ad Romanos. Decima, sequ. anno, puta à morte Christi 27. scripta epistola ad Ephesios: & Vndecima, ad Philippenses, vtraque è carcere Romano. Duodecima, anno à morte Christi 28. ex eodem carcere data epistola ad Colossenses, & Decimatertia, ad Philemonem: & Decimaquarta, ad Hebræos. Decimaquinta, S. Iacobi data videtur anno sequenti: & paulò pòst Decimasexta, S. Iudæ. Decimaseptima, S. Pauli posterior ad Timotheum, & Decimaoctaua S. Petri etiam posterior, datæ anno à morte Christi 35. Vltimæ sunt prima, secunda & tertia S. Ioannis. ita ferè Baronius, à Lapide, & alij.

EPI-

EPISTOLA BEATI PAVLI APOSTOLI AD ROMANOS.

a *Actor.* 18. v. 18.

ECenchrensi portu (a) Corintho vrbi vicino missa per Phœben (vt habent Græca, Syra & Latina Regia in fine epistolę) anno à morte Christi 26. Et verò posteriorem esse vtraque ad Corinthios data, colligit S. Chrysostomus ex eo, quòd, cùm 2. ad Corinth. 8. & 9. hortatus esset illos ad collectam pro subleuanda fame & inopia Ierosolymitanorum faciendam; hanc eamdem collectam ad Rom. 15. v. 25. iam factam esse doceat. Ponitur tamen hæc ad Romanos epistola primo inter omnes loco, partim ob præeminentiam Romanæ Ecclesiæ, inquit Catharinus: partim ob exactam omnis generis doctrinam, inquit Theodoretus: partim denique, quia gratiam fidei maximè commendat & inculcat, quæ caput est & initium christianismi, inquit S. Augustinus. Porrò S. Paulum Romanis non scripsisse tantùm, sed & coràm euangelizasse, atque vnà cum S. Petro Ecclesiam illam fundasse, suoque sanguine sub finem imperij Neronis consecrasse, docet S. Irenæus, Tertullianus, Chrysostomus, & tot alij, quos citaui in Chronico, (b) vbi & de ætate ipsius (c) & alijs ad ipsum spectantibus.

Aug. epist. 105. ad Sixtum.

Iren. l. 3. c. 1. Tertull. in Scorpiaco c. 15. Chrysost. l. 1 Aduersus vituperat vitæ monastica.

b *Chronic. c. vlt. anno Neronis 11.*

c *Ibid & Tiberij 20 & Actor. 7 v. 57.*

Primis quinque capitibus reprimit fastum tum Iudæorum, tum Gentilium, docetque tam hos legem naturæ, quàm illos legem Moysis violasse: ideoque omnes esse sub peccato, & consequenter egere Saluatore Christo: quodque ex fide & gratia Christi, non autem ex operibus legis Mosaicæ vel naturæ, petenda sit iustitia. Capite 6 & 7. instruit fideles, quomodo in iustitia per Christum accepta progredi, vitijsque ac concupiscentiæ suæ resistere debeant. Cap. 8. fructus enumerat ex fide & iustitia Christi subnascentes Cap. 9. 10. & 11. docet, Gentes ad iustitiam electas esse, Iudæos ab illa reiectos, eò quòd Gentes Christo crediderint, Iudæi verò credere noluerint. A cap. 12. vsque ad finem, mores instruit fidelium, hortaturque ad varia virtutum Christianarum exercitia.

d *Rom. 1. v. 7. 8. 31. &c.*

Vt aliæ, ita & hæc epistola græcismis abundat, sicut in decursu (d) videbimus. Vnde patet, græcè à S. Paulo conscriptam. Et hic videtur sensus & consensus esse interpretum tam Græcorum, quàm Latinorum. Omnes enim, cùm lectio dubia occurrit, prouocant ad textum Græcum, quasi ad Pauli autographum. Nolim tamen Salmeroni, Latinè scriptam contendenti negare, Græcum autographum mox ab aliquo Pauli interprete conuersum esse in Latinum sermonem, & ita Latinis transmissum. Et forsan interpretis (siue *Tertius* (e) is fuerit, siue alius quispiam) obscuritas, causa fuit quòd hæc epistola præ alijs tam obscurè & hiulce conscripta sit, inquit Diodorus Tharsensis.

Salmer. to. 1 Prolog. 35. v. 22.

e *Rom. vlt. v. 22.*

CAPVT

CAPVT I.

Post præfationem, in qua Euangelij sui, quod prædicabat, excellentiam demonstrat, à v. 18. docet Gentes omnes ante acceptam Christi gratiam, grauissimis fœdissimisque peccatis, & ira Dei obnoxias vixisse, & consequenter egnisse fide & gratia Christi.

¥.1. PAVLVS, non intrusus, seu per me, seu per alios (hoc enim proprium est pseudoapostolorũ & hæreticorum,) (*a*) sed diuina voluntate ac beneplacito *vocatus* ad apostolatum, & peculiariter selectus ac SEGREGATVS (*b*) ad EVANGELIVM DE FILIO Dei, seu Messia cælitus ad nos missо, toto orbe promulgandum. Hunc titulum muneris, professionis ac dignitatis suæ præponit Apostolus penè vbique initio epistolarum suarum: sicut solent reges: *Nos Philippus, Dei gratia Rex Castellæ*, &c. Exhibeant iam Lutherani, Caluinistæ, ceteriquehæretici nostri, à quo sint ipsi vocati & à quo missi.

a *Hebr. 5. v. 4.*

b *Actor. 13. v. 2.*

¥.3. QVI FILIUS FACTVS EST DE SEMINE DAVID SECVNDVM CARNEM, id est, incarnatus est, vel, vt Syriacus habet, *natus est* secundùm humanam naturam, EX SEMINE DAVID. ¥.4. QVI idem ab æterno PRAEDESTINATVS, seu prædecretus, EST, vt secundùm hypostasin, seu subsistentiam suam esset etiam naturalis FILIVS DEI. ita S. Augustinus Anselmus, Suarez & alij. Syrus vertit, *qui agnitus est*: meliùs Chrysost. & alij Græci Patres, *qui declaratus est* (hoc enim propriè significat ὁρίζειν etiam apud profanos) *esse Filius Dei*. Et sic optimè cohærent sequentia: nempe declaratus est esse Filius Dei tribus argumentis: Primò, IN, seu EX, VIRTVTE, id est, potentiâ miraculorum editorum ad id comprobandum. Secundò, quia dedit SPIRITVM sanctum & sanctificantem. Tertiò, EX RESVRRECTIONE, tam passiua, quâ ipse surrexit primogenitus (*c*) MORTVORVM: quàm actiua, quâ & se & alios resurgere fecit. Et hæc conformiter expositioni Græcorum. Secundùm Latinum textum & Latinos Patres hîc est sensus: Etsi Christus secundùm humanam naturam ex semine Dauid haustam fragili sit & infirma carne: tamen secundùm hypostasin suam *prædestinatus est* vt sit naturalis *Filius Dei*, in, id est, cum, *virtute*, seu potentia diuina, vt scilicet vnà cum hypostasi habeat etiam naturam & potentiam diuinam, (*d*) patrandi quæcumque vult miracula, remittendi peccata, &c. Quam potentiam, simul & vnionem hypostaticam, habet à *Spiritu sanctificationis*, id est, à Spiritu sancto & sanctificante, qui totum opus vnitionis naturæ humanæ cum Verbo diuino peregit (*e*) in Christo. Porrò hæc potentia Christi maximè se exeruit & clarissimè patuit *ex resurrectione* à mortuis, quâ & se & alios (*f*) iam mortuos ad vitam reduxit. ita S. Augustinus & passim Latini interpretes.

Augustin. de Prædest. SS. c. 15. Suarez 3. p. p. disp. 50. sect. 1. & 2.

c *Apoc. 1. v. 5.*

d *Apoc. 5. v. 12.*

e *Luc. 1. v. 35.*

f *Matth. vlt. v. 18.*

¥.5. PER QVEM Christum ACCEPIMVS GRATIAM ET APOSTOLATVM. Hendyadis, (*g*) id est, gratuitum hoc beneficium & munus apostolatus, AD OBEDIENDVM, id est, cui muneri incumbit curare vt ab OMNIBVS GENTIBVS obediatur FIDEI PRO NOMINE EIVS] id est, pro gloria nominis Christi toto orbe propaganda. Nempe Apostolici muneris est, inducere omnes gentes vt se Christo submittant, eiusque Euangelio credant & A obediant. * Hinc colligit Origenes & Chrysost. (estque notatu dignum contra Erasmum & Caluinum,) *apostolatum* non significare nudam legationem, seu missionem (vt etymon sonat,) sed etiam officium, potestatem ac dignitatem, & quidem supremam in Ecclesia Christi, de qua alibi. (*b*) Vices enim & personam Christi repræsentabant in terris, (*i*) sicut regis vel Pontificis legatus regem vel Pontificem ipsum repræsentat.

g *Proleg. de Idiotism. Hebr. n. 41.*

* *Matt. vlt. v. 19.*

h *Luc. 6. v. 13. 2. Cor. 5. v. 20.*

¥.6. IN QVIBVS, id est, in quarum gentium numero, ESTIS etiam vos, ô Romani, VOCATI IESV CHRISTI] id est, gratuita Dei vocatione facti serui, clientes, filij Christi.

¥.7. VOCATIS SANCTIS] græcè, κλητοῖς, id est, *euocatis*; Syrus, *vocatitiis*, nempe ad fidei, morum & status sanctimoniam. Olim enim omnes Christiani vocabantur *sancti*, non quòd actu semper essent tales, sed vocatione, statu, professione ac debito, inquit Chrysost. Augustin. & alij passim.

¥.8. FIDES VESTRA tanta tam celebris & illustris est, vt fama eius vniuersum orbem peruagetur. Quod S. Cyprianus vult propheticè dictum à Paulo, præuidente perpetuam Romanorum futuris sæculis in fide constantiam: vtpote *ad quos*, teste S. Hieronymo, *perfidia non habet accessum*. Vnde *Romana* Ecclesia, *Romana* religio, *Romana* fides, idem erat quod *Catholica* fides, religio, Ecclesia, & *Romanus* idem quod *Catholicus*, vt fusè demonstrat Bellarminus.

Cypr. ep. 55. ad Cornel.

Hieron. l. 3. cont. Ruffin. c. 4.

Bellarm. de Pontifice.

¥.16. EVANGELIVM (id est, res Euangelio contentæ, putà Filij Dei incarnatio, passio, mors, merita, Sacramenta, præcepta, promissa, &c.) licet incredulis scandalo, (*k*) probro & risui sit, nobis tamen *credentibus* EST VIRTVS DEI, id est, virtuosum, potens & efficax medium, seu instrumentum, ad SALVTEM æternam consequendam. IVDAEO PRIMVM, ET, id est, deinde, GRAECO, id est, Gentili populo. Quia enim Græci à tempore Alexandri Magni, Gentilibus ferè omnibus dominabantur, suamque linguam vnà cum imperio quaquauersum propagabant, hinc Gentiles omnes vulgo *Græci* vocabantur, inquit S. Augustin. Porrò Iudæis primò annuntiandum fuisse Euangelium, vtpote quibus promissus erat Christus, patet ex Matth. 10. v. 12. & aliis locis.

k *1. Cor. 1. v. 23.*

Augustin. ep. 200.

¥.17. IVSTITIA enim DEI, id est, diuina: q.d. Non illa Iudaica, quæ in cæremoniis legalibus, non etiam illa philosophica, quæ in nudis moralibus virtutibus consistit: sed vera, supernaturalis ac diuina iustitia, quâ nos Deus iustificat & reuera in oculis suis iustos facit: hæc inquam, REVELATVR, seu clarè docetur, IN Euangelio, inquit S. Augustin. Quæ iustitia vti ex fide nascitur, ita & in dies crescit EX FIDE IN FIDEM, supple, maiorem & solidiorem: nempe ex fide informi fit fides charitate formata: ex imperfecta & languida fit robusta & perfecta, crescens quotidie, donec credentem (nisi quid aliud obstet) perducat, ad perfectionem & salutem æternã. Hæc est enim virtus Euangelij, de qua præcessit. (*l*) ita Theophyl. Oecumen. Sasbout, Pererius, à Lapide. Et similes hebraismos alibi (*m*) sæpiùs reperies. IVSTVS enim VIVIT, (*n*) id est, veram iustitiam, quæ vita est animæ, haurit non ex cæremoniis legalibus, vt Iudæi; non etiam ex nudis virtutibus moralibus, vt Gentiles contendunt: sed necessariò EX FIDE, eamdemque vitam iam haustam conseruat quoque, roborat, auget & perficit *ex fide*, non quidem sola (quod somniant hæretici) nempe vt charitatem & bona opera excludit: (sic enim fi-

Augustin. de Spiritu & litera c. 9.

l *Hier. v. 16.*

m *Rom 6. v. 19 & 1. Cor. 3. v. vlt. & Psal 83. v. 8. &c.*

n *Habac. 2. v. 4.*

des

a *Iac. 2. v. 17.*

des *mortua est*, teste S. Iacobo: (a) implicat autem, animam viuere, roborari, crescere per aliquid mortuum.) sed prout spei, charitati, ceterisque virtutibus, (quas docet & imperat fides) coniungitur, animatur & vegetatur.

V. 18. REVELATVR IRA & vindicta DEI DE CÆLO, seu cælitus, SVPER OMNEM IMPIETATEM. Est argumentum à contrario. q. d. Hauriri veram iustitiam ex fide Christi, vt dixi, patet à contrario: quia quicumque destituti sunt fide, manent obnoxij iræ & vindictæ diuinæ, eo ipso quo adhærent iniustitiæ suæ & impietati. Hoc verò *reuelatur* tum ex eodem Euangelio, tum experientia, tum maximè in die iudicij. ita Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus & Oecumenius. Id mox inductione probat, Primò, de Gentilibus hoc reliquo capite: deinde de Iudæis cap. seq. Gentiles enim VERITATEM DEI, id est, veram cognitionem, quam lumine naturali de Deo diuinisque perfectionibus habebant, IN INIVSTITIA, id est, iniustè, quasi captiuam DETINENT, nempe seris & claustris peruersæ voluntatis suæ illam concludentes, nec sinũt illam (conformiter dictamini & iudicio rectæ rationis & conscientiæ suæ) exire in actus & opera conformia notæ veritati, putà in obsequium, cultum & honorem Deo debitum, non solius iustitiæ titulo, sed etiam pietatis ac religionis. Quodque omnium iniustissimum est atque impijssimum, debitos Deo honores & obsequia non solùm Deo denegant, sed, vt ægriùs Deo faciant, ea ipsa iuratis eius hostibus, idolis deferunt. ita Chrysostomus, Caietanus & alij.

V. 19. QVOD NOTVM EST DEI, τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ, id est, quod naturali lumine cognosci potest de Deo, MANIFESTVM EST IN ILLIS, seu in illorum mente atque intellectu. DEVS ENIM id ILLIS MANIFESTAVIT, scilicet A CREATVRA MVNDI, id est, ex rebus creatis in hoc mundo. Ex his enim, adhibito solo lumine naturali, quod cuique indidit Deus, INTELLECTA, seu per discursum intellectus, CONSPICIVNTVR INVISIBILIA Dei, id est, ea quæ alioqui nec videri, nec alio sensu percipi possunt ab homine. Talia sunt perfectiones diuinæ, sapientia, bonitas, pulchritudo, iustitia, &c. SEMPITERNA QVOQVE EIVS VIRTVS, seu potentia, qua omnia creauit, gubernat, & ad finem cuique proprium deducit. Item DIVINITAS, id est, diuina essentia, excellentia, & maiestas, v.g. Deum esse primum & perfectissimum ens, à quo omnia pendent, esse Dominum, esse vltimum finem omnium, &c. & consequenter, Deum illum colendum latria, precibus, votis, sacrificijs, laude, gratiarum actione, &c. ab coque omnia bona expetenda & mala deprecanda. Vnde ex hoc loco, & ex Sap. 13. vers. 5. patet, solo lumine naturali cognosci posse, Deum esse, esse vnicum, esse omnipotentem, omniscium, plenè liberum, habere prouidentiam omnium, non tantùm in vniuersali, sed & singulorum in particulari: tali enim soli sunt *gratias agenda*, quod exigit v. 21. ita Chrysostomus, Prosper & alij. Et en humanæ mentis stultitiam.

Chrysost. hom. 9. ad popul. Prosper. l. 2. de vocat. Gentium cap. 4.

b *Psal. 105. v. 20.*

V. 23. MVTAVERVNT GLORIAM: (b) id est, glorioſum diuinitatis nomen, confessionem, cultum, seu adorationem, quæ vni immortali Deo debentur, conuerterunt ad *imaginem* arte factam HOMINIS mortalis, imò vituli, crocodili, &c. id est, pro Deo vero coluerunt idola. Sed an credibile est, sapientiores philosophos, v. g. Trismegistum, Socratem, Platonem, Senecam, &c. idola coluisse? Catharinus negat, & cum eo plerique Nouantes, qui etiam de ipsorum salute æterna benè sentiunt. Sed Respondeo, omninò coluisse idola. Hoc enim expressè de Socrate testatur Xenophon, ipseque Plato, & alij apud Eusebium, Athanasium & S. Augustinum. Etsi enim quidam illorum ipsa lignea vel lapidea simulacra non existimarint deos (vt vulgus existimabat;) vana tamen ac falsa numina, seu deos per simulacra repræsentari volebant, sicque illa adorabant, & adoranda docebant, saltem metu legum humanarum, & vt populus hoc vniformi deorum cultu in officio contineretur. ita Tertullianus, Lactantius, Iustinus, Cyprianus & alij.

Euseb. l. 13. de Præparat. c. 8. & 11. Athanas. orat. cont. idola. August. l. 6. & 8. de Ciuit. Dei.

V. 24. PROPTER quam illatam Deo iniuriam & contumeliam, DEVS vicissim TRADIDIT ILLOS (c) IN DESIDERIA, seu passiones, CORDIS EORVM: non impellendo vel necessitando, vt Caluinus blasphemat; sed permittendo illos tyrannico ductui propriæ concupiscentiæ, tentationi dæmonum & illecebrarum peccati: nec speciali auxilio gratiæ illos retinendo, roborando, illuminando. Vnde fiebat (Deo iustissimè sic puniente peccata peccatis,) vt proni ruerent in omnia scelera, quæ v. 29. & seqq. enumerantur: putà non in solas fornicationes & adulteria, sed etiam *V.* 26. IN PASSIONES IGNOMINIÆ, id est, ignominiosissimas maximeque pudendas libidines CONTRA NATVRAM, de quibus vide Corn. à Lapide & fusiùs Ludouicum Cresollium, qui fœdissimas Platonis, Socratis & aliorum Philosophorum libidines in propatulo ostentant.

c *Psal 80. v. 13.*

Lud. Cresol. de Vitijs Sophistarum l. 5.

V. 27. MERCEDEM, QVAM OPORTVIT, ERRORIS, id est, pœnam condignam errori suo, RECIPIENTES IN SEMETIPSIS] id est, in proprijs corporibus.

V. 28. SICVT enim NON PROBAVERVNT HABERE DEVM IN NOTITIA: id est, non curarunt Deum verum nosse & colere, sed idola pro Deo agnouerunt: ita *traditi* sunt vicissim *à Deo* IN REPROBVM SENSVM] ἀδόκιμον νοῦν, id est, in peruersam, distortam & erroneam mentem, quâ putarent, fornicationem, mollitiem, sodomiam, ceteraque scelera, saltem in particulari casu, hîc & nunc, licitè patrari. ita Chrysostomus, Theodoretus & alij. Et verò Socratem, Platonem, Solonem, Chrysippum, aliosque primarios Philosophos eiusmodi nefanda contra naturam scelera publicè probasse, docent idem Chrysostomus, Philo, Laërtius, Plutarchus & Gellius.

Philo l. 2. de Vita contemplatiua. Laërtius à l. 1. vsq; 10. Plut. lib. de Educandis liberis. Gellius l. 18. c. 2. & l. 19. c. 11.

V. 31. INSIPIENTES, id est, qui sine iudicio omnia peragunt. INCOMPOSITOS, ἀσυνθέτους, id est, inciuiles, inurbanis moribus, ab omni honesta consuetudine alienos. SINE AFFECTIONE, ἀστόργους, id est, inhumanos, qui nullo pietatis aut charitatis sensu tanguntur. ABSQVE FOEDERE, ἀσπόνδους, id est, fœdifragos. En quantam malorum & scelerum congeriem trahat secum neglectus Dei, & fidei.

CAPVT II.

Vt hactenus de Gentibus, ita nunc de Iudæis docet, etiam ipsos vixisse multis obnoxios peccatis & iræ Dei: ideoque egusse fide & gratia Christi.

V. 1. PROPTER QVOD INEXCVSABILIS ES, Ô HOMO Iudæe. Si enim Gentiles qui malitiam supradictorum criminum non tam plenè, quàm tu, intellexerunt, quia tamen ea vel ipsimet patrarunt, vel, vt alij patrarent, permiserunt &

a *Rom.* 1. *v.* 23. & *vlt.*

consenserunt,(a) *digni sunt morte* æterna; quantò magis tu, Iudæe, qui clarissimè ex lege Mosaica intellexisti, omnia illa esse mala, & tamen EADEM illa patras, dignus eris morte?

℣.4. AN DIVITIAS BONITATIS, id est, maximam copiam & abundantiam diuinæ benignitatis ET LONGANIMITATIS, quâ pœnas in longum differt, CONTEMNIS? securitatem & impunitatem exinde tibi, etsi in sceleribus persistenti, promittens. IGNORAS quòd Deus hac sua longanimitate AD POENITENTIAM TE ADDVCIT? scilicet quantum in se est, vel adducere cupit & conatur.(b) Græcè ἄγει, id est, ducit, inuitat, prouocat. Falleris: nam

b *Prolog. de Idiotismis Hebr. n.* 58.

℣.5. IN DIE IRÆ] putà in iudicio, quando omnẽ suam iram & vindictam in impios effundet,

℣.6. REDDET VNICVIQVE SECVNDVM OPERA EIVS] Caluinus vertit, *post opera*. Sed certum est ex communi Patrum interpretatione, non ad tempus, sed ad qualitatem operum respici: vt & Ecclesiastici 35.v.24. *Donec reddat hominibus secundùm actus suos.* Qualia enim erunt opera, talis erit & merces.

℣.7. IIS QVIDEM QVI SECVNDVM PATIENTIAM BONI OPERIS, id est, qui patienter & perseueranter (vtrumque enim significat ὑπομονὴ,) contra omnem tentationem & molestiam, in bonis operibus & sancta vita persistentes, QVÆRVNT ÆTERNAM apud Deum GLORIAM, HONOREM ET VITAM] certò eam reddet.

℣.8. IIS AVTEM QVI SVNT EX CONTENTIONE, id est, contentiosis, seu qui contentiosè repugnant VERITATI, nec volunt illi ACQVIESCERE; retribuetur IRA ET INDIGNATIO, id est, graue supplicium, quale ab irato animo proficisci solet. Porrò ex verbulo, *quærunt*, vers.7. vt & ex illo psalmi, *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas, propter retributionem*; colligit & definit Tridentinum contra hæreticos, licitum & sanctum esse, benè operari intuitu mercedis æternæ.

Psal. 118. *v.* 112. *Trid sess.* 6. *c.* 11. & *can.* 31.

℣.10. PAX, id est, pacifica & secura bonorum omnium possessio ac fruitio, OMNI OPERANTI BONVM, (sed ex fide & gratia Christi, vt S. Chrysostomus exponit) IVDÆO PRIMVM ET GRÆCO,(c) id est, tam Iudæo, quàm Gentili, & vice versa. Sed quis Gentilium ex fide & gratia Christi benè operatus est ante Christi in terras aduentum? Respondeo, Quotquot crediderunt in venturum Messiam, v.g. Melchisedech, Iob, Sibyllæ, Niniuitæ & tot alij, qui vel ex Iudæis, vel ex maiorum suorum traditione intellexerant Messiam orbi promissum esse redemptorem.

c *Hic c.* 1. *v.* 16.

℣.11. NON ENIM EST ACCEPTIO PERSONARVM APVD DEVM] Id est, non respicit Deus, an Iudæus quis sit, an Gentilis, sed vtrumlibet peccantem æquè punit: vtrumlibet benè operantem æquè præmio donat, nullo habito respectu nisi ad merita causæ.

℣.12. QVICVMQVE ENIM SINE LEGE Mosaica, (seu nullâ peculiari scriptâ lege acceptâ à Deo) PECCAVERVNT (quales sunt Gentiles) etiam SINE LEGE tali PERIBVNT] id est, damnabuntur, non tamquam transgressores legis Mosaicæ vel scriptæ (nam talem ignorarunt:) sed tamquam præuaricatores legis naturalis, in quam peccauerunt, & quam ignorare non potuerunt.

℣.13. FACTORES LEGIS IVSTIFICABVNTVR, iustitia politica, seu ciuili, inquit Caluinus, quâ quis coram hominibus censetur & declaratur iustus. Sed contrâ, expressè hîc præmittitur, IVSTI SVNT APVD DEVM] id est, ea iustitia quâ homo verè & infallibili iudicio diuino iustus est. Talis iustitia, inquit Apostolus, non ex solo auditu legis, (& consequenter neque ex sola fide, quæ adhibetur auditæ legi;) sed ex operibus legis (dummodò hæc fiant ex fide & gratia Christi, vt explicat in fine cap. 3.) hauritur, fouetur & crescit. Ex quo loco S. Pauli, & ex Iacobi 2. clarissimè patet, non sufficere solam fidem ad iustificationem, vt somniant hæretici.

℣.14. Occurrit tacitæ obiectioni: Quomodo GENTES, QVÆ LEGEM Mosaicam NON HABENT, possint factores vel transgressores esse legis? Respondet, Etsi careant lege Mosaica scripta in tabulis lapideis, CVM tamen NATVRALITER (id est, solius naturæ lumine & viribus) FACIANT multa opera LEGIS naturalis (v. g. honorant parentes, dant eleemosynas, cauent à furto, à cædibus, &c.) OSTENDVNT de facto se habere naturalem LEGEM insculptam intus IN CORDIBVS SVIS, scilicet dictamen CONSCIENTIAE, quæ in omni particulari facto vel *accusat* te, suggerens tibi illicitum esse sic agere, &, si egeris, te malè agere: vel *defendit* te, excusans & dictans tibi licere. Quod iudicium conscientiæ patebit maximè in die iudicij per Christum instituendi in fine mundi, & etiam in fine vitæ cuiusque, SECVNDVM EVANGELIVM MEVM] id est, prout docui euangelizando. ita Cyprianus, Hieron. Chrysost. cum suis, Primasius, Sedulius & Haymo. Obijcit alium hîc scrupulum S. Augustinus. Si *factores legis iustificantur*, vt hîc asserit S. Paulus: & Gentiles solo lumine & vi naturæ faciunt legem, vt idem affirmat; ergo Gentiles solo lumine & vi naturæ iustificantur, quod est Pelagianum. Respondeo distinguendo maiorem: factores enim non partium aliquarum, sed totius legis iustificantur: Iam verò Gentiles solis naturæ viribus non totam legem naturalem, sed solùm aliquas eius partes faciunt, aut facere possunt.

℣.17. Tv verò, ô *Iudæe*, quomodo iustificaberis, qui legem, quam à Deo per Moysen accepisti, non obseruas? etsi REQVIESCIS IN LEGE, id est, complaces tibi, & GLORIARIS illâ cælitus acceptâ, & per illam cognitione & cultu veri *Dei*, & discrimine *vtiliorum*, seu bonorum à malis: vsque adeò vt

℣.19. CONFIDAS TE DVCEM ESSE CAECORVM, id est, errantium, & ℣.20. ERVDITOREM, id est, magistrum, INSIPIENTIVM, & FORMAM; græcè, μόρφωσιν, id est, formulam, ideam, exemplar, regulam, IN LEGE *habere* omnium sciendorum & agendorum.

℣.24. PER VOS, & vestrâ culpâ, dum legem à Deo traditam passim & palàm violatis, BLASPHEMATVR NOMEM DEI INTER GENTES, SICVT SCRIPTVM EST Ezech.36.v.20. (d) & ibidem exposui.

d *Et Isaiæ* 52. *v.* 5. *apud LXX.*

℣.25. SI PRAEVARICATOR LEGIS SIS, CIRCVMCISIO TVA (quâ tantoperè gloriaris) PRAEPVTIVM FACTA EST: id est, perinde coram Deo est, nec plus tibi ad iustitiam vel salutem proderit, quàm si præputiatus, id est, incircumcisus & Gentilis esses: & è contrario, SI præputiatus ℣.26. IVSTITIAS LEGIS, scilicet præcepta naturalia & moralia, CVSTODIAT vt suprà (e) dictum,) PRAEPVTIVM ILLIVS IN CIRCVMCISIONEM REPVTABITVR: id est, incircumcisio non oberit illi, sed perinde coram Deo reputabitur, ac si circumcisus esset.

e *Hic v.* 13. & 14.

℣.28.

℣. 28. *Neque* ENIM censetur coram Deo verus IVDAEVS, id est, confitens Deum, & spiritualis Abrahæ filius, QVI tantùm IN MANIFESTO, seu exteriùs & secundùm LITTERAM, id est, litteralem & grammaticalem intelligentiam legis, circumciditur: SED is demum QVI IN ABSCONDITO, id est, interiùs in animo suo, & secundùm SPIRITVM, id est, spiritualem, seu mysticam intelligentiam *circumciditur*, scilicet à vitijs & prauis concupiscentijs ac passionibus suis. ita S. Cyprianus, Augustinus, & alij.

Cypr. tract. de Circumcisione.

CAPVT III.

Concludit, etsi aliqua diuersitas agnoscenda sit inter Iudæos & Gentiles, in hoc tamen vtrosque conuenire, quòd sint sub peccato, & egeant fide ac gratia Christi.

℣. 1. ERGO, si res ita habet, vt dictum in fine cap. præced. QVID AMPLIVS priuilegij EST IVDAEO præ Gentili populo? aut quid prodest esse circumcisum? Respondet:

℣. 2. CREDITA SVNT Iudæis ELOQVIA, id est, oracula & promissi DEI, v.g. de terra sancta, de Messia ex Iudæis nascituro, &c. adeoque totum vetus testamentum IPSIS quasi depositarijs concreditum fuit.

℣. 3. At QVIDAM ILLORVM NON CREDIDERVNT eloquijs & promissis illis diuinis. Quid tum? an ILLORVM INCREDVLITAS EVACVABIT, seu irritam faciet, FIDEM semel datam à Deo? an ideo desinet Deus stare promissis quæ patribus dedit?

℣. 4. DEVS semper & omni casu EST & manet VERAX in dictis & promissis suis: licet OMNIS HOMO SIT MENDAX] Ergo, infert Lutherus, omnis homo quantumuis iustus, in omni opere suo peccat. Si enim non potest verum dicere (quod facilius est,) quomodo poterit bonum facere, quod longè est difficilius? Respondeo, Non dicit Apostolus hominem non posse verum dicere, vel hominem semper mentiri; sed solùm dicit, esse mendacem ex semetipso, & ex pronitate deprauatæ naturæ suæ. Nullo autem modo negat, subinde (per gratiam diuinam, quâ corrupta natura aliquatenus instauratur) tum actum, tum habitum mentiendi tolli in quibusdam durante hac vitâ: etsi numquam tollatur mendacitas, seu potentia mentiendi. ita S. Hieron. August. & alij. Sic Dauid aiebat: Etsi ego, ô Deus, fuerim mendax, tibique infidelis, tu tamen permane verax, id est, fidelis, in promissis (mihi ante peccatum factis de regno in familia mea perpetuando, & Messia ex me procreando) VT IVSTIFICERIS IN SERMONIBVS TVIS, id est, vt coram toto orbe verax & iustus esse declareris per impletionem promissorum mihi factorum: ET VINCAS CVM IVDICARIS] id est, reipsa euertas temeraria hominum iudicia, quibus mentiuntur, te ob mea peccata numquam mihi reconciliandum, nec promissa completurum. ita S. Thomas, Pererius & Toletus. Mox occurrit Apostolus vulgari imperitorum obiectioni:

Psal. 50. v. 6.

℣. 5. SI INIQVITAS Dauidis & NOSTRA peccata in causa sunt, quòd diuina iustitia & fidelitas erga nos peccatores magis illustretur: ergo immeritò INFERT IRAM DEVS, & iniquè punit nos propter nostra peccata, cùm potiùs præmio deberet impios afficere per quos glorificetur.

℣. 6. SECVNDVM HOMINEM DICO: id est, hanc obiectionem moueo non ex propria persona, sed in persona insipientium & carnalium hominum. Quibus Respondeo: ABSIT, hoc paradoxum sequatur ex isto antecedenti. Nam illustratio diuinæ iustitiæ & fidelitatis non dependet à nostra iniquitate, nec nisi per accidens ex illa consequitur, nempe, quia Deus per infinitam suam potentiam, sapientiam & misericordiam vult etiam omnia mala (præter eorum naturam & meritum) ordinare ad finem bonum, nempe ad collustrationem iustitiæ & gloriæ suæ diuinæ, vt S. August. Theophyl. & alij exponunt.

Augustin. Enchiridio c. 96.

℣. 9. QVID ERGO? Redit Paulus ad id quod dicere cœperat v. 2. PRAECELLIMVS ne nos Iudæi idcirco Ethnicos, quasi propter acceptam à Deo legem, & tam ampla promissa, promeriti simus præ Ethnicis vocari ad fidem & iustitiam Christi? NEQVAQVAM. Iam ENIM antè præCAVSATI SVMVS (sic habent Græca) id est, causam attulimus cap. 2. vbi prolatis rationibus ostendimus, IVDAEOS non minùs quàm GRAECOS, seu Ethnicos, OMNES SVB PECCATO ESSE, & propter peccata damnatione dignos.

℣. 10. SICVT SCRIPTVM EST varijs Scripturæ locis, (*a*) qui vt hîc simul iuncti sunt, ità hinc transilati simul videntur in psalmum 13. Latinè, Syræ & Ægyptiæ versionis, vt ibidem dixi & explicui. Hîc tantùm contra hæreticos Nota, non agi omnibus his locis de natura per gratiam Christi sanata, sed solùm de natura corrupta, quæ suis solius viribus, etsi Mosaicæ legis adiutorio fultis, non potest aliquid facere quod sit perfectè & absolutè bonum & iustum coram Deo, seu meritorium gratiæ, iustitiæ aut vitæ æternæ, etsi possit facere aliqua opera moraliter bona, vt suprà (*b*) docuit. Vnde falsum est, quod hinc inferre vult Lutherus, omnia opera nostra esse peccata: nam id ne quidem de operibus infidelium affirmat hîc Apostolus, sed solùm docet illa esse insufficientia ad gratiam Dei veramque iustitiam consequendam vel promerendam, seu de congruo, seu de condigno. Vide S. August. & Doctores Scholasticos in 1. 2. D. Thom.

(a) *Psal. 5. v. 11. Psal. 9 v. 7. Psal. 13. v. 1. Psal. 52. v. 5. Psal. 139. v. 4. Prou. 1. v. 16. Isaiæ 59. v. 7.*

(b) *Hier. 1. v. 18. & seq.*

Aug. l. 22. Ciuit. c. 32. & alibi passim.

℣. 19. SCIMVS AVTEM, &c. Præoccupat Iudæorum obiectionem, qui dicere potuissent, hæc omnia Scripturæ loca, quibus homines de tam multis & tam grauibus peccatis arguuntur, de solis Gentilibus accipienda esse. Respondet enim, hæc loca omnia esse ex *lege* desumpta, putà ex Psalmis & Prophetis, qui non tam Gentilibus, quàm QVI IN LEGE SVNT, id est, Iudæis, *loquuntur*, eorumque vitia castigant. ita S. Chrysost. & alij.

VT OMNIS MVNDVS DEO SVBDITVS FIAT] Id est, vt cogatur se subijcere, summè indigus, Deo & Christo, eiusque gratiæ auxilium implorare, (inquit Theophyl.) si iustificari & saluari voluerit. Sed dicet Iudæus: Esto peccator sim; possum sacrificijs & lustrationibus legalibus expiari & iustificari absque fide & gratia Christi. Respondet:

℣. 20. OPERIBVS hisce LEGIS Mosaicæ expiari posse sordes carnis, & acquiri iustitiam externam, politicam, ciuilem; sed nulla ratione internam, spiritualem, & CORAM *Deo* sufficientem iustitiam vel expiationem à peccato. PER LEGEM ENIM acquiritur sola COGNITIO PECCATI, (*c*) (docet enim quid faciendum, quid cauendum, quid virtus sit, quid vitium:) sed non acquiritur remedium peccati, quod per solam Christi gratiam tolli potest.

(c) *Prou. 6. v. 13.*

℣. 21. NVNC AVTEM SINE LEGE, id est, sine A legis adminiculo, vtpote cessante iam lege Mosaica (vt S. Ambros. & Theodoretus exponunt) per Christi Euangelium, MANIFESTATA nobis EST IVSTITIA DEI, id est, vera iustificatio, quâ per Deum & Christum à peccatis absoluimur & iusti reddimur: olim TESTIFICATA AB ipsa LEGE ET PROPHETIS] qui quasi testes omni exceptione maiores, & nuntij diuini, nomine Dei nobis promiserunt, talem iustitiam & iustificationem per Christum concedendam. ita S. August.

August. l. de Spiritu & litera c. 9. & 11.

℣. 22. IVSTITIAM, inquam, PER FIDEM *in Christum* donandam & infundendam IN OMNES ET SVPER OMNES IN Christum *credere* volentes, siue hi Ethnici fuerint, siue Iudæi. Hæc enim *fides*, vt vnica est & sola via, ita omnibus promiscuè exponitur ad iustificationē salutē. & Vnde concludo:

℣. 23. OMNES PECCAVERVNT, vt probaui cap. 1. & 2. *omnes* igitur EGENT (græcè, ὑστεροῦνται, id B est, posteriores sunt,) GLORIA DEI, id est, Christo, inquit Cyrillus; vel (vt legit S. Hieron. & August.) *gratia* gloriosa Christi: hac enim præueniente omnes egent, nec quisquam viribus solius naturæ, vel solius legis adiutorio eam assequi potest: vnde, cùm hæc *gratia* sit prorsus nobis indebita, fateri cogimur, nos GRATIS, id est, sine vllis nostris meritis præuiis, iustificari PER *Christum*,

Cyrillus de recta Fide. Hieron. l. 6. in Isaiam sub fin. August. l. 1. de Peccat. merit. c. 27.

℣. 25. QVEM PROPOSVIT nobis DEVS in PROPITIATIONEM, id est, propitiatorem, (*a*) vel victimam propitiantem & placantem hominibus Deum, PER FIDEM IN SANGVINE, id est, per fidem sanguinis, seu passionis; IPSIVS, id est, iis qui credunt Christum pro nobis passum & mortuum. ita Theodoretus, Oecumen. Anselm. Toletus, &

a Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 47.

Trident. sess 6. c. 8.

Tridentinum. Proposuit, inquam, AD OSTENSIONEM IVSTITIAE SVAE] id est, vt nobis manifestaret C excellentiam & diuitias diuinæ iustitiæ, tam quâ ipse in se *iustus est*, (vt explicat vers. sequ.) quàm qui nos iustificat: noluit enim hanc Deus in antiqua lege mundo patefacere, sed

℣. 26. Hoc demum TEMPORE legis gratiæ: IN SVSTENTATIONE DEI] id est, Deo diu sustentante, seu tolerante impiorum ingratitudinem & peccata.

℣. 27. VBI EST ERGO GLORIATIO TVA, ô Iudæe, quâ soles gloriari de circumcisione, sacrificijs, alijsque cęremonijs legis Mosaicæ, quasi per illas veram iustitiam sanctitatemque nanciscereris.

Nota *Legem factorum* vocat Apostolus legem veterem, quæ multa facienda præscribebat, sed gratiam (quâ solâ potest homo illa omnia præcepta implere, & ad veram iustitiam deuenire) non concedebat. *Legem fidei* vocat nouam legem Christi & Euangelicam, quæ simul affert gratiam, quâ quæ- D cumque præcipiuntur facilè exequamur, ita S. Augustinus & alij Patres. Vnde per *legem fidei* numquam excludit opera ex fide & gratia Christi facta, quasi hæc non sint vtilia vel necessaria ad iustitiam acquirendam, augendam, fouendam, vt fingunt nostri hæretici: (nam talia opera passim consulit, præcipit, (*b*) & necessaria esse dicit tam ipse quàm S. Iacobus & alij Apostoli;) sed sola opera legis antiquæ facta sine fide & gratia Christi, vt patet ex toto contextu Apostoli.

August. l. de Spiritu & litera c. 13.

b Rom. 12. v. 12 & seq. Iacobi c. 2. toto, &c. Ioan. tota 1. epist.

Nota Secundò. Etsi Iudæi ante Christi aduentum crediderint in Christum venturum, & hac fide iustificati fuerint: postquam tamen Christus aduenit, & ab illis perfidè reiectus est, amiserunt hanc fidem, & ex solis cęremonijs Mosaicis contendebant deberi sibi iustitiam & salutem, sed vtraque frustrati sunt.

Nota Tertiò, *Fidem* quâ iustificamur, non excludere spem, timorem, pœnitentiam, charitatem, & bona opera: quia hæc omnia sunt legis fidei, & fides illa præcipit, & aliæ Scripturæ (*c*) tribuunt illis nostram iustificationem. Hîc tamen meminit expressè Apostolus solius fidei. Primò, quia hæc tunc maximè inculcanda erat tam Iudæis, quàm Gentilibus. Secundò, quia fides est prima radix, fundamentum & initium iustificationis, & manuducit ad spem, pœnitentiam, &c. Tertiò, quia fides viua (de qua passim (*d*) loqui videtur Apostolus,) hæc omnia includit & præsupponit.

c Iam citata lutherab.

d Hic, & Galat. 5. v. 6. & 1. Cor. 13. v. 3. &c.

Nota Quartò, S. Paulum plenè omnes iustificationis causas hîc attingere. *Efficiens* enim causa est Deus: *meritoria*, Christus: *instrumentalis*, Christi sanguis: *formalis* (saltem ex parte,) remissio peccatorum: *disponens* partialis & applicans, fides. *finalis*, ostensio iustitiæ & gloriæ Dei.

℣. 29. AN IVDÆORVM DEVS TANTVM?] Est nonum argumentum, q.d. Si ex operibus legis Mosaicæ iustitiam haurire deberemus, cùm sit hæc solis Iudæis data à Deo, sequeretur, Deum non nisi Iudæorum curam & rationem habuisse, & non nisi illorum Deum esse, quod est absurdissimum, cùm certum sit quòd

℣. 30. VNVS communis omnium hominum sit DEVS, cui tam *præputij*, id est, Gentium præputiatarum, quàm *circumcisionis*, (*e*) id est, Iudæorum circumcisorum, salus curæ est & cordi: vnde pari modo vtrosque IVSTIFICAT, nempe EX FIDE, seu per fidem, vt iam dixi.

e Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 47.

℣. 31. LEGEM ERGO DESTRVIMVS, dicentes, non per legem, sed PER FIDEM nos iustificari? ABSIT: SED hoc ipso LEGEM STATVIMVS, stabilimus, confirmamus. Cùm enim lex passim doceat, debere nos (si saluari volumus aut iustificari) credere in Messiam; nos illud idem docendo & inculcando, legem subsistere facimus: è contrario, legem euertunt quicumque fidem in Christum, quam lex vbique inculcat, reijciunt aut vilipendunt.

CAPVT IV.

Exemplo Abrahæ probat iustificationem fieri non per opera legis aut naturæ, sed per fidem Christi, inquit Origenes & Oecumenius.

℣. 1. QVID ERGO, seu qualem iustitiam, (an operum legis? an fidei?) DICEMVS INVENISSE, id est, accepisse, ABRAHAM, PATREM Iudæorum SECVNDVM CARNEM, seu carnalem, sed etiam Gentilium credentium *patrem secundùm spiritum*, seu spiritualem? nam ex vltronea omnium, & maximè Iudæorum, concessione, illam constabit esse veram demum solidamque iustitiam, ob quam maximus ille Patriarcha tantopere à Deo in Scripturis commendatur totoque orbe laudatur.

℣. 2. SI IVSTIFICATVS EST EX OPERIBVS legis vel naturæ, secluså Christi fide, iustitia ipsius valdè exilis erit & parui momenti, vtpote solùm externa, politica & humana, *habens* laudem & GLORIAM apud homines, qui sola externa opera vidēt, suspiciunt & laudant: SED NON APVD DEVM, qui interna respicit & requirit, putà fidem, spem, charitatem, &c. Sed scio, vos tantâ iniuriâ nolle afficere tantum Patriarcham. Sed neque

℣. 3. SCRIPTVRA id permittit: nam Genesis

15. V.

15. v. 6. DICIT: ABRAHAM CREDIDIT DEO, in- A numerabile ipsi, licet sterili, semen, id est, posteros,
2 Gen. 12. v. 3. atque inter alios Messiam, (a) saltem implicitè, ex ipso nasciturum promittenti: ET hæc fides REPVTATA EST ILLI à DEO AD IVSTITIAM, quâ reuerâ iustificatus fuit: Deus enim nemini imputat iustitiam, nec vllum reputat iustũ, nisi verè talis sit, vel talis fiat. Vtitur tamen Scriptura potiùs verbo *reputari*, quàm *esse*, vt insinuet, fidẽ tam Abrahę, quàm nostram, ex natura sua, vt est actus hominis non parere vel producere iustitiam, sed hoc ei solùm concessum (vt dicitur v. 5.) SECVNDVM PROPOSITVM GRATIAE DEI] id est, ex gratioso, beneuolo, liberali nutu, voluntate & decreto Dei, quo statuit vt ad actum fidei iam formatæ, seu ad actũ contritionis, detur & infundatur animæ gratia iustificans, non obstante quòd nec ipse ille actus fidei, ex se, nec vlla præcedentia opera tantum tamque pretiosum donum ex condigno mereantur. B Reputari enim propriè dicitur pro tali, quod ex se tale non est, sed ex reputantis solo nutu ac voluntate. Sic voluntas reputatur pro facto, & conatus pro opere. ita Trident.

Trid. suprà.

Dices, Abraham cùm crederet Deo tam nobilem, tam numerosam ipsi adhuc sterili prolem promittenti, iam tum iustus erat: ergo hic actus fidei non potuit ei reputari ad iustitiam. Respondeo, Nego consequentiam: nam hîc de vtraque iustitia agitur, tam prima, quâ quis ex iniusto fit iustus; quàm secunda, quâ ex iusto fit iustior. Credidit enim & obediuit Abraham Deo primùm è patrio solo magnis propositis præmijs & promissione (saltem implicita) Messiæ ex ipso nasciturí, ipsum
b Gen. 12. v. 4. enocanti: (b) & hac fide primam iustitiam adeptus est, ex iniusto, & (vt multi opinantur, (c)) idololatra, factus iustus. Credidit postea iterum Deo multa alia promittenti ac iubenti, (d) & hac fide adeptus est secundam iustitiam, id est, augmentum iustitiæ, & ex iusto iustior Deoque gratior euasit. ita Toletus. Ex quibus patet, locum hunc nulla ex parte patrocinari hæreticis, nudam hinc fidem, & imputatitiam suam iustitiam astruere nitentibus. Neque enim hîc agitur de *iustitia Christi*, sed de *fide Abrahæ* imputata ad iustitiam: neque de nuda fide, sed de
e Hic v. 18. fide *vestita operibus* spei, (vt hîc (e) dicitur,) & charitatis & obedientiæ, quâ vocantem Deum secutus est relictâ patriâ, & molestissimam peregrinationem promptè subiuit in exteras terras, & postea filium quoque suum immolare parauit, &c. vt alibi (f) dicitur.

c Ibid. in Comment. d Gen. 15. v. 4. &c.

f Gen. 22. v. 9. & Iac. 2. v. 21. & Heb. 11. v. 17.

¥. 4. EI QVI OPERATVR, id est, qui ex proprijs operibus vi solius naturæ peractis consequeretur iustitiam, non donaretur iustitia tamquam gratuitum donum, sed tamquam merces debita talibus operibus: (nam omni operanti ex proprijs D debetur merces.) Ei verò qui non ex proprijs operibus, sed ex fide iustificatur, donatur iustitia tamquam gratuitum donum: quia scilicet fides ex se non meretur tam eximium donum (vt vidimus v. 3.) & ipsa quoque fides est gratuitum donum Dei.
g Gen. 15. v. 6. &c. Iam subsume: Atqui ex Scripturis (g) constat, datam Abrahæ iustitiam intuitu fidei illius (hoc enim est fidem reputari ad iustitiam:) ergo non est iustificatus ex propriis naturalibus operibus: ergo nec
h Hic v. 1. Vasq. in 1. 2. tom. 2. disp. 210. c. 8. nos (h) ex illis iustificamur, sed gratis ex fide & gratia Christi. ita S. Augustinus & alij apud Vasquez, Mox etiam ex Dauidis verbis idẽ probat. S. Paulus:

¥. 6. DAVID enim psalmo 31. v. 1. DICIT, in eo sitam esse BEATITVDINEM HOMINIS, (non il- lam perfectam, in cælis; sed inchoatam, in terris, id est, iustitiam hominis,) quòd DEVS illi ACCEPTO FERT IVSTITIAM, id est, reputat eum verè esse iustum SINE OPERIBVS] id est, non ex virtute aut merito propriorum operum, sed ex mera sua gratia. Verba Dauidis sunt,

¥. 7. BEATI sunt homines, QVORVM INIQVITATES REMISSAE SVNT, nempe gratuita condonatione, non meritis operum. Propriè enim, *remittere offensas*, est, gratis ea condonare. ET TECTA SVNT PECCATA] id est, obliterata & obruta, per infusionem gratiæ iustificantis, ita vt non amplius sint neque existant: sicut hiatus tegitur terra iniecta, & nuditas inductis vestibus. Peccata enim remissa non solis hominum vel angelorum, sed etiam Dei ipsius, oculis ita teguntur, vt non amplius videantur homini inesse: ergo etiam reuerà non amplius illi insunt. Neque enim res aliter à Deo videntur, quàm reuerà in seipsis sunt, ita Origenes, Nazianz. Augustinus, Gregorius, Theodoretus & alij. Vnde facile refellas absurdum Caluini somnium, qui vult, peccata in anima iusti reuera manere, sed latere. Item Lutheri, qui vult, solùm non imputari ad pœnam. Hæc enim iniuria sunt & iustitiæ, & scientiæ, seu perspicacitati diuinæ.

Nazianz. orat in S. Lauacrũ. Augustl. 1. contra duas epist Pelag. c 13. Gregor. in psal. 2 pœnitentialem. Theod. in Psalm. 31.

¥. 8. BEATVS VIR, CVI NON IMPVTAVIT DOMINVS PECCATVM, iam plenè condonatum, & consequenter, cui nullum amplius inest peccatum: nam si quod inesset, deberet ei imputari à Deo, qui non potest aliter de re sentire vel statuere, quàm ipsa in se sit. Ita præter iam dictos Patres, etiam S. Iustinus.

¥. 9. BEATITVDO ERGO HAEC inchoata, de quâ Dauid, nempe iustitia quâ beamur, *an* ex mente Dauidis vel Spiritus sancti, MANET TANTVM IN CIRCVMCISIONE, seu propria est solis Iudæis? AN C verò ETIAM communicatur PRAEPVTIO, seu Gentilibus? q. d. Omninò communicatur. Nam & verba Dauidis indefinita sunt, & vtriusque communia: & ratio quam affert, (nempe, remissionem peccatorum & iustificationem fieri ex liberali clementia, & gratuita condonatione Dei,) cùm non minùs excludat opera & merita legis Mosaicæ, quàm legis naturæ, non magis fauet aut patrocinatur Iudæis, quàm Gentilibus. Idem mox colligit ex iustificatione Abrahami:

Proleg sup num. 47.

¥. 10. QVOMODO, id est, in quo statu, erat ABRAHAM quando REPVTATA EST ei FIDES AD IVSTITIAM? *Circumcisusne* erat, an adhuc *præputiatus*, seu Gentilis? Respondet, certum est, fuisse adhuc *præputiatum*: ergo iustitia spectat non ad solos circumcisos, sed etiam ad præputiatos: neque obtinetur per circumcisionem aut alias legis Mosaicæ cæremonias (vt vos Iudæi contenditis,) sed per fidem & gratiam Christi, quæ communis est etiam præputiatis, seu Gentilibus. Quòd autem Abraham multis annis post adeptam iustitiam, Deo iubente

¥. 11. SIGNVM ACCEPIT CIRCVMCISIONIS, ideo factum fuit, vt haberet impressum carni suæ SIGNACVLVM; græcè, σφραγίδα, id est, sigillum, IVSTITIAE, quo Deus toti mundo testatum esse volebat, certam legitimamque esse iustitiam Abrahæ, quam pridem antè adeptus fuerat per *fidem*, cùm adhuc *præputiatus* esset? ita S. Cyrillus, Chrysostomus, Augustinus, Theodoretus, Theophyl. Oecumen. Alias causas circumcisionis attuli Genesis 17. Cur autem absque præuio hoc circumcisionis signaculo voluerit Deus Abrahamum iu-

Cyrill. l. 4. in Ioan. c. 51. Augustl. 1. 2. de Nuptiis & concupisc. c. 2.

stificari, (secùs quàm quibusdam posteris eius, Iu- A
a Gen. 17. v. 14. dæis accidit, (a) qui absque hoc signaculo fidem saltem parentum concomitante, iustificari non poterant) causa fuit; VT Abraham hoc suo facto SIT
b Prolog. supr. n 34. PATER, (b) magister, auctor & exemplar OMNIVM omninò CREDENTIVM, tam *præputiatorum* Gentilium, quàm circumcisorum Iudæorum, dummodò SECTENTVR VESTIGIA FIDEI, quam pater eorum Abraham exercuit adhuc existens IN PRÆPVTIO, id est, adhuc incircumcisus. Nempe, voluit orbi indicatum Deus, quòd, sicut Abraham ante circumcisionem iustificatus fuit per fidem; etiam omnes Gentiles qui Abrahæ fidem imitarentur, etsi circumcisi non essent, iustificandi forent simili modo, si vellent, per fidem in Christum. Quod mox nouo argumento probat ex promissione cælitus facta Abrahæ.

℣. 13. PROMISSIO tum ABRAHÆ, tum SE- B
c Gen. 22. v 18. & psal. 2. v 8. MINI, seu posteris, EIVS, (nempe quòd HERES & dominus futurus ESSET totius MVNDI, (c) putà per filium eius Messiam,) facta est NON PER LEGEM, id est, non sub conditione, si legem aut cæremonias legis Mosaicæ obseruaret: SED PER & propter IVSTITIAM FIDEI, quam nactus est credendo & obediendo Deo, inquit Theophylactus.

℣. 14. SI ENIM QVI EX LEGE SVNT, seu qui cæremonias legales obseruant, ij soli HEREDES SVNT bonorum Abrahæ promissorum; iam EXINANITA EST FIDES, id est, iam nullus erit fructus tam laudatæ fidei Abrahæ, imò ABOLITA erit, & irrita, & frustra tota illa PROMISSIO diuina.

℣. 15. LEX ENIM si à fide & gratia Christi seiungatur (vt Paulus supponit) est impossibilis obseruatu. Vnde non causat benedictionem, iustitiam, salutem, hereditatem totius mundi, quæ Deus promisit Abrahæ, sed IRAM, indignationem & vindictam diuinam OPERATVR & accersit, licet per accidens, putà ratione infirmitatis & fragilitatis humanæ: quia sic lex occasio est præuaricationis, seu transgressionis mandatorum, & consequenter diuinæ indignationis, iræ & vindictæ. Si ENIM NON *esset* LEX, *nulla* esset PRÆVARICATIO, seu violatio mandatorum legis.

℣. 16. IDEO fatendum, non ex lege, sed EX FI-
d Hic v. 4. DE obuenire promissam hereditatem, aliamque omnem benedictionem. VT non secundùm obligationem iustitiæ, quasi merces, detur operantibus opera legis (vt suprà (d) dictum) sed SECVNDVM GRATIAM, quasi gratuitum donum, FIRMA SIT, stabiliatur & compleatur diuina PROMISSIO facta OMNI SEMINI Abrahæ, nempe NON SOLVM EI QVI EX LEGE EST, id est, non solis Iudæis legis D Mosaicæ adstrictis: SED *etiam* omni EI QVI EX FIDE EST ABRAHAE, id est, omni Gentili, qui Abrahæ patris sui spiritualis fidem sectatur, quasi genuinus filius eius, QVI OMNIVM NOSTRVM, tam Gentilium, quàm Iudæorum, communis PATER EST, propagatione si non carnali, certè spirituali, per similitudinem fidei & religionis: si nō coram hominibus: aut iudicio hominum, certè ℣. 17. ANTE DEVM & infallibili iudicio Dei, CVI, vtpotè omnipotenti, CREDIDIT Abraham facile esse præstare quod promittebat, nempe per vnicum filium suum Messiam Gentes omnes futuras spirituales sibi filios, etsi tum adhuc illiberis esset & sterilis. QVI enim VIVIFICAT MORTVOS, id est, resuscitat à morte quoscumque vult, imò EA QVAE NON SVNT, seu nondum existunt in rerum natura, perinde VOCAT è suo nihilo, & facit realiter existere, atque EA QVAE iam pridem SVNT in rerum natura. *vocat*, inquam, sicut solet herus vocare famulos suos: nam æquale tam in illa, quàm in istâ imperium habet, inquit S. Chrysost. & August. Quantò facilius potest ex sterili facere fœcundum, & MVLTARVM, imò omnium, GENTIVM *parentem*? Vnde meritò Abraham ℣. 18. CONTRA omnem SPEM naturæ, seu naturalis potentiæ generatiuæ, CREDIDIT IN SPEM gratiæ, prouidentiæ & promissionis diuinæ conceptâ certissimâ fiduciâ, quod quæ sibi promittebantur à Deo, infallibiliter obuentura essent; SECVNDVM QVOD Genesis 15. v. 5. DICTVM EST ILI *Suspice cælum, & numera stellas, si potes*: SIC ERIT SIMEN TVVM. *August. in psal. 105.*

℣. 20. NON HAESITAVIT DIFFIDENTIA; græcè, ἀπιστίᾳ, id est, incredulitate: Quòd enim ibidem quæsierit, *Putasne centenario nascetur filius, & Sara* (e) *nonagenaria pariet*? non erat ex incredulitate, sed ex admiratione.

℣. 22. IDEO, id est, ob tam heroicam fidem, nactus est ampliorem IVSTITIAM, vt suprà (e) dixi. e Hic v 3. Quod ET ℣. 24. PROPTER NOS SCRIPTVM EST. Abrahami enim iustificatio proponitur nobis tamquam exemplar (f) veræ solidæque iustificationis: f Hic v.1. vnde sicut ipse, ita & nos, non ex circumcisione vel alijs cæremonijs Mosaicis, sed ex fide in Christum, debemus iustitiam quærere & sperare. In CHRISTVM, inquam,

℣. 25. QVI in mortem crucis à Iuda & Iudæis, quin & à Patre cælesti, TRADITVS EST ad expianda & abolenda DELICTA NOSTRA, ET à mortuis RESVRREXIT ad procurandam conferendamque nobis IVSTIFICATIONEM NOSTRAM] Etsi enim hanc non meruerit Christi resurrectio præcisè, seu per se sumpta, quia sic non erat opus viatoris: meruit illam tamen quatenus resurrectio fuit vltimus terminus mortis & omnium passionum Christi, & cum illis quasi vnum idemque opus morale redemptionis generis humani constituit. Vnde quod morti proprium est, subinde resurrectioni ascribitur. C

CAPVT V.

Excellentiam, vtilitatem, & varios fructus iustitiæ per fidem Christi obtentæ recenset, & è contrario damna per peccatum originale inuecta. Vbi gratiam Christi oppoit peccato Adami & legi Mosaicæ.

℣. 1. IVSTIFICATI ERGO EX FIDE PER CHRISTVM, vt vidimus cap. præced. PACEM HABEAMVS (in Græco & Syriaco est, *habemus*) AD DEVM] Id est, pacato & tranquillo deinceps animo simus, nullam posthac ob præterita scelera anxiè metuentes Dei vindictam vel condemnationem, vtpotè iam Deo reconciliati, eiusque amici & filij. Porrò pax hæc & tranquillitas iustæ conscientiæ non oritur ex plena & absoluta certitudine fidei diuinæ, quâ quis certissimò & infallibiliter credat, tamquam articulum fidei, peccata sibi esse remissa; vt volunt hæretici. Talis enim absoluta certitudo non obtingit nisi ex peculiari reuelatione, vt Tridentinum definit, sed oritur ex probabilibus coniecturis & signis, quæ moralem creant certitudinem, nos esse iustos. Eiusmodi signa sunt, recta conscientia nullius conscia grauioris peccati, (prompta mori potiùs quàm Deum studio offendere,) Deum supra omnia amare, & propter Deum etiam inimicos diligere, & amore Dei ferre patienter iniurias, mundum & mundana *Trident. sess. 6 de iustific.*

sper-

spernere, &c. Hæc pax & serenitas animi primus est fructus iustitiæ. Secundus est

℣. 2. SPES GLORIÆ æternæ *filijs* DEI præparatæ. Tertius

℣. 3. magnitudo animi, gaudium, imò *gloriatio* IN TRIBVLATIONIBVS: quæ occasionaliter & instar excitamenti OPERANTVR, seu producunt, in nobis PATIENTIAM robustam, heroicam, inuictam. Et hic est quartus fructus.

a *Iacobi* 1. *v.* 3. ℣. 4. PATIENTIA AVTEM PROBATIONEM, (a) quæ quintus est fructus, producit, quia patientem reddit probatum, seu expertum, vel, si mauis, approbatum coram Deo. Sextus est SPES, non qualis qualis (quæ erat secundus fructus) sed viuax, excellens & ampla, non solùm de gloria cælesti olim obtinenda; sed etiam de periculis, molestijs & alijs rebus, quantùmcumque arduis, diuino auxilio superandis & exantlandis, quæ sæpè ad miracula vsque sese extendit.

℣. 5. SPES enim diuina NON CONFVNDIT, non pudefacit sperantem, quia non fallit, nec frustratur illum re sperata. Secùs est in spe humana, quæ plerumque fallit, inquit Chrysost. Theophyl. Anselmus. Quid verò mirum, spem diuinam nos non confundere? cùm CHARITAS DEI, socia talis & tam eximiæ spei, DIFFVSA *sit* IN CORDIBVS NOSTRIS, per quam sumus amici, imò filij Dei? Amicis autem & filijs suis quid possit denegare Deus? Et hic est septimus fructus iustitiæ. *Charitas* autem *Dei* hîc intelligitur tam illa quæ est in Deo, quâ nos ipse diligit, (& de hac exponunt S. Chrysostomus, Ambros. Caietanus & Toletus:) quàm quæ in nobis est, quâ nos Deum diligimus; vt S. Augustinus, Tridentinum & SS. Patres ac Doctores passim interpretantur. Vtraque enim in iustificatione *diffunditur* (in Græco est, *effunditur*,) *in cordibus nostris*: sed posterior formaliter per seipsam: prior non nisi effectiuè, per noua & nobilissima dona sua. De vtraque charitate iunctim hæc exponunt Origenes, Theodoretus, Oecumenius & S. Thomas. Diffunditur autem hæc charitas in nobis PER ipsummet SPIRITVM SANCTVM, QVI non per sola dona sua, sed & per propriam personam iustificatis *datur* & appropriatur tamquam optatissimis sponsis, vel (vt Apostolus alibi (b) loquitur) templis & palatijs, in quibus nouo & speciali modo, habitet, operetur, delicietur. Sed caue sis cum Magistro Sententiarum hînc inferas, charitatem quâ Deum diligimus, esse ipsummet Deum: nisi cum S. Augustino (qui simili phrasi vtitur, & Magistro occasionem errandi dedit,) intelligas, non formaliter, sed solùm causaliter & concomitanter esse ipsum Deũ: quia nempe emanat ex Deo, & coniuncta est infallibiliter charitati quâ nos amat Deus, & quæ est ipse Deus. Porrò ex verbo *diffunditur* vel *effunditur*, colligimus contra hæreticos, charitatem & gratiam quâ formaliter iustificamur, non esse aliquid nobis extrinsecum, v.g. iustitiam Christi nobis solùm extrinsecè imputatam, sed reuera intrinsecè nobis inhærere, vt Tridentinum definit, & S. Augustinus & alii Patres disertè docent.

August. de Spirit. & litera c. 32. Trident. supr. c. 7.

Trid. supr. Augustin. l. 3. de Nat. Christi c. 10. & alibi.

℣. 6. VT QVID ENIM (nisi vt amicitiam & charitatem suam in nos diffunderet, & sic spes nostra nos non confunderet,) CHRISTVS MORTVVS EST PRO nobis ADHVC IMPIIS ET *infirmis*, id est, varijs peccatorum languoribus miserè implicatis, ideoque impotentibus ad opera salutis præstanda? *Mortuus est*, inquam, SECVNDVM TEMPVS, id est, tempore opportuno & à Patre præscripto. ita

b 1. *Cor.* 3. *v.* 16. *Magister. in* 1. *dist.* 16. & 17. *Augustin. l. de Trinit. c.* 7. 8. & *alibi.*

A Theodoretus, Theophyl. Sedulius & alij: nempe cùm omnia plena essent infidelitate & peccato, & maximè egerent medico ac redemptione, inquit S. Hieronymus.

Hieron ad Algasiam epist. 151. *q.* 2 & 7.

℣. 7. VIX ENIM PRO alio quopiam, etsi IVSTO, sancto, laudato homine, QVIS *mori* sustineat. Dico, vix: nam PRO BONO, seu beneficio & erga se liberali, FORSITAN AVDEAT; græcè, τολμᾷ, id est, sustineat, QVIS MORI: sicut Codrus, Decij, Samson, Leonides, & quidam alij pro patria sua erga se benefica, morti se exposuerunt. Sic *bonum* pro *beneficio* sæpissimè (c) vsurpat Scriptura: *Homines isti boni fuerunt nobis*: (d) *Quàm bonus Israel Deus*, (e) &c.

c 1. *Reg.* 29. *v.* 6 & *Prou.* 22. *v.* 9. *in Hebræo.* d 1. *Reg.* 25. *v.* 15. e *Psal.* 72. *v.* 1.

℣. 8. DEVS AVTEM præter omnium hominum morem, COMMENDAT & exhibet SVAM IN NOBIS, seu erga nos, inauditam sæculis omnibus CHARITATEM, cùm voluit vnigenitum suum, *Christum*, PRO NOBIS *mori*, CVM nec *beneficia*, nec *iusti*, sed PECCATORES & eius hostes ESSEMVS; ita Catharinus, Vatablus & à Lapide.

℣. 10. SI, CVM INIMICI ESSEMVS, dignatus est Christus tantos labores & dolores, adeoque & mortem subire, vt nos Deo reconciliaret, *MVLTO MAGIS iam RECONCILIATI Deo, SALVI ERIMVS, id est, saluabimur ope & prouidentia eiusdem Christi IN VITA immortali degentis, nec vllos ampliùs labores subire coacti. ità Oecumen. Intendit his omnibus probare Apostolus, *spem non confundere*, quod v. 5. proposuerat,

℣. 11. NON SOLVM AVTEM, supple, *gloriamur in spe gloriæ*, nec etiam *in* solis *tribulationibus*, vt dixi v. 3. (eò enim redit post longam parenthesin,) SED ETIAM GLORIAMVR IN DEO nobis PER CHRISTVM reconciliato, nempe quòd vtrumque illum habeamus patrem, tutorem, protectorem ardentissimo amore nobis adstrictum, inquit Chrysost. & Theodor. *Patrem*, inquam, longè nobiliorem, & infinitis partibus in nos beneficentiorem, quàm fuerit *Adam*: cùm hic filijs suis omnibus auctor fuerit mortis, Deus verò, & Christus vitæ sempiternæ.

℣. 12. PER VNVM HOMINEM Adamum, INTRAVIT PECCATVM IN HVNC MVNDVM, ET PER PECCATVM MORS & aliæ pœnę peccati, Nec hæsit, seu peccatum, seu mors, in vno capite peccantis Adami, sed per ipsum IN reliquos OMNES HOMINES, eius filios, PERTRANSIIT: non solâ imitatione (vt volebant Pelagiani, & nostro sæculo Zwinglius, Faber & Anabaptistæ,) sed vera propagatione: nam peccante Adamo, qui omnium parens & princeps erat, IN EO OMNES simul PECCAVERVNT, quia omnium voluntates & consensus erant collocata in voluntate vnius Adami, vt fusè docent Scholastici & SS. Patres tam Græci, quàm Latini. Et hoc est peccatum quod vocamus *originale*, cuius contrahendi necessitas (vt docet Concilium Milcuitanum approbatum ab Innocentio I. & Concilium Tridentinum) transfunditur in omnes omnino homines qui naturali generatione ex Adamo procreantur: quin & actualiter omnes illud contrahunt, nisi speciali misericordiâ Dei quis eximatur: vt exemptam B. Virginem Deiparam probabilissimum est. Licèt enim hæc in Adamo peccarit, ideoque necessitatem contrahendi peccatum originale incurrerit ex vi suæ conceptionis; quia tamen primo instanti quo anima corpori infusa est, gratiâ sanctificante donata fuit, quæ peccatum omne excluſit, ideo numquam

de facto peccatum contraxit. De quo vide fusè A Suarez & alios Doctores. Et quidem

℣. 13. PECCATVM hoc originale, etsi VSQVE AD LEGEM Mosaicam NON *imputaretur*, seu non reputaretur esse: id est, quamuis homines solo lumine naturæ instructi, & fide ac doctrina legis destituti, non existimarent se obnoxios esse peccato originali; tamen viguisse illud etiam tum IN MVNDO, & omnes ei obnoxios fuisse, certò constat & colligitur ex effectu & pœna eiusdem peccati, putà ex morte: nam

℣. 14. MORS REGNAVIT & sæuijt in omnes quotquot AB ADAMO VSQVE AD MOYSEN vixerunt: ergo & causa mortis, nempe peccatum originale. Et ne dicas, causam mortis illorum fuisse non peccatum originale, sed peccata actualia singulorum: ideò subdit, mortem tum regnasse ETIAM IN EOS QVI NON PECCAVERVNT IN SIMILITVDINEM PRÆVARICATIONIS ADÆ] id est, qui non peccauerunt actuali aliquo peccato, seu propria voluntate, sicut peccarat Adam, id est, sæuiisse etiam in infantes: atqui in infantibus nulla potuit esse causa iusta tantæ pœnæ, nisi peccatum originale, ergo. ita S. Augustinus, Chrysost. Theodoretus, Theophyl. Anselmus, Pererius & alij. *Augustin. l. de Peccat. meritis c 11.*

Nota, Adam hîc vocari FORMAM, id est, typum, FVTVRI Christi: quia Primò, vterque fuit communis omnium hominum parens, dominus, princeps. Secundò, vterque sine virili semine procreatus. Tertiò, vterque omnium hominum voluntates in sua habuit voluntate. Sed hæc similitudo erat in genere tantùm; nam in specie fuit maxima dissimilitudo: vnde subdit Apostolus:

℣. 15. SED NON SICVT DELICTVM; græcè, παράπτωμα, id est, casus, ruina, offensa Adami; ITA fuit ET DONVM, græcè, χάρις, id est, gratia, seu gratuitum beneficium, putà redemptio, satisfactio, meritum Christi. SI ENIM DELICTO VNIVS Adami, MVLTI, id est, omnes homines (sic enim se explicat v. 18.) MORTVI SVNT, id est, incurrerunt reatum & pœnam mortis tum corporalis, tum spiritualis, tum præsentis, tum æternæ: MVLTO tamen maius fuit beneficium quod *vnus* Christus toti orbi exhibuit. Nam longè plura & maiora bona nobis confert gratia Christi, quàm Adam abstulerit. Id patet ex gratijs & donis nobilissimis Spiritus sancti, quæ Christus contulit Apostolis, Martyribus, Doctoribus, Virginibus, Religiosis, Prælatis, alijsque Ecclesiæ filijs, vt sileam de futura vita & gloria cælesti. Quem gratiarum Christi thesaurum pulchrè hîc exponit S. Chrysostomus. IN PLVRES; græcè est, *in multos*, id est, in omnes. Sed quare Apostolus non vtitur vocabulo, *omnium*? Respondet S. Augustin. quia per, *omnes*, possent fortè intelligi valdè pauci, cùm tamen insinuatum velit Apostolus, esse valdè multos. Sed est & alia dissimilitudo. B C D

℣. 16. NON SICVT Adam PER VNVM PECCATVM infecit & perdidit omnes, ITA ET DONVM, seu gratia, Christi omnes ab vno solo peccato liberat, sed à multis & varijs peccatorum generibus quæ posteri addiderunt & addent peccato Adami, inquit Theophyl. NAM IVDICIVM QVIDEM; græcè, κρῖμα, id est, reatus, EX VNO Adami peccato fluxit IN CONDEMNATIONEM omnium, etiam paruulorum, saltem quoad pœnam damni: sed GRATIA Christi EX MVLTIS, id est, omnibus, delictis pœnitenti remissis & abolitis, tendit IN IVSTIFICATIONEM, non ab vno, sed ab innumeris peccatis nos iustificans. ita S. Augustin. Tertia dissimilitudo: *Aug. l 2 de Nuptijs & concupisc. c. 27.*

℣. 17. VNIVS Adami DELICTO MORS REGNAVIT, id est, Adam *regnum mortis* inuexit in orbem: Christus verò *regnum vitæ*, in quo summa ABVNDANTIA GRATIÆ, IVSTITIAE & omnium bonorum, vult filios suos omnes, tamquam reges, æternùm regnare, inquit Theophyl. Quarta similis dissimilitudo:

℣. 18. SICVT PER VNIVS Adami DELICTVM reatus peccati deriuatus est IN OMNES HOMINES IN CONDEMNATIONEM, vt iam vidimus vers. 16. SIC PER VNIVS Christi IVSTITIAM, græcè, δικαίωμα, id est, iustificationem; seu actionem iustificatiuam, putà OBEDITIONEM, vt explicat v. sequenti, gratia Christi deriuatur IN OMNES HOMINES, sed IN IVSTIFICATIONEM VITAE, qua à morte peccati reuocentur ad vitam gratiæ, iustitiæ & gloriæ, inquit S. Augustin. *Augustin. l. de Peccat. meritis c 15.*

Vbi Nota. Sicut ad contrahendum peccatum originale, necessum est nasci naturali generatione ex Adamo: ita ad iustitiam Christi participandam, necessum est ex, vel in, Christo nasci spirituali generatione per baptismum.

Nota Secundò, contra hæreticos. Sicut peccatum Adami non imputatur nobis solùm extrinsecè, sed reuera & intrinsecè inest vnicuique nostrûm: ita quoque gratia & donum Christi non tantùm imputatur nobis, sed intrinsecè inhæret: alioquin efficacius esset peccatum Adami, quàm gratia Christi, vtpote quæ peccatum non tolleret, sed solùm absconderet, cùm tamen peccatum iustitiam verè tollat & eliminet.

℣. 20. LEX AVTEM Mosaica (cuius aduentu fortè suspicari quis posset, sublatum esse originale peccatum, occasione dictorum v. 13.) SVBINTRAVIT, id est, obiter & ad tempus aliquod intrauit in orbem, vice fungens pædagogi ad Christum, vt doceret homines malitiam & damna peccati. Sed quia gratiam ad illud abolendum extinguendumque non conferebat, hinc eius aduentu factum, per accidens, VT magis quàm antè ABVNDARET DELICTVM in orbe, magisque multiplicaretur genus, propago & regnum peccati. *Semper* enim magis *nitimur in vetitum. Vt*, ergo, non significat hîc causam, sed sequelam & euentum. q. d. Tantum abest, peccatum originale, quod in se, suaque sobole peccatorum actualium regnarat in mundo ante legem Mosaicam, sublatum sit superuentu eiusdem legis, vt potiùs longè magis inualuerit.

VBI AVTEM ABVNDAVIT DELICTVM: id est, postquam occasione legis Mosaicæ, vt iam vidimus, inualuisset vbique peccatum, & iam mundus ad summum malorum deuenisset; tum demum missus est in orbem Christus, cuius aduentu SVPERABVNDAVIT GRATIA, quâ euersum & abolitum est regnum peccati: quod SICVT ad id vsque tempus ℣. 21. REGNAVIT toto orbe pertrahens peccatores IN MORTEM tum temporalem, tum æternam: ITA nunc prouisum VT destructo regno peccati, GRATIA Christi vicissim toto orbe REGNET, in quo PER veram solidamque IVSTITIAM pertingamus IN VITAM AETERNAM.

En duo hîc *regna*: vnum *mortis*, in quo regnauit *Adam* & *Adæ peccatum*: alterum *vitæ*, in quo regnat *Christus* & *Christi gratia*, quæ prius illud regnum *mortis* euertit. Inter hæc duo subintrauit, quasi inter-regnum, *lex* Mosaica, sed frustra: nam *lex* regnum peccati potiùs auxit, quàm extinxit. Vnde necessum fuit venire legitimum regem Christum, qui

qui facessere iussa lege, regnum peccati & mortis exscinderet, regnumque gratiæ stabiliret.

CAPVT VI.

Hortatur fideles, vt iustitia per Christum accepta, diligenter seruanda atque augenda studeant.

V. 1. QVID ERGO DICEMVS? An, quia docui, (a) *abundante delicto, superabundasse gratiam*, scrupulus mouetur aliquibus, expediátne *permanere* IN PECCATO, & accumulare peccata peccatis, VT GRATIA Christi exinde magis ABVNDET?

a *Rom.* 5. *v.* 20.

V. 2. ABSIT. *Neque* enim *facienda* sunt *mala, vt eueniant bona.* (b) Deinde, peccatum ex se non facit abundare gratiam, sed impedit, & expellit illam: solâ autem misericordiâ Dei succedit gratia in locum peccati: vnde submouenda necessariò peccata, si gratiæ locum esse velimus. Cùm ergo iam pridem illa submouerimus, imò MORTVI SIMVS PECCATO, nec plus nobis cum illo commercij sit, quàm mortuis esse soleat cum viuentibus; QVOMODO tam stulti erimus, vt ADHVC, seu iterum, *viuere* IN ILLO, eiusque fœdissimæ seruituti rursum mancipari velimus? Peccatum enim & peccati fomes, seu concupiscentia, inducitur hîc ab Apostolo quasi rex quidam vel tyrannus, qui in homine tunc regnare dicitur, quando is prauis eius desiderijs & motibus obsequitur. Et tunc etiam homo *viuere* illi vel in illo censetur: *mori* verò vel mortuus esse, quando desideriis & motibus eius non obsecundat. Pari modo dicimur viuere vel mortui esse iustitiæ, mundo, vanitati, &c.

b *Rom.* 3. *v* 8.

V. 3. QVICVMQVE BAPTIZATI SVMVS IN CHRISTO, Christianam fidem suscipiendo, IN MORTE; græcè, *in mortem*, id est, in similitudinem & repræsentationem mortis Christi, BAPTIZATI SVMVS] Quia instar Christi morientis ac sepulti corporaliter, nos per baptismum spiritualiter morimur & sepelimur. Cùm enim baptizamur & ter aquis immergimur, allegoricâ similitudine repræsentamus Christum mortuum & triduo immersum in sepulchrum. Vlteriùs etiam tropologicâ similitudine designamus, quòd, sicut Christus morte corporali mortuus est huic mundo, ita nos morte spirituali moriamur eidem mundo, eiusque domino & regi peccato, inquit S.Chrysostomus: idque seu vi baptismi, vt S.Augustinus; seu proposito sanctæ vitæ deinceps instituēdę, vt Tertul.exponit.

Augusti. Enchiridij c.51. Tertull.l. de Pœnitentia.

V. 4. VT QVOMODO CHRISTVS A MORTVIS RESVRREXIT PER GLORIAM PATRIS, id est, vitam exinceps acturus glorioſam, qualis decet filium tanti Patris: ITA ET NOS baptismo resurgentes, *nouam* exinceps *vitam* dignam filijs Dei agamus, continuò & constanter IN ea *ambulando*, id est, pergendo & proficiendo. ita Cajetan. & à Lapide.

V. 5. SI ENIM quasi surculi, seu ramusculi, COMPLANTATI; græcè, σύμφυτοι, id est, insititij, FACTI SVMVS Christo SIMILITVDINI, id est, in similitudinem MORTIS EIVS: nempe sicut ipse verè & corporaliter mortuus est, ita nos metaphoricè & spiritualiter, in baptismo illi commortui sumus: etiam ERIMVS insititij Christo in *similitudine* RESVRRECTIONIS eiusdem, nempe vt, sicut ipse resurrexit noua & glorioſa vita, ita & nos resurgamus, hîc metaphoricè & spiritualiter per sanctam & dignam filijs Dei conuersationem, (vt Sasbout & Toletus exponunt:) in futuro autem (de quo alij accipiunt,) physicè ac propriè per rediuiui corpora immortalitatem, & animæ glorioſæ triumphum sempiternum. Metaphora desumpta est à surculis insitis alteri plantæ. q.d. Sicuti ramusculus in arborem insitus, arbore per hiemem quasi moriente, illi commoritur, sed in vere, rursus arbore quasi resurgente, vnà cum ipsa resurgit: ita qui Christo per fidem inserti sunt, sicut per baptismum cum illo mortui sunt mundo & peccato, sic per nouitatem vitæ debent cum eodem resurgere, in vere quidem huius vitæ per sanctam conuersationem, in futuræ autem vitæ plena æstate, (quando *nouum cælum & noua terra* (c) repullulascent) per gloriam immortalem. ita ferè Origenes, Tertullianus & alij. Debemus autem in nouitate vitæ ambulare,

c *Apoc.* 21. *v.* 1. *Tertul. de Resurr carnis c.* 47. *& de Corona militis c.* 14.

V. 6. SCIENTES, seu cùm sciamus, QVIA VETVS NOSTER HOMO, quem ex veteri Adamo traximus, (nempe vetus viuendi ratio in concupiscentiis & sordibus, exemplo veteris Adami; vel corrupta natura nostra, quæ veteribus peccatis & concupiscentijs ex Adamo prognatis, & nostra nequitia auctis, obnoxia hæret,) SIMVL cum Christo, seu merito crucifixi Christi, CRVCIFIXVS & mortificatus EST in nobis. merito enim & virtute passionis Christi, quæ per baptismum, aliaque Sacramenta, & virtutum exercitia nobis applicantur, concupiscentiæ nostræ ita constrictæ & coërcitæ sunt, vt in nobis non ampliùs dominentur aut sæuiant: quæ ipsis est metaphorica crucifixio & morali æstimatione etiam mors, vt antè dixi. (d) VT hac crucifixione DESTRVATVR CORPVS PECCATI, id est, tota peccatorum massa, quæ quasi vnum est corpus hominis veteris, cuius membra sunt superbia, auaritia, libido, &c. cuilibet Christiano mortificanda, (quod monet Apostolus:) (e) vt, mortificatis singulis membris, concidat tandem totum corpus, omneque imperium, tyrannis & potentia *peccati*, ET VLTRA NON SERVIAMVS tam vili, tam sordido, tam iniquo hero. Vbi obiter Nota contra hæreticos, peccata in homine iusto non tegi per iustitiam imputatiuam, sed omnino *destrui* per gratiam sanctificantem, & deleri & mori, vt etiam Caluinus sui oblitus hîc agnoscit.

d *Hic v.* 1.

e *Coloss.* 3. *v.* 5.

V. 7. QVI ENIM peccato MORTVVS EST, is IVSTIFICATVS, id est, iure merito absolutus & liberatus, EST A PECCATO, seu seruitute peccati, cui subiectus fuerat. q. d. Sicut mancipium per mortem liberatur à seruitute heri sui, ita & nos per mortem spiritualem in baptismo vel pœnitentia, liberamur à seruitute peccati: vt proinde non ampliùs debeamus ei parere vel seruire. ita Chrysost. & Theodoretus.

V. 8. SI AVTEM MORTVI SVMVS peccato, & noua vita spirituali iam viuimus CVM CHRISTO, vt suprà (f) dixi; CREDIMVS & certi sumus *quòd* CVM eodem CHRISTO SIMVL ETIAM VIVEMVS aliquando vitam beatam & immortalem, etiam secundùm corpus. ita Origenes, Chrysost. Theodoretus, & Anselmus.

f *Hic v.* 1. *& 5.*

V. 10. QVOD ENIM Christus MORTVVS EST PECCATO, id est, ad peccatum abolendum & in nobis extinguendum, non nisi SEMEL, idque breuissimo tempore factum: QVOD AVTEM à resurrectione VIVIT DEO, id est, ad Dei gloriam colluſtrandam, durat durabitque æternùm.

V. 13. NE MEMBRA VESTRA EXHIBEATIS ARMA, id est, instrumenta, PECCATO, vt fœdo illi tyranno deseruiant: SED legitimo Domino & regi vestro DEO, vt facere decet eos qui EX MORTVIS *rediuiui*, iam nouam viuunt vitam spiritualem.

lem. Quòd quidam hæc explicant de vera reductione in vitam, q.d. Sic feruenter seruite Deo, ac si semel mortui, ad vitam reuocati essetis, (vt reuocatus est aliquando Lazarus, Iairi filia, filius viduæ Naim, & postea Diethelmus, Furseus (teste Bedâ) Christina Mirabilis, de qua Iacobus à Vitriaco, & plures alij,) accommodatitium potiùs quàm litterale videtur. Sed, (obiiciat quis,) peccatum hactenus toto orbe dominatum fuit, & omnes, adeoque & nos ipsi seruiuimus illi. Respondet:

Beda l.3. hist. Angl. c.19. & l.5. c.13. Card. à Vitriaco in Vita Christina.

℣. 14. VOBIS iam Christo renatis NON DOMINABITVR ampliùs PECCATVM, supple, per se & iure suo, sicut accidit ante Christi aduentum. (*a*) (nisi videlicet vos ipsi gratiam & libertatem à Christo acceptam abiiciatis, & sponte vos dedatis iterum seruituti peccati.) NON ENIM ESTIS SVB LEGE Mosaica, quando adhuc dominabatur peccatum quasi iure hereditario ab Adamo hucusque prascripto: SED ESTIS SVB GRATIA & dominio solius Christi, quales exempti sunt ab imperio peccati, nec nisi volentes possunt ab eo subigi vel deuinci, vt S. Leo pulchrè demonstrat. Verùm, possumùsne ergo liberè *peccare* & legem transgredi,

a Rom. 5. v. 21.

Leo serm. 7. de ieunio decimi mensis.

℣. 15. QVONIAM (vt dicis) NON SVMVS SVB LEGE? ABSIT] Etsi enim à iugo legis Mosaicæ, eiusque imperio exempti simus, non sumus tamen exempti ab imperio & lege Christi, multa eadem præcipientis quæ præcepit lex Mosaica: nempe quæcumque sunt in decalogo, & sunt iuris diuini naturalis. Vnde non estis per gratiam Christi absolutè liberi facti ab omni obseruatione cuiuscumque legis; sed solùm ab obseruatione legis Mosaicæ, vt talis est: nec exempti estis ab omni seruitute, sed solùm à seruitute legis Mosaicæ, & PECCATI, quod ducebat

℣. 16. AD MORTEM: semper verò manetis obnoxij seruituti Christi, & obligationi OBEDITIONIS quæ dueit AD IVSTITIAM, nempe legis Christi, quæ meritò vocatur *lex obedientiæ*, quia docet homines non proprio sensu vel nutu agi, sed in omnibus obedire Deo & fidei, & Superioribus tam politicis, quàm Ecclesiasticis. Neque est, quòd putetis aliquid libertati vestræ decedere per obligationem obediendi legi Christi, quia hæc est lex *iustitiæ*, quam toto corde, totoque animi conatu prosequimini. Vnde

℣. 17. GRATIAS immensas agite DEO, QVÒD qui FVISTIS SERVI PECCATI, iam A PECCATO LIBERATI, SERVI FACTI ESTIS IVSTITIÆ, ET OBEDISTIS IN EAM FORMAM; græcè, *typum*, DOCTRINÆ Euangelicæ, IN QVAM à nobis, imò à Deo, TRADITI ESTIS] Metaphora est à typis vel aurifabrorum vel typographorum. q. d. Vestra prompta & exacta obeditione conformes facti estis cælesti typo seu formæ doctrinæ Euangelicæ, in quem typum manu Dei & Apostolorum immissi fuistis, vt illum vita vestra & moribus exprimatis & ad viuum repræsentetis. Vnde

b 2 Reg. 7. v. 14. & 1. Cor. 10. v. 13. Baruch. 4. v. 28.

℣. 19. HVMANVM (*b*) DICO: id est, rem humanam & humano iudicio decentem, & per omnia æquam postulo. Cùm enim possem meritò à vobis exigere, quod olim Propheta Baruch, *Sicut sensus vester fuit, vt erraretis à Deo, decies tantum iterum conuertentes requiretis eum*: ego ex humanitate: non decuplum, sed solùm par studium deposco, nempe vt tanto conatu studeatis SERVIRE IVSTITIÆ IN SANCTIFICATIONEM, id est, vt in dies magis magisque sanctificemini, seu iustificemini, quanto olim *seruiistis* INIQVITATI AD INIQVITATEM, id A est, vt ex vno in aliud peccatum rueretis, & in dies scelleratiores euaderetis. Quod pulchrè deducit Origenes, Gregorius, Bernardus, & ex S. Augustino Anselmus. Quid verò mirum,

Greg. l.19. Moral. c.25. Bernard. de Vita solita.

℣. 20. CVM SERVI ESSETIS PECCATI, VOS ruisse in continua peccata? LIBERI ENIM FVISTIS IVSTITIAE, id est, soluti eratis dominio & fræno necessarij rectoris, putà *iustitia*; quæ sola vos potest continere & coërcere, quò minùs per pudenda scelera ruatis, in exitium & *mortem* æternam: sola potest per rectas virtutum semitas vos deducere ad salutem & VITAM AETERNAM]. Neque enim possunt aliò ducere peccata quàm ad mortem, cùm certissima

℣. 23. STIPENDIA; Syrus, *merces*, PECCATI sit MORS: neque *iustitia* aliò deuehere potest quàm in vitam æternam, cùm VITA ÆTERNA sit merces iustitiæ, non ex se, seu ex natura rei, sed B ex gratuito decreto & promissione Dei: vnde malo vocare GRATIAM, seu gratuitum Dei beneficium, quàm stipendium vel mercedem vt antithesis exigere videbatur. Etsi enim, præsupposito decreto iam dicto & promissione diuina, sit reuera stipendium, merces, & (vt alibi ait,) (*c*) *corona iustitiæ*, de condigno debita piis iustorum operibus: quia tamen & decretum istud, & promissio, & auxilium gratiæ (ex qua tamquam semine ac radice promanant opera iusta,) planè gratuita sunt; labor autem, quem nos adiuti gratia, ex nostra parte adhibemus, parui momenti censetur, nec tamen nisi auxiliante gratiâ adhiberi à nobis potest; hinc optimo iure *vita æterna* omni ex parte vocatur & est *gratia* & gratuitum donum, ita ferè Chrysost. Theophyl. & Augustinus, qui idcircò vocat *gratiam pro gratia, & cùm coronat nostra merita, quid aliud coronat quàm sua dona?* inquit ex eodem Augustino Cælestinus & Concilium Tridêtinum. Finio, si priùs contra Caluinum, Bezam, aliosque hæreticos obiter notaro, *seruitutem*, seu peccati, seu iustitiæ, cuius toties hoc capite meminit Paulus, non esse necessitatis aut coactionis, quæ solæ tollunt liberum arbitrium; sed esse planè voluntariam & liberam, vt est in omni eo qui sponte sua alteri famulatur: etsi enim talis, si mancipium sit, careat libertate ciuili, non tamen caret libertate naturali, quæ requiritur & sufficit vt liberum maneat illorum arbitrium, inquit S. Bernardus & omnes Philosophi.

c 2. Tim. 4. v. 8.

Augustin. epist. 105. Cælestinus Papa ad Episc. Gall. hæc c. 12. Trident. sess. 6. c. 16. Bernard. l. de Gratia & libero arbitrio.

CAPVT VII.

Fusius probat, nos non esse sub lege, sed sub gratia Christi. Agitq; de concupiscentia etiam in iustis adhuc reliqua ex peccato & lege.

D ℣. 1. LEx, qualiscumque, DOMINATVR IN subiectum sibi *hominem*, vt solet maritus dominari in vxorem, iubendo, minando, castigando, &c.

℣. 4. MORTIFICATI ESTIS. Est hypallage, (*d*) pro eo quod dicere debuisset: Lex, quæ erat quasi maritus vester, mortua est (quia scilicet PER CORPVS CHRISTI in cruce immolatum, id est, per Christi passionem & mortem, iam abolita est lex Mosaica, & in aliam meliorem commutata:) atque ita nupsistis secundo marito, nempe Christo. Sed ne Iudæos offendat dicendo, legem mortuam esse, mauult dicere, ipsos mortuos esse legi. Prior tamen sensus ex antecedente similitudine diuortij maritalis clarissimè colligitur. q. d. Sicut mortuo marito

d Prolg. de Idiotismis Hebr. n. 42.

VXOR

vxor liberatur à lege maritali & dominio quod in ipsam vsurpabat, & liberè transit ad alias nuptias: sic mortuâ lege Mosaicâ, nos omnes liberamur ab eius dominio, & legi Christi copulamur: VT deinceps non *fructificemus morti*, id est, non pariamus mala opera digna morte, & ad mortem ducentia (quæ erant fructus prioris coniugij, & proles quas sub dominio legis pariebamus:) sed FRVCTIFICEMVS DEO sub dominio secundi mariti nostri Christi, id est, bona & diuina opera edamus. ita S. Chrysost. Ambrosius & Anselm.

℣. 5. CVM ENIM ESSEMVS IN CARNE: id est, cùm viueremus secundùm carnalia desideria nostra in statu veteris & carnalis hominis, nempe sub lege; nulli alij fructus in nobis OPERABANTVR; græcè, ἐνηργοῦντο, id est, exercebantur vel producebantur, quàm PASSIONES PECCATORVM, id est, motus, affectus & opera peccaminosa, QVÆ PER LEGEM ERANT, seu occasione legis excitabantur, oriebantur & inualescebant.

℣. 6. NVNC AVTEM per gratiam Christi, SOLVTI, id est, liberati, SVMVS A LEGE illa, quæ nobis erat occasio peccati, & consequenter MORTIS, ITA VT iam SERVIAMVS Christo & Deo IN NOVITATE SPIRITVS, id est, sub noua & spiritu plena lege, ET non amplius IN VETVSTATE LITTERÆ] id est, sub veteri & non nisi litterali lege, nempe Mosaica, quæ morbos & vulnera nostra detegebat, sed non curabat, vtpotè spiritu, seu gratiæ auxilio, destituta: & sic sæpè causa erat grauioris mali & peccati.

℣. 7. QVID ERGO? AN LEX, quia causa peccati, ideò & ipsa in se PECCATVM EST?] Minimè. Lex enim ex se, & per se, bona & sancta est, & quod bonum est præcipit. Necalia ratione est causa peccati, quàm quòd nobis illud manifestet, nec tamen gratiam præstet, quâ illud curemus vel euitemus. Quod quia extrinsecum legi, & non ex intentione, sed merè per accidens est; hinc ab omni culpa illam liberat & absoluit.

CONCVPISCENTIAM, id est, internum desiderium alienæ vxoris, aut alienæ substantiæ, NESCIEBAM tam speculatiuè, quòd esset peccatum (nam etiam multi Rabbini, adeoque & ipse Iosephus (*a*) in hoc errore versabantur: (*b*) quàm practicè, id est, vix sentiebam. Sed, vers. 8. PECCATVM, id est, natura mea peccatis, vitiis, concupiscentiis subdita & infecta, OCCASIONE ACCEPTA PER MANDATVM legis nonum & decimum, vbi vetamur concupiscere, OPERATVM EST & produxit IN ME OMNEM CONCVPISCENTIAM, id est, omne genus prauorum appetituum & desideriorum. SINE LEGE ENIM concupiscentiam vetante, PECCATVM quasi MORTVVM, id est, sopitum, ERAT instar canis dormientis, sed mandato legis excitatum exarsit in omnes prauos concupiscentiæ motus. Id ego in meipso, inquit Paulus, expertus sum: nam

℣. 9. EGO ALIQVANDO, nempe in prima adolescentia, cùm adhuc SINE LEGE VIVEBAM, vtpotè necdum edoctus legem Moysis, nesciebam tunc concupiscentiam esse peccatum, neque admodum illâ infestabar. SED CVM VENISSET MANDATVM istud nonum & decimum legis in notitiam meam, mox PECCATVM, id est, natura mea peccaminosa, quæ antea instar dormientis canis sopita & quasi mortua iacebat, per legem illam excitata & lacessita REVIXIT, cuius etiam morsu grauissimè læsus, adeoque & MORTVVS SVM, dum me scientem & volentem pertraxit ad consensum. Neque enim omnis motus concupiscentiæ, etiam primò primus, A peccatum est, vt Caluinus & alij hæretici fingunt: sed soli motus voluntarij, seu quibus liberè consentimus: nam hi soli prohibentur præcepto, *Non concupisces*, vt omnes sancti Patres explicant, & Concilium Tridentinum definit. Et Scriptura tantùm ait, (*c*) *concupiscentiam parere peccatum*, nempe accedente consensu voluntatis: monetque solùm, (*d*) *ne post concupiscentias nostras* consentiendo *eamus*.

℣. 13. ERGO QVOD, BONVM in se EST, nempe lex, FACTVM EST MIHI MORS, id est, mortiferum, seu lethale? ABSIT. Quòd enim ego mandatum legis transgressus sim, & ita mortem animæ incurrerim, non est culpa legis aut mandati, sed vitio meo id factum, qui mandato abusus sum. Nam PECCATVM, id est, natura mea peruersa & peccaminosa (VT APPAREAT PECCATVM, id est, vt vel hinc pateat quanta sit eius peruersitas,) PER BONVM, id est, per legem, seu occasione legis, quæ ex se bona est, pellexit *me* in MORTEM, instar lenonis alicuius vel lenæ: ita VT *fieret* in me SVPRA MODVM, græcè, *secundùm hyperbolem*, id est, excessiuè & supra quàm dici possit, PECCANS PECCATVM, id est, multa, magna & exuberantia peccata produceret & causaret.

℣. 14. LEX SPIRITVALIS EST, quia (vt exponit Chrysost.) spiritualia præscribit, scilicet virtutes sectari, vitia fugere. EGO AVTEM vitio corruptæ naturæ, sector ea quæ non spiritui, sed carni placent, vtpote VENVMDATVS SVB PECCATO; (*e*) græcè, *sub peccatum*. q. d. Iam pridem ab Adamo, pretio vilissimi pomi venditus & traditus in seruitutem peccati, seu naturæ peccaminosæ. vnde non lex, sed ego ipse mihi causa sum peccati, & consequenter mortis. Origenes, Basilius, Chrysost. & alij Græci, quin & S. Hieron. (*f*) & August. (*g*) vno loco, censent S. Paulum hic loqui in persona peccatoris sub lege adhuc gementis. Sed alio loco id retractat Augustinus (*h*) & Hieronymus, (*i*) & cum S. Hilario, Nazianz. Ambrosio (quos citat Augustinus) dicit S. Paulum de seipso loqui & in persona hominis iusti. q. d. Ego iam liber à lege, & sub gratia constitutus, & tot priuilegijs à Deo dotatus, tantos tamen concupiscentiæ stimulos atque incitamenta in malum sentio, vt instar serui emptitij, sæpiùs cogar inuitus illi parere, illiusque motus & impetus velim nolim sentire. Ita etiam explicant S. Gregorius, (*k*) Anselmus, Primasius, S. Thomas, Sasbout, Pererius, à Lapide, Menochius & plures alij. *Concupiscentiæ* ergo quasi tyranno traditi sumus, etiam iusti: non item *peccato*: cogimur enim motus eius sentire, sed non consentire, inquit S. Bernardus.

℣. 15. QVOD ENIM sic, secundùm carnem, seu partem animæ inferiorem, OPEROR impulsus & coactus per prauam naturam meam, v. g. primos inordinatos motus concupiscentiæ, ego secundùm spiritum, seu partem animæ superiorem, NON INTELLIGO, (*l*) scilicet practicè approbando, id est, non consentio, non volo, non probo. ita S. August.

NON ENIM QVOD VOLO BONVM, HOC AGO. nempe vellem bona multa & magna facere alacriter, promptè, expeditè; sed inualescente concupiscentia sæpiùs non ita perficio, nec possum perficere; cùm è contrario MALVM, QVOD mente ODI, nempe motus primòs concupiscentiæ, sæpissimè *faciam* per naturam. Vnde cùm

℣. 16. ILLVD *faciam nolens*, vel potiùs inuoluntariè patiar secundùm naturam, mente & voluntate per omnia manente BONA, integra, & *consentiente*, seu conformi, LEGI diuinæ; sequitur quòd

℣. 17.

Trid. sess. 5. c Iac. 1. v. 15.

d Eccli. 18. v. 30.

e 3. Reg. 21. v. 20.

Basil. in Reg. breuioribus in respons. ad 16. interrog.

f Hieron. ad Algasiam q. 8.

g August. hic & ad Simplician. l. 1 q. 1.

h August. l. 1. Retract. c 23. & l. 6. contra Iulian. c. 11.

i Hieron. l. 2. contra Pelagianos.

k Greg. l. 19. Moral. c. 6. Bernar. sup.

l Matt. 7. v. 23. & psal. 1. v. 6. August. l. 1. contra duas epist. Pelagianor. c. 11.

a Ioseph. l. 12. Antiquit. c. 13.

b Matt. 5. v. 23. & seq.

℣. 17. IAM NON EGO OPEROR ILLVD, (scilicet A in quantum homo sum, & secundùm rationem ac voluntatem operor,) SED PECCATVM concupiscentiæ, QVOD IN ME HABITAT, id est, natura mea corrupta: in qua

℣. 18. NON HABITAT BONVM, vel aliquid quod me ad bonum faciendum inuitet, sed potiùs propensio & incitatio ad malum. VELLE quidem ADIACET MIHI, *sed* PERFICERE BONVM, NON INVENIO] Id est, prompta voluntas, seu facultas appetendi bonum, est in me iustificato: sed vix & non nisi difficulter illud exequi possum: *Spiritus quidem* (a) *promptus est, caro autem infirma*, imò & rebellis ac reluctans spiritui. ita S. Augustinus, Anselmus, S. Thomas, Primasius & Syrus.

a Matt. 26. v. 41.

℣. 21. INVENIO ergo volens aliquid ex præscripto diuinæ legis præclari facere, INVENIO in me, seu experior, aliam LEGEM contrariam mihi, meque impedientem, nempe *legem*, dictamen, imperium concupiscentiæ, quod MIHI in parte animæ inferiore perpetuò ADIACET, intimè insitum est & inhæret: ac non rarò B

℣. 23. CAPTIVAT ME, non voluntatis consensione, sed passionum commotione, vt etiam inuitus ac reluctans cogar vitiosas concupiscentiæ inclinationes, dictamina, impulsus sentire, eiusque motus & laqueos euadere non possim, inquit idem S. Augustinus.

℣. 24. INFELIX, græcè, ταλαίπωρος, id est, miser, ærumnosus, EGO HOMO, QVIS ME LIBERABIT DE CORPORE MORTIS HVIVS] id est, de corpore hoc moribundo, & miserijs mortalis huius vitæ, & nominatim tot prauis affectibus obnoxio. Insinuat Apostolus, luctam hanc mentis & carnis non accepturam finem, antequam mortali hac vita perfuncti fuerimus. Tunc enim, & non antè liberabit nos

℣. 25. GRATIA, seu gratuita misericordia DEI, intuitu meritorum *Christi* nos ab omnibus miseriis expediens, & vita nos donans, vt beata ac immortali, & ita & pacifica atque omnis perturbationis experte. Interea dum hæc adhuc differtur, saltem MENTE, seu parte animæ superiore, SERVIAM fideliter LEGI DEI, etsi CARNE, id est, parte inferiore, seu sensitiua, cogar sæpiùs *seruire* LEGI PECCATI, id est, imperio concupiscentiæ. Ludit enim Apostolus in verbo *peccatum*, vt alibi dixi. (b) De hac lucta concupiscentiæ contra spiritum, & remedijs ad victoriam obtinendam, vide S. Augustinum, egregiè hac de re differentem. Solùm hîc Nota, à S. Paulo vnum eumdemque hominem ratione diuersarum affectionum & operationum vocari nunc interiorem, spiritualem, vel nouum hominem, item spiritum, mentem, vel partem animæ superiorem: nunc partem inferiorem, carnem, corpus, hominem veterem, animalem, exteriorem. *Interior*, &c. vocatur, quando conformiter dictamini interni luminis tum rectæ rationis, tum gratiæ, operatur & fertur in ea quæ spiritualia ac diuina sunt. *Exterior*, &c. quando ex dictamine sensuum & appetitus sensitiui, operatur & fertur vt plurimum in ea quæ carni & sanguini placent, vt dicet cap. sequenti v. 5.

b Proleg. supr. n. 29. Augustin. l. de Cõtinentia c. 2. 7. & 33. & l. 8. Confess. c. 11. & serm. 45. de Tempore.

CAPVT VIII.

Contra infirmitatem legis, & nocumenta concupiscentiæ, quæ hactenus exposuit, iam vires spiritus & gratiæ Christi describit, nempe quanta bona iustis per Christum, Christique spiritum & gratiam obueniant.

℣. 1. IIS ERGO QVI per fidem & charitatem insiti SVNT IN CHRISTO IESV, id est, iustificatis, NIHIL NVNC DAMNATIONIS EST, id est, nihil damnatione dignum, nullâ damnabilis culpa, vt Tridentinum exponit. Cum *iustitia* enim (quæ perfectam inducit amicitiam cum Deo,) non consistit reatus culpæ damnabilis, seu mortalis: licèt bene consistat reatus pœnæ, seu obligatio ad pœnam temporalem: item reatus culpæ leuioris, seu venialis. Hinc contra Caluinum ceteroscque hæreticos patet, Primò, motus concupiscentiæ primò primos, seu inuoluntarios, qui remanent in iustificatis, non esse peccata damnatione ex se digna. Secundò, peccata per baptismum ac pœnitentiam nõ radi tantùm vel tegi exteriùs, sed reuera interiùs etadi & omnino tolli. Tertiò, legem, *non concupisces*, & quamcumque aliam posse à iustis impleri etiam in hac vita. Nam alioqui falsum esset dicere, nihil in iustis esse damnatione dignum. Etsi enim maneat in me, etiam iustificato,

Trid. sess. 5. canone 5.

℣. 2. LEX PECCATI ET MORTIS, nempe imperium concupiscentiæ, repugnans legi mentis meæ, & impetu suo me subinde captiuans, vt suprà (c) vidimus: *ab* eius tamen dominio, quo sibi seruientes & subiectos peccati reos facit coram Deo, LIBERAVIT ME LEX SPIRITVS VITÆ, seu lex spiritus viuificantis, id est, lex gratiæ *Christi*, quâ mihi conceditur, vt etsi sentiam imperium & impetum concupiscentiæ, possim tamen nullo negotio non consentire illi; imò facilè superare ac deuincere. ita S. Augustinus, Theophyl. & Anselmus. C

c Rom. 7. v. 22. & 23.

℣. 3. QVOD IMPOSSIBILE ERAT omni alteri LEGI tam Mosaicæ, quàm naturali, IN QVO, id est, quatenus & quia, INFIRMABATVR, id est, infirma, inualida, impotens erat, partim propter carentiam gratiæ & auxilij ad id necessarij: partim PER CARNEM, id est, propter naturam humanam nimis infectam & immersam concupiscentijs carnis & peccatis, quæ lex per se tollere non poterat. Vnde misericordia motus DEVS mittens; græcè, πέμψας, id est, cùm misisset; vel hebraismo, id est, *misit*, in mundum FILIVM SVVM IN SIMILITVDINEM CARNIS PECCATI, seu peccatricis, id est, indutum carne, seu naturâ humanâ, quæ similis esset carni peccatrici aliorum hominum, ita Theophyl. Quâ indutus Christus DE PECCATO DAMNAVIT PECCATVM IN CARNE: id est, per oblationem carnis suæ in cruce damnauit peccatum, & dominio, quod instar tyranni in omnes homines vsurpabat, spoliauit, idque propter grauissimum peccatum ab ipso peccato admissum, nempe propter vim iniustè & indignè illatã Filio Dei, quà Agnum innocentissimum occidit, eò quòd videret illum habere similitudinem carnis peccati. Est prosopopœia. q. d. Iustè priuauit Christus peccatum dominio suo, eò quòd vsurparit dominium non suum: quicumque enim manum iniustè extendit in aliena, iustè priuatur suis, inquit Chrysost. Theodoretus, Theophyl. Simili iure Christus morte sua damnauit & occidit mortem. Duo enim hi tyranni, peccatum & mors, de possessione regni quod inuaserant, deturbati sunt per Christum. D

℣. 4.

℣. 4. VT IVSTIFICATIO LEGIS, id est, vt remissio peccatorum, iustitia & sanctitas, quam lex Mosaica præscribebat & exigebat, nec tamen per se præstabat, per legem & gratiam Christi compleretvr & perficeretur IN NOBIS] Certum enim est, in tanta naturæ humanæ corruptione, per solas naturæ vel legis Mosaicæ vires sine gratia Christi, non potuisse mandata omnia impleri, & per consequens neque peccata remitti, neque iustitiam acquiri.

℣. 6. PRVDENTIA SPIRITVS, VITA ET PAX] Græcè, *sapere*, amare, sectari *spiritualia*, pacem & omnium bonorum prouentum conciliat, & tandem vitam æternam.

℣. 7. SAPIENTIA CARNIS, quâ quis viuit secundùm desideria carnalia, INIMICA EST DEO, quia ex diametro illi aduersatur, & quia NON EST SVBIECTA LEGI DEI, sed prorsus contraria & rebellis: NEC ENIM POTEST illi subijci, vel cum ea stare, quia prorsus illi repugnat, sicut aqua igni.

℣. 9. VOS IN CARNE NON ESTIS, SED IN SPIRITV, id est, non estis carnales, nec carnalia sectamini, sed spiritualia: SI TAMEN (quod de vobis omnino mihi persuadeo,) SPIRITVS DEI ET CHRISTI HABITAT IN VOBIS per viuam fidem & gratiam sanctificantem, agens, dirigens, excitans vos ad ea quæ spiritualia & diuina sunt. Qui enim tali SPIRITV destituitur, NON EST EIVS, id est, Christi genuinus filius aut discipulus.

℣. 10. QVOD SI CHRISTVS per Spiritum suum IN VOBIS EST, iam demum SPIRITVS vester VIVIT vita spirituali gratiæ, PROPTER IVSTIFICATIONEM, id est, per & propter iustificantem & viuificantem gratiam, quam in spiritu, seu anima vestra producit, fouet & continuò auget Spiritus Christi habitans in vobis: etsi CORPVS, pars vestri vtilior, MORTVVM, id est, mortis necessitati obnoxium sit, (ita certò & breuî, vt ex nunc pro mortuo habeatur:) idque PROPTER PECCATVM, id est, merito peccati, talem pœnam deposcentis, inquit S. Augustinus. Sed hæc ipsa

August. l. 1. de Peccat. meritis c. 4.

℣. 11. MORTALIA CORPORA VESTRA VIVIFICABIT rursum Deus PROPTER INHABITANTEM SPIRITVM *Christi* IN VOBIS] Spiritus enim sanctus, qui per gratiam sanctificantem habitat in anima iusti, causa est resurrectionis & vitæ glorioſæ etiam corporis. Est enim Spiritus hic ex se & in se vita, viuificans, animans, vegetans omnia.

℣. 14. QVICVMQVE SPIRITV non mundi, non dæmonis, sed DEI AGVNTVR, eiusdem cum illo indolis & genij, ii demum SVNT genuini FILII DEI, quibus promissa & parata est hereditas vitæ æternæ. Hoc est secundum argumentum quo probat viuendum esse secundùm spiritum Dei, quia nempe sic decet veros filios Dei. Sequitur tertium argumentum, versu sequ.

℣. 15. NON ACCEPISTIS SPIRITVM SERVITVTIS, seu seruilem spiritum & indolem IN, id est, cum, TIMORE, vt scilicet instar seruorum solo timore pœnæ adigamini ad obediendum legi, eiusque mandata complenda, vt olim Iudæi: SED ACCEPISTIS SPIRITVM ADOPTIONIS FILIORVM, id est, filialem spiritum & indolem, qualis est liberorum & ingenuorum hominum adoptatorum in filios Dei. Talem enim spiritum atque indolem indit suis quos inhabitat Spiritus sanctus. Quo instigante CLAMAMVS, ABBA, seu PATER, id est, inuocamus Deum, non sicut serui herum suum, putà cum timore & affectu seruili: sed sicut filij amantissimum patrem suum, nempe filiali & fiduciali affectu, inquit S. Augustinus. Et hoc est quartum argumentum. *August. epist. 105.*

℣. 16. IPSE ENIM SPIRITVS sanctus in nobis habitans TESTIMONIVM REDDIT SPIRITVI, id est, menti & cordi, NOSTRO, QVÒD SVMVS non mancipia, sed FILII DEI] Inferunt hæretici: Ergo omnes iusti infallibiliter sciunt se esse iustos: quia testimonium Spiritus sancti non potest non esse certissimum, imò infallibile. Respondeo, Nego consequentiam; quia testimonium istud, licet in se & quatenus à Spiritu sancto procedit, sit certissimum & infallibile: quatenus tamen nobis exhibetur, non est certum nisi certitudine coniecturali, & vt summùm morali, vt suprà (*a*) in simili vidimus. Nam vt alia taceam, non sumus certi an illud testimonium proficiscatur à Spiritu sancto, an verò à spiritu maligno transfigurante se in *angelum lucis* (*b*) Vnde monet S. Ioannes, (*c*) *Probate spiritus* vtrùm *ex Deo sint*. Et S. Paulus. (*d*) *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*. Et ita docet Tridentinum & omnes Orthodoxi.

a *Rom. 5. v. 1.*
b *2. Cor. 11. v. 14.*
c *1. Ioan. 4. v. 1.*
d *1. Cor. 4. v. 4.*
Trident. sess. 6 de iustitia.

Petes, Quodnam sit hoc testimonium Spiritus sancti? Respondeo, experimentum pacis internæ & tranquillitatis conscientiæ, nullis (quod sciamus) grauioribus peccatis obnoxiæ, simul & desiderij ad promptè & ex puro amore seruiendum Deo: quibus freti fiducialiter *clamamus, Abba*, id est, *Pater*, confisi, nos esse filios Dei.

℣. 18. PASSIONES HVIVS TEMPORIS, seu vitæ, quatenus humanæ sunt vel naturales, NON SVNT CONDIGNÆ AD FVTVRAM GLORIAM QVÆ in altera vita REVELABITVR & palàm IN NOBIS apparebit. Quatenus autem sunt passiones ex gratia Christi toleratæ, eiusque meritis innixæ, prorsus condignæ sunt ad futuram gloriam. Verùm hoc ex se suaque intrinseca qualitate non habent (cùm nimis leues & breues sint, & nullo modo proportionatæ tanto præmio,) sed ex gratuito decreto, beneplacito, ac promisso Dei. Est hoc quintum argumentum. Sequitur sextum:

℣. 19. EXSPECTATIO omnis CREATVRÆ EXSPECTAT REVELATIONEM gloriæ FILIORVM DEI] Græcum ἀποκαραδοκία, significat solicitam & anxiam exspectationem, quasi eius qui exerto capite & intentis oculis eminus venturum adiutorem prospicit & exspectat. Vnde non dicit simpliciter Apostolus, *creatura exspectat*, sed, *exspectatio creaturæ exspectat*. q. d. Cæli, elementa, ceteraque omnia creata, licet insensibilia, tamen auidissimè, naturali appetitu exspectant, & (vt est v. 22 gementes & instar parturientium dolentes) præstolantur tempus quo filij Dei æternâ gloriâ donabuntur, nempe vt vnà cum eis, quibus quasi dominis & heris seruierunt, ipsa etiam gloriam suam, (putà renouationem & vltimam perfectionem) accipiant. ita S. Chrysost. cum suis, Ambros. Pererius, Toletus & à Lapide, qui hîc notat duodecim argumenta quibus Apostolus excitat fideles ad patientiam, quæ tu lector consule, si lubet. *Ambros. 4. Hexamer.*

℣. 20. CREATVRA ENIM perpetuæ VANITATI, vitâ hac durante SVBIECTA EST, nempe continuæ mutationi, defectioni, corruptioni, & tot seruilibus laboribus, quibus impendi se sinit in obsequium hominum, NON VOLENS, id est, non sponte sua, neque ex inclinatione suæ naturæ: (nam naturaliter res quæque appetit stabiliter conseruari, & horret ac fugit corrumpi:) SED PROPTER Deum, diuinamque ordinationem: Deus enim SVBIE-

SVBIECIT creaturam huic vanitati & seruitio,non tamen in perpetuum, sed solùm ad tempus, facta illi certâ SPE liberationis & commutationis in melius,quæ illi obtinget in vniuersali resurrectione.

℣. 21. IN LIBERTATEM GLORIÆ, id est, ad exemplum (inquit Pererius, Toletus & à Lapide) vel(vt S. Chrysost.)ad communicationem glorioſæ libertatis,FILIORVM DEI. Sicut nutrix pueri regij, cùm puer coronatur, etiam ipsa propter puerum participat de bonis regijs. Et quid mirum, creaturas inanimes, irrationales & viles naturaliter optare & aspirare ad meliorem statum? cùm

℣. 23. ETIAM NOS IPSI Christiani, etsi PRIMITIAS SPIRITVS HABENTES, id est, sortiti primos, pinguiores ac delicatiores fructus Spiritus sancti, putà gratiam iustificantem ac sanctificantem cum tot annexis virtutibus, dotibus, solatijs, cupedijs, auxilijs cælestibus (quæ in primitiua Ecclesia maximè abundabant:) his tamen non satiemur, sed *gementes* anhelemus ad plenam & consummatam ADOPTIONEM, id est,ad integram possessionem omnium cælestium bonorum, ad quæ æternùm hereditanda adoptati sumus, nempe ad REDEMPTIONEM quoque CORPORIS NOSTRI, seu liberationem à mortalitate, concupiscentia, alijsque huius vitæ miserijs, quæ in resurrectione demum nobis obtinget, ita S. Chrysost. Theodoret, Cyrillus & Toletus. Necdum enim reipsa,sed

Cyril.l. 14. Thesauri c.1.

℣. 24. SPE sola SALVI FACTI SVMVS,quando in iustificatione adoptati sumus in filios & heredes Dei. SPES AVTEM NON EST de re QVÆ VIDETVR, tenetur aut possidetur,sed quam

℣. 25. PER PATIENTIAM EXSPECTAMVS] *Spes nondum peruenit ad rem*, inquit S. Augustin. *& ouum est aliquid,sed nondum est pullus.* Donec igitur rem ipsam plenè obtinuerimus, meritò angimur & ingemiscimus,simulque pro virili nostra satagimus omnia illi adipiscendæ necessaria vel vtilia adhibere, omnia nocentia arcere.

Augustin. serm.29 de Verbis Apostoli.

℣. 26. SIMILITER EST SPIRITVS sanctus in nobis habitans, ex sua parte ADIVVAT INFIRMITATEM NOSTRAM,quæ tanta est,vt *ne* quidem *sciamus* QVID aut qualiter OREMVS, seu à Deo deposcamus, SICVT OPORTET ad salutem æternam obtinendam: tantum abest possimus proprijs viribus assequi vel exequi omnia ei obtinendæ necessaria vel vtilia. SED IPSE SPIRITVS sanctus, vt in nobis inhabitat, & nostri perpetuam ac singularem curam gerit, ita etiam PRO NOBIS & loco nostri POSTVLAT apud Deum; græcè, ὑπερεντυγχάνει, id est,interpellat, & quasi diligentissimus aduocatus, desideria clientum suorum exponit in cõsistorio SS. Trinitatis; GEMITIBVS INENARRABILIBVS] Est catachresis.q.d. Tanta instantia & ardore, quanta facilè explicari non possint. ita ferè Tertull. Nazianz. Hilarius, Ambros. S. Thomas, Toletus & à Lapide. Postulat autem non se solo, sed vnà nobiscum, imò & per nos, dum nempe nostram mentem & cor, quasi sua iam membra & instrumenta (nam per diuinam inhabitationem, gratiam & adoptionem fecit illa sua) mouet, illuminat, excitat, accendit, inflammat: tanta sæpè vi & ardore, vt etiam expertissimi stupeant, nec capere aut assequi possint, tantum abest effari vel *enarrare* possint. Subinde etiam eos affectus,desideria & vota inspirat, ea media & remedia suggerit, ea postulari facit in oratione, quæ nec antè cogitata, nec obuia fuerunt, nec scitur vnde veniant aut quò tendant.(*a*)

Nazianz. orat.2. de Fil. Hilar.in psalm.64. Ambros. epist.23 ad Hor. S.Thom.3. p.q.21.a.4.

a Ioan.3. v 8.

℣. 27. QVI AVTEM SCRVTATVR CORDA Deus, SCIT QVID DESIDERET, & per talia intendat SPIRITVS sanctus:& ita scit, vt etiam approbet, exaudiat,& ad optimum finem deducat: QVIA Spiritus sanctus quæcumque sic pro nobis, in nobis, & per nos postulat, omnia SECVNDVM DEVM, id est, ex Dei mente, nutu & voluntate, POSTVLAT, vtpote PRO SANCTIS, electis & dilectis filiis suis.

℣. 28. SCIMVS *quòd* DEVM toto corde DILIGENTIBVS OMNIA, quæcumque & vndecũque obueniunt, singulari Dei prouidentia COOPERANTVR IN BONVM, etiam *peccata*, inquit Augustin. Anselm. & S. Thomas, nempe *ex casu humiliores, cautiores & feruentiores resurgunt.* Porrò causa cur tanto illis studio inuigilet Deus, est amor eius eximius quo prosequitur tum omnes homines quantum ex se est, tum maximè iustos, QVI SECVNDVM PROPOSITVM, id est, ex gratuito & liberali beneplacito Dei, VOCATI SVNT SANCTI, id est, inuitati sunt, & inuitantem secuti sunt ad vitæ morumque sanctitatem.

Aug l.2. de Corrept. & gratia c.1.

℣. 29. NAM QVOS ab æterno PRAESCIVIT Deus per ductum gratiæ suæ & consensum liberæ voluntatis tales futuros, PRAEDESTINAVIT ad vlteriora bona, ad excellentiores honores, nempe vt CONFORMES *fiant* IMAGINI *filio* Dei, qui omnibus exemplar est sanctitatis, gratiæ & virtutum in hac vita,& gloriæ ac felicitatis in altera vita. Conformes, inquam, fiant iusti Christo tum in his omnibus iam dictis bonis, quæ in ipso, quasi primario exemplari repræsentantur: tum in modo quo hæc bona obtinuit, fouit, ornauit, nempe per multas passiones, obloquia & cruces: vt quemadmodum ex diuino decreto *oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*; (*b*) ita *qui vult venire post* Christum, ex pari decreto diuino, *tollat crucem suam,& sequatur* eum. (*c*) Vt etiam sic in patientia, lucta, & certamine, consequenter & in victoriis ac triũphis, *sit* Christus formaliter *primogenitus in multis fratribus*, Christo vt primogenito reliqui fratres secũdogeniti seu adoptiui,reddantur per omnia (quoad fieri potest) similes ac conformes.

b Luc.24. v.26.

c Matt.16 v.24.

℣. 30. QVOS AVTEM ad hanc plenam cum Christo conformitatem Deus ab æterno PRAEDESTINAVIT, HOS commodo tempore, loco & modo ETIAM VOCAVIT, & per vias opportunas ad illam deduxit, laxando subinde habenas dæmoni, mundo, carni, vt iustis materiam & occasionem luctæ ac passionis subministrent. Sed QVOS sic VOCAVIT,HOS ETIAM diuina sua prouidentia per easdem luctas ac passiones IVSTIFICAVIT,non prima iustitia(nam vt patet ex v.præc.iam antè *vocati sunt sancti*,& tales esse *præsciuit* Deus:)sed secunda iustitia, (*d*)id est,iustiores & sãctiores reddidit. Nec hoc solùm, sed & tot tantisque laboribus atque ærumnis fortiter perfunctos eximiè GLORIFICAVIT, seu, vt alij vertunt, *magnificauit*, id est, magnos, celebres, glorioſos effecit, tum in hac, tum maximè in futura vita. ita Gabr. Vasquez, qui pro hac expositione citat Origenem, Cyrillum & alios Patres, & probat Cornelius à Lapide. Scopus enim Apostoli est, docere, quemadmodum procurante diuinâ prouidentiâ, Christo passiones omnes & cruces cooperatæ sunt in maius bonum & maiorem gloriam: ita eadem procurante cooperabuntur eædem etiam iustis, supple, si voluerint ipsi, Deo vocanti, ducenti ac dirigenti, se permittere, eidemque obsequi

d Hie.c 4 v.3.

q.4. p. q.23.

sequi & cooperari. Nam posse *vocatos* refragari, patebit ex capitibus sequentibus. Vnde patet non agi hîc de absoluta & absolutè efficaci prædestinatione & electione ad conformitatem cum Christo, sed solùm de efficaci quantum est ex parte Dei, & adhuc conditionata ex parte hominis, nempe si velit hîc sequi eligentem & vocantem Deum: de quo infrà (a) fusiùs.

a *Rom. 9. v. 30. & toto c. 10. & 11. Ephes. 1. v. 5.*

℣. 31. SI DEVS ergo PRO NOBIS & à nobis stat, inuicto prouidentiæ suæ scuto nos tegens ac tutans, QVIS hostium CONTRA NOS prævaleat? Neque metuendum, desore nobis hoc scutum.

℣. 32. QVI enim ETIAM PROPRIO FILIO SVO NON PEPERCIT, SED ILLVM PRO NOBIS OMNIBVS (quotquot voluerimus) saluandis ac glorificandis TRADIDIT in mortem; QVOMODO CVM ILLO NON ETIAM NOBIS DONAVIT OMNIA ad dictam salutem & gloriam assequendam ex parte sua necessaria? ac præ omnibus diuinæ tutelæ, opis ac prouidentiæ suæ scutum?

℣. 33. QVIS hic hostium ACCVSABIT, seu accusationem instituere ausit, ADVERSVS eiusmodi amicos & clientes DEI, ab ipso ELECTOS in consortes seu socios Christi sui? Obiiciant quæcumque volunt, DEVS est QVI IVSTIFICAT, id est, ab intentata aduersariorum actione clientes suos absoluit, iustosque pronuntiat; QVIS CONDEMNET aut reos faciat? Venit Ioannes Baptista *non manducans, neque bibens*; & dicit mundus, *Dæmonium habet*. (b) Quid tum? Veritas Ioannem iustificat. (c) *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*. Venit Filius hominis, *mãducans & bibẽs*, (d) *& curans omnes infirmitates*; (e) & dicunt, *Ecce homo vorax, potator vini, amicus publicanorum*, &c. *Samaritanus es & dæmonium habes*, (f) imò *principem dæmoniorum* (g) *Beelzebub*. Sed iustificat Christum *Pater* cælestis: (h) *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Iobo exprobrat dæmon quòd *in faciem*, seu exteriùs tantùm & fictè *benedicat* & seruiat Deo. (i) Ab amicis quoque (k) vocatur stultus, *impius, hypocrita, tyrannus, leo, tigris*, &c. Sed iustificat eum Deus: *Non est ei similis in terra*, (k) *vir simplex & rectus ac timens Deum*. Caro tentat, sigillat, colaphizat, (m) anxium & scrupulosum vult facere? Deus qui attendit non sensum, sed consensum, si hic defuerit, iustificat te; (n) *Nihil nunc damnationis est ijs qui sunt in Christo Iesu*. Quis ausit condemnare? Verùm etsi nullus externus me hostis terreat, terret propria conscientia, quæ ob peccata olim admissa me anxium facit, ne fortè illa à me, etsi iam pridem pœnitente, olim in diuino iudicio exigantur.

b *Matt. 11. v. 18.*
c *Ibid. v. 11.*
d *Matt. 11. v. 19.*
e *Matt. 4. v. 23.*
f *Ioan. 8. v. 48.*
g *Matt. 12. v. 24.*
h *Matt. 3. v. vlt.*
i *Iob 1. v. 11. c. 2. v. 5.*
k *Iob 4. v. 10. & 11. c. 5. v. 2. c. 8. v. 2. & 22. c. 11. c. 15. 18. 20 22. 34. &c.*
l *Iob 2. v. 3.*
m *2. Cor. 12. v. 7.*
n *Rom. 8. v. 1.*

Sed huic malo obuiat CHRISTVS IESVS saluator & redemptor noster, QVI vt nos ab omni reatu tum culpæ, tum pœnæ expediat, MORTVVS EST. nec tamen ita mortuus vt sit impotens nos vlteriùs adiuuare: nam secundùm diuinitatem, & etiam secundùm animã mori non potuit: IMÒ & secundùm corpus RESVRREXIT à mortuis, & rediuiuus sedet AD DEXTERAM DEI, & instar soliciti aduocati ac patroni, INTERPELLAT perpetuò PRO NOBIS Patrem, suos labores, suas passiones, suas cicatrices, sua merita diuino conspectui semper ostentans, quibus pro omnibus pœnitentibus iam pridem plenè satisfecit.

℣. 35. QVIS ERGO, seu internus, seu externus hostis, quæ creatura, quæ occasio NOS SEPARABIT A CHARITATE CHRISTI? id est, à charitate fauore, ope, protectione, quâ Christus, & Deus per Christum nos prosequitur, inquit Toletus & Pererius. Et consequenter etiam à charitate quâ nos A Christum & Deum diligimus, vt alij exponunt. q.d. Deo tam solicitè nobis inuigilante, tam paternè nos protegente, tanta cura & vigilantia prouidente vt omnia nobis in bonum cooperentur; quis nostrum anxius esse possit de continuatione amoris & fauoris eius erga nos, aut nostri (si velimus) erga illum affectus & obsequij? Certè *in omni tribulatione & angustia*, quas ex diuino decreto, vt suprà (o) vidimus, necesse est v. 36. (SICVT psalmo 43. v. 22. SCRIPTVM EST,) electos subire; fortiter, generosè ac gloriosè

o *Hic v. 29.*

℣. 37. SVPERAMVS, non nostra virtute, sed per & PROPTER EVM, id est, eius gratia & auxilio, QVI NOS tantoperè ab æterno DILEXIT, nostrique tam solicitam curam continuò gessit. Vnde fidenter pronuntio,

℣. 38. CERTVS SVM, quòd NOS inuitos aut nolentes NON POTERIT A CHARITATE DEI, seu MORS à tyrannis intentata, seu VITA ex eorumdem promissione lautè continuanda: NEQVE ANGELI, NEQVE PRINCIPATVS, NEQVE VIRTVTES, id est, nulla vis spiritualis, seu dæmonum, seu aliorum angelorum, si quid tale vellent aggredi: NEQVE INSTANTIA, id est, præsentia, seu bona, seu mala;

℣. 39. NEQVE ALTITVDO prosperitatis, NEQVE PROFVNDVM miseriæ, vt Toletus ex Oecumenio: vel, vt alij, neque cæli, neque inferi: sed soli nos ipsi praua nostra voluntate possumus nos diuellere à Deo, à charitate, à iustitia, à salute. Nam, vt optimè docet S. Augustinus, ita hîc astruitur potentia & efficacia diuini erga nos affectus, vt tamen metus relinquatur propriæ malitiæ, socordiæ & negligentiæ. Vnde vocula *certus sum*, non designat omnimodam & absolutam certitudinem, sed solùm ex parte Dei, diuinæque prouidentiæ: ex nostra verò parte non nisi conditionatam, si Deo cooperari; nec ab eo nos diuellere velimus. Et hoc vult Græcum πέπεισμαι, quod tum hîc, tum alibi, (p) ex mente Pauli idem est quod, persuasum habeo, spero, confido, vt hîc legit S. Ambrosius, Hieronymus, Syrus, Vatablus, imò & Erasmus, Beza, Tremellius & plures alij heterodoxi.

Augustin. l. de Moribus Ecclesiæ c. 11. & seq.

p *Rom. 15. v. 14. & Hebr. 6. v. 9. & 2. Tim 1. v. 5. & c. Hieron. q. 4. ad Algasiam.*

CAPVT IX

Promissiones diuinas de iustitia & salute, facta olim Abrahæ eiusq; filijs, docet spectare non ad carnales filios, sed spirituales, qui nempe credendo in Christum, fidem Abrahæ imitantur. Cùm verò Iudæi, vt plurimùm, noluerint se tales præstare, Gentiles è contrario passim se tales præstiterint; nil mirum, Iudæos à iustitia & salute repulsos esse, Gentiles verò ad illam electos & ascitos fuisse. Omnis enim iustificatio & salus nostra ex absoluto decreto & voluntate Dei, ab vno Christo petenda est & exspectanda.

℣. 1. IN CHRISTO, id est, teste Christo: IN SPIRITV SANCTO] id est, illuminante & impellente me Spiritu sancto.

℣. 2. TRISTITIA MIHI MAGNA EST ob id quod cogor iam propalare, nempe incredulitatem & infelicitatem Iudæorum ob repudium & reiectionem à Deo. Tantum enim abest, odio Iudæorum aut legis Mosaicæ hæc dicam, vt iam pridem *optarim*

℣. 3. ANATHEMA ESSE A CHRISTO PRO FRATRIBVS MEIS Iudæis. Hebræum *cheram*, (q) & Syrum *cherma*, & Latinum *anathema*, teste Budæo significat totalem separationem, excisionem, succisionem, occisionem. Optabat ergo Paulus (vt

q *Leuit. 14. v. 28.* חרם חרמא

olim Moyses, (a))heroïco quodam excessu charitatis, æternùm (si opus vel vtile foret) separari *à Christo*, id est, non à charitate & gratia, sed à persona Christi, seu ab æterna beatitudine & gloria futura cum Christo in cælis, dummodò hac via Iudæi saluarentur. ita Chrysostomus cum suis, Theodoretus, Sotus & Catharinus. Addit Cassianus, optasse pœnis addici æternis, vt hac via plures bearentur, & Deum laudarent in æternum. Quod licere etiam cuiuis sibi optare sub tali conditione, docet Lud. Molina.

a *Exodi* 32. v 31.

Cassian. collat. 32. *c.* 6.

Molina 1. *p. q.* 24. *in fine.*

℣. 4. QVORVM ADOPTIO EST FILIORVM: id est, qui olim à Deo adoptati sunt in filios, iuxta illud Exodi 4. v. 22. *Filius meus primogenitus Israel.* Quorum item est GLORIA, id est, arca fœderis, (b) inquit Toletus: & tot alia glorioſa beneficia, prodigia & miracula, inquit Theodoretus, quibus eximiam gloriam præ omnibus Gentibus assecuti sunt: *Non* enim *fecit taliter omni nationi.* (c)

b 1. *Reg.* 4. *v.* 21.

c *Psal* 147. *v. vlt.*

TESTAMENTVM] Id est, fœdus seu pactum, quod Deus Exodi 24. tam solemne inijt cum Iudæis.

ET LEGISLATIO] Id est, quibus lex cælitus allata fuit in Sinai. (d)

d *Exodi* 19. & 20. &c.

ET OBSEQVIVM; græcè, λατρεία, id est, cultus veri Dei, vera religio. ET PROMISSA cælitus facta de Messia, & iustitia ac salute per Messiam præstanda.

℣. 5. QVORVM PATRES, supple, sunt illi nobiles, inclyti & famosi heroës. EX QVIBVS etiam prognatus EST CHRISTVS? Quæ omnia arguunt eximiam Iudæorum dignitatem.

℣. 6. NON AVTEM hæc dico de repudio Iudæorum, QVOD, seu quasi ideò, EXCIDERIT, id est, irritum factum sit, VERBVM, seu promissum DEI; cùm, quod Israelitis promissum fuit, iam Gentibus concedatur, putà benedictiones spirituales, de iustitia, salute & vita æterna per Christum conferenda, quæ promittuntur Abrahæ Genesis 12. v. 2. & alibi: (e nempe, *Benedicam tibi, eriſq; benedictus: Ero Deus tuus & seminis tui*, quia *in te & in semine tuo* Christo, *benedicentur*, id est; iustitiam, gratiam, gloriam æternam assequentur *omnes Gentes.* De his enim solis erat quæstio: nam corporales benedictiones, de multiplicandis eius posteris, & possessione terræ Chanaan optimè ac fertilissimæ ipsis conferenda, nullum erat dubium quin Iudæis, non verò Gentibus collatæ essent, cùm soli Iudæi ad hoc vsque tempus terram Chanaan possiderent. Sed hi de spiritualibus bonis, Abrahæ eiusque semini promissis querebantur, non semini Abrahæ aut Israelis, sed extraneis illa concedi, si (quod Paulus aiebat) reiectis Israelitis, Gentiles ad iustitiam, gratiam & gloriam admitterentur. Hanc cauillationem tum hîc, tum alibi (f) refellit Paulus, dicens, promissiones illas spirituales à Deo factas posteris Abrahæ & Israelis, non carnalibus, id est, Iudæis, sed spiritualibus, id est, Christianis, qui fidem Abrahæ & Israelis sectantur.

e *Genes.* 17. *v.* 7. & *c.* 22. *v.* 18.

f *Galat.* 3. *v* 14. & *Rom.* 4. *v.* 3. & 24.

NON ENIM OMNES QVI EX ISRAEL, id est, ex Iacobo Patriarcha, carnaliter prognati SVNT, II SVNT veri ISRAELITÆ secundùm mentem Scripturæ, seu FILII PROMISSIONIS, id est, ad quos pertineat diuina promissio spiritualis facta Abrahæ & Israeli. Hæc enim promissio spectat ad solos spirituales illorum filios, nempe qui fidem illorum imitantur, quales sunt pauci ex Iudæis, plurimi ex Gentibus. Id verò probatum vobis dabo duplici simili exemplo. Nam Primò, NON OMNES ℣. 7. QVI SEMEN SVNT ABRAHAE, id est, qui carnaliter ex Abrahamo (cui promissiones illas primò fecit Deus) procreati sunt, ij omnes eo ipso censentur tales eius FILII, vt simul sint *filij* DEI, nempe quos Deus adoptauit in filios, vt in eis benedictiones quas Abrahæ fecerat, compleret. Talis enim filius, erat solus ISAAC, eiusque posteri, dicente Scriptura, IN ISAAC, in posteris Isaaci, VOCABITVR & censebitur TIBI SEMEN. q. d. Non Ismaelitæ, neque alij ex Cetura (g) procreandi tibi FILII CARNIS, id est, sola naturali vi generatiua producti, erunt heredes tui, sed soli Isaacidæ, QVI SVNT FILII PROMISSIONIS: id est, qui ex Isaaco, singulari Dei promissione & virtute supernaturali, tibi iam seni & sterili Saræ concesso procreabuntur. Ita iam quoque, veri Abrahæ & Israelis filij & heredes spirituales sunt, non quos naturalis ex ipsis generatio, sed quos promissio & supernaturalis regeneratio per fidem & gratiam produxit.

g *Gen.* 25. *v.* 1.

℣. 10. SED ET REBECCA idipsum experta est, scilicet veros filios & heredes censeri non omnes qui carnaliter gignuntur, sed eos solos qui diuinitus eliguntur. Et hoc est alterum exemplum. q. d. Fortè suspicaberis, ideò reiectos ab hereditate Ismaëlem & filios Cetura, quòd ex ancillis (h) vel concubinis (i) prognati sint; Isaac verò electum, quia ex Sara libera & totius familiæ domina procreatus est. Sed falleris: nam en tibi vnam eamdemque Isaaci coniugem Rebeccam, quæ EX VNO eodemque CONCVBITV & complexu coniugali simul duos cõcepit & in lucem edidit filios, (k) è quibus tamen solus MINOR, scilicet Iacob, ad hereditanda patribus promissa bona delectus & electus fuit à Deo; senior verò Esau neglectus & reiectus est. ita S. Chrysost. Theophyl. à Lapide, Menochius & alij.

h *Gen* 16. *v.* 1 &c. *c.* 25. *v.* 6.

i *Ibid. v.* ult. &c.

℣. 11. CVM ENIM NONDVM NATI FVISSENT Esau & Iacob (ne putes aliquid datum præcellentiæ ætatis:) & *nondum* ALIQVID BONI EGISSENT AVT MALI (ne meritis aliquid tributum existimes;) VT SECVNDVM ELECTIONEM MANERET PROPOSITVM DEI] id est, vt firmum ac stabile esset quòd Deus sua sponte & libera electione proposuerat & ab æterno decreuerat, nempe Iacobum eiusque posteros extollere & honorare præ Esau eiusque posteris; ideo

℣. 12. NON EX præuijs aut præuisis OPERIBVS, vel operum meritis Iacobi vel Esau: SED EX solo VOCANTE, (id est, ex solo nutu & beneplacito Dei, quemque pro libito ad quæcumque voluerit eligentis ac vocantis,) DICTVM & reuelatum EST Rebeccæ, (l) quòd ℣. 13. MAIOR natu Esau *seruiturus* esset MINORI Iacobo, non in proprijs personis, (nam numquam id factum,) sed in posteris suis. Soli enim Israelitæ promissam terram Chanaan possederunt, ex Israelitis progenitus est Messias, &c. & seruierunt illis Idumæi, posteri Esau, tempore Dauidis, (m) Salomonis, (n) Iosaphat (o) & Machabæorum. (p) Ita, præter citatos, etiam Toletus. Et hoc est quod apud Prophetam Malachiam SCRIPTVM (q) EST, IACOB DILEXI, ESAV ODIO HABVI] Quæ verba licet propriè, & vt sonant, vera sint de posteris Esau & Iacobi, quorum hi ob sincerum Dei cultum chari fuerunt Deo, illi verò ob idololatriam aliaque scelera exosi: malim tamen hîc ex recepta Hebræorum consuetudine, (de qua alibi, (r)) per *odium* intelligere solum neglectum, vel, vt summum, castigationem & afflictionem, qualem inferre solent qui aliquos odio prosequuntur.

l *Gen.* 25. *v.* 23.

m 2. *Reg.* 8. *v.* 14.

n 3. *Reg.* 11. *v.* 14.

o 4. *Reg.* 8. *v.* 20.

p 1. *Mach.* 5. *v.* 65. & 2. *Mach.* 10. *v.* 16.

q *Malach.* 1. *v.* 2.

r *Ibid.* & *Prolog. in Idumæa Hebr. n.* 7.

tur. Neglectis enim & quasi reiectis, semperque A grauissimè afflictis Idumæis, Israelitas peculiari dilectione prosequebatur vbique Deus, his imperium in illos dabat, hos quasi proprium peculium fouebat, promouebat, bonis omnibus cumulabat. Non ergo agit hîc Apostolus de dilectione vel electione (vt quidam arbitrantur) ad gloriam cælestem, vel etiam ad gratiam & iustitiam, quasi vel persona Iacob, vel eius posteri soli iustificandi aut saluandi essent, Esau verò & Idumæi omnes damnandi, (quia hoc falsum est, cùm verisimile sit Esau saluatum esse, vt alibi dixi,(a) & certò constet, abnepotem Esau Iobum, (b) eiusque amicos, & multos alios ex posteris pari modo saluatos fuisse, maximè postquam sub Ioanne Hyrcano Ecclesiæ & Synagogę Iudaicę inserti fuerunt.(c)) Sed agit de dilectione & electione in peculiarem populum & hereditatem Dei, cui cederent promissiones factæ Abrahæ de possidenda terra Chanaan, de Messia B ex eius semine nascituro, &c. Ad hæc enim Deus, pro suo solius beneplacito selegit Iacobum, eiusq; posteros Israelitas, reiecto Esau, eiusque posteris Idumæis.

a *Genes.* 36. v. 4.
b *Iob* 1. v. 1.
c *Abdiæ* v. 16. & 18. & *in comm.*

℣. 15. MISEREBOR CVIVS MISEREOR] Id est, cuiuscumque voluero. q. d. Eiusmodi electio non est opus iustitiæ, nec cuiquam iure debita: sed est solius misericordiæ & gratuita, ideoque mihi libera. Poteram enim, si libuisset, hereditationem bonorum corporalium promissorum Abrahæ extendere etiam ad Idumæos. Et pari ratione (nam & hoc quoque, saltem in Allegorico sensu, videtur Apostolus insinuare voluisse) poteram hereditationem bonorum spiritualium de iustitia & salutè æterna promissorum Abrahæ extendere etiam ad eos qui sola carnali generatione ex Abraham & Iacobo essent procreandi, etsi fidem illorum non imitarentur. Sed vt illud nolui, ita nec istud placuit. Vtrumque mihi liberum, neutrum vlli iniurium est.

℣. 16. IGITVR NON VOLENTIS, NEQVE CVRRENTIS EST, SED MISERENTIS DEI] q. d. Benedictio Isaaci, (& quæ hanc consequebatur, hereditatio bonorum Abrahæ & Isaaco promissorum) non obuenit Esau, licèt Isaacus id enixè vellet, & Esau citissimè venatum curreret: (d) sed neque Iacobo ideo obtigit, quòd volenti matre cucurrerit ad gregem, citiusque hœdum patri attulerit, quàm Esau suam venationem: (e) sed quia Deus pro suo solius beneplacito, sic voluit ac decreuit. ita Anastas. Toletus & à Lapide. Pari modo, quòd illi qui per fidem in Christum spirituales filij sunt Abrahæ & Iacobi, id est, quòd Christiani hereditent bona spiritualia Patriarchis illis promissa, exclusis qui solùm carnales filij sunt, seu Iudæi; non prouenit ex volitione, cursu, vel præuijs meritis horum vel D istorum: (seu ex operibus legis Mosaicę Iudæorum, vel legis naturalis Gentilium,) sed ex solo nutu & beneplacito Dei, nolentis tam nobilem benedictionem & filiationem alligare rebus naturalibus vel cæremonialibus, sed solis supernaturalibus, putà fidei & spei in Christum, tamquam dispositioni ad iustitiam (qua fiunt filij Dei) congruæ & necessariæ. Nec est quòd vel Esau, vel Idumæi, vel carnales Iudæi querantur factam sibi aliquam iniuriam, cùm planè liberum sit Deo vt misereri, ita etiam non misereri alicuius, sed relinquere in suis miserijs, vt reliquit Pharaonem in suis peccatis & obdu ratione; cùm potuisset illum eripere, vt eripuit Nabuchonosorem, Cyrum & alios quosdam tyrannos, qui æquè ac Pharao mali & obdurati fuerant. Nec causæ iustæ desunt Deo cur hunc in miserijs relinquat, alios eripiat: nec minùs ex vno, quàm ex altero elucet eius diuina potentia, sapientia & gloria.

d *Genes.* 27. v. 3. &c.
e *Ibid.* v. 9. &c. *Anastas. in Q. S. Scriptura* q. 59.

℣. 17. IN HOC IPSVM, ô Pharao, EXCITAVI TE] non ad peccandum, vel mihi rebellandum (vt exponunt hæretici,) sed ad solium regni occupandum. In Exodo (vnde hæc desumuntur,) est, *posui te*, supple, in solio regio: vbi Chaldæus & LXX. verterunt, *conseruaui & sustinui*, vt in populum meum insurgeres, inquit S. Chrysost. & Photius.

VT OSTENDAM IN TE comprimendo & puniendo, VIRTVTEM, id est, *fortitudinem*, MEAM, vt est in Exodo: vt sic toti orbi metus incutiatur. Non quòd hæc fuerit primaria & absoluta intentio Dei, sed secundaria & ex hypothesi, nempe si Pharao suâ malitia pœnam promeritus fuerit. Et ita expone etiam v. 22. Deus enim in omnibus omnino & primariò & absolutè intendit ostendere gloriam, potentiam, sapientiam, bonitatem suam: sed cùm hæc ostendi possint duplici via, putà vel misericordiæ, vel iustitiæ; viam misericordiæ sæpè quidem pro placito suo absolutè ac determinatè intendit: sed viam iustitiæ numquam nisi sub conditione, si quis sua culpa promeritus fuerit.

Exodi 9. v. 16.

℣. 18. ERGO CVIVS VVLT MISERETVR, vt patuit in Iacobo, eiusque posteris: ET QVEM VVLT INDVRAT, vt patuit in Pharaone, in Amorrhæis, (f) & similibus obstinatis. *Indurat*, inquam, non directè & propriè (vt blasphemant Caluinus & Puritani,) sed impropriè & indirectè, scilicet eo ipso quo non miseretur, sed subtrahit specialia & frequentia auxilia gratiæ, & permittit peccatorem in sua malitia & duritia (ad quem sponte pronum est cor humanum, quando vberiore gratia Dei destituitur) C perseuerare & crescere, & obijcit subinde, sed aliis iustis de causis, occasiones, ex quibus magis indurentur, vt aliàs (g) docui.

f *Exod.* 4. v. 21. & *Deuter* 2. v. 30. & *Iosue* 11. v. 20.

℣. 19. QVID ADHVC QVERITVR Deus? græcè, μέμφεται, id est, conqueritur. q. d. *Si Deus*, vt dixisti, *cuius vult miseretur, & quem vult indurat*, cur succenset impijs, & ob impietatem illos punit? voluntate enim Dei tales sunt, cui nemo resistere potest. Huic blasphemæ obiectioni respondebit categoricè v. 22. Sed priùs hîc retundit horum blasphemorum superbiam obiectu pleni & absoluti dominij, quod Deus habet in omnes homines & creaturas.

g *Exodi* 7. v. 3.

℣. 21. AN FIGVLVS NON HABET absolutam POTESTATEM LVTI, (h) & plenum in istud ac libe- h *Ierem.* rum dominium, VT EX EADEM MASSA FACIAT 18. v. 9. ALIVD VAS IN HONOREM, id est, in vsus honorificos: ALIVD VERÒ IN CONTVMELIAM, in vile, probrosum & contumelioſum ministerium? an pari modo Deus, ratione absoluti dominij sui, non habet liberam potestatem, v. g. vt ex vna eademque Abrahamitica massa Israelitas bonis & beneficijs promissis Abrahæ cumulet & honoret; Ismaelitas & Idumæos malis & flagellis oneret, imò Israelitarum seruituti addicat? ex eadem incolarum Ægypti massa Israelitas qui seruiebant, educat in libertatem, & extollat in gloriam; Ægyptios verò qui dominabãtur; infinitis plagis atterat, ac demum in profundum maris demergat? ita Toletus. Quanto igitur potiori iure potest ex diuersa, vel diuersimodè disposita massa (non iam ex nudo dominio suo, sed etiam ex legibus iustitiæ) facere vnum vas in honorem & gloriam, alterum in sordes & in con-

contumeliam? vnum extollere, alterum deprimere? vnum ad iustitiam & salutem prouehere, alterum indurare? hoc enim, saltem allegoricè, vult hinc inferre S. Paulus. Sed tunc Deus, sicut non nisi impropriè & indirectè indurat, ita non nisi impropriè & indirectè facit vas in contumeliam: propriè autem & directè peccator ipse facit se tale vas, vti etiam se indurat, possetque, si vellet, (vt alibi (a) dicitur) se à suis sordibus emundare, & ex vase contumeliæ fieri vas in honorem. Vnde iure merito queritur Deus & succenset & punit induratos. Et hæc est directa & plena responsio Pauli ad blasphemam impiorum obiectionem v. 19. propositam: nempe

a 2. Tim. 2. v. 21.

℣. 22. DEVS non fecit illos, sed ipsi se fecerunt talia VASA IRÆ, APTA; græcè, *aptata* (supple, propria culpa, obstinatione, & impœnitentia) IN INTERITVM, ad nihil aliud seruientia quàm ad pœnas & supplicia subeunda. Quod verò dicatur eos *indurare*, non facit propriè vel directè, sed solùm indirectè & occasionaliter, nempe *patienter sustinendo*, seu tolerando partim illorum nequitias & scelera, partim inductiones nouarum occasionum quibus magis magisque indurentur. Talia verò iustè liciteque tolerantur, quando iustæ causæ adsunt, Deus autem duplicem hîc habet causam. Prior est, VT IRAM ET POTENTIAM, id est, iustam & potentem vindictam, in induratos OSTENDAT] v. g. flagellando Ægyptios tot plagis, & Pharaonem demergendo in mari: (putant enim sæpè impij, ex impotentia Dei nasci quòd non statim puniat scelera:) posterior est, vt sceleratorũ punitione clariùs elucescat glorioſa Dei *misericordia*, opulentia ac beneficentia in Sanctos & electos, quos ab æterno vti præuidit esse VASA MISERICORDIÆ suæ diuinæ adaptata & dicata, ita PRÆPARAVIT IN honorem & GLORIAM æternam. ita Græci Patres, S. Thomas, & plerique interpretes. Ex quibus patet, non agi hîc de completa prædestinatione aut reprobatione, vel de absoluta electione ad gloriam, aut deputatione ad infernum: quasi Deus, seu ante (vt vult Caluinus cum suis) seu post præuisum peccatum originale (vt volunt nonnulli Catholici Doctores) pro suo solius placito certum definitumque numerum hominum, nullo habito respectu ad illorum merita vel demerita actualia, destinarit absolutè saluare, reliquos damnare, vel in massa (vt aiunt) damnatorum relinquere: & hos esse *vasa contumeliæ* & *iræ* diuinæ, illos *vasa misericordiæ* & *honoris*. Apostolus enim hîc agit de *vasis* quæ possint mutare conditionem, & emundare se à sordibus, atque ita è vasis contumeliæ euadere vasa honoris, (b) aut è contrario. (c) Quę mutatio cadere non potest in destinatos absolutè ad gloriam, vel ab illa absolutè reiectos. Agit ergo hîc Apostolus de solis destinatis ad hereditatem, etiam spiritualem, Abrahæ & Patriarchis promissam, puta ad iustitiam, & consequenter etiam ad salutem per Christum consequendam: sed destinatis sub conditione, si eidem Christo (quem omnibus necessarium redemptorem pro suo solius beneplacito Deus proposuit) per fidem & debitum cultum subdi, inseri & inhærere voluerint. Vide Vasquez, Molinam, à Valentia, à Lapide.

b 2. Tim. 2. v. 1. Roman. 11. v. 23.
c Ibid. v. 20. &c.

℣. 24. Nos. q. d. Hæc quæ dixi *vasa misericordiæ*, non sunt lutea vel figlina, sed sunt vasa humana, nempe *nos*, spirituales & veri Abrahæ heredes, filio eius Christo per fidem & gratiam inserti: & consequenter adoptati etiam à Deo in filios & heredes regni ipsius cælestis. QVOS ET VOCAVIT ad eam dignitatem Deus, NON SOLVM EX IVDÆIS, seu ex solis carnalibus Abrahæ posteris, (vt vos, ô Iudæi, futurum arbitrabamini,) SED ETIAM EX GENTIBVS, sicut se facturum promisit Osee 2. vers. 24. Imò verò paucos ex Iudæis ad Christum conuertendos

℣. 27. CLAMAT ISAIAS, (d) cùm ait: ETSI NVMERVS carnalium FILIORVM ISRAEL, iuxta promissionem (e) factam Abrahæ FVERIT TAMQVAM ARENA MARIS, id est, quasi infinitus, tamen non nisi RELIQVIÆ SALVAE FIENT, vel, vt habet Isaias, *conuertentur* ex eo, supple, ad Dominum, id est, exigua solùm pars. Quod Isaias ad litteram prædicit de Iudæis tempore Ezechiæ regis Iuda ex clade per Sennacherib Assyrium tyrannum illata residuis: sed allegorico, & à Spiritu sancto principaliter intento sensu, vult intelligi de Iudæis tempore Christi ad eius fidem & cultum conuertendis & ita saluandis. Nam teste eodem Isaia, (f)

d Isaiæ 10. v. 22.
e Gen. 22. v. 17.
f Isaias sup.

℣. 28. CONSVMMANS ET ABBREVIANS est Deus, id est, consummabit & abbreuiabit VERBVM, id est, rem de qua agimus, nempe numerum Iudæorum, IN AEQVITATE, seu prout æquum & iustum erat, ad Christum conuersorum, *breuem*, id est, exiguum, colliget. Patent hæc ex Græco & textu Isaiæ. Quo eodem adhuc (g) teste,

g Isaiæ 1. v. 9.

℣. 29. NISI DOMINVS SABAOTH, id est, exercituum, potenti sua gratia RELIQVISSET NOBIS ex Iudæis modicum aliquod SEMEN, seu reliquias, v. g. Virginem Deiparam, Apostolos, Discipulos Christi, & paucos alios ab his ad fidem conuersos, iam funditus perijssemus SICVT SODOMA ET GOMORRHA, toto Israele reiecto ac reprobato à Deo. Cita S. Hieronymus. Cyrillus, Augustinus, Rupertus & Haymo.

Augustin. l. 1. ad Simplicianum q. 2. Alij in Isaiæ 1. v. 9.

℣. 30. QVID ERGO DICEMVS? Fatebimur quod res est. Nempe, QVOD GENTES, QVAE NON sunt ex Abrahamo carnaliter prognatæ neque SECTABANTVR IVSTITIAM, sed pronæ ruebant in omnia scelera, (h) tamen APPREHENDERVNT & assecutæ sunt IVSTITIAM, & quidem veram IVSTITIAM, verè à peccatis liberantem, verè Deo reconciliantem; QVAE non nisi per *fidem* in Christum acquiritur:

h Rom. 1. v. 32. & 9.

℣. 31. ISRAEL VERO, seu maior Israelitarum pars, SECTANDO LEGEM IVSTITIAE, id est, legem Mosaicam, quæ ipsis ad comparandam iustitiam data erat, & ipsos eò (si sequi voluissent) manuducebat, putà ad fidem in Christum:) tamen IN LEGEM IVSTITIAE, id est, ad legem & fidem Christi verè iustificantem, & extra quam nulla est iustitia vel salus, NON *peruenerunt*. Ecce, post longam dissertationem, soluit demùm Paulus nodum quæstionis hoc capite sibi propositæ, putà cur Iudæi à iustitia & salute reiecti, Gentes verò ad eam ascitæ & electæ sint à Deo. Causa, inquit, est,

℣. 32. QVIA Gentes vocatæ à Deo rectam viam, quæ ex decreto diuino ducit ad iustitiam, inierunt, nempe credendo in Christum: Iudæi verò quantumcumque solicitati, NON voluerunt EX FIDE in Christum haurire iustitiam (vnde tamen necessariò hauriri debet:) SED EX solis OPERIBVS & cæremonijs legis suæ Mosaicæ, QVASI illis alligata esset. Nam etsi in venturum Messiam antè crediderint, (i) & summis votis illum adhuc absentem expetierint: cùm tamen ad rem ventum fuit, & Messiam præsentem habuerunt, induci non potuerunt vt eum pro Messia amplecterentur vel agnoscerent

i Luca 7. v. 19.

scerent: OFFENDERVNT ENIM sua arrogantia IN LAPIDEM OFFENSIONIS, id est, in Christum. q.d. Non arrisit ipsis hic Christus, sed scandalizati sunt eius humilitate, paupertate, cruce & morte. Atque ita in hunc lapidem, quem Deus *posuerat in Sion*, vt filij Sionis præ omnibus aliis nationibus primi huic lapidi inædificarentur, ipsi primi fœdissimè impegerunt,& corruerunt in impietatem, in perfidiam,in damnationem.

¥. 33. SICVT SCRIPTVM EST, & ante octingentos annos(*a*)de ipsis prædictum ab Isaia:(*b*)ECCE PONO IN SION LAPIDEM fundamentalē & angularem (*c*) Ecclesiæ meæ: OMNIS QVI CREDIT IN EVM,siue Iudęus,siue Gentilis,NON CONFVNDETVR nec frustrabitur spe sua, sed certò iustitiam & salutem assequetur. Sed & quicumque non crediderit in eum, certò confundetur, & numquam salutem aut iustitiam assequetur, quacumque demum alia via illam quæsierit: quin potiùs tali lapis iste erit LAPIS OFFENSIONIS, ET PETRA SCANDALI,occasio lapsus, ruinæ, exitij & damnationis, non lapidis, sed suomet vitio. ita Sionis filiis euenturum (heu!)præuideo & prædico.

a 1 Chronici c 30. in Isaia.
b Isaia 8. v. 14 & c. 28. v. 16.
c Psal. 117. v. 22.

CAPVT X.

Declarat quantum præcellat iustitia fidei,iustitia legis cui mordicus adhærere voluerunt Iudæi: Gentibus libenter amplexantibus illam quæ ex fide est. Deum vtrosque ad iustitiam pari modo vocasse, & vtriusque Euangelium prædicari iussisse:sed Iudæos maluisse illis contradicere & oppugnare, quàm credere.

¥. 2. ÆMVLATIONEM DEI; græcè, *zelum*, HABENT legis diuinæ, SED NON SECVNDVM SCIENTIAM, seu dictamen prudentiæ: Nam contra Dei honorem & legem opponunt se Filio Dei & legi diuinæ.

¥. 3. IGNORANTES ENIM IVSTITIAM DEI, id est, veram & Deo probatam iustitiam, nempe quâ non coram solis hominibus, sed etiam coram Deo iusti reddimur, ipsique plenè reconciliamur per fidem viuam in Christum; QVÆRVNT & satagunt STATVERE, stabilire, tueri vnicam SVAM *iustitiam*, quam quasi sufficientem ad salutem sibi delegerunt,quæ sita est in obseruatione cæremoniarum Mosaicarum & traditionum Pharisaicarum, (*d*) & solùm iustos reddit coram hominibus: vnde IVSTITIAE DEI veræ ac genuinæ NON SVNT SVBIECTI; græcè, *non se subdiderunt*, vel subdere noluerunt; & consequenter non sunt iustitiam assecuti, ne quidem illam, ad quam lex Mosaica (cuius adeò zelosi sunt,)illos manuducebat.

d Matth. 5. v. 20. c. 23. &c.

¥. 4. FINIS ENIM, scopus & intentum LEGIS Mosaicæ CHRISTVS est: quia tota lex ad Christum, quasi ad finem, scopum & terminum suum collimat, tendit, vocat, manuducit, AD IVSTITIAM veram ac solidam per illum præstandam OMNI CREDENTI,id est,per viuam fidem in illum, ita Theodoret. S. Thomas & alij. Quòd si à scopo isto præscindas,& solam sectaris

e Hic v. 3.

¥. 5. IVSTITIAM QVAE EX LEGE EST, (*e*) seu legalem, quæ ex obseruatione præceptorum legis resultat, per hanc,vel ipso Moyse teste,(*f*)non assequeris nisi vitam & salutem temporalem & corporalem: nam spiritualem & æternam non promittit lex nisi per Christum. ita S. Ambros. Theodor. Anselm. Neque tamen velim existimes, ad illam per Christum iustitiam assequendam, opus tibi esse præsentia corporali personæ Christi, vt eius, seu aspectu, seu attactu, saneris aut iustificeris, vt ipse propterea vel è cælis, vel ab inferis euocandus tibi sit. Longè secùs res habet. Nam si licuit Moysi de lege sua, ceteroqui difficillima (*g*) (*quam nec nos, nec patres nostri portare potuerunt*,)dicere,(*h*)*Mandatum hoc non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm, vt* meritò *possis dicere, Quis nostrum valet ad cælum ascendere, vt deferat illud ad nos*, &c. Longè potiori iure idem

f Leuit. 18. v. 5.
g Act. 15. v. 10.
h Deut. 30. v. 11.

¥. 6. DICIT IVSTITIA QVAE EST & hauritur EX FIDE in Christum,nempe,NE DIXERIS IN CORDE TVO, neque solicitus aut anxius quæras: QVIS mihi ad iustitiam à Christo accersendā ASCENDET ad ipsum IN CAELVM? ID EST in sensu Allegorico, *Quis* eò *ascendet*, CHRISTVM inde *deducturus* ad me præsentia sua corporali curandum ac iustificandum? AVT QVIS DESCENDET IN ABYSSVM, vel in subterraneos specus, in sepulcrum vel in limbum patrum? HOC EST allegoricè, *Quis* eò *descendet*, CHRISTVM A MORTVIS (si forsan apud illos versetur,) in orbem *reuocaturus*? Non est quòd te crucies,aut quòd angaris:nam quod ibi

¥. 8. SCRIPTVRA de lege Mosaicā DICIT, hoc in legem Christi & iustificationem per Christum longè veriùs quadrat: PROPE EST VERBVM, id est, res tibi facilis est, in promptu & ad manum,nec alibi quærenda, quàm IN proprio CORDE TVO, ET ORE TVO: facillima est iustificationis & salutionis tibi via. Nam HOC EST VERBVM FIDEI, id est, ad hæc pauca reuocatur totum Euangelium,QVOD vobis tamquam necessarium ad iustitiam & salutem assequendam PRAEDICAMVS,nempe,vt

¥. 9. CORDE CREDAS in Filium Dei pro te incarnatum, mortuum & *resuscitatum*, ET ORE idipsum PROFITEARIS]Hic enim resurrectionis articulus, tamquam vltimus terminus, complectitur in se & præsupponit omnes alios articulos fidei necessarios. & difficillimè induci poterant Iudæi, qui Iesum occiderant, ad credendam eius resurrectionem: & eâ creditâ, factum ipsi suum sponte retractabant, pœnitebant; ceteraque & credenda & agenda vltrò amplectabantur.

¥. 10. CORDE ENIM, id est, intellectu (ex voluntatis imperio) omnino necessariò in Christum CREDITVR AD IVSTITIAM obtinendam: ad eamdem verò fouendam, stabiliendam, augendam, & consequenter AD SALVTEM assequendam debet etiam ORE & opere externo, quandocumque res exigit, CONFESSIO fieri seu professio fidei. Ex quo patet, non solam fidem, vt contendunt hæretici, sed etiam professionem fidei tum verbalem, tum realem, (& consequenter bona opera) necessariò requiri ad iustitiam & salutem, eamdemque causare, seu promereri, primam (*i*) nempe iustitiam decongruo, secundam etiam de condigno.

i Rom. 4. v. 3.

¥: 11. OMNIS QVI sic CREDIT IN ILLVM, (*k*) siue Iudæus ille fuerit, siue Gentilis, NON CONFVNDETVR, non frustrabitur sua fide & spe, sed iustitiam & salutem speratam certò assequetur.

k Isaiæ 28. v. 16.

¥. 12. NON ENIM EST, in hoc vlla (licet vos id putetis,)DISTINCTIO IVDAEI ET GRAECI, (*l*) seu Gentilis. NAM IDEM & communis OMNIVM DOMINVS, æquali affectu DIVES, id est, largus & munificus, est promiscuè IN OMNES homines & nationes, dummodò qua decet fide, spe, contritione & charitate ILLVM INVOCENT, eiusque gratiam & opem implorent. Vides præter fidem, etiam *inuocationem* hic requiri? sub *inuocatione* autem

l Rom. 1. v. 16.

intelligit non solam opis diuinæ imploratione, A sed etiam gratiarum actionem, laudem, adorationem, sacrificium, votum, martyrium, omnemque externũ cultum Dei. Sicut alibi de *iuramento* dixi.(a)

a *Ierem* 12. *v* 16 *Amos* 8. *v.*14 & *Sophoniæ* 1. *v.*5.

℣. 14. QVOMODO ERGO INVOCABVNT etiam Gentiles *nomen Domini*, IN QVEM NON CREDIDERVNT, imò de quo nihildum inAVDIERVNT?] q.d. Vos Iudæi mihi succenseris quod Gentium habeat Apostolus, (b)& ipsis euangelizem & communicem gratias à Christo concessas. Atqui iam ex Isaia, Ioele & aliis Prophetis vidimus, iustitiam & salutem per Christum, non solis Iudæis, sed promiscuè omnibus omnino Gentibus, dummodò ipsum inuocent, promissam à Deo: ergo voluntate eiusdem Dei debet etiam Gentibus id innotescere, & consequenter debet ipsis prædicari.

b *Rom.*11. *v.*13.

Isa supr. *Ioel* 2.*v.*32.

℣. 15. QVOMODO VERÒ vel ego, vel alij præcones Euangelij PRÆDICABVNT illud NISI MITTANTVR? nam absque legitima missione, seu destinatione Dei ad tale munus, non licèt vlli id vsurpare, cùm nullus possit esse legatus, nisi missus ab eo cuius est legatus. Vnde illa Dei querela apud Ieremiam, *Non mittebam eos, & ipsi currebant.* Ex quo subintelligẽdum relinquit Iudæis Paulus, se iussu & missu Dei prædicare etiam Gentibus Euangeliũ: vt passim constabat partim ex publica fama & testimonio Ecclesiæ: partim ex tot tantisque miraculis, quibus missionem suam vbique probatam ac certam faciebat. Nam talibus quasi sigillis diuinis solet missio præconum Euangelij, maximè ad nouas prouincias, cælitus comprobari, vt hac via fidem faciliùs inueniant, & aduentus illorum gratior accidat. SICVT SCRIPTVM EST apud Isaiam: QVAM SPECIOSI PEDES EVANGELIZANTIVM, id est, quàm suauis, quàm amœnus, quàm gratus est aduentus, discursus, labores præconum Euangelij, omnibus PACEM ET BONA omnis generis per Christum nobis procurata, auditoribus suis afferentium! nempe remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, gratiam & dona Spiritus sancti, curationem insuper morborum(c)& aliorum defectuum, & tot alia beneficia corporalia, spiritualia, subinde testatissimis miraculis impertita.

c *Marci* vlt. *v.*18.

℣. 16. SED, si tam speciosus, tam gratus est illorum aduentus, cur NON OMNES credunt illis, & OBEDIVNT EVANGELIO; & cur maximè ex Iudæis tam pauci ad id inducuntur? conformiter querelæ *Isaiæ*, QVIS, seu quotusquisque Iudæorum, CREDIDIT AVDITVI NOSTRO?] id est, Euangelio quod nos Apostoli (nam in horum persona loquitur Isaias,) ex ore Christi audiuimus, & Iudæi vicissim ex ore nostro audierunt. q. d. Pauci admodum Iudæi credunt & obediunt Euangelio. Sed vnde hoc ipsis malum?

Isaiæ 52. *v.*7.

Isaiæ 53. *v.*1.

℣. 17. FIDES, vt ex dictis(d)constat, nascitur EX AVDITV, seu ex Euangelio audito: (e)*Auditus* AVTEM EVANGELIVM PER VERBVM CHRISTI, id est, per prædicationem de Christo, quæ commissa est Apostolis & alijs Apostolicis viris.

d *His v.*14. e *v* 16.

℣. 18. SED an hæc prædicatio defuit Iudæis? an tot iam continuis annis NON illam AVDIERVNT, partim ex ore ipsiusmet Christi: partim ex ore Apostolorum & aliorum præconum Euangelij? aut fortè SONVS EORVM, qui ad vltimos vsque FINES ORBIS TERRÆ penetrauit (quod enim Dauid (f) de *cælis* ad litteram dixerat, Paulus allegoricè applicat præconibus Euangelij:) solos latet Iudæos? ita S. Chrysost.

f *Psal.*18. *v.*5.

℣. 19. SED, si latet; vnde tanta *æmulatio*, inuidia & *ira* Iudæorum (quam etiam Moyses(g)prædixit) aduersus Gentiles occasione Euangelij de Messia ipsis euulgati & ab ipsis acceptati? extremè enim indignantur id beneficij Gentilibus delatum, quos ob pristinam idolomaniam vocant GENTEM INSIPIENTEM, imò NON GENTEM, seu nomine gentis indignam. An qui ob delatum aliis Euangelium tam grauiter indignantur, ipsimet Euangelium non cognouerunt? Sed non latet hîc causa incredulitatis Iudaicæ.

g *Deuter.*32. *v*21.

℣. 20. ISAIAS AVTEM veram & genuinam causam (quam multi verentur attingere) palàm & manifestè AVDET in lucem proferre, & nil veritus contribulium suorum offensionem. Quare & serrâ ab ipsis dissectum, ex certissima, (vt ait) Hebræorum traditione docet S. Hieron. Tertull. & alij. Causam verò hanc affert Isaias cap. 65, vbi in persona Christi exprobrat Iudæis, quòd, cùm Gentiles, QVI antè NON INTERROGABANT, NON QVÆREBANT, seu ME, seu de me, toti suis idolis intenti, simulatque per Apostolos meos ipsis PALAM APPARVI & innotui, mox summa auiditate & studio *quæsierunt me* (ita habet Isaias,) nec priùs destiterunt quàm planè & perfectè INVENTVS SVM illis redemptor ac saluator. E contrario

Isa 65. *v.*1. & 2.

*Hieron. l.*15 *in Isaiam in fine.* *Tertull. l.*3. *carminum contra Marcion.*

℣. 21. ISRAEL, *populus* tot nominibus meus, AD quem TOTA DIE EXPANDI ambas MANVS & vlnas MEAS, quem instar dilecti primogeniti (h) mei arctissimo affectu semper complexus sum, quem donis & beneficijs innumeris perpetuò prosecutus sum, cui sine mensura in sinum congessi munera cælestia, terrestria, & quantas vellent opes, delicias, gloriam: quem ipsemet coràm adij, docui & millenis miraculorum illecebris ad me pertrahere conatus sum: ad quem denique etiam corporales has manus in ligno crucis expansas quanta potui vi & charitate protendi, vt populum illum, etsi tortorem, carnificem & occisorem meũ, pro illo tamen vltrò ac libentissimè moriens, ad sinum meum pellicerem, imò pertraherem; *populus*, inquam, hic meus nihil ad hæc omnia attendens, sed mei, sui, Dei oblitus incredibili pertinacia & obstinatione permansit in infidelitate & perfidia sua, *nolens credere*, seu mihi, seu in me seu alijs de me. Et quasi hoc parum ipsi esset, insuper etiam palàm & vbique mihi meisque se opponit, & in omnibus *contradicit*, non modò verbis, sed & sæuissimis supplicijs ac tormentis, quibus me meosque seruos ac filios indignissimè persequitur in dies. Hæc eius perfidia & obstinatio causa est præsentis incredulitatis, & per consequens perditionis & exitij illius. ita ferè Origenes, Chrysost. Ambros. & plures alij.

h *Exodi* 4. *v.*22.

CAPVT XI.

Populum Iudaicum non omnem, etsi pro maiori parte, ob incredulitatem docet reiectum à iustitia & salute, sic tamen vt qui velint, possint conuerti; imò multos esse conuersos, & tandem in fine mundi reliquos omnes conuertendos.

℣. 2. NON omnem PLEBEM SVAM Iudaicam REPVLIT DEVS ab hereditate Patriarchis per Deum in Christo promissa, nempe non repulit eam gentis partem, QVAM ab æterno PRAESCIVIT & præuidit, Christi fidem & gratiam gratuitò sibi oblatam, sponte sua admissuram & complexuram, foreque fidelem, ita à Lapide.

℣. 5. RELIQVIAE populi Iudaici, id est, pauci Iudæi

Iudæi credentes in Christum, præ innumeris alijs qui increduli manserũt, SECVNDVM ELECTIONEM GRATIÆ, id est, ex gratuita Dei electione, SALVÆ FACTÆ SVNT, id est, iustificatæ sunt. Non enim (vt benè notat idem à Lapide) agit hîc Paulus de electione immediata ad gloriam, sed neque ad primam gratiam excitantem, neque etiam ad fidem: sed de electione immediata ad iustitiam, eaque non absoluta, sed conditionata, vt suprà (*a*) dixi. Vnde huic electioni non repugnat consensus liberi arbitrij, eiusque libera cooperatio, & gratiæ cælitus oblatæ acceptatio: sed neque repugnat fides, pœnitentia, aliæque liberæ hominis dispositiones ad iustificationem. Nam positis his omnibus, nullum adhuc meritum, nullum ius propriè dictum acquiritur homini ad iustitiam: sed est meræ electionis Dei & meræ gratiæ, quòd sic dispositos iustificet, non alios qui talibus dispositionibus carent, vt disertè docet alibi (*b*) Apostolus, & ex eo Tridentinum. Fides enim & pœnitentia, & reliqua iustificationi præuia, non ex sua natura, vel naturali vi & efficacia, disponunt ad iustitiam, sed ex nuda electione, proposito, voluntate & decreto Dei. Et sic conciliantur dissidentes in speciem locutiones quorumdam SS. Patrum: nam S. Chrysostomus & ferè reliqui Græci causam dant cur Deus hunc præ illo eligat ad iustitiam & salutem, dicunt quia hunc suæ gratiæ consensurum, cooperaturum, & ad iustitiam se dispositurum præuidit, non illum. Sed S. Augustinus, & cum eo S. Thomas, & plerique Scholastici, causam dant, quia Deus hunc gratuitò elegit ad iustitiam, vel quia hunc gratis voluit iustificare, non illum. Vtrumque enim verum est: nam & consensus liberi arbitrij, eiusque cum gratia cooperatio prærequiritur tamquam dispositio ad iustitiam: & tamen eâ ipsâ dispositione positâ, nihil adhuc iuris propriè dicti acquiritur disposito, sed iustitia illi confertur ex gratuita voluntate & decreto Dei, quo vltrò ex mera misericordia, intuitu meritorum Christi, elegit ac promisit, sic disposito iustificantem gratiam conferre præ alio non disposito.

a Rom.9. v.22 & 30.

b Rom.4. v.3.& 5. Trid.sess.5. & 6.

℣. 6. SI AVTEM GRATIA, seu gratuita electione, *salvæ factæ*, seu iustificatæ, *sunt reliquiæ* Iudaicæ? (iustificatio enim est inchoata saluatio, puta à peccatis, à dæmone, &c. quæ perficietur in gloria cælesti: (non igitur sunt iustificatæ EX OPERIBVS, seu merito vel efficacia operum, legis suæ Mosaicæ, vel etiam legis naturæ, vt ipsi arbitrantur. ALIOQVIN GRATIA, id est, iustificatio, quam constat esse gratuitam, IAM NON *esset* GRATIA, sed merces, vt alibi (*c*) dictum.

c Rom.4. sup.

℣. 7. QVID ERGO ex dictis hucusque concludemus? nempe quod sequitur, QVÆREBAT, & etiamnum quærit ISRAEL (seu maior pars populi Israelitici,) iustitiam, sed NON EST eam CONSECVTVS, quia non quærit vbi oportet & sicut oportet: quærit enim ex merito solorum operum legis, cùm quærere deberet ex meritis Christi, per fidem sibi illa applicando, quam tamquam præuiam dispositionem & medium ad assequendam iustitiam necessarium, ab æterno statuit, & pro suo beneplacito elegit ac decreuit Deus. Et quia hanc fidem amplexata est ELECTIO, id est, pars illa minor populi Iudaici, quam iam dixi electam à Deo, ideo ipsa CONSECVTA EST iustitiam: CETERI VERÒ Iudæi, quia fidem admittere noluerunt, (*d*) à Deo deserti & sua malitia EXCÆCATI SVNT.

d Rom.9. v.31.

℣. 8. SICVT SCRIPTVM EST ab Isaia, DEDIT A ILLIS DEVS SPIRITVM COMPVNCTIONIS, seu compunctum. q. d. Oculi eorum ita cæcitate capti sunt, ac si acu compuncti, videndi facultatem amisissent. In Isaia vertit Interpres *spiritum soporis*. Nam Hebræum *thardema* significat altissimum veternum, qui omnem oculorum & aurium sensum adimit, adeò VT NON VIDEANT, NEQVE AVDIANT ita S. Cyprianus, Chrysost. cum suis, Isidorus, Hesychius & à Lapide. *Vt* enim non significat hîc causam, sed consecutionem effectus. Quomodo verò Deus hæc facere dicatur, aliàs (*e*) exposui. Ita

Isaiæ 6.v.9. & c.29. v.10. תרדמה

e Exodi 7. v.3.

℣. 9. DAVID quoque per modum imprecationis prædicit psalmo 68. v.23. MENSA spiritualis EORVM, nempe mensa legis & Scripturarum, quæ illos instar lautissimi epuli pascere & oblectare solebat, nunc refractariis FIAT IN LAQVEVM ET CAPTIONEM, (*f*) id est, in laqueum quo capiantur, in ruinam, in exitium: ET IN RETRIBVTIONEM, quâ debita sceleribus eorum pœna ipsis rependatur. q. d. Hanc habeant suæ peruicaciæ mercedem, vt qui ex SS. Scripturis Christum suum nolunt agnoscere, iam iisdem magis offendantur, lædantur & excæcentur. ita Origenes, Anselmus, Caietanus, Toletus.

Isaiæ 6.v.9.

f Proleg.de Idiotismis Hebr.n.45.

℣. 10. DORSVM EORVM SEMPER INCVRVA] vt iam non cælestia vel diuina; sed solùm terrena sapiant, quærant, desiderent.

℣. 11. DICO ERGO per hæc antetacta, sic offendisse & impegisse Iudæos, VT CADERENT sine spe resurgendi, & se ad bonam frugem reuocandi? Nequaquam: nam veniet aliquando tempus, quo omnes resipiscent, nempe sub finem mundi. (*g*) Interea reliquias sibi aliquas seruauit Deus: cæterorum verò DELICTO & casu ad tempus vti voluit, tamquam occasione conuersionis & *salutis Gentilium*: VT Iudæi, videntes promissa sibi bona & à se neglecta transferri ad Gentiles, pro zelo ILLOS ÆMVLENTVR & imitentur.

g Hic v.26.

℣. 12. QVÒD SI DELICTVM & lapsus Iudæorum, ET DIMINVTIO, id est, minutus seu exiguus numerus credentium ex Iudæis reliquus, occasio fuit MVNDO, id est, Gentilibus, tantorum bonorum, vt scilicet Euangelio, fide, gratia & iustitia ditarentur; QVANTÒ MAGIS profuerit iisdem Gentilibus PLENITVDO *Iudæorum*, nempe quando omnes sub finem mundi conuertentur? Tunc enim potenti suo exemplo trahent ad se imitandos quotquot superarunt ex Gentibus infideles. Sic autem velim nunc quoque Gentilium exemplo trahi Iudæos ad Christum. Et hæc est causa cur vbique

℣. 13. MINISTERIVM, seu munus apostolatus mei & prædicationis ad Gentes, quanto possum opere *honorificem* & extollam, tum verbis, tum miraculis, & aliis quibuscumque possibile est vijs illud insigne atque illustre reddam; nempe vt hoc quasi stimulo excitem &

℣. 14. AD ÆMVLANDVM splendorem ac dignitatem vestram, PROVOCEM CARNEM MEAM] id est, Iudæos, quibus ego carnali cognatione iunctus sum; nempe vt velint etiam ipsi, vestro exemplo prouocati, ad Christum se conuertere, & iisdem vobiscum thesauris ditari.

℣. 15. SI AMISSIO; græcè, ἀποβολὴ, id est, abiectio, reiectio, reprobatio, maioris partis *Iudæorum*, occasio fuit *reconciliationis* reliqui MVNDI, id est, Gentilium cum Deo; QVAE ASSVMPTIO, id est, quantæ frugis, quanti gaudij erit, quando omnes Iudæi assumentur ad fidem Christi? NISI VITA EX MORTVIS] Id est, numquid perinde erit

erit ac si mundus, altera parte sui antè mortuus, integrè reuiuiscat?

℣. 16. SI DELIBATIO, &c. Probat, Iudæos non ita reiectos à Deo, quin aliquando conuertendi sint ad eum, nempe quia sanctorum patrum filij sunt, ac proinde etiam ipsi, saltem morali quadam æstimatione, & quasi analogica sanctitatis aspergine, sancti sunt, & Deo dicati ac consecrati. *Si* enim *delibatio*; græcè, ἀπαρχή, id est, primitiæ, id est, pars prima delibata, seu desumpta ex tota massa, SANCTA EST Deoque dicata & consecrata, puta Patriarchæ, Apostoli, & primi ex Iudæis Christiani: ergo ETiam tota MASSA populi Iudaici sancta & sanctificata censetur: (a) cuius sanctificationis intuitu Deus illam aliquando sibi vendicabit. ita S. Ambros. Anselmus & alij. Nihil ergo hîc pro Caluino, qui vult hinc concludi, infantes Christianorum ita esse sanctos, vt baptismo non egeant. Posset eodem iure probare, etiam adultos, etsi incredulos, Christianorum filios, imò & Iudæos omnes modernos, esse sanctos, quia sanctorum parentum sunt filij. Sed Apostolus non agit hîc de sanctitate propriè dicta, quâ quis sit iustus in se & amicus Deo, sed de sanctitate solùm analogica & metaphorica, quâ quid Deo consecratur, & quasi appropriatur. Sic locus, sic pecunia, sic vestes dicatæ seruitio diuino, dicuntur sanctæ. Sic populus omnis Iudæus vocabatur sanctus. Quin & coniux infidelis iunctus coniugi fideli, sanctus vocatur ab eodem S. Paulo. An talem etiam iustum & amicum Deo volet Caluinus?

a *Num.* 15. *v.* 20.

℣. 17. ALIQVI EX RAMIS arboris Iudaicæ è radice sanctorum Patriarcharum exortæ, FRACTI SVNT, & ab arbore reuulsi: id est, à iustitia & fide parentum suorum exciderunt, nempe posteriores Iudæi, quia fidem quam in Messiam venturum habuerant, in eum iam aduentantem & præsentem abiecerunt. In horum locum, TV populus Gentilis, CVM OLEASTER, seu siluestris oliua, ESSES, id est, populus profanus & infidelis, ex infidelibus oriundus, INSERTVS & insitus ES inter oliuæ reliquos ramos, nempe inter Apostolos & alios ex Iudæis ad Christum conuersos: ET FACTVS ES SOCIVS RADICIS ET PINGVEDINIS OLIVAE] particeps fidei, gratiæ & charismatum Spiritus sancti, quæ Iudæorum parentes Abraham, Isaac, Iacob & alij Patriarchæ habuerunt.

℣. 20. TV AVTEM FIDE, id est, per & propter fidem in Christum, oleæ insertus es, & in ea STAS ac persistis: NOLI propterea ALTVM SAPERE, præsumere aut superbire: SED TIME] fides enim, quâ radici & oleæ inhæres, non ita te illi adglutinat, vt non possis iterum excidere.

℣. 22. SI enim non PERMANSERIS IN BONITATE, ingratus tanto fauori & benignitati tibi à Deo exhibitæ, ETiam TV EXCIDERIS ex olea, id est, Ecclesia Dei.

℣. 23. SED ET Iudæi increduli, SI NON PERMANSERINT IN INCREDVLITATE, INSERENTVR in oleam Ecclesiæ. Ex quibus S. Pauli sententijs apertè conuincitur Primò, contra Caluinum, posse hominem excidere à gratia & fide. Secundò, contra quosdam etiam Catholicos, perseuerantiam causam obiectiuam esse electionis & prædestinationis absolutæ ad salutem & gloriam. Tertiò, de perseuerantia sua neminem certum esse in hac vita, vt benè demonstrat S. Augustinus & alij Patres, & nos suprà (b) docuimus.

Augustin. l. 11. Civ. c. 12.
b *Rom. 8. v. 39.*

℣. 25. CAECITAS infidelitatis CONTIGIT EX PARTE IN ISRAEL, id est, obuenit quibusdam, imò plerisque Israelitis, DONEC PLENITVDO GENTIVM, id est, plenus numerus eorum qui ex Gentilibus crediturí sunt, INTRARET, seu intret in Ecclesiam & in ouile Christi.

℣. 26. SIC autem, completo Gentilium conuersorum numero, OMNIS ISRAEL, (id est, omnes Iudæi, qui tunc superuiuent,) SALVVS FIERIT; græcè, σωθήσεται, id est, saluus erit, conuertetur & saluabitur. ita Origenes, Hilarius, Ambros. & Chrysost. cum quo S. Thomas, Caietanus, Sotus & plures alij sentiunt, omnes omninò Iudæos, etiam *Danitas* contribules Antichristi, ipso extincto conuertendos ad veram fidem. SICVT SCRIPTVM EST apud Isaiam: VENIET EX SION, id est, ex tribu Iuda & familia Dauidica, quæ habitat in Sion, nascetur Christus, QVI IMPIETATEM omnem, (ergo & infidelitatem) AVERTAT ET ERIPIAT A IACOB, id est, à posteris Iacobi, seu Israelis. Et idem docet Malachias.

Hilar. in psalm. 58.
Isaiæ 59. v. 20.
Malachiæ 3. v. 5. &c.

℣. 27. HOC ILLIS A ME TESTAMENTVM, seu fœdus, est, quod iam pridem ipsis sanctè addixi, & suo tempore certissimè complebo, CVM nempe ABSTVLERO PECCATA EORVM, inchoatè, in primo Messiæ aduentu, completè verò in fine mundi, vt docet præter supradictos etiam S. Augustinus. Tunc enim ex vtraque & Gentium & Iudæorum plenitudine conflabitur vna, perfecta & plena Ecclesia Christi. Interea

August. lib. 20. Civit. c. 29.

℣. 28. SECVNDVM EVANGELIVM, seu quantum attinet ad Christum quem proponit Euangelium, ex hoc capite Iudæi sunt INIMICI Dei; PROPTER VOS, id est, vestro non malo, sed bono, nempe vt vobis, ô Gentiles, hac occasione prædicetur Euangelium, inquit S. Ambrosius. SECVNDVM ELECTIONEM AVTEM, qua Iudæi olim in populum Dei selecti sunt, CHARISSIMI accidunt Deo PROPTER PATRES suos, quorum intuitu complebit omninò Deus, quod olim promisit, (c) nempe, se filios eorum sibi olim adiuncturum, saltem in fine mundi. Etsi enim filij eorum id non mereantur, propter suam tamen promissionem certò id complebit.

c *Gen. 17. v. 7. &c.*

℣. 29. SINE POENITENTIA ENIM SVNT DONA ET VOCATIO DEI] absolutè per ipsum, & sine adiecta conditione aliquando facta. Græcè, ἀμεταμέλητα id est, impœnitiblia, seu immutabilia, id est, talia quorum nec debeat, nec velit, nec possit eum pœnitere. Hucusque autem

℣. 31. NON CREDIDERVNT Iudæi in Christum, idque IN VESTRAM MISERICORDIAM, id est, vt vos, ô Gentiles, ea occasione misericordiam prædicationis fidei & gratiæ, & in oleam insitionis, à Deo consequeremini: VT ET IPSI postmodum prouocati vestro exemplo, credant in Christum, atque ita eamdem vobiscum MISERICORDIAM, gratiam & gloriam CONSEQVANTVR.

℣. 32. CONCLVSIT ENIM OMNIA, id est, omnes homines (vt habet Græcus & Syrus,) permittens concludi, DEVS SVB peccato *infidelitatis*, permittens successiuè tam Iudæos, quàm reliquas omnes Gentes in infidelitatem delabi, eaque quasi carcere concludi, ex quo sine Dei gratia non possint egredi aut exsolui: VT sic OMNIVM totius mundi nationum MISERETVR, & glorioſam misericordiam suam toti vniuerso patefaciat. Misericordia enim supponit miseriam, in quam lapsus sit is cuius quis miseretur. Hanc conclusionem conformem ijs quæ 1. & 2. capp docuerat, subiungit hîc Apostolus, vt

hac

hac ratione tam Gentes quàm Iudæos humiliet, inter se concordes faciat, & diuina beneficia magis illustret.

℣. 33. O ALTITVDO DIVITIARVM; græcè, *ô profundum.* q. d. O abyssalem profunditatem Primò, *diuitiarum*, seu exuberantis thesauri misericordiæ; Secundò, SAPIENTIÆ; Tertiò, SCIENTIÆ DEI! Sic enim Græca distinguunt & Syra. QVAM INCOMPREHENSIBILIA; græcè, *inscrutabilia*, SVNT IVDICIA EIVS, ET IMPERVESTIGABILES VIÆ, id est, consilia; rationes, modi & causæ prouidentiæ, EIVS!] Cùm millenę aliæ viæ ad manum illi essent, quibus posset omnium omnino excellentissimè misereri, etiam sine cuiusquam lapsu aut præuio peccato; hanc tamen viam inire voluit, quâ præsciebat primò Gentiles, deinde etiam Iudæos in infidelitatem lapsuros, & in ea tot sæculis continuaturos.

B

℣. 34. QVIS ENIM COGNOVIT, aut cognoscere possit, SENSVM hunc profundissimæ sapientiæ diuinæ? AVT QVIS CONSILIARIVS EIVS FVIT? græcè, *σύμβουλος*, id est, conscius arcanorum consiliorum diuinorum. AVT QVIS PRIOR aliquid ILLI DEDIT, quod ab ipsomet non acceperit, ratione cuius ipse vni præ altero obstringatur, saltem ex gratitudine, hoc vel illud genus bonorum vel beneficiorum rependere? q. d. Nulli Deus vllo iure vel titulo obstringitur, cùm nihil ab vllo acceperit, quod priùs non ipsemet donarit. Vnde nec iniustitiæ, nec infidelitatis, nec ingratitudinis argui potest, si Gentiles priùs infideles nunc illuminet, Iudæos priùs fideles nunc excæcari permittat. Videtur Apostolus hanc sententiam ex Iobo desumpsisse, vbi simili modo ait Deus, *Quis antè dedit mihi, vt reddam ei?* Ergo nec iustorum merita sunt apud Deum, inquit Caluinus. Sed negat sequelam S. Augustinus: *Debitor* enim *nobis factus est Deus, non aliquid à nobis* prior *accipiendo, sed quod ei placuit promittendo nobis*; vt *dicamus ei, Redde quæ promisisti, quia fecimus quod iussisti.* Porrò neminem Deo quippiam primò dedisse, quod non ab eo acceperit, probat:

Iob 41. v. 2.

August. de verbo Apostoli serm. 16.

℣. 36. QVONIAM EX IPSO, tamquam primo effectore: ET PER IPSVM, tamquam primum directorem (adde & mediatorem:) ET IN IPSO tamquam abysso omnis perfectionis; græcè est, *in ipsum*, supple, tamquam vltimum finem SVNT OMNIA quæcumque habent verum Esse, inquit S. Thomas. Quæ attributa licet omnia conueniant singulis diuinæ Trinitatis personis, tamè à S. Athanasio, Basilio, Ambrosio, Hilario, Origene, Augustino, Gregor. & alijs Patribus ac Doctoribus singula singulis, vt iam distinxi, appropriantur. Quod verò subiungitur, IPSI GLORIA, &c. indicat essentiæ diuinæ vnitatem. Et hoc S. Pauli exemplo, & communi Apostolorum vsu atque institutione docet S. Basilius, & ex eo Baronius, cœpisse in Ecclesia frequentari hanc SS. Trinitatis doxologiam, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* Cui (testibus Patribus Concilij Vasensis) Concilium magnum Nicenum ad retundendos Arianos, addidit, *Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, amen.*

Basil l. de Spir. sancto c. 7. 26. & 27.

August. l. de Trinit. c. 6. & l. 1. de Doctrina Christiana c. 5.

Greg. l. 29. Moral. c. 28.

Concilium Vasens. c. 6.

D

CAPVT XII.

Incipit altera pars epistolæ, quâ mores instruit: & ante omnia monet hoc capite, vt quisque gratiæ à Deo acceptæ, suoq; muneri vacet; & proximum, etiam inimicum, ex animo diligat.

℣. 1. PER MISERICORDIAM DEI, quâ se erga vos tam munificum (vt vidimus) (*a*) exhibuit, OBSECRO VT & vos vicissim erga ipsum gratificitis, & nutibus eius obsequamini. Cumque omnia ab ipso (*b*) acceperitis, æquum est vt omnia, & præ omnibus VT CORPORA VESTRA, id est, vosipsos, EXHIBEATIS Deo perpetuam HOSTIAM, seu victimam, non Aaronicam, cultro iugulatam (vt fit in templo Salomonico) sed Christianam, spirituali mortificationis gladio occisam, sed VIVENTEM viua fide, spe animatam, charitate vegetatam, ab omni scelerum inquinamento purgatam, SANCTAM, DEO bene PLACENTEM, vt est in Græco.

a *Rom. 9. 10. 11.*

b *Rom. 11. v. 36.*

RATIONABILE OBSEQVIVM] græcè, λογικὴν λατρείαν, id est, *cultum Dei*, non corporalem solùm vel externum & cæremonialem, qualis est Iudæorum, qui pecudibus sacrificant Deo; sed internum, spiritualem & *conformem dictamini rectæ rationis*, quæ docet, Deum, vti spiritus est, ita spirituali quoque cultu colendum. (*c*) ita ferè S. Chrysost. Photius & Theodoretus.

c *Ioan. 4. v. 24.*

℣. 2. REFORMAMINI; græcè, *transformamini.* q. d. Per sedulam mortificationem prauorum affectuum & cupiditatum transite ex veteri mundana viuendi ratione, in *nouam sensui* rationali, id est, menti vestræ per fidem & gratiam nunc illuminatæ, conformem: VT PROBETIS, id est, experiamini, & quasi gustu quodam spirituali sapiatis, percipiatis ac dignoscatis (inquit Toletus) QVÆ SIT VOLVNTAS, & quis nutus DEI, non qualis qualis, sed quo optima quæque & maximè sibi placentia ac perfectissima desiderat.

C

℣. 3. PER GRATIAM QVÆ DATA EST MIHI, id est, ex munere Apostolico mihi gratis dato à Christo, ex officio meo, & quanta possum auctoritate, DICO, seu edico, vobis Romanis, & per vos omnibus fidelibus, NON PLVS SAPERE QVAM OPORTET, id est, ne quis plus de se, quàm par est existimet aut præsumat; SED AD SOBRIETATEM, id est, sobriè, temperatè, modestè; & intra MENSVRAM FIDEI, seu donorum vnicuique cum fide donatorum à Spiritu sancto, nec alieno talento, muneri vel officio quis se ingerat. ita S. Chrysost. Ambros. Basilius & Toletus.

℣. 6. HABENTES; hebraismus est; (*d*) pro *habemus*, quidam PROPHETIAM, id est, futurorum prænotionem, vel, si mauis, (*e*) Scripturarum & mysteriorum fidei intelligentiam & gratiam explicandi, SECVNDVM RATIONEM; græcè, ἀναλογίαν, id est, proportionem, seu *mensuram* FIDEI, de qua suprà. (*f*) Quidam verò habemus

d *Prolog. d. Idiotism. Hebr. n. 4.*

e *Ibid. n. 11.*

f *Hic v. 3.*

℣. 7. MINISTERIVM] Id est, gratiam alicuius externi ministerij aut functionis Ecclesiasticę, v. g. in sacris Ordinibus exercendę. Quidam talentum docendi, quidam alia. Quisque conetur illa impendere, sed cum omni modestia, humilitate & charitate.

℣. 8. QVI EXHORTATVR] Id est, qui exhortandi talento & gratia valet, illo munere strenuè fungatur, exhortando alios & excitando ad vitia fugienda, ad virtutem capessendam.

QVI TRIBVIT, id est, cui ex officio incumbit distribuere eleemosynas vel alia publica bona (quod

a *Flor. 6. v. 3.*

(quod erat diaconorum; (a)) faciat id IN, seu cum, A SIMPLICITATE, simplici & recta intentione, ac bona fide, sine respectu proprij lucri vel commodi, sine personarum acceptione, sine fraude vel dolo.

QVI MISERETVR, id est, misericordiæ operibus, seu spiritualibus, seu corporalibus, exercendis incumbit, v.g. curæ ægrorum vel hospitum; institutioni rudiorum, &c. hic vt alacri animo, ita & *hilari* vultu partes obeat suas.

℣. 11. Κυρίῳ, id est, DOMINO, scilicet Deo & Christo, SERVIENTES, non mundo vel hominibus ad oculum, non idolis, &c. Et ita legunt passim Latini, Græci & Syrus. Sed Ambrosius & Erasmus malunt legi, καιρῷ, id est, *tempori*, id est, temporis exigentiæ & opportunitati *seruientes*, vt olim Pittacus monebat, γίνωσκε καιρόν, id est, *nouis tempus*, seu temporis opportunitatem, *captare*.

℣. 12. SPE & certa exspectatione bonorum in B cælis paratorum GAVDENTES.

℣. 15. GAVDERE VOS VOLO CVM GAVDENTIBVS, & FLERE CVM FLENTIBVS] q.d. Tantam opto inter vos Christianos esse sympathiam, vt singulorum bona vel mala, prospera vel aduersa, æquè vos atque illos tangant: quod secundùm B. Basilium & Bernardum eximiæ perfectionis est, & virtutis omninò completæ.

Basil. hom. in Iulittam Martyrem. Bern. serm. de B. Magdalena.

℣. 16. NON ALTA SAPIENTES: id est, non elatè de vobismet aut vestris talentis sentientes, vt supra alios eminere velitis: SED HVMILIBVS CONSENTIENTES; græcè, *vilibus*, seu vilioris conditionis, seu hominibus, seu officijs, *obsecundantes*, condescendentes, & illis vos accommodantes. NOLITE ESSE PRVDENTES APVD VOS METIPSOS] quasi putetis, vestra vobis sufficere consilia, nec alienis opus habere, ita S. Chrysost. & Theodoretus.

℣. 19. NON VOSMETIPSOS DEFENDENTES] C græcè, ἐκδικοῦντες, id est, *vindicantes*, vt etiam Tertullianus & Syrus *legunt*: nam olim *defendere* idem erat quod *vlcisci*, seu *vindicare*, vt rectè annotauit Nonius Marcellus, Gellius & alij, & nos alibi (b) docuimus. Porrò pharmaca contra vindictam & vltionis appetitum præstantissima nobis suggerit Tertullianus libro de Patientia, & ex eo Corn. à Lapide.

Gellius l. 1. c. 9.
b *Iudith 1. v. 12. Tertull. de Patien. c. 9. & 10. Liuius dec. 1 lib. 1.*

SED DATE LOCVM IRÆ, id est, cedite irato, ne repugnetis iræ illius contrà iurgando vel repercutiendo. Sic Liuius monet, *date spatium iræ*. Vbi contra Manichæos, Anabaptistas, Erasmum & Lutherum Nota, non publicam, sed solùm priuatam prohiberi vindictam. Nam quæ à principe vel alio magistratu fit, ea fit nomine & loco & iussu Dei, sibi eam deposcentis. (c) MIHI VINDICTA competit, & EGO RETRIBVAM, seu per me, seu per vicarios meos. Ex tua verò parte

c *Deut. 32. v. 35.*

℣. 20. CIBA *esurientem inimicum tuum*. Sic D monet Sapiens. (d) Hac via CONGERES SVPER CAPVT EIVS CARBONES IGNIS, seu ignitos, non irarum vel rixarum, sed contritionis, pœnitentiæ, amoris & charitatis, quibus accendetur cor eius & inflammabitur ad te redamandum.

d *Prou. 25. v. 21.*

CAPVT XIII.

Septem argumentis docet, magistratibus secularibus, etiam in conscientia, parendum esse, proximos diligendos: insti vinendum: Christum induendum.

e *Prolog. de Idiotismis Hebr. n. 28.*

℣. 1. OMNIS ANIMA, (id est, omnis homo, (e)) POTESTATIBVS SVBLIMIORIBVS; græcè, *supereminentibus*, id est, principibus & magistratibus, qui potestate regendi seu imperandi præditi sunt, SVBDITA SIT in omnibus, in quibus illi potestatem ac iurisdictionem habent: nempe politico magistratui in ciuilibus & temporalibus negotijs: Ecclesiastico in spiritualibus. Inculcat hoc S. Paulus occasione calumniæ, quæ Christianis passim tum temporis inurebatur, quasi sectatoribus Iudæ Galilæi, qui Iudæos olim solicitarat ad defectionem à Romanis, dicens, populum Dei non debere vlli externo principi subesse. Et hanc hæresin ita altè imbiberant plerique Iudæi, vt ne morte quidem proposita possent ab ea diuelli. Vnde & Christus (f) & Apostoli, vt hanc notam à Christianis (qui Iudæis adcensebantur) semouerent, passim inculcant, obediendum principibus etiam Ethnicis. Quod septem argumentis hîc probat S. Paulus. Primò, quia Deus sic ordinauit, instituit & præcepit. NON EST ENIM POTESTAS, id est, principatus seu magistratus, à diabolo vel à solis hominibus inuectus, sed A DEO, sic ordinante & disponente, vt homines hac ratione à multis sceleribus coërceantur, iustitiam colant & pacem, nec se mutuò vt pisces deuorent. Et quidem Ecclesiastica potestas immediatè à Deo & Christo instituta est, vt constat: politica verò saltem mediatè, quia natura & recta ratio, (quæ à Deo est) ita dictat & suadet. Et licet principes aliqui essent infideles aut tyranni, si tamen legitimè creati sunt, potestatem suam habent à Deo, vt expresse docet S. Augustinus & alij patres. QVÆ AVTEM SVNT, seu in orbe exsistunt, etiam Gentiles potestates, A DEO ORDINATÆ, decretæ, constitutæ, & apto ordine distributæ SVNT, quibus omnes auscultare & obedire debent, nisi velint ipsi Deo earum auctori rebelles esse,

Ioseph. l. 18. Antiq. c. 1.
f *Matt. 22. v. 21.*
Augustl. 5 de Ciu. c. 24.

℣. 2. SIBIque DAMNATIONEM, tùm ab ipso magistratu temporariam, tum à Deo, æternam, accersere: Quod est secundum argumentum.

℣. 4. DEI MINISTER EST. En tertium argumentum. Vices Dei gerit princeps: ergo illi quasi Dei vicario reuerentia & obedientia præstanda, IN BONVM TIBI, vt possis pacatè ac tranquillè viuere, imò laudem & præmia nancisci præclarè factorum. VINDEX IN IRAM] id est, ad supplicium sumendum de malefactoribus. Et hoc est quartum argumentum. Sequitur quintum:

℣. 5. NECESSITATE tum diuinæ, tum humanæ legis, SVBDITI ESTOTE, NON SOLVM PROPTER IRAM, seu punitionem alioquin infligendam, SED ETIAM PROPTER CONSCIENTIAM] ne fiat hæc rea violatæ legis, & læsæ maiestatis, etiam diuinæ.

℣. 6. IDEO ENIM ET TRIBVTA illis PRÆSTATIS. Solutio enim tributorum est professio tum potestatis & dignitatis illorum, tum vestræ subiectionis erga illos, tamquam *ministros* & vicarios Dei, IN HOC IPSVM SERVIENTES vobis, vt Dei loco bonis sint in tutelam, malis in vltionem, toti reipublicæ in auxilium, præsidium & solatium. Et est hoc sextum argumentum.

℣. 7. CVI TIMOREM, id est, reuerentiam, & (quæ inde consequitur) obedientiam debetis, REDDITE debitum TIMOREM] ita Chrysost. & Theophylactus.

℣. 8. NEMINI QVIDQVAM DEBEATIS: id est, nemini manete debitores, sed maturè debita omnia vestra exsoluite, omnibus debitis satisfacite, omnibus vos liberate; solo debito fraternæ charitatis excepto, quo nolo vos vmquam exsolui, sed nec exsolui potestis, seu erga pares, seu erga superiores,

riores, parentes: & magistratus. His enim amandis, honorandis & colendis numquam ita facietis satis, quin semper vlterius debitum restet, inquit S. Chrysost. Aug. & Fulgentius. Estq; hoc septimum argumentum, nempe charitas Christiana exigit vt quemque in suo gradu, & pro gradu cuiusque diligamus, pares amando vt tales, superiores etiam reuerendo & eis obediendo vt vicarijs Dei. QVI ENIM SIC DILIGIT PROXIMVM, LEGEM totam secundæ tabulæ, vt sequitur, IMPLEVIT. *Omne* enim secundæ tabulæ.

Augustin. epist. 62 ad Celestinum Fulgent. sem. de Charitate.

℣. 9. MANDATVM IN HOC VERBO INSTAVRATVR] ἀνακεφαλαιοῦται, id est, *recapitulatur*, seu *summatim comprehenditur*. ita S. Augustinus.

Augustin. l. 8. de Trinit. c. 8.

℣. 10. PLENITVDO, id est, plena consummatio; Græcè, *completio*, LEGIS EST DILECTIO.

℣. 11. ET HOC quod hactenus dixi, studete perficere, SCIENTES TEMPVS esse; Græcè, καιρὸν, id est, opportunitatem, nempe quam Christi aduentus & Euangelium nobis attulit, ad proximum diligendum, ad superiores honorandos, ad obediendum magistratibus, denique ad tribuendum vnicuique quod debemus, & sic totam legem complendam.

HORA EST IAM diei, lucis, fidei & gratiæ, qua decet NOS DE SOMNO negligentiæ, & peccatorum veterno euigilare & EXSVRGERE. NVNC ENIM exorto sole & luce Euangelij, SALVS NOSTRA tum iustitiæ, tum gloriæ æternæ, PROPIOR (quia præsens & ad manum) nobis EST, QVAM CVM solùm CREDIDIMVS] id est, cùm Christus & salus ac redemptio sperata per Christum, necdum nobis essent exhibita, sed sola fide crederentur & sperarentur nobis obuentura, inquit Toletus.

℣. 12. Nox, id est, tempus ante Christi aduentum, tenebris infidelitatis, peccatorum & ignorantiæ plenum, iam PRÆCESSIT, id est, *præteriit*, vt legunt S. Cyprianus, Hieronymus & Syrus. Græcum προέκοψεν significat, *processit* (vt legit S. Augustinus & Chrysost. cum suo Theophyl.) id est, promouit, progressa est, ad finem tendit, ac fermè præteriit. DIES AVTEM id est tempus Euangelij & legis gratiæ, quo *sol* Christus radios diuinæ lucis suæ quaquauersum spargit, iam APPROPINQVAVIT, imò præsens est. ita S. Cyprianus, Ambrosius, Augustinus & Theodoretus. Tam clara ERGO luce suborta, ABIICIAMVS OPERA TENEBRARVM, id est, peccata quæ lucem fugiunt & tenebras amant. (*a*) ET INDVAMVR ARMA LVCIS] id est, comparemus nobis opera virtutum ex luce fidei & gratiæ Christi prognata, quæ etiam lucem & conspectum Dei & hominum amant: quibus quasi vestibus commodissimis tecti, & velut nobilissimis armis protecti, contra mundum, carnem, dæmonem securè depugnemus pugna tam offensiua, quàm defensiua.

Cypr. l. de zelo & liuore. Hieron. in Matth. 26. Augustin. epist. 80.

Ambros. in Psalm. 45.

a Iob 24. v. 15.

℣. 13. NON IN CVBILIBVS] Id est, non in fornicatione, quæ fit in cubilibus & fornicibus: Hæc Pauli verba casu ab Augustino perlecta longam in eo litem & luctam castitatis cum libidine tandem aliquando diremerunt vt ipsemet enarrat. (*b*)

b Augustin. l. 8 Confess. c. vlt.

℣. 14. INDVIMINI IESVM: id est, ornate & armate vos iis maximè virtutibus quæ in Christo eluxerunt, vt ex his insignibus omnes agnoscant, vos esse domesticos & seruos, imò filios Christi: & qualem ipse his armis victoriam ex hostibus retulit etiam vos referatis. ita ferè S. Chrysost. cum suis. ET CVRAM carnis, mundi, dæmonum, IN DESIDERIIS, id est, ad explenda eorum praua desideria & studia, NE FECERITIS? sed hostes istos vestros his armis configite, sternite, calcate.

CAPVT XIV.

*Docet abstinentiam Iudaicam à certis cibis lege Mosaica vetitis, * iam non amplius obligare monet tamen doctiores, ne infirmos fideles, qui eam adhuc ex scrupulo obseruant, contentiosè reprehendant, néve sua libertate, qua omnibus ipsi cibis premi, cuè vescuntur, alios scandalizent. Monet denique etiam infirmos fideles, ne quidquam hic agant contra conscientiam.*

* Leuit 11. v. 4. & seqq.

℣. 1. INFIRMVM Christianum IN FIDE necdum sat instructum, vos qui fortiores estis ASSVMITE instruendum, iuuandum, fouendũ, NON IN DISCEPTATIONIBVS COGITATIONVM] Græcè, διαλογισμῶν, id est, disputationum. q.d. Non disceptando, litigando vel contendendo cum ipsis, vtri benè vel malè sentiant aut agant. Hoc punctum fraternæ dilectionis, de qua sub finem cap. præced. ante omnia omnibus commendo.

℣. 2. ALIVS ENIM CREDIT SE licitè posse MANDVCARE suillam & alia edulia OMNIA; eò quòd in lege Euangelica nullum genus ciborum censeatur immundum aut vetitum. & hi rectè sentiunt & faciunt. QVI AVTEM adeò adhuc INFIRMVS EST, & parum in fidei mysteriis instructus, vt putet id non licere Christianis, sed cibis olim lege vetitis credit etiam nunc abstinendum esse; omninò illis abstineat, ne contra propriam peccet conscientiam, & OLVS MANDVCET aut alios eiusmodi cibos, quos constat lege Mosaica permissos. ita S. Basilius, Clemens Alexandrinus & Augustin. qui (vt etiam in Græco est,) legit, *olus manducat*. Et tum subintelligendum: Per me licet: Solùm caueat,

Basil. in Breuior. regulu. reg. 64. Clem. l. 2. Pædag. 1. Augustin hîc.

℣. 3. NON IVDICET, neque condemnet promiscuè quiduis MANDVCANTEM, tamquam legis transgressorem, aut quasi immundis & vetitis cibis se contaminantem: DEVS ENIM ILLVM sibi in seruum, in domesticum, in filium ASSVMPSIT, cùm ad fidem & gratiam Euangelij ipsum vocauit & admisit, & per Spiritus sancti charismata etiam sensibilia, toti mundo id declarauit. (*c*) Iam verò quis factum illius damnet, quem Deus publicè probat sibique placere ostendit?

c Actor. 10. v. 47.

℣. 4. DOMINO SVO STAT AVT CADIT: id est, siue bene, siue malè agat seruus, causa illius à domini sui iudicio pendet, vbi vel causa cadet, vel absoluetur. Tu ergo Domini ipsius iudicio ac tribunali ipsum relinque: tua nihil interest. Simile habes infrà v. 8. STABIT AVTEM: id est, absoluetur omninò, nec causâ cadet: nec enim violauit legem Domini sui, quam scit iam abolitam esse. POTENS EST ENIM DEVS legem quàm pro tempore fixit, pro suo beneplacito refigere, & consequenter, seruum suum, cibos olim sed iam non ampliùs vetitos manducantem, STATVERE] id est, stare facere in iudicio, ne causâ ibi cadat vel condemnetur.

℣. 5. ALIVS, v.g. Iudæus in fide infirmus, IVDICAT DIEM INTER DIEM, id est, vnum diem præ alio, supple, sanctiorem esse, v.g. sabbatum, neomenias, &c. vel certo ciborum delectu, præ alijs diebus colendum, v.g. abstinentia panis fermentati in hebdomada paschali. Neque enim hîc agi de festis aut ieiunijs Christianorum, quorum pauca tunc in vsu erant, fatetur etiam Melanchthon, Bucerus & Beza. ALIVS AVTEM, v.g. Gentilis in fide plenè instructus, & Christianæ libertatis sat gnarus, IVDICAT OMNEM DIEM esse æquè sanctum,

ctum, & omni die indifferenter vtitur quouis cibo. In eiusmodi rebus per se non malis, non vetitis, sed indifferẽtibus, NVNQVISQVE IN SVO SENSV & opinione ABVNDET] id est sententiam animi sui pro libito expleat, sequatur liberè suum iudicium. Procul autem est à mente Apostoli, libertatem indulgere non ieiunandi, vel in ieiuniis carnes comedendi: cùm hæc repugnent præceptis Ecclesiæ, quibus, vt constat ex cap. præced. iubet Paulus obediri etiam sub pœna damnationis. (*a*) Multò minus indulget Libertinis facultatem credendi quid & quãtum cuique libuerit: quia fidei mysteria diuinis legibus firmata sunt, à quibus nulli exceptio est. Paulus autẽ solùm loquitur de rebus indifferẽtibus nulla lege apud Christianos præceptis.

a *Rom.13. v.2.*

℣.6. QVI SAPIT, id est, discernit, vel, vt in Syriaco est, *diiudicat*, DIEM abstinẽtiæ ab alio vulgari die, DOMINO SAPIT, id est, ad Dei legislatoris honorẽ & obsequium id facit, intendens præceptis illius olim latis obedire. ET QVI promiscuè quiduis quouis die MANDVCAT, etiam DOMINO MANDVCAT, ad eius honorem & obsequium vtens libertate sibi ab ipso concessa. ET vterque GRATIAS AGIT DEO] hîc pro omnibus cibis, ille saltem pro ijs quos lege Mosaica Deus indultit. Vnde neuter peccat, sed neque debet ab altero damnari peccati: cùm vterque suo facto glorificet Deum, vterque tamquam fidelis seruus, obsequatur legibus Domini sui. B

℣.7. NEMO ENIM NOSTRVM, aut omnium creaturarum, SIBI VIVIT aut MORITVR, sed Deo & Christo tamquam DOMINO & hero suo, in cuius vsum, commodum & honorem omnia sua debent serui referre.

℣.9. IN HOC ENIM, seu in hunc finem, MORTVVS EST ET RESVRREXIT CHRISTVS, VT ET MORTVORVM ET VIVORVM omnium DOMINETVR] Etsi enim à primo conceptus fuit in tanti fuerit omnium dominus, ratione vnionis hypostaticæ; tamen exercitium plenum huius dominij non accepit nisi post mortem. Cùm ergo solius Christi & Dei serui simus, eiusque vnius iudicio, seu damnandi, seu absoluendi; C

℣.10. VT QVID TV Iudæe IVDICAS & condemnas FRATREM TVVM Gentilem libertate sibi ab hero suo concessa liberè vtentem, & quiduis quouis die manducantem? AVT TV Gentilis QVARE SPERNIS & vilipendis FRATREM TVVM Iudæum, ex teneritudine animi & scrupulo legem Mosaicam, & festa ac ieiunia lege præscripta, obseruare etiamnum volentem?

℣.13. HOC MAGIS IVDICATE, id est, potiùs decernite, statuite, proponite, NE SCANDALVM, id est, OFFENDICVLVM, vel occasionem ruinæ, exinceps FRATRI PONATIS] Græci enim σκάνδαλον, ἀπὸ τοῦ σκαμβῶ, id est, *obliquo*, vocant obliquũ illum bacillum quo muscipula aperta detinetur, & cui esca alligatur, vt mus eam arrodens, muscipulam euersam in se trahat. Hinc translata est hæc vox ad significandum omne id quod alteri est causa lapsus & peccati. vt hîc, comedere cibos lege Mosaica vetitos, coram iis qui id putant nõ licere.

℣.14. CONFIDO, id est, fidenter teneo & asseuero, IN DOMINO IESV; Græcè, *per Dominum Iesum*, à quo id didici, *quòd.l* NIHIL iam sit, COMMVNE (*b*) PER IPSVM: id est, quòd nulla esca sit immunda per legem seu voluntatem Christi. Per accidens tamen ratione ignorantiæ alicuius, immunda est esca ILLI QVI EXISTIMAT hanc vel illam lege adhuc prohibitam, & ideo immundam ESSE] Vnde nolim coram tali vos vti libertate per Christum concessa, comedendi cibos lege vetitos. Tunc enim

b *Actor.10 v.14. & Marc. 7. v.18.*

℣.15. FRATER TVVS PROPTER CIBVM illum sic à te liberè sumptum CONTRISTATVR & scandalizatur: atque ita peccas contra CHARITATEM fraternam.

℣.16. NON ERGO BLASPHEMETVR, seu à Iudæis; seu à Gentilibus aliis, BONVM NOSTRVM] nempe religio & libertas Christiana, inquit S.Anselmus & S.Thomas. Contentiones enim illæ de cibis & ciborum delectu multos offendebant.

℣.17. NON EST REGNVM DEI ESCA ET POTVS: id est, religio, pietas & iustitia (per quam Deus specialiter regnat in nobis) per se non consistit, nec dependet à delectu cibi vel potus, cùm hoc sit adiaphorum: sed consistit in studio *iustitiæ, pacis*, ceterarumque virtutum, & in GAVDIO SPIRITVS SANCTI] id est, perpetua lætitia in omnibus & de omnibus, quæ & qualiter disponit Deus. Dixi, *per se*: quia per accidens, v.g. ex obligatione vel præcepti, vel temperantiæ, vel voti, possunt esse necessaria: vt patuit in pomo Adami, & quotidie patet in ieiuniis Ecclesiæ.

℣.20. NOLI PROPTER vilem ESCAM DESTRVERE OPVS DEI] id est, noli offendere & euertere proximum tuum, (*c*) quem Deus per Christum (*d*) fecit sibi seruum & filium.

c *Ephes. 2. v.10.*

d *Hic v.15.*

℣.22. TV FIDEM HABES? nempe qua tibi persuasum est & credis, nullum amplius cibum esse immundum. Rectè credis: sed PENES TEMETIPSVM HABE, & vtere hac libertate: noli illam in publico iactare, vel vti cum aliorum offendiculo. Sed & tu qui adhuc in fide & doctrina Christiana infirmus es, & putas non licere vesci cibis lege Mosaica vetitis, caue sis aliorum liberè vescentium exemplo etiam tu ijsdem vescaris. BEATVS, QVI IN EO QVOD practicè PROBAT, id est, in eo quod de facto eligit & facit, NON IVDICAT erroneè SEMETIPSVM] id est, non putat scrupulosè se peccare. Qui enim aliquid agit contra suam conscientiam, is suomet calculo seu iudicio se damnat, pronuntians sententiam contra semetipsum, licet speculatiuè erroneã, quòd practicè malè agat. Vnde

℣.23. QVI propriâ conscientiâ DISCERNIT cibum à cibo, SI MANDVCAVERIT cibum quem credit immundum & illicitum esse, DAMNATVS EST peccati, etiam proprio iudicio, (cui conformabitur iudicium diuinum:) QVIA NON manducauit EX FIDE, id est, ex dictamine conscientiæ quo credit, seu iudicat licere sibi vesci tali cibo. OMNE AVTEM QVOD NON EST profectum EX FIDE, id est ex dictamine conscientiæ, quo quis censeat tale quid sibi hîc, nunc, & sic licere, PECCATVM EST] Neque enim agit hîc Apostolus de fide Christiana, supernaturali, generali & speculatiua (vt volunt hæretici, & nonnulli Catholici;) sed de fide naturali, morali, particulari & practica, quæ nil aliud est quàm dictamen conscientiæ, seu iudicium rationis, quo iudico, mihique persuadeo, me (v.g. dum comedo suillam) rectè agere, nec Deum offendere. ita S.Caryssostomus, Theophylactus, Oecumenius, Ambrosius & Theodoretus. D

CAPVT XV.

Monet tum Gentiles, tum Iudæos vt, cùm vtrique ad fidem & gratiam Christi sint vocati, gratias Deo, inuicem pacem habeant. Mox rationem reddit suæ scriptionis: promittens, cùm in Hispaniã excurret, se in transitu visurum Romanos.

℣.2. VNVSQVISQVE PROXIMO SVO PLACEAT] eius infirmitati succurrendo, com-

commodis & necessitatibus seruiendo, petitionibus obsecundando, voluntati morem gerendo; exemplo *Christi*, qui

¥. 3. NON SIBI PLACVIT: id est, non studuit proprijs commodis, quieti, voluntati: sed nutui & honori diuino, simul & saluti generis humani. Sic ore Dauidis testatur: IMPROPERIA, opprobria, *Psalm. 68. v. 10.* scelerata facta nequissimorum hominum, TIBI, ô Deus, IMPROPERANTIVM, teque offendentium, CECIDERVNT SVPER ME] id est, cruciarunt & afflixerunt me, perinde ac si in me iacta essent: vnde & suscepi illa omnia in me luenda & expianda, vt sic honorem debitum tibi, ô Deus, redderem, & miseros homines tibi morte mea reconciliarem. Hoc, inquam, Christi exemplo debemus & nos proximorum infirmitatibus succurrere, & quoad possumus occurrere ac mederi, intuitu amoris & honoris Dei.

¥. 4. QVÆCVMQVE ENIM instinctu Spiritus sancti ab hagiographis SCRIPTA SVNT, siue Christum, siue nos, siue alias personas tangant; SCRIPTA SVNT AD NOSTRAM DOCTRINAM, seu instructionem, VT PER PATIENTIAM quam nos docent Scripturæ, ET per CONSOLATIONEM quam tot exhortationibus (Græcè enim est παράκλησις) & tam egregijs exemplis suggerit, SPEM HABEAMVS eiusdem cum illis heroibus, quorum exempla recensent, mercedis, præmij & brauij, si illos imitemur, certò obtinendi. Quia verò hoc ex nobis, soliusque naturæ nostræ viribus nec habemus, nec possumus, rogo vt

a Hic v. 13 & c. 16. v. 20. ¥. 5. DEVS omnis PATIENTIÆ ET SOLATII (sic infrà, *(a) Deus spei, Deus pacis*) supple, auctor ac donator, DET VOBIS IDIPSVM SAPERE IN ALTERVTRVM, id est, similem affectum, beneuolentiam ac beneficentiam inuicem exhibere, SECVNDVM exemplum, monitum & præceptum *Iesu Christi*.

b Matt. 26. v. 18. ¥. 8. DICO ENIM CHRISTVM FVISSE MINISTRVM *(b)* CIRCVMCISIONIS, id est, circumcisorum, seu Iudæorum, prædicatorem, doctorem & *c Matth. 15 v. 24.* saluatorem missum *(c)* à Deo, PROPTER VERITATEM, id est, ad explendam veracitatem DEI in promissis suis, quibus olim promiserat Iudæis eorumque patribus, se missurum ipsis Messiam. ita Anselmus.

¥. 9. GENTES AVTEM dico debere nihilominùs HONORARE DEVM, eique gratias habere SVPER MISERICORDIA, id est, propter gratuitum beneficium donati ipsis Messiæ, non ex promisso (vt Iudæis) sed ex mera misericordia.

¥. 13. DEVS AVTEM dator & auctor omnis SPEI, omniumque bonorum, REPLEAT VOS OMNI GAVDIO ET PACE IN CREDENDO, VT læti, hilares & concordes crescatis quotidie, & magis magisque in dies ABVNDETIS IN SPE, & in omnibus bonis speratis, ET VIRTVTE; Græcè, δυνάμει, id est, fortitudine, robore, gratia & donis SPIRITVS SANCTI.

¥. 14. CERTVS SVM; Græcè, πέπεισμαι, id est, certò mihi persuadeo, quòd vos, ô Romani, non egeatis (quasi ignari, torpidi vel socordes) mea instructione vel commonitione, cùm SITIS PLENI DILECTIONE & OMNI SCIENTIA. quòd ergo

¥. 15. SCRIPSI VOBIS hanc epistolam; & quidem AVDACIVS EX PARTE, id est, aliquantulum seu paulò liberiùs, id solùm feci vt animi mei erga vos affectum demonstrarem, memoriam vobis refricando eorum quæ probè nostis: PROPTER GRATIAM QVÆ DATA EST MIHI A DEO] Id est, vt muneri Apostolico mihi à Deo imposito faciam satis.

¥. 16. VT SIM MINISTER (Græcum λειτουργὸς significat ministrum sacrorum, qualis est sacerdos) SANCTIFICANS, id est, sacrificans, *(d)* vel, vt S. Augustl. legit, consecrans, EVANGELIVM, seu prædica- *d Ioan. 17. v. 19.* tionem Euangelij, DEI. Apostolus enim hîc inducit metaphoricum sacrificium, puta conuersionem Gentium, & earumdem oblationem ac consecrationem Deo factam. in quo sacrificio sacerdos est Paulus: victima ipsæ Gentes, vel potiùs gentilismus in ipsis mactatus sicut Petro dicebatur, *(e) Occide & manduca*. consecratio est prædicatio Euan- *e Actor. 10. v. 13.* gelij, & administratio Sacramentorum, quâ Gentes ex profano populo conuertuntur in populum sanctum & Deo dicatum, ignis quo victima comburitur, est SPIRITVS SANCTVS, eiusque charismata & gratiæ, inquit S. Chrysost. Theophyl. & alij. Simili metaphora v. 25. vt & 2. Corinth. 9. v. 12. *eleemosynas dare*, vocat λειτουργίαν: & suprà *(f)* vocauit *corpora nostra hostiam*, seu victimam. Sed hæc metaphorica sacrificia nihil præiudicant vero ac proprie dicto sacrificio Eucharistico, de quo alibi Scriptura. *(g)* *f Rom. 12. v. 1.* *g Matt. 26. v. 26. Luca 22. v. 19. Act. 12. v. 2. & 1. Cor. 10 v. 20. & 21 & Hebr 7. v. 17. & c. 13 v. 10. & c.*

¥. 17. HABEO IGITVR GLORIAM, seu occasionem gloriandi, non in me, vel ex me, sed IN CHRISTO, primario hîc sacrificante, & per me tamquam suum ministrum, salutem Gentium operante & AD DEVM transmittente.

¥. 18. NON ENIM AVDEO, sed neque opus habeo ad laudem vel gloriam mihi conciliandam, ALIQVID LOQVI, seu in medium afferre, EORVM QVÆ NON PER ME, sed per collegas meos, EFFICIT CHRISTVS IN traductione GENTIVM ad OBEDIENTIAM Euangelij, partim VERBO prædicationis, partim FACTIS & gestis: addè, & laboribus exantlatis, *(h)* & tot aduersis toleratis pro eorumdem conuersione. *h 2. Cor. 11. v. 23. & seq.*

¥. 19. IN, seu cum, VIRTVTE & efficacia SIGNORVM, id est, miraculorum, ET PRODIGIORVM, potentia SPIRITVS SANCTI per me patratorum. ITA VT AB IERVSALEM VSQVE AD ILLYRICVM (nunc (*Sclauonia* vocatur, vel *Bosnia*,) REPLEVERIM, id est, plenè vbique euulgarim & sparserim, EVANGELIVM CHRISTI.

¥. 23. NVNC VERO VLTERIVS LOCVM NON HABENS IN HIS Græciæ, Macedoniæ & Achaiæ REGIONIBVS, qui vacuus sit, nec repletus *(i)* Euan- *i Hic v. 19.* gelio, vbique fundatis Ecclesijs, vbique constitutis Episcopis ac Presbyteris, qui quæ cœpi promoueant; CVPIDITATEM HABEO visendi vos Romanos ex itinere quod IN HISPANIAM adorno. Nempe amplissimæ virtuti Pauli parum videbatur, replesse Euangelio *Arabiam*, (k) *Damascum*, (l) *Antiochiam*, (m) *Seleuciam*, (n) *Cyprum*, (o) *Pamphyliam*, (p) *Pisidiam*, (q) *Lycaoniam*, (r) *Ciliciam*, (s) *Phrygiam*, (t) *Galatiam*, (v) *Mysiam*, (x) *Troadem*, (y) *Achaiam*, (z) *Macedoniam*, (aa) & tot alias regiones *Ierusalem* inter & *Illyricum* sitas; etiam *Italiam*, *Galliam*, *Hispaniam* ambit. Et verò etiam de facto adijsse (etsi S. Lucas, qui octo postremos vitæ Pauli annos intactos reliquit, non meminerit,) disertè docent S. Hippolytus, Athanasius, Cyrillus, Sophronius, Epiphanius, Chrysostomus, Theodoretus, Hieronymus, Gregorius, Isidorus, Metaphrastes, Beda, Ado, & alij quos citant Baronius, Pererius & Ioannes Vasæus.

k Galat. 1. v. 17. *l Ibidem.* *m Actor. 13 v. 1.* *n Ibid. v. 4.* *o Ibidem.* *p Ibid. v. 13* *q Ibid. v. 14* *r Actor 14. v. 6.* *s Actor. 15. v. vlt.* *t c. 16. v. 6.* *v Ibidem.* *x Ibid. v. 8* *y Ibidem.* *z Actor. 18. v. 27.* *aa Actor. 16 v. 10.* *Baron. anno Christi 62. Valesius in Chron. Hispan.*

¥. 29. VENIAM AVTEM AD VOS IN, seu cum, ABVNDANTIA BENEDICTIONIS EVANGELII] id est, gratiarum & charismatum Euangelicorum (v. g. amplioris cognitionis mysteriorum fidei, vbe-

rioris amoris & consolationis spiritualis, &c.) quæ Deus per meum aduentum copiosè vobis elargietur, inquit Origines & Anselmus. Interim pro incolumitate mea orate Deum,

℣. 31. VT OBSEQVII MEI OBLATIO ACCEPTA FIAT IN IERVSALEM SANCTIS: id est, vt eleemosynæ quas è Græcia defero Christianis pauperibus Ierosolymæ degentibus, integræ ad manus deueniant: simul & VT LIBERER AB INFIDELIBVS, seu Iudæis, seu Gentilibus iudaizantibus, QVI SVNT IN IVDÆA iurati mihi hostes. Præsagiebat Paulus imminens sibi Ierosolymis certamen & vitæ discrimen, quod incurrit primo statim aduentu, vt vidimus in Actis Apostolorum. Ad quod euadendum si licuit Paulo sine vlla Dei vel Christi iniuria opem & preces implorare Romanorum tam procul absentium; quid ni liceat etiam implorare opem & preces Sanctorum cum Christo regnantium in cælis?

Actor. 25. v. 27. &c.

CAPVT XVI.

Amicos commendat & salutare iubet; vt solet in clausulis omnium suarum epistolarum. Eâdem operâ monet, vt ab iis cauteant qui auctores sunt dissidiorum & scandalorum.

℣. 1. PHOEBE SOROR vocatur non naturâ, sed religione, quia Christiana, IN MINISTERIO ECCLESIÆ *Cenchrensis*; Græcè, *diaconissa*, Sic tum vocabantur quæ præerant, seu virginibus, seu viduis Deo dicatis; vel etiam aliis pauperioribus feminis quæ publico Ecclesiæ sumptu alebantur. Hæc è CENCHRIS Corinthiorum portu, negotiorum, seu priuatorum, sed publicorum causâ Romam excurrebat, eâdemque operâ hanc à Paulo ad Romanos Christianos epistolam deferebat, vt patet ex Græco, Syro & Latino textu Regio in fine epistolæ.

℣. 3. PRISCA ET AQVILA Iudæi erant *scenopegi*, seu tentoriorum opifices, qui nuper Roma per Claudium eiecti, (*a*) iam sub Nerone Romam redierant; ADIVTORES IN CHRISTO, id est, in negotio fidei promouendo: QVI CERVICES SVAS PRO ANIMA, seu vita, MEA SVPPOSVERVNT, euidenti mortis periculo, mei causâ sese obijcientes, verisimiliter in illa Corinthiaca seditione Actorum 18. v. 12. vel Ephesina Actor. 19. v. 24.

a *Actor. 18. v. 3.*

℣. 5. PRIMITIVVS ASIÆ] Græcè, ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας, id est, primitiæ Achaiæ, id est, primus ex Achaia (Asiæ regione) ad fidem Christi conuersus.

℣. 7. ANDRONICVM ET IVNIAM vocat COGNATOS, (*b*) quia contribules erant Paulo, putà Iudæi, forsan & Beniaminitæ: (*c*) CONCAPTIVI olim in aliquo carcere: NOBILES IN APOSTOLIS, id est, illustres inter Euangelij præcones: QVI ET ANTE ME FVERVNT IN CHRISTO, id est, Christiani, seu conuersi ad fidem Christi.

b *Rom. 11. v. 1.*
c *Hic v. 11.*

℣. 9. STACHYS iste (vt est in Martyrologio Romano) primus Byzantinæ vrbis Episcopus à B. Andrea Apostolo creatus fuit. Et idem testatur Nicephorus, Hippolytus & Dorotheus.

Martyrol. Rom. 31. Octobr. Nicephor. Callist. l. 8. hist. c. 7. Hippolyt. libello de 27 discipulis. Doroth. in Synopsi.

℣. 10. PROBVM IN CHRISTO] Græcè, δόκιμον, id est, probatum & sincerum Christi discipulum.

℣. 11. ARISTOBOLI, tamquam Apostolorum discipuli & Martyris, dies natalis notatur in Romano Martyrologio Idibus Martij. Porrò *Narcissum*, cuius hîc fit mentio, putat Benedictus Iustinianus & Menochius fuisse Claudij Imperatoris libertum, de quo multa Tacitus & Suetonius. QVI SVNT IN DOMINO] id est, quotquot ex eius familia credunt in Christum. nam in amplis familiis sæpè aderant multi infideles.

℣. 12. TRYPHENA ET TRYPHOSA mulieres erant Iconienses nobiles, quos Paulus Iconij ad Christum conuertit, (*d*) sed iam Romã demigrarãt: LABORANTES IN DOMINO, id est, collaborantes promotioni Euangelij, pro ratione illius sexus.

d *Act. 14. v. 1. & Martyrol. Roman. 12. Nouembris.*

℣. 13. RVFI ELECTI IN DOMINO, id est, pietate insignis inter Christianos, MATREM vocat honoris causa etiam suam *matrem*, quòd expertus esset illam tam de se, quàm de tota re Christiana præclarè meritam.

℣. 14. De *Asyncrito* Hyrcaniæ, *Phlegonte* Maratoniæ, *Herodione* (cuius meminit v. 11.) Patrarum Episcopis; & alijs hîc nominatis vide Martyrol. Romanum, & notas Baronij ibidem. HERMAS auctor est libri qui inscribitur *Pastor*, de quo vide Bellarminum.

Martyrol. Roman 8. Aprilis. Bellarm. de verb. Dei libr. 1. de Apocryphis. Item libro de Scriptoribus Eccles. sanct.

℣. 16. SALVTATE INVICEM IN, seu cum, OSCVLO SANCTO] id est, non profano, non lasciuo, non ficto, sed sincero, casto, Christiano, religioso: quale olim ex veteri tam Gentilium (teste Suetonio) quàm Iudæorum ritu (teste *Amasa*, (*e*) etiam vsurpabant primi Christiani, præsertim in sacris conuentibus ante sumptionem S. Eucharistiæ, dicentes: *Pax tecum*, eratque hoc sinceræ reconciliationis, & solidæ charitatis symbolum. Sed fraude postmodum subrepente, loco huius osculi, successit osculum tabellæ, cuius etiamnum vsus plurimis locis in Missa. Porrò, quia Paulus hîc interalios non iubet salutari *Petrum*, volunt Nouantes deduci, Petrum numquam Romæ fuisse. Sed quàm facilè contingit, aliquem vrbe nonnumquã abesse? Nominatim verò Petrum tum temporis in Britanniam, Hispaniam & Africam, ad Ecclesias istic fundandas & firmandas excurrisse, docet Innocentius primus, & alij, & ex ijs Baronius, & Bellarminus. Quòd si Romæ tum adfuit, peculiares ad eum litteras (vt moris est,) dederit Paulus, vt necesse non fuerit, in publicis eumdem rursus salutare. Ceterùm Romæ non fuisse modò, sed & mortem oppetiisse Petrum vnà cum S. Paulo, ex innumeris penè totius orbis testibus docui in Chronico sub finem imperij Neronis.

e *Suetonius in Tiberio. c. 2. Reg. 10 v. 9.*
Innocent. I. epist. ad Decentium.
Chronic. c. vlt. Neronis anno vlt.

℣. 18. BENEDICTIONES; Græcè, *benedictiam* pseudodoctorum vocat adulationes, seu assentationes, inquit Theophyl.

℣. 19. VESTRA OBEDIENTIA, quâ prompt è & perfectè credidistis Euangelio, IN OMNEM VNIVERSI LOCVM DIVVLGATA EST. SED VOLO VOS SAPIENTES ESSE IN BONO, id est, prudentes & cautos, ne tanto bono blandis seductorum persuasionibus excidatis, ceteroqui SIMPLICES & quasi rudes IN MALO, vt qui nocendi vel malè agendi artem nõn teneatis.

℣. 20. DEVS AVTEM PACIS amator, auctor, donator, SATANAM, magistrum & incentorem dissensionum, CONTERAT VELOCITER SVB PEDIBVS VESTRIS, vt conculcetis & comprimatis quotquot dæmone instigante dissidia inuehere conantur. ita S. Chrysost. & Theodoretus. At S. Anselmus & Toletus id etiam extendunt ad idololatras & tirannos qui Euangelio aduersabantur.

℣. 21. TIMOTHEVS Ephesi fuit Episcopus, ad quem duæ exstant Pauli epistolæ.

LVCIVS aliquibus videtur esse *Lucas* Euangelista.

℣. 22. TERTIVS Pauli (saltem in hac epistola cõscribenda, forsan & ex Græco in Latinum transferenda) amanuensis, postea *Iconij* Episcopus & Martyr,

Martyr, teste Amphilochio, Dorotheo, Diodoro Tarsensi, & ex eo, Sixto Senensi & Martyrologiis. *Dorath. in Synopsi Sixt. Sen. l. 2. in Tertio Martyrol. 21. Iunij.*

¥.23. CAIVS Corinthi HOSPES PAVLI, ab ipso conuersus & baptizatus, (*a*) is est ad quem S. Ioannes tertiam suam epist. dedit, in qua eum ab hospitalitate & misericordia in pauperes mirè commendat. *a 1. Cor. 1. v. 14.*

ERASTVS ARCARIVS, seu quæstor publicus Corinthiorum, postea Philippensium Episcopus fuit, & martyrio vitam finiuit. (*b*) *b Martyrol. Roman. 12. Iulij.*

¥.25. EVANGELIVM MEVM, est PRÆDICATIO seu annuntiatio œconomiæ IESV CHRISTI, quâ continetur non res aliqua vulgaris naturali lumine inuenta, sed à solo Deo *reuelata*, res maximi momenti nempe *mysterium* redemptionis & saluationis omnium Gentium per Christum. Quod tamen *Actor. 19. v. 22. & 2. Tim. 4. v. 10.*

A non est recèns à Deo decretum, sed ab æterno excogitatum ab ipso ac definitum, licèt in ipsius sinu perpetuò reseruatum ac *tacitum*; sed NVNC eodem iubète, *per Prophetas* opportune PATEFACTVM hominibus, AD OBEDITIONEM FIDEI; id est, vt homines illud credant eique obediant, ac nominatim *Gentilibus* vbique *cognitum*; Græcè, *notificatum* est. CVI tam prouido, tam liberali, *vers. 27.* DEO, SOLI ex se & natura sua, seu essentialiter, SAPIENTI; HONOR omnis ET GLORIA perpetuò deferatur PER CHRISTVM & Christianam religionem, prouidentia ipsius iam vbique propagatam; secundùm quam, vt agnoscitur, ita & celebratur Deus, laudetur, benedicatur, glorificetur, eique seruiatur à toto vniuerso IN SÆCVLA SÆCVLORVM. AMEN.

B

EPISTOLA BEATI PAVLI APOSTOLI AD CORINTHIOS PRIMA

PHESI scripta (*a*) anno à morte Christi 25. (*b*) inquit Occumenius & alij apud Baronium, & colligitur ex c. 16. v. 8. Est autem Corinthus Achaiæ siue Peloponnesi (nunc vulgò *Morea* dicitur) metropolis, inquit Chrysost. duobus inclyta portubus, Ionio & Ægeo mari imminentibus (vnde & Ouidius *bimarem* Corinthum vocat:) condita primùm à Sisypho Æoli filio (teste Strabone) *Corcyra* nominabatur, postea *Ephyre*: deinde à Corintho, Pelopis (vt Suidæ placet) vel (vt alijs) Oresti filio, instaurata, *Corinthus* est appellata. Cicero *totius Græciæ lumen* appellat: tum ob opes, (& præcipuè metalla, inter quæ *æs Corinthiacum* celeberrimum ac laudatissimum, quod Plinius etiam auro æquiparat:) tum ob splendorem ædificiorum, quo ceteris præcellebant *forma Corinthiaca*, teste Vitruuio, structoribus toto orbe optatissima. Tum ob Oratorum & Philosophorum frequentiam. Nam & *Periander*, vnus è septem Græciæ sapientibus, Corintho prodijt. In hoc nobilissimo emporio, monente ipsomet Christo, (*c*) Paulus sesquiannum prædicauit Euangelium, tanto incolarum profectu, vt eorum sapientiam & eximia cælitus accepta charismata passim deprædicet. (*d*)

a Actor. 19. v. *b Præfat. in epistolas Pauli.* *Ouid. 4. Fastor.* *Strabo l 8. Geograph.* *Cicero pro lege Manilia.* *Plin. l. 4. c. 2.* *c Actor. 18. v. 9.* *d 1. Cor. 1. v. 5. 6. 14. v. 26. & alibi.*

Quatuor primis capitibus, humanæ sapientiæ & eloquentiæ fastum, (quo diuites & docti turgere solent) inanes item contentiones de magistrorum suorum, Petri, Pauli, Apollo, præcellentia, redarguit & comprimit Paulus. Quinto capite iubet incestuosum excommunicari. Sexto lites coram tribunalibus infidelium, & fornicationes reprehendit. Septimo & sequentibus capitibus varia dubia quæ ad Paulum perscripserant, resoluit, puta de matrimonio & virginitate, de esu idololthytorum, de velatione mulierum, de cœna Eucharistica, de virtutibus fidei, spei, charitatis, de gratijs gratis datis, de resurrectione corporum, de eleëmosynis, &c. Vnde Epistola hæc mixtim dogmatica est & ethica.

CAPVT I.

AB humana sapientia fastu, & vana de magistris suis contentione Corinthios abducit ad humilem victricem Crucis Christi fidem, & ad concordiam fraternam.

¥. 1. PAVLVS cælesti vocatione vocatvs (*a*) APOSTOLVS, ET SOSTHENES] Erat hic princeps synagogæ Corinthi, conuersus ad Christum à Paulo pro fide coram Gallione Proconsule Achaiæ acriter à Iudæis verberatus; (*b*) iam Paulo aderat Epheſi: & post mortem inter Sanctos relatus est 28. Nouembris.

a *Rom.1. v.1.*

b *Act.18. v.17.*

¥. 2. SANCTIFICATIS IN CHRISTO, nempe baptismo lustratis, & sic vera sanctitate, ac gratia sanctificante donatis: VOCATIS SANCTIS, (*c*) seu vocatis ad sanctum & sublimem statum; supple, scribit, & salutem dicit.

c *Rom. 1. v. 7.*

¥. 4. IN GRATIA] Græcè & syriacè, *propter gratiam*, seu gratuita dona cælitus accepta.

¥. 5. IN ILLO, id est, per Christum, seu per merita Christi, DIVITES FACTI ESTIS IN OMNI VERBO ET SCIENTIA] Id est, abundatis copia prædicatorum & doctorum Euangelicorum, & (quæ inde hauritur,) copia scientiæ mysteriorum fidei, & officij Christiani.

¥. 6. SICVT hinc certum TESTIMONIVM toti orbi datum & CONFIRMATVM sit, CHRISTI eiusque religionis IN VOBIS stabilitæ, vigentis ac florentis.

¥. 7. EXSPECTANTIBVS interea spe certissima REVELATIONEM CHRISTI] nempe in secundo eius ad iudicium aduentu, vt, quæ adhuc desunt ad plenam perfectamque beatitudinem vobis, tunc suppleantur in cælesti palatio.

¥. 9. FIDELIS, id est, verax, est DEVS, supple, in præstandis quæ promisit: nempe vt omnia auxilia, ex parte eius necessaria, vobis suppeditet, quibus in accepta gratia, iustitia, & SOCIETATE FILII EIVS (*d*) & communione omnium thesaurorum Ecclesiæ, constanter vsque in finem vitæ perseuerare possitis, inquit S. Ambrosius, Chrysost. Theophyl. Anselmus. Quòd si tota hîc Ecclesia vocetur *societas Iesu*, quid cauillantur hæretici *Iesuitas*, si idem hoc nomen, toties à Summis Pontificibus (*e*) sibi tributum, vsurpent? non vt alijs quidquam detrahant, sed seipsos hoc suo nomine excitent, ac perpetuò sui officij commoneant, nempe vt instar militaris legionis, duci suo Iesu sociatæ, & speciali iuramento adstrictæ, fortiter pro gloria Dei, & salute animarum vbique promouenda decertent. De quo vide Iacobum Gretserum, Iulium Nigronium, Franciscum Montanum, & alios qui Apologias pro hac *Societate* conscripserunt.

d *1. Ioan. 1. v. 3.*

e *Pius V. Pont. in bulla Societatis. &c. & alij Pontifices in alijs bullis.*

¥. 10. SITIS PERFECTI; Græcè, *κατηρτισμένοι*, id est, (vt Theophyl. exponit) *coaptati*, & aptè ac concinnè compacti inter vos mutuo. (*f*)

f *1. Cor. vlt. v. 11.*

¥. 11. SIGNIFICATVM EST ENIM MIHI AB IIS QVI SVNT de familia CHLOES] ita Chrysostomus & Syrus.

¥. 12. QVOD VNVSQVISQVE VESTRVM, id est, quisque eorum qui inter vos de magistri sui præcellentia contentiosè & ambitiosè disceptant; (neque enim crediderim, omnium fuisse hoc commune vitium) DICAT & iactet: vnus, EGO SVM PAVLI catechumenus, discipulus & cliens: Paulo Gentium Apostolo, tantæ sanctitatis, tantæ doctrinæ, tantæ famæ viro glorior magistro ac doctore. Alius dicit, EGO AVTEM APOLLO, viri tam A diserti, tam eloquentis, (*g*) tam magnifici magisterio me subdere malo. Tertius, EGO VERO CEPHÆ, seu Petri, vtpotè principis Apostolorum omnium, & monarchæ totius Ecclesiæ. Alius denique, quasi omnes humanos doctores fastidiens, dicit, EGO CHRISTI SVM. Alioquin absque contemptu aliorum decebat omnes dicere *Ego sum Christi*, inquit S. Ambrosius, Theophyl. & S. Thomas.

g *Act. 18. v. 27.*

¥. 13. DIVISVSNE EST CHRISTVS? id est, an plures sunt Christi? v.g. an alius est Pauli Christus, quam Christus Cephæ vel Apollo? An non vnus est idemque Christus qui ab his omnibus prædicatur, qui & PRO VOBIS omnibus CRVCIFIXVS EST, & IN CVIVS NOMINE OMNES BAPTIZATI ESTIS? Aut forsan inaudita blasphemia vultis Paulum vel Cepham esse vobis Christum pro vobis crucifixum, & vos in nomine Pauli baptizatos esse?

B ¥. 14. GRATIAS AGO DEO, diuinæque prouidentiæ, QVOD ad tollendam ansam huius intolerandæ blasphemiæ, NEMINEM VESTRVM BAPTIZAVI meis manibus, NISI vnicum CRISPVM apud vos Archisynagogum, (*h*) ET CAIVM hospitem meum, (*i*)

h *Act. 18. v. 8.*

i *Rom. vlt. v. 23.*

¥. 16. ET DOMVM STEPHANÆ, (*k*) viri (teste Theophylacto) à fide, charitate & zelo celebris. Occasione huius schismatis docet S. Thomas & alij, Græcos formam baptismi sic efformasse, vt non dicant, *Ego te baptizo*, sed, *Baptizetur seruus Christi*: ne cui daretur occasio dicendi, *Ego sum Pauli*, *Ego sum Cephæ*. Ineptè verò hinc Erasmus, Faber & alij Nouantes à pari inferunt: Ergo perperam dicit vnus, *Ego sum S. Thomæ*: alter, *Ego Scoti* discipulus: *Ego sum Francisci*, *Ego Dominici* alumnus. Quia diuersæ Philosophorum & Theologorum scholæ, vel monastica instituta non scindunt Ecclesiam in studia partium quoad ea quæ essentialia sunt Ecclesiæ, (vt fiebat in hoc schismate Corinthiaco, vbi vis & excellentia baptismi & fidei credebatur pendere ab ipsis ministris, non minùs quàm à Christo:) sed solùm inducunt varia & vtilia exercitia animorum & ingeniorum quoad ea quæ accidentalia sunt & planè libera. Et varietas Ordinum Religiosorũ etiam facit ad maiorem Ecclesiæ splendorem, robur & commodum: sicut in vna vrbe varietas opificum, in vna aula varietas ministrorum, in vna acie varietas cohortium & legionum. In Nouantes verò iure merito schismata etiam Corinthiacis deteriora retorqueas, qui se iactant, *Ego Lutheri sum*, *Ego Caluini*, *Ego Mennonis*, *Ego Gommari*, *Ego Arminij*, &c. in essentialibus fidei & religionis articulis fœdissimè pertinacissimeque dissidentium.

k *1. Cor. vlt. v. 15. & 17. &c.*

C

¥. 17. NON MISIT ME CHRISTVS BAPTIZARE, vel alia Sacramenta Parochis committi solita administrare, supple, principaliter vel ordinariè: nam primarium apostolatus, seu legationis meæ munus est *prædicare*. Vnde & Episcopis, vt illud per se, nisi legitimè impediantur, exerceant, præscribit Tridentinum. *Prædicare*, inquam, NON IN SAPIENTIA VERBI, id est, affectata eloquentia & ornatu verborum, VT NON EVACVETVR, id est, inanis & infructuosa reddatur, saltem hominum opinione, CRVX, id est, passio, CHRISTI: nempe dum putarent homines, se ad fidem pellectos, & consequenter iustitiam ac salutem assecutos, non tam vi meritorum Christi, quàm vi eloquentiæ humanæ. ita S Chrysostomus.

Trid. sess. 5. c. 2. sess. 24. c. 4.

D

¥. 18. VERBVM, id est, prædicatio, vel negotium, CRVCIS, seu passionis Christi, PEREVNTIBVS,

BVS, id est, incredulis & peruersis hominibus, ideoque paulatim pereuntibus & certò, ni pœniteant, perituris) STVLTITIA habetur: IIS AVTEM QVI fideles & pij sunt, atque ita paulatim SALVI FIVNT, ID EST NOBIS Christianis, sinceris Christi cultoribus, DEI VIRTVS EST; Græcè, δύναμις, id est, potentia, robur, fortitudo. qua quidùis superent. (a)

a *Infrà. hîc v. 24.*

℣. 29. SAPIENTIAM autem sæcularem (vt SCRIPTVM EST Isaiæ 29. v. 14. in editione LXX.) PERDAM, *abscondam*, REPROBABO] id est, faxo, nulli sit vsui ad animas Christo adiungendas.

℣. 20. VBI nunc est SAPIENS Gentilium Philosophus, terendis libris exercitatus? VBI SCRIBA (b) Iudæorum doctor? VBI CONQVISITOR, seu curiosus indagator naturæ & arcanorum HVIVS SÆCVLI, seu mundi? Etsi totam ætatem perscrutandis naturæ occultissimis mysterijs tanto studio impenderint; nemo tamen illorum fidei nostræ mysteria potuit vel à longè suspicari, tantùm abest potuerit assequi, vel alijs aperire.

b 4. *Reg* 18. *v.* 18. *&* 1. *Esdræ* 7. *v.* 6. *Eccli.* 10. *v.* 5.

Notat Paulus Pharisaicum Iudæorum Doctorum supercilium, & fastum Philosophorum Ethnicorum, v. g. Musonij, Dionis, Epicteti, Damyis Diogenis iunioris, Apollonij Tyanæi, qui Græcis sub hoc tempus ita admirationi fuerunt, vt partim Ephesi, partim alibi, statuâ etiam viui donarentur, & post mortem inter deos referrentur, teste Plutarcho & Philostrato & aliis apud Baronium.

Plutarch. in vita illorum. Philost l. 4. Vita Apollonij. Baron. anno Christi 75.

NONNE STVLTAM FECIT, seu ostendit, (c) DEVS omnem SAPIENTIAM HVIVS MVNDI in agnitione Filij Dei pro nobis incarnati, & veræ iustitiæ ac salutis per mortem eius mundo partæ? ita S. Chrysostomus.

c *Proleg. de Idiotismis. Hebr. n.* 58.

℣. 21. NAM QVIA IN, seu ex, DEI SAPIENTIA, id est, è rebus sapienter à Deo conditis, putà è stupenda hac mundi fabrica, eiusdemque sapientissima gubernatione, MVNDVS (& mundi doctores) PER omnem suam mundanam SAPIENTIAM & solertiam, NON COGNOVIT (quod (d) facilè poterat) mundi opificem & rectorem DEVM; ideò PLACVIT DEO PER STVLTITIAM PRÆDICATIONIS, id est, per prædicationem Crucis Christi, quæ iudicio mundi stulta est, SALVOS FACERE homines non iam sublimia speculantes, differentes, disputantes, sed simpliciter CREDENTES. ita S. Thomas.

d *Rom.* 1. *v.* 19. *&c.*

℣. 22. IVDÆI, rebus admirabilibus iam ab olim assueti, SIGNA & prodigia EXPETVNT; GRÆCI & Gentiles Philosophi humanam SAPIENTIAM & eloquentiam *requirunt*, antequam sinant aliquid sibi persuaderi.

℣. 23. NOS AVTEM PRÆDICAMVS mysterium omni naturali sapientia sublimius, omnibus prodigijs prodigiosius, CHRISTVM Dei Filium CRVCIFIXVM. Sed hoc IVDÆIS (qui Christum exspectant cum mundana maiestate venturum) SCANDALVM est & probrum: GENTIBVS AVTEM (qui hanc Numinis abiectionem non capiunt) STVLTITIA:

℣. 24. IPSIS verò VOCATIS, id est, Christianis, qui diuina gratia illuminati & vocati sunt ad fidem, iustitiam & salutem, (siue *Iudæi* illi sint, siue *Græci* seu Gentiles) CHRISTVS etsi abiectus & despectus, habetur DEI *virtus*, ET DEI *sapientia*, id est, pro re potentissima & sublimissima. Nam, vt aliàs (e) dixi, quæcumque Dei sunt, maxima sunt. Videtur Paulus alludere ad paronomasiam quæ est in verbis Hebræis *michscal*, id est, scandalum: *miscal*, id est, stultitia: & *sechel*, id est, potentia.

e *Cor.* 33. *v.* 10. *Psal.* 35. *v.* 7. *Exech.* 1. *v.* 16. *&c.*

מכשל מסכל שכל

℣. 25. QVOD STVLTVM ET INFIRMVM EST DEI: id est, quod in Deo, seu Dei Filio: putant mundani esse infirmitatis & stultitiæ, nempe quòd sit natus, passus, crucifixus, SAPIENTIVS ET FORTIVS EST cunctis HOMINIBVS, & cuiuis humanæ potentiæ ac sapientiæ anteferendum. Christus enim cruce, passione & morte sua, quâ quasi victus videbatur, vicit mundum vniuersum, inquit S. Ambrosius & Anselmus.

℣. 26. VIDETE ENIM & expendite VOCATIONEM VESTRAM, id est, rationem & modum quem secutus est Deus in vobis ad fidem vocandis: nam siue spectes præcones Euangelij qui vos vocarunt (vt cum Anselmo exponit S. Thomas:) siue vos ipsos qui vocati estis (nam de his intelligit S. Chrysostomus:) NON MVLTOS certè inter eos reperietis SAPIENTES SECVNDVM CARNEM, id est, carnali, humana, terrena sapientia, *potentia, nobilitate:*

℣. 28. SED ELEGIT DEVS EA QVÆ mundi opinione NON SVNT alicuius notæ aut momenti, sed pro nihilo reputantur, VT EA QVÆ SVNT, id est, quæ apud mundanos in maximo pretio habentur, putà sapientes & potentes huius sæculi, DESTRVERET & euerteret, & quasi nihili esse ostenderet.

℣. 29. VT NON GLORIETVR OMNIS CARO] Id est, vt nulli mortalium detur occasio se iactandi, quòd ob suam sapientiam, opes, nobilitatem, fortitudinem vel præclara merita vocatus sit, seu ad fidem, seu ad munus Apostolicum, sed ex mera gratia & nudo beneplacito Dei, inquit idem Anselmus & S. Thomas. Etsi enim inter alios etiam quidam sapientes & potentes vocati sint, v. g. Nicodemus, (f) Dionysius, (g) Paulus Proconsul, (h) adeoque & noster Paulus: hi tamen pauciissimi fuerunt, nec de his metuendum, quòd suis seu talentis, seu fortunis, hanc gratiam adscriberent.

f *Ioan.* 3. *v.* 1.
g *Actor.* 17. *v. vlt.*
h *Actor.* 13. *v.* 7.

℣. 30. EX IPSO AVTEM, id est, ipsius Dei dono, seu per gratiam Dei, VOS ESTIS vocati IN CHRISTO, seu ad fidem Christi, QVI A DEO, seu Dei dono, FACTVS EST NOBIS SAPIENTIA, ET IVSTITIA, &c. id est, auctor & dator sapientiæ, iustitiæ, &c. Neque enim possunt hæc formaliter & imputatiuè intelligi, vt somniant hæretici: nam sic etiam Christi *redemptio* esset formaliter nostra, id est, nosipsi essemus nostri redemptores: ipsius *sapientia* saperemus. &c. sed tantùm causaliter, in genere causæ meritoriæ & efficientis: quia scilicet Christus per passionem suam est nobis promeritus nostram sapientiam, iustitiam, redemptionem, & per suam gratiam ac Sacramenta producit illas in nobis. ita Chrysost. Ambrosius, Anselmus & alij Patres.

CAPVT II.

Simplicem & spiritualem scientiam mysteriorum fidei Christi profert omni scientia naturali & carnali.

℣. 2. NON IVDICAVI ME SCIRE ALIQVID INTER VOS] Id est, non putaui expedire. vnde & decreui non vti apud vos aliâ scientiâ ac doctrinâ, quàm quæ est de Christo crucifixo. Quare etiam me ita prorsus gessi, ac si nil aliud scirem.

℣. 3. IN INFIRMITATE: id est, cum magna animi demissione & humilitate? ET MVLTO TIMORE AC TREMORE FVI APVD VOS, ob Iudæorum persecutionem & ingentes ærumnas quas passus sum Corinthi, Act. 18.

℣. 4. SERMO MEVS, seu oratio quâ vtebar A in prædicando Euangelio, NON constabat exquisitis ad persuadendum HVMANÆ SAPIENTIÆ & eloquentiæ VERBIS, (in quibus facilè patior me ab alijs superari:) sed OSTENSIONE SPIRITVS ET VIRTVTIS] id est, solidis & firmis rationibus, quæ & rem certò concluderent, & spiritualem ac diuinam potentiam demonstrarent.

℣. 5. VT FIDES & conuersio VESTRA NON SIT fundata IN SAPIENTIA humana, nec illi adscribatur, SED *virtuti* DEI] id est, potentiæ & efficacitati verbi diuini seu Euangelij.

℣. 6. SAPIENTIAM AVTEM veram ac diuinam, id est, sublimiorem & profundiorem doctrinam de secretioribus & altioribus fidei mysterijs, de modo, consilio & fine incarnationis & passionis Filij Dei, de adoptione filiorum, de prædesti- B natione, reprobatione, de sapientia, potentia, excellentia crucis, de mirabilibus donis Spiritus sancti, &c. LOQVIMVR non apud vos, (vtpote adhuc paruulos & incapaces (a) quibus *lacte*, id est, facili & simplici doctrina opus,) sed INTER PERFECTOS, magisque in fide & virtutibus prouectos, qui capaciores sunt eiusmodi sublimioris doctrinæ. Hos v. 15. vocat *spirituales*, & opponit carnalibus, animalibus ac paruulis.

a *Hic cap. seq. v. 1.*

℣. 7. LOQVIMVR autem hanc DEI, seu diuinam, SAPIENTIAM IN MYSTERIO; Syrus, *in arcano*; Tertullianus, *in occulto*; id est, secretò & apud pauciores: QVÆ ABSCONDITA EST mundo, & prorsus illi ignota: QVAM tamen DEVS ANTE omnia SÆCVLA ab æterno PRÆDESTINAVIT IN GLORIAM NOSTRAM] id est, decreuit vt in tempore vobis panderetur, quò per illam pertingeretis ad celsissimam & sublimissimam gloriam, nempe adoptionis in terris, beatificationis in cælis. C

℣. 8. QVAM gloriam (vt patet ex versu sequenti,) nobis per merita Christi obuenturam, NEMO PRINCIPVM HVIVS SÆCVLI, Pilatus, Herodes, Annas, Caiphas, &c. vmquam COGNOVIT. SI ENIM COGNOVISSENT, NVMQVAM DOMINVM GLORIÆ, id est, Christum (cuius merito hominibus illa gloria prædestinata & præparata est ab æterno: qui eamdem etiam ipsis, si voluerint, conferre paratus erat) CRVCIFIXISSENT] inquit Vasquez, & à Lapide.

Vasq. in 1. p. disp. 2. c. 3.

℣. 9. SED ignota & abscondita fuit ipsis hæc gloria, sicut scriptum est Isaiæ 64. v. 4. IN COR HOMINIS NON ASCENDIT] id est, homini numquam in mentem venit, supple, viribus naturæ. Sunt enim ordinis supernaturalis adoptio hæc, de qua S. Chrysostomus & Ambrosius; & glorificatio, de qua S. Dionysius, Hieron. & Bernardus exponunt. Quam etiam nos ignoraremus, nisi

Dionys. de Cæles. hierarc. c. 12. Hieron. in Isaiæ 64. Bernard serm. 4. in vigilia Natiuitatis.

℣. 10. DEVS NOBIS *reuelasset* PER SPIRITVM SVVM sanctum, (b) vt illam vos, ô Corinthij, & alios doceremus. SPIRITVS ENIM Dei sanctus OMNIA, ETIAM PROFVNDA DEI; id est, etiam abditissima & secretissima consilia diuina (inter quæ vnum est istud adoptionis & glorificationis nostræ per mortem & merita Christi,) SCRVTATVR] id est, intimè penetrat, & perfectè cognoscit, utpote Deus. Loquitur anthropopathῶς, quia quæ homines plenè cognoscere volunt, omni diligentia perscrutari & inquirere solent: Deus autem sine vlla inquisitione, ab æterno omnia vno mentis cernit in ictu, inquit S. Ambrosius Theodoret. Theophyl. & S. Thomas.

b *Ioan. 14. v. 26.*

℣. 11. QVIS ENIM aliorum HOMINVM SCIT QVÆ SVNT occulta in animo huius vel illius HOMINIS? Certè solus SPIRITVS, id est, mens & intellectus istiusmet HOMINIS, QVI quasi quid vnum sunt cum homine. Sic & Spiritus sanctus, qui eamdem cum Deo naturam & cognitionem habet, omnia nouit quæ Dei sunt. Et hunc

℣. 12. SPIRITVM sanctum NOS ACCEPIMVS VT SCIAMVS, per fidem quidem, & obscurè, sed tamen certò atque infallibiliter, hæc mysteria & beneficia diuina, per eius gratiam & philanthropiam NOBIS DONATA] non iam in particulari seu indiuiduo, vt volunt hæretici, v.g. iustificationem cuiusque in singulari (nam de his non agit hic Paulus,) sed in generali mysteria in nostri gratiam facta, & beneficia toti humano generi, toti Ecclesiæ collata per Christum.

℣. 13. QVÆ vti à Dei Spiritu accepimus & cognouimus, ita ETIAM LOQVIMVR & alios docemus, NON DOCTIS HVMANÆ SAPIENTIÆ VERBIS, nec oratione rhetorico artificio constructa, SED DOCTRINA SPIRITVS: id est, oratione & verbis qualia decent mysteria spiritualia, & qualia suggerit Spiritus sanctus: SPIRITVALIBVS rebus SPIRITVALIA verba, rationes & *discursus* COMPARANTES, id est, accommodantes. v.g. non vtimur verbis Ciceronianis, rationibus Platonicis vel Aristotelicis, discursibus Demosthenicis; sed obuijs, simplicibus, depromptis ex S. Scriptura, vel suggestione Spiritus sancti, inquit S. Chrysost.

℣. 14. Quæ *spiritualis homo*, id est, Spiritu Dei præditus, Spiritui sancto doctori assuetus, diuinis instinctibus ac fidei regulis obsequens, id est, verus ac solidus Christianus, facilè assequitur. ANIMALIS AVTEM HOMO, id est, qui solam animam, seu naturalem intellectum suum doctorem sequitur, quique solius animæ naturali lumine nititur ac ducitur, NON PERCIPIT, non potest capere vel assequi QVÆ SVNT propria SPIRITVS DEI, id est, diuina & spiritualia mysteria: QVIA hæc, SPIRITVALITER EXAMINANTVR] (ità in plurali legendum cum Bibliis Romanis:) id est, discutienda sunt per rationes, non quas naturale lumen intellectus (quod solum animalis homo capit & sequitur,) sed quod fides & Spiritus sanctus subministrat ac docet, quas idcirco ipse animalis homo non capit.

℣. 15. SPIRITVALIS AVTEM per internum lumen fidei à Spiritu sancto sibi infusum capit, intelligit, IVDICAT, diiudicat OMNIA, expendens & ponderans non minùs rationes spirituales & diuinas, quàm naturales & humanas, vt de mysterio aliquo sibi proposito solidè iudicet aut statuat. ET IPSE A NEMINE, qui non etiam sit spiritualis, IVDICATVR] id est, redargui vel condemnari potest. D

℣. 16. QVIS ENIM non spiritualis homo possit per se; & vi luminis naturalis (quo solo nituntur homines animales) *nosse* SENSVM DOMINI, id est, consilia & secreta Dei? q. d. Ad hoc vt animalis homo possit iudicare spiritualem, deberet priùs nosse pondus & momentum earum rationum quibus spiritualis à Deo edoctus nititur: sed has non nouit reuelante & instruente Deo (vt supponimus:) neque potest nosse vi solius rationis naturalis: ergo nullo modo nouit: ergo nec reprehendere alterum potest. ita S. Chrysost. Ambros. Anselmus & S. Thomas. Porrò hæc de spirituali homine, intelige; quando & quatenus spiritualiter iudicat. Alioquin etiam Petrus à Paulo reprehensus est ad Galat. 2. v. 11. & potest quiuis spiritualis homo in

Galat. 2. v. 11.

rebus

rebus moralibus etiam ab alio non spiritali reprehendi. Sed nihil hic pro Anabaptistis vel Libertinis, hinc concludere volentibus, priuatum instinctum spiritus cuiusque Christiani esse iudicem controuersiarũ fidei & Scripturæ: quia non agitur hîc de iudicio definitiuo, quale est iudicum; sed solùm approbatiuo vel reprobatiuo, quale est aduocatorum vel auditorũ astantiũ. Tantùm enim vult Paulus ostendere, humanam sapientiam Corinthiorum valdè arctam esse & tenuem præ ampla sapientia Christiana Apostolorum & aliorum præconum Euangelij, de quibus subdit, Nos SENSVM CHRISTI HABEMVS] id est, sapientiam quam non Plato, non Aristoteles, non Pythagoras, sed Christus menti nostræ infudit: nempe scientiam Theologicam ex principijs fidei haustam, quæ respectu scientiæ humanæ, est velut sol respectu modicæ candelę. ita ferè S. Chrysost. cum suis.

CAPVT III.

Docet, Paulum, Apollo, alios q; præcones Euangelij, non esse nisi ministros Christi: Christum verò fundamentum esse Ecclesiæ, cui quisque inædificare debet; atque vtinam inædificet aurum, argentum, lapides pretiosos! Fideles esse templum Dei, quod per schismata discindi & violari non debet.

¥. 1. NON POTVI hucusque VOBIS QVASI SPIRITVALIBVS, id est, spiritum Dei seu sensum Christi, plenè sequentibus LOQVI, & occultiora fidei mysteria de quibus suprà (*a*) enucleare, (quæ mox ESCAM, id est, solidum cibum, vocat:) SED TAMQVAM adhuc PARVVLIS IN CHRISTO & CARNALIBVS, id est, adhuc rudibus in schola Christi, & carnis sensum sequẽtibus LAC DEDI] Id est, faciliorem & suauiorem doctrinam instillaui, v.g. de natiuitate, baptismo, morte, resurrectione Christi, de redemptione & saluatione mundi, de gratia iustificante, de gloria beatificante, & similia quæ catechumenis & recèns conuersis proponi solent. ita S. Ambros. Theophyl. Anselmus & S. Thomas.

a *Cap. præcid. v. 6.*

¥. 5. VNICVIQVE, supple, proprium est ministerium tale ac tantum, quale & quantum DOMINVS cuique DEDIT] q. d. Ergo non in ministris Dei (vt vos facitis,) sed in ipso solo Deo vobis gloriandum, inquit S. Ambros. Theophylact. Anselmus.

¥. 6. EGO PLANTAVI, id est, ego Corinthi prima fidei semina ieci: APOLLO dein superueniens RIGAVIT, id est, plura externa adminicula adhibuit, quà docendo, quà monendo, quibus sementem prouexit: SED DEVS INCREMENTVM DEDIT] Id est, vitam & vigorem gratiæ, interiùs illuminando & inspirando, vobis indidit, vt fidei & virtutum iacta & rigata semina optatos fructus proferrent, ita ijdem Patres.

¥. 7. ITAQVE NEQVE QVI PLANTAT EST ALIQVID, NEQVE QVI RIGAT] Id est, qui exteriùs docet & instruit alios, parum admodum (*b*) confert præ Deo, quia externo suo ministerio non attingit interiorem effectum, seu vegetationis in corporalibus, seu sanctificationis in spiritualibus: sed hanc omnem efficit Deus; cui propterea etiam laus omnis adscribenda.

b *Prolog. de Idiotismis Hebr. n. 6.*

¥. 8. QVI AVTEM PLANTAT, ET QVI RIGAT, VNVM SVNT] nempe officio ministrandi: id est, æquè omnes sunt ministri, & quidem vnius & eiusdem Domini, & in eodem opere. q.d. Ergo Paulus præ Apollo nec contemnendus, nec extollendus.

¥. 9. DEI ÆDIFICATIO, seu ædificium, ESTIS] Infrà (*c*) dicit, *Templum Dei estis.* Quod enim hactenus docuit metaphorâ sementis & agricolæ, deinceps confirmat metaphorâ architecti & ædificij, cuius

c *Hic v. 16.*

¥. 11. FVNDAMENTVM primarium EST CHRISTVS] id est, fides in Christum Saluatorem, inquit S. Augustinus, Gregorius, Anselmus. Potest autem accipi de fundamento vel totius ædificij Ecclesiastici, vel cuiusque animæ fidelis in particulari. Sed hoc est *fundamentum fundamentorum*, inquit, S. Augustinus, nempe quod per se, seu seipso subsistit, & omnia sustinet. Cui non repugnat, superimponi alia secundaria *fundamenta Prophetarum & Apostolorum*, (*d*) quæ vt à primario fundamento sustentantur, ita reliqua superimposita ipsi quoque sustentant.

August. in Psalm. 86. v. 1. Gregor. l. 7. epist. 47.

d *Ephes. 2. v. 20. & Apocal. 21. v. 19.*

¥. 12. SI QVIS Christianorum, & præsertim Doctorum, seu præconum Euangelij (de his enim egit hactenus:) HVIC fidei FVNDAMENTO SVPERÆDIFICAT AVRVM, ARGENTVM, LAPIDES marmoreos, porphyreticos, aut alios PRETIOSOS, id est, doctrinam solidam, proficuam, sanctam, (vt Ambrosius & Anselmus;) vel opera sancta & perfecta, (vt Theodoret. Theophyl. & S. Thomas exponunt;) hic MERCEDEM ACCIPIET. E contrario, DETRIMENTVM PATIETVR qui superædificauerit LIGNA, FOENVM, STIPVLAM] id est, doctrinam minùs vtilem, nimis curiosam, phaleratam, pomposam: vel opera peccatis, non mortalibus, (talis enim non *erit saluus:*) sed venialibus infecta, vt S. Augustinus & alij prædicti Patres exponunt. Nec est quòd quis speret, ignoratum iri, quale quisque, seu opus, seu doctrinam superædificauerit.

August. de Fide & operib. c. 16.

¥. 13. DIES ENIM DOMINI DECLARABIT OPVS VNIVSCVIVSQVE; Græcè, ἡ ἡμέρα, id est, illa dies Domino propria, scilicet dies iudicij (vt omnes Patres & Doctores exponunt,) nempe & particularis iudicij in morte cuiusque (vt Caietanus;) & vniuersalis iudicij in fine mundi (vt Theodoret. Theophyl. Anselmus:) nam idem vtriusque diei iudicium, eadem vtriusque erit sententia. Nec *declarabit* tantùm hæc dies opus cuiusque, sed & PROBABIT *per ignem.* QVIA dies hæc IN, seu cum IGNE REVELABITVR quasi cum lictore diuinæ iustitiæ. Hæretici, vt ignem Purgatorij excutiant, fingunt metaphoricum esse hunc ignem, nempe tribulationis vel confusionis in hac vita vel in morte. Sed hoc falsum esse experientia docet: sæpè enim qui peccant, prosperantur in vita, & subitâ morte defunguntur. Deinde Apostolus expressè loquitur de probatione quæ fiet in *die Domini*, & in die quæ *reuelabitur*, id est, in die iudicij, (vt suprà dixi, omnes Patres & Doctores conformiter sacris Scripturis exponere:) hæc verò probatio hæreticorum fit in hac vita, quæ vocatur *nostra dies*, & iam reuelatur & de facto existit. Denique dicit, ea die arsura horum mala ædificia, quâ alij pro bonis suis ædificiis mercedem accipient: quæ omnium, etiam hæreticorum, confessione est dies iudicii. Ergo *ignem* hîc propriè dictum accipio, verum & materialem partim Purgatorij, in iudicio particulari cuiusque, vt exponunt Theodoretus, Anselmus, S. Thomas, & Concil. Florentinum. partim conflagrationis (*e*) in fine mundi & iudicio vniuersali, vt S. Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius & alij à Bellarmino citati. Porrò non intelligi hic ignem inferni, certum est ex v. 14. vbi dicitur auctorem, arsuri

c *Psalm. 96 v. 3. & Ioel 2. v. 3. & 2. Thessalonic. 1. v. 8. & 2. Pet. 3. v. 12. Bellar. l. 1. de Purgat. c. 4.*

suri operis *saluum* fore,etsi *per ignem*. Nam vocula *quasi*,quæ præmittitur, more Scripturis vsitato, (*a*) nota est non nudæ similitudinis,sed veritatis. q.d. Saluabitur,quia est in statu gratiæ: sed commaculatus & inuolutus adhuc quibusdam sordibus leuium peccatorum , expiabitur purgante igne, ex quo tandem erumpet,sed sicut qui ex medio rogo ambustis vestibus & afflata cute erumpit.

a Ioan.1. v.14.

℣.16. TEMPLVM DEI, & amœnissimum optatissimumque illi palatium ESTIS vos, *habitante* IN VOBIS SPIRITV DEI sancto, non solùm per gratiam , fidem , spem,charitatem , aliaque dona sua, sed etiam per seipsum , vt aliàs exposui.

Rom.5.v.5.

℣.17. SI QVIS hoc TEMPLVM DEI, seu prauis doctrinis,seu malis exemplis, seu sordidis moribus VIOLAVERIT aut profanarit, DEVS ILLVM DISPERDET, id est, malè perdet.

℣.18. SI QVIS VIDETVR SAPIENS ESSE , & reliquis sapientiâ præcellere velle, STVLTVS FIAT coram mundo , scilicet amplexando fidem, humilitatem, crucem Christi, quæ iudicio mundi stultitia est, sed iudicio Dei vera & sola est sapientia.

B

℣. 21. NEMO ITAQVE GLORIETVR IN Paulo, Cepha, Apollo, vel alijs HOMINIBVS, vt de illis contentiosè decertet: quia tam illi, quàm alia

℣. 23. OMNIA , VESTRA SVNT] quia omnes creaturæ vobis famulantur & deseruiunt ad salutem vestram procurandam,in seruis autem vestris non est quòd glorieimini.Hus & Wicleff hinc inferebant , solos & omnes iustos esse proprè dominos totius orbis. Sed quomodo dici possunt propriè esse domini vitæ,mortis, futurorum,&c. Non ergo hîc agitur de propriè dicto dominio , sed de vsu , seu iure vtendi: quia scilicet omnia nobis in ministerium & auxilium procurandæ salutis deputata & donata sunt, vt ijs vtamur , partim realiter (v.g. ad victum , amictum , &c. si quæ nobis propria habeamus:) partim mentaliter , ex omnibus creaturis agnoscendo & laudando creatorem , inquit S.Ambrosius , Chrysost. Theodoret. & Anselmus.

C

Theodor. Lio.de Prouidentia.

℣. 23. VOS AVTEM non estis vicissim serui creaturarum, sed solius CHRISTI, cuius membra, peculium & possessio estis , sanguine ipsius coempta. Vnde & in solo Christo , capite & Domino vestro, non verò in hominibus aut aliis creaturis, seruis vestris , gloriandum est vobis. Sicut CHRISTVS, quia solius DEI, secundùm diuinitatem filius, secundùm humanitatem etiam seruus & possessio est; ideò in solo Deo gloriatur, creaturis verò omnibus vt seruis suis vtitur & dominatur. ita S. Chrysost. S. Thom. Caieta. à Lapide & alij. Dominium ergo & seruitus hîc non eodem modo, sed analogicè tribuuntur creaturis, Christo & Deo: nam vt benè notat S. Chrysost. *alia ratione nos sumus Christi, alia ratione Christus est Dei, alia mundus est noster. Nos enim Christi sumus , vt opus eius: Christus autem Dei , vt filius charissimus : noster verò mundus est , quia propter nos factus est.* Nostra est *vita*, vt eâ vtamur,& in ea merita colligamus: nostra est *mors*, vt per eam transeamus in vitam æternam : nostra sunt *præsentia*, prospera, aduersa , vt per illa maiorem nobis coronam paremus : nostra *futura* , vt illis fruamur. Creaturæ igitur vsu nostræ sunt : nos verò *Christi* sumus pleno & absoluto dominio: *Christus enim Dei* est quoad humanitatem , absoluto dominio; quoad diuinitatem , iure paterno.

Chrysost.hic in morali hom. 10.

D

CAPVT IV.

Spretis humanis iudiciis pergit redarguere inflatos Corinthiorum animos , suo & aliorum Apostolorum exemplo vrgens illos ad humanitatem : minaturq; se breui aduo naturum, vt glorioso & inflatos pseudo-doctores redarguat & castiget.

℣. 1. SIC NOS HOMO,id est, vnusquisque, EXISTIMET quasi *ministros* quidem vestros,vt dixi,sed tamen quasi MINISTROS CHRISTI, eiusq; Apostolos ac legatos ab ipso ad vos missos , non vacuis manibus, vt vestra rapiamus , sed cum plenis thesauris cælestium & spiritualium bonorum,vt vos ditemus: sumus enim DISPENSATORES MYSTERIORVM DEI] id est, mysticæ, arcanæ , diuinæ doctrinæ , simul & Sacramentorum, Indulgentiarum , aliarumque gratiarum spiritualium Ecclesiæ à Christo concessarum , v.g. dispensationis in legibus , in pœnitentiis, in iuramentis, in votis, &c. vt hinc docet Tridentinum. Absoluta enim potestas dispensandi diuinos thesauros, qualem Christus concessit Ecclesiæ suæ , includit non solùm potestatem distribuendi quæ ab hero donata sunt, (vt vult Kemnitius) quod & minimo famulo domestico committi solet: sed insuper etiam potestatem donandi, condonandi & relaxandi debita, quando ad honorem domini,vel vtilitatem familiæ ita expedire iudicauerit œconomus . Hoc enim requirit bonum regimen domus , quod œconomo committitur.Sed supposito, quòd *dispensatores* simus tam ego quàm Apollo;

℣.2. HIC IAM alia vobis suboritur disputatio,& QVÆRITVR; vter v.g. INTER hos duos DISPENSATORES , magis FIDELIS domino suo INVENIATVR in suo prædicationis & sacrorum administrationis officio ? ita Chrysost. & Theophyl. Quod ad me attinet,

℣. 3. PRO MINIMO MIHI EST , & nihil facio , qualis quantúsve A VOBIS habear vel IVDICER , AVT AB HVMANO DIE, seu quouis humano iudicio. *Dies* enim sæpè pro iudicio accipitur: quia iudicium tenebras ignorantiæ pellere , & veritatis lumen afferre solet, vt facit *dies*. Sic reis dicitur dies , cùm citantur vt iudicio se sistant , inquit S.Hieron. Alludit autem Paulus ad Ierem.17.v.16: *Diem hominis non desideraui* Domine, *tu scis*. Et quid morer aliorum de me iudicia? NE quidem ego MEIPSVM IVDICO , seu iudicare certò possum, cùm sæpè nesciam qua quidque intentione , conscientia , vel motiuo fecerim. Et licèt

Hieron. in Agæum. 2.10.

℣. 4. NIHIL, seu nullius infidelitatis in administratione muneris Apostolici , MIHI CONSCIVS SIM , NON ideo tamen IVSTIFICATVS SVM , seu iustus habeor coram Deo. Ipse enim videt fortè næuos in me, quos ego non video. Vnde soli Deo, cui omnia certò patent,iudicium hoc omne relinquendum. Sic S.Basilius, *Maiorem*, inquit, *offensarum partem ne intelligimus quidem , cùm tamen in multis omnes offendamus.* Et idem docent Chrysost. Ambros.& Augustinus, contra Nquantes nostros, qui volunt iustos certò scire , imò fide diuina credere debere , se iustos esse.

Basil. in Constitut. Monast. c.1 Hieron. dial.1. contra Pelag. initio. August. in Psal.41.v.5

℣. 6. HÆC AVTEM quæ hactenus dixi, TRANSFIGVRAVI, id est, in exemplum assumpti, quasi IN ME ET in APOLLO quadrarent:(neque volui aliorum, vt poteram, meminisse, ne quemquam offendam:) VT IN NOBIS, id est, nostro duorum exemplo, DISCATIS, non ampliùs inflari zelo vanæ æmulationis pro magistris vel doctoribus

vestris

vestris, SVPRA QVAM nunc à me SCRIPTVM EST A in præcedentibus capitibus.

¥. 7. QVIS ENIM TE (ô magister, ô catechumene,) DISCERNIT quasi ceteris excellentiorem vel eminentiorem, seu in naturalibus, seu in supernaturalibus? Quis, inquam, nisi tu ipse qui inflaris? Si dicas: Labor, studium, industria mea me discernunt; QVID HABES QVOD NON ACCEPISTI?] Nam labor, ingenium, & omnia quæ habes, seu naturalia, seu supernaturalia, accepisti à Deo: ergo Deo debes dare omnem gloriam, non tibi, non alteri homini. ita S. Ambrosius, Theodoretus, Anselmus. Rectè tamen S. Augustinus & Concilium Arausicanum II. canone 6. hanc generalem Apostoli sententiam in particulari accipiunt de discretione per gratiam & electionem diuinam: négantque posse quemquam se à massa perditionis vel peccatorum secernere, & salutis suæ initium ordiri per se, vel viribus solius liberi arbitrij, vt volebant Pelagiani & Semipelagiani: sed ad hoc B necessariò requiri gratiam Dei excitántem, illuminantem, cooperantem, qua adiuuetur liberum arbitrium.

Augusti. l. de Spiritu & litera c. 34.

¥. 8. IAM SATVRATI ESTIS: id est, ad satietatem vsque repleti estis sapientiâ & ceteris bonis, vt vos quidem iactatis. Est enim ironia. Vbi S. Thomas notat, tangi quatuor species superbiæ. Prima est, cùm quis bonum quod habet, putat se non à Deo, sed à seipso habere. Hanc tangit Paulus, cùm ait, *Quid gloriaris quasi non acceperis?* Secunda, cùm quis bonum quod habet, suis meritis ascribit. Sed *quis te discernit?* Tertia, cùm quis iactat se habere quod non habet. *Iam saturati, iam diuites estis.* Quarta, cùm quis alios despicit & præ se contemnit; SINE NOBIS REGNATIS: id est, nostro auxilio non indigentes, imò nos excludentes, videmini vobis regnum, victoriam, coronam & triumphum adepti. Quod sanè C vobis non inuidemus, imò ex animo vouemus, (dummodò vt oportet, ad salutem REGNETIS:) VT ET NOS tanti boni participes simus, & VOBISCVM REGNEMVS saltem per charitatem: vestrum enim bonum, nostrum existimamus. Nam tantum abest, nos regnemus, vt potiùs vilissimi habeamur, & abiectissimi omnium mortalium, mea quidem opinione, &, ni fallor, etiam decreto Dei, non regno vel triumpho, sed

¥. 9. MORTI & lanienæ DESTINATI, quasi pessimè meriti de genere humano: θέατρον, id est, SPECTACVLVM, toti MVNDO FACTI, instar damnatorum ad bestias vel ad ignes, qui supernè è theatro ab omnibus spectabantur. ita S. Chrysostomus.

Chrysost. in moralí c. 12

¥. 10. Nos STVLTI vestro & sæculi iudicio D habemur in mundi theatro, idque PROPTER CHRISTVM crucifixum quem simplici & inculta dictione prædicamus: vos è contrario, quia eloquentiam & acumina Philosophica sectamini, IN CHRISTO, id est, in Euangelio Christi explicando, habemini PRVDENTES.

¥. 11. INSTABILES SVMVS] ἀστατοῦμεν, id est, certam quietamque sedem nō habemus, ex domo in domum, ex vrbe in vrbem vagamur.

¥. 12. OPERANTES MANIBVS NOSTRIS] victus nobis parandi gratiâ, ne cui graues simus. (*a*) Nota hîc & 2. Corinth. 11. v. 23. veram vitæ Apostolicæ ideam & exemplar.

a Act. 18. v. 3. & 20. & 34.

¥. 13. PVRGAMENTA, id est, excrementa, fæces, sordes. Græcum περικαθάρματα significat sordes vndique conuerrendo collectas & mox eijciendas. S. Ambrosius, Gagneius & alij legunt sim-

S. Ambr. in Psalm. 118. serm. 8.

pliciter καθάρματα, id est, piacula, seu hostias piaculares, qualis apud Hebræos erat ille *caper emissarius* (*b*) & apud Gentiles, teste Suida apud Budæum, homines scelerati, diris sacri, quos quasi onustos totius vrbis sceleribus, in mare proijciebant & Neptuno sacrificabant, hac imprecatione, περίψημα ἡμῶν γένοιο, id est, esto nostrum omnium piacularis hostia. Et ita etiam hîc exponit Syrus & quidam alij. Quidam tamen περίψημα interpretantur abiectum ramentum, seu rem vilissimam quæ ab omnibus calcatur, inquit Theophyl. & Anselmus: aut, vt Oecumenius, vilem pannum quo sordes abstergunturNempe habemur contemptissimi, vilissimi, sordidissimi, indigni hominum consortio, mundo exturbandi & exterminandi. Neque hoc semel aut iterum, sed semper & continuò, VSQVE ADHVC, seu vsque ad præsentem horam: neque in vna alteráve vrbe vel prouincia, sed per vniuersum MVNDVM.

b Leuit. 16. v. 21.

¥. 15. NON MVLTOS PATRES *habetis* IN CHRISTO] q. d. Ego solus spiritualis vester pater quoad ea quæ spectant religionem Christianam: reliqui non sunt nisi nutricij & pædagogi vestri, qui vos à me genitos formant & instruunt. Nonne ergo pudendum vobis, ô Corinthij, quòd, neglecto, vel saltem postposito patre vestri amantissimo, & tanta pro vobis passo, sectemini nescio quos glorioſulos magistellos, & horum malitis haberi discipuli, quàm Apostolorum? Sed saniora mihi spondeo de vobis:

¥. 17. IDEO MISI AD VOS TIMOTHEVM, (*c*) QVI VOS COMMONEFACIET VIAS MEAS] id est, qui vobis in memoriam reducet doctrinam à me tradi solitam, conuersationem item meam & mores, totumque vitæ meæ institutum: nempe vt habeatis quæ in me, vt genuini filij in patre, imitemini.

c Act. 16. v. 1.

¥. 20. REGNVM DEI, (*d*) seu perfectio vitæ Christianæ, qua Deus in nobis regnat, NON consistit IN eloquenti SERMONE, vel facundia, SED IN VIRTVTE, Græcè, δυνάμει, id est, potentia, id est, potenti, forti & efficaci exercitio non miraculorum, sed operum Christianorum, & tolerantia passionum, quales descripsit vers. 9. 10. 11. 12. ita S. Chrysost. Theophylact. Anselmus & Caietanus. Nam & S. Ioannes Baptista promouit *regnum Dei*, nec tamen vllum fecit miraculum.

d Rom. 14. v. 17.

¥. 21. QVID VVLTIS? vtrum è duobus eligitis? An vt VENIAM AD VOS blandus & lenis? an cum VIRGA, id est, seuera correptione & punitione, vt decet venire patrem ad filios dyscolos? ita S. Chrysost. Theophyl. & Anselm. Et verò cap. sequenti sat ostendit Paulus, quanta sit Prælatis Ecclesiæ potestas puniendi subditos sceleratos.

CAPVT V.

Quòd incestuosum priuigni cum nouerca coniugium taciti ferrent, satis causa esse admonet cur pudore deyciantur potiùs quàm superbiant: iubetq; scelestum excommunicari: & hac occasione mandat, quodlibet etiam aliud peccati fermentum expurgari, quò possint puri perenne pascha celebrare.

¥. 1. OMNINO, non incerto rumore, sed constanti fama & certissimo indicio, AVDITVR tolerari INTER VOS TALIS FORNICATIO, QVALIS NEC INTER GENTES honestas & ciuiles tolerari solet: nempe VT priuignus VXOREM PATRIS SVI, id est, nouercam, HABEAT sibi concubinam, idque viuente adhuc patre, vt S. Anselmus & pluresalij docent, & colligitur ex 2. Cor. 7. v. 12. vbi pater *iniuriam passus* dicitur. Erat ergo incestus simul & adulterium. Quod apud bene mo-

ratas

ratas gentes valdè improbabatur. Vnde & laudant A omnes Hippolytũ, qui, vt alter Ioseph, (a) à Phædra nouerca solicitatus renuit facinus, falsoq; ab ea accusatus quasi vltrò solicitasset, quatuor equis iussu patris sui in frusta discerptus est. Exemplum tamen etiam apud Græcos vltrò concessæ priuigno nouercæ, habemus in rege Seleuco, qui Antiocho filio suo ad mortem amore Stratonices vxoris Seleuci (vt ex medico cognouerat) decumbenti, illam ipsi tradidit, teste Valerio Maximo. Sed hoc singulare fuit exemplum, nec ab aliis benè moratis probatum.

a *Gen.39. v.7. & seq.*

Valer. Max. l.5.cap. de parentum amore in liberos.

¥. 2. ET VOS, cùm sciatis tam fœdo scelere contaminatam Ecclesiam vestram, adhuc INFLATI ESTIS cacozelia vestra, & superbis de magistrorum præcellentia contentionibus & rixis? NEC LVCTVM, nec dolorem, nec curam, HABVISTIS, VT tam scelestus DE MEDIO VESTRVM TOLLATVR, & excommunicatione præscindatur, & ab Ecclesia expellatur? S. Chrysostomus & Theodoretus notant, virum hunc potentem fuisse & è primis, ac ducem factionis seu schismatis inter Corinthios. Vnde & mox à schismate damnato prosilit Paulus ad hunc damnandum. B

¥. 4. IN NOMINE, id est, auctoritate & vice (quâ fungor) IESV CHRISTI, IVDICAVI & iudico atque impero, vt, CONGREGATIS VOBIS in vnum cœtum, quibus EGO CORPORE QVIDEM ABSENS, *sed* SPIRITV PRÆSENS sum, CVM VIRTVTE, seu potestate à Christo mihi data, incestuosus iste *tradatur* SATANÆ, id est, excommunicetur, IN INTERITVM CARNIS] id est, vt in corpore vexetur, & morbis aut vulneribus à dæmone affligatur, vt sic vexatus & humiliatus resipiscat & saluetur. ita Origenes, Hilarius, Hieron. Ambrosius, Chrysost. & Augustinus. Solebat enim satanas tum temporis excommunicatos affligere etiam in ipso corpore visibiliter, vti nunc in anima inuisibiliter. C

Nota, moneri iussum ante excommunicationem hunc incestuosum, sed post monita contumacem perstitisse in incestu. Neque enim potest nisi contumax excommunicari: neque contumax censetur nisi qui monitus non resipiscit. Sed quod Nouantes ex hoc loco inferre volunt, penes laicos & plebem, non autem penes Prælatos Ecclesiæ, esse potestatem excommunicandi; non video qua ratione vel in speciem hinc colligere possint, cùm Apostolus planè contrarium indicet. Nam expressè dicit, *Ego iudicaui*: nec nisi suo nomine iubet excommunicationem in publico Corinthiorum confessu, ad terrorem aliorum, solemniter infligi; vt Chrysostomus, Ambrosius, Anselmus & alij D exponunt.

¥. 6. GLORIATIO, seu iactantia, VESTRA de propria sapientia, & contentio de magistrorum præcellentia, NON EST BONA, (b) sed intempestiua & noxia: nam FERMENTVM quantumuis MODICVM, TOTAM farinæ subactæ MASSAM CORRVMPIT] Græcè, ζυμοῖ, id est, fermentat. Et pari modo, scelus hoc nefandum, etsi vnius incestuosi, tamen totam vestram congregationem inficiet, partim imitatione, (quia pronum est, vt vnius è primis exẽplum impunitum plures sequantur:) partim imputatione, quia tam enorme scelus, quod præter fas ab omnibus toleratur, iusta Dei vltione in omnibus punietur, inquiunt ijdem Patres.

b *Proleg. de Iustissimus Hebr.n.8.*

¥. 7. EXPVRGATE VETVS FERMENTVM: id est, putidum istum fornicarium è cœtu vestro (inquit Chrysost.) vel generaliter (vt Anselmus) quoduis peccatum cui assueuistis, ex anima vestra expellite, VT SITIS NOVA CONSPERSIO, id est, pura & integra massa, nullo fermento infecta: SICVT ESTIS, hebraismo, (c) id est, sicut esse debetis & conamini esse, AZYMI, id est, à fermento peccati puri & sancti. (d) Quod non absre moneo, cùm Pascha vobis continuò agendum sit, in quo Iudæis omnia sunt *azyma*. NOSTRVM ENIM Christianorum PASCHA, id est, agnus & victima paschalis, *pro nobis* (ita habent Græca) IMMOLATVS EST CHRISTVS, morte sua liberans nos ab angelo deuastante, (e) & iugo diabolici Pharaonis, & ditans nos libertate, diuitijs & deliciis spiritualibus ac cælestibus.

c *Ibid.n.* 57

d *Rom.1. v.7.*

e *Exodi 12.*

¥. 8. ITAQVE exemplo Hebræorum EPVLEMVR, id est, solemnibus epulis, de more, *festum celebremus* (vt est in Græco) NON cũm *pane fermentato* veteris vitæ peccatis infectæ, SED cum panibus AZYMIS, non physicis è farina confectis, sed mysticis & spiritualibus, qui sunt morum *sinceritas*, & vitæ totius *veritas* practica, seu honestas. Opponitur enim *veritas* hic *malitiæ*, inquit Theophyl. & Anselm. Quod autem

¥. 9. SCRIPSI VOBIS IN hac mea EPISTOLA, suprà v. 2. VT NE COMMISCEAMINI, id est, communionem non habeatis, cum FORNICARIIS; id intelligi volo

¥. 10. NON de FORNICARIIS HVIVS MVNDI, seu sæculi, id est, Paganis: sed

¥. 11. SI IS QVI FRATER NOMINATVR, seu qui Christianus est, publicus fiat FORNICARIVS, AVT AVARVS; Græcè, πλεονέκτης, id est, aliena per fraudem (f) capiens; AVT RAPAX, id est, aliena per vim *rapiens*. CVM HVIVSMODI publicis & obstinatis peccatoribus, si Christiani fuerint, volo NEC CIBVM quidem VOS SVMERE, sed omnem prorsus conuictum ac consuetudinem deuitari.

f *2. Cor. 7. v.2. & 12. v.18.*

¥. 12. DE IIS ENIM QVI FORIS, id est, extra Ecclesiam SVNT, nec vmquam intus fuerunt, id est, de Paganis, seu infidelibus, QVID MIHI IVDICARE? q. d. Nolo me immiscere iudicio eorum qui ad Ecclesiam nulla ratione pertinẽt. Sed Nota. schismaticos, excommunicatos, vel hæreticos non posse tales censeri, quia etsi re ipsa diuulsi sint ab Ecclesia; quia tamen iure ad ipsam spectant, hinc possunt ab Ecclesia iudicari, retrahi & puniri: sicut reus è carcere erumpens, vel mancipium fugitiuum potest à magistratu vel ab hero repeti, damnari, castigari. NONNE DE IIS omnibus QVI INTVS, seu intra Ecclesiam vestram, SVNT, & in alia publica scandala labuntur, VOS IVDICATIS, & commeritis pœnis eos punitis? Cur ergo hunc MALVM, τὸν πονηρὸν, hunc incestuosum, toleratis, & EX VOBIS, id est, è cœtu vestro, non *auferris*, non eliminatis?

CAPVT VI.

Reprehendit Corinthios, quòd lites forenses cum magno Euangelij dedecore instituant apud iudices Paganos. Deinde multis argumentis insectatur fornicationem.

¥. 1. INIQVOS vocat Ethnicos, Gentiles & profanos iudices, quia sicut fide, ita & iustitia carent, non modò Christiana, sed & morali ac politica. SANCTOS vocat Christianos ob rationem suprà allatam. (g)

g *Rom.1. v.7.*

¥. 2. SI IN VOBIS, id est, per vos Christianos, in extremi iudicij die IVDICABITVR totus MVNDVS,

a *Matth.19 v.28.* DVS,(a)an vestromet calculo INDIGNI ESTIS QVI A DE MINIMIS inter vos subortis litibus IVDICETIS?

℣. 3. NESCITIS *quòd* in die vniuersalis iudicij, vnà cum Christo IVDICABIMVS non modò homines, sed & ANGELOS?& quidem propriè dicto iudicio. *Bonos* quidem iudicio approbationis, laudis & glorificationis: *malos* verò iudicio exprobrationis & condemnationis. Vnica enim est Ecclesia Christi ex angelis & hominibus conflata: vnum omnium caput, princeps & iudex Christus.Et hoc pertinet ad maiorem laudem & gloriam tum diuinæ iustitiæ, tum ipsorummet angelorum & hominum.ita S.Chrysostomus,Theodoretus,Theophylactus, Anselmus. Suarez.

Suarez 3.p. q.59.a.1.p. 57.sect.8.

℣. 4. SÆCVLARIA; Græcè, βιωτικὰ, id est, ad communem vitæ vsum spectantia, negotia SI HABVERITIS inter vos controuersia, CONTEMPTIBILES, id est, viliores & abiectiores Christianos, potiùs quàm Gentiles, eligite, & iudices vel arbitros vobis CONSTITVITE.

Nota, hæc iudicia etiam causarum sæcularium inter Christianos committi consueuisse Episcopis: (sed Corinthi tum temporis nullusdum erat Episcopus,inquit S.Ambrosius:) vel delegatis ab Episcopo Presbyteris, vt constat ex Clemente Romano,(b) ex lege (c) Theodosij & Caroli Magni, & ex antiquo Ecclesiæ vsu. Iudices enim in his causis federunt Gregorius Thaumaturgus Neocæsarienſis, (d)S. Ambrosius,(e)Augustinus,(f) Synesius (g)& alij Episcopi. Sed crescente nimis numero Christianorum simul & litium, onus hoc reiectum in humeros iudicum sæcularium iam Christianorum, ne(vt ab initio S.Petrus apud eumdem Clementem (h)rectè monuit) *Episcopus præfocatus secularibus negotiis, non possit vacare verbo Dei.*

b *Clem. 2. Constitut. Apostol. c.49.& seq. & epist. 1. ad Iacobum. fratr. Dom.* c *Causa 11. q.1. can.* Quicumq; *& can.* Volumus. d *Nyssen. in eius Vita.* e *Amb. l.2. Offic. c.29.* f *August. de Opere Monachor.c.26* g *Synes.ep. 57.& 58.* h *Clem. ep.1 ad Iacobum fratr. Dom.* i *Hic v.8.*

℣. 7. DELICTVM EST, QVOD talia, vel tali modo, IVDICIA HABETIS INTER VOS] Neque enim vetat Christianis iudicia,vt volunt Anabaptistæ:(nam omnibus præcedentibus versibus illa permittit, dummodo fiant apud iudices Christianos:) sed solùm iubet declinari Ethnicorum tribunalia, ad quæ passim conuolabant Corinthij non tam amore iustitiæ,quàm iræ, lucri,(i) contentionis affectu, idque cum scandalo tum aliorum Christianorum, tum etiam ipsorummet Ethnicorum, qui Christi fidem ideo quoque contemnebant. Alioqui,cùm necessitas, seu publica, seu priuata,vrget, licere etiam apud Ethnica tribunalia litigare, patet exemplo ipsiusmet Pauli, ad Cæsaris tribunal appellantis.(k)

k *Act.25. v.11.*

℣. 8. QVARE NON MAGIS INIVRIAM ACCIPITIS seu PATIMINI, & FRAVDEM] Græcè, ἀποστερεῖσθε, id est, damno vos affici finitis? supple, vt decet nouos Christianos pacem & perfectionem professos, idque primo spiritus feruore, in tanta fidelium paucitate & hostium multitudine. De quo pluribus alibi.(l)

l *Matth. 5 v. 39.*

℣. 9. NOLITE ERRARE, existimantes aliqua ex his quæ vel recensui, vel recensebo, non esse grauia peccata, vt quidam Philosophi vos docent, v.g. de simplici *fornicatione*: quam constat etiam lege naturæ,(m)& non sola Mosaica(n) vel Christiana prohibitam esse, vt optimè docet Sanchez, à Lapide & alij.

m *Sexto præcepto Decalogi.* n *Deut.22. v.22. & Num.25. v.9.* *Sanchez in 6 præcepto.*

℣. 10. MOLLES; Græcè, μαλακοὶ, scorta sunt masculæ, seu quinturpia patiuntur & *catamiti* vocantur, inquit Menochius. Sed Syrus in genere vertit *corruptores*, put.sui ipsorum, per voluntariam pollutionem, vt plerique exponunt.

℣. 12. OMNIA MIHI LICENT, nempe adiaphora, & legibus non prohibita, inquit Chrysostomus. Occurrit Apostolus tacitæ Corinthiorum obiectioni: Si iure naturæ licet, coram tribunali, etiam Ethnico, lites instituere; cur adeò in illas inueheris? Respondet, Non inuehor quia non licent, SED quia NON EXPEDIVNT vobis: & quia nolo, seu me, seu vos *sub alienorum iudicum redigi potestatem*. ita Sanctus Anselmus, Syrus & S. Thomas.

℣. 13. ESCA VENTRI, ET VENTER ESCIS, supple, destinatus est. Diluit alteram obiectionem, nempe: Lites tot & tantas suscipimus, vt bona nostra, alioqui peritura, vel stabiliamus, vel recuperemus. Respondet, Egregia sanè bona, quæ ferè solis escis & ventri subseruiunt, rebus vilissimis, & quæ necessariò semel à *Deo destruentur*. Atque vtinam solido & æterno corporum vestrorum bono studeatis; neque illa conspurcetis FORNICATIONE, B cui sanè destinata non sunt, SED DOMINO, id est, Christo, vt illi tamquam capiti nostro, castis membris seruiamus & inhæreamus: sicut DOMINVS Christus caput nostrum CORPORI suo, id est, nobis, membris suis castissimè adest, & cælesti influxu suo inhæret. Decet enim vt tam casto capiti membris omninò castis seruiamus & inhæreamus. Et hoc est Secundum argumentum quo improbat *fornicationem*. Nam Primum proposuit v.9.& 10.quia *fornicarij regnum Dei non possidebunt*. Tertium proponitur.

℣. 14. *Suscitabimur*, si casti fuerimus, ad insignem gloriam cum Christo. Quartum:

℣. 15. QVONIAM CORPORA nostra, quæ MEMBRA SVNT CHRISTI, per fornicationem fiunt MEMBRA MERETRICIS, & quidem vinculo arctissimo, & (ex natura sua) moraliter indissolubili, ex duobus *vna carne* conflatâ, vt Scriptura testatur (o)de iunctis matrimonio: actus enim externi; C seu coniugum, seu fornicantium, non differunt secundùm speciem naturæ, licet in ratione moris, etiam genere differant, cùm fornicantium actus sint libidinis & vitij; coniugum verò actus sint temperantiæ, iustitiæ & virtutis, inquit S. Thomas. E contrario

o *Genes.2. v. 24.*

℣. 17. QVI casto corpore & animo ADHÆRET DOMINO, VNVS cum eo fit & est SPIRITVS] non essentialiter, vt voluit Almaricus, & quidam illuminati, teste Ruisbrochio; sed accidentaliter: vnus, inquam, charitate, consensu, gratia, gloria, quæ hominem faciunt *diuinæ consortem naturæ* (p) & quasi Deum. ita S. Ambros. Oecumen. & Anselmus. Casta enim anima, inquit Basilius, sponsa est Dei, in diuinæ imaginis excellentiam, &, vt addit Bernardus, in bonorum omnium communicationem translata.

Ruisbrochium l.de Alta contemplatione p *2.Petr. 1. v. 4.* *Basil. l.de Vera virginit.* *Bern. ser.7. in Cant.*

℣. 18. FVGITE FORNICATIONEM, id est, illecebras & occasiones fornicationis, nempe turpes cogitationes, aspectus; colloquia; consortia. Nam peculiare est huic vitio, vt fugiendo potiùs quàm pugnando vincatur, sicut docet Cassianus, Anselmus & alij Patres. Sequitur Quintum argumentum: OMNE aliud PECCATVM, QVOD *homines* ordinariè committunt, EXTRA CORPVS EST, non maculans illud, neque defœdans: QVI AVTEM FORNICATVR, IN CORPVS SVVM PECCAT] Quia Primò, fœda pudendaque libidine illud contaminat, dedecorat, dehonestat, inquit Nyssenus. Secundò, etiam debilitat & nobilissimis spiritibus exhaurit, & sæpè lue venerea & aliis morbis inficit & conficit,

Nyssenus orat. in hanc sententiam.

conficit, vt S.Athanas. notat apud Occumenium. A Tertiò, facit illud ex nobili, libero & ingenuo sordidum mancipium libidinis & concupiscentiæ; iuri, potestati, dominio vilissimæ meretricis illud subijciens & alligans; perinde ac si vegetum, speciosum, nobile alicuius corpus alligaret corpori alterius putidi leprosi. qua quæ maior iniuria posset generoso corpori inferri?

℣. 19. MEMBRA VESTRA TEMPLVM SVNT SPIRITVS SANCTI, de quo suprà. (4) Et hoc est Sextum argumentum. Sequitur Septimum, ET NON ESTIS VESTRI iuris.

a *Hic c.3. v.16.*

℣. 20. EMPTI ENIM ESTIS à Deo, quidem MAGNO PRETIO, nempe sanguine vnigeniti Filij Dei. Cùm ergo sitis serui empitij, maximam iniuriam facitis Deo, si corpore, quod vestrum non est, sed Dei, abutamini in ipsiusmet Dei ignominiam. Vnde suadeo, & quanto possum affectu rogo, GLORIFICATE ET PORTATE DEVM non minùs IN CORPORE, quàm *in spiritu* VESTRO (vt addunt Græca:) id est, impendite illud obsequio & seruitio solius Dei & gloriæ diuinæ. Equus enim (vt ait S. Thomas) si generosus est, non alium quàm proprium herum admittit sessorem, & ad eius solius nutum mouetur.

Porrò Corinthios eguisse huiusmodi stimulis, quibus à fornicatione arcerentur vel ex eo colligas, quod, teste Herodoto & Strabone, fanum Veneris Corinthi supra mille haberet sacrorum famulas meretrices, deæ dicatas; & insuper innumeras virgines quæ quotidie lenonibus exponebantur. quod illæ sibi honori & pietati ducebant, captantes hac via felix sibi matrimonium. Et *Cothys* ibidem colebatur deus & præses effeminatorum & impudicorum, inquit Suidas. Vnde & in prouerbium abierat κορινθιάζειν, id est, lasciuire, genio & libidini indulgere.

Herod. in Clio. Strabo l.8.

Suidas verbo Cothys.

CAPVT VII.

Quæstionibus à Corinthiis sibi propositis respondet, de iure matrimonij, de virginitate & celibatu.

℣. 1. DE quæstionib. mihi per litteras propositis; Prima, an Christiano, vtpote iam renato & sanctificato; castitatis & pietatis studioso, prorsus abstinendum sit à re vxoria, vt quidam pseudoapostoli, quo sanctiores habeantur, vos docent; hoc à me responsum habetote: BONVM EST; Græcè, καλὸν, id est, pulchrum, id est, res ex se & in se præclara & eximia est. NON TANGERE, non cognoscere MVLIEREM] Hoc enim angelicum est, summeque optandum. Sed per accidens, nempe

℣. 2. PROPTER FORNICATIONEM euitandam, expedit, VNVSQVISQVE vestrûm (qui sat incontinentes estis) VXOREM SVAM, quam duxit, HABEAT & illâ vtatur. Loquitur enim hic solis coniugatis, vt patet ex sequentibus: nam versu demum octauo incipit agere de non nuptis. ita S. Hieron. & alij Patres. Atque ita corruit Achilles Lutheri, Melanchthonis, Buceri & aliorum hæreticorum; qui ex vocula distributiua, *vnusquisque*, volunt etiam sacerdotes & monachos omnes debere vxores ducere. Sed Paulus hic non agit de non nuptis, quibus cælibem potiùs suadet vitam v.8. & seqq. Et vt etiam hoc versu de illis ageret, certum est, non dare hîc præceptum (quia sic sibi ipsi repugnaret:) sed solùm permittere, & quidem non nisi capacibus coniugij, id est, liberis, nec voto, morbo, senio, vel alio simili impedimento detentis: atqui sacerdotes & monachi voto detinentur & præpediuntur: ergo.

℣. 4. MVLIER coniugata NON HABET SVI CORPORIS POTESTATEM vel ius, vt pro sua voluntate possit ab actu coniugali abstinere inuito marito, vel alteri se coniungere, inquit S. Augustinus. Simili modo nec maritus, inuita vxore. Nam in iure & debito coniugali, seu exigendo, seu reddendo, par omninò est vxor marito, vt fusè docent S. Hieronymus, Chrysostomus cum suis, Primasius & Anselmus.

Augustl. 5. contr. Iulian. c. 4.

Hieron. citatus cap. 32 q. 2. can. Apostolus.

℣. 5. NOLITE FRAVDARE INVICEM negando petenti debitum coniugale. Sed etiam post aliquantam mutuo consensu abstinentiam, ITERVM REVERTIMINI IN IDIPSVM] id est, ad debitum mutuo reddendum. Ergo (inferunt Magdeburgenses & Petrus Martyr) non licet coniugibus ex mutuo consensu vouere perpetuam continentiam. Respondeo, neg. consequ. quia *reuertimini*, B non est imperantis, sed solùm permittentis, vt ipsemet Paulus se mox explicat.

℣. 7. VOLO ENIM, id est, velim, optem, (scilicet, nisi incontinentiæ periculum secùs postularet,) OMNES VOS ESSE SICVT MEIPSVM, id est, perpetuò continentes, imò cælibes omninò & virgines. q.d. Continentem, cælibem, imò virginalem statum, quem (vti ex se optimum) mihi (*b*) delegi; optarem, si b *Hic v 1.* res integra esset; & commodè fieri posset, etiam vnicuique vestrum iam coniugatorum: omnes enim vos diligo sicut meipsum. SED cùm sciam, id commodè fieri non posse, & iam non omnibus integrum esse, nolo id vel vrgere, vel suadere, vel efficaciter optare: cùm VNVSQVISQVE PROPRIVM DONVM HABEAT EX DEO] vnus castitatis virginalis, alter continentiæ vidualis, alius coniugalis: C quisque autem satisfaciat Deo, si dono suo quod ab illo accepit, bene vsus fuerit.

Petes, Quid si sacerdotes aliqui vel monachi non habeant donum virginitatis, statui suo proprium, poterúntne matrimonium inire? Sed pero à pari, Quid si coniugatus non habeat donum continentiæ coniugalis (v.g. si de facto cum alijs adulteretur) poterítne cum adulteris nouas nuptias inire? Item, si vxor vel nolit, vel ægrotet, vel absit, poterítne maritus incontinens aliam complecti vel superinducere? Sicut ergo mihi respondebis, id non licere marito: quia, etsi de facto non se contineat, habet tamen quantum *ex Deo* est, donum continentiæ suo statui proprium, quo, si velit, omnino possit se continere; idem tibi respondeo de sacerdotibus & monachis. Neque enim Apostolus hîc per *donum* propriè intelligit habitum, sed auxi- D lium gratiæ sufficiens singulis à Deo præparatum, quo quisque cum libera sua cooperatione possit in suo statu caste viuere si velit, vt infrà (*c*) videbimus; c *Hic v. 25. & 36.* nempe, si per media congrua cooperetur gratiæ & auxilio diuino: v.g. si vitet periculosa colloquia, consortia, tactus, aspectus, si studio non foueat turpes cogitationes: si seriò vacet orationi, ieiunio, piæ lectioni, & perpetuæ occupationi. Sensus ergo Pauli est: Etsi non omnes habeant de facto gratiam quâ possint virginalem vel cælibem continentiam colere, vtpote iam liberâ suâ voluntate matrimonio iuncti, in quo subsunt alterius potestati: omnes tamen habent gratiam quâ possint Deo per omnia facere satis, quisque in suo statu etiam coniugati habent gratiam qui possint continentiam coniugalem colere vt oportet, & per illam placere Deo, nullam aliam ab ipsis exigenti. ita S. Ambrosius, Chrysostomus, & alij passim.

℣. 8.

℣. 8. NON NVPTIS vmquam, id est, virginibus; ET VIDVIS DICO, BONVM ILLIS EST, SI SIC innupti PERMANEANT, SICVT ET EGO innuptus permaneo. Vnde clarissimum est, S. Paulum non habuisse vxorem, sed cælibem vitam egisse, inquit S. Hieron. Epiphan. Ambros. & Chrysost. cum suis. Hæc erat secunda quæstio proposita Paulo à Corinthijs.

Hieron. ep. 22. ad Eustochium Epiph. hæresi 78.

℣. 8. VRI non est idem quod *tantùm calere* vel *tentari calore* libidinis: (nam hic etiam Paulus *vrebatur*, (a) nec tamen propterea nupsit) sed est idem quod, ardere libidine, vel ardore libidinis flagrare, & ab eo vinci succumbendo, & lædi consentiendo. Sic vritur ab igne non qui calorem eius sentit, sed qui ab eo læditur & realiter aduritur. Qui SE NON CONTINENT, NVBANT: supple, si sui sint iuris & adhuc liberi, vt suprà dixi. (b) Quod dico propter sacerdotes & monachos, qui cùm iam per votum *nupserint* Christo, non possunt ad alias nuptias deuolare. Sed quid remedij si & ipsi vrantur? Respondeo, Abscedant ab igne, deuitent pericula & occasiones, cooperentur dono gratiæ & auxilij diuini, numquam, si voluerint, defuturo, vt v. 7. dixi. ita S. Ambros. Anselmus, S. Thomas.

a 2. Cor. 12. v. 7.

b Hic v. 7.

℣. 12. CÆTERIS coniugibus qui disparis fidei sunt, vt sequitur, (& ita exponit S. August. Anselm. & S. Thomas:) q. d. Quæ hactenus docui de coniugibus, intellexi de fidelibus vtrimque, (vt sat insinuaui ex fine v. 5. præscripto, *vt vacetis orationi.*) Iam loquor de coniugibus quorum alter infidelis est, seu Ethnicus, His EGO DICO, id est consulo: (sed DOMINVS NON præcipit;) non dimittere coniugem infidelem, si illa CONSENTIT HABITARE OVM fideli sine contumelia creatoris & fidei. Hîc respondet Paulus tertiæ quæstioni Corinthiorum.

Vbi Notandum, infidelitatem tempore S. Pauli nec fuisse impedimentum dirimens matrimonium cum fideli contractum, nec impediens, seu contrahendum, seu contractum, si fideli non erat periculum peruersionis. Poterat tamen, ex Christi permissione, fidelis coniux infidelem coniugem nolentem conuerti, dimittere, & alias nuptias inire, vt docent Doctores citati ab Henriquez. Progressu autem temporis inductum in Ecclesiam, vt infidelitas dirimat matrimonium à fideli contrahendum cum infideli, vt docent ijdem Doctores. Hoc tamen (quia multis locis valdè odiosum & onerosum,) viri quidam docti censent restringi posse ad infideles proprie dictos, id est, qui non credunt vllo modo in Christum, sed colunt idola. Quales non sunt nostri temporis Anabaptistæ, qui etsi necdum baptizati sint, volunt tamen & parati sunt baptizari, sed baptismum differunt in adultam ætatem & subinde valdè prouectam? profitentur interea fidem Christi, vt plures alij hæretici: & passim etiam non nisi hæretici vocantur & habentur. Vnde & putant ijdē saluo meliori iudicio, sentiendum in hoc negotio de his Anabaptistis, vt de ceteris hæreticis, id est, non esse hîc impedimentum irritans aut dirimens contractum matrimonij, sed impediens tantùm. Ego nihil definio, sed quæstionem illam Doctoribus Scholasticis maturiùs expendendam relinquo. Causa verò cur malit S. Paulus eiusmodi coniuges non separari est, quia hoc non expedit saluti prolium, nec coniugis infidelis. Neque profanatur aut polluitur fidelis per contactum infidelis (vti scrupulosè timebant Corinthij,) sed potiùs

Henriq. l. 11. de Matrim. c. 8.

℣. 14. SANCTIFICATVS EST VIR INFIDELIS PER MVLIEREM FIDELEM] nempe morali quadam denominatione, & quasi sanctitatis (sed extrinsecæ) aspergine: partim quia maritus est sanctæ, id est, fidelis coniugis, & vna caro cum illa: partim quia non impediendo illam in sua fide & religione, sed beneuolè cum ipsa viuendo, quasi viam sternit sibi ad veram sanctitatem, vt scilicet per preces, merita, monita & exempla fidelis coniugis paulatim etiam ipse conuertatur & sanctus fiat: vt patuit in Valeriano Cæciliæ, Sisinnio Theodoræ, Adriano Nataliæ, Clodoueo Clotildis marito, & tot alijs. ita S. Chrysost. Theophyl. Anselmus. ALIOQVIN FILII VESTRI ex præcedenti matrimonio concepti, haberentur & ESSENT IMMVNDI: nam separatione facta, filij quasi ex adulterino thoro nati, pro adulterinis & illegitimis haberentur, & à parente infideli in infidelitatis immunditia educarentur. NVNC AVTEM, continuato coniugio, SANCTI, id est, mundi, SVNT (opponitur enim *sanctum* hîc immundo:) utpote ex legitimo matrimonio concepti & nati, & industria parentis fidelis facilè possunt baptizari & in fide institui, atque ita verè sanctificari. ita S. August. Ambros. Anselmus, & ex Tertulliano Hieronymus & alij. Nihil ergo hinc colligi potest pro Caluino & Beza, volentibus infantes fidelium verè & propriè sanctos nasci, & sine baptismo saluari. Quia S. Paulus non agit hîc de vera, intrinseca, supernaturali & propriè dicta sanctitate, sed solùm de impropriè dicta, extrinseca & ciuili: quali sanctitate suprà (c) dixit, totam *massam* populi Israelitici *sanctam* esse, & hîc (d) dicit, virum *infidelem sanctificari* per mulierem fidelem. Quod certũ est, etiam Caluini & Bezæ confessione, non posse de propriè dicta sanctitate exponi.

Aug. l. 2. de Pecat. merit. c. 26. & l. 3. c. 12. Hieron. ep. 103. ad Paulin.

c *Rom. 11. v. 16.*

d *Hic v. 14*

℣. 15. SI INFIDELIS coniunx DISCEDIT, vel physicè dissolutionem quærens, vel moraliter, (nempe iniurijs lacessens seu vxorem, seu Christũ;) eo casu DISCEDAT etiam fidelis, id est, diuortium faciat non solius thori, sed etiam contractus matrimonij, ita vt possit ad alias nuptias transire. Hoc enim in fauorem fidei concessit Christus: (e) alioqui nimiæ SERVITVTI SVBIECTVS esset FRATER, id est, Christianus. Imò licet infidelis nolit discedere, posse tamen fidelem discedere, docet S. August. & alij Patres ac DD. ab Henriquez citati, & passim Canonistæ. (f) Quin & debere discedere, si coniunx sit maneatque Iudæus, expressè pro Hispaniæ prouincijs monet Concilium Toletanum Quartum can. 61. quòd experientia doceat, Iudæos, vt sunt peruicaces in suis erroribus, ita solere suas coniuges in eosdem importuniùs pertrahere. Quod cùm in Ethnicis, seu Paganis, vt plurimum, non habeat locum, idcircò nil simile de his vsquam decretum: sed prudentiæ & arbitrio conuersæ coniugis relictum eo casu diuortium facere, vel non facere.

e *Hic v. 12.*

Aug. l. 1. de Adulterinis coniug. c. 13. 19. &c.

f *Henriq. sup. In cap. Quanto. & cap. Gaudemus tit. de diuortiis. &c. Si infidelis 28. q. 2.*

IN PACE AVTEM; Syrus, *ad pacem*, id est, ad quietam & pacatam vitam, VOCAVIT NOS DEVS] non verò ad inquietam & rixosam seruitutem. Si ergo maritus infidelis molestus tibi sit suis rixis, probris vel minis, fac diuortium, vt pacificè viuas. Nec prætendas spem conuersionis ipsius:

℣. 16. VNDE ENIM hanc speres ab homine pertinace, rixoso, blasphemo?

℣ 17. NISI quòd optem; syriacè, *sed*, ITA quisque AMBVLET, SICVT VNICVIQVE DIVISIT DOMINVS, id est, secundùm statum in quem (vt sequitur) VNVMQVEMQVE DEVS VOCAVIT] q. d.

q. d. Quod dixi in diuortio certis casibus faciendo, nolim in fraudem status coniugalis trahi: verbi gratiâ: nolim ob hoc solum fieri diuortium, vt quis ab ordinarijs coniugij oneribus liberetur, vel lautioribus nuptijs potiatur, vel ex seruo liber fiat, vel ex Iudaica familia transmigret in Gentilium numerum, aut contrà. Et hæc erat quarta quæstio à Corinthijs Paulo proposita.

℣. 18. CIRCVMCISVS ALIQVIS, seu Iudæus, VOCATVS EST ad fidem Christi? NON ADDVCAT PRÆPVTIVM] Græcè, μὴ ἐπισπάσθω, id est, non attrahatur, scilicet cutis præputij, vt glandem rursus operiat, inquit Celsus. Id enim ferro attractorio (quod *spatisterem* vocant) solitos facere Iudæos cùm ad Gentiles apostatarent, patet ex historia Machabæorum, Iosepho & Epiphanio: vnde & quorumdam opinione *recuriti* dicebantur (*a*) Martiali, Persio & alijs. Sed communis sententia est, dici *recaritos*, quasi sine cute, sicut refessus, resignatus, &c.

Celsus l. 7. c. 25.

1. Machab. 1. v. 16. Ioseph. l. 12. Antiq. c. 6. Epiph. de Ponderib. & mensur. a Martial. epigram. 1. in Caliam. Persius satyra. 5.

℣. 19. CIRCVMCISIO NIHIL EST] Id est, ad salutem homini Christiano nec prodest, nec obest. Loquitur Sanctus Paulus de suo tempore, quo cæremoniæ Iudaicæ iam tum *mortuæ* erant, sed necdum *mortiferæ*, vt paulò pòst factæ sunt, inquit Sanctus Ambrosius, Anselmus, Caietanus.

℣. 21. SI POTES FIERI LIBER à seruitute, MAGIS VTERE oblata commoditate, & amplectere libertatem. Et mox clariùs:

℣. 23. PRETIO sanguinis Christi EMPTI & redempti ESTIS è seruitute peccati, & sic liberi facti estis Christi: NOLITE ergo SERVI HOMINVM FIERI, vel citra extremam necessitatem vos vestrósve filios vendere in mancipia, præsertim infidelibus: nam libertos Christi decet etiam libertas ciuilis, vt eò meliùs possint toti vacare seruitio Christi. Vnde & Constantinus Magnus eiusque filij sub pœna capitis vetuerunt subiectis sibi Iudæis, Paganis vel hæreticis, ne quis Christianum habeat mancipium, vt habes in Codice (*b*) & apud Sozomenum.

b l. vnica lib. 1. Codicu, tit. Ne Christiani mancip. Sozomen. l. 3. c. 17.

℣. 25. DE VIRGINIBVS quinta erat proposita quæstio, an scilicet christianismi legibus debeant perpetuò virgines permanere? Respondet S. Paulus, se *nullum* hac de re PRÆCEPTVM DOMINI *habere*: suadere se tamen, vt tales permaneant. MISERICORDIAM CONSECVTVS A DOMINO, VT SIM FIDELIS] q. d. Gratiam muneris Apostolici & Prophetici à Christo obtinui, vt fideliter exponam mentem Dei, & saluti omnium optimè consulam: Vnde tutò potestis fidem mihi per omnia habere.

℣. 26. EXISTIMO ERGO, & audacter pronuntio BONVM ESSE HOMINI sic in perpetua virginitate ESSE: (infra (*c*) dicet, etiam *melius* esse,) non tantùm propter maiora emolumenta spiritualia, (de quibus paulò post,) (*d*) sed etiam propter maiora commoda corporalia, nempe PROPTER NECESSITATEM, id est, necessariam difficultatem, putà TRIBVLATIONEM CARNIS, (*e*) INSTANTEM Græcè, ἐνεστῶσαν, id est, *inexistentem* statui matrimoniali. v. g. onus alendæ & instruendæ familiæ, onus vteri, partus, educationis liberorum, molestias, mœrores, rixas, timores, &c. ita Sanctus Ambrosius, Chrysostomus & Anselmus. Qui tamen per ἐνεστῶσαν cum Sanctus Hieronymus & alijs etiam intelligunt *præsentem, imminentem, vrgentem* necessitatem, ex breuitate temporis nobis concessi ad æternæ salutis conquisitionem, quod proinde, non mundo, non carni, non coniugi, sed animæ & Deo totum impendendum. ita enim mox vers. 29. sese explicat Apostolus.

c Hic v. 38.

d v. 33. & 34.

e v. 28.

Hieron. l. 1. contr. Iouinianum.

℣. 28. EGO AVTEM qui tenerrimè afficior vestro bono & commodo, VOBIS vt filijs charissimis PARCO, seu parcitum velim, (*f*) optans vt multiplicium afflictionum & molestiarum quæ nuptias consequuntur, expertes sitis, atque ideò continentiam suadeo.

f Prol. g. de Idiotismo Hebr. n. 58.

℣. 29. QVI HABENT VXORES, SINT TAMQVAM NON HABENTES] nempe, non magnoperè afficiantur rei vxoriæ; vt animum, mentem, affectum omnem diuino seruitio & saluti suæ æternæ seriò procurandæ impendant.

℣. 30. QVI FLENT, sint TAMQVAM NON FLENTES] Id est, quibus aduersa & tristia obueniunt (quæ sunt flendi materia,) non admodum illis commoueantur, vtpote non diu duraturis; seque solentur spe vitæ & mercedis æternæ breui obuenturæ.

℣. 31. PRÆTERIT ENIM celerrimè tota MVNDI & VITÆ HVIVS FIGVRA Græcè, σχῆμα, id est, species, forma, habitus, dispositio & status, inquit Sanctus Ambrosius & Anselmus. & diuinè Lipsius:

Humana cuncta fumus, vmbra, vanitas,
Et scenæ imago, &, verbo vt absoluam NIHIL.

Ideo

℣. 32. VOLO, id est, velim, (*g*) optem, desiderem, vos SINE rerum ciusmodi periturarum SOLICITVDINE ESSE, suadens in cælibatu permanere.

g Ibid.

℣. 33. QVI CVM VXORE EST, DIVISVS EST mente & cura: nam vnam (vt summum) partem Deo, alteram & ferè potiorem, vxori & filijs impendit, inquit S. Ambrosius.

Nota, S. Basilium Chrysost. cum suis & Syrum, & ferè Nouantes, hoc vltimũ verbum adnectere, versui sequenti, hoc modo: μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος, id est, *diuisa est vxor & virgo*: q. d. *Virginem à non virgine diuidit*, seu distinguit, *otium & negotium: virgo otium, non virgo negotium agit*, inquit Chrysost. Quod licet verum sit, tamen S. Hieron. asserit, eam lectionem non esse *Apostolicæ veritatis*. Tam enim Græca, quàm Latina exemplaria distinguunt hæc, vt antè vidimus.

℣. 34. VIRGO COGITAT QVÆ DOMINI SVNT, vtpote sponsi sui, cui vni & vnicè studet placere, VT SIT coram eo SANCTA, pura & immaculata tam CORPORE suo, quàm SPIRITV] Ex quibus verbis colligere possumus octo nobilissimas virginum prærogatiuas. Prima est, quòd instar angelorum, vni Deo, diuinoque obsequio totaliter intendant. Secunda, integrum sunt & perfectum holocaustum, corpore & animo, omni ex parte dicatis Deo. Tertia, sponsæ sunt Christi. Quarta, studio, cogitatione, affectu simillimæ Deo & SS. Trinitati. Quinta, nobilissima pars seu portio Ecclesiæ, inquit Cyprianus, & gemmæ & monilia pulcherrima totius orbis, inquit Hieronymus. Sexta, sicut *nuptiæ terram*, ita *continentia cælum replet*, inquit

Cypr. l. de Disciplina & habitu virginum. Hieron. l. 2. contra Iouinianum.

idem

idem Cyprianus. Septima, plus ceteris à Deo & Christo sponso suo redamantur. Octaua, maius
a Hic v. 40. præmium in cælis (a) & singularis aureola virgines manet: vnde & *canticum canent quod nemo alius canere potest.* (b) Ex quibus omnibus, vt & alij hîc S. Pauli verbis (c) certissimò concludimus, *continentiam* meliorem esse *matrimonio*, non tantùm in ordine ad temporales curas ac molestias vitandas, vt vult Lutherus; sed etiam vt quis *sanctior* euadat & aptior cultui diuino, vt hîc fatentur Petrus Martyr & Beza: & disertè docent SS. Patres Hieron. Ambros. Athanas. August. Chrysost. Basilius, integris libris hac de re conscriptis.

b Apoc. 14. v. 3. & 4.
c Hic v. 7. 8. 25. 26 34 35. 38. & 80

℣. 35. PORRO HOC continentiæ encomium, has laudes, hos fructus DICO & enarro, non ad solam ostentationem & plausum, sed AD VTILITATEM VESTRAM spiritualem, nempe ad maiorem profectum vestrum & profectionē in spiritu. NON quòd velim infirmioribus & ægrè se continere valentibus *iniicere* LAQVEVM, id est, præceptum, seu necessitatem continendi: sed solùm adhortor qui robustiore animo sunt, AD ID QVOD eximiè HONESTVM, laudabile, glorioſum simul & vtile vobis est: Græcè, πρὸς τὸ εὔσχημον καὶ εὐπάρεδρον τῷ κυρίῳ ἀπερισπάστως, id est, *ad id quod decens est & adhærens*, seu adhærescere faciens, *Domino indiuulsè*. Scilicet vt sit vobis *facultas* DOMINVM assiduè OBSECRANDI, vt legunt Romana; vel, vt Plantiniana & alia Biblia, *obseruandi*.

B

℣. 36. SI QVIS TVRPEM SE VIDERI EXISTIMAT SVPER VIRGINE SVA; Syrus, *si quis putet se despicatui haberi* apud mundanos homines, *ob virginem* filiam *suam*, *quòd prætereat tempus* & flos ætatis *eius*, *nec det eam viro*; ET TAMEN ITA OPORTET, seu conueniat, FIERI, seu quia vult ipsa nubere, seu quia stirps propaganda, seu quia aliæ causæ ita suadent; QVOD VVLT FACIAT] id est, det illam nuptui, procurato commodo marito, si hoc magis placeat: vel virginem seruet, si id ipsa malit.

C

℣. 37. NAM QVI STATVIT IN CORDE SVO FIRMVS: id est, qui firmum ac stabile habet animi propositum, nec obloquiis aliorum dimouetur à sua sententia, NON HABENS NECESSITATEM, id est, qui non cogitur filiam seruare innuptam, (v. g. ob inopiam, infamiam, vel quia nemo illam vult coniugem, vel alijs de causis:) *habet* AVTEM POTESTATEM SVÆ VOLVNTATIS: id est, potest facere quod vult, (nempe quia virgo se permittit parentis arbitrio;) si tum maturo iudicio decernat SERVARE VIRGINEM SVAM in statu virginitatis, BENE, imò *melius*, FACIT: quia consilium non meum tantùm, sed & Christi (d) adimplet. ita S. Chrysost. Theophy. Oecumen. & alij.

d Matt. 19. v. 12.

D

℣. 39. MVLIER vidua (de hac quæsierant sexto loco Corinthij, an posset ad secūdas nuptias transire? Respondet Paulus affirmatiuè:) CVI VVLT, NVBAT iterum, dummodo IN DOMINO] id est, in Ecclesia Christi, & viro Christiano ac probo. ita Ambros. August. Theodor. Theophy. Anselmus, Sedulius, S. Thomas: qui hinc contra Tertullianum, Montanum & Nouatianum, probant licitas esse secundas nuptias. Probant & nuptias non ineundas cum infidelibus, neque cum hæreticis, partim ob indecentiam, partim ob periculum peruersionis. Quas ob causas Ecclesia prorsus irritat matrimonium fidelis cum infideli: cum hæretica non irritat, sed prohibet sub peccato mortali ijs locis vbi Catholici ab hæreticis seiunguntur: nam vbi permisti viuunt, vt in Polonia, Gallia, Germania, Anglia, Hollandia, &c. id permittit, dummodo absit periculum peruersionis, & sinantur proles catholicè educari, vt docet Thomas Sanchez & alij Doctores. Probant denique contra hæreticos, celibatum esse in nostra potestate, essēque meliorem matrimonio, vt suprà (e) vidimus. Quomodo enim aliàs suaderet illum nobis S. Paulus?

Aug. l. 1. de Adulterin. coniug. c. 21

Sanchez de Matrim. disp. 72. n. 3. tom. 2.

e Hîc v. 34.

℣. 40. BEATIOR ERIT SI SIC cælebs PERMANSERIT] nam & hîc vitam aget quietiorem ac sanctiorem: & maiori præmio ac gloria decorabitur in cælo, inquit S. Ambros. & nos antè probauimus. (f)

f Ibid.

CAPVT VIII.

*Vt alibi * esum suillæ & aliorum ciborum, lege Mosaica prohibitorum; ita hic esum idolothytorum, id est, ciborum qui idolis immolati fuerunt, docet, per se non esse illicitum: cauendum tamen ne fiat repugnante conscientiâ, vel eum scandalo infirmorum.* Rom. 14. v. 1. & seq.

℣. 1. OMNES benè instituti in fide Christiana, sufficientem SCIENTIAM HABEMVS, quòd carnes, vinum, panes, alijque cibi idolis immolati, nihil inde, seu religionis aut sanctitatis, seu vitij aut sordium, in se trahant, neque ex se differāt ab alijs vulgaribus cibis, inquit S. Chrysost. Sed hæc SCIENTIA, quia in plerisque vestrūm, ô Corinthij, non associatur charitati fraternæ, (vt S. August exponit,) non tam prodest, quàm nocet: nam & VOS INFLAT, id est, superbire, & alijs quasi ignorantibus & stupidis insultare facit: & non ÆDIFICAT, sed lædit & destruit proximum, id est, non promouet infirmos ad salutem, sed scandalum & offendiculum illis parit, quo in ruinam trahuntur & damnationem.

℣. 2. SI QVIS talis inter VOS SE EXISTIMAT ALIQVID SCIRE in hoc genere, nouerit is, se non nisi obiectum nosse scientiæ, non verò etiam vsum, finem & modum scientiæ; cùm tamen scientiæ practicæ & Christianæ (de qua hîc agitur) proprium, imò præcipuum sit, in vsum & finem sibi præstitutum, semperque in Dei honorem & publicum commodum referri. Quod sanè non obseruat qui sua scientia ipsemet superbit, & proximo dat ansam scandali ac ruinæ. Vnde nec talis probatur Deo, sed displicet.

℣. 3. SI QVIS AVTEM instructus scientiâ simul DILIGIT DEVM, & amore Dei studet ædificationi & commodis (g) proximi, HIC demum COGNITVS, (h) probatus & dilectus EST Deo: & in tali eius scientia complacitum est Deo.

g 1. Ioan. 4. v. 20.
h Matth. 7. v. 23. & c. 25. v. 11. &c.

℣. 4. IDOLVM NIHIL EST, nempe formaliter, seu vt repræsentat aliquod numen, vel aliquid diuini. q. d. Non est id quod opinione Gentilium existimatur esse: non enim est deus, vt ipsi arbitrantur: sed materialiter tantùm est lignum vel lapis; formaliter & repræsentatiuè est nihil, quia imago falsa, seu rei falsæ. ita Tertull. Cyprian. Anselmus & alij apud Bellarminum. Quia non est nisi

Tertull. l. de Idololatria. Cyprian. de Exhortat. mart. c. 1. Bellarm. l. 2. de Imagin. c. 5.

℣. 6. VNVS DEVS, nempe PATER æternus, EX QVO tamquam primo principio, OMNIA, ET NOS IN ILLVM, id est, in illius gloriam, cultum & seruitium creati sumus: ET Filius eius DOMINVS IESVS, per QVEM tamquam primum directorem creata sunt OMNIA, ET NOS PER IPSVM tamquam mediatorem redempti sumus: subaudi & *Spiritus sanctus*, in quo tamquam abyssо omnis perfectionis, sunt omnia, vt alibi docuit. (i)

i Rom. 11. v. vlt.

℣. 7. SED hæc SCIENTIA de idolo & idolothytis, quòd nihil ipsis seu sacri, seu sordidi insit, NON EST adhuc IN OMNIBVS. Nam QVIDAM vestrûm VSQVE NVNC CVM erronea CONSCIENTIA IDOLI, putantes *idolum* habere aliquid veræ diuinitatis, MANDVCANT QVASI IDOLOTHYTVM, nempe cùm reuerentia & veneratione, vel certè cum horrore, tanquam quod numini in idolo (vt putant) latenti oblatum & dicatum sit. atque ita ex hoc errore POLLVITVR IPSORVM CONSCIENTIA per esum idolothytorum, CVM SIT adhuc INFIRMA, seu malè instructa. Peccat enim, quia putans non licere vesci idolothytis, aliorum tamen rectè sentientium exemplo illis vescitur, non depositâ opinione suâ erroneâ. ita S. Chrysost. cum suis.

℣. 8. Esca idolis oblata, seu esus idolothyti, ex se, vel per se, NON COMMENDAT NOS DEO, nec quidquam facit ad conciliandam vel augendam pietatem, quâ Deo placeamus. NEQVE ENIM SI MANDVCAVERIMVS idolothyta, ideo ABVNDABIMVS, id est, donum aliquod spirituale vel gratiam acquiremus: NEQVE SI illa NON MANDVCAVERIMVS, propterea DEFICIEMVS virtute, merito vel profectu spirituali. ita S. Chrysostomus. Vt quid ergo edendis illis adeò inhiatis, etiam cum offensione & scandalo *infirmorum*?

℣. 10. SI ENIM infirmus QVIS VIDERIT alterum QVI veram & rectam de qualitate idolothyti SCIENTIAM HABET (nempe quod nihil lædat edentem,) si, inquam, viderit illum non tantùm domi suæ vescentem idolothytis, sed etiam inexcusabili audacia RECVMBENTEM IN IDOLIO, id est, in templo vel mensa idolo consecrata, vt cum idololatris promiscuè vescatur idolothytis: (quod sanè nullo modo licet, vt infrà (*a*) dicetur) NONNE INFIRMA EIVS CONSCIENTIA hoc tuo exemplo ÆDIFICABITVR, id est, erigetur, excitabitur, prouocabitur, AD MANDVCANDVM simili modo IDOLOTHYTA, quæ tamen conscientia ipsius dictat sibi non licere? Solitos autem Gentiles, exemplo Iudæorum, (*b*) victimas, vtpote sacras, in templis, seu loco templis vicino absumere, constat ex Herodoto, Virgilio & pluribus aliis.

℣. 11. ET ita PERIBIT IN, seu per, TVAM SCIENTIAM (quâ abuteris) INFIRMVS FRATER, occasione tui exempli Deum offendens. Atque ideo etiam vos PECCATIS IN CHRISTVM, *vers.* 12. PERCVTIENTES & vulnerantes vestro imprudenti facto CONSCIENTIAM INFIRMAM fratris, PROPTER QVEM è peccatis educendum CHRISTVS MORTVVS EST] Quod enim Christus in ipso construxit, vos malo vestro exemplo destruitis & euertitis. Adde, Christum etiam sibi arrogare, quod membris eius irrogatur. (*c*)

Petes, Quare Apostolus non absolutè vetat esum idolothytorum, prout vetuerunt Apostoli in suo Concilio Actorum 15. v. 29. Respondeo, Quia præceptum illud non erat perpetuum, sed solum pro tempore: neque extendebat se ad omnes Christianos, sed ad solos Antiochenos, & eorum vicinos, vt patet ex v. 23. ibidem. idque causâ concordiæ Iudæorum cum Gentilibus, quæ Corinthi non periclitabatur ex hoc capite. ita Baronius.

a *Cap. 10. huius epist. v. 21.*

b *Deut. 16. v. 11. Herod. in Clio. Virgil. 8. Æneid.*

c *Matt. 25. v. 40 & Act. 9. v 4.*

Baron. ann. Christi 51.

CAPVT IX.

Exemplo suo pergit docere Corinthios quàm sint cauenda proximorum offendicula: narratis inter alia, se stipendia seu alimenta, multis nominibus debita præconibus fidei, tamen admittere noluisse, non solum maioris meriti, sed & ædificationis proximi causâ: & ob eamdem se omnibus omnia factum, vt discant & ipsi ædificationem & salutem proximorum promouere.

℣. 1. NON SVM LIBER? id est, nónne mei iuris sum? aut inhibitum mihi sumptus vel alimoniam necessariam à vobis accipere vel etiam exigere? Aut fortè NON SVM APOSTOLVS vel præco Euangelij, vt mihi debeatur alimonia? At Apostolum me esse, & quidem immediatè ab ipsomet Christo missum ad euangelizandum, patet, quia CHRISTVM corporaliter mihi apparentem VIDI, (*d*) meque vocantem & mittentem audiui. Porrò de facto me euangelizasse, vt alia indicia nunc omittam, vosmet testes cito: NONNE VOS OPVS MEVM ESTIS IN DOMINO] Id est, nónne prædicatione mea ad Christum conuersi & regenerati estis? nónne vestra Ecclesia, mea est structura?

d *Act. 9. v. 5. & c. 22 v. 18. &c.*

℣. 2. Si malevolorum quorumdam obtrectatione NON SVM, seu non habeor, ALIIS alibi APOSTOLVS, certè nemo tam impudens esse potest, qui neget me vestrum esse Apostolum: NAM VOS ipsi IN DOMINO per me geniti, SIGNACVLVM ESTIS APOSTOLATVS MEI] Græcè, σφραγὶς, id est, *sigillum*, seu parentes sigillo munitæ, quo omnibus fiat plena fides, quasi dicat: Tam prolixa, tam fructuosa apud vos prædicatio mea, tot patrata ibidem miracula, tot vestri causâ subiti labores & pericula, tanta Christo collecta messis, certum clarumque testimonium sunt Apostolici muneris mei apud vos exerciti. Et hoc testimonium

℣. 3. DEFENSIO MEA EST APVD EOS QVI ME de meo apostolatu INTERROGANT] Si quis enim vel dubitet, vel neget me meo munere functum, mox pro exemplo vos in medium produco.

℣. 4. NVMQVID NON HABEMVS ego & Barnabas (*e*) POTESTATEM vestris sumptibus MANDVCANDI? aut per iter *vers.* 5. CIRCVMDVCENDI MVLIEREM SOROREM, id est, matronam aliquam Christianam, quæ nobis ex suis facultatibus necessaria subministret? SICVT circumducunt CETERI APOSTOLI, etiam FRATRES DOMINI, Iacobus, Iudas, Ioannes (*f*) consanguinei Christi: quin ET ipse Apostolorum omnium princeps CEPHAS, id est, Petrus: adeoque etiam ipsemet *Christus*, cui *ministrabant* omnia necessaria *mulieres quæ cum ipso ascenderant* (*g*) *de Galilæa*? Laur. Valla, Vatablus, Petrus Martyr, Beza, Tremellius, & quidam alij Nouantes, vt plebi persuadeant, Sanctum Paulum ceteroscque Apostolos habuisse vxores, Græcum γυναῖκα, quod in genere *mulierem* significat, ipsi *vxorem* interpretantur. Nam etiam Clemens Alexandr. (inquiunt) & Martyr Ignatius epistola ad Philadelphios, Paulum dicunt vxoratum fuisse. Sed perfidè dissimulant, epistolæ illi Sancti Ignatij, nomen Pauli à posterioribus Græcis clericis clàm insertum esse, vt benè monet Baronius: nam in exemplaribus Vaticanis, Sfortianis, & alijs antiquioribus nomen Pauli non repe-

e *Hic v. 6.*

f *Chron. c. 46. in fine 4. tabulæ.*

g *Luc. 8. v. 3*

Clem. Alex. l. 3. Stromat.

Baron. ann. Christi 57. pag. 518.

reperitur. Clemens quidem ita sensit, ab alijs deceptus: sed quid vnus Clemens ad omnes alios antiquos Patres qui id absolutè negant? Et cur dissimulant Nouantes, Clementem disertè addere, Paulum, etsi habuerit vxorem, tamen post conuersionem non ampliùs habuisse vt vxorem? quod ipsorum causæ non patrocinatur, sed officit. Ceterùm, Paulum numquam vxorem habuisse, præter vnanimem totius antiquitatis assensum, certò constat ex ipsiusmet Pauli verbis suprà cap. 7, vers. 7. & 8. Et phrasi illa, ἀδελφὴν γυναῖκα, nil aliud significari quàm *Christianam mulierem*, (sicut simili phrasi, ἄνδρες ἀδελφοί, id est, *viri fratres*, significantur non *mariti*, sed in genere quiuis *viri Christiani*,) notius puto quàm vt probatione indigeat. Denique præter *Petrum*, nullos omninò Apostolos habuisse vxorem? Petrum quoque post vocationem Christi numquam ampliùs vsum vxore, docent expresè Tertullianus, Hieronymus & plures alij Patres à Bellarmino citati. Quid verò Ambrosio Catharino in mentem venerit nescio, cùm ait, in Reuelationibus S. Birgittæ haberi, Paulum fuisse coniugatum. Nam ibi prorsus contrarium asseritur.

Tertull. l. de Monogamia. Bellarm. de cælibatu sacerdot. Ambrosium Catharin. in Philip. 4. v. 2. S. Birgitæ Reuelat. l. 2. c. 7. & l. 8. c. 1.

℣. 8. NVMQVID HÆC de alimentis præconibus fidei debitis, DICO SECVNDVM HOMINEM] id est, ex humano & carnali affectu, tamquam mihi meisque commodis studere & consulere intendens? Minimè.

℣. 10. QVI in aliorum gratiam ARAT, meritò DEBET IN, id est, cum, SPE mercedis ARARE] ergo etiam præco Euangelij sperare potest alimoniam ex sua prædicatione.

℣. 12. SI ALII PARTICIPES SVNT POTESTATIS VESTRÆ; Græcè, ἐξουσίας ὑμῶν, id est, *iuris vestrûm*, seu quod in vos habent; quasi dicat: Si alij iure suo quod habent, accipiendi à vobis alimoniam, liberè vtuntur; cur nos non vtamur? SED nos ideo NON *vtimur*, imò potiùs incommoda OMNIA inde emergentia SVSTINEMVS, *vt nullum* EVANGELIO OFFENDICVLVM DEMVS, neque libertate nostra scandalizemus Gentiles, neque ansam auaris præbeamus obloquendi vel repugnandi Euangelio, spargendique in vulgus, non animas quæri, sed thesauros. Nihilominus etiam

℣. 14. DOMINVS Iesus ITA ORDINAVIT, Lucæ 10. v. 7. (a) *Manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua.* Hoc sextum est argumentum, quo probat Paulus deberi vetbi ministris alimoniam. Quinque priora habes v. 5. 7. 9. 11. 13.

a Et Matt. 10. v. 10. 11. 14.

℣. 15. EGO AVTEM, maioris ædificationis causâ, vt dixi, NVLLO HORVM VSVS SVM; *cúmque essem apud vos, & egerem, nulli onerosus fui.* (b) NON AVTEM *scribo* HÆC, VT deinceps ITA FIANT IN ME, id est, vt aliménta mihi à vobis præstentur, sicut meritò præstanda probaui. Malim ENIM MORI, QVAM VT QVIS sportulis suis EVACVET GLORIAM MEAM, quam euangelizando sine sumptibus mihi acquisiui apud Deum & homines, inquit S. Chrysost. Anselm. D. Thomas.

b 2. Cor. 11. v. 9.

℣. 17. SI euangelizo VOLENS; Græcè, ἑκών, id est, sponte mea, seu citra præceptum Christi, nempe liberaliter & gratis; MERCEDEM mihi repositam HABEO, non qualemcumque (vt alij, qui non gratis euangelizant) sed copiosam & excellentem. SI AVTEM euangelizo INVITVS; Græcè, ἄκων, id est, non mea sponte, non liberaliter, non gratis, sed solùm præsto quod præcepto Christi cogor præstare; carebo illa singulari gloria & mercede excellenti. Et licet satisfaciam muneri meo & præcepto Domini mei; mihi ipsi tamen malè consulo, quòd, cùm possim, nolim supremam gloriam & mercedem mihi comparare. DISPENSATIO enim MIHI, seu fidei meæ, planè & plenè CREDITA EST à domino meo; vt, si velim, possim supremam mihi gloriam & mercedem comparare, nec id ab alio, quàm à me solo dependet.

℣. 18. QVÆ EST autem HÆC MERCES MEA? id est, quæ est via hanc supremam mercedem obtinendi, si velim? Respondet, VT EVANGELIVM SINE SVMPTV PONAM, id est, si gratis euangelizem. Sic NON ABVTAR POTESTATE MEA] id est, non minùs rectè & vtiliter illâ vtar, quàm commodè possim: & (si maximum bonum tam meum, quàm domini mei amem,) etiam quodammodo debeam: neque enim defraudabo meipsum suprema gloria & mercede, quam, si velim, possim nanciscí: neque rémoram ponam cursui Euangelico, vnde maior messis & vberior fructus accedet hero meo. *Aburi* ergo hîc sumitur non absolutè, sed respectiuè, vt idem sit quod, *minùs bene vti* quàm quis possit, non quàm absolutè debeat. ita ferè S. Chrysost. Theophyl. Oecumen. & Anselmus.

℣. 19. CVM LIBER ESSEM EX, seu ab OMNIBVS, id est, cùm nemini essem obstrictus vel obnoxius, vel subiectus, OMNIVM ME SERVVM FECI, omnium necessitatibus & infirmitatibus me accommodans, VT PLVRES, imò quàm plurimos, LVCRIFACEREM & Christo acquirerem.

℣. 21. IIS QVI SINE scripta LEGE ERANT, id est, Gentilibus, qui non tenebantur lege Mosaica, FACTVS SVM TAMQVAM SINE LEGE scripta ESSEM, & solam naturam ducem ac lucem sequerer, vt faciebant Gentiles, inquit Theophylact. & Oecumen.

℣. 22. OMNIBVS OMNIA FACTVS, *non mentiendo* (vt politici) *sed compatiendo: non simulantis astu, sed commiserantis affectu*, inquit S. August. Nempe in rebus licitis & indifferentibus.

August. 9. & 19

℣. 23. VT PARTICEPS Euangelij EFFICIAR] Græcè, συγκοινωνὸς, id est, *comparticeps*. q. d. Vt vnà cum aliis præconibus Euangelij, imò & cum alijs omnibus fidelibus, particeps fiam coronarum & præmiorum quæ in Euangelio promittuntur. En Pauli humilitatem, inquit Chrysost. cùm omnes longissimè superaret, gaudebat vel vltimorum particeps reddi.

℣. 24. IN STADIO OMNES QVIDEM CVRRVNT, SED VNVS ACCIPIT BRAVIVM] quasi dicat: Ideo sine sumptu euangelizo, ideo omnibus omnia fio, ideo tanto labore contendo hoc vitæ Apostolicæ stadium decurrere, quia ad primum & supremum anhelo præmium, quod paucis obtinget. Sicut enim *in agone*, seu *stadio*, sic in religione Christiana non omnes currentes accipiunt propositum brauium, sed ij soli qui heroicè & constanter ad metam vsque decurrunt, inquit Chrysost. cum suis.

℣. 25. OMNIS QVI IN AGONE CONTENDIT, ABSTINET SE AB OMNIBVS, quæ ipsum in agone impedire aut remorari possent. Alludit ad Græcorum certamina Olympica & Isthmia, (quæ Corinthi celebrabantur in honorem Neptuni & Melicertæ,) in quibus omnis generis *pugiles*, qui pugnis; *stadiodromi*, qui cursu; *acrochiristæ*, qui

summis inter se manibus, *pancratiastæ*, qui toto corpore decertabant, de quibus vide Petrum Fabrum. Hi vt ad certamina expeditiores essent, superfluis & delicatioribus cibis abstinebant, contenti certo demenso, seu necessario victu, quem Aristoteles ἀναγκοφαγίαν, id est, *cibi* sumendi *necessitatem*; Iuuenalis *coliphium* à membrorum robore, appellat, teste Budæo. Addunt Plato & Clemens Alexandrinus, *athletas* etiam *venere* abstinuisse.

Faber de Agonistica. l.2.c 7.&c.

Budæus in Pandectas. p. 180. *Plato l 8. de Legibus. Clem. l.3. Stromat.*

℣. 26. SIC & EGO PVGNO in Euangelij palæstra, NON inani contentione AEREM VERBERANS] sed certis destinatisque ictibus hostem meum feriens, putà corpus & carnem meam: nam hoc hoste subacto, reliqui duo dæmon & mundus nil mihi nocere poterunt. Videtur alludere ad præambulas pugilum exercitationes, quibus ante pugnam vires suas tentabant, brachia cæstibus armata iactantes, & aërem verberantes, vt ille Dares Virgilianus,

Virg. l. 5. Æneid.

Brachia protendens, & verberat ictibus auras.

℣. 27. SED CASTIGO CORPVS MEVM. per ieiunia, vigilias, cilicia, flagella. Nam Græcũ ὑπωπιάζω etiam Beza, Melanchthon, Castalio & Henricus Stephanus vertunt, *contundo*: contusio autem non fit sine percussione & verbere, vel simili violenta carnis afflictione. quam aptissimum instrumentum esse ad virtutem & perfectionem, plenamque de vitijs & hostibus nostris victoriam, dummodo cum discretione assumatur, docent SS. Hieronymus, Basilius, Chrysost. Ambrosius, Gregorius (*a*) & D. Thomas.

Hieron. ep. 14. ad Celantiam & in fine lib. 2 contra Iouinianum. Basil. in Regul. fusius disputatis reg. 17. Ambros. ep ad Eccles. Vercellens. a Greg. l. 30. Moral c. 26 D. Thom. 2 2 q 118. a. 7

NE FORTE REPROBVS EFFICIAR] ἀδόκιμος, id est, reprobatus, nempe à supremo pugilum iudice & agonotheta Deo. Alludit ad Ierem. 6. v. vlt. *Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit*, id est, reprobauit, *illos*. Vnde S. Gregorius (*b*) & à Lapide colligunt, Paulum non habuisse reuelationẽ, neque plenam certitudinem de salute sua æterna, neque ita in gratia confirmatum fuisse, quin sua culpa excidere potuerit. Saltem hinc constat, iustos non debere certa & diuina fide (vt hæretici volunt) credere, se prædestinatos esse & infallibiliter saluandos.

b *Greg. l. 6. epist. 22. ad Gregoriam.*

CAPVT X.

Exemplo veterum Hebræorum idololatrarũ, docet, etiam nunc reprobandos ac puniendos qui seu simili cultu idolorum, seu scandaloso esu idolothytorum se contaminarint, vel proximum offenderint.

℣. 1. PATRES NOSTRI post egressum ex Ægypto OMNES FVERVNT SVB columna *nubis*, quæ angelo ductore & directore per diem instar spissæ nubis obumbrabat & ab æstu protegebat Hebræos: per noctem, instar ignis, illuminabat tota castra totis 40. annis. (*c*)

c *Exod. 13 v. 21.*

℣. 2. OMNES IN MOYSE, id est, per Moysen, duce Moyse, BAPTIZATI SVNT, scilicet typicè, IN hac NVBE ET IN MARI rubro] Quia subire nubem, & inire mare quod Ægyptios demergit, figura erat futuri baptismatis Christi, quo hostes nostri, id est, peccata, demerguntur, & nos sanguine Christi rubricamur, & cælesti rore gratiæ Spiritus sancti obumbramur, inquit S. Ambrosius, Chrysost. & Anselmus.

℣. 3. OMNES tam boni, quàm mali MANDVCAVERVNT EAMDEM ESCAM SPIRITALEM] putà manna. Neque enim vult Apostolus, Hebræos *eamdem nobiscum* escam manducasse, (vt Caluinus & Beza malignè interpretantur, quò probent, nos non nisi typicum corpus Christi sumere in Eucharistia, vt sumebant Hebræi in suo manna:) sed *eamdem inter se* mutuò, vt patet ex seqq. Vocat autem manna *escam spiritalem*, id est, mysticam & typicam, quia typus seu figura erat nostræ Eucharistiæ: (*d*) & quia *spirituum*, putà angelorum, ministerio parabatur, vnde & *panis angelorum* dicebatur. (*e*) Simili modo aqua profluens ex *petra* Oreb, (*f*) vocatur

d *Exod. 16 v. 14.*
e *Psalm. 77 v. 25.*
f *Exod. 17.*

℣. 4. POTVS SPIRITALIS, quia typus erat *v. 6.* sanguinis Christi, qui ex PETRA, id est, Christo, virga crucis à Iudæis percusso, profluxit. Item quia non vi naturali, sed manu spirituali, id est, angelica, ex rupe educebatur.

Dices cum Caluino: PETRA ERAT CHRISTVS, id est, typus Christi: ergo eodem modo, *Hoc est corpus meum*, id est, typus corporis mei. Respondeo Primò, nego antecedens: neque enim typicè, sed reuera & propriè *petra* (de qua hìc Paulus) *erat Christus*. Nam non agit hìc Paulus de corporali petra, seu saxea rupe deserti, quæ typicè significabat, (vt dixi) Christum, (quia hæc rupes non consequebatur Hebræos:) sed agit de *spirituali petra* (vt diserte verbis affirmat,) id est, de petra quæ spiritaliter, seu typicè per rupem illam significabatur. Hæc verò petra spiritalis (significata per alteram spiritalem significantem) non erat typus seu figura Christi, sed erat ipsemet verus Christus: hic enim est qui virtute diuinitatis suæ, Hebræos per omnia deserti loca ceu comes consequebatur. ita S. Chrysost. Ambros. Oecumenius, Anselmus. Respondeo Secundò, nego sequelam: quia cùm rupes, seu petra, sit res planè repugnans & disparata à Christo, non mirum esset, si typicè acciperetur, quia res disparatæ, seu repugnantes, non possunt de se mutuo propriè prædicari, eò quòd vna non possit esse alia: sic lapis non potest esse, ergo nec dici bos: panis non potest esse, ergo nec dici corpus Christi, etsi id velit Lutherus. Sed in hac propositione, *Hoc est corpus meum*, pronomen, *hoc*, non est quid repugnans aut disparatum à corpore Christi: cùm designet indeterminatè id quod sub speciebus panis latet; quod potest esse diuina virtute tam corpus Christi, quàm substantia panis: vnde potest imò debet *Corpus Christi* propriè accipi quando affirmante Christo de *hoc* prædicatur, vt fusè ostendit Bellarminus, Suarez & alij Scholastici.

℣. 5. SED IN PLVRIBVS Hebræorum NON EST BENEPLACITVM DEO, ob frequentes illorum obmurmurationes, idololatriam, & alia scelera, ob quæ omnes adulti qui Ægypto egressi fuerant, (*g*) PROSTRATI & mortui SVNT IN DESERTO] exceptis solùm duobus, Iosue & Caleb.

g *Num. 14. v. 29.*

℣. 6. IN FIGVRA NOSTRI] Id est, figura nobis & exemplum sunt eorum quæ etiam nobis imminent si exemplo eorum similibus peccatis offenderimus Deum.

℣. 8. CECIDERVNT VNA DIE VIGINTI TRIA MILLIA] nempe idololatrarum, seu cultorum vituli, Exodi 32. v. 28. nam horum meminerat Paulus v. 7. præced. Quod si tamen malis referre ad fornicarios cum filiabus Moab, seu ad cultores Beelphegor, Num. 25. quorum mentionem facit Paulus hoc eodem v. 8. tum dicendum numerum 23000. vt minorem, comprehendi in maiore numero 24000. qui in lib. Num. c. 25. v. 9. exprimitur.

℣. 10. EXTERMINATOR vocatur Angelus per quem exterminati sunt, (*h*) *Core, Dathan, Abiron*, & alij eorum complices Num. 14. & 16. inquit Anselm.

h *Sap. 18. v. 25.*

℣. 11.

Vasquez in 1.2 tom. 1. d.10. disp. 14. c.6.

¥. 11. IN FIGVRA, seu typo pœnarum nobis A imminentium, si similiter peccemus. Vel; vt Vatablus & Vasquez, in exemplum nobis, IN QVOS FINES SÆCVLORVM DEVENERVNT] id est, qui extrema hac mundi ætate viuimus, nempe vt extarent exempla posteris suppliciorum quæ Deus peccantibus infligit.

¥. 13. TENTATIO VOS NON APPREHENDAT (ita legendum: non verò, *apprehendit*, vt habent Græca, Chrysost. & Syrus,) NISI HVMANA] id est, subrepentem tentationem ne ita foueatis, vt fiat quasi insuperabilis: nam vt humanas & leues tentationes numquam sentiatis, omninò impossibile

Gregor. p. 1. Pastoral. c.11. est. *Dæmoniacum* est, (ait S. Gregor. & Anselmus,) maligna tentatione vinci, & ex malitia peccare: *angelicum*, nullam sentire tentationem: *humanum*, sentire, & vincere.

NON PATIETVR DEVS VOS TENTARI SVPRA ID QVOD POTESTIS] seu supra vires. Vnde contra Lutherum & Caluinum infero; Primò, si non permittit, ergo multò minùs præcipit impossibilia: multò minùs intendit lapsum in peccata: multò minus impellit ad peccandum. Infero Secundò, nullam esse tentationem tantam, quin Dei gratiâ vinci possit: & hanc gratiam non solis electis, sed omnibus Deum inuocantibus paratam esse, vt

Trid. sess. 24 can. 9. & sess. 6. c. 11. Tridentinum definit.

SED FACIET ETIAM CVM TENTATIONE PROVENTVM; Græcè, ἔκβασιν, id est, *euasionem*, supple, felicem & glorioſam, quasi v.g. miles à prælio vel duello euadit victor, fortior & glorioſior. ita Photius & alij Græci. VT POSSITIS postea multò plura, maiori fructu & gloria SVSTINERE] Resistendo enim tentationibus per contrarios virtutum actus, intenduntur & augentur habitus earumdem virtutum; & sic homo magis corroboratur ad alia etiam grauiora superanda.

C ¥. 16. CALIX BENEDICTIONIS, id est, benedictus, (a) seu consecratus à Christianis sacerdotibus, NONNE COMMVNICATIO SANGVINIS CHRISTI EST? id est, nónne communicat & distribuit sumentibus, ipsum sanguinem Christi? ET PANIS QVEM in altari FRANGIMVS, id est, offerimus Deo, & oblatum distribuimus populo, NONNE PARTICIPATIO CORPORIS DOMINI EST?] id est, nónne sumentes, participes facit veri corporis Christi? Hinc, vt & ex cap. seq. clarissimum testimonium habes, Apostolos consecrasse, & consecratum corpus Christi fidelibus communicasse, id est, Missam fecisse. Nam quòd Paulus Eucharistiam hîc, etiam post consecrationem; vocet adhuc *panem*, facit more Hebræo, quo quiuis cibus vocatur *panis*. (b) Et quia in Eucharistia, propter remanentes species *panis*, videtur adhuc esse *panis*, licèt reuera non sit amplius. ita Theodoret. Theophyl. Anselmus & passim Scholastici. Quorsum hæc de Eucharistia hîc proferat Paulus, docet v. 20. & nos ibi applicabimus.

a Matth. 16 v. 26.

b 4. Reg. 6. v. 22. & 23 & Ioan. 6. v. 31. & 41.

¥. 17. QVONIAM verò VNVS est PANIS, de quo omnes PARTICIPAMVS, hinc per illius vnius sumptionem OMNES quantumcumq; MVLTI, efficimur & SVMVS VNVM CORPVS Christi: vnũ, inquam, tum cum Christo (nam alimentum coalescit cum alito:) tum inter nos mutuò: nam quæ sunt eadem vni tertio, sunt etiam inter se eadem. ita S. Irenæus, Hilarius, vterq; Cyrill. Chrysost. & alij Patres.

Iren. l. 4. c. 34. Hilar. de Trin. l. 8. Cyrill. Alexandrinus l. 4. in Ioan. c. 17. Cyrill. Hierosolymit. catechis. 4.

¥. 18. VIDETE & considerate ISRAEL SECVNDVM CARNEM, id est, Israelitas carnales, seu Iudæos modernos, quando HOSTIAS in tẽplo oblatas EDVNT, NONNE PARTICIPES SVNT sacrificij in *altari* oblati? Nempe sic & vos quando idolothyta in idolio (c) comeditis, eo ipso participatis & communicatis sacrificio idolis oblato: nam absumptio victimæ est quasi consummatio sacrificij. Non quòd velim dicere,

c 1. Cor. 8. v. 10.

¥. 19. QVOD IMMOLATVM IDOLIS SIT ALIQVID in se, seu sacrum, seu pollutum. Imò asserо, vt suprà, (d) idola nihil esse formaliter, materialiter solùm mutа esse dæmonum simulacra.

d Ibid. v. 4.

¥. 20. SED quia QVÆ IMMOLANT GENTES, DÆMONIIS IMMOLANT, seu sacrificant; ideo NOLO VOS de idolothytis in idolio manducare, ne participetis & communicetis sacrificio idolis oblato: qui enim de victimis comedit, participat de sacrificio: sicut cùm de hostia Eucharistica comeditis, participes estis sacrificij Eucharistici. Et verò quàm indignum est, participantes MENSÆ DOMINI, (id est, altaris, seu Eucharistiæ oblatæ Deo in altari,, & fidelibus porrectæ ex altari, in quo Deus quasi in mensa sua nobiscum conuiuatur:) participare velle etiam MENSÆ DÆMONIORVM, & his quasi dominis & dijs suis *sociari* & subiici? Sed NON POTESTIS Deo simul & dæmonio sacrificare vel seruire. (e) ita S. Cypr. Augustin. Chrysost. Anselm.

e Matth. 6. v. 24. Cypr. serm. de lapsis. August. l. 1. cont. aduersarium legis c. 19. tom. 6. Chrysost. in moral.

¥. 22. AN ÆMVLAMVR DOMINVM] Græcè, παραζηλοῦμεν, id est, ad zelum & iram prouocare audemus? nempe, vt relicto hero, patre, sponso nostro, adhæreſcamus dæmoni, iurato hosti illius & nostro.

¥. 24. NEMO QVOD SVVM solius EST, QVÆRAT] neque ita captet propria commoda, vt incommodum alijs creet. careat potiùs ex esu idolothytorum colligi solitis cupediis, quàm vt alios offendat hâc via. Non quòd omninò vetem esum omnem idolothytorum. Nam

C ¥. 25. OMNE genus carnium, QVOD IN MACELLO VÆNIT, seu venale prostat, etsi idolis antea immolatum, liberè coëmite & MANDVCATE, nullâ præmissâ interrogatione, an idolis immolatum sit, necne. Idem dico,

¥. 27. SI QVIS INFIDELIVM VOCET VOS ad epulum domesticum. Nam solitos Gentiles etiam domum suam deferre; & sacerdotes etiam ad macellum suo lucro diuendendas mittere carnes idolis immolatas, constat ex Herodoto, Eusebio & S. Augustino.

Herod. in Clio. August. in Rom. 7. Euseb. l. 5. hist. c. 24. & 29.

D ¥. 28. SI QVIS AVTEM conuiuarum, seu fidelium, seu infidelium, DIXERIT vobis vel alteri, HOC IMMOLATVM EST IDOLIS, vt te vel arceat quasi ab illicitis, vel trahat quasi ad illicita; eo casu NOLITE EX iis MANDVCARE: idque ne lædas CONSCIENTIAM eius QVI tibi id INDICAVIT; vel aliorum assidentium, qui cùm nesciant id tibi licere, scandalizarentur si viderent te comedentem. Alioqui si absit omne scandalum, licet vesci idolothytis, etiam indicatis & cognitis. sed cum scandalo, non licet.

¥. 29. VT QVID ENIM LIBERTAS MEA IVDICATVR AB ALIENA CONSCIENTIA?] Id est, cur & cui bono vtar iure & libertate mea cum offensione alterius, vt *iudicer*, id est, damner ab illius infirma conscientia? q.d. Nullo modo id faciendum, inquit Anselmus.

¥. 30. SI EGO non nisi CVM GRATIA, seu gratuito beneficio libertatis Euangelicæ, & grata erga Deum animi recognitione PARTICIPO (dum se dat occasio,) vel participare possum de idolothytis; non debeo vlla ratione committere, vt PRO EO

blaspho-

blasphemer ab infirmis, quasi idolólatra fiam : tunc enim abuterer concessa à Deo libertate ; nec gratias illi agerem, sed grauiter offenderem ; nec gloriæ ipsius consulerem, sed illam blasphemiis & maledictis aliorum exponerem,

¥. 31. OMNIA QVÆ FACITIS, ita FACITE, vt cedant non in ignominiam, sed IN GLORIAM DEI, neque in destructionem, sed in ædificationem proximi, inquit Ambrosius, Anselmus, Caiet.

¥. 32. SINE OFFENSIONE ESTOTE, id est, nolite causam offensionis dare, seu IVDÆIS seu GENTIBVS necdum conuersis seu ECCLESIÆ DEI] id est, iam ad Christum conuersis.

¥. 33. SICVT ET EGO PER OMNIA OMNIBVS PLACEO] id est, placere studeo, (a) satagens omnes ædificare ; neminem iustè offendere, neminem scandalizare.

a *Proleg. de Idiotismis Hebr n.* 56.

CAPVT XI.

Pluribus rationibus probat, velandas in Ecclesia mulieres. Deinde docet qua ratione S. Eucharistia (cuius à Christo institutionem enarrat,) dignè decenterq; sumenda sit.

¥. 3. OMNIS VIRI CAPVT, id est, dominus superior, rector, EST solus CHRISTVS: MVLIERIS AVTEM CAPVT est etiam VIR] Cùm ergo mulier sit subiecta viro quasi capiti & domino suo, in signum huius subiectionis velari debet : velamen enim symbolum est subiectionis, vt infrà dicetur. (b) Vir autem velari non debet, quia naturâ suâ nemini in terris subiectus est. Reformat S. Paulus vitium quod apud Corinthios deturpabat vtrumque sexum : nam viri ex antiquissimo ritu, ab *Æneæ* inducto, si Plutarcho & Seruio credimus, velato capite diis suis sacrificabant : feminæ verò, vt amasios allicerent, detecto vultu patentibus oculis, expansis capillis formam suam publicè ostentabant. Et hunc patrium morem volebant etiam Christiani Corinthij, quasi magis decentem, vsurpare ac conseruare, etiam in publicis conuentibus. Sed Paulus se opponit.

b *Hic v.* 10.

¥. 4. OMNIS VIR in publico ORANS AVT PROPHETANS, id est, prophetiam explicans, vel quiduis aliud dè S. Scriptura, Psalmis, aut Hymnis prælegens vel decantans, (c) VELATO CAPITE, DETVRPAT, id est, dedecore afficit, CAPVT SVVM] quia dignitate præcellentiæ suæ videtur se velle priuare, & se alteri subiectum fateri, & coram præsentibus erubescere, vt Tertullianus ait. Loquitur Apostolus secundùm opinionem tunc in Ecclesia receptam. Nam hodie contrario ritu signum esset subiectionis si quis in publico verba faciens, aperto capite loqueretur.

c *1. Reg 10. v. 10 & 1. Par. 25. v. 1 & Prolegom. de Idiotis. Hebr n. 11. Tertull. in Apolog. c. 30*

¥. 5. OMNIS AVTEM MVLIER in publico ORANS AVT PROPHETANS (nam præeuntibus viris, etiam mulieres concinebant sacros hymnos & psalmos :) si id faciat NON VELATO CAPITE, DETVRPAT CAPVT SVVM, quia facit contra naturalem honestatem & verecundiam illi inditam à Deo : & videri vult non subiecta, cùm subiaceat viro. VNVM ENIM, seu perinde, & æquè turpe illi hoc EST, AC SI DECALVETVR.

¥. 6. SI NON VELATVR, TONDEATVR ; Græcè, *etiam* tondeatur : neque enim maior tunc, sed solùm par turpitudo illi erit. Petunt Nouantes : Cur ergo Religiosæ tondentur in monasterijs? Respondeo, Vt ostendãt, se non esse iam sub potestate viri : seque omnem sæculi ornatum deponere, & vni deinceps Christo placere velle, inquit S. Hieronym. Sed pro coma habent sacrum velum, quo sat velantur. At Concilium Gangrense vetat, religionis prætextu virgines tondere. Respondeo, Non Religiosis, sed sæcularibus feminis id vetat, quæ resecta coma virilem habitum assumebant, vt Sozomenus & alij apud Baronium testantur.

Hieron. epist. 48. ad Sabinianum

Conc. Gangr. can. 17

Sozom. l. 3. c. 13.

Baron. a. 80 Christi 390.

¥. 7. VIR EST IMAGO ET GLORIA, (d) id est, glorioſa imago, solius DEI, in qua maximè relucet Dei gloria, maiestas & imperium : est enim vir in supremo rerum statu constitutus in hoc mundo, velut vicarius Dei, imò velut secundarius aliquis Deus dominans omnibus alijs creaturis. MVLIER AVTEM etiam GLORIA EST VIRI] id est, ad viri gloriam ex viro procreata, velut imago ipsius. Vnde sequitur, velandam mulierem, non autem virum, quia gloria Dei reuelanda ac manifestanda est, gloria hominis occultanda.

d *Proleg. sup. n.* 41.

¥. 10. IDEO DEBET MVLIER SVPRA CAPVT suum HABERE POTESTATEM, id est, signum seu symbolum potestatis (e) viri in mulierem, purà velamen, quod testimonium & *insigne* est subiectionis mulierum, vt vocat S. Chrysost. Sicut enim caput nudum & liberum, potestatis indicium est & dominij ; ita caput velatum, signum est potestatis constrictæ & alteri astrictæ & subiectæ. Et ab hoc velamine dicuntur *nubere* mulieres, id est, caput obnubere, seu velare cùm in viri potestatem transeunt. Contrà in viro *pileus* iam ab antiquo, liberæ conditionis insigne fuit, teste Liuio. Vnde, *ad pileum vocare*, est ad libertatem prouocare. Iubet verò Paulus velari mulieres in ecclesia PROPTER ANGELOS vbique assistentes, pudoris aut impudentiæ ipsarum testes & accusatores, inquit S. Chrysost. Theophyl. Theodoret. Anselmus & S. Thomas : qui duo posteriores cum S. Ambrosio per *angelos* etiam sacerdotes & Episcopos (ex Apocalyp. 2. & aliis Scripturæ locis,) Clemens Alexandrinus quosuis viros bonos intelligit : nempe, ne non velatæ mulieres sua forma & lubricitate, eos ad turpia prouocent. Vnde idem Clemens vult hic præcipi, vt non solùm caput seu verticem, sed & frontem, oculos, totumque vultum velamine obumbrent, vt videmus honestiores etiamnum in templis facere, & faciendum monent Tertull. & Cyprianus.

e *Gen. 3. v. 16.*

Liuius in fin. l. 45.

Clem. l. Pædagogi c. 10. & l. Hypotyp.

Tertull. & Cypr. libris de Velandis virginibus.

¥. 11. VERVMTAMEN hæc quæ dixi de subiectione mulieris erga virum, nolim præiudicare charitati & obseruantiæ quàm viri debent mulieribus : nam sicut MVLIER *non* prodijt in mundum SINE VIRO, ita NEQVE VIR SINE MVLIERE nascitur, IN DOMINO] id est, Deo sic volente ac disponente, vt explicat v. sequenti.

¥. 14. NEC IPSA NATVRA DOCET VOS. supple, quod præcedit, nempe decere mulierem non velatam orare, sed potiùs eius contrarium. Græca, Syriaca, & quædam Latina clariùs per interrogationem hæc legunt, *Nonne ipsa natura docet vos*, QVOD VIR SI COMAM longam & promissam, more mulierum, NVTRIAT, IGNOMINIA EST ILLI?] quia mollis & effeminati animi argumẽtum est. Non insinuat Paulus, præceptum esse, vel obligationem naturalem, sed solùm quid natura dictet honestum, & decens esse ; & hoc vult à Corinthiis obseruari.

¥. 16. SI QVIS AVTEM VIDETVR CONTENTIOSVS ESSE ; Græcè, φιλόνεικος, id est, victoriam ex contentione venari velle, quasi expediat potiùs, exemplo aliarum plurium nationum, viros comam alere, & mulieres caput non velare, nolim

cum

cum eiusmodi contentioso pertinaciùs rixari. Et A

a Teste Homero, qui passim illos vocat crinitos.

verò Galli olim, & prisci Romani, & Lacedæmones, quin & ipsi Achæi (*a*) (quorum metropolis (*b*) est *Corinthus*) comam alebant, teste Plinio, qui addit, primos tonsores anno demum conditæ Vrbis 454. è Sicilia in Italiam adueniſſe. Sed quidquid sit de alijs, NOS, inquit Paulus, TALEM CONSVETVDINEM NON HABEMVS, NEQVE ECCLESIA DEI] Sed neque Iudææ mulieres, neque Troianæ, neque Romanæ, neque Lacænæ, neque Arabes, detecto vultu procedebant in publicum, testibus Tertulliano, Clemente Alexand. & Valer. Maximo, qui addit, C Sulpitium vxorem ideò repudiasse, quòd eam aperto capite foris versatam audisset.

b Præfat. in Epistolam ad Corinth. Plin. l. 7. c. 59. Tertull. de Corona militis c. 4. & de velandis virginib. c. 2. 17. &c. Clem. l. 2. Pædagogi c. 10. Valer. Max l. 6. c. 3.

¥. 17. HOC AVTEM quod de velandis mulieribus dixi, ita vobis PRÆCIPIO, vt interim NON *laudem* vos in eo quod sequitur, nempe, QVOD cum IN ECCLESIAM *conuenitis*, NON IN MELIVS, SED IN DETERIVS, id est, non ad vtilitatem & B fructum spiritualem percipiendum CONVENITIS] sed ex vestris conuentibus damnum potiùs ac detrimentum procreatur.

¥. 19. OPORTET HÆRESES ESSE, necessitate non absoluta, sed ex hypothesi, spectata nimirum humana infirmitate, inconstantia, superbia, & pronitate in nouitates, quali laborabant Corinthij. ita S. Ambrosius, Chrysostomus, Caietanus. *Hæreses*, inquam, seu schismata & dissensiones animorum, non modò in fide, sed & in moribus, (vt erant Corinthij in sumptione cœnæ Eucharisticæ, quoad locum, tempus, socios seu conuiuas, &c.) VT QVI SVNT PROBATI, id est, probi, firmi, solidi, reliquis etiam MANIFESTI FIANT] v.g. pauperes Corinthij, dum à diuitibus excluduntur vel contemnuntur, probantur constantes & patientes esse si id æquanimiter ferant. ita S. Chrysostomus cum suis. C

¥. 20. IAM NON EST DOMINICAM, vt decebat, sed Bacchicam vel Martialem COENAM MANDVCARE.

¥. 21. VNVSQVISQVE ENIM ditiorum COENAM SVAM PRÆSVMIT] id est, sumit ante synaxim, seu distributionem S. Eucharistiæ, pauperibus vel exclusis, vel certè non exspectatis. In primitiua enim Ecclesia ad imitationem cœnæ Christi, solebant ditiores, vel certè præfecti Ecclesiæ, subinde ante, subinde post S. Communionem, epulum in Ecclesia instruere commune tam pauperibus quàm diuitibus, idque in symbolum mutuæ charitatis: vnde & *Agapæ*, id est dilectio, vocabatur. Iam abusus irrepserat, vt diuites priuatim & lautè, & non rarò ad ebrietatem vsque cœnarent, pauperesque excluderent, vel saltem non exspectarent. quod hîc reprehendit & reformat D Apostolus. ita Tertull. Chrysost. & alij apud Baronium. Et ob similes abusus Conc. Laodicenum can. 28. Agapes (quæ teste Sozomeno, ipsius adhuc tempore, saltem in Ægypto continuabantur) in Ecclesijs vetuit instituí.

Tertull. Apologetici c. 39. Chrysost. in mouri sub finit hom. 27 Sozom l. 7. hist c. 19.

¥. 22. NVMQVID DOMOS NON HABETIS AD MANDVCANDVM, vt, si cœnam velitis non communem, sed priuatam, domi illam instituatis, vbi sine iniuria & contemptu pauperum solos diuites excipiatis? AVT ECCLESIAM DEI] Id est, cœtum fidelium, vel, si mauis, locum cœtui colligendo destinatum: hic enim moderatæ refectioni, & Christianæ charitati fouendæ deseruire debet, non crapulæ vel ebrietati.

¥. 25. HIC CALIX EST NOVVM TESTAMENTVM] id est, instrumentum authenticum & quasi charta, in qua (non atramento, sed sanguine meo) conscriptum & consignatum est nouum testamentum, seu fœdus vobiscum initum, & vltima mea voluntas, quâ vobis (si legi meæ pareatis) lego non iam terrenam (vt per vetus testamentum,) sed cœlestem hæreditatem. Reliqua huc spectantia, alibi (*c*) explicui.

c Matt. 26 & Luc. 22

Hîc solùm contra hæreticos Nota, etiam voculam *testamenti* innuere, confectionem Eucharistiæ esse verum sacrificium. Sanguis enim quo testamenta seu fœdera sanciebantur, erat sanguis victimarum in sacrificio oblatarum, vt dixi Exodi 24. v. 8.

Dices, Nostra, seu quæ à nobis conficitur Eucharistia, vocatur hìc *commemoratio* sacrificij crucis Christi: ergo non est sacrificium. Respondeo, nego sequelam: nam potest vnum idemque simul esse sacrificium & commemoratio sacrificij, vt patet in sacrificijs veteris legis, v.g in agno paschali, agno matutino & vespertino, (*d*) qui quotidie immolabatur, & tot alijs cruentis victimis, quæ erant propriè dicta sacrificia, & tamen repræsentabant sacrificium crucis Christi olim offerendum. Ergo pari modo nostra Eucharistia, etsi repræsentet ac commemoret idem sacrificium crucis Christi iam oblatum & cruentè peractum, est nihilominus in se verum ac proprie dictum sacrificium, sed incruentum. ita SS. Patres & DD. quos vide apud Coccium, Suarez & Bellarminum.

d Exod. 29. v. 38. & Num. 28.

Isidor. Coccius in Thesauro. Suarez de Sacrif. Eucharist. Bellar. l. 1. de Missa c. 6 & 11. &c.

¥. 26. QVOTIESCVMQVE ENIM MANDVCABITIS PANEM HVNC Eucharisticum, MORTEM DOMINI ANNVNTIABITIS] tum verbo, reuocantes illam in memoriam, vt vertit Syrus (& hoc fit in Canone Missæ dum dicitur: *Vnde & nos memores tam beatæ passionis*, &c.) tum potiùs facto ipso, nempe ritibus Missæ & cæremonijs mortem Domini repræsentantibus. ita Ambros. Theophylact. Anselmus Idque facietis DONEC VENIAT Christus glorioſus ad iudicium vniuersale, Vnde S. Hippolytus, Chrysost. & alij Patres docent, Eucharistiæ sacrificium perpetuò duraturum in mundo vsque ad secundum Christi aduentum. Impedit quidē Antichristus ne publicè celebretur, (*e*) sed impedire non poterit ne priuatim id fiat in locis occultis.

e Dan. 12. v. 11.

¥. 27. QVI INDIGNE MANDVCAVERIT REVS ERIT CORPORIS ET SANGVINIS DOMINI violati, & indignè sumpti ac tractati, vt (proportione quadam) à Iuda & Iudæis tractatum fuit, inquit Photius, Chrysost. S. Basilius & Ambrosius, qui addit, *hoc peccato conculcari corpus Domini.*

Basil ser. 2. de Baptismo c. 3. Ambros. in c. 10. ad Hebræos.

¥. 28. PROBET AVTEM, id est, examinet, SEIPSVM HOMO, seu vnusquisque, an dignè sit dispositus ad tanta mysteria. Et si quid deprehenderit quod impediat, putà peccatum aliquod mortale, expellat illud & expurget, non sola contritione, sed insuper etiam confessione sacramentali. Hanc enim ex Christi institutione, (& consequenter iure diuino) S. Paulum hîc requirere pro peccatis mortalibus docet Tridentinum, & tot ante Tridentinum sæculis S. Cyprian. Chrysost. Ambros. Leo & alij Patres.

Trid. sess. 13. can. 7. Cypr. serm. de Lapsis. Leo epist. 91 ad Theodor. Florentin. Instit. in orat. ad Antonium Pium Imper.

¥. 29. QVI ENIM MANDVCAT INDIGNE, IVDICIVM, id est, condemnationem (inquit Chrysost.) SIBI MANDVCAT, NON DIIVDICANS, id est, non discernens, CORPVS DOMINI ab alijs cibis profanis, communibus & indifferentibus. ita Photius, Anselmus, & alij. *Neque enim* (vt ait S. Iustinus) *Eucharistiam vt communem cibum sumimus, sed creditimus,*

credimus,quòd,sicuti per verbum Dei, Dei Filius factus est homo,ita per verba consecrationis in Eucharistia fiat & sit caro & sanguis Christi.

℣. 30. IDEO, quia indignè sumitis, v. g. ebrij, superbi, contemptores pauperum, (*a*) &c. MVLTI sunt INFIRMI INTER VOS, ET præmaturè DORMIVNT, id est, moriuntur, MVLTI, inquit Chrysost. & Anselmus. Multos multis alijs pœnis ob id multatos docent varijs exemplis S. Cyprian. Chrysost. & Anselmus: qui addit, id à Paschate maximè deprehendi, cùm ob indignè sumptum corpus Domini vidimus varios varijs morbis præter solitum affligi, subinde & extingui. In quo elucet quoque diuina misericordia, & cura de nobis:

a Hic v.20 21. &c.

Cypr supr. Chrysost. in 1.Tim.ho.5.

℣. 32. DVM enim in præsenti vita per morbos vel mortem IVDICAMVR, id est, punimur, hac via CORRIPIMVR A DOMINO, sicut filij à patre, vt tali castigatione resipiscamus & pœnitea- B mus de data causa, vt non damnemur æternùm CVM HOC MVNDO] id est, cum infidelibus & alijs obstinatis peccatoribus huius mundi. Possetne quis pro veritate corporis Christi in Eucharistia vel certiora argumenta, vel clariora verba deposcere, quàm S. Paulus hoc capite nobis suppeditet? Quid, quæso, traditum pro nobis in cruce? nónne verum corpus Christi? Quomodo teneor discernere hîc corpus Christi à vulgari pane, si hîc non verum adest corpus Christi, sed tantùm panis vulgaris? Quomodo reus ero corporis Christi indignè sumpti, si non corpus, sed solam figuram corporis indignè sumam? Quid opus tanta probatione vt frustulum vulgaris panis sumam vel haustum vini? Quare denique iudicium mihi manduco, morbis vel morte punior, ob sumptum indignè hunc panem vel vinum, potiùs quàm ob sumptum indignè panem vel vinum mensæ meæ, quæ & ipsa possum sumere in commemorationem mortis Christi? Nam quod Caluinus ait, ideo me reum fieri corporis Domini, C quòd illud indignè tractem non in se, sed in sua imagine ac figura; non credo ex animi sententia, sed ioci causà ab illo dictum: nam vt fileam, id nullo modo sufficere, (vt patet ex indignè sumptis olim victimis legalibus, quæ longè clariores erant figuræ & imagines Christi,) suomet Caluinum iugulabo gladio: nam mox inferam, pari modo Caluinum eiusque sequaces iconoclastas reos esse violati corporis Christi, quoties alias Christi imagines violant, temerant, contemnunt. Atque ita *incidet in Scyllam, cupiens vitare Charybdim.*

CAPVT XII.

Gratias gratis datas, (de quibus Corinthij alij mirè se iactabant, alij quòd eas carerent valdè dolebant,) docet variè variàs à Spiritu sancto distribui, & quemlibet in Ecclesia debere suo gradu & gratia contentum viuere, & commune bonum promouere, & vt decet membra vnius corporis, sibi inuicem auxilio ac solatio esse.

℣. 1. SPIRITVALIA vocat dona & gratias Spiritus sancti, tam gratis datas, de quibus hoc cap. quàm gratis facientes, de quibus aget duobus capp. seqq. Hæc non accipiebatis ab idolis olim vestris,

℣. 2. CVM AD illorum MVLTA SIMVLACRA EVNTES DVCEBAMINI] Hebraismo (*b*) enim ponitur participium pro verbo, *euntes* pro *ibatis*. Hinc cùm varijs linguis loquimini, vel alia dona gratuitò accepta profertis, scitote, illa non à mutis idolis, sed à viuo & vero Spiritu Dei vobis obtigisse. Sed & hoc scitote,

b Prolog. de Idiotismis Hebr.n.4.

℣. 3. QVOD NEMO IN SPIRITV, seu præditus Spiritu DEI, DICIT ANATHEMA IESV] id est, maledicit & execratur Iesum, vt faciunt Iudæi & Gentiles, & ad idem faciendùm vos non tarò inuitant, aut etiam minis & tormentis compellunt, (& nominatim se compulisse fatetur Plinius.) Et quia *Plin. lib* frequens eiusce rei periculum est Corinthi, ideo *ep.ſt. ad* vos monitos volui, non esse quòd de donis Spiritus *Traianum.* sancti glorietur, quicumque, seu promissis, seu minis induci se finit, vt publicè vel clam abneget Christum vel solo ore. Secundò, etiam constantes in fide moneo, non esse quòd de eo se iactent, cùm id ex se non habeant, (*c*) sed à Spiritu sancto. NEMO *c 2.Cor.4.* enim POTEST DICERE, DOMINVS IESVS, id est, *v 7.* agnoscere, inuocare (vti oportet, seu proficuè ad salutem,) profiteri, vel prædicare Iesum esse Dominum suum, Messiam & Dei Filium, NISI IN SPIRITV SANCTO, id est, per gratiam Spiritus sancti.

℣. 6. DIVISIONES OPERATIONVM SVNT] Id est, diuersis donatæ sunt diuersæ gratiæ, seu facultates, operandi & patrandi diuersa genera miraculorum, quæ v. 10. recenset.

℣. 7. MANIFESTATIO AVTEM SPIRITVS, id est, donum Spiritus sancti (per quod tamquam per effectum & signum manifestatur Spiritus sanctus) DATVR VNICVIQVE non ad captandam sibi vanam gloriam, sed ad manifestandam promouendamque gloriam Dei: item AD VTILITATEM cùm propriam, tum reipublicæ & totius Ecclesiæ.

℣. 8. ALII DATVR SERMO SAPIENTIÆ: id est, facultas explicandi sapientiam, seu altissima mysteria, putà SS. Trinitatis, incarnationis, iustificationis, prædestinationis, &c. ALII SERMO SCIENTIÆ] id est, facultas explicandi res naturales & morales, ad humanam ciuilemque vitam rectè componendam, inquit S. Augustinus.

Augustl.11 de Trinit. c.14. & 15

℣. 9. ALTERI FIDES, non præcisè Theologica (nam hæc supponitur iam inesse,) sed excellens illa, quæ vocatur *fides miraculorum.* (*d*) ALII GRATIA SANITATVM] seu donum curandi languores & ægritudines corporales.

d Infrà 6 seq. v.6.

℣. 10. ALII OPERATIO VIRTVTVM, id est, potentium miraculorum, seu celebriorum & insperatorum, v.g. mortuos suscitandi, &c. ALII PROPHETIA: id est, donum futura prædicendi simul & obscuras Prophetarum scripturas enodandi. ALII DISCRETIO SPIRITVVM: id est, facultas discernendi cogitationes, affectiones, intentiones cordis, an à natura sint, an verò à spiritu diuino, angelico, diabolico. ALII GENERA LINGVARVM: id est, donum loquendi varijs ac peregrinis linguis. ALII INTERPRETATIO SERMONVM & linguarum obscuriorum & intellectu difficiliorum.

℣. 12. SICVT CORPVS nostrum naturale, etsi D VNVM, MVLTA tamen HABET MEMBRA; ITA ET CHRISTVS vnum est corpus, in & cum membris suis, quæ valdè multa & varia sunt. ita S. Chrysost.

℣. 13. IN VNVM CORPVS Christi mysticum, quod est Ecclesia, BAPTIZATI, seu per baptismum insiti SVMVS & incorporati. ET OMNES IN VNO SPIRITV POTATI SVMVS, cùm ex calice Eucharistico vnum omnes spiritum cum sanguine Christi hausimus. Vnde Græca quædam habent, πάντες ἑνὶ πόματι ἐπιόμεθα, id est, *omnes vno potu potati sumus.* Et ita legit Clemens Alexandr. q.d. Non *Clem. l.1.* solùm in vnum Christi corpus nati per baptismum *Pædagog.* & incorporati sumus, sed insuper etiam eodem ali- *c.6.* mento omnes alimur, putà carne & sanguine Christi in Eucharistia. ita S. Chrysost. & Caietanus.

℣. 12.

℣. 22. QVÆ VIDENTVR INFIRMIORA ESSE MEMBRA, venter, stomachus, &c. NECESSARIORA SVNT.

℣. 23. ET QVÆ PVTAMVS IGNOBILIORA, imò INHONESTA ac verenda, ABVNDANTIOREM HONESTATEM habent, id est, multò honestiùs vestiuntur, ac diligentiùs custodiuntur, q. d. Ita & in Ecclesia, qui infirmi ac contemptibiles videntur, v. g. pauperes, ægri, indocti, &c. maiori cura fouendi sunt, quia subinde plus prosunt Ecclesiæ, inquit S. Chrysost. vnde & velim illos vobis quoque ô Corinthij, magis cordi & curæ esse.

Chrysost. in morali hom. 30.

℣. 27. VOS ESTIS Christi MEMBRA DE MEMBRO] Græcè, ἐκ μέρους, id est, ex parte: id est, estis membra partialia, compartes, confratres, in vno eodemque magno corpore mystico Christi, seu in Ecclesia, inquit idem Chrysost. B

℣. 28. DEVS IN ECCLESIA POSVIT singula membra eo ordine quo ipsi placuit: PRIMVM & quasi pro capite posuit non sæculares principes, vt vult Brentius, Anglocaluinistæ & Arminiani: (nam principes, seu *gubernantes*, septimo demum loco ponuntur:) sed APOSTOLOS & Apostolorum successores Episcopos: SECVNDÒ PROPHETAS, qui sunt quasi oculi occulta detegentes, & futura præuidentes: TERTIÒ DOCTORES, qui vice linguæ: Quartò, VIRTVTES, id est, miraculorum operatores, qui Ecclesiæ pro manibus sunt, vti & Quintò, GRATIAS CVRATIONVM, id est, curatores morborum; & Sextò, OPITVLATIONES, id est, qui per opera misericordiæ, seu corporalia, seu spiritualia, proximis opitulantur: Septimò, GVBERNATIONES, id est, qui regimini præsunt: Octauò, GENERA LINGVARVM: id est, peritos variorum idiomatum: Nonò, INTERPRETATIONES, id est, interpretes, SERMONVM obscuriorum, vt suprà.(a) Passim enim hîc per hebraismum, (b) abstracta pro concretis ponuntur. C

a Hîc v. 10.
b Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 47.

℣. 31. ÆMVLAMINI AVTEM (quandoquidem alij alijs præcellere contenditis in donis Spiritus sancti) CHARISMATA MELIORA, nobiliora, vobisque & Ecclesiæ vtiliora, nempe charitatem Dei & proximi propter Deum. Hæc *excellentissima via* est ad Deum, ad sanctitatem, ad gloriam æternam. ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius.

CAPVT XIII.

Docet inter omnia dona & gratias Spiritus sancti excellere charitatem, sine qua nullum donum prodesse potest. Mox charitatis conditiones & officia in proximos enarrat.

℣. 1. SI LINGVIS HOMINVM LOQVAR ET ANGELORVM] Id est, omni, seu humana, seu euangelica eloquētia, id est, disertissimè, elegantissimè, excellentissimè. Sic *facies angelica* (c) vocatur pulcherrima & augustissima, inquit Theodoretus & Theophylactus. D

c Esther 15 v. 16.

℣. 2. ET SI HABVERO FIDEM, non illam solùm Theologicam simplicem ac nudam, sed etiam OMNEM aliam, nempe illam quoque nobiliorem per quam fiunt miracula; ITA VT per eam, iuxta Christi promissa, (d) MONTES TRANSFERAM; si tamen CHARITATEM NON HABVERO, NIHIL SVM] id est, nullius pretij, æstimationis aut gratiæ sum in oculis Dei, & consequenter in rei veritate. Ex quo contra Nouantes patet, fidem separari posse à charitate: itemque solam fidem non iustificare.

d Matth. 17 v. 19.

℣. 3. SI TRADIDERO CORPVS MEVM VT ARDEAM vel exurar, verbi gratiâ, pro patria seruanda, vt Mutius Scævola: vel pro inani gloria, vt ille Peregrinus Luciani: vel etiam pro fide Christi curanda, sed odio erga proximum, vel alio mortaliter peccandi affectu reseruato; NIHIL MIHI PRODEST] ita Theodoretus, Anselmus, S. Thomas & Suarez.

Suarez 3. p. q. 69. disp. 29. sect. 2.

℣. 4. CHARITAS PATIENS EST & BENIGNA] Græcum χρηστεύεται, Ambrosius vertit, *iucunda est*, Significat autem comitatem & suauitatem morum, quæ opponitur asperitati, seu morositati. Habes hîc ex Apostolo sexdecim conditiones charitatis, seu officia in proximos. Et ferè sunt virtutes, quas ipsa charitas parit aut secum adducit.

NON ÆMVLATVR: id est, non laborat cacozeliâ vel inuidiâ. NON AGIT PERPERAM: id est, peruersè, procaciter, proteruè. Nam græcè est οὐ περπερεύεται, id est, non est procax aut proterua, qualis est amor carnalis procorum, amasiarum & meretricum, inquit S. Chrysostomus & Tertullianus. Sumpta est autē vox Græca περπερεύεται, & Latina *perperam*, à Perperis fratribus, ait Erasmus, qui & *Cecropes* sunt dicti, quorum procacia & peruersitas fabulis Poëtarum est nobilitata.

Tertull. de Patientia c. 12.

℣. 5. NON QVÆRIT QVÆ SVA SVNT, scilicet cum damno vel incommodo proximi. NON facilè IRRITATVR, vel ad iram concitatur. NON COGITAT, non parit, non molitur, MALVM cuiquam, nec vindictam petit aut excogitat.

℣. 6. NON GAVDET SVPER INIQVITATE, seu malo proximi, siue physicum illud sit, siue morale: sed CONGAVDET VERITATI, æquitati & bono proximi, perinde ac suo.

℣. 7. OMNIA SVFFERT] Græcè, στέγει, id est, fulcit, tolerat, sustinet, instar trabis vel tigni.

OMNIA CREDIT quæ credenda sunt: OMNIA speranda SPERAT, inquit Anselmus: vel etiam, vt Chrysostomus facilè alijs assentitur, non repugnat, non suspicatur fraudem, non contendit aut contradicit. OMNIA quantumcumque molesta SVSTINET, etiam prauos aliorum mores & morositatem, aliosque defectus.

℣. 8. CHARITAS NVMQVAM EXCIDIT, scilicet quantum ex se est: nam sponte sua numquam hominem deseret in hac vita, nisi priùs ab eo per mortale peccatum deseratur: in futura verò comitabitur hominem per totam æternitatem: cùm ferè reliqua dona & gratiæ tunc abolendæ sint: nam PROPHETÆ, vt nullius ibi ampliùs vsus, EVACVABVNTVR, pro obscura cognitione, succedente clara visione in verbo. LINGVÆ variæ, peregrinæ & ignotæ istic CESSABVNT. Neque enim agit hîc de vsu propriæ & consuetæ cælitibus linguæ, etiam corporalis, cuius vsus non cessabit in cælo, vt docent S. Bernardus, Salmeron, Cajetanus, Galatinus, Viguerius & Ioannes Salas. SCIENTIA DESTRVETVR] Græcè, γνῶσις; id est, cognitio, nempe qualis in hac vita habetur de Deo rebusque diuinis, scilicet obscura & ænigmatica (vt mox (e) explicabit,) id est, fides, & quæcumque scientia innititur fidei, v. g. scientia Theologica, quæ ex principiis fidei, certis quidem, sed obscuris, conclusiones obscuras deducit. In cælo enim erit alia specie Theologia, nempe ex clara visione & principijs euidentissimis euidentissima, inquit S. Chrysostomus cum suis, Caietanus, Molina, & Vasquez.

Bernard. in Meditat. c. 4 Galat. l. 12. de Arcan. c. 4. Viguer. in Institutionibus. Salas in 1. 2. q. 5. a. 5. tom. 2.
e Hic v. 12.
Vasquez & alij in 1. 2. q. 5.

℣. 9. EX PARTE ENIM tantùm, id est, imperfectè (nam v. seq. opponit ei *perfectum*) Syrus, *modicum*,

cum, COGNOSCIMVS ET PROPHETAMVS] neque enim nisi obscurè, putà sub integumento symbolorum & ænigmatum, diuina mysteria, etiam nobilioribus Prophetis reuelantur in hac vita.

℣. 10. CVM AVTEM adVENERIT status futuræ beatitudinis, vbi nihil QVOD non omni ex parte PERFECTVM EST, tunc EVACVABITVR QVOD EX PARTE EST] id est, abolenda est scientia imperfecta huius præsentis vitæ, quæ planè puerilis & infantilis est respectu cælestis scientiæ.

℣. 12. VIDEMVS NVNC Deum & diuina solùm PER SPECVLVM: id est, non directè vt in se sunt, sed per radios quasi reflexos, vt relucent in & ex creaturis. Græcum *δι' ἐσόπτρου* verti etiam posset, *per inspectorium*, q.d. E longinquo, obscurè, indistinctè, vt ea quæ per tubum opticum videmus.

a *Exodi* 33. *v.* 11. & *Num.* 12, *v.* 8.

TVNC AVTEM videbimus FACIE AD FACIEM, (*a*) id est, perfectè, clarè, distinctè, non per ænigmata vel similitudines, sed per suammet essentiam: SICVT ego iam à Deo COGNITVS SVM] scilicet in meamet essentia, & prout à parte rei sum, nempe clarissimè, distinctissimè, perfectissimè. Ex quibus omnibus patet, quòd

℣. 13. CHARITAS, quæ nobiscum in futura quoque vita permanebit, longè MAIOR & nobilior sit FIDE ET SPE (omnibusque gratiis gratis datis, quæ fidem & spem consequuntur:) nam hæc nobiscum non nisi NVNC in hac præsenti vita MANENT. Est ergo charitas virtutum omnium maxima, eminentissima & quasi regina, vt Scholastici fusè demonstrant.

Scholast. in 2. 2. de Charitate.

CAPVT XIV.

Deno linguarum præfert prophetiam. Deín normam tradit rectè vtendi gratiis gratis à Deo datis. Denique ordinem præscribit seruandum in sacris conuentibus: in quibus vetat mulieres loqui.

℣. 1. SECTAMINI; Græcè, *διώκετε*, id est, persequimini (vt solent venatores) CHARITATEM præ omnibus virtutibus. SPIRITALIA verò dona gratis dari solita, per me licet ÆMVLAMINI, & allequi conamini, sed duce charitate. Et inter omnia primo loco vobis commendo *prophetiam*, id est, donum explicandæ, docendæ & applicandæ sacræ Scripturæ, vel de diuinis rebus verba faciendi, (*b*) hymnos & psalmos in Dei laudem componendi & cantandi. (*c*) Nam etiam priscorum Prophetarum munus erat non tantùm futura prædicere, sed etiam docere populum, concionari, & laudes diuinas decantare. (*d*)

b *Hic v.* 3. & 25.

c *Hic v.* 26 & *Prolog. de Idiotism. Hebr. n.* 11.

d 1. *Reg.* 10. *v.* 5. & 6, 19. *v.* 20. & *Prolog. supr.*

℣. 2. QVI ENIM LOQVITVR lingua multiplici, peregrina & ignota (quod quia nouum & mirificum videtur, vos adeò affectatis,) non multùm consulit publico bono: NON enim HOMINIBVS instruendis vel excitandis LOQVITVR, SED soli Deo laudando. NEMO ENIM non præditus simili dono, AVDIT, id est, intelligit sic loquentem: quia obscuro & plebi ignoto idiomate LOQVITVR MYSTERIA, SPIRITV sancto suggerente quidem, sed ad priuatum loquentis, non ad publicum audientium bonum. Vnde talis

℣. 4. ÆDIFICAT solùm SEMETIPSVM, & sibi vni prodest, dum eleuatur spiritu, & rapitur affectu in Deum. Sed non ÆDIFICAT aut instruit ECCLESIAM DEI, sicut is QVI PROPHETAT & concionatur lingua nota & vulgari.

℣. 5. VOLO quidem, id est, opto, velim, OMNES VOS LOQVI LINGVIS peregrinis omnis generis: sed longè MAGIS optem omnes PROPHETARE. NAM MAIOR, id est, potior & præstantior est, quia vtilior Ecclesiæ, QVI PROPHETAT, QVAM QVI LINGVIS ignotis LOQVITVR: NISI FORTE quod ignotis linguis locutus est, nota mox lingua INTERPRETETVR & populo exponat: & sic prophetare incipiat.

℣. 6. QVID VOBIS PRODERO ex cathedra vobiscum LOQVENS, NISI sic LOQVAR VT VOS instruam & doceam, seu per PROPHETIAM REVELATIONE acceptam, seu per vulgarem DOCTRINAM SCIENTIA & labore partam?

℣. 7. TAMEN] Græcè, *ὁμῶς*, id est, similiter, quin etiam, res inanimatæ testantur, nihil prodesse hominibus quod non intelligitur: nemo enim qui nescit quid tibiis, cithara vel tuba canatur, ad numerum saltare potest, aut bello sese accingere, &c.

℣. 10. NIHIL, id est, nullum genus linguarum, cuiuscumque demum nationis, SINE VOCE EST intelligibili ei qui linguam illam callet: sed ei qui non callet illam, vt fructum inde percipiat; non sufficit vocem audisse, nisi *norit* etiam VIRTVTEM, id est, vim, energiam & significationem VOCIS.

℣. 12. Vos igitur, QVONIAM professemini VOS ÆMVLATORES *esse* SPIRITVVM, id est, spiritualia dona studiosè affectare, QVÆRITE præ omnibus donum prophetiæ, VT EO ABVNDETIS & excellatis AD communem ECCLESIÆ ÆDIFICATIONEM & instructionem.

℣. 13. IDEO QVI LOQVITVR LINGVA dum in Ecclesia orat, nempe publica oratione, (*e*) quæ fiebat in Ecclesia, vno alta voce ceteris præcunte, vt reliqui docerentur orare, & vtilia à Deo deposcere. Qui ergo peregrina lingua alijs præorat, sic ORET, VT simul alijs INTERPRETETVR exponatque nota lingua quid oret.

e *Paul.* 14. *v. seq.*

℣. 14. NAM SI OREM publicè LINGVA solùm peregrina, SPIRITVS MEVS ORAT, id est, ego quidem oro Deum, & in animo meo fructum orationis meæ percipio: sed MENS MEA SINE FRVCTV EST] id est, intentio & scopus quem præcipuè intendere debeo in talibus publicis orationibus vel exhortationibus, scilicet instruere, monere, solari populum; non subsequitur orationem meam, quia nempe alij non instruuntur: sicut si quis apud rudem plebem Græcè vel latinè concionari vellet. ita Oecumen. & Theodoretus. Inferunt Nouantes, Ergo etiam sine fructu canuntur in Ecclesia laudes diuinæ linguâ Latinâ. Respondeo, Nego sequelam. Quia laudes illæ Primò, non diriguntur primariò ad plebis instructionem, sed ad gloriam & cultum Dei promouendum, quod, vt hic (*f*) docet Paulus, potest etiam peregrina lingua fieri, & fortè decentiùs lingua sacra, quàm profana: & vtilius lingua toti penè orbi aliquo modo intellecta, quàm vulgari lingua non nisi vni prouinciæ nota. Et sic *mens*, seu intentio Ecclesiæ in talibus, non est sine fructu, quia Deus pro decentia laudatur, honoratur & colitur; quod vnicum in his intendit. Vnde Secundò, quando diuinæ laudes latinè decantantur, non possunt dici decantati lingua peregrina quæ à nemine intelligatur: nam plurimi, seu incolæ, seu aduenæ, sunt illius periti, & intelligitur etiam à multis mulierculis. Neque hoc fit sine omni interpretatione, cùm quæ in templis decantantur, in vulgarem linguam translata in plurimis libellis extent, è quibus, quicumque volunt, interpretationem haurire possint. Secùs erat tempore S. Pauli,

f *v.* 2. 4. 14.

cum

cum publicæ, quæ tum fiebant, preces, primariò A fierent etiam ad populi (vt diximus) instructionem: sed à quibusdam, gloriolæ fortè studiosis, subinde instituebantur lingua non Latina vel Græca (quæ sat vulgares tunc erant,) sed peregrina & omnibus ignota: ex qua præter admirationem, nullus alius fructus populum consequebatur. Vide Bellarminum.

Bellarm. de verbo Dei, an lingua vulgari, &c.

℣. 15. QVID ERGO EST mihi faciendum, cùm in publicis conuentibus populo, vt me sequatur, præoro? Respondet, ORABO SPIRITV, id est, ita vt ego fructum orationis in animo meo percipiam: sed simul ORABO ET MENTE, id est, ita intentionem quoque meam & scopum assequar, scilicet vt etiam cæteri præsentes intelligant, instruantur, & præeuntem subsequantur. q.d. Orabo lingua omnibus nota.

℣. 16. Si enim BENEDIXERIS, seu Deum laudaris solo, SPIRITV, id est, lingua peregrina, ex B qua soli tuo spiritui, seu animo fructus subnascitur; is QVI SVPPLET; Græcè, *implet* vel occupat, LOCVM IDIOTÆ, seu qui est ex idiotis & rudibus, id est, plebs indocta, QVOMODO DICET, AMEN, & approbabit tuam orationem, si illam non intellexerit? ita S. Chrysostomus & Theophylactus.

℣. 19. IN ECCLESIA, seu publico cœtu dum versor, VOLO, id est, malo, QVINQVE, id est, pauciſſima, VERBA LOQVI SENSV MEO, id est, idiomate quo ab alijs sentiar & intelligar, QVAM DECEM MILLIA VERBORVM, id est, innumera, IN LINGVA alijs ignota.

℣. 20. NOLITE PVERI EFFICI SENSIBVS, id est, mente, iudicio & ratione, nempe vt pueriliter ostentetis donum vestrum multiplicium linguarum: sed PERFECTI ESTOTE, id est, similes viris adultis & ætate perfectis: ita vt mentem & animum C MALITIA habeatis vacuum, spiritualibus fructibus plenum. ita S. Chrysostomus.

℣. 21. IN LEGE (quæ subinde etiam Prophetas complectitur) SCRIPTVM EST Isaiæ 28. vers. 11. POPVLO HVIC Iudaico rebelli mihi & peruicaci, & Prophetarum meorum dicta exsibilanti, LOQVAR mox ALIIS LINGVIS ferratis & serratis Chaldæorum: & Allegorico sensu, peregrinis linguis Apostolorum meorum à die Pentecostes (*a*) ac deinceps. ET NEC SIC quidem, viso tanto signo, seu miraculo, EXAVDIENT ME, id est, obtemperabunt monitis meis.

a Actor. 2. v. 4.

℣. 22. ITAQVE LINGVÆ IN SIGNVM SVNT, id est, ad hoc cælitus datæ sunt, vt pro signo, ostento & miraculo deseruiant trahendis ad fidem INFIDELIBVS. nempe, dum vident eos qui Christi fidem suscipiunt, loqui tam multis peregrinis linD guis, subitò infusis, (quod naturaliter est impossibile; (percelluntur, & fidem ac religionem Christianam à Deo esse fateri coguntur. Vobis verò iam tractis ad fidem, non sunt vsui peregrinæ linguæ, sed PROPHETIÆ & exhortationes & doctrina verbi Dei.

℣. 23. SI OMNES LINGVIS solùm ignotis LOQVANTVR, NONNE INFIDELES, ignari quid sit & vnde obueniat donum linguarum, DICENT QVOD INSANITIS?

℣. 24. SI AVTEM OMNES PROPHETENT, & nota lingua exhortentur se mutuò ad omnem virtutem, vel etiam diuinas laudes decantent; mox CONVINCITVR INFIDELIS, quia sentit, se iustè *diiudicari*, id est, redargui & damnari.

℣. 25. OCCVLTA CORDIS EIVS, quæ putabat totum mundum latere, videt MANIFESTA vobis esse: nam sæpè Deus, seu per donum prophetiæ, vel discretionis spirituum, seu per alias prouidentiæ suæ vias, ita dirigit linguam doctoris, vt appositè tangat & arguat verbis suis etiam occultissima vitia præsentium auditorum, vt putent eum peculiariter sibi propheticè loqui. Id frequens fuisse in primitiua Ecclesia patet ex hoc loco. Et vt etiamnum fiat, orandus ante concionem Deus, inquit S. Augustinus.

Augustl. l 4. Doctr. Christianæ c. 15.

26. CVM ad publicos cœtus CONVENITIS, auctor vobis sim, sic inter vos munia partiamini: VNVSQVISQVE VESTRVM vel PSALMVM proferat, si gratia psallendi valet: vel DOCTRINAM, seu institutionem populo accommodam: vel APOCALYPSIM, id est, reuelationem sibi peculiariter factam: vel LINGVAM peregrinam, sed adiectà mox INTERPRETATIONE: decenti ordine omnia, & AD publicam Ecclesiæ ÆDIFICATIONEM] Vide de his S. Iustinum & Tertullianum, qui quæ in publicis Christianorum conuentibus tum fiebant, fusè describunt. Et veterum istorum conuentuum formam seruat etiamnum Ecclesia in concionibus, Missa, & Horis Canonicis, vbi Scripturæ leguntur & exponuntur, Psalmi & Hymni decantantur.

Iustin. in fine Apologiæ 2. ad Antoninum Tertull in Apologetico c. 39.

℣. 29. PROPHETÆ DVO AVT TRES DICANT suas prophetias, id est, lumina sibi à Deo inspirata, seu de rebus futuris vel absentibus, seu de mysterijs reconditis S. Scripturæ: ET CÆTERI, non idiotæ, sed Propheræ, qui simili dono præditi sunt, DIIVDICENT, an id quod Propheta, seu doctor, in medium profert, sit sanæ & vtilis doctrinæ, necne.

℣. 31. POTESTIS OMNES, quotquot prophetiæ donum habetis, PROPHETARE PER SINGVLOS, id est, sigillatim, ordine quisque suo, VT OMNES EXHORTENTVR (passiuè) id est, exhortationem & institutionem accipiant.

℣. 32. SPIRITVS PROPHETARVM non est ille fanaticus idololatrarum, qui vates cogat eloqui etiam inuitos: sed *subiectus est* PROPHETIS, & in eorum est potestate: vnde possunt commodè sibi inuicem cedere Prophetæ, & vices suas operiri, concordiæ, pacis & ædificationis causa. Porrò in his omnibus publicis munijs

℣. 34. MVLIERES quando IN ECCLESIIS sunt, TACEANT: debent enim non præesse, sed SVBDITÆ ESSE viris, iubente lege, Genes. 3. v. 16. *Sub viri potestate eris.*

℣. 36. AN VERBVM DEI, seu prædicatio Euangelica, A VOBIS, ô Corinthij, primùm PROCESSIT? AVT IN VOS SOLOS PERVENIT?] vt scilicet pro vestro libito sacra tentare, conuentus ordinare, meisque decretis, quasi sapientiores me, contradicere velitis. nónne ante vos crediderunt Ecclesiæ Palestinæ, Samariæ, Cypri, Syriæ, & tot aliæ? illarum, si sapitis, ordinem, mores & ritus inspicite & obseruate. Non quòd timeam aut detrectem iudicia probrorum vel doctorum: nam

℣. 37. SI QVIS inter vos VIDETVR PROPHETA ESSE excellens & indubitans, AVT saltem SPIRITVALIS, id est, in rebus spiritualibus dignoscendis dijudicandisque peritus, talis per me licet COGNOSCAT QVÆ SCRIBO VOBIS, deprehendet, certus scio, QVIA DOMINI, id est, Christi, MANDATA SVNT, non per se immediatè, sed mediatè per me (cui hanc potestatem dedit) iubentis

bentis vt iam dicta omnia obseruetis in cœtibus A vestris.

℣. 38. SI QVIS AVTEM IGNORAT, id est, non vult has leges & potestatem meam agnoscere, IGNORABITVR vicissim à Christo vituro hanc legato suo factam iniuriam, dicturoque, *Nescio vos.* (a) id est, *reprobabitur*, inquit S. Augustin. & Anselmus. Græca habent, *ignorans esto*, id est, relinquatur suæ ignorantiæ; vt *qui in sordibus est, sordescat adhuc.* (b) Certè suo malo id faciet. Fixa stat enim Christi sententia, *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* (c) Quod Nota pro Canonibus & legibus Prælatorum Ecclesiæ.

a *Matth. 7. v. 23. & c. 25. v. 12.*
b *Apoc. 22. v. 11.*
c *Luc. 10. v. 16.*

CAPVT XV.

Contra pseudodoctores multis probat corporum resurrectionem, eiusq; ordinem & dotes describit.

℣. 1. NOTVM FACIO] Id est, in retentem notitiam & memoriam vobis reuoco.

℣. 4. QVIA RESVRREXIT CHRISTVS TERTIA DIE SECVNDVM SCRIPTVRAS, Gen 22. vbi Isaac morti destinatus, tertia die quasi reuiuiscit: & Ionæ 2. v. vlt. vbi Propheta in typo Christi tertia die è ventre ceti educitur: sed clarissimè & ad litteram Oseæ 6. vers. 3. vbi de Christo prædicitur, quòd resurrectione sua *post duos dies, in die tertia suscitabit & viuificabit* etiam *nos*, vt ibidem exposui. Porrò Christus tertia die rediuiuus

d *Luce 24. v. 34.*
e *Ibid. v. 36*
f *Chron. in fine c. 49.*

℣. 5. VISVS EST CEPHÆ, id est, Petro. (d) Et eodem die VNDECIM Apostolis suis, (e) & pluribus alijs, vt alibi (f) vidimus.

g *Matt. 28. v. 7. 10. & 16. Hier. in q. 7. ad Hedib. h Act. 1. v. 4 & seqq. Baron. anno Christi 44. p. 377. Sueton. in Octauio c. 35.*

℣. 6. DEINDE PLVSQVAM QVINGENTIS FRATRIBVS, seu Christianis, SIMVL in monte Galilææ, (g) inquit S. Hieronymus.

℣. 7. APOSTOLIS iterum OMNIBVS, & pluribus adhuc alijs in die Ascensionis. (h)

℣. 8. NOVISSIME OMNIVM Apostolorum ETiam, VISVS EST in proprio suo corpore MIHI TAMQVAM ABORTIVO] id est, extra tempus, extra numerum, extra ordinem in collegium Apostolorum adscripto. ita S. Chrysostomus, Ambrosius & Baronius. Sic, teste Suetonio, Senatores; qui Romæ extrà ordinem ex gratia in senatum adlegebantur, *abortini* vocabantur.

i *Rom. 15. v. 23.*
k *1. Cor. 3. v. Rom. 9. v. 13 Pelagius Victorinus Victor n. 6. Prosp. l. 2. contra Pelagianos ante medium. August. l. de Lib. arb. tr. c. 17. & Serm. 15. de verb. Apostol. Greg. l. 16 Moral. c. 10. Bern. l. de Gratia & lib. arb. sub fin. m. 1 Euseb. l. 7. hist. c. 12. & l. 3. c. 28. m 2. Tim. 2. v. 17.*

℣. 10. ABVNDANTIVS, seu amplius quàm OMNES Apostoli (sed seorsim sumpti, in Euangelio promulgando promouendoque LABORAVI, vt alias vidimus (i) NON EGO, supple, solus: vel, non tam ego, (k) quàm GRATIA DEI, quæ MECVM laborauit. Non ergo excludit hic Paulus propriam liberi arbitrij cooperationem (vt fingunt Lutherus & Calumnus;) sed tantùm gratiæ, vt digniori & principaliori operis causæ, laudem operis asscribit, inquit S. Chrysost. Hieron. August. Theodor. Gregor. Anselmus & Bernardus.

℣. 11. SIVE ENIM EGO, SIVE ILLI alij Apostoli spectentur, SICVT iam de Christo mortuo & resurgente dixi. PRÆDICAMVS, omnes conformiter & vniformiter.

℣. 12. QVOMODO ergo QVIDAM IN VOBIS, secuti Cerinthum, (l) Hymenæum & Philetum, (m) DICVNT NON ESSE RESVRRECTIONEM MORTVORVM?] Et hoc est Primum Pauli argumentum: Christus resurrexit: ergo & nos resurgemus. Causâ enim tam nostri, quàm sui, resurrexit Christus. Et quia alioqui non esset plena Christi victoria de morte, si illam in seipso solo, & non in membris quoque suis, id est, in nobis deuicisset. Atqui plenè ipsam à Christo deuictam esse testatur actus de illa triumphus in resurrectione Christi, ergo.

℣. 13. Quod si (vt nugantur) RESVRRECTIO NON EST vlla MORTVORVM, ergo NEQVE CHRISTVS (contrà quàm nunc tot testibus oculatis probaui) à mortuis RESVRREXIT, quia constat eum ipsum mortuum fuisse. Et hoc est Secundum argumentum ab absurdo. Vnde Tertium argumentum ab alio absurdo:

℣. 14. Ergo INANIS & falsa est PRÆDICATIO NOSTRA. Et Quartum: INANIS quoque & falsa EST FIDES VESTRA. Et Quintum:

℣. 15. INVENIMVR FALSI TESTES DEI] Atqui certissimò probamus tot miraculis, tot prodigijs quasi diuinis sigillis nos non esse falsos testes, sed doctrinam quam tradimus, & fidem quam vos docemus, solidam esse ac sinceram: ergo. Sequitur Sextum argumentum:

℣. 17. ERGO ADHVC ESTIS IN PECCATIS VESTRIS] Nam Christus *resurrexit propter iustificationem nostram.* (n) Quòd si ergo corruit causa, nempe resurrectio Christi, corruet & effectus, nempe iustificatio nostra. Vel sic: Si Christus non potuit resurgere, hoc est, mortem deuincere; multò minùs potuit deuincere peccatum: ergo à peccato detinemini adhuc captiui. Porrò grauius esse, tollere *causam*, putà peccatum, quàm *effectum* causæ, putà mortem, nemini dubium est. Quinimò nec potest plenè tolli causa, quin & effectus tollatur, ita S. Chrysostomus. Septimum argumentum:

n *Rom. 4. v. 25.*

℣. 18. ERGO ET QVI DORMIERVNT, id est, mortui sunt, IN CHRISTO, id est, cum fide, spe, charitate & gratia Christi, PERIERVNT] id est, damnati sunt: quia fides eorum fuit falsa & peruersa, iustitia nulla, &c. Sequitur octauum:

℣. 19. SI IN HAC VITA TANTVM, id est, huius solùm vitæ bona SPERANTES SVMVS, sine spe resurrectionis & futuræ gloriæ, nos IN CHRISTO, seu Christiani, *erimus*, MISERABILIORES OMNIBVS HOMINIBVS] Nos enim carnis & mundi voluptates illa spe reiicimus, quibus alij saltem hîc sese oblectant. ita Chrysostomus & Anselmus.

℣. 20. NVNC AVTEM certum omnino atque exploratum est, quòd CHRISTVS RESVRREXIT, & quidem PRIMITIÆ DORMIENTIVM, id est, primus *ex* MORTVIS resurgentium, ad vitam immortalem: primus, inquam, non tantùm dignitatis ordine, sed & temporis. Nam qui Christo moriente resurrexisse dicuntur Matth. 27. v. 52. non illa præcisè die, sed tertia demum cum Christo, imò post Christum resurrexerunt, vt benè notat Franciscus Suarez.

Suar. 3. p. q. 53. a. 3.

℣. 22. IN CHRISTO, id est, merito Christi, qui mortem aboleuit, OMNES QVI SVNT CHRISTI viua membra, etsi semel moriantur, rursus tamen VIVIFICABVNTVR] id est, ad vitam reducentur glorioſam & immortalem.

℣. 23. QVISQVE IN SVO ORDINE, tum dignitatis, tum temporis: nempe, PRIMITIÆ, id est, primo loco, Christus, vtpote caput omnium & princeps: dein iusti subsequentur: dum demum completa quoque impiorum resurrectione,

℣. 24. FINIS vniuersæ Christi dispensationi fiet in terris: & consequenter finis etiam erit sæculi. CVM Christus, peracto vniuersali iudicio, TRADIDERIT DEO PATRI REGNVM suum, id est, Ecclesiam electorum, in quibus tamquam in proprio regno suo regnat, hic per gratiam, in futura vita per gloriam, inquit Ambrosius. *Tradiderit*, inquam, id est, obtulerit seu præsentarit, tamquam victoriæ suæ spolium ac trophæum. Et licet quotidie

quotidie illud ipsi præsentet, non tamen præ- A sentat planè liberum & hosti plenè ereptum: cùm in eo adhuc ex parte dominetur peccatum, grassetur diabolus, sæuiat mors & mortalitatis miseriæ. Tunc autem omni prorsus hoste liberum offeret Deo, vt in eo plena gloria æternùm regnet ac triumphet, CVM EVACVAVERIT & aboleuerit OMNEM PRINCIPATVM & imperium dæmonum, qui nunc fideles lacessunt. Dæmones enim, qui plurimi ex singulis ordinibus & choris ceciderunt, retinent adhuc sua nomina, vocanturque aliqui *Principatus*, (*a*) alij *Potestates*, alij *Virtutes*, alij alijs nominibus aliorum officiorum.

a *Ephes.* 6. v. 12.

℣. 25. OPORTET ILLVM REGNARE, nempe Christum in Ecclesia, & vt cœpit, ita continuare oportet imperium, blandum in suos, ferreum in hostes; continuare, inquam, DONEC (*b*) PONAT cælestis Pater OMNES INIMICOS, dæmones & alios reprobos SVB PEDIBVS EIVS planè deiectos ac prostratos. Et quidem *diabolus*, qui primus est hostis, magna ex parte, merito Crucis Christi, deiectus iacet. Alter hostis, *peccatum*, paulatim à Christianis, opitulante per gratiam Christo, vincitur & exstirpatur. In resurrectione verò vniuersali

b *Matth.* 1. v. 25.

℣. 26. NOVISSIMA hominis INIMICA DESTRVETVR MORS] Ex his conficitur nonum argumentum pro resurrectione: si enim mortui non resurgunt, Pater non habebit plenum & perfectum regnum: nec Christus plenam ex hostibus suis victoriam retulerit; quia vigeret adhuc satanæ, peccati & mortis potestas in filios & in membra Filij Dei.

℣. 28. TVNC ET IPSE FILIVS SVBIECTVS ERIT PATRI, quasi dicat: Ne tunc quidem desinet Filius esse Patri subiectus, nempe quatenus homo est. VT SIT DEVS OMNIA IN OMNIBVS] id est, vt plenum imperium & potestatem exerceat in omnia, etiam in vnigenitum Filium suum, vt homo est: quantò magis in mortem, & in corpora mortua? Et hoc sit Decimum argum. Sequitur Vndecimum: C

℣. 29. SI MORTVI NON RESVRGVNT OMNINO, VT QVID PRO ILLIS BAPTIZANTVR, tam Iudæi, (*c*) (qui, vt quotidie videmus, purificantur ad sacrificia & preces pro mortuis offerenda:) quàm Christiani, qui metaphorico baptismo (*d*) pœnitentiæ, afflictionum, lacrymarum & orationum sese immergunt, vt mortuis in Purgatorio detentis suffragentur & opitulentur? imò sic baptizantur etiam ipsi resurrectionis hostes, Cerinthus & eius symmystæ. D

c *Marc.* 7. v. 8. & *Hebr.* 6. v. 2. & c. 9. v. 10. & 2. *Mach.* 12. v. 43.

d *Marc.* 10. v. 38. & *Luca* 12. v. 10. & *Psalm.* 31. v. 6. &c.

Dices, Hoc vt summum probat animæ immortalitatem: sed quomodo ex sola animæ immortalitate sequitur resurrectio corporum? Respondeo, cum Sancto Thoma, Suarez & alijs Doctoribus, quia animæ immortalitas & corporum resurrectio planè connexa sunt, partim natura sua: cùm anima sit forma corporis: (vnde, nisi violentè Deus adimat animæ suam quasi naturam & naturalem statum, debet ei suum corpus reddere.) Partim recepta hominum opinione: cùm semper fuerit & etiamnum sit communis persuasio, si anima sit immortalis, resurrectionem corporis certò secuturam.

℣. 30. VT QVID ET NOS Euangelij præcones ob spem resurrectionis PERICLITAMVR, seu periculis nos obijcimus, OMNI HORA, id est, omni tempore? Est Duodecimum argumentum.

℣. 31. QVOTIDIE MORIOR, id est, varia mortis pericula subeo, & continuò morti me offero, idque ob hanc solam spem. PER GLORIAM VESTRAM, supple, id iuro: in Græco enim præponitur particula νὴ, quæ iuramentis seruit. *Gloriam*, inquam, QVAM HABEO de vobis IN CHRISTO, seu ad Christum meâ operâ conuersis.

℣. 32. SI SECVNDVM HOMINEM, id est, humano solùm studio, spe & fine temporali, AD BESTIAS PVGNAVI EPHESI. Quod S. Chrysostomus, Ambrosius & alij plerique propriè accipiunt, & Nicephorus rem vt gesta est, enarrat; Theophylactus tamen, Anselmus & Primasius per *bestias*, Demetrium eiusque socios pro Diana sua terino & barbaro modo pugnantes (*e*) intelligere malunt: quo simili tropo per *leonem* Nero alibi (*f*) intelligitur. Sed hoc QVID MIHI PRODEST, SI MORTVI NON RESVRGVNT? Quin potiùs cum Epicuro, eiusque sequacibus dicere lubeat, *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas?*

Niceph. l. 2. hist. c. 25.

e *Actor.* 19. v. 24.

f 2. *Tim.* 4. v. 17.

℣. 33. NOLITE SEDVCI praua cum eiusmodi atheis & Epicureis conuersatione. φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. Iambicus senarius est Menandri: id est, CORRVMPVNT MORES BONOS COLLOQVIA & commercia PRAVA.

℣. 34. AD REVERENTIAM, πρὸς ἐντροπὴν, id est, ad pudorem, ad confusionem, VOBIS LOQVOR] q.d. Pudere vos deberet eiusmodi errorum, quibus aliqui vestrûm detinentur.

℣. 35. SED DICET ALIQVIS: QVALI CORPORE VENIENT; & vnde resument corpus mortui rediuiui, cùm corpora illorum iam pridem computruerint? Respondet:

℣. 8. DEVS, SICVT VNICVIQVE SEMINVM DAT PROPRIVM & suæ speciei congruens CORPVS, bouino bouinum, aquilino aquilinum, triticeo triticeum, humano humanum: sic & in resurrectione dabit cuique proprium suum corpus, & quale quemque decebit.

℣. 40. ALIA atque alia est GLORIA CORPORVM CÆLESTIVM, seu stellarum.

℣. 42. SIC ET RESVRRECTIO alla erit atque alia diuersorum MORTVORVM, etiam beatorum: vnus enim alteri, vt gratia & meritis, ita præmio quoque & gloria cum corporis, tum animæ longè præcellet. Vnicuique corpori commune erit: Primò, quòd SEMINATVR, id est, in terrâ (vt solet semen) conditur, id est, sepelitur, IN CORRVPTIONE, id est, corruptum; in resurrectione SVRGET *incorruptibile* & impassibile. Secundò, quòd

℣. 43. SEMINATVR IN IGNOBILITATE, id est, ignobile, vile, spurcum; SVRGET cum maxima GLORIA, splendore, claritate. Tertiò, SEMINATVR IN INFIRMITATE, id est, infirmum, inualidum, nec se vel tantillum mouere potens; SVRGET IN VIRTVTE, id est, cum potentia & robore, celerrimum & agillimum. Denique

℣. 44. SEMINATVR CORPVS ANIMALE, seu quale habent omnia animalia, id est, crassum, durum, impenetrabile, indigens cibo & potu; SVRGET CORPVS SPIRITALE, id est, spiritui simile & conforme, putà instar spiritus non egens cibo vel potu, subtile, leue, penetrabile. ita S. Epiphan. Damascenus & alij Patres ac Doctores, qui ex his S. Pauli verbis colligunt quatuor dotes corporis glorioſi, Primam *impassibilitatem*; Secun-

Epiphan. in hæres. Origen. Damasc. l. 4. de Fide c. 28.

dam *claritatem*; Tertiam, *agilitatem*? Quartam, *subtilitatem*.

Porrò ne mireris, me *corpus* vocare *spiritale*. Sicut enim est *corpus animale*, quod traximus ex Adamo: ita EST ET SPIRITALE, quod in resurrectione habebimus à Christo & ex meritis Christi. SICVT SCRIPTVM EST (*a*) de primo nostro parente Adamo, quòd FACTVS sit IN ANIMAM VIVENTEM vita tantùm animali, multis necessitatibus, passionibus, miserijs obnoxia; vnde nec potuit filijs suis aliud corpus quàm tali viuens vita subministrare. Sed NOVISSIMVS ADAM, & alter parens noster Christus, sicut factus est IN SPIRITVM VIVIFICANTEM, id est, talis qui suo merito & potentiâ possit quæuis mortua viuificare: ita etiam de facto subministrat nobis corpus resurrectione gloriosa viuificatum, spiritibus simile & conforme, vt iam dixi, agile, subtile, clarum & impassibile.

a *Gen.* 2. *v.* 7.

℣. 47. PRIMVS HOMO Adam, quia DE TERRA factus, non nisi TERRENVS fuit, nec nisi terrenum planè corpus potuit nobis communicare. Sed SECVNDVS HOMO Christus, quia DE CÆLO, de sinu Patris, Deus de Deo, est homo planè CÆLESTIS, (vnde & debebatur ei connaturaliter à primo conceptionis instanti corpus glorioſum cum omnibus dotibus ei annexis, sed noluit hæc admittere nisi in resurrectione.) Potest ergo virtute sua efficere, vt corpus quod ex se est animale, fiat cæleste & spirituale, seu spiritibus simile: & de facto tale fecit suum corpus quando illud à mortuis suscitauit: & faciet etiam nostra corpora, quando illa resuscitabit. ita ferè S. Chrysost. Theophylactus, Theodoretus & Augustinus. Mox ab allegoria transit Apostolus ad tropologiam.

Augustl. l. 13 de Ciuit. c. 23.

℣. 49. SICVT ante conuersionem PORTAVIMVS IMAGINEM TERRENI Adami, id est, assimilati illi fuimus in peccatis: ita iam conuersi PORTEMVS IMAGINEM CÆLESTIS Adami: id est, conformemur Christo per vitam spiritualem per virtutes cælestes, per mores sanctos.

℣. 50. CARO ET SANGVIS, seu physicè, seu moraliter loquendo, REGNVM DEI glorioſum POSSIDERE NON POSSVNT] Nam corpus mortale, infirmum, caducum (quale circumferimus in hac vita) non potest nisi deposita corruptione, cælum subire. Et ita explicat Theodoretus, Theophyl. Ambrosius. Nec cælo potiemur nisi desierimus viuere secundùm desideria carnis & sanguinis, vt S. Augustinus exponit.

Augustl. Epist. 146. ad Consentium.

℣. 51. OMNES RESVRGEMVS, SED NON OMNES IMMVTABIMVR ad gloriam, seu non omnes pro animali corpore nanciscemur spirituale & cæleste; vt supra. Græci & Syri codices sensu planè contrario habent: *Non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur.* Et ita legunt Origenes, Tertull. Chrysost. Theodor. Theophyl. & ferè Nouantes. Quam lectionem & sententiam, etsi ob Auctorum grauitatem, nolim erroris damnare, (vt damnat Sotus & Catharinus) puto tamen minùs probabilem esse, neque ad mentem S. Pauli facere, qui & hic (*b*) & alibi disertè docet, (*c*) *omnes semel morituros*, & solos *bonos* ad gloriam *immutandos*. (*d*) Et pro Latina lectione facit S. Augustinus & alij Patres.

Orig. l. 2. contra Celsum. Tertull. de Resurr. c. 41. & 42.
b v. 22.
c Hebr. 9. v. 27.
d Hic v. 52 Augustl. l. 20. de Ciuit. c. 20.

℣. 52. IN MOMENTO; Græcè, ἐν ἀτόμῳ, id est, in indiuisibili, seu puncto temporis, MORTVI RESVRGENT omnes INCORRVPTI, id est, immortales. Nam etiam *reprobi*, inquit Anselmus, *incorrupti resurgent integritate membrorum, sed tamen corrumpendi dolore pœnarum.*

℣. 54. TVNC FIET SERMO QVI SCRIPTVS EST: id est, peracta resurrectione vniuersali implebitur illa scriptura Oseæ 13. v. 14. (secundùm LXX.) ABSORPTA EST MORS IN, id est, per VICTORIAM Christi.

℣. 55. VBI nunc EST, Ô MORS, STIMVLVS TVVS, nempe PECCATVM, quo tamquam venenato aculeo solebas instar scorpij configere nos & enecare? ita Theophylactus.

℣. 56. VIRTVS PECCATI, id est, id per quod peccatum vires suas maximè in nos exeruit, est LEX] nempe Mosaica. Occasione enim legis multa præcipientis, multa vetantis, sed gratiam ad ea complenda non præstantis, magis inualuit peccatum; vt alibi fusiùs ostendit Apostolus. (*e*) ita Theodoretus, Ambrosius, Theophylactus, Anselmus.

e Rom. 7. v. 7.

CAPVT XVI.

Iubet fieri collectam eleemosynarum pro pauperibus Ierosolymitanis, & salutat amicos.

℣. 1. IN SANCTOS Id est, ad iuuandos Christianos pauperes, à Iudæis contribulibus suis Ierosolymæ nuper bonis omnibus ob fidem Christi exutos. (*f*) Et S. Paulo commiserant ceteri Apostoli in Concilio Ierosolymitano, vt ita Gentium curam susciperet, vt tamen pauperum Iudæorum memor esset. (*g*) Quod & diligenter præstitit.

f Hebr. 10. v. 34.
g Galat. 2. v. 10.

℣. 2. PER VNAM SABBATI] Id est, prima die hebdomadæ, (*h*) videlicet Dominica: per hebraismum enim ponitur numerus cardinalis pro ordinali. Nempe illa die conueniebant fideles in Ecclesia: & hac occasione iubentur tum secum deferre quod in pauperes collatum vellent. ita S. Ambros. Chrysost. Theophyl. Oecumen. Qui ex hoc & similibus locis (*i*) probant, iam tum ab Apostolis mutatam fuisse solemnitatem septimæ diei, & translatam è sabbato in Dominicam. Vnde optimè consequitur, non omnia scripta esse quæ seruari iusserunt Apostoli, sed quædam viua voce tradita, quæ iam Traditiones Apostolicæ vocantur, & æqualis sunt auctoritatis cum scriptis legibus Apostolorum, vt fusè demonstrat Bellarminus.

h Chronici c. 3. & Luca vlt. v. 1.
i Actor. 20. v. 7. & Apoc. 1. v. 10 &c.
Bellarm. de verbo Dei non script. c.

℣. 4. QVOD SI DIGNVM FVERIT VT ET EGO EAM] Id est, si tam liberalem collectam fecerit is, vt digna censeatur cui perferendæ Ierosolymam meummet ministerium impendam, iubebo collectores mecum proficisci. His verbis tacitè exstimulat Corinthios, plusculum tenaciores, (*k*) vt largiùs ac liberaliùs conferant.

k 2. Cor. 9. v. 15.

℣. 9. OSTIVM Ephesi MIHI APERTVM EST MAGNVM ET EVIDENS] Id est, occasiones & commoditates offeruntur mihi multæ & certæ plurimos conuertendi in nobili isto emporio, vbi sapientia maximè viget, teste Philostrato, & sedes est Proconsulis Asiæ, & infinitam numerat multitudinem incolarum. Vnde etiam non deerunt qui mihi modis omnibus aduersabuntur.

Philost. l. 8. Vita Apollonij.

℣. 11. NE QVIS Timotheum SPERNAT propter adolescentiam, consilia eius aut monita parui pendens: vnde iustam ipse occasionem habeat timendi manere *apud vos*. (*l*) DEDVCITE abeuntem ILLVM IN PACE] Moris enim erat vt fideles primarij

l Hic v. 10.

rij Apoſtolum, ſeu præconem Euangelicum, ſi quando aliò demigraret, honorificè deducerent, & lauto viatico proſequerentur.

¥.14. OMNIA VESTRA FIANT non ex ambitione, vel praua æmulatione, contentione, rixa, (a) &c. ſed IN & cum CHARITATE fraterna & Chriſtiana.

a 1.Cor.1. v.12.
b Ibid. v.16

¥.15. NOSTIS DOMVM STEPHANÆ,(b)nempe quæ, & qualis, & quanti meriti ſit. PRIMITIÆ SVNT ACHAIÆ, id eſt, primi qui ex Achæis crediderunt in Chriſtum: ET IN MINISTERIVM SANCTORVM SEIPSOS ORDINAVERVNT, id eſt, addixerunt, putà vt hoſpitalitatem exerceant in Chriſtianos egenos & peregrinos, & maximè in præcones Euangelij. OBSECRO igitur *verſ.*16. VT ET VOS SVBDITI, id eſt, obtemperantes, SITIS EIVSMODI patronis & capitibus Eccleſiæ, debito honore ac reuerentia illos proſequamini, facta illorum laudetis, illis cedatis, & ab ijs libenter ſinatis vos regi, vtpote qui ſe ſuaque omnia vobis iuuandis conſecrarint.

¥.17. GAVDEO AVTEM IN PRÆSENTIA STEPHANÆ ET FORTVNATI (huius nuſquam niſi hoc cap. fit mentio) ET ACHAICI] quaſi dicat: Magno mihi ſolatio eſt quod tales ac tanti viri vobis præſentes adſint, me abſente. ita Anſelmus.

¥.18. REFECERVNT MEVM SPIRITVM, quando de vobis tam benè meriti ſunt: veſtra enim refectio, mea eſt recreatio.

¥.19. HOSPITOR Epheſi APVD AQVILAM ET PRISCILLAM] de quibus alibi. (c) Vt & de *oſculo ſancto.* (d)

c Act. 18. v. 2.
d Rom. vlt. v. 16.

¥.21. SALVTATIO, MEA PAVLI MANV ſcripta, hæc eſt quæ ſequitur verſ. 23. & 24. Reliquum enim epiſtolæ, dictante Paulo, conſcripſerat amanuenſis. Sed antequam verba ſalutationis exprimat, interponit execrationem in eos qui ſalute ſunt indigni.

¥.22. QVISQVIS NON AMAT IESVM, SIT ANATHEMA] quaſi dicat: Cum execratione ſeparetur à cœtu electorum, abijciatur & exitio deſtinetur.

MARAN-ATHA vox eſt Hebræo-Syriaca, ſignificans, *Dominus noſter venit*, ſupple, iudex & vindex vt talem puniat. Hebræi enim dum aliquem condemnarent, ſolebant id facere ſub conteſtatione inſtantis iudicij & vindictæ diuinæ, vt patet ex pluribus alijs Scripturæ locis, (e) inquit Baronius. Poſſet etiam dici, talem, vt deploratæ inter homines ſpei, verbis illis repelli à cura Eccleſiæ, & diuino iudicio ac vindictæ relinqui.

e Daniel.13 v.55. & 59. Pſalm.9. v.20. &c.

¥.24. CHARITAS MEA, quâ vos tenerrimè diligo, ſit CVM OMNIBVS VOBIS, vt viciſſim me, & vos inuicem, pari teneritudine ac ſinceritate diligatis. ita Ambroſius & Anſelmus.

EPISTOLA
BEATI PAVLI
APOSTOLI
AD CORINTHIOS
SECVNDA.

QVA conſolatur quos priore epiſtola obiurgarat, & inceſtuoſum excommunicatum * iam pœnitentem abſoluit. Et hac occaſione agit de vera pœnitentia, de dignitate miniſtrorum noui teſtamenti, de infidelium ſocietate cauendâ, de patientia, de eleëmoſyna; denique contra æmulos ſuos apologiam contexit, quâ labores & egregia facta ſua perſequitur, refractariis Apoſtolicam poteſtatem & minas intentans. Scriptam *Philippis* in Macedonia, miſſam per Titum & Lucam, habent Græca, Syriaca, & Latina Complutenſia in fine epiſtolæ. Sed Baronius vult & bene probat ſcriptam *Nicopoli* in Græcia, anno à paſſo Chriſto 26. vt dixi in Chronico.

* 1.Cor. 5. v. 1.

Baron. to.1. p.575. Chronic. c.vlt.

CAPVT I.

*Occasione multarum tribulationum, è quibus ope diuina ereptus fuit in Asia *, docet, Deum esse verum ac solidum consolatorem, & in promissis suis stabilem. Se quoque non esse instabilem, etsi Corinthum, vt sub finem prioris epistolæ promiserat †, necdum aduenerit, causam reddens dilati aduentus.*

* Actor. 19

† 1. Cor. vlt. v. 5.

PAVLVS APOSTOLVS PER VOLVNTATEM & decretum DEI ad eam dignitatem euectus, ET TIMOTHEVS CONFRATER Pauli in munere Apostolico, salutem dicunt & hanc epistolam destinant SANCTIS, id est, Christianis, QVI SVNT IN VNIVERSA ACHAIA, cuius metropolis est Corinthus. (a)

a *Præfat. in 1. epist. ad Corinth.*

℣. 3. DEVS TOTIVS, id est, omnis, CONSOLATIONIS auctor & donator. PATER MISERICORDIARVM, id est, misericordissimus. (b)

b *Prolog. de Idiotismis Hebr. n. 50.*

℣. 4. CONSOLATVR NOS de cælo, VT POSSIMVS vicissim CONSOLARI alios, PER EXHORTATIONEM, seu consolationem, QVA consolamur ET IPSI nos A DEO] nam Græcum παράκλησις etiam *consolationem* significat. Sed diuina *consolatio* vt plurimum est *exhortatio*, inquit S. Anselmus.

℣. 5. SICVT PASSIONES CHRISTI, id est, pro Christo susceptæ & toleratæ, ABVNDANT, exuberant & multiplicantur IN NOBIS: ITA ET PER CHRISTVM, id est, Christi beneficio, multiplicatur CONSOLATIO NOSTRA; inquit S. Ambrosius & Theophyl.

℣. 6. SIVE AVTEM TRIBVLAMVR, SIVE EXHORTAMVR, SIVE CONSOLAMVR (hæc olim passiuè vsurpabantur:) omnia in bonum & vsum vestrum referimus, nempe ad *consolationem* inde hauriendam & *salutem*; QVÆ OPERATVR (in genese causæ finalis) patientem TOLERANTIAM in vobis similium PASSIONVM.

℣. 7. VT iam non valdè anxij simus PRO VOBIS in fide, pietate & constantia detinendis, sed FIRMA SIT SPES NOSTRA quam pridem de vobis concepimus.

℣. 8. IN ASIA, Ephesi per seditionem à Demetrio argentario Dianæ contra nos excitatam, GRAVATI SVMVS SVPRA VIRTVTEM] id est, supra vires naturæ vel corporis, sed non gratiæ vel animi: nam ope gratiæ, inuicto animo tribulationem hanc omnem Paulus pertulit & superauit: vt & *pugnam cum bestiis*, (c) & alia mala ibidem exantlata.

c 1. Cor. 15. v. 32.

℣. 9. RESPONSVM MORTIS HABVIMVS IN NOBIS, naturâ & animo nihil aliud nobis præsagiente & exspectante quàm mortem certam ac præsentem; inquit Ambros. & Oecumen. VT tantis erepti periculis, discamus *fidere* NON IN nostris *viribus*, SED IN solo DEO.

℣. 12. GLORIA NOSTRA HÆC EST, seu in hoc gloriamur, QVOD *recte* CONSCIENTIA NOSTRA non dederimus iustam tantis turbationibus occasionem, superbè quempiam prouocantes vel irritantes, sed IN, seu cum, SIMPLICITATE CORDIS ET SINCERITATE DEI, vel perfecta sinceritate qualem Deus requirit, vt inquit Theophyl. NON item instructi SAPIENTIA CARNALI, vel humana eloquentia, SED sola GRATIA DEI, & zelo ac spiritu diuino, CONVERSATI SVMVS IN HOC MVNDO: nempe non tantùm Ephesi, sed & in omnibus alijs locis: ABVNDANTIVS AVTEM AD VOS, seu inter vos.

℣. 13. NON ENIM ALIA SCRIBIMVS VOBIS de conuersatione nostra, seu Ephesi, seu alibi, QVAM QVÆ ex aliorum fide dignorum scriptis LEGISTIS, ET ex oculatorum testium relatu COGNOVISTIS: nempe qualia, cùm apud vos essemus, coram in nobis vidistis & experti estis: semper enim & vbique eumdem simplicitatis & sinceritatis tenorem seruamus. SPERO AVTEM QVOD VSQVE IN FINEM vitæ nostræ numquam alia de nobis audietis vel COGNOSCETIS.

℣. 14. SICVT ET de facto iam COGNOVISTIS NOS; Græcè, *agnouistis* seu persuasum habetis, saltem EX PARTE, nos tales esse quales dixi: eò QVOD GLORIA VESTRA SVMVS, id est, quia gloriamini de nobis, nempe quòd talem tantumque Apostolum nacti sitis. SICVT vicissim ET iam VOS NOSTRA estis gloria, id est, nos de vobis gloriamur, quòd nobis obtigeritis tam alacres, tam fidi, tam docti discipuli; vt manifestabitur IN DIE DOMINI quo iudex sedebit.

℣. 15. HAC CONFIDENTIA de vestro erga me affectu, & in virtute proficiendi desiderio, statueram PRIVS quàm in Macedoniam excurrerem, VENIRE Corinthum, VT SECVNDAM GRATIAM, id est, duplex seu geminatum beneficium, HABERETIS, vnum per primum aduentum meum ad vos; alterum per secundum.

℣. 17. CVM ERGO HOC *voluerim* & addixerim, nec tamen præstiterim, NVMQVID LEVITATE VSVS SVM? id est, an fui leuis, mendax aut inconstans? AVT QVÆ COGITO, delibero, statuo, SECVNDVM CARNEM, id est, carnali aut mũdano more COGITO, seu statuo facere? VT SIT APVD me, EST (Græcè, ναὶ, id est, etiam) ET NON] Hebraismo, id est, vt sim instabilis ac vanus, & modò affirmem, mox reuocem, vt solent pueri: vel aliud dictis, aliud factis præ me feram, vt solent mendaces. ita S. Chrysost. Theophyl. Anselmus.

℣. 18. FIDELIS DEVS: id est, veracem Deum testor, me vos docendo non fefelliſſe, & ideo nec iam quoque fallere, voluisse. NON EST IN ILLO meo sermone, seu prædicatione de Christo, EST ET NON, sed semper

℣. 19. FVIT IN ILLO, EST] id est, constans affirmatio & asseueratio & vniformis doctrina.

℣. 20. QVOTQVOT ENIM PROMISSIONES DEI in veteri testamento de Christo factæ SVNT; hæ omnes sunt IN ILLO EST, id est, omnes fuerunt constantes, veraces, ratæ, & impletæ in Christo. IDEO ET PER IPSVM Christum dicimus, seu tribuimus, DEO AMEN] id est, veritatem, fidelitatem, constantiam: nam omnia quæ Deus de Christo promisit, dicimus esse verissima, verissimeque completa. ita Chrysost. Ambros. Anselmus.

℣. 21. QVI AVTEM CONFIRMAT NOS tam in promissis nostris fideliter complendis, quàm in fide Christi fortiter profitenda ac propugnanda, est DEVS, QVI ET VNXIT NOS VNÀ VOBISCVM IN CHRISTO] nempe per Sacramentum *Confirmationis*, de quo S. Ambrosius & alij apud Suarez hunc locum exponunt: & inde quatuor nobilissimos effectus colligunt huius Sacramenti. Primus est, *robur* fidei, quo interiùs in animo roboramur & firmamur, ad fidem Christi constanter profitendam. Secundus est, *vnctio* per infusionem copiosæ gratiæ. Tertius:

Ambros. l. de his qui Mysteriis initiantur c. 7. Suarez 3. p. qu. 63. a. 1. & 4.

℣. 22. SIGNAVIT; Græcè, *sigillauit*, seu sigillo suo obsignauit, NOS, nempe signo crucis in fronte, & in anima charactere indelebili, quo nos quasi milites

milites & pugiles suos obsignat. Quartus est, PIGNVS SPIRITVS, id est, ipse *Spiritus sanctus*, simul & testimonium bonæ conscientiæ, suggestum à *Spiritu sancto*. Quod est quasi artha futuræ gloriæ; in se quidem absolutè certa atque infallibilis, sed in ordine ad nos non nisi moraliter infallibilis, vt alibi dixi. (a)

a *Rom.* 5. *v.* 1. & 8. *v.* 38. *Ephes.* 1. *v.* 14.

℣. 23. TESTEM DEVM INVOCO IN ANIMAM MEAM, volens vt me perdat, si mentior, QVOD PARCENS VOBIS, NON VENI CORINTHVM, nempe ne cogerer apud vos vti auctoritate & rigore Apostolico, ad castiganda facinora quibus multi vestrûm tenebantur adstricti. NON QVIA DOMINAMVR FIDEI VESTRÆ: id est, non quasi ob fidem Christi vobis prædicatam per nos & à vobis susceptam, velimus nos gerere vt dominos vestros, & potestate nostra abuti ad priuata commoda nostra, inquit Anselmus. SED quòd ADIVTORES esse velimus GAVDII VESTRI: id est, quòd procurare velimus solidum vobis gaudium & consolationem, corrigendo vel castigando eos qui sua exorbitante malitia vos offendunt & contristant. NAM FIDE STATIS, & in ea sufficienter instructi estis: nec habeo quod circa illam velim aut debeam reprehendere. Soli mores paucorum corrigendi, & tunc plenum erit gaudium vestrum. ita Anselmus

CAPVT II.

*Incestuosum nuper * excommunicatum iam pœnitentem absoluit ab excommunicatione.*

* 1. *Cor.* 5. *v.* 4.

℣. 1. STATVI APVD ME, id est, decreui, HOC IPSVM, nempe NON ITERVM VOS reuisere IN TRISTITIA, seu contristare vos nouis inflictis castigationibus.

℣. 2. SI ENIM EGO CONTRISTO VOS: etiam meipsum contristo: ET QVIS EST QVI ME LÆTIFICET? sanè nemo NISI QVI correptus, & reprehensus à me, CONTRISTATVR EX ME, & ad obiurgationem meam dolet, pœnitet, resipiscit. *Gaudium* enim *est* etiam *angelis super peccatore pœnitentiam agente.* (b) ita Ambros.

b *Luc.* 15. *v.* 7.

℣. 3. ET ob HOC IPSVM SCRIPSI VOBIS priorem meam epistolam, & per illam vos obiurgaui, ne, CVM ad vos VENERO, si cogerer vos coràm reprehendere, & castigare, TRISTITIAM SVPER TRISTITIAM, id est, geminatam, seu nimiam tristitiam haurirem EX IIS DE QVIBVS OPORTVERAT ME GAVDERE, nempe occasione vestri, quos, vtpote charissimos mihi filios, decet probis sanctisque moribus suis parentem exhilarare. CONFIDENS IN OMNIBVS VOBIS, quòd quæcumque sciretis mihi displicere, statim tolleretis, QVIA *mea gaudia*, meosque dolores, existimatis vobis esse communia.

℣. 4. VT SCIATIS QVAM CHARITATEM HABEAM ABVNDANTIVS IN VOBIS] Id est, vt constet vobis quàm arcta & eximia charitate vos prosequar & complectar, nempe quâ conor reddere vos omnino puros, irreprehensibiles & perfectos.

℣. 5. SI QVIS AVTEM CONTRISTAVIT, id est aliquid patrauit quod mœrorem mihi possit afferre, nempe incestuosus ille de quo nuper scripsi: (c) is sanè NON ME solum CONTRISTAVIT, SED EX PARTE, id est, mecum multos alios ex vobis, imò totam Ecclesiam, cuius ego non nisi pars sum, contristauit: adeò VT NON ONEREM, neque accusem OMNES VOS, quasi conscios & participes criminis ipsius. ita Anselmus.

c 1. *Cor.* 5. *v.* 1.

℣. 7. E CONTRARIO velim VT ipsi iam pœnitenti DONETIS; Græcè, *condonetis*, seu ignoscatis, & pœnam impositam remittatis.

℣. 10. CVI AVTEM ALIQVID DONASTIS; Græcè, χαρίζεσθε, id est, *donatis*, seu condonari & remitti à me petitis per Titum (vt infrà sequitur,) (d) ETiam EGO condono. q. d. Sicut congregatis vobis & meo spiritu iussi illum excommunicari, (e) ita nunc me vobis adiungo, vt, quod vos in persona mea illi condonatis, ego condonem, absoluendo illum ab omni vinculo excommunicationis, omnique reliqua pœna quam adhuc subire meritò deberet pro tam enormi scelere. ita S. Chrysost. Ambros. Anselmus, S. Thomas: qui cum alijs Theologis ex hoc loco rectè docent, Apostolum pœnitenti huic dare Indulgentiam, id est, remissionem pœnæ temporariæ adhuc restantis, quæ necdum fuerat ei remissa etsi pœniteret, vt hîc passim (f) insinuatur. Quod enim Caluinus hîc fingit, solùm in foro exteriori coram Ecclesia pœnam ipsi remitti, refellit ipsemet S. Paulus, dum ait, se quod illi condonauit, condonasse IN PERSONA CHRISTI; Græcè, ἐν προσώπῳ, id est, in facie, seu coram Christo, nempe reuera, & in foro conscientiæ. Item vice & auctoritate Christi cuius personam gero, qui dixit, *Quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* (g) ita S. Ambros. Theodor. Theophyl. Anselmus. Idque PROPTER VOS] Id est, in gratiam vestri pro pœnitente rogantium, & veniam indulgentiamque petentium. Et simili modo solitos olim Martyres, seu Confessores, cùm in carcere detinerentur, supplicare Episcopis pro pœna lapsis pœnitentibus relaxanda, testes certissimi sunt Tertull. Cyprianus & Patres Concilij Nicæni, & alij apud Baronium & Bellarminum. Sed præter vestras, ô Corinthij, preces, etiam me mouet periculum rei, nempe,

d *Hic c.* 7. *v.* 9.
e 1. *Cor.* 5. *v.* 4.
f *Hic v.* 6. & 7. & *cap.* 7. *v.* 7. 11. &c.
g *Matth.* 18 *v.* 18.
Tertull. ad Martyres c. 1. *Cyprian. epist.* 11. 21. 22. *Concil. Nic. canon.* 11. & 12. *Baron. to.* 1. *pag.* 592. *Bellarm. de Indulgentiis.*

℣. 11. VT NON CIRCVMVENIAMVR seu decipiamur A SATANA, qui prætextu iustæ iræ & indignationis aduersus hunc incestuosum, vt qui primus nitorem Ecclesiæ tam fœdâ maculâ conspurcarit, vellet nos in eius causa summo rigore vti, & inexorabiles nos præbere; vt pœnitens omni solatio ac spe destitutus animum despondeat, & abiecta fide totum se peccatis immergat. Sed NON IGNORAMVS COGITATIONES, intentiones, machinationes callidi serpentis: vnde & obuiàmus, pœnitenti veniam & indulgentiam toto affectu impertientes.

℣. 12. TROADE (h) etsi OSTIVM MIHI APERTVM ESSET IN DOMINO] id est, aditus magnus pateret ad Euangelium istic propagandum; tamen

h *Act.* 20 *v.* 5.

℣. 13. NON HABVI REQVIEM SPIRITVI MEO, seu in animo meo, EO QVOD NON INVENERIM istic TITVM quem Corintho exspectabam, nempe vt ex eo resciscerem, quo loco res essent apud vos, & an ij quos reprehenderam se emendassent.

℣. 14. SEMPER TRIVMPHAT NOS Deus] id est, triumphare facit, (i) victoriam concedens. ita S. Ambros. & Anselmus. Vel propriè, de nobis, seu per nos, triumphat de dæmone & mundo.

i *Proleg. de Idiotismo Hebr. n.* 60

℣. 15. CHRISTI BONVS ODOR SVMVS: id est, bonam famam Christi, eiusque Euangelij, quasi suauissimam fragrantiam, tum verbo, tum exemplo

plo spargimus DEO, id est, in honorem & gloriam Dei: sicut res odorifera spargit quaquauersum fragrantiam suam. Sed sicut fragrantia vnguenti columbam vegetat, scarabeum necat: sol oculos sanos recreat, debiles offendit: sic fama sparsa de Christo, IIS QVI SALVI FIVNT, id est, bonis & electis, est odor viuificus, spiritualem vitam illis impertiens: IIS verò QVI PEREVNT, id est, malis ac reprobis, odor est mortiferus, mortem animæ illis causans, licet occasionaliter, nec suo, sed illorum vitio. ita S. Ambros. Oecumen. Anselmus, Bernardus. Sic Apostolus diluit obiectionem, quâ quidam criminabantur præcones Euangelij, quasi pluribus locis exosos ac despectos.

Bernard. serm. 7. in Cant.

℣. 16. AD HÆC QVIS TAM IDONEVS?] q. d. Quàm pauci per orbem reperiuntur adeò idonei ministri Euangelij, vt vbique sint bonus odor Deo? inquit Ambrosius. Quin potiùs

℣. 17. PLVRIMI sunt ADVLTERANTES VERBVM DEI, veris falsa immiscentes, vt caupones (in Græco enim est καπηλεύοντες, id est, *cauponantes*) solent vina adulterare, vt quæstum maiorem faciant. B

CAPVT III.

Apostolos & ministros noui testamenti, docet maiori honore ac gloria decoratos à Deo, quàm Moysen & ministros veteris testamenti.

℣. 2. VOS ESTIS EPISTOLA NOSTRA commendatitia: id est, vos nostra opera instructi & conuersi, satis superque nos instar epistolæ commendatitiæ commendatos redditis tum hominibus, tum Deo: ideoque hanc epistolam in corde meo, quasi in intimo sinu, altissimè defixam gesto.

℣. 3. ESTIS & EPISTOLA CHRISTI, A NOBIS MINISTRATA, id est, ministerio nostro conscripta, SPIRITV DEI, id est, afflatu Spiritus sancti, C IN TABVLIS NON LAPIDEIS, vt olim lex Moysis, SED CARNALIBVS] id est, carneis, mollibus, viuis & sentientibus, nempe in cordibus vestris viuacibus, docilibus & ad omnia promptis. ita S. Augustinus & Anselmus.

Augustin. de Spiritu & littera c. 17.

℣. 4. FIDVCIAM TALEM, seu quòd talis epistola nostra commendatitia vos sitis, HABEMVS beneficio & merito *Christi apud* DEVM:

℣. 5. NON A NOBIS, QVASI EX NOBIS, seu quasi ex nostra virtute vel viribus naturalibus profectum: nam sic ne quidem SVFFICIENTES SVMVS COGITARE ALIQVID eò conducens, nempe quod verè bonum vel virtuosum sit, quodque de condigno, vel de congruo iuuet ad fidem, gratiam, D conuersionem vel salutem. Agit enim hic Apostolus de ijs quæ necessaria sunt vt quis idoneus sit minister noui testamenti, vt sequitur. Sed non negat Apostolus (vt fingit Caluinus,) liberum arbitrium nostrum cooperari gratiæ Dei; sed solùm, ex se esse insufficiens ad bona & supernaturalia opera, seu exercenda, seu tentanda, vt explicat Concilium Arausicanum & S. Augustinus cum alijs Patribus: qui hinc docent contra Semipelagianos, omne fidei salutisque initium ac desiderium non esse ex libero arbitrio, sed ex gratia præueniente: quâ excitatum, roboratum & adiutum liberum arbitrium cooperatur, si vult, eidem gratiæ, eiusque influxui supernaturali in opus supernaturale concursum suum præbet, sibi suæque naturæ viribus commensuratum. SVFFICIENTIA ergo liberi arbitrij, id est, potentia ac vires ad opus supernaturale producendum, non est ex libero arbitrio sed EX DEO.

Concil. Arausic. can. 7. Augustin. de Prædestin. Sanctor. c. 2.

℣. 6. QVI inter alia bona, etiam hoc nobis tribuit, vt *idonei* simus *ministri* NOVI TESTAMENTI, id est, ad prædicandum Euangelium Ecclesias fundandas, Sacramenta administranda. *Ministri*, inquam, NON LITTERA sola vobis communicanda; SED & SPIRITV imperiendo: id est, non eo modo ministri sumus quo in lege Moysis, vt scilicet nudam litteram legis vobis proponamus, sed insuper etiam spiritum, id est, Dei gratiam, afferamus: nam Deus ad verba nostra immittit vobis copiosam gratiam, sanctasque inspirationes & impulsus. ita S. Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus & Anselmus. LITTERA ENIM, seu lex sola, si gratiæ præsidio destituatur (vt in veteri testamento,) nocet potiùs quàm prosit: nam OCCIDIT animam, (licet occasionaliter,) dum multitudine & difficultate præceptorum vrget ac premit, nec tamen vires subministrat ad ea omnia complenda vt oportet. (*a*) Solus enim SPIRITVS id est, gratia spiritualis, VIVIFICAT animam, vitam ei supernaturalem afferens, quâ potens redditur ad opera æternæ saluti parandæ necessaria.

Augustin. de Spiritu & littera c. 1. & seqq. & de Natura & gratia, cap. 57.

a Rom. 7. v. 6.

℣. 6. & 8. QVOD SI MINISTRATIO MORTIS ET DAMNATIONIS, id est, promulgatio legis Mosaicæ, quæ mortem & damnationem plerisque causabat (vt iam dixi) & DEFORMATA erat; Græcè, ἐντετυπωμένη, id est, impressa, inscripta, IN LAPIDIBVS, id est, tabulis marmoreis, FVIT IN GLORIA, id est, fuit valdè gloriosè facta, nempe cum tonitru, fulmine, tuba cælesti, terræmotu, splendore vultus Mosaici, (*b*) quitamen citò *euacuatus* & ablatus fuit; (*c*) QVOMODO NON MAGIS MINISTRATIO SPIRITVS & iustitiæ, (id est, promulgatio legis Euangelicæ, quæ spiritum, id est, copiosam gratiam, & veram iustitiam affert) glorioſa esse debuit? Et verò fuit etiam glorioſissimatum in Pentecoste, (*d*) tum deinceps per signa, miracula & prodigia longè plura ac præstantiora Mosaicis, solidioraque ac diuturniora. ita Chrysostomus, Ambrosius & Anselmus.

b Exodi 19. & 34.

c Exodi 34. v. 29.

d Act. 2. v. 1. &c.

℣. 10. NAM NEC GLORIFICATVM quidem dicendum EST, QVOD CLARVIT in promulgatione legis Mosaicæ. q. d. Gloria Moysis in Sinai, ne quidem appellanda est gloria IN HAC PARTE, id est, si comparetur cum splendore muneris Apostolici, PROPTER EXCELLENTEM huius GLORIAM præ illa Mosaica, quæ

℣. 11. EVACVATVR, id est, citò sublata & extincta fuit: nam & radij & splendor, quin & ipsa vita Moysen morientem deseruerunt, vt significarent, legem Mosaicam desituram, eiusque GLORIAM, aduentante noua lege Christi, emorituram: cùm lex Christi MANEAT, duratura vsque ad finem mundi. D

℣. 12. HABENTES TALEM SPEM, scilicet, quòd Deus per nos noui testamenti ministros spiritum gratiæ diffundet in animos auditorum, atque ita nos deinceps glorificabit præ Moyse, vt fecit hactenus; hinc MVLTA FIDVCIA VTIMVR] id est, admodum confidenter, liberè & apertè euangelizamus,

℣. 13. NON *velata facie*, SICVT MOYSES, sed nuda ac detecta, sine vmbrarum vel figurarum velamine, sine obscuris ambagibus, sine timore aut terrore; sed ingenuè, liberè, clarè & apertè. ita Ambros. Theodor. Theophyl. Anselmus. Hanc tamen tam apertam, tam claram Euangelij lucem non capiunt Iudæi:

℣. 14.

℣. 14. SED OBTVSI & occlusi SVNT oculi, Aures & reliqui SENSVS EORVM. Nam IDIPSVM VELAMEN vmbrarum & figurarum VETERIS TESTAMENTI MANET in ipsis NON REVELATVM, id est, à vultu vel animo illorum non deductum, non depositum; neque enim capiunt, intelligunt aut credunt, QVONIAM velamen hoc *per Christum* EVACVATVR, & iam pridem ablatum est, veritate figuras complente, & luce Euangelij veteres vmbras pellente.

℣. 17. DOMINVS AVTEM SPIRITVS EST, supple, & Spiritum sanctum nobis dat, cuius dono possumus legem intelligere & complere, non secundùm nudam litteram, seu corticem verborum, sed secundùm spiritualem, genuinum & verum sensum, à Spiritu sancto intentum. VBI AVTEM SPIRITVS DOMINI est, putà in lege Euangelica, quam indiuulsè comitatur; IBI est etiam LIBERTAS à velamine, ab vmbris, à timore seruili, &c. vt B scilicet ablato legis Mosaicæ velamento, clara luce & vltronea voluntate ambulemus secundùm legem Dei, inquit Theophylact. Libertas ergo Christiana non abolet leges humanas aut diuinas (vt spargunt Suencfeldiani & Libertini;) sed ad eas implendas tanta impertit auxilia, vt sponte, generosè ac liberè eas omnes impleamus non formidine pœnæ, vt serui ac mancipia solent, sed amore virtutis ac Dei, quod filiorum est ac *liberorum*. ita S. Chrysost. & Augustin. & alij Patres citati à Bellarmino & Bellio- *Augustl. de Continentia c. 3. & de Spiritu, &c. suprà. Bellarm. l. 4. de Iustific. c. 3. & 4.*
lano, qui totos 15. libros de hac Christiana Libertate conscripsit.

℣. 18. Nos VERÒ Christiani OMNES, REVELATA FACIE, ac detecto vultu, sine velamine aut tenebris Iudaicis, GLORIAM DOMINI, id est, excellentia beneficia diuinitus humano generi exhibita, in quibus maximè elucet gloria Dei, C putà opus incarnationis Filij Dei, redemptionis & sanctificationis nostræ, &c. SPECVLANTES; Græcè, κατοπτριζόμενοι, id est, *inspeculo* (scilicet Verbo incarnato) *intuentes*, TRANSFORMAMVR IN EAMDEM IMAGINEM: id est, participes reddimur eiusdem claritatis, quia per reflexionem radiorum ab hoc lucidissimo speculo in nos, nos etiam lucidi efficimur luce fidei & gratiæ Christi, imò simus quasi specula iubar diuinum in alios quoque emittentes, & quasi soles mundum illuminantes: idque a *Rom. 1. v. 17.* A CLARITATE IN CLARITATEM, (*a*) id est, clariùs in dies & clariùs; TAMQVAM A DOMINI SPIRITV sic transformati, cui id proprium & solemne est. ita S. Chrysostomus & Theophylactus.

CAPVT IV.

Spe melioris vitæ ac resurrectionis docet omnia dura & aduersa meritò toleranda.

℣. 1. IDEO, id est, ob tantam (quantam præced. cap. vidimus,) excellentiam muneris Apostolici, nobis misericorditer ac gratiosè collati, NON DEFECIMVS in illo excolendo, socordiæ indulgentes non cessamus illud exequi, malis & calamitatibus fracti non cedimus impedire illud volentibus.

℣. 2. SED palàm, apertè, liberè fungimur nostro munere, & ABDICAMVS; Græcè, *abnegamus*, reiicimus à nobis, etiam OCCVLTA DEDECORIS, id est, Primò, crimina seu peccata. q. d. Nihil admittimus, ne occultè quidem, quod meritò culpari possit. Secundò, fraudes, latebras, ambages & clancularias artes, quibus solent pseudoapostoli probra & flagitia sua obtegere: nam vt alibi (*b*) *b Ephes. 5. v. 13.*

ait, *quæ in occulto ab ipsis fiunt, turpe est dicere.* Sed nos operam damus vt clara & aperta VERITATIS tum doctrinæ, tum morum, MANIFESTATIONE, atque ipsa rerum euidentia omnibus probemur, etiam infidelibus, si secundùm CONSCIENTIAM, & prout recta ratio dictat, CORAM DEO iudicare voluerint.

℣. 3. QVOD SI post tam claram prædicationem nostram, quibusdam ETIAMNUM OPERTVM, seu velatum, EST EVANGELIVM NOSTRVM: id non nobis, sed vitio illorum debet imputari: nullis enim OPERTVM manet, nisi IIS QVI PEREVNT (*c*) sponte sua, nempe qui audire, credere, saluari *c Hic c. 2.* nolunt. *v. 15.*

℣. 4. QVIBVS MENTES EXCÆCAVIT tenebris infidelitatis & vitiorum, DEVS HVIVS SÆCVLI, id est, diabolus, qui passim ab infidelibus pro Deo colitur: vnde & *princeps huius mundi* vocatur ab ipsomet Christo (*d*) ita Oecumen. & S. Tho- *d Ioan. 14.* mas. Adeò autem excæcantur, vt clarissima lux & *v. 30.* *gloriosus* splendor EVANGELII CHRISTI, (QVI EST IMAGO DEI: Filius enim à Patre ab æterno procedit vt imago ipsi simillima, ac perfectissimè ipsum repræsentans; etiam in identitate eiusdem cum ipso naturæ: & consequenter Deus verus de Deo vero progenitus:) cùm irradiet totum orbem, & *illuminet omnem hominem*, (*e*) tamen ILLIS NON FVLGEAT: *e Ioan. 1.* quare? quia noctuis, & lucem fugientibus. *v. 9.*

℣. 6. DEVS QVI DIXIT, id est, iussit, (*f*) DE- *f Genes. 1.* pulsis TENEBRIS LVCEM SPLENDESCERE, tum *v. 3.* corporalem, tum spiritualem; tum in creatione ac decursu mundi, tum in quotidiana mentium nostrarum per cælestes gratias illuminatione; IPSE, neglectis illis noctuis, ILLVXIT clarissimo lumine fidei IN CORDIBVS NOSTRIS, AD ILLVMINATIONEM SCIENTIÆ, id est, vt illuminemur, & vicissim alios illuminemus *scientia* CLARITATIS DEI: id est, certa cognitione clarissimorum mysteriorum & perfectionum veri, vnius & solius Dei, IN FACIE CHRISTI] id est, per certam solidamque cognitionem Christi, eiusque conuersationis, vitæ ac doctrinæ: Quod enim *in facie* cognoscitur, certò, clarè, solidè cognoscitur. Vita autem ac doctrina Christi deducit nos in solidam certamque notitiam Dei, diuinorumque attributorum, mysteriorum & operationum. ita S. Chrysostomus cum suis. Porrò

℣. 7. THESAVRVM ISTVM cælestis scientiæ HABEMVS IN VASIS FICTILIBVS, id est, in anima quidem immortali, sed circumdata corpore luteo, fragili, caduco, VT toti orbi constet, quòd D SVBLIMITAS, id est, excellentia quæcumque in nobis est, non nobis asscribenda sit, sed VIRTVTI, id est, potentiæ, sapientiæ ac bonitati DEI, inquit S. Chrysostomus. Cui etiam asscribendum, quòd

℣. 8. IN mediis tribulationibus NON ANGVSTIAMVR, Græcè, *non coarctamur*; Syrus, *non suffocamur*. Apostolis enim etiam in arcto positis, erat mens libera, lata & excelsa. APORIAMVR, Græcè, ἀπορούμενοι, id est, *pressi inopia*, tum rerum externarum, tum animi & consilij: nempe caremus omni humano consilio ac solatio, SED diuino NON DESTITVIMVR] Deus enim per gratiam & prouidentiam suam modum suggerit & viam aperit quâ euadamus, inquit Ambrosius & Theophylactus.

℣. 9. DEIICIMVR ex edito loco vasa (vt sumus) fictilia, SED, Deo manum subiiciente, non conterimur, non dissilimus in frusta, NON PERIMVS.

℣. 10.

℣. 10. MORTIFICATIONEM IESV; Græcè, Α νέκρωσιν, id est, passionem mortis, seu perpessionem extremarum miseriarum ducentium rectà ad mortem; CIRCVMFERENTES IN CORPORE NOSTRO, quasi in publico theatro, similem passioni Christi, cuius nos, (vtpote eius ministri ac vicarij,) vt vitam, ita & mortem libentissimè in nobis exprimimus ac repræsentamus in hoc mundi theatro: VT IN iisdem NOSTRIS CORPORIBVS, cùm à mortuis rediuiua resurgent; etiam simili modo repræsentetur in longè nobiliori theatro, VITA nuper reddita corpori IESV à mortuis resurgenti.

℣. 11. MORS IN NOBIS OPERATVR, & per continuas ærumnas ac miserias nos depascitur, sed in bonum vestrum; nam hac via procuratur VOBIS VITA spiritualis, nempe salus animarum vestrarum. *Sanguis* enim *Martyrum semen est Christianorum*, inquit Tertull. & Ambros.

℣. 13. HABENTES EVMDEM cum Dauide SPIRITVM FIDEI, id est, eamdem fidem ex eiusdem spiritus afflatu. q.d. Sicut Dauid multis tribulationibus immersus dixit, CREDIDI semper, & adhuc credere pergo, quòd Deus iuxtà promissa sua me ex omnibus malis liberabit; vnde & illud ipsum audacter vbique proloquor: ita ET NOS CREDIMVS, speramus ac confidimus; ideoque etiam animosè atque intrepidè profitemur spem liberationis & resurrectionis nostræ. ita S. Chrysost. Theophyl. Oecum.

℣. 14. CONSTITVET NOS Deus VOBISCVM in cælesti gloria.

℣. 15. PROPTER VOS ENIM vestramque salutem OMNIA quæ patienda occurrunt, libenter patimur; & quæ agenda, studiosè agimus, non nostra priuata commoda, sed commune semper bonum spectantes. Vnde etiam æquum est, nos eiusdem vobiscũ salutis ac gloriæ participes reddi. VT GRATIA ABVNDANS & in multos effusa, PER MVLTOS etiam pariat GRATIARVM ACTIONEM *Deo*.

℣. 16. QVI FORIS EST NOSTER HOMO, id est, corpus nostrum, CORRVMPITVR fame, siti, frigore, nuditate, morbis, flagellis, aliisque ærumnis: sed IS QVI INTVS EST, id est, spiritus, RENOVATVR & proficit per hæc continuò in virtutibus, interno robore & alacritate, ad plura in dies ferenda ac superanda. Scit enim

℣. 17. QVOD MOMENTANEVM ET LEVE TRIBVLATIONIS NOSTRÆ instar plumæ *sit* respectu immẽsi *ponderis* GLORIÆ, quod SVPRA MODVM IN SVBLIMITATE, Græcè, καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν, id est, *secundùm excellentiam in excellentiam*, id est, excellenter excellentem, & sublimissimam gloriam OPERATVR moraliter & meritoriè, id est, causat IN NOBIS, non ad vnum alterúmve sæculum, sed in ÆTERNVM:

℣. 18. NON CONTEMPLANTIBVS, id est, non spectantibus, non curantibus, NOBIS bona seu mala huius vitæ QVÆ VIDENTVR, & non nisi breuissimo durant tempore: SED animum attollentibus ad ea QVÆ *necdum* VIDENTVR, sed certò obuentura, & *æternùm* nobiscum mansura sunt. ita S. Chrysost. & Theodoret.

CAPVT V.

Pergit inculcare futuræ vitæ gloriam, ad quam ex hoc exilio suspirat, & alios vt eò contendant, prolixè commendat.

℣. 1. SI quando TERRESTRIS DOMVS NOSTRA, id est, mortale corpus nostrum, morte DISSOLVITVR ac destruitur, HABEMVS EX DEO aliam ÆDIFICATIONEM, id est ædificium, seu domum animæ nostræ præparatam NON MANV humana, sed diuina; non caducam, sed æternam; non in terris, sed IN CÆLIS, scilicet gloriam cælestem, quam velut splendidissimum palatium (*a*) statim à morte, si nil purgandum superfit, ingrediemur, iuxtà illud, *Intra in gaudium Domini tui.* ita Photius, Oecumen. Anselmus, S. Thomas & Liranus. Ex quo loco, vt & ex v. 8. contra Tertullian. Græcos, Armenos, Lutherum & Caluinum patet, animas sanctas pleneque purgatas statim à morte frui gloria cælesti.

a *Act.* 7. v. 3. b *Matt.* 25. v. 21.

℣. 3. SI TAMEN VESTITI in altera vita, & NON NVDI INVENIAMVR] q.d. Certum est, Sanctos, postquam demigrarint ex hac vita, etsi corpore spolientur ad tempus, non tamen ideo omni veste carituros: nam vestientur cælesti gloria: quam vt ante comparauit palatio, nunc comparat vesti. ita Tertull. Sed Chrysost. cum suis, Ambros. & Theodoretus per vestem intelligunt charitatem, gratiam iustificantem & bona opera.

℣. 4. GRAVATI miseriis huius vitæ INGEMISCIMVS sub sarcina: EO QVOD; Græcè ἐφ' ᾧ, id est, *in quo* statu, etsi miserrimo constituti, NOLVMVS EXSPOLIARI corpore, SED vellemus, si fieri posset, SVPERVESTIRI, id est, sine media morte corpus indui gloria & dotibus (*c*) glorioſis, vt QVOD MORTALE EST, id est, mortalitas & imperfectio corporis, ABSORBEATVR A VITA & gloria immortali. ita S. Chrysost. & Anselmus.

c 1. *Cor.* 15. v. 41.

℣. 5. QVI AVTEM EFFICIT; Græcè, *effecit* condidit, destinauit, NOS IN HOC IPSVM, vt simus aliquando glorioſi & immortales, est DEVS. q. d. Ergo voluntate & decreto Dei debemus esse contenti, qui non vult, immortalitatem & gloriam cælestem nobis nisi mediante morte conferre: sed DEDIT NOBIS PIGNVS SPIRITVS, id est dedit nobis in iustificatione Spiritum sanctum, qui est pignus & arrha obuenturæ nobis olim gloriæ & immortalitatis. quod pignus si ad finem vsque vitæ conseruemus, certò nobis illæ obuenient. ita Ambrosius. Vnde &

℣. 6. AVDENTES sumus, id est audacter confidimus nos accepturos aliquando illam gloriam, ideoque pericula & molestias omnes, quin & mortem libenter subimus, imò & optamus, inquit Theophyl. Neque enim sumus hîc in patria, sed in exilio, & PEREGRINAMVR, id est, instar peregrinorum longè agimus A DOMINO, id est, procul absumus à visione & fruitione Dei, veraque felicitate.

℣. 7. Solùm ENIM AMBVLAMVS HIC PER FIDEM, seu obscuram & abstractiuam cognitionem, ET NON PER SPECIEM, seu intuitionem ipsiusmet Dei rerumque diuinarum vt in se sunt. Vnde &

℣. 8. AVDEMVS, id est, audacter inhiamus, & BONAM VOLVNTATEM HABEMVS; Græcè, εὐδοκοῦμεν, id est, pro grato, charo & accepto habemus, si ex loco exilij & è CORPORE migremus in patriam, & PRÆSENTES ibi sistamur DOMINO] Audin', *præsentes Domino?* ergo à morte & plena purgatione non recluduntur animæ in nescio quibus cauernis, quas fingunt supracitati, (*c*) sed *præsentes* sunt *Domino*, & fruuntur gloria cælesti.

d *Hie* v. 1. *in fine.*

℣. 9. IDEO CONTENDIMVS PLACERE Domino, non solùm quando illi PRÆSENTES erimus *& incolæ cæli*, vt est in Syro: sed etiam nunc quando ABSENTES adhuc sumus, &, vt Syrus vertit, *peregrini* & incolæ terræ.

℣. 10.

℣. 10. PROPRIA CORPORIS vocat mercedem eorum quæ quisque gessit in corpore mortali: nam agit de solis adultis.

℣. 11. SCIENTES ERGO ad prædictam æternæ gloriæ mercedem obtinendam, necessarium esse ante omnia TIMOREM DOMINI iusti iudicis & vindicis futuri, ideò etiam hunc ipsum timorem ante omnia SVADEMVS HOMINIBVS, DEO AVTEM MANIFESTI SVMVS] id est, Deus, quem nil potest latere, scit me sincerè & candidè agere, etsi nos laudem.

℣. 12. VT HABEATIS OCCASIONEM GLORIANDI PRO, seu de, NOBIS *apud* pseudoapostolos alioſque hypocritas, QVI solùm IN FACIE, id est, exteriùs, quædam laudanda faciunt, & inde GLORIANTVR, cùm IN CORDE, id est, in conscientia sua nil habeant vnde gloriari possint, propter *occulta dedecora*, de quibus suprà. (*a*)

a *Hic c. 4. v. 2.*

℣. 13. SIVE ENIM MENTE EXCEDIMVS; Græcè, ἐξέστημεν, id est, quasi ecstatici & mente alienati abripimur, nempe multum laudando nos ipsos, & nostra iactando (quod insanorum esse videtur;) DEO, id est, ad Dei honorem id facimus, scilicet, vt nos nostraque monita vobis probemus, & sic vos Christo lucremur. SIVE SOBRII SVMVS in sermone & laudibus propriis; VOBIS] id est, in vestri quoque gratiam id facimus, vt nempe modestiam & humilitatem vos doceamus, inquit S. Chrysost. Ambros. Anselmus.

℣. 14. CHARITAS ENIM CHRISTI VRGET NOS, vt nostra omnia in honorem Dei & commodum vestrum referamus.

℣. 16. EX HOC nunc, (vt est in Græco,) id est, exinceps, NEMINEM NOVIMVS SECVNDVM CARNEM, id est, nihili æstimamus mortales omnes & quæcumque mortalem hanc vitam spectant. putà famam, honores, voluptates, valetudinem, nobilitatem, & maximè humanas amicitias, cognationes, fauores. Quin & ipsum CHRISTVM, licet aliquãdo viderimus & æstimauerimus SECVNDVM CARNEM, id est, nobis similem & cognatum, beneficiis corporalibus nos prosequẽtem, vel, si mauis, mortalem, infirmum, passioni & dolori obnoxium: NVNC tamen NON NOVIMVS nisi impassibilem & immortalem, & beneficiis spiritualibus nos prosequentem. Ita ferè S. Chrysost. Theodor. Ambros. Anselmus. q. d. Magnum olim & gloriosum nobis putabamus, quòd Christus *secundùm carnem* gentilis noster esset & cognatus: quòd infirmos nostros sanaret, mortuos suscitaret, &c. Iam terrenis illis affectibus mortui sumus, & augustiùs de Christo sentimus, nec nouimus, nec æstimamus ipsum nisi *secundùm spiritum*, id est, vt hominem spiritu Dei plenum, auctorem omnis gratiæ & salutis: atque vt tali, viuimus, seruimus, gloriamur, & vt talem toto orbe prædicamus.

℣. 17. SI QVA ERGO NOVA CREATVRA: id est, si quis ergo mecum IN CHRISTO nouiter recreatus, seu regeneratus, atque in nouum hominem transmutatus est; is nosse debet quòd VETERA TRANSIERVNT, id est, quæ veteris & corrupti hominis sunt, carnales affectus, mundana iudicia, &c. Non amplius in animo dominari possint, sed NOVA debeant esse OMNIA, non nostris viribus, sed

℣. 18. EX DEO, id est, Dei gratia, beneficio, ac donatione: QVI NOBIS Apostolis DEDIT MINISTERIVM, id est, commisit officium (v. seq. VERBVM, id est. negotium) RECONCILIATIONIS hominum cum Deo, verbo primùm promulgandæ, dein Sacramentorum impertitione etiam procurandæ.

℣. 19. NON REPVTANS, id est, non imputans, hominibus DELICTA IPSORVM, sed gratis & plenè omnia remittens; (de quo alibi (*b*) IN CHRISTO, id est, per & propter merita Christi, seu per infusionem gratiæ iustificantis, quam nobis promeritus est Christus.

b *Psal 31. v. 2. & Rom. 4. v. 7.*

℣. 20. OBSECRAMVS PRO CHRISTO, id est, vice & nomine Christi, vtpote legati ipsius & vicarij, vt velitis plenè RECONCILIARI DEO: qui tanto vos dignatus est amore, vt

℣. 21. EVM QVI NON NOVERAT PECCATVM, id est, Filium suum Christum, nulli vnquam peccato obnoxium, PRO NOBIS PECCATVM (*c*) FECERIT, id est, constituerit hostiam, seu victimam pro expiandis peccatis nostris, VT IN IPSO, id est, ipsius merito, NOS EFFICEREMVR IVSTITIA DEI] id est, iusti coram Deo, per gratiam iustificantem nobis infusam à Deo. Ita S. Chrysost. Ambros. August. Theophyl. Anselmus.

c *Prolog. de Idiotismis Hebr. n. 19.*

CAPVT VI.

Quomodo Christiani, vtpote ministri Dei, se gerere debeant, & nominatim cauere commercia infidelium & hæreticorum.

C ℣. 1. ADIVVANTES; Græcè, συνεργοῦντες, id est, *cooperantes* Deo, vt propositam (*d*) reconciliationem & iustitiam assequamini, (inquit Anselmus) EXHORTAMVR VOS, ne per desidiam vel neglectum RECIPIATIS GRATIAM DEI IN VACVVM, cum ea non collaborantes, nec eam operi applicantes, inquit S. Chrysost. & Theophyl.

d *Hic c. 5. v. 18. & seqq.*

℣. 2. AIT ENIM per Isaiam Deus: TEMPORE ACCEPTO, vel *acceptabili*, id est, *tempore* mihi *placito*, (vt vertit Interpres Isaiæ,) seu tempore quo decreueram eximiè benefacere orbi propter te Christe, id est, tempore legis nouæ, vel, si mauis, tempore præsentis vitæ; EXAVDIVI TE, pro membris & filiis tuis mihi supplicantem, (*e*) ipsisque gratiam, opem & salutem postulantem. ET IN DIE SALVTIS, id est, tempore quo omnes homines per te, ô Christe, vocare statui ad æternam salutem, ADIVVI TE, vt quod intendis & agis, planè assequaris, nempè copiosam gratiam hominibus impertior, qua excitentur, animentur, roborentur ad ea quæ salutis suæ sunt amplexanda. Cumque IAM adsit illud TEMPVS, ille DIES toties exoptatus, ne sinamus frustra elabi, vel infructuosè transire, siue quoad nostrum profectum, siue quoad proximorum promotionem.

Isaiæ 49. v. 8.

e *Psal. 68. v. 14. & 15.*

℣. 6. IN SPIRITV SANCTO, nempe vt omnibus pateat, nos non à spiritu vanitatis, superbiæ, auaritiæ vel curiositatis, sed reuera à *Spiritu sancto* agi & impelli. Ita S. Chrysostom. Theophyl. Anselm.

℣. 7. IN VIRTVTE, seu per potentiam, DEI, quâ impios, refractarios, dyscolos fortiter cohibeamus & compescamus. PER ARMA non cacozeliæ, sed IVSTITIÆ & sanctitatis, quibus vndique tam A DEXTRIS quàm A SINISTRIS cingamur, æquè in aduersis, atque in prosperis, vt nec his extollamur, nec illis perturbemur.

℣. 8. PER GLORIAM ET IGNOBILITATEM, id est, siue honoremur, siue despiciamur. PER INFAMIAM ET BONAM FAMAM: id est, siue benè,

siue malè audiamus : SEDVCTORES existimati, cùm simus VERACES & veritatis præcones. Habiti SICVT IGNOTI, id est, obscuri & terræ filij, cùm passim splendore miraculorum, & doctrinæ excellentia simus maximè cogniti & inclyti.

¥. 9. QVASI MORIENTES propter quotidiana quæ adimus mortis pericula. VT CASTIGATI crudelibus magistratuum tum Gentilium, tùm Iudæorum edictis : sed Deo præpediente necdum MORTIFICATI, seu occisi.

¥. 10. QVASI TRISTES & melancholici ob aduersa quibus premimur : sed reuera SEMPER GAVDENTES, quòd *digni* habeamur *pro nomine Iesu contumelias pati.* (a) EGENTES victu, amictu, aliisque corpori necessariis: interim *multos* cælestibus bonis LOCVPLETANTES. NIHIL proprij HABENTES amore Euangelicæ paupertatis quam profitemur : ET tamen OMNIA POSSIDENTES] id est, perinde contenti sumus, imò perinde nobis prospicitur de omnibus necessariis, ac si omnia mundi bona, vt propria possideremus.

a *Act. 5. v. 41.*

¥. 11. OS NOSTRVM PATET AD VOS, ô CORINTHII] Id est, liberè & apertè vobis loquor, neque loquendo exsatior, quia *corde dilatato* per charitatem, id est, vehementissimè vos amo:

¥. 12. NON enim ANGVSTIAMINI IN NOBIS, id est, non obtinetis angustum seu arctum locum in corde nostro, sed admodum spatiosum. ANGVSTIAMINI AVTEM IN VISCERIBVS VESTRIS: id est, angustam & exiguam charitatem nobis vos rependitis, ita vt nos non possimus vicissim in vestris cordibus spatiosè habitare. Quare adhortor vos tamquam *filios* meos, vt

¥. 13. DILATEMINI ET VOS, atque ita EAMDEM, seu parem, amoris REMVNERATIONEM nobis vicissim rependatis. Ita S. Chrysost. cum suis.

¥. 14. NOLITE IVGVM DVCERE, id est, matrimonio iungi, inquit S. Hieron. vel (vt Chrysost. Ambros. Theophyl.) nolite commercium in iis quæ religionem spectant, habere CVM INFIDELIBVS, aut cum hæreticis ; cùm ferè par sit ratio. Sed de his alibi, (b) vt & *vers.* 15. de BELIAL, id est, diabolo. (c)

Hieron. l. 1. cont. Iouinianum.

b 1. *Cor. 7. v. 12.*

c *Deuter. 13. v. 13.* d 1. *Cor. 6. v. 19.* *Leuit. 26. v. 12.*

¥. 16. QVIS CONSENSVS TEMPLO DEI, id est, vobis Christianis, (qui, SICVT DICIT DEVS, (d) templum estis Spiritus sancti) CVM IDOLIS & idololatris ?

¥. 17. EXITE DE MEDIO EORVM, vt suadet Deus apud Isaiam : (e) ne *immundo*, id est, immunditiis & sordibus illorum, putà luxuria, crapula, fastu, idololatria, aliisque sceleribus & scelerata doctrina inquinemini. Ita S. Hieronym. Cyrillus, Chrysost. Ambros. Anselmus. Quod enim apud Isaiam monentur Iudæi ad litteram egredi de Babylone, maximè spirituali, vt ibidem exposui : illud idem in sensu tropologico, vel à pari, monet hîc Apostolus omnes fideles, vt omnium infidelium commercia deuitent.

e *Isaiæ 52. v. 11.*

Hieron. & Cyrill. in illud Isaiæ.

CAPVT VII.

Corinthios pœnitentes consolatur, docetq; quæ sint vera signa & actus solidæ pœnitentiæ.

¥. 1. HABENTES HAS PROMISSIONES, nempe, nos fore Dei filios, MVNDEMVS NOS per seriam pœnitentiam AB OMNI INQVINAMENTO, seu CARNIS, seu SPIRITVS, id est, ab omni sorde & scelere, seu *carnali*, qualis est gula, ebrietas, luxuria: seu *spirituali*, qualis est superbia, ambitio, inuidia, ira, &c. PERFICIENTES SANCTIFICATIONEM, id est, proficientes continuò in sanctitate, per DEI TIMOREM, cultum & amorem. Timor enim Dei filialis non solùm inchoatio est, sed & perfectio veræ sanctitatis, vt alibi (f) vidimus.

f *Eccli. 1. v. 20. & c. 19. v. 18.*

¥. 2. CAPITE NOS] Græcè, χωρήσατε, id est, *locate* nos, concedite nobis locum apud vos, non arctum, (g) sed amplum, vt excipiamur lato sinu charitatis vestræ.

g *Hic 6. 6. v. 12.*

¥. 3. NON hæc DICO AD VESTRAM CONDEMNATIONEM, quasi velim vos hac in parte culpare vel arguere : iam ENIM PRÆDIXIMVS, id est, antè, seu suprà diximus, (h) QVOD IN CORDIBVS NOSTRIS ESTIS AD COMMORIENDVM ET CONVIVENDVM] Id est, adeò nobis dilecti & animo infixi, vt vnà vobiscum, & pro vobis, mori æquè ac viuere parati simus. Alludit ad arctissimam amicitiam *Nisi* & *Euryali*, (i) & similium amantium & amasiorum.

h *Ibid.*

i *Virgil. 9. Æneid.*

¥. 6. CONSOLATVS EST NOS DEVS IN, seu per ADVENTVM TITI, qui Corintho reuersus (k) læta de vobis nuntiauit.

k 2. *Cor. 2. v. 13.*

¥. 7. CONSOLATVS, inquam, IN VOBIS, id est, in virtute vestra: REFERENS NOBIS VESTRVM seriæ emendationis DESIDERIVM & sollicitudinem, FLETVM etiam ac luctum pro peccatis, denique & ÆMVLATIONEM PRO ME, id est, zelum tuendi me, meumque honorem contra obtrectatores : ITA VT his auditis, MAGIS *gauisus sim*, quàm antè contristatus ob vestra schismata & alia delicta.

¥. 9. CONTRISTATI ESTIS SECVNDVM DEVM, vel secundùm desiderium Dei : adeò VT IN NVLLO prorsus DETRIMENTVM PATIAMINI EX NOBIS] id est, ex epistola nostra, nempe propter ea quæ forsan acerbiùs in priore mea epistola vobis perscripseram, v. g. de schismate vestro, de incestuoso, de aliis vitiis quæ carpseram.

¥. 10. TRISTITIA SECVNDVM DEVM, id est, diuina, seu Deo placens, est quæ propter Deum offensum concipitur: non verò quæ propter opes, honores, voluptates amissas, aut homines offensos. Hæc est enim SÆCVLI, seu mundi, TRISTITIA, & sæpè causat MORTEM tum corporis, tum animæ, inquit S. Chrysostomus. Diuina autem tristitia *vers.* 11. OPERATVR SOLLICITVDINEM placandi Dei : SED & DEFENSIONEM, id est, etiam efficit vt me defendatis contra obtrectantium calumnias : SED & DESIDERIVM Deo satisfaciendi, & mores emendandi. IN OMNIBVS EXHIBVISTIS, seu præbuistis ; Syrus, *ostendistis*, VOS INCONTAMINATOS ESSE NEGOTIO, id est, omninò alienos & immunes esse à peccato isto incestuoso, inquit Theophyl. & Anselmus. Reprehendi tamen vos,

¥. 12. NON tantùm vt saluti eius consulerem QVI FECIT alteri INIVRIAM, scilicet salutiadulteri & incestuosi: NEC solùm vt persequerer iniuriam marito illatam, cuius vxorem sibi concubinam fecit iste incestuosus: SED etiam, vt ostenderem SOLLICITVDINEM, quam pro communi Ecclesiæ vestræ bono & salute gero, scilicet vt infame scandalum & publicum probrum ab ea depellerem.

¥. 14. GLORIATIO NOSTRA, VERITAS FACTA EST] Id est, compertum est me ipsissimam veritatem dixisse, quando de vestra probitate gloriatus sum.

¥. 15. VISCERA EIVS, id est, affectus Titi magis

gis iam in vos propendet, quàm antè. CVM TIMORE ET TREMORE] Id est, cum reuerentia & metu displicendi.

¥. 16. GAVDEO QVOD IN OMNIBVS CONFIDO, seu confidere possim, IN VOBIS] id est, quòd absque offensionis periculo possim liberè vobiscum agere, monendo, corripiendo, poscendo, præscribendo. Ita S. Chrysost. Ambrosius & Theophyl.

Vbi Notat Anselmus prudentiam S. Pauli, quasi optimi medici, qui iam penè sanata vulnera leniss imis medicamentis consolationis & laudis curat, vt prioris obiurgationis vstura sanetur.

CAPVT VIII.

Hortatur ad eleëmosynam faciendam pauperibus Ierosolymitanis.

¥. 1. GRATIAM DEI QVÆ DATA EST IN ECCLESIIS MACEDONIÆ; vocat liberalitatem & munificentiam in pauperes, simul & patientiam in aduersis.

¥. 2. QVOD IN MVLTO & molesto EXPERIMENTO ac tolerantia TRIBVLATIONIS, maior ABVNDANTIA FVIT GAVDII: ET ALTISSIMA; Græcè, *profundissima*, id est, maxima, PAVPERTAS EORVM, ABVNDAVIT & redundauit ad largiendum DIVITIAS, id est, copiosas elemosynas, SIMPLICITATIS (a) id est, promptæ benignitatis & candidæ liberalitatis suæ. q. d. Macedones, etsi planè exhausti & extremè pauperes, liberalissimè tamen & copiosissimè contulerunt de suo,

a *Infr. c. 9. v. 11. & 13.*

¥. 3. VOLVNTARII, id est, vltronei, non prouocati, non rogati: & quidem SVPRA VIRTVTEM, supra vires suas.

¥. 4. OBSECRANTES NOS prolixè & instanter, vt admitteremus oblatam ab ipsis GRATIAM, id est, gratuita dona, ET COMMVNICATIONEM MINISTERII] nempe vt & ipsi permitterentur conferre aliquid in subsidium pauperum Christianorum, inquit Theophylactus.

¥. 5. NON SICVT SPERAVIMVS, suas tantùm facultates in eum vsum obtulerunt, SED & SEMETIPSOS & suasmet personas, PRIMVM DOMINO, diuinoque cultui deseruituras; DEINDE & NOBIS PER VOLVNTATEM DEI] id est, vt iussui & nutui nostro, tamquam vicariorum Dei, in omnibus obsequerentur. Quæ insperata ipsorum liberalitas causa fuit,

¥. 6. VT ROGAREMVS TITVM] vt, sicut nos in Macedonia, ita ipse Corinthi pergat promouere hanc benè cœptam eleëmosynarum collectionem. Hac enim via statui

¥. 8. VESTRÆ CHARITATIS INGENIVM BONVM, id est, liberalem indolem & pium affectum, *comprobare*; Græcè, *probare*: explorare. Mox exemplo Christi ipsos excitat:

¥. 9. SCITIS & exploratam habetis eximiam GRATIAM CHRISTI, id est, beneficium nobis gratuitò ab ipso collatum: QVONIAM CVM DIVES ESSET, vtpote cæli & terræ Dominus, tamen PROPTER VOS FACTVS EST EGENVS, Græcè, *mendicus*, carens vltrò bonis omnibus terrenis, quorum tamen erat dominus: idque VT ILLIVS temporalis INOPIÆ merito VOS euaderetis DIVITES in spiritualibus; putà cælesti doctrina, gratia, iustitia, gloria. ita S. Chrysostomus & Anselmus. Ergo & vos Corinthios decet eleëmosynis vestris pauperes fratres ditare.

¥. 10. VELLE COEPISTIS] Græcè, προηρξασθε, id est, primùm cœpistis, seu primi auctores fuistis, primi dixistis vos velle omnino iuuare pauperes Ierosolymitanos, & sic alios quoque prouocastis *b* ad idem faciendum.

b *Cap. seq. v. 2. & 3.*

¥. 12. SI VOLVNTAS benefaciendi PROMPTA EST, SECVNDVM ID QVOD HABET, id est, dans secundùm facultates & opes quas habet, ACCEPTA EST Deo & meretur apud Deum: NON verò SECVNDVM ID QVOD NON HABET, accepta est aut mensuratur eius meritum: quasi mereri non possit si non habeat quod de facto donet: nam potest, etiamsi non multum det, tamen multum mereri, dummodò quod dare potest, det promptè & magna charitate. Ita S. Chrysostomus, Ambrosius, Anselmus.

¥. 13. NON VRGEO, tantam vim pecuniæ conferatis, VT Ierosolymitanis inde SIT omnimoda REMISSIO; Græcè, *relaxatio* ab omni indigentia: VOBIS AVTEM suboriatur inde TRIBVLATIO, seu indigentia. SED velim EX ÆQVALITATE VOS agere; vt in mirum vos detis vestra superflua, pauperibus autem non desint necessaria: & sic vtrique ab extremitate recedatis. VT ILLORVM ABVNDANTIA in bonis spiritualibus SVPPLEMENTVM SIT VESTRÆ INOPIÆ spiritualis: sicut vestra abundãtia in bonis temporalibus supplet illorum inopiam temporalem: VT FIAT ÆQVALITAS. dum vtrique datis id quo abundatis, & recepitis id quo caretis. SICVT SCRIPTVM EST (Exodi 16. v. 18. iuxta LXX.) de antiquis Israelitis in deserto:

¥. 15. QVI MVLTVM manna collegerat, NON ideo ABVNDAVIT, aut plus ceteris habuit: (nam domum reuersus non plus quàm gomor (c) vnum reperiebat: ET QVI MODICVM manna collegerat, NON MINORAVIT, id est, non minùs quàm mensuram *gomor* plenam reperiebat, angelo inuisibiliter hic quod deerat supplente, illic quod supererat detrahente. Ita nempe par est, vt & vos Christiani paritatem seu æqualitatem aliquam rerum necessariarum curetis, sicut Deum fecisse videtis in subministratione mannæ, seu alimoniæ cælitus submissæ, inquit S. Chrysostom. & Theophyl.

c *Prolog. de mensuris.*

¥. 17. EXHORTATIONEM QVIDEM id est, munus exhortandi vos ad eleëmosynam, SVSCEPIT à nobis Titus: SED aliis stimulis non eguit, CVM ex se SOLLICITIOR ESSET ad promouendum hoc negotium; vnde & SVA VOLVNTATE ac sponte, me non multùm rogante, PROFECTVS EST cum in finem AD VOS. Ita Anselmus.

¥. 18. CVM ILLO MISIMVS FRATREM, CVIVS LAVS eximia EST IN EVANGELIO prædicando. Hunc Chrysost. Theodoret. Oecumen. & Iustinianus putant fuisse *Barnabam* Apostolum. Sed Barnabas iam pridem à Paulo secesserat. (d) Vnde probabilius cum Baronio dixeris, fuisse *Silam*, qui pro Barnaba factus est socius Pauli. (e) Sed omnium probabilissimè S. Hieronymus & Anselmus intelligunt Euãgelistam *Lucam* indiuiduum tunc Pauli comitem. Nam & hunc S. Ignatius Martyr in sua ad Ephesios epistola, eodem quo hîc Paulus titulo condecorat: dum ait: *Testatur Lucas, cuius laus est in Euangelio* non tantùm prædicando, sed & conscribendo.

d *Act. 15. v. 40.*

e *Ibid.*

¥. 20. NE QVIS NOS VITVPERET IN HAC PLENITVDINE] Id est, ne occasione tam largæ pecuniarum collectæ suspicetur quis, vel spargat, me mihi illas corradere in priuatos vsus; ideò volui rem

rem totam aliis, & quidem probatissimis viris, A committi. Vnde & duobus iam dictis *Tito* & *Lucæ* iunximus etiam tertium

℣.22. FRATREM NOSTRVM: fortè *Silam*, qui Paulo tum aderat: fortè *Apollo*, quem nuper (*a*) scripserat, ad eos excursurum, inquit Anselmus. Hos autem misimus CONFIDENTIA MVLTA IN VOS] id est, omninò confidentes, quòd ipsos quo par est honore & amore excipietis. *a* 1.*Cor.vlt. v.*12.

℣.23. SIVE PRO TITO, id est, ob veneration nem Titi: siue ob reuerentiam aliis duobus debitam, qui CONFRATRES NOSTRI sunt, & APOSTOLI ECCLESIARVM, ab Ecclesijs ad hoc munus specialim delegati; ET GLORIA CHRISTI] quam procurant & promouent. Ita Anselmus. B

℣.24. IN ILLOS ERGO OSTENDITE palàm & IN FACIEM, seu in conspectu, omnium ECCLESIARVM, OSTENSIONEM & realem exhibitionem CHARITATIS eximiæ & excellentis, quæ & vobis honori sit, & mihi iusto argumento de VOBIS apud alios gloriandi. Ita idem Anselmus.

CAPVT IX.

Pergit hortari Corinthios ad liberalem eleemosynam.

℣.2. VESTRA ÆMVLATIO, seu zelus contribuendi, PROVOCAVIT PLVRIMOS alios populos.

℣.3. MISI AVTEM FRATRES, seu confratres C meos, *Titum, Lucam, Silam*, VT designatam collectam promoueant & ad felicem finem deducant: NE, QVOD GLORIAMVR, EVACVETVR] id est, ne falsa vel inanis deprehendatur gloriatio nostra, quâ vbique deprædicamus liberalitatem vestram. Falleremur autem, si vel parciores essetis in largiendo, vel iusto tardiores.

℣.4. IN HAC SVBSTANTIA] Id est, in hac materia, seu in hoc negotio conferendarum eleemosynarum.

℣.5. VT PRÆPARENT & curent PARATAM ESSE in meum aduentum REPROMISSAM BENEDICTIONEM. id est, eleemosynam, SIC QVASI BE- D NEDICTIONEM] id est, vt palàm appareat quòd sit spontanea & liberalis beneficentia, non verò parca contributio auaris & inuitis extorta, inquit S. Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus.

℣.6. QVI PARCE SEMINAT, id est, qui angusto & minùs liberali animo largitur, PARCE ET METET, id est, exiguum referet fructum: QVI verò SEMINAT IN, seu cum, BENEDICTIONIBVS & ampla beneficentia, (*b*) id est, valdè beneficè, copiosè, liberaliter, ETiam DE, seu in, BENEDICTIONIBVS METET] id est, vberem & amplum fructum ac mercedem consequetur. (*c*)

b *Gen.*49. *v.*25. & *Iosue* 15. *v.*19. & 1. *Reg.*25. *v.*27.

℣.7. VNVSQVISQVE tribuat tantum, quantum vltrò DESTINAVIT, seu sponte in animo suo E designauit: NON EX TRISTITIA quam parit auaritia: neque EX NECESSITATE, quasi vel pudore, vel reuerentia maiorum coacti: sed lubenti, vltroneo, læto atque hilari animo.

c *Prou.*22. *v.*8. & *Eccles.*11. *v.*1. *& seq.*

℣.8. POTENS EST AVTEM DEVS, pro liberali eleemosyna vicissim FACERE ABVNDARE IN VOBIS OMNEM GRATIAM, id est, omne genus bonorum tum temporalium, tum spiritualium: VT HABENTES SEMPER OMNEM SVFFICIENTIAM, (*d*) id est, omnia quæ ad honestè tuendum familiæ vestræ statum requiruntur, insuper ABVNDETIS IN OMNE OPVS BONVM] id est, abundè habeatis quo in pauperes benefici & liberales esse possitis.

d 1.*Tim.*6. *v.*6. & *Philipp.*4. *v.*11.

℣.9. SCRIPTVM EST: quòd eleemosynas suas vbique liberalissimè DISPERSIT more seminantis, non in conuiuas, non in pocula, non in veneres, sed in pauperes. Nec tamen perdidit vel minimum granum: sed IVSTITIA, id est, eleemosyna, EIVS (quâ iustior continuò & Deo gratior redditur) MANET æternùm in Dei memoria & in cælesti mercede, quasi in segete & messe. Sed neque in hac vita quidquam vobis deesse patietur Deus: nam

℣.10. QVI SEMINANTI ADMINISTRAT SEMEN, & vobis facultatem iam tribuit subleuandi aliorum inopiam; idem is etiam aliàs vobis PRÆSTABIT PANEM AD MANDVCANDVM, & omnia ad statum honestè fouendum necessaria: & insuper MVLTIPLICABIT SEMEN VESTRVM, id est, bona temporalia, quæ continuò in pauperes semine tis: simul ET AVGEBIT INCREMENTA FRVGVM, id est, spirituales prouentus, internæ IVSTITIÆ VESTRÆ & sanctitatis. Ita S. Chrysostomus. Exempla vide apud Gregorium Turonensem & Baronium & alios. (*e*)

Chrysost. hom. 33. *ad popul. Antiochen. Greg. Turon. l.*5. *hist. Fr. Gall. c.*39. *Baron. to.*7. *anno Christi* 582 *n.*6. *e Leontio in Vit. Ioannis Eleemosynarij. Sophronius in Prato spirit. c.*185. 195. *&c.*

℣.11. VT OMNI genere opum LOCVPLETATI ABVNDETIS IN OMNEM SIMPLICITATEM, (*f*) id est, candidam liberalitatem, & promptè ac munificè succurratis egentibus. QVÆ vestra munificentia efficit, vt PER NOS, aliosque quibus innotescit *gratia* agantur DEO.

℣.12. QVONIAM MINISTERIVM HVIVS OFFICII, id est, collectio hæc eleemosynarum, NON SOLVM prouidet Christianorum Ierosolymitanorum necessitati, SED ETIAM ABVNDAT, id est, abundè subministrat ad aliorum quoque pauperum inopiam subleuandam: adeò vt multi ex hoc capite gratias acturi & laudaturi sint Deum,

f *Sup. c.*8. *v.*2.

℣.13. PER PROBATIONEM, seu experimentalem degustationem, HVIVS nostri MINISTERII, GLORIFICANTES DEVM IN OBEDIENTIA CONFESSIONIS VESTRÆ: id est, propter vestram insignem promptitudinem obsequendi præceptis & monitis legis Euãgelicæ & fidei Christianæ quam profitemini. hæc enim suadet ac præscribit liberalitatem in pauperes & egenos. Ita S. Chrysostomus cum suis. Item IN SIMPLICITATE COMMVNICATIONIS: id est, glorificabunt quoque Deum ob vestram erga miseros promptam candidamque liberalitatem, quâ participes illos facitis vestrorum bonorum temporalium: & ipsi vicissim *vers.*14. *obsecrant* PRO VOBIS, *desiderantq;* vos ditari bonis spiritualibus, PROPTER EMINENTEM, seu excellentem, GRATIAM DEI, seu donum beneficentiæ à Deo vobis collatum, & elucens IN VOBIS: quod sanè INENARRABILE DONVM est, tum ob fructus quos innumeros producit, tum ob æterna præmia quæ promeretur, (*g*) quæ *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt.*

g *Isaiæ* 64. *v.*4.

CAPVT X.

Hoc & duobus sequentibus capitibus apologiam pro se texit contra pseudoapostolos, putà contra Cerinthum, Ebionem & alios, qui Paulo infensissimi, Euangelium quidem Christi prædicare videbantur, sed simul etiam iudaicos errores occultè & subdolè introducere conabantur a. *Hoc igitur capite ostendit, qua fiducia, quibus armis, qua vindicta sit instructus aduersus illorum calumnias: fert que præsentem non minus virtutis habere in operibus, quàm absentem grauitatis in verbis.*

a *Infr. c.*11. *v.*3. 4. 12. & 13.

℣.1. PER MODESTIAM CHRISTI. Græcum Ἐπιείκεια significat lenitatem, clementiam,

tiam, facilitatem, humanitatem, & harum comitem *moderationem*. Per hanc OBSECRAT & obtestatur Paulus Corinthios, vt se pro se dicturum patienter audiant. Etsi enim contra tam malignos obtrectatores paulò asperiùs agendum sit, se tamen memorem semper & imitatorem fore mansuetudinis & lenitatis Christi. Calumnia vna erat, quòd Paulus in facie, id est, specie externa, quando præsens erat Corinthi, HVMILIS, id est, abiectus & vilis esset: ABSENS AVTEM *confideret* IN *illis*; Græcè, *in illos*, id est, liber & audax esset erga illos, plus æquo sibi vsurpans, & epistolas scribens imperiosas ac minaces. Vtitur enim hîc Paulus per mimesin, (*a*) verbis ipsorum-met pseuapostolorum, vt etiam v. 9. & 10. inquit S. Chrysost.

a Prolog. de Idiotismis Hebr. n. 55.

¥.2. ROGO AVTEM VOS vt tempestiuè compescatis eiusmodi calumniatores, NE, cùm PRÆSENS adero, AVDEAM, id est, potestate mea audacter vti cogar, PER CONFIDENTIAM, seu libertatem, quam putant me insolentiùs in quosdam exercuisse, TAMQVAM SECVNDVM CARNEM AMBVLEMVS] indulgentes humanis affectibus ac passionibus, & non nisi politica prudentia, industria astutia vtentes.

¥.3. IN CARNE ENIM AMBVLANTES, ceteris hominibus similes, NON tamen SECVNDVM CARNEM MILITAMVS] id est, non obsequimur carnalibus affectibus, neque vtimur humana astutia, more politicorum. Sed

¥.4. ARMA quibus vtimur, SVNT POTENTIA DEO, id est, valida, fortia, efficacia per Deum: nempe gratia, & vis verbi, sapientia cælestis, miracula, charitas, cæteréque virtutes. His armis *destruimus munitiones* aduersariorum, putà syllogismos & sophismata Philosophorum & Oratorum, & euertimus CONSILIA, id est, machinationes hostiles.

¥.5. ET OMNEM ALTITVDINEM, id est, altam ac superbam scientiam & magniloquentiam, quâ quidam SE *extollunt*, ADVERSVS SCIENTIAM DEI, seu de Deo, vel quâ Deus cognoscitur, id est, aduersus fidem veri Dei & Euangelium Christi. Ita Chrysost. & Anselmus. Iisdem armis vincimus & *captiuamus* OMNEM INTELLECTVM & ingenium humanum, quantumcumque excellens & scientiis instructum, IN OBSEQVIVM non nostri, sed CHRISTI] id est, ad obsequendum, obediendum, & humiliter subiiciendum se Christo per fidem. His iisdem armis, ac præsertim potestate excommunicandi,

¥.6. IN PROMPTV nobis est VLCISCI OMNEM obtrectatorum istorum INOBEDIENTIAM, rebellionem & contumaciam: sed tunc demum hac potestate vtemur, CVM IMPLETA FVERIT VESTRA OBEDIENTIA] id est, postquam adhibueritis alia mitiora remedia, vobis eum in finem à me præscripta. Si enim per hæc nihil profeceritis, tum demum ad vstionem & sectionem prosiliam. Ite ergo nunc, & sepositis internis ac spiritualibus dotibus, sola externa

¥.7. QVÆ SECVNDVM FACIEM SVNT, VIDETE, attendite, expendite. q.d. Egregios vos æstimatores, si in æstimandis hominibus externam solùm larvam intuemini. Faxo nihilominus, omnes intelligatis, me, qualis qualis exteriùs videor, non minorem esse quàm sint alij Christi ministri. Quin &

¥.8. AMPLIVS ALIQVID POTESTATE NOSTRA Apostolica; (*b*) quâ etsi non semper vtamur, nil mirum: nam DEDIT illam NOBIS DOMINVS IN ÆDIFICATIONEM, id est, vt per illam spiritualiter ædificemus, roboremus, augeamus Ecclesiam, & salutê animarum promoueamus: non verò vt *destruamus*, labefactemus aut conuellamus Ecclesiam, vel animas à salute aut profectu spirituali præpediamus. Vnde violentis & extremis remediis, vel etiam extraordinariis, (qualia sunt miracula & alia gratis data) non vtimur nisi vrgente necessitate, vel euidenti vtilitate.

b Luc. 6. v. 13.

¥.10. EPISTOLÆ Pauli, INQVIVNT obtrectatores, SVNT GRAVES ET FORTES, acres, seueræ, minaces: sed PRÆSENTIA CORPORIS INFIRMA, vilis, abiecta, contemptibilis. Nam teste Nicephoro, & etiam Luciano, Paulus *corpore erat paruo* (*tricubitali*, inquit Chrysost.) *contracto, incuruo: facie candida, annoſq́, plures præ se ferente, capite modico: oculis multa inerat gratia, supercilia deorsum vergentia, nasus pulchrè inflexus, idemq́, longior, barba densior & promissa, eaq́, (vt & coma) canis respersa.* ET SERMO CONTEMPTIBILIS, rudis, incelegans, inconcinnus, *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*, vt ipse de se fatetur. (*c*)

Niceph. l. 2. c. 37. Lucian. in Philopatre. Chrysost. homil. de Principibus Apostolorum to. 5.

c 1. Cor. 2. v. 4.

¥.12. NON AVDEMVS INSERERE, id est, annumerare NOS istis thrasonibus supra cæli verticem sese suaque extollentibus. SED *metimur* NOSMETIPSOS IN NOBIS, id est, nostromet pede, nostris dotibus ac gratiis reuera à Deo acceptis, adeóque

¥.13. MENSVRA PERTINGENDI AD VOS] Id est, euangelizandi à Iudæa Corinthum vsque, (*d*) sicut reuera fecimus. q.d. Non iactamus quæ non habemus aut quæ non fecimus; vt illi iactant de se.

d Rom. 15. v. 19. & 24.

¥.14. NON ENIM SVPEREXTENDIMVS NOS] Id est, non vltrà quam par aut verum est, nobis arrogamus.

¥.15. SPEM HABENTES CRESCENTIS FIDEI VESTRÆ: id est, speramus quòd crescente fide & instructione vestra, per vos *magnificabimur* SECVNDVM REGVLAM NOSTRAM, id est, amplificabitur nobis sors nostra, seu mensura regionum, quam Deus singulis nostrum admensus est vt in ea euangelizemus. Cùm enim vos operâ nostrâ non ampliùs egebitis, ad alias atque alias prouincias continuò progrediemur, IN ABVNDANTIAM, seu exuberantiam, id est, ampliùs semper & vlteriùs anhelantes *regulam*, seu terminos euangelizationis nostræ proferre. Ita S. Chrysost. & Anselmus.

¥.16. NON IN ALIENA REGVLA] Id est, non in limitibus, seu prouinciis, aliorum operâ *præparatis* & excultis.

CAPVT XI.

Pergit contra pseudoapostolos se tueri, proferens apostolatus sui vera insignia, putà labores & passiones pro Christo toleratas.

¥.1. INSIPIENTIAM vocat gloriationem & laudem propriam ob res præclarè à se gestas: hoc enim est insipientium seu stultorum, nisi subsit grauis causa, vt hîc fuerat in causa Pauli.

¥.2. ÆMVLOR VOS; Græcè & syriacè, *Zelotypus sum erga vos*, nec patior hos riuales pseudoapostolos; idque ÆMVLATIONE & zelo DEI, id est, propter Deum: neque enim ambio mihi hanc sponsam, sed *Deo & Christo*, cui ego instar paranymphi iam pridem per fidem & baptismum VOS DESPONDI, & iam satago vt quemque vestrum suo

suo tempore *exhibeam* CHRISTO eiusque thalamo Asponsali VIRGINEM incorruptam, CASTAM, integram fide, spe, charitate, &

¥. 3. SIMPLICITATE IN CHRISTO] Id est, Christiana, seu Christianos decente sinceritate, seu doctrinæ, seu morum. Ita S. Chrysost. cum suis.

¥. 4. SI IS QVI ex grege pseudoapostolorum ad vos quasi procus VENIT, vobis ALIVM meliorem CHRISTVM & nobiliorem sponsum affert, & ALIVM SPIRITVM, id est, alia excellentiora dona Spiritus sancti; RECTE PATEREMINI] id est, meritò talem ferretis, seu toleraretis. Ast ego scio, nihil illos noui proferre posse. Ita Theophyl.

¥. 5. EXISTIMO etiam, ME NIHIL MINVS FECISSE A MAGNIS APOSTOLIS] id est, me nihilo minùs perfecta vobis, seu verbo annuntiasse, seu opere exhibuisse, quàm fecerint, non dico isti pseudoapostoli, sed etiam veri, imò primarij Apostoli, *Petrus, Iacobus, Ioannes.* (*a*) de quibus hæc intelligunt Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius: licet recentiores plerique malint pseudoapostolos hîc per ironiam *magnos* vocari, eò quòd se magnos iactarent. (*b*)

¥. 6. IMPERITVS SERMONE dicor à pseudoapostolis, (ita S. Augustinus:) & quidem si de verbosa, seu fastuosa eloquentia sermo sit, sic me libens agnosco (*c*) *imperitum sermone*, SED NON SCIENTIA rerum diuinarum quæ decet præconem & Doctorem Apostolicum. Ita Chrysost. Hieronym. Theophyl. Ceterùm neruosam Pauli eloquentiam & cùm vellet dicendi artificium, quo etiam præsides (*d*) prouinciarum ac reges (*e*) percelleret, fusè demonstrat S. Augustinus. (*f*) Sed quid attinet, hæc à me pluribus commemorari, cùm IN his OMNIBVS MANIFESTATI plenéque perspecti SIMVS VOBIS, vt alio teste vel testimonio non egeatis?

¥. 7. NVMQVID PECCATVM FECI, & hoc mihi vitio, seu crimini vertitur, quòd ME præter morem *humiliarim* apud vos, vile scenofactoriæ opificium exercens, VT VOS EXALTEMINI?] id est, ad altiorem perfectionem eueheremini, discentes exemplo meo, gratis proximo deseruire.

¥. 8. ALIAS ECCLESIAS, etsi vobis pauperiores, excitaui ad sumptus necessarios mihi subministrandos, vt viderer quibusdam illas *expoliasse*, seu denudasse; idque vt ministrarem VOBIS GRATIS.

¥. 10. EST VERITAS CHRISTI IN ME] Id est, sanctè iuro, testorque Christum, qui est ipsa *veritas*, (*g*) me nihil prosumptu meo in *Achaia* (cuius metropolis est *Corinthus* (*h*) vmquam accepturum. Ita Theophil. Idque

¥. 12. VT pseudoapostolis vestris AMPVTEM OCCASIONEM carpendi me, quasi nulla in re ipsis dissimilem aut superiorem. INVENIANTVR ergo (etiam in hoc negotio gratis euangelizandi) SICVT ET NOS] Id est, fiant nobis pares: ac tum demum iactent, nos illis nulla in re præcellere. Ita Chrysost. & Anselmus.

¥. 17. QVOD LOQVOR, seu loqui propono, (*i*) IN HAC SVBSTANTIA GLORIÆ, id est, in hac materia gloriationis, NON erit SECVNDVM DEVM] id est, diuino more dictum, nempè, si nudè in se spectetur & vt sonat. Erit tamen *secundùm Deum*, si spectetur vt procedit ex charitate & necessitate, quæ me sic loqui compellunt, nempe ne vos, me velut vili homuncione contempto, seductoribus adhærescatis.

¥. 18. GLORIANTVR æmuli mei SECVNDVM CARNEM. id est, in rebus carnem concernentibus, putà nobilitate, diuitiis, sapientia, &c. ETIAM EGO in iisdem GLORIABOR. Nec vestras hîc aures offendam: licet enim

¥. 19. SITIS IPSI SAPIENTES, tamen LIBENTER SVFFERTIS INSIPIENTES] hactenus enim maxima patientia sustinuistis thrasones istos stultè & cum damno vestro toties se iactantes: sustinebitis, spero, etiam me, saltem hac vice, nec insipienter, nec inutiliter gloriantem.

¥. 20. SVSTINETIS ENIM, imò effertis & extollitis (vt in Græco est,) SI QVIS vos imperioso dominatu suo IN SERVITVTEM REDIGIT, vobisque tamquam seruis & mancipiis abutitur, bona vestra DEVORAT, & VOS IN FACIEM CÆDIT, si non alapis, certè contumeliis & opprobriis, exprobrando quòd idololatræ fueritis & immundi. Chrysost. & Theophyl.

¥. 21. SECVNDVM IGNOBILITATEM; Græcè, *κατ' ἀτιμίαν*, id est, ad ignominiam, seu contumeliam vestram, id vobis DICO & quasi exprobro, vt vos pudeat illorum. QVASI NOS INFIRMI FVERIMVS, nec sat fortes, generosi, audaces ad vobiscum imperiosiùs agendum. Cùm tamen IN quacumque re QVIS illorum aliquid AVDET, AVDEAM ET EGO, vtpote nihilo ipsis inferior. Sed nolui iure meo vti, idque ex modestia, humilitate & charitate erga vos.

¥. 24. QVINQVIES A IVDÆIS QVADRAGENAS plagas, VNA MINVS, ACCEPI] Ex præscripto enim legis (*k*) diuinæ, non poterat plagarum numerus excedere quadragenarium. Id vt seruarent Iudæi, vnum ictum à præscripto numero tollebant, & non nisi 39. ictus infligi iubebant.

¥. 25. TER VIRGIS CÆSVS SVM. Semel *Philippis*: (*l*) vbi secundò & tertiò nusquam conscriptum. SEMEL LAPIDATVS Lystris (*m*) TER NAVFRAGIVM FECI, vbi aut quando, incertum: nam illud Melitense de quo Lucas Actorum 27. contigit post hanc scriptam epistolam. (*n*) IN PROFVNDO MARIS FVI] Syrus, *sine naufragio in mari*, id est, naufragio facto, die vna integra ac nocte in alto mari iactatus & natare coactus sum. Ita S. Chrysost. Theodor. Ambros. Anselmus, S. Thomas & Haymo. Non ergo hîc per *profundum maris* intelligit profundissimum carcerem Cyzicenum, vt vult Baronius. Quantillum enim est, nocte ac die vna carcere concludi?

¥. 26. PERICVLIS EX GENERE: id est, insidiis à gente mea, seu cognatione, id est, à Iudæis mihi structis; IN CIVITATE, v. g. *Damascena*, (*o*) *Ierosolymitana*, (*p*) *Ephesina*, (*q*) &c. IN SOLITVDINE, id est, in desertis locis, vbi insidiæ collocabantur. IN MARI, non à piratis tantùm, sed & ab hostibus Iudæis (*r*) vbique mihi insidiantibus.

¥. 27. IN LABORE ET ÆRVMNA] Græcè, *in fatigatione & molestia*, id est, in fatigatione molesta, in labore ærumnoso. Est autem *ærumna*, vt ait Cicero, *ægritudo laboriosa*: veluti cùm delassatus quispiam, pro quiete cogitur nouos capessere labores.

¥. 28. PRÆTER ILLA, QVÆ omnia EXTRINSECVS mihi illata SVNT, accedunt alia quæ interiùs animum exedunt, v. g. INSTANTIA MEA QVOTIDIANA, id est, moles negotiorum mihi quotidie instantium & incumbentium. Ita Anselmus.

¥. 29. QVIS fidelium INFIRMATVR animo, seu

a *Galat. 2. v. 9.*
b *Hic c. 10. v. 12.*
August. l. 4. Doct. Christ. c. 7.
c *1. Cor. 2. v. 4.*
Hier ep. 151. q. 10. ad Algasiam.
d *Act. 24. v. 25.*
e *Actor. 26. v. 28.*
f *Aug. sup.*
g *Ioan. 14. v. 6.*
h *Præfat. in epistolam ad Corinthios priorem.*
i *Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 56. &c.*
k *Deut. 25. v. 3.*
l *Actor. 16. v. 23.*
m *Act. 14. v. 5.*
n *Chronici c. vlt. in anno à morte Christi 36.*
Baron. anno Christi 58.
o *Actor. 9. v. 24.*
p *Ibid. & 23.*
q *Actor. 19. v. 23.*
r *Actor. 20. v. 3.*

seu propendet ad lapsum, ET EGO NON INFIR-A MOR, per commiserationis affectum; metuens & solicitè caueńs ne de facto cadat? QVIS SCANDALIZATVR & offenditur, ET EGO NON VROR partim dolore, partim zelo curandi & arcendi mali?

¥. 30. QVÆ INFIRMITATIS MEÆ SVNT, nempe afflictiones & persecutiones pro Christo toleratas (ob quas videor infirmus, abiectus, contemptibilis) in medium producam, & de his GLORIABOR. Ita Chrysost.

¥. 31. PRÆPOSITVS GENTIS; Græcè, ἐθνάρχης, id est, satrapa, princeps, qui nomine REGIS ARETÆ præerat *genti* & vrbi *Damascenæ*. Erat hic Aretas socer *Herodis Antipæ* tetrarchæ, qui Ioan- B nem decollauit: & præter Syriam Damascenam, etiam Petræam suo imperio subiectam habebat, *Ioseph. l. 18. Antiq. c. 7. &c.* teste Iosepho, & Theophyl. CVSTODIEBAT CIVITATEM] id est, custodias militares tota vrbe constituerat ne possem elabi; volebat enim me comprehensum tradere aduersariis meis Iudæis. Historia narratur Actorum 9. v. 24.

CAPVT XII.

Raptum suum in tertium cælum enarrat, simul & stimulum carnis.

¥. 2. SCIO, seu noui, HOMINEM IN CHRISTO, id est, Christianum (de seipso, (*a*) modeC *a Hic v. 7.* stiæ causa sic loquitur,) vel ope Christi, (non verò dæmonis, vt Simoni Mago contigit) RAPTVM AD TERTIVM, id est, supremum, CÆLVM, quod *b v. 4.* infrà (*b*) vocat *paradisum*. Primum enim, seu infimum cælum est aëreum, & complectitur omne illud spatium quod lunæ subiectum est. Secundum, seu medium cælum est sidereum, & constat vndecim orbibus cælestibus. Tertium, seu supremum est empyreum cælum, vbi sedes & paradisus, id est, locus voluptatis, est Beatorum. Ita Theophylactus, Damascenus, Pomerius, *Damasc. l. 2. de Fide c. 6. Iulianus Pomerius apud Haymon.* Haymo, à Lapide.

SIVE IN CORPORE, SIVE EXTRA CORPVS raD ptus sit, NESCIO: nam alienatus à phantasmatibus & sensibus, non satis intellexi, sed neque attendi quæ circa me gererentur, totus iis intentus quæ spectanda offerebantur. Probabiliter tamen *S. Tho. 2. 2. q. 175. a. 5.* S. Thomas & alij opinantur, animam Pauli non fuisse diuulsam à corpore; nam alioqui non fuisset raptus vel ecstasis, sed occisio & mors. *Raptus* enim, teste eodem S. Thoma, solùm *est, ab eo quod est secundùm naturam, in id quod est supra naturam ex vi superioris naturæ eleuatio.* Quæ diuina virtute fit cum abstractione animæ à sensibus & phantasmatibus, sed non à corpore cuius est forma. Porrò accidit Paulo hic raptus ANTE ANNOS QVATVORDECIM] ergo 9. anno à conuersione Pauli, & à morte Christi 12. nempe eodem anno E quo ordinatus est iubente Spiritu sancto *Apostolus Gentium*, Actor. 13. v. 2. Hæc enim posterior ad Corinthios epistola scripta est anno à morte Christi 26. à quo si tollas 14. annos, habebis annum 12. à morte Christi. Vide Baronium. *Baron. anno Christi 44. & 58.*

¥. 4. ET AVDIVIT ARCANA; Græcè, ἄῤῥητα, id est, ineffabilia, VERBA, quæ fando explicari non possunt ab vllo homine, id est, res quæ omnem captum & linguam humanam longè excedunt, v. g. gloriam & pulchritudinem SS. animarum, inquit S. Chrysost. & Theodor. item secretum, modum & ordinem diuinæ prædestinationis, vocationis & conuersionis Gentium per Paulum, vt ipsemet insinuat Rom. 11. vers. 33. ita Baronius. Denique œconomiam Ecclesiæ, eiusdemque tum præsentis, tum futuræ mirabiles successus. Hæc enim propriè ad Paulum spectabant.

¥. 5. PRO HVIVSMODI; Græcè, ὑπὲρ τοιούτου, id est, pro tali homine sic ad cælum rapto, GLORIABOR: PRO ME AVTEM non NISI IN INFIRMITATIBVS, (*c*) id est, afflictionibus & passioni- c *Hic c. 11. v. 30.* bus MEIS.

¥. 7. STIMVLVS CARNIS; Græcè, σκόλοψ τῇ σαρκὶ, id est, *palus præacutus carni*, seu (vt Syrus vertit) *in carne mea* infixus: putà motus concupiscentiæ in & à carne mea, sed magis accensæ ab *angelo* SATANÆ, id est, à dæmone, qui phantasiæ meæ turpia obiicit, & humores ac sanguinem ad talia inflammat. Patet, quia tales tentationes se passim indicat Rom. 7. v. 23. & quia hæ propriè *colaphizant*, id est, non lædunt, sed ruborem ac dolorem iniiciunt. Ita S. Anselmus, S. Thomas & communiter Doctores. Hic *stimulus* à Deo (dum diabolo me tentare parato id permisit). DATVS EST MIHI, vt hac ignominia affectus, mihi ipsi vilescam.

¥. 8. TER, id est, frequenter, DOMINVM ROGAVI, vt hoc probro me liberaret. Sed aliter illi visum.

¥. 9. SVFFICIT TIBI, ô Paule, GRATIA MEA & cæleste auxilium, quod ad eiusmodi tentationes superandas numquam tibi denegabo. Neque terrere debet humana infirmitas, vbi auxiliatur diuina potentia. Quin potiùs VIRTVS; Græcè, δύναμίς μου, id est, *potentia mea*, PERFICITVR, seu perfectius & plenius sese exerit, & illustriùs manifestatur, IN INFIRMITATE. Nam quò maior erit tua infirmitas & in malum pronitas, eò maius robur à me tibi suggeretur, & victoria illustrior obtinget. Ita S. Chrysostom. S. Thomas, & alij Doctores. Libentiùs IGITVR GLORIABOR IN INFIRMITATIBVS mihi à Deo, seu relictis, seu immissis, quàm in vlla alia re; VT VIRTVS, id est, potentia, CHRISTI pleniùs perfectiusque INHABITET & stabilem sedem figat IN ME, & illustriùs toti orbi manifestetur.

¥. 10. PROPTER QVOD non æquo tantùm animo & fortiter illas fero, sed & IN illis MIHI PLACEO, gaudeo, delector, & voluptatem maximam inde percipio. Ita Theophyl. CVM ENIM INFIRMOR secundùm naturam, TVNC POTENS SVM per gratiam: & per consequens, quo magis infirmor, eo gratia & potentia Dei magis in me (si fidelis ipsi mansero) elucescit. Ita Chrysost.

¥. 11. FACTVS SVM INSIPIENS, gloriando de me, ac meipsum laudando. Fateor: sed VOS ME ad id COEGISTIS. nempe vt hac via auctoritatem meam & opinionem, quam de me habere debetis, stabilirem. EGO ENIM contra obtrectatorum calumnias *debebam* meritò A VOBIS laudari ac COMMENDARI: sed cùm vos hîc desitis officio vestro, coactus sum egomet vel inuitus id præstare. NIHIL ENIM MINVS FVI AB IIS, id est, nulla in re inferior fui iis QVI SVNT SVPRA MODVM, seu admodum excellunt, vel primi ac supremi sunt APOSTOLI. de quibus suprà. (*d*) *d c. 11. v. 5.*

¥. 15. IMPENDAM me meaque omnia, & ab aliis impendi, & *superimpendi*, seu plus quàm optetis impendi sinam, etiam sanguinem & vitam profundendo PRO ANIMABVS VESTRIS.

¥. 16. SED obiiciunt aduersarij: ESTO, Paulus

per se NON *grauarit* vos, tamen per Titum & alios quos submittit, vos vestraque emungit. (ita Chrysost.) & sic, vt est ASTVTVS, DOLO VOS CEPIT. Sed bona fide

℣. 18. CIRCVMVENITNE VOS TITVS aut Lucas, aut Silas? An aliquid pro se, vel pro me, à vobis extorserunt vmquam?

℣. 19. OLIM, id est, pridem, iam dudum, ab antiquo; Græcè est πάλιν, id est, *rursum*, PVTATIS QVÒD, dum hæc tam operosè inculco, non vestri, sed mei solius gratiâ id faciam, nempe VT EXCVSEMVS NOS prætextu euangelizationis APVD VOS gratis factæ, & ingentis laboris pro vobis exantlati, quo possimus iam tantò liberiùs ac liberaliùs vestras opes deposcere atque exhaurire. Sed iuro CORAM DEO IN CHRISTO, id est, sine fuco & sincerè nos loqui & agere, (sicut par est facere eos qui se *in Christo*, id est, Christi membra esse profitentur: neque aliud nos in his omnibus spectare quàm ÆDIFICATIONEM VESTRAM & salutem.

a *Hic v.14.* ℣. 21. NE ITERVM (CVM iam tertiùm (a) VENERO ad vos,) HVMILIET, contristet, affligat, ME DEVS, dum cogar videre & *lugere*, imò & seueriùs castigare, MVLTOS vestrûm in pristinis sordibus obstinatè hærentes. Ita Chrysost. cum suis.

CAPVT XIII.

Obstinatioribus in malo minatur & redarguit, & suadet pœnitentiam: ceteros hortatur ad perfectionem, fraternam dilectionem, pacem & osculum sanctum.

℣. 1. TERTIÒ, seu tertia vice, VENIO, id est, venire propono, AD VOS; nempe vt potestate mihi à Christo concessâ puniam eos qui per duos aut tres testes conuincentur grauiùs peccasse, nec pœnitentiam egisse: nam IN ORE DVORVM VEL TRIVM TESTIVM, etiam Deo iubente, b *Deut.19. v.15.* (b) STABIT OMNE VERBVM] Id est, ex duorum vel trium, (non autem ex vnius,) testimonio reus quisque vel condemnabitur in iudicio, vel absoluetur.

℣. 3. AN fortè præcepta mea negligendo, EXPERIMENTVM facere vultis, an etiam IN & per ME CHRISTVS *loquatur*, sicut in & per alios Apostolos? id est, an præcepta mea sint ab humano, an à diuino spiritu profecta? Item an transgressores ausim vel possim punire potestate mihi data à Christo? Sed quid dubitatis, cùm iam pridem experti sitis hæc omnia? Nam Christus IN VOBIS hucusque NON INFIRMATVR per me, SED POTENS EST] Id est, ostendit se non esse imbecillem (seu in se, seu in ministris suis,) sed valdè potentem ac fortem, cùm tot tantaque diuinæ potentiæ suæ signa per me inter vos edidit. Ita Ambros. & Anselmus.

℣. 4. NAM ETSI semel EX INFIRMITATE humanæ naturæ vltrò assumpta *crucifigi* voluerit & & mori: non manst tamen mortuus, SED EX VIRTVTE DEI, seu potentia diuinitatis suæ, resurrexit, & VIVIT vitam immortalem. Simili modo ET NOS INFIRMI quidem SVMVS IN, seu cum, ILLO, vel ad instar illius: (c) SED VIVEMVS CVM c *Ioan.15. v.20.* EO EX eadem VIRTVTE, seu potentia ipsius, idque de facto experiemini cùm IN VOBIS, seu contra vos, virgam meam expediero: tunc enim sentietis, me non mortuum, neque infirmum, sed vegetum ac fortem esse castigatorem. Ita Theophylactus.

℣. 5. VOSMETIPSOS TENTATE & examinate, an Christus inter vos per me non probarit se fortem & potentem esse, tot signis ac prodigiis apud vos per me patratis. NISI FORTE REPROBI *sitis* à fide, id est, priuati fide, gratiâ, lumine Christi, & pristinis ignorantiæ vel infidelitatis tenebris inuoluti. Si enim fide præditi estis, facilè ex tot signis & miraculis apud vos patratis, *cognoscetis*, QVIA CHRISTVS IN VOBIS EST potenter ac fortiter operans. Quòd si hoc non sat videtis, saltem

℣. 6. SPERO QVÒD, cùm ad vos venerimus, & improbos atque obstinatos castigauerimus, ipso facto COGNOSCETIS, QVIA NOS NON SVMVS REPROBI, seu reprobati vel reiecti à Christo, ciusque gratiâ, efficaciâ & potestate priuati. Videbitis enim Christum per me tam potenter operantem, vt nulla ex parte dubitare ampliùs possitis.

℣. 7. ORAMVS AVTEM DEVM, VT NIHIL MALI FACIATIS punitione vel castigatione nostra dignum: atque ita subtrahatis nobis materiam & occasionem exercendæ probandæque potestatis nostræ: id, inquam, oramus, NON VT NOS PROBATI APPAREAMVS, quasi qui discipulos habeamus tam benè institutos: SED VT VOS per omnia probi & obsequentes sitis. Tum enim nil morabimur, si NOS VT (Græcè ὡς, id est, sicut) REPROBI SIMVS] & quasi imbelles, ac potestate Apostolica destituti habeamur, & consequenter viles, inglorij, ignobiles reputemur. Ita Theophylactus, Anselmus, à Lapide.

℣. 8. NON ENIM POSSVMVS, sed neque volumus, ALIQVID facere ADVERSVS VERITATEM, seu contra iustitiam. q. d. Non possumus punire qui pœnam non merentur. SED PRO VERITATE, iustitia & æquitate tuenda armis nostris spiritualibus instructi sumus.

℣. 9. GAVDEMVS ENIM nobisque gratulamur, si sic NOS INFIRMI SIMVS, neque possimus defectu materiæ potentiam nostram in vobis castigandis exerere, quia vos culpâ vacatis, sed gratiâ & virtutibus POTENTES ESTIS. ET in HOC ORAMVS VESTRAM CONSVMMATIONEM; Græcè, *perfectionem*, id est, vt reddamini perfecti ac consummati.

℣. 11. EXHORTAMINI, id est, consolatione fruimini, vt aliàs dixi. (d) VT & *v.12.* de OSCVLO d *2.Cor.13. v.4.* SANCTO. (e)

℣. 13. COMMVNICATIO, id est, participatio, seu larga effusio donorum, SPIRITVS SANCTI SIT CVM OMNIBVS VOBIS per multiplices eorumdem donorum effectus. e *Rom. vlt. v.16. & 1.Petri 5. v. vlt.*

EPI-

EPISTOLA BEATI PAVLI APOSTOLI AD GALATAS,

SCRIPTA Nicopoli, anno à passo Christo 26. paulò ante epistolam ad Romanos, cuius est quasi compendium, iisdem constans sententijs, phrasibus, rationibus, discursibus. ita S. Chrysostom. & alij apud Baronium. Nam Romæ scriptam, vt habent Græca & Syra in fine epistolæ, itemque Hieronymus, Athanasius, Theodoretus, verisimile non videtur, ex eo quòd vinculorum suorum non meminerit, vti solet in aliis Romæ scriptis meminisse. Habet Galatia ab Oriente Cappadociam, ab Occidente Bithyniam, à Meridie Pamphiliam, à Septemtrione Pontum Euxinum, teste Plinio. Incolæ Gallogræci siue Galatæ dicti sunt, quòd è Galliis in Græciam demigrarint, teste Iustino, Suida, Hieronymo & aliis. Iosephus, Isidorus, Theodoret. & Vatablus ortos volunt ex Gomer *(a)* Iapheti filio, vnde *Gomari*, seu Cimbri, & Germani; è quibus prodiisse Francos, seu Gallos, vult S. Hieronym. Gregor. Turonensis & alij complures. Causa scribendi fuit, quòd Galatas recèns ad Christum conuersos quidam pseudoapostoli ad Iudaicas cæremonias (quasi ad salutem necessarias) vnà cum Euangelio suscipiendas pellexissent. Vnde acri obiurgatione reuocat illos Paulus, docetque Christianos liberos esse à seruitute legis Molaicæ. Ita S. Hieron. Chrysostom. Theophyl. Anselmus.

Baron. to. 1. p. 657. Hieron. in fin. c. 5. Athan. in Synopsi. Plin. l. 5. cap. vlt. Iustin. l. 25. a Chron. c. 46. tab. 2. Hieron. in fine præmij in l. 2. commentarij in epist. ad Galatas. Greg. Turon l. 2. de Gestis Frãcor. c. 31.

CAPVT I.

Certam fidem Euangelio suo habendam docet ex eo quòd illud ipse immediatè à Christo acceperit.

¶. 1. PAVLVS APOSTOLVS creatus NON A puris HOMINIBVS, NEQVE à Deo per nudum aliquem HOMINEM, SED immediatè PER IESVM Christum, qui non est purus homo, sed homo-Deus; salutem dicit & hanc epistolam scribit ECCLESIIS GALATIÆ.

¶. 4. DEDIT Christus SEMETIPSVM hostiam PRO PECCATIS NOSTRIS, VT ERIPERET NOS DE PRÆSENTI SÆCVLO NEQVAM, id est, de sæculari, mundana & carnali vita, seu conuersatione, qualem agunt qui huic sæculo deseruiunt. DEDIT, inquam, SECVNDVM VOLVNTATEM, id est, ex decreto & nutu, cælestis PATRIS, sui ET NOSTRI.

¶. 5. CVI pro tam eximio beneficio sit GLORIA, laus, gratiarum actio, in omnem æternitatem.

¶. 6. TRANSFERIMINI per pseudoapostolos, AB EO QVI VOS VOCAVIT IN CHRISTI GRATIAM: nempe vt deserto Christo, qui vult vos liberos esse ab oneribus legis Mosaicæ, suscipiatis ALIVD EVANGELIVM, non libertatis, sed seruitutis.

¶. 7. QVOD, seu quale, ALIVD NON EST vllum: nullum enim verum Euangelium reperire est aliud ab eo quod ego vobis prædicaui. NISI, id est, sed solùm, SVNT ALIQVI pseudodoctores, QVI VOLVNT CONVERTERE, vel inuertere, EVANGELIVM CHRISTI, aliud docendo quàm docuit Christus, vel per Apostolos docendum tradidit.

¶. 8. SED LICET aut NOS mutatâ mente, AVT ANGELVS DE CÆLO (sitid fieri posset) EVANGELIZET VOBIS PRÆTERQVAM, id est, contrarium, seu repugnans ei QVOD NOS EVANGELIZAVIMVS VOBIS, ANATHEMA SIT *(a)*] Ita S. Hieronymus, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Oecumenius & passim interpretes. Vnde nihil hinc concludere possunt Nouantes contra leges Ecclesiasticas, decreta Pontificum, vel Canones Conciliorum, quia in his nihil contrarium, nihil repugnans reperitur certæ exploratæque Apostolorum doctrinæ. Non vetare autem Apostolum plura Galatis euangelizari quàm audierant, modò non repugnarent auditis; patet vel ex hac ipsa, & totalibus Pauli epistolis, in quibus multa de nouo euangelizat. Et quia Paulus passim, *(b)* vti & Christus *(c)* iubet seruari

a 1. Corint. vlt. v. 22. b Act. 16. v. 4. & Hebr. 13. v. 17. &c. c Luc. 10. v. 16.

seruari præcepta Apostolorum & Superiorum. Denique certum est tam Græcum παρά, quàm Latinum *præter*, sæpissimè vsurpari pro *contra*, tum apud sacros, (*a*) tum apud profanos auctores, Aristotelem, (*b*) Terentium, (*c*) & alios, vt fusè Bellarminus demonstrat. Solùm hîc Nota, si tanta fuit fidei nostræ certitudo primis Ecclesiæ initiis, idque quia fides nititur reuelatione Dei, qui vt prima & immutabilis est veritas, ita non potest aut falli aut fallere, quanta nunc debeat nobis esse certitudo, cùm reuelatio illa diuina tot signis ac miraculis, tot sæculorum traditione, tanto totius orbis consensu comprobata est ac stabilita?

a 1. Cor. 3. v. 11. & Rom. 11. v. 24. & c.

b Aristot. 1. de Cælo c. 1, παρὰ φύσιν id est, contra naturã.

c Terent. in Andria. præter morem & legem, id est, contra.

℣. 10. MODÒ ENIM HOMINIBVS SVADEO, id est, causam meam probare studeo, an DEO? q. d. Olim acerrimè pro Iudæis & iudaismo zelatus sum: at *modo*, seu nunc, Euangelij luce collustratus, non ampliùs Iudæis aut vllis hominibus me meamque causam probare studeo, sed vni soli Deo. vnde & audacter & liberè loquor. Ita S. Chrysostomus, & Augustinus. SI ADHVC iam, vt olim, HOMINIBVS, maximè contribulibus & cognatis meis Iudæis, PLACEREM, id est, placere contenderem, gratiam illorum aucupans, & quæ grata illis sunt proloquens aut docens; CHRISTI SERVVS NON ESSEM] quia ipsi contraria Christo, & maximè illi repugnantia docent ac faciunt. Vnde non possumus Deo simul & mundo placere. (*d*) Et S. Hieronym. *Gratias*, inquit, *ago Deo, quòd dignus sim quem mundus oderit.*

d Matth. 6. v. 24. Hieron. ad Ajellam.

℣. 11. EVANGELIVM meum NON EST SECVNDVM HOMINEM] id est, non est humanum inuentum: Syrus, *non est ab homine*, sed à Deo & Christo immediatè mihi traditum, partim primo conuersionis meæ triduo, (*e*) partim in raptu ad tertium cælum. (*f*)

e Act. 9. v. 9.

f 2. Cor. 12. v. 4.

℣. 15. EX VTERO MATRIS MEÆ, id est, antequam natus aut quidquam promeritus essem, SEGREGAVIT ME, id est, gratuitò me (actu mentali) delegit sibi in seruum, in filium, in Apostolum, in præconem Euangelij: non quasi me inuito, vel non expectato consensu meo, id absolutè decreuerit, sed supposito quòd grandior factus & ab ipso vocatus, vellem dare manus & sequi vocantem: quod & feci, NON ACQVIESCENS CARNI ET SANGVINI] id est, consanguineorum suggestioni vel consilio, inquit S. Hieron. Chrysost. Theophyl. & Anselmus.

℣. 18. POST ANNOS TRES in Arabia exactos (quam peregrinationem Arabicam subticuit S. Lucas in Actis,) VENI IEROSOLYMAM VIDERE ac honore totius Ecclesiæ caput ac principem PETRVM, inquit S. Hieron. Chrys. Ambr. Theodor.

Act. 9. v. 23.

℣. 19. Quo sensu *Iacobus* dicatur *frater*, id est, consobrinus, Christi, aliàs (*g*) expositi.

g Chronici c. 46. in fine 4. tabulæ.

℣. 2. IN PARTES CILICIÆ venit Paulus, quando (vt Lucas narrat (*h*)) Ierosolyma dimissus est *Tarsum*: quæ est metropolis Ciliciæ.

h Actor. 9. v. 30.

CAPVT II.

Collato cum Petro, Iacobo & Ioanne Euangelio suo, docet ab omnibus illud probatum fuisse: sed Petrum palàm à se reprehensum, quòd incautiùs iudaismum simularet: denique non iustificari hominem ex operibus legis Mosaicæ, sed per fidem Iesu Christi.

℣. 1. POST ANNOS QVATVORDECIM, scilicet à primâ mea excursione Ierosolymam, (de quâ sub finem cap. præcedentis,) ITERVM EÒ ASCENDI, anno 9. Claudij Imper. quando & primum Concilium Ierosolymæ celebratum (*i*) est, anno à morte Christi 19. Ita Baronius.

i Act. 15. v. 4. Chron. c. vlt. anno à passo Christo 6. & 19.

℣. 2. ASCENDI AVTEM SECVNDVM REVELATIONEM, id est, non humano, sed diuino instinctu, monitus diuino oraculo, vt legationẽ pro Antiochenis susciperem ad Apostolos, inquit Beda. ET hac occasione CONTVLI EVANGELIVM meum CVM IIS QVI in Ecclesia VIDEBANTVR ALIQVID ESSE: id est, qui non solùm erant in pretio coram Deo, sed etiam publicè apud omnes videbantur & habebantur *columnæ Ecclesiæ* (vt infrà explicat) & primarij Apostoli, maximæ auctoritatis & dignitatis apud omnes. Ita S. Hieron. *Contuli*, inquam, NE FORTE IN VACVVM CVRREREM, seu frustra laborarem: nempe iactantibus spseudoapostolis quòd mea doctrina non esset conformis doctrinæ vicarij Christi & principis Apostolorum, ceterorumque primariorum Ecclesiæ capitum, nollent fideles credere mihi, nec doctrinam meam amplecti, atque ita labor meus omnis cassus redderetur & inanis. Ex quo loco S. Augustin. Tertull. & Hieron. contra nostros hæreticos probant, verbum Dei etiam sinceriſſimum (quale erat istud quod Paulus ab ipsomet Christo hauserat,) & omnes verbi diuini præcones, priùs quàm pro talibus habeantur, debere ab Ecclesiæ Prælatis approbari.

August. 28. cont. Faustum c. 4. Tertull. l. 4. cõtra Marcionem. Hier. ep. 17. ad Augustinum inter epistolas Augustini.

℣. 3. SED NEQVE TITVS, CVM ESSET VTROQUE parente GENTILIS, iussu Apostolorum COMPVLSVS EST CIRCVMCIDI, compellendus vtique si id necessarium ad salutem iudicassent.

℣. 4. SED *neque ad id compulsus est* (hæc enim hebraismo ex vers. præcedenti hîc repetenda) etsi fortiter id vrgerent *falsi* FRATRES *subintroducti*; Græcè, παρείσακτοι, id est, subreptitij, QVI INSIDIOSÈ SVBINTROIERVNT in Ecclesiam, vt *explorarent* LIBERTATEM NOSTRAM ab obseruatione legis Mosaicæ, VT nobis illam eriperent, & NOS IN PRISTINAM SERVITVTEM REDIGERENT] Erant hi Cerinthus, eiusque complices, vt alibi (*k*) vidimus.

k Act. 15. v. 1.

℣. 5. QVIBVS NEQVE AD HORAM; Græcè, *neque ad momentum*, CESSIMVS SVBIECTIONE] id est, vt nos illis, prodita Euangelij veritate & libertate, subiiceremus.

℣. 6. AB IIS AVTEM QVI VIDEBANTVR ALIQVID ESSE, & in maximo pretio ab omnibus habebantur, putà à *Petro, Iacobo & Ioanne*, subaudi, *nihil doctrinæ mihi collatum est*, vt mox subdit; sed mutato casu, more Hebraico. (*l*) ita Anselmus. QVALES ALIQVANDO FVERINT, &c. Rationem dat quare cum illis conferre voluerit Euangelium suum. q. d. Tametsi illi olim fuerint homines abiectæ & vilis conditionis, vtpote pauperes & indocti piscatores, cùm ego ciuis Romanus, (*m*) scientia legis (*n*) excellerem; hoc NIHIL MEA INTEREST: nam DEVS sine personarum acceptione quos vult eligit, & quales vult facit: & ego non ab illis, sed ab ipsomet Christo immediatè in rebus fidei instructus sum. Quia tamen illi iam per Dei gratiam ac beneplacitum constituti erant *columnæ* & capita Ecclesiæ, volui vt ipsorum auctoritate doctrina mea comprobaretur. Ita Ambros. & Anselmus.

l Prolog. de Idiotismis Hebr. n. 3.

m Act. 22. v. 26.

n Hic c. 1. v. 14. & Act. 26. v. 5.

℣. 7. CREDITVM, seu commissum, EST MIHI EVAN-

EVANGELIVM PRÆPVTII, id est, præputiatorum, A id est, Gentilibus annuntiandum: SICVT PETRO CIRCVMCISIONIS] id est, Iudæis circumcisis.

Dices: Ergo Petrus non fuit caput totius Ecclesiæ. Respondeo, neg. conseq. Quia Apostoli sponte sua sic partiti erant inter se non potestatem vel auctoritatem, sed operas tantùm; vt nempe Paulus, quia exsus Iudæis, præcipuè prædicaret Gentilibus: Petrus verò Iudæis, quibus charus erat. Alioquin & Paulum euangelizasse Iudæis, a *Act. 9. 13. 14. & vlt.* patet ex Actis Apostolorum, (a) & ex epistola quam ad Hebræos dedit: & Petrum Gentilibus, constat ex Actorum 10. v. 15. vbi addit: *Vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus elegit per os meum,* B *Gentes audire verbum Dei.* Et cur, quæso, duo isti cessissent iure suo quod omnibus & singulis Apo- b *Luc. 6. v. 13.* stolis, (b) commune esse constabat.

℣. 8. QVI OPERATVS EST PETRO] Græcè, *ὁ ἐνεργήσας Πέτρῳ, qui inoperatus est Petro*, seu in Petro suam energiam, vim & efficaciam, ad Iudæos conuertendos singulariter ostendit, nempe Deus; idem in me quoque eamdem exeruit in ordine ad Gentium conuersionem speciatim procurandam.

℣. 9. DEXTRAS DEDERVNT] & hoc symbolo nos socios suos in apostolatu, atque in Euangelij doctrinâ rectè secum consentientes, agnouerunt, & vt tales receperunt.

℣. 11. CVM VENISSET CEPHAS, seu Petrus, ANTIOCHIAM, (subsecutus penè eodem tempo- c *Chron. c. vlt. anno à morte Christi 19.* re Paulum & Barnabam, (c) & metu offendendi Iudæos, subtraheret se à conuictu Gentilium, ab esu suillæ & similium ciborum lege Mosaica prohibitorum; IN FACIEM, seu in barbam, id est, palàm & apertè, ILLI RESTITI, & coram omnibus me illi opposui.

Dices: Ergo Petrus inferior erat Paulo. Resp. neg. conseq. Quia Paulus reprehendit Petrum non tamquam superior, vel ex auctoritate, sed solùm ex charitate tamquam inferior, quia bonum publicum sic postulabat. Tali enim casu licere id inferiori, etiam in publico, sed adhibitâ cautelâ & D honore Superiori debito, constat ex iure tum naturali, tum positiuo, (d) & fusè demonstrat S. Au- d *Can. Si quis. & can. Lator. distinct. 2. q. 7.* gust. qui occasione huius

℣. 13. SIMVLATIONIS S. Petri, acrem cum S. Hieron. concertationem suscepit, vt ex vtriusque epistolis (e) patet. Hieronymus enim, vt & Chry- e *Epist. 8. 9. & seqq. in tomo 2. operum S. Augustini.* sost. (& post eum Theophyl. ac Baronius) volebat Petrum licitè, imò ex composito simulasse. Quorum vtrumque negat S. August. qui propiùs accedit ad mentē Pauli, diserte affirmantis, Petrum *non rectè ambulasse*, & idcirco *reprehensibilem*, id est, reprehensione dignū fuisse, vt etiam docent Tertull. Cyprianus, Ambros. Gregor. & passim Latini.

Petes Primò, Quid *simularit*? Respondeo, se E legem Mosaicam, quasi adhuc obligantem, obseruare, cùm reuera id non intenderet, vtpote quam f *Act. 15. v. 10.* sciret abolitam: (f) sed solùm intendebat se moribus Iudæorum pro tempore accommodare, ne illos offenderet.

Petes Secundò, Quale peccatum illud fuerit? Respondeo, Leue, seu veniale peccatum, non erroris in fide, sed in facto: erat enim incauta atque importuna simulatio, seu professio iudaismi, nimirum cum scandalo Gentilium, qui tale factum Petri (capitis & principis totius Ecclesiæ) interpretabantur, signum esse, quòd ceremoniæ legis Mosaicæ adhuc necessariæ essent ad salutem, ac proinde Paulum eos hactenus non rectè instituisse. Erat ergo indiscretio in Petro, & vanus timor displicendi Iudæis: cui proinde occurrit prudentia & zelus Pauli.

℣. 14. SI TV, ô Petre, CVM IVDÆVS, seu ex Iudæis oriundus SIS, passim tamen & promiscuè GENTILITER VIVIS, id est, communi cum Gentilibus mensa & cibo indifferenter ac promiscuè hactenus vteris; (g) QVOMODO, seu quo iure, nunc g *Hic v. 11.* COGIS exemplo tuo GENTES IVDAIZARE?

℣. 15. NOS NATVRA, id est, naturali generatione, origine ac prosapia, IVDÆI, ET NON EX GENTIBVS procreati PECCATORES, seu idololatræ, non obseruamus ceremonias legis Iudaicæ, quasi necessarias, vel adhuc obligantes,

℣. 16. SCIENTES non hauriri *iustitiam* EX OPERIBVS illius LEGIS, (h) sed EX FIDE CHRISTI] h *Rom. 3. v. 17.* vt quid ergo vrgebimus Gentiles iam in Christum credentes, vt illas ceremonias obseruent?

℣. 17. QVÒD SI QVÆRENTES & satagentes IVSTIFICARI IN CHRISTO, id est, per fidem in Christum, reuera non iustificamur, sed manemus & SVMVS adhuc PECCATORES, quia scilicet legem Mosaicam (si hæc, vt aiunt iudaizantes, adhuc necessaria est ad salutem) non obseruamus; nónne hinc sequitur, *Christum* esse *ministrum*, id est, causam, PECCATI? nempe, dando nobis legem Euangelicam, quasi solam sufficientem ad iustitiam ac salutem: & consequenter abrogando & antiquando legem Mosaicam; cùm tamen hæc (vt ipsi volunt) necessaria esset ad iustitiam & salutem. Ita S. Hieron. Chrysost. & Primasius.

℣. 18. SI QVÆ semel DESTRVXI, vim iustificādi detrahens legi Mosaicæ, ITERVM HÆC ÆDIFICO, rursus eam legi affigens; PRÆVARICATOREM ME CONSTITVO, imò impostorem. Quod ego semel destruxi, destructum volo æternùm.

℣. 19. PER LEGEM Mosaicam, scilicet ostendentem nobis Christum, quasi scopum & terminum suum, & ad hunc nos manuducentem, atque in eo desinentem ac morientem, EGO quoque LEGI MORTVVS SVM, id est, desij esse obnoxius legi. Ita S. Chrysost. & Augustinus. q. d. Ipsiusmet legis testimonio, per Christum eximor ab obligatione legis, VT non ampliùs VIVAM obnoxius legi, id est, typis ac figuris, sed DEO & Christo per legem figurato. Rursus per baptismum & pœnitentiam CHRISTO CONFIXVS SVM CRVCI] Id est, cum Christo crucifixus & mortuus sum pec- *Rom. 6.* cato, veteri homini & veteri legi: & nouam gra- *v. 6.* tiæ vitam exsugo ex crucifixo, quasi ramus illi arbori insertus: vnde

℣. 20. NON tam EGO VIVO (vita pristina veteris hominis & legis) quàm CHRISTVS IN ME, per gratiam suam & legem Euangelicam mouens me quò & quomodo voluerit. ita S. Chrysost. Hieron. Anselmus. QVÒD AVTEM sic spiritualiter in Christo VIVO iustus, & à peccatis veteris hominis expeditus, idque IN CARNE hac mortali, tot vitiis, tot imperfectionibus, tot tentationibus obnoxia, acceptum fero non legi Mosaicæ, sed *fidei* quam habeo in Christum *filium* DEI. Hanc

℣. 21. GRATIAM DEI NON ABIICIO, non aspernor, non repudio, quærens aliunde iustificari. v. g. ex ceremoniis legis Mosaicæ, quasi Christus nobis iustificandis non sufficeret. Quæ intolerabilis esset ingratitudo, simul & iniuria in Christum. Quin potiùs, SI IVSTITIA nobis obuenit PER LEGEM, ERGO GRATIS, id est, frustra & absque

absque vlla necessitate, CHRISTVS MORTVVS EST] cùm non ob aliam finem mortuus sit quàm vt nos sua morte redimeret & iustificaret.

CAPVT III.

Pluribus rationibus ostendit, nos iustificari non per legem Mosaicam, vel opera legis, sed per fidem in Christum, ad quem lex quasi pedagogus nos deducit.

¶. 1. PRÆSCRIPTVS EST CHRISTVS; Græcè, προεγράφη, id est, descriptus, depictus, repræsentatus, ANTE OCVLOS vestros. nempe, IN VOBIS, id est, in regione vobis vicina, vestra etiam ætate, & quibusdam vestrûm præsentibus ac spectantibus, Ierosolymæ CRVCIFIXVS] q.d. Fierine potest, vestros sic oculos fascinari, vt Christum redemptorem vestrum penè adhuc ante oculos vestros in cruce pendentem non intueamini, typicis Mosaicæ legis velaminibus toti obuelati? ita S. Chrysost. Si enim retectis oculis fontem illum iustitiæ & salutis intueremini, facilè sineretis diuelli vos à siccis Mosaicæ legis cisternis.

¶. 2. SPIRITVM, nempe sanctum, cum omnibus eius donis, etiam visibilibus illis, linguarum peregrinarum, prophetiæ, sanitatum, &c. vnde, quæso, ACCEPISTIS? an EX OPERIBVS LEGIS, AN EX AVDITV FIDEI? Atqui certum est, illa vobis obuenisse cum baptismo, dum nulla adhuc mentio vobis fieret operum vel cæremoniarum legis Mosaicæ. Vt quid ergo

¶. 3. SIC STVLTI ESTIS, VT CVM SPIRITV & spirituali vita, per spiritualia Spiritus sancti charismata nobilitata, COEPERITIS Deo seruire & Christo, NVNC quasi cœpti pœnitentes, *consummari*, seu perfici, velitis CARNE, id est, circumcisione carnis, & aliis carnalibus cæremoniis legis Mosaicæ? inquit Anselmus.

¶. 4. TANTA propter fidem Christi à Gentilibus & Iudæis PASSI ESTIS? idque SINE CAVSA, id est, frustra, si iam ad Moysen deficiatis. SI TAMEN SINE CAVSA] id est, quamquam sperem quòd non frustra: nam, nisi fallor, non deficietis, sed Christo, cuius causa tam multa passi estis, constantes adhæretis. Ita Hieronymus.

¶. 6. SCRIPTVM EST Genes. 15. v. 6. ABRAHAM diu ante legem Mosaicam, imò & ante circumcisionem, *iustificatus est* ex eo quòd CREDIDIT DEO (vt aliàs (*a*) explicui:) ergo iustificatio non ex operibus legis, sed ex fide.

a Rom 4. v. 9.

¶. 8. PROVIDENS, id est, longè antè prospiciens DEVS, GENTES *iustificatum iri* EX FIDE, PRÆNVNTIAVIT idipsum ABRAHÆ; Græcè, προευηγγελίσατο, id est, *præuangelizauit*, seu lætissimum hoc ei nuntium tulit, cùm ait, (*b*) BENEDICENTVR, id est, iustificabuntur & saluabuntur, OMNES GENTES IN TE, id est, (vt alibi (*c*) explicat) *in semine tuo*, id est, in Christo, (*d*) seu per Christum, & per fidem in Christum.

b Gen. 12. v. 3.
c Gen. 22. v. 17.
d Hic v. 16.

¶. 10. QVICVMQVE EX OPERIBVS LEGIS SVNT, id est, sectantur opera & cæremonias legis Mosaicæ, & ex iis iustitiam venantur, tantum abest heredes sint benedictionis Abrahamo promissæ, vt etiam SVB MALEDICTO SINT, id est, maledictioni & punitioni sint obnoxij. SCRIPTVM EST ENIM: (*e*) MALEDICTVS OMNIS QVI legem violat. Atqui omnes qui sub lege sunt, si ab eis fidem Christi secluseris, legem violant; *f* ergo omnes maledicti sunt.

e Deut. 27. v. 26.
f Rom. 7. v. 8. &c.

¶. 12. LEX NON EST EX FIDE, id est, ex classe vel societate fidei: id est, non comitatur, non adducit, non donat fidem, vel gratiam, vel benedictionem Christi qua iustificemur vel saluemur. SED legi solùm tribuitur, (*g*) quòd QVI FECERIT EA quæ lex præscribit, VIVET IN ILLIS, nempe vita & prosperitate temporali, quam solam lex promittit: non verò vita spirituali, quæ non nisi ex fide in Christum hauritur, inquit S. Hieronymus.

g Leuit. 18. v. 5. & Ezech. 20. v. 11.

¶. 13. DE MALEDICTO LEGIS, quod ipsa transgressoribus intentat, (*h*) REDEMIT, id est, liberauit, NOS CHRISTVS, FACTVS PRO NOBIS MALEDICTVM; Græcè, κατάρα, id est, *maledictio*, execratio; Syriacè, *maledictus*, execrabilis, putà hominibus, propter supplicium crucis quod subijt: MALEDICTVS enim OMNIS QVI PENDET IN LIGNO. (*i*) Id autem fecit Christus,

h Hic v. 10.
i Deut. 21.

¶. 14. VT BENEDICTIO ABRAHÆ promissa (*k*) & POLLICITATIO SPIRITVS, seu donorum Spiritus sancti, facta posteris Abrahæ, FIERET, id est, obueniret, Gentibus per *Iesum Christum*, & PER FIDEM in ipsum: quæ vnica via est illius nanciscendæ.

v. 13.
k Gen. 12. & 22. sup.

¶. 15. SECVNDVM HOMINEM DICO, seu secundùm consuetudinem hominum loquor: nempe, vtor exemplo humano ac vulgari, putà *testamenti*, TAMEN, id est, tametsi, HOMINIS. Nam tali instrumento semel *confirmato*, seu publica auctoritate firmato per solennes formulas, scribam & testes, NEMO SVPER, id est, contra, ORDINAT, addendo, detrahendo, immutando. Multò minùs potest lex Mosaica *irritare* vel *euacuare*

¶. 17. TESTAMENTVM, pactum, promissum diuinum de benedicendis, id est, iustificandis ac saluandis, omnibus gentibus per vnicum illud *semen*, id est, filium (*l*) Abrahæ, nempe per Christum & per fidem in Christum, tam solenniter promulgatum, & CONFIRMATVM A DEO. *Lex*, inquam, quæ totis *quadringentis* ET TRIGINTA *annis* posterior fuit hac Dei promissione facta Abrahæ anno vitæ eius 75. (*m*) Neque dici potest, legem Mosaicam impleuisse, seu compleuisse, hoc Dei testamentum:

l Gen. 21. v. 12.
m Chronici c. 15.

¶. 18. NAM SI HEREDITAS testamento diuino posteris Abrahæ legata, EX LEGE obueniret, seu per legem Mosaicam donaretur; ergo latâ semel lege, non ampliùs opus fuisset PROMISSIONE] id est, semine illo Abrahæ promisso, nempe Christo; sed lex ipsa suffeciisset. Atqui prædictum Abrahæ, non nisi per Christum obuenturam posteris eius promissam hereditatem: ergo.

¶. 19. VT QVID IGITVR LEX? Respondeo, PROPTER TRANSGRESSIONES: id est, ad declarandas, arguendas, coërcendas multiplices transgressiones legis diuinæ tam naturalis, quàm positiuæ, docendosque homines in Christum respicere, in quo tandem promissiones illæ Abrahamo factæ complerentur, & absque cuius gratia non possent homines legem implere, neque à peccatis suis expediri, aut iustitiam salutemque Abrahamo promissam adipisci. q.d. Lex data est, vt nobis quasi (*n*) pædagogus esset ad Christum: ergo Christo

n Hic v. 24.

iam præsente, officio suo perfuncta est. Vt quid ergo, ô Galatæ, vultis eam vlteriùs prorogare? Sed fuit & aliud discrimen inter legem & promissionem, seu Christum promissum: quòd promissio immediatè sit à Deo; lex verò ORDINATA, imperata, edicta, PER ANGELOS, IN MANV, id est, interuentu, operâ & ministerio, MEDIATORIS, seu

seu sequestri, inter Deum & populum Israeliticum, putà Moysis, vt ipsemet de se testatur. (a) Et docent Cyrillus, Nazianzenus, Catharinus, Sasbout, à Lapide, imò & Beza, alijque Nouantes.

(a) Deut. 4. v.5. Cyrill. 12. Thesauri c.10. Nazianz. orat.6.coram Gregorio Nyssino.

℣.20. DEVS AVTEM VNVS EST] Occurrit tacitæ obiectioni: Subinde enim contingit, ex contrahentium vel testantium voluntate, priora instrumenta rescindi: quis scit, an non etiam Deus quoad promissionem Abrahæ factam aliquid immutarit cùm iussit legem posteris Abrahæ dari? Respondet, Hoc in Deum cadere non potest, qui semper *vnus* idemque, ac sui similis & immutabilis *est*. ita ferè Gennadius apud Oecumenium, & ex eo Salmeron. Ex quo eodem principio sequitur, quòd

℣.21. LEX non potuerit VIVIFICARE, seu iustificare: si enim iustificaret, iam esset ADVERSVS PROMISSA DEI facta Abrahæ, quibus illi addixit Deus gentes omnes benedicendas, viuificandas, iustificandas, sed non nisi *in semine eius*, id est, per Christum ex ipso procreandum & per fidem in Christum. Atqui Deus cum semper maneat sui similis, non potest abolere quod semel absolutè promisit: ergo lex non iustificauit; SED tantùm patefecit hominibus sua peccata, vt suprà vidimus, (b)

(b) Hic v.19.

℣.22. SCRIPTVRA declarante, *conclusa* esse OMNIA, id est, omnes homines concludi SVB PECCATO, seu obnoxios esse peccato: (c) VT PROMISSIO, id est, benedictio Abrahæ promissa, nempe iustitia & salus æterna, EX FIDE, seu per fidem, in *Iesum Christum* expeteretur, & CREDENTIBVS DARETVR,

(c) Rom.11. v.32.

℣.23. PRIVS AVTEM QVAM VENIRET FIDES, id est, Christus fide credendus, SVB *custodia legis*, tamquam pædagogi, CONCLVSI tenebamur, & ab illa quasi manu-ducebamur IN CHRISTO; Græcè, ad Christum suo tempore reuelandum, cuius FIDE *iustificaremur*.

℣.25. VBI, seu postquam, ergo iam FIDES, id est, Christus fidei nostræ obiectum, ADVENIT, NON SVMVS amplius SVB tutela vel seruitute illius PÆDAGOGI] Sed iam soluti vinculis & compedibus legis, liberi & emancipati

℣.27. CHRISTVM INDVISTIS, & cum ipso stolam libertatis, & prætextam iustitiæ & gratiæ sanctificantis. Per fidem enim & baptismum (quæ sunt quasi insignia Christi) plenam assecuti estis emancipationem & libertatem filiorum Dei, tam propinqui, tam intimè coniuncti Christo, vt dici possitis ipsum induisse: adeoque gratia & donis eius abundantes, vt illis circumdati & immersi videamini. Quod intelligo non de solis carnalibus Abrahæ posteris, sed & de omnibus totius orbis mortalibus:

℣.28. OMNES ENIM VOS, qui per fidem Christo inserti estis, nullâ differentiâ generis, conditionis, sexu aut ætatis, VNVM ESTIS corpus *Christi* mysticum: omnes

℣.29. SEMEN, id est, filij spirituales, ABRAHÆ ESTIS: omnes *promissionum* ipsi factarum HEREDES pari prorsus iure quo carnales eius filij *Iudæi*. Ità S. Chrysost. Theophyl. Anselmus.

CAPVT IV.

Docet, nos esse liberos à tutela & seruitute legis veteris.

℣.3. CVM ESSEMVS PARVVLI, heredes quidem Abrahæ, sed rudes & imperfecti ante aduentum Christi, *seruiebamus* SVB ELEMENTIS MVNDI] id est, sub lege veteri Mosaica, quæ mundo data fuit à Deo quasi alphabetum & prima rudimenta veræ fidei & pietatis. Quia lex imperfecta erat, & (vt infrà (d) dicitur) *egena atque infirma*, scilicet ad vestram iustitiam & salutem procurandam: Christus verò per nouam legem suam perfecit omnia. ita S. Hieron. Theodoretus & Anselmus.

(d) Hic v.9.

℣.4. VBI VENIT PLENITVDO TEMPORIS: id est, postquam impletum est tempus præfixum à Deo Patre, vt hereditatem, seu benedictionem filiis atque heredibus Abrahæ promissam acciperemus; MISIT DEVS in terras vnigenitum FILIVM SVVM, FACTVM (absque virili complexu) EX MVLIERE, id est, formatum ex sola feminæ virginis substantia. Qui, licet nulla lege teneretur, vtpote Deus & Dominus omnium legum, sponte tamen sua FACTVS est SVB LEGE Mosaica, subiiciens se circumcisioni & aliis cæremoniis lege præscriptis, VT nos QVI SVB LEGE eramus, à seruitute & obligatione legis REDIMERET, & ex mancipiis legis faceret liberos & adoptaret in filios Dei. Vnde & in vos, tâquam in genuinos filios suos

℣.6. MISIT DEVS SPIRITVM FILII SVI, id est, Spiritum sanctum à Filio (quod Nota contra Græcos,) æquè atque à Patre procedentem, vt eodem cum Christo Spiritu instructi & impulsi *clametis* ABBA, seu PATER] id est, recurratis ad Deum, non tanquam serui ad dominum, sed tanquam filij, filiali affectu & amore ad charissimum parentem. Ita Theophylactus & Anselmus. *Clamat* autem Spiritus sanctus in nobis & nobiscum, perinde atque alibi (e) diximus, ipsum *postulare pro nobis*.

(e) Rom.8. v.26.

℣.9. COGNITI ergo & agniti A DEO pro legitimis & charissimis filiis, QVOMODO nunc ITERVM CONVERTIMINI AD INFIRMA ET EGENA ELEMENTA? nempe ad materiales cæremonias & sacra Iudaica, quæ prorsus *egena* sunt gratiæ, & *infirma* atque impotentia ad iustificandum: neque sunt pro filiis instituta, sed pro seruis.

℣.10. OBSERVATIS cultu & superstitione Iudaica DIES, nempe sabbata: MENSES, id est, neomenias: ET TEMPORA; Græcè, καιρούς, id est, opportunitates, scilicet ad festa & sacra Iudaica suis quæque temporibus celebranda, v.g. Paschatis in vere, Pentecostes in æstate, Tabernaculorum in autumno, Encæniorum in hieme: ET ANNOS, septimum remissionis, & quinquagesimum iubilæi. Sub his temporum cæremoniis vult Apostolus intelligi etiam reliquas omnes legis veteris cæremonias: non verò etiam festa Sanctorum, vt volunt hæretici, aut alias Christianas solennitates: quia nulla hîc illarum fit mentio, & est maximum inter has & illas discrimen, vt patet ad oculum, & fusè docent Nazianzenus, Hieron. Bellarminus & alij doctores.

Nazianz. orat. in S. Pentecost. Bellarm. de cultu Sanctorum.

℣.11. TIMEO VOS, seu de vobis, ne inanem sumpserim operam ac laborem in vobis conuertendis.

℣.12. ESTOTE Iudaicarum cæremoniarum contemptores SICVT EGO: QVIA ET EGO gentiliter (quoad possum) viuo sicut VOS. quid ni verò audeatis vos Gentiles, cùm audeam ego Iudeus? ita S. Hieron. OBSECRO, vt sic faciatis. Non dico hæc iratus: NIHIL enim ME, sed vosipsos, LÆSISTIS] vestri ergo miserans, vrgeo quæ dixi.

℣.13. PER INFIRMITATEM CARNIS, id est,

multis cum doloribus, persecutionibus, ærumnis, A EVANGELIZAVI VOBIS: ET tamen TENTATIONEM hanc VESTRAM (nempe me sic afflictum, qui vobis poteram esse tentationis obiectum & occasio,) NON SPREVISTIS] Cur ergo nunc spernatis? ita S. Hieronymus.

℣. 15. VBI EST nunc illa BEATITVDO?] Græcè, μακαρισμὸς, id est, *beatificatio vestra*, qua propter meam præsentiam & prædicationem beatos vos censebatis, & beati ab aliis censebamini. Ita Theophylactus.

℣. 17. ÆMVLANTVR VOS: id est, depereunt, & ambiunt vos isti iudaizantes, sibi suæque legi Mosaicæ subiicere: sed NON BENE, id est, zelo non bono, neque in vestrum bonum: nam EXCLVDERE VOS VOLVNT à me, à Christo, à sincera Christi doctrina, VT ILLOS vicissim VOS ÆMVLEMINI, id est, colatis, depereatis & ipsis adglutinemini. Sed vobis

℣. 18. BONVM & vtile est æmulari magistros vestros, non in malo, (quale est iudaizare,) sed IN BONO, putà in virtutibus Christiano dignis; idque non ad oculum, cùm PRÆSENS vobis adsvm, sed SEMPER, ex animo & constanter. Ita vobis quanto possum affectu suadeo.

℣. 19. FILIOLI MEI, nuper à me Christo geniti per Euangelium, QVOS in iudaismum delapsos iam ITERVM PARTVRIO] Id est, omnem operam do vt à iudaismo reducam ad Christum, & sic iterum pariam Christo. ita S. Chrysost.

℣. 20. VELLEM MVTARE VOCEM MEAM; Syrus, *filiam vocis meæ*, id est, orationem meam & verba mea; nempe nutricum more, nunc blandirer, nunc gemerem, nunc plorarem, nunc obsecratem, nunc obiurgarem vos. QVONIAM CONFVNDOR] Græcè, ἀπορέμαι, id est, anxius hæreo, inops consilij, perplexus, nec sat sciens quibus verbis & rationibus vos permouere & ad officium reducere possim.

a *Gen. 16. v. 15.* ℣. 23. QVI DE ANCILLA (*a*) Agar NATVS est, nempe *Ismaël*, SECVNDVM CARNEM, id est, modo, via, virtute carnali, seu naturali procreatus EST: QVI AVTEM DE LIBERA Sara, nempe *Isaac*,

b *Hic v. 29.* PER REPROMISSIONEM, & (vt infrà, (*b*)) *secundùm spiritum* natus est, id est, ex singulari Dei promis-

c *Gen. 17. v. 19.* sione (*c*) & supernaturali virtute Spiritus sancti.

℣. 24. HÆC Agar & Sara SVNT, id est, allegoricè significant, DVO TESTAMENTA, vetus & nouum. VNVM IN MONTE SINA traditum, (*d*)

d *Exodi 20. & 6.* nempe vetus testamentum, erat IN SERVITVTEM GENERANS, id est, generabat seruos, putà Israelitas solis vmbris & figuris seruientes, idque nudo timore pœnarum, & spe præmiorum temporalium. QVÆ EST AGAR] Id est, quod testamentum seruile significatur per *Agar* seruam. Ita S. Hieron. Chrysost. Anselmus.

℣. 25. SINA ENIM MONS EST horridus IN ARABIA situs, procul à finibus terræ promissæ: E sed mystica significatione CONIVNCTVS, affinis & similis, EST terrenæ IERVSALEM, QVÆ & qualis NVNC EST] Græcè, συστοιχεῖ, id est, cognationem & similitudinem habet. q. d. Mons *Sina* similis conditionis est cum nostri temporis Ierosolyma. Sicut enim ibi, ita & hîc traditur lex merè cæremonialis, carnalis & seruilis: vtrobique generantur filij non liberi, sed serui; non spirituales, sed carnales. Ita Theophyl. S. Thomas, Vatablus, Budæus & à Lapide.

℣. 26. ILLA AVTEM per Saram figurata, imò & per terrenam Ierosolymam allegoricè adumbrata, Ecclesia noui testamenti seu Christi. Primò, SVRSVM EST, à terra & terrenis eleuata, in sublimi & excelso posita: nam vt de capite eius Christo, & de maiore ac potiore eius parte in cælis triumphante fileam; etiam hæc quæ in terris militat, si doctrinam, si Sacramenta, si virtutes, si conuersationem, si desiderium, si scopum eius vltimum spectes, non tantùm excedit terrena, sed reuera etiam cælestis est; vnde &, teste Apocalypsi, (*e*) e *Apoc. 21.* *de cælo descendit.* Ita S. Hieron. Ambros. & Anselv. 1. mus. Secundò, est propriè dicta IERVSALEM, id est, *visio pacis*, propter fruitionem pacis quam solidam habet cum Deo, & cum sua conscientia, & habere conatur etiam cum omnibus hominibus. Tertiò, EST LIBERA à seruitute diaboli, peccati legis Mosaicæ & mortis æternæ. Quartò, est fœcundissima, quia ex populo Gentili, antea sterili (quia non Deo, sed dæmoni pariebat proles,) innumeros Deo filios procreauit: (*f*) vnde & MA- f *Isaiæ 54.* TER NOSTRA iure merito vocatur. Et in hoc longè superat Synagogam. v. 1.

℣. 28. NOS AVTEM Christiani, SECVNDVM ISAAC, id est, instar Isaaci, SVMVS FILII PROMISSIONIS] id est, semen spirituale, seu filij legitimi, ad quos pertinet promissio facta Abrahæ.

℣. 29. SED eo prorsus MODO QVO TVNC Ismael PERSEQVEBATVR Isaacum, (*g*) ITA ET g *Gen. 21.* NVNC carnales Abrahæ filij, Iudæi, vexant & per- v. 9. C sequuntur spirituales eiusdem filios, Christum & Christianos.

℣. 30. SED iubente Deo, (*h*) eiecta est ancilla h *Ibid. v.* Agar cum filio suo Ismaele ex domo Abrahæ. Quâ 10. & 12. eiectione significabatur Allegoricè repudiatio Synagogæ, seu eiectio è familia Christi & Dei, id est, ex vera Ecclesia, inquit S. Hieron. Ambros. Chrysost. Theodoret. Anselmus & à Lapide. Qui etiam (contra hæreticos, non nisi vnum admittentes in Scriptura sensum, putà litteralem, seu primò intentum à Spiritu sancto) notant, præter sensum litteralem, vt sæpè aliàs, (*i*) ita hoc loco, re- i *Hebr. ij.* periri etiam sensum mysticum seu spiritualẽ, me- v. 11. & diante sensu litterali intentum à Spiritu sancto. Et quidem triplicem, putà Allegoricum, qui spectat ad Christum vel Ecclesiam Christi. & hoc sensu dicit hîc (*k*) expressè Paulus, Agar & Ismael signi- k *Hic v. 24* ficare Synagogam, Saram & Isaac Ecclesiam Christi. Secundò, Tropologicum; qui mores spectat. quo sensu persecutio quâ Ismaël persequebatur Isaacum, (*l*) significat persecutionem qua Iudæi l *v. 29.* afflixerunt Christianos. Tertiò, Anagogicum, qui futuram vitam concernit. quo sensu potest accipi quod dicitur v. 26. *Illa quæ sursum est Ierusalem*, &c. De quibus vide fusiùs Bellarminum. *Bellarm. de verbo Dei.*

CAPVT V.

Pergit astruere libertatem Christianam. Hortatur & ad charitatem. Recenset opera carnis, & fructus spiritus.

℣. 2. SI CIRCVMCIDAMINI, credentes id esse necessarium ad iustificationem & salutem (inquit S. Augustinus) CHRISTVS VOBIS NIHIL PRODERIT] etsi præ vobis feratis velle vos nihilominus etiam Christum colere, eique deseruire. Ratio est, quia hic est error exploratus in fide, quæ solis Sacramentis nouæ legis, non verò Mosaicæ vim iustificandi asscribit.

℣. 3. CIRCVMCIDENS SE, DEBITOR EST, seu debitorem se facit, VNIVERSÆ LEGIS Mosaicæ

FACIEN-

FACIENDÆ] quia eo ipso se obligat ad omnes eius cæremonias & præcepta complenda. Sicut enim *baptismus* est publica professio fidei Christianæ & subiectio respectu nouæ legis, ita *circumcisio* respectu veteris legis, inquit S. Anselmus.

¥. 4. QVI IN LEGE IVSTIFICAMINI, id est, quicumque iustitiam quæritis ex circumcisione, aliisque legis Mosaicæ cæremoniis, etsi externa specie Christo adhærescatis; reuera tamen EVACVATI ESTIS A CHRISTO & à beneficiis Christianismi, & A GRATIA eius EXCIDISTIS, nihil ab eo vtilitatis percipientes: caretis enim

¥. 5. SPIRITV, id est, spirituali vita, & vera *iustitia*, quæ EX FIDE procedunt: vos autem fide vera destituimini. Atqui B

¥. 6. IN CHRISTO, seu in religione Christiana, *nihil* VALET ad iustitiam consequendam, seu CIRCVMCISIO, seu PRÆPVTIVM, id est, esse circumcisum, vel non circumcisum: SED FIDES in Christum, non sola, nec inanis aut otiosa, sed QVÆ charitate perficitur, & PER CHARITATEM in pia *opera* se diffundit.

¥. 8. PERSVASIO HÆC, quòd legales cæremoniæ necessariæ sint Christiano ad salutem, NON EST EX EO QVI VOCAT VOS, id est, non procedit à Deo, qui vos ad fidem, gratiam & salutem æternam per Christum vocauit; sed est ex diabolo eiusque ministris, qui saluti vestræ insidiantur. Vnde

¥. 10. CONFIDO de VOBIS IN DOMINO, id est, per Dei clementiam ac gratiam, QVÒD NIHIL ALIVD, quàm quæ vos docuimus, SAPIETIS aut credetis. QVI AVTEM VOS in hoc negotio CONTVRBAT, PORTABIT IVDICIVM, seu condemnationem, iustas luiturus pœnas.

¥. 11. SI EGO (vt spargunt pseudoapostoli) ADHVC clam vobis, sed publicè inter Iudæos, PRÆDICO CIRCVMCISIONEM, id est, legis obseruationem, esse necessariam; vt QVID ADHVC PERSECVTIONEM ab illis patior? Sic enim EVACVATVM EST, id est, omninò cessat, SCANDALVM CRVCIS] id est, offendiculum quod ipsis parit Christus crucifixus. Nempe, locum non habebit immunitas ab oneribus legis Mosaicæ, quam per Christum crucifixum nos adeptos esse prædicaui, propter quam immunitatem tam multi Iudæorum scandalizantur. Neque enim tam illos offendit prædicatio Christi crucifixi, quàm legis per crucem abolitio: parati enim essent Christum vnà cum Mosaica lege colere.

¥. 13. Sed VOCATI ESTIS per Christum IN LIBERTATEM, seu immunitatem, ab onerosa & inutili legalium cæremoniarum seruitute: TANTVM caute NE Christianam hanc LIBERTATEM DETIS IN OCCASIONEM CARNIS] id est, abutamini illa ad seruiendum carnalibus desideriis, vel E proximo deneganda necessaria auxilia. Etsi enim liberati sitis à iugo legis Mosaicæ, non estis tamen immunes à lege naturali & diuina charitatis, non solùm erga Deum, sed & erga proximum.

a Rom. 13. v. 8. ¥. 14. OMNIS ENIM LEX, (a) quæ proximum spectat, IN VNO SERMONE, id est, breui hoc præcepto seruato, IMPLETVR: DILIGES PROXIMVM TVVM SICVT TEIPSVM. (b)

b Matt. 22. v. 39. ¥. 15. Si mutuis odiis, detractionibus, calumniis (fortè ex occasione horum de legalibus dissidiorum) INVICEM MORDETIS, roditis, laceratis, COMEDITIS, deuoratis, VIDETE NE AB INVICEM CONSVMAMINI] *Contentio enim*, inquit S. Chrysostomus, *corruptionem & interitum affert, non modò iis qui læduntur, sed ipsis etiam obtrectationis auctoribus.*

¥. 16. SPIRITV, id est, secundùm instinctum non carnis, non mundi, non dæmonis, sed Spiritus sancti, AMBVLATE] q. d. Radix omnis vestri mali est quòd non obsequamini Spiritui sancto: si enim huic obsequeremini, excluderetis facilè tam legem Mosaicam, quàm vitam omnem carnalem.

¥. 17. CARO] Id est, carnalis appetitus, & quæuis concupiscentia, siue illa sit in appetitu sensitiuo, siue in rationali, v. g. desiderium excellentiæ, vanæ scientiæ, vltionis, &c. Vnde inter opera carnis enumerat etiam sectas, inuidiam, iram, &c.

¥. 19. IMMVNDITIA] Græcè, ἀκαθαρσία, id est, mollities, qua quis contra naturam se contaminat.

IMPVDICITIA] ἀσέλγεια, id est, lasciuia, per gestus, oscula, tactus impudicos, inquit S. Thomas & Anselmus.

¥. 20. ÆMVLATIONES] cùm quis conatur alium diuertere vel præpedire ab eo quod ipse met ambit.

¥. 21. QVI TALIA AGVNT eo modo vt peccatum fiat mortale, REGNVM DEI cæleste NON CONSEQVENTVR.

¥. 22. FRVCTVS SPIRITVS: id est, opera quæ ex gratia & instinctu Spiritus sancti proficiscuntur, per habitus nobis infusos, & opponuntur operibus carnis iam recensitis. ita Theophyl. & Anselmus. Eiusmodi fructus sunt omnia opera omnium virtutum Christianarum. CHARITAS primus ac nobilissimus fructus est, ac parens, radix, origo ceterorum fructuum. (c) GAVDIVM ex conscientia tranquilla, ex gloria Dei, vel ex bono proximi. BONITAS, qua quis & à nocumentis abstinet, & aliis prodesse studet. c 1. Cor. 13. v. 7.

¥. 23. FIDES, seu fidelitas & veracitas in promissis, vt Anselmus exponit. CONTINENTIA, ἐγκράτεια, iuxta Aristotelem complexio est virtutum, qua quis vitiorum illecebras & tentationes cohibet ac refrænat. De singulis vide S. Augustinum & S. Thomam. *August. tract. 78. in Ioannem. S. Tho. 2. 2.*

ADVERSVS eos qui HVIVSMODI fructus edunt, nulla EST LEX arguens, damnans, puniens: ac proinde *si spiritu ducimini, non estis sub lege*, vt suprà dictum. (d) Præmia enim vos manent, & non pœnæ legis violatæ. d *Hic v. 18*

¥. 25. SI SPIRITV VIVIMVS, animati & vegetati gratia, instinctu & ductu Spiritus sancti, ETiam AMBVLEMVS SPIRITV] id est, opera & fructus proferamus conformes gratiæ, instinctui & ductui ipsius, nempe fructus suprà recensitos.

CAPVT VI.

Hortatur ad fraternam charitatem & ad opera misericordiæ: & in solo crucifixo gloriandum docet.

¥. 1. SI PRÆOCCVPATVS FVERIT HOMO: id est, si quis, seu à dæmone, seu à carne, seu à falsis fratribus in fraudem actus vel seductus fuerit; VOS QVI tam vestra, quàm aliorum opinione SPIRITVALES, id est, perfecti, ESTIS, & spiritu Dei agimini, INSTRVITE; Græcè, *instaurate*, redintegrate, pristinæ virtuti restituite, HVIVSMODI hominem, non duriter aut seuerè ipsum corripiendo; sed IN SPIRITV LENITATIS, id est, cum omni humanitate ac mansuetudine; CONSIDERANS (enallage (e) numeri singularis pro plurali) id est, *considerantes* vosmetipsos, NE ET *vos* tente- e *Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 44.*

tentemini, & ad similem lapsum deducamini. Solet enim Deus simili pœna permittere puniri duros & inclementes in peccatores.

℣. 4. QVISQVE OPVS SVVM, id est, opera, vitam, mores suos PROBET, id est, exploret, consideret, examinet, vt SIC IN SEIPSO propriisque operibus suis *gloriari* possit secundùm Deum, NON VERÒ solùm IN ALTERO laudante te, vel in contemptu alterius grauiùs te peccantis, vt Pharisæus iste in contemptu Publicani. (*a*) Ita Anselmus.

a *Luc. 18. v. 11.*

℣. 6. QVI CATECHIZATVR VERBO, id est, qui in mysterijs fidei instruitur, COMMVNICET instructori suo (si is indigeat) de OMNIBVS BONIS suis temporalibus. iustum enim est, vt qui spiritualia ministrat, temporalia recipiat. De munere catechizandi rudes & pueros (quod adeò commendat Episcopis omnibus & Parochis Concil. Tridentinum,) & de eius antiquitate, vtilitate, dignitate, necessitate, vide Antonium Possevinũ & Ioannem Gersonem, qui etsi Cancellarius Parisiensis, numquam ab eo munere obeundo diuelli potuit.

Trid. sess. 24. c. 4. & 7. Possevinus l. 4. Bibliothecæ sanctæ c. 6. 7. 8. 9. Ioan. Gerson parte 2. operum de pueris ad Christum trahendis.

℣. 8. QVI SEMINAT IN CARNE, seu carni suæ, id est, opera sua facit in obsequium proprij appetitus & carnalis concupiscentiæ suæ; METET ETIAM DE CARNE, quales illa proferre solet fructus, nempe CORRVPTIONEM, miseriam, interitum & mortem sempiternam. QVI AVTEM SEMINAT IN SPIRITV, seu spiritui suo, id est, operatur spiritualia, METET VITAM & gloriam ÆTERNAM.

℣. 11. QVALIBVS; Græcè, *quantis*, seu quàm prolixis, LITTERIS SCRIPSI VOBIS, ô Galatæ, nõ aliena (vt soleo) sed MEAMET MANV! Inde VIDETE ac colligite quàm mihi sit curæ vestra salus.

℣. 12. QVI VOLVNT PLACERE Iudæis IN CARNE, id est, in obseruatione carnalium seu externarum cęremoniarum legis Mosaicè; Græcè, εὐπροσωπῆσαι, id est, secundùm faciem, vel in speciem externam placere; HI COGVNT VOS CIRCVMCIDI. q. d. Non id vrgent studio complendæ legis, sed idcircò dumtaxat, vt ex vestra circumcisione vanam (quasi benè gestæ rei) gloriolam, & bonam gratiam suæ gentis aucupentur; & VT à Iudæis contribulibus suis NON PATIANTVR PERSECVTIONEM CRVCIS CHRISTI, seu qualem pati solent prædones crucifixi Christi.

℣. 14. MIHI econtrario ABSIT, vt in alia re *glorier* vel gaudeam, quàm IN CRVCE CHRISTI, id est, in fide, grata memoria, prædicatione beneficij crucis, & tribulationibus atque ærumnis eius causa subeundis. PER & propter QVEM crucifixum Christum, (*b*) MVNDVS MIHI CRVCIFIXVS EST: nam mundum abominor ac si cadauer esset latronis crucifixi; sicut VICE versâ EGO crucifixus sum MVNDO, qui me simili modo abominatur & exhorret. Quod apud Cassianum pulchrè explicat Abbas Pinufius, item S. Augustin. Ambros. Theophyl. Anselm. Bernardus & S. Thomas.

b *Galat. 2. v. 19.*

Cassian. l. 4. de Institutis renuntiantium c. 34 & 35. Bern. serm. 7. in Quadragesima.

℣. 15. IN CHRISTO ENIM, id est, in religione Christiana, (vt suprà (*c*) vidimus) nihil iuuat ad iustitiam vel salutem, nisi NOVA CREATVRA] id est, anima per gratiam Christi interiùs renouata, & exteriùs baptismo regenerata, & in *nouæ* ac spirituali vita ambulans.

c *Hæc. 5. v. 6.*

℣. 16. QVICVMQVE HANC REGVLAM quam tradidi de vera iustificatione, libertate, doctrina & vita spirituali, SECVTI FVERINT, PAX sit SVPER ILLOS (tam Gentiles quàm Iudæos conuersos intelligit) ET, seu *id est*, (*d*) SVPER ISRAEL DEI] q. d. Hi demum sunt veri Israelitæ ex mente Dei, & spirituales filij Abrahæ, eiusque in solidum heredes. ita S. Thomas, & Haymo.

d *Ephes. 1. v. 1. Coloss. 1. v. 4. &c.*

℣. 17. NEMO iudaizantium, vel etiam aliorum, *deinceps* MIHI MOLESTVS SIT, rogando an seruus Moysis sim, an Christi. Nam cuius seruus sim, sat patet ex stigmatibus & notis (quibus, seu manui, seu brachio, seu frõti iniustis, serui dignosci solent, cuius sint domini,) corpori meo infixis. *Gesto* enim & iacto non stigma circumcisionis, vt faciunt serui Moysis, sed STIGMATA CHRISTI] id est, plagas & cicatrices ex verberibus, vulneribus & ærumnis propter Christum toleratis, quibus instar fortissimi ac fidelissimi militis Christi meritò gloriari possum. Ita S. Hieron. Ambros. Chrysost. Theophyl. Anselmus, S. Thomas & Haymo. Quinque vulnera Christi, manibus, pedibus & lateri S. Pauli infixa fuisse, vt fuerunt infixa S. Francisco & S. Catharinæ Senensi, nullus veterum meminit.

℣. 18. GRATIA IESV CHRISTI sit maneatque æternùm CVM SPIRITV VESTRO] id est, vobiscum. (*e*) Hinc sumpta videtur formula quâ quotidianæ salutationi in Ecclesiastico officio, *Dominus vobiscum*, respondetur, *Et cum spiritu tuo*, id est, etiam tecum sit.

e *Prolog. in Idiotism. Hebr. n. 18.*

EPISTOLA BEATI PAVLI APOSTOLI AD EPHESIOS,

2 *Chron. 1. vlt. in eod. anno. & hic cap. 4. v. 1. cap. 6. v. 20. &c.*

ROMA è carcere scripta, & per Tychicum Diaconum transmissa (*a*) anno à morte Christi 27. teste Baronio & aliis chronologis. Epistola, vt ait S. Hieron. sanè *subtilissima*: cuius priori parte, quæ dogmatica est vsque ad c. 4. disputat de arcano diuinæ prædestinationis, & electionis Gentilium, nominatimque Ephesiorum, ad veram fidem, iustitiam & salutem,

tem, præ tot myriadibus aliorum hominum. Stabilit etiam Ephesios in susceptа fide, carpitque errores Platonicorum, aliorumque Gentilium Philosophorum, qui Ephesi maximè florebant. item pseudoapostolorum, qui ex schola Simonis Magi Ephesum irrepserant, & iuxta Pauli prædictionem (a) acriter Ecclesiam illam infestabant. Posteriore parte, quæ ethica est, mores cuiusque ætatis & conditionis instruit. a Act. 20. v. 29.

Est autem Ephesus Asiæ Minoris metropolis, magnæ (vt aiebant (b)) Dianæ sacra: hinc idololatriæ, & quæ ex ea consequitur, magiæ & præstigiis valdè dedita, vt colligitur ex Actis Apostolorum, (c) vbi libros suos magicos maxima copia coram ipsomet Paulo combusserunt. Dicitur & Pythagoras Epheso prodiisse, & omnis schola Ionica, è qua Plato & tot alij celebres Philosophi, quorum errores hîc Paulus perstringit & conuellit. b Act. 19. v. 27. c Ibid. v. 19.

CAPVT I.

Laudat ac benedicit Deum, quòd per Christum nos prædestinarit & omni gratia cumularit.

v. 3. BENEDIXIT NOS IN OMNI BENEDICTIONE SPIRITVALI, & non sola carnali seu corporali, qua tantopere gloriabatur populus Iudaicus: nec sola pinguedine terræ, sed diuitiis & deliciis CÆLESTIBVS gratiæ ac gloriæ, præparatis nobis IN CHRISTO, id est, per & propter Christum, eiusque merita.

v. 4. SICVT IN IPSO, id est, intuitu meritorum eiusdem Christi, ANTE MVNDI CONSTITVTIONEM, seu ab æterno, ELEGIT NOS, VT, si vellemus ipsius gratiæ cooperari, fieremus & ESSEMVS SANCTI, id est, iusti, ET IMMACVLATI; Græcè, ἀμώμους, id est, inculpati, irreprehensibiles; non (vt volunt hæretici) remanente adhuc peccati maculâ, ac tantùm non imputatâ nobis, sed verè ac sincerè deleto stirpitus peccato IN CONSPECTV DEI. Hinc patet Apostolum hîc non loqui de electione absoluta, nisi quantum est ex parte ipsius Dei. Nam ex nostra parte requirit consensum & cooperationem, vt alibi dicit de suamet electione. (a) Item, non loqui de immediata electione ad gloriam, vt vult Suarez; sed ad fidem, iustitiam, sanctitatem. Et eodem modo vsurpat verbum *prædestinauit*, versu sequ. nempe inchoatè, seu ad iustitiam, vt dixi. Et patet, quia omnes Ephesios, imò omnes Christianos, dicit hîc prædestinatos & electos: certum tamen est, multos illorum fuisse reprobos & postea damnatos, quod completè & absolutè prædestinatis vel electis ad gloriam accidere non potest. de quo vide Chrysost. Exponit autem his versibus Apostolus omnes causas prædestinationis nostræ. Primò, causam efficientem, scilicet Deum, cùm ait, QVI PRÆDESTINAVIT; Secundò, causam meritoriam, PER IESVM CHRISTVM; Tertiò, materialem, NOS; Quartò, formalem, SECVNDVM PROPOSITVM VOLVNTATIS SVÆ (de quo alibi (b)) & IN, seu ex, CHARITATE; Quintò, causam exemplarem, IN IPSVM, scilicet Christum, id est, vt Christo capiti nostro & exemplari, nos membra & imagines illius conformemur, hîc per Dei cognitionem, gratiam & amorem, in futuro per gloriam; Sextò, causam finalem, IN LAVDEM GLORIÆ GRATIÆ SVÆ, id est, vt laudetur glorioſa & splendida gratia Dei. Septimò, effectus prædestinationis & electionis huius diuinæ recensetur vers. 7. REDEMPTIONEM & REMISSIONEM PECCATORVM: & vers. 11. *vocationem* nostri, seu conuersionem ad fidem & iustitiam: & vers. 6. gratificationem nostri, per infusionem gratiæ sanctificantis, qua grati & gratioſi reddimur Deo & toti curiæ cælesti: & vers. 5. ADOPTIONEM FILIORVM ad cælestem & æternam hereditatem: denique v. 8. *omnem*, id est, summam maximeque sublimem, *sapientiam*, seu cognitionem rerum diuinarum, *& prudentiam* rerum vt oportet agendarum. ita S. Chrysost. Ambros. Anselmus, S. Thomas.

a Galat. 1. v. 15.

b Rom. 8. v. 28. & 29.

Chrysost. hic in moral. hom. 2.

v. 9. VT per hanc sapientiam NOTVM FACERET NOBIS SACRAMENTVM, id est, mysterium, seu arcanum, VOLVNTATIS SVÆ, QVOD SECVNDVM BENEPLACITVM EIVS, seu suum, PROPOSVIT ac decreuit IN EO, id est, per & propter Christum, exhibere toti vniuerso, nempe

v. 10. IN DISPENSATIONE PLENITVDINIS TEMPORVM, id est, cùm tempora à Deo dispensata (id est, ordinata vt effluerent antequam mitteretur Christus) essent plenè euoluta; INSTAVRARE, id est, restituere, renouare; Græcè, ἀνακεφαλαιώσασθαι, id est, *recapitulare*, OMMIA QVÆ IN CÆLIS, ET QVÆ IN TERRA SVNT, IN IPSO] Id est, in Christo, & per meritum Christi. Nempe angelos omnes & homines, cùm inter se essent admodum disiuncti, imò inimici, voluit Deus arctissima rursus amicitia vniri, & in vno ac sub vno capite Christo coniungi, atque ita ruinas angelorum per homines instaurari; inquit S. Chrysost. Theophyl. Anselmus.

v. 11. IN QVO, id est, per & propter quem Christum, ETIAM NOS SORTE VOCATI SVMVS] Græcè, ἐκληρώθημεν, id est, sortiti sumus, vel *sortem*, id est, partem nobis hereditariam, assecuti sumus, nempe cum reliquis filiis Dei, putà angelis, inquit S. Hieronymus, & Ambrosius. Vel, vt S. Augustinus, Anselmus, Beda, D. Thomas, sine vllis meritis nostris, quasi iactâ omnibus sorte, cecidit super nos felix illa sors vt ad christianismum vocaremur. Ex nostra enim parte (quia nihil agebamus vt vocaremur, imò ne quidem de eo cogitabamus) mera fuit sors & planè fortuitum, eò vocari: sed ex parte Dei nullo modo fuit sors, sed destinata *electio*, *propositum* & *consilium*, id est, decretum, vt mox sequitur. Porrò licet sors (modo iam dicto) nobis fuerit, *vocari à Deo*, non fuit tamen sors, *credere*, seu *sequi vocantem Deum*, quia hoc, vt antè dixi, (c) requirebat insuper assensum liberi arbitrij nostri ante gratiâ præuenti. Ex quibus patet, prædestinationem diuinam quoad primum eius effectum, qui est vocatio, seu

c Hic v. 4. & Galat. 1. v. 15.

seu collatio primæ gratiæ præuenientis, non pendere ex bono vsu liberi arbitrij vel ex meritis nostris, sed ex mero beneplacito Dei. quoad reliquos tamen subsequentes effectus, dici potest obiectiuè dependere à libero nostro arbitrio & merito. Nam habito illo primo effectu, ad reliquos requiritur noster consensus, & possumus illos promereri, v. g. iustificationem de congruo, glorificationem etiam de condigno, vt Scholastici docent.

¥. 12. VT SIMVS IN LAVDEM GLORIÆ EIVS; id est, vt simus materia & seges laudis & gloriæ diuinæ, præsertim NOS Iudæi; QVI ANTE aduentum eius illum expectauimus, vtpote nobis à Deo promissum, & per ipsum SPERAVIMVS redemptionem ac salutem.

¥. 13. IN QVO, seu per quem, ET VOS Gentiles speratis salutem, simulatque *audito* Euangelio in ipsum *credidistis*, ET SIGNATI; Græcè, ἐσφραγίσθητε, id est, sigillati; ESTIS SPIRITV PROMISSIONIS SANCTO] Id est, Spiritu sancto promisso Ecclesiæ à Christo. Ita S. Anselmus.

¥. 14. QVI Spiritus sanctus per cælestia charismata sua, tum externa & visibilia (v. g. donum linguarum, miraculorum, &c.) tum interna & inuisibilia (putà charitatem, iustitiam, pacem & gaudium conscientiæ) EST nobis PIGNVS & arrha futuræ gloriæ, & HEREDITATIS cælestis, (*a*) IN REDEMPTIONEM ACQVISITIONIS] Id est, vt acquisitio, (id est, possessio & peculium Dei, putà Ecclesia Christi, quam ipse suo sanguine sibi acquisiuit,) perfectè seu completè aliquando redimatur & liberetur ab omni malo, ita vt nihil remaneat, seu peccati, seu seruitutis, seu alterius miseriæ. ita Photius & Theophyl.

(a) 2. Cor. 1. v. 22.

¥. 17. DEVS GLORIÆ, seu gloriosus, CHRISTI PATER, DET VOBIS SPIRITVM SAPIENTIÆ ET REVELATIONIS] id est, det amplam sapientiam, quâ diuina mysteria certiùs vobis patefiant, & Deus magis quotidie ac magis à vobis *agnoscatur*, ametur & colatur. Det item vos habere

¥. 18. ILLVMINATOS OCVLOS CORDIS & intellectus VESTRI, VT perfectiùs in dies SCIATIS QVÆ SIT SPES (*b*) VOCATIONIS EIVS] Id est, quæ & quanta sint bona ad quæ ipse nos vocauit, & quæ sperare iussit:

(b) Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 46.

¥. 19. ET QVÆ SIT SVPEREMINENS MAGNITVDO VIRTVTIS EIVS IN NOS: id est, quanta potentia vsus fuerit Deus in nobis ab infidelitate ad Christum, à statu peccati ad iustitiam traducendis, SECVNDVM OPERATIONEM, &c. q. d. Tanta potentia vsus est Deus in nobis sic spiritualiter resuscitandis, quanta vsus fuit IN CHRISTO corporaliter A *morte resuscitando*, & AD DEXTERAM SVAM euehendo, SVPRA OMNE NOMEN] id est, supra omnem personam celebrem & excellentem, siue humana illa sit, siue angelica, siue quod aliud sit dignitatis seu excellentiæ nomen vel officium nobis ignotum. Sic Hebræi *viros nominis* vocant viros celebres & excellentes.

¥. 22. IPSVM DEDIT, id est, constituit, CAPVT & principem SVPRA OMNEM ECCLESIAM] tam Gentium, quàm Iudæorum; tam angelorum, quàm hominum; tam triumphantem, quàm militantem. Christus enim, etiam vt homo, propter vnionem hypostaticam cum Verbo diuino, nobilior est omnibus angelis, & omnibus præest, imperat & dominatur, inquit S. Hieronym. & Augustinus. Imò S. Thomas, Albertus, Ruardus, Arborcus, & plures alij quos citat & sequitur Suarez ac Valentia, volunt probabile esse; Christum etiam angelis meruisse omnem gratiam & gloriam; & bonos omnes per fidem in Christum mediatorem sanctificatos & gloriam adeptos esse: qui verò Christo homini hanc mediatoris dignitatem superbè inuiderunt, & angelicæ naturæ tamquam digniori arrogare voluerunt, dæmones factos & damnatos fuisse. Sed hoc Scholasticis disputandum relinquo. Porrò

August. Enchiridij c. 56. *Suarez 3 p. disput. 42. sect. 1.*

¥. 23. *Ecclesia* EST CORPVS Christi mysticum, ET PLENITVDO EIVS; Græcè, πλήρωμα, id est, perfectio vel complementum capitis sui Christi. Caput enim perficitur & completur accessu corporis, inquit S. Chrysostom. Ambros. Theodoret. Theophylact. Anselm. S. Thomas. QVI OMNIA, seu quoad omnia, nempe dona gratiæ & gloriæ, IN OMNIBVS membris suis ADIMPLETVR] id est, perficitur & completur. Græcum πληρουμένου est vocis mediæ, & potest cum Vatablo & Erasmo verti, *omnia in omnibus adimplet*. Christus enim se quasi mancum & mutilum caput existimaret, nisi corpus suum (id est, Ecclesiam) haberet sibi adiunctum, & dona sua continuò in illud deriuaret.

CAPVT II.

Christus Gentiles Iudæis, nullo ipsorum merito, sed gratis, per fidem coniunxit sibi & Deo in vna Ecclesia.

¥. 1. CVM ESSETIS MORTVI DELICTIS] Id est, cùm per delicta vestra priuati essetis vita gratiæ, supple, ex v. 5. *conuiuificauit vos in Christo*, &c.

¥. 2. AMBVLASTIS SECVNDVM SÆCVLVM MVNDI, id est, conuersabamini secundùm consuetudinem; Syrus, *vanitatem*, sæcularium mundanè viuentium: SECVNDVM PRINCIPEM POTESTATIS AERIS HVIVS: id est, iuxta instinctum & ductum diaboli, qui in hoc aëre dominatur & potestatem exercet, mittendo ventos, ciendo tonitrua, fulgura & alias tempestates, item tentando & vexando homines, &c. ductum, inquam, πνεύματος, id est, SPIRITVS maligni, QVI NVNC penè pro libito OPERATVR, id est, vim & malignitatem suam exerit, IN FILIOS DIFFIDENTIÆ; Græcè, ἀπειθείας, id est, in homines incredulos, infideles ac rebelles Deo. Ita S. Thomas.

¥. 3. IN QVIBVS iisdem delictis ETIAM NOS OMNES, tam Iudæi, quàm Græci, vitam egimus, NATVRA FILII IRÆ (*c*)] id est, à primo exortu naturæ nostræ (quæ per Adamum & originale peccatum corrupta est,) obnoxij iræ, indignationi, vindictæ diuinæ. ita S. Chrysostomus, Augustinus, Anselmus, Beda, S. Thomas. Sed

(c) Proleg. de Idiotismo Hebr. n. 40.

¥. 5. DEVS CONVIVIFICAVIT ET CONRESVSCITAVIT NOS IN CHRISTO: id est, fecit nos participes spiritualis resurrectionis & nouæ vitæ Christi, ET simul cum ipso CONSIDERE FECIT IN CÆLESTIBVS thronis, iam per certam spem, reipsa autem post mortem. Prophetæ enim factum dicunt quod certò futurum vident: quia in diuina præscientia videntur omnia vt iam facta, inquit S. Augustinus, Hieronymus & Gregorius.

Gregor. l. 6. Moral. c. 8.

¥. 8. GRATIA, seu beneficio gratuiti auxilij diuini, ESTIS SALVATI (inchoatè, id est, iustificati) PER FIDEM, quæ ex libero arbitrij nostri consensu,

sensu, & cooperatione cum Dei gratia præuenien-
te elicitur: vnde NON est EX NOBIS solis, neque
ex merito operum præcedentium, sed DEI DO-
NVM EST liberale ac gratuitum. Quia etiam iste
voluntarius & liber assensus noster non posset à
nobis elici, nisi gratuita illustratione diuina præ-
ueniremur, excitaremur ac roboraremur. Vnde
rectè colligunt Scholastici, initium iustificatio-
nis & salutis nostræ non posse dici *ex nobis esse*, sed
necessariò diuinæ gratiæ ascribendum.

℣. 10. IPSIVS ENIM SVMVS FACTVRA, seu
figmentum, vt corporale, ita & spirituale: nam
sicut mera & gratuita Dei voluntate creati pri-
mùm sumus, id est, corpus & animam accepimus:
ita & ex eiusdem solius beneficio gratiam diui-
nam præuenientem ac cooperantem accepimus, B
cuius auxilio fidem & iustificationem nacti su-
mus, & sic spiritualiter recreati, seu regenerati
sumus, idque IN OPERIBVS BONIS; Hebraismo,
id est, *ad bona opera* (vt Syrus, Chrysostomus,
Oecumen. imò & Beza vertit) *exercenda*, IN qui-
bus deinceps AMBVLEMVS & versemur; QVÆ
PRÆPARAVIT nobis DEVS, nempe præordinan-
do ab æterno, nobis dare gratias ad illa bona ope-
ra exercenda vtiles ac necessarias, easdemque no-
bis in tempore subministrando, & per illas no-
biscum cooperando.

℣. 11. DICIMINI PRÆPVTIVM, id est, præ-
putiati, incircumcisi, & IN CARNE, id est, carna-
les: nempe probrosis his nominibus per contem-
ptum vocabamini *à circumcisione* IN CARNE] id
est, à Iudæis carnaliter circumcisis.

℣. 12. QVIA ERATIS HOSPITES TESTA-
MENTORVM, id est, extranei & alieni à pactis in-
ter Deum & Iudæos initis. NON HABENTES SPEM
PROMISSIONIS venturi Messiæ, vt habebant Iu-
dæi. imò *eratis* SINE CHRISTO ET DEO] Id est,
sine cognitione & cultu veri Dei aut Christi. ita
S. Hieronymus.

℣. 14. IPSE Christus EST PAX NOSTRA, non
formaliter, sed causaliter, (*a*) quia FECIT VTRA-
a 1. Cor. 1. v. 30. QVE VNVM, id est, vtrumque populum, Iudaicum
& Gentilem, vniuit in vna Ecclesia sua sub vno ca-
pite, inquit S. Hieron. MEDIVM PARIETEM; Græ-
cè, μεσοτοιχον, id est, *interstitium*, MACERIÆ, id est,
maceriam, seu murum qui medius erat & separa-
bat Iudæos à Gentilibus; INIMICITIAS, id est,
causam perpetuam inimicitiarum, odiorum ac
dissensionum, SOLVENS, id est, destruens, tollens
per mortem quam obiuit IN CARNE SVA] Quæ
verò hæc maceria, seu murus?

℣. 15. *Lex* MANDATORVM, id est, lex Mosai-
ca, quæ mandabat tantùm, nec gratiam confere-
bat quà mandata complerentur. Hanc cum suis
omnibus cerimonialibus DECRETIS *euacuauit*, id
est, abolcuit, Christus, VT DVOS illos populos
antea ob illa decreta discordes, CONDAT, seu
concordes iam factos reconditat, IN SEMETIPSO, E
& sibi, vnico Ecclesiæ capiti, vtrumque popu-
lum subiiciat, sed factum iam vnum corpus Ec-
clesiæ, & quasi VNVM HOMINEM NOVVM, seu in
nouitate vitæ ambulantem. ita S. Hieron. Chry-
sost. Theophyl.

℣. 18. QVONIAM vtrique PER Christum tam-
quam per communem pacificatorem, mediato-
rem ac redemptorem, HABEMVS aditum & AC-
CESSVM liberum, vt solent filij ad PATREM, duce
VNO eodemque SPIRITV SANCTO.

℣. 19. ERGO IAM NON ESTIS amplius HO-
SPITES *testamentorum* (vt suprà vobis opprobra-
batur) SED CIVES, Græcè, *συμπολίται*, id est, *con-
cines*, SANCTORVM Patriarcharum, Prophetarum,
imò & angelorum: ET DOMESTICI DEI] Id est,
spectantes ad vnam eandemque non ciuitatem
tantùm, sed & domum ac familiam, non terreni
alicuius hominis, sed immortalis Dei, nempe
membra vnius & eiusdem Ecclesiæ Christi, quæ
vnica est ciuitas, familia & domus Dei. ita Chry-
sost. Theophyl. Anselmus.

℣. 20. SVPERÆDIFICATI SVPER *Apostolos* ET
Prophetas, & super ipsorum institutionem ac do-
ctrinam, tamquam super secundarium FVNDA-
MENTVM totius fabricæ Ecclesiæ, CHRISTO exi-
stente primario, altissimo, seu imo fundamento,
& LAPIDE SVMMO ANGVLARI] Græcè, *ἀκρογωνιαίῳ*,
id est, extremè seu infimè angulari, qui
præcipuus est in ædificio, vt in Psalmis & Isaia *Psalm. 117. v. 22. Isaiæ 28. v. 16.*
fusiùs exposui, ad quos hîc alludit S. Paulus.

CAPVT III.

Pergit extollere beneficium vocationis Gentilium ad fidem & Ecclesiam Christi.

℣. 1. HVIVS REI GRATIA, nempe propter
Euangelium VOBIS GENTIBVS à me
prædicatum, VINCTVS SVM catena in hoc carce-
re Romano: (*b*) b *Act. vlt. v. 16. & 30.*

℣. 2. AVDISTIS DATAM MIHI DISPENSA-
C TIONEM, id est, munus dispensandi ac commu-
nicandi, VOBIS Gentilibus *gratiam* DEI, id est,
Euangelium & salutem per Christum, vt infrà (*c*) c *Hic v. 7. 8. & 9.*
exponit.

℣. 3. SECVNDVM, seu per, REVELATIONEM
diuinam (dum primùm conuerterer & pòst rape-
rer, in tertium cælum) *innotuit* MIHI SACRAMEN-
TVM, id est, mysterium, seu arcanum, vocationis
Gentilium ad fidem & Ecclesiam Christi. (vt mox
(*d*) declarabo) & SVPRA, nempe duobus præce- d *v. 6.*
dentibus capitibus, IN BREVI, id est, breuiter
seu paucis, attigi & SCRIPSI:

℣. 4. PROVT POTESTIS ibi legere, & LEGENTES
INTELLIGERE PRVDENTIAM; Græcè, *συνεσιν*,
D id est, intelligentiam, MEAM circa hoc *mysterium*,

℣. 5. QVOD ALIIS GENERATIONIBVS, seu su-
perioribus sæculis, NON tam clarè ac distinctè
AGNITVM EST vllis FILIIS HOMINVM, ne Pro-
phetis quidem veteris legis, SICVT NVNC REVE-
LATVM EST SANCTIS APOSTOLIS ET PROPHE-
TIS nouæ legis. Etsi enim Isaias, Ieremias & alij
Prophetæ antiqui prædixerint vocationem Gen-
tium, non tamen norant omnes illius circumstan-
tias, neque quòd admittendæ essent ad eamdem
omninò gratiam & dignitatem cum Iudæis, in-
quit S. Anselmus.

℣. 8. MIHI OMNIVM non modò Apostolo-
rum, sed & SANCTORVM, id est, Christianorum
E MINIMO DATA EST HÆC GRATIA *euangelizandi*
GENTIBVS,

℣. 9. *& illuminandi* OMNES, seu in lucem ipsis
proferendi, QVÆ SIT DISPENSATIO SACRA-
MENTI] id est, quodnam, & quanti momenti sit
istud iam communicatum nobis mysterium, sed
antea prorsus *absconditum* in mente, consilio &
prædestinatione diuina.

℣. 10. VT dum illud in lucem proferimus,
INNOTESCAT non vobis tantùm, sed & PRINCI-
PATIBVS ET POTESTATIBVS IN CÆLESTIBVS;
Syrus, *qui in cælis sũt*, id est, primariis angelis. Multa

enim mysteria Christi & Christianorum latuerũt A initio angelos, quæ paulatim didicerunt PER ECCLESIAM] id est, per ea quæ gesta sunt successu temporis in Ecclesia. Ita S. Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Theophyl. Anselmus & S. Thomas.

S Thom. infr. c. 1. c. 26.

℣. 11. SECVNDVM PRÆFINITIONEM SÆCVLORVM] id est, iuxta ea quæ à sæculis omnibus, seu ab æterno, decreuit Deus beneficia præstare Ecclesiæ suæ per Christum.

℣. 12. IN QVO Christo HABEMVS locatam omnem nostram FIDVCIAM & spem, eiusque beneficio PER FIDEM EIVS accedere possumus magna CONFIDENTIA ad Deum Patrem & Domi- B num nostrum. ita sanctus Chrysostomus & alij Græci.

℣. 13. NE DEFICIATIS IN TRIBVLATIONIBVS MEIS: id est, ne cadatis animo videntes me affligi & vinculis alligari, quia vobis aliisque Gentilibus Christum & salutem æternam euangelizo. QVÆ EST GLORIA VESTRA] nempe quòd ego, Apostolus & præceptor vester, dignus habear tanta pro Christo pati.

℣. 14. FLECTO GENVA, nempe in signum reuerentiæ & subiectionis, humillimè rogans PATREM cælestem, EX QVO OMNIS PATERNITAS NOMINATVR: quia non solius Christi, sed etiam omnium stirpium ac familiarum tam angelicarum C IN CÆLIS, quàm humanarum IN TERRIS, pater, genitor vel creator est, & hoc nomine ab omnibus colendus, celebrandus, redamandus, inquit Chrysostomus, Theodoret. Theophyl. & Oecumen.

℣. 16. VT DET VOBIS VIRTVTE, δυνάμει, id est, *fortitudine* & constantia CORROBORARI, id est, robustiores in discuadere, IN INTERIOREM HOMINEM (a)] Id est, in incrementum gratiæ & spiritus interni, vt idem Theophyl. exponit.

a Rom. 7. v. 22.

℣. 18. VT CVM OMNIBVS SANCTIS, seu Christianis (quibus idem opto) possitis COMPREHENDERE, id est, mente concipere, seu intelligere QVÆ SIT LATITVDO, LONGITVDO, SVBLIMITAS ET D PROFVNDVM] Id est, quæ sint dimensiones, seu perfectiones Christi tam quà Deus est, quàm quà homo. Nam in diuinitate *latitudo* est omnipotentia; *longitudo* æternitas; *sublime* maiestas; *profundum* abyssus sapientiæ. Ita Anselmus, S. Thomas, Caietanus & pulcherrimè S. Bernardus. In humanitate habes *crucem*, seu beneficium redemptionis per crucem. (b) In qua spectare debemus Primò, *latitudinem*, seu quàm latè se extendat, nempe non solùm ad Iudæos, sed & ad Gentiles, imò ad omnes prorsus homines quotquot vel sunt, vel fuerunt, vel erunt. Secundò, *longitudinem*, quæ nullis terminis claud.tur, sed ab æternitate prædecretum fuit hoc beneficium, & fructus eius durabunt in om- E nem æternitatem. Tertiò, *sublimitatem*, nempe ad cælos vsque: nam eò euexit humanitatem Christi, & nos euehet suo tempore. Quartò, *profundum*, putà vsque ad inferni nouissima, quò se virtus crucis extendit. Ita Chrysostomus, Theodoret. Theophylact. Oecumen. Hac igitur phrasi (ab architectonica, vt apparet, desumpta) designat Apostolus quàm magnum, quàm amplum, quàm omnibus partibus & numeris absolutum fuerit hoc mysterium & beneficium. Ita iidem.

Bern l 5. de Consideratione, in fine.

b Hic v. 3. 4. 6-8. 11. &c.

℣. 11. Oro ETIAM vt possitis plenè SCIRE & pro dignitate æstimare CHARITATEM CHRISTI, seu quam Christus, & Deus per Christum, nobis exhibuit SVPEREMINENTEM omni SCIENTIÆ: id est, excedentem omnem humanam cognitionem, seu quæ maior sit quàm vt perfectè sciri, intelligi vel comprehendi possit. Ita Ambros. Theophyl. Oecumen. VT IMPLEAMINI IN OMNEM PLENITVDINEM DEI] Id est, vt pleni sitis omni sapientia, virtute & perfectione, qua plenus est Deus, maximè verò solida cognitione, ac grata recognitione diuinorum beneficiorum, de quibus suprà, (c) inquit Theophyl.

c Hic v. 6. 9. 11. 12. 18.

℣. 21. IPSI sit GLORIA IN ECCLESIA, id est, ipsum glorificet vniuersa Ecclesia tantis ab eo beneficiis affecta IN CHRISTO IESV, id est, per Christum redemptorem nostrum & saluatorem.

CAPVT IV.

Hortatur ad varias virtutes, & maximè ad charitatem fraternam.

℣. 4. VNVM sitis CORPVS, ET in vno corpore VNVS SPIRITVS, vna anima. q. d. Omnes videamini per mutuam consensionem quodammodo esse vnus homo, qui à seipso dissentire non possit: SICVT VOCATI ESTIS IN VNA SPE, seu ad vnam eandemque spem hereditandæ gloriæ cælestis, quæ omnibus ad fidem Christi vocatis à Deo præparata est.

℣. 5. VNVS idemque omnibus est DOMINVS, redemptor, saluator Christus: VNA FIDES, quam omnes sequimur: VNVM BAPTISMA, quo regeneramur.

℣. 6. VNVS DEVS, quem colimus: vnus PATER OMNIVM, QVI pari dominio SVPER NOS OMNES EST: cuius prouidentia PER OMNIA æqualiter, nullo excepto, se extendit, & qui similibus donis ac gratiis IN NOBIS OMNIBVS reluceat. Igitur omni ope nobis connitendum vt spiritus vnitatem seruemus, quando tam multis, tam sanctis tenemur necessitudinibus. Neque verò soluenda hæc vnitas, etsi in simili donorum genere magna subinde in multis sit inæqualitas, vel etiam specifica diuersitas: nam hæc omnis oritur ex sapientissima Dei prouidentia, qua pro ipsius libito, seu beneplacito (cui nemo obloqui vel refragari potest)

℣. 7. VNICVIQVE NOSTRVM talis ac tanta DATA EST GRATIA, quantam & qualem placuit admetiri singulis pro MENSVRA gratuitæ DONATIONIS CHRISTI, seu intuitu meritorum Christi. Vnde nemo superbire, nemo queri, nemo alteri inuidere potest; sed quisque quod accepit, debet ad communem totius corporis vtilitatẽ conferre.

℣. 8. PROPTER QVOD, id est, ad quam donorum Christi gratuitam distributionem nobis indicandam, DICIT Scriptura psalmo 67. vers. 19. ASCENDENS Christus (vt ibi explicuimus) IN ALTVM cælum, & trahens eò secum iustorum animas antea apud inferos in limbo captiuas; multiplicia inde DONA transmisit HOMINIBVS in terram, non solùm in prima Pentecoste, (d) sed omnibus etiam subsecutis temporibus.

d Act. 2. v. 1.

℣. 9. QVOD AVTEM ASCENDIT Christus in cælum, vt inquit Dauid, QVID EST? quid sibi vult? quid innuit? NISI *quòd* Christus iam antè *descenderat* IN INFERIORES; Vatablus & Beza, *in infimas*, PARTES TERRÆ, id est, in infernum, vbi limbus erat patrum, seu *sinus Abrahæ*. ita S. Chrysostom. Hieron. Theophyl. Anselmus. Obstrepit Beza, (ne Christi ad inferos descensum admittere cogã-

cogatur) per *inferiores partes* non nisi terram intelligi, quæ est inferior mundi pars respectu cæli. Sed hoc contrarium est menti & verbis Apostoli, affirmantis, descendisse Christum *in inferiores*, seu (vt Beza vertit) *infimas* partes non mundi, sed *terræ*: quod nullo sano sensu exponi potest nisi de *corde*, seu centro terræ, infra quod *non est aliud quid*, vt loquuntur Ambros. Chrysost. & Theophyl. Sicut si dicerem; Descendi ad inferiores seu infimas partes carceris; non solùm indicarem, ingressum me domum vel turrim in qua est carcer, sed etiam descendisse in ima, seu profundissima, antra eiusdem carceris. Meminit autem hîc Apostolus, teste Theophylacto, profundissimi huius descensus Christi, vt Ephesiis inculcet humilitatem, quæ mater est & nutrix concordiæ, sicut superbia fons est inuidiæ ac discordiæ.

℣. 10. QVI DESCENDIT ad infima, IPSE idem Christus EST QVI ET ASCENDIT ad summa, nempe SVPER OMNES CÆLOS, etiam supra totum cælum empyreum: inquit S. Thomas, Anselmus, Paludanus & Caietanus, quos citat & sequitur Suarez & à Lapide: qui volunt, Christum toto corpore versari in spatio inani quod est supra cælum, solis verò pedibus insistere conuexæ superficiei cæli empyrei, in quo Sancti infra pedes Christi degunt. Sed huc non coguntillum verba Apostoli: nam *super omnes cælos ascendisse* dici potest, cùm ad supremum cælum, & dignissimum in eo locum conscendit: sicut super turrim vel arborem ascendisse dicimus non solùm qui verticem transcendit, sed etiam qui altiores ramos vel gradus conscendit, etsi infra verticem hæreat, inquit Lessius. *Ascendit* autem Christus cælos, VT IMPLERET OMNIA] Inferunt Vbiquistæ Lutherani, Ergo humanitas Christi iam est vbique: nam diuinitate sua iam pridem, imò ab æterno, implerat omnia. Respondeo, neg. conseq. Quia non agitur hîc de *impletione* physica, seu corporali, saltē adæquata, quâ necessum sit, eum locis omnibus & singulis locorum particulis adesse corpore præsentem: sed vt summum de partiali & inadæquata impletione, quâ præsentem aliquando se sistat omnibus locis eo modo quo rex omnes regni sui partes visitat: ad quod sufficit si singulis locis ex parte & successiuè præsentem se exhibeat. Ita enim Christum, quasi à recenti victoria triumphabundum, & nouis vbique regnis ac possessionibus inaugurandum, *omnia* vniuersi loca *implenisse* noua sua gloria, maiestate, triumpho, adde & præsentia corporali, sed inadæquata (vt dixi) & successiua, docent Theophyl. Oecumenius & Bernardus. Sed S. Chrysost. & Hieron. volunt dici Christum suo ascensu *implenisse omnia*, id est, omnes figuras & prophetias quæ de hoc ascensu extabant in Scripturis. Addunt S. Ambrosius & D. Thomas, *implenisse omnia*, id est, totam Ecclesiam, imò vniuersum mundum, sua munificentia, nempe omnis generis donis, gratiis, signis, miraculis: item splendore nominis sui, &c.

Suarez in 3. p. q. 57. a. 4.

Less. l. 3. de Summo bono c. 8.

Bern. ser. 2. de Ascens.

Ambros. epist. 16.

℣. 11. AD CONSVMMATIONEM SANCTORVM, id est, vt Christiani in suo quisque gradu perficiantur IN OPVS MINISTERII, id est, ad strenuè obeundum munus quod cuique impositū est, IN mystici CORPORIS CHRISTI, id est, Ecclesiæ, ÆDIFICATIONEM, promotionem & perfectionem, tam in moribus, quàm in fidei scientia, inquit S. Anselmus. Porrò spirituali huic ædificationi oportet pastorum industriam continuò insudare, *vers.* 13. DONEC OCCVRRAMVS; Græcè, καταντήσωμεν, id est, *perueniamus*, OMNES ad VNITATEM & soliditatem FIDEI, ceterarumque virtutum Christianarum: debent enim hæ paulatim in nobis adolescere, & excrescere IN VIRVM PERFECTVM, seu adultum, vt non semper *infantes simus* vel *parvuli*, (a) sed in *viros* aliquando euadamus adultos & perfectos in Christo, seu in cognitione ac dilectione Christi; quæ perfecta cognitio ac dilectio est plena mensura, seu statura, & matura ætas hominis Christiani. Ita Chrysost. Hieron. Ambros. Augustin. Theophyl. Oecumen. Et hic est litteralis sensus huius loci. Anselmus tamen, Gagneius, S. Thomas & complures Scholastici per *mensuram ætatis plenitudinis Christi*, intelligunt plenam, virilem & perfectam staturam corporis humani, qualis fuit Christi cùm esset annorum 34. Dicuntque omnes, etiam qui in infantili ætate mortui sunt, resurrecturos ea magnitudine & statura quam singuli habituri fuissent (nisi contigisset, naturam, seu morbo, seu casu violento impediri) in ea ætate quæ respondet plenæ ætati Christi, nempe anno ætatis singulorum 34. vel 35. Et hanc explicationem etiam probat S. Augustinus, sed præfert præcedentem. Velle autem ex hoc loco, tollere in resurrectione diuersitatem sexuum, quasi feminæ omnes, exceptâ fortè Deiparâ, resurrecturæ essent in sexu virili, vt sensisse videntur Basilius, Hilarius, Athanas. & Scotus; erroneum esse docent Tertull. Hieron. Augustin. & passim Scholastici. Neque verum est, quod illi aiunt, sexum femineum esse naturæ vitium vel imperfectionem, cùm sit naturalis conditio & perfectio, licet minor quàm virilis: fueritque etiam in statu innocentiæ, & quidem necessariò ad sobolis propagationem, & consequenter ad speciei humanæ propagationem & conseruationem.

(a) Hic v. 14.

August. 22. de Ciuit. c. 15. 17. & seqq.

Basil. in psal 114. Hilar. in Matt. 22. v. 30. Athanas. ser. 3. cont. Arianos. Scotus in 2. distinct. 20. Tertull. l. de Resurrect. c. 60. Hier. epist. 61. ad Pammachium. Aug. sup.

℣. 14. NON CIRCVMFERAMVR in omnem partem OMNI VENTO, aut impulsu, cuiuscumque DOCTRINÆ, seu veræ, seu falsæ, nobis afflatæ IN NEQVITIA, seu per nequitiam, peruersorum HOMINVM, qui ASTVTIA, fraude & dolo nos *circumuenire* & in damnatos *errores* pertrahere conantur. His viriliter, seu quasi viri in plena ætate spirituali, id est, perfecta solidaque fide, charitate, constantia Christiana, generosè resistamus:

℣. 15. FACIENTES VERITATEM, id est, sectantes veram sinceramque doctrinam, & insuper opere exequentes quod practicè verum, rectum, iustum est, seu debita Christiani hominis officia, per *charitatem* & opera charitatis, CRESCAMVS PER OMNIA, seu quaquauersum, omni augmento, in longum, latum, crassum, &c. (charitate enim crescente, crescunt pariter omnes internæ virtutes:) IN ILLO, supple, Christo, id est, ex virtute & influxu Christi, qui vt est caput omnium membrorum Ecclesiæ, ita

℣. 16. EX ipso TOTVM Ecclesiæ CORPVS habet quòd sit COMPACTVM vt oportet, seu coagmentatum, ET membrum membro CONNEXVM, & arctissimè cohærens PER OMNEM IVNCTVRAM SVBMINISTRATIONIS: id est, per mutuam vnionem fidei, charitatis, & ceterarum virtutum, subministrantem toti corpori tum spiritus vitales ex corde, tum spiritus animales ex capite, ad motionem, sensationem & vitam necessarios. Christus enim *cor* & *caput* nostrum simili modo influit in singula membra spirituales gratias & dona sua diuina, inquit Chrysostom. & Theophylactus.

SECVN-

SECVNDVM OPERATIONEM, κατ' ἐνέργειαν, id est, A ex vi & efficacia intus agente atque operante, nempe vi gratiæ quam Christus instar capitis influit in singula membra, viuificans illa & vegetans, IN MENSVRAM, id est, pro modo, mensura & exigentia, VNIVSCVIVSQVE: atque ita vi eiusdem gratiæ Christi FACIT AVGMENTVM proprij CORPORIS; Hebraismo, id est, sui-ipsius: nam per illam corpus Ecclesiæ *seipsum* auget, *adificat*, stabilit & perficit. Ita S. Hieronymus.

℣. 18. VITA DEI, id est, vita secundùm Deum & præcepta diuina. NON SICVT GENTES.

℣. 19. ἀπηλπικότες, id est, DESPERANTES salutem & vitam æternam: vel, vt nunc est in Græco, B ἀπηλγηκότες, id est, dedolentes, seu dolere desinentes, nec conscientiæ remorsum curantes: vnde prorucrunt in quæuis scelera etiam maximè obscœna a *Rom. 1. v. 24.* (a) & infanda, idque IN AVARITIAM; Græcè, ἐν πλεονεξίᾳ, id est, cum excessiua & inexplebili plus semper luxuriandi auiditate. VOS AVTEM

℣. 21. IN Christo, eiusque schola EDOCTI, SICVT EST VERITAS; Syrus & Vatablus, *qua* seu *quanta sit veritas*: vel, ita vt edocti sunt qui verè & seriò Christum & Christi doctrinam cognoscunt; b *Hic v. 17.* *testificor* (b) DEPONERE, id est, vt deponatis & c *Rom. 6. v. 6.* exuatis, VETEREM HOMINEM, (c) non quoad naturam vel substantiam, sed SECVNDVM PRISTINAM CONVERSATIONEM, seu viuendi, concupi- C scendi & peccandi consuetudinem, vt ferè Syrus vertit. QVI *vetus homo* CORRVMPITVR & computrescit in dies, prout magis ac magis obsequitur *desideriis* ERRORIS, id est, cupiditatibus deceptricibus; hæ enim instar veneni inflammant, exedunt, enecant hominem.

℣. 24. NOVVS HOMO, id est, noua mens, nouus spiritus, noua vita, nouus vigor spiritualis, CREATVS EST SECVNDVM DEVM, id est, ad Dei per- d *Genes. 1. v. 26.* fectam imaginem (d) & exemplar, IN, seu per, SANCTITATEM VERITATIS, id est, veram & non fucatam sanctitatem. Hic *renouatur* SPIRITV MENTIS, id est, viuificâ vi gratiæ menti nostræ indita à Spiritu sancto, inquit S. Hieron. & Chrysost.

Chrysost. hic in moral ho. 13. ℣. 26. IRASCIMINI (e) cùm ratio & necessitas e *Psal 4. v. 5. & ibid. Genebrar. Iansen. &c.* cogit, sed iram vestram sic frænate, vt in Deum vel in proximum *non peccetis*. Illam etiam deponite quàm potestis citissimè, ita vt SOL NON OCCIDAT SVPER illam. Ita S. Anselmus, Genebrardus, Iansenius.

℣. 28. OPERANDO MANIBVS] seu opificium vel officium exercendo, non turpe aliquod, vel indecorum, vel illicitum, sed bonum, honestum, vtile.

℣. 29. AD ÆDIFICATIONEM fidei vel fidelium, VT DET GRATIAM] id est, iucunditatem & spiritalem voluptatem afferat.

℣. 30. NOLITE, intemperantiùs obsequendo E passionibus vestris, CONTRISTARE, seu offendere f *Isaiæ 63. v. 10.* SPIRITVM SANCTVM, (f) IN QVO, id est, per quem in baptismo & Confirmatione, vt Suarez *Suarez 3. p. q. 63. a. 3. & 2. Cor. 1. v. 21. & 22.* docet, SIGNATI (g) ESTIS interna & copiosa gratia, qua tamquam peculiari nota filiorum Dei, dignoscemini ab omnibus aliis IN DIE REDEMPTIONIS, quando ab hac misera vita liberabimini. Ita S. Chrysostom. Hieronym. Ambros. Theodoretus.

CAPVT V.

Hortatur ad imitationem Dei & Christi: auocat ab operibus tenebrarum, aduocat ad opera lucis: iubet, mulieres viris subiectas esse, viros autem diligere vxores suas.

℣. 4. SCVRRILITAS, inquit S. Hieronymus, sunt fatuæ & ineptæ fabulæ. Pro *scurrilitate* in Græco est εὐτραπελία, quam pro virtute vrbanitatis vsurpat Aristoteles, Augustinus & S. Thomas: sed hîc ab Apostolo in malam partem accipitur, nempe pro excessu in iocis & ludis, qui proprie dicitur βωμολοχία, id est, *scurrilitas*, cùm quis ridiculis facetiis vel dicteriis vel sannis vtitur. Sicut defectu contra eamdem virtutem peccat ἀγροικία, id est, *rusticitas*, cùm quis reiectis etiam honestis ludis, aut iocis amœnis, nimis melancholicum, tetricum vel morosum sese exhibet.

QVÆ AD REM NON PERTINENT] Id est, quæ non conueniunt, seu non decent ingenuos.

℣. 5. AVARVS, QVOD auaritiæ vitium EST IDOLORVM SERVITVS] Græcè, *quæ est idololatra*: quia auarus signatas nummorum suorum effigies colit pro Deo, imò præ Deo diligit, sicut idololatræ statuas suas aureas & argenteas, inquit Theophyl. Et vt hi in Ioue vel Marte, sic ille in *Mammona*, spem omnem victus, vitæ ac felicitatis suæ reponit, & cor, mentem, animam totam illi immolat, nec audet idolum suum contingere: pro templo, arca, claustris & vectibus illud sepit, tanta cura & studio, vt malit oculos & animam perdere quàm thesaurum suum, inquit S. Chrysostom. additque *Chrysost. hic in moral., & hom. 64. in Matth.* postquam idolum suum sic concluſit, exinceps illud adorare: alludens cum Herode Sophista, ad *Philostratus in Herode Sophista.* *Aloadas*, qui postquam Martem incarcerassent, ei sacrificarunt, teste Philostrato.

℣. 6. PROPTER HÆC vitia *fornicationis*, aut alterius *immunditiæ*, vel *auaritiæ*, ἔρχεται, id est, VENIT, seu venire & sæuire solet, IRA & vindicta DEI IN FILIOS DIFFIDENTIÆ] ἀπειθείας, id est, D *inobedientiæ*, id est, in eos qui non obediunt Deo vel diuinæ legi hæc vetanti.

℣. 10. PROBANTES, id est, exquirentes & inuestigantes, QVID SIT BENEPLACITVM & acceptum DEO] nempe vt illud compleatis.

℣. 11. OPERA TENEBRARVM, id est, peccata sordida & fœda, quæ tenebras captant, & quasi tenebriones, lucem fugiunt, vos qui *filij lucis* estis, REDARGVITE contrariis operibus, quæ suprà (h) h *Hier. 9.* vocaui *fructus lucis*, seu lucidæ, id est, sanctæ doctrinæ ac vitæ.

℣. 13. QVÆ enim ARGVVNTVR, seu arguenda sunt, tenebrarum, sordium & errorum, non nisi a tali LVMINE MANIFESTANTVR. OMNE ENIM opus, quantumcumque tenebrosum, QVOD & quando lumine vestro MANIFESTATVR, & manifestatum emendatur, non manet ampliùs tenebrosum, sed abiectis tenebris LVMEN EST] Id est, mutatur in luminosum & splendidum opus virtutis, putà fidei, charitatis, continentiæ, &c. Non frustra ergo lumen vestrum spargitis, ô Ephesij: nam ex tenebrosis Paganis vel hæreticis facitis lucidos Catholicos, ex sordidis facitis castos, ex mancipiis diaboli filios Dei. ita Theophyl.

℣. 24. PROPTER QVOD, id est, ad quod studium pellendi peccatorum tenebras acuendum, DICIT Spiritus sanctus Isaiæ 60. v. 1. SVRGE, ô peccator, è tenebris scelerum tuorum expergiscere

QVI

QVI DORMIS, somno, imò morte peccati; ET ILLUMINABIT TE exortus iam sol iustitiæ CHRISTVS] Græcè, ἐπιφαύσει σοι, id est, *illucescet tibi.* (a) ita S. Thom. Quod ergo Isaias Iudæis inclamat, *Surge, illumina Ierusalem, quia venit lumen tuum*, nempe Christus; hoc Paulus omnibus peccatoribus adaptat? a *Rom.* 13. v. 11.

℣. 16. REDIMENTES TEMPVS, Græcè, ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρόν, id est, *ementes opportunitatem*, q. d. Omni studio, omni contentione, omni pretio, & quamuis rerum dispendio (vt solent mercatores) captate occasiones proficiendi in via virtutum, QVONIAM DIES præsentis vitæ MALI SVNT, & multis periculis, tentationibus, B ærumnis & fastidiis expositi, (inquit S. Anselmus) quæ sæpè naufragia pariunt, & sperata lucra subuertunt.

℣. 18. NOLITE INEBRIARI VINO, IN QVO inebriari EST ἀσωτία, id est, luxus, lasciuia, & etiam propriè dicta LVXVRIA: nam *venter mero æstuans despumat in libidines*, inquit S. Hieronymus. *Hier. ep. 83. ad Oceanum.*

℣. 21. SVBIECTI INVICEM, id est, alter alteri, filius parenti, subditus superiori, vxor marito, &c. IN, seu cum, TIMORE offendendi CHRISTI, si secùs faxitis.

℣. 22. MVLIERES VIRIS SVIS SVBDITÆ SINT, SICVT DOMINO Christo, quem in viris suis (vtpote locum eius tenentibus,) considerare, amare, reuereri debent. Et hoc est primum argumentum Apostoli. Secundum, quia salus vxoris à viro dependet. C

℣. 23. IPSE enim, vtpote CAPVT MVLIERIS, SALVATOR EST CORPORIS EIVS, seu tutor, protector, promotor rerum ad corpus eius spectantium. SICVT (sed longè nobiliori modo) CHRISTVS, quia CAPVT ECCLESIÆ, etiam *saluator* eiusdem est,

℣. 26. MVNDANS eam ab omni sorde peccati, LAVACRO AQVÆ, id est, per baptismi Sacramentum, IN, seu cum, VERBO VITÆ] id est, vitali aut viuifico. Quod non de prædicatione Euangelij, vt Beza, sed de forma verborum baptismi intelligunt Chrysost. Ambros. Theodor. S. Thomas & alij orthodoxi. D

℣. 27. VT EXHIBERET SIBI (inchoatè in terris, sed completè in cælis,) ECCLESIAM quasi selectissimam sponsam non solùm NON HABENTEM MACVLAM AVT RVGAM, sed etiam GLORIOSAM; Græcè, ἔνδοξον, id est, multo decore & gloria illustrem. Quod de Ecclesia triumphante (de quâ S. Augustinus hæc accipit,) absolutè verum est: de militante verò, si doctrinam, Sacramenta & leges spectes, & nobiliora etiam eius membra, putà iustos. Sic Parisij, Venetiæ, Antuerpia, Hispalis, Londinum diuites vrbes vocantur, non quòd omnes, sed plurimi in eis diuites sint. Cur autem hac similitudine vtatur Apostolus, ratio esse videtur, quòd multi viri soleant infirmitates & imperfectiones vxorum suarum suæ duritiæ & inhumanitati prætexere. Hinc iubet Paulus illos contẽplari, qualem sponsam nactus sit Christus quum illam primùm sibi seligeret, & quanta charitate, patientia, constantia sordes eius omnes non modò non sit dedignatus, sed suo etiam sanguine eluerit. Quantò potiori iure debent mariti suarum vxorum nęuos, maculas, infirmitates tolerare, &, si possint, etiam curare? Sed vtitur Apostolus etiam alio simili: *August. l. 2. Retract. c. 18.* E

℣. 28. VIRI DEBENT DILIGERE VXORES, VT CORPORA SVA propria: sunt enim *duo in carne vna.* (b) Debet ergo vir vxorem nutrire, fouere, ornare sicut proprium corpus suum, & SICVT CHRISTVS ECCLESIAM, & singulos nostrûm nutrit, fouet, ornat; b *Gen. 2. v. 24. & 1. Cor. 6. v. 16.*

℣. 30. QVIA MEMBRA SVMVS CORPORIS EIVS, DE CARNE ET DE OSSIBVS EIVS in cruce dormientis, spiritualiter seu mysticè formati; sicut ex Adamo corporaliter formata fuit Eua, inquit Caietan.

℣. 32. HOC, nempe primum matrimonium Adami & Euæ, & pari ratione, omne deinceps aliud matrimonium, tam veteris, quàm nouæ legis, EST MAGNVM SACRAMENTVM; Græcè, μυστήριον; Syriacè, *arcanum*; Latinè, *signum rei sacræ*, nempe IN CHRISTO ET IN ECCLESIA] Hebraismo, id est, repræsentatiuum *Christi & Ecclesiæ*, seu coniunctionis Christi cum Ecclesia, factæ in incarnatione, quâ Christus visus est quasi relinquere *patrem* suum, postea etiam *matrem* suam Synagogam, vt *sponsæ* suæ, Ecclesiæ Christianæ adhæreret. Ecclesia vicissim reliquit patrem suum diabolum, & matrem cœtum infidelium, vt sponso suo Christo adhæreret. Sed matrimonium Adæ & ceterorum veteris legis erant signum futuræ illius coniunctionis Christi cum Ecclesia: matrimonium nouæ legis est signum eiusdem coniunctionis iam factæ: ideoque à Christo institutum propriè dictum Sacramentum, conferens gratiam & mutuum coniugum amorem. Vnde ego Paulus hortor vos, ô coniuges, vt amorem hunc coniugalem excitetis, foueatis, augeatis, atque ita mysterium seu Sacramentum, quod repræsentatis, reipsa etiam exprimatis, mutuo amore ac *timore*, id est, reuerentia, veneratione & obsequio. Ita ferè Florentinum & Tridentinum Concilium. *Florent. in instructione Armenorum. Trid. initio sess. 24.*

CAPVT VI.

Quod sit officium filiorum erga parentes, seruorum erga dominos, & contrà. Quàm acris pugna fidelibus subeunda, & quibus in ea armis vtendum.

℣. 1. FILII OBEDITE PARENTIBVS IN DOMINO] id est, conformiter legi & voluntati diuinæ, scilicet in omnibus quæ non repugnant mandatis vel consiliis, vel vt Oecumenius loquitur, diuino cultui & pietati.

℣. 2. QVOD MANDATVM de parentibus honorandis, (c) PRIMVM EST IN, seu cum, adiuncta speciali PROMISSIONE nobis traditũ, nempe hac, c *Matt.* 15. v. 6.

℣. 3. VT BENE SIT TIBI] Id est, vt prosperè ac diu viuas. Ita enim vsu venit vt plurimùm. Aliàs aliunde fit compensatio.

℣. 5. SERVI OBEDITE DOMINIS CARNALIBVS, qui dominantur corpori vestro & rebus vestris externis, CVM TIMORE ET TREMORE] Id est, cum solicita reuerentia. Nam seruilem metum constat non probari, ne quidem in mancipiis.

℣. 6. QVASI VOLVNTATEM & præceptum DEI FACIENTES EX ANIMO & sincerè, *simplici* & recta intentione, studentes in persona dominorum seruire & placere Deo, cuius illi locum repræsentant.

℣. 9. ET VOS DOMINI vicissim EADEM, seu paria, FACITE seruis, nempe proportionaliter: facilè REMITTENTES MINAS si quas subinde ex subita & indiscreta ira minati estis.

℣. 11. INDVITE VOS ARMATVRAM DEI] Græcè, πανοπλίαν, id est, vniuersum armorum appa-

apparatum à Deo subministratum, non solùm

℣. 12. ADVERSVS CARNEM ET SANGVINEM, id est, homines, quorum fragiles & exiles sunt vires, SED & ADVERSVS potentissimos dæmones, qui vocantur PRINCIPES, seu principatus, ET POTESTATES. Nam etiam ex illis angelorum ordinibus plurimos cecidisse quis miretur, cùm ceciderit ex primo ordine caput & princeps omnium Lucifer? SPIRITVALIA NEQVITIÆ, id est, spirituales nequitias, seu nebulones, vocat eosdem dæmones qui IN CÆLESTIBVS, id est, sublimibus locis, seu in aëre degunt. Nam teste S. Hieron. communis est Patrum opinio, aërem istum plenum esse dæmonibus, in eoque procellas, turbines, tempestates quibus noceant hominibus, non rarò ciere: seruato etiamnum inter se ordine suo naturali, vt inferiores scientia & nequitia subsint superioribus, quò possint commodius & acrius bellum hominibus inferre. Alioqui finito isto bello, & sublato fine, ob quem in hunc ordinem conspirant, verisimile est, nullum ampliùs alteri pariturum in inferno. Et hoc insinuare videtur S. Paulus cùm alibi ait, (a) in extremo iudicio *euacuandum omnem principatum & potestatem & virtutem.* Et ita docet S. Chrysost. (vt & Molina & alij Doctores:) subdens: *Si tales* aduersum nos *instructæ sunt acies, si incorporales*, si spiritales, si inuisibiles *principatus, si* rectores & *domini mundi, si principes tenebrarum*, si nebulones & versutissimi & nequissimi, si fraudibus & insidiis & telis spiritalibus instructissimi, bello nos impetunt irreconciliabili; *quomodo, dic quæso, deliciaris? quomodo inermis superabis?*

a 1. Cor. 15. v. 24. Chrysost. hic in morali ho. 22. Molina & alij in 1 p. q. 109.

℣. 13. PROPTEREA ACCIPITE quam vobis do, & induite ARMATVRAM de quâ suprà; (b) VT tot tantisque hostibus POSSITIS illæsi RESISTERE IN DIE MALO (c) id est, tempore periculoso, difficili, tristi, nempe cùm tentationes ingruent: ET IN OMNIBVS PERFECTI, id est, ab omni parte spiritualibus armis probè instructi, STARE aduersus omnes omnium hostium incursus & insultus. Ita Syrus, Hieron. Chrysost. Ambrosius.

b Hic v. 11.

c Psal. 40. v. 1.

℣. 14. SVCCINCTI LVMBOS IN VERITATE, id est, pro balthco, qui lumbos stringat, latera roboret, corpus exornet, sit vobis *veritas*, tum doctrinæ, tum morum; speculatiua & practica; maximè verò quæ motum libidinis (cuius prima radix in lumbis est) coërceat & comprimat. Ita idem Hieronymus, Chrysost. & Theophyl. Alludit enim ad illud Isaiæ: *Erit fides*, seu veracitas, *cinctorium renum eius.* PRO LORICA sit iustitia, & iusta seu sancta opera, quibus cor & pectus vndique obarmetis.

Isaiæ 11. v. 5.

℣. 15. CALCEI militares, id est ocreæ, sint PRÆPARATIO, id est, animus paratus, promptus, expeditus ad EVANGELIVM PACIS baiulum, seu amplexandum & vita exprimendum, seu ad alios deferendum. Ita Chrysostomus & Theophylactus. Qui enim ocreatus incedit, audacter, intrepidè, expeditè progreditur; cùm qui nudis est pedibus, ægrè, timidè, tardè, nec nisi suspenso gradu incedat.

℣. 16. SCVTVM, seu clypeus, sit *fides* solida & constans, per spem firmata, per charitatẽ formata. Tali enim clypeo TELA seu iacula OMNIA hostis vestri quantumuis NEQVISSIMI ac versutissimi, IGNEA, id est, instar ignis penetrantia, & cor inflammantia, impunè excipietis, imò *extinguetis.*

℣. 17. GALEA sit *salus* animæ sperata, vel, vt alibi (d) ait, *spes salutis* æternæ. ita Anselmus. *Gladius* SPIRITVS, seu spiritualis, sit VERBVM DEI, quo possitis ipsos etiam hostes lacessere, impugnare, sternere, iugulare, spoliis (e) exuere, dominio priuare, &c. exemplo Christi, (f) & Sanctorum, vt etiam de S. Paula pulchrè demonstrat S. Hieron. Nec tamen sat est militi, armis instructum esse, debet insuper assiduè vigilare, debet & à duce suo instrui rebus omnibus corpori fouendo roborandoque necessariis. Quare & vos quoque

d 1 Thess. 5. v. 18.

e Luc. 11. v. 22.

f Matth. 4. v. 4 &c.

Hieron. in epitaphio Paulæ.

℣. 18. ORATIONE ET OBSECRATIONE non solùm voce, sed & SPIRITV, id est, magno cordis affectu, cum OMNI INSTANTIA deposcite à Deo quæcumque necessaria sunt, VIGILANTES ET ORANTES OMNI TEMPORE (g)] id est assiduè, quantum per alia negotia licebit, (inquit Anselm.) & necessitas postulabit. Alioqui sat est, stata orãdi tempora seruare per diem, vt S. Augustinus docet.

g Luc. 18. v. 1.

Aug. hæres. 57. contra Euchitas.

℣. 24. IN INCORRVPTIONE) Id est, cum integritate, puritate & sinceritate amoris, instar castissimæ ac fidissimæ sponsæ, inquit S. Anselmus.

EPISTOLA
BEATI PAVLI
APOSTOLI
AD PHILIPPENSES,

a Hic c. 2. v. 25.
b Act. 16 v. 9.
c Ibid. v. 19 & 1. Reg. 22. v. 7.

EODEM anno, ex eodem Romano carcere, quo præcedens ad Ephesios scripta, & per Epaphroditum Apostolum, (a) id est, Episcopum, Philippensem transmissa. Fuerunt autem *Philippi* prima vrbs, quam Paulus ingressus est cùm Macedoniam cælesti monitione excitus (b) peteret, vbi & ob pythonissam (c) curatam virgis cæsus & incarceratus fuit: vnde &

Philip-

Philippenses obstricti tot nominibus S. Paulo, tenerrimè illi afficiebantur, & mox vt audierunt vinctum Romæ detineri, miserunt eò cum muneribus Episcopum suum solatio & auxilio futurum Apostolo. Sed is in morbum ibidem lapsus parum abfuit à morte. (a) Cumque tandem conualuisset, ad suos cum his litteris remissus est, quibus monentur, vt in fide Christi constanter perstent, nec aduersis frangantur, nec fidem habeant iudaizantibus, qui legalia Moysis annexa volunt Euangelio; vel Simonis Magi, aut Cerinthi assectis, qui Christum negant verè crucifixum esse. Miscet interim pia hinc inde monita, vt Christi humilitatem, charitatem, obedientiam æmulentur, mutuam quoque concordiam & pacem foueant, & alias virtutes Christianis dignas sectentur.

a *Infrà c.2. v.27.*

CAPVT I.

Hortatur ad constantiam in fide, etiam suo exemplo. Et licet optet dissolui & esse cum Christo, innuit tamen se adhuc in carne mansurum, ad maius illorum auxilium & consolationem.

℣. 1. TIMOTHEVS litteris Pauli anno præterito euocatus, (a) ante hiemem Romam excurrerat: vnde tam ipsius, quàm suum nomen præfigit Paulus tum his, tum aliis ad Colossenses, Thessalonicenses, & ad Philemonem sub idem tempus datis litteris, vt omnibus constaret, hæc conscribi ex vtriusque sententia.

a 2.*Tim. 1. v.21.*

CVM EPISCOPIS ET DIACONIBVS] Syrus, *cum presbyteris eorumq; ministris.* Simili modo in Actis (b) Apostolorum, *maiores natu Ecclesiæ* vocat *Episcopos.* Licet enim simplices sacerdotes semper fuerint Episcopo inferiores vt iurisdictione, ita & dignitate ac potestate: (neque enim poterant vel Ordines sacros conferre, vel Confirmationis Sacramentum administrare, quæ iure diuino solis Episcopis propriè dictis conueniunt:) olim tamen nomina *Episcopi*, id est, inspectoris, & *presbyteri*, id est senioris, communia erant omnibus sacerdotibus: quorum etiam communi consilio & sententia regebantur Ecclesiæ: quin & in Conciliis aliquamdiu cum ipsis Episcopi consederunt & sententiam dixerunt: donec crescente æmulatione, in ordinem redacti sunt, solique Præsuli cuiusque Ecclesiæ nomen *Episcopi* cum dignitate relictum. Vide Chrysostom. Theophyl. & Baronium.

b *Act. 20. v.28.*

Baron. anno Christi 60.

℣. 5. SVPER COMMVNICATIONE, id est, quia etiam vos participes facti estis fidei & doctrinæ & gratiæ Euangelicæ, hoc nomine GRATIAS AGO DEO, A PRIMA DIE qua cœpi vos nosse & pro filiis meis complecti;

℣. 7. EO QVOD VOS, vestræque humanitatis memoriam continuò HABEAM IN CORDE altissimè defixam: reque ipsa *habeam vos* etiam SOCIOS IN VINCVLIS MEIS, partim per compassionem, partim per auxilia & solatia vincto mihi manibus Episcopi vestri transmissa: *socios* item IN DEFENSIONE ET CONFIRMATIONE EVANGELII, quod vnà mecum propugnatis & promouetis pro virili vestra: quæ omnia mihi causa sunt extremi GAVDII ac solatij.

℣. 8. CVPIAM; Syrus, *amem*, VOS IN VISCERIBVS CHRISTI] id est, eo affectu viscerali quo Christus intimè vos, omnesque Christianos amat. ita Chrysost. & Theophyl.

℣. 9. ORO & à Deo vobis deposco quod vtilissimum vobis est, & maximè necessarium. Primò, *abundantiam scientiæ & sensus*, seu intelligentiæ mysteriorum fidei & rerum ad salutem pertinentium, & quidem tantam, VT PROBETIS POTIORA, id est, vt possitis bona à malis, & meliora à vilioribus secernere & seligere: VT SITIS SINCERI, sine admixtione iudaismi, hæreseon vel aliorum errorum; ET SINE OFFENSA, seu offendiculo (actiuo vel passiuo) q.d. Inoffenso cursu pergatis & perseuerctis vsque IN DIEM aduentus CHRISTI. Secundò, *charitatis* Dei & proximi continuum incrementum. Tertiò,

℣. 11. *repleamini*, FRVCTV IVSTITIÆ] id est, multiplici & copioso prouentu bonorum operum iustitiæ, misericordiæ, &c. Neque velim turbari vos vel offendi vinculis meis: nam

℣. 12. QVÆ CIRCA ME SVNT, id est, quæcumque mihi acciderunt hucusque, etsi dura & grauia, non modò cursum EVANGELII non retardarunt aut nocuerunt, sed potiùs AD PROFECTVM VENERVNT] id est, magis illum promouerunt.

℣. 23. ITA VT iam VINCVLA MEA MANIFESTA sint in CHRISTO, id est, omnibus innotuerit quòd non ob æs alienum, vel scelus aliquod, sed propter solum Christum, eiusque fidei promulgationem vinctus sim: atque ita occasione vinculorum meorum nomen Christi vbique clarescit, IN OMNI; Græcè, ἐν ὅλῳ, id est, *in toto*, PRÆTORIO, seu regia aula Neronis, ET IN CETERIS OMNIBVS Romanę vrbis & imperij locis. ita Chrysost. Theophyl. Anselmus.

℣. 14. PLVRES E FRATRIBVS Christianis CONFIDENTES VINCVLIS MEIS, id est, animis & audacia sumptis ex eo quòd videant me, etsi vinctum, intrepidè causam agere Euangelij, ampliùs iam & liberiùs idipsum promulgant,

℣. 15. & 16. EX CHARITATE, ET PROPTER BONAM erga me & erga Euangelium VOLVNTATEM, seu affectum, SCIENTES me à Christo POSITVM seu constitutum non solùm in præconem, sed & IN DEFENSIONEM, (c) id est, in defensorem & propugnatorem EVANGELII: vnde iuuant me qua possunt, & quod mihi iam per vincula non licet, ipsi per se præstant, & quidem solito ardentiùs. ita Theophyl. & Anselmus.

c *Proleg. de Idiotismis & Hebr. n.47.*

℣. 17. QVIDAM Christum annuntiant, non ex pio affectu, sed EX CONTENTIONE, id est, studio mecum contendendi ac decertandi de fama & gloria: NON SINCERE, seu pura intentione promouendæ gloriæ Christi, sed admodum fraudulenter & perfidè, EXISTIMANTES SE sua importuniore prædicatione PRESSVRAM SVSCITARE VINCVLIS MEIS] id est, nouam maioremque molestiam

Ignat. epist. ad Trallianos & epist. ad Philippenses.

læstiam ac vexationem addere mihi captiuo: nempe sperant Neronem magis concitandum & exacerbandum in me, quasi tam frequentis, tam intempestiuæ prædicationis auctorem atque incentorem. Taxat assectas Simonis Magi; de quibus S. Ignatius Martyr: *Non sunt*, inquit, *Christiani, sed Christi ἴμπωροι*, id est, *Christi-lucriones, qui ex nomine Christi quæstum faciunt, & tamen adulterant verbum Euangelij.* ita Chrysost. & Theophyl. Sed Anselmus vult fuisse alios Iudaizantes, non tam hæreticos, quàm mercenarios & ambitiosos, & gloriæ Pauli æmulos. Crediderim ex vtroque genere fuisse, qui vt fucum facerent, & Paulo officerent, eamdem cum illo doctrinam (saltem pro isto tempore) importuniùs spargebant in vulgus.

B ℣. 18. QVID ENIM? an voti sui compotes erunt? minimè, DVMMODÒ enim CHRISTVS ANNVNTIETVR, SIVE id fiat PER OCCASIONEM, (προφάσει significat etiam *prætextum*, nempe zeli boni;) SIVE PER VERITATEM, id est, per verum & purum zelum; fiat OMNI, id est, quouis demum, MODO; ego IN HOC GAVDEO; quia, etsi procedat à malo auctore & malo fine; ipsa tamen doctrina in se bona est. neque oberit vinculis meis, vt ipsi conantur, sed

℣. 19. PROVENIET MIHI AD SALVTEM, & maius bonum tum corporale (de quo Chrysost.) tum spirituale, (de quo alij exponunt) si videlicet oraueritis pro me, mihique impetraueritis copiosam SVBMINISTRATIONEM SPIRITVS C sancti, conformiter

℣. 20. *expectationi & spei meæ*, cum OMNI FIDVCIA, qua spero, etiam NVNC, seu in his circumstantiis, CHRISTVM eiusque Euangelium IN CORPORE MEO, id est, in me & per me, *magnificatum* & glorificatum iri, seu viuere pergam, seu de medio tollar.

℣. 21. MIHI ENIM VIVERE CHRISTVS EST, ET MORI LVCRVM] Id est, vita mihi est seruire, Christo, & mortem in lucro pono. q. d. Siue viuam, siue moriar, lucrum quod opto assequor, nempe *Christum*, id est, manifestationem gloriæ Christi, (vt præcessit:) nam si viuam, glorificabitur Christus mea prædicatione & bono exemplo; sin D moriar, martyrio meo & beatitudine in cælis.

℣. 22. QVOD SI detur supervivere IN CARNE, HIC MIHI FRVCTVS OPERIS EST, id est, operæpretium, fructuosum & vtile tum mihi, tum aliis multis id fuerit: mihi, ad maius & prolixius meritum: aliis, ad conuersionem, & ampliorem promotionem spiritualem. ET verò si detur optio, seu diutiùs viuendi, seu citò moriendi, QVID *è duobus* ELIGAM IGNORO.

℣. 23. DISSOLVI (Græcum ἀναλῦσαι, nauigantium est, cùm è portu soluunt:) MVLTÒ MAGIS MELIVS] id est, longè mihi iucundissimum esset.

℣. 24. PERMANERE AVTEM IN CARNE, & Euangelicis laboribus insistere, quia magis *vobis* E NECESSARIVM, præferendum est commodo meo priuato. Putat Chrysost. optionem à Deo datam S. Paulo, seu tum moriendi & cum Christo triumphandi, seu superuiuendi adhuc in incerto salutis: & Paulum (*a*) prætulisse lucrum animarum propriæ saluti & certæ beatitudini. Quot sat insinuat, cùm ait:

a 1. Cor. 9. v. 27.

℣. 25. ET HOC CONFIDENS; Græcè, *persuasus*, supple, vitam meam vobis adhuc necessariam esse, SCIO QVIA in carne adhuc MANEBO, ET VOBIS COMPERMANEBO (vt est in Græco.) q. d. Non est A cur lugeatis orbitatem vestram, non vos deseram: manebo vobiscum:

℣. 26. VT GRATVLATIO (Græcè, καύχημα, id est, *gloriatio*) VESTRA ABVNDET] q. d. Vt habeatis luculentiorem materiam gratulandi vobis, imò & gloriandi, de bonis per me vobis obuenturis.

℣. 28. ET HOC A DEO est, bonos promouente ad salutem, malos puniente ac damnante.

℣. 29. PRO CHRISTO PATI, singulare Dei *donum* est, & longè maius quàm donum suscitandi mortuos, vel alia miracula patrandi, inquit Chrysost. & Theophyl. Et causam addunt. Quia hoc longè difficilius: vnde pro dono miraculorum *debitor sum* Deo: pro passionis *debitorem habeo Christum. O rem admirandam! & donat mihi, & super hoc, ipse debet mihi.*

℣. 30. IDEM, seu simile, CERTAMEN certatis pro Euangelio, QVALE VIDISTIS olim ME certantem Philippis, (*b*) cùm apud vos virgis cæsus b Act. 16. sum & incarceratus: ET NVNC AVDISTIS ME v. 22. Romæ sustinentem.

CAPVT II.

Hortatur ad mutuam concordiam, charitatem & humilitatem exemplo Christi.

℣. 1. SI QVA in vobis erga me est CONSOLATIO, seu consolandi affectus, IN CHRISTO, id est, in negotio Euangelij Christi, quod scitis mihi vnicè cordi esse: SI QVOD SOLATIVM ex charitate vultis mihi vincto impendere: SI QVA vobis SOCIETAS SPIRITVS; Græcè, κοινωνία, id est, animorum *communio* mecum;

℣. 2. IMPLETE GAVDIVM MEVM, quo me cœpistis afficere quando ad Christum conuertebamini, & cumulastis quando tam strenuè mihi collaborastis in promouendo apud vos Euangelio; complete iam illud absoluta vestrimet perfectione per mutuam charitatem, concordiam & humilitatem exemplo Christi.

℣. 5. HOC SENTITE IN VOBIS] Id est, sit in vobis ille sensus, seu tener affectus humilitatis, misericordiæ, charitatis, quem comperimus in Christo,

℣. 6. QVI CVM ESSET IN FORMA DEI, præditus natura, essentia, substantia diuina (nam forma denotat partem essentialem) id est, cùm Christus esset natura sua verus Deus; NON RAPINAM ARBITRATVS EST SE facere (sicut faciebat Lucifer;) nam probè sciebat, se, vtpote ÆQVALEM per omnia DEO, cùm mediatorem agere vellet, posse non in vili humana carne comparere, sed vel cum splendore angelico, vel alia magnificentia Deo digna: omnis enim maiestas & gloria debebatur vnigenito Filio Dei. Verùm relictis his omnibus,

℣. 7. SEMETIPSVM EXINANIVIT, quasi ex *omni* ad *nihilum* delabens; Græcè, ἐκένωσε, id est, *euacuauit*, exhausit, vt, qui plenus erat maiestate, gloria, potentia diuina, ad humanæ naturæ vilem, humilem, seruilem conditionem sese abiiceret, FORMAM, id est, naturam, SERVI, seu mancipij, vltrò ACCIPIENS; FACTVS IN SIMILITVDINEM HOMINVM, id est, hominibus similis, non accidentaliter aut phantasticè, (vt Faustus (*c*) aiebat,) sed naturaliter & substantialiter: sicut omnes homines dicuntur esse similes specie, seu natura humana. ita S. Augustin. (*d*) S. Thomas & alij.

c Aug. cont. Faustum.
d Augst. tract. 17. in Ioan.

alij. Etiam HABITV INVENTVS VT HOMO] Græcè, σχήματι, id est, figura & specie externa fuit vt quiuis alius vulgaris homo, cùm tamen esset singulariter Deus-homo, inquit Chrysostom. & Theophyl.

℣.9. PROPTER QVOD (non consecutiuè, vt hæretici exponunt, sed causaliter, in genere causæ meritoriæ, vt SS. Patres docent) vicissim EXALTAVIT ILLVM DEVS, à mortuis rediuiuum & glorioſum super omnes angelos eum extollendo, & ad dextram suam collocando, NOMENque, titulum ac dignitatem mediatoris & saluatoris ei conferendo, quo nullum est toto vniuerso maius vel augustius. Etsi enim hoc nomen ei datum sit à prima conceptione, res tamen nomine significata in morte demum plenè completa est, quando in actu perfecto exhibuit se saluatorem. Vt meritò ex tunc

℣. 10. IN NOMINE IESV, id est, in honorem Saluatoris, *flecti* cogatur OMNE GENV, omnium nationum, omnium creaturarum, seu CÆLESTIVM angelorum, seu TERRESTRIVM hominum in mundo degentium, seu INFERNORVM, non modò in limbo vel Purgatorio, sed etiam in damnatorum inferno existentium. Omnes enim, etiam dæmones, licet coactè, genu flectunt Christo, illumque adorant & illi tanquam Domino, principi, & Deo suo se subijciunt, inquit Anselmus.

℣.12. ITAQVE CVM METV reuerẽtiali ET TREMORE (*a*) (ex horrore offendendi tanti Domini) VESTRAM SALVTEM OPERAMINI] id est, quæ ad salutem promouendam ac stabiliendam faciunt, studiosè procurate, putà bona opera. Dico, *cum metu & tremore*, propter incertitudinem successus, & quia non pendet hoc à vestra solius potestate.

(*a*) *Psalm.2. v.11.*

℣.13. DEVS EST ENIM, QVI OPERATVR IN VOBIS non solùm PERFICERE bonum opus, sed ET VELLE: neque hoc ob vestra merita, sed PRO sua BONA VOLVNTATE] εὐδοκίας, id est, beneplacito & vltroneo affectu. Neque enim debentur nobis primæ gratiæ præuenientes aut excitantes, quibus intellectum nostrum illuminat Deus, immittendo illi bonas cogitationes, & voluntatem excitat, indendo illi pios affectus seu motus: sed gratuitò prorsus subministrantur. Vnde meritò docent SS. Patres, omne bonæ volitionis, fidei & salutis initium, continuationem, effectionem & perfectionem esse à Deo & à gratia diuina: non exclusâ tamen cooperatione liberi arbitrij. Nam, vt bene notat S. Bernardus, etsi Deus primum *cogitare*, seu primas gratias præuenientes, operetur in nobis *sine nobis: velle* tamen, seu consentire gratijs præuenientibus, non nisi *nobiscum* operatur, sicut *perficere*, seu exequi opus bonum, *per nos* operatur. *Sic autem ista cum arbitrio operatur, vt tantùm in primo illud præueniat, in ceteris comitetur: ad hoc vtique præueniens, vt iam sibi deinceps cooperetur.* Et verò, si (vt volunt Lutherus, Caluinus & horum sequaces) hæc à solo Deo penderent, cur adeò solicitè Paulus hortaretur hîc Philippenses vt cum metu ac tremore suam ipsi salutem operentur? ita S. Augustinus, Bernardus & alij Orthodoxi.

Bern. lib. de Gratia & lib. arb. sub finem.

August. de Gratia & lib arb. c.9. 16. & c. & de Gratia Christi c.3. §.10.

℣.16. VERBVM VITÆ CONTINENTES: id est, lumen viuificæ fidei, (ceu faculam, qua etiam alios illuminetis, accendatis & ad Christum conuertatis) in vobis continuantes, & quotidie adaugentes, AD GLORIAM MEAM; Græcè, *gloriationem mihi*, id est, vt de vestra in virtutibus soliditate, constantia & excellentia meritò gloriari possim, maximè IN DIE CHRISTI, & coram eius tribunali: ne frustra apud vos laborasse deprehendar.

℣.17. SI IMMOLOR, id est, si occidar à Nerone. In Græco est σπένδομαι, id est, *libor*, seu instar libaminis effundatur sanguis meus, SVPRA SACRIFICIVM ET OBSEQVIVM FIDEI VESTRÆ: id est, propter prædicatam vobis fidem, procuratamque vestram conuersionem, quæ fuit victima Deo gratissima atque exoptatissima. (ita Chrysostom. Theophyl. & Anselmus;) hoc nomine extremè *gaudebo*, ET CONGRATVLOR ex nunc OMNIBVS VOBIS] quòd me, Apostolum & magistrum vestrum hactenus tunc etiam habituri sitis Martyrem pro fide Christi.

℣. 20. NEMINEM alium à Timotheo HABEO hîc ad manum, TAM mecum VNANIMEM & conspirantem pro vestra salute promouenda.

℣.21. OMNES ENIM alij qui nunc mihi adsunt, QVÆRVNT QVÆ SVA SVNT, id est, propria commoda, quietem, & in tuto esse; NON autem QVÆ SVNT CHRISTI] Id est, non admodum soliciti sunt de Euangelio promouendo, quod est negotium Christi. ita Theophyl. & Anselmus.

℣.25. EPAPHRODITVM APOSTOLVM vocat, id est, Episcopum, inquit Theodoretus & Baronius.

Baron. anno Christi 60.

℣.30. PROPTER OPVS CHRISTI, nempe vt me vinctum visitaret, solaretur iuuaret, AD MORTEM ACCESSIT, ex prolixo itinere & nimijs laboribus grauem morbum incurrens, & ANIMAM SVAM TRADENS, id est, se suamque valetudinem & vitam negligens, VT QVOD OBSEQVIVM vos absentes mihi præstare non poteratis, ipse *suppleret.*

CAPVT III.

Iudaizantes (qui docebant legalia Moysis seruanda esse simul cum Euangelio) item assecla Simonis Magi, negantes Christum verè crucifixum, acerrimè insectatur.

℣. 2. VIDETE CANES: id est, attendite, obseruate, cauete, fugite impudentes & improbos iudaizantes, qui instar rabidorum canum, allatrãt & mordent nos, & doctrinam Euangelicam dilacerant. Eosdem per contemptum vocat CONCISIONEM, seu concisos. q.d. *Circumcisio* tanti olim æstimata, nunc post Christum non est aliud quàm nuda carnis concisio & resectio. Sed & ipsi illi qui *circumcisionem* tantoperè vrgent, nil aliud efficiunt quàm *concisionem*, id est, hæresin & scissuram Ecclesiæ, sibique & alijs accersunt æternam animæ *concisionem*, perditionem & mortem: Græcum enim κατατομὴ, tam *occisionem*, quàm *concisionem* significat.

℣.3. NOS ENIM Christiani vera SVMVS CIRCVMCISIO, qualem requirit Deus: qui circumcisi sumus, non carnali, sed spirituali *circumcisione*, quâ resectis sæcularibus affectibus, interna fide, spe, charitate, alijsque virtutibus religiosè Deo deseruimus, ET GLORIAMVR non in Moyse, sed IN CHRISTO: neque FIDVCIAM *habemus*, seu confidimus, & spem reponimus, IN CARNE circumcisa, in carnali nobilitate, in legis carnalis scientia, &c. sed (sequitur v.9.) in *iustitia quæ ex fide Christi est.*

℣.4. QVAMQVAM, si iuuare hæc possint, EGO præ alijs iure merito CONFIDENTIAM HABEAM,

seu confidendi & gloriandi materiam ETIAM IN CARNE, seu in rebus illis carneis:

℣.5. SECVNDVM LEGEM, seu legis rigidè obseruandæ professionem, PHARISÆVS fui, illi sectæ me adiungens quæ legem præceteris se obseruare profitetur.

℣.6. SECVNDVM ÆMVLATIONEM, seu zelum promouendæ ac propugnandæ religionis Iudaicæ, adeò illo exarsi, vt etiam ad mortem *persequerer* ECCLESIAM DEI, id est, Christianos, quos illi aduersarios arbitrabar. ita Theophyl. & Anselmus, SECVNDVM IVSTITIAM QVÆ IN LEGE EST, CONVERSATVS] Id est, ex præscripto legis studui iustè semper & inculpatè viuere cum omnibus.

℣.7. SED QVÆ tunc MIHI FVERVNT, seu censebantur, ingentia LVCRA, rara monilia, & pretiosus thesaurus; HÆC nunc *arbitror* DETRIMENTA PROPTER CHRISTVM] quia sunt impedimenta veritatis & salutis à Christo hauriendæ. Quin &

℣.8. OMNIA alia legalia & carnalia DETRIMENTVM, id est, noxia esse existimo, & vt talia abijcio, quia nocent *eminenti scientiæ*, seu fidei, IESV CHRISTI, PROPTER QVEM, & cuius obtinendi ac conseruandi gratia, iam pridem FECI OMNIA illa DETRIMENTVM, id est, vt noxia abieci, meque illis spoliaui, VT CHRISTVM LVCRIFACIAM, & thesauris illius diter,

℣.9. ET INVENIAR IN ILLO sicut in vite, & iustus efficiar NON IVSTITIA MEA, seu meis naturæ viribus EX LEGE, id est, ex solius legis doctrina, sine adiutorio fidei & gratiæ Christi, comparata, inquit S. Augustin. (nam talis iustitia exigui momenti est, nec iustificat coram oculis Dei:) sed IVSTITIA Christiana, QVÆ fundatur in FIDE CHRISTI, & EX DEO EST, & ex diuina eius gratia, vt alibi (a) dictum. Hæc coram Deo iustificat, seruitque

Aug serm. 15. de Verbis Apostoli 10.

a *Hic cap. 2. v. 13. & 6.*

℣.10. AD COGNOSCENDVM ILLVM, quis, quantus, qualis sit, nempe Deus-homo, Messias, saluator mundi, mortis domitor ac triumphator per VIRTVTEM RESVRRECTIONIS, id est, per insignem suam potentiam, qua & se resuscitauit, & nos omnes resurgere facit à mortuis. Vt similes tunc illi simus in gloria, sicut nunc illi *configuramur*, id est, conformes reddimur MORTI EIVS, per SOCIETATEM PASSIONVM & mortificationum quas quotidie subimus.

℣.11. Vt SI QVO MODO possim, OCCVRRAM & pertingam aliquando AD beatam (b) RESVRRECTIONEM.

b 1. *Cor. 9. v. 27.*

℣.12. NON QVÒD IAM ACCEPERIM. q.d. Non præsumo de me *quòd iam* metam *apprehenderim* (vt Theophyl. exponit,) id est, ad culmen perfectionis deuenerim, (vt S. Ambrosius:) sed SEQVOR; Græcè, διώκω, id est, persequor, continuò currens in stadio, vt SI QVO MODO possim, apicem illum *apprehendam*, IN QVO, seu ad quem, COMPREHENSVS & captus ac vocatus SVM A CHRISTO] cùm Damascum pergerem. (c)

c *Act. 9. v. 3. &c.*

℣.13. VNVM AVTEM illud ex eo tempore solicitus, ago, in hoc vnum totis viribus collimo, vt QVÆ RETRÒ SVNT & præterita OBLIVISCENS, tum opera & labores, tum passiones pro Christo toleratas (nam præteritorum memoria superbos reddit & pigros,) ET AD PRIORA; Græcè, ad ea quæ ante me, seu à fronte, SVNT MEIPSVM EXTENDENS, BRAVIVM SVPERNÆ VOCATIONIS, id est, præmium certantibus & vincentibus propositum assequar, ad quod assequendum supernè vocatus sum à Deo. ita S. Chrysost. Ambros. Theodoretus, Theophyl. & Anselmus.

℣.15. QVICVMQVE ERGO PERFECTI, seu adulti, SVMVS in doctrina Christiana, (ita Ambrosius;) vel (vt Anselmus, & à Lapide,) perfectionis studiosi; sic SENTIAMVS, nempe, nos nondum contigisse metam perfectionis, sed contento studio ad eam continuò tendere ac conari debere: ET SI QVID ALITER SAPITIS aut sentitis, rogo *Deum* vt VOBIS *reuelet* vos in errore versari. Reuelat autem hoc Deus, dum homini suorum vitiorum & suæ infirmitatis cognitionem impertit.

℣.16. VERVMTAMEN rogo, vt interim retineamus AD QVOD PERVENIMVS, id est, fidem quam accepimus, & quisque suum perfectionis gradum ad quem deuenit: VT IDEM SAPIAMVS circa mysteria & dogmata fidei. & IN EADEM doctrinæ REGVLA à Christo eiusque Apostolis præscripta PERMANEAMVS.

℣.17. OBSERVATE, vt imitemini EOS QVI ITA AMBVLANT, docent & agunt, SICVT HABETIS FORMAM NOSTRAM] Græcè, τύπον ἡμᾶς, id est, *typum nos*, id est, tali modo qualem in nobis animaduertitis. Caueatis ergo

℣.18. INIMICOS CRVCIS CHSISTI & disciplinæ, doctrinæ, sanctitatis Christianæ.

℣.19. QVORVM FINIS tandem erit INTERITVS animæ & corporis: etsi *alium* sibi ipsi finem ultimum, seu *deum* (d) constituant, nempe *ventrem* suum & ventris cupedias, quarum causâ omnia faciunt: ET GLORIA, seu gloriatio, IPSORVM IN CONFVSIONE] Id est, gloriantur in ijs, quorum ipsos pudere oportebat, inquit Chrysost. Theophyl. & Oecumen.

d *Ephes. 5. v. 5.*

℣.20. NOSTRA è contrario CONVERSATIO; græcè, πολίτευμα, id est, *vitæ ratio & institutum* (vt Budæus interpretatur,) EST IN CÆLIS agere, vbi cor defixum habemus, & quò nostros affectus omnes transtulimus: VNDE ET Christum SALVATOREM nostrum EXSPECTEMVS venturum ad iudicium, quò nos è malis & miseriis omnibus eductos, secum ad cælestia triumphantes deuehet: &

℣.21. REFORMABIT; μετασχηματίσει, id est, *transformabit*, seu in aliam formam commutabit, CORPVS hoc nostrum *humillimum* & vilissimum, & *configurabit* CORPORI suo clarissimo, splendidissimo, glorioſissimo, idque per OPERATIONEM; græcè, *energiam*, seu potentem efficacitatem. QVA *potest* OMNIA SIBI SVBIICERE, & quidlibet in quodlibet transmutare: vnde & facillimum ei erit, ex cineribus corpora nostra instaurare. ita S. Chrysostomus.

CAPVT IV.

Hortatur ad spirituale gaudium, & ad perfectam sanctitatem.

℣.1. GAVDIVM MEVM, id est, causa & obiectum gaudij mei, ob eximiam pietatem, charitatem & constantiam: ET CORONA MEA, (e) seu decus meum, quia vestri profectus causâ laudor, celebror, glorificor vbique apud Christianos: sed & apud Deum eritis mihi occasio nobilioris coronæ & gloriæ in æternum (f).

e 1. *Thess. 2. v. 19.*

f *Prou. 17. v. 6. & Ioh 29. v. 25.*

℣.2. EVODIAM ET SYNTYCHEN primarias Philippis matronas, QVÆ MECVM LABORAVERVNT

RVNT IN EVANGELIO apud vos inter feminas (quas instituebāt,inquit Iustinianus) promouendo,sed iam discordes esse audio; PRECOR IDIPSVM SAPERE] id est, vnanimes & concordes reddi. Ita Theodoret. Theophyl. Anselmus. Nihil enim ita turbat & impedit cursum Euangelij,& promotionem boni communis, atque dissidium animorum inter eos qui præsunt & rem administrant.

℣.3. ROGO ET TE GERMANE COMPAR] Græcè, γνήσιε σύζυγε, id est, germane socie, seu genuine collega in iugo Euangelicæ prædicationis ferendo (mecū, vel cum prædictis matronis) per agrum Dominicum. ita Theodor. Anselmus, Haymo & à Lapide. Oecumen. Liranus & Carthusian. putant τὸ, γνήσιε, seu *germane*, esse nomen proprium viri. Et Chrysost. ac Theophyl. volunt fuisse σύζυγον, id est, maritum, vel certè fratrem, prædictæ *Euodiæ* vel *Syntyches*. Sed σύζυγος quemuis socium vel collegam vel cooperatorem designat. Quòd verò Faber Stabulensis, Zuinglius & Erasmus in femimino vertunt, *germana coniux*, quasi Paulus vxorem suam compellet, insignis est vel ignorantiæ, vel malitiæ. Nam codices omnes, etiam Syriaci, masculino genere vtuntur, vti & omnes Patres Græci ac Latini, & ipse etiam Caluinus & Beza de viro exponendum contendunt. Alioqui dicturus fuisset Paulus γνησία σύζυγε, inquit Theophyl. Et vnde, quæso, vxor Pauli habitasset Philippis in Macedonia? Sed alibi (*a*) fusè probaui Paulum numquam fuisse maritum, sed vitam perpetuò cælibem egisse. Porrò *Clemens*, cuius hic meminit Paulus, ciuis Romanus erat, & primæ notæ inter fideles, qui S Petro post Linum & Cletum in Pontificatu successit, catalogo Sanctorum asscriptus 23. Nouembris, De *libro vitæ* alibi fusiùs. (*b*)

(*a*) 1. *Cor.7. v.7. & 8. & 6.9.v.5.*

(*b*) *Exodi 32. v.32. Luc. 10. v.20. Apocal.20. v.15.*

℣.4. SEMPER IN DOMINO, & non in rebus mundanis, GAVDETE, etiam in medijs persecutionibus, recolentes inæstimabilia beneficia partim vobis hic collata, partim conferenda in cælis. Sed *gaudium* comitem habeat *modestiam*, moderationemque omnium & affectuum & morum etiam externorum, quò sitis ædificationi proximo.

℣.6. NIHIL SOLLICITI SITIS, seu anxij de rebus obuenturis & capiti vestro minantibus: SED IN OMNI negotio (in Græco enim πάντι neutrum non potest cum femimino προσευχῇ, seu ORATIONE coniungi) PETITIONES VESTRÆ deferātur & INNOTESCANT APVD DEVM, per attentam *orationem*, seu opis diuinæ implorationem, & feruentem *obsecrationem*, simul & animi generosam resignationem ad omnia quæ circa vos decreuerit Deus, sinceramque GRATIARVM *actionem* de quocumque demum euentu. Et siue annuat petitis, siue abnuat Deus,

℣.7. PAX & constans animi tranquillitas, causa & amore DEI (QVÆ *pax* quàm nobilis, quàm suauis, quàm Deo grata sit, EXVPERAT OMNEM SENSVM; Græcè, superat omnem νοῦν, id est, intellectum,) perpetuò CVSTODIAT CORDA VESTRA, & instar fidæ militaris custodiæ tueatur voluntatem ET INTELLIGENTIAS, id est, totam animam vestram contra omnes omnium hostium incursus, qui subinde per scrupulos & anxietates, subinde per minas & terrores, subinde per nimias occupationes & distractiones, subinde etiam per noua peccata vos inquietare & turbare contendunt. ita S. Anselmus.

℣.8. QVÆCVMQVE AMABILIA SVNT; Græcè, προσφιλῆ, id est, quæcumque ad amicitiam, concordiam, charitatem fouendam promouendamque faciunt: QVÆCVMQVE BONÆ FAMÆ ac nomini vobis conciliando deseruire possunt: SI QVA LAVS scilicet bonæ inter vos DISCIPLINÆ & laudatæ vitæ, submministrari possit etiam infidelibus; HÆC & talia COGITATE, curate & conseruate.

℣.10. REFLORVISTIS, id est, iterum nouo vigore cœpistis PRO ME SENTIRE, φρονεῖν, id est, curam & sollicitudinem gerere, SICVT ET antea SENTIEBATIS, seu curabatis mihi semper de necessarijs prospici: quòd verò id officij intermiseritis ad tempus, causa fuit, quòd OCCVPATI *essetis* & alijs negotijs distenti, Græcè ἠκαιρεῖσθε, id est, *opportunitate destituebamini*.

℣.14. BENE FECISTIS COMMVNICANTES mihi quæ subleuandæ inopiæ & TRIBVLATIONI MEÆ necessaria erant.

℣.15. IN PRINCIPIO EVANGELII apud vos per (*c*) me prædicati, QVANDO relictâ MACEDONIA PROFECTVS SVM (*d*) in Achaiam, NVLLA ECCLESIA COMMVNICAVIT MIHI, seu mecum, IN RATIONE DATI ET ACCEPTI] nempe compensando spiritualia à me accepta, datis seu donis temporalibus: sed à vobis solis tunc accepi quod referrem in codicem datorum & acceptorum. ita Chrysostomus & Theophylactus.

(*c*) *Actor.16. v.12.*

(*d*) *C.17.v.1. &c.*

℣.17. REQVIRO NON mihi, vel in meos vsus, DATVM, seu munera vestra, SED FRVCTVM ABVNDANTEM IN RATIONE VESTRA] id est, copiosum lucrum vestris rationibus in libro Dei pro tot eleëmosynis & alijs pijs obsequijs proximo præstitis adscribendum, vt creditores reddamini amplissimæ retributionis ac mercedis cælitus redhibendæ.

℣.22. DE CÆSARIS DOMO] Id est, Christiani qui sunt de familia & aula Neronis Imp. & cùm non parum possint apud tyrannum, præ alijs subsidio mihi & solatio sunt in causa mea.

EPISTOLA BEATI PAVLI APOSTOLI AD COLOSSENSES.

EODEM cum duabus præcedentibus anno à morte Christi 27. ex eodem Romano carcere (a) conscripta, & per Tychicum & Onesimum (b) (vt habent Græca, & Syra & Latina Complutensia in fine epistolæ) Colossas transmissa: quæ ciuitas est non Rhodiorum, (quasi à colosso Solis sic dicta, vt putarũt Suidas, Zonaras, Glycas & Eustathius:) sed Phrygiæ, vicina Hierapoli & Laodiciæ, (c) vt docét Plinius, Herodotus, Strabo & Orosius. Vnde & Apostolus iubet vt *Colossenses* legant epistolam *Laodicensium*, vt pote vicinorum, & contrà. Hæc cum duabus vicinis vrbibus Laodicia & Hierapoli sub hoc idem tẽpus terræmotu concidit, vt Orosius narrat. Nunc *Chonæ* vocatur, (inquit Theophyl Oecumenius & Nicetas) vbi celebris fuit apparitio S. Michaelis, de qua infrà. (d) Porrò Colossas penetrarant etiam Simoniani, inquit Chrysost & Ambrosius, qui dicebant, non Christum, sed angelos nostræ salutis auctores esse & mediatores: vrgebantque obseruationem multarum Iudaicarum & Gentilitiarum superstitionum. Quibus auditis Paulus, etsi numquam illos adijsset, (e) per epistolam tamen instruendos putauit, qua errores istos ipsis eximeret, & mores Christianis dignos edoceret. Estque hæc epistola quoad materiam & sententias valde similis illi quam ad Ephesios dedit, & instar illius grandiloqua ac sublimis.

a *Hic c.4. v.18.*
b *Ibid.v.7. & 9.*
c *Ibid.v.13. Plin.lib.5. c.31. Herod.l.7. Strabo l.12. Nicetas Choniata l.6. Annalium, initio.*
d *Hic c.2. v.18.*
e *C.2.v.1.*

CAPVT I.

Non angelos, sed Christum vnigenitum Dei Filium, verum omnium opificem esse & totius mundi, etiam Gentium, redemptorem ac saluatorem.

¶.6. IN VNIVERSO MVNDO: id est in præcipuis totius mundi partibus ac prouincijs disseminatum EST verbum seu prædicatio Euangelij. En ex tunc Ecclesiam *Catholicam*, etiam in infantia.

¶.7. EPAPHRAS à Colossensibus ad Paulum solandum iuuandumque Romam missus fuerat. ibique in carcere simili detentus. Videtur Episcopus fuisse Colossensium: vnde & Paulo *conseruus* vocatur, seu collega in prædicando & propagando Euangelio. Huic in sede Colossensi successit *Archippus*, de quo infra. (f)

f *C.4.v.12. & 17.*

¶.8. MANIFESTAVIT NOBIS DILECTIONEM VESTRAM IN SPIRITV] id est, spiritualem, sinceram, solidam, inuictam, ex intimis visceribus charitatem qua & me & alios Christianos prosequimini. ita Chrysost.

¶.9. VT IMPLEAMINI AGNITIONE, id est, perfecta scientia & fide, VOLVNTATIS EIVS (nempe qua Deus voluit, & ab æterno decreuit, nos sibi A reconciliare, & saluare, non per angelos, sed per Christum vnigenitum filium suum:) IN, id est, cum, OMNI, seu cõpleta, SAPIENTIA, & assecutione omnium mysteriorum fidei, ET INTELLECTV eorumdem, non carnali vel litterali, sed SPIRITVALI, vero, puro, solido.

¶.11. OMNI VIRTVTE, seu fortitudine interna, CONFORTATI aduersus impendentia pericula, SECVNDVM POTENTIAM CLARITATIS; δόξης, id est, *gloriæ*, EIVS, id est, per Dei potentiam claram, illustrem & glorioſam: qua cælitus communiemini, non ferreis aut chalybeis tunicis, sed inuicta PATIENTIA ET LONGANIMITATE.

¶.12. DIGNOS NOS FECIT IN PARTEM SORTIS SANCTORVM: id est, nullis nostris meritis per solam gratiam suam retulit nos in album Christianorum, seu fecit nos participes *sortis*, id est, hereditatis fidelibus promissæ ac repositæ: idque IN LVMINE, id est, per lumen fidei in terris, gloriæ in cœlis. B

¶.13. *Transferens* NOS DE POTESTATE & subiectione TENEBRARVM, id est, dæmonum (g) & infidelitatis, IN REGNVM FILII DILECTIONIS SVÆ. id est, in Ecclesiam filij sibi vnicè dilecti. (h) ita Theodor. Theophyl.

g *Ephes.6. v.12.*
h *Proleg. de Idiotismis Hebr. n.40. & 2.Cor.4. v.4. & Hebr.1.v.3.*

¶.15. QVI EST IMAGO (i) DEI Patris, Patri per

per omnia similis & æqualis, adeoque eiusdem essentiæ & naturæ cum Patre: qui cùm prorsus INVISIBILIS nobis sit, per hanc sui *imaginem*, carneis coloribus aliquando expressam, nobis innotuit. PRIMOGENITVS, in Græco est non πρωτόκτισ-τος, id est, primò creatus, (vt volebant Arriani, dicentes Christum esse creaturam, & omnes creaturas esse sorores Christi:) sed πρωτότοκος, id est, *primogenitus*, OMNIS CREATVRÆ, seu ante omnem creaturam (a) genitus à Deo. Vel *primogenitus*, id est, vnigenitus, vt alibi etiam accipitur. (b) ita Ambrosius, Theodoretus, Theophylactus.

a *Eccli.24. v.5.*
b *Matth.1. v.25.*

¶.16. IN IPSO, id est, per ipsum, (c) CONDITA SVNT VNIVERSA: ET IN IPSO; Græcè, εἰς αὐτὸν, id est, in ipsum, seu ad & propter gloriam ipsius, OMNIA CREATA SVNT. q.d. Christus, vti tempore, ita etiam dignitate, causalitate, potentia, rerumque omnium productione excellit omnes THRONOS, DOMINATIONES, (d) omnesque alios etiam supremos angelos: quanto magis ennæas, βάθυς, æones, & alia ficta nomina cacangelorum Simonis, Valentini & aliorum (e) Nouatorum? vnde non angelis, sed vni Christo deferenda est dignitas nostræ redemptionis ac salutis: qui est

c *Ioan. 1. v.3.*
d *Ephes.1. v.21.*
e *Apud Epiphanium in hæres. Simonis, Basilidis, Menandri, &c.*

¶.18. PRINCIPIVM (f) vitæ & essentiæ omniũ rerum, inquit Anselmus: ET PRIMOGENITVS EX MORTVIS, id est, primus omnium mortuorum, regeneratus per resurrectionem ad vitam immortalem. (g)

f *Psal. 109. v.3. Ioan.8. v.25.*
g *1.Cor.15. v.20.*

¶.19. QVIA IN IPSO COMPLACVIT Patri cæleſti, OMNEM (h) PLENITVDINEM & perfectionem scientiæ, gratiæ, potentiæ, diuinitatis INHABITARE, non tantùm per efficaciam vel operationem, sed etiam per essentiam, inquit Theophylact. & Anselm.

h *Hic c.2. v.3.*

¶.20. ET PER EVM RECONCILIARE OMNIA cælestia & terrestria IN IPSVM, id est, sibi. Hebræis enim idem nomen est absolutum & reciprocum, inquit idem Theophyl.

¶.21. CVM olim ESSETIS ABALIENATI à Deo non fato, non alia necessitate, non etiam sola originali labe, sed SENSV, id est, sponte, propria voluntate & malitia; quod testificabamini tot OPERIBVS MALIS;

¶.22. NVNC vos Deus per Christum RECONCILIAVIT sibi, IN CORPORE non imaginario vel phantastico (vt aiebat Simon Magus) sed CARNIS, seu carneo; neque in alieno corpore (vt fingebat Basilides) sed EIVS proprio, passum & mortuum.

¶.23. VNIVERSA CREATVRA per synecdochen ponitur pro omnibus gentibus: (i) genus pro specie nobilissima, id est, pro homine.

i *Marci vlt. v.15.*

¶.24. GAVDEO IN PASSIONIBVS quas PRO VOBIS vestro bono & commodo sustineo, ET ADIMPLEO EA QVÆ DESVNT PASSIONVM CHRISTI] Græcè, ἀνταναπληρῶ, id est, vicissim, seu vicem reddens adimpleo: licet enim Christi passio & redemptio fuerit in se sufficientissima toti mundo liberando, tamen vt illa membris singulis Christi actu applicetur, multa illis & facienda & patienda supersunt, vt pulchrè S. Thomas demonstrat: diuinâ prouidentiâ sic disponente, vt, quemadmodum in proprio naturali corpore Christus olim multa passus est, ita etiam in mystico suo corpore, id est, Ecclesia, & in singulis membris suis, id est, fidelibus, patiatur: cùm æquum sit membra capiti per omnia conformari.

¶.25. VT IMPLEAM VERBVM DEI] Id est, vt verbi Dei prædicationem quam Christus cœpit, ego compleam: quod verbum Dei

¶.26. MYSTERIVM est hactenus ABSCONDITVM, (k)

k *Ephes.3. v.5. &c.*

¶.27. QVOD EST CHRISTVS, seu de Christo Dei Filio incarnato & passo, qui IN VOBIS est SPES GLORIÆ] id est, per cuius redemptionem & meritum vos speratis æternam gloriam, inquit Ambros. Theodoretus, & Anselmus.

CAPVT II.

Carpit varias pseudoapostolorum impostvras, observationes legales, falsam angelorum religionem superstitiosum delectum ciborum, dierum, &c.

¶.2. VT CONSOLENTVR; passiuè, id est, consolationem accipiant, (Græcum enim παρακληθῶσι passiuum est,) cùm plenè INSTRVCTI fuerint CHARITATE in Deum & proximum, & assecuti OMNES DIVITIAS PLENITVDINIS INTELLECTVS] Id est, largissimam copiam perfectæ intelligentiæ, *agnitionis* & fidei, maximè circa mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & incarnationis ac passionis Filij Dei,

¶.3. IN QVO solo, & non angelis (vt fingunt Cisti hæretici) SVNT ABSCONDITI OMNES THESAVRI omnigenæ SAPIENTIÆ, SCIENTIÆ, imò & *diuinitatis*. (l)

l *Hic v.9.*

¶.8. NE QVIS VOS DECIPIAT PER PHILOSOPHIAM, non omnem, sed eam quam *falsi nominis* alibi (m) voco, nempe INANEM, nihil solidi habentem; nec veram scientiam, sed meram FALLACIAM; non ex diuina inspiratione vel reuelatione haustam, sed ex vanissimorum HOMINVM inuentione ac TRADITIONE; NON SECVNDVM CHRISTVM & doctrinam Christi (licet id præ se ferant,) (n) sed SECVNDVM ELEMENTA MVNDI, id est, rudimenta, axiomata, prima principia mundanæ doctrinæ, quibus animos suorum à pueritiâ imbuunt mundani homines. Talia axiomata apud Gentiles erant, *Ex nihilo nihil fit: A priuatione ad habitum non est regressus: Accidentis esse est inesse*, &c. Apud Iudæos, *Masculus* (o) *cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo. Mundandum* (p) *quod deforis est calicis & paropsidis. Obseruabitis* (q) *cæremonias istas. Scimus* (r) *quia Moysi locutus est Deus*, &c. His similibusque quasi certis & claris principijs conabãtur impostores imponere rudioribus, & mysteria fidei Christianæ conuellere, metientes naturali imbecillitate diuinam omnipotentiam, & perfidè dissimulantes, Christum non esse nudum hominem, sed hominem-Deum.

m *1. Tim. vlt. v.20.*
n *Philip.1. v.17.*
o *Genes.17. v.14.*
p *Matt.23. v.25.*
q *Exod.12. v.25.*
r *Ioan.9. v.29.*

¶.9. QVIA IN IPSO INHABITAT OMNIS PLENITVDO DIVINITATIS] id est, tota & plena diuinitas cum omnibus suis attributis ac perfectionibus. Diuina enim Verbi persona hypostaticè vnita est humanæ naturæ Christi, duplici vinculo vnitiuo, (quod Scholastici vocant *inexistentiam* in Verbo:) vno spirituali, quo anima adglutinatur Verbo: altero corporali, quo corpus Christi eidem Verbo adnectitur. Vnde meritò dicitur hic diuinitas in Christo inhabitare etiam CORPORALITER, sicut anima in corpore inhabitat corporaliter, inquit S. Augustinus, Theodor. Theophyl. & S. Thomas, & nos alibi (s) docuimus. Atque ita, teste eodem S. Augustino & Prospero,

Augustin. ep. 57. ad Dardanum. S. Thom. 3. p. q.2. art.9. ad 2.
s *Ioan.2. v.19. Prosper sententia 393.*

per *corporalem* inhabitationem, id est, veram, realem, substantialem atque hypostaticam connexionem diuinitatis cum humanitate Christi, excludit hîc Apostolus phantasticam earumdem coniunctionem, quam Manes postea confinxit; & coniunctionem per accidens, scilicet per operationem & motum, quam Nestorius docebat; denique etiam vmbraticam inhabitationem, quali Deus habitabat in propitiatorio Mosaico. Sic v. 17. per *corpus* intelligit veritatem, & opponit illud *vmbræ*.

℣. 11. CIRCVMCISI ESTIS CIRCVMCISIONE CHRISTI] seu qualem exigit Christus, nempe spirituali circumcisione ac resectione prauorum actuum, habituum, appetituum, quando fuistis Christo commortui; &

a *Rom. 6. v. 4. & Ephes. 1. v. 19.*

℣. 12. CONSEPVLTI EI IN BAPTISMO: (*a*) per quem ETIAM RESVRREXISTIS à morte peccati & veteris hominis ad vitam iustitiæ & noui hominis, PER FIDEM OPERATIONIS DEI] Id est, per fidem quâ credimus potentem operationem & infinitam fortitudinem Dei in resuscitatione Christi. q.d. Per fidem in Christum, diuina virtute sua à mortuis resuscitatum. (*b*) ita Ambros. & S. Thomas.

b *Rom. 10. v. 9.*

℣. 13. CVM ESSETIS IN PRÆPVTIO CARNIS VESTRÆ, id est, non circumcisi carnaliter, CONVIVIFICAVIT VOS CVM Christo. Si tunc ad assequendam iustitiam non nocuit præputium, vt quid sinatis iam vobis obtrudi, circumcisionem necessariam esse ad salutem?

℣. 14. CHIROGRAPHVM DECRETI: id est, obligationem ad mortem & pœnam æternam, iuxta decretum Dei, & sententiam damnationis in peccatores latam. (*c*) Huic enim obligationi omnes subscripsimus, primùm manu Adami, nomine omnium delinquentis: secundò manu etiam propria, cùm actualiter Deum offendimus. ita S. Augustinus, S. Thomas, Gagneius & à Lapide. Hanc obligationem TVLIT, seu sustulit, DE MEDIO Christus, id est, cassauit & aboleuit sua cruce ac morte, relinquens schedam quasi iam cassam & abolitam CRVCI velut vnco *affixam*. ita Theodor.

c *Genes. 2. v. 17.*

August. in Psal. 68.

℣. 15. PRINCIPATVS ET POTESTATES, id est, dæmones, quantumcumque potentissimos, EXSPOLIANS; primò, sua potestate ac dominio in homines sibi hoc peccati chirographo obnoxios: deinde etiam præda tot millionum animarum quas in limbo quasi in carcere conclusas tenebant; TRADVXIT CONFIDENTER, ἐδειγμάτισεν, id est, *ostentauit*, scilicet Deo & angelis, quasi victor ac triumphator circumuehens secum prædam & hostes in triumphum, inquit Theophyl.

℣. 16. NEMO VOS IVDICET, id est, reprehendat vel damnet peccati, IN CIBO AVT PARTE DIEI FESTI] Syrus, *partitione festorum*, id est, propter delectum vel neglectum obseruationum & cæremoniarum Iudaicarum, de quibus alibi. (*d*)

d *Galat. 4. v 9. & 10. Rom. 14. &c.*

℣. 17. QVÆ non SVNT nisi VMBRA FVTVRORVM mysteriorum in Christo & per Christum completorum. Cùm ergo iam teneamus CORPVS CHRISTI, seu veritatem & adimpletionem figurarum per Christum exhibitam, quid opus adhuc inanibus vmbris? ita Ambros. Chrysost. August. Theodor. Theophyl. & Anselmus.

Augustin. epist. 59. ad Paulinum.

℣. 18. NEMO VOS SEDVCAT, καταβραβευέτω, brauio, palma, præmio defraudet, VOLENS studio vobis imponere ficta HVMILITATE ET RELIGIONE seu cultu ANGELORVM. Neque enim damnat Apostolus religiosum cultum & inuocationem angelorum vel Sanctorum (vt fingit Caluinus & Beza;) sed solum cultum & adorationem falsam & superstitiosam (nam mox (*e*) *superstitionem* vocat Apostolus) & idololatricam. Hanc enim docuisse Simonem Magum eiusque discipulos, testis est Epiphanius: & eandem Colossis totaque Phrygia maximè viguisse, patet ex Concilio Laodiceno & Theodoreto. Postea tamen hæc superstitio in sincerissimum cultum angelorum ibidem est conuersa, vt testatur celebre S. Michaëlis templum quod erat *Chonis* (sic pòst dictæ sunt Colossæ,) (*f*) cuius festum ex celebri miraculo eiusdem Archangeli consignant Græca Menologia 6. die Septembr. Vide Metaphrastem, Suriũ & Baronium. Porrò de angelis incredibilia confingebãt impostores isti, vt Christo illos præferrent, teste Tertull. Theodoreto, Irenęo & Epiphanio. QVÆ NON VIDIT vllus illorum (etsi id iactent) AMBVLANS, ἐμβατεύων, id est, *alto cothurno incedens*, nempe de cœlestibus incolis & angelorum œconomia tam audacter pronuntians, ac si cœlos omnes pedibus perambulasset, FRVSTRA INFLATVS SENSV CARNIS SVÆ] Id est, inaniter tumens prudentia seu scientia sua, non cœlesti (vt mentitur) sed carnali; non aliunde hausta, sed ex proprio cerebro conficta.

e *Hic v. vlt.* *Epiphan in Simone, &c.* *Conc. Laodic. c. 35.* f *Sup. in præfat. epistolæ.* *Baron in Notis Romani Martyrolog. 8. Maj.* *Tertull. l. 5. cõtra Marcionem c. 19.* *Theod. l. 2. hæret. fabul. c. 4.* *Iren. l. 1. c. 20. & seqq.* *Epiphan in hæres. Simonu, Menandri, Cerinthi, &c.*

℣. 19. ET NON TENENS (per fidem & vnitionem) CAPVT Ecclesiæ, scilicet Christum, EX QVO TOTVM CORPVS Ecclesiæ SVBMINISTRATVM, id est, accipit subministrationem, putà spirituum vitalium & animalium, ad motum & sensationem necessariorum, inquit Theodoretus & Anselmus: IN AVGMENTVM DEI] seu in incrementum virtutum & gratiarum quæ à Deo proficiscuntur.

℣. 20. TAMQVAM VIVENTES IN MVNDO, id est, in mundanis elementis (*g*) & obseruationibus DECERNITIS quod sequitur:

g *Hic v. 8. & Galat. 4. v. 3.*

℣. 21. NE TETIGERITIS quæ lege Moysis (*h*) vel doctrina Simonis Magi, (*i*) quasi immunda prohibentur. ita Tertull. Ambros. Chrysost. Augustinus, Hieron. Theodor. *Colentibus enim angelos & dæmones cura* erat *vino, carne, venere abstinere*, inquit Clemens Alexandr.

h *Levit. 11. v 1. &c.* i *1. Tim. 4. v. 3.* *Tertull. l. 5. contr. Marcion. c. 13.*

℣. 22. QVÆ OMNIA IPSO VSV, seu quicumque ijs vtuntur, SVNT IN INTERITVM & æternam perditionem, si credant ea esse necessaria ad salutem. ita Ambros. & Augustinus.

Augustin. ep. 59. ad Paulinum. *Hieron. ad Algas. q. 10.* *Clem. lib. 3. Strom.*

℣. 23. RATIONEM QVIDEM apparentem HABENTIA alicuius SAPIENTIÆ, (quia vtuntur rationibus plausibilibus,) sed nullam soliditatem aut veritatem: IN sua SVPERSTITIONE, ἐν ἐθελοθρησκείᾳ, id est, *voluntaria religione*, seu quam ex propria tantùm voluntate & cerebro suo confinxerunt, non conformem, sed repugnantem voluntati ac legi diuinæ, ideoque falsa, superstitiosa & noxia. ita S. Hieron. August. & Theodor. Nihil ergo hîc contra consilia Euangelica, constitutiones & abstinentias Ecclesiasticas vel Religiosas, vt vult Kemnitius, Marloratus & Beza: quia hæ non sunt ἐθελοθρησκείαι sed θεοθρησκείαι, id est, consentanea diuinæ voluntati per præcepta & consilia diuina nobis manifestatæ, inquit Vasquez & Bellarmin. Idem dicendum de ἐθελοταπεινοφροσύνῃ, id est, *voluntaria* (seu ex propria voluntate & cerebro conficta) illorum HVMILITATE, & ἀφειδίᾳ σώματος, id est, *imparcentia*, seu *non-parcentia corporis*: nam fictas & simulatas habebant austeritates quasdam

Vasquez l. 3. de Adoratione c. 6.

quasdam & afflictiones corporales; NON habentes IN HONORE ALIQVO corpus suum, id est, non subministrantes corpori omnia necessaria AD SATVRITATEM CARNIS explendam. Hebræis enim honor realis est subministratio rerum necessariarum vel vtilium, seu ad victum, (a) seu ad amictum, (b) seu ad alias necessitates, inquit S. Hieronymus.

a *Matt.15. v.4. Marci 7. v. 12. & 1. Tim.5.v.17.*

b *1.Cor.12. v.23.*

CAPVT III.

Corporalibus, terrenis & superstitiosis exercitijs opponit Christiana, spiritualia & cælestia, hortaturq; ad mentis renouationem, charitatẽ, pacem, omneq; officium Christianum.

℣. 1. SI, seu quandoquidem, à morte peccati per baptismum & pœnitẽtiam CONSVRREXISTIS (c) CVM CHRISTO, iam quasi in alteram vitam translati, QVÆ SVRSVM SVNT QVÆRITE ET SAPITE] cogitationes, studia, vota vestra omnia conferentes ad res supernas, spirituales, cælestes, diuinas.

c *Rom.6. v. 4. & Ephes. 5.v.20.*

℣. 3. MORTVI ENIM ESTIS rebus hisce inferioribus, & consepulti (d) Christo in baptismo: ET VITA VESTRA, scilicet vita gratiæ, qua nunc interius viuitis; & vita gloriæ, qua æternùm viuetis, EST ABSCONDITA CVM CHRISTO IN DEO; seu sinu Dei. *Abscondita*, inquam, non curiæ cælesti, sed mundo & oculis mundanorum, qui propterea despiciunt illam & contemnunt, inquit Chrysost. Theophyl. Anselm. Sed & coram vniuerso mundo apparebit aliquando, nempe in die iudicij,

d *Ibid.*

℣. 4. CVM denuò in mundo APPARVERIT CHRISTVS, qui est VITA VESTRA] scilicet causa vitæ, reuiuiscentiæ & gloriæ vestræ: causa, inquam, efficiens, meritoria, exemplaris, obiectiua & finalis.

℣. 5. AVARITIA quomodo sit SIMVLACRORVM SERVITVS, aliàs exposui, (e) vt & de *filijs* INCREDVLITATIS, (f) & de *veteri homine*, (g)

e *Ephes.5.v. 5. & 6.*

f *Ibid.*

℣. 10. NOVVS HOMO, exutis vitijs RENOVATVR mente & spiritu. IN, seu per, AGNITIONEM, id est, fidem, cultum, amorem EIVS QVI CREAVIT ILLVM SECVNDVM IMAGINEM (h) suam.

g *Ephes.4.v. 22.*

h *Genes.1. v.27.*

℣. 11. VBI, seu ad quam renouationem obtinendam, *nil* refert, an IVDÆVS circumcisus sis, an GENTILIS incircumcisus; an BARBARVS, an (qui omnem barbariem superat) SCYTHA: SED OMNIA, ET IN OMNIBVS est CHRISTVS] nam fides, iustitia, sanctitas, salus æterna, quæ nobis à Christo obueniunt, pari iure omnibus cõmunicantur quantùm est ex parte Christi: ergo æquum est vt, deposito gentis aduersæ odio singuli alios quasi fratres intimo affectu complectamini:

℣. 14. QVOD EST VINCVLVM PERFECTIONIS, seu perfectum vinculum, perfectè vniens fideles inter se mutuò. Vel, si mauis, charitas est vinculũ, quod connectens ceteras virtutes, hominem reddit perfectum: est enim velut anima in corpore, colligans & continens singula membra, humores, sensus corporis, alioqui statim dilapsuros.

℣. 15. PAX CHRISTI, quã Christus de cœlo nobis attulit, EXVLTET IN CORDIBVS VESTRIS, βραβευέτω, id est, brauium & palmam ferat, scilicet de omnibus animi passionibus, de aduersa fortuna, de omnibus contrarijs. ita Chrysostomus, Theodoret. Theophyl. Oecumen. ET GRATI ESTOTE, εὐχάριστοι, id est, gratiosi, amabiles, ideoque omnibus grati & accepti.

℣. 16. VERBVM, seu doctrina, CHRISTI HABITET, & fixam IN cordibus vestris sedem habeat, ABVNDANTER vos locupletans spiritualibus thesauris scientiæ, gratiarum & virtutum: IN, id est, cum, GRATIA, iucunditate & voluptate, non carnali, sed spirituali, inquit Theophyl.

℣. 17. OMNIA facite IN NOMINE DOMINI IESV] id est, inuocato eius nomine, itemque ad laudem eius & gloriam. Reliqua sequentia exposui Ephes. 6. v. 6.

CAPVT IV.

Hortatur, instent orationi, & circumspectè agant inter Gentiles, & salutent amicos.

℣. 2. INSTATE] Græcè, *sedulò & constanter perseuerate* in *oratione*

℣. 3. VT DEVS APERIAT NOBIS OSTIVM SERMONIS] id est, subministret amplam occasionem & opportunitatem promulgandi quaquauersum mysteria fidei Christianæ.

℣. 5. IN, seu cum, SAPIENTIA, prudentia, cautela AMBVLATE AD EOS QVI FORIS SVNT, id est, conuersamini cum Ethnicis, qui ad Ecclesiam non pertinent. (i) REDIMENTES TEMPVS] Græcè, καιρὸν, id est, opportunitatem & occasionem rei apud ipsos benè gerendæ captantes, (k) vt conuerti possint. ita Ambros. & Theophyl.

i *1.Cor.5. v.12.*

k *Ephes.5. v.15.*

℣. 6. SERMO VESTER SEMPER CONDITVS SIT SALE sapientiæ & discretionis, idque IN, id est, cum, GRATIA, seu grata iucunditate, ad commodum & vtilitatem audientium comparatus.

℣. 7. TYCHICVS idem is est cuius meminit ad Ephesios vlt. v. 21.

℣. 9. De *Onesimo* QVI EX VOBIS, id est, ex vrbe vestra, EST, vide ad Philemonem.

℣. 10. *Aristarchi* mentio est in Actis (l) Apostolorum, vt & *Marci* (m) *consobrini Barnabæ*: DE QVO Marco ACCEPISTIS MANDATA, seu litteras meas commendatitias & monitorias, vt beneuolè apud vos habeatur.

l *Actor. 19. v.29. & c. 20.v 4. & c.27.v.2.*

m *Actor.12. v.12.*

℣. 11. HI SOLI ex vestratibus & Asiaticis, qui mihi ministrare solẽt & *adiuuare* IN REGNO DEI, id est, in prædicatione Euangelij & propagatione regni Dei; præsentia sua & nomine vestro MIHI FVERVNT SOLATIO] Nihil ergo facit hic locus pro Beza & Veleno, volentibus ex eo probare, S. Petrum, quia hîc non nominatur, Romæ numquam fuisse. Sed hoc alibi discussimus. (n)

n *In fine ep. ad Rom.*

℣. 12. EPAPHRAS ex sententia Baronij fuit Episcopus Colossensis, (o) cui successit *Archippus*, de quo infrà. (p)

o *Sup. Coloss.1. v 7. Baron anno Christi 60.*

℣. 14. LVCAS MEDICVS & pictor idem est cum *Euangelista*, comes hucusque peregrinationis Pauli. Id patet ex Actis Apostolorum, & fusè docet Maldonatus & Barradius.

p *Hic v.17. Maldonat. prologo in Lucam. Barrad.l.1. c.20.*

℣. 15. NYMPHA nomen viri est, vt colligitur ex pronomine αὐτοῦ masculini generis. Theodor. & Theophylact.

℣. 16. QVÆ LAODICENSIVM vobis vicinorum EST; Græcè, τὴν ἐκ Λαοδικείας, id est, *eam quæ ex Laodicia*, supple, scripta est ad me, vt Chrysost. Theodor. & Baronius exponunt. Sed hæc epistola nusquam iam extat.

Baron. sub p.663.

℣. 18. SALVTATIO, MEA MANV PAVLI (q) id est, salutationem hîc vobis adscribo propria mea manu ad calcem epistolæ per amanuensem me dictante conscriptæ. GRATIA Domini nostri VOBISCVM sit, vos tueatur & seruet incolumes.

q *1.Cor.vlt. v.21.*

EPISTO-

EPISTOLA BEATI PAVLI APOSTOLI AD THESSALONICENSES PRIMA.

Athanas. in Synopsi. Baron. anno Christi 52.

SCRIPTA anno 20. à morte Christi, non Athenis (vt habent Græca & Syra in fine epistolæ, itemque Theodoret. Oecumen. & Athanas.) sed Corinthi, vt benè probat Baronius. Est ergo hæc omnium epistolarum Paulinarum prima, inquit Chrysost. & Theodoret. Thessalonica autem metropolis est Macedoniæ, priùs Halis dicta, deinde à Philippo Amyntæ filio vocata *Thessalonica* ob deuictos ibi Thessalos. Nunc *Salonica* dicitur. Hîc euangelizarat Paulus, sed obiter tantùm ob persecutiones Iudæorum, de quibus Actor. 17. v. 10. Ergo per Timotheum (a) primò, deinde & per binas has epistolas instruit & confirmat illos in fide, multa interserens de resurrectione mortuorum, & aduentu Christi ad iudicium, & ad illud seria ac sancta præparatione.

a *Hic cap. 3. v. 2.*

CAPVT I.

Laudat Thessalonicensium constantiam in fide, & patientiam in aduersis.

¶. 1. SILVANVS Latinum nomen est eius qui Hebraicè vocabatur *Silas*, socius & comes peregrinationis Pauli post discessum Barnabæ. (b) De fanatico Manichæo post 600. annos Siluani huius personam induente, sed à discipulo suo saxis occiso in Armenia, vide ex Theophane Baronium.

b *Actor. 15. v. 40.*

Baron. anno Christi 653.

¶. 3. MEMORES OPERIS FIDEI VESTRÆ, nempe, fidei, non inertis, non otiosæ, sed efficacis & studiosæ, & plurimorum bonorum operum effectricis: ET SVSTINENTIÆ SPEI, id est, patientiæ & generosæ aduersitatum tolerantiæ, ex spe, seu propter spem, præmij cælestis. ita S. Anselmus. Ex quibus tamquam probabilibus signis, & moraliter certis coniecturis colligimus, &

¶. 4. SCIENTES sumus VESTRAM ELECTIONEM] id est, à Deo electos esse ad gratiam & amicitiam ipsius, & si in ea perseueretis, etiam ad gloriam & fruitionem eiusdem, inquit Theophyl. Nam Apostolum propriè & immediatè non loqui de electione ad gloriam, sed ad gratiam, patet ex sequentibus.

¶. 5. QVIA EVANGELIVM NOSTRVM, id est, promulgatio doctrinæ Euangelicæ, *apud* VOS NON FVIT IN SERMONE TANTVM, seu verbali explicatione & inculcatione, SED ET IN VIRTVTE, δυνάμει, id est, *potentia*: nempe comprobauimus doctrinam nostram multis stupendisque miraculis quæ vidistis, ET SPIRITV SANCTO, cuius copiosissima dona etiam visibiliter (vt tunc fiebat,) (c) ac-

c *Actor. 10. v. 44.*

A cepistis, loquentes peregrinis linguis, prophetantes, dæmones & morbos pellentes, &c. IN, seu cum, PLENITVDINE MVLTA; Græcè, πληροφορίᾳ, id est, *plena certificatione.* (d) q. d. Nihil omninò defuit ad plenam Euangelio meo apud vos fidem conciliandam. ita Theophyl. & à Lapide. PROPTER VOS, id est, vestri causâ, vt vobis vestræque saluti consuleremus. Nec infelici successu: nam insigni pietate vestra FACTI ESTIS ¶. 7. FORMA, id est, typus & exemplar, quod meritò imitentur non modò reliqui vestri *Macedones* & vicini *Achai*, sed & reliB quus orbis vniuersus.

d *Rom. 14. v. 5.*

¶. 8. A VOBIS ENIM, vestraque eximia virtute, constantia & zelo, DIFFAMATVS, (e) id est, diuulgatus, ESTVbique SERMO DOMINI] id est, fama Euangelicæ prædicationis & christianismi.

e *Prolig. in Lucam, Hebr. 2. & Matt. 9. v. 31.*

¶. 9. IPSI ENIM, qui vestras virtutes audierunt, ex ijs ANNVNTIANT & iudicant DE NOBIS, QVALEM INTROITVM, seu accessum, HABVERIMVS AD VOS quàm fructuosam, quàm vtilem operam posuerimus apud vos, tam egregia nunc fide, patientia & constantia

C ¶. 10. EXSPECTANTES FILIVM Dei IESVM iudicem DE CÆLIS aduenturum, QVI sua morte ERIPVIT NOS AB IRA VENTVRA, liberans nos à pœna damnationis æternæ impijs & infidelibus superuentura: & in iudicio nos plenè liberaturus ab omni miseria, persecutione & afflictione, quando corona æternæ gloriæ nos donabit.

CAPVT II.

Ostendit quanta sinceritate & zelo Euangelium ipsis prædicarit, nullo ipsorum onere: hortaturque ad perseuerantem in fide & virtute constantiam.

¶. 2. CONTVMELIIS AFFECTI, imò flagellis cæsi, PHILIPPIS, (f) FIDVCIAM HABVIMVS;

f *Actor. 16. v. 22.*

BVIMVS; Græcè, ἐπαῤῥησιασάμεθα, id est, *libertatem* & audaciam inde *hausimus*, *loquendi* AD VOS EVANGELIVM, etsi cum MVLTA SOLLICITVDINE; Græcè, ἀγῶνι, id est, lucta, certamine. (a)

2 2. Cor. 11. v. 23.

℣. 3. EXHORTATIO, seu doctrina, NOSTRA NON fuit DE ERRORE aliquo vel falsitate, vt sunt multa dogmata Philosophorum; NEQVE DE IMMVNDITIA aut sordibus carnalibus, vt sunt dogmata Simonis Magi, Cerinthi & similium tenebrionum; (b) NEQVE IN DOLO] id est, cum fraude, hypocrisi, simulatione, vt faciunt pseudoapostoli, non vos, sed vestra venantes.

b Phil. 3. v. 2.

℣. 4. SED sic in omnibus nos gessimus, SICVT PROBATI SVMVS A DEO, id est, vt decet Euangelij præcones à Deo ad id munus electos, probatos, missos, QVI PROBAT, id est, explorat & intimè perspecta habet, CORDA NOSTRA, nostrumque scopum, intentionem, & quidquid in animo latet.

℣. 5. NEQVE FVIMVS IN OCCASIONE AVARITIÆ] Id est, ex prædicatione Euangelij non captauimus occasionem nos auarè ditandi. ita Theophylactus.

℣. 7. CVM iure POSSEMVS VOBIS ONERI ESSE, alimenta & sumptus necessarios exigendo, VT exiguntalij APOSTOLI. Sed noluimus nostro iure & auctoritate vti, SED FACTI SVMVS PARVVLI] Græcè, ἤπιοι, id est, leues, placidi, demissi tamquam paruli, non imperantes more herili, sed instar matris proles suas blandissimè fouentis.

℣. 12. TESTIFICATI seriis ac firmis rationibus, itemque obtestati (ita Theophylactus) VT AMBVLARETIS DIGNE DEO, seu vt decet cultores & seruos Dei, QVI VOCAVIT VOS operâ nostrâ IN SVVM REGNVM ET GLORIAM] id est, in regnum (c) suum glorioſum, putà Ecclesiam.

c Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 41. d Ibi. n 46. & Rom. 10. v. 16.

℣. 13. ACCEPISTIS VERBVM AVDITVS DEI, (d) seu prædicationis de Deo quam audistis; QVI Deus OPERATVR & perficit IN VOBIS gratias & beneficia sua *quæ* per Euangelium, seu per Christum, CREDIDISTIS obuentura vobis. Anselmus.

℣. 15. OMNIBVS HOMINIBVS, id est, omnium hominum saluti, ADVERSANTVR Iudæi, dum Christo saluatori, eiusque Euangelio, & Euangelij præconibus obstinatissimè sese opponunt;

℣. 16. VT IMPLEANT SEMPER PECCATA SVA] id est, mensuram peccatorum suorum: Nam peccatis suis antiquis (persecutioni & occisioni Prophetarum, adeoque & ipsius Christi) noua semper peccata (quasi hereditaria impietate) accumulant, quoad impleuerint mensuram peccatorum, quam Deus, antequam puniat, statuit expectare, vt tum simul omnia & plenè puniat; de quo alibi. (e)

e Gen. 15. v. 16. & Matt. 23. v. 32.

PERVENIT ENIM IRA DEI in ILLOS VSQVE IN FINEM, SVPER eos mansura, id est, perpetua & implacabilis ira ac vindicta diuina iamiam ipsis imminet, destinatis certissimo decreto Dei, vicinæ & æternùm (f) duraturæ excisioni per Vespasianum & Titum. Anselmus & S. Thomas.

f Proleg. sup. n. 27.

℣. 17. NOS AVTEM DESOLATI A VOBIS AD TEMPVS HORÆ, id est, breuissimo tempore orbati vestro conspectu, sed non affectu, ABVNDANTIVS ac studiosiùs FESTINAVIMVS VOS *reuisere*:

℣. 18. SED IMPEDIVIT NOS SATANAS, per emissarios suos nobis insidiantes, & nos præpedientes.

g Ibid. n. 46. h Isaiæ 62. v. 3. & Philipp. 4. v. 1.

℣. 19. NONNE VOS ESTIS SPES NOSTRA, (g) ET GAVDIVM ET CORONA GLORIÆ (h)] id est, glorioſum decus atque ornamentum nostrum coram Christo, maximè cùm ad iudicium redierit redditurus vnicuique iuxta opera sua?

CAPVT III.

Plurimum solatij se accepisse ex fide & charitate Thessalonicensium: seq; magno reuisendi illos desiderio teneri. Interim optare, vt in virtute magis ac magis roborentur in dies.

℣. 1. NON AMPLIVS SVSTINENTES carere diutiùs certis nos nuntiis de statu vestro, vos autem destitui præsenti auxilio spirituali,

℣. 2. MISIMVS TIMOTHEVM Athenis (i) AD VOS EXHORTANDOS PRO FIDE VESTRA constanter retinenda, augenda, & in opus deducenda. Theophylactus.

i Actor. 17. v. 15.

℣. 3. IN HOC, id est, ad afflictiones & tribulationes exhauriendas POSITI ac destinati SVMVS à Deo. Ita Hieronymus. Sed licet ad mortem vsque affligamur, abundè tamen

℣. 8. VIVIMVS, SI VOS STATIS IN DOMINO] id est, si vos charissimi nobis filij, in susceptа fide ac virtute constanter perseueratis. Et verò

℣. 9. QVAM GRATIARVM ACTIONEM sat dignam, ac tanto beneficio parem POSSVMVS DEO *reddere* PRO VOBIS quitam generosè in benè cœptis hucusque persistitis? ac præsertim pro OMNI GAVDIO QVO perfusi sumus occasione vestri; comperto, quod quæ optabamus, & assiduè vobis à Deo deposcebamus VT aduentu nostro ad vos complerentur EA QVÆ deerant FIDEI & instructioni VESTRÆ, per Timotheum iam in vobis perfectè sint completa.

℣. 12. NOS IN VOBIS, id est, erga vos, *charitate abundamus*: Similimodo optamus, CHARITATEM VESTRAM erga VOS INVICEM ABVNDARE,

℣. 13. AD CONFIRMANDA, seu vt hac confirmentur, roborentur, stabiliantur magis ac magis, CORDA VESTRA IN omni virtute ac SANCTITATE, SINE QVERELA, id est, vt nemo habeat quod de vobis queri possit, non solùm coram hominibus, sed & ANTE DEVM, seu in conspectu Dei, quem nihil potest latere. *Sanctitate*, inquam, non breui, non momentanea, non caduca; sed solida, stabili, firma, quæque duret inconcussa vsque ad extremum spiritum, seu vsque ad CHRISTI ADVENTVM CVM OMNIBVS SANCTIS EIVS ad extremum iudicium. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus & Anselmus.

CAPVT IV.

Hortatur ad castitatem & perfectam vitæ sanctitatem, & fugam otij, agitq; de resurrectione mortuorum.

℣. 1. VT ABVNDETIS MAGIS, magisque excellatis in virtute & sanctitate, secundùm ℣. 2. PRÆCEPTA & instructiones, QVÆ VOBIS à *me date* sunt PER DOMINVM IESVM] Id est, auctoritate Iesu Christi, cuius locum teneo.

℣. 3. HÆC EST ENIM VOLVNTAS DEI, eiusque extremum votum, desiderium, imò præceptum, & summa omnium præceptorum, nempe SANCTIFICATIO *vestri*, qua studeatis perfectæ corporis & animi puritati, ab omni inquinatione liberæ & incontaminatæ, vt loquitur S. Dionys.

k Actor. 9. v. 15. Genes. 49. v. 5. & 1. Reg. 21. v. 5. Augustin. l. 1. de Nuptiis c. 8. & l. 4. contr. Iulianum c. 4. & l. 5. c. 9.

℣. 4. VT QVISQVE SCIAT & studiosè curet VAS SVVM, id est, proprium corpus (k) vt Chrysost. cum suis, Ambrosius, Theodor. & reliqui Patres exponunt, vno dempto Augustino, qui per

vas vult vasorem (a) intelligi,) POSSIDERE IN SANCTIFICATIONE ET HONORE, id est, sanctè, honorificè, & vt decet vti: NON IN PASSIONE DESIDERII] seu ex mero affectu libidinis. Anselmus. Nempe, fœditate luxuriæ dehonestatur corpus. (b)

a Prou. 5. v.15. apud LXX.
b 1. Cor. 6. v.18.

℣. 6. NE QVIS SVPERGREDIATVR] Id est, nè opprimat vel vim faciat proximo, supra ipsum scandendo, vel supra torum eius. Theodor. Theophylactus.

℣. 8. DEVS DEDIT IN NOBIS non immundum spiritum mundi vel dæmonis, sed SPIRITVM SVVM SANCTVM, omnis sanctitatis & castitatis fontem & auctorem. B

℣. 11. QVIETI & pacifici sitis, ET NEGOTIVM non alienum, sed VESTRVM proprium AGATIS, nemo alterius negotio, nisi rogatus aut coactus, sese immisceat. HONESTE AMBVLETIS AD EOS QVI FORIS SVNT] id est, cum Gentilibus ita decenter, circumspectè ac prudenter vos geratis, vt non offendãtur, sed potiùs ad vos imitandos alliciãtur.

ET NVLLIVS ALIQVID DESIDERETIS] Græcè μηδενὸς χρείαν ἔχητε, id est, *nullius opus habeatis.* Cauete ne per otium, inertiam, segnitiem inopes facti cogamini aliena expetere vel emendicare. Theophyl.

℣. 12. DORMIENTES vocat *mortuos*, ob certam spem resurrectionis, qua infallibiliter & celerrimè euigilabunt, & è sepulchris suis quasi è stratis excitabuntur. QVI SPEM NON HABENT beatæ resurrectionis, sunt Gentiles & athei & multi politici. C

℣. 13. EOS QVI DORMIERVNT PER IESVM, id est, qui extremum vitæ spiritum emittunt in fide & charitate Iesu, hos DEVS è sepulchris euocatos ADDVCET ad nouam & glorioſam vitam, in qua æternùm CVM Christo regnabunt.

℣. 14. IN VERBO, seu nomine, & ex parte DOMINI certò vobis denuntiamus, quòd NOS QVI VIVIMVS, id est, quotquot circa diem iudicij viuemus, NON PRÆVENIEMVS] id est, non priùs immortalitate vel gloria corporis dominabimur, D quàm alij qui pridem mortui computruerunt. ita S. Augustinus. Theophyl. & alij Patres.

Aug. l. 2. de Ciuit. c. 20.

℣. 15. DOMINVS IPSE Christus iudex relicto CÆLO, (c) cum omnibus angelis (d) & Sanctis suis DESCENDET versus vallem Iosaphat, (e) IN IVSSV, id est, cum imperio; Græcè, ἐν κελεύσματι, id est, *cum hortamine* & communi conclamatione, quale solet esse esse nautarum, vt vno veluti concentu & conatu remos adducant. Hinc Theodor. Theophyl. & Anselmus putant cum VOCE ET TVBA, id est, clamore tubali, (f) sonoro & valido ARCHANGELI *Michaelis* (vt vult S. Thomas) præsidis totius Ecclesiæ, (g) vel (vt quidam alij) *Gabrielis* (qui vt primum Christi aduentum prænuntiauit, (h) fortè etiam secundum prænuntiabit:) conclamaturos quoque alios angelos suis singulos vocibus tubalibus, vt omnes vbique mortui simul resurgant, iuxta illud Matth. 24. v. 31. *Mittet angelos suos cum tuba.* Vocatur hæc *tuba Dei*, id est, maxima, maximeque sonora, vt toto mundo reboët: sic vocantur *cedri Dei, montes Dei*, id est, maximi, altissimi. (i) S. Anselmus docet veras, reales & materiales futuras tubas, ex argento vel ære, inquit Franciscus Suarez. Inclamabunt autem, *Surgite mortui, venite ad iudicium*, inquit Chrysostomus, Theophyl. & Soto. Simulatque vox prima insonabit, eodem momento omnes simul resurgent, ita vt auribus resumpti corporis sui (teste eodem Suarez) adhuc audituri sint etiam illam ipsam primam vocem, (*& qui audierint viuent*, vt est apud S. Ioannem: (k)) sicut initium vocis, seu imperij (quo, vt iussi erant, reuixerunt) audient auribus animi. Erunt enim hæ voces instrumentum saltem morale resurrectionis, per quod Christus mortuos in vitam reducet: sicut verba consecrationis (l) sunt instrumentum transsubstantionis. Erunt eædem voces quasi præcones, nomine & iussu Christi (vnde etiam vocantur (m) *vox filij Dei*) citantes omnes ad iudicium: electis etiam erunt instar classici militaris, excitantis eos ad bellum vltimum contra reprobos perficiendum, & glorioſissimum de deuictis omnibus hostibus triumphum peragendum, inquit S. Anselmus.

c Act. 1. v. 11.
d Matt. 25. v. 31.
e Ioël 3. v. 2.
f Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 41.
g Dan. 12. v. 1.
h Luc. 1. v. 26.
i Isaiæ 59. v. 19.
Anselm. in Elucidario. Suarez 3. p. q. 55. a. 1. D. Soto in 4. dist. 43. q. 1. a. 4.
k Ioan. 5. v. 25.
l Matt. 26. v. 26.
m Ioan. 5. sup.

ET MORTVI QVI IN CHRISTO SVNT, id est, qui fide & gratia iustificante insiti Christo è viuis siue olim, siue tunc recèns excesserunt, RESVRGENT PRIMI] id est, *primùm*, (vt est in Græco) nempe antequam vel illi, vel alij rapiantur obuiam Christo in aëra. ita Anselmus & S. Thomas. Quotquot enim sunt, fuerunt, aut, futuri sunt mortales, simul vnico momento reuiuiscent.

℣. 16. DEINDE peractâ resurrectione, tam NOS QVI sub illud tempus VIVEMVS, quàm alij Sancti olim mortui, sed iam vnà nobiscum rediuiui, SIMVL, seu iunctim, RAPIEMVR OBVIAM CHRISTO.

Petes, An qui sub illud tempus viuent, sine morte fient immortales? Sensit ita Iustinus & aliquando S. Augustinus (n) & Caietanus. Sed Augustinus id postea (o) retractauit. Vnde Respondeo negatiuè: nam ante raptum omnes omnino morientur, siue igne conflagrationis, (in eorum sententia, qui ignem hunc putant immittendum ante iudicium:) siue subtracto concursu Dei, in Francisci Suarez & quorumdam aliorũ sententia, siue aliomodo, dissolutâ ad breue tempus coniũctione corporis cum anima. Quia tamen sub idem illud tempus viui reperientur, & breuissimo tempore mortui manebunt, (fortè nullo mortalium aduertente vel sentiente illorũ mortem: nam mox cum omnibus aliis rediuiui comparebunt: (p) hinc meritò vocantur *viuentes*: & sic Christus dicitur iudicaturus *viuos & mortuos*, inquit Ambros. Oecumenius, S. Thomas & alij passim. Si enim *filiam* (q) *Iairi*, etsi verè mortuam, ob hoc solùm quòd breuî resuscitanda esset, Christus dicebat, *non esse mortuam, sed dormire.* Si Lazarum, (r) &c. quantò potiori iure hi qui longè breuiori spatio mortui manebunt, dici poterunt non mortui, sed viui.

Iustinus q. 109.
n Aug. l. 1. de Peccat. merit. c. 31.
o Augus. lib. 20 de Ciuit. c. 20.
p 1. Cor. 15. v. 22. 35. 36. & 51.
q Matth. v. 39.
r Ioann. 11. v. 11.

Vbi ergo omnes Sancti simul reuixerint, *rapientur* OBVIAM; Græcè, *in occursum, Christo* IN AERA, vtibi in præparatis cuique thronis suo singuli ordine, gradu & loco consideant forma amphitheatri à dextris iudicis, reprobis humi ad sinistram relictis. Rapientur autem tum angelorum ministerio, tum propria agilitatis virtute, seu dote, qua vt & reliquis glorioſis dotibus, ipso resurrectionis instanti donabuntur. Quæ omnia fusiùs pertractata vide apud Suarez.

CAPVT V.

Ex incertitudine diei iudicij hortatur omnes ad vigilantiam, & assiduum studium bonorum operum.

℣. 1. DE TEMPORIBVS ET MOMENTIS in quæ incidet dies iudicij, nil opus scribere,

bere, cùm constet, nos omni momẽto debere paratos esse: & *de die illa* (a) *vel hora* certum sit neminem scire, ne quidem angelos qui sunt *in cœlo*.

a *Marci 13. v.32.*

b *Matt. 25. v.6.*

℣.2. VENIET autem SICVT FVR IN NOCTE] (b) id est, ex improuiso, inopinatò, inexspectatò, hominibus nec præscientibus, nec timentibus. Causas cur ita ex improuiso, recensent Chrysost. Theophyl. Hieronym. & Augustinus.

Hieron. ad Heliodorum Augustin. l. de Disciplina Christiana, & lib. 2. de Doctrina Christiana.

℣.3. CVM DIXERINT, PAX ET SECVRITAS: id est, cùm tuta omnia mortales esse crediderint, (c) cùm læti epulabuntur, (d) & symposijs, & nuptijs alijsque delicijs vacabunt, TVNC REPENTINVS EIS SVPERVENIET INTERITVS vniuersi, *sole* mox (e) obscurante, & elementis omnibus horrendùm concussis, &c.

c *Dan. 12. v.11. & Ezech. 39. v.9*

d *Matt. 24. v.38.*

e *Luc. 21. v.25. &c.*

℣.4. VOS NON ESTIS IN TENEBRIS infidelitatis, ignorantiæ, prauarum cupiditatum, peccatorum, &c. Sed

℣.5. FILII LVCIS ET DIEI] (f) id est, instar altæ dici, lucidi & splendentes fide, charitate, sancta vita, & pijs operibus, quibus vos tempestiuè comparatis ad fatalem illum diem à longè & diu antè præuisum ac præexspectatum. Chrysostomus & Anselmus.

f *Proleg. de Idiotismis Hebr. n.40.*

℣.6. NON DORMIAMVS somno negligentiæ, socordiæ, desidiæ, ac præsertim peccatorum.

℣.7. QVI ENIM sic DORMIVNT, NOCTE DORMIVNT] id est, in alta nocte & spissis tenebris versantur ignorantiæ, malitiæ & impietatis, exposiri mille periculis furum & latronum. Contra quos armemur tempori, & vigilemus assiduè,

℣.8. INDVTI LORICAM FIDEI ET CHARITATIS, seu, vt alibi (g) (vbi vniuersam Christiani hominis panopliam exponit) *loricam iustitiæ*, quæ ex fide, charitate, alijsque virtutibus conflatur.

g *Ephes. 6. v.14. &c.*

℣.9. NON vt impios hostes suos, ita etiam NOS A filios suos POSVIT DEVS IN IRAM, destinando nos æternis pœnis ac damnationi, sed vt æternam *salutem* & gloriam, merito mortis Christi *acquiramus*.

℣.10. VT SIVE VIGILEMVS, (h) id est, viuamus corpore; SIVE DORMIAMVS, id est, moriamur; semper SIMVL CVM Christo VIVAMVS spiritu, hic per gratiam, in futuro etiam per gloriam. Nec tamen soli vobis viuere ac vigilare debetis, etiam

h *Proleg. sup. n.29.*

℣.11. ÆDIFICATE, excitate, perficite ALTERVTRVM, & mutuam salutem strenuè promouete.

℣.19. SPIRITVM, id est, spiritualia dona, gratias, illustrationes & impulsus Spiritus sancti (quibus quasi lampadibus illuminamini in caliginosa nocte huius sæculi,) NOLITE peccatis, desidia, aut nimijs curis & occupationibus terrenis, quasi iecta aqua, EXTINGVERE. Chrysost. & Ambrosius.

℣.21. OMNIA, scilicet dubia & incerta (vt erant priuatæ illæ prophetiæ, de quibus præcessit) (i) PROBATE, explorate, dijudicate, scilicet per eos qui etiam dono prophetiæ prædili sunt. Vnde nihil hîc pro examine Conciliorum vel librorum prohibitorum, vt volunt hæretici: quia hæc non sunt dubia, sed publico Ecclesiæ iudicio pridem dijudicata.

i *V. 20. & 1. Cor. 14. v. 29.*

℣.13. INTEGER SERVETVR SPIRITVS ET CORPVS SINE QVERELA IN ADVENTV DOMINI] Id est, sitis incontaminati & irreprehensibiles tam quoad interna, quàm quoad externa, vt in die iudicij condignis præmijs condecoremini.

℣.24. FIDELIS EST Deus, QVI ad id vos VOCAVIT: nam ETIAM FACIET quidquid addixit: nempe conferet vobis hîc necessaria auxilia & gratias, in futuro præmium cælestis gloriæ.

EPISTOLA BEATI PAVLI APOSTOLI AD THESSALONICENSES SECVNDA.

PAVLO post primam non Athenis, (vt habent Græca & Regia Latina) non Laodiciæ, (vt Syrus) non etiam Romæ, (vt Oecumen. & Athanas.) sed Corinthi scripta anno à morte Christi 21. vt benè probat Baronius. Cùm enim occasione primæ Pauli epistolæ falsi & fraudulenti doctores terrerent animos Thessalonicensium metu iudicij extremi, quasi ex mente Pauli iam iam instantis, & in hanc rem suppositilias proferrent litteras eiusdem Pauli; hac secunda epistola redarguit impostores illos, docetque nondum instare diem iudicij, debereque priùs adesse Antichristum: cuius vitam, mores, aliasque qualitates graphicè describit. Denique hortatus omnes ad patientiam, constantiam, & monitorum ipsis traditorum obseruantiam, signum illis dat quo genuinas suas epistolas à commentitijs dignoscant.

CAPVT I.

Laudat patientiam Thessalonicensium & constantiam in fide: promittens, accepturos illos condigna præmia, persecutores autem pœnas daturos in aduentu Domini.

¶. 3. FIDES VESTRA SVPERCRESCIT] id est magnum accipit incremẽtum, vehementer augetur.

¶. 5. IN EXEMPLVM IVSTI IVDICII DEI; Græcè, εἰς ἔνδειγμα, id est, *in ostensionem*, demonstrationem, documentum, q. d. Vt omnibus ostendatur & manifesta fiat iustitia Dei, qui ex vna parte vobis ob afflictiones hîc perpessas, REQVIEM, id est, relaxationem à malis omnibus, & cælestes bonorum omnium thesauros conferet æternùm: ex altera parte persecutoribus vestris ob sua scelera TRIBVLATIONEM & afflictionem gehennalem *retribuet*.

¶. 8. FLAMMA IGNIS æterni condignam VINDICTAM, seu vltionem, ipsis infligens.

¶. 9. A FACIE DOMINI, id est, per præsentiam & sententiam Christi iudicis, & per *gloriam* VIRTVTIS, id est, glorioſam potentiam, EIVS,

¶. 10. CVM VENERIT ad extremum iudicium, vt per illud *glorificetur* ET ADMIRABILIS FIAT, (a) id est, admirabiliter glorioſus appareat, non modò in seipso, sed & in omnibus membris suis mysticis: quando nempe Sanctos suos omnes ad gloriæ suæ participationem euehet, sibique conformes reddet; iuxta TESTIMONIVM & prædicationem *nostram* apud VOS, cui etiam CREDITVM EST à vobis IN, id est, de, (b) DIE ILLO extremi iudicij, inquit Anselm.

¶. 11. IN QVO, id est, pro (c) quo, seu ad quam rem, scilicet vt etiam in vobis Christus excellenter glorificetur, continuò ORAMVS: impetraturi haud dubiè, VT DIGNETVR VOS DEVS SVA VOCATIONE, (d) id est excellenti illa gloria cælesti ad quam vos vocauit. ita Anselm. ET sic IMPLEAT OMNEM VOLVNTATEM BONITATIS; εὐδοκίαν, id est, *beneplacitum* suum quo vos ab æterno ad illam gloriam elegit. (e) Item, IN, id est, cum, VIRTVTE, seu potentia gratiæ suæ diuinæ, compleat OPVS FIDEI vestræ, id est, substructionem, seu fabricam spiritualis ædificij vestri, à fide inchoatam, sed cælesti gloria perficiendam. Compleat, inquam, non se solo, (vt Beza fingit;) sed vnà vobiscum operando, vt cum discipulo operatur magister, cum viatore dux viarum, cum trahente socius vnà trahens, vt ex S. Augustino & alijs Patribus docet Concil. Tridentinum.

a *Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 41.*

b *Ibid. n. 12.*

c *Ibid.*

d *Ibid. n. 46.*

e *Ephes. 1. v. 4. &c.*

Trid. sess. 6.

CAPVT II.

Contra pseudoprophetas & impostores docet, non priùs Christum venturum ad iudicium, quàm Antichristus comparuerit, quem viuis coloribus depingit.

¶. 1. ROGAMVS VOS PER ADVENTVM DOMINI, id est, per Christum venturum ad iudicium; ET *per aduentum* NOSTRÆ CONGREGATIONIS IN IPSVM] Vatablus, *per nostri aggregationem in ipsum*; quando nempe adueniente Christo ad iudicium, nos illi obuiàm veniemus, & ad ipsum aggregabimur. (f) q. d. Obsecramus & obtestamur vos per Christum, & per vestram mẽtem, salutem, vt quantum reueremini Christum, & vestram amatis salutem, tantum auersemini pseudo-

f 1. *Thess. 4. v. 16.*

A doctores. ita Chrysostom. & Theophylact.

¶. 2. NON citò, nec facilè, DIMOVLAMINI A VESTRO SENSV, seu sententia quam ex me hausta hucusque tenuistis de die iudicij, deque alijs mysterijs: NEQVE TERREAMINI, QVASI iamiam INSTET DIES DOMINI, vt vobis persuadere conantur pseudodoctores, partim PER SPIRITVM propheticum, seu per reuelationem Spiritus sancti, vt mentiuntur: partim PER SERMONEM, id est, viuæ vocis oraculum quasi ex ore nostro haustum: partim PER suppositititiam EPISTOLAM TAMQVAM PER NOS MISSAM.

¶. 3. QVONIAM certum est (vt vos docui,) non B venturum Christum ad iudicium, NISI priùs VENERIT DISCESSIO; Græcè, ἀποστασία, id est, *defectio*, nempe celebris illa, qua omnes gentes, eousque fideles deficient, apostatabunt, discedent, tum à Christo eiusque Ecclesia, vt Anselmus & à Lapide: tum à Rom. Imperio, vt Hieronymus, Cyrillus, Lactantius, Ambrosius, Primasius, Sedulius, & alij passim exponunt. Ex horum enim sententia sub initium monarchiæ Antichristi rebellabunt omnes nationes contra Romanum (g) Imperium, & Ecclesiam Christi, & vtrumque stirpitus exscindere conabuntur. Et hoc primum signum est præuium extremo iudicio. Alterum, ET REVELATVS FVERIT, id est, publicè comparuerit, & tanquam C vniuersalis monarcha imperium toto orbe obtinuerit, HOMO PECCATI, id est, peccator ille scleratissimus, FILIVS (h) PERDITIONIS, id est, perditissimus & æternæ perditioni destinatus.

Hieron. qu. 11. ad Algasiam. Cyrill. catech. 15. Lactant. l. 7. c. 15.

g *Apoc. 11. v. 1. &c.*

h *Proleg. de Idiotismo Hebr. n. 40.*

¶. 4. QVI Deo & Christo in omnibus ADVERSATVR, ET animo EXTOLLITVR SVPRA OMNE QVOD DICITVR DEVS, id est, iactat se maiorem, superiorem, potentiorem quocumque Deo: ITA VT IN TEMPLO DEI Ierosolymitano (nam vnicum istud tempore Pauli propriè vocabatur *templum Dei*: & tempore Antichristi rursus instaurabitur, quasi palatium & thronus illius, qui vt Iudæus, & rex seu Messias Iudæorum, solium imperij sui constituet non *Romæ*, exustæ tunc, (i) & D in cineres redactæ, sed Ierosolymis;) SEDEAT, non vt Papa vel Episcopus (quod fingunt hæretici nostri,) sed TAMQVAM DEVS, OSTENDENS; Græcè, *ostentans*, SE ὅτι ἐστὶ θεὸς, id est, *quòd sit Deus*: Volet enim cultu latriæ adorari vt Deus, imò vt solus Deus. De quo plura Danielis 11. v. 37. &c. Hic solùm addo, ex dictis certò colligi, Antichristum futurum vnum aliquem singularem hominem, & non multitudinem plurium impiorum Pontificum sibi mutuò succedentium: nec posse hæc quadrare in quemquam mortalium qui hactenus vixerit, sed in vnum illum solum, qui paucis annis præcedet aduentum Christi ad ex- E tremum iudicium: vt fusè & doctè post alios demonstrat Leonardus Lessius.

i *Apoc. 11. v. 8. & 16.*

Lessius de Antichristo.

¶. 6. QVID NVNC DETINEAT seu remoretur aduentum Antichristi, & consequenter extremum iudicium, SCITIS ex iam à me dictis, nempe quia nondum fit *discessio* supradicta.

¶. 7. NAM alioqui MYSTERIVM, id est, figura & symbolum illius Antichristianæ INIQVITATIS, (nempe Simon Magus, eiusque asseclæ, (k) & Imperator Rom. Claudius & Nero, alijque illis similes tyranni, infideles, hæretici) IAM; adest, ex nunc, OPERATVR: nam perfidi isti hostes Christi, eodem spiritu aguntur & feruntur, quo feretur & agetur suo tempore verus Antichristus cuius isti figuræ, symbola & præcursores sunt. ita S. Hieron.

k 1. *Ioan. 2. v. 18.*

August. l. 20 de Ciuit. c. 19. &c.

Hieron. Ambros. Chrysost. August. TANTVM ergo *detinet*, seu remoratur, Antichristi propriè dicti aduentum Claudius, Nèro, Galba & quicumque illis successurus est Rom. Imperator. Debet enim hoc Imperium, quod est sextæ & vltimæ ætatis mundi, (*a*) priùs euerti. Restat igitur, VT QVI illud NVNC TENET, TENEAT & imperet, DONEC illud ipsum DE MEDIO FIAT, id est tollatur & penitus euertatur. ita Chrysost. Theophyl. & alij Patres, imò etiam Erasmus & Beza, & plures alij Nouantes. Loquitur autem S. Paulus tam obscuris verbis de Imperio & Imperatore Romano, non ex metu; sed prudenti consilio, ne scilicet sine causa & fructu tyrannum contra Christianos, quasi hostes Romani Imperij, acriùs inflammet, inquit idem Chrysost. & Theophyl. Exciso Romano Imperio,

a Apoc. 17. v. 10.

¥. 8. REVELABITVR, id est, in lucem prodibit, INIQVVS ILLE Antichristus, quem post tres cum dimidio annos, (*b*) DOMINVS IESVS INTERFICIET; Græcè, *ἀναλώσει*, id est, *perdet* & absumet, non arcu vel gladio, sed solo SPIRITV, seu flatu, ORIS SVI, id est, solo iussu & nutu suo, per Michaëlem Archangelum præcipitando illum è sublimi aëre deorsum, vnde terrâ dehiscente viuus corpore & anima in tartara à dæmonibus abripietur, mortuus tamen antequam eò pertingat, vt olim accidit *Core, Dathan & Abiron.* (*c*) ita Anselmus & alij. Atque ita monstrum hoc superbiæ omnisque impietatis DESTRVET Christus sola ILLVSTRATIONE ADVENTVS SVI] Græcè, *ἐπιφανείᾳ*, id est, *apparitione*, seu cùm primùm, instar crepusculi, apparere seu eluescere incipiet præsentia eius & aduentus ad iudicium. Quòd si radius vnus primi crepusculi sternit potentissimum totius orbis monarcham, quid faciet ardens sol in meridie iudicij paucis post annis subsecuturi? Porrò

b Dan. 12. v. 7.

c Num. 16. v. 33.

¥. 9. ADVENTVS omnisque negotiatio Antichristi erit SECVNDVM OPERATIONEM; Græcè, *efficaciam*, SATANÆ] nam in ipso, cum ipso, & per ipsum operabitur satanas, & exeret omnem suam vim & *virtutem*, seu potentiam, per quanta poterit *signa ac prodigia*, sed *mẽdacia*: neque enim erunt vera miracula, vim naturæ superantia, sed præstigiæ diabolicæ, vel certè vi & potentia naturali patrata, inquit Cyrillus & Theodoretus. Interim

¥. 10. OMNI SEDVCTIONE INIQVITATIS, id est, omni arte, fallacia, fraude, seducet homines ad iniquitatem & interitum: non tamen quosuis, sed QVI PEREVNT, seu qui spõtaneè & culpa sua perire volunt, *nolentes recipere* CHARITATEM VERITATIS, id est, verissimam & ipsissimam charitatem, putà Christum, qui in tantum omnes amauit, vt suum pro omnibus sanguinem fuderit. IDEO enim DEVS; (laxando habenas diabolo & Antichristo) MITTET incredulis, rebellibus, obstinatis ILLIS OPERATIONEM ERRORIS, id est, eum qui fallacibus signis & præstigijs suis errorem & fucum ipsis faciet. Ex quo consequetur

¥. 11. VT in diuino tribunali perduellionis & læsæ maiestatis conuicti, pro meritis IVDICENTVR, damnentur, & in infernum ablegentur.

¥. 12. & 13. VOS ex aduerso ELEGIT DEVS ex tota gentilitatis massa PRIMITIAS ad SALVTEM, id est, ad fidem & christianismum quæ sunt vnica via ad veram sanctitatem, ad iustitiam, ad salutem, ad ACQVISITIONEM GLORIÆ CHRISTI, capitis & principis vestri.

¥. 14. ITAQVE STATE in fide & vocatione vestra constantes, & quidquid æmuli obganniant, firmiter TENETE TRADITIONES, id est, doctrinã & instituta religionis Christianæ, *quæ* à me ceterisque Apostolis Christi DIDICISTIS, SIVE PER viuum SERMONEM;) quod Nota pro traditionibus Apostolicis contra hæreticos stabiliendis:) SIVE PER scriptam EPISTOLAM.

¥. 15. DEVS QVI DEDIT *nobis* CONSOLATIONEM ÆTERNAM, nempe per SPEM (vt sequitur) BONAM ac certam, IN GRATIA, id est, gratuitò, inquit Anselmus: vel, vt S. Thomas, per gratiam, nempe iustificantem, quæ est quasi semen vitæ æternæ quam speramus: IPSE

¥. 16. EXHORTETVR] Græcum, *παρακαλέσαι* etiam significat *consoletur*. Sed consolatio diuina vt plurimum fit per internam exhortationem, illuminationem, excitationem.

CAPVT III.

Inquietos, otiosos, turbulentos, contumaces cauendos monet vel coërcendos.

¥. 2. NON OMNIVM EST FIDES] Id est, non omnes induci possunt vt fidem complectantur; (nempe non illi importuni de quibus præmonui.) (*d*) Non quòd defectus sit ex parte Dei, (*qui*, quantum ex se est, *illuminat omnem hominem:*) (*e*) sed ex parte liberi istorum arbitrij, cuius est consentire vocanti Deo, inquit Theodoretus.

d Cap. præced.

e Ioan. 1. v. 9.

¥. 5. DOMINVS DIRIGAT, & recto tramite tendere faciat, CORDA VESTRA IN CHARITATE; Græcè, *ad charitatem*, DEI, ET PATIENTIA CHRISTI imitanda; vel per charitatem & patientiam (quæ rectissimæ & compendiosissimæ sunt semitæ) ad perfectionem, ad salutem, ad cœlum vos dirigat, impedimentis omnibus & remoris vel amotis, vel superatis. ita S. Chrysost. & Theophyl. qui cum Syro per *patientiam Christi*, intelligunt patientem expectationem aduentus Christi ad nos liberandos & coronandos,

¥. 6. DENVNTIAMVS, id est, præcipimus, VOBIS, (vt alij etiam v. 20. & 12. vertũt,) VT SVBTRAHATIS VOS AB OMNI FRATRE, id est, Christiano, AMBVLANTE INORDINATE] id est, viuente dissolutè, seu incompositè vel turbulentè.

¥. 10. QVI NON VVLT OPERARI, seu operi manum admouere, NEC MANDVCET, quia cibo, id est, alimentis, dignus non est, qui in otio tempus transigit.

¥. 12. CVM SILENTIO, id est, quietè, pacificè, medestè, OPERANTES, & manibus victum quærentes, PANEM MANDVCENT non alienum, sed SVVM, id est, suo labore partum.

¥. 14. SI QVIS VERBO, seu præcepto, huic NOSTRO NON OBEDIT, HVNC NOTATE; *σημειοῦσθε*, id est, *signate*, vt vobis ab illo cauere possitis tamquam ab excommunicato: & ipse videns se ab omnibus vitari ac negligi, CONFVDATVR, pœniteat, corrigatur.

¥. 15. NOLITE tamen propterea ipsum QVASI INIMICVM EXISTIMARE, vel asperè tractare: SED beneuolè CORRIPITE & castigate VT FRATREM vestrum, id vnum spectantes vt ad sanam mentem reducatur.

¥. 16. DOMINVS auctor omnis PACIS DET VOBIS PACEM SEMPITERNAM, seu continuam, cum omnibus, omni tempore, OMNI LOCO.

¥. 17. SALVTATIO, MANV MEA PAVLI propria litteris

litteris subscripta, in hanc formam, GRATIA DOMINI NOSTRI CVM OMNIBVS VOBIS; SIGNVM EST IN OMNI EPISTOLA, quæ verè mea est. Et ex hoc A signo poteritis meas ab adulterinis & suppositijs discernere. ita S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus.

EPISTOLA BEATI PAVLI APOSTOLI AD TIMOTHEVM PRIMA:

a *Hic cap. 1. v. 3. Athan. in Synopsi. Baron anno Christi 57.*

ANNO à morte Christi 25. scripta è Macedonia, (a) inquit S. Athan. & Baron. vel, si malis, Laodicia metropoli Phrygiæ Pacatianæ: & ita habent Græca & Syra in fine epistolæ, & ibidem Theodoret. Erat autem Timotheus recèns à Paulo, cùm à fabris Dianæ (b) Ephesio pelleretur, creatus Ephesiorum Episcopus, imò Primas omnium Ecclesiarum Asiæ Minoris, quarum metropolis erat Ephesus. Vnde & hunc præ omnibus alijs Asiæ Episcopis primo loco compellat Christus Apocal. 2. v. 1 Etsi enim Ribera cum quibusdam alijs neget, superuixisse tunc Timotheum; Liranus tamen, Aureolus, Pererius, Viegas, Magallianus, Baronius, & plures alij id constanter affirmant, probantque (ex S. Dionysio, qui post S. Ioannem scripsit, & plerosque suos libros huic Timotheo inscripsit) vixisse decennio adhuc toto post S. Ioannem, putà vsque ad annum Christi 109. quando ob reprehensos Dianæ cultores martyrio perfunctus, successorem habuit Onesimum. Igitur 50. integris annis præfuit Timotheus Ecclesiæ Ephesinæ, nempe ab anno 25. (c) vsque 75. à morte Christi. Nam adolescentem adhuc, ob egregias animi dotes episcopatui admotum fuisse, colligitur ex hac ipsa epistola, (d) & docet Eusebius, Baronius & alij historici. Et hæc eius tenerior ætas mouit S. Paulum, vt ipsum præ alijs exactiùs instrueret binis his epistolis, de ijs quæ seu agere, seu docere deberet vt in earumdem decursu videbimus.

b *Actor. 20. v. 1.*

c *Chron. c. vlt. ad annum 25. à morte Christi.*

d *1. Tim. 4. v. 12. Euseb. l. 3. hist. c. 4.*

CAPVT I.

Monet Timotheum muneris sui Episcopalis, & vt reiectis fabulis Iudaicis ac Simonianis, doceat quæ fidem, charitatem, & bonos mores promoueant.

¶. 1. PAVLVS APOSTOLVS non ex hominum voluntate, sed SECVNDVM IMPERIVM, id est, præceptum, decretum, iussionem ac delegationem, CHRISTI SPEI NOSTRÆ, seu in quem speramus; (e) inquit Theophyl. & Anselmus. Velim sic facias

e *Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 46.*

¶. 3. SICVT ROGAVI TE CVM Ephesо à fabris Dianæ fugatus IREM IN MACEDONIAM, nempe VT REMANERES EPHESI Episcopus, & sparsa à me semina Euangelicæ doctrinæ foueres ibidem & excoleres: in particulari DENVNTIARES (f) ac præciperes QVIBVSDAM plus æquo nouitatum studiosis. NE ALITER DOCERENT quàm nos consuetuimus,

f *2 Thess. 3. v. 6.*

¶. 4. NEQVE INTENDERENT excutiendis FABVLIS, & concinnandis GENEALOGIIS INTERMINATIS, id est, longissimis, prolixissimis, & quasi infinitis. Tales erant genealogiæ Iudæorũ, quas summo fastu ac contentione ab ipso diluuio accersebant, indeque genus suum ac nobilitatem comprobabant, inquit Iosephus: diuina prouidentia id permittente, vt certò constaret toti orbi, Messiam iuxta Iacobi vaticinium (g) ex tribu Iuda, & Dauidica familia procreatum esse. (h) Hos Iudæorum libros *Herodes*, Christi gloriæ æmulus, exuri iusserat quotquot nancisci potuit, teste Eusebio: vnde maximo labore & cura à multis instaurabantur, sed prorsus in vanum, Christo iam pridem in lucem edito, & iudaismo breui sepeliendo. ita S. Chrysost. Theodor. Theophyl. Ambros. Oecumenius: qui hæc etiam extendunt ad Theogonias Hesiodi & Gentilium, quarum studiosum fuisse etiam *Tiberium* Cæsarem narrat Suetonius, & alios Seneca. Hæc QVÆSTIONES, id est, altercationes, pariunt potiùs QVAM ÆDIFICATIONEM DEI, seu profectum in cognitione & cultu Dei, qui consistit IN FIDE, pietate & charitate. Neque consenta-

Ioseph. l. 1. contra Apion.

g *Genes. 49. v. 10.*

h *Matth. 1. v. 1. & Luc. 3. v. 23. & Chronici c. 46. Euseb. l. 1. hist. c. 17.*

Sueton. c. 7. Tiberij. Seneca epist. 89.

sentanca sunt vel legi Mosaicæ, vel legi Euangelicæ, seu *præcepto* diuino: cuius

℣.5. FINIS & scopus EST non lis, contentio, vel æmulatio, sed CHARITAS procedens DE CORDE PVRO, id est, ex voluntate vacua prauis cupiditatibus, & sinistris intentionibus, inquit S. August. item ex CONSCIENTIA non fœdata peccatis, non amore proprio inquinata, sed BONA, recta, sancta: denique EX FIDE NON FICTA vel simulata, sed vera, solida, sincera. Vnde

August. l. 1. Doct. Christiana c. 5.

℣.8. LEX Mosaica in se & ex se BONA EST, nam optima præcepta continet ad vitam sanctè instituendam: typis verò suis & figuris ad Christum manuducit. Restat tantùm vt QVIS eam rectè intelligat, & LEGITIME ac benè VTATVR: & ante omnia *sciat* ℣.9. Quòd LEX quoad pœnas, quas innumeras minatur, NON *sit* POSITA IVSTO: nempe ad illum coërcendum vel puniendum. Cùm enim iustus spōte sua se legi conformet non timore pœnarum, vel impulsu præmiorum, sed amore iustitiæ; nihil ad ipsum pœnæ & minæ legis. ita S. Augustinus. Vnde nihil hîc pro Libertinis volentibus, iustos non obligari vllis legibus etiam Christianis.

August. de Spiritu & littera c. 10.

℣.10. PLAGIARII, ἀνδραποδισταὶ, vocantur qui aliena mancipia rapiunt, vel liberos homines in seruitutem abducunt.

℣.12. EXISTIMAVIT Christus: certoque sciuit, ME sibi fore FIDELEM, & creditum munus Apostolicum bona fide administraturum, quando me IN illo *posuit*. Sic solet sæpè Deus in personarum ad certa ministeria delectu respicere, sed secundariò ad morales virtutes, vel naturales dotes, vel indolem ministerijs congruam, vt insinuat S. Augustinus. Alioqui primaria causa electionis est liberalis Dei voluntas & misericordia, vt alibi vidimus. (*a*) Sic secundariam iustificationis suæ causam, nempe occasionalem, profert:

August. lib. 22. contra Faustum c. 70.

a Rom. 9. v. 11. 15. & 16.

℣.13. MISERICORDIAM DEI CONSECVTVS SVM, QVIA IGNORANS peccaui, nesciens me persequi verum Messiam. Neque enim erat hæc iustificationis Pauli causa propriè dicta, vel meritoria, seu de condigno, seu de congruo, sed solùm impropriè dicta, nec nisi occasionalis & remouens quædā impedimenta. Peccare enim ex ignorātia, item minùs peccare quàm alij, neminem facit dignum aut altero digniorem gratia, vel venia, (vt Arausicanum Concilium can. 5. 6. 7. definit) facit tamen minùs indignum. Hinc peccatoribus, etsi obstinatissimis, semper suadendum vt grauiora peccata deuitent, & minùs saltem peccent: sic enim sæpiùs & facilius illuminabuntur & excitabuntur à Deo. ita Theophyl. & exempla passim obuia sunt in Vitis Sanctorum.

℣.14. SVPERABVNDAVIT, id est, supra modum & mensuram ordinariam exundauit, in me GRATIA Dei, CVM FIDE ET DILECTIONE CHRISTI, cùm me ex lupo ouiculam fecit, & ex persecutore propugnatorem Euangelij. ita Theophyl. Sed eadem gratia omnibus etiam alijs patet. Nam

℣.15. FIDELIS, id est, fide planè dignus, quia verus & certus, SERMO, & quem meritò omnes *accipiant* & admittant, quòd vnicum Christi votum ac studium sit, PECCATORES (si consentire & obsequi voluerint) SALVOS FACERE, QVORVM PRIMVS, præcipuus, maximus EGO SVM] Fui enim princeps persecutorum Christi, auctor & incentor tot malorum: tanta peruersitate naturali & in malum procliuitate, vt, si cælesti gratia destituerer longè sceleratior essem alijs etiam maximis peccatoribus tanta gratia non præuentis. Sic Salomon dicebat, *Stultissimus sum virorum.* (*b*) & S. Franciscus, *Maximus sum peccatorum.* Et iubemur, alios omnes nobis *superiores arbitrari.* (*c*) ita Theophyl. Oecumen. Anselmus. Et *ista humilitas*, inquit Ambrosius, *non ad diminutionem Pauli proficit, sed ad gloriam: accusatio* quidem *eius est*, sed *laus Saluatoris.* Quo nomine

b Prou. 30. v. 2.

c Philip. 2. v. 3.

℣.17. REGI SÆCVLORVM omnium conditori, (inquit S. Dionysius) SOLI DEO, id est, qui solus est verus Deus, sit HONOR ET GLORIA ab omni creatura in omnem æternitatem.

Dionys. de Diuin. nomin. c. 5.

℣.18. Hoc (de quo suprà v.3.) PRÆCEPTVM rursus COMMENDO TIBI, Ô FILI, VT iuxta PRÆCEDENTES IN, seu de, TE PROPHETIAS, id est, reuelationes mihi de te in Episcopum ordinando factas, præbeas te tanto munere dignum, & IN ILLIS, id est, secundùm illas, MILITES BONAM MILITIAM, ostendasque re ipsa veram fuisse prophetiam ac reuelationem. Ostendes autem *si*

℣.19. *Habueris* FIDEM sinceram, & rectam doctrinam, simul ET BONAM CONSCIENTIAM, vitam inculpatam, & mores sanctos. Pulchrè hoc bellum describit S. Augustinus: Arma & panoplia & brauium alibi tradit Apostolus. (*d*) Porrò sæpiùs in primitiua Ecclesia vsu veniebat, vt per reuelationem designarentur Episcopi. Patuit in Paulo & Barnaba, (*e*) in Fabiano, (*f*) Athanasio, (*g*) Nicolao, Ambrosio, Alexandro Carbonario, Gregorio & alijs apud Baronium,

Aug. l. 22. de Ciuit. c. 13.

d Ephes. 6. v. 13. & Rom. 6. v. 23. cap. 7. v. 23. Gal. 5. v. 17. & Iob 7. v. 1.

℣.20. ALEXANDER est *erarius* ille, seu quæstor, de quo alibi (*b*) Paulus. Hunc cum collega eius HYMENÆO (per excommunicationem, vt alibi vidimus) (*i*) SATANÆ tamquam carnifici cruciandos, VT DISCANT hac vexatione NON ampliùs BLASPHEMARE, id est, de rebus diuinis impiè loqui. Chrysost. Theodo. Theophyl. & Oecumenius, S. Ambrosius legit, *vt emundentur & resipiscant à sua blasphemia & hæresi.* παῤῥήματα, enim sunt μαῤῥήματα, & *vexatio* (*k*) *dat intellectum.*

e Act. 13. v. 2.

f Euseb. l. 6. hist. c. 25.

g Sozomen. l. 2. c. 16.

h 2. Tim. 4. v. 14.

i 1. Cor. 5. v. 5.

k Isaiæ 28. v. 19.

CAPVT II.

In publicis precibus iubet commendari Deo omnes homines, & orationem omnibus commendat: mulieribus autem vetat docere in Ecclesia.

℣.1. OBSECRATIONES; δεήσεις Ambrosius & August. vertunt, *deprecationes*, supple, malorum & tristium: ORATIONES, προσευχαὶ sunt petitiones bonorū, vt ea nobis obtingant: POSTVLATIONES] ἐντεύξεις, interpellationes pro alijs.

℣.2. VT TRANQVILLAM VITAM AGAMVS sub regimine principum prudenter & iustè remp. administrantium. Vnde debemus has illis virtutes orando cælitus impetrare: vt & PIETATEM *ac* CASTITATEM] σεμνότης significat in genere *honestatem*, morum grauitatem & in agendo sinceritatem.

℣.4. DEVS VVLT OMNES HOMINES SALVOS FIERI, seriâ quidam ac sincerâ voluntate, atque etiam efficaci ex parte sua, (quia media ad eam obtinendam necessaria, quantum ex se est, omnibus subministrat:) non tamen voluntate absolutâ (nam tunc omnes ad vnum saluarentur;) sed ex hypothesi, si etiam ipsimet homines velint saluari, & quæ ab ipsis requiruntur, præstare. ita S. Chrysost. Ambros. Augustinus, Oecumenius.

August. de Spiritu & littera c. 33.

℣.5. VNVS ENIM est DEVS omnium creator, pater, dominus, &c. qui suis omnibus tenerrimè afficitur. VNVS etiā est MEDIATOR primarius ac prin-

principalis, qui inter *Deum & homines*, creditorem & debitores, offensum & offendentes, cum auctoritate medium sese interposuit, soluendo ex proprijs bonis omne pretium ac lytrum requisitum, vt patet ex sequentibus. Porrò Sancti non sunt tales mediatores, sed tantùm secundarij & ministeriales, quo modo etiam Moyses vocatur *mediator*, (a) inquit S. Cyrillus.

a *Deut. 5. v. 5. & Gal. 3. v. 19. Cyrill. l. 12. Thesauri c. 10.*

℣. 6. QVI DEDIT SEMETIPSVM in mortem PRO OMNIBVS redimendis ac saluandis; TESTIMONIVM TEMPORIBVS SVIS] Id est, vt futuris temporibus hæc Christi mors & redemptio testimonium sit tum diuini amoris erga omnes homines in hac vita: tum diuinæ æquitatis ac iustitiæ in futuro iudicio, inquit Anselmus.

℣. 7. IN QVO, id est, ad quod testimonium, seu beneficium redemptionis, toti orbi promulgandum, & maximè ad *Gentes* in fide & veritate instruendas, POSITVS, id est, constitutus, SVM EGO præco, APOSTOLVS ET DOCTOR.

℣. 8. VOLO VIROS ORARE, seu ad publicam orationem conuenire, non in vna tantùm vrbe (vt Iudæi Ieroso lymis,) sed IN OMNI LOCO precibus publicis dicato, id est, in Ecclesijs. Ibi enim semper (non verò semper alibi, v.g. in priuato cubiculo) debent MVLIERES, (vt sequitur) comparere IN HABITV ORNATO, id est, honesto & decenti: neque enim ornat nisi quod decet. ita Græci Patres. LEVANTES ad Deum MANVS PVRAS à sorde peccati; Græcè enim est ὁσίας, id est, *sanctas*.

℣. 10. PROMITTENTES, profitentes, & suo tempore exercentes, PIETATEM non sola lingua, sed & manibus, nempe PER OPERA BONA, Deo grata, proximo vtilia.

b *1. Cor. 14. v. 34.*

℣. 12. DOCERE in Ecclesia (b) vel cœtu publico, NON PERMITTO MVLIERI, etsi donum acceperit prophetiæ, inquit Theophyl. Priuatim quidem vt doceant domi suæ, v.g. puellas vel ancillas suas, non permitto tantùm, sed & suadeo. (c) sed nullo modo DOMINARI, αὐθεντεῖν, id est, auctoritatem vsurpare, IN VIRVM.

c *Ad Titũ 2. v. 4. & 1. Cor. 7. v. 16.*

℣. 13. ADAM ENIM FORMATVS EST *priùs* quàm EVA: ergo præstantior illâ est quoad dignitatem primæ formationis. Neque Adam creatus est Euæ causa, sicut Eua causa Adami. Deinde vir præstat vigore mentis & rationis, & minùs obnoxius est deceptioni. Nam

℣. 14. IN PRÆVARICATIONE diuini præcepti de vetito fructu non comedendo, ADAM NON EST SEDVCTVS] supple *primus* (ex v. præced.) ita Theodor. Oecumen. & Haymo. Quamquam etiam verum sit quod S. Chrysost. Ambros. Hieron. Augustl. Theophyl. & Anselmus docent, *Adamum non* fuisse *seductum*, seu deceptum: neque enim à *serpente*, quem sciebat mentiri, neque ab *Eua*, quia hæc non intendebat, sed neque poterat, decipere virum. Solo igitur inordinato coniugis amore, (quem vnà cum titillatione superbiæ & excellendi libidine, culpâ suâ & sponte permisit in se suboriri ac prævalere, cùm posset facilè cõpescere) nolens delicias suas contristare, morẽ gessit roganti vxori & inordinato appetitui suo. Vnde neque excusat se tamquam deceptum, vt excusat Eua, quæ propriè *decepta* fuit à serpente, decipere ipsam volente atque intẽdente. Putabat enim (re non sat excussa, vt poterat & debebat,) serpentem vera dicere, neque fuisse à Deo propriè vetitum ipsis fructum, vtpote bonum, pulchrum & maximè vtilem; sed credebat mysterium aliquod latere in hoc præce-

Hieron l. 1. contr. Iouinian. Augustl. lib. 14. de Ciu. c. 11.

pto: neque se, neque virum suum sat assecutos mentem verborum Dei: atque ita seducta comedit, & virum vt ipse quoque comederet, blandiendo induxit, non seduxit fallendo. Ex quo infert Paulus, mulierem inferiorem esse prudentia, vt quæ se passa sit seduci, nec hoc contenta, etiam virum & omnes posteros suos in ruinam pertraxerit: ac proinde iure merito, conformiter pœnæ illi à Deo inflictæ, (d) debere viro subesse. *Semel* enim (vt ait Chrysost. & Oecumen.) *mulier docuit*, sed tam *malè*, vt & se, & *virum*, & *omnia alia peruerterit* & euerterit. *Vtrà ergo non doceat, sed sileat, & à vero benè & loqui & agere discat.* Verùm etsi mulier non doceat in publico, non deerit tamen illi occasio impendendi talenta, si quæ habet, in procuranda promouendaque salute tum sua, tum aliena: nempe partim per priuatas (e) instructiones, partim

d *Genes. 3. v. 16.*

e *Hic v. 12.*

℣. 15. PER GENERATIONEM FILIORVM (loquitur de solis coniugatis,) corumdemque probam educationem, atque in pietate & bonis moribus institutionem: neque permiserit se exemplo primæ Euæ per satanam seduci & à recto deduci; sed PERMANSERIT constans, curaritq; quantum in se est, vt & filij sui *permaneant* (nam in Græco est μείνωσιν in plurali numero) IN suscepta FIDE Christi, in DILECTIONE Dei & proximi, in *sanctitate* vitæ ac morum, CVM adiuncta SOBRIETATE] μετὰ σωφροσύνης, id est, illecebrarum temperantia, & cupiditatum continentia, inquit S. Chrysost. & Theophylactus,

CAPVT III.

Dotes Episcopi ac Diaconi.

℣. 1. QVI EPISCOPATVM legitimè vocatus DESIDERAT; BONVM, καλὸν, id est, præclarum & arduum, OPVS DESIDERAT] nempe munus procurãdæ salutis tot millium commissarum sibi ouicularum. *Opus* & onus etiam angelicis humeris formidandum, vt loquitur Tridentinum, & sex prolixis libris fusè demonstrat Chrysostomus. Idem proportione intelligi vult Apostolus de *Parochis*, & quotquot habent curam animarum. Sexdecim autem cõditiones exigit Apostolus in Episcopo, decem affirmatiuas, sex negatiuas. Prima negatiua est, vt ne plurium, sed

Chrysost. de Sacerdotio.

℣. 2. VNIVS VXORIS VIR *fuerit*, vt vertit Syrus tam hîc quàm v. 12. Id est, non sit *bigamus*, seu nunquam inierit, ne successiuè quidem, secundas nuptias. Patet ex c. 5. v. 9. vbi simili phrasi dicitur, *Vidua eligatur quæ fuerit vnius viri vxor.* Iam verò constat nunquam moris fuisse, vt pluribus simul viris vna eademque esset vxor (vt ad hoc cauendum peculiari opus esset præcepto:) sed neque posse viduam esse quæ de facto adhuc habeat virum, sed solùm eam quæ habuerit. Vnde à simili colligimus, non præcipere hîc Paulum, vt qui Episcopus vel Presbyter eligendus est, sit de facto coniugatus. (Nam neque Paulus ipse, vt (f) alibi docuimus, neque Timotheus aut Titus, ad quos hîc scribit, vmquam teste S. Ignatio, cõiugati fuerunt:) sed solùm, si fuerit aliquando, vel adhuc sit coniugatus, vt nõ nisi vnam habuerit. In primitiua enim Ecclesia, eò quòd cælibes, qui apti essent muneri Episcopali vel pastorali, admodum pauci reperirentur, ordinari solebant etiam coniugati, sed non nisi monogami: & hi post susceptos sacros Ordines

f *1. Cor. 7. v. 7. & 1. v. 5. Ignat. ad Philadelphios.*

dines vsu prioris coniugis abstinebant, teste Epiphanio & alijs Patribus. Postmodum tamen Græcis, ob incontinẽtiam indultum fuit, vt vxoribus, si quas ante Ordines susceptos duxissent, etiam pòst vterentur. (a) Nunquam verò concessum, vt ordinato liceret vxorem de nouo ducere. Quod & apud Ægyptios, alioſque Gentiles seu Ethnicos obseruatum fuisse, docet S. Hieron. Porrò Apostolus inter alias Episcopi dotes, optat eum esse

Epiph. hæresi 59.

a Cap. Cùm olim. de Clericis cõiugatis. Hier. ep. 11. ad Ageruchiam.

ORNATVM, scilicet honesto habitu ac talẽ personam decente, inquit Theophyl. Et ita intelligitur cap. præcedenti. (b) Sed S. Hieron. Theodor. Anselmus, Syrus & plures alij, ex Cicerone *ornatum* vocant moribus compositum, *qui decorum seruat in incessu, habitu, sermone, & omni motu.* Absque quo ornatu vilescunt sacerdotes apud populum, inquit ex Malachia Ambros. & Gregor. Optat insuper Apostolus Episcopum esse DOCTOREM, διδακτικον, id est, instructum doctrina, & aptum ad docendum, seu (vt alibi (c) loquitur,) *qui potens sit exhortari. Absque sermone* enim, vt ait idem S. Hieronymus, *conuersatio quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet.* Vnde & Tridentinum, *Potissimum*, inquit, *Episcopi munus est prædicatio verbi Dei, quod & per se, si possit, obire debet.*

b Vers. 9. Hieron. ad Oceanum.

Malach. 2. v. 8. Ambr. l. de Dignitate sacerdotali. Greg. hom. 17. in Euang.

c Ad Titum 1. v. 9. Trid sess. 5. c. 1.

℣. 4. FILIOS (si quos genuerit antequam Episcopus crearetur) HABENTEM SVBDITOS, id est, sibi obsequentes & morigeros. Audin' *filios* non facientem, sed *habentem?* CVM OMNI CASTITATE, id est, perspecta puritate.

℣. 6. NON NEOPHYTVM, seu recèns conuersum, instructum, baptizatum: NE persuasus Ecclesiam operâ suâ indigere, indeque sibi complacens ac superbiens, INCIDAT IN IVDICIVM DIABOLI] id est, damnetur & pereat, instar Luciferi, qui neophytus in cœlo superbiuit, ideoque damnatus est, inquit Chrysost. & Theophyl.

℣. 7. TESTIMONIVM habeat BONVM, seu bonæ vitæ, etiam ab infidelibus, quibus conuixit, VT electus ad episcopatum, NON INCIDAT IN OPPROBRIVM, id est, ne hominum probris & contumelijs pateat, dum pristina vitia ipsi exprobrabunt: ET IN LAQVEVM DIABOLI, nempe in *infamiam*, inquit Chrysost. vel in *iram & odium* aliorum, vt Anselmus; vel, vt alij, in *pusillanimitatem*. quibus laqueis multos cepit diabolus.

℣. 9. HABENTES, seu tenentes, MYSTERIVM, id est, notitiam mysteriorũ FIDEI, cum PVRA CONSCIENTIA] Nempe, cum sincera fide sint etiam in moribus irreprehensibiles.

℣. 11. MVLIERES, seu vxores, diaconorum, multò magis presbyterorum (d) vel Episcoporum (ita Magister, S. Thomas & Glossa,) PVDICÆ sint oportet, ne probro sint maritis.

d Philipp. 1. v. 1.

℣. 13. QVI in munere diaconatus BENE ac laudabiliter MINISTRAVERINT aliquamdiu Ecclesiæ, BONVM GRADVM, seu locum gratiæ & meritorum, SIBI ACQVIRENT tum apud Deum, tum apud homines, vt mereantur altiùs promoueri in sacerdotes & Episcopos. ita Chrysost. Ambros. Theophyl. Anselmus. ET FIDVCIAM, παῤῥησίαν, id est, *libertatem*, MVLTAM IN FIDE, id est, in docendis & exequendis ijs quæ fides Christi exigit. ita idem Theophyl. & Oecumen.

Abulens. & Vatablus in 3. Reg. 7. v. 21. Ribera l. 2. de Templo c. 14.

℣. 15. ECCLESIA DEI COLVMNA EST ET FIRMAMENTVM VERITATIS, quia in fide errare non potest. Alludit ad duas templi Salomonici columnas 3. Reg. 7. v. 21. inquit Abulensis, Vatablus & Ribera. Sed ridendus hîc Caluinus, dum ait, A ideo *columnam & firmamentum veritatis* esse Ecclesiam, quia conseruat sacram Scripturam quæ errare nõ potest: quia pari iure quadraret in omnes bibliothecas: neque asseruare Scripturam est *columna* vel *firmamenti*, sed capsarum vel thecarum. Quod verò Ecclesia docet, explicat, nobisque communicat,

℣. 16. MAGNVM EST SACRAMENTVM, seu mysterium & argumẽtum diuinæ erga homines PIETATIS, MANIFESTATVM IN CARNE; Græcè, *Deus manifestatus*, seu conspicuus factus *in carne:* IVSTIFICATVM coram toto mundo. q. d. Iudæi Christum Deum hominem habent pro scandalo, (e) Gentiles rident vt rem stultam, sed ipse à Deo est *iustificatus*, id est, sanctus & iustus declaratus, (f) IN SPIRITV, id est, opera Spiritus sancti: nempe per stupenda signa ac miracula in hunc finem passim edita, per rationes efficaces, per illustrationes internas, per prædicationem externam, vt docent Chrysost. Ambros. Sedulius & S. Thomas.

e 1. Cor. 1. v. 18. & 23.

f Rom. 3. v. 4.

CAPVT IV.

Prædicit suboriturus hæreses, quæ nuptias & certos cibos dãnent. Commendat Episcopo pietatis studium, & vt sibi & lectioni Scripturæ ac doctrinæ verbi Dei intendat.

℣. 1. SPIRITVS sanctus futurorum omnium præscius PRÆDICIT per me, perque alios modernos Prophetas, quòd IN NOVISSIMIS, id est, posterioribus, seu subsequentibus, TEMPORIBVS, QVIDAM è Christianis desertâ FIDE, credentes SPIRITIBVS *seductoribus* (vt est in Græco) ET DOCTRINIS DÆMONIORVM, seu dæmonis astu & operâ euulgatis,

℣. 2. IN, seu cum, HYPOCRISI. id est, simulatione sanctitatis, *loquentur* MENDACIVM & falsam doctrinam, *habentes* CONSCIENTIAM SVAM CAVTERIATAM; Syriacè, *inustam & notatam* indelebili cauterio, putà libidinis vel aliorum scelerum. Ambros. per *cauterium* vult indicari Primò, notam infamiæ; Secundò, morum corruptionem; Tertiò, malitiæ immutabilitatem. Posset addi etiam ardor ac feruor libidinum: & cum Theodoret. stupor extremus, & cum Franc. Turriano de dolentia mali. (g)

Turrian. in can. 44. Apostolorum.

℣. 3. PROHIBENTIVM NVBERE, & iubentium ABSTINERE A CERTIS CIBIS quasi immundis, vt Iudæi: vel quasi per se (h) malis & à malo Deo procreatis, vt Simoniani, Saturniani, Ebionitæ, Marcionitæ, Manichæi & Encratitæ abstinendum docebant ab omni carne animalium, quasi omnia anima rationali, vel saltem immortali prædita essent, & nuptias, quasi à malo Deo vel dæmone instituitas prohibebant, teste Clemente, Irenæo, Epiphanio, Chrysost. cum suis, item Ambrosio & Augustino. Nihil ergo hîc cõtra cælibatum sacerdotum vel ieiunium Ecclesiasticum, quo subinde carnes & nuptiæ prohibentur, non tanquam in se aut per se malæ; sed solùm ad refrænandam concupiscentiam, ad exercendam obedientiam, pœnitentiam & studium orationis, exemplo Ioannis Baptistæ, (i) adeoque & ipsius Christi, (k) & infinitorum Sanctorum primitiuæ Ecclesiæ. Quòd si timeas ne fortè dæmon per escam tibi noceat, (vt teste S. Augustino & Gregorio non semel accidit,) habes remedium ad manum:

g Ephes. 4. v. 13.

h Hîc v. 4.

Clem. lib. 6. Constit. c. 8. Iren. l. 1. c. 22. & 30. Epiph. hæresi 42. & 66. August. cõt. Adimantũ c. 14.

i Matth. 3. v. 4.

k Matth. 4. v. 2. August. lib. 18. de Ciu. c. 17. Gregor. l. 1. Dialog. c. 4.

℣. 5. SANCTIFICATVR ENIM esca, id est, purgatur, seu pura & sancta respectu nostri efficitur, &

dęmonis potestati subtrahitur, PER VERBVM DEI ET ORATIONEM] id est, per benedictionem & preces, quæ ante ciborum sumptionem præmitti debent, inquit S. Chrysost. Theophyl. Augustinus, Gregorius & Prudentius.

Prudent. in hymno ante cibum.

℣. 8. CORPORALIS EXERCITATIO, v. g. lucta palæstrica, vel gymnastica (vt est in Græco) etsi tanti ab hominibus fiat, tamen non nisi AD MODICVM VTILIS EST, putà ad corporalem sanitatem, vel ad brauium seu præmium tẽporale: PIETAS AVTEM, id est, cultus Dei (quæ est Christiana exercitatio) per VTILIS EST AD OMNIA, etiam ad animæ sanitatem, & brauium cælestę obtinẽdum, de quo alibi. (*a*) ita Chrysost. Theophyl. Oecumenius. Hæc non immeritò accommodes spiritualibus animæ exercitijs, ad solidam vitæ emendationem, & in omni virtute profectum, ad prudentem status vitæ delectum, denique ad plenam perfectionem obtinendam; quæ S. P. N. Ignatius de Loyola edito de his libello verè aureo tam studiosè omnibus commendat, & totus orbis Christianus felici experientia & optato successu iam dudum comprobauit. PROMISSIONEM HABENS VITÆ etiam QVÆ NVNC EST] Nempe Matth. 6. v. 33. *Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.* Quòd si Deus subinde permittat, ad maius bonum pios affligi penuria, compensat tunc spiritualibus bonis, & pro pane dat aureum torquem, inquit S. Hieron. & S. Thomas, qui etiam ex hoc loco probant meritum bonorum operum.

2 1. Cor. 9. v. 24. & 25.

Hieron. in 19. Matth.

℣. 9. Hic SERMO, hæc promissio, FIDELIS EST (*b*) & citra vllum dubium.

b Hic cap. 1. v. 15.

℣. 10. IN HOC ENIM, seu ad hoc obtinendum, LABORAMVS, id est, labores quotquot in Christiana palæstra occurrunt, exantlamus, etsi à mundo maledicamur, exsibilemur, probris & contumelijs impetamur, propter *spem* IN DEVM, QVI EST SALVATOR OMNIVM HOMINVM, quantum est ex parte sua, (*c*) MAXIMÈ tamen FIDELIVM] quia hos præ alijs vt amat, ita & curat, inquit Theophyl. Anselmus & à Lapide.

c 1. Tim. 2. v. 4.

℣. 12. NEMO ADOLESCENTIAM TVAM iure aut meritò CONTEMNAT] ita sanctè, modestè, grauiter te geras, vt non quasi imprudens aut leuiculus apud tuos vilescas. Chrysost. & Ambros.

℣. 13. ATTENDE LECTIONI S. Scripturæ, quæ, vt ait idem Ambros. *liber est sacerdotalis:* &, vt S. Dionysius, est substantia sacerdotij nostri.

Ambr. l 5. de Fide c. 7. S. Dionys. Eccles. Hierar. c. 1.

℣. 14. NOLI NEGLIGERE GRATIAM, χάρισμα, id est, *donum*, tum gratis datum, putà Ordinem sacerdotalem & Episcopalem: tum gratum faciens, putà varias gratias quæ muneri Episcopali ritè obeundo necessariæ, infunduntur in sancti Ordinis susceptione. QVÆ DATA TIBI PER PROPHETIAM, id est, reuelante & iubente Deo, (vt suprà) (*d*) cum seu per IMPOSITIONEM MANVVM PRESBYTERII] id est, cœtus presbyterorum, seu maiorum, id est, Episcoporum. (*e*) Nam Episcopus (vt habet Apostolica traditio,) (*f*) ordinari debet à tribus vt minimum alijs Episcopis. ita Conc. Carthaginense IV. & S. Chrysost. Theodor. Theophylact. Oecumen. Porrò hac impositione manuum, teste S. Dionysio & Amalario, significatur illapsus & plenitudo Spiritus sancti, eiusque protectio, regimen ac directio circa omnia quæ sunt muneris & Ordinis collati.

d Hic c. 1. v. 18.

e Philipp. 1. v. 1.

f Bellar. de Sacramento Ordinis. Dionys. sup. c. 5. p. 1. Amalar. l. 2. de Eccl. Offic. c. 12.

CAPVT V.

Docet Episcopum qua ratione omnibus Ecclesiæ statibus prouidere debeat.

℣. 1. SENIOREM NE citra necessitatem, duriùs aut acerbiùs INCREPAVERIS: SED vbi res postulat, ea moderatione ac lenitate reprehendas delinquentem, vt videaris *obsecrare* potiùs quàm *increpare.*

℣. 3. VERE' VIDVAS, id est, quæ *desolatæ* (*g*) ac destitutæ sunt aliorum, etiam filiorum (*h*) ac cognatorum, auxilio & solatio; HONORA, id est, adiuua, (*i*) succurre, prospice ex communi Ecclesiæ prouentu.

g Hic v. 5.

h Hic v. 4.

i Coloss. 2. v. 23.

Nota. Olim apud Christianos, vti cœtus virginum, ita erant etiam alij viduarum, ætate (*k*) & sanctitate venerabilium, (*l*) voto continentiæ obstrictarum, (*m*) simul in religiosa veste (inquit Augustin. & Concil. Carthaginense) cõmorantium, perpetuoque Dei & Ecclesiæ seruitio insistẽtium. (*n*) Hæ ex oblationibus fidelium, vt & omnes Ecclesiastici, alebantur, (*o*) inquit Eusebius. Ex his diaconissæ eligebantur, quæ ceteris præessent, quæ mulierum in templis conuentui inuigilarent, quæ imperitas instruerent, quæ baptizandas iuuarent, &c. de quibus vide eundem Eusebium, Epiphanium & alios historicos.

k Hic v. 9.

l v. 10.

m v. 11. August. ep. 199. ad Ecdiciam.

Conc. Carthag. IV. can 104.

n Hic v. 5.

o v. 16. & Act. 6. v. 1. Euseb. l. 6. hist. c. 33. Epiph. hæres. 79.

℣. 4. SI QVA VIDVA FILIOS AVT NEPOTES HABET, à quibus ali possit, illa priùs quàm in cœtum prædictarum viduarum ab Ecclesia admittur, DISCAT REGERE, εὐσεβεῖν, id est, piè tractare, DOMVM SVAM, id est, cum filijs & nepotibus sic se gerere, vt grata & chara ipsis sit, & illos in pietate sic instruat, vt vicissim ab illis accipiat omnia sibi necessaria. *Discat* & REDDERE PARENTIBVS (si supersint) MVTVAM pietatis VICEM, eis inseruiendo, opitulando & alendo, sicut ipsa ab eis à puero alita & adiuta fuit. Quæ reciproca filiorum pietas in parentes, ἀντιπελαργία vocatur, à *ciconys* quibus id familiare est. Tales viduæ erant Iudith, Machabæa, (*p*) Anna. (*q*) Talem describit S. Augustinus Monicam matrem suam: Hieronymus Paulam, Blæsillam, Melaniam, Marcellam: Chrysostomus Olympiadem, Proculam, Pentadiam, Syluaniam: Gregorius Pontifex Gallam: Gregor. Turonensis Clotildim: Baronius Euphrasiam, Constantiam, Elisabetham, Brigidam, Cunigundem.

p 2. Mach. 7. v. 4. &c.

q Luc. 2. v. 36. August. l. 9. Confess. c. 9. Gregor. l. 4. Dialog. c. 11. Turonens. l. 2. hist. c. 23.

℣. 6. NAM QVÆ IN DELICIIS EST, seu luxu, voluptati inhians & lasciuiens, VIVENS corpore, MORTVA EST spiritu, vtpote gratia Dei priuata.

℣. 8. SI QVIS AVTEM, seu pater, seu materfamilias, SVORVM filiorum ac nepotum, MAXIMÈ DOMESTICORVM, sibique cohabitantium, CVRAM NON HABET, vt tam corporis, quàm animæ illorum saluti prospiciat; FIDEM NEGAVIT, non quidem verbo, sed reipsa & facto suo crudeli, quia contra præscriptum fidei & Scripturæ facit, quæ iubet, (*r*) *Carnem tuam*; LXX. *domesticos seminis tui, non despexeris.* ET sic hac in parte EST INFIDELI DETERIOR, quia infideles naturali instinctu & pietate curam suorum gerunt.

r Isaiæ 58. v. 7.

℣. 9. VIDVA ELIGATVR; καταλεγέσθω, id est, in catalogum iam dictarum viduarum, ab Ecclesia alendarum, referatur, NON nisi *sexagenaria.* ita Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, Theophylactus & Oecumenius.

Hieron ep. ad Saluinam.

℣. 11.

℣. 11. ADOLESCENTIORES VIDVAS DEVITA; Ἀ παραιτοῦ, id est, *reijce* à prædicto viduarum collegio: CVM ENIM sat diu expensis Ecclesiæ *καταστρηνιάσωσι*, id est, bene alitæ & pastæ; Cyprianus, *cum indelicatæ*, IN CHRISTO FVERINT, quasi (*a*) vitulæ saginatæ recalcitrant, Christi iugum ac professionem continentiæ excutiunt, & ruptis votis, (quibus quasi vinculis coërcebantur) in maximam Christi iniuriam rursus NVBERE VOLVNT,

Cypr. lib. 3. Testimon. 74. ad Quirinum.

a Deut. 32. v. 15.

℣. 12. HABENTES DAMNATIONEM, id est, reæ criminis, propter quod meritò damnentur, QVIA PRIMAM FIDEM Deo per votum (cùm in collegium viduarum admitterentur) datam IRRITAM FECERVNT] id est, violarunt votum continentiæ. B Ita Concilia Carthaginense, Toletanum, & alia, & Patres omnes tam Græci, quàm Latini. Porrò votum hoc initio Ecclesiæ non dirimebat matrimonium (teste S. Augustino;) sed hoc posterioribus demum sæculis paulatim inductum ab Ecclesia, ac tandem sub Innocentio II. circa annum Domini 1139. in Concilio Lateranensi pro tota Ecclesia tamquam impedimentum dirimens decretum ac sancitum est.

Conc. Carthagin. IV. c. 104. Toletan. IV. can. 53. August. l. de Bono viduit. c. 9 & de Sancta viginit. c. 34.

℣. 14. VOLO ERGO IVNIORES tales, quibus periculum est luxuriæ, rursus NVBERE] *Non* igitur *legem* hîc *figit, sed remedium ostendit*, inquit S. Augustinus: *neque vetat viduas esse, sed adulteras; quia melius est, digamum esse, quam scortum*, inquit S. Hieronymus & Chrysostomus & Ambrosius. Alioqui si periculum absit incontinentiæ, & benè probarint constantiam suam, etiam iuniores (vt nunc fit in monasterijs) mauult illas Paulus nuptijs abstinere, quàm nubere, 1. Cor. 7. v. 7. &c. Nihil ergò hîc pro Caluino contra vota iuuencularum.

August. de Viduit. c. 8. Hier. ep. 11. ad Ageruchiam. Ambros. l. de Viduis.

℣. 16. SI QVIS FIDELIS opulentus HABET VIDVAS sorores, cognatas, ancillas iam grandæuas, SVBMINISTRET ILLIS ipse necessaria de suo, Anselmus.

℣. 17. PRESBYTERI QVI BENE ac laudabiliter PRÆSVNT Ecclesiæ, diligenter docendo, prædicando, Sacramenta administrando, DIGNI HABEANTVR DVPLICI (*b*) HONORE, sed reali: id est, D lauto & abundanti subsidio (*c*(commodè sustententur.

b Ierem. 17. v. 18. & Proverb. 31. v. 21.

c Patet ex v. seq. & Coloss. 2. v. 23. Aug. serm. 16. de Verbis Domini.

℣. 20. PECCANTES publicè, vel palàm (vt præcessit) conuictos, ARGVE CORAM OMNIBVS, ad aliorum etiam emendationem, inquit S. Augustinus.

℣. 22. MANVS CITO NEMINI IMPOSVERIS] Id est, neminem non sat probatum temerè sacro Ordine initiaueris: ne, si indignos promoueris, fias particeps alienorum peccatorum, & scandala quæ consequentur, tibi adscribantur.

℣. 24. QVORVNDAM ordinari volentium PECCATA MANIFESTA SVNT, PRÆCEDENTIA AD E IVDICIVM: id est, priùs publicata & nota communi hominum clamore seu fama, quàm in iudicium deducantur. Tales facilè agnosces indignos ordinatione, sed dignos correptione, de qua suprà. (*d*) QVOSDAM SVBSEQVVNTVR peccata in iudicio, cùm nempe quæ antea per simulationem sanctitatis ipsi occultabant, per diligens examen manifesta fiunt in iudicio. In his talibus explorandis maximè tibi laborandum, ita Theophylactus & Anselmus.

d Hic v. 20. & 22.

CAPVT VI.

Quid serui dominis debeant; quàm exitiosa pestis auaritia; quàm noua dogmata vitanda.

℣. 1. NE NOMEN DOMINI, id est, Christiana professio ET DOCTRINA, malè audiat, & BLASPHEMETVR ab infidelibus, quasi quæ doceat seruos fraudare dominos debito HONORE & & obsequio.

℣. 2. FIDELES AVTEM DOMINI MAGIS colendi, QVIA PARTICIPES SVNT eiusdem BENEFICII redemptionis Christi & religionis Christianæ. Præ omnibus autem caue ndæ

℣. 5. CONFLICTATIONES, διαπαρατριβαί, id est, inanes & stultæ disputationes, HOMINVM MENTE CORRVPTORVM, & quasi cerebro destitutorum, (quos versu præcedenti *languentes*; Græcè, νοσοῦντας, id est, *ægros* vel *deliros* vocauit,) EXISTIMANTIVM QVÆSTVM ESSE PIETATEM] id est, abutentium Christiana religione & exercitijs ad quæstum faciendum. Sed si lucrum quærimus,

℣. 6. QVÆSTVS MAGNVS, certus & solidus EST PIETAS, seu cultus Dei, CVM SVFFICIENTIA, αὐτάρκειᾳ, id est, *animo sua sorte contento*, nempe cui sua sufficiunt, etsi pauca, nec plus cupit quàm accipit vel habet. ita Anselmus.

℣. 10. RADIX ENIM OMNIVM MALORVM EST C CVPIDITAS] φιλαργυρία, id est, *amor pecuniæ*, quia omnis generis peccata inde quasi ex fonte prodeunt. Vnde Ecclesiasticus. *Auaro nihil est sceleſtius:* Eccli. 10. v. *hic enim & animam suam venalem habet.* Et Bias 9. & 10. Philosophus, *Studium pecuniæ est metropolis omnis malitiæ.* Et Timon, *Duo sunt malorum elementa, ἀπληστία καὶ φιλοδοξία*, id est, *inexplebilis opum cupiditas & gloriæ appetentia.* Tv verò, relictis hisnugis,

℣. 12. APPREHENDE VITAM ÆTERNAM, tamquam brauium, seu palmam victori propositam, IN QVA, seu ad quam, VOCATVS ES agonotheta Deo: ET hucusque viriliter profecutus es, CONFESSVS CONFESSIONEM BONAM, egregiam, illustrem, nō solùm in baptismo & in Ordinum susceptione, sed & in persecutione Gentilium nuper Ephesi excitata. (*e*) ita Chrysost. & Theophyl. *e Actor. 19. v. 25. &c.*

℣. 14. MANDATVM omne tibi à me datum SERVES SINE MACVLA ET *irreprehensibiliter*, VSQVE IN ADVENTVM DOMINI ad iudicium tuum particulare, inquit S. August. *August. ep. 89 ad Hesychium.*

℣. 16. QVI SOLVS ex se, & per essentiam suam, HABET IMMORTALITATEM, & QVEM NVLLVS f HOMINVM VIDERE POTEST in hac vita, & puris naturæ viribus, vt volebant Anomæi, inquit Anselmus. Ex quo loco colligimus, nec Paulum, nec Moysen, nec vllum mortalium in hac vita vidisse E diuinam essentiam. *f Exodi 3. v. 14.*

℣. 19. FVNDAMENTVM BONVM] Id est, firmas & bene fundatas diuitias, nempe æternas, inquit Chrysostom.

℣. 20. CVSTODI DEPOSITVM, id est, thesaurum sanæ & sacræ doctrinæ, intelligentiæ Scripturarum, & mysteriorum fidei: quem tu tuopte ingenio non inueneristi, nec propria industria tibi comparasti, sed Deus & ego tibi quasi depositum, integrè seruandum & tutandum tradidimus. (*g*) *g 2. Tim. 2. v. 2.* ita Theophyl. & Anselmus. DEVITA PROFANAS non modò rerum, sed & VOCVM NOVITATES (quibus se iactat Simoniaca schola,) ET OPPOSITIONES, id est, argumenta & axiomata sophisticæ

stica *falsò nominata* SCIENTIÆ, de qua se venditant isti glorioſuli: sed non est vera scientia Dei, vbi non est vera fides.

¥. 21. QVAM veram fidei scientiam QVIDAM PROMITTENTES tum sibi, tum alijs, dum nimis inhiant & indulgent nouitatibus, CIRCA FIDEM naufragauerunt, & in erronea dogmata delapsi sunt, inquit Vincentius Lirinensis, addens, id omnino quadrare in nostros *Nouantes, qui* nouam orbi *scientiam promittentes, dicunt* idiotis, *Venite insipientes & miseri, qui vulgò Catholici vocitamini*, ex nobis *discite fidem veram, quam prater nos nullus intelligit, quæ multis antè seculis latuit, nuper verò reuelata & ostensa est: sed discite furtim atque secretò; delectabit vos*, &c. Omnium hominum ignorantissimi, qui non aduertunt, in negotio fidei nullum certius esse falsitatis indicium, quàm nouitatis professionem, cùm veritas vna eademque, atque immutabilis sit omnibus sæculis, vt idem Vincentius pulcherrimè demonstrat.

EPISTOLA BEATI PAVLI APOSTOLI AD TIMOTHEVM SECVNDA.

SED vltima vitæ Pauli, quam quasi cycneam vocem edidit cum Romæ in secundis vinculis ageret, & iam se ad martyrium accingeret, (vt colligitur ex cap. 4. v. 6.) quod vnà cum S. Petro subiuit anno à morte Christi 37. imperij Neronis (a) 14. ita Eusebius, Hieron. Chrysost. Theodoret. Theophyl. Anselmus & alij. Et insinuatur in fine epistolæ in exemplari Syriaco. Licet Baronius putet scriptam è primis vinculis. Argumentum idem est quod primæ epistolæ: nisi quòd hìc quædam subnectat de ijs quæ sibi acciderant: quædam item de electis & reprobis, & hæreticis exorituris, quorũ errores & mores ad viuum depingit.

(a) *Chron. c. vlt. ad illum annum. Euseb. lib. 2. hist. c. 22. Hieron. de Scriptor. Eccles. in Paulo.*

CAPVT I.

Monet Timotheum, vt resumpto vigore prædicet intrepidè sanam Christi doctrinam.

¥. 1. APOSTOLVS, id est, legatus, missus à Deo SECVNDVM PROMISSIONEM VITÆ] id est, ad prædicandam promissam fidelibus vitam & salutem æternam per Christum.

¥. 3. CVI SERVIO A PROGENITORIBVS] id est, æquè ac parentes mei, Abraham, Isaac, Iacob, & alij Patriarchæ. ita Ambros. & Anselm.

¥. 4. MEMOR LACRYMARVM TVARVM] quibus abeuntem me prosecutus: & etiam

¥. 5. RECORDATIONEM ACCIPIENS, seu memoria repetens insignem solidamque *fidem* quam IN TE deprehendi: QVÆ PRIMVM HABITAVIT, id est, firmiter ac stabiliter inhæsit, IN LOIDE AVIA TVA materna: (nam *Timotheus* patre *Gentili* natus erat:) (b) ET IN MATRE TVA, Iudæa (c) quidem, sed Græcum sortita nomen EVNICE, id est, *Victoria*, vel *Vincentia*. CERTVS; Græcè, *persuasus*, SVM AVTEM QVOD ET IN TE constanter inhærcat: vnde non est quòd de hac quidquam moneam: solùm opto

¥. 6. VT GRATIAM, seu donum, DEI in & cum sacro presbyteratus & episcopatus Ordine tibi per me collatum, (d) RESVSCITES] id est, viuere ac vigere facias per continuam & strenuam exercitationem. Nam ἀναζωπυρεῖν, proprìè significat, ignem sub cineribus reconditum ac sopitum, flatu suscitare. Nempe dona Dei sunt veluti viuæ prunæ in cordibus nostris accensæ, sed eas satan & caro suffocare, vel saltem obruere nituntur: nos contrà magis ac magis oratione fouere, exercitio acuere, vigilantia custodire debemus. ita Theodoret. Theophylact. Oecumen. Neque enim *spiritus*, quem

¥. 7. DEDIT NOBIS DEVS, est SPIRITVS TIMORIS, seu timiditatis & ignauiæ, (qualis est eorum qui animo sunt pauido & abiecto,) SED VIRTVTIS, δυνάμεως, id est, fortitudinis & roboris, vt scilicet instar strenuissimorum ducum, alijs præeamus, & Ecclesiam Dei propugnemus, inquit S. Chrysost.

¥. 8. SECVNDVM VIRTVTEM DEI] id est, freti potentia non propria, sed diuina, qui nos in hanc palæstram vocauit, &

¥. 9. LIBERAVIT à peccato, dæmonis potestate, & morte æterna: ET VOCAVIT VOCATIONE SVA SANCTA, seu ad veram vitæ sanctitatem, putà ex errorum labyrinthis, & peccatorum sordibus ad christianissimum. non quòd nos id promeriti fuerimus nostris operibus, (e) sed ex mera gratia, ac gratuito liberalique beneplacito & decreto suo diuino, intuitu meritorum Christi. Quæ gratia fuit

d 1. Tim. 4. v. vlt.

e Rom. 4. v. 2. Cor.

tia fuit quidem parata nobis ANTE TEMPORA SÆCVLARIA] id est, antequam esset tempus & sæcula, seu ab æterno, sed abscondita in Deo:

℣. 10. NVNC AVTEM MANIFESTATA nobis EST PER ILLVMINATIONEM, διὰ τῆς ἐπιφανείας, id est, *per apparitionem*, seu aduentum, CHRISTI: QVI morte sua MORTEM DESTRVXIT & abolevit: (a) VITAM AVTEM ET INCORRVPTIONEM, (b) id est, vitam incorruptibilem seu immortalem, nobis ILLVMINAVIT, id est, in lucem & cognitionem produxit, PER EVANGELIVM toto orbe euulgatum.

a 1. Cor. 15. v. 54.
b Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 41.

℣. 12. SCIO CVI CREDIDI, & cuius fidei commiserim seruandum DEPOSITVM MEVM, putà thesaurum laborum & passionum quas pro Euangelio subiui. Hunc enim multis annis collectum, in Dei sinu proba & fida custodia, deposui, vt *in illo die* magno iudicij, gloriam & præmium pro illo recipiam. ita Ambros. Theophyl. Anselm.

℣. 13. FORMAM, ὑποτύπωσιν, id est, viuum exemplar, natiuam imaginem, claram repræsentationem, HABE, id est, mente retine, VERBORVM SANORVM, id est, solidæ sanctæque doctrinæ à me tibi traditæ. Hoc

c 1. Tim. 6. v. 20.

℣. 14. BONVM DEPOSITVM, (c) hunc pretiosum doctrinæ thesaurum diligenter CVSTODI, ope & gratia SPIRITVS SANCTI.

Tertull. l. de Resurrect. c. 24.

℣. 15. De *Phigello* & *Hermogene* (quem Tertull. ait negasse carnis resurrectionem) narrat Ambrosius, simulasse eos amicitiam cum Apostolo, vt secreta eius penitiùs excuterent, sed cùm sentirent se detectos, ab eo recessisse. Ab his, & ab alijs *Asianis* Romæ tum degentibus, (ac primò fauentibus Paulo, sed mox Iudæorum impulsu, & Neronis metu, ab ipso dilapsis, vno excepto *Onesiphoro*,) monet Timotheum, vt, si ad mentē non redeant, sciat cauendum sibi alijsque fidelibus, ne ab ipsis prodantur, vel alia nocumenta accipiant, inquit Chrysost. & Theodoretus.

CAPVT II.

Hortatur ad fortitudinem & constantiam in euangelizando, & ad fugam hæreticorum.

℣. 1. CONFORTARE, corroborare, animos assume per *gratiam* à Christo proficiscentem: & sana sanctaque dogmata fidei nostræ.

℣. 2. QVÆ VIVA VOCE AVDISTI aliquando ex ore meo PER MVLTOS TESTES, id est, coram multis eadem audientibus, tu nunc vicissim COMMENDA & trade FIDELIBVS atque idoneis viris, v. g. presbyteris Ecclesiæ, qui eadem populum doceant. ita Ambros. Theophyl. Oecumen.

Nota hæc pro Traditionibus. Si enim de solis Scripturis hîc ageret Paulus, non fidelibus verbi præconibus, sed librarijs eas commēdari iuberet.

℣. 4. NEMO MILITANS (DEO, deest in Græco) IMPLICAT SE NEGOTIIS SÆCVLARIBVS, seu mundanis, (nempe quæ impediāt quo minùs Deo militet:) VT totus illi vacet & PLACEAT, CVI SE militem PROBAVIT & addixit. Atque ita ad indefessum laborem & occurrentium molestiarum tolerantiam animat Paulus Timotheum triplici analogia, *militis*, *pugilis* & *agricolæ*, vt notat S. Chrysost. & Theophyl.

℣. 9. IN QVO, id est, cuius causa, LABORO, κακοπαθῶ, id est, mala sustineo, seu affligor, VSQVE AD VINCVLA & carceres, QVASI MALE OPERANS, id est, ac si essem maleficus aut scelestus quispiam: SED etsi corpus vinculis adstringatur, VERBVM DEI NON ideo est ALLIGATVM, seu vinculis constrictum: neque enim idcirco cesso euangelizare tum verbo, tum scripto.

℣. 10. PROPTER ELECTOS, qui ad ouile Christi nostris laboribus & industria pertrahendi sunt.

Sed quid si, ô Paule, fallaris? mira promittis certantibus ac vincentibus: iubes tolerari aduersa, spe præmij & brauij æterni; fortè nil tale subsequetur. Respondet:

℣. 11. FIDELIS, verus, certus est SERMO meus, quo promitto, si pro Christo patiamur, & Christo commoriamur, nos simul cum Christo resurrecturos ac regnaturos æternùm. Quod etsi fortè

℣. 13. NON CREDIMVS, aut nobis persuadere non possumus, nihilominus tamen fiet: incredulitas nostra fidelitatem Dei conuellere non potest.

℣. 15. EXHIBETE DEO PROBABILEM, δόκιμον, id est, *probatum*; nempe vt Deus te tuaque probet ac grata habeat: & OPERARIVM INCONFVSIBILEM] ἀνεπαίσχυντον, id est, *qui non pudefiat, non erubescat* crucem Christi, inquit Chrysostom. & Theophy.

℣. 17. HYMENÆVS ET PHILETVS exitiales hæretici dicunt non futuram

℣. 18. RESVRRECTIONEM corporum, sed si quæ talis adstrui debeat, FACTAM IAM ESSE in Christo resurgente: nos autem nō resurrecturos secundùm corpus, sed solùm secundùm animam: nec corporaliter, sed solùm mysticè & spiritualiter, hîc per baptismum & pœnitentiam, in futuro etiam per gloriam animæ, quâ renascemur ad vitam nouam & immortalem. ita S. Thomas & Anselmus. Horum & similium hæreticorum perfidiâ *subuertitur* QVORVNDAM non sat stabilium FIDES: & pestilens illorum doctrina *serpit vt cancer*, proxima quæque excedens ac depascens. Sed an inde periculum nō imminet Ecclesiæ, vt tota breuî subuertatur? Minimè: quia

℣. 19. FVNDAMENTVM DEI, id est, Ecclesia à Deo fundata, (d) quasi ędificium & palatium ipsius, FIRMVM STAT & inconcussum. Moliantur hæretici quæcumque voluerint, nunquam illud subuertent. Sed neque vel particulam illius vllam, putà fideles, diuellent à fide, gratia vel gloria, nisi spontaneos & volentes. Nam binis *signaculis* firmatur & communitur Ecclesia, & quodlibet eius membrum: Vnum est ex parte Dei, infallibilis diuina præscientia, electio irreuocabilis, amor inexplicabilis, & cura ac prouidentia inimpedibilis: COGNOVIT (e) enim certò, tenereque amat & curat omnes QVI SVNT EIVS, & gratiam illis suam, omniaque ad salutem necessaria & vtilia abundantissimè subministrat. Alterum est ex parte hominis, odium & fuga peccati. His duobus positis, non rapiet eos de manu Dei quisquam. Nam gratia Dei ita stabilit corda suorum, vt, nisi sponte voluerint, nunquam occasuri sint: solùm enim liberum cuiusque arbitrium potest hoc signaculum cōuellere. ita S. Chrysost. Augustinus, Theophylact. & S. Thomas. Quin & efficax, seu absoluta electio nostri, seu ad iustitiam, seu ad gloriam, multoque magis reprobatio vel damnatio pendet obiectiuè à libera nostra cooperatione & consensu, vt alibi diximus. (f) Vnde nobis inuitis nihil metuendum ab vllis hostibus. Sed quid mirum, fideles quosdam subinde seduci, & à fide, sed sua sponte, abduci? Nam

d Matt. 16. v. 18. & Ephes. 2. v. 20. & Matth. 7. v. 24. & 1. Tim. 3. v. 15.
e Num. 16. v. 5. & 26. & Ioan. 10. v. 27.
August. lib. 10. de Ciu. c. 7. & 11. 12. in Ioan.
f Roman. 8. v. 29. Ioan. 1. v. 12. &c.

℣. 20. IN

Augustin. l. 4. de Baptismo c. 12.

℣. 20. IN MAGNA DOMO, id est, in Ecclesia Christi, inquit Augustinus, sunt VASA omnis generis: quædam AVREA ET ARGENTEA, nempe illustres & constantes in fide & sanctitate: quædam LIGNEA ET FICTILIA, vulgares, fragiles & infirmi: QVÆDAM IN HONOREM, id est, in nobiles & honorificos vsus: QVÆDAM IN CONTVMELIAM, id est, in vilia ministeria: tales sunt peccatores sordidi & viles in oculis Dei. E quorum numero quid mirum, quosdam subinde etiam frangi quoad fidem, & ejici è domo? Sed ne putes conclamatum de talibus: ab ipsorum id nutu dependet. nam cum auxilio diuinæ gratiæ nunquam ipsis defuturo

℣. 21. SI QVIS eorum SE EMVNDAVERIT AB ISTIS peccatorum sordibus (respicit enim ad v. 19. *Discedat ab iniquitate*, &c.) ERIT MOX VAS IN HONOREM, SANCTIFICATVM, à sordibus peccati emundatum, & gratia diuina exornatum, atque ita euadet vtilissimum ac nobilissimum instrumentum. ita idem Chrysost. Ambros. & Augustinus.

August. l. de Actis cum Felice Manichæo c. 4.

℣. 22. IVVENILIA DESIDERIA sunt inanis gloria, ambitio, curiositas, carnalis voluptas, & similia adolescentiæ vitia.

℣. 23. QVÆSTIONES SINE DISCIPLINA, ἀπαίδευτοι, id est, incruditæ, insensatæ, sunt quæ nihil habent sapientiæ aut solidæ eruditionis.

℣. 25. CVM MODESTIA, ἐν πραΰτητι, id est, *cum lenitate*, corripiendi sunt QVI VERITATI necdum sat sibi perspectæ RESISTVNT; NEQVANDO, μήποτε etiam significat, *si quando, si forte*, DEVS DET ILLIS POENITENTIAM] seu concedat pœnitere, per efficacia gratiæ auxilia. ita Theophyl.

CAPVT III.

Prædicit exorituros perfidos hæreticos, quorum mores describit, & fugiendos monet: hortaturque ad studium sacrarum Litterarum.

℣. 1. NOVISSIMIS iam subsecuturis *temporibus*, ℣. 2. ERVNT HOMINES non pauci ℣. 3. SINE AFFECTIONE] ἄστοργοι, id est, *sine pietate*, sine benevolentia, sine visceribus compassionis, inhumani & crudeles, inquit Theophyl.

℣. 5. HABENTES SPECIEM, seu laruam, PIETATIS, reuerētiæ, cultus diuini, sed VIRTVTEM EIVS, id est, vim & rem ipsam, ABNEGANTES] Nempe verbis affectabunt, quod opere negant. Habes his versibus natiuam descriptionem genij & indolis *Gnosticorum*, (a) aliorumque hæreticorum.

a 2. *Petr. 2. in fine.*

℣. 6. MVLIERCVLAS ONERATAS PECCATIS, magno sordium aceruo grauatas, illecebris & laqueis suis CAPTIVAS DVCVNT, adeoque sibi obnoxias faciunt, vt velut captiuas, quocumque voluerint, abducant. Et verò notat S. Hieronymus, omnes hæreses per mulierculas propagari cœpisse. Quæ

Hier. epist. ad Ctesiphontem.

℣. 7. SEMPER fingunt se velle instrui, & *discere* viam salutis, sed NVMQVAM AD SCIENTIAM VERITATIS *perueniunt*, quia non consulunt nisi erones & falsarios.

℣. 8. IANNES ET MAMBRES nomina sunt magorum Pharaonis qui cum *Moyse* decertarunt: (b) quæ Paulus vel ex maiorum traditione, vel ex diuina inspiratione accepit, inquit Chrysostom. & Theophyl. Et sic verè vocatos fuisse docet quoque Numenius Pythagoricus apud Eusebium, nisi quòd pro *Mambres*, legat *Iambres*, vt etiam habent Biblia Regia Græca & Syra.

b *Exodi 7. v. 11. & 6.*

℣. 9. SED VLTRA NON PROFICIENT in hypocrisi sua & pietatis larua, quin ea detegatur, & eorum fraus, dolus, falsitas orbi palàm innotescat. Alioquin, vt v. 13. dicitur, in impietate sua *proficient* quotidie *in peius*.

℣. 11. QVALIA MIHI FACTA SVNT ANTIOCHIÆ non in illa Syriæ metropoli, sed altera Pisidiæ vicina ICONIO & LYSTRIS] vbi à Iudæis lapidatus ac tantùm non occisus est Paulus. (c)

c *Act. 13. & 14.*

℣. 12. ET OMNES, vt plurimùm, QVI VOLVNT PIE, seu religiosè, VIVERE ex præscripto & consilio CHRISTI, PERSECVTIONEM PATIENTVR ab infidelibus, ab hæreticis, ab inuidis, à cognatis, ab amicis, &c.

℣. 14. TV constans PERMANE IN IIS populo tradendis QVÆ TIBI, vt Episcopo, à me CREDITA & commissa SVNT; memor A QVO illa DIDICERIS, à quali & quanto magistro.

℣. 15. AB INFANTIA & quasi cum lacte SACRAS LITTERAS, id curante piâ matre tuâ, (d) didicisti, QVÆ TE POSSVNT INSTRVERE AD SALVTEM; Græcè, σοφίσαι, id est, *sapientem reddere*, nempe PER FIDEM IN CHRISTVM, quam tradunt & docent: *Finis enim legis* est *Christus*. (e) q. d. Iam ad martyrium accingor, ô Timothee: mea institutione curandum tibi deinceps: sed vice illius commendo tibi studium sacrarum Litterarum, ex ijs audies loquentem & monentem Deum. ita S. Chrysost.

d 2. *Tim. 1. v. 5.*

e *Rom. 10. v. 4.*

℣. 16. OMNIS, seu tota, SCRIPTVRA VTILIS EST, id est, conducit, ad hunc vsum seu finem condita est, nempe AD DOCENDVM necessaria saluti; AD ARGVENDVM & conuincendum hæreticos, alioquè peccatores; AD CORRIPIENDVM aberrantes; AD omnem *iustitiam*, sanctitatem & perfectionem tradendam, etiam *homini* DEI, id est, Prophetæ, Doctori Euangelico, Pastori & Episcopo Ecclesiæ Dei. Vbi Nota, non dicere Paulum (vt dicunt nostri Nouantes,) *solam scripturam vtilem esse*, solam necessariam, solam sufficere, nam alibi (f) iubet etiam *traditiones* viua voce acceptas teneri: sed simpliciter dicit tantùm, *vtilem esse*, non negans Sacramenta, bona opera, & alia quoque à Christo præscripta accedere posse ac debere. Sicut cùm dico, panem vtilem esse ad plenam hominis nutritionem, non nego adesse debere potum & obsonium. Cùm dico, solem conducere vt omne viuens producatur & perficiatur, non nego ad id insuper requiri alias causas secundas. Adde, cùm hæc scriberet Apostolus Timotheo, necdum extitisse Apocalypsin aut Euangelium S. Ioannis, eiusve epistolas: quas tamen certum est, non minùs vtiles esse, ad perfectionem nanciscendam quàm essent Scripturæ tunc extantes, de quibus hîc loquitur S. Paulus.

f *Hier. c. v. 2. & 2. Thessal. 2. v. 14.*

CAPVT IV.

Monet Episcopum vt in verbi prædicatione sit assiduus: mortem sibi, sed cum glorioso triumpho, instare prædicit: rogat vt ad se vltimò complexandum Romam excurrat, & amicos suo nomine saluere iubeat & valere.

℣. 1. QVa ratione *Christus* dicatur IVDICATVRVS VIVOS, sed antè mortuos: ET MORTVOS, sed iam rediuiuos, alibi (g) expositi.

g 1. *Thess. 4. v. 16.*

℣. 3. COACERVABVNT SIBI, id est, magno numero, sed temerè & sine delectu quærent & adsciscent sibi MAGISTROS, non ab Episcopis vel Ecclesia missos vel ordinatos, sed vltrò sese ingerentes

rentes aut obtrusos, qui sibi suisque vitijs adblandiantur, aures scalpãt, & cubitis puluillos assuant, inquit S. Chrysost. & Theophyl. Assument autem hos palpones, quia *pruriunt* AVRIBVS] Id est, eò quòd ament audire noua, curiosa, mollia, & voluptati fauentia. ita S. Cyprianus.

Cypr. lib. 3. Testimon. 67. ad Quirinum.

℣.5. TV VIGILA, VT omnibus his malis occurras. SOBRIVS ESTO, iam in Græcis non habetur hoc loco,

℣.6. EGO IAM DELIBOR, (a) σπένδομαι, id est, *pro libamento* (b) *offeror* & immolor. q.d. Propè est vt sanguinem meum, tãquam gratum Deo libamen offeram, & per martyriũ immoler in sacrificium. ita Chrysost. & Theophyl. Ex Dei ergo instinctu præsciuit Paulus, (vti & (c) Petrus,) instare tempus subeundi martyrij, quod proximo anno sustinuit. (d) *Sunt* autem (vt notat Augustinus) hæc *verba exultantis* Pauli *ad mortis præsentiam, & ad coronam anhelantis.* Et verò *sapientis animus totus in mortem prominet: hoc vult, hoc meditatur, hac semper cupidine fertur*, inquit etiam Seneca.

a *Hebr. 10. v. 37.* b *Rom. 15. v. 16. & Philipp. 2. v. 17.* c *2. Petr. 1. v. 14.* d *Chronic. vlt. an. 13. & 14. Neronis. August. in Psal. 31. Seneca ad Marciam c. 23.*

℣.7. BONVM CERTAMEN CERTAVI; Græcè, τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἠγώνισμαι, id est, *agonem illum pulchrum*, illustrem, glorioſum *agonizani*, quo tot tantosque (e) pro Christo subiui labores & ærumnas. CVRSVM Euangelici stadiodromi (f) CONSVMMAVI: propè absum à meta: FIDEM ac fidelitatem perpetuò SERVAVI Deo Domino meo.

e *2. Cor. 11. v. 23. &c.* f *1. Cor. 9. v. 26.*

℣.8. IN RELIQVO; Græcè, λοιπὸν, id est, *quod reliquum est*, ab agonotheta & iudice supremo Deo REPOSITA EST & asseruatur mihi iam penè victori CORONA IVSTITIÆ, id est, brauium & præmium debitum meæ iustitiæ, seu virtuti ex operibus iustis, vt Chrysost. & Theophyl. exponunt: vel, vt Anselmus & alij, *coronæ* quam iustè promerui. Ex quo contra hæreticos patet, iustos ex iustitia & de condigno mereri beatitudinem per sua bona opera. Porrò *certus securusq; gaudebat Paulus, quia de victoria certum eum secumque, (non re plenissima, sed spe firmissima) (g) iam fecerat is qui mortem & martyrium illi reuelarat. (h)* Verba sunt S. Augustini. *Nec* MIHI *soli*, inquit Paulus, reposita est talis *corona*, SED ET IIS omnibus QVI DILIGVNT, optant, desiderant (vtpote bene sibi conscij rectè factorum, inquit Anselmus,) secundum Christi, quasi optatissimi parentis sui; ADVENTVM ad iudicium, & ideo ad eum studiosè per sanctam vitam sese comparant, inquit Chrysostomus.

g *1. Cor. 9. v. 27.* h *Hic v. 6. August. l. 1. de Peccatorum meritis c. 16.* *Chrysost. in moral. hom. 9.*

FESTINA, ô Timothee, AD ME VENIRE CITÒ] ne, si tardes, occisum reperias. Euocarat eundem Paulus etiam in primis suis vinculis, (i) quod commodum sibi, suisque negotijs opportunum experiretur.

i *Philipp. 2. v. 1.*

℣.9. DEMAS, qui in primis vinculis mihi constanter adhæsit, (k) iam in his secundis ME RELIQVIT, DILIGENS HOC SÆCVLVM, commodaq; præsentis vitæ præponens curæ mei & Euangelij: & vt rebus suis priuatis vacet, vel procul absit à periculo, ABIIT THESSALONICAM in Macedoniam, vnde forsan oriundus erat. Ex Asiaticis ergo qui mihi adesse solent

k *Ad Philemon. v. 24.*

℣.11. LVCAS SOLVS MECVM manet. Is post prima vincula Romana à Paulo secesserat, & in Africa atque Ægypto prædicarat: sed vbi audijt secundò captum Paulum, veritus, quod res erat, ipsum de vita periclitaturum, in Vrbem recurrit eius iuuandi ac solandi gratiâ. Et verò interfuisse illius martyrio, acta Lini testantur apud Mombri-

Mombrit. in martyrio S. Pauli.

A tium. MARCVM, prænomine *Ioannem*, consobrinum *Barnabæ*, (l) ADDVC TECVM ad me: statui enim illo vti IN MINISTERIVM prædicationis. *Actor. 12. v. 25. & 6.*

℣.12. TYCHICVM MISI EPHESVM, vt tuas istic, ô Timothee, absentis vices suppleat tãtisper dum tu mihi aderis. *15. v. 37.*

℣.13. PENVLA pallium est, seu extima vestis hiemalis ad pluuiam ac frigus arcendum, teste Lampridio, Bayfio, Hieron. Chrysost. & Theophyl. Nos *palandrap* vocamus. *Lamprid. in Seuero. Lazarus Bayfius l. de Re vestiaria c. 16. Hieronym. Dial. 3. contra Pelagianos.*

CARPVS, is esse videtur cui insignis illa visio obtigit apud Dionysium Areopagitam. ita Anselmus: qui addit, priùs eum *Laodiciæ*, iuxta *Troadem*, deinde *Cretæ* Episcopum fuisse. *Dionys. epist. 8. ad Demophilum.*

B Per LIBROS intelligit Paulus volumina S. Scripturæ manu aliorum descripta: per MEMBRANAS similia scripta, sed manu propria exarata. Sed quid mox morituro cum chartis, membranis & libris? Nempe otium oderat Paulus, & studio S. Scripturæ etiam immori volebat, memor dicti Solonis, tamdiu *discendum nobis* esse *quamdiu viuitur*. Sic S. Ambrosium immortuum commentationi in Psalmos, scribit S. Thomas: item S. Augustinum & Venerabilem Bedam auctor Vitæ vtriusque.

℣.14. De *Alexandro ærario* suprà egi. (m) *m 1. Tim. 1. v. 20.*

℣.16. IN PRIMA MEA DEFENSIONE cùm ante nouennium primò vinctus Icrosolymis Romam C missus essem, NEMO MIHI AFFVIT apud Neronem, præter Deum, meis omnibus metu detentis. Sed Deus auxiliatus est mihi, & liberauit me DE ORE LEONIS, id est, *Neronis* crudelissimi instar leonis (inquit Chrysost. Theophyl. & Oecumenius) VT PER ME PRÆDICATIO Euangelij IMPLEATVR, seu compleatur vel absoluatur, etiam apud alias remotissimas GENTES: quod factum iam totis nouem annis, quibus partim Gallias, partim Hispanias, partim alias prouincias euangelizando peragraui. ita Eusebius, Beda, Anselmus & alij. Exinceps verò *Euseb. l. 2. hist. c. 22.*

℣.18. LIBERAVIT; Græcè, ῥύσεται, id est, *liberabit*, ME DOMINVS non à corporali leone, id est, D Nerone; sed à spirituali leone, qui longè sæuior ac nocentior est, putà AB OMNI OPERE MALO, seu peccato: vt nempe nec verbo, nec opere ob vllos terrores aut tormenta negem Christum, vel in fide aut constantiâ vacillem. Ita etiam legit Syrus, & Chrysost. & Ambros. & veteres passim.

℣.19. De *Prisca, Aquila, (n) Onesiphoro, (o) Erasto, (p)* alibi audiuimus. *n Actor. 18. v. 2. & Roman. 16. v. 3. o 2. Tim. 1. v. 16. p Rom. 16. v. 23.*

℣.20. TROPHIMVM Arelatensem Episcopum facit Anselmus & Petrus Cluniacensis. Hunc MILETI (q) (vrbe Asiatica, iuxta Ephesum) RELIQVI INFIRMVM, inquit Paulus. Post reditum enim ex Hispanijs reuisit suos Asianos, vti ipsis promiserat. (r) Porrò etiam hinc colligimus, hanc epistolam scriptam è secundis Pauli vinculis: nam in E primis vinculis non transijt Paulus *Miletum* post vale dictum Timotheo, vt patet ex descriptione itineris eius in Actis Apostolorum. (s) Neque pro *Mileto* legendum hîc *Melitam*, vt vult Baronius, constat ex omnibus exemplaribus Græcis, Syris, Latinis, quæ constanter legunt *Miletum*. *Petr. Cluniac. lib. 1. epist. 2. q Actor. 20. v. 17. r Philip. 2. v. 24. Philemon. v. 22. Hebr. vlt. v. 23. s Actor. 27. & 28.*

℣.21. PVDENS vir erat apud Romanos clarissimus, senatorij ordinis, pater S. Praxedis & Pudentianæ, & hospes SS. Petri & Pauli.

LINVS S. Petro in pontificatu proximè successit: meminitque illius S. Ignatius Martyr. *Ignat epist. ad Trallianos.*

EPISTOLA BEATI PAVLI APOSTOLI AD TITVM.

SCRIPTA anno à morte Christi 26. ex loco vicino Nicopoli Macedoniæ (vt habent Græca & Syriaca in fine epistolæ, & colligitur ex cap.3.v.12. & docent S.Hieron.Athanas.Chrysost.Theodoret.Occumen.Baronius & alij.) cùm anno præcedente Titum *Cretæ* vicinarumque insularum Archiepiscopum creasset Paulus, vtroque parente Gentilem & Græcum, & (si Chrysostomo credimus,) Corinthium, ob insignem morum innocentiam, sanctitatem & castimoniam (nam tota vita virginem mansisse tradit S.Martyr Ignatius,) extremè sibi charum, vnde & *filium* (a) suum vocat & *fratrem.* (b) Qui etiam in Dalmatia, (c) multisque alijs prouincijs Euangelium promulgauit, ac tandem in sua Creta sanctitate illustris excessit è viuis anno ætatis 94. ibidemque sepultus, & in Sanctorum numerum relatus colitur 4.Ianuarij, teste S.Hieronymo & alijs apud Baronium. Porrò recèns creatum Episcopum hac epistola instruit Apostolus, qua ratione se gerere debeat in suo episcopatu.

Ignat.epist. ad Philadelphios.
a Hic cap.1. v.4.
b 2.Cor.2. v.13.
c 2.Tim.4. v.10.
Baron. in Martyrol. 4.Ianuarij.

CAPVT I.

Commendatâ obiter gratiâ Christi & Euangelij, docet quales debeat ordinare Episcopos ac pastores vrbium sibi cõmissarum: quomodo item Cretenses compescendi, ne in Iudaismum delabantur occasione commercij cum nobilibus Iudæis, qui plurimi in Creta morabantur, teste Iosepho cui vxor inde obtigerat.

Ioseph. in sua Vita.

¶.1. PAVLVS CHRISTI SECVNDVM; Græcè, κατὰ, id est, *circa* vel *propter*, FIDEM ELECTORVM] q.d. Missus vt electos instruam in fide, qua pulsis errorũ tenebris cognoscant veritatem Euangelicam, quæ docet piè sanctèque vitam instituere.ita Theophylact.

¶.4. TITO DILECTO, γνησίῳ, id est, germano, genuino, vero, FILIO suo, non secundùm carnem, sed SECVNDVM COMMVNEM omnibus Christianis FIDEM & spiritum, quo ego illum in Christo genui.

¶.5. RELIQVI TE in insula CRETA Episcopũ, imò Archiepiscopum, VT PER singulas CIVITATES, κατὰ πόλιν, id est, *oppidatim*, CONSTITVAS PRESBYTEROS, (d) in maioribus Episcopos, in minoribus sacerdotes Parochos, quales tibi aliquãdo descripsi. v.g.vt Episcopus sit *vers.6.* SINE CRIMINE, id est, (vt alibi (e) dixi) sit *irreprehensibilis*, nempe quoad delictum alicuius momenti: sit boni nominis & famæ: non nisi VNIVS VXORIS VIR: (f) FILIOS (si qui ex eo ante sacros Ordines progeniti,) HABENS FIDELES, seu Christi fidem professos, NON IN ACCVSATIONE LVXVRIÆ, id est, non accusatos de ἀσωτίᾳ, id est, de luxu in comessationibus & compotationibus, vel etiam de carnis intemperantia. Notat Strabo, Cretensibus familiarem fuisse fœdam pæderastiam.

d Philipp.1. v.1.
e 1.Tim.3. v.2.
f Ibid.
Strabo l.10.

¶.9. AMPLECTENS, ἀντεχόμενον, id est, tenax, A retinens, constanter fouens FIDELEM SERMONEM, id est, veræ & exploratę certitudinis dogmata SECVNDVM DOCTRINAM Christianæ religionis.

¶.12. QVIDAM (Epimenides) IPSORVM PROPHETA, nempe poëta, philosophus, sacerdos & vates Cretensis, qui teste Laërtio & Cicerone *propheta* à suis habebatur, scripsitq; librum *De oraculis*, & de naturalibus vitijs suæ gentis. Huius testimonio, Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. q.d. *Cres semper mendax, mala bestia, venter iners est.* Quæ tria erant vitia gentis istius: Primum, mentiri & fallere: vnde κρητίζειν, id est, *cretizare*, idem est quod *mentiri*. Secundum, *mordere* & nocere alijs, quod est malarum seu noxiarum bestiarum. Tertium, otio & ventri indulgere. TESTIMONIVM, HOC VERVM *esse* didici, inquit Paulus non sola fama publica, sed & propria experientia. Vnde & sæpiùs de his *increpandi* & arguendi sunt, etiam DVRE, ἀποτόμως, id est, seuerè, rigidè & ad viuũ, item præcisè & sine ambagibus aut inuolucris. Sed & curandum quoad doctrinam, VT SANI SINT IN FIDE Christi, respuentes quidquid huic contrarium suggeritur, ac nominatim

Cicero l.i de Diuinatione.

¶.14. IVDAICAS Iudaizantium FABVLAS, ET MANDATA, seu instituta, peruersorum HOMINVM, qui *auersantur* & oderunt *veritatem*, ac pro ea fabellas substituunt, v.g.de cæremonijs legis Mosaicæ, de delectu ciborum, &c.

¶.15. MVNDIS enim, id est, Christianis sanguine Christi mundatis in baptismo, OMNIA sunt MVNDA, id est, nullum genus ciborum ex se (g) vel ex lege sua, est immundum, vt alibi (h) vidimus. Neque enim lex Ecclesiastica, quæ iubet subinde abstinere à quibusdam cibis, id iubet, quasi immundi sint cibi, sed solùm vt pœnitentiam hac via agamus. COINQVINATIS AVTEM ET INFIDELIBVS NIHIL EST MVNDVM] An ergo omnia infidelium

g 1.Tim.4. v.3.
h Rom.14. v.6.&c.

lium opera sunt peccata? Minimè: nam verba Pauli intelligenda sunt formaliter.q.d.Infidelibus vt tales sunt, seu quatenus infideli *mente & conscientia* cibis,seu vtuntur, seu abstinent, nihil est mundum. Opinantur enim, ex præscripto legis Mosaicæ,vel Simonis Magi,vel similium hæreticorum, statuendum de vsu vel de abstinentia ciborum: vnde siue vtantur illis, siue abstineant, semper peccant.Si enim abstinent,peccant superstitione,quia putant cibos immundos esse:si vtuntur & comedùt, peccant *inquinata* & erronea *conscientia*, quia putant,sibi fas non esse illis vesci, & tamen vescuntur. Sed de his alibi. (*a*)ita Hieron. Ambros.Chrysost.& August.

a *Rom.14. &c.*

℣.16.ABOMINATI, βδελυκτοὶ,id est,*abominabiles*,execrabiles,ET INCREDIBILES, ἀπειθεῖς, (*b*) id est, *impersuasibiles*, (vt Syrus vertit,) increduli & inobedientes:ET REPROBI, ἀδόκιμοι, id est,*inepti*, sed vitio suo & propria malitia ac libera voluntate, qua repudiant & reprobant OMNE OPVS BONVM,& proiecti sunt in omne malum. Ex his tamen non sequitur, hâc impietatem impedire,quò minùs hæretici & infideles faciant subinde quædam opera saltem moraliter bona: (nam,vt addit hîc Apostolus,CONFITENTVR DEVM,id est,profitentur fidem Christi: quod sanè est opus bonum:) sed solùm quòd vt plurimum, & vt tales nihil faciant boni, vt dixi v.15.

b *Ephes.2. v.2.*

CAPVT II.

Instruit senes, anus, adolescentulas & seruos: & gratiam Christi fortiter inculcat.

℣.3. HABITVS SANCTVS is est qui sanctimoniam & religiosam modestiam redolcat ac deceat;Græcè,ἱεροπρεπεῖς,id est,qui deceat sanctas, putà matronas Deo dicatas in baptismo. BENE; Græcè,*bona*,DOCENTES, non leuia,non anilia, non sordida.

℣.5.VT VERBVM DEI, id est,doctrina & religio Christiana, NON BLASPHEMETVR aut malè audiat apud infideles,quasi impia vel absurda doceat.

℣.8.VERBVM SANVM,id est,doctrinam incorruptam, PRÆBE, seu deprome, subditis tuis: VT QVICVMQVE EX ADVERSO EST, seu aduersatur Christianæ religioni, (sit Iudæus, sit Gentilis, sit hæreticus) VEREATVR, id est, erubescat illi detrahere.

℣.10. FIDEM BONAM OSTENDENTES: id est, sinceram fidelitatem in re qualibet præstantes,VT sua integritate,obedientia& promptitudine DOCTRINAM Christianam apud omnes commendatam reddant,quò plures ad illam complectendam alliciantur. Nam etiam serui & ancillæ,si moribus honestis & commodis se probarint apud Ethnicos, valdè commendant & ORNANT religionem Christianam,inquit S.Chrysost.Meritò autem viuendum nobis sanctè ac religiosè:

℣.11.APPARVIT ENIM; Græcè,ἐπεφάνη,id est, *illuxit* nobis,(scilicet in incarnatione Verbi diuini) GRATIA DEI SALVATORIS] Græcè,*misericordia Dei salutifera*. ita S.Hieronymus.

℣.12. Hæc gratia NOS tanquam rudes pueros *erudit* instar pædagogi,(hoc enim est παιδεύειν,inquit Gellius) *abnegare*, Primò, IMPIETATEM, seu doctrinæ,seu morum; Secundò, SÆCVLARIA DESIDERIA, id est, mundanas concupiscentias, seu cupiditates carnis, opum, honoris & gloriæ. ita

Gellius l.13. c.13.

S.Bernardus. Nam *disciplina Christiane professionis non omnis commendatur in miraculis faciendis, neque in futurorum prædictione,neque in composito eloquio, vel Scripturarum explanatione, sed in resecandis concupiscentijs nostris*, inquit S.Laurentius Iustinianus.

Bern.serm. 11. inter parvos.

Iustinian l. de Interiori conflictu c.8.

℣.14.VT MVNDARET à sordibus peccatorum, & mundatum adlegeret SIBI POPVLVM ACCEPTABILEM,περιούσιον, id est,eximium,peculiarem, seu instar peculij selectum ac dilectum, inquit S.Hieron. SECTATOREM,ζηλωτὴν,id est *Zelatorem*, æmulatorem, BONORVM OPERVM] id est,magnis animis,magna alacritate,studio, feruore,virtutis exercitia capessentem.

℣.15.HÆC talia LOQVERE & inculca Cretensibus tuis: refractarios ARGVE, increpa,compesce, CVM OMNI IMPERIO,id est,plena potestate & auctoritate.Atque ita in omni munere tuo te geras, vt NEMO ausit TE CONTEMNERE, (*c*) despicere, vilipendere quasi infra se positũ,inquit S.Hieron. Quod maximè monet propter nobiles & potentes in plebe,qui despiciunt Episcopos.*Vbi ergo malitia iuncta est potentia*(inquit S.Bernardus,)*aliquid tibi supra hominem præsumendum: vultus tuus super facientes mala:timeat spiritum iræ tuæ,qui hominem non veretur,gladium non formidat:timeat orationem,qui admonitionem contempsit. Cùm iratum,non hominem putet: qui te non audierit,auditurum Deum contra se paueat* & horrescat.

c 1.*Tim.4. v.12.*

Bernard. de Consideratione in fine lib.4.

CAPVT III.

Pergit inculcare morum emendationem per & propter Christum.

℣.4. APPARVIT,seu illuxit,(*d*)HVMANITAS, φιλανθρωπία,id est,*amor* ille singularis *erga homines*; *vers.* 5. NON EX merito *operum* nostrorum *iustorum*, (quæ nulla antè erant,) SED SECVNDVM gratuitam SVAM MISERICORDIAM SALVOS NOS FECIT, id est,iustificauit, PER LAVACRVM REGENERATIONIS, id est, per baptismum, quo exteriùs abluimur, sed interiùs per infusam SPIRITVS SANCTI gratiam renouamur, ac regeneramur in filios Dei, & heredes vitæ ac gloriæ æternæ.

d *Hic c.2. v.11.*

℣.8.FIDELIS SERMO, id est,certa & indubitata sunt quæ dico: ET DE HIS, atque per hæc, VOLO TE tuos CONFIRMARE: VT CVRENT BONIS OPERIBVS PRÆESSE, προΐστασθαι, id est,instar ducum præstare,præire ac præcellere alijs, non solo verbo,sed & opere & exemplo.ita Theophyl.

℣.9. GENEALOGIAS (de quibus alibi) *(e)* ET futiles PVGNAS Rabbinicas circa quæstiones LEGIS,DEVITA, reijce,auersare.

e 1.*Tim.1. v.4.*

℣.10. HÆRETICVM, necdum tibi sat perspectum vel exploratum, admone, instrue, corripe: sed si POST VNAM atque alteram CORREPTIONEM, (νουθεσίαν,Hieron.vertit,*admonitionem*,) pertinax maneat & contumax,DEVITA, nec vlteriorem operam perdas.

℣.11. SCIENS QVIA talis SVBVERSVS EST, ἐξέστραπται, id est,*euersus est*, & excidit gratia, fide,spe & omnibus bonis: ET DELINQVIT dc peccat,non ex ignorantia vel infirmitate,sed sciens,prudens, atque ex malitia & obstinatione in malo, CONDEMNATVS etiam PROPRIO IVDICIO & suaspõte,quia non vult ijs auscultare per quæ possit ex erroribus suis emergere & in viam redire.

℣.12. CVM MISERO AD TE TYCHICVM, *(f)* VT tui

f 2.*Tim.4. v.12.*

tui abſentiam in Creta ſuppleat, FESTINA AD ME VENIRE NICOPOLIM Epiri.

℣.14. DISCANT NOSTRI Chriſtiani (quod & a *Hic v.8.* ſuprà *(a)* monui) PRÆESSE alijs ac præcellere *bonorum operum* ſtudio, AD VSVS aliorum NECESSARIOS, v.g. eleemoſynis occurrentes neceſſitati atque indigentiæ pauperum: VT ſic etiam ipſi in vinea Euangelica NON SINT INFRVCTVOSI, ſed ſinguli pro modulo ſuo rem communem promoueant.

EPISTOLA BEATI PAVLI APOSTOLI AD PHILEMONEM:

b *Hic v.22.* CRIPTA Romæ è primis vinculis (*b*) anno à morte Chriſti 28. eodem tempore cum epiſtola ad Coloſſenſes, & per eumdem baiulum, putà *Oneſimum*, tranſmiſſa. Erat autem Oneſimus Phryx genere, ſeruus, ſeu mancipium Philemonis viri nobilis, atque inter ciues Coloſſenſes, vt potentia & opibus, ita & pietate conſpicui. Hic (vt Phryges furaci ſunt indole,) compilatis quibuſdam domini ſui rebus (vt ex v.18. colligit S. Hieron. Theodoret. & Theophyl.) Coloſſis Romam profugerat: hunc Paulus conuerſum & baptizatum cum hac commendatitia remittit ad *Philemonem*, rogatque vt eum in gratiam recipiat. Receptus, in virum euaſit maximè inſignem: imò poſt Timotheum Epheſi creatus eſt Epiſcopus (quem S. Martyr Ignatius mirificè laudat:) & ſub Traiano Romæ martyrium gloriosè conſummauit. Ex quo diſcimus, de nullius, quantumuis duri, fraudulenti, perditi hominis ſalute vmquam deſperandum.

Ignatius epiſtola ad Epheſios.

℣. 1. PAVLVS VINCTVS CHRISTI causâ, per hæc vincula tibi ſupplicat: ſupplicat & Timotheus Epheſiorum Epiſcopus: & ſupplicant vnicè ſibi DILECTO PHILEMONI, ptæ omnibus ADIVTORI NOSTRO in fidei & religionis Chriſtianæ promotione, ad quam ſpectat quod petimus. Idem commendamus

℣.2. APPIÆ VXORI Philemonis, SORORI noſtræ in Chriſto CHARISSIMÆ, ET ARCHIPPO Coloſſenſium Epiſcopo, vt illos in hac cauſa fautores habeamus pro Oneſimo deprecatores. ita S. Hieron. Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Oramus autem

℣. 5. Per FIDEM, QVAM eximiam HABES IN Chriſtum; & per conſuctam CHARITATEM, quam paſſim IN OMNES SANCTOS, id eſt, (*c*) Chriſtianos, excellentiſſimis miſericordiæ operibus demonſtras, adeò

c *Roman.1. v. 7.*

℣.6. VT illa COMMVNICATIO FIDEI TVÆ, id eſt, beneficentia tua ex viua & ardenti fide promanans, FIAT toti orbi ἐναργὴς, id eſt, EVIDENS; (iam legunt Græcè, ἐνεργὴς, id eſt, efficax:) agnoſcentibus omnibus & paſſim deprædicantibus opera tua bona, quæ ſanè plurima à VOBIS per Chriſti gratiam & ex ſingulari in eum affectu proficiſcuntur.

℣.7. VISCERA SANCTORVM REQVIEVERVNT; Græcè, *refocillata ſunt*, PER TE] Id eſt, intima conſolatione Chriſtianos recreaſti, ſubueniendo illis in ſumma fame ac neceſſitate. ita Theophylactus. A En quanto artificio laudes accumulat Paulus Philemoni, vt quod ab illo poſtulabitur negare non poſſit, alioqui ſuis ſe laudibus ſpoliaturus, inquit S. Hieronymus.

℣.8. MVLTAM FIDVCIAM; παῤῥησίαν, id eſt, *libertatem*, per *Chriſtum*, cuius legatus ſum, *habeo* IMPERANDI TIBI QVOD AD REM PERTINET] τὸ ἀνῆκον, id eſt, quod decens, conueniens, & officij tui eſt, nempe vt pœnitentem in gratiam recipias. Sed

℣.9. *Charitas*, qua te vt fratrem amo, facit vt B malim rogare, maximè CVM SIS SENEX æquè VT ego. Da ergo hoc ſenex ſenio meo leuando: da leniendis vinculis meis causâ Chriſti, quam adeò zelaris, mihi iniectis.

℣.11. ALIQVANDO ἀνονήσιμόν, id eſt, INVTILIS TIBI FVIT: NVNC AVTEM ὀνήσιμόν, id eſt; VTILIS ET TIBI ET MIHI.

℣.15. FORSITAN IDEO permiſit Deus, illum A TE AD HORAM, ſeu breue tempus, *diſcedere*, VT PRO temporaneo SERVO, ÆTERNVM FRATREM C RECIPERES coheredem tibi futurum totæ æternitate in cœlis. Vnde & mihi *chariſſimus* accidit,

℣.16. QVANTO AVTEM MAGIS TIBI, cui duplici iam vinculo aſtringitur, putà IN CARNE, id eſt, ſeruitute corporali, ET IN DOMINO] id eſt, fraternitate ſpiritali? ita S. Hieron. & Theophyl.

℣.18. SI QVID NOCVIT TIBI furto ſuo, & hoc nomine DEBET tibi & pœnas dare, & quod abſtulit, reddere; HOC OMNE MIHI IMPVTA: in me tranſcribe, à me volo repoſcas, qui me pro illo ſponſorem facio. Et EA chirographum meum, has litteras

℣.19.

℣. 19. MANV MEA *Pauli* propria conscriptas, quibus me fideiussorem interpono: EGO REDDAM tibi quidquid ab illo potes deposcere. VT NON DICAM TIBI, id est, sileo iam & sepono validiorem machinam qua possem elidere quidquid hîc est debiti: imò ex creditore possem te mihi debitorem ostendere: nam ET TEIPSVM MIHI DEBES, per me conuersus ad Christum. Quantillum verò est quod ab Onesimo tibi debetur, præ hoc debito tuo, quo totus mihi tu ipse obstringeris? ita S. Hieron. & Anselmus. Ergo

℣. 20. ITA fiat, mi FRATER. EGO TE FRVAR IN DOMINO: id est, ex te hunc fructum decerpam, hanc voluptatem ex te capiam; VT VISCERA MEA, id est, filium meum intimè dilectum Onesimum postliminio recipias in gratiam.

℣. 22. PARA HOSPITIVM MIHI, non vt Paulo, cellula vna contento; sed vt Apostolo, ad quem turbæ plurimæ conuertendæ quotidie confluere solent, inquit S. Hieron. Sic & Religiosi qui proximorum saluti curâdæ inuigilant, ampla & opportuna quærunt in vrbibus loca, non vt sibi luisve commodis, sed ciuium bono consulant. NAM SPERO ME breui ex his vinculis educendum, vobisq; reddendum, sed PER ORATIONES VESTRAS] Si talis tantusque Apostolus egeat ope precum alienarum, quis nostrûm non egebit? Et si tanta vis precum mortalium, quid non obtinebit intercessio Sanctorum iam immortalium & regnantium cum Christo?

℣. 23. EPAPHRAS Episcopus fuerat Colossensium, simulque inuigilarat Ecclesiæ Laodicensi & Hierapolitanæ, vt alibi (*a*) Paulus insinuat. Sed cùm Romæ, IN CHRISTO, id est, propter fidem Christi, in vincula coniectus esset, suffectus ei videtur Archippus, de quo v. 2. ita Ambros. *a Coloss. 4. v. 13.*

℣. 24. DEMAS iste in secundis Pauli vinculis ab ipso defecit, 2. Timoth. 4. v. 9.

EPISTOLA BEATI PAVLI APOSTOLI AD HEBRAEOS.

SCRIPTA Romæ (*b*) anno à morte Christi 28. cùm Paulus è primis vinculis causam suam apud Neronem feliciter peregisset, (*c*) & spes optima esset liberationis. Scripta sanè disertissimè primùm Hebraicè; vel, vt melius dicam, Syriacè, vtpote ad Iudæos seu conuersos ex Iudæis, maximèque ad eos qui in Iudæa degebant, (vt patet ex fine capitis vltimi,) quibus, vti etiam ipsi Paulo, Syriacum idioma natiuum erat. Sed mox pari eloquentia in Græcum versa fuit, seu à S. Luca, seu potius, (vt Eusebius ait) à Clemente Romano: nam huius epistola ad Corinthios cum hac Pauli ad Hebræos & stylo & sensu valdè consentit: vt mirum non sit, inter hanc & alias Pauli epistolas, per alios amanuenses & interpretes descriptas magnam esse styli dissimilitudinem. ita idem Eusebius, Clemens Alexandr. Hieron. Theodoret. & Oecumen. *b Hic c. vlt. v. 24. c Ibid. v. 23. Euseb. lib. 3. c. 38. Euseb. lib. 6. c. 11. Clem. Alex. apud eumd. Euseb. Hieron. de Script. Eccles. in Clemente*

Prima parte epistolæ extollit Christi & noui testamenti dignitatem præ Moyse & lege Mosaica. Secunda parte solatur eos qui à magistratibus propter Christi fidem bonis suis spoliabantur. Tertia, mores instruit.

Caietanus dubitat an hæc sit genuina Pauli epistola, & Canonica: & disertè negauit id olim Marcion & Arius, & nuper Erasmus, Lutherus, Brentius, Kemnitius, Magdeburgenses & Anabaptistæ. Sed his oppono Caluinum, Bezam & alios Sacramentarios, quorum etsi quidam dubitent an sit Pauli, (vt olim Tertull. qui Barnabam auctorem putabat) omnes tamen censent Canonicam esse Scripturam: & idem definiuit Concilium Carthaginense, Laodicense, Florentinum & Tridentinum: & est communis Patrum sensus ac consensus. Esse etiam Pauli Apostoli censent Græci & Latini passim, quos citat Bellarminus & Matthæus Galenus. Sed & S. Petrus (*d*) idem insinuat, cùm ad eosdem Hebræos per Asiam dispersos (*e*) scribens ait: *Charissimus frater noster Paulus scripsit vobis*; & verò quam, si non hanc, epistolam? Argumenta quæ in contrarium obijciuntur, singula suis locis dissoluam. *Tertull. l. de Pudicitia. Conc. Carthagin. III. can. 47. Laodicen. can. 59. Florent. in instructione Armenorũ. Trid. sess. 4. Bellarm. l. 1. de Verbo Dei c. 17. d 2. Petri 3. v. 15. e 1. Petri 1. v. 1.*

CAPVT I.

* *Coloss.2. v.18.* ***Contra Simonem Magum alios{q;} hæreticos * angelis plusculum tribuentes probat ex variis Scripturis Iesum Christum esse Deum, ideoque longè maiorem Moyse, Prophetis & angelis omnibus.***

NOn præfigit S.Paulus nomen suũ huic epistolæ, vt alijs præfixit, quia nomen Pauli apud Iudæos etiam Christianos malè audiebat, (*a*)cò quòd passim haberetur hostis legis Mosaicæ. ita Clemens Alexandr.Hieron.& Theophyl.Sed in fine epistolæ (*b*)sat manifestè se prodit.

a *Act.or.21. v.20 &c. Clem. & Hieron.sup.*
b *Cap.vlt. v.23.*

℣.1. MVLTIFARIAM MVLTISQVE MODIS; *πολυμερῶς*, id est, *multipartitè*, seu per multas partes ac vices, per varias figuras, oracula & visiones, *λαλήσας*, id est, *locutus est*, OLIM DEVS per *Prophetas*, partem vnam reuelans Isaiæ, partem Ieremiæ, partem alijs subsecutis Prophetis.

℣.2. AT NOVISSIME, DIEBVS ISTIS nostris LOCVTVS EST NOBIS per FILIVM suum vnigenitum, legem Euangelicam totam simul & semel per vnum illum nobis consignans. Et hęc est prima antithesis.

c *Psalm.2. v.8.* QVEM CONSTITVIT HEREDEM VNIVERSORVM quæcumque in cælis sunt & in terris. (*c*) *Heredem*, inquam, primarium ac naturalem, cùm reliqui omnes, seu homines, seu angeli, solùm sint heredes adoptitij & secundarij. Est secunda antithesis. Sed hîc Nota, Christum secundùm humanam naturam dici constitutum heredem: nam secundùm diuinam non constitutus, sed ab æterno natus est heres. (ita S.Chrys.Theod. Anselmus.) De qua loquitur cùm subdit: PER QVEM FECIT ET SÆCVLA, id est, tempora & omnia temporaria; cùm per angelos aut homines nihil vnquã crearit. Tertia antithesis. Sequitur quarta: Christus est

℣.3. SPLENDOR; *ἀπαύγασμα*, id est, *resplendentia*, refulgentia, GLORIÆ, seu id in quo refulget gloriosa maiestas Patris, idque totaliter & adæquatè: cùm in angelis & hominibus solùm inadæquatè & velut partialiter refulgeat. Hinc S.Ambros.& alij Patres colligunt, Filium non liberè (vt vult Caluinus,) sed naturaliter ac necessariò; non interruptè, sed continuò, & quidem ab æterno, gigni à Patre, sine vlla, seu gignentis, seu geniti mutatione; nec diuelli Filium à Patre, sed inseparabiliter illi coëxistere: sicut lumen solis naturaliter, necessariò, continuò, & soli coæuum ac indissepara-bile, sine vlla solis mutatione à sole procedit. Cui adde, sicut ex sole & splendore calor, ita à Patre & Filio Spiritus sanctus procedit. Quinta antithesis: Christus est FIGVRA SVBSTANTIÆ Patris, *χαρακτὴρ ὑποστάσεως*, id est, *expressa*, vel exsculpta, *imago subsistentiæ*, seu personæ Patris: sicut enim ex imagine impressa ceræ agnoscitur sigillum, ita ex

d *Ioan.14. v.7.* Filio Pater cælestis, (*d*) inquit Basilius, Chrysostomus, Theophylactus. *Imago*, inquam, non partialis, non vmbratica, non accidentalis, non mutabilis, (qualis est in creaturis) sed adæquata, substantialis, constans, æterna & immutabilis. Sexta: PORTANS OMNIA, id est, sustinens, fouens, baiulans, & instar Atlantis sustentans totum pondus creaturarum, idque non alienæ (vt angeli,) sed propriæ SVÆ VIRTVTIS VERBO, seu potenti iussu, nutu, imperio, voluntate, inquit Theophylactus. Quo fulcro sublato, omnia statim in nihilum suum relaberentur. Septima: PVRGATIONEM, id est, expiationem, abolitionem, remissionem, PECCATORVM totius mundi FACIENS, morte sua satisfaciendo diuinæ iustitiæ: Græcè, *ποιησάμενος*, id est, *postquam fecit*, seu postquam peccata nostra expiauit (quod nulli puræ creaturæ possibile erat,) ascendit glorioſus in cælum, SEDETque AD DEXTERAM diuinæ MAIESTATIS, id est, primo atque honoratissimo loco, IN EXCELSIS cælorum palatijs. ita Chrysostomus, Theodor. Theophyl. Quæ est octaua antithesis.

℣.4. TANTO MELIOR, id est, præstantior, excellentior, ANGELIS omnibus EFFECTVS (in quantũ homo est,) QVANTÒ DIFFERENTIVS NOMEN, id est, excellentiorem dignitatem *hereditario* iure adeptus est, nempe naturalis & vnigeniti Filij Dei. Hæc est nona antithesis.

℣.5. EGO HODIE secundum diuinitatem tuam GENVI TE. q.d. Etsi, ô fili, ex me perfectus sis, vtpote perfectè ex me genitus ab æterno; semper tamen adhuc & continuò, omni instanti à me gigneris: sicut lumen, etsi perfectissimum sit, tamen continuò gignitur à sole, vt suprà (*e*) diximus. ita S. Chrysost. Anselm. & S.Thomas. Quomodo hic idem locus aptetur ab Apostolo etiam natiuitati Christi secundùm carnem, imò & resurrectioni,

e *Hic v.3.*

f *Psal.2. v.7. & Psalm. 109.v.3. & Act.13. v.33.* alijs locis (*f*) ostendi. EGO ERO ILLI IN PATREM ad litteram dicitur de Salomone, cui id adaptant tam Dauid, (*g*) quàm ipsemet Salomon: (*h*) sed allegorico sensu & principaliùs intento à Spiritu sancto accommodatur Christo, de quo Patres passim illud exponunt. (*i*) Sequitur decima antithesis.

g *1.Par.22. v.10.*

℣.6. CVM INTRODVCIT PRIMOGENITVM suum IN ORBEM TERRÆ, Primò, per incarnationem, quando venit passibilis; Secundò, per resurrectionem, quando redijt glorioſus. Vel potiùs Primò, in primo suo aduentu, quando venit redempturus nos: & ITERVM in secundo aduentu, quando redibit iudicaturus nos; DICIT, id est, iubet vt ADORENT EVM OMNES ANGELI DEI, scilicet publicè, toto mundo & toto cælo inspectante: psalmus enim 96. ex cuius v.8. hæc verba desumuntur, totus est de extremo iudicio. Iam verò præcellentior est qui adoratur quàm qui adorare tenetur.

h *3.Reg.5. v.3.* i *2.Reg.7. v.13.*

℣.7. AD ANGELOS, hebraismo, (*k*) id est, de angelis, DICITVR: ANGELOS SVOS FACIT SPIRITVS ET FLAMMAM IGNIS: id est, facit veloces, agiles, quasi ventos: & subtiles, feruidos, impetuosos, quasi flammam ignis. ita Chaldæus, Theodor. & Euthymius. q.d. Angelis vt summum demandatur munus ministeriale (quod & v.vlt. repetitur:) at Christo tribuitur munus regium. Quæ est vndecima oppositio.

k *Prolog. ad Ideo{q;}in Heir.c.12.* *Chald. in Psalm.103. v.4.*

℣.8. VIRGA ÆQVITATIS, vel *directionis* (vt habet psal.44, vbi hæc explicui,) id est, sceptrum regni tui est æquissimũ: id est, iustissimè gubernas & iudicas, siue præmiando, siue puniendo. ita Aquila, Symmachus, Cyrillus, Basilius, Augustinus, & Anselmus.

Cyrillus & alij in Psal. 44.v.7.

℣.10. Tv, ô Messia, TERRAM FVNDASTI, creator es, reliqui creaturæ sunt. Hæc explicui psal.101. v.27. Estque hęc duodecima antithesis.

℣.14. NONNE angeli, etsi SPIRITVS & nobilissimæ substãtiæ, tamen OMNES SVNT ADMINISTRATORII, id est, deputati ad ministrandum Deo: MISSI, id est, mitti soliti (etiam à Christo) ad curandam

randam salutem omnium quidem hominum, sed maximè eorum qui aliquando *hereditabunt* vitam, salutem, gloriam æternam? Ex hoc & similibus locis (a) colligunt S.Basilius, Cyrillus, Procopius, Ambros. Chrysost. & plerique Doctores, angelos omnes aliquando actu mitti à Deo: contra sentẽtiam S.Dionysij, Gregorij, (qui rem dubiam putant) item Anselmi & S. Thomæ, qui volunt solos quinque inferiores choros mitti, reliquos quatuor soli Deo perpetuò assistere. Sed an Seraph missus ad Isaiam, (b) Cherub ad paradisum, (c) Michael ad Danielem (d) & ad Iudęos, Raphael ad Tobiam, (e) Gabriel ad B. Virginem, (f) non sunt è primis & supremis angelorum choris?

a *Genes.3. v.24. & Isaiæ 6.v.6. & Daniel. 10. v.vlt. Dion. cal. Hierarchiæ cap.8.& 13. Greg.ho.34. in Euang. D.Tho.1.p. q.112. ar.4.*
b *Isaiæ 6. v.6.*
c *Genes.3. v.24.*
d *Dan.10. v.vlt.*
e *Tobiæ 5. v.5.*
f *Lucæ 1. v.26.*

CAPVT II.

Christus quia angelis maior, solus legislator & redemptor habendus.

¶.1. ABVNDANTIVS ac studiosiùs OPORTET NOS OBSERVARE, προσέχειν, id est, *attendere*, seu mentem adijcere ijs QVÆ à Christo nobis tradita AVDIVIMVS, NE, si non attenderimus, PEREFFLVAMVS; (g) παραῤῥυῶμεν, id est, instar vasis rimarum pleni, sinamus Euangelij doctrinam recèns haustam effluere. Sic Comicus: *Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo.*

g *Eccli.21. v.17. Terent. in Parmen.*

¶.2. SI SERMO, seu lex vetus, PER ANGELOS promulgata in *Sinai* (h) FIRMA FACTA seu confirmata EST fulguribus, tonitruis, terræmotu: ET *prævaricatores* illius tam grauiter puniti sunt, (i) *acceptâ* IVSTA MERCEDIS RETRIBVTIONE, id est, condignâ sceleribus suis pœnâ;

h *Exodi 19. & 20.*
i *Exod.32. &c.*

¶.3. QVOMODO NOS Christiani EFFVGIEMVS pœnas, SI TANTAM NEGLEXERIMVS SALVTEM?] nempe si contempserimus Euangelium Christi quod æternam animæ salutem omnibus offert & affert, quodque Christus primùm enarrauit, deinde Apostoli prosecuti sunt.

¶.4. DEO CONTESTANTE, id est, certum testimonium præbente veritati Euangelij omnigenis VIRTVTIBVS, id est, miraculis, & donis linguarum ac prophetiæ, alijsque quæ *Spiritus sanctus* partim in Pentecoste, (k) partim exinceps cuique distribuit pro placito suo.

k *Actor.2. v.1.&c.*

¶.5. NON ANGELIS, quasi supremis vniuersi rectoribus ac redemptoribus (vt nugantur quidam hæretici,) (l) sed vni Christo parendum, qui solus à Patre constitutus est dominus & iudex totius orbis, non modò præsentis, sed & futuri sæculi post resurrectionem. ita Theodor. Liranus, Caietan. & à Lapide. Et patet ex v.8.

l *1.Tim.4. v.1,&c.*

¶.6. TESTATVS EST aliQVIS sat vobis notus, nempe Dauid Psalm.8.vers.5. eximiam hominis, ac præ omnibus Christi Dei-hominis, præcellentiam, cùm ait: QVID seu quantula res est homo, QVÒD tam singulari affectu & cura MEMOR ES EIVS?] nempe collapsum in extremam miseriam voluisti erigere, Filio Dei vnigenito hypostaticè in Christo vnire, & per Christum æterna salute ac gloria donare. ita S.Hieronym. Chrysost. August. Theodoretus.

Hieron. & August. in Psal.8. v.5.

¶.7. MINVISTI quidem EVM PAVLOMINVS AB ANGELIS, id est, paulisper inferiorem angelis eum fecisti. Tam Hebræum *meat*, quàm Græcum βραχύ τι significat *paruitatem*, seu quantitatis, seu temporis. Homo enim, ac præsertim Christus, in re parua, putà mortali corpore: & paruo tempore, scilicet vitæ suæ, minor est angelis. Mox enim

מעט

A in altera vita, omni GLORIA ET HONORE, quasi brauio victori debito, CORONASTI EVM, & omnes creaturas eius dominio ac nutui

¶.8. SVBIECISTI, non quidem apparenter seu sensibiliter in hac vita (vbi hostes eius adhuc tolerantur;) sed tamen reipsa ac verè (neque enim potest quispiam, seu tyrannorum, seu dæmonum, vel festucam leuare, sine nutu aut permissione Christi:) atque etiam sensibiliter in futuro iudicio & sæculo subsecuturo. Interea si non oculo corporis, certè oculo fidei,

¶.9. VIDEMVS IESVM summa GLORIA ET HONORE CORONATVM in cœlis, QVI antè in terris singulari DEI GRATIA ac misericordia erga ho-
B mines PROPTER PASSIONEM MORTIS, id est, vt aptus esset ad subeundam pro nobis mortem in mortali corpore, *minor* ANGELIS breui tempore factus fuerat.

¶.10. DECEBAT ENIM Deum Patrem, QVI per Christum ADDVXERAT (m) æterno decreto & voto suo, id est, perducere decreuerat, *ad* æternam salutem & GLORIAM MVLTOS FILIOS (imò, quãtum ex se est, omnes homines) (n) *decebat*, inquam, vt AVCTOREM SALVTIS & gloriæ EORVM PER suam PASSIONEM & mortem, præ omnibus *consummaret*, (Græcum τελειῶσαι significat *perficere*, seu *perfectum reddere*, vt Syrus vertit) nempe supremo honore & gloria. *Consummatio* enim hæc
C seu *perfectio* opponitur, & quasi præmium reponditur, *imminutioni* Christi, de qua v.7.&9. Et ratio est euidens: *propter quod* enim *vnumquodque tale, & illud magis*, inquiunt Philosophi: atqui propter Christum omnes Sancti glorificantur: ergo ipse præ omnibus glorificandus. Maximè cùm sit eiusdem cum illis naturæ, etiam passibilis & mortalis durante vitâ suâ.

m *Proleg. de Idiotismis Hebr. n.58.*
n *Ioan. 1. v.9.*

¶.11. QVI SANCTIFICAT, nempe Christus, põtifex, mediator ac redemptor noster: ET QVI per ipsum SANCTIFICANTVR, scilicet homines, EX VNO principio OMNES promanarunt, ex vna stirpe & natura humana, ex vno Adamo prognati omnes. Neque contentus fuit eâdem cum ipsis natura
D seu substantia, voluit etiam ijsdem accidentibus subiacere, putà infirmitati, mortalitati & miserijs omnibus vitæ humanæ, ac tandem etiam morti: vt *per omnia* nobis assimilaretur, & quisque nostrùm iure dicere posset illud Isaiæ:

Isai.8.v.17.

¶.13. Ego quantumuis miser & peccator, ERO FIDENS IN EVM, vtpote charissimum fratrem meum. Pro eo enim quod in Latino Isaias habet, *præstolabor eum*, apud LXX. est, πεποιθὼς ἔσομαι ἐπ' αὐτῷ, id est, *confidam in eo*. ET ITERVM apud eumdem Isaiam eodem loco ait Christus hominibus, o *Genes.45.*
vt olim (o) Ioseph fratribus suis in Ægypto furti *v.3.*
accusatis: ECCE EGO *frater vester* adsum paratus vos liberare, exaltare, gloria & opibus augere: ET
E PVERI, id est, filij, serui, discipuli, Apostoli, clientes, MEI, ad nutũ & obsequium vestrum omnes. ita ferè Origenes, Basilius, Cyrillus in illum Isaiæ locum.

¶.14. QVIA ergo homines, quos Christus suos *pueros* ac filios vocare dignatur, COMMVNICAVERVNT CARNI ET SANGVINI, id est, constant vna communi natura humana ex carne & sanguine cõflata, id est, natura fragili, passibili, morti & mille miserijs obnoxia; hinc etiam Christus IPSE voluit SIMILITER IISDEM PARTICIPARE, seu constare, VT mori posset, & PER MORTEM suam DESTRVERET DIABOLVM, id est, regnum & potẽtiam diaboli, QVI per peccatum HABEBAT MORTIS IM-

PERIVM, id est, potestatē infligendi omnibus mortem corporis & animæ, præsentem & æternam.

¥.15. ET VT LIBERARET à miserijs non angelos immortales, sed miseros homines, QVI OBNOXII ERANT SERVITVTI peccati & dæmonis, cruciabanturq; perpetuo TIMORE MORTIS, non solùm temporaneæ, sed & æternæ. Iam enim per Christum liberati à seruitute & imperio mortis æternæ, fidentes & alacres properamus, imò anhelamus ad mortem temporaneam, vtpote ad finem ærumnarum & initium vitæ melioris, immortalis & æternæ.

¥.16. NVSQVAM ENIM, seu nequaquam, ANGELOS, id est, angelicam naturam, APPREHENDIT, id est, hypostaticè sibi vniuit, Dei Filius. ita passim SS. Patres & interpretes, etiam heterodoxi. Chrysost. tamen & à Lapide malunt ἐπιλαμβάνειν exponere vt idem sit quod, fugientem *manu iniecta apprehendere*. q.d. Non peccantes angelos, sed homines delegit sibi Christus redimendos ac saluandos. Sed videtur Paulus *apprehensionem angelicam* opponere *communicationi carnis & sanguinis*, de qua v.14. q.d. Non voluit esse frater immortalium & impassibilium angelorum, sed fragilium & miserorum hominum, vt S. Bernardus, & alij antiquiores Patres communiter exponunt.

Bern. tract. de Gradibus humilitatis.

¥.17. VNDE DEBVIT assumptâ fratrum naturâ, PER OMNIA IPSIS ASSIMILARI, id est, omnes humanæ, naturæ, vt natura est, communes conditiones ac passiones in se assumere. Alioqui non potuisset nobis constare, ipsum verum hominem, nostríque similem esse. Dixi, *vt natura est*; vt excludam morbos, ignorantiam, concupiscentiam & peccata, quæ infrà (*a*) excipientur: & omnino excipienda docet Damascenus, S. Thomas, & alij apud Suarez. Sed est & alia ratio, quare debuerit per omnia fratribus assimilari, nempe VT MISERICORS FIERET: id est, misereri disceret fratrum suorum per viuum sensum & experientiam miseriæ eorumdem, inquit Theophyl. & Anselmus. Longè enim viuacius ærumnas & miserias agnoscimus dum eas ipsi experimur, quàm dum solùm eas speculamur, vel in alijs intuemur. Est & tertia ratio, nempe, vt FIERET FIDELIS PONTIFEX: id est, qui fideliter & reipsa, atque in rigore iustitiæ compleret id quod nomine & officio suo pollicetur: quod est, mediatorem agere inter Deum & homines, pro his Deo plenè satisfacere. & hunc illis perfectè reconciliare: (hæc enim omnia includit officium pontificis:) atqui illa complere non potuit nisi patiendo & moriendo: ergo debuit naturam passibilem ac mortalem assumere.

a Hic c.4. v.15. Damascen. apud S. Thomam 3.p.q. 14.art.4. & Suarez ibid.

¥.18. IN EO ENIM IN QVO PASSVS, id est, ideo quia passus EST, ET TENTATVS, (*b*) id est, vexatus, afflictus, exercitatus; POTENS EST, id est, aptus, idoneus, facilis, procliuis (*c*) redditur, vt aliorum *tentatorū* seu afflictorum misereatur, & illis *auxilio* sit ac solatio. Nam *non ignara mali miseris succurrere disco*. ita Theophyl.

b Iac.1.v.2.

c Hic cap.5. v.2.

Virg.lib.1. Æneid.

CAPVT III.

Christus vtpotè Dominus, pra famulo eius Moyse audiendus: vltor alioqui futurus incredulu.

¥.2. CONSIDERATE APOSTOLVM: id est, expendite qualis quantusque legatus Dei sit *Iesus*, ad hoc missus à Deo vt nos doceret viam vitæ, redimeret à morte æterna, & cælestis gloriæ heredes faceret. Considerate PONTIFICEM (*d*) CONFESSIONIS NOSTRÆ] id est summum principem sacerdotum eius religionis quam confitemur seu profitemur. Theodor. & Theophyl.

d Hic cap.2. v.17.

¥.2. FIDELIS autem per omnia EST Christus Deo, QVI FECIT ILLVM legatum suum ac pontificem nostrum. Fideliter enim nuntiauit nobis omnem Dei voluntatem ac legem: fideliter redemptionem nostram, etiam cum vitæ suæ dispendio peregit. SICVT ET olim MOYSES fidelis Deo legatus fuit IN OMNI DOMO, (*e*) seu familia, EIVS, id est, in Synagoga & populo Iudaico, inquit idem Theophyl.

e Num.12. v.7.

¥.3. Imò tantò *ampliorem* dignitatem ac *gloriam* PRÆ MOYSE accepit Christus, QVANTO AMPLIOREM HONOREM HABET architectus QVI FABRICAVIT domum, præ *domo* ipsa quæ fabricata est. Nam Christus est fabricator Synagogæ, fundator Ecclesiæ Dei, creator (*f*) totius vniuersi: Moyses tantùm est vna illius Ecclesiæ particula.

f Ioan.1. v.3.

¥.4. & 5. QVIA AVTEM OMNIA CREAVIT, putà Christus, reuera DEVS EST: MOYSES tantùm creatura, nec nisi FAMVLVS EIVS, IN TESTIMONIVM EORVM QVÆ DICENDA ERANT] id est, vt testificaretur, promulgaret & exponeret Israelitis voluntatem ac mandata Dei. Theophyl.

¥.6. CHRISTVS VERO TAMQVAM FILIVS Dei dominatur in omni Ecclesia tamquam IN DOMO SVA propria: QVÆ DOMVS, seu Ecclesia, SVMVS NOS Christiani, SI FIRMAM VSQVE AD FINEM RETINEAMVS FIDVCIAM, παῤῥησίαν, id est, intrepidam libertatem profitendæ fidei, ET constantem GLORIAM; Græcè, καύχημα, id est *gloriationem*, SPEI, id est, speratæ gloriæ cælestis, vt alibi loquitur. (*g*)

g Rom.5. v.2.

¥.7. SPIRITVS SANCTVS per os Dauidis Prophetæ (*h*) DICIT: SI VOCEM Christi AVDIERITIS, NOLITE OBDVRARE CORDA VESTRA, SICVT olim obdurarunt patres vestri, quibus extremè iratus,

h Psal.44. v.8.

¥.11. IVRAVI, SI, id est, quòd non, (*i*) INTROIBVNT IN REQVIEM MEAM] id est, in terram Chanaan à me promissam ipsis, vt in ea tanquam in quieta & diuite sede suauiter deliciarentur. ita Anselmus. Igitur

i Prolog. de Idiotismis Hebr. num.13.

¥.13. ADHORTAMINI VOSMETIPSOS, & alij alios excitate ad viriliter & constanter colendum hunc Christum, perseuerandumque in eius fide, in spe, & in forti tolerantia persecutionum hoc nomine vobis obuenientium, DONEC HODIE COGNOMINATVR: id est, quamdiu durat tempus præsentis vitæ, gratiæ ac pœnitentiæ, quod cuique conceditur à Deo: VT ne contingat quemquam vestrûm *fallacibus* PECCATI illecebris captum *obdurescere* ad vocem vocantis Christi. Agnoscite, si sapitis, dignitatem vestram:

¥.14. PARTICIPES ENIM EFFECTI SVMVS corporis mystici, id est, Ecclesiæ CHRISTI, membra & filij & fratres ipsius per baptismum: participes etiã spiritus & gratiæ & omnium thesaurorum ipsius: SI TAMÉN INITIVM SVBSTANTIÆ EIVS, id est, fidem ac gratiam iustificãtem quæ est basis ac fundamentum salutis nostræ, (qua per Christum cœpimus de nouo spiritualiter subsistere, & facti sumus quasi noua substantia ac cælestis creatura, nempe filij Dei adoptiui,) constanter VSQVE AD FINEM vitæ RETINEAMVS. Chrysost. & Theophyl.

¥.16. NON VNIVERSI Israelitæ EXACERBAVERVNT Deum in deserto, quia non *Iosue* & *Caleb*, non paruuli, non omnes mulieres, non omnes Leuitæ, (*k*) qui vt culpæ, sic etiam pœnæ expertes fuerunt. Pari modo, licet multi vestrûm noluerint fidem Christi complecti, vel complexam metu perse-

k Num.14. v.29.

persecutionum abiecerint; si vos tamen constantes perseueretis, non incurretis pœnas, quæ illos horrendæ manent tum in præsenti vita, tum maximè in futura.

CAPVT IV.

Christus necessariò audiendus, vt per eum in æternam requiem ingrediamur.

℣. 1. TIMEAMVS ERGO, & timendo præcaueamus, NE vel per ignauiam, vel per inconstantiam, RELICTA, seu neglectâ POLLICITATIONE omnibus à Deo facta de æterna requie obtinenda in cælesti palatio, EXISTIMETVR δοκῇ, id est, *videatur*, inueniatur, deprehendatur, ALIQVIS nostrum DEESSE, ὑστερηκέναι, id est, *frustratus* vel excluſus illa *esse*. Neque enim satis est, quòd

℣.2. NOBIS NVNTIATVM, seu prædicatum, sit verbum Dei: nam & illis sub Moyse nuntiatum fuerat: SED sicut NON PROFVIT ILLIS SERMO AVDITVS; Græcè, ἀκοῆς, id est, *auditionis*, id est, quem audierant, quia NON fuit sermo ille ADMISTVS FIDEI, seu receptus fide, id est, non fuit creditus EX IIS, id est, secundùm ea QVÆ *audierant*, scilicet, se Dei ope & ductu superaturos Chananæos: ità neque nobis proderit audisse Euangelium, nisi etiam eidem credamus, obediamus & obsequamur.

℣.3. INGREDIEMVR ENIM sine vllo dubio IN REQVIEM non Chanaaniticam, sed cælestem, *quicumque credidérimus* fide viua & cõstanti in Christum. Neque enim iurauit se repulsurum à sua requie, nisi incredulos ac rebelles. ET QVIDEM dictum est hoc à Deo per Dauidem, OPERIBVS A prima MVNDI INSTITVTIONE iam PERFECTIS ac completis. Vnde non loquitur de requie sabbati seu septimæ diei, (quo Deus, completo opere creationis nouarum specierum, legitur quieuisse ab vlteriori nouo opere:) nam hæc requies iam diu transierat: sed neque loquitur de requie quam Israelitis præbuit *Iesus*, seu Iosue, in Chanaanitide: quia in hanc iam tum ingressi erant cùm per Dauidem psalmo 94. requiem de nouo promittit.

℣.6. ERGO præter duplicem requiem iam dictam SVPEREST alia adhuc requies, in quam *introituros* promittit filios sibi fideles. nam

℣.7. ITERVM, seu tertiò, TERMINAT, ὁρίζει, id est, *determinat*, definit, designat, DIEM QVEMDAM, seu spatium quoddam temporis, putà HODIE, id est, præsens tempus vitæ nostræ, quo, si Deo obsequentes fuerimus, transferemur in requiem.

℣.9. ITAQVE RELINQVITVR, seu reliquus adhuc supereſt, alius SABBATISMVS, id est, alia requies, POPVLO DEI, putà cælestis, solida & æterna quies, per duplicem prædictam quietem anagogicè adumbrata.

℣. 10. QVICVMQVE ENIM *ingreditur* IN hanc cælestem REQVIEM, ETIAM IPSE *requieſcit* AB omnibus molestis OPERIBVS & exercitationibus SVIS, ab omni labore & fatigatione, ab omni certamine & lucta contra vitia, tentationes & hostes, ab omni mortificatione actiua & passiua: SICVT DEVS die septimo quieuit A SVIS operibus. ita Chrysostomus & Theophylactus.

℣.11. FESTINEMVS ERGO, σπουδάσωμεν, id est, *studeamus*, INGREDI IN ILLAM REQVIEM: nulla molestia, nulla persecutio, nulla alia remora cursum nostrum retardet: VT NE QVIS fiat simile INCREDVLITATIS, rebellionis. & consequenter exclusionis ac damnationis, EXEMPLVM, inquit idem Theophylactus.

℣.12. SERMO ENIM DEI, ὁ λόγος, id est, *Verbum*, seu Filius *Dei*(a) (vt passim Patres exponunt, & patet ex sequ. versu:) VIVVS EST ET EFFICAX, id est, viuaciter atque efficaciter præstabit quidquid seu per os Dauidis, seu per alios Prophetas vel Apostolos suos promisit aut comminatus est. ita Theodor. Oecumen. S. Thomas, Liranus, Caietanus & alij. acutior ac PENETRABILIOR ad intima rei, quouis GLADIO quantumuis acuto & ANCIPITI: PERTINGENS VSQVE AD DIVISIONEM ANIMÆ AC SPIRITVS: id est, certissimè ac distinctissimè cognoscens omnia quæ sunt in homine, facillimeq́; distinguens cogitationes, actus & motus animæ ab actibus, cogitationibus & motibus, spiritus. Per *animam* verò intelligit Scriptura partem inferiorem, quæ concupiscentijs & affectibus naturalibus agitur, à qua homines dicuntur *animales*, per *spiritum* intelligit partem animæ superiorem, fide ac gratia Dei colluſtratam, à qua homines vocantur *spirituales*. COMPAGES sunt ligamenta quibus ossa colligantur. MEDVLLA est pinguis succus qui ossibus includitur. Per hæc designat, omnia quæ in homine latent, etiam intima atque abditissima, patere oculis, ac manibus Christi,

a *Ioan.1. v.1.*

℣.13. AD QVEM, (b) id est, de quo, NOBIS hîc iam SERMO est. Quæ cum S. Augustino Nota pro omniscientia & vbique-præsentia diuina. Porrò sicut Christus penetrat intima cordis nostri, ita ℣.14. PENETRAVIT etiam CÆLOS omnes, cosque reserauit ac peruios nobis fecit, dummodò CONFESSIONEM (c) fidei, & executionem eorum quæ fides nos docet, constanter TENEAMVS. Sed infirmi sumus, fragiles ac labiles. Ita est si naturam spectes: sed

b *Proleg. de Idiotismis Hebr. nu.12. August. ser. 2. de Tempore.*

c *Hic c.3. v.1.*

℣.15. PONTIFICEM, mediatorem, saluatorem & opitulatorem, HABEMVS NON talem QVI NON POSSIT, non norit, aut non velit, (vel pronus (d) & facilis non sit) COMPATI & auxiliari INFIRMITATIBVS, miserijs & afflictionibus NOSTRIS, sed TENTATVM, afflictum, probatum PER OMNIA afflictionum genera, PRO nostri SIMILITVDINE, id est, omninò similiter atque nos, excepto PECCATO] Atque vtinam & vos in hoc quoque assimilemini Christo, vt peccato ad quod tentamini non succumbatis, non consentiatis! Quod si de tentatione propriè dicta sit quæstio, certum est, Christum aliter quàm nos tentatum fuisse, nempe solùm exteriùs (e) à diabolo vel tyrannis: nam interiùs à carne, phantasia vel concupiscentia rationem præuertente aut rationi rebellante, (cùm id Christo accidere non potuerit) numquam tentatus fuit: neque enim, cum blasphemo Luthero, Bucero & Caluino, admittimus in Christo *ignorantiam* aut gratiæ defectum, quia hæc non fuissent apta instrumenta, sed impedimẽta mediatori, doctori ac redemptori generis humani, vt bene probat Bellarminus & Suarez, & alij Scholastici.

d *C.2.v.18.*

e *Matth.4. v.1.&c.*

Bellar.l.4. de Christo c.1. Suarez & alij in 3.p. S.Thom.

℣.16. IN AVXILIO; Græcè & Syriacè, *ad auxilium* OPPORTVNVM tempore persecutionis & tentationis, ab eo impetrandum.

CAPVT V.

Verus Pontifex noster Christus pro nobis interpellans Patrem exauditus est, & morte sua salutem mundo attulit.

℣. 1. OMNIS PONTIFEX PRO HOMINIBVS Deo reconciliãdis CONSTITVITVR IN IIS negotijs QVÆ *apud* DEVM transigenda SVNT.

℣.2. QVI seductis CONDOLERE, compati, & succur-

succurrere POSSIT] & ad id pronus ac facilis sit.(a)

a *Hic c.2. v.18. & c. 4.v.15.*

℣.3. ET OFFERRE victimas, hostias, sacrificia PRO PECCATIS.

℣.4. NEC QVISQVAM SVMIT SIBI hunc pontificatus HONOREM, SED QVI VOCATVR A DEO, v.g. sicut AARON præ Moyse, Eleazar præ Ithamare & alijs fratribus suis, Heli abnepos Ithamaris præ nepotibus Eleazari, Sadoc è posteris Eleazari præ Abiatharo Ithamaræo,(b) &c.

b *Chronici c.41.classe 1.& c.*

℣.5. SIC ET CHRISTVS NON SEMETIPSVM CLARIFICAVIT] ἐδόξασε, id est, *glorificauit*, seu gloriam pontificatus sibi arrogauit aut ambiuit: SED à Patre dignitatem hanc accepit, vtpote filius(c) eius naturalis & vnigenitus.

c *Psal.2.v.7.& Psal.109.v.4. & c.*

℣.6. SACERDOS IN ÆTERNVM, SECVNDVM ORDINEM, seu ritum, MELCHISEDECH] de quo alibi.(d)

d *Ibid. & hic c.7.v.17.*

℣.7. QVI IN DIEBVS CARNIS SVÆ, id est, tempore vitæ mortalis, maximè verò in horto(e) & in cruce.(f) vt palàm nobis faceret, circumdatum se nostra infirmitate, OFFERENS PRECES Deo Patri, QVI POSSIT velit, pronus sit,(g) ILLVM SALVVM FACERE, id est, eximere vel resuscitare A MORTE; offerens inquam, non frigidè vel tepidè, sed calidissimè ac feruentissimè CVM VALIDO CLAMORE ET LACRYMIS (etsi id silucrint Euangelistæ,) EXAVDITVS EST PRO SVA REVERENTIA] ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, id est, *propter reuerentiam* suam, vt ferè omnes interpretes vertunt: ἀπὸ enim sæpè pro ἀμφὶ vsurpatur.(h) Et εὐλαβία propriè significat *reuerentiam*; vel timorem reuerentialem.(i) Et potest hîc accipi vel actiuè pro *reuerentia* qua Christus Patrem semper prosecutus est: vel passiuè pro *reuerentia* qua Pater ipsum prosequebatur, vtpote consubstantialem sibi Filium, qui sanguine suo diuino (re vtique infiniti pretij) quiduis promerebatur, inquit S.Chrysost. Theophyl.& Oecumen.

e *Matt.26. v.39.*
f *C.27.v.46*
g *Hic v.2. & c.*
h *Act.11. vers.14.& Luc.22.v.45.*
i *Sap.17. v.18.*

℣.8. EX IIS QVÆ PASSVS EST, experimentaliter DIDICIT, & nouo atque exactiore modo(k) expertus est & exercuit OBEDIENTIAM] id est, virtutem, laborem & arduum obedientiæ, inquit Photius & Anselmus.

k *Hic c.2. v.17.*

℣.9. ET CONSVMMATVS, id est, consummatis omnibus obedictiæ, patientiæ, charitatis partibus, FACTVS EST CAVSA SALVTIS OMNIBVS SIBI credentibus & OBTEMPERANTIBVS. ita S.Anselmus.

℣.10. APPELLATVS, denominatus, constitutus A DEO summus PONTIFEX noster, IVXTA ORDINEM non *Aaronis*, sed MELCHISEDECHI.

℣.11. DE QVO Melchisedecho GRANDIS NOBIS restat SERMO, seu discursus, ET ININTERPRETABILIS AD DICENDVM] id est, difficillimus explicatu, propter indispositionem & incapacitatem vestram. ita Syrus & Patres Græci. Et hæc ex parte causa est cur hîc non explicet Paulus qua ratione panis & vinum Melchisedechi (l) fuerint typus Eucharistiæ, de quo infra(m)

l *Genes.14. v.18.*
m *Hic c.7.*

℣.12. CVM DEBERETIS MAGISTRI ESSE PROPTER diuturnum TEMPVS quo Deo seruijstis siue in lege Mosaica, siue in christianismo; RVRSVM INDIGETIS VT DOCEAMINI ELEMENTA EXORDII SERMONVM DEI] id est, primà rudimenta doctrinæ Euangelicæ quæ mox vocat *lac*, (n) id est, puerile ac facile alimentum: altiorem verò ac sublimiorem doctrinam vocat *solidum* adultorum *cibum*, inquit S.Anselmus.

n *1.Cor.3. v.2.*

℣.13. QVI ENIM adhuc LACTIS EST PARTICEPS: id est, qui prima ac puerili institutione adhuc indiget, EXPERS EST, ἄπειρος, id est, inexpertus, rudis, incapax SERMONIS IVSTITIÆ] id est, doctrinæ quæ de perfecta iustitia sanctitateque Christiana traditur perfectioribus,

℣.14. QVI longo vsu & CONSVETVDINE, seu discendi, seu docendi, iam EXERCITATOS HABENT SENSVS, intellectum & mentem ad discernendum in quaque re, quid bonum sit, quid malum; quid verum, quid falsum; quid solidum, quid vanum. ita Theophyl.& Anselmus.

CAPVT VI.

Promittit & inchoat altiorem doctrinam, excitans eos ad constantem patientiam & perseuerantiam.

℣.1. INTERMITTENTES; Græcè & syriacè, *omittentes*, INCHOATIONIS CHRISTI SERMONEM, id est, doctrinâ initiò solitam tradi de Christo, seu prima rudimenta doctrinæ Christianæ, & fundamenta christianismi, v.g. de inchoanda vita spirituali per *fidem*, de resurgendo AB OPERIBVS MORTVIS, id est, à peccatis, per POENITENTIAM, per Sacramentum baptismi, Confirmationis, &c. Quia hæc omnia sat exactè iam tenetis: paulò altiora ac sublimiora promamus. Ante omnia cauete à relapsu:

℣.4. IMPOSSIBILE EST ENIM, non quidem absolutè aut physicè, sed moraliter apud homines, & via ordinaria, vel certè difficillimum (& ita loqui solet Scriptura,) (o) vt QVI SEMEL perfectè SVNT ILLVMINATI per fidem in baptismo, per frequentes illuminationes & instructiones tum internas, tum externas; GVSTAVERVNT ETIAM suauissimum nectar diuinarum consolationum & spiritualium deliciarum, ac *cælestium* charismatum, seu *donorum* SPIRITVS SANCTI. simulque ℣.5. GVSTAVERVNT BONVM DEI VERBVM] id est pasti sunt dulcedine medullæ Euangelicæ, robustoque alimento diuinarum inspirationũ ac promissionum cælestium, maximè de *futuro sæculo*: sed, his omnibus contemptis ac reiectis, in antiquam perfidiam

o *Matt.12. v.31.c.19. v.24.& 2.Ioan. v.16.*

℣.6. PROLAPSI SVNT, RVRSVM SIBIMETIPSIS, seu quantum in se est OSTENTVI, id est, ludibrio, HABENTES, imò CRVCIFIGENTES FILIVM DEI (quia scilicet per horrendam apostasiam suam rursus nouam causam dant crucis & mortis Christi) his, inquam, difficillimum est RVRSVS RENOVARI & reuocari AD POENITENTIAM ac resipiscentiam. Ex vna enim parte retinet propria malitia & obstinatio: ex altera obturatur hac exobitante ingratitudine fons gratiarum diuinarum, non quidem ordinariarum, sed specialium, potentiorum ac frequentiorum, sine quibus tales apostatæ non facilè resipiscent. Simili phrasi dicet infrà(p) Apostolus, *voluntariè peccantibus non relinqui hostiam pro peccato*. ita Anselmus, Liranus, Hugo, Titelmannus, Carthusian. Ribera, Vasquez, & à Lapide. Et certè experientiâ constat, ex tot hæresiarchis qui fuerunt in Ecclesia, neminem resipuisse, præter vnum Berengarium. Sed nihil hic pro *Tertulliano & Nouatianis* hæreticis, qui tempore S.Cypriani sub Decio, negabant relapsis pœnitentiam & veniam, etsi vellent resipiscere ac conuerti. Quem errorem damnauit iam pridem Ecclesia: & eumdem passim refellit S.Paulus eo ipso quo lapsos vbique reuocat ad pœnitentiam.(q) Et quacumque(r) hora ingemuerit peccator, venia illi certa promittitur.

p *Hebr.10. v.26.*
Tertull. l.2. de Pudicitia.
q *1.Cor.5. & 2.Cor.7.*
r *Ezech.18. & c.*

℣.10. NON ENIM INIVSTVS est DEVS, VT OBLIVISCATVR OPERIS VESTRI, denegando pijs vestris

stris operibus ac eleëmosynis IN NOMINE IPSIVS, id est, propter ipsum factis, promissam ac condictam mercedem, putà gratiam in hac vita, & gloriam in futura. Hinc SS. Patres & Concilium Tridentinum probant bona opera iustorum esse meritoria,

℣.11. CVPIMVS AVTEM & extremè desideramus EAMDEM *vos* perpetuò OSTENTARE, ἐνδείκνυσθαι, id est, *ostendere*, SOLICITVDINEM exercendi bona opera, AD EXPLETIONEM, seu complementum, SPEI] Id est, donec æternæ beatitudinis compotes reddamini.

℣.14. NISI BENEDICAM TE] supple, non habear verax, non existimer Deus. Formula est iurandi. (a)

a *Proleg. de Idiotismis Hebr. nu.* 13.

℣.15. SIC, acceptâ promissione diuinâ, Abraham ADEPTVS EST REPROMISSIONEM, id est, rem sibi promissam (b) à Deo, *Adeptus est*, inquam, inchoatiuè in se suisque filijs ac posteris carnalibus: sed completè demum in Christo & Christianis, filijs Abrahæ spiritualibus: vnde & alibi passim (c) docet Apostolus in his completas fuisse promissiones factas Abrahæ, inquit Theophyl. & Anselmus. Voluit autem Deus

b *Ibid. n.* 47

c *Roman. 9. Galat. 3. &c.*

℣.18. VT PER DVAS RES IMMOBILES, id est, immutabiles, putà per *promissionẽ & iuramentum*, HABEAMVS FORTISSIMVM certissimumque SOLATIVM nos QVI spirituales Abrahæ filij & heredes sumus, & nixi promissione ipsi factâ, relicto cultu fallacis sæculi CONFVGIMVS per cõtinuum bonorum operum studium AD *obtinendam* SPEM PROPOSITAM] nempe cælestem & æternam gloriam pro hereditate nobis promissam.

℣.19. QVAM spem, velut TVTAM AC FIRMAM ANCHORAM, in cælo, adeoque Deo ipso defixam, HABEMVS: qua anima nostra penetrat non solùm vsque ad vestibulum domus Dei, id est, non est contenta solis bonis terrenis, visibilibus, præsentibus; sed *incedit*, ingrediturque VSQVE AD INTERIORA VELAMINIS] id est, cælum & cælestia apprehendit, & in ipso Deo defigitur: nam quæ intra velum erant templi Salomonici, (id est, *Sanctum sanctorum*, ad quod hîc alludit,) anagogicè significabant Ecclesiam triumphantem, claram visionem & fruitionem Dei, cælestes opes, delicias, gloriam Sanctorum.

℣.20. VBI, seu quò, PRÆCVRSOR IESVS primus (in ascensione sua) INTROIVIT NOBIS aditum patefaciens, FACTVS iam pridem PONTIFEX, (non ampliùs cruentus, vt Aaron; sed incruentus, vt Melchisedech:) id est, redẽptor, mediator, aduocatus noster apud Deum Patrem, cui crucem & mortem suam semel obitam perpetuò offert ac repræsentat, nosque illi reconciliat, & omnia inde auxilia ad cælum conscendendum necessaria nobis submittit. Quæ sanè spem nostram mirificè confirmant.

CAPVT VII.

Ex typo Melchisedech docet, sacrificium Christi sacrificio Aaronico iam abrogato, vt longè præstantius successisse.

℣.1. MELCHISEDECH, quod idem sonat ac REX IVSTITIÆ id est, rex iustissimus ac iustificans; RER SALEM, id est, *rex pacis*, id est, pacificus ac pacificator. nomine suo figuram præfert Christi, qui *factus est nobis iustitia, & sanctificatio, & redemptio.* (d)

d *Ephes. 2. v. 14.*

℣.3. SINE PATRE, SINE MATRE, SINE GENEALOGIA: non quòd his caruerit sed quòd nobis ignoti sint, cùm nulla, seu auorum, seu parentum eius memoria fiat in Scripturis, quæ non Gentilium (qualis erat Melchisedech, vnus ex regulis Chananæorum, teste Iosepho, S. Dionysio, Epiphanio & Theodor.) sed solorum Hebræorum genus & historiam pertexunt. Simili phrasi *terræ filium* vocamus qui ignotis & obscuris parentibus natus est. ita Hippolytus, Eusebius, Irenæus & alij apud S. Hieronymum: qui & refellunt fabulas Melchisedechianorum hæreticorum, contendentium Melchisedech esse *Spiritum sanctum* incarnatum: itemque Origenis & Didymi, esse angelum: denique & Samaritanorum, & quorumdam modernorum, fuisse *Sem*: nam *Sem* in Scripturis, vocatur *filius Noë* (f): ergo non est *sine patre*. NEQVE INITIVM, NEQVE FINEM VITÆ HABENS in Scripturis, quæ non meminerunt, seu natiuitatis, seu mortis Melchisedechi, (sicut meminerunt Aaronis:) & consequenter nec meminerunt finis sacerdotij Melchisedechi, qui hoc etiam ipso ASSIMILATVS est FILIO DEI, & figura fuit *æterni sacerdotij* seu pontificatus ipsius. ita Syrus, Chrysost. Theophyl. & Oecumenius.

Ioseph. l. 1. Antiq. c. 7. Dion. cal. Hierar. c. 9. Epiph. hæresi 55. Hier. epist. 126. ad Euagrium.

f *Genes. 6. v. 10.*

℣.4. INTVEMINI iam & seriò expendite, quot nominibus Melchisedech typus Christi, præcellat sacerdotibus Aaronicis. Nam Primò, horum omnium pater ABRAHAM DECIMAS Melchisedecho quasi digniori DEDIT DE PRÆCIPVIS, ἐκ τῶν ἀκροθινίων, id est, ex optimis spolijs. ita Theophyl. & Anselmus. Sicut ius decimarum, quas sacerdotes Aaronici

℣.5. DE FILIIS LEVI à Deo ad id munus delecti, iubẽtur SECVNDVM LEGEM (g) SVMERE à reliquo toto POPVLO, etiam A FRATRIBVS SVIS, alijs Leuitis; arguit, illos esse maiores ac digniores reliquis ex eadem alioqui stirpe prognatis. Quantò magis

g *Num. 18. v. 26.*

℣.6. Melchisedech, CVIVS GENERATIO NON ANNVMERATVR IN EIS, id est, non attexitur genealogiæ Hebræorũ, sed ex alia stirpe oriduus fuit; ex eo comprobatur præcelluisse Abrahamo, quòd DECIMAS AB EO *acceperit?* Secunda præcellentia: Melchisedech Abrahamum, QVI tam excellentes benedictiones à Deo sibi *promissas* HABEBAT (h) tamquam *minorem* se BENEDIXIT, vtique illo *melior*, κρείττων, id est, maior, dignior. Sequitur tertia præcellentia:

h *Genes. 12. v. 2.*

℣.8. Hîc, id est, in lege, seu in familia Aaronis, HOMINES qui DECIMAS à fratribus suis ACCIPIVNT, sunt omnes mortales & suo tempore MORIENTES: IBI AVTEM, id est, in historia & gestis Melchisedechi, Genes. 14. v. 18. & psal. 109. v. 4. vbi agitur de eius sacerdotio, CONTESTATVR Scriptura, QVIA VIVIT] nempe eo ipso quo de morte eius nihil commemorat, sed quasi immortalem & *æternum sacerdotem* celebrat. Neque solùm Abraham, sed, &

℣.9. PER ABRAHAM ETiam LEVI & Aaron, omnesque Aaronici sacerdotes, QVI nunc DECIMAS à reliquo Israele ACCIPIVNT, *decimati sunt*, id est, decimas dederunt Melchisedecho, nempe cùm ADHVC essent IN *Abrahæ* LVMBIS] id est, in eius naturali vi seminatiua, seu generatiua, cuius prima origo est in lumbis. Perinde enim hîc se gessit Abraham cum Melchisedecho, atque princeps qui pro se, & pro tota posteritate sua, obedientiam regi præstat & offert. Et hæc est quarta præcellentia.

Dices,

Dices,Etiam Christus fuit in lumbis Abrahæ: ergo æquè ac Aaron sic decimas dedit. Respondeo,nego antecedens:quia Christus non est prosemina-
tus ex naturali vi seminatiua Abrahæ,putà ex commistione maris & feminæ, sed modo & vi prorsus supernaturali.*(a)*ita S.August.& D.Tho-
mas.

a *Luc.*1. v.35. *August.l.*10. *de Genes. ad litteram* c.20. *D.Tho.*3.p. q.31.art.8.

℣.11. PER SACERDOTIVM LEVITICVM non ERAT CONSVMMATIO,id est,*(b)perfectio*:nam nec ipsum sacerdotium perfectum in se erat,sed tantùm typus,seu figura:nec perfectè expiabat pec-
cata,nec reconciliabat homines Deo: (vt fit per sacerdotium Christi figuratũ sacerdotio Melchi-
sedechi.Et hæc quinta præcellentia:)sicut nec LEX quam POPVLVS SVB IPSO;Græcè,*tempore sacer-
dotij eius*,ACCEPIT. Nam si *sacerdotium Leuiticum*, vel *lex* Mosaica,perfeciſſet homines,nempe si vim habuisset verè iustificandi & ad cælos perducen-
di,(quæ nobilissimæ hominis perfectiones sunt;) QVID NECESSARIVM FVIT,ALIVM SVRGERE SA-
CERDOTEM,NON SECVNDVM ORDINEM AARON, sed SECVNDVM ORDINEM MELCHISEDECH?maximè cùm

b *Hic c.*2. v.10.

℣.12. TRANSLATO SACERDOTIO Aaronico, & altero ei suffecto, NECESSE *sit* VT ET LEGIS TRANSLATIO FIAT] cùm eiusdem sint rationis & conditionis:& maior legis pars occupetur in ijs decernendis quæ sacerdotes concernunt, v.g.de qualitatibus sacerdotum,de ritibus initiationis & expiationis, de victu,de amictu,de ministris, de opibus eorumdem,&c. quæ si abrogentur,legem quoque abrogari necesse est. Porrò sacerdotem qui Aaronicis succesſit, nempe Christum, prorsus alium esse ab Aaronicis sacerdotibus,vel inde patet,quòd is

℣.13.IN QVO,id est,de*(c)*quo,HÆC DICVNTVR, nempe Christus,non vt illi ex tribu Leui,sed DE ALIA TRIBV,nempe Iuda,oriundus sit, DE QVA tribu NVLLVS vmquam ALTARI PRÆSTO FVIT, seu astitit vel ministrauit,vel sacerdotio functus est:&

c *Proleg. de Idiotismis Hebr.n.*12.

℣.14.DE SACERDOTIBVS IN EA TRIBV designandis, vel ex ea desumendis, NIHIL vmquam MOYSES LOCVTVS EST, aut decreuit Deus per Moysen.

℣.15.AMPLIVS,seu magis adhuc,MANIFESTVM EST discrimen: (& est hæc sexta præcellentia.) quòd hic ALIVS SACERDOS,nempe Christus,NON *sit* FACTVS,seu creatus,SECVNDVM LEGEM MAN-
DATI CARNALIS, id est,secundùm legem Mo-
saicam,quæ non nisi carnales victimas & cæremo-
nias præscribit: SED SECVNDVM VIRTVTEM seu potentiam diuinam & extraordinariam,non bre-
uî interiturus,vt Aaronici,sed VITÆ INDISSOLV-
BILIS,seu immortalis, pontifex semper viuens, semper vigens,idque

℣.17.IN ÆTERNVM, vt infrà*(d)*videbimus,Se-
quitur septima præcellentia.

d *Hic v.*24.

℣.18.PRÆCEDENS MANDATVM,id est,lex Mo-
saica,& legis proles sacerdotium Aaronicum,erat *infirmum*, imbecille *& inutile*,id est,insufficiẽs ad iustificandum & saluandum:ideoque meritò *re-
probatum*,id est reiectum & abolitum fuit à Deo. INTRODVCTIO verò,id est, sacerdotium Christi secundùm ordinem Melchisedechi subintrodu-
ctum in locum Aaronici,est MELIORIS SPEI,quia potentissimum atque efficacissimum est ad iusti-
ficandum & saluandum. vnde & per illud appro-
pinquamus,imò proximi reddimur Deo,eiusque amici,filij & heredes. Vin' & octauam præcellen-
tiam ?

℣.20.SINE IVREIVRANDO SACERDOTES FA-
CTI SVNT Aaronici:Christus verò

℣.21.CVM IVREIVRANDO,*(e)*℣.22.IN TANTVM e *Psal.*109. MELIORIS TESTAMENTI SPONSOR] id est, tan- ℣.4
tò potioris,firmioris,stabilioris fœderis fideiussor factus, quantò sanctiori auctoritate, putà iura-
mento diuino,sacerdotium & pontificatum suum inijt.

℣.23. ET ALII QVIDEM Aaronici pontifices multi numero fuerunt,quorum vnus alteri succe-
debat,quia singuli suo tempore moriebantur:

℣.24.HIC AVTEM Christus,quia est immorta-
lis,etiam SACERDOTIVM,seu pontificatum(& hæc sit nona præcellentia,)HABET SEMPITERNVM.Pri-
mò, quia sacerdotio Christi nullum aliud vm-
quã succedet, inquit Theodoretus & S.Thomas: neque enim Petrus successor Christi fuit, sed so-
lùm vicarius. Secundò, quia(vt sequitur v.seq.) sacrificium passionis Christi (cuius commemo-
ratio ac repræsentatio est sacrificium Eucharisti-
cum,)ex se habet intrinsecam virtutem æternam, *saluandi* omnes quotquot IN PERPETVVM ACCE-
DENT fide & pijs operibus PER Christum AD DEVM.Tertiò, quia per ministros suos in Ecclesia perpetuò vsque ad finem mundi offeret sacrifi-
cium Missæ,in quo Christus ipse & victima est & C offerens principalis,vt docet Tridentinum.Deni- *Trident.sess.* que quia Christus etiam in cælis perpetuò conti- *22.c.1.& 2.*
nuat sacrificium suum, scilicet Deo Patri illud of-
ferendo,PRO NOBIS orando & *interpellando*,quate-
nus nimirum homo est:æquè enim nunc *in cælis*, atque olim solebat in terris,est aduocatus,media-
tor & pontifex noster,cuius est orare,interpellare, postulare.ita S.Ambr.Nazianzen.August.Ribera & Suarez.

Dices:Quidquid Christus meruit & impetra-
uit, id omne in hac vita impetrauit : ergo iam non orat pro nobis in cælo. Respondeo,neg. con-
sequ.orat enim non vt denuò mereatur aut im-
petret,sed vt id quod impetrauit expleatur.

℣.26.SEGREGATVS A PECCATORIBVS:id est,à vita & moribus peccatorum longissimè distans.En decimam præcellentiam. item vndecimam. Ex-
CELSIOR CÆLIS,quos in ascensione omnes pene-
trauit,& primum in eis locum tenet etiam secun-
dùm naturam humanam. Vnde sequitur duode-
cima:

℣.27.NON HABET NECESSITATEM PRO SVIS DELICTIS expiandis HOSTIAS OFFERRE Deo, vt debebant SACERDOTES Aaronici.Sed neque ha-
bet necessitatem(& hæc est decimatertia)PRO *de-
lictis* POPVLI *quotidie hostias offerre*:HOC ENIM FE-
CIT & perfecit SEMEL,nempe in cruce,OFFEREN-
DO istic non brutâ animalia,sed SEIPSVM.

E Obiicit Beza.Ergo Missa non est sacrificium, quia Christi sacrificium vnicum est. Respondeo neg.cons.Quia de solo sacrificio Christi cruento dicit hîc Paulus quòd sit vnicum,non verò de in-
cruento,quale est Missa.Quamquam etiam Missa censeatur vnum idemque sacrificium, tum cum sacrificio Christi cruento,quia illius est comme-
moratio ac repræsentatio,& vtriusque eadem est hostia:tum inter se,quia in omnibus Missis vna eademque hostia ab vno eodemque principali sa-
crificante offertur,vt suprà dixi. *(f)* f *Hic v.*24.

Petes, Quid opus tam frequenti reiteratione oblationis eiusdem hostiæ. Respondeo, Vt frequen-

quentiùs applicetur nobis & alijs pretium ac fructus mortis Christi, sicut applicatur etiam per Sacramenta & bona opera. Denique pro decima-quarta præcellentia:

℣.28. SERMO IVRIS IVRANDI, id est, iuramentum psalm.109.v.4.expressum, POST LEGEM, id est, quo decernitur de sacerdotio futuro post sublatam legem Mosaicam, CONSTITVIT non plures SACERDOTES, sed vnicum; non Aaronis aut Leui, sed Dei FILIVM; non ad breue tempus, sed IN ÆTERNVM; non infirmum & ærumnosum peccatorem, sed sanctum, innocentem, impollutum, immortalem, & omni, ex parte PERFECTVM, qui vnico sacrificio sufficiens lytrum toti mundo redimendo ac saluando persoluit: cùm omnes simul Aaronici sacerdotes innumeris suis sacrificijs non possent vel vnicum hominem à peccatis suis expedire. ita S.Chrysost.

a *Psal.109. v.4.* Nota, sæpiùs hîc à S.Paulo (vt & à Dauide)(a) Christum vocari *sacerdotẽ secundùm ordinem Melchisedech*, non quòd Christi sacerdotium fuerit institutũ à Melchisedecho, vel planè simile sacerdotio illius: (nam constat, sacerdotium Christi, vt longè nobilius est, ita etiam excellentioris ordinis esse atque originis:) sed quia illud simillimum fuit in aliquibus iam dictis, maximè verò in hostia panis & vini, vt vidimus in Genesi. Vnde colligunt *Genes.14. v.18.* SS.Patres, oblationem Eucharistiæ institutam à Christo in vltima cœna, esse verum, propriè dictum & vnicum sacrificium nouæ legis. Nullo enim alio loco, nullo alio modo declarauit Christus se esse *sacerdotem secundùm ordinem Melchidech*, nisi in vltima cœna, offerendo seipsum sub speciebus panis & vini. Nam sacrificium crucis fuit potiùs secundùm ordinem Aaron.

Petes, Cur hanc præcipuam similitudinem, scilicet in hostia, omittit hîc Paulus? Respondeo, Quia hîc tantùm enumerat ea quibus constabat Melchisedechum præcellere, Aaronicis: iam verò in hostia non videbatur præcellere, sed cedere Aaronicis, quia hi animalia viua, ipse, aridum panem offerebat: deinde Hebræi nondum sat capaces videbantur Paulo tam sublimis mysterij, vt suprà b *Hîc c.5. v.11.* indicauit.(b)

CAPVT VIII.

Christus, non typicus, sed verus pontifex ac mediator, vetus sacerdotium, veterem legem ac testamentum, propter eorumdem imperfectionem antiquauit, substituto nouo longè nobiliori.

℣.1. CAPITVLVM SVPER EA QVÆ DICVNTVR; Græcè & Syriacè, *caput*, compendium, summa *eorum quæ diximus*, hæc est. TALEM, tantæ dignitatis & excellentiæ, PONTIFICEM HABEMVS, vt thronum suum habeat ad *dexteram* solij maiestatis diuinæ IN CÆLIS.

℣.2. MINISTER; λειτουργὸς, id est, *sacerdos*, SANCTORVM, syriacè, *Sancti sanctorum*, seu sanctuarij, *administer*, nempe Ecclesiæ tum triumphantis, tum militantis.

℣.3. NECESSE autem EST, ETiam HVNC nostrum pontificem Christum, HABERE ALIQVID, seu aliquam hostiam, quam OFFERAT Deo in sacrificium. Nempe, seipsum habet, quem semel obtulit in cruce, & adhuc quotidie offert in Missa.(c)

c *Hîc c.7. v.14 & 17.*

℣.4. SI ERGO ESSET SVPER TERRAM, seu terrenus sacerdos, & eius sacerdotium & victimæ essent terrena, qualia vos requiritis; iam NEC SACERDOS quidem ESSET Christus: tum quia non est de tribu Leui: tum quia nullus hominũ ipsum initiauit, seu consecrauit: tum quia nulla terrestris hîc victima comparet: tum denique quia sacerdotes Aaronici sufficerent ad tale terrenum sacerdotium obeundum, & per terrenas victimas terrena bona impetranda. Tales enim sacerdotes sat magno numero subministrat lex Mosaica.

℣.5. QVI in templo quidem DESERVIVNT, sed non nisi EXEMPLARI ET VMBRÆ CÆLESTIVM. Quęcumque enim fiebant in templo Salomonico, typum, figuram, similitudinem quamdam nobis exhibebant eorum quæ per Christum fiunt in Ecclesia & in cœlo. v.g. quòd pontifex cæsâ victimâ introiret semel in Sanctum sanctorũ, prefigurabat, Christum fuso sanguine suo ingressurum cælum, vt vultui Dei appareret pro nobis: & sic de reliquis. SICVT RESPONSVM EST MOYSI, Exodi 25.v. 40. cùm ei ostenderetur in monte Sinai idea fabricandi tabernaculi, arcæ, propitiatorij, Cherubim, &c. Tunc enim sat intellexit Moyses, non tantùm materialem formam qua hæc omnia essent conficienda, sed insuper etiam formalem eorumdem significationem, nempe quòd typi essent & figuræ tabernaculi spiritualis & cælestis, quod Messias aliquando constructurus esset, putà Ecclesiæ, partim in terris, (eiusque Sacramentorum & sacrificij:) partim in cœlis, huiusque splendoris ac gloriæ. ita S.Anselmus & Beda. *Beda in Exodi 25.*

℣.6. NVNC AVTEM constat, *sortitum* Christum non terrenum, sed longè MELIVS ac nobilius MINISTERIVM pontificale, QVANTO nempe nouum *testamentum*, seu fœdus, cuius Christus MEDIATOR EST, præcellit veteri testamento, quod non nisi terrena bona promittit & præstat, nouum verò spiritualia & cælestia.

℣.7. NAM SI ILLVD PRIVS, seu vetus testamentum, CVLPA VACASSET] Græcè ἄμεμπτον, id est, *irreprehensibile* fuisset, id est, si nihil in eo requisitum fuisset, vt posset culpas & peccata sufficienter abolere; non opus fuisset nouo alio fœdere. ita Theophyl.

℣.8. VITVPERANS; Græcè & syriacè, *incusans*, Iudæos Ieremiæ 31.v.31. promittit illis nouum fœdus & nouam perfectiorem legem, qua redderentur obsequentiores Deo, quàm per veterem legem imperfectam, infirmam, imbecillem. Vide hæc ibidem fusiùs explicata.

℣.13. Deus AVTEM DICENDO apud Ieremiam, CONSVMMABO, seu perficiam, confectum vobis dabo NOVVM TESTAMENTVM; hoc ipso VETERAVIT, antiquauit, aboleuit PRIVS, seu vetus testamentum Mosaicum: QVOD enim ANTIQVATVR, seu SENESCIT, (vt illud tempore Ieremiæ) PROPE INTERITVM EST, nec diu durabit. Quod ergo de facto antiquatum est tempore Christi, planè iam interijt, nec ampliùs durat. Hæc tanto studio inculcat Paulus, vt Hebræos à Moyse ad Christum, à veteri testamento ad nouum traducat: nec mirentur, vetus per nouum abrogari, cùm id non sufficeret ipsis ad iustitiam & salutem consequendam: & iam pridem aliud nouum & nobilius atque efficacius testamentum per Messiam ipsis obuenturum, à Ieremia & alijs Prophetis prædictum ac promissum fuerit.

CAPVT IX.

Ex instrumentis & ritibus veteris tabernaculi probat, non potuisse vetus testamentum nos iustificare vel saluare: ac proinde iam abolitum esse per Christum, & cum nouo meliore atque efficaciore commutatum.

¶. 1. HABVIT PRIVS, seu vetus testamentum, suas IVSTIFICATIONES, id est, leges, (a) ritus, cęremonias, CVLTVRÆ, λατρείας, id est, quibus coleret Deum, & saltem exteriùs iustificaret hominem. Habuit ET SANCTVM, id est, sanctuarium, seu templum, sed SÆCVLARE, κοσμικὸν, id est, *mundanum*, terrestre, temporaneum, caducum & vmbraticum: cùm in Ecclesia Christi omnia sint vera, spiritalia, cælestia, æterna: vt in decursu capitis audiemus.

a *Proleg. de Idiotismis Hebr. n.* 14.

¶. 2. TABERNACVLVM PRIMVM, id est, prior, seu anterior pars tabernaculi, quę vocabatur *Sanctum*, continebat CANDELABRA, id est, septem lucernas septicipitis candelabri: (nisi malis alludi ad Salomonicum templum, in quo erant decem candelabra septicipitia.) (b) Item *mensam* auream, seu altare thymiamatis. Denique *propositionem* PANVM, id est, panes (c) propositos coram Domino. De his, & horum allegoricis significatis egi in Exodo. (d) QVÆ prior tabernaculi pars DICITVR *sanctum*, vel SANCTA. Altera seu interior tabernaculi pars erat

b 3. *Reg.* 7. *v.* 49.
c *Proleg. de Idiotismis Hebr. n.* 47.
d *Exodi* 25. & 30.

¶. 3. POST VELAMENTVM SECVNDVM] Prius enim velum appensum erat foribus *Sancti*, posterius (e) foribus *Sancti sanctorum*, seu sanctissimæ (f) partis tabernaculi. Vbi erat

e *Exodi* 26. *v* 32. & 36.
f *Prolegom. supr. nn.* 50.

¶. 4. AVREVM THVRIBVLVM, quod seruiebat suffitui quem excitabat pontifex semel in anno ingrediens *Sancta sanctorum*. ita S. Thomas, Anselmus, Liranus, Galenus, Viegas & Villalpandus. Sed Origenes, Abulensis, Ribera & à Lapide per *thuribulum* intelligunt altare thymiamatis, ex lignis quidem setim, sed auro vndique tectis constructum, quòd etsi esset in *Sancto*, (g) proximum tamen erat *Sancto sanctorum*, & inde fumus, seu suffitus ingrediebatur in *Sanctum sanctorum*: vnde & vocabatur *altare oraculi*, quia eius vsus non erat alius, quàm Deo in oraculo residenti thus adolere. Habebat ergo Sanctum sanctorum *altare* istud non in se vt habebat *arcam*, sed *ante se*, sicut caput habet collum, domus habet atrium, ciuitas fossam. Porrò IN, (h) id est, cum arca, vel iuxta arcam, erat VRNA cum MANNA. Nam in ipsa præcisè arca non erant nisi tabulæ Mosaicæ, vt alibi (i) vidimus.

Matth. Galen. & alij hic.
Viegas Apoc. 8 p. 385.
Orig. ho. 9. *in Exod.*
Abulens. in Exod. 25.
g *Exod.* 40. *v.* 24.
h *Proleg. de Idiotismis Hebr. n.* 12.
i 3. *Reg.* 8. *v.* 9.

¶. 5. CHERVBIM GLORIÆ, id est, glorioſi, augusti, splendidi, alis suis *obumbrabant* PROPITIATORIVM] id est, tabulã auream quæ arcæ sursum (interiecto aliquanto spatio) imminebat & quasi à longè tegebat, vt dixi in Exodo, (k) vbi & quid singula significent explicui.

k *Exod.* 25. *v.* 16.

¶. 7. PONTIFEX & quidem SOLVS, nec nisi SEMEL IN ANNO, die expiationis, (l) intrabat in Sanctum sanctorum, NON SINE profuso SANGVINE vituli PRO SVA, ET hirci *pro* POPVLI IGNORANTIA, id est, peccatis, quæ sunt ignorantiæ practicæ. Et teste Aristotele, imò & S. Paulo & Sapiente, *omnis peccans* est *ignorans*. ita Anselmus & S. Thomas. Porrò per hoc quòd nulli alteri pateret aditus in Sanctum sanctorum,

l *Leuit.* 16. *v.* 2. & 6.
Arist. lib. 3. *Ethicor.*
Paul. Heb. 5. *v.* 2.
Sap. 5 *v.* 7.

¶. 8. *Significabat Spiritus sanctus*, NONDVM PROPALATAM ESSE tempore legis Mosaicæ VIAM SANCTORVM] id est, nondum hominibus patefactum A esse aditum in vera *Sancta sanctorum*, id est, in cælum: quia nondum facta erat expiatio peccatorum per sanguinem & mortem Christi. ita Chrysost. cum suis & Primasius. Erat enim

¶. 9. PARABOLA, id est, figura, typus, similitudo, repręsentatio, TEMPORIS TVNC INSTANTIS, seu tũc præsentis. Nempe designabat, quòd, sicut sacerdotes non poterant ingredi in Sanctum sanctorum: ita nec MVNERA, nec HOSTIÆ quæ à sacerdotibus OFFERVNTVR Deo, POSSINT PERFECTVM FACERE SERVIENTEM, seu offerentem, id est, iustificare, IVXTA CONSCIENTIAM, id est, secundùm interiorem hominem, vel secundùm animam, & B consequenter nec in cælum inducere. Tantùm enim seruiebant procurandæ

¶. 10. *Iustitiæ* CARNIS, id est, iustificationi, seu purgationi exteriori in foro fori, non in foro poli: *impositæ* rudi populo VSQVE AD TEMPVS CORRECTIONIS] Id est, vsque ad aduentum Christi qui corrigere debebat externos & carnales illos ritus & subinducere cultum Dei internum ac spiritualem, inquit Theophyl.

¶. 11. CHRISTVS ASSISTENS nobis; Græcè, παραγενόμενος, id est, *postquam* in hunc mundum *aduenit* & accessit nobis, PONTIFEX, *futuræ* vitæ thesauros, gratiam, iustificationem & gloriam æternam nobis comparaturus, ingressus est non C per angustum *Sanctum* Mosaicum, sed PER AMPLIVS, maius, vastius, PERFECTIVS TABERNACVLVM, putà per Ecclesiã hîc à se in terris collectam, quæ NON est HVIVS CREATIONIS, id est, opus humani artificij (vti erat Mosaicum tabernaculum) sed diuini. (m) Per hanc, inquam, militantem suam Ecclesiam INTROIVIT IN SANCTA sanctorum, id est, in Ecclesiam triumphantem: non quotannis, vt Aaronici, sed SEMEL pro semper; INVENTA, id est, magno studio, labore, ac totius sanguinis sui profusione, comparatâ nobis omnibus plenâ solidaq; REDEMPTIONE, non ad breue tempus, sed ÆTERNA, seu æternùm duraturâ:

m *Hebr.* 8. *v.* 1.

¶. 14. PER SPIRITVM SANCTVM, qui ipsum ad D id excitabat & mouebat, *emundãs* CONSCIENTIAM & animã NOSTRAM AB OPERIBVS MORTVIS] id est, à peccatis. (n) Quod non poterant præstare omnia sacrificia legis veteris.

n *Hebr.* 6. *v.* 1.

¶. 15. ET IDEO factus EST MEDIATOR NOVI, melioris & efficacioris TESTAMENTI, perficiens vt spiritualia, cælestia & æterna bona, quæ nouo testamento nobis tamquam heredibus promittuntur, certò & indubitatò consequamur. Perfecit autem istud MORTE suâ INTERCEDENTE.

¶. 16. VBI ENIM *testamento* aliquo hereditas legatur, NECESSE EST priùs *mori testatorem*, quàm hereditas adiri possit. Quod addit Apostolus, vt E Hebræis ad oculum demonstret, mortem Christi non fuisse, seu ipsi, seu nobis dedecori, (o) sed lucro & gloriæ.

o *Ioan.* 12. *v.* 14.

¶. 18. VNDE NEC PRIMVM QVIDEM testamentum, mediante Moyse in Sinai, DEDICATVM, id est, solenniter confirmatum, est SINE SANGVINE, & morte, non quidem testatoris (nam is est immortalis) sed VITVLORVM ET HIRCORVM ipso iubente necdatorum. (p)

p *Exodi* 24. *v.* 8.

¶. 20. HIC est SANGVIS TESTAMENTI] id est, quo ratificatur, solemnizatur, confirmatur fœdus, seu pactum Dei vobiscum, de consignanda tradendaque vobis hereditate terræ Chanaan. Allegoricè, hereditate cælesti, inquit Theophylactus.

¶. 22. SINE SANGVINIS EFFVSIONE NON *fiebat* REMIS-

REMISSIO] Si quis enim peccasset, cogebatur (*a*) A victimam pro peccato immolare: & per hanc accipiebat *remissionem* non culpæ vel reatus coram Deo (neque enim tolli poterat culpa, nisi per contritionem iunctam cum fide & spe venturi Messiæ;) sed immunditiæ legalis, & pœnæ alioquin in hac vita incurrendæ.

a Leuit.4. &c.

℣.13. His ERGO legalibus & carnalibus HOSTIIS NECESSE erat MVNDARI EXEMPLARIA CÆLESTIVM, id est, vetus tabernaculum, vetus testamẽtum, veterem synagogam, & omnia quæ his continebantur: quæ erant exemplaria, id est, typi & figuræ, Ecclesiæ Christi, & nouæ legis ac noui testamenti, quæ hîc CÆLESTIA vocantur propter B cælestem victimam, doctrinam, præmium & hereditatem: *mundanda* MELIORIBVS & nobilioribus HOSTIIS. putà carne & sanguine Christi, partim cruentè in cruce, partim incruentè in Eucharistia oblato. Quæ hostia quia quotidie repetitur, & à multis sacerdotibus offertur, ideo quasi multæ hostiæ censentur: & per illam Ecclesia tum militans, tum triumphans omnem suam munditiam & sanctitatem continuò accipit.

℣.24. SANCTA sanctorum EXEMPLARIA VERORVM, erat illa interior templi pars in quam põtifex Aaronicus semel quotannis cum *alieno sanguine* vituli & hirci introibat, eratque figura cœli empyrei, in quod Christus per proprium sanguinem semel introiuit, non tamẽ ita vt cum introitu curam nostri deposuerit: nam NVNC etiam vt mediator, pontifex, aduocatus, APPARET VVLTVI DEI, & causam nostram agit apud Patrem. Interea morte semel obità sufficienter ex parte sua redemit vniuersum mundum, omnesque homines, siue ante, siue post ipsum victuros.

℣.26. ALIOQVIN si non omnibus sufficeret, sed solis ijs qui tum temporis viuebant, OPORTEBAT EVM (si saluti hominum plenè consultũ volebat,) FREQVENTER PATI, imò singulis generationibus, AB ORIGINE vsque ad finem MVNDI, mortem pro hominibus illius sæculi subire. NVNC AVTEM SEMEL pro semper PER HOSTIAM SVAM, id est, per oblationem sui ipsius in cruce, vt redemptor D totius vniuersi, APPARVIT coram Deo patre AD DESTITVTIONEM; Syrus, *ad abolitionem* & expiationem, omnis PECCATI, quantum ex parte sua est, idque IN CONSVMMATIONE, id est, fine, SÆCVLORVM, id est, nouissima mundi ætate. (*b*)

b Chronici 6.7.

℣.27. QVEMADMODVM propter peccatum primi hominis STATVTVM EST vt omnes SEMEL *moriantur*, & POST mortem *iudicio* diuino sistantur, vt digna factis recipiant:

℣.28. SIC CHRISTVS, qui PECCATA MVLTORVM, id est, omnium nostrum, in se expianda & EXHAVRIENDA susceperat, voluit etiam SEMEL mori, & sic Deo in lytrum *offerri*: deinde ad iudicium E venire, non iudicandus ipse, sed totum vniuersum iudicaturus, non in exitium, (nisi solis rebellibus suis,) sed IN SALVTEM ijs qui integra fide, spe, charitate & debito obsequio *exspectant* eum. Veniet, inquam, non iterum onustus nostris peccatis, vt illa rursus expiet, & se victimam pro illis abolendis offerat Patri, sed SINE tali sarcina *peccati* iudicem omnium aget, nempe vindicem malorum, remuneratorem bonorum. ita S. Chrysost. Theodoretus & Anselmus.

CAPVT X.

Docet, non Aaronicas vel legales hostias, etsi innumeras, sed vnicam Christi in cruce oblationem tollere & expiare omne peccatum. Hortatur dein ad constantiam in fide & pietate Christiana.

℣.1. LEX Mosaica NVNQVAM POTEST ACCEDENTES ad altare, seu offerentes sacrificia, PERFECTOS FACERE, id est, perfectè à peccatis expedire, iustificare & saluare, quia tantùm erat VMBRA, seu rudis delineatio, non verò IMAGO, id est, perfecta & plena ad viuum repræsentatio FVTVRORVM, spiritualium ac cælestium BONORVM, qualis est in sacrificio & Sacramentis noui testamenti & legis Euangelicæ. ita S. Chrysost. qui per *imaginem* vult ipsam rei veritatem, &, vt Syrus vertit, *substantiam* intelligi, metaphora à pictoribus desumpta, quorum vltima manus, seu perfectio, est pictura lineamentis suis & coloribus omnibus absoluta. Sed Nazianzenus, Theodoret. Theophyl. legi Mosaicæ tribuunt σκιὰν, id est, *vmbram*: Euangelio εἰκόνα, id est, *imaginem*: cœlo ἀλήθειαν, id est, *veritatem*.

℣.2. ALIOQVI si sacrificijs Mosaicis perfectè expiata fuissent peccata, CESSASSENT OFFERRI] nec iterari iussa fuissent à Deo pro ijsdem pec- C catis pro quibus semel sacrificatum fuerat. Quod enim semel perfectè expiatum & abolitum est, non eget vlteriore expiatione aut abolitione. ita Chrysost. Theophyl. Anselmus. Atqui

℣.3. PER SINGVLOS ANNOS iubente Deo Leuit. 16. IN IPSIS, seu per ipsa sacrificia, in die expiationis, (*c*) COMMEMORATIO fiebat PECCATORVM omnium, etiam pro quibus semel fuerat sacrificatum, id est, instituebatur generalis expiatio, qua simul pro omnibus totius præteriti anni peccatis rursum commemoratis hostiæ de nouo offerebantur. Quod certum erat indiciũ peccata prioribus sacrificijs nõ fuisse expiata, sed neque præsentibus illis (nihilo quàm priora efficacioribus) vetè expiari: sed solùm *commemorari* & accusari, vt scilicet homines illorum recordati scirẽt, sibi ad Christi crucem & sacrificium per fidem & spem recurrendum esse. ita ijdem Patres.

c Leuit. 16. v.2.11.

℣.5. IDEO, vt peccata nostra expiaret Christus, INGREDIENS, seu simul atque per incarnationem ingressus est MVNDVM, obtulit se ad id Patri prõptissimum ac paratissimum, vt constat ex Psalmo 39.v.7.& 8.vt ibi explicui. Sed simul *v.*8. DICENS Christus Patri, HOSTIAS legis Mosaicæ PRO PECCATO NOLVISTI: *nec placent* TIBI, eo ipso

℣.9. AVFERT, antiquat, annullat PRIMVM illud genus sacrificiorum & sacerdotij, VT SEQVENS Christi sacerdotium & sacrificium STATVAT ac stabiliat, quo secundùm *voluntatem* & decretum Dei offerat seipsum in victimam expiatoriam.

℣.10. QVA VOLVNTATE, id est, quâ vnicâ victimâ secundùm Patris voluntatem à Christo in ara crucis semel oblatâ nos omnes perfectè SANCTIFICATI & iustificati SVMVS, nempe quantum est ex parte victimæ, ad omnes iustificandos sufficientissimæ: nam ex parte nostra curandum, vt victima hæc singulis suo tempore per sacrificium Eucharisticum & Sacramenta, aliaque media ad id à Christo instituta speciatim applicetur.

℣.12. Pluribus ergo hostijs PRO PECCATIS totius mũdi, ex parte sua expiandis, non eguit Christus, sed VNAM semel OFFERENS, προσενέγκας, id est, *post-*

est, *postquam obtulisset*, plenè suo munere redemptoris perfunctus, SEDET iam glorioſus IN DEXTERA DEI, ſedebitque *æternùm* in cœlis quos ſua illa oblatione ſibi nobiſque reſerauit.

℣.14. VNA ENIM hac ſua oblatione ita CONSVMMAVIT SANCTIFICATOS] Græcè, *eos qui ſanctificantur*, id eſt, tam plenum, tam vberem fontem inſtituit, vt omnes omnino homines, ſi velint mundari & ſanctificari poſſint, & licet infiniti naſcerentur, nullo alio opus haberẽt, ſed ex hoc vno (per Sacramenta, per ſacrificium Euchariſticum, per pia opera, quæ ſunt quaſi ſitulæ noſtræ) haurire poſſent quæcumque ipſis ad perfectam iuſtificationem & ſaluationem neceſſaria ſunt. ita SS. Patres, & Tridentinum.

Trid. ſeſſ. 22.c.1.

℣.15. CONTESTATVR AVTEM, μαρτυρεῖ, id eſt, *teſtatur* nobis eamdem veritatem (nempe, veteris teſtamenti ſacrificia non potuiſſe auferre peccata, ſed hoc beneficium reſeruari nouo teſtamento:) SPIRITVS SANCTVS etiam alio loco, putà per Ieremiam (*a*) Prophetam: cuius ore cùm promiſiſſet,

a Ierem. 31. v.33.

℣.16. POST DIES ILLOS, id eſt, poſt repudiatam Synagogam & legem Moſaicam, ſe nouum TESTAMENTVM, ſeu pactum cum populo ſuo initurum; mox explicat quale ſit iſtud futurum, nempe, quo IN CORDIBVS EORVM abundantiſſimæ gratiæ per Chriſtum ſcaturiant, & peccata ita ex eis eliminentur & aboleantur, vt illorum AMPLIVS NON recordetur Deus.

℣.18. VBI AVTEM plena peccatorum eſt REMISSIO, ſeu abolitio facta, IAM NON EST neceſſaria alia OBLATIO PRO PECCATIS, qua nouum rurſus pretium illis remittendis comparetur: ſed ſolùm neceſſaria eſt applicatio pretij ſemel per mortem Chriſti comparati. ita paſſim Patres & Doctores orthodoxi, imò & Calumus & Beza. Sed inferunt, Ergo fruſtra eſt Miſſa: addit Lutherus, Miſſam ideo eſſe magnã abominationem, & ſe hoc à diabolo didiciſſe. Reſpondeo, neg. conſeq. diabolicam: quia Miſſa non affert nouum pretium (quod vnicum hîc negat Paulus;) ſed tantùm applicat pretium quod morte Chriſti ſemel comparatum eſt, vt etiam faciunt omnia bona opera, & ex Lutheri, Caluini, ceterorumque hæreticorum confeſſione, etiam fides & Sacramenta.

Luther. l. de Miſſa primata, anno 1534.

℣.19. ITAQVE cùm iam per Chriſtum conſecuti ſimus veram peccatorum remiſſionem, atque ita FIDVCIAM plenamque libertatem habeamus IN INTROITV; Græcè, *in introitum*, ſeu introeundi in Sanctum SANCTORVM, id eſt, in cœlum per SANGVINEM & mortem Chriſti;

℣.20. QVAM VIAM NOVAM, id eſt, nouiter, patefactam, nullius veſtigijs preſſam, ET VIVENTEM, id eſt, perpetua energia, ſeu efficacia vigentem, Chriſtus NOBIS INITIAVIT, id eſt, primus ingreſſus eſt, primus calcauit, aperuit ac reſerauit, PER VELAMEN, ID EST, CARNEM SVAM in cruce immolatam. Quia ſicut velum in paſſione Chriſti diſciſſum patefecit Sãctum ſanctorum, ita caro Chriſti per mortem diſciſſa patefecit nobis cœlum, inquit S. Chryſoſt. Cùm item habeamus Chriſtum

℣.21. SACERDOTEM MAGNVM, id eſt, pontificem, mediatorem, & aduocatum apud Deum, toti *domui*, id eſt, Eccleſiæ ſuæ, perpetuò inuigilantem atque opitulantem;

℣.22. ACCEDAMVS ad Deum CVM CORDE VERO, id eſt, minimè ſubdolo vel fucato, ſed recto, ſincero, & ipſi verè addicto, cum plena item fide: ASPERSI CORDA (*b*) (græciſmus eſt,) q.d. In cordibus luſtrati ſanguine Chriſti, & per eum purgati A CONSCIENTIA MALA, vt Syrus vertit.

b Hebr. 9. v.13.

℣.23. TENEAMVS SPEI NOSTRÆ CONFESSIONEM (*c*) INDECLINABILEM: id eſt, nullo modo declinemus à fide & ſpe quam in baptiſmo publicè confeſſi & profeſſi ſumus, quando CORPVS AQVA MVNDA; anima Spiritus ſancti gratiâ *abluta* fuit. *c C.3.v.1.*

℣.24. CONSIDEREMVS INVICEM, non vt alter alteri inuideamus, detrahamus, noceamus, ſed IN PROVOCATIONEM CHARITATIS, & æmulationem bonorum operum tam actiuam, quàm paſſiuam.

℣.25. NON DESERENTES COLLECTIONEM NOSTRAM, id eſt, cœtus & conuentus publicos: multò autem minùs apoſtatantes à fide Chriſti ad iudaiſmum vel gentiliſmum, quod ſtudioſiùs inculco, propter APPROPINQVANTEM DIEM iudicij, quo cuiuſque, ſeu conſtantia, ſeu inſtantia elucеſcet, & condignam mercedem accipiet.

℣.26. VOLVNTARIE ENIM tali apoſtaſia PECCANTIBVS, & ſumma ingratitudine à Chriſto deſciſcentibus, NON RELINQVITVR PRO PECCATIS HOSTIA] id eſt, ægrè ac vix reliqua eſt ſpes veniæ, vt ſuprà (*d*) expoſui. Vel etiam propriè ac rigidè, nulla eſt ſpes apoſtatis aut remedium veniæ: nam in tali ſtatu manentibus nec Chriſtus (quem abnegant:) nec alius Meſſias (quia nullus venturus:) nec legis ſacrificia (vtpote infirma & iam abolita) vnquam prodeſſe poterunt. ita Cornel. à Lapide. Sed manet illos *d C.6.v.4.*

℣.27. IGNIS infernalis TERRIBILIS ÆMVLATIO] id eſt, horrendus impetus & violentia, qua inſtar lictoris vehementiſſimè exacerbati, geſtiet admiſſa in Deum peccata, quanto poterit furore vindicare. (*e*) Eò quòd talis ſua apoſtaſia *e Sap.5.v.18.*

℣.29. FILIVM DEI CONCVLCAVERIT, ſpreuerit, deſeruerit, ET SANGVINEM eius, quo *teſtamentum*, id eſt, fœdus inter Deum & homines, de nouo ſancitum eſt, POLLVTVM DVXERIT, id eſt, velut rem profanam ac ſordidam contempſerit & abiecerit.

℣.32. REMEMORAMINI potiùs, ſeu in memoriam reuocate, PRISTINOS DIES, id eſt, præteritum tempus primi veſtri feruoris, quo recèns ILLVMINATI lumine fidei, & baptiſmo luſtrati, MAGNVM CERTAMEN pro fide hac tuenda SVSTINVISTIS, tum ab alijs tyrannis, tum à contribulibus veſtris. (*f*) *f Act.17. v.1. &c.*

℣.33. IN ALTERO; Græcè, ἔν τε μέν, id eſt, *partim* QVIDEM, vos ipſi varijs OPPROBRIIS affecti, & tribulationibus exhauſti, SPECTACVLVM Deo & hominibus FACTI digniſſimum ac glorioſiſſimum: ἔν τε δέ, id eſt, *partim verò*, SOCII vltrò effecti aliorum qui ſimilia pro fide Chriſti ſubibant.

℣.35. NOLITE per fidam apoſtaſiã AMITTERE; Græcè, *abijcere*, CONFIDENTIAM VESTRAM, id eſt, opes, merita, theſauros ſpirituales tot laboribus, tot prælijs partos, ex quibus ingentem fiduciam obtinendæ aliquando vitæ æternæ haurire ſoletis.

℣.36. PATIENTIA ENIM ad finem vſque vitæ continuata, VOBIS planè NECESSARIA EST, VT REPORTETIS, ſeu compotes reddamini cæleſtium bonorum certãtibus ac vincentibus *promiſſorum*. Neque erit adeò diuturna vobis lucta:

℣.37. ADHVC ENIM MODICVM ALIQVANTVLVM (ſunt verba Habacuc Prophetæ) & VENIET ad iudicium QVI VENTVRVS EST, (*g*) Chriſtus, præmia conſtantibus, pœnas apoſtatis repenſurus. Interea temporis *Habacuc 2. v.4. g Matt. 11. v.3. & Apoc.1.v.4. &c.*

℣.38.

℣.38. IVSTVS MEVS FIDE VIVIT] & in medijs tribulationibus hoc scipione se fulciet.

Vbi contra hæreticos Nota, non excludi, sed necessariò includi hîc bona opera, quia fides hæc præscribit & imperat. Sicut cum quis ex arte pictoria viuere dicitur, non excluditur, sed planè includitur exercitium eiusdem artis.

a Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 40.

℣.39. Non SVMVS FILII SVBTRACTIONIS, (a) id est, qui nos subtrahamus fidei per apostasiam, diffidentiam vel pusillanimitatem: SED FIDEI filij sumus, id est, fideles esse volumus, non IN PERDITIONEM, sed IN ACQVISITIONEM ANIMÆ, id est, vt non perdamus, sed certò acquiramus nobisque stabiliamus æternam animæ nostræ salutem. ita S. Anselmus.

CAPVT XI.

Ad Hebræos in fide corroborandos, describit quid sit fides, qui illius fructus & quanta efficacia.

℣.1. FIDES EST SVBSTANTIA, Græcè ὑπόστασις, quod etiam *subsistentiam* significat, non solùm passiuam, sed & actiuam, nempe quæ facit subsistere. q.d. Fides est id quod *res sperandas*; Græcè, *res quæ sperantur* & nondum existunt, facit subsistere in intellectu, id est, tam certas in animo hominis haberi ac si iam de facto existerent. ita S. Chrysost. Theodoret. Theophyl. Oecumen. & Syrus. Est item ARGVMENTVM, ἔλεγχος, id est, *conuictio, demonstratio*, vt legit S. Augustin. & Chrysostom. q.d. Est lumen quo intellectus conuincitur ad firmiter ea credenda quæ non videt, aut naturaliter non capit.

August. lib. 13. de Trinit. c. 1.

Hinc Nota Primò, fidem non esse fiduciam aut spē, vt volunt hæretici: spes enim ac fiducia sunt in appetitu, seu voluntate. Argumētum verò, conuictio & demonstratio soli intellectui conueniunt.

Nota Secundò, hanc Paulinam fidei descriptionem etsi quidam dicant non esse adæquatam, (sed assignari per duas solūmodò præcipuas fidei proprietates, quarum vna est, quòd sit basis & fundamentum spei: altera quòd intellectum faciat certissimò assentiri ijs quæ non clarè intelligit:) probabilius tamen cum (b) communiore sententia dici, prorsus adæquatum esse. Nam omnis fides ordinatur ad res sperandas, etiam quæ versatur circa infernum, quia hūc speramus nos euasuros. Etiam quæ circa præterita, v.g. incarnationem & mortem Christi: quia spes his innititur. Alibi etiam explicui (c) qua ratione obscuritati fidei non repugnet euidentia scientiæ vel sensationis naturalis circa quasdam res existentes, præsentes, & naturali lumine vel sensu apparentes, v.g. Deum esse, esse vnicum, esse infinitum, &c. vt olim respectu Deiparæ, se virginem esse, se Christum peperisse, &c. respectu eiusdem & Thomæ, (d) Christum rediuiuum esse, &c. Fides enim extendit se ad omnia quæ diuinitus reuelata sunt, siue appareant illa sensibus aut intellectui, siue non apparcant. Sed longè certior est notitia hausta ex diuina reuelatione quantumuis obscura, quàm quæ hauritur ex clara scientia vel sensu naturali: vnde facilè contingit potest, rem quæ naturaliter scitur aut videtur, posse nihilominus etiam fide credi.

b In 2. 2. q. 2. art. 4.

c Ioan. 20. v. 29.

d Ibid.

℣.2. IN HAC, id est, per hanc fidem, SENES, seu antiqui patres nostri, CONSECVTI SVNT TESTIMONIVM quòd Deo placerent per quos tam magna ac mirabilia patrauit.

℣.3. FIDE cognoscimus, SÆCVLA id est, mundum & omnia quæ in mūdo sunt, non esse ab æterno (vt quidā Philosophi somniarunt) sed in tempore creata & APTATA ESSE, καταρτισμένα, id est, *compaginata*, & omnibus partibus, quasi magni corporis artubus & membris aptè coagmentata, vnico VERBO, iussu, nutu DEI: VT EX INVISIBILIBVS; Græcè, *ex non apparentibus*; Theophyl. ex non existentibus, nisi (vt Molina & Ribera exponunt) in ideis diuinis, seu in mente & arte Dei; FIERENT existentia & VISIBILIA.

℣.4. FIDES quæ maior & ardentior erat in ABEL, quàm in CAIN, excitauit eum vt PLVRIMAM, πλείονα, id est, *copiosiorem*, meliorem, præstantiorem, HOSTIAM DEO *offerret*. (e) ET PER, seu propter, ILLAM, etsi occisus à Cain, ADHVC LOQVITVR] non ore, sed re & exemplo apud homines celebri & famoso. Neque enim cum vita potuit extingui glorioſi eius memoria, qua semper viuet, inquit S. Chrysost. cum suis.

e Genes. 4. v. 4.

℣.5. HENOCH quoque ob insignem fidem suam, & conformem fidei morum innocentiam ac sanctitatem, TRANSLATVS EST in paradisum. (f)

f Genes. 5. v. 24. & Apoc. 11. v. 2. & 12.

℣.6. ACCEDENTEM AD DEVM, id est, vt quis Deum ritè colere, ejq; placere incipiat, CREDERE præ omnibus OPORTET, quòd sit vnus Deus, & quòd cultoribus suis retribuat promissam mercedem vitæ æternæ. Non quòd hæc duo credidisse sufficiat, (nam certum est credēdam etiam SS. Trinitatem, Christum mediatorem, & alia quæ Symbolo Apostolico continētur;) sed hęc duo prę alijs enumerat Apostolus, eò quòd sint prima & faciliora fidei obiecta, maximēque necessaria ad spem excitandam qua virtutū labores fortiter sustineamus, quòd hîc maximè inculcat. ita Theodor.

℣.7. NOE RESPONSO (g) (id est, reuelatione diuina admonitus de futuro orbis diluuio, METVENS, id est, reueritus Deum, APTAVIT eius iussu ARCAM: & hac sua *fide* DAMNAVIT incredulitatis reliquum MVNDVM nolentem credere obuenturum diluuium, cùm tamen perpetuò ob oculos versaretur arca tanto studio, tanta constantia à Noë constructa. Sic regina Austri (h) dicitur condemnatura Iudæos facto & studio suo. ET IVSTITIÆ, id est, sanctitatis patrum suorum, QVÆ PER FIDEM acquiritur & augetur, HERES remansit, reliquis omnibus tum diluuio, tum peccato submersis. Theophyl. & Anselmus.

g Genes. 6. v. 14. & 6.

h Matt. 12. v. 42.

℣.10. ABRAHAM certus, se nō esse terræ ciuem, ne illius quidem quæ sibi & posteris suis promissa fuerat, EXSPECTABAT aliam FVNDAMENTA HABENTEM, (i) id est, bene & solidè fundatam, firmissimam, immobilem, æternam, CIVITATEM, nempe patriam cælestem. Opponit hanc mundanis tabernaculis, quæ fundamenta non habent.

i Apoc. 21. v. 17.

℣.12. AB VNO Abrahamo, ET HOC EMORTVO quoad vim generandi, ORTI SVNT innumerabiles posteri.

℣.13. IVXTA FIDEM; Syrus, *in*, seu cum *fide*, vt vixerunt, ita & DEFVNCTI SVNT OMNES Patriarchæ, bonis à Deo promissis nunquam fruiti, siue agas de terra Chanaan, siue de cœlo, quod ipsis nō patuit nisi post mortē Christi: CONFITENTES, teste Iacobo, (k) quòd PEREGRINI essent. Et eo ipso

k Genes. 47. v. 9.

℣.14. *Significabant*, SE PATRIAM cælestem INQVIRERE: non verò terrestrem,

℣.15. DE QVA *exierant*. Nam vt eò reuerterentur, facilè illis & obuium erat, poterantque breuissimo itinere ac tempore, v.g. è Chanaatide vel Ægypto, in Vr Chaldæorum recurrere,

℣.16 NVNC AVTEM constat MELIOREM, nobiliorem, firmiorem ciuitatem, illos APPETIISSE, ID EST, CÆLESTEM. Ob quam illorũ fidem, NON CONFVNDITVR DEVS vocari peculiariter DEVS EORVM qui sic animũ in cœlo defixum habebant, vbi Deus gloriam suam publicè manifestat: nec frustrabitur eos sua spe: nam CIVITATEM ad quã anhelarunt, PRÆPARAVIT ILLIS iam pridem.

℣.19. Abraham ACCEPIT Isaacum IN PARABOLAM] id est, in typum, seu figuram Christi morituri & resurrecturi: videbatur enim Isaac resurrexisse cùm à gladio patris & certa morte subtractus ac liberatus fuit. ita Chrysost. Theodor. Anselmus, Vatablus & Galenus. Item, vt Isaac omnibus sæculis esset prouerbium & exemplum memorabilis obedientiæ, inquit Corn. à Lapide.

℣.21. De *fastigio virgæ* seu sceptri Iosephi, vide quæ in Genesi dixi, (a) vbi interpres vertit, *ad lectuli caput*.

a *Genes.47. v.31.*

℣.23. FIDE OCCVLTATVS EST Moyses Exodi 2.v.2. Patri enim, inquit Iosephus, per quietem significatum cælitus fuerat, nasciturum ex eo infantem, qui populum ex Ægypto liberaret: fidem oraculi confirmauit *infantuli elegantia*. Sed Moyses vt adolcuit, comperitque se liberando populo destinatum à Deo, FIDE impulsus est, ad excutiendam adoptionem FILIÆ PHARAONIS.

Ioseph. l.2. Antiq.c.5.

℣.25. MAGIS ELIGENS Hebræus haberi, & CVM Hebræis AFFLIGI ab Ægyptijs, QVAM in aula regia HABERE IVCVNDITATEM TEMPORALIS PECCATI] Græcè, πρόσκαιρον ἀπόλαυσιν, id est, *temporalem*, seu modici temporis *fruitionem*, nempe deliciarum præsentis vitæ, quæ ipsi fuissent *peccatum:* nam non poterat obtemperare Pharaoni contraria Deo iubenti, neque deserere Hebræos, quibus educendis destinatum se norat à Deo.

℣.26. MAIORES ÆSTIMANS DIVITIAS IMPROPERIVM CHRISTI] id est, simile improperio Christi. Moyses enim spiritu prophetico & etiam maiorum traditione præsciebat, Christum mundi redemptorem, multa opprobria passurum: vt ergo Christo similior fieret, maluit probris affici cum Hebræis, quàm honoribus, opibus, delicijs abundare in aula Pharaonis. ita Chrysost. cum suis & Ribera, & à Lapide.

℣.27. FIDE credens diuinis promissis RELIQVIT cum omni populo suo ÆGYPTVM, & per mare traduxit omnes in desertum, NON VERITVS ANIMOSITATEM, θυμὸν, id est, *iram*, Pharaonis. Et verò quid timeat hominem visibilem, infirmum ac mortalem, qui Deum omnipotentem, immortalem & INVISIBILEM SVSTINVIT] id est, adiutorem & remuneratorem constanti fide exspectauit sibi tam certò affuturum, ac si *visibiliter* præsentem illum haberet.

b *Iudic.7. v.19.&c.*

Sic GEDEON, (b) BARAC, (c) DAVID, (d) & alij *Prophetæ*,

c *Iudic.4. v.14.*

d *2.Reg.5. v.6.&c.*

℣.33. PER FIDEM qua credebant Deo ipsos, ad bellum excitanti, VICERVNT varia REGNA, OPERATI SVNT IVSTITIAM, non solùm priuatim bonis operibus studentes, sed & publicè ius subditorum suorum tutantes, vt decebat iudices (e) & rectores populi Dei. ADEPTI SVNT REPROMISSIONES, id est, promissa sibi cælitus bona, vti crediderunt, ita consecuti sunt, v.g. Iosue, (f) Caleb (g) & alij Israelitæ, promissæ Chanaanitidis heredes & professores effecti. OBTVRAVERVNT ORA LEONVM Samson, (h) Dauid, (i) Daniel. (k)

e *Iudic.2. v.16.*

f *Iosue 10. 11.12.&c.*

g *Iosue 14. v.6.& 13.*

h *Iudic.14. v.5.*

i *1.Reg.17. v.36.*

k *Dan.6.v. 22.& 6.14. v.23.*

℣.34. EXTINXERVNT IMPETVM IGNIS, tres so-

A cij Danielis in fornace Babylonica. (l) EFFVGERVNT ACIEM GLADII, Dauid Saulis, (m) Elias Iezabelis, (n) &c. CONVALVERVNT DE INFIRMITATE sua, Iob, (o) Ezechias, (p) Tobias, (q) &c.

l *Dan.3. & 49.*

m *1.Reg.18. v.11.&c.*

n *3.Reg.19. v.2.&c.*

o *Iob vlt. v.10.*

℣.35. MVLIERES Sareptana, (r) & Sunamitis (s) ACCEPERVNT DE RESVRRECTIONE, id est, resuscitatos, MORTVOS filios SVOS.

p *4.Reg.12. v.5.*

q *Tob.11. v.15.*

r *3.Reg.17. v.22.*

ALII DISTENTI SVNT) Græcè, ἐτυμπανίσθησαν, id est, *tympanizati sunt*. Erat autem τύμπανον tormenti genus, quo homines instar pellium in tympano distenti, fustibus, flagris & loris contundebantur. Ita factum Machabæis, (t) qui REDEMPTIONEM, seu liberationem à tormentis, quam tyranni apostatantibus spondebant, *suscipere* vel admittere NON voluerunt.

s *4.Reg.4 v.35.*

t *2.Mach. v.19.& 24. & 6.7.v.1. &c. apud LXX.*

℣.37. LAPIDATI SVNT, Zacharias filius Ioiadæ, (u) & Ieremias. (x) SECTI SVNT, id est, truncati membris (y) Machabæi. Hieron. legit *serra dissecti* sunt, vt de Isaia tradũt Hebræi. (z) TENTATI SVNT grauibus ac diuturnis calamitatibus, vt Iob. IN OCCISIONE GLADII MORTVI SVNT sacerdotes sub Saule, (aa) Prophetæ sub Iezabele. (bb) CIRCVIERVNT IN MELOTIS, id est, pellibus ouinis, quibus lana adhuc inhæret, vt Elias, (cc) Ioannes Baptista, (dd) &c.

u *2.Par.24. v.20.*

x *Præfat. in Ieremiam.*

y *2.Mach.7 & 12.1, 2, & 13 Isaiam.*

z *11.Reg.21. v.18.*

aa *3.Reg.19. v.14.*

bb *4.Reg.1. v.8.*

cc *Matt.3. v.4.*

dd *3.Reg.1. 19.v.4.*

℣.38. IN MONTIBVS ERRANTES, idem Elias, (ee) Dauid, (ff) Machabæi (gg) & tot alij.

ee *4.Reg.1. v.8.*

ff *1.Reg.22. v.1.&c.*

gg *1.Mach. 2.v.28.&c.*

℣.39. ET HI OMNES etsi TESTIMONIO FIDEI strenuè propugnatæ, ac pietatis cõstanter seruatæ, PROBATI & valdè laudati fuerint, NON tamen ACCEPERVNT tum temporis REPROMISSIONEM] id est, hereditatem ac beatitudinem cælestem sibi pro mercede promissam, sed in viuis continuò afflicti, à morte ad limbum relegati sunt;

℣.40. DEO PRO NOBIS MELIVS, seu præstantius, ALIQVID PROVIDENTE ac reseruante, nempe aduentum Messiæ, à quo pendebat reseratio cælorum: VT patres antiqui NON SINE NOBIS, seu non ante tempus nostrum, id est, non ante tempus noui testamenti, CONSVMMARENTVR] id est, perfectè beatificarentur: nam omnis beatificatio, siue animæ, siue corporis, obuenit illis in nouo testamento, in quo & nobis eadem obueniet, atque ita non nisi nobiscum beantur & glorificãtur. Neque enim poterat lex Mosaica vel vetus testamentum quemquam saluare vel beatificare, sed hoc reseruabatur tempori Christi (hh) & noui testamenti. ita Caietan. à Lapide & alij. Vnde nihil hîc pro Tertulliano, Lactantio, Victorino, Vigilantio & Caluino cõtendentibus, animas Sanctorum etiam tempore noui testamenti (nam de his non agit hîc Apostolus) non videre Deum ante diem extremi iudicij. quam hæresin damnauit iam pridem Ecclesia tum aliàs, tum sub Benedicto XI. (ii) vt fusè demonstrat Bellarminus.

hh *Matth. 27.v.52. Tertull. de Anima cap. vlt. Lactãt. l.7.c.21. Victorin. in cap.6. Apoc. Vigilant. apud S. Hieron.*

ii *Extrau. Benedictus Deus. Bellar. to.3. controuers. 7. in princip.*

CAPVT XII.

Exemplo tot Sanctorum, adeóque & ipsius Christi, hortatur Hebræos ad constantem patientiam, ad Dei metum, reuerentiam, cultum, denique ad pacem & concordiam fraternam.

℣.1. HABENTES TANTAM, quantam præcedenti cap. vidimus, NVBEM, seu copiam martyrum, id est, TESTIVM (qui per fidem & pro fide tam multa perpessi sunt, & tam heroica opera perfecerunt) nobis IMPOSITAM; Græcè, περικείμενον, id est, *circumpositam*, vallantem, vndique cingẽtem, fouentem, recreantem nos; DEPONENTES &

TES & abijcientes OMNE PONDVS, omnes sarcinas, omnes remoras, quæ cursum virtutis aut profectus retardant, vt sunt luxus mundanus, anxiæ curæ, nimiæ occupationes, &c. *Deponentes* etiam & missum facientes PECCATVM NOS CIRCVMSTANS, id est, concupiscentiam (*a*) quæ instar retis nos vndique cingit, & in cursu atque agone virtutis maximè retardat & impedit; (ita Ribera & à Lapide.) CVRRAMVS totis viribus AD PROPOSITVM NOBIS agonem, id est, CERTAMEN, & in certamine victoribus propositum brauium.

(*a*) Roman. 6. & 7. & Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 29.

℣. 2. ASPICIENTES IN IESVM, exemplar perfecti athletæ, vt ab eo vires, animos, solatium hauriamus: hic enim vt *auctor* nobis est FIDEI, docens quę credenda sunt, & donans vt credamus,) ita erit & *consummator* fidei, præbiturus videnda quæ nunc docet credenda, & actum fidei obscuræ cum clara visione commutaturus. QVI PROPOSITO SIBI (per angelum (*b*) in horto Gethsemani) GAVDIO ex cruce obuenturo tum sibi, tum toti orbi, libēs SVSTINVIT CRVCEM, inquit Cornel. à Lapide. Sed in Græco est: *Qui pro gaudio sibi proposito*, id est, vice, seu loco gaudij, quo frui poterat, prælegit crucis passionem. Et ita exponunt S. Chrysostomus, Theodor. Theophyl. Oecumen. & Ribera. Cùm enim liberum esset Filio Dei manere in nuda sua diuinitate, maluit incarnari: incarnatus poterat reddere corpus suum statim immortale (& optionem illi datam vult Rupertus ipso primo instanti,) maluit habere mortale. moriturus poterat vulgari morte defungi, maluit crucifigi, CONFVSIONE CONTEMPTA] id est, ignominia probrosi supplicij nulla ex parte retardatus.

(*b*) Luc. 22. 43.

℣. 5. OBLITI vel immemores ESTIS eximiæ istius παρακλήσεως, id est, *exhortationis* vel CONSOLATIONIS QVÆ in libro Prouerbiorū habetur, qua diuina Sapientia VOBIS TAMQVAM charissimis FILIIS LOQVITVR, DICENS, NOLI, FILI MI, NEGLIGERE, parui facere, cōtemnere DISCIPLINAM, id est, eruditionem, correptionem, castigationem, quâ à *Domino* tamquam optimo parente per tribulationes & flagella ab eo seu immissa, seu permissa, instrueris, exerceris, perficeris. Sic enim Deus

Prou. 3. v. 11.

℣. 6. FLAGELLAT OMNEM FILIVM QVEM RECIPIT, id est, quem acceptum & charum habet: reiectitios enim quasi desperatos relinquit corruptis moribus suis, & *secundùm desideria cordis eorum*, vt eant *in adinuentionibus suis*. (*c*)

(*c*) Psal. 80. v. 13.

℣. 7. Quando igitur DEVS vos castigat, TAMQVAM FILIIS OFFERT SE VOBIS parentem de vestro profectu & salute sollicitum.

℣. 8. QVOD SI ESTIS absque *disciplina*, seu castigatione, quæ communis est *omnibus* veris ac genuinis filijs Dei; ERGO ADVLTERI ESTIS; Græcè, νόθοι, id est, adulterini, spurij, illegitimi:

℣. 9. PATRES CARNIS NOSTRÆ, seu corporis proseminatores, id est, parentes à quibus solùm corpus sortiti sumus, patienter tulimus castigantes nos; quantò potiori iure feremus *patrem* SPIRITVVM] id est, Deum auctorem animarum nostrarum; nam eas ipse solus creauit, corporibus infudit, iustificauit, &c. ita Theophylactus. Neque verò castigat nisi in vtilitatem nostram, nempe

℣. 10. IN RECIPIENDO; Græcè, *ad recipiendum*, seu vt recipiamus, (*d*) SANCTIFICATIONEM EIVS] id est, sanctas leges (*e*) & mandata ipsis admittamus, & compleamus.

(*d*) Psal. 115. v. 1. & Proleg. de Idiotismis Hebr. num. 57.

(*e*) Ibid. n. 14.

℣. 13. GRESSVS RECTOS FACITE PEDIBVS: id est, rectam christianismi viam, fidem, vitam tenete, nec claudicetis nunc in iudaismum, nunc in christianismum, nunc in hæresin. Si cui per impatientiam vel imprudentiam pes læsus, sit, SANETVR per opportuna instructionis, adhortationis & fraternæ correptionis medicamenta.

℣. 15. CONTEMPLANTES, ἐπισκοποῦντες, id est, *attendentes*, prouidentes, studiosè cauentes; NE QVIS, seu virium defectu, seu segnitie retardatus, DESIT GRATIÆ DEI, id est, diuinæ vocationi, inspirationi, excitationi ad culmen perfectionis & salutis omnes ductare volenti. Item cauete, NE QVA RADIX AMARITVDINIS, seu amara, (*f*) doctrinæ falsæ, vel praui exempli, in semente congregationis vestræ SVRSVM GERMINANS IMPEDIAT & inquinet lętam messem. ita Chrys. cum suis. Talis radix esset

(*f*) Ibid. n. 42.

℣. 16. FORNICATOR qui impunè scorteatur: item PROFANVS, βέβηλος, id est, qui nihil habet sacri, qui res sanctas nihili facit, contemnit, conculcat, VT ESAV olim PRIMITIVA, id est, ius primogenituræ suæ, de quo fusiùs in Genesi. Vnde & postea

Genes. 25.

℣. 17. REPROBATVS, id est, reiectus, EST tam à v. 33. Deo, quàm à parente suo Isaaco, ne compos fieret expetitæ benedictionis paternæ, etsi CVM LACRYMIS EAM INQVISISSET. NON ENIM INVENIT LOCVM POENITENTIÆ] Id est, obtinere numquam potuit vt subtractæ ipsi, & impertitæ Iacobo benedictionis pœniteret aut parentem suum, aut Deum. Sed neque ipsius pœnitentia vtilis ipsi fuit, quâ doluit non de peccato suo (nam mox voluit occidere fratrem,) sed de damno quod incurrit, putà de vendito iure primogenituræ, de amissa benedictione, &c. desiderans & satagens illa recuperare, sed frustra. ita Theodor. Theophyl. & Anselmus. Porrò exemplo Esau cauete etiam vobis, ô Hebræi, ne inescati terrenarum voluptatum vili illecebra, excidatis iure filiorum Dei, & benedictione ac hereditate cælesti.

℣. 18. ACCESSISTIS, vltrò & sponte, NON AD terrenum & manibus TRACTABILEM, seu tāgibilem, MONTEM Sinai, & ACCENSIBILEM, id est, accensum, IGNEM, quo mons ille ardebat, (*g*) eratque omnibus summo terrori & horrori.

(*g*) Exodi 18. v. 16.

℣. 20. NON ENIM PORTABANT, seu ferre poterant, Israelitæ horrorem quem verba ista Dei ipsis incutiebant, non tantùm homo, sed ET BESTIA SI TETIGERIT MONTEM, LAPIDABITVR. Quin & ipse MOYSES, quantumuis Deo familiaris & charus, perculsus tamen simili horrore, fatetur ingenuè:

℣. 21. EXTERRITVS SVM ET TREMEBVNDVS] Quæ verba in Exodo non exprimuntur, sed Paulus vel ex maiorum traditione, vel ex instinctu Spiritus sancti accepit, vt & quod de *turbine* & *procella* hìc (*h*) subnectit, & etiam Psalmista de *terræmotu*. (*i*) ita S. Chrysost. cum suis. Sed si tam grauis pœna infligebatur transgressoribus veteris istius legis & Ecclesiæ, quantæ pœnæ manebunt contemptores legis & Ecclesiæ Christi, cuius illa vetus non nisi typus erat, seu figura;

(*h*) Hic v. 18.

(*i*) Psal. 67. v. 9. & hìc v. 26.

℣. 22. MONS enim AD quem VOS ACCESSISTIS per fidem, per baptismum, non est mons Sinai terrenus, & terrena bona promittens, latibulum & spelunca ferarum: sed est *mons* SION, id est, Ecclesia Christi per *montem Sion* allegoricè designata, *ciuitas* DEI VIVENTIS, ET tot millionum ANGELORVM, IERVSALEM, id est, visio pacis, eaque *cælestis* & cælestia bona ciuibus suis subministrans:

℣. 23. ECCLESIA PRIMITIVORVM: id est, congregatio eorum qui præ ceteris mortalibus speciatim electi sunt à Deo, & à vulgo separati, Deoque

que dedicati sicut primogeniti filij,ideoque nobilissimi & charissimi QVI ex nunc IN CÆLIS,tamquam cælestis regni & æternæ beatitudinis candidati & heredes,CONSCRIPTI SVNT à Deo.Christus quoque,ad quem pari modo accessistis,non est blæsus(a)ille & infirmus Moyses, quem tamen nemo impunè offendit:sed est omnipotens atque impijs inexorabilis *index* OMNIVM tam angelorum, quàm hominum, immortalis *Deus*. Ecclesiam quoque Christi quam ingressi estis, non constituunt increduli illi,semperque Deo rebelles murmuratores,(b)nil nisi ollas carniũ(c)& cepas Ægypti eructantes sed SPIRITVS,id est,animæ,IVSTORVM PERFECTORVM per fidem & charitatem in hac vita, per plenam sanctitatem & gloriam in altera vita.Ibi inuenitis,non Moysen antiqui,sed

a *Exodi 4. v.10.&c.*

b *Num.14. v.22.*

c *Exodi 16. v.3.& Numer.11.v.4.*

℣.24. IESVM NOVI TESTAMENTI MEDIATOREM & conciliatorem, pontificem,& aduocatum vestrum:ET SANGVINIS ASPERSIONEM,id est,sanguinem Christi vos aspergentem, mundantem, sanctificantem, MELIVS LOQVENTEM QVAM loquatur sanguis ABEL] hic enim clamat vindictam, ille misericordiam, inquit Cyrillus & Chrysost. cum suis.

℣.25.SI Israelitæ RECVSANTES audire Moysen vel angelum,QVI SVPER TERRAM,in Sinai ipsis LOQVEBATVR, (d)NON EFFVGERVNT supplicium, MVLTÒ MAGIS NOS non effugiemus, QVI Christum Deum & hominem, DE CÆLIS NOBIS LOQVENTEM per suos legatos,per miracula,per dona Spiritus sancti,&c.AVERTIMVS,repellimus,auersamur,ita idem Chrysostomus.

d *Exodi 19. v.3.& c.20. v.1.&c.*

℣.26.CVIVS Christi,quà Deus est,vox,seu sonitus.TERRAM TVNC MOVIT,nempe terræmotu quo concussit montem Sinai,(e)cùm legem veterem per angelum promulgarêt.(f)NVNC AVTEM tempore noui testamenti, prout per Prophetam Aggæum(g)*promisit*,DICENS, ACHVC SEMEL(ita vertunt LXX.Hebræum *achat*,quod etiam significat *modicum*, vt vertit interpres Aggæi:) nempe cùm Messias aduenerit, nouus & cælestis legislator, MOVEBO NON SOLVM TERRAM, SED ET CÆLVM] Ita iam de facto completum videmus Christo nascente, baptizato, transfigurato, patiente, moriente, resurgente,cælos repetente, Spiritum sanctum mittente,vt in Aggæo explicui.

e *Hic v.21.*

f *Exodi .9. & Psal. 67. v.9.*

g *Aggæi 2. v.7.*

℣.27.Eo ipso AVTEM QVÒD apud Aggæum DICIT,ADHVC SEMEL; DECLARAT TRANSLATIONEM aliquando instituendam eorum quæ per Moysen antè posita fuerant, putà legis veteris & quæcumque illa lege continentur,vtpote MOBILIVM & necessariò mutandorum;erant enim typi & figuræ rerum tempore Christi complendarum. figuræ autem simul ac *factæ*, id est, completæ,fuerint,desinũt esse;VT succedat veritas,& MANEANT res ipsæ per figuras adumbratæ,putà lex noua,regnum & Ecclesia Christi,sacrificiũ & Sacramenta nouæ legis,aliaq;tum militantis,tum triumphantis Ecclesiæ ornamenta,QVÆ SVNT IMMOBILIA & æterna,nec vmquam mutabuntur vel auferentur.

℣.28.ITAQVE REGNVM Christi IMMOBILE,eiusque(vt legitimi regis nostri) legem atque imperium vltronei SVSCIPIENTES, admittentes,exequentes, (ad quod sufficientem, imò abundantem,HABEMVS GRATIAM & auxilia cælestia) SERVIAMVS & placere studeamus DEO CVM METV ET REVERENTIA ipsi debita:

℣.29. ETENIM DEVS NOSTER non est stipes aut truncus (vt idola Gentium;) sed instar IGNIS(h)

h *Deut.4. v.24.*

A vrit,punit,*consumit* eos qui detrectant ei vt oportet deseruire:neque hoc in veteri solùm testamento,sed & in nouo.

CAPVT XIII.

Hortatur ad fraternam charitatem,hospitalitatem, misericordiam in vinctos & agros, & ad omnem aliam virtutem.

℣.1. CHARITAS FRATERNITATIS, φιλαδελφία, id est, *charitas fraterna*,quam hactenus studiosè coluistis, MANEAT continuò *apud vos* in vsu:vt & *hospitalitatis* sedula cura.

℣.2.PER HANC ENIM QVIDAM, Abraham, (i) Loth, (k) &c. LATVERVNT ANGELIS HOSPITIO RECEPTIS] id est,latenter & inscij quales exciperent,habuerunt angelos hospites.ita S.Chrysost. cum suis,& Theodor. Syrus,Ribera & à Lapide. Simili phrasi dicebat Aristophanes in Vespis,*seruiens latuisse*,id est,seruire te ignoras.Eiusdem hospitalitatis merito etiam S.Gregorio Pontifici non semel contigit angelos hospites nanciscì.

i *Genes. 18. v.2.&c.*

k *C.19.v.1.*

Vita Greg. l.1.c.10.& l.2.c.35.& &c.

℣.3. VINCTORVM Christi causa in carceribus MEMENTOTE & miseremini,perinde ac si vos ipsi SIMVL cum illis VINCTI & incarcerati essetis.*Mementote* ET LABORANTIVM, κακουχουμένων,id est, *eorum qui malè tractantur*,seu à morbis,seu ab hostibus,seu ab egestate,sex ex alio capite:TAMQVAM ET IPSI VOS IN CORPORE MORANTES, similibus, imò grauioribus subinde miserijs obnoxio.

℣.4.CONNVBIVM vestrum sit IN OMNIBVS rebus cò spectantibus HONORABILE,id est,in omni re coniugali seuctur honestas & decentia; nec THORVS maritalis vlla *macula* contaminetur,ita S. Chrysostom.Theopyl.& alij: & patet ex ratione mox adiecta,nam ADVLTEROS ET FORNICATORES IVDICABIT, damnabit & puniet DEVS.

℣.7.MEMENTOTE PRÆPOSITORVM VESTRORVM,Petri,Iacobi,Stephani,aliorumque Apostolorum præconum apud vos Euangelij,& eorum INTVENTES EXITVM CONVERSATIONIS,id est,decursum ac finem vitæ sanctissimum, honestissimum,laudatissimum,FIDEM,patientiam,constantiam illorum IMITAMINI] Neque ad vos excusandos dicatis,Apostolos Christum habuisse præsentem,& viuum fidei virtutumque omnium exemplar,magistrum ac ducem:nam vnus idemque

℣.8.IESVS CHRISTVS,qui HERI, id est,tempore recèns elapso,fuit & vixit,idem est ETIAM HODIE] id est,hoc præsenti tempore,vobisque adest æquè potens,æquè munificus, & aderit semper & vbique & in omnibus rebus.ita Cyrillus,S.Thomas, Anselmus,Galenus,Ribera & à Lapide.

℣.9.DOCTRINIS VARIIS ab Euangelio Christi deuiantibus,vel PEREGRINIS ac nouis,(quales vobis obtrudunt Simon Magus, Ebion, Cerinthus & alij iudaizantes,)*ne* sinatis vos ABDVCI à veta fide & doctrina Christi,vel à vitæ morumque Christianorum integritate. Vt verò COR in his STABILIATVR, OPTIMVM efficacissimumque medium est GRATIA Christi, putà vsus sacrificij & Sacramentorum aliorumque instrumentorum spiritualium,quæ ex Christi gratia,seu beneficio in Ecclesia habemus. Nam quod iudaizantes illi vobis hîc suggerunt de ESCIS & epulis sacrificalibus,Deo in altari Mosaico oblatis,quasi hi cibi vim habeant sanctificandi & roborandi animum hominis, ex Pharisaico cœno haustum, (l) & planè frustra est, quia tales escæ nihil ad id vmquam PROFVERVNT AMBVLANTIBVS IN EIS,

l *Matth.v. v.7.*

id est,

a *Hic cap. 8. v. 7. &c.* id est, solitis vti illis, vt suprà (a) demonstrauimus. Matthæus, Galenus, & Vasquez apud Corn. à Lapide. Quòd si victimam vultis, etiam Christianis illa non deest.

℣. 10. HABEMVS enim nostrum quoque ALTARE, θυσιαστήριον, id est, *sacrificatorium*, non solius crucis (vt volunt hæretici) sed & Eucharistiæ & Missæ: hoc enim adhuc habemus, & ex hoc edimus: de crucis autem sacrificio iam à mille & ferè sexcentis annis peracto quomodo edemus? ita S. Chrysost. Theodor. Theophyl. Anselm. Sedulius, Primasius, Haymo & passim Doctores. DE QVO, id est, de cuius victima, scilicet corpore & sanguine Christi, EDERE NON HABENT POTESTATEM, seu facultatem, QVI TABERNACVLO Mosaico DESERVIVNT Leuitæ & sacerdotes Aaronici, qui legis antiquæ & iam abrogatæ cæremonias ac ritus obstinatè adhuc seruant. Neque enim capaces sunt sacrificij & Sacramentorum Christi, qui ab Ecclesia iptius extorres sunt. Ex hoc & similibus locis b *Hebr. 7. v. 15. & 1. Cor. 10. v. 18. & 21. & Luc. 22. v. 19.* (b) colligitur, Eucharistiæ oblationem verè ac propriè sacrificium esse nouæ legis: vbi enim *altare* est, ibi est & sacrificium & victima & sacerdos: nam hæc omnia sunt correlatiua. Porrò quod non liceat iudaizantibus edere de victima nostra Eucharistica, sic probo ex veteri typo:

℣. 11. CORPORA vituli & hirci, QVORVM SANGVIS expiatorius peccatorum totius populi, *inferebatur* semel quotannis, PER PONTIFICEM IN SANCTA sanctorum, & erant typus Christi, ac repræsentabant victimam corporis & sanguinis eius in Eucharistia æquè atque in cruce; non poterant more vulgarium victimarum comedi in castris a sacerdotibus vel Leuitis, sed debebant EXTRA CASTRA *concremari*. (c) Ergo & antitypon illorum, c *Leuit. 4. v. 11. & c. 16. v. 27.* nempe corpus & sanguis Christi in Eucharistia, non potest comedi in castris veteris tabernaculi & sacerdotij & testamenti: sed extra illa antiqua castra demigrandum ad noua Christianæ Ecclesiæ castra: ibi reperient Christum, olim in cruce, amoris & doloris igne tostum ac crematum, iam in altari Eucharistico rursus integrum & incruentè Deo oblatum, cuius, si velint, participes sibi fient. Et hæc allegorica causa veteris istius cæremoniæ, vti & illa quam subnectit:

℣. 12. VT nempe significaretur, Christum (qui per illum vitulum & hircum expiatorium significabatur,) extra castra, id est, EXTRA PORTAM vrbis Ierosolymitanæ, *passurum*: nam & castra in deserto suas habebant portas (erant enim quasi vrbs mobilis & ambulans,) sicut & tabernaculum Mosaicum. Sed litteralis causa cæremoniæ istius erat, vt hoc extraordinario ritu horror ac detestatio peccati excitaretur in animis Hebræorum. Verùm his non contentus Paulus, etiam tropologicam eiusdem cæremoniæ causam subiungit: nempe, debere nos, si cum fructu ad Christum, & ad altare Eucharisticum accedere cupimus, necessariò

℣. 13. *Exire* AD EVM EXTRA CASTRA, non tantùm legalium cæremoniarum, sed & mundanarum voluptatum, libenterque amplexari & *portare* IMPROPERIVM & ignominiam, aliaque incommoda crucis Christi. Denique subnectit & anagogicam causam, nempe, vt significaretur, quòd

℣. 21. NON *habeamus* HIC, seu in castris huius vitæ, PERMANENTEM CIVITATEM, vel diu duraturam habitationem, SED cælestem *futura* vitæ ciuitatem *inquirendam*, & eò properandum.

℣. 15. PER IPSVM ergo Christum pontificem & A mediatorem nostrum, (qualem penè tota hac epistola ipsum esse probaui,) OFFERAMVS HOSTIAM LAVDIS DEO, quisque pro gradu & conditione sua: nempe sacerdotes propriè dicti offerant in altari sacrificium Eucharistiæ quod per antonomasiam, seu excellentiam, vocatur sacrificium gratiarum actionis & laudis: qui verò non sunt propriè dicti sacerdotes, offerant alterius generis HOSTIAM LAVDIS, quam SEMPER & continuò offerre possunt, nempe primò, FRVCTVM LABIORVM CONFITENTIVM NOMINI Dei, id est, hymnos, psalmos, aliasque orationes, seu mentales, seu vocales, quibus quasi fructibus in agro nostro natis, & metaphorico sacrificio oblatis Deo, ipsum laudamus, benedicimus, celebramus & glorificamus. Secundò, *hostiam* BENEFICENTIÆ ET COMMVNIONIS, seu communicationis facultatum vestrarum cum pauperibus. Vbi subintellige etiam opera misericordiæ spiritualia. TALIBVS ENIM HOSTIIS PROMERETVR DEVS, εὐαρεστεῖται id est, *delectatur*, conciliatur, placatur Deus (vt etiam Erasmus vertit) & consequenter inducitur ad remunerandum ijs qui misericordiæ opera exercent: quod idem est atque *promereri*. ita S. Chrysost. cum suis & August. & Beda. Tertium & adhuc nobilius sacrificij metaphorici genus est,

℣. 17. OBEDITE ET SVBIACETE PRÆPOSITIS VESTRIS] *Per victimas enim*, vt ait Magnus Gregorius *Aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur*, vt alibi vidimus, (d) & aurea illa epistola de *virtute obedientiæ*, S. Pater Noster Ignatius fusè atque eleganter demonstrat. *Greg. l. 33. Moral. c. 10.* d *1. Reg. 15. v. 22.*

℣. 18. ORATE PRO NOBIS] tum priuatim, tum publicè: neque enim sum hæreticus aut schismaticus (vt quidem apud vos mihi detrahunt, quasi sim apostata & hostis legis,) atque ideo indignus oratione fidelium: nam *conscientia* mihi dictat, me sincerè in omnibus processisse, neque ex odio detraxisse legi Mosaicæ; sed ex nutu & præscripto Dei veritatem Euangelicam mundo denuntiasse, solamque Dei & Christi gloriam, vestrumque omnium salutem quæsiuisse. ita S. Chrysost. & Theophyl.

℣. 20. DEVS PACIS, & omnis boni auctor & fautor, QVI CHRISTVM, MAGNVM illum ouilis sui PASTOREM IN SANGVINE TESTAMENTI ÆTERNI, (e) id est, merito mortis & profusi sanguinis, quo confirmatum est nouum & æternum testamentum, nostraque reconciliatio cum Deo, (vt Caietan. exponit) DE MORTVIS EDVXIT, & vitæ immortali restituit; ipse diuina gratia sua e *Matt. 26. v. 28.*

℣. 21. APTET VOS, id est, idoneos faciat, IN OMNI BONO: id est, ad omne opus bonum perficiendum, FACIENS IN VOBIS (f) per suam inspirationem & cooperationem, QVOD PLACEAT CORAM SE, nempe egregia & heroïca virtutum omnium exercitia, quibus ipse mirificè oblectatur & honoratur. Solent hæc, quæ vnà cum libero arbitrio producit in nobis Deus, Deo subinde soli, tamquam primo & principali auctori, meritò adscribi, vt alibi (g) diximus. f *1. Cor. 11. v. 10. &c.* g *Rom. 6. vlt.*

PER IESVM] Id est, per meritum vnigeniti filij sui Iesu Christi.

℣. 22. ROGO VOS, ô charissimi FRATRES, VT, licet non tam vester, quàm Gentium sim Apostolus, (h) tamen æquo libentique animo SVFFERATIS hoc VERBVM SOLATII, id est, admittatis hanc meam παράκλησιν, id est, *consolationem* & *exhortationem*, seu epistolam hanc exhortatoriam & consolato- h *Galat. 2. v. 7.*

solatoriam, PERPAVCIS, ne fatigemini, capitibus *conscriptam.*

a 1. Tim. 6. v. 12.

℣. 23. CVM *Timotheo* iam *dimisso*, id est, vinculis & carcere, in quo alicubi in Asia fuit, (*a*) *soluto*, vt vertit Syrus, (& ita exponit Chrysost. Theophyl. Oecumen. Primasius, Anselmus & S. Thomas: etsi concedant, etiam posse dici DIMISSVM ab amicis suis, v. g. Athenienssibus vel Ephesijs, qui illum, seu importunis precibus, seu amica vi penes se detinebant:) (*b*) SI CELERIVS Romam ad me VENERIT, breui VIDEBO VOS] Ex quo colligi videtur, S. Paulum, cùm se prioribus vinculis expediuit, antequam in Gallias & Hispanias proficisceretur, excurrisse in Syriam & Asiam, ad roborandos in fide & virtutum studio Christianos, qui magno numero partim ex Iudæis, partim ex Gentilibus quotidie conuertebantur.

b Actor. 17. v. 14. &c.

℣. 24. SALVTANT VOS, faustaque omnia vobis precantur FRATRES & contribules vestri ex Iudæis ad Christum traducti, non tantùm qui Romæ, sed & per reliquas *Italiæ* vrbes dispersi degunt.

℣. 25. GRATIA Dei & omne genus bonorum, quæ cælitus merito Christi obueniunt Ecclesiæ Dei, cumulatissimè sit CVM OMNIBVS VOBIS. AMEN.

EPISTOLÆ CATHOLICÆ,

id est, Vniuersales,

VOCANTVR *quas* SS. Iacobus, Petrus, Ioannes & Iudas *conscripserunt, eò quòd non particularia tractent negotia, vt solent v. g. Ciceronis vel similium epistolæ, quæ inde* Familiares *dicuntur: sed vniuersalia & toti Ecclesiæ communia. Vnde ab aliis* œcumenicæ, *ab alijs* encyclicæ, *id est, circulares, vocantur, quòd passim & per omnia loca terrarum legendæ & crebrò relegendæ mitterentur. Sicut enim Iudæi & alij Ecclesiæ hostes publicis & generalibus rescriptis fidem Christi, moresque Christianorum vbique per orbem conabantur in odium trahere, teste S. Hieron. ita ex aduerso Apostoli suis quoque generalibus litteris satagebant fideles toto orbe in suscepta fide & Christianis virtutibus corroborare & confirmare. Porrò plurimæ erant eiusmodi epistolæ, quas successu temporis varij Episcopi hunc in finem conscripserunt, vt de S. Clemente Rom. Dionysio Corinthio, Theophilo Alexandr. Polycarpo & alijs testatur Eusebius: quin & ab aliis etiam Apostolis alias similes conscriptas, quis dubitet? Ex omnibus tamen hæ solæ septem, vna Iacobi, duæ Petri, tres Ioannis, vna Iudæ, in canonem librorum S. Scripturæ ab Ecclesia assumptæ sunt: vnde & Canonicæ vocantur, ad distinctionem aliarum circularium epistolarum aliorum Episcoporum, quæ veritatis infallibilis, & à Deo reuelatæ, vel comprobatæ, auctoritatem dignitatemq; non obtinent, vti has septem obtinere, contra nonnullos olim hac de re, Eusebio teste, dubitantes, & contra Erasmum, Lutherum, Brentium, Kemnitium, Magdeburgenses, aliosq; Lutheranos, id disertè negantes, definiuit iam pridem Ecclesia in Concilio Laodicensi, Carthaginensi, Florentino & Tridentino: & ab antiquis Patribus, Origene, Epiphan. Athanasio, Innocent. I. Gelasio, Hieron. Augustin. Damasceno & alijs, quos Bellarmin. & Coccius citant, in catalogo librorum Canonicorum S. Scripturæ recensentur.*

Hieron. præfat. in epist. S. Pauli.

Euseb. in historia.

Euseb. lib. 3. hist. c. 25. Magdeburg. cent. 1. l. 2. c. 4. Carth. III. c. 47. Trid. sess. 4. Bellar. l. 1. de verbo Dei c. 18. Iodoc. Coccius tom. 1. Thesauri l. 6. p. 713.

Quod ad materiam attinet, omnes idem sed breuiùs inculcant quod Paulinæ epistolæ, nisi quòd Iudas præcipuè fidem vrgeat orthodoxam: Ioannes charitatem: Iacobus orationem & patientiam: Petrus vitæ morumque sanctitatem.

*Quod ad ordinem spectat harum epistolarum (de quo alibi *) non dignitatis sed solius temporis (non quo scriptæ, sed quo in Canonem, seu catalogum sacrorum librorum relatæ sunt ab Ecclesia) habita fuit ratio.*

* Præfat. in Epistolas S. Pauli, &c.

Græcè omnes ab Apostolis conscriptæ sunt, vtpote vulgari tunc lingua, etiam Iudæis, maximè extra Iudæam degentibus, ad quos primariò destinabantur.

EPI-

EPISTOLA CATHOLICA BEATI IACOBI APOSTOLI.

SIc & Tridentinum, auctorem huius epistolæ asserit esse *Iacobum Apostolum.* Atque ita corruit opinio Cyrilli & Dorothei, qui volunt, auctorem hunc non fuisse Apostolum, licet fuerit Episcopus Ierosolym. Cui sententiæ fauere etiam videtur Clemens Rom. Anacletus, Theodoretus & Theophyl. Sed illam fusè refellunt S. Hieron. Eusebius, Clemens Alexandrin. Baronius, Suarez & alij. Magis corruunt somnia Erasmi, Lutheri, eiusque sequacium, qui negant *S. Iacobum* conscripsisse hanc epistolam, de quo etiam dubitauit Caietanus. Sed ex Concilijs supradictis, & vnanimi Ecclesiæ calculo, constat (vt iam vidimus) esse S. Iacobi: sed vtrius Iacobi (a) sit, an filij *Zebedæi*, an filij *Alphæi*, dubitatur à non paucis. Versio Syriaca Widmanstadij, versio Arabica, & Liturgia Mozarabum, & horum Patriarcha S. Isidorus, itemque Lucius Dexter, & quidam alij Hispani volunt esse Iacobi Zebedæi. Sed S. Hieron. Eusebius, Ambros. August. & alij passim, veteres ac recentiores, illam asscribunt Iacobo Alphæi, seu Cleophæ filio, *fratri Domini*, (b) id est, cognato Christi: qui quòd vocatione posterior esset Iacobo Zebedæi, dictus est *Minor*, (c) inquit Lorinus: fuitque primus Episcopus Ecclesiæ Ierosolymitanæ, à reliquis Apostolis mox à morte Christi, (d) non ordinatus (nam omnes Apostoli immediatè à Christo fuerant ordinati (e) Episcopi in vltima cœna:) sed donatus ac deputatus, inquit S. Chrysost. perpetuò virgo, perpetuus Nazaræus, inquit S. Epiphan. & Eusebius: vino, carne, pisce, oleo, balneis, alijsque delicijs perpetuò abstinens, perpetuò nudis pedibus incedens: tanta etiam apud Iudæos opinione sanctitatis, vt passim *Iustus* cognominaretur, & vltrò ipsi, licet non è tribu Leui, sed Iuda (f) oriundo, concederetur ingressus in Sancta sanctorum, non illa intima vbi currus erat Cherubim, (nam huc nulli (g) nisi summo pontifici, & huic non nisi semel in anno, patebat ingressus:) sed extima sacerdotum atria & exedras, quæ vulgatâ Hebræis phrasi Sancta sanctorum, id est, sanctissima loca, vocabantur; sicut & victimæ & quidquid ad cultum diuinum pertinebat, subinde *Sancta sanctorum*, seu sanctissima nominabantur. (h) Ad hæc ergo solis sacerdotibus ac Leuitis vsurpata loca, etiam Iacobo Episcopo ob eximiam sanctitatis famam, accessus, orandi vel dicendi gratiâ, ex singulari priuilegio concedebatur. Putatque Salmeron, pluris illum quàm pontificem summum à Iudæis habitum fuisse: & præcipuam neci eius causam dedisse *Ananum* pontificem, quòd tolerare non posset, Iacobum sibi à populo præferri. Denique Iosephus euersionem Ierosolymæ per Titum asscribit iniustæ cædi Episcopi Iacobi, vt etiam asscribit Origen. Hieron. Eusebius & Isidorus. Quo genere necis, quo anno, quo mense, quo die martyrium subierit, exposui in Chronico. (i)

Cyrill. Ierosol. catech. 14. *Doroth. in Synopsi.* *Clem. Rom. l. 2. Constit. Apostolicar. c. 59.* *Suarez 3 p. to. 2. disp. 5. sect. 4.* *Hieron. ep. 103. & l. 2. cont. Pelag.* *Euseb. l. 2. Histor. c. 2. & 22.* *Clem. Alex. 6. Stromat. a Chron. c. 46. in fine tab. 4.* *Isidor. de Vita & mor. 10 Sanctor. c. 73.* *L. Dexter in Chronico.* *b Galat. 1. v. 19.* *c Marc. 15. v. 40.* *d Chron. c. vlt. subinit.* *e Luca 22. v. 19.* *Chrysost. homil. 87. in Ioan.* *f Chron. c. 46. in fine.* *g Leuit. 16. v. 2 & Heb. 9. v. 7.* *h Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 50. & 1. Esdr. 2. v. 63.* *Ioseph. l. 20. Antiq. c. 16.* *Origen. l. 1. cõt. Celsum.* *Hieron. in Iacob.* *Euseb. sup. c. 22.* *Isidor. sup. c. 79.* *i Chron. c. vlt. anno 30. à morte Christi.*

Argumentum & scopus epistolæ eius est, animare fideles ad patientiam & constantiam in persecutione, & studium virtutum ac bonorum operum, præsertim orationis & beneficentiæ in proximum. Cùm enim partim ex epistolis S. Pauli ad Romanos & Galatas, vbi fidem Christi mirè extollit, & opera legis Mosaicæ vbique deprimit, partim aliunde, ansam accepissent Simon Magus, eiusque sequaces Menander,

Carpo-

Carpocras,& alij plures,docendi etiam opera fidei,charitatis legisque Christianæ non esse necessaria ad salutem, sed nudam fidem sufficere, vt pestilentem hunc errorem primis ipsis initiis extinguerent Apostoli Iacobus, Petrus & Ioannes, tam acriter calamos in eum strinxerunt, vt prorsus confecerint ac iugularint. Vnde & Luthero, & ipsius sequacibus, qui eumdem errorem ab inferis resuscitarunt, adeò exosæ sunt horum Apostolorum epistolæ, vt non tantùm negent Canonicas & Catholicas esse, sed etiam scurrilibus probris ac scommatis eas proscindant, Luthero hanc Iacobi epistolam dictitante *stramineam* esse & *aridam*, & *Apostolo indignam*: & alias aliorum epistolas, nihilo honoratioribus titulis cohonestante; de quibus vide Bellarmin. qui absurda argumenta Lutheri & Lutheranorum solidissimè refellit. Quo præcisè anno Iacobus hanc epistolam scripserit, incertum. Certum, scripsisse post editam Pauli epistolam ad Roman. id est, post annum à morte Christi 26. (a) nam occasione quorumdam à S. Paulo scriptorum in illa epistola, vt iam dixi, suam hanc Iacobus conscripsit.

Luth. præfat. in epistolas Iacobi, Petri & Ioannis.

Bellar. sup.

a *Chronic. supr.*

CAPVT I.

Docet gaudendum in tentatione: postulandam à Deo sapientiam certa fide & spe: pauperes, si humiles fuerint, breui exaltandos: diuites, si superbi, humiliandos ac deprimendos: à Deo non prouenire tentationem, sed omne donum perfectum: frenandam linguam, iram & concupiscentiam: factores verbi iustificari, non auditores tantùm: & quæ sit vera religio.

¶. 1. IACOBVS Alphæi, seu Cleophæ filius, SERVVS IESV CHRISTI, qui noster & totius vniuersi *Deus* & absolutus *Dominus* est. In multis codicibus Latinis, Græcis, Syris & Arabicis additur hîc nomen *Apostolus*. Putatque Sixtus Senensis & Feuardentius illud ab aliquo falsario erasum, vt sublato titulo auctoris, tolleretur auctoritas epistolæ. Sed in idem redit: nam *seruus* ab hero negotij causa aliquò missus, *Apostolus* est seu legatus. Et digniorem titulum, quàm *serui Christi*, non poterant Apostoli sibi adscribere, cùm hic dignior & glorioſior sit omnibus titulis omnium Regum, Imperatorum & principum mundi, inquit Origenes, Didymus & Oecumen.

Sixt. Senen. l. 7. Bibliotheca.

DVODECIM TRIBVBVS: id est, Israelitis quibuslibet qui vel prognati sunt ex duodecim tribubus, vel ex gentilismo conuersi & numero duodecim tribuum inserti sunt, & nunc *dispersi* per orbem degunt, seu ab olim, occasione abductionis per reges Assyrios, Chaldæos, Syros, Ægyptios: seu recèns, occasione persecutionis propter Stephanum excitatæ, Actorum 8. v. 1. optat precaturque SALVTEM; Græcè, χαίρειν, id est, *gaudere, saluere, valere*. Vocula etiam Latina *salus* non tantùm prosperam valetudinem, sed & felicitatem, pacem, gratiam, omneque bonum complectitur. Nec aulica vel solùm verbalis est hæc Apostolorum salutatio, sed efficax & realis, implens reuera salute eum qui salutatur, inquit S. Chrysost. Hoc notasse debebat Caietanus, neque hanc salutem, (multoque minùs epistolam totam) vt profanam reprehendisse. Nam eâdem vocula *salutis* vsi sunt etiam alij Apostoli, tum alibi, tum in Concilio Ierosolymitano, Act. 15. v. 23. & vtuntur etiamnum Romani Pontifices, cùm in suis epistolis *salutem* ante omnia & *Apostolicam benedictionem* ijs ad quos scribunt precantur & impertiunt.

A ¶. 2. OMNE, id est, plenum, (b) perfectum, summum, GAVDIVM EXISTIMATE, (non sensu naturæ, sed iudicio rationis per fidem & gratiam illuminatæ ac roboratæ,) CVM INCIDERITIS IN VARIAS ac multiplices TENTATIONES] id est, afflictiones, seu tribulationes; siue illæ obueniant ex interna concupiscentia, siue externa dæmonis vel persecutorum impugnatione, siue ex naturæ infirmitate propria vel aliena: nam his omnibus tentatur & exploratur hominis virtus, patientia & robur. hoc ipso autem quo in his omnibus tentationibus Christiano summè gaudẽdum suadet Apostolus; indicat, summum hominis Christiani bonum in vita esse *tentari*, affligi, tribulari; nam summum gaudium nequit esse nisi de summo bono.

b *Proleg. 4 Idiotismi Hebr. num. 7.*

Dices, Si est summum hominis in hac vita bonum, cur Christus docet nos id deprecari ac fugere, cùm iubet nos orare, *Ne nos inducas in tentationem?* Respondeo, Tentatio dupliciter spectari potest. Primò, quatenus solicitat ad peccatum: & sic eam non appetere, sed odisse, fugere ac deprecari debemus: sic enim recta via est ad peccatum, quod summè malum & odibile est. Secundò, C quatenus est materia luctæ & victoriæ, augendæque virtutis, meritorum ac gloriæ: & sic appetere illam & optare, atque de eâdem gaudere possumus, nisi spe ac fiducia futuri cælestis auxilij, quo illam superemus, ac de superata triumphemus. Sic optabat & orabat Dauid, *Proba me Domine, & tenta me; vre renes meos & cor meum.* Licet autem prudentis sit, ex humili fragilitatis propriæ agnitione, lapsum metuere in graui tentatione, ac proinde expediat vt plurimum illam deuitare ac fugere: quando tamen adhibitâ diligentiâ sentit euitari non posse, fortis animi est, D nihil tum de summo mentis gaudio remittere, ob eximios fructus inde subnascentes, de quibus v. seq. Vide Dionys. Carthusianum, Salmeronem, Lorinum & à Lapide.

Psalm. 25. v. 2.

¶. 3. PROBATIO FIDEI VESTRÆ] supple, est tentatio; hæc enim & probat, & probatam facit (c) vestram fidem, charitatem & constantiam in bono. Et hic est Primus fructus tentationis. Secundus, (d) eluit peccata præterita, & pœnas ratione illorum debitas Deo. Tertius, est antidotum (e) contra futura peccata, quia compescit & suffocat concupiscentiam. Quartus, auellit animum (f) ab hoc sæculo,

c *Eccli. 2 v. 4. & Sap. 3. v. 5.*

d *Ibid. & Sap. 3 v. 6.*

e *2. Cor. 12. v. 7.*

f *Psal. 22. v. 1. &c.*

sæculo, eiusque amore, illecebris & blandimentis, castum, purum, sanum, pulchrum illum reddens. Quod enim est ignis auro, lima ferro, scalprum lapidi, cauterium cancro, runcina ligno, lixiuium panno, ventilabrum tritico, sal carni, fornax pani, malleus contignationi, hoc iusto est *tribulatio*. Quintus, virtutibus omnibus, (*a*) maximè heroicis, materiam suggerit. Sextus, facit hominem robustum, vegetũ, nobilem, generosum, sæculo celsiorem, Christo similem. (*b*) Septimus, tutatur aduersus superbiam & animi elationem. (*c*) Octauus, mirè mentem illuminat & exacuit. (*d*) Nonus, longo martyrio (*e*) præmia causat amplissima. Decimus, arrha est electionis & prædestinationis diuinæ. *Flagellat* enim Deus (*f*) *omnem filium quem recipit. Et quia acceptus erat Deo*, (*g*) *necesse fuit vt tentatio probaret te.* Plura vide apud Gretserum toto lib. 5. de Cruce. Apostolus hîc vno verbo penè omnia complexus, *Operatur*, inquit, *patientiam*; Græcè, λαπεζάζεται ὑπομονὴν, id est, *peroperatur*, seu plenè & perfectè causat & producit *sustinentiam* seu *perseuerantiam*, vt in lucta, sic & in victoria, vsque ad vltimum vitæ spiritum.

a *Iob 39. v. 22.*

b *Hebr. 4. v. 15.*

c *2. Cor. 12. v. 7. & in Vitis Patrũ:* Viuere non licet, fornicari libeat. d *Eccli. 34. v. 9.*

e *Apocal. 3. v. 12.*

f *Hebr. 12. v. 6.*

g *Tobiæ 12. v. 13.*

Dices, S. Paulus Rom. 5. v. 3. *Patientia*, inquit, *probationem operatur*: quomodo ergo S. Iacobus hîc ait, *Probatio operatur patientiam?* Respondeo, Duæ res sæpè sibi inuicem sunt causæ. Sic calor producit ignem, & ignis calorem: vapor causat pluuiam, & pluuia vaporem. Posset etiam dici, *probationem* à Iacobo, qui Græcè δοκίμιον habet, accipi pro actuali probatione, quæ est tentatio seu afflictio: à Paulo verò, qui vtitur verbo δοκιμὴ, accipi pro termino probationis seu examinationis, qui est approbatio.

℣. 4. PATIENTIA AVTEM OPVS PERFECTVM HABET, seu causat, conseruans, stabiliens, consummans hominem in stadio & studio virtutum, suppplens omnem illarum defectum, inquit Cyprianus & Gregorius: exstirpans inordinatum tristitiam, quæ est causa & radix omnis perturbationis & mali, inquit S. Thomas: imò extinguens (per aduersa quæ tolerat) ipsum amorem proprium, qui est fons & occasio omnis imperfectionis ac defectus, inquit Dionysius Carthusianus. Patientia enim omnes animi motus & æstus instar dominæ regit, mitigat, sedat, componit, vnde plena animo pax, alta quies, & perpetuum gaudium.

Cypr. trad. de Patientia. Greg. hom. 35. in Euangel. S. Tho. 1. 2. q. 66. art. 4. ad 2. & 2. 2. q. 136. ar. 2. ad 2.

℣. 5. SI QVIS, expers adhuc tam sublimis philosophiæ, non potest sibi persuadere, tribulationem esse summum in hac vita bonum, ac proinde summè de ea gaudendum esse: sed INDIGET SAPIENTIA cælesti ad id credendum & practicè amplectendum; POSTVLET illam *ab* auctore omnis sapientiæ DEO, QVI vt est essentialiter oceanus omnis boni, ita infinitè propendet ad se suaque dona nobis, dummodò non obstemus, communicanda: & de facto, quantum ex se est, DAT Primò, liberaliter, non vendens, vt multi: Secundò, generaliter, non vni, sed OMNIBVS: Tertiò, ABVNDANTER, non parcè. Quartò, comiter, nemini *improperando* vel exprobrando; nempe si donis bene vtantur, vel post abusus pœniteant. Impijs enim & ingratis acerrimè exprobrabit in iudicio beneficia quibus abusi sunt. (*h*)

h *Isaiæ 1. v. 2. Ierem. 2. v. 4. Michæa 6. v. 3. Matth. 18. v. 24. &c.*

DABITVR autem quod petitur, si qui petit, *postulet* eo modo quo oportet, nempe

℣. 6. IN, id est, cum, FIDE, seu fiducia, firmaque persuasione obtinendi quod petit, si, quando & A quousque expediet ad maiorem Dei & gloriam, & maius bonum nostrum. NIHIL HÆSITANS, ne quidem ob suam propriam aut alienam indignitatem vel demerita, (vt hæsitauit aliquando Moyses (*i*) ob populi rebellis indignitatem; & Petrus (*k*) dum vndas calcaret:) nam hæc possunt Dei beneficio tolli si petieris.

i *Num. 20. v. 10.*

k *Matt. 14. v. 31.*

℣. 8. VIR DVPLEX ANIMO] Syrus, *diuisus animo*; Græcè, δίψυχος, id est, *bianimis*, duas quasi habens animas; vel vnam in duas dissectam spe, metu; fiducia, diffidentia; audacia, desperatione. Non sic vir sapiens; simplex; & toto animo vni Deo intentus: qui quò magis exercetur aduersis, eò magis *gaudeat*, quin & magis

℣. 9. GLORIETVR IN SVI EXALTATIONE, quâ certò exspectat, saltem in futuro sæculo si hîc verè HVMILIS; & propter Deum egregiè humiliatus, abiectus & vilis apud aliòs factus fuerit.

℣. 10. DIVES AVTEM glorietur, si lubet, in diuitijs suis: sed sciat has non esse materiam gloriationis, sed *humiliationis*, depressionis & abiectionis. Breuî enim *marcescent* instar *floris*, &c. ita ferè Beda, Hugo, Liranus, Dionysius & Gagneius. Sapient. 5. comparantur celeri *cursori*, *naui*, *aui*, *sagittæ*, *lanugini*, *spumæ*, *fumo*, *vmbræ*.

℣. 13. NEMO DICAT, QVONIAM A DEO TENTATVR, nempe tentatione quæ ad peccatum inuitat. Hoc dicit, ne quis putet, cogitationes turpes, passiones exorbitantes, aliasque tentationes ad peccatum, bonas in se esse, & à Deo nobis inspirari vel indi. Sunt enim ex se & natura sua malæ, sicut & peccata ad quæ pelliciunt: vnde nec à *Deo* proueniunt, qui INTENTATOR MALORVM EST, id est, nulli intentat mala, neminem excitat ad malè agendum. (*l*) Sicut enim ignis nequit humectare, neque sol obscurare: ita non potest essentialis bonitas aut beneficentia cuipiam malefacere: his tamen non repugnat quod antè dictum est, in eiusmodi tentationibus iusto etiam extremè gaudendum esse. Quia gaudium hoc non est de tentationibus vt ad peccatum solicitant, sed vt materia sunt luctæ & victoriæ, meritorum ac gloriæ, vt v. 2. dixi. Multò minùs his repugnat quod alibi (*m*) dicit Scriptura, Deum *tentasse* Abrahamum, *tentasse* Hebræos, &c. Quia, vt ait S. Augustinus, hæc Dei tentatio non est seductionis, neque ad peccatum, quam solam hîc Deo denegat Apostolus: sed est probationis & ad maius meritum & maiorem coronam. Verùm si tentatio ad peccatum non est à Deo, à quo ergo est?

l *Eccli. 15. v. 12.*

m *Gen. 22. v. 1. Deuter. 13. v. 3. August. l. 2. de Consensu Euangel. c. 30.*

℣. 14. A CONCVPISCENTIA] seu à vi appetitiua hominis, quatenus immoderatè inclinatur in bona sensibilia, contraria rationi & legi diuinæ: & est hęc cõcupiscentia partim in voluntate, partim & magis in appetitu sensitiuo. Nam pars inferior voluntatis, quæ bona caduca spectat, inordinatè concupiscit honores, gloriam, præcellentiam, &c. perinde atque sensitiuus appetitus delicias carnis, & alia obiecta sensuum. Hæc concupiscentia secundùm S. Ambrosium *lena vitiorum* est, animam à Deo sponso suo abstrahens ad bona creata, vt contra legem eiusdem Dei cum his delicietur & spiritualiter fornicetur. Excitatur hæc sæpè à dæmone vel mundo, putà prauis socijs, libris, colloquijs, &c. à quibus obiectũ delectabile quasi adulterum semen, subministratur concupiscentiæ. Et hic est primus tentationis gradus, nempe *suggestio*, qua concupiscentia in se; & quasi in vtero suo concipit prauos motus, v. g. titillationem libi-

Ambr. l. 4. in Lucam c. 4.

dinis, iræ gulæ, superbiæ, &c. Sed quia hi primo-primi sunt & indeliberati, nullum adhuc continent (a) formale peccatum, (vt contra hæreticos huius temporis definit Tridentinum Cõcilium, & fusè docet S. Augustinus:) (b) sed hoc primùm concipitur in secundo tentationis gradu, qui est *delectatio*, quando intellectus & voluntas illecebris iam dictis sponte & aduertenter sese oblectant. Vnde tertius gradus, nempe *consensus* in peccatum, quod est infelix proles huius lasciuæ matris. Pulchrè S. Augustinus: (c) *Noli consentire concupiscentiæ tuæ. Non est vnde concipiat, nisi de te. Consensisti? quasi concubuisti in corde tuo. Insurgit concupiscentia? nega te illi, noli eam sequi: illicita est, turpis est, alienat te à Deo. Noli dare consensionis amplexum, ne plangas partum.*

a *Roman. 7. & 8. Trid. sess. 5.*
b *Aug. l. 1. Retract. c. 13. & l. 22. contra Faustum c. 27.*
c *August. hom. 42. (inter 50.) c. 8.*

¥.16. ITAQVE NOLITE ERRARE] Græcè, *ne seducamini in errorem*, quo v.g. cum Simone Mago eiusve sequacibus putetis, Deum auctorem esse tentationum & peccatorum: vel donum sapientiæ & virtutem patientiæ, qua de tentationibus victoria comparetur, proprijs viribus obtineri posse, neque debere postulari à Deo. Nam

¥.17. OMNE DATVM OPTIMVM; (Græcè, *omnis bona donatio*,) seu OMNE DONVM PERFECTVM, siue sit naturæ, siue gratiæ, siue gloriæ: (*perfectum*, inquam, quia tale vobis opto & inculco, & à Deo deposci desidero:) DE SVRSVM EST, id est è supernis descendit, nempe A PATRE LVMINVM, id est, ab auctore omnium bonorum. Lumen enim, vt alibi (d) dixi, causa & symbolum est omnis boni. Alludit Apostolus ad *solem*, qui auctor & fons est omnis luminis & boni in mundo: vnde repræsentat solem diuinum, qui beneficentiæ suæ radijs & luce gratiarum nos illuminat, viuificat, vegetat & perficit. APVD QVEM NON EST localis TRANSMVTATIO, qualis est apud solem, qui mutat locum, dum ab Oriente mouetur in Occidentem, & à Tropico Cancri in Tropicum Capricorni: NEQVE VICISSITVDINIS OBVMBRATIO: quæ ex tali motu & transmutatione locali causatur. Inde enim prouenit quòd nunc dies sit, nunc nox: nunc æstus, nunc frigus: nunc fertilitas, nunc sterilitas: nunc lux, nunc vmbra, maior minorve pro maiore vel minore solis accessu vel recessu. Deus autem prorsus immutabilis est, vti essentia & perfectione, ita etiam loco, aspectu & operatione: semper enim & constanter producit calorem & lumen, id est, bonum; numquam tenebras, frigus, sterilitatem vel vmbras errorum vel peccatorum: numquam eclipsatur vel eclipsat, quantum ex se est: numquam nubibus aut procellis à se productis obscuratur: sed semper & vbique, quantum ex se est, beneficentiæ suæ radios explicat & expandit, *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*, idque vt fiamus non naturales philosophi, vel terreni principes, sed filij Dei, & principes cælestes: in hunc *enim* finem

d *Psalm. 4. v. 7. Psal. 75. v. 5. & c. Psalm. 35. v. 10.*

Ioan. 1. v. 9.

¥.18. GENVIT NOS Deus spirituali generatione per VERBVM VERITATIS, id est, per Euangelium, partim exteriùs nobis prædicatum, partim interiùs inspiratum, putà per intellectus illuminationẽ & voluntatis excitationem. *Genuit*, inquam, non necessariò vel naturaliter (quo modo Pater ab æterno gignit Filium suum;) neque casu vel fortuitò, (quo modo homo gignit hominem:) sed VOLVNTARIE; (e) Græcè, *volens*, seu *quia voluit*: Oecumenius vertit *destinata voluntate*; alij, *gratuita benevolentia*, (f) & libero beneplacito: quia sine A meritis nostris, imò immerentes & indignos vocauit, elegit, iustificauit, regenerauit. VT SIMVS INITIVM ALIQVOD CREATVRÆ EIVS] Græcè, ἀπαρχήν id est, *primitiæ*, vt vertit Syrus & S. Hieron. vel, vt Vatablus, Oecumen. Beda, Titelmannus & Gagneius, *vt principatum (g) obtineamus inter creaturas eius*, vtpotè filij Dei, & heredes vitæ æternæ. Quod si in omnes Christianos quadrat, multò magis in principes tum politicos, tum Ecclesiasticos. Et hæc ita se habere, sat superque

e *Ephes. 1. v. 9.*
f *Osee 14. v. 5.*

Hieron. l. 1. contr. Iouinian.
g *Psal. 109. v. 3. & Iob 40. v. 14. &c.*

¥.19. SCITIS, id est, cognitum & exploratum habetis: vt non sit opus, his probandis diutiùs immorari. Pergamus ergo ad alia media quibus sapientia cælestis possit faciliùs obtineri, & magis magisque augeri in dies. Primò, SIT quisque VELOX & promptus AD AVDIENDVM, (h) discẽdum (maximè in publicis cœtibus) & ad audita exequendum. Secundò, TARDVS sit AD LOQVENDVM, (i) & alios docendũ in publico. Mora enim pensanda sunt verba, & ad rationis obrussam examinanda. & non nisi claue mentis os pandendum, inquit S. Chrysost. Et Demosthenes rogatus cur vnam habeamus linguam, sed duas aures; respondit, *Quia duplo plus audiendum, quàm loquendum.* (k) Et Aristoteles, *Regum*, ait, *ac principum est multa audire, pauca loqui.* Tertiò, TARDVS AD IRAM. (l) Nempe ne velox ira præuertat, secumque in præceps trahat rationem & voluntatem. *Efficacissimum* verò *iræ coercendæ remedium, dilatio vindictæ vel operis in ira concepti*, inquit Seneca. Vnde Athenodorus philosophus Augusto Cæsari vltimum hoc monitum pro vale dedit, teste Plutarcho: *Iratus nil dicas, nil facias, prinsquam alphabetum integrum recitaueris.*

h *Eccli. 5. v. 13. Prou. 17. 27.*
i *Prou. 10. v. 19. Prouerb. 13. v. 11. Psalm. 138. v. 12. Thren. 3. v. 26. &c. Chrysost. in Psal. 50.*
k *Maxim. serm. 47.*
l *Eccles. 7. v. 10. Iob 5. v. 2. Prouerb. 16. v. 32. Seneca l. 3. de Ira c. 1. Plut. in Vita Augusti.*

¥.20. IRA quando præceps est, NON OPERATVR IVSTITIAM DEI, seu id quod iustum, Deo gratum, & rationi consonum est, sed potiùs quæ his contraria sunt, & quæ furor ac crudelitas imperant. (m)

m *Prolog. de Idiotismis Hebr. nu. 8. & Eccli. 1. v. 18.*

¥.21. ABIICIENTES OMNEM IMMVNDITIAM; Græcè, ῥυπαρίαν, id est, spurcitiam, sordes, prædorem: nempe vitia carnalia, (n) vt Beda, Salmeron & alij passim exponunt. Emanuel Sà sordes auaritiæ intelligit: & per ABVNDANTIAM MALITIÆ, seu malam, accipit prodigalitatem. q. d. Medium virtutis semper tenendum, cauendus defectus, vitandus excessus, aureæ mediocritati insistendum. Et hoc est quartum medium obtinendæ solidæ sapientiæ. Quintum medium, IN seu cum, MANSVETVDINE (o) SVSCIPITE VERBVM Dei, seu Euangelium, per prædicatores exteriùs auribus vestris admotum, sed per Spiritum sanctum interiùs animis vestris INSITVM, inoculatum, inspiratum. ita Beda, Glossa, Gagneius, Catharinus, & Caietanus. Porrò vocula *insitum*, innuit Apostolus, verbum Dei, fidem & gratiam non esse nobis connaturalia, sed aliunde, putà diuinitus insita, ideoque supernaturalia & gratuita: neque opera fidei & gratiæ tam nobis esse tribuenda, (à quibus solùm habent quòd sint vitalia, humana & libera:) quàm Deo auctori omnium gratiarum, à quo habent quòd sint opera fidei, charitatis & gratiæ, & meritoria vitæ æternæ. Sextum medium, verbo, seu doctrinæ diuinæ sedulò cooperari, non obiter aut per transennam illud solùm audiendo, intuendo, legendo, (vt solent viri minùs curiosi

n *2. Cor. 6. v. 18.*
o *Eccli. 3. v. 13.*

¥.23. VVLTVM NATIVITATIS SVÆ, id est, natiuum vultum suum, seu cum quo nati sunt, obiter

IN SPE-

IN SPECVLO *considerare*, sed mox ad alia delapsi, & quales se viderint obliti, non curant eluere maculas, vel nævos quos deprehenderant:) sed continuò ac seriò diuinæ doctrinæ inhærendo, moresque vitamque omnem secundùm hoc speculum componendo ac reformando, vt solet sponsa, formæ & ornatus sui studiosissima, speculo assiduè intenta, nævos omnes emaculare, vultumque & vestes & gestus omnes ad illud componere. Qui enim simili studio & assiduitate

℣.25. PERSPEXERIT intus, vsque ad medullas penetrans, IN LEGEM, non Mosaicam, quæ seruitutis erat, & admodum imperfecta, vt alibi (*a*) dixi, sed Christianam, quæ LIBERATIS (*b*) lex est, liberans nos (*c*) à peccato, à seruitute dæmonis, inferni, & cæremoniarum Mosaicarum, (*d*) &c. & PERFECTA est, perfectionis omnis documenta simul & auxilia subministrans: ET PERMANSERIT IN EA (*e*) lege sic assiduò contemplanda, ruminanda, & opere exercenda; BEATVS ERIT IN hoc FACTO SVO, beatitudine putà viæ, quæ rectà ducit ad beatitudinem patriæ. Porrò factor legis Christianæ, qui mandata illius omnia opere complet, vocatur

a *Act.* 15. v. 10.
b 2. *Cor.* 3. v. 17. & 1. *Tim.* 1. v. 9. &c.
c *Roman.* 6. v. 20.
d *Galat.* 4. v. 24.
e *Deut.* 27. v. 26. & c. 6. v. 7. *Ioan.* 15. v. 7. &c.

℣.26. RELIGIOSVS, quasi religatus vel astrictus Deo, inquit Lactantius, Augustinus, S. Thomas. Astrictus, inquam, cultu tum interno, per adorationem; tum externo, per sacrificia, vota, &c. Licet autem *religio* vera complectatur obseruationem totius legis diuinæ, tria tamen præcipuè requirit. Primum *refrenationem linguæ*, per rectæ rationis imperium: quod si absit, instar indomiti & infrænis equi, sessorem præcipitabit in exitium: per multam loquacitatem SEDVCENS & aberrare faciens COR à semitis virtutum, quietis & pacis, & pertrahens in deuias ambages, odia, lites, & mille pericula ac præcipitia, subinde etiam in mortem præsentem & æternam. Secundò, exercitium charitatis erga proximum propter honorem Dei, verbi gratia,

Lactant. l. 4. Diuin. instit. c. 28. Augustin. lib. de Vera relig. c. 55. S. Thomas opusc. 19. contra impugnantes Relig. c. 1.

℣.27. VISITARE; Syrus, *curare*, solari, pascere egenos, PVPILLOS ET VIDVAS afflictas, quales plurimæ erant in primitiua Ecclesia, viris propter fidem Christi vel occisis, vel in exilium abductis. Tertium est, IMMACVLATVM SE CVSTODIRE AB HOC SÆCVLO, seu à vitijs sæcularium hominum, quibuscum viuere & conuersari cogimur. Vbi mille laquei & illecebræ, quas nemo effugiet illæsus, nisi qui scuto timoris Dei, eiusque iudicij tectus, & gladio mortificationis appetituum & sensuum armatus, ita se cum mundo gesserit, vt solent quibus cum iurato & implacabili hoste negotium est. (*f*)

f *Roman.* 8. v. 35.

CAPVT II.

Docet, fidem (quæ religionis initium & fundamentum est,) non admittere acceptionem personarum: qui violat vnum legis præceptum, fieri omnium reum: fidem sine operibus inanem & mortuum esse instar cadaueris.

℣.1. NOLITE FIDEM HABERE GLORIÆ CHRISTI, id est, nolite credere, quòd gloria Christi eluceat IN ACCEPTIONE PERSONARVM] seu quòd glorificetur Christus, cùm ad agapes vel alios publicos vestros conuentus admittitis vel in ijs honoratis solos diuites, nobiles & splendidè vestitos, pauperes verò contemnitis: quasi gloria Christi vel christianismi consistat in splendore vestium, familiæ, vel opum: hæc est enim A gloria mundi, non Christi: gloria gentilismi, non christianismi. ita Thomas Anglicus & à Lapide. Quod velim notent concionatores, confessarij & præsides congregationum.

℣.2. AVREVM ANNVLVM HABENS seu indigito gerens (vt insinuat Græcum χρυσοδακτύλιος,) ponitur hîc pro quouis diuite ac potente: quibus solis id olim in more erat, vt apud Romanos solis Senatoribus & Equitibus, teste Dione, Alexandro ab Alexandro & Pierio. Gestabant autem non ad nudum ornamentum, sed etiam ad obsignandas epistolas, & ad cor oculosque exhilarandos & corroborandos: vnde solent annuli palo inserere carbunculum, hyacinthum, smaragdum vel similem gemmam, cui æquè atque auro proprium est cor exhilarare & oculos confortare, teste Gellio, & medicis. Pro *veste candida*, Græcè est, λαμπρᾷ, id est, splendida, qualis est *candida*, luxus, deliciarum & lætitiæ index, vt docet Valerius Maximus; & subindicat Ecclesiastes. Porrò quàm vani iudicij sit, hominem non ex seipso, sed ex vestibus æstimare, vt faciunt stulti & pueri, graphicè demonstrat Seneca & S. Chrysostomus.

Dio. lib. 48. Alex. lib. 2. Genial. c. 19. Pierius Hierogl. 41.
Gell. lib. 10. c. 10.
Val. Max. l. 1. c. 2. Eccles. c. 9. v. 8.
Seneca epist. 37. Chrysost. homil. 47. ad pop.

℣.3. TV SEDE HIC BENE; Græcè, κάθου ὧδε, id est, *pulchrè*, vt habet Syrus; q.d. Sede hoc loco non tantùm commodo & honorato, sed & eleganter ornato, in sede altiore, puluinati byssino instrata: aulæis & conopæo redimita. Sic autem diuites propter solas diuitias extollêdo, pauperes propter inopiam deprimendo vel contemnendo,

℣.4. NONNE IVDICATIS; Græcè, *diiudicastis*, Syrus & Vatablus, *discreuistis*, non ex æquo & bono, sed ex sola phantasia vestra APVD VOSMETIPSOS, & in peruerso iudicij vestri tribunali, in quo FACTI ESTIS IVDICES COGITATIONVM διαλογισμῶν, id est, ratiocinationum INIQVARVM? v.g. diuitiæ magis in pretio sunt apud homines, ergo vel ob has solas præferam diuites pauperibus. Secundò, diues potest me iuuare, promouere, ditare; non pauper: hunc igitur meritò contemnam, illum colam. Tertiò pauper contemptum sui nequit vlcisci, vt potest diues: huius igitur offensa cauenda, non illius. Quartò, à paupere nil exspecto: ergo impunè negligam. Quintò, pauper mihi est oneri aut dedecori, diues honori & commodo: ergo hic colendus, ille fugiendus.

Petes, quare non sint honorandi diuites propter solas diuitias? Respondeo, Quia diuitiæ per se non faciunt hominem excellentiorem ceteris, vt facit virtus, scientia, officium vel dignitas publica. Honor autem (qui bonum est commune, æquè atque officia vel beneficia) debetur creaturæ rationali ob solam excellentiam. Vnde si pauper sit virtuosus, non item diues; & tamen hunc ob solas diuitias honoro, neglecto paupere; pecco vitio acceptionis personarum, & quidem mortaliter si id fiat cum notabili pauperis contemptu, depressione vel oppressione, vt dicitur v.6. Alioqui pecco solùm venialiter, inquit Lessius. Imitemur potiùs Deum, qui

Lessius de Iust. & iure c. 32. dub. 1.

℣.5. PAVPERES ære, sed DIVITES FIDE & virtute, ELEGIT ad æternam gloriam, vt sint HEREDES REGNI cælestis. ita Gabriel Vasquez, ex hoc loco probans, electionem ad gloriam fieri ex præuisis iustorum meritis. Et verò quæ tanta vobis vtilitas à diuitibus?

Vasq. 1. p. disp. 89 c. 2.

℣.7. NÓNNE diuites, etsi Christiani, vt plurimum suo fastu, tyrannide, & pauperum oppressione, BLASPHEMANT, id est, causam dant Gentilibus,

bus, subinde etiam infirmis Christianis, blasphemandi BONVM; Græcè, καλὸν, id est, præclarum, NOMEN, QVOD INVOCATVM EST SVPER VOS?] (a) Id est, nomen quo vocamini & gloriamini, putà nomen Christi & Christiani?

a *Ierem.14. v.9.*

℣.8. BENE FACITIS TAMEN, SI honorando tam diuites Christianos, quàm pauperes, PERFICITIS & impletis REGALEM LEGEM mutuæ charitatis communiter omnibus exhibendæ. Quæ lex verè *regalis*, id est, omnium præstantissima, excellentissima, splendidissima est, quia charitas virtutum omnium prima, princeps & regina est, regibus omnibus ac tyrannis, corumque minis & supplicijs est superior. Neque est lex *timoris*, & per consequens *servilis*, vt erat Mosaica: sed *amoris* & perfectæ libertatis, (b) ideoque *regalis*, cùm *amor* imperium obtineat vniuersi.

b *Iacob.1. v.25.*

℣.10. QVICVMQVE TOTAM LEGEM SERVAVERIT, OFFENDAT AVTEM lethaliter IN VNO eius præcepto, v.g. de non accipiendis personis, FACTVS EST OMNIVM etiam reliquorum præceptorum REVS: omnium, inquam, non copulatiuè seu seorsim, sed copulatim seu coniunctim sumptorum: q.d. Reus est totius legis. Lex enim vel iustitia legis est quasi vna corona, vna vestis, vna cyclas aurea circumdans & ornans totum hominem: quæ tota violatur si vel vnam ex ea partem demas aut vioes: sicut in musica corrumpitur tota harmonia si vel vnica vox dissonet vel absit: nam sic tollitur eius integritas, species & decor. Quòd si quis pertinaciùs contendat, *omnium*, debere etiam copulatiuè exponi, dicat cum S. Augustino, fieri *reũ omnium*, quia alia omnia particularia præcepta etsi obseruet quoad substantiam operis, non tamen quoad modum quo necessariò obseruanda sunt vt sint grata Deo & meritoria vitæ æternæ, quia nempe nulla obseruat ex charitate, quam amisit quando præceptum vnum obligans sub peccato mortali transgressus fuit. Sicut hæreticus qui non credit vnum articulum fidei, etsi teneat reliquos omnes, nullum tamen omnium credit, vt oportet, fide diuina supernaturali, sed solùm naturali humana: nam diuinam fidem omnium amisit eo ipso quo vni illi articulo credere noluit. Ex dictis patet, non sequi ex hoc Apostoli loco dogma Stoïcum Lutheranorum, *omnia peccata esse paria* vel *connexa*. Imò contrariũ sequi: nam supponit Apostolus posse totam legem quoad reliqua præcepta seruari, & tantùm in vno offendi, inquit S. Thomas. Hoc tamen libens agnosco, si quis in vnum peccatum mortale prolapsus, non curet citò reconciliari Deo, propediem lapsurum in aliud atque alia peccata: (c) quia sublatâ charitate & gratia iustificante fit adeò debilis anima, vt tentationibus resistendo non sit, vt optimè docet idem S. Thomas & Concil. Tridentinum.

Augustin. epist.29.

S.Thom.1.2. q.73.ar.1.

c *Proverb.5. v.22.*

Isaiæ 1. v.18.

S.Tho.sup. Trident. de iustificat.

℣.12. SIC LOQVIMINI, sic docete, SIC FACITE, sic practicate. Hoc inculcat Apostolus ad eliminãda contraria dogmata & praxes Pharisæorum, qui passim inculcabant, (d) sufficere si quis potiorem partem mandatorum Dei compleret: nec vllum esse crimen, proximo charitatis obsequium denegare, si charitatem erga Deum quis retineat. Sicut nunc hæretici nostri docent, hominem per solam fidem iustificari & saluari. Non sic docete, inquit Apostolus, non sic agite, sed vt ego vos iam docui, sic practicate, nempe toti legi, quoad omnia eius præcepta, complendæ totis viribus studete: quasi PER LEGEM INCIPIENTES IVDICARI: nam ipso

d *Matth.5.*

A illo momento quo quis peccat, iudicatur à Deo, idque *per* & secundùm *legem*, seu conformiter legi diuinæ, quæ vetat omne, etiam minimum peccatum. Et licet sit *lex* LIBERTATIS, (e) est tamen etiam iustitiæ. Imò libertas legis Christianæ in hoc maximè eluceat, quòd nos liberos faciat à peccato, cui seruire non est hominis ingenui vel generosi, sed sordidi mancipij. Porrò aduersus diuinum iudicium nihil efficacius

e *Iac.1.25.*

℣.13. MISERICORDIA, seu beneficentia in proximum, nam illa SVPEREXALTAT IVDICIVM] id est, superior est iudicio, supra illud se exaltat & elidit eius rigorem, è manu iudicis quasi virgam & flagellum extorquens. Vnde Syrus vertit, *exaltati estis per misericordias supra iudicium.* (f) ita Damascenus, Catharinus & Salmeron.

f *Psal.40. v.2. Matth.5.7. 6.25. & 32. & c. Damasc.2. Parallel. c.16. Iren.l.1.c.2. Theodor.l. Hæret. fabul.*

℣.14. QVID PRODERIT FIDES *sine operibus?* Hîc Simonem Magum, inquit Irenæus & Theodoretus, conuellit Apostolus, & Simonis sequaces Valentinum, Basilidem, Eunomium, Aëtium, Lutherum, Caluinum, ceteroqui; nostri sæculi hæreticos, qui occasione verborum S. Pauli docentis, (g) *nos iustificari ex fide sine operibus legis*; contendunt solam fidem sufficere ad iustificationem & salutem: nec volunt intelligere, S. Paulum excludere sola opera legis Mosaicæ & naturalis, facta viribus solius naturæ sine fide & gratia Christi, quæ exercebant Gentiles, & iactabant Iudæi: Iacobum verò, vt & Petrũ & Ioannem, inculcare opera legis Christianæ, facta ex fide & gratia Christi. Quæ eadem Paulus quoque inculcat eo ipso quo fidem inculcat, vt patet ex tot eius exemplis c.11. ad Hebræos. nam sunt opera & fructus fidei, ita S. Augustin. & alij Patres ac Doctores. Necessaria autem esse hæc opera fidei probat Iacobus septem argumentis. Primum, quia sine illis *fides* vana est, inanis, infructuosa possessori suo: *non* enim *potest* SALVARE. Secundum, ℣.15. FRATRI quoque, seu proximo, est infructuosa & inutilis. Tertium, ℣.17. MORTVA EST instar cadaueris, vtpote destituta charitate, quæ illam instar animæ viuificat, inquit S. Bernardus. Licet ergo sit vera fides, sicut cadauer est verum corpus (quod notandum contra Caluinum & alios hæreticos, qui fingunt, Iacobum solùm loqui de vmbra fidei;) tamen sine operibus est exsucca, exsanguis, elumbis, & fœda instar cadaueris putrescentis.

Aug.l.83 qq.q.76.

Bern.epist. & serm.24. in Cantic.

℣.18. SED &, pro quarto argumento, DICET meritò QVIS fidem solam iactitati; dicet, inquam, talem fidem esse prorsus inuisibilem, insensibilem, & per consequens nulli proficuam vel vtilem, ne quidem ad bonum exemplum.

℣.19. DÆMONES etiam sine bonis operibus CREDVNT, idque vel supernaturali fide (vt docent Durandus, Alensis, Magister, Catharinus, Salmeron: & probabile censent Gregorius à Valentia, à Lapide & Iustinianus, qui asscribit S. Augustin. & S. Thomæ:) vel (vt alij tenent) fide naturali: & tamen hæc fides nihil illis prodest, nisi ad maius tormentum: ergo nec tibi tua proderit sine operibus fides, nisi vt grauiùs inde puniaris. Seruus enim, *qui cognouit voluntatem domini sui, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis* (h) Et hoc est Quintum Apostoli argumentum. Et quidem Caluinus conuictus his argumentis fatetur tandem, opera requiri ad iustitiam & salutem, vt veræ fidei vera signa & indicia, non tamen vt causas iustitiæ vel merita salutis. Sed hoc ipsum diserte conuincit Sextum & Septimum Apostoli

Durand.in 3.dist.23.q. 9.art.2. Alens.3.p.q. 64.memb.6. Magist.3. dist.23.§. Aliud. Seruus Greg.à Val. 2.2.q.5.art. 2.punct.2. Aug.Enchirid.c.8.& Psal.77. S.Tho.2.2. q.18.art.3. ad 2.

h *Luc.12. v.47.*

argumen-

argumentum ex operibus *Abrahami* & *Rahab* desumptum, vbi expressis verbis affirmat, immolatione filij sui iustificatum Abrahamum, (*q*) & Rahab protectione exploratorum Iosue, (*b*) perinde atque fide (etiam ex hæreticorum sententia) iustificamur, nempe non concomitanter tantùm & per modum signi, sed causatiuè & meritoriè. Nota tamen, per hanc filij sui immolationem non fuisse iustificatum Abrahamum inchoatiuè, (nam erat iam antè iustus;) (*c*) sed perfectiuè, quia de condigno promeritus est suis operibus maius incrementum iustitiæ, quàm antè habuerat. Et de hac iustificatione perfectiua, (quam Theologi secundam vocant) maximè loquitur S. Iacobus: Paulus verò magis de prima, seu de inchoatiua iustitia. Licet de vtraque verum sit, opera ad illam necessaria esse: nam ad inchoationem iustitiæ requiruntur opera fidei, spei & pœnitentiæ, tanquam necessariæ dispositiones, & merentur illam de congruo: ad perfectionem verò vel incrementum iustitiæ, etiam concurrunt vt propriè dictæ causæ, & merentur illam de condigno, vt loquitur Tridentinum, & fusè probat Bellarminus.

a *Genes.* 22. v. 9.
b *Iosue* 2. v. 1.
c *Genes.* 15. v. 6.
Trid. sess. 6. *Bellar. l.* 4. *de iustific. c.* 18. & *seqq.*

CAPVT III.

Reprehendit eos qui officium docendi, maximè in publicis conuentibus, temere ambiunt. & hac occasione in varia lingua vitia excurrit, indomabilem illam esse & ignem omnia comburentem, adeóque vniuersitatem iniquitatis. Denique docet, veram sapientiam tam docentium, quàm discentium, non consistere in contentione & zelo, sed in mansuetudine & pace.

¶. 1. NOLITE PLVRES MAGISTRI; Græcè, *doctores*, FIERI. Non reprehendit gradus academicos; vt somniabat Wicleff, aiens, teste Prateolo, non plus illos prodesse Ecclesiæ, quàm diabolum. Nam vt alibi docet S. Paulus, & ipse *doctor* Gentium, *Deus in Ecclesia posuit doctores.* (*d*) Sed taxat ambitionem *magisterij*, quod plures tum temporis expetebant, arrogantia Pharisaica (*e*) potiùs, quàm zelo conuersionis animarum, (*f*) cùm plerique non sat instructi essent, seu à scientia, seu à prudentia, seu ab alijs virtutibus ad id munus necessarijs. Vnde & magna subinde confusio, contentiones & scandala. S. Augustinus per *plures* magistros accipit diuersa & sibi mutuo contraria docentes. Causam porrò cur magisterium, nisi à superiore imponatur, potiùs fugiendum quàm ambiendum sit, dat Apostolus, QVONIAM MAIVS IVDICIVM, seu condemnationem, sibi accersunt tales, nempe dum vanam doctrinæ laudem & gloriam captant, dum alios præ se contemnunt, dum mala vel malè docent, dum malo exemplo alijs prælucent, &c. Quod locum habet non in solo litterarum magisterio, sed in omni etiam alia præfectura: *quoniam iudicium durissimum his qui præsunt, fiet*, vt Sapiens ait.

d *Ephes.* 4. v. 11.
e *Matt.* 23. v. 6.
f *Actor.* 15. v. 1.
Aug. Prologo lib. 1. *Retract.*
Sap. 6. v. 6.

¶. 2. IN MVLTIS ENIM OFFENDIMVS OMNES, tum verbis, tum factis & exemplis. Nam *nil omnino peccare* proprium est Dei, inquit Clemens Alexandrin. Propter innatam enim homini concupiscentiam, infirmitatem & animi mutabilitatem, (quæ Deo sic volente remanent etiam in iustificatis, ad maiorem eorumdem humiliationem, luctam & exercitium,) fieri nequit, etiam cum speciali auxilio gratiæ ordinariæ, vt ad longum tempus cuitet omnia peccata venialia, vt Trid. definit, & nos alibi, (*g*) exposuimus. SI QVIS IN VERBO NON OFFENDIT, HIC PERFECTVS EST

Clem. Alex. l. *Paedag.* c. 2.
Trid. supr. can. 23.
g *Eccles.* 7. v. 21. *Prou.* 24. v. 16. 1. *Cor.* 4. v. 4 1. *Ioan.* c. 1, v. 8.

A VIR. Vnde Ecclesiastic. (*h*) *Quis est qui non deliquerit in lingua sua?* Nempe, innata homini pronitas ad se suaque laudanda, aliena vituperanda, ad mentiendum, ad fallendum, ad carpendum, ad garriendum; quam pronitatem perpetuò compescere admodum difficile est: difficilius phantasiam refrænare & passiones animi, quorum internuntius, imago & index est lingua: difficillimum, tanta vbique circumspectione agere, vt nullum prorsus verbum quod non sit accommodum loco, tempori, personis præsentibus, ori excidere patiaris. Et hanc ob causam quicumque solido continentiæ, mortificationis & discretionis studio iam obtinuit, vt frænare norit linguam suam, is facilè poterit etiam TOTVM reliquum CORPVS suum, seu cetera corporis membra, omnesque actiones & motus FRÆNO CIRCVMDVCERE, moderari, & ad leges modestiæ virtutisque componere. Imò refrænata ipsa lingua talibus frænum est eterorum omnium corporis membrorum, motuum & actionum, omnia continens, dirigens, & ad suos fines deducens, sicut frænum equos, & clauus naues deducit. Linguâ enim frænatâ frænatur quoque loquēdi pronitas & auiditas quæ est in phantasia & appetitu: frænatâ verò phantasiâ & appetitu, frænantur omnes actiones & motus qui ab ijs promanant.

h *Eccli.* 16. v. 17. & 6. 28. v. 30. *Psal.* 38. v. 2. &c.

¶. 5. MAGNA seu bona, seu mala, EXALTAT] id est, erigit, suscitat, efficit, causat: nam quot verbis, tot ictib us animos audientium ferit, & integra subinde regna inter se committit, & agit quò vult. Exemplo sit lingua Pisistrati, (*i*) Periclis (*i*) & Demosthenis (*k*) apud Athenienses: Valerij, (*l*) Gracchi, (*l*) Ciceronis (*k*) apud Romanos: Achitophelis, (*m*) Roboami & (*n*) Ieroboami (*o*) apud Iudæos. Verè *mors & vita in manibus linguæ.* (*p*)

i *Val. Max.* l. 8. c. 9. n. 1.
k *Plutarch. in Vita eius.*
l *Val. sup.* c. 11.
m 2. *Reg.* 16. v. vlt.
n 3. *Reg.* 12. v. 14.
o *Ibid.* v. 28.
p *Prou.* 18. v. 21. *Basil. in psalm.* 33.

¶. 6. VNIVERSITAS, id est, cumulus, congeries, INIQVITATIS; Græcè, *mundus iniustitiæ.* Simili prouerbio vocamus *malorum Iliadem* vel *oceanum.* Lingua enim, ait Basilius, *lena est & conciliatrix* omnium *scelerum*: nam omnia scelera per linguam vel perficiuntur, vel suadentur, vel defenduntur, vel excusantur. Vide Ioannem Polecyum è nostra Societate, qui de vitijs linguæ totum librum conscripsit hoc titulo, *Vniuersitas iniquitatis.* Lingua instar centri in corpore constituta, si sordida est, MACVLAT TOTVM CORPVS, id est, totum hominem, omnesque eius actiones. (*q*) Sic murmurans lingua Mariæ sororis Moysis causauit lepram toti corpori. (*r*) Denique quod lamina ignita est in rota currus, hoc lingua est in *rota* NATIVITATIS, id est, in cursu vitæ nostræ, qui instar rotæ, à natiuitate vsque ad mortem perpetuò circumuoluitur. Sicut enim lamina ferrea ignitur in fornace fabrorum: ita lingua ignitur igne tartareo maledicentiæ quasi ex fornace gehennæ (*s*) per diabolum deprompto. Et sicut lamina ignita dum à fabris applicatur rotæ & clauis illi affigitur, vndique flammas vomit & scintillas, videturque totam rotam circumcirca inflammare: ita lingua infernali seu diabolico maledicentiæ igne succensa inflammat eodem igne totam rotam vitæ nostræ. Id de lingua detractoria fusè demonstrat Ecclesiasticus c. 28. v. 16. vt ibidem videre est. Sed idem demonstrari potest de *falsa* lingua adulatorum, Eccli. v. 20. v. 18. de *magniloqua* superborum, Psal. 11. v. 4. *viperea* hæreticorum, Iob 20. v. 16. *blasphema* maledicorum, Iob 15. v. 5: *dolosa* hypocritarum, Psal. 119. v. 2. *sordida* luxuriosorum,

q 1. *Cor.* 15. v. 33.
r *Num.* 12. v. 1.
s 4. *Reg.* 23. v. 10.

Eccli.51.v.3.& *iniqua* aduocatorum,Prouerb.17. vers.4.

℣.7.OMNIS NATVRA BESTIARVM DOMATVR vel pastu,vel obsequio, vel terrore, vel frænis & capistris,vel flagellis, vel fame & inedia, vel aduersarijs sibi alijs animalibus. Exempla ex Ælia-
Lipsius sent. 1.epist.50. M. Paulus Ven. in Tartaria. Sueton. in Domitiano. Plutarch.in Sympos. Macrob.l.2. Saturn.c.10. Rondel. & Aldrou.l.de Piscibus. Plin.l.9.c.8. l.10.c.74. l. 8.c.7.&c. August. de Nat.& gratia c.15.& serm.4. de verbo Domini secundùm Matthæum.
no, Plinio, Oppiano, Aristotele & alijs, recenset Lipsius de elephantis; Paulus Venetus de leonibus, pantheris, pardis, vrsis; Suetonius de rhinocerotibus: Plutarchus & Macrobius de perdicibus,coruis,merulis,falconibus,aquilis: Rondelectius,Aldrouandus,Plinius & alij de balænis, delphinis, crocodilis, draconibus, aspidibus & alijs serpentibus.

℣. 8. LINGVAM AVTEM humanam NVLLVS B HOMINVM solis naturæ viribus DOMARE POTEST: potest diuina virtute & gratia, vt pulchrè ostendit,& media suggerit.S.August. imò & Ecclesiasticus c.19.v.10.Præ omnibus autem iuuare silentium, aduersitates, & acrem in defectus inquisitionem,correptionem & castigationem, constans est Patrum doctrina,& probat experientia.

INQVIETVM MALVM: Græcum ἀκατάστατον significat etiam *seditiosum* & *tumultuosum*, PLENA VENENO MORTIFERO, quo proximi famam & fortunas tollit,suam & audientis animam,ao sæpè etiam corpus, occidit per odia, rixas & bella quæ suscitat. (*a*) Alludit Apostolus ad linguam aspidum & serpentum, (*b*) quæ venenum appensum habent in vesica, (*c*) quæ dum mordent rumpitur,& venenum hosti affunditur, inquit Mercurialis.Porrò adeò plena est veneno,vt illud effundat etiam tunc cùm
a Psalm.5. v.11. Psalm. 139. v.4. b Ibid. c Iob 20. v.12. Mercurial. de Venen.

℣.9. DEVM, qui est *pater* & creator omnium, laudat psallendo.orando, prædicando: nam quidam mox vt è templo domum regressi sunt,*maledicunt*, execrantur,diris deuouent, calumniantur, subsannant proximum suum QVI AD SIMILITVDINEM & imaginem (*d*) DEI *factus est*: hoc ipso maledicentes & execrantes etiam ipsum Deum, si non in propria persona,certè in ipsius viua imagine. *Qui* enim *calumniatur egentem,exprobrat factori eius.* (*e*) Contra naturam verò esse & rerum D ordinem, vt ex lingua,ore & corde ad hoc vnum à Deo & natura destinato vt laudet ac benedicat Deum,procedat maledictio, probat similitudine fontis, vuæ & ficus: nam cum natura pugnat, vt fons dulcis emanet aquam amaram,aut vitis proferat ficus,aut ficus vuas.Hoc ipso insinuans,laudes diuinas ex ore in proximum maledico promanantes, tali maledictione reddi prorsus amaras, ingratas & displicentes Deo, nec tam laudes censeri, quàm conuicia & maledicta, saltem nullum diuinæ laudis fructum vel præmium sperare posse,inquit Beda.
d Genes.1. v.26. e Prou.14. v.31.

℣.13. QVIS INTER VOS, qui tantoperè ambi- E tis nomen magistri & doctoris, reuera est SAPIENS non speculatiuè tantùm, sed & practicè, quoad mores bene DISCIPLINATVS & instructus? Hoc OSTENDAT & palàm faciat primùm CONVERSATIONE BONA & laudabili: secundò, MANSVETVDINE non abiectionis,sed SAPIENTIÆ ac discretionis.

℣.16.VBI ENIM ZELVS amarus,seu inuidia est ET CONTENTIO,seu dissidium, IBI est etiam ἀκαταστασία, id est, INCONSTANTIA, inquietudo,tumultus,seditio, vt suprà (*f*) dixi. Id satis superque docent Caluinistæ ceterique hæretici nostri, qui amaro zelo suo & perpetua contentione ferunt
f Hic v.8.

cædes,rapinas,sacrilegia,blasphemias & innumera alia scelera.

Nota hîc decem antitheses quas ponit Apostolus inter veram & falsam sapientiam. (*g*) Vera g *1.Cor.1.v.4.*
Primò,

℣.17. DESVRSVM EST, quia à Deo tradita,& sine cælesti ac supernaturali lumine & gratia capi vel practicari non potest: falsa *terrena* est,nec ad altiora contendit.Secundò,vera sapientia PVDICA; Græcè, *pura*,|casta,intemerata est quoad doctrinam & mores: falsa *animalis*, sordida & impudica. Consule Alcoranum,& Lutheri,Caluini, Mennonis paradoxa.Tertiò,vera est PACIFICA; Syrus,*plena pace* & charitate:falsa *contentiosa*,fons litium,rixarum, bellorum. Quartò,vera est MODESTA; Syrus *mansueta, demissa, humilis*:Pagninus, *morigera*, ciuilis: falsa petulans ac superba. Quintò,vera est SVADIBILIS, id est,persuasu facilis: cùm enim nil contineat quod sit naturæ vel rectæ rationi contrarium,facilè audienti probatur ac persuadetur: falsa impersuadibilis, quia plurima continet absurda,impia,turpia, incredibilia. Id de doctrina Lycurgi,Platonis, Aristotelis,Stoïcorum & Epicuræorum bene probat à Lapide: de hæresibus nostri temporis Iod. Coccius & alij. Sextò,vera est BONIS CONSENTIENS, *A Lap hic & Act 17. v.18.* C tum rebus,tum hominibus, ijsdem fauens, subseruiens, diligens, promouens: falsa *bonis* inuidet & aduersatur, malis fauens, adhærens, glorians. Septimò, vera est PLENA MISERICORDIA, ex intimis visceribus compatiens proximo,eique benefaciens: falsa immisericors, crudelis, *diabolica*. Octauò,vera abundat FRVCTIBVS BONIS & operibus pijs: falsa scatet sceleribus. Nonò,vera *neminem* temerè IVDICAT, (*h*) carpit, censurat, h *Matth.7.* spernit: falsa iudicium præcipitat, omnia carpit,omnia improbat. Decimò,vera est sincera & SINE SIMVLATIONE: (*i*) falsa est simulata & hy- i *Sap.1.v.5. c.7.v.13.* pocritica.
Iod.Cottius in Thesauro controuers. notis Eccl.

℣. 18. Porrò FRVCTVS iam dicti IVSTITIÆ, id est,sapientiæ (sapientia enim practica, de qua tam hîc,quàm alibi (*k*) Scriptura meminit,est *iustitia*, seu complexio omnium virtutum:) non semper se produnt in hac vita; prodent se tamen in altera: nam hîc IN, seu cum, PACE SEMINANTVR:vnde FACIENTIBVS PACEM,seu opera pacis, id est, *pacificis*,vt Syrus vertit,copiosa succrescet pacis,id est,felicitatis æternæ,messis,in cœlo demetenda. k *In libris Sapientialibus.*

CAPVT IV.

Concupiscentiam honoris & excellentiæ, id est, ambitionem, docet matrem esse & fomitem inuidiæ, litium, bellorum & detractionum: compesci autem & extingui per studium humilitatis & modestiæ.

℣. 1. VNDE BELLA, seu pugnæ inter vos? NONNE EX CONCVPISCENTIIS, Græcè,*ex voluptatibus*,VESTRIS? Nempe obiectum cõcupiscentiarum sunt voluptates, opes, honores: pro quibus obtinendis, mutuoque subtrahendis oritur contentio, lis & pugna. Porrò bellum iustum,debito modo susceptum, etiam Christianis licitum esse & sanctum, contra Erasmum & Anabaptistas, constat ex Scripturis & gestis Sãctorum, vt alibi (*l*) docui,& fusè probat S.Augustinus.Sed l *Isaiæ 2. v.4. August.Enchirid.c.78.* in eo suscipiendo gerendoque cauendum ne se interserant appetitus vanæ gloriæ,vel rei alienæ.vel inutilis

inutilis vindictæ, & similes concupiscentiæ, QVÆ MILITANT non in animis tantùm, sed & IN MEMBRIS VESTRIS, in quibus passiones illæ sedem suam habent. v.g. ira in felle, libido in renibus, amor in iecore, dolor in liene, &c. Vnde & *concupiscentia* à S. Paulo subinde *lex membrorum*, (a) subinde *caro* (b) vocatur, quia carni & membris dominatur, saltem quoad motus *primò primos*, seu indeliberatos: nam quoad motus & actus liberos tam concupiscentia, quàm membra subsunt imperio voluntatis seu liberi arbitrij.

a *Rom.* 7. v. 23.
b *Galat.* 5. v. 17.

℣. 2. CONCVPISCITIS quidem, vt iam dixi: ET tamen NON HABETIS, id est, non obtinetis hac via quæ concupiscitis; PROPTER QVOD: Græcè, *quia*, NON POSTVLATIS illa à Deo, rerum omnium auctore & datore: absque cuius nutu nemo potest quidquam obtinere. Vel si

℣. 3. PETITIS illa à Deo, MALE PETITIS, nempe VT illis abutamini contra Deum, ad CONCVPISCENTIAS; Græcè, *voluptates*, VESTRAS explendas.

℣. 4. ADVLTERI, in Græco additur, *& adulteræ*, quia scilicet, reiecto Deo sponso animæ vestræ, mundo quasi adultero adglutinamini; tam stupidi estis, vt *non sciatis*, vel saltē non expendatis, quòd AMICITIA HVIVS MVNDI, seu cum mundo & rebus mundanis inita, INIMICA EST DEI? Adde, & inimica tibi? nempe *arridet mundus*, vt bene notauit S. Cyprianus, sed *vt seuiat: blanditur*, sed *vt fallat: illicit, vt occidat: extollit, vt deprimat.*

Cypr. ep. ad Donatum.

℣. 5. AN PVTATIS QVIA INANITER, seu frustra, SCRIPTVRA multis locis (c) DICAT, *Spiritum* sānctum, QVI IN VOBIS iam inde à suscepto baptismō HABITAT, *concupiscere* AD INVIDIAM?] id est, zelotypum esse animæ vestræ, quasi spōsæ sibi charissimæ. Qui enim zelotypus est, ita rem amatam concupiscit, vt eamdem riuali cuilibet inuideat, velitque eâ solus potiri. ita Caietanus, Gagneius, Catharinus, Salmeron, Mariana, Lorinus, à Lapide. Et vel inde potest vobis constare, quanto zelo, imò zelotypia vos prosequatur, quòd vt vos ab amplexibus mundi diuellat,

c *Exodi* 20. v. 5. *Ieremiæ* 6, 2. *Ezech. Nahum* 1. v. 2. *Zach.* 8. v. 2. *Isaiæ* 9. v. 6. &c.

℣. 6. MAIOREM & longè ampliorem GRATIAM, dona & beneficia vobis conferat, quàm mundus conferre possit. Inuidet enim mundo, quòd pauca & vilia donans, multùm ametur. Vnde vt hunc æmulum suum eliminet, optima ipse nobis & selectissima dona liberalissimè impertit; si tamen HVMILES (d) fuerimus, & humiliter eius imperio & nutui nos subdiderimus, & ab eo nos in omnibus duci & regi permiserimus.

d *Prou.* 3. v. 34. *c.* 29. v. 2. & 3. *Psalm.* 17. v. 28. *Isai.* 2. v. 1. *c.* 66. v. 1. &c. e *Iob* 41. v. 25.

℣. 7. SVBDITI ERGO ESTOTE DEO in omnibus, vt ampliorem ab eo gratiam accipiatis; Græcè est, *subordinamini*; syriacè, *serui estote Deo.* DIABOLO autem, qui suæ vos tyrannidi (e) subdere conatur per vestrasmet concupiscentias, viriliter RESISTITE, negando consensum, & FVGIET A VOBIS victus, spretus, confusus. Nam notat S. Ambrosius, *vere virtuti cedere solet, etsi inuidere non desinat: tamen instare formidat, quia refugit frequentius triumphari.*

Ambros. in c. 4. Luc.

℣. 8. APPROPINQVATE DEO per integram subiectionem, per feruentem orationem, per ardentem amorem ipsius & proximi: ET ipse maiori continuò amore & gratiarum elargitione APPROPINQVABIT VOBIS. (f) Vt autem appropinquare possitis, EMVNDATE MANVS (g) ab omni rapina, pugna, libidine, gula, & omni alio externo peccato: CORDA quoque PVRIFICATE ab omni praua

f *Zachar.* 1. v. 3. *Prouerb.* 8. v. 17. & 1. *Ioan.* 4. v. 16. g *Psalm.* 23. v. 4. & 1. *Tim.* 2. v. 8.

A cogitatione, delectatione, cōsensu, machinatione. Per *corda* enim designat internas animi affectiones, sicut per *manus* externas actiones. Neque sitis DVPLICES ANIMO; Græcè διψυχοι *bianimes*, de quo suprà (h) q.d. Ne alium animum in visceribus geratis, quàm in manibus, seu in opere externo.

h *Iac.* 1. v. 8.

℣. 9. MISERI ESTOTE] Græcè, sensu miseriæ vestræ tangimini per claram agnitionem, per seriam compunctionem, per humilem tolerantiam, per sedulam expiationem. Thomas Anglicus octo genera recenset miseriarum huius vitæ perpetuis lacrymis deploranda. Primum, culpę originalis. Secundum, peccatorum actualium. Tertium, innatæ concupiscentiæ & fragilitatis. Quartum, mundanarum ærumnarum. Quintum: humanæ persecutionis. Sextum, diabolicæ tentationis. Septimum, instantis calamitatis æternæ. Octauum, priuationis summi boni. Propter hæc & talia

℣. 10. HVMILIAMINI; Syrus & Tigurini, *humiliate vos*, non ficta, non affectata, non coacta humiliatione, sed seria & IN CONSPECTV DOMINI, ex toto corde, intimè & profundè; ET ipse EXALTABIT VOS (i) in cælo per gloriam, in mūdo per gratiam, subinde etiam per famam & splendorem externum. Præ omnibus autem

i *Luc.* 14. v. 11. & 1. *Petr.* 5. v. 6. *Eccles.* 3. v. 21. *Prouerb.* 29. v. 23. *Iob* 22. v. 29

℣. 11. NOLITE DETRAHERE ALTERVTRVM, seu falsum crimen impingendo, seu verum nimis exaggerando, seu occultum prodendo, seu benefactum extenuando, seu virtutes & laudes reticendo cùm debent pandi. Quod meritò graue crimen censetur, quia proximo famam adimit, quæ melior est omnibus fortunæ bonis. Vnde detractor, odibilis & abominabilis dicitur Deo in Scripturis. (k) ET DETRAHIT LEGI, cum detrahit proximo ob opera virtutis lege præscripta vel consulta. Nam hæc in probrum vel irrisionem trahens damnat legem quæ illa, seu iubet, seu suadet. Atque ita iniurius est etiā ipsi vnico (l) ac supremo *legislatori & iudici* arcanorum *Dei*: iniurius est, inquam, duplici via. Primò, quia legem eius saltem tacitè redarguit. Secundò, quia iudicium de arcanis humani cordis, vni Deo proprium, ipse sibi arrogat & vsurpat. (m)

k *Prou.* 6. v. 16. & 17. & *Rom.* 1. v. 30. &c. l *Prouerb.* 8. v. 15. m *Rom.* 14. v. 4. & 10.

℣. 13. TV QVIS ES, quàm imprudens, quàm inconsideratus, quàm temerarius, QVI FRATREM in re occultissima incertissimaque IVDICAS & damnas, cùm ECCE tu ipse in re clarissima notissimaque tam fœdè hallucinaris, promittens tibi longam & felicem vitam, & quasi à nutu tuo dependentem, cùm omnia pendeant à nutu solius Dei, qui filum fortunæ & felicitatis, quod tibi longissimum tetendisti, subitò & inexspectatò succidet, fortè craſtina die. (n)

n *Luc.* 12. v. 17. & *Seneca l.* 17. *epist.* 10. o *Isaiæ* 40. v. 15.

℣. 15. VITA nostra VAPOR EST qui statim dispergitur & euanescit. Alibi comparatur *momento*, (o) *gutta* (p) roris, *fumo*, (q) *flori* vel *fœno*, (r) *pulueri*, (r) *palmo*, (f) telæ *aranea*, (t) *vento*, (u) *aquæ* (x) effusæ, *nuntio* percurrenti, *aui*, *naui*, *sagittæ*, (y) *imagini*, *vanitati*, (z) *umbræ*, (aa) *nihilo*. (bb)

p *Sap* 9. v. 15 q *Sap.* 2. v. 2. r *Isaiæ* 40. v. 6. & *Iob.* 14. v. 1. & 15. s *Psal.* 38. v. 6. *in Hebr.* t *Psal.* 89. v. 10. u *Iob* 7. v. 7. x 2. *Reg.* 14. v. 14. y *Sap.* 5. v. 9 &c. z *Psal.* 38. v. 7. aa *Sap.* 2. v. 5. bb *Isaiæ* 40. v. 17.

℣. 26. EXVLTATIS IN SVPERBIIS; Græcè, *gloriamini in iactātijs*, VESTRIS, id est, in diuitijs quibus superbitis & vos iactatis. OMNIS TALIS EXVLTATIO, seu gloriatio, MALIGNA EST, à maligno spiritu suggesta. Et scitis quidem hæc omnia, sed

℣. 27. SCIENTI BONVM FACERE, ET NON FACIENTI, PECCATVM EST ILLI] Infert S. Ephrem, (cc) Ergo multò magis, malum scienti & illud facienti, peccatum erit.

cc *Ephrem serm. de pœnit.*

CAPVT V.

Perstringit diuitum luxum, insolentiam & sauitiam in pauperes. Hos verò solatur & ad patientiam hortatur exemplo Iob & Prophetarum. Vetat iurare, tristes iubet orare, latos psallere, ægros ungi oleo, peccatores peccata sua confiteri. Denique commendat studium orationis & salutis proximorum.

¥. 1. AGITE DIVITES diuitijs corde affixi, PLORATE VLVLANTES more luporum & canum rabida fame cruciatorum. Quales enim pauperibus vos exhibuistis, tales vicissim vobis erunt Vespasianus & Titus, imò ipse Deus, seu in hoc, seu in futuro sæculo.

¥. 3. ÆRVGO quam aurum vestrum in arca nimis diu conclusum contraxit, ERIT in diuino tribunali VOBIS IN TESTIMONIVM, seu contra vos, in testem crudelitatis & auaritiæ vestræ, quâ maluistis ipsum corrumpi & perire potiùs, quàm in pauperes erogari. ET MANDVCABIT CARNES VESTRAS in gehenna. (a) *Manducabit*, inquam, non physicè, sed moraliter, seu commeritoriè. Crudelis enim hæc ærugo causa erit (b) commeritoria cur ignis gehennæ manducet, id est, vrat, cruciet tum carnes, tum animuas vestras. Iusta enim & congrua pœna *ignis* auaritiæ est IGNIS gehennæ. Igitur non opum, deliciarum, vel gaudiorum thesauros, vt opinabamini, sepositistis, sed thesauros IRÆ ac vindictæ diuinæ, maximè IN NOVISSIMIS (c) DIEBVS] Id est, in die iudicij totáque æternitate.

a 4. Reg 23. v. 10.

b Luc. 16. v. 24. & Isa. 50. v. 11. & Mich. 6. v. 10.

c Roman. 2. v. 5.

¥. 4. MERCES OPERARIORVM DEFRAVDATA CLAMAT (d) in cælum poscens vindictam à Deo tam atrocis iniuriæ. Cùm enim laborando exhauriant vitalem succum & sanguinem, nec aliunde habeant quo illa restaurent, si diurna merces illis negetur, pereant oportet. *Clamor* ergo hic per catachresin est ipsa criminis atrocitas, quæ vel excusari, vel occultari nequeat. sed Dei aures & oculos continuò verberet, eiusque iram ac vindictam prouocet, vt punire cogatur, nec possit differre pœnam, inquit Saluianus. De tribus alijs sceleribus *in cælum clamantibus*, alibi egimus. (e) ET CLAMOR EORVM INTROIVIT IN AVRES DOMINI SABAOTH] id est, exercituum, putà angelorum, fulminum, grandinum, leonum, luporum, murium, febrium, pestilentiarum, ceterarumque creaturarum, quæ militant omnes Deo, & ad eius nutum insiliunt in eius hostes, vt eos plectant, crucient, exscindant.

d Eccli. 7. v. 22. & c. 34. v. 27. & Tobiæ 4. v. 15. & Iob 31. v. 38.

Salvian. l. 1. de Provid. c. 1. & 2.

e Gen. 4. v. 10. c. 18. v. 20. Exodi 2. v. 23. Eccli. 35. v. 18.

¥. 5. EPVLATI ESTIS cibis lautis, delicatis, exquisitis: SICVT (hoc addunt Græca) IN DIE OCCISIONIS, seu solennis sacrificij, quo multæ mactantur pecudes & altilia. In vestras igitur crapulas profusi estis, qui in pauperes extremè auaros vos exhibetis. (f) Imò insigni crudelitate & iniustitia nil tale merentes

f Ezech. 16. v. 40. & Prou. 23. v. 29. & Ierem. 22. v. 13. & Amos 6. v. 6.

¥. 6. ADDIXISTIS supplicijs & morti; Græcè & syriacè, *condemnastis*, corrumpendo pecunijs testes, aduocatos & iudices: nempe vt occisorum bona vobis raperetis. In his diuitum insolentijs, vos ô fratres

¥. 7. PATIENTES ESTOTE; Græcè, *longanimes*, VSQVE AD ADVENTVM DOMINI] id est, per totam vitam, vsque dum veniat supremus iudex ad iudicium, seu particulare, seu extremum, quod post breuem hanc vitam, & hoc breue sæculum omnibus imminet. Ibi enim causa vobis adiudicabitur, & tyrannorum plectetur sæuitia, & vestra coronabitur patientia.

De *temporaneo* & *serotino* imbre alibi (g) dixi-mus. Porrò calumnijs & iniurijs pressi, g *Ioel 2. v. 23.*

¥. 6. NOLITE ex mœrore vel impatientia INGEMISCERE, flere, dolere, queri, irasci, murmurare IN ALTERVTRVM, seu in vos mutuo, vt ferè solent pauperes: vel in ipsos diuites, maledicendo illis aut detrahendo, VT NON IVDICEMINI, & propter impatientiam damnemini & puniamini à Deo, qui IVDEX ANTE IANVAM ASSISTIT, id est, imminet & heruî aderit, putà in iudicio cuiusque particulari.

¥. 10. *Exitum malum* vocat asperam *Prophetarum*, id est, Sanctorum, mortem. Græcè est κακοπαθεία, id est, *malorum*, seu dolorum, *perpessio*, qualis est in martyrio & omni violenta morte.

¥. 12. NOLITE IVRARE, supple, leuiter & temere. Citat Iacobus ipsa verba Christi Matth. 5. v. 34. vbi illa exposui.

¥. 13. TRISTATVR; Græcè, κακοπαθεῖ, id est, mala patitur, vexatur, affligitur, ALIQVIS VESTRVM; ne captet solatiola à vanis amicis, à fabulis, ab epulis, sed ab *oratione* & colloquio cum Deo. Si autem ÆQVO ANIMO EST, & lætus atque alacer, PSALLAT, atque ita Seraphinos imitetur, qui perpetuò Dei laudes concinunt, Isaiæ 6. v. 3. inquit Cyrillus: atque insuper læta psalmodia fideles alios præsentes excitet ad similem lætitiam, amorem & laudem Dei. Et hæc est causa cur in templa & in conuentus sacros inducta sit psalmodia, teste S. Athanasio, Chrysost. & alijs Patribus.

Cyrill. catech. 15.

Athan. de interpret. psalm. Chrysost. in Psalm. 134.

¥. 14. INFIRMATVR QVIS grauiter inter vos, INDVCAT; Græcè, *aduocet*, per se vel per alios vnum vel plures PRESBYTEROS non curiæ vel communitatis laicæ, sed ECCLESIÆ, id est, sacerdotes ab Episcopo ordinatos: ET ORENT hi SVPER EVM, oratione tum communi, tum sacramentali (forma enim Sacramenti Extremæ vnctionis est deprecatoria, *Indulgeat tibi Deus*, &c.) VNGENTES EVM OLEO propriè dicto oliuarum per Episcopum consecrato, & *nomen* DOMINI super ipsum inuocantes.

¥. 15. ET ORATIO FIDEI, seu oratio fidelis, id est, certa & indubitata; (qualis est forma huius Sacramenti, operans certò & infallibiliter ex opere operato) SALVABIT INFIRMVM, id est, conferet infirmo gratiam, qua *alleuiabitur*, tum corporaliter, tum spiritualiter, accipiendo nouum robur, alacritatem, lætitiam & vigorem, (vnde etiam B. Deiparam inunctam fuisse docent Albertus, Siluester, Canisius & alij, quos citat & sequitur Suarez.) ET SI IN PECCATIS SIT, qualibuscumque demum, REMITTENTVR EI ritè dispositio saltem per præuiam attritionem: remittentur & pœnæ peccatis antè remissis debitæ. *Extrema* enim *vnctio* ad hoc peculiariter est à Christo instituta, & hîc per Iacobum promulgata, vt sub finem vitæ remoueat omnia impedimenta, quæ animam mox è corpore migraturam, ab ingressu cæli remorari possint: vnde nulli est negligenda aut prætermittenda cùm haberi potest. Ita hunc locum de Sacramento hoc exponi debere, docet expressè, imò sub anathemate definit, Conc. Tridentinum, & ante etiam Florentinum & alia Concilia, & vnanimiter SS. Patres, quos Bellarminus, Valentia, Suarez, Koninck & alij Doctores magno numero producunt.

Suarez 3. p. to. 2. disp. 18. sect. 3.

Bellarm. de Extr. vnct. Suarez & alij in 3 p.

Splen-

Splendidum autem Caluini mendacium est, quo fingit, non Christum, sed Innocentium Primum instituisse hoc Sacramentum, & ita asserere Sigebertum in Chronico. Nam neque Sigebertus, vel quis alius probatus historicus tale quid habet: & Apostolus Iacobus, 400. annis antiquior Innocentio, illud iam pridem à Christo institutum, hîc promulgat, vt videmus. Simili modo Sacramentum Confessionis olim à Christo institutum, v. seq. per Iacobum promulgari docent S. Bonauentura, Alensis & alij Doctores. quod perperam negat Caietanus nimis credulus Erasmo. Cùm enim speciale moribundis remedium explicuisset Apostolus, nempe *Extremæ vnctionis* Sacramentum, mox generale addit, quo tam sani, quàm ægri possint à peccatis expediri, nempe Sacramentum *Confessionis*.

Bonau. in 4 dist. 17. art. 1. q. 3. Alens. ibid. n. 3 art. 2.

℣. 16. CONFITEMINI ERGO (Syrus, *autem*,) non soli Deo, vt quidam suadent, sed & ALTERVTRVM PECCATA VESTRA] nempe homines hominibus vestri similibus, putà illis, quibus tamquam proprijs ministris cura & potestas absoluendi demandata est à Christo, nempe *sacerdotibus*, iuxta illud 1. Petri 4. *Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes*. Sic vulgò dicimus, Docete inuicem, curate inuicem, sustentate inuicem, sacrificate pro inuicem. nimirum doctores docete rudiores, medici curate ægros, diuites sustentate pauperes, sacerdotes sacrificate pro laicis. Similia enim verba exponi debent appositè ad subiectam materiam, gratiam & officium cuiusque. Ita exponit locum hunc Concil. Senonense, Beda, Bernardus, Hugo Victorinus, Alcuinus & alij apud Henr. Canisium, Turrianum & Serarium. Denique aliud generalissimum, & omnibus vbique obuium remedium proponit, licet non ex opere operato, vt duo præcedentia, tamen ex opere operantis & singulari Dei institutione efficacissimum, nempe,

Concil. Senon. decreto 10. Bernard. l. Medit. c. 9. Hugo l. 2. de Sacram. p. 14. c. 1. Alcuin. epist. 26. Henr. Canis. t. 1. Antiq. lection. Turrian in l. 2. Constit. S. Clem. c. 18 Theod. hist. c. 16. Ruffin. præfat. in vitas Patrum.

ORATE PRO INVICEM, siue laici, siue presbyteri, siue proprio, siue publico Ecclesiæ nomine, A idque VT SALVEMINI tum anima, tum corpore, *Sanctorum* enim *deprecatio*, inquit Theodoretus, *est commune omnium morborum remedium*. Et Rufinus, *Quis dubitet, mundum precibus stare Sanctorum?* Vt verò stimulum vobis addam orandi & satagendi pro mutua salute, *scitote*

℣. 19. SI QVIS *errantem* A VERITATE, seu speculatiua fidei, seu practica morum, CONVERTI FECERIT, seu orando, seu docendo, seu exemplo vel benefactis trahendo, SALVABIT ANIMAM EIVS A MORTE præsenti, spirituali; futura, æterna. Eripit enim illam à peccato & gehenna, reddit- B que ei gratiam & gloriam æternam, Iam verò quanti est *anima* sanguine Filij Dei empta & redempta? Certè *nullum Deo tale sacrificium, quale zelus animarum*, inquit Magnus Gregorius. Porrò pro αὐτὸς id est, *eius*, vt olim Noster legit, iam cum Beda, Glossa, Hugone, Dionysio & alijs legûnt αὐτὸ. spiritu aspero, id est, *suam* animam saluabit, qui alienam conuertit: ET OPERIET MVLTITVDINEM PECCATORVM tum suorum, tum proximi conuersi. *Vniuersa enim delicta operit charitas*, Prou. 10. v. 12. Operiet, inquam, vel, vt græcè est, *obducet*, non abscondendo (vt somniant hæretici;) sed abolendo, sicut lux tenebras, aqua ignem quem extin- C guit. Verè enim extinguit hic zelus peccata proximi; præterita per pœnitentiam; futura, per cautelam. Propria quoque eodem zelo restinguit, putà venialia, si iustus est, & pœnas pro præteritis adhuc debitas, & occasiones euadit ac pericula futurorum. sin iniustus est, hoc eius studium, solicitudo & ardor conuertendi proximum, prouocat, elicit, & quasi de congruo meretur à Deo gratiam efficacem qua & ipse excitetur ad pristina peccata detestanda, vitamque in melius mutandam. Vnde Damascenus ex his S. Iacobi verbis docet, certissimum modum abolendi propria peccata, esse studium abolendi aliena. Et S. Paulus, *Attende tibi & doctrinæ: insta in illis, hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.*

Greg. l. 34. Moral. c. 7.

Damascen. l. 1. Parad. 48. 1. Tim. 4. v. 16.

EPISTOLA BEATI PETRI APOSTOLI PRIMA.

SCRIPTA est *Romæ*, (a) & missa per Silam, (b) seu Siluanum, anno à morte Christi 13. nempe sub initium aduentus Petri Antiochiâ Romam, vt dixi & probaui in Chronico. (c) Scripta ergo est ante epistolam Iacobi, imò & ante omnes Paulinas, inquit Baronius, qui addit, videri ex S. Hieron. scriptam fuisse à Petro Hebraicè, sed conuersam in Latinum ab Euangelista Marco. Sed S. Hieron. solùm dicit Petrum variasse stylum in duabus suis epistolis: Potest autem stylum variasse, etsi eadem lingua vtramque conscripserit. Passim ergo interpretes censent Græcè esse scriptam, vtpote ad Græcos, seu ad Christianos per Græciam dispersos, vt ex titulo patet, putà ad Ponticos, Galatas, Cappadoces, Asianos, Bithynios, quos

a 1. Petr. 5. v. 13. b V. 12. c Chron. c. vlt. ad annum à morte Christi 13.

quos paulò antè conuerterat cùm regiones illas peragraret, teste S.Leone, Athanasio, Eusebio, Hieron. Didymo, Oecumenio, Beda, Caietano & alijs.

Leo serm. 1. de S. Petro & Paulo. Athanas. in Synopsi. Euseb. l. 3. Hist. cap. 4. Hieron. de Scriptor. Ecclesiastic. Didym. & alij hic. Euseb l. 5. c 3. Iod. Coccius tom. 1. Thesaur lib. 6. pag 720. Bellarm. de verbo Dei.

Porrò epistolæ auctorem non alium *Petrum* esse, quàm *Apostolum*, & Apostolorum principem, totiusque Ecclesiæ caput ac Pontificem, patet, partim ex ipsiusmet Petri primis epistolæ verbis, partim ex constanti traditione & consensu totius Ecclesiæ: neque hac de re vllus veterum vel recentiorum Doctorum vmquam dubitauit, teste Eusebio & alijs Patribus à Coccio & Bellarmino citatis.

Tota epistola celebrat admirabile Dei consilium & beneficium in Verbi incarnatione & passione, mundi redemptione, Iudæorum & Gentium ad fidem Christi, salutem & gloriam æternam vocatione. Sparsim mores etiam ad Christi legem efformat, hortaturq; ad obedientiam, prudentiam, vigilantiam in orationibus, charitatem, hospitalitatem, temperantiam & patientiam.

De præcellenti dignitate S.Petri, deque præcellentijs eiusdem, de admirabili sapientia, vitæ austeritate, pœnitentia, charitate, zelo, propagatione fidei per totum orbem, (maximè operâ discipulorum ab ipso missorum;) denique de gloriosa passione, martyrio, miraculis, & nominis celebritate, vide quæ Bellarm. Baronius & alij historici adnotarunt. Cruci affixus est à Nerone, anno imperij eius 13. à morte Christi 37. vt cap. vltimo Chronici ex plurimis auctoribus comprobaui.

CAPVT I.

Præmissa salutatione Deum benedicit, quòd nos per Christum regenerarit, & ad hereditatem æternam destinarit, secundùm prædictionem Prophetarum. Quæ spe docet gaudendum nobis in quacumque tribulatione: & vitæ puritati sanctitatique studendum, qua Christum imitemur, eiusque hereditatis & gloriæ participes reddamur.

¶. 1. DVENIS DISPERSIONIS PONTI, &c.] Id est, Iudæis ad Christum conuersis, ac recenter ob Iudæorum (*a*) persecutionem è Iudæa profugis, & per *Pontum*, *Galatiam*, reliquumque Orientem dispersis, ac proinde hospitibus istic & aduenis. Quàm barbari & inhumani fuerint *Pontici*, antequam ad fidem conuerterentur, vide Tertullianum initio librorum contra Marcionem hæresiarcham oriundum ex Ponto, Asiæ Minoris regione, vicina *Ponto* Euxino, vnde & nomen accepit. Vide & Suidam, & Strabonem, & alios Cosmographos.

a Actor. 8. v. 1.

¶. 2. ELECTIS (*b*) IN SANCTIFICATIONEM SPIRITVS, id est, ad fidem & gratiam, qua non sola caro, vt in veteri lege, sed ipse etiam spiritus, seu anima sanctificatur, & est hæc *gratia* semen gloriæ & felicitatis æternæ. *Electis*, inquam, ad tantam dignitatem, IN, id est, per, (*c*) OBEDIENTIAM, seu meritum obedientiæ Christi, *vsque ad mortem*, & per SANGVINEM eius in cruce effusum, quo in baptismo ceteisque Sacramentis aspersi & lustrati estis. ita Liran. Caietan. & à Lapide. Assignat ergo hîc causam meritoriam nostræ sanctificationis, sicut paulò antè assignauit causam eius efficientem. PRÆSCIENTIAM DEI, eiusque prouidentiam, non nudè speculatiuam, sed practicam, quæ includit etiam diuinam voluntatem, amorem & decretum dandi gratiam, adeoque & ipsam donationem gratiæ qua ad fidem, iustitiam & salutem perducamur, vt alibi (*d*) vidimus.

b 2. Petr. 2. v. 12. & Ephes. 1. v. 4.

c Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 12.

d Roman. 8. v. 29.

¶. 5. REGENERAVIT, id est, iteratò generauit: nempe genitos per naturam in vitam corporis mortalem, secundò genuit per gratiam in vitam A animæ immortalem, nempe IN SPEM VIVAM, semperque victuram, nec vmquam interituram, donec ad rem speratam, putà ad vitam & gloriam æternam nos deduxerit. Vnde licet rem ipsam, seu æternam vitam, non statim nobis consignet, consignat tamen eius SPEM VIVAM, certam, veracem, quâ, nisi per nos steterit, infallibiliter gloriam illam sumus adepturi, inquit Beda. Idque PER RESVRRECTIONEM IESV CHRISTI EX MORTVIS id est, ex numero, statu & loco mortuorum, putà ex sepulcro & inferno. Christus enim passione & morte sua, cuius finis & terminus fuit resurrectio, promeruit nobis hanc spem, & hanc regenerationem,

¶. 4. IN HEREDITATEM, quam tamquam nati Deo filij consequemur, non caducam aut fluxam (vt erat hereditas terræ promissionis:) non etiam modici temporis (v. g. mille annorum, qualem somniabat Cerinthus (*e*) S.Petro coæuus: vel 36. millium annorum, vt Origenes ex Platone,) sed INCORRVPTIBILEM, immortalem, æternam: (hereditas enim hæc est ipse Deus immortalis, cuius æterna fruitione & complexu beantur Sancti in cælis:) INCONTAMINATAM, id est, planè puram ab omni sorde, seu peccati, seu concupiscentiæ & voluptatis carnalis, quam in suo paradiso præstolantur Iudæi & Mahometani: ET IMMARCESCIBILEM, id est, quæ nequit marcescere, flaccescere, putrescere, sed incorruptibilis & immutabilis perpetuò sibi constat, nec ætate senescens, nec tempore defloreſcens, nec specie, nec sapore, nec alia qualitate deficiens, nec maturitate degenerans, nec rugositate decrescens, nec æstimatione vilescens: *conservata* IN VOBIS; Syrus. *parata vobis*, IN CÆLIS à Deo *à constitutione mundi*. (*f*) Vobis, inquam, filijs & heredibus Dei,

e Apoc. 20. v. 4.

f Matt. 25. v. 34.

¶. 5. QVI non propria, sed DEI VIRTVTE, seu potentia, quasi fida & inuicta manu, CVSTODIMINI & protegimini contra omnes dæmonis, mundi, carnis insultus. Custodia autem, seu præsidium militare quo vos Deus sic custodit, est *fides* & *gratia* cælestis. Fructus verò huius custodiæ est *salus*, vita & gloria æterna, nunc quidem vobis occultata

tata & obscura, sed PARATA REVELARI clareque innotescere etiam toti mundo, IN TEMPORE NOVISSMO, nempe in die iudicij, (a) quando omnes cum glorioso corpore resurgetis ad vitam immortalem.

a 1. Ioan. 3. v. 2.

℣. 6. IN QVO, id est, in qua re, si sapitis, EXVLTABITIS] nempe, spe viua gloriæ cælestis olim certò perseuerâtibus obuenturæ, recreabitis vosipsos etiam in medijs tentationibus & afflictionibus, (b) quas in hac vita subire necessum est, diuinâ sapientiâ sic prouidente,

b 2. Cor. 7. v. 4. & Iacob. 1. v. 2.

℣. 7. VT FIDES VESTRA per illas probatior reddatur, sicut AVRVM PER IGNEM, atq; ita INVENIATVR cessisse vobis IN LAVDEM ET GLORIAM, id est, reddidisse vos extremè laudabiles ac gloriosos, maximè IN REVELATIONE IESV CHRISTI] Id est, in die iudicij tum particularis, tum vniuersalis, quando cum maxima maiestate reuelabitur toti orbi: & eidem quoque reuelabit vestram pietatem, integritatem, sanctitatem, nunc tectam, obscuratam & incognitam.

℣. 8. QVEM *Iesum* etsi plerique *nunquam* VIDERITIS, adeò tamen DILIGITIS, vt pro eius honore gaudeatis non tantùm bonis temporalibus exui & probris affici, sed & verberari, fustigari, quin & morte mulctari: *exultantes* (nam in Græco est præsentis temporis,) LÆTITIA INENARRABILI, etiam in hac vita plena molestijs & afflictionibus. Nam Primò, per fidem & gratiam possidetis Christum, & in eo infinitos thesauros. Secundò, per spem possidere incipitis futuram gloriam fidelibus à Christo promissam, quæ sanè est ineffabilis. Tertiò, per internas illuminationes, inspirationes & consolationes prægustum aliquem accipitis obuenturæ olim beatitudinis, qui verè est inenarrabilis. Et licet impij ac mundani homines contemnant ac rideant hanc fidelium lætitiam, coram Deo tamen & angelis *glorificatur*, laudatur & magni æstimatur. ita Hugo, Thomas Anglicus & alij. Hac enim viâ

℣. 9. *Reportatis* FINEM & mercedem FIDEI VESTRÆ, putà SALVTEM ANIMARVM *vestrarum*, inchoatam hîc per gratiam & iustitiam, in futuro complendam per gloriam æternam.

℣. 10. DE QVA SALVTE, &c. Occurrit tacitæ obiectioni. Fides hæc & salus, quam dico vobis per Christum obtigisse, non est figmentum humani cerebri, vel nuperum inuentum: nam *de* hac *salute* sic per Christum nobis procuranda, extat ab æterno decretum diuinum. quod iam inde à primis sęculis EXQVISIERVNT, & solicitè SCRVTATI SVNT PROPHETÆ (c) ac Patriarchæ, (d)

c *Isaiæ* 6. 45. v. 8. *Habacuc* c. 2. v. 1. *Daniel* c. 9. &c. *Malach.* 3. v. 1.

d *Iacob Genes.* 49. v. 10. & 18. *Moysi Exod.* 4. v. 13.

℣. 11. SCRVTANTES IN QVOD VEL QVALE TEMPVS SIGNIFICARET; Græcè, *declararet*, SPIRITVS sanctus Christo quidem proprius, sed tamen IN EIS quoque existens, & ipsos etiam erudiens, ac PRÆNVNTIANS ipsis, & per ipsos nobis, PASSIONES omnes ex diuino decreto & humana nequitia Christo obuenturas: vt ET POSTERIORES eius GLORIAS] Id est, quæ post passiones & mortem ipsius subsecuturæ erant, quasi merces illarum & præmium, putà, resurrectionem, ascensionem in cœlum, missionem Spiritus sancti, conuersionem omnium gentium, &c.

℣. 12. QVIBVS, de tempore quo hæc futura essent solicitis, REVELATVM EST, QVIA SIBI, nec pro sua ætate, sed pro vestra & VOBIS MINISTRABANT, seu tradebant oracula sua, QVÆ NVNC ad amussim completa, & VOBIS per me, PERque alios *Euangelij* præcones NVNTIATA SVNT, suggerente & linguas eorũ & dirigente eodem SPIRITV SANCTO *Christi*, (de quo versu præcedenti,) IN QVEM DESIDERANT, & extremè gaudent, ANGELI (e) PROSPICERE, tamquam in principem (f) suum charissimum æquè ac glorioſissimum. Ita de Christo hæc vltima verba exponunt Auctor libri de Spiritu & anima apud S. Augustinum, Glossa, Bernardus, Beda, Hugo, Thomas Anglicus, & Titelmannus. Vult enim S. Petrus sibi & ceteris Apostolis parem cum antiquis Prophetis fidem conciliare, ex eo quòd quæ illi prædixerunt futura de Christo, ipsi iam facta & completa denuntient, non alio Spiritu suggerente vel hos docente, quàm qui in illis olim fuit, nempe *Spiritu sancto Christi*, seu qui Christo proprius est, & ab eo vt processit, ita & missus est ad vtrosque docendos ac dirigendos: sicut & angeli omnes gaudent eidem deseruire, & ab eodem quocumque vult mitti, in eum, tamquam principem & Dominum suum fixis continuò oculis, tamquam promptissimi famuli, prospicientes.

e *Isaiæ* 63. *Psal.* 13. & 6. f *Colossi.* 1. v. 16. *August. to.* 3. c. 59. *Bern. ser.* 1. & 4. *de omnibus Sanctis.*

℣. 13. PROPTER quæ iam dicta decet vos, vt SVCCINCTI LVMBOS MENTIS VESTRÆ, coërcitis rectæ rationis (g) cingulo passionibus animi, contemptis omnibus mundi illecebris, minis, odijs, persecutionibus, SOBRII, (νήφοντες potest etiam verti *vigilantes*, vt vertit S. Hieron. & Vatablus) PERFECTE, & omni ex parte completè *speretis* IN EAM, QVÆ VOBIS OFFERTVR GRATIAM; Hebraismo, pro *spereta gratiam* supradictam cælestis hereditatis, putà gloriam æternam: (*Gratia* enim *Dei vita æterna*, Roman. 6. vers. 23.) quæ vobis obtinget IN REVELATIONEM IESV CHRISTI (sic habent Græca,) id est, in die iudicij. Succincti, inquam,

g *Ephes.* 6. v. 14.

℣. 14. QVASI FILII OBEDIENTIÆ, id est, obedientissimi, (h) qui minimos etiam nutus parentum obseruant, vt ijs obsequantur. NON ampliùs CONFIGVRATI, seu conformati per inhæsionem & obsequium, PRIORIBVS IGNORANTIÆ VESTRÆ DESIDERIIS, id est, appetitibus & passionibus carnis, quibus olim, cùm in tenebris infidelitatis essetis, seruire solebatis.

h *Proleg. de Idiotismis Hebr.* n. 40.

℣. 15. SED configuremini diuinæ sanctitati, vt plenè & perfectè IN OMNI CONVERSATIONE VESTRA SANCTI, puri, immaculati, à terenis fæcibus segregati SITIS, SECVNDVM EVM SANCTVM (i) QVI VOS ad fidem, gratiâ & salutem supradictam VOCAVIT, id est, secundùm Deum & Christum, qui vt fons, ita & exemplar est omnis sanctitatis. Hunc enim

i *Dan.* 9. v. 24.

℣. 17. INVOCATIS vt amantissimum PATREM, & vt iustissimum *iudicem*: ergo decet vt eumdem etiam, toto INCOLATVS, seu peregrinationis vestræ, TEMPORE, sanctissimè colatis, vt decet morigeros filios, grauiter alioquin ab eo iudice puniendi, cuius oculos & manus effugere numquam poteritis. Sed est & alter stimulus quo ad omnem vitæ sanctitatem compellimini, nempe

℣. 18. QVÒD ad eam colendam empti ESTIS & REDEMPTI, & quidem inæstimabili pretio, *sanguinis* & mortis (*christi*,

℣. 20. PRÆCOGNITI, & ad hoc prædecreti, seu *prædestinati*, (vt Syrus & Tigurini vertunt,) ANTE MVNDI CONSTITVTIONEM ab omni æternitate, vt suprà (k) dicebam: sed vestris demum TEMPORIBVS reipsa mundo exhibiti & *manifestati* per incar-

k *Hic* v. 16.

incarnationem, natiuitatem, passionem, resurrectionem, &c. Idque generatim quidem pro toto mundo, speciatim tamen PROPTER VOS, quibus de facto applicatus est fructus aduentus & passionis Christi,

℣.21 QVI PER IPSVM, id est, merito & dono ipsius, FIDELES facti ESTIS IN DEO; Græcè & syriacè, *creditis in Deum*: QVI etsi permiserit cum suspendi in cruce & ignominiosè occidi, tamen mox SVSCITAVIT EVM A MORTVIS rediuiuum ac glorioſum: idque tum ob ipsius merita, tum in vestrum bonum, nempe VT firma *fide* & certa *spe* vos quoque (vtpote membra eius) pari modo resurrecturos ad similem gloriam, exspectetis beneficio Dei: & merito eiusdem Christi. State igitur *succincti lumbos*,

℣.22. CASTIFICANTES ANIMAS VESTRAS, id est, purificantes animi vestri affectus & appetitus omnes, non tam seruili *obedientia* quæ est timoris, quàm filiali quæ est *charitatis*, inquit S. Bernardus. Et præ omnibus AMORE *fraterno*, eoque SIMPLICI, non ficto, non simulato, sed sincero & EX toto CORDE, INVICEM DILIGITE quantò potestis ATTENTIVS, id est, impensissimè atque intensissimè: quia nempe omnes in Christo fratres estis, pari iure filij Dei, & heredes cœli,

Bern. tract. de Præcepto & dispens. c. 9.

℣.23. RENATI EX eodem SEMINE *verbi* DEI & Euangelij (*a*) Christi, & illustrationis atque inspirationis diuinæ; & gratiæ iustificantis. Quod *semen* est *incorruptibile* causaliter, quia hominem quem regenerat, facit *incorruptibilem* (*b*) & supervicturum IN ÆTERNVM] In quo sanè plurimum differt hoc semen diuinum à semine humano & terreno, ex quo nil nisi caducum, corruptibile & mortale progignitur, quod instar *fœni* (*c*) & *flosculi* vix natum moritur, contabescit & exarescit.

a Hic v. vlt.

b Ioan. 3. v. 5.

c Isaiæ 40. v. 6. & Ps. 101. v. 12.

CAPVT II.

Fideles per baptismum renatos hortatur, vt, sicut modò geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscant, magnitudinem vocationis suæ æstiment, & iuxta illam condignè viuant, Deo spirituales hostias offerant, à carnalibus desiderijs abstineant, dominis, etsi Gentilibus & dyscolis, obediant, & persecutiones patienter exemplo Christi sustineant.

℣.2. LAC, id est, cibum, CONCVPISCITE, non carnalem, sed spiritualem: non brutis commnnem, sed *rationalem*, seu rationali creaturæ propriam: non DOLO, fraude, vel incuria cuiuspiam vitiatum, sed purum & sincerum, qualem Christus & Ecclesia præstant filijs suis, nempe doctrinam Euangelij, gratiam omni generis, fercula Sacramentorum, ac præ omnibus SS. Eucharistiæ, de qua speciatim Turrianus & Salmeron hæc exponunt. Sed alij generaliùs accipiunt, vt antè dixi, de omni alimento spirituali, quo tamquam cælesti manna Christianus alitur, impinguatur, & crescit IN virum perfectum, vsque ad completam SALVTEM & gloriam æternam. Hoc alimentum expetite.

Turrian. l. 2. de Euchar. c. 20. & 21.

℣.3. SI TAMEN; Græcè, εἴπερ, id est, *siquidem, quandoquidem*, aliquanto iam vsu GVSTASTIS & probastis quòd DVLCIS sit DOMINVS] (*d*) Græcè est χρηστὸς, quod idem est ac *suauis, benignus, bonus, vtilis, officiosus*. Vnde forsan meo etiam exemplo, (*e*) aliquando exclamastis: *Domine bonum est nos hic esse: faciamus hic* nobis *tabernacula*.

d Psal. 33. v. 9.

e Matt. 17. v. 4.

℣.4. & 5. AD QVEM Dominum Iesum Christum ACCEDENTES passibus fidei, spei, charitatis, TAMQVAM LAPIDES VIVI è viua rupe diuina excisi, vnà cū ipso, qui est *angularis lapis*, (*f*) coalescite in vnam *domum spiritualem*, nempe Ecclesiam, quæ *spiritualis* dicitur, quia mystica est & Spiritu Dei animata, spiritalibusque donis & gratijs plena: non verò quia inuisibilis, vt somniant hæretici. nam externa fidei & cultus sui professione sat vbique conspicuam & visendam se præbet: sicut homo etsi spirituali anima præditus, conspicitui tamen per externas corporis sui qualitates, actiones & motus. Porrò hæc Ecclesia, seu cœtus *fidelium* non est profana vel profanorum hominum collectio, sed *sancta* & sanctorum: neque merè laica, sed verè *sacerdotalis*. imò sicut est propriè dictum *regnum*, quia in ea regnat Christus, & quia ipsa per præpositos tum politicos, tum Ecclesiasticos regit singula sua membra: ita est & propriè dictum SACERDOTIVM, quia in ea Christus quotidie seipsum offert & sacrificat Deo Patri, propriè quidem per propriè dictos sacerdotes in Missa, impropriè verò ac metaphoricè per quosuis fideles, etiam laicos, in oblatione diuinarum laudum & precum, & quorumuis bonorum operum. *Sacrificium* enim *verum*, id est, reale & non fictum, *est omne opus quod agitur, vt sancta societate inhæreatur Deo, relatum ad illum finem, quo beati esse possimus*, inquit S. Augustinus: & subscribunt S. Athanasius, Hilarius, Clemens Alexandrinus, Origenes, Ambrosius & alij. Sed hoc sacrificium etsi verum, id est, reale sit, tamen non est nisi metaphoricum. Nam propriè dictum sacrificium requirit realem substātiæ alicuius immutationem, qualis apud Christianos ex instituto Christi est in sola oblatione SS. Eucharistiæ, cuius ministri idcircò etiam sunt sacerdotes propriè dicti, peculiari ordinatione Episcopali ad id deputati ab Ecclesia, vt fusè & solidè docet Bellarminus. Sed quales erunt horum sacerdotum hostiæ; Respondet, *spirituales*. q.d. Non sunt carnales aut brutales hostiæ, quales offerunt Aaronici sacerdotes, mactando, excoriando, cremando vitulos & boues in honorem Dei: sed sunt mysticæ, & ad instar spirituum oblatæ Deo: nam in sacrificio Eucharistico corpus & sanguis Christi sub speciebus panis & vini latentia, tota sub totis, & tota sub singulis particulis etsi indiuisibilibus, (quod proprium est spirituum) offeruntur Deo. In metaphorico autem sacrificio laudes, preces & pia opera ex spiritu profecta, & fide & charitate spirituali informata, consecrantur Deo. (*g*)

f Isaiæ 54. v. 11. & Matth. 16. v. 18. & Epist. 2. v. 10

Aug. l. 10. de Ciuit. c. 6. Athanas. homil. de semente. Hilar. & Ambros. in Psalm. 118. & Ioan. 6. Clem. & al. ad Gentes. Orig. hom. 9 in Lenit. Bellarm. l. 2. de Missa c. 2. & seq.

g Rom. 12. v. 1.

℣.8. QVI OFFENDVNT VERBO; Græcè, *qui impingunt in verbum Euangelij*, offensi vel scandalizati (*h*) eius vilitate. ita etiam Syrus. Hinc explicans subdit S. Petrus, NEC CREDVNT verbum Euangelij, IN QVO; Græcè, *ad quod* credendum POSITI SVNT, id est, creati, ordinati, iussi sunt à Deo nempe per legem & Prophetas, qui fidem Christi vbique inculcant. ita Beda, Liranus & à Lap. &c. E contrario autem

h 1. Cor. 1. v. 23.

℣.9. Vos fideles estis GENVS ELECTVM, nempe in populum, prosapiam & familiam Dei: sicut enim olim Iudæos, (*i*) sic nunc vos Christianos elegit sibi Deus in specialem populum & familiam suam. Vnde in vos meliori iure quadrat quod olim synagogæ attribuebatur Exodi 19. v. 6. REGALE SACERDOTIVM, sic enim LXX. istic vertunt, pro eo quod in Hebræo & Latino est, *regnum sacerdotale*, vel *regnum sacerdotum*. Ecclesia enim *regnum* est Christi

i Deut. 26. v. 17.

Christi non profanum, terrenum, vulgare, sed sacrum, cæleste, diuinũ. Et vice versa est *sacerdotium* Christi non legale, gentilitium vel plebeium, sed spirituale, solidum & *regale*, id est, eximium, illustre, magnificum. Alludit tam Petrus, quàm Moyses ad priscam consuetudinem, quâ sacerdotium iunctum erat regno, vti fuit in Machabęis, & olim in primogenitis familiarum, qui simul erant sacerdotes & principes, vt alibi (*a*) dixi. q.d. Vsque eò honoris & dignitatis extulit vos Deus, vt ex vilissimis mancipijs, qualia eratis in Ægypto & in seruitio diaboli, iam facti sitis spirituales reges & sacerdotes, quæ vtraque dignitas suprema est in orbe terrarum. Verè POPVLVS ACQVISITIONIS, id est, acquisitus, coëmptus; Syriacè, *redemptus* Deo per sanguinem Christi, in speciale eius peculium, possessionẽ & hæreditatem. Vnde sicut olim Hebræi, transito mari rubro, gratias egerunt Deo decantantes publico hymno magnalia ipsius, (*b*) ita meritò debetis etiam vos, & quidem pluribus titulis, *annuntiare* VIRTVTES Dei, id est, eximia & magnifica opera diuinæ potentiæ, sapientiæ ac bonitatis exhibita vobis per Christum.

a 1. Par. 5. v. 2.

b Exodi 15. v. 1.

℣. 11. Per *carnalia desideria* intelligit passiones & appetitus non solius gulæ vel libidinis, sed etiam iræ, inuidiæ, superbiæ, &c. Ad hæc enim omnia se extendunt *opera carnis*, id est, concupiscentiæ, de quibus alibi. (*c*)

c Galat. 5. v. 19.

℣. 12. IN, seu pro, EO, QVOD DETRECTANT, (id est, detrahunt & calumniantur) DE VOBIS] quasi sitis contemptores principum, voluptuarij, athei, carnibus humanis vescentes, promiscuos concubitus vsurpantes, causa omnium in orbe malorum & cladium. *Si Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arua, si terra mouet, si fames, si lues, statim Christianos ad leonem.* Tertulliani verba sunt. GLORIFICENT DEVM IN DIE VISITATIONIS] quâ Deus vos per illorum flagella visitat. ita Hugo, Thomas Anglicus & à Lapide. Nempe heroica patientia extorquet laudes & encomia etiam ab ipsis tortoribus. Sic extorta sunt à Plinio Secundo, Proconsule Asiæ, cùm iussu Traiani Imperatoris inquireret in facta Christianorum. Et multi Præsides, perspectâ Christianorum sanctitate, innocentiâ, patientiâ, conuersi sunt ad Christum, vt constat ex vita S. Iustini, Iacobi, Alexandri, Luciani, Tryphonis, aliorumque Martyrum apud Baronium.

Tertull. Apolog. 40.

Plin. lib. 10. epist. 97.

℣. 13. SVBIECTI, seu obedientes, ESTOTE OMNI HVMANÆ CREATVRÆ, id est, omni superiori ex hominibus creato, seu euecto ad id munus, qualiscumque is fuerit, etsi infidelis, impius, indoctus, inexpertus, &c. hoc solo nomine, quia superior est, obedite illi & subiecti estote in omnibus, non coacti metu gladij aut pœnæ ab ipso imminentis, sed PROPTER DEVM, id est, ex reuerentia & amore Dei, cuius ipse est (*d*) vicarius & viua imago, & quasi alter terrestris Deus.

d Rom. 13. v. 1. & 5.

Sed Christus sua morte nos vt redemit, ita & liberos fecit. Respondeo. Liberos fecit, non à lege sua, sed à peccato & à lege Mosaica, & à seruitute diaboli. Vnde etiam nolo vt instar mancipiorum coactè & solo metu parcatis magistratibus, sed

℣. 16. QVASI LIBERI, & ingenui filij Dei & obedientiæ, liberè & liberaliter, SICVT decet *seruos* DEI parere Deo non solùm in propria persona, sed etiam in vicarijs suis impetranti. Nolite ergo vestræ MALITIÆ, seu inobedientiæ, VELAMEN A prætexere LIBERTATEM filiorũ Christi: quia hæc vos non eximit, sed adstringit legibus principum, vtpote vicariorum Dei, vt fusè demonstrat Bellarminus, sed fusiùs Ioannes Lensæus Belliolanus, qui de Libertate Christiana libros quindecim conscripsit.

Bellar. l. 4. de Iustific. cat. c. 5. & 6.

℣. 17. OMNES HONORATE honore cuique debito iuxta statum & conditionem personæ.

FRATERNITATEM, id est, fratrum seu Christianorum cœtus (*e*) publicos, DILIGITE, frequentando communes preces, conciones, synaxes.

e Hebr. 10. v. 25.

℣. 18. SERVI IN OMNI TIMORE, putà non scandali tantùm & pœnæ, sed & culpæ, inquit Oecumenius, SVBDITI ESTOTE DOMINIS, ETIAM DISCOLIS] Græcè, σκολιοῖς, id est, prauis, obliquis, tortuosis, asperis, inorosis, scueris.

℣. 19. HÆC EST ENIM GRATIA, id est, res valdè grata Deo, vtpote eximia virtus & perfectio Christiana, SI PROPTER DEI CONSCIENTIAM, id est, propter cultum Dei, quem gerit in conscientia, multa *tristia* & acerba *patiatur*.

℣. 21. IN HOC, nempe ad crucem & patientiam, VOCATI ESTIS, exemplo Christi, ducis & antesignani vestri, VT SEQVAMINI VESTIGIA EIVS, sanguine ipsius signata, ideoque inuentu facilia. An hæc sequuntur, qui volunt solam fidem sufficere ad salutem? aut forsan imitari passionem & C compati, (*f*) & adimplere (*g*) quæ desunt passionibus Christi, non est aliud quàm in ipsum credere?

f 2. Tim. 2. v. 12

g Coloss. 1. v. 24.

℣. 24. QVI PECCATA NOSTRA, id est, pœnas peccatis nostris debitas, PERTVLIT IN CORPORE SVO SVPER LIGNVM crucis quasi hircus emissarius, cui peccata totius populi imponebantur. Leuitici 16. v. 21.

CVIVS LIVORE; Græcè, μώλωπι id est, vulnere, vibice, plaga, SANATI ESTIS: (*h*) sicut ictérici sanantur aspectu auis, (quæ Plinio ictérus dicitur Græcè, Latinè galgulus,) à malo *ictéri*, id est, morbi sui regij, quem auis illa in se attrahit, eoque emoritur.

h Isaiæ 53. v. 5. Plin. lib. 30. v. 11.

℣. 25. Christus vocatur ANIMARVM, vtique & corporum nostrorum, non modò PASTOR, (*i*) sed & EPISCOPVS, id est, speculator, quia attentissimè intendit regimini, custodiæ & directioni ouicularum suarum in vitam æternam. Quod vnicum etiam munus est Episcoporum, Christi in hoc munere vicariorum.

i Isaiæ 40. v. 11 & Ioan. 10. v. 11.

CAPVT III.

Etiam vxoribus & marito sua scribit officia: hortaturq; fideles omnes ad concordiam, charitatem, modestiam, humilitatem & patientiã, exemplo Christi (cui per baptismum incorporati sunt,) vt eius puritatẽ & virtutem imitantes, cum eo conscendant in cœlum, vitaq; donentur æterna.

℣. 1. MVLIERES SVBDITÆ SINT VIRIS SVIS in omnibus quæ coniugale ius exigit aut permittit, VT ET mariti, SI QVI NONDVM CREDVNT VERBO Euangelij, PER MVLIERVM gratiosam CONVERSATIONEM, & molles in animum influxus, etiam SINE VERBO prædicationis LVCRIFIANT, & Christo & Ecclesiæ adiungantur.

℣. 2. CONSIDERANTES CASTAM & innocentem CONVERSATIONEM vxorum cum TIMORE, reuerentia, amore & cultu non Dei tantùm, sed & maritorũ suorum. Sic Natalia lucrifecit Christo Adrianum, Cæcilia Valerianum, Martha Ma-

rium, Gorgonia Vitalianum, Monica Patricium, Clothildis Clodouæum. Et hanc ob causam mo-
1 1.Cor.7. v.13. nebat (a) S. Paulus mulieres conuersas, ne facilè diuortium facerent à maritis infidelibus. Et est hæc primaria dos vxorum, castitas, fides & obedientia erga maritos. Secundaria sit,

℣.3. NON EXTRINSECVS CAPILLATVRA; Tigurini, *capillorũ plicatura*, quomodocumque illa fiat, siue crispando capillos, siue retorquendo, siue innodando, siue in cirros & cornua calamistris discriminando, siue alienos accersendo & in turres erigendo, in quæ S. Hieronym. grauiter in-
Hier. epist. ad Marcellam, & ad Letam. uehitur. NON CIRCVMDATIO AVRI, per aureas vestes, catenas, bullas. NON CVLTVS INDVMENTI VESTIMENTORVM, tot tunicis, peplis, velis, pallijs, vt subinde maritorum opes exhauriant. Solùm enim immodicum cultum reprehendit S. Petrus, & qui statum superet, vt S. Basilius docet In Isaiæ 3. vbi Propheta vanitatibus illis enume-
Tiraquell. in Connub. lege 3. n. 27. & seq. randis multos versus impendit, Tiraquellus verò multa alphabeta, multasque paginas, vt & olim Cyprianus, Clemens Alexandr. Gregor. Nazianzenus. Sed verus ac genuinus mulierum cultus consistere debet in ornando componendoque interno homine, QVI ABSCONDITVS EST oculis carnis, sed interiùs dominatur CORDI, id est, appetitui, curatq; vt spiritus sit *incorruptus*, (b) QVIETVS; Græcè, πρᾶος, id est, mitis, mansuetus, ET MODESTVS. Vbi *incorruptio* opponitur sordibus incontinentiæ: *mansuetudo*, inuidiæ, iracundiæ, superbiæ: *modestia*, petulantiæ, leuitati, garrulitati, in quæ vitia mulieres ferè propendent. Porrò SPIRITVS incorruptus, quietus & modestus, EST IN CONSPECTV DEI, id est, verè, reipsa, ipsiusmet Dei iudicio & æstimatione, LOCVPLES, diues, pretiosus, speciosus, terrenis omnibus sublimior, proximus Deo, hæres cœli & regni æterni. Ceterùm officia præstantis vxoris egregiè depingit Sapiens Prouerb. 31. Tobias c. 10. & S. Paulus ad Tit. c. 2.

℣.6. SARÆ exemplo, sitis & VOS BENEFACIENTES, id est, beneuolentiam, honorem & obsequium omne maritis exhibentes, NON PERTIMENTES VLLAM PERTVRBATIONEM ex eo quòd maritis integrè subijciamini, quasi imperiosiùs ab illis tractandæ: nam prompta illa subiectio conciliabit vobis maritorum vicissim amorem, honorem & pacem: magnes enim amoris est amor, inquit Oecumenius.

℣.7. VIRI ne separemini ab vxoribus, seu domo, seu thoro, sed illis COHABITANTES sitis & contentes, SECVNDVM SCIENTIAM: id est, iuxta regulas prudẽtiæ, quæ dictat viro, quòd infirmitati fragilioris sexus se debeat accõmodare, & vxori tanquam sociæ debitum honorem deferre. ita Liranus, Dionysius & alij. Esto enim vxores qualitatibus naturæ & sexus sint vobis impares, tamen gratia & vocatione sunt pares, vocatæ ad eandem vobiscum GRATIAM VITÆ, seu beneficium gloriæ æternæ hæreditandum. Hæc verò quæ hactenus dixi, curate quanto potestis studio, tum alias ob causas, tum VT NON IMPEDIANTVR ORATIONES VESTRÆ] id est, ne elidatur vel incidatur vis orationum vestrarum: hæc enim eliditur & eneruatur per dissidium & discordiam: corroboratur autem per concordiam & conspirationem mariti & vxoris, & quasi vtrâque tunc alâ deuolat (c) in cœum ad thronum.
c Eccli. 35. v. 21. Matth. 18. v. 19.

℣.8. IN FINE, id est, finaliter, ad extremum; Tigurini, *in summa*, fideles OMNES sint perpetuò VNANIMES] id est, eiusdẽ animi, seu mentis, idem sentientes, idem loquentes. Mox nouem depromit virtutes quibus quasi totidem dotibus adornatum vult Christianum vt perfectus censeatur. Vide eas in textu.

℣.9. IN HOC ad christianismum VOCATI ESTIS, vt per patientem iniuriarum tolerantiam, *hæreditetis* BENEDICTIONEM Dei, tum præsentem, multiplicium gratiarum; tum futuram, gloriæ æternæ.

℣.10. QVI VVLT, id est, optat & *diligit*, seu ambit, VITAM, hîc longæuam & prosperam, in cœlo æternam & beatam: item DIES VIDERE BONOS, id est, sentire, gaudere, frui commodis, lætis, beatis tẽporibus, tum huius, tum futuræ vitæ; COERCEAT LINGVAM SVAM A MALO: nam effrænis lingua mille miseriarum & calamitatum fons est & origo, vt alibi (d) vidimus.
d Iacobi 3. v. 2. & seq.

℣.13. QVIS VOBIS NOCEAT, SI ÆMVLATORES FVERITIS BONI, seu bonitatis? vt est in Græco: id est, si vehementi studio & ardore sectemini virtutem, & illam instar sponsæ ambiatis. ita Liranus, Hugo, Caietanus & Thomas Anglicus. Ipsa enim virtus, v.g. patientia, charitas, &c. superat omnia mala: tantum abest, noceri ipsi possit à malo. Nemo enim læditur nisi à seipso, vt pulcherrimè S. Chrysost. demonstrat.
Chrysost. tom. 3. orat. Quòd nemo laditur nisi à seipso.

℣.14. Tyrannorum autem TIMOREM, id est, terrorem, minas, plagas, NE TIMVERITIS] (e) Eculei, gladij, ignes, rotæ, cruces, quas inferunt, breues sunt & leues, & gratiâ Dei superatu faciles, & per has conscenditur ad coronam & regnum æternum.
e Isaiæ 6. v. 12.

℣.15. PARATI SEMPER, etiam laici, AD SATISFACTIONEM reddendam OMNI POSCENTI VOBIS RATIONEM fidei & SPEI vestræ. Non dicit, ad disputandum de quouis mysterio fidei: hoc enim non spectat nisi ad doctores & pastores Ecclesiæ: sed, ad respondendum & rationem reddendam, & quidem in particulari, si sat simus instructi: vel certè in generali, quia sic reuelatum à Deo, quia sic traditum, sic omni sæculo doctum ab Ecclesia, quæ columna & firmamentum est veritatis, sponsa Christi, & gubernata à Spiritu sancto, ac proinde errare aut fallere nescia.

℣.16. CONSCIENTIAM HABENTES BONAM & puram, per sanctam probatamque conuersationem, quâ nihil efficacius ad reuincendum criminatores virtutis vel fidei, vt fusiùs vidimus cap. præcedenti v. 12. & sequenti.

℣.18. MORTIFICATVS CARNE] Id est, morte affectus & occisus Christus secundùm corpus, sed non secundùm *spiritum* seu animam, secundùm quam semper viuus mansit, & viuificatus est eiusdem virtute etiam quoad corpus, quando tertia post mortem die, regressâ animâ in corpus, reddidit illud rediuiuum, immortale & glorioſum. ita Vatablus & alij passim. Hoc Christi exemplo vult Petrus animari fideles, vtpote simili modo post passionem & mortem resurrecturos, & glorificandos corpore & anima. Porrò Christum non fuisse triduo mortis mortuum quoad spiritum seu animam, probat ex eo, quòd triduo illo

℣.19. IN spiritu, id est, quoad animam, VENIENS; Græcè, πορευθεὶς, id est, cùm venisset, IN CARCEREM; Syrus, *basciul*, id est, in infernum, בשיול PRÆDICAVIT animabus omnibus illic captiuis, iuxta illud Eccli. 24. v. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes*

partes terræ, & inspiciam omnes dormientes: & quidem *sperantes in Domino,* (quales erāt in limbo patrum, & in Purgatorio,) *omnes illuminabo,* (a) etiam lumine gloriæ, inquit Turrianus & plures alij, qui volunt exhaustum tunc fuisse à Christo totum Purgatorium. Non sperantes verò, id est, damnatos, arguam, increpabo & obiurgabo, inquit Angelus de Paz. Sic omnibus animabus prædicauit tunc Christus: *impijs ad iudicium,* inquit Oecumenius, *pijs ad gloriam & salutē.* Nec ijs solis qui haud ita pridem in limbum descenderant, sed & alijs omnibus qui eò deuecti erant iam olim, etiam ante diluuium: & quidem multis quoque illorum,

a *Zachar.9. v.11. Turrian. l. 4. pro Epist. Rom. Pontif. c.12. Angel. Paz l.7. de Symbolo c.20.*

℣.20. QVI temporibus Noë INCREDVLI FVERANT ALIQVANDO, non credentes initio minis & prophetiæ Noë, quia EXSPECTABANT sibique pollicebantur *longanimem* DEI PATIENTIAM] qua vt antè per tot sæcula, sic etiam tum dissimularet cum illorum sceleribus: posteà tamē cùm senserunt inundare diluuium, conuersi sunt, crediderunt & pœnituerunt, atque ita licet aquis præfocarentur, saluati tamen sunt, & ad limbum cum reliquis iustis relegati, per Christum iam à morte eò descendentem, cum alijs omnibus iustis inde educti sunt.

B

℣.21. QVOD, Hebraismo, pro cui, supple, arcæ Noë, NVNC SIMILIS FORMÆ, Græcè *antitypo,* BAPTISMA, præfiguratum Allegoricè per arcam, VOS SALVOS FACIT. Sicut enim arca olim inclusos seruabat in vita corporali, ita baptisma saluat nos in vita spirituali: non enim abluit solam carnem, vel sordes carnis, (vt baptismata Iudaica,) sed etiam sordes animæ, seu conscientiæ, quam *interrogat* (b) IN DEVM, id est, explorat, probat, & quasi lixiuio emundans, probatam ac puram reddit coram Deo, (c) idque ex merito passionis Christi, cuius terminus, complementum & quasi sigillum fuit *resurrectio.* (d)

b *Psal.10. v.4. & 5.* c *Hebr.10. v.22.* d *Roman.4. v.25.*

℣.22. DEGLVTIENS MORTEM, id est, abolens & quasi absorbens (e) mortem tum suam in præsenti, tum nostram in futuro: SVBIECTIS SIBI ANGELIS omnibus: nam etiam quà homo, ex vi & dignitate vnionis hypostaticæ, est *primogenitus omnis creaturæ* (f) id est, princeps omnium creaturarum, dominus & rex totius vniuersi.

C

D

e *Osee 13. v.14. & 1. Cor.15. v. 54.*

f *Coloss.1. v.15. & 18. & c.2.v.10. & Ephes. 1. v.22.*

CAPVT IV.

Hortatur fideles, vt, abdicatis pristina vita cupiditatibus, Christo passo se conforment, studio mortificationis, orationis, fraternæ dilectionis, hospitalitatis, patientiæ & magnanimitatis.

℣.1. CHRISTO tam generosè pro vobis PASSO & crucifixo, vt vos à peccatis & vitijs vestris expediret, VOS quoque ARMAMINI EADEM, seu simili, COGITATIONE & animi resolutione, quòd velitis vitia vestra pari modo crucifigere, exemplo & amore Christi, etsi id fiat cū dolore, imò cum morte carnis. QVIA QVICUMQUE instar Christi PASSVS & crucifixus EST, nempe carnem suam crucifigendo cum vitijs & concupiscentijs, hic iam DESIIT & abstinet A PECCATIS,

E

℣.2. VT deinceps, etsi in carne viuat, NON tamen VIVAT aut seruiat DESIDERIIS HOMINVM, id est, appetitibus & passionibus corrupti cordis humani, SED VNI VOLVNTATI, beneplacito & legi DEI, vt ei tamquam dominæ ac reginæ suæ, in omnibus & per omnia obsecundet.

℣.3. SVFFICIT ENIM quòd omne PRÆTERI-

TVM vitæ TEMPVS impenderitis (g) obsequio carnis & vitiorum, AD complendam CONSVMMANDAMque VOLVNTATEM GENTIVM, seu desideria profanorum Gentilium in carnalibus sordibus perpetuò volutantium.

g *Rom.13. v.11.*

℣.4. IN QVO, cùm vident *vos* vnà secum NON *concurrere,* vehementissimè ADMIRANTVR] Græcè, ξενίζονται, id est, *peregrinantur,* id est, peregrini sibi videntur, & quasi in alio mundo versari, dum vestros sanctos mores expendunt, & cum suis impijs sceleribus conferunt, & quasi rem peregrinam, nouam atque stupendam contrectant quidem, non tamen imitantur; sed quasi sibi impossibilem, suisq; studijs ac votis contrariam reijciunt, execrantur & *blasphemant.* Sed hi

℣.5. REDDENT huius blasphemiæ, vt & aliorum scelerum suorum, RATIONEM, si non hîc certè in altera vita, iudici Christo, QVI constitutus ac PARATVS EST IVDICARE non VIVOS tantùm, seu durante hac vitâ (vt multi Gentiles & Epicurei arbitrantur) sed etiam MORTVOS OMNES. Vnde licet, in hac fortè vita non puniantur isti blasphemi, non euadent tamen iudicium & promeritas pœnas in altera vita. Porrò vt manifestum mundo faceret Christus se iudicaturum mortuos omnes æquè ac viuos, dedit specimen aliquod, imò initium illius sui iudicij, quando statim à morte descendit secundùm animam ad inferos, (vt suprà (h) dixi,) ibique

h *Cap. 3. præced. v.19.*

℣.6. EVANGELIZAVIT MORTVIS Patribus, Prophetis, alijsque iustis ad id vsque tempus in limbo reclusis, afferens illis pro vita piè antè peracta, lætissimum æternæ beatitudinis præmium; ita VT, licet illi SECVNDVM HOMINES, seu ab hominibus mundanis, IVDICENTVR & æstimentur mortui esse IN CARNE, & planè interijsse (secundùm Epicureos,) ideoque stulti fuisse, quòd, dum apud nos essent, carnis voluptates præuerint: tamen reuera VIVANT SPIRITV, seu anima, SECVNDVM DEVM] id est, coram Deo & in præsentia diuinæ maiestatis, donati ab ipso gloria æterna. Subintelligendum relinquit Petrus, vice versa etiam impijs ante id tempus mortuis suum obtigisse iudicium & tormentum in eodem illo Christi ad inferos triduano descensu: ita vt, licet iudicio Epicureorum censeantur planè interijsse, reuera tamen igne infernali crucientur. ita ferè Suarez, à Valentia, à Lapide & quidam alij. Vti *autem* contigit tunc illis, ita mox continget alijs omnibus:

Suarez 3. p. to.2. disp.43. sect.3. Valentia 3. tomo p.2. q. 4. puncto 2.

℣.7. OMNIVM enim hominum, siue piorum, siue impiorum, FINIS, mors & iudicium *in propinquo* est.

℣.8. MVTVAM IN VOBISMETIPSIS; Græcè, *in vos*, seu inter vos inuicem, colite CHARITATEM CONTINVAM; Græcum ἐκτενῆ non tātùm *perseuerantem* significat, sed etiam cordialem, liberalem, profusam, extensam, celerem & vehementem charitatem, vt Pagninus & Vatablus vertunt. QVIA CHARITAS illa mutua OPERIT MVLTITVDINEM, id est, vniuersitatem, PECCATORVM] tum proprio-rum, tum alienorū; conformiter illi dicto Sapientis, (i) *Vniuersa delicta operit charitas.* Charitas enim proximi propter Deum, vt animam sanctificat, & ad Dei amicitiam euehit, ita à peccatis eandem expurgat, inquit Tertull. Clemens Alexandr. Ambros. Augustinus, Ephrem, Prosper, & alij. Et, vt ijdem docent, operit etiam, tegit, excusat, cōdonat proximi offensas, & sic sæpè causa est, cur proximus

i *Prou.10. v.12. Tertull. in Scorpiaco c.6. Clem. lib.2. Strom.c.6. Ambros. de Fuga sæculi c.2. Aug. tract. 1. & 5. in ep. S. Ioannis Ephrem tr. de Pœnit. Prosper ad Demetriad.*

ximus quoque resipiscat reconcilieturque tum illi, tũ Deo. Sed propria peccata sic tegit, vt prorsus extinguat & abolcat, sicut aqua tegit ignem, lumen tenebras, &c. aliena verò tegit sicut emplastrum vulnera, nempe curando illa & sanando, vel saltem leniendo & palliando.

℣.9. HOSPITALES INVICEM] Est hoc alterum charitatis officium. Tertium sequitur:

℣.10. QVISQVE GRATIAM, id est, dona & talenta quæ à Deo *accepit*, & SICVT ACCEPIT, liberaliter, gratis, & in vsum proximi ADMINISTRET & expendat: nominatim in prædicando, seu docendo, & in ministrando. (*a*)

a *Rom.12. v.6.*

℣.11. SI QVIS LOQVITVR, prædicet, doceat, loquatur SERMONES non suos, sed DEI; prædicet non seipsum, sed Christum; doceat non profana, non ludicra, non vana, sed solida, sed sancta, sed Deo digna. SI QVIS *ministrandi* curam habet, v.g. Sacramenta, eleëmosynas, vel officia alijs distribuendi, alios regendi, alijs inuigilandi; id munus administret EX VIRTVTE non propria, sed DEI, quæ cælitus ipsi submini strat ur. Vnde Primò, nihil sibi arroget, non propria lucra vel laudes captet, vel suis viribus præfidat: Secũdò, nullum munus ambiat vel aucupetur: Tertiò, non acceptet personas: Quartò, præfidat in omnibus Deo & intrepidè, generosè, fortiter agat ac strenuè: Quintò, sit in dando & erogando liberalis, &c.

℣.12. NOLITE PEREGRINARI; Græcè, μὴ ξενίζεσθε, quod suprà (*b*) vertit, *admirari*. q.d. Nolite admirari, aut tamquam re noua, insolenti, peregrina, percelli vel perturbari IN FERVORE; Græcè, ἐν πυρώσει, id est, *in vstione* afflictionum & aduersitatum, quæ AD TENTATIONEM (*c*) VOBIS cedit, id est, ad probationem, explorationem & purgationem. Quin potiùs summorum vobis inde gaudiorum occasio: nam sic Primò,

b *Hic v.4.*

c *Dan.11. v.35. & Eccli.27.v.6. & Sap. 3. v.6.*

℣.13. CHRISTI PASSIONIBVS COMMVNICATIS, inserti & inoculati Christo, sicut ramus arbori, complantati, concrucifixi, commortui Christo. (*d*) Vnde Paulus, (*e*) *Christo confixus sum cruci: viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus*, & patitur in me, quasi in membro suo. (*f*) Quod summum mihi decus est & gloria, æquè ac meritum & gaudium. Secundò, vt cum Christo simul patimini, ita cum eodem simul resurgetis & conglorificabimini.

d *Rom 6.v. 5. & 2.Tim. 2.v.11.*

e *Galat.2. v.20.*

f *Actor.9. v.4.*

℣.14. QVONIAM QVOD EST HONORIS, GLORIÆ ET VIRTVTIS, seu potentiæ, DEI, imò ipsemet EIVS SPIRITVS, dator & auctor omnis honoris, gloriæ & virtutis, SVPER VOS, quando pro Christo probra vel verbera patimini, REQVIESCIT, imò IN VOBIS, quasi in optatissimo templo, palatio & thalamo suo, mira cum voluptate deliciatur ac recreatur. Quòd si in passione pro Christo consistat omnis honor, gloria, robur, maiestas & voluptas Dei; quid poterit illâ dignius, honorificentius, diuinius, Deoque gratius, iucundius aut glorioſius excogitari vel exoptari? vt pulchrè S. Cyprianus, Basilius & Augustinus demonstrant. Sed est etiam alia causa cur Deus velit præ infidelibus & sceleratis fideles & pios seruos suos exerceri & affligi in hac vita:

Cypr.lib.4. epist.6. & l.5.epist.12. Basil.hom. 20 de 40. Martyrib. August. in Psalm.118. serm.30.

℣.17. QVONIAM iam TEMPVS commodum & opportunum EST exercendi in eos *iudicij* ac punitionis, quæ manet omnes omninò homines, etiam iustissimos, ob leuia quædam peccata quæ singuli aliquando patrarunt: hæc autẽ suauissimè ac conuenientissimè puniuntur, eluuntur, delentur per afflictiones huius vitæ, quarum immissione iustus iudex inchoat IVDICIVM suum A DOMO sua, vt illam priùs emundet, quàm ad impiorum & infidelium domos excutiendas, iudicandas & puniendas se accingat. Priùs, inquam, non tempore, sed prouidentia & cura, qua præ omnibus inuigilat electis seruis & filijs familiæ suæ.

Iam verò SI tam graue, tam durum est initium iudicij, quod per tot flagella & tormenta huius vitæ PRIMVM A NOBIS, qui chariſſimi eius filij sumus, depoſcit & inchoat; qualis erit progressus, & quàm horrendus FINIS & catastrophe eiusdem iudicij, quod summo rigore exercebit in impios & infideles, iuratos hostes suos? Si diuina iustitia & ira, cùm primùm mouetur & concitatur, tantas calamitates iustis irrogat, qua tandem vi & impetu in fine motus sui contra impios rapietur & desæuiet? inquit S. Gregorius. Si tam seuerè flagellantur filij, quid debent sperare serui nequissimi? inquit S. Augustinus.

Greg.l.26. Mor.c.18. August. in Psalm.93. v.20.

℣.18. ET SI IVSTVS VIX; Græcè, μόλις, id est, ægrè, difficulter, SALVABITVR, damnationem euadet, & salutem æternam adipiscetur, nempe non nisi post acrem peccatorum, etsi leuium, punitionem IMPIVS ET PECCATOR, perseuerans & moriens in peccatis, VBI PAREBVNT? quò ibunt? quis locus, quæ sors illos excipiet? (*g*) ita S. Hieron. Didymus, Oecumen. Beda & alij. Porrò iudicium Dei in impios vide graphicè depictum Sapientiæ 5.v.18. Cùm itaque iustus vix saluabitur, nec nisi per multas tribulationes, æquum est vt

g *Prou.11. v.31.*

℣.19. HI QVI PATIVNTVR tam dura, qui subeunt tam periculosa certamina, seriò & continuò se suosque agones COMMENDENT DEO, tum vt vires certandi suggerat, tum vt victoriæ parandæ inuigilet: quod ipsi, vtpote CREATORI nostro, & quidem *fidelissimo*, nostrique amantissimo, curæ erit & cordi. Tantùm curemus nos per ardentes preces, continuis BENEFACTIS, seu bonorum operum exercitijs, cumulatas, sedulò id illi & ex animo commendare.

CAPVT V.

Pastores Ecclesia monet, vt gregem Christi fideliter pascant, non turpis lucri gratia, neque vt dominantes in clerũ, sed forma facti gregis ex animo. Adolescentibus commendat subiectionem: omnibus inculcat humilitatem, æquanimitatem, sobrietatem, & aduersus dæmonum insidias vigilantiam. Denique consueta salutatione & gratiæ appretatione concludit epistolam.

℣.1. SENIORES non tam ætate, quàm dignitate, vocat Episcopos & presbyteros, quibus commissum erat regimen Ecclesiarum istarum. (Vnde solet apud Syros hæc epistolæ pars legi in electione & ordinatione Episcoporum, vt notat hîc Syrus.) Et colligitur ex versu sequenti, vbi pro *prouidentes*; Græcè est, ἐπισκοποῦντες. Et ex hoc etiam primo versu, vbi pro CONSENIOR, est συμπρεσβύτερος, id est, compresbyter, consacerdos.

TESTIS oculatus tum PASSIONVM & mortis CHRISTI, tum GLORIÆ: quin ET COMMVNICATOR; Græcè, κοινωνὸς, id est, vt S. Hieron. exponit, *particeps*; seu, vt Syrus, *consors & participator* eius gloriæ, non vulgaris aut terrenæ, sed cælestis, qualis IN FVTVRA vita nobis REVELANDA EST] Viderat eam Petrus, & prægustum eius aliquem hauserat partim in transfiguratione, partim in resurrectio-

surrectione, partim in ascensione Christi in cœlum. Et huius gloriæ intuitu ac spe vult pastores Ecclesię excitari ad strenuè laborandum in ouili Christi.

¥.2. PASCITE omni cura, studio, solicitudine, GREGEM DEI, non dico totum, (vt mihi dixit Christus,) (a) sed QVI IN VOBIS EST] id est, qui vobis subditus & *commissus est*, vt Syrus vertit, nempe singuli particularem Ecclesiam sibi concreditam. Vnde patet, quàm ineptè hinc colligat Caluinus, Petrum nõ fuisse vniuersalem totius gregis Christi pastorem; imò ad Petrum non spectasse regimen gregis, eò quòd ipse alios hîc hortetur ad eum regendum. Perinde ac si ex eo quòd Rex Hispaniæ moneat suos vicereges, vt commissos sibi populos fideliter regant, cõcludere vellem, Regem Hispaniæ non esse illorum populorum regem. Mox explicat Petrus quomodo velit eos pascere seu regere. Primò, vt GREGEM non suum, sed DEI. Secundò, PROVIDENTES; Græcè, ἐπισκοποῦντες, id est, superspeculantes, superuigilantes, per se (si possint) crebrò gregem suum obeuntes, apud eum residentes, accuratè inspicientes, ac de necessarijs prouidentes, vt grauiter monet etiam Tridentinum Concilium. Tertiò, NON COACTE solo maiorum imperio (vt primis Ecclesiæ initijs sæpè cogi solebant,) q.d. Non inuitè, non ægrè, SED SPONTANEE, propensè, liberaliter, alacriter. Quartò, SECVNDVM DEVM, id est, amore Dei & zelo animarum Deo conquirendarum, non captandæ gloriolæ vel laudis humanæ causa. Quintò, NEQVE LVCRI GRATIA, cui inhiare profectò *turpe*, vile & sordidum est personis Deo dicatis: SED VOLVNTARIE; Græcè, ἑκουσίως, id est, prompto propensoque animo in oues & in commoda non sua, sed ouium. Quod etiam ex Platone Cicero rectoribus valdè commendat. Sextò,

¥.3. NEQVE VT DOMINANTES, vt faciunt arrogantes & tyranni, & imperiosiùs agentes IN CLERIS: id est, inter fideles, qui diuisi in varios *cleros*, id est, sortes, & particulares congregationes seu paroecias, verè sunt *clerus*, & sors hereditaria Christi. ita Syrus, Oecumen. & alij. Licet S. Hieronym. Ephrem, Bernardus, & Septima Synodus generalis id accipiant de Clero Ecclesiastico in varios ordines & gradus distributo, cui soli nomen *cleri* ex vsu loquendi iam vt proprium adhæsit, idque meritò: nam vt in veteri testamento Leuitæ ideo vocabantur *clerus*, id est, sors & hæreditas Dei, eò quòd primitias, decimas & oblationes Deo dicatas ipsi quasi domestici & ministri Dei reciperent: (b) ita & in nouo testamento eos qui in Leuitarum locum successerunt, eamdem ob causam eodem nomine cõpellari decebat. Septimò, FORMA, id est, exemplar, vitæ sint GREGI suo, vita sancta subditis prælucẽdo, (c) & sic non minùs *exemplo*, quàm *verbo* & *prece* gregem pascendo. Idque Octauò, non ex composito, vel ad solam speciem externam (vt Scribæ & Pharisæi,) (d) sed EX ANIMO, id est, sincerè, realiter & verè.

¥.6. HVMILIAMINI SVB POTENTI MANV & imperio DEI, iubentis vt non sibi tantùm, sed & vicarijs suis subdamur & obediamus, atque adeò HVMILITATEM omnibus proximis nostris *insinuemus*: id est, in sinum animi illorum ingeramus, ita vt animum illorum penitus subeat, penetret, & vicissim ad nos pari affectu trahat. Primariò tamen volo vos respectu ipsiusmet Dei plenè humiliari, non tam verbo, quàm facto, & hoc per totam vitam continuato,

¥.7. OMNEM SOLICITVDINEM VESTRAM, (e) omnes curas, angores, molestias, IN IPSVM, eiusque diuinam prouidentiam PROIICIENTES ac resignantes. Sic enim ostendetis vos humiliter de vobis, & sublimiter de Deo sentire, si vobis diffisi, vni ipsi infinitè potenti, sapienti ac benigno fidatis, & in ipso conquiescatis. Sic S. Clemens initio *Recognitionum* scribit, S. Petrum passim inculcare solitum: *Nos Christiani de nulla re vel euentu solliciti sumus, sed in Dei prouidentia planè conquiescimus, scientes nos ibi curæ esse, ac ab eo per omnia dirigi, vt cuncta nobis cedant in bonum.*

¥.8. ADVERSARIVS & antagonista VESTER DIABOLVS, id est, calumniator (qualem vnicuique hominum deputauit vnum Lucifer, vt docet Origenes, Nyssenus & Magister Sentent.) extremo vestri odio & inuidia flagrans, & TAMQVAM LEO RVGIENS ira & rabie, continuò CIRCVIT: gyrat & regyrat, mille fraudibus, scrupulis & laqueis vos intricans, irretiens, inuoluens, vt captos excruciet, discerpat, dilaniet, & instar escæ optatissimæ deuoret ac deglutiat.

¥.9. CVI tamquam fraudulento calumniatori RESISTITE, contra leonem FORTES, contra rugientem opponite *fidem*, & quæ ex fide nascuntur, fiduciam in Deum, orationem & charitatem feruentem: porrò circuitionem eludite *vigilantia & sobrietate*. Neque vos turbet quòd Satan tanto impetu per se, perque emissarios suos exsurgat in vos: nam *eadem passio fit*; Græcè, *eadem passiones obueniunt*, etiam reliquæ VESTRÆ FRATERNITATI QVÆ IN MVNDO EST] id est, reliquis fratribus vestris Christianis toto orbe dispersis. Communis est causa omnium, communis lucta: sed aderit & commune auxilium, solatium, robur cæleste: nam communis agonotheta

¥.10. DEVS, fons & auctor OMNIS GRATIÆ ad fortiter decertandum, generosè perseuerandum, & gloriosè vincendum necessariæ, QVI VOCAVIT NOS *ad* ÆTERNAM SVAM GLORIAM in cœlis hæreditandam IN CHRISTO, id est, per merita vnigeniti Filij sui Christi IESV; idem subministrabit vobis omnia necessaria & vtilia ad gloriam iam dictam certò consequendam, & MODICVM PASSOS; Tigurini, *parumper afflictos*, IPSE per donum patientiæ PERFICIET, & per donum perseuerantiæ CONFIRMABIT SOLIDABITQVE, inquit S. Prosper & Titelmannus: vel, vt Salmeron, *solidabit* per constantem fidem, *confirmabit* per viuam spem, *perficiet* per ardentem charitatem.

¥.11. Vnde ipsi tamquam omnium horum auctori GLORIA detur omnis nostræ victoriæ, ET IMPERIVM; Græcum κράτος significat etiam potentiam, robur, victoriam & principatum. Quæ omnia vt à Deo nobis obueniunt, ita Deo vicissim à nobis adscribenda sunt & accepta ferenda. (f)

¥.12. SILVANVS hic idem est cum *Sila*, qui hasce Petri litteras Româ deferens in Orientem, ibi incidit in S. Paulum, cui comes prædicationis exinceps adhæsit, (g) inquit S. Hieron. Syrus, Oecumen. & alij. OBSECRANS vt quæ scripsi, opere expleatis; *contestor* enim in his sitam ESSE VERAM GRATIAM DEI, IN QVA STATIS] id est, veram substantiam Euangelij & legis Christi, quam hucusque colitis. Nonnulli legendum putant, στῆτε, id est, stetis, perseueretis.

¥.13. SALVTAT VOS ECCLESIA COELECTA, id est,

a *Ioan. vlt. ¥.15. & 17*

Trident. sess. 23. c.1. de reformat.

Tilier. epist. 2. Ephrem. opusc. de Pœnit. Bernard. epist. 237. Sept. Synod. can. 4.

b *Num. 18. v. 20. & Deut. 18. v. 2*

c *1. Tim. 4. v. 12. Tit. 2. v. 7. Philip. 3. v. 17. 1. Thessal. c. 1. v. 6.*

d *Matt. 23. v. 27.*

Cicero l. 1. Officior.

Origen. ho. 33. in Lucam. Nyssen. de Vita Moysis, ante medium. Magister in 2. dist. 11.

Prosper l. 1. de Vocat. Gentium c. 24.

e *Matt. 6. v. 25. & Psal. 54. v. 23.*

f *1. Cor. 15. v. 57. Rom. 11. v. 36. c. 16. v. 27. &c.*

g *2. Thess. 1. v. 1.*

id est, simul vobiscum electa, seu consors vestræ electionis ad fidem, gratiam & salutem: nempe Ecclesia fidelium partim ex Iudæis, partim ex Gentilibus cõuersorum, QVÆ EST IN BABYLONE] id est, in vrbe Roma, Babyloni antiquæ quoad amplitudinem, magnificentiam & splendorem imperij, quoad multitudinem, varietatem & confusionem (hoc enim significat *Babel*) nationum, idolorum, vitiorum, spoliorum, & opum totius mundi simillima, vt pulchrè demonstrat Orosius, & vnanimiter asserunt Patres & Doctores orthodoxi citati apud Bellarminum, Riberam, Viegam, Pererium, & Alcazar in Apocal. 17. & 18. vbi etiam hæretici nostri per *Babylonem*, vtpote septicollem, non aliam, quàm vrbem Romã intelligunt. Quod si S. Ioanni licuit sic illam nominare, cur non idem licuerit & Petro synchrono Ioanni? Easdem enim ob causas noluit vterque nomen *Romanæ* vrbis disertè exprimere, ne si litteræ istæ in manus Gentilium incidissent, Ecclesia *Romæ* collecta in odium & in periculum induceretur, & auctor litterarum in notitiam & in manus tyrannorum deueniret. Ridendus verò Beza, Viretus, Sadulius, Velenus & alij Nouatores, qui volunt hîc *Babylonem* Chaldaici olim imperij caput, vel certè alteram illam Ægypti metropolim, quæ nunc *Cayrus* dicitur, à Petro notari. Cùm constet, nullis Iudæis, ergo nec Petro, licuisse degere in Chaldæa tum temporis, iubente Caio Cæsare omnes inde expelli, teste Iosepho. Babylon, autem Ægyptia tunc non erat nisi obscurum castellum, vt ait Strabo, & alij Cosmographi.

Bellar. l. 1. de Pont.

Ioseph. 18. Antiquit. c. vlt.

Strabo l. 17.

MARCVS non ille consobrinus Barnabæ, sed Euangelista, vocatur hîc FILIVS Petri, non secundùm carnem, sed secundùm spiritum, quia per illum cõuersus ad fidem vt dixi in proœmio Euangelij ipsius Marci, vbi & reliqua vide ad ipsum spectantia. Cumque ex hoc loco Petri constet, Marcum Romæ adfuisse dum hanc suam priorem epistolam Petrus conscriberet, optimè colligit Beda & alij, scriptam hanc à Petro epistolam anno primo aduentus eius Romam, tertio imperij Claudij, 13. à morte Christi: nam illo ipso anno Marcus Româ abscessit Alexandriam in Ægyptum, vbi ad mortem vsque Episcopus sedit, teste Eusebio & alijs historiographis. Fuit ergo hæc epistola omnium prima quæ vel à S. Paulo, vel ab alio Apostolo conscriptæ sunt.

Euseb. li. hist. c. 14. & l. 3 c. vlt.

¥. 14. De *osculo sancto* vide quæ dixi ad Rom. vlt. v. 16.

EPISTOLA BEATI PETRI APOSTOLI SECVNDA.

SCRIPTA est Romæ circiter 24. annis post primam epistolam, anno vitæ Petri (a) vltimo, imperij Neronis 13 à morte Christi 37. è carcere, vt videtur, Mamertino, in quo nouem vltimos vitæ suæ menses exegit, (vt habent acta SS. Processi & Martiniani;) cùm iam cælitus reuelatum ei esset à Christo, (b) *velocem* fore *depositionem tabernaculi* sui.

a 2. *Petri* 1. v. 14.

b *Ibid.*

Euseb. l. 3. Hist. c. 25.

De auctore & auctoritate huius epistolæ nonnulli olim, teste Eusebio, dubitarunt: & nostro sęculo Erasmus, Lutherus, Kemnitius, Magdeburgenses & quidam alij Nouantes: eò quòd stylo dissideat à prima Petri epistola, neque extet Syriacè, vt aiunt. Sed hoc falsum esse testatur Possevinus, (c) docetque ex Syriaco in Latinum conuersam esse à nostro Balth. Etzelio: & apud Syros pro Canonica haberi patet ex S. Ephrem & Ioanne Damasceno, quorum vterque fuit Syrus, & passim ex hac epistola citant sententias quasi Canonicas Scripturas. Stylum, si quis penitiùs inspiciat, non multùm dissidere fatentur etiam Magdeburgenses. Et quàm facilè mutat stylum vnus idemque auctor pro diuersitate ætatis, locorum, temporum & personarum? Et licet vtraque ad eosdem scripta sit, (d) tamen 24. anni intercurrerunt inter vtramque epistolam: Et alius est interpres prioris, nempe *Silas*, (e) vel potiùs *Marcus* (f) Euangelista, vt vult S. Hieronym. & alius posterioris, nempe *Glaucias*, vt Clemens Alexandrin. tradit. Denique Canonicam esse hanc epistolam, & à S. Petro Apostolo conscriptam, definit Concil. Carthaginense III. Florentinum & Tridentinum: & idem testantur Didymus, Hieronym. & Gregor. Magnus. Et Iustinus Martyr, Origenes, Athanasius, Cyrillus, Nazianze-

c *Possev. in Apparatu.*

d 2. *Petr.* 3. v. 1.

e 1. *Petr.* 5. v. 12.

f *Ibid.* v. 13. *Clem. Alex. lib.* 7. *Stromat. sub fin.*

Athan. in Synopsi. Cyrill. catechesi 4.

zianzenus, Epiphan. Chrysost. Ambros. August. & ceteri Patres quos profert Bellarminus, illam quasi Canonicam passim citant. *Nazianz. in carm. de Script. sac. Bellarm. l. 1. de verbo Dei.*

Scripsit eam Petrus occasione Simonis Magi eiusque sequacium hæreticorum aduersus Christum insurgentium: vnde cap. 1. Christi gratiam & œconomiam egregiè extollit, constantiam in fide Christi Christianis commendans. Secundo capite hæreticos eorumque scelera ac fraudes graphicè depingit & confutat. Tertio & vltimo acrem vtriusque stimulum impingit, nempe instans iudicium extremum, quod pluribus describit. Sparsim hinc inde prodit insignem suum pro Christo patiendi ardorem, zelum, martyrium. Estque hæc vltima Petri & quasi cycnea vox, qua Ecclesiæ suæ & mundo valedicit, & fidem doctrinamque suam futuris sæculis contestatur.

CAPVT I.

Precatur fausta omnia fidelibus, docetq; per Christum (cuius gloriam mirificè extollit,) maxima pretiosissimáque dona nobis cælitus obtigisse: ideoque par esse, vt non amplius carnalem aut mundanã, sed cælestem vitam viuamus, omnibus virtutibus instructam, sibi vtpote ornatæ testi gloriæ Christi, & propediem hinc in cœlum demigraturo, fidem meritò habendam, & bene monenti obsequendum.

A ℣. 1. IS QVI COÆQVALEM; Græcè, ἰσότιμον, id est, eiusdem pretij & præmij, NOBISCVM SORTITI SVNT (*a*) FIDEM] Alloquitur eosdem Pontico s, Galatas, Cappadoces, Bithynios, reliquosque Asianos, ad quos primam dederat epistolam: *Hanc* enim (ait infrà,) (*b*) *vobis secundam scribo.* Honoris autem ergò vocat eos *coæqualis* secum *fidei*. q.d. Etsi gradu, ordine & officio sim omnibus superior, vtpote caput & Pontifex totius Ecclesiæ, tamen pares mihi estis in fide & religione, ceterisque quæ ex fide exsurgunt. Quod intellige de essentia fidei ceterarumq; virtutum & gratiarum: nam quoad intensionem & extensionem, certum est magnam esse dissimilitudinem. Porrò *fidem* & gratias omnes *sortiti* sumus IN IVSTITIA, id est, per iustitiam, CHRISTI, seu per eius merita, vt S. Prosper, Pagninus, Tigurini, Clarius, Gagneius, Vatablus & alij exponunt.

a *Ephes. 1. v. 11.*

b *2. Petr. 3. v. 1.*

Prosper l. 1. de Vocat. Gentium c. 23.

℣. 2. GRATIA cælestis ET PAX, seu bonorum omnium affluentia, VOBIS ADIMPLEATVR; Græcè, *multiplicetur*, nempe quousque perfectè compleatur, IN, seu cum, COGNITIONE DEI] Græcè, ἐπιγνώσει, id est, recognitione, seu memoris & grati animi cognitione, vt S. Ambrosius, Augustinus & Prosper legunt. Optat enim S. Petrus fidelibus continuum augmentum illustrationis diuinæ, & ex ea pleniorem scientiam, æstimationem & amorem Dei.

Ambros. ep. 33. ad Demetriad. Aug. in ep. ad Roman. Prosper contra Collator.

℣. 3. QVOMODO, vel prout, OMNIA DIVINÆ VIRTVTIS seu potentiæ effecta, nempe dona gratiarum omnium, QVÆ AD VITAM supernaturalem animæ, id est, veram PIETATEM & sanctitatem, colendam, stabiliendam, complendam pertinent, NOBIS DONATA SVNT, PER COGNITIONEM Dei & Christi, QVI NOS peccatores, viles, miseros, indignos homunciones, ad diuinã suam amicitiam, hæreditatem, regnum & gloriam VOCAVIT, non ob nostrum meritum vel virtutem, sed ex PROPRIA sua GLORIA, id est, glorioſa gratia, ET VIRTVTE clementiæ suæ. Simili modo S. Paulus *gratiam* Dei, vtpote magnificam & glorioſam, sæpè (*c*) vocat *gloriam*, vel *diuitias gloriæ* (*d*) Dei vel Christi.

c *Roman. 3. v. 23. & 2. Cor. 3. v. 8. 9. 10. 11. 18.*

d *Roman. 9. v. 23.*

B ℣. 4. PER QVEM Christum DONAVIT NOBIS Deus MAXIMA, maximèque PRETIOSA dona, olim per Moysen & Prophetas PROMISSA, quòd per Christum nobis essent donãda, putà remissionem peccatorum; reconciliationem cum Deo, iustificationem, sanctificationem, ius & pignus æternæ gloriæ. VT PER HÆC diuina dona EFFICIAMINI DIVINÆ CONSORTES NATVRÆ] non essentialiter (quod solis tribus personis SS. Trinitatis conuenit,) neque hypostaticè, seu personaliter (quod humanitati Christi proprium est,) sed accidentaliter: nam gratia sanctificans, accidens est, à Deo animæ infusum, nempe qualitas adeò nobilis ac sublimis vt ordinem naturæ tum humanæ, tum angelicæ, prorsus excedat, cuius hi sunt effectus quasi formales, sanè nobilissimi. Primus, expulso omni peccato mortali, facit hominem iustum, rectum, sanctum. Secundus, facit gratum Deo, eiusquè amicum. Tertius, facit filium Dei adoptiuum & hæredem cœli. Quartus, dat ius ad felicitatem & gloriam æternam. Quintus, per septem dona Spiritus sancti, & per virtutes partim theologicas, partim morales supernaturales (quas vt comites secum adducit) disponit mentem omnesque potentias animæ, vt Deo legique diuinæ conformentur. Sextus, facit opera nostra satisfactoria pro præteritis culpis, & meritoria augmenti gratiæ & gloriæ. Septimus, eleuat hominem ad statum & ordinem supernaturalem, etiam angelico celsiorem, putà ad ordinem & statum diuinum, adeò vt fiat socius, consors & particeps diuinitatis. Octauus, non sola dona Spiritus sancti, sed etiam ipsissimam personam Spiritus sancti, & consequenter totam SS. Trinitatem, non obiectiuè tantùm, sed & substantialiter ita adnectit & vnit animæ, vt, si per impossibile non esset vbique, neque fuisset antea illi præsens, iam realiter præsens illi fieret, in eaque quasi in templo, palatio ac thalamo suo substantialiter inhabitaret ac quasi cum sponsa deliciaretur, longè arctiori illam vinculo sibi annectens quàm sit vel vinculum matrimoniale coniugum, vel naturale animæ & corporis. ita ex S. Augustino & alijs Patribus docet Magister sentent. S. Bonauentura, Scotus, Gabriel, Marsilius, (*e*) S. Thomas, eiusque discipuli: & ex nostris Vasquez, Valentia, Lessius, maximèque Suarez, qui hinc infert, quòd Spiritus sanctus nouo modo secundùm sententiam suam incipiat præsens esse in anima iusti, quo antè ibidem non erat; citatque pro hac sententia SS. Ambrosium, Augustinum, Leonem, probatq; ex SS. Scripturis, (*f*) & multis rationibus; concludens cum S. Thoma, eam ita certam esse, vt contrarium sit erroneum. Porrò communicationis

e *Omnes in 1. dist. 14. & 15. S. Thom. 1. p. q. 43. art. 3. & 6. & q. 38. art. 8. Suarez l. 12. de Deo trino & vno c. 5. num. 11. & 12. Lessius de Attributis diuin.*

f *1. Cor. 6. v. 19. Rom. 5. v. 5. Ioan. 14. v. 17. & 23. & 1. Ioan. 4. v. 16. &c.*

huius & connexionis Spiritus sancti, vt ferè etiam aliorum omnium iam dictorum effectuum, causa quasi formalis est gratia sanctificans, indiuulsè illis connexa. Saltem illud certum est, totam formalem causam nostræ iustificationis, & omnium effectuum illi annexorum, nobis intrinsecam esse, nobisque inhærere, vt docet Tridentinum, non verò extra nos esse, nobisque solùm imputari, vt hæretici fingunt.

Trident. sess. 6. c. 4. & 7.

℣. 5. VOS AVTEM ex parte vestra ne sinite otiosa in vobis esse diuina hæc dona, sed CVRAM OMNEM SVBINFERENTES & subiungentes gratiæ diuinæ, SVBMINISTRATE IN, seu cum, FIDE VESTRA, (ne vacua & infructuosa sit,) ἀρετὴν, id est, A VIRTVTEM, & virtutum opera: q. d. Cognitioni addite praxim, vt ait Occumenius: sed huic praxi addite SCIENTIAM, id est, discretionem ac prudentiam, quam S. Antonius vocare solet *principem* S. Bernardus *auriga* ceterarum virtutum. Secundùm *scientiam* autem practicate, Primò, ABSTINENTIAM, seu temperantiam (Secundò, PATIENTIAM, seu tolerantiam iniuriarum; Tertiò, PIETATEM; Græcè, θεοσέβειαν, id est, Dei cultum, non modò internum, sed & externum; Quartò AMOREM FRATERNITATIS, id est, studium commodorum & salutis proximi; Quintò, CHARITATEM Dei super omnia.

Bern. serm. 49. in Cant.

℣. 8. HÆC virtutum genera SI VOBIS ADSINT, maximè si SVPERENT; Græcè, si exuperent, seu abundent, in gradu intenso, &c. NON CONSTITVENT VOS VACVOS IN COGNITIONE] id est, efficient vt fides vestra non sit inanis, otiosa, infrugifera & expers bonorum operum ac meritorum. ita Sasboldus, Arias, Salmeron, Titelmannus, à Lapide & alij.

℣. 9. CVI VERÒ NON PRÆSTO SVNT hæ virtutes, CÆCVS EST si non speculatiuè, certè practicè, quia caret prudentia & scientia practica, quæ est lux & oculus animæ, & dux omnium virtutum: MANV quidem, id est, conatu voluntatis, PRÆTENTANS viam virtutum, sed luce & duce destitutus, vbique impingit, labitur, læditur: Græcum μυωπάζων, quod Noster vertit *manu tentans*, potest etiam verti, *muris habens oculos*: muris, inquam, subterranei, id est, talpæ, cuius oculis pellicula obducta vsum illorum adimit: vnde lucifuga talpa terræ tota inhiat, insano labore illam suffodiens, & integras subinde domos, &, si Plinio credimus, etiam vrbes subuertens. Quod spiritalibus istis talpis longè veriùs adaptes: qui neglecto virtutum iam dictarum studio, non solùm se priuant fructu illarum, sed insuper etiam OBLIVIONEM *accipiunt* PVRGATIONIS VETERVM SVORVM DELICTORVM, quia paulatim in eadem relabuntur, & ijsdem rursus conspurcantur. Vnde, si sapitis,

Plin. lib. 8. c. 19.

℣. 10. MAGIS magisque indies SATAGITE, VT PER BONA, OPERA, (hæc tria verba licet in plerisque Græcis exemplaribus iam desint, supplendâ tamen patet ex antedictis, & toto discursu Apostoli:) VOCATIONEM ET ELECTIONEM VESTRAM ad christianismum & ad gratiam iustificantem, FACIATIS CERTAM] Græcè, βεβαίαν, id est, firmam, fixam, stabilem, ne ab ea excidatis, & in pristina scelera & sordes relabamini.

℣. 11. SIC ENIM per continuum studium bonorum operum, stabilitâ vestrâ vocatione & electione ad gratiam, eo ipso ABVNDANTER, seu abundè subMINISTRABITVR & præstabitur vobis etiam certitudo, seu firmitas, *electionis* vestræ ad gloriam, seu INTROITVS IN ÆTERNVM REGNVM CHRISTI] Porrò ex his versibus, contra Lutherũ, Caluinum, aliosq; hæreticos colligunt Doctores Primò, hominem esse liberi arbitrij etiam in operibus supernaturalibus. Secundò, fideles & iustos non esse certos de sua perseuerantia & salute, vti definit Tridentinum. Tertiò, electionem absolutam ad gloriam fieri à Deo ex præuisis cuiusque meritis. Non enim, (inquit S. Ambrosius) *antè prædestinauit, quàm præsciret: sed quorum merita præscisit, eorum præmia prædestinauit.* Vide Molinam, Vasquez, à Valentia, Lessium, à Lapide: qui hinc docent, tam prædestinationem, quàm reprobationem non minùs quàm electionem, seu ad iustitiã, seu ad salutem, pendere ex præuisione cooperationis nostræ futuræ. Cùm autem cooperatio nostra pendeat ex arbitrio & libertate nostra, consequenter docent: etiam in nostra potestate & arbitrio, diuina gratia præuentò, esse, facere vt simus iusti, electi, prædestinati, vel vt non simus. Si enim velim gratiæ mihi à Deo sincerè ad salutem procurandam datæ cooperari vsque ad finem vitæ, sicut possum & debeo, sum, fui & ero prædestinatus: sin nolim, non sum, non fui, non ero prædestinatus: neque enim Deus prædestinauit, niti quos præuidit sic gratiæ cooperaturos: neque reprobauit nisi quos præuidit non cooperaturos. ita à Valentia & alij iam citati.

Trident. sess. 6. can. 23. Ambr. l. 5. de Fide c. 5. Molina & alij in 1. N. q. 23.

Valentia sup. disp. 1. puncto 4. sub fin.

℣. 12. PROPTER QVOD INCIPIAM; Græcè, *non cessabo*, non desinam, vos continò COMMONERE DE HIS virtutibus seriò practicandis. Neque opus habetis nisi memoriæ refricatione, cùm iam pridem sufficienti *scientia* huius VERITATIS instructi sitis, & in ea sat confirmati ac stabiliti. Vt verò dormitantes subinde excitem, & nouis litteris vel nuntijs commonefaciam,

℣. 13. IVSTVM & æquum esse, imò me debere ARBITROR ex munere pastorali à Christo mihi pridem (*a*) imposito, quo quanto possum studio, fungar QVAMDIV SVM IN HOC mortali corpore, in quo quasi in momentaneo TABERNACVLO peregrina & hospes degit tantisper anima, dum ad patriam suam cælestem proficiscitur.

a *Ioan. 21. v. 16.*

℣. 14. CERTVS per Christi reuelationem, QVOD breuî, deposito hoc tabernaculo, per mortem & crucem in cœlum deuolabo. Quando hæc reuelatio illi obtigerit, non sat constat; verisimile est obtigisse in carcere Mamertino. Neque mirum, apparuisse Christum, & quidem sæpiùs, vicario suo, cùm toties (*b*) apparuerit Paulo, & alijs Episcopis, v. g. Polycarpo, Cypriano, Pio primo Pontifici, & alijs plurimis, quibus instantem mortem & martyrium reuelauit, vt ad ea tempori se compararent.

b *Act. 9. v. 5. c. 18. v. 9. c. 22. v. 17. c. 23. v. 11.*

℣. 15. DABO AVTEM OPERAM etiam POST OBITVM MEVM VOS in mente & memoria mea apud Deum HABERE, idque FREQVENTER] Græcum ἑκάστοτε Vatablus vertit, *per singulos dies*; Pagninus, *sigillatim*. Nempe, crebrò post mortem meam, imò continuò vestri singulorum memor ero apud Deum, orando pro vobis, vt horum monitorum meorum vicissim memoriam & praxin vos habere faciat. ita S. Chrysost. Occumen. Petrus Damiani, Catharinus, Gagneius, Salmeron, Suarez, Bellarminus & alij: qui proinde hinc inferunt, cùm tantam gerat S. Petrus, alijque Sancti in cœlis curam Ecclesiæ in terris, meritò à nobis invocari debere. Sed pergit Petrus: Tanti momenti

Chrysost. orat. in principio Apostolor. Petr. Damiani, l. 3. epist. 8. Suarez 3. p. to. 2. disp. 22. Bellar. l. 1. de Sanctis c. 18.

sunt

sunt quæ vos docui, vt operæpretium sit, etiam cælitus à me inuigilari illis menti vestræ perpetuò inculcandis:

℣.16. NON ENIM DOCTAS, Græcè σεσοφισμένους, id est, sophisticas, argutas, & ad fallendum confictas (vt Vatablus vertit) FABVLAS Rabbinicas, poëticas, philosophicas SECVTI, confinximus, VOBISque NOTAM FECIMVS, & quasi tragicomœdiam exhibuimus, CHRISTI mirabilem VIRTVTEM, δύναμιν, id est, vim, potentiam, efficaciam, v.g. in expiandis peccatis, in tot miraculis patrandis, animabus saluandis ac beandis corporibus resuscitandis, &c. Nec virtutem modò, quam etiam absens exerere potuisset, sed ET PRÆSENTIAM, qua B

a *Ioan. 1. v. 14.* *Verbum caro factum habitauit (a) in nobis plenum gratia* & maiestate. Non, inquam, ficta, sed à nobismet visa narrauimus vobis, vtpote SPECVLATORES, ἐπόπται, id est, inspectores, oculati testes, fuimus MAGNITVDINIS & maiestatis Christi, cùm cælitus

℣.17. *Acciperet* A DEO PATRE condignum sibi HONOREM ET GLORIAM ex vultus transfiguratione, ex vestium splendore, ex Moysis & Eliæ consortio, ex honorifico Patris cælestis testimonio, VOCE DELAPSA A MAGNIFICA GLORIA] id est, à gloriosa Dei maiestate istic in nube præsentem se

b *Matt. 17. v. 1. &c.* exhibente; de qua fusiùs in Euangelio. (b)

℣.18. HANC VOCEM NOS (ego, Iacobus & Ioannes) AVDIVIMVS, CVM ESSEMVS CVM IPSO IN MONTE SANCTO, nempe in *Libano*, inquit Faber Stabulensis & Franc. Lucas, vel, vt communior est opinio, in *Thabor*, vt alibi dixi. Sed præter hanc nostram ocularem visionem gloriæ Christi & auditionem vocis cælestis, quia fortè possent vobis de illusione vel adulatione suspectæ esse, HABEMVS alia de Christo eiusque diuinitate testimonia, non quidem veriora, vel meliora in se (vt ait S. Augustinus) sed tamen respectu vestri *firmiora*, nempe PROPHETICVM SERMONEM, v.g. illud psalmi 2. *Filius meus es tu ego hodie genuite:* & similia Prophetarum innumera oracula de Verbi incarnatione, passione, morte, mundi redemptione, &c. quæ D omnia pro indubitatis & infallibilibus testimonijs vltrò admittitis: & BENEFACITIS, ATTENDENTES Scripturæ cælitus reuelatæ, QVASI LVCERNÆ (c) saltem modicè & subobscurè (non verò instar solis, clarè & amplè) LVCENTI IN CALIGINOSO LOCO] id est, in nocte & in tenebris huius sæculi. Vbi benè notat S. Ambrosius, Scripturam esse lucernam, sed supra candelabrum publicæ atque infallibilis auctoritatis Ecclesiæ, non sub modio iudicij cuiuslibet hominis priuati positam.

Faber Stabulens. in Marci 9. Franc. Luc. in Matt. 17.

Aug. serm. 27. de Verbis Apostoli c. 4.

c *Prou. 6. v. 25. & Psal. 118. v. 105. & 130. Ambros. l. 7. in Lucam c. 52.*

℣.20. HOC PRIMVM, seu antè omnia, INTELLIGENTES, certoque vobis persuadentes, QVOD OMNIS PROPHETIA, seu expositio, SCRIPTVRÆ sacræ (*prophetare* enim sæpè pro interpretari vel *docere* vsurpatur, vt aliàs (d) monui,) NON FIT, id est, fieri non debet, nec potest, PROPRIA INTEPRETATIONE] id est, proprio acumine & ingenio naturali & humano, proprio sensu, priuata doctrina vel auctoritate. Idque, quia

d *1. Cor. 14. initio, & in Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 11.*

℣.21. PROPHETIA & S. Scriptura NON EST ALIQVANDO, id est, numquam, ALLATA in orbem VOLVNTATE vel procuratione HVMANA, q.d. Non est inuentum, vel partus humani ingenij sed mentis diuinæ, vtpote *inspirata* & reuelata *sanctis hominibus*, id est, Prophetis hagiographis, ab ipsomet SPIRITV SANCTO] Vnde & explicatio atque A interpretatio Scripturæ, vbicumque dubia vel obscura est, non est petenda ab humano ingenio naturali, sed ab ipsomet Deo, & à lumine supernaturali per Spiritum sanctum (cuius est peculiare charisma seu donum) communicato non cuiuis priuatæ personæ, etiam cerdoni, etiam rustico, etiam feminæ, vt volunt nostri hæretici; sed Ecclesiæ Christi, id est, præsidibus Ecclesiæ, putà Episcopis, ac præ omnibus Episcoporum omnium Episcopo Summo Pontifici, cuius est in Scripturis interpretandis, & omnibus fidei dubijs elucidandis certa & infallibilis auctoritas, vt dixi Matthæi 16. v. 18.

CAPVT II.

Monet cauendum à pseudoprophetis, Prophetarum æmulis & hostibus, putà hæreticis, quorum graphicè describit malignitatem & peruersos mores, & punitionem cælitus imminentem.

℣.1. FVERVNT IN POPVLO Hebræi complures PSEVDOPROPHETÆ, id est, falsi vates & doctores, qui populũ à cultu Dei, à vera fide, à studio virtutum ad vitia, ad apostasiam, ad idola seuocabant, ijque partim antiqui, vt Prophetæ Baal, (e) Sedecias, (f) Hananias (g) & alij: (b) partim recentes, vt Iudas Galilæus, (i) Theodas (k) & alij, de C quibus Iosephus & Eusebius. Simili modo etiam IN VOBIS, seu in Ecclesia Christi, paulatim exsurgent (l) MAGISTRI MENDACES, QVI INTRODVCENT; Græcè, παρεισάξουσιν, id est, clam, furtim & subdolè introducent (simulata pietatis aut reformationis specie & larua) SECTAS; Græcè, αἱρέσεις, PERDITIONIS, id est, pernicios issimas, quæ homines, respublicas & regna integra perdant, & in exitium trahant. Talis erat tum temporis Simon Magus, eiusque discipulus Menander, dein Nicolaus, Saturninus, Basilides, Ebion, Cerinthus. Mox successerũt Gnostici, Valentiniani, Montanistæ, Marcionistæ, & tot alia monstra. Et hoc sit Primũ encomium hæreticorum. Secundum, *negant* DOMINVM; D QVI EMIT EOS id est, negant Christum, qui suo sanguine illos redemit; quod est extremæ ingratitudinis, æquè ac dementiæ. Et licèt non semper verbo negent, negant tamen reipsa, blasphemando ipsum, vel certè debito honore spoliando, quod in omnibus hæreticis, etiam nostri temporis, animaduertes. Tertium encomium, luxuriæ, sacrilegia & portentosæ libidines. Quartum:

e *3. Reg. 18. v. 19.*
f *Ibid. c. 22. v. 6. & 11.*
g *Ierem. 28. v. 1.*
h *Deut. 13. v. 1.*
i *Actor. 5. v. 37.*
k *Ibid. v. 36. Ioseph. l. 2. Belli c. 12. & c. Euseb. in Chron. & Histor.*
l *Actor. 20. v. 30. & 1. Ioan. c. 4. v. 1.*

℣.2. LVXVRIAS EORVM MVLTI, fraudibus illorum seducti, SEQVENTVR. Quintum: VIA DEI, id est, religio Christiana, PER EOS BLASPHEMABITVR, non solùm turpi vitâ, qua etiam Paganis causam dant blasphemandi christianismum: sed etiam E lingua & calamo, quo plurima dogmata blasphema in Christum, in Christi vicarium, in Christi familiam, etiam cælestem euomunt. Sextum:

℣.3. AVARITIA, qua non modò bursas vestras expilant, sed & DE VOBISmet vestrisque animabus NEGOTIANTVR, diabolo illas diuendentes, non claris aut apertis sed FICTIS; Græcè, *fictitijs*, seu fucatis, VERBIS vos circumuenientes.

QVIBVS IVDICIVM, id est. pœna & iusta damnatio cælitus IAM ab OLIM decreta, NON CESSAT, non tardat appropinquare: Græcè, *non otiatur*, id est, non desidet otiosa, sed strenuè accurrit. de qua Isaias: *Præparata est ab heri Topheth, à rege præparata, profunda & dilatata: nutrimenta eius ignis &* Isaiæ 30. v. 33.

ligna

ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. Horrendam multorum hæresiarcharum mortem vide apud Thomam Bosium, & Corn. à Lapide. Et quare parcat Deus vilissimis homuncionibus sibi rebellibus & in se blasphemis, qui

Tho. Bos. de Signis Eccl. Corn. à Lap. hic, v. 1. in fine.

¥. 4. NON PEPERCIT ANGELIS, nobilissimis creaturis, in cœlo PECCANTIBVS, vt alibi (*a*) vidimus; SED horribilem, eamque irreuocabilem, damnationis sententiam in eos extemplò protulit, & RVDENTIBVS INFERNI, id est, catenis infernalibus, putà ignibus gehennæ, quasi vinculis & compedibus diuinæ iustitiæ suæ, de cœlo non octauo firmamenti, (in quo S. Hieron. & ex eo Ascanius Martinengus, Lorinus & Suarez volunt, creatos fuisse dæmones;) sed supremo empyreo (vt alij omnes docent) IN TARTARVM DETRACTOS TRADIDIT ijsdem ignibus quasi lictoribus suis æternùm CRVCIANDOS. Hos *rudentes* graphicè depictos vide apud S. Cyprianum, Augustinum & Gregorium. Porro ex eo quod hîc additur, dæmones, & infrà v. 9. homines *iniquos, in diem iudicij*, seu IN IVDICIVM, RESERVARI CRVCIANDOS, videtur colligere Iustinus, Irenæus, Lactantius, Hilarius & Eusebius, necdum cruciari damnatos, seu homines, seu dæmones, ignibus gehennæ; sed reorum instar, acceptâ iam damnationis sententiâ, adseruari in infernali carcere, vt tempore extremi iudicij educantur ad supplicium. S. Bonauentura vult saltem partem aliquam, etiam essentialis pœnæ dæmonum in diem extremi iudicij differri. Sed hæc ab omnibus alijs Patribus & Doctoribus passim improbantur: & certum est, dæmones omnes, etiam qui in hoc orbe vagantur, igne gehennali ex nunc cruciari. qui enim potuit illos ex cœlo detrahere, facilè potest eosdem in aëre hoc degentes torquere. Deo præter naturam applicante vim illorum sensitiuam, vt vltionem ignis etsi distantis sentiant, tamquam sibi noxiam & se excruciantem. Et cur pœna essentialis differatur promeritis illam iam pridem, & extra viam in termino positis? Denique hic error damnatus est in Concilio Florentino, & alibi sæpiùs. S. Petrus verò supradictis verbis tantùm vult, illos ad solemnem extremi iudicij actum ideo asseruari, quia tunc nobis & toti reliquo orbi palàm innotescet illorum iudicium, damnatio & supplicium, quod nunc nos latet: ac proinde respectu nostri tunc primùm subibunt commeritum supplicium, licet in seipsis, & respectu Dei & aliorum qui illos vident, iam pridem illud subierint. Sic damnatos particulari iudicis sententia ad perpetuas triremes, etsi statim remis applicarentur, possemus tamen dicere, asseruari ibidem vsque ad publicum ordinum regni conuentum & iudicium, si moris esset, vt particulares iudicum singulorum sententiæ in tali publico conuentu, reis omnibus præsentibus, & toto populo spectante, prælegerentur comprobarentur & publicarentur. Atqui ita fiet in extremo iudicio.

a Gen. i. v 1. Hieron. l. 6. in Isaiæ 14. v. 13.

Ascan. in c 1. Genes. Suarez de Angelis l. 1. c. 4.

Cyprian. in Laudibus martyrij. Augst. l. 11. de Ciuit. c. 33. Gregor. l. 8. Moral. c. 11. Iustin. cont. Tryphon. Irenæus l. 5. c. 33. Lactant. l. 7. c. 26. Hilar. can. 8. in Matth. Euseb. lib. 4. Hist. cap. 17. vel 18. Bonauent. in 4. dist. 47. ar. 1. q. 4.

¥. 5. ET ORIGINALI, id est, primæuo, MVNDO, qui fuit ante diluuium, NON PEPERCIT Deus; sed toti IMPIORVM MVNDO, orbi impijs pleno, diluuium *induxit*, solo NOE IVSTITIÆ cultore & PRÆCONE in viuis custodito, *octauo* inter eos (*b*) qui soli per arcam seruati sunt.

b 1. Petr. 3. v. 20.

¥. 6. ET CIVITATES SODOMORVM igne cælesti IN CINEREM REDEGIT ob infanda illorum scelera, solo LOTH per angelos erepto. Nam hic

¥. 8. HABITANS APVD EOS, etsi DE DIE IN DIEM cogeretur obscœnitates eorum, quæ IVSTAM eius ANIMAM mirè CRVCIABANT, coràm intueri vel audire, tamen ASPECTV ET AVDITV IVSTVS ERAT, castis semper oculis & auribus

¥. 10. MAGIS; Græcè, *maximè*, reseruabit cruciandos ignibus æternis hæreticos supradictos, QVI POST CARNEM AMBVLANT, id est, sequuntur carnales appetitus suos & immundas concupiscentias, vt suprà v. 2. Vbi ex τῷ *magis*, colligit Liranus, peccatum *hæreseos* ex S. Petri sententia grauius censeri peccato gigantum ante diluuium, peccato Sodomitarum, & peccato saltem quorumdam dæmonum, ac proinde grauiùs puniendum in gehenna. Quod de obstinatis hæreticis, & maximè de hæresiarchis, non grauatè concesserim, quia hæresis inducit ferè omnia alia peccata, & innumeris innocentibus causa est ruinæ & damnationis æternæ, Sit autem hoc Septimum hæreticorum encomium. Octauum: DOMINATIONEM non Dei tantùm, sed & hominum, id est, magistratus tumciuiles tum Ecclesiasticos, CONTEMNVNT, auersantur, excutiunt, *athei* simul & *adespota*. Nonum: AVDACES. quid enim non audeant qui nec Dei, nec hominum agnoscunt dominium; Decimum: SIBI PLACENTES; Græcè, αὐθάδεις, id est, *procaces*, vt vertit S. Hieron. vel *sui sensus & capitis*, vt Vatablus; Pagninus, *contumaces*, alij, *insolentes, intractabiles, arrogantes*, &c. Sic Wittembergenses Lutherum, licet magistrũ suum, teste Spangenbergio, vocant *philauton, rixosum, polypragmonicon, ingenij ostentatorem, Stoicum, durum, capitosum*, &c. Erasmus verò eundẽ vocat *philautiæ temulentum, odio lymphatum, Oreste insaniorem*. Et ijsdem titulis etiam alios omnes hæresiarchas meritò conestet. Quis enim non philautia temulentos; imò insanos dicat, qui contra communem Ecclesiæ, sanctorumque Patrum doctrinam & consensum, tot sæculis, tot Concilijs firmatum, tot Martyrum sanguine, tot miraculis obsignatum, vt omittam clarissima sacrarum Scripturarum testimonia; audent nescio quas è proprio cerebro confictas opiniones, nouasque hæreses & schismata in Ecclesiam inuehere; audent *blasphemijs* certè horrẽdis & execrandis lacessere non modò domesticos Dei, cælites, eiusque vicarios in terris, pastores & principes, sed & ipsum Deum opt. max. vt suprà (*c*) dicebam. Et hæc audent imbelles homuncionis in causa iniquissima; cùm etiam in optima causa

Hieron. l. 1. cont. Iouinian.

Ioan. Spangenb. in Vera narrat. beneficiorũ per Lutherum, &c.

Erasm. in Apologia contra Lutherum.

c His v. 8

¥. 11. ANGELI, millecuplo potentiores, non audeant (*d*) blasphemare, id est, malum à Deo imprecari, seu dæmoni, seu alijs impijs, licet blasphemis & execratione dignissimis. Cùm enim sint ipsi spiritus sanctissimi simul & purissimi, horrent PORTARE ADVERSVM SE EXECRABILE IVDICIVM, id est, horrẽt vel sola voce vsurpare verbum maledicum vel execratorium, ne videantur vel per vmbram, os suum angelicum contaminare. ita Oecumenius, Sasboldus, Gagneius, Clarius, Salmeron, à Lapide & alij.

d Iud. v 9. & Dan. 10. v. 5. & 12.

¥. 12. HI VERO (& hoc sit Vndecimum hæreticorum encomium,) promiscuè quiduis BLASPHEMANT, maledictis, probris, conuicijs nusquam parcentes, etiam IN HIS QVÆ IGNORANT, aut captum illorum superant: perinde ac si diuina sapientia ac potentia captum ingenij vilissimorum hominum excedere non posset; (vt queritur S. Augustinus de Manichæis:) verè IRRATIONABILIA

Augst. l. 22. contra Faustum c. 15.

BILIA PECORA, quæ solo naturæ ferinæ ardore vel furore aguntur vltrò IN suimet CAPTIONEM ET PERNICIEM, dummodò alios secum trahant in ruinam. S. Ignatius Martyr eos vocat non modò *vulpes, simias, canes rabidos*, sed & *thoës*, genus est luporum,) *serpentes, dracones, aspides, basiliscos, scorpiones.* Duodecimum: CORRVPTIONE SVA venerea *corrumpentur*, vt est in Græco, & PERIBVNT; &, vt Salui anus ait, *in barathro libidinum commorantes, in ipsis se sepeliunt ruinis.*

S. Ign. ep. ad Antiochen.

Salvian. l. 1. ad Eccles. Catholic.

℣. 23. DIEI vnius, id est, breuissimi temporis, turpes DELICIAS EXISTIMANT esse veram ac solidam hominis VOLVPTATEM: meræ COINQVINATIONES ET MACVLÆ, id est, inquinatissimi & maculatissimi homines, probra & dedecora mundi, *à satana subordinati*, inquit Epiphanius, *ac producti in opprobrium & scandalum Ecclesiæ Dei.* Maculas hastam S. Iudas quàm Petrus pro Decimotertio encomio, notant speciatim IN CONVIVIIS eorum, quia plena erant ebrietate, crapula, vomitu, lasciuia & luxuria. Decimumquartum: LVXVRIANTES non inter suos modò, vel suæ farinæ homines, sed & VOBISCVM, vestræ insidiantes castitati, vt solent lenones & prædones. Quem in finem, emissarios suos impudicos

Epiph. hæresi 27. Iudæ v. 12.

℣. 14. HABENT OCVLOS PLENOS ADVLTERII ET INCESSABILIS DELICTI; S. Hier. legit, *insatiabili libidine.* numquam enim dicit libido, *Sufficit*, (*a*) Decimumquintum: PELLICIENTES ANIMAS INSTABILES; Græcè, *inescantes animas imbecilles*, non sat in fide & castitate solidatas. Decimumsextum: COR HABENTES EXERCITATVM AVARITIA, seu rapinis, vt vertit Pagninus & Tigurini. De sola Anglia canit Poëta, *Millia dena vnus templorum sustulit annus.* Decimumseptimum: MALEDICTIONIS; Tigurini, *execrationis* FILII, id est, digni omni execratione & maledictione, coram Deo & hominibus. Sequitur Decimumoctauum encomium:

Hieron. l. 1 contr. Iouinian.

a Prou. 30. v. 16.

℣. 15. SECVTI VIAM, id est, institutum & mores, BALAAM arioli EX patre BOSOR (aliàs *Beor*) (*b*) oriundi. ita Pagninus, Tigurini, Gagneius, Caietanus, Sasbout, Salmeron & alij. Nempe, instar Balaami, (*c*) fingunt errores gratos plebi, & libertatem carnis, vt hac esca pelliciant incautos in suam hæresin.

b Num. 22. v. 5.

c Ibid. c. 25. v. 1.

℣. 16. CORREPTIONEM HABVIT SVÆ VESANIÆ brutmu & MVTVM ANIMAL SVBIVGALE] putà asinam iugum & sessorem ferre assuetam: & sic hæreticos sæpè redarguunt & confutant plebeij, idiotæ, Pagani, Turcæ, inquit Beda pro Decimonono encomio. Audi Vigesimum:

℣. 17. FONTES SINE AQVA, (*d*) doctores doctrinæ expertes, philologi, non philosophi; folia dantes, non fructus. Vigesimumprimum: NEBVLÆ promittentes pluuiam, sed TVRBINIBVS EXAGITATÆ ac dispulsæ, vel nullum præstant humorem, vel non nisi modicum & frugibus noxium. (*e*) Vigesimumsecundum: QVIBVS CALIGO TENEBRARVM, id est, densissimæ tenebræ & caliginosi ignes inferni, RESERVANTVR *in æternum*, vt addunt Græca & S. Iudas. Vigesimumtertium encomium:

d Ierem. 15. v. 18.

e Iudæ v. 13.

℣. 18. SVPERBA VANITATIS; Græcè, ὑπέρογκα, id est, *prætumida*; Tigurini, *vehementer fastuosa*, excelsa, turgida, sed vana, sed inania, sed fallacia, nec aliud LOQVENTES. Vigesimumquartum: PELLICIVNT; Græcè, *inescant*, EOS QVI PAVLVLVM, sed vix, EFFVGIVNT errores, seu illorum, seu alio-

A rum. q. d. Aggrediuntur non veteranos aut solidos in virtute, sed nouitios, sed debiles, sed nutantes: hos *pelliciunt* & ad se retrahunt obiectâ illecebrâ *desideriorum* CARNIS LVXVRIÆ] id est, voluptatum quibus antè assueuerant. v. g. castitatem esse obseruatu impossibilem nullum esse homini liberum arbitrium. Deum esse omnium concupiscentiarum & libidinum auctorem, bona opera non esse ad salutem necessaria, solam fidem sufficere, Christum pro nobis plenè satisfeciisse, ipsius solius iustitia nos iustos esse coram Deo, &c. Vnde Vigesimumquintum:

℣. 19. PROMITTENTES suis LIBERTATEM tum à peccato, tum à pœna peccati, tum à lege diuina, tum à subiectione & obedientia Superiorum, seu politicorum, seu Ecclesiasticorum: CVM IPSI SINT maximè SERVI, & merissima mancipia vilissimi & fœdissimi tyranni, putà CORRVPTIONIS] id est, libidinis, luxuriæ, voluptatis, quæ animum & corpus inficit ac corrumpit. Sed absit, tam vecordes sint Christiani, vt sinant se per tales impostores diuelli à virtute, à fide, à Deo.

℣. 20. SI ENIM, postquam semel IN adeunda COGNITIONE, seu fide Christi & baptismo, *refugerunt* COINQVINATIONES MVNDI, id est, effugerunt inquinamenta errorum, & sordes peccatorum, quibus scatet mundus; RVRSVS illa resorbeant, rursus illis implicentur, & eorum tyrannidi rursus subdantur, fient EIS POSTERIORA DETERIORA PRIORIBVS] (*f*) Grauius enim est malum recidiuæ: & ingratus gratiæ Dei ab ea deseritur, & à dæmone arctiùs habetur, cuius impulsu profundiùs indies vitijs immergitur, & habitus validiores induit. Et hoc sit Vigesimumsextum encomium, Vigesimumseptimum:

f Matt. 12. v. 45. & Item 2. v. 16.

℣. 22. CANIS REVERSVS AD VOMITVM, ET SVS LOTA IN VOLVTABRVM LVTI regressa, res est extremè fœda & abominanda. Vnde Gnostici, id est, *scientes* (hoc nomine se iactabant superbi hæretici, duce Basilide, vt vult S. Hieron. vel Nicolao Diacono Antiocheno, vt S. Augustin. (*g*) vel potiùs Carpocrate, vt tradit Irenæus ipsi coæuus, ab infaris sub hæc tempora emergentes) quos hîc ad digitum ostendere videtur S. Petrus, apud Catholicos nomen sortiti sunt *Borboritarum*, id est, cœnosorum, vel lutosorum, à βορβόρῳ, id est, luto. Et hæc omnia adaptat etiam S. Hieron. Chrysost. Nazianz. Augustt. & Basilius sectæ Agapetarum paulò ante illorum tempora subortæ: sed iure meritò adaptes etiam nostri temporis Hugonosticis, apostatis & hæresiarchis, vt suprà sparsim insinuaui.

g Aug. hæresi 6. Philastrius & alij. Irenæus l. 1. c. 24.

Hieron. de Viris Illustrib. & ad Eustochium de Custodia virginit. Basil. l. de Virginit.

CAPVT III.

Horrorem extremi iudicij, contra Gnosticos alios q; hæreticos, id negantes, acriter inculcat. Differri quidem ad tempus, sed non fore longam moram: differri autem, vt spatium detur peccatoribus pœnitendi & saluti suæ consulendi. Quod idem ait etiam Paulum in suis epistolis inculcasse, in quibus dicit quædam reperiri difficilia intellectu, & ab hæreticis depranari. Denique monet omnes vt in fide & gratia Christi fortes persistant & crescant in dies.

℣. 1. VOBIS Ponticis, Bithynijs ceterisque Asianis, quibus priorem meam epistolam inscripsi, SCRIBO etiam HANC SECVNDAM: QVIBVS duabus epistolis MENTEM SINCERAM (*h*) quidem, id est, puram, simplicem, non fictam, non fucatam, sed fortè nonnihil tepentem aut torpentem, aut monitorum meorum oblitam, EXCITO oppor-

h 2. Cor. 1. v. 12.

opportunâ COMMONITIONE, iteratâ inculcatione & memoriæ refricatione.

¥.3. HOC PRIMVM, seu ante & super omnia, *scitote* & notate, QVOD NOVISSIMIS his DIEBVS, id est, posterioribus temporibus, (quæ legem Mosaicam & Christi aduentum subsequuntur, & in Scripturis (*a*) nouissima tempore vocantur) VENIENT IN DECEPTIONE ILLVSORES] S. Augustinus legit, *illusione illudentes*, id est, fœdissimè hominibus illudentes. Notat Gnosticos tum sui, tum nostri temporis, qui omnia diuina & humana rident, metum numinis, iudicij & vindictæ diuinæ excutiunt, vt ventri & veneri securè vacent.

a *Isaiæ* 2. v.2. *Michæa* 4. v.1. *Ioël* 2. v.28. & 1. *Ioan.* 2. v.18. *August.* 20. *de Ciuit.* c.18.

¥.4. DICENTES irrisoriè, VBI EST PROMISSIO ADVENTVS, seu *præsentia* Christi? vt habent Græca & S. Augustinus: id est, vbi tardat & quando erit aduentus Christi ad iudicium toties promissum & inculcatum; quasi dicant. Numquam aduenier: meræ fabulæ sunt resurrectio corporum, animarum immortalitas, iudicium, gehenna, vita æterna. Sic sentiebant tempore S. Petri, non modò Sadducæi, (*b*) sed & Hymenæus & Philetus, quos S. Paulus (*c*) ideo tradidit Satanæ: item Dositheus teste S. Hieron. Gnostici, teste Philastrio. Et pòst paulò Floriani, Symmachiani, Proclianitæ & Hermiotitæ teste eodem Philastrio & Eusebio: anno Domini 796. Albanenses & alij apud Baronium & nostro sæculo Dauidgeorgiani, Libertini & plures alij; vt videre est apud Stanislaum Rescium, Feuardentium & alios. Sed plures erunt sub finem mundi, qui duce Antichristo, atheismum & epicureismum publicè proclamabunt, vt (*d*) Daniel & S. Paulus futurum prædixerunt.

Aug. ibid.

b *Actor.* 23. v.8. c 2. *Tim.* 2. v.17. *Philast. de hæres.* b. *Euseb. lib.* 5. *hist* c.15. *Baron anno Christi* 1001 *Stanisl Rescius de Atheismis hæreticorum. Feuardent. in Theomachia Calvinistarum.* d *Dan.* 11. v.37. 2. *Thess.* 2. v.4.

Ex QVO ENIM primi & prisci PATRES nostri, Adam, Noë, Abraham, &c. DORMIERVNT, id est, mortui sunt, OMNIA SIC PERSEVERANT sicut AB INITIO *creationis* erant. quasi dicant, Ex tam diuturna rerum omnium constantia præsumere possumus, mundum semper duraturum, vt proindè de occasu illius & futuro iudicio non debeamus esse soliciti. Sed fatui non aduertunt, quòd creaturæ sicut initium & omne Esse suum acceperunt à Deo, ita ab eodem accepturæ sint finem singulis præstitutum, vti clamant omnes Scripturæ, & etiam Ethnici, v.g. Cicero, Aristoteles & alij. Sed hos impostores hæreticos

Arist. apud Ciceronem l.2. de Nat. Deorum.

¥.5. LATET HOC VOLENTES & studio dissimulantes veritatem sat alioqui cognitam. Quòd enim nõ omnia eodem modo semper permaneant quo fuerunt ab initio creata à Deo, vt finguntisti illusores; vel ex eo patet quòd mundus iste, id est, CÆLI ET TERRA semel perierint diluuio, & iterum perituri sint igne conflagrationis in fine mundi: nullo alio id causante quàm VERBO, id est, iussu, seu nutu, DEI, quo sicut CÆLI DE; Græcè, ex, AQVA (*e*) ET TERRA PER AQVAM, seu inter aquam illi immixtam ab initio firmiter & solidè CONSISTVNT, ita per eamdem aquam, quasi diuinæ iustitiæ administram tempore diluuij omnia inundantem perierunt. ita S. August. Oecumen. Beda, Clarius, Catharinus. Caietan. Salmeron, Lessius & à Lapide qui rectè notat, *cælos*, cùm hîc dicuntur diluuio perijsse, non secundum se totos accipi debere, sed tantùm secundùm partem suam infimam & crassiorem terræ, putà aërem mediæ & infimæ regionis: aqua enim diluuij excessit *quindecim cubitis omnes montes*, (*f*) ac proinde etiam mediam attigit regionem aëris. Rursus

e *Genes* 1. v.2. & 7.

August. sup. Lessius de Attrib. diuinis l.13. c.20.

f *Genes.* 7. v.20.

¥.7. CÆLI ijdem ET TERRA QVÆ NVNC SVNT integra & intacta, EODEM VERBO & imperio diuino peribunt iterum igne conflagrationis sub finem mundi, cui IGNI iam *reseruantur* & reponuntur diuinæ prouidentiæ decreto, ad scelera mortalium nouo rursus supplicio vindicanda. Porrò ignis ille, (de quo Sibylla Erythræa, *Decidet è cœlis ignisq; & sulphuris amnis;*) non subsequetur iudicium extremum, vt vult Suarez ex S. August. Prospero & Anselmo; sed præcedet, vt communiter docent SS. Patres, conformiter psal. 96. v.3. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*, & omnia mixta dissoluet in elementa ex quibus compacta fuerant, inquit Lessius: mundumque vniuersum expiabit ab omnibus spurcitijs carnalibus & spiritualibus quibus inquinatus fuit tot sæculis. Mysticè repræsentabit igneum, id est, clarum, exactum, sincerum, acre & efficax iudicium superuenturi mox iudicis Christi, iuxta illud Danielis 7. v.10. *Fluuius igneus rapidusq; egrediebatur à facie eius.*

Aug. lib. 20. *de Ciuit. c.* 16. & 30. *Suarez to.* 2 *parte* 3. *disput.* 57. *sect.* 1. *Lessius sup.*

¥.8. VNVS DIES APVD DOMINVM in cælesti palatio est SICVT MILLE ANNI voluptatum huius exilij: vnde *mille anni* (*g*) quibus differtur iudicium, non pluris apud Sanctos æstimantur, quàm *dies vnus*, inquit Alcazar ex Oecumen. & alijs Patribus. Respondet enim Apostolus irrisoriæ hæreticorum interrogationi suprà v.4. *Vbi est aduentus Christi*; Respondet, inquam, tempus quo aduentus eius differtur, etsi longissimum videatur hominibus in terra viuentibus, tamen breuissimum esse coram Deo, angelis & Sanctis in cœlo.

g *Psalm.* 89. v.4. *Alcazar in Apoc.* 1, v.3.

¥.9. NON ergo absolutè, aut respectu infallibilis iudicij, TARDAT Deus *promissum* Christi aduentum, sed solùm respectu fallacis iudicij & opinionis humanæ. Idque non in damnum, sed in bonum nostrum, vt prolixius habeamus spatium pœnitendi & vitam in melius commutandi. *Neque* enim *vult* (voluntate antecedente, vt Caluinus delirat) ALIQVOS PERIRE, SED, quantum ex se est, optat OMNES, etiam maximè impios, excæcatos & obstinatos, AD POENITENTIAM REVERTI, atque ita *saluos fieri*, vt etiam S. Paulus, (*h*) adeoque & ipse Christus (*i*) docet. Vide Molinam, Vasquez, Valentiam.

h 1. *Tim.* 2. v.4. i *Matt.* 18. v.14. *Molina. Vasq. Valentia in* 1. *p.* q.19.

¥.10. DIES DOMINI VT FVR ADVENIET] Id est, tempus iudicij, iræ & vindictæ diuinæ aderit inexspectatum, & noxium impijs, quasi fur nocturnus: iustis verò aderit suauissimum atque optatissimum, instar aduentus optimi parentis, & amantissimi sponsi. In Græco additur, *in nocte*: traditq; Chrysost. Theophyl. Euthymius in illud Matth. 25. v.6. *Media nocte clamor factus est*, &c. Christum noctu venturum ad iudicium, & quidem in *paschate*, putà eadem hora qua olim percussit primogenita Ægyptiorum: (*k*) imò S. Hieron. ait, hanc esse Apostolicam traditionem. Et quidem facilè crediderim noctu inchoatum iri aduentum Christi, nempe ignem conflagrationis ex insolita aëris agitatione tunc excitandum. Sed ipsum Christi descensum ad iudicium malim cum S. Thoma, Abulensi, Suarez (*l*) & alijs, matutino crepusculo reseruare, vt iudicium in clara luce clarissimè peragatur.

k *Exodi* 12. v.29. *S. Tho.* 3. *p. in Supplem.* q.77. *ar.* 3. *Abulens. in Matth.* 25. l *Suarez* 3. *p.* to.2. *disp.* 57. *August. sup.* c 24. m *Viegas in Apoc.* 21. *Suarez sup. disput.* 58. *sect.* 3.

CÆLI autem qui MAGNO IMPETV TRANSIENT; Græcè, *impetuosè præteribunt*; Tigurini, *in morem procellæ stridebunt*; S. Augustinus, *transcurrent*, accipi possunt tam siderei, quàm aërei, vt accipit Caietanus, (*m*) Viegas, Suarez & à Lapide. Probabile enim est, etiam cœlos sidereos velociùs tunc agitan-

agitandos, vt secum rapiant cælos aëreos pingui vapore & halitu plenos, ad celeriorem accensionem ignis, quo mundus conflagrabit, excitandam. Atque ita aptè intelligi potest quomodo *cæli transituri & commouendi* sint. Qua verò ratione etiam *immutandi, dissoluendi, arsuri & perituri* dicantur, alibi (a) exposui. Nempe secundùm partem sui superiorem, seu quoad cælos sidereos, in maiorem lucem & gloriam transferentur: quoad inferiorem verò sui partem, nempe quoad cælos aëreos, tam spissis nubibus tam horrendis tonitruis, fulgetris, cometis, stellis cadentibus, aliisque meteoris, procellis, tempestatibus perturbabuntur, vt ipsi etiam supremi cæli ardere, & è suis cardinibus conuelli, subrui & euanescere videantur.

a *Psal.* 101. *v.* 27. & *Isaiæ* 34. *v.* 4. & *Iob* 9. *v.* 6.

ELEMENTA VERÒ, putà aëris inferior regio terræ vicina & aqua, seu maria, CALORE, id est, æstu & ARDORE (vt ait v. sequenti,) SOLVENTVR: id est, vt ignis extenuabuntur, & quasi aurum in conflatorio liquabuntur, vt ab iis separentur vapores, exhalationes, & fæces omnes eis iam permistæ. ita S. Thomas & alij Doctores. (b) Absumetur ergo quidquid in aëre est materiæ inflammabilis: in mari quidquid terrenum est, concretum, vel mixtum: TERRA AVTEM, ET QVÆCÚMQUE IN IPSA SVNT, OPERA mixta, seu à naturâ, seu ab arte, stirpitus EXVRENTVR: omnes montes & montium fundamenta, omnes rupes, omnia saxa, omnia metalla instar cerę liquescent, & in primigenia sua elementa resoluentur. Cùm enim omnia mixta ad vsum temporalis vitæ hominum condita sint, vitâ illâ cessante, nulli amplius erunt vsui, ac proinde suis singula principiis & elementis restituentur, inquit Lessius. additque: Fient hæc omnia incredibili fragore & strepitu, saxis ignitis & cineribus in aërem altissimè ejectis, flammâ fumò permixtâ in cælum exeunte, torrentibus sulphuris, & liquatorum vi ardoris metallorum passim decurrentibus. Si enim hæc non rarò, unico monte ardente fiunt, tanta elementorum conturbatione, vt mundus perituri videatur; quid fiet cùm tot simul montes, adeoque & tota terra ab imo ardebit? Ex quibus patet non admodum probabile esse quod ait Moyses Barcepha & quidam alij, paradisum terrestrem post diem iudicij superfuturum: nam vt ait S. Petrus, *terra*, vtique tota, *&* omnia *quæ in ea sunt opera exurentur.*

b *In* 4. *dist.* 48.

Lessius sup.

c *Isaiæ* 30. *v.* 26.

d *Isaiæ* 65. *v.* 17. & *c.* 66. *v.* 22. & *c.* 64. *v.* 4 *Apoc.* 6. 21. *v.* 1. &c.

℣. 13. NOVOS VERO CÆLOS etiam sidereos, non secundùm substantiam, sed secundùm qualitatem nouos, nempe magis lucidos (c) simili modo ET NOVAM TERRAM, id est, nouo decore, puritate, fulgore & ornatu splendentem SECVNDVM PROMISSA Dei per Isaiam (d) & alios Prophetas Iæ pius iterata, EXSPECTAMVS post iudicium extremum, IN QVIBVS nulla amplius iniquitas, sed sola IVSTITIA *habitabit*. B. Anselm. Gulielm. Parisiensis, Picus Mirandul. Abulensis, Caietanus, Salmeron, à Lapide, & Serarius censent paruulos sine baptismo defunctos habitationem suam habituros in terra, quam dicunt, nouis rursum & qui numquam marcescent floribus odoriferis, gemmis, arboribus, fontibus, aliisque ornamentis perpetuò decorandam. Ex quo enim loco poterunt paruuli illi meliùs commodiusque contemplari solem, cælos, astra, mare, ceteraque creata, vt ex iis ad Deum amandum laudandumque assurgant & vitam sine mœrore, tædio vel otio æternùm transigant? vide etiam Vasquez & Lessium.

Anselm in Elucidario. Guil. Paris. apud Dionys. Carthus. in 4. *dist.* 49. *Picus Miran. in Heptaplo. Abulens. in Matth.* 25. *q.* 542. & 548. *Serar. in Iudith* 16. *q.* 2. *Vasquez* 1. 2. *disp.* 134. *c.* 1. &c. *Lessius sup. c.* 23.

℣. 14. SATAGITE, omni studio, omnibus viribus contendite, INVENIRI EI quem nihil latet, IMMACVLATI, id est, sine gratuitoris macula peccati, ET INVIOLATI; græcè, *irreprehensibiles*, IN PACE cum Deo, cum proximo, cum propria conscientia, qua libera à peccatis aduentum iudicis exspectetis animo sereno, hilari & forti. (e)

e *Ad Titum* 2. *v.* 12.

℣. 15. DOMINI NOSTRI LONGANIMITATEM, quâ tardat venire ad iudicium, ARBITRAMINI cessuram ad SALVTEM tum vestram, tum aliorum: SICVT ET PAVLVS SCRIPSIT VOBIS, tum in aliis epistolis, (f) tum maximè in ea quam ad Hebræos, (g) & vestros contribules dedit, vbi Dei longanimitatem passim inculcat, & omnibus Christianis puritatem vitæ, constantiam in fide, spem & alia quæ hac epistola vobis commendaui, etiam ipse commendat. ita Catharinus, Baronius, Salmeron, Bellarm. & à Lapidé.

f *Rom.* 2. *v.* 4. & 1. *Cor.* 3. & 12.

g *Hebr.* 3. *v.* 6. *c.* 10. *v* 36. *Baron. anno Christi* 60. *Bellar. l.* 1. *de verbo Dei c.* 17.

℣. 16. IN QVIBVS à Paulo scriptis QVÆDAM SVNT DIFFICILIA INTELLECTV (notent hoc hæretici qui Scripturas omnes cuiuis, etiam idiotę, faciles esse iactant:) QVÆ Pauli scripta INDOCTI homines ET INSTABILES, atque à fide apostatæ DEPRAVANT; græcè, στρεβλοῦσιν, id est, *detorquent* ex vero & genuino in adulterinum & falsum sensum, vt solent detorquere ETIAM CÆTERAS SCRIPTVRAS sacras: idque non ad vtilitatem SVAM, vt putant, sed AD PERDITIONEM & ruinam æternam, vtpote rei violati diplomatis, & maiestatis diuinæ.

℣. 17. PRÆSCIENTES IGITVR & præmoniti per me de periculo, CVSTODITE VOS; Tigurini, Pagninus, imò S. Augustinus, *cauete vobis*, NE INSIPIENTIVM; græcè, *impiorum*, hæreticorum & fallaciorum, ERRORE & fallaciis TRADVCTI; græcè, *simul cum aliis abducti* & seducti, EXCIDATIS A PROPRIA FIRMITATE Christianæ fidei, gratiæ & pietatis.

EPISTOLA BEATI IOANNIS APOSTOLI PRIMA.

SCRIPTA paulò post conscriptum ab ipso Euangelium, teste Euse- Euseb. lib. hist. c. 24.
bio, nempe bienno ante mortem, vt dixi in præfatione Euangelij: vbi & quis, qualis, quantus fuerit Ioannes, exposui. Neque est vlla controuersia de auctore vel auctoritate huius epistolæ, quæ & stylo & argumento, seu materia, prorsus consentit cum Euangelio Ioannis, vt patet attentè legenti, inquit idem Euse- Euseb. l. 7. hist. c. 25.
bius. Moderni quidem Arriani in Transyluania, propter nimis luculentum testimonium SS. Trinitatis & diuinitatis Christi, illam reiiciunt: sed hoc nomine ab aliis ridentur & exploduntur. Porrò licet Catholica, id est, vniuersalis, sit epistola, scripta in vsum fidelium vbiuis degentium, nominatim tamen missam ad *Parthos* volunt S. Augustt. Idacius & Pontifices Hyginius & Ioannes Secundus, & alij. Par- Augustt. l. 2. quæst. Euang. c. 39.
thorum enim imperium æquè ac nomen tum temporis amplum erat & celebre, & Idacius l. de Trinit.
etiam Persas, pluresque alias Orientis nationes complectebatur, teste Iustino, Ter- Hygin ep. 1. Ioan. II. ep. 1 ad Valer.
tulliano, Plinio. Et plurimi ibidem degebant partim ex Iudæis, partim ex Gentili- Iustin. l. 41. & 42.
bus ad Christum conuersi, vt colligitur ex Actis Apostolorum, Tertulliano & Io- Tertull. de Pallio c. 1. & l. contra Iudæos.
sepho. Sanè Antonius Quadrius Prouincialis Societ. Iesu in India Orientali, & Mi- Plin. l. 6.
chael Barulus in epistolis Goa datis anno Christi 1555. scribunt, etiamnum nonnul- c. 25.
los è Persis fidem Christianam profiteri, eamque S. Ioanni Apostolo acceptam ferre. Actor. 2. v. 9.
Nam S. Ioannem post mortem *Simonis Chananæi*, *Bartholomæi*, & *Thomæ* (quos ex Ioseph. l. 4 Antiq. c. 12. & l. 16.
Sophronio & aliis constat ibidem prædicasse) Persidem & Parthiam adiisse, & fide c. 10. l. 18.
Christi imbuisse, censet Baronius & alij complures. c. 12. Baron. anno Christi 59. &c.

Emerserat sub id tempus duplex hæresis: prior Cerinthi, Ebionis & assectarum, negantium diuinitatem Christi. Altera Basilidis cum suis, negantium veram Christi carnem, seu humanitatem. Vtramque euertit S. Ioannes tum Euangelio suo, tum hac epistola. Euertit & hæresin Simonis Magi eiusque sequacium, solam fidem ad salutem sufficere contendentium: vnde passim præter fidem & fiduciam in Deum, inculcat (quam ex sinu Christi hauserat) charitatem tum Dei, tum proximi, piorum operum exercitia cuique ætati, putà pueris, adolescentibus, senibus præscribit. ita S. Ignatius. Martyr, Tertullian. Epiphanius, Hieron. Eusebius & Augustinus. Ignat. epist. ad Philad. Tertull. de Præscript.

Epiph. hæres 27. 28. 30. Hieron. de de Viris illust. in Ioanne. Euseb. l. 3. hist. c. 27. Augu. tract. 122 in Ioan. & l. de Fide & oper. c. 14.

CAPVT

CAPVT I.

Diuinum Verbum incarnatum ait Apostolus à se visum, auditum & manibus contrectatum: docetq́, cum illo & per illud nos sociari Deo, qui lux est planè expers tenebrarum, quam sectari omnes debeamus: neminem à peccato immunem esse, sed emundari per sanguinem Christi.

℣. 1. ANNVNTIAMVS VOBIS, ô Parthi, ô Christiani, DE VERBO VITÆ] Hebraismo, pro *verbum vitæ*, vt vertit Syrus. Sic Ioel. 2. v. 28. *Effundam de spiritu meo*, id est, spiritum meū. Psalmo 71. v. 15. *Dabitur ei de auro Arabiæ*, id est, aurum: *& adorabunt de ipso*, id est, ipsum. Quod & quale sit hoc *Verbum*, & omnia eò spectantia dixi initio Euangelij S. Ioannis. Hîc vocatur *verbum vitæ*, tum quia essentialiter in seipso est vita, cōtinens formaliter in se vitam infinitè perfectam, & eminenter omnem creatam vitam: tum quia fons est est & causa omnis nostræ vitæ, seu naturæ, seu gratiæ, seu gloriæ. Primis igitur hisce epistolæ & Euangelij sui verbis astruit Apostolus Christi diuinitatem contra Cerinthum & Ebionem; aliis mox sequentibus, contra Basilidem probat Christi humanitatem, non phantasticam, sed realem.

℣. 2. VITA ÆTERNA & increata QVÆ ERAT APVD PATREM] Id est, Verbum, seu Filius, qui ab æterno absconditus latuit in sinu Dei Patris, tandem in fine sæculorum per incarnationem se mundo *manifestauit*, & hominibus aspectabilem in carne & tractabilem præbuit: & nominatim nos eius discipuli toto triennio quo ipsi conuiximus, oculati testes fumus Primò, veræ ac realis naturæ eius humanæ, carnem eius contrectantes manibus nostris, prædicationem eius & oracula audientes, ambulantem, comedentem, omniaque humana exercentem videntes. Secundò, diuinæ eius naturæ nobis per certa & euidentia signa manifestatæ, per vocem cælestem in baptismo eius & transfiguratione, per glorioſam à morte resurrectionem, in cælos ascensionem, & per innumera miracula quæ ad diuinitatem eius comprobandam, ipsum tum per se, tum per nos patrantem vidimus. Huius tam certæ, tam testatæ veritatis vos participes reddidimus, lętum incarnati, passi, rediuiui Verbi nuntium vobis prædicando afferentes,

℣. 3. VT ETiam VOS SOCIETATEM; græcè, κοινωνίαν, id est, communionem bonorum omnium quæ ab ipso proueniunt, HABEATIS NOBISCVM, eâdem fide & religione nobis coniuncti in vna Ecclesia. Quid dico *societatem nobiscum*? ETiam CVM PATRE cælesti, ET CVM FILIO EIVS IESV CHRISTO] Explicat quàm nobilis sit societas Ecclesiæ, nempe quòd sit associatio & perfecta amicitia cum Deo & cum Christo, per fidem, per spem, per fiduciam, per reciprocum amorem, per mutua colloquia, obsequia, gaudia, communicationem bonorum, &c. vt est inter patrem & filium adoptiuum, inter sponsum & sponsam, &c. ita Hesselius, Lorinus & à Lapide.

℣. 4. HÆC autem de societate Ecclesiæ, Christi & Dei, & bonis inde resultantibus, ideo SCRIBIMVS VOBIS, & in memoriam reuocamus, VT proficientes in ea quotidie, GAVDEATIS magis magisque in dies, ET tandem GAVDIVM VESTRVM in cælo fiat omni ex parte PLENVM] (a) quando

a *Ioan* 17. v 13 & *Philipp.* 2. v. 2.

A plenè & perfectè & inseparabiliter vniti eritis Christo & Deo per lumen gloriæ. Sed in quo consistit

℣. 5. HÆC ANNVNTIATIO, id est, societas cum Deo nobis per Scripturas & per Euangelistas annuntiata? Respondet: In eo vt cum Deo ambulemus, seu conuersemur, non IN TENEBRIS infidelitatis vel peccati, sed IN LVCE fidei, gratiæ & virtutis. Cùm enim DEVS natura sua LVX sit, expers prorsus tenebrarum; si velimus illi associari, debemus necessariò tenebris valedicere: alioqui

℣. 6. MENTIMVR non tantùm verbo, sed & facto, quia VERITATEM, seu iustitiam, id est, quod iustum & æquum est, NON FACIMVS, etsi verbo fingamus nos facere.

℣. 7. SI AVTEM IN LVCE fidei, gratiæ, virtutis AMBVLAMVS, in ea perseuerantes & quotidie proficientes, SICVT ET IPSE Deus EST IN plenissima, perfectissima, inuariabili LVCE; eo ipso SOCIETATEM HABEMVS ADINVICEM, id est, associamur Deo, simile simili. & sic participes reddimur bonorum illi associationi connexorum, nempe plenæ remissionis peccatorum nostrorum quoad culpam & pœnam, SANGVINE, id est, profusione sanguinis, seu morte CHRISTI, *emundante* NOS AB OMNI PECCATO, idque vel per baptismum, vel per Sacramentum pœnitentiæ, vel per contritionem, vel per amorem Dei, &c. Non raduntur ergo vel teguntur solùm peccata nostra, vt somniant hæretici; sed plenè *emundantur*, id est, expurgantur, exterguntur, & abolentur, sicut macula aboletur è facie, lutum extergitur è veste, sordes euerruntur è domo. ita Tridentinum & Doctores. Porrò hac gratia Christi omnes egemus: nam *Trid. sess. 6. c. 7.*

℣. 8. SI DIXERIMVS QVONIAM PECCATVM NON HABEMVS: id est, quòd nullum peccatum actuale aliquando facimus, ne veniale quidem, sed sine omni peccato vitam transigimus eo ipso quo in Christum credimus, (vt dicunt Simoniani & Gnostici, & dicent Lutherani ac Libertini) IPSI NOS fallimus & SEDVCIMVS, falsum nobis persuadentes in perniciem animæ nostræ, inquit Oecumenius. Vnde meritò Tridentinum: *Si quis hominem semel iustificatum dixerit, posse totâ vitâ peccata* [b] *omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia*) (b) *anathema sit. In multis enim offendimus omnes*, (c) etiam Apostoli: &, *septies in die cadit iustus.* (d) &, *non est iustus in terra qui non peccet.* (e) *Trid. sup. can. 23.* b *Augustin. de Natura & gratia c. 36.* c *Iacobi 3. v. 2.* d *Prou. 24. v. 16.* e *Eccles. 7. v. 21.*

℣. 9. SI CONFITEAMVR PECCATA NOSTRA, (ea confessione quam Deus exigit & Christus instituit, (f) nempe vt mortifera peccata confiteamur sacerdoti, venialia saltem ipsi Deo;) FIDELIS EST ET IVSTVS Deus, VT sic confitentibus ac pœnitentibus NOBIS PECCATA NOSTRA REMITTAT] Ita enim ipse promisit, (g) & ita meretur sanguis Christi pro nobis in eum finem profusus. (h) ita Thomas Anglicus, Dionysius, Serarius, à Lapide & Bellarminus. f *Ioan. 20. v. 23.* g *Ibid. & Ezech. 18. v. 32.* h *Matt. 26. v. 28.* *Bellarm. l. 1. de pœnit. c. 13. & l. 3. c. 4.*

℣. 10. SI DIXERIMVS QVONIAM NON PECCAVIMVS, sed sine peccato, tam veniali, quàm mortali, vitam continuò egimus; MENDACEM FACIMVS Deum, contrarium, vt iam vidimus, (i) asserentem in Scripturis. (k) ET VERBVM, seu doctrina, EIVS NON *manet* IN NOBIS] nempe illa qua docet, imò iubet, (l) nos quotidie orare, *Dimitte nobis debita nostra.* ita Didymus, Caietanus, Dionysius, & Catharinus. i *Hic v. 8.* k *Ibid. citatis.* l *Matth. 6. v. 12.*

CAPVT II.

Monet fideles vt in societate quam inierunt cum Deo, constanter persistant, cauendo in posterum à peccatis & Dei praeceptis, maximè charitatis, studiosè complendo. Singulas hominum aetates instruit, & ad Dei amorem, & mundi fugam accendit. monet, vt haereticos, quasi Antichristos execrentur: fidem verò & gratiam Dei diligentissimè foueant & conseruent.

¶. 1. HÆC quæ dixi in fine cap. præced. nempe *omnes peccare*, non ideo SCRIBO, vt negligatis cauere peccata, sed VT maiori studio illa euitetis, & saltem grauioribus peccatis aut omnino volùntariè NON PECCETIS in posterum. Quòd SI QVIS tamen humana fragilitate PECCAVERIT, etiam enormi & multiplici peccato; ne desperet vel animum abiiciat: HABEMVS enim APVD PATREM, quantumuis offensum & iratum, pro voto nostro ADVOCATVM; græcè, Παράκλητον, quod etiam significat *patronum*, *mediatorem* & *intercessorem*, vt vertit Vatablus, nempe IESVM CHRISTVM] Neque enim solùm obiectiuè vel interpretatiuè, scilicet exhibendo suas plagas & sua merita conspectui diuino, sed etiam formaliter & propriè dicta oratione orat & interpellat pro nobis, vt ipsemet se facturum promisit, (a) & etiam Paulus testatur: (b) Oratione, inquam, non qua denuò mereatur vel de nouo impetret, (quali orabat dum adhuc esset viator in terris,) sed qua iam comprehensor postulat ius in vita antè promeritum, sibique promissum, ideoque debitum, nempe gratiam nobis & salutem. Vnde S. Ioannes meritò vocat eum *aduocatum* IVSTVM, in quo nihil sit delicti quod retardare possit vel eneruare patrocinium, & qui secum afferat plenum lytrum ac pretium quod ad obtinendam causam exigitur, adeò vt & ipse iustè exigere possit quod postulat:

a *Ioan.* 14. v 16.
b *Rom.* 8. v. 34. & *Hebr.* 7. v. 25.

¶. 2. ET (id est, quia) IPSE EST PROPITIATIO, id est, propitiator, (c) PRO PECCATIS NOSTRIS, nempe, obtulit se in cruce victimam pro peccatis, & offert etiamnum quotidie in Missa,) Deo Patri pro nobis satisfaciendo, eumque nobis reconciliando. Significat S. Ioannes Christum talem nobis esse *aduocatum*, vt à iudice repelli non possit, & nos eo patrono causâ cadere non possimus, eò quòd ipse ex officio sit redemptor & propitiator noster, qui ex iustitia pro peccatis nostris satisfecit, ET NON PRO NOSTRIS TANTVM qui sumus Christiani, SED ETIAM PRO *peccatis* infidelium TOTIVS MVNDI] Pro omnibus enim passus est Christus, omnibus meruit gratiam & gloriam quicumque in eum credere, eiusque merita amplecti voluerint. Pro omnibus etiam in sacrificio Missæ vt hostia propitiatoria, quantum ex se est, quotidie offertur, vt fusè hîc docet noster Iustinianus, Bellarminus & alij. Tales *aduocatos* non facimus Sanctos; vt calumniantur hæretici, sed solùm secundarios aduocatos, deprecatores & intercessores per merita Christi, & vt tales colimus, adoramus, inuocamus, vt prolixè demonstrat Bellarminus. Sed quomodo Christum aduocatum nostrum nobis conciliabimus? Respondet:

c *Proleg. de Idiotismis Hebr. n.* 47.
Bellarm. de Innocat. Sanctorum.

¶. 3. *Cognoscendo*, seu agnoscendo, (d) EVM per fidem pro Domino & Redemptore nostro, & vt tali nos subdendo & adhærendo per fiduciam, amorem, seruitium & cultum. IN HOC AVTEM SCIMVS, QVONIAM sic COGNOVIMVS EVM, SI MANDATA EIVS OBSERVEMVS. (e)

d 1. *Par* 28. v. 9 & *Osee* 6. v. 6.
e *Ioan.* 14. v. 23.

Nota. Hæc cognitio non est planè infallibilis, A neque possumus inde certò scire nos esse iustos, vt putauit Caietanus; sed solùm probabiliter & coniecturaliter vtpote ex signis & effectis probabilibus. Esto enim mandata Dei exteriùs obseruemus, nescimus tamen an ea obseruemus ex amore Dei supernaturali & super omnia. ita definit Tridenti- *Trid. sess. 6.* num, & fusè explicat Bellarminus. *c. 9.*

¶. 5. IN IPSO SVMVS] Id est, associamur, copulamur, adhæremus Deo, sicut membra capiti, filij parenti, sponsa sponso. *Bellarm l. 3. de Iustific. c. 1. & seqq.*

¶. 7. MANDATVM VETVS est mandatum de diligendo Deo & proximo, quia datum fuit non modò Iudæis ab initio legis Mosaicæ, sed & Adæ & omnibus hominibus, quin & omnibus angelis ab initio creationis eorum. Est enim mandatum legis naturæ, dictatum à ratione & à lege æterna, quæ fuit in mente Dei ab æterno. Idem tamen *mandatum* B

¶. 8. NOVVM vocatur etiam ab ipsomet Christo, Ioann. 13. v. 34. ratione noui modi, quo illud Christus, vti obseruauit & explicuit, ita & obseruari præcepit: *Mandatum*, inquiens, *nouum*, seu nouo modo obseruandum, *do vobis*, *Vt diligatis inuicem*, non quo modo Scribæ & Pharisæi diligendos docent, solos amicos, solos Israelitas, solo interno affectu, &c. sed *sicut* ego *dilexi vos*, nempe dilectione feruentissima & officiosissima erga omnes, etiam extraneos, etiam inimicos, prompta etiam ad exponendum sanguinem & vitam pro illorum salute. Qui sanè modus diligendi proximum, nouus erat tum temporis in orbe, & ferè inauditus. ita S. Chrysost. Theophyl. Euthymius, Rupertus, Ioannes Maior, Gagneius, Arias, Caietanus & alij.

QVOD, id est, quæ res, quæ ratio, qui modus diligendi proximum, etsi alibi inter mortales non reperiatur, tamen VERVM EST, id est, reuera reperitur IN IPSO Christo (qui animam suam etiam pro inimicis suis posuit) ET IN VOBIS, qui Christi exemplo idem practicatis, depulsis iam *tenebris* ignorantiæ, iudaismi, gentilismi, peccatorum, &c. ET *vero*, id est, perfecto, (f) *lumine* Euangelij, fidei, gratiæ, charitatis & iustitiæ, IN cordibus vestris IAM (g) *lucente*.

C
f *Ioan.* 1. v 9 c. 6. v. 56. & c. 15. 1
g *Ephes.* 5. v. 8. & *Rom.* 13. v. 12.

¶. 10. QVI DILIGIT FRATREM, id est, proximum, SVVM modo iam dicto, IN LVMINE gratiæ, charitatis, iustitiæ MANET, ET SCANDALVM, seu offendiculum, IN EO NON EST] (h) siue actiuum, vt S. Augustinus exponit; siue passiuum, vt Glossa. Perfecte enim diligens proximum, nulla re, nulla iniuria, nullis moribus offendit vel offenditur: (i) *charitas* enim *patiens est*, *benigna est*, &c.

h *Prou* 15. v. 19 & *psalm* 118. v. 165.
i 1. *Cor.* 13. v. 4

¶. 11. QVI ODIT FRATREM, IN TENEBRIS EST odij, iræ, inuidiæ, quæ rectam rationem planè excæcant, teste etiam Cicerone, Seneca & aliis Ethnicis. ET NESCIT QVO EAT] cæcus enim præcipitatur in pœnam, & nesciens it in gehennam inquit S. Cyprianus.

D
Cicero 4. Tusculan. Seneca l. 1. de Irâ c. 1. Cyp. de zelo & liuore.

¶. 12. SCRIBO VOBIS FILIOLI, IVVENES, PATRES. Tribus ætatum statibus, pueris, adolescentibus, senibus, (Tropologicè, incipientibus, proficientibus, perfectis,) sigillatim adgratulatur donum christianismi bona quæ per ipsum adepti sunt. Pueris, (quos hîc *filiolos*, v. 14. *infantes* vocat tum ætate, tum institutione,) gratulatur, quòd *remissa* sint eis PECCATA per baptismum & pœnitentiam, PROPTER NOMEN Christi, id est, auctoritate & potestate Christi. Item quòd iam *cognouerint Patrem* cælestem, eumque sibi pro patre colendum, amandum, sequendum delumpserint.

¶. 13.

℣. 13. *Patribus*, vtpotè grandæuis, & de multa scientia atque experientia gloriari solitis, accommodè ad genium eorum gratulatur, quòd perfectè norint, & longo vsu probarint EVM QVI AB INITIO EST, seu antiquum dierum, nempe Deum trinum vnum. *Adolescentibus*, luctari, pugnare, vires ostentare gaudentibus, accomodè votis eorumdem adgratulatur, quòd FORTES sint fortitudine Christiana, *viceritq;* MALIGNVM illum & iuratum hostem diabolum, eiusque ministros mundum & carnem: nec passi sint eripi sibi ab his VERBVM DEI, seu Euangelium, quod fide complexi sunt. ita ferè Oecumenius.

℣. 15. SI QVIS DILIGIT MVNDVM, hostem & rebellem Deo, NON EST CHARITAS PATRIS IN EO, vt alibi (*a*) vidimus. NOLITE igitur DILIGERE MVNDVM hunc, aut bona mundo hoc contenta. Primò, quia separant cor à Deo. Secundò, quia nimis vilia sunt, nec digna animo generoso: neque enim mentem hominis oblectant, pascunt, satiant, sed solam carnem & oculos, neque seruiunt nisi vitæ præsenti, sæpissimè præripientes vitam & gloriam æternam.

a *Iacobi 4. v. 4. & Matth. 6. v. 24.*

℣. 16. QVONIAM OMNE QVOD EST IN MVNDO, CONCVPISCENTIA EST; metonymicè, id est, obiectum concupiscibile, vel CARNIS, vel OCVLORVM, spurcis cupidinibus & noxiis illecebris animum illaqueans, inficiens, subuertens. Pro SVPERBIA VITÆ; græcè est, ἀλαζονεία τοῦ βίου, quod Tigurini vertunt, *fastum*; Vatablus, *arrogantiam* & ostentationem facultatum ad vitæ sustentationem pertinentium. De triplici hac concupiscentia, triplici fonte omnium tentationum & peccatorum, vide fusè S. Augustinum, Basilium, Gregorium & S. Thomam. Tertiò, non est diligendus mundus, nec quidquid concupiscibile est in mundo, quia HÆC NON sunt EX PATRE (ita vertit Syrus in plurali,) seu ex Deo, SED EX MVNDO] id est, ex mundi, seu mundanorum hominum corruptione & vitio. Neque enim ex se, suâve naturâ sunt concupiscibilia, (v.g. respectu angelorum, vel Beatorum, vel Adami & Euæ ante peccatum;) sed ex corruptione naturæ humanæ per peccatum originale. Vnde natum, quòd deliciæ, opes, honores, & alia quæ Deus in bonum hominis crearat, versa sint nobis in illecebras & irritamenta concupiscentiæ, *in fascinum*, (b) *in laqueum*, *in muscipulam pedibus insipientium*. (*c*) Quartò, quia

Augustin. l. 10 Confess. c. 30 Basil. serm. Ne affixi simus temporalibus. Gregor. l. 34 Moral. c. 14. vt & l. 31. c. 17. S. Thom. 1. 2. q. 75. a. 5.

b *Sap. 4. v. 12.*

c *Sap. 14 v. 11. & 1. Cor. 7. v. 31. & 2. Petr. 3. v. 11. Sap. 5. v. 9. & seqq. & Ioan. 6. v. 52.*

℣. 17. MVNDVS citò & breuî TRANSIT, (*d*) ET CONCVPISCENTIA EIVS, id est, quidquid in eo delectabile & concupiscibile est. QVI AVTEM FACIT VOLVNTATEM DEI, illum amando, colendo, seruiendo, MANET IN ÆTERNVM] (*e*) non animâ tantùm, sed & corpore: nam in morte non obalium finem illud deponit, quàm vt pro mortali & corruptibili induat immortale & glorioſum. Porrò *mundum transire*, iure meritoque dixerim, quia

d *1. Cor. 7. v. 31. & 2. Petr. 3. v. 11.*

℣. 18. NOVISSIMA iam mundi HORA EST, id est, nouissimum tempus: quo tempore *Antichristum* venturum sæpius AVDISTIS. Atqui plures iam ANTICHRISTI, id est, seductores & impostores antidici & hostes Christi; prodromi magni Antichristi, Ebion, Cerinthus, Basilides, Menander, & alij Simonis Magi asseclæ, in lucem prodierunt: quod signum est, mundum iam senuisse & ad finem vergere. Ætas enim mundi postrema scatebit seductoribus & impostoribus, donec tandem cum capite & principe omnium seductorum, Antichristo (*f*) propriè dicto, finem accipiat. Hæc itaque

e *Ioan. 6. v. 52.*

f *2. Thess. 2. v. 7.*

A mundi hora, seu ætas, etsi nouissima sit, quam nulla alia ætas subsequetur, tamen instar præcedentium ætatum, (g) magnam admittit latitudinem, de qua alibi (*h*) plura. Quod cùm primæui fideles, vt & S. Cyprianus, Lactantius, Hieronymus, Gregorius, & plures alij Patres, non sat aduerterent, putabant suo æuo instare finem mundi. Sed inter prodromos, seu prænuntios, & aduentum regis quem prænuntiant, sæpe magnum est interuallum, vt patuit in penultima & antepenultima mundi ætate inter Prophetas & Christum.

g *Chronic. c. 6.*

h *Apoc. 20. v. 5. 7. &c. Cyprian. l. 4. epist. 6. Lactant. l. 7. c. 25. Hieron. de Monogam. Gregor. l. 4. epist. 38.*

℣. 19. EX NOBIS PRODIERVNT, id est, ex Ecclesia Christi emerserunt hæretici, sicut vomitus è stomacho: SED NON ERANT EX NOBIS solidis & constantibus Christianis: NAM SI de hoc numero FVISSENT, PERMANSISSENT VTIQVE NOBISCVM. SED ideo *egressi sunt* (ita supplet Syrus,) Deo sic permittente, VT MANIFESTI SINT, totique orbi innotescat, quòd NON OMNES qui in Ecclesia sunt, SVNT EX NOBIS] id est, ex numero solidorum & perfectorum Christianorum, quos solos debetis audire, sequi & imitari, q. d. Permisit Deus illos à Christi grege per apostasiam seiungi, vt per hanc seiunctionem vobis innotesceret, non fuisse illos de numero magistrorum & ducum quos sequi, & quibus obedire debetis. Vnde Beza aliique Sectarij malè ex hoc loco inferunt, hæreticos numquam fuisse de Ecclesia. Tantùm enim colligi potest, non fuisse solidos, perfectos, constantes. ita S. Cyprianus, Cyrillus, Hieronymus, Augustinus.

B

Cypr. l. 1. epist. 8. & de Vnitate Ecclesiæ.

℣. 20. VNCTIONEM, id est, gratiam & sapientiam, HABETIS A Spiritu SANCTO, per quam NOSTIS OMNIA ad fidem & pietatem Christianam spectantia. Sicut enim vnctio, id est, gratia & sapientia, quam olim in vnctione recipiebant reges, docebat eos rempublicam regere, Prophetas prophetare, sacerdotes sacra tractare & docere: ita *vnctio*, id est, gratia & sapientia Spiritus sancti, quam vos etiam in vnctione baptismi & Confirmationis accepistis, docet vos, ô Christiani, *omnia* quæ ad fidem & mores Christianos pertinent. ita S. Cyrillus, Irenæus, Gregorius, Turrianus, Sà, Bellar. *Omnia*, ergo, non designant hîc quæcumque sciri possunt: (nam ne quidem Apostolos docebat vnctio sic omnia:) sed quæcumque circa fidem & mores scire Christianos oportebat.

C

Cyrillus Catech. myst. 3. Iren. l. 4. c. 41. Gregor. l. 5. Moral. c. 19. Turr. l. 2. pro epist. Pontif. c. 18. Bellar. l. 2. de Sacram. Confirm. c. 5. & 8.

℣. 22. HIC EST ANTICHRISTVS, id est, aduersarius & hostis Christi, *negans* IESVM ESSE CHRISTVM, esse Filium naturalem Dei, esse promissum mundo Messiam: & consequenter negans in deitate *Patrem* esse, aut Filium, vt negant Iudæi.

℣. 23. OMNIS QVI NEGAT FILIVM in diuinis NEC PATREM HABET in mente & fide, id est, vt vertit Syrus, non credit esse etiam Patrem. Hæc enim sunt correlatiua. Porrò qui negat trinitatem diuinarum personarum, negat etiam deitatis naturam, nempe tam fœcundam eam esse, vt necessariò exigat communicari tribus personis, vt docent Scholastici.

℣. 25. HÆC EST REPROMISSIO, id est, res promissa, QVAM Deus POLLICITVS EST NOBIS (si in ipso per fidem, spem, charitatem constanter maneamus) VITA ÆTERNA] Sic legit S. Augustinus. Hoc stimulo mercedis *vitæ æternæ* solis in fide & pietate constantibus promissæ, deterret Apostolus fideles à consortio Basilidis, Valentini ceterorumque hæreticorum, vt ne patiantur se ab illis decipi vel seduci, atque ita frustrentur optato speratoque præmio vitæ æternæ.

℣. 27. MANEAT solùm IN VOBIS VNCTIO, id est, gratia Spiritus sancti & sapientia, QVAM in vnctione baptismi & Sacramenti Confirmationis AB EO ACCEPISTIS per nostrum & aliorum Apostolicorum virorum ministerium, ET NON NECESSE HABETIS VT ALIQVIS horum pseudo-apostolorū vel apostatarum DOCEAT VOS, quasi necdum plenè instructos. MANETE tantùm & perseuerate cum EO quòd & SICVT VNCTIO VOS DOCET, ET, id est, quia, VERVM EST quidquid docet, ET NON EST MENDACIVM, (a) id est, alienissimum est ab omni errore & falsitate. Nota verò contra Libertinos & alios qui priuatum cuiusque spiritum faciunt interpretem S. Scripturæ, & iudicem controuersiarum fidei; non agi hîc de difficilibus nodis aut dubiis quæstionibus, sed de solis certis articulis & mysteriis fidei, quæ quemlibet fidelem nosse oportet: loquitur enim *scientibus* Ioannes, vt ipsemet ait v. 21. neque excludit instructionem doctorum & pastorum Ecclesiæ, vt fatetur hîc etiam Beza, sed solorum pseudodoctorum. Quorsum enim, posuisset alioqui Deus doctores & pastores in Ecclesia sua? quorsum etiam Ioannes hac prolixa epistola instrueret fideles?

a *Proleg. de Idiotismis Hebr n. 49.*

℣. 29. SI, seu (vt legit Dionysius) quandoquidem, SCITIS, QVONIAM Christus EST IVSTVS iudex, ne coram illo in die iudicij confundamini, sed, FIDVCIAM, libertatem & securitatem *habeatis*, ne sitis (ex doctrina Simonis Magi eiusque assectarum) contenti sola fide, sed cum fide & ex fide, *facite iustitiam*, id est, iusta & sancta opera. OMNIS enim QVI FACIT IVSTITIAM, EX IPSO NATVS EST, (b) id est, filius eius & heres est. Filius autem non confunditur coram patre, sed cum omni fiducia & securitate comparet etiam in eius tribunali. ita Didymus, Oecumenius & alij.

b *Ioan. 1. v. 12.*

CAPVT III.

Inæstimabile diuinæ adoptionis & ex Deo natiuitatis beneficium extollit, & ad illam retinendam media præscribit. Primum, fugam peccati, & studium sanctitatis. Secundum, amorem fraternum, & reliquorum mandatorum Dei custodiam: quæ qui obseruat, omnia quæ à Deo postulat, impetrabit.

℣. 1. QVALEM; græcè, *quantam*, CHARITATEM NOBIS alienigenis, indignis, imò inimicis suis, vltro DEDIT & impertiuit cęlestis PATER, VT FILII DEI NOMINEMVR ET etiam reuera SIMVS. Per spiritum enim nos regenerando, & per gratiam adoptando, *diuinæ naturæ* suæ *consortes* (c) & comparticipes nos facit. Alexander, Romulus, Scipio, Iulius Cæsar & alij Gentiles iactabant se à Ioue, Marte, Venere vel aliis diis genitos, sed falsò: Christiani verè gloriantur se filios esse Dei veri & viui. Sed quò verior, eò etiam acrior debet hic eis esse stimulus ad omnem virtutem, & ad heroica, imò diuina opera patranda, inquit. S. Cyprianus. Verùm si Christiani sunt *filij Dei*; cur adeò despecti sunt toti mundo? Respondet. Ideo MVNDVS NOS NON NOVIT, non æstimat; QVIA NON NOVIT Deum, diuinamque excellentiam, dignitatem, philanthropiam. Noscent autem, sed seriùs, in die Domini, cùm stupentes & gementes dicent: *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum*, &c. Tunc dignitas & excellentia nostra toti orbi manifesta fiet, cùm

c 2. *Petr. 1. v. 4.*

Cypr. l. de Spectacul.

Sap. 5. v. 3.

℣. 2. SIMILES Deo ERIMVS, non naturâ, sed qualitate, felicitate, splendore & gloriâ æternâ. *Erimus* (d) enim *sicut dij*, QVONIAM VIDEBIMVS

d *Gen. 3. v. 5.*

A EVM, non per speculum vel ænigma, sed SICVTI in se EST, & facie ad faciem. Qui verò Deum videt, speciem Dei expressam in mente sibi efformat, putà verbum mentis, quod Deo simile est, & ipsum repræsentat ad viuum. Sed erimus insuper ei similes in animæ & corporis puritate, in impeccabilitate, immortalitate; impassibilitate, possessione & fruitione eiusdem infiniti boni, &c. Sed quis modus hæc assequendi? Primò

℣. 3. *Spes* IN Deo Deique misericordia & prouidentia firmiter locanda. Secundò, studendum *sanctitati*. Nemo enim in cælo similis erit Deo vel Christo in gloria, qui in terra moribus illi dissimilis fuerit. (e) Porrò *sanctitati* repugnat è diametro PECCATVM, quod EST INIQVITAS] quia contrariatur æquitati legis diuinæ: græcè est ἀνομία, id est, deuiatio à lege, præuaricatio legis Dei; vnde reddit nos planè Deo dissimiles, difformes, contrarios, & exosos. Neque tamen propter solam malitiam, fœditatem & damnum quod causat, euitandum nobis peccatum, sed etiam quia exosum est Deo & Christo, vtpote infinitæ puritati & sanctitati. Nam

e *Hebr. 12. v. 14.*

B

℣. 5. ILLE APPARVIT in carne VT PECCATA NOSTRA, tamquam extremè sibi exosa, TOLLERET & aboleret; maluitque in se luenda & suamet morte expianda suscipere, quàm pati diutiùs nos illis fœdari. An non igitur æquum est, fideles satagere, vt ipsi in se quoque peccatum omne aboleant, & sic Christo etiam in hoc similes reddantur, IN quo *nullum* PECCATVM EST aut fuit vmquam, imò nec esse potuit, ob vnionem hypostaticam naturæ humanæ cum persona diuina, in quam (quia actiones sunt suppositorum,) recidisset peccatum, si quod admissum fuisset? Sed modum nosse vis quo

C deuites peccatum? Mane in Christo.

℣. 6. OMNIS QVI & quamdiu IN EO per constantem amorem & debitam obseruantiam MANET, NON PECCAT. QVI verò PECCAT, NON VIDIT, non attendit, NON COGNOVIT, nec agnouit EVM, vt debet seruus dominum, filius patrem, sponsa sponsum agnoscere, reuerendo, timendo, amando, colendo, obsequendo.

℣. 7. NEMO Gnosticorum (f) vel aliorum similium hæreticorum VOS SEDVCAT, docendo sola fide hominem iustificari & saluari. Non enim qui solùm credit, sed QVI FACIT IVSTITIAM plenam & integram, id est, omnia à lege Dei præscripta, IVSTVS EST, & filius & heres Dei. Sicut qui peccat

f 2. *Pet. 2. v. 22.*

℣. 8. EX DIABOLO EST, (g) id est, ex diaboli grege, familia, regno, eum sequendo & imitando, veu filius patrem. QVONIAM DIABOLVS a primo ferè INITIO creationis suæ, iugiter hucusque PECCAT superbiendo, rebellando, odiendo Deum: vnde meritò filij diaboli censentur, qui eum, ceu patrem in peccando sequuntur. Et huc tendit omne studium diaboli, vt quàm plurimos sibi similes filios procreet. SED IN, seu ad, HOC APPARVIT ex opposito FILIVS DEI in carne, VT OPERA artesque DIABOLI, quibus tot myriades hominum miserrimè captiuauit, DISSOLVAT, dissipet, confringat. Ex hoc & similibus locis colligunt plerique Scholastici cum S. Ambrosio, Augustino, Leone, Christum non fuisse incarnandum, si Adam non peccasset. Sed eiusmodi loca id non conuincunt, & non desunt aliæ causæ incarnandi Verbi, vt optimè demonstrat Suarez.

g *Ezech. 16. v. 4.*

Ambr. l. de Sacram. incarnat. c. 61.

Aug. ser. 9. de Verbis Apostoli.

S. Leo ser. 3. de Pentecost.

Suarez in 3. p.

℣. 9. QVI NATVS EST EX DEO, id est, Dei filius &

& iustus est, NON POTEST PECCARE grauiter & mortaliter, putà in sensu formali, seu quantum est ex vi illius status: qui quia SEMEN *Dei*, id est, gratiam tum habitualem, tum actualem, ex quibus quasi ex cælesti semine pullulant omnis generis virtutes (vt Liranus, Caietanus, Hugo & Thomas Anglicus exponunt) continet; reddit iustum, quãdiu in eo statu permanere voluerit, impeccabilem modo iam dicto: sicut status innocentiæ reddebat Adamum immortalem. Sed sicut potuit Adam libertate arbitrij sui peccare, & peccando deserere statum innocentiæ, & sic mori: ita potest eâdem libertate iustus deserere ac negligere *semen Dei*, & ita peccare, & peccando statu iustitiæ excidere. ita S. Augustinus. *August. de Gratia Christi c.21*

℣. 10. IN HOC signo, seu hac tessera, *manifestè* dignoscuntur FILII DIABOLI à filiis DEI, iniustus à iustis, natus ex diabolo à natis ex Deo, nempe quòd NON DILIGAT FRATREM, id est, proximum, SVVM] Dilectio enim proximi, inquit Tertullianus, *summum fidei* nostræ *sacramentum* est, & *Christiani nominis thesaurus, quam Apostolus totis viribus Spiritus sancti commendat.* *Tertull. Lde Patientia.*

℣. 11. HAC charitas EST ANNVNTIATIO, id est res AB INITIO per Apostolos nomine Dei vobis (*a*) annuntiata, & hucusque perpetuò prædicata. *a Ioan. 13. v. 12.*

℣. 12. NON oderimus alterutrum, SICVT CAIN, QVI EX MALIGNO ERAT, id est, ex diabolo, filius, assecla & imitator diaboli. ET ex mera inuidia OCCIDIT Abelem FRATREM SVVM, quòd *frater* obIVSTA, pia & sancta OPERA sua pluris æstimaretur à Deo.

℣. 13. NOLITE MIRARI, Tertull. & S. Fulgentius legunt, *nolite expauescere*, quòd MVNDVS exemplo Caini vos *oderit*. Mirandum esset, si amaret, inquit Didymus. Causas alibi (*b*) vidimus. *Tertull in Scorpiaco c.12. Fulgent. l 3. ad Thrasimundum.*

℣. 14. NOS SCIMVS saltem certitudine morali, (& hoc nobis in his mundi odiis & persecutionibus summo solatio est) *quòd* per fidem & christianismum TRANSLATI SIMVS DE MORTE peccati AD VITAM gratiæ & virtutum, vitam verè cælestem ac diuinam, quæ omnibus odiis superior est. Huius autem vitæ certum indicium est, (quia indubitatus effectus, seu fructus) *quòd* FRATRES, id est proximos propter Deum, DILIGIMVS, sicut Christus dilexit nos. ita S. Basilius & S. Leo, qui tria hęc tamquam indubitata præsentis gratiæ & sanctitatis indicia nobis consignat, humilitatem, iniuriarum condonationem, & si proximo tribuamus quæ nobis impendi vellemus. *b Sap. 2. v. 12. & seqq Matth. 15. v. 18. & Ioan. 15. v. 8.* *Basil. in Regul. breuior. reg. 11 & in disput. fusius, reg. 196. S Leo ser. 8. de Epiphania.*

℣. 15. OMNIS QVI ODIT FRATREM SVVM, HOMICIDA EST, si non actu & opere, certè affectu & voto: difficillimum enim est vt quem oderis, superesse velis. Sic Christus ait, (*c*) eum qui concupiscit vxorem proximi, adulterum esse, quia mœchatur eam in corde suo. ita S. Hieron. Dionys. Carthus. & alij. Actu quoque est spiritualis homicida sui ipsius: priuat enim se gratia sanctificante, in qua vita animæ consistit, & per quam solam obtinetur vita æterna: ita NON HABET VITAM ÆTERNAM per semen gratiæ IN SEMETIPSO MANENTEM: sed reseruat in se semen mortis æternæ ac gehennæ, odium proximi. Sed hoc absit à Christianis. Æmulemur potiùs *c Matth. 5. v. 28.*

℣. 16. CHARITATEM DEI per Christum nobis exhibitam, qui ANIMAM, id est, vitam SVAM PRO NOBIS: (cùm adhuc hostes eius essemus) vltrò POSVIT, vt per mortem suam nos à morte tum præsenti, tum æterna liberaret, & ad vitam gratiæ & A gloriæ traduceret. Quo facto exemplum nobis perfectissimæ charitatis reliquit, quod vt imitemur, DEBEMVS ET NOS pari modo ANIMAM, id est, vitam, PRO FRATRIBVS, id est, proximis nostris; PONERE, saltem quãdo spiritualis necessitas proximi ita exigeret. Longè enim pluris debet nobis esse salus æterna proximi, quàm propria vita corporalis. ita fecit S. Paulus, ità Ioannes, ità omnes Apostoli: ita S. Sebastianus vt Marcum & Marcellianum, ita Vitalis vt Vrsicinum in martyrio nutantes corroborarent, morti seipsos exposuerunt. Quòd si Ethnici Orestes pro Pylade, Nisus pro Euryalo, Damon pro Pythiâ, Decij pro Romana republica, Codrus pro Athenienśi, Leonidas pro Spartana, morti se vltrò deuouerunt, teste Valerio Maximo, Aristotele, Liuio & Plutarcho; negligat id Christianus pro salute proximi sui æterna? Sed quâ viâ inducetur vt vitam ponat, qui induci vix potest vt in vsus egentium pauculos nummos exponat? *Valer. Max. l. 4. c 7. Arist. l. 7. Mor. Eudemior. c. 7.*

℣. 19. IN HOC, scilicet quòd diligamus proximum non solo verbo, sed & opere & vero affectu, tamquam certo signo COGNOSCIMVS *quòd* SIMVS EX VERITATE, id est, ex Deo, qui prima & summa veritas est, id est, quòd simus veri & genuini filij Dei: ET IN CONSPECTV EIVS (qui intima cordium penetrat) SVADEBIMVS, id est, probabimus, CORDA NOSTRA] & hoc quasi irrefragabili argumento, illi persuadebimus, nos esse ex veritate, seu esse veros eius filios. Nempe realis & solida charitas propria est filiis Dei, nec reformidat oculum vel iudicium diuinum, etsi infallibile, inquit Oecumenius.

℣. 20. Quòd SI REPREHENDERIT NOS COR NOSTRVM, scilicet diligere nos proximum sola lingua, non etiam opere & effectu, esto idipsum exterius dissimulemus & contrarium iactemus; frustra facimus, quia Deo imponere numquam poterimus. Si enim hypocrisin tuam non potes celare cor tuum, quomodò celabis eam Deum, qui MAIOR, altior, profundior EST CORDE (*d*) tuo, ET NOVIT OMNIA in eo absconsa, magisque præsens illi est & intimiùs peruidet, quàm tu possis ipse? Si ergo tuum met cor, seu conscientia, te reprehendit & condemnat, quantò magis reprehendet & condemnabit te Deus, præses & iudex conscientiæ tuæ? *d Psalm. 83. v. 7.*

℣. 21. SI COR NOSTRVM in sincero charitatis exercitio NON REPREHENDERIT NOS, FIDVCIAM HABEMVS vice versa & libertatem accedendi pro nostra quoque indigentia AD DEVM, certò *accepturi* AB EO QVIDQVID PETIERIMVS (*e*) pertinens ad salutem. Congruum enim est, vt, si mandatum & placitum Dei implemus, propter ipsum benefaciendo proximis nostris, ipse vicissim impleat voluntatem nostram in iis quæ ad ipsius honorem deposcimus. ita S. Augustinus. *e Psal. 144. v 19. Ioan. 15. v. 7*

℣. 24. IN, seu ex, HOC signo moraliter certò SCIMVS quòd Deus singulari amore & patrocinio MANET IN NOBIS, nempe *ex* SPIRITV (sic habent Græca & Syrus) QVEM DEDIT NOBIS] Id est, ex præsentia Spiritus sancti, eiusque infallibili effectu, seu fructu in nobis producto, putà ex charitate fraterna, ceterisque virtutibus & donis, colligimus quòd fons, auctor & donator eorumdem, Spiritus sanctus, & concomitanter Pater & Filius, habitent in nobis, iuxta illud Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

CAPVT IV.

Docet discernendos esse spiritus, an veritatis sint, ab errorist prolixè commendat charitatem, cuius præcipuos fructus & effectus recenset.

¶. 1. NOLITE OMNI SPIRITVI CREDERE. *Spiritum* vocat inspirationem, suggestionem, impulsum, suasionem, doctrinam: vel, si mauis, ipsum magistrum docentem, suadentem, inspirantem, &c. Alludit verò ad nautas qui non omni spiritui, id est, non cuiuis vento, credunt aut obsecundant, nisi velint in syrtes, scopulos, certumque exitium agi. SED PROBATE ad Lydium lapidem: Syrus, *discernite*, SPIRITVS an EX DEO SINT, an aliunde. Ergo & nostrum spiritum, nostramque doctrinam probate & examinate, inquiunt hæretici. Respondet Primasius, *Iam probati* & improbati *sunt spiritus* vestri *ab Ecclesia* (cui id ex officio incumbit.) *Quid vis tu* rursus *probare quod iam* pridem *improbatum est?* S. Bernardus *sex spiritus* distinguit, diuinum, angelicum, diabolicum, humanum, carnalem & mundanum. Porrò Lydius lapis & tessera veri probatique spiritus, seu doctrinæ *ex Deo* promanantis, hæc est, confiteri corde, lingua, opere

Primas. in Apoc. 2.

¶. 2. IESVM CHRISTVM IN CARNE VENISSE] Id est, Iesum esse Messiam, seu Filium Dei (*a*) humana natura indutum, principem, redemptorem, doctorem & legislatorem nobis à Patre missum, cuius proinde legibus ac doctrinæ in omnibus obsequendum. ita ferè S. Cyprian. Augustin. Oecumen. Didymus & Beda.

a Hic v. 15.

Cypr. l. 2. cont. Iudæos c. 7. 8. &c. Augustin. serm. 31. de verbis Apostoli c. 4.

¶. 3. OMNIS SPIRITVS, QVI SOLVIT IESVM, EX DEO NON EST. q. d. Iesus est quid colligatum & compositum ex diuino supposito & humana natura per vinculum vnionis hypostaticæ: & inseparabiliter illi adnexum est imperium totius vniuersi, & dignitas mediatoris, doctoris & legislatoris independens ab omni creatura. Quicumque compositum hoc *soluerit*, negans vel Iesum esse Deum (vt Cerinthus, Ebion, Menander, Carpocrates & alij apud Irenæum, Epiphanium, Augustinum,) vel esse verum hominem (vt negauit Simon Magus, Eutyches, Manichæus, Dioscorus, &c.) vel vnicam esse personam (vt Nestorius,) vel meritum & gratiam eius esse necessariam (vt Pelagius,) vel leges ipsius, doctrinam & instituta contemnens (vt contemnunt omnes hæretici,) *non est ex Deo*, sed ex diabolo: ET HIC EST ANTICHRISTVS; græcè, *hic est Antichristi*, supple, præcursor: syriacè, *ab Antichristo* famoso illo & celebri, DE QVO sæpius AVDISTIS QVONIAM VENIT (ἐρχεται præsentis est temporis,) id est, venire debet, & certò *veniet*, vt Syrus vertit. ET NVNCIAM IN MVNDO EST, non in persona, sed in spiritu, putà in suis præcursoribus: sicut Ioannes Baptista à Christo vocatur Elias.

Matth. 17. v. 11.

¶. 4. VOS EX DEO ESTIS prognati, & primæ atque infallibili veritati constanter, vt decet genuinos filios, adhæretis, ET ideo VICISTIS EVM, scilicet spiritum Antichristi, spiritum erroris & hæreseos, tentationibus illorum fortiter resistendo, errores conuellendo, blasphemias refutando. S. Cyprianus in imperatiuo legit, vincite illos, non vestris viribus, sed gratia diuina nixi.

Cyprian de Simplic. prælat.

¶. 6. QVI NOVIT, seu agnoscit, DEVM pro Domino & magistro, suo, AVDIT, obedit & sequitur nos Apostolos & legatos Dei. QVI NON EST EX DEO, sed *de mundo*, amans & quærens quæ mundana & terrena sunt, NON AVDIT NOS, qui sola spiritualia, cælestia & diuina inculcamus: sed audit hæreticos satanæ Apostolos, qui mundana & terrena sapiunt, loquuntur, prædicant. *Hæreticus* enim, *est*, secundùm S. Augustinum, *qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatusq; sui causa, falsas ac nouas opiniones vel gignit vel sequitur.*

August. l. de Vtilitate credendi cap. 1.

IN HOC signo, quòd nos cælestia ac diuina, ipsi terrena ac mundana doceant, COGNOSCIMVS, in quibus sit *spiritus* VERITATIS, & in quibus *spiritus* ERRORIS] Hic docet diligere & ambire honores, opes, venerem & delicias: ille Deum super omnia, & proximum vt nos ipsos diligere. Vt igitur ostendamus nos agi spiritu veritatis,

¶. 7. DILIGAMVS NOS INVICEM, sicut Deus & Christus nos dilexit. SPIRITVS enim VERITATIS etiam est SPIRITVS CHARITATIS: & sicut veritas, ita & CHARITAS EST EX DEO, qui est prima, summa & æterna veritas & charitas, (essentialis ipsa natura diuina, notionalis ipse Spiritus sanctus) fons & scaturigo omnis charitatis, seu quam nobis exhibet, (*b*) seu quam in nos diffundit. (*c*) vt S. Chrysost. & Cassianus prolixè docent.

b Hic v. 9. & 19. & Ioan 3. v. 16 c Rom. 5. v. 5. Chrysost. hom. 1. in ep. ad Thessal. Cassian. coll. 16. c. 2.

¶. 8. QVI NON DILIGIT Deum, & proximum propter Deum NON NOVIT, saltem practicè non ostendit se nosse & agnoscere, DEVM *esse* essentialiter & notionaliter & causaliter *charitatem* inexhaustam, summo & incomprehensibili amore nos complexantem: cuius euidentissimum dedit indicium, cùm pro nobis saluandis misit Filium suum vnigenitum, vt vel sic nos ad se redamandum inuitaret.

¶. 10. IN HOC EST maximè elucens Dei erga nos CHARITAS, quòd ipse nulla nostra dilectione, nullo officio, nullo merito prouocatus, imò multis iniuriis & sceleribus à nobis offensus, PRIOR DILEXIT NOS, cùm nos peccatores, inimicos & hostes suos insecutus charitate præuertit, vt ad se reductos saluaret. *Ad hoc* enim *nos dilexit, vt diligamus eum*, inquit S. Augustinus. Vt meritò concludat S. Ioannes, non nosse Deum, non nosse charitatem Dei, quicumque non diligit Deum sic nos diligentem: si enim nosset & agnosceret, quomodo posset non redamare? Verùm cùm impossibile nobis sit, huic amori diuino par pari reddere, saltem præstemus quod pro modulo nostro possumus. Cumque ipsi in seipso (nullius planè indigo) nullum beneficium, nullum obsequium præstare possimus; præstemus eius membris, eius filiis, proximis nostris, quos sibi substituit, vt in eos amorem, quem ipsi exhibitum vellemus, ipsius intuitu expromamus.

¶. 12. DEVM vt in se est, NEMO mortalium VIDIT VMQVAM. Inuisibili autem & inaccesso nullum potes beneficium aut obsequium reipsa præstare. Si tamen id quod potes, amore ipsius præstiteris vicario eius, proximo tuo, ipse ex summo (si opus esset) cælorum vertice ad te descendet, habitabitque & manebit in corde tuo, quasi in optatissimo palatio, throno & thalamo suo. ET hac proximi dilectione CHARITAS Dei, seu quam Deo debemus, PERFECTA IN NOBIS redditur, quia sic Deum non in se solo, sed & in imagine & vicariis eius diligimus & seruimus.

¶. 13. Hoc signo COGNOSCIMVS, *quòd* IN Deo per veram filiationem MANEMVS, ET IPSE paterno affectu IN NOBIS maneat, QVONIAM DE SPIRITV SVO, id est, communicationem spiritus sui,

sui, DEDIT NOBIS] putà fidem, gratiam & charitem, quæ vt sunt dona Spiritus sancti, ita quando illa in nobis experimur, sentimus Dei (qui auctor & donator illorum est) in nobis præsentiam, munificentiam & affectum, seu charitatem erga nos.

¥. 16. ET NOS vt probè COGNOVIMVS, & plenè perspectam habemus, ita etiam nos totos CREDIDIMVS CHARITATI QVAM HABET DEVS IN NOBIS, id est, in nos, seu erga nos, vt vertit Syrus. Et quid dubitemus nos ei credere? DEVS ipsissima per essentiam CHARITAS EST. Est enim per essentiam merum, summum, infinitum bonum, cuius natura est esse sui diffusiuum, & planè plenéque communicatiuum. quod proprium est charitatis. Vnde sequitur, non posse ipsum fallere credentem, sperantem, amantē se; sed se totum suaque omnia ei communicaturum, & in eum diffusurum, vt ex S. Dionysio pulchrè noster Lessius deducit. QVI ergo IN CHARITATE MANET, IN DEO MANET, quia vnum idemque sunt *Deus & charitas*. Manet, inquam, modo charitati proprio, nempe, tamquam obiectum extremè charum, complacens & dilectum: & sic vicissim *manet* DEVS IN EO] Amor enim est occupatio amantis circa amatum, ipsius amati causà: quasi transformans amantem in amatum, & amatum in amantem, per arctissimam vnionem, qua vnum alteri ita adstringit, vt non tam similis illi, quàm vnus idemque cum eo spiritus, vna quasi anima efficiatur. Sic Deus animam amantem non solùm assimilat sibi in moribus & virtutibus diuinis, sed etiam consortem facit (*a*) naturæ diuinæ, eiusdem secum animi, desiderij & affectus: tranquillam, serenam, imperturbabilem, lætam & exultantem tam in aduersis quàm prosperis; Deoque pro omnibus grātias agentem, laudantem, benedicentem, glorificantem: auellit ipsam à terrenis cupiditatibus ad cælestia: omnes eius potentias, sensus, appetitus, amores, operationes, cogitationes, intentiones trahit ad se, vt non nisi Deum & diuina cogitet, intendat, suspiret: nec aliud ei magis in votis sit, quàm per omnia dilecto placere, seruire, gratificari: nihilque gratius accidat quàm pro dilecto plurima maximaque & agere & pati. Atque hos affectus nouis in dies flammis accendit & auget in anima, facitque vt ipsa etiam in proximis suis, adeoque in toto, si posset, mundo, eosdem totis viribus accendere conetur, vt aucto amantium numero, ampliores dilecto suo delicias procreet. Denique

Dionys. de Div. nom. c. 14. Lessius c. 9. de Div. attribut. n. 2. & 3.

a 2. *Petr.* 1. *v.* 4.

¥. 17. CHARITAS IN HOC PERFECTA EST, id est, per hoc perficitur & numeris omnibus absoluitur, quòd annexi & innexi Deo modis iam dictis, inutilem terrorem & timorem malorum, non modò in præsenti, sed & in *futura* vita, nominatimque IN DIE mortis & IVDICII diuini, impendentium excutiamus firma constantique *fiducia* in eundem Deum & in merita Christi. QVIA SICVT ILLE Christus EST semperque fuit cordi & curæ Deo, vtpote Filius eius dilectus, in quo ipsi complacuit: ita ET NOS filij Dei adoptiui, illi curæ & cordi SVMVS IN HOC MVNDO, erimusque toto vitæ decursu, atque etiam in ipsa morte & iudicio: vnde nullam habemus causam timoris vel anxietatis. ita ferè S. Augustinus, Oecumen. & Gagneius.

¥. 18. TIMOR NON EST IN, seu cum, CHARITATE *perfecta* & consummata, vt legit S. Augustinus. *Timor*, inquam, seruilis, scrupulosus, anxius, non tam culpæ, quàm pœnæ, qui tristem reddit hominem & pusillanimem, orituque ex amore proprio, quem vincere & pellere debet amor Dei, vt olim Sara vxor Abrahæ expulit seruam Agar, inquit Origenes, Augustinus, Cassianus & S. Thomas. Etsi enim timor pœnarum & gehennæ non sit malus, imò introducat charitatem, vt docet Tridentinum: imperfectus tamen est, & non nisi famulus charitatis, quo facile est carere, dominâ iam introductâ QVONIAM TIMOR POENAM, Augustinus, *tormentum*; Pagninus & Tigurini, *cruciatum*, HABET] Syrus, *in perturbatione est*. q. d. Timor parit animi perturbationem, cruciatum & tormentum, ob impendens quod metuit malum, seu pœnam: charitas è contrario parit securitatem, lætitiam, voluptatem ob præsens bonum quo gaudet, vt pulchrè docet S. Augustinus, & S. Bernardus.

Gen. 16. v. 6 & c. 21. v. 10.

Trident. sess. 6. c. 6.

Augst. in Soliloq. c. 19 & l. de Gratia Christi c. 26. Bernard. serm. 51. in Cant.

CAPVT V.

Est epistola totius exclusio, in qua repetit, inculcat & confirmat quæ hucusq; de fide & amore in Deum & in Christum & in proximos proposuit, cuius amoris etiam fructus & effectus enumerat.

¥. 1. QVI DILIGIT EVM QVI GENVIT, id est, Patrem cælestem, DILIGIT etiam Christum QVI naturaliter & propriè; diligit etiam quemcumque Christianum, QVI analogicè, per adoptionem & gratiam, NATVS EST EX EO] ita S. Hilarius, August. Beda, Glossa, Hugo & alij. Ex duplici igitur capite

Hilar. l. 6. de Trin.

¥. 2. COGNOSCIMVS & cogimur *diligere* NATOS seu filios DEI, & confratres nostros Christianos, imò omnes proximos, saltem per naturam natos ex Deo. Primò, quia DEVM *diligimus*: atqui qui Deum diligit, diligit & filios Dei. Secundò, quia MANDATA DEI omnia *facimus*: atqui ex primis Dei mandatis est dilectio proximi.

¥. 3. CHARITAS ENIM DEI vera & sincera HAEC EST, seu in hoc consistit, VT CVSTODIAMVS EIVS MANDATA, quæ respectu mandatorum legis Mosaicæ, vt aliàs (*b*) dixi, GRAVIA NON SVNT: absit, impossibilia, vt hæretici blasphemant. Quòd si quæ subinde grauia videantur, id oritur vel ex virium imbecillitate, vel ex tentationum, seu internarum, seu externarum, copia, vehementia, assiduitate. Sed his malis abundè medetur gratia cælestis, quâ Deus continuò filiis suis adest, eosque roborat & inuictos reddit si velint. Vnde facili negotio

b *Matt.* 11. *v.* 30.

¥. 4. OMNE QVOD per fidem & gratiam NATVM EST EX DEO, id est, quiuis fidelis, per eamdem fidem, ceteraque virtutes & gratias fidei coniunctas, VINCIT, debellat, triumphat MVNDVM, mundanasque omnes cupiditates, terrores & insultus. Et quidni vincat mundum, cùm vincat etiam Deum Dominum mundi. *Omnia* enim *possibilia sunt credenti*. Porrò primarium fidei mysterium, quod vobis maximè inculcatum desiderio, est, quòd

Marci 9. v. 23. c *Luca 7. v. 20. & Ioan. 1. v. 15. Apoc. 1. v. 4. Matth. 11. v. 3 Psal. 117. v. 26. Aggei 2. v. 8. Malach. 3. v. 1. & 2. &c.* d *Ezech. 36. v. 25. & Zach. 12. v. 13.*

¥. 5. IESVS non sit purus homo, vt Ebion, Cerinthus & alij hæretici blasphemant, sed etiam FILIVS DEI. Nam

¥. 6. HIC EST QVI VENIT PER AQVAM ET SANGVINEM: id est, hic est Messias, quem vt Prophetæ *venturum*, (*c*) noströque peccata expiaturum partim aqua, (*d*) partim sanguine suo prædixerunt, ita iam *venit & per aquam* baptismi, & per *sanguinem*

nem in cruce profusum expiauit, purgauit, redemit mundum. NON IN AQVA SOLVM, vt Ioannes
a *Ioan* 1. v.16.& 33. Baptista(*a*) (cuius proinde baptismus inefficax fuit ad expianda peccata: (SED IN AQVA simul ET IN SANGVINE filio, *& in spiritu* (vt nonnulli Græci codices addunt:) baptismus enim à Christo institutus expiandi peccata vim habet à Spiritu sancto ex merito sanguinis, id est, passionis Christi. Vnde & SPIRITVS sanctus quoque inter alios omni exceptione maiores testes, TESTIFICATVR *quòd* CHRISTVS *sit* VERITAS, id est, verus Deus, nempe Dei Filius, qui quà Deus, est Verbum, ideoque veritas & sapientia Patris: quà homo est, verus Messias, Dei legatus, & infallibilis interpres voluntatis diuinæ.

℣.7. QVONIAM inter plures testes QVI Iesu Christo TESTIMONIVM DANT quòd sit *Filius* Dei verusque Messias, primarij SVNT sex: TRES IN CÆLO, seu de cælo, PATER æternus, VERBVM diuinum, ET SPIRITVS SANCTVS: qui TRES SVNT distinctæ personæ, licet natura & essentia diuina, & consequenter intellectu, locutione & testificatione de Christo non sint nisi quid VNVM] Græca Complutensia & Regia habent, *hi tres in vnum sunt*, id est, in vnam eamdemque essentiam & testificationem coëunt & conueniunt.

Hieron. præfat. in epistolas Catholicas. Notat S. Hieron. hunc septimum versum ab infidelibus, id est, Arianis translatoribus, quòd nimis apertè comprobaret mysterium SS. Trinitatis & diuinitatis Christi, erasum fuisse è nonnullis Græcis codicibus. Vnde non legit hunc Syrus, Clemens Alexandrinus, Beda, Oecumenius & quidam alij, quos citat Franc. Lucas. Sed correctiora Græca, & omnia Latina, & S. Cypr. Athanasius, Hieron. ceterique Patres, quos citat Bellarminus, denique Concilium Lateranense, cui etiam Græci interfuerunt, constanter cum retinent: neque licet amplius hac de re dubitare, maximè post decretum Conc. Tridentini, iubentis hanc epistolam pro Canonica recipi cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuit, & in veteri Vulgata Latina editione habetur. Porrò testimonium, quod Christo tamquam verò Messiæ & Filio Dei perhibuit *Pater, Verbum & Spiritus sanctus*, Primum fuit in baptismo Christi, quando instituente illo baptismum nouæ legis conformiter
b *Exech. & Zach. sup. Matth.* 3. v.17. prædictionibus Prophetarum, (*b*) Pater publica voce de cælo proclamauit, *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.* & Spiritus sanctus in columbæ specie super ipsum descendit. Secundum in passione, morte & resurrectione Christi: Patre de cælo
Ioan. 12. v.28. proclamante, *Et clarificaui, & iterum clarificabo*: Filio coram tribunali Iudaico & Romano palàm contestante, se Messiam & Dei Filium esse, &
c *Isaiæ* 53. *&c.* mox consummante omnia quæ Prophetæ (*c*) de Messiæ passione, morte & resurrectione prædixerant: Spiritu sancto tot tamque stupendis miraculis ac prodigiis corda etiam obstinatissima percellente. Tertium in missione Spiritus sancti die Pen-
Luc. 24. v.47.& 48. tecostes & deinceps in discipulos Christi & alios fideles, quando conformiter oraculis Prophetarum (*d*) & promissis Christi Spiritus sanctus de
d *Ioel* 2. v.28.& *Isaiæ* 44. v. 3. & *Act.* 2. v.16. *&c.* cælo in forma linguarum ignearum à Patre & Filio missus, toti orbi notum fecit, Christum, vti ipse toties dixerat, esse Dei Filium, Messiam & saluatorem mundi. En tres testes cælestes ac diuinos in vnam hanc veritatem tam multiplici, tam certo, tam liquido testimonio conspirantes. En pari modo

℣.8. ETiam TRES IN TERRA, QVI eiusdem veritatis certissimum luculentissimumque TESTIMONIVM DANT, vt iam insinuaui: nempe AQVA baptismalis emundans & extergens peccata: SANGVIS in morte profusus, redimens mundum vniuersum: ET SPIRITVS sancti charismata tam profusè fidelibus communicata in Pentecoste & deinceps. ita ferè S. Augustin. Ambros. Oecumenius, *Augustin. l.3. cont. Maximin. c.22. Ambros. l.10. in c.22 Lucæ.* Liranus & Glossa. Cùm enim hæc omnia non humanæ, sed diuinæ sint virtutis, & tamquam Messiæ propria, per Messiam à Prophetis (*e*) prædicta sint complenda; liquidò testantur, Iesum, per quem
e *Hic ad v.7. Annotatiu.* completa sunt, esse illum quem Prophetæ prædixerunt, Messiam & Filium Dei. ET HI TRES in terra testes, *aqua, sanguis, & Spiritus*, VNVM quid SVNT, nempe concordia testandi diuinitatem Christi. Non igitur tam arcta vnitate, atque *Pater Verbum & Spiritus*, qui *vnitate* etiam *natura* vnum sunt, inquit S. Augustinus. *Aug. sup.*

℣.9. SI TESTIMONIVM duorum vel trium HOMINVM in vnam eamdemque veritatem conspirantium admittimus, & vt legitimum ac validum ACCIPIMVS, multò magis admittere debemus TESTIMONIVM DEI per sex supradictos (*f*) testes nobis exhibitum: quia diuinum testimonium & infinitis partibus MAIVS EST humano, siue dignitatem & auctoritatem testantis, siue veritatem & certitudinem rei testatæ consideres. *Est* enim *Deus Rom.*3. v.4 per essentiam *verax*, adeoque prima & summa veritas: *omnis autem homo mendax.* QVONIAM HOC, id est, hoc autem, EST TESTIMONIVM DEI, QVOD MAIVS omni humano, QVONIAM; græcè, *quòd*, TESTIFICATVS EST per sex supradictos testes DE Christo, quòd nempe sit *filius sum & verus* Messias.
f *Hic v.7.*

℣. 10. QVI permotus hoc diuino testimonio, CREDIT IN FILIVM DEI, seu in Iesum, HABET TESTIMONIVM illud DEI IN SE pro veraci, liquido & certo. QVI NON CREDIT FILIO tamquã Messiæ & Filio Dei, is MENDACEM FACIT EVM, nempe tam Filium, quàm Patrem & Spiritum sanctum. QVIA TESTIMONIVM quo *testificantur* Iesum esse Filium Dei & Messiam, NON CREDIT, quia *non* HABET illud IN SE pro vero, liquido & certo, sed pro incerto, dubio & fallaci. Quod est extremè blasphemum & iniurium diuinæ maiestati, & infallibili veritati. Sed credat qui volet,

℣. 11. TESTIMONIVM hoc non solùm Christo honorificum, sed & nobis perutile & perneccssarium nos ambabus vlnis amplectimur: QVONIAM VITAM & felicitatem ÆTERNAM DEDIT NOBIS DEVS IN FILIO, seu merito Filij EIVS (cui hoc testimonium datum est) adipisci.

℣. 12. QVI verò per fidem, amorem & obedientiam HABET FILIVM redemptorem sibi & Messiam, HABET VITAM (*g*) gratiæ in re, gloriæ in
g *Ioan.*5. v.35. spe. Et hic est primus fructus viuæ fidei & charitatis. Secundus est:

℣. 14. FIDVCIA impetrandi à Deo *quidquid* PETIERIMVS SECVNDVM VOLVNTATEM EIVS, & conforme nutui, seu legi ipsius, nempe quidquid ad Dei gloriam & salutem nostram conducit. Et sanè experientia ipsa

℣.15. SCIMVS *quòd* PETITIONES, seu postulata talia, certò & infallibiliter AB EO HABEMVS & obtinemus: nec pro nobisipsis tantùm, sed & pro fratribus nostris. Vnde

℣.16. QVI SCIT FRATREM SVVM PECCARE, dummodo PECCATVM NON *sit* AD MORTEM, id est,

est, dummodò non inducat certò (certitudine moraliæternam mortem, eò quòd sit quasi insanabile, seu incorrigibile; PETAT pari fiducia *vitam* spiritualem gratiæ reddi tali fratri, ET DABITVR EI. Sed an tale est aliquod PECCATVM AD MORTEM? EST sanè : nempe quòd ob sui enormitatem & coniunctam obstinationem est quasi immedicabile, saltem iuxta præsentem rerum statum, & communem Dei legem, & per ordinariam gratiam quæ cælitus dari solet. Sicut vulnus vel morbus ad mortem vocatur, qui ægrotanti mortem corporalem via ordinaria infert, cuius proinde desperata est curatio. Tale peccatum dici potest omne illud in quo quis obstinatè perseuerare intendit vsque ad mortem : propriè tamen S. Ioannes notat hic apostasiam à fide ad hæresin vel ad idololatriam. Quod vt enorme peccatum est, ita, quia ex certa fit scientia & malitia, opponens se directè Christo & Deo, à quo solo speranda est curatio, meritò peccatum *incurabile* ideoque *ad mortem* vocatur: & sic etiam Christus Pharisæorum obstinatam infidelitatem vocat *peccatum ad mortem*. Ioan. 8. v. 24. *Si non credideritis quia ego sum* Messias, *moriemini in peccato vestro*. Et S. Paulus *impossibile* ait (*a*) apostatas *renouari ad pœnitentiam*. Et tam ipse, (*b*) quàm *Petrus*, (*c*) *Iudas*, (*d*) & *Ioannes* (*e*) in epistolis suis passim in hoc peccatum inuehuntur. Et sic ferè hunc locum exponunt Origenes, Cyprianus, Hilarius, Hieron. Augustt. Oecumenius, Bernardus, Bonauent. S. Thomas, Gagneius, Suarez, à Valentia, à Lapide & alij.

NON DICO & non impero VT QVIS Deum ROGET PRO ILLO tali : quia non audeo polliceri quòd vitam tali impetrabit. Sic Ieremiæ 7. v. 16. *Noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te*. Sed an, ô S. Apostole, prohibes rogare pro tali? nequaquam, respondet S. Bernardus : *Imò gemat qui illum amat*: & si *non præsumat orare*, saltem *ne desistat plorare*: quia exemplo (*f*) Marthæ & Magdalenæ, humilitas, lacrymæ, verecundia & *fides aliquando recipit, quod oratio non præsumit*.

℣. 18. OMNIS QVI NATVS EST EX DEO, NON PECCAT. Hoc suprà (*g*) explicui. Et hic est tertius fructus viuæ fidei & gratiæ, scilicet præseruatio à peccato, saltem grauiori & mortali, & consequenter à vi & potestate maligni, id est, diaboli : quia GENERATIO DEI, id est, natiuitas noua ex Deo, (metonymia, *generatio*, pro gratia regenerante) quâ fit filius Dei, CONSERVAT & præseruat EVM] Quomodo Christus diabolum exarmarit & eneruarit, vide Cassianum. Sed epilogum iam audiamus epistolæ.

℣. 19. SCIMVS, ô Christiani, & hoc nobis est summo solatio, *quòd* per fidem & gratiam nati svMVS EX DEO, filij & heredes illius : cùm ex aduerso MVNDVS TOTVS IN MALIGNO POSITVS sit] id est, mundani omnes sub misera & tyrannica diaboli (vt Hugo, Dionys. & Glossa exponunt; & peccati (vt Ambrosius, (*b*) Oecumen. Beda, & Liranus) potestate ac dominatu oppressi iaceant. Hoc verò beneficium nacti sumus meritis Christi, qui missu Patris

℣. 20. VENIT in hunc mundum, ET DEDIT NOBIS διάνοιαν, id est, SENSVM, vt Noster vertit; Vatablus, *mentem*; Syrus, *intelligentiam*, seu mentis illustrationem & cognitionem : Clemens Alexandr. id de *fide* exponit; vt per eam certò & firmiter CÓGNOSCAMVS VERVM DEVM, vnum in essentia, trinum in personis : & per eandem fidem ac gratiam SIMVS IN VERO FILIO EIVS pro nobis incarnato, sicut *palmites in vite*, (*i*) rami in arbore, à qua succum & vitam continuò haurimus. HIC Filius æquè ac Pater, EST VERVS DEVS, non participatiuè, sed substantialiter; non adoptione, sed natura, inquit S. Cyrillus, Athanas. & Ambros. Idem Filius est etiam VITA ÆTERNA, tum formalis sua, tum causalis nostra, si ad finem vsque vitæ nostræ in eo permanserimus per constantem fidem, spem, charitatem. *Hæc est vita æterna*, (*k*) vt *cognoscant*, ament, colant, *te solum verum Deum*, & *quem misisti Iesum Christum*. Ante omnia autem, & sit hoc supremum monitum meum :

℣. 21. CVSTODITE VOS A SIMVLACRIS idolorum, seu adornandis, seu adorandis : nullum eis officium, nullum obsequium, nullum honorem præstate: nolite per ea iurare: nolite eis immolata comedere, nolite vlla ratione cultui vel laudibus eorum vos immiscere. Quod monitum Christianis tum temporis inter amicos, imò parentes, Gentiles & idololatras assiduè versantibus erat perneccssarium, ac proinde acriùs inculcandum, inquit Didymus, Oecumen. Liranus & Caietan.

a *Hebr. 6. v. 4.*
b *Ibid. & c. 6. &c.*
c *2. Pet. 2. toto cap.*
d *Iud. tota epistola.*
e *1. Ioan. 2. v. 19. &c. Orig. hom. 12. in Exod. Cypr. de Exhort. Marc. c. 4. Hilar. in psalm. 140. August. l. 1. Retract. c. 19. & de Corrept. & gratia c. 12. Bernard. de Grad. humilit. c. vlt. Bonau. in 2. dist. 43. dub. 1. S. Tho. ibid. & 3. p. q. 86 Suarez 3. p. to. 4 disp 8. sect. 1. Valentia in 3. p. q. 86. a. 1.*
f *Ioan. 11. g 1. Ioan. 3. v. 6. & 9. Cassian. collat. 7. c. 22.*
h *Ambros. in Apolog. Dau. c. 2.*
i *Ioan. 15. v. 1 & 4. Cyrill. 12. Thesauri c. 13. Athan. de sp. cont. Arrium. Ambr. l. 1. de Fide c. vlt.*
k *Ioan 17. v. 3.*

EPI-

EPISTOLA BEATI IOANNIS APOSTOLI SECVNDA.

EODEM (vt videtur) tempore Ephesi scripta, & vel in Parthiam, vel in aliquam Asiæ prouinciam missa quò prima & tertia: eiusdem etiam argumenti & styli, vt accuratè demonstrat Baronius: vt vel hinc pateat esse eiusdem quoque auctoris, putà S. Ioannis Apostoli, non verò alterius alicuius Ioannis, vt quidam olim, teste Eusebio & Hieronymo, censuerunt, & nostro tempore Erasmus; & dubitat Caietanus. Sed S. Irenæus, Athanasius, Clemens Alexandr. Hieron. Augustt. Didymus, Damascen. Oecumenius, Beda, quin & Beza aliique Caluinistæ, S. Ioanni Apostolo vtramque constanter adscribunt, & pro tali recipiendam definit Concilium Carthaginense III. Laodicenum & Tridentinum.

Baron. Annò Christi 99.

Euseb. l. 3. hist. c. vlt. Hieron. de Script. Eccl. in Ioanne. Iren. l. 3. c. 13. Athanas. epist. 39. Hier. ep. ad Paulinum. August. l. 2. Doct. Christ. c. 8. Damas. l. 4 de Fide c. 18. Conc. Carthag. III. c. 47. Laodic. c. 59. Trid. sess. 4. a Chronici c. vlt. in fine.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.

LAudat Electam eiusq; familiam à fide & charitate Christiana, hortaturq; vt in ea constanti persistat, tametq; hereses & hæreticos tum subnascentes, quasi Antichristos, neque vllum cum ipsis commercium aut consuetudinem admittat.

¶. 3. SENIOR omnium tum ætate, tum dignitate (agebat enim tum Ioannes annum vitæ 97. (a) Apostolis omnibus solus superstes:) græcè, πρεσβύτερος seu *presbyter*: quo nomine etiam Episcopi tum temporis appellabantur, teste S. Hieronymo, vtpote ceteris vt dignitate, ita plerumque etiam ætate præcellentes: salutem dicit, & fausta omnia adprecatur ELECTÆ DOMINÆ; græcè, ἐκλεκτῇ κυρίᾳ. Quod *Ecclesiæ* alicuius Asianæ, in qua degebat Caius cui tertia epistola inscribitur, cognomen faciunt Oecumen. & Serarius. Sed hoc refellit sequens ad Caium eodem tempore data epistola, vbi vers. 9. S. Ioannes sat indicat se non scripsisse *Ecclesiæ* illi in qua erat Caius. Vnde alij passim censent particularis matronæ nomen esse, vel proprium (quale est *Iusta, Christina, Exuperantia, Margarita*, &c.) vel certè ei appropriatum, v. g. ob eximiam nobilitatem, dignitatem: virtutem vel officium: fortè Diaconissæ, vel præfectæ Diaconissarum, ad quod electam arbitratur Liranus, Glossa & Thomas Anglicus. Sicut enim Diaconi (b) præfecti eleëmosynis vocabantur *Electi*, (vt & nunc Episcopi recèns creati, sed necdum consecrati:) ita Diaconissæ vocabantur *Electæ*, inquit Cornelius à Lapide. Lucius Dexter *Electam* hanc proprio nomine vocat *Drusiam*, Espècæus *Drusianam*. Causam huic matronæ scribendi videntur Apostolo dedisse Ebion, Cerinthus, vel eorum emissarij Gnostici, qui se in dominæ huius, vtpote primariæ & potentis, familiam & animum per cuniculos sensim insinuare tentabant, vt eam & per eam ceteros Christianos in suam hæresin pellicerent, vt familiare erat hæreticis per feminas, teste S. Hieronymo, hæreses suas propagare. Vnde Apostolus seuerè vetat (c) huic matronæ, vt ne vel *Aue* eis dicat, vel in domum recipiat. De *natis* huius dominæ scribit Clemens Alexandr. *virgines* fuisse, quas domi suæ singulari cura fouebat & instituebat: vti Romæ *Flauia Domitilla* sub idem tempus, & postea Constantinopoli *Pulcheria* Augusta, & aliæ alibi, de quibus noster Raderus. Sed non solas virgines filias, verùm etiam *filios* hic compellari patet ex relatiuo masculino, ΟΥΣ ΕΓΩ ΔΙΛΙΓΟ ΕΝ ΑΛΗΘΕΙΑ, id est, vero ac sincero amore;

Hieron. ep. ad Ctesiphontem. c. v. 10.

Raderus in Aula, Cri

¶. 2. PROPTER VERITATEM, id est veram doctrinam, veram solidamque pietatem, QVÆ inter tot hostes & hostiles insultus, inconcussa, firma & stabilis PERMANET tam in ipsis, quàm IN NOBIS, ET permanebit (voueo & spero) IN ÆTERNVM.

¶. 3. SIT VOBISCVM PAX & omnis prosperitas, IN, id est, cum, VERITATE iam dicta, ET CHARITATE fraterna, vobis adeò commendata. ita ferè Caietanus.

¶. 6. HÆC EST, seu in hoc consistit, CHARITAS quam commendo, VT AMBVLEMVS SECVNDVM MANDATA EIVS] id est, vt obseruemus diuina mandata; quæ non sunt alia quàm mandata dilectionis, partim Dei, (vt sunt tria priora:) partim proximi, vt septem posteriora Decalogi. Causa cur tam operosè vobis hæc inculcem, est

¶. 7. QVONIAM Ebio, Cerinthus, Gnostici & MVLTI alij SEDVCTORES ex inferis emissi EXIERVNT IN MVNDVM, qui spretâ veritate doctrinæ diuinæ, diabolicas inducunt falsitates, & sic euertunt Christianam vnitatem & charitatem: NON CONFITENTVR (d) IESVM esse CHRISTVM, seu Messiam, neque Filium Dei VENISSE IN CARNEM, seu esse incarnatum. Quisquis autem id negat,

b Lucr. 6. v. 5.

L. Dexter in Chronico anno Christi 100.

d 2. Pet. 2. v. 1. 2. Ioan. v. 4.

a Ioan. 4. v. 3. gat, EST ANTICHRISTVS, vt aliàs docui.(a)

℣. 8. VIDETE; Tigurini, *cauete*; Syrus, *custodite*, VOSMETIPSOS à fraudibus & insidiis istorum seductorum, NE PERDATIS QVÆ OPERATI ESTIS; græcè, *ne perdamus quæ operati sumus*, circa vestram instructionem & salutem. Constantes ergo perseuerate, VT MERCEDEM PLENAM, id est, copiosam & abundantem, ACCIPIATIS, & nos vobiscum (vt est in Græco) *accipiamus*. Solâ enim perseuerantia mercedem accipiet, &

℣. 9. OMNIS QVI RECEDIT A DOCTRINA CHRISTI, id est, qui apostatat à fide, vel deflectit à charitate toties per Christum inculcata, DEVM

b 1. Ioan. 2. v. 24. NON HABET (b) sibi patrem, amicum, tutorem.

℣. 10. SI QVIS HANC incarnationis Filij Dei, & charitatis fraternæ DOCTRINAM NON AFFERT, sed contemnit, sed impugnat, sed calumniatur; NOLITE EVM RECIPERE IN DOMVM, NEC AVE, id est, salutem, EI DIXERITIS] Quo præcepto commercium omne cum hæreticis hæreseos spargendæ A causa aduentantibus interdicit.

℣. 11. QVI ENIM tali hæretico dogmatistæ DICIT AVE, seu salutem, vel hospitio illum excipit, COMMVNICAT dogmatibus & OPERIBVS EIVS MALIGNIS] Nam salutando, & multò magis hospitio excipiendo, videtur hæresi illius fauere, applaudere, cooperari, sicut qui meretricantem, furantem vel latrocinantem sciens volensque exciperet, eos foueret, applauderet. ita Nauarrus. Alioqui secluso peruersionis periculo seu tui, seu aliorum, & semoto scandalo, non vetatur iure diuino vel naturæ communicatio cum hæreticis, præsertim si vel necessitas, vel pietas, vel grauis vtilitas eam suadeat. *Nauar. in Manuali c. 17. n. 195.*

℣. 13. SALVTANT TE, ô Electa, FILII SORORIS TVÆ. Ephesi degentis, quæ & ipsa est ELECTA mater & Diaconissa in Ecclesia Ephesina, sicut tu es in Ecclesia aliqua Parthica vel Asiana. Nonnulli codices Græci & Latini hîc addunt, *Gratia tecum, Amen*; Syrus, *Gratia vobiscum Amen*.

EPISTOLA
BEATI IOANNIS
APOSTOLI
TERTIA.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.

B *Caium sibi familiarem laudat ab insigni in hospites charitate: ex aduerso accusat Diotrephis inhospitalitatem & arrogantiam: Demetrium publico Ecclesiæ, suoque testimonio commendat ac breuiter præsentem affuturum significans, salutare iubet amicos.*

c Ioan ep. 2. v. 1. d Rom. 16. v. 23. c 1. Cor. 1. v. 14. Onuph in Coronico. L. Dext in Chron. ad ann. Christi 33 & 70. Doroth. in Synop. Sedul. in Rom. 16.

℣. 1. ENIOR (c) Ioannes salutem dicit CAIO nempe famoso illi *Corinthio*, (d) hospiti S. Pauli (e) & ceterorum discipulorum Christi. Ita passim interpretes: excepto Onuphrio, qui Romanum facit; & Lucio Dextro, qui Hispanum: vterque è tertium vult fuisse Mediolanensem Episcopum; Dorotheus, Ephesinum; Sedulius, Thessalonicensem: Mariana & Serarius volunt eumdem esse cum illo *Caio therapeuta*, seu asceta, ad quem S. Dionysius Areopagita priores quatuor epistolas suas conscripsit. Idem censet Maximus & Georgius Pachymeres S. Dionysij paraphrastes, & Dionysius Carthusianus. Quòd si ita est, fuerit hic *Caius* vir sanè sublimis & egregiè sanctus.

℣. 2. ORATIONEM FACIO; græcè, εὔχομαι, id est, oro, voueo, PROSPERE TE INGREDI, id est, prosperari, fortunari, DE OMNIBVS, seu in omnibus & per omnia, SICVT PROSPERE AGIT ANIMA TVA] id est, ni ipse secundùm animum & corpus. q. d. Optotibi felicissimè cedant omnia quæ familiam tuam, negotia, prouentus & opes concernunt, sicut audio te optimè habere. Qui enim benedixit Noë, (f) Abrahamo, (g) Isaaco, (h) Iacobo,

f Gen. 9. v. 1. g Gen. 22. v. h Gen. 25. v. 11.

(i) Iobo, (k) Ruthæ, (l) Obededom, (m) Iudithę, (n) aliisque hospitalitati addictis, oro vt etiam benedicat (o) *coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui* repleantur *vbertate*.

i Gen 32. v. 29. k Iob 1. v. 10 & vlt. v. 12. l Ruth 3. v. 10. m 2. Reg. 6. v. 11. n Iudith 13. v. 23. o Psal. 64. v. 12. Lucian. in Peregrino.

℣. 3. & 4. per VERITATEM intelligit sinceritatem tum fidei, tum morum. MAIOREM HORVM; græcissimus est, pro, maiorem his, NON HABEO, nec accipere à vobis possim GRATIAM, seu beneficium.

℣. 5. FIDELITER FACIS] græcè, πιστὸν ποιεῖς, id est, *quod fidelem*, seu Christianum, *decet facis*: hospitalitate enim commendatissimi erant olim Christiani, teste etiam Luciano licèt Gentili.

℣. 6. QVOS peregrinos DEDVCES tua hospitalitate per iter suum, id est, facies commodè prosequi iter suum & DIGNE; Syrus, *decenter*, DEO, (cuius ipsi sunt famuli, filij & legati,) si sic perrexeris BENEFACIENS eis, inquit Lorinus.

C ℣. 7. PRO NOMINE ENIM Dei propagando per annuntiationem Euangelij PROFECTI SVNT, inquit Beda, NIHIL stipendij vel subsidij ACCIPIENTES vel admittentes A GENTIBVS, ne videantur quæstum aucupari ex Euangelio. Vnde iure merito

℣. 8. DEBEMVS NOS SVSCIPERE, fouere, omni officio & obsequio prosequi HVIVSMODI præcones Euangelij, VT ministrando illis, COOPERATORES, & consequenter, comparticipes, SIMVS VERITATIS, alieno ore & opera illam promulgantes, inquit Liranus.

℣. 9. QVI AMAT, id est, affectat & ambit, PRIMATVM GERERE, id est, Episcopum agere, IN EIS, id est, inter fideles Corinthios, DIOTREPHES

(quod *à Ioue nutritum* significat: sed erat nomen proprium superbi huius thrasonis,) NON RECIPIT, non agnoscit, non admittit, NOS, nostrasque litteras, nostra præcepta, nostram auctoritatem, nostros confratres.

Nota, solere olim Episcopum, vel, Episcopo absente, eius vicarium (qualis videtur fuisse Corinthi hic Diotrephes,) epistolas, seu Apostolorum, seu aliorum Prælatorum, quæ Ecclesiæ alicui in commune destinabantur, publicè in Ecclesia prælegere: vt fit etiampum in Missa ante Euangelium: & hæc erat quasi tessera amicitiæ & communionis in eadem fidei doctrina. Quòd si Episcopo vel vicario litteræ missæ non probarentur, supprimebat eas: vt hîc faciebat litteris amicorum S. Ioannis ambitiosus Diotrephes, hoc ipso designans, nolle se quidquam cum illis, vel cum S. Ioanne commune habere. Sed

B

✝. 10. COMMONEBO EIVS OPERA; Syrus, *meminero*, recordabor *eorum quæ fecit*; Vatablus & Pagninus, *indicabo*, in lucem proferam, cunctis nota faciam. Lucius Dexter ait, illum ab officio depositum fuisse.

Luc. Dexter sup.

NEQVE IPSE SVSCIPIT vel in hospitium, vel ad Eucharistiæ distributionem, vel ad agapen, seu sacrum conuiuium post Eucharistiam exhiberi solitum, admittit FRATRES in orthodoxa fide nobiscum communicantes: ET EOS QVI SVSCIPIVNT, seu (vt aliqui codices Græci legunt,) *qui volunt suscipere*, EIICIT DE ECCLESIA, id est, de cœtu, seu congregatione fidelium, excommunicando eos, inquit Dionysius: cùm potiùs ipse excommunicandus esset.

1. Cor. 11. v. 20. &c.

✝. 11. QVI BENEFACIT proximo, EX DEO EST per fidem & charitatem natus, Dei filius & imitator, eiusdem cum Deo genij & moris. QVI verò MALEFACIT proximo, tantum abest ex Deo sit, vt *ne* quidem *videat*, seu per viuam fidem agnoscat, DEVM, vt aliàs (*a*) dixi: & consequenter non agnoscetur à Deo dicturo (*b*) in iudicio, *Numquam noui vos: discedite à me, &c.*

a 1. Ioan. 3. v. 6.
b Matth. 7. v. 23.

✝. 12. DEMETRIO fratri tuo (inquit Lucius Dexter) TESTIMONIVM beneficentiæ & pietatis REDDITVR AB OMNIBVS Christianis, testimonio desumpto non ab adulatione, vel falsa opinione, sed AB IPSA VERITATE] id est, à re ipsa verissima ac testatissima, nempe ex ipsis eius factis, ac benefactis, quæ oculis omnium patent & per se clamant. Catharinus & Salmeron insinuant hunc *Demetrium* fuisse Episcopum alicuius prouinciæ Asianæ. Serarius suspicatur fuisse illum ipsum, qui olim præfectus artificum templi Dianæ, Epheſi (vnde hanc epistolam scribit S. Ioannes) contra S. Paulum (*c*) seditionem concitauit: sed postea pœnitens persecutionem in hospitalitatem, perfidiam in propagationem fidei commutarit; sed suspicionem optarim testimonio alicuius, seu Patris, seu noti historici comprobari.

Luc. Dexter sup.

c Act. 19. v. 24.

EPISTOLA CATHOLICA BEATI IVDÆ APOSTOLI.

SCRIPTA saltem ante annum 31. à morte Christi, (*d*) quo (vt Onuphrius tradit) S. *Iudas* cum fratre suo (*e*) Simone Chananæo martyrium in Perside subiuit. Scripta igitur fuit circiter sexennio ante secundam epistolam S. Petri, qui plurimas ex Iudæ epistola sententias pæne verbotenus in suam transcripsit, quas per parallela digestas videre est apud Cornel. à Lapide.

d Chronici nostri c. 1. ad eund. annum. Onuphr. in Chronico suo.

e Chron. nostri c. 46. in fine 4. tabulæ.

Græcè scriptam testatur ipsa phrasis. *Margaritam* meritò dixeris, *quæ sub exigua mole, multorum summam includit sestertiorum*: (*f*) quod de tota S. Scriptura dicebat S. Hilarius: breuis enim, sed fœcunda admodum est epistola, primaria fidei mysteria, morumque Christianorum præcepta paucis verbis complectens. De Canonica eius auctoritate quidam olim, teste S. Hieronymo, dubitarunt, & nuper etiam Caietanus: Lutherus autem & Lutherani vt apocryphan reiiciunt. Sed antiqui Patres (quos, si lubet, vide Coccium & Bellarminum,) eam pro Canonica passim agnoscunt: & pro tali agnoscendam definiunt Concilia Carthaginense, Laodicenum, Romanum sub Damaso, Florentinum & Tridentinum.

f Prolog. de Mose. Hilar can. 6 in Matth. Hieron. l. de Script. Eccles. in Iuda. Iud. Cocceius in Thesaur. Cathol. to. 1. l. 6. p. 370. Bellarm. l. 1. de verbo Dei c. 18. Conc. Carthagin. III. c. 47. Laodic. c. 58. Florent. in Eugenij Pontificis epistola ad Armenos. Trid. sess. 4.

CAPVT

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.

HÆreticorum improbos mores graphicè depingit, & acre Dei iudicium ab Henoch prædictum, ipsis intentat: omnesq; quasi seductores & pestes, cauendos docet: Christianis vero in fide susceptâ constanter persistendum, ne, si deflexerint, contingat illud quod Hebræis, Sodomitis & angelis à Deo apostatantibus. Denique hortatur ad orationem, cãritatem, charissimi & zelum animarum, vt seductos ab hæresibus ad fidem reducant: insigni doxologia epistolam concludens.

✠.1. IVDAS non Iscariotes, sed *Thaddæus*, (*a*) & *Labbæus* (*a*) FRATER Apostoli IACOBI Minoris primi Episcopi Ierosolymitani: frater item *Simonis Chananæi*, vt aliàs (*b*) dixi. Docuit in Asia Minore, vbi florebat schola Simonis Magi & aliorum hæreticorum. Abagarum Edessæ regem ad Christi fidem conuertit, teste Eusebio. Etiam in Idumæa, Mesopotamia, Arabia & Persida prædicasse scribit Nicephorus & alij, (*c*) qui & martyrium eius ibidem cum fratre suo *Simone* constanter obitum, & corporis vtriusque Romam translationem enarrant.

a *Matt.* 10. v. 3.

b *In Chronico sup.*

Euseb. l. 1. hist. c. 13. Niceph. l. 2. c. 4. &c.

c *Martyrol. Rom. 28. Octobr.*

HIS QVI SVNT IN DEO, & in Dei fide, gratia & charitate vniti, ac proinde omnibus meritò DILECTIS; multi legunt ἡγιασμένοις, id est, *sanctificatis*; ET IN IESV, id est, per Iesum, in Iesu fide, gratia & charitate CONSERVATIS, vt ad eamdem antè VOCATIS: græcè, κλητοῖς, id est, *vocatitiis*, quo nomine vocabantur olim Christiani, quasi qui à Deo singulariter essent euocati, eiusque obsequio & cultui per fidem & gratiam mancipati. Hac tam blanda compellatione captat beneuolentiam lectorum, vt attentionem versu sequ. cùm ait, se scribere DE COMMVNI omnium SALVTE, vtique æterna: docilitatem verò cùm *deprecatur*; græcè, *exhortatur*, SVPERCERTARI SEMEL TRADITÆ FIDEI] id est, acerrimè ab ipsis (pro talento & statu cuiusque) propugnari fidem cælitus ita semel traditam, vt postea numquam sit immutanda ex parte Dei, sed ab hæreticis ita acriter impugnatam, vt eripienda ipsis sit ni strenuè caueant.

✠.4. SVBINTROIERVNT ENIM; Regia, *subrepserunt*, id est, clàm, furtim, dolosè ex insidiis se vobis insinuarunt. Sed facilè discernetis has vulpes & lupos: iam enim ab antiquo PRÆSCRIPTI SVNT; græcè, *antea scripti*, & viuis coloribus suis pridem à Prophetis (*d*) & Apostolis, (*e*) adeoque & ab ipso Christo (*f*) descripti sunt, & omnes illorum fallaciæ & artes detectæ ac prænuntiatæ; IN HOC IVDICIVM, id est, conformiter iudicio quod nunc de ipsis feram, nempe quòd sint IMPII, *luxuriosi*, blasphemi, &c. Notat maximè Simonianos, Nicolaitas, Gnosticos & alios de quibus etiam S. Petrus 2. epistolæ suæ c. 2. GRATIAM DEI, id est, Euangelicam libertatem, fœda interpretatione TRANSFERENTES IN LVXVRIAM (*g*) & libertatem carnis, ventris & veneris: ET IESVM, (*h*) qui cum Patre & Spiritu sancto SOLVS est DOMINATOR (*i*) totius vniuersi, & nominatim NOSTER Christianorum DOMINVS, perfidè NEGANTES.

d *Ierem. c. 28. 1010. Zach. 13. v. 4. & 3. Reg. 22. v. 24. &c. & 2. Tim. 3. v. 1. & 2. Pet. 2. 1010.*

e *Matt. 24. v. 24. & 2. Petr. 2. v. 19.*

f *Ibid. v. 1.*

g *Isaiæ 3. v. 17. c. 10. v. 16. Exodi 34. v. 6. & Amos 5. v. 16. &c.*

h *Psalm. 61. v. 12. & psalm. 88. v. 36. Heb. 9. v. 12. & 1. Reg. 16. v. 8. Exod. 33. v. 1. &c. & 1 Hebr. 13. v. 8.*

✠.5. VOLO AVTEM non docere vos, vtpote SCIENTES ita SEMEL (*k*) OMNIA, vt non sit necessum iteratò edoceri: sed solùm COMMONERE, græcè, ὑπομνῆσαι, id est, in memoriam vobis reducere. Quòd, cùm IESVS quà Deus: (*l*) (in nonnullis A Græcis codicibus est, *Dominum Deus*, & ita vertit Syrus & Clemens Alexandr.) POPVLVM suum Hebræum ex *Ægypto* & Ægyptiaca seruitute primò liberasset; SECVNDO, id est, altera vice, eumdẽ PERDIDIT, (*m*) cùm nollet credere Deo per Moysen promittenti introductionem in terram sanctam, ideoque in Ægyptum redire vellet. Subaudi, simili modò Iesus Christianos quos primò per fidem & baptismum saluauit, secundò perdet si à fide apostatent, & ad Simonem, Ebionem, Cerinthum vel alios hæreticos declinent.

m *Exod 32. v. 27. & Num. 11. v. 33. & c. 14. v. 29.*

✠.6. ANGELOS item QVI PRINCIPATVM; græcè, ἀρχὴν, id est, originem, principium, potestatem, principatum, seu originalem præcellentiam in qua creati sunt, putà gratiam sanctificantem, qui constituebantur filij & heredes Dei, & principes regni cælestis (vt contra Magistrum Sententiarum, Bonauenturam; Scotum, Alensem & Hugonem, negantes, dæmones creatos fuisse in gratia, benè probat Vasquez & alij Theologi:) NON SERVAVERVNT, (nempe Deo facti rebelles, eo exciderunt & spoliati sunt, vnde ET DOMICILIVM SVVM, tanto principatu dignum, putà cælum empyreum in quo creati fuerant, coacti sunt *derelinquere*;) RESERVAVIT IN IVDICIVM (*n*) MAGNI illius DIEI, qui seiunget in æternum beatos à damnatis, angelos à dæmonibus: VINCVLIS ÆTERNIS & indissolubilibus diuinæ potentiæ suæ concluserus illos SVB CALIGINE] id est, in caliginoso carcere inferni. Quòd si tam nobilibus creaturis apostatantibus, sibi rebellibus, non pepercit Deus, quantò minùs parcet vilissimis homuncionibus si à Deo ad iuratos eius hostes deflexerint.

Vasquez 2. p. disp. 217. 2. 3. & 4.

n *2. Pet. 2. v. 4.*

✠.7. SICVT SODOMA ET GOMORRHA EXFORNICATÆ, id est, extremò fornicatæ, seu extremam ac pessimam libidinem, putà præposteram, exercentes, ET POST CARNEM ALTERAM, seu alienam ab instituto & vsu naturæ, ABEVNTES, (*o*) masculi masculis, feminæ feminis, bestiis, vel dæmonibus incubis vel succubis se commiscentes, FACTÆ SVNT EXEMPLVM, seu publica diuinæ vindictæ ostensio, POENAM SVSTINENTES IGNIS ÆTERNI] partim qui tunc de cælo delapsus est, cuius etiamnum in lacu Asphaltite durant reliquiæ, vt dixi Genes. 19. partim qui in inferno Sodomitas excepit & torquebit æternùm. ita Isidorus Pelusiota.

o *Sap. 14. v. 26.*

Isid. Pelusiota l. 3. epist. 203.

✠.8. SIMILITER ET HI Nicolaitæ, Gnostici, alijque hæretici, perinde ac *Sodomitæ*, infandis libidinibus CARNEM & naturam humanam MACVLANT: Græca addunt, *sopiti* quasi veterno, & totii obscœnitatibus illis absorpti. Perinde atque Hebræi refractarij ac rebelles, (*p*) DOMINATIONEM, id est, magistratum omnem tum ciuilem, tum Ecclesiasticum, SPERNVNT ac detrectant, somniantes se per Christum liberos factos ab omni Superiorum obedientia. ita Thomas Anglicus, Gagneius, Catharinus, Vatablus, Salmeron & à Lapide. Denique instar Luciferi, MAIESTATEM diuinam BLASPHEMANT, tam ore, quàm opere, vt Epiphanius prolixè testatur. Et an non ingens blasphemia, Christo adimere diuinitatem? & miracula, doctrinam, præcepta illius ridere & exsibilare?

p *Hic v. 5.*

Epiph. hær. 26. &c.

✠.9. CVM MICHAEL ARCHANGELVS; Arabica, *princeps angelorum*, CVM DIABOLO (Æoles *Zabulo* legerent, quia ζ vertunt in ς) id est, *criminatore*, putà *Lucifero*, vel emissario Luciferi, DISPVTANS ALTERCARETVR, seu contenderet, DE MOYSI

MOYSI CORPORE; Michaele detrectante, sata-
na vrgente, vt illud palàm & publicè in terra pro-
missa sepeliretur, atque ita Hebræis in idololatriam
pronis occasio daretur Moysen instar Dei & nu-
minis, diuinis honoribus colendi, vt Iosephum
colere solebant in figura vituli, sub nomine *Apis*
a Gen. 41. v. 43. Chrysost. hom. 5. in Matth. Ambros. l. 2. Offic. c. 7. seu *Serapis*, quod alibi (a) vidimus. ita S. Chrysost.
Ambros. & passim SS. Patres & interpretes. In hac
tam iusta Michaelis, tam iniqua diaboli causa, NON
EST tamen AVSVS Michael INFERRE, seu impin-
gere, diabolo IVDICIVM BLASPHEMIÆ, seu blas-
phemam sententiam, conuicium, maledictum, di-
cendo, Facesse maledicte satan, abi perfide in ge-
hennam, &c. sed modestè ac grauiter illum com-
pescuit, dicens, IMPERET TIBI DOMINVS] græcè,
b Zach. 3. v. 2. *increpet* (b) *te Dominus*, id est, tuam, ô satan, insolen-
tiam ac nequitiam comprimat Deus potenti suo
imperio, ne tantum mali causes populo illius. Por-
rò *blasphemiam*, seu conuicium, vel maledictum,
non est ausus Michael proferre, non quòd diabolum
timeret, sed quòd maledicum verbum tamquam
Hieron. in ad Titum 3. rem se dedecentem proferre timeret, ait S. Hieron.
Hæc Michaelis cum satana altercatio nusquam ali-
bi in Scripturis reperitur, sed S. Iudas eam vel ex
maiorum traditione accepit, vel ex apocrypho li-
Orig. 3. & 4. Periarchon, c. 2. & c. Clem. Alex. l. 6. Strom. bro Henoch, (vt vult Origenes & Hieron.) vel li-
bro Ascensionis Moysis, (quem etiam idem Ori-
genes & Clemens Alexand. citant) sicut S. Paulus
c Act. 17. v. 28. citat versus Arati, (c) Menandri, Callimachi, (d)
d Ad Tit. 1. v. 12. Gentilium Poëtarum: non quòd omnia ab ipsis di-
c Eccli. 4. v. 34. cta probet, sed illa dumtaxat quæ citat. Exemplo
Hieron. l. 2. cont. Ruffin. S. Michaelis, inquit Hugo, magistratui, iudici,
Prælato, imò cuiuis Superiori, abstinendum à ver-
bis iniuriosis & austeriore imperio. (e) Et idem
cuiuis Christiano cum æmulis vel obtrectatoribus
certanti cauendum, inquit S. Hieron.

℣. 10. HI AVTEM proterui & impudentes hæ-
retici BLASPHEMANT promiscuè QVÆCVMQVE
obuia, etiam quæ IGNORANT, quæque captum il-
lorum superant, putà res cælestes ac diuinas, diui-
na attributa, mysteria fidei, &c. QVÆCVMQVE
AVTEM NATVRALITER, seu naturali sensu & ex-
perientia, TAMQVAM bruta & MVTA; græcè, *irra-*
tionalia, ANIMALIA NORVNT, putà ventrem &
venerem, IN HIS porcorum instar & canum non
tam deliciantur, quàm CORRVMPVNTVR, fœdan-
Seneca de Vita beata c. 14. Cicer. in Catone maiore. tur, vitiantur. Et verò Seneca voluptates inducit
quasi feras, quæ heros suos dilaniant: & Architas
apud Ciceronem, *Nulla pestis*, inquit, *capitalior quàm*
corporis voluptas.

℣. 11. VÆ ILLIS Gnosticis, eorumque simili-
f Gen. 4. v. 8. bus aliis hæreticis, QVI IN VIA CAIN (f) *abeunt*, id
est, vitæ ipsius institutum moresque & actus se-
quuntur, putà Dei contemptum, fraternam inui-
g Num. 22. v. 1. & c. & c. 31. v. 15. diam & parricidium. ET ERRORE BALAAM, (g)
nempe deceptione *mercedis*, (sic habent Græca)
oblatæ à Balac rege Moab, EFFVSI SVNT, sicut
ipse, in maledicta, & in impia consilia ad perden-
h Num. 16. v. 1. dum populum Dei. ET CONTRADICTIONE (h)
(sic est in Græco,) id est, rebellione, factione &
schismate vt imitantur impium CORE pontifica-
tum Aaronicum ambientem, ita pari cum illo pœ-
na, *viui ad inferos* descendent. Nominat præ ceteris
impiis *Cainum*, *Balaam* & *Core*, quia hi tres fuerunt
præ aliis hostes veritatis & Ecclesiæ, quam pessum-
dare & perdere voluerunt, veri prodromi & typi
hæreticorum.

℣. 12. HI SVNT IN EPVLIS SVIS; græcè, ἐν ἀγάπαις,
id est, *in charitatibus* (sic vocabant sacra Chri-
stianorum post sumptam Eucharistiam conuiuia,
de quibus consule Tertullianum) MACVLÆ, *com-* Tertull. in Apolog. c. 39.
maculantes (vt vertit Syrus) corpus crapulâ, men-
tem libidine, conuiuas turpibus verbis, aspectibus,
doctrinis: CONVIVANTES, & epulis ac poculis se-
se ingurgitantes, SINE VLLO TIMORE vel reueren-
tia, seu hominum, seu Dei: ouiculas sibi creditas
deglubentes, imò mactantes, & ipsarum carnibus,
sanguine, exuuiis; PASCENTES non pauperes, sed
SEMETIPSOS. (i) i Ezech. 34. v. 2.

NVBES SINE AQVA, steriles, infæcundæ, copio-
sam pluuiam promittentes, sed nullam præstan-
tes. (k) Variis VENTIS & suggestionibus dæmonum k 2. Petr. 2. v. 17.
in varias doctrinas CIRCVMFERVNTVR, instar Eu-
ripi semper fluctuantes, & nunc in hos, nunc in illos
errores, sola innouandi libidine proruentes, inquit
Tertull. Irenæus & Vincentius. ARBORES AVTVM- Tertull. de Præscript. c. 42. Iren. l. 4. c. 5. Vinc. Lirin. contra profanas hæreticorum nouitates.
NALES, id est, finiente autumno non fructus,
sed folia protrudere incipientes, quæ & ipsa mox
hiemali frigore absumuntur, ac proinde prorsus IN-
FRVCTVOSÆ, vt sequitur. ita Gagneius & Salme-
ron. BIS MORTVÆ, primò, dum arescerent: secun-
dò, dum ERADICATÆ sunt, vt subditur.

℣. 13. FLVCTVS FERI & latrantis MARIS, tu-
midi, inquieti, turbulenti, seditiosi, tumultuosi:
sed tandem in pudendam libidinis & crapulæ spu-
mam ac fæcem desinentes. SIDERA ERRANTIA,
& in erroribus prorsus inconstantia. Græcum
ἀστέρες πλανῆται non tantùm significat planetas
septem inferiorum cælorum, sed etiam meteora &
exhalationes igneas in aëre discurrentes, quas Ari- Aristot. l. Meteorol. Plato l. 2. de Republ.
stoteles *stellas erraticas* vocat. Et hoc sensu Plato
mercatores *planetas vrbium*; & Heraclius Impera-
tor milites desultorios, *planetas castrorum* appella-
bat. Longam de hæreticis verè erraticis stellis dis-
putationem vide apud Isidorum Pelusiotam & Isid. Pelus. l. 4. ep. 58. Iod. Coc. in Thesauro Catbol.
Iodocum Coccium. Syrus vertit, *stellas seductrices*;
Arabicus *stellas caliginosas*, quales sunt exhalatio-
nes accensæ quæ instar stellarum in aëre oberrant,
& subinde in terram cadunt: item *ignes* vulgò dicti
fatui, qui viatores in auia vel præcipitia deducunt,
& hæreticos ad viuum repræsentant. QVIBVS pro
errorum *caligine* quam in Ecclesiam inuehunt, &
pro schismatum ac seditionum *procella* quam exci-
tant, vicissim SERVATA EST ac reposita manet
PROCELLA TENEBRARVM (l) simul & ignium in- l 2. Pet. 2. v. 17.
fernalium, non vno alterove sæculo, sed IN Æ-
TERNVM.

℣. 14. DE HIS, supple, hæreticorum iudicio &
damnatione, PROPHETAVIT HENOCH, prophetia
vtique vocali ac verbali, quæ postea verisimiliter,
seu ab ipsomet, seu ab ipsius abnepote Noë in scri-
pta fuit relata, sed posterioribus sæculis multæ illi
fabulæ adiectæ, vt videre est ex iis quas citat Ter- Tertull. l. de Cultu fœminar. c. 10. & l. 4. de Idolatria.
tull. Irenæus, Hieron. August. & alii. Et forsan ex
libro fœ vitiato gemmam hanc, vt genuinam sele-
git S. Iudas; vt in simili fecit v. 9. Prophetia verò Iren. l. 4.
Henochi hæc est: ECCE de cælo VENIT DOMINVS c. 30.
Iesus tempore à Deo præfixo, nempe in fine mun- Hieron. de Script. Eccles. in Iuda. August. l. 15
di, IN, id est, cum, SANCTIS MILLIBVS SVIS, (m) Civ. c. 23. & l. 18. c. 38.
stipatus innumeris legionibus angelorum & San-
ctorum: vt m Deut. 33. v. 2. & Marth. 25. v. 31.

℣. 15. *Faciat* IVDICIVM CONTRA OMNES; Ara- n 2. Pet. 3.
bicus, *vt iudicetur omnis caro*; DE OMNIBVS DVRIS
verbis & iniuriis in proximum, & querulis, male-
dicis, blasphemis in DEVM. Inculcat ex Henocho
nominatim iudicium extremum S. Iudas, quia
Gnostici illud negabant. (n)

℣. 16. HI *Gnostici*, alijque hæretici, SVNT isti v. 4.

de

de quibus Henoch loquitur, QVERVLOSI MVRMVRATORES (græcè γογγυσαὶ, id est, *susurrones*,) de arctitudine legis Christianæ, de seueritate diuinæ iustitiæ, de prouidentiæ inæqualitate, imò iniquitate, &c. clàm multa mussitantes, palàm liberè detrahentes, neque ex diuino nutu regi vel duci volentes; sed SECVNDVM DESIDERIA SVA; græcè, *concupiscentias suas*, vt effrænes equi & muli, AMBVLANTES. solius QVÆSTVS & lucri CAVSA MIRANTES, suspicientes, colentes, & fictè *laudantes*, vt Syrus vertit, PERSONAS primarias; illustriores, opulentiores: Vide nostrum August. de Quiros.

✠. 18. ILLVSORES, qui omnia diuina & humana petulantissimè irrident, *qui* sua hypocrisi *simplices decipiunt*, inquit Dionysius.

✠. 19. QVI SEMETIPSOS SEGREGANT ab Ecclesia vt militante, ita triumphante, & consequenter à Christo & à Deo. Quid mirum? ANIMALES sunt, & instar brutorum animalium, NON HABENT pro duce SPIRITVM] id est, rectam rationem, sed solos sensus & carnales appetitus gulæ; libidinis, auaritiæ, superbiæ, &c.

✠. 20. VOS AVTEM, ô Christiani, SANCTISSIMÆ VESTRÆ FIDEI, quam pro fundamento spiritalis fabricæ iam pridem in baptismo iecistis, SVPERÆDIFICATE per continuum exercitium spei, charitatis, aliarumque virtutum, VOSMETIPSOS in augustum & gratum Deo palatium, (*a*) non propriis nixi viribus (vt hæretici) sed IN SPIRITV SANCTO ORANTES, & orationi iungentes

a 1. *Pet.* 2. *v.* 1.

✠. 21. *Dilectionem* DEI, & propter Deum etiam proximi. In his exercendis SERVATE VOSMETIPSOS & continuò perseuerate, EXPECTANTES immensam Dei MISERICORDIAM, & CHRISTI gratiam, quæ vos perducat IN VITAM ÆTERNAM] Neque in solos fideles optem exerceri charitatem, sed etiam, & quidem vel maximè, in seductos in hæresin.

✠. 22. ET HOS QVIDEM, nempe hæresiarchas & hæresis doctores, quia IVDICATOS ipsâ facti euidentiâ, &, vt Paulus loquitur, *proprio iudicio condemnatos* schismatis & hæreseos, ARGVITE; græcè, ἐλέγχετε, id est, redarguite, conuincite, saltem apud populum, vt errore & nequitiâ eorum patefactâ, ab omnibus vitentur & explodantur.

Ad Tit. 3. *v.* 11.

✠. 23. ILLOS VERO qui incipiunt hæreticis auscultare, in fide nutare, vel etiam à fide decidere, SALVATE quâ potestis arte; industria & celeritate, quasi infantulos in ignem prolapsos & ambustos, celeri accursu DE IGNE, (*b*) tum præsentis Gnosticorum libidinis, tum futuræ infernalis flammæ, etiam nolentes, etiam per vim RAPIENTES. (*c*)

b *Ioh* 31. *v.* 12.

c *Amos* 4. *v.* 11.

ALIIS AVTEM seductis quidem, sed iam resilientibus ac pœnitentibus, MISEREMINI, (*d*) & misericorditer in gratiam & gremium Ecclesiæ recipite: TIMORE tamen aliquo ipsis incusso gradioris pœnæ, tum in hac, tum in altera vita subeundæ, si rursus in errorem se abduci sinant. Sic verò cum seductis proximis agite & conuersamini, vt semper memineritis *odisse* EAM QVÆ CARNALIS EST, MACVLATAM TVNICAM] id est, carnales & fœdos mores, & spurca ipsorum opera, quibus quasi sordidis indumentis anima fœdatur. Nisi enim caueatis, ipsi suam scabiem vobis affricabunt, suam hæresin & spurcitiem vel solo anhelitu afflabunt. Alludit ad ritum legis (*e*) Mosaicæ, quo vestes, lepra, sanguine vel semine pollutorum, etiam ipsæ censebantur pollutæ, & insuper quidquid illę contingerent.

d *Gal.* 6. *v.* 1.

e *Leuit.* 15.

✠. 24. Porrò *Deus*, cuius gratiâ vos totos impenditis animabus proximorum è cœno eruendis, POTENS EST, & (nisi opi seu gratiæ ipsius deesse velitis) curabit VOS CONSERVARE SINE PECCATO *& sine macula*, vt addunt Syrus & Arabicus. q. d. Prouidebit Deus ne *maculatâ* Gnosticorum *tunicâ* commaculemini, & ne, dum alios saluare satagitis, vos ipsos perdâtis. Denique blasphemiis impiorum hæreticorum opponit S. Iudas exemplo S. Petri (*f*) & S. Pauli, (*g*) magnificam doxologiam, quâ suam ipse epistolam, nos hanc commentarij partem obsignamus:

f 1. *Pet.* 5. *v.* 11.

g *Rom.* 16. *v.* 25.

✠. 25. SOLI trino & vni DEO SALVATORI (*h*) VESTRO, PER IESVM CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM, GLORIA ET MAGNIFICENTIA, seu maximorum operum patratio, maxima personæ maiestas, IMPERIVM ET POTESTAS, quæ illi affuere ANTE OMNE SÆCVLVM, eadem ETIAM NVNC ab omni creatura in cęlo & in terra ei asscribantur, ET IN OMNIA SÆCVLA SÆCVLORVM, AMEN, fiat, fiat.

h 1. *Tim.* 4. *v.* 10. *&c.*

APOCALYPSIS
BEATI IOANNIS
APOSTOLI

Hieron. epist. 103. *ad Paulinum c.* 7. *Pannonius & Ribera in præfatione. Pineda. lib.* 1.

OMNIVM Scripturarum obscurissima ac difficillima, *tot* habens *secreta*, *quot verba*: *Parum dixi*, *in verbis singulis multiplices latent intelligentiæ*, inquit S. Hicron. *Opus immensæ difficultatis*, Pannonio, *Mare magnum*, Riberæ, *plenum procellis & tempestatibus*, *in quo omnis sapientia humana*

humana deuoratur. Vnde multorum est opinio, inquit Pererius, *absque singulari Dei reuelatione, esse prorsus incomprehensibile*, tum ob sublimitatem materiæ, quæ totius Theologiæ medullam, & Euangelicæ Philosophiæ nucleum continet: tum ob parabolas & ænigmata quibus scatet: tum denique ob innatam omni prophetiæ quamdiu necdum impleta est (& talis ferè tota est Apocalypsis,) incertitudinem & obscuritatem. Addunt Ribera, Salmeron & quidam alij multas huic operi inesse hysterologias, & maximam ordinis perturbationem: sed contrarium, volente Deo, ostendam in decursu, &, si vnum alterumve exceperis, optimo ordine omnia posita, aptissimeque cohærere demonstrabo. Tribus primis capitibus instruit, corripit, corrigit septem Episcopos & Ecclesias Asiæ. Quarto capite proponit librum septem sigillis signatum, quæ sex sequentibus capitibus referantur, panduntque futura in Ecclesia vsque ad finem mundi, maximè verò plagas & signa præambula tam extremo iudicio, quàm Antichristo. Reseratis atque explicatis sigillis, ipsum librum, seu contenta libro, enarrat à cap. 11. vsque ad finem totius Apocalypsis, putà persecutionem Ecclesiæ per Antichristum, Henoch & Eliæ prædicationem, martyrium & resurrectionem: septem plagas nouissimas, stragem Gog & Magog, Antichristi & complicum illius interitum, vniuersi excidium, vniuersale iudicium, & gloriam Beatorum æternam. Ioannes enim sicut in Euangelio suo describit vt historicus, primum Christi aduentum: ita vt Propheta, describit in Apolypsi secundum eius aduentum.

Scripsit autem hanc Apocalypsin quarto anno ante mortem suam, biennio ante conscriptum à se Euangelium, (*a*) anno à morte Christi 64. ab excisa Ierosolyma 24. imperij Domitiani 14. in insula Pathmos, in quam ab hoc tyranno relegatus fuerat. ita S. Irenæus, Hieron. Eusebius, Primasius, Baronius & alij historici atque interpretes. Scripsit, inquam, vt hoc quasi antidoto fideles communiret aduersus venena Ebionis, Cerinthi, Gnosticorum, Nicolaitarum, & aliorum tùnc & pòst exsurgentium hæreticorum: eosdemque fideles roboraret ad fortiter sustinendas reliquas octo generales persecutiones à totidem Imperatoribus mox concitandas.

(*a*) *Chronici cap. vlt. sub finem.* *Iren l. 5. in fine.* *Euseb in Chron. & Hist* *Hieron in cat. il. Scriptorum Eccles.*

Quod ad auctorem libri attinet, in Græco ascribitur *Ioanni Theologo*, quia hoc nomen Ioanni Apostolo, ob doctrinæ sublimitatem proprium erat, vt constat ex epistolis B. Euodij, Dionysij Areopag. & aliis à Baronio citatis. Immeritò igitur Dionysius Alexandr. & alij quidam apud Eusebium, ob ascriptum *Theologi* nomen, alteri cuipiam Ioanni, non Apostolo, sed discipulo dumtaxat Christi, hunc librum attribuunt. Quod de styli differentia ab Euangelio & epistolis Ioannis notat Beza, ridiculum est. Nam differentia illa perexigua est; & vt esset maxima, quis nescit, alium prorsus stylum prophetiam exigere, quàm historiam vel ethica. Marcionitæ olim & Alogiani, teste Epiphanio, & aliquæ Græcorum Ecclesiæ, teste S. Hieronymo, & nostro sæculo Erasmus; Lutherus & Caluinus Apocalypsin à Canone S. Scripturæ reiecerunt. Sed August. Marloratus, Beza, aliique moderni Caluinistæ eam admittunt: & perpetuò admiserunt SS. Patres tam Græci, quàm Latini, quos vide citatos apud Baronium, Pererium. Bellarmin. Etadmittendam definierunt iam pridem Concilia Ancyranum, Carthaginense III. Toletanum IV. Romanum sub Damaso, denique Florentinum & Tridentinum.

Euseb. l. 7. hist. 20.

Epiph. l. 2. hæres 51. *Hieron. epist. 129. ad Dardanum.*

Baron. anno Christi 97. *Bellar. l. 1. de verbo Dei c. 19.*

CAPVT

CAPVT I.

Libri titulus: epistola dedicatoria ad septem Ecclesias Asiæ prologus describens primam Ioannis visionem, putà gloriosam Christi speciem in medio septem candelabrorum, repræsentantem omnia quæ tota Apocalypsi continentur, sicut Prologus in comœdia summatim omnia exhibenda repræsentat.

¶. 1. APOCALYPSIS, id est, reuelatio, seu occultorum patefactio: QVÆ OPORTET FIERI CITO, nempe persecutionum Ecclesiæ imminentium, quæ *citò* incipient *fieri*, sed non æquè *citò* finientur. Hanc *apocalypsin* primò DEDIT DEVS IESV CHRISTO recèns concepto, seu incarnato, ad cuius officium spectabat præscire & præ- B uidere omnia quæ Ecclesiæ sponsæ ipsius, toto temporis & æternitatis decursu erant obuentura. Reuelauit autem hæc omnia Christo, vt ex iis quæcumque vsui futura essent Ecclesiæ, ipse suo tempore PALAM FACERET SERVIS, id est, discipulis, SVIS: vti nunc *palàm fecit* ET SIGNIFICAVIT SERVO & Apostolo SVO IOANNI, MITTENS ad eum ex aula sua cælesti nobilissimam legationem PER ANGELVM SVVM, suorum secretorum iam conscium factum.

¶. 2. QVI Ioannes instructus ab hoc angelo de VERBO DEI, id est, de mandato & doctrina, nomine Dei & Christi sibi patefacta, TESTIMONIVM hoc præsenti libro coram Ecclesia PERMISIT eidem VERBO DEI, id est, testificatur esse *verbum Dei* ET TESTIMONIVM IESV CHRISTI, à Deo & à Christo ad se transmissum per angelum, nomine Dei & Christi denuntiantem & exhiben- C tem sibi QVÆCVMQVE toto hoc libro vt VIDIT, ita & conscripsit.

¶. 3. BEATVS est QVI hanc prophetiam, seu monita & instructiones hoc prophetico libro tradita, LEGIT, ET SERVAT, quia TEMPVS PROPE EST quo erunt maximo vsui, & quo fructus vberrimi ex iis colligentur. Instant enim persecutiones, in quibus animos addent certantibus pro Christo. Hucusque titulus libri; sequitur epistola dedicatoria.

¶. 4. IOANNES SEPTEM ECCLESIIS, QVÆ SVNT IN ASIA Ioannis opera conuersæ ad fidem: has recensct v. 11. & duobus capitibus sequentibus. GRATIA, seu fauor Dei, ET PAX, id est, omne bonum AB Iehoua, (a) id est, ab EO QVI EST, ET QVI ERAT, ET QVI VENTVRVS, seu futurus, EST, putà à Deo cui essentiale est Esse & æternum, & infinitũ & immutabile: ET A SEPTEM SPIRITIBVS, seu D angelis, vt infrà (b) eos vocat. QVI IN CONSPECTV THRONI, id est, ante thronum, EIVS stantes SVNT, vtpote administratorij spiritus Dei, principes aulæ cælestis, & Ecclesiarum in terra præsides, mediatores secundarij inter Deum & homines. *Archangelos* vocant Gabr. Vasquez, Serarius & quidam alij: *Seraphinos* Galatinus, Fontana, Salmeron, Pererius: *primogenitos angelorum principes* Clemens Alexandr. Horum nomina, (c) *Michael, Gabriel, Raphael, Vriel, Sealtiel, Iehudiel, & Barachiel*, reuelata B. Amadeo testantur chronica Ecclesiæ S. Mariæ angelorum Romæ, Galatinus, Serarius, Salmeron, Masellius, Victorellus & alij. Horum septem *cælestium principum* exemplo videntur permoti *reges Persarum & Medorum*, vt totidem *terrestres principes* vellent lateri suo perpetuò adesse, faciem regiam videre, & proximos solio regio assidere. (d) *Maiestas* enim *& gubernatio regum Persarum*, (vt benè notat Aristoteles, & ex eo Apuleius) *imago fuit diuinæ maiestatis & prouidentiæ*. Symbolicè Rupertus & ex eo Alcazar (qui contendit hunc esse sensum litteralem) per hos *septem spiritus* accepit septem Dei virtutes, siue attributa, quibus constat integra prouidentiæ perfectio: putà *sapientiam, fortitudinem, beneficentiam, iustitiam, patientiam, comminationem & seueritatem*. & has designari etiam per *septem lampades & septiceps candelabrum* Moysis. (e) Porrò ab his *septem angelis* gratiam hîc Ecclesias precatur & postulat S. Ioannes, non quasi à primatiis auctoribus, sed quasi ab administris Dei, præsidibus aulæ cælestis & rectoribus Ecclesiæ: suo nos exemplo docens, eosdem angelos pari modo inuocare, & eorum interuentu ac precibus opem à Deo deposcere.

a *Exodi* 3. v. 14.

b *Hîc c.* 8. v. 2. & *c.* 5. v. 6. *&c. Vasq.* 1. *p. disp.* 180. *cap.* 3. *Serar. in Tobiæ* 12. *Ioan. Fontana in Apoc. p.* 3. *assert.* 64. *Clem. Alex. l.* 6. *Strom. c. Dan.* 10. v. 13. *Lemur. Masell. l.* 3. *de B. Virg. c.* 5.

c *Exodi* 25.

d *Esther* 1. v. 14. *Aristot. lib. de Mundo ad Alexandrum. Apuleius ex Aristotele.*

¶. 5. ET A IESV CHRISTO. Verùm, decuitne *angelos* præponi *Christo* à S. Ioanne? Respondeo, Non ob aliam causam præposuit, quàm quòd vellet de Christo, & quidem vt homine (quæ natura inferior est angelicâ) sermonem longiore filo continuare: vt in simili vidimus fecisse Matthæum initio Euangelij sui, vbi Christum priùs vocat *filium Dauid*, quàm *filium Abrahæ*, quia de Abrahamo vólebat continuare sermonem. Syrus hîc ad maiorem emphasin, ter repetit articulum demonstratiuum: *A Iesu Christo, illo teste, illo fideli, illo primogenito mortuorum*. Nempe eximio illo *martyre*, id est, *teste*, imò Martyrum omnium duce ac principe, qui pro veritate & munere sibi credito tam constanter ad mortem vsque crucis depugnauit. PRIMOGENITVS MORTVORVM] Id est, qui primus à mortuis resurrexit ad vitam immortalem & beatam: quique causa est & exemplar futuræ etiam nostræ omnium resurrectionis. ita Gagneius & Ribera.

¶. 6. FECIT NOS REGNVM non terrenum, sed spirituale, seu mysticum, in quo Deus regnet nunc per gratiam, postea per gloriam: & consequenter fecit nos etiam *reges*, (f) (vt legit Tertull. & multi Græci codices:) regnamus enim cum ipso & imperamus hîc vitiis, in futuro etiam morti & miseriis omnibus. ET SACERDOTES, & quidem propriè dictos, si spectes pastores & præsides Ecclesiæ: mysticos verò, si laicis adaptes, vt alias (g) expositi. Alludit autem ad nobilissimum felicissimumque regnum Machabæorum, qui simul erant sacerdotes & reges.

f *Apoc.* 5. v. 10.

g 1. *Pet.* 2. v. 5. & 9.

¶. 7. ECCE Christus ad vltimum iudicium VENIT CVM NVBIBVS. (h) Species illa iam oculis meis obiicitur. Et suo tempore VIDEBIT EVM OMNIS OCVLVS tam angelicus, quàm humanus, etiam eorum QVI EVM in crucifixione PVPVGERVNT, seu, vt est apud Zachariam, *confixerunt*, tum physicè clauis & lancea, tum moraliter maledicis linguis & sceleribus suis. ET PLANGENT OMNES TRIBVS TERRÆ, seu ex omnium tribubus impij omnes, *plangent*, inquam, SE SVPER EVM] nempe ob miserias & pœnas quas occasione scelerum in ipsum admissorum incurrerunt. ita S. Hieron. Augustin. Theodoret. Rupertus, Ribera & à Lapide.

h *Matt.* 24. v. 30. *Zach.* 12. v. 10.

ETIAM, AMEN] Id est, omninò ita erit.

¶. 8. EGO DEVS SVM α ET ω, id est (vt sequitur) PRINCIPIVM ET FINIS (i) omnium rerum, omnium temporum, qui æternitate mea omnia ante- cedo

i *Apoc.* 22. v. 13.

cedo & ambio, & licet omnia interirent, omnibus superstes maneo. Et vt omnibus principium & Esse dedi, ita quando & quibus mihi placuerit, etiam finem dabo.

℣. 9. EGO IOANNES per fidem Christianam FRATER VESTER, per tyrannidem Domitiani PARTICEPS vobiscum *tribulationis & patientiæ*, seu tolerantiæ aduersitatum propter Christum, Christique fidem quam prædico: futurus pari modo particeps etiam *regni* cælestis, quod pro brauio patientibus Christi causâ propositum est à Deo. ita Ribera. FVI relegatus à Domitiano in exilium, & ad metalla damnatus IN INSVLA PATHMOS, sita in mari Asiatico & Icario, vna ex Sporadibus, non longè à Candia siue Creta: non longè etiam à septem illis vrbibus ad quas hunc librum scripsit.

Notat ex Metaphraste Baronius, omnes insulanos in Pathmos à Ioanne ad Christum fuisse conuersos. In hac insula experte omnis humani, sed non diuini solatij,

℣. 10. FVI raptus SPIRITV, seu mente quasi extra corpus, extra mundum, extra omnia præsentia, ad contemplandum (more prophetico) futura & procul absentia. Idque IN DOMINICA DIE, id est, prima hebdomadæ die: iam inde enim à temporibus Apostolorum translatus erat cultus *sabbati* in sequentem diem, quæ ob memoriam & honorem resurrectionis Christi, *Dominica* cognominabatur. ita Aretas & alij passim. ET AVDIVI POST ME, seu à tergo, VOCEM MAGNAM TAMQVAM TVBÆ fortiter inflatæ. Designabat hæc bellum Ecclesiæ à tergo & proximè imminens sub Traiano, Hadriano, Antonino, ceterisque Imperatoribus. Mysticè præsens diuinæ prouidentiæ præsidium Ecclesiam in persecutione protegentis ac propugnantis: quam licet nos oculis non cernamus, ipsa tamen nos cernit, semperque ante oculos habet, inquit Origenes & S.Hieron.

Hieron.in Ezech.3. v 12.

℣. 11. De *Epheso(a)* alias egi: de reliquis vrbibus agam suis seorsim locis.

a Præfat.in epist. ad Ephesios.

℣. 12. CONVERSVS SVM, id est, verti me, VT VIDEREM, id est, vt recognoscerem, (*b*) VOCEM à tergo insonantem, quis eius auctor, & quid sibi vellet. ET VIDI SEPTEM CANDELABRA AVREA, quorum singula, instar candelabri Mosaici (*c*) (huc enim alludit) erant (*d*) *heptalychna*, & septem constabant scapis siue calamis & septem in culmine lucernis.

b Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 45.

c Exodi 25. v. 31.

d Zach. 4. v. 2.

℣. 13. IN MEDIO SEPTEM CANDELABRORVM, id est *septem Ecclesiarum*, (*e*) vidi ambulantem (*f*) quemdam SIMILEM FILIO HOMINIS, nempe angelum personam Christi vt homo & summus sacerdos est, agentem. Ambulabat autem inter candelabra, adaptans illa, purgans & accendens, lumine non aliunde adscito, (vt faciebant quotidie in templo Salomonico sacerdotes Aaronici) sed ex se (*g*) suaque persona deprompto. VESTITVS PODERE, id est, tunica talari hyacinthina summo pontifici propria, (*b*) cuius personam hic induit Christus. Hyacinthus autem, aërei & cælestis coloris, designabat Christum non amplius terrenum aut mortalem, sed cælo & immortalitate donatum; per aurea tamen tintinnabula ex tunica dependentia, id est, per Euangelij prædicationem, & per mala punica tintinnabulis adiuncta, id est, per miracula & beneficia innumera quæ Euangelium comitantur, Ecclesias & fideles omnes excitantem, fouentem, recreantem. ZONA AVREA, qua AD MAMILLAS *præcingitur*, Rupertus & Pererius designari volunt dignitatem Christi regiam & pontificalem, ab omni miseria & mortalitate liberam; S.Chrysost.Gregor. Haymo & Anselm. eius castitatem & innocentiam: Alcazar, eius promptitudinem ad omne Dei obsequium: Corn. à Lapide, disciplinam sanctam quâ & Christi & Christianorum mens, phantasia, appetitus, motusque omnes succinguntur, restringuntur à vitiis, & Deo Deique legi adstringuntur. Quid si iuxta illud Isaiæ 11. vers. 5. *Iustitia & fides*, seu fidelitas, *cingulum lumborum eius*, dicamus etiam designari prouidam in Christo iustitiam, qua mamillas misericordiæ & charitatis vberrimè & continuò defluentes in orbem, iusta & fideli moderatione, pro meritis vel egentia cuiusque, vel alius diuinæ prouidentiæ regulis, coërcet & stringit?

e Hic v. 20.

f Apoc. 2. v. 1.

g Hic c. 1. v. 15. & 16.

h Exodi 28. v. 31. & Sap. 18. v. 24 & Eccli. 45. v. 10.

℣. 14. CAPVT EIVS, id est, CAPILLI capitis, canitie CANDIDI, ET TAMQVAM NIX, nitentes ac splendentes, symbolum sunt antiquæ, imò æternæ ætatis, & consequenter infinitæ scientiæ, prudentiæ, sapientiæ Christi toto orbe resplendentis. OCVLI TANQVAM FLAMMA IGNIS, indices sunt iræ Christi & vindictæ in hostes Ecclesiæ & omnes impios, à qua nemo subduci vel abscondi potest, iuxta illud Ieremiæ, *Oculi eius aperti sunt, vt reddat filiis Adam secundùm fructum adinuentionum eorum.* *Ierem. 32. v. 19.*

℣. 15. PEDES SIMILES pedibus statuæ factæ ex AVRICHALCO; græcè, χαλκολιβάνῳ ære quod aureum habet colorem, inquit Sextus Pompeius & Plinius: & fortè ex Libano. aliisque similibus montibus eruebatur, inquit Aretas & Thesaurus linguæ Græcæ: vnde Syrus vertit, *similes æri Libanico* non frigido, non etiam liquato, sed calenti, candenti & coruscanti IN CAMINO, (*i*) seu fornace, ARDENTI; significant humanam Christi naturam, per caminum passionis & crucis redditam splendidissimam simul & fortissimam ad conculcandum Domitianum, Traianum, ceteroque suos & Ecclesiæ hostes, imò & ad eos comburendum, inquit Damascenus, Rupert. Pannon. & alij apud Riberam.

Plin. l. 34. c. 2.

i Ezech. 22. v. 22.

Vox fortis, sonora & penetrans, qualis esse solet AQVARVM MVLTARVM (*k*) cum impetu defluentium, designat sonum prædicationis Euangelij personantis per omnem terram, eamdemque humectantis, purgantis, fœcundantis, inquit S. Gregorius, Ticonius, Haymo & Pererius. Vnde mox sequitur narratio de septem Ecclesiis hac voce conuersis, purgatis & fœcundatis.

k Ezech. 43. v. 2.

℣. 16. SEPTEM STELLÆ *sunt* (*l*) *septem Ecclesiarum angeli*, id est, septem Episcopi, (*m*) qui instar stellarum (*n*) debent splendore suo subditos illuminare, calore vinificare, influentiis vegetare, præsertim noctu in tenebris hæreseon & persecutionum: instarque angelorum sunt internuntij Dei ad populum, quem casto exemplo suo, solicita prece & sedula admonitione purgare, illuminare & perficere debent, quod proprium est angelorum, teste S.Dionysio. Alcazar has *septem stellas* IN DEXTERA Christi vult fuisse septem *gemmas*, instar stellarum *annulis* totidem infixas vel insculpras: quomodo *Ioachin & Zorobabel* subinde (*o*) vocantur *annuli in dextra* Dei.

l Hic v. 20.

m Philip. 2. v. 15. & hic c. 2. v. 1. 8. 12. 18.

n Dan. 12. v. 3. Dionys. Coelest hierar. c. 4.

o Jerem. 22. v. 24. & Eccli. 49. v. 13. & Aggæi 2. v. 24.

DE ORE EIVS tamquam supremi iudicis, EXIBAT GLADIVS VTRAQVE PARTE ACVTVS, id est, sententia iudicialis, ex vna parte protegens innocentes, ex altera damnans & puniens nocentes. (*p*) ita Rupertus, Aretas, Beda, Liranus, Ribera & à Lapide. Sic rex ille Asiæ, (*q*) cùm inauguraretur, aiebat:

p Hic c. 2. v. 12. & c. 19. v. 15. & 17.

q Apud Ioannem Bohemum de Gentil. ritu, in Asia.

aiebat: *Oris mei sermo gladius meus erit.*

a *Eccli.* 43. v. 2. & *Psal.* 18. v. 6.

FACIES SICVT SOL (*a*) *lucens* IN VIRTVTE SVA, id est, lucens quàm maximè potest, index est corporis Christi glorioſi, & inſtar fulgentiſſimi ſolis, vt nunc in cælo, ita poſtea in loco iudicij, ſupra omnia creata reſplendentis, & ſplendore ſuo Sanctos omnes quaſi minores ſtellas colluſtrantis, accendentis, vegetantis, inquit S. Ambroſius, Ticonius, Haymo, Rupertus & Pererius.

Nota, perſonam hanc quam vidimus Chriſtum hic induiſſe, inſtar prologi, ſuo hoc ſchemate repræſentare nobis totam Apocalypſim, putà Primò, ſingularem curam ſeptem Eccleſiarum Aſiæ, ceterarumque toto orbe ſparſarum quas corripit, inſtruit, hortatur, minatur, &c. Secundò terrorem & vindictam in hoſtes Eccleſiæ, omneſque impios, ac præ omnibus in Antichriſtum & aſſeclas Antichriſti. Tertiò, gloriam, ſplendorem, & felicitatem æternam Beatorum in cælis.

B

℣. 17. CVM VIDISSEM hanc adeò terribilem ſpeciem, CECIDI AD PEDES EIVS, partim ex reuerentia (vt vult Ambroſius, Ioachimus & Pannonius:) partim ex pauore, quaſi exanimatus. Quo Ioannis caſu myſticè deſignatur Chriſtianorum proſtratio per tyrannos, ſed corroboratio & erectio per Chriſtum, qui *poſita* SVPER fideles DEXTERA diuinæ ſuæ protectionis & gratiæ, collapſos attollit de terra, confirmat & ſtabilit. EGO SVM PRIMVS ET NOVISSIMVS] (*b*) *primus* rerum omnium auctor, & *noniſſimus*, id eſt, conſummator, inquit S. Ambroſ. Vnde ſicut Eccleſiæ meæ, quaſi futuro mihi æternùm palatio, dedi initium, ſic daturus ſum eidem culmen, perfectionem & conſummationem, nequicquam frementibus mille Domitianis, Traianis, alijſque tyrannis. Vnde ſicut ego

b *Iſaiæ* 44. v. 6. & c. 48. v. 12.

C

℣. 28. FVI MORTVVS, ſed ex morte rediuiuus & glorioſus ſurrexi; ſic faciam vt Eccleſia mea, eiuſque filij ex tribulationibus, quibus obrui & extingui videntur, glorioſi reſurgant, magis accreſcant, ſplendidiùs triumphent; Ego enim HABEO CLAVES, id eſt, plenum dominium, MORTIS ET INFERNI] quoſcunque volo, ab iis præſeruo, vel illis iam traditos reſuſcito, vt de facto vos reſuſcitabo ad gloriam & vitam æternam: veſtros econtra hoſtes tradam illis æternùm excruciandos. Ita Pannonius, Alcazar & alij.

℣. 19. SCRIBE ERGO & annota QVÆ hoc primo capite VIDISTI, QVÆ partim nunc SVNT & in Eccleſia fiunt ſub Domitiani tyrannide: partim FIERI OPORTET POST HÆC, ſub Traiano, Hadriano, ceteriſque Imperatoribus, ac denique ſub tempora Antichriſti: nempe duplex SACRAMENTVM, ſeu myſterium: primum SEPTEM STELLARVM IN DEXTERA MEA: ſecundum, SEPTEM CANDELABRORVM AVREORVM; vtrumque iam ſuprà (*c*) expoſui.

D

c *Hic v.* 13. & 16.

CAPVT II.

Præmittit Apocalypſi ſuæ ſeptem epiſtolas ad ſeptem Epiſcopos & Eccleſias Aſiæ, (quatuor hoc capite, tres ſequenti) quibus tum illos, tum Chriſtianos omnes edocet, quem fructum ex Apocalypſi capere, & quid in moribus ſuis corrigere, quid perficere debeant: ſunt autem epiſtolæ ab ipſomet Chriſto dictatæ Ioanni.

d *Apoc.* 1. v. 16.

e *Præfatio in epiſt. ad Epheſ.*

℣. 1. ANGELO, id eſt, Epiſcopo (*d*) *Epheſinæ* (*e*) ECCLESIÆ SCRIBE meo nomine, inquit Chriſtus. Hic Epiſcopus erat *S. Timotheus*, qui A ferè iam 40. annis (nempe ab anno 25. vſque ad 64. à morte *f*) Chriſti,) Eccleſiam illam rexerat. ſed cum ſenio (quæ humana eſt inſtabilitas) nonnihil intepuerat, & de primo charitatis feruore ac zelo propagandæ fidei aliquantum remiſerat. Verùm hoc eius peccatum non lethale (etſi ita cenſeant S. Ambroſius & Haymo) ſed ſolùm veniale fuit. Quod ipſum etiam acceptâ hac Chriſti monitione, ſtrenuè correxit, relumpto zelo priſtino tum promouendi verbi Dei, tum reprehendendi idololatras *Diane*, à quibus etiam duode ennio pòſt eam ob cauſam martyrio affectus fuit 24. Februarij, quo die eius memoria tabulis ſacris aſſcripta quotannis in Eccleſia recolitur. ita ſentiunt Aureolus, Viegas, Alcazar, Pererius, Magalianus & Baronius. Et Liranus fatetur hanc eſſe communem ſententiam, licet ipſe, vt & Ribera, malint alium à *Timotheo* tunc Epiſcopum fuiſſe: ſed quem obſecrò? nam de *Oneſimo* qui immediatè *Timotheo* ſucceſſit, ex hiſtoricis conſtat, anno demum à Chriſti morte 76. Epheſi creatum eſſe Epiſcopum, vt Baronius demonſtrat. Adde, peccata hæc (ob quæ vt putant, aliena à viro tam ſancto, non audent Liranus & Ribera Timotheo hanc epiſtolam inſcribere,) non ſolis Epiſcopis harum ſeptem Eccleſiarum, ſed & ipſiſmet Eccleſiis & Eccleſiarum filiis à Chriſto adſcribi: (*g*) ſed ideo in Epiſcopis primariò reprehendi, quòd vitia ſubditorum rarò ſine culpa Superiorum diu continuentur, inquit S. Chryſoſtomus. Porrò in ſeptem iſtis epiſtolis notat Alcazar inſtrui ſeptem diuerſi conſcientiarum genera tùm Epiſcoporum, tum aliorum fidelium. Primum genus eſt, negligentium. Secundum, diligentium. Tertium, deficientium & inconſtantium. Quartum, imbecillium. Quintum, laſſorum. Sextum, timidorum. Septimum, imprudentium & tepidorum. Vnde comparare poſſumus hos ſeptem Epiſcopos ſeptem planetis, *Epheſinum Mercurio* bono & bene ordinato, ſed remiſſi ardoris; *Smyrnenſem Soli*, eximiæ virtutis & omnia nubila ſuperantis; *Pergamenum Lunæ*, deficienti & inconſtanti; *Thyatirenſem Veneri*, imbecilli; *Sardenſem Marti*, laboribus quaſi laſſo & dormitabundo; *Philadelphicum Ioui*, timido, ſed felicis fortunæ; *Laodicenum Saturno*, temerario & tepido.

f *Vide Chronicon c. vlt. in ij. dem anno.*

g *Hic v.* 7. 11. 17. *&c.*

Magalian. proœmio in epiſt. ad Timotheum Baron. anno Chriſti 97. & 109.

Chryſoſt. hom. 38. *in Matth.*

℣. 2. TENTASTI] Id eſt, exploraſti an eſſent pſeudo-apoſtoli & deprehenſos redarguiſti & expuliſti. Et in hoc, ô Timothee, te laudo; ſed reprehendo,

℣. 4. QVOD CHARITATEM TVAM PRIMAM, id eſt, illum charitatis tuæ in proximos primum feruorem, RELIQVISTI] Magno ſpiritu cœperas, ſed ſenſim de eius contentione remiſiſti. ita Ribera, Pererius, Alcazar, à Lapide, & alij.

℣. 5. MOVEBO CANDELABRVM, id eſt, Eccleſiam (*b*) *tuam* Epheſinam, DE LOCO SVO] id eſt, à capite tuo in caput alterius ſucceſſoris tui. Sic dicimus, monarchiam Chaldæorum tranſlatam ad Perſas, cùm Balthaſſari ſucceſſit Cyrus, &c. ita Rupertus, Hugo, Richardus & Victorinus. Delrio vult per hypallagen, (*i*) *Mouebo candelabrum tuum de loco ſuo*, idem eſſe quod, *Mouebo te de loco candelabri tui*, idem eſt, amouebo te ab epiſcopatu Epheſino. Sicut infrà (*k*) de dæmonibus dicitur, *Neque locus eorum amplius inuentus eſt in cælo*: pro, *ipſi non ſunt amplius inuenti in priore loco ſuo in cælo.*

h *Apoc.* 1. v. 13. & *vlt.*

i *Proleg. de loco ſuo*, Idiotiſmus

Hebr. 11. 42.

k *Apoc.* 12. v. 8.

℣. 6. FACTA NICOLAITARVM erant promiſcui concubitus cum feminis, etiam coniugatis. Et quidem

EPISTOLA BEATI IOANNIS APOSTOLI SECVNDA.

EODEM (vt videtur) tempore Ephesi scripta, & vel in Parthiam, vel in aliquam Asiæ prouinciam missa quò prima & tertia: eiusdem etiam argumenti & styli, vt accuratè demonstrat Baronius: vt vel hinc pateat esse eiusdem quoque auctoris, putà S. Ioannis Apostoli, non verò alterius alicuius Ioannis, vt quidam olim, teste Eusebio & Hieronymo, censuerunt, & nostro tempore Erasmus; & dubitat Caietanus. Sed S. Irenæus, Athanasius, Clemens Alexandr. Hieron. Augustt. Didymus, Damascen. Oecumenius, Beda, quin & Beza aliique Caluinistæ, S. Ioanni Apostolo vtramque constanter adscribunt, & pro tali recipiendam definit Concilium Carthaginense III. Laodicenum & Tridentinum.

Baron. annò Christi 99.

Euseb. l. 3. hist. c. vlt. Hieron. de Script. Eccl. in Ioanne. Iren. l. 3. c. 13. Athanas. epist. 39. Hier. ep. ad Paulinum. August. l. 2. Doct. Christ. c. 8. Damas. l. 4 de Fide c. 18. Conc. Carthag. III. c. 47. Laodic. c. 59. Trid. sess. 4. a Chronici c. vlt. in fine.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.

Laudat Electam eiusq; familiam à fide & charitate Christiana, hortaturq; vt in ea constanter perstet, tametsi haereses & haereticos tum subnascentes, quasi Antichristos, neque vllum cum ipsis commercium aut consuetudinem admittat.

Hier. ep. 85. ad Eustochium.

1 SENIOR omnium tum ætate, tum dignitate (agebat enim tum Ioannes annum vitæ 97. (a) Apostolis omnibus solus superstes:) græcè, πρεσβύτερος seu *presbyter*: quo nomine etiam Episcopi tum temporis appellabantur, teste S. Hieronymo, vtpote ceteris vt dignitate, ita plerumque etiam ætate præcellentes: salutem dicit, & fausta omnia adprecatur ELECTÆ DOMINÆ; græcè, ἐκλεκτῇ κυρίᾳ. Quod *Ecclesiæ* alicuius Asianæ, in qua degebat Caius cui tertia epistola inscribitur, cognomen faciunt Oecumen. & Serarius. Sed hoc refellit sequens ad Caium eodem tempore data epistola, vbi vers. 9. S. Ioannes sat indicat se non scripsisse *Ecclesiæ* illi in qua erat Caius. Vnde alij passim censent particularis matronæ nomen esse, vel proprium (quale est *Iusta, Christina, Exuperantia, Margarita*, &c.) vel certè ei appropriatum, v. g. ob eximiam nobilitatem, dignitatem: virtutem vel officium: fortè Diaconissæ, vel præfectæ Diaconissarum, ad quod electam arbitratur Liranus, Glossa & Thomas Anglicus. Sicut enim Diaconi (b) præfecti eleëmosynis vocabantur *Electi*, (vt & nunc Episcopi recèns creati, sed necdum consecrati:) ita Diaconissæ vocabantur *Electæ*, inquit Cornelius à Lapide. Lucius Dexter *Electam* hanc proprio nomine vocat *Drusum*, Espécæus *Drusianam*. Causam huic matronæ scribendi videntur Apostolo dedisse Ebion, Cerinthus, vel eorum emissarij Gnostici, qui se in dominæ huius, vtpote primariæ & potentis, familiam & animum per cuniculos sensim insinuare tentabant, vt eam & per eam ceteros Christianos in suam hæresin pellicerent, vt familiare erat hæreticis per feminas, teste S. Hieronymo, hæteses suas propagare. Vnde Apostolus seuerè vetat (c) huic matronæ, vt ne vel *Aue* eis dicat; vel in domum recipiat. De *natis* huius dominæ scribit Clemens Alexandr. *virgines* fuisse, quas domi suæ singulari cura fouebat & instituebat: vti Romæ *Flauia Domitilla* sub idem tempus, & postea Constantinopoli *Pulcheria* Augusta, & aliæ alibi, de quibus noster Raderus. Sed non solas virgines filias, verùm etiam filios hîc compellari patet ex relatiuo masculino, QVOS EGO DILIGO IN VERITATE, id est, vero ac sincero amore;

Hieron. ep. ad Ctesiphontem. c. v. 10.

Raderus in Aula Cæs.

2. PROPTER VERITATEM, id est veram doctrinam, veram solidamque pietatem, QVÆ inter tot hostes & hostiles insultus, inconcussa, firma & stabilis PERMANET tam in ipsis, quàm IN NOBIS, ET permanebit (voueo & spero) IN ÆTERNVM.

3. SIT VOBISCVM PAX & omnis prosperitas, IN, id est, cum, VERITATE iam dicta, ET CHARITATE fraterna, vobis adeò commendata. ita ferè Caietanus.

6. HAC EST, seu in hoc consistit, CHARITAS quam commendo, VT AMBVLEMVS SECVNDVM MANDATA EIVS] id est, vt obseruemus diuina mandata, quæ non sunt alia quàm mandata dilectionis, partim Dei, (vt sunt tria priora:) partim proximi, vt septem posteriora Decalogi, Causa cur tam operosè vobis hæc inculcem, est

b Act. 6. v. 5.

L. Dexter in Chronico anno Christi 100.

7. QVONIAM Ebio, Cerinthus, Gnostici & MVLTI alij SEDVCTORES ex inferis emissi EXIERVNT IN MVNDVM, qui spretâ veritate doctrinæ diuinæ, diabolicas inducunt falsitates, & siccuertunt Christianam vnitatem & charitatem: NON CONFITENTVR (d) IESVM esse CHRISTVM, seu Messiam, neque Filium Dei VENISSE IN CARNEM, seu esse incarnatum. Quisquis autem id negat,

d 2. Petr. v. 4.

gat, EST ANTICHRISTVS, vt aliàs docui.(a)

¥.8. VIDETE; Tigurini, *cauete*; Syrus, *custodite*, VOSMETIPSOS à fraudibus & insidiis istorum seductorum, NE PERDATIS QVÆ OPERATI ESTIS; græcè, *ne perdamus quæ operati sumus*, circa vestram instructionem & salutem. Constantes ergo perseuerate, VT MERCEDEM PLENAM, id est, copiosam & abundantem, ACCIPIATIS, & nos vobiscum (vt est in Græco) *accipiamus*. Solà enim perseuerantia mercedem accipiet, &

¥. 9. OMNIS QVI RECEDIT A DOCTRINA CHRISTI, id est, qui apostatat à fide, vel deflectit à charitate toties per Christum inculcata, DEVM 1. Ioan. 2. NON HABET (b) sibi patrem, amicum, tutorem.
24.

¥. 10. SI QVIS HANC incarnationis Filij Dei, & charitatis fraternæ DOCTRINAM NON AFFERT, sed contemnit, sed impugnat, sed calumniatur; NOLITE EVM RECIPERE IN DOMVM, NEC AVE, id est, salutem, EI DIXERITIS] Quo præcepto commercium omne cum hæreticis hæreseos spargendæ A causa aduentantibus interdicit.

¥.11. QVI ENIM tali hæretico dogmatistæ DICIT AVE, seu salutem, vel hospitio illum excipit, COMMVNICAT dogmatibus & OPERIBVS EIVS MALIGNIS] Nam salutando, & multò magis hospitio excipiendo, videtur hæresi illius fauere, applaudere, cooperari, sicut qui meretricantem, furantem vel latrocinantem sciens volensque excipiret, eos foueret, applauderet. ita Nauarrus. Alioqui secluso peruersionis periculo seu tui, seu aliorum, & semoto scandalo, non vetatur iure diuino vel naturæ communicatio cum hæreticis, præsertim si vel necessitas, vel pietas, vel grauis vtilitas eam suadeat. *Nauar. in Manuali c. 17. n. 195.*

¥.13. SALVTANT TE, ô Electa, FILII SORORIS TVÆ Ephesi degentis, quæ & ipsa est ELECTA mater & Diaconissa in Ecclesia Ephesina, sicut tu es in Ecclesia aliqua Parthica vel Asiana. Nonnulli codices Græci & Latini hîc addunt, *Gratia tecum, Amen*; Syrus, *Gratia vobiscum Amen*.

EPISTOLA
BEATI IOANNIS
APOSTOLI
TERTIA.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.

B *Caium sibi familiarem laudat ab insigni in hospites charitate: ex aduerso accusat Diotrephu inhospitalitatem & arrogantiam: Demetrium publico Ecclesiæ, suoq; testimonio commendat. ac breui se præsentem affuturum significans, salutare iubet amicos.*

c Ioan ep. 2. v. 1. d Rom. 16. v. 23. e 1. Cor. 1. v. 14. Onuph in Chronico. L. Dext in Chron. anno Christi 34 & 70. Doroth. in Synop. i. Scalig. in Num. 16.

¥.1. SENIOR (c) Ioannes salutem dicit CAIO nempe famoso illi Corinthio; (d) hospiti S. Pauli (e) & ceterorum discipulorum Christi. Ita passim interpretes: excepto Onuphrio, qui Romanum facit; & Lucio Dextro, qui Hispanum: vterque tertium vult fuisse Mediolanensem Episcopum; Dorotheus, Ephesinum; Sedulius, Thessalonicensem: Mariana & Serarius vult eumdem esse cum illo *Caio therapeuta*, seu asceta, ad quem S. Dionysius Areopagita priores quatuor epistolas suas conscripsit. Idem censet Maximus & Georgius Pachymeres S. Dionysij paraphrastes, & Dionysius Carthusianus. Quòd si ita est, fuerit hic *Caius* vir sanè sublimis & egregiè sanctus.

¥.2. ORATIONEM FACIO; græcè, εὔχομαι, id est, oro, voueo, PROSPERE TE INGREDI, id est, prosperari, fortunari, DE OMNIBVS, seu in omnibus & per omnia, SICVT PROSPERÈ AGIT ANIMA TVA] id est, tu ipse secundùm animam & corpus. q. d. Optotibi felicissimè cedant omnia quæ familiam tuam, negotia, prouentus & opes concernunt, sicut audio te optimè habere. Qui enim benedixit Noë, (f) Abrahamo, (g) Isaaco, (h) Iacobo, (i) Iobo, (k) Ruthæ, (l) Obededom, (m) Iudithæ, (n) aliisque hospitalitati addictis, oro vt etiam benedicat (o) *coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui* repleantur *vbertate*.

f Gen. 9. v. 1. g Gen. 22. h Gen. 25. v. 11. i Gen. 32. v. 29. k Iob 1. v. 10 & vlt. v. 12. l Ruth 3. v. 10. m 2. Reg. 6. v. 11. n Iudith 13. v. 23. o Psal. 64. v. 12. Lucian. in Peregrino.

¥.3. & 4. per VERITATEM intelligit sinceritatem tum fidei, tum morum. MAIOREM HORVM; græcismus est, pro, maiorem his, NON HABEO, nec accipere à vobis possim GRATIAM, seu beneficium.

¥.5. FIDELITER FACIS] græcè, πιστὸν ποιεῖς, id est, *quod fidelem*, seu Christianum, *decet facis*: hospitalitate enim commendatissimi erant olim Christiani, teste etiam Luciano licèt Gentili.

¥. 6. QVOS peregrinos DEDVCES tua hospitalitate per iter suum, id est, facies commodè prosequi iter suum & DIGNE; Syrus, *decenter*, DEO, (cuius ipsi sunt famuli, filij & legati,) si sic pertexeris BENEFACIENS eis, inquit Lorinus.

C ¥.7. PRO NOMINE ENIM Dei propagando per annuntiationem Euangelj PROFECTI SVNT, inquit Beda, NIHIL stipendij vel subsidij ACCIPIENTES vel admittentes A GENTIBVS, ne videantur quæstum aucupari ex Euangelio. Vnde iure merito

¥.8. DEBEMVS NOS SVSCIPERE, fouere, omni officio & obsequio prosequi HVIVSMODI præcones Euangelij, VT ministrando illis, COOPERATORES, & consequenter, comparticipes, SIMVS VERITATIS, alieno ore & opera illam promulgantes, inquit Liranus.

¥. 9. QVI AMAT, id est, affectat & ambit, PRIMATVM GERERE, id est, Episcopum agere, IN EIS, id est, inter fideles Corinthios, DIOTREPHES

(quod *à Ioue nutritum* significat: sed erat nomen proprium superbi huius thrasonis,) NON RECIPIT, non agnoscit, non admittit, NOS, nostrasque litteras, nostra præcepta, nostram auctoritatem, nostros confratres.

Nota, solere olim Episcopum, vel, Episcopo absente, eius vicarium (qualis videtur fuisse Corinthi hic Diotrephes,) epistolas, seu Apostolorum, seu aliorum Prælatorum, quæ Ecclesiæ alicui in commune destinabantur, publicè in Ecclesia prælegere: vt fit etiampum in Missa ante Euangelium: & hæc erat quasi tessera amicitiæ & communionis in eadem fidei doctrina. Quòd si Episcopo vel vicario litteræ missæ non probarentur, supprimebat eas: vt hîc faciebat litteris amicorum S. Ioannis ambitiosus Diotrephes, hoc ipso designans, nolle se quidquam cum illis, vel cum S. Ioanne commune habere. Sed

✝. 10. COMMONEBO EIVS OPERA; Syrus, *memineto*, recordabor *eorum quæ fecit*; Vatablus & Pagninus, *indicabo*, in lucem proferam, cunctis nota faciam. Lucius Dexter ait, illum ab officio depositum fuisse.

Luc. Dexter sup.

NEQVE IPSE SVSCIPIT vel in hospitium, vel ad Eucharistiæ distributionem, vel ad agapen, seu sacrum conuiuium post Eucharistiam exhiberi solitum, admittit FRATRES in orthodoxa fide nobiscum communicantes: ET EOS QVI SVSCIPIVNT, seu (vt aliqui codices Græci legunt,) *qui voluntè suscipere*, EIICIT DE ECCLESIA, id est, de cœtu, seu congregatione fidelium, excommunicando eos, inquit Dionysius: cùm potiùs ipse excommunicandus esset.

1. Cor. 11. v. 20. &c.

✝. 11. QVI BENEFACIT proximo, EX DEO EST per fidem & charitatem natus, Dei filius & imitator, eiusdem cum Deo genij & moris. QVI verò MALEFACIT proximo, tantum abest ex Deo sit, vt *ne* quidem *videat*, seu per viuam fidem agnoscat, DEVM, vt aliàs (*a*) dixi: & consequenter non agnoscetur à Deo dicturo (*b*) in iudicio, *Numquam noui vos: discedite à me*, &c.

a 1. Ioan. 3. v. 6.
b Matth. 7. v. 23.

✝. 12. DEMETRIO fratri tuo (inquit Lucius Dexter) TESTIMONIVM beneficentiæ & pietatis REDDITVR AB OMNIBVS Christianis, testimonio desumpto non ab adulatione, vel falsa opinione, sed AB IPSA VERITATE, id est, à re ipsa verissima ac testatissima, nempe ex ipsis eius factis, ac benefactis, quæ oculis omnium patent & per se clamant. Catharinus & Salmeron insinuant hunc *Demetrium* fuisse Episcopum alicuius prouinciæ Asianæ. Serarius suspicatur fuisse illum ipsum, qui olim præfectus artificum templi Dianæ, Ephesi (vnde hanc epistolam scribit S. Ioannes) contra S. Paulum (*c*) seditionem concitauit: sed postea pœnitens persecutionem in hospitalitatem, perfidiam in propagationem fidei commutarit; sed suspicionem optarim testimonio alicuius, seu Patris, seu noti historici comprobari.

Luc. Dexter sup.

c Act. 19. v. 24.

EPISTOLA CATHOLICA BEATI IVDÆ APOSTOLI.

SCRIPTA saltem ante annum 31. à morte Christi, (*d*) quo (vt Onuphrius tradit) S. *Iudas* cum fratre suo (*e*) Simone Chananæo martyrium in Perside subiuit. Scripta igitur fuit circiter sexennio ante secundam epistolam S. Petri, qui plurimas ex Iudæ epistola sententias pæne verbotenus in suam transcripsit, quas per parallela digestas videre est apud Cornel. à Lapide.

d Chronici nostri c. 31. ad eund. annum Onuphr. in Chronico suo.
e Chron. nostri c. 46. in fine 4. tabulæ. f Prolog. de Mon. u. Hilar can. 6 in Matth. Hieron. l. de Script. Eccles. in Iuda. Iud. Coccius in Thesaur. Cathol. to. 1. l. 6. p. 370. Bellarm. l. 1. de verbo Dei c. 18. Conc. Carthagin. III. c. 47. Laodic. c. 59. Florent. in Eugenij Pontificis epistola ad Armenos. Trid. sess. 4.

Græcè scriptam testatur ipsa phrasis. *Margaritam* meritò dixeris, *quæ sub exigua mole, multorum summam includit sesterciorum*: (*f*) quod de tota S. Scriptura dicebat S. Hilarius: breuis enim, sed fœcunda admodum est epistola, primaria fidei mysteria, morumque Christianorum præcepta paucis verbis complectens. De Canonica eius auctoritate quidam olim, teste S. Hieronymo, dubitarunt, & nuper etiam Caietanus: Lutherus autem & Lutherani vt apocryphan reiiciunt. Sed antiqui Patres (quos, si lubet, vide Coccium & Bellarminum,) eam pro Canonica passim agnoscunt: & pro tali agnoscendam definiunt Concilia Carthaginense, Laodicenum, Romanum sub Damaso, Florentinum & Tridentinum.

CAPVT

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.

Hæreticorum improbos mores graphicè depingit, & acre Dei iudicium ab Henoch prædictum, ipsis intentat: omnesq; quasi seductores & pestes, cauendos docet: Christianis verò in fide susceptæ constanter persistendum, ne, si deflexerint, contingat in quod Hebræi, Sodomitæ & angeli à Deo apostatantibus. Denique hortatur ad orationem, castitatem, charitatem & zelum animarum, vt seductos ab hæresibus ad fidem reducant: insigni doxologia epistolam concludens.

✠.1. IVDAS non Iscariotes, sed *Thaddæus*, (*a*) & *Labbæus* (*a*) FRATER Apostoli IACOBI Minoris primi Episcopi Ierosolymitani: frater item *Simonis Chananæi*, vt aliàs (*b*) dixi. Docuit in Asia Minore, vbi florebat schola Simonis Magi & aliorum hæreticorum. Abagarum Edessæ regem ad Christi fidem conuertit, teste Eusebio. Etiam in Idumæa, Mesopotamia, Arabia & Persida prædicasse scribit Nicephorus & alij, (*c*) qui & martyrium eius ibidem cum fratre suo *Simone* constanter obitum, & corporis vtriusque Romam translationem enarrant.

a *Matt.* 10. v. 3.

b *In Chronico sup.*

Euseb. l. 1. hist. c. 13. Niceph. l. 2. c. 4. &c.

c *Martyrol. Rom.* 28. *Octobr.*

HIS QVI SVNT IN DEO, & in Dei fide, gratia & charitate vniti, ac proinde omnibus meritò DILECTIS; multi legunt ἡγιασμένοις, id est, *sanctificatis*; ET IN IESV, id est, per Iesum, in Iesu fide, gratia & charitate CONSERVATIS, vt ad eamdem antè VOCATIS: græcè, κλητοῖς, id est, *vocatitiis*, quo nomine vocabantur olim Christiani, quasi qui à Deo singulariter essent euocati, eiusque obsequio & cultui per fidem & gratiam mancipati. Hac tam blanda compellatione captat beneuolentiam lectorum, vt attentionem versù sequ. cùm ait, se scribere DE COMMVNI omnium SALVTE, vtique æterna: docilitatem verò cùm *deprecatur*; græcè, *exhortatur*, SVPERCERTARI SEMEL TRADITÆ FIDEI] id est, acerrimè ab ipsis (pro talento & statu cuiusque) propugnari fidem cælitus ita semel traditam, vt postea numquam sit immutanda ex parte Dei, sed ab hæreticis ita acriter impugnatum, vt eripienda ipsis sit ni strenuè caueant.

d *Ierem.* c. 28. *toto. Zach.* 13. v. 4. & 3. *Reg.* 22. v. 24. &c. e 2. *Tim.* 3. v. 1. & 2. *Pet.* 2. *toto.* f *Matt.* 24. v. 24. g 2. *Petr.* 2. v. 19. h *Ibid.* v. 1. i *Isaiæ* 3. v. 9. c. 10. v. 16. *Exodi* 34. v. 6. & *Amos* 5. v. 16. &c. k *Psalm.* 61. v. 12. & *Psalm.* 88. v. 36. *Hebr.* 9. v. 12. & 1. *Reg.* 26. v. 8. *Exod.* 33. v. 1. &c. l *Hebr.* 13. v. 8.

✠.4. SVBINTROIERVNT ENIM; Regia, *subrepserunt*, id est, clàm, furtim, dolosè ex insidiis se vobis insinuarunt. Sed facilè discernetis has vulpes & lupos: iam enim ab antiquo PRÆSCRIPTI SVNT; græcè, *antea scripti*, & viuis coloribus suis pridem à Prophetis (*d*) & Apostolis, (*e*) adeoque & ab ipso Christo (*f*) descripti sunt, & omnes illorum fallaciæ & artes detectæ ac prænuntiatæ; IN HOC IVDICIVM, id est, conformiter iudicio quod nunc de ipsis feram, nempe quòd sint IMPII, *luxuriosi*, blasphemi, &c. Notat maximè Simonianos, Nicolaitas, Gnosticos & alios de quibus etiam S. Petrus 2. epistolæ suæ c. 2. GRATIAM DEI, id est, Euangelicam libertatem, fœda interpretatione TRANSFERENTES IN LVXVRIAM (*g*) & libertatem carnis, ventris & veneris: ET IESVM, (*h*) qui cum Patre & Spiritu sancto SOLVS est DOMINATOR (*i*) totius vniuersi, & nominatim NOSTER Christianorum DOMINVS, perfidè NEGANTES.

✠.5. VOLO AVTEM non docere VOS, vtpote SCIENTES ita SEMEL (*k*) OMNIA, vt non sit necessum iteratò edoceri: sed solùm COMMONERE, græcè, ὑπομνῆσαι, id est, in memoriam vobis reducere. Quòd, cùm IESVS quà Deus: (*l*) (in nonnullis A Græcis codicibus est, *Dominus Deus*, & ita vertit Syrus & Clemens Alexandr.) POPVLVM suum Hebræum ex *Ægypto* & Ægyptiaca seruitute primò liberasset; SECVNDO, id est, altera vice, eumdè PERDIDIT, (*m*) cùm nollet credere Deo per Moysen promittenti introductionem in terram sanctam, ideoque in Ægyptum redire vellet. Subaudi, simili modo Iesus Christianos quos primò per fidem & baptismum saluauit, secundò perdet si à fide apostatent, & ad Simonem, Ebionem, Cerinthum vel alios hæreticos declinent.

m *Exod.* 32. v. 27. & *Num.* 11. v. 33. & c. 14. v. 29.

✠.6. ANGELOS item QVI PRINCIPATVM; græcè, ἀρχὴν, id est, originem, principium, potestatem, principatum, seu originalem præcellentiam in qua creati sunt, putà gratiam sanctificantem, qui constituebantur filij & heredes Dei, & principes regni cælestis (vt contra Magistrum Sententiarum, Bonauenturam, Scotum, Alensem & Hugonem, negantes, dæmones creatos fuisse in gratia, benè probat Vasquez & alij Theologi:) NON SERVAVERVNT, (nempe Deo facti rebelles, eo exciderunt & spoliati sunt, vnde ET DOMICILIVM SVVM, tanto principatu dignum, putà cælum empyreum in quo creati fuerant, coacti sunt *derelinquere*;) RESERVAVIT IN IVDICIVM (*n*) MAGNI illius DIEI, qui seiunget in æternum beatos à damnatis, angelos à dæmonibus: VINCVLIS ÆTERNIS & indissolubilibus diuinæ potentiæ suæ concluſurus illos SVB CALIGINE] id est, in caligineso carcere inferni. Quòd si tam nobilibus creaturis apostatantibus, sibi rebellibus, non pepercit Deus, quantò minùs parcet vilissimis homuncionibus si à Deo ad iuratos eius hostes deflexerint.

Vasquez 1. p. *disp.* 217. 2. 3. & 4.

n 2. *Pet.* 2. v. 4.

✠.7. SICVT SODOMA ET GOMORRHA EXFORNICATÆ, id est, extremò fornicatæ, seu extremam ac pessimam libidinem, putà præposteram, exercentes, ET POST CARNEM ALTERAM, seu alienam ab instituto & vsu naturæ, ABEVNTES, (*o*) masculi masculis, feminæ feminis, bestijs, vel dæmonibus incubis vel succubis se commiscentes, FACTÆ SVNT EXEMPLVM, seu publica diuinæ vindictæ ostensio, POENAM SVSTINENTES IGNIS ÆTERNI] partim qui tunc de cælo delapsus est, cuius etiamnum in lacu Asphaltite durant reliquiæ, vt dixi Genes. 19. partim qui in inferno Sodomitas excepit & torquebit æternùm. ita Isidorus Pelusiota.

o *Sap.* 14. v. 26.

Isid. Pelusiota l. 3. *epist.* 203.

✠.8. SIMILITER ET HI Nicolaitæ, Gnostici, alijque hæretici, perinde ac *Sodomitæ*, infandis libidinibus CARNEM & naturam humanam MACVLANT: Græca addunt, *sopiti* quasi veterno, & toti obscœnitatibus illis absorpti. Perinde atque Hebræi refractarij ac rebelles, (*p*) DOMINATIONEM, id est, magistratum omnem tum ciuilem, tum Ecclesiasticum, SPERNVNT ac detrectant, somniantes se per Christum liberos factos ab omni Superiorum obedientia. ita Thomas Anglicus, Gagneius, Catharinus, Vatablus, Salmeron & à Lapide. Denique instar Luciferi, MAIESTATEM diuinam BLASPHEMANT, tam ore, quàm opere, vt Epiphanius prolixè testatur. Et an non ingens blasphemia, Christo adimere diuinitatem? & miracula, doctrinam, præcepta illius ridere & exsibilare!

p *Hic* v. 5.

Epiph. hær. 26. &c.

✠.9. CVM MICHAEL ARCHANGELVS; Arabica, *princeps angelorum*, CVM DIABOLO (Æoles *Zabulo* legerent, quia ζ λ vertunt in ζ α) id est, *criminatore*, putà *Lucifero*, vel emissario Luciferi, DISPVTANS ALTERCARETVR, seu contenderet, DE

MOYSI CORPORE; Michaele detrectante, Satana vrgente, vt illud palàm & publicè in terra promissa sepeliretur, atque ita Hebræis in idololatriam pronis occasio daretur Moysen instar Dei & numinis, diuinis honoribus colendi, vt Iosephum colere solebant in figura vituli, sub nomine *Apis* seu *Serapis*, quod alibi (a) vidimus. ita S. Chrysost. Ambros. & passim SS. Patres & interpretes. In hac tam iusta Michaelis, tam iniqua diaboli causa, NON EST tamen AVSVS Michael INFERRE, seu impingere, diabolo IVDICIVM BLASPHEMIÆ, seu blasphemam sententiam, conuicium, maledictum, dicendo, Facesse maledicte satan, abi perfide in gehennam, &c. sed modestè ac grauiter illum compescuit, dicens, IMPERET TIBI DOMINVS] græcè, *increpet* (b) *te Dominus*, id est, tuam, ô satan, insolentiam ac nequitiam comprimat Deus potenti suo imperio, ne tantum mali causes populo illius. Porrò *blasphemiam*, seu conuicium, vel maledictum, *non est ausus* Michael proferre, non quòd diabolum timeret, sed quòd maledicum verbum tamquam rem se dedecentem proferre timeret, ait S. Hieron. Hæc Michaelis cum satana altercatio nusquam alibi in Scripturis reperitur, sed S. Iudas eam vel ex maiorum traditione accepit, vel ex apocrypho libro Henoch, (vt vult Origenes & Hieron.) vel libro Ascensionis Moysis, (quem etiam idem Origenes & Clemens Alexand. citant) sicut S. Paulus citat versus Arati, (c) Menandri, Callimachi, (d) Gentilium Poëtarum: non quòd omnia ab ipsis dicta probet, sed illa dumtaxat quæ citat. Exemplo S. Michaelis, inquit Hugo, magistratui, iudici, Prælato, imò cuiuis Superiori, abstinendum à verbis iniuriosis & austeriore imperio. (e) Et idem cuiuis Christiano cum æmulis vel obtrectatoribus certanti cauendum, inquit S. Hieron.

a *Gen.* 41. *v.* 43. *Chrysost. hom.* 5. *in Matth* *Ambros. l.* 2. *Offic. c.* 7.

b *Zach.* 3. *v.* 2.

Hieron. in ad Titum 3.

Orig. 3. & 4. *Periarchon, c.* 2. &c. *Clem. Alex. l.* 6. *Stromat.*

c *Actor.* 17. *v.* 28.

d *Ad Tit.* 1. *v* 12.

e *Eccli.* 4. *v* 34. *Hieron. l.* 2. *cont. Ruffin.*

℣. 10. HI AVTEM proterui & impudentes hæretici BLASPHEMANT promiscuè QVÆCVMQVE obuia, etiam quæ IGNORANT, quæque captum illorum superant, putà res cælestes ac diuinas, diuina attributa, mysteria fidei, &c. QVÆCVMQVE AVTEM NATVRALITER, seu naturali sensu & experientia, TAMQVAM bruta & MVTA; græcè, *irrationalia*, ANIMALIA NORVNT, putà ventrem & venerem, IN HIS porcorum instar & canum non tam deliciantur, quàm CORRVMPVNTVR, fœdantur, vitiantur. Et verò Seneca voluptates inducit quasi feras, quæ heros suos dilaniant: & Architas apud Ciceronem. *Nulla pestis*, inquit, *capitalior quàm corporis voluptas.*

Seneca de Vita beata c. 14. *Cicer. in Catone maiore.*

℣. 11. VÆ ILLIS Gnosticis, eorumque similibus aliis hæreticis, QVI IN VIA CAIN (f) *abeunt*, id est, vitæ ipsius institutum moresque & actus sequuntur, putà Dei contemptum, fraternam inuidiam & parricidium. ET ERRORE BALAAM, (g) nempe deceptione *mercedis*, (sic habent Græca) oblatæ à Balac rege Moab, EFFVSI SVNT, sicut ipse, in maledicta, & in impia consilia ad perdendum populum Dei. ET CONTRADICTIONE (h) (sic est in Græco,) id est, rebellione, factione & schismate vt imitantur impium CORE pontificatum Aaronicum ambientem, ita pari cum illo pœna, *viui ad inferos* descendent. Nominat præ ceteris impiis *Cainum*, *Balaam* & *Core*, quia hi tres fuerunt præ aliis hostes veritatis & Ecclesiæ, quam pessumdare & perdere voluerunt, veri prodromi & typi hæreticorum.

f *Gen.* 4. *v.* 8.

g *Num.* 22. *v.* 1. &c. & *c.* 31. *v.* 15.

h *Num.* 16. *v.* 1.

℣. 12. HI SVNT IN EPVLIS SVIS; græcè, ἐν ἀγάπαις, id est, *in charitatibus* (sic vocabant sacra Christianorum post sumptam Eucharistiam conuiuia, de quibus consule Tertullianum) MACVLÆ, *commaculantes* (vt vertit Syrus) corpus crapulâ, mentem libidine, conuiuas turpibus verbis, aspectibus, doctrinis: CONVIVANTES, & epulis ac poculis sese ingurgitantes, SINE VLLO TIMORE vel reuerentia, seu hominum, seu Dei: ouiculas sibi creditas deglubentes, imò mactantes, & ipsarum carnibus, sanguine, exuuiis; PASCENTES non pauperes, sed SEMETIPSOS. (i)

Tertull. in Apolog. c. 39.

i *Ezech.* 34. *v.* 2.

NVBES SINE AQVA, steriles, infæcundæ, copiosim pluuiam promittentes, sed nullam præstantes. (k) Variis VENTIS & suggestionibus dæmonum in varias doctrinas CIRCVMFERVNTVR, instar Euripi semper fluctuantes, & nunc in hos, nunc in illos errores, sola innouandi libidine proruentes, inquit Tertull. Irenæus & Vincentius. ARBORES AVTVMNALES, id est, finiente autumno non fructus, sed folia protrudere incipientes, quæ & ipsa mox hiemali frigore absumuntur, ac proinde prorsus INFRVCTVOSÆ, vt sequitur. ita Gagneius & Salmeron. BIS MORTVÆ, primò, dum arescerent: secundò, dum ERADICATÆ sunt, vt subditur.

k 2. *Petr.* 2. *v.* 17.

Tertull. de Præscript. c. 42. *Iren. l.* 3. *c.* 3. *Vinc. Lirin. contra profanas haereticorum nouitates.*

℣. 13. FLVCTVS FERI & latrantis MARIS, tumidi, inquieti, turbulenti, seditiosi, tumultuosi: sed tandem in pudendam libidinis & crapulæ spumam ac fæcem desinentes. SIDERA ERRANTIA, & in erroribus prorsus inconstantia. Græcum ἀστέρες πλανῆται non tantùm significat planetas septem inferiorum cælorum, sed etiam meteora & exhalationes igneas in aëre discurrentes, quas Aristoteles *stellas erraticas* vocat. Et hoc sensu Plato mercatores *planetas vrbium*; & Heraclius Imperator milites desultorios, *planetas castrorum* appellabat. Longam de hæreticis verè erraticis stellis disputationem vide apud Isidorum Pelusiotam & Iodocum Coccium. Syrus vertit, *stellas seductrices*: Arabicus *stellas caliginosas*, quales sunt exhalationes accensæ quæ instar stellarum in aëre oberrant, & subinde in terram cadunt: item *ignes* vulgò dicti *fatui*, qui viatores in auia vel præcipitia deducunt, & hæreticos ad viuum repræsentant. QVIBVS pro errorum *caligine* quam in Ecclesiam inuehunt, & pro schismatum ac seditionum *procella* quam excitant, vicissim SERVATA EST ac reposita manet PROCELLA TENEBRARVM (l) simul & ignium infernalium, non vno alterove sæculo, sed IN ÆTERNVM.

Aristot. l. 1. *Meteorol.* *Plato l.* 2. *de Republ.*

Isid. Pelus. l. 4. *ep.* 58. *Iod. Coc. in Thesauro Catbol.*

l 2. *Pet.* 2. *v.* 17.

℣. 14. DE HIS, supple, hæreticorum iudicio & damnatione, PROPHETAVIT HENOCH, prophetia vtique vocali ac verbali, quæ postea verisimiliter, seu ab ipsomet, seu ab ipsius abnepote Noë in scripta fuit relata, sed posterioribus sæculis multæ illi fabulæ adiectæ, vt videre est ex iis quas citat Tertull. Irenæus, Hieron. Augustin. & alii. Et forsan ex libro sic vitiato gemmam hanc, vt genuinam selegit S. Iudas; vt in simili fecit v. 9. Prophetia verò *Henochi* hæc est: ECCE de cælo VENIT DOMINVS Iesus tempore à Deo præfixo, nempe in fine mundi, IN, id est, cum, SANCTIS MILLIBVS SVIS, (m) stipatus innumeris legionibus angelorum & Sanctorum: vt

Tertull. l. de Cultu feminar. c. 10. & *l.* 4 *de Idolatria.* *Iren. l.* 4. *c.* 30. *Hieron. de Script. Eccles. in Iuda.* *Augustin. l.* 15 *Ciu. c.* 23 & *l.* 18. *c.* 38.

m *Deut.* 33. *v.* 2. & *Matth.* 25. *v.* 31.

℣. 15. *Faciat* IVDICIVM CONTRA OMNES; Arabicus, *vt iudicetur omnis caro*; DE OMNIBVS DVRIS verbis & iniuriis in proximum, & querulis, maledicis, blasphemis in DEVM. Inculcat ex Henocho nominatim iudicium extremum S. Iudas, quia *Gnostici* illud negabant. (n)

n 2. *Pet.* 3. *v.* 4.

℣. 16. HI *Gnostici*, alijque hæretici, SVNT isti de

de quibus Henoch loquitur, QVERVLOSI MVRMVRATORES (græcè γογγυσαὶ, id est, *susurrones*, de arctitudine legis Christianæ, de seueritate diuinæ iustitiæ, de prouidentiæ inæqualitate, imò iniquitate, &c. clàm multa mussitantes, palàm liberè detrahentes, neque ex diuino nutu regi vel duci volentes; sed SECVNDVM DESIDERIA SVA; græcè, *concupiscentias suas*, vt effrænes equi & muli, AMBVLANTES. solius QVÆSTVS & lucri CAVSA MIRANTES, suspicientes, colentes, & fictè *laudantes*, vt Syrus vertit, PERSONAS primarias, illustriores, opulentiores. Vide nostrum August. de Quiros.

℣. 18. ILLVSORES, qui omnia diuina & humana petulantissimè irridebunt, *qui* sua hypocrisi *simplices decipiunt*, inquit Dionysius.

℣. 19. QVI SEMETIPSOS SEGREGANT ab Ecclesia vt militante, ita triumphante, & consequenter à Christo & à Deo. Quid mirum? ANIMALES sunt, & instar brutorum animalium, NON HABENT pro duce SPIRITVM] id est, rectam rationem, sed solos sensus & carnales appetitus gulæ, libidinis, auaritiæ, superbiæ, &c.

℣. 20. VOS AVTEM, ô Christiani, SANCTISSIMÆ VESTRÆ FIDEI, quam pro fundamento spiritalis fabricæ iam pridem in baptismo iecistis, SVPERÆDIFICATE per continuum exercitium spei, charitatis, aliarumque virtutum, VOSMETIPSOS in augustum & gratum Deo palatium, (*a*) non propriis nixi viribus (vt hæretici) sed IN SPIRITV SANCTO ORANTES, & orationi iungentes

a 1. *Pet.* 2. ℣. 1.

℣. 21. *Dilectionem* DEI, & propter Deum etiam proximi. In his exercendis SERVATE VOSMETIPSOS & continuò perseuerate, EXPECTANTES immensam Dei MISERICORDIAM, & CHRISTI gratiam, quæ vos perducat IN VITAM ÆTERNAM] Neque in solos fideles optem exerceri charitatem, sed etiam, & quidem vel maximè, in seductos in hæresin.

℣. 22. ET HOS QVIDEM, nempe hæresiarchas & hæresis doctores, quia IVDICATOS ipsâ facti euidentiâ, &, vt Paulus loquitur, *proprio iudicio condemnatos* schismatis & hæreseos, ARGVITE; græcè, ἐλέγχετε, id est, redarguite, conuincite, saltem apud populum, vt errore & nequitiâ eorum patefactâ, ab omnibus vitentur & explodantur.

Ad Tit. 3. *v.* 11.

℣. 23. ILLOS VERO qui incipiunt hæreticis auscultare, in fide nutare, vel etiam à fide decidere, SALVATE qua potestis arte; industria & celeritate, quasi infantulos in ignem prolapsos & ambustos, celeri accursu DE IGNE, (*b*) tum præsentis Gnosticorum libidinis, tum futuræ infernalis flammæ, etiam nolentes, etiam per vim RAPIENTES. (*c*)

b *Iob* 31. *v.* 12.

c *Amos* 4. *v.* 11.

ALIIS AVTEM seductis quidem, sed iam resilientibus ac pœnitentibus, MISEREMINI, (*d*) & misericorditer in gratiam & gremium Ecclesiæ recipite: TIMORE tamen aliquo ipsis incusso grauioris pœnæ, tum in hac, tum in altera vita subeundæ, si rursus in errorem se abduci sinant. Sic verò cum seductis proximis agite & conuertimini, vt semper memineritis *odisse* EAM QVÆ CARNALIS EST, MACVLATAM TVNICAM] id est, carnales & fœdos mores, & spurca ipsorum opera, quibus quasi sordidis indumentis anima fœdatur. Nisi enim caueatis, ipsi suam scabiem vobis africabunt, suam hæresin & spurcitiem vel solo anhelitu afflabunt. Alludit ad ritum legis (*e*) Mosaicæ, quo vestes, lepra, sanguine vel semine pollutorum, etiam ipsæ censebantur pollutæ, & insuper quidquid illę contingerent.

d *Gal.* 6. *v.* 1.

e *Leuit.* 13.

℣. 24. Porrò *Deus*, cuius gratiâ vos totos impenditis animabus proximorum è cœno eruendis, POTENS EST, & (nisi opi seu gratiæ ipsius deesse velitis) curabit VOS CONSERVARE SINE PECCATO *& sine macula* vt addunt Syrus & Arabicus. q. d. Prouidebit Deus ne *maculatâ* Gnosticorum *tunicâ* commaculemini, & ne, dum alios saluare satagitis, vos ipsos perdâtis. Denique blasphemias impiorum hæreticorum opponit S. Iudas exemplo S. Petri (*f*) & S. Pauli (*g*) magnificam doxologiam, quâ suam ipse epistolam, nos hanc commentarij partem obsignamus:

f 1. *Pet.* 5. *v.* 11.

g *Rom.* 16. *v.* 25.

℣ 25. SOLI trino & vni DEO SALVATORI (*h*) VESTRO, PER IESVM CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM, GLORIA ET MAGNIFICENTIA, seu maximorum operum patratio, maxima personæ maiestas, IMPERIVM ET POTESTAS, quæ illi affuere ANTE OMNE SÆCVLVM, eadem ETIAM NVNC ab omni creatura in cœlo & in terra ei asscribantur, ET IN OMNIA SÆCVLA SÆCVLORVM, AMEN, fiat, fiat.

h 1. *Tim.* 4. *v.* 10. *&c.*

APOCALYPSIS
BEATI IOANNIS
APOSTOLI

Euseb. epist. 103. ad Paulinum c. 7. Pannonius & Ribera in præfatione. Pererius disp. 1.

OMNIVM Scripturarum obscurissima ac difficillima, *tot* habens *secreta*, *quot verba*: *Parum dixi*, *in verbis singulis multiplices latent intelligentiæ*, inquit S. Hieron. *Opus immensæ difficultatis*, Pannonio, *Mare magnum*, Riberæ, *plenum procellis & tempestatibus*, *in quo omnis sapientia humana*

humana deuoratur. Vnde multorum est opinio, inquit Pererius, *absque singulari Dei reuelatione, esse prorsus incomprehensibile*, tum ob sublimitatem materiæ, quæ totius Theologiæ medullam, & Euangelicæ Philosophiæ nucleum continet: tum ob parabolas & ænigmata quibus scatet: tum denique ob innatam omni prophetiæ quamdiu necdum impleta est (& talis ferè tota est Apocalypsis,) incertitudinem & obscuritatem. Addunt Ribera, Salmeron & quidam alij multas huic operi inesse hysterologias, & maximam ordinis perturbationem: sed contrarium, volente Deo, ostendam in decursu, &, si vnum alterumve exceperis, optimo ordine omnia posita, aptissimeque cohærere demonstrabo. Tribus primis capitibus instruit, corripit, corrigit septem Episcopos & Ecclesias Asiæ. Quarto capite proponit librum septem sigillis signatum, quæ sex sequentibus capitibus reserantur, panduntque futura in Ecclesia vsque ad finem mundi, maximè verò plagas & signa præambula tam extremo iudicio, quàm Antichristo. Reseratis atque explicatis sigillis, ipsum librum, seu contenta libro, enarrat à cap. 11. vsque ad finem totius Apocalypsis, putà persecutionem Ecclesiæ per Antichristum, Henoch & Eliæ prædicationem, martyrium & resurrectionem: septem plagas nouissimas, stragem Gog & Magog, Antichristi & complicum illius interitum, vniuersi excidium, vniuersale iudicium, & gloriam Beatorum æternam. Ioannes enim sicut in Euangelio suo describit vt historicus, primum Christi aduentum: ita vt Propheta, describit in Apolypsi secundum eius aduentum.

Scripsit autem hanc Apocalypsin quarto anno ante mortem suam, biennio ante conscriptum à se Euangelium, (*a*) anno à morte Christi 64. ab excisa Ierosolyma 24. imperij Domitiani 14. in insula Pathmos, in quam ab hoc tyranno relegatus fuerat. ita S. Irenæus, Hieron. Eusebius, Primasius, Baronius & alij historici atque interpretes. Scripsit, inquam, vt hoc quasi antidoto fideles communiret aduersus venena Ebionis, Cerinthi, Gnosticorum, Nicolaitarum, & aliorum tunc & pòst exsurgentium hæreticorum: eosdemque fideles roboraret ad fortiter sustinendas reliquas octo generales persecutiones à totidem Imperatoribus mox concitandas.

(*a*) *Chronici cap. vlt. sub finem.* *Iren l. 5. in fine.* *Euseb in Chron. & Hist* *Hieron in cat il. Scriptorum Eccles.*

Quod ad auctorem libri attinet, in Græco ascribitur *Ioanni Theologo*, quia hoc nomen Ioanni Apostolo, ob doctrinæ sublimitatem proprium erat, vt constat ex epistolis B. Euodij, Dionysij Areopag. & aliis à Baronio citatis. Immeritò igitur Dionysius Alexandr. & alij quidam apud Eusebium, ob ascriptum *Theologi* nomen, alteri cuipiam Ioanni, non Apostolo, sed discipulo dumtaxat Christi, hunc librum attribuunt. Quod de styli differentia ab Euangelio & epistolis Ioannis notat Beza, ridiculum est. Nam differentia illa perexigua est; & vt esset maxima, quis nescit, alium prorsus stylum prophetiam exigere, quàm historiam vel ethica. Marcionitæ olim & Alogiani, teste Epiphanio, & aliquæ Græcorum Ecclesiæ, teste S. Hieronymo, & nostro sæculo Erasmus; Lutherus & Caluinus Apocalypsin à Canone S. Scripturæ reiecerunt. Sed Augustt. Marloratus, Beza, aliique moderni Caluinistæ eam admittunt: & perpetuò admiserunt SS. Patres tam Græci, quàm Latini, quos vide citatos apud Baronium, Pererium. Bellarmin. Etadmittendam definierunt iam pridem Concilia Ancyranum, Carthaginense III. Toletanum IV. Romanum sub Damaso, denique Florentinum & Tridentinum.

Euseb. l. 7. hist. 20.

Epiph. l. 2. hæres 51. *Hieron. epist. 129. ad Dardanum.*

Baron. anno Christi 97. *Bellar. l. 1. de verbo Dei c. 19.*

CAPVT

CAPVT I.

Libri titulus : epistola dedicatoria ad septem Ecclesias Asiæ prologus describens primam Ioannis visionem, putà gloriosam Christi speciem in medio septem candelabrorum, repræsentantem omnia quæ tota Apocalypsi continentur, sicut Prologus in comœdia summatim omnia exhibenda repræsentat.

¶.1. APOCALYPSIS, id est, reuelatio, seu occultorum patefactio : QVÆ OPORTET FIERI CITO, nempe persecutionum Ecclesiæ imminentium, quæ *citò* incipient *fieri*, sed non æquè *citò* finientur. Hanc *apocalypsin* primò DEDIT DEVS IESV CHRISTO recèns concepto, seu incarnato, ad cuius officium spectabat præscire & præuidere omnia quæ Ecclesiæ sponsæ ipsius, toto temporis & æternitatis decursu erant obuentura. Reuelauit autem hæc omnia Christo, vt ex iis quæcumque vsui futura essent Ecclesiæ, ipse suo tempore PALAM FACERET SERVIS, id est, discipulis, SVIS: vti nunc *palàm fecit* ET SIGNIFICAVIT SERVO & Apostolo SVO IOANNI, MITTENS ad eum ex aula sua cælesti nobilissimam legationem PER ANGELVM SVVM, suorum secretorum iam conscium factum.

¶. 2. QVI Ioannes instructus ab hoc angelo de VERBO DEI, id est, de mandato & doctrina, nomine Dei & Christi sibi patefacta, TESTIMONIVM hoc præsenti libro coram Ecclesia PERHIBVIT eidem VERBO DEI, id est, testificatur esse *verbum Dei* ET TESTIMONIVM IESV CHRISTI, à Deo & à Christo ad se transmissum per angelum, nomine Dei & Christi denuntiantem & exhibentem sibi QVÆCVMQVE toto hoc libro vt VIDIT, ita & conscripsit.

¶. 3. BEATVS est QVI hanc prophetiam, seu monita & instructiones hoc prophetico libro tradita, LEGIT, ET SERVAT, quia TEMPVS PROPE EST quo erunt maximo vsui, & quo fructus vberrimi ex iis colligentur. Instant enim persecutiones, in quibus animos addent certantibus pro Christo. Hucusque titulus libri; sequitur epistola dedicatoria.

¶. 4. IOANNES SEPTEM ECCLESIIS, QVÆ SVNT IN ASIA Ioannis opera conuersæ ad fidem: has recensetv. 11. & duobus capitibus sequentibus. GRATIA, seu fauor Dei, ET PAX, id est, omne bonum AB Iehoua, (a) id est, ab EO QVI EST, ET QVI ERAT, ET QVI VENTVRVS, seu futurus, EST, putà à Deo cui essentiale est Esse & æternum, & infinitũ & immutabile: ET A SEPTEM SPIRITIBVS, seu angelis, vt infrà (b) eos vocat. QVI IN CONSPECTV THRONI, id est, ante thronum, EIVS stantes SVNT, vtpote administratorij spiritus Dei, principes aulæ cælestis, & Ecclesiarum in terra præsides, mediatores secundarij inter Deum & homines. *Archangelos* vocant Gabr. Vasquez, Serarius & quidam alij : *Seraphinos* Galatinus, Fontana, Salmeron, Pererius : *primogenitos angelorum principes* Clemens Alexandr. Horum nomina, (c) *Michael, Gabriel, Raphael, Vriel, Sealtiel, Iehudiel,* & *Barachiel*, reuelata B. Amadeo testantur chronica Ecclesiæ S. Mariæ angelorum Romæ, Galatinus, Serarius, Salmeron, Masellius, Victorellus & alij. Horum septem *cælestium principum* exemplo videntur permoti *reges Persarum & Medorum*, vt totidem *terrestres principes* vellent lateri suo perpetuò adesse, faciem regiam videre, & proximos solio regio assidere. (d) *Maiestas enim & gubernatio regum Persarum*, (vt benè notat Aristoteles, & ex eo Apuleius) *imago fuit diuinæ maiestatis & prouidentiæ*. Symbolicè Rupertus & ex eo Alcazar (qui contendit hunc esse sensum litteralem) per hos *septem spiritus* accepit septem Dei virtutes, siue attributa, quibus constat integra prouidentiæ perfectio : putà *sapientiam, fortitudinem, beneficentiam, iustitiam, patientiam, comminationem* & *seueritatem*. & has designari etiam per *septem lampades* & *septiceps candelabrum* Moysis. (e) Porrò ab his *septem angelis* gratiam hîc Ecclesiis precatur & postulat S. Ioannes, non quasi à primatiis auctoribus, sed quasi ab administris Dei, præsidibus aulæ cælestis & rectoribus Ecclesiæ : suo nos exemplo docens, eosdem angelos pari modo inuocare, & eorum interuentu ac precibus opem à Deo deposcere.

¶.5. ET A IESV CHRISTO. Verùm, decuitne *angelos* præponi *Christo* à S. Ioanne? Respondeo, Non ob aliam causam præposuit, quàm quòd vellet de Christo, & quidem vt homine (quæ natura inferior est angelicâ) sermonem longiore filo continuare : vt in simili vidimus fecisse Matthæum initio Euangelij sui, vbi Christum priùs vocat *filium Dauid*, quàm *filium Abrahæ*, quia de Abrahamo vólebat continuare sermonem. Syrus hîc ad maiorem emphasin, ter repetit articulum demonstratiuum: *A Iesu Christo, illo teste, illo fideli, illo primogenito mortuorum*. Nempe eximio illo *martyre*, id est, *teste*, imò Martyrum omnium duce ac principe, qui pro veritate & munere sibi credito tam constanter ad mortem vsque crucis depugnauit. PRIMOGENITVS MORTVORVM] Id est, qui primus à mortuis C resurrexit ad vitam immortalem & beatam : quique causa est & exemplar futuræ etiam nostræ omnium resurrectionis. ita Gagneius & Ribera.

¶. 6. FECIT NOS REGNVM non terrenum, sed spirituale, seu mysticum, in quo Deus regnet nunc per gratiam, postea per gloriam : & consequenter fecit nos etiam *reges*, (f) (vt legit Tertull. & multi Græci codices:) regnamus enim cum ipso & imperamus hîc vitiis, in futuro etiam morti & miseriis omnibus. ET SACERDOTES, & quidem propriè dictos, si spectes pastores & præsides Ecclesiæ : mysticos verò, si laicis adaptes, vt aliàs (g) expositi. Aludit autem ad nobilissimum felicissimumque regnum Machabæorum, qui simul erant sacerdotes & reges.

¶. 7. ECCE Christus ad vltimum iudicium VENIT CVM NVBIBVS. (h) Species illa iam oculis meis obiicitur. Et suo tempore VIDEBIT EVM OMNIS OCVLVS tam angelicus, quàm humanus, etiam eorum QVI EVM in crucifixione PVPVGERVNT, seu, vt est apud Zachariam, *confixerunt*, tum physicè clauis & lancea, tum moraliter maledicis linguis & sceleribus suis. ET PLANGENT OMNES TRIBVS TERRÆ, seu ex omnium tribubus impij omnes, *plangent*, inquam, SE SVPER EVM] nempe ob miserias & pœnas quas occasione scelerum in ipsum admissorum incurrerunt. ita S. Hieron. Augustin. Theodoret. Rupertus, Ribera & à Lapide.

ETIAM, AMEN] Id est, omninò ita erit.

¶.8. EGO DEVS SVM α ET ω, id est (vt sequitur) PRINCIPIVM ET FINIS (i) omnium rerum, omnium temporum, qui æternitate mea omnia ante-

a *Exodi* 3. v. 14.

b *Hîc c.* 8. v. 2 *& c.* 15 v. 6. *&c. Vasq.* 1. *p. disp.* 180. *cum.* 3. *Serar. in Tobiæ* 12. *Ioan. Fontana in Apoc. p.* 3. *author.* 64. c *Clem Alex. l.* 6 *Strom.* d *Dan* 10. v. 13. *Leon Mass. l.* 1. *de Virg. c.* 3.

e *Exodi* 25.

f *Apoc.* 5. v. 10.

g 1. *Pet.* 2. v. 5. & 9.

h *Matt.* 24. v. 30.

i *Apoc.* 22. v. 13.

cedo & ambio, & licet omnia interirent, omnibus superstes maneo. Et vt omnibus principium & Esse dedi, ita quando & quibus mihi placuerit, etiam finem dabo.

¥.9. EGO IOANNES per fidem Christianam FRATER VESTER, per tyrannidem Domitiani PARTICEPS vobiscum *tribulationis & patientiæ*, seu tolerantiæ aduersitatum propter Christum, Christique fidem quam prædico: futurus pari modo particeps etiam *regni* cælestis, quod pro brauio patientibus Christi causâ propositum est à Deo. ita Ribera. FVI relegatus à Domitiano in exilium, & ad metalla damnatus IN INSVLA PATHMOS, sita in mari Asiatico & Icario, vna ex Sporadibus, non longè à Candia siue Creta: non longè etiam à septem illis vrbibus ad quas hunc librum scripsit.

Notat ex Metaphraste Baronius, omnes insulanos in Pathmos à Ioanne ad Christum fuisse conuersos. In hac insula experte omnis humani, sed non diuini solatij,

¥.10. FVI raptus SPIRITV, seu mente quasi extra corpus, extra mundum, extra omnia præsentia, ad contemplandum (more prophetico) futura & procul absentia. Idque IN DOMINICA DIE, id est, primâ hebdomadæ die: iam inde enim à temporibus Apostolorum translatus erat cultus *sabbati* in sequentem diem, quæ ob memoriam & honorem resurrectionis Christi, *Dominica* cognominabatur. ita Aretas & alij passim. ET AVDIVI POST ME, seu à tergo, VOCEM MAGNAM TAMQVAM TVBÆ fortiter inflatæ. Designabat hæc bellum Ecclesiæ à tergo & proximè imminens sub Traiano, Hadriano, Antonino, ceteriſque Imperatoribus. Mysticè præsens diuinæ prouidentiæ præsidium Ecclesiam in persecutione protegentis ac propugnantis: quam licet nos oculis non cernamus, ipsa tamen nos cernit, semperque ante oculos habet, inquit Origenes & S.Hieron.

Hieron.in Ezech.3. v.12.

¥.11. De *Epheso*(a) aliàs egi: de reliquis vrbibus agam suis seorsim locis.

a *Præfat.in epist. ad Ephesios.*

¥.12. CONVERSVS SVM, id est, verti me, VT VIDEREM, id est, vt recognoscerem, (b) VOCEM à tergo insonantem, quis eius auctor, & quid sibi vellet. ET VIDI SEPTEM CANDELABRA AVREA, quorum singula, instar candelabri Mosaici (c) (huc enim alludit) erant (d) *heptalychna*, & septem constabant scapis siue calamis & septem in culmine lucernis.

b *Proleg. de Idiotismis Hebr.n.45.*

c *Exodi 25. v.31.*

d *Zach. 4. v.2.*

¥.13. IN MEDIO SEPTEM CANDELABRORVM, id est *septem Ecclesiarum*, (e) vidi ambulantem (f) quemdam SIMILEM FILIO HOMINIS, nempe angelum personam Christi vt homo & summus sacerdos est, agentem. Ambulabat autem inter candelabra, adaptans illa, purgans & accendens, lumine non aliunde adscito, (vt faciebant quotidie in templo Salomonico sacerdotes Aaronici) sed ex se (g) suaque persona deprompto. VESTITVS PODERE, id est, tunica talari hyacinthina summo pontifici propria, (h) cuius personam hic induit Christus. Hyacinthus autem, aërei & cælestis coloris, designabat Christum non amplius terrenum aut mortalem, sed cælo & immortalitate donatum; per aurea tamen tintinnabula ex tunica dependentia, id est, per Euangelij prædicationem, & per mala punica tintinnabulis adiuncta, id est, per miracula & beneficia innumera quæ Euangelium comitantur, Ecclesias & fideles omnes excitantem, fouentem, recreantem. ZONA AVREA, qua AD MAMILLAS *præcingitur*, Rupertus & Pererius

e *Hic v.20.*

f *Apoc.2. v.1.*

g *Hic c. 1. v.15. & 16.*

h *Exodi 28. v.31. & Sap.18.v.24 & Eccli. 45.v.10.*

A designari volunt dignitatem Christi regiam & pontificalem, ab omni miseria & mortalitate liberam: S.Chrysost.Gregor. Haymo & Anselm. eius castitatem & innocentiam: Alcazar, eius promptitudinem ad omne Dei obsequium: Corn. à Lapide, disciplinam sanctam quâ & Christi & Christianorum mens, phantasia, appetitus, motusque omnes succinguntur, restringuntur à vitiis, & Deo Deique legi adstringuntur. Quid si iuxta illud Isaiæ 11.vers.5. *Iustitia & fides*, seu fidelitas, *cingulum lumborum eius*, dicamus etiam designari prouidam in Christo iustitiam, qua mamillas misericordiæ & charitatis vberrimè & continuò defluentes in orbem, iusta & fideli moderatione, pro meritis vel egentia cuiusque, vel aliis diuinæ prouidentiæ regulis, coërcet & stringit?

¥.14. CAPVT EIVS, id est, CAPILLI capitis, canitie CANDIDI, ET TAMQVAM NIX, nitentes ac
B splendentes, symbolum sunt antiquæ, imò æternæ ætatis, & consequenter infinitæ scientiæ, prudentiæ, sapientiæ Christi toto orbe resplendentis. OCVLI TANQVAM FLAMMA IGNIS, indices sunt iræ Christi & vindictæ in hostes Ecclesiæ & omnes impios, à qua nemo subduci vel abscondi potest, iuxta illud Ieremiæ, *Oculi eius aperti sunt, vt reddat filiis Adam secundùm fructum adinuentionum eorum.* *Ierem.32. v.19.*

¥.15. PEDES SIMILES pedibus statuæ factæ ex AVRICHALCO; græcè, χαλκολιβάνῳ ære quod aureum habet colorem, inquit Sextus Pompeius & Plinius: & forte ex Libano aliisque similibus montibus eruebatur, inquit Aretas & Thesaurus linguæ Græcæ: vnde Syrus vertit, *similes ari Libanico* non frigido, non etiam liquato, sed calenti, candenti & coruscanti IN CAMINO, (i) seu fornace, ARDENTI; significant humanam Christi naturam, per
C caminum passionis & crucis redditam splendidissimam simul & fortissimam ad conculcandum Domitianum, Traianum, ceteroſque suos & Ecclesiæ hostes, imò & ad eos comburendum, inquit Damascenus, Rupert. Pannon. & alij apud Riberam.

Plin.l.33. c.4.

i *Ezech.1. v.27.*

Vox fortis, sonora & penetrans, qualis esse solet AQVARVM MVLTARVM (k) cum impetu defluentium, designat sonum prædicationis Euangelij personantis per omnem terram, eamdemque humectantis, purgantis, fœcundantis, inquit S. Gregorius, Ticonius, Haymo & Pererius. Vnde mox sequitur narratio de septem Ecclesiis hac voce conuersis, purgatis & fœcundatis.

k *Ezech.43. v.2.*

¥.16. SEPTEM STELLÆ *sunt* (l) *septem Ecclesiarum angeli*, id est, septem Episcopi, (m) qui instar stellarum (n) debent splendore suo subditos illuminare, calore vinificare, influentiis vegetare, præsertim noctu in tenebris hæreseon & persecutionum: D instarque angelorum sunt internuntij Dei ad populum, quem casto exemplo suo, solicita prece & sedula admonitione purgare, illuminare & perficere debent, quod proprium est angelorum, teste S.Dionysio. Alcazar has *septem stellas* IN DEXTERA Christi vult fuisse septem *gemmas*, instar stellarum *annulis* totidem infixas vel insculptas: quomodo *Ioachin* & *Zorobabel* subinde (o) vocantur *annuli in dextra* Dei.

l *Hic v.20.*

m *Philip 2. v.15 & bic c.2.v.1.3. 12.18.*

n *Dan.12. v.3. Dionys. Cælest hierar. c.4.*

o *Ierem.22. v.24. & Eccli.49. v.11. & Aggæi 2. v.24.*

DE ORE EIVS tamquam supremi iudicis, EXIBAT GLADIVS VTRAQVE PARTE ACVTVS, id est, sententia iudicialis, ex vna parte protegens innocentes, ex altera damnans & puniens nocentes. (p) ita Rupertus, Aretas, Beda, Lyranus, Ribera & à Lapide. Sic rex ille Asiæ, (q) cùm inauguraretur, aiebat:

p *Hic c.2. v.12. & c.19. v.15. & 17.*

q *Apud Ioannem Bohemum de Gentil. ritu, in fin.*

aiebat: *Oris mei sermo gladius meus erit.*

a *Eccli.* 43. v. 2. & *Psal.* 18. v. 6.

FACIES SICVT SOL (*a*) *lucens* IN VIRTVTE SVA, id est, lucens quàm maximè potest, index est corporis Christi glorioſi, & instar fulgentissimi solis, vt nunc in cælo, ita postea in loco iudicij, supra omnia creata resplendentis, & splendore suo Sanctos omnes quasi minores stellas collustrantis, ac accendentis, vegetantis, inquit S. Ambrosius, Ticonius, Haymo, Rupertus & Pererius.

Nota, personam hanc quam vidimus Christum hic induisse, instar prologi, suo hoc schemate repræsentare nobis totam Apocalypsim, putà Primò, singularem curam septem Ecclesiarum Asiæ, ceterarumque toto orbe sparsarum quas corripit, instruit, hortatur, minatur, &c. Secundò terrorem & vindictam in hostes Ecclesiæ, omnesque impios, ac præ omnibus in Antichristum & assecias Antichristi. Tertiò, gloriam, splendorem, & felicitatem æternam Beatorum in cælis.

B

℣. 17. CVM VIDISSEM hanc adeò terribilem speciem, CECIDI AD PEDES EIVS, partim ex reuerentia (vt vult Ambrosius, Ioachimus & Pannonius:) partim ex pauore, quasi exanimatus. Quo Ioannis casu mysticè designatur Christianorum prostratio per tyrannos, sed corroboratio & erectio per Christum, qui *posita* SVPER fideles DEXTERA diuinæ suæ protectionis & gratiæ, collapsos attollit de terra, confirmat & stabilit. EGO SVM PRIMVS ET NOVISSIMVS] (*b*) *primus* rerum omnium auctor, & *nouissimus*, id est, consummator, inquit S. Ambros. Vnde sicut Ecclesiæ meæ, quasi futuro mihi æternùm palatio, dedi initium, sic daturus sum eidem culmen, perfectionem & consummationem, nequicquam frementibus mille Domitianis, Traianis, alijsque tyrannis. Vnde sicut ego

b *Isaiæ* 44. v. 6. & 48. v. 12.

C

℣. 18. ET VIVENS sed ex morte rediuiuus & glorioſus surrexi; sic faciam vt Ecclesia mea, eiusque filij ex tribulationibus, quibus obrui & extingui videntur, glorioſi resurgant, magis accrescant, splendidiùs triumphent: Ego enim HABEO CLAVES, id est, plenum dominium, MORTIS ET INFERNI] quoscumque volo, ab iis præseruo, vel illis iam traditos resuscito, vt de facto vos resuscitabo ad gloriam & vitam æternam: vestros econtra hostes tradam illis æternùm excruciandos. Ita Pannonius, Alcazar & alij.

℣. 19. SCRIBE ERGO & annota QVÆ hoc primo capite VIDISTI, QVÆ partim nunc SVNT & in Ecclesia fiunt sub Domitiani tyrannide: partim FIERI OPORTET POST HÆC, sub Traiano, Hadriano, ceteriſque Imperatoribus, ac denique sub tempora Antichristi: nempe duplex SACRAMENTVM, seu mysterium: primum SEPTEM STELLARVM IN DEXTERA MEA: secundum, SEPTEM CANDELABRORVM AVREORVM; vtrumque iam

D

c *Hic v.* 13. & 16. suprà (*c*) exposui.

CAPVT II.

Præmittit Apocalypsi suæ septem epistolas ad septem Episcopos & Ecclesias Asiæ, (quatuor hoc capite, tres sequente) quibus tum illos, tum Christianos omnes edocet, quem fructum ex Apocalypsi capere, & quid in moribus suis corrigere, quid perficere debeant: sunt autem epistolæ ab ipsomet Christo dictatæ Ioanni.

d *Apoc.* 1. v. 16.

e *Præfato in epist. ad Ephes.*

℣. 1. ANGELO, id est, Episcopo (*d*) *Ephesinæ* (*e*) ECCLESIÆ SCRIBE meo nomine, inquit Christus. Hic Episcopus erat *S. Timotheus*, qui A ferè iam 40. annis (nempe ab anno 25. vsque ad 64. à morte *f*) Christi,) Ecclesiam illam rexerat. sed cum senio (quæ humana est instabilitas) nonnihil inciperat, & de primo charitatis feruore ac zelo propagandæ fidei aliquantum remiserat. Verùm hoc eius peccatum non lethale (etsi ita censeant S. Ambrosius & Haymo) sed solùm veniale fuit. Quod ipsum etiam acceptâ hac Christi monitione, strenuè correxit, relumpto zelo pristino tum promouendi verbi Dei, tum reprehendendi idololatras *Dianæ*, à quibus etiam duode ennio pòst eam ob causam martyrio affectus fuit 24. Februarij, quo die eius memoria tabulis sacris adscripta quotannis in Ecclesia recolitur. ita sentiunt Aureolus, Viegas, Alcazar, Pererius, Magalianus & Baronius. Et Liranus fatetur hanc esse communem sententiam, licet ipse, vt & Ribera, malint alium à *Timotheo* tunc Episcopum fuisse: sed quem obsecro? nam de *Onesimo* qui immediatè *Timotheo* successit, ex historicis constat, anno demum à Christi morte 76. Ephesi creatum esse Episcopum, vt Baronius demonstrat. Adde, peccata hæc (ob quæ vt putant, aliena à viro tam sancto, non audent Liranus & Ribera Timotheo hanc epistolam inscribere,) non solis Episcopis harum septem Ecclesiarum, sed & ipsismet Ecclesiis & Ecclesiarum filiis à Christo adscribi: (*g*) sed ideo in Episcopis primariò reprehendi, quòd vitia subditorum raro sine culpa Superiorum diu continuentur, inquit S. Chrysostomus. Porrò in septem istis epistolis notat Alcazar instrui septem diuersa conscientiarum genera tùm Episcoporum, tum aliorum fidelium. Primum genus est, negligentium. Secundum, diligentium. Tertium, deficientium & inconstantium. Quartum, imbecillium. Quintum, lassorum. Sextum, timidorum. Septimum, imprudentium & tepidorum. Vnde comparare possumus hos septem Episcopos septem planetis, *Ephesinum Mercurio* bono & bene ordinato, sed remissi ardoris; *Smyrnensem Soli*, eximiæ virtutis & omnia nubila superantis; *Pergamenum Lunæ*, deficienti & inconstanti; *Thyatirensem Veneri*, imbecilli; *Sardensem Marti*, laboribus quasi lasso & dormitabundo; *Philadelphicum Ioui*, timido, sed felicis fortunæ; *Laodicenum Saturno*, temerario & tepido.

f *Vide Chronicon eius in ij. dem annis.*

g *Hic v.* 7. 11. 17. *&c.*

Chrysost. hom. 58. *in Matth.*

℣. 2. TENTASTI] Id est, exploraſti an essent pseudo-apostoli & deprehensos redarguisti & expulisti. Et in hoc, ô Timothee, te laudo; sed reprehendo,

℣. 4. QVOD CHARITATEM TVAM PRIMAM, id est, illum charitatis tuæ in proximos primum feruorem, RELIQVISTI] Magno spiritu cœperas, sed sensim de eius contentione remisisti. ita Ribera, Pererius, Alcazar, à Lapide, & alij.

℣. 5. MOVEBO CANDELABRVM, id est, Ecclesiam (*b*) *tuam* Ephesinam, DE LOCO SVO] id est, à capite tuo in caput alterius successoris tui. Sic dicimus, monarchiam Chaldæorum translatam ad Persas, cùm Balthassari successit Cyrus, &c. ita Rupertus, Hugo, Richardus & Victorinus. Delrio vult per hypallagen, (*i*) *Mouebo candelabrum tuum de loco suo*, idem esse quod, *Mouebo te de loco candelabri tui*, idem est, amouebo te ab episcopatu Ephesino. Sicut infrà (*k*) de dæmonibus dicitur, *Neque locus eorum amplius inuentus est in cælo*: pro, *ipsi non sunt amplius inuenti in priore loco suo in cælo.*

h *Apoc.* 1. *v.* 13. *& vlt.*

i *Prolog. de Idiotismis Hebr. n.* 42.

k *Apoc.* 12. *v.* 8.

℣. 6. FACTA NICOLAITARVM erant promiscui concubitus cum feminis, etiam coniugatis. Et quidem

quidem Nicolao, vni ex septem primis diaconis hæresin illam affingunt Irenæus, Tertull. Hilarius, Hieron. Epiphanius, Philastrius & alij quos citat Baronius. Sed Nicolaum excusant Clemens Alexandrinus & S. Augustinus, qui æmuli eius Gnosticis, Nicolai dicta sinistrè exponentibus, & falsò nomen eius suæ sectæ prætexentibus adscribunt. Recruduit hæc fœda hæresis tempore Ludouici Pij Imp. filij Caroli Magni. & quia Ludouicus non sat strenuè se illi opposuit, pœnas in Purgatorio per integros 30. annos dedit, vt ex Annalibus Francorum narrat Cardinalis Baronius anno Christi 874. inchoante.

Hier. ep. ad Heliodorum Baron. anno Christi 62. Clem l. 3. Stromat. August. hæresi 5.

℣. 7. VINCENTI carnem, mundum & dæmonem, (inquit Pererius,) & speciatim torporem ac remissionem animi (cuius hîc insimulantur Ephesini; DABO EDERE DE LIGNO VITÆ] non illo corporali Genes. 2. v. 9. quo vires corporis instaurari poterant: sed eius antitypo, spirituali arbore viuificante, nempe gratia diuina in præsenti, & gloria cælesti in futura vita, qua torpor omnis animi & segnities, imò paulatim omnis infirmitas & mortalitas excutitur, vt Rupertus & Alcazar exponunt, & etiam Christo in Eucharistia id adaptant ex illo Ioan. 6. (a) *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

a *Ioan. 6. v. 59.*

℣. 8. ANGELVS, id est, Episcopus, *Smyrnensis* ECCLESIÆ erat tum temporis S. Polycarpus, à S. Ioanne non ita pridem creatus & ordinatus, teste S. Hieron. & 72. anno post hanc Apocalypsin martyrio coronatus, cùm Christo seruiisset annos 86. vt ipse moriturus præsidi asserebat. ita Aureolus, Ribera, Pererius, Alcazar & Liranus, qui addit hanc esse communem sententiam. Porrò *Smyrna* vrbs est Ioniæ in Asia partim in monte, partim in plano amœnissimè constructa; vel potius, postquam à Lydis euersa fuisset in nobiliorem formam instaurata, primùm ab Antigono, dein à Lysimacho, inquit Strabo. vbi & Homerium, seu Homeri templum & statua famosissima.

Strabo l. 14.

℣. 9. SCIO & probè perspectam habeo TRIBVLATIONEM quam ab hostibus sustines, ET PAVPERTATEM TVAM ad quam exspoliatione facultatum tuarum (b) redactus es. ita Richardus, Primasius, Aretas, Rupertus, Ticonius, Beda. SED his non obstantibus, DIVES nihilominus ES, diuinis thesauris gratiæ, fauoris & præsidij cælestis, aliorumque bonorum spiritualium. (c) BLASPHEMARIS, id est, infamaris, (d) conuicia & calumnias pateris, qua hostis legis & iudaismi traduceris AB HIS QVI SE DICVNT IVDÆOS ESSE, ET sunt quoad carnem, sed NON SVNT quoad spiritum veri *Iudæi*, (e) id est, Deum confitentes & colentes, qui Christum Dei Filium negant & execrantur.

b *Hebr. 10. v. 34.*
c *Eccl. 44. v. 6.*
1. *Tim. 6. v. 18.*
d *Ad Tit. 3. v. 2. &* 1. *Cor. 4. v. 13.*
e *Rom. 2. v. 28.*

℣. 10. MISSVRVS EST manu ministrorum suorum DIABOLVS ALIQVOS EX VOBIS IN CARCEREM, VT TENTEMINI, id est, vt variis ærumnis & cruciatibus probemini DIEBVS DECEM, id est, multo (f) tempore, inquit Pererius, Ribera & à Lapide. Inter hos Martyres fuit Germanicus, Pionius, ipseque Polycarpus, & tot alij de quibus Ecclesia *Smyrnensis* circularem dedit epistolam apud Eusebium.

f *Iob 19. v. 3. Num. 14. v. 22. &* 1 *Reg. 1. v. 8. Euseb. l. 4. hist. c. 15.*

℣. 11. QVI VICERIT mundum, carnem, diabolum, etsi hîc corpore moriatur, quæ est *mors prima*, (& piis potiùs transitus ad vitam, quàm mors,) NON LÆDETVR A MORTE SECVNDA, quâ & anima & corpus semper moriuntur & cruciantur in inferno, nec tamen vnquam extinguuntur. Sic infrà (g)

g *Apoc. 20. & 21.*

dicitur, *Pars illorum erit in stagno ardenti, igne & sulphure, quod est mors secunda.* ita Victorinus, Beda, Liranus & Haymo.

℣. 12. ANGELVS, seu Episcopus, PERGAMI quis tum fuerit, non certò liquet, inquit Pererius, Alcazar & alij. Aureolus & Liranus putant fuisse S. Carpum, quem Eusebius scribit, Pergami martyrio coronatum sub Antonino Impar. Sed Eusebius non addit fuisse Pergami Episcopum: imò Martyrologium Romanum facit S. Carpum Episcopum Thyatiræ: de quo infrà. (h) Erat autem Pergamus clarissima vrbs Phrygiæ, alio nomine (i) *Troia* dicta, Galeni patria, & P. Scipionis sepulchrum, inquit Cicero. Vbi membranæ repertæ, quæ inde dictæ sunt *Pergamenæ*, vt Varro testatur.

Euseb sup.
Martyrol. 13 April.
h *Hic v. 13.*
i *Virg. 2. Æneid. Cic. orat. pro Flacc.*

℣. 13. VBI SEDES; græcè, *thronus*, EST SATANÆ, vbi Satanas partim per idololatras tyrannos, partim per hæreticos Nicolaitas dominatur. IN DIEBVS ILLIS, nempe ante biennium, anno Domitiani duodecimo,) (k) ANTIPAS Episcopus Pergami *Martyr*, id est, TESTIS MEVS FIDELIS, ob fidem in bouem æneum candentem iniectus est, die 11. Aprilis: (l) ferè sub idem tempus, quo & S. Ioannes captus in Asia, & Romam transmissus, & ibi in feruens oleum demissus, cùm saluus illæsus euasisset, in Pathmos relegatus est. ita Metaphrastes, Aretas Baronius & Pererius.

k *Chron. cap. vlt. ii eod. anno.*
l *Apud Surium.*

℣. 14. HABES ILLIC Nicolaitas (m) TENENTES DOCTRINAM BALAAM alioli, QVI cùm non posset maledicere populo Dei, DOCEBAT regem Moabitarum BALAC MITTERE SCANDALVM CORAM FILIIS ISRAEL] (n) nempe vt ad castra Hebræorum submitteret speciosas puellas Moabitides, quæ prætextu eduliorum diuendendorum, eos ad fornicandum inuitarent, ea conditione vt Hebræi prius venerarentur *Camos* idolum Moab, vel saltem carnes *ederent* idolo immolatas. Idque eo consilio, vt ab offenso tantis sceleribus Deo Hebræi desererentur, punirentur, atque ita à Moabitis deuincerentur. Vnde ingens illa clades Num. 25. v. 3.

m *Sup. v. 6.*
n *Num. 31. v. 16.*

℣. 15. ITA HABES ET TV Pergami TENENTES DOCTRINAM NICOLAITARVM, nempe licere pro libito indulgere ventri & veneri, licere idololythis promiscuè vesci, non obstante Apostolorum inhibitione. (o) ita Alcazar.

o *Act. 15.*

℣. 16. SIMILITER atque Ephesino Episcopo edixi, AGE etiam tu cum tuis POENITENTIAM: tu qui nutasti nonnihil: tui, quia fœdè cum Balaamo populum meum conspurcarunt. SI QVOMINVS, id est, sin autem nolueritis pœnitere, VENIAM CITO iudex & vindex cùm TIBI, tum ILLIS, PVGNABOque GLADIO ORIS MEI, id est, proferam in omnes sententiam commeritæ vltionis & mortis. (p)

p *Apoc. 1. v. 16.*

℣. 17. VINCENTI autem tum propriam inconstantiam, tum nequitias Nicolaitarum, DABO MANNA ABSCONDITVM spiritualium consolationum & gaudiorum: ET CALCVLVM CANDIDVM, id est, fauentem sententiam felicitatis & gloriæ ipsi æternùm affuturæ: ET NOMEN NOVVM atque inexspectatum honorem quo filius & heres Dei nominetur & reuera etiam sit; verbo vno, centuplum (q) hîc, & in futuro vitam æternam. ita ferè Beda, Bernardus, Richardus, Pererius & à Lapide. Alludit ad *calculos*, quorum vsus apud Gentiles erat in comitiis ad ferenda suffragia pro creatione magistratuum, vel absolutione in iudicio, vel desig-

q *Matt. 19. v. 29.*
Bern l. de conuers. ad Clerc. c. 21.

gnatione

gnatione victoris in publicis luctis & certaminibus Olympicis vel aliis, teste Ouidio, Plinio & Sixto Senensi.

Ovid. 15. Metamorp. Plin. in Panegyr. ad Traian. Six. Senens. l. 2. in voce Calculus.

¥. 18. ANGELO THYATIRÆ, nempe *S. Carpo*, vt suprà (a) insinuani, Episcopo *Thyatiræ*, sed Pergamu martyrio affecto. (b) Est autem *Thyatira* vrbs vltima Mysorum, colonia Macedonum, ad Austrum Pergamo, cui etiam subiecta erat: patria Lydiæ purpurariæ, quam S. Paulus conuertit: (c) dicta *Thyatira*, id est, *filia*, à Seleuco Asiæ rege, ob lætum nuntium natæ sibi filiæ, inquit Strabo & Plinius.

a v. 12. b Lipoman. & Surius 13. April. c Actor. 16. v. 14. Strabo l. 13. Plin. l. 5. c. 9.

¥. 20. PERMITTIS cùm impedire possis, MVLIEREM illam nobilem ac potentem IEZABEL, QVÆ falsò SE DICIT *prophetissam*, cùm sit fœda hæretica ex secta Nicolaitarum, *seducens* SERVOS MEOS, *docendo* licere FORNICARI, ET DE IDOLOTHYTIS promiscuè MANDVCARE, non obstante scandalo, vel periculo relabendi in idololatriam, vel præcepto Apostolico. (d) q. d. Agit alteram Iezabelem propagatricem cultus Baal 3. Reg. 16. vers. 31, inquit Beda, Rupertus, Primasius & Pererius.

d Actor. 15. v. 28.

¥. 22. MITTAM EAM IN LECTVM ægritudinis, inquit Aretas & Pannonius: &, ni resipiscat, transferam in lectum interni, vbi *subter* eam *sternetur tinea, & operimentum* eius *erunt vermes*. (e) ita idem Beda, Rupertus, & Richardus Victorianus.

e Isaiæ 14. v. 11.

¥. 24. QVICVMQVE vestrùm NON HABENT, id est, non tenent, impiam HANC DOCTRINAM Iezabelis ceterorumque Nicolaitarum, & QVI NON COGNOVERVNT scientiâ approbationis, ALTITVDINES; græcè, *βαθέα*, id est, profunditates, SATANÆ, id est, dogmata abstrusa & diabolica Nicolaitarum, quæ ipsi vocant altissima, profundissima, sublimissima mysteria diuina, inquit Ribera. Hoc fuco velabant suas fœditates, & excutiebant leges omnes diuinas & humanas, quasi pondus superfluum & intolerabile. Vnde mox subdit Christus: NON MITTAM SVPER VOS, id est, non imponam vobis de nouo, ALIVD PONDVS, seu alias leges, quàm abstinentiæ à fornicatione & ab idolothytis. q. d. Pondus quidem aliquod imposuerunt vobis (f) nuper Apostoli, meo nomine: sed pondus longè minus & mitius, quàm sit vel Gentilium, vel Iudæorum, QVOD volo vos *tenere* DONEC VENIAM ad iudicium remuneraturus vestram & obedientiam & patientiam. ita S. Ambros. Richardus, Primasius, Rupertus, Beda & alij.

f Actor. 15. v. 28.

¥. 26. QVI VICERIT impietatem, ET OPERA, seu mandata, MEA CVSTODIERIT VSQVE IN FINEM huius vitæ, DABO ILLI etiam durante hoc mundo regiam in omnia potestatem, quâ pro libito regnabit mecum super terram, vt c. 5. vers. 10. clariùs exprimitur, ac tandem quoque dabo illi in extremo iudicio iudiciariam POTESTATEM SVPER GENTES omnes impias, ET VNÀ mecum REGET, imò conteret EAS VIRGA FERREA] Nempe seuera & irreuocabili sententia damnationis perdet omnes & præcipitabit in gehennam. Alludit enim (vt ipsemet ait v. 28.) ad illud psalm. 2. *Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos* irreparabiliter & in frusta inutilia. ita Victorinus, Aretas, Liranus, Ribera, à Lapide & alij.

¥. 28. ET DABO ILLI STELLAM MATVTINAM] putà, lumen gloriæ & claram Dei visionem, quæ instar luciferi, post obscuram huius vitæ noctem illucescet vnicuique victrici animæ simulatque è A corpore demigrabit. Sed commutabitur in lucidissimum solem meridianum, quando in generali resurrectione, etiam in omnia corpora simul & semel & æternùm gloriam & splendorem suum diffundet. ità Victorinus, Primasius, Aretas & à Lapide. Et hoc sensu dixit Christus infrà, (g) *Ego sum stella splendida & matutina*.

g Apoc. 22. v. 16.

CAPVT III.

Continet tres reliquas Christi epistolas, putà ad Episcopum & Ecclesiam Sardensem, Philadelphensem & Laodicensem.

¥. 1. SARDIS vrbs erat *Lydiæ* magna, amœna, celebris, ad latus Tmoli montis, olim regia Crœsi Lydorum regis, teste Horatio & historicis. Quis fuerit eius tunc vrbis Episcopus, incertum, inquit Liranus, Pererius, Alcazar & à Lapide. Aureolus & Antiochus Bronchus putant fuisse S. Melitonem. Sed is facilè 70. annis posterior fuit S. Ioanne, vt Eusebius docet & Baronius. Quidam cum Erasmo hæc adaptant Lucifero *Sardo*. Sed is plus quàm ducentis annis posterior fuit Ioanne: neque fuit *Sardis* in Asia, sed in *Sardinia* vrbis Calaritanæ Episcopus. Alij volunt nomen huius Episcopi fuisse Zozimus, id est, viuus, quia Christus ei dicit, NOMEN HABES QVOD VIVAS. Sed *nomen* ibi *famam* significat. q. d. Vulgi (sola externa opera attendentis) opinionè putaris viuere & multa bona operari: sed mea (qui tam corda, quàm opera scrutor) infallibili scientia ac iudicio, MORTVVS ES, & opera sunt mortua. Ex animi enim lassitudine negligebat hic Episcopus inuigilare saluti ouium sibi commissarum, non curans corripere & corrigere errantes, confirmare debiles, auertere scandala, hæreses reprimere. &c. contentus externo beneficentiæ obsequio, & grato auribus docendi dicendique exercitio famam sibi strenui pastoris conciliasse. Sed qui hominibus imponit, non imponet Deo. *Tot tantaq;* (aiebat Ioannes de Auila) *sunt pastorum obligationes, vt qui vel tertiam earum partem reipsa impleret, sanctus ab hominibus haberetur: cùm tamen eo solo contentus gehennam non esset euasurus.* Hanc animi remissionem & muneris debiti neglectum in hoc Episcopo reprehendi hîc à Christo, patet ex adiecto mox remedio:

Horat. l. 1. epist. 11.

¥. 2. ESTO VIGILANS in notandis, corrigendis, exstirpandis primùm tuis, dein & tuorum defectibus, in scandalis auertendis, hæreticis arcendis vel comprimendis: ET CONFIRMA (h) CETERA] id est, reliquum tibi commissum gregem in fide & virtute corrobora, tuâ alioquin incuriâ & segnitie etiam spiritualiter *moriturum*, ita Primasius, Beda, Liranus, Pererius, Alcazar, & à Lapide. Ex quo discimus à cura vel incuria pastorum sæpe pendere subditorum vel salutem vel damnationem.

h Luc. 22. v. 32. Ezech. 34. v. 4. & 6.

NON INVENIO OPERA TVA PLENA CORAM DEO MEO] quia non explent quæ tui sunt muneris & officij, & quia intus vacua sunt spiritu, charitate, merito. Sic Timotheum suum monebat Paulus, *Ministerium tuum imple*. ita ferè S. Ambrosius, Beda, à Lapide,

2. Timoth. 4. v. 5.

¥. 3. IN MENTE HABE, id est, memineris, QVALITER; græcè, *quomodo*, ACCEPERIS à tuis præceptoribus Ioanne, & aliis Apostolis meis: & quæ accepisti circa muneris episcopalis exercitium, diligenter obserua. Alioqui, si dormitare perrexeris, VENIAM AD TE spoliandum & perdendum TAMQVAM FVR, id est, inexspectatò & ex improuiso.

¥. 4. HA-

℣. 4. HABES in albo tuo, (vel in meo libro vitæ, de quo v. sequenti) PAVCA NOMINA, (a) seu capita nominatim inscripta, QVI VESTIMENTA conscientiæ suæ NON INQVINAVERVNT sordibus, seu luxuriæ, seu aliorum scelerum. ita Ambrosius, Haymo, Beda & Ribera. Horum exemplo & tu, ô Episcope, munda conscientiam tuam, & ne patiaris te à subditis tuis sanctitate, vitæque innocentia superari. Hi AMBVLABVNT MECVM IN ALBIS, (b) clarissima splendidissimaque stola immortalitatis & gloriæ decorati, vtpote æternitatis candidati.

a Deuter. 18. v. 5. Psal. 5. v. 12.

b Apoc. 7. v. 9.

℣. 5. QVI VICERIT peccatum, & in hac victoria perstiterit, NON DELEBO NOMEN EIVS DE LIBRO VITÆ æternæ, in quo inchoatè, putà secundùm præsentem statum iustitiæ, omnes inscribuntur in baptismo, & quoties per pœnitentiam resurgunt à peccatis: completè verò, quando in iustitia vsque ad mortem perseverant. Vide S. Thomam. En quàm variis, quàm splendidis titulis, quàm amœnis coloribus depingit nobis gloriam cælestem, Cap. 2. v. 7. vocat *lignum vitæ*, v. 11. *vitam æternam*, v. 17. *manna absconditum, calculum candidum, nomen nouum*, v. 29. *potestatem super Gentes*, v. 28 *Stellam matutinam*: cap. 3. v. 5. *vestimenta alba & librum vitæ*, v. 12. *columnam* siue trophæum, v. 20. *cœnam diuinam*, v. 21. *thronum Dei*. Quibus nominibus insinuantur variæ dotes & excellentiæ quas includit, quæ vnico nomine exprimi non possent.

S. Thom. 1. p. q. 24. a. 3.

℣. 7. PHILADELPHIA vrbs est Mysiæ iuxta Lydiam, ita dicta ab Attalo *Philadelpho* eius conditore. Alia à *Philadelphia* Syriæ, quę in Scripturis vocatur *Rabbath filiorum Ammon*. (c) Quis tum fuerit *Philadelphiæ* Episcopus, incertum, inquit Pererius, Alcazar & à Lapide. Sed Aureolus & Liranus volunt fuisse S. Quadratum, egregiè doctum & celebrem Martyrem sub Adriano Imp. 28. annis post hanc Apocalypsin, teste Eusebio. Sed tum dicendum esset, hunc Episcopum *Philadelphiâ* translatum postea Athenas: nam S. Quadratus Atheniensium Episcopus fuit, vt S. Hieron. & alij historici tradunt.

c 2. Reg. 12. v. 26.

Euseb. l. 4. Miller. c. 3.

HÆC DICIT SANCTVS ille per antonomasiam, ille VERVS] id est, perfectus per excellentiam. q. d. Ille perfectè sanctus. (d) Sæpe enim *verum* in Scripturis non opponitur falso, sed *imperfecto*, vt cùm dicit Christus, *Ecce verè Israelita*, (e) *Ego sum vitis vera*, (f) *Panis de cælo verus*, (g) &c. Proponit autem Christus Philadelphio, qui erat adhuc imperfectæ virtutis, suam absolutè perfectam sanctitatem, quasi speculum & scopum ad quem collimet.

d Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 41. e Ioan. 1. v. 47. f Ioan. 15. v. 1. g Ioan. 6. v. 32.

QVI HABET CLAVEM, id est, plenum dominiũ, & regni & domus & templi DAVIDIS (Dauid enim primus & principalis auctor fuit templi: nam Salomoni totius templi ideam delineauit, (h) & omnes impensas subministrauit.) (i) Per domum verò vel templum Dauid certum est intelligi *Ecclesiam*, quam APERIT Christus omnibus iis & solis quos ad eam vocat per gratiam suam: CLAVDIT & inaccessam facit quibus & quando voluerit, non semper illam infestari, seu ab hæreticis, seu à tyrannis, nisi quo tempore, quo modo, qua mensura placuerit. ita ferè S. Hieron. Cyrillus, Procopius, S. Thomas & alij. Simili phrasi promittebat olim *Eliacim* summum pontificatum, & absolutum spirituale imperium in Ecclesiam, Isaiæ 22. v. 22. *Dabo clavem domus Dauid super humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.*

h 1. Paral. 28. v. 11. i Ibid. v. 14. & c. 29. v. 1. & 2.

℣. 8. QVIA MODICAM HABES VIRTVTEM; A δυνάμιν, id est, potentiam, id est, modicas vires, seu naturales, seu supernaturales, ad conuersionem infidelium, maximè Iudæorum; ideo times, trepidas & angeris: opus enim ad id est, non modò scientia, & facundia, sed insuper etiam robusto zelo, & insigni sanctitate & magnanimitate, quâ difficultates omnes & molestias occurrentes exhaurias. Sed bono sis animo, quod ex tua parte deest, ego ex mea supplebo:

ECCE DEDI CORAM TE OSTIVM APERTVM mea clauę, id est, opportunam occasionem & commoditatem conuertendi infideles vltrò tibi subministro, quia SERVASTI VERBVM, seu præceptum MEVM] id est, in fide constanter perstitisti cùm tentareris & persecutionem pateretis, modica licet potentia bene & fideliter vsus: ideo nunc augebo vires tuas, vtarq; illis ad res per te maximas perficiendas.

℣. 9. ECCE, DE SYNAGOGA quoque non iam amplius Dei, sed SATANÆ, id est, ex numero obstinatissimorum tibiq́ue infestissimorum *Iudæorum*, DABO tibi in filios, FACIAMq́ue VT ADORENT ANTE PEDES TVOS] id est, accidant tibi supplices tamquam patri & Episcopo suo, vt eos in numerum filiorum tuorum admittas: *vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorũ lingent*. (k)

k Isaiæ 49.

℣. 10. *Quia* SERVASTI VERBVM, seu præceptum, PATIENTIÆ MEÆ, id est, longanimis sustinentiæ laborum, miseriarum, persecutionum, à me Christianis omnibus, ac præsertim Ecclesiæ pastoribus præceptæ; EGO vicissim SERVABO TE IMMVNEM AB HORA TENTATIONIS, id est, à tempore crudelissimæ persecutionis, QVÆ sub Traiano & Hadriano VENTVRA EST IN ORBEM VNIVERSVM, de qua vide Eusebium. Pondus enim quod modicis viribus tuis sustinere non potes, ab humeris tuis submouebo, inquit Alcazar & Ribera.

Euseb. l. 3. c. 31. bis. l. 3. c. 32.

℣. 11. ECCE VENIO CITO te adiuturus, & imminenti periculo subtracturus. Richardus & Rupertus putant hoc verbo significari, hunc Episcopum citò moriturum. Sed non desunt Christo aliæ viæ quibus possit seruos suos tyrannorum potentiæ subtrahere. Et fortè diuino instinctu iussus est S. Quadratus, quia nominatim quærebatur Philadelphiæ, hac occasione inde Athenas demigrare, vt suprà (l) insinuaui.

l Hic v. 7

TENE, id est, tetine constanter, QVOD HABES, nempè fidem, charitatem, zelum, patientiam, cetera sque virtutes hactenus obtentas: VT NEMO ACCIPIAT, seu adimat, TIBI CORONAM TVAM] id est, mercedem virtuti tuæ (si perseueraris) promissam ac præparatam. Iam manibus illam pæne tenes: fac retineas, nec tibi ab alio eripi sinas, v. g. à tyrannis, à seductoribus, à dæmonibus, &c. *Accipere* enim hîc non aliud designat quàm adimere, tollere, auferre: (quomodo improbi *accipiunt*, id est, adimunt piis, *coronam* suam quando illos à pietate diuellunt.) Neque necessariò connotat, transferre in proprium caput ex alieno capite: quod solis piis adscribi potest, ad quos hîc non videtur alludi. Vnde licet sæpissimè accidat, vt vno cadente alius eius loco substituatur, v. g. homines angelis, Gentiles Iudæis, Dauid Sauli, Matthias Iudę, Cyprianus Tertulliano, Cyrillus Origeni, Hieronymus Ruffino, Augustinus Pelagio, &c. id tamen perpetuum non esse docet quotidiana experientia: neque potest ex hoc versu solidè colligi, vt iam ostendi. Multò minùs ex eo colligi potest, quod Primasius, Beda, Ansbertus & quidam alij volunt, certum ac prædefinitum esse numerum saluandorum ante præ-

præuisam singulorum finalem perseuerantiam adeò vt nec plures saluandi sint, nec pauciores, nec alij quàm qui de dicto numero sunt. Quin potiùs cum Vasquez, Gregorio à Valentia, Lessio, Cornelio à Lapide & aliis planè contrarium hinc colligo, nempe Deum non absolutè nos elegisse ad gloriam cælestem nisi post præuisa singulorum merita & perseuerantiam: posse etiam quemcumque iustum, etsi sanctissimum, à sanctitate & gratia excidere. Cur enim alioqui moneret, *Tene quod habes?* cur periculum inculcaret amittendæ coronæ? cur omnibus his epistolis nulli nisi vincenti promitteret coronam? cur tot minas intentaret? tot monitis, tot præmiis excitaret?

Vasq.1.2 q. 23.disp. 89. c.10. Valentia ibid. Lessius de Gratia & de Attribut. Divin.

✠. 12. QVI VICERIT tentationum & persecutionum insultus, FACIAM ILLVM IN TEMPLO cælesti COLVMNAM, (a) id est, trophæum victoriæ ex hostibus partæ, vt fuerunt IN TEMPLO DEI MEI terreno *Boos* & *Iachin*, de quibus 3.Reg.7. vers. 15. & 21. quæ erant trophæa victoriarum Dauidis, inquit Alcazar & Viegas. q.d. Extollam illum supra alios, & victoriis ac trophæis celebrem, glorioſum ac famosum reddam tota æternitate. ET FORAS extra cæleste palatium meum, extra gloriam & beatitudinem semel adeptam, NON AMPLIVS EGREDIETVR aut efferetur, vt ex templo Salomonico elatæ sunt à Chaldæis (b) & Romanis (c) columnæ illæ *Boos* & *Iachin*.

a *Ierem.* 1. v.18.

b 4.Reg.25. v.13.16.17.

c *Ioseph.l.* 6.*de Bello.*

Nota. Qui instar nobilis *columnæ* vult excellere in Ecclesia tum militante, tum triumphante, necesse rectus sit per æquitatem, firmus per fidem & fiduciam, solidus per charitatem, crassus per deuotionem, sublimis per contemplationem, rotundus per simplicitatem, lævis per mansuetudinem, marmoreus per constantiam, variegatus omni genere virtutum, scientiarum, & aliorum spiritualium ornamentorum.

SVPER talem columnam SCRIBAM NOMEN DEI MEI, tamquam primi & supremi auctoris victoriæ: ET NOMEN CIVITATIS DEI MEI; putà IERVSALEM, non illius antiquæ per Titum iam in cineres conuersæ, sed NOVÆ, spiritualis, imò cælestis, quia DE CÆLO DESCENDIT A DEO MEO producta, erecta, stabilita tam altis fundamentis, vt à cælo ad terram vsque descendant. Hanc ciuitatem vtpote vi captam, quasi spolium victoris insculpam victrici *columnæ*. Insculpam ET NOMEN MEVM NOVVM *Iesu*, id est, Saluatoris in terra, & beatificatoris in cælo: nam meis auspiciis, meis meritis, à me acceptis gratiis, viribus, virtutibus obtenta est victoria. in omnibus & per omnes ego vicit omnes per me vt vicerunt, ita & triũphabunt: meo nomine omnes gloriabuntur, imò & nominabuntur à *Iesu Iesuitæ*, id est, filij & clientes *Iesu*, saluati & glorificati per Iesum. ita Pererius, Ribera, Viegas, à Lapide, imò & Hugo Cardinalis, (ex Ordine Prædicatorum primus ad eam dignitatem euectus,) & ex eo Landulphus Carthusianus ante annos 260. *In gloria*, inquit, *cælesti à Iesu dicemur Iesuitæ*, id est, *à Saluatore saluati*.

Landulph. p.1.de Vita Christi c.10.

✠. 14. *Laodicia* vrbs Phrygiæ maximà, ad Lycum fluuium, vicina Colossis, (d) primùm *Diospolis* dicta, dein *Rhoas*, inquit Plinius: denique instaurata ab Antiocho filio Stratonices, & in gratiam vxoris *Laodices*, vocata *Laodicia* quasi λαῶν δίκη, id est, populorum iudicium, vtpote quæ instar iudicis ac principis vicinorum populorum, omnibus ius diceret, imperaret & leges ferret: hinc vers. 17. se *diuitem* iactat & nullius indigentem.

d *Coloss.*4. v.16. *Plin.l.*5. c.29.

A Huius vrbis Episcopum Aureolus putat tunc fuisse S. Sagarem Episcopum nobili postea martyrio Laodiciæ perfunctum anno Christi 172. teste Eusebio. Quod si verum est, necessariò fatendum erit, Sagarem initiò valdè tepidum, & imprudentem fuisse, vt hîc tam acriter reprehendi mereretur, sed reprehensum respuisse, vt pluribus aliis contigisse suprà (e) vidimus.

Euseb.4. hist.c.24.

HÆC DICIT Christus, cuius (vt ex Isaia (f) patet) nomen est AMEN, id est, stabilis, FIDELIS ET VERVS, supple, TESTIS. Ideò enim hîc inuleat Christus suam fidelitatem & veracitatem, vt dictis suis mox proferendis, & minis & promissis sanè admirandis, fidem cõciliet. PRINCIPIVM & fons omnis CREATVRÆ DEI] nam à Christo, vt prima causa, efficiente, exemplari & meritoria, suum Esse tum naturale, tum supernaturale habet (g) omnes res creatæ, ita Rupertus, Ribera & Alcazar. Addit Pererius, Græcum ἀρχὴ etiam *principatum* significare, & hunc Christo hîc tribui in omnes creaturas.

e *Apoc.*2. v.1.& 26. & c.3.v.7. f *Isaiæ* 65. v.16.

g *Ephes.*5. v.10. *Gal.*6.v.15. *Coloss.*3. v.10.

✠. 15. NEQVE FRIGIDVS ES, id est, neque sensibiliter aut manifestè malus, ita vt vel à te vel ab aliis aduertatur, te esse in graui peccato: NEQVE CALIDVS, id est, neque feruenter aut reuera virtuosus. Atque VTINAM talis ESSES] Tunc enim vel calore accendereris ad fortiter progrediendum: vel frigore exstimulareris ad celeriter resiliendum à probroso, periculoso & damnabili statu.

✠. 16. SED QVIA TEPIDVS ES] id est, partim malus, partim bonus: malus occultè, bonus apparenter; hinc teipsum palpas, tibi places, superbis, præsumis, securè torpes otio & desidia, quasi bene omni ex parte tecum ageretur:

✠. 17. DICIS enim, DIVES SVM virtutibus, meritis & gratiis, ET NVLLIVS EGEO ad perseuerantiã & salutem consequendam. Quòd *si frigidus esses*, iam ipso frigore pungente sentires quòd sis NVDVS, CÆCVS, PAVPER ET MISERABILIS: id est, quòd priuatus sis veste charitatis & gratiæ iustificantis, destitutus prudentiâ, spoliatus omnibus virtutibus, oppletus sordibus, expositus certissimo æternæ mortis periculo. Vnde Rupertus virgini flaccidæ & superbienti, *Vtinam*, aiebat, *esses potiùs corrupta & humilis!* Et S. Augustin. *Audeo*, inquit, *dicere superbis continentibus expedit cadere in aliquod apertum manifestumq; peccatum, vnde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant.* Similia habent Cassianus, Anselmus, Haymo, Liranus, Pererius, Alcazar, Ribera & à Lapide. INCIPIAM TE EVOMERE, non ex gratiæ meæ stomacho, (in quem te inlipidum hypocritam non admisi) sed EX ORE MEO, extra curam meæ singularis prouidentiæ ac tutelæ, cum irreconciliabili detestatione ac derelictione. Ad quæ mala euitando

Aug.serm. 53. de Verbis Domini & 14.de Ciuit. c. 13. Cassian. collat.4. c.18.& 19.

✠. 18. SVADEO TIBI EMERE A ME AVRVM IGNITVM *ex igne*, vt habent Græca, id est, extractum ex igne prorsus ignitum, & consequenter planè purgatum ET PROBATVM ab omni scoria hypocrisis & latentis malitiæ. Per quod *aurum* Richardus, Beda, Ansbertus, Hugo, Alcazar & à Lapide intelligunt *charitatem*, non talem qualem, sed præstantissimam, instar auri: non tepentem, sed feruentem, imò ardentem instar ignis. *Emere*, inquam, vtique argento, non tamen tuo (peccator enim nullo opere mereri condignè potest primam gratiam:) sed Christi, nempe pretio sanguinis ipsius, inquit S. Ambros. vel, vt Dionys. Carthusianus, eme pretio non condigno, sed congruo, nempe per actus fidei, spei, pœnitentiæ, orationis

Ambr.l.de Ioseph.Patriarch.c.7.

& aliorum piorum operum, quibus tamquam præ- A uiis & infallibilibus dispositionibus gratia iustificans cõparatur. Hoc auro pelles Primò, *paupertatem* & inde subnatas tibi miserias; Secundò *nuditatem*, compararis ex eo VESTIMENTIS ALBIS, non lanæ vel byssi (quibus abundat Laodicia, teste Strabone & Tacito) sed innocentis, castæ & puræ vitæ. Tertiò, *cæcitatem*, coëmpto non stibio fallacis scientiæ, sed COLLYRIO cælestis sapientiæ, ex consideratione diuinorum attributorum, passionis Christi, & futurorum bonorum ac malorum collectæ, quâ mentis tenebras facilè depelles, inquit Primasius, Anselmus, Richardus, Hugo, Ribera, Viegas & à Lapide. Collyrium enim fit ex *saccharo*, *aqua rosacea* & *tuzia* (quę est spuma argenti subnigra, & friabilis instar arenæ:) quæ symbola sunt dulcissimorum attributorum Dei, fragrantis passionis Christi; & mordicantium quatuor extremorum hominis.

Strabo sup. & Tacitus apud Baron. anno Christi 62. in fine.

℣.19. EGO QVOS AMO tamquam amicos, filios & heredes mihi futuros; eorum pueriles mores B ARGVO, corripio ET CASTIGO] Primò, vt peccata eorum expiem; Secundò, vt à peccando deinceps absteream; Tertiò, vt in humilitate perpetuò conseruem; Quartò, vt merita & coronas adaugeam; Quintò, vt gloriam & virtutem meam ampliùs manifestem. Quare cùm eodem modo nunc tecum agam, est sanè cur extremè gaudeas, & *æmuleris*; græcè, zelo accendaris, ad omnem teporem torporemque, seu tuum, seu tuorum, procul fugandum.

℣.20. ECCE salutis tuæ zelosissimus, iam pridem AD cordis tui, per desidiam, aliaque peccata mihi occlusi, OSTIVM, ad intellectum & voluntatem, STO, ET per crebras illuminationes atque excitationes internas atque externas PVLSO. SI tu, vel si QVIS alius hoc ostium MIHI reserarit, inspirationes meas libero suo arbitrio admittens, INTRABO per gratiam iustificantem, AD ILLVM (vt olim ad Zacchæum) quasi ad gratissimum hospitem, ET COENABO CVM ILLO, familiariter, amicè, iucundè cum illo me oblectans, & ipsum vicissim mecum, primùm in cella huius vitæ vinaria (*a*) cælestium oblectationum ex vsu Sacramentorum, & diuinarum rerum contemplatione: deinde in futuræ vitæ aula nuptiali ad torrentem diuinarum voluptatum ex plena fruitione Dei æternùm scaturientium. Ibi mensæ meæ assidebunt, non in vili scamno, vel plebeia sede, sed

a Cant. 2. v. 4.

℣.21. IN THRONO MEO regio, participes regni, gloriæ, honoris, gaudij & deliciarum mearum, quisque pro captu & meritis suis. Ex dictis patet, Christum, ad septem hos Episcopos, & consequenter fideles omnes, à sordido torpore, desidia, negligentia excitandos, animandos & acuendos ad fortiter pro Deo, pro Ecclesia, pro salute sua decertandum, alludere vbique ad agones, victorias & coronas athletarum, maximè Pythias & Olympicas. (de quibus fusè Carol. Paschalis & Petr. Faber, in Græcia totaque Asia tam celebres, vt, teste Cicerone, palmam in iis retulisse, *propè maius & gloriosius* ibi censeretur, *quàm Romæ triumphasse.* Quanti ergo Christianis sua esse debet non iam ὀλυμπονίκη, seu ὀλυμπιονίκη, id est, Olympi, id est, cæli victoria? sui, mundi, peccati, diaboli, inferni deballati triumphus? Hactenus de prima Ioannis visione.

Carol. Pasc. l. 6. de Coronis c. 11. Pet. Faber Agonist. l. 2. c. 11. Cicer pro Flacco.

CAPVT IV.

Secunda Ioannis visio, quâ aperto cælum ostio, videt Deum habitu iaspideo & sardinio, in throno smaragdino residentem, & iride amictum: circumsedentes vigintiquatuor seniores, & quatuor animalia, plena oculis, alis sensu instructa, Deum assiduè laudantia: & ad eorum laudes, vigintiquatuor seniores, cum coronis suis ante thronum Dei procidentes, & pari modo Deum collaudantes.

℣.1. VIDI visione non reali, sed imaginaria vel intellectuali, quasi OSTIVM IN CÆLO APERTVM mihi, vt possem quæ intus gerebantur inspicere. Mysticè Ioanni, Stephano, (*b*) Paulo (*c*) ceteriśque Apostolis & doctoribus noui testamenti clariùs reuelata sunt cælestia mysteria, quàm Moysi vel Prophetis antiqui testamenti. Huc in cælum ASCENDE, non corpore, sed mente & spiritu, (vt fit in ecstasi) spectaturus QVÆ OPORTET FIERI POST HÆC in Ecclesia primùm militante, dein & triumphante.

b Act. 7. v. 55. c 2. Cor. 12. v. 2.

℣.2. ET STATIM FVI IN SPIRITV, supple, raptus in ecstasin. ET ECCE SEDES, seu thronus, IN CÆLO, similis ex parte propitiatorio Salomonico, sed longè amplior, augustior, pretiosior, ferè qualis exhibitus fuit Isaiæ & Ezechieli. Repræsentabat enim altissimam celsitudinem & immensam maiestatem diuinæ naturæ, perfectionis & gloriæ, in qua, quasi in throno ab omni æternitate residet & conquiescit, SVPRA SEDEM SEDENS] Quis? vtique SS. Trinitas, seu Deus trinus vnus, specie humana (*d*) & regali forma, vtpote cæli terræque dominus, inquit Richardus, Viegas, Ribera & alij.

Isai 6. 9 1. Ezech. 1. v. 22.

d Apoc. 5. 6. v. 7.

℣.3. SIMILIS ERAT ASPECTVI, (*e*) id est, speciei vel colori IASPIDIS, nitidæ ac pellucidę (*f*) partim subuiridis, partim purpurei, (teste Plinio,) partim fului coloris, si Virgilio credimus. ET SARDINIS vel sardij, qui rubei & sanguinei coloris est (homini gaudium & risum accendentis, inquit Tostatus, sed feris terrorem incutientis, inquit Aretas:) & adC nascitur amethysto, vt videre est in quibusdam gemis, quarum vna pars est sardius, altera amethystus, qui colorem habet vini rubentis, inquit Alcazar ex Areta & aliis. Alludi videtur ad visionem Ezechielis, vbi sedens in throno Cherubico dicitur fuisse, *ab aspectu lumborum & deorsum: quasi ignis, & à lumbis sursum, vt visio electri: iaspis* enim refert speciem aliquam ignis, vt *sardius* electri. Vterque significat splendorem & pulchritudinem diuinitatis semper virentis, florentis & fulgentis, æternum Sanctis gaudium & voluptatem aspirantis, impijs terrorem & supplicium infligentis. ET IRIS (misericordiæ diuinæ symbolum) ERAT IN CIRCVITV throni, instar semicirculi illum ambiens, & beneficiorum imbrem copiosum ac varium in omnes creaturas depluens; versicolor quidem, sed maximè repræsentans *smaragdum* viridis coloris, (*g*) quia hîc color intensior in iride apparebat, inquit Liranus. D Et quia recreatiuus est & confortatiuus oculi seu visus, symbolum est consolationis & opis diuinæ fidelibus affuturæ in instantibus persecutionibus. ita à Lapide, Viegas, Pererius.

Exech. 1. v. 27 & c. 8 v. 2.

e Prolog. 14. Idiotismi Hebr. n. 46.

f Apoc. 21. c. 11. Plin. l. 37. v. 8. Virgil. 4. Æneid.

g Solinus c. 17. & Plin. seq. c. 5.

℣.4. ET IN CIRCVITV, sed (*h*) ex opposito SEDIS, seu throni regij, erant alia humiliora SEDILIA VIGINTIQVATVOR, quibus insidebant viginti-quatuor SENIORES, id est, senatores, magistratus, principes. Alludit ad viginti quatuor principes sacerdotũ templi Salomonici, (*i*) qui typus erant horum viginti quatuor principum templi cælestis, nempe illustriorum Sanctorum & heroum partim veteris, partim noui testamenti, qui quasi senatum constituunt Ecclesiæ triumphantis, & sunt perpe-

h Hier. 10. v. 5.

i 1. Par. 24.

tui

tui assessores Dei, consilij mysteriorum diuinæ prouidentiæ circa Ecclesiam militantem, & eorum quæ in illa vsque ad finem mundi gerenda sunt. ita Richardus, Beda, Rupertus, Haymo, Maldonatus, Viegas & à Lapide. CIRCVMAMICTI VESTIMENTIS ALBIS, quæ notæ sunt claritatis, innocentiæ & gloriæ Sanctorum. ET IN CAPITIBVS EORVM CORONÆ AVREÆ, indices victoriæ, triumphi, & regiæ maiestatis.

Pineda in Iob 19. v. 9. num. 30.

Ex his Nota, inquit Pineda, quales debeant esse principum consiliarij: nempe Primò *assint* iugiter *principi*, semper ei ad manum sint. Secundò, *senes* sint, experientia & prudentia polleant. Tertiò, *circumamicti candore* & sinceritate. Quartò, *coronas habeant* in capite præditi animo regali, & libertate suggerendi prompti ubique quod rectum & æquum censuerint. Quintò, *procidant ante thronum*, suumque iudicium subdant principi sectis statuenti. Sextò, rigido silentio & secreto relinquant *librum* arcanorum *obsignatum*.

¥. 5. ET DE THRONO Dei PROCEDEBANT FVLGVRA, ET VOCES, ET TONITRVA] (hendyadis) id est, voces tonantes, (a) seu instar tonitruorum personantes: symbola diuinæ potentiæ, maiestatis, magnificentiæ, simul & iræ, vt olim in monte Sinai. (b) Ex quibus, vt & ex dictis vers. 3. facilè colliges, quis habitus, qui mores, quæ virtutes deceant principem, seu politicum, seu Ecclesiasticum, Dei vicarium, & quasi alterum Deum in terris. Niteat, vireat, splendeat vt *iaspis*; gaudium bonis, malis terrorem creet, vt *sardius*; ferueat vt *ignis*; fulgeat vt *electrum*; exhilaret suos, recreet, roboret vt *smaragdus*; *iride* cingatur misericordiæ & beneficentiæ: simul tamen & *tonitruis* ac *fulguribus* iustitiæ ardeat *septem lampadibus*, id est, septem donis Spiritus sancti, & his subditos omnes illuminet, accendat, inflammet. Ad litteram *septem hæ Lampades*, instar septem lucernarum candelabri Mosaici, præluentes throno Dei, sunt septem primarij angeli, quibus cura & gubernatio militantis Ecclesiæ commissa est à Deo, vt suprà dixi. (c)

a Proleg. de Idiotismo Heir. n. 41. Apoc. 10. v. 3. & c. 19. v. 6.

b Exodi 19. v. 16.

c Apoc. 1. v. 4.

¥. 6. IN CONSPECTV & vndique in circuitu SEDIS Dei erat TAMQVAM MARE VITREVM SIMILE CRYSTALLO, nempe ipsum *cælum crystallinum*, inquit Andreas Cæsariensis, seu *aquæ quæ sunt supra firmamentum*. (d) Vel, vt Pererius & à Lapide, *cælum empyreum*, quod est sedes & palatium Dei, angelorum & Beatorum: vocaturque *mare* ob amplitudinem, *vitreum & crystallinum* ob subtilitatem, tranquillitatem, splendorem, soliditatem. Sic infrà c. 21. v. 11. Ierusalem cælestem comparat *crystallo*.

d Gen. 1. v. 7. & Psal. 148. v. 4. gloss.

ET IN MEDIO, id est, intra ambitum, SEDIS, putà in ipso throni hypopodio, seu suppedaneo, dispositæ sunt per *circuitum* QVATVOR ANIMALIA, hieroglyphica quatuor primariorum angelorum, qui stipatores & administratores sunt Dei circa regimen Ecclesiæ & curam salutis fidelium & totius mundi. Huic affingitur ei similitudo vultus quatuor nobilissimorum animalium, *leonis, vituli, hominis & aquilæ*, quibus repræsentantur stemmata tum Dei, tum Christi, tum ipsorum met angelorum, vt fusè exposui Ezech. 1. vbi & formas eorumdem descripsi, quas ideo non repeto. Erant enim hæc Ioannis animalia eadem cum Cherubinis Ezechielis, qui stipabant currum gloriæ Dei, inquit S. Hieron. Richardus, Ansbertus, Rupertus, Hugo, Prado, Viegas, à Lapide & alij passim. Hoc solo discrimine, quòd singuli Cherubini Ezechielis habuerint quatuor alas & pedes vitulinos, & in capite figuras omnium simul quatuor animalium: Ioannis verò singuli sex alas & pedes humanos, & in capite non vnam figuram vnam singuli vnius animalis. Deceb it enim, mysteria quæ in veteri testamento confusa & implexa erant, in nouo distinctè & apertè proponi. Vnde mox c. 6. audiemus singulos horum quatuor Cherubinorum euocantes & edocentes Ioannem de variis Ecclesiæ obuenturis statibus & aliis arcanis. Erant autem hæc *animalia* PLENA OCVLIS ANTE ET RETRO, & etiam INTVS id est, in ea alas & sub alis: id est, perspicacissimo erant intellectu, cognitione & scientia tum naturali, tum supernaturali, infusa, acquisita, experimentali, omnia vident, omnia penetrant, præsentia, absentia, præterita, futura, perinde ac si essent puri & mera oculi: vnde sapientissimi, prudentissimi, attentissimi sunt in administratione mundi & Ecclesiæ.

B ¥. 7. TERTIVM ANIMAL HABENS FACIEM QVASI HOMINIS, seu vultum humanum. Cur ergo non vocat *hominem*? maximè cùm reliquo toto corpore referret *hominem*, vt ferebant etiam reliqua tria animalia, solo vultu bestias referentia, vt videre est quoldam homines vultu plane leonino, taurino, aquilino. Respondeo, Quia, etsi quoad staturam & formam membrorum esset corpus humanum, tamen propter multitudinem oculorum & alarum, quæ propriæ sunt auium, speciem referebat non tam hominis, quàm noui cuiusdam & ignoti animalis.

¥. 8. SINGVLA HABEBANT ALAS SENAS, vt habebant Seraphini Isaiæ 6. v. 2. Quatus quoad alas, & etiam quoad trisagium SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS, similia erant hæc animalia Ioannis. Vnde non est cur ibi dicta hic repetam. Sed quare hæc Ioannis animalia, & Isaiæ Seraphini potius senas habebant alas, quàm Cherubini Ezechielis, qui non nisi quaternas habuerunt? Respondeo, Quia Cherubini Ezechielis non egebant, sicut illi alij, duabus superioribus alis ad faciem coram Deo velandam; pergebant enim ad bellum, puta ad excidium Ierosolymæ: vnde vultum debebant detectum habere, vt hostem detegerent & certo ictu ferirent.

¥. 10. PROCIDEBANT VIGINTIQVATVOR SENIORES vultibus in terram demissis, quo eleganter, alacrem ac profundam reuerentiam, hinc que plenam submissionem designant. Secundò, *adorant* Deum debito illi cultu latriæ. Tertiò, *mittunt* CORONAS SVAS à proprijs dereactas capitibus, & deponunt ANTE THRONVM Dei, omnem suam dignitatem, victoriam, triumphum, felicitatem ei tanquam auctori acceptam ferentes, imò à se abdicantes, & vero Domino reddentes ac resignantes; se nihil ex se esse, nihil sibi deberi, sed vni Deo omnia,

D ¥. 11. DICENTES, DIGNVS ES DOMINE ACCIPERE abomni, creatura omnem GLORIAM, ET HONOREM ET VIRTVTEM; græcè, δύναμιν, id est, potentiam, seu confessionem, & laudem immensæ potentiæ & infinitæ fortitudinis, quâ solo verbo CREASTI OMNIA; QVIA PROPTER VOLVNTATEM TVAM OMNIA ERANT, id est, essentiam & existentiam suam acceperunt. Vatablus, Erasmus, & plures alij pro ἦσαν, id est, *erant*, legunt εἰσὶ, id est, *sunt*, q. d. Tu Domine es creator & auctor omnium rerum, omnium bonorum tum naturalium, tum supernaturaliũ: vnde tibi omnem nostram gloriam vt debemus, ita offerimus ac referimus, imò non nostra, sed tua tibi reddimus. ita Ribera, Pererius, Viegas & à Lapide.

CAPVT V.

Videt Ioannes librum in manu Dei conscriptum intus & foris, sed clausum & signatum septem sigillis, quem nemo vel in cælo, vel in terra reserare poterat: solus Agnus occisus potuit & reseranit. Vnde quatuor animalia & viginti quatuor seniores, omnesq; cælites tam Deum, quàm Agnum celebrant, laudant, glorificant.

¥.1. LIBER conuoluolus, seu membrana circa cylindrum conuoluta, cui inscriptum erat INTVS ET FORIS, id est, ex vtraque parte membranæ, secundùm Pannonium, Pradum, Riberam, à Lapide, Pererium, Viegas (qui etiam pro se citant Andr. Cæsariensem, Aretam, Liranum, Aureolum & Dionysium,) non est aliud quàm mysteria huius libri Apocalypseos, de regno & persecutione Antichristi; de Eliæ, Henoch, & fidelium illi resistentium constantia, de interitu hostium Ecclesiæ, de iudicio vniuersali, de felicitate & gloria beandorum. Mysteria, inquam, quæ & quatenus in Dei præscientia, prouidentia & decreto æterno, quasi in libro conscripta sunt. Hic liber facit posteriorem partem huius Apocalypseos, nempe à cap. 11. vsque ad finem. Anteriorem ab hoc cap. vsque ad 11. occupant *septem sigilla*, quibus membranæ conuolutæ appensis illa ipsa obsignabatur & concluſa tenebatur, & sunt septem proximè hîc sequentes visiones, quibus ad apertionem cuiuslque sigilli noua panditur calamitas orbi obuentura, priusquam adueniat Antichristus vel excidium vniuersi. Vnde liber legi & intelligi non potuit, nisi prius reserarentur sigilla, seu calamitates quæ ex diuino decreto præuia sunt Antichristo & exeidio (a) vniuersi. Similem ferè librum vidit Ezechiel c. 2. v. 9. *in quo scripta erant lamentationes, carmen & væ.*

a 2. *Thess.* 2. *v.* 6.

¥. 2. ANGELVS FORTIS, seu potens & validus, vtique ex primariis vnus, Lirano est *Gabriel*, id est, fortitudo Dei; *clamabat* forti & contenta VOCE, QVIS EST DIGNVS, id est, quis habet auctoritatem, seu facultatem, aperiendi LIBRVM, *soluendo* EIVS SIGNACVLA?] id est quis potest librum, seu contenta libro mysteria, nulli nisi vni Deo perspecta, hominibus patefacere, enarrare, explicare?

¥. 3. ET NEMO POTERAT, seu angelorum, seu hominum, RESPICERE LIBRVM] id est, inspicere, legere, cognoscere contenta in libro.

¥. 5. VICIT, id est, prævaluit, obtinuit, potens est, APERIRE & reserare LIBRVM, non angelus quispiam vel simplex homo, sed LEO ille famosus & celebris, non è filuis eductus, sed DE TRIBV IVDA, ex tot regibus & Patriarchis oriundus, *illa* RADIX DAVID] id est, nobilis ille ramus & stirps ex familia Dauidis iam pæne succisa, & in radice tantũ sub terra quasi delitescente, suppullulans, nempe Messias, Christus Iesus, qui infrà (b) expressè dicit, *Ego sum radix & genus*, seu propago & filius *Dauidis*. (c)

b *Apoc. vlt. v.* 16.

c *Isaiæ* 11. *v.* 1 *&c.* 53 *v.* 2. *&c.*

Nota ex v. sequ. Christum Ioanni hic apparuisse specie *agni occisi*, non verò leonis: vocari tamen leonem per metaphoram, ob eximiam fortitudinem, maiestatem, & dignitatem regiam, quâ creaturis omnibus præcellit ac dominatur: & quia ortus ex tribus Iuda, cuius insigne erat *leo*. (d) Denique, quia vel vnico rugitu, seu *spiritu oris sui*, (e) totum (quando vult) mundum percellit, stupefacit, exanimat, inquit S. Hilarius & Ambrosius. Et talem exhibebit se in excidio Antichristi & in iudicio. Nunc exhibet se

d *Gen.* 49. *v.* 9.

e 2. *Thess.* 2. *v.* 8. *Hilar. in Psal.* 131.

¥. 6. AGNVM innocentia, mansuetudine, immolatione, non tamen iacentem, vt putat Alcazar; sed STANTEM, TAMQVAM OCCISVM quidem in cruce, sed mox rediuiuum & immortalem. *Stantem*, inquam, quasi paratum ad perficiendum opus redemptionis à se inchoatum, (inquit Richardus) ad nobis opitulandum, (Ansbertus & Hugo:) ad mediandum inter nos & Deum, & instar aduocati pro nobis interpellandum, (S. Augustinus:) ad iudicandum, (Pannonius.) Instar *occisi* apparuisse vult Andr. Cæsariensis, propter quinque vulnerum cicatrices, quas in corpore retinuit: Aureolus, Liranus & Alcazar, propter modum existendi quem habet in Eucharistia, repræsentante nobis occisionem & mortem Christi. Idem enim hîc est *agnus*, idem sacrificium crucis & Eucharistiæ quoad victimam, quoad repræsentationem, denique etiam quoad fructum, seu effectum. Et vtrumque sacrificium adumbrabatur per quotidianam agni immolationem in altari holocausti tam manè, quàm vespere, Exodi 29. v. 39. Aliam caulam cur agni figurâ delectetur Christus (vnde vigesies septies hoc nomine hîc appellatur) attuli Isaiæ 53. v. 7. De *cereis agnis Dei* in memoriâ huius Agni catechumenis aliisque fidelibus distribui consuetis, vide Baronium. Habebat autem Agnus CORNVA SEPTEM in modum coronæ summitatem capitis cingentia, & æquali interuallo distributa: habebat item SEPTEM OCVLOS, singulos singulis cornibus suppositos, præter duos agno naturales oculos. Sunt autem hæc *oculata cornua* SEPTEM SPIRITVS DEI, seu septem angeli primatij, præsides Ecclesiæ & rectores totius mundi, de quibus suprà, (f) & etiam Zach. 4. v. 10. vbi dicuntur *discurrere* (sicut hîc mitti) IN *vniuersam* TERRAM. ita Pererius, Ribera, Alcazar & à Lapide. Vocantur autem *cornua*, (g) quia fortissimi sunt ad profligandos dæmones, ad tutandam Ecclesiam, ad impios debellandos. Vocantur *oculi*, quia perspicacissimi sunt & vigilantissimi ad omnes Dei nutus cognoscendos & explendos, & ad hominum salutem procurandam. Agnus igitur

August. in Quæst. Noui Testamenti q. 88.

Baron. ann Christi 594.

f *Apoc.* 1. *v.* 4. *&* 4. *v.* 5.

g *Deut.* 33. *v.* 17. *& Habacuc* 3. *v.* 4.

¥. 7. VENIT, id est, ad thronum Dei propiùs accessit, & pedibus suis (qui agno vice *manuum* sunt) ACCEPIT LIBRVM.] Quo symbolo significatur communicatam Christo, iam inde à primo conceptus instanti, omnem scientiam, curam & prouidentiam Ecclesiæ suæ, totiusque mundi rursus, Christum ex libro prouidentiæ & decretorum æternorum Dei, iudicem agere, & impiis, pœnas ac supplicia, piis præmia decernere atque erogare.

¥. 8. CVM APERVISSET, id est, aperire cœpisset, (h) LIBRVM: (nam sensim & ordine singula libri sigilla reserauit, vt dicitur c. sequent.) Græca legunt, ὅτε ἔλαβε, id est, *cùm accepisset* librum (& ita legit etiam Primasius, Arias & alij.) & seniores & angeli viderent Agnum posse librum reserare, & iam se ad id accingere, statim in doxologiam Agni prorumpunt, sinistra TENENTES Primò, CITHARAM vel chelyn, quam dexterâ pulsabant. Quo symbolo adumbratur perpetuum Beatorum gaudium & iubilus, continua Dei laudatio, & summa inter omnes consonantia ac concordia. Secundò, PHIALAS AVREAS (ad instar illarum quibus in Salomonico altari thymiamatis olim perpetuus suffitus Deo offerebatur) PLENAS ODORAMENTORVM, nempe *thymiamate* ex variis odoramentis commposito, putà ex galbano, stacte, onyche & thure, vt alibi (i) vidimus. QVÆ SVNT, id est, symbolicè designant, ORATIONES SANCTORVM] quæ instar nobilissimi suffitus, ex contusis patientiæ & mortificationis aromatibus collecti, (k) igne tribulationis & charitatis in altum (l) acti, diuinas oblectant nares, (m) fœtorem peccati abigunt, gra-

h *Prolog. de Idiom. seu Hebr.* n. 56.

i *Exodi* 30. *v.* 34.

k *Cant.* 3. *v.* 6.

l *Psal.* 140. *v.* 2.

m *Gen* 8. *v.* 21. *Greg. hom.* 12. *in Euang.*

ueolen-

uolentiam iræ & vindictæ diuinæ mitigant, inquit S.Gregorius.

Nota verò hic contra Vigilantium, Lutherum, Caluinum, ceteroſque hagiomachos, à *Sanctis* & *angelis* (a) orationes noſtras offerri Deo, conſcios illos eſſe noſtrarum neceſſitatum & petitionum, pro nobis orare & Deo ſupplicare, & conſequenter poſſe à nobis inuocari.

a Apoc.8. v.3.

℣. 9. ET CANTABANT CANTICVM NOVVM, nouâ acceptâ cantandi materiâ. Nouum enim fuit, Filium Dei hominem fieri; crucis mortem ſubire; mundum perditum redimere; Eccleſiam non ex Iudæis modò, ſed & ex omnibus Gentibus colligere; collectam regnum ſacerdotale, (b) & ſacerdotium regale facere; denique librum diuinorum arcanorum de nouis Chriſti per orbem vniuerſum & Eccleſiæ victoriis, hactenus clauſum reſerare. ita ferè Rupertus & à Lapide. QVONIAM OCCISSVS ES, id eſt, merito paſſionis & mortis tuæ, qua NOS perditos REDEMISTI & ad tantam gloriam euexiſti, etiam DIGNVS factus ES cognoſcere, nobiſque reſerare arcana futurorum myſteria. cognoſcere, inquam, à primo conceptus inſtanti. Poteſt enim præmium donari intuitu meriti ſubſecuturi, vt docent Theologi. Et verò expediebat nos edoceri de omnibus obuenturis Eccleſiæ militanti caſibus, quia

b Apoc.1. v. 6.

℣. 10. FECISTI NOS DEO NOSTRO REGNVM ET SACERDOTES] Id eſt, conſtituiſti nos vniuerſales principes Eccleſiæ, qui tam ſacra, quàm profana, tam Eccleſiaſtica quàm politica curemus & adminiſtremus ſuper terram. Vnde nos vtpote reges, (c) ſeu rectores terræ, maximè concernunt quæcumque Eccleſiæ militanti & reliquo vniuerſo vſque ad finem mundi obuentura ſunt.

c Hic v. 8.

℣. 11. MILLIA MILLIVM] Græca, Complutenſia addunt, μυριάδες μυριάδων, id eſt *innumera myriades*. (d) Alludit ad Dan. 7. v. 10. *Millia millium miniſtrabant ei; & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.*

d Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 50.

℣. 12. VOCE & affectu *magno dicentes*: DIGNVS EST AGNVS, QVI & quia OCCISVS EST pro ſalute mundi, ACCIPERE ab omni creatura laudem *virtutis*; (græcè, δυνάμεως, id eſt, potentiæ:) & agnitionem confeſſionemque *diuinitatis*, quam ab idolis ad Chriſtum, cuius reuera eſt, transferat. ita S. Thomas, Liranus, Pererius, Suarez & alij. Qui etiam notant, dati hîc Agno ſeptem elogia pro numero ſeptem ſigillorum, quæ continent ſeptem illuſtriores diuinæ prouidentiæ effectus. Sicut & infrà ſimilis ſeptuplex doxologia eidem offertur pro ſeptem plagis à quibus ſuos Agnus liberauit. Porrò angelis ſuccinunt reliquæ omnes creaturæ rationales & irrationales,

S. Thom. 1. p. q. 19. a. 3. Suarez ibid.

℣. 13. QVÆ IN CÆLO ſunt, vt ſol, luna, ſtellæ, Sancti omnes: SVPER TERRAM, omnia animata & inanimata: ET SVB TERRA, quotquot in Purgatorio (inquit Suarez, Ribera & alij:) quotquot item in inferno dæmones & damnati, inquit S. Gregorius & Rupertus. Coguntur enim omnes, extortâ confeſſione, vel ſaltem conceſſione, tam Chriſtum, quàm Deum pro domino ſuo agnoſcere ac reueteri. *In nomine* enim (e) IESV *omne genu flectitur cæleſtium, terreſtrium & infernorum.* ET QVÆ SVNT IN MARI, nempe piſces, margaritæ & gemmæ: ET QVI IN EO claſſibus ſuis nauigant. OMNES AVDIVI DICENTES Deo & Agno laudes, idque voce cuique propria: nam in irrationalibus & innanimatis ipſa propriæ perfectionis à Deo acceptæ oſtentatio, eſt diuinæ ſapientiæ, potentiæ, bonitatis clariſſima enarratio, confeſſio & laudatio, inquit Philo. Similem proſopopœiam quâ creaturæ irrationales inducuntur laudantes Deum, habes plurimis aliis Scripturæ locis. (f) Et per hoc inſinuatur magnitudo beneficij diuini in hoc libro reſerando, ob quod omnes creaturæ meritò exultent, & hominibus quaſi dominis ſuis congaudeant, & applaudant & adgratulentur.

Gregor. 4. Dialog. c. 42.

e Philip. 2. v. 10.

Philo l. de Plantatione Noë, ante finem.

f Dan. 3. v. 59. &c. Pſal. 148. v. 3. &c.

CAPVT VI.

Reſeratis per Agnum quatuor prioribus libri ſigillis variæ ſubeuntur in terris commotiones & pralia & plagæ. Quinto reſerato, prodeunt anima ſanctorum Martyrum poſcentes vindictam. Sexto fit ingens terræmotus, ſol & luna obſcurantur, ſtellæ cadunt de cælo, homines in ſpeluncas ſe abdunt.

℣. 1. VNVM, id eſt, primum, DE QVATVOR ANIMALIBVS, nempe quod ſimile erat (g) leoni, voce tonante inſtruit Ioannem de regia (cuius ſymbolum eſt leo) maieſtate, potentia, victoria, & triumpho Chriſti: QVI hîc inducitur

g Apoc. 4. v. 7.

℣. 2. *inſidens equo albo*, id eſt, Apoſtolis aliiſque præconibus Euangelij, per quos EXIVIT VINCENS VT VINCERET paulatim orbem vniuerſum. Et quidem duplici arcu debellauit tres equites ſequentes, *rufum, nigrum, pallidum*, id eſt, Gentiles, hæreticos, Saracenos, id eſt, mundum totum: Primò, metaphorico, Euangelicæ prædicationis, illuſtrationis & inſpirationis, quo ſenſim nationes omnes ſibi ſubiecit, (h) & ex hoſtibus amicos imò & ſeruos ſibi fecit. Secundò, propriè dicto arcu, id eſt, bellica vi, (i) quâ per Conſtantinum Magnũ, & ſubſecutos Imperatores ac reges regnum & imperium ſuum per vniuerſum orbem paulatim propagauit. ita S. Irenæus, & ex eo Aretas, Andreas Cæſarienſis, Haymo, Ticonius, Ribera, à Lapide & alij paſſim. Porrò *equus albus*, teſte Philoſtrato, ſymbolum eſt læti & feſtiui prælij, cuius finis ſit victoria & triumphus: vnde & victori hîc noſtro Chriſto DATA EST CORONA, vtique aurea, (k) & ex omni lapide pretioſo, (l) vel, ſi malis, ex ſideribus (m) compacta. Quæ omnia tropologicè cuiuis doctori & athletæ Euangelico facilè adaptes, vt S. Vincentio Fererio pulchrè adaptauit auctor Vitæ illius apud Surium.

h Iſaiæ 45. v. 2.

i Pſal. 44. v. 6.

Philoſtratus in Heroicis.

k Eccli. 45. v. 14. l Pſal. 20. v. 4.

m Apoc. 12. v. 1.

Surius 5. April.

℣. 3. SECVNDVM ANIMAL, ſimile vitulo, (n) exhibet Ioanni, Martyrum à decem primis Eccleſiæ perſecutoribus Gentilibus occiſorum hoſtias, quarum ſymbolum eſt vitulus, inquit Andreas Cæſarienſis. Igitur

n Apoc. 4. v. 7.

℣. 4. EXIVIT ALIVS EQVVS RVFVS, nempe Paganus populus, Romanum Gentile Imperium, ET QVI huic equo *inſidebat* per vices, putà Neroni, Domitiano, Traiano, Antonio, Seuero, Maximino, Decio, Valeriano, Aureliano, Diocletiano, (qui decem primarum cruentiſſimarum in Chriſtianos perſecutionum auctores fuerunt,) DATVM, ſeu conceſſum, EST cælitus VT SVMAT, id eſt, auferat, PACEM DE TERRA, ET VT INVICEM SE INTERFICIANT] quod de tyrannis illis toti orbi eſt notiſſimum. ita Doctores ſuprà pro primo equo citati. Eſt autem color huius equi *rubeus*, id eſt, igneus & accenſus, ſymbolum iræ, zeli, cædis & belli. vnde & progreſſuri ad bellum rubris ſeſe induere ſolent, inquit Alciatus, Alexander, & Tiraquellus.

Alciatus emblem. 117. Alexan. ab Alex. l. 1. Genial. c. 20. & Tiraquell ibid.

℣. 5. TERTIVM ANIMAL, ſimile homini, (o) exhibet Ioanni *equum nigrum*, per quem Thomas Angli-

o Apoc. 6. v. 7.

Anglicus, Ioachimus, Gagneius, Pererius, Ribera & à Lapide hæreticos intelligunt, qui in nigris errorum & mendaciorum tenebris homines angelicos & diuinos se fingunt, cùm sint iurati hostes Dei, & emissarij Luciferi. Cùm enim hic cerneret, per Gentiles tyrannos nil Ecclesiæ noceri, quin potiùs profuso Martyrum sanguine magis crescere & inclarescere; solerti consilio excitauit hæreticos, tenebriones, lucifugas, & pietatem ac pacem mentientes, mox tamen in Ecclesiam, in Sanctos, in Christum apertè incurrentes. Tales erant Ariani, & Arianorum sequaces Wandali, Gothi, Macedoniani, Nestoriani, Eutychiani & similes alij, qui totis trecentis Constantinum Imper. (qui pacem Ecclesiæ dederat) subsecutis annis, & diu pòst, mirè Ecclesiam exagitàrunt, grauissimaque damna intulerunt. Huius atri equi sessor est vel ipse diabolus, vel diaboli vicarius quisque hæresiarcha, Arius, Nestorius, &c. STATERA IN MANV eius est simulata & ostentata iustitia & veritas, inquit Pererius.

✝. 6. VOX IN, seu de, MEDIO QVATVOR ANIMALIVM, nempe ex ore tertij Cherubini, vice Dei & Agni, permittentis nigro illi equiti, tantam famem in orbem, maximeque in Ecclesiam, inuehere, vt BILIBRIS; græcè, *chœnix* (a) (quæ est mensura duarum librarum cum vna quarta) TRITICI væneat integro DENARIO, id est, duobus Iuliis, seu regalibus argenteis: & tanti etiam væneant TRES BILIBRES HORDEI: hordeum enim triplo vilius esse solet tritico. Signum porrò magnæ caritatis annonæ est, cùm tantillum tritici quantum viro admodum frugi vix sufficit ad victum diei vnius, (putà 27. vnciæ, seu chœnix,) comparari debet denario Hebræo, quem vulgaris operarius non nisi labore bidui lucrari possit: vel vt minimum denario Attico, qui merces est laboris vnius integri diei. Sed VINVM ET OLEVM NE LÆSERIS, vt etiam ex illa parte caritas augeatur. Hoc enim permissum nolo. Significat crudelitatem Arianorum aliorumque hæreticorum in Catholicos sub Constantio Imp. sub Wandalis, sub Gothis, qui fugatos & fortunis omnibus exutos torquebant extrema rerum necessariarum penuria, vt patet ex Victore Vticensi, Procopio, Baronio & aliis historicis: & cum pabulo corporis subtrahebant simul pabulum animæ, annonam sacræ doctrinæ & sacrificij ac Sacramentorum: nihilo minus eos affligentes quàm olim vel Nero, vel Decius, vel Diocletianus. Sed semper intercurrebat diuina prouidentia, qua pauperculis vel insolita aliorum liberalitate, vel inexspectata hostium commiseratione, vel etiam miraculo, de necessariis tum corpori, tum animæ fouendæ prospiciebatur, subinde ad delicias vsque, vt Baronius non vno loco ex fide dignis auctoribus demonstrat, & etiamnum in terris hæreticorum & infidelium quotidie experimur. ita ferè Ribera & à Lapide.

(a) *Proleg. de Mensuris.*

Victor. in Vandal.

✝. 7. QVARTVM ANIMAL, simile aquilæ, (b) ostendit Ioanni tertium genus hostium Christi & Christianorum *vers.* 8. *equum pallidum*, cui insidet pallida MORS. Quo symbolo Ioachim, Seraphinus Firmanus, Pannonius, Pererius & à Lapide intelligunt Mahometem, eiusque sequaces Turcas, Saracenos, Tartaros, &c. *mortem*, id est, pestem, vniuersi, pallentes vt plurimùm vultu & luridos, (crediderim ex odio & liuore, magis autem ex libidine, quæ & spiritus & vigorem corporis exhaurit:) interim (c) GLADIO, FAME, *peste*, & feris non rarò A BESTIIS sæuientes in Christianos quaquauersum, per QVATVOR PATRES TERRÆ] Cœpit hæc secta desinentibus ferè Arianis, Wandalis & Gothis, anno Christi 630. (Heraclio Imp.) paruis primùm initiis, sed mox in immensum crescentibus victoriis; quibus non tantùm Trapezuntinum, & Constantinopolitanum, duo Orientis Imperia, sed & in Africa, Europa & Indiis maxima nobilissimaque regna paulatim occupauit. Putatque Firmanus duraturam vsque ad Antichristum, qui videtur hîc designari symbolo *inferni*, quia vitiorum & nequitiarum omnium erit abyssus, & quia vis & potestas omnis Luciferi totiusque inferni in Antichristo & per Antichristum sese exeret. Denique quia tantam ipse suis infernalibus machinationibus & diabolicis artibus copiam hominum trahet secum ad inferos, vt quasi nouum *infernum* conflasse videatur.

✝. 9. *Quinto sigillo* reserato, ANIMÆ INTERFECTORVM, id est, Martyrum durante triplici illa persecutione Gentilium, hæreticorum & Saracenorum toto orbe occisorum, optant & subinde orant Deum, vt finem aliquando faciat tantis fratrùm suorum miseriis, tyrannosque inhibeat, compescat, puniat, & ad tartara cogat. Orant autem SVBTVS ALTARE quod est in cælo, id est, ex secreto penetrali cælesti, putà ex loco felicitatis & gloriæ, seu ex choro Martyribus destinato in cælo.

Pro quo Nota, cælum hîc Ioanni exhibitum ad formam ferè templi Salomonici: in quo thronus Dei erat in Sancto sanctorum, cinctus Cherubinis, &c. In Sancto erat candelabrum aureum septiceps, mensa propositionis panum, & *altare thymiamatis*: ante Sanctum erat altare holocaustorum, in quo quotidie bis immolabatur agnus, præter alias hostias innumerabiles. In exedris Sancto vicinis subinde conueniebant & secretiores consessus celebrabant 24. principes familiarum sacerdotalium: sed hos, & hæc altaria, & omnia Sancti instrumenta dirimebat à conspectu Sancti sanctorum interiectus murus & oppansum velum, symbolum legalium figurarum, & obscuræ fidei qua mortalibus occultantur arcana diuina: verùm morte & merito Christi discissum est velum, deiectus murus, & clarè iam patent omnia Sanctis in cælo. Vnde non soli Cherubini per quatuor animalia designati, & alij spiritus angelici per septem candelabri lucernas figurati, & primarij Sancti per 24. seniores adumbrati, vident clarè Deum: sed etiam reliqui omnes Sancti, v. g. operibus misericordiæ, seu corporalis, seu spiritualis insignes, qui per mensam propositionis panum designantur: castitate præcellentes, qui sunt comites Agni, extra Sanctum quidem, imò & extra Ierusalem in altari crucis occisi; sed iam in Sanctum ante thronum diuinitatis inuecti: denique Martyres, qui cùm iugularentur, designabantur per altare holocausti, quod erat extra septa sanctæ domus, sed iugulati vnà cum Agno inducti sunt in Sanctum ante thronum Dei, & vnà cum Agno constituunt ibi altare thymiamatis, laudantes & glorificantes perpetuò Deum, Agnus in vertice, & Martyres omnes sub Agno. Atque in huius rei symbolum solet Ecclesia ex antiquo more & sanctione *Felicis* Papæ I. corpora Martyrum sepelire sub altaribus, quæ inde vocabantur *Sepulchra Martyrum*, *Memoriæ Martyrum*, vel *Martyria*, seu *Confessiones*, v. g. S. Laurentij, S. Susannæ, S. Sebastiani, &c. ita S. Ambros. Augustin. Anselmus,

(b) *Apoc. 4. v. 7.*

(c) *Ezech. 14. v. 21.*

selmus, Richardus & alij. Ex quibus facilè refelles stupidum errorem Vigilantij, quorumdam Græcorum, & Caluini eiusque sequacium, qui volunt ex hoc loco probari, animas Sanctorum necdum videre Deum, necdum frui gloria cælesti, sed in loco abdito quiescere, & quasi dormire vsque ad diem iudicij. Quam hæresin damnauit iam pridem Benedictus II. & Innocentius III. & Conc. Florentinum, Tridentinum, &c. Et quomodo dormiunt, qui *voce magna clamant vindictam*? (a) Quomodo quiescunt in loco abdito, qui *sequuntur Agnum quocumque ierit*? (b) Quomodo non vident Deum, qui instar altaris thymiamatis, sunt immediatè ante thronum Dei, & sublato iam velo intermedio, *seruiunt* Deo *die ac nocte*? (c) Quomodo non sunt glorioſi qui induuntur *stolis albis*, (d) id est, lumine gloriæ, visione & fruitione Dei, vt omnes interpretes orthodoxi exponunt, & patet ex suprà dictis, (e) & ex cap. sequ. v. 9. & 13. *Stola* enim, præsertim alba & splendida, symbolum est gloriæ, felicitatis & dignitatis, vt patet ex stola Christi, (f) eiusque typi (g) Iosephi, Aaronis, (h) Dauidis, (i) Mardochæi, (k) Ionathæ, (l) &c. Quòd autem singulis Martyribus *singulæ* dentur *stolæ*, significat, gloriam solius animæ ipsis iam concedi: alteram enim, putà corporis *stolam*, quatuor glorioſis dotibus ornatam, immortalitatis, claritatis, subtilitatis & agilitatis, non accipient nisi in resurrectione. ita S. Gregorius, Augustinus, Anselmus, Richardus, Haymo, Beda & alij. Et hoc sensu exponendi sunt Origenes, Tertullianus, Irenæus, Hilarius, Bernardus & Victorinus, dum negare videntur animas Sanctorum ante diem iudicij esse verè beatas. Agunt enim de perfecta, completa, & integra beatitudine totius hominis, tam secundùm corpus quàm secundùm animam: qualem beatitudinem certum est non obuenturam ipsis ante diem iudicij extremi.

Bendi Ius & Innoc. in Decretalibus hac de re.

a *Hic v.* 10
b *Apoc.* 14. *v.* 4.
c *Cap.* 7. *v.* 15.
d *Hic v.* 11.
e *Apoc.* 3. *v.* 5.
f *Isaiæ* 63. *v.* 1.
g *Gen.* 41. *v.* 42.
h *Eccli.* 45. *v.* 12.
i 1. *Paral.* 15 *v.* 27.
k *Esther* 6. *v.* 11.
l 1. *Mach.* 10. *v.* 21.
Orig l 2. *Periarchon. Tertull. l de Anima. Bern ser* 4. *de omnibus SS.*

℣. 12. CVM Agnus APERVISSET SIGILLVM SEXTVM, ECCE TERRÆMOTVS MAGNVS, varius & frequens: SOL fit NIGER TAMQVAM SACCVS CILICINVS ex nigris pilis & setis contextus. Quod fiet partim ex densitate interiectarum nubium, inquit Dominicus Soto & Ribera: partim ex miraculosis eclipsibus, inquit Lactantius: partim ex subtractione concursus diuini ad illuminationem & radiorum emissionem necessarij, inquit Suarez. LVNA TOTA SICVT SANGVIS, ex interiectione nubis sic dispositæ, vt per impressionem radiorum lunæ; ipsa videatur planè sanguinea, ad portendendum diuini iudicij iam imminentis seueritatem, inquit idem Suarez. Hic enim, post vltimam crudelissimamque Ecclesiæ persecutionem, quam inchoatam vidimus in quarto sigillo: post-item ardentissima Martyrum vota, finem tot malorum optantium & orantium, vt audiuimus in quinto sigillo; sequitur iam hoc sexto sigillo vltima irati Dei vindicta in impios, signaque horrenda, quæ præibunt extremum iudicium & excidium vniuersi. ita Victorinus, Beda, Ticonius, Haymo, Andr. Cæsariensis, Ribera, Pererius, à Lapide. Et ab hoc loco deinceps vsque ad finem libri, continuò agitur de extremis mundi temporibus sub & post Antichristum.

Dom. Soto in 4 dist. 46. *q.* 2 *a.* 2.
Lactant. l 7. *c.* 16.
Suarez 3. *p. q.* 59 *a.* 6. *fol* 3.

℣. 13. Per *stellas* intelliguntur cometæ, fulgura, ignes cadentes, aliaque meteora ignea instar stellarum, nouæ & prodigioſæ magnitudinis, formæ, motus & lapsus, quæ Deus quasi spicula vibrabit in terram, vt homines terrefaciat, inquit A Ribera, Pererius, à Lapide.

℣. 14. CÆLVM RECESSIT (m) non ex loco naturali, sed ab oculis hominum, SICVT LIBER, seu membrana cùm cylindro obuoluitur, recedere dicitur, quia litteræ eius videri amplius aut legi non possunt. Cælum enim eiusque stellæ quasi litteræ, atris nubibus & tenebris ita abscondentur, vt videri non possint: tam inusitatis etiam motibus agitabuntur, vt in alium mundum demigrare videantur, nec poterit ex astrorum ortu, occasu vel aspectu, consueta temporum distinctio, prognostica scientia, coniectatio vel diuinatio hauriri, vtpote clauso iam libro cælorum, inquit S. Thomas. Suarez & alij. Quod Christus alia phrasi exprimit Matth. 24. *Virtutes cælorum mouebuntur.*

m *Isaiæ* 34. *v.* 4.

ET OMNIS MONS ET INSVLÆ (terræmotu de quo v. 12.) DE LOCIS SVIS MOTÆ SVNT propriè & vt verba sonant. Sæpiùs enim talia contigisse narrat Plinius, Gregorius Turonensis, Diodorus Siculus & alij: & nos nostra ætate sensimus.

Plin. l. 2. *c.* 83. 84. 90.
Greg. Tur. l. 4. *c.* 30.
Diod l. 4. *c.* 14.

℣. 15. ET DICVNT impij MONTIBVS, CADITE SVPER NOS] Alludit ad verba Osee 10. Isaiæ 2. & Lucæ 23. vbi illa exposui, vt & in Ioële, Amos & Ezechiele. De horrore extremi iudicij, si lubet, vide S. Ephrem, & S. Basilium, qui inter alia ait, acerbissimum cruciatum vltricibus inferorum flammis inuri solitum damnatis, longè leuiorem ac tolerabiliorem illis esse, quàm sit pudor & confusio quam coram toto vniuerso subire cogentur, irato Agno sua ipsis scelera exprobrante.

Osee 10 *v.* 8
Isa. 2. *v.* 19.
Luca 12. *v.* 11. *&c.*
Ioel 2. *v.* 10. 14. *& c.* 3. *v.* 2. 14.
Amos 8. *v.* 9
Exech. 32. *v.* 7.
Ephrem ser. de S. Cruce, & serm. de Timore Dei tom. 3.
Basil ser. de iudicio.

CAPVT VII.

Pars est capitis & sigilli sexti, simul & præambulum ad septimum sigillum. Signantur enim electi, ne plagis impiorum involuantur, nempe duodecim millia ex singulis tribubus Israel. Post hæc videt innumeram turbam stantem ante thronum Dei cum stolis albis & palmis, & gratias agentem & laudantem Deum & Agnum.

℣. 1. VIDI QVATVOR ANGELOS, instar præsidum vice Dei STANTES IN QVATVOR ANGVLIS, seu extremitatibus, TERRÆ, putà in plaga Orientali, Occidentali, Australi & Septemtrionali, TENENTES in manu & potestate sua QVATVOR primarios VENTOS TERRÆ, Eurum, Zephyrum, Austrum & Aquilonem, cum sociis cuique vento lateralibus: tenentes, inquam, imò continentes & coërcentes, NE, vt decretum erat, vehementiore impetu & rabie FLARENT, & tempestates cierent, priùs quàm signentur electi, & sic cladibus per ventos procreandis subtrahantur, vt olim in Ægypto subtractæ sunt domus Hebræorum signatæ sanguine agni, Exodi 12. vers. 7. & alij tempore Ezechielis signati signo Tau. Ex hoc autem loco discimus, angelos, vt cælis præsidere: & ventis singulos singulis præsidere: & ventorum motus, gyros & impetus non à solo vapore, vel alia causa naturali, (quã difficile est concipere) sed maximè ab angelis excitari, dirigi ac moderari ad iussum & nutum Dei, teste etiã Psalte Regio, *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.* Discimus Secundò, simulatque signati fuerunt electi, angelos hos reuera laxasse suos ventos (ferè vt de Æolo scribit Virgilius,) & horribiles excitasse tempestates, quibus impiorum naues, hortos, pomaria, domos subuerterunt, illæsis piorum fortunis & bonis: licet id reipsa factum esse hìc non enarretur. Et simili modo cap. 9. vers. 4. præcipitur *locustis ne lædant nisi*

Exech. 9. *v.* 4.
Psal. 148. *v.* 8.
Virg. l. 1. *Æneid.*

agros non signatorum *signo Dei.*

Petes, Quandnam hoc *vers.* 2. SIGNVM DEI VIVI IN FRONTIBVS *seruorum Dei*? Respondeo; signum *Tau*, Ezech. 9. v. 4. id est, signum crucis Christi, cuius formam exprimit *Tau*; vt ibidem dixi. Sicut enim Antichristus suos asseclas signabit suo signo & charactere, de quo c. 13. v. 16. ita Christiani vel sponte sua, vel angelico instinctu, signo crucis Christianis proprio se signabunt in fronte, palàm & publicè ostentando se seruos esse Christi crucifixi, & meritò crucis ac mortis eius se salutem exspectare & immunitatem à plagis mox clientibus Antichristi obuenturis. Quin & ex vetustissimo vsu familiare semper fuit Christianis, vt ait Tertull. & Cyprianus, *ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia frontem* (ex Apocalypseos huius & Apostolorum doctrina) *crucis signaculo* non tantùm signare, sed & *terere.* Est enim hæc compendiosa professio fidei & religionis Christianæ, confessio, laudatio, glorificatio SS. Trinitatis, inuocatio opis diuinæ, cassis bellica, scutum, vexillum, trophæum regium, gladius & flagrum dæmonum, quo vel viso dumtaxat contremiscunt & fugiunt, inquiunt Origenes, Ambrosius & alij SS. Patres à Gretsero citati.

Tertull. l. de Corona militis c. 3. Cypr. epist. 63. & l. 3. Testimon. ad Quirin. c. 22.

Gretsf. l. 4. de Cruce, c. 64.

✠. 4. NVMERVS SIGNATORVM ex Iudæis partim ab Elia & Henoch conuersis, partim post illorum & Anchristi mortem Christo aggregatis, CENTVM QVADRAGINTA QVATVOR MILLIA, vt minimum. *Elias* enim *restituet omnia*, inquit Christus (*a*) id est, omnem Israelem, vt S. Paulus affirmat. (*b*) Atqui etiam nunc in vna subinde prouincia inuenies plusquam 144. millia Iudæorum. ita Andr. Cæsariensis, Pererius, à Lapide & alij. Ponit tamen numerum definitum, vt insinuet, etsi Iudæi conuertendi sint maximo numero, tamen hunc numerum fore nobis facilè numerabilem, præ numero è Gentibus conuersorum prorsus nobis innumerabili versu 9. seq.

a *Matt.* 17. *v.* 11.
b *Rom.* 11. *v.* 26.

EX OMNI TRIBV] Ergo etiam aliqui erunt *ex tribu Dan.* Sed quia hi non ita multi sunt futuri, (plerisque Antichristo, ex tribu Dan orituro, adhærescentibus,) ideo tribus ista hîc omittitur, & eius loco tribus Leui substituitur. ita S. Irenæus, Ambros. Hippolytus, Augustinus, Ruffinus, Cyrillus, Theodoret. & alij passim quos citant Ribera & Pererius.

Iren. l. 5. c. 30. Ambros. de Prædict. Patriarcharum c. 7. Hippol. de Consummat. sæculi. August. q. 21. in Iosue. Theodor. q. vlt. in Genes.

✠. 8. TRIBVS IOSEPH est tribus *Ephraim*, quæ quia amplior & nobilior (vtpote regalis) præ tribu *Manasse*, etti senioris, per antonomasiam nomine patris sui *Ioseph* subinde nominatur in Scripturis.

✠. 9. POST signatos Iudæos VIDI aliam signatorum (*c*) TVRBAM *innumerabilem* EX GENTIBVS, sub eadem Antichristi tempora fideliter pro Christo decertantium, ac proinde etiam intactorum à plagis subsequentibus, ac denique etiam euectorum in cælum, ibique vnà cum Iudæis signatis *stantium* ANTE THRONVM cum STOLIS ALBIS & *palmis*, quibus pro obtenta victoria (*d*) decorandi sunt à Deo. ita Ribera, Pererius & à Lapide. De multitudine saluandorum consule Reuelationes S. Birgittæ, Thomam Bozium, Thomam Massutium, & Franc. Ariam.

c *Hier. v.* 3.
d *Apoc.* 15. *v.* 2.

Reuelation. S. Birg l. 3. c. 27. Bosius de Signis Ecclesiæ l. 12. c. 22. Massut. l. 8. Celest. conuersat. c. 5. Arias l. 3. de Imitat. Christi c. 32. &c.

✠. 10. VOCE MAGNA & ingenti gaudio, iubilo, & concentu lætissimo CLAMABANT, SALVS æterna sit DEO ET AGNO. toto corde adgratulamur ei A suam salutem, gloriam, felicitatem: ipsi acceptam ferimus omnem nostram salutem, victoriam, felicitatem.

✠. 11. ET OMNES ANGELI applaudentes clientum suorum saluti, & pro ea Deo gratias agentes, eúmque collaudantes,

✠. 12. *Dicebant*, AMEN, id est, fiat, seu ex animo vouemus, vt æternùm hoc nomine laudetur & glorificetur Deus, qui hosce suos signatos tam fideliter, tam prouidè, tam beneficè saluauit & beauit. BENEDICTIO illi ab omni creatura tribuatur, ET CLARITAS; Syrus & Arabicus, *gloria.* Porrò singulis septem angelicis elogiis præponitur in Græco articulus ἡ ad emphasin, q. d. Illa *claritas*, ille *honor* qui Deo debetur, nempe summus, immensus, diuinus. Distinguitur autem *virtus* à *fortitudine*, quòd illa internam Dei potentiam, hæc externam executionem designet.

✠. 14. VENERVNT DE TRIBVLATIONE; græcè, *ex illa tribulatione*, MAGNA, celebri & famosa, sub Antichristo, *qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet.* (*e*) ET STOLAS, id est, vestimenta, id est, conscientias, SVAS LAVERVNT, seu mundarunt, ET DEALBAVERVNT, id est, depurarunt, SANGVINE AGNI, id est, merito mortis Christi. Primò, in baptismo; Secundò, Pœnitentia & aliis Sacramentis; Tertiò, oratione, Quartò, pijs charitatis & aliarum virtutum exercitiis; Quintò, aduersitatum tolerantia & forti martyrio. Alludit omnibus hisce visionibus ad illam Esdræ olim exhibitam *lib.* 4. *cap.* 2. *v.* 34. vbi pæne iisdem verbis Sanctorum signatorum turbam, præmia, stolas, coronas describit.

e *Matth.* 16. *v.* 21.

✠. 15. IDEO SVNT ANTE THRONVM DEI, fruentes clara & continua visione Dei, *eiusdemque* intima familiaritate, instar sacerdotum splendidis stolis fulgentium, *seruientes* Deo DIE AC NOCTE, id est, continuò iuge thymiama adorationis, laudis & gratiarum actionis ei offerentes. Et ipse HABITABIT SVPER ILLOS, sua diuina præsentia, prouidentia & protectione illis quasi incumbendo, tuegiter illos intuendo, seque suaque omnia illis communicando & exhibendo.

✠. 16. NON SERVIENT AMPLIVS, &c.] Iisdem verbis vtitur Isaias: & vterque alludit ad hieronicas, id est, sacros athletas, seu pugiles vel milites iam victores & emeritos, de quibus vide Petrum Fabrum. Hi enim priusquàm victoria potirentur, sæpe sitim & famem pati cogebantur, sæpe sub dio degere, atque in medio solis æstu aggeres excitare, castra vallare, muros conscendere, cum hoste manum conserere, &c. At iam victores & emeriti, ab his omnibus liberi, quiete & brauio donabantur, &, si egerent, ex publico alebantur.

Isaiæ c. 49. v. 16.

Pet. Faber. l. 2. Agonist. c. 12.

✠. 17. AGNVS REGET, ποιμανεῖ, id est, pascet, ILLOS nectare & manna cælesti, ET VITÆ *fontibus* AQVARVM] id est, viuis perennibusque fluentis gloriæ beatificæ & innumerabilium beneficiorum cælestium. Quæ omnia, vt & reliqua huius capitis, concinnè applicari possunt Religiosis, aliisque ex toto dicatis Deo, vt Hieronymus Platus pulcherrimè demonstrat.

Hieronym. Plat. l. 1. de Bono statu Relig. c. 1. 13. 16. 17. 22. & l. 2. c. 11. 14.

CAPVT 17. 18.

CAPVT VIII.

Reserato septimo sigillo, post silentium mediæ horæ, prodeunt septem angeli cum septem tubis, quarum quatuor priores quid sibi velint, ordine explicatur.

¥. 1. SILENTIVM IN CÆLO, QVASI MEDIA HORA, est tacita exspectatio, consideratio & admiratio septem tubarum & plagarum ad septimi sigilli reserationem emergentium, vtpote rerum maximarum, maximeque insolitarum & stupendarum, inquit Ribera & Viegas.

¥. 2. SEPTEM ANGELI STANTES IN CONSPECTV Dei (a) sunt septem angeli principes Ecclesiæ, Deo proximi & familiarissimi, quibus cura & regimen vniuersi demandatum, inquit Andreas, Aretas, Ribera & à Lapide. His tamquam præconibus & officialibus supremi iudicis, DATÆ SVNT SEPTEM TVBÆ] quibus sententiam in diuino tribunali contra impios non signatos (b) latam proclament & statim executioni mandent. An sensibili tuba, vel voce tubali hæc proclamatio instituenda sit per angelos, vt probabile putat Corn. à Lapide; an verò per Prophetas voce concionatoria, quæ symbolica est tuba, docebit nos euentus. Alludi autem videtur ad septem Hebræorum tubas quibus iussu Dei clangentibus Iosue 6. v. 4. corruerunt muri Iericho, vt hic corruit Babylon c. 18.

¥. 3. ET ALIVS ANGELVS, vtique etiam è primoribus, STETIT ANTE cælestE ALTARE (c) thymiamatis, HABENS in manu THVRIBVLVM AVREVM: ET per alios angelos hominum custodes DATA SVNT ILLI INCENSA MVLTA, id est, multæ multorum SANCTORVM hominum preces, VT illas DARET & adoleret Deo SVPER AVREVM ALTARE (d) thymiamatis, id est, per & propter meritum Christi, *in quo* super omnia *complacuit* (e) Deo. Porrò *thuribulum* & *thurificatio* manus angelicæ symbolum sunt prompti paratique angelorum ministerij, quo preces clientum suorum, tamquam patroni & aduocati, offerunt continuò Deo, non vt ipsi illas manifestent (cùm nihil possit Deum latere, sed vt ipsi pro iis simul Deum deprecentur, atque ita reddant eas efficaces vt optatum sortiantur effectum. Vnde meritò inuocamus angelos & Sanctos, vt hac in re nobis auxilio sint apud Deum. Nec verò frustra: mox enim vt

¥. 4. FVMVS INCENSORVM DE ORATIONIBVS SANCTORVM DE MANV ANGELI ASCENDIT CORAM DEO, peruenitque ad diuinas eius nares, gratissimum planè habuit, exaudiuitque orationes illorum. Et en exauditionis effectum. Absumpto thymiamate

¥. 5. ACCEPIT ANGELVS THVRIBVLVM iam vacuum, ET de nouo IMPLEVIT ILLVD DE IGNE ALTARIS (f) holocausti, ET ignem istum, seu prunas, MISIT IN TERRAM; symbolum instantis vindictæ de impiis sumendæ, quam Sancti poposcerant. (g) Vnde mox sequuntur TONITRVA, FVLGVRA, TERRÆMOTVS; prænuntia maiorum calamitatum. Sic Ezech. 10. v. 2. accipit angelus prunas ignis de altari, easque effundit in Ierusalem, vt eam vastandam significet & exurendam per Chaldæos.

¥. 7. PRIMVS ANGELVS TVBA classicum CECINIT, ET MOX FACTA EST GRANDO ET IGNIS, cum SANGVINE MISTA: id est, fulmina & exhalationes ignitæ, & lapides grandinis, quibus miscebatur pluuia sanguinea. Quam sæpius accidisse commemorat Plinius: sed semper indicium fuit & prænuntium instantis iræ & vindictæ diuinæ: vti & hîc videmus, vbi mox sternitur & crematur tertia pars germinum & arborum. Porrò in hac & sequentibus plagis alluditur ad plagas Ægyptiacas. v.g. hîc ad plagam septimam, Exodi 9. v. 24. vbi *grando & ignis mista pariter ferebantur*. De aliis suo loco videbimus. Plagæ enim Ægyptiacæ typus fuerunt plagarum vltimarum totius orbis, inquit S. Irenæus & Lactantius. ET MISSVM EST aggregatum hoc ex grandine, igne & sanguine, IN TERRAM, ET TERTIA PARS ARBORVM ET FOENI, seu herbæ virescentis, COMBVSTA EST] non iunctim vel continuatis locis, sed sparsim hinc inde, vbi impij degunt. Tertiam hanc partem excidendo, præmonitos vult Deus impios festinent pœnitere, sicque euadant alias grauiores plagas alioquin imminentes.

Iren. l. 4. c. 50. Lactant. l. 7. v. 15

¥. 8. *Secundo angelo canente*, MISSVS EST IN MARE ingens globus ex multis pinguibus exhalationibus conflatus TAMQVAM MONS MAGNVS, IGNE accensus & ARDENS: quo dissoluto in partes, & instar sulphuris accensi in mare hinc inde delapso, afflata & exusta EST TERTIA PARS piscium & NAVIVM, mari colorem sanguineum induente, ad maiorem spectantibus horrorem incutiendum, & cædes Martyrum aliaque iniusta homicidia illis exprobrandum. ita Ribera & à Lapide. Hac autem & sequente sanguinis plaga alludit ad primam plagam Ægyptiacam, Exodi 7. v. 17. vbi aquæ simili modo in sanguinem conuertuntur.

¥. 10. *Tertio canente*, CECIDIT DE CÆLO, aëreo STELLA MAGNA] id est, cometa vel simile meteorum ignitum & casu suo dissiliens in multas *faculas*, seu exhalationes, inficiet & instar *absinthij* amaram, noxiam, lethiferam reddet *tertiam partem* FLVMINVM ET *fontium*, in pœnam scelerate voluptatis, ac præsertim gulæ & crapulæ impiorum.

¥. 12. *Quarto* TVBA *canente*, ita obscuratus est *sol*, *luna & stellæ*, vt eorum non luceant nisi duæ tertiæ partes, ita vt dies æquè ac nox, tertia parte fiat obscurior solito, inquit Ribera. Alludit autem ad nonam plagam Ægypti, quæ fuit densissimarum tenebrarum. (h)

h *Exodi 10. v. 22. & Sap. 17. v. 2*

¥. 13. Per *aquilam* intelligit Ribera eximium aliquem & cælestem Prophetam (Beda, Aretas, Ticonius quemuis prædicatorem) qui *volitans* PER MEDIVM CÆLI] id est, vocem suam per vniuersum orbem celerrimè dispergens, hominibus tum temporis existentibus prænuntiabit sequentes tres grauissimas plagas, & instantem tyrannidem Antichristi. Cornelius à Lapide putat non improbabile esse, angelum assumptâ aquilæ formâ, transuolaturum per orbem, & vbique hæc iam dicta proclamaturum.

a *Apoc. 1. v. 4.*

b *Apoc 7. v. 2. & c. 9. v. 4.*

c *Exodi 30. v. 1.*

d *Apoc 6. v. 9.*

e *Matth. 3. v. vlt. & 8. 17. v. 5.*

f *Exod. 30. v. 7.*

g *Apoc. 8. v. 5.*

CAPVT IX.

Quæ & quanta plaga suborta sint canente tubis quinto & sexto angelo.

¥. 1. STELLA DE CÆLO CADENS; angelus est vnus è bonis, qui præsidet inferno. Claues enim, id est, imperium & custodia infernalis carceris non committuntur Lucifero aut aliis dæmonibus, vtpote damnatis & incarceratis, sed angelis bonis diuinæ iustitiæ ministris. Hic angelus è cælesti delapsus palatio, cum *clave* AVREI ABYSSI habens potestatem aperiendi & laxandi infernum,

num, reserat os illius, & simul laxat sinum terræ, aperto terribili hiatu. Mox

℣. 2. ASCENDIT ex *puteo* ABYSSI ingens, & spissus FVMVS, sicut ex Ætna & Vesuuio sæpius prorupit.

℣. 3. DE FVMO & cum fumo PVTEI EXIERVNT LOCVSTÆ, naturales & propriè dictæ, sed peregrinæ & monstrosæ (vt est locustarum peregrinarum magna varietas, quam pulchrè depingit Aldrouandus:) diuina virtute subitò procreatæ (vt illę olim in Ægypto, Exodi 10. quò hîc alluditur:) cæque virulentæ & aculeatæ, & pungentes instar *scorpionum*. ita Lessius, & ferè Cornelius à Lapide, qui magis propendet, vt *locustas* has dæmones faciat indutos forma locustarum monstrosa & horribili ex leone, scorpio, equo & homine commista, quales olim territando S. Antonio, Hilarioni, Macario, aliisque Sanctis sæpius apparuerunt, & vt plurimum apparere dicuntur moribundis, (vt docet Barthol. Sibylla:) quidni & mundo iam moribundo & breui animam acturo? Hanc Cornelij sententiam etiam probabilem censet Ribera: licet ipse malit de barbarorum militum exercitu sermonem hîc esse. Sed de militibus proxima canet tuba; neque milites ferunt aculeo vel cauda, sed gladiis, lanceis & sclopiis. Malim igitur propriè dictas sed monstrosas accipere locustas, & quæ dirigantur impellanturque à dæmone; de quo infrà. (a) Neque enim *herbiuoræ* erunt, sed *carniuoræ*: neque inuadent, (vt solent naturales locustæ,)

Aldrou. in Locustas.

Cart. Sibyll. l. Peregrinar. quæst. 9 vit.

a *Hic v. 11.*

℣. 4. FOENVM TERRÆ, id est, germina, frutices, vel arborum fructus, sed solos HOMINES: neque hos promiscuè, sed eos dumtaxat QVI NON HABENT SIGNVM DEI IN FRONTIBVS SVIS, de quo suprà, (b) id est, solos impios & Deo rebelles: in hos enim iussu Dei per dæmones adigentur, non vt subitò enecent, sed longo lentoque cruciatu

b *Apoc. 7. v. 3.*

℣. 5. QVINQVE MENSIBVS horrendè torquebant, vt torqueri solet ictus à scorpione, cuius venenum lentum, sed graue & internecinum causat supplicium, vt homo nec viuere possit, nec mori.

℣. 7. SIMILES EQVIS PARATIS IN PRÆLIVM. Et verò locusta pedibus dum insistit parata ad volandum, speciem habet equi armati & cataphracti, (vnde & ab Italis *caualletta* vocatur:) est enim loricata, & pinnas habet pro aculeis, & volat saltando, & saltat volando, inquit Pineda. Sed & robore, audacia & vsu bellico, fortè etiam magnitudine & forma similes erant equis bellicis. SVPER CAPITA EARVM, TAMQVAM CORONÆ, seu galeæ micantes instar auri. Homero enim & Virgilio *corona* militum idem est quod *galea*, inquit Seruius. ET FACIES EARVM TAMQVAM FACIES HOMINVM] Idem videre est in simiis.

Pineda in Iob 39. v. 20.

Seruius in 5. Æneid.

℣. 8. CAPILLI SICVT MVLIERVM, citrìs longis & elegantibus. DENTES SICVT LEONVM, quorum etiam morsus, teste Plinio, venenatus est. Non igitur sola cauda, vt scorpij, sed & dentibus ferient hæ locustæ.

Plin. l. 8. c. 17.

℣. 9. HABEBANT LORICAS SICVT FERREAS; quales habet rhinoceros, & Indicum illud animal, quod ab Hispanis *Armadillo* vocatur, & corium habet instar loricæ compactum. ET VOX, id est, stridor quem edunt ALARVM concussione, SICVT strepitus CVRRVVM falcatorum equis agitatorum in prælium. Ergo & horrisono strepitu terrebunt mortales. Porrò, *locusta rauta lis*, vt ait Salomon, *regem non habet*: sed hæ monstrosæ locustæ omninò HABEBANT SVPER SE, seu sibi præpositum, REGEM

Prou. 30. v. 27.

℣. 11. ANGELVM ABYSSI, id est, dæmonem infernalem, CVI NOMEN HEBRAICE ABADDON, id est, GRÆCE Ἀπολλύων, LATINE EXTERMINANS, seu perdens. *Abaddon* propriè significat *perditionem*: sed familiare est Hebræis abstracta ponere pro concretis. Hic dæmon, instar feralis lictoris, iussu & impulsu Dei aget has locustas in impios, vt autè vidimus. S. Augustinus, Beda, Primasius, Gagneius, Viegas & plures alij per locustas has intelligunt hæreticorum varia genera, qui in fine mundi plurimi exsurgent, teste ipso Christo Matth. 24. v 24. Sed hæretici non cruciant solos impios, sed potiùs pios & orthodoxos: quos verò veneno suo inficiunt, non ita excruciant vt mortem optent, sed voluptatibus & deliciis huius vitę ita inescant, vt mortem extremè horreant, vitam summè concupiscant. Porrò cum his locustis

אבדון

℣. 12. VÆ VNVM ex tribus suprà (c) tactis completum est, & ABIIT: sed ECCE VENIVNT ADHVC DVO VÆ] Id est, duo genera plagarum, tuba sexti & septimi angeli proclamandarum.

c *Apoc. 8. v. 13.*

℣. 13. EX QVATVOR CORNIBVS ALTARIS thymiamatis AVREI, id est, ex ore & imperio Christi, (d) ad preces & instantiam Martyrum sub hoc altari quiescentium, (e) manauit *vox*, quâ puniri iubentur impij noua plaga ingentium exercituum hostilium. Ad hos euocandos, instruendos, coniucendos

d *Apoc. 8. v. 3. & e Cap. 9. v. 6.*

℣. 14. SOLVE QVATVOR illos malos ANGELOS, qui quasi archidæmones pro Lucifero præsunt quatuor orbis partibus: QVI à passo Christo ALLIGATI SVNT IN EVPHRATE iuxta Babylonem, vbi Andr. Cæsariensis putat nasciturum Antichristum. Ligati, inquam, decreto & imperio diuino, fortè etiam qualitate aliqua detentiua, vt de *Asmodæo* alibi (f) vidimus. Non desinunt interim tales nocere hominibus, si non per se, certè per emissarios suos cacodæmones inferioris ordinis, inquit Serarius. Non tamen possunt tantopere nocere post mortem Christi, quàm antè poterant: sed sub finem mundi soluentur, & priùs inę, imò longè maiori, libertati restituentur.

f *Tobiæ 8. v. 3.*

Serarius ibid.

℣. 15. PARATI IN omnem HORAM quâ permissu diuino occidant TERTIAM PARTEM HOMINVM impiorum, (g) non signatorum. His dæmonibus agentibus, cogitur ex toto orbe, ferorum militum

g *Apoc. 7. v. 3. & 9. v. 4.*

℣. 16. EXERCITVS EQVESTRIS, cuius NVMERVS VICIES MILLIES DENA MILLIA] id est, bis millies centena millia, id est, ducenti milliones. Si stupuit orbis, cùm vidit vnum *Xerxen* contra (h) Græcos in aciem producere decies centena armatorum millia, id est, vnicum millionem; quomodo stupebit cùm cernet in equis ducentos milliones armatos? Et credibilem facit hunc numerum multitudo incredibilis Orientalium & Indicarum nationum. Si enim regnum vnum Sinense, teste Nicolao Trigautio, numerat 250. milliones hominum, quorum quinta pars potest esse militum; plures numerabit Æthiopia, plures regna Tartariæ, & tot aliæ nationes in vtrisque Indiis, Asia, Africa & Europa. Opinantur autem Ribera, hos exercitus fore decem illorum regum, qui ante monarchiam Antichristi Babylonem euertent, vt infrà per hysterologiam cap. 18. describit Ioannes. Cornelius à Lapide mauult esse copias ipsius Antichristi, quibus monarchiam orbis totius sibi compara-

h *Plin. l. 4. c. 10 & Lucanus lib. 2.*

P. Nic. Trig. de Expedit. Sinensi.

comparauit, putatque maiorem partem ex dæmonibus conflandam, vt & suprà (a) de *locustis* sentiebat. Porrò

Hic v. 3.

¥.17. ITA VIDI EQVOS, VT viderentur CAPITA habere LEONVM, seu leonina, terribiles & interritos instar leonum: equites HABEBANT LORICAS alij IGNEAS, instar ignis lucentes, radiantes, flammantes: alij HYACINTHINAS, violacei seu cæleſtis coloris, quasi de cælo ad vindictam sumendam emissi: alij SVLPHVREAS, id est, rubeas & croceas instar sulphuris, prognosticas infernalis incendij, quod impios manet.

DE ORE EORVM, tum equorum, tum equitum, PROCEDIT IGNIS, ET FVMVS, ET SVLPHVR] q.d. Instar leonum, fumos naribus efflabunt, & nil nisi ignes, flammas & incendia spirabunt. Videturque hac phrasi describere bombardas militum, & ignem pulueris sulphurei, inquit Lessius. Dum enim milites iaculantur, ita admouent ori bombardam, vt ex ipso ore ignem & fumum sulphureum emittere videantur.

Less. l. 13. de Perfect. Diuin. c. 18.

¥.19. CAVDÆ equorum SIMILES SERPENTIBVS, HABENTES CAPITA] Qua metaphora designantur pedissequi, caculæ & alij ministri militum, qui instar serpentum occultè nocent furtis, rapinis, venenis, incendiis, nocentiores vt plurimùm ipsis militibus. ita idem Lessius.

¥.20. CETERI HOMINES impij, nempe duæ reliquæ tertiæ partes, etsi tot strages suorum & funera viderent, ne tunc quidem conuersi sunt ab idololatria sua, AB HOMICIDIIS, A VENEFICIIS, ab aliis sordibus suis. Quin potius ad sociorum plagas magis obdurescunt, ex bile & impatientia blasphemantes Deum, plagarum auctorem & scelerum vindicem, vt infrà (b) videbimus.

b Apoc. 16. v. 9.

CAPVT X.

Angelus nube amictus, iride cinctus, dextro pede mari, sinistro terræ insistens, iurat quòd amplius non erit tempus. Mox reboant & consonant septem tonitrua. Iubetur Ioannes accipere apertum librum de manu angeli, acceptumq; deuorare, quem in ore mellitum, in ventre amarum experitur.

¥.1. ANGELVM FORTEM hunc putat Ribera eumdem fuisse cum illo qui c. 5. nuntiauit Ioanni, Agnum referaturum librum. Agit autem hic legatum & typum Christi. AMICTVS NVBE, gloriæ tegumento simul & symbolo: & quia arcana Dei consilia de fine & interitu mundi nuntiaturus aderat. IRIS circum *caput* symbolum est pacis ac reconciliationis hominum cum Deo, si mores corrigere velint: sin autem, rugiet vt leo, calcabitque obstinatos pedibus suis columnaribus & igneis, id est, potentia & ira sua, quâ illos æternùm conteret. FACIES VT SOL indicium est tum status glorioſi, tum scientiæ infallibilis: sicut *pes dexter mari, sinister terræ impositus*, signum est absoluti imperij in totum mundum, nihilque esse vspiam quod Christi vindicem oculum aut manum effugere possit.

¥.2. LIBELLVS IN MANV eius APERTVS idem ille est de quo cap. 5. vers. 1. nempe signatus antè septem sigillis, sed iam illis per Agnum referatis, apertus offertur Ioanni legendus, imò describendus.

¥.3. VOCE MAGNA & horribili rugitu, sed articulato CLAMAVIT, horrida & vltima impiis minitare supplicia, & vniuerso finem imminere. Clamabit & rugienti assonant pari fragore & respondent TONITRVA SEPTEM, quasi Echo heptaphona, seu septem vocum, vnâ voce septies repercussâ, qualem refert alicubi Plinius. Et fortè alludit ad psalmum 28. qui celebrat Dei magnificentiam ex eo quòd sit *altitonans*: vnde *septies* in eo repetitur *tò vox Domini*, id est, tonitru, inquit Alcazar. Hæc tonitrua insonabant magnitudinem calamitatum in fine mundi: erantque (vt olim in Sinai) voces eorum articulatæ. Vnde Ioannes

Plin. l. 36. c. 15.

Exod. 19.

¥.4. SCRIPTVRVS illas fuisset, nisi angelus inhibuisset, dicens: SIGNA, græcè, *obsigna* (quæ occultata volo) in mente tua, ibique recondita serua. Nolo tam citò ea patefieri hominibus, ne planè concidant animis, aut nimiùm percellantur. Vnde patet S. Ioanni multò plura reuelata esse, quàm quæ scripsit. ita Aretas, Ribera & à Lapide.

Nota, non fore hæc tonitrua realiter vocalia, sed metaphoricè, terribili sonitu suo portendentia extremas orbi imminentes plagas. Sic quæ angelus hîc proclamat, per Prophetas verisimile est proclamanda.

¥.5. LEVAVIT MANVM SVAM AD CÆLVM, hoc ritu Deum quasi veritatis dictorum testem & periurij vindicem ostentans & inuocans, ET IVRAVIT *quòd* TEMPVS NON ERIT AMPLIVS] nempe cum fine mundi desinent moueri cæli, & consequenter *non erit amplius tempus*, (quod teste Aristotele, non est aliud quàm numerus seu mensura *motus primi mobilis*, discriminati motibus Solis & lunæ:) sed pro *tempore* succedet *æuum* æternum, simile æuo seu durationi angelorum. Quamquam possit etiam hîc per *tempus* intelligi spatium pœnitendi, merendi & salutem æternam procurandi, quod haud dubiè cessabit cum fine mundi. Dan. 12. v. 7. simile habes iuramentum angeli.

¥.7. CVM septimus angelus COEPERIT TVBA CANERE (cap. sequ. vers. 15.) CONSVMMABITVR sed inchoatiuè, id est, consummari incipiet, (c) & paulò pòst perfectè consummabitur MYSTERIVM DEI] Id est, maximum diuinæ prouidentiæ arcanum consummationis & finis sæculi, damnationis reproborum, & glorificationis Sanctorum æternæ.

c Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 16.

¥.9. DEVORA LIBRVM] Id est, auidè haurias animo reuelationes hoc libro contentas de futuris euentibus in fine mundi sub Antichristo; omnes attenta mente excipias, & in ventre memoriæ recondas, rumines & seriò expendas.

¥.10. ERAT IN ORE MEO TAMQVAM MEL DVLCE: nempe noua illa & mira diuinorum arcanorum retectio, prima facie, primo gustu mentem suauiter pascebat & oblectabat: sed CVM DEVORASSEM LIBRVM, id est, cùm penitiùs expendi calamitates ibi prædictas & multitudinem reproborum inibi depictam, fortè & particulares lapsus & casus multorum eximiorum virorum sub Antichristo, AMARICATVS EST VENTER MEVS] id est, in intimo animi & mentis meæ valdè indolui, & ingemui, inquit Aretas. Alludit ad naturam mellis, quod comestum conuertitur in flauam bilem, & stomachum lancinat & amaricat. Alludit & ad Ezechielis c. 3. v. 1. vbi Prophetæ datur similis liber simili modo deuorandus.

¥.11. ET DIXIT MIHI, OPORTET TE, ô Ioannes, post prædictas à te orbi plagas septem sigillorum libri, ITERVM PROPHETARE; & hominibus prænuntiare alia multò plura & grauiora mala, quæ in hoc iam aperto libro leges, & ex eo describes,

scribes, de Antichristo, de Henoch & Elia, de Gog & Magog,&c. quæ à cap. 11. vsque ad finem Apocalypseos recensentur. Primò enim legit illa omnia Ioannes in libro: deinde eadem iam lecta vidit per varia symbola sibi repræsentari, quo posset commodiùs assequi & adnotare. REGIBVS porrò MVLTIS prophetauit, qui reges omnes terræ regnis suis per Antichristum priuandos prædixit, ipsique subiiciendos,& cum ipso occidendos. Vnde nihil adiumenti ex hoc loco nancisci possunt Catharinus, Salmeron & alij qui cum Hippolyto Martyre, Ambrosio, Damasc. Theophyl. & Euthymio, Metaphraste & Dorotheo volunt Ioannem necdum mortuum esse, sed cum Henoch & Elia in viuis seruari in paradiso, & cum iisdem certaturum contra Antichristum. Quod fusè refellit S. Hier. Augustin. Eusebius ex Polycrate, & passim veteres, imò Concilium Ephesinum, & cum eo tota Ecclesia, quæ diem festum S. Ioannis iam mortui, & in cælo cum Christo regnantis colit 27. Decembris.

Cathar. in opusc. hac de re Salm. to. 11. tract. 32. Hippol. l. de Consummat. seculi. Ambr. l. 7. in Lucam. Damasc. orat. de Transfiguratione. Theophyl. & Euth. in Matth. 20. v. 23. Metaphr. & Dorotheus in Vita Ioannis.

profanarum Gentium impetus retundendos,

℣. 3. DABO mox ab initio monarchiæ, DVOBVS illis famosis TESTIBVS MEIS, Eliæ & Henoch, vt contra Antichristum *prophetent* tum specialiter & propriè, clades & pœnas horrendas illi prædicendo & intentando, tum impropriè & generaliter, (*b*) docendo, euangelizando, disputando, miracula patrando, quibus versutias & technas Antichristi detegent & euertent. Porrò *Eliam* fore alterum horum duorum, certum est ex Malachia, Ecclesiastico, & ipsomet Christo (*c*) id disertè prædicentibus: & quia in eo SS. Patres & Doctores omnes consentiunt. Pro secundo opinatur Hilarius, Ioachimus, Gagneius, Catharinus & Maldonat. venturum Moysen, sicut venit ad transfigurationem Christi. Sed Moysen constat mortuum esse. Vnde ceteri omnes orthodoxi quos citat & sequitur Suarez, Viegas & Ribera, vna voce socium *Eliæ* faciunt *Henochum*, quem constat non esse mortuum, sed raptum à Deo, *vt sub finem mundi det Gentibus pœnitentiam*, vt dixi Genes. 5. v. 24. & Eccli. 44. v. 16.

b Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 11.

Malach. 4. v. 5. Eccli. 48. v. 9. & 10. c Matt. 17. v. 10. Hilar. in 20. m Matth. Maldon. in Matth. 17.

HI PROPHETABVNT DIEBVS MILLE DVCENTIS SEXAGINTA] id est, mensibus 42. lunaribus, si singulis des 30. dies. Quòd si solares & Iulianos menses (qui ex tunc in vsu erant, & sunt etiamnum) accipias, vt accipit Ribera, tum 42. menses superaddunt 18. dies numero dierum 1260. quibus in hoc orbe degent Elias & Henoch. Nempe 18. illis diebus superuiuet Antichristus Henocho & Eliæ, vt integrè regnet tribus annis cum dimidio solaribus, quales tunc etiam in vsu erunt.

Chronic. 6. 4. & 44.

℣. 4. HI SVNT DVÆ OLIVÆ: id est, instar duarum olearum, succulenti, pingues & fertiles bonorum operum & fructuum ad Iudæos & Gentes aberrantes reducendos ad Christum. Vnde & quasi DVO CANDELABRA Christum, qui est verum lumen, toti mundo præferent & ostendent. Idem de his iisdem, sed sub typo Zorobabelis & Iesu, prædixit Zacharias cap. 4. vers. 11. & seq. vt docet S. Gregorius, Victorinus, Aretas, Thomas Anglicus, Galatinus, Ribera & à Lapide Ecclesia verò iisdem etiam verbis *c*honestat sanctos Martyres Ioannem & Paulum sub Iuliano apostata anno Christi 362. fortissimè fidem Christi propugnantes. Et Sixtus V. eadem accommodat S. Thomæ Aquinati & Bonauenturæ: & possunt prælustrioribus quibusque Sanctis accommodari.

Greg. hic mult. 12. in Ezech. Sixt. V. in Bulla Canonizat. S. Bonauent.

℣. 5. SI QVIS aduersariorum, (vt olim illi pentacontarchi à rege Israël submissi,) (*d*) VOLVERIT EOS LÆDERE, NOCERE, iniuriam inferre, mox IGNIS EXIET DE ORE EORVM, id est, ipsis iubentibus descendet de cælo, ET DEVORABIT INIMICOS EORVM] Et hoc est primum genus miraculi quod edent hi Sancti non semel, sed pluries. Secundum est:

d 4. Reg. 1. v. 10. & Eccli. 48. v. 3.

℣. 6. *Claudent* CÆLVM NE PLVAT, (*e*) atque ita sterilitatem, famem & pestem, vbi volent, accersent. Quin & pro tertio miraculorum genere, *convertent* AQVAS fluminum IN SANGVINEM, vt olim (*f*) faciebat Moyses dum contra Pharaonem, Antichristi typum, decertaret. ET *quartò percutient* TERRAM OMNI etiam alia PLAGA, quâ olim Moyses Ægyptum percussit. Et his plagis quasi armati, spatio 1260. dierum inuicti prorsus erunt: sed peracto demum officij sui curriculo,

e 3. Reg. 17. v. 1.

f Exodi 7. v. 20.

℣. 7. CVM FINIERINT TESTIMONIVM SVVM quod veritati & Christo palàm dabunt, sponte sinent se vinci à BESTIA infernali, id est, ab Antichristo,

CAPVT XI.

Posteriorem Apocalypseos partem, quam Ioannes in libro iam aperto legit, inchoat à conculcatione Ecclesiæ per Antichristum tribus annis cum dimidio: sed statim ab initio se illi opponent Henoch & Elias quasi duo archistrategi: quorum proinde gesta & miracula, mortem, martyrium, resurrectionem & in cælum ascensionem & portenta mortem consecutura, vno eodemq; stilo pertexit, etsi posteriùs contigerint. Hòrum enim omnium à v. 7. vsque ad finem huius capitis proprius locus esset c. 19 post v. 10. Nam ante bellum illud vltimum Christi cum Antichristo, Gog & Magog, quod ibi v. 11. describere incipit Ioannes, continget mors Eliæ & Henoch, canet septimus angelus, & alia quæ hoc cap. 11. recensentur.

℣. 1. DATVS EST MIHI ab angelo CALAMVS (*a*) mensorius SIMILIS VIRGÆ, seu sceptro regali; erat enim symbolum regiæ potestatis, cuius est mensurare subditos, id est, diiudicare & pro meritis punire vel præmio decorare. Hoc calamo METIRE TEMPLVM DEI, id est, Ecclesiam Christi (quæ specie templi Salomonici oculis Ioannis obijciebatur γ) ET ALTARE tum holocausti, tum thymiamatis, id est, intima Ecclesiæ mysteria & arcana: ET ADORANTES, id est, sacrificantes in altari, tam sacerdotes, quàm laicos qui victimas ibi offerunt Deo: putà selectiores Christianos qui tempore Antichristi per religiosa exercitia sese arctiùs Deo adstringent, vt in eius fide, charitate & cultu solidiùs stabiliantur. Hos iubetur Ioannes *metiri*, id est, numerare, & in codicem referre, vtpote sinceros Dei cultores, amicos, filios & regni heredes, & æternitatis candidatos.

a Ezech. 40. v. 3.

℣. 2. ATRIVM AVTEM, id est, eos qui in atrio sunt laicorum, id est, vulgaris & laxioris vitæ Christianos, qui à Deo & Ecclesiæ sacris remotiores sunt, nec multum curant diuina, NE METIARIS, vtpote indignos qui inter Sanctos numerentur; sed EIICE foras, id est, reiice, repudia, contemne: quia hi desciscent mox à fide, & prædæ erunt Antichristo & GENTIBVS illi confœderatis, quæ CIVITATEM SANCTAM, id est, Ecclesiam Christi, non extinguent quidem, sed CALCABVNT profanis pedibus suis, & maximam eius partem pessumdabunt, & vastabunt MENSIBVS QVADRAGINTA DVOBVS] id est, tribus annis cum medio, vt loquitur Daniel, cùm agit de eâdem re. Tanto enim tempore durabit monarchia Antichristi. Sed ad hos

Dan. 7. v. 25

christo,instar bestiæ à diabolo insessæ truculento, sæuo& malitioso.Ita communiter interpretes.

¥. 8. CORPORA occisorum Henoch & Eliæ insepulta IACEBVNT tribus cum medio diebus IN PLATEIS CIVITATIS MAGNÆ, Ierosolymæ, QVÆ ob infandas libidines SPIRITVALITER VOCATVR SODOMA: & ob idololatriam,& multiplices superstitiones, adde & propter sæuam fidelium persecutionem,ÆGYPTVS cognominatur;VBI ET DOMINVS EORVM &totius vniuersi Christus Iesus,olim CRVCIFIXVS EST] Possetne clarioribus verbis Ierosolyma designari? Hanc enim Antichristus, vt Messias Iudæis promissus, hæres solij Dauidis & Salomonis haberi possit, è ruderibus iterum excitabit vnà cum templo Salomonico, trãslatâ eò verisimiliter sede regiâ Babylone priùs fixâ,vt passim interpretes à Bellarmino citati exponunt. Atque ita corruit hæreticorum nostrorum Achilles, quo clamant se ex hoc loco luce clariùs demonstrare,Roman.Pontificem esse Antichristum. Quis enim Romanorum Pontificum Ierosolymæ sedem fixit? Quis se Iudæum,quis se Messiam iactauit?

Bellarm.l.3. de Roman. Pont.c.13.

¥. 10. HI DVO PROPHETÆ CRVCIAVERVNT impios igne,fame & alijs plagis quas iam audiuimus.

¥.11.POST TRES DIES ET DIMIDIVM,videntibus publicè hostibus,SPIRITVS VITÆ,seu vitalis, id est,anima viuificans,INTRAVIT IN EOS &reddidit rediuiuos.

¥.12. ET ASCENDERVNT IN CÆLVM IN NVBE,vt olim Christus ex monte Oliueti.Illis ascendentibus

¥.13. MAGNVS fit TERRÆMOTVS,QUO DECIMA PARS regiæ vrbis Ierosolymæ *corruit*, ET SEPTEM MILLIA HOMINVM occiduntur: RELIQVI timore perculsi,& tot prodigijs ac miraculis conuersi ad Christum, laudant & *glorificant Deum*: mox enim prostrato Antichristo, *omnis Israel saluus fiet.* (*a*) His de Henoch & Elia,quasi per parenthesin, interiectis, redit ad plagas quæ reliquæ sunt septimi tubicinis pertexendas.

a *Rom.11. v.26.*

b *Apocal.8. v.vlt.*

¥.14. VÆ SECVNDVM ex tribus suprà (*b*) recensitis ABIIT, id est,iam orbi inflictum & quasi peractum vidi:supererat TERTIVM. Sed priùs quæ de glorioso Christi & Sanctorum regno septimus tubicen intonat, audiamus.

¥.15.REGNVM HVIVS MVNDI,quod fuit hactenus Antichristi & Satanæ,iam rediuiuis Henocho & Elia, & tot illorum hostibus de cœlo sideratis, FACTVM EST CHRISTI,qui mox ipsummet quoque Antichristum,& reliquos omnes impios perdet,& in tartara deturbabit.

¥.17.ACCEPISTI VIRTVTEM,id est,assumpsisti fortitudinem,TVAM,vsus es robore tuo in debellandis hostibus tuis Antichristo eiusque sequacibus: ET REGNASTI] id est, regnum nunc adeptus es quietum & pacatum.Ex aduerso,irritatæ prosperis piorum successibus.

¥.18.GENTES illæ innumeræ,quæ cum *Gog* & *Magog*, Antichristo adhærent, extremè IRATÆ SVNT:vnde& ad vltimum cum Christianis prælium mox sese accingent. (*c*) Sed irrito successu, quia ADVENIT IRA TVA] id est,tempus exercendi iram & vindictam tuam non in illos tantùm, sed & in impios omnes, nempe instat tempus vniuersalis resurrectionis mortuorum, & extremi iudicij, quo cuique pro meritis vel demeritis suis condigna merces tribuetur.ita Andr.Cæsarien sis, Aretas, Primasius, Beda & alij.

c *Apoc.19. v.11.*

¥.19.TEMPLVM DEI IN CÆLO est cæleste palatium,quod in symbolica visione APERTVM EST Ioanni, vt eminus per speciem aliquam videret gloriam Beatorum.Ibi vidit ARCAM TESTAMENTI,id est,humanam Christi naturam,inquit Richardus,Beda & Rupertus, vel B.Virginem Deiparam, vt Ambros.Bernardus, Suarez, & alij ab ipso citati exponunt: vel denique totam collectionem Sanctorum in cœlo empyreo,instar arcæ, seu scabelli pedibus & dominio Christi subiectam,inquit à Lapide. Quos enim suprà (*d*) vidit sub altari thymiamatis per merita Christi postulantes corporum suorum resurrectionem, & hostium punitionem:hîc iam voti compotes videt in *arca testamenti*, in loco sanctissimo,Deoque proximo, vbi tam corpore quàm anima glorioſi, sub alis diuinæ maiestatis æternùm quieti, saturi, & plenè beati degunt. Interea aduersus impios *Gog*, *Magog*, eorumque sequaces,cientur horrenda fulgura & aliæ plagæ, quibus partim in prælio ipsis infausto c.20.v.9. partim in die iudicij extremi, cum reliquis omnibus damnatis, penitus pessumdabuntur.

Ambros. serm.81. Ber.serm.de B.Maria. Suarez 3.p. q.37. art.4. disput.21. sect.2.

d *Apocal.6. v.9.*

CAPVT XII.

Post descriptos capite precedenti Henoch & Eliam duces belli sacri contra Antichristum, hoc cap. bellum ipsum describit,sub schemate mulieris & draconis cõcertantium: draco enim filium mulieris rapere & deuorare conatur; sed ille rapitur ad Deum. Insequitur draco, vt eos ad pœnam deposcat in iudicio:sed ab Archangelo Michaele deijcitur, trahitq; secum tertiam partem stellarum. deiectus persequitur mulierem,que acceptis alis fugit in desertum:flumen, quod draco in fugientem emittit, ab hiante terra absorbetur:draco reliquias seminis eius persequitur.

¥. 1. SIGNVM, id est,ostentum,prodigium,portentum, MAGNVM in CÆLO aereo APPARVIT Ioanni: MVLIER,Ecclesia sponsa Christi, militans sub extrema mundi tempora, AMICTA SOLE,id est,circumdata Christo sponso suo,eiusque protectionis & gratiarum radijs vndique cincta: ET LVNA,symbolum mutabilitatis & inconstantiæ,id est, res omnes sublunares & temporales,SVB PEDIBVS EIVS, deuictæ,calcatæ,contemptæ, inquit S.Gregorius, Andr. Cæsar. Methodius,Aretas,à Lapide & alij. ET IN CAPITE EIVS CORONA STELLARVM DVODECIM] Quod de choro duodecim Apostolorum, qui Ecclesiæ instar fulgentissimarum stellarum præfulgent, maximè *in capite*, id est, initio nascentis Ecclesiæ, SS.Patres & interpretes passim exponunt. Posset mysticè etiam exponi de duodecim præcellentijs & prærogatiuis Ecclesiæ Christi,partim præ Synagoga,partim præ alijs aliarum sectarum congregationibus.Sicut S.Bernardus (qui cum S.Augustino,Ambrosio,Haymone,Pannonio, Blasio Viegas & pluribus alijs, per hanc mulierem B.Virginem Deiparam intelligit, quæ nobilissimum Ecclesiæ membrum imò mater est) id exponit de 12. prærogatiuis gratiarum,quibus B.Virgo præ reliquis Sanctis coronatur.

Bern.serm. de B.Virgine signum magnũ,&c. August.l.4. de Symbolo ad catechum.c.1.

¥.2. IN VTERO HABENS, CLAMABAT PARTVRIENS] Ecclesia enim in fine mundi, ob acerbissimas Antichristi persecutiones,& innumeras dæmonum nequitias, impedimenta vndique inijcientium,non nisi maximis laboribus, ærumnis & doloribus pariet Christo nouos filios.

¥.3. ECCE in eodem CÆLO aëreo DRACO, seu serpens

serpens MAGNVS, nempe princeps dæmonum Lucifer, RVFVS propter continua homicidia, fraudes & malitias, quarum symbolum est color rufus, inquiunt Viegas & Alcazar. In Græco est πυρρὸς, id est, ignitus, vt erant illi serpentes in deserto, Num. 21.v.6. & alij ignem vomentes, de quibus Lesiæus & alij historici. De magnitudine draconum, subinde 120. pedum: & puero nonnunquam integro in aluo vnius reperto, vide Plinium. HABENS CAPITA SEPTEM singula *diademate* coronata, id est, septem sibi famulantes reges, quorum sex præcursores erunt Antichristi, de quibus infrà: (a) septimus, isque præcipuus, erit ipsemet Antichristus, primariũ Luciferi caput, *habens* DECEM CORNVA, id est, decem reges & regna sibi subiecta: de quibus Danielis 7.v.24. & c.11. &c. Decem enim reges qui tum temporis dominabuntur in orbe, subijciet sibi Antichristus, tribus occisis, reliquis vltrò se suaque dedentibus. Symbolicè *septem* Luciferi *capita* septem sunt vitia capitalia, leonis superbia, tigridis auaritia, vrsi luxuria, lupi gula, serpentis inuidia, viperæ ira, asini desidia. *Decem cornua* multiplicia dæmonum arma, vis & potentia, inquit S. Gregor. Cassianus & alij.

Lesæus in sua Scotia anno 1558. Plin. lib. 8. c.14.

a *Apoc.17. v.9. & 10.*

Gregor. 31. Moral. c.31. Cassian. collat. 5. c.2.

℣.4. CAVDA draconis, nempe idem Antichristus: qui quia primarius belli impiorum dux, & omnium regum rex, *draconis caput* meritò vocatur: quia verò extrema seu vltima corporis diaboli pars, vltimum instrumentum, vltima machina, etiam *cauda draconis* vocitatur, inquit idem S. Gregorius, Ribera, à Lapide & alij. Hæc cauda post se in suam perfidiam TRAHEBAT TERTIAM PARTEM STELLARVM] id est, virorum illustrium, principum Ecclesiæ, non modò politicorum, sed & Ecclesiasticorum, Doctorum & Religiosorum, qui instar stellarum in orbe alijs prælucent & præcellunt. ita S. Hieron. Theodor. & alij in Daniel. 8. v.10. vbi simili phrasi Antiochus Epiphanes typus Antichristi, dicitur *detecisse de fortitudine & de stellis & conculcasse eas*, nempe Iudæos doctrina, pietate, genere præclustres minis & blanditijs ad apostasiam & idololatriam pertrahendo.

Gregor. 31. Moral. c.14.

℣.5. ET PEPERIT Ecclesia, etsi obsessa & vallata à dracone, FILIVM MASCVLVM, id est, fortem, generosum, heroicum: nempe selectam multitudinem fidelium & cœtum Sanctorum, qui ducibus Henoch & Elia inuicto animo resistent draconi, mille potiùs mortes obituri, quàm eius impietati obsecundaturi: QVI cœtus RECTVRVS ERAT, & superato Antichristo reuera reget OMNES totius orbis GENTES IN VIRGA FERREA, vi & armis illas subijciendo sibi & Christo, putà in vltimo prælio contra Gog & Magog, cap.19.v.11. & seqq. Simili phrasi Exodi 4.v.22. & Osee 11.1. Israel vocatur filius Dei primogenitus. Porrò, quidquid agat draco, non potest prævalere, seu mulieri, seu filio: nam RAPTVS EST FILIVS EIVS, id est, cœtus hic Deo fidelis translatus est AD DEVM, partim in cœlum per varia martyria, partim in tutum asylum, per extraordinaria miracula.

℣.6. MVLIER VERÒ, id est, reliqua Ecclesia, mater heroum iam dictorum, FVGIT durante sæuitiâ draconis, IN SOLITVDINEM, fidelibus hinc inde ad deserta & latibula se recipientibus.

Nota, alludi hîc ad Isaiæ 66.v.7. vbi pari modo *mulier*, id est. Ecclesia, parere dicitur *filium masculum*, id est, populum Christianum: vel Christum in animis Christianorum. Alludi item ad primum cum Michaele prælium Luciferi, eiusque casum à cœlo empyreo, de quo Genes. 1.v.1. Vnde etiam Suarez alijque Scholastici Doctores colligunt, causam lapsus Lucifero eiusque sequacibus dedisse, reuelatam ipsis vnionem hypostaticam Verbi diuini cum natura non angelica (quod ipsi ambiebãt) sed humana. Ex illo enim instanti pessimè semper oderunt & persecuti sunt hunc paruulum *masculum*, & bellum, quod cum illo inchoarunt in cœlo, continuant iugiter in terra: detractâ secum tertiâ, id est, magnâ, parte stellarum, id est, angelorum. Tertiò, alludi ad raptum pueri *Ioas*, ne cum alijs filijs regijs necaretur ab Athalia, 4 Reg. 11.v.2. item apud raptum Christi in cœlum, Act.1. v.9. Simili enim cura prouidentiaque diuina, sub finem mundi rapientur fortes illi athletæ vel in cœlum morte naturali, seu martyrio, vel in alium locum à tyrannide tutum, vt suprà dixi.

Suarez 3.p. tom 2. disp. 31 sect.4.

℣.7. Sicut olim in cœlo empyreo, ita sub finem mundi in cœlo aëreo, seu in ipso aëre, id est, in mundo, FACTVM EST PRÆLIVM MAGNVM, acerrimum & vltimum, DRACONE CVM *angelis* & sequacibus suis Ecclesiã Christi stirpitus exscindere conante: *Michaële* verò cum suis angelis & sequacibus illam tutante ac propugnante, vt fusiùs dictum in Daniele. ita S. Gregorius, Beda, Haymo, Aretas, Viegas, Ribera & à Lapide.

Daniel 12. v.1. Greg. hom. 34. in Euang. & 32. Moral. c.18.

℣.8. NEQVE LOCVS EORVM INVENTVS EST AMPLIVS IN CÆLO] Metonymia, locus pro locato, id est, ipsi non sunt ampliùs inuenti in cœlo, eiecti iam pridem è cœlo empyreo, & recèns è cœlo aëreo vel metaphorico, nempe è cœtu & terris Christianorum, quas antea vi ipsis eripuerant.

℣.9. ET PROIECTVS EST DRACO IN TERRAM, deuictus, prostratus, calcatus pedibus Christianorum, quando cæso Antichristo, & multis eius copijs, vires Luciferi magna ex parte conterentur & in fumum ire incipient.

℣.10. NVNC FACTA & obtenta EST SALVS, Ecclesiæ: nunc exseruit se VIRTVS; Græcè, δυνάμις, id est, robur, seu potentia diuina: nunc stabilitum est REGNVM DEI: palàm facta est POTESTAS & meritum CHRISTI. QVIA ACCVSATOR & calumniator FRATRVM NOSTRORVM, v.g. Iobi, Tobiæ, Iesu (b) & aliorum adhuc in terris militantium, in diuino tribunali eccidit causa, damnatus est & succubuit: vnde & in terreno prælio in exercitibus suis cæsus, prostratus, deiectus & deletus est.

Iob 1.v.9: Tobiæ 2.v.5. b Zachar. 3. v.1.

℣.11. IPSI fratres nostri VICERVNT EVM, robore accepto de cælo PROPTER SANGVINEM AGNI, id est, merito passionis Christi: ET PROPTER VERBVM TESTIMONII SVI, id est, merito constantis martyrij sui, seu professionis fidei: quia NON DILEXERVNT sordidè vel pueriliter ANIMAS SVAS, id est, seipsos, sed generosè se suaque omnia exposuerunt, neglexerunt, & quasi oderunt VSQVE AD MORTEM pro Christo gloriosè obitam.

℣.12. VÆ TERRÆ ET MARI, & omnibus ibi habitantibus, quia diabolus victus ab Henoch & Elia, iam extincto Antichristo, primaria regni diaboli columnâ, extremam iram & omnem furorem suum euomet per Gog & Magog in ceteros Christos, SCIENS QVÒD MODICVM TEMPVS HABET] nempe quantum effluet à tempore cæsi Antichristi vsque ad finem mundi. Etsi enim iam inde à mundi initio,

℣.13. POSTQVAM VIDIT DRACO QVOD è sublimi cœlo PROIECTVS ESSET IN TERRAM, imò

imò in imum terræ, perpetuò PERSECVTVS sit hanc MVLIEREM: tamen ex quo rursus fœdè prostratus est per vltimos istos heroës Henoch & Eliam, & horum sequaces; intendit de nouo iras, auxit odia, duplicauit persecutiones: sed

℣.14. MVLIERI DATÆ SVNT ALÆ DVÆ, nempe monita Prophetarũ, & auxilia amicorum, quibus quasi binis alis AQVILÆ MAGNÆ, (a) in deserta & abdita loca velocissimè deuolauit, VBI PER TEMPVS ET TEMPORA, ET DIMIDIVM TEMPORIS, id est, per tres annos cum medio, (b) seu toto tempore persecutionis vltimæ Antichristi, semota & remota A FACIE SERPENTIS, ALITVR cura & vigilantia pastorum Ecclesiæ subditis sibi ouiculis omnia necessaria tum spiritalia, tum corporalia subministrantium; vt factum olim sub Antiocho Epiphane, (c) & primis trecentis annis primitiuæ Ecclesiæ. ita ferè Origenes, Ambros. Augustin. Hilarius, Basilius, Victorinus, Ticonius & alij.

a *Exodi* 19. v.4. *Isaiæ* 40. v. 31. *Psalm.* 102. v.5.

b *Dan.* 4. v. 20. & 29. & c.7. v.25. & *Apocal.* 11. v.3.

c 1. *Mach.* 2. v.29.

℣.15. POST MVLIEREM fugientem MISIT SERPENS quasi balena EX ORE SVO AQVAM crudelium edictorum, copiam immẽsorum exercituum & persecutorum, qui instar fluminis subitò obruant incautos, & absorbeant latentes. Ita præter citatos etiam Andr. Cæsariensis, Beda, Primasius, Ansbertus & Haymo. Sed, Deo supernè suis inuigilante atque opitulante

℣.16. FLVMEN hoc omne absorptum est & euanuit, TERRA dehiscente, & Antichristi emissarios in tartarum abripiente, vt olim Num. 16. v. 31. abripuit *Core, Dathan & Abiron.*

℣.17. IRATVS DRACO quòd latitantes euertere non possit, PRÆLIVM instaurat CVM RELIQVIS DE SEMINE MVLIERIS, QVI HABENT TESTIMONIVM IESV CHRISTI] id est, qui publica fidei professione testimonium perhibent Christo, nec sese occultarunt, vt alij, sed cum Henoch & Elia palàm sese opponunt draconi. Qui aduersus illos aciem instructurus, & duces euocaturus vndique è terra & mari,

℣.18. STETIT SVPRA ARENAM MARIS in littore, imperans omnibus clientibus suis, (instar arenæ primò innumeris, secundò sterilibus, tertiò duris, dissolutis, diffluentibus,) in bellum tam nauale quàm terrestre confluant, omnes neruos & vires conferant, machinas vndique conuehant, vt vno impetu omnes Christiani euertantur, exscindantur, exstirpentur. ita ferè Origenes, Augustin. & Hesychius.

CAPVT XIII.

Sub specie duarum horribilium bestiarum, vnius marinæ, alterius terrestris, duo describuntur primarij duces regni diabolici, Antichristus, eiusq; præcursor pseudopropheta, qui iubebit adorari priorem bestiam, omnesq; eius characterе, vel numero nominis (qui erit 666.) palàm cõsignari.

℣.1. VIDI DE MARI cum validis classibus (inquit Iosephus à Costa) ASCENDENTEM BESTIAM, nempe Antichristum, vt Tertull. Hippolyt. Irenæus, Ephrem, Prudentius, Gregor. & interpretes ferè omnes à Ribera citati exponunt, etiam hæretici. HABENTEM CAPITA SEPTEM, id est, septem sibi famulantes reges & regna, vt suprà (d) dixi. Quorum vni præcipuo capiti, putà ipsimet Antichristo, sunt CORNVA DECEM diadematibus regijs insignita, quibus decem reges & regna designantur, vt antè (e) exposui. SVPER CAPITA EIVS sunt NOMINA BLASPHEMIÆ, quia omnes

Ioseph. à Costa l.2. de Tempor. nouiss. c.9.
Tertull. l. de Resurr. c.25.
Iren. lib.5. c.18.
d *Apoc.* 12. v.3.
e *Ibid.*

A isti reges hoc vnum agent, vt Deus blasphemetur, & Christus exstirpetur.

℣.2. BESTIA quoad corpus SIMILIS ERAT PARDO. Antichristus enim instar pardi, maculatus erit omnibus sceleribus, versatilis in omnes fraudes & dolos: & velocissimo cursu, quasi fulmen, peruadet & subiget orbem. PEDES EIVS SICVT VRSI, fortissimi, & ad conculcandum aptissimi. Os, rictus & rugitus, SICVT LEONIS, superbi, terrifici, inuicti, omnia discerpentis ac dilaniantis. En quatuor bestias Danielis, quatuor Gentilium monarchias, in vnam hanc bestiam Antichristum confluentes, eique tanquam supremo capiti suo sua omnia tribuentes. Sed ET ipsemet DRACO, seu B Lucifer, DEDIT ILLI omnẽ POTESTATEM SVAM MAGNAM; Græcè additur, *& thronum suum*, id est, maiestatem & dignitatem à se proximam, vt sit Luciferi vicarius in terris, & rex super omnes filios superbiæ. Quidquid igitur potest Lucifer, iam (f) solutus à Deo, & suæ libertati relictus, potest & Antichristus. Vnde mox

f *Apoc.* 20. v.3.

℣.3. VIDI VNVM DE CAPITIBVS bestiæ QVASI OCCISVM, seu vulneratum, ad MORTEM, sed vulnere saltem ope dæmonis curabili: vnde & per Antichristum PLAGA subitò CVRATA EST. Aretas, Suarez & plures alij volunt, læsum hoc caput esse vnũ de regibus Antichristo familiaribus. Sed C malo cum Beda, Primasio, Richardo, Ansberto & à Lapide, ipsummet Antichristum intelligere, primarium septicipitis bestiæ caput: nam v.12. adoratur *bestia cuius curata est plaga*: atqui non sinet Antichristus quemquam regum præter se vnum adorari. Finget ergo Antichristus teneri se plaga lethali & incurabili, ex eaque se mortuum simulabit, sed tertia die omnibus inopinatò se rediuiuum sistet, vt Christi resurrectionem imitetur. Quo miraculo exciti vndique mortales

Suarez tr. de Antichristo.

℣.4. ADORAVERVNT DRACONEM Luciferum, quasi numen in Antichristo inclusum, auctorem primarium noui miraculi, vtpote QVI BESTIÆ POTESTATEM DEDIT, seipsam à morte resuscitandi. Iunctim tamen ADORAVERVNT etiam ipD sam BESTIAM, ipsummet Antichristum, (g) DICENTES, QVIS SIMILIS BESTIÆ? bestiam vocat Ioannes, sed Antichristiani vocabunt eum, *Messiam & Christum* suum, inquit Beda.

g 2. *Thess.* 2. v.4.

℣.5. LOQVENS MAGNA, (h) superba, arrogantia, fastuosa: iactabit enim, se filium esse Dei, ac proinde Deum. ET DATA EST EI POTESTAS FACERE quidquid libuerit, MENSES QVADRAGINTA DVOS, id est, tres annos cum dimidio. (i)

h *Psal.* 11. v.4. & 5. *Psalm.* 37. v.17.

i *Apoc.* 11. v.2. & 3.

℣.6. BLASPHEMARE NOMEN Dei (& Iesu Christi, cuius iuratus erit hostis,) ET TABERNACVLVM EIVS, id est, Ecclesiam, ET Sanctos QVI IN CÆLO HABITANT] Hinc videant Nouatores, cuius spiritu agantur quando templa & Sanctorum cultum oppugnant. E

℣.7. VINCERE, id est, bello subiugare, capere, occidere SANCTOS: & OMNEM TRIBVM, POPVLVM, LINGVAM ET GENTEM sibi subijcere: fiet enim sensim monarcha totius orbis, inquit Acosta.

Acosta sup.

℣.8. ADORAVERVNT EAM OMNES QVORVM NOMINA NON SVNT SCRIPTA AB ORIGINE MVNDI IN LIBRO VITÆ AGNI QVI OCCISVS EST] Id est, quotquot non sunt veri & probi Christiani, & vt tales præuisi & prædestinati ad vitam æternam. Ita construendum hunc versum patet ex c.17. v.8. & ita legunt S. Ambrosius, Beda, Andreas, Aretas, Ticonius, Ribera & Alcazar.

℣.9. SI QVIS HABET AVREM & appetitum noua miraque audiendi, AVDIAT quæ iam dicam de sortium breui futura commutatione. Nam Antichristus & quisquis illi adhærescens,

℣.10. QVI iam tot Sanctos IN CAPTIVITATEM *duxit*, ipsemet IN CAPTIVITATEM VADET, à Christo, & iussu Christi à diabolo vinctus & in tartarum relegatus: sed antea GLADIO occisus, id est, violenta morte è viuis abreptus. HIC, id est, in hac tam crudeli persecutione, probabitur quasi ad Lydium lapidem PATIENTIA, FIDES & constantia SANCTORVM.

℣.11. VIDI ALIAM BESTIAM DE TERRA cum innumeris equitũ & peditum copijs ASCENDENTEM ad obsequium & nutum prioris bestiæ. Per hanc terrestrem belluam Tertull. Irenæus, Ambrosius, Andreas, Ribera, Viegas & à Lapide intelligunt insignem impostorem illum, qui quasi præcursor, propheta & præco Antichristi, & quasi alter Ioannes Baptista, Antichristum vbique deprædicabit, & signis mirandis eius nomine editis, famam eius toto orbe dispergет. Irenæus vocat *hyperaspistem* & *armigerum* Antichristi. Volet enim Antichristus speciem aliquam affectare mysterij SS. Trinitatis. Draconi enim seu Lucifero deferet tanquam patri suo: impostor verò iste, quasi Spiritus sanctus, Antichristum vt Dei filium, & Messiam ac mundi redemptorem clarificabit. Sic Iosephus Acosta.

Tertull. & Iren. sup.

Acosta l. 2. de Tempor. nouiss. c. 17.

HABEBAT CORNVA DVO SIMILIA AGNI] scilicet affectatam vitæ sanctimoniam, & fictam patrãdorum miraculorum potestatem, quibus quasi agninis cornibus plurimos ad Antichristum trahet. Ex his duobus cornibus, quæ bicornis mitræ Episcoporum insigne sunt, colligit idem Iosephus Acosta, hunc impostorem fore Episcopum quempiam apostatam, fidei simulatorem, religionis proditorem, qui perfidia sua & hypocrisi sectam Antichristi mirificè propagabit, vt olim Arrij hæresin Vrsacius, Valens, Eusebius, & tot alij Episcopi summa contentione propagarunt.

ET LOQVEBATVR SICVT DRACO] Id est, doctrina eius erit serpentina, id est, callida, fraudulenta, venenata, diabolica. Quin & diabolus ipse per os huius impostoris loquetur, vt olim locutus est (*a*) per os serpentis.

a *Gen. 3. v. 1.*

℣.12. OMNEM POTESTATEM PRIORIS BESTIÆ, seu Antichristi, FACIEBAT hæc posterior bestia, tam multa, tam mira patrans quàm ille, idque IN CONSPECTV EIVS, ipso quasi mandante, iuuante, probãte. Hîc præter resuscitationem bestiæ quasi à mortuis, duo tantùm recẽsentur miraculorum per Antichristianos patrãdorum genera. Primum instar Eliæ (*b*) pseudopheta Antichristi.

b 4 *Reg. 1. v. 10.*

℣.13. IGNEM facict DE CÆLO DESCENDERE, & deuorare refractarios. Secundum:

℣.13. IMAGINI BESTIÆ, id est, statuæ Antichristi (quam vt quisque sibi comparet ex auro, argento, alióve ære vel ligno, vbique suadebit) *dabit* SPIRITVM, nempe dæmonem familiarem illi immittet, qui per statuam, ac si animata esset, loquatur, vt olim loquebatur Apollo Delphicus, inquit Richardus, Aretas, Rupertus. Sed ex S. Paulo colligimus longè plura ab ipsis signa edenda non verè sed fictè. *secundùm operationem satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus; & in omni seductione.* Vndè Sibylla quatuor alia addit, nempe quòd sistet Antichristus mare, quòd sistet solem & lunam, quòd montes transferet, quòd plures

2. *Thess. 2. v. 9.*

Sibylla l. 3. Oracul.

A mortuos suscitabit. Multò plura recensent S. Methodius, Hippolytus & Ephrem suprà citati. Signorum horum fallacias detegent Henoch, Elias & alij Sancti, depulsis præstigijs & fucis ab hominum oculis & mentibus, & detectis impostorum fraudibus, quibus quæ physica, seu naturali, saltem dæmonum vi, facta fuerant, ipsi vi supernaturali ac diuina perfeciſſe videri volebant.

℣.16. FACIET OMNES clientes suos HABERE CHARACTEREM, seu signum Antichristi, IN DEXTERA MANV SVA, AVT IN FRONTIBVS SVIS, sicut Christiani gerunt signum crucis, inquit S. Ambros. Absque quo signo, nulli licebit aliquid EMERE AVT VENDERE] quod idem est atque, igni B & aqua interdicere, & ab omni hominum commercio & contubernio, quasi detestabiles & execrabiles arcere.

Petes, Quis hic character Antichristi? *Imago*, inquit Viegas, Antichristi à morte resurgentis. Ribera *formam* mauult *draconis*, vt aquilam gestat Imperator Romanus. Sed malo cum Primasio & Ansberto (qui asserit, hoc sibi à Deo esse reuelatum) characterem hunc fore tres initiales litteras nominis Χριστῦ, quod sibi vindicabit Antichristus, hoc modo in vnum contractas:

vbi duæ lineæ transuersæ X faciunt *chi* Græcum, respondens Latino *ch*: littera P est ρ Græcum, respondens R Latino. C Tertia linea — vel I erecta, quæ media est inter duas transuersas, est iota Græcum & I Latinum. Simul faciunt ΧΡΙ, seu Chri. Quod initium, compendium & summarium est nominis Christi, quem se finget Antichristus. Sic solent reges nomen suum breuitatis causa, paucis characteribus exprimere. Et hanc eandem notam, seu characterem Christi, Constantinus Imperator in labaro castris suis præferebat contra Maxentium & alios hostes, teste Prudentio. Quid ni & Antichristus qui ab omnibus volet haberi, nominari, coli vt *Christus?*

Prud. l. 2. contra Symmachum.

℣.17. NVMERVS NOMINIS EIVS iuxta communem hominum per litteras computum, facit 666. SEXCENTOS SEXAGINTA SEX] HIC in hoc numero indagando, in his litteris combinandis,

℣.18. SAPIENTIA & solertia opus EST, vt hoc signo bestiam agnoscere, ciusq; præstigias cuitare possimus. NVMERVS ENIM non alicuius belluæ, sed veri HOMINIS EST, & quidem vnius, nõ multorũ. Item *hominis est*, id est, hominibus in vsu, facilè reperibilis & obseruabilis, vtpote consuetus ipsis & familiaris in communi calculorum per litteras subductione. Proprium enim nomen non officij, sed personæ Antichristi, eas litteras continebit, quæ arithmeticè subductæ reddent præcisè numerum 666. vt SS. Patres & Interpretes omnes affirmant. In Græco tres hæ litteræ χ ξ ς. *chi, xi, sigma-tau*, reddunt hunc numerum: sed quod nomen inde conflabimus? Rupertus & Haymo obtrudunt nomen γενοφόνος, id est, gentium seductor, qualis fuit Antichristi prodromus *Gensericus* Wandalorum rex, qui Romã deuastauit sub Leone I. Pontifice: S. Irenæus affert nomen Λατεῖνος: Anselmus & Richardus, ἄνημος, id est, contrarius honori: alij τειτᾶνος, id est, gigantis: Aretas νικητὴς, id est, victor, & insuper alia sex similia nomina: Viegas affert quindecim: & possent innumera afferri. Nam & *Martin Lauter* saxonicè; *Ioannes Caluinus* hebraicè; *Dauid Chitræus*, & *Beza antitheos*

theos græcè eumdem numerum reddunt, inquit Lindanus & Bellarminus. Ex qua nominum diuersitate, numerum eumdem reddentium, facilè prudens lector intelligit, temerarium fore, vnum aliquod certum nomen Antichristo affingere quod reipsa vsurpaturus sit: maximè cùm Spiritus sanctus studio id subticeat, nec vlli id reuelarit. Nobis sufficere debet, quòd, cùm natus & nominatus fuerit, omnes ex hoc litterarum nominis eius numero, & ex alijs signis hîc, (*a*) & à Daniele (*b*) & à Paulo (*c*) allatis, facilè & certò colligere poterunt ipsum esse Antichristum. Solùm hic addo, etiam Sibyllam per similes numeros multa multorum Imperatorum Romanorum nomina diu ante illorum ortum descripsisse: atque inter alia etiam de Christo prædixisse, nomen eius redditurum numerum 888. id est, octingentos octoginta octo. Nominis enim Ἰησοῦς prima littera, iota denotat 10; secunda, ηττα 8; tertia, sigma 200; quarta, omicron, 70; quinta, ypsilon, 400; vltima, sigma, 200. Quæ simul iuncta faciunt 888. Et verò accommodatissimè: nam *octonarius* symbolum est perfectionis, consummationis & felicitatis, ter, id est, multipliciter, geminatæ, quam præstat nobis Iesus. Cùm è contrario senarius Antichristi symbolum sit imperfectionis, defectus & miseriæ. Cogentur autem numerum hunc vel nomen Antichristi, vel characterem, seu compẽdium nominis eius, circumgestare in fronte vel manu dextra, idque vel ferro candente inustum, vel cultello incisum, vel penicillo adpictum, vel instar medallij adpensum, vel instar chirographi affixum. Sic signari solent pecudes & iumenta; & olim etiam militibus stigma manui vel inurebatur vel incidebatur, teste S. Gregor. Vegetio & Lipsio.

Lindan in Dubitantio, dialogo 3. Bellar. l. 3. de Pontif. c. 10.

a *Hoc & prac. cap.* b *Dan. 7. & 11.* c *2. Thess. 2. Sibylla l. 5. & 5 Oracul.*

Greg. epist. 100. ad Mauricium 2 & 103. ad Theodorum medicum. Veget. l. 1. c. 8. & l. 2. c. 5 Lips. l. 1. de Militia Rom. dialogo 9.

CAPVT XIV.

In tam acri persecutione, vt fidelibus animi addantur, recenset 144. millia, qui tunc Antichristo generosè resistent, si nõ lingua, certè vita innexia, casta & inculpata. Transit dein ad 7 tres angelorum voces; quorum primus nuntiat diem instare iudicij & monet homines vt timeant & colant Deum. Secundus edidit casum & ruinam Babylonis. Tertius minatur Antichristi asseclis gehennam. Voce cælesti pronuntiantur beati qui in Domino moriuntur. Denique falx Christi demetit electos, & vindemiat impios, mittitq; in lacum iræ diuinæ.

℣. 1. ECCE AGNVS, seu Christus specie Agni, è cælesti Sione in terrenam Sionem, id est, Ecclesiam, emissus, STABAT cum multis suis similibus ἀγνοῖς, id est, castis, SVPRA MONTEM SION: tropologicè in summo virtutum vertice: anagogicè in cælesti palatio. S. Ioannes enim Sionem (*d*) templum, altare, thymiama, &c. passim hîc accipit in sensu anagogico, qui cælestem patriam designat. HI CENTVM QVADRAGINTA QVATVOR MILLIA non sunt ijdem (vt putat S. Hier. & Alcazar) cum illis totidem signatis c. 7. v. 4. Nam hi *virgines* omnes sunt, & tam ex Gentilibus, quàm ex Iudæis collecti: illi omnes sunt Iudæi, & ex omni statu, etiam coniugali. ita Aretas, Ribera, à Lapide & Viegas, qui censet numerum definitum & paruum poni hîc pro indefinito longè maiori: in quo tamen nolim cum ipso comprehendere paruulos aut infantes, quia in talibus virginitas non est virtus, sed conditio ætatis: neque isti pro virginitate tutanda stabunt aut certabunt contra Antichristum, vt de adultis hîc dicitur tam feminis, quàm

d *Psal. 83. v. 8.*

Hieron. l. 1. cont. Iouinianum.

A masculis. HI NOMEN Agni, ET NOMEN PATRIS EIVS cælestis SCRIPTVM HABENT IN FRONTIBVS SVIS (*e*) quo charactere, opposito charactero (*f*) Antichristi, palam orbi testatum facient, se seruos, imò sponsas esse Christi, id est, se non tantùm fidem & religionem tueri decreuisse, sed & virginitatem illibatam Deo & Christo æternùm consecrasse, seu in Religioso statu, seu extra illum.

e *Apoc. 7. v. 3.* f *Apoc. 13. v. 16.*

℣. 2. ET AVDIVI omnium vnam eamdemque VOCEM ac iubilum, & *canticum nouum*, quo laudes Deo tribuebant ob tam rarum castitatis donum & lauream sibi præ alijs concessa. Sed in sono *vocis* erat aliqua diuersitas: quidã enim qui multis prolixisque persecutionibus castitatem exercitam afferebant, VOCEM edebant TAMQVAM AQVARVM MVLTARVM è rupibus in saxa decidentium, vel in organis hydraulicis strepitum cientium, id est, sonoram & pulchrè varicgatam. Alij qui breuibus, sed grauibus tormentis, & generosa professione perfuncti erant, VOCEM dabant TAMQVAM TONITRVI MAGNI, id est, sonoram simul & terribilem impijs. (*g*) Alij denique quibus minor quidem lucta fuit, sed non minor cautela, sonum edebant: SICVT CITHAROEDORVM] nempe millenarum virtutum tuendæ castitati adhibitarum consonantiam modulatissimam ac suauissimam, qua Dei, angelorum & Sanctorum reliquorum, delicatissimas aures perpetuò demulcent.

g *Actor. 24. v. 25.*

℣. 3. ET NEMO alius POTERAT DICERE; Græcè, *discere*, istud CANTICVM. Quasi innuat, alios Sanctos auidos esse huius cantici, æquè ac laureæ virginitatis: sed ad id pertingere non posse; cùm virginitas semel amissa reparari nequeat. HI EMPTI SVNT DE TERRA] id est, pretio sanguinis Christi adepti sunt hanc perfectam corporis & animi puritatem, vt terrâ altiores cælestem agant vitam: ideoque

℣. 4. DEO ET AGNO sunt PRIMITIÆ, id est, selectissimi, optatissimi & gratissimi fructus vel oblationes, quales in veteri lege erant primitiæ hominum & frugum. Hi tamquam indiuidui comites *Agni*, & ab eo summè, instar intimorũ amicorum, (imò instar sponsarum) dilecti SEQVVNTVR cum QVOCVMQVE IERIT, nec ab eius latere vnquam diuelluntur. (*h*) Christus enim virginibus, sponsis suis, perpetuò sociatur & oblectatur, inquit Tertull. Augustin. & Bernardus.

h *Psal. 44. v. 13 &c. Tertull. l. 1. ad Vxorem. Augustin. l. de S Virginitate c. 27. Bern. ad sororem, de Modo bene viuendi, serm. 12.*

℣. 5. IN ORE EORVM, cùm tribunalibus & equuleis sisterentur, NON EST INVENTVM MENDACIVM idololatriæ, vel hæreseos, ad quę tempore Antichristi maximè vrgebuntur: sed SINE MACVLA SVNT vllius sceleris, vt virgineam, ita & angelicam vitam agentes, omnis grauioris maculæ vel sordis expertem. Habes his quinque versiculis dena virginum nobilissima encomia, seu prærogatiuas, in textu recensitas.

℣. 6. VIDI ALTERVM ANGELVM HABENTEM EVANGELIVM non amplius temporale, sed ÆTERNVM] nempe lætum fidelibus nuntium de extremo iudicio instante, & gloria Beatorum æternum subsecutura. Symbolicè per hos tres angelos intelligunt Ticonius, Beda, Rupertus, Ansbertus, Anselmus, Gagneius, Ribera, à Lapide & alij, triplicis generis concionatores, per quos angeli toto orbe proclamabunt quæ hîc recensentur. Vnde Autcolus hæc applicat S. Bonifacio Frisonum Apostolo: Vincent. Iustinianus Vincentio Ferrerio, alijs aliis.

Vinc. Iustinian. in vita Vincentij Fererij l. 1. c. 19.

℣. 8. CECIDIT, CECIDIT, id est, planè concidit,

cidit, BABYLON, iam quidem (a) decreto diuino, sed mox etiam reipsa, vt narrabitur fusè c. 17. & 18.

a *Prolog. de Idiotismis Hebr. n. 58.*

℣. 10. VINVM IRÆ DEI calidum & mordax, MISTVM non aqua, sed alio potentiori MERO; (b) vt magis & citiùs accendat, est diuina vindicta nullis vndis clementiæ, consolationis aut refrigerij mitigata, sed varijs & meris tormentorum dolorumque incrementis adaucta.

b *Psal. 74. v. 9. & Isaiæ 19. v. 14. & Isaiæ 5. v. 22.*

℣. 11. FVMVS, (c) metonymicè ponitur pro igne, qui est causa fumi. Nam in inferno verisimiliùs non est fumus, aut ignis fumans, cùm nihil ibi sit corruptibile vel in elemẽta resolubile, sed solidus semperque sibi constans sulphureus ignis.

c *Isaiæ 34. v. 10.*

℣. 12. HIC, seu inter hæc impiorum agmina, B tẽtationes & persecutiones, elucebit PATIENTIA SANCTORVM, QVI ad martyrium & mortem vsque constanter CVSTODIVNT FIDEM IESV ET omnia MANDATA DEI.

℣. 13. BEATI non viuentes, (quia millenis adhuc expositi miseriarum periculis, vt Solon aiebat Crœso,) sed MORTVI, non qualescumque, sed QVI IN DOMINO, id est, in fide, charitate, gratia, amicitia Dei, atque ita quasi filij in sinu patris MORIVNTVR, non solo martyrio (vt vult S. Ambrosius, Ansbertus, Haymo & Alcazar) sed etiam quocumque alio mortis genere, vt Beda, Primasius, Richardus & alij exponunt. VT AMODO, id est, ex nunc, IAM, non exspectando diem extremi iudicij, vel generalis resurrectionis, REQVIESCANT A LABORIBVS SVIS, nempe quos in hac vita exantlarunt mortificando proprias passiones, obseruando diuina præcepta, & persecutiones tolerando. Ita S. Augustinus, Gregorius de Valentia & passim interpretes. Vnde nihil hic locus officit pœnis Purgatorij: si quæ quibusdam subeundæ sunt post mortem, hæ enim non sunt labores huius vitæ, de quibus solis loquitur hîc SPIRITVS, id est, angelus, vt Pannonius explicat: vel Spiritus sanctus, vt alij. OPERA ENIM ILLORVM bona & heroica, vt merito præcedunt, ita præmio, seu mercede, SEQVVNTVR ILLOS quasi proximi & indiuidui amici. Nempe quando nos deserent amici, opes, honores, deliciæ, sola nos opera & operum merita sequentur, vt in diuinæ iustitiæ tribunali nobis auxilio & patrocinio sint, vt pulchris similitudinibus declarauit aliquando Barlaam Iosaphat regi apud Ioannem Damascenum.

Plut. in vita Solonis.

Aug. l. 20. Ciuit. c. 9. Valentia 3. p. tract. de Locis animar. disp. 11. q. 1 puncto 1.

Damasc. in Historia Barlaam & Iosaphat c. 13.

℣. 15. DE TEMPLO, id est, ex penetrali cælestis palatij, EXIVIT ANGELVS CLAMANS AD iudicem Christum SEDENTEM SVPER NVBEM CANDIDAM & splendentem: MITTE FALCEM TVAM (d) & DEMETE homines, bestias & omne viuens in terra: hoc extremè desiderant animæ Martyrum, (e) omniumque Sanctorum, qui me hac de causa ad te legatum miserunt, *quia* iam ARVIT, id est, plenè matura est MESSIS, (f) id est, quia completus est numerus electorum, æquè accursus mundo præstitutus à Deo. Ita S. Gregor. Beda, Ansbertus, Haymo, Pannonius, Viegas, Ribera & à Lapide. Dum verò Christus demetit pios & sanctos.

d *Ioel 3. v. 12. & 13.*

e *Apoc. 6. v. 10.*

f *Matt. 13. v. 39.*

Gregor. l. 33. Moral. c. 10.

℣. 18. ALIVS ANGELVS eorumdem Martyrum legatus, DE ALTARI thymiamatis, vbi Martyres degunt, (g) EXIVIT, *habens* POTESTATEM SVPRA IGNEM conflagrationis mundi, inquit Andr. Cæsariensis: vel supra ignem gehennæ, vt vult Aretas & Beda: ET CLAMAVIT AD alium angelum QVI HABEBAT FALCEM ACVTAM, non messoriam, sed vindemiatoriam, seu putatoriam; id est, commissionem præcidendi BOTROS VINEÆ non cælestis, sed terrestris, id est, impios & reprobos. Passim enim *vindemiatio* in Scripturis (h) pro punitione capitur: vnde mox demessos, seu præcisos *botros*.

g *Apoc. 6. v. 9.*

h *Ioel 3. v. 13. Psal. 79. v. 13. Thren. 1. v. 12. & 22. Isaiæ 16. v. 9.*

℣. 19. MISIT angelus IN LACVM IRÆ DEI MAGNVM] id est, in internum calcandos ibidem æternum à dæmonibus iustitiæ diuinæ lictoribus,

℣. 20. EXTRA CIVITATEM, id est, extra cœlum & Ecclesiam, seu cœtum Sanctorum. Porrò tanta erit impiorum & reproborum horum strages, vt, si locus quem ipsi in inferno obtinebunt, torcular esset quo sanguis iugulatorum exciperetur, sanguis ille decurreret per MILLE SEXCENTA STADIA Græca, id est, per leucas horarias sexaginta quatuor, (i) ad altitudinem vsque *freni* EQVORVM, si quis Sanctorum vellet illac equo discurrere. Ita Andreas, Ambrosius, Beda & alij. Simili catachresi describitur sæpiùs in Scripturis (k) ingens vltio & plena de cæsis victoria. Ex hoc verò loco probabiliter colligunt Ribera, & à Lapide & quidam alij, capacitatem inferni (hic enim est lacus ille quo sanguis & cadauera damnatorum excipientur) in longum, latum & altum, esse leucarum horariarum 64. Sed Lessius longè minus spatium concedit, probans, etsi vna tantùm esset leuca, capere tamen posse plusquam octingenta C millia millionum corporum, consignato singulis corporibus spatio sex pedum quadratorum. Sed verisimile est, multò plures fore damnatorum milliones, maximè si (quod cum Cornelio à Lapide & quibusdam aliis etiam ipse opinatur) dæmones quoque omnes corporibus istic ignitis circumdentur.

i *Prolog. de longitudinum mensuris.*

k *Num. 23. v. 24. Psal 57. v. 11. & Psal. 109. v. 7. Less. l. 13. de Perfect. Diuin. c. 24.*

CAPVT XV.

A breui digressione, qua capite præced. obiter perstrinxit præmia electorum, & pœnas reproborum, redit hoc capite ad prosequenda Antichristi tempora, producere incipiens ex vna parte septem angelos effundentes septem phialas iræ Dei ex altera, Sanctos iam victores Antichristi, super mare vitreum citharizantes, & latum canticum Moysis & Agni decantantes.

℣. 1. DE plagis septem nouissimis; id est, inter vltimas orbi obuenturis (nam has sequetur adhuc excidium Babylonis, & Antichristi, & Gog & Magog, &c.) fusè aget cap. sequ. Hic porrò versiculus est quasi propositio vel summa eorum quæ duobus his capitibus explicanda sunt.

℣. 2. MARE VITREVM; crystallinum, pellucidum est cœlum empyreum, vt suprà (l) exposui; MISTVM IGNE, id est, coruscum splendore diuinæ præsentiæ, & feruens ardore charitatis Sanctorum. Fit autem hic allusio ad *mare rubrum* fulminibus coruscum, quod duce Moyse Hebræi sicco pede transierunt cùm persequeretur eos Pharao, (m) Sicut enim illi tunc demersis Ægyptiis, alacres & grati cecinerunt carmen Eucharisticum, *Cantemus Domino*, (n) &c. Ita nunc Sancti, postquam feliciter transierunt mare huius sæculi, merso in eo Pharaone, id est, diabolo & Antichristo, in mari cælesti canunt idem lætum epinicion, seu triumphale CANTICVM MOYSI, sed in cœlo vocatur CANTICVM AGNI, quia Moyses erat figura seu typus Agni, id est, Christi: sicut eductio Hebræorum per mare rubrum, figura fuit eductionis

l *Apoc. 4. v. 6.*

m *Exodi 14.*

n *Exodi 15.*

fidelium

fidelium ex huius vitæ miserijs per martyrium vel aliam mortem in cœlum.

℣.3. VIÆ, id est, opera & iudicia, TVÆ IVSTÆ SVNT ET VERÆ] id est, fidelia, dum cuique pro meritis condigna præmia vel pœnas decernis & infligis.

℣.4. SOLVS per excellentiam PIVS ES, viscera pietatis & misericordiæ tuæ exserens in nobis liberandis, & per mare tam procellosum in salutis portum deducendis. Meritò OMNES GENTES ad te adorandum colendumque ex omnibus terræ partibus ADVENIENT, QVONIAM IVDICIA TVA, quibus præmia iustis, & pœnas impijs infligis, toti orbi MANIFESTA & conspicua SVNT.

℣.5. APERTVM EST TEMPLVM TABERNACVLI TESTIMONII] id est, pars intima & sacratissima templi, nempe *Sanctum sanctorum*, in quo tanquam in proprio tabernaculo asseruabatur *testimonium* diuinum, id est, lex diuinâ, & tabulæ legis siue decalogi in arca. Porrò per *Sanctum sanctorum* significantur adyta & intimi recessus diuinæ prouidentiæ, vt auctoris, ita & vindicis diuinæ legis. vnde ex his penetralibus prodeunt *septem angeli* vltores futuri violatæ legis: quos Ribera censet eosdem esse cum illis qui c.1.v.4. vocantur *septem spiritus qui in conspectu throni sunt*: & quibus c.8.v.2. *data sunt septem tubæ*.

℣.6. VESTITI LINO MVNDO] symbolo candoris & puritatis partim naturæ angelicæ, partim iudiciorum diuinorum, quæ munda sunt ab omni passione seu fauoris, seu odij, & ab omni suspicione fraudis, iniustitiæ vel erroris.

PRÆCINCTI ZONIS AVREIS castitatis, iustitiæ & charitatis.

a *Apocal.* 4. v.7. ℣.7. VNVM, id est, primum, (a) DE QVATVOR ANIMALIBVS, nempe *leo*, diuinæ fortitudinis, iræ & vindictæ symbolum, DEDIT quasi supremus diuinæ iustitiæ præses, SEPTEM ANGELIS inferioribus, priusquam templo exirent, SEPTEM PHIALAS] id est, potestatem & commissionem inferendi impijs terribiles illas pœnas & supplicia quæ continentur septem *phialis* decretorum seu iudiciorum diuinorum, quasi custodijs diuinæ iustitiæ, sicut aromata & thymiamata in phialis, seu pateris, asseruari solent. Videtur alludi ad phialas quarum vsus erat in sacrificijs cruentis ad libamina victimis subministranda. (b) Nam & hîc paratur insignis victima diuinæ iustitiæ & vindictæ immolanda, mactatio nempe & strages impiorum, quæ Deo non minùs honorifica accidit, quàm grata, vt alibi (c) dixi. Hæ *phialæ* sunt *aureæ*, quia vltio Dei in hac vita procedit ex amore, vt corrigamur; non ex odio, vt pereamus.

b 3. *Reg.* 7. v.50.

c *Isaiæ* 34. v.6. & *Ezech.* 39. v. 17.

℣.8. ET TEMPLVM, vt olim sub Moyse (d) & Salomone, (e) IMPLETVM EST FVMO, (f) seu nebula fumosa, idque A MAIESTATE; Græcè, *gloriæ*, DEI, id est, ex præsentia ET VIRTVTE, seu potenti splendore diuinæ maiestatis, quæ *fumum*, id est, obscuritatem, nostris velut noctuarum oculis inducit, ne nobis ipsa innotescat, seu in se, seu in effectis, iudicijs, decretis suis. Stupebit enim orbis cùm sentiet tot tantasque plagas, nec tamen sciet, quorsum tendant, aut quid illis velit Deus. Vnde sequitur: ET NEMO POTERAT INTROIRE IN TEMPLVM, ad contemplanda diuina secreta & iudicia, eorumq; causas, modos, fines, DONEC CONSVMMARENTVR SEPTEM proximi capitis PLAGÆ, & illis consummatis, sequeretur iudicium vniuersale, in quo Deus omnia toti orbi manifesta-

d *Exodi* 40. v. 32. & *Numer.* 9. v.15.

e 3. *Reg.* 8. v.10.

f *Isaiæ* 6. v. 4. & *Ezech.* 10. v. 3.

A bit. Sic Dauid: (g) *Existimabam vt cognoscerem hoc, Labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum*, id est, donec ingrediar secretarium iudiciorum diuinorum: quod fiet quando finem & exitum impiorum videbo in die iudicij. ita S. Ambros. Primasius, Ansbertus, Richard. Ribera & à Lapide.

g *Psal.* 72. v.16.

CAPVT XVI.

Septem angeli septem phialas & plagas in orbem effundunt. Primus inducit vulnera pessima: Secundus mare, Tertius flumina & fontes vertit in sanguinem: Quartus æstu solis adurit homines & terram: Quintus tenebras inducit: Sextus Euphratem exsiccat, & cadit exercitus Antichristi: Septimus ciet fulgura, tonitrua, terræmotus & grandinem instar talenti.

℣.1. VOX MAGNA, seu valida, DE TEMPLO emissa, vox est omnipotentis & irati Dei, iubentis SEPTEM ANGELIS diuinæ suæ iustitiæ administris, VT SEPTEM nouas plagas inferant Antichristianis. Sunt enim hæ septem plagæ etsi ferè similes, tamen prorsus aliæ ab illis quæ cap. 8. & 9. continebantur in septimo sigillo. (h) Hæ enim non in sigillo, sed in ipso libro continentur. Vnde & hæ sequentur illas: nam plagæ sigilli pleræque præcedent monarchiam Antichristi: & minores sunt. Plagæ verò libri maiores sunt & comitantur Antichristum. Adumbratæ sunt autem omnes hæ plagæ plagis Ægyptiacis Exodi 7. & seq. & ex parte illis similes, sed magis vniuersales, vt in decursu videbimus.

h *Apocal.* 8. v.1.

℣.2. PRIMVS angelus EFFVDIT PHIALAM SVAM, id est, iram & vindictam diuinam, phiala quasi cõtentam & repræsentatam, id est, effecit vt VVLNVS; Græcè, ἕλκος, id est, vlcus, SÆVVM, id est, horrendè crucians, ET PESSIMVM] id est, maximè fœtidum, putidum & pudendum, suboriatur in Antichristianis, quo punientur tum alia illorum scelera, tum maximè pudendæ libidines quibus assueuerunt. Est hæc plaga similis sextæ plagæ Ægyptiacæ, *vlcerum vesicarum turgentium*, (i) & infami plagæ Philisthæorum. (k)

i *Exodi* 9. v.10.

k 1. *Reg.* 5. v.6. & 9. & *Psalm.* 77. v.66.

℣.3. SECVNDVS ANGELVS vertit aquam totius *maris* in *sanguinem* quasi MORTVI] seu mortuorum, id est, perinde ac si factæ essent in eo innumeræ hominum cædes: vnde & pisces omnes, qui non sanguine, sed aqua victitant, pariter emortui sunt. Hæc & tertij angeli plaga respondet primæ Ægyptiacæ, (l) & secundæ & tertiæ septimi sigilli, (m) vbi tertia pars maris & fluminum & fontium inficitur; hîc omnia maria, flumina & fontes. Probabile autem est, plagas has non nocituras fidelibus, sicut non nocebant Hebræis in Ægypto. Probabile etiam, sicut Ægyptiacæ non durarunt nisi octiduo, ne homines siti perirent, ita & has Antichristianorum plagas non diu duraturas, sed post aliquod tempus mare & flumina pristino colori & sapori restituenda. Probabile denique, in stagnis, lacubus & viuarijs (quorum nulla hîc mentio) pisces sine noxa superfuturos, inquit Lessius & à Lapide: qui etiam notat, plagas has omnes non simul, sed successiuè, & per interualla in impios immitti vt per eas ad pœnitentiam prouocentur.

l *Exodi* 7. v.19.

m *Apoc.* 8. v.8. & 10.

Less. lib. 13. *de Perfect. Div. c.* 18. *Orig. hom.* 14. *in Num. Aug. l.* 83. *qq. q.* 79. *S. Tho. 1. p. q.* 110. *ar.* 1. *Gabr. Vasq. ibid. tom.* 2. *disput.* 145. *num.* 6.

℣.5. ANGELVS AQVARVM, supple, præses, est qui elemento aquæ præfectus est à Deo, vt singulis elementis, alijsq; creaturis singulos præfecit Deus, inquit Origen. Augustin. S. Thomas, Andreas, Aretas, quin & Plato à Gabr. Vasquez citatus.

a *Apocal.6. v.9.*

℣.7. AVDIVI ALTERVM, supple, angelum, AB ALTARI, seu è loco Martyrum, (*a*) egredientem, & angelo aquarum præsidi succinentem, diuinaque iudicia commendantem.

℣. 8. QVARTVS ANGELVS effecit vt *sol* solito intensiùs & acriùs impios vreret ÆSTV ET IGNI] Id est, æstu instar ignis ardente; est enim

b *Proleg. de Idiotismis Hebr. n.41.* hendyadis. (*b*) Hæc plaga respondet quintæ plagæ Ægyptiacæ, quæ erat pestis: (*c*) & quartæ septimi sigilli, vbi sol contenebratur. (*d*) Et verò post magnos solis ardores, si contingat interiectis nubibus solem obscurari, magis intenditur æstus, & redditur intolerabilis. Sed debet eiusmodi æstu

c *Exodi 9. v.3.*

d *Apoc. 8. v.12.*

B puniri in impiis æstus libidinum & irarum & iniuriarum Sanctis illatarum.

℣. 10. QVINTVS effecit SEDEM regiam ET REGNVM BESTIÆ TENEBROSVM: id est, subditos omnes Antichristi inuoluit altissimis tenebris, tum propriè dictis, tum metaphoricis, nempe, morbis, miserijs, ærumnis, doloribus extremis, adeò vt PRÆ DOLORE *manducent*, id est, mordeant, LINGVAS SVAS] quasi vellent instar rabidorum illas discerpere & deuorare. Hæc respondet nonæ plagæ Ægyptiacæ, palpabilium tenebrarum, (*e*) & quintæ septimi sigilli, vbi locustæ tenebras inducunt. (*f*)

e *Exodi 10. v.21.*

f *Apocal.9. v.2.*

℣.12. SEXTVS ANGELVS EXSICCAVIT alueum EVPHRATIS, VT, sicut olim simili exsiccatione inC ductus est Cyrus & Darius in vrbem (*g*) Babylonis, ita nunc PRÆPARETVR REGIBVS AB ORTV SOLIS, id est, ex Oriente adcurrentibus, VIA ad Antichristum *Babylone*, id est, Ierosolymis, residentem, vt iunctis viribus & copijs vnà cum ipso aduersus Christianos vltimũ prælium, ducibus Gog & Magog, instruant. Nam tunc incipient Christiani ex antris & speluncis (vt olim Machabæi)

g *Dan. 5. v.30.*

h *2. Mach. 2.3. &c.* (*h*) prosorpere, & sat magno numero, sed maioribus animis in vnum confluere, & bellum aduersus Antichristum parare. Etsi ergo hæc Euphratis exsiccatio miraculosè fiat opera boni angeli, non fiet tamen, nec cedet in bonum Antichristianorum: quia hac via deducentur ad commune macellum de quo infrà. (*i*) ita ferè Ribera, à Lapide & alij. Hæc plaga respondet sextæ plagæ septimi sigilli, (*k*) vbi soluuntur cacodæmones Euphrati alligati: & vltimæ Ægypti plagæ, quando exsiccato maris rubri alueo submersi sunt omnes currus & equites, & exercitus Pharaonis. (*l*)

i *Apoc.19. sub finem.*

k *Apocal.9. v.15.*

l *Exodi 14. v.24.*

℣.13. DE ORE, id est, iussu, mandato & missu DRACONIS, Luciferi; ET BESTIÆ, Antichristi, ET eius PSEVDOPROPHETÆ, (*m*) VIDI prodire SPIRITVS TRES IMMVNDOS, id est, tres cacodæmones è primis, fœdos, inuerecundos, audaces, loquaces, contumaces IN MODVM RANARVM] Hi instar legatorum, litteris & muneribus instructi, sed & E ficta prodigia edentes, & stupenda

m *Apoc.13. v.11.*

℣.14. SIGNA FACIENTES, inuitabunt solicitabuntque REGES TOTIVS TERRÆ, vt collectis omnium regnorum suorum copijs, iuxta Babylonem *congregentur* IN generale PRÆLIVM, ad victoriam de Christianis referendam, vt ipsi promittent: sed reuera ad subeundam miserrimam cladem & extremum interitum *in die magno* iræ & vindictæ OMNIPOTENTIS DEI, vt infrà (*n*) videbimus.

n *Apoc.19. sub finem.*

℣.15. ECCE ad hanc cladem ipsis breuî, (& paulò pòst in die iudicij omnibus reliquis impijs) infligendam, VENIO clanculum, inexspectatò & ex improuiso, SICVT FVR. (*o*) BEATVS QVI aduersus

o *Apoc 3. v 3. & Matt. 24. v.43. & 1. Thess.5.v. 2. & 2. Petr. 3.v.10.*

A sic aduentantem VIGILAT, ET aduersus infernales fures CVSTODIT VESTIMENTA SVA] id est, gratiam sanctificantem & virtutes internas quibus quasi pulcherrimis vestibus anima conuestitur, alioqui nuda, fœda & abominabilis. Porrò reges illos omnes ad Antichristum conuolantes

℣.16. CONGREGABIT paulatim Deus IN LOCVM Ierosolymæ vicinum, QVI ab inexpectato rei euentu (vt Iudæis (*p*) familiare est nomina ab euentu locis imponere,) HEBRAICE VOCATVR ARMAGEDON] id est, *dolus congregationis exercitus*, vel *excidium excidij*, id est, plenum excidium *exercitus: orma* enim à radice *aram* significat *dolum* vel *æstutiam: chorma* vel *horma* à *cherem*, *anathema* vel *excidium: gad* seu *gadad* idem est atque *exercitum congregauit: gada* verò idem est quod *succidit* vel *excidit*. Dum huc confluunt paulatim reges, interim Babylon, id est, Roma, exciditur c.17. & 18. Quâ excisâ Christus cum suis in aciem prodit cap. 19. & omnes hos reges vno die debellat & sternit *in Armagedon*.

p *Num.11. v.3. & 1. Reg.7.v.12. & 2.Reg 5. v.20. &c.*

ערמה ערם חרמא חרם נר נרך נרע

℣. 17. SEPTIMVS ANGELVS excitat in aere FVLGVRA ET VOCES *tonantes*, ET TERRÆMOTVM, quantus NVNQVAM FVIT. FACTVM EST] id est, hic finis est septem harum phialarum & plagarum nouissimarum: ac proinde etiam finis instat mundi & excidium vniuersi. Hoc ingenti

D terræmotu

℣.19. CIVITAS MAGNA Ierosolyma, (vt suprà (*q*) dictum: hæc enim tempore Antichristi maxima & amplissima erit, vtpote regia potentissimi monarchæ totius orbis. ita Aretas, Viegas, Ribera & à Lapide) ita fissa EST IN TRES PARTES, vt ipsæ partes maneant seiunctæ & diuisæ: ET multæ aliæ CIVITATES variarum GENTIVM CECIDERVNT, & *insula omnes* loco motæ sunt, ET MONTES absorpti SVNT. Quo factum, vt magna pars hominum intereat; & qui superstites manserint, ingenti pauore concutiantur, inquit Suarez. Inter alias verò vrbes etiam illa altera BABYLON MAGNA, nempe vrbs Roma, vt patebit cap. seq. VENIT DEO IN MEMORIAM, vt etiam ipsi detur epotandus *calix* VINI INDIGNATIONIS IRÆ EIVS & commeritæ vindictæ. Hic calix dabitur illi cap. 18.

q *Apoc.11. v.8.*

Suarez 3.p. q.59. art 6. disput. 16. sect.4.

℣.21. De *grandine* instar *talenti*, vide quæ dixi Exodi 9.v.24. De magnitudine & pondere *talenti*, seu Attici seu Hebræi, vide Prolegom. de ponderibus. Respondet verò hæc septima plaga plagæ septimæ Ægyptiacæ, (*r*) grandinis: & plagæ septimæ septimi sigilli, quæ finem mundo denuntiat. (*s*)

r *Exodi 9. v.18. &c.*

s *Apoc.11. v.15.*

CAPVT XVII.

Quid sibi velit purpurata meretrix, cui nomen Babylon, insidens bestiæ habenti septem capita & decem cornua, S. Ioanni ab angelo explicatur.

℣.1. VNVS DE SEPTEM ANGELIS, QVI (vt cap. præced. vidimus) HABEBANT & effundebant SEPTEM PHIALAS. Ex his verbis patet excisam Babylon, (de qua mox,) eo tempore quo effundebantur illæ phialæ: & consequenter, nullam hîc esse hysterologiam, vt contendit Ribera: sed rectam ac concinnam rerum ac temporis seriem & ordinem. Porrò per *meretricem magnam*, cui mysticum nomen BABYLON, non aliam hîc intelligi posse quàm Romam, patet ex vers. 9. vbi dicitur sedere *super septem montes*:

quod

quod nulli alteri vrbi competit habenti imperium *super reges terræ*. Et eodem nomine vocat eam S. Petrus: & huius ruinam ait S.Paulus signum fore præsentis Antichristi. Et ita expresè docent Lactantius, Tertull. Hieron. Ambros. Augustin. & Augustini discipulus Paulus Orosius, Oecumen. Andr. Cæsariensis, Aretas, Victorinus, Sixtus Senensis, Lindanus, Bellarminus, Bozius, Suarez, Salmeron, Pererius, Pradus, à Lapide, Alcazar, & etiam hæretici nostri. Sed hac differentia, quòd hæretici per Babylonem intelligant Rom. Pontificem & Rom. Ecclesiam: Patres verò & Doctores Catholici Rom. vrbem infidelem rursus & Ethnicam, qualis fuit tempore S.Ioannis, & iterum erit in fine mundi, nempe quæ fundit sanguinem Martyrum, vt dicitur vers. 6. Fugabit enim tunc & exscindere conabitur Roma Ethnica Romanam Ecclesiam & Pontificem. De quo tempore sic S. Malachias S. Bernardo coæuus prophetauit, teste Arnoldo Wione: *In persecutione extrema S.R.E. sedebit* Pontifex *Petrus Romanus, qui pascet oues in multis tribulationibus: quibus transactis ciuitas* Roma *septicollis diruetur, & iudex tremendus* pòst paulò *iudicabit populum suum*. Quid verò mirum, subdendam aliquando Romam Ethnicis vel infidelibus, cùm toties sub Gothis, Wandalis, Alanis, Longobardis fortunam variarit? nónne Tyrus, Alexandria, Antiochia, Constantinopolis, & vrbium sanctissima Ierosolyma sub iugo Turcico iam pridem gemunt? Quid ni possit Gentilis aliquis princeps simili fortuna potiri Rom. Imperio & vrbe Roma?

1. *Petri* 5. v. 13. 2. *Thess.* 2. v. 7. *Lactantius l.* 7. *c.* 25. *Tertull. l. cont. Iudæos c.* 9. *& in Apologet. c.* 32. *& l. ad Scapulam c.* 2. *Hieron. in Isaiæ* 14. *& epist.* 151. *ad Algasiam q.* 11. *Aug. l.* 18. *de Ciuit. c.* 2. 22. 27. *Oros. l.* 2. *hist. c.* 4. *Sixt Sen. l.* 2. *Biblioth. Lindan. l.* 4. *Panoplia c.* 82. *Bell. l.* 2. *de Pont. c.* 2. *Tho. Boz. de Signis Eccl. l.* 24. *c.* 6. *Suarez* 3. *P. to.* 2. *q.* 59. *sup. sect.* 2. *Arnold. Wion in Chronicis Ordinis S. Benedicti l.* 2. *c.* 40.

Qvæ sedets vper aqvas mvltas] Id est, quæ præsidet & imperat *multis populis*, (*a*) instar aquæ paulatim dilabentibus & sibi inuicem succedentibus. Alludit ad situm veteris Babylonis Chaldaicæ, in confluxu *Tigris* & *Euphratis*, quasi dominæ & reginæ vtriusque.

a *Hic v.* 15.

℣. 2. Cvm qva spiritualiter fornicati svnt (idola eius colendo, vt ab ea in amasios admitterentur,) reges & principes reliquæ terræ, Romanis subditi vel confœderati. Passim enim in Scripturis idololatria vocatur *fornicatio*, quòd per eam anima relicto Deo sponso, desciscat ad idola quasi ad adulteros. Sic vinvm prostitvtionis sunt opes, honores, dignitates, voluptates à Romanis conferri solita in clientes.

℣. 3. Desertvm typus est vrbis Romæ breuî excidendæ & in desertum redigendæ. Mvlier sedens svper bestiam coccineam, opibus, luxu, fastu diffluentem, est Romana Babylon (*b*) innixa, inequitans & confœderata Antichristo, cuius septem capita et decem cornva suprà (*c*) descripsimus. ita Suarez, Alcazar & alij.

b *Hic v.* 3.

c *Apoc.* 13. v. 1.

℣. 4. Mvlier hæc more fastuosæ meretricis circvmdata erat inavrata avro, id est, torquibus, armillis, & syrmate aureo, sed duplici. Solent enim aurifices in opere magnifico aurum vulgare cooperire & inaurare alio præstantiore & fulgentiore auro. Pocvlvm in manv eius avrevm, maiestas & splendor est imperij, opum, deliciarum, & rerum omnium abundantia, quibus quasi philtris, abominatione et immvnditia plenis, pellicit amasios ad suam Idololatriam & alia scelera. Alludit ad philtra veneficarum, quæ, fiunt ex cineribus ranarum, bufonum, serpentum & similium rerum immundarum & abominandarum.

Suarez sup.

℣. 5. In fronte eivs, more publicæ meretricis A eis, nomen scriptvm, Babylon magna, quia instar Babylonis, receptaculum & confusio omnium vt nationum, ita & idolorũ & vitiorum, insuper & mater fornicationvm, id est, auctrix & propagatrix idololatriæ per reliquum orbem. Plures analogias *Romæ* & *Babylonis* vide apud S. Augustinum & Orosium, & 1. Petr. 5. v. 13. Sicut ergo in Scripturis sæpè figuratum induit nomen figuræ, (*d*) ita & hîc *Roma* nominatur, *Babylon*. Et hoc est mysterivm (seu *sacramentum*, vt infrà vocat,) cuius hîc per parenthesin Ioannes meminit, vt attentionem nostram captet, simulq; insinuet, nomen *Babylonis* non esse proprium, neque proprièdeChaldaica vrbe exponendum, sed figuratè & mysticè de *Roma* peruersa.

August. & Oros. sup.

d *Prolog. de Idiotismis Hebr. n.* 39.

Nota, publicis & famosis meretricibus (quales erant quæ in idoli alicuius honorem se prostituebant) nomen & elogium inscribi consueuisse non modò in foribus cellæ, seu lupanaris, sed etiam in ipsa earum fronte, vt testatur Seneca, & ex Martiali, Iuuenali & Tertulliano Durantius. Talis hîc inducitur *Roma* iam Ethnica, quasi publicè se iactans cultricem Iouis, Martis, Veneris, ceterorumque idolorum, & se errorem illorum ac vitia sectari palàm & quaquauersum propagare: Christum verò & Christianos sibi obsequi nolentes pessimè odisse, & ad necem deposcere.

Seneca controuersia c. Durant. l. 1. *Variar. c.* 2.

℣. 6. Ebria de sangvine sanctorvm] vt olim sub Nerone & sequentibus tyrannis, ita & sub Antichristo, cùm & Pontificem & quotquot illi adhærebunt, ad supplicia rapiet, (*e*) pro libito & ad satietatem sæuiens in Sanctos. Numquam tamen desinet esse, neque extinguetur vel Romana Ecclesia, vel Rom. Pontifex, etsi fortè aliò (vt olim *Auenionem*) demigraturus sit ad tempus, de quo fusè Bellarm. & Suarez.

e *Apoc.* 18. v. 20. *& vlt.*

Bellarm. & Suarez sup.

℣. 8. Bestia qvam vidisti, nempe Antichristus, fvit aliquot annis in orbe, sed non est amplius: nam vix *ascenderit* de abysso, vt alibi (*f*) dictum, & subiecerit sibi orbem vniuersum, cùm exactis annis tribus cum medio in interitvm ibit, toto orbe stupente de tam celeri occasu tam potentis monarchæ, qui vix monarhiam adeptus erat, et subitò non est, neque comparet ampliùs. Hac enim phrasi, *fuit & non est*, designari breuitatem durationis, benè notat Maldonatus.

f *Apoc.* 13. v. 1.

Maldon in manuscriptis.

℣. 9. Hic est sensvs *habens* sapientiam arcanam & reconditam. q.d. In hoc sapienti ænigmate bestiæ & mulieris latent multa & magna mysteria, ad quæ capienda opus est magno studio & attentione.

Septem bestiæ capita Primò, significant septem montes, svper qvos *Roma* sedet. Nam Romulus primo ambitu Vrbis complexus est duos colles, Capitolinum & Palatinum: Tullus Hostilius adiecit Cælium & Esquilinum: Ancus Martius Auentinum: Seruius Tullius Quirinalem & Viminalem. Et ab his septem collibus, quot erant tempore regũ, Roma passim (*g*) vocatur *septicollis*, vel *septimontiũ*, etsi post reges adiecti sint vrbi tres alij colles, Ianiculus, Vaticanus & Pincius, de quibus vide Barthol. Marlianum. Eadem *septem capita* significant Secundò, septem reges, vt suprà. (*h*)

Chronici c. 43.

g *Ouid. l.* 1. *Tristium. Virgil.* 2. *Georgicon. Horat. in carm. secul. Marlian. in Topographia Vrbis Romæ l.* 1. *c.* 4.

℣. 10. Qvinqve ex his capitibus cecidervnt, prodromi seu præcursores Antichristi: sextus est in viuis, & parat viam Antichristo ad monarchiã: septimus est ipse Antichristus, qui non-dvm venit, id est, necdum est monarcha: et cvm fuerit, non diu manebit, sed solùm ad breve tem-

h *Apoc.* 13. v. 1. & 12. v. 3.

pvs,

pvs, nempe trium cum medio annorum. Porrò A *bestia* facta iam monarcha.

℣.11. OCTAVA EST in ordine capitum, ET tamen DE SEPTEM EST] Vt enim duplicem personam subibit Antichristus, vnam regis particularis, alteram monarchæ totius orbis; ita etiam duplex est caput bestiæ, nempe septimum, quando est particularis rex, & octauum quando est monarcha.

a *Ibid.* ℣.12. DECEM bestiæ CORNVA, (*a*) DECEM REGES SVNT, QVI REGNVM NONDVM ACCEPERVNT, SED ACCIPIENT POST BESTIAM; Græcè, *cum bestia*, id est, eodem tempore dominabuntur in orbe, quo exsurget Antichristus vt particularis rex, cor- B riualis illorum & æmulus: sed non accipient nisi VNA HORA, id est, breuissimo tempore: nam mox tribus illorum ab Antichristo cæsis, & reliquis illi

b *Hic v.13. & Dan.7. v.17.* se dedentibus, (*b*) fient ex regibus vice-reges & serui, vt est communis Patrum traditio, & interpretum sententia;

℣.14. Hi iam subditi Antichristo, & castris eius associati, iunctis viribus PVGNABVNT CVM Agno & cum subditis Agni, id est, cum Christianis: sed Agnus cæso Antichristo omnium illorum

c *Apoc.16. v.14. & c. & c.19. sub finem.* domino, etiam ILLOS VINCET] (*c*) Sed antequam Antichristo subdantur, æmuli gloriæ & fortunæ ipsius, vt ægrè ipsi faciant, vireisque eius accidant, Romam ipsi fauentem & pro illo depugnan- C tem

℣.16. ODIENT, & consociatis armis aggredientur imparatam, ET DESOLATAM FACIENT ILLAM, (tanta rabie in Romanos sæuientes, vt videantur eorum CARNES (*d*) deuoraturi,) totamque

d *Iob 19. v. 22.* IGNI absument.

Psalm.26. ℣.2. ℣.17. DEVS ENIM iustâ suâ prouidentiâ DEDIT IN CORDA EORVM, permittendo illis sic in vnum conspirantibus vti odio suo in Romanos, VT hac via, tamquam lictores diuinæ iustitiæ, FACIANT QVOD PLACITVM EST ILLI, nempe puniant & exscindant Romam Deo tam rebellem: ac tum demum deuicti vicissim ipsi à *bestia* (forte in vltionem excisæ vrbis & rupti imperij Romani,) DENT bestiæ Imperium Romanum quod rapue- D rant & inter se partiti fuerant: insuper cedant eidem etiam SVVM singuli REGNVM, & illi se tributarios faciant: DONEC CONSVMMENTVR, seu perfectè compleantur, VERBA, id est, decreta, DEI per

Dan.7. & 11. me, per Danielem, per alios Prophetas orbi patefacta de excidio etiam ipsius Antichristi. Tunc enim etiam ipsi illi reges excidentur, & regna illorum cedent Christianis. Porrò subuertendam vrbem & Imperium Romanum ante monarchiam Antichristi, vel ex eo patet, quòd non nisi euerso vel rapto sibi illo Imperio, possit monarcha dici totius orbis. Non igitur per Antichristum, sed per decem reges necdum subditos Antichristo euer- E tetur Roma: Romanum verò Imperium deuictis demum his decem regibus, qui illud sibi vindicarant, Antichristus tam re quàm nomine extinguet, & monarchiæ Orientis adnectet, cuius metropolim & sedem monarchalem faciet Ierosolymam. ita ferè S. Hieron. in Dan.7. Ribera, Viegas hîc, & à Lapide in 2. Thessal.2.v.9. licet hic malit (ob alias rationes, sed quæ non conuincunt) Vrbem ab ipsomet Antichristo iam monarcha, sed per decem reges iam deuictos & sibi subiectos, euertendam.

CAPVT XVIII.

Excidium & incendium Romanæ Babylonis: indeq; luctus & planctus regum & mercatorum: inbilus verò & exultatio Sanctorum.

℣.1. TERRA tota ILLVMINATA EST A GLORIA] id est, claritate & splendore vultus angelici: erat enim è primis & illustrioribus curiæ cælestis principibus.

℣.2. CECIDIT, CECIDIT, (*e*) id est, planè con- e *Prolog. 2. Idiotismus Hebr. n.49.* cidit, superba BABYLON. Citat verba Isaiæ 21.v.9. Excidium enim Babylonis Chaldaicæ per Cyrum, quod Isaias (*f*) describit, allegoricè significat exci- f *Isaiæ 13. &* dium Romanæ Babylonis sub finem mundi. ET *21.* FACTA EST (antè per idololatriam, sed iam per excidium & desolationem) HABITATIO DÆMONIORVM, ET OMNIS SPIRITVS IMMVNDI, ET OMNIS VOLVCRIS IMMVNDÆ] Isaias (ad quem hîc *Isaiæ 13.v. 20. & c.34 v.14.* alluditur) specificat *dracones, struthiones, vlulas, pilosos, sirenes; onocentauros & lamias.* Quibus phrasibus non aliud significatur, quàm summa vastatio & desolatio Romanæ vrbis antè rerũ dominæ atque orbis reginæ. De qua sic (*g*) Sibylla: *Flectes cerui-* g *Lib. 8. Oraculũ Sibyllæ.* *cem prima, & terræ allideris, & ignis te totam absumet: & tunc eris deserta, ac si nunquam fuisses.* Et hæ tam diræ comminationes in vrbem & Imperium Romanum, quod tempore S. Ioannis æternùm Romæ adhæsurum putabatur, iuxta illud Iouis apud Virgilium: (*h*)

h *Virgil.1. Æneid.*

His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi;

causa Ioanni fuerunt non exprimendi proprium *vrbis* nomen, sed velandi illud nomine Babylonis, ne Domitianum alioqué Imperatores in Christianos plusculum concitaret & inflammaret.

℣.3. DE VINO IRÆ, id est, de calice vindictæ, supplicij & excidij, quod ob *fornicationem*, id est, idololatriam & alia scelera, Deus Rom. vrbi propinabit, cogetque haurire & ebibere; BIBERVNT etiam, propinante eodem Deo, reliquæ OMNES GENTES, vt in scelere, ita & in pœna similes Romanis. VIRTVTE, id est, copia, DELICIARVM extremè tum abundabit *Roma*, fidelium opibus sese instar meretricis, mercatricis & cauponæ, pro libito ingurgitans, suamque insaturabilem libidinem pro voto explens. Vnde si sapitis,

℣.4. EXITE DE ILLA, POPVLVS MEVS] vt olim per Isaiam, Ieremiam & Zachariam monui Iu- *Isaiæ 48.v.* dæos vt *Babylone* excederent, priusquàm vel pra- *20.* uis eius moribus inficerentur, vel plagis illi obuen- *Ierem.50. v.8. & c.51.* turis inuoluerentur. Et idem monuit Christus de *v.6.* Ierosolyma Matth.24.v.16. inquit Ribera, Viegas *Zach.2.v.7.* & à Lapide.

℣.5. PECCATA EIVS AD CÆLVM VSQVE PERVENERVNT] Græcè, ἠκολούθησαν, id est, alia ex alijs *secuta*, in eum cumulum excreuerunt, vt vsque ad thronum meum iudicialem pertingant, ibique vindictam inclament; quam proinde non possum diutiùs differre.

℣.6. REDDITE ILLI, ô reges, SICVT ET IPSA REDDIDIT VOBIS, (*i*) bello vos lacessendo, agros, *i Ierem.50. v.29. & c. 51.v.49.* ædes, thesauros vestros expilãdo, vrbes incendendo, subditos iugulando, &c. Eodem vindictæ ro- CVLO, QVO MISCVIT, infudit, propinauit alijs absynthium & venenum; MISCETE & propinate ILLI, sed DVPLVM eius quod alijs ipsa obtrusit.

℣.7. QVANTVM GLORIFICAVIT SE iniusto fastu, & diffluxit illicitis DELICIIS, TANTVM DATE

ILLI

ILLI TORMENTVM] non modò in hæc,sed & in futura vita: tantùm istic pœnarum illi admetiendo, quantum hic scelcribus suis commeruit, vt pulchrè explicat à Valentia.

Gregor. à Valent. 3.p. de Beator, & damnat. corporibus disp.11. q.5. punct.3. Isaie 47. v.8.

SEDEO REGINA. Hinc patet, Romam sub finem mundi, ad pristinum imperij splendorem, opes, vires & luxum redituram, vt sit, vt olim, orbis regina & domina mundi. ET VIDVA id est, populo viduata, NON SVM. Idem dicebat vetus Babylon apud Isaiam.

℣. 9. FLEBVNT SVPER eius casum, REGES & principes ipsi confœderati. Et etiam

℣. 11. NEGOTIATORES TERRÆ: QVONIAM MERCES EORVM NEMO tanta copia EMET AMPLIVS, quanta solet Roma. Similia regum, mercatorum & nautarum lamenta super excidio *Tyri* (quæ typus fuit vrbis Romanæ) habes apud Ezechielem.

Ezech.27. v.29.

℣. 12. De *byssо*, (a) *purpura*, *cocco*, (b) *lignothymo*, (c) &c. alibi egimus.

a *Exodi 25. v. 3.*
b *Ibid.*
c *3.Reg.10. v.11.*

℣. 13. Pro *mancipijs*. Græcè habes σώματα, id est, corpora. Sic enim vocabantur serui, quasi solo corpore constarent, libertate priuati, quæ est quasi anima seu vita hominis. E contrario liberi vocabantur ψυχαὶ, id est animæ, tum hîc, tum alibi sæpiùs.

℣. 14. POMA DESIDERII, id est, desiderabilia, (d) id est, fructus sapidissimi, odoratissimi, & pulcherrimi, v.g. poma aurea, citria, persica, malogranata, ficus, melones, oliuæ, aliaque quorum fertilis est Italia, DISCESSERVNT A TE, id est, perierunt tibi.

d *Dan. 9. v.23.*

℣. 17. VNA HORA, qua capta, spoliata & incensa est vrbs, DESTITVTÆ, id est, orbatæ suis possessoribus, inquit Ribera & Alcazar; Vatablus vt & Noster v.19. vertit, *desolatæ* SVNT; Græcè, destructæ & in nihilum redactæ, TANTÆ DIVITIÆ. ita Aretas & Primasius. Per LACVM accipe in plurali lacus omnes qui iuxta Vrbem sunt & pisces illi subministrant, quales multi sunt tota Italia.

℣. 20. EXVLTA SVPER EAM, seu super excidio eius, CÆLVM, id est, cælites omnes, ET nominatim SANCTI APOSTOLI ET PROPHETÆ, Petre, Paule, Ioannes, & tot Martyrum ibi olim cæsorum, & tunc rursus cædendorum millia: QVONIAM DEVS iustus iudex IVDICAVIT IVDICIVM VESTRVM DE ILLA, id est, pro vobis sententiam tulit, litem vobis adiudicauit. Ex quo loco colligi videtur, etiam priscorum Romanorum sub primis Ethnicis Imperatoribus martyricidia, punitum iri hoc Romanæ vrbis excidio, in posteris & nepotibus æmulis & imitatoribus scelerum, perfidiæ & crudelitatis priorum ciuium Romanorum, quales plurimi adhuc istic superarunt tum temporis. Et hoc insinuatur etiam v.5. *Recordatus est Dominus iniquitatum eius:* & c.16.v.19. *Babylon magna venit in memoriam ante Deum*; quasi vetera eius scelera, iam propter fidem Christi quam amplexa est, obliuioni data, rursus per accessum nouorum similiumque scelerum per nepotes patratorum, reuocentur in Dei memoriam. Sicut ergo Ierosolymitani, etsi non descendant ex Cain, quia tamen eius fratricidium imitati sunt, occidendo Christum eiusque Apostolos, audierunt & quidem iure merito, *Veniet super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ*: ita Romani posteriores, quia imitabuntur scelera priorum, luent etiam illorum peccata; grauiùs vtique puniendi, quàm puniti fuissent, si similia priscorum Romanorum peccata non præcessissent, vt aliàs (e) expositi. Quin & ex hoc capite etiam crescet illorum peccatum, quòd audacter & impudenter patrent ea, quæ sciunt in maioribus suis Deo extremè displicuisse.

Matth.23. v.35.

e *Genes 15. v. 16. & Exodi 20. v.5.*

℣. 22. Hoc IMPETV, hoc sonitu & fragore, quo lapis molaris ex alto cadit in mare, MITTETVR Romana BABYLON in abyssum, seu in infernum: ET VLTRA IAM NON INVENITVR, vtpote non ampliùs instauranda.

℣. 22. VOX MOLÆ, vel molentium. NON AVDIETVR IN TE AMPLIVS, vtpote inhabitata & inculta. His autem phrasibus solent Isaias, Ieremias & alij Prophetæ, vt & Poëtæ, designare extremam desolationem & vastitatem. Nunc causas attende:

Isai. c.13. v.21. &c. Ierem. 51. v. 6.37.45.48. 51. 58.63. &c.

℣. 23. QVIA MERCATORES TVI quæstubus & lucris sæpè iniustis euaserunt PRINCIPES TERRÆ, locupletes, fastuosi, superbi, tyranni. Prima ergo causa excidij Romanis erit auaritia, fastus & luxus. Secunda, IN VENEFICIIS TVIS ERRAVERVNT OMNES GENTES] id est, opum, honorum, aliorumque præmiorum illecebris & philtris alias nationes dementasti, & ad idololatriam, aliaque scelera tua pellexisti. Alludit ad sagas, quæ suis præstigiis & incantationibus fascinant, dementant & ad interitum rapiunt incautos. Sequitur tertia causa:

℣. 24. SANGVIS PROPHETARVM ET aliorum SANCTORVM Martyrum INVENTVS EST IN EA profusus, vt ET OMNIVM aliorum QVI IN reliqua TERRA, cui Romani dominantur, iussu illorum propter fidem & cultum Christi INTERFECTI SVNT per præsides & præfectos singulorum locorum per ipsos cò submissos.

CAPVT XIX.

Cælitum iubilus & gratulatio tum de excidio Romanæ Babylonis, tum de die nuptiarum Agni iam instante. Ioannes angelum hæc sibi nuntiantem adorare vult, sed ab eo prohibetur. Christus gladium ore vibrans, regali pompa cum exercitu cælitum albatorum, in aciem procedit contra Antichristum eiusq; phalanges. Angelus euocat aues ad opiparum conuiuium, in quo cæsorum regum carnes deuorent. Antichristus eiusq; pseudopropheta iussu Christi terrâ dehiscente, viui absorbentur: reliqui Antichristiani cum Gog & Magog ceteriſq; decem regibus, & innumeris eorum exercitibus internecione delentur.

℣. 1. ALLELVIA, id est, laudate Deum, lætâ & altâ voce iubilando. *Alleluia* (f) enim continet acclamationem cum læta exhortatione, inquit Ribera, Viegas, Alcazar & à Lapide. Quater autem idipsum hîc ingeminantes cælites, ingentem produnt deuotionis & exultationis affectum: vnde & Ecclesia in lætioribus festis idipsum vsurpat & ingeminat. Porrò quaterna hæc *Alleluia* commensurat & adaptat Alcazar vicenis *Alleluia*, quæ viginti Psalmis (g) quasi tituli præfiguntur. Sed quæ causa tanti iubili?

הללויה

f *Tobiæ 13. v.22.*

g *Psal. 104. 105. 106. 110. & octo seqq. 134. 135. 145. & quinque sequentibus.*

℣. 3. ET, id est, quia, FVMVS incensæ Babylonis, seu Romæ, ASCENDIT IN SÆCVLA SÆCVLORVM] id est, impiorum damnatio & supplicia æternùm durabunt.

℣. 4. AMEN, id est, fiat. q.d. Omninò laudate omnes Deum ob tanta beneficia cælitus Ecclesiæ collata: ingeminate quanto potestis iubilo, ALLELVIA.

℣. 6.

℣.6. QVÒNIAM excisâ iam iam Babylone Romanâ, & excidendâ etiam paulò pòst omnium scelerum regiâ Ieroſolymâ, REGNAVIT DOMINVS] id est, regnum nouum, pacatum, lætum, æternum init Deus & Ecclesia Dei: quod inchoabitur cæso Antichristo, & omnibus eius sequacibus, sed perfectè complebitur peracto iudicio extremo. Et hæc secunda est gaudij causa,

℣.7. QVIA VENERVNT NVPTIÆ AGNI, id est, Christi cum Ecclesia, in cœlo æternùm celebrandæ. Ad has nuptias tot iam sæculis se PARAT, sed iam tandem plenè præparata est *sponsa* Agni, mox futura VXOR EIVS, vndique ornata omni genere virtutum, omni nationum, statuum, ætatum varietate. Alludit enim non modò ad parabolam nuptiarum Christi, Matth. 22. v. 2. sed & ad psalm. 44. qui est epithalamium sponsi & sponsæ, Christi & Ecclesiæ, vtriusque formam, dotes, decus & ornatum graphicè depingens.

℣.8. BYSSINVM pallium, quo sponsa cooperitur, IVSTIFICATIONES, id est, opera iusta & pia, SVNT SANCTORVM] Byssus enim repræsentat puriſſimam & innocentiſſimam conuersationem filiorum Ecclesiæ, tribulatione & persecutione magis enitescentem ac resplendentem: perinde ac *byssus*, seu *linum* (byssus enim veteribus erat linum subtiliſſimum, teste Plinio,) maceratione, tunsione carminatione semper melius, purius, candidius & splendidius euadit. Candor etiam & splendor ipsius, symbolum est felicitatis, gaudij & triumphi.

Plin. lib. 18. cap. 1.

℣.9. DIXIT MIHI angelus, qui iussu Christi ostendebat mihi hanc Apocalypsin. (*a*) SCRIBE (ad robur addẽdum Christianis sub graui persecutione gementibus:) BEATI QVI AD COENAM NVPTIARVM (*b*) AGNI cum Ecclesia VOCATI & perducti SVNT in cœlum. Vocatur *cœna*, quia ad vesperam & finem vitæ nobis obtinget, peracto iam labore diurno. Alioquin etiam *prandium* à Christo vocatur Matth. 22. v. 4. ad cælestis conuiuij & gaudij continuationem & perpetuitatem designandam prandio succedente continuò cœna, inquit S. Greg. Beda, Salmeron, Barradius, Viegas, Ribera. HÆC VERBA & promissa DEI, etsi vobis magna & mirabilia videantur, SVNT tamen VERA, id est, certa, firma, indubitata. Cumque suspicarer, finiri hîc cum excidio impiorum & nuptijs Agni, Apocalypsin quam mihi patefactum venerat angelus, gratias illi de auditis acturus,

a Apocal. 1. v. 1.

b Matt. 25. v. 1.

Greg. hom. 24. in Euang. Barrad in Matth. 22. v. 4.

℣.10. CECIDI ANTE PEDES EIVS, VT ADORAREM, id est, venerarer, EVM, nempe cultu duliæ ipsi debito. Sed angelus insigni modestia ac ciuilitate recusat honorari à Ioanne, quia CONSERVVS; Syrus. *sodalis*, TVVS SVM. q.d. Ego non sum te superior dignitate; cur ergo me adores; tu enim, sicut ego, es Propheta, es Apostolus, es Euangelista, es prædicator verbi Dei (hæc enim omnia significat nomen *Propheta*,) (*c*) es continuus Martyr. assiduos pro Christo labores & dolores sustinens: ideoque par, imò superior, es angelis, non natura, sed dignitate & merito, eriſq; breuî etiam præmio & gloria superior in cœlis. *Habent* TESTIMONIVM IESV, qui habent SPIRITVM PROPHETIÆ, vel propriè, vel generaliter sumptæ, quo passim testatum faciunt Christum esse Filium Dei, & se seruos ipsius. Ita enim se mox explicat S. Ioannes, & iterum infra c. 22. v. 9. vbi finitâ iam Apocalypsi, rursus accidit angelo ad genua, sat gnarus, non id illicitum sibi esse, sed debitum angelicæ excellentiæ,

c Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 11.

A licet angelus pro sua modestia nollet à tanto viro honorem sibi exhiberi: sed hunc omnem iubeat in *Deum* referri, & illi vni gratias haberi, cuius iussu & missu ipse Ioanni hæc mysteria reuelabat. q.d. Non sunt mihi agendæ gratiæ, aut honores exhibendi, qui non sum nisi legatus, sed *Deo*, qui auctor est totius beneficij. ita Ambros. Rupertus, Beda, Viegas, Ribera & à Lapide.

℣.11. ECCE EQVVS ALBVS, symbolum prosperi successus, felicitatis, victoriæ ac triumphi. Eques VOCABATVR Primò, FIDELIS ET VERAX: quia fideliter, vti promisit, suos tuebitur & hostes prosternet. Secundò,

℣.12. HABENS NOMEN ἄῤῥητον καὶ ἀνεκφώνητον, seu ineffabile, imò incognoscibile, QVOD NEMO NOVIT NISI IPSE] Erat enim ita exaratum, vt nec à Ioanne, nec ab angelis legi posset: symbolum immensitatis & incomprehensibilitatis naturæ diuinæ Christi, inquit Aretas & Alcazar. Tertiò, vocatur

℣.13. VERBVM, seu Filius DEI. Quartò, *Rex regum & Dominus dominantium.* Primum nomen virtutis est; Secundum, naturæ vel essentiæ; Tertium, personæ, Quartum, potestatis, dominij & dignitatis. OCVLI EIVS SICVT FLAMMA IGNIS indicãt Christi iram in impios. DIADEMATA MVLTA, seu multæ fasciæ vel spiræ candidæ capiti obligatæ, (vt videre est in turbantis Turcarum,) regnorum totius orbis, quibus Christi imperat, insignia sunt teste Rhodigino, *Sanguis* quo vestis eius aspergitur, ipsiusmet Christi est & Martyrum Christi, inquit Viegas & Martinus de Roa: vel certè hostilis sanguis, quem in prælio partim fudit, partim fusurus aduenit. Alluditur enim hîc ad illud Isaiæ 63. v. 3. *Aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea.*

Rhodig. lib. 24. c. 6.

Roa lib. 1.

Ringelbergius c. 2.

℣.14. EXERCITVS QVI SVNT IN CÆLO, putà angeli & alij cælites, SEQVEBANTVR EVM, non tam vt milites pro eo pugnaturi, quàm vt comites pugnam ducis sui & victoriam spectaturi: vnde soli illi tribuitur cædes hostium v. 21. & solius ipsius vestis aspergitur sanguine: comites verò omnes VESTITI incedunt BYSSINO ALBO ET MVNDO.

℣.15. DE ORE EIVS PROCEDIT GLADIVS EX VTRAQVE PARTE ACVTVS, id est, ipso imperante & agente prosilit vltio diuina quaquauersum sæuitura in GENTES ipsi rebelles, quas REGET VIRGA, non viminea, vt pastor sed FERREA, vt iudex: ET CALCABIT quasi in *torcular* VINI, sed FVRORIS IRÆ DEI] id est, acerrimè premet, puniet, torquebit, tum in præsenti vita, tum in futura. Licet enim Lactantius hanc Christi expeditionem, vt hîc describitur ad litteram & vt verba sonant instituendam existimet: veriùs tamen videtur, symbolicè hæc ostendi Ioanni, & tantùm significare, imperio & iussu Christi per eius archistrategum Michaëlem sociatum alijs angelis, cælesti luce quasi fulmine siderandum Antichristum, omniq́ue vi sua & robore priuandum, ac demum in tartara deturbãdum. Quid enim opus est, moueat se loco Dominus cœli & terræ, vt aliquot homunciones conficiat, quos potest solo nutu conterere & annihilare, & quorum innumeras myriades potest per minimum angelum vna horula sternere?

Lactant. l. 7. c. 17. & 18.

℣.16. IN VESTIMENTO ET FEMORE (hendyadis, id est, in vestimento femorali, seu tegente femora) SCRIPTVM erat, REX omnium REGVM, ET DO-

ET DOMINVS omnium DOMINANTIVM] Hunc titulum habet ex *femore*, id est, suapte natura, per femur designata, inquit Maldonatus: vel eo ipso quo est Verbum incarnatum, inquit S. Gregor. vel, vt alij, merito passionis & sanguinis sui quo rubricata est vestis eius femoralis. Alcazar vult, *femur* illud regium, etiam indicare, filios omnes Christi veros esse reges: femore enim significatur propagatio stirpis, vt docent S. Gregor. Ansbertus & Beda.

Maldon. in Matth. 27. v. 11. *Gregor. homil. 15. in Ezech.*

¥. 17. ANGELVS IN SOLE STANS significat, quòd in oculis totius mundi fiet Antichristianorum excidium. Sicut aduocatio volucrum, & ad morticinorum epulum inuitatio, indicat, ingentem fore stragem hostium, adeò vt ad cadauera depascenda non sufficiant vnius vel alterius regni aues carniuoræ, sed hæ debeant vndique ex toto orbe conuocari. Simili modo Ezechiel ad eadem Antichristianorum cadauera depascenda conuocat omnes aues cæli, & omnes bestias terræ.

Ezech. 39. v. 17. *Ierem. 12. v. 9.*

¥. 19. VIDI BESTIAM Antichristum, ET associatos ei REGES TERRÆ, singulos cum suis exercitibus CONGREGATOS in *Armagedon*, (a) ad pugnandum contra Christum & Christianos. Sed ante ingressum prælij, iubente Christo

a *Apoc. 16. v. 16.*

¥. 20. BESTIA per archistrategum Christi Michaëlem vi capta & APPREHENSA EST, ET CVM EA etiam apprehensus EIVS PSEVDOPROPHETA, insignis ille impostor & Antichristi præcursor, de quo suprà. (b) *Tradunt Doctores*, inquit Haymo, *occidendum Antichristum in monte Oliueti, in papilione ac solio suo*, (c) *eodem in loco contra quem Christus cælos ascendit*, S. Greg. Pererius, à Lapide & alij, volunt, post fictam à morte resurrectionem, de qua suprà, (d) Antichristum etiam fictè conscensurum cælum, ex quo se primitus descendisse mentiebatur: dæmones, assumpta angelorum glorioforum specie, attollent eum in aëra sublimem, cunctis exercitibus admirantibus, & diuinitati eius acclamantibus. Sed mox iubente Christo, per Michaëlem fulgure è sublimi deturbabitur, & terra dehiscente, tam ipse quàm eius pseudopropheta viui præcipitabuntur IN STAGNVM IGNIS SVLPHVRE perpetuò ARDENTIS] Neque enim absumitur igne sulphur infernale, sed idem numero constanter permanens ardet æternùm. Andr. Cæsariensis putat, viuos in infernum aduenturos: sed alij conformius S. Scripturæ, (quæ dicit (e) omnes omninò morituros,) dicunt, suffocandos & morituros in via, vt de *Core, Dathan* & *Abiron* docui Numer. 16. v. 33.

b *Apoc. 13. v. 11.* *Haymo in Isaiæ 14.* c *Dan. 11. v. 45.* *Gregor. l. 11. epist. 3.* d *Apoc. 13. v. 3.*

e 2. *Thess. 2. v. 8. & Hebr. 9. v. 27.*

¥. 21. CETERI Antichristi clientes & assecłæ, exercitus Gog & Magog, & tot sociorum regum, OCCISI SVNT GLADIO Christi, id est, vltione cælesti, iubente Christo, in ipsos immissa. Quæ vltio perficietur partim *igni & grandine* cælitus immissis, vt dicitur cap. seq. v. 9. partim mutuis gladiis & cædibus, vt olim accidit in castris Madianitarum: (f) partim gladijs Christianorum in turbatos, territos & fugientes irruentium, vt vidimus in castris Holofernis, Iudith 15. v. 6.

Iudic. 7. v. 22.

CAPVT XX.

Materiam capitis precedentis continuat, altius repetito exordio. Angelus enim qui claues habet abyssi infernalis, vbi satanam alligarat per mille annos, quibus Sanctorum animæ cum Christo regnant in cælo, illis mille annis expletis soluit satanam ad modicum tempus. Solutus congregat vndique Gentes, Gog & Magog, ad Antichristum, vt pro eo pugnent contra Christum. Sed Christus igne cælitus immisso perdit omnes, satanam verò & Antichristum dehiscente terra in tartara deturbat: inde Christus descendit ad iudicium, mortui resurgunt, libri reserantur, & ex iis omnes iudicantur secundùm opera & merita cuiusque. Tandem mors & infernus cum omnibus impiis mittuntur in stagnum ignis.

¥. 1. ET VIDI ANGELVM HABENTEM CLAVEM ABYSSI, id est, habentem potestatem claudendi vel laxandi infernũ, vt alibi (g) vidimus, DESCENDENTEM DE CÆLO, non iam extincto Antichristo, vt putauit Papias, discipulus S. Ioannis, & Cerinthus hæresiarcha, & è Catholicis Irenæus, Tertull. Lactantius, Victorinus, Apollinaris, Seuerus, Iustinus & alij Chiliastæ, seu Milleñarij, sic dicti, quòd docerent, extincto Antichristo iustos à morte resurrecturos, & mille annis cum Christo in terra regnaturos priusquam in cælũ admittãtur. Sed hic error iam euanuit. Et certum est ex v. 7. mille annos, quorum hîc toties fit mentio, non subsecuturos, sed præcessuros Antichristũ, vt noster P. Salas & à Lapide fusè demõstrat. Igitur angelus hic præses & quasi prętor inferni, visus est eò descendere ipso instanti quo Christus in cruce exspirauit: tunc enim *magna catena* stricti imperij diuini, apprehendit hic angelus Luciferum, ET LIGAVIT illum in gehenna, ne possit inde egredi, vel hominibus per se, sed neque pro libito per emissarios suos nocere

g *Apoc. 9. v. 1. &c.*

¥. 2. PER ANNOS MILLE] id est, per longum tempus (ponitur enim numerus definitus pro indefinito:) nempe per vniuersum tempus regni Christi in hac vita, putà in Ecclesia militante, vsque ad Antichristum. ita S. Augustinus, Ambrosius, Gregorius, Primasius, Beda, Andreas Cæsariensis, Viegas, Ribera, Pererius, à Lapide.

Augustin. 20. de Ciuit. c. 7 & l. 22. c. 8. *Gregor. l. 4. Moral. c. 12. l. 9. c. 2. l. 35. c. 20.* *Perer. l. 15. in Dan.*

¥. 3. ET CLAVSIT ET SIGNAVIT abyssum SVPER satanam, id est, firmissimè occlusit Lucifero infernum, perinde vt solent reges sigillum suum adprimere ijs quæ volunt arctè obserata. Sic Dan. 14. v. 13. fanum Belis obsignabatur annulo regis. ET POST HÆC, elapsis mille annis, seu toto tempore regni Christi, OPORTET ILLVM ab his vinculis SOLVI MODICO TEMPORE, nempe tribus annis cum medio, quibus regnabit Antichristus. *Solui*, inquam, vt eius maligna potentia, & Ecclesiæ fidelissima patientia probetur, ac vicissim ostendatur Dei benigna, vtilisque & cauta permissio in tanta tentatione Sanctorum, inquit S. Augustinus. Hanc satanæ à catenis solutionem vt E angelus aperiret Ioanni, voluit eidem à v. 1. huc vsque prius exponere, quando, qua ratione, & à quo vinctus olim fuerit. Interim dum ille vincitur,

Augustin. l. 22. de Ciuit. c. 8.

¥. 4. VIDI SEDES splendidas & augustas, SVPER quas SEDERVNT, vt iudices, ANIMÆ DECOLLATORVM, aut alio mortis genere per tyrannos extinctorum Martyrum, incipiendo ab Apostolis & discipulis Christi, vsque ad vltimos heroës qui per Antichristum occidentur. Horum enim omnium animæ, etsi in terris despectæ, & quasi vnà cum corporibus sepultæ & obliuioni traditæ sint, coram

coram Deo tamen perpetuò VIXERVNT, non otiosæ; vel dormientes, vel in antris quibusdam delitescentes: sed palàm & in oculis totius cælestis curiæ tam inde à martyrio suo SEDERVNT in thronis, & vnà CVM CHRISTO REGNAVERVNT, & Ecclesiæ militanti præfuerunt ANNIS istis MILLE, quibus Lucifer in abyssо constrictus tenetur, id est, tota serie temporis quod à morte Christi effluxit vsque ad Antichristum: & viuent adhuc & regnabunt simili modo vsque ad finem mundi.

℣. 5. HÆC EST PRIMA illorum RESVRRECTIO, nempe quoad solam animam, statim à morte, cælesti gloria donatam, quâ quasi in nouam resurgunt & transmigrant. *Secunda resurrectio* est plena beatitudo, etiam secundùm corpus, quando totus homo in fine mundi corpore simul & anima glorioſus ad æternam vitam resurget. Ex aduerso *mors prima* reproborum est damnatio solius animæ, MORS SECVNDA, damnatio corporis simul & animæ, quæ infligetur in iudicio vniuersali. ita Primasius, Richardus, Ambros. Aretas, Beda, Viegas, Pererius, Ribera, à Lapide. Vnde subditur: CETERI MORTVORVM, putà reprobi, NON VIXERVNT, (a) scilicet tali vita beata: sed abrepti sunt in *mortem primam*, id est, in damnationem animæ in gehenna, DONEC CONSVMMENTVR MILLE ANNI supradicti, quibus Sanctorum animæ regnant in cælis: nam his expletis, transibunt vnà cum resumptis corporibus suis, in *mortem secundam*. Porrò *Sancti* interea non tantùm

Perer. l. 8. in Dan. a Isaiæ 26. v. 14. 19. 20.

℣. 6. REGNABVNT, seu regia munia obibunt in cælis, SED ERVNT etiam mystici SACERDOTES DEI ET CHRISTI, quia scilicet offerent Deo & Christo continua sacrificia laudis gratiarum actionis & obsequij perpetui.

Nota. Quia sexies hîc conculcantur MILLE ANNI, nulla (vt apparet) alia intentione, quàm vt ætas duraturi mundi subindicetur, censent plerique Patres & Doctores, post sex mille à condito mundo euolutos annos, finem illi impositum iri. Multos in hanc rem tum Catholicos, tum hæreticos, tum Ethnicos citat Corn. à Lapide, & multis rationibus, congruentijs, imò & reuelationibus probare contendit. Et fateor sententiam hanc vt ferè communem, ita & probabilem esse. Sed malim cum S. Augustino, Beda, Pererio, Suarez, Alcazar, & à Costa ingenuè fateri, rem hanc esse admodum incertam, neque nostrum esse, (b) *nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.*

August. in ps. 89. v. 4. Beda de Rat. temp. c. 65. Perer. in Gen. 2. v. 4. Suarez 3. p. disp. 23. sect. 4. A Costa l. 1. de Tép. nouissimis c. 2.

b *Act. 1. v. 7.*

℣. 7. CVM CONSVMMATI FVERINT prædicti MILLE ANNI, soluetur per præsidem (c) abyssi SATANAS (Lucifer) DE CARCERE SVO infernali. Solutus & suæ libertati redditus, *sciens quòd modicum tempus habet*, (d) vt simul & semel euertat totum Christi regnum, seu Ecclesiam, EXIBIT per se & per emissarios suos cacodæmones reliquos, ET SEDVCET ad Antichristi sui obsequiũ GENTES omnes EX QVATVOR *angulis*, seu plagis, TERRÆ: etiam GOG, famosum illum bellicosum principem, ET gentem illi subditam MAGOG, vt dixi in Ezechiele. (e) M. Paulus Venetus scribit, in Tartaria, in prouincia *Teuduch*, regiones esse Gog & Magog, quas Tartari vocant *Lug* & *Mungug*. Sibylla, *Va tibi*, inquit, *regio Gog & Magog, quæ medium es Æthiopum fluuiorum.* Vbi Alcazar per *fluuios Æthiopia* putat intelligi posse Sinum Persicum & Arabicum, inter quos sinus iacet Arabia. Sicut ergo Mahomet per Arabes, & Tamberlanes per Scythas & Tartaros ad Imperium euecti sunt, ita per eosdem euehendus & fulciendus videtur Antichristus. Hi ab emissariis Luciferi vndique euocati

c *Hic v. 1.*

d *Apoc. 12. v. 12.*

e *Ezech. 38. v. 2. Marcus Paul. Ven. l. 1 de Rebus Orient c. 64 Sibylla l. 3. Oracul.*

℣. 8. ASCENDERVNT SVPER LATITVDINEM TERRÆ.] Id est, latissimos terrarum campos suis copiis, equis, curribus & machinis complebunt. Si enim Xerxes unico militum millione strauit mare & terram, quid fiet his ducentis millionibus? (f)

f *Apoc. 9. v. 16.*

CIRCVIERVNT, id est undique cinxerunt, CASTRA SANCTORVM. Iam enim Christiani, resumptis animis & viribus, vt olim Machabæi, hortante Henoch & Elia, palàm concedent in agrum, (g) etiam collatis signis subinde cum copiis Antichristi conflicturi. Cingent etiam innumeris copijs suis CIVITATEM DILECTAM ab olim Deo, Ierosolymam; nam eò, utpote ad regiam sedem, Antichristus omnes conuenire iubebit, fixo labaro suo in *Armagedon*, vt suprà (h) vidimus. S. Augustinus per *dilectam ciuitatem* accipit Ecclesiam Christi toto orbe diffusam, quam Antichristus vbique persequetur & exscindere conabitur. Sed frustra omnis conatus. Subitò enim, vt olim in Hebræos Moysi rebelles, (i)

g *Apoc. 19. v. vlt.*

h *Apoc. 16. v. 16. August. supr.*

i *Num. 16. v. 47.*

℣. 9. DESCENDIT IGNIS DE CÆLO, seu cæleste fulmen, ET omnes afflauit, siderauit. DEVORAVIT, concremauit. ET DIABOLVS, id est, Lucifer, qui eos omnes euocarat & seduxerat, REMISSVS EST ab angelo præside inferni, vel à præside Ecclesiæ Michaele, IN STAGNVM suum igneũ & sulphureum, VBI ET BESTIA Antichristus, (k) paucis antè diebus è viuis sublatus,

k *Apoc. 19. v. 1.*

℣. 10. ET eius PSEVDOPROPHETA, (l) CRVCIABVNTVR æternùm. His aduersariorum copiis extinctis, plena dabitur orbi & Ecclesiæ pax; (m) vt qui lapsi & seducti fuerant sub Antichristo, pœnitent, resurgant, reducantur, Iudæi & Gentes reliquæ cõuertantur, *omnisq; Israel saluus* fiat. (n) Peracto paucorum annorum curriculo. (o)

l *Ibid. v. 11.*

m *Ezech. 39. v. 9.*

n *Rom. 11. v. 24.*

o *Ezech. sup.*

℣. 11. VIDI in aëre THRONVM iudicialem MAGNVM, sublimem, CANDIDVM, splendentem, glorioſum, ET illi insidentem Christum iudicem, A CVIVS fulgente CONSPECTV, quasi subpudibunda FVGIT TERRA ET CÆLVM, id est, pristina facies, forma & status terræ & cæli: quia scilicet in aliam pulchriorem formam & statum cõmutabuntur. Vnde talis LOCVS & status qualis antè illis fuerat, NON amplius INVENTVS EST EIS, sed alius longè amœnior, splendidior & glorioſior. ita Primasius, Ambros. Beda, Aretas, Viegas, à Lapide, & nos suprà, (p)

p *1. Pet. 3. v. 7 & 10. & Isaiæ 24. v. 19 & 23. & 34. v. 4.*

℣. 12. ET MOX VIDI MORTVOS omnes iam rediuiuos, STANTES IN CONSPECTV THRONI. Vbi LIBRI, qui opera cuiusque, seu bona, seu mala continent inscripta, APERTI SVNT coram toto vniuerso. Hi libri in ipsis hominibus sunt propriæ singulorũ cõscientiæ: (q) in Deo omniscientia eius, & specialis memoria factorum cuiusque, inquit Suarez & interpretes passim. Hos libros (r) aperiet Christus in die iudicij, non solùm singulis iudicãdis suos proprios, sed etiam omnibus aliorum omnium libros & conscientias, Deo simul & semel eleuante omnium phantasiam & intellectũ, illisque vires & lumen supernaturale singulis præbente, atque extra ordinem concurrente, vt quisque videat facta aliorũ, in conscientia & memoria

q *Rom. 2. v. 15. Suarez 3 p. d. 59. a. 6. d. 47. s. 2. 9.*

r *Dan. 7. v. 10.*

ria cuiusq; quasi depicta ac descripta. Sic S. Bene- A
dictus spiritu eleuatus vidit in ictu oculi totũ mũdum quasi in globo in radijs solaribus collectum,
Gregor. l. 2. Dial. c. 32. inquit S. Gregorius. Insuper ET ALIVS LIBER QVI EST VITÆ æternæ, id est, liber prædestinationis diuinę, palàm corã omnibus APERTVS EST, in quo omnes & soli illi conscripti sunt cum omnibus à se præclarè gestis, qui efficaciter electi & destinati sunt ad vitam & beatitudinem æternam.

EX HIS LIBRIS IVDICATI SVNT omnes SECVNDVM OPERA IPSORVM] etiam infantes, inquit Alcazar ex S. August. nam non baptizati iudicabuntur secundùm opus & peccatum originale Adæ: baptizati verò iudicabuntur secundùm opera & merita Christi, quæ ipsis in baptismo ap- B
plicata fuerunt.

℣. 13. MORS ET INFERNVS inducuntur hîc quasi duæ tragicæ personæ, quarum munus est, vt vna vitam mortalibus auferat, altera deglutiat iam mortuos, & subterraneis sepulchris ac speciebus vinctos recludat. Hæ duæ personæ sẽper associantur: nam quos *mors* occidit, eos dẽ *infernus* deuorat & sepelit: *mors* enim est quasi lictor, seu carnifex, qui reos mortis occidit, & transmittit in infernum. Non ergo mortui quos mors occidit, ab inferni mortuis diuersi, sed planè ijdem sunt. Additur hîc insuper tertia persona æquè horribilis, putà *mare*, instar leonis rugiẽs & sæuiens, naues- que fæpè integras absorbens & in se ipso sepeliẽs. Sed licet plurimi numero sint quos *mare* absorp- C
sit, longè tamen plures sunt quos in terra *mors* absorbet: vnde præter absorptos à mari, dicuntur hîc redhibendi etiam reliqui omnes, seu in terra, seu in aëre à morte absumpti. Denique peracto iudicio, duæ illæ terribiles personæ,

℣. 14. MORS ET INFERNVS, quæ tot sæculis in mundo triumpharunt, mundo deinceps exulaturæ mittuntur IN STAGNVM IGNIS infernalis. non vt patiantur ab igne, sed vt hostes & inimicos Dei in ignibus illis excrucient, & sic seipsos ibi pascant aliorum tormentis ac suppliciis, semper dãnatos occidendo, semper deuorando, semper excruciando, Tertij helluonis, nempe maris, nulla hîc fit mentio, quia ille non est æternus, & tunc D
(vt dicitur v. 1. c. seq.) non erit ampliùs turbidum vel procellosum mare: multò minùs erit hominum deuorator, lictor aut sepulchrum. ita Alcazar & à Lapide. Atque HÆC EST MORS SECVNDA, quam damnatis, secundùm corpus simul & animam mors & infernus iunctim inferent ęternùm. Porrò Sanctus omnis & electus

℣. 15. QVI INVENTVS EST IN IN LIBRO VITÆ SCRIPTVS, assumetur cum Christo in cælum & gloriam æternam, vt videbimus cap. seq. Quicumque huic libro inscriptus non est, *mittetur*, IN STAGNVM IGNIS & sulphuris, vt habet hîc Arabi-
a Apoc. 21. v. 8. & Isa. 30. v. 33. cus, & Noster alibi sæpiùs. (a) Etiam infantes sine E
August. l. 6. contra Iulian. c. 4. baptismo mortui, concludentur verisimiliter in
Bellar. l. 6. de amissione gratiæ c. 5. inferno, in quo est stagnum ignis, etsi non sint in
Lessius de Perfect. Diuinu l. 13. c. 24. 29. & 30. ipso igne, neque in alio cruciatu, inquit S. Augustinus, & ex ipso Bellarm. & alij. De multiplicibus damnatorum pœnis, & quomodo ignis corporeus animas & dæmones excruciare possit, vide Lessium.

CAPVT XXI.

Cælestis Ierosolyma, id est, Ecclesia triumphantis, dotes, opes, splendor, gloria, amplitudo, muri, portæ fundamenta, felicitas.

℣. 1. VIDI in iudicio vniuersali CÆLVM NOVVM, ET TERRAM NOVAM, non quoad substantiam, sed quoad accidẽtia, qualitates & ornatum. PRIMVM ENIM, seu quod priùs fuit, CÆLVM, quoad motũ suum, quoad eclypses, quoad influentias, iam ABIIT, id est, cessauit: vt ET PRIMA, quæ nunc est, TERRA, quoad generationem & corruptionem & omnem aliam alterationem. ET MARE simili modo IAM NON EST quale fuit vetus illud elementum turbidum crassum, mixtum, procellosum, iugi fluxu & refluxu æstuans, fluctibus horridũ: sed erit exinceps planè quietum, tranquillum, serenum, purum, subtile, pellucidum, & instar crystalli resplendens. Moraliter, cessabit omnis turbatio, tentatio, afflictio, persecutio Sanctorum.

℣. 2. VIDI CIVITATEM non spurcam & sordidam Babylonem, (b) sed SANCTAM & immaculatam: non terrestrem, aut veterem illam, sed NOVAM & cælestem IERVSALEM, nempe cælum empyreum cum suis incolis angelis & hominibus sanctis, inquit Augustinus & interpretes passim. Non ab inferis emergẽtem, à cacodæmone instructam, instar meretricis fucatam: sed DE CÆLO A DEO DESCENDENTEM, tum metaphoricè, vtpote manu Dei constructam: tum propriè ac physicè, nempe cum Christo ad iudicium in vallem Iosaphat, descendentem, inquit Maldonatus. PARATAM, id est, comptam, ADORNATAM, pretiosissimis vestibus, gemmis, monilibus instructam, vt decet SPONSAM VIRO SVO sociandam, & iam in thalamum eius inducendam.

b Apoc. 18. v. 2. adde. Aug. l. 22. Ciuit. c. 17. Maldon. in Matth. 25.

℣. 3. VOX MAGNA DE THRONO Dei & Agni ex ipso cælo empyreo emissa, indicat, rem magnam & memorabilem proclamari, nempe cælestem hanc Ierusalem esse ciuitatem illam fortium, victorum & triumphantiũ, quam Deus electis militibus suis fortiter contra mundũ, carnem, dæmonem, ac nominatim cõtra Antichristũ certantibus præparauit ab æterno; sicut ex aduerso timidis, segnibus, impiis æternos parauit ignes gehennæ: vt horum metu, illius spe ac desiderio acuatur omnium animus, studium & industria ad heroïcos agones obeundos, & viriliter decertandum. ECCE pro castrensi & terreno tentorio, in quo nunc degitis; pro ardente arena, in qua nunc desudatis, cæleste palatium, glorioſum, magnificum, gaudio plenum TABERNACVLVM (c) ipsiusmet DEI, in quo CVM electis suis tum angelis, tum hominibus æternùm deget. Vocat *tabernaculum*, quia alludit ad Mosaicum tabernaculum, (d) quod erat typus & figura cæli. Deinde vult innuere, præter hoc *tabernaculum*, seu tentorium, aliud esse Deo proprium palatium, nempe propriam essentiam & perfectionem, in qua tamquam in immenso palatio glorioſissimè iucundatur ab omni eternitate. Denique per *tabernaculum* indicat summam Beatorum vnionem & cõmunionem, inquit Alcazar: quòd non in domo variis cubiculis & recessibus distincta, sed in aperto tabernaculo degant simul omnes, in quo vnus ab alio diuelli aut celari nequit; sed singuli singulos peruident, amplexantur, & pro voto perfruuntur, præsente semper

c Ezech. 37. v. 27.

d Exod. 26. v. 1. &c.

omnibus cæleſti rege ac ſponſo, & omnes omnibus bonis cumulante. ET IPSI Sancti POPVLVS EIVS ERVNT, nulli alteri Domino ſubiecti, neminem colentes, nemini ſeruientes niſi vni Deo. ET IPSE DEVS ERIT perpetuò CVM EIS, non modò vt rex, pater, magiſter, EORVM, ſed abſolute vt DEVS, omnium curator, protector, ſaluator, glorificator, & omnium ſuorum bonorum communicator, infinitè potens, ſapiens, diues, liberalis, omnibus & ſingulis totus inſtar ſponſi dulciſſimi præſens facie ad faciem, omnes & ſingulos recreans, paſcens, oblectans & beans. Hæc enim omnia connotat vocula *Deus*.

℣. 4. ABSTERGET OMNEM LACRYMAM, vt ſolet mater AB OCVLIS paruulorum ſuorum lacrymulas detergere, eiſdemque blandiri, oſculari, demulcere. NEQVE VLTRA ERIT CLAMOR, Martyrum in tormentis, pauperum in miſerijs, ægrorum in doloribus, afflictorum in iniurijs. QVIA PRIMA illa & miſera tempora iam ABIERVNT cũ vita mortali, & commutata ſunt in gaudium & felicitatem æternam, in qua *verſ.* 5. ECCE NOVA FACIO OMNIA, nouum cælum, nouam terram, nouam vitam, nouum hominem.

℣. 6. ET DIXIT MIHI ſedens in throno, FACTVM EST, quidquid in vita hominum mortali faciendum erat: quidquid ad pœnas damnatorũ, quidquid ad gloriam & felicitatem Sanctorũ curandum erat: iam eſt perfectum & completum, vt tota æternitate non ſit opus, illis aliquid addere vel imminutare. EGO SVM α ET ω, INITIVM ET FINIS, & cauſa omnium rerum, qui omnibus pro libito vt initium do, ſic & finem facio, vt ſuprà (*a*) dixi. EGO SITIENTI, (*b*) id eſt, ardenter anhelanti ad Deum & ad cæleſtia, DABO bibere DE FONTE AQVÆ VITÆ, modicis ſubinde hauſtibus in hac vita, (*c*) per internas & ſpiritales conſolationes: ſed ſitim nõ explebunt (*d*) niſi in altera noua vita, vbi *torrente voluptatis* meæ *potabo eos*, (*e*) & quidem nullo pro his pretio accepto, ſed GRATIS. Nam omnino gratis eos inuito, gratis primam gratiam do, gratis tanta præmia tantillis bonorũ operum laboribus propoſui. Vnde licet iuſti ſuis bonis operibus mereantur vitã æternam, hoc tamẽ non habent ex ipſa natura operum, ſed ex gratuita Dei miſericordia talẽ præmium talibus operibus decernente ac promittente: *neque enim ſunt* ex ſe *condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam*. (*f*) Illud autem quod dixi *gratis*, non ſignificat, obuenturam ſalutem dormitanti, ſegni vel ſocordi: ſolus enim ille ℣. 7. QVI fortiter ac ſtrenuè contra hoſtes dimicando VICERIT, POSSIDEBIT HÆC brauſa. Nam

℣. 8. TIMIDIS & ex timore ſuccumbentibus hoſti, & conſentientibus peccato, non aliud exſpectandum quàm *ſtagnum ignis*: vt ET OMNIBVS perniciosè MENDACIBVS in fide, amicitia, contractibus vel promiſſis.

℣. 9. VNVS, id eſt, primus (ait Alcazar) DE SEPTEM illis ANGELIS, de quibus ſuprà, (*g*) poſt effuſam *phialam* & plagam ſuam in impios, iam paranymphum agit *ſponſæ* AGNI] id eſt, Eccleſiæ triumphantis in cælo, quam Ioanni hîc per ſymbolum auguſtiſſimæ ciuitatis, & omnibus opibus ac deliciis refertiſſimæ, ad viuum depingit.

℣. 10. MONTEM MAGNVM ET ALTVM, aſcenſu arduum ac difficilem, in cuius cacumine plano & æquali, OSTENDIT MIHI conſtructam CIVITATEM SANCTAM. Cuius rei ſymbolum erat arx Sion & templum Salomonis in monte (*h*) conſtructum. In cacumine huius montis ſtatuit angelus Ioannem IN SPIRITV, ſeu per viſionem, vt comminus muros eius, & plateas, & reliqua interiora peruideret. h *Pſal.* 23. *v.* 3. & *Iſaiæ* 2. *v.* 2.

℣. 11. HABENTEM CLARITATEM; Græcè, δόξαν, id eſt, *gloriam*, DEI, id eſt, eximiam & admirabilem, qualis nimirum decet Deum, Deique palatium. ET LVMEN EIVS; græcè, φωσὴρ, id eſt, *luminare*, quod illuminabat ciuitatem, nempe ipſe Deus & Agnus, erat SIMILE LAPIDI PRETIOSO; græcè, *pretioſiſſimo*, nempe IASPIDI *cryſtallizanti* (*i*) (ita eſt in Græco:) id eſt, planè pellucido & ſplendenti inſtar cryſtalli, miram interea, imò inſatiabilem colorum varietatem ac pulchritudinem oculis ſpectantium obiicienti. Cuius vmbram aliquam videmus in vitro cryſtallino triangulari, quod lucem excipiens, æquè ac ſpecies obiectorum camporum, domorum, nubium, incredibilem colorum varietatem & amœnitatem oculo cui opponitur exhibet. Luminare hoc cæleſte videtur non aliud exhibitum Ioanni quàm ipſe *iaſpis* qui veſtiebat & quaſi corpus faciebat Deo, (*k*) in medio ciuitatis clarè viſendum ſe ſuamque etiam intimam eſſentiam Sanctis omnibus ſpectandam exhibenti. i *Plin. l.* 37. *c.* 8. k *Apoc.* 4. *v.* 3.

℣. 12. MVRVS MAGNVS ET ALTVS inſuperabilem ſignificat firmitatem. PORTÆ DVODECIM reſpicientes quatuor plagas cæli, innuunt patere aditum omnibus vndiq; aduentare volentibus. (*l*) NOMINA DVODECIM TRIBVVM FILIORVM ISRAEL portis INSCRIPTA, exigunt ab omnibus intrare volentibus, vt ſint ſpirituales filij Abrahæ, Iſaaci & Iacobi, ceterorumque Patriarcharum. Vnde ſingulis *portis* ſinguli apponuntur *angeli*, tanquam cuſtodes portarum, quos nemo indignus fallet aut corrumpet. Et verò muneris eſſe angelici, animas Sanctorum in cælum inuehere, conſtat ex hiſtoria Lazari, S. Martini, S. Seruuli, S. Pauli primi Eremitæ, S. Benedicti, & aliorum Sanctorum. l *Matth.* 8. *v.* 11.

℣. 13. AB AVSTRO PORTÆ TRES] & ſimili numero tres portæ ad reliquas etiam cæli plagas. Ex quo patet, non alludi hîc (vt vult Salmeron, Villalpandus & Adrichomius) ad portas Ieroſolymæ terreſtris: (nam hæc ob adiectas rupes, non habebat vllas portas verſus Auſtrum, teſte ipſomet Villalpando:) ſed alludi ad caſtra duodecim tribuum, Numer. 2. v. 25. ſic in quadrum diſpoſita, vt ſingula quadrilatera tres continerent tribus, quarum ſingulis ſingulæ portæ reſpondebant. Alludi denique ad Ieroſolymam ab Ezech. c. 48. v. 31. deſcriptam etiam cum *nominibus duodecim tribuum Iſrael*, de quibus ibi fuſiùs. Myſticè S. Hieron. Auguſt. & Rupertus, per 12. portas accipiunt 12. Apoſtolos. Qui litteraliter ex omnium Patrum ſententia deſignantur per *Salmer. in Prolegom. tract. 20. Villalp. & Adrichom. in Chorographia Ieroſolym.* *Hieron. in Ezech. 48.* *Auguſt. in pſ. 86. v. 1.*

℣. 14. DVODECIM FVNDAMENTA MVRI. Humeris enim Apoſtolorum innixus Eccleſiæ murus recumbit. Ideo enim illorum nomina fundamentis inſcribuntur, vt ſignificetur, ipſos eſſe fundamenta, ſeu fundatores Eccleſiæ. Sic Exodi 28. v. 17. in Rationali pontificis duodecim gemmæ duodecim Patriarchis aſſignantur, quò hic alludit S. Ioannes. Notat Alcazar, hæc 12. fundamenta non diuiſiſſe muri partes in latum diſpoſitas, ita vt ima fundamenti pars conſtaret 12. partibus iuxta ſe mutuo poſitis, quarum vna eſſet ex iaſpide, ſecunda ex ſapphiro, &c. ſed diuiſiſſe

muri

a *Apoc.* 1. *v.* 8.
b *Pſ.* 41. *v.* 1
c *Ioan.* 7. *v.* 37.
d *Eccli.* 24. *v.* 29.
e *Pſal.* 35. *v.* 9.
f *Rom.* 8. *v.* 18. & *c.* 6. *v.* 23.
g *Apoc.* 16. *v.* 1.

muri partes in altum assurgentes, ita vt in qualibet muri parte sinum fundamentum sit *iaspis*, iaspidi imponatur *sapphirus*, sapphiro *calcedonius*, &c. *Fundamenta* enim omnia, omni loco *ornata erant* non vno, sed *omni lapide pretioso*, vt est v. 19. Vnde necessum non est, hos lapides, vt vult Ribera, singulos singulis Apostolis eo ordine quo à S. Matthæo cap. 10. v. 2. recensentur, sic applicari, vt indicent singulas virtutes ac dotes, quibus singuli Apostoli præ ceteris eluxerunt. Nam omnibus & singulis virtutibus ac dotibus omnes & singuli eluxerunt. Et cur potiùs seruandus ordo à Matthæo præscriptus, quàm à reliquis Euãgelistis? Alcazar mauult, indicari 12. articulos fidei quibus Symbolum constat Apostolicum. Hi enim articuli summa sunt fidei Christianæ, ideoque fundamẽta Ecclesiæ tum militãtis, tum triũphantis. Et huc inclinat S. Aug. Hieron. Russinus, Trident. & alia Concilia. Non tamen opus est, singulos articulos singulis aptare Apostolis, quia omnes pariter ad cuiusuis articuli compositionem & ordinationem confluxerunt; siue singuli suum primò edixerint articulum, siue vnus omnes nomine omnium, siue varij promiscuè varios: qui dein ad formam & æternam memoriam numeri 12. Apostolorum, omnes simul totum Symbolum in 12. articulos, seu sententias, distributum voluerunt.

August. l. 3. de Symbolo ad catechum. c. 9. Hieron. in ps. 86. Russin. l. de Symbolo. Trid. sess. 3. decreto de Symbolo.

¶. 15. MENSVRAM ARVNDINEAM vocat mensuram *sex cubitorum & palmi*, quæ græcè καλαμος, Latinè *arundo* vocari solet, vt alibi *(a)* vidimus. Porrò *aureus* calamus, qualem hîc gestat angelus, mensuram *gloriæ*, seu glorioſæ ciuitatis designat.

a Ezech. 40. v. 5. & in Prolegom. de mensuris longitudinum.

¶. 16. CIVITAS IN QVADRO POSITA EST, non quadrangula tantùm (vt est in Græco) sed & perfectè quadrata, seu æquilatera. LONGITVDO enim EIVS TANTA EST QVANTA ET LATITVDO] Mysticè *longitudo* est æternitas: *latitudo*, extensio gaudiorum, seu obiectorum de quibus gaudetur, inquit Ribera. Quod verò S. Clemens, Chrysost. Theophyl. Molina & Conimbricenses ex hoc loco probare conentur cælum empyreum non esse rotundum, sed quadrangulum ac quadratum; non sat solidum videtur: nam illa quadratura tantùm est symbolica, significans Primò, ciuitatẽ omni ex parte æquè magnam esse; quod, licet præstet forma quadrata, tamen maximè locum habet in forma rotunda. Secundò, formâ esse vt commodissimâ, ita & pulcherrimâ: qualis in minoribus locis est quadrata, sed in maioribus rotunda. Tertiò, munitissimam ac fortissimam esse. Nam in paruis vrbibus fortiores sunt quæ in quadrum conformantur, binis semper angulis vtrimque oppositis, & se mutuò tutantibus. At in magnis vrbibus, si quadrilateræ essent, anguli nimis à se mutuo distarent, nec alter alteri posset præsidio esse. His ergo rotunda figura maius addit robur, cùm præstet incolis æqualem è centro accessum ad quoduis latus vel punctum circumferentiæ. Quod igitur symbolo quadraturæ nobis adumbratur in vrbibus quibus assueuimus, quasque oculis vsurpare & metiri possumus; idem in aliis quæ sui magnitudine excedũt sphæram visus nostri, (qualis est vrbs quæ hîc describitur,) longè commodiùs præstat forma rotunda. Cuius tamen hîc non meminit Ioannes, quia neque Ezechiel meminerat, ad cuius ciuitatem hîc alludit, S. Ioannes, licet Ezechielis (quæ repræsentat Ecclesiam militantem) longè minor sit hac Ioannis ciuitate (quæ est Ecclesia triumphãs:) item illa Ezechielis, (quæ etiam imperfectos continet) variis suburbijs constat, quæ hîc nulla adsunt, quia hîc omnes sunt ciues & domestici Dei, omnes perfecti in charitate, in gaudio, in gloria.

Clem. l. 7. Constit. Apoc. c. 36. Chrysost. & Theoph. in Hebr. 8. v. 2. Lud. Molina de Opere sex dierum disp. 3. Conimbr. l. 2. de Cælo, c. 5. q. 1. a. 2.

Ezech. 48. v. 16.

MENSVS EST CIVITATEM, seu diametrum ciuitatis, PER STADIA DVODECIM MILLIA] id est, mille quingenta milliaria Italica, seu leucas horarias quingentas. Nam octo stadia faciunt milliare Italicum: tria milliaria Italica vnam leucam horariam. Tam ergo longa est hæc ciuitas, (*b*) quàm longa est distantia ab vrbe Hispali, seu finibus vltimis Hispaniæ, vsque Neapolim Campaniæ in Italia, inquit Alcazar. Additque, ad vrbem tantæ & longitudinis & latitudinis incolẽdam, requiri maiorem ciuium multitudinem, quàm quæ occupare posset vicies centena millia vrbium Hispalin magnitudine æquantium. Quæ si centum millia incolarum contineat, continerentur illa cœlesti ciuitate plusquã bis centena millia millionum incolarũ. Qui numerus vt expleatur, non sufficerent sex millia annorum, etsi toto temporis illius decursu singulis horis diurnis & nocturnis, nullâ factâ interruptione, quaterna hominum millia cœlum subintrarent. Et verò tanta ciuitatis capacitas pro symbolo hîc affertur ingentis & quasi innumeræ multitudinis saluandorum, de qua suprà. (*c*) Verisimile nihilominus est, etiam ad litteram, vti sonat, prorsus tantum spatij quantum hîc describitur, à Sanctis in empyreo cælo occupandum, in modum cælestis paradisi, deliciosissimè instructi. Nam totum cælum empyreum quomodo occupare possent, quod totum globum terræ plusquam decies centies millies, ac penè infinities excedit?

Prolog. de mensuris longitudinum.

b Baruch. 3. v. 24.

c Apoc. 7. v. 9.

LONGITVDO ET ALTITVDO (comprehenso monte in quo sita est vrbs) ÆQVALIA SVNT] nempe 12000. stadiorum. Nam non agi hîc de substructione, seu murorum, seu domorum ciuitatis, patet ex sequentibus, vbi murorum altitudo seu substructio solùm dicitur esse

¶. 17. CENTVM QVADRAGINTA QVATVOR CVBITORVM, qui vix tertiam partem vnius stadij exequant. Neque putes, hanc mensuram esse spiritualem, vel intellectualem, vel angelicam, toto genere à nostris mensuris distinctam: nam hæc mensura QVÆ EST ANGELI, seu qua vsus est angelus in vrbe hac dimetienda, erat planè MENSVRA HOMINIS] id est, talis quali communiter solent vti homines, nempe *cubitus* complectitur pedẽ vnum cum dimidio: *calamus* sex cubitos & palmum, &c. Quo mysticè indicatur, eadem mẽsura admetiendam tam homini, quàm angelo gloriam & beatitudinem æternam, nempe pro magnitudine gratiæ & bonorum actuum: & posse sanctos homines ad mensuram angelicæ gloriæ in cœlo pertingere, si in terris illos virtutibus æquarint.

¶. 18. STRVCTVRA MVRI erat non ex latere, vel secto vulgari lapide, sed EX IASPIDE, firmissimo simul & pellucido instar crystalli; (*d*) indice fortitudinis Dei, ciuitatem tutãtis, & simul splendoris, amœnitatis, deliciarum huius paradisi Dei. IPSA VERO CIVITAS, seu ciuium domus palatia, non sunt vt nostra, lignea, lateritia vel lapidea, inaurata, vel aureis laminis contecta. sed sunt planè aurea, imò purum & MVNDVM AVRVM, non opacum, sed pellucidum instar MVNDI VITRI, vel crystalli.

d Hic v. 11. Prolog. sup.

ſtalli. Quo indicantur excellentia, nobilitas, pulchritudo, amœnitas, voluptas cæleſtis palatij; puritas item conſciẽtiæ, caſtitas corporis, nitor animi, diſtinctio meritorum, gratiæ, & gloriæ cuiuſque Sancti; ſimul & clara intuitio, contemplatio ac viſio tum Dei, tum aliorum, ſeu Sanctorũ, ſeu angelorum. *Ibi*, inquit Gregorius, *vniuſcuiuſque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abſcondet; ſed patebit animus, patebit corporalibus oculis ipſa etiam corporis harmonia, ſicq; vnuſquiſque tunc erit conſpicabilis alteri, ſicut nunc eſſe non poteſt conſpicabilis ſibi.*

℣. 19. FVNDAMENTVM PRIMVM & imum IASPIS, gemma antiquiſſima (*a*) & firmiſſima, viridis (*b*) vt plurimum, ſed maculas habẽs rubeas, cæruleas & albas. (*c*) Vim habet ſtomachum firmãdi, ſanguinem ſiſtendi; febres, hydropes, calculos, epilepſiam arcendi. (*d*) Symbolum eſt fidei firmæ, ſtabilis, ſemperque virentis in *Petro* eiuſque ſucceſſoribus: & omnipotentiæ, ſapientiæ, & bonitatis diuinæ in productione & conſeruatione tam variarum creaturarum, de qua eſt primus articulus Symboli Apoſtolici.

SECVNDVM fundamentum iaſpidi ſuperpoſitum, SAPHIRVS, coloris cærulei puriſſimi vltramarini, (*e*) qualem videmus in lapide *lazulo*, & cælo planè ſereno. Vim habet corroborandi cor, viſum acuendi. (*f*) melancholiam & quartanam pellendi. (*g*) Symbolum eſt cæleſtis ſpei & fiduciæ qua præcelluit *Andreas*: & diuinitatis, diuinæque generationis Verbi ex Patre cæleſti, de qua eſt ſecundus Symboli articulus.

TERTIVM ſapphiro ſuperpoſitum fundamentum, CHALCEDONIVS. Prope Chalcedonem, Conſtantinopoli ex altera Boſphori parte obiacentem, in littorum ſaxis & ſcopulis innaſcitur gemma, ſpeciem habens & colorem *carbunculi*, ſeu carbonis ardentis. (*h*) qui alio nomine ἄνθραξ, id eſt, pruna ignita, vel *pyropus* dicitur, quaſi, πῦρος ὤπα, id eſt, ignis faciem habens. In Rationali pontificis, Exodi 28. verſ. 18. (vnde has gemmas mutuatus eſt S. Ioannes,) pro *chalcedonio* ponitur *carbunculus*. Igne non caleſcit, in tenebris lucet, & ſplendeſcit magis interiùs quàm exteriùs, inquit S. Auguſtinus & Iſidorus. *Primùm candicat (vnde Adamantem* vocat Alcazar:) *dein paulatim matureſcens ruborem contrahit*, teſte Anſelmo Boëtio: & tunc *rubinus* vocatur, & *balaſſius rubinus* ſi perſpicuus ac pellucidus fuerit. Symbolum ardentis charitatis in Apoſtolo *Iacobo* Zebedæi, (*i*) ſed magis in Chriſto, in quo ignis diuinitatis vnitur gemmæ humanitatis, inquit S. Iuſtinus, Cyrillus & Nazianz. Et hic eſt tertius Symboli articulus, in Concilio magno *Chalcedonenſi* contra Eutichem & Neſtorium ab Orthodoxis ſtabilitus.

QVARTVM, SMARAGDVS, teſte Theophraſto, iaſpidis virentis proles, virore ſuo puriſſimum oleum referens, herbas ſuperans, aërem & alia vicina imbuens; luce verò ac ſplendore ſpeciem fulguris repræſentans. Viſum mirè recreat: ſpecula lucidiſſima reddit. In æreis fodinis reperitur, ſapore amarus & acerbus, teſte Epiphanio, ſed durus & inuulnerabilis. Quæ omnia *S. Ioanni* tonitrui filio, ſeu fulmini, perpetua virginitate virenti, oleo tribulationis ſimul & fraternæ charitatis lucenti, ſpeculo terſiſſimo ſanctitatis, patientię & conſtantiæ, ſi placet, adaptes; ſed longè aptiùs Chriſto patienti ac morienti.

℣. 20. QVINTVM, SARDONYX, præſtantiſſima ſpecies *onychis*, vt nominatur in Rationali pontificis: (*k*) formam & colorem habet vnguis humani: diciturque *ſardonyx*, quia rubeſcit vt *ſardius*, candeſcit vt *onyx*; teſte enim Plinio, Solino, & Iſidoro, triplici colore conſtat in triplici quaſi circulo: nam in infima parte niger eſt, in media albus, in ſumma ruber. Si oculis admoueatur, educit noxios humores, inquit Andreas Baccus. Addit Rueus, reprimere animi tumorem & faſtum: alij, conciliare lætitiam & hilaritatem. Hæc facilè accommodabis paſſioni, candori, vigori & alacritati *Philippi*, & cumprimis Chriſti ad inferos deſcendentis, faſtum dæmonum comprimentis, patres verò in limbo lætificantis & exhilarantis.

SEXTVM, SARDIVS, Plinio, Solino & aliis *ſarda*, à Sardinia ſic dictus, quòd ibi laudatiſſimus reperiatur, inquit Anſelmus Boëtius: licet alij à ſarda piſce dictum putent. quòd colorem huius referat, qui carnem humanam refert, vnde vulgò *carnerina*, & corruptè *cornerina* vocatur. Nonnulli, (vt Indici & mares,) valdè fulgent: generantur in corde ſaxi: nullam habent maculam vel vaporem, qui ipſorum ſplendorem hebetet aut offuſcet, inquit Plinius & Alcazar. Idem lapis vulneribus ferro inflictis & tumoribus medetur, inquit Epiphanius: ſanguinem vndecunque fluentem mirabiliter ſiſtit, ait Boëtius: gaudium accendit, ſi Abulenſi credimus: terrorem feris incutit, ſi Aretæ fidem habemus. Quæ in *Bartholomæum* iam excoriatum, ſed magis in Chriſtum ab inferis & morte reſurgentem, (quem Alcazar ſextum facit Symboli articulum,) optimè quadrant.

SEPTIMVM, CHRYSOLITHVS, id eſt, aureus lapis, quòd aureo ſit colore, ſed inſtar cryſtalli (*l*) pellucido, coque tam ardente, vt aurum cum eo collatũ albicare videatur, inquit Plinius. Hebraicè vocatur *Tharſis*, id eſt, *marinus*. (*m*) Vt coloris, ita & naturę ſolaris eſt, inquit Anſelmus Boëtius. Valet contra aſthma & pectoris anguſtias, contra puſillanimitatem, melancholiam, & timores noctur-nos, vt ſe expertum ſcribit Rueus, Cardanus, & ex eo idem Boëtius. Quæ Euangeliſtæ *Matthæo*, & Chriſto ad dexteram Patris aſcendenti, commodè aptari poſſunt.

OCTAVVM, BERYLLVS, aquæ marinæ colorem refert ex viridi cæruleum, inquit Boëtius. Si aurei accedant radij, *chryſoberyllus* vocitatur. Cæteræ gemmæ venuſtiores ſunt veſtitæ auro: beryllus ſine auro & nudus pulchrior eſt, inquit Plinius. Inhibet catarrhos in guttur & oculos defluentes: excitat pugnantes & animat ad pugnam, teſte Boëtio. Quæ *S. Thomæ* vulnera Chriſti palpanti: & extremo Chriſti iudicio malis omnibus medenti optimè conueniunt.

NONVM, TOPAZIVS, dictus ab inſula Topazio, vbi reperiri ait Plinius: vel ab Hebræo פז, id eſt, *auro*. (*n*) Eſt enim partim aurei coloris, partim viridis, putà porracei, ſiue qualis eſt foliorum porri, inquit Alcazar. radio ſolis ſimillimus, inquit Strabo: mirè ſplendens cùm ſolis radiis verberatur. Comprimit lunaticam paſſionem, phreneſin, luxuriam, iram, triſtitiam, inquit ex Abulenſi, Berchorio, Vincentio & aliis Alcazar. Addit Rueus, cohibere aquam ne igne efferueſcat vel ebulliat. Denique S. Ambroſius, *Si* topazium, inquit, *polire vel lenigare velis, aſperabis magis, cùm ipſe natura ſua ſit euglyphus*, id eſt, optimæ formæ, bene ſcul-

a *Plinius l. 47.*
b *Idem ib. & Epiph. Hieronym. Iſidorus, Dioſcorides l. 4. c. 16. & ex his Anſelmus Boëtius l. 2. de Gemmis c. 100 & Dalechampius.*
c *Idem, & Albertus Magnus l. 2. de Mineralibus.*
d *Boëtius ſup. c. 102.*
e *Plin. & alij ſup.*
f *Nyſſen. orat. 14. in Cant.*
g *Albert. Magnus ſup.*
h *Aretas & alij iam dicti.*
Auguſt. l. 2. Doct. Chriſtianæ c. 16. Iſidor. l. 16. c. 13. Boet ſup. c. 13.
i *Actor. 12. v. 2. Iuſtin. q. 44 ad Orthodox. Cyrill. l. de Incarnat. Verbi. Nazian. ad Clidonium dialogo 1.*
k *Exod. 28. v. 20. Plin. ſup. & l. 37. c. 6.*
And. Baccus tract. de 12. gemmis Scripturæ.
Boet. ſup. c. 81.
Plin. ſup. Epiph. de Gemmis.
Aret. in 4. Apoc.
l *Hier. 28. & 21. & Ezech. 1. v. 16.*
תרשיש
m *2. Par. 9. v. 21.*
Boet. ſup. c. 66.
Boet. ſup. c. 69.
Boet. ſup. c. 71.
n *Pſal. 118. v. 127.*

sculptus & politus. Hæc in *S. Iacobum Minorem*, sed omnium maximè in Spiritum sanctum quadrant.

DECIMVM, CHRYSOPRASVS, quod *aureũ porrum* significat; est enim porracei, seu viridis coloris cum aureo splendore, & aureis guttis inspersus. A topazio & beryllo pellucidis gemmis hoc solo distinguitur quod opacus sit, teste Plinio. Aciem oculorum roborat: animum dilatat & exhilarat, ideoque ex arcto & auaro facit liberalem ac iouialem: de quo vide Boëtium. Possunt autem hæc accommodari *Iudæ Thadæo*, & sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, sponsę Spiritus sancti & Christi. In Rationali pontificis (*a*) pro *chrysopraso* habes *achaten*, qui affinis est chrysopraso.

Boet. sup. c. 16.

a Exod. 28. v. 39.

VNDECIMVM, HYACINTHVS, instar floris hyacinthi cæruleus, violaceus, cælestis: cum cælo colorem mutat: nam sudo cælo hilarescit & splendescit, nubilo fuscatur, quasi lugens & mœrẽs, inquit Solinus. Pesti & venenatis morbis medetur, corpus roborat, somnum & lætitiam conciliat, inquit Rueus & alij. Quæ *Simoni Chananæo*, & Sacramento Pœnitentiæ ac remissioni peccatorũ propriissimè conueniunt. Pro *hyacintho* in Rationali pontificis ponitur *ligurius*: sed hunc eundem esse cum *hyacintho*, rectè probat à Lapide.

DVODECIMVM, AMETHYSTVS, id est, non inebrians, aut, vt alij, ebrietati resistens. vt hunc resistere probat ex Aristotele Rueus. Coloris est violacei, purpurei & rosei, splendoris non ex toto ignei, sed in vini ruborem deficientis, inquit Plinius, qui *gemmam Veneris* vocat, quòd oculis adeò grata accidat. Addit Boëtius illam vstione albam reddi, vt vix ab Adamante secerni possit etiam à peritis gemmarijs. Vim attrahendi vicina habet instar succinorum: vigilantes reddit & prosperos ac felices, inquit Rueus. Quæ cui inter Apostolos aptiùs quàm *Matthiæ*; inter articulos Symboli aptiùs quàm duodecimo, carnis resurrectioni & vitæ æternæ accommodes? maximè, cùm, vt sardius mater est amethysti, (*b*) ita resurrectio Christi per sardium adumbrata, causa & origo sit nostræ resurrectionis & gloriæ per amethystum designatæ.

Plin l. 37. c. 9. Boet. sup. c. 32.

b Apoc. 4. v. 3.

Sed, vt antè dixi, (*c*) non est necesse singulas gẽmas singulis Apostolis cum Ribera, aut singulis articulis Symboli cum Glossa & Alcazario scrupulosè applicare, cùm omnibus omnia conueniant, vt ex dictis facilè colligitur. Quomodo verò aptentur singulæ singulis è 12. patriarchis, fusè demonstrant iidem Alcazar, Ribera, à Lapide, & alij.

c Hic v. 14.

℣. 21. DVODECIM PORTÆ, ciuitatis DVODECIM solidæ MARGARITÆ SVNT, PER SINGVLAS portas distributis singulis margaritis: nam, vt sequitur, SINGVLÆ PORTÆ ERANT EX SINGVLIS MARGARITIS, vnaquaque margaritâ sic insectâ, cauatâ, positâ, vt amplissimam & tanto muro (*d*) proportionatam portam redderet. Hæ (*e*) margaritæ, hæ portæ symbola sunt Apostolorum & Apostolicorum virorum, concionatorum, Pastorum, Doctorum Ecclesię qui ouiculis Christi pandunt aditum in cælum.

d Hic v. 12. & 17.

e Matt. 13. v. 45.

PLATEA, id est, pauimentum platearum, CIVITATIS, æquè ac domus vtrimque eis adiacentes, prorsus aureæ sunt & pellucentes instar crystalli. Quo designatur, omnia in cælo vt pretiosissima sunt, ita & lucidissima ac splendidissima, & omnibus peruia ac perspicua esse.

℣. 22. TEMPLVM quod victimis & sacrificijs offerendis deseruiat, NON VIDI IN EA. Quia victimæ & sacrificia mortalibus solis necessaria sunt, qui per illa debent offensum Numen placare. In cælo talibus nulli egent. Ad Deum verò laudandum, benedicendum, adorandum, & glorificandum, (quod etiam in templis fieri solet,) seruiet ipsis pro templo ipsemet DEVS, diuinaque essentia & perfectiones, quia in his, & ex his hauriunt omnes laudes, benedictiones, & gratiarum actiones in æternum, neque egent extra Deum vllis, seu excitamentis, seu adminiculis externis, Quòd si tamen talibus aliquibus vti voluerint, habent innumera in Agno, id est, Christo, qui vt seipsum suaque merita offert continuò Patri in sacrificiũ suauissimi odoris, ita & à Sanctis idem in eumdem finem eidem offertur æternùm. ita ferè Richardus & Primasius. Stultè ex hoc loco probare vult Augustinus Marloratus, nullum esse sacrificium in Ecclesia Christi militante: cùm hîc non de militante, sed de sola triumphante Ecclesia sermo sit, vt passim omnes exponunt. Alioqui pari iure sequeretur ex eius verbis, Ecclesiam militantem *non egere sole, neque luna.*

℣. 23. NAM sola CLARITAS DEI, id est, Deus ipse splendidissimus, per lumen gloriæ quod in incolas omnes diffundit instar fulgentissimi solis, ILLVMINAVIT EAM semel & simul, vt alio lumine non egeant tota æternitate. Nihilominus pro secũdaria ipsis LVCERNA, & quasi luna, EST AGNVS, nempe splendidissima & glorioſissima Christi humanitas, corporeos Sanctorum oculos æternùm oblectatura, vt pulchrè docet S. Augustinus. Vnde lumen huius cælestis ciuitatis tantum, tam intensum, tam extensum est, vt etiam extra illam

Augustin. Meditation. c. 6. in hymno de gloria paradisi & c. 26. in 9.

℣. 24. GENTES in terris adhuc militantes, *ambulent* IN LVMINE EIVS, non in se per ocularem intuitum, sed in typis & vmbris per fidẽ conspecto. q.d. Adeò intẽsum est illud lumen, vt pauci radioli reflexi, si quis ijs attendat, sufficiant pellendis totius mundi tenebris. Vnde ET REGES omnes TERRÆ alij post alios, afflati hoc lumine, AFFERENT IN hanc ciuitatem quasi in commune emporium, vel in regium palatium, omnẽ SVAM GLORIAM ET HONOREM] non tam vt ciuitatem glorificent & honorent, quæ eiusmodi fucatis ornamentis non eget: quàm vt ipsi ab ea & in ea glorificentur & honorentur. Opes igitur suas temporales & spiritales, merita, virtutes, sapientiam, ingenium, industriam, dotes omnes animi & corporis, omnia regna sua & imperia huc dirigent, vt se & suos subditos per radios huius luminis ad beatam hanc ciuitatem feliciter deducant, inquit Primasius, Rupertus, Viegas & alij. Alludit ad illud Isaiæ, *Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.* Quod enim Isaias ad litteram dicit de Ecclesia militante, & Anagogicè de triumphante; hoc Ioannes ad litteram hîc applicat Ecclesiæ triumphanti.

Isaiæ 60. v. 3.

℣. 25. PORTÆ NON CLAVDENTVR PER DIEM, seu quotidie in fine diei, vt alibi fit imminente nocte & tenebris: tunc enim solent metu hostium claudi portæ, sed in cælo non claudentur, quia NOX NON ERIT ILLIC, vti nec vllus hostis, nec vllus metus, sed summa pax & æterna securitas.

℣. 26. AFFERENT ergo IN ILLAM omnibus & iugiter

a *Hie v.14. Psal.21. v.28.* iugiter patentem, non modò *regum* GLORIAM, vt antè (*a*) dixi, sed & omnium GENTIVM ac nationum. *Conuertentur* enim *ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ Gentium.*

℣. 27. NON tamen INTRABIT IN EAM ALIQVOD COINQVINATVM, seu aliquis alicui reatui culpæ vel pœnæ, etsi minimo obnoxius, nempe priusquàm se ab eo expedierit, seu satisfaciendo in hac vita, seu satispatiendo in altera. Sed illi soli introïbunt, QVI plenè purgati & mundi, atque vt tales, ab æterno præuisi, SCRIPTI SVNT à DEO IN LIBRO VITÆ AGNI) de quo suprà. (*b*)

b *Apoc.3. v.1.& c.20 v.12.&c.*

CAPVT XXII.

Cælestis ciuitatis fluuium, & ex vtraque fluuij parte dispositas arbores vitæ describit. Gratias dein angelo pro tot reuelationibus supplicabundus agit, sed prohibetur ab angelo. Mortales omnes hortatur ad cælestis ciuitatis desiderium, vtq; per fugam peccatorum & studium virtutum, illam subire conentur. Graues pœnas comminatur falsariis, qui prophetiæ huic audeant aliquid addere vel decerpere. Denique ad cælestem ciuitatem, ad Christum, ad Deum suspirans, rogat quantocius eò transferri.

℣. 1. FLVVIVM (Arabicus *mare* vocat) AQVÆ VITÆ, id est, viuas & vitales aquas continuò scaturientem, vidit Ioannes DE SEDE (seu throno) DEI ET AGNI in medio vrbis alto loco conspicua PROCEDENTEM, indeque per *medium* PLATEÆ, id est, per singulas vrbis plateas circumcirca decurrentem, tum ad voluptatem incolarum, tum ad vtilitatem, eamque duplicem, nempe vt sitientibus det potum, ℣.17. Et esurientibus cibum subministret ex arboribus vtrimque ad ripas excrescentibus, v.2. Per hunc fluuium Rupertus & S. Ambros. intelligunt Spiritum sanctum ex throno *Dei & Agni*, id est, ex Patre Filioque emanantem: Richardus & Ioachimus, gratiam & dona Spiritus sancti. Aptiùs cum Alcazario & alijs intelliges tam per FLVVIVM, quàm per LIGNVM VITÆ exuberantiam bonorum & voluptatum ex clara Dei & Christi visione ac fruitione in Sanctos omnes emanantium, qualia sunt in anima gaudium, pax, quies, delectatio, cognitio & scientia rerum omnium: in corpore plena sanitas, vigor, robur, agilitas, claritas, subtilitas, impassibilitas. &c. quibus Primò, quasi cælesti nectare & ambrosia Sancti sitim suam & vota omnia plenè explent, seseque perpetuò oblectant & quasi inebriant. Secundò, quasi pomis sapidissimis, maximeque viuificis nutriuntur, impinguantur, roborantur & immortales redduntur. Tantæ enim efficaciæ sunt hæc poma, vt vel sola FOLIA quibus teguntur, id est, minimum quodque quo Beati in cælo recreantur & vegetantur, sufficiat AD plenam solidamque SANITATEM GENTIVM omnium in terris, si vel vnico momento possent illo frui, è vestigio procurandam. Alludit autem ad *lignum vitæ*, seu ad vnam illam arborem viuificam quæ erat in paradiso terrestri, (*c*) asseritque, in cælesti paradiso omnes arborum species esse *ligna vitæ*, id est, vitã afferre & immortalitatem. Vnde & S. August. Anselmus, Laur. Iustinianus & plures alij censent, in cœlo ad litteram verum fore fluuium, veras arbores, vera poma, veros flores, & res floridas, odoriferas, amœnas, quæ visum, odoratum, gustum & tactum corporalem Sanctorum perpetuò pascent & continua voluptate perfundent. Id enim & facile Deo, & conforme naturæ corporali, & varijs reuelationibus est comprobatum. (*d*) Si enim, vt S. Thomas, Richardus, & Barradius ex S. Ambrosio, Basilio, Damasceno & alijs docent, aër est in cœlo empyreo, qui instar aëris nostri finditur & scinditur (alioqui Beati in cœlo quasi in solido muro cõpacti degerent:) quid ni sit & aqua, & horti, & fructus, sed æthereæ ac cælestes, quibus sensus omnes corporei Sanctorum etiam corporaliter oblectentur? vt oblectandos docent idem S. Thomas, Scotus, Dom. Soto, Henricus, Maior & plures alij quos citant & sequuntur Franc. Suarez & Ioannes Salas. Quòd autem arbores istæ cælestes singulis mensibus nouos proferant fructus: quòd etiam fluuius nouas semper aquas submittat; symbolum est, continuam in Beatis esse voluptatum & beatitudinis renouationem, eamque semper completam ac perfectam, adeò vt singulis mensibus, diebus & horis ita eis noua, sapida ac iucunda accidat earumdem fruitio, atque fuit prima die vel hora: numquam enim, ne quidem post mille myriades millionum annorum, obrepet illis vllũ vetustatis, fastidij vel satietatis vestigium. Fluuium hunc cælestiũ gaudiorũ & arbores viuificas anagogicè adumbrauit fluuius & arbores Ezech. 47. vt ibid. exposui. Iac. Aluarez de Paz hæc omnia tropologicè adaptat *perfectioni*, in cordibus iustorum plantatæ iuxta fluenta gratiæ, cuius radix est, timor Dei; (*e*) rami, virtutes; (*f*) folia, præcepta diuina; fructus, exercitia virtutum omnium, maximè 12. fructuum Spiritus sancti. (*g*)

c *Gen. 2. v.8. August. sup. Anselm. de Similitud. c.75. Iustinian. de Disciplina Monast. conuers. c.23*

d *Greg. l.4. Dial. c.36. & in Vita S. Dorotheæ 6. Februarij S. Tho. in 4. dist.2.q.2. a.2. Richard in 4. d.49.q.3. a.4. Barrad. to.3 l.10.c.3. Suarez 3. p. tom.2. disp.47. sect.vlt. Salas 1.2. q.2.a.5. tract.2. disp.14. sect.14.*

e *Ezech.47. v.1.5.7.12. Paz l.3. de Perfect.p.2. c.13.& seq.*

f *Eccli.1. v.16.*

g *Ibid.v.25. Galat.5. v.22.*

℣. 3. NON ERIT AMPLIVS in cælo OMNE MALEDICTVM. Metonymicè, pro, nullus erit maledicti, seu peccati, effectus vel pœna. q. d. *Nullus morbus, nullus dolor, nulla miseria erit ibi*: SED SEDES DEI ET AGNI, quorum optatissima præsentia, familiaritate & complexu fruentur æternùm: nec erunt amplius serui hominum, vel mancipia vanitatum, sed SERVI immortalis Dei, cui seruire, regnare est. (*h*) Vnde illius solius

h *Hic v.3.*

℣. 4. NOMEN ERIT IN FRONTIBVS EORVM] Hoc vno Domino palàm gloriabuntur. Glorioſius enim, imò & optatius est Sanctis, Deo deseruire, summo & infinito bono, quàm extra eius seruitium frui omnibus honoribus, voluptatibus & oblectamentis possibilibus. Alludit ad laminam auream pontificis ex fronte dependentem, cui inscriptum erat *Sanctum Domino*, Exodi 28. v. 36. quæ pontifici erat summo honori. Concludit mox angelus legationem suam:

℣. 6. HÆC VERBA, id est, hæc quæ tota hac Apocalypsi variis symbolis tibi, ô Ioannes, hucusque exhibui; omnia FIDELISSIMA certissimaque SVNT, & indubiè suo singula tempore obuentura. Quod vt toti orbi constaret, DOMINVS DEVS SPIRITVVM PROPHETARVM, id est, qui Prophetis & Apostolis suis dedit spiritum propheticum, quo possint veras reuelationes & prophetias, à falsis secernere; MISIT ANGELVM SVVM, de quo c. 1. v. 1. vt *ostenderet* Ioanni, & per Ioannem aliis SERVIS SVIS, QVÆ OPORTET FIERI CITÒ, v.g. quæ primis capitibus prædixit septem Asiæ Episcopis. Quamquam & reliqua omnia vsque ad extremum iudicii diem, respectu æternitatis dici possint citò, imò & citissimè, euentura. Vnde mox subdit Deus,

℣. 7. ECCE VENIO VELOCITER, pios aterna (quam suprà descripsi) beatitudine donaturus: impios perpetuis suppliciis (quæ antè exposui) mulctaturus.

℣. 8. Ego

℣. 8. EGO IOANNES, testor me esse eum QVI HÆC AVDIVI ET VIDI. Hæc est Apostoli propriæ manus subscriptio, quâ fidem orbi facit, hanc sibi cælitus factam Apocalypsin. POSTQVAM verò AVDISSEM iam hæc omnia, nec aliud supereſſet audiendum, accidi *angelo*, QVI MIHI HÆC *ostenderat*, ad PEDES, VT condigno honore ipsum ADORAREM, & pro tam prolixo beneficio debitas gratias agerem. Sed is ex modestia & ciuilitate id permittere noluit, vt suprà (*a*) etiam vidimus. *Apoc.* 19. 10.

℣. 10. NE SIGNAVERIS, (*b*) id est, noli obsignare, occludere, celare oracula hoc libro contenta: TEMPVS ENIM quo implenda sunt, vel saltem quo fidelibus erunt vsui, & ad manum esse debebunt, PROPE EST, vt dixit v. 7. Interea *Dan.* 8. 26. & 12. v. 4.

℣. 11. QVI NOCET & iniurius est proximo, NOCEAT ADHVC: quemque permitto suæ libertati, etiam hostes & persecutores Ecclesiæ: sed quantò B hi deteriùs & immaniùs se gerent, tantò IVSTVS in iustitia & sanctitate magis crescere & eminere studeat. Simili modo, quantò QVI SORDIDVS EST gulâ, venere, vel aliis sceleribus, illa semper accumulando indies SORDESCIT; tantò optem iustum ac sanctum, per maiorem indies abstinentiam, studium & contentionem, magis continuò sanctificari. q.d. Quisque pius accumulare studeat merita, vti impij accumulant demerita. Hoc enim pacto & impiorum supplicia & iustorum præmia tandem ad plenum suum cumulum deuenient. ita Alcazar & à Lapide. Ex quo contra hæreticos patet, iustitiam & iniustitiam non esse in omnibus æqualem, nec consistere in indiuisibili, sed posse per bona vel mala opera crescere & augeri.

℣ 14. BEATI QVI STOLAS, seu vestes, conscientiæ suæ, maculis peccatorum (vt fit) sordidatas, LAVANT & purgant SANGVINE AGNI, id est, meritis Christi, Sacramento Pœnitentiæ communicatis. Hoc enim sapone vel lixiuio peccata omnia facillimè eluuntur. VT SIT POTESTAS EORVM, id est, vt ius & facultatem habeant (Græcè enim est ἐξουσία) IN, seu ad, LIGNVM VITÆ de quo v. 2. id est, ad visionem & fruitionem Dei. ET hoc iure prædi ti INTRENT PER dictas PORTAS IN CIVITATEM cælestem. Nam vt olim ad paradisum terrestrem, Gen. 3. v. 24. ita etiam ad cælestem *e Apoc.* 21. v. 12. appositi custodes Archangeli (*c*) neminem intromittunt qui stolam nuptialem (*d*) non planè candidam attulerit. Igitur *d Matt.* 22. v. 11.

℣. 15. FORIS, id est, extra ciuitatem hanc maneant oportet, CANES, id est, caninis sordibus D conspurcati, vel instar rabidorum canum sæuientes in proximi sui vitam, famam, fortunas: item VENEFICI, id est, magi vel malefici: denique OMNIS QVI *e Apoc.* 21. FACIT MENDACIVM (*e*) pernicioſum proximo suo, v. 8. v.g. periurus, falsus testis, calumniator &c. Hæc scelera abundabant tempore S. Ioannis, & magis abundabunt tempore Antichristi, de quo maximè hîc est sermo. Vnde vt illis obuietur,

℣. 16. EGO IESVS MISI ANGELVM hunc MEVM ad Apostolum meum Ioannem, vt per illum vobis ô Christiani IN omnibus ECCLESIIS & cœtibus *testificer*, id est, testata & manifesta reddam omnia HÆC oracula hoc libro contenta. Et hæc est Christi subscriptio, & quasi propriæ manus adnotatio, quâ testatur, hanc Apocalypsin & oracula à se profecta. Et quidem præter nomen *Iesu*, etiam exprimit qualitatem seu dignitatem personæ suæ, quò magis omnia confirmet & inculcet? EGO SVM RADIX, stirps, ET GENVS DAVID, (*f*) id est, ego *f Apoc.* 5. qui hæc edico, sum ille Dauidis filius, toties orbi v. 5. promissus, ac demum etiam concessus, qui Dauidis glorioſum regnum penè extinctum, quasi filius & heres, sulcito, magisque glorioſum efficio in Ecclesia, primùm militante, dein & maximè in triumphante. Ego sum STELLA SPLENDIDA MATVTINA, de qua suprà. (g) q.d. Ego instar *Luciferi*, g *Apoc.* 2. prænuntius vobis sum propinquantis solis, seu vitæ, beatitudinis & gloriæ æternæ. v. 28.

℣. 17. ET SPIRITVS sanctus, ET SPONSA Christi, nempe Ecclesia tota, DICVNT Christo, VENI, supple, ad iudicium, quo citiùs cum sponsa tua in thalamo cælesti delicieris & triumphes. *Dicunt*, inquam, si non verbis, certè votis ac desideriis ardentissimis, & pari modo docent (*h*) singulos fidelium h *Prælog. de Idiotismo Hebr. n.* 60. idipsum desiderare, anhelare & orare. Vnde omnis QVI Spiritum sanctum & Ecclesiam AVDIT, eiusque doctrinæ obedit, DICAT similiter Christo VENI, & accelera nos tecum in cælestem paradisum inducere. Nec tamen sufficit, verbo solo id dicere: necesse est etiam obuiam illi spiritualibus gressibus ire. QVI ergo SITIT & ardet eò pertingere, festinet heroicis virtutum actibus & generosa persecutionum tolerantia quotidie propiùs *venire*, i *Apoc.* 22. v. 1. seu accedere, ET AQVAM VITÆ, quam dixi (*i*) *accipere* à Christo, idque GRATIS, vt aliàs (*k*) exposui, k *Apoc.* 21. v. 6. & nempe intuitu meritorum ipsiusmet Christi, quæ *Rom.* 6. sola reddunt opera iustorum accepta Deo, & meri- v. 23. toria vitæ æternæ.

℣. 18. CONTESTOR autem (nam Græcum γὰρ, id est, *enim* sæpè pro δὲ id est, *autem*, ponitur:) SI QVIS AD HÆC VERBA LIBRI PROPHETIÆ HVIVS aliquid de suo addiderit, seu APPOSVERIT, aut certè detraxerit quippiam vel DIMINVERIT; incursurum hunc iram diuinam, & horribiles plagas hoc libro expressas. Ex hoc loco volunt hæretici euertere leges omnes humanas, maximè Ecclesiasticas, sed insulsè: nam leges hæ non adduntur vt scripta vel assumenta diuina, *l Deut.* 4. sed vt humana ex diuinis deducta, vt aliàs (*l*) v. 2. exposui.

℣. 20. Ita DICIT & edicit, non Ioannes (etsi id velint Aretas & Ribera) sed Christus, QVI TESTIMONIVM ISTORVM omnium iam dictorum PERHIBET Ioanni, & nobis per Ioannem. *Dicit*, inquam, tam id quod iam præcessit, *Si quis apposuerit*, &c. quàm quod immediatè sequitur; ETIAM VENIO CITO, id est, certissimè & citissimè veniam fideles mihi præmiaturus, infideles damnaturus. ita Rupertus, Ansbertus, Haymo, Viegas, à Lapide Christo sic promittenti respondet Ioannes, AMEN, id est, fiat. q. d. Omnino VENI, & citò veni DOMINE IESV] Iam senex & effœtus penè centenarius, (*m*) & siti ardens æternæ quietis, *m Chron. ć. vlt. sub finē.* quid aliud optem, quid aliud spirem, quid aliud orem, quàm citò defungi miserâ hac vitâ, & in optatissimos Christi amplexus deuolare? quid charius, quid suauius sponsæ, quàm citò frui conspectu, complexu & osculis optatissimi sponsi? *Psal.* 41. v. 1. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?*

℣. 21. GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI sit æternùm, ô lectores optimi, CVM OMNIBVS VOBIS. AMEN.

A Tandem

TAndem magno, ſed grato labore, finis (quæ Dei benignitas eſt,) factus Commentario. Sed breuitas illius non permiſit, vt multa, quæ multi optant, ſuis vbique locis inſererentur. Vellent quidam non nuda Auctorum nomina, ſed & encomia proferri quoties citantur. Intereſt enim, quis quid dixerit. Optarent alij, præclariora Scripturæ dogmata, dum vno loco traduntur, aliis ſimilibus alibi traditis illuſtrari ac confirmari. Gratum aliis eſſet, loca quæ cum aduerſariis controuerſa ſunt, non obiter tantùm elucidari, ſed ab ouo examinari, conquiſitis è tota Scriptura argumentis quibus ſtabiliantur. Plurimi ἀντιλογίας, ſeu apparentes contradictiones, quæ ſæpiùs occurrunt in Scripturis, deſiderarent mutuò componi, & ex profeſſo conciliari. Denique gauderent, ſiluam materiarum & conceptuum concionatoribus ſuggeri, quibus dum pluſculum occupantur, poſſint ſine notabili labore conciones ſuas inſtruere, & ad dicendum comparari. Sed quis exiguo Commentario tam multis, tam variis faciat ſatis? Extant aliorum vaſta & prolixa volumina: nec tamen ſubminiſtrant hæc omnia. quis auſit à breui Commentatore talia depoſcere? Ne tamen etiam in hoc genere deſim tam multorum votis, ſtatui quod in Commentario non licuit, præſtare cum bono Deo, in ſubiectis indicibus, &, ni fallor, paulò vtiliùs, paulò commodiùs, paulò gratiùs. Quæ enim variis atque incertis locis, nec niſi carptim ac diuiſim, in Commentario proponi, magnoque faſtidio ſæpiùs repeti debuiſſent, hîc ſimul ac ſemel, collectim & ordine ob oculos ponentur. Erit ergo quintuplex hic index.

Primus, Auctorum toto Commentario citatorum, adnotato tempore & loco quo quiſque vixit, & ſcriptis & officiis quibus claruit.

Secundus, Nominum & rerum quæ totis duobus tomis pertractantur. Qui etiam ſeruiet pro locis communibus, quorum aliis alios elucidant & confirmant.

Tertius, Controuerſiarum: ſeu quæſtionum fidei, quas vel hæretici, vel Iudæi, vel Mahometani, vel Politici in dubium vocant, ſed ex SS. Scripturis toto hoc Commentario explicatis probantur ac ſtabiliuntur.

Quartus, Antilogiarum, ſeu apparentium contradictionum, quæ paſſim in Scripturis occurrunt, ſed in hoc opere conciliantur.

Quintus, Variarum materiarum & conceptuum pro Euangeliis totius anni, in gratiam & vſum concionatorum.

Atque his ſpero, omnium ſupradictorum votis abundè factum iri ſatis. Quòd ſi quis egeat interpretatione nominum Hebraicorum vel Chaldæorum, vel Græcorum, reperiet ſuis quæque locis in Commentario. Si Indicem illorum alphabeticum velit, ſubminiſtrant illum omnia Biblia Plantiniana.

Si Indicem locorum in Bibliis Latinis Romæ nuper correctorum, vel fortè adhuc corrigendorum; habent illum eadem Biblia Plantiniana à Franciſco Luca ordine contextum.

Si Indicem locorum ab hæreticis corruptorum; facilè colliget ex Plagiario Petri Cottoni, ex Theomachia Feuardentij, & aliis ſimilibus.

Si Phraſes & formulas loquendi S. Scripturæ, ſi adagia, & ſelectas hinc inde ſententias; adeat Emanuelem Sà, Martin. Delrium & Andream Schottum.

Si denique Concordantias morales vel hiſtoricas, & ſelectiores Allegorias S. Scripturæ; dedit illas ex Hieron. Laureto & Georgio Bulloco Petrus Eulard: vt iam actum rurſus agere non debeamus.

INDEX

INDEX PRIMVS
QVI EST
AVCTORVM
IN HOC COMMENTARIO
CITATORVM.

ET verò millies audis citari nunc hos, nunc istos Patres, Doctores, historicos, & alios Auctores sacros, profanos; orthodoxos, heterodoxos, antiquos, modernos, medios, plerisque vt plurimùm ignotos, magnum tamen pondus sententiis addituros, si innotescant. V. G. citantur Alcuinus, Rabanus, Ansbertus, Alensis, Abulensis, &c. si præter nuda nomina nil audis, habes quinque Doctores Theologos, nec aliud. At si audieris, primum istorum fuisse magistrum S. Lutgeri & Imperatoris Caroli magni, omnium artium (vt Baronius vocat) sæculo octauo armarium; secundum fuisse Archiepiscopum Moguntinum, cui Germania nono seculo nullũ parem habuit; tertium eodem sæculo ab ipsomet Christo sæpiùs instructum; quartũ, S. Bonauenturæ & S. Thomæ Aquinati decimotertio sæculo præceptorem; de quinto iactare solitum,

Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne, &c.

nónne decuplo plus ponderis censebis additum illorum sententiis? Hæc verò singulis Commentarij locis, vbi citantur, inculcare, vt prolixum, ita penè impossibile fuerit. Vno tantùm alterôve loco indicasse, quid iuuerit? & vbi quæres? Plurimum iuuerit, & semper ad manum erunt, si in vnum indicem collegeris, vt hîc collectos videbis, in gratiam eorũ, quibus id scio extremè in votis esse. Atque vtinam omnes omnium artium studiosi tempus subinde aliquod præclarioribus in qualibet scientia Scriptoribus saltem obiter excutiendis, & quid ab omni æuo singuli tradiderint, inuestigandis impendant! Incredibile est, quantum id momẽti ac subsidij studijs promouendis solidandisque afferret. In horum ergò gratiam & vsum hãc quam vides Scriptorum seriem collegi, non omnium in quauis arte, (nam hoc à scopo meo alienum:) sed primariorum ac præcipuorum, quorum sententias in decursu Commentarij vel secutus sum, vel refelli. Qui plures volet, adeat Antonij Possevini Apparatum sacrum ac profanum: adeat Elenchum Fabiani Iustiniani: adeat & antiquos illustrium Scriptorũ collectores. hi digito ostendent, qui, quid & quando tradiderint. Mihi maximo vsui in hoc genere fuerunt, ex Gentilibus Græcis Plutarchus, qui anno ab ortu Christi centesimo: Diogenes Laërtius, qui anno 150. Philostratus, qui 246. Eunapius, qui 370. floruit, ex Christianis Græcis Hesychius, qui anno Christi 518. Photius, qui anno 860. Suidas, qui anno 1080. ex Latinis Gentilibus Varro, qui 40. annis ante natum Christum, & Suetonius qui 120. post natũ scripsit. ex Christianis Latinis S. Hieronymus, qui sacros Scriptores (non tamen omnes,) vsq; ad annum Christi 410. primus collegit. defectus ex parte suppleuit Gennadius protracto Indice vsque ad annum 490. & Isidorus Hispalensis vsque ad annum 590. & Sigebertus & Honorius, quorum ille ad annum 1110. iste ad 1120. & Henricus de Gandauo, qui ad annũ 1280. progressus est. Denique Ioannes Trithemius, qui ab Apostolorum temporibus ad suam vsque ætatem, id est, vsque ad annum Christi 1494. sacros, quotquot reperit, auctores adnotauit: cui alius incertus auctor appendicem dedit, postea auctam à Balthasare VVerlino. Accesserunt nostro sæculo Gesnerus, Possevinus, Bellarminus; & plures recentiores toti orbi notissimi. Ex his, & subinde etiam ex aliis, vti videbis, hunc Indicem collegi, quem maioris lucis causâ sic disposui, vt primo statim aspectu nomen & patria & vitæ conditio & scripta singulorum innotescant, ætate quâ vixerunt ad vnum latus adnotatâ, ad alterum auctoribus qui primi ipsorũ meminerunt. Quæ simul omnia, quod sciam, præstitit hucusque nemo. Vtere, fruere amice Lector, mei subinde memor apud communem Dominum.

Sixtus Senensis li. 2. Bibliotb. SS. PP.

ABDIAS primus Babylonis Episcopus, vnus ex Christi discipulis. Circumferuntur eius nomine *vitæ Apostolorum*, sed fabulis refertæ. Huius Abdiæ veterum meminit nemo. Vixit circa annũ Christi 80

Genebr. in Notis Chronic. sæculo 13.

R. ABRAHAM BEN-EZRA, id est, filius Ezræ, Hispanus, vir primæ apud Hispanos Iudæos auctoritatis. In *varios S. Scripturæ libros* scripsit. 1250

Athenæ Belgicæ Suvertij.

ABRAHAM ORTELIVS Antuerpiensis, edidit *Theatrum orbis terrarum*. Obijt anno 1598. edidit & *Thesaurum Geographicum*, *Germanorum veterum vitam & mores*, *religionem*, &c. 1598

ABVLENSIS vide ALFONSVS.

ABYDENVS vide BEROSVS.

Hieron in Catalogo. cap. 109.

ACATIVS Cæsareæ Episcopus, Eusebij successor, æquè atque ille Arianus, scripsit *Selectas quæstiones S. Scripturæ.* 350

Catalog. scriptorum Societ. Iesu.

ADAMVS CONTZEN germanus, Societatis Iesu, de *gratia primi hominis*: item *lib.* 10. *de Republica*: item *Turbatæ religionis causas & remedia*: *Defensionem Bellarmini*, &c. 1620

Athenæ Belgicæ.

ADAMVS SASBOVT Delphensis, Louanij S. Scripturæ Professor, ex S. Francisci familia, in *varios S. Scripturæ libros*: item *Homilias*, &c. Obiit ann. 1553

Baron. ad an. Christi 851. & 878

ADO Archiepiscopus VIENNENSIS, auctor *Chronici ab orbe condito* vsque ad annum Christi 879

Bellar. de script. Eccl.

ADO TREVIRENSIS Episcopus, auctor *Martyrologij.* 1070

Athenæ Belgicæ.

ADRIANVS VI. Pont. Max. Vltraiectinus, scripsit varias *Epistolas*, *& in quartum Sententiar.* 1523

Ibidem. & Balth. VVerlinus in addit. ad Trithemij Catalogum.

ADRIANVS BARLANDVS Belga Zelandus, *Historiam à Christo nato*: item de *rebus gestis Ducum Brabantiæ*, vsque ad annum Christi. 1525

Athenæ Belgicæ & Biblioth. Batauorum Clouquij.

ADRIANVS FINVS Ferrariensis edidit *Flagellum Iudæorum.* 1537

ADRIANVS IVNIVS Hornanus, medicus, edidit *Animaduersionum* libros sex, *Nomenclatorem*, &c. 1542

ADRICHOMIVS vide CHRISTIANVS.

ÆGIDIVS DE CONINCK Belliolanus Societatis Iesu, *de Sacramentis*, & *de Fide, spe, charitate*, &c. 1631

Trithem. de Scriptorib.

ÆGIDIVS ROMANVS è Columnensium familia, Ordinis S. Augustini Prior Generalis, Archiepiscopus Bituricensis, B. Thomæ Aquinatis quondam auditor, *in primum & secundum Sentent. in Canticum*, *in Epistolam ad Roman.* &c. 1280

Suidas Philostrat. Volaterran. Anthrop. l. 13. Vign. an. 130. Eusebius & Horat. in Arte Poetic. Genebr. in Vigilio.

ÆLIANVS Sophista Pausaniæ sub Adriano Imper. discipulus, scripsit de *Historia animalium*, &c. 130

ÆSCHYLVS poëta *Tragœdias* primus in lucem protulit, teste Quintiliano ante natum Christum annis 490.

AFRICANVS vide IVLIVS.

AGATHIAS historiographus *rerum sub Belisario gestarum.* 566

AGRICOLA vide GEORGIVS & RODOLPHVS: & in Cornelio Tacito.

ALBERICVS GENTILIS Iurisconsultus Caluinista. Vixit

Sixtus Sen. in Biblioth. l. 4. Trithem. de Scriptor.

ALBERTVS ob singularem sapientiam cognomento MAGNVS, natione Sueuus, Ordinis S. Dominici, Episcopus Ratisponensis, scripsit *Summam Theolog. & in Magistrum*, & alia penè innumera quæ Trithemius recenset. 1257

ALBERRVS VVIDMANSTADIVS Ferdinandi 1. Imperatoris Cancellarius, *Nouum testamentum syriacè* edidit. Vide SYRIACA. 1560

Eginardus in vita Caroli Magni. Baronius an. 778.

ALBINVS FLACCVS, aliàs ALCVINVS, Anglus, Bedæ discipulus, magister S. Ludgeri & Caroli Magni, *Armarium artium liberalium*, inquit Baronius. 773

Volater. de Mahomete.

ALCAZAR vide LVDOVICVS.

ALCHORAN ex Iudæorum & Bayræ ac Sergij Monothelitarum erroribus à Mahomete consarcinatur anno Christi. 630

ALCIATVS vide ANDREAS.

Hieron. an. 360. Ado in Chronic.

ALCIMVS Aquitanus rhetor, multa scripsit quæ S. Hieronymus recenset. 360

S. ALCIMVS AVITVS Viennensis Episcopus, *libros sex carminum*, *& lib. 9. Epistolarum*, *& plures homilias.* 494

Balthasar VVerlin in addit. ad Trithemij Catalogum.

ALDROVANDVS vide VLYSSES.

ALDVS MANVTIVS Romanus, nobilis typographus, ob egregiam eruditionem Leoni X. pontifici percharus, *Grammatices præcepta* collegit, Nazianzeni carmina vertit: de *Diebus, horis & vmbris* scripsit, &c. obijt. 1516

VVerlin. in addit. ad Trith Cat. Petr. Rodolphus à Tossignano, in hist. Seraph. Trithem. in Catalogo. Volater. in Seuero.

ALEXANDER AB ALEXANDRO Neapolitanus Iurisperitus scripsit *Dies geniales.* 1480

ALEXANDER DE ALLS, seu ALENSIS, Anglus, Ordinis S. Francisci, præceptor S. Bonauent. & S. Thomæ Aquinatis, scripsit in *Magistrum*, & *in varios libros S. Scripturæ.* 1245

ALEXANDER APHRODISÆVS philosophus Peripateticus, primus Aristotelis commentator sub Seuero & Antonino Imperatorib. Vide apud Gesnerum quæ scripserit. 208

ALEXANDER SCVLTETVS Lutheranus edidit *Chronicon*, &c. 1595

Gerardus Vossius de Hist Gratis l. 2. c. 23.

ALEXANDRINVM CHRONICON vsque ad 22. annum Heraclij, Christi 613. cuius auctor fortè Petrus quinquagesimus Episcopus Alexandrinus. 613

ALFONSVS CAETANVS Siculus, è Soc. Iesu. Vide in Octauio Caëtano.

Simlerus in Biblioth.

ALFONSVS A CASTRO Zamorensis, Ordinis S. Francisci, potens hæreticorum flagellum. 1540

Catalog. Societ. Iesu.

ALFONSVS SALMERON Toletanus, è primis Patribus Societ. Iesu, scripsit prolixa *commentaria in Nouum testamentum per quæstiones.* Obijt 13. Februar. 1585

Simleri Bibliotheca.

ALFONSVS TOSTATVS Abulensis in Hispania Episcopus. Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne. 1440

Ibidem.

ALOYSIVS LIPOMANVS ex patricio Veneto Episcopus Veronensis, *Catenam* collegit in *Genesin*, *Exodum & Psalmos*, ex plurimis Latinis & Græcis auctoribus: item *Vitas Sanctorum*, &c. in Synodo Tridentina clarissimus. 1545

ALVA-

Annales Franciscanorum. ALVARVS PELAGIVS Hispanus, Ordinis S. Francisci, Episcopus Syluensis, *de planctu Ecclesiæ.* 1330

Bellarm. de Script. Eccl. Baron. AMALARIVS FORTVNATVS Episcopus Treuirensis, Alcuini discipulus, floruit tempore Greg. IV. Pont. & Ludouici Pij Imp. scripsit *quatuor libros de Diuinis Officiis, de Mysteriis Missæ*, &c. 830

Hieron. in Catalog. cap. 135. S. AMBROSIVS Episcopus Mediolanensis Gratiano & Theodosio Impp. Doctor Ecclesiæ, cuius opera recenset S. Hieronym. Præter *sermones multos & epistolas*, supposita etiam illi *Commentaria in epistolas S. Pauli*, quæ Bellarminus putat esse Hilarij diaconi Romani, S. Ambrosio coæui: è viuis excessit 397

Bellarm. in Catalog. Balthazar. VVerlin. in addit. ad Truh. Cat. Vossius in Hist. Lat. l. 3 & Simler. Bibioth. & VVerlin. sup. Eusebius li. 6. c. 13. & Baronius anno 234. Hieron. in Catal. c. 133. Bellarm. supra. Martyrol. 13. Iulij. Turrian. l. 2 contra Magdeburg. c. 8. To. 1. Biblior. SS. PP. AMBROSIVS CATHARINVS Senensis, Ordinis S. Dominici, Archiepiscopus Compsæ, Lutheri antagonista, obiit 1552

AMBROSIVS CONTARENVS à Venetis ad Vsuncassanum Persarum regem legatus, scripsit *Itinerarium in Persiam.* 1477

AMMONIVS, Christianus philosophus, Origenis & Plotini Ægyptij magister. Scripsit *de consonantia Moysis & Iesu*, item *Canones Euangelicos.* 234

S. AMPHILOCHIVS Iconij Episcopus, SS. Basilij & Nazianzeni in eremo socius, & doctrinâ æqualis, teste S. Hieronymo. Sed falsò illi supposita *Vita S. Basilij*, vt benè probat Bellarminus. 380

S. ANACLETVS Papa & Martyr S. Clementis successor. Pro epistolis eius vide Franc. Turrianum. 112

ANASTASIVS NICENVS Episcopus. Vixit post Synodum Trullanam, cuius canones citat in *responsione ad Orthodoxorum interrogationes.* 690

Ibi. & Euagrius libr. 4. hist. c. 39. ANASTASIVS SINAITA Episcopus Antiochenus, tempore Iustiniani Imp. teste Euagrio. Et eius honorificè meminit sexta Synodus. 544

Genebrard. ANDREAS ALCIATVS Iurisconsultus, Mediolano oriundus, scripsit *Emblemata*, & *de Ponderibus & mensuris*, &c. 1549

Simleri Biblioth. ANDREAS BACCIVS Elpidianus, *de 12. Gemmis S. Scriptura, de Thermis*, &c. 1571

Bellarm. supra. ANDREAS Cæsareæ in Cappadocia Episcopus post S. Basilium. Eius commentarium *in Apocalypsin* compendiauit Aretas. 560

Athenæ Belgicæ. ANDREAS MASIVS Bruxellensis, vir probus & eruditus, edidit *Commentarium in Iosue.* 1574

Gesnerus in Biblioth. Simleri Biblioth. ANDRAES OSIANDER Lutheranus, *Harmoniam Euangelicam & de Iustificatione*, &c. 1553

Trith. in Catalog. ANDRAES THEVETVS Cosmographus, sub Henrico III. rege Galliarum. 1584

ANGELOMVS Gallus Lexouiensis Monachus S. Benedicti, sub Lothario Imperatore, scripsit *in 4. libros Regum & in Canticum.* 850

Simleri Biblioth. ANGELVS CANINIVS Anglarensis, *Disquisitiones in Nouum testamentum* ex Hebraicæ, Syriacæ, Arabicæ & Æthiopicæ linguarum originibus. 1546

Genebr. in Alex. VI. ANGELVS POLITIANVS Canonicus Florentinus scripsit *Miscellaneas, Syluam poematum, de Ira* ad Laurentium Medicen, &c. 1499

Sigebertus in Catalog. c. 92. Trithem. in Catalogo. ANSBERTVS, vel, vt alij, AVTBERTVS, prænomine Ambrosius, monachus S. Benedicti, *in Canticum, Psalmos & Apocalypsin*, in cuius cap. 17 v. 1. dicit, sæpiùs se à Christo instructum fuisse, vt obscura istius libri intelligeret. 890

ANSELMVS BOETIVS Rodolphi II. Imperatoris nobilis gemmarius. 1600

Honorius in Catalog. Baron. & Martyrol. S. ANSELMVS Cantuariensis Archiepiscopus, natione Italus, ex Ordine S. Benedicti, mortuus 21. Aprilis, ann. 1109
Eius opera enarrat Edmerus familiaris ipsius. Sed ipsi etiam asscribitur *Stimulus amoris*, & *Cur Deus homo. De Similitudinibus*, est alicuius è discipulis Anselmi. *Commentaria in epistolas Pauli* sunt Heruæi, vt habet editio Parisiensis anni 1544. *In Cantica & Apocalypsin* tribui solent Anselmo Laudunensi.

Sigebertus. ANSELMVS LAVDVNENSIS Scholasticus, S. Anselmo Cantuariensi ætate ferè suppar, præter dicta Commentaria scripsit *Glossam interlinearem*, quæ extat cum Glossa Ordinaria, & Lirani. 1117

Trithem. & Baron. S. ANSELMVS Lucensis Episcopus, Mantua oriundus, egregius propugnator Gregorij VII. contra Antipapam Guibertum. Scripsit in *Lamentationes Ieremiæ*, & *in Psalmos.* Miraculis clarus obiit 1087

Biblioth. SS. PP. to. 2. Baron anno 597. & 614. Vossius de Hist. Latin. S. ANTIOCHVS in Palæstina Abbas tempore Heraclij Imperatoris, 129. *homiliis* deplorat calamitatem à Persis illatam Ecclesiæ. 630

S. ANTONINVS Florentinus, ex Ordine Prædicatorum, Florentiæ Archiepiscopus, scripsit *Summam Theologicam* & *Summam historialem vsque ad annum* 1459. quo mortuus est. Cannonizatus 1523. ab Adriano VI. 1459

Simleri Biblioth. ANTONIVS AVGVSTINVS ex Iurisconsulto Ilerdæ in Hispania Episcopus, *Epitomen Iuris Pontificij, Supplementum Codicis Iustiniani*; item *de Numismatibus, de Familiis Romanorum*; &c. 1567

Athenæ Belgicæ. ANTONIVS DE BALINGEM Audomaropolitanus Belga, Societatis Iesu, *Pomeridiana colloquia*, & ex Scriptura *Indicem vtorum*, &c. 1630

Simleri Biblioth. ANTONIVS BONFINIVS Asculanus, *rerum Hungaricarum Commentarios* scripsit 4. decadibus cum dimidia, vsque ad annum 1495

ANTONIVS CORRANVS Hispalensis, sed excucullatus, ad hæresin transfuga, *librum Ecclesiastæ* ex Hebræo in Latinum vertit, cum *paraphrasi*; neque inculta, neque inelaborata. 1600

Biblioth. Hispaniæ. ANTONIVS GVEVARA Hispanus ex Iurisconsulto, & milite & aulico Philippi secundi sacerdos; scripsit de *veteris Vulgatæ Latinæ editionis auctoritate, in Psalmos, in Abacuc*, &c. 1585

Simleri Biblioth. ANTONIVS GVEVARA & ipse Hispanus ex Ordine Minorum, Episcopus Mondouensis, concionator, chronographus, & à consiliis Caroli V. Imperat. scripsit *montem Caluariæ & Horologium Principum, & libros Epistolarum*, &c. 1545

Biblioth. SS. PP. to. 11 ANTONIVS MELISSA Monachus Græcè scripsit *virtutum & vitiorum Locos communes ex SS. PP.* 750

Simleri Bibliotheca. ANTONIVS MARGARITA Iudæus, Lipsiensis Professor de *cæremoniis Iudaicis.* 1508

ANTONIVS NEBRISSENSIS Bæticus, Historiographus regius, *Quinquagenam* scripsit *locorum S. Scripturæ, & rebus gestis Ferdinandi Catholici, bellum Nouariense* &c. obijt. 1546

Catalog. Societ. Iesu. ANTONIVS POSSEVINVS Mantuanus, Societatis Iesu, *Apparatum sacrum, Apparatum historicum,* &c. 1611

Eusebius hist. 4. S. APOLLINARIVS, vel, vtalij, APOLLINARIS, Episcopus Hierapolitanus in Asia, sub M. Antonino Vero scripsit librum pro *fidei Christianæ defensione.* 174

Hieron. c. 104. in Catalo. & Honorius ibid. c. 104. APOLLINARIVS, vel, vtalij, APOLLINARIS iunior, Laodicenus Episcopus, præceptor S. Hieronymi, qui ait, ipsum innumerabilia scripsisse. 380

Scipio Tettius. Biblioth. to. 1. & in Indice Chronolog. APOLLODORI tot sunt & tam varij, vt Scipio Tettus integrum de his volumen conscripserit. Gesnerus 27. recenset.

APONIVS scripsit *sex libros in Canticum Salomonis:* sed iam non extant nisi vsque ad cap. 3. v. 7. Reliqua Aponij non habemus, nisi ex eius compendio, apud Lucam Abbatem montis S. Cornelij. 700

Photius in Biblioth. APPIANVS Alexandrinus sophista, scripsit *Bella ciuilia Romana, Syriaca,* &c. Sub Hadriano Imper. 130

Vigner. Volaterr. Genebr. Macrob. lib. 8. c. 3. & 10. L. APVLEIVS Afer, philosophus Platonicus ex Medaurensi Africæ vrbe in Numidia noua, Ptolemæo dicta μάδαυρος, sub eodem Hadriano scripsit *mysticam aurei Asini Fabulam, Apologiam pro Magia,* & *Floridorum libros* 4. &c. de quo latè Vossius libr. 3. de Histor. Latin. Vitam eius Coluius dedit, meminitque eius Capitolinus, Macrobius, Sidonius Apollinaris, & alij. 121

ARABICA veteris Testamenti versio (vt & Syriaca) in Latinum translata à Sergio Risio Maronita Archiepiscopo Damasceno. Est autem duplex Arabica, vna Antiochena, altera Alexandrina: neutra sine næuis, quos facilè lector deprehendet.

Cicero. Ouidius. ARATVS Solensis poeta celeberrimus, Antiocho Soteri Asiæ regi in deliciis Olympiad. 125. ante natum Christum 273. vide Actor. 17. v. 28. vbi citatur à S. Paulo: eius etiam meminere Cicero & Ouidius.

ARAVSICANVM vide CONCILIA.

ARETAS Cæsariensis, de quo vide in ANDREA Cæsareæ Episcopo.

ARIAS vide FRANCISCVS.

ARIAS MONTANVS vide BENEDICTVS.

Euseb. l. 8. præp. Euang. c. 1 Hieron. præf. in Pentateuch. Bibl. SS PP. tom. 7. Bell. sup. & Possiu. in Apparatu. Suidas Ennap in Ædesii vita in prin. Ioh. Laertius in vita Socrat. ARISTÆAS Iudæus vixit tempore 72. interpretum, de quibus librum conscripsit anno 17. regni Ptolemæi Philadelphi, ante Christum annis 270. vide LXXII. Interpretes. Porro librum hunc genuinum esse Aristææ contra Ludouicum Viues & Leonem Castrium, docent Bellarm. & Possevinus.

ARISTOPHANES poëta Comicus fabulas conscripsit de *vespis, ranis, auibus, Pluto, Cerere,* &c. Socrati coæuus, imò & æmulus, ante Christum annis 428.

ARISTOTELES Stagirita, Nicomachi filius, Platonis discipulus, Alexandri Magni

Diogenes Laertius lib. 5. præceptor, natus Olympiade 101. ante Christum annis 372. secundùm calculum nostri Chronici cap. 31. & 47. Scripsit penè innumera.

Hieron. in Catal. c. 90 & c. 69. Bellar sup. Baron. anno 302. Onuphr. anno 298. ARNOBIVS in Africa rhetor, philosophus, presbyter, Lactantij præceptor sub Diocletiano Imper. scripsit *Libros septem contra Gentes* priusquam ad Christum conuerteretur. Octauus liber est Minutij Felicis causidici (sub idem tempus) Romæ, qui liber *Octauius* inscribitur propterea quòd Octauius Christianus & Cæcilius Ethnicus ibi colloquuntur. *Commentaria in Psalmos* videntur esse Arnobij iunioris, qui vixit an. 445. vt vult Bellarminus. 185

Athenæ Belgicæ Sweertij. ARNOLDVS CATIVS Friso, Societatis Iesu, *Paraphrasin* edidit *in Canticum Salomonis.* 1617

Photh. Suidas. Volater. l. 13. Euseb. Vigner. Genebrard. ARNOLDVS WION Ducensis Belga, auctor *Chronici Ordinis S. Benedicti,* quod *Lignum vitæ* inscribit, &c. 1600

ARRIANVS Nicomediensis, philosophus & historiographus sub Adriano & Antonino Impp. scripsit *Epicteti* magistri sui *disputationes,* & *historiam Alexandri Magni,* & alia de quibus consule Gerardum Vossium lib. 2. de Hist. Græcis. 148

ASCANIVS MARTINENGVS Brixiensis, Canonicorum Regularium Generalis, auctor *Glossæ magnæ in Geneseos c.* 1. 1550

Hieron. in Catal. c. 98. S. ATHANASIVS Episcopus Alexandrinus cognomento Magnus, Arianorum hostis acerrimus: eius scripta recenset S. Hieron. obiit sub Valente Imperatore. 370

Suidas. ATHENÆVS grammaticus sub Antonino Imp scripsit de *Dipnosophistis,* seu de ijs qui argutè sciteque in conuiuio disserunt. 168

Epiphan. in hæresi Orig. Bibliot. SS. PP. tom. 9. ATHENAGORAS philosophus Christianus, æqualis S. Iustini, insignem *pro Christianis apologiam* obtulit Marco Antonino & Commodo Impp. 179

Athenæ Belgicæ AVBERTVS MIRÆVS Belga Bruxellensis, Capituli B. Virg. Mariæ Antuerpiæ Decanus, multa edidit, de quibus consule Athenas Belgicas. 1631

Gennad in Catal. c. 38. Prosper. in Chronico. Baron. Bell. Simleri Bibliotb. S. AVGVSTINVS Hipponen. in Africa Episcopus, & Doctor Ecclesiæ. Scripta eius pene innumera recenset ex Possidio & aliis Bellarminus. excessit è viuis anno. 433

AVGVSTINVS MARLORATVS Caluinista, Rothomagi supplicio affectus, *Catenam* concinnauit in *Genesin, Isaiam, Psalmos, Canticum* & *Nouum testamentum* ex commentariis Lutheri, Oecolampadij, Melanchthonis, Zuinglij, Caluini, Brentij, Bulingeri, Pomerani, Pellicani, Musculi, &c. 1580

Catal. Soc. Iesu. AVGVSTINVS DE QVIROS Hispanus Illiturgitanus de Societate Iesu, commentarium *in Epistolam ad Ephesios, ad Colossenses, S. Iacobi & Iudæ.* 1623

AVGVSTINVS STEVCHVS Eugubinus, Episcopus Kisamus, sub Paulo III. Bibliothecarius Apostolicus, *de perenni Philosophia,* &c. 1542

AVGVSTINVS TORNIELLVS Italus Nouariensis Congregationis S. Pauli Clericus Regularis, *Annales* ab orbe condito vsque annum

annum mundi 4084. qui (vt ait,) est Christi 34. 1616

Philip. Bergomas in Chronico. Simleri Biblioth.

AVICENNA Hispalensis, medicus celeberrimus & eminentissimi ingenij, plurima conscripsit *de Re medica, de Alchymia, Logica, Mataphysica*, in qua se Mahometistam confitetur. Consule Philippum Bergomatem in Supplemento Chronicorum lib. 12. ad annum Christi 1151. 1151

AVLVS GELLIVS Romanus orator, cùm Romæ per hiemem in Græciam tenderet, *de re Grammatica* 20. *libros* scripsit titulo præfixo, *Noctes Atticæ*. 145

Paulus Diaconus in gestu Longobardorum lib. 1. c. 25.

M. AVRELIVS CASSIODORVS ex Consule Romano & Præfecto prætorij monachus, Rauennæ *Chronicon* scripsit ab orbe condito vsque ad Theodoricum Italiæ regem: item *Tripartitam historiam* ex Socrate, Theodoreto & Sozomeno: *in Psalmos, in Canticum*, imò *totius Scripturæ compendium*, &c. 553

AVRELIVS vide SEXTVS.

AVREOLVS vide PETRVS.

Bibliot. SS. PP. tom. 6. Baron. to. 5.

AVTHOR OPERIS IMPERFECTI IN MATTHÆVM non est Chrysostomus, etsi homiliæ illæ 54. operibus Chrysostomi inserantur. Scatet hæresibus, vt patet homilia 49. &c. 480

AZOR vide IOANNES.

Gennad. in Catalog. Biblios. Sacræ tom. 1.

BACCIVS vide ANDREAS.
BACHIARIVS, vel BACCIARIVS, vel BACHARIVS MACCEVS, S. Patricij discipulus, S. Augustino coæuus, scripsit librum *de fide, epistolam de recipiendis lapsis*, &c. Vixit circa annũ Christi 460

BALINGEM vide ANTONIVS.

BALSAMON vide THEODORVS.

Catalog. Societ. Iesu.

BALTHAZAR CORDERIVS vide CATENÆ.

BALTHAZAR ETZELIVS Bremensis è Societate Iesu, *Florilegia*, seu *Eclogas*, & *excerpta homiliarum* 33. &c. è lingua Syriaca in Latinam transtulit *Epistolam S. Petri. II. S. Ioannis* II. & III. Item *epistolam S. Iudæ & Apocalypsin*. 1600

BALTHAZAR PAES Lusitanus, Ordinis SS. Trinitatis, redemptionis captiuorum, in *epistolam S. Iacobi*. 1610

BARLANDVS vide ADRIANVS.

Dies emortuales Gruteri.

BARNABAS BRISSONIVS Fonteneius in Pictonibus, Parlamenti regij Præses, edidit *Antiquitates selectas Iuris ciuilis*. Parisijs suspensus. 1591

BARONIVS vide CÆSAR.

BARRADIVS vide SEBASTIANVS.

BARROS vide IOANNES.

Simleri Bibliath.

BARTHOLOMÆVS MARLIANVS prænomine IOANNES, Patricius Mediolanensis, de *Topographia antiquæ Romæ*, &c. 1540

Ibidem.

BARTHOLOMÆVS SIBYLLA Monopolitanus, Ordinis Prædicatorum, *Speculum* edidit *peregrinarum quæstionum*, &c. 1534

Hieron. in Catal. c. 127.

S. BASILIVS MAGNVS, è Ponto oriundus, Cæsareæ Cappadocum Episcopus, Ecclesiæ Doctor, Monachorum auctor in Oriente, obiit sub Gratiano Imper. anno 380 opera eius recenset S. Hieronymus & Ant. Possevinus.

BAYFIVS vide LAZARVS.

Matthæus VVestmonasteriensis.

BECANVS vide GOROPIVS.

BEDA Anglo-Saxo Girwicensis, Ordinis S. Benedicti, ob insignem sanctitatem, etiam dum viueret, *Venerabilis* appellatus. Ex Anglia pedem numquam extulit, sed vniuersum orbem ingenio suo perstrinxit, Obiit 26. Maij anno 735.

Continuator Bedæ.

ieste continuatore Bedæ in Epitome. Matt. Westmon vnum illi vitæ annum detrahit.

BELLARMINVS vide ROBERTVS.

BELLONIVS vide PETRVS.

Bibliotheca Hispania tom 3. classe 1.

BENEDICTVS ARIAS MONTANVS Hispalensis, præfuit editioni Bibliorum Regiorum quinque linguis, Hebraicâ, Græca, Chaldaica, Syriaca & Latina Antuerpiæ à Plantino editorum, & ad ea *Apparatum* adiecit *de Idiotismis Hebraicis, de Ponderibus & mensuris, de Fabricis, temporibus*, &c. obijt 1598

Catalog. Societ. Iesu.

BENEDICTVS IVSTINIANVS Genuensis è Societate Iesu, *in epistolas S. Pauli & Catholicas*. obiit 19. Decembr. anno 1622

Catalog. Societ. Iesu.

BENEDICTVS PERERIVS Valentia Hispaniæ oriundus, Societatis Iesu, *Commentarium in Genesin, Exodum, Danielem, Disputationes in Ioannem, in Epistolam ad Romanos, in Apocalypsin*. obijt 6. Martij 1610

Possevinus in apparatu

BENIAMINVS BEAVPORT, Franciscanæ Obseruantiæ, *Monotessaron Euangeliorum & Harmoniam Euangelicam*. 1561

BERCLAIVS vide GVILIELMVS.

Henricus de Gandauo c. 9 in Catalog.

S. BERNARDVS natione Burgundus, patriâ Fontanus, primus Abbas Clarcuallensis, diuinâ potiùs quàm humanâ scientiâ imbutus; plurima scripsit (de quibus vide Henricum à Gandauo & Possevinum) rerè mellifluus obiit 20. August. 1153

Plin. l. 7. c. 37. Iosephus contra Apionem. Athen. l. 14 Vitruu. l. 9 Petauius de Doctrina tempor.

BEROSVS Chaldæus astrologus & historicus, ab Athenienſibus statua publicè in gymnasio inauratâ linguâ donatus. Sed quinque libri *antiquitatum Chaldaicarum*, quos illi supponit Ioannes Annius Viterbiensis, non sunt ipsius, vt bene docet Possevinus & Gesnerus, & Gerard. Vossius in Historicis Latinis. Vtuntur his libris passim Megasthenes & Abydenus, quorum testimoniis sæpè Iosephus & Eusebius nituntur. Anno ab orbe condito 3460.

BEZA vide THEODORVS.

BISCIOLA vide LÆLIVS.

Catalog. Societ. Iesu.

BLASIVS VIEGAS Lusitanus Eborensis, Societatis Iesu, *Commentarium in Apocalypsin, in Prophetas Minores, in Ezechielem, in epistolam ad Hebræos*. obiit 22. August. 1599

BLESENSIS vide PETRVS.

BOETIVS vide ANSELMVS.

Honorius in Catalogo.

BOETIVS prænomine MANLIVS TORQVATVS SEVERINVS, Consul Romanus, sapientia, eloquentia, pietate, martyrio illustris, à Theodorico rege Gothorum, vnà cum Symmacho socero suo interfectus an. Scripsit *de Consolatione philosophiæ, de Trinitate*, &c. Laudant eum Procopius, Sidonius, Boetio σύγχρονοι: Ioannes item Cochleus in Vita Theodorici regis. 526

Procopius. Sidonius. Apollinar.

BOLSECVS, vide HIERONYMVS.

Trithemius in Catalogo.

S. BONAVENTVRA Balneoregij iuxtà fines Hetruriæ natus, Ordinis Minorum octauus

octauus Generalis Miniſter, à Gregorio X. Albanenſis Epiſcopus & S. R. E. Cardinalis creatus, vt Scholaſtica doctrina excelluit, ita in plurimas S. Scripturæ partes ſanctè, eruditè & vtiliter ſcripſit, quem Gerſon *Doctorem Seraphicum & Cherubicum* appellat. Obijt Lugduni. 1274

BONFINIVS vide ANTONIVS.

BONFRERIVS vide IACOBVS.

BOZIVS vide THOMAS.

BREDENBACHIVS vide TILEMANNVS.

BRINTIVS vide IOANNES.

S. BRIGIDA Laginenſis, natione Scota, virgo ſanctiſſima, *reuelationum libros* 12. ſcripſit, ſed obſcuriſſimos, obijt Kal. Februarij. 521

Surius to. 4. Balthazar VVerlinus in addit. ad Trith. Catalogum.

S. BIRGITTA vidua Sueciæ Neritiæ domina, Religioſi Ordinis inſtitutrix hortante Deo. Nam & ipſa *reuelationes* plurimas habuit, quas Cardinalis de Turrecremata deſcripſit, magnæ apud doctos auctoritatis. obijt 7. Octob. ann. 1373

BRISSONIVS vide BARNABAS.

Sigebert. in Catal. c. 142 Trithem. in Catalog.

PROCARDVS aliis BVRCHARDVS, Argentoratenſis, Ordinis Prędicatorum edidit, *Deſcriptionem terræ ſanctæ.* 1020

BRVCHTON vide HVGO.

BRVNIS vide VINCENTIVS.

BVCERVS vide MARTINVS.

BVDÆVS vide GVILIELMVS.

BVRGENSIS vide PAVLVS.

BVTEVS vide IOANNES.

CABALA, id eſt, receptio, conſtabat libris 70. quos Eſdras ſolis Iudæorum ſapientibus reliquiſſe ſcribitur, ne in vulgus emanarent. Hanc valdè laudat Ioannes Picus Mirandulæ Comes, ſimulque exceipſit ſelectiora Cabaliſtarum dogmata. Sed hæc non eſt illa quam Iudæi plenam errorum iam nobis obtrudunt, & damnata eſt à Sede Apoſtolica. Vixit circa annũ Chriſti.

Picus q. 5. ſua Apolog. Sixtus l. 2. & 6. Biblioth.

CABILONENSE vide CONCILIA.

Hieron. in Catalog. cap. 78.

S. CÆCILIVS CYPRIANVS ex philoſopho & rhetore Carthaginenſis in Africa Epiſcopus, vir eloquentiſſimus æquè ac doctiſſimus & ſanctiſſimus, ſub Valeriano & Gallieno Impp. martyrium ſubijt capite plexus 14. Sept. ann. 250

Pont. Diac. in eius vita.

Scripſit eius vitam eleganter Pontius Diaconus eius, qui martyrio interfuit.

S. CÆLESTINVS eius nominis primus Papa, ſcripſit ad *Eccleſias Narbonenſem* & *Viennenſem*. obijt 6. Aprilis. 432

Simleri Biblioth.

CÆLIVS PANNONIVS, proprio nomine Fr. GREGORIVS HVNGARVS, Prior S. Stephani Romæ in Cælio monte, *collectaneas* edidit *in Apocalypſin.* 1500

Simleri Biblioth. in voce Ludouicus Cælius Spondan. eius vitam præfigit Annalium compendio.

LVD. CÆLIVS RHODIGINVS, Criticophilologus, *antiquas lectiones*, ſub Imper. Maximiliano I. 1510

CÆSAR BARONIVS Soranus, ex Congregatione Oratorij in S. R. E. Card. à Clemente VIII. electus, *Annales Eccleſiaſticos* ſcripſit vſque ad 13. ſæculum, quod proſequitur Abr Bzouius. Scripſit & *Notas in Martyrologium Romanum*. obiit. 1607

CÆSARIENSE vide CONCILIA.

Cennad. in Catal. c. 84.

S. CÆSARIVS Arelatenſis Epiſcopus tempore Symmachi Papæ & Theodorici regis Italiæ, ſcripſit *homilias* 46. cuius vitam edidit Cyprianus eius diſcipulus, & extat apud Surium die 27. Auguſti. obiit anno 499

Bibliotb. SS. PP. to. 2. Cyprianeius diſcip.

CAIETANVS vide THOMAS DE VIO.

S. CALLISTVS I. Papa & Martyr, *duas* reliquit *Decretales epiſtolas*. Martyrio affectus 14. Octob. anno 226

CALPVRNIVS PISO vide LVCIVS.

CANINIVS vide ANGELVS.

CANISIVS vide { HENRICVS / PETRVS

CANVS vide MELCHIOR.

CAPITOLINVS vide IVLIVS.

CAPREOLVS vide IOANNES.

CARDANVS vide HIERONYMVS.

CARION vide IOANNES.

Athenæ Belgicæ.

CAROLVS SCRIBANIVS Bruxellenſis, de Societate Ieſu, *Amphitheatrum honoris, Orthodoxæ fidei controuerſæ, Philoſophum Chriſtianum, Amorem diuinum*, &c. obijt 24. Iunij 1619

Simleri Biblioth.

CAROLVS SIGONIVS Mutinenſis, Latinæ linguæ Profeſſor Bononiæ, ſcripſit de *Regno Italiæ, de Republica Hebræorum, Romanorum, Athenienſium: Notas in Seuerum Sulpitium*, &c. 1574

CARTHAGINENSIA vide CONCILIA.

CASSIANVS vide IOANNES.

CASSIODORVS vide AVRELIVS.

CASSIVS vide DION.

CASTRIVS vel A CASTRO vide CHRISTOPHORVS.

CATENÆ vocantur Collectanea ex SS. Patribus in aliquem S. Scripturæ librum. Tales Catenæ ex plurimis Græcis Patribus extant in *Iob* collectæ ab OLYMPIODORO: in *Euangelia*, in *Epiſtolas* & *Apocalypſin*, ab OECVMENIO: in alios Scripturæ libros ab aliis collectæ. Talem ex Græcis & Latinis in *Geneſin*, *Exodum* & *Pſalmos* edidit ALOYSIVS LIPOMANVS. Talem in *Epiſtolam S. Iacobi* nuper è Græco tranſtulit in Latinum IOANNES FELICIANVS; in *Euangelia* BALTHAZAR CORDERIVS Societatis Ieſu & alij alias.

Plin. præfat. hiſt. Natur. Veget. lib. 1. cap. 8. Cicero in Bruto.

CATHARINVS vide AMBROSIVS.

CATO SENIOR Romanus, Quæſtor, Ædilis, Cenſor (vnde cognominatur Cenſorius) & bis Conſul, philoſophus ac Iuriſta, Q. Fabio Maximo συγχρονος, ſcripſit de *Re militari, libros Originum*, ſeu *Antiquit. Romanarum*, *Orationes* 150. &c. Obiit 2. anno tertij belli Punici, id eſt, ante Chriſtum natum anno circiter 150. Eius nepos

Florus lib. 4.

CATO poſterior, prænomine M. PORCIVS, cognomine Vticenſis, quòd ad Vticam ſeipſum, dum victoriam Cæſaris, cui ſubiici nolebat, impatiens ferret, occiderit, teſte S. Auguſtino, ſcripſit *Ethicam moralem*, ex qua decerpta *diſticha* quæ in ſcholis præleguntur. Obijt ante Chriſtũ anno 46. Sub idẽ tempus

Aug. lib 1 de Ciuit. Dei cap. 24.

Euſebius.

CATVLLVS Poëta Veronenſis *carmina* ſcripſit *amatoria*, anno 25. regni Dionyſij, ante Chriſtum 51.

CEDRENVS vide GEORGIVS.

CENSORINVS *Grammaticæ artis doctiſſimus* appellatus, anno 1. Gordiani Imperatoris, ſcripſit *de Die natali Vrbis, de Accentibus*, &c. 238

CEN-

CENTVRIATORES vide MAGDEBVRGENSES.

Bellarm. l. 2 de Verbo Dei Serarius in Prolog. Biblicis 14. CHALDAICA Bibliorum PARAPHRASIS, dicta *Thargum*, auctorem habet in Pentateucho R. AQVILAM, seu ONKELON: in Prophetis R. IONATHAN filium Vzielis: in reliquis veteris Testamenti libris R. IOSEPHVM cæcum. Concinnata videtur 42. annis ante natum Christum, tunc enim vixit R. Ionathas, vt inquit Galatinus. Hæc Paraphrasis etsi non omnino inutilis sit ad fœcunditatem S. Scripturæ exprimendam; non tamen seruit ad plenam veritatis fidem faciendam: nam omnia penè ad res Judaicas, & in fauorem Synagogæ trahit, & Rabbinicas fabulas, de duobus Messijs, de Lamentatione Dei, de ascensione Moysis in cælum, de tabulis legis ex sapphirino Dei throno excisis, &c. multasque superstitiones ferè vbique inculcat. Latinitati donata triplex nunc extat. Prima, Ariæ Montani, in Bibliis Regiis. Secunda, Petri Costi viri docti, quæ anno 1554. Lugduni prodijt. Tertia, Complutensis, edita iussu Franc. Ximenij Cardinalis & Archiepiscopi Toletani, concinnata (vt arbitror) ab Alfonso Zamora & alijs auctoribus Dictionarij Hebræi Complutensis. Prima illa regia Montani expurgari cœpta est à Rabbinicis commentis & fabulis, vnde breuior est reliquis duabus, quæ Chaldæum Paraphrasten, vt iacet, repræsentant.

R. CHIMHI vel KIMCHI vide DAVID.

Athenæ Belgicæ. CHRISTIANVS ADRICHOMIVS Delphensis edidit *Theatrum terræ sanctæ*, & *duplex Chronicon*. 1590

Athenæ Belgic. Sweertij. CHRISTIANVS MASÆVS Cameracensis, Hieronymita, *Chronicon*, *Kalendarium*, *Grammaticam*, æmulus Ioannis Despauterij. obiit ann. 1546

Catalog. Societ. Iesu. CHRISTOPHORVS A CASTRO Ocaniensis, diœcesis Toletanæ, Societatis Iesu, *in librum Sapientiæ, Ieremiam, Threnos, Baruch, & 12. Prophetas Minores*: item *Deiparæ Virginis historiam*. 1612

Catalog. Societ. Iesu. CHRISTOPHORVS CLAVIVS Bambergensis, Societatis Iesu, nostri sæculi Euclides, scripsit in *Euclidem*, *de Sphæra*, *Kalendario*, *Geometria*, *Arithmetica*, *Correctione Kalendarij*, *Algebra*, &c. 1608

CHRYSOLOGVS vide PETRVS.

S. CHRYSOSTOMVS vide IOANNES.

CHYTRÆVS vide DAVID.

CICERO vide M. TVLLIVS.

CLARIVS vide ISIDORVS.

Sigebert. in Chronico anno 391. CLAVDIANVS poëta Ethnicus Florentiæ natus, sub Theodosio Imper. edidit varia poëmata partim fabulosa, partim historica, vt *in Rufinum* & *de Bello Getico*, &c. 391

Genebr. CLAVDIVS ESPENCÆVS, Theologus Parisiensis, *Commentarium in Epistolas ad Timotheum & Titum*, *Collectanea de continentia*, *de Eucharistia*, &c. obiit ann. 1569

Simleri Biblioth. CLAVDIVS GVILLIAVDVS, Belliocensis apud Heduos Canonicus & Præpositus, *Collationes in Matthæum, Ioannem, Epistolas Pauli & reliquas Catholicas*; tempore Pauli III. Papæ. 1540

Biblioth. SS. PP. to. 8. Gennad in Catalog. c. 60. Simleri Biblioth. CLAVDIVS MARIVS VICTOR, aliàs Victorinus, rhetor Massilienses, *Commentarium in Genesin*. Alius hic est à S. Victorino Pictauiensi Episcopo & Martyre. 430

CLAVDIVS MARIVS ARETIVS, patricius Syracusanus, Caroli V. Imperatoris historiographus, *descriptionem Siciliæ, totiusq; Europæ*, &c. 1544

Euseb. li. 5. hist. c. 11. Hieron. in Script. Eccl. CLEMENS natus Athenis, sed Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, Pantæni discipulus, magister Origenis, scripsit *octo libros Stromatum*, *libros octo Hypotyposeon*, *Pædagogi libros tres*, *aduersus Gentes librum vnum*, &c. 204

Irenæus l. 3. c. 3. Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum. S. CLEMENS eius nominis primus, Papa & Martyr, anno 3. Traiani, Christi 92. 92

De *Epistolis* eius *ad Corinthios & Iacobum fratrem Domini*, de 10. *libris Recognitionum*, *libris octo Constitutionum Apostolicarum*, &c. quæ multis locis deprauata sunt, vide Posseuinum & Bellarminum.

COCCIVS vide IODOCVS.

Columella l. 3. c. 3. COLVMELLA Senecæ coætaneus sub Claudio, scripsit 12. *libros de Re rustica*, &c. 56

COMESTOR vide PETRVS.

CONCILIA *Generalia ex toto ab Ecclesia approbata*

1. *Nicenum* sub Siluestro Papa, contra Arium negantem Christi diuinitatem. 336
2. *Constantinopolitanum I.* sub Damaso, contra Macedonium negantem Spiritum sanctum. 381
3. *Ephesinum* sub Cælestino I. contra Nestorium, constituentem duas in Christo personas. 435
4. *Chalcedonense* sub Leone I. contra Eutychetem & Dioscorum statuentes vnicam in Christo voluntatem & naturam. 452

De his quatuor primis Conciliis, ait S. Gregor. l. 1. epist. 24. se illa venerari sicut quatuor libros Euangeliorum.

5. *Constantinopolitanum II.* sub Vigilio Papa, contra Petrum Gnapheum Episcopum Antiochenum, hæresi partim Macedoniana, partim Nestoriana infectum. 550
6. *Constantinopolitanum III.* sub Agathone Papa, contra Sergium, Pyrrhum & alios Monothelitas. 681
7. *Nicenum II.* sub Adriano I. contra Iconoclastas. 781
8. *Constantinopolitanum IV.* sub Adriano II. contra Photium Pseudopatriarcham. 870
9. *Lateranense I.* sub Callisto, pro recuperanda terra sancta. 1123
10. *Lateranense II.* sub Innocentio II. pro iuribus Cleri, & schismate sopiendo. 1135
11. *Lateranense III.* sub Alexandro III. contra VValdenses. 1180
12. *Lateranense IV.* sub Innocentio III. pro reformatione Ecclesiæ, & recuperatione terræ sanctæ. 1215
13. *Lugdunense I.* sub Innocentio IV. contra Fridericum Barbarossam, & pro terra sancta. 1245
14. *Lugdunense II.* sub Gregorio X. contra Græcorum errores. 1273
15. *Viennense* in Gallia sub Clemente V. cõtra Saracenos inuasores terræ sanctæ: item contra hæreticos Bogardos & Begui-

Beguinas, quando & Ordo Templariorum extinctus est. 1311

16. *Florentinum* sub Eugenio IV. pro reconciliatione & reductione Græcorum. 1438

17. *Lateranense V.* sub Leone X. contra pseudoconcilium Pisanum. 1517

18. *Tridentinum* sub Paulo III. inchoatum anno 1542. contra hæreticos nostri sæculi: sed sub Pio IV. demum finitum anno 1563

Cæsariense, aliàs *Palæstinum*, iussu Victoris Papæ conuocatum contra Quartadecumanos. 198

Laodicenum in Phrygia, pro morum reformatione, paulò ante Concilium I. Generale Nicenum. 320

Sardicense, in quo 300. Episcopi Occidentales fidem Catholicam confirmarũt, quam S. Hilarius exponit. Sed reliqui 76. Episcopi Orientales fidem Arianam stabiliuerunt. Et de his posterioribus loquitur S. Augustinus, cùm ait, Sardicẽse Concilium Arianorum fuisse. 347

S. Hilarius l. de Synodu.

Aug. l. 3. contra Cresconium c. 34

Sirmiense, in quo etiã duæ formulæ fidei dissentientes editæ sunt, quarum Græcam, (in qua Photini hæresis damnatur,) vt Catholicam probat idem S. Hilarius: Latinam verò, vt Ario fauentem, reiicit ac refellit. 356

Gangrense in Paphlagonia, aduersus Eustachium damnãtem matrimonium, esum carnium, &c. 361

Carthaginense III. & *IV.* approbata à Leone IV. Papa, & S. Augustini, qui vtrique interfuit, subscriptione confirmata. 397 398

Milleuitanum generale pro Africa, approbatum ab Innocentio I. 402

Milleuitanum II. ibidem, contra Pelagianos. 416

CONCILIA *quædam prouincialia pro maiori parte ab Eccl. sia probata, & in his Commentarius citata.*

Arausicanum I. in Gallia, à Leone I. Papa approbatum. 441

Arausicanum II. cui præsedit Cæsarius Arelatensis Episcopus, contra Pelagianos & Semipelagianos, &c. 463

Vasatense, seu *Vasense* in Aquitania, sub prædicto Leone I. 442

Vasatense II. cui præsedit idem qui Arausicano II. Cæsarius. 463

Cabilonense ad Ararim, Caroli Magni tempore, communi Ecclesiæ vsu receptum, ait Azorius. 813

Azor p. 2. lib. 5. c. 15.

Trullanum à Trullo Imperatoris Constantinopolitani palatio sic dictũ, in quo canones 102. conscripti & adiecti sunt V. & VI. Synodis Generalibus, quæ nullos alioqui canones condiderant. Sed hos spurios canones Sergius Papa statim reprobauit, teste Beda. Aliqui tamen horum canonum, quia fauebant Catholico Dogmati de pingendis honorandisque Christi & SS. imaginibus, recepti sunt ab Adriano Papa & VII. Synodo Gener. 688

Beda de sex ætatibus.

Wormatiense I. sub Stephano IV. Papa, & Leone IV. Imperatore. 770

Wormatiense II. sub Adriano II. Papa, & Ludouico II. Imperatore. 868

Senonense vnum, in quo Petrus Abailardus à S. Bernardo conuictus est hæreseos. 1140

Alterum contra hæreses huius sæculi congregatum, & pro morum reformatione sub Clemente VII. Papa. 1528

Catal. Societ. Iesu. CONIMBRICENSIS Collegij Societatis Iesu philosophi, duce *Emanuele de Goes* commentaria ediderunt *in Logicam & Physicam Aristotelis, in Meteora, Ethica*, &c. quæ inscribuntur *Cursus Conimbricensis.* 1600

CONRADVS GESNERVS Tigurinus medicus & philosophus, *medica* plurima, & *de Quadrupedibus, de auibus, de herbis*, &c. *Bibliothecam* etiam scriptorum: quam mox in compendium redegit alter Conradus Lycosthenes Rubeaquensis: sed paulò pòst auxit Iosias Simlerus Tigurinus Zwinglianus. Vtinam ætatem, quâ quisque auctorum vixit, eâdem operâ expressissent, & fontes vnde hausserunt, indicassent! 1555

Iosia Simleri Biblioth.

Vossius de Historicis Latinis l. 2. c. 57. CONRADVS A LICHTENAW Vspergensis, instituti Præmonstratensis in Sueuia Abbas, *Chronicon* ab anno 200. diluuij vsque ad annum 20. Friderici II. Imperatoris, id est, annum Christi 1230

CONRADVS WIMPINA A FAGIS, *de Laudibus & nobilitate Christi & cælorum, de signis, de insomniis*, &c. 1528

Fabian. in Indice suo vniuersali. Simleri Bibliotheca. CONSTANTINVS FONTIVS (non Foretius, vt eum citat Fabianus Iustinianus) in summo templo Hispalensi Canonicus, sed ob hæresin ab Inquisitione publicè exustus, scripsit *in Iob, Prouerbia, Ecclesiasten, & Canticum.* 1560

CONTARENVS vide AMBROSIVS.

Gaspar. Peucerus in fine libri de Circulis. Athenæ Belgicæ. COPERNICVS Torinensis astrologus, *Reuolutionum libros, quibus terram moueri asserit*, &c. Mortuus anno 1543

CORNELIVS IANSENIVS, Gandauensis Episcopus, *in Psalmos, Prouerbia, librum Sapientiæ, Ecclesiasticum, Concordiam Euangelicam*, &c. 1569

Ibidem. CORNELIVS A LAPIDE Belga, è Societate IESV, *in Pentateuchum, Ecclesiasticum, omnes Prophetas, in Acta, Epistolas omnes Paulinas & reliquas Catholicas, & Apocalypsin.* 1631

C. CORNELIVS TACITVS sub Traiano scripsit *historias* (quarum pars maxima periit) & *Annales* ab excessu Augusti vsque ad vltimum biennium Neronis: Item *librum de Situ, moribus & populis Germaniæ, de Vita soceri sui Iulij Agricolæ*, &c. Æquales habuit Fabium Quintilianum, vtrumque Plinium, Iulium Florum, Secundum, Maternum: meminerunt eius Plinij, Orosius, Flauius Vopiscus, Sidonius, quorum de eo testimonia Lipsius suis in Tacitum Commentariis præfixit, qui vsque ad Imperium Adriani peruenisse putat, id est, annum Christi 119

Plinius Nepos lib. 2. epist. 1. & alibi. Flauius Vopiscus in Probo.

CORRANVS vide ANTONIVS.

Possevinus in Apparatu COSMAS DAMIANVS HORTOLANVS Perpinianensis, Monasterij B. Mariæ Villæ Bertrandi in Gotolania Canonicorum Regularium S. Augustini Abbas, & Philippi II. Regis Catholici in Synodo Tridentina Theologus, scripsit *Commentarium in Canticum.* obiit ann. 1566

Catalog. Societ. Iesu. COSMAS MAGALLIANVS, Lusitanus Bracarensis, è Societate IESV, *Commentarium in Canticum primum Moysis, in Iosue, in Epistolas Pauli ad Timotheum & Titum*, &c. 1607

COVARRVVIAS vide DIDACVS.

CRE-

CRESOLLIVS vide LVDOVICVS.

CTESIAS patriâ Cnidius, arte medicus, Artaxerxi Mnemoni percharus, ex membranis regiis & archiuis Persicis *historiam* suam *Assyriacam & Persicam* studiosè collegit, quam libris 23. complexus est, Herodotum sæpè mendacij conuincens, teste Diodoro & Photio. Cœpit autem Artaxerxes Mnemon imperare cum fine Olympiadis 93. Vrbis Romæ 349. ante natum Christum annis 400.

CVRTIVS vide QVINTVS.

Pont. Dial. in eius vita. Hieron. de Script. Eccles. Baronius. Bellarm. de Script. Genadius in Catalog.

S. CYPRIANVS prænomine CÆCILIVS, Afer, Carthaginensium Episcoporum primus Martyr sub Impp. Valeriano & Gallieno 18. Kal. Octob. id est, 14. Sept. 261
Opera eius vide apud Iacobum Pamelium.

S. CYRILLVS Episcop. ALEXANDRINVS, vt sanctissimus ita & doctissimus, imperante Theodosio iuniore præfuit Concilio Generali Ephesino, nomine Cælestini Papæ. Scripsit *in Pentateuchum, Isaiam, reliquosq; Prophetas*, etiam *Minores, in Euangelium S. Ioannis*, &c. & *Sermones Paschales.* 435

Hieron. in Catalog. c. 123.

S. CYRILLVS IEROSOLYMITANVS Episcopus, *Catecheseon* auctor, sub Theodosio Imperatore, obiit 365

Similerus in Biblioth.

S. DAMASCENVS vide IOANNES.

DAMIANVS A GOES Lusitanus, scripsit de *Fide, religione ac moribus Æthiopum, de Lappia, de Potentia Hispaniæ, de Gestis Lusitanorum in Indiis*, &c. Vixit circa annũ Christi 1538

DAMIANVS vide PETRVS.

DANÆVS vide LAMBERTVS.

Simleri Biblioth.

DAVID CHYTRÆVS Lutheranus, *Chronologiam & enarrationes in Pentateuchum, Ecclesiasticum, Michæam, Nahum, Malachiam, Matthæum, ad Galatas, ad Timotheum, & Apocalypsin.* 1555

Simleri Bibliotheca.

DAVID HOESCHELIVS medicus Augustæ Vindelicorum, & ipse Lutheranus, *Notas in Ecclesiasticum.* 1600

R. DAVID KIMCHI, ab auo sic dictus, natus in Hispania, scripsit penè *in totum vetus Testamentum*: sensui historico magis addictus quàm Thalmudicis & Cabalicis allegoriis; sed Christiana dogmata vbique conuellere nititur. Ex eo Santes Pagninus penè ad verbum suas Institutiones, & suum linguæ Hebrææ Thesaurum exscripsit. Et quidquid hodie boni habemus quod Hebrææ Grammaticæ rationem & lexeῶn proprietatem spectat, ex eius libris habemus. Vixit sub annum 1200

DAVID DE POMIS Hebræus medicus, scripsit *Vitæ humanæ miserias, vulgarem Hebraici textus translationem, & Annotationes in Ecclesiasten.* 1550

Decretales Epistolas Summorum Pontificum edidit quatuor tomis SEVERINVS BINIVS Colonienſis Theologus, anno 1606
easdem aduersus hæreticorum calumnias tuetur FRANCISCVS TVRRIANVS Societ. Iesu.

DELRIO vide MARTINVS.

Athenæ Belgicæ.

DESIDERIVS ERASMVS Roterodamus, ex Canonico Regulari Ordinis S. Augustini in monasterio Stein prope Rotero-dam, factus vagabundus per varias Europæ Academias, post edita non sat casta *Colloquia & Moriam*, lutulentos pedes etiam in diuinos codices inferuit cùm solida Theologia destitueretur. Vnde sparsum in vulgus: *Erasmus parit ova, Lutherus excludit pullos: Erasmus dubitat, Lutherus asseuerat.* Quæ eius opera prohibita, quæ correcta, & quomodo, vide apud Possevinum in Apparatu. obiit Basileæ 1536

Possevin. in Apparatu.

DIDACVS ALVAREZ Hispanus Metimnensis, siue à Medina, Ordinis Prædicatorum, *Commentarium in Isaiam.* 1599

Ibidem.

DIDACVS COVARRVVIAS A LEYVA Hispanus Iurisconsultus insignis, *Commentarium in IV. & VI. Decret. in Clementinas, de Regulis Iuris, de Numismatibus: varias Resolutiones*, &c. 1568

Ibidem.

DIDACVS STELLA Lusitanus, ex Ordine Minorum Episcopus, *Commentarium in Lucam, in psalmum 136. de Contemptu mundi*, &c. 1581

Hieron de Scriptor. & in Apologia aduersus Rufinum. Biblioth. SS. PP. to. 9.

DIDYMVS ALEXANDRINVS, S. Hieronymi in sacris Litteris præceptor, ab adolescentia captus oculis, plura tamen & nobilia *Commentaria* dictauit in *Iob, Psalmos, partem Isaiæ, Oseam, Zachariam, Matthæum, Ioannem, Epistolas Pauli, & reliquas omnes Catholicas*, item *de Spiritu sancto*, &c. In hoc lapsus, quòd quæ in Origene reprehenduntur, bene scripta esse contenderit. Claruit sub Theodosio Magno 390

Suidas, Euseb. in Chronico.

DIODORVS SICVLVS *Bibliothecam historicam* (cuius ex 40. libris vix extant 15.) edidit sub Augusto, ante natum Christum annis fortè 40.

Suidas & Sixtus in Bibliotheca.

DIODORVS ex monacho & presbytero Antiocheno, TARSENSIS in Cilicia Episcopus, Magister S. Ioannis Chrysostomi, scripsit penè in *totum vetus & nouum Testamentum*, litterali sensui vbique inhærens. 360

DIOGENES LAERTIVS poëta & historicus, scripsit *de Vitis & responsis celebrium Philosophorum*, etiam carmine. Floruit sub Antonino Pio Imp. vel paulò pòst, vti docet Gerardus Vossius de Historicis Græcis lib. 2. 150

Photius in Biblioth.

DION CASSIVS Nicæâ oriundus, cognomento COCCEIVS, sub Alexandro Seuero scripsit 80. libr. *de Romana historia*, sed vix 23. medij ad nos deuenerunt, qui ordiuntur à Luculli gestis, desinunt in morte Claudij Cæsaris. Floruit anno 230

Suidas & Gesnerus.

DION PRVSÆVS sophista, dictus CHRYSOSTOMVS, Pasicratis filius, Traiano familiaris, de *virtutibus Alexandri, Herculis, Platonis*, &c. & *Orationes* 80. *de variis.* 100

Hieron. supra c. 80.

S. DIONYSIVS ALEXANDRINVS Episcopus, coæuus S. Cypriano, scripsit *epistolam contra Paulum Samosatenum*, & *alias complures*: item *Commentarium in Ecclesiasten, in primam ad Corinthios, in Apocalypsin.* 250

Sigebertus de illustrib. Eccles Doctorib. c. 4. Delrio in Vindiciis Areopagit. Bellarm. de Script. Eccl.

S. DIONYSIVS ATHENIENSIS, ex iudice Areopagita, à S. Paulo ad Christum traductus, Athenarum primò, deinde Parisiorum Episcopus, scripsit *de Hierarchia cælesti*, seu angelica, *de Hierarchia Ecclesiastica, de Diuinis nominibus, de Mystica Theologia*, & *complures epistolas*, quæ à Possevino, Delrio, Baronio, Bellarmino & aliis compluribus recensentur,

tur, & vt genuina eius opera propugnantur. Martyrio coronatus sub initium imperij Hadriani, 9. Octobr. anno 109

Aimoinus de gestis Francorum li. 2. c. 9. DIONYSIVS monachus oriundus è Scythia, sed Abbas Romanus, cognomento EXIGVVS, sed doctrina & sanctitate verè magnus, tempore Theodorici regis Italiæ *Cyclum paschalem* conscripsit *pro annis* 95. in quo, relictâ ærâ Olympiadum, Consulum & profanorum Imperatorum Augusti & Diocletiani, quâ orbis eousque vsus fuerat, calculos subducere cœpit ab incarnato Dei Filio: quibus calculis etiamnum vtitur tota Ecclesia Romana. Collegit & *Sacros Canones ex variis Conciliis*, &c. 532

Strabo l. 14. ipse Dionys. in præfat. DIONYSIVS HALICARNASSEVS, Apioni Alexandrino coæuus sub Caligula Imp. scripsit *Antiquitatum*, siue *Originum Romanarum libros vndecim*, & *de Oratoribus Græcis*, &c. 43

DIONYSIVS PETAVIVS Aurelianensis, è Societate Iesu, scripsit duos tomos *de Doctrina temporum*. 1617

Athenæ Belgicæ. DIONYSIVS RICHEL de Leuvis, Belga Carthusianus, scripsit *in omnes S. Scripturæ libros*, item *in quatuor libros Magistri Sententiarum*, vbi in calce recensetreliqua sua opera: inter quæ cautè legendus libellus *de Quatuor nouissimis*, circa statum animarum in Purgatorio: obiit anno 1471

Plinius. DIOSCORIDES GRÆCVS, miles & medicus, *virtutes Herbarum, arborum, lapidum & animalium* quinque voluminibus complexus est. 80

Possin. in Apparat. DOMINICVS SOTVS Segouiensis, Ordinis Prædicatorum. Carolo V. Imp. à Confessionibus, interfuit Concilio Tridentino, scripsit *in Magistrum, in Epistolam ad Romanos, de Iustitia & iure*, &c. 1560

DOROTHEVS, non ille Tyrius Presbyter & Martyr sub Iuliano (de quo Martyrologium 5. Iunij,) sed alius, edidit *Synopsin de vita Prophetarum & discipulorum Christi*, quæ non caret subinde fabulis, vt bene demonstrat Bellarminus: nulla huius mentio apud Eusebium, Hieronymum, aut Gennad. 363

DRIEDO vide IOANNES.

Possenin in Apparatu. DVRANDVS A S. PORTIANO, natione Gallus, ex Ordine Prædicatorum, Episcopus Aniciensis, scripsit *in quatuor libros Magistri Sentent.* item *de Origine iurisdictionum*, &c. alius est à Guilielmo Durando. 1320

DVRANTIVS vide STEPHANVS.

Eusebius & Hieron. in Cat. c. 3 i- EGESIPPVS æqualis S. Iustino & Athenagoræ, inquit Eusebius & S. Hieron. scripsit *Ecclesiasticam Historiam vsque ad sua tempora*, id est, vsque ad Eleutherum Papam: *Apostolicas* item *traditiones*, & *aduersus Idola*. Sed libri *de Excidio Ierosolymæ*, recentioris auctoris sunt, post Constantini tempora conscripti, vt ex lib. 3. c. 5. colligitur. floruit anno Vixit circa annũ Christi 177

Catalog. Societ. Iesu. EMANVEL DE GOES Lusitanus Eborensis, è Societate Iesu, auctor *Cursus Philosophici Conimbricensis*. 1600

Ibidem. EMANVEL SA Lusitanus Interamnensis, è Societ. Iesu, scripsit *Scholia in quatuor Euangelia, Notas in totam Scripturam*, & *Aphorismos casuum conscientiæ*, &c. obiit 30. Decemb. 1596

EMISSENVS vide EVSEBIVS.

EMMIVS vide VBBO.

Hieron. in Cat. c. 126. Phot. in Biblioth. EPHREM Diaconus Edessæ in Syria, edidit sub Valente Imperatore *supra mille sermones* plenos gratiæ & energiæ, inquit Photius: (plurimos collegit Gerardus Vossius:) scripsit & *in Pentateuchum*, &c. 365

Suidas & Volaterr. EPICTETVS philosophus Hierapoli in Phrygia natus, Epaphroditi Neronis cubicularij seruus, corpore claudus, vsque ad Antonini tempora superuixit. *Disputationes* eius tribus voluminibus conscripsit Arrianus discipulus ipsius. 118

Diogenes Laertius in eius vita lib. 10. EPICVRVS Xenocratis discipulus natus anno 3. Olympiadis 109. id est, anno 7. à morte Platonis, ante natum Christum anno 336. Vide Actor. 17. v. 18.

Hieron. in Cat. c. 114. S. EPIPHANIVS Salaminæ Cypri Episcopus anno 14. Theodosij, scripsit *Panarium contra hæreses, Ancoratum*, seu *ancoram fidei, de Ponderibus & mensuris, de vita Prophetarum*, &c. 380

ERASMVS ROTERODAMVS vide DESIDERIVS.

Athenæus Clem. 4. Stromat. Gesner. &c. ERATOSTHENES Cyrenæus, grammaticus, poëta, philosophus, geometra & astrologus è primis. 120

ESPENCÆVS vide CLAVDIVS.

ETZELIVS vide BALTHASAR.

Photius in Biblioth. EVAGRIVS Scholasticus Epiphanensis, *Historiam Ecclesiasticam* à tempore quo desinit Sozomenus, continuat vsque ad annum 12. Mauritij Imp. hoc est Christi 59

Baron. & Martyrol. S. EVARISTVS Papa *Epistolas* edidit *Decretales*. Martyrium subiit 26. Octob. 111

Gennad. in Catalog. c. 63. S. EVCHERIVS Episcopus LVGDVNENSIS tempore Theodosij iunioris & Marciani Impp. scripsit non *in Genesin*, & *libros Regum* (nam hi sunt Angli cuiusdam, Gregorio Magno coæui, vt patet ex l. 3. Commentarij in libros Regum cap. 22.) sed de *obscuris Scripturarum capitulis*, *de Statu animæ*, &c. Consule Bellarminum de Scriptor. Ecclesiasticis anno 440. 433

EVGVBINVS vide AVGVSTINVS STEVCHVS.

Photius c. 77. EVNAPIVS Sardibus Lydiæ regia oriundus Gentilis, Iuliani Imp. & secutis paulò pòst temporibus vixit, vt in scriptis suis ipse indicat: scripsit *Vitas philosophorum ac Sophistarum*, &c. vt adumbratâ suorum sanctitate, Christianorum Martyrum ac monachorum constantiam pietatemque eleuaret, in quos non semel inuehitur. 370

S. EVODIVS S. Petri in sede Antiochena successor, scripsit *Epistolam* cui titulus περὶ φάσεως. 50

EVODIVS, aliàs ENODIVS, Episcopus TICINENSIS, edidit *Panegyricos, Historias Sanctorum & de Fide Catholica*, &c. 510

Suidas & Gesner. Petauius ex Eusebio. EVRIPIDES Mnesarchi filius, Atheniensis, *Tragicas fabulas* scripsit 92. è quibus non extant nisi 19. anno ab orbe condito 3541.

Hieron. in Catal. c. 91. EVSEBIVS EMISSENVS, vel EMESENVS, Syrus, tempore Constantini Imp. plurimos libros (qui iam exciderunt) conscripsit, teste S. Hieronymo. Sed ipsius non sunt Homi-

Baron. ad Martyrol. 16. Nou. Bellar. supr. Gennad. de Viris illustr.

milia 50. *de Pascha*, &c. quæ nomine ipsius circumferuntur, Baronius opinatur esse Eucherij Lugdunensis; sed verius est quod Bellarminus sentit, esse Fausti, qui ex Abbate Lirinensi creatus est Episcopus Regiensis, teste Gennadio.

Hieron. ad Russinum.

EVSEBIVS PAMPHILI Episcopus Cæsarienſis, sed Arianus, imò signifer & princeps Arianorum (inquit S. Hieron.) scripsit *lib.* 15. *de Præparatione Euangelica*, *lib.* 20. *de Demonstratione*, *lib.* 10. *de Historia Ecclesiastica*, *Chronicon*, &c. 326

Nicetas in Histor.

EVSTATHIVS patria Constantinopolitanus, Thessalonicensis Archiepiscopus, *Commentarios in Homeri Odysseam & Iliadem*, item *in Dionysium de Situ orbis*, *& in complures Græcos poetas.* 1180

EVTHYMIVS, non ille qui sub Theodosio iuniore floruit anno 440. & nihil scripsit; sed alter Zigabenus, Ordinis S. Basilij, è scriptis S. Ioannis Chrysostomi aliorumque veterum Patrum elegantes *Commentarios* collegit *in S. Scripturam*: item *Panopliam dogmaticam Orthodoxæ fidei*, &c. initio Panopliæ ætatem suam profitetur. Claruit Alexio Imperatore. 1118

Ipſe Scriptor initio Panoplia ſuæ.

Suidas.

EVTROPIVS non ille Grammaticus Prisciani, neque medicus Marcelli Empirici, neque presbyter discipulus S. Augustini, (vt putat Gesnerus, Eisingrinius & quidam alij;) sed sophista Italus, qui expeditioni Iuliani aduersus Persas interfuit, *Breuiarium* scripsit *rerum Romanarum ab V. C. vsque ad Valentem Augustum*, cui & opus suum dedicauit. Gerardus Vossius dubitat an Christianus fuerit. 370

FABER vide PETRVS.

FABER STAPVLENSIS vide IACOBVS.

FABIANVS IVSTINIANVS Genuensis ex Congregatione Oratorij, collegit *Elenchum auctorum* qui in sacra Biblia vel vniuersim, vel singulatim in aliquas partes scripserunt anno Vixit circa annũ Christi 1610

Vossius l. 3. de Histor. Latinis. Trithem. Iacob. Bergomas in Supplement.

FASCICVLI TEMPORVM auctor est *Wernerus Rolleuinck* Carthusianus, & penè in omnibus sequitur Marianum Scotum. obiit Wernerus ann. 1502

FAZELLVS vide Thomas.

FERNANDVS vide IOANNES.

Sigebert. in Catalog. cap. 29.

FERNANDVS diaconus Carthaginensis, S. Fulgentij discipulus, tempore Felicis Papæ, scripsit *Paræneticum ad Reginum Comitem de septem regulis innocentiæ*, & varias *Epistolas.* 529

FINVS vide ADRIANVS.

Heron. in Catal. c. 33.

FLAVIVS IOSEPHVS Mathathiæ filius, natione Iudæus, secta Pharisæus, officio sacerdos & belli dux, Herodianæ familiæ affinis, à Vespasiano captus, & cum Tito Romam deuectus, *septem libros Iudaici belli* Græcè conscriptos Imperatoribus obtulit, ob quos statuam Romæ meruit. *Alios* 20. *libros Antiquitatum* ab exordio mundi vsque ad 14. annum Domitiani, regi Agrippæ iuniori dedicauit. *Duos* item *Antiquitatis Iudaicæ libros contra Apionem Grammaticum Alexandrinum*, item *de Imperio rationis*, seu *de Machabæis*: denique *de Vita sua*, &c. Alius est à Iosepho Gorionide. obiit ann. 99

FLORENTINVM vide CONCILIA.

Possevin. in Apparatu.

FLORIMVNDVS REMONDVS, regius consiliarius in senatu Burdigalensi, egregijs rescriptis iugulat errores hæreticos de *Antichristo*, & *de Ioanna Papissa*: item *de Origine, progressu & decessione hæreseon nostri temporis.* 1602

In præfatione ætatem suam indicat.

L. FLORVS breuiter conscripsit *Epitomen historiarum Liuij*, & *rerum Romanarum Historiam* vsque ad tempora Traiani, vt ipsemet affirmat. Consule Vossium de Histor. Latin. lib. 1. c. 30. 100

FONTANA vide IOANNES.

FORERIVS vide FRANCISCVS.

Catalogus Societ. Iesu.

FRANCISCVS ARIAS Hispalensis, è Societate Iesu, *de Imitatione B. Mariæ*, *de Præsentia Dei*, &c. obiit 23. Maij 1605

Idem.

FRANC. COSTERVS Mechlinia Belgij oriundus, Societatis Iesu, *Enchiridion Controuersiarum*, *Commentarium in Nouum testamentum*, *Conciones & Apologias plurimas*, &c. obijt 1619

Possevinus in Apparatu

FRANC. FEVARDENTIVS Parisiensis Theologus, ex Ordine Minorum, *Theomachiam Caluinisticam*, *Comment. in Ruth*, *Esther*, *Ionam*, *Epistolam S. Iacobi*, &c. 1578

Idem.

FRANC. FORERIVS Vlyssiponensis, Ordinis Prædicatorum, iussu Concilij Tridentini cui interfuit, confecit *Indicem librorum prohibitorum*: scripsit & *Commentarium in Isaiam & Prophetas Minores*, &c. 1580

Idem & Simleri Biblioth.

FRANC. GEORGIVS Venetus, Ordinis Minorum, octo *libros Problematum in selectiores SS. Scripturas*, &c. obiit 1510

Athenæ Belgicæ.

FRANC. HARÆVS Vltraiectinus, Theologus & Canonicus Louanienſis, *Vitas Sanctorum*, *Olympiades*, *Fastos*, *Expositiones priscorum Patrum cum Scholiis in totam S. Scripturam*, &c. 1630

Acad. Batauorum Cloucquij.

FRANC. IVNIVS Caluinista Gallus, *Notas in Bibliа ex Hebræo & Græco in Latinum translata*, &c. obiit 1602

Athenæ Belgicæ.

FRANC. LVCAS Brugensis, Audomaropoli Decanus, *Notationes in Biblia*, *Commentarium in quatuor Euangelia*, &c. obiit 1619

Catalog. Societ. Iesu

FRANC. MONTANVS Gallus, è Societate Iesu, contra Arnaldum Aduocatum Parisiensem scripsit *Apologiam pro Societate*, &c. 1569

Idem.

FRANC. RIBERA Hispanus ex oppido Castellæ Villacastin, Societat. Iesu, *Commentarium in Prophetas Minores*, *in Epistolam ad Hebræos & Apocalypsin*: *de Templo Salomonis*, *de Vita S. Theresæ*, &c. obiit 1591

Idem.

FRANC. SVAREZ Granatensis, Societatis Iesu, *Commentarium in Metaphysicam Aristotelis*, *in* 1. *&* 3. *S. Thomæ*, & alia plurima, v. g. *de Virtute & statu religionis*, *de Legibus*, &c. 1612

Ipſe in ſuis Athenæ. Athenæ Belgicæ Swertij.

FRANC. SWERTIVS Antuerpiensis edidit *Athenas Belgicas* & quædam alia. 1630

FRANC. TITELMANNVS Belga ex oppido Hasselt, Ordinis Minorum, *Commentarium in Ecclesiasten*, *Canticum*, *Iob*, *Psalmos*, *Matthæum*, *Ioannem*, *& omnes Apostolorum Epistolas*, &c. obiit 1553

Catalog. Societ. Iesu.

FRANC. TOLETVS Cordubensis Hispanus, è Societate Iesu, in numerum Cardinalium adscitus, triennio pòst obijt 14. Sept. 1596
Scripsit *Commentarium in Lucam*, *Ioannem*, *Epistolam ad Romanos*, *Institutionem sacerdotum*, & multa philosophica.

Idem.

FRANC. TVRRIANVS Hispanus Legionensis,

nensis, Societ. Iesu, scripsit pro *Canonibus Apostolorum, pro Apostolicis institutionibus S. Clementis, pro Epistolis Decretalibus Pontificum*, & pluribus alijs materiis aduersus hæreticos. obiit 21. Nouemb. 1584

Possenin. in Apparatu, & Simleri Biblioth. Ibidem.

FRANC. VALLESIVS Philippi II. Catholici Regis archiatrus; librum *de Sacra philosophia* & plurima medica. 1588

FRANC. VATABLVS regius Hebraicæ linguæ professor primus Lutetiæ per annos 16. vir probatæ semper vt fidei, ita & doctrinæ, inquit Genebrardus, Possevinus, Gretserus & à Lapide. Vnde *versio Tigurina Bibliorum*, quæ nomine Vatabli circumfertur, & à veritate Hebraica longissimè aberrat, non est Vatabli, qui nullam versionem ex Hebræo confecit, sed est Leonis Hebræi & Theodori Bibliandri, & aliorum Zuinglianorum. *Notationes* quoque quæ versioni coniunguntur, vt nunc quidem exstant, non sunt Vatabli, sed hæretici cuiusdam. fraude Roberti Stephani typographi suppositæ Vatablo: à quo falsi crimine postulatus Robertus solum vertit, & Geneuam profugit, & Lutetiæ in simulacro exustus est, vt prædicti auctores tradunt. Emacularunt hanc versionem & Paraphrasin, quoad licuit, Theologi Salmanticenses anno 1584. & sic vsurpari permittitur. 1548

Possin. in Apparat. & Simleri Biblioth.

FRANC. A VICTORIA Hispanus, Ordinis Prædicatorum, Salmanticæ professor, scripsit *in vniuersam Summam* S. Thomæ, item *Relectiones tredecim de bello, de homicidio*, &c. obiit 1546

Horat. Tursellinus in eius vita.

S. FRANCISCVS XAVERIVS natione Nauarrus, è Societ. Iesu, Indiarum Apostolus, *quatuor libros Epistolarum.* obiit 2. Decembr. 1552

Sigebertus in Catalog. cap. 91.

FRECVLPHVS ex monacho Fuldensi Ordinis S. Benedicti Episcopus Lexouiensis, *Chronicon* ab orbe condito vsque ad Christi aduentum, cum *Historia rerum ad suavsq; tempora.* Floruit 830

FRIDERICVS LVMNIVS vide IOANNES.

Simleri Bibliotheca.

FRIDERICVS STAPHYLVS Germanus scripsit *Epitomen Theologiæ Lutheranæ*, & *Apologiam contra Melanchthonem & Smidelinum* & alios Lutheranos. Vixit 1560

FRISINGENSIS vide OTTO

FRONTINVS vide IVLIVS.

Isidorus de Viris illustribus.

S. FVLGENTIVS Afer Carthaginensis, Ruspæ Episcopus tempore Trasimundi regis, ad quem tres libros dedit, scripsit & complures *Epistolas de abstrusis sermonibus, de hæresi Ariana & Pelagiana*, &c. item *de Trinitate, Incarnatione, Prædestinatione*, denique & *de Fide ad Petrum Diaconum*, qui liber antea S. Augustino adscribebatur. *Liber Mythologiarum* non sapit grauitatem styli nostri Fulgentij. Fortè est Fulgentij Ferrandi diaconi Ecclesiæ Carthaginensis coæui nostro S. Fulgentio, qui obiit anno 529

Simlerus in Biblioth.

FVLVIVS VRSINVS *Virgilium* illustrauit, *C. Iulij Cæsaris fragmenta* collegit, scripsit *de Triclinio Romano* &c. 1568

FVNCCIVS vide IOANNES.

Catalog. Societ. Iesu.

GABRIEL ALVAREZ Oropesanus, Societatis Iesu, scripsit *in Isaiam.* 1614

Simleri Biblioth.

GABRIEL BIEL Germanus, Tubingæ professor, *in quatuor libros Magistri Sentent.* & *Expositionem Canonis Missæ*, & varios *Sermones.* 1449

Catalog. Societ. Iesu.

GABRIEL VASQVEZ Hispanus Bellemontanus, Societatis Iesu, *in 1. p. S. Thomæ, in 1. 2. & in 3. p. de Incarnatione, de Cultu adorationis* &c. obiit 23. Sept. 1604

GAGNEIVS vide IOANNES.

GAGVINVS vide ROBERTVS,

GALATINVS vide PETRVS.

GALENSE vide CLAVDIVS.

GANGRENSE vide CONCILIA.

Catalogus Societ. Iesu. Possenin. in Apparatu.

GASPAR SANCHEZ Hispanus Granatensis, è Societ. Iesu, *Comment. in quatuor libros Regum & 2. Paralip. in Isaiam, Ieremiam, Threnos, & Prophetas Minores.* Item *duos tomos Concionum*, &c. 1591

Biblioth. SS. PP. to. 2 edit. 2.

S. GAVDENTIVS in episcopatu Brixiensi successor Philastrij, tractatum *de Machabæis, de Dedicatione basilicæ*, &c. 390

Gennadius in Catalog. c. 49.

S. GELASIVS Papa eius nominis primus, Afer, in Concilio 70. Episcoporum Romæ confecit *canonem geminorum librorum S. Scripturæ*, &c. 494

GELLIVS vide AVLVS.

Athenæ Belgicæ.

GEMMA FRISIVS medicus & mathematicus Louanij, *Cosmocritica* & alia *Mathematica.* 1545

Ipse Genna. in Catalog. c. 100. Sigebert. in Catal. c. 30. Bellarm. & Possenin. Gesnerus in Biblioth.

GENNADIVS Massiliensis presbyter, quem Sigebertus Episcopum vocat, scripsit *de Viris illustribus*, *de Ecclesiasticis dogmatibus* (inter opera D. August.) &, vt quidam volunt, etiam *in Apocalypsin.* 490

GEORGIVS AGRICOLA medicus & metallista egregius, *de Ponderibus & mensuris Romanorum & Græcorum, de Fossilibus & animantibus subterraneis, de Bello aduersus Turcas suscipiendo*, &c. Mortuus ann. 1555

Vossius de Hist. Græc. lib. 1. c. 26. Simlerus Biblioth.

GEORGIVS CEDRENVS historicus Græcus, *Compendium historiarum* ab orbe condito ad annum Christi 1057. Mortuus 1070

GEORGIVS EDERVS Frisingensis Bauarus, Maximiliani Secundi Imper. consiliarius, *Oeconomiam Bibliorum*, quæ est vice Commentarij, *Malleum hæreticorum*, &c. 1568

Possevinus in Apparatu

GEORGIVS PACHYMERIVS tempore Michaëlis Palæologi scripsit *Commentar. in Dionysium Areopagitam*, & ferè *in omnia Aristotelis*, item *Ecclesiasticam historiam*, &c. non bene affectus erga Sedem Apostolicam. 1300

Ibidem & Simlerus in Biblioth.

GEORGIVS VENETVS, *Harmoniam totius mundi, Problemata*, &c. *de SS. Martyribus Marcellino & Petro*, &c. 830

Simlerus in Biblioth.

GEORGIVS VVICELIVS Germanus, *Epitomen Romanorum Pontificum.* & multa *de Controuersijs fidei aduersus Iustum Ionam*, &c. 1552

Guelferus Gymnasio in eius vita, & Athenæ Belgicæ.

GERARDVS MERCATOR Belga Rupelmundanus, *Tabulas Cosmographicas, & Chronologiam ab orbe condito*: obiit 2. Decemb. ann. 1594

Athenæ Belgicæ. Ibidem.

GERARDVS MORINGVS, Belga Theologus, *Comment. in Ecclesiasten*, &c. 1533

GERARDVS IOANNIS VOSSIVS Heidelbergensis, Eloquentiæ apud Leydenses professor, scripsit *de Historicis Græcis & Latinis*, &c. 1627

GERSON vide IOANNES

S. GER-

Possevinus in Apparat. S. GERTRVDIS soror S. Mechtildis Abbatissa monasterij Rodaldesdorf in Germania Ordinis S. Benedicti, *libros quinque Insinuationum diuinæ pietatis.* è viuis excessit ann. 1290

GESNERVS vide CONRADVS.

Possevin in Apparat. GILBERTVS GENEBRARDVS Gallus Aruernus, ex monacho S. Benedicti, & litterarum Hebraicarum Parisiis professore regio, Archiepiscopus Aquensis, edidit *Chronologiæ librum vnum, & Chronographiæ libros quatuor, Commentarium in Psalmos, Canticum, Ioël*, &c. obijt 10. Maruij 1597

GLOSSA in Biblia multiplex prodijt. VNA INTERLINEARIS ex SS. Patribus hausta ab *Anselmo Laudunensi.* 1117

Altera ORDINARIA ex iisdem hausta à *Strabone* Rabani discipulo. 840

Tertia *Nicolai Lirani*, adiuncta morali expositione. Et hæ tres Glossæ simul in iisdem voluminibus extant. 1320

Edidit & suam glossam *Hugo Cardinalis*, & alij suas.

Possevin in Apparat. Vossius de Hist. Græcis lib. 2. c. 27. GLYCAS prænomine MICHAEL, Græcus schismaticus, explicuit *obscuriora S. Scripturæ loca*, & *Historiam* contexuit ab orbe condito vsque ad obitum Alexij Comneni. 1118

GORDONVS vide IACOBVS.

GORIONIDES vide IOSIPPVS.

IOAN. GOROPIVS BECANVS Belga, scripsit *Origines Antuerpienses*, &c. 1569

Tom. 5. Biblioth. SS. PP. edit. vlt. S. GREGENTIVS Archiepiscopus Tephrensis in Græcia, *disputationem cum Herbano Rabbino Iudæo*, floruit circa annum 524

GREGORAS vide NICEPHORVS.

Hieron. in Catal. c. 118 S. GREGORIVS Episcopus NAZIANZENVS, D. Hieronymi præceptor, cognomento Theologus, S. Basilio studiorum comes, *Orationes in dies festos, & alias varias, Apologetici libros quatuor, Carmina de Virginitate, de Rebus suis*, &c. obiit anno 11. Theodosij, Christi 390

Nyssen. in vita Thaumaturgi. Vossius de Hist. Græcis lib. 2. c. 27. S. GREGORIVS Neocæsariensis in Ponto Episcopus, cognomento THAVMATVRGVS, auditor Origenis, cui inscripsit *Panegyricum Eucharistiæ*, item *breuem Fidei confessionem ex reuelatione S. Ioannis Apostoli*, inquit Gregorius Nyssenus: *Epistolam* quoque *Canonicam*, quam Balsamon Commentario illustrauit: *Duodecim capita Fidei, tractatum de Anima, tres Sermones de Annuntiatione B. Virginis*: denique *Metaphrasin* verè admirabilem (vt Suidas vocat) *in Ecclesiasten*, quam in Latinum transtulerunt Billius, Vossius, & Ioannes monachus Brigittanus. Claruit sub Seuero 233

Hieron. in Cat. c. 129. & Suidas. S. GREGORIVS NYSSENVS Episcopus, S. Basilii frater, multa scripsit præclarissimè *de S. Trinitate, de Resurrectione, de Octo beatitudinibus, de Vita Moysis, de Vera virginitate, in Canticum Canticorum, in tria priora capita Ecclesiastæ*, &c. *Symbolum fidei in primo Concilio Generali Constantinopolitano*, &c. Superuixit vsque ad annum 14. Theodosij 393

Honorius in Cant. c. 17. S. GREGORIVS Romanus Papa I. omni ex parte MAGNVS, scripsit *Moralis expositionis in Iob libros 35. de Cura pastorali partes tres, in I. librum Regum, in Canticum, in Ezechielem, ac penè in totam reliquam Scripturam, Homilias in Euangelia, Dialogorum libros 4. Epistolarum libros 12.* &c. obiit 604

Aimoinus de Gestis Franc. li. 1. cap. 18. Matthæus VVestmonaster. ad. annum 572. S. GREGORIVS TVRONENSIS Episcopus, scripsit *libros 10. de Historia Francorum, libros duos de Gloria Confessorum, vnum de Gloria Martyrum, vnum de Miraculis S. Iuliani, quatuor de S. Martini*, &c. coæuus Gregorio Magno, nam è viuis abiit ann. 596

Catalog. Societ. Iesu. GREGORIVS DE VALENTIA Hispanus Metimnensis, Societatis Iesu, *Commentaria in totam Summam D. Thomæ, Controuersias Fidei*, &c. è viuis abiit 25. April. 1603

Possevin. in Apparat. GVEVARA vide ANTONIVS.

GVILIELMVS ALEBASTER Anglus edidit *Apparatum in reuelationem Iesu Christi, nouamq; rationem inuestigandi prophetiarum mysteria.* 1607

Ibidem. GVILIELMVS ARVERNVS Parisiensis Episcopus, in *Hexameron, Psalterium, Prouerbia, Ecclesiasten, Canticum, Matthæum*, &c. 1249

Ibidem. GVILIELMVS BARCLAIVS in Academia Mussipontana I. V. professor, Lotharingiæ Ducis consiliarius, *libros 6. de Regno & Regali potestate aduersus Buchananum, & alios Monarchomachos.* 1600

Philip. Bergomatis Chronico, Supplem. ad ann. 1522. GVILIELMVS BVDÆVS Parisiensis, regius consiliarius, omni bonæ litteraturæ genere præstans, scripsit *de Asse eiusq; partibus libros 5. de Ponderibus & mensuris, de Philologia, de Contemptu rerum fortuitarum*, &c. obiit 1539

Trithemius. GVILIELMVS DVRANDVS, alias DVRANTES natione Vasco, cognomine *Speculator*, Episcopus Miniatensis, I. C. insignis, scripsit *Speculum & repertorium Iuris, Rationale diuinorum Officiorum*, &c. 1286

Athenæ Belgicæ GVILIELMVS LINDANVS Damasi filius, Dordracenus in Hollandia, Ruremundensis Episcopus, *Panoplian Euangelicam, Dubitantium*, & plurima contra hæreticos. obiit 2. Nouemb. 1588

Simleri Biblioth. GVILIELMVS RONDELETIVS in schola Mompelienſi professor regius in Medicina, scripsit *de Piscibus marinis, palustribus, fluuiatilibus, & terrenis, de Morbo Gallico*, &c. obiit 1566

Vossius de Hist. Latin. lib. 2. c. 53. GVILIELMVS STVCKIVS Tigurinus Lutheranus, *Antiquitatum conuiualium lib. 3.* 1582

GVILIELMVS TYRIVS Archiepiscopus, natione Gallus, libris 23. describit *Historiam Belli sacri* ab anno Christi 1095. vsque ad annum quo obiit 1180

GYRALDVS vide LILIVS vel SYLVESTER

Galatinus. R. HAKADOS, non ille priscus ante Christum natum, qui scripsit *Galetazeija*, id est, Reuelatorem secretorum, & multa propheticè de Messia prædixit: sed alter prænomine IVDAS, qui honoris causâ vocabatur ab Hebræis *Rabbenu Hakados*, id est, Magister noster sanctus: scripsit *in librum Ecclesiastæ & Canticum*, item *Epistolam mysteriosam*: & primus perstringere cœpit Thalmud Babylonium, quod Iudæi velut ore Moysis traditum amplectuntur. Vixit circa annũ Christi 500

HARÆVS vide FRANCISCVS.

Vossius li. 3. HARTMANNVS SCHEDEL Norimbergensis *Seriem Pontificum, Cæsarum, regum*, &c. ab origine mundi vsq; ad annũ quo viuebat. 1492

Honorius in Catalog. Sigebertus ibid. c. 136.

HAYMO ex Abbate monasterij Hirsfeldensis Ordinis S. Benedicti Episcopus Halberstatensis, Alcuini discipulus, quasi abbreuiator S. Hieronymi, sanctitate & eruditione insignis, scripsit *in omnes libros S. Scripturæ, item de Mundi voluptate: de SS. Trinitate, de Memoria rerum Christianarum*, &c. obijt 853

Gerard. Ioan. Vossius de Hist. Latinis.

HAYMO Floriacensis monachus scripsit *Historiam à Iustiniano Imper. vsque ad Carolum Magnum.* 1020

HECTOR PINTVS Lusitanus, Ordinis D. Hieronymi, Conimbricæ professor, *Comment. in Isaiam, Ezechielem, Danielem, Nahum, & Threnos Ieremiæ*, &c. 1570

HEGESIPPVS vide EGESIPPVS.

HELECAS vide LVCIVS DEXTER.

Photius in Biblioth. Nicephorus li. 12. c. 34.

HELIODORVS in Græcia Episcopus *Aethiopicam historiam*, seu potiùs fabulam conscripsit libris decem impressis Basileæ. Vixisse circa annum Christi 200

colligit Vossius de Historiis Græcis lib. 3.

Florimund. Ramund.

HENRICVS BVLLINGERVS Zuinglij successor apud Heluetios 1531. *homilias & conciones in Isaiam, Ieremiam Euangelia, Acta, Epistolas Apostolorum & Apocalypsin*, &c. obiit Tiguri ann. 1575

Athenæ Belgicæ Swertij.

HENRICVS CANISIVS Belga Nouiomagus, Petri Canisij Societ. Iesu patruelis, I. V. Doctor, & Canonum Ingolstadij professor, edidit *quinque tomos Antiqu. lectionum, in quibus multa Chronica*, &c. 1530

Catalog. Societ Iesu.

HENRICVS ENRIQVEZ Lusitanus, Portuensis, è Societ. Iesu, *Summam Theologiæ moralis tomis tribus.* 1610

HENRICVS DE GANDAVO, *Catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum* collegit vsque ad annum 1280

Athenæ Belgic.

HENRICVS HARPHIVS Mechlinensis in Belgio, Ordinis Minorum, *Theologiam Mysticam, Speculum aureum de decem præceptis, Directorium*, &c. vixit sub Paulo II. Pont. Max. 1470

Ibidem.

HENRICVS SAMERIVS Belga Luxemburgensis, *breuem Chronologiam sacram* ab orbe condito vsque ad annum 1609

Balthazar Vverlinus in addit. ad Catalogum Trithem. Possevin in Apparatu. Athenæ Belgicæ.

HENRICVS SVSO Suevus, Ordinis Prædicatorum, sanctitate & miraculis clarus, *Horologium Sapientiæ, 100. meditationes de Passione Domini, lib. de Nouem rupibus, Conciones. Epistolas*, &c. 1340

HERIBERTVS ROSWEYDVS Belga Vltraiectinus, Societ. Iesu, edidit *Vitas PP. Comment. in S. Paulinum*, & plura alia polemica & historica: obiit ann. 1629

Ibidem.

HERMANNVS HVGO Belga Bruxellensis, de Societate Iesu, *Pia desideria, & de Equestri militia, Obsidionem vrbis Bredæ*, &c. obijt 1629

Honorius in Catal. Trithemius

HERMANNVS Varingensis in Sueuia Comitis filius, à membrorum contractione dictus CONTRACTVS, Augiensis S. Benedicti monachus, ope B. Virginis hausta incredibili eruditione, scripsit *Chronicon de Sex ætatibus mundi, hymnos, Salue Regina, Alma Redemptoris, Veni sancte Spiritus & emitte talitus*, &c. aliosque complures *hymnos, & multa Mathematica*, &c. obiit ann. 1054

HERMAS, quem S. Paulus salutat Rom. 16. v. 14. auctor libri apud Græcos celeberrimi qui *Pastor* inscribitur, ab Irenæo, Origene, Clemente Alexandr. & quibusdam aliis, pro Scriptura citatur, teste S. Hieron. sed à Gelasio Papa, & deinceps ab Ecclesia inter apocrypha habetur, reuera vtilis liber, inquit idem Hieronymus. vide Possevinum. Alius est hic Hermas ab Hermete Pij I. Pontificis fratre, vt docet Bellarm. 70

Hieron. de Scriptor. cap. 10. Gelas. in Conc. 70. Episcoporu.

Diogenes Laertius de Vitis Philos. l. 5. in principio.

HERMIAS ex eunucho & trapezitæ famulo philosophus, Platonis discipulus, Assenensium inde in Asia dominio potitus, ante Christum natum annis 359. scripsit *Irrisionem Gentilium philosophorum.*

Iulius Capitol. in Clod. Albino & alibi. Trebell. Pollio in 30 tyranno.

HERODIANVS Alexandrinus scripsit *de Arte Grammatica* & *Historiam Imperatorum* à Commodo vsque ad Gordianum. 241

Photium consule.

Plin. l. 12. Nat. hist.

HERODOTVS Halicarnassæus 400. annis (vt ipsemet ait) Homero & Hesiodo posterior, scripsit *Historiæ Græcorum libros nouem*, singulis singularum Musarum nominibus præfixis; Plinius ait, scripsisse anno ab V. C. 310. id est, ante natum Christum annis 442.

HESSELIVS vide IOANNES.

Plin. lib. 14

HESIODVS ex Æolia, rusticus ad summum Poëticæ euasit tempore Homeri. Scripsit *Theogoniam, Aspida, Heroides, Epicedion & Dies*, &c. ante natum Christum annis 840.

Suidas & Photius

HESYCHIVS ILLVSTRIVS Milesius *Historiam orbis* texuit à Belo vsque ad mortem Anastasij Imp. item *Onomatologon*, seu *tabulam virorum in litteris illustrium*, sed nullius meminit Ecclesiæ Doctorum. Consule Vossium de Hist. Græcis lib. 2. c. 22. Floruit ann. Suidas dicit non liquere ex eius scriptis, Christianusne fuerit, an Gentilis: Christianum tamen fuisse ex eo colligere possumus, quòd Chaldæam Sibyllam dicat de Christo vaticinatam fuisse. 518

Ipse Hieron. in Catal. cap. vlt.

S. HIERONYMVS Dalmata Stridonensis, Ecclesiæ Antiochenæ presbyter, *duas* edidit *versiones veteris testamenti*, vnam quâ translationem 72. Interpretum à se correctam ex Græco Latinam reddidit, alteram quâ Hebræum textum, postulante Papa Damaso, omnium primus Latinum fecit: nec post eum vsque ad Lutheri tempora quisquam alius Biblia ex Hebræo immediatè in Latinum transferre tentauit. *Nouum testamentum* S. Hieronymus non vertit, sed solùm à mendis quæ irrepserant, expurgauit. *Commentarios* edidit penè *in omnes S. Scripturæ libros*, & multa *polemica aduersus hæreticos, & Epistolas innumeras*: denique *Catalogum de Scriptoribus Ecclesiasticis* primus (vt ipsemet in proœmio ait) magno orbis bono collegit, quem producit vsque ad annum Christi 410. non ita tamen quin plures illorum temporum ipsum effugerint, quos postea Gennadius, Isidorus Hispalensis, Honorius & alij adnotarunt. Obiit imperante Honorio & Theodosio iuniore, anno 420

Possevin. in Apparat.

HIERONYMVS BOLSECVS Parisiensis medicus, Caluino perfamiliaris, ad fidem Catholicam traductus, *nequitias illius*, vt & Zuinglij,

Zuinglij, Lutheri, Oecolampadii, editis eorum *viris* publicè detexit anno 1577

Simleri Bibioth. HIERONYMVS CARDANVS Mediolanensis medicus & mathematicus, præter *regulas Algebraicas* scripsit *de Consolatione lib.* 3. *de Subtilitate libros* 21. & multa mathematica ac medica. obiit Romæ 1576

Gruteri dies emortuales. HIERONYMVS MAGIVS Angoralensis I. C. *Institutiones Iuris, Lexicon Iuris, Miscellanea, de Ritu sepeliendi, de Exustione mundi*, &c. Fuit & mathematicus insignis, & Famaugustam (Cypri vrbem) arte sua contra Turcas strenuè defendit, à quibus captus & Constantinopoli in carcere strangulatus est. 1572

Simleri Bibliotheca. HIERONYMVS AB OLEASTRO Lusitanus, Ordinis Prædicatorum, Inquisitor Vlyssipone, *Commentarium in Pentateuchum.* 1568

Ibidem & Possuin. in Apparatu. HIERONYMVS OSORIVS Syluæ in Lusitania Episcopus, *Paraphrasin in Iob & Psalmos, in Isaiam*, &c. *Commentarium in Oseam, Zachariam, Euangelium S. Ioannis, Epistolam ad Romanos*, &c. *libros decem de Iustitia*, 5. *de Sapientia*, &c. 1535

Ibidem. HIERONYMVS OSORIVS iunior, prædicti Hieronymi nepos, *Paraphrasin in Sapientiam Salomonis, in Parabolas eiusdem, & Ecclesiasten & Canticum*, &c. 1580

Catalog. Socies. Iesu. HIERONYMVS PLATVS Mediolanensis, Societatis Iesu, *de Bono statu Religiosi, de Cardinalitia dignitate*, &c. obiit anno 1592

Possenin. in Apparat. HIERONYMVS PRADVS Biacensis in Hispania, Societat. Iesu, *Comment. in 26. priora capita Ezechielis*, &c. obiit 13. Ianuarij anno 1595

Gennad. in Catalog. cap. 69. HILARIVS Arelatensis Episcopus, S. Augustini discipulus, scripsit *ad eundem epistolam de Prædestinatione contra Pelagianos, vitam prædecessoris sui S. Honorati, Carmina in Genesin*, &c. Obiit Valentiniano & Marciano regnantibus 449

Hieron. in Comment. aduersus Luciferian. Hieron. in Cat. c. 100 HILARIVS Diaconus vrbis Romæ, qui schismati Luciferi Calaritani adhæsit, *Commentarium in Epistolam ad Romanos.* 350

S. HILARIVS Pictauorum in Aquitania Episcopus, quem Synodus Ephesina prima & alia deinceps Concilia mirificè coluerunt. Scripsit *de Trinitate* 12. *libros aduersus Arianos, librum de Synodis, Commentarium in Psalmos aliquot, in Matthæum*, &c. & *plures Epistolas.* Obiit Valentiniano & Valente imperantibus, 370

Iulianus eius Diac. præf. in libr. S. Hildefonsi de Laudibus Mar. Virg. Sigebert. in Chronic. ad ann. 825. *Vossius de Hist. Lat. Isidorus.* S. HILDEFONSVS post S. Eugenium Toletanus Episcopus, *de S. Trinitate, de Virginitate B. Mariæ*, item *hymnos & Sermones varios, & librum de Viris illustribus.* Consule Bellarm. de Scriptor. Eccl. obiit ann. 677

HILDVINVS Abbas monasterij S. Dionysij iuxta Parisios, *libru* 4. descripsit *prosâ & carmine vitam S. Dionysij Areopagitæ* ad Ludouicum Pium Imp. 836

HIPPOCRATES ex insulâ Coo oriundus, olim medicorum princeps, & Philosophus celeberrimus, scripsit *Aphorismos* & alia medica, ante natum Christum anno 436.

Eusebius l. 6. hist. c. 16. *Hieron. in Catal. c.* 61. S. HIPPOLYTVS Clementis Alexandrini discipulus, Portuensis Episcopus, & Martyr sub Alexandro Seuero, 22. Augusti 229 scripsit *orationem de Consummatione mundi, de Antichristo & secundo aduentu Domini*, &c.

Hesychius in Vitis Philosophorum, & Aulus Gellius in Noctib. Atticis HOMERVS prænomine MELESIGENES, quia cæcus & itineris duce egens, ab Ionibus dictus *Homerus*, poëtarum omnium Græcorum princeps, dictauit *Iliada*, id est, Troiæ captiuitatem, & *Odysseam*, id est, Vlyssis errores, *Batrachomyomachiam*, &c. ante natum Christum annis 836.

Trith. in Catalog. & Vossius de Hist lib. 2. cap. 59. HONORIVS AVGVSTODVNENSIS Presbyter, *Comment. in libros Salomonis, Chronicon & Gemmam animæ*, & *de Luminaribus Ecclesiæ*, vbi Ecclesiasticorum Scriptorum catalogum contexit, vsque ad annum Christi 1120

Sueton. in eius vita. HORATIVS Venusinus, libertino patre natus, & Athenis eruditus, à M. Bruto, qui Cæsarem occidit, tribunus militum creatus, in Lyricis excellens, scripsit *Poeticas institutiones, Odas, Epistolas*, &c. Obijt anno imperij Augusti, (quem, quia capto pepercerat, rerum suarum certè opulentissimarum heredem instituit) anno 35. id est, ante Christum natum an. 6. De eius vita consule Crinitum, & ex antiquis Suetonium in eius vita quæ à Nannio edita lib. 3. Miscellaneorum.

Catalog. Scriptorum Societ. Iesu. HORATIVS TVRSELLINVS Romanus, Societat. Iesu, *Historiam Lauretanam, Vitam S. Xauerij, Historiam ab orbe condito* vsque ad sua tempora, *varias Epistolas*, &c. obiit 1599

Possenin. in Apparat. Plinius l. 3. & 17. S. HORMISDA Papa è Campania oriundus, *Epistolam ad Orientales & alias*: obiit 6. Aug. 523

HORVS APOLLO Niliacus *Hieroglyphica* edidit paulò ante Christum natum.

HVGO BRVCHTON Anglus Caluinista, *Dictionarium Hebræo-Latinum, Concentum*, &c. 1612

Sixtus Senensis in Biblioth. Possenin. ibidem. HVGO CARENSIS è Delphinatu Galliæ, qui ex Ordine Prædicatorum primus in collegium Cardinalium adoptatus est, *Commentarios in vniuersam Scripturam, Concordantias Bibliorum, Speculum sacerdotum*, &c. obiit Lugduni anno 1262

Antoninus Florent. in summa hist. HVGO Floriacensis in Gallia monachus S. Benedicti, *Chronicon vsque ad annum* Christi. cætera periere. Floruit 1078

Trith. in Catalogo. HVGO DE S. VICTORE Saxo, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini vir vt sanctissimus, ita & eruditissimus. Scripsit *in Pentateuchum, libr. Regum, Psalmos, Ecclesiastæ* 4. *priora cap. Canticum, Threnos, Ezechielem, Ioëlem, Abdiam*, &c. *& libros* 9. *Allegoriarum in omnem penè Scripturam.* 1130

Simleri Bibliotheca. HVLDRICVS ZVINGLIVS Helueticus ex Canonico Constantiensi, Carolstadii discipulus, & vnà cum ipso Sacramentariorum coryphæus. Scripsit *in Genesin, Exodum, Isaiam, Ieremiam, Euangelia, Epistolas aliquot*, &c. In prælio contra Catholicos occisus 11. Octob. 1525 1531

Hieron. in Catal. c. 4. S. IACOBVS Apostolus *vnam* scripsit *Epistolam*. Triginta annis Ierosolymis rexit Ecclesiam vsque ad 7. Neronis annum. Martyrio coronatus anno Christi Vixit circa annũ Christ. 64

Catalog. Societ. Iesu. IACOBVS ALVAREZ DE PAZ Societ. Iesu, *de Vita spirituali, de Oratione & contemplatione*, &c. 1613

Iac. Gual. in tabula Chronogr. pag 829. IACOBVS ARMINIVS in Academia Leydensi professor Caluinianæ Theologiæ, sectam illam de nouo dissecuit, nouorum paradoxorum auctor ac propugnator. 1610

Athena Belgica. IACOBVS BONFRERIVS Belga Dionantensis, è Societ. Iesu, *Comment. in Pentateuchum*, &c. 1631

Simleri Biblioth. IACOBVS FABER Stapulensis, celeberrimus Parisiis philosophus, Galliæ decus, *Comment. in Psalmos, Euangelia, Epistolas Pauli & Catholicas*, &c. 1521

Catalog. Societ. Iesu. IACOBVS GORDONVS Lesmoreus, Societ. Iesu, *opus Chronologicum.* 1613

Ibidem. IACOBVS GRETSERVS Germanus Marckfordiensis, Societ. Jesu, *tomos tres de Cruce*, deque alijs plurimis materiis. 1616

Ibidem. IACOBVS GVALTERVS Gallus Viuariensis, è Societ. Iesu, *tabulam Chronographicam* à Christo nato vsque ad annum 1608

Athenæ Belgicæ. IACOBVS PAMELIVS ex Brugensi Canonico Episcopus, *Micrologum de Ecclesiasticis obseruationibus, Scholia in Tertullianum & Cyprianum*, &c. 1589

Possini de Historicis Latinis. IACOBVS PHILIPPVS FORESTVS Bergomas, Ordinis Eremitarum S. August. *Historiam ab orbe condito*, ferè vsque ad annum Christi 1503
sed alius continuauit vsque ad annum 1534

Catalog. Societ. Iesu. IACOBVS SALIANVS Gallus, è Societ. Iesu, *Annales totius veteris Testamenti*, vsque ad excisam Ierosolymam per Titum. 1623

Possuinus in Appara. IACOBVS SVAREZ A S. MARIA, Lusitanus, ex Ordine Minorum Sagiensis Episcopus. *Concones in tria prima cap. Apocalypsis*, &c. 1605

S. Antonin. Chronicor. tit. 19. c. 12. Trithem. in Catalog. IACOBVS DE VITRIACO natione Gallus, S.R.E. Cardinalis, & Episcopus Tusculanus, *historiam Ierosolymitanam & Occidentalem, vitam B. Mariæ Oegniacensis, volumen concionum*, &c. obijt anno 1240

Philip. Bergomas ad ann. 1291. IACOBVS DE VORAGINE (Ligurum oppido in Italia) ex Ordine Prædicatorum, Archiepiscopus Genuensis, primus vertit *Biblia in linguam Italicam*, scripsit *Chronica Genuensium, Sermones pro Dominicis & festis totius anni, Legendam auream de vita & gestis multorum Sanctorum*; &c. 1290

IANSENIVS vide CORNELIVS.

IARRICVS vide PETRVS.

Sulpitius Seuerus Histor. sacra li. 2. circa finem. IDACIVS, aliàs ITHACIVS, vel ITACHIVS CLARVS, Lemicæ Hispaniarum Episcopus, *libros tres de SS. Trinitate contra Varimandum Arianum, & Apologeticum aduersus hæreses Priscilliani.* 380

Polyc. epist. ad Philipp. Eusebius l. 3. hist. c. 30. Hieron. c. 16. S. IGNATIVS Antiochenus tertius à S. Petro Episcopus, scripsit *septem Epistolas*, quas collegit Polycarpus eius æqualis, & nonnullas alias quas recenset Bellarminus & Possevinus. Martyrio Romæ perfunctus 12. Febr. ann. 71

Maffeius in eius vita. Catalog. Socist. Iesu S. IGNATIVS DE LOYOLA Hispanus Cantaber, institutor & primus Generalis Præpositus Ordinis Clericorum Regularium Societ. Iesu, scripsit *librum Constitutionum eiusdem Societatis, libellum Exercitiorum spiritualium, epistolam de Obedientia, de Religiosa perfectione*, &c. obiit vlt. Iulij ann. 1556

S. ILDEFONSVS vide HILDEFONSVS.

Gennad. in Catalog. Henric. de Gandauo in Catal. c. 35. S. INNOCENTIVS I. Papa, ex Albania oriundus, *plures* scripsit *Epistolas & decreta.* 402

INNOCENTIVS III. Papa, Anagninus ex Latio, præfuit Concilio magno Lateranensi IV. Præter *Decretales* scripsit *in 7. Psalmos Pœnitentiales, de Missa, de Baptismo, de Purgatorio, de Claustro animæ, de Contemptu mundi*, &c. obiit 1116

Trithemius in Catalogo. IOACHIM ex Calabria oriundus, Ordinis S. Benedicti (vt vult Trithemius) in *Isaia, Ieremia, Daniele & Apocalypsi* explicandis agit & ipse Prophetam, sæpè illis ipsis obscurior, voluit omnia suo sæculo accommodare. Huius vestigijs insistunt Petrus Galatinus, Vbertinus de Casalis, & quidam alij. Vixit anno Christi 1195

Possevinus in Apparat. IOANNES ANNIVS Viterbiensis Italus, Ordinis Prædicatorum, *Commentarium in Psalmos & Apocalypsin*, & multa Chronographica. *Melchior Canus in locu.* *Commentaria in Philonem de Temporibus, in Megasthenem* & quædam alia suppositia sunt 1500

Possevinus in Apparat. IOANNES ARBOREVS Lauduno oriundus, Parisiensis Theologus, edidit *Theosophiæ tomos duos*, id est, expositionem difficiliorum locorum S. Scripturæ, *Commentarium in Canticum, Ecclesiasten, Prouerbia: Contemplationes Idiotæ, de Amore diuino, de Morte*, &c. *Paræsin ad pœnitentiam*, &c. 1500

Catalogus societ. Iesu. IOANNES AZOR Hispanus, ex oppido Murciæ Lorca, Societatis Iesu, *Commentarium in Canticum, & tomos 3. rerum moralium.* Obiit Romæ 19. Febr. 1603

IOANNES DE BARROS, Liuius (vt aiunt) Lusitanus, elegantissimo stylo descripsit *res Indicas, Asiaticas, Africanas*, &c. obiit 1577

Simleri Biblioth. IOANNES BOEMVS Aubanus, *omnium gentium mores, leges & ritus* descripsit tribus libris. 1536

Ibidem. IOANNES BRENTIVS Germanus, Vbiquetariorum coryphæus, scripsit *in multos vtriusque Testamenti libros.* 1540

Ibidem. IOANNES BVTEVS vel BVTEO Delphinas, I.C. *opera Geometrica*, v.g. *de Arca Noe, de Sublicio ponte Cæsaris*, &c. 1550

Hieron. Bolsecus & Beza in eius vita & Florimund. Remund. Simleri Biblioth. IOANNES CALVINVS Nouiodunensis in Gallia, Genevensis Minister, prætensæ reformationis promotor è primis, *scripsit libros 4. Institutionum, & in plerosque S. Scripturæ libros*, &c. obiit 1564

IOANNES CAMPENSIS Hebrææ linguæ Professor Louanij, *Paraphrasin*, vel potius *ecphrasin in Ecclesiasten & Psalmos*, &c. 1535

Trithem. in Catalog. IOANNES CAPREOLVS Tolosanus in Gallia, ex Ordine Prædicatorum, *Commentarium in quatuor libros Magistri Sentent. & Sermones varios.* 1415

Simleri Biblioth. IOANNES CARION Germanus, Mathematicus Lutheranus, *Chronicon, Ephemerides & Practicas astrologicas* &c. 1534

Gennad. in Catal. c. 61. IOANNES CASSIANVS natione Scytha, ex S. Ioannis Chrysostomi diacono presbyter inter Eremitas apud Massiliam Galliæ, scripsit *de Institutione Renuntiantium libros 12. Collationum SS. Patrum libros 24. de Incarnatione Verbi lib. 7. de Habitu monachorum & Orat. libr. 3.* obijt Theodosio iuniore & Valentiniano imperantibus. 440

Palladius eius discipulus, & Si- S. IOANNES ob aureum eloquentiæ flumẽ dictus postea CHRYSOSTOMVS, Antiochiæ natus, & ex foro in Clerum translatus, & Con-

meon Metaphraſtes in eius vita qui prafigũtur operibus Chryſoſt. & Georgius Patriarcha Alexand. Suidas & alij. Tripart. hiſt. l. 10. 6. 1.

Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præfectus, *plurimas homilias* edidit *in Geneſin*, *Pſalmos Iſaiam*, *Matthæum*, *Ioannem*, *Acta*, *Paulinas*, &c. *de Prouidentia Dei libros 6. de Sacerdotio libros ſex*, &c. *Opus aliud imperfectum in Matthæum* non eſt Chryſoſtomi, ſed alicuius hæretici. *Commentaria in Marcum* ſunt alicuius ſimplicis monachi. Chryſoſtomo vt magiſtro vbique inhærent Theophylactus, Oecumenius & Euthymius. Et hos intellige notari, cùm audis Chryſoſtomum citari *cum ſuis* ſequacibus. obiit 14. Sept. 407

S. IOANNES DAMASCENVS nationc, cognomento CHRYSORAS & MANSVR, æqualis venerabilis Bedæ, non fuit ſacerdos, ſed ſcientiis omnibus excultus. Poſt exciſam ſibi per Iconomachos manum, ſed B. Virginis ope reſtitutam, ſeceſſit in eremum. Vnde Cedrenus in annalibus μόναχὸν vocat καὶ πρεσβύτερον. Scripſit *Parallelorum libros tres*, *de Orthodoxa fide lib. 4. Aduerſus Iconomachos orationes tres*, *Hiſtoriam Barlaam & Ioſaphat*, &c. obiit 6. Maij 731

Athena Belgica. IOANNES DRIEDO Belga Turnhautanus, Louanij S. T. Profeſſor, *libros 4. de Eccleſiaſticis Scripturis & dogmatibus*, *tractatum de Temporibus*, *de Gratia & libero arbitrio*, &c. 1540

IOANNES LEONARDVS, ab Haſſelcto Leodienſi oppido dictus HASSELIVS, Louanij S. Scripturæ Profeſſor, edidit *Commentarium in Iſaiam* & *aliquot Paulinas*, &c. Tridenti, quò à Rege Catholico Philippo Secundo ad Concilium miſſus erat, obijt 1551

Poſſenin. in Apparat. IOANNES HESSELIVS à Louanio, S. T. ibidem Profeſſor, Haſſelio extincto ſucceſſit in eodem Tridentino Concilio. Scripſit multa *de Euchariſtia*, *& in Matthæum*, *in primam ad Timotheum*, *in primam Petri*, &c. obijt 6. Idus Nouemb. 1566

Prateolus de Hæreſi. IOANNES HVS Bohemus, VValdenſium & VVicleffitarum erroribus ſuos de nouo inſperſit, quibus cùm obſtinatus inhæreret, vnà cum Hieronymo Pragenſi à Conſtantienſi Concilio damnatus, & igni mulctatus eſt. Scripſit *de Vnitate Eccleſiæ*, *de Corpore Chriſti*, *de Antichriſto*, *Commentarium in Ezechielem & Oſee*, *Conciones*, *epiſtolas*, &c. 1419

Gennadius in Catalog. c. 30. IOANNES IEROSOLYMITANVS Epiſcopus, S. Hieronymo ætate ſuppar, librũ edidit *aduerſus obtrectatores nominis ſui*. Sed liber *de Inſtitutione monachi*, qui huic Ioanni attribui ſolet, eſt alicuius longè recentioris ex Ordine Carmelitarum, ſub annum 399 770

IOANNES KEPPLERVS Mathematicus Cæſaris Matthiæ, *librum de Vero anno Chriſti*, *Siluam Chronologicam*, &c. 1615

Similerus in biblioth. IOANNES LEO natione Granatenſis, ſed religione Mahometanus, *Africam* arabicè conſcripſit, quam poſtea Romæ Chriſtianus factus *in Italicam* vertit tempore Leonis X. Papæ

Catalog. Societ. Ieſu. IOANNES LORINVS Auenionenſis in Gallia, de Societ. Ieſu, *Comment. in Pſalmos*, *in Eccleſiaſten*, *in librum Sapientiæ*, *in Acta*, *in Epiſtolas SS. Petri*, *Ioannis & Iudæ*, &c. 1520

Simileri Biblioth. Poſſeuinus in Apparat. IOANNES LVCIDVS Samoſatheus, *de Emendationibus temporum*, *ab orbe condito vſque ad annum Chriſti* 1537

Sleidan. lib. 17. in principio. IOANNES DIAZIVS Hiſpanus, ſed Lutheranus, *in Prophetas minores*: *in Græcam editionem coniectanea*, &c. Quem frater, dum ab hæreſi incaſſum reuocare nititur, calore religionis occidit, malo & miſerabili exemplo, circa annum 1550

Trithem. in Catalogo. IOANNES DVNS natione *Scotus*, Ordinis Minorum, Doctor ſubtilis, Oxonij in Anglia, & Pariſiis in Gallia Profeſſor S. Theologiæ, in qua, vt & in *Philoſophia*, multa eruit quæ antea non ita patebant. Huius veſtigijs inſiterunt poſtea Franciſcus Mayronis, Antonius Andreæ Aragonius, Aluarus Pelagius, Petrus Aquilanus, Antonius de Fantis, & alij ab eo Scotiſtæ cognominati. floruit anno 1300

Catalog. Societ. Ieſu. IOANNES FERDINANDVS Toletanus è Societ. Ieſu, *Theſauri Scripturarum tomos tres*: obijt 9. Martij 1595

Simleri Bibliotheca. IOANNES FERVS Germanus, Ordinis S. Franciſci, *annotationes* vel *Commentarios in Eccleſiaſten*, *in Eſther*, *in Euangelium S. Matth. & Ioannis*, &c. 1571

Poſſeuinus in Apparat. IOANNES FONTANA Ferrarienſis Epiſcopus, diſcipulus & vicarius S. Caroli Borromæi, *Comment. in Apocalypſin*. 1590

Athena Belgica. IOANNES FRIDERICVS LVMNIVS Belga Beginagi Antuerpienſis Paſtor, *de Vicinitate extremi iudicij*, *de Vita & paſſione Chriſti*, *de Theſauro Chriſtiani*, *de Flagello Dei*, *de Medicina animæ*, &c. 1598

Simleri Bibliotheca. IOANNES FVNCCIVS Norimbergenſis, *Chronologiam*, & *in eam Commentarium*, vt & *in Apocalypſin*, &c. 1554

Poſſeuinus in Apparat. IOANNES GAGNEIVS Pariſienſis Academiæ Cancellarius, Franciſco I. à concionibus, *Comment. in totum nouum Teſtamentum*, &c. 1534

Biblioth. Simleri eius opera enumerat & Poſſenin. in Apparat. IOANNES GERSON cognomento CARLERIVS, ex Ordine Cæleſtinorum, & ipſe Cancellarius Pariſienſis, Caroli VI. Galliarum regis ad Concilium Conſtantienſe legatus, plurima ſcripſit quatuor tomis diſtincta, quæ vide apud Poſſeuinum: obiit 1429

Catalog. Societ. Ieſu. IOANNES PETRVS MAFFEIVS Italus Bergomas, Societatis Ieſu, *Hiſtoriarum Indicarum libros 16. Epiſtolarum Indicarum libros 4. Vitæ S. Ignatij Loyolæ lib. tres*, *Vitas 13. SS. Confeſſorum*, &c. obiit 20. Octob. 1603

Poſſeuin. in Apparat. IOANNES MAIOR nation Scotus Hadingionenſis, ſcripſit *in libros 4. Magiſtri Sentent.* & *in Matthæum* & *Hiſtoriam Britaniæ*. 500

Catalog. Societ. Ieſu. IOANNES MALDONATVS ex Bætica oriundus, Societatis Ieſu, *Commentarium in quatuor Euangelia*, *in Ieremiam*, *Baruch*, *Ezechielem*, *Danielem* & *Apocalypſin*, quæ ſaltem manuſcripta extant in Collegio Romano eiuſdem Societatis. *Summa caſuum conſcientiæ*, quæ eius nomine Venetiis prodiit, ſpuria & ſuppoſititia eſt. obiit 5. Ian. 1583

Ibidem. IOANNES MARIANA Talabricenſis in Hiſpania, Societatis Ieſu, *Annalium Hiſpaniæ libros 30. Scholia in vniuerſam Scripturam*, *libros tres de Rege & Regis inſtitutione*, *de Ponderibus & menſuris*, &c. 1615

Athena Belgica Valerij & Swertij. IOANNES MOLANVS Belga Louanienſis, Theologus, *Theologiæ practicæ compendium*,

Martyrologium, librum de Picturis & imaginibus, &c. obiit 18. Ian. 1585

Biblict. SS. PP. tom. 7. IOANNES MOSCHI, siue MOSCHVS EVIRATVS, *Viridarium*, seu *Vitas Sanctorum vsque ad Heraclium Imp.* anno 630

Biblioth. Simleri IOANNES NAVCLERVS Præpositus Tubingensis scripsit *ingens Chronicon per generationes* 114. ab orbe condito vsque ad annum Christi 1500

Simleri Biblioth. IOANNES OECVLAMPADIVS VVinspergensis in Germania, ex monacho S. Birgittæ primùm Lutheranus, dein Sacramentarius, *Commentarium in Prophetas* & plurima alia. Paucis diebus post Zuinglium obiit Basileæ 1531

Catalogus Societ. Iesu. IOANNES OSORIVS Burgis in Hispania natus, Societatis Iesu, *tomos sex concionum.* obijt Methymnæ 1594

Catalog. Societ. Iesu. IOANNES PELECYVS Germanus, è Societate Iesu, *de Virturibus Theologicis, de Ecclesia, de Viriis linguæ*, &c. 1591

Gesnerus in Biblioth. IOANNES PIERIVS VALERIANVS edidit *Hieroglyphica*, & plura alia, de quibus Gesnerus. Claruit anno Christi 1530

Catalog. Societ. Iesu. IOANNES DE PINEDA Hispalensis, è Societate Iesu, *Commentarium in Iob, in libros Salomonis*, &c. 1620

Athenæ Belgicæ. IOANNES RVISBRÕCHIVS Belga, Vallis viridis Canonicorum Regulatium S. Augustini prope Bruxellam Prior, diuinæ contemplationi addictissimus, multa scripsit eò spectantia, quem Surius & Schonhauius egregiè defendunt. Vixit ann. 1390

Catalog. Socius. Iesu. IOANNES DE SALAS Oxomensis in Hispania, Societatis Iesu, *in primam secundæ S. Thomæ, & de Legibus*, &c. 1613

IOANNES SCOTVS vide IOANNES DVNS.

Ibidem. IOANNES STEPHANVS MENOCHIVS Mediolanensis Societatis Iesu, *Breuem explicationem totius S. Scripturæ*, Hieropolitica, & Hierœconomica. 1631

Phot. in Biblioth. IOANNES STOBÆVS ex variis Græciæ sapientibus *sententias* vtili labore collegit, tempore Diocletiani Imp. Quod opus meritò laudat Photius, & ex Græco in Latinum transtulit Guilielmus Canterus anno 1543. 290

Simleri Biblioth. IOANNES TAVLERVS Germanus, Ordinis S. Dominici, Coloniæ celebris concionator, cuius scripta ab Eckio reprehensa propugnat Ludouicus Blosius, Surius, & alij. Vixit ann. 1350

Sixtus Senens. in Biblioth. Vossius de Hist. Latin. lib. 3. c. 10. IOANNES TRITHEMIVS iuxta Treuiros natus, in cœnobio Spanheim Ordinis S. Benedicti Abbas, scripsit *de Viris illustribus* ab Apostolorum temporibus ad suam vsque ætatem, nempe vsque ad annum Christi 1494

Varios item Sermones, Epistolas, &c. Eius catalogo virorum illustrium, incertus auctor appendicem dedit, postea auctam à Balthasare Werlino.

Athenæ Belgicæ. IOANNES VASÆVS Flander Brugensis, *Chronicon rerum Hispanicarum* scripsit Salamanticæ, rector ibidem gymnasij. Obijt 1550

IOANNES VIGVERIVS Granatensis, ex Ordine Prædicatorum, *Institutiones ad Christianam Theologiam.* 1565

Catalogus Societ. Iesu. IOANNES BAPTISTA VILLALPANDVS Hispanus, Societatis Iesu, *Apparatum vrbis ac templi Ierosolymitani commentariis & imaginibus* illustrauit. 1605

Possenin. in Apparatu. IODOCVS COCCIVS Bileueldianus, & Canonicus Iuliacensis edidit *Thesaurum Catholicum*, cui 24 annis insudauit. 1599

IOSEPHVS vide FLAVIVS.

Catalog. Societ. Iesu. IOSEPHVS A COSTA Methymnensis in Hispania, Societatis Iesu, *de Christo reuelato, de Temporibus nouissimis, de Natura noui orbis, Conciones*, &c. obiit anno 1599

Acad. Batauorum Cloucquij. IOSEPHVS SCALIGER Iulij Cæsaris filius, Lugduni Batauorum professor historiarum, *de Emendatione temporum, Castigationes Eusebij*, &c. 1606

Possenin. in Apparatu. IOSEPHVS STEPHANVS Valentinus in Hispania, *de Coronatione Pontificis, de Machabæis*, &c. circa annum 1579

Biblioth. eius. IOSIAS SIMLERVS Tiguri professor Zuinglianus, *de Principiis Astronomiæ, de Christo mediatore*, &c. *Bibliothecam Gesneri* auxit editáque Tiguri anno 1573

Possenin. in Apparat. IOSIPPVS GORIONIDES, seu Gorionis filius, (ab aliis IOSEPHVS vocatur,) Iudæus. Scripsit & ipse *res gestas Iudæorum*, non Græcè, vt Flauius Iosephus; sed Hebraicè, & ferè *in compendium* redegit *Historiam Flauij, adiectis actis 72. Interpretum, Machabæorum, Herodum cum excidio Ierosolymitano*, &c. anno circiter 100

IOVIVS vide PAVLVS.

Hieron in Cat. c. 46. S. IRENÆVS Smyrnæ in Asia natus, S. Polycarpi discipulus, Episcopus Lugdunensis, *libros quinque aduersus hæreses*, &c. Martyrio coronatus sub Seuero Imperatore ann. 205

ISIDORVS senior Cordubensis Episcopus, scripsit *in quatuor libros Regum.* 410

S. Hildefonsus lib. de Viris illust. Honor. in Catalog. Possenin. in Apparatu. S. ISIDORVS iunior ex Ordine S. Benedicti, Hispalensis Episcopus, *librum de Ortu & obitu Prophetarum, librum Etymologiarum, Officiorum, Proœmiorum*, &c. obiit 636

ISIDORVS CLARIVS Brixianus in Italia, ex Abbate S. Mariæ Cesennæ Ordinis S. Benedicti Episcopus Fulginas, *Biblia ex Hebræo in Latinum* vertit, vbi quando à Vulgato nostro Interprete recedit (quod rarum est,) à Munstero suas voces & Scholia mutuatur. Scripsit & *Scholia in Canticum, in S. Lucam, in c. 5. 6. 7. 8. Matthæi*, &c. obiit 28. Maij 1555

Suidas & Nicephorus. S. ISIDORVS PELVSIOTA sic dictus à monte Pelusio, vbi Abbas fuit, S. Chrysostomi discipulus, *Epistolas* edidit teste Suida 3000. teste Nicephoro Callisto penè 10000. præter alia opera. 440

Philostrat. ISOCRATES Gorgiæ philosophi auditor, inter Græciæ oratores clarissimus præter *plurimas orationes* scripsit *varia opuscula* quæ Conradus Gesnerus recenset, anno ante natum Christum 379.

Isidorus in Catal. c. 12. IVLIANVS, non ille sanctus Archiepiscopus Toletanus, qui obiit anno 690 & tres libros edidit prognosticos *de Futuræ vitæ contemplatione*: sed alius ipso antiquior in Gallia Presbyter, Pœnus natione, cognomento POMERIVS, Gennadio æqualis, scripsit *libros octo de Natura animæ*, & *libellum de Virginibus instituendis*, &c. 490

IVLIVS

Hieron. in Catalog. c. 74.

IVLIVS AFRICANVS paulò senior Origene, ad quem & *Epistolam* dedit *de Historia Susannæ*, scripsit *de Temporibus ab Origine mundi* vsque ad Macrinum Imp.& Heliogabalum. 222

Ætas eius patet ex ipsius scriptis passim.

IVLIVS CAPITOLINVS Romæ *vitas* conscripsit *variorum Imperatorum* ab Antonino Pio(cuius vitam Diocletiano dicat)& deinceps, circa annum Christi 300

Tomo 4. Biblioth. SS. Patrum. Possevinus in Apparat.

IVLIVS FIRMICVS tempore filiorum Constantini Magni scripsit ad eos librum egregium *de Mysteriis & erroribus profanarum religionum*. Alius ab eo est Iulius Firmicus Maternus mathematicus. 340

Ex scriptis elicitur ætas.

SEXT. IVLIVS FRONTINVS, vir consularis sub Nerua & Traiano, scripsit *de Scientia militari, de Stratagematis, de Aquæductibus*, &c. 110

Catalog. Societ. Iesu.

IVLIVS NIGRONIVS Italus Genuensis, de Societate IESV, *Commentarium in Regulas eiusdem Societatis*: item *de Caligâ, de Nummis*, &c. 1616

Vossius de hist. Lat. lib. 3.

IVLIVS OBSEQVENS librum edidit *de Prodigiis* vsque ad annum V.C.742. id est, ante natum Christum ann.7. Quæ intercíderant suppleuit Conradus Lycosthenes. 380

IVLIVS POLLVX Græcus, *Dictionarium* edidit non verborum sed rerum ordini adaptatum,& Commodo Imperatori inscripsit. 184

Ioan. Camertes vitam eius scripsit. Macrobius, Seruius & Priscianus eius meminerunt. Tomo 1. Bibliotheca SS. Patrum.

IVLIVS SOLINVS Plinio suppar, multa ex eo decerpens, scripsit *Polyhistorem*, seu *collectanea rerum memorabilium*, *Carmen Ponticon*, &c. de eius ætate apud eruditos controuertitur. Consule Vossium in Historicis Latinis lib.3. litera S. 80

IVNILIVS AFRICANVS Episcopus ad Primasium Episcopum Vticensem scripsit *libros duos de Partibus diuinæ legis*. *Commentaria in primam cap. Geneseos* non sunt Iunilij, sed V. Bedæ, inter cuius opera etiam extant. 545

IVNIVS vide ADRIANVS & FRANCISCVS.

IVSTINIANVS vide BENEDICTVS, LAVRENTIVS & VINCENTIVS.

Orosius.

IVSTINVS prænomine MARCVS IVNIANVS, Gentilis Historicus sub Antonino Pio Imp. *ex Trogo Pompeio epitomen* collegit *Historiæ Romanæ*, &c. de eius ætate disputat Vossius de Histor. Lat. lib. 1. cap. 32. 160

Eusebius lib. 4. hist. c. 27. & Honor. in Catalog.

IVSTINVS ex Palæstina oriundus, abiecto habitu philosophico Christianum induit, *pro Christianis Apologiam* scripsit vnam ad Antoninum Pium Imper. alteram ad Antonini successores, *Dialogum cum Tryphone Iudæo Ephesi habitum*, *Paræneticam orationem ad Gentes*, &c. Martyrio affectus est anno 165

Athenæ Belgicæ.

IVSTVS LIPSIVS nostro æuo princeps litterariæ eruditionis, doctissimè scripsit *de Militia, de Magnitudine Romana, de Cruce, de Diua Virgine Hallensi & Aspricollensi, Saturnalia, Poliorcetica, Commentarium in Senecam & Tacitum selectas Epistolas*, &c. obiit 1606

Crinitus in libro Poëtarum.

IVVENALIS natione Aquinas, libertini filius, *Poëta Satyricus*, quòd Patidem Domitiani histrionem aliosque Romanos perstrinxisset, in Ægyptum abiit legatus, obiit in itinere Domitiano imperante. Consule Crinitum de vitis Poëtarum. 98

Hieron. in Catal. c. 91. Baron. to. 3.

LACTANTIVS FIRMIANVS prænomine L. COELIVS ABRICANVS, Arnobij discipulus, Nicomediæ rhetor, eleganter scripsit Diuinarum *institutionum libros 7. de Opificio Dei, de Ira Dei, de Falsa religione*, &c. Millenariis adhæsit. Ad ætatem vsque Constantini Magni deuenit ipse senex. Vixit circa annũ Christi 302

Catalogus Soc. Iesu.

LÆLIVS BISCIOLA Mutinensis in Italia, Societatis IESV, *Horarum subcesiuarum duo volumina*, *Obseruationum sacrarum lib. 12. Digressiones in Euangelia SS. Matth. & Ioannis*, *in Epistolas ad Romanos, Galatas, Hebræos*, &c. 1613

LAERTIVS vide DIOGENES.

Biblioth. Bacuorum Clocquij.

LAMBERTVS DANÆVS patria Aurelianensis Gallus, Annæburgij discipulus, (illius qui postea Parisiis crematus,) *hæreticorum elenchos* edidit, & quædam *contra Bellarminum*, &c. 1590

Vopiscus in Probo Imp.

ÆLIVS LAMPRIDIVS historicus scripsit *vitas Commodi Antonini, Antonini Diadumeni*, *Antonini Heliogabali* Constantino Augusto dicatas. *Alexandri Seueri vitam*, hicne an Ælius Spartianus scripserit, controuertitur. 284

Vossius lib. 2 de Hist. Lat.

Vossius de Hist. Lat. lib. 2 c. 64. & Hermann. Schedel. in Chronico.

LANDVLPHVS, aliàs LVDOLPHVS, Saxo, ex Ordine S. Dominici transiit ad Carthusianos, scripsit *Commentarium in Psalmos*, *Historiam vitæ Christi ex quatuor Euangelistis*, &c. admodum laudatam ab Hermanno Schedelio in Chronico. 1330

LAODICENVM vide CONCILIA.

Sixtus Senensis in bibl. lib. 4.

LAVRENTIVS IVSTINIANVS Venetus, ex Ordine Cælestinorum primus Venetorum Patriarcha, scripsit *de disciplina monastica*, *de Interiori conflictu*, *de Connubio Verbi & animæ*, *de Ligno vitæ*, *de Gradibus perfectionis*, &c. obiit 1455

Catalog. Societ. Iesu.

LAVRENTIVS MASELLVS Neapolitanus, Societatis IESV, *de Vita Deiparæ, & eius sponsi Iosephi*, &c. 1613

Simleri Biblioth.

LAVRENTIVS SVRIVS Lubecanus, ex Ordine Carthusianorum, *Vitas Sanctorum*, *Commentarium rerum in orbe gestarum* ab anno 1500. vsque 1574. *de Historia contra Sleidanum*, &c. 1575

Possevinus in Apparat.

LAVRENTIVS SVSLICA Polonus, edidit ac propugnauit Græcij *Theoremata de anno ortus ac mortis Christi* præside Ioanne Deckerio Societatis IESV. 1605

Simleri Biblioth.

LAZARVS BAYFIVS Francisci I. Galliarum regis legatus Venetiis, antiquarum rerum maximus indagator, scripsit *de Antiquis nauibus, vasculis, vestimentis*, &c. 1532

LEGIONENSIS vide LVDOVICVS.

Possevin. in Apparatu.

LEO CASTRIVS Hispanus *Commentarium in Isaiam, & Prophetas minores*, & *Apologeticum contra Rabbinos*. 1570

Simlerus in Biblioth.

LEO IVDA Hebræus Tiguri Minister, ex ore Zwinglij edidit *annotationes in Genesin*, *Exodum*, *Euangelia*, *Epistolas*, &c. De quo vide etiam in FRANCISCO VATABLO, & in TIGVRINA VERSIONE. 1540

Gennad. in Catal. c 70

S. LEO Papa I. eius nominis, natione Thuscus, ob egregiam sanctitatem, doctrinam & eloquentiam cognominatus MAGNVS, scripsit pulcherrimas *Homilias de præcipuis solemnitatibus Christi & Sanctorum*, & *Epistolas* 98. obiit 11. Apr. 461

Athenæ Belgicæ.

LEONARDVS LESSIVS Belga Brechtanus, Societatis IESV, *de Iustitia & Iure*, *de Attributis diuinis*, *de Gratia*, *de Prædestinatione*, *de Antichristo*,

richristo, item *Hygiasticon*, & alia complura obiit 15. Febr. 1623

Possevin. in Apparatu. LEONARDVS VAIRVS Beneuentanus, Ordinis S. Benedicti, *libr. tres de Fascino.* 1583

Synodus secunda Nicæna. Sigebert. de illustrib. Eccles. script. c. 57. LEONTIVS, non ille Byzantinus monachus, neque Arabissi, neque Constantinopoleos, neque Constantiæ, sed Nicopoleos in Cyro Episcopus, *Vitam* scripsit *Ioannis Alexandrini Episcopi*, cognomento Eleemosynarij, & *panegyricas multas orationes*, anno 630

Io. LESLÆVS Scotus Scotiam descripsit, anno 1558

Athenæ Belgicæ. LEVINVS LEMNIVS Zirixæus medicus, explicat *Similitudines quæ in Bibliis ex herbis & arboribus desumuntur:* item *Occulta naturæ miracula. Rei rusticæ amœnitatem*, &c. 1554

Bodin. in Methodo Histor. LILIVS GREGORIVS GYRALDVS Ferrariensis, *de Diis gentium syntagmata 17. de Musis, de Hercule, de Sepulchralibus, de Nauigiis, Kalendario, Vitis Poëtarum*, &c. Teste Bodino claruit 1550

LINDANVS vide GVILIELMVS.

LIPOMANVS vide ALOYSIVS.

LIPSIVS vide IVSTVS.

LORINVS vide IOANNES.

Tacitus Annal. lib. 15. Suetonius de viris illustribus in eius vita, si tamen Suetonij est. LVCANVS ANNÆVS, L. Annæi Senecæ ex Mela fratre nepos, ingenij magnitudine patruo suppar, à Nerone quæstor & augur creatus, sed tandem coniurationis Pisonianæ insimulatus, ab eodem Nerone (sicut & patruus eius Seneca) accepto mortis arbitrio, venas sibi præcidi iussit, anno Neronis 12. Christi 68

Scripsit *Saturnalia*, *de Bello ciuili*, *Troianum incendium*, *Medeam*, *Orpheum*, &c.

LVCAS Abbas montis S. Cornelij vide APONIVS.

Simleri Biblioth. LVCAS OSIANDER Tubingæ Minister, *Breuem explanationem in vniuersa Biblia, Confutationem Turcicæ religionis*, &c. 1570

Hieron in Catal. c. 77 & epist. 107. & in Apolog. aduersus Rufinum. Gennad. in Catal. c. 64 S. LVCIANVS presbyter Antiochenæ Ecclesiæ, *Biblia ex Hebræo in Græcum* transtulit, quæ translatio vocatur à S. Hieronymo octaua. Martyrio coronatus sub Maximino tyranno, circa annum Christi 240

S. LVCIANVS presbyter Ierosolymitanæ Ecclesiæ tempore Honorij & Theodosij iunioris, scripsit *de Inuentione corporis S. Stephani & sotiorum*, quæ ipsi diuina reuelatione innotuerunt: liber est apud Surium die 3. August. 410

Suidas. Eunapius de Vitis Philosoph. in principio. Vossius l. 2. c. 15. de hist. Græc. LVCIANVS Samosatensis, cognomine blasphemus & ἄθεος, sub Antonino Philosopho *dialogos* edidit *deorum cœlestium, marinorum & inferorum: de Sacrificiis, de Historia, de Saltatione, de Syria dea, de Morte peregrini*, &c. à canibus discerptus circa annum Christi 112

LVCIDVS vide IOANNES.

Tacit. l. 15. Annalium. Dion. li. vlt. Sueton. & Xiphilinus in Neronè. Hieron. in Catal. c. 23 L. ANNÆVS SENECA Cordubensis, Stoicus philosophus, Neronis Imp. magister, Pisonianæ conspirationis insimulatus, ab eodē Nerone mortis optione acceptâ, incisis venis spiritum exhalauit anno Neronis 11. Christi 68

Scripsit *Tragœdias* 10. *Naturalium quæstionum libros 7. epistolas permultas*, & plurima moralia. Sed liber *de quatuor virtutibus moralibus* falsò Senecæ tribuitur, vt & *Epistolæ* eius *ad S. Paulum* & *Pauli ad ipsum*, quarum meminit Hieronymus in Catalogo.

Cicero in Bruto, & Vossius de hist. Lat. L. CALPVRNIVS PISO, qui Romæ Consul, primus leges repetundarum tulit, teste Cicerone, *Annales* scripsit anno V.C. 696. id est ante natum Christum anno 56.

Hieron. in præfat. ad Catalog. & l. 14. & l. 2. Apolog. in Russinū. L. FLAVIVS DEXTER præfectus prætorio Orientis sub Theodosio, Hispanus, *Chronicon* suum à nato Christo vsque ad annum 430. dedicauit S. Hieronymo, & vicissim ipsi Hieronymus librum suum de Scriptoribus Ecclesiasticis. *Chronicon* hoc continuarunt Maximus, Braulio & Helecas Episcopi Cæsaraugustani. Sed & aliorum lacinijs vt consutum, ita & vitiatum est. 430

LVDOLPHVS vide LANDVLPHVS.

Catalog. Soc. Iesu. LVDOVICVS DE ALCAZAR ex Bætica Hispaniæ, Societatis IESV, *Commentarium in Apocalypsin*, &c. 1613

Ibidem. LVDOVICVS CRESOLLIVS Armoricus in Gallia, de Societate IESV, *Theatrum Sophistarum.* 1620

Possevinus in Apparatu & similerus in Biblioth. Possevinus in Apparat. LVDOVICVS GRANATENSIS ex Ordine S. Dominici, scripsit *Catechismum*, *Conciones*, & multa pia opuscula. 1580

LVDOVICVS LEGIONENSIS in Hispania Eremita Augustinianus, Salmanticæ SS. litterarum professor, *Commentarium in Canticum, & in Psalmum 26.* anno 1580

Catalog. Societ. Iesu. & Possevin. in Apparat. LVDOVICVS MOLINA Conchensis in Hispania, Societatis IESV, *in 1. part. S. Thomæ, Concordiam gratiæ & liberi arbitrij, de Iustitia & Iure*, &c. obiit Madriti 12. Octob. 1600

Catalogus Societ. Iesu. LVDOVICVS A PONTE Pincia Hispaniæ oriundus, è Societate IESV, *Commentarium in Canticum, Ducem spiritualem, de Perfectione*, &c. 1615

Simleri Biblioth. LVDOVICVS ROMANVS Patricius, *Itinerarium Æthiopiæ, Ægypti, Arabiæ, Syriæ & Indiarum.* 1511

Possevinus in Apparat. LVDOVICVS SOTO MAIOR Lusitanus, ex Ordine Prædicatorum, Conimbricæ SS. litterarum Professor, *Commentarium in Canticum, in Iob, in Psalmos, in Euangelia S. Lucæ & S. Ioannis, in Epistolas S. Pauli ad Timotheum & Titum*, &c. 1600

Ibidem nomine Ioannes Ludouic. LVDOVICVS VIVES prænomine IOANNES, Valentinus in Hispania, scripsit *libros 4. de Concordia* ad Carolum V. Imperatorem, *de Pacificatione, de bello Turcico, annotationes in libros S. Augustini de Ciuitate Dei, Epistolas* & alia complura, obiit Brugis in Belgio. 1536

LVMINIVS vide IOANNES FRIDERICVS.

Diogenes Laert. in vitis Philosoph. l. 2. in Menedemo LYCOPHRON ex Chalcide Euboeæ, filius Ariclis, sed à Lyco Rhegino adoptatus. Poëta tragicus, vnus de septem qui Pleiades appellantur: scripsit *Alexandram, Nauplium, Herculem*, & alias plures *tragœdias* sub Ptol. Philadelpho, ante Christum anno 270. Consule Simleri Bibliothecam.

LYCOSTHENES, prænomine CONRADVS vide CONRADVS GESNERVS & IVLIVS OBSEQVENS. 1552

LYRANVS vide NICOLAVS.

Bibl. SS. PP. tom. 2. edit. 2. Honor. in Catalog. S. MACARIVS Ægyptius, S. Antonij Abbatis discipulus, Euagrij præceptor, Pachomij æqualis, scripsit *Homilias* 50. spiritualis succi plenas, quas Possevinus recenset. Vixit circa annū Christi 340

MACRO-

MACROBIVS AVRELIVS THEODOSIVS, *Saturnalium*, seu *Conuiuiorum libr.7.* & *interpretationem Somnij Scipionis* à Cicerone confecti. 400

MAFFEIVS vide IOANNES PETRVS.

MAGALLIANVS vide COSMAS.

Alanus Copus in dialogu contra centurias Magdeburg. Petrus Canisius de Corruptelis verbi Dei contra eosdē.

MAGDEBVRGENSIVM CENTVRIATORVM nomine intelliguntur Lutherani, illi Ministri, qui *historiam à nato Christo vsque ad 14. seculum* sat vastis tomis complexi sunt, sed non bona fide: vnde passim refelluntur à Francisco Turriano, Bellarmino & aliis. 1550

MAGISTER SENTENTIARVM vide PETRVS LOMBARDVS.

MAIOLVS vide SIMON.

MAIOR vide IOANNES.

MALDONATVS vide IOANNES.

MALEVENDA vide THOMAS.

MANVTIVS vide ALDVS.

MARCELLVS vide NONIVS.

Gesneri Bibioth.

MARCVS ANTONIVS MVRETVS Lemonicensis I.C. & orator, edidit Romæ professor *Lectiones varias*, &c. vbi mense Iunio obiit ann. 1585

Possuin. in Apparatu.

MARCVS DIACONVS Gazensis in Palæstina, scripsit *res gestas S. Porphyrij Martyris.* 403

Vossius de Hist. Latin. lib. 2.

MARCVS PAVLVS VENETVS, peragrato tōto Oriente, & multis annis in aula Magni Cham Cublai absumptis, scripsit quæ ibidem vidit & audiuit *de Tartaria, & aliis regionibus Orientalibus.* 1280

M. TVLLIVS CICERO vide TVLLIVS.

MARIANA vide IOANNES.

Sigebertus de Scriptor. cap. 160. Dodechinus ad annum 1086.

MARIANVS SCOTVS Monachus Fuldensis, *libros tres Chronicorum*, & *de Concordia Euangelistarum*, &c. obijt ann. 1086
non, vti apud Vossium est, 88. vti patet ex Dodechino eius Continuatore.

MARIVS vide RICHARDVS.

Simleri Bibliotheca.

MARSILIVS DE INGEN Germanus, Heidelbergensis gymnasij primus fundator, scripsit *quæstiones super libros 4. Sententiarum*, & *Commentarios in libros Aristotelis.* 1494

Ibidem.

MARSILIVS FICINVS Florentinus, *Commentarios in Epistolas S. Pauli, Institutionem Principis*, plurimos *Sermones & Epistolas:* obiit anno 1499

Plinius Iunior in Epist. ad Cornelium Priscū.

MARTIALIS, prænomine M. VALERIVS, natione Hispanus, ex caussidico Romæ poëta factus, imperante Domitiano *Epigrammata* scripsit sub annum Christi 86

MARTINENGVS vide ASCANIVS.

Simleri Bibliotheca.

MARTINVS DE AZPILCVETA NAVARRVS, Canonicus Regularis Ordinis S. Augustini, Conimbricæ, Tolosæ, Romæ Iuris Canonici professor, edidit *Manuale Confessariorum*, *duos tomos Consiliorum*, *tomos quatuor Variorum casuum*, &c. 1586

Athenæ Belgicæ.

MARTINVS BECANVS Belga ex Beca oppido Brabantiæ, Societatis IESV, *Commentarium breuem in totam Summam* D. *Thomæ*; & multa *controuersa cum hæreticis*. Vixit vsque ad annum 1625

Simleri Bibioth.

MARTINVS BVCERVS Germanus, Lutheri discipulus, *Explanationem in Psalmos, quatuor Euangelia, Epistolas ad Romanos & Ephesios*, &c. In Anglia obiit 1551

Athenæ Belgicæ.

MARTINVS DEL-RIO Antuerpiæ sed patre Hispano natus Societatis IESV, *Commentarium in Genesin, in Canticum, in Threnos Ieremiæ, Adagialia veteris Testamenti, Florida & Polemica Mariana, Vindicias Areopagiticas, Disquisitiones magicas*, & alia complura. obiit 19. Octobris ann. 1608

Isidorus in Catal. c. 22.

MARTINVS Dumiensis Monasterij Abbas in Gallicia, dein Episcopus Bracarensis in Lusitania, edidit *Recollectionem canonum ex Græcis Synodis*, *Disputationes de quatuor virtutibus cardinalibus*, & *plurimas responsiones*, &c. obiit anno 573

Simleri Biblioth. & Florimund. Remondus.

MARTINVS LVTHERVS Germanus Islebiensis, ex Ordine S. Augustini, hæresiarcha, multa *in S. Scripturam & polemica plurima* scripsit, extinctus 18. Februarij 1546

Catalog. Societ. Iesu.

MARTINVS DE ROA Cordubensis in Hispania, Societatis IESV, *Singularium libros sex, de Die natali*, &c. 1613

Martyrologia, seu *Menologia Græcorum* collegit præ aliis SIMEON METAPHRASTES: inter Latinos Venerabilis BEDA, VSVARDVS Monachus, ADO Treuirensis Episcopus, FRANCISCVS MAVROLYCVS Abbas Messinensis, PETRVS GALESINIVS, &c. sed præ omnibus Cardinalis BARONIVS.

MASELLIVS vide LAVRENTIVS.

MASIVS vide ANDREAS.

MASSÆVS vide CHRISTIANVS.

MASSVTIVS vide THOMAS.

Athenæ Belgicæ.

MATTHÆVS GALENVS Westcapellius Belga. Cancellarius Duacensis, *Commentarium in Epistolam ad Hebræos*, in qua Syriacum exemplum præ Græco sequitur & explicat: scripsit & de *Sacrificio Missæ*, &c. & *Catechēses*. obiit 1597

Catalogus Socius. Iesu.

MATTHÆVS RADERVS Tirolensis in Germania, Societatis IESV, *Viridarium Sanctorum*, *Commentarium in Martirologium*, &c. 1614

Simleri Bibliotheca.

MATTHIAS FLACCVS ILLYRICVS è primis sectæ rigidorum Lutheranorum coryphæis, quæ mollibus Melanchthonicis Wirtenbergensibus & Lipsiensibus opponitur, præcipuus auctor *Historiæ Centuriatæ Magdeburgensis*, etiam alia plurima conscripsit quæ recitat Gesnerus. 1575

Ibidem.

MATTHIOLVS, prænomine PETRVS ANDREAS, Senensis, medicus, *Dioscoridis commentator.* 1550

Athenæ Belgicæ.

MAXIMILIANVS SANDÆVS Amsterodamensis in Hollandia, Societatis IESV, *de Theologia mystica*, & *de Controuersijs* horum temporum, & plura alia 1625

MEGASTENES vide BEROSVS.

MELA vide POMPONIVS.

Possuin. in Apparatu.

MELCHIOR CANVS Hispanus, Ordinis Prædicatorum, S. T. Salmanticæ Professor, & Episcopus Canariensis, interfuit Concilio Tridentino, scripsit *libros 12. de Locis communibus Theologicis*, *Relectiones de Sacramentis*, &c. 1564

Eusebius l. 4 hist. c. 25. Hieron. in Cat. c. 24.

S. MELITO Sardensis in Asia Episcopus, M. Aurelio Antonio Imp. *Apologiam* (teste Eusebio) obtulit *pro Christianis*, edidit *Catalogum librorum veteris Testamenti*, *librum de Apocalypsi S. Ioannis*, &c. 160

MENOCHIVS vide IOANNES STEPHANVS.

MER-

MERCATOR vide GERARDVS.

Clemens Alexandr. MERCVRIVS, Græcè HERMES, Ægyptius, senior maternum auum habuit Atlantem astrologum æqualem Prometheo, vixit tempore Moysis. Iunior verò illius nepos paulò post Moysen, ex quo plurima hausit, scripsit *de Sapientia Aegyptiorum libros* 36525. Sed Clemens Alexandrinus ait suo tempore non extitisse nisi 33. & *de Medicina sex, de Sacerdotalibus* 10. *de Astrologia quatuor.* cognomen habuit TRISMEGISTVS, id est, ter maximus, quòd summus esset philosophus, rex & sacerdos. ante Christum circiter annis 1380.

METAPHRASTES vide SIMEON.

Simleri Biblioth. METASTHENES Persa *Annales Persicos* scripsit, & *de Iudicio temporum.* Possevinus censet fabulosum lib. 16. Biblioth. Selectæ.

Hieron. in Catal. c. 94. Epiphan. in hæresi 64. S. METHODIVS Tyri Episcopus *Chronicon* edidit, & *Commentarium in Genesin, in Canticum, in Apocalypsin*, &c. Martyrio coronatus anno 2. Dioclet. 286

MICHAEL GLYCAS vide GLYCAS.

Hieron in Catal. c. 69 MINVTIVS FELIX Romæ causidicus S. Cypriano æqualis, scripsit eleganter *dialogum Christiani & Ethnici, cui titulus Octauius*, qui libris septem Arnobij subnecti solent. inscribitur autem *Octauius* propterea quòd Octauius & Cæcilius ibi colloquuntur. 246

MIRANDVLANVS vide PICVS.

MOLANVS vide IOANNES.

MOLINA vide LVDOVICVS.

Simlerus in Biblioth. Possevinus in Apparat. MOYSES BARCEPHA Syrus Episcopus, scripsit *Commentarios de Paradiso*, latinè posteà redditos ab Andrea Masio. 990

R. MOYSES Cordubensis, delabentibus Orientis academijs cœpit Cordubæ *Thalmud* profiteri, anno 999
in quod & commentaria scripsit, item *librum Dubiorum, & librum Præceptorum.*

MONTANVS vide BENEDICTVS ARIAS: & FRANCISCVS.

MOSCHVS EVIRATVS vide IOANNES.

MVSCVLVS vide VVOLFGANGVS.

Vide Gesnerum. NACLANTVS, prænomine IACOBVS, Clodiensis (in Venetorum ditione) Episcopus, scripsit *de Creatione rerum, de Immortalitate animæ, de Arcanis Christi*, &c. Obiit 6. Maij. Vixit circa annũ Christi 1569

NAVARRVS vide MARTINVS DE ASPILCVETA.

NAVCLERVS vide IOANNES.

NAZIANZENVS vide GREGORIVS.

NEBRISSENSIS vide ANTONIVS.

Athenæus & Suidas. NICANDER Colophonius in Græcia, poëta & medicus, scripsit *opera Colophoniaca, Aetolica, Georgica, Theriaca, Alexipharmaca*, &c. *& de Ponderibus ac mensuris*, ante natum Christum annis 166.

NICENVM vide CONCILIA.

Possevinus in Apparat. NICEPHORVS CALLISTVS XANTHOPVLVS, *Historiam suam* librorum (qui quidem extant) 18. *à nato Christo vsque ad annum* 625. dedicauit Andronico seniori Imperatori Michaëlis Palæologi filio & successori 1305

Photi. c 65. S. NICEPHORVS Constantinopolitanus Patriarcha, *Chronicon* scripsit à Mauritij cæde vsq; ad Irenes nuptias, id est, annum Christi 769. & *Epistolam prolixam ad Leonem III. Papam.* Obiit in exilio 828

Vossius de Hist. Græcis li. 2. c. 28. NICEPHORVS GREGORAS. *Historiam* Græcè scripsit *de Rebus Imperij Orientalis*, ab anno Christi 1200. vsque ad obitum Andronici iunioris, id est, annum Christi 1361. Extat de eo iudicium Iusti Lipsij in Notis ad lib. 1. Politicorum 1361

Vossius de Hist. Græcis li. 2. c. 29 NICETAS ACOMINATVS seu CHONIATES, scripsit *Historiam* ab imperio Ioannis Comneni anno 1118. vsque ad obitum Balduini primi ex Latinis Imperatoris Constantinopolitani, id est, annum Christi 1203
De hoc quoque iudicium Lipsij vide in Notis suprà citatis.

Trithem. NICOLAVS à Lira, Normanniæ vico, cognominatus LIRANVS, ex Iudæo (vt plerique affirmant) Christianus factus, & Ordinis S. Francisci, *Postillam*, seu breuem *Commentarium* edidit *in vniuersa Biblia, in quatuor libros Sententiarum; Quæstiones* item *veteris & noui Testamenti, Sermones de Tempore & Sanctis*, &c. Obiit 14. Octob. Lugduni 1349

Sigebert. in Catalog. cap. 113. NICOLAVS PAPA I. Romanus, cognomento MAGNVS, quem Platina scribit tantæ fuisse sanctitatis, eloquentiæ, doctrinæ ac maiestatis, vt quasi numen ab omnibus coleretur, scripsit *responsa ad Bulgarorum consulta, & Epistolam ad Michaëlem Imperatorem & ad plures alios.* Obiit 13. Nouemb. 867

Catalog. Socict. Iesu. NICOLAVS SERARIVS Ramberuillanus Lotharingus, Societatis Iesu, *Commentarium in Iosue, Iudices, Ruth, Esther, Tobiam, Iudith, Machabæos, libros Regum, & Epistolas Canonicas.* Item *Trihæresium, Minerual, de pœnitentia Salomonis*, &c. 1613

Belgica. NICOLAVS TRIGAVTIVS Belga Duacenus, Societatis Iesu, ex itinere Sinensi scripsit *Vitam Gasparis Barzæi* Belgæ, & *Expeditionem Sinensem, cum Historia regni Sinarum*, &c. Obiit 14. Nouemb. anno 1618

NIGRONIVS vide IVLIVS.

Simleri Biblioth. NONIVS MARCELLVS Tiburtinus, *de Proprietate sermonum & vocabulorum, de Nauigijs, vestimentis, vasis, cibis, potibus, armis*, &c. quando vixerit incertum: videtur floruisse circa annum Christi 90

Honor. in Catalog. Trithem. in Catalogo. NOTGERVS, aliàs NOTKERVS, cognomento BALBVLVS, Ducis Sueuiæ filius, Abbas monasterij S. Galli in Heluetia, scripsit *Martyrologium, vitam S. Galli & Fridolini, Litaniam, & Epistolas ad diuersos.* Sanctè obiit circa annum 850

NYSSENVS vide GREGORIVS.

OBSEQVENS vide IVLIVS.

OCTAVIVS vide MINVTIVS FELIX.

Catalog. Societ. Iesu. OCTAVIVS CAETANVS Siculus Societatis Iesu, scripsit *de Sanctis rebusq; Siciliæ*: sed ipso morte præuento edidit illud Alfonsus Caetanus eiusdem Societatis. Vixit circa annũ Christi 1616

OECOLAMPADIVS vide IOANNES.

Oecum. in Hebr 6. OECVMENIVS S. Chrysostomi vestigiis vbique inhæret in S. Scripturis explicandis, breuis, clarus, elegans: *Commentario*, edidit in *Octateuchũ*, vt ipsemet loquitur, item *Catenam* in

in totum nouum Testamentum, &c. Claruit circa annum 800
Quidam tamen post annum millesimum collocant.

Gesnerus in Biblioth. OLAVS MAGNVS, Gothus Lincopensis, Historiam *de Gentibus Septentrionalibus & rebus mirabilibus*, &c. 1524

OLEASTER vide HIERONYMVS.

Possevinus in Apparat. OLYMPIODORVS, Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconus, Oecumenio suppar, *Commentarium & Catenam ex Græcis Patribus in Iob* artificiosissimè contexuit. Circa annum 800

Idem. Sixtus Senens. in Biblioth. OLYMPIODORVS alter, sed monachus, *Enarrationem breuem*, eruditam & elegantem edidit *in Ecclesiasten* circa annum 500

R. ONKELOS proselytus scripsit *Thargum*, seu *Paraphrasin Chaldaicam in Pentateuchum*. vide CHALDAICA, &c.

Suidas. ONOSANDER Platonicus, *de Officio Imperatoris, de Re militari*, &c. Quinto Veranio dedicat suum *Strategicum*. Veranij meminit Tacitus in Vita Agricolæ, & Veraniæ lib. 1. Hist. vnde ea ætate vixisse suspicor. 119

Dies emorsuales. Gruteri. Simleri Biblioth. ONVPHRIVS PANVINIVS, Italus Veronensis, Ordinis S. Augustini, helluo historiarum, scripsit *Chronicon à C. Iulij Cæsaris imperio vsque ad Maximilianum II. Imperatorem, & Chronicon sui Ordinis, Fastos ac triumphos Romanorum*, &c. obiit. 1568

Eusebius. OPPIANVS, Cilix poëta, scripsit *de Piscatione, Venatione & Aucupio.* 175

Hieron. in Catal. c 110. S. OPTATVS Afer, Mileuitanus Episcopus, Valentiniano & Valente Impp. scripsit *aduersus Donatistas lib. septem.* Obiit 4. Iunij. 370

Hieron. in Catal. c. 54. Epiph. hæresi 64. ORIGENES Alexandrinus, ob infatigabile studium cognominatus ADAMANTIVS & CHALCENTERVS, Clementis Alexandrini discipulus, scripsit teste Epiphanio *sena millia librorum*, & penè *in totam Scripturam*, sed ex Platonis philosophia plurimos errores immiscuit, de quibus vide Possevinum. Vixit vsque ad tempora Galli & Volusiani Imperatorum. 254

OROSIVS vide PAVLVS.

ORTELIVS vide ABRAHAM.

OSORIVS vide IOANNES & HIERONYMVS

Vossius de Hist. Lat. lib. 2. c. 53. OTTO FRISINGENSIS, Henrici IV. Imp. nepos, Conradi regis frater vterinus, Friderici I. patruus, ex monacho Cistercienſi & Abbate Morimundensi Episcopus Frisingensis, scripsit *de Gestis eiusdem Friderici libros duos, Chronicorum lib.* 7. ab orbe condito vsque ad annum Christi 1146. addito *octauo libro de Fine mundi*. Piè obiit anno 1159
Consule Vossium de Histor. Latinis.

Eusseb. in Chronic. P. OVIDIVS NASO, Italus Sulmonensis, poëta clarissimus, scripsit *Metamorphoseon libros* 15. *& de Arte amandi, de Fastis, Tristibus & Ponto*, in quam ab Augusto Cæsare relegatus fuit, & obijt anno Christi 19

PAES vide BALTHASAR.

PAGNINVS vide XANTES.

Hieron in præamio aduersus Pelagianos, ad Ctesiphontem. PALLADIVS natione Galata, Ruffino æqualis & amicus, Euagrio Pontico plus triennio conuixit in eremo Ægypti, Episcopus factus Helenopoleos, sed Origenistarum Vixit circa annũ Christi

Epiphan. Epist. ad Ioannem Hierosolym. erroribus adhuc infectus, scripsit de ijs quæ in eremo, seu viderat, seu audierat, *Historiam ad Lausum præfectum*, inde dictam *Lausiacam*, temporibus Theodosij & Valentiniani iunioris.

PALVDANVS vide PETRVS. 390

PAMELIVS vide IACOBVS.

PANNONIVS vide CÆLIVS.

Possevinus in Apparat Coccius. PANTALEON Ecclesiæ Constantinopolitanæ diaconus & Chartophylax, *orationem de Luminibus sanctis*, & *de Exaltatione S. Crucis*, & alias *panegyricas in dies festos & Dominicos totius anni.*

Sub Domitiano vixisse ex scriptis colligitur. PVBL. PAPINIVS STATIVS, Neapolitanus poëta, sub Domitiano, apud quem summo in honore fuit, *Syluarum libros* 5. *Thebaidos* 12. *Achilleidos* 2. edidit: alius à Statio Surculo Rhetore Tolosano sub Nerone. Floruit Papinius anno 850

Sigebert. in Catal. c. 96. PASCHASIVS, (aliàs PASCHALIS,) RATBERTVS, Abbas Corbeiensis Ordinis S. Benedicti sub Carolo Crasso Imp. scripsit *in Threnos Ieremiæ*, & opus insigne *de Sacramento altaris contra Bertramum* de præsentia corporis Domini dubitantem. 98

PATERCVLVS vide VELLEIVS. 886

Sulpitius Seuerus in vita S. Martini c. 21. Hieron. in Epistolis. Amor. epist. 30. ad Sabinum. Aub. & Gennad. in Catalog. c 49. S. PAVLINVS, Nolanus Episcopus, æqualis SS. Hieronymo, Augustino, Sulpitio Seuero & S. Martino, &c. Scripsit *varias epistolas & poemata. De S. Ambrosij & Martini Vita* qui extant libri, non sunt huius Nolani, sed alterius Paulini. Neque huius est *carmen Eucharisticum de Vita sua*, vt bene demonstrat Bellarminus & Baronius, qui dicit obijsse anno 431
Scripsit in *S. Paulinum notas* Heribertus Rosweidus S. I. Vltraiectinus, in quibus fusè de vita S. Paulini.

Trithem. in Catalog. PAVLVS A S. MARIA, ex Iudæo Christianus, Episcopus primùm Carthaginensis, dein BVRGENSIS in Hispania, Archicancellarius Castellæ & Legionis, scripsit *Scrutinium Scripturarum, & notabiles additiones ad Postillas Nicolai Lirani in Biblia* anno 1434

Simleri Biblioth. Lipsius in Notis ad li. primum Politicorũ. PAVLVS IOVIVS Comensis, Nucerinus in Italia Episcopus, *Historiam* scripsit ab anno Christi 1494. vsque 1540. *Elogia clarorum in omni statu virorum, Vitas* etiam *Imperatorum, Turcarum, & de Turcica militia*, &c. obiit 1552

Athenæ belgicæ Swertij. PAVLVS Middelburgi in Zelandia natus, Forosempronienſis Episcopus, *de Emendatione Kalendarij* ad Leonem X. Papam *libros* 14. & alios 18. *de Anno & die Natiuitatis ac Passionis Christi ad Maximilianum I. Imp.* obiit 1523

Athenæ Belgicæ Valery & Swertij. PAVLVS MONTANVS Vltraiectensis, à Philippo II. Hispaniarum Rege in senatum prouinciæ Vltraiectinæ adscitus, ingruente in vrbem patriam caluinismo, sponte se abdicauit; scripsit *Commentarium de Tutelis.* 1587

Prosper in Chronicis. Gennad. in Catal. c. 39. PAVLVS OROSIVS, Hispanus, presbyter, orator & historicus insignis, à S. Augustino laudatus, & ab eodem ad S. Hieronymum transmissus, vir acris iudicij, breui historia ingentem rerum supellectilem subministrat: scripsit & *Commentarium in Canticum, Apologeticum aduersus Pelagianos*, & *libros* 7. *aduersus* crimi-

criminatores nominis Christiani, &c. anno 411

Simleri Biblioth. PAVLVS A PALATIO, Granatensis in Hispania, insignis Theologus, scripsit *Enarrationem & catenam in Euangelium Matthæi, Commentarium in Ecclesiasticum, Isaiam* & 12. *Prophetas Minores*, &c. 1569

Philostratus in Vitis Sophistarum Suidas. PAVSANIAS Cæsareæ natus, sub Hadriano Imp. scripsit *vniuersæ Græciæ Periegesin*, seu *geographiam cum eius historiis*, putà *Attica, Corinthiaca, Laconica, Achaica, Eliaca, Bœotica*, &c. 130

DE PAZ vide IACOBVS ALVAREZ.

PELECIVS vide IOANNES.

PELTANVS vide THEODORVS.

PERERIVS vide BENEDICTVS.

Eusebius in Chronico, Crinitus de Poetis. PERSIVS Volaterris Hetruriæ oppido natus sub Nerone *Satyras* suas edidit anno ætatis suæ 30. Christi 70

PETAVIVS vide DIONYSIVS.

Tacitus Annal. lib. 16 Macrobius libr. 1. Comment. in Somnium Scipionis. PETRONIVS ARBITER, Massilienſis, *Satyras* doctissimas sed spurcissimas edidit, quarum vix fragmenta supersunt, quæ Alexander Brassicanus, & alij quidam Leydenses annotationibus illustrarunt. laudat Petronius quæ S. Paulus Rom. 1. v. 26. & seqq. tam acriter reprehendit, & biennio ante Pauli martyrium è viuis abiit, anno Christi 68

Eusebius in hist. Eccles. lib 7. c. vlt. Bibloth. SS. tt P. to. 2. PETRVS ALEXANDRINVS in Ægypto Episcopus, qui Arium excommunicauit, *Canones* edidit *de Pœnitentia*, (quibus Balsamon Scholia adiecit:) à Maximiano Imper. ob fidei Christianæ defensionem capite plexus 26. Nouemb. 299

Trithem. in Catalog. PETRVS AVREOLVS, qui & VERBERIVS, Ordinis Minorum, cognominatus *facundus*, Doctor & Rector Academiæ Parisiensis, Archiepiscopus Aquensis & Cardinalis, scripsit *Breuiarium Bibliorum, Compendium Theologiæ, de Conceptione B. Virginis, de paupertate*, & alia plura, ex quibus multa citat Ioannes Capreolus. Viuebat anno 1317

Gesnerus in Biblioth. PETRVS BELLONIVS Cenomannus, edidit *Obseruationes varias* & alia multa. 1555

Trithem. PETRVS BLESENSIS Gallus, sed Archidiaconus Bathonienſis in Anglia, *Compendium in Iob, & plurimas Epistolas*, è quibus extant 180. Vixit tempore Alexandri III. Pont. & Henrici II. Regis Anglorum. 1177

Possevin. in Apparatu. sacro to. 2. Athenæ Belgicæ Swertij, & Simleri Bibloth. PETRVS BVNGVS, Canonicus Bergomas, *de Mystica numerorum significatione*. 1591

PETRVS CANISIVS, Belga Neomagensis, Societatis IESV, *de Verbi Dei corruptelis aduersus Magdeburgenses, Catechismum, Martyrologium, Notas in Euangelia totius anni, Mariale, Conciones*, &c. Obiit Friburgi 21. Decemb. 1597

Possevin. in Apparatu. & tom. 9. Biblioth. SS. Patrum. Hieron. Rubeus in hist. Rauennatium. Baron to. 6. ann. 502. PETRVS CELLENSIS, Montomerij Abbas, *de Mosaico tabernaculo, de Conscientia, de Panibus*, &c. Vixit 1181

S. PETRVS CHRYSOLOGVS, sic dictus ob auream dicendi vim & eloquentiam, nobili loco natus in Foro Cornelij, quod iam Imola vocatur, Rauennæ Episcopus, edidit *varias Homilias* breues quidem, sed doctrina & pietate refertas. Obiit 2. Decembr. 449

PETRVS COTTONVS Foresiensis, è Societate IESV, *Genevam plagiariam, Institutionem Christianam* oppositam Institutioni Caluini, &c. Vixit 1624

Henric. de Gandauo de Scriptor. illust. c. 29. PETRVS *Venerabilis*, ex Aquitano milite CLVNIACENSIS Abbas, Ordinis S. Benedicti, æqualis S. Bernardo, scripsit *de Miraculis sui temporis, & contra errores Petri de Bruis, & multas Epistolas*. Obiit anno 1158

Henric. de Gandauo c. 32. Trith. Possevinus. PETRVS COMESTOR, aliàs MANDVCATOR, Ecclesiæ Trecensis in Campania Galliæ presbyter, *Magister Historiæ Scholasticæ, ex omnibus S. Scripturæ Historiis compilatæ*, cui multa ex Glossis & profanis auctoribus, & subinde incerta admiscet. Non fuit frater (vt quidam opinantur) Gratiani qui Clusij in Hetruria, neque Petri Lombardi qui Nouaræ in Lombardia natus est. 1160

Henricus de illustr. Scriptoribus. Sigebert. in Catalog. PETRVS DE HONESTIS (nomen erat familiæ) *Damiani* non filius sed frater, nobilis Rauennas, ex monacho S. Benedicti S. R. E. Cardinalis & Episcopus Ostiensis, scripsit *multas Epistolas, Sermones, & Vitas Sanctorum*. Vita excessit 22. Febr. 1072

Athenæ Belgicæ. Possevin. in Apparatu. tom. 2. PETRVS FABER, Nouiomagus in Belgio, edidit *Agonistica*. Obiit anno 1535

PETRVS GALATINVS, Ordinis Minorum, scripsit *de Arcanis Catholicæ veritatis aduersus Iudæos*, item *Cabalistica*, & *in Apocalypsin*, & *de Ioanne Capnione*, &c. 1515

Idem. PETRVS GARSIAS GALARSA Bellanensis, ex Salmanticæ professore Episcopus Canariensis, *Euangelicarum Institutionum libr.* 8. 1579

Idem. Delrio disquis. Magic. l. 2. c. 4. q. 2. & l. 5. c. 10. Catalog. Societ. Iesu. PETRVS GREGORIVS TOLOSANVS I. V. C. edidit *Syntaxin artis mirabilis* (de qua videndus Delrio) & *Syntagma Iuris vniuersi*, & *tractatum de Beneficiis Ecclesiasticis*. 1580

PETRVS CHIRINVS, ex Hispaniæ oppido Osſuna, Societatis IESV, *Historiam egregiam de Lusoniis Insulis, & Societatis in illas aduentu, laboribus ac fructu*, &c. 1604

Idem. PETRVS DV IARRIC, Gallus Tolosas, Societatis IESV, *Historiam rerum in India Orientali gestarum*. 1614

Henric. de Gandauo de Scriptor. Trithemius ibidem. PETRVS LOMBARDVS ex Nouara Lombardiæ oppido in Italia, Parisiorum Episcopus, floruit eodem tempore quo Gratianus: & sicut iste collegit Canones & Canonistarum Magister fuit, sic ille *libris* 4. collegit *Sententias SS. Patrum & Theologorum, & Magister Sententiarum ac Scholasticorum* dici meruit, etsi non omnia ipsius ab omnibus probentur. 1140

PETRVS MAFFEIVS vide IOANNES PETRVS.

Simlerus in Biblioth. PETRVS MARTYR VERMILIVS, Florentinus, ex Canonico Regulari factus Sacramentarius, edidit *Commentaria in Genesin, in Exodum, in* 1. & 2. *Regum, in aliquot Prophetas Minores, in Epistolam ad Romanos, & Corinthios*, &c. obiit mense Nouembri. 1562

Athenæ Belgicæ. PETRVS NANNIVS, Alcmarienſis Hollandus, Græcæ & Latinæ linguæ professor Louanij, *Scholia* edidit *in Canticum, & librum Sapientiæ, Dialogismos Heroinarum, Miscellanea*, &c. Louanij mortuus 1557

Vossius de Hist. Latin. lib. 1. c. 8. Possevin. in Apparatu. Trith. de Scriptor. PETRVS DE NATALIBVS, Episcopus Equilinus, *Historias* collegit *quorundam Sanctorum*. Obiit ann. 1470

PETRVS DE PALVDE, seu PALVDANVS, Burgundus, ex Ordine Prædicatorum Patri-

Patriarcha Constantinopolitanus, *Commentarium in 4. libros Sententiarum, librum Bellorum Domini, Quæstiones, & Quodlibeta*, &c. 1320

Catalog. Societ. Iesu. PETRVS RIBADINEIRA Toletanus, Societ. Iesu, *Vitam S. P. N. Ignatij, vitam P. Laynez, & B. P. Franc. Borjæ, de Principe Christiano, de Schismate Anglicano, de Vitis Sanctorum, de Scriptoribus Societatis*, &c. obiit Madriti 22. Sept. 1611

Idem. PETRVS SCARGA Grodecensis Polonus, è Societate Iesu, *Comment. in Canticum & in Prouerbia: de Schismate Græcorum, de Eucharistia & reliquis Sacramentis, de Impostura Zwinglio-caluinistarum*, &c. 1604

Possevin. in Apparatu. tom. 2. PETRVS SERRANVS, Complutensis Ecclesiæ Canonicus, *Commentarium in Leuiticum & in Ezechielem.* 1572

Catalogus Societ. Iesu. PETRVS TYRÆVS Nouesiensis in Germania, Societ. Iesu, *de Locis infestis, de Apparitionibus spirituum, de Dæmoniacis, de Nouo & falso Antichristo, de cultu Sanctorum, & de aliis fidei controuersis*, obijt Herbipoli 3. Decemb. 1601

Augustin. in epistola ad Quod vultdeum. S. PHILASTRIVS Brixiensis Episcopus, tempore S. Ambrosij, scripsit *de Hæresibus*, tam ante quàm post Christum exortis vsque ad sua tempora. Floruit ann. 380

PHILLIPPVS CLVVERIVS è Germania nobili familia oriundus, non immeritò princeps ætatis nostræ geographus à Vossio vocitatus, frustra renitente eius antagonista Ioan. Isacio Pontano: scripsit *Germaniam antiquam, Italiam antiquam*, &c. & plurima alia. 1616

Ipse lib. 4. PHILIPPVS SOLITARIVS (quia ascenticus) 15. anno imperij Alexij Comneni, Græcè scripsit *Dioptram*, id est, *regulam*, seu *amussim rei Christianæ*, anno Christi (vt ipsemet lib. 4. testatur) 1105

Hieron. in Catal. c. 11. PHILO prænomine ANNIVS, sacerdos Iudæus, natione Alexandrinus, Græcæ facundiæ, Pythagoricæ, Platonicæ & Aristotelicæ Philosophiæ peritiâ omnibus sui sæculi hominibus longè superior (inquit Sixtus Senensis,) varia scripsit, *in quinque libros Moysis, & alias Scripturas*, item *de Prima S. Marci Euangelistæ apud Alexandriam Ecclesia*, vbi Christianos miris laudibus extollit, &c. Floruit sub Caio & Claudio anno Christi 53

In Vita S. Epiphanij. PHILO CARPATHIVS in Græcia, à S. Epiphanio ex Dei reuelatione ordinatus Episcopus, *Comment. breuem* scripsit, *in Canticum*, quem quidam postea ampliarunt, insertis hinc inde multis ex S. Gregorij Magni Commentariis. Floruit 374

Eunapius in Vitis Philosophor. in principio. Eusebius in Hieroclem Philosoph. Suidas. PHILOSTRATVS Veri Lemnij Philostrati sophistæ nepos, & ipse sophista, docuit Athenis, deinde Romæ sub Seuero vsque ad Philippum Imper. scripsit *Apollonij Tyanæi vitam libris 4. Imagines libris 4. Forum Heroicum, Vitas Sophistarum libris 4. Declamationes, Epigrammata, Epistolas amatorias*, &c. Floruit ann. 246

Suidas. PHOCYLIDES MILESIVS, philosophus, æqualis Theognidi, post annos 647. à bello Troiano, Olymp. 59. id est, ante natum Christum anno 540. scripsit *Carmina, Elegias, Parænefes*, siue *Sententias ex carminibus Sibyllinis* subtractas.

Cedrenus in Hist. fol. 453 PHOTIVS in Græcia natus anno Christi 818. ex protospathario & secretario Michaelis Imp. intrusus Patriarch. Constantinopolitanus, *Bibliothecam* scripsit 279. *auctorum*, quæ non modò libros singulorum, sed & librorum capita, & capitum argumenta recenset. Edidit & *Nomocanonem & varias Epistolas* ac *tractatus*, de quibus vide Possevinum. Viuere desijt ann. 866

Trithem. in Catalog. IOAN. PICVS Comitis Mirandulæ (in Italia) filius, insignis philosophus ac Theologus scripsit *Heptaplum de opere sex dierum Geneseos, Comment. in Psalmos, in nouam & veterem legem, contra Astrologiam iudiciariam*, & multa *philosophica & contra Iudæos*, &c. obijt anno 1494

PIERIVS vide IOANNES.

Horat. lib. 4. carminum. PINDARVS Thebanus poëta, Lyricorum princeps, nemini imitabilis, (inquit Horatius,) Olympiade 65. scripsit *Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia, Bacchica, Threnos, Fabulas tragicas*, &c. ante Christum natum anno 519.

PINEDA vide IOANNES.

PINTVS vide HECTOR.

PISO vide L. CALPVRNIVS.

Possevin. in Apparatu. Iac. Bergomæ in Supplic. Chron. Vossius de Hist. Latin. lib. 3. c. 7. PLATINA prænomine BARTHOLOMÆVS, Italus Cremonensis, Abbreuiator Apostolicus, eruditione atque eloquentia nulli secundus, edidit *Vitas Rom. Pontificum vsque ad Sixtum IV. Historiam Mantuanam*, &c. Romæ sublatus peste 1481

Diogen. Laert. lib. 1. in principio & alibi, & Hesych. in Vita Philosoph. PLATO Athenienses, Euclidis & Socratis discipulus, Aristotelis magister, ob raram sapientiam dictus θεῖος, id est, diuinus, diuinum opus edidit *Timæum, de rerum creatione; Phædonem, de animæ immortalitate; Parmenidem, de vno omnium principio & ideis; Minoën, de Legibus Politica, de Regno*, &c. Mortuus est Olympiadis 108. anno 1. id est, ante natum Christum anno 343.

PLATVS vide HIERONYMVS.

Festus Grammat. Gellius l. 1. c. 24. PLAVTVS ex Vmbria, Sarsina ciuitate, poëta comicus comœdias scripsit 130. quarum prima est *Amphitruo*, &c. Olympiadis 144. anno 4. regni Ptolemæi Epiphanis anno 3. ante Christi aduentum 196. secundùm calculum nostri Chronici c. 31. & 47.

Suetonius Tranquill. in vita eius. PLINIVS senior, prænomine CAIVS, Veronensis in Italia, eximium *Historiæ naturalis* opus dedicauit Vespasiano & Tito Imperatoribus. 80

Plin. lib. 5. epist. 8. PLINIVS iunior, prænomine CAIVS, cognomento Cæcilius, nepos senioris ex sorore, natione Nouocomensis in Italia, *Traiani Panegyricum* scripsit, eidemque persecutionem Christianorum dissuasit per litteras, quas ad diuersos plurimas dedit. Sed liber *de Viris illustribus*, quem plerique illi tribuunt, est Sexti Aurelii Victoris, vt Gerardus Vossius demonstrat. Floruit anno 108

Suidas & Photius. PLVTARCHVS Chæronensis in Bœotia, philosophus atque historicus eloquentissimus, Traiani magister, Cornelii Taciti familiaris, multas & insignes edidit *lucubrationes morales & historicas, de Viris illustribus parallela, Problemata, Apophthegmata*, &c. 106

Lucianus in Macrobiis. & Cicero lib. 3. ep. ad Lucceium.

POLYBIVS Lyci filius, Megalopolites ex Arcadia, præceptor Scipionis Africani, prolixam scripsit *Historiam Romanam libris* 40. quorum vix 18. extant. Floruit ante natum Christum annis circiter 187.

Sixtus Senensis in Biblioth. Baronius in Annalib. anno 433. sub finem. Cicero epist. ad eum lib. 12. in Orat. & alibi. Plinius Natural. Hist. l.b. 35. c. 2.

POLYCHRONIVS Apameæ Episcopus, Theodori Mopsuestiæ Episcopi frater, Diodori Tarsensis Episcopi auditor, vita & verbo egregius, scripsit *in Iob & Ezechielem*, ex quo multa desumpsit Theodoretus. Floruit anno 400

POLYHISTOR vide IVLIVS SOLINVS.

POMPONIVS ATTICVS, prænomine TITVS, *Annales* scripsit *Imperij Romani*, vsque ad consulatum Ciceronis, *Imagines* etiam *doctorum virorum*, &c. anno V.C. 700. ante natum Christum ann. 49.

Paulus Iouius in Elogiis. Gabell. in discip. vitam conscripsit. Plinius in Hist. Naturali, ipse lib. 3. c. 6. Hieron. in Catal. c. 79.

IVL. POMPONIVS LÆTVS, historiæ veteris scrutator diligens, Sabellici magister, scripsit *Compendium historiæ Romanæ, Antiquitates Vrbis, de Magistratibus Romanis, de Mahomete*, &c. 1490

POMPONIVS MELA ex Mellaria Bæticæ oppido, sub Claudio Imp. *res* edidit *libros de Chorographia* seu *Situ orbis*. 55

PONTIVS, Diaconus D. *Cypriani*, cuius *vitam & martyrium*, cui aderat, ad posteros dedit, laudatus à S. Hieronymo. 270

POSSEVINVS vide ANTONIVS.

PRADVS vide HIERONYMVS.

Possevinus in Apparatu

PRATEOLVS prænomine GABRIEL, Marcossius in Gallia, scripsit *in Epistolas Pauli & reliquas Canonicas* : item *de Vita, sectis & dogmatibus omnium hæreticorum* ab orbe condito vsque ad sua tempora. Floruit Parisiis 1560

Isidorus de Script. c. 9.

PRIMASIVS Episcopus Africanus, tempore Vigilij Papæ, *Commentarium in Epistolas S. Pauli, & in Apocalypsin.* 553

Cyrill. in expos. Symboli Nicæn. & epist. 31. ad Ioan. Antiochen.

PROCLVS Episcopus primò Cyzicenus, dein Constantinopolitanus, cuius honorificè meminit æqualis ipsi S. Cyrillus, *Epistolam* scripsit valdè celebrem *ad Armenos de Fide* : & aliam *de diuina Liturgia*, & *aliquot Sermones*. 430

Photius in Biblioth.

PROCOPIVS GAZÆVS ex Palæstina, collegit è libris Patrum *Commentarium in Octateuchum, in libros Regum & Paralipom. in Isaiam, in Threnos*, &c. Floruit post ann. 500

Suidas.

PROCOPIVS Cæsariensis, & ipse ex Palæstina, rhetor ac sophista, *Romanam* scripsit *Historiam* & *Bella Gothica, Persica, Vandalica per Belisarium gesta*, item *de Ædificiis Iustiniani Imperatoris*, &c. 565

Quintiliana.

PROPERTIVS Mæcenatis Augusto charissimi, item Ouidij & Tibulli amicus, à Quintiliano laudatus, *Poeta elegiacus*, obiit anno ætatis suæ 42. Christi circiter 30

Gennad. in Catal. c. 84

S. PROSPER AQVITANVS in Gallia, Rhegij in vicina Prouincia Episcopus, S. Augustini discipulus ac defensor acerrimus, scripsit *de Prædictionibus ac promissionibus Dei lib. 3. de Vita contemplatiua alios tres, de Vocatione Gentium duos, Commentarium in 50. vltimos Psalmos, librum Epigrammatum*, &c. *Chronicon Eusebij & Hieronymi* continuauit *vsque ad sua tempora*. 445

Gennad. ibid. cap. 13.

PRVDENTIVS prænomine AVRELIVS, Poëta palatinus, sed Christianus, sæculari literatura insignis sub Theodosio iuniore, scripsit *de Mundi fabrica, de Relatione in calcem, de Pugna animi, de Origine peccati*, &c. *Librum Hymnorum*, & alterum *in Laudem Martyrum*, &c. anno 418

Anna Comnena Alexiados lib. 5 & Cedren. in Annalib. Zonaras li. 3 Annalium.

PSELLVS prænomine MICHAEL, præceptor Leonis Imper. dicti Philosophi, edidit *Epitomen librorum Moysis, Enarrationem* breuem ac dilucidam *in Canticum, tractatum de Synodis*, & alia multa, etiam *philosophica* ac *mathematica*, denique *orationem in funere Simeonis Metaphrastæ*. 870

Suidas.

PTOLEMÆVS prænomine CLAVDIVS Pelusiensis in Ægypto, astronomorum princeps, *perfectæ cœlestium motuum pertractationis* (vulgò *Almagestum* vocant,) *libros* 13. *de Geographia libros* 8. *de Iudicijs astrologicis libros* 4. *de Musica libros* 3. &c. Floruit sub Antonino Imp. 113

Hieron in Catal. c. 19.

QVADRATVS Apostolorum discipulus, Athenarum post Publium Martyrem Episcopus, Hadriano Imp. *librum Apologeticum pro religione Christiana* obtulit circa annũ Dñi 123

QVINTILIANVS Hispanus, prænomine M. FABIVS, Romam à Galba ductus, Icholam inibi publicam primus instituit, Domitiano familiaris, nepotumque eius præceptor, *Institutionum oratoriarum* sanè selectarum *libros* 12. edidit, & *complures Declamationes*, &c. 91

Excripta fere eliciuntur eius. Vossius de hist. Latinis lib. 1. c. 28.

QVINTVS CVRTIVS eleganter scripsit de *Rebus gestis Alexandri Magni Macedonum regis libros* 10. sub Vespasiano Imper (sub Claudio vixisse putat Lipsius.) De eius ætate controuersia est apud Vossium. 72

Possevin. in Apparatu.

QVINTVS IVLIVS HILARION chiliasta, libellum *de Danielis hebdomadibus, & Chronologiam*, siue *de Mundi duratione*, &c. 391

QVIROS vide AVGVSTINVS.

Honorius de Scriptorib.

RABANVS cognomento MAGNENTIVS MAVRVS, natione Germanus Fuldensis, & ex Fuldensi Abbate sextus Archiepiscopus Moguntinus, cui nullum parem eo sæculo Germania habuit, ex varijs Patribus collegit *Commentaria in vniuersam Scripturam*. nam & *Commentaria in Threnos* quæ inseruntur operibus S. Hieronymi, sunt Rabani; cuius etiam sunt *tres libri de Institutione Clericorum*, &c. Obiit tempore Ludouici iunioris Imperatoris. Vixit circa annũ Chri. 8[illegible]

Index librorum prohibitorum Clementis VIII. Possevin. in Apparatu.

RABBINI Iudæorum qui ante Christum natum scripserunt, verbi gratiâ: R. IORAM, R. HACCADOS, R. SIMEON BEN ASRAI, &c. vtiliter legi possunt: nam differunt *de Messiæ natiuitate, vita, passione, resurrectione*, ac si præsentes oculis omnia conspexissent. Idem dico de Rabbinis qui ad Christi fidem conuersi aduersus obcæcatos Iudæos stylum acuerunt, vt R. IOSEPH SAMLA SAMARITANVS, R. IVDA BEN SAMIA Cæsariensis, R. MARDOCHÆVS BEN IONA Ierosolymitanus, R. ISAAC BEN IVSAL, ex Ioppe, &c. Reliquorum Iudaizantium libri prohibentur in Indice Pij Papæ IV. & constitutione Clementis VIII. vlt. Februarij anno 1592. 8[illegible]

RADERVS vide MATTHÆVS. RAD-

RAPZIVILIVS Olicensis Dux, &c. in Polonia, scripsit *de Itinere & peregrinatione sua Epistolas aliquot* valdè egregias. 1590

Sigebertus de Scriptor. c. 112. REGINO Germanus Abbas monasterij Prumiensis, *Chronici* seu *Historiarum libros duos* edidit vsque ad annum 908 quos alius quispiam continuauit vsque ad annum 967. Scripsit & *de Disciplina Ecclesiastica libros duos.*

Sigebertus de Scriptor. cap. 124. REMIGIVS ANTISIODORENSIS in Gallia monachus S. Benedicti, Rhemis professor publicus, & sua ætate doctissimus, *Commentarium* scripsit *in Canticum, in Psalmos, in 12. Prophetas Minores*, &c. sub Carolo Caluo Imp. anno 877

RESCIVS vide STANISLAVS.

RHODIGINVS vide CÆLIVS.

RIBADINEIRA vide PETRVS.

RIBERA vide FRANCISCVS.

Possevin. in Apparatu. Sixtus Senens. in Biblioth. RICHARDVS FISHACKER, Excestriensis Anglus, *Postillam in psalmos, Commentarium in quatuor libros Magistri Sententiarum*, &c. 1323

RICHARDVS MARIVS Zelandus, *Commentarium in Pentateuchum*, &c. 1631

Henricus de Gandauo de Script. c. 26. RICHARDVS VICTORINVS Scotus, Canonicus Regularis S. Victoris Parisijs, Ordinis Augustinienſium, S. Bernardo amicissimus, scripsit multa *in Genesin, Exodum, libros Regum & alias Scripturas*, mystici sensus *opuscula, Conciliationes librorum Regum & Paralipomenon, de Templo Ezechielis & alijs visionibus eiusdem Ezechielis, Commentarium in Canticum & Apocalypsin: de Contemplatione libros* 5. & alia plurima. 1130

Catalog. Societ. Iesu. ROBERTVS Cardinalis BELLARMINVS Italus Politianus, è Societate Iesu, *Controuersiarum tomos tres, Commentarium in Psalmos*, & alia plurima contra hæreticos, &c. Obiit mense Septemb. 1621

Simleri Biblioth. ROBERTVS CENALIS, aliàs SENALIS, Episcopus Abricensis, contra Martinum Bucerum scripsit *de Cœna Domini, de Cœlibatu, de Diuortio, de vsu vtriusq; gladij, de Vera mensurarum ponderumq; ratione*, &c. 1549

Simleri Bibliotheca, in voce Rupertus. ROBERTVS GAGVINVS, aliàs RVPERTVS, Gallus, Ordinis SS. Trinitatis Minister Generalis, scripsit *de Conceptione immaculata B. Virginis libros duos, de Regibus Francorum libros* 12. *vsque ad Carolum VIII. Orationes, Epistolas*, &c. 1499

Balæus de Scriptor. Athenæ Belgicæ. Valerij & Sweertij. ROBERTVS SCHIRVVODVS Anglus Conuentrensis *Explanationem in Ecclesiasten, & versionem Bibliorum ex Hebræo Latinam.* 1520

RODVLPHVS, vel RVDOLPHVS, AGRICOLA, Belga Groninganus, vertit Heidelbergæ *ex Hebræo Psalterium, ex Græco partem operum Dionysij Areopagitæ*: edidit *Scholia in quinque libros Seuerini Boëtii de Consolatione*, &c. 1485

RONDELETIVS vide GVILIELMVS.

ROSWEYDVS vide HERIBERTVS.

Athenæ Belgicæ. RVARDVS TAPPERVS Batauus Enchusanus, Louanienſis Decanus & Cancellarius, hæresium egregius expugnator, multa edidit *controuersa & orationes Theologicas*, cum *corollario de Veris calamitatum Belgij causis ac remediis ad Carolum V. & Ferdinandum Cæsares*, &c. 1560

Simleri Biblioth. RVELLIVS prænomine IOANNES, Gallus Suessionensis medicus, *de Natura stirpium libros* 3. &c. 1836

Gennad. de Scriptor. c. 17. RVFFINVS Aquileiensis presbyter, S. Hieronymi primùm amicissimus, dein æmulus, *inuectiuas duas in eumdem* scripsit & *Apologiam pro Origene*, & *Commentarium in aliquot Psalmos*, & *multas Epistolas*, & *duos libros Historiæ Ecclesiasticæ* adiecit *Eusebio ex Græco à se in Latinum conuerso*, &c. Erroris notatur à Gelasio Papa & Concilio 70. Episcoporum, cap. *Romana Ecclesia*, distinct. 15. à Possevino & alijs. Mortuus anno 410

Commentaria in Oseæ, Amos & Ioël, quæ Gesnerus huic adscribit, nescio an sint huius Ruffini.

RVISBROCHIVS vide IOANNES.

Honorius de Scriptor. RVPERTVS, aliàs ROBERTVS, Abbas Tuitiensis, Ordinis S. Benedicti, iuxta Coloniam, ope B. Virginis accepta cælitus incomparabili scientia, collegit ex Patrum scriptis succincta *Commentaria* (libris 42. quibus titulus *de Trinitate*) *in omnes SS. Scripturas*, inhærens maximè sensui Allegorico: prolixum insuper *Commentarium in Canticum, in 12. Prophetas Minores, in Euangelium S. Matthæi & Ioannis & in Apocalypsin: de Victoria verbi Dei libros* 13. *de Diuino Officio lib.* 12. &c. Floruit tempore Paschalis Papæ & Henrici Imperatoris anno 1116

SA vide EMANVEL.

Simleri Biblioth. SABELLICVS prænomine M. ANTONIVS Coccius, Venetus, Pomponij Læti discipulus, bonarum litterarum apud Venetos professor, edidit *Historiam vndecim Enneadum ab orbe condito vsque ad annum Christi* 1504. Item *Exemplorum libros* 10. *de Situ Venetiarum libros* 3. *de Venetis Magistratibus librum vnum*, &c. obijt ann. 1507 Vixit circa annũ Christi.

SALAS vide IOANNES.

SALAZAR vide FERDINANDVS.

SALIANVS vide IACOBVS.

R. SALOMON IARCHI, natione Gallus, tantæ apud Iudæos auctoritatis, vt cognominetur *caput tribuum Israel, vniuersum vetus Testamentum* argutis *Comment. illustrauit*, in quibus aliquoties S. Hieronymum honorificè citat, Chaldæum Paraphrasten magna ex parte sequitur, vt & Thalmudicos. Nicolaus Liranus ipsum, etsi iuratum Christi hostem, quasi simius imitatur, inquit Arnoldus Pontacus. Vixit 1217

Possevin. in Apparatu. SALON, cognomento MAGISTER, Ordinis Sancti Augustini, *Comment. in secundam secundæ Diuæ Thomæ de Iustitia & Iure.* 1590

Ibidem. SALONIVS, Viennensis in Gallia Episcopus (vt vult Sixtus, sed dubitat Baronius) Saluiani discipulus, *in modum Dialogi* scripsit *in Parabolas & Ecclesiasten Salomonis*, &c. sub Valentiniano & Marciano Impp. 458

Gennad. de Scriptor. c. 67. SALVIANVS Massilienſis in Gallia Episcopus, æqualis S. Eucherio Lugdunensi Episcopo, scripsit *octo libros de Prouidentia & iudicio Dei, libros quatuor ad Ecclesiam*, sub nomine Timothei, &c. 450

Possevin. de Apparatu. SAMERIV vide HENRICVS.

SANCTES PAGNINVS Lucensis in Italia,

lia, Ordinis Prædicatorum, Græcæ & Hebraicæ peritissimus, hortante Leone X. Pontifice, *vetus Testamentum ex Hebræo, nouum ex Græco in Latinum transtulit; Hebraicum Lexicon* contexuit, item *Isagogen ad sacras Litteras, & ad Mysticos sensus intelligendos, Catenam argenteam in Pentateuchum, in Psalmos*, &c. Floruit 1527

SANCHEZ seu SANCTIVS vide GASPAR & THOMAS.

SANDÆVS vide MAXIMILIANVS.

SARDICENSE vide CONCILIA.

SCALIGER vide IOSEPHVS.

SCIRWODVS vide ROBERTVS.

SCOTVS vide IOANNES DVNS.

SCRIBANIVS vide CAROLVS.

Catalog. Socist. Iesu. SEBASTIANVS BARRADIVS Olyssiponensis, Societatis Iesv, edidit *Tomos quatuor Comment. in Concordiam & historiam Euangelicam.* 1614

Simleri Bibliotheca. SEBASTIANVS CASTALIO *Biblia ex Hebræo & Græco* vertit (sed fide hæretica, coruptis pluribus locis, inquit Theodorus Beza apud Gesnerum) *adiectis annotationibus*, &c. 1551

Ibidem. SEBASTIANVS SERLIVS Italus, *de Architectura, libros quinque de Antiquitatibus vrbis Romæ & aliis etiam extra Italiam.* 1540

Possevin. in Apparatu, voce Seder. & Rabbini. SEDER OLAM, seu *Chronicon maius antiquitatum Iudaicarum*, Latinè redditum à Gilberto Genebrardo, primùm prodiit circa annum 1100

Sed in eo (vt & in minore Chronico) multa falsa traduntur

Isidorus de Script. c. 7. SABVLIVS prænomine C. CÆLIVS, è Scotia presbyter tempore Theodosij iunioris Imp. ex Origene, Ambrosio, Hieron. & August. excerpsit *Explanationem in omnes Epistolas S. Pauli:* scripsit *& prosa & carmine lib. 5. de Mirabilibus operibus Dei.* item *hymnum, A solis ortus cardine*, &c. 430

SENECA vide L. ANNÆVS.

SENONENSE vide CONCILIA.

SEPTVAGINTA DVO INTERPRETES. seni ex singulis tribubus Israel, rogante Ptolemæo Philadelpho rege Ægypti, qui regnare cœpit ann. ante natum Christum 279. *torum vetus Testamentum ex Hebræo in Græcum* transtulerunt, vno animo, vno ore, & quasi vno calamo, adeò vt nullus eorum ab aliis in vllo puncto dissentiret. Et hæc translatio summæ auctoritatis semper fuit in Ecclesia tum Iudaica, tum Christiana (& illa vsi sunt Christus & Apostoli, & vtuntur etiamnum Græci) essetque apud omnes planè infallibilis, si incorrupta ad hæc tempora deuenisset. Sed plurimis locis iam olim vitiatam

Iustin. in Dialog. cum Tryphone. à Iudæis docet S. Martyr Iustinus, S. Hieron. & alij. Causas vitiatæ versionis vide in præfatione ad Biblia Græca LXX. interpretum, quæ nuper è Vaticano iussu Sixti V. Pontificis quoad tum potuerunt correcta, in lucem prodierunt, à Flaminio Nobilio omnium optimè in Latinum translata: & multis locis non parum discrepantia à versionibus quæ in Bibliis Regiis & Complutensibus exstant, multò verò magis à Basileensibus, anni 1582. Quòd autem dissentiant non rarò etiam à fonte Hebræo, inde euenit, quòd Hebrææ voces sint polysonæ & plures habeant significationes: item quòd 70. illi viri non nudos interpretes, sed (vt prædicti erant spiritu propherico) etiam Paraphrastas egerint. vide * Bellarminum & Bonfrerium.

**Bellar. l. 1. de Verbo Dei* *Bo. frer. in Præloqu. Pentateuchi c. 16. sect. 5. & 6.* *Possevin. in Apparatu.* SERAPHINVS FIRMANVS Italus, Canonicus Regularis Lateranensis, concionator egregius, scripsit *Enarrationem in Apocalypsin & multa opuscula spiritualia*, quæ ex Italico in Latinum translata per Gasparem Placentinum, Antuerpiæ à Nicolao Almosino excusa sunt anno 1581

SERARIVS vide NICOLAVS.

Simleri Bibliotheca. SERGIVS, aliàs SERVIVS MAVRVS HONORATVS, vel MARIVS SERGIVS, insignis Grammaticus & Poëta, scripsit *Comment. in operæ Virgilij Maronis, in vtramque artem Ælij Donati, Centimetrum*, &c. coæuus Æliano. 130

Gennad. in Catal. c. 21. SEVERIANVS Gabalensis Ecclesiæ in Syria Episcopus, familiaris S. Chrysostomo & Arcadio Imper. scripsit *homilias sex in Hexameron, expositionem in Epistolam ad Galatas* & citatur in Catenis ad Psalmos, Ezechielem, &c. 398

SEVERVS Minoricensis Insulæ Episcopus anno 2. Zosimi Papæ, *litteras* dedit *circulares de conuersione Iudæorum illius Insulæ per præsentiam reliquiarum S. Stephani*: dedit & *alias ad Eudolium Episcopum Vsalensem*, apud Baronium anno 418

Hieron. in Comment. in Ezech. c. 25. *Paulin. Nolan. epist. 1. & 5. & 9.* SEVERVS SVLPITIVS Aquitanus, genere & litteris nobilis Presbyter, amicissimus S. Paulino, ad quem *plures Epistolas* dedit, *libros duos* scripsit eleganter *de Sacra historia*, ab origine mundi exordiens vsque Stiliconem Consulem, id est, ann. Christi 400. vt ipse indicat libr. 2. Historiarum scripsit & *vitam S. Martini Turonensis Episcopi, Dialogum de Conuersatione Orientalium Monachorum*, &c. 410

Ammianus Marcell. lib. 12. SEXTVS AVRELIVS VICTOR in Africa ture natus, tenui & indocto parente, sed ob egregiam doctrinam à Constantio Imper. Proconsul in Pannoniam missus, homo Gentilis, scripsit *de Viris illustribus vsque ad Iulium Cæsarem* (qui liber falsò tribui solet Cornelio Nepoti, vel Plinio Nouocomensi) item *Vitas Cæsarum* vsque ad tertium consulatum Iuliani Augusti. Consule Vossium lib. 2. cap. 8. de Histor. Latinis, tam de hoc quàm de duobus sequentibus. 361

Vossius de Hist. Latin. lib. 2. c. 8. SEXTVS AVRELIVS VICTOR, prioris fortè filius vel nepos, *opusculum* edidit *de Vita & moribus Imperatorum*, vsque ad excessum Theodosij. 395

Iulius Capitolin. in Opilio Macrino. Ab vtroque diuersus est AVRELIVS VICTOR cognomento PRIMVS, cuius opuscula *de Vita Macrini*, &c. Iulius Capitolinus misit ad Diocletianum Augustum anno circiter 300

Lactantius aduersus Gentes passim. Hesychius in vitis Philosoph. litteris S. SIBYLLÆ ex Gentilibus ortæ, virgines & spiritu prophetico præditæ, varia de Christi aduentu prædixerunt, recensentur numero decem, de quarum ortu, conditione, carminibus & fide prolixè agit Clemens Alexandr. Eusebius, Lactantius, August. & alij Patres, quin & Pausanias, & alij Gentiles: è quibus constat, nullam Sibyllam Moysefuisse

fuisse priorem: etsi quædam effata ipso antiquiora inserantur libris illis octo, qui Sibyllina oracula in vnum congesta & confusa, sed non bona fide repræsentant, immistis quibusdam Iouis, Apollinis, Mercurij, Hecates, Serapidis & Æsculapij responsis. Plurima verò Sibyllina carmina, quæ in templo Apollinis Palatini Romæ adseruabantur, à Stilicone flammis absumpta sunt anno Christi 399. Anastasij Papæ anno 2. vnde pauca, quæ sincera sint, ad nos deuenerunt. Præcellit alijs Erythræa, quæ tertium librum occupat: secundum & septimum nescio quibus scortis adscripserunt: quintum sorori Isidis: primum (si superis placet) nurui Noë; quartus, sextus & octauus incertis auctoribus relicti sunt.

Sigeb. ipse de viris illust. c. 172.

SIGEBERTVS Gemblacensis in Brabantia monachus S. Benedicti, *heroico metro Ecclesiasten* descripsit & multa alia quæ ipsemet recenset in suo libro de viris illustribus. Scripsit & *Chronologiam ab anno 381. continuando Gennadium vsque ad annum 1112.* Sed iniquior in Gregorium VII. & Paschalem II. Romanos Pontifices quòd schismati Henriciano faueret. Obiit 13. anno eiusdem Paschalis Papæ. 1112

Martial. l. 7 epigrammate 62. & lib. 11. epigr. 49. Plin. libr. 3. Epist. ep. 6.

SIGONIVS vide CAROLVS.

SILIVS ITALICVS Consul Romæ anno Vrbis 820. quo Nero interijt, à passo Christo 37. carmine descripsit *bellum Punicum secundum, seu Hannibalicum*, & multa gesta variorum Imp. vsque ad Domitianum, sub quo vita excessit. 93

Vossius de Histor. Lat. lib. 2. c. 54.

SILVESTER GYRALDVS Anglus cognomento Cambriensis, à Cambria, vbi natus ex nobili Principum Walliæ familia, à secretis Henrico II. Angliæ regi, scripsit imperante Henrico VI. *Itinerarium Cambriæ, Topographiam Hiberniæ, Cosmographiam, Chronologiam, Mirabilia terræ sanctæ, Descriptiones magnorum virorum, reges Visi-Saxonum, Chronicon Anglorum* &c. Consule Vossium. 1191

Similerus & Possuin.

SILVESTER PRIERAS, seu de Prierio, Pedemontanus, sacri palatij Magister, & sui Prædicatorum Ordinis Magister Generalis, aduersus Lutherum primus calamum strinxit (teste Onuphrio) edito libro cui titulus: *Errata & argumenta Lutheri detecta & repulsa. Commentarium* quoque in *quatuor libros Magistri Sententiarum: Summam de Peccatis*, quæ dicitur *Siluestrina: librum de Historia B. Virginis, librum de Maria Magdalena: Additiones ad libros Capreoli*, &c. Viuebat 1520

Onuphr. in Chronico.

Florent. vbi de vita S. Dionysij Areopagitæ. Baron. to. 10 anno Christi 850.

SIMEON METAPHRASTES Constantinopolitanus, cuius honorifica fit mentio in Concilio Florentino, *Vitas* scripsit *Sanctorum per singulos menses*, quas Latinas reperies apud Aloysium Lipomanum & Surium. 850

SIMON MAIOLVS Italus historicus, pro *defensione Imaginum: de Irregularitate: Dies caniculares*, &c. 1610

SIRMIENSE vide CONCILIA.

Possuin. in Apparatu.

SIXTVS SENENSIS, Ordinis Prædicatorum, concionator eximius, edidit *in S. Scripturam quæstiones Astronomicas, Geographicas, Physicas, Problematicas*, &c. *in tria prima cap. Iob, in Sapientalia Salomonis, in Epistolam ad Romanos, in Euangelia Aduentus, Quadragesimæ & Pentecostes* 10. *tomos Concionum, & in totum Bibliorum corpus, Bibliothecæ Sanctæ libros* 8. 1566

Xenophon lib. 4. Memorabilium.

SOCRATES Athenienſis philosophus, Archelai discipulus, Platonis magister, castitate, iustitia, alijsque virtutibus celebris, *Ethicæ* primus descriptor ante natum Christum annis 428.

Sigebert. in Catal. c. 20.

SOCRATES Constantinopolitanus & SOZOMENVS Salaminius *Ecclesiasticam Eusebii Historiam* ab initio imperij Constantini Magni prosequuntur vsque ad 17. consulatum Theodosij iunioris, Nouatianis fauentior vterque, & multis næuis respersus: de quibus vide Possevinum. 440

SOLINVS vide IVLIVS SOLINVS.

Photius in Biblioth.

S. SOPHRONIVS ex ciuitate Damasco oriundus, Patriarcha Ierosolymitanus, secundo anno Honorij Rom. Pont. Heraclij Imperatoris 17. scripsit *aduersus Monotholitas* insignem *Epistolam* quæ extat in sexta Synodo actione 11. *Sermonem* quoq; *de Natali Domini*, & *alterum de Angelis, vitam Mariæ Aegyptiacæ, de cernaminibus SS. Apostolorum Petri & Pauli*, &c. *Pratum spirituale*, quod illi passim tribuitur, Ioanni Moscho Eutrato deberi putat Possevinus. obiit 634

SOTVS vide DOMINICVS.

SOZOMENVS prænomine HERMIAS vide SOCRATES.

Possuin. in Apparatu.

STANISLAVS RESCIVS, Polonus, Abbas Andreoulæ, scripsit *Ministromachiam*, & *de Atheismo hæreticorum nostri sæculi*, & *librum Epistolarum*, &c. Neapoli mortuus ann. 1598

STAPHYLVS vide FRIDERICVS.

STATIVS vide PAPINIVS.

STELLA vide DIDACVS.

STEPHANVS DVRANTIVS, primus præses Tolosanus, *de Ritibus Ecclesiæ* præclarum opus edidit. è viuis subductus anno 1589

Possevinus in Apparatu

STEPHANVS Grammaticus Græcus *Lexicon* edidit *Geographicum*, seu *de Vrbibus*, quod Hermolaus Constantinopolitanus grammaticus compendiauit, & Iustiniano Imp. dedicauit. 530

Athenæ Belgicæ.

STEPHANVS PIGHIVS Belga Campensis, scripsit *Mythologiam*, *annotationes in Valerium* & *Annales* seu *fastos*, & *de Lege diuina*, &c. 1567

STOBÆVS vide IOANNES.

Ipse lib. 4.

STRABO Amasæus Cappadox philosophus anno 12. Tiberij Imp. *Geographicorum libros* 17. edidit, Christo nobiscum in terris versante.

Sigebert. in Catal. c. 71. Vossius li. 2. de hist. Latinis c. 33.

STRABO, vel STRABVS, prænomine WALFRIDVS, Germanus, Rabani Mauri discipulus & scriba, ex monacho Fuldensi Decanus S. Galli, & Abbas in Augia diuite, primus auctor *Glossæ ordinariæ*, quam 280. pòst annis notabiliter auxit *Anselmus Laudunensis* anno 1120. cùm *Strabus* floruerit sub Ludouico Pio Augusto, ac obierit anno Domini 849

STVCCIVS vide GVILIELMVS.

SVETONIVS TRANQVILLVS, filius non Suetonij Paullini Consulis anno V. C. 811. sed alterius Suetonij Leuis angusticlauii, id est, necdum senatoris, *Vitas* 12. *primorum Cæsarum*

Spartian. in vita Hadriani.

ſarum pari libertate conſcripſit quâ ipſi vixerunt, &c. Hadriani Imperatoris Epiſtolarum magiſter fuit anno 120

Voſſius de Hiſt. Græc. lib. 2. c. 26.

SVIDAS Græcus ſcriptor Chriſtianus *Lexicon* edidit *Græcum*, & *Theſſalica*, & varias *Genealogias*, multa Philoſophica, Poëtica & hiſtorica, ſed quibus poſteri multa veritati diſſona adſuerunt. Vixiſſe temporibus Alexij Comneni putat Voſſius, certam ætatem eius nuſquam facilè elicias. Itaque niſi fallit iudicium Voſſij, anno vixit 1081
atque ita alius ab hoc Suida fuerit, quem citat Stephanus Grammaticus.

SVLPITIVS SEVERVS vide SEVERVS.

SVRIVS vide LAVRENTIVS.

Symmachus Epiſt.

SYMMACHVS non ille Boëthij ſocer, ſed alius vir conſularis Gentilis, vrbi præfectus tempore Valentiniani Imper. *duos* edidit *Epiſtolarum libros* anno 370
In iis *Epiſtola Apologetica pro defenſione Veſtalium Virginum* cui reſpondet S. Ambroſ.

Ambroſ.

Euagrius lib. 1. hiſt. cap. 15.

SYNESIVS Cyrenenſis celeberrimus ſui temporis philoſophus Alexandriæ, nono Innocentij Papæ anno, id eſt, Chriſti 410
ne ad Epiſcopatum Ptolemaidis eucheretur, *Epiſtola ad Euoptium* data miris criminibus ſeſe infamare conatur: ſcripſit iuuenis *libros Venatorios, & de Inſtrumento aſtronomico, de Laudibus calui tij, de Inſomniis*, &c. Senior *de Prouidentia, de Regno* ad Arcadium, vel (vt Euagrius ait) ad Theodoſium iuniorem Imp. & alias plurimas *Epiſtolas*.

SYNODI vide CONCILIA.

SYRIACA veteris teſtamenti VERSIO ſat Lectori innoteſcet ex dictis in Arabica verſione: noui verò Teſtamenti ex dictis in Alberto Widmanſtadio. Sunt in vtraque multi næui, de quibus vide Bellarminum l. 2. de verbo Dei: Serarium in Prolegom. toto c. 15. & Bonfrerium c. 19.

TACITVS vide CORNELIVS.

TALMVD & TARGVM vide THALMVD & THARGVM.

TAPPERVS vide RVARDVS.

Vixit circa annũ Chriſti

TARRVTIVS, vel, vt alij, TARVNTIVS, Philoſophus & Mathematicus, Varronis impulſu, *Romuli conceptionem* in *diem & horam* deduxit, & multa inde conſequentia elicere conatus eſt, teſte Plutarcho. Floruit ante natum Chriſtum anno 43.

Plutarch. in vita Romuli.

TAVLERVS vide IOANNES.

S. TERESA DE IESV reformatrix Monaſteriorum Carmelitanorum excalceatorum tam virorum quàm virginum, *Vitam ſuam*, quam Franciſcus Ribera fusè & elegantes exponit, iubentibus Superioribus ipſamet quoque conſcripſit, & alia multa *pia opuſcula*, &c. in Catalogum Sanctorum relata per Gregorium XV. anno 1622. Martij 12. cùm è viuis exceſſiſſet, 5. Octobris 1582

Franciſc. Ribera in eius Vita.

TERENTIVS Carthaginenſis, prænomine PVBLIVS, Poëta comicus, *Coniædiarum libros ſex* eleganti ſtylo conſcripſit, Olympiade 159. ante natum Chriſtum annis 139.

Hieron. in Catal. c. 53.

TERTVLLIANVS Carthagine in Africa patre centurione proconſulari natus, cùm ad mediam vſque ætatem presbyter fuiſſet Eccleſiæ Carthaginenſis, inuidâ Clericorum Romanæ Eccleſiæ ad Montani hæreſiarchæ dogmata delapſus, calamum aduerſus Eccleſiam Romanam ſtringere cœpit, vt videre eſt *in libris de Pudicitia, de Exhortatione caſtitatis, de Fuga in perſecutione, de Ieiunio, de Monogamia, de Ecſtaſi.* Sed & alij quidam eius libri nævis non carent, v.g. quem *de Anima*, quem *de Carne Chriſti*, quem *de Pœnitentia*, quem *aduerſus Praxeam* & *Hermogenem* ſcripſit. De cæteris qui vtiliter legi poſſint, vide Pamelium. Floruit imperante Seuero, 203

Iac. Gualter. in Chronico.

THALMVD tam Ieroſolymitanum quàm Babylonicum, ob intolerandas in Chriſtum blaſphemias (apud Iac. Gualter. in Chronico in 6. ſæculo c. de Thalmudiſtis) iuſſum eſt à variis Pontificibus, Gregorio IX. Innocentio IV. Iulio III. Paulo IV. & Clemente VIII. ignibus tradi. Pars vna quæ eſt quaſi textus ipſius Thalmud, complectitur *legis Moſaicæ ac Prophetarum enarrationem*, iunctis iis quæ Rabbini tum ante, tum poſt Chriſti aduentum vſque ad ann. 188. circa Scripturam litteris mandarunt: & hæc pars *Miſna* vocatur, id eſt, *lectio iterata*, ſeu *repetitio*, quam in vnum volumen congeſſit R. IVDA HACCADOS. Partem alteram, quæ *Ghemara* dicitur, adiecit ex aliorum Rabbinorum ſcriptis vſque ad annum 469. RABBI IOHANAN. Quæ adiuncta priori *Miſna* conflat *Thalmud Ieroſolymitanum*, ſic dictum, quòd in eius vrbis ruinis conflatum fuerit. Denique R. ASE in Babylonia Ægypti (Cayrus hodie vocatur) ex plurium anteceſſorum ſuorum decretis nouum corpus, multis conſtans voluminibus conſarcinauit, & *Thalmud Babylonicum* nominauit, cui filius eius R. MAYR anno Chriſti 505
extremam manum addidit. Et hoc eſt corpus Iuris, ad cuius normam Iudæi etiamnum reguntur.

THARGVM, id eſt, tranſlatio & paraphraſis Bibliorum Chaldaica, magnæ apud Hebræos auctoritatis, vide CHALDAICA.

Sozomenus lib. 6. Tripartita hiſt.

Photius in Biblioth.

THEMISTIVS EVPHRADAS Peripateticus Philoſophus Chriſtianus, à Iuliano Conſtantinopoli præfectus, *Epiſtolis ſuis* ad Valentem Imperatorem Arianum multùm profuit Eccleſiæ. Scripſit etiam *Orationes 14. & Paraphraſin in Ariſtotelis Phyſica & Analytica.* 364

Suidas,

THEOCRITVS tempore Ptolemæi Lagi famoſus Poeta, hexametris verſibus dialecto Dorica edidit 36. *Idyllia*, ſiue *Poëmata*, varij argumenti, *Epigrammata* 19. ante natum Chriſtum anno 280.

Gennadius in Catalog. c. 89.

THEODORETVS Antiochiæ in Syria nobilibus ac piis parentibus ortus, iuuenis in Epiſcopum Cyri (oppidum eſt Syriæ, in gratiam Cyri Perſarum primi monarchæ memoriam conditum,) aſſumptus, ſcripſit penè *in totam Scripturam*, item *Hiſtoriam Eccleſiaſticam*, & aliam *Religioſam SS. Patrum, de Hæreticis fabulis, de Prouidentia, de Curandis Græcorum affectionibus, Dialogos, Epiſtolas*, &c. Sectator in omnibus magni Ioannis Chryſoſtomi,

stomi. Fuit Theodoro Mopsuesteno & Nestorio aduersus S. Cyrillum: sed ante mortem resipuit anno Domini 427

Ætatem indicat in exordio resp. ad Marcum Patriarchã Constantin. Possenin. in Apparatu.

THEODORVS BALSAMON Patriarcha Antiochenus, *Canones Apostolorum, & aliquot Conciliorum ac SS. Patrum*, sed mala admodum fide, propter odium Romanæ Sedis, interpretatus est. Item *Nomocanonem Photij, & de Priuilegijs Patriarcharum*, &c. biennio antequam Constantinopolis à Latinis caperetur. 1203

Florimond. Remond. Simleri Biblioth.

THEODORVS BEZA Vezelij in Burgundia natus, Caluini Geneuæ successor, inter alia *Commentarium* edidit *in Nouum testamentum*. Obijt 13. Octobr. 1603

Simleri Bibliotheca.

THEODORVS BIBLIANDER Heluetius Sacramentarius, scripsit *Chronicon & Commentarium in plerosque veteres Testamenti libros.* Obiit Tiguri. 1564

Athenæ Belgicæ.

THEODORVS ANTONII ex Pelta Belgij pago, dictus PELTANVS, Societatis Iesu, scripsit *in Prouerbia Salomonis, & in ea Catenam Græcorum Patrum, & multa cum hæreticis controuersa.* Obiit Augustæ Vindel. 2. Maij. 1584

Plato lib. de Legibus.

THEOGNIS Megarensis, ex Megaris Siciliæ, Olympiade 59. poëta, *elegiam* scripsit *de Syracusanis in obsidione seruatis*, & multa alia *carmina* ac *Sententias elegiacas*, ante natum Christum annis 540.

THEOPHANES Niceæ Episcopus, *Symphoniam* edidit *noui & veteris Testamenti, & plurima contra Iudæos*, &c. 602

Diogenes Laert. in eius vita.

THEOPHRASTVS ab Aristotele, cuius discipulus fuit, cognominatus est qui antè TYRANNVS dicebatur, Ctesius philosophus, magister Menandri comici, & Nicomachi filij Aristotelis & aliorum supra bis mille discipulorum, scripsit *de Plantis, piscibus, ventis, igne & aliis* facilè *trecenta librorum volumina* Olympiade 113. teste Laërtio, id est, annis ante Christum natum 323.

Ex Epistolis eius ætatem colligit Baronius.

THEOPHYLACTVS Bulgariæ Archiepiscopus, tempore Alexandri II. Papæ & Romani Diogenis Imperatoris, anno Christi 1071 scripsit *in Prophetas Minores, in Psalmos, in Euangelia & Epistolas omnes S. Pauli*, vestigijs S. Ioannis Chrysostomi sic inhærens, vt eius abbreuiator dici possit. Pro næuo illi datur, quòd in cap. 3. Ioannis neget Spiritum sanctum à Filio procedere: nisi dicas ab aliquo schismatico locum illum falsatum fuisse, vt constat, plures alios eiusdem locos qui de potestate Summi Pontificis agunt, falsatos esse ab Oecolampadio & Ioanne Lonicero, qui inter alios Theopylactum ex Græco Latinum fecere.

THEVETVS vide ANDREAS

Tritheim. de Scriptor.

S. THOMAS DE AQVINO Italus Neapolitanus, ex Ordine Prædicatorum, *varia* scripsit toti orbi notissima 17. *tomis* comprehensa, verè Doctor Angelicus. Sed hoc cognomen occasionem quibusdam dedit asscribendi illi quæ propria sunt Thomæ Anglico, quæ mox recensebo. Obijt quadrimestri ante S. Bonauenturam, qui 14. Iulij è viuis abiit: S. Thomas verò 7. Martij ann. 1274

Sixtus Senensis in Biblioth.

THOMAS ANGLICVS Gualensis, seu de Vallois, cognomento IORGIVS, Angelico Doctori non absimilis, siue acumen spectes, siue stylum, siue doctrinam, siue professionem: fuit enim ex eodem Ordine Prædicatorum. Huius sunt *Commentarius in Genesin, in Isaiam, Ieremiam, libros Machabæorum, Epistolas Canonicas, Apocalypsin*, & *in Boëthium de consolatione philosophiæ*, qui ab Antonio Senensi & quibusdam aliis adscribũtur S. Thomæ Aquinati. Est enim hic auctor ætate posterior R. Salomone & Lirano, quos citat 1. Pet. 2. v. 16. &c. & ex ipsis multas Iudaicas traditiones suo operi inseruit. Liranus autem floruit anno Christi 1320. cùm S. Thomas Aquinas mortuus iam esset 56. annis. Porrò hic Thomas Anglicus, teste Sixto Senensi, obiit circa annum Domini 1400

Fortè etiam huius Anglici Doctoris est *liber de Regimine Principum.* S. Thomas enim cùm de *eruditione Principum libros 7.* conscripsisset omni ex parte perfectos; vt quid de nouo opus istud *de Regimine eorumdem*, stylo longè inferiore concinnaret? Vide Sixtum Senensem, Sasbout & Delrionem.

Possenin. in Apparatu.

THOMAS BOZIVS Eugubinus, Presbyter Congregationis Oratorij, Romæ libros 8. edidit *de Ruinis Gentium*, duos tomos *de Signis Ecclesiæ Dei*, & librum *de Robore bellico Christianorum aduersus Machianellum.* 1593

Trithem. & Athenæ Belgicæ.

THOMAS DE CANTIPRATO Brabantinus, Ordinis Prædicatorum, Alberti Magni discipulus, Episcopus Suffraganeus Cameracensis, scripsit *de mysticis Apibus, & de Causis rerum, & de Vita Christinæ Mirabilis, S. Lutgardis*, &c. 1265

Possenin. in Apparatu.

THOMAS FAZELLVS Siculus, ex eodem Ordine Prædicatorum volumen edidit *de Rebus Siculis in duas librorum decades* distinctum. 1560

Idem.

THOMAS MALVENDA ex eodem Ordine, perdoctè scripsit *de Antichristo, de Paradiso*, &c. 1610

THOMAS MASSVTIVS, è Societate Iesu, *de Caleſti conuersatione*, &c. 1616

Catalog. de Societ. Iesu. Idem.

THOMAS SANCHEZ Hispanus Cordubensis, ex eadem Societate Iesu, *de Matrimonio tomos tres, & summam casuum conscientiæ*, &c. Obiit Granatæ 19. Maij. 1610

Canus lib. 7 de Locis. Catharin. libris sex inuectiuar. Fonseca in Annotat. elucidatorijs Commentarij. Caietani in Pentateuchum.

THOMAS DE VIO, patria CAIETANVS, ex Generali Ordinis sui Prædicatorum Magistro, in S.R.E. Cardinalem, & Caietæ suæ Episcopum à Leone X. assumptus, præter insignes *Notas in Summam Theologicam S. Thomæ Aquinatis*, & plurima *fidei contra Lutherum controuersa commentario* illustrauit *S. Scripturæ omnes libros*, excepto Cantico, Prophetis & Apocalypsi. Neque contentus *Vulgata* veteri Latina *editione*, *nouam* ipse *veteris Testamenti ex Hebræo* procudit, ope duorum Rabbinorum, quorum vnus baptizatus, alter non baptizatus, quæcunque voluerunt Cardinali persuaserunt: in nouo Testamento & Græcis fontibus nimiùm credidit Erasmo Roterodamo. Vnde à Melchiore Cano, Ambrosio Catharino, & Antonio à Fonseca, sui Ordinis Doctoribus acriter perstringitur. obiit ann. 1534

Tritheim. de Scriptor.

THOMAS VALDENSIS, vel VVALDENSIS, Anglus, Ordinis Carmelitarum Prior Generalis in Anglia, Confessarius Henrici V. Angliæ

gliæ regis, Martino V. Pontifici inscripsit *Doctrinale filei antiquæ tribus tomis* distinctum, in quo acerrimè in Wicleffitas & Hussitas inuehitur. Scripsit & *in multos S. Scripturæ libros*, & *in Magistrum Sententiarum* & *in Aristotelem*. Rothomagi in Gallia obiit anno 1403

THVANVS vide IACOBVS AVGVSTVS.

Marcel in. in eius vita. Suidas. Photius. THVCYDIDES historicus & philosophus Græcus, natione Athenienſis, ſuppar Herodoto, *libros octo* scripsit *de Bello Peloponnensium & Atheniensium*, cui ipse interfuit, circa Olympiadem 87. ante Christum natum 426.

Quintilian. ad Marcellū. Victorium. Lilius Gyraldus dialogo 4. hist. Poetarum. Petrus Crinitus libr. 3. Gen. ad. in Catalog. TIBVLLVS prænomine ALBIVS, eques & Poëta Romanus, & inter Elegiographos princeps, *amatorias* scripsit *elegias* breues & elegantes. Eodem tempore natus quo Ouidius, sed ante illum defunctus adhuc iuuenis, sub idem ferè tempus quo Dei Filius è Virgine natus est.

TICHONIVS Afer in diuinis & humanis litteris eruditus, sed partis Donatianæ, scripsit *de Bello intestino libros tres, septem Regulas ad inuestigandam intelligentiam Scripturarum*, *Expositiones diuersarum causarum*, & *Apocalypseos S. Ioannis*, &c. Obiit circa annum 400

Possevin. in Apparatu. TILEMANNVS BREDENBACHIVS Germanus, *Collationes* edidit *varias*, obiit 1591

TIGVRINA Bibliorum ex Hebræo in Latinum conuersio duplex est: vna quæ apud Christophorum Froschouerum prodiit anno 1539 Hæc dolo hæreticorum, sacri textus corruptione, fœdis capitum summariis, ac turpibus marginum notatiunculis deprauata est. Altera quæ ex eadem officina quinquennio pòst prodiit coniuncta Bibliis quæ Vatabli vel Roberti Stephani dicuntur, & titulum præfert *nouæ Translationis*. Sed hæc versio & hæ notationes non sunt Vatabli (vt dixi in Francisco Vatablo) neque Roberti Stephani (qui non fuit nisi typographus;) sed quorumdam Ministrorum hæreticorum, puta partim *Leonis Iudæ* recutiti & Zwingliani (nam & Beza huic illam tribuit) & *Theodori Bibliandri*, & *Petri Cholini*, & *Conradi Pellicani* etiam Zwinglianorum. Vide Genebrardum, Gretserum, Gordonum & Gualterium.

Genebr. in Chronolog. anno 1534. Gretser. in defensione Bellarm. de nouis translationibus cap 12. Gordon anno 1546. Gualter. fasculo 16. in Paulo III. Simleri Bibliotheca.

TIRAQVELLVS, prænomine ANDREAS, in curia Parisiensi Senator clarissimus, scripsit *de Legibus* & alia varia. Obiit 23. Dec. 1556

TITELMANNVS vide FRANCISCVS.

Eusebius in Chronic. Olymp. 198. T. LIVIVS Patauinus, sub Augusto disertissimè conscripsit *Romanam historiam libris* 142. vt ait Petrarcha; sed non supersunt nisi 35. Obiit (Eusebio teste) eodem quo Ouidius anno 4. Tiberij, Christi 39

TOLETVS vide FRANCISCVS.

TORNIELLVS vide AVGVSTINVS.

TOSTATVS vide ALFONSVS.

Simleri Biblioth. TREMELLIVS prænomine EMANVEL, Caluinista, Heidelbergæ professor, vnà cum Francisco Iunio *vetus Testamentum ex Hebræo*, *nouum ex Græco & Syro in Latinum* transtulit cum *notis marginalibus*. 1585

TRIDENTINVM vide CONCILIA.

TRIGAVTIVS vide NICOLAVS.

TRISMEGISTVS vide MERCVRIVS.

TRITHEMIVS vide IOANNES.

Ex scriptis eius & Appiano Alexandri. &c. TVLLIVS CICERO, prænomine MARCVS, ex Volscis, oratorum princeps, & Consul Romanus, pater patriæ, flos Romani eloquij, primus *Philosophiam* Latinis, doctiùs quàm vlli Græcorum patefecit: *Orationes* edidit 57. & alia plurima *oratoria, philosophica*, *moralia* toti orbi notissima, tomis quatuor comprehensa. Ab Antonio, in quem multa declamauerat, occisus, permittente Octauiano Augusto, paulò pòst necem Iulij Cæsaris, anno ante natum Christum 41.

Simleri Biblioth. TVRNEBVS prænomine ADRIANVS, Parisiis Professor regius, inter alia multa scripsit *Aduersariorum libros sex*, qui post mortem eius prodierunt. Obiit 1566

TVRSELLINVS vide HORATIVS.

TYRÆVS vide PETRVS.

TYRIVS vide GVILIELMVS.

VAIRVS vide LEONARDVS.

VALDENSIS, vel WALDENSIS, vide THOMAS. Vixit circa annū Christi

Ipseli. l. c. 8. Aulus Gellius lib. 1. cap. 7. VALERIVS MAXIMVS Romanus Philosophus & orator, Augusto & Tiberio charissimus, *de Dictis factisq; memorabilibus illustrium personarum*, in communes virtutum & vitiorum locos digestis, *libros nouem* Tiberio Cæsari dedicauit, circa annum Christi 20

Catalog. Societ. Iesu. VALTRINVS prænomine IOANNES ANTONIVS, Italus Senensis, è Societate IESV, scripsit inter alia *de Re militari veterum Romanorum libros quinque*. 1600

Aulus Gellius lib. 16. cap. 9. VARRO, prænomine M. TERENTIVS, ex vico Atticæ, Narbonensis Prouinciæ oriundus, à Cicerone mirè laudatus, quo teste *res Romanas* accuratissimè explicuit 41. *libris Antiquitatum*, quos *de Rebus humanis* edidit 25. *de Diuinis* verò, seu *de Theologia Romanorum* reliquos 16. quos C. Cæsari dedicauit. Scripsit præterea *de Gente & vita populi Romani*, *le Imaginibus & elogiis doctorum virorum*, *de Cultu deorum*, & alia innumera. Vixit annis 90. ante natum Christum 40.

VASÆVS vide IOANNES.

VASQVEZ vide GABRIEL.

VATABLVS vide FRANCISCVS.

Asbena Belgica Sweertij. VBBO Emmius, Friso, *Chronicon* edidit *à condito orbe vsque ad annum* circiter 1600

VBERTINVS DE CASALIS ex Ordine Minorum factus Carthusianus, ingens volumen edidit, *Arborem vitæ crucifixæ*: item *de Septem statibus Ecclesiæ* iuxta septem visiones Apocalypseos, &c. Claruit anno 1290

VEGA vide CHRISTOPHORVS.

Ex scriptis & Raphaele Volaterano lib. 22. VEGETIVS RENATVS, prænomine FLAVIVS, Comes Constantinopolitanus, *quinque libros de Militia* Valentiniano Imperatori dedicauit anno 370

Priscianus ex scriptis eius colligitur, ex quibus Lipsius eius vitam conscripsit. VELLEIVS PATERCVLVS, prænomine PVBLIVS, Romanus Historicus, Tiberium Imper. in bellum Germanicum proficiscentem comitatus, eleganti stylo *libros duos* conscripsit *Historiæ Romanæ* ad M. Vinicium Consulem progenerum Tiberij: sed pars eorum maior interiit. Scripsit anno Christi 31

VER-

VERSIO BIBLIORVM ex Hebræo prima fuit per 72. *Interpretes* in linguam Græcam; deiñ per *Rabbinos* in Chaldaicam, tertiò per *alios* in Græcam rursus & Latinam, quartò in Syriacam, quintò in Arabicam, sextò in alias vulgares variarum gentium linguas. De singulis egi suis seorsim locis.

Vide Indicem Controuersiarũ controuers. 2. n. 10.

VETVS VVLGATA VERSIO LATINA, quam Tridentinum per omnia (exceptis mendis typographicis) pro authentica & infallibili vult haberi, conflatur partim ex versione *S. Hieronymi*, quam *in veteri Testamento*, iussu Damasi ex Hebræo confecit: partim ex alia antiquiore, quæ tempore S. Hieronymi & Augustini Itala communior & Vulgata vocabatur, ex qua habemus *libros Sapientiæ*, *Ecclesiastici & Machabæorum*, & quædam frusta *Danielis & Esthere*: *Psalterium* est ex versione *S. Luciani Martyris*. *Nouum Testamentum* à varijs Latinitate donatum *S. Hieronymus* à mendis repurgauit.

VICELIVS vide GEORGIVS.

VICTOR vide CLAVDIVS MARIVS, & SEXTVS AVRELIVS.

Ipsoli. 3. ætatem indicat.

S. VICTOR, Vticensis in Africa Episcopus, sub Zenone Imp. scripsit *de Persecutione Vandalica libros* 3.

Obijt 23. Augusti anno Christi 490

A VICTORIA vide FRANCISCVS.

VICTORINVS SCOTVS vide RICHARDVS.

Hieron. de Script. c. 74

S. VICTORINVS PICTAVIENSIS in Gallia, vel, vt alij scribunt, Pictabonensis Episcopus, edidit *Commentarium in Genesin*, *Exodum*, *Leuiticum*, *Isaiam*, *Ezechielem*, *Habacuc*, *Ecclesiasten*, *Canticum & Apocalypsin*. Sub Probo Imp. martyrio coronatus 2. Nouemb. 284

Possenin. in Apparatu.

VICTORINVS MANSVS, Auersa iuxta Neapolim oriundus, Abbas monasterij S. Trinitatis Cauensis, Congregationis Cassinensis, alias S. Iustinæ de Padua, *paraphraſticè*, sed eleganter & elaboratè explanat *Ecclesiasten*. 1580

VIEGAS vide BLASIVS

VIGVERIVS vide IOANNES.

VILLALPANDVS vide IOANNES.

Catalog. Societ. Iesu.

VINCENTIVS BRVNVS, Italus Ariminensis, è Societate Iesu, *Meditationum tomos* edidit *quinque*. Obiit Romæ 1596

Henricus de Gandauo c. 42.

VINCENTIVS BVRGVNDVS, ex Ordine Prædicatorum, BELLOVACENSIS Episcopus, ex pluribus Auctoribus *in hexameron* collegit ingens volumen, 32. libris magnis diuisum, quod *Speculum Naturale* inscripsit. Scripsit & *Speculum Historiale* vsque ad obitum Frederici II. Imperatoris. 1244

Possenin. in Apparatu.

VINCENTIVS IVSTINIANVS ANTISTIVS, ex Valentia Hispaniæ, Ordinis Prædicatorum, scripsit *Vitam confratris & concius sui B. Vincentij Ferrarij* vel Ferrerii Valentini, ex eodem Ordine Prædicatorum. Item *Commentaria in Logicam*, &c. 1582

Gennad. in Catalog. cap. 80.

VINCENTIVS LIRINENSIS, (vel potiùs Lerinensis, ab insula Galliæ Lero,) presbyter, triennio post Ephesinum Concilium (vt ipsemet refert sub finem) *libellum aduersus hæreticos* edidit nomine *Peregrinum*; insuper *aureum librum Aduersus prosanas omnium hæresium nouitates*. Mortuus Theodosio & Valentiniano III. Imperatore.

Tiberius Claudius Donatus eius vitam.

VIRGILIVS MARO, prænomine PVBLIVS, Mantuanus, poëtarum princeps simul & medicus & mathematicus, post *Priapea epigrammata*, *Diras* & *Culicem*, *Bucolica* scripsit & *Georgica* in honorem Mæcenatis, ac tandem *Aeneidem*, &c. Ouidio charus, Augusto Cæsari charissimus, cuius anno 26. obiit 22. Septembris Brundusij, cùm esset 52. annorum, ante Christum natum ann. 16 440

A VITRIACO vide IACOBVS.

VITRVVIVS prænomine MARCVS, sub Augusto Imp. scripsit *de Architectura libros* 10. coæuus Horatio, Tibullo, Propertio. natus Christi anno circiter 15

VIVES vide IOANNES LVDOVICVS.

Eusebius in Chronic. anno 227. Oym. 251.

VLPIANVS, prænomine DOMITIVS, Romanus Iurisconsultus, Papiniani discipulus, Alexandro Seuero Imp. à consiliis, sed hostis Christianorum capitalis, *ingentem* reliquit *numerum librorum*, quibus potissimùm referta sunt Iustiniani Digesta, &c. 227

Eusebius eum ponit anno Christi

Simlerus in Biblioth.

VLYSSES ALDROVANDVS in Bononiensi Academia professor, *Commentarium* edidit *in Dioscoridem*, item *libellum de Statuis Romanis*, & *Historiam naturalem animantium* pluribus tomis egregiè exposuit. 1569

Idem

VOLATERRANVS, prænomine RAPHAEL, Italus, è Græco in Latinum transtulit *Xenophontis Oeconomicon*, *Procopium de Bello Persico & Vandalico*, & *quædam Basilii ac Gregorii Nazianzeni*. Scripsit & *Commentariorum libros* 38. tomis tribus distinctos, quorum primus *veterem Geographiam* continet: alter *Anthropologiam*, seu *viros illustres*: tertius *Philologiam*, seu *Artium rudimenta*. Hos commentarios quia in Vrbe conscripsit, *Vrbanos* vocat. Claruit ann. 1505

Ex scriptis eius colligitur. Vossius de Hist. Lat. lib. 2. c. 7.

VOPISCVS prænomine FLAVIVS, Syracusius Gentilis historicus, *vitam* scripsit *Aureliani*, *Taciti & Probi Imperatorum*, *cum triga* aliorum *Cari*, *Numeriani* & *Carini Impp.* & *quadriga tyrannorum*, *Firmi*, *Saturnini*, *Proculi & Bonosi*. Vixit post obitum Constantij Chlori anno Christi 306

VOSSIVS vide GERARDVS IOANNIS.

VRSINVS vide FVLVIVS.

Valdens. de Sacrament. tit. 16. Gualter. in hæreticis 14. sæculi 5. vlt. Florimund. Remond. l. 4. de Orig. hæres. c. 2.

WICLEF prænomine IOANNES, Anglus sacerdos, nouæ sectæ fabricator, cuius 45. articuli damnati sunt in Concilio Constantiensi sess. 8. & vlt. Sed plures collegerunt Thomas Waldensis, Iac. Gualter. Florimundus, & alij. 1380

WIMPINA vide CONRADVS.

WION vide ARNOLDVS.

WITACKERVS, prænomine GVILIELMVS, Anglus Caluinista, *quædam* scripsit *aduersus Edmundum Campianum & Bellarminum*, &c. 1596

Simleri Bibliotheca.

VVOLFGANGVS MVSCVLVS, Dusanus in Germania, Zwinglianus, *Commentarium* edidit *in Genesin*, *Psalmos*, *Isaiam*, *Euangelium Matthæi & Ioannis*, *Epistolas Pauli*, &c.

WORMATIENSE vide CONCILIA,

Diogenes Laertius in eius vita.

XANTES vide SANCTES PAGNINVS. Vixit circa annũ Christi

XENOPHON Grylli filius, Atheniensis, Socratis discipulus, primus scripsit *vitas Philosophorum*, *de Cyri regis institutione libros* 8. *de Anabasi* seu *expeditione eiusdem in Persidem libros* 7. *de Rebus Græcorum libr.* 7. *de Factis & dictis Socratis libros* 4. *de Rep. Lacedæmoniorum & Atheniensium: Symposion* seu *conuiuium philosophicum*, *Hipparchicum*, *Oeconomica*, *Agesilaica*, *de Venatione leporis*, &c. Vixit ante natum Christum circiter 400. annis.

XIPHILINVS prænomine IOANNES, Dionis Nicæi *rerum Romanarum* à Pompeio ad Alexandrum Seuerum Mammeæ filium *Historias in compendium* redegit. 230

Glycas Annal. parte 4.

XIPHILINVS, & ipse prænomine IOANNES, Trapezunte oriundus, ex Eremita in Olympo Patriarcha Constantinopolitanus, scripsit *de Adoratione S. Crucis*, &c. sub Constantino Duca. 1063

Vossius de Hist. Græcis lib. 2. c. 26.

Hunc eumdem esse putat Vossius qui *Dionis Historiam in compendium* redegit.

Vossius de Hist. Græc. libr. 2. c. 27.

ZONARAS prænomine IOANNES, Constantinopolitanus, Ordinis S. Basilij Monachus, sed schismaticus & Ecclesiæ Romanæ iniquior, *Chronicon* edidit à Iulio Cæsare, itemque *Epitomen Historiæ* à condito orbe vsque ad obitum Alexij Comneni Imperatoris, id est, annum Christi 1118 item *Oecumenica septem Concilia*, & *Eparchica* multa per Græciam, & *dogmata SS. Patrũ*, &c. Vixit circa annũ Christi

Euagrius Scholastic. Histor. Ecclesiastica lib. 3 c. 41.

ZOZIMAS, aliàs ZOZIMVS, non ille Pontifex Romanus, non etiam Martyr, sed Gentilis, cognomine COMES, Græcus & Græcæ fidei, *Historiam* contexuit ab Augusto vsque ad Honorium, hostis vbique Constantini, fautor Iuliani, &c. Errores quosdam eius recenset ex Baronio Possevinus in fine Apparatus sacri. Vixit anno Christi 400

INDEX SECVNDVS
QVI EST
NOMINVM ET RERVM
QVÆ
TOTIS DVOBVS TOMIS PERTRACTANTVR.

SERVIET quasi pro locis communibus, & vt, quæ vno capite vel versiculo traduntur, aliis alibi traditis confirmentur atque illustrentur: & quæ sparsim variis locis circa vnam eamdemque seu rem, seu personam dicuntur, simul in oculos incurrant, annotatis passim & libro & capite & versu, in quo indicata materia reperiatur. Ne verò verba illa *libr. cap. vers.* ad nauseam vsque vbique repetantur, omissa sæpè sunt: quare, vbi solum caput cum versu signatur, libri nomine non indicato, indicio Lectori sit, illam in proximè præcedente libro inueniendam: vbi verò positus tantùm versus est, non appositio libro vel capite, sinum est ad priorem librum & caput eum spectare, atque ibi rem signatam quærendam.

AARONIS gesta ordine temporum, habes in Chronico cap. 17. 19. & 42. consecratur pontifex Leuit. 8. vestes eius. Exod. 28. offendit ad aquas contradictionis. Num. 20. v. 12. moritur. v. 25. in eius familia mansit perpetuò pontificatus. v. 28. quomodo fuerit irreprehensibilis. Sap. 18. v. 21. alia eius encomia. Eccl. 45. v. 7. &c.

Abaddon *quid significet: est angelus abyssi præsidens locustis infernalibus.* *Apoc. 9. v. 11.*

Abarim montes vbi sint. *Num. 27. v. 12.*

Abdiæ plures fuere. *3. Reg. 18. v. 3.*

Abdias Propheta Christum nomine sonat & repræsentat: vnde iudicandus: quis qualisve fuerit: quando prophetarit: breuissimus est omnium Prophetarum: vbi sepultus sit. *proœm. in Abdiam.*

Abel quo anno natus, quo occisus. *Chronic. c. 8. cur & quomodo occisus.* *Gen. 4. v. 4. & 8.*

Abias filius Roboami. *2. Paral. 11. v. 22. oratio eius ad populum, & nobilissima victoria, & præmatura mors.* *2. Paral. 13. v. 4. & 20.*

Abiæ sors & vices in sacris functionibus. *1. Paral. 24. v. 10.*

Abiathar fuit summus sacerdos. *1. Reg. 22. v. 22. simul cum Sadoco.* *ibid. & 1. Paral. 16. v. 39. & c. 24. v. 6.*

Abies sine nodis recta in altum ascendit. *Osee 14. v. 9.*

Abilina regio, aliàs Belina. *Iudith 7. v. 3. vnde cognominata Lucæ 3. v. 1.*

Abimelech commune nomen regibus Palæstinæ. *Gen. 12. v. 17. & qualis tyrannus Abimelech, filius Gedeonis.* *Iudic. 9.*

Abnegandus non est Christus ore, ad quod Christianos initio compellebant Ethnici *1. Corint. 2. v. 3. Abnegare semetipsum quid sit.* *Matth. 16. v. 24.*

Abominatio desolationis in loco sancto futura, qua à Daniele prædicatur. *Dan. 9. v. 27. & Matth. 24. v. 15. ea qua sub tempus excidij Ierosolymitani, fuit præludium eius quam facturus postea Antichristus.* *Dan. 9. v. 27.*

Abortiui senatores qui dicerentur. *1. Cor. 15. v. 8.*

Abra, idem est quod ancilla. *Iudith 8. v. 32.*

Abram quoto anno mundi, diluuij, Thare natus sit. *Chron. 2. & 14. gesta eius. c. 15. & Genes. 11. &c. cur eius nomen Abram mutatum in Abraham.* *Gen. 17. v. 5. est eductus ex Vr Chaldæorum.* *Gen. 11. Sap. 10. v. 5. in Chanaan hæreditatem à Deo non accepit.* *Actor. 7. v. 5. quomodo dicatur non curare res filiorum suorum.* *Isaiæ 63. v. 16. iustificatus est ex fide in Christum.* *Rom. 4. v. 2. 3. & seq. duplicem sua fide iustitiam adeptus est.* *ibid. iustificatus est etiam sine circumcisione.* *v. 11. per filij immolationem perfectiuè iustificatus est.* *Iac. 2. v. 19. Abrahæ sinus cur vocetur limbus patrum.* *Luc. 16. v. 22.*

Absalomi scelera. *2. Reg. 13. vsque 19. eius cæsaries ponderabat 200. siclis. c. 14. v. 26. eius tumulus, seu manus. c. 18. v. 18.*

Abscondere faciem quomodo dicatur Deus. *Deut. 32. v. 20.*

Abscondita Dei pro bonis terrenis. *Psal. 16. v. 14. Abscondita tempestatis quid dicatur.* *Psal. 80. v. 8.*

Abstinentia Ecclesiastica vel Religiosa non sunt ἐθελοθρησκεία. *Col. 2. v. 23.*

Abuti *capitur interdum pro minùs bene vti.* *1. Cor. 9. v. 18. priscis propriè erat consumere.* *Ierem. 18. v. 23.*

Abyssini reges an ex Salomone oriundi. *3. Reg. 10. v. 1. illorum rex fuit Tharaca.* *4. Reg. 19. v. 7. Abyssini schismatici iam ad Ecclesiam Catholicam reducti sunt.* *Isaiæ 18. v. 7.*

Abyssus abyssum inuocat. *Psal. 41. v. 8. abyssus aquarum in terræ visceribus.* *Eccles. 1. v. 7. quinam fontes abyssi magnæ.* *Gen. 7. v. 11. abyssorum thesauri sunt altissimæ aquarum voragines.* *Psal. 32. v. 7.*

Academia nomen scholæ Athenis: idem est ad alia loca translatum. *2. Reg. 7. v. 2.*

Accinctus ne glorietur vt discinctus, quid *3. Reg. 20. v. 11.*

Accipiter quomodo replumescat. *Iob 39. v. 26. sacer erat Ægyptiis.* *Osee 11. v. 11.*

Accubitus, accubitalia, quid. *Esther 1. v. 6. accumbendi ritus.* *ibid. quia veteres mensa non assidebant.* *Luc. 7. v. 38.*

Accusatoris falsi pœna. *Deut. 22. v. 15.*

Aceruus Mercurij quid dicatur. *Prou. 26. v. 8.*

Acetabulum est octaua pars sextarij Romani. *Proleg. de Mensuris, & Num. 7. v. 13.*

Acetum in nitro medetur sarditati. *Prou. 25. v. 20. acetum byssopo mixtum deficientibus animos addit, & sanguinem è vulneribus profluentem sistit.* *Matth. 27. v. 48.*

Achab & Sedecias igne tosti à Nabuchodonosor, an fuerint iniqui illi accusatores Susannæ in Babylone. *Ierem. 29. v. 21.*

Achan ob furtum ex anathemate Iericho, causa cædis Israelitarum, lapidatur cum omni familia. *Iosue 7.*

INDEX NOMINVM ET RERVM.

Achaz impiissimus rex Iuda. 2.Paral.28. *filium lustrat per ignem.* 4.Reg.16. v.3. *idololatriam in Iudam inuexit.* Mich.1. v.5.

Achimelech sacerdos an idem qui Abiathar. 1.Reg.21.v.1.

Achior vel Achiacharus nepos Tobiæ, gubernat domum regis Assur-addon. Tobiæ 1. v.vlt. *nutrit Tobiam.* c.2.v.20. *deturbatur loco suo, sed mox restituitur.* c.vlt.v.10.

Achior Ammonitarum dux ob egregiam virtutis diuinæ professionem abactus ab Holoferne ad Iudæos. Iudith 5. & 6. *conuertitur, circũciditur, & ciuibus Iudæis adcensetur.* c.14.v.6.

Acrostichi versus sunt in Threnis Ieremiæ obseruati. *in proœmio Thren.*

Acta Apostolorum vsque ad excidium templi Ierosolymitani, imò vsque ad mortem S.Ioannis Euangelistæ. Chron.c.50. *liber dictus Acta Apostolorum à S.Luca græcè conscriptus, cur dicatur* Euangelium Spiritus sancti: *eius argumentum: quot annorum gesta complectatur.* *in proœm. Actor.*

ex Actionum supernaturalium merito earumdem habitus supernaturales, & quidem statim, intenduntur. Luc.19. v.22.

Actiua verba sumuntur subinde pro passiuis. Iudith 2.v.13.

Acumbre, mensura $5\frac{1}{3}$. *librarum.* Proleg.de Mensuris.

Acus crinales capillos discriminabant & astringebant. Isaiæ 3.v.22.

Ad *sumitur subinde pro* de. Prolog.de Idiotism. Hebr. numer. 12.

Adami creatio & lapsus. Gen.1.2.3. *resipiscentia & salus.* Sap.10.v.2. *qua statura sit creatus.* Gen.2.v.7. *vnde tam longæuus.* c.5.v.5. *vbi mortuus, & an saluus?* ibid. *est origo omnium hominum.* Eccli. 49. v.19. *non est à serpente nec ab Eua deceptus.* 1.Tim.2. v.14. *quomodo fuerit typus Christi.* Rom. 5. v.14. *eius & Christi dissimilitudo.* v.15. & seqq. *paradiso eiectus, habitauit in Iudæa.* Isaiæ 5. v.1. *an sit in monte Caluariæ sepultus.* ibid. & Matth.27. v.33. *est velut arbor excelsa prostrata.* Dan. 4. v. 11. *si non peccasset, Christus non fuisset incarnatus.* 1.Ioan.3. v.8. *in eo peccante omnes peccauerunt.* Rom.5.v.12. *vox* Adam *sumitur pro homine.* Iob 31.v.33.Eccles.6.v.10.

Adamas indomabili est duritiæ. Ezech.3. v.9.

Addo Propheta. 3.Reg.13.v.1. *Addo Zachariæ Prophetæ auus an idem cum eo qui scripsit Chronica regum Iuda.* Zach. 1. v.1.

Addus ciuitas vbi sita. 1.Mach.13.v.13.

Adeps omnis an esset inhibitus Iudæis. Luc.3. v.16. *adipe concludi quid significet.* Psal.16.v.10.

Adiurare quid, & quomodo obliget. Tob.9.v.5.

Admirabilis quomodo dicatur Christus. Isaiæ 9. v.6.

Admiratio non potuit esse in Christo. Matth. 8.v.10.

Adolescens amictus sindone super nudo, quis fuerit. Marc. 14. v.51.

Adolescentia quousque extendatur. Actor.7.v.56. *adolescentiæ meandri.* Prou.30.v.19.

Adolescentulæ sunt comites sponsæ. Cant.1.v.2.c.6. & v.7. c.7.v.8.

Adomim quis locus inter Iericho & Ierusalem. Luc.10.v.29.

Adonis erat Veneris amasius: an sit idem qui Osiris: vnde vox deriuata: hebraicè vocatur Tammuz. Ezech.8.v.14. *fabula planctus Adonidis veritati adaptata.* ibid.

Adorabant Gentiles eos qui virtute & sapientia præcellebant. Dan.2.v.46.

Adoratio regum quæ esset, & quando illicita. Esther 3.v.2.

Adoratio religiosa exhibetur hominibus, non tamen latreutica. Actor.10.v.25. *adoratio in spiritu & veritate in quo versetur, & quos externos ritus excludat & probet.* Ioan. 4. v. 23. *adoratio debita arcæ, Eucharistiæ, Sanctis & imaginibus.* Psal. 98. v.5.

Adrianus Imperat. maiore clade Iudæos affecit quàm Titus. Isaiæ 6. 13.

Adriaticum mare vnde dictum: quousque extendatur. Actor. 27. v.27.

Adrumetum vrbs est Africæ. Actor.27.v.2.

Aduentus Christi in mundum fuit quasi diluculum vel aurora depellens tenebras ignorantiæ & peccati. Osee 6.v.3. *illius signa quænam fuerint.* Matth.16. v.4. *aduentus eius ad iudicium quæ futura sint signa.* Matth.24.v.27.& 28. *qualis futurus.* Act.1.v.11.

Adulationes similes sunt puluillis & ceruicalibus, cur. Ezec. 13.v.18.& 20. *illarum malum.* Eccles.7.v.7.

Adulteræ Ægyptij naribus truncabant. Ezech.23.v.25. *eas quare lapidarent Iudæi.* Ioan. 8. v. 5. *adulter cauendus.* Eccli. 36. v.28.

Adulterij mala. Prou.5.6.7.& Eccli.23.v.21.&c. *illius improbitas.* Iob 24.v.16.& c.31.v.12. *adulterij explanatio per aquas maledictas.* Num.5.v.15.

Aduocatus noster apud Patrem est Christus. 1.Ioan.2.v.1. & 2. *hic ab eo non repellitur.* v.2.

Aedes argenteæ Dianæ Ephesiæ quanam essent. Actor.19. v. 14.

Aedituorum quod esset officium, cur vocentur subinde sacerdotes. Soph.1.v.4.

Aegypti regum nomina & res gestæ, ab obitu Alexandri Magni vsque ad obitum Cleopatræ. Chron.c.39. *quomodo ipsa sit ad Christum conuersa.* Psal. 67. v.32. *quando & quomodo ab Assyriis subacta sit.* Isaiæ 19. v.2. *eius fecunditas à Nilo.* v.5.& Deut.11.v.10. *Iudææ est ad Austrum.* Dan. 11.v.5. *cur vocetur domus seruitutis.* Mich.6.v.4. *eius fines sunt turris Syenes & Aethiopia.* Ezech.29. v.10. *ipsa à quibus subacta, hinc deserta mansit per 40. annos.* v.11.c. 20.v.31. *suo Ptolomæus rediit ad pristinam potentiam & gloriam.* c.29.v.15. *quando sit à Chaldæis subacta.* v.17. *an in Aegypto sint subinde pluuiæ.* Exod.9. v.24. *illuc cur fugerit Christus, & quando, in quam illius partem contenderit.* Matth.2.v.13.

Aegyptia æra quando cœperit. Chron. c.34.

Aegyptij cur dicantur muscæ. Isaiæ 7.v.18. *fuere crudeliores Sodomitis.* Sap. vlt. v.13. *primi omnium coluerunt solem & stellas pro dijs.* Ierem.43. v.13. Fortunæ *in fine anni mensam opiparam ponebant.* Isaiæ 65.v.11. *eos quo iure spoliarint Israelitæ.* Exod.11. v.2. Sap. vlt. v.13. *quàm auidè Christi fidem sint amplexi, & sanctitatem coluerint.* Isaiæ 19.v.19.

Aegyptiacæ plagæ fuere decem. Exod.8. &c. *quàm citò immissæ.* c.11.v.5. Aegyptiaca plaga recensentur. Sap.11. 16.17. & 18. *Aegyptiacæ seruitutis initium & finis, &c.* Chron. c.17.

Aelam regio Persidis, dicta ab Aelam primogenito Sem. Ierem. 49. v. 34.

Aemulari tria significat. Psal.36.v.1.

Aenigma est obscurum dictum. Iob 13.v.17.& Prou.1.v.6. & in proœmio Prouerb.

Aequalitas quædam rerum necessariarum curanda, quantum fieri potest. 2.Cor.8.v.15.

Aër subinde cælum vocatur. Matth.3. v.16. *plenus est dæmonibus.* Ephes.6. v.12.

Aeramentum capitur pro vase æneo. Eccli.12. v.10.

Aerugo, vitium segetum. 2.Paral.6.v.28. Deut.28.v.27. Psal.77.v.46. Amos 4.v.9.

Aerumna est ægritudo laboriosa. 2. Cor.11. v.27.

Aes Corinthium laudatissimum. in proœm.1.ad Corinth. æris genus nihilò inferius auro. 3.Reg. 7. v.45. & 1.Esdr.8. v.27. *ære appenso, non signato, vtebantur antiqui.* Proleg. de Ponderibus initio.

Æstuare anima, pro deliquium pati. Iudith 13.v.29.

Aeternum Hebræi sumunt pro longo tempore, sed non semper pro interminabili. Proleg.de idiotismo Hebr.num.27. Isaiæ 32. v.14. c.34. v.17. *æternitatis cogitatio maximè damnatos affligit.* Thren.3. v.18

Aethiopia duplex est, vna cis, altera trãs mare rubrum. Soph. 3.v.10. *cur dicatur terra cymbalum alarum.* Isaiæ 18.v.1. *ipsius*

INDEX NOMINVM ET RERVM.

trans riuos Nili. ibid. Æthiopia Abyssina quomodo & per quos primò ad fidem Christi traducta. Actor.8.v.27. ad Christum prædicitur conuertenda. Psal.67.v.32.Isaiæ 18.v.7.

Æthiopes etiam à Nabuchodonosore subacti fuere: vnde dicti Æthiopes. Soph.2.v.12. quousque per Africam extendantur. Isaiæ 18.v.2. eorum clades à Chaldæis. v.6. eorum rex fuit Tharaca. 4.Reg.19.v.7.

Æuum æternum succedet post finem mundi loco temporis. Apoc. 10.v.5.

Affectuum sympathiam seruent inter se Christiani. Rom.12. v. 15.

Affligere animam idem est quod ieiunare. Leu.16.v.2.

Africus ventus medius inter Austrum & Occidentem. Actor. 27.v.12.

Agabum quare permiserit Deus famem prædicere quæ sub Claudio facta est. Actor.11.v.27.

Agape quale esset in primitiua Ecclesia epulum: id dabant egentioribus ditiores post sumptam Eucharistiam: sed id postea ob abusus sublatum. Marc.14. v.22.& 1.Cor.11.v.21. præbebatur ex publico, nec vno semper in loco. Actor.2.v.46. eius abusus vnde irrepserit. 1.Cor.11.v.21.

Agareni sunt ij qui nunc Saraceni. Psal.82.v.7.

Ager figuli in sepulturam peregrinorum emptus ex pecunia, qua venditus fuerat Christus. Matth.27.v.78. agros quomodo vendere vetarentur Iudæi. Ierem.32.v.7.

Aggæus vbi natus: templi instaurati vnà cum reliquis auctor fuit: an scripserit aliquot psalmos: eius prophetiæ argumentum: non fuit angelus: eius puritas & spiritus. in proœm. Aggæi, & c.1.v.13.

Agnus paschalis dum assaretur, Christi crucifixi speciem exhibebat. Matth.26.v.18. post esum illius solebant Iudæi canere psalmos. v.30. vide Pascha.

Agni adinstar ad lanienam & tormenta se abripi passus est Christus. Ierem.11. v.19. ei agni nomen propriè conuenit. Isaiæ 53.v.7.

Agrippa Herodes rex. Chron.c.45. è carcere educitur: ab Alexandrinis illuditur, S. Iacobum occidit, Petrum in carcerem mittit, vermibus interit. Chronic.c.vlt. vide Herodes.

Agrippa iunior, rex fuit non Iudææ, sed Chalcidis. Actor.25. v.13. erat mentis sedatæ & prudens. c.26. v.2. an occultè fuerit Christianus. v.27. vide Herodes.

Abicam consiliarius regis Ioakim, fauet Ieremiæ. Ierem.26. v. 20.

Ἀγρίδες non cancros, non pyra silvestria, sed locustas significat. Marc.1. v.6.

Alabastrites lapis deseruit pyxidibus vnguentariis conficiendis. Matth. 26. v. 7.

Alæ angelorum quid symbolicè denotent. Isaiæ 6.v.2. Seraphim visi Isaiæ velabant alis suis tam faciem & pedes Dei quàm suos, & quibus de causis. ibid. cur alas quatiant volaturientes. ibid.

Alacritas vide Lætitia.

Alapa ignominiam simul & dolorem infligit. Thren.3.v.30.

Alcimus pseudopontifex est constitutus ab Antiocho, & confirmatus denuo à Demetrio. 1.Machab.7.v.9. iussit arcem in templi atrio exstructam dirui: eius interitus. c.9. v.55.

Alexander qui Ephesi pro Christianis perorauit, an Christianus fuerit, sed postea apostata. Actor.19.v.33.

Alexander Halobarcha Alexandrinus de stirpe sacerdotali fuit. Actor.4.v.6.

Alexander Magnus spatio 17. dierum murum 60. stadiorum excitat. 2.Esdræ 6.v.15. eius vinositas. Dan.7.v.6. eius gloria. ibid. eius victoriarum celeritas, & animi celsitudo ac vigor. ibid. quatuor ducibus diuisit imperium suum, iam moriturus. ibid.& c.11.v.4.& 5.c.8.v.8.& 1.Mach.1.v.7. dictus, hircus caprarum. Dan.8.v.5. eius mors. v.8.& 1.Mach. 1.v.6. cur dicatur Mamzer. Zach.9. v.6. eius victoriæ. 1.Mach.1.v.1.& 2.

Alexander Veles filius Antiochi Epiphanis, regnum Syriæ occupat: an fuerit obscuræ sortis homo: Ionatham Machabæum aduersus æmules sibi deuincire gestit. 1.Mach.10.v.1.

Alexandria vocatur à Prophetis No. Ierem.46.v.25. à Nilo peruaditur & dissecatur: ab aquis item cingitur. Nah.3. v.8. à Chaldæis expugnanda prædicitur. v.10.

Alienum in Script. significat peregrinum. Ierem.19.v.4. item alienigenam. Psal.17.v.46.

Alienigenæ, id est allophyli, dicuntur Philisthæi. Psal.82.v.8. alienigenæ arcentur ab esu victimarum. Leuit.22.v.10. imò ab oblatione. v.25. eorum connubia quousque vetita Iudæis. Exodi 34.& 1.Esd.9.v.2. an iure irrita. c.10.v.3. & filij separantur. ibid.& 2.Esdr.9. v.2.

Alleluia quid significet, cur id in festis lætioribus vsurpet Ecclesia. Apoc.19.v.1.Tob.13.v.22. psalmi, quibus titulus Alleluia, continent Dei laudes. Psal.104.

Allophyli pro Philisthæis. Psal.55.v.1.& 82.v.8.

Almarici error de vnione essentiali animæ castæ cum Deo. 1. Cor.6. v.17.

Aloë corruptionem arcet. Cant.4.v.14. hinc ea Iudæi cadauera condiebant. Ioan.19.v.39.

Alpes vi apertæ in Italia, & in Iudæa. 4.Reg.19.v.23.

Altare holocaustorum describitur per omnes partes. Exod. 27.v.1. circum se habebat caueam, in quam sanguis victimarum effundebatur. Ezech.43.v.13. plena eius descriptio. ibid. & seqq. cur dicatur leo Dei. v. 15. eius latitudo & altitudo & cornua. ibid.

Altare thymiamatis pluribus describitur. Exod.27.v.1.& c.30.v.8. cur vocetur thuribulum & altare oraculi, eius situs. Hebr.9.v.4. altaria plura apud Israelitas, etiam ad sacrificandum, sed ex priuilegio. Iudic.vlt.& 1.Reg.7.v.17.& c.14. v.35. aliàs illicitum aliud alibi excitare præter Ierosolymitanum. Ios.22. v.24. altare etiam aliquod excitatum iussu Godoliæ post exustum templum à Chaldæis, inter eius rudera. Ierem.41.v.5.Bar.1.v.10.

Altercationem S.Michaelis cum diabolo de Moisis corpore vnde S.Iudas hauserit. Iudæ v.9.

Amalecita cæsi per Iosue orante Moyse. Exod.17.v.1. quinam sint: & cur internecione exscindi iussi à Deo. v.14.& Deut.25.v.17. de facto excisi per Saulem. 1.Reg.15. cur, ibid.v.5. iterum repullarunt. 1.Reg.27.v.8.& c.30.v.1.

Amalthea capra nutrix Iouis. Iob 42.v.14. Amalthea cornu. Iudith 16.v.8.

Aman, è qua gente, quanta dignitatis, quanta superbiæ. Esther 1.v.11.& c.3. Mardochæo tamquam domino suo subseruire cogitur. c.6.v.10. suspenditur. c.7. domus omnésque facultates eius cedunt Esthera. c.8. v.1. filij eius 10.& omnis cognatio suspensa in patibulis. c.9.v.13. execrantur eum Iudæi quotannis. v. 31. an insidiatus vitæ regis & sceptro. c.2.in fine,& c.16.v.12.& 24.

Amandi nobis omnes pro gradu cuiusque. Rom.13.v.8.

Amara cur dicatur mors. Ezech.21.v.6.

Amarantus flos symbolum immortalitatis. Prou.27.v.24.

Ἁμαρτάνω etiam significat à scopo & spe aberrare. Ezech. 28.v.16.

Amasiæ sacerdotis vitulorum in Bethel castigatio. Amos 7. v. 17.

Amasis rex Ægypti numquam vocatus est Pharao, & cur. Ierem.44.v.30. rebellans à Cambyse fuit subactus. c.46.v.26.

Amazias princeps militiæ Iosaphati. 2.Paral.17.v.16.

Amazias rex Iudæ stultè prouocat ad bellum Ioas regem Israel. 2.Paral.25.v.17.

Ambitio insatiabilis est. Prou.30.v.15. item periculosa. Eccli.7.v.4.

Ambitiosi sæpè inhiant altioribus, & seipsos suosq; regere nesciunt. Ierem.12.v.5.

Ambrosia cibus deorum est. Sap.vlt.v.vlt.

Ambulare cum Deo quid sit. Gen.5.v.22.& Iob 34.v.9. ambulandum nobis coram Deo solicitè & humiliter. Mich.6.v.8.

Amen sententiæ alicui præpositum, asseuerantis est, seu seriò affirmantis, postpositum confirmantis. Matth.5.v.18.

Amethy-

Amethystus gemma vnde dicatur: eius color & vires: accommodatur S.Matthiæ, & carnis resurrectioni. Apoc.21.v.20.

Amiantus lapis in igne ardens purior redditur. Dan.3.v.50.

Amici Dei quare castigentur. Apoc.3.v.19. *amicus intimus de mille vnus eligendus.* Eccli. 6. v. 6. *nouis amicis ne fide.* Eccli.9.v.14.& c.11. v.39.c.12.v.13.

Amicitia in quo consistat. Eccli.6. v.16. *amicitiæ veræ pretium, signa & leges.* v.6.& c.12. v.8.14. *ne principum amicitiam ambias.* Eccli.9.v.18.c.13.v.2.& c.

Ammon, filius Loth ex filia genitus. Gen.19. v. 37.

Ammonitæ non possunt intrare Ecclesiam Dei. Deut.23.v. 1.& 2.Esdr.13.v.1. *ideo priuatur officio præpositi Tobias.* ibid. v.5. *Ammonitarum supplicia.* 1.Paral.20.v.3. *an in iis infligendis peccarit Dauid.* ibid. *caduntur iterum sub Iosaphato.* 2.Paral.c.20. v.1.23. *sunt excisi à Chaldæis ante Moabitas.* Ierem.49.v.3. *sed remissi à Cyro in patriam, licet subditi manserint Persis.* v. 6. *idcirco illis intentatur supplicium, quia in Israelitas Galaaditas insignem crudelitatem exercuerunt.* Amos 1. v.13. *aliquando ad Iudæorum religionem redière, & connubia cum iis iunxére.* Ierem.12. v.16. *vindicabant Iudæam sibi quasi præ|riam hereditatem, Iudæis in Chaldæam abductis.* Ezech.25.v.12.

Amon nomen commune est pluribus populosis vrbibus. Ierem. 46. v.25.

Amor transformat amantem in amatum. 1.Ioan.4.v.16. *amoris Christi erga nos sub finem vitæ tria argumenta.* Ioan. 13.v.1. *cur illa exhibuerit.* v.3. *amor carnalis vertitur in odium.* 2.Reg.13.v.15.

Amorrhæi inter omnes Chananæos nequissimi erant. Ezech. 16. v.3.

Amos *quid sonet: Amos Propheta fuit subulcus & rusticus; quando prophetarit: quod eius argumentum: dum idololatras increpat, per Osee neci datur: sepultus est in Thecue.* proœm. in Amos, & c.1. v.1. *bis precibus suis cladem ab Israel auertit quam intulissent Assyrij.* Amos 7. v.1.& 4.

Amos pater Isaiæ, frater fuit Amaziæ regis Iudæ. 2.Paral. 25.v.7. *an fuerit Propheta.* Isaiæ 2.v.1.

Amphipolis Macedoniæ ciuitas, vnde dicta: quæ in ea notabilia gesta. Act.17.v.1.

Amphora Rom. continet congios 8. Attica 12. Proleg. de Mensuris. *amphora è Iudæa in Babylonem portata, Zachariæ visa, quid designaret.* Zach. 5. v.6. *quid notet talentum plumbi, quo os eius obturatum erat.* v.7.

Amygdalus prima floret inter arbores. Eccli.12.v.5.

Anabaptistæ non accensendi sunt infidelibus, sed hæreticis. 1. Cor.7. v.12.

Ananias pontifex obstupuit visa Paulini animi celsitudine, & elinguis mansit. Actor.23.v.3.

Ananias ad quem S.Paulus missus, quis fuerit. Actor.9.v.10.

Ananias & Saphira sacrilegium admiserunt, fraudantes de venditi agri pretio. Actor.5.v.2. *erant voto paupertatis obstricti.* ibid. *an æternum damnati.* ibid.

Anathema quotuplex esset. Leuit. 27. v.2. *anathema significat totalem excisionem & separationem.* Rom. 9. v.3. *anathema oblitionis quod dicatur.* Iudith 16.v.23.

Andromedæ fabulam hauserunt poëtæ ex historia Ionæ à ceto absorpti. Ion.1.v.3.

Ange montes, quinam. Iudith 2.v.12.

Angelus pro homine angelica maiestate. Esther 15. v.16. *angelus Icones inhibuit ne Danieli nocerent.* Dan.6.v.22. *alius Theodosiani exercitus ducem mirabiliter duxit & tutatus est.* Tob.5.v.27.

Angeli sunt spiritus. Psal.103. v.4. *angeli quando sint creati.* Iob 38.v.7. *Angeli cælo delapsi.* Iob 4.v.12. *quomodo non sunt stabiles.* v.18. *neque mundi.* c.15.v.15. & c.25.v.5. *eorum concordia.* Iob 25.v.2. *sunt hominum custodes.* Iob 35.v.10.Psal.33.v.7.Iudith 13.v.20. *eorum iubilus.* Iob 38.v.7.& Isaiæ 6.v.3. *angeli omnes aliquando actu à Deo mittuntur.* Hebr.1. v.14. *nemini audent à Deo malum imprecari licet impio.* 2.Petr.2.v.11.& Iudæ v.9. *quales assumant formam & habitum.* Tob. 5. v. 5. *vnde ipsis nomina.* v.18. *decem officia seu munia angelorum.* Tob. 12.v.15. *inuocatio eorumdem.* ibid. *angelorum cultum superstitiosum damnat Apostolus.* Col. 2. v.18. *à Colossis loci|sæue vicinis maxime viguit, sed postea in sincerum angelorum cultum est conuersus.* ibid. *à quibus rebus superstitiosi illi cultores abstinerent.* v.21. *angeli Christo subinde famulati sunt.* Ioan.1.v.51. *in Scriptura vocantur filij Dei.* Dan.3. v.92. *cur desiderent in Christum prospicere.* 1.Petr.1. v.12. *pro clientibus suis apud Deum intercedunt.* Iob 33. v. 23. Apocalips. 8. v. 3. *an illis Christus meruerit gratiam omnem & gloriam: boni per fidem in Christum mediatorem sunt sanctificati, superbi verò damnati.* Ephes.1. v.22. *sæpè induunt speciem & personam clientum suorum.* Actor.12.v.15. *cur dicantur vigiles.* Daniel.4. v.10. *eorum erga Deum reuerentia & obedientia.* Isaiæ 6. v.2.& 3. *animæ Sanctorum cælo inuebuntur.* Apoc.21. v. 12. *præsunt tutandis etiam regnis.* Dan.10.v.13. *fuere etiam noti Gentilibus.* Esth.15. v.16. *transferent mortuos omnes ad vallem Iosaphat.* Ezech. 37. v.1. *sunt creati à Deo pleni gratiâ & perfecti.* cap.28.v. 15. *apparentes de cælo, sæpè sunt victoriarum omen aut nuntij.* 2.Machab.10.v.29. *omnes cum Christo ad iudicium veniunt.* Matth.15.v.31. *eo tam boues quàm malos iudicaturi sunt Apostoli & similes.* 1.Cor.6.v.3. *angelis bonis commissa custodia infernalis.* Apoc.9.v.1. *singuli singulis præsident ventis, earumque motus & gyros excitant.* cap.7.v.1. *angelos apostatas & rebelles, in gratia creatos, Deus ad inferos detrusit.* Iudæ v.6. *angeli tuba canentes in fine sæculi omnes facient resurgere, & se iudicio sistere.* Thess.4.v.15. *angeli pacis sunt legati pacem petentes.* Isaiæ 33.v.7.

Angelus cur super lapidem sepulcri Christi sedens manserit. Matth.28.v.2. *angelus fortis nube amictus, terræ & mari insistens, quis sit, & quid designet.* Apoc.10.v.1. *angelus quis S.Petrum carcere eduxerit.* Act. 12. v.7. *angelus aquam piscinæ Probaticæ semel tantùm in anno mouebat.* Ioan. 5.v.4. *angelum Custodem quisque à prima natiuitate habet, etiam Ethnici, & quid beneficij illis clientibus suis præstent.* Matth.18.v.10. Actor.12.v.15. *angeli custodes an exerceant animarum particulare iudicium.* Zach.3. v.1. *angeli Persarum tutoris cum Gabriele contentio, quoad Hebræorum è Chaldæa reductionem, vel detentionem.* Dan.10.v.13.

Anima subinde sumitur pro cadauere. Proleg. de Idiotismis Hebr.n.28. *item pro toto homine.* ibid.& Leuit.2.v.1. *item pro vita.* Esther 9.v.16. *subinde capitur pro parte hominis inferiore.* Hebr. 4. v.12. *anima (id est vita) pro proximo ponenda est.* Ioan.15.v.11. *anima inferni qua dicatur.* Isaiæ 5.v.14. *anima quibus viis ad sanitatem producatur.* Luc.4. v.39. *animæ supplicia nonnisi per symbola corporea capiuntur.* Luc.16. v.24. *anima Christi quomodo è vita apprehensione instantis mortis potuerit contristari.* Matth. 26.v.38. *ipsa post mortem reuera ad inferos descendit.* Actor.2.v.27. *animam perdens inueniet eam; inueniens, perdet.* Matth.10.v.39. *animam amantem Deus consortem facit naturæ diuinæ, cuius quia planè immutat.* 1.Ioan.4.v.16. *anima immortalitas asseritur.* Sap.2.v.2.& c.3.v.1. *ex ea probatur corporis resurrectio.* Matth.22.v.32. *animæ pulchritudo in quo sita.* Psal.65.v.6. *animam in me effudi, quid sit.* Psal.41.v.5.

Animæ an specie differant, & aliqua substantialiter perfectior sit alia. Sap.8. v.20. *animarum zelus & cura, quam sit cordi Deo.* Cant.1.v.7.c.8.v.8.11.13. *eas convertens, ipsius salvat à morte.* Iac. 5. v.19. *earum quanta messis sit in Ecclesia Dei.* Amos 9. v.13. *animæ Sanctorum quomodo dormiant sub altari.* Apoc.6. v.9. *animæ sanctæ plenè, purgatæ statim à morte gloria cælesti donantur.* 2.Cor.5.v.1.& 3.

Animalia visa Ezechieli quatuor vultus propriè dictos habebant, reliquo corpore erant sicut iuuenes armati: cur haberent quadruplicem vultum, quid allegoricè, & tropologicè designarent. Ezech.1.v.6. *eorum descriptio,* ibid.& seqq. *quatuor ani-*

mantia

malia Ioanni visa describuntur sunt angeli primarij. Apoc.4.v. 6. & seqq. quomodo distinguantur ab iis quæ vidit Ezechiel. ibid. cur haberent alas senas. v.8.

Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus. 1.Corint. 2.v.14. & 16.

Anna socrus Tobiæ. c.7.v.2.

Anna prophetissa quamdiu fuerit vidua. Luc.2.v.37.

Annas pontifex Iudaicus socer fuit Caiphæ, quinque filios post se pontifices habuit. Luc.3.v.2. ad eum cur Christus primùm ductus. Matth.26.v.57.& Ioan.18.v.13.

Annone charitate puniti Iudæi ante obsidionem Ierusalem. Ierem.14.v.1.

Annulorum vsus Romæ solùm permissus erat senatoribus & equitibus. Iac. 2. v.2. gestabantur etiam ad epistolas obsignandas. ibid. annulus erat potestatis signum. Esther 3. v.10. & c.8.v.2.

Annus quis lunaris, quis solaris à quo mense singuli exordium sumant. Chron. c.5. & 46. anni primorum parentum ante diluuium solares & pleni fuerunt. Chron.c.10. & Gen.5.v.5. anni iubilæi & sabbatici. Chron.21.Exod.v.11. eorum priuilegia & iura. Luc.25. & 26.v.34. Deut.15. anni intercalatio varia. Chron.c.4.34.& 44. annus sabbaticus incipiebat à Septembri. Ierem.28.v.17. & c.34.v.1. & Chron. c.21. annus sacer inchoabatur ab æquinoctio verno. Agg. 1. v.1. anni 390. iniquitatis Israelitarum, & anni 40. iniquitatis domus Iuda, vnde inchoandi sint. Ezech.4. v.6. annorum centuria aliquot modium quid sunt in oculis Dei. Agg. 2. v. 7.

Anthropopathῶs loquitur sæpè Scriptura de Deo. Proleg. de Idiotismis Hebr.n.53.

Antichristus è tribu Dan, forsan & ex vrbe Dan, nascetur. Ierem.8. v.16. eo mortuo plures anni supererunt antequã dies iudicij veniat. Ezech.39.v.9.Dan.12.v.12.Apocal.20.v.10. est cornu paruulum, natum ex decem regibus sub finem sæculi è Rom.Imperio oriturus: cur dicatur paruulum: in quam mox potentiam crescet:decem reges se ei subdent. Dan.7.v.8.Apoc.17. v.12. eius prudentia politica, iactantia sui. Dan.7.v.8. quamdiu regnaturus sit. v.25.& c.12.v.7.& 11.Apoc.11.v.3. occidetur solo flatu oris Christi. Dan.8.v.24. 2.Thess.2.v.8. Apoc.19.v.15. idolum eius in templo Ierosolymitano adorabitur. Dan.9.v.27.Zach.11, v.17. erit mulierosus, & permittet sequacibus suis multitudinem vxorum. Dan.11.v.37. Deum Maozim, id est se, colet & coli iubebit. v.38. tres reges fundet, inde reliqui decem se ei subiicient. v. 40. tollet sacrificium Missæ, & cur. cap.12. v.11. legem quam soluerit, quam adimplerit. c.5.v 19. eius persecutio quanta sit futura. Matth.24.v.21. antequam veniat, fiet discessio ab Ecclesia & Rom.Imperio. 2.Thess.2 v.3. ipse qualis futurus sit, describitur. ibid. & seqq. eius præcursores sunt hæretici & tyranni. v.7. in eo sathanas exeret omnem suam potentiam. v. 9. eius miracula erunt ficta & mendacia. ibid. non perdet nisi perire volentes. v. 10. dicitur bestia quæ ascendit de abyssо. Apoc.11.v.7. Ierusalem & templum Salomonicum excitabit è ruderibus. v. 8. est Luciferi caput & cauda diuerso respectu. c.12.v.4. habet capita septem & cornua decem. v.3. & c. 13.v.1. est similis pardo, pedes habet vrsinos, os leoninum. c.13. v.2. curabit se à plaga incurabili. v.3. adorabitur propterea à suis. v.4. eius præcursor quis futurus. v.11. eius ficta miracula. v.15. eius signum & character quis futurus sit. v.16. volet haberi & coli vt Christus. ibid. eius nomen ignotum est, sed reddet numerum 666. v. 18. Roman. Imperium extinguet. c.17.v.17. ad eius sociorum cadauera deuoranda vndique aues conuenient. c.19. v.17. finget se cælos conscensurum, sed à Christo per S. Michaelem viuus in tartara cum præcursore suo deturbabitur. v.20. qui morientur in via. ibid. eius secundi, & exercitus vltione cælesti in eos immissa quomodo occidentur. v. 21. videtur per Tartaros ad imperium euehendus. c.20.v.7.

Antiochia fuere decem. Amos 6.v.2.& Actor.13.v.14.

Antiochia ad Orontem Syriæ metropolis, antonomasticè dicta Antiochia, cætera cum adiuncto. Actor.13.v.14. priùs vocata est Emath. Isaiæ 9. v.9. huius ciuitatis ius magna habebat priuilegia. 2.Machab.4.v.9. illius dignitas quoad sedem Patriarchalem præposita fuit Alexandrinæ. Actor.11.v.19.

Antiochus Epiphanes tribus annis cum dimidio occupauit vrbem Ierusalem & arcem Sion. Dan.7. v. 25. cur dicatur cornu modicum, fuit octauus rex Syriæ ex Seleuco. cap.8.v 9. eius potentia vnde creuerit. ibid. prævaluit contra Iudæam ob peccata incolarum. v.9.& 12. fuit præcursor Antichristi. v.9. affectauit diuinitatem, contra Deum cæli insurgens. v.11. omnia sacrificia sustulit. ibid. eius persecutio & tyrannis quamdiu durarit. v.14. eius mors & punitio diuina. v.24. successit patri post mortem fratris Seleuci Philopatoris. c.11. v.21. qua fraude Romæ profugus nepotem regno detruserit, ipsumq; sibi vindicarit. ibid. ast regnum Ægypti sibi vendicare cogitauit. v. 22. à Romanis prohibitus Ægypto abstinere, mox iram in Iudæos conuertit. v.28.& 30. quàm crudeliter in eos sit grassatus. v.33. fuit mulierosus. v. 37. an triplicem in Ægyptios expeditionem mouerit. v.41. & 1. Mach.1.v.17. 2.Mach. 4.v.21. Epiphanes vnde sit dictus, sed ob scortationes & comessationes dictus Epimanes: Roma, vbi obses fuerat, profugit in Syriam, & ibi regnare cæpit. 1.Mach.1.v. 11. quomodo regnum suum firmarit: etiam Ægypto inhiauit: Ierosolymitanum templum prosanauit. v.23.49.50.& Dan. 8.v.11. per Apollonium vrbem expilauit, & incendit, & solam arcem Sion exstrui iussit in munitionem, ad vexandos sacrificij causâ ad templum ascendentes. 1.Mach.1.v.30 & seqq. eius crudelitas in legis diuinæ cultores. v.61. ob nimiam in suos profusionem laborare cæpit pecunia defectu. c.3.v.29. expeditionem mouit in Persidem. v.31. quæ infeliciter ei cessit. c.6. v.1. quare suspicaretur Iudæos à se alieniores esse. 2 Mach. 5.v.11. eius morbus & mors infamis. c.9.v.5.& seqq. fictè orabat Deum pro conualescentia. v.13.

Antiochus Eupator, visa Iudæorum virtute, pacem cum iis init: arcem in monte Sion oppugnat: eorum operâ in bello aduersus æmulos vtitur. 1.Machab.6.v.51. necatur ab æmulo suo Demetrio. c.7. v.4.

Antiochus Magnus primò infeliciter pugnat cum Ptolemæo Philopatore rege Ægypti, sed illo sublato feliciter cum eius filio Epiphane: adiutus à Macedonibus Ægyptum inuasit. Dan.11. v. 13.14 15. voluit per filiam Cleopatram regnum illud suo adiungere. v.17. deuictus fuit à Romanis. v.18. an viuus à Romanis captus sit. 1.Machab.8.v.6. quomodo vires eius ab iis accisæ, quod tributum iis pendere iussus. ibid.

Antiochus Sedetes per Tryphonem ad Syriæ regnum euehitur contra Demetrium Nicanorem. 1.Mach.11.v.39. ei fauet Ionathas Machabæus, æmuliq; eius copias profligat. v.56.& seqq. cæditur à Tryphone. c.13.v.31. Iudæis infensissimus fuit. c.15.v.1.27.& 2.Machab.1.v.11. eius nex in Persidе. 2.Machab.c.1.v.13.& 14. eius mors diuersimodè ab historicis narratur. v.15.

Anthiochus Theos Asiæ rex inuasit Ægyptum à genero suo sollicitatus. Dan 11.v.5.

Antipas Martyr Pergamenus in bouem æneum candentem iniectus est. Apoc.2.v.13.

Antipatris vrbs ad mare Mediterraneum sita inter Ioppen & Cæsaream: vnde dicta sit: iam tantùm pagus, dicitur Assur. Actor. 23.v.31.

Antiptosis, id est, casus pro casu, sæpe in Scriptura occurrit. Prolegom.de Idiotismis Hebr.n.3.

Antistites, sunt sacerdotes qui Leuitis præerant. 2.Paral.29. v.34.

Antrum viua animalia exanimans iuxta Puteolos. Zachar. 12. v.2.

Aoraſia Sodomitarum. Gen.19.v.11. & Syrorum. 4. Reg.6.v.18.

Apadno nomen loci, à tabernaculis Antiochi ibi fixis. Dan.11. v. 45.

Apameæ tres fuere. Actor.13.v.14.
Apertio lateris Christi mortui, an ei fuerit meritoria. Ioan. 19.v.36.
Apis quomodo sit initium dulcoris. Eccli.11.v.3.
Apis deus Ægyptiorum exprimebatur figura vitulæ. Osee 10.v.5.
Δια sæpè pro διὰ vsurpatur. Hebr.5.v.7.
Apocalypsis S.Ioannis quàm sit obscura & difficilis: quod eius augmentum: quando & quare scripta: eius auctor Ioannes Theologus vel Apostolus: hæretici eam à Canone S.Scripturæ reiiciunt. proœm. in eamd.
Ἀποκαραδοκία *quid propriè significet.* Rom.8.v.19.
Apollo humilitas, sinentis se à textoribus instrui. Act.18.v.26.
Apollonius dux ab Antiocho Iudæis præfectus, atrociter in ipsos desæuiit. 2.Mach.5.v.24.
Apollonius Tyaneus insignis & celebris fuit magus Ephesi. Actor.19.v.19.& 1.Cor.1.v.20.
Apologus Ioathan de rhamno. Iudic.9.v.8.
Ἀπορέομαι *quid sonet.* Gal.4.v.20. *aporia est perplexitas.* Eccli.27.v.5.
Apostasia à fide ad hæresin vel idololatriam est peccatum ad mortem. 1.Ioan.5.v.16. *pro tali apostata an sit orandum.* ibid.
Apostata à suscepto pia vita genere rarissimè reuocantur ad perfectam pœnitentiam. Hebr.6.v.4.6.& c.10.v.26. *apostatæ Religionis sunt sal euanidum.* Luc.14.v.35.
Apostolatus non solùm missionem significat, sed etiam dignitatem supremam in Ecclesia Christi. Rom.1.v.5.
Apostoli verè Missam fecerunt. 1.Cor.10.v.16. *erant creaturæ tam Christi, quàm Spiritus sancti.* Act.1.v.2. *ordinarunt alios post se sacerdotes ad sacrificium Eucharisticum offerendum.* Luc.22.v.19. *an ediderint tria vota Religiosa.* Matth.19.v.21.& 27. *sunt missi vt oues inter lupos.* Matth. 10.v.16. *quomodo sint sal terræ.* Matth.5.v.13. *eorum quod sit officium.* ibid. *fuere velut leones.* Mich.5.v.8. *testes sunt omnium gestorum Christi.* Actor.1.v.8. *iure dicuntur serui Dei.* Iac.1.v.1. *Christum rediuiuum reuera palparunt.* Luc.24.v.39. *sunt piscatores Dei.* Ierem.16.v.16. & 19. *edebant miracula quoties vellent, Deo potentiâ suâ concurrente.* Actor.3.v.6. *iis quænam Christus tradiderit dogmata.* Matth.11.v.27. *eorum dignitas, munus, potestas.* Luc. 6.v.23. *docuerunt, tributum dandum Cæsari.* c.13.v.1. *fuere præsignati in XII. patriarchis tribuum.* Matth.10.v.2. *item per principes Iudæ & Zabulon.* Psal.67.v.28. *designantur quoque in 12. fundamentis cælestis Ierusalem.* Apoc.21.v.14. *omnes ad cuiusuis articuli Symboli compositionem confluxerunt.* ibid. *eos cur noluerit Christus à militibus ad se capiendum missis violari.* Ioan.18.v.8. *omnes scandalum passi in eo passione noctis.* Matth.26.v.31. *eos cur Christus à se dimiserit cùm in horto Gethsemani oraret.* v.36. *eo relicto fugientes, inexcusabiles sunt.* v.56. *quomodo repleti sint in die Pentecostes Spiritus sancto.* Actor.2.v.3.& 4. *quomodo locuti sint variis linguis.* v.4. *in quanta essent reuerentia olim.* Actor.5.v.13. *ipsi priùs inter se de præeminentia certarunt.* Matth.18.v.1. *an in hoc peccarint mortaliter.* ibid. *quando & vbi prædicare inceperint, viuente Christo.* Matth.10.v.5. *eorum acta ordine temporum digesta.* Chron.c.vlt. *quomodo per Spiritus sancti infusionem mutati.* Actor.2.v.43. *quali sortitione vsi in electione S.Matthiæ.* Actor.1.v.26. *quando in suas quique prouincias abierint.* Actor.12.v.17. *sunt futuri iudices vnà cum Christo in extremo iudicio.* Matth.19.v.28. *in domo Ioannis Marci exspectarunt & acceperunt Spiritum sanctum.* Actor.1.v.13. *eorum singulis gemmæ singulæ Apocalypseos cõueniunt.* Apoc.21.v.14.& 20. *eorum quinam primo Concilio Ierosolymitano interfuerint.* Actor.15.v.1. *eorum duritia in non credenda Christi resurrectione vnde ortum habuerit: non adeò grauiter in eo peccarunt.* Marc. 16.v.14. *eorum quidam mulieres circumduxerunt secum, necessaria subministrantes.* 1.Cor.9.v.4. *plerique non habuere vxores.* ibid. *Apostolorum primorum vocatio quando contigerit: an bis nonnulli vocati.* Matth.4.v.18.

Appellatio Pauli ad Cæsarem prætextus fuit, cur non sit ab Agrippa & Festo præside dimissus. Act.26.v.32.
Appellatiua nomina sumuntur subinde pro propriis, vide Nomina.
Appetitus mali refranandi. Eccli.23.v.4.& c.21.
Apries rex Ægypti fuit à Nabuchodonosore debellatus, & alius ei suffectus. Ierem.44.v.30. *instaurauit ritus Ægypti, ideoq; superbia elatus est.* Ezech.29.v.3.
Aqua de petra Oreb cur vocetur potus spiritualis. 1.Cor.10. v.4. *ea quæ è perfosso Christi latere emanauit, vera fuit.* Ioan. 19.v.34. *aqua piscina Probatica vnde haberet vim morbos & languores sanandi.* Ioan.5.v.4. *aqua lustrationis.* Num.19. *aqua effusa, quid sibi velit.* 1.Reg.7.v.6. *aqua nostræ lustralis typus.* 4.Reg.2.v.19. *aqua significat magnam copiam.* Iob 27.v.20.& cap.34.v.7. *aqua refectionis.* Psal.22.v.2.
Aqua furtiua dicuntur adulteria. Prou.9.v.17. *aquamentationum, &c.* Cant.8.v.7. *aqua supra talos, an naturali & eiusdem cum nostris speciei.* Gen.1.v.7.Psal.148.v.4. *aquæ calidæ medicinales.* Gen.36.v.24. *aquæ maledictæ pro zelotypis.* Num.5.v.15. *aquæ contradictionis.* Num.20.v.11. *aquæ in Scriptura tribulationem significant.* Luc.12.v.50. *aquarum receptacula & ductus quinam essent in templo.* Ezech. 47.v.1. *quæ aquæ de fontibus Saluatoris hauriendæ sint.* Isaiæ 12.v.3.
Aquæductus regis quinam essent. 4.Reg.32.v.4.& 2.Esdr. 2.v.14. *aquæductus vrbis collapsos restaurarunt Machabæi.* Zach.14.v.8.
Aquila sitim sanguine restinguit. Iob 39.v.30. *an cadaueribus vescatur.* ibid. *reiuuenescit.* Psal.102.v.2. *aquilæ duæ, Nabuchonosor & Pharao.* Proleg.de Idiotismis Hebr.n.54. & Ezech.17. *aquila, est Chaldæorum & Romanorum insigne.* Deut.28.v.49. *aquila senescens depilatur.* Mich.1.v.16. *aquila aurea labarum fuit Cyri.* Isaiæ 46.v.11. *aquila hieroglyphicum est imperij, & quare.* Ezech.17.v.3.
Aquila Ponticus & Priscilla, S.Paulo egregiam opem præstiterunt. Actor.18.v.2.
Aquila interpres S. Scripturæ, è Christiano Iudæus factus est. ibid.
Aquilo & Auster anima quinam sint. Cant.4.v.vlt. *Aquilo symbolicè diuinam vindictam significat.* Ierem.1.v.13.
Ab Aquilonari parte cur potissimùm intercepta Ierusalem. Ezech.9.v.2. *Aquilonares gentes Ierusalem quomodo euertisse dicantur.* Ierem.1.v.13. *eadem Chaldæorum monarchia euerterunt.* Ierem.50.v.3.
Ara cornibus inscribebatur nomẽ vel symbolum idoli, cuius sacra erat. Ierem.17.v.1.
Arabs capitur pro latrone. Habac.1.v.8. *Arabes sunt filij Orientis.* Ezech.25.v.4.& 9. *tondebantur in rotundum per modum coronæ.* Ierem.9.v.26.
Arabia vocatur in Script.Sabá. Matth.2.v.1. *quantum distet à Ierusalem.* ibid. *antea sterilis, reddita fœcunda per aquas à Moyse è petra eductas.* Isaiæ 43.v.20.
Aradus insula Sidoni vicina est. Ezech.27.v.8.
Aram nomen dedit Armeniæ. Ezech.27.v.16.
Aranea sedulitas inanis. Psal.38.v.12.& Psal.89.v.6. *aranea tegens os spelunca.* Psal.56.v.9.
Aratus poëta Solensis quid & quando scripserit. Act.17.v.28.
Arbel *per crasin idem est quod* Icrobaal. Osee 10.v.14.
liberi Arbitrij consensus, & eius cum gratia cooperatio, prærequiritur ad iustitiam, accedente dein gratuita voluntate Dei. Rom.11.v.5.
Arbori excelsæ similes sunt reges. Dan.4.v.11. *arbores & flores veri an in cælo futuri sint.* Apoc.22.v.1. *Græca allusio inter arbores & verba Danielis prolata ad senes, non arguit historiam illam apocryphan esse.* Dan.13.v.55.
Arca Noë quanta, qualis, &c. Gen.6.v.16.
Arcam fœderis construi iubet Deus. Exod.25.v.16. *quid in ea, vel circum eam.* Deut.31.v.26.& 2.Paral.5. *an clausa.* ibid. *Iordanem findit & sistit.* Iosue 3.v.4.& c.4.v.10. *ca-*

pitis

pitur à Philisthaïs. 1.Reg.4. sed eosdem valdè affligit, c.5. ergo redditur Israelitis. c.6. cur occiderit tot Bethsamitas. ibid. arca vectes quoque eminebant. 2.Paral.5.v.9. transfertur prima in Iordanem. Iosue 4.v.10. eius contactu occisus Oza. 2.Reg.6.v.7. à Dauide transfertur Ieroſolymam. 2.Reg.6. eius laudes. Psalm.46. non nisi Leuitarum humeris baiulanda. Num.4.v.15.& 2.Reg.6.v.7.& 1.Paralip.15.v.13. tempore Amon semota è templo. 2.Paral.35.v.3. an in ea solæ tabulæ Moysis. 2.Paral.5.v.10. erat scabellum Dei. Psal.98.v.5. & figura Eucharistiæ. ibid. à Ieremia templo educta cum venia Chaldæorum in eucrsione vrbis, & translata in montem Nebo. Ierem.52.v.21. vbinam ab eo abscondita sit: necdum reuelata est, nec postea in templo visa, nec eius post captiuitatem Babylonicam vlla est mentio. 2.Mach.2.v.7. ea caruerunt Iudæi post captiuitatem, nec fuit à Zorobabele instaurata. Ezech.41.v.22. quam arcam viderit Ioannes in cælo. Apoc.11.v.19.

Arcana verba quæ audierit Paulus in raptu. 2.Cor.12.v.4.

Arcana titulus Psalmorum. 1.Paral.15.v.21.

Archeutus arbor est iuniperus. 3.Reg.5.v.8.

Archelai, Herodis filij tetrarchia & exilium. Chron.c.44. quare non statim regnum adierit, mortuo patre. Matth.2.v.19.

Archisynagogum agere apud Iudæos honorificum erat. Matt. 9.v.18.

Architriclini quanam essent munia in conuiuiis. Eccli. 32. v.1. architriclino cur Christus ferri iusserit aquam in vinum mutatam. Ioan.2.v.8.

Arcta via cur vocetur vita secundùm virtutem instituta. Matth.7.v.13.

Arcturus quæ stella. Proleg. de Idiotismis Hebr. nu.55. & Amos 5.v.8.& Iob 9.v.9.

Arcum docere quid sit, capitur pro omni genere armorum. 2. Reg.1.v.18. arcus impleri dicitur, cùm neruus attrahitur quàm potest maximè. Zach.9.v.13.

Ardor solis, interiectis nubibus intensior est. Apoc.16.v.8.

Arca Areuna vbi. 2.Reg.6.v.6. quanti venit. 1.Paral.21.v.25. in ea templum construxit Salomon. ibid.

Areola aromatum. Cant.6.v.1.

Areopagus quod Athenis tribunal, vnde dictum: huius auctoritas, seueritas, incorruptio. Act.17.v.18.

Areopolis primaria vrbs Moab. Isaiæ 15.v.1.

Aretas socer Herodis Antipæ, præfuit Syriæ Damascenæ & Petrææ. 2.Cor.11.v.31.

Argentei quibus venditus fuit Christus, an fuerint minæ argenti. Matth.26.v.13. hi fuere ex ærario sacro à sacerdotibus desumpti. Matth.27.v.6.

Argumentum Threnorum an habeat auctoritatem Canonicam. proœmio in eosd.

Ariel Moab, pro leone Moab. 1.Paral.11.v.22. ariel vocabatur altare holocaustorum, & Ierusalem. Isaiæ 29.v.1. Ezech.43.v.15.

Aries machina bellica describitur. Ezech.4.v.2.

Arimathia oppidum dictum antè Rama. 1.Reg.1.v.1.

Arioli sunt incantatores vel diuinatores. Dan.2.v.2. Deut. 18.v.11.

Aristarchus Thessalonicensium Episcopus, postea Martyr fuit. Act.19.v.29.

Aristobolus sacerdos magnæ apud Iudæos & Ægyptios fuit auctoritatis. 2.Mach.1.v.10.

Arma præconum Euangelij quæ sint. 2.Cor.10.v.4.

Armagedon vocabitur locus ab euentu, in quo prælium cum Antichristianis committendum. Apoc.16.v.16.

Armamentarium Salomonis in domo Saltus Libani. 2.Paral.9.v.16.

Armenta sunt animalia maiora, quibus arari soleat. Amos 7.v.14.

Armon, id est, Armenia. Amos 4.v.3.

Aroba, quarta pars baril est. Proleg. de mensuris.

Aromata in regum funeribus adhibebant Iudæi, quæ supra & circum cadauera cremabant. Amos 6.v.10.& 2.Paral.16. v.14.

Arphaxad nomen generale regis Medorum: tempore Iudith erat Deioces. Iudith 1.v.1.

Arreptitius quis dicatur. Ierem.29.v.26.

Arriani ex epist.1.S.Ioannis eraserunt verba de Christi diuinitate agentia. 1.Ioan.5.v.7. hinc eam planè reiiciunt Arriani moderni. proœm.in eamdem. eorum in Orthodoxos crudelitas quanta. Apoc.6.v.6.

Artaba, modij 5. Proleg.de mensuris.

Artabanus quid Xerxi regi suggesserit in multitudine copiarum fidenti. Iudith 9.v.16.

Artaxerxes, Xerxes, Assuerus, Axyares, nomina regum Persarum. Proleg.de Idiotismis Hebr.nu.19.Dan.9.v.2.

Artaxerxes Longimanus mittit Esdram in Iudæam. 1.Esd. 7.v.1. item Nehemiam. 2.Esdr.1.v.1. anno eius 23. initium 70.hebdomadum Danielis. ibid.

Artemon est velum minus. Actor.27.v.40.

Articuli duodecim Symboli Apostolici designantur in 12.lapidibus fundamenti cælestis Ierusalem. Apoc.21.v.14.

Artificum vallis qua. 2.Esdr.6.v.2.

Arx Græcorum in Sion quamdiu Ieroſolyma steterit, & à quo diruta. 1.Mach.4.v.60 c.13.v.49.& 51.& c.14.v.36. arx Sion erat munitissima & inaccessa. Mich.4.v.8.

As, Assis, Pondo, Libra. Proleg.de Ponderibus initio.

Asa rex, an excelsa euerterit. 2.Paral.14.v.2. eius memorabilis victoria aduersus Æthiopes. v.9. cor eius quomodo perfectum. c.15.v.17. anni regni eius v.19. excidit victoria de Syris ob diffidentiam. c.16.v.7. eius crudelitas. v.10. podagra. v.12. sepultura cum aromatibus & vnguentis. v.14.

Asaph auctor fuit quorumdam Psalmorum. 2.Par.29.v.30.

Asar-Haddon, vel Assaradon, vel Asenaphar idem est. 4. Reg.19.v.vlt.1.Esdr.4.v.2.& 10. fuit filius Sennacherib, vixit inglorius, & hosti præda. Nahum 1.v.14.

Ascalon quando, & à quo excisa, & dein restaurata. Zach. 9.v.5.

Ascendit Christus in cælum paulò post prandium. Actor.1. v.4. & quidem propria virtute. v.2.& 9. eius ascensio describitur. v.9. ascensiones in corde quid sint. Psal.83.v.6

Ascensor cameli & asini quomodo sit Christus allegoricè: item Petrus & Paulus. Isaiæ 21.v.7.

Ascon est instrumentum musicum. 1.Paral.15.v.20.

Ascopera, saccus vtricularis. Iudith 10.v.5.

Asdrubalis caput resectum ante castra fratris proiectum, fuit causa victoriæ Romanis. c.15.v.2.

in Asia quare Paulus prædicare vetitus. Act.16.v.6.

Asina Balaam quomodo locuta. Num.22.v.28. Asina simul & pullo eius an insederit Christus. Zach.9.v.9.

Asiongaber portus maris Rubri. 2.Paral.8.v.17.

Asmodæus rex impudicitiæ: currus eius triumphalis. Tob.3. v.8. occidit septem procos Saræ; & quare. v.19.& c.7.v.11. fugatur à Raphaële, & in Thebaïdis desertum ablegatur. c.8.v.3.

Asor metropolis est Cedarenorum. Ierem.49.v.28.

Asphaltites lacus. Gen.19.v.26. Num.34.v.3.

Aspidis caput, pro exitiali veneno. Iob 20.v.16. aspis obturat aures ad vocem incantantis. Psal.57.v.5.

Assaron, mensura 8.librarum. Proleg.de mensuris.

Assidæi vnde dicti, quales essent: an iidem qui Esseni & Rechabitæ: quæ eorum dogmata. 1.Mach.2.v.42. c.7.v.13. herbis & radicibus victitabant. 2.Mach.5.v.27.

Asson vrbs est in Æolide iuxta Troadem. Actor. 20.v.13. item portus est Cretæ ad Septemtrionem. c.27.v.13.

Assuerus, idem qui Artaxerxes: nomen commune omnibus Regibus Persarum & Medorum. in Idiotis.Hebr.n.19.& 1.Esd.4. v.6. & Dan. 9.v.2. Assuerus maritus Esther fuit Darius Hystaspis. Esther 1.v.1.

Assur rex, pro quouis tyranno sumitur. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.39.& Isaiæ 8.v.4. sic vocatur etiam Darius rex Persarum. 1.Esdr.6.v.vlt.

Assyriorum imperium quo anno cœperit. Chron.c.12. *quo anno eorum monarchia diuisa.* c.33. *reges eorum exinde imperantes in Niniue.* ibid. *eorum monarchia quando euersa.* proœmio in Nahum. & *à quibus.* c.1.v.8. *ipsi fundarunt Babylonem.* Isaiæ 23.v.13. *cur dicantur apis.* c.7.v.18. *sunt sub Sennacherib rege cæsi ab angelo in obsidio Ierosolymitano.* Mich. 5. *an occulto tunc igne in cineres redacti.* Isaiæ 10.v.16.

Astaroth, Astarthe quæ dea. Iudic.2.v.13.

Astra egrediuntur, id est, nocteſcit. 2.Esdr.4.v.21. *astra matutina quæ dicantur.* Iob.38.v.7.

Astrologia in Chaldæa vulgata erat, & in vsu. Isaiæ 47. v. 10.

Astutia subinde bona est. Prou.1.v.4.c.12.v.23.c.13.v.16.

Astyages naturali morte defunctus, reliquit Cyro nepoti regnum Persarum. Dan.13.v.65.

Athalia. 4.Reg. 8.v.18. *occidit omnem stirpem regiam.* 2.Paral.22.v.10. & *ipsa occiditur.* 4.Reg.11.v.16. *fuit filia Achab, neptis Amri.* 2.Paral.22. v.2.

Atheismum plerique hæretici inducere satagunt. 2.Pet.v.4.

Atheorum impietas. Psal.13.v.3. Sap.2. v.11.&c. *Epicurismus.* Sap.2.v.8.

Athenienses quare à Paulo dicti ceteris gentibus superstitiosiores. Actor.17.v-22. *resciuerunt Deum verum, esse incomprehensibilem & ineffabilem.* ibid.

Athletæ vires probabant lapidis ponderosi subleuatione. Zachar.12.v.3. *superfluis & delicatioribus cibis abstinebant, item venere.* 1.Cor.9. v.25. *ante certamina multa grauia tolerabant.* Apoc.7.v.16.

Atlanticum bellum Platonis quando fuerit. Chron.c.8.

Atramento scribere priscis vsitatum fuit. Ierem.36.v.18.

Atrium tabernaculi. Exod.27.v.9. *atrium nouum templi, quod.* 2.Paral.20.v.5. *atrium quodque templi habebat tres portas.* Ezech. 40. v.6. *in atrio Gentium vendebantur hostiæ immolandæ.* Matth.21.v.12.

Attacus, locustæ species est. Leuit.11.v.22.

Attalia regio est Pamphyliæ in Asia. Actor.14.v.24.

Attondentur multæ gentes in comam. Ierem.49.v.32.

Auaritia radix est omnium malorum. 1.Tim.6.v.10. *eius vanitas ex* 10. *capitibus.* Eccli.14.v.4.6.20.v.12. *eius sordes.* Eccli.5.v.16.Eccli.27.v.1.&c.c.31.v.1.4.6.&c.

Auari miseria. Iob 21.v.16.Eccles.4.v.9. *est peior abortiuo.* Eccles.6. v.3. *similis est tineæ vel bombyci.* Iob 27.v. 18. *nihil illo scelestius.* Eccli.10.v.9. *nil miserius* c. 30. v. 18. *eius improbum studium corradendi opes.* Iob 28. v.9. Prou.13. *quomodo dicatur idololatra.* Ephes.5.v.5.

Auctores librorum sacrorum ea, quæ Spiritu sancto suggerente norunt, sæpè debent per se ipsi quærere & disponere. 2.Machab.2.v.27. *auctor libri 2.Machab. an sit Canonicus.* 2. Mach.2.v.27. *est compendiator Iasonis Cyrenai.* ib. *hic petit sibi ignosci styli inelegantiam, non errata.* 2.Macb.15.v.39.

Audire pro intelligere subinde rapitur. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.45.

Auditorium locus est, in quo causæ reorum deciduntur. Actor.25.v.23.

Auditu auris, id est, simul atque audiit. Psal.17.v.45.

Auditor sumitur pro iudice. Iob 31.v.35.

Auertere faciem alicuius, est negare quod petitur. 2.Par.6. v. 42.

Aues secreta produnt. Eccles.10. v.20.

Augurium Iosephi. Gen.44.v.5.

Augusta commune pluribus magnificis vrbibus nomen est. Ierem.46. v.25.

S. Augustinus cum S.Hieronymo concertationem habuit, circa simulationem S. Petri cum Iudæis. Gal.2.v.11.13.

Augustus penè miraculosè Ægypti claustra siccatis riuis Nili occupauit Isaiæ 11. v.15. *eius ara multiplex & res gestæ.* Chron. c. 44. *quomodo dicatur rex Assyriorum.* Isaiæ 7. v. 15.& c.8.v.4. *cur Domini nomine dici noluerit.* Actor.25. v. 26. *Augustus erat commune Imperatorum nomen.* Actor. 25.v.21.

Aulam Persarum non vocatus ingrediens, morte plectitur. Esther 4.v.11.

Aureola peculiaris Doctorum in cælesti gloria, vti & Virginum & Martyrum. Dan.12.v.3.

Aurem alicui aperire, vel auriculam reuelare, est praduire, præcipere, præmonere. Proleg. de Idiotismis Hebr.n.36.& Iob 36. v. 10. *auris dextra Malcho præcisa quid mystice denotaret.* Matth.26. v.51. *quid sit auris zeli.* Sap. 1. v. 10. *aures audiant bona & vtilia.* Lucæ 8.v.8. *aurium perforatio, signum perpetuæ seruitutis.* Exod.21.v.6. & *obedientiæ symbolum.* Psal.39.v.7. *aurem inclinare est auscultare.* Psal. 48.v.5. & *obedire.* Psal. 44.v.11.

Aurichalcum æs est aureum habens colorem. 3.Reg.7.v.45. Apoc.1.v.15. *idem est cum electro.* Ezech.1.v.4.

Aurigarum Circensium factiones quatuor magnas sæpè turbas excitarunt. Zach.6.v.8.

Aurugo quis morbus, etiam in segetes grassatur. Ierem. 30. v.6. & 2.Paral.6.v. 28. *aurugo, vitium pestis.* vide *Ærugo.*

Aurum quantò ponderosius reliquis metallis in pari dimensione. Proleg.de Mensuris. *est symbolum charitatis.* Apoc. 3. v.18. *etiam ex frigidis regionibus optimum.* Iob 37. v.22. *aurum obrizum.* 2.Paral.8.v.18. & Iob 28. v.15. *aurum omne Dei est.* Agg.2.v.9.

Aurea Chersonesus quæ sit regio. 2.Paral.8.v.18.

Auster symbolum est gratiæ & opis diuinæ. Ierem.1.v.13.

Austri interiora quæ sint. Iob 9.v.9.

Austeritas ficta hæreticorum damnatur ab Apostolo. Col. 2. v. 23.

Axiomata Gentilium & Iudæorum, cum doctrina Euangelica non constantia. Col.2.v.8.

Azarias Propheta quis sit. 2.Paral.15. v.1.

Azotus à quo subacta. Zach.9. v.6. *quomodo Christo asserta.* v.7.

Azyli iura apud Hebræos. Num.35.v.6.Deut.19.v.12. *cur & apud Christianos?* Iosue 20.v.2.

Azymi panes. Deut. 16. v.3. *azymorum festum seu Paschæ.* Leuit.23. Deut.13. *in azyma instituit Christus Eucharistiam.* Matth.26.v.17.

B*Aal, Bel, Belus, Beel-zebub, Beel-Phegor, Baal-Pharazim.* Gen.10.v.8.& Iudic.2.v.13.

Baal pharasim, quid, & vnde dictum. 1.Paral.14.v.11.

Baal, seu Bel, Babyloniorum Deus: ab eo varia sunt nomina deriuata. Isaiæ 46, v.1.

Baali, idem est quod Dominus meus. Osee 2. v.16.

Babel turris quot annis constructa. Chron.c.12.

Babylon ducta Sesach, cur. Ierem. 25. v.26. *cur vocetur mons caliginosus.* Isaiæ 13. v. 2. *ei Iudæa erat ad Asphaltum.* Ezech.20. v.46. *quàm esset munita, & ei prospectum.* Ierem.51.v.42.& 58. *est intercepta à Persis Euphrate alueum deriuato, vti & aliàs ab aliis.* Ierem.50.v.38. *hausta à Persis subacta.* Zach.6.v.6. *ac tunc magna ex parte flammis absumpta fuit.* Dan.5. v.30. *eius quanta esset magnitudo.* ibid. *post subactionem redacta ad solitudinem paulatim, & deserta mansit.* Isaiæ 13.v.20. Ierem. 50. v.39.& c.51.v.26. *quænam eius euersionis causa.* c.51.v.5.& seqq. *cur vocetur mons pestilens.* v.25.

Babylon Ægyptia tempore Apostolorum, erat tantum obscurum castellum, vnde eius Ecclesia non potest sumi pro Romana. 1.Pet.5. v.13.

Babylonica æra qualis, & quando cœperit. Chron.c.34. *quot annis duraret Babylonica seruitus.* Chron.c.35.

Bacchanalia olim multa cum ebrietate atque libidine celebrabantur. 2.Mach.6.v.7.

Bacchus quando in India regnarit. Iudic.3.v.31.

Baculus panis, pro alimento. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.36

& Leuit. 26. v. 26.
Badan, seu Ben-Dan pro Samson. 1. Reg. 12. v. 11.
Bagoas, pro eunucho sumitur. Iudith 12. v. 10.
Babe est ramus palmaris. 1. Mach. 13. v. 34.
Baioco quanti sit pretij. Proleg. de Ponderibus.
Balaam quod scandalum miserit filiis Israel. Apoc. 2. v. 14. an verus Propheta, an ariolus, an augur. Num. 22. & 24. v. 1. & 14. an tres Magi ex eius posteris. v. 7. occiditur ab Hebraeis. c. 31. v. 8. eius consilium datum Balacho regi locum habuit per totum iter Israelis à Setim vsque ad Galgalam. Mich. 6. v. 5.
Balenae captura. Proleg. de Idiotismis Hebr. nu. 15. & Iob. 3. v. 8. balenae conditiones. Iob 40. v. 20. & c. 41. toto.
Balsamum est arbuscula valdè odorifera. Eccli. 24. v. 20.
Baltheus quasi bullatheus. Iob 12. v. 18.
Baltassar idem est quod Baalis thesaurus. Dan. 4. v. 5.
Baltassar rex Chaldaeorum cur vocetur Lucifer. Isaiae 14. v. 12. eius fastus. v. 13. omnes eius filij occisi. v. 20. mirè fauit Iudaeis. Dan. 14. v. 1. dicitur quoque Merodach vel Euilmerodach. Ierem. 50. v. 2.
Baptismus sumitur pro lotione. 2. Esd. 4 v. 23. Iudith 12. v. 7. cur toties vsurpatus à Iudaeis. ibid. Sacramenti baptismi figura est arca Noë. 1. Petr. 3. v. 21. alia eius figura. 1. Cor. 10. v. 2. habet vim iustificandi, & ad salutem est necessarius. Ioan. 3. v. 5. eius effectus non percipitur oculis. v. 8. eius forma cur initio Ecclesia adderetur nomen Iesu Christi. Actor. 2. v. 38.
Baptismus Ioannis erat diuersus à baptismo Christi. Actor. 19. v. 2. quomodo differat à Christi. Ioan. 1. v. 26. non erat Sacramentum. Matth. 3. v. 6. 11. baptismus metaphoricus quis sit. 1. Cor. 15. v. 29.
Baptizari in mortem Christi quomodo dicamur. Rom. 6. v. 3. 4. baptizari à mortuo quid sit. Eccli. 34. v. 30. baptizauit Ioannes in aqua, Christus in Spiritu sancto. Matth. 3. v. 11. baptizari à Ioanne cur voluerit Christus. v. 13.
cum Barabba sceleratissimo cur Christum Pilatus componat. Matth. 27. v. 16.
Barba rasio quibus, & cur inhibita. Leu. 19. v. 27.
Barbari metonimicè dicuntur bestiae. Osee 2. v. 18.
Baril constat boccalibus 32. Proleg. de Mensuris.
S. Barnabas praeclara multa habuit talenta. Actor. 4. v. 36. venditi agri pretium attulit ad pedes Apostolorum. ibid. an patruus fuerit S. Ioannis Euangelistae. ibid. quando & à quibus ordinatus sit Episcopus. Actor. 13. v. 3. S. Paulum ad Apostolos deduxit. Act. 9. v. 27. quare ab eo factus alienior: an in Italia praedicarit, & Mediolanensem Ecclesiam erexerit: in Cypro martyrio vitàm finiuit. Actor. 15. v. 39. cur à Lycaonijs putaretur Iupiter. Actor. 14. v. 11. eius res gestae. Chron. c. vlt.
Barsabas in Apostolum denominatus, quis fuerit: postea Episcopus fuit Eleutheropolitanus. Act. 1. v. 23.
Baruch scriba fuit Ieremiae, qui eius prophetias in vnum volumen congessit, & populo proposuit. proœmio in Ierem. & c. 36. v. 4. fuit nobili stirpe progenitus, eius humilitas: fuit indiuiduus comes Ieremiae: eo defuncto recessit ad suos in Babylonem: scripsit hebraicè, sed exemplar Hebraeum intercidit: eius liber Canonicis annumerandus est: eius libri argumentum. proœmio in Baruch. cur fuerit Iudaeis suspectus post vrbis euersionem. Ierem. 43. v. 3.
Basan regio fertilissima est. Deut. 32. v. 14. & c. 33. v. 22.
Basilica Salomonis sumitur pro atrio populi. 2. Paral. 4. v. 9. quae basilica Assueri. Esther 4. v. 11.
Basiliscus, seu regulus, quis serpens. Deut. 8. v. 15. eius quanta sit virulentia. Ierem. 8. v. 17.
Basis aenea in basilica quaenam. 2. Paral. 6. v. 13.
Battologia quid sit. Eccles. 5. v. 1.
Batus communis vide Metreta.
Bdellium, genus gummi. Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 15.
Beati in caelo vocandi sunt à Iesu Iesuita, à Saluatore saluati. Apoc. 3. v. 12. Deus ipsis loco templi est. Apoc. 21. v. 22. omnes an cruce in fronte insigniendi. Ezech. 9. v. 4. vide Caelum.
Beatitudo vera in quo sita. Psal. 1. v. 1. in quo falsa. Psal. 143. v. 12. &c. beatitudines decem. Eccli. 25. v. 9. &c. eam incrementur iusti ex iustitia & de condigno per sua bona opera. 2. Tim. 4. v. 8.
Beel-Phegor idem est qui Priapus. Num. 25. v. 1. Psal. 105. v. 28.
Beelzebub an idem qui Lucifer. Luca 11. v. 15. 4. Reg. 1. v. 5.
Behemoth capitur pro elephante. Iob 40. v. 10.
Bel, Baal, idem qui Nemrod & Iupiter. 2. Chron. c. 12.
Belial pro diabolo. Deut. 13. v. 13. pro impio. Prou. 6. v. 12. Nahum 1. v. vlt.
Bellum debito modo susceptum licitum est, sed quid in eo cauendum. Iac. 4. v. 1. bello occisos sepultura tradere consuetum priscis. 2. Mach. 12. v. 39. bella quomodo tempore Messiae cessatura dicantur. Isaiae 2. v. 4. bella piorum qualia sint. ibid. à bello qui remouendi. Deut. 20. v. 5. leges belli variae. ibid. bellorum Domini liber, quis. Num. 21. v. 14.
Belomantia erat species diuinationis. Ezech. 21. v. 19.
Banadad rex Damascum mirè exornauit. Ierem. 49. v. 27.
Benedicere, antiphrasticè pro maledicere. Proleg. de Idiotismis Hebr. num. 31. & 3. Reg. 21. v. 9. benedicere, quid. 1. Paral. 16. v. 2.
Benedictio qua Christus panem Eucharisticum benedixit, non fuit consecratio. Matth. 26. v. 26. benedictio solemnis, sacerdotum erat propria. Deut. 10. v. 8. formula illius. Num. 6. v. 24. benedictio, pro hereditate. Iosue 15. v. 19. benedictiones dulcedinis quae sint. Psal. 20. v. 4.
S. Benedictus vidit velut in globo in radijs solaribus totum mundum collectum. Apoc. 20. v. 12. Matth. 4. v. 8.
Beneficia Dei vide Dei beneficia. beneficia Dei in Israelitas collata. Isaiae 48. v. 1. 3. 8. & seqq. beneficium noxam afferens vocatur panis lapidosus. Thren. 3. v. 16.
è solo beneplacito Dei Iacob electus pro Esau. Rom. 9. v. 10. 11. 12. 16.
Beniaminia tribus penè excisa. Iudic. 19. 20. 21. vnde serè comprehendebatur sub nomine Iuda. 3. Reg. 11. v. 13.
Berenice filia Herodis Agrippae, soror iunioris & concubina: sed postea nupsit Polemoni regi Ciliciae: propè fuit vt nuberet Tito Imp. Actor. 25. v. 13.
Beraeenses Iudaei, nobiliores erant aliis, cur. Actor. 17. v. 11.
Bersabee, id est puteus iuramenti. Gen. 21. v. 31. vel puteus abundantiae. Gen. 26. v. 33.
Beryllus gemma auro vestiri detrectat: eius energia: S. Thomae adaptatur, & extremo Christi iudicio. Apoc. 21. v. 20.
Bes, octo vnciae. Proleg. de Ponderibus.
Bestiae igniuomae. Sap. 11. v. 19. bestiae superuacuae, quae. Sap. 11. v. 16. & c. 12. v. 24. bestiarum ira. Sap. 7. v. 20. omnes vsu, arte, esca, vel freno domantur. Iac. 3. v. 7. ad quas bestias Epheси Paulus pugnarit. 1. Cor. 15. v. 32.
Bethacarem vicus non procul à Thecua erat. Ierem. 6. v. 1.
Bethania quantum à Ierusalem distaret. Matth. 21. v. 17.
Bethania duplex est. Ioan. 1. v. 28.
Bethauen Osee vocat Bethel, ob vitulum aureum, qui ibi colebatur, id est domum nihili. Osee 4. v. 15. & c. 10. v. 5. Amos 5. v. 5.
Bethel vnde dictum. Gen. 28. v. 17.
Bethlehem fuit locus natalis Messiae: vnde dicta: duplex fuit Bethlehem: vnde dicta Ephrata: cur minima & non minima sit in principibus Iuda. Mich. 5. v. 2. Matth. 2. v. 1.
Bethphage vicus erat ad pedem montis Oliueti. Matth. 21. v. 1.
Bethulia vrbs vbi sita. Iudith 6. v. 7.
Beza descensum Christi ad inferos vt euertat, mauult Scripturam intorquere. Actor. 2. v. 27.
Bibere iniquitatem sicut aquam quid sit. Iob 15. v. 16.
Biblicas Historias notabiliores Gentiles ad falsos suos deos retulerunt. 1. Mach. 3. v. 48.
Bibliotheca pro archiuo. 1. Esd. 5. v. 17. bibliotheca Nehemiae Ierosolymae qualis fuerit. 2. Mach. 2. v. 13. 14. fuere bibliothecae ante Aristotelem. v. 14.

Bigamini non sunt ordinandi Episcopi vel presbyteri. 1.Tim. 3. v. 2.

Bilinguis quis dicatur. Prou.18.v.8.Eccli.5.v.11.17.

Binomines sunt multi in Scripturis. 1.Paral.6.v.34.

Blanca, quæ moneta. Proleg.de Ponderibus.

Blasphemia in Christum facilè remittitur, at in Spiritum sanctum minimè: cur aliqua blasphemia in solum Spiritum sanctum dicatur. Matth.12.v.31.

Blasphemus iussu Dei lapidatur. Leuit.24.v.10.

Boanerges quid sonet, & vnde componatur. Marc.3.v.16.

Boccalo, libra 5.$\frac{1}{3}$. Proleg.de Mensuris.

Bolidis vsus in nauigando quis. Actor.27.v.28.

Bombyces sese nendo exenterant. Iob 27.v.18.

Βωμολοχία eadem est quæ scurrilitas. Ephes. 5. v.4.

Bona mundana cur diligenda non sint. 1.Ioan.2.v.15.16. *bona plura nobis confert Christi gratia, quàm abstulit Adam.* Rom.5.v.15. *quæ bona attulerit Euangelium.* Rom.10.v.15.

Bonus odor Christi Deo quomodo simus. 2.Cor. 2.v. 15.

bonum *sumitur pro melius.* Proleg.de Idiotis. Hebr. nu.5. & Psal.117. v.8. & bonus *pro benefico.* Rom. 5.v.7.

Borith herba est fullonum, quâ panni sordes eluuntur. Ierem. 2. v. 22.

Bos & asinus ad præsepe Dominum recèns natum adorarunt. Isaiæ 1.v.3. *boues erant subtus & in peripheria maris ænei.* 2.Paral.4.v.3. *boues trieunes sunt pinguissimi.* Isaiæ 15.v.5. *boui trituranti os non obligandum.* Deut.25.v.4. *boum fortitudo, vbi multæ segetes.* Prou.14.v.4.

Bosphorus Thracius diuidit Europam ab Asia. Abd.v.20.

Bosra dicta metropolis Idumææ: erat item alia ciuitas in Moab. Isaiæ 63. v.1.

Botri reperti subinde ingentis ponderis. Num.13.v.24.

Botta Romana constat boccalibus 256. Proleg de Mensur.

Brachium capitur pro potentia. 1.Reg.2.v.3. *item pro armo.* Eccli.7.v.33.

Bruchus locusta pullus est, qui grandior factus vocatur attelabus, matura iam ætate ophiomachus, post pullos procreatos locusta. Ioël 1. v.4.

Bubalus quis inter munda animalia censeatur. Deut.14.v.5.

Bubasti vrbs est Ægypti prope Pelusium, in qua celebre Dianæ templum. Ezech.30.v.17.

Bugæus idem quod Agagæus. Esther 12.v.6.

Burdo, asinus est. 4 Reg.5.v.17.

Busiridis ara. Esther 7.v.10.

Butyro lauare pedes quid sit. Genes.49.v.11.& Deut.33. v.25.Iob 29.v.6.

Buxearum tabularum olim erat vsus in scribendo, vel characteres eis insculpendo, vel ceram iis inducndo. Habacuc 2.v.2.

Byssus linum subtilissimum. Exod.25.v.4.Ezech.16.v.10. *repræsentat innocentiam vitæ.* Apoc. 19. v.8. *sit patientia melior.* ibid.

Byssini vermes se nendo exenterant. Iob 27.v.15.& 18.

CAbus, vel chœnix, *sexta pars sati.* Proleg. de Idiotismis Hebr.n.16. & de Mensuris.

Cacabus ad ollam prouerbium. Eccli.13.v.3.

Cacula militares nocentiores sunt militibus. Apoc.9.v.19.

Cadauerum contactu polluebantur Iudæi. Thren.4.v.14.*ea sepulta cur condirentur myrrha & aloë.* Ioan.19.v.39. *item aromatibus & vnguentis.* 2.Paral.16.v.14. *ea non absumebant Iudæi flammis, sed tantùm aromata & vnguenta eis superposita.* Ier.34.v.5.

Cadere in terram, pro vilescere. Iob 29.v.24.

Cades desertum, quod sit. Psal.28.v.8.

Cadmus Thebis quando regnarit. Iud.3.v.31.

Cadus, est amphora Attica. Proleg. de mensuris.

Cæcitas Gentilium in peccatis suis agnoscendis. Rom. 1. v. 28.

Cæci & claudi quomodo priùs ex arce Ierosolymitana dicantur auferendi, quàm ipsa vinceretur. 2.Reg.5.v.6. *cæcum quare Christus extra vicum Bethsaidæ eduxerit, eum curaturus.* Marc.8.v.23. *cur eum nonnisi sensim curarit.* v.24.

Cædes impiorum Deo est gratissima. Ezech.21.v.10.

Cælibatum ab omnibus seruari vellet Apostolus. 1.Cor.7. v.7.8.

Cælibes in Ecclesia Dei primum locum occupant. Isaiæ 56. v. 5.

Cælum quomodo in fine mundi recessurum sit sicut liber. Apoc.6. v.14. *quomodo atteratur, pereat, transeat.* Iob 14. v.12. *est in vacuo expansum.* Iob 26.v.7. *quis eius concentus.* c.38.v.37. *cæli extrema, sunt vltima regiones terræ.* 2. Esdr.1.v.9. *eius quæ commotio facta veniente Messia in mundum.* Agg.2.v.7. *cælum rubicundum designat serenitatem crastinæ diei.* Matth.16.v.2. *cælum tertium quodnam sit, quod primum.* 2.Cor.12.v.2.

Cælum cælorum, est empyreum. 2.Esdr.9.v.6. *ipsum an sit quadratum.* Apoc.21.v.16. *in eo erit continuum festum.* Isaiæ 66.v.23. *an ibi futura vera sensuum oblectamenta, & singulis sensibus propria.* Apoc.22.v.1. *eius deliciæ.* Psal. 35.v.9. *ipsum est patria nostra.* Psal.14.v.1. *quæ via in cælum.* Psal.14. *eo excluduntur peccatis polluti.* Isaiæ 35. v.8. *è cælo erat doctrina Christi.* Ioan.1.v.51. *id Ioanni in Apocalypsi exhibitum forma serè templi Salomonici.* Apoc. 6. v. 9.

Cæli quomodo aperiri dicantur. Matth.3.v.16. *quomodo periisse diluuio.* 2.Pet.3.v.5. *sunt quasi ære fusi.* Iob 37.v. 18. *& sicut pellis extensi.* Psal.103.v.2. *an supra se habeant aquas.* v.3.& Genes.1.v.7.& Psal.148.v.4. *an sint perituri.* Psal.101.v.7. *eorum vastitas & amplitudo.* Baruch 3.v.25. *quomodo complicandi sint sicut liber.* Isaiæ 34. v.4. *non mutabuntur secundùm substantiam, sed secundùm formam.* ibid. *enarrant gloriam Dei.* Psal.18.v.1.& 3. *& iustitiam.* Psal.21.v.32. *eorum influentia.* Eccli.16. v.26. *quomodo sint immundi.* Iob 15.v.15.& 25.v.5. *eorum splendor & pretiositas quid denotet.* Apoc.21.v.18. *tam sidera quàm aëra in fine mundi magno impetu raptabuntur.* 2. Pet.3.v.10. & *exurentur, deinde renouabuntur.* v.10.13. *quos cælos apertos viderit S.Stephanus.* Actor.7.v.55. *cæli cælorum qui dicantur.* Eccli.16.v.18.

Cæsarea Palæstinæ elogium & dignitas. Actor.10.v.1. & c.8.v.40. *eius Episcopo suberat Ierosolymitanus.* Act.10.v.1.

Cæsarea Philippi vrbs vnde dicta, priùs alia varia habuit nomina. Matth.7.v.13.

Cain quo anno natus, quo fratrem occidit, quo vrbem Enochiam condidit. Chron.c.8. *quo signo notatus à Deo ne occideretur.* Gen.4.v.15. *fuit causa diluuij cum suis.* Sap.10. v.3. & 4.

Cainan an ex proauis Abrahæ. Chron.c.13. *an in genealogia eius probè interseratur.* Luc.3.v.36.

Caiphas pontifex quis. Chron.c.42. *mortem sibi consciscit.* c.vlt. *materialiter prophetauit, præter mentem suam, sed directione Spiritus sancti.* Ioan.11.v.50.51. *cur sciderit vestimenta sua: quid hac scissio mysticè designaret.* Matth.26.v.65. *in eius domo cur conuenissent Scribæ & seniores.* v.57.

Caij Caligulæ Imp.res gestæ. Chron.c.vlt.

Caius hospes S.Pauli Corinthi, hospitalitate excellit. Rom. 16.v.23.

Caius cui scribit S.Ioannes, quis qualisve fuerit. 3.Ioan.v.1.

Calamus quot cubitos contineret. Ezech.40.v.3. *continet nouem pedes.* Proleg.de Longitud.

Calanno vrbs iuxta Babylonem sita, postea dicta Ctesiphon. Isaiæ 10. v.9.

Calceamenta qualia Apostolos gestare vetet Christus. Matth. 10.v.10. *calceamenti solutio duplex.* Ruth 4.v.7.

Calceum extendere quid significet. Psal.59.v.10. *calceos exuendi mos.* Exod. 3.v.5. & Iosue 5. *calcei an aliquando ferrei.* Deut.33.v.24.

Calculorum vsus erat apud Græcos in comitiis. Apoc.2.v.17.

Caleb an frater, an patruus Othonielis. Num.32.v.12.

Calenda Hebrais festiuæ. Num.28.v.11.& 1.Reg.20.v.19.
Caliga Latinis idem est quod calceus vel solea. Actor.12.v.8.
Calicis vsus non est laicis præscriptus. Luc.22.v.20. calix quomodo sit nouum testamentum. 1.Cor.11.v.25. calicem passionis quomodo Christus à se transire petat. Matth.26.v.39. calix Dei plenus mixto quis sit. Psal.74.v.9. calix salutaris, quis. Psal.115.v.4. calix significat metaphoricè iustam mensuram vindictæ & suppliciorum à Deo destinatam cuique. Ier.25.v.15. item hereditariam portionem. Psal.10.v.7. & sortem cuique decretam. Eccli.32.v.1.
Caluini mendacium de imaginum adoratione quam Catholici faciunt. Baruch 6. v. 71. eius blasphemia de Christi desperatione in cruce. Matth.27.v.46.
Caluities admodum probrosa est. 2.Reg.10.v.5.
Calumnia mala. Iob 5.v.15.c.19.v.22.
Calyculi erant in corona pontificia. Exod.28.v.38.
Camelopardus animal mundum erat. Deut.14.v.5.
Camera Pastorum quis locus. 4.Reg.10.v.12.
Campi Elysij an iuxta Gades Hispaniæ sint. Ezech.27.v.7. campus germinans de profundo maris. Sap.vlt.v.7.
Cancri Iudæis lege prohibiti: ideo eos Ioan.Baptista manducare non potuit, vt asserunt Nouantes. Marc.1.v.6.
Candace commune nomen reginarũ Aethiopiæ. Actor.8.v.27.
Candelabrum septiramum quando & quamdiu accendi solitum. Exod.25.v.31. decem erant candelabra aurea in templo Salomonis. 3.Reg.6.& 2.Paral.13.v.11. pòst non nisi vnum à tempore Roboam. ibid.
Candor lucis æternæ est Christus. Sap.7.v.26.
Canis Tobiæ quid symbolycè denotet. Tob.11.v.9.
Canones Conciliorum non repugnant Euangelio. Gal.1.v.8.
Cantharus Hisp.8.boccalia Italica. Proleg. de Mensuris.
Canticum Canticorum, est excellentissimum canticum. Proleg. de Idiotis. Hebr. n.50. item perfectum. in proœmio Cantici. canticum nouum quod canerent 24. seniores ante thronum Dei. Apoc.5.v.9.
Cantores regij, duplicis generis, sacri & profani. 1.Paral. 25.v.5. cantores templi erant per classes distributi. cap.9. v.33.
Capharsalama quis locus. 1.Mach.7.v.31.
Capharnaum vrbis situs. Matth.4.v.14.
Capillorum abrasio seu caluitium quando Iudæis vetita. Leuit.10.v.6. & c.19.v.27. capilli candidi velut nix quid in Christo repræsentent. Apoc.1.v.14.vide Coma.
Cappadocia duplex est. Deut.2.v.23.
Capparis quid symbolicè designet. Eccles.12.v.5.
Caprea ceruiq; camporum quid notent. Cant.2.v.7.& vlt.
Captiua puella quibus ritibus expianda, priusquam in vxorem sumatur. Deut.21.v.12.
Captiuitas Iudæorum & Israelitarum quousque se extenderit. Soph.3.v.10. horum fuit triplex. 4.Reg.15.v.29.& c.17.v.3.
Caput velabatur morti adiudicatis. Ezech.24.v.17. operiebatur in luctu. 2.Reg.13.v.19. id radere vetitum Hebræis. Leuit.19.v.27. caput mouere, gestus vel compatientis vel irridentis. Iob 16.v.5.& c.vlt.v.11. caput & cauda, pro summo & imo. 3.Reg.14.v.10. caput, pro toto homine. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.28. esse in caput, vel in caudam, est, primum vel vltimum fieri. Deut.28.v.13.& 44. caput canis, pro re vilissima. 2.Reg.3.v.8. Eccli.13.v.22. in capite esse, pro, caput & supremum esse. 2.Paral.11.v.22.
Carbones accendere, quid metaphoricè. Eccli.8.v.13.
Carbunculus varia significat. Proleg. de Idiotismis Hebr. n.15. carbunculi gemmæ pretium. Isaiæ 6.v.5.
Carcer profundus vocatur lacus, fouea, tenebræ. Ierem.37.v.15. carcer Ieremiæ insigni templo fuit postea exornatus. ibid.
Carcharias an fuerit piscis qui Ionam deglutiuit. Ion.2.v.1.
Cardiacus dolor quis propriè sit. Thren.3.v.65.
Cardinales virtutes quatuor. Sap.8.v.7.
Cardines terræ qui dicantur. 1.Reg.2.v.8.
Cardui è Libano apologus. 2.Paral.25.v.17.
Cariath-Arbee ciuitas eadem quæ Hebron. Gen.23.v.4.
Carioth erat metropolis Moab, ob amplitudinem dicta vrbs. Amos 2. v.2. aliàs dicta Cariathaim. Ierem.48.v.1.
Carmelus mons Iudææ fertilis. Cant.7.v.5. hinc typus est amœnitatis & fertilitatis. Amos 1.v.2.Ierem.2.v.7. duo fuere Carmeli, vnus sterilis, alter fertilis. Ierem.2.v.7.
Carmelitarum origo & auctor. 3.Reg.17.v.1.
Carmen Iona in ventre ceti decantatum, qualis sit metri. Ion.2. v.3.
Caro subinde pro toto homine capitur. Proleg. de Idiotismis Hebr.n.28. alia carnis significata. ibid.n.29. Verbum Dei caro factum est. Ioan.1.v.14. carne & sanguine nihil nequius. Eccli.17.v.30. omnis caro quomodo videre Christum saluatorem. Luc.3.v.6. carnem suam comedendam,& sanguinem bibendum dat nobis Christus in Eucharistia. Ioan.6. v.52. eam manducantibus promittitur vita spiritualis in hac vita per gratiam, & cælestis per gloriam. v.54. carnes idolis immolatæ in macello vendebantur, eaque licitè comedebantur cùm abesset scrupulus. 1.Cor.10.v.27.& seqq. carnibus alterius saturari, quid. Iob 19.v.22.& c.31.v.30.
S.Carpus an fuerit Episcopus Pergamenus. Apoc.2. v.12. postea Cretæ fuit Episcopus. 2.Tim.4.v.13.
Carthago fuit colonia Tyriorum. Isaiæ 23.v.1.
Casei formellæ quæ dicantur. 1.Reg.17.v.18.
Casleu erat mensis nonus. 2.Esdr.1.v.1.
Cassia idem quod cinnamomum. Iob vlt.v.14.Psal.44.v.9.
Castella & vici vocantur subinde mapalia & villæ rurales. 2.Paral.26.v.10.
Castigans castigauit, pro vehementer castigauit. Proleg. de Idiotismis Hebr.n.49.
Castigatio corporis deseruit virtuti cõparandæ. 1.Cor.9.v.27.
Castus quomodo in suo statu quisque viuere possit. 1.Cor.7. v.7. casti soli heredes Dei. Iob 31.v.2.
Castitas ita donum est Dei, vt in nostra sit potestate. Matt. 19.v.12. seruare eam volenti non deest Deus; quæ illum propter eam in cælo maneat merces. ibid. reddit hominem filium Dei: est virtus angelica. Luc.20.v.36. vnit spiritum cum Deo accidentaliter, non essentialiter. 1.Cor.6.v.17. à Deo datur, & quidem eam petentibus. Matth.19.v.11. non est omnium. ibid.
Castores quales essent. Actor. 28. v.11. eorum statuæ à nautis puppi quare appingerentur. ibid.
Castrorum Iudaicorum ordo circa tabernaculum. Num.2. v.3. ea suas portas habebant in deserto. Hebr.13.v.12. castrorum acies ordinata. Cant.6.v.3.9. c.7.v.1. castra Domini, pro templo. 2.Paral.31.v.2.
Castratio sui prohibita est: non minuit carnis pruritum, sed auget, at minuit vires animi & corporis. Matth.19.v.12. castratio spiritualis in quo sita sit. ibid.
Casus in omnibus est. Eccles.9.v.11.
Catachresis in Script. frequens est. Proleg.de Idiotismis Hebr. num. 34.
Catalogus è Babylone Ierosolymam redeuntium vocatur liber vitæ. Ezech.13.v.9.
Cataractæ cæli quæ dicantur. Gen.6.& 4.Reg.7.v.2. vsus
Catechizandi rudes & pueros. Gal.6.v.6.
Catechumeni cur donarentur olim agno cereo in octaua Paschæ. Isaiæ 53.v.7.
Catenæ S.Petri solenniter ab Ecclesia celebrantur. Act.12.v.6.
Cathedra pestilentiæ quæ dicatur. Psal.1.v.1. cathedra sumitur præconsessu. Psal.106.v.32.
Catholicis sub arrianismo quàm prouidè Deus prospexerit. Apoc.6.v.6. Catholici hæreticas vxores ne ducant. Malach. v.15. licet illis occidere hæreticos. Isaiæ 11.v.9.
Cauda symbolum vilitatis. Isaiæ 9.v.15.
Caudos insula ingentium onagrorum ferax. Act.27. v.16.
Cauerna macerix mystica quæ sit. Cant.2.v.14.
Causas seculares olim iudicabant Episcopi. 1.Cor.6.v.4.
Cayrus Aegypti vrbs opposita Memphi est. Ierem.2. v.16.

quàm

quàm vasta sit. Dan.5.v.30. & Ioan.3.v.3.

Cedar regio est Arabiæ: vnde dicta: eius incolæ sunt nigri: dicuntur & Agareni. Cant.1.v.4. & Ierem.49.v.28. & Isaiæ 21.v.13.& cap.60.v.7.

Cedron erat proprium nomen torrentis iuxta montem oliuarum, intersecans vallem Iosaphat. Ioan.18.v.1.

Cedrus qualis sit arbor. Psal.91.v.13. *sua proceritate & odoris fragrantiâ Christi dignitatem regiam & gloriam nominis significat.* Ezech.17.v.23. *ei assimilantur principes & reges.* Ezech.31.v.1.& 18.

Ceilitæ fuere proditores Dauidis. 1.Reg.23.v.11.

Celemim, mensura 14.librar. Proleg.de Mensuris.

Celeuma est clamor se mutuo animantium. Isaiæ 25.v.31.

Cella ad latera templi quot essent. Ezech.41.v.6. *earum dimensio & descriptio.* v.7.

Cellaria sponsi quæ. Cant.1.v.3. *quæ eius cella vinaria.* Cant.2.v.4.

Celte, pro cælo sumitur. Iob 19.v.24.

Censores aliorum iniqui alios vitæ suæ censores patiuntur. Matth.7.v.1.

Census numisma, semisiclus. Exod.30.v.12.

Centesimus fructus sæpè ex vno prouenit grano. Luc.8.v.5.

Centurio Capharnaita tripliciter ad Christum accessit. Matth.8.v.5. *eius fides.* v.8. *centurio Christum in cruce exspirantem Dei esse filium confessus, qualis fuerit, an postea factus Episcopus.* Matth.27.v.54.

Cerata tabulæ quæ sint. Iob 19.v.24.

Ceremonia diei octaui Scenopegiæ. Ioan.7.v.37. *ceremonias Iudaicas sacras Gentiles ad inania deorum suorum sacra trahebant.* 1.Mach.3.v.48. *ceremoniæ, quibus Deus colitur, non exploduntur à S.Paulo.* Act.17.v.25. *ceremoniæ & ritus Ecclesiastici sunt declarationes actuum spiritualium.* Ioan.4.v.23. *ceremonias Iudaicas seruabant subinde Iudæo-Christiani, alij nonnisi nomine tenus.* Act.10.v.6.

Cerethi & Phelethi erant prætoriani milites Dauidis. 1.Reg.30.v.14. *Cerethim sunt Philistinorum fortissimi iuxta mare, vel vna eorum prouincia.* Ezech.25.v.16. *duxerunt hi coloniam in insulam Cretam.* ibid. & Sophon.2.v.5.

Cethæa erant impudentes & lubrica. Ezech.16.v.3.

Çethim *dicuntur terra trans mare, etsi propriè non sint insula.* Isaiæ 23.v.1.12.& Mach.1.v.1.

Cetus qui Ionam deglutiuit, an vera fuerit balena, an alius quispiam piscis grandior. Ion.2.v.1. vide Balena.

Cerua pauore tonitrui facilius parit. Psal.28.v.9. *cerua matutina, Christus.* Psal.21. *ceruorum anbela suis.* Psal.41.v.2. *ceruorum refugia.* Psal.103.v.18.

super Ceruices inimicorum suorum quomodo ascenderint Iudæi. Bar.4.v.25.

Chalanne vrbs in Chaldæa, dicta postea Ctesiphon. Amos 6.v.2.

Chalcedonius gemma vbi nascatur: eius color, natura, vires: idem est qui pyropius: accommodatur S.Iacobo Zebedæi & Christi incarnationi. Apoc.21.v.19.

Chaldæa lingua cur vocetur in Script. Syriaca. Dan.2.v.4.

Chaldæi per equos rufos repræsentantur. Zach.6.v.5. *eorum monarchia cur vocetur caput aureum.* Dan.2.v.38. *superauit reliquas amplitudine, felicitate, & imperij adipiscendi & administrandi facilitate.* ibid. *ea monarchia cur leæna assimiletur, alas habenti aquilinas.* Dan.7.v.4. *eius imperium breue fuit.* Ier.51.v.13. *Chaldæorum velocitas aduersus Iudæos.* Thren.4.v.19. *erant vestiti coccineis.* Nah.2.v.3. *vnà cum Persis & Medis Assyriam subegerunt.* Isaiæ 21.v.2. *exequentes Dei decretum in excisione Iudææ, non peccassent, sed suæ potiùs deseruientes ambitioni & odio, peccarunt.* Ierem.48.v.10. *ipsis, quia Tyrum Deo volente expugnarunt, data Ægypti spolia & regnum pro mercede.* Ezech.29.v.18. *eorum æra qualis, quando cœperit: quot & qui monarchæ ex Chaldæis.* Chron.c.34. *Chaldæi vocantur astrologi vel genethliaci.* Dan.2.v.2.

Cham pro Ægypto sumitur. Psal.77.v.51.Ps.104.v.23.

Chamaam vicus est iuxta Bethlehem. Ierem.41.v.17.

Chamæleon inter animalia immũda recensetur. Leu.11.v.30.

Chamos idolum Moab. 3.Reg.11.v.7.

Chanaan maledicitur à Noë. Gen.9.v.25.

Chananæa vnde dicta terra sancta, & mons, &c. Exod.15.v.13.

Chananæus capitur pro mercatore auaro. Prou.xi.v.24. Iosue 16.v.10. Ezech.17.v.4.& Osee 12.v.7. *Chananæi condiderunt & habitarunt Tyrum.* Isaiæ 23.v.11. *ipsi sunt deleri iussi.* Num.35.v.55. *quomodo vetita cum iis connubia.* Exod.34.& Deut.7. *dispersi sub Iosue per vniuersum orbem.* Iosue 12. *eos non delendo peccarunt Israelitæ, ideo eum puniti.* Ios.16.v.10.

Characterem Antichristi qui non habebit, non poterit quid vendere aut emere: quisnam ille futurus. Apoc.13.v.16. *quomodo eum gestaturi homines.* v.8.

Charan vrbs Parthiæ vbi cæsus est Crassus. Ezech.27.v.23. *Charan duplex est.* Tob.11.v.1.

Charcamis vrbs est ad ripam Euphratis. Isaiæ 10.v.9.

Charismata Spiritus sancti Ecclesiæ communicata, per aquas templi Salomonici designantur. Ezech.47.v.1.2.

Charitas vocatur vinculum perfectionis. Coloss.3.v.14. *charitas erga inimicos.* 1.Reg.24.v.5.& c.25.v.28.2 Reg.9 v.3. Psal.34.v.14. *charitatis acies & vexillum.* Cant.2.v.4. *operit omnia delicta.* Prou.10.v.12.& 1.Petr.4.v.8. *qualis esse debeat.* Cant.8.v.6.&c. *qualis erga omne genus proximorum.* Eccli.7.8.& 9. *hæc non satis probatur communibus officiis in amicos vsitatis.* Luc.14.v.12. *charitas, tam quæ in nobis est, quàm quæ in Deo, in iustificatione diffunditur in cordibus nostris.* Rom.5.v.5. *numquam deserit hominum, etiam post hanc vitam.* 1.Cor.13.v.8. *est omnium virtutum maxima.* v.13. *eius variæ proprietates.* v.4.& seqq. *est velut ignis Dei.* Isaiæ 31.v.9. *ea qua Deum diligimus, non est ipsemet Deus formaliter.* Rom.5.v.5. *charitate constratum ferculum Salomonis, quomodo.* Cant.3.v.10.

Chaspbia vicus Babylonis est. 1.Esdr.8.v.17.

Cherem seu anathema quotuplex. Leu.27.v.2.

Chersonesus aurea quæ sit. 2.Paral.8.v.18.

Cherubini Ezechielis quatuor habebant facies propriè dictæ: eorum descriptio: cur haberent hos quatuor vultus: quid hi allegoricè denotarent; quid tropologicè: accommodantur quatuor Euangelistas. Ezech.1.v.6. *quid eorum pedes recti, quid rotula rotunda designet.* v.7. *an duas manus, an quatuor haberent.* v.8. vide *Animalia. Cherubim in templo fabrefacti, erant signa victoriæ.* Ezech.41.v.18. *erant forma dimidiata in pariete plano effigiati, binasq; facies solùm habebant.* ibid.

Chibrach terræ sunt millecubiti. Proleg. de Longitud.& 4. Reg.6.v.19.

Childon idem qui Nachon. 1.Paral.13.v.9.

Chiliarchas varias habebant singulæ tribus. Mich 5.v.2.

Chiliastarum quis error fuerit. Apoc.20.v.1.

Chios insula vini præstantissimi ferax. Act.20.v.15.

Chirographo decreti ad mortem & pœnam æternam omnes quomodo subscripserimus. Col.2.v.14. *id Christus morte sua sustulit.* ibid.

Chiromantia non est in Script. fundata. Iob 37.v.7.

Chobar est riuus Euphratis. Ezech.1.v.1. *vnde habeat nomen.* ibid.

Choë vel chus, vide Congius.

Chœnix, vide Cabus.

Chœrogryllus, rupium porcellus. Proleg.de Idiotismis Hebr. n.16.& Leu.11.v.5..

Chorus subinde sumitur pro conuentu. Psal.149.v.3.

Chrismatis vsus in variis Sacramentis. Psal.22.v.5. *eo inunguntur confirmandi.* Actor.8.v.17.

Christus Dominus quo anno conceptus, natus, baptizatus, mortuus. Chron.c.47. *quo mense, quo die.* c.48. *series gestorum Christi à prima die qua conceptus est, vsque ad vltimum*

ul in talum ascendit. c.49. eius generatio triplex. Psal.2. .7. Psal.109. v.3. & Act.13. v.33. Christum iam venisse robatur. Gen.49.v.10. Isaia 53. Dan.9.v 25. eius incarnatio. Psal.39.v.7. Psal.71.v.6. Psal.88.v.39.& 52. eius natiuitas predicta. Psal.66.v.7.& Sap.18.v.15. cur è peccatoribus & Gentilibus nasci voluerit. Matth.1. v.3. fuit verus heres sceptri Dauidici v.16. ad eum id debuit deuolui, etsi Ioseph naturalis filius non fuerit. ibid. in medio duorum animalium cognitus est in præsepio. Habac.3.v.2. cur præsentari voluerit in templo. Luc.2.v.22. quatenus parentibus esset subditus, quatenus non. v.51. cur in Aegyptum cum matre fugerit. Matth.2.v.13. quando in Iudæam redierit. v.19. eius necem quærentes omnes defuncti sunt, ipso in Aegypto agente. v.20. vnde dictus Nazarenus. v.22. non fuit voto nazaræus. ibid. cur à Ioanne baptizari voluerit. c.3.v.13. an Ioannem baptizarit & Apostolos. v.14. & Ioan.4.v.2. cur super eum iam baptizatum apparuerit Spiritus sanctus. Matt. 3.v.14. an tunc nouis gratiis fuit auctus. ibid. voce Patris de cælo delapsa declaratur Messias & doctor orbis. v.17. cur tentatus sit à diabolo. c.4.v.1.3.& 9. eius ieiunium & fames in deserto. v.2. quomodò dæmonis technas eluserit. v.9. venit ex inferiore Galilæa in superiorem. v.12. cur primò in Galilæa prædicarit. ibid. vocauit Apostolos. v.18. cur prædicaret in synagogis. v.23. non potuit in eo vlla esse admiratio. c.8.v.10. eius paupertas. v.19. cur se vocet filium hominis. ibid. cur dæmones in porcos ingredi passus sit. v.31. fuit cardiognostes. c.9.v.4. quid responderit legatis Ioannis de ipso rogantibus. c.11. v.4.5. Ioanne maior fuit. v.11. ei omnia sunt à Patre tradita. v.27. fuit faber, & Iosephum in fabrili iuuit. c.13.v.55. primario Iudæis missus est, Gentibus solùm ex accidenti. c.15.v.24. omnigena beneficia suis est impertitus. v.28. cur putatus Ioan. Baptista, Elias, Ieremias. c.16.v.14. cur vetuerit suos dicere quòd esset Messias. v.20. an obstrinxerit se ad tria vota Religiosa. c.19.v.21. quomodo diem iudicij extremi ignorare dicatur. c.24.v.36.Marc.13. v.32. quomodo passiones in se admitteret. Matt.c.26. v.38. eius agonia in horto. v.39. resignatio in manus Patris. v.39. 44. cur permiserit se osculo prodi à discipulo. v.49. fecit sui copiam apprehensoribus sui. v.50.& 53. eius vita inculpabilis. v.59. cur tacuerit ad falsa testimonia. v.60. respondet adiuratus per Deum viuum. v.63. quas passus sit iniurias nocte qua comprehensus est. v.67. quomodo ei illuserit Herodes. Luc.23.v.11. Barabbæ postponitur. c.27.v.16. flagellatur & illuditur. v.26. 27. & 29. educitur ad crucifixionem. v.32. crucifixio eius quomodo peracta, & quid tum in monte Caluariæ contigerit. v.35. quomodo se à Patre derelictum queratur. v.46. eius resurrectio. c.28.v.1, & seqq. ei data omnis potestas in cælo & in terra. v.18. semper nobiscum est. v.20. docebat quasi potestatem habens. Marc.1. v.22. quomodo sedeat ad dexteram Patris. c.16. v.19. viuens in terris, quà homo & quà Deus, continuò erat in cælo. Ioan. 2. v.13. quomodo dixerit se ad festum scenopegia non ascensurum, & tamen postea ascenderit. c.7.v 8.& 14. vnica voce percellit milites. c.18 v.6. quomodo in cælos ascenderit. Actor.1.v.2. & quando. v.4.& 9. quid docuerit suos post resurrectionem circa Ecclesiæ regimen. v.3. eius varia nomina & elogia. Isaia 9.v.6.7. eius regnum spirituale est. ibid. est pax totius mundi causaliter. Mich.5. v.5. antonomasticè est seruus Dei. Isaia 42.v.1.& Ezech. 34.v.23. cur vocetur Oriens. Zach.3.v.8. est lapis Ecclesiæ fundamentalis & angularis. v.9. cur in eum omnes tum angelorum, tum hominum sanctorum oculi intenti sint. ibid. quid ei sit insculptum. ibid. cur vocetur verbum vitæ. 1.Ioan.1.v.1. animarum est Episcopus. 1.Petr.2.v.25. est fons viuus patens domui Dauid. Zach.13.v.1.& 6. est filius, radix & genus Dauid. Apoc.22.v.16.& Psal.113.v.7. est lapis sine manibus de monte abscissus, & quomodo: is commouit mundi statuam. Dan.2.v.45. habuit omnia dona Sp. sancti. Isaiæ 11.v.2. pauperes & mansuetos defendit. v.4. impios prostrauit spiritu labiorum suorum. ibid. est dux & dominator ex Bethlehem nasciturus. Mich 5.v.2. designatur allegoricè in viro metiente templum apud Ezechielem. Ezech.40. v.3 est naturalis Dei filius & Deus. Rom.1.v.4. est angelus testamenti æterni. Malach.3.v.1. per ipsum obtingit abundantia omnis gratiæ. Psal.64.v.5.&c. Psal.71.v.16. & gaudij totius orbis. Psal 95.v.11.& Psal.97.v.8. est sol iustitiæ, cuius radij sanitatem habent. Malach.4.v.2. quare vocetur veritas. Ioan.8.v.32. est primogenitus omnis creaturæ, quomodo. Colos.1.v.15. omnes angelos longè dignitate excedit. v.16. est vita æterna. 1.Ioan.5.v.20. Christi diuinitas astruitur. Mich.5.v.2.& Psal.66. v.8.& Psal.71.v 5. eius regia potestas & imperium. Psal.2.v.6.&c. eius pulchritudo. Psal.44.v.3.&c. & vnctio. Psal.44.v.8. eius ortus inglorius, vt & vita. Isaiæ 53.v.2. peccata nostra expiauit, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam. v.4. putatus fuit percussus à Deo. ibid. quasi agnus coram tondente obmutuit in pœnis. v.7. eius dignitas. v.8. eius mors nec inulta fuit, nec inutilis. v.9. se morte sua diuitem fecit. ibid. eius prædicatio & doctrina ad Iudæos & miracula sunt à Daniele prædicta. Dan.9.v.27. non est cornu illud paruulum natum è decem cornibus è Rom.Imperio in fine sæculi oriturum. Dan.7.v.8. eius aduentus causa, primò philanthropia. Psal.15.v.3. secundò, redemptio totius mundi, Psal.129.v.7. secundùm humanitatem Dei seruus est. 1.Cor.3.v.23. est dominus iustus noster. Ierem.23.v.6. est iustitia sempiterna. Dan.9.v.24. est finis legis & omnium Prophetarum. ibid. est vnctus in pontificem, regem & doctorem. ibid. est Iudæis petra scandali. Isaiæ 8. v.14. quomodo semetipsum exinaniuit habitu inuentus vt homo. Phil.2.v.7. propterea est à Deo Patre exaltatus, & accepit nomen super omne nomen. v.9. in orbem veniens destruxit regna Syriæ & Samariæ, & quomodo. Isaiæ 7.v.15.c.8.& v.3. item reliquos tyrannos. c.8.v.8. quomodo factus sit sub lege. Gal.4. v.4. quomodo venerit per aquam & sanguinem. 1.Ioan.5. v.6. quomodo ab Austro apparuerit. Habac.3.v.3. ab æterno est à Deo vocatus. Isaiæ 49.v.1. quomodo dictus seruus Israel. v.3. Patris sui gloriam inprimis quæsiuit. ibid. est heres primarius ac naturalis vniuersorum. Hebr.1.v.2. est maior omnibus angelis. ibid. & seqq. fuit pastor pastorum. Ezech.34.v.16.& 23. etiam vt homo, nobilior est omnibus angelis, & omnibus dominatur. Ephes.1.v.22. eius sacerdotium secundùm ordinem Melchisedech. Psal.109.v.4. meritò mortis sua destruxit imperium mortis & inferni. Oseæ 13. v.14. eius triumphalis ingressus in Ierusalem asinæ insidentis à Zacharia ad litteram præsignatus. Zach.9.v.9. cur asinæ simul & pullo insederit. ibid. eius mansuetudo & lenitas. Isaiæ 42.v.3. etsi mitis, simul est magnanimus. Isaiæ 2.v.22. est leo de tribu Iudæ, & radix Dauid. Apoc.5.v.5. cur vocetur leo. ibid. cur agnus stans tamquam occisus, habens cornua septem & septem oculos. v.6. habuit à primo conceptionis instanti omnem scientiam, curámque Ecclesiæ suæ. v.7. eius ex Aegypto regressus designatus fuit in eductione Israelis ex Aegypto. Oseæ 11.v.1. quando & vbi cum diabolo colluctatus & sordidatus sit. Zach.3.v.3. passus est plagas à suis contribulibus. Zach.13.v.6. eius iniuriæ à Iudæis. Psal. 68.v.9.11 & 22.&c. Psal.70.v.7. & Sap.2.v.12.13.&c. flagellatur ante latam in eum crucis sententiam. ibid. eius cædes fuit occasio excidij totius regionis. Isaiæ 57.v.1. eius innocentia. Psal.68.v.5. & Psal.72.v.23. est mortuus corpore, non spiritu. 1.Pet.3.v.18. descendit ad inferos patres inde liberaturus. v.19.c.4.v.6. quomodo in cruce derelictus à Patre. Psal.21.v.2. eius passiones. Psal. 21. eius crux. Psal.95.v.10. eius descensus ad infernum. Psal.15. v.10.& Psal.87.v.19. & Psal.70. v.21. & Psal.87. v.5.& Eccli.24.v.45. ad infernum descendens, eum grauauit & afflixit. Ion.2.v.11. & carceres limbi perfregit, patresq; liberauit. Zach.9. v. 11. crucifixus dorsum Ierosolymæ obuerterit, & facie Occidentem respexit. Ierem.18. vers.17. per omnia homini voluit assimilari. Hebr.2. vers. 11. 16.& 17. exte-

exceptis morbis, ignorantia, & peccatis. v.17. est multò dignior Moyse. c.3.v.3.& seqq. eius resurrectionis gaudium. Psal.29.v.6. & Psal.56.v.9. & Psal.92.v.1. & Psal.101.v. 24.Psal.117. est primitiæ resurgentium. 1.Cor.15.v.20. & 23. cur resurrexerit ante diem extremi iudicij. Matth.28. v.6. quomodo post resurrectionem cum discipulis manducarit & biberit. Matth.26.v.29. quomodo super omnes cælos ascenderit, & an pedibus insistat conuexæ superficiei cæli. Eph. 4.v.10. quomodo eius humanitas vbique sit præsens. ibid. quomodo cælos ascendens implesse dicatur omnia. ibid. eius regnum æternum. Psal.97.Psal.109. eius ascensionis typus. Psal.23.Psal.67. v.18.&c. vsq; finem. Prou.30.v.19. orat etiam modò Patrem pro nobis. Hebr.7.v.24. idq; propriè dicta oratione. 1.Ioan.2.v.1. eius oratio quàm sit efficax. v.2. per se suosq; vicarios regnabit in domo Iacob in æternum. Ierem.33. v.17. manet per gratiam suam in eo qui manducauit corpus suum, etiam post species absumptas. Ioan.6.v.57. quomodo idem se dicat facere posse, quod facit Pater. cap.5.v.19. regit oues suas in sublimitate nominis Domini Dei sui. Mich.5. v.4. suo aduentu lege abrogata regnũ peccati & mortis excidit. Rom.5.v.21. non dedit Melchisedecho decimas in Abrahamo. Hebr.7.v.9. sæpè S.Paulo apparuit. Actor.26.v.16. cur Ioanni in Apocalypsi appareat vestitus lineis. Dan.10.v.5. in extremo iudicio corporaliter iudicabit viuos & mortuos. Dan.7. v.10. eius tunc maiestas & furor. Ioel.3.v.2. & 16. Amos.2.v.13

Christiani primò Antiochiæ sic vocati, & quando. Act.11. v.25. Christiani primi Ierosolymitani ab aliis Ecclesiis per eleëmosynas iuuabantur. 1.Cor.16.v.1. persecutione Ierosolymis excitatâ per orbem sunt dispersi. Act.8.v.1. magna gratia donabantur cælitus. Actor.4.v.33. cur agros aut domos Ierosolyma venderent. v.34. plurimi ante Iudææ excidium tempore Titi, inde in alias prouincias profugerunt. Matth.24.v.16 idque diuino monitu. Isaiæ 4.v.3. eò quòd de Iudæis oriundi, olim exosi erant Gentibus. Actor.16.v.20. hinc iis imputabant Ethnici omnia mala orbis. 1.Petr.2.v.12. olim vocabantur sancti. Rom.1.v.7. illis quatenus iurare liceat, & quibus cum circumstantiis. Matth.5.v.34. non debent, cùm fieri potest, ad Ethnicorum tribunal trahi. 1.Cor.6.v.7. eos nefas est esse mancipia Iudæis vel Ethnicis. 1.Cor.7.v.23. omnem curam sui in Deum conijciant. 1.Pet.5.v.7. sua sancta vita doctrinam Christianam commendent. Tit.2.v.10. sunt & dicuntur filij Dei. 1.Ioan.3.v.3. cur adeò despecti sint toti mundo. ibid. non tenentur nuptiis abstinere. 1.Cor.7.v.12. eorum filij non ita sunt sancti, vt baptismo non egeant. Rom. 11.v.16. sub finem sæculi plurimi Ierosolymam confluent, nec Antichristi præsentiâ terrebuntur. Ezech.38.v.8. Christianorum in Iudæa de Saracenis victoria per ieiunium & pœnitentiam. Ion.3.v.6

Christiana religio requirit tria Iac.1.v.26. commendatur nostra sancta vita. Tit.2.v.12

Chrysolithus quæ sit gemma, cuius coloris: qua vi polleat: figurat S.Matthæum & Christum ad cælos adscendentem. Apoc.21. v.20. mirè collucet & ardet. Dan.10.v.6

Chrysoprasus vnde dicatur, quo sit colore: qua polleat potentia: adaptatur S. Iudæ Thadæo & sanctæ Ecclesiæ Catholicæ. Apoc.21.v.20

Chus, pro Aethiope sumitur. Psal.7.v.1.

Chytri, chytropodes in templo adhibebantur. Leu.11.v.34.

Cibi quidam sunt immundi, & quare. Leu.11.v.39. bi ex se non inquinant hominem. Matt.15.v.11. sanctificantur per verbum Dei & orationem. 1.Tim.4.v.5. omnes Christianis sint liciti. Tit.1.v.15. eos omnes quomodo Deus purificarit. Actor.10.v.15. certos cibos quare vetarent primi hæretici. 1.Tim.4.v.3. cibis Gentilium cur promiscuè abstinerent Iudæi. Iudith 10.v.5. cibu regiis cur abstineret Daniel eiusq; socij. Dan.1.v.8. in ciborum vsu nemini dandum scandalum. Rom.19.v.10.& 22. cibum quem Christus post resurrectionem comedit, in stomachum traiectum mox in aërem conuertebat. Luc.24.v.41

Ciconia cur vocetur auis pia. Psal.103.v.17

Cidaris seu tiara sacerdotalis. Exod.28.v.4. regia. Ezech.21.v.26. sumitur subinde pro diademate. Esther 6.v.8

Cilicium fuit vestis Prophetarum. Isaiæ 20.v.2. eo indutus nemo aulam ingrediter. Esther 4.v.2

Cimmerius Bosphorus ob asperitatem regionis sedes inferni dictus. Abd.v.10

Cinæi, qui & vnde. Num.10.v.29.& Iudic.1.v.16.

quomodo pax ipsis cum Iabin. Iudic.4.v.17

Cinerem in fano Beli cur Daniel cribrarit. Dan.14.v.13.

cinerum pluuia. Deut.28.v.24. cineribus stercoru humani coquebant Iudæi obsessi panes suos. Ezech.4.v.12

Cingulum quarum rerum sit symbolum. Ierem.13.v.1

Cinnamomum quid sit, & mystice significet. Cant.4.v.14.& Eccli.24.v.20

Circensium aurigarum quatuor fuere factiones. Zach.6.v.3

Circumcisio instituta & precepta posteris Abrahæ. Gen.17. v.7.& 14. cur omissa in deserto. Ios.5.v.2. an esset lapideo faciendæ. Gen.17.v.14.& Ios.5.v.2. nihil prodesse prauaricatori legis. Rom.2.v.25. iam nihil prodesse: tantæ professio iudaismi. Gal.5.v.3. circumcisio animi plus valeat, quàm carnis. Ierem.9.v.25.& 25

Circuminsessio quoad personarum diuinarum attributa quæ vocetur. Ioan.10.v.38

Cisternæ frequentes erant in Iudæa: in eas sæpè rei coniiciebantur. Ierem.38.v.6. cisterna Bethlehem aquam sitit David, sed allatam effudit 2.Reg.23.v.9

Cithara vis ad ciendos animi motus. 1.Reg.16.v.23. cithara an idem quid cum cinyra, an diuersum. 1.Mac.4.v.54

Cittim vniuersim omnes insulanos, ac nominatim Italos significat. Dan.11.v.30

Ciuium Romanorum iura & priuilegia quæ essent. Actor.22. v.28. ciues Romanos nefas erat flagellare. Actor.16.v.37

Cladis Cannensis quæ esset causa. 1.Mach.8.v.5

Clamauit Christus voce magna dum exspiraret, non sine miraculo: quid hoc suo clamore indicare voluerit. Matt.15.v.37

Clamore peccatorum, eorum denotatur grauitas. Iac.5.v.4

Classes in vsu diu ante Argonautas. Deut.28.v.68

Claudius Imp. quando & cur Iudæos omnes vrbe Roma excedere iusserit. Actor.18.v.2. eius res gestæ. Chron.c.11.

Clauem Dauid habet Christus, & eam dedit Petro vicario suo. Isaiæ 22.v.22. claues quatuor naturæ reseruatæ Deus. Gen.30.v.2

Clausus carcere, pro infima sortis homine. 3.Reg.14.v.10

Clauos crucis Christi Constantinus Imp. equi sui frano & galeæ suæ inclusit. Zach.14.v.20

Clementia comes est iustitiæ. Sap.12.v.19. item comes maiestatis. Eccli.2.v.21

Cleopatra vocabantur omnes reginæ Aegypti. Esther 11.v.1

Cleopatra Antiochi Magni filia, quæ de causa Ptolemæo Epiphani regi Aegypti à patre in vxorem data. Dan.11.v.17

Clerici non iure diuino liberi sunt ab omni tributo, sed indulto principum secularium. Matth.17.v.28

Clerus cur vocentur Ecclesiastici, vt olim Leuitæ. 1.Pet.5. v.3. cleri, id est, termini, vel sortes. Psal.67.v.14

Clibanus ignis quis dicatur. Psal.20.v.10

Clypeus Iosuæ, an similis virgæ Moysis. Ios.8.v.18

Coa vrbs, vel regio vbi? 2.Paral.1.v.16

Coccineum Zaræ filum, quid designarit. Gen.38.v.29.& Ios.7.v.21. coccineus color cur militibus olim & nunc in vsu. Nah.2.v.3

Coccus, quid. Exod.25.v.4

Cocytus, fluuius. Iob 21.v.33

Cælesyria pars Syriæ. Iudith 3.v.1

Cœnaculum, quid dicatur. 4.Reg.1.v.2

Cœnam Eucharisticam instituit Christus præcta paschali, & vulgari. Marc.14.v.22. ad cœnam vltimam cur Christus tantopere anhelarit. Luc.12.v.15. in cœna funebri solebant

edi clamores inconditi. Bar.6.v.31

quomodo Deus Cœnet cum aperiente sibi. Apoc.3.v.19

Cœnomyia quod insecti genus. Psal.77.v.45

Cœtus seu collecta, quid. Leu.23

Cogitationes mortalium timidæ. Sap.9.v.14

Cognitio experimentalis potuit in Christo incrementum capere. Matth.8.v.11

Cohors Augustæ quænam esset. Actor.27.v.1

Coliphium erat dimensum athletarum. 1.Cor.9.v.25

Collyria vel collyron, quid. Exod.29.v.2.& 1.Paral.16.v.3

Collyrium oculorum vnde componatur. Apoc.3.v.18

Colocynthides sunt herbæ amaræ. 4.Reg.4.v.39

Colossæ quæ sit ciuitas, postea terræmotu concidit, nunc Chona vocatur. proœm.in epist. ad Coloss.

Coluber tortuosus signat diabolum. Iob 26.v.13

Columbarum simplicitas. Matt.10.v.16. per eas designantur Apostoli & viri Apostolici. Isaiæ 60.v.8. illæ Christi & Spiritus sancti proprietates aptè adumbrant. Matth. 3.v.16. columba alba sacra erat Assyriis & Chaldæis. Osee 11.v.11. hinc eam preferebant in vexillis. Ierem.25.v.38. cap. 50.v.16. columba capitur quoque pro rege Chaldæorum. Proleg. de Idiotis. Hebr. num. 54. & Psal.67. v.14. columba spiritualis quæ. Cant.2.v.14.c.4.v.8.c.5.v.2.&c.6.v.8

Columnæ alligatus fuit Christus dum flagellaretur. Matt.27 v.26. columnæ cæli, quæ. Iob 26.v.11. quæ columnæ terræ. Psal.74.v.4. columna nubis & ignis. Exod.13.v.21.& c.14. v.20. post 40. demum annos deserit Israelitas ad Iordanem. Ios.3.v.4. columnæ duæ erant ante templum Salomonis, & aliæ duæ ante frontes porticus quæ erat ante fores domus sanctæ. 3.Reg.7.v.15.Ezech.40.v.48. columnæ proprietates iustis appropriantur. Apoc.3.v.12

Coma in viro effeminati animi signum est. 1.Cor.11.v.14 quæ gentes comam alerent. v.16. coma cur in rotundum non attondenda. Leu.19.v.27

Comagene, Syriæ pars. Iudith 3.v.1

Comedit Christus verè & realiter post resurrectionem.Luc.24. v.41. comeditur Christus in Eucharistia spirituali modò. Ioan.6.v.64

Comitia publica ter singulis mensibus Ephesi instituì solita. Actor.19.v.39.

Commotio mira facta veniente Christo in mundum in cælo, in terra, in gentibus, & mari. Agg.2.v.7

Communes vocabantur à Iudæis cibi immundi & profani. Actor.10.v.16

Communio omnium facultatum in primitiua Ecclesia quæ bona causaretur. Actor.2.v.44

Compleri capitur pro inchoari. Actor.2.v.1

ipsa Conceptio è Virgine Christum reddebat immunem ab omni peccato, etiam originali. Luc.1.v.35. eius cur meminerit Isaias agens de excidio Syriæ & Samariæ. Isaiæ 7.v.14

Concilium primum contra Iudaizantes Ierosolyma est celebratum. Actor.15.v.6. Conciliorum auctoritas infallibilis est. Matth.18.v.20

Concionatori acerbum est videre, nullum se fructum facere, diabolo omnia cedere. Mich.7.v.1

Concordia fraterna laudes.Psal.132.ipsa laudata.Sap.18.v.9

Concubina pro secundaria vxore. Gen.25.v.6.Cant.6.v.7

triplex mundi Concupiscentia. 1.Ioan.2.v.16. concupiscentia est mater inuidiæ, litium & bellorum, Iac.4.v.1.& seqq. subinde vocatur lex membrorum & caro. ibid. est homini causa omnium tentationum eius. cap.1.v.14. vndenam illa in eo excitetur. ibid. concupiscentiam rei illicitæ putabant veteres Rabbini non esse peccatum. Rom.7.v.7. eius tyrannis. v.14. 15.& 21. concupiscentia mulieris alienæ quatenus mala sit,& quando. Matth.5.v.28. concupiscentiam merè internam non damnabant Pharisæi. ibid. concupiscentiis suis traditi Gentiles ob suam idololatriam. Rom.1.v.24

Conductum substantiuè capitur pro loco conducto. Act. 28.v.30.

Confessionis Sacramentum à Christo immediatè institutur, & fidelibus iniungitur. Ioan.20.v.12. confessio peccatorum publica in Ecclesiam inducta est ad scandala sarcienda. Actor. 19.v.18. confessio priuata & auricularis in primitiua Ecclesia fuit in vsu. Actor.19.v.18. eius an vsus aliquis apud Iudæos. Leu.5.v.5.Num.5.v.7.& Matth.3.v.6. ijs præmittenda sumptionis Eucharistiæ. 1.Cor.11.v.28

per Sacramentũ Confirmationis datur Spiritus sanctus. Act. 8.v.16.17. eius effectus quatuor. 2.Cor.1.v.21.& seqq.

Confitens Christum, confitebitur vicissim ab illo. Matth 10. v.32. confiteri idem est quod laudare Deum. 2.Esdr.9.v.3

Confitendum sacerdotibus, non æqualibus. Iac.5.v.16

Confusio damnatorum in die iudicij grauior futura flammis infernalibus. Apoc.6.v.15

Congius, mensura 10. librarum. Proleg.de Mensuris.

Coniuges multi fuere virgines. Psal.44.v.10. simul vna sunt caro. Matth.19.v.5. vtrimque non habent ius corporum suorum. 1.Cor.7.v.4. ex mutuo consensu vouere possunt continentiam. v.5. coniugati cùm olim ordinarentur, vsu prioris coniugij abstinebant. 1.Tim.3.v.2. coniugum vnio Deo gratissima est. Malach.2.v.15

Conopeum idem est quod pauillon. Iudith 10.v.16

Conscientia dictamen hominem condemnat vel iustificat. Rom.2.v.14. conscientiarum septem sunt genera. Apoc.2.v.1 conscientiæ obsequendum. Eccli.32.v.27. conscientia impiorum semper pauida. Iob 15.v.20.& c.24 v.22. conscientiæ quomodo in sanguine Agni dealbentur. Apoc.7.v.14. contra conscientiam agere non licet. Rom.14.v.22.& 23. conscientiæ iustæ pax non oritur ex plena certitudine fidei diuinæ, sed ex probabilibus coniecturis, quæ doceant nos esse iustos. Rom.5.v.1

Consensus in peccatum nascitur è delectatione tentationis. Iac.1.v.14

Consecratio Ven. Eucharistiæ quibus verbis fiat. Matth,26 v.26. consecratio Pontificis, sacerdotum, Leuitarum. vide illis titulis.

Consecratus Domino quis dicatur. 2.Paral.17.v.16. consilij donum in quo consistat. Isaiæ 11.v.2. consilium malum consultori pessimum. Psal.7.v.15. Prou.26.v.27.Isaiæ 59.v.5. consilia Euangelica non sunt superstitiosus cultus. Col.2.v.23

Consiliarius est nomen Messiæ. Isaiæ 9.v.6. consiliarij principum quales esse debeant. Apoc.4.v.4

Consistorium palatij, quid dicatur. Esther 4.v.11

Consortia bona & mala. Prou.4.v.14. consortia mala vitanda. Eccli.18.v.32

Constantia in tentatione. Eccli.2.v.11. ad id præsidia. ibid. & Eccli.11.v.22.&c. in voto. Eccli.11.v.21. in statu vitæ. cap.17. v.24

Consuetudo mala difficulter tollitur. Iob 20.v.11

Consules Romani duo numquam vno eodemque loco imperabant, sed vnus in vrbe, alter in exercitu: in vrbe alternis diebus. 1.Mach.8.v.16

Cõsummatus accipitur pro cõsũmatione. 2.Mach.15.v.40

res Contactu sanctificata, aliam non sanctificat. Agg.2.v.13

Contaminatus contactu cadaueris, omnia quæ tangit pariter contaminat. v.14

Contemptibilissima membra Ecclesiæ maiore cura fouenda sunt. 1.Cor.12.v.23

Contentio Apostolorum de primatu tempore passionis ostendit quàm parum ipsis cordi esset periculum magistri. Luc.22.v.24

Conti sunt hastæ. Iudith 9.v.9

Continens sæpè idem est quod compos. Sap.8.v.21.& Eccli.15.v.1.& c.27.v.33

Continentia melior matrimonio, etiam ad sanctitatem comparandam. 1.Cor.7.v.25-31.40. eam suadet Apostolus, non præcipit. 1.Cor.7.v.8. continentia est complexio omnium virtutum. Gal.5.v.23

Contingentia omnia & libera certò nouit Deus. Matt.11.v.21

Contritio vera abolet peccata tã quoad culpam, quàm quoad pœnam æternam, sed non temporalem. Ezech.18.v.21

Contumelioſus in proximum quomodo pœnam infernalem commereatur. Matth.5.v.21
Conuentus priſci Chriſtianorum quales eſſent. 1.Cor.14.v.26
Conuerſatio Chriſti cum Apoſtolis poſt reſurrectionem, & eorumdem palpatio, an fuerint infallibile ſignum reſurrectionis eiuſdem. Luc.24.v.39
Conuerſio Gentium eſt metaphoricum ſacrificium. Rom.15.v.16. *ad conuerſionem peccatoris requiritur & gratia & liberum arbitrium.* Thren.5.v.21. *hæc nouum creat gaudium Deo & angelis.* Luc.15.v.7. *eius initium eſt agnitio propriæ miſeriæ, & diuinæ miſericordiæ.* v.17
Conuerſus, pro rurſus. 1.Eſdr.9.v.14
Conuitium quàm noxium. Prou.26.v.2
Conuiuæ coronati accumbebant menſæ. Ezech.23.v.42
Conuiuium in exequiis defunctorum ſolebat olim exhiberi amicis ad eorum ſolatium. Ierem.16.v.5. *conuiuij rectè inſtruendi ratio.* Eccli.32
Cor duplex quod dicatur. Eccli.2.v.14.c.3.v.28. *quod cor durum.* Eccli.3.v.27. *cor ſtultorum eſt in ore.* Eccli.21.v.29. *cor & cor, id eſt, duplex cor.* Pſal.11.v.3. *quid ſit cor altum.* Pſal.63.v.8. *quid cor in dextra.* Eccleſ.10.v.2. *cor hominis eſt inſcrutabile.* Ierem.17.v.9. *ad cor loqui, eſt ſolari & laudare.* 2.Paral.30.v.22. *cor capitur ſubinde pro anima & voluntate.* Marc.7.v.19
Corbona idem eſt quod erarium. Matth.27.v.6
Core, Dathan & Abiron rebellio contra Moyſen: & lapſus in infernum. Num.16. *à Core filijs Pſalmi qui compoſiti.* in præfatione Pſalmorum. & Pſal.41
Corehim, id eſt, Corita. ſunt poſteri Core. 1.Paral.12.v.6
Corinthi ſitus, ſplendor, nomina, celebritas: quamdiu Paulus ibi prædicarit. in proœm. 1.ad Corinth. *ipſa Achaia erat metropolis.* Actor.18.v.1. *ſcatebat meretricibus.* 1.Cor.6.v.20
Cornelius Centurio Cæſareenſis, an fuerit centurio primæ cohortis, id eſt primipilus. Actor.10.v.1. *eius virtutes.* ibid. *erat iuſtus antequam baptizaretur.* ibid. *poſtea creatus Epiſcopus Cæſareenſis.* v.48
Cornu ſumitur pro omni vaſe liquoris capace. 1.Reg.10.v.1. *item pro angulo.* Exod.30.v.10. *item pro potentia, gloria, regno.* Proleg.de Idiotiſmis Hebr.n.36.& 1.Reg.2.v.1.& Pſal.17.v.3.& 1.Paral.25.v.5.& Luc.1.v.69. *hinc eſt inſigne regum, & ſymbolum regni.* Dan.8.v.5. *cornu Amalthea quid ſit.* Iob 42.v.14. *quid cornu ſtibij.* ibid. *cornua ferrea Sedecias pſeudopropheta cur aſſumat.* 3.Reg.22.v.11. *cornua Eccleſiam ventilantia quæ ſint.* Zach.1.v.21. *cornua Dei & Chriſti quæ.* Habac.3.v.4
Cooperari oportet Dei gratiæ. 2.Theſſ.1.v.11. *pro menſura cooperationis cuiuſque cum gratijs datis intenduntur habitus gratiarum ſupernaturales.* Matt.25.v.26
Corona quarum rerum ſit ſymbolum. Iſaiæ 62.v.3. *corona triplex Ieſu pontificis qualis eſſet, & quid deſignaret.* Zach.6 v.11. *corona Chriſti ſpinea an è iunco an rhamno fuerit contexta.* Matth.27.v.29. *corona victimis cur adderetur.* Actor.14.v.12. *corona Melchom quomodo talentum ponderaret.* 1.Paralip.20.v.2. *corona conuiualis quæ dicatur.* Eccli.32.v.3.
Corozain vrbs erat vltra mare Galilææ. Matth.11.v.21
Corpus poteſt ſimul in variis locis eſſe. Actor.9.v.5. *corpus aggrauat animam.* Sap.9.v.15. *corpus Chriſti verum fuit, non phantaſticum.* Iſaiæ 7.v.15. *verè & ſubſtantialiter à ſacerdotibus in Miſſa offertur.* Matth.26.v.28. *verè & realiter eſt in Euchariſtia, non figuratè.* Marc.14.v.23. *in eo non coëxtenditur loco.* ibid. *hæc præſentia probatur pluribus.* 1.Cor.10.v.4. 1.Cor.11.v.25.& 32. *id quomodo à nobis manducari velit, & nobis ipſe præbeat.* Ioan.6.v.52.62. *idq; modo ſpirituali.* v.64. *id etſi in cælo ſit, poteſt de nouo etiam in aliis locis reproduci.* Actor.3.v.21. *illud in Euchariſtia ſumptum non mittitur in ſeceſſum.* Matth.15.v.17. *corpus Chriſti erat templum Dei.* Ioan.2.v.19. *corpus S. Ioannis Euangeliſtæ mortui poſt ſepulturam nuſquam inuentum.* Ioan.21.v.22. *corpus capitur pro appetitu ſenſitiuo.* Matth.6.v.22. *corpus peccati quod appelletur.* Rom.8.v.6. *corporis in fine ſæculi rediuiui immortalitas vocari poteſt eius reſurrectio.* v.5.
Corpora *capitur pro ſeruis ſeu mancipijs.* Tob.10.v.10. *corpora glorioſa quatuor habent dotes.* Matth.17.v.2. *omnia loca penetrant.* Ioan.20.v.19. *quomodo palpari poſſint.* Luc.24.v.39. *corpora Sanctorum nondum ſunt glorificata.* Apoc.6.v.9. *corpora animalia & ſpiritalia quæ dicantur.* 1.Cor.15.v.44.47
Correptio quàm neceſſaria ſit. Prou.29.v.5. *correptio iudicialis ad ſolos Superiores ſpectat.* Matth.18.v.17
Corus Græcorum, idem quod Homer Hebræorum, ſunt 30. modij Romani. Proleg.de Menſur.
Coruorum pulli cura ſunt Deo. Iob 38.v.vlt. Pſal.146.v.9
Cothys effeminatorũ deus Corinthi colebatur. 1.Cor.6.v.20
Coturnices in deſerto pluit. Num.11.v.31.Pſal.77.v.26. Sap.16.v.2
Cotyla vide *Hemina.*
Cous inſula eſt vna è Cycladibus. Actor.21.v.1
Crabrones immiſſi cælitus in Chananæos. Ioſ.24.v.12. Sap.12.v.8.25.
Crapulatus à vino quis dicatur. Pſal.77.v.65
Creaturarum omnium vanitas, Eccleſ.1. *creaturæ non iuuant peccatorem aduerſus Deum offenſum.* Oſee 8.v.13. *creator ex illis cognoſcitur.* Iob 12.v.7.Actor.17.v.26. *creaturæ Dei in odium factæ.* Sap.14.v.11. *ſunt lictores Dei.* Sap.vlt.v.6.17.&c. *vt cœperunt, ita etiam finem habebunt.* 2.Petr.3.v.4. *per eas quomodo & quatenus iurare liceat.* Matth.5.v.34. *eas quàm apto ordine inter ſe diſpoſuerit Deus.* Amos 9.v.6. *omnes à Chriſto ſuum habent Eſſe tum naturale. tum ſupernaturale.* Apoc.3.v.14. *omnes homini ad vſum deſeruiunt.* 1.Cor.13.v.22.23. *quomodo dicantur reuelationem filiorum Dei exſpectare.* Rom.8.v.19. *quomodo vanitati ſint ſubiecta propter Deum.* v.20. *vnà cum creatore conſpirant in commoda fidelium.* Oſee 2.v.21. *creaturæ irrationales quomodo laudent Deum.* Apoc.5.v.13
Credere quid ſit. Ioan 20.v.29. *credere & non videre, beatius quàm videre & credere.* Ioan.20.v.29. *credere contra ſpem in ſpem quomodo poſſimus.* Rom.4.v.16. *credidi pro credo.* Prolegom. de Idiotiſm.Hebr. n.4. & Pſal.115
Cremium idem eſt quod crematum. Pſal.101.v.4
Crepido dicitur à diſcrepando, & ſignificat fulcrum cuiuſque fabricæ innititur. Ezech.43.v.14
Creta inſula quando fuerit. Iudic.3.v.31.
Cretenſes paderaſtiæ infames. Tit.1.v.5. *eorum alia vitia.* v.12
Crinium dilaceratio fiebat in ductu. Eſther 14.v.2
Criſpus Archiſynagogus Corinthi eſt à Paulo baptizatus. Actor.18.v.8
Croceus color æquè pretioſus ac coccineus. Thren.4.v.5
Crocus quod aroma ſit. Cant.4.v.14
Crocodilus dicitur quia croci odorem fugit. Ezech.29.v.3
cur Deus filium ſuum voluerit Crucifigi. Marc.15.v.14. *crucifigi vetus noſter homo quomodo dicatur.* Rom.6.v.6. *crucifixus quomodo fuerit Chriſtus, ecquid in monte Caluariæ peractum tunc fuerit.* Matth.27.v.35
Crura hominum ſunt recta, beſtiarum recurua. Ezech.1.v.7
Cruſtula, quid in ſacris. Exod.29.v.2.& 3.Reg.14.v.3.& 1.Paral.16.v.3
Crux vocatur ſignum filij hominis: an ipſa in quam peperdit, an verò alia ad eius ſimilitudinem, apparitura ſit ipſo ad iudicium veniente. Matth.24.v.30. *cruce ſigno ſignabimur ſe Chriſtiani in fronte ſub tempora Antichriſti, & cur.* Apoc.7. v.2. *crucem ſuam quomodo Chriſtus baiularit.* Matth.27.v.32
Cruces homini numquam deerunt. Luc.9.v.23. *conferuntur iuſtis in bonum.* Rom.8.v.39
Cryſtallus dicitur glacies. Pſal.147.v.6. Eccli.43.v.22
Cubare ſuper latus ſiniſtrum eſt admodũ moleſtũ, ſi diu continuet.

nuetur. Ezech.4.v.4

Cubiculum intra cubiculum, 3.Reg.20.v.30

Cubitus communis seu Rom. & Græcus, constat digitis 20. cubitus Hebræus sacer, digitis 24. Proleg.de Longitud.

Culeus constat viginti amphoris. Proleg.de Mensuris.

Cultus priuatus Dei in vrbibus hæreticis perinde est ac si non esset. Baruch 1.v.11. cultus exterior Dei per actus corporeos non vetatur per adorationem in spiritu & veritate. Ioan.4.v.23. verus Dei cultus solidum regni firmamentum est. Osee 7.v.1

Cura rerum temporalium quatenus Deo committenda. Matth.6.v.25.26.27.30.& seqq. nimiam de rebus necessarijs curam solum prohibet Christus, cùm Apostolos peram gestare vetat. Matth.10.v.10

Curiositatis mala. Eccli.21.v.27

Currere pro laborare sumitur. Psal.61.v.5

Currus metonymicè pro vectis curru. 1.Paral.19.v.7. currus Israel & auriga. 4.Reg.2.v.12. currus Cherubicus visus Ezechieli cui Deus insidebat, describitur. Ezech.1.v.26.27

Custos carceris Philippensis Pauli miraculis territus cum omni familia conuertitur. Actor.16.v.27. custodes Ecclesiæ qui dicendi. Isaiæ 62.v.6

Custodiæ, id est, mandata Domini. 2.Paral.23.v.6. custodiæ templi. 1.Paral.26.v.12.& 16. custodia de nocte, vide Vigilia. custodia etiam capitur pro incarceratis. Actor.27.v.1. custodiæ stellarum sunt stationes & loca iis à Deo assignata. Baruch 3.v.34

Cyathus, 12.pars sextarij Romani. Proleg.de Mensuris.

Cyclus lunæ decennouennalis,& Solis 28.annorum.Chro.c.6

Cymbala ænea. 1.Paral.15.v.19

Cyprianus idolis immolare iussus intrepidè Proconsuli respondit. Dan.3.v.16

Cyprus quis sit frutex. 1.Reg.24.v.1. cypri botrus. Cant. 1.v.13.c.4.v.13

Cyprus Hebræis vocatur Cethim,& vnde. 1.Mach.1.v.1

Cyrene triplex est regio. 4.Reg.16.v.5.Isaiæ 16.v.7.Act.2.v.10

Cyrinus Syriæ præses,bis descriptionem orbis instituit, primam tamen perficere non potuit. Luc.2.v.2

Cyrus primo anno monarchiæ relaxat captiuos Iudæos. 1.Esdræ 1.v.1. templum suis sumptibus instaurari iubet. ibid.v.4. eius nomen multis antè annis cur per Isaiam prænuntiari nominatim voluerit Deus. Isaiæ 44.v.28. eius victoriæ variæ in Orientem.c.45.v.2. eius thesauri & opes.v.3. in quo similis fuerit Christo.v.4.13.& 14. an Deum cæli non agnouerit. v.4. 1.Esdr.1.v.1. eius imperium quousque se extenderit. Isaiæ 44.v.14. Euphrate aliò deriuato Babylonem cepit. Isaiæ 11.v.15. aurum eius in Persidem auehi iussit. c.46.v.1. & Babylonem exuri cum incolis. c.47.v.14. à Tomyri regina Scytharum deuictus & cæsus est. Dan.6.v.28.& c.7.v.5. Hebræorum fuit liberator è captiuitate Babylonica. Habacuc 3.v.2.3.4.

Dæmon tropologicè siren est. Isaiæ 13.v.22. est princeps aëris huius. Ephes.2.v.2. dicitur balena, serpens, rectè, cur. Isaiæ 27.v.1. eius in animam peccato infectam potestas. Actor.19.v.16. probè norat Iesum esse Messiam, nescebat tamen an esset naturalis, an adoptiuus Dei filius. Matth.4.v.3. cur, quomodo & quoties eum tentet. ibid. quomodo eum assumpserit per aëra. v.5. victus ab eo recessit. v.11. illis, etsi verum loquenti, non est credendum. Luc.4.v.41. per idola plerumque responsa dabat. Zach.13.v.2. quid sit dæmonium meridianum. Psal.90.v.6

Dæmones, hebraicè prædones. Tob.3.v.8. eorum regnum à loco, & à vitiis quibus præsunt. ibid. an fugati iecore piscis Tobiæ. c.6.v.8. an incubi. Tob.7.v.11. quibus vinculis, catenis, rudentibus vinciantur. c.8.v.3. adhuc retinent sua nomina qualia olim in cælo habuere. 1.Cor.15.v.24. etiam modò seruant inter se ordinem naturalem, vt inferiores subsint superioribus. Ephes.6.v.12. nouerunt tandem Christum esse filium Dei, ac mundum redempturum, sed quo id modo facturus esset, ignorarunt: hinc eum de medio tollere studuerunt. Marc.3.v.12. post mortem Christi ligati, soluentur in fine sæculi. Apoc.9.v.14. vnde imperium habeant in terra. Sap.1.v.14. obstinatissimi non eiiciuntur, nisi ieiunio & oratione. Marc.9.v.28. etiam credunt fide vel supernaturali, vel naturali. Iac.2.v.19. quibus rebus maximè capiantur. Matth.8.v.28. cur horreant in infernum amandari: ante diem iudicij non omnes sunt in carcere inferni. v.9. cur in porcos abire petierint. v.31. sunt è cælo empyreo deiecti in carcerem infernalem. 2.Petr.2.v.4. omnes etiam qui in hoc orbe vagantur,igne gehennali cruciantur. ibid.Matt.8.v.29. cur in diem extremi iudicij supplicium eorum differri S.Petrus scripserit. 2.Petr.2.v.4. eos quomodo Christus per mortem suam exspoliarit. Col.2.v.15. vide Diabolus.

Dagon quis, qualis Deus. 1.Reg.5.v.5. truncatur capite & manibus. ibid.

Dalaias, è parentibus pseudopropheta Semeia. 2.Esd.6.v.10

Damaris mulier Atheniensis non fuit S. Dionysij Areopagitæ vxor. Actor.17.v.34

Damascus Syriæ caput est & metropolis. Ierem.49.v.23. quando sit Syriæ erepta. 4.Reg.14.v.28. vnde nomen habeat: est totius Orientis oculus: à quo condita: in ea panni contexuntur diuersorum colorum serici & byssini: à quibus regibus subacta sit. Ierem.49.v.23. iuxta Damascum S.Paulus prostratus est, ibiq; templum in eius memoriam erectum. Actor. 9.v.3. est sæpius euersa, & semper instaurata. Isaiæ 17.v.1.

Damnatio ad gehennam mera mors est. Ioan.8.v.51

Damnati in inferno perpetuò & continuò cruciabuntur. Isaiæ 24.v.22. illis accrescet dolor è præsentia Beatorum ipsos coniunctus spectantium. Isaiæ 66.v.24. eorum quanta sit futura multitudo. Apoc.14.v.20. vide Infernus.

Daniel Cyro perfamiliaris, ostendit ei prædictum ipsi per Isaiam imperium Orientis. 1.Esdr.1.v.1. puer adhuc in Babylonem à Nabuchodonosor abductus fuit: fuit vir sui sæculi sanctissimus & sapientissimus: quæ prædixerit, & quæ ei reuelata sint de temporibus post secuturis: quamdiu vixerit: scopus eius est, regnum Christi describere: eius prophetia tota Canonica est, etiam particulæ illæ quæ in Hebræo non exstant: fuit verè Martyr, an capite plexus: fuit virgo vsque ad mortem. proœmio in Dan.& Ezech.14.v.20. non fuit castratus. Dan.1.v.3. dictus est Baltassar. v.7. cur non comederit de mensa regia. v.8. fuit in magno honore apud Chaldæos. v.21. regem Nabuchodonosorem ad cultum Dei pellicere studuit. c.2.v.30. hic Danielem adorare voluit adoratione latreutica, sed ipse vetuit id fieri. v.46. factus est summus & maximus aulæ princeps. v.49. cur non iussus sit adorare statuam auream Nabuchodonosor. c.3.v.2. eum fecit rex participem administrationis regni. Dan.4.v.5. cur non innotuerit regi Baltassari. c.5.v.11. ab eo factus est tertius à rege, seu triumuir, & è tribus primis regni principibus. v.29. ei pepercit Cyrus in Babylonis expugnatione. v.30. fuit exosus principibus regni ob interpretationem somniorum regis. c.6.v.3.& 4.7. ter in die orans flectebat genua contra Ierusalem, & cur. v.10. bis fuit in lacum leonum coniectus. v.16.& c.14.v.30. non nocent ei leones, idq; merito ieiunij vel castitatis. c.6.v.22. fuit in honore sub Dario Medo & Cyro. v.28.& 1.Esdr.1.v.1. in quo fuerit typus Christi. Dan.6.v.28. rogat Deum vt septuaginta anni desolationis finem accipiant. c.9.v.2. quomodo fuerit vir desideriorum. v.23.Ezech.14.v.20. dolet ob impeditam templi readificationem. Dan.10.v.1.2. prima eius prophetia fuit liberatio Susannæ. c.13. in argum. quot annorum fuerit cùm eam liberauit. v.45. fuit amicus regi Euilmerodach seu Baltassari. c.14.v.1. cur cinerem per fanum Beli cribrarit. v.13. vnus tantùm fuit Daniel, tam qui draconem interfecit, quàm qui Satraparum princeps fuit. v.30. quantumuis iuuenis, comparatur Sanctis senioribus. Ezech.14.v.20

Daphne locus amœnus in suburbio Antiochiæ. 2.Mach.4.v.33

Daphnis fons vbi, & quis fuerit. Num.34.v.11

Daps quale epulum diceretur. Ruth 3.v.2

Dare beatius est quàm accipere, quare. Actor.20.v.35.
dare Deo gloriam capitur, pro se humiliare. Ierem.13.v.16
Darius Codomannus fuit vltimus rex Persarum. Dan.11. v.2.& 2.Esdr.12.v.22
Darius Hystaspis filius successor fuit Cambysis. 1.Esd.5.v.5. *eius sumptibus perficitur & dedicatur templum Ierosolymitan.* c.6.v.15. *expugnauit Babylonem rebellantem.* Zach.2.v.6. *fuit secundus Persarum monarcha.* 1.Esd.5.& 6
Darius Medus cur vocetur Assuerus. Dan.9.v.2. *fuit Cyri auunculus, & successit Baltassari in regnum Chaldæorum.* Dan.5.v.31.*primo anno regni exspirauit.*c.6.v.28.& c.9.v.2
Dauidis quot fratres. 1.Paral.2.v.17. *totis 9.mensibus hæsit in statu peccati in Vriam.* Psal.31.v.3. *an illiteratus.* Psal.70.v.15. *eius gesta per annos distributa.* Chron.c.27. & 28. *eius proaui.* Ruth 4.v.17. *eius res præclarè gestæ, sed & peccata.* 2.Regum toto. *eius continentia à Sunamitide.* 3.Reg.1.v.4. *sepulchrum.* c.2.v.10. *quo sensu non peccarit nisi in facto Vriæ.*3.Reg.15.v.5. *eius encomia.* Eccli.47. v.2. *parauit & emit locum parando templo Dei.* Actor.7.v.46. *peccauit etiam sæuiendo nimis crudeliter in Ammonitas.* 1.Paral. 20.v.3. *ei quomodo & quando promissus Messias.* Isaiæ 55.v.3
Dealbari hiue in Selmon, est exhilari in loco trifti. Psal.67. vers.15.
Debilitare sumitur pro mactare. Iudith 15.v.4
Debitores olim à creditoribus in ergastulum tradebantur flagris excipiendi. Matth.18.v.34. *sed Imp. Constantinus Magnus hoc supplicium abrogauit.* ibid.
Deblatha & Reblatha an idem sit locus. Ezech.6.v.14
Decalogus omnes homines obligat. Actor.15.v.28
Decaluatio signum seruitutis olim erat. Isaiæ 3.v.17.& c.7. v.20. vide Caluities.
Decapolis regio decem complectebatur vrbes cum vicis interiectis. Matth.4.v.25. *Decapolis erat eis & trans Iordanem.* Lucæ 8.v.39
Decem, id est, pluribus vicibus. Num.14.v.22.& 2.Esdr.4. v.12.& Iob 19.v.3.& Matth.25.v.1.
Decemuiri die decimo singuli ius populo apud Hebræos reddebant. 1.Mach.8.v.16
Decimarum quadruplex genus; & quibus danda. Leu.19. v.23.& c.27.v.30.Num.18.v.8.& Deut.14. *quo ritu offerende.* Deut.26.v.13
Decima decimæ, quæ sit mensura. Num.28.v.13
Decipere Prophetam quomodo dicatur Deus. Ezech.14.v.9
Decreta Pontificum non repugnant Euangelio Christi. Galat.1.v.8.
Dedan regio est Idumææ, sic dicta à Theman filio Abrahæ ex Cetura. Ierem.49.v.8.c.25.v.23
Dedan quoque est Rhodus; vnde dicta Rhodos: duplex est Dedan. Ezech.27.v.15
Dedicatio muri & vrbis Ierosolymæ à Nehemia quando, quomodo peracta est. 2.Esdr.12.v.27
Defendere significat vindicare & vlcisci. Iudith 1.v.vlt.& c.9.v.2.Eccli.47.v.31.Rom.12.v.19
pro Defunctis suffragia in Scriptura fundata sunt. 2.Mach. 12.v.43
in Delectu cibi vel potus quatenus consistat pietas & religio. Rom.14.v.17.
Deliciæ animos eneruant. Psal.118.v.83. *delicia spirituales quantæ sint.* Psal.30.v.20. *delicias cælestes conuiuio comparantur pinguium.* Isaiæ 25.v.6
Demetrius Seleuci filius sit Syriæ rex: Antiochum Eupatorem neci dari iubet: non fauet Iudæis. 1.Mach.7.v.1.3.4. *Ionatham Machabæum sibi adiungere gestit contra amulum suum Alexandrum Velem.* 1.Mach.10.v.1.& 33.& seqq. *in bello contra hunc Alexandrum occubuit.* v.47
Demetrius iunior, dictus Nicanor, quomodo ad regnum Syriæ peruenerit. 1.Mach.10.v.67.c.11.v.18. *Iudæis tributa remisit.* c.11.v.28.& seqq. *vnde reddit⁹ suis odiosus.* v.38. 45. *postea verò Iudæis pro benefactis malefacta reddidit.* v.53. *regno pellitur.* v.39. *illi iterum restituitur, & Iudæorum societatem ambit.* c.13.v.34. *quid illis contulerit.* ibid & seqq.
Demetrius argentarius quare concitarit Ephesi seditionem contra Paulum. Actor.19.v.24
Demolio dicitur simul & Demolior. Ibid 2.v.8
Denarius duplex erat, Atticus & Hebræus. Matth 22.v.19. Marc.14.v.5. *erat is quarta pars sicli, vel Iulius Italicus.* Proleg.de Ponderibus.
Deponētia verba vsurpātur aliquando passiuè. 1.Reg.26 v.19
quomodo Christus Depræd atus sit terram Nephthali & Zabulon. Isaiæ 9 v.2
Derelictum quomodo se à Patre Christus queratur in cruce. Matth.27.v.46.Psal.21.v.2
Descriptiones Ieremiæ quis sit liber. 2.Mach.2.v.1. *descriptionem orbis cur fieri iuberent Imperatores Romani cùm per quinquennium occupabat: Bethlehemi quando instituta & cur, instante natiuitate Christi.* Lucæ 2.v.1
Desertum huius mundi. Cant.3.v.6.& c.8.v.5. *descripta Iudææ quæ dicerentur.* Matth.3.v.1. *in deserto non fuerint oblata vlla sacrificia post dedicatum semel tabernaculum, &c.* Amos 5.v.25
Desideria iuuenilia quæ. 2.Tim.2.v.22
Desidiæ pœna quæ sit. Iob 6.v.16
potest quis Desinere esse malus, & incipere esse bonus. Matth. 7.v.18.
Desperasse Christum in cruce impiè censet Caluinus. Matth. 27.v.46
Detractionis mala varia. Eccli.5.v.17. *detractio malitiis sit modis.* Luc.4.v.11
Detractor detrahit ipsi legi, quomodo. Iac 4.v.11. *est peior fure.* Eccli.20.v.27
Deunx idem quod vndecim vncias. Proleg.de Ponderibus.
Deuteronomium septimo quoque anno prælegendum populo. Deut.1.v.1. *quo sensu nihil illi addendum.* c.4 v.2
Detonsio signum erat seruitutis. Isaiæ 7.v.20. vide Caluities, Capilli.
Deus fallere non potest. Psal.11.v.7. *eloquia eius igne examinata.* Ibid.& Psal.17.v.31. *occultus est.* Psal.17.v.12. Psal.35.v.10. Prou.23.v.5. *non eget creaturis.* Psal.15. v.2. *cum peruersis peruertitur.* Psal.17.v.26. *cum nihil latere potest.* Psal.32.v.15. *eum cur vocent Hebræi cælum.* Matth.21.v.25. *quàm se Israeli post idololatriam benevolum adhuc ostenderit.* Osee 2.v.14.15.c.3.v.5. *solus adorandus & seruiendus latria cultu.* Matth.4.v.10. *est finis vltimus omnium.* Prou.16.v.4. *est immutabilis.* Malach.3.v.6 Iac. 1.v.17. *in cælis omnis Sanctorum erit gloria.* Apoc.22.v.4 *cur laudari debeat.* Psal.98.v.4.Psal.102.v.2.& 22.Eccli 43. v.34. *ei seruire est regnare.* Psal.99.v.2. *est inaccessibilis.* Iob 23.v.3.& 9.& c.28.& c.37.v.20.& 22.Cant.vlt.v.vlt. *essentialiter est.* Exodi 3.v.14.& Iob 23.v.13. *ex creaturis dignoscitur velut è speculo.* Iob 28.v.27.& c.36.v.25.& 33. Psal.8.v.3 &c.Psal.17.v.13.Actor.17. v.26.1.Cor 13.v.12. *neminem reprobat nisi ob prauisa eius peccata, in quibus eum finit.* Osee 13.v.9. *est omnia in omnibus.* Eccli.43.v.29. *cernit omnia ab æterno in vno ictu mentis.* 1.Cor.2.v.10. *neminem tentat.* Iac.1.v.13. *videt ab æterno quidquid vnquam futurum est.* Isaiæ 41.v.23. *nulli loco alligatur, non terminatur.* Actor.17.v.24. *non manibus colitur humanis.*v.25. *essentialiter & infinitè sanctus est.* Isaiæ 6.v.3. *in cælo suum habet solium, & in terra templa.* Habacuc 2.v.20. *multo clementior est homine etiam sancto.* Ion.4 v.1. *non omnia futura libera, non solùm absoluta, sed & conditionata.* Idem.38. v.17. *bonus est natura & propria essentia.* Matth.19.v.17. *seipso compensat damnum rerum temporalium in seruis suis.* Matth.19.v.29. *nihil cuiquam debet, quia nihil ab illo accepit.* Rom.11.v.34. *quomodo velit omnes homines saluos fieri.* 1.Tim.2.v.4. *plus facit actus internos virtutis, quàm externas cæremonias.* Osee 6.v.6. *sæpè sortibus diuinatorijs interuenit.* Ion.1.v.7. *quibus modis hominem sibi suoq; iugo subijciat.*

Actor.9.v.5 6. vindictam misericordia temperat. Osee 11.v 9. in eo viuimus, mouemur & sumus, ipseq; nobis est intimus. Actor.17.v.28. ipse assiduè nos generat. ibid. duplici via potest ostendere suam potentiam, bonitatem, & sapientiam, per misericordiam & iustitiam. Roman.9.v.17. nulla imagine potest exprimi. Isaiæ 40.v.18. quomodo improbis in peccato subseruiat. Isaiæ 43.v.24. an causam det peccatis. Exodi 7.& Iudic.3.v.12. & 1.Reg.2.v.25. Psal.43. v.19. Psal.67. v.20. Psal.72. v.18. Psal.118. v.36.Eccli.15. v.12. ei iniurius est, qui in homine fragili confidit. Ierem. 17.v.5. genuit nos voluntariè per verbum veritatis. Iac.1. v.18. trahere omnes ad se vult, sed non omnes trahi se sinunt. Ioan.6.v.44. nulli facit iniuriam, dum minùs malis reiectis peiores assumet. Rom.9.v.16. neminem indurat & excæcat directè & propriè, sed indirectè & impropriè. Rom.9.v.18. 22. cur tamen ei tribuatur hominis excæcatio. Ioan.12. v.39. habet potestatem liberam in omnes homines, vt hos deprimat, illos extollat: non facit vas in contumeliam nisi indirectè. Rom.9.v.21. prior nos dilexit, & in quo. 1.Ioan.4. v.10. per essentiam ipsissima charitas est. v.16. eius ira & vindicta de improbis. Psal.17. v.8. Eccli.16. v.7.& c.18. v.24. eius tutela fida. Iob 5.v.23.& c.11.v.18. Psal.60. v.8. Psal.104.v.12.Psal.143.v.5. eius currus triumphalis, equi quatuor, &c. Iob 12.v.13.& Psal.17.v.8. Psal.103.v.3. eius misericordia quanta sit. Ioël 2.v.13. eius arma. Sap.5. v.19.Isaiæ 59.v.17. Ephes.6.v.14. currus militaris. Psal. 67.v.18.22.25.&c. thronus. Psalm.88.v.15.38. nuntij & cursores. Psal.147.v.4. Psal.70. v.15 Sap.13. v.5.&c. eius scapula & alæ. Psal.90.v.4. eius tribunal. Psal.93. v.20. eius opera stabilia. Eccles.3.v.14. eius manus. Eccles. 9.v.1.& 1.Paralip.21.v.13.& Eccli.2.v.22. Dei prouidentia, vide Prouidentia. Dei omnipotentia, vide Omnipotentia. eius oculus. Eccli.17.v.7. eius cura & solicitudo pro suorum plena refectione. Lucæ 12.v.37. eius currui Cherubico insidentis forma & maiestas describitur. Ezech.1.v.26.27. eius iustitia. Psal.39.v.10.Psal.61.v.12.Psal.84.v.11. Psal.93.v.20. Dei fidelitas in promissis. Psal.35.v.6. Psal.39.v.10. eius misericordia in populum Israel iam inde ab initio comparatur expositum infantem assumenti. Ezech.16. v.5.6. eius clementia in puniendis scelestis Ezech.4. v.6. eius maiestas & gloria replet totam Ecclesiam tam triumphantem quàm militantem. Isaiæ 6.v.1. eius beneficia in homines. Psal.102.v.2.&c.Eccli.18.v.12. amictus illius. Psal.103.v.2.& Psal.92.v.1. eius omniscientia. Psal.138. Prou.15.v.11.Eccli.17.v.16. omnipræsentia. Psal.138. Prou.3.v.6.c.30.v.4. eius maiestas. Psal.144. eius essentiam an viderit Moyses. Exod.33.v.13. eius concursus cum hominibus. Prou.16.v.1. eius locutio cum homine multiplex. Iob 33.v.14. erga peccatores benignitas. Iob 33. v.23. & c.35.v.10. & 36. v.16. Psalm. 29. v.6. Psal. 134. v.14. dominium in omnia. Iob 34.v.13.23.& 26.& c.37.v.7.& c.38.v.35. etiam in mortem. Sap.16.v.14. eius prouidentia inscrutabilis est. Iob 38.v.33.Psal.11.v.9. Eccli.18.v.6. ei proprium, misereri; contra naturam eius, punire. Thren.3.v.33. sine eius nutu nihil mali euenire homini potest. Amos 3.v.6. eius erga populum suum clementia. Isaiæ 63.v.8.9.& seqq. Dei dicuntur quæcumque maxima sunt. Genes.33.v.10.Psal.35.v.7.Ezech.1.v.1.Isaiæ 59.v.19

Deus pater cur dicatur antiquus dierum. Dan.7.v.9. in sede flammea sedens sententiam efficacissimam contra Antichristum pronuntiabit. v.10. quomodo decreuerit vt Iudæi in Christum agerent ea quæ egerunt. Actor.2.v.13 c.4.v.27.

Deus, pro angelo Dei sumitur. Proleg.de Idiotismo Hebr. n.23. & pro iudice. Exod.21.v.6. Psal.49.v.1.Psal.81. v.1. Deus propriè est nomen Christi. Isaiæ 9.v.6

Deorum nomina reges sibi assumebant. Dan.4.v.5. dij montium, collium, vallium, &c. 3.Reg.20.v.23. dij serpentes, muscæ, &c. Sap.13.v.6. dij maiorum gentium erant duodecim, alij erant minorum. Actor.19.v.28. dij Gentium quales essent. Sap.13.v.2.&c. dij Ægypti subuersi à Deo. Num.33.v.4.

Dextera, pro primo loco. Psal.15.v.vlt.Psal.109.v.1. à dextris Dei quomodo sedeat Christus. Marc.16.v.19. quid hac phrasi sessionis ad dextram Dei propriè significare velit Script. ibid. à dextris esse alicui, est opitulari. Psal.15.v.8

Dextrans, vide Deunx.

Diabolus propriè idem est quod calumniator. Psal.108.v.6. diabolus est spiritus mendacij, & veritas in eo non est. Ioan.8. v.44. est causa malorum omnium in terris. Iob 9.v.24. est draco apostata. Iob 26.v.13. eius descriptio allegorica. Iob 40.v.20.& c.41.toto. ipse deus est & princeps huius sæculi. 2.Cor.4.v.4. verè hominis inimicus est. Matth.13. v.25. gaudet forma serpentis: cur vocetur draco. Dan.14.v.22 per mortem Christi prorsus imperio suo deiectus est. Ioan.12.v.31. diaboli apparent in siluis pilosi & hirti. Isaiæ 13.v.21. vide *Damon.*

Diaconi initio Ecclesiæ creati vt præessent mensis, tum sacris, tum profanis: alia eorum munia: eorum ordinatio fuit verum Sacramentum. Actor.6.v.1.4. eorum dotes. 1.Tim.3.v.13. septem Diaconi Cardinales ad quod exemplum primò in Ecclesia constituti. Actor.6.v.1.

Diaconissæ quæ olim dicerentur. Rom.16.v.1. earum quod esset officium. 1.Tim.5.v.3

Diadema, quid propriè esset. Esther 6.v.8. diadema sponsi. Cant.3.v.11. diadema speciei quod dicatur. Sap.5.v.17.

Diana sua simulacrum putabant Ephesii è cælo delapsum. Actor.19.v.35. Diana erant plures, sed illa nominatissima quæ Apollinis erat soror: vnde dicta: Luna cur vocetur Diana & Lucina. Actor.19.v.28.Sap.13.v.2.

Dicenda quatenus præmeditari liceat. Matth.10.v.19

Dicere ex sententia. Sap.7.v.15

Dido Æneæ quo tempore vixerit. 4.Reg.9.v.30

Didragma quanti esset pretij. Matth.17.v.23. erat medius siclus. Quid Attica, quid Hebræa: quid in argento, quid in auro. Proleg.de Ponderibus.

Dies ciuilis, dies naturalis; dies sacer, dies profanus quis, & à qua hora inchoëtur. Chron.c.1. dici natiuitatis quomodo maledicat Ieremias. Ierem.20.v.14. eodem die opinio erat Israelitas à Messia liberandos, quo per Moysen ex Ægypto educti sunt. Matth.26.v.2. dies persecutionis Antichristi pauci sunt à Deo decreti. Dan.9.v.24. vnus dies apud Dominum est sicut mille anni voluptatum huius vitæ. 2.Pet.3.v.8. quo die Christus in vrbem super asinam inuectus sit. Matth.21. v.2. dies 390.decubitus Ezechielis in sinistro latere, & alij 40. decubitus in latere dextro quid significarent. Ezech.4.v.4. dies *metonymicè cladem significat eo die illatam. Isaiæ 9.v.4. subinde pro iudicio capitur. 1.Cor.4.v.3. dies iudicij veniet succensus igne triplici. Malach 4.v.1. in eo omnibus omnium peccata patescent. Apoc.20.v.12.* vide *Iudicium extremum. dies diei eructat verbum. Psal.18.v.3. dies cæli quinam dicantur. Psal.88.v.30. dici altitudo. Psal.55. v.4. dies honoris. Eccli.11.v.4*

Diffamare capitur per catachresin pro celebrem facere. Matth.9.v.31

Digitus Dei, quis dicatur. Exod.8.v.19. digitus cubicus, 16.sextarij Romani pars. Proleg.de Mensuris. digitus transuersus, minima longitudinum. Proleg de Longitud.

Dignitates Ecclesiasticæ non sunt ratione consanguinitatis, sed meritorum conferendæ. Actor.1.v.26

Dilatatio cordis quid significet. Psal.4.v.2

Dilectus ex dilecto quid significet. Cant.5.v.9. quid sit, dilectus meus mihi. Cant.2.v.16. dilecti dilecti, idem est quod dilectissimi. Psal.67.v.13

Dilectionem qualem à suis Christus exigat. Ioan.13.v.34. dilectionis Dei & proximi mandatum est mandatum vetus. 1.Ioan.2.v.7. cur tamen dicatur nouum. v.8. dilectio proximi signum filiorum Dei. 1.Ioan.3. v.10.14.19.21.c.4. v.12.16. vide *Charitas, Amor.*

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Rom.8. v.28. *diligere Deum ex toto corde, anima, fortitudine, quid.* Deut.6.v.7. *diligens proximum non offendit, nec offenditur.* 1.Ioan.2.v.10

Diluuium quo anno, quo mense, quo die cœperit, quo finierit. Chron.c.11.& Gen.7.& 8. *tempore diluuij nonnulli pœnitendo saluati sunt.* 1.Petr.3.v.10

Dimittere aliquando significat permittere. 2.Esdr.4.v.2

S.Dionysius iudex Areopagita ad Christum per Paulum est conuersus. Actor.17.v.18.34. *maximè motus ecclipsi quam Christo moriente vidit iuuenis in Aegypto.v.34. fuit Athenarum Episcopus, inde Romam profectus Parisiis Martyr occubuit.* ibid.

Dioscurus qualis Græcorum mensis sit, an embolismaris. 2.Mach.11,v.21

Diotrephes Epistolas S. Ioannis ad Corinthios missas cur nollet admittere. 3.Ioan.9

Diphthera Iouis Poëtis est pellis, in qua descripta habet omnium hominum peccata, & pœnas iis debitas. Zach.5.v.1

Diplois erat tunica matronarum talaris, panno & pellibus inferta. Baruch 3.v.2. *item pallium duplicatum.* Psal.108.v.29

Dipondium, vel Dupondium, quanti pretij & ponderis. Proleg. de Ponderibus, & Luca 12.v.6.

Dipsas est serpens sitim causans in eo quem læsit. Deut.8.v.15

Directiones idem est quod recta iudicia. Psal.98.v.4

Dirigere cor ad Deum, est colere Deum. 2.Paral. 20.v.33. *dirigi est vox militaris.* 1.Reg.16.v.13

Discessio à Christo, eiusq; Ecclesia, & à Rom.Imperio fiet antequam veniat dies Domini. 2.Thess.2.v.3.6.7

Disciplina in Scriptura diuersimodè accipitur. Sap.6.v.12. Psal 118 v.66.Prou.1.v.2

Discipulus Christi etiam strictè capitur pro eo qui Christo perfectè adhæret. Luca 14.v.26. *discipulus notus pontifici in atrium pontificale ingressus, quis fuerit.* Ioan.18.v.15

Discipulorum proborum Christi quod sit officium. Luc.14. v.28. *discipuli Christi qui fuerint: his successerunt sacerdotes, vt Apostolis Episcopi: fuere numero LXXII.Luca 10.v.1. eorum nonnullis cur Christus se non crederet.* Ioan.2.v.24. *discipulorum in Emaus tendentium alter non nominatus, quis fuerit.* Luca 24.v.18

Discriminalia quale ornamentum muliebre. Isaiæ 3.v.20

vnde sint Iudæi Dispersi per orbem. Iac.1,v.1

Disputare de quouis mysterio fidei, non est passim cuiusuis. 1.Petr.3.v.15.

Dissensionem inter hostes serere quandoque licet. Act.23.v.6

Dissidium animorum maximè turbat progressum Euangelij. Phil.4.v.2

Dithalassus locus est inter duo maria. Actor.27.v.41

Diuinatio futurorum contingentium est propria diuinitati. Dan.4.v.5. *diuinatio ex somniis quando licita.* Gen.40.v.5. c.41.v.16.& c.44.v.5. *diuinatio è baculo decorticato quomodo fieret.* Osee 4.v.12.

Diuini non consulendi. Deut.18.v.11

Diuinitatis Christi quæ signa viderint Apostoli. Ioan.1. v.14. *ipsa habitauit in illo corporaliter.* Col 2.v.9. *eius perfectio.* Ephes.3.v.18. *diuinitatem tam nobile est dare quàm accipere.* Actor.20.v.35

Diuisio terræ sanctæ quomodo sorte facta. Num.26.v.55

Diuites ob solas diuitias non sunt agnoscendi. Iac.2.v.4. *diues difficulter intrabit in regnum cælorum.* Matth.19.v.24. *eum præ paupere honorans sinistrum iudicium format.* Iac.2.v.4

Diuitiæ auaro sunt idolum & robur. Osee 12.v.8. *earum incertitudo.* Psal.38.v.7. *vanitas.* Psal.48. *diuitiæ sunt spinæ.* Eccles.5.v.12. *animo ita spernendæ, vt omnia potiùs perdenda sint, quàm aut fides neganda, vel proximus ladendus.* Matth.5.v.3. *quare vocentur iniquæ.* Luca 16.v.9.& 11. *quomodo hominem in cælum recipiant.* v.9. *cur ab homine sint alienæ.* v.12

Diuortium olim licitum certas ob causas. Eccli.25.v.36. *iam tantùm licet quoad thorum, non quoad vinculum.* Matth. 19.v.9. *diuortium matrimonij infidelium cum fidelibus quatenus liceat & suadeatur.* 1.Cor.7.v.12.15.17

Doctorum erit peculiaris aureola in cælo. Dan.12.v.3. *doctor externus parum prodest nisi Deus interiùs operetur.* 1.Cor 3.v.7

Doctrinam sacram mercede vendere, vt & oracula simoniacũ est. Mich.3.v.11. *doctrina Christi est velut vinum & lac.* Isaiæ 55.v.1. *in quo simulus sit sycomoro.* Amos 7.v.14. *doctrina Euangelica cur dicatur regnum cælorum.* Matth.13.v.16

Dodrans, nouem vncias sunt. Proleg.de Ponderibus.

Dogma significat aliquando edictum. Esther 4 v.3

Dolia duo Iouis, fellis alterum, alterum mellis. Ierem.24.v.2

Dolores immensos Christus in cruce sustinuit, ideoq; filialiter, questus est se à Patre derelictum. Matth.27.v.46. *dolores mortis, sunt: lethales.* Psal.17.v.5. *dolores infernorum in Scriptura vocentur.* Actor.2.v.24. *hos quomodo Christus resurgens dissoluerit.* ibid. & 27.

Doma significat solarium. 2.Esdr.8 v.16.& 4.Reg.11:

Dominica dies vnde cognominata. Apoc.1.v. 10. *tamen sabbati instituerunt Apostoli.* 1.Cor.16.v:

Dominij sui vniuersalis in omnia plenum exercitium non accepit Christus nisi post mortem. Rom.14.v.9

Domini alieni sunt diabolus, mundus, caro, dum nobis dominantur. Isaiæ 26.v.13. Dominus *titulus Imperatorum erat, quàm is esset sublimis.* Actor.25.v.26

Domitiani Imperatoris gesta. Chron.c.vlt.

S. Domna ad Christum conuersa lectione Actorum Apostolorum. procem.in ead.

in Domo Caiphæ contigit prima Petri negatio, & alapa Christo inflicta fuit. Ioan.18.v.24. *domus propitiationis, est Sanctum sanctorum.* 1.Paral.28.v.11. *domus vulgi quanam esset Ierosolyma.* Ierem.39.v.8. *domos æstiuales & hiemales habent ditiores pro temporum diuersitate.* Amos 3.v.15. *domus, pro familia: domum alicui ædificare, pro familiam prolibus stabilire.* Proleg. de Idiotismis Hebr.n.34.& Exodi 1.v.21.Eccli.3.v.17. *domum eburneam quam haberet Achab.* 3.Reg.22.v.39. *domus lutea, pro corpore.* Iob 4.v.19. *domus iniquitatum, quæ.* Psal.73.v.20. *domus æternitatis.* Eccles.12.v.5

Dona Spiritus sancti aliter fidelibus in iustificatione communicantur, quàm Christo communicata sint. Isaiæ 11.v 2. *varia Spiritus sancti dona initio Ecclesiæ dabantur.* 1.Cor.12. v.6.& seqq. *dona Dei sunt sine pœnitentia.* Rom.11.v.20. *hæc in nobis quomodo resuscitanda sint.* 2.Tim.1.v6

Donat Deus hominibus varia talenta, vt iis lucrum faciant. Matth.25.v.14.

Donec *significat quid antè factum, vel non factum sit, non verò quid postea.* Matth.1.v.25

Dormientes super stragula in idolijs captabant oracula. Amos 2.v.8

Dorsum ponere idem est quod fugare. Psal.20.v13

Drachma quarta pars sicli: Hebræa duplò maior quàm attica; quid in argento, quid in auro. Prolegom.de Ponderibus.

Draco vnde dictus, prisci fuit symbolum prudentiæ & fascientiæ. Dan.14.v.22. *illi erat concredita custodia templi, adytorum, oraculorum, thesaurorum, heroum in infantia.* ibid. *draco sanguinem elephantorum exsugit.* Mich.1.v 8. *eius rei sit symbolum.* Esther 10.v.7. *draco vsurpatur pro magno pisce, &c.* Psal.73.v.13.Psal.103.v.26. *draconis fons quis Ierosolyma.* 2.Esdr.2.v.13. *dracones aliquando ingentes inueniuntur.* Apoc.12.v.3

Draconia, id est, fana draconibus sacra, erant olim plurima, Dan.14.v.12.

Dromedarij sunt pulli camelorum. Isaiæ 60.v.6

Drusilla filia fuit Herodis Agrippæ senioris: vxor Felicis Præsidis. Act.24.v.24. *quomodo ad eius thorum peruenerit.* v.25

Ducatus, qua moneta. Proleg.de Ponderibus.

Duplex idem subinde quod multiplex. Eccli.20.v.10. Osee 10.v.10. *duplex cor.* Eccli.2.v.14. *duplex lingua.* vide Bilinguis. *Duplex animo quis dicatur.* Iac.1.v.8

EBria quomodo absumere dicatur sitientem. Deut.29.v.19.
Ebrietas pro satietate qualibet vel hilaritate. Gen.43.v.32.Cant.5.v.1.& 1.Mach.16.v.16. ebrietas reprehenditur. Prou.12.v.11.c.20.v.1.Eccli.19.v.2.c.31.v.40. aufert homini mentem & rationem. Osee 4.v.11. quam noxia sit. Tob.9.v.12
Ecbatana Medorum regia. Tobiæ 3.v.7. à quo condita,& quando. Iudith 1.v.1. quando destructa. ibid.v.5
Ecclesiam Dei introire vetantur Ammonites & Moabites. Deut.23.v.1.& 2.Esdr.13.v.1. Ecclesia cœpit Ierosolyma: vnde ipsa est mater omnium aliarum Ecclesiarum. Psal.49.v.2. Ezech.16.v.61. Ecclesia designatur in muliere amicta sole & coronata stellis duodecim. Apoc.12.v.1. in fine mundi summis cum doloribus pariet.v.2. eius partus masculus quis sit. v.5. est terra desiderabilis. Malach.3.v.12. est firma,nixa duobus fulcris. 2.Tim.2.v.19. quomodo non sit inuisibilis. Luc a 17.v.21. sed visibilis & vniuersalis. Isaiæ 62.v.12. ei accommodantur rectè, quæ Ezechiel de terrena Ierosolymæ dignitate prophetauit. Ezech.48.v.35. vexatur, sed non extinguitur. Ioan.19.v.36. quomodo è latere Christi effluxisse dicatur. ibid. omnibus hostilibus insultibus superior futura à Christo asseritur. Matth.16.v.18. est regnum Christi, sed non liberum ab hoste. 1.Cor.15.v.24. quare vocetur columna & firmamentum veritatis. 1.Tim.3.v.15. est adumbrata in templo Salomonico. Soph.3.v.11. mons est. Isaiæ 2.v.2. eius doctrina sublimis est. ibid. Gentium ad eam confluxus. ibid. quare dicatur spiritualis, sancta, sacerdotalis: in ea est propriè dictum sacerdotium. 1.Pet.2.v.4.9. comparatur vineæ ob amœnitatem & fructus præstantiam. Ezech.15.v.7. quæ eam destruant. ibid. eam Christus aperit & claudit quibus vult. Apoc.3.v.7. eam quomodo Christus adimpleat & perficiat. Ephes.1.v.23. in quo differat à veteri Synagoga. Isaiæ 60.v.21. durabit vsque ad finem seculi. ibid. est è Gentibus selecta à Deo. Psal.15.v.3.5.6.Psal.67.v.5.Psal.71.v.3.&c.Psal.106.v.34.
Ecclesiæ laudes. Psal.44.v.10.14.Psal.45.v.5.Psal.47.Psal.67.v.13.16.19.28.32.&c. eius fundamenta. Psal.86.v.1.Psal.92.v.5. eius amplitudo. Psal.79.v.11.Psal.86.v.6. stabilitas.Psal.88.v.3.& 4.& 38.& 46. pulchritudo. Psal.95.v.6. eius societas quàm sit nobilis. 1.Ioan.1.v.3. Ecclesiæ claui & funiculi quid mysticè denotent. Isaiæ 33.v.20. quid eius riui patentes. v.21. eius opes tum temporales, tum spirituales. Isaiæ 60.v.17. eius murus est Spiritus sanctus & angeli Custodes. Zach.2.v.5. eius maximum initio fuit incrementum. Isaiæ 66.v.7. ei promittitur abundantia gratiarum & omnium spiritualium donorum. Osee 2.v.21. quidquid de ea dicitur, conuenit item Christo. Isaiæ 2.v.2
Ecclesia militans quomodo sit sine macula aut ruga. Ephes.5.v.27. cur subinde à quibusdam cibis abstinentiam præcipiat. Tit.1.v.15. Ecclesia iudicare potest schismaticos, excommunicatos, hæreticos. 1.Cor.5.v.12. quia habet potestatem iudiciariam. Luc a 12.v.14. eius summa pax futura ad aliquod tempus cæso Antichristo. Ezech.39.v.9. eius primi hierarchæ fuere è Iudæis. Isaiæ 61.v.6
in primitiua Ecclesia etiam coniugati ordinabantur. 1.Tim.3.v.2. cui Ecclesiæ declarandus sit peccans in alterum. Matth.18.v.17. Ecclesia sumitur pro iure ciuium. Deut.23.v.1. quæ nationes eo iure priuatæ. ibid. an etiam mulieres? Ruth 4.v.7
Ecclesiastes pro proficientibus conscriptus à Salomone iam pœnitente. in proœmio eius.
Ecclesiasticus liber an Canonicus: quis auctor: quo idiomate conscriptus in proœmio. Et quando? in Prologo.& Eccli.36.v.13.c.50.v.1. falsò accusatus,sed liberatus. Eccli.51.v.7
Eclipsis moriente Christo facta, causa fuit ex parte conuersionis S.Dionysij Areopagitæ. Actor.17.v.34. fuit vniuersalis, & inprimis notabilis: quid illa denotaret. Marc.15.v.33
Eden est Syriæ regio amœnissima iuxta Damascum. Ezech.27.v.23.
Edissa, vide Esther.
Educationis cura quanta habenda. Prou.22.v.6
Effeminati quinam dicerentur. 1 3.Reg.14.v.24.& 4.Reg.23.v.7.Osee 4.v.14.
Egestas cauenda, tur. Eccli.40.v.29
Egredi & ingredi, pro fungi officio suo. Deut.31.v.2
Eiaculatoriæ orationis vsus Nehemiæ. 2.Esdr.2.v.3
Eleazari familia non perpetuò, sed plerumque pontificatum tenuit. Num.20.v.28
Eleazarus senex carnem suillã manducare recusans,quis qualisue fuerit, quomodo dicatur protomartyr. 2.Machab.6.v.18
Eleazarus elephantem occidens, itaque moriens, an fuerit frater Iudæ Machabæi. 1.Mach.6.v.43. in eo non peccauit quòd à bellua opprimi se finat. ibid.
Electa domina ad quam S.Ioannes scribit,qualis fuerit matrona:an id nomen eius propriũ fuerit,an appropriatum. 2.Ioan.v.1.
Electi,nomen Diaconorũ & Episcoporum recèns creatorũ.ibid.
Electi ijdem qui nobiles. Psal.77.v.31. electi pro iuuenibus bellatoribus. 2.Paral.11.v.1
Electi, sunt ab omni æternitate ad regnum cæleste delecti. Matth.25.v.34. hi sæpè in hac vita grauissimis exercentur afflictionibus. Ioan.9.v.3. non inducuntur in errorem nisi volentes. Matth.24.v.24. electos suos habet Deus etiam in vilissimo statu. Matth.24.v.40
Electi sumus ad gloriam post prauisa singulorum merita & perseuerantiam. Apoc.3.v.11
in Electione personarum ad certa ministeria respicit subinde Deus ad dotes naturales & indolem. 1.Tim.1.v.12. electio Iacobi præ Esau non fuit ad gloriam cælestem, sed tantùm ad peculiarem protectionem & promissionum hereditatem. Rom.9.v.12. fuit hæc solius misericordiæ & gratuita. v.15. fuit quoque tantùm quoad bona temporalia. Malach.1.v.3. electio ad fidem est gratuita. Ioan.15.v.16. electio ad gratiam, requirit nostram cooperationem. Ephes.1.v.4. electio qua à Deo eligimur ad gloriam,fit ex prævisis nostris meritis. Iac.2.v.5.& 2.Petr.1.v.11.& Actor.13.v.48. electio efficax, seu absoluta ad salutem, vel gloriam pendet obiectiuè à nostro consensu. 2.Tim.2.v.19.& 20
qua causa cur hunc præ illo Deus eligat ad iustitiam & salutem. Rom.11.v.5.
Electrum erat as purgatissimum, & probè excoctum: eius pretium. Ezech.1.v.4
Eleëmosynæ fructus. Tob.4.v.7.Eccli.3.v.33.4.v.1.&c. eleëmosyna quàm vtilis. Tob.4.v.7.& 23. in Dei memoria manet,& dantem locupletat. 2.Cor.9.v.9. debita modo facta remittit peccata mortalia. Luc a 11.v.4. amplior, non semper plus meritoria. Matth.12.v.43. quomodo sit facienda. Matth.6.v.2.3.Eccles.11.v.1.2.&c. iustis potiùs quàm impiis præstanda. Eccli.12.v.4. est opus iustitiæ latè sumptæ; item causa, seu præparatio & effectus iustitiæ. Dan.4.v.24.
Eleëmosynarij rarò infelices. Psal.36.v.25. sed opibus cumulandi. Psal.111.Eccli.40.v.17. singulariter curæ sunt Deo. Psal.40.v.2.&c.
Elementa quatuor in Ierusalem sæuierunt tempore Titi. Isaiæ 29.v.6. elementis singulis suus præest angelus. Apoc.16.v.5. elementa egena, sunt obseruationes legales. Gal.4.v.9
Elephantis conditiones. Iob 40.v.10.&c. vini aspectu irritatur, quin & ipsum potat. 1.Machab.6.v.34. vt homini noceat, proritandus est. ibid. quomodo ad prælium armetur. v.37. Indici potentiores sunt Africanis. ibid.
Eliachim, aliàs Ioachim, summus sacerdos. in proœmio Iudith, & c.4.v.5. administrat pro rege regnum Iudææ. ibid. benedicit Iudithæ. c.15.v.9
Eliæ Thesbitis genus & vitæ ratio. 3.Reg.17.v.1. habitatio varia,sed maximè in Carmelo: vnde Carmelitis nomen.ibid.claudit cælum triennio. ibid. pascitur à coruis. ibid.v.5. puerum resuscitat à morte. v.21. igne de cælo absumitur eius sacrificium. c.18. timet & fugit Iezabelem. c.19. roboratur ab angelo, pane subcinericio. v.8. & sibilo auræ tenuis. v.12.

inuestit Eliseum. v.19. *igne caelesti occidit duos quinquagenarios.* 4.Reg.1.v.8. *spiritus eius duplex.* c.2.v.9. *curru igneo rapitur in caelum.* v.11. *vbi iam degat, & quid agat.* Gen.5.v.24. *è paradiso litteras dat ad Ioram regem Iuda.* 2.Paral.21.v.10.& 12. *encomia Eliæ.* Eccli.48.v.1. *erit præcursor secundi aduentus Christi: in quo Ioan.Baptista futurus similiu: quod eius officium futurum in fine seculi.* Malach.4. v.5.& Matth.17.v.11

Eliam & Henoch recreauit Christus post resurrectionem sua præsentia in paradiso terrestri. Actor.1.v.3. *hi duo contra Antichristum qualiter prophetaturi sint: & quamdiu.* Apoc.11 v.3. *sunt velut duo candelabra.* v.4. *eorum miracula.* v.5.& 6

Elias & Moyses cur in transfiguratione Christi appareant. Matth.17.v.3. *an in propriis corporibus apparuerint: vnde eos agnouerint Apostoli.* ibid.

Eliasib pontifex quando fuerit: erat nepos Iesu. 2.Esdr.3.v.1 *in Elimaide exulat Tobias.* c.2.fin.& c.14.v.10

Eliphaz Themanites fuit patruus Iobi. Gen.36.v.4

Elisa Hebræis vocatur Græcia, ab Elisa filio Iauan. Ezech. 27.v.7.& 13

Elisabeth quomodo esset cognata B.Virgini cùm essent è diuersis tribubus. Luc.1.v.36. *ad Christi præsentiam repleta est Spiritu sancto.* Luc.1.v.41. *vbi sit mortua.* v.80

Elisei acta. 4.Reg.2.vsque c.9. *mors,* c.12. *encomia.* Eccli.48.v.13. *cadauer eius prophetat.* v.14

Eloi *dicunt Syri in singulari, Hebræi in plurali* Elohim. Marc.15.v.34

Eloquentia neruosa & efficax S.Pauli. 2.Cor.11.v.6

Eloquia sumitur pro promissis. Psal.11.v.7

Elul mensis respondet partim nostro Augusto, partim Septembri. Agg.1.v.1

Elymas *vox quid propriè significet: erat magus: cur se vocet Bar-Iesu.* Actor.13.v.8. *fuit cæcitate percussus, sed ab ea curatus, iterum relapsus est.* v.11

Emath magna vel Hemath, Antiochia est Syriæ. 1.Paral.18 v.3. *duplex est.* Amos 6.v.2. *vnde dicta: eius magnitudo, fuit tetrapolis.* ibid. vide *Antiochia. Emath minor, dicta est Epiphania, & subinde Antiochia.* Ierem.49.v.23.& Amos 6.v.2

Embryo vocatur fœtus in vtero imperfectus. Psalm.138. v.16.&c.

Emigrabit te, *pro emigrare faciet.* Proleg.de Idiotismis Hebr.n.60.& Psal.51.v.7

Emmaus vicus quantum à Ierusalem distaret: postea in celebrem ciuitatem est euectus. Luc.24.v.13

Ἔμπροσθεν *non ordinem temporis, sed distantiam loci, seu dignitatis significat.* Ioan.1.v.15

Enac & Enacim sumitur pro gigantibus. Num.13.v.23

Enallage frequens in Scriptur. Proleg.de Idiotismis Hebr. n.43.44.45.& 46. Actor.23.v.4

Encænia quando Ierosolymis celebrarentur, & qualia. Ioan. 10.v.22. *erat festum dedicationis templi à Iuda Machabæo repurgati, quod per octiduum celebrari iussit.* 1.Machab.4.v. 59.& 2.Mach.1.v.9

Energumeni miserè sæpè à cacodæmone torquentur. Marc.1 v.26. *energumeni olim cùm baptizarentur, ordinario exorcismo curabantur.* Actor.5.v.16

Engaddi quæ sit ciuitas & vbi sita. 1.Reg.24.v.1.Cant.1. v.13.c.8.v.11

Enim *sæpè pro* autem *vsurpatur.* Apoc.22.v.18

Epaphras à Colossensibus ad Paulum vinctum Romam missus, erat illorum Episcopus. Col.1.v.7.& c.4.v.12. *propter fidem est in vincula coniectus.* Philem.23

Epha vel ephi qua mensura. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.16. & de Mensuris

Ephesus erat Asiæ Minoris metropolis, cultu Dianæ celebris. proœm.in epist.ad Ephes.& 1.Cor.16.v.9. *abundabat philosophis.* Actor.18.v.19

Ephesij magicæ erant addictissimi. cap.19.v.19

Ephesina Ecclesia à S. Paulo fundata est. v.9

Ephraim sumitur pro decem tribubus Israel. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.21. *vel pro omni Israele.* Psal.77.v.9. *idq; quia Ieroboam primus rex Israelis ex Ephraim fuit oriundus.* Osee 6.v.10.& c.7.v.1

Ephraimitica tribus auctoritas. Osee 13.v.1

Ephraimitæ cæsi à Palæstinis. 1.Paral.7.v.21. *Ephraimitæ sumuntur pro Israelitis.* 2.Paral.25.v.7

Ephrata regio fertilissima iuxta Bethlehem, vnde dicta. Mich.5.v.2.& Psal.131.v.6

Ephron & Ephrem diuersa sunt vrbes. 1.Mach.5.v.46

Ephod lineum, idem est quod stola byssina. 1.Paral.15.v.27 *ephod sacerdotale ornamentum, quid.* Exod.28.v.4. *quotuplex esset.* Iudic.8.v.27. *vbi & de ephod Gedeonis. an sacerdos sine ephod extra locum tabernaculi.* 1.Reg.22.v.18

Epicurus quis, eiusq; dogmata. Actor.17.v.18

Epieikeia est iuris remissio. Bar.2.v.27

Epilepsia crescit crescente luna. Marc.9.v.16

Epimenides poëta & vates quid de Cretensibus scripserit. Tit. 1.v.12

Epiphania. vide *Antiochia.*

Episcopatus sumitur pro prefectura. Psal.108.v.8

episcopatus arduum onus & opus. 1.Tim.3.v.1

Episcopus ordinandus à tribus aliis Episcopis. 1.Tim.4.v.14 *vnius vxoris vir quomodo esse debeat.* c.1.v.2. *eius quæ esse debeant dotes.* v.2.& seqq. *Episcopus Sardensis quo nomine à Christo sit reprehensus.* Apoc.3.v.1

Episcopi & presbyteri nomina erant omnibus sacerdotibus communia. Phil.1.v.1. *Episcoporum minor est potestas quam fuit olim Apostolorum.* Luc.6.v.13. *eorum est docere alios.* 1.Tim.3.v.2. *erant olim etiam iudices causarum secularium.* 1.Cor.6.v.4. *instar stellarum splendere debent.* Apoc.1.v.16. *in primitiua Ecclesia sæpè diuina reuelatione designabantur.* 1.Tim.1.v.19. *solebant olim epistolas ad Ecclesiam suam missas publicè prælegere, easque admittere vel repudiare.* 3.Ioan.9 *Episcopi septem quibus Ioannes in Apocalypsi scribit, septem planetis assimilantur.* Apoc.2.v.1

Epistolæ Apostolorum omnes græcè sunt scriptæ excepta vna ad Hebræos: quod earum sit argumentum: quo singulæ ordine scriptæ sint. proœm.in epist.Apostolorum.

Epistolæ Catholicæ quæ vocentur: vocantur & œcumenicæ & encyclicæ: eæ scribebantur tam ab Apostolis, quàm ab Episcopis: septem tantùm sunt in canonem sacræ Scripturæ relatæ: earum auctoritas, materia, auctores & ordo: scriptæ sunt græcè. proœm. in easdem.

Epistolæ S.Pauli ad Senecam,& huius ad illum, quæ hodie circumferuntur, spuriæ sunt. Actor.18.v.12

Epistola ad Romanos, vnde, quando scripta: cur prima inter Paulinas ponatur: quod eius argumentũ: græcè scripta est, & forte mox in Latinũ versa à Tertio Romanis missa. in proœm.epist.

Epistola 1.ad Corinthios vbi, quando scripta: eius argumentum. in proœm.

Epistola II. ad Corinthios quod sit argumentum: vnde scripta, & per quem missa. in proœm.

Epistola ad Galatas vbi, quando scripta: est compendium eius quæ ad Romanos: eius scribendæ causa, & argumentum. in proœm.epist.

Epistola ad Ephesios vnde, quando scripta: eius argumentum. proœm.in eamdem.

Epistola ad Philippenses quando scripta, & vnde: per quem lata: quod eius argumentum. in proœm.epist.

Epistola ad Colossenses quãdo, vnde scripta, per quos missa: eius argumentũ: est admodũ sublimis & grandiloqua. in proœm epist.

Epistola 1.ad Thessalonicenses fuit epistolarum Paulinarum prima. Actor.18.v.11. *quod eius argumentum: quando, vnde scripta.* proœm.in eamd.

Epistola II.ad Thessalonicenses quando, vbi scripta: quod eius argumentum. in proœm.epist.

Epistola 1.ad Timotheum quando & vbi scripta: quod eius argumentum. in proœm.epist.

Epistola

Epistola II. ad Timotheum Romæ è secundò vinculis à Paulo scripta, & quando: quod eius argumentum. in præm.epist.

Epistola ad Titum quando & vbi scripta: quod eius argumentum. in proœm.

Epistola ad Philemonem vnde & quando sit scripta: quod eius argumentum. in proœm.

Epistola ad Hebræos vbi & quando scripta: est scripta syriacè, sed mox in Græcum conuersa & à quo: cur hæc ab aliis Pauli Epistolis in stylo discrepet: quod eius argumentum: an sit genuina Pauli epistola & Canonica.proœm.in eamd. cur huic Paulus nomen suum non præfigat. c.1

Epistola Catholica S. Iacobi auctorem habet Iacobum Minorem Apostolum Episcopum Ierosolymit. non Maiorem vel Zebedæi: eius argumentum: cur à Nouantibus repudietur & arida vocetur: quando scripta. proœm.in eamd.

Epistola 1.S.Petri vbi, quando scripta, per quem missa: scripta græcè, & ad quos: eius argumentum: S. Petrus Apostolus illius auctor, non alius. proœm. in eamdem. fuit prima omnium epistolarum Apostolicarum. 1.Petr.5.v 13

Epistola II. quando, vbi & quare scripta: quis eius auctor & auctoritas: eius stylus: scripta videtur syriacè, quis eius interpres, & argumentum. proœm.in eamdem.

Epistola 1.S. Ioannis quando & à quo scripta: est Scriptura Canonica: ad quos missa: quod eius argumentũ. proœ.in eamdem.

Epistola II. quando, vbi scripta: quò missa & ad quam: quis eius auctor. proœm.in eamd. cur scripta. v.1

Epistola S.Iudæ quando & qua lingua scripta: quod eius argumentum: eius elogium & auctoritas. proœm. in eamdem.

Epitasis figura frequens est in Scriptura. Proleg.de Idiotismũ Hebr.n.7

Epithalamium sponsi & sponsæ animæ. Psal.44.

Epulæ in fine anni cur solita sint instrui. Isaiæ 65.v.11

Epulo diues quis fuerit: eius parabola an vera sit historia. Luc.16.v.19. quare fuerit damnatus. v.22

Equestris exercitus ingens cogendus sub tempora Antichristi, qualis & vnde proditurus. Apoc.9.v.16. eorum armatura & feritas. v.17

Equitatus Dei in curribus Pharaonis quis dicatur. Cant.1.v.8

Equites visi Ioanni sedentes super varios equos sunt Gentiles, hæretici, Saraceni. Apoc.6.v.2.3.& seqq.

Equi mira docilitas & animositas. Iob 39.v.20. equus albus symbolum est victoriæ & triumphi. Apoc.6. rubeus iræ, zeli, belli. v.4. niger mendacij & errorum. v.5. pallidus libidinis. v.7. equus Seianus omnes heros suos perdidit. Zach.10. v.3. equi cur subuertari iussi Israelitis. Iosuæ 11.v.6. an liciti Iudæis. ibid. & 3.Reg.4.v.26. equi Soli cur attribuantur. 4.Reg.23.v.11. equis abundat Ægyptus. Isaiæ 30.v.16. & equi Ægyptij nobiles sunt & generosi. 2.Par.1.v.16. equi Persici natura exstimulati ad cursum & pugnam. Ierem. 51.v.27. equi diuersorum colorum Zachariæ visi quas gentes designarent. Zach.1.v.8. item alij quatuor eidem visi quid repræsentent. cap 6.v.5,6. & 8. equi emissarij symbolum sunt luxuriosorum. Ierem.5.v.8

Erastus quæstor Corinthius, cur cum Timotheo in Macedoniam à Paulo præmittatur. Actor.19.v.22. postea Episcopus fuit & Martyr. Rom.16.v.23

Ericius vide *Erinacius.*

Erichthonius Athenis quando regnarit Iud.3.v.31

Erinaceus quale sit animal. Psal.103.v.18

Eruca quod genus insecti. Iob 27.v.15. dicta est ab erodendo. Ioel.1.v.4

Eructare verbum bonum quid sit. Psal.44.v.2

Esau nomen, natiuitas, primogenitura venditio. Gen.25.v. 21.31. occurrit amicè Iacobo. c.33. quando mortuus. c.36. v.4. quomodo odio habitus præ Iacob. Rom.9.v.12. ipse verisimiliter saluatus, & multi de eius posteris. ibid. & Gen.36.v.4. eius pœnitentia ipsi vtilis non fuit. Hebr.12.v.17

Esdras quis. 1.Esdræ in summario. instaurat libros legis. 1.Esdr.7.v.6. nomine regis Persarum visitat Iudæos. ibid.v.14 connubia illegitima dissoluit. c.9.& 10. prælegit publicè & explicat legem populo. 2.Esdr.8

Esdrelon campus vbi fuerit. Iudith 3.v.14

Essæi seu Esseni quinam essent apud Iudæos: an ijdem cum Rechabitis. Num.10.v.29.Iudic.1.v.16.Matt.3.v.7. eorum secta erat omnium religiosissima & antiquissima Matth.3.v.7 diuinã Essentiã nemo mortalium in hac vita vidit. 1.Tim.6.v.16

libri Esther quis auctor, & an sit canonicus. præfat. in libr. Esther. quando contigerit illa historia. c.1.v.1

Esther fit regina. c.2. penè exanimatur aspectu Assueri. c.5.v.2. cur inuitarit Amanem cum Assuero rege. ibid. regem pro sua suiq; populi salute interpellat & exorat. c.7.& seq. accipit à rege omnes facultates Amanis. c.8.v.1. & dat eas Mardochæo. ibid. vindictam sumit de hostibus Iudæorum. c.9. Esther fons quis. c.10.v.6. causa timoris in accessu mariti sui. c.15.v.8. dicebatur Hadissa, id est myrtus. Zach.1.v.8

Esurire iustitiam qui dicantur. Matth.5.v.6

Et *pro aut, quia, sed, sicut, id est, &c. Proleg de Idiotismis Hebr.n.12.* & factum est, *&c. quomodo sic inchoantur libri quidam sacri. de Idiotismis Hebr.n.1*

Ethecæ erant porticus in templi Salomonici circuitu. Ezech. 41.v.15

Ἐθελοθρησκεία est falsa ac superstitiosa religio, & vnde sic appelletur. Col.2.v.23.

Eua propriè à serpente fuit decepta. 1.Tim.2.v.14

Euangelica lex leuior est Mosaicâ. Matt.11.v.39.eius prædicatio sensim sine sensu crescit & creuit. Marc.4.v.26. vide *Lex.*

Euangelistæ singuli vnde ordiantur Euang.suum. Marc.1.v.1

Euangelium licet contemptibile, mira tamen pollet potentia & acrimonia. Matt.13.v.32. fermento comparatur. v.33. eius pretium. v.44. id toto orbe publicè promulgabitur, sed vicissim & successiuè, ante finem mundi. Matth.24 v.14. Euangelium suum confert S.Paulus cum primariis Apostolis. Gal.2.v.2.& 6

Eucharistia nomen vnde inditum Sacramento corporis Domini. Marc.14.v.23. eius oblatio est propriè dictum sacrificium. 1.Pet.2.v.4. eius figura erat arca. Psal.98.v.5. eam primi fideles quotidie sumebant. Actor.2.v.42. eius oblatio est verum & vnicum nouæ legis sacrificium. 1.Cor.11.v.25.Hebr.7.v.28 & c.13.v.10.11.& 15. nos tutatur aduersus hostes. Psal.22. v.5. est memoriale passionis Christi. Psal.21.v.26. & memoria mirabilium Dei. Psal.110.v.4. eius prima institutio. Matth.26.v.26. est oblatio munda. Malach.1.v.11. cur dicatur conuiuium pinguium. Isaiæ 25.v.6. eius celebratio etiam in primitiua Ecclesia lumine multò cohonestata. Actor. 20.v.7. eam Christus porrexit discipulis duobus in Emaus castello. Luc.24.v.30. ipsa animam spiritualiter illuminat. ibid. confectio illius est commemoratio sacrificij crucis. 1.Cor. 11.v.25. eius oblatio durabit vsque ad finem sæculi. v.26. in ea caditur & immolatur Christus igne metaphorico charitatis. Ierem.33.v.18. eam sumens indignè iudicium sibi sumit. 1.Cor.11.v.29. cur subinde vocetur panis. 1.Cor.10.v.16 quàm præclarum sit alimentum. Zach 9.v.17

Eucharisticum sacrificium quod olim diceretur. Leu.7.v.13. & Psal.71.v.16

Euchitæ docebant non esse laborandum, sed solùm orandum. Matth.6.v.24

Εὐδοκία soli tribuitur Deo in Scripturis, & significat Dei beneplacitum & beneuolentiam erga homines. Psal.5.v.13.& Luc.2.v.14 Luc.4.v.21

Euilmerodach siue Baltassar regnum Babylonium administrauit interim dum pater esset amens. Dan.4.v.30. à patre moriente multa pia mandata accepit. ibid. à Persis obsessus cur grande conuiuium fecerit. c.5.v.1. an Danielem non nouerit. v.11. ipsum cur honoribus affecerit. v.29. interfectus est à Persis. v.30.Chron.c.34.& 4.Reg.25.v.27

Eunice S.Timothei erat mater. Actor.16.v.1

Euntes *pro ibatis. Proleg. de Idiotismis Hebr.num.4.& 1.Cor.12.v.2*

Eunuchi vocati sunt omnes palatini & aulici, tã castrati quã nõ castrati.

castrati. Gen.37.v.36.& Dan.1.v.3.

Eunuchus *vox vnde deriuetur: quod esset munus eunuchorum.* Isaiæ 39.v.7. *eunuchi spirituales qui sint, propter regnum Dei castrati.* Matt.19.v.12.

Eunuchus Candacis reginæ Aethiopiæ an fuerit proselytus. Actor.8.v.27. *eius professio fidei & baptismus.* v.37. *eam ipse dein apud suos & vicinos prædicauit.* v.39.

Euphrates aliò deriuatus Babyloniæ capiendæ fuit occasio. Isaiæ 11.v.15. Ierem.50. v.38.& c.51.v.32. & 36. Dan.5. v.30. *Euphratis exsiccatio sub tempora Antichristi viam pandet Christianis ad Antichristianos oppugnandos properantibus.* Apoc.16. v.12.

Euphonismus in Scripturis non infrequens. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.32.

Euro-aquilo est ventus vehemens & procellosus. Act.27.v.14

Exactio manus, est repetitio debiti. 2.Esdr.10.v.31

Excæcat Deus indirectè. Isaiæ29.v.10.vide Deus.

Excæcationis causa propria & directa est hominis malitia. Ioan.12.v.39. *ea fit tantùm permittente Deo.* Isaiæ 6.v.10

Excelsa sumitur in Script. subinde pro arcibus altis. Psal. 17.v.34. *item pro fluctibus altis* Psal.41.v.8. *excelsa item erant ara & templa idolorum.* Ezech.20.v.29. *ea quomodo euerterit Asa.* 2.Paral.14.v.2. *in iis immolare an licuerit.* 3.Reg.3.v.3

Excessus animi quis dicatur. Psal. 30.v.23.Psal.115.v.2

Excommunicantur solùm qui contumaces sunt. 1.Cor.5.v.4

Excommunicationis vis. 1.Reg.14.v.19

Excommunicatos olim solebat satan vexare in corpore visibiliter. 1.Cor.5.v.4

Excuti de domo sua, est in exilium agi, & profugum fieri. 2.Esdr.5.v.13

Exedræ erant cubicula templo vicina, vbi Leuitæ requiescebant. Ierem.35.v.2. *vocantur & gazophylacia.* ibid. *qui alios Exemplo deprauarunt, ideo in inferno luunt.* Luc. 16.v.28.

Exercitus cæli sunt astra. 2.Paral.33.v.3. Eccli.43.v.9. & Esdr.9.v.6.

Exorcistæ Iudæi an à Salomone acceperint artem pellendi dæmones. Luc.11.v.19. *magicas artes subinde suis exorcismis admiscebant.* Actor.19.v.13. *exorcistæ Christiani omnem potestatem à Christo accipiunt.* ibid.

Experientiæ quàm vtilis sit ad comparandam scientiam. Eccli.34.v.9.

in festo Expiationis fiebat generalis omnium toto anno commissorum peccatorum remissio. Hebr.10.v.3. *id festum quomodo celebrandum.* Leu.16.v.2.& 20. *expiationis sacrificium.* Exod.30.v.10

Exploratorum mendacia. Num.13.& 14. *punitio.* ibid.

Exsibilantur quæ contemnuntur. Ierem.18.v.16

Ecstasis spiritualis qua sit. Cant.2.v.6

Externa non curat Deus, sed sola interna & cor rectum. Luc. 16.v.15.

Extranea eadem est quæ meretrix. Prou.2.v.16

Sacramenti Extremæ vnctionis effectus. Iac.5.v.14.& 15 *cur nulli id sit negligendum.* v.15. *hoc est à Christo institutum, & à S.Iacobo promulgatum.* ibid.

Ezechiæ regis Iudæ præclara facinora. 2.Paral.29.30.31. & 32. *eius gesta.* 2.Reg.18. vsque 20. & Chron. c.29. *eius encomia.* Eccli.48.v.19. *eius morbus quando contigerit.* Isaiæ 38.v.11. *promissa Dei quando completa viderit.* v.18. *quare lætatus sit ob legatos missos ad se à rege Chaldæorum.* c. 39.v.2. *in quo vana ostentatio ipsius sita sit.* ibid. *quæ castigatio ipsi propterea à Deo intentata.* v.7. *eam ipse non sensit, sed posteri.* v.8. *sacerdotes in Israelem misit ad tribus eius ad veri Dei cultum reuocandas.* Osee 11.v.12.

Ezechielis dies 390.& 40. *quibus nunc in sinistrum, nunc in dextrum latus cubare iubetur, quid designent.* Chron.c.30. *eius encomia. in proœmio* Ezech.& Eccli.49. v.11. *quando in Babylone prophetare cœperit, & quamdiu prophetarit: cur per figuras & ænigmata prophetias proponat: in quo Ieremiæ fuerit simile: fuit Martyr: quo genere mortis extinctus: non fuit Pythagoras. in proœm.Ezech. accommodat se calculo Chaldæorum in supputatione annorum.* c.1.v.1.

FAciat hæc mihi Deus, & hæc addat, *quid significet* 1.Reg.25.v.22. faciens faciam, *id est, certissimò faciam.* v.28. *faciens viribus naturæ quod in se est, tunc habetur certò à Deo.* Tob.4.v.7

Facies sumitur pro persona. Exod.33.v.13.Psal.30.v.21 Psal.81.v.2.Eccli.8.v.14. *faciem deprecari quid sit.* Iob 11.v.19. *faciem Dei quærere quomodo dicamur.* Psal.23. v.6. *facies læta signum est sereni animi.* Eccli.13.v.32. *facies ad mortem damnati velabatur.* Mich 3.v.7. *facies Gabrielis instar fulguris splendens quid repræsentaret.* Dan.10.v.6

Fames quæ vocetur obscæna. 4.Reg.6. v.23. & 28. *fames sub Claudio Imper. quæ contigit, ab Agabo prædicta fuit.* Act. 11.v.27. *fames Dauidi in optionem proposita, an triennalis, an septennalis.* 1.Paral.21.v.12. *fames & penuria tempore cenium quanta fuerit in vrbe Ierosolymitana obsessa à Chaldæis.* Ezech.4.v.11.& 12. *fames & sitis audiendi verbum Domini eos vexat, qui ipsum dum præsens fuit, audire detrectarunt.* Amos 8. v.11

*Faneca seu quintal, est mensura libr.*168. Proleg. de Mensur.

Fascinatio nugacitatis quæ dicatur. Sap.4.v.12

Fasciculum myrrhæ quid sponsa vocet. Cant.1.v.12

Fauni qualia sint monstra: vnde dicantur. Ierem.50.v.39 *vnde dicantur ficarij.* ibid.

Fauus distillans quomodo sint labia sponsæ. Cant.4.v.11

Febrium mala quæ. Iob.30.v.17.&c.

Fel Iudæorum in Christum quale. Psal 68.22

*S.Felicitas septem filiorum Martyrum mater.*2.Mach.7.v.38

Felix è seruo factus Iudææ præses, & qua occasione. Actor. 23.v.26. *eius prænomen Antonius & Claudius, vnde.* ibid. *Iudæis modò fauit, modò nocuit.* c.24.v.3. *quomodo sit copulatus Drusillam Herodis Agrippæ senioris filiam: à Iudæis accusatus, propè fuit vt pœnas daret: à S.Paulo perterritus factus, dum de iudicio & castitate disputaret.* Actor.24.v.25

Femina circumdans virum, est B.Virgo Christum. Ierem. 31.v.22. *feminæ ad mensam olim sedebant viris discumbentibus.* Ezech.23.v.41. *feminæ non tenebantur ter in anno Ierusalem ascendere.* Luc.2.v.41. *in feminis ratio sapientiæ perfecta.* Eccles.7.v.28. *earum olim erat in mensa cornua vngere.* Luc.7.v.38

Femur manu percutere stupentium & dolentium est. Ezech. 21.v.12. *in femore Christi cur scriptum sit* Rex regum, & Dominus dominantium. Apoc.19.v.16

omnium Fenestrarum templi eadem erat altitudo, longitudo, latitudo, materia & forma: erantq; obliquæ. Ezech.41.v.16

Feræ Sanctos tutata sunt & coluerunt. Isaiæ 1.v.3.

feras arundinis quas vocet Psalmista. Psal.67.v.31.

ferus singularis quis vineam depascatur. Psal.79.v.14

Feralia pro sepulcralibus epulis. Tob.4.v.18

Ferculum quale sibi Salomon fecerit. Cant.3.v.9

Feria hebdomadis quot & quænam. Chron.c.3

Fermenti vires. Matth.13.v.33. *id ab omni sacrificio abesse debebat.* Leu.2.v.11

Festis tribus præcipuis omne masculinum comparere debebat coram tabernaculo. Exod.23.v.17.& Deut.16.v.7. *festa Iudæorum sugillat Apostolus, non Christianorum.* Gal.4.v.10 *festa prisca quo pacto Deo displicerent* Isaiæ 66.v.23. *festi dies erant etiam Persis aliisq; Gentilibus.* Esther 16.v.22. *festorum sex genera apud Iudæos à Deo instituta.* Leu.23. *festum illucescit cùm incipit.* Luc.23.v.54

Fibula aurea olim prima nota ornamentum militare fuit. 1.Mach.10.v.89

Ficuum cataplasmate an naturaliter sanatus Ezechias. 4.Reg.20.v.7. *ficuum grossi qui dicantur.* Cant.2. v.13. *ficus primi temporis & præcoquæ sunt suauissimæ.* Ierem.24.v.1 *pro aliis non facilè Fideiubendum.* Eccli.8.v.16

v.23

vide *Spondere. fideiussor fac sit impunè.* Eccli.29.v.19.
Fidelis coniux potest licitè ab infideli discedere etiam quoad contractum matrimonij, si velit. 1.Cor.7.v.15. *etiam tenetur discedere, si coniux sit Iudæus.* ibid. *fidelibus primis omnes possessiones erant communes.* Act.2.v.44. *fideles primarij olim Apostolum suum alio demigrare volentem honorificè deducebant, & viatico instruebant.* 1.Cor.16.v.11. *fideles sunt genus electum, regale sacerdotium, populus acquisitionis.* 1.Petr. 2.v.9. vide *Christiani.*
Fidendum Deo in aduersis. Psal.10.& Psalm.36.v.5. Psal.130.Prou.24.v.10. *nemini fidendum.* Mich.7.v.5
Fides hosti seruanda, etsi infideli. Ezech.17.v.19
Fidei priscorum exempla. Hebr.11.v.4.& seqq. *fidei encomia.* Sap.15.v.3. *fide in Christum saluati sunt patres.* Sap.9.v.19. *fides in Christum semper est ad salutem necessaria.* ibid. *fides omnibus gentibus pari iure communicatur:* Colos.3.v.11. *ex natura sua, vt est actus hominis, non parit iustitiam, sed ex gratioso decreto Dei.* Rom.4.v.3. *sine operibus mortua est.* Rom.1.v.17.Iac.2.v.14.& seqq. *fides explicita Christi necessaria iam est ad acquirendam iustitiam & salutem æternam.* Actor.4.v.12.& 6.10.v.1. *fides sicut granum sinapis, qualis sit.* Matt.17.v.19. *fides non est spes aut fiducia.* Heb.11.v.1. *omnis fides ordinatur ad res sperandas.* ibid. *extendit se ad omnia quæ diuinitus reuelata sunt.* ibid. *etiam consistit cum credendorum visione vel perceptione.* Ioan.20.v.29. *fidei formalis causa est reuelatio diuina,* ibid. *ipsa sola ad iustificationem non sufficit.* Rom.2. v.13.& c.3.v.27.& c.4.v.3.& 1.Cor.13.v.2.Ioan.1.v.12. *fides, qua iustificamur, non excludit charitatem & bona opera.* Rom.3.v.27. *Iob fidem in Christum habuit.* Iob 19.v.25. *fidei Catholicæ quanta sit certitudo.* Gal.1.v.8
quod tibi non vis Fieri, alteri ne feceris. Matt.7.v.12
Figulo comparatur Deus alios extollendo & eligendo, alios deprimendo. Eccli.33.v.12
Figura sæpè pro figurato ponitur. Proleg. de Idiotismis Hebr.n.39.
Filia Sion quomodo dicatur Ierusalem. Isaiæ 1.v.8. *filiæ vrbium, sunt vici, & minores vrbes maioribus subiectæ.* Proleg. de Idiotismis Hebr.n.40. *vel ipsæ vrbes maiores.* ibid. & Psal.136.v.8. *filiæ pharetræ sunt sagittæ: filij areæ frumentum, &c.* ibid. *filiæ carminis quæ dicantur.* Eccles.12.v.4. *filiarum custodia parentibus præcipitur.* Eccli.22.v.3.& c.26. v.12.& c.42.v.9. *filiæ Philippi diaconi ob virginitatem dono prophetiæ claruerunt.* Actor.21.v.9
Filius an ferat aliquando iniquitatem patris. Exod.20.v.5. *nec filio licet furari à parente.* Prou.28.v.24. *filij non sunt vendendi infidelibus in mancipia.* 1.Cor.7.v.23. *sæpè puniuntur ob patrum delicta.* Ierem.31.v.29. *eorum proba educatio curanda.* Eccli.11.v.30.c.16.v.2.c.30 v.1.c.41.v.8. *filios comederunt Ierosolymitæ in obsidione per Chaldæos & Romanos.* Ierem.19.v.9
Filius Dei quomodo sit in sinu Patris. Ioan.1.v.18. *naturaliter ac necessariò continuò & ab æterno à Patre gignitur, nec ab eo diuellitur.* Hebr.1.v.3.5. *in cruce immolatus victima est omnium pretiosissima.* Isaiæ 40.v.16. *à Patre ab æterno procedit, vt imago ipsi simillima.* 2.Cor.4.v.4. *cognosci aut credi nequit sine Patre.* Ioan.12.v.45. *Christus quomodo sit filius Altissimi.* Luc.1.v.32. *cur vocetur filius hominis.* Matth.8.v.19
Filius prodigus cum fratre quos symbolicè designent. Luc.5.v.12 *eorum parabola tropologicè exponitur.* ibid. & seqq.
Filij excussorum qui vocentur. Psal.126.v.4. *qui filij Orientis.* Ierem.49.v.28. *qui veri filij Abrahæ.* Luc.19. v.9. *filius Gemini, est Beniaminita.* Iudic.3.v.15. & 1.Reg. 9.v.21. *filij Dei sumitur pro angelis.* Iob 1.v.6. *filij Dei, & filiæ hominum qui dicantur.* Gen.6.v.2. *filij Prophetarum, sunt eorum discipuli.* 4.Reg.2.v.19. *filij Isaiæ quomodo fuerint in portentum Israel.* Isaiæ 8.v.3. *filij huius sæculi qui sint.* Luc.16.v.8
Fimbriæ erant in pallijs Hebræorum. Deut.22.v.12.& Num.15.v.38
in Finē, *Hebraïs quid significet.* Psal.4 *in argumento. quomodo Finxerit Christus se longiùs ire dum esset in Emaus.* Luc.24.v.28
Firmamentum in medio aquarum quomodo sit. Gen.1.v.7. *firmamentum panis quodnam dicatur.* Psalm.71.v.16.& Psal.104.v.16
Fistulæ domatum quæ vocentur. 2.Reg.5.v.6. *fistula capitur pro aromatica planta.* Cant.4.v.14
Flagellabantur olim apud Romanos ad crucem damnati, etsi essent liberi. Matth.27.v.26
Florem campi quomodo se dicat sponsus. Cant.2.v.1
Florenus Belgicus, siclus argenti. Proleg.de Ponderibus.
Flumen, vel fluuius, antonomasticè pro Euphrate sumitur. Proleg.de Idiotis.Hebr.n.30.Psal.79.v.11. *item pro Iordane.* Psal.65.v.6. *fluminum scaturigo è mari est.* Eccles.1.v.7
Fluuius aquæ viuæ in cælo quis sit. Apoc.22.v.1. *fluuij dioryx quis vocetur.* Eccli.24.v.41. *fluuius Ethan quis sit.* Ps.73.v.15
Fodere pro emere capitur. Osee 3.v.2
Fodinas auri etiam habet Hispania. 1.Mach.8.v.3
Fœdus inter Deum & Israelitas quomodo à Moyse sanctitum. Exod.24. *fœdus nouum à Deo cum populo suo initum qua in re differat à veteri.* Ierem.31.v.31.33.& 34. *arctiora fœdera cum impijs displicent Deo.* 2.Paral.19.v.2.& c.20. v.vlt. *fœdera cum Gentilibus inire non damnatur.* 1.Mach.9.v.18. *fœdera iniri solent stipulatione & sacrificio.* Ezech.37.v.26
Fœnerari sumitur pro mutuare, per catachresin. Deut.15.v.6. & Luca 6.v.34. *fœnerari an licitum Iudæis.* Deut.15.v.6.& c.23.v.19.
Fœnus est noxium. Prou.28.v.8
Fœta vel fœtantes capitur pro ouibus. Psal.77.v.70
Fœtus quanto tempore maneat in vtero. Sap.7.v.2
Foglietta, vncia 16. sunt. Proleg.de Mensuris.
Fons signatus quis dicatur. Cant.4.v.12.& 15. *fons Rogel.* 2.Reg.17.v.17. *fons sapientiæ,* vide *Sapientiæ origo. fontium origo quæ.* Psal.17.v.16.Eccles.1.v.7. *fons Draconis.* 2.Esdr.2.v.13
Foramina petræ quæ. Cant.2.v.14
Formica typus est diligentiæ. Prou.6.v.6.c.30.v.24
Formido, aliquando metaphoricè capitur pro terriculamento auium. Isaiæ 24.v.17
Fornicantes in corpus suum quomodo peccent. 1.Cor.6.v.18. *eorum & coniugum actus externi non differunt secundùm speciem naturæ.* 1.Cor.6.v.15
Fornicarius Corinthius erat simul incestuosus, vtpote habens nouercam suam concubinam viuente adhuc patre. 1.Cor.5.v.1. *erat è primarijs vrbis.* v.2. *fuit is primò ab Apostolo monitus: sed quia contumax, excommunicatus.* v.4. *ei Apostolus remittit pœnam temporariam adhuc restantem, dum eum in gratiam recipit.* 2.Cor.2.v.10
Fornicatio omnis etiam lege naturæ est prohibita. 1.Cor.6. v.9.13.14.& 15. *eius fœditas.* v.18. *fugiendo vincitur, non pugnando.* 1.Cor.6.v.18. *eam licitam putarunt Gentiles.* Rom.1.v.28. *sed iure naturæ est illicita.* Osee 1.v.2. *eius mala.* Eccli.19.v.2. *etiam fornicatio simplex, peccatum mortale est.* Actor.15.v.20. *ob solam fornicationem poterant Hebræi vxorem dimittere, non tamen aliam ducere.* Matth.19.v.9
Fornicatio sumitur pro idololatria. Psal.105.v.30. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.39. vide *Idololatria, Meretricium.*
Fornix triumphalis Saulis qualis & quis esset. 1.Reg.15.v.12
Forum Appij ciuitas vnde dicta. Actor.28.v.15. *fora vocabant Romani loca in quibus statuæ principum positæ erant, à quibus ea cognominabant.* ibid.
Fortes Dauid, & domus fortium quænam. 1.Par.11.v.20 *fortes iustitiæ quinam in Ecclesia dicantur.* Isaiæ 61.v.3
Fortuna mensam ponebant veteres Ethnici. Isaiæ 65.v.11. *fortuna omnis à Deo.* Psal.30.v.16. vide *Casus. fortuna mira inconstantia.* Eccli.18.v.26.c.20.v.11
Fouea, in qua Ieremiæ vrbis ruinam deplorauit, fuit postea ab Hele-

ab Helena Imperatrice egregiè exornata. *proœm.Thren.*
Frænum tributi cognomen vrbis Geth. *Proleg. de Idiotismis Hebr.n.17.& 2.Reg.8.v.1*
Framea idem quod gladius. *Psal.9.v.7. & potentia ledendi. Psal.16.v.13*
S.Franciscus suos iubebat in Deum curam omnem iacere. Psal.54.v.23
S.Franciscus Xauerius vna loquens lingua à variis nationibus optimè intelligebatur. *Actor.2.v.4*
Frater fratri semen suscitare tenebatur, etiam in lege natura. Gen.38.v.9. quanta obligatione. Deut.25.v.5. quibus casibus non tenebatur. ibid. fratres Christi qui dicantur. Matth.13. v.46.& c.13.v.55. fratrum liberi apud Iudæos matrimonia inter se contrahebant, & cur. Matth.1.v.16. fratres cur vocet Christus iam resuscitatus Apostolos suos. *Matt.28.v.10*
Frondibus deorum propriis ornabantur non sacrifici modò, sed & victima & ara & astantes. *Ezech.8.v.17*
Frondosæ arbores, erant Gentilibus pro ariis. *2.Par.28.v.4*
Fronte humum feriunt Orientales principem veneraturi. Isaiæ 49.v.23
Fructus arborum triennio censebantur immundi. *Ierem.31 v.5. fructus dignus pœnitentiæ quis.* *Matth.3.v.8. fructus Spiritus sancti qui sint.* *Gal.5.v.22*
Frustra, id est sine causa, sine fructu. Iob 2.v.3.& c.12.v.24
Fugere mortem quando præceptum, quando consultum, quando permissū, quando prohibitū. 1.Mach.9.v.8.& Matth.10.v.23
Fulgura sunt Dei arma. *Sap.5.v.22*
Fullonis ager & fons, qui sint. *2.Reg.17.v.17*
Fulmina sunt fax Dei. Iob 37.v.3.& 15. nuntij Dei. cap.38.v.35
in inferno non est Fumus aut ignis fumans. *Apoc.14.v.11*
Funda vtendi peritia apud Iudæos & Gentiles. *Iudic.20.v.16*
Fundamentum primarium Ecclesiæ est Christus. *1.Cor.3. v.11. fundamentum eiusdem item sunt illustriores Sancti. Isaiæ 54.v.12. fundamenta duodecim muri cælestis Ierusalem qualiter sint dispositæ secundùm nomina 12.Apostolorum. Apoc. 21.v.14. fundamenta terræ quæ vocentur.* *Psal.81.v.5*
Funis vel funiculus, pro portione hereditatis. *Proleg.de Idiotismis Hebr.n.36.& Iosue 17.v.5*
Funiculus capitur pro mensura pœnæ. 4.Reg.21.v.13. funiculus triplex quis dicatur. Eccles.4.v.12. quis funiculus argenteus metaphoricè. Eccles.12.v.6. funiculi Adam qui dicantur. Osee 11.v.4. his funiculis quomodo tractus Israel. ibid. funiculi sumuntur pro laqueis. *3 Reg.20.v.32*
Furto obtenta non proderunt possidenti. *Eccli.21.v.9*
Futurū Hebraïs sæpè designat consuetudinē agendi. Osee 4.v.8.

Gabe, Gebe, Gabaa, quis locus & vrbs. *Iudith 3.v.14*
Gabaa sumitur quoque pro colle. *1.Reg.7.v.1. item pro vrbe.* *1.Reg.10.v.5*
Gabaon vrbs quæ, & vbi sita. Iosue 9.v.3. an Israelitæ potuerint cum Gabaonitis pacisci. ibid. an pacto per ignorantiam fœdere tenebantur. ibid. pœna fraudis. ibid. postea Nathinæi dicti. ibid.v.21. iniustè occisi à Saule. 2.Reg.21.v.2. hinc puniti Israelitæ. *ibid.*
Gabriel angelus aptè adhibitus in legatione de 70. hebdomadibus, quia hæ spectabant ex parte ad Christi incarnationem. Dan.9.v.21. videtur à Deo Iudæorum captiuorum specialem curam accepisse. Dan.10.v.5. eius apparentia schema exponitur. ibid.& seqq. quomodo restiterit angelo Persarum vrgenti Iudæorum in Chaldaica captiuitate detentionem. Dan. 10.v.13. quare induit formam hominis. v.16. ad B.Virginem mittitur Messiæ aduentum nuntiaturus. Luc.1.v.26. an tuba diem iudicij sit annuntiaturus. *1.Thess.4.v.15.*
Gadarenorum regio, aliàs Gerasenorum dicebatur. Matt.8. v.28.
Gaddi, id est Gaditæ. *1.Paral.12.v.8*
Galaad regio vnde dicta. Ierem.22.v.6. Galaad ciuitas erat sacerdotalis & refugij. *Osee 6.v.8*
quos Galatas Romani subegisse dicantur. *1.Mach.8.v.2*
Galatæ à quibus orti. *proœm.epist.ad Galat.*
Galatiæ situs & termini. *ibid.*
Galbanus quis sit frutex, idem cum ferula. *Eccli.24.v.21*
Galgala quis locus, vnde nomen. Ios.5.v.2. ibi caperant nequitiæ Israelitarum aduersus Deum. Iudic.3.v.7. & Osee 9. v.15.& c.12.v.11.& Amos 4.v.4. Excisa. Amos 5.v.5
Galilæam cur primo loco prædicationi suæ del gerit Christus. Matth.4.v.12. eius amplitudo. v.14. ex ea non prodit Propheta. Lucæ 22.v.59. Galilæa Gentium, eadem est quæ Superior. Tobiæ 1.v.1.& 3.Reg.9.v.11. vbi sita. ibid. vnde ita dicatur. Isaiæ 9.v.1. Galilæa mare quòd dicatur. Num.34.v.3
Galilæi erant ignobiles. Luc.22.v.59. Galilæi negabant Cæsari tributum annuum persoluendum. Matth.22.v.17. ab iis orta secta quæ dicebatur Galilæorum. *Luc.13.v.1*
Galli cantus media nocte, cur & vnde. *Iob 38.v.36*
in Gallia an S.Paulus euangelizarit. *Rom.15.v.23*
Gamaliel magister S.Pauli an initio occultè fuerit Christianus. Actor.5.v.34. curauit Stephanum in agro suo sepelir. cap.8.v.2
Ganges quis fluuius, vnde oriatur. Gen.2.v.8.& Eccli.24.v.35
Garizim, benedictionis mons. Deut.11.v.29.& c.27.v.2. qua ceremonia. ibid.& Iosue 8. templum ibi à Sanaballate exstructum æmulum Ierosolymitano. Eccli.50.v.28.& Ioan.4. v.20.2.Esdr.vlt.v.28. an hoc templum elegerit Deus vt in eo adoretur. *Ioan.4.v.20*
Gaudendum in afflictionibus & vita arumnosa. *Iac.1.v.2. 13.& 1.Petr.1.v.8*
Gaudium verum in Deo reperitur solùm. *Matth.11.v.29. gaudio positpositio Christus sustinuit crucem confusione contempta. Hebr.12.v.2*
Gaza triplex reperitur, vna Mediæ, altera Æthiopiæ, tertia Palæstinæ. Amos 1.v.6. Gaza Palæstinæ, Samsonis morte est illustrior: quando fuerit ab Ægyptijs subacta. Ierem.47.v.1. ab Alexandro Magno funditus excisa, & alia eius loco constructa, dicta postea Constantia. ibid. fuit in ea fanum Marnæ. ibid. Zach.9.v.5. quare vocetur postea deserta. *Actor.8.v.26*
Gazophylacia templi multiplicia, & varij varijs præpositi erant. Ierem.35.v.2. gazophylacia minora quem vsum haberent. *Ezech.40.v.38*
Gedeon iudex an fuerit sacerdos. Iudic.6.v.17. an peccarit petendo signa à Deo. ibid.& v.37. eius gesta præclara. c.7.& 8
Gehennon locus & vallis quæ fuerit, vnde gehenna. *4.Reg. 23.v.10.*
Gehon, vide Nilus.
Gemini stella serenitatem & tempestatem pro diuerso aspectu portendit. *Actor.28.v.11*
Gemini filius, idem est quod Beniaminita. *Esther 11.v.2*
Genealogia Christi quam texit Lucas, quomodo differat ab ea quam Matthæus. Matth.1.v.16. cur in eius genealogia peccatores plurimi recensentur. Matth.1.v.3. genealogias suas Iudæi summo fastu ab ipso diluuio accersebant. *1.Tim.1.v.4*
Generatio capitur pro spatio decem aut septem annorum. Esr. 6.v.2
Genere masculino & feminino simul iuncto designatur in Scriptura vniuersitas. *Isai 3.v.1*
Gene Zareth stagnum & mare quod dicatur. *Num.34.v.3.* vide *Mare.*
Gentium variarum origo quæ. *1.Paral.1. gentium quæ sit facta commotio nascente Christo.* *Agg.2.v.7. gentes in gentes insurrexerūt ante vrbū Ierosolymit. excidiū. Matth.24.v.7*
Gentiles adorarunt ligna & lapides pro diis, non in ligna verum Deum. Bar.6.v.7. quomodo veritatem Dei quasi captiuam iniquè detinerent: ei debitum honorem idolis tribuerunt. Rom.1.v.18.& 23. etiam sapientiores inter eos idola coluere. v.23. eorum stupor. v.28. dij sui in graui afflictione maledicebant. Amos 6.v.11. adorabant ad Orientem, Iudæi ad Occidentem. Ezech.43.v.17. cur designentur in equo rufo Ioanni viso. Apoc.6.v.4. ex templum Ierosolymitanum ingredi nefas erat. Actor.21.v.28. Gentiles sacerdo-

rdotio sacro admoti sub Manasse & Achaz regibus. Ezech. 4.v.7. eos prædictum ad Ecclesiam Christi conuertendos. sal.2.v.8.& Isaiæ 2.v.2.c.29.v.17.& 18.c.32.v.15.cap.42. .1.& 6.c.43.v.5.6.& 20.c.44.v.3.5.& c.49.v.5.6.12. 2.& c.55.v.4.c.60.v.3.& Osee 1.v.9.10.& 11.Tob.13. .12.& 14. Luc.4.v.17. sunt in Iudæorum locum surro- ati, & eorum bonis spiritualibus fruti. Isaiæ 5.v.17.c.6. .13. eorum vocatio, & Iudæorum derelictio etiam in ipso abernaculo Mosis symbolicè designata. Ezech.10.v.3. sunt elut oleaster, insertus oleæ, id est Iudæis. Rom.11.v.17.& 22. os omnes subegit Christus in mundum veniens. Zach.2.v.8. & 13. eorum decora & fortitudo est ad Ecclesiam Christia- am translata. Isaiæ 61.v.6. illi ex fide & gratia Christi be- e operati sunt, qui crediderunt in venturum Messiam. Rom.2. .10. cur ipsi ad iustitiam & salutem adsciti, & Iudæi ab ea ejecti. Rom.9.v.31.32.c.10.v.20.& 21. quia iustitiam idei libenter amplexi sunt, ideo saluati sunt. Rom.10.v.11. & 14. quanta auiditate ad Ecclesiam accesserint. Actor. 10.v.48 & c.11.v.23.& Rom.10.v.20. iam ad Christum onuersi non debent circumcidi. Actor.15.v.1. quo pacto ipsi iam Christiani cum Iudæis consentire possent. Actor.15.v.20. & 28. ipsis Euangelium primò aperit S. Petrus. Actor.9. v.29. & cap.10.v.48.c.11.v.17.& seqq.

Genu flexo orare supplicum est. Actor.20.v.35. hinc ipsum flectitur in oratione. 3.Reg.17.v.21.2.Paral.14. v.13.

Gerasa erat vna ex vrbibus Decapoleos. Luc.8.v.39

Gerasena regio vbi sita, eadem qua Gadarena. Matth.8.v.28

Gessur duplex est vrbs. 1.Reg.27.v.8

Giblii quinam sint & dicantur. 3.Reg.5.v.18.Psal.82.v.8

Giblus vrbs Phœnicia fabros habebat lignarios nobiles. Ezech. 27.v.9.

Giezi famuli Elisei cenodoxia. 4.Reg.4.v.29. simonia. c.5.v.19. lepra. v.27.& c.7.v.8

Gigantes quadruplicis sunt generis. Deut.2.v.10.& c.3.v.11. excisi. Eccli.16.v.8. gemunt sub aquis. Iob 26.v.5. giganzum locus est infernus. Iob 26.v.5.Prou.9.v.vlt.

Gihon fons, idem qui Siloë. 3.Reg.1.v.33.& 2.Paral.32.v.4

Gith genus est seminis calidi & nigri, eo vtuntur tenuiores loco piperis. Isaiæ 28.v.25

Glacies, instar crystalli est. Psal.147.v.6

Glaciale mare dicitur quia congelatur. Iob 38.v.30

Gladium quomodo Christus venerit mittere, non pacem. Matth.10.v.34. gladius quo ritu regibus donetur inaugurandis. 2.Mach.15.v.15. eo quando vti cœperint Iudæi in reorum supplicijs. Actor.11.v.2. gladius oris, idem quod calumnia. Iob 5.v.15

Glarea idem quod arenosa terra. Iob 21.v.33

Glaucias an interpres epistolæ secundæ S.Petri. proœm.in eam.d.

Gleba Melitenses antidota sunt aduersus venena. Actor.28.v.1

Gloria Domini, quid. Exod.33.v.13.& c.40.v.32. gloriam Deo dare, est fateri veritatem. Iosue 7.v.19. gloria Christiani in quo sita sit. Iac.2.v.1. gloria pro glorioſa laude. Psal.56.v.9. gloria Dei sola satiat animam. Psal.16.v.15. gloriam Christi quomodo viderint Apostoli nonnulli ante mortem suam. Matth.26.v.28. gloria cælestis cur vocetur cœna & prandium. Apoc.19.v.9. cur stella matutina. Apoc.2.v.28. item aliis nominibus. c.3.v.5. ipsa beatitudinibus octo promittitur. Matth.5.v.6. dabitur Sanctis duplici titulo. Matth.25.v.34.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, vnde ortum habuerit. Rom.11.v.36

Gnidus promontorium est Asiæ, Cretæ obiectum. Act.27.v.7

Gnostici vnde dicti, à spurcitie sua vocantur Borborita. 2.Tim. 3.v.5.& 2.Petr.2.v.22. quis eorum parens. ibid. eorum atheismi. c.3.v.3.4 & Iudæ v.11.12.13.& 16

Golgotha idem est qui Golgotha, mons iuxta Ierusalem. Ierem.31.v.39. vnde dicta regio mortis. v.40

Godolias transfuga ad Chaldæos à Nabuchodonosore fuit præfectus Iudææ pest exitium gentis. Ierem.39.v.14. occiditur ab Ismahele. c.40.v.14.c.41.v.1.5.9

Gog ad litteram est Antiochus Epiphanes, allegoricè Antichristus, vel primarius eius dux. Ezech.38.v.1

Gog & Magog videntur gentes Tartariæ. Apoc.20.v.7

Golgotha locus, vnde dictus. Matth.27.v.33

Goliath à Dauide prostratus funda. 1.Reg.17

Gomer sunt Galatæ vel Cimmerii. Ezech.38.v.6

Gomor, 8.librarum mensura. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.16 & de Mensuris.

Gonorrhœa turpis morbus. Leuit.15.v.9

Goza fluuius est in Media. Isaiæ 37.v.12

Graduales Psalmi qui, & vnde dicti. Psal.119

Gradus consanguinitatis & affinitatis, qui prohibiti Iudæis, & quo iure. Leuit.18.v.16. gradus variæ ascendendi erant ex vno atrio templi ad aliud transire volentibus. Ezech.40.v.6. gradibus ascendebatur ad altare holocaustorum. Ezech.43.v.17. etiam gradus sumitur pro tribunali. 4.Reg.23.v.3. gradus academicos reprehendebat VViclef. Iac.3.v.1

Græcorum monarchia fuit anea, & cur. Dan.2.v.39. comparatur ventri ac femoribus. ibid. stetit 300.annis. Chron. c.36. similis quoque pardo fuit, & cur. Dan.7.v.6

Græci designantur per albos equos, cur. Zach.6.v.6. cur dicti hirci & capræ. Dan.8.v.5. certaminibus maximè gloriabantur. 2.Mach.4.v.15

Græcorum formula baptizandi. 1.Cor.1.v.16. primi murmur in Ecclesia excitarunt, & postea schisma. Actor.6.v.1. Græcis sacerdotibus quare permissum vxore vti, quam duxerant priùs. 1.Tim.3.v.2. Græcos vocabant Iudæi Gentiles vniuersos. Ioël 3.4.Ioan.12.v.2.Rom.1.v.16

Grammata Ephesia quid sint. Actor.19.v.19

Grando ingens. Exodi 9.& Iosue 10.v.11.Iudic.5.v.20

Gratia diuinæ encomia & effectus. Psal.18.v.6. ab ea potest quis excidere. Rom.11.v.23. gratia par disparem parit fructum. Luc.19.v.22. sufficiens nulli negata. Sap.5. v.6. non est nobis connaturalis, sed supernaturalis & gratuita. Iac.1.v.21. gratia interna necessaria est præter doctrinam exteriùs sonantem. Isaiæ 54.v.13. gratiæ sanctificantis effectus formales. 2.Petr.1.v.4. gratia Christi intrinsecè nobis inhæret. Rom.5.v.18. nemo per se ad gratiæ statum redire potest, aut viribus liberi arbitrij, sed ad eam requiritur Dei concursus. 1.Cor.4.v.7

Gratiæ spirituales dispensandi potestas est Ecclesiæ concessa à Christo. 1.Cor.4.v.1. gratias gratis datas dat Deus pro nudo beneplacito suo; gratum verò facientes, commensurat non naturæ, sed voluntati suæ, vel meritis cuiusque. Matth.25.v.15

quomodo Gratis vita æterna nobis donari dicatur. Apoc.21.v.6

Gratulatur populus Dauidi regi de victoria. Psal.20

Gregis turris quæ dicatur. Gen.35.v.21

Gressus constat 2½ pedibus. Proleg de Longitud.

Gryphes, seu gryphaquila sunt aues immundæ ad esum. Leuit.11.v.13

Gurgustium piscium, idem quod fiscella. Iob 40.v.26

Gutta sumitur pro stillæ. Psal.44.v.9.Eccli.24.v.21. gutta roris antelucani quæ dicatur. Sap.11.v.23

Gymnasium quale in gratiam Antiochi Epiphanis instituerint impij Iudæi. 1.Mach.1.v.15

HAbacuc Prophetæ è qua tribu & loco oriundus: quando prophetarit: an idem cum eo qui Danieli prandium in Babylonem attulit: eius argumentum: eius mors, ac corporis detectio. proœm.in Habac.

Habacuc qui Danieli prandium tulit, & qui octauus inter Prophetas Minores, idem fuisse videtur. Dan.14.v.32

Hæmorrhoissæ purificatio quomodo peragatur. Leuit.15.v.9 hæmorrhoissa mulier non fuit Martha soror Lazari: eius in Christum gratitudo. Matth.9.v.22

Hæresiarchæ quatuordecim prodiere ex primis Christi discipulis. Act.1.v.18. hæresiarcharum insana philautia. 2.Petr.2. v.10.

v.10. nulli resipuere præter Berengarium. Hebr.6.v.6
Hæresis lepra est animæ. Matth.8.v.4. an sit grauior peccato Sodomorum. 2.Petr.2.v.10. extremam desolationem infert in loca, quæ occupat. Dan.9.v.27
Hæreses omnes per mulierculas sunt propagatæ. 2.Tim.3. v.6. hæreses suo æuo subnascentes per quas epistolas Apostoli conuellant. proœm.in ep.st.Apostolor. eas quomodo esse oporteat. 1.Cor.11.v.16
Hæretici definitio. 1.Ioan.4 v.6. hæreticus qui non credit vnum fidei articulum, etsi reliquos credat, nullum credit vt oportet. Luc.2.v.10. cum eo quomodo non sit communicandum. 2.Ioan.v.11
Hæretici habent conscientiam cauteriatam. 1.Tim.4.v.2. lupi sunt. Actor.20.v.29. item prodromi Antichristi. 1.Ioan. 2.v.18. sunt de Ecclesia. 1.Ioan.2.v.18. subinde faciunt opera quædam moraliter bona. Tit.1.v.16. quare librorum Machabæorum auctoritatem conuellant. 2.Mach.12. v.43. iure à magistratibus morte plectuntur. Zach.13.v.3. Matth.13.v.25.Actor.5.v.38. cur per equum nigrum Ioanni visum designentur. Apoc.6.v.5. huius equi sessor est diabolus vel hæresiarcha. ibid. eorum crudelitas.v.6. illorum proprietates. 2.Petr.2.v.1.& seqq. quomodo negent Christum. ibid. eorum blasphemiæ. v.2. sunt sibi placentes. v.10. quibus bestijs assimilentur. v.12. quibus illicijs incautos inescent. v.18. cùm serui sint, suis promittunt libertatem. v.19
Halù Basse caput resectum causa fuit victoriæ.Iudith 15.v.2
Hanes erat vrbs ciuitas Aegypti versus Aethiopes.Is.30.v.4
Hassamonæi vnde dicti Mathathias cum suis. 1.Mach.2.v.1. hi fuere principes vsque ad Herodem Ascalonitam. 1.Mach.14. v.41. quomodo extincti sint. c.15.v.23
Hatzab quid propriè hebraicè sonet. Nah.2.v.7
Hebal, mons maledictionis, quia Moyses in eo sex tribubus maledixit. Deut.27.v.2.& Iosue 8.v.18
Hebdomadæ cur vocetur sabbatum. Luc.18.v.12. hebdomadis feriæ quot & quænam. Chron.c.3. hebdomas annalis vel annorum. Chron.c.6. hebdomades annorum septuaginta futuræ declarantur Danieli, post quas venturus Messias in orbem. Dan.9.v.24. quando eæ sint inchoandæ. v.25.& 26. quo anno sit illarum finis statuendus. Chron.c.38. earum initium vnde sumendum. 2.Esdr.1.v.1.& 6.12.v.27. hebdomadæ vsque ad Pentecosten intercurrere debebant septē à paschate.Luc.6.v.1
Hebenus arbor est Indica nigri coloris: reperitur & in Aegypto & Aethiopia. Ezech.27.v.15
Heber quis, vnde Hebræi descenderunt. Genes.11.v.5. Sap.10.v.5
Hebraismi Scripturæ familiares sunt. in Prolegom.de Idiotismis Hebr.n.2.
Hebraea lingua vsus an futurus in cælo. Soph.3.v.9
Hebræis idem est nomen absolutum & reciprocum. Col.1. v.22. nomen Dei vnius efferunt numero plurali. Dan.4.v.5. puncta siue vocales consonantibus inter scribendum non subijciebant. Dan.5.v.8. rem omnem vocant verbum. Actor. 20.v.32. & omnem mansionem domum. Matth.2.v.11. vide Israelita, Iudæi.
Hebron oppidum, vnde dictum. Genes.23.v.4. ibi sepulti plurimi Patriarchæ. ibid. cessit Calebo.Ios.14. an bis captum. Ios.15.v.14. factum dein ciuitas sacerdotalis: sita erat in montanis Iudææ. Luc.1.v.39
Hedera Baccho sacra, & cur. 2.Mach.6.v.7
Helcias pater Ieremiæ non fuit summus pontifex, sed fortè ex 24.præpositis templi. Ierem.1.v.1
Helena regina Adiabenorum Christiana Christianis Iudæis fame laborantibus abundè succurrit. Actor.11.v.27
Heli negligens in corripiendis filijs terretur minis varijs. 1.Reg. 2.& 3.frangit ceruices c.4. verisimiliùs saluatus. ibid.v.13
Heli alius, fuit legalis pater Ioseph mariti B.Virginis. Matth.1.v.16
Heliodorus templi thesauros diripere conatus,ab angelo ceditur: Seleuco regi necem intulit, regno inhians. 2.Mach.3.v.12
Heliopolis ciuitas Aegypti, cultus solis & aliorum numinum addictissima, à Græcis vocabatur Thebe. Ezech.30.v.17. Isaiæ 19.v.18 Ierem.43.v.13.
Hemina, 10.vncias, medius sextarius Romanus. Proleg.de Mensuris.
Hemor & Seor vnus idemq; est. Actor.7.v.16
Hendiadys figura est vnius in duo diuisio. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.41
Henoch viuus in paradisum sublatus est. Sap.4.v.10. cur? Eccli.44.v.16.& Gen.5.v.24. quo anno natus, quo in paradisum translatus. Chron.c.8. cur viuus translatus sit. ibid. rediturus ante iudicium extremum. ibid. nemo similiùs sanctus fuit. Eccli.49.v.16. quo cibo victitet in paradiso. Gen.5.v.24.
Henoch & Elias sunt duo filij olei. Zach.4.v.14
Henochia ciuitas à Cain condita. Chron.c.8
Her ob quod scelus occisus à Deo. 1.Paral.22.3
fabula de Hercule in mare delapso, à pisce deuorato, & sicco emergente. Ion.2.v.11. Herculis certamina. Iudic.10.v.1
Hereditarijs bonis ne te spolies ante mortem. Eccli.33.v.20
Hereditas æterna est incorruptibilis, incontaminata & immarcescibilis. 1.Petr.1.v.4. hereditatum paternarum tenacissimi erant Iudæi. Matth.1.v.16. hereditas quando deuoluebatur ad filias. Num.27. cum onere nubendi in eadem tribu & familia. c.36. hereditas non temerè adeunda. Prou.20.v.21. hereditas promissa Abrahæ nonnisi per Christum obuentura erat posteris eius. Gal.3.v.18. hereditatis bonorum tam corporalium, quàm spiritualium, Abrahæ & Isaac promissorum è solo Dei beneplacito obuenit Christianis, nullis Iudæis. Rom.9.v.6.15.16
Hermiani hæretici suis baptizandis stigma inurebant ferro candenti. Matth 3.v.11
Hermogenem quare iusserit Apostolus caueri. 2.Tim.1.v.15
Hermon mons quadrinomius. Deuter.4.v.48.Psal.41.v.7. Psal.88.v.13.Cant.4.v.8
Herodes Ascalonita, Antipas,& vterque Agrippa: & res gestæ singulorum. Chron.c.44.& 45
Herodes Ascalonita libros genealogiarum Iudaicarum quare combusserit. 1.Tim.1.v.4. quare templum Zorobabelis ædificarit. Ioan.2.v.20. ipsum auro intus & foris contexuit. Agg.2.v.9. cur pueros Bethlehem occidi præcipiat. Matth.2. v.15. & cur à bimatu & infrà. ibid. eius morbi & mors. ibid. cur etiam in Ioan.Baptistam manus extenderit, etsi finibus Bethlehem non contineretur. Luc.1.v.80. cur nullum è suis vnà cum Magis in Bethlehem miserit. Matth.2.v.7. eo regnante impletum fuit tempus aduentus Messiæ. Matth.2. v.1. quando sit mortuus. Isaiæ 7.v.15
Herodes Antipas cur à Christo vocetur vulpes. Luc.13.v.32. quare contristatus est. quòd Ioannem ob iusiurandum de medio tollere cogeretur, cùm tamen sublatum vellet. Marc.6.v.26. in exilium actus est à Tiberio, & priùs ab Areta rege Syriæ pulso victus. v.27. quæ curiosa interrogaret Christum, filij oblatum. Luc.23.v.9. cur illum spreuerit & illuserit. ibid.
Herodes Agrippa senior illusus ab Alexandrinis in theatro. Matth.27.v.29.& Actor.12.v.23. auctus titulorum supra priores reges Iudææ à Caio Caligula. Luc.3.v.1.& Actor.12. v.1 iudaismi fuit studiosissimus. Actor.12.v.1. in Apostolos fuit acerbior. v.2.3. dum Cæsaræ plus æquo populi adulantis vocibus auscultat, ab angelo percutitur plaga lethali & phthiriasi. v.23
Herodianorum quæ esset secta. Marc.8.v.15
Herodias, relicto marito Philippo, transijt ad Herodem Antipam illius fratrem, ipso viuo, contra legem. Marc.6.v.17. Ioannis decollati linguam acu discriminali confodit. v.27
Herodius pro ciconia sumitur. Psal.103.v.17
Herostratus incendit templum Dianæ Ephesiæ ad nomen sibi parandum. Actor.19.v.28
Heteroses figura frequens in Scrip. Proleg.de Idiotismis. Hebr.n.47.48

Hieroglyphica in Scripturis varia. Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 54

Hierotheus Athenienſis vnà cum S. Dionyſio à S. Paulo Athenis ad Chriſtum conuerſus. Actor. 17. v. 34

Hin, ſemimodius Romanus. Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 16. & de Menſuris.

Hippocentauri qualia ſint monſtra, & vnde dicta. Iſa. 34. v. 14.

Hippolytus eſt à Phædra nouerca ad concubitum ſollicitatus, at facinus abnuens, ab equis diſcerptus eſt. 1. Cor. 5. v. 1

Hiram rex reddidit Salomoni quas ab eo acceperat 20. vrbes. 3. Reg 9. v 13. & 2. Paral. 8. v. 2

Hirundinum ſtercora excæcant naturali vi. Tobiæ 2. v. 11

Hſpani à quibus primò ad fidem conuerſi. Actor. 8. v. 1

Hiſpaniam an adierit S. Paulus. Rom. 15. v. 23

Hiſtoriæ quàm vtiles ſint. Eſther 6. v. 1

Hobab filium Ietbro, manſit cum Moyſe 40. *annis in deſerto: eiuſq; etiam fratres Cinæi, inter Iſraelitas perpetuò habitarunt.* Num. 10. v. 29

Hoc eſt corpus meum, *non ſolùm eſt oratio enuntiatiua, ſed & practica, ſeu factiua eius quod antè non fuit.* Matth. 26. v. 26.

Hœdus in lacte matris non coquendus cur, quid myſticè denotet. Exod. 23. v. 19

Holda Prophetiſſa vbi habitarit. 4. Reg. 22. v. 10

Holocauſtum triplicis generis, boum, ouium auium: & ritus ſingulorum. Leuit. 1. v. 2. *holocauſtum ſempiternum, idem quod iuge ſacrificium.* Num. 29. v. 38. *eius victima eſſe debebat perfectiſſima.* Malach 1. v. 14

Holofernes Perſa archiſtrategus, an & rex? Iudith 2. v. 4. *quo faſtu exceperit Iuditham.* c. 10. v. 16. *inebriatur.* c. 12. v. 10. &c. *decollatur.* c. 13

Homer, vide *Corus.*

Homicidij ignoto auctore patrati expiatio. Deut. 21. v. 5. *eius auctoris deprehendendi ratio.* ibid.

Homicida omnibus exoſus eſt. Prou. 28. v. 17

Hominis creatio. Gen. 1. &c. Eccli 17. v. 1. &c. c. 18. v. 1. &c. *eius vilitas, & excellentia.* Pſal. 8 v. 5. & 6. Eccli. 18 v. 7. *eius abſoluta vanitas.* Pſal. 38. v. 6. vſque 12. Pſal. 61. v. 10. Eccleſ. 1. v. 2. c. 2. v. 12. *eius infirmitas.* Pſal. 61. v. 4. Pſal. 101. v. 4. &c. *vitæ breuitas.* Pſal. 89. v. 4 &c. *infinitæ miſeriæ.* Eccli. 40. *eſt res vilißima & fragillima.* Iſaiæ 40. v. 6. *eius inſtabilitas.* Iob 4. v. 19. vſque fin. Iob 6. v. 16. *aliæ miſeriæ.* c. 7. c. 9. v. 26. c. 10. v. 9. c. 14. v. 20. c. 16. v. 23. c. 18. v. 15. c. 25. v. 6. *eſt velut vas luteum in manu Dei.* Ierem. 18. v. 8. *ab eo habet omnia quæ habet.* ibid. *paulò minor eſt angelis.* Hebr. 2. v. 7. *homo interior & exterior quis dicatur.* Rom. 7. v. 25. homo & homo, *id eſt multi homines.* Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 51. Pſal. 86. v. 5

omnes Homines in valle Ioſaphat congregabuntur ad iudicium. Matth. 25. v. 32. *homines natura non ſunt alij mali, alij boni.* Matth. 7. v. 18

Honeſtari idem eſt quod ditari. Sap. 10. v. 10. 11

Honorem vocant Hebræi ſubminiſtrationem rerum neceſſariarum ad victum & amictum. Col. 2. v. 23

Hora qua Chriſtus cruci affixus ſit, tertia, an ſexta. Marc. 15. v. 25. *qua hora in ea exſpiraſſe.* Matth. 27. v. 50. *horæ tertia, ſexta, nona cur orarent Iudæi.* Dan. 6. v. 10. *hora mundi nouiſſima qua dicatur, & ea adhuc durat.* 1. Ioan. 2. v. 18. *horæ æquales & inæquales ſunt prima, tertia, ſexta, nona, duodecima.* Chron. c. 2.

Horæ ſeptem Canonicæ in Eccleſia vſitatæ vnde habuerint exordium. Actor. 3. v. 1. *eæ ſingulæ ſuis temporibus ab Eccleſiaſticis vt legantur, conſultum eſt.* ibid.

Horologium Achaz quod dicatur. 4. Reg. 20. v. 9

Horrea erant in templi atrijs. 2. Paral. 31. v. 11

Hortus concluſus quomodo ſit ſponſa. Cant. 4. v. 12. *quis hortus nucum.* Cant. 6. v. 10

Hoſanna *erat formula fauſta acclamantium.* Matth. 21. v. 9. *hoſanna rami qui.* Leuit. 23. *in fine.*

Hoſpitum cura & miſeria. Eccli. 29. v. 28. & ſeqq. & c. 32 v. 15

Hoſpitium S. Pauli Romæ verſum in Eccleſiam: in eo S. Lucas ſcripſit Euangelium & Acta. Actor. 28. v. 30

Hoſtes tres Chriſti, peccatum, diabolus & mors: ex his duo ex parte ſubacti, per reſurrectionem deſtruetur mors. 1. Cor. 15. v. 25. 26. *hoſtes capti olim decaluabantur.* Deut. 32. v. 42. Michææ 1. v. vlt.

Humana auxilia vnà cum diuinis vrgenda. Dan. 10. v. 13. *humanarum victimarum vſus apud idololatras.* Sap. 12. v. 5

Humanitas Chriſti in cælo Beatos oblectat. Apoc. 21. v. 23

Humilians ſe exaltari meretur. Iob 22. v. 24. & 29

Humiliatio vſurpatur in Script. pro ieiunio. Eſther 14. v. 2. & Iſaiæ 58. v. 2

Humilitas idem ſubinde quod vilitas. Pſal. 9. v. 14. Pſal. 89. v. 3. Eccli. 3. v. 11. & *quod afflictio.* Eccli. 2. v. 5. *humilitas fundamentum ſapientiæ eſt.* Prou. 30. v. 2

coram Deo ſemper Humiliter ambulare nos oportet. Mich. 6. v. 8

Hus regio Arabiæ eſt. Iob 1. v. 1. Ierem. 25. v. 20

Hyacinthus quis color. Exodi 25. v. 4

Hyacinthi gemma color, vires: adaptatur Simoni Chananæo, & remißioni peccatorum. Apoc. 21. v. 20

Hyades quæ ſtellæ. Iob 9. v. 9

Hydria ſuper fontem, quid ſymbolicè ſignificet. Eccleſ. 12. v. 6

Hymenæus hæreticus negabat futuram mortuorum reſurrectionem. 2. Tim. 2. v. 17

Hypallage figura frequens in Scripturis. Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 42

Hyperbole figura ſacris ſcriptoribus frequenter vſurpata. Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 35

Hypocriſis non diu latet. Prou. 26. v. 23. *quàm ſit noxia.* Eccli. 27. v. 25

Hypocritæ deſcriptio. Eccli. 37. *hypocrita cur vocetur peccator.* Iob 15. v. 34. & c. 17

Hyſſopo aſperſio olim fiebat. Pſal. 50. v. 9. *hyſſopus an addita ſpongiæ plenæ aceto Chriſto porrecta.* Ioan. 19. v. 29

IAcobi Patriarchæ *res geſtæ per annos diſtributæ.* Chron. c. 16. *an non peccarit emendo ius primogenituræ tam vili lente.* Gen. 25. v. 31. *an mentitus ſit, vocando ſe Eſau.* Gen. 27. v. 19. *eius ſcala.* c. 28. *virgis decorticatis parat ſibi copioſiores greges.* c. 30. v. 33. *ei angeli obuiam veniunt.* c. 32. v. 1. *vnus cum eo luctatur.* v. 24. *flendo rogauit hunc vt ſibi benediceret.* Oſeæ 12. v. 3. *benedicit filijs ſuis.* Gen. c. 49. *moritur & ſepelitur.* c. 50. *videt regnum Dei.* Sap. 10. v. 10. *ſcientiam habuit ſanctorum. &c.* ibid. *agnitus in benedictionibus, &c.* Eccli. 44. v. 26. *quare & quomodo eum Deus dilexerit & elegerit, Eſau autem odio habuerit.* Malach. 1. v. 2. 3. & *quomodo.* Rom. 9. v. 10. 11. 12

S. Iacobus Alphæi, ſiue Minor, ſit Epiſcopus Ieroſolymitanus, & è pinna templi deicitur. Chron. c. vlt. *quo anno ſit Epiſcopus creatus.* Actor. 6. v. 1. *quando martyrium conſummarit.* Actor. 21. v. 18. *non præſedit Concilio Ieroſolymitano.* Actor. 15. v. 13. *vnde dictus Minor: fuit Ieroſolymæ Epiſcopus donatus: eius ſanctitas, abſtinentia, opinio populi de ipſo. & conceſſus introitus in extima ſacerdotum atria: plurij fiebat quam pontifex Ananus: hæc cauſa necis eius: eius cædi aſcribitur euerſio Ieroſolymæ.* proœm. in epiſt. S. Iacobi.

Iacobus Zebedæi cur ab Herode Agrippa cæſus gladio præ aliis Apoſtolis. Actor. 12. v. 2. & Chron. c. vlt. *eius corpus quomodo in Hiſpaniam reuectum.* Actor. 12. v. 2

Iactantia malum. Eccli. 6. v. 2

Iairus quomodo filiæ reſuſcitationem à Chriſto petat. Matth. 9. v. 18

Ianitores arcæ, qui dicerentur. 2. Paral 15. v. 18. *idem cum ianitoribus templi.* ibid. *quàm nobile munus illorum.* 1. Paral. 26. v. 12. *ianitores templi per claſſes diſtributi erant.* 1. Paral. 9. v. 18

Iannes & Mambres ſunt nomina magorum Pharaonis: vnde illa

illa Paulus acceperit. 2.Tim.3.v.8
Ianthinus color idem qui hyacinthinus. Exod.25.v.4
Ianuæ cæli, id est, nubes. Psal. 77.v.23. ianuis clausis ad suos ingressus est Christus. Ioan.20.v.19
Iason Cyrenæus fuit Iudæus scriptor. 2.Mach.2.v.24
Iason Thessalonicensis, quis. Actor.17.v.5
Iason Onia frater pontificatum extruso fratre sibi auro vindicat: transit ad ritus gentilitios. Chron.c.42.& 2.Mach. 4.v.7.9. à Menelao supplantatus est, & pontificatu per Antiochum Epiphanem priuatus. v. 23. magnam ciuium stragem edit. c.5.v.5. sepultura caruit. v.7.
Iaspis gẽma qualis sit coloris. Apoc.4.v.3. eius proprietas, natura, vires: adaptatur S.Petro & diuinæ omnipotẽtiæ. Apoc.21.v.19
Iberi Aquilonares fuere patres Iberorum Europæorum, id est Hispanorum. Ezech.38.v.1
Ibis auis sacra erat Aegyptiis & pro deo. Osee 11.v.11. ibicum partus. Iob 39. v.1
Iconium ciuitas est in Cilicia, altera in Lycaonia. Act.13.v.5
Idea templi celitus tradita est Dauidi. 1.Paral.28.v.19
Idiotismi seu proprietates linguæ Hebraicæ, Græcæ, &c. in Prolegom.
Idololatræ gestabant imagines idolorum suorum de collo, & quare. Osee 2.v.2
Idololatria est fornicatio spiritualis. Osee 1.v.2.cap. 2.v.2.cap. 4. v. 11. Apocal.17.v.2. eius pœna. Deut.13.v. 9.& 17.& cap.17.v.1.& Sap.16.v.1.&c. eius initium & occasio. Sap.13.v.2.&c.15.&c.c.15.v.4.&c. eius stultitia. Sap.13.v.13.c.14.v.1.&c.c.15.v.8.&c. ipsa est penitus subacta à Christo per Apostolos. Soph.2.v.11.c.3.v.9
Idolum nihil est, & non est. Esther 14.v.11. & 1.Cor.8.v. 4.c.10.v.19. idola in Script. abominationes vocantur. Dan. 9. v. 27. & Ezech. 20. v.7. cur dicantur dii alieni. Ierem.19.v.4. sunt nauseæ oculorum. Ezech. 20.v.7. in Scriptura vocantur mendacium. Isaiæ 28. v. 15. eorum vanitas & impotentia. Bar.c.6. toto. Isaiæ 41.v.23. 24. ea coluere etiam sapientissimi Gentiles, & falsos deos verè per simulacra repræsentari volebant. Rom.1. v. 23. Psal. 113. v. 12. & Sap. 15. eorum etiam phylacteria & ornamenta omnia execranda. Gen.35.v.4. eorum cultum quomodo Christus in orbem veniens abrogarit, & post eum Apostoli. Dan. 2. v. 44. sunt cisternæ dissipatæ. Ierem.2.v.13. illa non coluere Iudæi post reditum è Babylone. Zach. 8.v.3. eorum supellectile abstinere tenebantur Hebræi etiam bello capta. 2.Machab.12. v.40. eorum & veri Dei discrimen. Isaiæ 45.v.16.19
Idolothyta comedens communicat de sacrificio idololatrico. 1. Cor. 10.v.18. esum eorum quare Apostolus absolutè non vetet. 1. Cor.8.v.11.c.10.v.24. 25.& seqq. ipsa quatenus polluant comedentem, & ea comedere peccatum sit. 1.Cor. 8.v.7.8.c. 10.v.20
Idumæa qua & qualis sit regio. Iudith 3.v.14
Idumæorum duces & reges. 1.Paral.1.v.38. eorum frequentes clades in valle Salinarum. 1. Paral.18. v. 12. rebelles iterum Iosaphato. c. 20. v.1. & Ioramo eius filio: quo regnante iugum excutiunt Iudæorum. c. 21.v.8. fuere serui Iudæorum, sed non diu. Gen.27.v.40.& 3.Reg 11.v.15.& c.vlt. v.48.& 4.Reg.1.v.1.& c.3.v.9.& 2.Paral.21.v.8.& 4.Reg. 14.v.7. fuere celebres fama prudentiæ, & sapientiæ. Abd.v.7. à quibus subacti postea sint, ita vt iam ne nomen quidem eorum supersit. v.16.17.18. quomodo imminuti sint per Dauid & Ioab. Ierem.49.v.15. quando fini ad fidem Christi conuersi. Isaiæ 11.v.11. sunt à Deo odio habiti, id est neglecti, pra Israelitis. Rom.9.v.12. sunt à Ioanne Hyrcano subacti & ad religionem Iudæorum transire coacti. Malach.1.v.4
Iebusæus à Dauide ex Ierosolymitana arce expulsus. 2.Reg.5.v.6
Iechonias rex Iuda idem qui Ioakim. 4 Reg.24. breue fuit eius regnum. Ierem.22.v.28. cur vocetur sterilis cùm habuerit filios. ibid. 1.Paral.3.v.19. Matth.1.v.11. à Baltassare vinculis exemptus est, & alijs regibus captiuis antepositus. Ierem. 52.v.31. Iechonias dictus, tam Eliakim vocatus Ioakim, quàm Ioachin, nepos Iosiæ: cur eius nomen in Christi genealogia non sit bis positum. Matth. 1.v.11. eius posteritas fuere reges, & non diu prefuere. ibid.
Iehoua nomen Dei, vnde dictum. Exod. 1.v.14. quomodo Deo proprium, & ineffabile. ibid.& c.6.v.3.
Iehu plures fuere. 3. Reg. 16. v. 7. an peccarit Iehu rex fingendo cultum Baal. 4.Reg.10.v.18. ipse idolelatriam restauravit. Osee 7.v.1. ideo etiam punitus fuit. ibid. & 16. eius perfidia. v.3.
Ieiunium Iudæorum mense septimo institutum ob cæsum Godoliam. Ierem. 41.v. 1. aliud mensis octaui die sexto ob exiacatum Sedeciam. ibid. aliud mensis noni die septimo dictum ob exustionem libri Ieremiæ. Ierem. 36.v.6. ieiunium decimi mensis incidebat in nostrum Decembrem. Actor.27.v.9
Ieiunio cur eiiciantur dæmonia. Marc. 9.v.28. ieiunium lugentis est actio. Matth. 9. v. 15. in eo quam vultum serenitatem exigat Christus. Matth. 6.v.17. eius laus. Esa. 18.v.21. quare vocetur humiliatio. Isaiæ 58. v.3. ieiunium quodnam vituperabile. v.4. quodnam dicatur ieiunium spirituale. v.6. id magis Deo placet, quàm corporale. Zach. 7.v.2.5. ieiunium quousque extendi possit sine vitæ dispendio. Actor. 27.v.33. ieiunium Ecclesiasticum non reprehendunt ab Apostolo. 1.Tim.4.v.3. ieiunia Iudæorum varia. Iudith 8.v.6. quæ ieiunia per Zachariam aboleat Deus. Zach 8.v.19
Ieiunabant Iudæi in graui & publica calamitate. Zach.7.v.2
Iephte res gestæ. Iudic.11. an filiam occidendo peccarit. ibid.v.30
Ieremias Propheta, nepos Sellum & Oldæ prophetidis. 2.Paral.35. v.3. deterret frustra Iosiam ne occurrat regi Aegypti. v.21. eiusdem lamentatio in morte Iosiæ. v.25. eius laudes in proœmio Ieremiæ, Eccli. 49.v.9. iam inde ab vtero matris fuit sanctificatus: prophetare cœpit existens adhuc puer: quid prophetet: scripsit hebraicè stylo facili: eius capita non sunt ordine temporum digesta: an scripserit alia præter prophetiam: sub quibus regibus prophetarit; à Iudæis in Aegypto lapidibus obrutus fuit: eius ossa Alexandriam translata è Taphni: fuit expers culpæ lethalis: excidium Ierusalem per Chaldæos attribuitur Iudæorum crudelitati in Ieremiam exercitæ, proœmio in Ieremiam, & cap. 1.v.1. 2.5. eius parens Helcias an fuerit summus sacerdos. cap. 1.v.1. creatus est à Deo Propheta. v.8. 9. Virgo tota vita permansit, in proœmio, & c.16.v.1.c.37. v.11. quomodo maledicat diei natiuitatis sua. c. 20.v.14. quamdiu Ierosolyma gestarit vincula & catenas ligneas. c. 27. v. 1. misit ea quoque ad varios reges. ibid. pronuntiauit prophetias suas diuersis temporibus. c. 36.v.4. fugiens exurbe retrahitur è fuga, & in carcerem coniicitur. c. 37. v. 12.14. 15. ter fuit incarceratus. v.15. sed à rege educitur in atrium carceris, & benignè alitur, in extrema fame vrbis. v.20. demersus est in puteum cœnosum. c.38.v.6. benignè habitus est à Nabuzardan & Godolia. c. 39. v.12.14. & c.40.v.1. mittit prophetiam contra Babylonem per Saraiam principem cantorum in Babylonem legatum missum, vt eam Iudæis captiuis & Chaldæis prælegeret. c.51.v. 59. præcipua vasa templi excisione Ierusalem cum venia Chaldæorum transtulit in montem Nebo. c.52.v.21. quam vastitatem Ierusalem deplorat in Threnis. in proœm. Threnor. eius calamitates, carceres, vincula, verbera durante obsidione vrbis. Thren. c.3. toto. eius causam iudicauit Deus iustam esse. c. 3. v. 58. eius epistola ad Iudæos in Chaldæam deportandos. Bar.6. in proœm. ignem sacrum certo loco defodi iussit. 2.Mach. 1.v.19.c.2.v.1. accepit quoque à Nabuzardan potestatem efferendi è templo sacram supellectilem. cap. 2. v. 4. an meminerit argenteorum quibus Christus fuit venditus, & ager figuli emptus. Matth.27.v.9
Iericho vrbs prorsus euersa, Iosue 6. & æterno anathemati subiecta. ibid.v.26. eius ergo instaurator Hiel punitur amissione omnium prolium. 3.Reg.16.v.34
Ieroboami & 10. tribuum secessio an iure facta. 3.Reg.12.v.25. eius idololatria. v.28. aliaq; scelera. ibid. vsque ad c.15.& Eccli.47. in fine. duo Ieroboami reges Israel fuerunt. Osee 1.v.1

Ierusalem vnde dicta, à quo constructa, in qua tribu: quàm splendida vrbs. Ios.18.v.28. quando & quoties capta. Iudic. 1 v.1. eius laus. Psal.47. eius elogium. Thren.1.v.1. eiusdem desolatio. ibid. & seqq. sita erat pro maiori parte in valle, sed montibus cincta. Ierem.21.v.13. cur dicatur vallis visionis. Isaiæ 22.v.1. cur nutrix & mater Iudæorum. Bar.4.v.8. quomodo à Prophetis vocetur insula. Isaiæ 20. v.6. cur dicatur filia Sion. Isaiæ 1.v.8. cur leo Dei. Isaiæ 29.v.1. cur solium Domini. Ierem.3.v.17. quàm esset aduersus hostes communita. Thren.4 v.12. expugnari non potuisset, nisi præsidio diuino destituta fuisset. ibid. ei tamen quotquot iniurij fuerunt, infelices exitus habuerunt. Zach.12.v.3. quando post euersionem præcisè sit readificata. Dan.9.v.25. incolis fuit refertissima post restaurationem. Zach.2.v.4. eius velut proprium fuit Prophetas mactare. Luca 13.v.33. quadragesimo post Christi prædicationem anno à Romanis subuersa est. Ion.3.v.4. & capta die sabbathi. Matth.24.v.20. vocatur Sodoma & Ægyptus. Apoc. 11.v.8. erit sedes regni Antichristi. ibid. Ierusalem moderna alia est à veteri, & in vicinia huius constructa. Dan.9. v.29. tentata sæpè restaurari, sed semper irrito successu. Apoc. 21.v.24. instaurabitur sub finem mundi ab Antichristo. ibid. & tunc longè lateq; extendetur, & à Iudæis incoletur. Ierem. 31.v.40. tunc quoque in tres partes diuidetur terræmotu. Apoc.16.v.19. Ierusalem, cælestis & terrestris Ecclesiæ est symbolum. Gal.4.v.26.Tob.13.v.11. Ierusalem cælestis describitur. Apoc.21.v.2.& seqq.

Ierosolymitani excidij causa & modus. Chron.cap.vlt.

Ierosolymitana Ecclesia à Vigilio Papa in Patriarchalem erecta. Actor.10.v.1

Iescha, nomen Saræ. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.18.& Genes.11.v.29

Iesus pro Iescua vel Iehoscua. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.20

Iesus vel Iosue, filius Iosedec, summus sacerdos. 1.Esdr.3.v.8. sacerdotij sui initio segnior erat in Iudæis peccantibus redarguendis, nihilominus orabat Deum pro salute populi. Zach.3.v.1

Iesus est Messias promissus. 1.Ioan.4.v.2. est quid colligatum ex diuina & humana natura: eum qui soluit, non est ex Deo. v.3. vide *Christus. Ιησῦς nomen Saluatoris numerum redditurum 888.ait Sibylla. Apoc.13.v.18*

Iethro socer Moysis, an veri Dei sacerdos. Exod.18.v.11

Iezabelis impia scelera & mors. 4.Reg.9.v.22. vsque finem.

Iezrahel cur sit dictus primus filius Oseæ. Oseæ 1.v.5

S.Ignatij Martyris epistolæ vitiatæ à Græcis clericis, & quam ob causam. 1.Cor.9.v.4

Ignis sacer perpetuus in altari Iudæorum. Leuit.6.v.9.& c.9.v.23. & etiam apud Gentiles. ibid. is est à Ieremia absconditus in puteo & quomodo reuixerit. 2.Machab.1.v.19. igne profano vsi occiduntur. Leuit.10.v.3. igne Domini occisi murmurantes. Num.11.v.4. & puniti Ægyptij. Sap. 16.v.16.& c.c.19.v.19. igne cælitus emisso absumpta holocausta & sacrificia, in signum quòd placerent Deo, & vota essent exaudita. 3.Reg.8.v.54.& c.18.v.24.1.Par.21.v.26

Ignis infernalis describitur. Iob 20.v.26. Iudith vlt. 21.Eccli.7.v.19. is est iusta pœna auaritiæ. Iac.5.v.3. ignis verus in inferno est. Iudith 16.v.21.Matth.25.v.41. hic quomodo damnatis lucebit. Matth.8.v.12. ignis Purgatorij probatur futurus. 1.Cor.3.v.13

Ignis præferebatur regibus Chaldæorum & Persarum: item Imperatoribus Romanis. Iudith 10.v.18.& Ierem.1.v.13. Ezech.1.v.13.& Ioël 2.v.3. in igne quomodo tres socij Danielis fuerint illæsi. Dan.3.v.50. ignis conflagrationis in fine mundi omnia creata deuorabit. 1.Cor.3.v.13.& Isaiæ 34. v.). hic præcedet iudicium. 2.Petr 3.v.5. omnia mixta dissoluet in elementa è quibus fuerant compacta. ibid.& v.10. quanto id cum fragore fiet. v.10. ignis in forma linguarum super Apostolos in Pentecoste delapsus, quid denotaret. Actor.2.v.3.4. quem ignem Christus venerit mittere in terram. Luca 12.v.49. qualem ignem Deus in sectatoribus suis succendat. Malach.3.v.2. ignes fatui hæreticos repræsentant. Iudæ v.13

Ignorantia affectata & crassa fuit in principibus Iudæorum, Scribis ac Pharisæis, Christum occidentibus: ea aliquatenus peccatum minuit. Actor.3.v.17.& Luca 23.v.34. ex ignorantia peccare facit minùs indignum venia. 1.Tim.1.v.13. ignorantia nulla in Christo est admittenda. Hebr.2.v.17.c.4. v.15

Illusiones suas quas vocet Psalmista. Psal.37.v.8

Illuminari oculos, est recreari & refici. 1.Esdr.9.v.8

Illuminatio interior à Deo necesse est accedat ad doctrinam exteriorem. Isaiæ 54.v.13

Imago Dei homo est. Gen.1.v.26.& c.2.v.26.Sap.2.v.23

Imaginum vsus an apud Iudæos. Exod.20.v.4. imagines Catholicorum excitant Dei memoriã in hominibus. Isaiæ 40.v.18

Imber matutinus & serotinus quis sit. Ierem.3.v.3.Ioël 2. v.23

Immisericordia peccatum Christus in iudicio maximè arguet. Ezech.34.v.18

Immittere sumitur pro castrametari. Psal.33.v.8

Immortalitas animæ & resurrectio corporum, planè connexa sunt. 1.Cor.15.v.29

Immundi comedentes phasè, puniti à Deo. 2.Paral.30.v.18. immundi cibi quinam fuerint. Leu.9.v.10.11. quidam solùm ad sacrificandum immundi, non ad esum. Deut.12.v.15. & c.14.v.5

Immunditiæ aliæ sunt grauiores, aliæ leuiores. Leu.12.v.5. immunditiam vocat Apostolus mollitiem. Gal.5.v.19

Imperfecti Religiosi in die iudicij vnà cum Christo omnes homines non iudicabunt. Matth.19.v.28

Imperium Christi in omnia creata est superexcellens. Isaiæ 9. v.7. imperium Romanum deficiet antequam veniat Antichristus. 2.Thess.2.v.3.& 7. cur de eo Apostolus obscurè verbis loquatur. v.7

Impiorum spes inanis est. Iob 11.v.20.& Sap.5.v.6. eorum infelix mors. Iob 36.v.13.& c.Eccli.40.v.12. eorum perpetua trepidatio. Iob 15.v.20.& c. cita mors. Psal.57. v.10. alia pœna. Sap.5.v.21.& c. eorum ingens sed instabilis prosperitas. Psal.36.v.20.Psal.72.v.2.& c.Eccli.40. v.13. eorum victimæ abominabiles. Prou.15.v.8. eorum sera querela. Sap.5.v.2.& c. peccatis suis Deo sunt oneri. Ierem.23.v.33. ipsi cur hac in vita prosperentur, iusti affligantur. Ierem.12.v.1. eos quanta maneant supplicia post hanc vitam, cùm pij tam seuerè flagellentur. 1.Petr.4.v.17.18

Implere manum est consecrare in sacerdotem. 2.Par.29.v.31. & Ezech.43.v.26

Impositio manuum capitur pro ordinatione sacerdotali. 1.Tim. 4.v.14. quid ea significetur. ibid.

Impossibile vsurpat Scriptura pro difficili. Matth.19.v.24. Actor.15.v.10.Hebr.6.v.4.& c.10.v.26. impossibilis subinde idem quod impotens. Sap.11.v.18. impossibile ex hypothesi. Sap.12.v.10. impossibilia Deus non præcipit. Actor. 15.v.10.& 1.Cor.10.v.13

Impostores multi erunt sub finem mundi. 1.Ioan.2.v.18

Impotens sumitur aliquando pro intolerabili. Sap.17.v.13

per Impudicitiam Apostolus intelligit omnem lasciuiam. Gal.5.v.19

quomodo peccatori Deus peccata Imputet & non imputet. Psal.31.v.2

In, ferè omnium præpositionum vice fungitur. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.12

Inæqualitas meritorum est, simul & præmiorum: vnde ea ortum habeat. Luca 8.v.6

Incantator à serpente percussus quid denotet. Eccli.12.v.13

Incarnatio Christi quomodo in vtero Virginis peracta, ipsa assensum præbente. Luca 1.v.38

Incedere in omnibus Dei mandatis quid sit. Luca 1.v.6

Incircumcisum esse, quid sit. Exod.6.v.12

Includor vocatur ingeniarius. Ierem.24.v.1

Incorrigibiles quidam sunt. Eccles.7.v.14
de peccato Incredulitatis Spiritus sanctus maximè mundum arguet. Ioan.16.v.9
Incubi daemones quibus noceant. Tob.7.v.11
Inditb erat nomen reginæ Aethiopum primæ ad Christum conuersæ. Actor.8.v.27
Indoctos & ignobiles penè omnes ad fidem initio vocauit Christus. 1.Cor.1.v.28.29
Indoles bona probatur. Sap.8.v.19.& c.12.v.11.& Eccli.1.v.16
Induere, pro possidere, in se habere. Psal.92.v.1.Rom.13.v.14
Indulgentiæ pœnarum peccatis debitarum tempore Apostolorum in vsu fuerunt. 2.Cor.2.v.10
Indumentum, vel facies indumenti, pro pelle sumitur. Iob 41.v.4
Indurare, quo sensu Deo tribuatur. Exod.7.v.3. *ipse neminem directè, sed indirectè & occasionaliter tantùm indurat.* Rom.9.v.18.22. *indurationis causa propria & directa est hominis malitia.* Ioan.12.v.39. vide Excæcare.
Infans-vir est Christus Dominus recèns natus, & cur. Ierem.31.v.22. *infantibus recèns natis præscinditur fistula pellicea ab vmbilico pendens.* Ezech.16.v.4. *cur lauentur aqua calida, saliantur, & fascia constringantur.* ibid. *infantes sine baptismo mortui verisimiliter in inferno concludentur, sed erunt sine cruciatu.* Apoc.20.v.18. *infantes in baptismo non discernunt inter credenda, & non credenda.* Ion.4.v.11. *infantes fidelium non nascuntur sancti.* 1.Cor.7.v.14. *infantes etiam in die iudicij iudicabuntur.* Apoc.20.v.12
Infanticidium Herodis regis an à Ieremia prædictum sit. Ierem.31.v.15
Inferiæ dicuntur epulæ sepulchrales. Tob.4.v.18
Inferni ignis. vide ignis, inferni pœnæ. Iob 21.v.21.&c. *in inferno an niues.* Iob 24.v.19. *an vermes.* Iudith vlt.v.21.Eccli.7.v.19.c.10.v.13.Isaiæ vlt.v.vlt. *inferni ostia quæ vocentur.* Iob 38.v.17. *inferni pabulum, impij sunt.* Psal.48.v.15. *infernus sumitur pro loco mortuorum. v.g. pro limbo.* Iob 14.v.13.& c.17.v.13.& c.21.v.13.Psal.29.v.4. *infernus, Christo eò descendente, euomuit mortuos suos.* Ion.2.v.11. *eius quanta sit capacitas in longum, latum & altum.* Apoc.14.v.20. *inferno tradentur, qui dona naturæ & fortunæ mundo & carni impenderunt.* Ierem.7.v.32. *in eo, post finem sæculi, non erit amplius ordo inter damones.* Ephes.6.v.12. *infernus inferior quis vocetur Dauidi.* Psal.85.v.13. *eius ignis erit perpetuus.* Isaiæ 30.v.33
ad Inferos Christus descendit & ad limbum. Ephes.4.v.9
Infidelium commercia vitanda. 2.Cor.6.v.14.17. *infideles, siue cibis abstineant, siue vtantur, peccant.* Tit.1.v.15. vide Gentiles, Impij. *infidelis, si velit, potest à fideli facere tam thori, quàm contractus diuortium.* 1.Cor.7.v.15. vide Coniux, Matrimonium.
Infidelitas qua ratione grauius peccatum sit Sodomia. Matth.10.v.15. *infidelitas tempore Apostolorum non dirimebat matrimonium, nec impediebat si fideli non erat periculum peruersionis, postea diremit,* 1.Cor.7.v.12.
Infirmitates corporis & animæ quomodo Christus à nobis abstulerit. Matth.8.v.17.
Infrunita anima quæ dicatur. Eccli.23.v.6. *infrunitus, quis.* Eccli.31.v.23
Infusoria in candelabro templi Ierosolymit. quæ dicantur. Zach.4.v.2
Ingerens se rebus ad se nihil spectantibus, infaustos sæpè habet exitus. Machab.5.v.62
Ingredi & egredi, pro conuersari sumitur ordinariò in Script. 2.Paral.1.v.10
Inimico, etsi reconciliato, ne temerè fidas. Eccli.12.v.10. *inimicus æquè diligendus atque amicus.* Matth.5.v.43.& Eccles.7.v.19. *oratio pro inimicis est efficacissima.* Actor.7.v.59. *inimicos animæ habemus plurimos & potentes.* Ephes.6.v.12
ritus Initiandi sacerdotes idolorum. 3.Reg.13.v.33.& 2.Paral.13.v.9
Initium fidei & salutis est à Deo, cooperante libero arbitrio. Phil.2.v.13. *initium sumitur pro principatu.* Eccli.11.v.3. c.16.v.26
Iniuriam propellere quando & quibusnam liceat. Matth.5.v.39. *iniurias remittere, & aduersarium ad pacem vltro prouocare, signum est excelsi animi.* Osee 11.v.9
Iniustitia per mala opera crescere potest. Actor.22.v.11.
Iniustè parta ne offerantur Deo. Eccli.34.v.21.& cap.35.v.15
Innocens an aliquando puniatur à Deo. in proœmio libri Iob, & cap.5. *innocentes pueros cur occidi iubeat Herodes à bimatu & infra: & quot eorum millia occisa.* Matth.2.v.15. vide Herodes.
Innocentiæ status ornamenta quæ. Gen.3.v.7
Inobedientiæ mala. 1.Reg.15.v.12.vsque 29.& 3.Reg.3.v.21.& c.20.v.42
Insipiens quomodo sit melior sapiente superbo. Prou.26.v.12
Instinctus priuatus spiritus cuiusque Christiani non est iudex controuersiarum fidei & Scripturæ. 1.Cor.2.v.16
Insula cur vocetur filia maris. Isaiæ 23.v.10. *insulas vocant Hebræi quasuis prouincias trans mare sitas.* Ierem.25.v.22. *insulæ sunt quasi diuersoria nauigantium.* Eccli.43.v.25. *insulæ Fortunatæ an sint iuxta Gades Hispaniæ.* Ezech.27.v.7
Insulanos vocant Hebræi omnes populos mari Mediterraneo à se discretos. 1.Mach.1.v.1
Insultatio patientibus quàm dura & grauis accidat, maximè generosis. Marc.15.v.32
Intellectus sumitur aliquando pro instructione. Psal.31.initio & v.8
Intentio pura sit. Eccles.4.v.17. Can.8.v.11.Eccli.20.v.11.19.23.&c.
Interpretatio Scripturarũ est gratia gratis data. Luc.24.v.45
Interrogare idem aliquando est quod examinare. Sap.6.v.4.
Interuallum aliquot annorum futurum inter mortem Antichristi & iudicium extremum. Matth.24.v.39
Intima quæque animæ perspicit Christus. Hebr.4.v.12
Intrans in os quomodo non coinquinet animam. Matth.15.v.11
Introitus & exitus sumitur sæpè in Script. pro conuersatione. 1.Reg.29.v.6. *introitus triumphalis Christi in Ierusalem in die palmarum qualis fuerit.* Matth.21.&c.
Inuidiæ malum. Eccles.4.v.4. & Cant.6.v.8.& Eccli.31.v.14
Inuisibilẽ quomodo se Nazarethanis fecerit Christus. Luc.4.v.30
Inuitus nemo trahitur à Deo. Actor.6.v.6
Inuocatio Dei quid includat, ipsa præter fidem ad salutem requiritur. Rom.10.v.12
Ioachaz filius Iosiæ regis, fratribus senioribus à populo præpositus & patri suffectus est. Ierem.22.v.10. *captivus abripitur in Aegyptum.* ibid.
Ioachim, vide Eliachim.
Ioachin nõ sedit in solio patris pacificè, sed abductus fuit in Babylonem, eiusq; posteri tantùm fuerunt duces. Ierem.36.v.30
Ioakim & Ioachin reges Iuda. 4.Reg.24.& 1.Paral.3.v.15.& 2.Paral.36.v.6.&c.
Ioakim Babyloniis primò factus est tributarius, sed rebellans ab ijsdem occisus est. Ezech.19.v.8. *eius funestus interitus & sepultura ingloria.* Ierem.22.v.15.& 19.c.36.v.30
Ioakim sacerdos, post excidium vrbis, præfuit reliquis sacerdotibus Ierosolymam ex Aegypto reuersis. Bar.1.v.7
Ioannis Baptistæ ortus per angelum patri fuit prænunciatus, & vocandus Ioannes, id est gratia Dei. Luc.1.v.13. *quomodo fuerit magnus coram Deo.* v.15. *fuit toto vita tempore Nazareus, & in vtero matris iustificatus.* ibid.& v.41. *quomodo conuerterit corda patrum in filios.* v.17. *eius subsultatio in vtero matris fuit rationalis.* v.41. *vnde ea ortum habuerit.* ibid. *fuit vox clamantis in deserto.* Isaiæ 40.v.3.

INDEX NOMINVM ET RERVM.

Marc.1.v.1. eius vestis & victus non fuit pretiosus iuxta Nouantes Marc.1.v.6. eius decollati historia. c.6.v.26.& 27. fuit angelus non natura, sed officio & dignitate. Malach.3. v.1. eius encomium. ibid. quamdiu in deserto egerit: eius adhuc pueri ibi angelus curam gessit: cur in desertum fugere compulsus. Luc.1.v.80. cur ibi tamdiu latuerit. ibid. eius elogium. Matth.11,v.7.8.10.& 11. nullus priorum hominum ipso fuit maior. v.11. incepit prædicare incipiente septuagesima hebdomada Danielis. Luc.3.v.2. quomodo non sit Propheta. Ioan.1.v.21. quando & vbi Christi præcursorem agere cœperit. Matth.3.v.1. eius vestis erat cilicium, cibus locusta. v.4. Marc.1.v.6. an fuerit à Christo baptizatus. Matth.3.v.14. vidit columbam dum Christum baptizaret. v.16. cur traditus Herodi Antipæ tetrarchæ Galilææ. c.4.v.12. quomodo se neget Christum cognouisse. Ioan.1. v.31. ipse debuit minui, Christus crescere. cap.3.v.30. nouerat quis esset Christus, etsi suos discipulos ad illum mitteret sciscitaturos an esset qui venturus est. Matth.11.v.3. in eo consulit illorum pudori. ibid. cur dicatur Elias. Matth.17. v.11. in quo fuerit Eliæ similis. Matth.11.v.14.Luc.1.v.17. quomodo non manducarit, neque biberit. Matth.11.v.17. eius mors quàm fuerit indigna. Prou.25.2.26

S.Ioannes Euangelista vnde, & quo patre natus: vbi, quando, & qua occasione Euangelium scripserit: scripsit omnium sublimissimè: aquilæ comparatur: an fuerit sponsus in nuptiis Cana Galilææ. proœmio in Ioan. fuit filius tonitrui. Marc.3.v.16 quando Apocalypsin, Euangelium & Epistolas suas conscripserit. Chron.cap.vlt.in fine. B.Virgini loco filij traditur. Ioan.19. v.26. quamdiu Ierosolymæ hæserit. Actor.15.v.1. iam senex anhelabat ad æternam quietem. Apocal.22.v.20. etiam in Persida & Parthia prædicauit. proœmio in epist.S.Ioan. verè est mortuus. Apoc.1.v.11. & quidem naturali morte defunctus: cur tamen subinde à SS.Patribus Martyr vocetur: quando mortuus: corpus illius cælo inuectum creditur. Ioan.21.v.22. eum cur Iesus præ cæteris Apostolis diligeret. Ioan.13.v.25. cur cognitum Iudam proditorem nulli Apostolorum reuelarit. v.26. ei multò plura reuelata in Apocalypsi sunt, quàm scripserit. Apoc.10.v.4

Ioannes Gerson puerorum eruditioni semper incubuit. Galat.6.v.6

Ioannes Hyrcanus Idumæos planè bello subegit. Abdiæ 16. 17.& 18. item Samaritas. v.19. alia eius victoriæ. v.20. vnde dictus Hyrcanus: cum Antiocho Sedete pacem pepigit: alia eius gesta: ei filius Aristobulus successit, qui regium nomen vnà cum diademate assumpsit. 1.Mach.16. v.29

Ioannes Ionathas Annæ filius, etiam pontifex factus est. Actor.4.v.6

Ioannes Marcus quare à S. Barnaba & Paulo discesserit. Actor.13.v.13. eius domus erat in monte Sion, quid in ea gestum. Actor.1.v.13. ibi comedit Christus pascha. Matth.26.v.18. quæ dein fuit prima Christianorum Ecclesia. ibid.

Ioas filius Amelech an filius Achab regis. 1.Paral.18.v.26

Ioas filius Ochosiæ neci subtrahitur à sua amita Iosabetha. 2.Paral.22.v.11. pietas eius & religio. 4.Reg.12.v.4.&c. impietas, idololatria, & crudelis cades Zachariæ pontificis. 2.Paral.24.v.23. fit rex. 4.Reg.11.v.4

Ioatham filius Oziæ rex Iuda pius. 2.Paral.27.v.2

Iob an vera historia, à quo conscripta, quo idiomate, quo fine in proœmio libri Iob.

Iob quo anno natus: quo vxorem duxerit: quo regnare cœperit: quo tentari, & quamdiu. Chron.cap.16. quo anno mortuus. cap.17. sub finem. an rex fuerit. 1.Paralip.1. v.44 & Iob 1.v.1. eius patria, genus, stirps ex Abrahamo & Esau. Iob 1.v.1. morborum quot genera habuerit. c.2.v.7. an impatientiæ peccarit. cap.3.v.1. mortem optando. c.7. v.8. vsque finem & cap.13.v.14. eius insignis patientia. c.30.v.28.& c.13.v.14.& c.23.v.17. in quo culpam suam agnoscat. cap.39.v.34.& c.42.v.3.& 4. tentatio & afflictio eius non fuit nisi paucorum mensium. Chron. c.16.& Iob vlt.v.10. recipit omnia duplicia. Iob vlt.v.10. &c. amici Iob qui, quales. Iob 2.v.11.& c.32.v.2. reprehenduntur à Deo. cap.42.v.7

Ioël Propheta vbi natus, quando prophetarit: quod eius argumentum. proœmio in Ioël.

Ioiadæ pontificis pietas. 2.Paral.22.v.11. creat Ioas regem. 4.Reg.11.v.4. Athaliam occidi iubet. v.16

Ionadab pater Rechabitarum, quis qualisue fuerit: ruri viuebat. 4.Reg.10.v.15

Ionas Propheta fuit è Geth oriundus, in tribu Zabulon: quando & quamdiu prophetarit: quis qualisue fuerit: in quo fuerit typus Christi: eius sepulcrum. proœmio in Ionam, & cap.1. v.1. cur fugiat à facie Domini. v.3. fugere vult in Tharsis. ibid. sors cecidit super eum in tempestatu causa explorandæ. v.7. cur nautis suadeat vt se in mare abijciant. v.12. in id abijcitur, & mox illud à tempestate quieuit. v.13. fuit à cete absorptus, & quænam in eius viui in ventre ceti detentione miracula contigerint. cap.2.v.1. vbi locorum à cete ejectus. v.11. grauauit ventrem ceti. ibid. contristatur videns Deum parcere Niniuitis, & quare. cap.4.v.1. non peccauit in eo mortaliter. ibid. quàm sit honorificè à Niniuitis habitus. v.11. eius prophetiæ initium. 4.Reg.14.v.25

Ionathæ filij Saulis fœdus & amicitia cum Dauide.1.Reg.18. v.3

Ionathas Machabæus loco fratris sui Iudæ principatum populi suscipit. 1.Mach.9.v.31. Bacchidem ad pacem ineundam cogit post cladem ei illatam. v.69.& 70. deserto Demetrio Syriæ rege adhæret Alexandro. cap.10.v.20.& 43. induit habitum pontificium. v.21. regia dignitate ab Alexandro condecoratur. v.60. cædit Apollonium Demetrij iunioris ducem. v.82.& 83. incendit fanum Dagon. v.83. donatur ab Alexandro fibula aurea. v.89. arcem Græcorum Ierosolymæ obsidet, sed obsidionem soluere cogitur. cap.11.v.23. fauet Antiocho iuniori filio Alexandri contra Demetrium, & huius copias profligat. v.56.& seqq. fœdus init cum Romanis & Spartiatis. c.12.v.12. capitur dolo à Tryphone. v.48. cæditur cum filiis. c.13.v.23

Ioppe vrbs, fuit portus Ierosolymæ vicinus, & totius Palæstinæ celeberrimus. 1.Esdr.3.v.7. à quo vrbs illa condita: commoda est ad excursus piraticos. Ion.1.v 3. in eius littus fuit Ionas à cete ejectus. cap.2.v.11

Ioram filius Iosaphat occidit omnes fratres suos. 2.Paral.21. v.4. accipit ab Elia litteras è paradiso, & grauissimis plagis vexatur. v.8.& 12. quomodo Oziam ab eo genitum dicat Matthæus, omissis tribus intermediis. Matth.1.v.8

Iordanis vnde dictus, & vnde scaturiens. Deut.33.v.22. finditur, arescit & stat transeuntibus Hebræis. Iosue 3.v.15. Habac.3.v.10

Iosaphati regis potentia, pietas, prosperitas. 2.Paral.17. toto. filio suo Ioramo iungit filiam Achabi. c.18.v.1. eius post nobilem victoriam labes noua & pœna. cap.20.v.36

de Iosaphat & Barlaamo Damasceni historia. Esther 4.v.2

Iosephi res ordine annorum digesta. Chron.cap.16. somnia, &c. Genes.37.& seqq. seruitus. ibid. & Psal.80. v.6.& Sap.10.v.13. Ioseph sumitur pro decem tribubus, vel pro toto Israele. Proleg.de Idiotismis Hebr.num.21.& 2.Reg. 19.v.20.Psal.79.v.2.& Psalm.80.v.5.& Amos 5.v.6. Iaseph tribus eadem quæ Ephraim, cur. Apoc.7.v.8. Iosephi encomia. Eccli.49.v.17.&c.

cur Iosephi sponsi B.Virginis genus S. Matthæus recenseat. Matth.1.v.16. habuit omnia iura veri domini ac patris in Iesum, vt erat homo. ibid. eius dignitas & elogium: in gratia & gloria antecelluit Apostolis. ibid. eius prudentia cùm deprehendit B.Virginem grauidam esse, non ex se. v.18

Ioseph ab Arimathia Christum posuit in monumento suo. Matth.27.v.57

Fl. Iosephus non sine diuina prouidentia scripsit accuratè bellum Iudaicum. Luc.21.v.24

Iosiæ regis Iuda præclarè gesta. 4.Reg.22.& 23.& 2.Paral. 34.*mors* c.35.v.21. *encomia.* Eccli.49.v.1

Iosue ducis acta & res gestæ. Chron.cap.20. *antè dictus Osee.* Num.13. v.17. *an auctor libri Iosue.cap.* 1.v.1. *eius gesta.* toto libro. *eius mors: & an cælebs perpetuò.* Iosue vlt. v.29. *eius encomia.* Eccli. 46. v.1.

Iosue seu Iesus summus sacerdos. 1. Esdr. 3.v.8. & Chron. cap.42. vide Iesus

Ira quàm graue sit peccatum. Matth. 5. v. 21. *ad iram tardi simus oportet.* Iac.1.v.16. *iracundia terræ qua vocetur.* Psal.34.v.20

Irascendum sine peccato. Psal.4.v.5

Iris quomodo sit signum fœderis diuini cum homine. Genes. 9.v.13.

Ironia figura in Script. sæpè occurrit. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.33.& Gen.3.v.22. *est etiam Prophetis vsitata.* 3. Reg.22.v.15.& 4.Reg.8.v.10

Irriguum superius & inferius quod dicatur. Iosue 15.v.19.

Isaaci res gestæ. Chron. c. 15.& 16.& Gen. 22. &c. *eius laudes.* Eccli. 44.v.25. *ipse liberatus à morte, fuit typus Christi à morte resurrecturi.* Hebr.11. v.19

Isaiæ Prophetæ encomia. Eccli.48.v.23.&c. *an fuerit Hozai.* 2. Paral. 33. v. 19. *serra dissectus fuit à Manasse, cuius erat socer.* 4.Reg.21.v.10. *Isaias vox quid significet: eius elogium: cur Apostolus & Euangelista, dicatur: eius nobilitas, sanctitas, eloquentia, constantia in aduersis & martyrio: quo tempore prophetarit.* in proœmio Isaiæ. *vidit SS. Trinitatem in visione sua, sed per speciem corpoream.* cap.6.v.1. *an incesserit planè nudus per plateas Deo iubente.* c.20.v.2. *idque triduo tantùm, non triennio.* v.3

Ismael (id est audiuit Deus) filius Abrahæ ex Agar. Gen. 16.v.11. *ludit seu pugnat cum Isaaco: idcirco domo expellitur cum matre.* c.21.v.9

Ismahel è regio sanguine, occidit Godoliam viceregem Iudææ. Ierem.40.v.14.c.41.v.1

Israel fuit Dei quasi peculium & primitiæ, & velut sacrum quid. Ierem.2.v.3. *dilectus est Deo.* Isaiæ 44.v.2. *quomodo & quare eius non sit misertus Deus, æquè ac Iudæ.* Osee 1.v.6. *quas ei pœnas Deus ob idololatriam intentet.* cap.2. v.3.4.6.& 13. *sed in fine mundi resipiscet.* cap.3.v.5. *hinc vsque ad finem mundi desertus & afflictus manebit.* v.3.

Israelitæ populus à Deo electus, iterum reiectus, mox rursum assumptus, sed iterum prævaricans planè reiectus est. Ierem. 13.v.12. *eorum laus & encomia.* Sap.10.v.15.17. *eductio ex Aegypto,* Exodi 13. &c. Sap.10.v.17. *benedictio præ Aegyptiis.* Sap. 11. & præ Chananæis. cap.12 *à vicinis populis, quibuscum amicitiam habebant, idololatriam didicerunt.* Osee 7. v.8. *in deserto præter Beelphegor coluerunt etiam Moloch deum Ammonitarum.* Amos 5.v. 26. *hæc eorum idololatria quomodo primùm cœperit.* Osee 10.v.9. *ob eam semel in captiuitatem abducti, numquam exinde redierunt.* Amos 5. v.1. *aliqui tamen vnà cum Iudæis è captiuitate in Iudæam & terram Israel redierunt, idq; indulto Iudæorum, & qua occasione.* Mich. 7.v.12. & Osee 1. v. 6. *hinc se sub Zorobabele iunxerunt subiecerunt Iudæis.* Ezech.37.v.17. *quos Israelitas nouos Dominus assumpserit, reiectis illis antiquis idololatriæ infamibus.* Osee 1.v.9. vide Iudæi.

Israelitica reipubl. infantia, iuuentus, desponsatio, ætas, prouecta senectus. Ezech. 16.v.4.& seqq.

Issacharitæ astrologi erant naturales. 1.Paralip.12.v.32

Isthmus est locus inter duo maria. Actor. 27. v.41

Ituræa prouincia vbi sita. Luc.3.v.1

Iubilæus annus apud Hebræos qualis. Chron.c.6. *quando inchoatus.* c.21. *eius priuilegia.* Exodi 23. v.11. & Leuit. 25.v.2.&c.

Iudæa semper fuit particeps bellorum inter reges Syriæ & Aegypti gestorum, quia erat intermedia. Dan.11 v.5. *durante captiuitate non planè mansit inculta.* Dan.14.v.32. *eli sanctificatio Domini.* Malach.2.v.11. *quare vocetur fortunata.* Dan.3.v.9. *cur Libanus.* Ezech.17.v.3. *tota erat nemorosa & montosa.* Ezech.20.v.46

Iudæi prædicuntur destituendi vero Deo, sacerdotio & lege. 2.Par.15.v 3. *fuere tributarij Persis etiam post redituin è Babylone.* 2.Esdr.9.v.37. *vt plurimum erant binomij.* Marc.2. v.14.& 26. *semper aspernabantur Gentiles.* Ezech.16.v.56. *quin & summoperè execrabantur.* Actor.22.v.19. *vocantur Gentes ob idololatriam.* Ezech.2.v.3. *in omnibus festu vsque ad horam sextam abstinebant cibo.* Actor.2.v.15. *aliquem condemnaturi, id faciebant sub contestatione instantis vindictæ diuinæ.* 1.Cor.16.v.22. *eorum gloria præ aliis gentibus.* Rom 9.v.4.& seqq. *non tondebantur in comam.* Ierem.9. v.26. *Scripturas, quæ de cælesti & spirituali loquuntur Ierusalem, de terrena accipiunt.* Ioel 3.v.20. *nulli volebant principi subdi.* Rom.13.v.1. *cur tam operosè genealogias suas contexerent.* 1.Tim.1.v.4. *cadauera terræ mandabant.* Amos 6.v.10. *sunt populus sanctus.* Rom.11.v.16. *eorum multi in Aegypto, maximè circa Heliopolin, degebant.* Matth.2.v.13. *illi qui sabbathum violare veriti sui defensione, occidi se permiserunt, sunt Martyribus annumerandi.* 1.Mach.2.v.27. *idipsum sapius ab iis factum.* ibid. *non credebant templum euertendum, & ciuitatem sanctam tradendam infidelibus.* Habac.1.v.5. *ob peruersos mores Chananæis similes erant.* Soph.1.v.11. *cur dicantur iumenta Austri.* Isaiæ 30.v.6. *diuersis vicibus in Chaldæam deportati sunt.* Ierem.52.v.28

Iudæi vltro se Chaldæis dedentes, bene habiti sunt; alij in Iudæa remanere volentes, malè. Ierem.24.v.8. *Chaldæorum intelligentes in Babylonica captiuitate, sæpè ab iis vapulabant.* Bar.4.v.15. *quomodo in Babylone fuerint per septem generationes.* cap.6.v.2. *non omnes tamen in Babylonem abducti fuere.* Zach.8.v.7. *tunc per varias prouincias Chaldæis subiectas dispersi sunt.* 2.Mach.1.v.19. *sunt etiam in Hispaniam & Bosphorum Cimmerium vsque ab iis relegati.* Abdiæ v.20. *quantum eorum è Babylone redeuntium gaudium & iucunditas.* Isaiæ 30.v.25.& 26. *tunc cecinerant psalmum* CXVII. Ierem.33.v.11. *tunc quoque benignè à regibus Persarum habiti sunt.* Bar.5.v.6.& seqq. *post redium è Babylone non amplius coluerunt idola.* Ezech 43.v.7.& Isaiæ 1. v.29.cap.2.v.8.Ierem.42.v.20. *cur eos in Aegyptum concedere Deus prohiberet.* Ierem.42.v.20. *ipsi & Israelitæ post captiuitatem in vnam gentem & regnum coaluerunt.* Osee 1. v.11.

Iudæi derisi à Gentilibus ob cultum sabbati, & inde dicti, sabbatarij. Thren.1.v.7. *eorum punitio prædicitur.* Psal.68. v.15. *ipsis primariò missus Christus. Gentilium solùm ex accidenti.* Matth.15.v.24.& 26. *diuersimodè liberandi dicuntur ab Isaia.* Isaiæ 1.v.27. *solo externo sacrificij actu contenti, internos pietatis actus negligebant.* Osee 6.v.6. *quando se subijcere voluerint Israelitis & Syris.* Isaiæ 8.v.6. *nonnulli liberiores non adeò à Gentilium commercio abhorrebant.* Matth. 9.v.10. *Iudæi multi videntes templum à sua gente profanatum, è Iudæa aliò commigrarunt, augurati Iudæis extremam cladem instare.* Dan.9.v.27. *semper ad Messiam anhelarunt, sed cùm iam comparuit, eum repulerunt, in eoq; scandalizati sunt.* Rom.9.v.32. *ante Christi aduentum crediderunt in eum venturum, & hac fide sunt iustificati: at postquam ille aduenit, hanc fidem amisere, & è solis cæremoniis Mosaicis salutem sibi deberi contendebant.* Rom.3.v.27. & 31. *eorum repudium prædictum à Prophetis.* Isaiæ 29. v.17.23.& 24. c.31.v.15.c.35.v.2.6.7. *ob neglectum Messiam priuati sunt omnibus bonis spiritualibus.* Matth. 21.v.43

Iudæi Christum abnegantes coram Pilato non sunt amplius populus Dei. Dan.9.v.26. *cum Pilato cur tradant, ipsi verò non occidant.* Matth.27.v.2. *eum occidentes an nescierint*

rint quid fecerint. Luc.23.v.34. eum obstinatè ad mortem depoſcunt. Ioan.19.v.7. fuere in eo nocentiores Pilato. v.11. cur eum ad crucem depoſcant. Matth.27. v.23. cur eius ſepulcrum cuſtodiri iubeant, & ſigillo ſignent. v.63.& ſeqq.

Iudæi omnes quare à Claudio & Tiberio Impp. Roma excedere iuſſi. Actor.18.v.2. Paulo ſemper fuerunt infenſi. Actor.25.v.1. Chriſtum reiicientes, inciderunt in manus Romanorum. Iſaiæ 8.v.7. quando primam contra Chriſtianos perſecutionem excitarint. Actor.8.v.1. minorem mercedem pro magno labore receperunt, quàm Gentiles fideles pro modico. Matth.20.v.1. maluerunt Euangelium eiúſque præcones oppugnare, quàm illi auſcultare. Rom.10.v.21. ideo à Deo deſerti ſunt. c.11.v.8.& 9. ægrè tulerunt Gentibus prædicari Euangelium Meſſiæ ſui. Rom.10.v.19. plurimi eorùm qui in Meſſiam tam miſerè impegerunt, poſtea reſipuere, & veniam commiſſorum impetrarunt. Zach.12.v.10. quis eorum propterea planctus. v.11.& 12. eorum pauci ad Chriſtum conuerſi ſunt. Rom.9.v.27.& 28.cap.10.v.16.& c.11.v.5. quomodo ſe mutuo diſſenſionibus confecerint. Zach.11. v.6. quàm multi eorum perierint & capti ſint tempore obſidionis per Titum. Luc.21.v.24. in hoc excidio per Romanos, in cloacis & ſepulcris latentes, inde extracti ſunt. Sophon.1.v.12. ſunt ab iis ad ſtercora efferenda damnati. Oſee 8.v.8. eorum nomen exoſum Romanis erat. Actor.16.v.20. quoties templum ſuum Ieroſolymitanum inſtaurare ſunt conati; ſemper diuinitus prapediti fuerunt. Dan.9.v.27. eraſerunt è Daniele claram prophetiam de aduentu Chriſti in carnem, & ſua deſolatione. v.16. iuſtitiam quærebant ex merito operum legalium, cùm quærere deberent ex meritis Chriſti, illa per fidem ſibi applicando. Rom. 11.v.7. vide Hebræi, Iſraelitæ.

Iudæi moderni quàm ſint ſuis in erroribus peruicaces. 1.Cor. 7.v.15. inuitantur ad Eccleſiam Chriſti. Pſal.44.v.11. in fine ſæculi ſaluabuntur & reſipiſcent, videntes Antichriſtum in tartara detruſum, etiam Danitæ. Pſalm.58.v.7.& 12. Iſaiæ 6.v.13.Ezech.39.v.23.& 28.Dan.12. v.11.Ioel 2. v.32.Rom. 11.v.12.15.16.& 27.Apoc.7.v.4

Iudæ tribui calitus conceſſum eſt regnum in Iſraele. 1.Paral. 28.v.4. Iudæ ſceptrum quando ſublatum ſit. Gen.49.v.10. Iudæ cur grauiùs peccaret idola colendo quàm Iſrael. Ierem. 3.v.7

Iudas Apoſtolus quis: quid Thaddæus hebraicè ſonet: dicitur & Lebbæus, id eſt corculum & leunculus, cur. Matth.10.v.3. eſt martyrio affectus anno 8.Neronis. Chron.cap.vlt. docuit in Aſia Minore, in Arabia & Perſide, vbi & martyrium cum fratre Simone Apoſtolo obiit. Iuda v.1

Iudas Barſabæ an frater fuerit Ioſephi Barſabæ. Act.15.v.22

Iudas Eſſenus an auctor libri ſecundi Machabæorum. proœm. in libr.Machab. hic ob ſapientiam futurorumq; prædicendorum ſcientiam magnæ apud Iudæos fuit auctoritatis. 2.Mach.1.v.10

Iudas Galilæus auctor fuit ſectæ Galilæorum ab eo denominatæ: ob eamdem eius duo filij fuere crucifixi. Actor.5.v.37. docebat populum Iudaicum immunem eſſe ab omni tributo. Matth.22.v.17

Iudas Machabæus vnde dictus. 1.Mach.3.v.3. Apollonium Antiochi regis ducem ſuomet ſternit gladio. v.11. hoc gladio exinde ipſe ſemper vſus eſt. ibid. ædificauit in Sion arcem ex oppoſito arcis Græcorum. c.4.v.60. item aliam in Bethſura contra Idumæos. ibid. vbique ſtrenui ducis partes obit. cap.5.v.53. an fuerit præfectus & decemuir Aſſidæorum. cap.7.v.13. & 2.Mach.5.v.27. cur Romanorum amicitiam ambierit. lib.1.c.8.v.16. eius generoſitas in paucitate commilitonum. cap.9.v.7.8. an ideo in prælio occubuerit quia cum Romanis ſocietatem iniuit. v.18. eius mors quàm gloriosa fuerit. ibid. ſolitus fuit ſemper ante prælium diuinam opem implorare. Zach.12.v.5

Iudas proditor iam olim notatus à Dauide. Pſalm.40.v.7. & c.Pſalm.51.& 54. maledictiones eius triginta pro triginta argenteis. Pſalm.108. vnde dictus ſit Iſcariothes. Matth.10.v.4. cur ſit à Chriſto in Apoſtolum electus, quem noſſet fore proditorem. ibid. quomodo ab eo vocetur diabolus & ſatan. Ioan 6.v.71. erat communis Apoſtolorum procurator. cap.12.v.6. quid apud principes prætexuerit bero prodendo illis. Matth.26.v.49. in eum plenè ſatanas intrauit poſt ſumptam buccellam. Ioan.13.v.27. huius cauſa non fuit hæc buccella, ſed eius obſtinatio in propoſito ſcelere. ibid. poſt eam acceptam conceptum facinus perfecit. v.28. non credebat Chriſtum eſſe filium Dei. Matth.26. v.49. eius impudentia in Chriſto interrogando, an ipſe eſſet proditor, & quare id interrogaret. Matth.26.v.25. ei vnà cum ceteris etiam Ven. Euchariſtia porrecta. v.26.& Ioan.13. v.21. cur illum Chriſtus publicè prodere noluerit. Matth. 26.v.23. cur is dederit militibus ſignum ad Chriſtum capiendum. v.48. eius pœnitentia inefficax fuit: è conſcientia patrati ſceleris cogitur ad deſperationem, hinc laqueo ſe ſuſpendit. cap.27.v.3.& 4

Iudaizantes Paulo ſemper infeſti fuere. Phil.1.v.17. hos vocat canes & conciſionem. c.3.v.2

Iudex ſit incorruptibilis. Prou.24.v.26.Eccli.20.v.2. & 31. in nullo deflectat à vero & recto. Eccli.4.v.24. Matth.27.v.25. ei quæ neceſſaria dotes. 2.Paral.19.v.7

Iudices in Iſraele poſt Ioſue quot & quinam. Chron. cap.18. quot annis populum iudicarint. ibid.& c.23.& 24. quod eorum officium: & an omnes ſancti. Iudic.2.v.16. iudices damnantes reum ad mortem, manus capiti eius ſuperponebant. Dan.13.v.34

Iudicabit Chriſtus mortuos omnes & viuos. 1.Petr.4.v.5

per Iudicium & miſericordiam ſignificare ſolet Scriptura omne opus bonum. Mich.6.v.6. iuſtitia & iudicio omne iudicij officium deſignatur. Oſee 2.v.19. & Pſal.24. v.10. iudicium & iuſtitiam facere quomodo dicatur iudex, quomodo priuatus. Ezech.18.v.5. iudicium temerarium priuatum nobis vetatur. Matth 7.v.1. Iudicia loqui, eſt pœnas infligere. Proleg.de Idiotiſmis Hebr. n.59.& Ierem.4.v.11. in iudicio Dei ſeorſim erunt impij à pijs. Pſalm.1.v.5. iudicium particulare inſtituetur in more cuiuſque. Eccli.11.v.29

Iudicij extremi deſcriptio. Pſal.49.& Pſal.96. illius ſigna præuia quæ. Matth.24.v.24.& ſeqq. eius dies incerta. v.36.39. id non futurum die 45.à morte Antichriſti. Ezech. 39.v.9.& Dan 12.v.12. illud clara luce peragetur. 2.Pet.3. v.10. ad id Chriſtus veniet ſicut fur in nocte. 1.Theſſ.5.v.2. ſub illius tempus elementa concutientur, & ſidera obnubilabuntur. Ioel 2.v.10.dies iudicij cur vocetur nox. Luc.17.v.34. hic nulli patet. Dan.12.v.12. eum Chriſtus quomodo ignorare ſe dicat. Marc.13.v.32. dies iudicij tam particularis quàm generalis declarabit, qualia ſint cuiuſque opera. 1.Cor.3.v.13. vide Dies.

Iudith vxor Eſau etiam alia habuit nomina. Proleg.de Idiotiſmis Hebr.n.18.& Geneſ.26.v.34

Iudith liber à quo ſcriptus, & qua primùm lingua, & quantæ auctoritatis ſit. Proœmio in Iudith. quando illa hiſtoria contigerit. ibid.& cap.1.& cap.2.v.4

encomia Iudith. Iudith 8.v.1.& ſeq. eius oratio ad Deum. c.9. an peccarit pelliciendo Holofernem ad ſui amorem. ibid. v.13. an mentita ſit. c.10.v.12. exhilarat ſe cum Holoferne. c.12.v.10.&c. decollat Holofernem. c.13. triumphat. c.15. v.9.& ſeqq. quoto anno vita ſit mortua. cap.vlt.v.20

Iuge ſacrificiũ quid & quale eſſet, quæ eius victima. Exod.29. v.38.& Leuit.6.v.9. quando cœperit offerri. Leu.9.v.17. quo ritu. Num.28.v.3. id ablatum ab Antiocho Epiphane. Dan 8.v.11

Iulius Cæſar Dictator perpetuus, annum egregiè reformat. Chron.c.43.

Iuliani anni, vnde dicti, & ducti initio. ibid.

Iulius Italiæ, regalis Hiſpaniæ, drachma Attica argenti, ponderis & pretij æqualis erant. Proleg.de Ponderibus.

Iunco

Iunco plexo in funem frenant pauperes iumenta. Isaiæ 9.v.14
L.Iunius Gallio frater Senecæ: eius opera factus proconsul Achaiæ. Actor.18.v.12. eius mors. ibid.
Iuno vocabatur mediæ regionis aër. Sap.13.v.2
Iupiter, Belus seu Nemrod, auctor turris Babel & monarchiæ Assyriorum. Chron.cap.12. & Gen.10.v.8. Sap.13.v.2.
Iupiter muscarius quis deus. 4.Reg.1.v.5. Iouis Olympij simulacrum templo Ierosolymitano intulit rex Antiochus Epiphanes. Dan.11.v.31
Iuramentum, pro omni actu latriæ, & omni Dei cultu sumitur. Sophoniæ 1.v.5. Amos 8.v.14. & Ierem.4.v.2. & 6.12. v.16. & 6.23.v.7. qui eius esse debeant comites. Ierem.4. v.2. quo casu non obliget. Marc.6.v.26. iuramentum per creaturas tam obligat quàm per nomen Dei. Matt.23.v.16. iuramentum à Gentilibus, per falsos deos iraturis, an exigere liceat. Gen.31.v.42. iuramenta quæ & quatenus liceant & vetentur. Matth.5.v.34. quomodo per creaturas Iurare liceat. Matth.5.v.34. iurandi consuetudo mala est. Eccli.23.v.10. & c.cap.27.v.15. iurare capitur subinde pro confiteri. Isaiæ 45.v.24
Iurisdictionis Ecclesiastica & politica distinctio. 2.Paral. 19.v.11
Ius dicere licitum & laudabile Christianis. 2.Paral.19.v.6
Iustus vix saluabitur. Prou.11.v.31. prior accusat se. Prou.18.v.17. in die septies cadit. Prou.24.v.15. iusti casus, quàm noxius. Prou.25.v.26. iustus ne sis nimiùm, quomodo intelligendum. Eccles.7.v.17. iustus ex fide viuit, & in eadem roboratur. Rom.1.v.17. ei lex non est posita. 1.Tim.1.v.8. iustus esse nemo potest nisi sit de Christi Ecclesia, re vel saltem voto. Isaiæ 60.v.21. iustus per omnia nemo. Iob 4.v.17. & c.9.v.20. & 29.Eccles.7.v.21. iustus peccans mortaliter, fit Dei inimicus, etsi ob bona aliàs patrata temporaliter compensetur. Ezech.18.v.24. non potest peccare grauiter. 1.Ioan.3.v.9. potest nihilominus gratia excidere. ibid. ei peccata non solùm non imputantur ad pœnam, sed planè remittuntur. Rom.4.v.7. & c.6.v.6
Iusti sunt prodigium mundanis. Psal.70.v.7. probantur à Deo. Psal.16.v.3. & Psalm.72. eorum omnia opera non sunt peccata, nec peccato inquinata. Isaiæ 64.v.6. quibus in rebus æquales sint impijs. Eccles.9.v.2. infallibiliter non sciunt se esse iustos. Rom.8.v.16. non debent certa fide credere se prædestinatos esse. 1.Cor.9.v.27. possunt à gratia excidere. Apoc.3.v.11. etiam peccant. Matth.7.v.18. non sunt exempti ab omni tributo. Matth.17.v.25. vide *Christiani, Fideles, Pij.*
gratia quâ Iustificamur, intrinsecè nobis inhæret. Rom.5. v.5. quos Deus iustificat, quis eos condemnet? Rom.8.v.33.
Iustificationis causæ sunt variæ. Rom.8.v.27. ipsa fit per opera non legis aut naturæ, sed per fidem Christi. cap.4.v.1. & seqq. & 4. per iustificationem efficimur accidentaliter diuinæ naturæ consortes. 2.Petr.1.v.4. eius initium est diuinæ gratiæ asscribendum. Ephes.2.v.8. iustificationis nostræ causa formalis tota est nobis intrinseca. 2.Petr.1.v.4. iustificatio alia inchoatiua, alia perfectiua: ad vtramque necessaria sunt opera. Iac.2.v.19
Iustitia sumitur pro innocentia. Psalm.16.v.1. iustitia, pro norma iustitiæ, pro iustificatore, pro iustificato. Proleg.de Idiotismis Hebr.num.47. & 48. iustitia originalis quæ sit. Sap.1.v.14. & 15.c.2.v.23.Eccli.15.v.14. iustitiæ Dei non aduersatur impios prosperari, iustos affligi. Ierem.12.v.1.3. iustitia Dei supernaturalis docetur in Euangelio; & crescit in dies. Rom.1.v.17. vide *Dei Iustitia. Christi iustitia an nobis imputetur. Psalm.31.v.2. ad eam participandam necesse est in Christo spiritualiter per baptismum nasci. Rom.5.v.18. iustitia quomodo incerta sit. Eccles.9.v.1. iustitia fidei præcellit iustitiæ legis. Rom.10.v.3. iustitia spectat tam ad Gentes, quàm ad Iudæos. Rom.4.v.10. iustitia nostra quomodo Scribarum & Pharisæorum excedere iustitiam debeat. Matth.5.v.20. iustitiæ fructus qui sint. Rom.5.v.1.& seqq. ipsa per bona opera potest augeri. Apoc. 22.v.11. cum ea non consistit reatus culpæ mortalis. Rom.8.v.1.*
Καθάρματα sunt hostiæ piaculares. 1.Cor.4.v.13.
Kikaion virgulti genus in Oriente notissimum, alibi ignotum; hæc causa est cur tam diuersimodè id interpretes verterint. Ion.4.v.6. & Proleg. de Idiotismis Hebr.n.16
Kippurim erat expiationis festum. Leu.16.v.2
Kirchareseth vrbs Moab munitissima. Isaiæ 16.v.7
Kiuan nomen est idoli Persarum, & idem cum stella Veneris. Amos 5.v.26
Κοινωνάζειν idem est quod lasciuire. 1.Cor.6.v.20
Κράτος tam imperium quàm potentiam & victoriam significat. 1.Petr.5.v.11
Labiuni vnum electum quale & quando futurum in Iudæa. Soph. 3.v.9
Labor & dolor, quid sit. Psal.9.v.7. labor, præparta labore. Sap.5.v.1
Labrum æneum de speculis mulierum concinnatum erat. Exod.38.v.8
Labruscæ sunt vuæ agrestes. Isaiæ 5.v.2.
Lac capitur metaphoricè pro primis rudimentis doctrinæ Euangelicæ. 1.Cor.3.v.1.2. & Hebr.5.v.12
Lacedæmon vrbs vnde dicatur. 1.Mach 12.v.1
Lacedæmoniorum 300.virtus stupenda. Iudic 7.v.25. vide *Spartani.*
Lacrymas an damnati effusuri sint in inferno. Matth 8.v.12
Ladens ladetur. Eccles 10.v.9
Lætitiæ bona. Eccli.30.v.23. & c.31.v.27
Lagana & lalangia similia erat frixa oleo. Exod.29.v.2 1.Paral.16.v.3
Laici sub vna tantùm specie communicare possunt. Luc.22.v. 20. & Ioan.6.v.54. eorum non est excommunicare. 1.Cor.5.v.4
Lais, Lesem vrbs eadem quæ Dan. Iudic.18
Lamech quare vocarit filium suum Noë. Isaiæ 11.v.10
Lamentatrices in funeribus conducebantur ad lamenta ciendæ. Ierem.9.v.17. vide *Præficæ.*
Lamia terrestris est draco muliebri facie & vberibus: accedentes deuorat: inferiùs desinit in squamas & draconem. Thren.4. v.3. lamiæ sunt striges vel bestiæ siluestres sexus fœminei rapaces. Isaiæ 34.v.14
Lamina aurea in fronte pontificis qualis esset. Exod.28. v.38. lamina aurea vel argentea de collo demissa vsque ad eius insculpebatur nomen idoli. Ierem.17.v.1
Lana segnitiem desidiamq; significat symbolicè. Ezech.44.v.17
Laodice regina Asiæ, Antiochi Thei vxor, Berenicen secundam vxorem, eiusque filium & maritum suum veneno sustulit. Dan.11.v.6
Laodicea vrbs Phrygiæ maxima, vnde dicta. Apoc.3.v.14
Lapidati Stephani signa visuntur in lapide super quem expirauit. Actor.7.v.56
Lapis offensionis fuit Christus Iudæis. Rom.9.v.32. & 33
lapis caliginis quis vocetur. Iob 28.v.3. lapidem à sepulcro Christi cur angelus reuolueret. Matt.28.v.2
Lapides metallici quomodo metallum suum effundant. Iob 28. v.2. de lapidibus, è quibus altare iam profanatum construendum erat, quid egerint Machabæi. 1.Machab.4.v.45. lapides pretiosi cælestis Ierosolymæ. Tob.13.v.22. & c. & Apoc.21. v.19.20
Lappa flos est spinæ aculeis plenus. Oseæ 9.v.6
Laquearia cypressina quæ dicantur. Cant.1.v.16
Larus auis erat immunda. Leu.11.v.16
Latere, pro latenter & ignoranter facere. Hebr.12.v.2
Latina lingua optimè in Ecclesia canuntur laudes diuinæ. 1.Cor.14.v.14. transiere multæ voces Latinæ in Græcas. Actor.19.v.12
Latitudo cordis quæ dicatur. 3.Reg.4.v.29. Psal.4.v.2. & Psal.30.v.9.
Latro in cruce Christum confitens quomodo dicatur Martyr. Luc.23.v.43. cur inter latrones crucifixerint Iudæi Dominum. Mar.

Marc.15.v.27. an hi ambo Dominum blasphemarint, an tantùm alter. v.32. latronum descriptio. Iob 24.v.2.&c. latrones olim dicebantur milites, maximè pretoriani. 2.Reg.4. v.2.Iob 19.v.12

Latus Christo in cruce pendenti quare apertum. Ioan.19. v.34. eius perfossio in se Christo non fuit meritoria. v.36

Lauare faciem sapè, maximè diebus festis, solebant Iudei. Matth.6.v.17. lauare pedes butyro, quid sit. Iob 29.v.6. quomodo à brutis & inanimatis laudetur Deus. Psal.148

Laudare in os perinde est ac vituperare. Prou.27.v.14

Laus propria odiosa est. Matth.11.v.4. laus hominum non captanda in virtutis exercitio, sed ea solùm à Deo exspectanda. Matth.6.v.3.4. laus quam Deo nos tribuere vult Scriptura, est externa & perceptibilis, qua alios excitet ad similiter faciendum. Baruch 2.v.17. laudis hostia qua vocentur. 2.Paral.33.v.16. laus capitur subinde pro deprecatione. Ierem.11.v.14. laudes Deo iucundæ & decoræ sint. Psal.146. v.1.

quare Christus Lazarum resuscitaturus infremuerit spiritu. Ioan.11.v.33

Leana plures parit quàm vnum, & sæpius. Ezech.19.v.2. eius pro catulis suis cura. Iob 38.v.39

Lebetes in magnis solemnitatibus peregrinis Ierosolymæ pretio elocabantur, ad victimas coquendas. Zach.14.v.21

Lectisternia in fanis deorum quem vsum haberent. Amos 1. v.8

Lecti accumbentium mensæ. Esther 1.v.6.Prou.25.v.11. Cant.2.v.5. lectulus floridus sponsæ. Cant.1.v.15. lectulus Salomonis qualis fuerit. Cant.3.v.7

Lecythus capitur pro vasculo oleum continente. 1.Reg.10.v.1

Legata pia in pios vsus conuertenda sunt. Actor.5.v.2

Legatio ad Ioannem à Pharisæis quando facta sit. Ioan.1. v.28

Legatus fidelis & infidelis quis dicatur. Prou.13.v.17. cap.26.v.6

Legio quot milites complecteretur. Matth.26.v.53

Λειτουργεῖν antonomasticè significat sacrificare. Actor.13.v.2

Lenticula idem quod vasculum liquorem continens. 1.Reg. 10.v.1

Leo gaudet præda viua. Dan.14.v.31. præda capta corpus diffindit vsque ad cor, ipsumque primùm deuorat. Osee 13. v.8. symbolum est vigilantis excubitoris. Isaiæ 21.v.8. leo per metaphoram sumitur pro feroci. Esther 14.v.13.& 2.Timoth.4.v.17. item pro tyranno. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.36.54

Leones cur pepercerint Danieli in lacum coniecto. Dan.6. v.22. parcunt homini supplici, & si non irritentur. ibid. quibus rebus terreantur. ibid.

Leonides ad Thermopylas Xerxen regem vincit. Iudic.7.v.25

Lepra septem species: est etiam lepra vestium & domorum. Leuit.13

quæ Leprosis obseruanda. ibid. quomodo purificandi. c.14. leprosi cur à Christo ad sacerdotes amandentur. Luc.17.v.14

Lepusculi typus vrbanorum. Prou.30.v.24

Leuare animam capitur pro desiderare. Ierem.22.v.27. leuare manum etiam significat ostendere potentiam & opem. Ezech.20.v.5

Leuca constat 24.stadiis, seu ter mille passibus. Proleg.de Longitud.

Leui idem est qui Matthæus. Luc.5.v.27

Leuiathan seu balenam suscitare quid sit. Iob 3.v.8.& c.40. v.20.&c. ludit in mari. Psal.103.v.26

Leuitæ ad militiam cogi non poterant. Num.1.v.49. loco primogenitorum totius Israelis oblati Deo. c.3.& 4. varia illorum classes & munia. ibid. & Deut.10.v.8. illorum consecratio. Num.8.v.7. quanta diuitiæ. Num.18.v.8. quot ciuitates habuerint proprias, & quid in eas iuris. Ios.21. eorum classes 24.per Dauidem distributæ. 1.Paral.23.v.6.& c.24.v.21. à quo ætatis anno deseruiebant in templo. 1.Paral.23.v.24. è qualibet tribu vxores sumebant. Luc.1.v.36. non habebant portionem hereditariam in terra sancta. Deut.18

Lex naturalis semper & vbique omnes obligat. Gal.3.v.13

Lex Moysis quatenus esset causa peccati. Rom.7.v.7. post mortem Christi non erat ad salutem necessaria. Actor.15.v.1. & Gal.2.v.17.& seqq. eius finis & scopus est Christus. Rom.10.v.4. iusto non est posita. 1.Tim.1.v.8. neminem iustificare potuit. Gal.3.v.21. erat imperfecta. cap.4. v.3. homines ad Christum adducit velut pædagogus. Rom.5. v.20. ipsa peccatum potiùs auxit quàm extinxit. v.21. fuit velut velamen. 2.Cor.4.v.17. erat exemplar cælestium. Hebr.9.v.23.& c.10.v.1. propter transgressiones posita est. Gal.3.v.19. illius pondus fuit graue. Actor.15. v.10. quot eius fuerint præcepta affirmatiua, quot negatiua. ibid. nihilo minus potest portari. ibid. inter illam & promissum Christi quod sit discrimen. Gal.3.v.19. à fide Christi seiuncta vindictam diuinam operatur, non benedictionem. Rom.4.v.15. legis diuinæ encomia. Psal.118. est tota exactè seruanda. Iac.2.v.12. eam Christus non soluit, sed adimpleuit. Matth.5.v.17.& 18

Lex Euangelica vel gratiæ, leuis est præ antiqua. Matt.11. v.30. est lex libertatis. 2.Cor.4.v.17. vocatur lex obedientiæ. Rom.6.v.16. non surrexit nisi iam mortuâ Mosaicâ. c.7.v.4. docet iustitiam quadruplicem. Isaiæ 42.v.1

Lex factorum est Mosaica, lex fidei, Christi: illa nullam dabat gratiam, sed hæc eam dat. Rom.3.v.27. lex charitatis cur vocetur regalis. Iac.2.v.8. lege talionis iniqua patitur qui alii intulit. Ierem.50.v.17. lex Adam, quæ. 2.Reg.7.v.19. lex Persarum quomodo immutabilis. Esther 16.v.9. quam legem Christus abrogarit, quam adhuc seruari velit. Rom.6. v.15

Leges Dei quot nominibus exprimantur. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.14. an obseruatu possibiles. Deut.30.v.11. leges Ecclesiasticas quo fundamento nixi hæretici nolint Scripturis addi. Apoc.22.v.18

Legislator sumitur in Script. interdum pro iudice & vindice. Psal.9.v.21

Libaminum varia sunt genera. Num.15.v.3

Libanus mons qualis fuerit. Cant.4.v.8.14.c.5.v.15.Eccli. 24.v.21. in eo videtur Christus transfiguratus. Matth.17.v.1

Libellus repudij qualiter esset permissus Israelitis. Deut.24. v.1.Matth.19.v.3. vide Repudium.

Liber visus Ezechieli scriptus intus & foris, quid scriptum contineret. Ezech.2.v.9. liber scriptus intus & foris quem vidit Ioannes, quid designet. Apoc.5.v.1. habuit is septem sigilla, quæ vnà cum libro sunt argumentum Apocalypseos. ibid. liber memoriæ Dei quis sit. Malach.3.v.16. liber vitæ idem est qui liber legis. Eccli.24.v.32. capitur quoque pro libro prædestinatorum. Exod.23.v.32. quo sensu Moyses & Paulus se obtulerint Deo vt inde delerentur. ibid. duplex ille liber est. Psal.68.v.29. huic libro dupliciter quis inscribitur, perfectè & imperfectè. Apoc.3.v.5. liber iustorum quis dicatur. 2.Reg.1.v.18. liber verborum dierum regum Iuda. 3.Reg. 15.v.7. liber verborum dierum regum Israel, quis, quo auctore conscriptus. 1.Paral.1.v.1.& 2.Paral.20.v.34

Libri veterum Iudæorum erant conuoluiles. Isaiæ 8.v.1. libri Machabæorum sunt Canonici. 2.Mach.6.v.28. omnes libri legis an aliquando perierint. 4.Reg.22.v.8. libri hæretici & magici flammis tradendi. Actor.19.v.19. libros de Christo scribendos quomodo mundus capere non posset. Ioan.21. v.25. libros & membranas quas ad se in carcerem deferri Paulus Timotheum iubeat. 2.Tim.4.v.13. libros quosnam Christus in die iudicij aperturus sit. Apoc.20.v.12

Liberalis opum vsus laudatur. Eccles.2.v.24.c.3.v.22.c.9. v.7.c.11.v.9.Eccli.30.v.24.&c.c.31.v.3.28

Liberi cur vocarentur animæ. Apoc.18.v.13

Libertas Christianorum non eximit eos à lege Christi, sed Mosaica. 1.Pet.2.v.13.16

Libertinorum synagoga, quæ diceretur. Actor.6.v.9

Liberi arbitrij descriptio. Eccli.15.v.11. *ipsum contra hæreticos stabilitur.* Isaiæ 1.v.18. *liberum arbitrium habet homo ad bona vel mala opera.* Matth.7.v.18. *id cooperari debet cum gratia Dei.* Phil.2.v.13. *id ex se an insufficiens sit ad bona opera exercenda seu tentanda.* 2.Cor.3.v.5

Libidines Gentilium secutæ ex ipsorum idololatria. Rom.1. v.24

Libra argenti, auri, &c. duodecim vnciarum. Proleg.de Ponderibus & Mensuris.

Libya, Lycia, Ligya diuersa sunt prouincia. Iudith 3.v.1

Ligandi potestas Ecclesiæ summisq; Pontificibus concessa in quo consistat. Matth.16.v.19

Ligno dulcorata aqua. Exod.15.v.25. *lignum per quod fit iustitia, quid sit.* Sap.14.v.7. *lignum scientiæ boni & mali, vnde dictum: qualis arbor fuerit.* Gen.2.v.9. *per lignum ad Austrum cadens quid intelligatur.* Eccles.11.v.3. *lignum vitæ an vi sua naturali vitam homini perpetuasset.* Gen. 2.v.9. *an adhuc exstet.* Gen.5. *typus est sapientiæ.* Prou. 3.v.18. *lignum seu arbor frondosa, cur Gentilibus pro ara.* 2.Paral.28.v.4. *lignum pulcherrimum, quodnam vocetur.* 2.Esdr.8.v.15. *lignum quomodo in panem Christi missum dicatur.* Ierem.11.v.19. *lignum vitæ spirituale quod sit.* Apoc.2.v.7

Lilium conuallium quod vocetur. Cant.2.v.1.c.6.v.1

Limbus patrum, idem est cum sinu Abrahæ. Luc.16.v.12. *non omnino inferno vicinus est.* v.26

Linea vestis in qua Gabriel Danieli apparuit, quid designaret. Dan.10.v.5

Lingua bona & mala. Prou.15.& c.18.v.21.c.25.v.20.c. 29.v.20.Eccli.6.v,5.&c.c.23.c.28.v.13.&c. c.37.v.21. *lingua custodia.* Psal.140.v.3.Prou.23.v.1.cap.vlt.v.26.Eccles.5. v.5.Eccli.18.v.15.& 18.c.27.v.7.&c. c.28.v.29.c.32.v.10. *lingua eucharis qua dicatur.* Eccli.6.v.5. *qua acharis.* Eccli.20.v.21. *qua lingua tertia.* Eccli.28.v.16. *est morte & inferno deterior.* v.25. *ipsa nisi refrænetur, indomita fertur.* Iac.1.v.26. *eâ refrænatâ cetera membra facilè refrænantur & actiones.* Iac.3.v.2. *magna seu bona, seu mala exaltat.* v.5. *est vniuersitas malorum.* v.6. *est velut lamina ignita omnia succendens.* ibid. *eam nemo domare potest.* v.8. *est plena veneno.* ibid. *ea non offendens perfectus est vir.* Iac.3.v.2. *lingua vsus non cessabit in cælo.* 1.Cor.13.v.8. *lingua detractoria tria simul vulnera infligit.* Ierem.9.v.8. *lingua ignea dispertita Spiritu sancto adueniente quid denotarent, & quales essent.* Actor.2.v.3.*quomodo super singulos Apostolorũ sederint.*ibid.

Lingua peregrina cur laudes Dei nolit Apostolus cani in Ecclesia. 1.Cor.14.v.14. *linguas varias loquebantur Apostoli, subinde etiam vna loquentes à variarum linguarum auditoribus intelligebantur.* Actor.2.v.4. *idem priuilegium concessum D. Virgini, & aliis in cœnaculo sub aduentum Spiritus sancti præsentibus.* ibid. *linguarum donum erat indicium accepti Spiritus sancti.* Act.19.v.6. *ipsa quomodo in signum sint fidelibus.* 1.Cor. 14.v.22. *lingua angelorum quæ vocentur.* 1.Cor.13.v.1

Lingua maris sumitur pro sinu. Ios.15.v.2. *lingua maris Ægypti quæ dicatur.* Isaiæ 11.v.15

Linum sit patientia melius ac purius. Apoc.19.v.8. *symbolum est diligentiæ, strenuitatis ac nitoris.* Ezech.44.v.17

S.Linus S.Petro in pontificatu successit. 2.Tim.4.v.21

Liptote figura est in Script.frequens. Prolegom.de Idiotismis Hebr.n.8

Lithostrotos qualis locus, & vnde dictus. Ioan.19.v.13

Littera quomodo occidat, spiritus viuificet. 2.Cor.3.v.1

Loammi *dictus tertius Oseæ filius ex fornicaria procreatus.* Oseæ 1.v.9

Lobna quis sit locus. Iosue 12.v.15.& 2.Paral.21.v.10. *ciuitas fuit sacerdotalis vltra Iordanem sita.* Isaiæ 37.v.8.

Loca sacra sunt libera ab omni vsu profano. 2.Machab.1.v.33

Locusta, typus militum est. Prou.30.v.24. & hydropis. Eccles.12.v.5. *cibus erat Orientalibus & Aethiopibus vsitatus.* Marc.1.v.6. *maximè rusticorum: inusitatus tamen Iudæis.* Matth.3.v.4. *dicta quasi loca vstulans.* Ioël 1.v.4. *locustæ quàm monstrosæ prodituræ sint ex puteo abyssi circa finem mundi.* Apoc.9.v.3.Apoc.9.v.3. *an hæ futuri dæmones.* ibid. *earum forma describitur.* v.7.& 8

Log, sextarius Hebræus est. Proleg.de Mensuris.

Λόγος *modò sermonem, modò rationem, modo definitionem significat, cur Vulgatus verterit* verbum. Ioan.1.v.1. *propriè capitur pro Verbo incarnato.* Amos 4.v.13

Longinus an dictus miles qui latus Christi lancea aperuit. Ioan.19.v.34

Longitudo & latitudo templi Salomonici quanta essent. Ezechiel.41.v.12.

Loquendo ab homine facillimè peccatur. Iac.3.v.2. *loqui ad cor, est solari & laudare.* 2.Paral.30.v.22

Lorachuma *cur vocata filia Oseæ ex fornicaria procreata.* Oseæ 1.v.6

Loramentum ligneum quid sit, & quis eius vsus. Eccli.22.v.19

Loth an peccarit offerendo filias suas stupratoribus. Gen.19. v.8. *vxoris Loth peccatum & pœna.* v.26.Sap.10.v.7

quæ Lotio spiritualis requiratur ante sumptionem Eucharistiæ. Ioan.13.v.10

S.Lucas Euangelista post passionem Christi fuit à S.Paulo conuersus.vbi & quando Euangelium scripserit: scripsit item Acta Apostolorum: quas regiones euangelizando peragrarit: quo anno sit martyrio affectus. proœm.in Lucam. *numquam vidit Christum.* Luc.24.v.18. *quando & vbi Paulo adhæserit.* Act.16. v.10. *fidus eius socius fuit.* ibid. *cur subinde ab eo abfuerit.* Actor.20.v.6. *audiens illum Romæ in vincula conjectum, eò recurrit eius solandi gratiâ.* 2.Tim.4.v.11. *ipse est frater, cuius laus est in Euangelio.* 2.Cor.8.v.18. *plurima Pauli gesta scripto non commisit.* Actor.19.v.39. *Lucas medicus idem est cum Euangelista.* Col.4.v.14

Lucerna & lumen significant metaphoricè favorem Dei. Iob 29.v.3. *item omnem prosperitatem.* Psalm.17.v.29.Psal. 131.v.17

Lucifer stella quæ qualisue. Iob 11.v.17. *est idem cum idolo Rephan.* Amos 5.v.26

Luciferi cacodæmonum principis casus describitur in typo casus Baltassaris regis. Isaiæ 14.v.12. *cur aduersetur Iesu Iosedes filio sacerdoti.* Zach.3.v.1. *eius lapsus quæ fuerit causa.* Apoc.12.v.6. *ipse Christum tentauit in deserto.* Matth.4. v.1. *cur vocetur à Ioanne draco magnus & rufus, habens capita septem & decem cornua.* Apoc.12.v.3. *quæ sint illa capita & cornua.* ibid. *quas stellas cauda trahat.* v.4. *quomodo mortuo Christo per angelum ligatus esse dicatur.* Apoc.20. v.1.2.3

Lucifer Calaritanus non fuit Episcopus Sardensis in Asia. Apoc.3.v.1

Lucro quatenus intendere nos Christus prohibeat. Matth. 6.v.24

Lucta nostra cum hac carne durat vsque ad mortem. Rom.7. v.24. *lucta amoris ac misericordiæ diuinæ cum iustitia vindicatiua eiusdem.* Oseæ 11.v.8

Luctus omnis sit moderatus. Eccli.22.v.11.c.38.v.17

Luci idolum quod vocetur. 4.Reg.21.v.7

Ludere, quàm varia significet. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.11. & 2.Reg.2.v.14. *ludere capitur in Script.pro lasciuire.* Tob.3.v.17

Ludouicus Pius Imp. ob hæresin Nicolaitarum toleratam diu pœnas in Purgatorio dedit. Apoc.2.v.6

Lugere super mortuo quando licuerit sacerdotibus. Leu.21.v.1. *summo pontifici numquam,* ibid. *quæ lugendi causæ sint Christianis.* Matth.5.v.5. *lugendi ritus quis.* Gen vlt.& 3.Reg.13.v.30

Lumbi præcincti cuius rei sint symbolum. Luc.12.v.35

Lumen viuentium quod dicatur. Psal.55.v.13. *quod lumen gloriæ.* Iob 36.v.33.Psal.35.v.10. *lumen vultus sumitur pro fauore, lætitia, &c.* Psal.4.v.7

Luna tertia in cælo quomodo sit. Psal.88.v.38. *est signum temporum.* Psal.103.v.19.Eccli.43.v.6. *luna cur à Gentilibus*

tilibus vocetur Diana & Lucina. Actor.19.v.28. cur dicatur cæli regina, eiq; sacrificarent impij Iudæi. Ierem.7.v.18
Lunatici qui dicantur: quis eorum morbus. Matth.4.v.24. Marc.9.v.16
Lunula quale olim ornamentum mulierum. Isaiæ 3.v.18
Lupus vespertinus quis dicatur. Ierem.5.v.6
Lustrationis aqua quæ: vnde conficeretur. Num.19
Lutherus frustra conatus damonem pellere. Actor.19.v.15. quomodo à sui sequacibus fugilletur. 2.Pet.2.v.10
Lutum cur Christus liniuerit super oculos cæci. Ioan.9.v.6
Lux pro maiestate sumitur. Iob 29.v.24. Christus lux est. Ioan.1.v.5.9. luce designantur omnia læta & prospera. Isaiæ 49.v.9.Bar.3.v.14. lux Paulum in via circumfulgens quid denotaret. Actor.9.v.3. ea ipsum excæcauit. v.18. vide Lumen.
Luxum impiorum castigat Deus penuria & sterilitate. Osee 4.v.3.
Lycia generatim sumpta plures alias regiones complectitur. Actor.27.v.5
Lydda ciuitatis elogium. Actor.9.v.32
Lydia purpuraria an fuerit proselyta. Actor.16.v.14
Lysanias tetrarcha Abilinæ qualis esset. Luc.3.v.1
Lysias relictus ab Antiocho Epiphane tutor Antiochi Eupatoris. 1.Mach.3.v.34
Lysimachus rex sitis impatientiâ victus. Iudith 7.v.18
Lysimachus de tribu Beniamin pontificatum impiè ab Antiocho rege sibi auro comparat. 2.Mach.4.v.29. occiditur à tumultuante populo. v.39

MAacha commune nomen primogenitæ regis Gessur. 3.Reg. 15.v.2
Macedonia regum nomina & res gestæ, ab Alexandro Magno, vsque ad Perseum. Chron.c.41. Macedonia erat ampla & populosa. Actor.16.v.12
Macerias depulsa quæ dicatur. Psal.61.v.4. macerias, pro secundinis vel vtero materno. Gen.38.v.29
Machabæi vnde sint dicti. 1.Mach.3.v.3. Idumæos subegerunt. Mich.7.v.10.& 17. insiti fuere familiæ Dauid, etsi essent Leuitæ. Zach.12.v.7. vide Ionathas, Iudas, Simon.
Septem Machabæorum Martyrum quæ fuerint nomina: an fuerint celibes: quæ eorum mater: vnde dicantur Machabæi: quando passi: quis iis honor habitus: vbi eorum corpora quiescant: quomodo excruciati sint. 2.Mach 7.v.1.& seqq.
è libris Machabæorum quatuor, duo sunt tantùm Canonici: quod eorum argumentum: quis eorum ordo habita ratione temporis: ex iis Ecclesia multa in officio sacro est mutuata, & à quo tempore id fecerit: citantur ex his libris res & verba etiam in aliis libris sacris: vtriusque libri diuersus est auctor, diuersa vterque supputandi ratione vtitur, at, qui fuerint incertum: vnde Machabæorum vocentur. proœm.in lib.Machab.
Macula sumitur pro defectu seu vitio. Exod.12.v.5.Leuit. 22.v.21. item pro rebus. Iob 18.v.8
Madianitæ Israelitas fornicari fecerunt. Num.25.v.1. ideo iubentur stirpitus exscindi. c.31.v.1
Magedan oppidum, aliud est à Magdalo, & Mageddo. Matth. 15.v.39
Magi Chaldæi sunt sapientes & astrologi: sed postea ea vox in malam partem accepta, quare. Matth.2.v.1
Magi Christum in stabulo adorantes vnde venerint. Matth. 2.v.1. fuere tres, & reges, & vnus eorum Aethiops vel Arabs. ibid. vnde ex stella potuerint agnoscere natum Christum. v.2. vnde sciuerunt hanc quam videbant, esse illam stellam. ibid. Christum adorarunt in stabulo, v.11. qualia, & cur talia ei offerant munera. ibid.
Magi Pharaonis, qui: & an vera miracula ediderint. Exod.8.v.19. magos consulere vetitum, eos consulens occidatur. Leu.20
Magia in vsu fuit Ephesi. Actor.19.v.19. qui eius primi auctores. Sap.12.v.4
Magister vnus quomodo sit Christus. Matth.23.v.8.
magistri prurientes auribus qui sint. 2.Tim.4.v.3
Magisterium aliorum quod, & cur fugiendum sit. Iac.3.v.1. quæ inde mala consequantur. ibid.
Magistratui non detrahendum. Iob 34.v.18. magistratibus tollit prudentiam & consilium Deus, cùm remp. aliquam euertere vult. v.30. sunt tamen vicarij Dei. Ioan.10.v.35. magistratus exercitus, idem est quod principes. 1.Paral.25. v.1. magistratus templi erant præfecti militiæ templo custodiendo deputata, & alij. Luc.22.v.52
Magnificare salutes, pro magnam afferre salutem. Psal.17. v.vlt.
Magnus dies Iezrahel mysticè quis sit. Osee 1.v.11
Magog ad litteram sunt subdita Antiocho gentes, Scythæ, Tartari & alij Asiatici: allegoricè gentes subditæ Antichristo. Ezech.38.v.1
Mahanaim nunc pro castris, nunc pro vrbe sumitur. 2.Reg. 17.v.24
Mahometus fuit Cedarenus. Ierem.49.v.28
Maiestas principis qualiter ostendatur. Iob 29.v.7
Mala & mali quomodo Deo seruiant. Ierem.25.v.9. malum malo non est repellendum. Matth.5.v.39. mala quæ deprecari nos oporteat. Matth.6.v.13. nihil malorum homini contingit, nisi Deo volente & sciente. Thren.3.v.34.39
Malaca an sit Ophir & aurea Chersonesus. 2.Paral.8.v.18
Malach tam angelum propriè dictum, quàm nuntium & legatum significat. Agg.1.v.13
Malachias Propheta non fuit naturâ angelus, sed moribus & officio: vbi natus & mortuus: non est idem qui Esdras: eius prophetiæ argumentum: præsedit Concilio collecto pro Canone librorum sacrorum vnà cum aliis. proœm.in Malach.
Maledicere sumitur interdum pro malè ominari. Iob 5.v.3. maledicere natali suo, & aliis rebus, an liceat. Iob 3.v.1.& 8
Maledictum quomodo & quare censeatur omne suspensus. Deut.21.v.23. maledicta quæ pronuntiet Moses in transgressores legis diuinæ. Deut.28
Malefici sunt præstigiatores, diuini & aruspices. Dan.2.v.2
Malleoli sunt manipuli sparti pice oblati in hostes iaci soliti. Dan.3.v.46
Malogranata columnarum Salomonis quomodo essent dispositæ & quot. 2.Paral.4.v.13
Malus arbor quare sit amoris hieroglyphicum. Cant.2.v.3
Mala aurea olim in thoros discumbentium iaci solita. Prou. 25.v.11
Mambre conuallis, quæ & vbi. Genes.13.v.18.& vbi. c.23.v.4
Mammon significat diuitias & Punica lingua lucrum. Matth.6.v.24
Manahen Herodis Antipæ collactaneus genere & vitæ sanctitate nobilis fuit. Actor.13.v.1
Manasses rex Iudæ pœnitentia, & pietas. Iudith 4.v.5. an publico deinceps abstinuerit. ibid. eiusdem scelera. 4.Reg. 21.v.10
Manasses maritus Iudith quis, quando defunctus. c.8.v. 2.&.3
Mancipiorum etiam cura dominis habenda. Eccli.33.v.26. mancipia Iudæis non sint Christiani. 1.Cor.7. v.23
Mandata Dei grauia non sunt. 1.Ioan.5.v.3. eorum obseruatio an sit euidens signum quòd diligamus Deum. 1.Ioan. 2.v.3. eorum obseruatio facit magnanimos. 2.Paral.17.v.6. quæ mandata hominum Christus reprehendat. Matth.15. v.9
Mandragoræ poma describuntur: eorum vires: cur ea Rachel à sorore petat. Gen.30.v.14.Cant.7.v.11
Manè consurgere diligentiæ signum. Ierem.11.v.7. De manè vsque ad vesperam, id est, continuò. Iob 4.v.20. Eccles.11.v.6

Mane, tekel, phares *quare non potuerint legere vel exponere sapientes Chaldæi.* Dan.5.v.8. *quid ea verba significent.* v.25.

Manes Manichæorum auctor finxit, Christi corpus tantùm phantasticum fuisse. Col.2.v.9

Manipulus spicarum postridie Paschæ offerendus erat Deo. Leuit.23.

Manna Hebræorum describitur, eiusq; miracula. Exod. 16.v. 14. & *Christianorum.* ibid. & Psal. 67.v.10 Psal.110.v. 4.Sap. 16. v. 30.&c.c.19.v.20. *cur vocetur esca spiritalis.* 1.Cor.10.v.3. Manna *capitur interdum pro mincha.* Bar.1.v.10.

Mansiones 42. *Hebræorum in deserto cum Moyse.* Chron.c. 19. & Num. 33. *diuersæ mansiones in domo Patris cælestis diuersam meritorum mercedem denotant.* Ioan.14.v.2

Mansuetudinis laus. Eccli.3.v.19.c.10.v.31

Manubias hostium Deo dicare solebant olim victores. Zach. 14.v.20

Manum aridam qui allegoricè & tropologicè habeant. Marc. 3.v.4. manus Domini *capitur symbolicè pro prophetia & oraculo.* Ierem.15.v.17. *manus scribentis in pariete in conuiuio Baltassaris regis Chaldæorum non fuit hominis, sed ei similis formata ex aëre condensato.* Dan.5.v.5. *manum quare Ananias Paulo imposuit.* Actor.9.v.17. *in manus Domini incidere quid sit.* 1. Paral. 21.v.13. manus in manu, *quid* Prou.11.v.21. *quid* manus ad manum. Prou. 16.v. 5. *manus lauare inter iustos quidnam sit.* Psal. 25. v.6. per manum Dei, *id est, Deo iuuante.* Iob 27. v. 11. *manum leuare, idem est quod iurare.* Proleg.de Idiotismis Hebr.n. 13.& 2.Esd.9.v.15. *manus, pro latere, vel littore.* Proleg.de Idiotismis Hebr.n. 36. & Eccli. 14.v.25. *manuum eleuatio inter orandum grata Deo, exemplo Moysis, Comneni, P. Barreira, &c.* Exod. 17.v.11. *manuum impositio super victima, quid denotet.* Exod. 29.v.10. *quid super sacerdote consecrando.* Num. 27.v.18. *manus sumitur pro titulo & mausolæo.* 2.Reg. 18. v.18. *manus implere idem quod sacerdotio inaugurare.* 3.Reg.13.v.33. *manus osculatio signum erat adorationis.* 3. Reg.19.v.18.& Iob 31.v.27.& Ezech.8.v.17. *manuum coniunctio inter orandum quid sibi velit.* 3. Reg.20.v.32. manum soluere, *est totis viribus agere.* Iob.6.v.9. in manibus animam portare, *est vitam periculo exponere.* Iob 13. v. 14. Psal. 118. v. 109. *manum percutere, signum est stupentis, dolentis, indignantis.* Ezech. 6.v.11. *manum mittere in aliquem, est punire.* 2.Esd. 13. v.21. *manus imponere, idem est quod ordinare.* Actor.14.v.22. *in manibus ponere, quid sit.* Esther 14.v.4

Maoz, id est fortitudo, solet in Scripturis vocari Deus. Dan. 11.v.38. *Maoz erit Deus Antichristi.* Nahum.1.v.7.Dan. 11.v.38

per Mappam malefactam quomodo torqueantur rei. 4. Reg. 8.v.15

Maranatha vox Hebræo-Syriaca quid sonet. 2. Cor.16.v.22

Marasmus quod genus morbi. Iob.19.v.20

Marauedis, 34. pars regalis Hispanici. Prolegom.de Ponderibus.

Marcus Euangelista alius est à Ioanne Marco: adhæsit semper S. Petro, à quo conuersus post Christi mortem: Euangelium scripsit latinè Romæ. quando: ipse idem græcè conuertit: præfuit Ecclesiæ Alexandrinæ: martyrio afficitur ibidem. proœm. in Marcum. *fuit Romæ dum S. Petrus suam primam ibi epistolam scriberet.* 1.Petr.5.v.13.

Mardocheus patruus Esthêræ, cum Esdra redit Babylone in Iudæam, sed pòst reuertitur in Persidem. Esd.2.v.2. *fuit è regio Saulis sanguine, & inter primos aulæ Darij.* Esther 2. v.5. *prodit insidiatores regi.* v.21. & *hæc causa odij Amanis in ipsum.* ibid. *luctus Mardochæi.* c.4.v.1. *exaltatio.* c.6.v.8. & seqq.c.8.9

Mare post iudicium vniuersale prorsus mutabitur. Apoc.21. v.1. *ei quomodo terra superemineat.* Psal.23.v.2. *in maris fundo an herbæ, an siluæ reperiantur.* Sap.19.v.7. *eius qua facta commotio veniente Christo in orbem.* Agg.2.v.7. *mare sanguineum futurum sub tempora Antichristi: quamdiu rubedo illa durabit, fideles tamen non morientur per hanc plagam.* Apoc.8.v.8. & c.16.v.3. *mare, aliquando pro Occidente, aliquando pro Australi plaga in Script. sumitur.* Proleg.de Idiotis. Hebr.n.22. *mare mortuum quod dicatur.* Gen. 19.v. 26. *aliàs salsissimum.* Num. 34.v.3. *pisces non alit viuos.* Ezech.47.v.8. *mare rubrum, vnde sic dictum, quanto spatio transierint illud Israelitæ: quot hauserit Ægyptios.* Exod. 14.v.22. & 24. Psal.73.v.13. *vocatur lingua maris Ægyptii.* Isaiæ 11. v.15. *figura fuit maris cælestis, quod Sancti post hanc vitam ingrediuntur.* Apoc.15.v.2. *mare Tiberiadis.* Num. 34.v.3. *idem dicitur Genezareth Galilææ, ibid.* Matt.4.v.42. *non est propriè mare.* Matth.4.v.12. *quod sit frenum maris.* Psal. 103.v.7. *quæ maris vulua* Iob 38.v.8. *quinam eius vectes.* v.10. *mare Orientale & nouissimum quid Iudæis diceretur.* Ezech.47.v.18.Ioel 2.v.20

Maresa ciuitas, dicta postea Eleuthropolis. 2.Paral.14.v.9.

S. Maria Virginis Deipara stirps. Chron.c.46. in fin. mors. c.vlt. *anno Claudii* 12. *fuit donata omnis generis gratia supra omnes Sanctos: hinc præ omnibus placuit Deo.* Luc.1.v. 28. *quomodo dubitet de Christi incarnatione in se peragenda.* v.34. *votum virginitatis an ante desponsationem Ioseph consentiente, emiserit.* ibid. *eius primaria delicia fuit ipse Deus.* v.47. *eius humilitas.* v.48. *hinc vbique terrarum inter Catholicos colitur.* ibid. *quamdiu apud cognatam Elisabetham manserit.* v.56. *quomodo filium suum pepererit.* c. 2.v.7. *cur purgari voluerit, & quidem vt paupercula.* v. 22. *eius animam quomodo gladius doloris pertransierit.* v.34. *vera est ingrius.* Zach. 1.v.8. *fuit solium gloriæ Dei à principio.* Ierem. 17.v.12. *numquam peccatum originale contraxit, quia cùm anima corpori infunderetur, gratia sanctificante donata fuit.* Rom. 5.v.12. *fuit vnica proles parentibus suis.* Matth.1.v.16. *fuit vera coniux Ioseph.* v. 18. *quare non indicarit ei arcanum incarnationis.* ibid. *vinum sponsis petens, charitatem suam ostendit, nec reprehendi meruit: cur tamen à filio visa reprehendi:* Ioan. 2. v.4. 5. *forti constantiq; animo stabat iuxta crucem filii.* cap 19 v. 25. *Ioanni Apostolo fuit commissa, inq; eius deinceps familia* v.26.27. *cur ei adaptetur Euangelium de Martha Christum hospitio excipiente.* Luc.10.v.42. *eius virginitas ante & post conceptionem Christi asseritur in voce* Hahalmah. Isaiæ 7. v.14. Ezech. 44.v.3. *mansit virgo etiam post partum.* Matth.1.v.25

Maria Magdalene quomodo dicatur fuisse peccatrix. Luc. 7.v.37. *an eadem soror Marthæ, è qua septem Christus dæmonia eiecit.* ibid.& c.8.v.2. *an fuerit Galilæa, an Iudæa.* c.7.v.37. *eius fides, deuotio, lacrymæ, discretio & feruor.* v. 38. *ob dilectionem, peccatorum remissionem est consecuta.* v. 47. *eius feruidus amor.* Luc.24.v.10. *cur Christum viuum liquore vnguenti perfuderit.* Matth. 26. v. 7. 12. *cur Christus tam resuscitatus vetuerit se ab ea tangi.* Ioan.20.v.17. *quibuscum & quando in Galliam appulerit.* Actor.13.v.1

Maria soror Moysis prophetissa fuit: an etiam virgo. Exod. 15.v.20. *contra fratrem murmurans lepra punitur.* Num. 12. *moritur.* c.20.v.1

Marinus color quis propriè dicatur. Ezech.v.16

Mariti tolerant vitia suarum vxorum. Ephes.5.v.27. *tales etiam diligant.* v.28. *Darius rex mariti parere iubet vxores.* Esther 1.v.22

Marnium idolium Gazensium quando in vsum Christianorum cesserit. Zach.9.v.5

Martyres in tormentis gaudebant. Ierem.20.v.14. *eorum multi in flammis intacti fuerunt.* Isaiæ 43. v.2. *eorum corpora sepeliebantur sub altaribus.* Apoc.6.v.9. *olim in carcere vincti supplicabant Episcopis, pro pœna lapsis pœnitentibus remittenda.* 2. Cor. 2.v.10. *Martyres Smyrnæi primi qui.* Apoc.2.v.10.

Martyrium fidelium, non potest dici propriè dictum sacrificium.

cium. Dan.3.v.40

Martyricidia priscorum Romanorum in posteris imitatoribus scelerum punientur. Apoc.18.v.20

Massa hebr. significat onus, id est prophetiam onerosam. Thren.2.v.14

Mathan fuit auus tam B. Virginis quàm Ioseph. Matth.1. v.16. Chron.c.46

Mathathias quid propriè sonet, vnde dictus cum suis Assamonai: fuit è prima classe sacerdotali Ioarib, & summus sacerdos, & quidem iure successionis: eius modestia in pontificatu vsurpando: eius Zelus pro patrijs legibus. 1.Mach.2.v.1.& 27. Iudæum idolo immolantem in ipsa ara obtruncat. v.23. permisit Iudæis, vt aduersus inuasores sabbatho se defenderent. v.29. an ficta morte defunctus. v.70. eius sepulcrum honorificum in suburbio Modin. ibid.

Matris-familias officium. Tob.10.v.vlt.

Matres comederunt filios in obsidione Ierosolymitana, vti & factum postea in Gallia. Thren.2.v.20

Matrimonium non præcepit Deus. Gen.1.v.28. est id magnum Sacramentum in Christo & in Ecclesia. Ephes. 5.v.39. est signum coniunctionis Christi cum Ecclesia. ibid. item eius coniunctionis cum humana carne. Matth.19.v.8. est constitutum à Deo indissolubile. v.4. 6. & vnius cum vna, & cur. v.8. cur Ecclesia irritet matrimonium fidelis cum infideli, non cum hæretico, sed hoc tantùm prohibeat sub peccato mortali in quibusdam locis. 1.Cor.7.v.39. matrimonium infidelium an dirimatur, altero habitare volente sine contumelia Dei. v.12.& 15. matrimonia clandestina an Iudæis inhibita. Ruth 3.v.10

S. Matthæus primus omnium Euangelium scripsit, sermone Syriaco, & quando: illud ad Indos secum detulit S. Bartholomæus, & in Græciam S. Barnabas: Hebraicum eius autographum intercidit; Syriacum nunc exstans, S. Matthæi sæculo posterius est. proœm. in Matth. Iudæus cùm esset, operam suam Romanis in tributis colligendis elocabat. Matth. 9.v.9. ipsius in se detegendo humilitas. Luc. 5.v.27. in Aethiopiam abiens Abyssinos ad fidem conuertit. Isaiæ 18.v.7

S. Matthias Apostolus occisus anno 10. Neronis. Chron.c. vlt. eius elogium. Actor. 1. v.23. quomodo sors ceciderit super eum pro Barsaba. v.26.

Matutinum tempus orationi commodissimum. Sap.16 v.28

Mecha vrbs est in Arabia Petræa Mahometi sepulcro nobilis. Isaiæ 15.v.1.

Medena prouincia est regnum Medorum. 1.Esdr.6.v.2

Media reges ab exciso Sardanapalo, vsque ad Cyrum. Chron. 6.33.

Mediator primarius vnus est Christus. 1.Tim. 2.v.5

Medi erant Babyloni ad Aquilonem. Ierem.50.v.3. per camelum repræsentatur, & cur. Isaiæ 21.v.7

Medicamina sumitur aliquando pro veneficijs. Sap.12.v.4

Medici & medecina commendatio. Eccli. 38.v.1. &c.

Medimnus continet modios Rom.6. seu libras 160. Proleg. de Mensuris.

in Medio esse Hebraïs idem sonat, quod esse de numero illorum. Ezech.19.v.7

Meditatio significat aliquando occupationem animi. Psal.38.v.4

Mel comestum lancinat stomachum. Apoc.10.v.10. mel ne nimium sumatur. Prou. 24. v.13.& 25.v.16. illud quare à sacrificijs reiectum. Leuit.2.v.1. mel siluestre quod edit Ioannes, quale fuerit, & vnde colligatur. Marc.1.v.6

Melancholia laborant plus æquo studiosi. Actor.26.v.24. eius mala. Iob 5.v.2

Melchisedech quis, qualis; an virgo semper; an sacerdos. Genes.14. typus est Christi. Hebr. 7.v.1.& seqq. non caruit parentibus, non fuit Spiritus sanctus, nec Sem. v.3. præcelluit sacerdotibus Aaronicis. v.4.& seqq. sed in hostia ius cessit. v.28

Melech, Moloch, Melcam idem est nomen idoli. Leu.18.v.21

Melchom quis qualisve rex aut Deus. 1.Paral.20.v.2. Ieremi.49.v.1. Amos 1.v.15.c.5.v.26. Melchom corona pendebat talentum auri. 1.Paralip.20.v.2

Melita insula opposita Siciliæ elogium. Actor.28.v.1. eius incolæ quam à S.Paulo receperint gratiam pro exigua humanitate in eum exhibita. ibid. ante Pauli aduentum Melita venenis obnoxia fuit. v.3. olim regebatur à prætore Siciliæ. v.7

S. Melito an fuerit Episcopus Sardensis, cui S.Ioannes in Apocalypsi scribit. Apoc.3.v.1

Melius vnum dicitur altero, etiam cùm vtrumque est malum. Luc. 18.v.14

Mello, eiusq; vorago iuxta Ierusalem 3.Reg.9.v.24.& c. 11.v.27

Melothi vrbs, aliàs Melita. Iudith 2.v.13

Memphis vrbs Ægypti, olim regum sedes, nunc Arabum lingua vocatur Cair: eius magnitudo. Ezech. 30.v.13. erat ex vrbibus primarijs Ægypti Ierem.2.v.16

Menazeah titulus psalmorum plurium, q.d. Præposito. 2.Paral.2.v.2

Mendacium omne cauendum. Eccli.4. v.24.30.c.7.v. 13. mendacium an semper mortale. Sap.1.v.11. mendacia sunt velut paleæ euanidæ. Ierem.28.v.28. sacrilegum mendacium Ananiæ & Saphiræ. Actor.5.v.2

Mendicus an nullus fuerit inter Iudæos. Deut.15.v.4. mendici cur ante templorum ianuas collocentur. Actor.3.v.2.

Menelaus de tribu Beniamin pecuniâ sibi ab Antiocho rege pontificatum emit. 2.Mach.4.v.23.50

Mens secura est iuge conuiuium. Prou.15.v.15

Mensæ in interiori cuiusq; portæ atrii sacerdotalis collocatæ erant, vt in iis victimæ iugularentur. Ezech.40.v.39. ipsæ describuntur. ibid.& seqq. mensa Domini quæ vocetur. Psal.22.v.5. mensa propositionis in templo Salomonis dena. 3. Reg. 6.& 2. Paral.13.v.11. post non nisi vna tempore Roboam. ibid.

Menses sæpè diuersa nomina sortiuntur apud eosdem populos. 2.Mach.11.v.21. menses qui ciuiles, qui naturales; qui lunares, qui solares; qui Hebræi, qui Syriaci, qui Chaldæi & Ægyptij, qui Attici, qui Macedonici, qui Arabici & Turcici, qui Romani, &c. & quæ nomina singulorum: quot singuli dierum, quinam intercalares seu ἐμβολιμαῖοι. Chron. c 4. mensis septimi Tisri die 15. festum Scenopegia celebrabatur. Num.29.& 1.Esdr.3.v.1 & 4

Menstruatæ sacrificiorum victimis arcebantur apud Hebræos. Bar. 6. v.28. earum purificatio. Leuit. 15. v. 9. qui ad menstruatam accesserit, occidatur. Ieuit.20.v.18

Mensura seu scelerum, seu vindictæ, præfixa cuique est. Gen. 15.v.16. Psal.74. v.9. mensura hominis quomodo metiri dicatur ciuitas cælestis. Apoc. 21.v.17. omnium mensurarum vasa apud Hebræos adseruabantur in templo Ierosolymit. 1. Paral.23.v.29

Mensurabile sumitur pro breui. Psal.38.v.6

Mentiri, significat sæpè in sacris Litteris subiici. Psal. 17. v.46 Psal.65.v.3. quis mentiri non potest, etsi potentia mentiendi in eo semper maneat. Rom.3.v.4

Mercatores quare Christus templo eiecerit. Matth.21.v.12. & quidem bis. ibid.

Mercurius cur à Gentibus habitus deus: vnde dictus quibus natus parentibus. Actor.14.v.11. per Mercurii aeruum quid intelligatur. Prou.26.v.8

Meretrices an nullæ apud Israelitas. Deut.23.v.17. meretrices sirenes sunt, cantu suo amasios detinentes. Mich.1.v.8. earum quanta copia Corinthi fuerit. 1. Cor. 6.v.20. meretricibus publicis nomen inscribebatur, etiam in ipsarum fronte. Apoc.17.v.5

Meretricium sumitur pro idololatria. Proleg. de Idiotismis Hebr.n.40.v.54. vide Fornicatio, Idololatria. exercebatur id in honorem idolorum. Deut.23.v.17

Meretricia vnguenta quare dicantur. 2.Paral.16.v 14

Mergulus inter aues immundas recensetur. Leuit.11

Meridianum dæmonium quod dicatur. Psal.90.v.6

Μεεμνᾶν quid propriè significet. Matth.6.v.24

Merita bonorum operum adstruuntur. 2.Paral.19.v.2. Eccli.16.v.15.Luce 17.v.19. merita naturæ cuiusq, non respicit Deus in donis & gratiis suis homini dandis. Matth.25. v.15. meritorum omnium præmia non sunt æqualia. Matth. 20.v.12.Luce 8. v.3.merita deperdita reuiuiscunt per pœnitentiam,etiam in præsenti vita,etiam per actus pœnitentiæ remissores.Ioël.2.v.15. ea post mortem cessant. Matth.25.v.8

Merodach Baladan quando in Babylone regnarit. Chronic.c.34 & 4.Reg.20.v.12.& c.25.v.27

Mesopotamiæ nomen latè in Scriptura extenditur. Actor. 7.v.2

Messias est doctor Doctorum. Ioël 2.v.23. est electus ex & pra omnibus: ad eum omnes gentes anhelarunt. Agg.2. v.7. est propriè ille venturus in orbem. Matth.11.v.3. est filius Dei. Matth.26.v. 63.64. & simul Deus. Matth. 22.v.43. dictus est futurus non re tantùm, sed & nomine Iosue seu Iesus, & mundi totius redemptor. Habac.3.v.17. eris simul rex, pontifex & redemptor. Zach.6.v.11.12.& 13. eum putabant Iudæi ad instar Melchisedech repentè in mũdo compariturum. Ioan.7.v.27. eius tempore non erunt animalia immunda. Actor. 10.v.14. eius aduentum exoptat Isaias. Isaiæ 16.v.1. eum iam dudum venisse comprobatur. Agg.2. v.7. eius regnum durabit in æternum, & quibus è lapidibus sit construendum. Amos 9.v.9. sub aduentum illius plures in Iudæa fuere seditiosi. Actor.5.v.36. vide Christus, Iesus.

Metallorum plurimorum sunt occultæ virtutes. Sap.7.v.21

Metaphoræ variæ in Scriptura occurrunt. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.36.37.38

Metonymia frequens in Scripturis. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.29

Metreta, constat libris 30. est idem quod ephi,quod batus, quod amphora Romana, &c. Proleg.de Mensuris.

Michæas Propheta tempore Achab. 2.Paral.18.v.27.& 3. Reg.vlt.v.15.&c.

Michæas alius Propheta vnde oriundus, quo tempore vixerit: Isaiæ quoad spiritum & stylum similis est: quod eius argumentum: gladio cæsus Martyr occubuit: eius corpus quando & vbi repertum: sunt duo Michææ Prophetæ. proœm.in Mich.

Michael Archangelus fuit præses & princeps Synagogæ Iudaicæ. Ios. 5.v.13. Zach.1.v.8.c.3.v.1. & nunc est Rom.Ecclesia. Zach.1.v.8.c.3.v.1. ei videtur delegatum immediatè iudicium singularum animarum. c.3.v.1. defendit Iesum pontificem. v.2. an tuba sono sit mortuos resuscitaturus. 1.Thess. 4.v.15. an sit princeps omnium angelorum, an verò solùm primus tertiæ hierarchiæ. Dan.10.v.13. in fine seculi præliabitur contra Antichristum, eumq, occidet iussu Christi. cap. 12.v.1. cur nollet Moysen in terra promissa publicè sepeliri. Iudæ v.9

Michaia eadem quæ Maacha, Absalomi filia est. 2.Paral. 13.v.2

Michæ idolum fuit à Danitis surreptum. Iudic.17.& 18

Miletus vrbs est Ioniæ lanificio nobilis. Actor.10.v.17

Milites olim stigmate signabantur. Apoc. 13.v.18. animalium exuuias humeris & capiti adaptabant ad terrorem hostium, & virium ostentationem. Ezech.1.v.6.

Militia cæli sunt astra. 2. Paral. 33.v.3. vide Exercitus cæli.militia Hebraica ratio sub Dauide rege quæ fuerit. 1. Paral.27.v.1

Mille anni quibus satan ligatus est, sunt totum tempus regni Christi. Apoc.20.v.2.4

Millenariorum vel Chiliastarum quis fuerit error. Apoc. 20.v.1

Milliare Italicum, constat mille passibus, est tertia pars leucæ. Proleg. de Longitud.

Mimesis figura in Script. frequens est. Proleg. de Idiotismis Hebr.n.55.

Minæ diuinæ semper conditionales sunt, si nempe minarum cesset occasio Ion.1.v3

Mina, vel mna, Attica 25.sicli, Hebræa 50. sicli;argenteæ, argentiæ aureæ auri, Proleg.de Ponderib. minæ regia & sacra superabat vna quinta parte vulgarem minam Hebræam. Ezech 45 v.12.

Minare verbum pastorum est. Exod.3.v.1.& Nahum 2.v.7.

Mincha, sacrificii genus triplex erat. Leuit.2.v.1. ipsum erat typus sacrificii Eucharistici. Malach.1.v.11

Ministerium prædicationis honorificare quid sit. Rom.11. v.13

Ministri Ecclesiastici debent à Spiritu sancto vocari, & mitti à Prælatis Ecclesiæ. Actor.13.v.1

Minium ceruſſæ mixtum carnis humanæ roseum colorem refert. Ezech.23.v.14. vide Rubrica.

Minos in Creta quando regnarit. Iud.3.v.31

Minutum,quod genus monetæ. Marc.12.v.42

ad Miraculum requiruntur potentia in patrante, & passa patiente; cùm alterutrum deest, ipsum nequit fieri. Marc.6. v.5. miracula veritatem confirmant, ad quam probandam patrantur. Matth. 9. v.5. ea non edunt omnes credentes in Christum. Marc. 16.v.17.cur illa aliquando Deus ad tempus differat. Ioan.2.v.4.miracula Antichristi erunt ficta & præstigiæ diabolicæ. 2.Thess.2.v.9.& 10.& Apoc.13.v.15. miracula quæ contigerint in Iona in ventre ceti detentione. Ioan 2.v.1.

Miseria huius vitæ multiplices sunt. Iac.4.v.9

Misericordia, quomodo sit nobilior & melior sacrificio. Oseæ 6.v.6. & omni pietate externa. Luc.10.v.31.& 37. misericordia Dei quàm sit immensa. Isaiæ 55. v.8. misericordia superexaltat iudicium. Iac.2.v.13. misericordia & veritas,quid sit.Gen.24.v.27. item Psalm. 24.v.10.& Psalm. 84.v.11.Psal.100.v.1. designant omnes virtutes.Prou.3.v.3

Misphat quale tribunal Iudæis esset. Matth.5.v.21

Missa verum est sacrificium. Hebr.7.v.27. cur ipsum totus offeratur. ibid.c.9.v.23. ipsum quoque est oratio. Actor. 6.v.4. illud tollet Antichristus,& cur. Dan.12.v.11. applicat nobis omne pretium morte & sanguine Christi comparatum. Hebr.10 v.18

Mithridates rex Ponti fuit à Pompeio superatus.Iudic.7.v.21

Mites quomodo possideant terram. Matth 5.v.4

Mitra muliebris idem est quod calantica & tegmen capitis. Bar.5.v.2. Iudith.10.v.3

Mitti quomodo dicatur aliqua persona diuina. Ioan.15 v.26

Mna quota pars sit talenti.Luc.28.v.13. vide Mina.

Mnasonem cur deducant discipuli Cæsarea Ierosolymam apud eum hospitarentur. Actor.21.v16

Moab, filius Loth ex filia. Gen.19.v37

Moab regio est pars Arabiæ Petræa. Isaiæ 15.v.1 quando sit à Nabuchodonosore excisa. cap.16.v.14

Moabitæ quare dicantur noctis filij. Isaiæ 15.v.1. pœna subacti sunt à Machabæis. Soph.2.v.8. iis decernitur excidium, quia in regem Edom exercuerunt crudelitatem, eius mortuos cremantes. Amos 2.v.1. à Chaldæis excisi, iterum sub Cyro sunt restituti terræ suæ. Ierem.48.v.47. quando sint ad fidem Christi conuersi. Isaiæ 11.v.11

Modestia morum comes sapientiæ est. Eccles.8.v1. quàm pulchra sit. Cant.7.v.6. modestia in omnibus seruanda. Eccli.11

Modicum quo Christus videndus,& modicum quo non videndus, quod denotet tempus. Ioan.16.v.16.22. modica non spernenda. Eccles.9.v.17.c.10.v.1

Modimperator in conuiuiis quare olim crearetur. Eccli. 32.v.1

Modiolus in rotis quid sit. Ezech 1 v.16

Moysis natiuitas & res gesta ante egressum Israelitarum ex Aegypto. Chron.cap.17. post egressum.cap 19. Moyses quid significet. Exod.2.v.10. adoptatur à filia regis Pharaonis. Exod.2.v.10. omnibus disciplinis instruitur. ibid. quo iure occiderit Aegyptium. Exod.2.v.11. alia eius gesta cap. seqq.eius facies cornuta. Exod.34.v.29. quale eius peccatum ad aquas contradictionis. Num.20.v.12. non ita

sed duas tantùm quadrageſimas ieiunus exegit. Exodi vlt.& Deut.9.v.25. eius canticum. Deut. cap.32. moriens benedicit 12. tribubus. c.33. eius mors. cap.34. ſepultura. ibid. locus ſepulturæ eius ignotus. ibid. cur S. Michael eum nollet in terra promiſſa ſepeliri. Iudæ v.9. encomia eius. Sap.10.v.16.Eccli.45.v.1. eius filij tantùm ſimplices Leuitæ erant. 1.Paral.23.v.14. eius recèns nati elegantia. Hebr. 11.v.23. præſciuit Chriſtum opprobria paſſurum. v.26. non ſpectat ad Chriſtianos. Actor.15.v.21

Moyſes & Elias cur in transfiguratione Chriſti appareant. Matth.17.v.3. an in propriis apparuerint corporibus. ibid. vnde eos Apoſtoli agnouerint. ibid. an in fine ſæculi venturi ſimul contra Antichriſtum. Apoc.11.v.3

Mola aſinaria quæ dicatur. Matth.18.v.6. molæ truſatiles erant in vſu tota Aſia & Africa. Ierem.25.v.10. mola ſignificat dentem vel lapidem molarem. Iob 29.v.17.& Pſalm. 57.v.7. molæ erant quoque in carceribus. Exod.11.v.5

Molles qui dicantur in ſpecie libidinis. 1.Cor.6.v.10

Moloch an Saturnus filiorum occiſor: quale idolum: & quàm ſanguinarium. Leu.18.v.21.& 3.Reg.3.v.27.& cap.11.v.5. & 4 Reg.23.v.10.Ierem.19.v.5. vide Melech.

Momentum ſtateræ, quod vocetur. Sap.11.v.23.Iſaiæ 40. v.25

Monachis & ſacerdotibus non licent nuptiæ. 1.Cor.7. v.2.7.& 9

Monarchia prima quomodo fuerit aurea, ſecunda argentea, tertiaærea, quarta lutea & ferrea. Dan.2.v.38.& ſeqq. monarchiæ quatuor, per quatuor equos diuerſicolores Zachariæ viſos denotantur. Zach.6.v.5.6.& 8. omnes euerſæ ſunt à potentiore. Dan.7.v.12.& Chron.4.33.34.36. 39.43

Monaſteria in Aegypto frequentiſſima fuerunt. Iſaiæ 19.v.21

Monogamicum fuit initio matrimonium. Matt.19.v.4.& 6. eſt tale ex iure naturæ. v.6. vide Matrimonium.

Mons Oliueti quando in duas partes ſciſſus ſit. Zach.14. v.4. mons Sion quomodo dicatur ſanctus. Pſal.3.v.5. & tempore Meſſiæ ſanctus futurus. Abd.17. eum tunc attollendum cenſent Iudæi. Iſaiæ 2.v.2. montes Bether quinam ſint. Cant.2.v.vlt. qui aromatum. Cant.8.v.vlt. mons myrrhæ quis vocetur. cap.4.v.6. montes transfert fides. Matth. 17.v.19. montes metonymicè incolas montium, ſymbolicè principes deſignant. Mich.6.v.1 montes ſeptem habebat Roma. Apoc.17.v.9. montes flammiuomi plurimi ſunt. Pſal.103.v.32

in Monumẽto nouo cur Chriſtus condi voluerit. Ioan.19.v.41. monumentorum apertio moriente Chriſto facta, quid deſignaret. Matth.27.v.52

Morbus comitialis quare dicatur & lunaris. Matth.4.v.24

omnes Mori neceſſe eſt. 1.Theſſ.4.v.16. in Domino mori, quid ſit. Apoc.14.v.13. rectè moriendi modus quis. Actor.7.v.58

Moria mons quis qualisue fuerit. Gen.22.v.2. fuit Iſaaci immolatione, & templo Salomonico celebris. Geneſ.22.v.14. & 2.Paralip.3.v.1.& Iſaiæ 22.v.1.

Μορμολύκεια ſunt terriculamenta auium in arboribus collocata. Bar.6.v.69

Mors ſimilis eſt vnco attractorio. Amos 8.v.1. latro eſt. Ierem.18.v.22. in morte ſinguli homines iudicabuntur Matth. 24.v.45. nam in ea fit denudatio operum hominis. Eccli.11. v.29. de morte alterius non eſt gaudendum. Eccli.8.v.8. mors corporalis etiam ſequitur ex indigna Euchariſtiæ ſumptione. 1.Cor.11.v.30. mortis vmbra, vide Vmbra mortis. mors iuſtis optabilis eſt. Pſal.141.v.8.& Sap.3.v.2.&c.Eccli.41.v.3. mors quomodo eadem, hominum & beſtiarum. Eccleſ.3.v.19. quomodo melior ſit vita. Eccleſ.7.v.2. quomodo deterior. Eccleſ.9.v.4.c.11.v.7. eſt ineuitabilis. Eccleſ.8.v.8.Sap.2.v.1. & 5. à Deo non prouenit. Sap.1.v.13. morte morieris, pro certiſſimè morieris. Proleg.de Idiotiſmis Hebr.nu.49. mortem eſu pomi vetiti ſtatim incurrit Adam. Gen.2.v.17. mortis ſupplicium quotuplex eſſet apud Iudæos. Leu.20.v.9. mortem an optare liceat. Iob 3.v.1.&c.6.v.9.Tob.3.v.19. mortis regio quæ vocetur. Iob 10.v.21. qui ſocij mortis. Iob 17.v.14. mors primogenita quæ dicatur. Iob 18.v.13. mors ſubita impiis ſemper in voto eſt. Iob 21.v.13. alioqui terrori eſt illis. Eccli.41.v.1. mors eſt velut ventus vrens. Iob 27.v.21. mors impiorum peſſima eſt. Iob 36.v.13. mortis porta vocatur extremum periculum. Pſal.9.v.11. morte ſua Chriſtus occidit peccatum & mortem. Rom.8.v.3. mortem timere licet, ſed cauenda puſillanimitas. Matth.10.v.26. eam ſibi inferre quatenus homini liceat. 2.Mach.14.v.44. mors prima & ſecunda quæ dicatur. Apoc.2.v.11. cap.20.v.5.& 14. mors Domini annuntiatur per conſecrationem Ven. Euchariſtiæ. 1.Cor.11.v.26. mors Chriſto fuit glorioſiſſima. Iſaiæ 11.v.10. mors & infernus cur ſemper coniungantur. Apoc.20.v.13. cur mittantur in ſtagnum ignis infernalis. v.14

Morticinum eſt quod ſine ſanguinis effuſione vitam amiſit. Ezech 4.v.14. ipſum erat immundum. Leu.11.v.39. id edere, vetitum Iudæis. ibid. & cap.17.Actor.15.v.20

Mortificatio affectuum homini ſpirituali commendatur. Eccli.37.v.30

Mortui dicuntur dormire. 1.Theſſ.4.v.12. ipſis proſunt eleëmoſyna viuorum. Eccli.7.v.37. mortui vocaliter Deum non laudant. Bar.2.v.17. quomodo à mortuis non laudetur Deus. Pſalm.6.v.6.Eccli.17.v.26. quomodo nihil nouerunt amplius. Eccleſ.9.v.5.& cap.9.v.10. apud inferos non eſt cibus. Eccli.14.v.17. mortui omnes ad primam vocem archangeli in fine ſæculi ad vitam redibunt, & auribus ſuis extremum vocis ſunt audituri. 1.Theſſ.4.v.15. omnes vno reſurgent momento. ibid. mortui ſepeliant mortuos ſuos. Matth.8.v.22. idola aliquando vocantur mortui. Pſal. 105.v.28

Moſoch Hebræis ſunt Cappadoces. Ezech.27.v.13

Motus omnis concupiſcentiæ non eſt peccatum, ſed is cui præſtamus conſenſum. Rom.7.v.9.c.8.v.1. vti nec motus primi ad peccatum. Iac.1.v.14

Mouere pedem de terrâ, eſt expelli de terra. 2.Paral.33.v.8

Muli & mulæ vnde Iudæis, quibus inhibita commiſtio iumentorum diuerſæ ſpeciei. Leu.19.v.19

Mulier fidelis quomodo virum infidelem ſanctificet. 1.Cor.7. v.14. mulieris fortis deſcriptio. Prou.vlt.v.10.Eccli.26. v.1.18.&c. mulierum conſortia vitanda ſunt. Eccli.9.v.2. &c. mulieris nequitia ſupra omnem nequitiam eſt. Eccli. 25.v.18.&c.26.v.6.&c. melior eſt iniquitas viri quàm mulier bẽfaciens. Eccli.42.v.14. mulier publicè in Eccleſia non doceat, ſed priuatim domi filias vel ancillas. 1.Tim.2. v.12.& 14. viro eſt prudentia inferior. v.14. per filiorum generationem ſaluatur. v.15. rixoſæ mulieris incommoda. Prou.19.v.13.c.21.v.9.c.27.v.16. cur in Eccleſia velari debeat. 1.Cor.11.v.3.5. idq; propter angelos. v.10. mulier amicta ſole ſymbolum eſt Eccleſiæ ſponſæ Chriſti. Apoc.12.v.1

Mulieres ad oſtium tabernaculi quæ excubarent. Exod.38. v.8.& 1.Reg.2.v.22. mulieres in genealogiis non intexuntur. Matth.1.v.16. mulieres legis ſuæ tuendæ ſtudioſæ, quàm ſint noxiæ. Actor.13.v.50. earum dominatus in remp. intolerabilis eſt. Iſaiæ 3.v.12. mulieribus cur priùs apparuerit Chriſtus poſt reſurrectionem, quàm viris. Matth.28.v.10. mulieres ſolebant in actibus publicis à virorum cœtu ſeparari. Zach.12.v.12. earum cultus ſit honeſtus. 1.Petr.3.v.3. componant magis interiorem hominem. ibid. viris ſuis ſint ſubditæ ſicut Domino. Epheſ.5.v.22.& ſeqq. mulieres neceſſaria ſubminiſtrantes circumducebant Chriſtus & Apoſtoli. 1.Cor.9.v.4. variarum gentium mulieres vultu tecto in publicum prodibant. cap.11.v.16

Multiloquium in oratione vitandum eſt. Eccleſ.5. v.1

Mundare, pro mundum declarare. Proleg.de Idiotiſmis Hebr.n.58.& Leuit.13

Mundus durabit ſex millibus annorum. Apoc.20.v.6.

eius exiguitas. Sap.11.v.23. *disputationi hominum datus est.* Eccles.3.v.11. *quo anni tempore creatus.* Chron.c.9. *quot annis steterit ante Christum.* cap.7. *eius ætates sex, quando cœperint, quando finierint.* Chron.cap.7

Mundi insanum iudicium de viris piis & zelosis. Actor.26. v.24. *eius gloria quàm vana.* Matth.21.v.2. *eiusdem vanitas.* 1.Cor.7.v.31. *in eo sunt mille peccandi laquei.* Iac.1.v.27. *mundus & mundana sunt cisterna dissipata.* Ierem.2.v.13. *ei crucifixum esse, quid sit.* Gal.6.v.14

Munda animalia, quænam essent ad esum. Leuit.11. *absolutè, & secundùm quid sit.* Deut.12.v.15

Mundanus in hora mortis à mundo & carne decipietur & deseretur. Thren.1.v.19

Munera excæcant etiam optimos quosque. Prou.22.v.9. Eccli.8. v.2

Murenula vermiculata argento quæ vocentur. Cant.1.v.10

Murmur in prima Ecclesia ortum est à Græcis. Actor.6.v.1

Murmurationes 14. *Israelitarum in deserto quæ.* Chron.c.19

Deus Murus aneus Ierosolymorum fuit. Zach.2.v.5. *murus extimus atrij Iudaici simul & Gentium, erat quadratus, & quodlibet latus eius habuit calamos* 500. *iusta mensura.* Ezech. 42.v.15. *eius longitudo.* v.20. *muri templi Ierosolymitani fuere turribus muniti & ornati.* Thren.2.v.7. *muro conclusa fuit Ierusalem per Titum, præter alios aggeres terreos obiectos.* Luc.19.v.43

Musach sabbathi erat theatrum regis in atrio templi. 4.Reg. 16.v.18. & cap.23.v.3.& 2.Paral.23.v.13

Musca morientes suæ spurcitiæ suauitatem mellis perdentes, quid denotent symbolicè. Eccles.10.v.1

Musica in luctu importuna narratio. Eccli.22.v.6. *musica in epulis olim erat vsitata.* cap.32.v.5. *musica vis aduersus dæmones.* 1.Reg.16.v.23.& 4.Reg.3.v.15

Musica instrumenta in ecclesiis ritè adhibentur. Psal.150.v.4

Musiuum opus, vel mosaicum quod vocetur. Esther 1.v.6

Mutatoria quale sit vestimenti genus. Isaiæ 3.v.22

Mutilatio sui non necessaria, nec vtilis, à Deo vetatur. Matth.19.v.12

Mutus etiam dicitur qui pro se loqui verecundatur. Prou.29. v.1.& 11

Mutuum liberaliter dandum. Eccli.29.v.1.& 11. *mutuum ex condicto reddendum.* v.2

Mygale, quasi mus & mustela erat immunda ad esum. Leu. 11.v.30

Myiagros, Myiodis erat deus Accaronitarum. 4.Reg.1.v.1

Myrrha delicia sponsi. Cant.1.v.12.c.3.v.6.c.4.v.6.& 14.cap.5.v.1. *occasio conuersionis.* Cant.5.v.4.& 5. *myrrhæ & aloës cur Iudæi cadauera condirent.* Ioan.19.v.39

Myrum, est idem quod vnguentum. Iudith 10.v.3

Mysteria fidei quæ primò fidelibus proponenda. Matth.28. v.19

NAblum vel nablium, *quod instrumenti genus.* 1.Paral. 15.v.20

Nabo Deus Babyloniorum: fortè per abbreuiationem idem cum Nabuchodonosor, & ab hac voce variè nomina sunt formata. Isaiæ 46.v.1

Nabonassar, Nabopolassar, Nabulassar & Nabuchodonosor, quomodo distinguantur, & gesta singulorum. cap.34

Naboth quare negarit Achabo vineam suam. 3.Reg.21.v.3

Nabuchodonosor, nomen erat commune regibus Babylonis. Iudith 1.v.5. *quis ille qui in historia Iudith describitur.* ibid.

Nabuchodonosor iunior, siue Magnus, quando viderit somnium de quadrimateriata statua. Dan.2.v.1. *voluit Danielem adorare post explicatum hoc somnium.* c.2.v.46. *statuam auream sibi iussit erigi.* c.3.v.1. *dum in bestiam mutatus, eius phantasia & appetitus facta sunt vt bestiæ, quin & cordis & corporis eius temperamentum: item facies, cutis, manus, pedes, esca; vsu rationis, & loquela priuatus est; per interualla tamen habuit aliquem rationis sensum:* cap.4.v.13. *eius eleëmosynæ distulerunt Dei contra ipsum sententiam.* v.24. *amens factus & compedibus vinctus, in ferarum circum abductus est, post septennium sibi redditus: post aliquot menses exspirauit: de eius salute bene sperandum: quæ eam dubiam reddant, refelluntur.* v.30. *eius quæ facta sit mutatio.* Habac.1.v.11. *piscatori assimilatur.* v.14.15. *ei quomodo data sit terra ad expugnandum.* Ierem.27.v.6. *leoni & prædoni comparatur.* Ierem.4.v.7.c.5.v.6. *item lupo & pardo.* c.5.v.6. *multos subiectos sibi habebat reges.* Ezech.26.v.7. *item Iudæam fecit expeditiones.* Ioël 1.v.4. *eius gesta.* 4 Reg.24. & 25. *etiam Hispaniam subegit.* Abdiæ v.20. *vnà simul sublimè saluatus est.* Isaiæ 14.v.14

Nabulassar Babylonis rex quando regnarit: eius res gestæ recensentur. Chron.c.34

Nabuzardan quomodo dicatur princeps militum & coquorum. Ierem.39.v.9

Nahum Propheta quis fuerit, quid Nahum *sonet; ritus: quid, quando prophetet: eius mors & sepultura.* præmio in Nahum.

Naim ciuitas Hermon, fuit à Christo visitata. Psal.88.v.13

Nanæa Venus qualis fuerit, in Perside colebatur. 2.Mach.1.v.13

Naphtha simile est bitumini, estque ignis fomes. Dan.3. v.46

Narcissus Claudij Imper. libertus, an idem cum eo cuius meminit S. Paulus. Rom.16.v.11

Nardus herba est aromatica: eius efficacia. Cant.1.v.11. c.4.v.14. *nardus pistica quis dicatur.* Matth.26. v.7.

Nares produnt iram. Isaiæ 2.v.22. *nares quæ dicantur in candelabro.* Zach.4.v.11

Nathanael an idem qui Bartholomæus, & legis peritus. Ioan. 1.v.47

Nathinæi, id est donati, erant Gabaonitæ. Iosue 9.& 1. Esdr.2.v.43.& 1.Paral.9.v.2

Nationum respectus non est apud Deum quoad iustificationem. Rom.2.v.11.& cap.3.v.29.30.& cap.4.v.11

Naturæ diuinæ simul & humanæ Christi testes fuere Apostoli. 1.Ioan.1.v.2. *natura corrupta suis solius viribus, etsi adiuta per legem Mosis, non potest aliquid facere, quod sit absolutè iustum coram Deo.* Rom.3.v.10.& 23. *eius lumine solo cognosci potest, Deum esse, quin & vnicum & omnipotentem, &c.* Rom.1.v.19. *eo tamen Gentiles non possunt iustificari.* Rom.2.v.14

Naues poma portantes, id est, concitatissimæ. Iob 9.v.26. *naues Tharsis quæ dicantur.* 2.Paral.20.v.2.& Psal.47.v.8. *nauium vsus quando & quo auctore primùm cœpit.* Sap.14.v.6

Naufragia plurima S. Paulus passus est. 2.Corint.11.v.25

Nautarum quibuscum Ionas nauigabat, erga ipsum pietas. Ion.1.v.13. *sunt conuersi ad Deum & facti proselyti: vouerunt ei se victimas Ierosolymis immolaturos.* v.16

Nazaræi, qui essent: eorum vitæ genus. Leu.27.v.2 *vtroque sexu erant, quas cæremonias & ritus seruarent.* Num.6. *comam alere debebant vsque dum polluerentur.* Actor.18.v.18. *vnde dicatur Christus Nazaræus.* Isaiæ 11.v.1

Nazaræatus votum erat quasi professio Religionis. Actor. 18.v.18

Nazareth vrbs Galilææ Christo nomen Nazareni dedit. Matth.2.v.22

Nazarethani cur in Christo offenderentur. cap.13.v.57

Nebo mons vbi situs, in eo Moyses mortuus. Num.27.v.12

Nebula cur dicatur gloria Domini. Isaiæ 9.2.4. *quia erat signum præsentiæ Dei.* 3.Reg.8.v.12

Necessarij idem est, quod amici. Iob 6.v.13

Necessitas alia consequens, alia antecedens. Sap.18.v.4

Nechao rex Aegypti, an iussus à Deo præliari adversus regem Assyrium. 4.Reg.23.v.29.& 2.Paral.35 v.21. *fuit à Chaldæis fusus & fugatus.* Ierem.46.v.2. *Iosia rege occiso filium eius Ioachaz in Aegyptum abduxit.* Ioel 1. v.4

Negotiis forensibus cur Christus occupari noluerit. Luc.12. v.14

v.14. negotium perambulans in tenebris, quod vocetur. Psal.90 v 6

Nehemias, quis. 2.Esdr in summario. fuit dux populi per 12.annos. cap.2.v.6. strenuè instaurat muros Ierosolyma. cap.3.& 4. vsuras abolet. cap.5.v.12. sua omnia gratis impendit. v.16. vsque fin. elusis hostium fraudibus spatio 52. dierum muros vrbis excitat. cap.6. custodes vrbi designat. cap.7.v.2. plura scripsit quàm nunc extent. 2.Mach.2.v.13. collegit quoque sacrorum librorum bibliothecam. ibid.& v.14

Nemrod idem qui Iupiter & Belus: fuit auctor turris Babel, idololatriæ & monarchiæ Assyriorum. Chron.cap.12.& Gen. 10.v.8

Neomeniæ an festæ: an tubis indici solitæ. Num.28.v.11. & 1.Reg.20.v.19

Neptunus capitur pro aqua. Sap.13.v.2.c.14.v.6

Nero cur ab Apostolo vocetur leo. 2.Tim.4.v.18. eius gesta. Chron.cap.vlt. ex illius familia plurimos S.Paulus ad Christum conuertit. Actor.28.v.3

Nerus pro cippo & compede. Iob 13.v.27.Ierem.20. v.2

Nesciri à Deo quid sit, an idem quod reprobari. Matth.7. v.23.& c.25.v.12

Nesroch fuit idolum Niniues. Nah.2.v.6

Nicanor dux Demetrij regis quare suaserit Iudæ Machabæo vxorem ducere. 2.Mach.14.v.24. ab eo casus fuit. 1.Mach. 7.v.26.39.& 40. eius caput & dextera præcisa. v.47.& 2.Mach.15.v.30. in eius blasphemam linguam sæuitur. 2.Machab.15.v.30

Nicolaitæ quales fuerint hæretici, & à quo dicti. Apoc.2. v.6.15.& 24

Nicolaus Diaconus an auctor fœdæ cuiusdam hæreseos. Act. 6.v.5

in Nidulo mori quid sit. Iob 29.v.18

Nilus quale sit flumen. Gen.2.v.8.Eccli.24.v.37. Ierem.2.v.18. eius exundatio, vnde. Exod.9.v.24. fertilem reddit Aegyptum. Deut.11.v.10. cur fluuius turbidus vocetur. Ios.13.v.3. eius riui vocantur flumina. Isaiæ 18. v.1. etiam Aethiopiam inundat. v.2

Ninive ciuitas Assyriæ condita à Nino. Gen.10.v.8. sita fuit ad ripam Tigris. Tob.6.v.1.Ion.1.v.1. à quibus prædicta eius euersio: quando euersa. Tob.vlt.v.6. Ninive vox vnde deducatur, & quid sonet. Proleg.de Idiotismis Hebr. n.17. Ion.1 v.1. erat sedes regia monarchiæ Assyriorum. Ion.1.v.1. eius vitia. ibid. eius magnitudo, vastitas, antiquitas. Gen.10. v.8.& Ionæ cap 3.v.3. triduo diametraliter peruadi non poterat. Ion.3.v.3. quot haberet incolas. c.4.v.11. à quibus sit euersa. ibid. Tob.vlt.v.6. & in proœm.Nahum, & c.1. v.8. illius post expugnationem desolatio. Soph.2.v.14. cur vocetur ciuitas Ionæ, id est columba. c.3.v.1. eius excidium quando contigerit. in proœm.Nahum,& Sophon.3.v.5. capta fuit cum ciues epulis vacarent. Nahum 1.v.10

Niniuitarum ad prædicationem Ionæ, pœnitentia diuturna non fuit. Ion.4.v.11

mense Nisan occisi diuersis temporibus Christus, Iacobus Zebedæi & alter Alphæi. Zach.11.v.8

Nitocris vxor Nabuchodonosoris iunioris fuit mulier sapientissima. Dan.5.v.10

Nitrum aliis sal, aliis alumen est. Ierem.2.v.22

Niuium quanta sit vtilitas. Zach.10.v.1.

niuis thesauri. Iob 38.v.22.Eccli.43.v.14.& c.

No olim dicta Alexandria. Ezech 30.v.14. eius magnitudo, euersio, restauratio per Alexandrum Macedonem. ibid. & Ierem.46.v.25

Nobiles & docti habitabant Ierosolymæ in secunda ciuitate. Soph.1.v 10

Nobilitas vera est è virtute quærenda. Matth.1.v.3

Noë laudes. Gen.6.Sap.10.v.4.Eccli.44.v.17. fuit salutis aliorum amantissimus. Ezech.14.v.20

Nomen Domini sanctum & adorandum est. Luc.1.v.49. ipsum est turris fortissima. Prou.18.v.11. nomen Dei idem est quod Deus. Psalm.19.v.2. nomen Christi portauit Paulus coram regibus & principibus Israel. Actor.9.v.15. nomen Iesu & Saluatoris Christo perenne victoriæ tropæum est. Isaiæ 55.v.13. idem nomen habebant apud Iudæos, plures eiusdem familiæ. Actor.7.v.16. nominis boni cura nulli non habenda. Eccli.41.v.14. nomen sibi ponere, quid sit. 2.Reg.7.v.23.& c.8.v.13

Nomina appellatiua sæpè vsurpantur pro propriis. 2.Reg.21. v.19 & cap.23.v.8.& 1.Paral 4.7.&c. nomina suis proliibus Hebræi indere solebant ex alunis familiis, maximè sanguine vel affinitate iunctis. Luc.3.v.23. nominum mutatio facta in tribus pueris sociis Danielis, quid innueret. Dan.1.v.7. nomina varia reddentia numerum nominis Antichristi. Apoc. 13.v.18. vide Verba, Voces

Notitia hausta ex diuina reuelatione certior est, quàm quæ hauritur ex clara scientia naturali. Hebr.11.v.1

Nouacula quare vocetur rex Chaldæorum. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.54.& Ezech.5.v.1. quæ sit nouacula dolosa. Psal.51.v.4

Nouantes sunt in varias sectas dissecti. 1.Cor.1.v.16. vide Hæretici.

Nouella oliuarum quæ dicantur. Psal.127.v.3

Nouissimorum memoria quàm sit vtilis. Eccli.38.v.21

Nouitas omnis in doctrina cauenda. 1.Tim.6.v.21

Nouorum dæmonum annuntiator dicitur Paulus ab Atheniensibus. Actor.17.v.18

Nox orci filia vocatur à Poëtis. Sap.17.v.13. nox anima quæ sit. Cant.3.v.1. nocte passionis Christum sequi quàm esset periculosum. Marc.14.v.51. noctes in calidis regionibus etiam calidæ sunt. Luc.2.v.8. de nocte consurgere, est maturare. 2.Paral.vlt.v.15

Noxij manifestè puniendi sunt, etiam morte. Matth.13.v.25

an in eadem tribu semper Hebræis Nubendum. Num.36. nubere dicuntur mulieres, cùm in viri potestatem transeunt. 1.Cor. 11.v.10. nubere etiam de masculis latinè dicitur.Luc.20.v.34

Nubes indicat præsentiam Domini. 2.Mach.2.v.7. vide Nebula. nubes manè rubicundæ indicant pluuiam vel ventum. Matth.16.v.3

Nucleos oliuarum cur succenderent virgines Babyloniæ ad amasios amore sui accendendos. Bar.6.v.42

Nudatus quomodò sit populus in sacrificiis idolorum. 2.Paral.28.v.19

Nudus etiam dicitur, qui veste sui ordinis distinctiua caret. 1.Reg.19.v.24. planè nudus an incesserit Isaias per plateas Ierosolymæ. Isaiæ 20.v.6

Nugæ capitur pro hominibus vilibus & nullius pretij. Soph. 3.v.18

Numerari non poterat populus Iudæus citra necessitatem, nec nisi persoluendo simul numisma census. Exod.30.v.12. inde peccatum Dauidis, &c. 2.Reg.vlt.v.3

Numerus aureus quis. Chron.cap.6. numerus saluandorum, ante præuisam singulorum finalem perseuerantiam, non est certus. Apoc.3.v.11. numerus nominis Antichristi facit 666. cap.13.v.17. cur vocetur numerus hominis. v.18

Nuptiæ modestæ sint oportet, etiam ex Platone. Tob.9.v.21. nuptiæ olim emptione fiebant. Gen.29.v.20.Exod.4.v.25.& 1.Reg.18.v.21. nuptiæ cum alienigenis quomodo prohibitæ Iudæis. Exod.34.v.15. nuptias vetabant primi hæretici, velut à malo Deo instructas. 1.Tim.4.v.3. nuptiis interesse cur voluerit Christus. Ioan.2.v.2. nuptiæ Agni cum Ecclesia in cælo celebrabuntur. Apocal.19.v.7

Nyctricorax quæ sit auis. Psal.101.v.7

OBductio, idem est quod afflictio. Eccli.2.v.2. Obededom Leuita, & eius benedictio propter arcam. 2.Reg.6. v.12.& 1.Paral.26.v.4.& 5.

Obe-

Obediendum Superioribus. Hebr.13.v.17. & Christo,non secùs ac Deo Patri. Matth.17.v.5
Obediens loquetur victoriam. Prou.21.v.28
Obedientia Superioribus debita. Eccles.8.v.2. caca sit oportet. Psal.72. v.23. est melior quàm victima.1.Reg.15.v.22. obedientia quare debeatur regibus & principibus. Rom.13.v.1.& seqq. obedientia Christi erga parentes. Luc.2.v.51
Obiecta tam faciliora sub sensum cadentia, quàm difficiliora sub sensum non cadentia, sunt fidei materia. Ioan.20.v.29
Obligati, idem est quod ligati catenis. Psal.19.v.9
Obodas rex Syriæ paulò post natum Christum mortuus est. Isaiæ 7.v.15.& c.7.v.4
Obolus Hebræus, duo baioci: sexta parte maior Attico obolo. Proleg.de Ponderibus.
Obrizum aurum, quasi Ophirizum. 3.Reg.9.v.28.& 2.Paral.3.v.5.& c.8.v.18
in Obscuro esse pro clam. Psal.10.v.3
Obsecrationes & orationes quomodo inter se distinguantur. 1.Tim.2.v.1
Obstetrices Aegyptiæ quare & quomodo promeritæ mercedem. Exod.2.v.21
Obstinatio peccatorum. Psal.57.v.5
Occasiones peccandi præcidendæ & cohibendæ, si animæ sint offendiculo. Matth.5.v.29
Occasus capitur pro Occidentali plaga. Psal.67.v.5
Ochauo quarta pars sestertij est. Proleg.de Ponderibus.
Ochozias rex Iuda, alias Ioachaz, eiusq; gesta. 4.Reg.9.v.27.& 2.Paral.22.v.1.
Octaua sumitur pro octachordo. Psal.6.& 1.Paral.15.v.21. *est item titulus Psalmorum.* 1.Paral.15.v.21
Octonarius numerus nominis Ihesu quid denotet. Apoc.13.v.18.
Oculus animam depredatur turpi aspectu. Thren.3.v.51. *quomodo sit lucerna corporis.* Matth.6.v.22. *oculus, pro prouidentia Dei.1.Esdr.5.v.5. oculum caco effe, quid sit.* Iob 29.v.15. *oculi septem in Christum infixi & intenti, quid designent.* Zach.3.v.9. *sunt tam oculi diuinitatis, quam humanæ naturæ. ibid. Christus oculos discipulorum in Emaus euntium quomodo impedierit, ne ipsum agnoscerent.* Luc.24.v.16 *cur oculos Israelitarum dextros eruere volebat Naas.* 1.Reg.11.v.2. *oculi Ionathæ quomodo melle esu aperti.1.Reg.14.v.27. oculos inclinare, idem est quod humiliare se.* Iob 22.v.29. *oculi sunt cohibendi.Prou.4.v.25.& c.17.v.24. oculis annuere quid sit & quorum.* Prou.6.v.13.& 6.10.v.10. *quomodo habeat sapiens oculos in capite.* Eccles.2.v.14. *oculi columbini qui sint.* Cant.1.v.14. *oculi in rotis currus Cherubici quid denotarent.* Ezech 1.v.18
Odiens fratrem quomodo dicatur homicida. 1.Ioan 3 v.15
Odisse accipitur aliquando pro minùs amare. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.7.
Odium quo mundus sectatores Christi prosequitur, quo pacto à Deo compensetur. Ioan.15.v.19
Odolla vrbs quondam fuit potens & vasta. Mich.1.v.15
Offendens in vno, quomodo fiat omnium reus. Iacob.2.v.10
Offensa nobis est proximo ex animo remittenda. Mat.5 v.23
Oleagina corona coronata Iudith & abra eius. Iudith 13.v.9
Oleum symbolum est bonorum operum & charitatis. Matth.25.v.1. *oleo affuso molliescunt vincula. Isaiæ 10.v.27.oleum ex petra quomodo fluat.* Iob 29.v.6. *olei, seu vnguenti, vsus erat apud veteres.* Psal.22.v.5. *oleum sumitur pro delitijs, blanditijs, &c.* Psal.140.v.5. *oleum effusum erat sponsus.* Cant.1.v.2
Olfactoriola sunt myrotheca. Isaiæ 3.v.20
Oliueti mons, Christi passionis, postea triumphi fuit initium. Actor.1.v.11
Oliuarum nuclei intensi seruiebant apud Gentiles loco philtri. Bar.6.v.42
Oliua fructifera in domo Domini, quid. Psal.51.v.10. *oliuæ duæ Domino terræ assistentes quid repræsentent.* Zach.4.v.14
Olla spei quare vocetur Moab. Psal.59.v.10
Olympias, quid: & vnde initium duxerit. Chronic. cap.31
Omen captare an aliquando liceat. Gen.24.v.14. & 1.Reg.14.v.10
Omnis, pro excellenti. Proleg de Idiotismis Hebraum.7.& pro toto. ibid.& Eccles.vlt.v. vlt.
Onager salacissimum est animal. Ierem.2.v.24. *onagra tunc capitur cùm generationi vacat & fœtu grauatur.* ibid.
Onesimus Phryx natione, seruus Philemonis, heri quibusdam rebus compilatis Colossis Romam profugit, ibiq; à S.Paulo conuersus cum epistola ad herum remittitur: creatus dein Episcopus Ephesinus martyrio vitam finit. proœm. in epist.ad Philemon.
Onias Onia III. pontificis filius indulto Ptolemæi Philometoris templum quoddam Heliopoli qua occasione exstruxerit. Chron. c.39.& 42
Onium templum in Aegypto ab Onia exstructum dissimile Deo: euersum fuit à Vespasiano cum incolis Iudæis, anno vno post euersum templum Ierosolymis. Dan.11.v.14.Chron.c.39. *id exstructum est contra mentem Isaiæ & Dei præceptum.* Isai 19.v.19.
Ono campus erat in tribu Beniamin. 2.Esdr.6.v.2
Onocentauri qualia sint monstra, & vnde dicta. Isai 35.v.14
Onocrotalus erat auis immunda. Lev.11
Onus, est prophetia afflictionem & tristia prænuntians. Proleg. de Idiotismis Hebraicum.36.Isaiæ 13.v.1
Oolla & Oolibæ meretricum ficta nomina denotant Samariam vrbem & Ierusalem. Ezech.23.v.4.& seq.
Opes iniustè partæ citò ad alios auolant. Ierem.17.v.11
in omni Opere homo quantumuis iustus, non peccat. Rom.3.v.4.
Opera quæ agimus merentur mercedem. Luc.17.v.10. *requiruntur ad salutem; vt causa & merita salutis.* Iac.2.v.19. *si Deus opera exigua ita compenset, quomodo excellentiora remunerabitur.* Matth.25.v.35. *omnia opera nostra non sunt peccata.* Rom.3.v.10. *vti nec omnia infidelium.* Tit.1.v.15. *iustorum verò sunt meritoria.* Hebr.6.v.10. *opera pia etiam per liberum arbitrium nostrum facta, soli Deo subinde ascribuntur.* Hebr.13.v.21. *opera gratiæ non sunt in hominis potestate, sine præuia Dei inspiratione, & auxilio gratuito præueniente.* Ierem.10.v.24. *opera hominum nihil Deo vtilitatis adferunt.* Luc.17.v.10. *opera nos sequuntur post mortem.* Apoc.14.v.13. *per opera legis Mosaicæ non acquiritur iustitia interna.* Rom.3.v.30.& 23. *opera carnis quæ dicantur.* Gal.5.v.17 & seqq. *opera Patris sui quæ velet Christus.* Luc.2.v.49. *opera seruientium in domo Dei quæ vocarentur.* 2.Esdr.11.v.6
Operari intuitu mercedis æternæ licitum est. Rom.2.v.8.
Operire peccata, est non punire. 2.Esdr.4.v.5. *operire caput & faciem solebant mœsti & irati.* Esther 6.v.12.& Ierem.14.v.3. *operiri solebat facies morte plectendorum.* Esther 7.v.8
Ophel & Bahan, duæ turres Ierosolymis altissimæ. 2.Paral.27.v.3
Ophir, qua regio & vbi. 2.Paral.8.v.18. vide Aram & Obrizum.
Ophitæ hæretici vnde dicti, & quæ eorum hæresis. Dan.14.v.22.
Opponere sumitur aliquando pro oppignorare. 2.Esd 5.v.3
Optima & selectissima Deo danda sunt. Malac.1.v.8. optimi *nomen quibusnam olim tribueretur.* Luc 1.v.1
quomodo Orandum sit. Matth.6.v 9. *quomodo semper orare possimus.* Luc.18.v.1.Eccli.18.v.22. *orauit Christus pro toto mundo.* Ioan.16.v.6. *orantis eum nudum desiderium exauditur.* Psal.9.v.vlt.
Oratio publica laudatur, & quam vtilitatem habeat. Matth.6.v.6. *oratio non sit verbosa, sed mutua.* v.7. *eius optimi comites ieiunium & eleemosyna sunt.* Tob.12.v.8. *per eam eiiciuntur dæmonia.* Marc.9.v.28.

ei præmittenda preparatio. Eccli.18.v.23. in illa etiam importunius cum Deo agendum. Luc.11.v 8. oratio matutinâ optima est. Sap.16.v.28. oratio est necessaria. Iob 35. v.10.&c. oratione Moysis vincitur Amalec: & aliorum, Scytha, Indi, &c. Exodi 17.v.11.Psal.105.v.23. oratio redit ad orantem. Psal 34.v:13. oratio in peccatum fieri quomodo dicatur. Psal.108.v.7. cauendum in ea à tautologia. Eccli.7.v.15. orationis perseuerantiæ fructus. Matth.26. v.44

Orbem portantes, sunt angeli. Iob 9.v.13

Ordinandi ad sacros Ordines, antè examinandi sunt. 1.Tim. 5.v.24. ordinare verbum est militiæ proprium. Cant.2.v.4

Oriens, Occidens, &c. in Scripturis respectu terræ sanctæ sumuntur. Proleg.de Idiotismis Hebr.num.22. ad Orientem orare Iudæis illicitum, Christianis vsitatum. Sap.16.v.28. Oriens est nomen Christi. Zach.6.v.12

Orientales, regem suum accedentes munera deferunt. Matth. 2.v.11

Originale peccatum vera propagatione per Adamum in omnes homines pertransijt. Rom.5.v.12. fuit id causa mortis. v.14. eius fons, malitia & effectus. Gen.3.v.1.& 7. quomodo contrahatur. Iob 14.v.4. eius quod remedium tempore legis naturæ. c.4.v.1.c.29.v.32

Orion quæ sit stella. Proleg.de Idiotismis Hebr.num.55.& Amos 5.v.8.& Iob 9.v.9

Ornan Iebusæus rex fuit. 1.Paral.21.v.18

etiam luctui suus est Ornatus. Esther 15.v.4

sit sacerdos & Episcopus Ornatus in omni motu. 1.Tim.3.v.2

Ortus Christi fuit inglorius & obscurus tam quoad matrem, quàm reliquam vitæ rationem. Isaiæ 53.v.2

Ortygometra est coturnicum dux. Num.11, v.31. Sap.16. v.2.c.vlt.v.11

Oryx quale sit animal. Deut.14.v.5. cornua habet ferro duriora. Isaiæ 51.v.20

Os aperire idem est quod patrocinari. Prou.31.v.8. os impiorum quàm fœdum. Psal.5.v.11. os gladij idem quod acies. Proleg.de Idiotism.Hebr.num.36. os maledicum malè depromit laudes diuinas. Iac.3.v.9. ab ore vsque ad os implere, est totum & omni ex parte implere. 1.Esdr.9.v.11

Os ex agno paschali non comminuendũ quid denotaret. Ioan. 19.v.39. ossa pro omnibus membris, vel viribus corporis. Psal. 33.v.21.Psal.34.v.10. item pro toto homine. Psal.50.v.10. ossa mortua quomodo pullulare dicantur. Eccli.46.v.14. ossibus mortuorum polluta altaria. 2.Paral.34.v.5

Osanna quid. 2.Reg.14.v.4. vide *Hosanna.*

Osculum dabant Iudæi inuicem salutantes. Matth.26.v.49. osculum, adorationis & obedientiæ signum. Psal.2.v.12. oscula sponsi multiplicia. Cant.1.v.1. osculum sanctum quod dicatur: id olim vsurpabant Gentiles, Iudæi, Christiani inter salutandum, & maximè in sacris conuentibus, & quare: qua de causa id postea sublatum. Rom.16.v.16

Osee vox quid sonet: vnde deriuetur. proœmio in Osee.

Osee rex Israel incautus ad cultum idolorum est pertractus. Osee 10.v.7. mox captus est & occisus. cap.11.v.1.& c.13.v.11

Osee Propheta fuit figura Christi vitæ sanctitate & nomine: quando prophetare cœperit: vnde dictus commaticus: eius quodnam argumentum. in proœmio Osee. quamdiu prophetarit. cap.1.v.1. fuit primus omnium Prophetarum. v.2. iussus est à Deo fornicariam ducere. ibid.

Osiris an idem cum Ioseph. Gen.41.v.43

Ostentis cælestibus & aëreis cladis imminentes & bella præsignantur. 2.Mach.5.v.4

in Ostio quolibet templi erant quaternæ minores foræ. Ezech. 41.v.24

Otium fugiendum. Prou.6.v.6

Oues esearum, & occisionis, quæ dicantur. Psal.43.v.12. oues ab hœdis in die iudicij segregabuntur. Matth.25.v.32. illæ erunt à dextris, hi à sinistris. v.33

Oza arcã labantẽ sustinens cur percussus à Deo. 2.Reg.6.v.7

Ozia regis Iuda impium & sacrilegum sacrificium. 4.Reg.15. v.3. ob quod fuit lepra percussus. 2.Paral.26.v.22

Ozias princeps in Bethulia, quis. Iudith 6.v.11

Pacifica hostia, qualis & quotuplex esset. Leuit.3.v.1. &c.7.v.13. in quibus differat ab holocausto. ibid. & ab hostia pro peccato. cap.4

Pactum pacis, seu quietis, est lex Euangelica. Ezech.34. v.25. pactum salis, est firmum, stabile. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.36.& Num.18.v.19.& 2.Paral.13.v.5

Paderastia infames erant etiam celeberrimi philosophi. Rom. 1.v.28. & multi priscorum Iudæorum. Isaiæ 42.v.6

Palestina fructibus abundabat. Isaiæ 1.v.8. eius longitudo. Ios.12.v.24

Palathæ vocantur ficus aridæ. 2.Reg.16.v.1

Palea quare lateribus coquendis necessaria. Exod.5.v.12

Palilia festum, vnde nomen habeat: celebrabatur in honorem Palis deæ: eo condita Roma. Chronic.c.32

Paliurus genus est spinæ asperæ & acutæ. Mich.7.v.4

Pallas è seruo factus Neronis charissimus. Actor.23.v.26. pro fratre Felice reo facto apud eum intercessit. c.24.v.25

Pallium Iudæorum in quo differat à pallio Romanorum.Num. 15.v.38. pallia Iudæorum funiculos quatuor dependentes ex angulis habebant. Matth.9.v.20. pallij iniectione quasi inuestitus fuit Eliseus. 3.Reg.19.v.19

Palma erat priscis symbolum victoriæ. Ezech.41.v.18. palma Olympica quàm olim fuerit gloriosa. Apoc.3.v.21. palmarum ciuitas, eadem quæ Iericho. Deut.34.v.3. palma maximè longæua est, & frondosa. Iob 29.v.18. qualitates palmæ. Psal.91.v.13. Cant.7.v.7

Palmira vrbs quæ, & vbi sita. 2.Paral.8.v.4

Palmites mystici vitis Christi continuò à cælesti agricola purgantur. Ioan.15.v.2. debent quoque in vite manere, id ni fiat, malè iis cedet. v.6

Palmus contractus cubicus, 6.pars modij Romani. Proleg.de Mensuris. quid palmus extensus cubicus. ibid. palmi contracti & extensi quæ longitudo. Proleg.de Longitud.

Panim *hebraicè significat faciem exteriorem, seu anteriorem. Ezech.20.v.47*

Panis Hebræis omnem cibum significat. Lucæ 14.v.1. quem panem pollutum sibi offerri queratur Deus. Malach.1.v.7. panes propositionis, quot, quanti, quales, &c. Exod.25.v.30. quis sit panis lacrymarum. Psal.79.v.6. quis panis doloris. Psal.126.v.2. quis panis mendacij. Prou.20.v.17. quis panis vitæ. Eccli.15.v.3. sub speciebus panis vi verborum consecrationis, ponitur verè corpus Christi, & concomitanter totus Christus. Marc.14.v.23. panem supersubstantialem & quotidianum quomodo petere nos oporteat. Matth.6.v.11. panes in deserto quomodo multiplicarit Christus. Matth.8. v.8

Panoplia spiritualis quæ sit. Ephes.6.v.14.& seqq.

Papyrus, quæ planta. Exodi 2.v.5.& Iob 8.v.11.& 16. papyraceæ naues Aethiopibus in vsu. Isaiæ 18.v.2

Papyrion, seu papyraceæ cymba. Exod.2.v.5

Ἀόγ@ sæpè vsurpatur pro contra. *Galat.1.v.8*

Parabola, est sententia grauis. Iob 27.v.1.Psal.48.v.5. quomodo differt ab ænigmate. Prou.1.v.6.c.10. parabolæ cur in Scripturis frequentes. Prou.25.v.2.11. in iis non omnia debent necessariò accommodari. Matth.20.v.12. parabola de Epulone an verè ita contigerit. Lucæ 16.v.19

Paradisi sponsæ fructus 12. Cant.4.v.13.&c. paradisus voluptatis vbi situs. Gen.2.v.8. prodibant ex illo quatuor flumina. Gen.2.v.8.Eccli.24.v.35. quis ante eum Cherubinus cum gladio. c.3.v.24. an adhuc extet.c.5.v.24. post diem iudicij non amplius existet. 2.Petr.3.v.10. paradisus qualis latroni promissus à Christo. Lucæ 23.v.43

Paralyseos effectus. Matth.9.v.2

Parasceue erat dies ante sabbatum. Ioan.19.v.14. cur parasceue diceretur. Matth.27.v 62

Pardus, an idem sit cum panthera. Dan.7.v.6. *vino capitur.* ibid.
Parentalia vocabatur conuiuium in exequiis. Ierem.16.v.5
Parentes Deo postponendi. Matth.10.v.37. *eorum peccata an ferant aliquando filij.* Exod.20.& Num.14. *filij eos honorent ob 13.causas.* Eccli.3. *non possunt imponere filiis precepta in re ardua.* Ierem.35.v.6. *parentibus maledicens lapidetur.* Leuit.20.v.9. *eorum memoria semper habenda.* Eccli.23.v.18
Parium marmor quod dicatur. 1.Paral.vlt.v.2
Parochorum quàm arduum sit munus. 1.Tim.3.v.1
Partes vulpium quæ vocentur. Psal.62.v.11. *partes epularum in mensa singulis distribuebat paterfamilias.* 1.Reg.1. v.4. pars in alio, *id est communio cum alio.* 2.Reg.20.v.1
Parthorum imperium olim quàm latè se extenderet. Proœm. in epist.1.S.Ioann.
Partus vnius plures subinde proles. Exod.1.v.7. *maximè in Aegypto.* ibid. *partus masculus Ecclesia in fine seculi quis futurus.* Apoc.12.v.5
Paruuli sine baptismo mortui, an post iudicium in terra sint habitaturi. 2.Petr.3.v.13. *paruulos in quare imitari nos oporteat.* Matth.18.v.3.5. *non sunt abijciendi, sed curandi.* Matth.19.v.12. *paruulorum etiam vagitus adhibiti in solemnibus precibus.* 2.Paral.20.v.13. *paruuli nomine vocatur insipiens.* Prou.1.v.32. *paruulus, id est minimus natu.* 1.Reg.16.v.11
Pascha dicitur pro Pesach. Proleg. de Idiotismis Hebr.n.20. *pascha secundi celebratio in deserto.* Num.9.v.2. *pascha ab impeditis celebrandum secundo mense.* Num.9.v.10. *paschæ, paschalis agni institutio, seu phase.* Exod.12.v.5.& 43. *sumitur pro quauis victima.* Deut.16.v.2. *sed maximè pro victimis paschalibus.* Ioan.18.v.28. *cur in pascha te Iudæi Christum comprehenderint præter intentionem.* Matth.26.v.5
Pascua dicitur tam adiectiuè subintelligendo terra, quàm substantiuè pascua, æ; & pascua, orum. Ioël.1.v.18
Passio Christi tota in Scripturis predicta fuit. Matth.15.v.32. *per eam promeritus est iustitiam & redemptionem.* 1.Cor.1.v.30. *illi quæ desunt, quomodo à Sanctis adimpleantur.* Col.1.v.24
Passiones suas Christus habuit in manu. Ioan.11.v.33. *cur eas subinde vltrò in se admitteret.* Matth.26.v.38. *passiones nostræ etiam in membris dominantur.* Iac.4.v.1
per Passiones Christo conformamur. Rom.8.v.29. *passiones huius temporis quatenus non sint condignæ ad futuram gloriam.* v.18
Passus Romanus pedes 5. Græcus 6. Proleg.de Longitud.
Pastophoria templi Salomonici quæ essent, quot numero, quis eorum vsus. 3.Reg.6. *post med.* Ezech.40.v.17
Pastor se perficiendo perficiet gregem suum. Actor.20.v.28. *illius est saluti & incolumitati suorum inuigilare.* Ezech.34. v.3. *pastoris veri quæ sint partes & officium.* Ezech.34.v.16. *& seqq.* *Christus est pastor bonus.* Ioan.10.v.11.& seqq.
Pastores quomodo debeant regere oues sibi concreditas. 1.Pet. 5.v.2.3. *per quæ vitia reddantur infames & Deo odibiles.* Isaiæ 56.v.10. *quanta sint eorum obligationes.* Apoc.3.v.1.2. vide *Episcopus, Parochus.*
Pastoribus iuxta turrim Ader vigilantibus primùm manifestatus est Christus recèns natus. Mich.4.v.8. *an numero tres ad eum accesserint.* Luc. 2.v.12. *pastores fidei ouium dispersarum Israel quinam fuerint.* Ezech.34.v.11. *Iudæorum pastores iniqui quinam fuerint.* Zach.11.v.16. *per pastores tres vno mense succisos quos Zacharias intelligat.* v.8
Deo Patent omnia, etsi nos ea lateant. 1.Cor.4.v.4
Pater futuri seculi cur dicatur Christus. Isaiæ 9.v.6. *pater noster super terram vnus est Deus.* Matth.23.v.9. *pater sumitur pro auctore, vel inuentore.* Proleg.de Idiotismis Hebr. n.34. *Patri cælesti in Christo benè complacuit.* Matth.3. v.17. vide *Deus pater.*
Patres antiqui per nouum testamentum beatificantur. Hebr. 11.v.40
Patientia iustorum oblectatur Deus. Iob 9.v.23 & c.16. v.13. *patientiæ perfectio.* Psal.38.v.3. *patientia operatur probationem, & probatio patientiam.* Iac.1.v.3. *perfectionis est causa.* v.4
Pathmos insula vbi sita. Apoc.1.v.9
Patriarcharum 12. ortus. Chron.c.16. *mori.* c.17. *benedictiones.* Gen.49. *plerique sunt sepulti in Hebron.* Actor.7.v.16
S.Paulus Apostolus à Dauide fuit præfiguratus. Psal.67. v.28. *res eius ordine temporum digestæ.* Chron.c.vlt. *dum Stephanus lapidaretur, quot esset annorum.* Actor.7.v.56. *fuit lupus rapax, & matri suæ filius Benoni.* c.9.v.1. *Christianos Damascum vsque persequitur.* v.2. *à Christo prostratus nitur & conuertitur.* v.3.4. *in quo regi Sauli simile.* v.4 *an pedes, an eques ierit Damascum.* ibid. *vidit Christum priusquam prosterneretur, & cur roget quis esset.* v.5. *Deo se subijcit.* v.6. *triduo quo non manducauit, didicit omnia fidei mysteria à Christo.* v.9. *vidit Ananiam, ad quem postea missus, in visione.* v.11. *quare vocetur vas electionis.* v.15. *eius baptismus: conuersio eius quo anno Christi contigerit.* v.18. *quare Damasco in Arabiam abierit.* v.23. *Antiochiæ prædicat.* c.11.v.25. *est à Spiritu sancto segregatus in prædicationem Gentium.* c.13.v.2. *creatus est Episcopus, & à quibus.* v.3. *vnde ex Saulo vocatus Paulus.* v.9. *vultu diuinum quid spirabat.* c.14.v.10. *inde dictus Mercurius.* v.11. *mox à Lycaonijs lapidatur.* v.18. *quare à Lystris discesserit.* c.15.v.39. *Timotheum quare circumciderit.* c.16. v.3. *cur ab Atheniensibus explodereturs.* c.17.v.18. *cur artem suam scenofactoriam exercuerit Corinthi.* c.18.v.3. *cur edidit votum nazaræatus.* v.18. *Ephesi quamdiu hæserit.* c.19.v.9. *Eutychum mortuum suo complexu vitæ restituit.* c.20.v.9. *suasu S. Iacobi ritu Iudaico se purificauit.* c.21.v.26. *vincitur à tribuno, & ducitur in arcem Antoniam quæ Ierosolymæ erat.* v.33. *erat ciuis Romanus.* v.39.c.22. v.28. *illius confidentia & animositas in perorando apud Iudæos.* c.23.v.1.3. *percutitur in facie iussu summi pontificis.* v.2. *reueretur eum, etsi ad id minimè teneretur, & qua de causa.* v.4. *vnde non nosset, eum esse pontificem.* v.5. *dissensionem inter hostes suos serendo, eorum manus euadit.* v.6. *à Tertullo oratore iniquè traducitur.* c.24.v.3. *Iudæos numquam se offendisse probat.* v.11.& 14. *eius animi constantia in coarguendo Felice & Drusilla.* v.25. *cur ad Cæsarem Rom. à Festo præside appellaret.* c.25.v.9.& 10. *eius zelus pro iudaismo.* c.26.v.12. *eius humilitas.* 1.Cor.9.v.15. *non fuit coniugatus, sed semper mansit & vixit cælebs.* 1.Cor. 7.v.7.8.c.9.v.4. & Phil.4.v.3. *quomodo coegerit Christianos blasphemare.* Actor.26.v.11. *ei sæpè apparuit Christus.* v.16. *in eius gratiam seruati omnes vectores à submersionis periculo.* c.27.v.24. *quater naufragium passus est.* v.41. *quàm in Melitenses fuerit beneficus.* c.28.v.1. *ipsis fidem Christi annuntiauit.* v.7. *Siciliam, & maximè Syracusas, Christo asseruit.* v.12. *quando Romam appulerit: vbi fuit in libera custodia.* v.16. *Iudæos ibi sibi conciliat.* v.9. *egit illic cum omni fiducia, vnde ea orta.* v.31. *è carcere & vinculis primis liber dimittitur per amicorum intercessionem.* ibid. *Italiam & Hispaniam peragret.* ibid. *eius reliqua vita & mors.* ibid. *quomodo optet esse anathema à Christo pro fratribus suis Iudæis.* Rom.9.v.3. *per quas regiones Euangelium prædicarit.* c.15.v.23. *quomodo se abortiuum vocet.* 1.Cor. 15.v.8. *an Ephesi cum bestijs pugnarit.* v.32. Actor.19.v.29. *etsi Gentibus prædicaret, Iudæorum tamen memor erat.* 1.Cor. 16.v.1. *hortatur Corinthios ad largas eleëmosynas pro paupertibus Ierosolymitanis.* v.4. *eius prudentia.* 2.Cor.7. v.16. *amolitur à se suspicionem eleëmosynæ in sua ipsius conuersa.* c.8.v.20. *erat forma vili & contemptibili.* c.10.v.10. *non fuit minor aliis Apostolis.* c.11.v.5. *eius eloquentia neruosa.* v.6. *eius labores & erumnæ.* v.24.& seq. *eius raptus in tertium cælum.* c.12.v.2.3. *confert Euangelium suum cum aliis Apostolis.* Galat.2.v.2.6. *Gentibus æquè ac Iudæis*

Iudæis euangelizauit. v.7. quomodo Petrum reprehenderit. v. 11. non habuit vulnera Christi corpori suo infixa. c.6.v.17. viuere & mori propter Christum, illi arbitrarium est. Phil 1. v.22. an vitæ mortisq; à Deo illi data sit optio. v.24. cur de Imp. Romano obscuris & symbolicis verbis loquatur. 2.Thess. 2.v.7. quomodo se maximum vocet pecccatorem. 1.Tim.1. v.15. præsciuit instare tempus martyrii sui. 2.Tim. 4. v,6. non fuit certus de sua salute æterna. 1. Cor.6.v.27. cur & quos libros ad se in carcerem ferri velit. 2.Tim.4.v.13. è primis vinculis per Deum fuit liberatus. v.16. vbi exinde prædicarit. ibid. post reditum ex Hispaniis reuisit suos Asianos. v. 20. Hebr.13.v.23. quomodo ipse nos doceat iustificari ex fide sine operibus legis, Iacobus verò inculcet opera legis Christiana facta ex fide Christi. Iac.2.v.14.19

Pauperis descriptio. Iob 30. pauper vexans pauperem exhauritur facilè. Prou.28.v.3

Pauperum oppressio peccatum grauissimum. Prou. 30. v.11. quomodo pauperes in iustitia Christus iudicaturus sit. Isaiæ 11.v.4. pauperes spiritu qui dicantur, & quomodo beati. Matth.5.v.3

Paupertas æquo animo toleranda est. Eccli.11.v.10.c. 13. v.30. ad euangelizandum est aptissima. Matth.5. v.3. paupertas Christi quanta fuerit, & esse debeat Euangelica. Matth.8.v.19

Pax iners subinde noxia. 1. Reg.7.v.14. pax cum inimico ineunda antè quàm sacrificium offeratur. Matth.5.v.23. ad pacem alicui loqui, est studere commodis & quieti alicuius. Esther 10.v.3. quam pacem Deus in animabus adferat & causet. Isaiæ.9.v.7. qualem pacem Christus suis det. Ioan.14.v.27

Paxillus sumitur metaphorice pro magistratu. 1.Esdr. 9.v.8.

omnes homines Peccant, saltem venialiter. 1.Ioan.1.v.8. peccantibus in nos toties remittendum, quoties veniam petent. Matth.18.v.22

Peccator mortuus est Deo, sibi & cælo. Luce 15.v.24. collaborare debet bona vita, si velit sibi preces Sanctorum prodesse. Ierem.15.v.1. per diuinam gratiam è cœno peccatorum educendus est. cap.38.v.11. peccatorem obduratum conuerti, non est prorsus impossibile. cap.13.v.23

Peccatores sunt velut latrina & cloaca. Osee 8.v.8. si ratiùs & leuiùs peccent, facilius excitantur à Deo. 1.Tim.1.v.13. peccatores triplicis sunt generis, & adumbrantur in tribus mortuis quos Dominus ad vitam resuscitauit. Ioan.11. v. 44. quatenùs finendi inter pios viuere, quatenus de medio tollendi. Matth.13. v.25. adhuc manent membra Ecclesiæ. Isaiæ 52. v.1. abutuntur beneficiis diuinis aduersus Deum datorem. Osee 10.v.1. eos quomodo Deus audire non dicatur. Ioan.9.v.31. peccatis suis Deum configunt. Malach.3.v.8. peccatores maximi non pauci ad Christum sunt conuersi. Matth.1.v.3. peccatores publici publicè arguendi sunt statim. Matth.18.v.17

Peccatum auctori suo maximè noxium est. Iob 35.v.8. ipsum causa & origo pœnarum est. Iob 5.v.6. omnium malorum causa remota est, sæpè tamen non est propinqua cur hîc & nunc Deus malum aliquod infligat. Ioan. 9.v.3. quàm sit odiosum Deo. Eccli.15.v.13.21.&c. illius fructus. Prou.14. v.34. omni peccato concreatus est error & tenebræ. Eccli.11.v.16. peccatum omne includit ignorantiam. Habac.3. v.1. est vinculum colligatum. Isaiæ 25.v.7. omni peccato sua respondet pœna. Ezech.9.v.2. in vnum prolapsus, mox incidet in alia. Isaiæ 5.v. 18. & Iac.2.v.10. varij & miserandi illius effectus. Thren. 2. v.3. peccatum homini inhærens omnia eius opera inquinat. Agg.2.v.13. quare ipsum fugiendum. 1. Ioan. 3. v.3. quomodo id vitare possimus. v. 6. illius pœna. Iob 20.v.26. &c.21.v.17.&c. Psal.37. vsque v.16. Psal.71.v.14. eius lenocinia. Iob 20.v.11.&c. an Dei solius offensiuum sit. Psal.50.v.6. nullum fuit vnquam in Christo. 1.Ioan. 3.v.5

Peccatum ad mortem quod vocetur. 1.Ioan.5.v.16. peccato viuere & mori quando dicatur homo. Rom.6. v.2. peccatum vox quàm varia significet. Proleg. de Idiotismis Hebr. n.29. peccatum quomodo differat à delicto. Leuit. 4. v.3. peccatum capitur subinde pro victimâ oblata pro peccatis. Osee 4.v.8. peccati, seu pro peccato, hostia, qualis & quotuplex. Leuit. 4.v.3. quo peccato peccasse dicantur omnes reges Iuda præter Dauidem, Ezechiam & Iosiam. 2. Paral.14.v.2. peccatum originale quomodo contrahamus. Gen.3. Psal. 50.v.7. Vide Originale.

Peccata lepræ sunt. Matth.8.v.4. cur vocentur ignorantiæ Hebr. 9.v.7. olim remittebantur per victimæ oblationem. v. 22.c.10.v.3. quomodo tegantur, & non imputentur. Psal. 31.v.1. & 2. ipsa respondent peccanti. Isaiæ 59.v.12. olim sola contritione delebantur. Matth.3. v.6. peccata omnia non sunt paria. Iac.2.v.10. peccata peccatis puniuntur subinde. Psal. 68. v.28. eorum grauissima pœna, desertio. Psal.80.v.13. illorum remissio est Ecclesiæ à Christo relicta. Ioan.20.v.22. peccata mundi quomodo Christus tollat. Ioan. 1.v.29. peccata nostra dum remittuntur, planè emundantur. 1.Ioan.1.v.7. peccata omnia venialia nemo ad longum tempus euitare potest. Iac. 3.v.2. peccata remissa, non solis hominum vel angelorum, sed etiam Dei ipsius oculis teguntur. Rom.4.v.7. non remanent reuera in anima iusti, contra Caluinum. ibid. peccata aliena sunt etiam cauenda. Eccli. 7.v.8. ob peccata aliena nemini erubescendum citra propriam culpam admissa. Matth. 1.v.3. peccata aliena quo ritu expianda. Leuit.25. peccata aliena quàm occulta. Psal.18.v.13

Peculium Dauidis quod diceretur. 1. Paral.27.v.25. & c.vlt.v.3

Pecunia obediunt omnia. Eccles.10.v.19. pecunia pro peccato, pro delicto, qua. 4.Reg.12.v.16

Pediculis an vexarint Iobum. Iob.30.v.17

Pediculari morbo plerumq; puniti insignes blasphemi, Ecclesiæ persecutores, & diuinitatis appetitores. Actor.12.v.23.& 2. Mach.9.v.9

Pegu regio Indiæ. an sit Ophir. 2.Paral.8.v.18

Pellicanus, an vera auis, & qualis. Psal.101.v.7

Pellem pro pelle dare quid sit. Iob.2.v.4

Peloni alimoni, quid apud Hebræos. 1.Reg.21.v.2

Pelops quando regnarit apud Argiuos. Iud. 3. v.31

Pelusium portus Aegypti celeberrimus. Ezech.30.v.15

Penna columbæ deargentatæ, quæ sint. Psal.54.v.7

Pentapolis. vide Sodoma.

Pentecoste Hebræorum quare & quam ob causam sit instituta. Exod.19.v.1.Leuit.23.Actor.2.v.1

Penula pallium est ad frigus ac pluuiam arcendam. 2.Tim. 4.v.13

Πέποιθα ex mente S. Pauli idem est quod spero, confido. Rom.8.v.39

cùm omnia Perdita videntur, sentiet homo diuinam opem. Matth.19.v.29

Perdix oua aliena matris suffurari solet & excludere. Ierem.17.v.11

Peregrini quomodo dicantur muros Ecclesiæ construxisse. Isaiæ 60.v.10. peregrini è Iericho in Ierusalem descendentis historia allegoricè exponitur. Luca 10.v.34

Perfectioni assequendo conducunt tria consilia Euangelica. Matth. 19. v.21. perfectionem Religiosæ vitæ sectabantur primi fideles. Actor.5.v.2

Pergamus clarissima vrbs Phrygiæ erat: eius elogium. Apoc. 2.v.12

Pericardio perfosso necesse est omne animal protinus mori. Ioan.19.v.34

Περιχαθάρματα significat sordes vndique conuerrendo collectas. 1.Cor.4.v.13

Perillus propria perit arte, seu aneo tauro. Esther 7. v.10.

nemo Perit nisi volens. 2.Tim.2.v.19

Περίψημα capitur pro re vilissima & ramento. 1.Cor. 4. v.13.

Perisscelides sunt crurum ornamenta. Isaiæ 3. v.20

Periurium non impunè est. Sap.14.v.31
cur se Christus permisit prodi à domestico, & osculo quidem. Matth.26.v 47
Περιποιέομαι *vox quid significet, & vnde ea sumpta.* 1. 1.Cor.13.v.4
Persæ bis Babylonem expugnarunt. Zach.6.v.6. *cur asinis comparentur, item vrso.* Isaiæ 21.v.7.. *pro insigni habebant solem & aquilam.* Ierem. 50.v.16. *inter primos ad Christi fidem conuersi fuerunt, & mirè apud eos floruit Christianismus.* Ierem. 49.v 39. *illorum quidam etiam hodie Christianam fidem S. Ioanni Apostolo acceptam ferunt.* proœm. in epist.1. S. Ioan. *eorum reges habebant septem principes perpetuò sibi adstantes.* Apoc.1.v.4. *an hi significent septem Dei attributa.* ibid. *eorum monarchia cur vrso comparetur.* Dan.7.v.5. *stetit 200. annis.* Chron.c.36. *gesta 10. regum.* c.37
Persecutio prima Christianorum Ierosolymis illos quaquauersum dispersit. Actor.8.v.1
nemo certus est de sua Perseuerantia. Rom.11.v.23
Persæus vltimus Macedonum rex fuit, deuictus à Romanis. Chron.c.41.
Persis regio omnes Orientales partes complectitur. 2.Mach. 1.v.19.
Persona diuina Verbi duplici vinculo hypostaticè vnita est humana natura Christi. Col. 2.v.9. *personæ acceptio cauenda.* Eccli.4.v.26. *quia nec illius acceptor est Deus.* Actor.10.v.34. *personas trés diuinas vidit Isaias per speciem corpoream in sua visione.* Isaiæ 6.v.1.& 3. *est personarum pluralitas & distinctio in diuinis.* Psal.109.v.1. Prou.30.v.4.Ioan.1.v.1
Peru regio, an sit Ophir. 2.Paral.8. v.18
Peruerti pro inuerti sumitur. Psal.17.v.26
Pes cubicus Romanus, idem quod metreta. Proleg. de Mensuris. *pes longitudinis Romanus.* Proleg.de Longitud. *pes cubicus Græcorum media ex parte maior Romano: idem quod cadus.* ibid. *pedum Apostolicorum lotio quid designaret.* Ioan.13.v.2.& 4
Pestis tempore Dauidis quamdiu durarit. 2.Reg.24.v.15. & 1.Paral.21.v.14. *ea sedata prece & sacrificio Dauidis.* 2. Reg. vlt.v.15.& 1.Paralip.21.v.16. *pestis Aegypti quàm noxia fuerit.* Amos.4.v.10
Petita à Deo quatenus nobis concedantur. Matth.17.v.8
Petitio matris Zebediadum quare esset impertinens. Matth. 20.v.22
Petra quomodo sit Christus. 1.Cor.10.v.4. *petra scissa sunt moriente Christo: quid hæc scissio designaret.* Matth.17. v.51. *petra Oreb vnde nomen inuenerit.* Isaiæ 20.v.26. *Petra vrbs Moab vnde nomen sit sortita.* Isaiæ 16.v.1. *iam gazophylacium est Arabiæ & Aegypti.* ibid. *petra pro arce aliquando sumitur.* Psal.26.v.6.Psal.39.v.3
S. Petri Apostoli res gestæ, ordine temporum digestæ. Chron.c. vlt. *eius humilitas.* Lucæ 5.v.8. *in quo ceteris Apostolis præstaret.* cap.6.v.13. *solus habuit potestatem ordinariam, reliqui delegatam.* ibid. *super aquas incedere volens non tentauit Deum.* Matth.14.v.28. *quomodo ijs inambularit.* v.29. *Apostolorum omnium fuit princeps & primas, sed Andreas vocatione & ætate prior illo.* cap.10.v.2. *cur à Christo correptus sit.* c. 16.v.23. *est solidum Ecclesiæ fundamentum.* ibid. *errare potuit in moribus, sed non in dogmatibus.* ibid. *eius potestas ligandi quomodo differat à potestate data alijs Apostolis.* cap.18. v.18. *illius illustris de Christo confessio.* Matth. 16.v.16. *hanc hausit ex illuminatione Patris cælestis.* v.17. *cur vocetur petra vel Cephas.* v.18. *ei promittitur monarchia perpetua Ecclesiæ.* ibid. *habuit in eam omnem potestatem tùm ordinis, tum iurisdictionis.* v.19. *dum se à Domino lauari non sustinuit, an peccarit.* Ioan.13.v.10. *Malchum cadens non nisi leuiter peccauit.* Matth.26.v.52. *eius negatio & detestatio graue peccatum fuit: cur id à Deo permissum: hac negatione fidem non amisit.* v.74. *eius dolor & pœnitentia.* v.75. *semper quoad vixit, hic dolor in eo permansit.* ibid. *cur ei Christus à resurrectione apparuerit.* Lucæ 24. v.34. *triduo mortis Christi ab alijs Apostolis se subduxit, vt liberiùs suam negationem plangeret.* Marc.16.v.7. *ei Christus suas oues pascendas committens, constituit eum vicarium suum in terris.* Ioan. 21. v. 15. *cur tertiò rogaretur ab eo num se diligeret, & ipse propterea contristaretur,* v.17. *mors, & quidem per crucem, ei à Christo prædicitur.* v.18. *eam quomodo & quare sit secutus.* v.29. *ipse de collegio Apostolorum supplendo verbum fecit, vtpote caput omnium.* Act.1.v. 15. *prima concione sua quot millia Iudæorum conuerterit.* Act. 4.v.4. *Simoni Mago non est malum imprecatus, sed prophetice comminatus.* Actor. 8.v.20. *apud Simonem constantiam diuersatus insignem ostendit humilitatem & discretionem.* Actor. 9. v.43. *aperuit ostium fidei Gentilibus.* Actor.10. v.5. *cur à Cornelio adorari noluerit.* v.25. *ab Herode in carcerem coniicitur.* Actor.12.v.3. *sed precibus tius Ecclesia inde per angelum eripitur.* v. 5.& seqq. *Romam quando abierit sedem ibi suam fixurus.* v.17. *quo primum Romæ conuerterit.* ibid. *quo anno Romam venerit.* Act. 28.v.16. *eum Romæ fuisse probatur, etsi Paulus ad Romanos scribens, eum non salutet.* Rom.16.v.16. *Romæ excedere coactus à Claudio ad tempus Ierosolymam rediit.* Act.15. v.1. *definit quæstionem in Concilio Ierosolymitano.* v. 13. *fuit caput Ecclesiæ tam è Iudæis, quàm Gentibus collecta.* Galat.2.v.7. *ita euangelizauit Iudæis, vt & Gentes non negligeret.* ibid. *cur Paulus ei in facie restiterit.* v. 11. *an licitè, & quid simularit.* v.13. *an in eo peccarit.* ibid. *est vniuersalis totius gregis Christi pastor, & alium eius regimen spectauit.* 1.Petr. 5.v.2. *nouit diuinitus diem transitus sui, quia sæpè illi Christus haud dubiè apparuit.* 2.Petr. 1.v.14. *vidit eius gloriam in monte Thabor.* v.18. *Petrus & Ioannes missi ad asinam adducendam.* Matth.21.v.1
Phalaridis taurus aneus inuentori noxius. Esther.7.v.10
Phanasius Rusticus vltimus Iudæorum fuit pontifex, tempore obsidionis vrbis. Chronic.c.42.
Pharao commune nomen regibus Aegypti erat. Gen. 12.v. 17. *quis Pharao tempore Iosephi: quis infanticida: quis in mari rubro demersus.* Exod. 1.v.8. *eius crudelitas in Israelitas.* Exodi 1.& 5. *Pharao Hebræorum oppressor an fuerit natione Assyrius.* Isaiæ 52.v.4
Pharaonis filia vxor Salomonis, an Gentilis semper permanserit. 3.Reg 11.v 1
Pharisæi vnde dicti, quæ eorum dogmata: his populus erat addictus: quis eorum parens. Matth.3.v.7. *concupiscentiam æternam minimi faciebant.* c. 5.v.19.& 28. *eorum doctrina & imperia.* Matth. 23. v. 3. 4. 5. & seqq. *eorum error quoad iuramentum.* c.5.v.34. *item circa vindictam.* c.39. *& odium inimicorum.* v.43. *item circa c.* 6.v.17. *pro Niniuitis damnabuntur ob incredulitatem.* cap.12. v.41. *primò Christum recipere debebant, sed ei aduersabantur.* Lucæ 11. v.23. & 53. *eorum doctrina in externa pietatis specie tota versabatur.* Matth.16.v.6. *de exteriore lotione mirè solliciti erant, & quare.* Matth.15.v. *de grauioribus præceptis minimè.* v.3.5. *indignabantur ex. catores ad Christum venientes.* Lucæ 15.v.28. *pro Pharisæis certant aduersus Sadducæos.* Actor. 23.v.9
Phase, quid. Deut.16.v.2. vide Pascha. item 4.Reg.23. v.22. *phase comedentes immundi, cælitus puniti fuere.* 2. Paral.30.v.18
Phasga vertex montis Nebo in quo mortuus Moyses. Num. 27.v.12.Deut.vlt.v.5.
Phassur filius Emmer non fuit summus pontifex ex principibus sacerdotum. Ier.20.v.1
Phialarum quis vsus in templo Domini. Zach.14.v.20
Phigellus quare ab Apostolo Paulo defecerit. 2.Tim.1.v 15
Philadelphia vrbs est Mysiæ, vnde dicta: alia est in Syria, dicta Rabbath filiorum Ammon. Apoc.3.v.7
Philetus negabat resurrectionem mortuorum. 2.Tim.2. v.17.
Philippi ciuitas Macedoniæ. Actor.16.v.12
Philop-

Philippenſes tenerrimè erga S.Paulum afficiebantur: & ad eum Romæ vinctum, Epiſcopum ſuum cum muneribus miſerunt. in proœm.epiſt.ad Phil.& c.4.v.15

S.Philippus Apoſtolus eſt crucifixus anno Claudii 12.Chron. c. vlt.

Philippus Diaconus quatuor habuit filias prophetiſſas.Actor.6. v.5.& c.21.v.8.9.primus Samaritis euangelizauit.c.8.v.5.non fuit Epiſcopus. v.16. cur ſubitò ab angelo in Azotum tranſlatus ſit. cap. 8. v.39. cur vocetur Euangeliſta cùm eſſet tantùm Diaconus. cap.21.v.8.9

Philippus tetrarcha quare non repetierit vxorem ſuam Herodiadem ad Herodis fratris ſui thorum conuolantem. Marc. 6.v.17

Philippicus,vn ſcudo. Proleg. de Ponderib.

Philiſthinorum ſatrapiæ cur exſcindenda ab Amos prædicantur. Amos 1. v.6. ad Eccleſiam vocandi dicuntur: & quomodo chriſtianiſmus poſtea apud eos viguerit. Iſaiæ 11.v.14. fuerunt ab Ezechia rege grauiter afflicti. Iſaiæ 14.v.29

Philoſophi celeberrimi quinque ſcelera contra naturam publicè probarunt. Rom.1. v.28. eorum faſtuoſum ſupercilium. 1.Cor.1.v.20

Philtra veneficarum vnde fiant. Apoc.17.v.4

Phinees ſummus pontifex laudatur. Eccli.45.v.28. eius poſteri an ſemper pontifices. Num.20.v.28.& c.25.v.12

Phiſon,vide Ganges.

Phœbe Romam defert epiſtolam S. Pauli ad Romanos ſcriptam. Rom 16.v.1

Phœbus idem qui ſol. Sap.13.v.2

Phœnicia, Syria pars eſt. Iudith 3.v.1

Phœnices ſunt Chananæi. Matth.15.v.21. primi ſunt inuentores nautica & bellica & aſtrologica & litteraria artis. Ezech.27.v.25.& 2.Paral.8.v.18.ipſis,quia in Iudæos ſeuitiem oſtenderunt,intentatur ſupplicium. Amos 1.v.9

Phœnix an fictitia ſit auis. Iob 29.v.12

Phenix etiam locus eſt in Creta. Actor. 27.v.12

Phogor,idolum quod fuerit. Num.25.& Deut.3.v.29

Phraortes quando in Media regnarit: occiſus eſt in obſidio Niniues. Chronic.c.33.

Phryges vocant Hebræi à filio Gomer Thogormæos vel Thigranæos. Ezech.27.v.14

Phrygionica veſtes eadem ſunt cum diſcoloribus. Ezech. 16.v.10

Phul-Bel-Ochus quis rex Aſſyriorum:eius geſta. Chronic. c.33.& 4.Reg.15.v.14

Phurim dies,id eſt feſtum ſortium. Eſther.3.v.7. quomodo celebratum. c.9.v.27.& 31.

Phylacteria quæ eſſent, & quomodo ea Phariſæi dilatarent. Deuter.6.v.8.& Matth.23.v.5.

Phyſiognomia an licita, & in ſacris Litteris fundata. Sap. 7.v.20.Eccli.19.v.26

Pietas donum Spiritus ſancti, in quo ſita ſit. Iſaiæ 11.v.2. cauſa eſt omnis abundantiæ. Zach. 8. v.12. pietatis & impietatis antitheſes. Prou.10.11.12.&c.

Pignus à paupere quando licitum accipere. Deut.24.v.6.

Pigri deſcriptio. Prou.19.v.24.c.21.v.25.c.23. v.21. Eccleſ.4.v.5.Cant.5.v.3.Eccli.22.v.1

Pij hac in vita affliguntur præ impijs. 1.Petr.4.v.14. & quare. v.17. & 1. Tim. 4. v.8. pij non coboneſtent impios. Ierem.16.v.5. vide *Boni,Fideles, Iuſti.*

Pontij Pilati præſidis geſta. Chron.c. 45. exilium. cap. vlt. ei Chriſtus traditur à Iudæis non examinandus, ſed crucis ſupplicio mulctandus. Matth.27.v.2. norat Chriſtum eſſe Meſſiam promiſſum, non inuitus tamen de medio ſuſtulit. Marc. 15.v. 26. titulum cruci affigendo, egregiè Iudæos damnauit importunitatis & ingratitudinis. ibid. cur eum noluerit mutare. Ioan. 18. v.22. faſtidiosè petit à Chriſto quid ſit veritas, nec exſpectat eius reſponſum. Ioan.18.v.38. etiam religione deterritus non audet eum condemnare.c.19.v.8.12. ſed eum omnimodis eripere ſatagit. Matth.27.v.24. ipſe non damnauit eum,ſed Iudæorum furori obſiſtere non valens, permiſit ab iis plecti morte. v.26. & Luc 23.v.22. in quo culpa non caruit. Matth. 27. v.25. quid in Chriſti cauſa adeò miraretur. Matth.27.v.14. cur in eiuſdem reſuſcitatione à mortuis ita diſſimularit. Matth.28.v.14. eſt exulatum miſſus in Gallias. Matth.27.v.19. eius vxor quid ſomniarit; bono angelo ei immittente ſomnium, in Chriſti cauſa. ibid.

Pileus eſt inſigne libertatis. 1.Cor.11.v.10

Pingue accipitur ſubinde pro grato. Pſal.19.v.4. pingues terræ ſunt diuites. Pſal.21.v.30.Pſal.77.v.31

Pinnaculum templi quod diceretur, Matth.4.v.5

Piſcatores ſpirituales quinam dicantur. Ierem.16.v.16

Piſcina Probatica vnde diceretur: vnde Bethſaida. Ioan. 5.v.2. habebat ea quinque porticus in vſum ægrorum. ibid. erat ea figura paſſionis Chriſti & Sacramenti Baptiſmi & Pœnitentiæ. v.4. vnde haberet eius aqua vim ſanandi. ibid.

Piſcis Tobiæ, qualis fuerit. Tob.6.v.2. an cor,iecur,fel, naturalem vim curandi cæcitatem, & dæmonem pellendi habuerint. v.8.& 9.

Piſces aliqui an reſpirent. Iob 41.v.10. piſcium innumerabilium capturam poſt reſurrectionem Chriſtus produxit,& vnde. Ioan. 21.v.9. piſces in mari emorientur tempore Antichriſti ob aquas ſanguineas, non tamen in ſtagnis & viuariis. Apoc.16.v.3

Piſtola Hiſpanica, Italica, &c. drachma auri Attica. Proleg. e Ponderib.

Πίτυες quæ vocentur. Bar.6.v.42

Plagæ filiorum hominum,quæ dicantur. 2.Reg.7.v.14. plagæ decem Ægypti quales fuerint. Exod.8. &c. quàm aptè immiſſæ. c.11. v.5. adumbrantur in plagis ſub finem mundi futuris. Apoc. 8.v.7. plagæ ſeptem vltimæ quas angeli in orbem effundent, ſunt aliæ à plagis ſigillorum. Apoc.16.v.1. ſunt adumbratæ in Ægyptiacis. ibid.& v.2.3. 8.10.12.19

Plagarum numerus non poterat quadragenarium excedere. 2.Cor.11.v.24

Plagiarii ſunt qui aliena rapiunt mancipia. 1.Tim.1.v. 10. ideo morte plectendi. Deut.24.v.7

Plangere quotannis Adonidem cur olim ſolerent mulieres. Ezech.8.v.14

Platea pro foro publico ſumitur. 3.Reg.20.v.34. Eſther 4. v.1. Pſal.54. v.12. platea Orientalis Ieroſolymæ quæ fuerit. 2.Paral.29.v.4

Plaudere pedibus quotupliciter dicantur mulieres.Iſaiæ 3.v.16

Plebeiorum non eſt miniſtros Eccleſiæ nominare vel eligere. Actor.1.v.23

Pleiades quod ſit ſidus. Iob 9.v.9.& c.38.v.31

Plumarium opus, idem eſt quod Phrygium ſeu polymitum. Exod.26.

Plumbeis laminis olim inſcribebatur. Iob 19.v.24

Plumbum auro argentoq; purgando admiſceri ſolet. Ierem. 6.v.29

Pluuia ſanguinea ſemper prænuntia eſt inſtantis iræ diuinæ. Apoc.8.v.7. pluuia voluntaria quæ vocetur Pſal. 67. v.10 vide *Imber.*

Poderis erat veſtis ſacerdotalis. Exodi 28.& Sap.18.v.24. Eccli.27.v.9

Pœna etiam tangit rationis & ſenſus expertia. Sap.14.v. 11. pœna in inferno delicto congruens infligetur. Luc 16. v.24. pœnæ omnes terrenæ inſtar ſtillæ ſunt, cum infernalibus collatæ. Amos 7.v.16

Pœnitentiæ ritus apud Iudæos quis eſſet. Leuit. 5.v.5. pœnitentia iugulat veterem noſtrum hominem, eumq; mactat Deo. Oſee14.v.3. non conſiſtit in ſola nouæ vitæ. Matth.3.v.8. ficta diſplicet Deo, non placat. 2.Mach.9.v.13.

Polenta, quid ſit,& illius vſus. 1.Reg.17.v.17. quomodo confici ſolita. 2.Reg.4.v.6

Polinctura pro epulis ſepulcralibus. Tob.4.v,18

Politi.i taxantur. Psal.52.v.7.Psal.54. v.22.Psal.61. v.10.Eccli.33.v.6

S.Polycarpus fuit Episcopus Smyrnensis tempore S. Ioannis. Apoc.2.v.8

Polygamia in lege naturæ & Mosaica permissa. Gen.9.v.28. c.16.v.3. *est tamen contra ius naturæ & diuinam institutionem.* Matth.19.v.6

Polymita tunica Ioseph qualis fuerit. Gen.37.v.3.& 2.Reg. 13.v.18.& Ezech.16.v.9

Polypragmosyne fugienda. Eccli.38.v.25

Poma conuallium quæ vocentur. Cant.6.v.10. *quæ noua & vetera.* Cant.7.v.11

Pondo, pondium; libra, assis. Proleg.de Ponderib.

Pondus sanctuarij quod vocetur, est aliud à vulgari. Exod. 30.v.13. *pondera adseruabantur in templo, vt & mensuræ.* ibid.& 1.Paral.23.v.29

Pondus, mensura & numerus à Deo in omni re seruatur. Sap.11.v.21

Ponere in puluere os suum, est se humiliare; & ponere os in cælum, est superbè de se sentire & loqui. Thren.3.v.29

Pontici quàm essent barbari & inhumani. 1.Pet.1.v.1

Pontificatui Aaronico successit Christianus, qui æternùm duraturus est. Isaiæ 22.v.25. *ille post mortem Oniæ, mansit ad quadriennium in manu spuria.* 2.Mach.4.v.50

Pontificis Hebræi vestes. Exod.28.v.4. *consecratio.* Leuit.8. *munia.* Exod.30.v.10. *eius sententia qui non steterit, morte mulctandus est.* Deut.17.v.8. *an aliquando simul duo fuerint pontifices.* 1.Reg.22.v.22. *quid peculiare habuerit præ sacerdotibus vulgaribus.* Leuit.21.v.1. *an ei fas licuerit ingredi Sanctum sanctorum.* Num.4.v.4

Pontifices tempore Christi non erant stabiles, sed facilè mutabantur. Ioan.18.v.13. *recensentur quotquot fuerunt ab exitu Israelitarum ex Ægypto, vsque ad destructam Ieroſolymam per Titum.* Chron.c.42. *de quibusdam horum etiam agitur.* 1.Reg.2.v.31.& 1.Paral.6. *qui fuerint pontifices durante monarchia Persarum.* 2.Esdr.12.v.10. *post reditum è captiuitate Babylonica fuere etiam principes in temporali regimine.* Zach.3.v.7. *pontifices reuerendi sunt.* Actor.23.v.5

Pontifex Rom.propugnatorem habet S.Michaelem Archangelum. Zach.3.v.1. *illius auctoritas certa est in Scripturis interpretandis.* 2.Petr.1.v.21. *Pontif.Rom.potestas spiritualis quanta sit.* Matth.16.v.19. *in fide non errabunt, in quantum sunt capita Ecclesiæ.* Lucæ 22.v.32. *ipsi non sunt Antichristi, vt volunt Nouantes.* 2.Thess.2.v.4. *pontifex noster est Christus probatus per omnia.* Hebr.4.v.15.c.6.v.20.c.7. v.9.11.18.24.& seqq.c.8.v.2.& seqq.c.9.v.11.c.10.v.21

Popilius Lenas coëgit Antiochum Epiphanem excedere Ægypto. Dan.11.v.30

Populo suo iungi idem est quod mori. Deut.32.v.50

cur dæmones in Porcos ingredi Christus permiserit. Matth. 8.v.31

Porta Beniamin in Ierusalem, alia superior, alia inferior. Ierem.20.v.2.& 2.Esdræ 3.v.1. *porta equorum vel fontis, vel aquarum, eadem est.* Ierem.31.v.40. *porta fictilis qua, & vnde sic diceretur.* 2.Esdr.3 v.1.Ierem.19.v.2. *porta gregis quæ: per eam Christus vrbem inuectus est in die palmarum.* 2.Esdr.3.v.1.Mich.4 v.8. *porta media erat inter portam muri extimi & intimi vrbis.* Ierem.39.v.3. *quæ porta noua.* Ierem. 26.v.10. *quæ porta piscium diceretur.* 2.Paral.33.v.14. & Soph.1.v.10. *quæ porta vallis, porta fontis, porta stercoris.* 2.Esdr.2.v.13. *quæ porta equorum, aquarum, Ephraim, vetus, & anguli.* 2.Esdr.3.v.1. *quæ porta iudicialis.* v.30. *porta 12.vrbis Ieroſolymæ.* 2.Esdr.3.&c.Ezech.vlt.v.31. *porta duodecim Ierusalem cælestis quid denotent, & ad quid alludant.* Apoc.21.v.12.13

Porta altaris quæ diceretur in templo. Ezech.8.v.5. *porta atrij sacerdotalis Orientalis semper clausa quid allegoricè, tropologicè, & anagogicè repræsentet.* cap.44.v.3. *porta fundamenti in templo Salomonis erat porta Orientalis.* 2.Paral.23.v.5. *eadem Excelsa vocatur & Noua.* c.27.v.3. *porta templi Iudaici erat similis portæ templi Pantheon Romæ.* Ezech.41.v.21. *porta templi Speciosa quæ diceretur; erat enea, vnde vocatur etiam Corinthia.* Actor.3 v.2. *hæc mentio obsidionis Ieroſolymitanæ per Titum, sponte suaapertæ fuit.* Zach.11.v.1. *portarum omnium templi quæ esset latitudo.* Ezech.41.v.2

Portæ æternales quæ dicantur. Psal.23.v.7. *portæ mortis quæ.* Psalm.9.v.15. *portas filiæ Sion quas vocat?* Psal.9.v.15. *portæ vrbium quando iugiter apertæ sint.* Isaiæ 60.v.11. *in portis agebatur olim forum tum ciuile, tum criminale.* Deut.17.v.8.Iob 5.v.4.Amos 5.v.10. *portæ vrbis phoricè vocantur angustiæ montis Tauri.* Zach.6.v.1. *portæ terræ sunt extremæ terræ oræ.* Ieremiæ 50.

Portare iniquitatem, quàm varia significet. Prolegom.v. Idiotismus Hebr.n.10

Porticuum in bellis hodiernis quis sit vsus. Nahum 2.v.5. *porticus Salomonis circa templum quæ diceretur.* Actor.3.v. Ioan.10.v.23

Portius Festus Syriæ præses non multum studuit tribui Iudæorum, sed eos quà potuit irritauit. Actor.25.v.4. *vnde Paulo fuerit suboffensus.* v.12

Portus S.Pauli quis locus in Melita. Actor 27.v.41

Positiuus gradus pro comparatiuo vel superlatiuo ponitur aliquando. Prolegom.de Idiotismis Hebr.n.5

apud Deum omnia Possibilia sunt. Matth 19.v 24

Postulat, *idem quod postulare facit.* Prolog.de Idiotismis Hebr.n.60.& Rom.8.v.26

Potentatus, idem quod potentia. Psal.13.v.7

Potentes potenter tormenta patientur. Sap.6.v.7.& 9

Potestas omnis à Deo est, Ecclesiastica immediatè, secularis mediatè. Rom.13.v.1

Præcepta Ecclesiæ legibus diuinis non aduersantur. Matth. 15.v.9. *præceptum vocant Hebræi omnem dispositionem & ordinationem Dei.* Ion.2.v.1

Præcipitationis verba quæ sint. Psal.51.v.6

Præcoces fructus sunt saporosissimi. Isaiæ 28.v.4

Præcursor Antichristi quis & qualis futurus. Apoc.13.v.11. *quid de illo promulgaturus: eius duo cornua quid designent.* ibid. *per eum loquetur diabolus.* ibid. *eius miracula.* v.12. 13.15

Præda ex æquo diuidenda inter pugnantes & remanentes ad sarcinas. 1.Reg 30.v.21

Prædestinatio diuina quoad primum eius effectum non pendet ex meritis nostris, sed ex mero Dei beneplacito; quoad reliquos effectus obiectiuè pendet à nostris meritis. Ephes 1.v.11. *eius causa & effectus.* Ephes.1 v.4. *prædestinatio ad gloriam æternam absoluta, sine vllo respectu ad merita præuia, non ita ex Epistola ad Romanos.* Rom.9.v.22. *prædestinatio & reprobatio pendet ab hominum libero arbitrio.* 2.Petr.1.v.11

Prædicare proprium Apostolorum & Episcoporum officium. 1.Cor.1 v.17

Prædicationis quanta sit vis. Psal.58.v.6

Prædicatores in denuntiandis Dei minis interdum clementiam sentiunt, interdum amaritudinem. Ezech.3.v.14. *sæpè idem suis auditoribus inculcent.* v.18. *prædicatorum Euangelij verba & itinera Deo cura sunt.* Act.16.v.6. *omnes à Deo mitti debent.* Rom.10.v.15

Præficæ seu planctrices. Iob 3.v.8. vide si.dda. Ierem.9. v.17. vide Lamentatrices. *in funeribus ad lamentandum conducebantur: quod earum in iisdem manus.* Matt.9 v.23

Prælati Ecclesiæ quæcumque ligant in terra, ligata sunt in cælo. Matth.18.v.18. *ab ipsis debet valere Patres, præcones approbari.* Gal.2.v.2. *audaciter se habent aduersarij aut improbi.* Ierem.15.v.19. *peccata & peccatores quomodo deuorare & digerere debeant.* Act 10.v.13. vide Episcopus, Parochus, Pastor.

Prælium Antichristianorum & Christianorum sub fine mundi. Apoc.16.v.12.13

Præ-

Præmia per stadium & certaminis locum in disco circumferebantur. 2.Mach.4.v.14

Præpositus domus Domini quis vocetur. 4.Reg.18.v.18

Præputium nihil obest legem seruanti. Rom.2.v.25.*& seqq. præputium adducere quid sit, quomodo id fiat, eratque reprauatio symbolum apostasiæ à Iudaica religione.* 1.Mach.1.v.16. *&* 1.Cor.7.v.18. *præputia arborum, quæ sint.* Leu.19.v.23. *quod præputium cordis.* Deut.10.v.16

conditionata Præscientia Dei ex Scripturis. 1.Reg.23.v.11. *&* Matth.11.v.21

Præsides & tortores multi visâ Christianorum sanctitate & patientiâ ad Christum conuersi sunt. 1.Petr.2.v.12. *præsides prouinciarum adducebant secum procuratores & aduocatos, qui causas in prouinciis latinè coram se agerent.* Actor.24.v.1. *præsides Iudææ, qui & quot fuerint.* Chron.c.45.*in fine.*

Præsidium sumitur pro arce. 1.Reg.22.v.4

Præstabile vsurpatur etiam pro præstante. Ioël.2.v.13

Præsumere de Dei misericordia, etiam in bonam partem sumi potest. Iudith 9.v.17. *præsumere, etiam significat præconcipere.* Sap.7.v.15

Præsumptio omnis cauenda. Eccli.5.v.5

Præter *sæpè vsurpatur pro* contra. Gal.1.v.8

Prætoriola in nauibus quæ dicantur. Ezech.27.v.6

Prætorium Pilati erat iuxta arcem Antoniam. Ioan.18.v.28

Preces faciunt Deo vim. Ierem.7.v.16. *preces prolixæ quatenus reprehensionem, quatenus laudem mereantur.* Matth.6.v.7. vide Oratio.

Presbyter non potest esse bigamus. 1.Tim.3.v.2. *presbyteri nomine etiam Episcopi olim appellabantur.* 2.Ioan.v.1

Presbyter non semper significat sacerdotem. Iudith 6.v.11 *presbyteri olim etiam causas seculares diiudicabant.* 1.Cor.6.v.4. *presbyteri honorandi sunt.* Eccli.4.v.7

Pretia rerum venditarum primi Christiani ad Apostolos deferebant, maximè ij qui ad perfectionem adspirabant, & cur. Actor.4.v.34.

Priapus etiam ab Israelitis colebatur. 3.Reg.11.v.7.c.15.v.13

in regno cælorum erunt Primi nouissimi, & nouissimi primi. Matth.20.v.1

Primipilus quæ dignitas in exercitu Romanorum. Act.10.v.1

Primitiarum lex. Exod.36.v.3.*&* Num.15.v.19. *eæ cedebant sacerdotibus.* Num.18.v.8.11.*&c. primitiæ fructuum dicuntur etiam fructus præstantiores.* 2.Mach.6.v.18. *primitiæ etiam principi persoluendæ erant à populo, & ex his sacrificia ipse curabat.* Ezech.45.v.16. *primitiæ spiritus quæ sint.* Rom.8.v.23

Primogenitus vocatur omnis ante quem nemo natus, etsi sit vnigenitus. Matth.1.v.25. *primogenitum omne Deo offerendum.* Exod.13.v.2. *quid de feminino.* Deut.12.v.17.*&* cap.15.v.19. *primogenita sua, etiam in deserto, obtulere Iudæi idolo Moloch.* Ezech.20.v.26

Primogenituræ iura quæ. Gen.25.v.31.c.49.v.3.*&* 1.Paral.5.v.2

Princeps qualis esse debeat. Psal.100. *quomodo stabiliendus. ibid.&* Psal.106.v.40. *quæ virtutes eam deceant, quæ vitia dedeceant.* Eccli.10. *Dei locum tenet in politicis.* Ezech.44.v.2. *princeps nouus sit prudens, & præcaueat insidias.* Ierem.40.v.14. *princeps pacis est nomen Christi.* Isaiæ 9.v.6. *princeps in porta atrij sacerdotalis Orientali sedem spectabat sacrificia, sed per eam non ingrediebatur.* Ezech.44.v.3. *princeps regni Persarum resistens Gabrieli fuit angelus regno Persico tutando præpositus.* Dan.10.v.13. *princeps, pro præfecto.* 2.Esdr.11.v.17.*&* 22

Principum familiaritas periculosa. Eccli.9.v.18. *Dei vices gerunt.* Rom.13.v.4. *iis etiam Ethnicis obediendum.* v.1. *principes impij dantur in punitionem reipublicæ.* Iob 34.v.30. *principes quibus virtutibus præditi esse debeant.* Apoc.4.v.5. *principes pueri ruina regnorum.* Isaiæ 3.v.4. *principes seculares non sunt caput Ecclesiæ.* 1.Corint.12.v.28

Principes 12. tribuum sub Moyse qui, & qui sub Dauide. 1.Paral.27.v.16

Principes sacerdotum, seu sacerdotalium familiarum, recensentur. 2.Esd.12.v.7.*&* 12. *hi vnà cum Scribis constituebant Sanedrim.* Matth.2.v.4. *hi quomodo Christi resurrectionem obscurare nitantur.* Matth.28.v.12.*& seqq. probè compertum habuere Iesum esse Messiam, & filium Dei.* Matth.21.v.38

Principatus temporalis post captiuitatem Babylonicam magna ex parte adnexus fuit pontificatui. 1.Mach.2.v.1

Principium, idem quod præcipuum. Iob 40.v.14. *&* *quod principatus.* Psal.109.v.3.Eccli.11.v.3

Prisca & Aquila egregij S. Pauli adiutores in Euangelio. Rom.16.v.3. Actor.18.v.1

iusti diuersimodè à Deo per aduersa Probantur. Psal.16.v.3

Prochorus diaconus, postea Martyr fuit: an illius scripta aliqua exstent. Actor.6.v.5

Proconsul erat in prouinciis vicarius Consulis. Actor.13.v.7

Procrastinatio in omni re noxia. Prou.27.v.1

Prodigalitas quàm noxia rei domestica. Eccli.18.v.33

Prodigia in cælo & in terra quæ facta sint tempore passionis Christi, in excidio Ierosolymitano per Titum, & quæ futura sub finem mundi. Ioël 2.v.30.c.3.v.15

cur Proditoribus suis Christus vltrò obuiàm processerit. Matth.26.v.46

Professio fidei verbalis & realis ad iustitiam & salutem necessariò requiritur. Rom.10.v.10

Prolibus nocet separatio thori, facta à parentibus. 1.Cor.7.v.14

Prometheus auxilio Minervæ cælum ascendens, quid significet. Iob 28.v.18

Promissa per aliud melius suppleri possunt. Prou.10.v.3. *promissa quænam à Deo facta sint Abrahæ & aliis patriarchis.* Mich.7.v.20

Promissiones temporales Iudæis factæ, ipsis collatæ sunt; spirituales verò Gentibus, reiectis Iudæis. Rom.9.v.6.13.16

in Promontoriis maris horrenda sunt cauernæ, in quibus ceti habitare gaudent. Ion.2.v.7

legis Euangelicæ & Mosaicæ Promulgatio fuit facta cum gloria. 2.Cor.3.v.7

Propheta qui vocetur, & diuersa eius vocis significata. 1.Reg.10.v.5.*&* c.18.v.10.*&c.* c.9.v.20. *Propheta nomen est commune omnium sanctorum.* Matt.11.v.11. *Propheta apud conciues cur despiciatur.* cap.13.v.57. *Propheta antonomasticè Christus est.* Deut.18.v.15

Propheta factum dicunt, quod certò futurum vident. Ephes.2.v.5. *subinde de suo loquuntur & errant.* 2.Reg.7.v.3. *vocati arreptitij & insani.* 4.Reg.9.v.11. *eorum vestis exterior erat saccus cilicinus.* Zach.13.v.4. *sæpè subitò à typo ad antitypum auolant.* Thren.4.v.20. *vrbibus quibusdam comminantes etiam reliquas omnes eiusdem prouinciæ intelligunt.* Mich.1.v.11. *Gentium quidam nouerunt vocationem, sed non omnes eius circumstantias.* Ephes.3.v.5

Propheta veri ex Dei nutu & inspiratione loquuntur, mali è proprio. Ierem.23.v.31. *Propheta regis, qui vocentur.* 2.Paral.35.v.15. *Prophetæ omnes tam maiores quàm minores quo ordine & tempore prophetarint.* Chronic.c.32.*& proœm.in Isaiam. Propheta duodecim minores vnde dicti: quod eorum argumentum: quamdiu successiuè prophetarint.* proœmio in Prophet.Minor.

Prophetare, quàm varia significet, & latè pateat. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.11.*&* 1.Paral.25.v.1.*&* Ioël.2.v.28.*&* 1.Cor.14.v.1.24.*& seqq.*

Prophetia dono linguarum potior. 1.Cor.14.v.20. *quomodò prophetia hauriatur in somnis.* Num.14.v.3

Prophetia Danielis ab ipsomet scripta ex parte chaldaicè, ex parte hebraicè. proœmio in Dan. & ipsa tota Canonica est, etiam illa particula quæ iam ex Hebræo exciderunt. ibid. prophetia Henoch quis sit liber. Iudæ v.14

Prophetiæ non sunt causa rerum, sed res prauisæ causa fuerunt prophetiarum. Matth.1.v.22

Prophetissæ dicebantur vxores Prophetarum. Isaiæ 8.v.3

an omnes essent cælibes. 4.Reg.22.v.10

Propitiatorium, quid esset: ipsum describitur. Exod.25.v.16

Propositiones affirmatiuæ in sensu commodo & cum requisitis conditionibus debent exponi. Matth.5.v.6

Propterea, propter quod, sæpè non causam, sed solam consecutionem significant. Proleg.de Idiotism.Hebr.n.12

Proselyti erant conuersi è Gentibus ad cultum veri Dei. Ezech. 47.v.22.& c.14.v.7.Actor.2.v.11. *vocantur colentes Deum.* Actor.17.v.4.17. *item timentes Deum.* Act.13.v.16.& 43. *illi soli subibant seruilia tempore Salomonis.* 3.Reg.5.v.13.& 2.Paral.2.v.2.& 17. *proselyti Cilices fuere inimici iis qui è sua Synagoga ad Christum transibant.* Actor.9.v.29

Proseucha tam orationem quàm oratorium significat. Actor. 16.v.13

Prosperitas diuites ad luxum emollit, ad misericordiam indurat. Ezech.16.v.49

Πρωτοστάτης *quomodo fuerit Paulus secta Nazarenorum.* Actor.24.v.3

Prouerbia, parabola, paræmia quid significent. proœmio in lib. Prouerb.

Prouidentia diuina calumniatores sugillantur. Sap.2.v.2. *prouidentia diuina in venditione Ioseph.* Gen.45.v.8. *in exercendis Israelitis in Aegypto.* Exod.5.v.21. *in puniendis impiis.* Iob 12.v.13.&c. *Aegyptiis.* Sap.11.17.18.& 19. *Chananæis.* Sap.12. *in nauigantibus.* Eccli.43.v.25. *est inscrutabilis,* vide *Dei prouidentia. prouidentia Dei circa catulos leænæ.* Iob 38.v.39. *& pullos coruorum.* v.41. *& galli cantum.* v.36. *& partus ibicum.* c.39.v.1. *struthiones.* v.13. *equos.* v.20. *accipitres.* v.26. *aquilas.* v.30. *elephantes.* c.40.v.10.&c. *balenas.* v.20.&c. 41.toto. *& omnia iumenta.* Psalm.35.v.7. *diuersos status & gradus.* Psal.30.v.16. *circa omnes creaturas.* Psal.64.v.7.&c.Eccles.5.v.5.c.11.v.5.Sap.6.v.8.& Eccli.33.v.7.&c. *in iuuandis piis.* Psal.59.v.6. *in omnibus rebus dirigendis.* Prou.16.& 21. *in subministrandis etiam superfluis.* Psal.103.v.15. *in homine per aduersa probando.* Eccli. 4.v.18.&c.cap.11.v.10.12. *in cæde infantium ab Herode patrata.* Matth.2.v.15. *cur sinat pios affligi, impios prosperè agere.* Ierem.12.v.1.3.4

Prouincia Persarum Iudæa erat. 1.Esdr.2.v.1.& Iudæi iis tributarij. ibid.& c.4.v.13.& c.7.v.14

Proximus omnis indiscriminatim nobis est diligendus. Matth. 5.v 43

Psalmi non omnes à Dauide compositi. 2.Paral.29.v.30. *& in proœmia Psalmor. quinque libris sunt conscripti. in argumento Psal.1. Psalmi graduales vnde nomen inuenerint.* Ezech.40.v.61

Psalmodia cur in templa Christianorum sit introducta. Iac. 5.v.13

Psalterium, quid sit. 1.Paral.25.v.1

Pseudochristi multi fuerunt & erunt. Matth.24.v.5. & 24.

Pseudoprophetæ pœna. Deut.13.v.1. *quo signo deprehendatur.* cap.18.v.22. *eorum & hæreticorum lupina simplicitas.* Matth.7.v.15

Ptisanæ sunt grana hordei, &c. 2.Reg.17.v.19

Ptolemæorum nomen erat omnium regum Aegypti: series & gesta singulorum. Chron.c.39.& Esther 11.v.1. *Ptolemæi Iudæis infensi sub Antiocho, an essent reges Aegypti.* 2.Mach. 6.v.8

Ptolemæus Euergetes Aegypti rex Asiam inuasit,& opima inde spolia retulit, deos patrios reuexit, atque inde nomen Euergetis apud Aegyptios inuenit. Dan.11.v.7.8

Ptolemæus Lagi regnum Aegypti occupauit mortuo Alexandro. Dan.11.v.5

Ptolemæus Philadelphus captiuos Iudæos dimittit. Eccli.36. v.13

Ptolemæi Philometeris regis in generum suum Alexandrum Syriæ regem inhumanitas. 1.Mach.11.v.1.3. *eius mors inexpectata.* v.1. *fuit à patruo Antiocho Epiphanesgno exclusus.* Dan.11.v.22.23. *fuit à suis desertus, corruptis ab Antiocho.* v.25. *erat Iudæis additissimus.* Esther 11.v.1

Ptolemais ciuitas Iudæa ad mare sita. Actor.21.v.7

Publicani apud Iudæos infames erant, non item apud Romanos. Matth.9.v.9. *hi erant in varias classes distributi.* Luc.19.v.2

Publius S. Paulum in Melita hospitio suscipiens, qualis fuerit. Act.28.v.7. *eius domus in Ecclesiam transijt, ipseq; Christianis Melitensibus vt Episcop.præfectus.* ibid.

Pudens senator à S.Petro Romæ ante alios cum tota familia ad Christum conuersus. Act.12.v.17.2.Tim.4.v.1

Pudor quis vtilis, quis inutilis. Eccli.41.v.19.22. v.1.&c. *pudoris inutilis varia species.* Eod. v.24.&c.

Puer, pro iuuene vel cælibe sumitur in Script. Exod.33. v.11. *puerorum lusus, alijs cantantibus hinc, illinc alijs lamentantibus.* Matth.11.v.17. *puerorum institutio procuranda.* Prou.31.v.1. *pueri Christiani sæpè tyrannis & hæreticis insultarunt, & fidem eis annuntiarunt.* Isaiæ 11.v.8. *tres pueri Babylonici fuere virgines. proœmio in Dan. non fuere castrati.* Dan.1.v.3. *mutauit iis nomina rex Nabuchodonosor.* v.7. *quæ officia in eius aula habuerint.* ibid. *sunt primitiæ & typus Martyrum Christianorum.* cap.3.v.1. *an nepotes fuerint Ezechiæ regis.* ibid. *ambulârunt in igne illæsi.* v.24. *rudenam hoc illis contulerit.* v.50

Puerpera purificatio apud Hebræos quomodo perageretur. Leuit.12.v.2.& 5

Pugiles ante certamina solebant vires suas tentare. 1.Cor. 9.v.26

Pugio sumitur pro acinace. Iudith 13.v.8

Pulmentarium idem est quod obsonium. Ierem.37.v.20. Ioan.21.v.5

quid Pulueris iactatione in aërem contra Paulum Iudæi designare voluerint. Actor.22.v.22. *pulueres de pedibus excutere apud contemptores Euangelij, cuius rei fuerit signum.* Matth.10.v.14

per Punica mala quid sponsus designet in Canticis. Cant.4 v.13.c.6.v.10

Purgatorium adstruitur. Matth.12.v.32. *Christus ad limbum descendens id euacuauit.* Osee 13.v.14. *in eo iuuari possunt animæ eleëmosynis viuentium.* Eccli. v.37. *illæ animæ certa sunt de sua salute.* Eccli. v.29

Purificationis lege cur non teneretur B.Virgo post partum. Luc.2.v.22. *Purificatio,* vide *Puerpera.*

Purificationes frequentes adhibebant Iudæi per diem. Ioan.2. v.6

Purpura quid, & quis purpureus color. Exod.25.v.4. *purpureus color cur militibus olim & nunc in vsu sit.* Num.2. v.3

vsque ad Purum mundari, pro penitus exscindi. 3.Reg.14. v.10

Putei aquis asseruandis erant frequentes in Iudæa, seruiebant hi interdum ad reorum supplicia. Ierem.38.v.6. *puteus in quo sacer ignis altaris à Ieremia fuit absconditus, fuit sacro aliquo ædificio ab Artaxerxe Longimano rege cohonestatus.* 2. Mach.1.v.33

Puteoli ciuitas vnde dicta sit: à quo condita. Actor.28.v.13

Pygargus inter animalia munda numeratur. Deut.14.v.5

Pygmæi cur vocentur cubitales: vnde nominentur Pygmæi. Ezech.27.v.11. *Pygmæi nonnisi vnum cubitum alti fabulosi sunt.* ibid.

Pyrorum ex aduerso cur gyrate iussus sit David. 1.Paral.14. v.14

Πυρφόρος in castris facem praferebat, & hunc violare nefas habebatur, quòd legati munere fungeretur. Abdiæ v.18

Pythagoras non est idem cum Ezechiele. proœmio in Ezechiel.

Python erat qui diabolum in ventre habebat responsa dantem. Deut.18.v.11. & 1.Reg.28.v.7

Pyxis eburnea quid mysticè denotet. Cant.5.v.14

QVadragenarius numerus verberum excedi non poterat in flagellatione Hebræorum. Deut.25.v.3

post Quadraginta dies minatus est Ionas Niniuen euertendam. Ion.3.v.4. quare quadraginta diebus post resurrectionem cum Apostolis egerit Iesus. Actor.1.v.3

Quadrans, quarta pars libræ est. Proleg.de Ponderibus.

Quadrans seu quartarius, est quarta pars sextarij Romani. Proleg.de Mensuris.

Quadrantal, idem quod metreta, sextarij 48. ibid.

Quadratura in ciuitatibus paruis laudatur, non in maioribus. Apoc.21.v.16

S. Quadratus Martyr Episcopus fuit Athenarum, an priùs fuerit Philadelphensis. Apoc.3.v.7.11

Quadriga Aminadab quomodo animam sponsæ conturbent. Cant.2.v.11. quadrigæ Cherubim in templo facta loco bigæ. 1.Paral.28.v.18. quadrigæ Cherubicæ visæ Ezechieli erat symbolum exercitus cælestis & castrorum Dei. Ezech.1.v.24. & 27. quid symbolicè denotaret, allegoricè, tropologicè, anagogicè. v.17

Quadruplum reddat qui alium defraudauit, exemplo Zachæi. Luc.19.v.8

Quartillo, mensura 16. unciarum est. Proleg.de Mensuris.

Quartillo, medius est sestertius. Proleg.de Ponderibus.

Quarto, sestertius est. Proleg.de Ponderibus.

Quasi in Scriptura nota est non tantùm similitudinis, sed & veritatis. 1.Cor.3.v.31

Quaternarius delectatur Sapiens, in suis Prouerbiis. Prou.30.v.11

Quatrino, quinta pars baiochi vel assis est. Proleg.de Ponderibus.

Quatuor temporum ieiunium in Ecclesia institutum ad imitationem quadruplicis ieiunij Hebræorum. Zach.8.v.19

Quia, non semper causam, sed solam consecutionem significat. Proleg. de Idiotismis Hebr.n.11.

Quinimo, non semper est coniunctio negantis. Luc.11.v.28

Quintal, vide Faneca.

Quintunx, quinque unciæ sunt. Proleg.de Ponderibus.

Quinzai ciuitatis Tartariæ quantus sit ambitus. Ion.3.v.3

RAbbath Ammonitarum fuit metropolis: & unde dicta. Ierem.49.v.2. postea dicta Philadelphia. ibid.

Raca quid syriacè sonet: id qui fratri dicit, reus est concilio. Matth.5.v.21

Radere caput, probrosum erat Hebræis. 2.Reg.10.v.5

Radicum Hebraarum paucitas: inde multiplex vocum significatio. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.11

Radix capitur pro ansa. Iob 19.v.28

radices cur per hiemem rustici aperiant. c.29.v.19

Rages ciuitas Mediæ. Tobiæ 3.v.7. & etiam integra prouincia. c.9.v.3

Raguel, vide Iethro.

Rahab qualis meretrix esset. Iosuæ 2.v.1. fuit uxor Salmonis. ibid. an mentita. v.4

Rahab pro Aegypto sumitur. Psal.86.v.4. & Psal.88.v.11

Rama urbs Beniamin ubi sita. Matth.2.v.15.2.Paral.16.v.1

Raphael angelus curationum. Tob.3.v.25. an sit mentitus cùm se Azariam esse dixit. c.5.v.18. eius nomine insignita prima naues Indicæ. v.27. manifestat se Tobiæ. c.12.v.15

Raphaim idem est quod gigantes. 2.Reg.23.v.13.& 1.Paral.11.v.15. vel quod mortui. Psal.87.v.11

Raptus definitio. 2.Cor.12.v.2. raptus mysticus quis. Cant.2.v.6.c.3.v.4. raptus S.Pauli qualis fuerit, siue extra corpus, siue in corpore. 2.Cor.12.v.2. quando is contigerit. ibid. quæ arcana verba in eo audierit. v.4

Rationale iudicij, quid. Exod.28.v.4. quomodo per illud responsa reddita. ibid. quid in eo Vrim & Tummim, id est doctrina & veritas. v.30

Vsus Rationis in Ioan. Bapt. acceleratus causa fuit, vt subsultarit in utero matris: an is deinde semper compos rationis manserit. Luc.1.v.41

Ratza & complacere & reconciliari significat. Matth.3.v.17

Rauenna fuit sedes Exarchorum Italiæ. Act.23.v.23

Razie Assidæi fortitudo & pro iudaismo zelus. 2.Mach.14.v.38. an sibi necem inferendo peccarit. c.14.v.44

Rebecca quo omine in uxorem Isaaci delecta fuerit. Gen.24

Rebellio omnium gentium contra Rom. Imperium futura est sub initium monarchiæ Antichristi. 2.Thess.2.v.3

Rebla, vel Reblatha quæ ciuitas. Num.34.v.11. eadem quæ Antiochia Syriæ. 4.Reg.25.v.4. Reblatha & Deblatha idem videtur locus. Ezech.6.v.14

Rechabitæ, qui, & unde. Num.10.v.29. Psal.70.v.1. erant origine Madianitæ, olim Cinæi vocati. Ierem.35.v.2. eorum abstinentia. v.6.& 16. vide Iethro.

Recidiua quàm graue sit malum, Deoq; displicens. 2.Petr.2.v.20

Reconciliatio cum offendente melior est quàm sacrificium. Matth.5.v.23

Recordatio in Deo est efficax & practica. Thren.3.v.1

Rectum sumitur in Scriptura pro iusto. Psal.32.v.4

unde dicerentur Iudæi Recutiti. 1.Cor.7.v.18

Redemptionis per crucem sunt quatuor dimensiones. Ephes.3.v.18. redemptionis Christi, metaphoræ variæ. Proleg. de Idiotismis Hebr.n.14

Reema urbs, vel prouincia, est Arabiæ Felicis. Ezech.27.v.22

Refugij urbes erant in Iudæa sex. Num.35.v.6. quæ iura azyli. ibid. quænam illæ urbes. Deut.19.v.9

Regalis Hispanicus, drachma Attica argenti, vel denarius, eiusdem erant pretij. Proleg.de Ponderib.

Regenerationis nomine vocatur vniuersalis resurrectio. Matth.19.v.20

Regina cæli cur vocetur luna: eam adorabant impij Iudæi. Ierem.7.v.18

Regiones varias habebat Ierusalem. Ierem.44.v.9

Regnum Dei primùm nobis quærendum, & iustitia eius. Matth.6.v.33. ipsum quomodo intra nos sit. Luc.17.v.21. de quo regno Dei suis cum Apostolis egerit Christus post resurrectionem. Actor.1.v.3

Regnum Christi & Sanctorum incipiet plenè vbique terrarum efflorescere casu iam Antichristo. Dan.7.v.25. illudq; stabiliendum est peracto iudicio vniuersali. ibid. regnum Christi vniuersa alia regna consumit, idque idolorum cultum subuertendo & scelera. Dan.2.v.44. item temporalem eorum statum. ibid. quare illud non sit de hoc mundo. Ioan.18.v.36. regnum Messiæ credebant Iudæi & Apostoli temporale & mundanum fore. Actor.1.v.6

Regnum cælorum quale appropinquare prædicarit S.Ioannes Baptista. Matth.3.v.3. id quomodo à diebus illius vim pati dicatur. Matth.11.v.12.& 13

quomodo Regni Dauid heres fuerit Christus. Luc.1.v.32. regnum decoris quod vocetur. Sap.5.v.17. quod regnum perpetuum. Sap.6.v.21. regnum Antichristi totum, & omnes eius subiecti, eo casu euertentur. Ezech.39.v.6

Regna cur bestiis assimilentur. Dan.7.v.3. regna omnia instabilia sunt. Eccles.4.v.14. sunt subinde noxia. Eccles.8.v.9

Regulus serpens, vide *Basiliscus.*

Regulus Capharnaites an fuerit verè rex, an tantùm palatinus. Ioan. 4. v.46. an crediderit filij sui febrim à Christo depulsam fuisse. v.50

Relapsis non est neganda pœnitentia. Hebr.6.v.6

Religione stabiliuntur regna. Prou.29.v.18

in Religionibus quibusdam peccantes ad Superiorem deferendo, non peccatur in consilium Christi, iubentis eos priuatim corripi. Matth. 18. v. 17. Religionum multarum fundatoribus à Deo promissum, ipsorum Ordines perpetuos fore. Ierem.35.v.19

Religiosa vita cœpit ab Apostolis & primis fidelibus. Actor. 2.v.44

Religiosi iuri, famæ propriæ renuntiasse censentur, cùm Religionem sunt ingressi. Matth.18.v.17. diuersi Ordines Religiosorum non destruunt vnitatem Ecclesiæ, sed ad eius splendorem faciunt. 1.Cor.v.16. Religiosi saluti alienæ incumbentes cur ampla & opportuna in vrbibus loca quærant. Philem.22. Religiosi moderni sunt imitatores perfectionis primorum Christianorum. Actor.5.v.2. sunt futuri iudices vnà cum Christo in fine sæculi. Matth.19.v.28

Religiosæ in monasteriis cur tondeantur & velentur. 1.Cor. 11.v.6

Relinquentes propter Christum aliqua, centuplum accipient etiam in hac vita. Matth.19.v.29

Reliquiarum sanctarum cultus astruitur. Matth.9.v.20. illarum vis & energia. Actor.19.v.12.

Reliquiæ Iudæorum quomodo reducendæ dicantur, tum ad litteram, tum allegoricè. Isaiæ 11. v.11. reliquiæ Dei quæ dicantur. Psal. 16. v.14. & Psal.20.v.13. quæ reliquiæ cogitationis. Psal.75.v.11

cui à Deo multum Remissum est, sit in proximum benignus; sin minùs, vapulabit. Matth.18.v.35

Remittere peccata difficilius an sit, quàm morbos depellere. Matth.9.v.5

Remmon duplex vrbs in diuersis tribubus. Iudic.20.v.45. Zach.12.v.11. & c.14.v.10.

Renasci per baptismum nos oportet si spiritualiter viuere velimus. Ioan.3.v.3

Renes pro affectu & mente. Psal.15.v.7

Rephàn *est idolum Ismaelitarum & Persarum: est idem cum stella Veneris. Amos 5.v.26*

Reprobatio Esau præ Iacobo fuit tantùm quoad bona temporalia. Malach.1.v.3. reprobationis Iudæorum quænam sint causæ. Isaiæ. 50.v.2

Repudij libellus quibus legibus licitus Iudæis. Deut.24.v.1. Matth.19.v.3. idq; Deo dispensante. Matth.19.v.6. quod nisi fuisset, grauiùs peccassent. v.8

in Requiem æternam ingredimur per Christum. Hebr.4.v. 3. requies Christi nobis quietis est causa. Isaiæ 11.v.10. requies vera solùm in Deo reperitur. Matth.11.v.29. in requiem consurgere, est requiescere. 2.Paral.6.v.41

Requirere *pro vlcisci subinde capitur. Psal.9.v.13. & Psal.30.v.24. item pro curam habere. 1.Paralip.13.v.3*

Res dua sæpè sibi inuicem sunt causæ. Iac.1.v.3

Reseph quis sit locus. Isaiæ 37.v.12

Resina est humor tenax ex arboribus defluens. Gen.43.v. 11. eius vires & efficacia. Ierem.8.v.22

quomodo Respexerit Christus Petrum negantem. Luc.12.v.61

Responsum sit præmeditatum. Eccl.33.v.4

Restitutio ouis quadrupla, bouis quintupla erat. Exod.22.v.1

Resurrexit Christus summo mane & diluculo. Matth.28.v. 1. Sancti qui vnà cum Christo resurrexerunt, an iterum mortui sint, an verò simul cum corpore cum ipso in cælos assumpti. Matth.27.v.53. resurget quisque in proprio corpore. 1.Cor. 15.v.38. & seqq. sed corpora resurgent spiritalia. v.44. 47. *& incorrupta.* v.52. *resurget quisque in loco vbi fuerit eius cadauer, vel maior illius pars. Ezech.37.v.1. an resurrecturi sint omnes in magnitudine & statura quam habuissent in ea ætate quæ respondet plenæ ætati Christi. Ephes.4.v.11*

Resurrectio Christi adstruitur variis argumentis. 1.Cor.15. v.4.12. & seqq. per eam aperte patefecit Christus esse se Filium Dei & mundi redemptorem. Matth.12.v.39. ea quatenus meruerit iustificationem nostram. Rom.4.v.25

Resurrectio mortuorum certò futura est. Ezech.37.v.5. ea adstruitur. Matth.22.v.32. resurrectio nostra sequatur è resurrectione Christi. Osee 6.v.3. resurrectionis articulus à fidelibus est creditus. Rom.10.v.9. resurrectionem secundum animam futurã docebat Philetus, nõ secundùm corpora. 2.Tim.2.v.18

Resurrectio sanctorum prima & secunda, quæ dicatur. Apoc. 20.v.5. resurrectionis gaudium quod sit. Psal.29.v.13. resurrectionis spes certa. Psal.15.v.9. &c. Psal.33.v.21. eius typus sunt arbores rediuiuæ. Iob.14.v.8. &c. resurrectio spiritualis per sanctam vitam. Rom.6.5

Reuereri sumitur pro pudefieri. Psalm. 34.v.4.& 5. Eccli.41.v.19.

Reuersus idem est quod iterum. Iob 10.v.16.

Rex regni sui tutor & sponsus est. Isaiæ 47.v.9. rex pius, est noxius. Eccles.10.v.17.19. &c. rex non nisi ex Israelitis desumendus erat. Deut. 17.fin. regi præscriptæ leges. ibid. leges vsurpatæ. 1.Reg.8.v.9. in quo peccarint Israelitæ postulantes sibi regem præfici. ibid.v.7

Reges soluti erant inungi. 1.Reg.10.v.1. reges cur subinde non diuturni. Prou.28.v.2. vide *Princeps, reges quomodo sint nutricij Ecclesiæ. Isaiæ 49.v.23. reges Iudæorum solebant à Deo* Iah *abbreuiato ex* Iehoua *nomina sua mutuare. Isaiæ 46.v.1. decem reges in fine sæculi Romam excindent, & Roman. Imperium euertent, seq; Antichristo subiicient. Dan.7. v.7. Apoc.17.v.17. reges Orientis ciuitates dare solebant suis concubinis. 2.Mach.4.v.39. regum Iuda & Israel anni inter se componuntur. Chron.c.29. reges 31. suspensi à Iosue. Ios.12. reges Gentium volebant haberi vt dij. Dan.6.v.7. reges veteres cum deabus soluti inire matrimonia.* 2.Mach.1.v.14

Regia dignitas quomodo & à quibus sit Iudæis adempta. Ezech.21.v.27.

Rhabdomantia quomodo perageretur. Osee 4.v.12

Rhadamanthus quando in Lycia regnarit. Iud.3.v.31

de Rhamno apologus. cap 9.v.8

Rhegienses quo prodigio à S. Paulo ad Christum conuersi. Actor.28.v.13

Rhinocerotis fortitudo. Num.23.v.22. & an distinguatur à monocerote. ibid. de eodem. Iob 39.v.9

Rhinocolura fluuius in Aegypto, vnde dictus. Ios.13.v.3 *Isaiæ 17.v.12*

Rhode puella ostiaria Apostolorum postea fuit Martyr. Actor. 12.v.13

Rhodus insula describitur. Actor.21.v.1

Risus pro gaudio accipitur aliquando. Iob 8.v.10

Ritspa *Hebraum tam carbonem, quàm gemmam carbunculum significat. Isaiæ 6.v.6*

qui Ritus Gentilium in funeribus & aliis grauibus calamitatibus. Ierem.16.v.6

Riui omnes Aegypti Augusto contra Cleopatram pugnante exsiccati vento vehementissimo. Isaiæ 11.v.15.

Roboami regis Iuda stultitia. 2. Paral. 19. v 4. Eius 47. v.27. filios suos 28. captiuos constituit. 2.Paral.11.v.23 spoliatur thesauris suis à rege Aegyptio, & ignominiosè tractatur. cap.12.v.2. impœnitens moritur. v.14

Rogel quis esset fons iuxta Ierusalem. 3.Reg.1.v.33

Roma quo anno, mense, die condi cœpta. Chron.c.32. olim in varios fuit distincta vicos, vti & modò est. Ierem.44.v. 9. quàm olim populosa fuerit. Ioan.3.v.3. quis erat quasi compendium mundi. Dan.7.v.7. vocatur meretrix magna Apoc. 17.v.1. & seqq. eius ruina signum erit præsens Antichristi. ibid. in fine sæculi redibit ad gentilismum, & deleri conabitur Ecclesiam & Pontificem Rom. ibid. & v.5.6.18.v.7 tunc quoque à decem regibus exscindetur. Apoc.17 v.16 & 17. cur dicatur deserta. c.18. v.2. & 22. cur vocetur Babylon. 1.Petr.5. v.13. cur occultè eam sic S. Petrus designet. ibid. cur eius nomen

nomen non exprimant Apostoli apertè in suis Epistolis. Apoc. 18. v.2. primò in Christianos fuit, deinde facta est mater vitæ. Mich. 5. v.1. cur ibi sedem pontificiam fixerit S.Petrus potiùs quàm alibi. Actor. 12. v.17

Romani prisci comam alebant, quando primùm tondere cœperint. 1. Cor. 11. v.16. Romani reges octo primi: dein consules: mox Imperatores, &c. Chron. cap. 43. Romanorum monarchia quando cœperit. Chron. c. 36. 43 & 44. fuit fortis vt ferrum, cur duabus tibiis assimiletur. Dan. 2. v.40. fuit sæpè per seditiones distracta. v.41. in fine mundi in decem reges distrahetur. ibid. & vnde illa distractio ortum habebit. ibid. de Romanis prædixit Balaam. Num. 24. v.19. & 24. per equos varios & fortes designati sunt. Zach. 6. v.6. non aurum, sed argentum, à deuictis gentibus pro tributo deposcebant. Matth. 22. v.19. eorum imperium quàm varium: fuit partim monarchicum, partim aristocraticum & democraticum. Dan. 7. v.7. Iudæis ademerant ius omne necis reis inferendæ. Matth. 27. v.2. Romani Ierusalem obsidentes an sint abominatio desolationis. Dan. 9. v.27. sub Tito templum & ciuitatem Ieroſolymitanam flammis absumpserunt, & populum dispersérunt, v.26

Romani posteriores imitantes scelera priorum, luent etiam illorum peccata. Apoc. 18. v.20

Romana fides, idem quod Catholica. Rom. 1. v.8.

Rostra quæ vocentur in candelabro. Zach 4. v.11

Rota super cisternam quid denotet symbolicè Eccles. 12. v.6. rotæ singulæ currus Cherubici quatuor habebant facies. Ezech. 1. v.15. erantq; plenæ oculis. v.18. in iis erat vita. v.20. rota in medio rotæ in curru Cherubico fuisse quomodo intelligatur. v.16

Rotunda figura in vrbibus maioribus commendatur. Apoc. 21. v.16

Rubeus color etiam aureum complectitur. Thren. 4. v.7.

Rubigo, morbus segetum. Deut. 28. v.17. Psal. 77. v.46. Ioël. 1. v.4. vide *Aerugo, Aurugo.*

Rugibus Deus. Psal. 77. v.46. rubigalia. ibid.

Rublum continet libras 820. Proleg. de Mensuris.

Rubrica idem est quod rubeus color & minium. Exod. 26. v. 1. Sap. 13. v.14

Rubrum mare, vide Mare.

Rubus ardens incombustus Mosi visus quid denotaret. Exod. 3. v.2

Christus quomodo sit positus in Ruinam & resurrectionem multorum. Luc. 2. v.34

Runcina quale fabrorum sit instrumentum. Isaiæ 44. v.31

Ruth historia quando contigerit. Ruth 1. & reliqua Ruthæ gesta. c.2. & 3. eius maritus. c.4. v.7

Saba duplex est regio. 3. Reg. 10 v.1. inde venit regina ad Salomonem. ibid. complectitur Madian & Epha. Isaiæ 60. v 6

Sabbathi observatione distinguebantur Iudæi ab aliis Gentibus. Exod. 31. v.16. à quibus operibus cauendum sabbatho. c. 36. v.3. an adhuc obliget. Deut. 5. v.15. sabbato quomodo Deus quieuerit, & tamen semper modò operetur. Ioan. 5. v. 17. sabbathum violare sui defensione veriti zelosi Iudæi, ab impiis impunè se occidi patiuntur. 1. Mach. 2. v.19. sabbatho an licuerit Iudæis ieiunare. Iudith 8. v.6. sabbathi iter, 5. stadia Græca, vel 2000. cubiti. Proleg. de Longitud. Matth. 24. v.20. Act. 1. v.12. sabbathum pro hebdomade, item pro quouis die hebdomadis. Chron. c. 3. & Psal. 47. v.1. sabbatum terræ quod sit. 2. Paral. vlt. v.21. sabbatum secundò-primum quod dicatur. Luc. 6. v.1

Sabbathicus annus, vide *Annus sabbathicus.*

Sacerdos etiam capitur pro principe. 2. Reg. 8. v. vlt. & cap. 20. v.26. sacerdotes velut legati Domini sunt. Malach. 2. v.7. ex publico alebantur, etiam apud Aegyptios. Gen 47. v.22. quanta eorum essent diuitiæ apud Hebræos. Num. 18 v.9

Sacerdotes Aaronici in 24. classes & vices distributi à Dauide. 1. Paral. 24. v.3. &c. ipsis omnia è communi tribuebantur. 2. Par. 31. v. 3. & seqq. qui non poterant stirpem probare, reiecti à sacerdotio. 1. Esdr. 2. v.61. ipsi & Leuitæ dum in templo ministrarent, habitabant in gazophylaciis atrio sacerdotali adhærentibus. Ezech. 40. v.44. & 46. ad funera propinquorum suorum accedere poterant, sed non pontifex. Ezech. 44. v.25. morticina comedere iis erat vetitum. v. 31. habebant aliquos agros suburbanos circum vrbes sibi proprias, & cui vsui. Ierem. 32. v.7. ipsis, dum templo deseruirent, erat vetitus omnis vsus vini, vuarum, &c. Leu. 10. v.3. eorum consecratio, quo ritu peracta. Exod. 29. & Leu. 8. eorum officia & munia erant quatuor. Exod. 30. v.8. & Luc. 1. v.9. eorum multi ingulati sunt in templo per Chaldæos. Thren. 2. v.20. Sacerdotes secundi ordinis qui essent. 4. Reg. 23. v.4. & cap. 25. v.21. quare se iis ostendere iusserit leprosum Christus. Matth. 8. v.4. eorum ingratitudo in Deum. Osee 4. v.7. sugillantur ob hypocrisin, auaritiam & alia. Sophon. 1. v.8. & c.3. v.4

Sacerdotes Christianos nefas est matrimonio illigari. Tim. 3. v.2. & 2. Cor. 7. v.2. 7. & 9. olim dignitate & iurisdictione Episcopo inferiores erant, etsi nomina sæpè confunderentur. Phil. 1. v.1. in Concilijs aliquando cum Episcopis sententiam dixerunt. ibid. sunt quilibet honorandi. Eccli. 7. v.31. vocantur etiam angeli. 1. Cor. 11. v.10. in Missa non producunt Christi corpus, sed ipse Christus ad prolationem verborum per os sacerdotum id producit. Luc. 22. v.19

Sacerdotale regnum quod vocetur. Exod. 19. v.5. regale sacerdotium. ibid. sacerdotales vestes describuntur. Exod. 28. v.4.

Sacerdotium Leuiticum imperfectum erat. Hebr. 7. v.11. at Christi æternum est. v.24. 28. hoc longè dignius Melchisedechano, tametsi id huic simillimum esset. v.2. 8. sacerdotio sublato corruit omnis religio & fides. Osee 4. v.6

Sacramenta omnia quomodo è perfosso Christi latere emanasse dicantur. Ioan. 19. v.36. Sacramentum confessionis est à Christo institutum, & à S. Iacobo in epistola promulgatum. Iac. 5. v.15. Sacramentum sumitur pro arcano. Tob. 12. v.7. & pro mysterio. Sap. 2. v.22

Sacrificium iuge, quod vocetur. Exod. 29. v.38. Num. 28. quod vespertinum. Psal. 140. v.2. sacrificia pacifica, holocausta, eucharistica, pro peccato. Leuit. 1. v.2. cur tam varia Deus instituit. in argumento Leuitici. quæ differentia inter sacrificia veteris Testamenti, & noui. Leu. 1. v.2. cur non licuerit Iudæis sacrificia offerre nisi coram tabernaculo. Leu. 17. v.3. Deut. 12. v.6. sacrificiis humanis gaudet dæmon. 3. Reg. 18. v. 26. sacrificium incruentum vult Deus. Psal. 15. v.3. sacrificium externum sine interna virtute nihil est, nec Deo placet. Psal. 49. v.5. 8. &c. sacrificium quid & quotuplex esset. Eccli. 35. v.3. sacrificia humana detestanda sunt, erant tamen Gentibus in vsu. Sap. 12. v.5. sacrificia obscura, sunt nocturna, quæ multis cum obscœnitantibus peragebantur. cap. 14. v.23

Sacrificium cruentum Christi in cruce expiauit omnia totius mundi peccata. Dan. 3. v.40. eius plenitudo. Hebr. 10. v.14. & 18

Sacrificium Eucharistiæ Deo est gratissimum. Malach. 3. v. 4. ex vi sua & ex opere operato, etiam propitiatorium & satisfactorium est pro omnibus. Luc. 22. v.19. id Christus in sui & passionis suæ memoriam offerri præcepit. ibid. ad eius perfectionem, panis & vini species in eo offerenda est. Luc. 22. v.20. est verum sacrificium, non modò eucharisticum, sed & impetratorium. Matth. 26. v.28.

Sacrificia vetera Hebræorum cessarunt Christo tam in carne apparente. Dan. 9. v.27. ea cur Deo displicerent. Isaiæ 66. v.3. Gentilium sacrificia multis cum spurcitijs & sæpè fuso humano sanguine peragebantur. Sap. 12. v.5. & c. 14. v.23.

Sadoc summus sacerdos creatus est à Saule: transit ad Dauidem. 1. Paralip. 12. v.28. fuit simul cum Abiathare pontifex. cap. 6. v.39. est secundò vnctus pontifex. cap. vlt. v.22.

Saddu-

Sadducæi vnde dicti, quæ eorum dogmata: hos sequebantur multi principes sacerdotum, & ferè optimates Iudæorum. Matth. 3.v.5. eorum doctrina vergebat in epicureismum, vel atheismum. Matth.26.v.6. vnde fuerint Paulo Apostolo infesti. Actor.23.v.12

Sæculum sæculi, &c. non semper est tempus interminabile: Proleg. de Idiotismis Hebr.n.27. sæcula, aureum, argenteum, æneum, ferreum, adinuenerunt poëtæ è visione Nabuchodonosoris de quadruplici monarchia. Dan.2.v.38

diabolus non opitulatur Sagis iure damnatis. Marc.15.v.31

S.Sagares an fuerit Episcopus Laodicenus cui S. Ioannes in Apocal. scripsit. Apoc.3.v.14

Sagitta volans in die quid symbolicè designet. Psal.90.v.6. sagittæ famis quæ dicantur. Ezech.5.v.16. quæ sagittæ parvulorum. Psal.63.v.8. sagittæ Dei quæ. Iob 6.v.4.& c.10. v.17.Psal.37.v.3.& Psal.44.v.6.Psal.76.v.18. è sagittarum commistione capiebant Gentes olim augurium. Ezech.21.v.19

Sagma idem est quod ephippium. Leu.15.v.9

Sal, pro sportula sumitur, vnde salarium. 1.Esdr.4.v.14. sal metaphoricè sumptum quid significet. Marc.9.v.49. salis statua cur facta vxor Loth. Gen.19.v.26. mare salis, seu salsissimum, quod. ibid.

Salamina vrbs est Cypri, postea dicta Constantia, vnde. Actor.13.v.5

Salinarum vallis, quis locus. 4.Reg.14.v.7.& 1.Paral. 18.v.12

Salman-Assar rex Assyriæ: eius gesta. Chronic.c.33.& 4. Reg.17.v.3. audito Israelitas cum Aegyptiis fœdus iisse, adversus ipsos insurgens, eos everit funditus. Oseæ 12.v.1

Salome an fuerit socrus S. Petri. Luc.4.v.39

Salomon an vnigenitus fuerit. 1.Paral.3.v.5. quomodo natus, & res ab eo gesta per tempora disposita. Chronic.c.28. & 3.Reg.1.vsque c.11. an peccando amiserit sapientiam, item an damnatus sit. cap.11.v.7.& Prou.24.v.32. eius laudes & vituperium. Eccli.47.v.14. quo sensu se vocet puerum paruulum. 1.Paral.22.v.5. est secundò vnctus in regem. cap.vlt.v.22. vnde post tantam vim opum tam dura tributa suis imposuerit. 2.Paral.10.v.4

domus Saltus Libani à Salomone constructa, & quem in vsum. 3.Reg.7.v.2. saltus regis, vbi. 2.Esdr.2.v.8

neminem Deus destinat Saluare, vel damnare, non habito respectu ad illius merita vel demerita actualia, sed hæc semper respicit. Rom.9.v.22

Saluatores vocantur iudices, Othoniel, Iudic.3.v.9. Gedeon c.6.v.36.& alij.

Salus *etiam omne bonum complectitur. Iac.1.v.1*

Salutare, sumitur in Litteris sacris pro salute. Psal.11.v.6. Psalm.19.v.6 Salutaris hostia, quæ vocetur. Leu.7.v.13

Salutatio Pauli, quam omnibus Epistolis subscribit, quæ esset. Colos.4.v.18

Salutatores importuni potentioribus salutando adulabantur. Prou.27.v.14

Samaria quis auctor, quis instaurator. 3.Reg.16.v.24. vnde dicta, vbi & qualis. ibid. Samaria sumitur pro decem tribubus Israel. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.21. erat Ierosolyma ad Aquilonem. Ezech.16.v.46. & inter Iudæam & Galilæam. Ioan.4.v.4. eius reges cultum vitulorum continuò promouerunt acceptum à Ieroboamo. Mich.1.v.5. in cultu idolorum quomodo minùs iniqua quàm Ierusalem. Ezech.16. v.51. fuit à regibus Assyriis solo æquata, postea tamen pristino splendori restituta. Mich.1.v.6. Samaria sumitur pro Galilæa. Tob.1.v.1

Samaritani qui. 4.Reg.17.v.24. æmuli semper & hostes Iudæis. ibid. subinde tamen amicè conspirarunt. Iudith 4. v.3. impediunt instaurationem templi sub Cyro & Cambyse. 1.Esdr.4. idem conantur, sed frustra, vrbis instaurationem impedire. 2.Esd.4.& 5. in Samaria templum aliud æmulum construunt. 2.Esd.vlt.v.28. colunt Deum verum vnà cũ idolis. Ioan.4.v.22. quàm essent exosi Iudæis. 4.Reg.17.v.24.& Eccli. 50 v.28. è primis ad Christi fidem transierunt. Iere.31.v.1.34

Samaritanorum secta origo. 4.Reg 17.v.vlt.

Sambuca quale genus sit instrumenti musici. Dan.3.v.5

Sammai fuit auctor sectæ Pharisæorum. Zach.12.v.12

Samothracia regio vnde dicta. Actor.16.v.11

Samsonis res gestæ. Iudic.13.14.15.16. an sibi vxorem inferendo peccarit. 2.Mach.14.v.44

Samuel quot annis iudex fuerit, & gesta eiusdem per annos distributa. Chron.c.26.& 27. vnde nomen, & parentes. 1.Reg. 1. fuit sacerdos, sed extraordinarius. Psal.98.v.6. non fuit pontifex, sed iudex. 1.Reg.2.v.31. alia eius gesta. cápp.seqq. eius filij fuere degeneres. 1.Reg.8.v.3. eius mors. 1.Reg.25.v.1. an post mortem apparuerit Sauli. 1.Reg.28.v.13. idque an arte magica? ibid. an viderit Deum. Eccli.46.v.18. mortuus prophetauit. ibid.v.23

Samus insula est in mari Ionio. Actor.20.v.15

Sanabilis sumitur abusiuè pro salutaris. Sap.1.v.14

Sancta canibus quando sint obiectanda. Matth.7.v.6

Sanctificare capitur aliquando, pro sacrum indicere. Ierem.6. v.4. item pro mundare. 1.Reg.16.v.5.& c.21.v.5.& 2.Par. 29.v.15.c.30.v.18.& 2.Esdr.3.v.1. item pro offerre. Exod. 13.v.2. pro separare. c.19.v.10. sanctificari, pro pollui, antiphrasticè. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.31.& Deut.22.v.9. quanam suo contactu sanctificarent alia. Leuit.6.v.9. Dei nomen quomodo sanctificari possit. Matth.6.v.9

Sanctitas sumitur pro templo. Eccli.47.v.15

Sanctus est Deus essentialiter. Isaiæ 6.v.3. sanctus planè fuit Christus. Luc.1.v.35. vocabantur Christiani, sancti. Actor.9.v.32

Sanctum pro Sanctuario, seu templo accipitur. Psal.19. v.3. sancta sanctorum, id est sanctissima. Prolegom.de Idiotismis Hebr.n.50.& proœm. in epist. S.Iacobi. Sanctis sanctorum quæ esset latitudo. Ezech.41.v.23.4

Sancti sumitur pro angelis. Deut.33.v.2. Sancti vident Deum statim atque exspirarunt. Hebr.11.v.40.& Apoc.6.v.9. eos è viuis subtrahit Deus, dum impios pœnis extraordinarijs vult punire. Isaiæ 26.v.20.c.57.v.1. cur sint viri rixæ. Ierem.15. v.10. libenter pœnas cælitus immissas excipiunt, & suis peccatis eas attribuunt. Mich.7.v.9. Sancti multi viuis erepti, ne malis reip. suæ mox obuenturis inuoluerentur. Isaiæ 57.v.1. Sancti post mundi consummationem aliquando cælo, si velint, descendent, vt videant damnatorum corpora in inferno. Isaiæ 66.v.24. idque ad iis insultandum. ibid. quantum spatij è cælo obtineant: neque enim totum occupare possent ob illius immensitatem. Apoc. 21.v.16. meritò inuocantur à nobis in terra. 2.Petr.1.v.15. illos inuocans non facit Deo iniuriam. Ierem.17.v.5. quia sunt mediatores secundarij, & pro nobis intercessores. 1.Tim.2.v.5. Apoc.5.v.8. precibus suis mundo succurrunt. Iac.5.v.16. eorum preces quàm sint vtiles. Philem.22. iam vitâ functi viuentium curam gerunt. 2.Mach.15.v.15. & tunc orantes exaudit Deus. Ezech.14.v.20. eorum opem implorare docemur exemplo Pauli. Rom.15.v.31. mox vt à mortuis in fine mundi resurrexerint, per angelos ad Christum in aëra rapientur, ad dextram eius consessuri. 1.Thess.4.v.16. quomodo se maximos dicant peccatores. 1.Tim.1.v.15. in illos quam abundè Deus dona sua conferat. Matth.25.v.28

Sancti multi è vultu radios lucis emisere. Act.6.v.15. Sanctis plurimis leones non nocuerunt. Dan.6.v.22. Sanctos esse iactant perduelles qui illis suum malum persuadere nequeunt. Luca 20.v.20. Sancti veteris testamenti ob fidem in Christum venturum, possunt dici ad nouum testamentum pertinuisse. Mich. 4.v.5. Sanctorum in genere encomia. Eccli.44. Sanctos deuorare, quid sit. Prou.20.v.25

Sanctuaria duo erant in templo Ierosolymitano. Ezech.21.v.2

Sanedrim concilij Iudaici institutio. Num.11.v.14. erat id supremum tribunal eorum. Deuter.17.v.8. quanta esset auctoritatis, & in quas causas inquireret. Matth.5.v.21. quo loco id conuenire solitum. 1.Paral.26.v.15.& Iudith 11.v.11. illius erat dispensare in legibus. ibid.

Sanguis Iudæis erat detestabilis. Isaiæ 1.v.15. hinc eius esus ipsis olim vetitus, postea etiam Gentilibus conuersis. actor. 15.v.20. sed iam Christianis licitus. ibid. sanguinis effusione, & auersione à Deo, solet Scriptura omnem peccatorum congeriem significare. Ezech.9.v.9.c.22.v.2. sanguinem cæsorum hostium biberunt aliqui. Zach.9.v.15. sanguis Christi verus & realis in calice per Missæ sacrificium offertur. Matth.26.v.28. sanguine suo partim incruentè, partim cruentè, suum Christus pactum nobiscum confirmat. ibid. sanguinem sudant qui summo in angore versantur, idque vi naturali. Luca 22.v.44. sanguinis fluxus morbus, vnde oriatur: hic olim reddebat hominem immundum. Matth.9.v.20. sanguis tuus super caput tuum, quid significet. 2.Reg.1. v.16. sanguis effusus clamat vindictam. Gen.4 & Iob 16. v.19. viri sanguinum, idem est quod crudeles. Psal.54. v.24. sanguis, pro toto homine, vel pro quouis peccato sumitur. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.28. sanguinis vsus an & cur inhibitus Iudæis. Gen.9.v.4.& Leuit.3.v.16.& c.17. v.11.Actor.15.v.20.

Sanguineum habitum cur gestent milites. Nahum.v.3

Sanguisuga duæ sunt filiæ, & quæ. Prou.30.v.15

Sanir mons semper niuosus est. Ezech.27.v.5

Sapientia liber est Canonicus. in proœmio. quis eius auctor, quis interpres. ibid.

Sapientiæ origo. Prou.8.v.22.Eccli.1.v.1. &c. c.24.v.5. & 14. sapientiæ epulum. Prou.9. eius thronus. Eccli. 24.v.7.&c. eius discipuli. Sap.1.v.1.&c.Eccli.6.v.25. 31. eius studium quàm vtile. Sap.6.v.1.&c.Eccli.vlt.v.36. sapientia omnibus est obuia. Sap.6.v.17.Eccli.4.v.12. est assistrix sedis Dei. Sap.9.v.4. est à Deo postulanda, qui eam dabit. Iac.1.v.5. sapientia vera & falsa quomodo differant. Iac.3.v.17. vera, quàm occulta, quàm inaccessa. Iob 28.v.2. vsque finem. quomodo reperiatur. Prou.2.v.3. c.4.v.7. sapientiæ alia speculatiua, alia practica. Prou.1. v.2. alia creata, alia increata, alia incarnata. Prou.1. v.20.c.8.v.1. sapientiæ fructus & præmia. Prou.2.3.17. Eccles.7.v.20.Sap.9.v.18.c.10.&c. Eccli.15.c.22. v.19.&c. c.24.v.16.&c. sapientia acquirenda ratio. Sap.7.v.10. Eccli.38.v.25.&c.c.vlt.v.14.19.&c. eius qualitates. Sap.7. v.22.&c.c.8.Eccli.39. sapientia ficta & fucata, quæ. Eccli.6. v.23.c.21.v.14.&c. sapientia diuina in dispositione vniuersi elucet. Eccli.16.v.18.26.&c. sapientiæ septem fructus & effectus. Bar.3.v.14. à solo Deo est postulanda. v.15.& seqq. donum sapientiæ quid propriè sit, & quomodo differat à scientiæ dono. Isaiæ 11.v.2. in sapientia experimentali & actuali Christus indies proficiebat. Luca 2.v.52. sapientia quomodo iustificata sit à filiis suis. Matth.11.v.19

quæ sit Saponaria herba officinis. Ierem.2.v.22

Sapphirus gemma est carulei coloris aureis punctis collucens quasi stellis. Thren.4.v.7.Ezech.1.v.26. cuius sit natura, & virium: adaptatur S.Andreæ, & diuinæ Verbi generationi. Apoc.21.v.19

Sara vxor, & neptis, & soror Abrahæ fuit. Gen.20.v.12

Sara alterius innocentia & modestia. Tob.3.v.17.& 19. animi afflictio. ibid.

Sara & Agar allegoricè significant duo testamenta. Gal.4. v.24.26.& seqq.

Saraballa chaldaicè significant femoralia. Dan.3.v.94

Saraceni vnde dicantur. Ierem.49.v.28

Saracenismus vnde cœperit, quamdiu durarit, & duraturus sit. Apoc.6.v.7

Saraias missus à Ieremia Babylonem, an fuerit frater Baruch. Ierem.51.v.59

Sarcasmi subinde in Script. occurrunt. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.33.

Sardanapalus vltimus Assyriæ sanguinis monarcha fuit. Chro. c.33. se cum tota familia, & gaza sua aurea & argentea succendit. ibid. & 3.Reg.16.v.18.& Ionæ c.4.v.11. ad prædicationem Ionæ egit pœnitentiam: sed postea relapsus cum suis in antiqua vitia, ipse, & vrbs, & regia omnis stirps à Babyloniis fuit exciſa. Ionæ 3.v.6

Sardis vrbs erat regia Lydorum. Apoc.3.v.1

Sardius vel sarda quæ sit gemma, vnde dicta: quem habeat colorem, quam energiam: symbolum est S.Bartholomæi, & Christi ab inferis resurgentis. Apoc.4.v.5.& c.21.v.20

Sardonyx gemma cuius sit coloris & energiæ: adaptatur S. Philippo & Christi ad inferos descensui. Apoc.21.v.20

Sarona quæ sit vrbs. Actor.9.v.35

Sartago ferrea visa Ezechieli quid denotaret. Ezech.4.v.3

Sassabasar, idem est qui Zorobabel. 1.Esdr.1.v.8

Satan sumitur pro aduersario. 3.Reg.5.v.4

Satietas & nausea in omnibus rebus inuenitur. 2.Mac.15.v.39

nemo de condigno Satisfacere potest pro pœna accidentali, temporaria & extraordinaria. Ionæ 3.v.6

Satrapa vox Persica significat præfectum. Dan.3.v.2. satrapæ Babylonici Danielis æmuli in lacum leonum coniecti, quàm primùm ab eis, tametsi saturis, deuorati sunt vnà cum filiis & vxoribus. Dan.6.v.24

Satum, est modius Romanus. Proleg. de Idiotismis Hebr. n.16.& de Mensuris.

Saturnus, qui & Chus, inchoauit regnum Assyriorum. Chron.c.12.

Saul quot annis rex fuerit, & eius gesta per annos distributa. Chron.c.26.& 27.& 1.Reg.13.v.1.& toto libro 1.Regum. an damnatus. 1.Reg.vlt.v.4. stirps Saulis. 1.Paral.8.v.33. ab armigero rogat interfici, sed is recusat. 1.Reg.vlt.& 1.Paral.10.v.4. eius fratres, id est cognati, ad Dauidem transfugiunt. 1.Paralip.12.v.2

Scabellum pedum Dei dicebatur arca. 1.Paral.28.v.2

Scala Iacobo visa describitur. Gen.28.v.12

Scandalum omne cauendum. Prou.25.v.26. scandalum vox vnde deriuetur, metaphoricè significat quidquid alteri causa lapsus est. Rom.14.v.13. scandala quomodo necesse sit veniant. Matth.18.v.7

Scandalizãs paruulos quo dignus supplicio sit. Matth.18.v.6

Scelerati sæpè nescientes, Dei consilium exequuntur. Act.4. v.27. vide Impij.

quorum Scelerum maximè arguendi sint homines in iudicio. Ioël 3.v.3. sceleris contagio alios inficit. 1.Cor.5.v.6. vide Peccatum.

Scenofactoria ars quæ fuerit. Actor.18.v.3

Scenopegia festum quare & quando celebraretur. Ioan.7. v.2. eius dies vltimus erat celeberrimus. v.37.Leuit.23. Num.29.v.12. id celeberrimo ritu celebrant Iudæi reduces è Babylone. 2.Esdr.8.v.17

Sceol & infernum & mortem significat. Oseæ 13.v.14

Schinus qualis sit arbor. Dan.13.v.54

Schisma primum excitarunt Græci. Actor.6.v.1. schisma est causa ruinæ maximorum imperiorum. Oseæ 10.v.2

Scholæ apud Iudæos quàm multæ essent, maximè Ierosolymis. Deut.6.v.8. scholæ diuersæ Theologorum & philosophorum non officiunt vnitati Ecclesiæ. 1.Cor.1.v.16

Scientia est quid essentiale tribus personis diuinis. Marc.13. v.32. scientiæ approbationis quæ. Psal.1.v.6. scientiæ approbationis in Deo qualis sit. Matth.7.v.23. scientia obscura cessabit in cælo, sed erit ibi alia. 1.Cor.13.v.8.10. scientiam infusam animæ habuit Christus à primo cõceptionis suæ instanti, & per eam nouit omnia in tẽpore euentura. Marc.13.v.32

Scintillæ in arundineto discurrentes celeritatem symbolicè significant. Sap.3.v.7

L.Scipio quo nomine Romanis suspectus fuerit. 1.Mach.8. v.8. Antiochum Magnum intra limites Syriæ regnare compulit. Dan.11.v.18

Scirpus pro iunco sumitur. Iob 8.v.11

Scopare spiritum quid sit. Psal.76.v.7

Scorpelismus, quale crimen in Arabia. Iob 5.v.23

Scorpio in cauda habet venenum. Ezech.2.v.6. symbolum est hæreticorum. ibid. illius venenum quàm sit noxium. Apoc.

Apoc.9.v.5. scorpiones & vipera in Melita non sunt iam venenati. Actor.28.v.1. scorpiones item sunt flagella, quomodo à loris vel taureis distinguantur. 2.Paral.10.v.14. scorpionis ascensus quis esset locus. Num.34.v.4

Scortatio cauenda. Prou.5.& 7.12

Scortium, mensura est 32. librarum. Proleg.de Mensuris.

Scriba id est, doctor legis. 4.Reg.18.v.18. 1.Esdra 7.v.6. Eccli.10.v.5. Scriba eleemosynam facientes canebant tuba ante se. Matth.6.v.2. eorum multi erant Pharisæi, ijdem sunt legis periti. Matth.2.v.4

quid Scripserit Christus in terris digito, cùm vrgeretur adulteram vt damnaret. Ioan.8.v.6

Scriptores sacri semper numeros rotundos consignant. Amos 5. v.25. inter bos vnus alio eloquentior, non tamen veriloquentior. 2.Mach.15.v.39

Scriptura sacra certior est omni apparitione mortuorum. Luca 26.v.31. est lucerna posita super candelabrum Ecclesiæ. 2.Petr.1.v.18. hinc eius interpretatio ab ea petenda. v.21. fidelibus velut migma est. Isaia 30.v.24. sine interprete à quocumque passim non intelligitur. Actor.8.v.31. ad quæ vtilis sit, nec tamen sola. 2.Tim.3.v.16. ipsa quid narretur enuntiat, non tamen affirmat verum esse quod narratur. 1.Mach.8.v 1. eius genuinus sensus qua via indagandus. Proleg.de Idiotismis Hebr.in fine. an vbique clara & facilis ad intelligendum. Deut.30.v.11.Luca 24.v.45. 2.Petr.3. v.16. sæpè in Scriptura idem verbum immutatione vnius litteræ potest diuersimodè verti. Habac.1 v.5. illam interpretari est donum Dei: non est proprio sensu cuiusque exponenda. Luca 24.v.45.

Scrutantes scrutinia quando deficere dicantur. Psal.63. v.7

Scudo de moneta, decem Iulij: scudo de oro, 12.Iulij. Proleg.de Ponderibus.

Sculptile quodnam Hebræis esset inhibitum. Exod.20. v.4

Scutra est vas profundum & circulare, vnde scutella. 3.Reg. 7.v.40

Scutum Gallicum sunt 12.Iulij. Proleg.de Ponderibus.

Scyphi aurei erant primi, sunt & secundi argentei. 1.Esd.1. v.10

Scythæ & Tartari an vocari possint Magog. Ezech.38. v.1

Sear Iasub *cur dictus sit filius Isaiæ, & cur ductus à patre ad Achaz. Isaia 7.v.3*

Secreti bona quæ sint. Prou.25.v.3. id seruandum. Eccli.19.v.9.c.27.v.19

Sectatores Christi semper variis iniuriis sunt lacessiti, & ad mortem vsque afflicti. Zach.13.v.7

Secta Galilæorum sapiùs sunt Apostoli insimulati. Luca 13.v.1

Secunda porta quæ diceretur Ierosolymis. Soph.1.v.10. secundæ nuptiæ licitæ sunt. 1.Cor.7.v 39

Secundùm diuersimodè accipitur. Proleg.in Idiotismis Hebr.n 12

Sedeciæ regis Iudæ gesta. 4.Reg.24.& 25. fuit à Chaldæis exoculatus. cap.vlt.v.6.&c. mortuus est in pace, in carcere Babylonico. Ierem.34.v.5

Sedere sub ficu & vinea sonat Hebræis plenam pacem. Zach.3. v.10. sedere quomodo dicatur Christus à dextris Dei. Actor.7.v.55

Seipsum occidere signum est pusilli animi. 2.Mach.14.v.44

Seir montis incolæ sunt Idumæi. Eccli.50.v.28. vnde sic dicti. Gen.25.v.25

Sela, *Hebræis est nota silentij seu pausæ. Psal.3.v.3*

Seleucia vrbs Cœlesyriæ dicta est à Seleuco Nicanore. Actor. 13.v.4. alia erat iuxta Babylonem constructa. Isaia 13. v.20. Seleucia fuere nouem. Actor.13.v.14

Seleucus Philopator initio templum Ierosolymitanum donariis condecorat, postea ipsum expilare conatus est. 2.Mach.3.v.1

Seleucus alius filio suo Antiocho Stratonicen vxorem tradit ad concubitum. 1.Cor.5.v.1

Sellum filius secundogenitus Iosiæ regis, patri successit. Ezech.19.v.3

Selmon mons erat in tribu Ephraim. Psal.67.v.15

Semei maledictionem quomodo à Deo præceptam dixit Dauid. 2.Reg.16.v.10

Semel & secundò, *pro vno & altero modo. Iob 33.v.14. item pro firmiter. Psal.61.v.12*

Semen hominis quomodo immundum. Iob 14.v.4. semine diuerso non conserendus ager. Leuit.19.v.19.Deut. 22.v.9

Semiramis regina est à columbis nutrita, & post mortem in columbam mutata. Ierem.25.v.38

Semis, sex vncia. Semissis, idem: Proleg.de Ponderib.

Semissilis, erat tributum vulgare Iudæorum. Exod.30. v.12

Senatorum numerus Romæ non semper idem fuit. 2.Mach. 8.v.15

Senectus honorabilis est. Sap.4.v.8. senectutis & mortis graphica descriptio. Eccles.12

Senes iudices Susannæ fuerunt Achab & Sedecias. Dan.13. v.5. eos Nabuchodonosor ipse ad mortem condemnauit: qui primò lapidibus obruti, dein igne assati. ibid. Daniel ironicè vel adulando tribuunt laudem prudentiæ. v.50. cur in arbore indicanda errarint. v.54

Seniorem cur se vocet S.Ioannes. 2.Ioan.v.1

Sennacheribi præsumptio & castigatio. Nahum 1.v.11. & 12. fuit occisus à propriis filiis in idolio. v.14. & infami sepulcro illatus. ibid. eius exercitus cæsus ad internecionem per angelum. 2.Paral.32.v.21. Isaiæ 10.v.16 14.& c.31.v.8.& c.33.v.3. eius perfidia. 4.Reg.18.v.7. blasphemia. ibid. & c.19. quare à Deo correptus sit. Isaiæ 10.v.5.& 7.& 15

per Sensus intrat mors in animam. Ierem.9.v.21. sensuum corporeorum oblectamenta an in cælo habituri sint Sancti. Apoc.22.v.1. subinde loca aliqua sacræ Scripturæ sensu variis patiuntur. Gal.4.v.26

Sententiæ in iudicio vniuersali an sensibilibus verbis pronuntiandæ sint. Matth.25.v.41. sententiæ practicæ in Bibliis occurrentes nonnisi vt plurimum veræ sunt. Luca 16. v.10

Sentius Saturninus Christum in censu descripsit, non Cyrinus. Luca 2.v.2

cur Sepelirì voluerit Christus palàm, loco celebri & à viis primarijs. Ioan 19 v.41

Sephora Aethiopissa fuit vxor Moysis. Num.12.v.1

Septem lampades ardentes ante thronum Dei quid designent. Apoc.4.v.5

Septies, id est, sæpius. Iob 5.v.19

Septuaginta seniores pro 72. Proleg. de Idiotismis Hebr.n.26. quando illi electi, & cur. Num.11.v.24

Septuaginta interpretes pro LXXII. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.26. subinde in sua versione quædam de suo spiritu prophetico addiderunt. Isaiæ 3.v.2

Septuaginta anni desolationis Ierusalem quando inchoandi, quando complendi. Dan.9 v.2

Septunx; vncia septem. Proleg de Ponderibus.

Sepulcrum sumitur aliquando pro carcere. Psalm.67 v.7. sepulcrum Ieremiæ fuit miraculosum. proœmio in Ierem. sepulcrum Ieremiæ fuit miraculosum. proœmio in Ierem. sepulcrum Machabæorum magnificè exornauit Simon. 1.Mach. 2. v.70. sepulcrum Christi vbi & quale fuerit, & quare in petra. Matth.27.v.60. id quomodo fuerit & quare sit gloriosum. Isaiæ 11.v.10

Sepulcra vulgi quis locus iuxta Ierusalem. 4.Reg.23.v.6. sepulcra Iudæi extrà vrbes habebant. Matth.8.v 28. Luca 7. v.11. sepulcra quomodo impijs in inferno attribuantur. Ezech.32.v.23

Sepultura insepulta quæ dicatur. Ierem.22.v.19. *sepultura cura, in terra sancta, quanta esset apud Iudæos.* Genes.47.v.30.& 3.Reg.13.v.31. *sepultura cura etiam Persis erat commendabilis.* 2.Esd.2.v.3. *quin & omnibus vbique gentibus.* Tobiæ 2.v.10

Sepulcrales epulæ Gentilibus, Iudæis & Christianis vsitatæ. Tob.3.v.18

Seraphim *cur dicantur supremi ordinis angeli.* Isaiæ 6.v.2. *& quid ea vox significet.* ibid.

Serapis Ægyptijs cultus, fuit patriarcha Ioseph. Gen.41.v.43.

Sergius Paulus Proconsul Cypri à S.Paulo conuertitur, postea Episcopum egit. Actor.13.v.11

Sermoni nullum licet admiscere iuramentum. Matth.5.v.37

Serotina ficus vt plurimum languida sunt. Ierem.24.v.1

Serpens cuius speciei fuerit, qui Euam decepit. Genes.3.v.1. *quomodo maledictus à Deo.* v.14. *quomodo contritum eius caput à muliere.* v.15. *serpens æneus qualis, quem Moyses erexit.* Num.21.v.5. *cur hic ab Ezechia confractus.* 4.Reg.18.v.4. *serpentes igniti & flatu adurentes.* Num.21.v.5.& Deut.8.v.15. *serpentium astutia.* Matth.10.v.16

Serui Hebræorum an etiam circumcidendi essent. Gen.17.v.7.& 14.Exod.12.v.43. *serui perpetui auris subula perforabatur.* Exod.21.v 6. *serui olim tondebantur.* Ierem.7.v.29. *cur vocarentur* corpora. Apoc.18.v.13. *nomen vel stigma heri sui fronti inustum gestare solebant.* Ezech.9.v.4. *eorum dimensum menstruum erant quatuor modij: & eorum panis, hordeaceus.* Osee 3.v.2. *serui templo à Iosue, Dauide, & Salomone donati.* 1.Esdr.2.v.43

Seruitur Deo humilitate, lacrymis, & tentationibus. Actor.20.v.19

Seruitus seu peccati, seu iustitiæ, est planè libera & voluntaria. Rom.6.v.23. *seruitus hominum, quid.* Psal.103.v.14

Sesac regis Ægypti expeditio in Iudæam, totamq; Asiam; eiusdemq; perfidia, barbaries & tyrannis. 2.Paral.12.v.2

Sesquicorus continebat 45. modios Hebræos. Osee 3.v.2

Sestertius, quarta pars regalis Hispanici. Prolegom.de Ponderibus. *sestertium, sunt mille sestertij.* ibid.

Setim ligna quæ vocarentur. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.16. *erant imputribilia.* Ioël.3.v.18

Sextans, sunt vnciæ duæ. Proleg.de Ponderibus.

Sextans, sexta sextarij Romani pars. Proleg.de Mensuris.

Sextarius Hebræus, seu Log, vnciæ $13\frac{1}{3}$. *Atticus, vnciæ* 15. *Romanus* 20. *sexta pars congij.* Proleg.de Mensuris.

in Sexu quisque suo resurget. Ephes.4.v.13. *sexus femineus non est natura imperfectio, sed naturalis conditio.* ibid.

Si particula iurantis est. Proleg. de Idiotismis Hebr.n.13.& 1.Reg.20.v.42

Sibaritarum equi tripudiant. Iob 39.v.20

Sicaminus qualis sit arbor. Luc. 19.v.4

Sicera quod genus potus. Num.6.v.2. Leuit.10.ad v.3

Sichar quod oppidum: est à Romanis excisum, & aliud iuxta id ædificatum. Ioan.4.v.5.

Sichemi excidium per Simeonem & Leui peractum, fuit iniustum: Gen.34.v.25

Sichemiticus ager Iosepho donatur à Iacobo. c.48.v.14

Siciliæ oram S.Paulus percurrit, & Christo asseruit. Actor.28.v.12

Siclus argenti, seu argenteus, est media vncia argenti: aureus, auri. Proleg de Ponderibus. Ierem.32.v.9.

sicius vnius & idem, eiusdemq; ponderis apud omnes gentes. ibid.

Sidon vrbs Phœnicia perantiqua: à quo condita & nominata. Ezech.27.v.8. *eius situs.* c.28.v.22

Signa aduentus Messiæ quæ fuerint. Matth.16.v.4. *signum crucis quod formamus, quarum rerum sit professio.* Apoc.7.v.2. *signa multa vrbis excidio prævia, prauia erunt & orbis excidio, & vice versa.* Matth.24.v.7. *signa cur à Christo petant Pharisæi.* cap.12.v.38. *quæ sint signa nos esse iustos & in gratia Dei.* Rom.5.v.1. *Christus positus est in signum cui passim contradicitur.* Luc.2.v.34. *signum significat etiam scopum.* Iob 16.v.13. *signa cui quæ vocentur.* Eccli.42.v.19. vide Character.

Signaculum sumitur pro sigillo. Cant.8.v.6. *signaculum Dei est homo.* Iob 38.v.1

Signati centum quadraginta quatuor millia virgines certabunt contra Antichristum, eruntq; signati nomine Dei in frontibus. Apoc.14.v.1

Sihor Ægypti fluuius est idem cum Rhinocolura. 1.Paral.13.v.5

Silentium Christi coram Pilato quàm fuerit efficax. Matthæi 27.v.14. *silentium in dolore est noxium.* Iob 9.v.27. *silentium, pro quiete.* Esther 13.v.2.& c.14.v.16

Silere idem est quod mori. Ezech.27.v.32

Silicernia sumitur quoque pro epulis sepulchralibus. Tob.4.v.18

Siloë fons idem cum fonte Gihon. 2.Paral.32.v.4. *symbolum est mansuetudinis.* Isaiæ 8.v.7. *vnde oriatur, & per varios tubos in hortos vicinos & natatoriam delabitur.* Ioan.9.v.7

Siluanus lator fuit epistolæ S.Petri in orientem, & exinde adhæsit S.Paulo. 1.Petr.5.v.12. *idem est qui Silas: alius est Siluanus Manichæus saxis post occisus.* 1.Thess.1.v.1

Simeon senex in templum venit impulsus à Spiritu sancto: an sacerdos fuerit. Luc.2.v.25.27

Simila est flos farinæ purissimus. Leuit.2.v.1. *similæ oleo frixa eadem est quod laganum.* 1.Paral.16.v.3

Similitudinis particula subinde reticetur in comparationibus. Prolegom. de Idiotismis Hebr.n.9. *similitudo, pro prouerbio.* Sap.5.v.3

nullus regum Similis Ezechiæ, vel Iosiæ, quo sensu. 4.Reg.18.v.5

Simon Iona filius cur vocetur Petrus, non petra. Marc.3.v.16

Simon Apostolus, cur Chananæus vel Zelotes vocetur. Matth.10.v.4. *occisus est anno 8. Neronis.* Chron.c.xlt.

Simon Beniaminius præpositus templi, pontificatum ambiens, Seleuco regi suadet vt templi thesauros expilet. 2.Mach.3.v.5

Simon Boëthi quando & quamdiu pontifex Iudaicus fuerit. Chronic. c.42

Simonem Cyrenæum cur Iudæi coëgerint crucem ferre post Iesum. Matth.27.v.32

Simon Leprosus vnde ita dictus. Matth.26.v.6

Simon Machabæus an fuerit Mathathiæ primogenitus. 1.Mach.2.v.65. *loco fratris Ionathæ imperium populi capessit.* cap.13.v.1. *quid egerit pro fratre liberando è captiuitate.* v.16.& seqq. *construxit mausolæum fratribus & parentibus.* v.25. *à Demetrio Nicanore impetrat quæcumque petijt.* v.14. *Gazenses subigit.* v.39. *arcem Gentilium Ierosolymæ diruit, & aliam ex opposito readificat, in eaq; habitauit.* v.51. *alia eius gesta.* c.14.

c.14.v.5. & seqq. quem ei honorem detulerit pop. Iudaicus. 1.Mach.14.v.25.& seqq. à genero suo Ptolemæo vnà cum filijs è medio tollitur. c.16.v.10.11. quot annis imperarit. v.22

Simon Magus iactauit se esse Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: fuit primus noui testamenti hæresiarcha. Actor.7.v.9. eius hypocrisis. v.13. voluit emere Spiritum sanctum & episcopatum. v.19. per eum tentauit dæmon Apostolos dono Dei priuare. v.20. an verè pœnituerit. v.21. variis peccatis fuit irretitus. c.8. v.23. S.Petro fuit antagonista aliquoties. v.24

Simon Niger quis esset. Actor.13.v.1

Simon Onæ pontificis filius, quis. Eccli.50.v.1. eius encomia. ibid.

Simonia non solo iure positiuo, sed & naturali prohibita est. Matth.10.v.8

Simoniaci vnde à Simone Mago sic vocentur, non ab aliis sacrilegis institoribus. Actor.8.v.19

Simplicitas, quæ virtus. 1.Paral.vlt.v.17.Iob 1.v.1.& c.8.v.20. Prou.3.v.32.

Simulatio S.Petri in legis Mosaicæ obseruatione qualis fuerit, & quale peccatum. Galat.2.v.13

Sinai mons allegoricè Ierosolymæ similis. Galat.4.v.25. vnde dictus sit. Exod.3.v.2. terræmotus in eo factus, &c. ibid.& Psal.67.v.8

Sinapi arbor in Syria & calidis regionibus altè assurgit. Matth.13.v.32. eius vires. ibid.

Sinarum ad Euangelium vocatio in Scriptura præsignificatur. Isaiæ 49.v.12. non alia vtuntur æra, quàm regum singulorum suo tempore regnantium. Ezech.1.v.1

Sinense regnum incolis abundat. Apoc.9.v.16

Sindones quæ dicerentur. Isaiæ 3.v.23. & Prou.vlt. v.24

Simon proditor Troiæ fuit. Iudith 6.v 19

Sinopis rubricæ optimæ species. Ierem.22.v.14

Sinus Abrahæ quis vocetur. Luc. 16.v.22. in sinu Patris quòmodo sit Filius. Ioan.1.v.18

de Sion quomodo lex exitura dicatur. Isaiæ 2.v.3. cur dicatur mons sanctificatus. Zach.8.v.3

Sirenes sunt monstra aquatica, pube tenus virgines. Isaiæ 13.v.22

Sitarcia, erat dimensum quod militibus vel operarijs in certos dies vel hebdomades dabatur. 1.Reg.9.v.7

Smaragdi gemma natura, color, potentia: adaptatur S.Ioanni, & Christo patienti. Apoc.21.v.20

Smerdes Magus, Persarum rex, quamdiu regnarit. Chronic.c.37

Smyrna vrbs est Ioniæ, illius situs & elogium. Apoc.2. v.8.

Soba vel Sobal Syriæ pars. Psal.59.v.2

Sobna an pontifex fuerit tempore Isaiæ. Isaiæ 22.v.15. eius luxuria. v.17

Societas plurium laudatur. Eccles.4.v.9

Societas Iesu vnde hoc nomine dicatur, cuius rei hoc nomen Socios commoneat. 1.Cor.1.v.9

Socrus S.Petri an vocata sit Salome. Luc. 4.v.39

Sodomitæ quomodo puniti. Gen.c.19. terra eorum fumigabunda & fructus spurij. Genes.19.v.26.& Sap. 10.v.7

Sodomorum vinea quæ mysticè dicatur. Deut.32.v.32. eorum quintuplex iniquitas. Genes.13.v.13.Ezech.16. v.49

Sol an tabernaculum Dei. Psal.18.v.6. solis encomia. ibid.& Eccli.43.v.2. sistitur à Iosue, quomodo, & quamdiu, &c. Iosue 10. an aliquando ab aliquo alio. ibid. & 1.Paral.4.v.21. solis lux aurea. Iob 37.v.22. eius motus continuus. Eccles.1.v.4. sol quomodo deficiet. Eccli.17.v.30. quomodo nigrescat. Apoc.6.v.12. est vbi tenebratus in meridie Christo patiente. Amos 8. v.9. eius mutatio causat temporis vicissitudines. Isa.1. v.17

Solarium domus quare cingi debebat corona seu limbo. Deut. 22.v.8.& 4.Reg 1.v.2

Solertia alia bona, alia mala est. Eccli.19.v.22.c.21. v.14

Solicitudo de rebus temporalibus quæ improbetur. Matth. 6.v.34. solicitudinis definitio apud Ciceronem, qui. Matth. 6.v.24

Solitudo occupat regiones, abactis vel interfectis incolis. Soph.1.v.2

Solœcismi subinde in Scripturis occurrunt. in Prolegom. de Idiotismis Hebr.n.2.

Somatra an sit regio Ophir. 2.paral.8.v.8

Somnium quid sit. Eccli.34.v.3. somnia ne attendas. Genes.40.& Eccli.34.v.1.&c.

Somnus mysticus. Cant.2.v.6.c.3.v.4.c.5.v.3

Sonus venti vehementis, in quo Spiritus sanctus aduentum designaret. Actor.2.v.2. sonus alarum Cherubinorum Ezechieli visorum varius erat. Ezech.1.v.24

Sophene, Syriæ pars est. Iudith 3.v.1

Sophista omnis est odibilis. Eccli.37.v.23

Sophonias Propheta vnde oriundus, quando vixerit: Ieremiæ abbreuiator videtur: eius argumentum, vbi sepultus sit. proœm.in Soph.

Sorec quod vineæ genus sit Hebræis. Isaiæ 5.v.2

Sores Hebræis & radicem & surculum significat. Isaiæ 11.v.10

Soror sumitur aliquando pro nepte. Genes.12.v.13. & c.20.v.12

Sorte rem decidere quatenus liceat, maximè inter pares. Actor.1.v.26. sorte ab Hebræis facta est diuisio terræ sanctæ. Num.26.v.55. sortes diuinatorias rei arcanæ mutare illicitum est. Ion.1.v.7. sortium festum, vide Phurim.

Sosipater Pyrrhi inter primos Christianos quis fuerit. Act. 20.v.4

Sosthenes princeps fuit Synagogæ Corinthiæ, sed ad Christum conuersus multa pro eo tulit. 1.Cor.1.v.1. occasione S.Pauli grauia plurima passus est. Act.18.v.16

Spadiceus color maximè in equis commendatur. Zach.1. v.8

Spadones apud Iudæos infames erant: talis non fuit Daniel. Dan.1.v.3. spadones spirituales, qui. Sap.3.v.14.Matth. 19.v.12. vide Eunuchus.

Spartani quomodo se dicant fratres Iudæorum. 1.Mach. 12.v.7. vide Lacedæmonij.

Spatistere adducebatur præputium. 1.Cor.7.v.18. vide Præputium.

Spatulæ palmarum quæ sint: eas sumebant Hebræi in manu in festo Scenopegiæ. Leuit.23

Species panis & vini simul laicis non est in communione commenda. Lucæ 22.v.20. ea tamen ad perfectionem sacrificij requiritur. ibid. cur vtraque seorsim adhibetur. ibid. satis est laicis sub vna communicare. Ioan.6.v.54. species pro familia. Iob 5.v.24. species domus ad est, speciosa domus. Psal.67.v.13

Spectra in tenebris quàm sint horribilia. Sap.17.v.4.&c. Eccl.38.v.8

Speculæ æneæ habebant Hebræi.

Spelunca plurimæ sunt in Iudæa. Luc. 1.v.80. 1.Reg.24. v.4. spelunca in qua Christus natus, communis erat diuersorium. Luc.2.v.12

Sperantes in Domino quàm sint fortes & agiles. Isaiæ 40. v.31

Sperare sumitur aliquando pro timere. Iudith 13.v.15

Σπερμολόγος quis sit, & vnde dictus. Actor.17.v.18

Spes capitur subinde pro re sperata. Actor.16.v.3. spes excellens de omnibus arduis superandis, est ex fructibus iustitiæ. Rom.5.v.4. spes diuina non confundit, humana spe-

sapè fallit. v.5

Spicatus nardus alius est à foliato. Matth.26.v.7

Spiculator, id est carnifex, vnde dictus sit. Marc.6.v.27

Spina in rhamnum, quid sibi velit. Psal 57.v.10

Spiraculum vitæ sumitur pro anima. Gen.2.v.7.Iob 33.v.4.Psal.30.v.6.Prou.20.v.27

Spiritualium rerum studium optimum animæ ferculum est. Luæ 10.v.42. *spiritualia animæ exercitia quam vtilitatem habeant.* 1.Tim.4.v.8. *spiritualia pretio vendere indignum est.* Matth.10.v.8

Spirituales Israelitæ soli sunt heredes promissionum Abrahæ factarum, non carnales. Rom.9.v.6

Spiritus *vocatur vis & impulsus diuinus, à quo mouebantur Cherubini Ezechielis.* Ezech.1 v.12. *spiritus item vocatur inspiratio vel suggestio.* 1.Ioan.4.v.1. *ille est per prudentiam discernendus.* ibid. *spiritus promptus non sufficit ad tentationi resistendum, sed is oratione confirmandus est.* Matth.26.v.41. *spiritus sumitur pro vento.* Iob 4.v.9.& 15.&c. *quis spiritus procellarum.* Psal.10.v.7. *quis spiritus Dei, ferebatur super aquas.* Gen.1.v.2. *spiritus Domini, quis.* 1 Reg.11.v 6.& c.16.v.13. *quis spiritus Domini nequam.* 1.Reg.16.v.13. *spiritus lictores Dei.* Eccli.39.v.33. *spiritus duplex Eliæ.* 4.Reg.2.v.9. *spiritus pro anima.* Psal.30.v.6. *spiritus oris pro imperio.* Psal.32.v.6. *spiritus principalis quis dicatur.* Psal.50.v.14. *quis spiritus potestatem habentis.* Eccles.10.v.4

Spiritus sanctus etiam à Deo Filio procedit. Actor.16.v.7. *hagiographis non ita omnia scribenda suggerit, vt querendi & disponendi curam is eripiat.* 2.Mach.2.v.27. *sine eius auxilio nihil valent talenta naturalia.* Actor.2.v.2. *cur vocetur sanctus.* v.4. *eius infusio, diffusio, effusio quomodo differat.* Actor.2.v.4. *est spiritus veritatis.* Ioan.14.v.17. *eius operatio interna requiritur præter docentis vocem & miracula, ad assensum mysteriorum fidei.* v.26. *in specie columbæ super Christum, dum baptizaretur, descendit.* Matth.3.v.16. *quomodo super eum requieuisse dicatur.* Isaiæ 11.v.2. *est ei datus plenissimè.* Ioan.3.v.34. *solus ipse B.Virginem in incarnatione non obumbrauit.* Lucæ 1.v.35. *cur tamen ei soli id approprietur.* ibid. *ipse eiusq; dona ignis est quem Christus in animis omnium vult accendi.* Lucæ 12.v.49. *cur eum Apostolos suos expectare iusserit Christus.* Act.1.v.4. *cur eius infusio vocetur baptismus.* v.5. *non erat venturus nisi post mortem Christi.* Ioan.7.v.39. *quomodo postulet nobiscum & per nos pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Rom.8.v.26. *visibiliter & inuisibiliter super fideles descensurus promittitur.* Ioël 2. v.28. *non solùm eius dona, sed etiam ipsemet personaliter in animam in iustificatione communicatur & infunditur.* ibid.& Actor.2.v.4.& Rom.5.v.5. *quomodo testimonium perhibuerit de Christo.* Ioan.15.v.26. *tam à Filio quàm à Patre procedit & mittitur, at cum aliqua diuersitate in modo mittendi.* ibid.& c.16.v.13.15. *cur vocetur aqua: in iustificatis est instar fontis.* Ioan.4.v.10.13. *qui eum biberunt, cur iterum sitiant.* v.13. *etiam malum instrumentum potest mouere in bonum.* Ioan.11.v.51. *quomodo arguet mundum de peccatis,& de quibus.* Ioan.16.v.8.& 9. *item de iustitia.* v.10. *& de iudicio.* v.11. *docebit omnem veritatem.* v.13. *in legitimis Conciliis infallibiliter adest.* Actor.15.v.22. *cur visibili specie ceciderit super Cornelium Centurionem, eiusq; domesticos.* c.10.v.44. *nouo modo secundùm substantiam suam incipit esse in anima iusti.* 2.Petr.1.v.4. *eius fructus qui sint.* Galat.5.v.22. *eius diuinitas adstruitur.* Sap.1.v.7.& c.7.v.22.Eccli.1.v.8

septem Spiritus ante thronum Dei stantes quid sint. Apoc.1.v.4

Spithama, mensura librar. 37½. Proleg.de Mensuris. *item palmus extensus.* Proleg.de Longitud.

Splendor sumitur pro fauore. Psal.89.v.17

Spolia de hostibus relata Deo offerre victores solent. Mich.4.v.13. *spoliorum ex hoste ante tempus colligendorum auiditas sæpè est causa cladis.* 1.Machab.4.v.13.

eorum diuisio cum remanentibus ad sarcinas, vnde exorta. Iosuæ 22.v.8

Spondere pro alio quàm sit periculosum. Prou.6.v.1. Eccli.8.v.16

Sponsæ maritis, quàm parentibus magis fidæ sunt. 1.Reg.18.v.21. *olim emi debebant.* ibid.

Sponsa spiritualis, id est anima, nigredo. Cant.1.v.4.& nauis. v.5. *sponsa sodales.* Cant.1.v.6. *sponsæ robur.* Cant.1.v.7.8.& c.6.v.3.9. *caput.* Cant.7.v.5. *guttur.* Cant.7.v.9. *genæ.* Cant.1.v.9.c.4.v.3.& c.6.v.6. *facies.* Cant.2.v.14. *capilli.* Cant.4.v.1.c.6.v.5.& c.7.v.5. *vbera.* Cant.4.v.5.10.& c.7.v.7.11. *corona* Cant.4.v.8. *statura.* Cant.7.v.7. *oculi.* Cant.1.v.14.c.4.v.9.c.6.v.4.& c.7.v.4. *domus & cubiculum.* Cant.3.v.4.& c.8.v.2. *conuiuium.* Cant.7.v.11.& c.8.v.2. *paradisus.* Cant.4.v.13.& 12 *fructus.* ibid. *collum.* Cant.1.v.9. cap.4.v.4.& c.7.v.4. *vox.* Cant.2.v.14. *dentes.* Cant.4.v.2.& c.6.v.5. *labia.* Cant.4.v.3.10. *pedes.* Cant.7.v.1. *venter & vmbilicus.* Cant.7.v.2. *eius laudes.* Psal.44.v.10.14. Cant.1.v.8.9.14.& c.2.v.10.14.& c.4.v.1.&c. c.6.v.3.9.c.7.v.1.&c. & cap.8.v.5. *pigritiæ.* Cant.5.v.3. *pallium.* Cant.5.v.7

Sponsus vespere sponsam in domum suam vel conuiuij nuptialis deducebat. Matth.25.v.1. *sponsis suadetur oratio & Sacramentorum vsurpatio ante consummationem nuptiarum.* Tob.8.v.15

Sponsi diuini anima, laudes. Psal.44.v.3.&c. Cant.1.v.1.12.15.c.2.v.1.2.3.& c.5.v.2.&c. *cubile in meridie.* Cant.1.v.6. *thalamus.* v.11. *nomen.* Cant.1.v.2. *cellaria.* v.3. *cella vinaria.* c.2.v.4. *manus.* Cant.2.v.6.c.5. v.4.14.& c.8.v.3. *pascua.* Cant.1.v.6.& c.2.v.16. *lectulus.* Cant.1.v.15.& c.3.v.7. *ferculum gestatorium.* Cant.3.v.9. *cor.* Cant.4.v.9. *hortus.* Cant.4.v.vlt.& c.5.v.1.& 6.6.v.1. *cincinni.* Cant.5.v.2.11. *color.* Cant.5.v.10. *caput.* Cant.5.v.2.& 11. *oculi.* Cant.5.v.12. *guttur.* Cant.5.v.15. *vox.* Cant.2.v.8.& c.5 v.2.6. *saltus.* ibid. *ager.* Cant.7.v.11. *recursus.* Cant.2.v.vlt. *diadema.* Cant.3.v.11. *conuiuium.* Cant.5.v.1. *vinum.* Cant.7.v.9. *labia.* Cant.5.v.13. *venter.* Cant.5.v.14. *genæ.* Cant.5.v.13. *crura.* Cant.5.v.15

Sponsus in nuptijs Cana Galilæa an fuerit S.Simon, vel S.Ioannes Euangelista. Matth.10.v.4

Sportula quid: etiam regibus offerebatur. 1.Reg.9.v.7

Spuriorum vituperia quæ sint apud homines. Sap.3.v.16.c.4.v.3

Squamæ oculorum quæ ab oculis Pauli ceciderint. Actor.9.v.18

quamdiu in Stabulo Bethlehem baserit Ioseph cum B.Virgine. Matth.2.v.11. *id fuit postea ab Helena nobilitatum templo.* Lucæ 2.v.12

Stachys primus fuit Byzantinorum Episcopus. Rom.16.v.9

Stacte est lacryma myrrhæ, eiusq; liquor purissimus. Genes.43.v.11

Stadium Rom. sunt passus 125. Romani; stadium Græcum paulò minus. Proleg.de Longitud.Apoc.21.v.16

Stare *Hebræis omnem situm significat.* Lucæ 24.v.4. *subinde capitur in Scriptura pro complere & verificare.* Ezech.12.v.22. *quomodo Christus dicatur stare à dextris Dei.* Actor.7.v.55

Stater, vide *siclus argenti.*

Statio, pro officio seu gradu. 2.Esdr.13.v.11. *item, pro præsidio militari.* 1.Reg.13.v.3

Statuas materiales an adorarint prisci idololatræ. Sap.13.v.15. *statuam auream cur Nabuchodonosor sibi erigi iusserit, sed factum id maximè suggestione ariolorum.* Dan.3.v.1.

v.1. *statuam Christo erigit mulier hæmorrhoissa ob sanitatem ab eo recuperatam: quæ circa eam mira contigerint.* Matth. 9.v.22

in Statu vitæ deligendo cautè prouideq; procedendum. Luca 14.v.28

Stella Magos toto itinere est comitata. Matth.2.v.2. *vnde è stella potuerint agnoscere natum Christum.* ibid. *huius stellæ miracula.* ibid. *an fuerit illa vera stella: eius motus fuit insolitus: variæ stellæ tropologica.* ibid. *stellæ ex Iacob per Balaam prædictæ.* Num.24.v.17

Stellæ non sunt animatæ. Ierem.10.v.2. *eas colebant Gentes quasi deos: futuros euentus non præmonstrant.* ibid. *mœrentibus obscurari & sedibus suis excidere videntur.* Ezech. 32.v.7. *quomodo de cælo lapsuræ sint in fine sæculi.* Psal. 17.v.8.Isaiæ 13.v.10.& Apoc.6.v.13. *stellas Deus ex nomine vocat, earumq; nouit energiam & proprietates, & iussui suo parentes habet.* Isaiæ 40.v.26. *ea quomodo sint innumerabiles.* Genes.15.v.5. *illarum numerus Deo notus.* Psal.146.v.4. *cur dicantur militia cæli.* Ierem.8.v.1. *sunt clausæ sub signaculo.* Iob 9.v.7. *sunt virtus altitudinis cæli.* Eccls.17. v.31

Stellio, lacertæ similis est. Leuit.11.v.30. *est typus aulicorum.* Prou.30.v.24

S.Stephanus an cognatus fuerit S. Pauli: triplex eius fides. Actor.6.v.5. *erat vultu speciosо; sed euangelizanti nouam Deus addidit pulchritudinem.* v.15. *pro lapidatoribus suis orans plures ad Christum conuertit.* cap.7.v.59. *eius martyrij diem Apostoli sanxerunt esse festum.* ibid. *quomodo viderit gloriam Dei.* v.55. *cur dicat se videre cælos apertos.* ibid. *lapidatur à Iudæis.* v.56. *ei sepultura honorifica fuit procurata.* Actor.8.v.2

Sterilitas an probro apud Israelitas fuerit. Deut.7.v.14. *ea sunt puniti Iudæi ob neglectum fabricæ templi.* Agg.1.v.5. & 6

Stibini lapides, id est, varij coloris. 1.Paral.vlt.v.2

Stibium duplex, alterum liquidum, alterum lapideum. Isaiæ 54.v.11

Stigmata Christi corpori suo impressa habuit S. Franciscus. Galat.6.v.17. *illa gestare metaphoricè, quid sit.* ibid.

Stimulus carnis Paulo relictus, fuit motus concupiscentiæ. 2.Cor.12.v.7

Stoici vnde dicti, quæ eorum dogmata & placita. Actor. 17.v.18

Stola est eadem cum veste gloriæ. Esther 6.v.10. *stola alba symbolum est gloriæ.* Apoc.6.v.9

Stoliditatis typus. Prou.1.v.17

Storax est lacryma arboris vocatæ styrax. Genes.43.v.1. Eccli.24.v.21

Stragulata vestis est eadem cum variegata. Prou.vlt.v.22

Stridor dentium qualis & vnde futurus in inferno. Matth. 8.v.12

Struthio in pullos suos immitis est. Thren.4.v.3. *in hastilia venatorum sese induens flebiliter stridet.* Mich.1.v.8. *erat auis immunda.* Leuit.11.& Deut.14.v.15. *eius volatus & stoliditas.* Iob 39.v.13

Studium pertinax adauget melancholiam. Actor.26. v.24

Stuferus, qua moneta sit. Proleg.de Ponderib.

Stultiloquium quale cauere debeant Christiani. Ephes.5. v.4

Stulto quomodo respondendum. Prou.26.v.4

Stylum ducere, quid sit. 4.Reg.21.v.13

Subordinatio deseruit ad bonum regimen. Luca 6 v.13

Substantia pro subsistendi potentia. Psal.38.v.6. Psal.88.v.48

Subsultatio Ioannis in vtero matris, fuit rationalis cum vero vsu rationis: vnde ea ortum habuerit. Luca 1.v.41

Subtilitatis dotis vsus Beatis liber relinquitur. Luca 24. v.39

Sudor sanguineus Christi in horto vnde ortum habuerit. Luca 22.v.44. *vnde is notari à discipulis, vel Euangelistæ constare potuit.* ibid.

Suggestio prima ad peccatum non est peccatum. Iac.1. v.14

Sulamitis vocatur sponsa à Salem. Cant.6.v.11. c.7 v.1

verum Sulphur an sit in inferno. Iudith 16.v.21

Sum qui sum, *est titulus Dei.* Exod.3.v.14

Supellex sacra à Ieremia abscondita, nondum fuit detecta, detegenda in fine sæculi. 2.Mach.2.v.7

Super sumitur pro iuxta. 1.Reg.19 v.1

Superbos dispergit Deus mente cordis sui. Luca1.v.51

Superbia initium est omnis peccati. Tob.4.v.14. *in quatuor specie.* 1.Cor.4.v.8. *cur vitanda sit 11. cugumenta.* Eccli.10.v.7.vsque 22

Supererogationis opera maiori præmio afficientur à Deo. Luæ 17.v 10

Superflua non sunt appetenda. Eccles.5.v.1

Superhumerale pontificis Hebr. describitur. Exod.28. v.4

Superioribus obediendum. 1.Petr.2.v.13

Superuacuè, id est, sine causa. Psal.24.v.4. *superuacuum sumitur pro vili.* Sap.11.v.16.c.12.v.24.& 15. v.10

Surdi plerumq; etiam muti. Luca 1.v.62

Surge, propera *cur dicatur sponsæ.* Cant.2.v.10.& 14.& c.4.v.8

Susan Persia metropolis à Memnone condita, à Dario Hystaspe aucta. Esther 1.v.2. *nunc Taurus.* ibid.

Susanna, idem est quod lilium. Esther 1.v.2. *vnde sic dicta sit vxor Ioakim.* Dan.13.v.2. *eius singularis castimonia, quæ ne metu quidem mortis in scelus consentire voluit.* v.21

Susceptio matutina, id est festinum auxilium. Psal.21

Suscipere pro adiuuare. Psal.3.v.4

Suscitare verbum, est implere promissum. Prolegom.de Idiotismis Hebr.n.36.& 2.Reg.7.v.25. *suscitare frameam, arcum, pactum, iuramentum, est facere ne otiosa vel vacua sint.* ibid. de Idiotismis

Susiana prouincia alia fuit ab Aelamitide, fuit & Susa vrbs in Perside. Dan.8.v.2.vide Susan.

Suspendium quare optauit Iob. Iob c.7.v.15.& c.30.v.4

Suspensio in cruce infamis vbique est. Deut.21.v.23

Susurro idem est qui murmurator & detractor. Prou.18. v.8. vide Bilinguis.

Sycomorus est ficus satua: eius fructus, quia durus & amarus, incidi ac scalpi solet, vt à sole penetretur, & dulcescat: in Syria est frequens, & magna fertilitatis. 2.Paral.1.v.15. Amos 7.v.14.Luca 19.v.4

Symbolum Apostolorum quomodo ab ijs compositum. Act. 21.v.14

S.Symphorosa septem filiorum Martyrum mater. 2.Machab. 7.v.38

Synagoga noluit Christum agnoscere. Psal.68.v.9. *nato Christo paulatim collapsa est.* Mich.5.v.3. *est vinea: qua eius sepes, turris & torcular.* Matth.21.v.33.Isaiæ 5.v.1. & seqq. *extra Synagogam ejici apud Iudæos erat velut excommunicatio.* Ioan.9.v.34

Synagogæ erant in quibus ad orationem publicam & sacram concionem maximè in sabbatis conueniebatur, eranti; in vrbibus frequentioribus subinde etiam plures. Matth.4.v.23

Synecdoche varia in Script.occurrit. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.25.26.27.28

Synedrion ex varijs constabat, non è sola tribu Iuda, nec solis sacerdotibus. Actor.4.v.6. vide Sanedrim.

Synophanes an fuerit primus auctor idololatriæ. Ezech.8.v.14

Syrac-

Syracusarum situs. Actor.28.v.12

Syria priùs dicta Aram, deinde Kyria, mox Syria, euphoniæ causa: qui primi eius incolæ. Amos 9.v.7. *sic dicta est à Sur prouincia Armeniæ.* Ezech.27.v.16. *Syria quanta sit, & quousque extendatur.* Iudith 3.v.1. *Syriæ regum nomina & res gestæ ab Alexandri morte vsque ad Tigranem.* Chron.c.40

Syri quando fuerint à Chaldæis debellati. Isaiæ 17.v.3. *quàm pauci eorum in ignobilibus vrbibus relicti.* v.5

Syrtes arenosus est locus in mari circa Africam, vnde dictus: etiam abusiuè similia arenosa loca sic vocantur. Actor. 27.v.17

Σύζυγε quemuis *socium, collegam & cooperatorem designat.* Phil.4.v 3

TAbellæ pacis *in Missa porrigi solitæ successit osculo quod olim Christiani inuicem dabant.* Rom.16.v.16. *cur illa ante communionem porrigatur.* Matth.5. v.23

Tabernaculi Mosaici constructio. Exod.26. *illius membra, integumenta, cortinæ, pelles, tabulæ, vectes, velæ.* ibid. *atrium.* Exod.27.v.9. *id quamdiu in Galgalis fuit, in Silo, in Nobe, in Gabaon, & Ierosolymis, &c.* Ios.18.v.1. & 1.Reg.21.v,7

Tabernacula Cedar quæ sint. Cantic.1.v.4. *quæ tabernacula pastorum.* v.7. *tabernaculi nomine cur vocetur cælestis Ierusalem.* Apoc.21.v.3. *tabernaculum Dauid resuscitandum quod intelligatur ad litteram, & allegoricè.* Amos 9.v.9. *tabernaculorum solemnitas celebrabatur* 15.Tisri. Leuit.23. vide *Scenopegia.*

Tabitha cur vocetur Dorcas. Actor.9.v.36

Tabulæ duæ lapideæ manu angeli confectæ, sed à Moyse confractæ. Exod.32.v.15. *tabulas nouas inducit Nehemias.* 2.Esdr.5.v.12

Tacere sumitur pro quiescere. Psal.82.v.2

Taciturnitas signum est stuporis & reuerentiæ. Habac.2. v.20

Talentum est 125. *librarum,* 60. *minarum: Atticum Atticarum, Hebraum Hebræarum: argentum argentearum, aurum aurearum.* Proleg.de Ponderib.& Mensuris. *talentum Hebraum* 3000. *siclis, Atticum* 1500. *constabat.* ibid. & Num.31.v.52.& Matth.18.v.24. *talenta centum millia in auro, & decuplò plura in argento, reliquit Dauid Salomoni; & quanta hæc summa.* 1.Paral.22.v.14. *talenti pondus idem post Dauidis tempora quod sub Moyse.* 2.Paral.25.v.6. *talentum acceptum qui fodiant in terram.* Matth.25.v.18

Talpa in terra habitat, & oculis caret. 2.Petr.1.v.9

Tanis vel Taphnis erat metropolis Aegypti. Isaiæ 19.v.11. & Psal.77.v.12.& Ierem.43.v.7

Ταπείνωσις *est propriè vilitas.* Luc.1.v.48

Tardi simus ad loquendum. Iac.1.v.19

Tarquinij filius prodit Gabinos. Iudith 6.v.19

Tarsus Ciliciæ vrbs priuilegio ciuitatis Rom. gaudebat. Act. 22.v.28

Tartari vocant principem suum Gog. Ezech.38.v.1

Tau *Hebraum olim scribebatur vt Latinum* T: *erat Aegyptiis symbolum futuræ vitæ, & Latinis nota absolutionis.* Ezech.9.v.4

quæ Tecta perstillantia vocet Sapiens metaphoricè. Prou. 19.v.13

Tedæ connubiales quæ dicerentur. Matth.25.v.1

Tegi peccata idem est quod remitti, aboleri. Psal.31.v.1

Teglat-Phalassar regis Assyriæ gesta. Chronic.c.33.& 4.Reg.15.v.29.& c.16.v.5. *expilato regno Israelis & Syriæ, inhiauit regno Iudæ.* Isaiæ 7.v.17.& c.8.v.7. *quomodo, & per quos Israelem deuastarit.* Isaiæ 9.v.11.

Temeritas plerumque infelices habet successus. 1.Mach.5. v.67

Tempe *capitur appellatiuè pro omni loco amœno.* Ierem. 48.v.33

Tempestas maris describitur. Psal.106.v.23. *tempestas, qua Paulus in Mediterraneo mari iactatus, an sit à damone excitata.* Actor.27.v.14. *tempestas qua iactatus Ionas cognita est à nautis diuinitus fuisse immissa.* Ion.1.v.7

Templum Salomonis cur dicatur mons testamenti & latera Aquilonis. Isaiæ 14.v.13. *quare domus Dauid.* cap.22. v.22. *cur mons Libanus.* Zach.11.v.1. *quamdiu id ab Antiocho Epiphane manserit profanatum.* Dan.8.v.14. *erat id Iudæorum fortitudo, & gaudium dignitatis.* Ezech.24. v.25. *hinc ei maximè confidebant, eoq; se putabant tutos fore, & iustos Deoq; caros esse.* Ierem.7.v.4.c.8.v.8. *in eo solebant depositæ pecuniariæ deponi pro veneratione loci.* 2.Mach.3.v.11.& 12. *ante ipsum varia fructuum genera vendebantur.* Ierem.24.v.1. *illius forma, & cum tabernaculo Mosaico comparatio.* 3.Reg.6. *quo loco constructum: quæ partes illius & ornatus.* ibid. *quo sensu dirutum fuisse dicatur sub Manasse.* Iudith 5.v.22. *Iudæi alibi orantes versus illud faciem conuertebant.* Dan.6. v.10

Templum Esdræ non erat par priori Salomonico. Agg.2.v.4. *templi repurgatio per Iudam Machabæum quo anno & mense facta.* 1.Machab.4.v.54. *facta est ante mortem Antiochi Epiphanis.* 2.Machab.10.v.3. *ipsum per Titum euersum est vsque ad fundamentum.* Marc.13.v.2. *sed sub Antichristo rursus instaurabitur.* 2.Thess.2.v.4. *quare & quot annis Herodes rex ipsum ædificarit.* Ioan.2.v.20. *templum S.Michaëlis in Chonis quàm esset celebre.* Col.2.v.18. *templum quo modo non sit in cælo, sed Deus Beatis loco templi sit.* Apoc.21.v.22. *templum suum sub Iuliano Apostata restaurare conati Iudæi, horrendis terræmotibus prohibiti sunt.* Marc.13.v.2. *templum Dianæ Ephesiæ quàm esset celebre.* Actor.19.v.28. *templum Dei est anima cuiusq;* 1.Cor. 3.v.16.17. *in templo verba faciens, caput operiat.* 1.Cor. 11.v.4

in Templis sectanda deuotio. Psal.26.v.4. *templa quot nominibus sancta sint.* Psal.64.v.5

cuique rei suum Tempus. Eccles.3.v.1. *tempus aduentus Messiæ precibus suis acceleraruntProphetæ.* Dan.9.v.24. *tempus ante Christi aduentum erat velut spissa nox.* Rom.13. v.12. *certum tempus fuit pesti tempore Dauidis à Deo constitutum.* 1.Paral.21.v.14. *tempus Christi quare dicatur nouissimum.* Isaiæ 2.v.2. tempora *capitur pro anni.* Dan. 4.v.13.cap.7.v.25. *tempora & dies & annos obseruabant Iudæi pro suis festis.* Gal.4.v.10

Tenebræ moriente Christo per orbem factæ vnde ortum habuerint. Marc.15.v.33. *tenebris denotantur vel impij vel dæmones.* Luc.22.v.53. *tenebræ exteriores quæ dicantur.* Matth.8.v.12. *tenebræ metaphoricè sunt homines tenebricosi & in peccatis obstinati.* Ioan.1.v.5. tenebræ *sumitur pro aduersitatibus.* Psal.54.v.6. *tenebræ palpabiles fuere in Aegypto.* Exod.10.v.21.Sap.17.v.2.&c.

Tenebrescere videntur afflictis omnia. Isaiæ 13.v.10

nos aliter Tentamur atque Christus tentatus est. Hebr. 4.v.15

Tentatione premi humanum, ei succumbere diabolicum. 1.Cor.10.v.13. *tentatio omnis per Dei gratiam vinci potest.* ibid. *ei resistendo augentur habitus virtutum contrariarum.* ibid. *tentationis vsus & necessitas.* Tob.12.v.13. *in illam quomodo intrare dicamur.* Matth.26.v.41. *tentationis fructus.* Psal.25.v.2.Eccli.34.v.9.& Iac.1.v.3. *tentatio capitur sæpè in Scrip. pro tribulatione.* Act.20.v.19

Tentationes carnis ruborem inijciunt viris sanctis. 2.Cor. 12.v.7. *ea omnes vincuntur per diuinam opem.* v.9. *tentationes quatenus liceat deprecari & fugere.* Iac.1. v.2. *sunt materia luctæ & meritorum.* ibid. *quàm sint vtiles.* v.3. *tentationes ad malum, à Deo non proueniunt.* v.13

Tentatorum varia genera sunt. Psal.90.v.5 &c.
Tepor & tepidus Deo sunt nauseæ. Apoc.3.v.16.17
Teraphim tam in bonam quàm malam partem accipitur in Script. 1.Reg.19.v.13
Terebinthus quæ arbor, & succus. Gen.43.v.11
Termini alienorum agrorum non transgrediendi. Prou.22. v.28
Terra in fine sæculi exuretur, & fiet noua. 2.Petr.3.v.10. & 13. *terra polluitur sanguine iniustè profuso.* Ioël 3. v.21. *quæ facta terræ commotio veniente in orbem Christo.* Agg.2.v.7. *terra nouissima, est sepulcrum vel infernus.* Ezech.26.v.20. *terra an continuò moueatur.* Iob 9.v.6. *terræ fundamenta & columnæ quæ dicantur.* Iob 9.v.6. & c.38.v.5.&c. Psal.103.v.5. *quæ ala terræ.* Iob 38.v.13. *amictus terræ est aqua.* Psal.103.v.6. *quæ terra viuentium.* Psal.26.v.13. *quæ terra recta.* Psal.142.v.10. *quid medium terræ.* Psal.73.v.12. *terræ sanctæ termini.* Deut. 1.v.7.& 3.Reg.4.v.21.Michæ 7.v.12. *eius diuisio quomodo sortitò facta.* Num.26.v.53. *quando perfecta.* Ios.13.v.3
Terræmotus quis contigerit tempore Oziæ regis, & quæ occasione. 2.Paral.26.v.22.Amos 1.v.1. *terræmotus factus, orantibus Apostolis Petro & Ioanne, quid significaret.* Act.4. v.31. *terræmotus orante Paulo & Sila factus Philippis, an fuerit in toto orbe.* Act.16.v.26. *terræmotus semper prouenit à Deo.* Iob 9.v.6
Terrena bona etiam centuplo duplicata accipient qui propter Christum aliqua reliquerint. Matth.19.v.29
Tertia die quomodo Christus resurrexerit. Osee 6.v.3
Tertius fuit interpres epistolæ S.Pauli ad Romanos è Græco. præm.in eamd. *fuit enim eius amanuensis & interpres, postea Episcopus Iconij & Martyr.* Rom.16.v.22
Tertullianus ex oratore factus est Christi sectator & presbyter. Act.24.v.1
Tertullus orator quàm speciosè aduersus Paulum mentiatur. Act.24.v.3
Testamentum & testimonium sæpè sumitur pro lege Dei. Psal. 24.v.10. *testamentum super sacrificia quid sit.* Psal.49. v.5. *testamentum nouum inter Deum & homines, confirmatum fuit in institutione Sacramenti altaris in sanguine Christi.* Marc.14.v.32
Testes cur adhibendi in corripiendo fratre nos offendente. Matth.18.v.16. *testes aduersus Christum testantes, iniqui simul erant & falsi.* Matth.26.v.60. *testes tres in cælo de Christo testimonium perhibent, qui.* 1.Ioan.5.v.7. & *quale & vbi.* ibid. *item tres in terra.* v.8
Testimonium Spiritus sancti, quòd simus Filij Dei, non est certum nisi certitudine morali. Rom.8.v.16. *quale sit hoc testimonium.* ibid.
Testudo militaris erat continuata clypeorum series. Ezech. 26.v.8. *quem olim haberet vsum.* Nahum 2.v.5
Tetradrachmum, quatuor drachmæ erant. Proleg.de Ponderibus.
Thabor mons Galilææ erat. Psal.88.v.13. *an in eo contigerit Christi transfiguratio.* Matth.17.v.1
Thamar vrbs in tribu Manassæ palmis abundabat, dicta postea Adrianopolis. Ezech.47.v.19
Tharsis & pro insula, & pro mari sumitur, vnde dictum, quid sit. 2.Paral.9.v.21
Theandrica Christi opera quæ essent. Ioan.2.v.4
S.Thecla virgo Iconiensis à SS. Patribus egregiè celebrata. Actor.14.v.1
Thecua vrbs vbi sita, in ea erat publicum armamentarium. Ierem.6.v.1. *ea describitur.* Amos 1.v.1. *Thecuæ duplex est, vna eis, altera trans Iordanem.* 1.Mach.9. v.33
Theman vrbs Idumææ sapientibus abundabat. Ierem.49. v.7. *hinc erat academia Idumææ.* Bar.3.v.22
Theodæ duo populum Ierosolyma ad rebellionem concitarunt. Actor.5.v.36
Theodosius Imp. edicto idololatriam per orbem sustulit. Isaiæ 2.v.18
Theophilus, cui Euangelium suum S.Lucas inscribit, fuit vir è prima nobilitate Antiochiæ, à S.Petro conuersus: eius domus facta est Ecclesia. Luca 1.v.1
Theraphim, sunt simulacra larium siue penatium. Osee 3 v.4. vide Teraphim.
Theriaca compositio medetur contra serpentum morsu: quis eius fuerit inuentor. Act.28.v.3
Theristra erant pallia æstiua: vnde dicta sint. Isaiæ 3. v.23
Thersa, regia fuit regum Israel. 3.Reg.14.v.17. *per euersa.* 4.Reg.15.v.14
Thesauri olim in sepulcris condebantur. Ierem.8.v.1. thesauri sanctorum, *vocabantur ærariæ in quibus oblata Deo adseruabantur.* 1.Paral.28.v.12
Thessalonica Macedoniæ ciuitas dicta priùs Halys: vnde dicta sit Thessalonica. præm.in epist.1.ad Thessal.& Actor.17. v.1
Theta erat Græcis nota damnationis ac mortis. Ezech.9.v.4
Thetis dea accipitur pro mari. Sap.13.v.2
Thogorma sunt Phryges vel Turcæ. Ezech.38.v.6
S.Thomas vnde dicatur Didymus. Ioan.11.v.16. *in eius gratiam iterum discipulis apparet Christus.* Ioan.20. v.26.& seqq. *apud Indos occiditur anno 5.Vespasiani.* Chron.c.vlt.
Thorus, thoralia, quid: quis eorum vsus in conuiuiis. Esther 1.v.6
Thrasius propria perit arte. Esther 7.v.10
Thrasonis typus fuit Elius amicus Iobi. Iob 32
Threni quos vsurpat Ecclesia in officio Parasceues, sunt pro maiori parte è Michæa desumpti. Mich.6.v.4
Threni Ieremiæ maximè pathetica S.Scripturæ pars sunt: quam Ierosolymæ vastitatem Ieremias ita deploret: scripti sunt carmine Hebraico, certo ferè numero non pedum, sed syllabarum dimensi: singula carmina incipiunt à littera quæ ordine alphabeti iis præfigitur. in præmio Thren: *eius argumentum an sit Canonicum.* ibid.
Thus orationis. Cant.3.v.6
Thyatira vrbs est in Mysia, colonia Macedonum, vnde dicta. Apoc.2.v.18
Thyma ligna vnde dicantur: qualia sint. 3.Reg.10. v.11
Thymiama sacrum, eiusq; compositio describitur. Exod.30. v.8. vide Altare.
Thyrsi sunt hastæ frondibus ornatæ. 2.Mach.10.v.7. *item rami palmarum.* Iudith 15.v.9
Tiara recta soli vtebantur reges: Ezech.21.v.27. *tiara sacerdotalis & pontificia describitur.* Exod.28
Tiberias vrbs ab Herode Antipa in honorem Tiberij Cæsaris constructa. Matth.4.v.18
Tiberij Imperatoris gesta. Chron.c.45.& 50. *Christum in deos voluit referre.* Actor 9.v.31
Tibicines olim adhibebantur in funeribus paruulorum. Matth. 9.v.23. vide Prefica.
Tigranes Armeniæ rex qua occasione Syriæ regnum inuasit. Chronic.c.40
Tigris fluuius quis sit. Genes.2.v.8. Eccli.24.v.35. *Tigris inundans occasio fuit Niniues expugnandæ à Chaldæis.* Nahum 1.v.8
Timere nos oportet ob propriam socordiam, quantumuis diuinus erga nos affectus magnus sit. Rom.8.v.39
Timor Domini, idem quod cultus Dei. Psal.33.v.12. *timor inanis v.g.noctu,&c.* Psal.13.v.5. *timor testis nequitiæ.* Sap. 17.v.10. *timor Dei filialis.* Iob 4.v.6. *timor Dei initium sapientiæ, & perfecta sapientia.* Psal.110.v.10.Eccli.1.v.16. &c.c.19.v.18. *timoris Dei fructus insignes.* Psal. 24.v.12. Psalm.126.v.3. Psalm.127. Eccli.1.v.17.&c. c.40. v.27. *timor seruilis non consistit cum charitate perfecta.*

perfecta. 1.Ioan.4.v.18. timorem Domini quomodo Christus habuerit, & vnde is in eo natus. Isaiæ 11. v.2

Timotheus quare à S.Paulo circumcisus. Actor.16.v.3. fuit ab eo constitutus Episcopus Ephesinus: quousque vitam extenderit: quamdiu Ecclesia Ephesina præfuerit: est ad episcopatum euectus adolescens. proœm.in epist.1. ad Tim. fuit à Paulo vincto Romam euocatus. Phil.1.v.1. an fuerit Episcopus ille Ephesinus cui S.Ioannes in Apocalypsi scribit: an in senio intepuerit: sed zelum pristinum resumpsit & Martyr occubuit. Apoc.2.v.1

Tinea in quo sit symbolum tyrannorum & impiorum. Iob 27.v.15

Tintinnabula aurea erant in veste pontificia. Exod.39. v.24

Titanes vulgo capitur pro gigantibus. Iudith 16.v.8

Titulus cruci affigi solebat, exprimens causam supplicij. Marc. 15.v.26. titulus crucis Christi erat buxeus. Habac.2.v.2. titulus, idem quod indicium rei gestæ. Gen.28.v.17. tituli cur erigi vetentur. Leuit.26.v.1. Psal.55.v.1. tituli vel saxa 12. erecta dum fœdus initur inter Deum & populum. Exod. 24.v.6

Titus ab Apostolo Paulo creatus est Creta Archiepiscopus: in Dalmatia euangelizauit, & in Creta sanctè obiit. in proœm. epist.ad Tit.

Titus Corinthius cognomento Iustus, alius est à S.Tito Creta Episcopo. Actor.18.v.7

Titi Imperatoris de Iudæis victoria. Chron.c.vlt.

Tobia liber à quo primùm conscriptus: quanta sit auctoritatis: & an vera historia. in proœmio libri.

Tobiæ genus & patria. c.1.v.1. virtutes in adolescentia. v.4.vsque 8. in virili ætate. v.10. vsque 20. gratia apud regem Assyriorum. v.13.& seqq. à Sennacherib spoliatur bonis. v.22. sed eà recuperat sub Assar-Addone, precibus Achiachari nepotis sui. v.vlt. execratur. c.2.v. 10.&c. irridetur. v.15. mortem orat. c.3. monita pia dat filio. cap.4. visum recuperat. c.11. piè moritur post varios vitæ casus. c.14

Tobiæ iunioris iter in Rages Medorum. Tob.6. cur piscis ab illo exenteratus. v.2.8.9. Saram in vxorem accipit prima sui aduentus hora. c.7.v.16. fugatur Asmodæus. c.8.v.2.& 3. recipit 10. talenta à Gabelo, & nuptias celebrat. c.9. cum dimidia parte bonorum Raguelis redit in Niniuen. c.10. parenti visum restituit. c.11. sepelit parentes, excedit Niniue, moritur in Ecbatanis. c.14

Tobias vir diues Ierosolyma quis, Onia secundi pontificis sororem duxerat. 2.Mach.3.v.10

Tonitru descriptio & effectus. Psal.28.v.3.&c. tonitrua in monte Sinai. Exodi 19.v.13. tonat de cælo Deus aduersus Philistbæos orante Samuele. 1.Reg.7.v.10.& Eccli. 46. item sereno cælo, ad terrendos Iudæos. 1.Reg.12.v.17. per tonitru contremiscere videntur cæli. Iob 26.v.11. & Deus vociferari. Iob 37.v.2

Topazius gemma vnde dicatur: quem habeat colorem: quibus polleat viribus: repræsentat S.Iacobum Minorem, & Spiritus sancti deitatem. Apoc.21.v.20

Topheth locus symbolum est gehennæ. 4.Reg.23.v.10. & Isaiæ 30.v.33

Torcular metaphoricum sunt libri sacri. Eccli.33.v.16. pro torcularibus, quid sit in Psalmis. Psal.8

Toris vtebantur veteres mensa accumbentes. Luca 7.v.38. vide Thorus.

quale Tormenti genus priscis esset tympanum. 2.Mach.6. v.28.& Hebr.11.v.35

Torrens abusiuè capitur pro flumine maiore. 1.Mach.5. v.37

Torta panis vocabatur panis contortus in orbem. Ierem.37. v.20

Trachonitis regio in Iudæa vbi sita, & vnde dicta. Luca 3.v.1

Tractio Dei per gratiam quomodo in anima peragatur. Cant.1.v.3

quomodo sint Gentiles à Deo Traditi in desideria cordis sui. Rom.1.v.24

Traditiones sunt æqualis auctoritatis cum legibus scriptis Apostolorum. 1.Cor.16.v.2. ideoq; vnà cum iis seruandæ. 2.Tim.2.v.2.& c.3.v.16.

Tragelaphus erat animal mundum ad esum. Deut.14. v.5.

Transfiguratio Christi an in monte Libano contigerit, an in Thabor. Isaiæ 35.v.2.Matth.17.v.1

quomodo sit Christus Transfiguratus. Matth.17.v.2. splendor vultus eius vnde ortum habuerit. ibid.

Transfugis non facilè credendum. Iudith 6.v.19

Transmarini sumitur pro extremis hominum. Osee 11. v.10

Transsubstantiatio specierum fit in Sacramento Eucharistiæ. Marc.14.v.23

Transtra in domibus & nauibus quæ dicantur. Ezech.27. v.6

semper Trepidat impius. Iob 15.v.20.&c.

Tres Tabernæ quis locus iuxta Romam. Actor.28.v.15

Triarij sunt viri in castris Romanorum spectatæ virtutis. 1.Reg.29.v.2

Tribulatio nos purgat. Ezech.1.v.13. est pœnitentibus initium salutis. Osee 2.v.15. cur in ea sit Christianis gaudendum. Iac.1.v.2. illius vtilitas. Psal.22.v.4.& 5. Ezech.6.v 9.& Zach.10.v.1. per eam nos oportet intrare in regnum Dei. Actor.14.v.21

Tribuli sunt genus spinarum. Matth.7.v.18

Tribunal Dei duplex, alterum vindictæ, & alterum clementiæ. Ierem.1.v.13. tribunal Christi iudicis an futurum super montem Caluariæ. Matth.24.v.28

è decem Tribubus Israel multi transfugerunt ad tribum Iudæ. 3.Reg.12.v.31.& 2.Paral.17.v.2. tribuum sortes alias ponit Ezechiel in sua sortium distributione, atque olim posuit Iosue: & quare id factum. Ezech.48.v.31. an liuerit Hebræis nubere extra tribum. Num.36

Tributum vulgare Iudæorum erat semisiclus. Exod.30.v.12. & 4.Reg.12.v.4. quale & quando tributum ab Hebræis exigeret Deus. Matth.17.v.23. eius solutio est professio potestatis regum, & subiectionis subditorum. Rom.13.v.6. Iudæi se à tributo Cæsari persoluendo putabant immunes. Matth. 22.v.17

Triclinium vnde dictum sit. Esther 1.v.6

quomodo Christus Triduo in sepulcro fuerit. Matth.12. v.40. per triduum tantùm ambulauit Isaias nudus per Ierosolymam, non per triennium. Isaiæ 20.v.3

Triens sunt quatuor vnciæ. Proleg.de Ponderib.

Triens, tertia pars sextarij Romani. Proleg.de Mensuris.

Triginta argentei, quibus Christus venditus, quanti fuerint pretij, illique dati proditori in manus. Zach.11.v.12

SS.Trinitas in veteri testamento insinuata est. Genes.1.v.1. Psal.66.v.8. eius & incarnationis Filij Dei fides necessariò ad salutem requiritur. Ioan.16.v.3. tota Trinitas debet in baptismi collatione exprimi. Actor.2.v.38. tota quoque B.Virginem in incarnatione obumbrauit. Luca 1.v.35. cur ipsa tota non dicatur incarnata. ibid. ipsa essentialiter & substantialiter est in anima sancta. 2.Petr.1. v.4

Trinitatem personarum negans, negat quoque deitatis naturam. 1.Ioan.2.v.23

Tripliciter sumitur in Scriptura pro multipliciter. Prou. 22.v.20

Tristitia secundùm Deum, & humana, diuersos operatur effectus. 2.Cor.7.v.10. tristitia maximè cauenda. Eccli. 25.v.17.&c. tristitia Christi in horto non erat in solo appetitu sensitiuo, sed etiam rationali, & voluntate. Matth.26. v.38. fuit vltrò ab eo assumpta. ibid.

Trituratio bobus fieri solebat apud Hebreos. Deut.25. v.4

Triturabantur hostes subacti carpentis ferratis & serratis. 2.Reg.12.v.32.Mich.4.v.13.& Amos 1.v.3

Triumphat nos Deus, *pro triumphare facit.* Proleg.de Idiotismis Hebr.n.60.& 2. Cor.2.v.14

Troas modò est Asiæ regio, modò ciuitas. Actor.16. v.8

Troglodytæ sunt Arabes. 2.Paral.12.v.3

Troia quando & à quo sit condita. Iudic.3.v.31. *quando excisa.* Chron.c.31

Trophimus Ephesius, dein Arelatensis Episcopus, euangelizauit in Gallia. Actor.20.v.4

Tryphon dux Antiochum Alexandri Velis filium ad Syriæ regnum euehere conatur. 1.Mach.11.v.39. *sed illo excluso sibi id vindicare studet.* c.12.v.39. *Ionatham Machabæum dolo detinet.* v.41. *eius dolus & astutia.* c.13.v.14. *filios Ionathæ pro obsidibus & magnam pecuniæ vim, à Simone eius fratre extorquet.* v.16.& 19. *Asiæ & Syriæ rex factus est occiso Antiocho iuniore.* v.31

Tu dixisti, *modus respondendi Hebræis perfamiliaris.* Matth.26.v.25

an vera Tuba canent angeli in die iudicij mortuos ad vitam resuscitaturi. Matth.24.v.31.& 1.Thess.4.v.15. *cur vocetur tuba Dei.* ibid. *tubæ argenteæ Hebræorum quot, & in quos vsus adhiberentur.* Num.10.v.2. *tubarum festum quod esset Iudæis.* Leuit 23

Tubicines olim in funeribus virorum adhibebantur. Matt. 9.v.23

Tuiscones orti sunt ab Ascanio Asanio. Ierem.51. v.27

Tunicam pœnitentiæ quomodo exuat sponsa. Cant.5. v.3

qua Turba Christum in horto comprehenderit. Matth.26. v.47

Turbo, index est præsentiæ Dei. Iob 38.v.1

Turcæ cur vt plurimum lurida sint facie. Apoc.6. v.7

Turres custodum vel pastorum, sunt tabernacula in pascuis excitari solita, vt & domus villicæ. 4.Reg.17.v.9.& 2.Paral.26.v.19. *quæ turris Dauid.* Cant.4.v.4.& c.8.v.10. *quæ turris Hananeel.* Zach.vlt v.10. *turris arcis Sion erat excelsa.* Mich.4.v.8. *quæ turris Ophel & Bahan.* 2.Paral.27.v.3.& 2.Esdr.3.v.26. *turris gregis quæ sit, & vnde dicta.* Mich.4.v.8.& Genes.35.v.21. *quis vsus esset turrium lignearum in bello.* Ezech.4.v.2

Turturis vox dum auditur, vernum tempus instat: eius gemitus symbolum luctus. Cant.2.v.12

Tychicus administer erat Pauli in litteris perferendis. Act.20. v.4

Tympanum quale esset tormenti genus. Hebr.11.v.35.& 2.Mach.6.v.28

Typhon est ventus contortus & turbulentus. Act.27. v.14

Tyrannis semper timida est. Sap.12.v.11

Tyrannus quis fuerit, habens Ephesi scholam. Act.19.v.9. *tyranni, licet crudelissimi, volunt prædicari benigni.* 2.Mach.9. v.27. *tyrannorum infelicitas.* Iob 34.v.20. *eorum descriptio.* Eccli.11.v.32.& c.10.v.9. *tyrannus olim dicebatur princeps supremus.* Esther 6.v.9

Tyrannicidium nulli licitum. Iudic.3.v.28

Tyrius Hiram, alter fuit Bezeleel. 3.Reg.7.v.13

Tyrij rei nauticæ fuere inuentores. 2.Paral.8.v.18. *videntes se iam à Chaldæo debellandos, conscensis nauibus Carthaginem sua omnia deuexerunt.* Ezech.29.v.18

Tyrus à quo primùm condita, à quibus aucta & instaurata. Isaiæ 23.v.7. *erat intra terminos tribus Aser.* Ezech.28. v.14 & Isaiæ 23.v.11. *quomodo ab Alexandro Magno, Machabæis, & Christo subacta sit.* Zach.9.v.4. *quos habuerit Martyres.* ibid. *erat in petra marina exstructa, terrâ deforis eò inuectâ.* Ezech.26.v.4. *erat insula.* Ezech.27.v.4. *postea ex insula facta peninsula.* Isaiæ 23. v.2.Ezech.27.v.4. *fuit per 13. annos obsessa à Chaldæis.* Ezech.29.v.18. *& ab ijs euersa, sed dein reædificata.* Isaiæ 23.v.13. *Tyri maximè postea floruit fides.* v.18

Vaccæ Basan quinam dicantur. Amos 4.v.1. *vaccæ populorum quæ vocentur.* Psal.67.v.31

Vacuna erat vacantiarum festum. Ruth 3.v.2

Vah *particula irridentis & insultantis est.* Matt.15. v.29

Vallis Achor erat amœna & compascua. Osee 2.v.15. *quomodo futura dicatur initium omnis felicitatis & vidoria Israelitis.* ibid. *quid allegoricè & moraliter denotet.* ibid. & Isaiæ 65.v.10. *vallis arundineti quis sit locus.* Iosue 15. v.8. *quæ vallis caluariæ, stercoris, sterquilinij.* 2.Esdr.2. v.13. *quæ vallis artificum.* c.6.v.2. *vallis cadaueruum iuxta Ierusalem vnde diceretur.* 2.Esdr.2.v.13.& Ierem.31.v.40. *vallis cineris erat iuxta torrentem Cedron, in quam cineres altaris proijciebantur.* Ierem.31.v.40. *vallis, quæ in Iudæam ex Oriente itur iuxta mare Tiberiadis, erit sepulcrum assectarum Antichristi.* Ezech.39.v.11. *vallis Iezrahel quis esset locus, clade Israelitarum ab Assyrijs inrogata memorabilis.* Osee 1.v.5. *vallis Iosaphat describitur: in ea peragetur vniuersale iudicium, idq; quàm congruè.* Ioël 3.v.2.12.14. *vallis Mello cur pila dicatur.* Soph.1.v.11. *vallis salis quis sit locus.* 4.Reg. 2.v.19. *quæ vallis Socoth, seu tabernaculorum.* Psal.59. v.8

Vana, idem est quod idola. 1.Reg.12.v.21

Vanitas vanitatum est quidquid in mundo est. Eccles.1. v.1. *in vanum animam accipere, quid sit.* Psal.23. v.4

Vapor virtutis Dei, idem quod Filius Dei. Sap.7.v.25

Vas lineum omnigena animalia in se concludens, symbolum erat Ecclesiæ. Actor.10.v.11. *vas sumitur pro quouis instrumento & supellectile.* Proleg.de Idiotismis Hebr.n.36.Marc.11.v.16

Vasa immunda quomodo mundanda. Leuit.11.v.34. *omnia vasa sanctuarij erant aurea: altaris holocaustorum, argentea, &c.* Num.7.v.13. *vasa argentea templi pretio redempta à Chaldæis, Baruch Ierosolymam remittit ad Ioakim sacerdotem.* Baruch 1.v.8. *vasa Samia sunt fictilia.* Actor.20.v.15. *vasa transmigrationis quæ Ezechielem imparare iubeat Deus.* Ezech.12.v.3

Vasthi regina repudiatur ab Assuero ob contumaciam. Esther 1.v.9

Vbera sponsi quæ sint. Cant.1.v.1. vide *Sponsa vbera.*

Vectes arcæ quo modo eminerent ante oraculum. 2.Paralip.5.v.9

Velabantur facies ad mortem damnatorum. Thren.4. v.43

Velamen oculorum Saræ quod esset. Genes.20.v.16. *velamen mulierum, est symbolum subiectionis earum.* 1.Cor. 11.v.10

Vellus Gedeonis, an occasio aurei velleris instituti à Ducibus Burgundiæ. Iudic.6.v.37

Velum templi interius describitur. Exod.26. *exterius.* c.27.v.9. *quod velum templi scissum moriente Christo: quid hac scissio repræsentaret.* Matth.27.v.51.Dan.5.v.27. *velum est commune Hispanis & Italis mulieribus, vocatur & theristrum: signum est casti pudoris & subiectionis erga maritum.* Ezech.16.v.10. vide *Velamen.*

Venator metonymicè capitur pro prædone aut tyranno. Ezech.32.v.30

Venditores ouium Christus bis e templo eiecit. Ioan.2. v.13

Vendi-

Venditio Christi 30. argenteis per Iudam ab Amos prædicta videtur. Amos 2.v.4

Veneficæ cur dicantur lamiæ. Thren.4.v.3

an Venena fuerint in statu innocentiæ. Sap.1.v.14

è Venereo actu morbi varij consequuntur. Prou.30.v.20

Veneratio magna debetur rebus sacris. 1.Machab.4.v.45

Veneti quotannis sollemniter sibi despondent mare. 2.Mach.1.v.14

Venter sæpè significat in Script. omnia interiora. Psal.30.v.10

Vento dantur alæ ob velocitatem. Osee 4.v.19. *ventus vrens idem est qui Orientalis, cur.* Ezech.17.v.10. *ventorum origo.* Iob 9.v.9.& c.37.v.9.& 20. *eorum vis.* Eccles.1.v.6. ventum qui obseruat, non seminat, *quid tropologicè significet.* Eccles.11.v.4. *ventum attrahunt dracones & ceruæ.* Ierem.14.v.5. *ventus verus non fuit cùm Spiritus sanctus aduenit, sed venti sonus.* Actor.2.v.2. *quatuor ventis denotantur quatuor monarchiæ orbis.* Zach.6.v.5. *in ventum loqui quid sit.* Iob 15.v.2

Verbositas quæ in oratione reprehendatur. Matth.6.v.7

Verbum Dei est velut gladius. Ephes.6.v.17. *cur in diuersis diuersimodè operetur.* Luc.8.v.5

Verbum, id est filius Dei, erat in principio vniuersitatis rerum. Ioan.1.v.1. *quomodo esset apud Deum, & simul esset Deus.* ibid. *verbum, quomodo & qualiter Dei Filium significet.* ibid. *est vera lux.* v.9. *ipsum factum est caro.* v.14. *fuit plenum gratiæ & veritatis.* ibid. *diuina Verbi hypostasis habitauit corporaliter in Christi corpore.* c.2.v.19

Verbum asperum quod vocetur. Psal.90.v.3.*Sap.*12.v.9. *verbum antonomasticè significat verbum salutis.* Actor.10.v.22. *verbum egrediens ex ore Dei, est res à Deo præscripta.* Deut.8.v.3.&c.

Verba realia apud Hebræos ponuntur subinde pro verbalibus. Ierem.1.v.10. *Verba & voces alias Hebræas non habemus quàm quæ in Bibliis extant.* Dan.13.v.55. *multa verba Latina in Græca vsu suo olim transierunt.* Actor.19.v.12. vide *Voces. verborum consecrationis Eucharistica quanta vis & potestas sit.* Matth.26.v.26. *à verbis iniuriosis in subditos abstineant Prælati & Superiores.* Iuda v.9

Veritas semper est vna & immutabilis. 1.Tim.6.v.21. *veritas a nobis quadruplex requiritur.* Psal.14.v.3. *veritas & misericordia, quid in Scriptura significet.* Gen.24.v.27.& Psal.84.v.11. *veritas factorum quæ sit.* Ezech.18.v.9. *veritas nostros lumbos debet succingere.* Ephes.6.v.14. *veritas idem quoque sonat quod vita integritas.* 2.Paral.32.v.1. *veritas Sacramenti Eucharistici astruitur.* Marc.14.v.23. *item sanguinis Christi in calice.* Luc.22.v.20

Vermes veri an sint in inferno. Iudith 16.v.21.vide *Infernus.*

Vermiculus ligni tenerrimus *dictus est primus è fortissimis Dauid.* 2.Reg.23.v.8

Vermiculus idem est color qui coccineus. Exodi 25.v.4

Veronica idem est quod Berenice. Actor.25.v.13

Verum *in Scriptura sæpè opponitur non falso, sed imperfecto.* Apoc.3.v.7

Vespæ quomodo sint lictores Dei. Sap.12.v.8.& 25

Vespasiani Imper. gesta. Chron.c.vlt.

Vespere & manè *sumitur in Script. pro continuo.* Psal.54.v.18

Vestibulum vocatur spatium quod inter duas facies portarum iusque templi erat, & peruium erat intrantibus. Ezech.40.v.8.& 30

Vestigia Christi qualiter monti Oliueti impressa manserint post ascensionem eius. Actor.1.v.11

Vestimenta scindere solemne erat Iudæis in summo dolore, luctu, & indignatione, ob rem detestandam subitò visam. Isaiæ 36.v.22.Matth.26.v.65. *erat idem Persis vsitatum.* ibid. *vestimenta Christi in transfiguratione vnde facta sint alba sicut nix.* Matth.17.v.2

Vestis Christi quadripartita quid symbolicè denotet. Ioan.19.v.25. *vestis pretiosa & mollis an Epuloni fuerit causa damnationis.* Luc.16.v.22. *vestis nuptialis spiritualis, est conscientia munda à peccatis.* Matth.22.v.11. *vestes Hebræorum non trita totis 40. annis.* Deut.8.v.4. *vestes ex lana simul & lino cur inhibitæ Iudæis.* Leuit.19.v.19. *vestes sacerdotales & pontificiæ describuntur.* Exod.28.v.4. *vestium discissio, quibus & quando vetita,* Leu.10.v.6. *veste virili quæ, & quo iure vsæ virgines.* Deut.22.v.5. *id lege erat inhibitum.* ibid. *vestium splendidarum vanitas.* Eccli.11.v.4

Vesuuij montis incendium. Deut.28.v.24

Vexatio dat intellectum. 1.Tim.1.v.20

Vexilla in castrametatione Hebræorum qualia. Num.2.v.3

Via Domini quomodo paretur. Isaiæ 40.v.3. *quomodo Christus sit via.* Ioan.14.v.6. *via sumitur pro actione.* Psal.76.v.14. *via hominis ad Deum quæ.* Psalm.24.v.10. *via vinearum, pro fertili.* Iob 24.v.18

Via Dei ad homines. Psal.24.v.10. *viæ Domini misericordia, veritas & iudicium.* Tobiæ.3.v.2. *viæ quibus ibatur ad vitulos, plena erant sacellis idolis consecratis.* Amos 8.v.14

Viaticum Apostolos circumferre cur vetet Christus. Matth.10.v.9.& quale. ibid.

Vices & classes sacerdotales 24. à Dauide institutæ. 1.Paral.24.v.3.&c.

Vicissitudo in orbe perpetua. Eccles.7.v.15

Victimæ erant quasi cibus Dei, in mensa altaris appositus. Malach.1.v.7. *non purificant impurum.* Ierem.11.v.15. *victimæ priscæ quare & quo nomine Deo displicuerint.* Isaiæ 1.v.11. *eas comedebant immolantes in ipso templo, tam Gentes quàm Iudæi.* 1.Cor.8.v.10

Victoriæ adprecatio. Psal.19. *de obtenta gratulatio.* Psal.20

Victuri vsque ad vltimum mundi diem ad modicum morientur, & mox cum reliquis resurgent ad vitam. 1.Thess.4.v.16

Videns pro pontifice, & sacerdote. 2.Reg.15.v.27. *pro Propheta.* 1.Reg.9.v.9.& Amos 7.v.12.& 1.Paral.25.v.5

Videre pro possidere. 1.Paral.2.v.52. *videre, per enallagen pro tangere, gustare, &c.* Proleg.de Idiotismis Hebr.n.45

Viduis permissum ad secundas nuptias conuolare, si velint. 1.Cor.7.v.39. *viduæ veræ quomodo honorandæ.* 1.Tim.5.v.3. *erant olim cœtus viduarum simul in religiosa veste viuentium, hæ alebantur ex oblationibus fidelium.* ibid. *quid à viduis requirat Apostolus: insignium viduarum exempla.* v.4. *inter viduas iuniores ecquæ à nuptiis debeant abstinere, quæ non.* 1.Tim.5.v.14. *viduæ Græcæ cur contra Hebræas murmurarint in primitiua Ecclesia.* Actor.6.v.1

Vigiles ciuitatis inueniunt sponsam. Cant.3.v.3.& cap.5.v.7

Vigiliæ noctis quaternæ sunt. Chron.cap.2.Psal.76.v.5. Psal.89.v.4

Viginti quatuor seniores in circuitu throni diuini stantes, quid designent. Apoc.4.v.4

Vinacea quid sint, præstant famulis potum affusa aquæ. Osee 3.v.1.

S. Vincentius Ferrerius vna loquens lingua à variis nationibus intelligebatur. Actor.2.v.4

cur Vinctum vnum solerent Iudæi in paschate dimittere. Matth.27.v.15. *vincti in carcere cogebantur operari.* Ierem.37.v.15

Vindicta priuata prohibita est, non publica. Rom.12.v.19. *vindicta appetitus deliberatus coram Deo pœnam meretur.* Matth.5.v.21. *ea nobis ne quidem debet in mentem venire.* Psalm.16.v.4. *cur cauenda, rationes* 8. Eccli.28.

Vineæ florentes dant odorem. Cant.2.v.13.c.7.v.11. *vinea Salomonis.* Cant.8.v.11

Vinea qualis machina bellica esset priscis. Ezech.26. v.9

Vinum valetudini conuenit. Eccli.31.v.32. *eius elogium.* Ezech.15.v.7. *vinum felle mistum quale fuerit, cur id Christus gustarit, non in copia transmiserit.* Matth.27.v.34. *vinum iræ Dei mistum mero, quid denotet.* Apoc.14.v.10. *vinum Libani montis præstantissimum est.* Osee 14.v.8. *vinum compunctionis quod vocetur.* Psal.59.v.5

Violari publicè matronæ probrosissimum est. Ierem.13. v.22

Vipera dicitur quasi viuipara, quia fœtum viuum parit, non oua. Actor.28.v.3. *eius venenositas.* ibid.

Vir est vicarius Dei, dominans super mulierem. 1.Cor.11. v.7. *mulieri præstat quoad sexum.* 1.Tim.2.13. vir & domus eius, *id est, quilibet cum sua familia.* 1.Reg. 27.v.3. *viri vxoribus suis se accommodent.* 1.Petr.3. v.7. *viri apud Gentiles velato capite diis sacrificabant.* 1.Cor. 11.v.3. *sed Christiani debent in templis caput aperire.* v.4. *vir desideriorum quomodo dicatur* Daniel. Dan.9.v.23

Virga vigilans Ieremiæ visa, fuit instar virgæ vel flagelli, vel cometæ. Ierem.1.v.11. *virgam qualem Apostolos gestare per viam Christus permittat & vetet.* Matth.10.v.10. *virga ferrea symbolum dominationis.* Apoc.2.v.26. *hinc virga ordinariè in Script. sumitur pro sceptro.* Psal.73.v.2.& Psal.109.v.2. *virga Moysis versa in colubrum.* Exod.4.v.4. *virga Aaronis floret, & amygdala profert.* Num.17. *virga virorum, est gladius.* 2.Reg.7.v.14

Virginitatis laudes. Sap.3.v.13.14.&c.c.4.v.1.c.6.v.20. *illustrius nomen & memoriam conciliat, quàm ingens filiorum copia.* Isaiæ 56.v.5. *matrimonio variis de causis præstantior est.* 1.Cor.7.v.25.26.34.35.37.40. *virginitatis à marito in dubium vocata signa.* Deut.22.v.15. *virginitas B. Virginis declaratur in Orientali porta atrij clausa.* Ezech.44.v.3

Virginum variæ prærogatiuæ recensentur. 1.Cor.7.v.34. *non sunt omnino steriles.* Isaiæ 56.v.5. *virgines sunt angeli terrestres.* Luc.20.v.36. *virginum erat epithalamia, epinicia, epicedia, lessos, & nanias decantare.* 1.Reg. 18.v.6. *virgines non pauca fuerunt maritatæ.* Psal.44.v.10. *virgines plurimæ in templo Salomonico commorabantur.* 2.Mach. 3.v.12. *quid virginum in fine sæculi diuersisona voces, quibus canticum nouum Deo canent, denotent.* Apoc 14.v.2. *cur dicantur empti de terra.* v.3. *sunt Deo & Agno primitiæ, & hunc quocumque ierit, sequuntur.* v.4. *virgines Babyloniæ se prostituebant obuiis quibusque.* Bar.6. v.42

Virgula fumi ex aromaticis odoribus confecta. Cant.3. v.6

Virtutis ostentatores recipiunt in terra mercedem suam, & pœnas potiùs dant. Matth.6.v.2. *virtutum exercitio effugitur clades.* Ierem.21.v.12. *virtutes cælorum mouenda quæ dicantur circa finem mundi.* Matth.24.v.29. *virtutes cardinales*, vide Cardinales. *virtutes cælestes*, vide Exercitus cæli. *virtutes*, *subinde idem quod exercitus.* Psal.23.v.10.& Psal.43.v.10

Vim vi quatenus fas sit repellere. Matth.5.v.39

Viscerationes, pro epulis sepulcralibus: & qua Gentium de his esset opinio. Tob.4.v.18

Visio vocatur subinde verbum Dei. Ezech.1.v.3. *idem aliquando significat Prophetia quod prophetia.* Prou.31. v.1.Isaiæ 1.v.1. *angelus Danieli non interpretabatur visiones secundùm omnes circumstantias.* Dan.8.v.27. *visio Isaiæ, qua vidit Deum in solio sedentem, quando contigit.* Isaiæ 6.v.1

Visitatio Dei qualis sit. Iob 10.v.12

Vita nostra vapor est. Iac.4.v.15. *cur iustis subito abbreuietur.* Sap.4.v.7.&c. *vita quomodo anticipatis gaudere dicatur.* Deut.28.v.66. *vita humanæ miseræ, vide Hominis miseria. vita futuræ felicitas.* Sap.3.v.2.&c.4. v.7. *vita præsens, tempus misericordiæ.* Iob 35.v.15. *qui ad vitam semel à morte resuscitantur, sunt semper in Purgatorio, & certi de sua salute.* Actor 9.v.41. *vita Christi fuit inculpata & irreprehensibilis.* Matth.26.v.59. *vitam omnem haurit Eucharistiam sumens, à Dominica quam sumit.* Ioan.6.v.58. *vita æterna est gratuitum Dei beneficium, & gratia.* Rom.6.v.23. *vita quomodo sit in Vita, qua & sibi viuit, & nos viuificat.* Ioan.1.v.4. *vitæ bis pro salute æterna proximi exponenda est.* 1.Ioan.3.v.6. *exempla eorum qui id fecere.* ibid.

Vitis proprietates, & quæ ei noxia. Ezech.15.v.2. *quando dicatur pastinari.* Marc.12.v.1. *viti quomodo & quare se comparet Christus.* Ioan.15.v.1

Vitrum an significet aliquando adamantem vitreo colore. Iob 28.v.17

Vita aurea quid symbolicè denotet. Eccles.12.v.6

Vitulamina, idem est quod propagines. Sap.4.v.3

Vitulos labiorum quomodo Deo offeramus. Osee 14.v.3. *vitulus aureus quem adorarunt Israelitæ, quomodo à Moyse in puluerem redactus cessit Iudæis in potum.* Exod 32.v.20. *masculus ne fuerit an femella.* Osee 10.v.5. *vitulorum cultum iam sepultum resuscitauit Ieroboam rex Israel.* Osee 8. v.6.& 3.Reg.12.v.28

quomodo Viuentes iudicaturus sit Christus. 1.Thess.4. v.16

Viuificare idem est, quod non occidere. 1.Reg.27.v.11

Vlai porta fuit vrbis Susorum. Dan.8.v.2

Vltra, quid in Scriptura significet. 1.Paral.17.v.9

Vmbra S. Petri quàm salutaris fuerit. Actor.5.v.15. *vmbra inclinantur dum aurora illucescit.* Cant.2.v.17. *vmbra mortis qua dicatur.* Iob 3.v.5.& Psal.22.v.4. *vmbraculum pastorum idem est quod tugurium.* Iob 27. v.18

Vncia duodecima pars libræ. Prolegom. de Ponderib. & Mensuris.

Vncinus pomorum est fustis supernè incuruus quo rami attrahuntur. Amos 8.v.1

Vnctio qua Apostoli ægros vngebant, non erat Sacramentum, sed typus & figura Extremæ vnctionis: huic tamen annexam volebat Christus miraculosam curationem omnium morborum. Matth.6.v.13. *vnctio Spiritus sancti quid doceat.* 1.Ioan.2.v.20

Vngi soliti olim reges. 1.Reg.10.v.1. *etiam pontifices* Leuit.8. *caput sæpè vngebant Iudæi, maximè diebus lætis, & qua de causa.* Matth.6.v.17. *vngitur Christus diuersimodè.* Matth.26.v.13

Vnguenta meretricia cadaueribus adhibebant Hebræi. 2.Paral.16.v.14. *vnguentum quo Maria Christum perfudit, fuit liquidum & aqueum.* Matth.26.v.7

Vnguis capitur interdum pro calamo scriptorio & stylo. Ierem.17.v.1

Vngula aromatis species. Eccli.24.v.21

Vnicornis quod sit animal. Psalm.28.v.6.& Psalm.91. v.11

Vnicus sumitur aliquando pro derelicto. Psal.24.v.16

Vnigenitus sumitur in Scriptur. pro vnicè dilecto. Prou. 4.v.3

Vnus Sanctus sæpè crescit in millia. Isaiæ 60.v.22. vnum *capitur pro singulari & illustri.* Actor.28.v.25

Vna sabbatorum, est prima dies hebdomadæ. Marc.16. v.2.

Vnius moris, *id est, vnanimes.* Psal.67.v.7
Vocantem Deum fugere non oportet. Ion.1.v.3
Vocare idem est in Script. quod facere. Sap.11.v.26
Vocari, idem quod esse. Proleg.de Idiotismis Hebr. num.59.& Isaiæ 7.& 8. *vocari debent Apostolici viri antequam prædicent.* Rom.1.v.1
omnes sunt Vocati, pauci verò electi. Matth.20.v.16
Vocatio ad fidem & iustitiam est gratuita & à solo Deo. Ioan.15.v.16. *vocationis diuinæ typus.* Cant.5.v.2
Vociserationis hostia quæ dicatur. Psal.26.v.6
Volo interdum significat, malo. Proleg.de Idiotismis Hebr.n.6.& Osee 6.v.6
Volumen volans Zachariæ visum quid denotaret: eius longitudo, & quid ei inscriptum. Zach.5.v.1.2.& 3
Voluntas bona Dei quæ dicatur. Psal.5.v.13. *voluntas diuina infallibilis est & immutabilis.* Dan.10. v.13. *voluntas Dei permissiua quomodo se habeat.* 2.Paral.10.v.15
Voluptas quàm fluxa sit. Psal.72.v.18.&c. *volùptas Sanctorum in cælo semper est noua.* Apoc.22. v.1. *quæ voluptates ibi ex clara Dei visione & fruitione habeant.* ibid.
Votum castitatis olim non dirimebat matrimonium, sed postea id inductum. 1.Tim.5.v.12. *votorum varia sunt genera: quomodo redimenda.* Leuit.27. *quomodo à parente, vel marito irritari possint.* Num.30. *ni compleantur, ruina sunt homini.* Prou.20.v.25.& Eccles.5.v.5
Vox Dei, idem est quod tonitruum. Psal.28.v.3. *vox Archangeli & aliorum erunt instrumentum motale resurrectionis, per quod Christus mortuos ad vitam reducet.* 1.Thess.4. v.15
ὄπαξ & ὄναξ quomodo inuicem distinguantur. 2.Mach.15. v.11
Vr est ignis vel vrbs Chaldæorum. Gen.11.v.31.Gen.12. v.3.& 2.Esdr.9.v.7
in Vrbem pergere nescit, quid ænigmaticè significet. Eccles. 10.v.15
Vri capitur pro à libidine tentari, & succumbere tentationi. 1.Cor.7.v.9
Vrias sacerdos erexit Ierosolymæ aram idolis: cur ab Isaia in testem adhibeatur. Isaiæ 8.v.2
Vrias Propheta à rege Ioakim capite plexus est, quòd Ierosolymæ excidium prædiceret. Ierem.26.v.20
Vriæ litteræ causa fuere fabulæ litterarum Bellerophontis. 2.Reg.11.v.15
Vriel, idem est qui Absalom. 2.Paral.13.v.2
Vrim & Tummim, quid significent: erant inscripta Rationali pontificis. Exodi 28
Vrnæ inferebantur ossa mortuorum. Amos 6.v.10
Vrna erat media amphora Romana. Proleg.de Mensuris.
Vrsus animal laborum atque inediæ tolerantissimum est. Dan.7.v.5
Vsura centesima, semissis, trientaria, vncialis, quæ. 2.Esdr. 5.v.11. *abolet vsuram Nehemias.* ibid.v.12. vide Fœnerari.
subinde bonus est Vsus rerum nonnullarum, quarum origo ex malo est. Matth.5.v.37. *vsus rerum, non ius & dominium habetur in Religionibus.* Matth.8. v.19
Vtriculus instrumentum musicum: vnde utricularius. 1.Paral.15.v.20
Vulcanus deus præst igni. Sap.13.v.2
Vulgi locus in sanctuario vocabatur tam atrium Iudæorum quàm Gentilium. Ezech.42.v.20
Vulnerum Christi quis sit fructus. Zach.3.v.9
Vulpes vineæ quæ vocentur. Cant.2.v.15. *vulpes transiliet murum, quid parœmicè significet.* 2.Esdr.4.v.3
Vulturnus ventus impetuosus est; & grana in paleam convertens. Ierem.18.v.17. Actor.27.v.41
Vultus sumitur pro persona hominis. Psal.16.v.2.& *vultus serenus, pro fauore.* Psal.20.v.7. *vultus cur in timore nigrescat.* Ioel 2.v.6. *Pastor & Superior vultum pecoris sui agnoscat.* Prou.27.v.23
Vulua sumitur abusiuè pro infantia. Psal.57.v.4
Vxor quomodo sit viri terra vel ager. Ierem.3.v.2. *quare à viro diligenda.* Malach.2.v.14.15. *vxorem dimittens, & aliam ducens, mœchatur.* Matth.19. v.9. *vxoris sit magnus delectus.* Eccli.36.v.23. *conditiones bonæ vxoris.* ibid. *vxor Oseæ quare vocetur fornicaria, cùm iuncta ei esset legitimo matrimonio: quid hæc designet.* Osee 1.v.2
Vxores pretio seu dote emi solitæ. Gen.29.v.20.Exod.4. v.25. *an Iudæus licuerit ducere vxores Gentiles.* Exod. 35.v.15.Num.36.Ruth 1.v.4. *vxores mariti sui in omni re subsint.* 1.Pet.3.v.6. *vxores multæ fideles maritos infideles ad fidem Christi pellexerunt.* 1.Cor.7. v.14.& 1.Petr.3.v.2

XErxis regis Persarum res gestæ. Chronic.c.37. *eiusdem vires & potentia.* Dan.11.v.2. *quomodo flumina exsiccarit.* 4.Reg.19.v.24

ZAbdiel Arabum rex Alexandrum Velem regem Syriæ ad se profugum iugulat. 1.Mach.11.v.14
terra Zabulon & Nephthali quomodo à Christo spoliata sit. Isaiæ 9.v.1. *vocatur via maris, & Galilæa Gentium.* ibid.
Zacchæus an fuerit è Christi discipulis, & Episcopus Cæsareæ. Luc.19.v.8
Zacharias quis sit, qui inter templum & altare occisus perhibetur. Matth.23.v.35
Zacharias pater S. Ioan. Baptistæ quare ab Herode occisus fuerit. Matth.23.v.35. *an fuerit princeps sacerdotum.* 1.Paral.24.v.5.& 10.Luc.1.v.9. *cur mutus & surdus redditus sit.* Luc.1.v.62. *eius canticum.* v.68
Zacharias filius Ioiadæ, an idem cum filio Barachiæ. 2.Paral.24.v.23. *eius filia mater fuit Ezechiæ.* c.29. v.1
Zacharias alius. 2.Paral.26.v.5
Zacharias Barachiæ filius, fuit nepos Addo. 1.Esdr.5.v.1. *est idem cum Propheta: quando vixerit: viget instaurationem templi Ierosolym. eius prophetiæ argumentum: abundat hieroglyphicis & ænigmatis: fuit sacerdos: alia prophetauit præter ea quæ exstant: vbi mortuus & sepultus, quando corpus eius inuentum: an verè fuerit Martyr, occisus inter templum & altare.* proœmio in Zachariam.
Zambri rex Israel se cum regia sua succendit. 3.Reg.16. v.18
Zara Aethiops cum decies centenis millibus à Iudæis cæsus fuit. 2.Paral.14.v.9
Zebedæus S.Iacobi pater, an fuerit socer S.Petri, & martyrio in Anglia affectus. Luc.4.v.39
Zebediadæ, vnde dicantur filij tonitrui. Marc.3.v.16
Zelare mortem, quid sit. Sap.1.v.12
Zelus est indignatio ex amore profecta. Ezech.5.v.13. *zelus animarum Deo placet.* Cant.1.v.7.c.8.v.8.13. *extinguit peccata tum propria, tum aliena, tam in iustis quàm iniustis.* Iac.5.v.19. *zeli vis.* Psal.38. v.4. *zelus domus Dei comedit viros sanctos.* Psal. 68.v.10. *è zelo licet aliquando deposcere, vt Deus vindictam iustam in impios exerceat, & superbos humiliet.* Thren.1.v.22
Zelotypia lex Hebræis præscripta. Num.5.v.15. *zelotypia cauenda.* Eccli.9.v.1.&c.
Zelotæ templum sub aduentum Vespasiani occuparunt & profa-

profanarunt. Matth.24.v.15. an hi sint abominatio desolationis in templo prædicta futura. Dan.9. v.27. hi Ierusalem magis perdiderunt quàm Romani. Isaiæ 3.v.4

Ziphæi proditores fuere. 1.Reg.23.v.19. & cap.26.v.1. Psalm.53

Zona acu picta mulieris fortis. Prou.vlt.v.24

Zona seu baltheus sacerdotalis describitur. Exod.28. v.4. zona est symbolum puritatis & constantis amoris coniugalis. Ezech.16.v.10.& Ierem.13.v.1. zona aurea, quæ ad mamillas cinctus Christus Ioanni visus est, quid designet.. Apoc.1.v.13

Zona Hebræis tam mercatricem & cauponam, quàm meretricem significat. Isaiæ 23.v.17

Zopyrus regi suo Dario prodit Babylonem. Iudith 6. v. 19

Zorobabel filius Salathiel, aliàs Sassabasar vocatus, fuit princeps Iuda. 1.Esdr.1.v.8.& c.3.v.8. illi ob promotam templi fabricam promittitur Messias ex eius semine nasciturus. Agg.2.v.24. non fuit rex, sed solùm dux populi redeuntis è Babylone. Ierem.22.v.28. fuit inter tres primarios custodes corporis regis Darij Hystaspis. Agg. 1.v.1. illius laudes. Eccli.49.v.13.& in libris Esdræ. Zorobabeles fuerunt plures. 1.Paral. 3.v.19. duo fuere Zorobabeles, nepotes Iechoniæ. Agg.1.v.1

INDEX TERTIVS
QVI EST
CONTROVERSIARVM
SEV
QVÆSTIONVM FIDEI,

Quas vel hæretici, vel Iudæi, vel Mahometani, vel Politici in dubium vocant, ſed ex SS. Scripturis toto hoc Commentario explicatis probantur ac ſtabiliuntur.

HAs Scripturas ſeorſim ac nudè, per modum Indicis, hîc proponere, & ieiunum fuiſſet, & exiguæ vtilitatis: nec facilè conſtitiſſet, quorſum ſingulæ tenderent. Dogmata ergo Catholica ordine proponam: aduerſarios qui ſe opponunt, nominabo: Scripturas, quibus dogmata ſtabiliuntur, in medium proferam, citatis vbique S. Scripturæ libris, capitibus, verſiculis vbi in Commentario elucidantur, & vbi etiam aduerſariorum argumenta refelluntur

Omnia verò redigam in triginta Controuerſias generales, Controuerſijs ſingulis per numeros diſtinctis, vt & clariùs ſingula pateſcant, & ad illa faciliùs remitti poſſit: nam erunt hæc vſui etiam quinto Indici pro Concionatoribus infrà concinnando. Sed cumprimis ſeruient hæc refellendæ hæreticorum impudenti calumniæ, qua in vulgus ſuum ſpargunt, dogmata Catholicæ Eccleſiæ non poſſe ex Scripturis colligi vel confirmari: nam contrarium hîc ad oculum patebit.

Nullus ordo alphabeticus ſeruari hîc potuit, vt ſolet in Indicibus. Sed pro Alphabeto ſeruiet hoc

SVMMARIVM
CONTROVERSIARVM,
QVO DOGMATA CATHOLICA OMNIA,

optimo quo poſſunt ordine, ſimul ob oculos ponuntur.

I. *DE Deo vno, immenſo, æterno, immutabili, infinito, rerum omnium primo fonte, ſupremo Domino ac rectore, & vltimo fine.*

II. *De verbo Dei ſcripto & non ſcripto: an, quale, quibus libris & linguis expreſſum? quis iudex dubiorum S. Scripturæ, & controuerſiarum fidei?*

III. *De SS. Trinitate, de Chriſti diuinitate, de Filij æterna generatione, de Spiritus ſancti continua à Patre Filioque proceſſione.*

IV. *De Meſſia ſeu Chriſto: ipſum iam pridem aduenisſe, nec alium eſſe quàm* IESVM *Mariæ filium: hominem ſimul ac Deum, vtraque naturâ hypoſtaticè vnitâ in vna perſona. nullo peccato vmquam admiſſo, nulla ignorantia, &c.*

V. *De Eccleſia Chriſti, de notis & membris Eccleſiæ.*

VI. *De Vicario Chriſti in terris, & ſupremo Capite Eccleſiæ, Romano Pontifice: de amplitudine poteſtatis ipſius, de iudicio infallibili: & de notis Antichriſti.*

VII. *De Conciliis generalibus: & eorum conuocatione, præſide, & infallibili auctoritate.*

VIII. *De Epiſcopis, aliiſque Paſtoribus Eccleſiæ, à quo debeant eligi, ordinari, mitti: de cœlibatu, digamia, tonſura Clericali.*

IX. *De Monachis & aliis Religioſis Ordinibus. De votis perpetuæ caſtitatis, paupertatis & obe-*

& obedientiæ: de consilijs Euangelicis: de victus & vestitus asperitate.

X. *De principibus politicis, Christianis & infidelibus, de legibus & tribunalibus, de bello, de iure gladij, etiam in hæreticos. An aliquod ipsis ius in Clericos?*

XI. *De statu primorum parentum, de iustitia & peccato originali, & huius propagatione, ac pœnis,*

XII. *De peccatis actualibus, mortalibus, venialibus: de concupiscentia, de causa peccatorum.*

XIII. *De libero arbitrio circa opera naturalia, moralia, & supernaturalia: de æterna Dei præscientia, prædefinitione, prædestinatione & reprobatione.*

XIV. *De gratia gratis data, & gratum faciente: de gratia præueniente, excitante, concomitante & cooperante. Quid quis possit sine gratia, quid cum gratia? & an omnibus semper adsit sufficiens gratia?*

XV. *De iustificatione, quid sit, & in quo formaliter consistat? quæ, & qualis fides prærequiratur? & an sola fides ad illam sufficiat? an certi simus de nostra iustitia? an semel obtenta, rursus amitti possit? an omnes æquè iusti? an bona opera ad iustitiam, vel acquirendam, vel fouendam, vel augendam sint necessaria?*

XVI. *De merito bonorum operum, seu de condigno, seu de congruo. Quanam cadant sub meritum? quibus promereri possimus? an fiducia nobis etiam nascatur ex meritis? & an intuitu mercedis æternæ liceat operari?*

XVII. *De oratione, ieiunio, eleëmosyna: an & quando sint meritoria, satisfactoria, impetratoria: de Horis Canonicis, de delectu ciborum, de præceptis Ecclesiæ.*

XVIII. *De Sacramentis, & alijs cæremonijs Ecclesiæ. Quid, quot, qualia sint Sacramenta? quæ materia? quæ forma? quis minister? quis effectus, & in quo differant Sacramenta noua & veteris legis? quid cæremoniæ? & ad quid vtiles?*

XIX. *De baptismo aquæ, sanguinis, flaminis. An quiuis in necessitate possit baptizare? an etiam infantes debeant baptizari? & in quo baptismus Ioannis differat à baptismo Christi?*

XX. *De Confirmatione: an sit Sacramentum? & quæ materia illius, quæ forma?*

XXI. *De Eucharistia, & reali istic præsentia corporis & sanguinis Christi, non cum pane vel vino, sed cum solis accidentibus panis ac vini, quæ remanent sine subiecto. Nec in solo vsu hoc Sacramentum consistere, sed in re permanente. Nec iniuriam laicis fieri cùm vsus calicis ipsis denegatur. Christum in azymo consecrasse, & aquam vino admiscuisse, nec nisi sacerdotibus potestatem consecrandi fecisse.*

XXII. *De sacrificio Eucharistico, à Christo in vltima cœna instituto: an idem illud sit cum eo quod in Missa quotidie offertur? & an hoc sit propriè dictum sacrificium? & an etiam propitiatorium, & impetratorium ex opere operato & infallibiliter? & qui eius effectus? & an defunctis quoque seruiat? an Apostoli sic sacrificarint?*

XXIII. *De Pœnitentiæ virtute & Sacramento: de partibus materialibus contritione, confessione, satisfactione: formali, verbo absolutionis: ministro, sacerdote: effectu, remissione culpæ, & pœnæ æternæ, sed non semper pœnæ temporalis.*

XXIV. *De Indulgentijs & thesauro Ecclesiæ. Quomodo viuis, quomodo mortuis in Purgatorio applicentur, & quàm certo effectu?*

XXV. *De Sacramento Extremæ vnctionis.*

XXVI. *De Sacramento Ordinis.*

XXVII. *De Matrimonio: an sit Sacramentum? & an licitum cum infideli coniuge? de polygamia: de impedimentis matrimonij.*

XXVIII. *De animarum immortalitate, de corporum resurrectione, de iudicio tum particulari singulorum, tum vniuersali omnium in extremo mundi die.*

XXIX. *De Purgatorio, de limbo patrum seu sinu Abrahæ, de limbo puerorum sine baptismo decedentium, de inferno damnatorum: de igne infernali, & æternitate pœnarum. Quis status animarum in Purgatorio? & qua ratione iuuentur suffragijs viuorum, & orationibus Sanctorum?*

XXX. *De cælo & cælitibus: an simul ac corporibus exutæ & plenè purgatæ sunt animæ, cælum ingrediantur, Deum videant, & verè beatæ sint, etiam ante vniuersale iudicium? in quo consistat gloria essentialis? in quo accessoria seu accidentalis? De tribus aureolis: de quatuor dotibus corporum glorioſorum: de oblectamentis sensuum. An angeli & Sancti in cælis norint quæ circa nos & à nobis geruntur in terris? an orent pro nobis, & nostri curam habeant? & an à nobis honorandi, & inuocandi sint? an etiam illorum reliquiæ & imagines colendæ?*

CONTRO-

Index Controuersiarum Fidei.

CONTROVERSIA I.

De Deo.

Num. 1. QVOD sit aliquis DEVS, posse vel sola NATVRALI RATIONE solida probari, negant Athei & Caluinus & Magdeburgenses, & Tilmannus Heshusius: sed affirmat S. Paulus Roman. 1. v. 19. *Quod notum est Dei*, naturali lumine *manifestatum est* à Deo etiam *Græcis & Barbaris. Inuisibilia enim* Dei, etiam *sempiterna eius virtus & diuinitas*, vel ex sola *creatura mundi*, seu *per ea quæ facta sunt, conspiciuntur intellecta*, seu per discursum naturalem intellectus: *ita vt sint inexcusabiles* qui id negant. Sap. 13. v. 5. *A magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri. Interroga iumenta, & docebunt te; & volatilia cœli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris*, Iob 12. v. 7.

Calu. l. 1. & 2. Instit. c. 2. Magdeburg Cent. 1. l. 1. c. 10. Heshusius l. de Erroribus Pontificiorum tit. de lib. arb. n. 11.

Nam Primò, vt omnia quæ producta sunt, non à seipsis, sed ab alio producta sunt: (*Ipse fecit nos, & non ipsi nos*, psalm. 99. v. 3.) ita certum est, existere aliquod ens quod à nullo productum est, & à quo reliqua omnia producta sunt. Quod omnium confessione est Deus. Exodi 3. v. 14. *Ego sum qui sum* à meipso, seu vi solius essentiæ meæ, ac proinde necessariò, infinitè, illimitatè, ab æterno & immutabiliter: à quo & ex quo cetera omnia entia promanarunt. Gen. 1. v. 1. ex nihilo *creauit Deus cœlum & terram*. Psal. 8. v. 4. *Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum*, &c.

Secundò, tam multæ, tam variæ, tam vastæ, tam pulchræ creaturæ arguunt aliquem esse, qui perfectiones omnium eminenter in se continet, qui mente sapientissima, has omnes apud se antè præconceperit, inter se contulerit, dimensus sit, deinde infinita virtute exteriùs produxerit. is autem ex omnium sententia est Deus. Psal. 93. v. 3. *Qui plantauit aurem, non audiet? qui finxit oculum, non considerat?* Isaiæ 66. v. 9. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero?*

Tertiò, est aliquis qui totum hoc vniuersum sua potentia conseruat, alioqui statim interiturum. Psal. 118. v. 91. *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia seruiunt tibi*. Sap. 11. v. 26. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur?*

Quartò, est qui pro libito omnia gubernat in toto vniuerso. Psalm. 113. v. 11. *Deus autem noster in cœlo, omnia quæcumque voluit, fecit*. Genes. 50. v. 19. *Num Dei possumus resistere voluntati?* Psal. 75. v. 8. *Tu terribilis es, & quis resistet tibi?* Ierem. 49. v. 9. *Quis est iste pastor, qui resistat vultui meo?* Esther 13. v. 9. *Non est qui possit tuæ resistere voluntati.*

Quintò, est qui omnia etiam irrationabilia, etiam inanimata, in certum finem (quem ipsa vt non norunt, ita neque intendere vel eligere possunt) certa scientia dirigit ac deducit. Atqui is ex omnium consensu est Deus. Ipse psalm. 146. v. 4. *numerat multitudinem stellarum*, tamquam exercitum famulantium sibi militum, *& omnibus eis nomina vocat*. Ad nutum eius sol, luna & omnes (Baruch 3. v. 34.) *stellæ dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt: vocatæ sunt, & dixerunt, Adsumus: & luxerunt ei cum iucunditate qui fecit illas*. Ipse, quando & vbi vult Psalm. 134. v. 7. *producit ventos de thesauris suis: educens nubes ab extremo terræ; fulgura in pluuiam fecit*. Psal. 103. v. 25. *Hoc mare magnum & spatiosum manibus*, quando lubet, (Iudith 5. v. 12.) *aperit fugientibus* Israelitis, *ita vt aqua hinc inde quasi murus solidarentur*. Ipse Iosuæ 3. v. 14. Iordanem peruium fecit, cap. 10 v. 13. *solem* & cœlos omnes stitit. Ipse prolificandi vim indidit seminibus, seu in terra, seu in aquis, Genes. 1. v. 11. & seqq. *Nonne* (Iob 10. v. 10.) *sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? Pelle & carnibus vestisti me: ossibus & nervis compegisti me*. Quis *araneam* docuit texere telam suam captandis muscis? psal 89. v. 10. quis *apiculas*, Eccli. 11. v. 3. fauos constituere? quis *formicas*, Prou. 6. v. 6. grana in hiemem conuehere? quis Iob 27. v. 15. bombyces sepulchrum sibi ex suismet visceribus concinnare? vt iam taceam de *Behemoth*, seu elephanti prudentia, Iob 40. v. 10. & *Leuiathan* v. 20. id est, balenæ, industria, mole ac viribus stupendis.

Sextò, miracula, quæ omnem naturalem vim superant, nonne clamant, vim quamdam naturæ maiorem esse à qua patrentur? Quis nisi Deus cataclysmum toti orbi inducat? Genes. 7. v. 11. quis cap. 19. v. 24. *ignem & sulphur de cœlo* depluat? quis *cæco nato* Ioan. 9. v. 7. *visum*? quis tot *mortuis vitam* restituat?

Septimò, prophetiæ, seu prædictiones futurorum contingentium, & quæ à libertate arbitrij dependent, nonne manifestum signum sunt diuinitatis? Isaiæ 41. v. 23. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos*. Porrò prædictionibus eiusmodi scatent Isaias, Daniel, & omnes alij Prophetæ & Euangelistæ: qui ergo eas ipsis inspirauit, est Deus.

Denique seuera punitio eorum qui vel negant, vel blasphemant, vel contemnunt Deum, cogit vel inuitos illum agnoscere. Quis enim alius Deo rebelles & superbos *gigantes* aquis diluuij inuoluit? Gen. 6. v. 4. & Sap. 14. v. 6. quis *Sodomitas*, cap. 19. v. 24. quis *Pharaonem*, Exodi 5. v. 2. *Sennacherib*, 4. Reg. 19. v. 35. *Nabuchodonosorem*, Dan. 4. v. 28. *Balthasarem*, cap. 5. v. 25. *Heliodorum*, 2. Machab. 3. v. 24. *Nicanorem*, cap. 15. v. 5. *Antiochum*, c. 9. v. 8. *Agrippam*, Actor. 12 v. 23. & tot alios *Theomachos* subita ac violenta morte è viuis eduxit, non ob aliud, teste toto orbe, quàm quòd Deo petulantiùs insultarent?

Num. 2 Quòd non sit nisi VNVS DEVS, seu vnica essentia diuina, contra idololatras, Gnosticos, Manichæos, & nostri temporis Duitas in Polonia, & Valentinum Gentilem, Georgium Paulum, Casanouium & alios Trithejtas, probatur

Valentin. prothesi 20. 23. &c. Casanou. apud Bezam.

Primò, quia Deus est infinitè perfectus, & essentialiter ac necessariò continet omnem perfectionem, sub latitudine entis possibilem. Exodi 3. v. 14. *Ego sum qui sum*. Psal. 144. v. 3. *Magnitudinis eius non est finis*. Ergo continet omnem omnino diuinitatem, si quæ fingi in aliquo possit. Continet, in-

quam, non solùm eminenter, sed & formaliter: quia diuinitas est perfectio simpliciter, qualem omnem (etiam secundùm Philosophos) debet Deus in se formaliter continere.

Secundò, quia Deus est ens simplicissimum & actus purissimus. Exodi 3. v. 14. *Ego sum qui sum*: ergo repugnat illi, componi ex genere & differentia, vel ex specie & principio indiuiduante: ergo non est, neque esse potest, nisi vnus Deus.

Tertiò, quia Deus est omniscius & omnipotens. Psal. 138. v. 5. *Tu cognouisti omnia, nouissima & antiqua*; & Marc. 14. v. 36. *Omnia tibi possibilia sunt.* Iam verò si plures essent dij, vel possent ipsi occultare sibi mutuo proprias cogitationes, vel non possent: si priùs, non essent omniscij; si posterius, non essent omnipotentes: ergo nec dij.

Quartò, Deus est ens altissimum ac nobilissimum, primus fons, & vltimus finis omnium entium. Prou. 16. v. 4. *Vniuersa propter semetipsum fecit Altissimus.* Et Apoc. 1. v. 8. *Ego sum α & ω, principium & finis.* Est item monarcha & rector totius vniuersi. Sap. 14. v. 3. *Tua prouidentia cuncta gubernat.* Atqui hæc omnia non nisi in vnum quadrant. De initio & vanitate idolorum vide Baruch 6. Sap. 13. 14. 15. 16. 17. &c. & Psal. 113. v. 12.

Num. 3. Quòd DEVS sit absolutè IMMENSVS, ÆTERNVS, IMMVTABILIS & INFINITVS, contra Conradum Vorstium & quosdam alios Nouatores, patet ex Baruch 3. v. 25. *Magnus* Dominus *& non habet finem, excelsus & immensus.* Iob 11. v. 8. *Excelsior cœlo est, & quid facies? profundior inferno: longior terra mensura eius, & latior mari.* Ierem. 23. v. 24. *Cœlum & terram ego impleo*, &c. Dan. 7. v. 9. *Antiquus dierum* vocatur quia initio caret durationis. *Tu autem* (psal. 101. v. 28.) *idem ipse es, & anni tui non deficient.* 1. ad Timoth. 6. v. 16. *Solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem.* Iac. 1. v. 17. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Colligitur autem ex illo Exodi 3. v. 14. *Ego sum qui sum*, scilicet à meipso, seu vi solius essentiæ meæ, ac proinde ens necessarium, & prorsus illimitatum (nam à quo limitari potui aut possim?) & quidem omni ex parte, & in omni genere entis, nempe

Vorstius l. de Attributis diuinis.

Primò, quoad *essentiam*, id est, sum infinitè perfectus, & perfectè infinitus.

Secundò, quoad *spatium*, id est, sum immensus.

Tertiò, quoad *durationem*, id est, sum æternus.

Quartò, quoad *robur*, id est, sum omnipotens.

Quintò, quoad *scientiam*, id est, sum omniscius.

Sextò, quoad *bonitatem*, id est, sum infinitè bonus & sanctus. Et quia quod immensum est, loco moueri non potest: quod infinitè perfectum est, nil potest acquirere: cui omnia de essentia sunt, nil potest deperdere; hinc

Septimò, sum omni modo *immutabilis.* Num. 23. v. 19. *Non est Deus quasi filius hominis, vt mutetur.* Malach. 3. v. 6. *Ego enim Dominus, & non mutor.*

Num. 4. Quòd Deus PROVIDENTIAM habeat omnium rerum, omnium supremus DOMINVS & VLTIMVS FINIS; contra politicos nostros colligitur ex eodem Exodi 3. v. 14. *Ego sum qui sum*, nempe non mihi soli, sed & omnibus entibus fons & origo essendi, prima causa & auctor omnium: vnde ab æterno cura mihi & prouidentia, quâ suo quæque tempore ex non Esse deduco ad Esse, pro placito meo singula creans, conseruans, iuuans, gubernans, & ad præstitutum à me finem perducens. Iob 26. v. 12. *In fortitudine illius repentè maria congregata sunt, Spiritus eius ornauit cœlos, & obstetricante manu eius eductus est coluber tortuosus.* Inde etiam dominium ipsi tum iurisdictionis, tum proprietatis, plenum, absolutum & illimitatum in omnia 1. Timoth. 6. v. 15. *Rex regum & Dominus dominantium.* Esther 13. v. 8. *Domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tua resistere voluntati.*

CONTROVERSIA II.

De verbo Dei.

Num. 1. ESSE aliquod VERBVM DEI, id est, doctrinam à Deo hominibus reuelatam, licet id negẽt Libertini (a) & quidam alij politici, ratio ipsa naturalis (vt alia iam taceam) apertè conuincit. Cùm enim sciat suomet ipsa testimonio (vt vidimus initio primæ controuersiæ,) esse aliquem Deum, qui vt est ens nobilissimum, complectens in se omnes perfectiones & excellentias imaginabiles, ita fons est, origo & causa omnium aliorum entium, & consequenter Dominus ac rector totius vniuersi; consequenter scit etiam, talem Deum ac Dominum, merito excellentiæ, dominij ac beneficentiæ ipsius in creaturas, debere ab omnibus quæ illum nosse possunt, amari, coli ac deseruiri. Isaiæ 64. v. 8. *Pater noster es tu, nos vero lutum: & figulus noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos.* Malach. 1. v. 6. *Si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus* & cultus mihi debitus?

(a) *Caluin. in Instruct. aduers. Libertinos c. 9.*

Sed cùm ratio naturalis propter tenebras ex peccato subortas, de Deo pauca admodum cognoscat ad debitè & vt oportet, illum colendum illique seruiendum: verè enim Isaiæ 45. v. 15. *tu es Deus absconditus, Deus Israel saluator, inuisibilis*, incomprehensibilis, *& lucem inhabitas inaccessibilem*, 1. ad Timoth. 6. v. 16. & c. 1. v. 17. multoque minùs constet qua ratione, quibus actibus, quibus ritibus velit coli, sibique deseruiri. *Sine causa* enim & frustra, nec sat grato cultu *colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum*, Matth. 15. v. 9. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito: nec addas quidquam, nec minuas*, Deuter. 12. v. 32. consequens est, debere Deum hominibus, si ab ijs ritè coli velit, se suaque placita certo aliquo signo manifestare ac reuelare; quod hîc vocamus *verbum Dei.*

Num. 2. Non per INTERNVM cuiusuis SPIRITVM, seu priuatum instinctum, (vt delirat teste Palladio & Staphylo Gaspar Swenckfeldius,) sed per sanctos PROPHETAS, ad id expresè legatos, Deum nobis mẽtem suam reuelasse; vel inde colligimus, quòd quæ à Deo, prima atque infallibili veritate proficiscuntur, sint vna atque vniformia, nulli errori, nulli vitio obnoxia. Psal. 11. v. 7. *Eloquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ purgatum septuplum*: atqui internus hominum instinctus circa vnum idemque negotium valdè varius est & multiplex: quot enim capita, tot sentẽtiæ. Vnde certum est, saltem aliquos errare & à vero deuiare. Nam ingenium hominis pronum ad peccatum, & Gen. 6. v. 5. *cuncta cogitatio cordis intenta ad malum omni tempore.* Vnde non rarò confingit nescio quæ absurda & à recta ratione aliena, vt experientia docet: quare meritò vetamur *credere omni spiritui*, sed iubemur *probare spiritus si ex Deo sint*, 1. Ioan. 4. v. 1. Prophetarum

Petr. Paul. de Hæres. huius temp. Frid. Staphyl. de Concordia disputat. Lutheri.

tarum verò effata, vt sanctissima ac sincerissima, ita prorsus eadem atque vniformia sunt, etsi ab hominibus tam diuersi ingenij, nationis & complexionis, tam dissitis locis, temporibus, linguis, tam varijs occasionibus prolata. quod fieri non posset, nisi ab vno eodemque auctore ipsis inspirata essent. Nempe à *Spiritu sancto*, 2. Petri 1. v. 21. *inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* & Lucæ 1. v. 70. *Dominus Deus Israel locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt, Prophetarum eius.*

Num. 3. VERBVM DEI per PROPHETAS nobis transmissum contineri maxima ex parte ijs libris qui S. SCRIPTVRA, & BIBLIA vocantur, (contra prædictos Libertinos & Swenckfeldium,) colligimus

Primò, ex vnanimi cõsensu totius Ecclesiæ, tam Iudaicæ olim, quàm nunc Christianæ, tot sæculis per vniuersum orbem in id conspirantis, & diuinam auctoritatem libris non aliis quàm pauculis illis perpetuò tribuentis 2. Petri 1. v. 19. *Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, tamquam lucerna lucenti in caliginoso loco.*

Secundò, ex incredibili illa & planè diuina conspiratione atque cõcordia omnium istorum scriptorum, etsi (vt iam dicebam) à viris tam variis, tamque diuersis temporibus, locis & occasionibus in lucem emissorum: vt non tam ipsi videantur fuisse diuersi scriptores, sed vnici scriptoris solùm diuersi calami: & singuli de se pronuntiare meritò potuerint, quod vnus ille regius Propheta de se aiebat Psal. 44. v. 2. *Lingua mea calamus* Spiritus sancti *scribæ velociter scribentis.*

Tertiò, ex cælesti vltione quâ Deus contemptores vel irrisores horum librorum non rarò prosecutus est, vt de *Theopompo* illo & *Theodecte* tragœdo narrat Eusebius, & de aliis alij. Item ex singulari cura quâ libros hos aduersus tot tyrannos, qui illos perdere toties conati sunt, semper tutatus est. Actor. 5. v. 38. *Si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissoluetur:* & Matth. 15. v. 13. *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus celestis, eradicabitur.*

Euseb. l 8. Præparat. Euang. c. 1.

Quartò, ex infinito numero miraculorum, quæ omnibus sæculis edidit Deus ad ea dogmata comprobanda quæ his libris continentur. Marc. vlt. v. 17. *Signa hæc sequentur.* v. 20. *Domino sermonem confirmante sequentibus signis.*

Quintò, ex testimonio hostium nostrorum, qui suis profanis historiis ac rescriptis eadem comprobant, vt maximè videre est circa ea quæ passim in libris Machabæorum, Euangeliis & Actis Apostolorum recensentur.

Sextò, ex auctoritate Christi, Apostolorum, & etiam antiquorum Prophetarum, qui sæpiùs ad hos libros prouocant ac remittunt. Ioan. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas.* Marc. 12. v. 10. & 26. *Non legistis in libro Moysis,* &c.

Septimò, ex ipso rerum euentu, qui docet omnia quæ in iis asseruntur vel prædicantur, ad amussim compleri. Matth. 5. v. 18. *Iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.*

Obiectionem ex 2. Corinth. 3. v. 6. *Idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non littera, sed spiritu: littera enim occidit, spiritus autem viuificat,* ibidem dissolui.

Num. 4. Non solos PROTOCANONICOS libros, id est, de quibus nemo vmquam in Ecclesia dubitauit: sed & DEVTEROCANONICOS, de quibus aliquando inter Catholicos dubitatum fuit putà Baruch, partem posteriorem Estheræ & Danielis, Tobiam, Iudith, Sapientiam, Ecclesiasticum, Machabæos, (quæ tam Caluinistæ, quàm Lutherani repudiant:) S. Marci caput vltimum, S. Ioannis initium capitis 8. de adultera, particulam c. 22. S. Lucæ v. 44. de sudore Christi sanguineo, epistolam ad Hebræos, epistolam Iacobi, secundam Petri, secundam & tertiam Ioannis, & primæ capitis vlt. particulam, *Tres sunt in cælo,* &c. epistolam Iudæ & Apocalypsin (quæ saltem Lutherani vt apocrypha reijciunt;) tamquam Scripturam Canonicam, & authenticum verbum Dei, recipi debere, de singulis seorsim suis vbique locis demonstraui: & argumenta in contrarium afferri solita, refelli.

Num. 5. TEXTVM Bibliorum HEBRAICVM (quem Lutherani & Caluinistæ purum & limpidum fontem appellant) non paucis locis deprauatum esse, partim iniuria temporum, partim inscitia vel oscitantia typographorum, partim incuria vel nequitia Rabbinorum in odium Christi & Christianorum, suis hinc inde locis ostendi. Sed longè pluribus id vsu venit, v.g. Psal. 21. v. 17. pro *caru,* id est, *foderunt* manus meas, iam est in Hebræo *ca-ari,* id est, *sicut leo* sunt manus meæ. Psal. 18. v. 5. pro, in omnem terram exiuit *kolam,* id est, *sonus eorum,* quomodo & LXX. legunt & S. Paulus Rom. 10. v. 18. iam in Hebræo est, *kanam,* id est, *perpendiculum eorum.* Zachariæ 9. v. 9. pro, *moschah,* id est, *saluator,* vt verterunt etiam LXX. & Chaldæus, iam legitur *noschah,* vt verteretur *saluatus.* Sic psal. 95. v. 10. *Dominus regnauit,* queritur S. Iustinus quòd tam ex Græco, quàm ex Hebræo sustulerint Iudæi, *à ligno;* quod SS. Patres addere consueuerunt. Osee 5. v. 13. *& misit* (omittunt, Iuda,) *ad regem.* Nec verba tantùm, sed & integræ subinde sententiæ omittuntur. v.g. Iosue 21. vers. 36. omittuntur *quatuor vrbes Leuitica,* quas Rubenitæ dederant, quæ tamen sunt in LXX. & Chaldæo; & nisi addantur, nullæ fuissent à Rubenitis vrbes datæ Leuitis contra expressum Dei mandatum Iosue 21. v. 8. & 36. & contra historiam 1. Paral. 6. v. 78. & 79. nec fuissent Meraritarum vrbes 12. (vt dicitur eod. c. 21. Iosue v. 38.) sed tantùm 8. neque fuissent Leuitis vrbes 48. (vt dicitur v. 39.) sed solùm 44. Pari modo 1. Reg. 10. ex v. 1. desunt in Hebræo, LXX. & Chaldæo, *Et liberabis populum suum,* &c. vsque ad finem versus. Cap. 13. v. 41. desunt in Hebræo: *Si in me aut in Ionatha filio meo,* &c. vsque ad finem versus 2. Reg. 4. v. 5. desunt: *Et ostiaria domus purgans triticum obdormiuit:* quæ tamen sunt apud LXX. 1. Paral. 3. v. 16. *Sedeciam* vocant *filium* Iechoniæ, cùm constet *patruum* fuisse. Exodi 2. v. 22. ex Hebræo exciderunt: *Alterum verò peperit quem vocauit Eliezer,* &c. vsque ad finem versiculi, quæ tamen reperiuntur apud LXX.

כרו כארי קולם קום משוע נושע

Num. 6. Item euenisse VERSIONI LXXII. INTERPRETVM, pluribus exemplis demonstrat S. Hieron. addens, tantam ante Origenem extitisse varietatem exemplarium LXX. quantam codicũ: quæ dum Origenes voluit corrigere, corrupit magis. Et quamuis iussu Sixti V. iam correctior prodierit, nondum tamen omninò correctam constat ex Genesis 5. vbi Mathusalem tam senex inducitur, vt 14. annis post diluuiũ superfuerit, cùm tamen certum sit, eum in arca non fuisse. Et in omnibus penè numeris annorũ, qui in Scriptura tot locis occurrunt, toto cœlo dissident LXX. ab Hebræo & Latino & Chaldæo & Syriaco textu v.g. Ionæ 3. vbi illi

Hier. epist. 11. ad Aug.

vbi illi habent, *Adhuc quadraginta dies*; in LXX. est, *adhuc tres dies, & Niniue subuertetur.* Exodi 32. v. 28. pro *viginti tribus millibus* occisis (quomodo etiam S. Paulus legit) ipsi non nisi *tria millia* ponũt. 1. Cor. 10. v. 8. 1. Reg. 17. v. 4. pro *sex cubitis & palmo*, non dant Goliatho nisi *quatuor cubitos*. Iobo in fine libri, pro 140. annis ab exacta calamitate, dant ipsi annos 170. Daniel. 9. v. 26. vbi in Hebræo & Latino est, *hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus*, ipsi vertunt, *post sexaginta quatuor hebdomadas destruetur vnctio.* Et pro eo quòd in Latino est (sed abest ab Hebræo) *non erit eius populus qui eum negaturus est*; LXX. legunt, *iudicium non est in eo.* Gen. 36. v. 2. & 14. ex *Ana filia* (quomodo Hebræa & Latina legunt) ipsi *filium* faciunt, & mulierem vertũt in virum. c. 37. v. 28. & c. 45. v. 22. *argenteos* vertunt in *aureos*: & Exodi 38. v. 28. pro *deargentauit*, ponunt *inauravit*. Ibidem v. 27. *bases* columnarum vertunt in *capitella*. Deut. 32. v. 6. sit Ruben *parvus* in numero; ipsi ponunt, *sit multus* in numero: v. 8. pro *filiis Israel*, vertunt *angelos Dei*. 1. Reg. 23. v. 3. pro *Iuda* vel *Iudæa*, ponũt *Idumæam*. 3. Reg. 11. v. 23. omittunt historiam *Razon*. v. 25. pro *odio* ponunt *grauem afflictionem*; pro *Syria*, terram *Edom*. Psal. 55. v. 4. pro *timebo*, legunt *non timebo*. Osee 1. v. 4. *Vlciscar sanguinem Iezrahel super domum Iehu*, vertunt, *visitabo sanguinem Israel super domum Iudæ*. Amos 3. vers. 9. pro *Azotiis* ponunt *Assyrios*, &c.

i. Cor. 10. v. 8.

Num. 7. GRÆCVS textus NOVI TESTAMENTI non adeò corruptus est: nec tamen omninò purus, (etsi id iactent Lutherani ac Caluinistę:) est autem corruptus hinc inde vel inscitia amanuensium, vel negligentia typographorum. Verisimile enim est Matth. 15. v. vlt. *Magdala* corruptè poni pro *Magedan*. Ioan. 19. v. 29. ὑσσῶπῳ quæ herba est, pro ὑσσῳ, id est, *calamo*, seu pertica, vt vertit Marcus cap. 15. v. 36. ad Rom. 22. v. 11. pro κυρίῳ, id est, Domino, est καιρῷ, id est, *tempori* seruientes. 1. Cor. 15. v. 51. vbi in Latino est, *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*; in Græco & Syriaco est, *non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur*. Iac. 5. v. 12. pro κατάκρισιν, id est, *iudicium*, seu *condemnationẽ*, Græcus habet ὑπόκρισιν, id est, *simulationem*. 1. Petri 2. v. 23. pro *tradidit autem iudicanti se iniustè*, græcè est, *tradidit autem iudicanti iustè*. 1. Petri 3. v. vlt. Græcus omittit, *deglutiens mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur*: & 2. Petri 1. v. 10. *per bona opera*: & cap. 2. v. 4. *cruciandos*: & v. 10. *introducere*. In multis etiam codicibus Græcis omittitur caput vlt. Marci: & Ioan. 8. historia *adulteræ*: & 1. Ioan. 5. v. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo*, &c.

Num. 8. CHALDAICA (quæ non tam versio est, quàm paraphrasis,) scatet Iudaicis fabulis & Thalmudistarum nugis & alijs erroribus, qui passim legenti occurrunt. Vide quę dixi in Indice Auctorum, verbo *Chaldaica*, & *Thalmud*. SYRIACA versio ferè Græcæ respondet, ætate posterior reliquis omnibus versionibus. Vide in Indice Auctorum, verbo *Arabica* & *Syriaca*.

Num. 9. LATINA VETVS. VVLGATA Bibliorum editio (etsi reclament omnes nostri temporis hæretici,) per omnia est authentica, sincera, & infallibilis fidei, non tantùm quoad dogmata & mores, sed & quoad rerum gestarum historiam. Ita definiuit Tridentinum. Nolo tamen illam excusare à mẽdis typographicis, quæ hinc inde irrepserunt. v. g. 2. Reg. 21. v. 8. *Michol* ponitur pro *Merob*. c. 24. v. 13. *septem*, pro *tribus* annis. 3. Reg. 7. v. 14. *Nephthali*, pro *Dan*, 1. Paralip. 4. v. 22. redundat *solem*. cap. 5. v. vlt. in *Labela* redundat *La*. 2. Paral. 20. v. 1. *Ammonitis* positum, pro *Idumæis*. v. 34. *libros*, pro *libro*. c. 22. v. 2. *quadraginta duorum*, pro *viginti duorum*. Et plura notauit Franc. Lucas, & nos sparsim suis locis. Sed hæc vt facilè corrigi possunt, ita res ipsas, dogmata vel mores non concernunt.

Trid. sess. 4. de Edit. Bibliorum.

Num. 10. VERNACVLÆ cuiusque gentis & linguæ TRANSLATIONES & editiones Bibliorũ non prohibẽtur ab Ecclesia Romana (vt fingunt hæretici) sed solùm ad cuitanda incommoda, prohibetur ne quis citra facultatem ijs vtatur; sicut etiam prohibetur ne sacrificium Missæ, aliæve diuina officia citra expressam facultatem vulgari idiomate in templis peragantur. Nusquam enim, seu apud Iudæos, (etsi per Chaldæam, Persidem, Ægyptum & Syriam dispersos) seu apud Christianos (vbicumque demum terrarum degentes) alio quàm *Hebræo, Græco*, vel *Latino*, idiomate id vmquam factitatum: exceptis pauculis locis, vbi nullus trium istorum idiomatum vsus, quibus indultum vt alio idiomate istic noto vtantur, v. g. Mosarabibus, Armenis, Ruthenis, Ægyptijs, Æthiopibus, vt *Chaldaica, Sclauonica, Syriaca*, vel *Arabica*; Sinensibus, vt *Sinensi* lingua in sacris vti possint.

Brent. in Cõfess. Wirtemberg. de Hoc. Canon. Calu. l. 3. Instit. c. 25. Kemnitius in Exam. Trid. sess. 4.

Obiectionem ex 1. Cor. 14. v. 14. *Si orem lingua* ignota, *mens mea sine fructu est*, &c. vide solutam ibidem.

Num. 11. Sub vnis iisdemque S. Scripturæ verbis præter SENSVM LITTERALEM primariò à Spiritu sancto intentum, latere subinde etiam alium SENSVM MYSTICVM, seu spiritualem, secundariò à Spiritu sancto intentum, (etsi id neget Lutherus & plures eius sequaces,) patet ex Ioan. 3. v. 14. vbi per *exaltationem serpentis* Mosaici, Christus suam crucifixionem: Matth. 12. v. 40. per occultationem *Ionæ in ventre ceti*, suam sepulturam designat. Et S. Paulus Gal. 4. v. 24. de *duobus Abrahæ filiis* dicit Scripturam *allegoricè* locutam fuisse: & 1. Cor. 10. v. 2. de *nube, mari* rubro, aqua ex *petra*, &c. ait fuisse *figuras* rerum futurarum.

Nec vnus tantùm mysticus sensus, sed plures subinde vno eodemque loco reperiuntur, vt videre est ad Gal. 4. v. vlt. vbi & singulos descripsi. Vide & Hebr. vlt. v. 11. Sic illud Genes. 1. v. 3. *Fiat lux*, SS. Patres exponunt *litteraliter* de luce corporali, *tropologicè* de luce gratiæ, *allegoricè* de Christo, *anagogicè* de lumine gloriæ. Simili modo per *Ierusalem*, psal. 121. v. 3. & alibi, ciuitatem Iudææ, animam humanam, Ecclesiam & cælestem patriam. Nomine *aquarum* Ezech. 47. v. 1. & alibi sæpiùs, naturale elementum, tribulationem; consolationem Spiritus sancti, vel Sacramenta Ecclesiæ, & beatitudinem cælestem. Per *sabbatum*, Hebr. 4. v. 9. & alibi, quietem diei septimæ, cessationem à peccatis, requiem Christi in sepulchro, & quietem Sanctorum in cœlo.

Quin & sub ijsdem verbis latent subinde plures etiam litterales sensus, æquè omnes intenti à Spiritu sancto v. g. in illo psal. 2. v. 7. *Ego hodie genui te*, vt ibidem explicui.

Num. 12. S. SCRIPTVRAM nõ vbique tam CLARAM esse, vt nulla explicatione, nullo interprete, nullo dubiorum iudice indigeat (quod tamen Lutherus, Brentius & alij Nouantes contendunt) patet ex allatis exemplis in præfatione Commentarij nostri ad Lectorem: item ex toto Cantico Salomonis, ex cap. vlt. Ecclesiastæ, vltimis capitibus Ezechielis, Apocalypsi, &c. Rursus ex tot,

Luther. & alij Nouatores contendunt. Pont. damnatorum. Brent. in Prolog. contra Petrum a Soto.

tam varijs,tamque prolixis Commentarijs, Glossis & Scholijs quæ non modò SS.Patres & Doctores Ecclesiæ, sed etiam ipse Lutherus ac Brentius, & alij horum symmystæ adhuc indies procudunt. Et cur obsecro postulat Dauid psal.118.v.18. *Reuela oculos meos?* & v.125. *Da mihi intellectum*,&c. Cur rogat Philippus eunuchum Actor. 8.v.30. *Putasne intelligis quæ legis?* & ille, *Quomodo possum intelligere si non aliquis ostenderit mihi?* Cur Christus Lucæ 24. v. 27. duobus discipulis euntibus in Emaus,& v.45.omnibus Apostolis *aperit sensum vt intelligerent Scripturas?* quid S.Petro 2.epistolæ c. 3.vers.6.in mentem venit,cùm diceret,in epistolis S.Pauli *quædam* esse *difficilia intellectu, quæ indocti homines,sicut & cæteras Scripturas,depranant?* Nonne Lucæ 18.v. 34.& alibi sæpissimè in Euangelio dicitur,etiam de ipsismet Apostolis, *Ipsi nihil horum* quæ à Christo dicebantur, *intellexerunt: & erat verbum istud absconditum ab eis: & non intelligebant quæ dicebantur?*

Obiectiones solui Deut.30. v.11. *Mandatum hoc non procul à te est*,&c.& 2.Cor.4.v.3.*Iis qui pereunt occultum est*,&c.

*Num.*13. Dubiorum S. SCRIPTVRÆ, adeoque & omnium controuersiarum fidei,supremum INTERPRETEM ac IVDICEM non esse ipsammet SCRIPTVRAM(vt plerique hæretici contendunt,) patet,quia de illamet hic est quæstio,& quia multis locis est obscurissima & incertissima,vt ostendi n.12. Neque se extendit ad omnia dubia fidei, vt patebit n.17. Neque potest sic eloqui sententiam,vt partibus euidenter constet cuinam causa adiudicetur.

Obiectiones solui Ioan.5.v.34.*Ego testimonium ab homine non accipio.*2.Tim.3.v.16.*Omnis Scriptura vtilis est ad docendum*,&c.

*Num.*14. Neque PRIVATVM CVIVSQVE SPIRITVM,seu inspirationem internam, etsi cum adiuncta S.Scriptura, (vt vult Lutherus, Caluinus, Kemnitius & Anabaptistæ:) partim ob easdem causas:partim ob alias n.2. prolatas. Et nonne 3. Reg.vlt.v.23.*spiritus mendacij* loquitur per omnes *Prophetas*,Achab? Et Ezech. 13. v.2. *Væ Prophetis insipientibus qui spiritum suum sequuntur.*

Luth. in assert. art.27. 28.29.&c. Calu.l.4. Instit.c.9.§. 8.12.13. Kemnit.sup.

Et nonne hac via poterunt pestilentissimæ quæuis doctrinæ ac nefandissima scelera propugnari ac defendi?

Obiectiones ex Isaiæ 54.v.13.Dabo *omnes filios tuos doctos à Domino.*& Ierem.31. v.33. *Dabo legem meam in visceribus eorum*,&c. 1. Cor,2.v.15. *Spiritualis iudicat omnia*,&c.1.Ioan.2.v.27. *Non necesse habetis vt aliquis vos doceat*, &c. iisdē locis dissolui.

*Num.*15. Neque PRINCIPEM vel magistratum POLITICVM, (vt cum politicis contendit Brentius,Arminius & Anglocaluinistæ:) quia auctoritas resoluēdi dubia Scripturæ & fidei,est spiritualis & diuina,qualem non habent principes politici.Neque hoc vmquam in vsu fuit,seu apud Christianos,seu apud Iudæos.Nam & Moyses,qui quæstiones ad Deum spectantes decidebat, sacerdos erat,psal.98.v.6. *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius:*& litigantes ad *sacerdotes* remittuntur Deut. 17.v.9.Et limites vtrique magistratui statuuntur 2.Paralip.19.v.11.

Brent.sup. & in Confess.Virtemberg.c. de S.Script. Armin.in Thesib.&c.

*Num.*16. Sed hoc proprium est SVPREMO PASTORI, spirituali monarchæ & capiti ECCLESIÆ, ac Vicario Christi in terris,puta ROMANO PONTIFICI,vt videbimus cōtrou.6.n.15.Huius enim sententia vt sensibilis & manifesta,ita & infallibilis est,vt ibid.videbimus n.16.Si enim in veteri testamento iubebantur omnes,etiam sub pœna mortis,stare definitioni summi pontificis,Deut.17.v. 12. quantò potiori iure eamdem auctoritatem adscribemus Summo Pontifici noui testamenti? Malach.2.v.7.*Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est:* imò & Vicarius Christi & Dei est. Matth.23.v.2.*Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi:* super cathedram Christi sedent Pontifices Romani: *quæcumque dixerint vobis, seruate & facite.*Matth.18.v.17. *Si Ecclesiam non audierit,sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

Et hæc fuit perpetua praxis Ecclesiæ,à temporibus Apostolorum hucusque:ortâ enim quæstione de legalibus cæremonijs Actor.15.v.1.mittitur Paulus cum Barnaba Ierosolymam ad Petrum. Idemque Paulus ad Galat.2.v.2.*ne in vacuum curraī*,confert doctrinam suam cum Petro.

Obiectiones solui Matth.16.v.23. *Vade post me Satana,non sapis quæ Dei sunt.* c.26.v.70. vbi Petrus *ter Christum negat.*Galat.2.v.11. *In faciem* ei *restiti,quia reprehensibilis erat.*

*Num.*17. SOLAM SCRIPTVRAM non collecti omnia necessariò credenda & seruanda(vt volunt hæretici) ad oculum patet:quia nusquam docet, quo remedio debuerint à peccato originali expediri fœmellæ,& qui non essent ex Abrahamo vel ex Israele prognati,vel nō attigissent octauum diem:quod tamen scitu necessarium tunc erat ad salutem illis procurādam.Nusquam quoque definit, quot & quinam sint libri sacri & authentici. nusquam item,Deiparam perpetuò mansisse virginem, Pascha in nouo testamēto semper die Dominica celebrandum,baptismum paruulorum esse ratum,& complura circa materiam & formam plerorumque Sacramentorum,& alia quæ contra varios hæreticos semper credidit Ecclesia Dei.

Luth.in c.1. ad Galat. Brent.in Proleg sup. c.de traditionibus. Calvin. l.4. Instit.c.8. § 8. Kemnit.sup.

*Num.*18.Vnde præter VERBVM Dei SCRIPTVM, necessariò admittendum aliquod VERBVM Dei NON SCRIPTVM,sed viua voce traditum,seu TRADITIONES diuinas vel Apostolicas, (etsi reclament ijdem hæretici;) colligitur ex iam allatis exemplis: & quia saltem ante tempora Moysis nullum extabat verbum Dei scriptū:vnde ergo tunc, nisi ex traditione hauriebant necessaria creditu ad salutem? *Interroga generationem pristinam,& diligenter inuestiga patrum memoriam, & ipsi docebunt te.* Et quanto tempore prædicarunt tam Christus, quàm Apostoli Euāgelium viua voce,priùs quàm scripto illud committeretur? Nam Matthæus, qui primus omnium scripsit, non nisi octauo anno post mortem Christi Euangelium suum conscripsit,(a) Et postquam conscriptum esset,& plures etiam Epistolæ ab Apostolis conscriptæ essent, nonne S.Paulus 2. Thessal.2. v. 14. adhuc monet fideles, *Tenete traditiones quas accepistis,siue per sermonem*(audin'?) *siue per epistolā nostram?* Et quod nam,obsecro,aliud *depositum* commendat Timotheo *custodiendum* Paulus, si non *formam sanorum verborum quæ* ex ore eius audierat? secūdæ epistolæ c.1.v.13. Quænā,oro, sunt illa *multa*,quæ Christus ante mortem dicebat, non posse *portari modo* ab Apostolis,Ioan.16.v.12.sed post resurrectionē ipsos edocuit,Act.1.v.3. *per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei?* Vbi scripta sunt *alia* illa *multa quæ fecit* & dixit *Iesus*,Ioan.vlt.v.vlt. *quæ si scribantur per singula,nec ipsum arbitror mundum capere posse eos,qui scribendi sunt,libros?* Vnde,

Iob 8.v.8.

a *Chrys.c. vlt.*

nisi ex traditione, scimus de numero multorum horum non esse Euangelia quæ circumferuntur *SS. Petri, Andreæ, Thomæ & Bartholomæi*, æquè atque *Matthæi, Marci & Lucæ?* maximè cùm illi sint Apostoli, hi postremi nõ nisi discipuli Christi. Vnde colligimus, epistolam ad *Ephesios* esse S. Pauli & authenticam, non verò illam quæ circumfertur ad *Laodicenses*, cùm vtraque præferat titulum *Pauli*, & Paulus ipse ad Colossenses vlt. v. 16. meminerit epistolæ *Laodicensis*, nusquam verò *Ephesinæ*? Quis nos docuit, ex libris Esdræ, itemque ex libris Machabæorum, non nisi duos singulorum esse authenticos, cùm extent quaterni tam Esdræ, quàm Machabæorum?

Obiectiones ex Deut. 4. v. 2. & c. 12. v. vlt. *Non addetis ad verbum*, &c. Apoc. vlt. v. 18. *Si quis apposuerit*, &c. Isaiæ 29. v. 13. vbi reprobantur *mandata & doctrina hominum*. ad Galat. 1. v. 8. *Licet nos, aut angelus euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit*. 2. Timoth. 3. v. 16. *Omnis Scriptura vtilis est, vt homo perfectus sit*, &c. Coloss. 2. v. 8. *Ne quis vos decipiat secundùm traditionem hominum*. 1. Petr. 1. v. 18. *Redempti estis de paterna traditione*, &c. Matth. 15. v. 3. *Quare transgredimini mãdatũ Dei propter traditionem vestram?* ibid. dissolui.

Num. 19. Ex dictis sequitur, SCRIPTVM DEI VERBVM, etsi Ecclesiæ vtilissimum accidat, non tamen esse prorsus necessarium, vt clamant hæretici. Nam Ecclesia ab initio mundi vsque ad Moysen illo caruit per 2543. annos: Ecclesia verò Gentilium (ex qua erãt Melchisedech, Iob, eiusque amici, eunuchus reginæ Candacis Actor. 8. v. 27. & tot alij ex omni natione quæ sub cœlo est, Actor. 2. v. 5.) longè pluribus sæculis eodem caruit, vsa solis traditionibus, seu verbo Dei non scripto. Deut. 32. v. 7. *Interroga patrem tuum, & maiores tuos, & dicent tibi*. Psal. 77. v. 5. *Quanta mandauit patribus nostris nota facere ea filiis suis?* Ierem. 6. v. 16. *Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris*.

CONTROVERSIA III.

De SS. Trinitate.

Num. 1. QVOD DEVS, etsi vnicus quoad essentiam, tamen QVOAD PERSONAS, hypostases, subsistentias, seu supposita, sit reuera TRINVS, (contra antiquos & modernos Arianos, Sabellianos, Mahometanos, Iudeos, Dauidem Georgium, Bernardinum Ochinum, Michaëlem Seruetum, Georgium Blãdratam, Franciscum Dauidem & alios à Iodoco Coccio citatos,) colligitur

Coccius in Thesauro controuersiar. tom. 1.

Primò, ex Scripturis quę non solum Patrem, sed etiam Filium, nempe Christum, vocant Deum. Isaiæ 35. v. 4. *Deus ipse veniet, & saluabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum*, &c. Baruch 3. v. 36. *Hic est Deus noster*, &c. *post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*, Eccli. 51. v. 14. *Inuocaui Dominum Patrem Domini mei*. Sic Ioan. 14. v. 1. *Creditis in Deum, & in me credite*. Ioan. 20. v. 28. *Dominus meus & Deus meus*. Rom. 9. v. 5. *Ex quibus Christus est secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*. Ioan. 1. v. 1. *Et Deus erat Verbum*, &c. Hebr. 7. v. 3. *Neque initium dierum, neque finem vitæ habens*.

Secundò, ex Scripturis quæ Christum vocant *filium Dei*. Psal. 2. v. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Psal. 109. v. 3. *Ex vtero ante luciferum genui te*. Michææ 5. v. 2. *Egressus eius ab initio, à diebus æternitatis*. Prou. 8. v. 12. *Dominus possedit me ab initio, antequam quidquam faceret à principio*. Ioan. 3. v. 16. dicitur *filius vnigenitus*, Rom. 8. v. 32. *filius proprius*, 1. Ioan. 5. v. 20. *filius verus*, non adoptiuus, sed *naturalis*, & Hebr. 1. v. 3. character hypostaseos & *figura substantiæ* paternæ, &c. Atqui *filius* naturalis est eiusdem substantiæ cum patre, sed diuersæ subsistentiæ: cùm nemo possit seipsum gignere. ergo.

Tertiò, ex Scripturis quę Spiritum sanctum vocant Deum. 2. Reg. 23. v. 2. *Spiritus Dominis locutus est per me, Deus Israel, fortis Israel, Dominator hominum*. Et quod Isaiæ 6. v. 9. dicit *Dominus exercituum*, illud idem Actor. vlt. v. 26. dicit S. Paulus dixisse *Spiritum sanctum*. Et quæcumque Prophetæ *Spiritu sancto inspirati* 2. Petri 1. v. 21. loquebantur, dicebant se loqui inspirante *Deo*: *Hæc dicit dominus Deus*, &c.

Quartò, ex Scripturis quæ tam Filium & Spiritum sanctum quàm Patrem describunt, vt per se existentes, operantes, intelligentes, mittentes, &c. quæ non sunt nisi suppositorum ratione præditorum, id est, personarum. Rom. 8. v. 3. *Misit Deus Filium suum*. Isaiæ 61. v. 1. & Lucæ 4. v. 18. *Spiritus Domini misit me*. Ioan. 15. v. 26. *Ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit: ille testimonium perhibebit de me*. 1. Ioan. 5. v. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres* non vnus sed *vnum sunt. Ego & Pater*, Ioan. 10. v. 30. *vnum sumus*. Vnde pari modo iubemur omnes baptizari Matth. vlt. v. 19. *in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*. Et in actionibus ad extra plerumque loquitur Deus in plurali numero. Genes. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. c. 2. v. 18. *Faciamus Adæ adiutorium*. c. 3. v. 22. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis*. c. 11. v. 7. *Venite descendamus, & confundamus linguam eorum*, &c.

Quintò, ex infinita fœcunditate diuinæ essentiæ, quæ necessariò postulat communicari tot suppositis quot possibile est. Isaiæ 66. v. 9. *Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero?* Atqui potest duplici via communicari, (ad modum spiritualium substantiarum,) nempe per intellectionem notionalem, gignendo Filium; & per similem volitionem, seu amorem, spirando ac producendo Spiritum sanctum, vtrumque consubstantialem sibi, & eiusdem secum vt essentiæ, ita & perfectionis, nec nisi personalitatibus & originibus à se & inter se distinctos.

Num. 2. Quòd FILIVS in diuinis propriè dicta & substantiali generatione SPIRITVS SANCTVS verissimo amore, non transeunte, sed immanente, non vnico solùm momento, sed continuò & ab æterno procedant, procedentque in ęternũ (quod Caluinus ait stultè fingi in Deo;) patet, quia Scripturæ dicunt non solùm in actu pręterito, sed & in præsenti Filium à Patre nasci, gigni & parturiri. Psal. 2. v. 7. *Ego hodie genui te*. Ioan. 1. v. 2. *In principio erat apud Deum*: non dicit, *fuit*, sed, *erat* quia adhuc est, eritque æternùm v. 18. *Vnigenitus qui est in sinu Patris*. Apoc. 5. v. 12. *Dignus est Agnus accipere virtutem & diuinitatem*. Similiter Spiritũ sanctum, Ioan. 15. v. 26. vocant *Spiritum veritatis qui à Patre procedit*. 1. Ioan. 4. v. 16. *Deus est charitas*. Et ratio est, quia fœcunditas diuina vt est infinita, non solùm ex parte termini producti, sed & ex parte principij & potẽtiæ producẽtis, & rationis productiuæ

Calui. l. 1. Inst. c. 13.

ctiuæ & obiecti formalis, ita est & æterna: cùm ergo omnia ad generandum & spirandum necessaria & concurrentia, perpetuò & continuò & pari modo adsint omni momento; certum est etiam generationem & spirationem fieri continuò & omni momento: Et cur, quæso, Deus æternùm priuetur actu generandi & spirandi, quo nullus alius delicioſior aut esse aut fingi potest? Et an hoc non argueret mutationem intrinsecam in Deo, si ex generante fieret non generans, ex spirante non ampliùs spirans? Atqui Malach.3.v.6. *Ego Dominus, & non mutor.*

*Num.*3. Quòd SPIRITVS SANCTVS non à solo Patre, sed simul ETIAM A FILIO procedat, (contra Macedonianos, Montanistas, Græcos, Armenos, Ruthenos, Moscos, Ioannem de Wesalia, Casanouium, Somerum, Christianum Francum, & quosdam alios Caluinistas;) constat ex Ioannis 15.v.26.& c.16. v.7. vbi Spiritus sanctus dicitur *mitti* etiam *à Filio*. Sed nulla persona in diuinis mittitur nisi ab ea à qua procedit & substantialiter emanat, vt apud omnes in confesso est: ergo. Ex Rom. verò 5.v.5. certum est, mitti Spiritum sanctum nõ ratione solorum donorum, sed etiam ratione personæ suæ: nam ibi donum Spiritus sancti, nempe *charitas Dei*, diffundi dicitur *in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Rursus, ideo Spiritus sanctus vocatur *Spiritus Patris*, quia procedit à Patre: ergo pari modo conuincitur procedere etiam à Filio, quia etiam vocatur *Spiritus filij*, Gal.4.v.6.& Rom.10.v.9.& alibi. Rationem verò Christus ipsemet allegat Ioan. 16.v.15. Quia *omnia quæcumque habet Pater* (ergo etiam actio spiratiua, quæ in illo priori originis necdum exijt in actum,) *mea sunt*, id est, mihi per æternam generationem communicantur: *propterea dixi, de meo accipiet* Spiritus sanctus, *& annuntiabit vobis.* Neque enim potest Spiritus sanctus accipere à Patre, nisi simul à me accipiat.

Apud Coccium sup.

Denique Scriptura *Spiritum sanctum* vbique distinctam personam facit à *Filio*, & vocat *alium Paracletum* Ioan.14.v.16.& dicit mitti à *Filio*, vt iam vidimus: atqui si *Spiritus sanctus* à solo *Patre* spiraretur, non distingueretur realiter à *Filio*, sed vna eademque persona esset *Filius* quatenus gigneretur, & *Spiritus sanctus* quatenus spiraretur à *Patre.* Cùm enim omnis entium realis distinctio oriatur vel ex limitatione, vel ex oppositione, nullam esset hîc talem reperire: nam limitatio in diuinis esse nequit propter infinitã diuinitatis perfectionem: contr.1.n.3. Quòd si ergo etiam processionem, seu originem Spiritus sancti à Filio tollas, nulla erit realis oppositio, & per consequens nec realis distinctio inter Filium & Spiritum sanctum; non magis quàm sit inter intellectionem & amorem essentialem in Deo, vel etiam inter intellectionem notionalem & spirationem actiuam in Patre.

Obijciunt, Ioan.15.v.26. solùm dicit Christus, Spiritum sanctum à *Patre* procedere. Sed hoc ibidem exposui.

CONTROVERSIA IV.

De Christo.

*Num.*1. CHRISTVM, seu promissum orbi Messiam, iam pridem ADVENISSE, (contra Iudæos,) constat

Primò, ex ablato sceptro regni Iudaici, Gen.49. v.10. Nam penè sexdecim sæculis *sedent* iam *filij Israel sine rege, sine principe*, &c. Osee 3.v.4. Sic Ezech.21.v.27. dicitur, non planè tollendam *coronam & cidarim* Iudaicam, *donec veniret cuius est iudicium.* At vbi nunc cidaris? vbi corona Iudaica? vbi rex? vbi princeps de tribu Iuda?

Secundò, ex euersione templi secundi, quod per Zorobabel fuerat instauratum. Nam illud Messias ingressurus dicitur; & suâ præsentiâ cohonestaturus, Malach.3.v.1.& Aggæi 2.v.7. Quæ loca etiam Thalmudistæ (*a*) de Messia exponunt.

a Apud Galatin.l.4. c.9.

Tertiò, ex comminuta & subuersa spirituali in animas tyrannide quatuor monarchiarum orbis. Dan.2.v.44. *Comminuet & consumet* regnum Christi *vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum.*

Quartò, ex fine 70. hebdomadum Dan.9.v.24. quarum vltimâ dimidiatâ prædicit *occidendum Christum*, &c.

Quintò, ex omnibus figuris, promissionibus ac prædictionibus de Messia iam ad amussim expletis, vt patebit ex n.2.sequ.

*Num.*2. MESSIAM hunc non alium esse quàm IESVM MARIÆ FILIVM (etsi id negent Iudæi & Mahometani:) constat

Primò, ex prophetijs de Messia, in Iesu ad amussim expletis, v.g. de eius conceptu & ortu, Isaiæ 7.v.14. De loco natali, Michææ 5.v.2. De moribus, munere & functione eiusdem, Isaiæ 61.v.1. & c.51.v.9.c.52.v.3. Osee 13.v.14. De idolis per ipsum euertendis, Zach.13.v.2. Isaiæ 30.v.20.& 22. De miraculis per ipsum patrandis, Aggæi 2.v.7. Isaiæ 35.v.4. supr.contr.3. num.1. De passione & morte ipsius, Isaiæ 53.& Psal.21.&c. De resurrectione, 1. Cor.15.v.4.

Secundò, ex miraculis & prodigijs quibus id partim ab ipsomet Iesu, partim ab ipsius discipulis (vt docent Euangelia & Acta Apostolorum) adeò manifestè comprobatum est, vt genus dementiæ esse videatur, de eo vel aliquantulum dubitare, inquit Richardus de S.Victore.

Richard.l. 11.de Trinit.c.2.

Tertiò, ex vaticiniis Iesu, ipso euentu comprobatis, è quibus constat, ipsum fuisse Prophetam, ipsique fidem habendam etiam cùm se Messiam esse affirmauit. Luc. 19.v.43. prædixit euertendam funditus illâ adhuc generatione durãte (Matt.24. v.34.) ciuitatem Ierosolymam & rempublicam Iudaicam. Matt.16.v.18. prædixit, supra Petrum ædificandam Ecclesiam suam, nec portas inferi præualituras illi in æternum. Cap.24.v.14. prædixit, Euangelium toto orbe promulgandum, & in particulari factum Magdalenæ c.26.v.13. Item prædixit mortem, & genus mortis suæ, & resurrectionem tertia die, &c. Matth.20. v.18.& seqq. Quæ omnia, vt prædicta, ita ad amussim completa sunt.

Lact.l.4.de Vera sapiẽt. cap.18. Aug l.10. de Ciuit.c. 27. & l.18. c.23.&c.

Quartò, ex testimoniis non tantùm Sibyllæ Erythrææ & Cumææ apud Lactantium & S. August. (quæ multis antè sæculis & nomen *Iesus*, & miracula per ipsum patranda, & passionem, alapas, flagella sputa, coronam spineam, crucem, fel, acetum, solis eclipsin, veli discissionem, mortem, resurrectionem, legis Mosaicæ abrogationem, perinde vt acciderunt, sigillatim prædixerunt:) sed etiam iuratorum hostium Iesu, putà Iudæorum, quos citant Galatinus, Liranus & alij. Vnum Iosephum, virum inter ipsos eminentissimum, qui Iesu conuixit, protuli Chron.c.vlt. Domitiani 10. anno.

Galat.suprà. Liran.libello contra Iudæos. Ioseph.l.18. Antiquitatum.

*Num.*3. IESVM non nudum hominem esse, (vt Ariani,

Ariani, Samosateni, Iudæi & Mahometani blasphemant) sed HOMINEM simul & DEVM, nempe verum ac naturalem FILIVM DEI, qui humanam naturam sibi hypostaticè copulauit, patet

Primò, ex Scripturis suprà citatis initio contr. 3. n. 1.

Secundò, ex Scripturis veteris testamenti quæ de vnico & vero Deo loquuntur, & in nouo testamento exponuntur de Iesu. v.g. Isaiæ 6. v. 1. *Vidi Dominum*, &c. quod Ioannes c. 12. v. 41. & Apoc. 4. v. 8. applicat Christo. Psal. 67. v. 18. *Dominus in Sinai*, &c. ad Ephes. 4. vers. 8. Christo appropriatur. Isaiæ 45. v. 22. *Ego Deus, & non est alius, mihi curuabitur omne genu*; Rom. 14. v. 11. de Christo exponitur.

Tertiò, ex Scripturis quibus id disertè affirmatur. Ioan. 1. v. 14. *Verbum caro factum est.* & v. 18. *Vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis.* Ioan. 5. v. 18. *Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Matth. 26. v. 63. *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei. Dicit illi Iesus, Tu dixisti. Ego sum*; Marc. 14. v. 62. Vide etiam Hebr. 1. v. 3. &c.

Quartò, ex miraculis quibus tum ipse, tum ipsius discipuli id omnibus sæculis comprobarunt. Item ex vaticinijs, & aduersariorum testimonijs, vt n. 2. præced.

Obiectiones solui Ioan. 14. v. 28. *Pater maior me est.* & 1. Cor. 15. v. 28. vbi Christus dicitur *subiectus Patri.* Ioan. 17. v. 3. *Agnoscant te*, ô Pater, *solum verum Deum.* Eccli. 24. v. 12. *Qui creauit me.* Matth. 27. v. 46. *Vt quid dereliquisti me?*

Num. 4. CHRISTVM veram, naturalem & nobis similem CARNEM & ANIMAM humanam habuisse, contra Manichæos, Anabaptistas, Seruetum & Swenckfeldium, patet Primò, ex Scripturis quibus id expressè asseritur. Ioan. 1. v. 14. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Rom. 1. v. 3. *Factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem.* c. 9. v. 5. *Ex quibus* patribus *est Christus secundùm carnem.* 1. Pet. 3. v. 18. *Mortificatus carne.* c. 4. v. 1. *Christo in carne passo.* Hebr. 2. v. 14. *Quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse participauit eisdem.* Lucæ 24. v. 39. *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere.*

Mennon in colloquio Wismariesi. Seruetus l. 2 de Trinit. Swenckfeld. l. de Diuina maiestate humanitatis Christi.

Secundò, ex omnibus locis vbi vocatur *Filius hominis*, & *primogenitus filius* Mariæ, Matth. 1. v. 25. Lucæ 2. v. 7.

Tertiò, ex locis vbi dicitur conceptus, natus, circumcisus, baptizatus, fatigatus, comedisse, bibisse, dormiuisse, captus, cæsus, flagellatus, crucifixus, mortuus fuisse, &c. quia hæc non cadunt nisi in verum hominem.

Obiectiones solui Philipp. 2. v. 7. *In similitudinem hominum factus* &c. Ephes. 4. v. 10. *Ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia.*

Num. 5. Vtramque naturam, tam DIVINAM, quàm HVMANAM, mansisse in Christo INTEGRAM, INCONFVSAM & IMPERMIXTAM, (contra Apollinarem, Eutychetem & Brentium & alios nostros Vbiquistas:) patet, quia diuina natura est immutabilis. Malach. 3. v. 6. *Ego Dominus & non mutor.* Iac. 1. v. 17. *Apud quem non est transmutatio*, &c. (vide contr. 1. n. 3.) Vnde non potuit Verbum ita fieri caro, sicut aqua facta est vinum Ioan. 2. v. 9. id est, non potuit diuinitas conuersa fuisse vel in humanitatem, vel in aliam tertiam naturam. Quòd verò etiam humanitas conuersa non sit in diuinitatem, præterquam quòd sit impossibile, conuincunt omnia loca iam iam n. 4. allata.

Brent. l. de Duabus naturis Christi, &c.

Num. 6. EX DVABVS in Christo NATVRIS, etsi substantialiter vnitis, NON COALVISSE (vt volebant Gnostici, Monothelitæ, & multi Anabaptistæ) VNAM NATVRAM totalem, sicut ex anima & corpore coalescit natura humana; sed ambas naturas solùm connexas esse in vnam personam; probatur ex eo, quòd vbique Christus vocetur *Deus*, vt reuera est Deus, & tamen Ioan. 14. v. 28. *minor Patre* dicatur, quæ duo consistere nequeunt, nisi duas in Christo distinctas naturas admittamus. Sic illud Lucæ 22. v. 42. *Non mea, sed tua voluntas fiat*, arguit duas in Christo voluntates: ergo & naturas duas distinctas.

Num. 7. VNIONEM DVARVM NATVRARVM in Christo NON esse ACCIDENTALEM, (vt aiebat Nestorius & Brentius) SED HYPOSTATICAM, seu SVBSTANTIALEM: & consequenter, NON esse in Christo DVAS PERSONAS, SED VNICAM diuinam Verbi, quæ vtramque in Christo naturam, diuinam & humanam terminat, vltimò complet, & subsistere facit; probatur Lucæ 1. v. 35. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* 1. Cor. 2. v. 8. *Dominus gloriæ* dicitur *crucifixus.* 1. Ioan. 3. v. 16. dicitur Deus *animam suam pro nobis posuisse.* Actor. 20. v. 28. *Ecclesiam suo sanguine sibi acquisiuisse.* & aliis innumeris locis quibus Filius Dei dicitur conceptus, natus, passus, mortuus, resurrexisse, ascendisse, &c. & viciſſim hic homo vocatur Deus, Filius Dei, &c. Atqui formæ diuersæ quæ de se mutuò prædicari nequeunt in abstracto, v.g. albedo & dulcedo, numquam etiam poterunt de se mutuò prædicari in concreto, dicendo. Album est dulce, si sola accidentali vnione conueniunt, & non etiam in vno eodemque supposito vel parte suppositi connectantur, v.g. in lacte vel saccaro: ergo pari modo, nisi humanitas & diuinitas in vno eodemque supposito connectantur, numquam homo poterit dici Deus, neque Deus homo. Sicut hac sola de causa non potest homo dici vestis aut domus, licet hanc incolat, illam induat, quia nempe naturæ vestis, domus & hominis distinguuntur suppositis.

Num. 8. VNIO HYPOSTATICA duarum naturarum in Christo, non facit (quod volunt Lutherus, Brentius, Kemnitius & alij Vbiquistæ) IDIOMATA, seu proprietates, diuinæ naturæ COMMVNICARI humanæ NATVRÆ Christi, ita vt hæc sit verè omnipotens, omniscia, in immensum diffusa, &c. vel contrà. Quia (vt alia iam silcam) inde sequeretur Primò, manifesta contradictio, nempe vnam eamdemque naturam esse creatam & non creatam, immensam & non immensam, &c. Secundò, confusio vt proprietatum, ita & naturarum, contra dicta num. 5. Et quomodo communicari potest æternitas & immutabilitas naturæ Christi creatæ? quomodo corpori vel cadaueri (nam etiam in triduo mortis corpus hypostaticè vnitum manebat Verbo diuino,) formaliter inesse potest infinita sapientia vel iustitia, cùm illud ne finitæ quidem sapientiæ vel iustitiæ capax sit? & nonne Ioan. 11. v. 15. expressè dicit Christus, *Quoniam non eram ibi?* & Ioan. 14. v. 18. *Pater maior me est?*

Luth. serm. de Sacram. cœnæ Domini. Brent. suprà Kemnit. l. de Duabus Christi naturis c. 11. &c.

Num. 9. Sed VNIO HYPOSTATICA solùm facit, vt IDIOMATA, seu proprietates, tam diuinæ quàm humanæ naturæ, vni eidemque PERSONÆ, seu suppositio, realiter COMMVNICENTVR, & de eo verè prædicentur, ac per consequens etiam de se mu-

ſe mutuò,ratione illius vnius ſuppoſiti, quandocumque illud in concreto connotant. Hæc enim eſt vis vnitiua ſeu coniunctiua ſuppoſiti,vt quæcumque naturæ vel formæ,ſiue ſubſtantiales,ſiue accidentales,in ipſo conueniunt;poſſint de ipſo,& etiam de ſe mutuò, quotieſcumque ſuppoſitum connotant (nempe quando nominibus concretis exprimuntur) verè ac propriè prædicari, ſicut reuera ipſi inſunt. Vnde de Chriſto verum eſt dicere,Hic *homo* eſt *Deus*,eſt *æternus,omnipotens, immenſus,gignitur à Patre*, &c. Item *Filius Dei* eſt *homo*,eſt *natus,paſſus,mortuus*, &c. Sed falſæ ſunt hæ propoſitiones, Humana natura eſt diuina, eſt Deus,eſt vbique:diuinitas eſt humanitas, eſt homo,eſt paſſibilis,eſt paſſa,&c.

Num. 10. Hinc,contra Lutheranos,ſequitur, CORPVS CHRISTI NON eſſe VBIQVE, neque diffuſum in immenſum. Confirmatur ex Ioan.11.v. 15.*Non eram ibi: eamus ad eum.* Marci vlt.v.6.*Surrexit,non eſt hic.* Et quànã,quæſo,ratione dicemus Chriſtum, ſi ſecundùm corpus & animam eſt vbique, conceptum fuiſſe potiùs in vtero Virginis, Luc.1.verſ.31. quàm in vteris omnium mulierum? quomodo tuebimur,natum, crucifixum, ſepultum,deſcendiſſe ad inferos, reſurrexiſſe, ad cœlos aſcendiſſe;cùm hæc omnia requirant realem loci mutationem,quæ rei vbique exiſtenti repugnat? Quo iure probabimus, eſſe potiùs in Euchariſtia, quàm in pane vel vino domeſtico, vel in carne, piſce,pomis,&c.

Obiectiones ſolui,Epheſ.4.v.10.*Aſcendit ſuper omnes cœlos,vt impleret omnia.* Hebr.1.v.3.*Ad dexteram* Patris,&c. Matth.28.v.vlt.*Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Coloſ.2. v.9. *In* Chriſto *habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.*

Ioſias Simlerus l.contra Franciſ. Stancarum. Kemnit.ſup. Staniſlaus Sarnicius apud Stancarum de Trinitate & Mediatore. Phil. Melanchthon in Locis c.de Filio.& l. Concordiæ. Calu.epiſt. ad Polonos. Calu.in 24. & 26. Matth. a Ioan.8. v.29. Non reliquit me ſolum. b Ioan.5. v.30. Non poſſum ego à meipſo facere quidquam. c Ioan 3. v.11. Quod vidimus,teſtamur.c.6. v 46.Is qui eſt à Deo, hic vidit Patrem.

Num. 11. CHRISTVS eſt MEDIATOR & REDEMPTOR noſter non ſecundùm diuinam ſuam naturam, (vt docent Simlerus,Kemnitius,Sarnicius,Melanchthon & Caluinus,) quia ſecundùm hanc eſt pars læſa:neque ita ſecundùm humanam naturam,vt diuinũ ſuppoſitum excludatur,(quod volunt Stancariani,) quia ſic eſt merum mancipium & creatura Dei,nec potens ſatisfacere offenſo Deo:ſed ſecundùm HVMANAM NATVRAM quatenus hæc HYPOSTATICE VNITA eſt PERSONÆ. Verbi 1.Tim.2.v.5.*Vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus.* Actiones enim & paſſiones (quibus redemptio noſtra peracta eſt) non ſunt naturæ, ſed ſuppoſiti. Et ſecundùm ſuppoſitum Verbi coniunctum naturæ humanæ,verè medius eſt inter offenſum & offendentem: nam per ſuppoſitum conuenit cum offenſo, diſtinguitur ab offendente:per naturam humanam conuenit cum offendente,diſtinguitur ab offenſo.

Num. 12. In CHRISTI ANIMA nullum vmquam PECCATVM fuit, (vt Caluinus blaſphemat.) Ioan. 8.v.46.*Quis ex vobis arguet me de peccato?* 1.Petri 2. v.22.*Qui peccatum non fecit.* Sed neque facere potuit,partim ratione diuini ſuppoſiti, inſtar pædagogi perpetuò ſibi aſſiſtentis, (*a*) imò per ipſam operãtis: (*b*) partim ratione viſionis beatificæ,quæ à primo conceptionis inſtãti fruebatur: (*c*) partim ratione plenitudinis gratiarum vndique animam vallantium ac munientium. Coloſſ.2.v.9. *In ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Ioan. 1.v.14.*Plenum gratiæ & veritatis.* cap.3.v.34. datus eſt ei ſpiritus,*non ad menſuram.*

Obiectiones ſolui Matth.26.v.39.*Tranſeat à me calix iſte.* Matth.27.v.46.*Deus meus,vt quid dereliquiſti me?*

Num. 13. Neque IGNORANTIA: etſi olim Gnoſtici,Agnoitæ & Ariani, & noſtro ſæculo Lutherus,Zwinglius, Bucerus,Caluinus, Bezà & alij Nouantes eam Chriſto affingant.

Luth.concione de Natali Domini,& Dominica prima poſt Epiphaniam. Zuingl.in Confeſſ.ad Carolum V. art.1. Bucer.& Calu.in 24. Matth. Beza l.contra And. Iacobi de Duabus naturis Chriſti.

Probatur Primò,rationibus num.12.prolatis.

Secũdò,ex Iſaiæ 11.v.2. *Requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ,ſcientiæ,intellectus,*&c. Ioan.vlt.v.17. *Domine tu omnia noſti.* Coloſſ.2.v.3.*In quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ Dei.* Et vnde alioqui noſſet *litteras,cùm non didicerit eas?* Ioan.7.v. 15.Vnde adhuc puer Lucæ 2.v.46.doctores omnes *ſtupere* fecit *ſuper prudentia & reſponſis ſuis?*

Obiectiones ſolui Lucæ 2.v.40. *Puer creſcebat ſpiritu,*&c.v.52.*Proficiebat ſapientia,ætate & gratia.* Hebr.2.v.17.& cap.4.v.15.*Debuit aſſimilari fratribus per omnia: tentatus per omnia, abſque peccato.* Matth.24.v.36.& Marc.13.v.32. *De die* iudicii *nemo ſcit,neque Filius,niſi Pater.* Hebr.5.v.8. *Didicit ex iis quæ expertus eſt,obedientiam.*

Num. 14. Neque perpeſſio POENARVM INFERNALIVM (vt blaſphemant Caluinus & Brentius,) neceſſaria fuit Chriſto ad nos redimendos. Quin imò nulla harum mentio fit vſquam in Scripturis. Et quid illis opus? cùm minima Chriſti ſeu actio ſeu paſſio, propter infinitam dignitatem perſonæ ipſius,ſufficeret etiam mille mundis redimendis? Apoc.5. v.9. *Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo.*

Caluin,l.2. Inſtit.c.16. §.10.& in 27.Matth. Brentius in Actor.2.

Obiectiones ſolui ex Iſaiæ 53.verſ.4. *Percuſſus à* Deo,attritus,&c.Matth.27.v.46. *Dereliquiſti me.* Actor.2.v.24.*Suſcitauit* eum *Deus,ſolutis doloribus inferni.*

Num. 15. Sed profuſione SANGVINIS & MORTE ſua corporali Chriſtus mundum REDEMIT. Epheſ.1.v.7.*Habemus redemptionem per ſanguinem eius.* 1.Ioan.1.v.7.*Sanguis eius emundat nos ab omni peccato.* Idem habes Rom.5.v.6.Hebr.9.v.12.& 1. Petr.1.v.19. Apoc.5.v.9. Et hac *vna oblatione conſummauit in æternũ ſanctificatos,* Hebr.10.v.14.Sic enim conuenerat inter Deum & Meſſiam, Iſaiæ 53.v.10.*Si poſuerit pro peccato animam ſuam,*&c.

Num. 16. ANIMA CHRISTI mox à morte victrix ac triumphabunda DESCENDIT AD INFEROS,id eſt,ad loca ſubterranea (quæ rident hæretici) circa centrum terræ, vbi & damnati torquentur,& ſinus erat Abrahæ,& Purgatorium, & limbus puerorum in originali peccato defunctorum. Deſcendit,inquam,vt etiam inferni dominum ſe oſtenderet, & Sanctos eouſque captiuos inde educeret. Eccli.24.v.45.*Penetrabo omnes inferiores partes terræ,& inſpiciam omnes dormientes,& illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Pſal.106.v.16. *Contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Zach.9.v.11. *In ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos de lacu in quo non eſt aqua.* Matth.12.v.40.*Sicut fuit Ionas in ventre ceti,*&c. Actor.2.v.27. *Non relinques animam meam in inferno.* Rom.10.v.7.*Quis deſcendet in abyſſum?* &c. Epheſ.4.v.9.*Deſcendit in inferiores partes terræ.* 1.Petr.3.v.19.*His qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicauit.* c.4. v.6. *Et mortuis euangelizatum eſt.*

Hebræum *ſcheol,*& Græcum ᾅδης,& Latinum *infernum* ordinariè accipi pro ſepulchro,merum Buceri,Bezæ, & aliorum Nouatorum mẽdacium eſt,vt patet ex Num.16.v.33.*Deſcenderunt viui in infernum operti humo.* Geneſ.37.v.35.*Deſcendam luctus ad filium meũ in infernum.* Pſal.138.v.8.*Si deſcendero*

שאול

Bucerus in 27.Matth. Beza in Actorum 2.

dero in infernum; *ades*. Isaiæ 14. v. 15. *Ad infernum detraheris in profundum laci*. Matth. 11. v. 23. *Et tu Capharnaum vsque ad infernum descendes*. Lucæ 16. v. 22. *Diues sepultus est in inferno*, in loco tormentorum. Philipp. 2. v. 10. *In nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum*. Apoc. 5. v. 13. dixerunt *Laudem Deo omnes creaturæ in cælo, in terra, & sub terra*. Et 1. Reg. 28. v. 13. *anima Samuelis è terra ascendit*.

Calu. l. 2. Instit. c. 17.

Num. 17. Non solùm nobis, sed & SIBI IPSI multa PROMERITVS est morte sua Christus, (etsi id neget Caluinus) putà

Primò. RESVRRECTIONEM & GLORIAM CORPORIS SVI. Hebr. 2. 9. *Videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum*.

Secundò, TRIVMPHVM ASCENSIONIS. Ephes. 4. v. 9. *Quod ascendit, quid est nisi quia & descendit primùm*, &c. Lucæ vlt. v. 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?*

Tertiò, SESSIONEM AD DEXTERAM PATRIS, Apoc. 3. v. 23. *Sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius*.

Quartò, EXALTATIONEM NOMINIS SVI PER TOTVM VNIVERSVM. Philipp. 2. v. 8. *Humiliauit semetipsum*, &c. Ioan. 17. v. 5. *Clarifica me tu Pater*, &c. Apoc. 5. v. 12. *Dignus est Agnus accipere diuinitatem*, &c.

Quintò, IMPERIVM IN TOTVM ORBEM, principatum etiam in angelos, & iudiciariam potestatem. Philipp. 2. v. 10. *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur*, &c. Rom. 14. v. 9. *In hoc mortuus est, vt & viuorum & mortuorum dominetur*. Matth. vlt. v. 18. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*. Ioan. 5. v. 27. *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est*.

CONTROVERSIA V.

De Ecclesia Christi in terris militante.

Luth. l. de abroganda Missa priua a p. 1. Brent in Prolegom. super. Melanchth. in Locu. de Eccl. Calu. l. 4. Instit. c. 1. §. 3. & 7. & in præfat.

Num. 1. ECCLESIA CHRISTI propriè dicta non est (vt fingunt Lutherus, Brentius Melanchthon, Caluinus & alij) inuisibilis, nec sola fide perceptibilis, sed etiam sensu oculorum. Nam fuit omni tempore, eritque semper VISIBILIS, & facilè reperibilis. Neque enim est lucerna *sub modio, sed supra candelabrum: neque potest abscondi ciuitas supra montem posita*, Matth. 5. v. 14. Neque potest occultum esse *ouile* Christi, Ioan. 10. v. 16. extra quod nulli est salus. Et quomodo alioquin innotesceret illud infidelibus? quomodo pastor pabulum ouibus distribuet, si non norit illas?

Nonne omnia quæcumque in Ecclesia sunt, & illam ab alijs sectis distinguunt, professio fidei Christianæ, vsus Sacramentorum, subiectio sub Vicario Christi, &c. visibilia sunt & toti orbi conspicua? Isaiæ 35. v. 8. *Et hacerit vobis directa via, ita vt stulti non errent per eam*.

Nonne Scriptura, quotiescumque de Ecclesia vera & propriè dicta agit, semper designat congregationem hominum omnibus conspicuam? Matth. 18. v. 17. *Dic Ecclesiæ: Si Ecclesiam non audierit*, &c. Actor. 15. v. 3. *Paulus & Barnabas deducti sunt ab Ecclesia*. 1. Cor. 15. v. 9. *Persecutus sum Ecclesiam Dei*. Isaiæ 61. v. 9. *Scient in Gentibus semen eorum*, &c. Psal. 88. v. 38. *Thronus eius sicut sol*, &c.

Obiectiones solui Lucæ 17. v. 20. *Regnum Dei non venit cum obseruatione*, v. 21. *Intra vos est*. Ioan. 4. v. 23. *Adorabunt Patrem in spiritu*. 1. Petr. 2. v. 5. *Domus spiritualis*.

Num. 2. VISIBILIS ECCLESIA Christi numquam potest INTERIRE, numquam DEFICERE, (etsi defeciisse fingant vt olim Donatistæ, ita iam hæretici nostri, à tempore Gregorij Magni vsque ad Lutherum:) *Deus* enim psal. 47. v. 9. *fundauit eam in æternum*. Dan. 2. v. 44. *In æternum non dissipabitur*. Lucæ 1. v. 33. *Regni eius non erit finis*. Matth. 16. v. 18. *Portæ inferi non præualebunt*. Matth. vlt. v. vlt. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*. Ephes. 4. v. 13. *Donec occurramus omnes*, &c. *Haret. sup. citati.*

Obiectiones solui 2. Paral. 15. v. 3. *Transibunt dies multi in Israel sine Deo vero*, &c. Lucæ 18. v. 8. *Filius hominis cùm venerit, putas inueniet fidem in terra? Deficiet* quidem *hostia & sacrificium*, Daniel. 9. v. vlt. sed legis Mosaicæ, non legis Christi. Falsum est *Adamum & Euam* Gen. 3. aut totam Ecclesiam Iudaicam Exodi 32. v. 4. aut 3. Reg. 19. v. 10. fide excidisse. Nec *scandalum* quod passi sunt Apostoli Matth. 26. v. 31. nec *incredulitas* Marci vlt. v. 14. erat *infidelitas*.

Num. 3. Neque vmquam ERRARE potest in doctrina fidei vel morum. Est enim 1. Tim. 3. v. 15. *domus Dei viui, columna & firmamentum veritatis*: cui ne quidem *portæ inferi præualebunt*, Matth. 16. v. 18. Et gubernatur à *Spiritu sancto*, qui, vt est *Spiritus veritatis*, Ioan. 16. v. 13. ita *docebit vos omnem veritatem*. Et Christus quoque vt sponsus assistit perpetuò Ecclesiæ, vtpote sponsæ suæ. Matth. vlt. v. vlt. *Ego vobiscum sum*, &c. Quo iure alioqui præciperet Matth. 18. v. 17. *velut Ethnicum* habendum *qui Ecclesiam non audierit*? Nonne saltem caput Ecclesiæ infallibile est? Lucæ 22. v. 32. *Rogaui pro te* Petre, *vt non deficiat fides tua*.

Neque verum est, definiuisse Ecclesiam Iudaicam, Iesum non esse Messiam, Ioan. 11. v. 50. sed solùm, Iesum esse occidendum.

Luth. l. de Conciliis & Ecclesia. Brent. in Confess. Wirtemberg. c. de Ecclesia. Caluin sup. §. 9. 10 11., conf. Aug. art 7. & Apolog. ea. d. Magdeburg cent. 1. l. 1. c. 4.

Num. 4. NOTÆ, seu signa, quibus certò dignosci, & quasi digito ostendi possit ECCLESIA CHRISTI, non sunt (vt vult Lutherus, Brentius, Caluinus, Confessio Augustana & Magdeburgenses,) sincera doctrina verbi Dei, legitimus vsus Sacramentorum, & similia, quia hæc ignotiora sunt quàm ipsamet Ecclesia (cùm & rustici & Turcæ & Gentiles norint Ecclesiam Christi, notas tamen illas non norint: (& similia sibi arrogant omnes hæreticorum sectæ, licet inter se maximè dissectæ. Vnde licet sint proprietates ac prærogatiuæ Ecclesiæ Christi, non tamen habent vim notificandi seu manifestandi quænam sit Ecclesia Christi. Opus est ergo notis, quibus à toto mundo, adeoque & à stultis (vt vidimus num. 1.) dignosci ac reperiri possit.

Num. 5. Præcipuæ ac nobiliores NOTÆ Ecclesiæ Christi ex Symbolo Apostolico. Niceno & Constantinopolitano sunt hę quatuor, ESSE VNAM, SANCTAM, CATHOLICAM, APOSTOLICAM. Passim enim in Scripturis vocatur in singulari vna *familia*, Matth. 24. v. 45. vna *vinea*, Matth. 21. v. 41. vnum *regnum*, Matth. 21. v. 43. *vnum ouile*, Ioan. 10. v. 16. *vnum corpus*, Rom. 12. v. 5. vna *sponsa*, vna *columba*, Cant. 6. v. 8. *Omne regnum in seipsum diuisum, desolabitur*, Lucæ 11. v. 17. Consistit autem hæc vnitas maximè in vnione omnium membrorum tam inter se, quàm cum capite suo, per eamdem omninò doctrinam fidei, & vsurpationem eorumdem mediorum ad vitam æternam, non quæ solùm aliquando & casu, vel per accidens, sed per se

& ex

& ex natura rei perpetuò adsit. Ephes. 4. v. 5. *Vnus Deus, una fides, unum baptisma*, &c. 1. Cor. 14. v. 33. *Non est dissensionis Deus, sed pacis.* Qualem vnitatem soli Romanæ Ecclesiæ conuenire vel ipsa docet experientia. Et quid mirum? Sola imperio regitur spirituali monarchico, quo vni Romano Pontifici subditi omnes in omnibus fidei negotijs promptissimè obediunt, iuxta Christi mandatum Ioan. vlt. v. 17. *Pasce oues meas.* Quæ certissima facillimaque ratio est perfectæ vnitatis perpetuò conseruandæ.

Num. 6. SANCTAM esse debere, cõstat ex Ephes. 5. v. 27. Christus seipsum tradidit pro *Ecclesia, vt* illam *exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, sed vt sit sancta & immaculata.*

Primò, quoad doctrinam fidei & morum, nempe nihil tradat rectæ rationi contrarium, nihil falsum, nihil iniustum. Psal. 18. v. 8. *Lex Domini immaculata*, &c.

Secundò, quoad mores si doctrinæ conformentur. Ephes. 4. v. 2. *Vocati estis, vt cum omni humilitate & mansuetudine*, &c.

Tertiò, per miracula, quæ sunt quasi diuina sigilla, certissimaque indicia non semper sanctæ vitæ (Matth. 7. v. 22. *Nónne in nomine tuo demonia eiecimus?* &c. *Nescio vos:*) semper tamen signa sunt sanctæ doctrinæ. Marc. vlt. v. 17. *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo demonia eijcient*, &c. Mirabilia quæ subinde magi edunt, nisi præstigias esse, vel certè vim naturæ non excedere, docui in magis Pharaonis, Exodi 8. v. 19. & in Antichristo, 2. Thessal. 2. v. 9.

Porrò hanc sanctitatem non denegat Papistis Lutherus, neque Magdeburgenses, neque alij: sed vt ipsi talem proferant, omninò est impossibile. *Sine fide* enim *impossibile est placere Deo*, Hebr. 11. v. 6. & Hebr. 6. v. 18. *Impossibile est mentiri Deum*, aut falsum attestari.

Luth. epistola de Anabaptismo. 2. Germanico.

Num. 7. CATHOLICAM, id est, vniuersalem, fore, seu per vniuersum orbem diffundi debere Ecclesiam, Christus ipsemet prædixit Matth. 24. v. 14. *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus Gentibus.* Idemque constat ex Lucæ vlt. v. 47. & Actor. 1. v. 8. *Vsque ad vltimum terræ.* Et ita promissum Christo Psal. 2. v. 8. *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Psal. 71. v. 8. *Dominabitur à mari vsque ad mare*, &c. Sed quæ secta, quæ religio, præter vnam Romanam, id sibi ausit arrogare?

Num. 8. APOSTOLICA vt sit, & Ephes. 2. v. 20. *superædificata supra fundamentum Apostolorum*, &c. duo requiruntur.

Primum, vt eandem omnino doctrinam proponat quam Apostoli tradiderunt. Galat. 1. v. 8. *Licet* aut *nos, aut angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus, anathema sit.*

Secundum, vt habeat continuam successionem Episcoporum suorum, seu Pastorum, ab Apostolis ad hæc vsque tempora deductam. Nam Ephes. 4. v. 11. *Deus dedit Ecclesiæ sue pastores ac doctores ad consummationem sanctorum, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes*, &c. id est, vsque ad diem iudicij vniuersalis. Et ratio additur, v. 14. *Vt* Christiani *non sint sicut parvuli fluctuantes, & circumferantur omni vento doctrinæ.* Porrò vt soli Romanæ Ecclesiæ conuenit hæc successio, ita & doctrina Apostolorum, à qua aliæ omnes sectæ quàm longissimè deuiant, v.g. de *libero arbitrio*, controu. 13. num. 3. & seq. de *virginitate & cælibatu præferendis* matrimonio, 1. Cor. 7. v. 38. de *cœna Eucharistica*, Matth. 26. v. 26. &c.

Num. 9. Ex dictis patet, PVBLICOS HÆRETICOS, APOSTATAS, SCHISMATICOS NON ESSE MEMBRA ECCLESIÆ Christi. Deest enim his professio fidei, & participatio Sacramentorum sub capite Ecclesiæ, Vicario Christi: quæ tamen necessaria sunt ad essentiam Ecclesiæ. Hi ergo vt *circa fidem naufragauerunt*, 1. Tim. 1. v. 19. & è *reti* Dominico exciderunt, Lucæ 5. v. 6. ita desierunt esse de corpore Christi. Vnde & ad Titum 3. v. 10. monetur Episcopus *hæreticum* pertinacem *deuitare.*

Petes, Quo iure igitur ab Ecclesia iudicantur & puniuntur? *Quid enim mihi de ijs qui foris sunt iudicare?* 1. Cor. 5. v. 12. Resp. Ob iniustam sui subtractionem. Sicut herus seruum fugitiuum, imperator militem desertorem iure prosequitur & punit.

Num. 10. Neque PVBLICE EXCOMMVNICATOS; quia rescissi sunt à corpore Ecclesiæ, & *sicut Ethnici* iubentur haberi Matth. 18. v. 17. Sic. 1. Cor. 5. v. 2. & 13. *Auferte malum ex vobismetipsis: Tollatur de medio vestrûm.*

Num. 11. Qui tamen solùm OCCVLTE essent HÆRETICI, APOSTATÆ, SCHISMATICI vel EXCOMMVNICATI, publicè autem communicarent cum alijs, & se gererent vt Catholici, ac pro talibus haberentur, verè essent de Ecclesia, (etsi id negent hæretici num. 1. citati.) & membra corporis Christi, sed mortua: sicut in corpore humano sunt vngues, dentes, pili, &c. Et sic 1. Ioann. 2. v. 19. dicuntur tales *ex nobis prodijsse*, quibuscum in externa professione fidei & communione Sacramentorum sub Christi Vicario, (quæ sunt quasi corpus Ecclesiæ,) participabãt: sed *non fuisse ex nobis* quoad participationem internæ fidei, spei, charitatis, ceterarumque virtutum, quæ sunt quasi anima Ecclesiæ. Neque verò necesse est ad hoc, vt Ecclesia sit viua & sancta, singula eius membra esse talia. *In vno* enim *corpore multa sunt* & multiplicis generis *membra*, Rom. 12. v. 4. quædam viuunt & sentiunt, alia viuunt sed non sentiunt, alia nec viuunt, nec sentiunt. Primi generis sunt pij; Secundi, fideles, sed impij; Tertij, infideles in animo, sed exteriùs fidem profitentes. Et verò nisi tales admittamus esse membra Ecclesiæ, fateri cogeremur, Ecclesiam esse inuisibilem, quia interna fides ceteraque virtutes sunt inuisibiles.

Qua ratione Ecclesia *non habeat maculam aut rugam*, dixi Ephes. 5. v. 7.

Num. 12. Potiori iure (etsi id negent nostri Cõfessionistæ) sunt de Ecclesia Dei PECCATORES, etsi magni, etsi publici, etsi obstinati, quamdiu fidem profitentur & ab Ecclesia tolerantur. Matth. 18. v. 15. *Si peccauerit in te frater tuus*, &c. cap. 24. v. 50. *Veniet dominus eius*, &c. *partemque eius ponet cum hypocritis.* 1. Corinth. 1. v. 11. *Contentiones sunt inter vos*, & c. 5. v. 1. *talis fornicatio, qualis nec inter gentes.* Et nónne Paulus & Ioannes in suis epistolis & Apocal. cap. 2. & 3. Ecclesias ad quas scribunt, de pluribus peccatis, etiam non leuibus, reprehendunt? Licet ergo hi quatenus *spiritum Dei* non *habent*, non *sint filij Dei*, Rom. 8. v. 14. sed *ex patre diabolo*, Ioan. 8. v. 44. sunt tamen *filij Dei*, quoad creationem, regenerationem, & fidei professionem.

Confessio August. de Eccles.

Bucer. l. 1. de Regno Christi c. 5. Tilman. Hesbus. l. 1. de Eccles. c. 3. Caluin. l. 3. Instit. c. 2. §. 8. 9. 10. 11.

Num. 13. Vnde sequitur, (contra Wicleff, Hus, Bucerum, Heshusium & Caluinum) non solos PRÆDESTINATOS sed & REPROBOS complures, esse de Ecclesia Christi. In eâdem enim Christi *area* est

area est *triticum* inferendum in horreum cæleste, sed & *palea* cõburendæ *igni inextinguibili*, Matth. 3.v.12. & Matth.13.v.50. ex *sagena* congregante *omne genus piscium*, quidam mittuntur *in caminum ignis*. Matth.22.v.13. ex nuptiali conuiuio, *non habens vestem nuptialem*, ejicitur *in tenebras exteriores*. Matth.25.v.2. *In regno cœlorum*, id est, in Ecclesia, sunt etiam virgines fatuæ, posteà cœlo exclusæ. Et in ouili Christi etiam plurimi *hœdi*, id est, reprobi, &c.v.33. *Et in magna domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* 2. Tim.2.v.20.

*Num.*14. Neque PRÆDESTINATOS esse de Ecclesia (etsi illos ijdem hæretici admittant,) priùs quàm ad fidem conuersi fuerint. Ioan.10. v.16. *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili.* Tamdiu enim deest illis tam interna fides, quàm externa fidei professio, quæ necessariò requiritur ad rationem & essentiam membri Ecclesiæ. Et verò quis Saulum Actor.9.v.1. instar lupi furentem, & grassantem in Ecclesiam, vocet membrum Ecclesiæ. & ouiculam Christi?

Obiectiones solui Ioan.10. v.16. *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili.* Ioan.11.v.52. *Vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.* 2. Tim. 2.v.19. *Cognouit Dominus qui sunt eius.*

*Num.*15. CATECHVMENI etsi ante baptismum non sint actu perfecta membra Ecclesiæ Christi; quia necdum communicant Sacramentis illius. Ioan.3.v.5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.* quia tamen per fidei professionem, & desiderium baptismi inceperunt incorporari, possunt dici membra inchoata & imperfecta, & esse in Ecclesia, (sicut Nouitij dicuntur esse in Ordine Religioso:) vnde & capaces sunt salutis, etsi sine baptismo citra suam culpam extinguantur.

CONTROVERSIA VI.

De Romano Pontifice, supremo Capite Ecclesiæ, & Vicario Christi.

*Num.*1. CHristum in terris particularem aliquem hominem sibi VICARIVM substituisse, qui esset supremum CAPVT, & spiritualis MONARCHA totius ECCLESIÆ (etsi omnes hæretici reclament;) vel inde colligimus, quòd Ecclesiam suam optimè instar *castrorum* (a) *aciei* ordinarit, ergo & de supremo duce prospexerit: quòd *domum* vnam (b) maximèque vnitam esse voluerit; ergo vnum *patremfamilias* illi præfecerit: quòd *vnum corpus*, (c) vnum *regnum*, (d) vnum *ouile* (e) fecerit, ergo & vnum *caput*, vnum *regem*, vnum *pastorem* dederit. Et verò in republica perfectissima, nobilissima, optimèq; constituta, qualis est Ecclesia Christi, non poterat non etiam regimen esse perfectissimum, nempe *monarchicum*, & optima nobilissimaq; gubernandi forma, qua vnus præsit omnibus. Hæc enim vt ordinatior, facilior, stabilior & diuturnior est, ita paci ac concordiæ fouendæ, bonoq; publico promouendo longè aptior est, quàm democratia vel aristocratia. Prou.20. v.8. *Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo.* Vnde & à primis cõditi orbis initijs monarchia inducta est à Deo, cùm *ex vno* Adamo fecit *omne genus hominum*, Actor.17.v.26. & omnes pendere voluit ab vno, Gen.2.v.17. & in lege tam naturæ, quàm Mosaica, voluit Patriarchas & principes vti monarchico regimine, quo & ipsa quoque Dei & Christi maiestas semper vsa fuit. 1. Tim. 6.v.15. *Rex regum, & Dominus dominantium.*

Obiectionem ex 1.Reg.8.v.7. *Me abiecerunt, ne regnem super eos. Non ex me regnarunt*, &c. Osee 8. v.4. ibidem dissolui. Nec sufficere Ecclesiæ visibili caput inuisibile, demonstraui 1.Cor.12.v.21. vbi dicit Paulus, datum Ecclesiæ tale caput, quod non possit dicere. *Non estis mihi necessarij.*

*Num.*2. COETVS OMNIVM simul APOSTOLORVM vel EPISCOPORVM, non est constitutus à Christo caput supremum Ecclesiæ, (vt docet Caluinus & Puritani & Hugonottæ;) nusquam enim id insinuatur in Scripturis. Et *aristocraticum* regimen solet pernicioſum esse rebusſpublicis. Ierem.5.v.5. *Ecce optimates, hi simul magis confregerunt iugum, ruperunt vincula*, &c. *Caluin. l. 4. Instit. c. 11. & 20.*

*Num.*3. Neque PLEBS ipsa, (vt somniat Illyricus;) cùm hoc regimen sit omnium pessimum. Isaiæ 17.v.12. *Væ multitudini populorum multorum, & tumultui turbarum*, &c. Et Actor.20.v.28. *Spiritus sanctus* non plebem, sed *vos Episcopos posuit regere Ecclesiam Dei.* *Illyric. cent. 1. l. 1 c. 7. & l. de Episcoporum electione.*

*Num.*4. Neque PRINCEPS aliquis sæcularis, vel magistratus POLITICVS, (vt Brentius, Arminius & Anglocaluinistæ contendunt.) Nam regimen Ecclesiæ est spirituale. Et 1.Cor.12.v.28. vbi præcipua Ecclesiæ membra recensentur, vel nulla fit mentio principum sæcularium, vel certè non nisi post multos alios. Ephes.4.v.11. nulla prorsus eorum fit mentio. Et verò primis trecentis annis quis sæcularis princeps vel magistratus caput fuerit Ecclesiæ Christi? an Nero? an Domitianus? an Diocletianus? *Brent. in Proleg. cont. Petrum à Soto.*

*Num.*5. Sed SIMON IOANNIS cognominatus PETRVS. Hanc enim supremam dignitatem aliquando, illi conferendam præsignificauit Christus cùm suum illi nomen communicat. Ioan.1.v.42. *Tu vocaberis Cephas*, id est, *Petra*, seu rupes: (*Petra autem erat Christus*, 1.Cor.10. v.4.) Eamdem dignitatem, metaphorâ fundamenti & clauium eidem promisit Matth.16. v.18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claues regni cœlorum.* Tradidit autem de facto Ioan.vlt. v.15. *Pasce agnos, pasce oues meas.* Exercuit verò Petrus hanc suam supremi Pastoris potestatem cum Act. 1.v.15. decernit alium loco Iudæ Apostolum substituendum. Et c.2.v.14. cùm primus omnium promulgat Euangelium Iudæis: primus etiam Gentilibus c.10.v.28. Cùm primùm quoque miraculum ipse patrat in testimonium fidei cap.3. v.6. & primus in Concilio loquitur & sententiam definit Actor.15.v.7. Et verò Euangelistæ vbique primum inter Apostolos locum tribuunt Petro, Matth.10.v.2. (Marci 3.v.16. Lucæ 6.v.14.) *Primus Simon qui dicitur Petrus. Primus*, inquam, non vocatione vel ætate, (quia vtroque modo Andreas prior erat Petro, 1.Ioan.1.v.40. & ita docet Epiphanius:) ergo dignitate & auctoritate. Licet enim in apostolatu omnes essent pares, in prælatura tamen, seu munere pastorali præcellebat Petrus; vt dixi Lucæ 6.v.13. *Epiphan. hæres. 51.*

Obiectiones ex Matth. 16. vers. 23. *Vade post me Satana.* Matth.26.vers.34. *Ter me negabis.* Galat.2. v.11. vbi Paulus Petro *in faciem* resistit. & v.5. *Neque ad horam cessimus subiectione.* ibidem solui.

*Num.*6. PETRVS anno 2. Claudij fixa Rom. sede

a *Cant.6. v.3.*
b *Hic Contron.5.n.5.*
c *Rom.12. v.5.*
d *Matt.21. v.43.*
e *Ioan.10. v.16.*

Calu. suprà c.6.§.15. VVicleff & Guiliel. apud VValdenſem l.2. Doct. fidei c.7. Velen. l.hac de re. Illyric. l. cont. Primatum Pape. a Chron.c. vlt. in anno 14. Neronis.

ſede Epiſcopali, (etſi dubitet Caluinus, & primus poſt 1300. annos id neget Wicleff, eiuſque præceptor Guilielmus de S. Amore, item Vdalricus Velenus, Illyricus & alij Lutherani;) 25. pòſt anno qui erat 14. Neronis, in eadem vrbe ab eodem tyrãno MARTYRIO AFFECTVS eſt, vt alibi (*a*) demonſtraui. Et quæ eſt *Babylon*, è qua Petrus ſcribit, 1. Petri vlt. v. 13. ſi non *Roma?* Et vnde alioqui Romæ (etiam in domo Cæſaris, Philipp. 4. v. 22.) tam florens & ampla Eccleſia, ad quam Paulus prolixam epiſtolam dedit, & quæ Paulum excepit, & captiuum in omnibus iuuit, Actor. vlt. v. 15.

Obiectiones ex eadem epiſtola, quòd Paulus Petrum non ſalutarit, quòd alijs Româ datis epiſtolis ad Galatas, ad Epheſios, ad Coloſſ. ad Philipp. ad Hebræos, ad Timotheum, ad Philemonem, nunquam Petri meminerit; ſolui Rom. vlt. v. 16. Quomodo Antiochiæ reſederit ſeptennio, & anno 9. Claudij adfuerit Ieroſolymæ, &c. nihil impedire 25. annos reſidentiæ Romanæ docui in Chron.

Chron. cap. vlt.

Num. 7. PETRO mortuo, non eſt (vt fingunt hæretici,) ſimul cum eo extincta ſpiritualis monarchia totius Eccleſiæ, ſed hæc ab illo TRANSLATA eſt in eius SVCCESSOREM. Ruth 4. v. 14. *Benedictus Dominus, qui non eſt paſſus vt deficeret ſucceſſor familiæ tuæ.* Nam officium *Paſtoris*, quod Petro in vniuerſam Eccleſiam à Chriſto commiſſum eſt, Ioan. vlt. v. 15. eſt officium ordinarium ac perpetuum, & ex natura rei tam diu durare debet quãdiu durat ouile. Et quia Eccleſia Chriſti duratura eſt vſque ad finem mundi, controu. 5. num. 2. debet etiam fundamentum ſupra quod fundata eſt Matth. 16. v. 18 tam diu durare, nempe non in ſola Petri perſona, ſed etiam in eius ſucceſſoribus.

Num. 8. SVCCESSOR S. PETRI in monarchico Eccleſiæ principatu idem ille eſt qui ei ſuccedit in ROMANO EPISCOPATV, nempe PONTIFEX ROMANVS: (etſi id negent noſtri hæretici & Græci ſchiſmatici.) Patet, quia hic ei mortuo legitimè (vt totus orbis fatetur) ſuffectus eſt: ſucceſſor autem gaudet eadem poteſtate ac dignitate, quâ antecеſſor.

VVicleff apud VValdenſem ſup. Luther. l. de Poteſtate Papæ. Magdeburg. cent. 5. Caluin. ſup. c. 6. 7. &c.

Num. 9. PRIMATVS igitur Eccleſiæ non fuit annexus Romano epiſcopatui decreto CONSTANTINI MAGNI, (vt volunt Wicleff & Hus,) vel CONSTANTINI IV. (vt Lutherus,) vel PHOCÆ, (vt Magdeburgenſes,) vel PIPINI & CAROLI MAGNI Imperatorum, (vt Caluinus:) quia hi omnes tempore ſunt poſteriores, neque poſſunt dare ſpiritualem poteſtatem quam ipſimet non habent.

Obiectiones ſolui Actor. 25. v. 10. *Ad tribunal Cæſaris ſto, ibi me oportet iudicari.* Rom. 13. v. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* 1. Petri 2. v. 13. *Regi tanquam præcellenti.*

Num. 10. Neque decreto NICENI CONCILII, (vt putauit Ioannes à Turrecremata:) nam penè 300. annis antè habuit & exercuit Romanus Pontifex hãc poteſtatem. Neque à Cardinalibus: quia etiam his antiquius eſt hoc ius Romani Pontificis. Neque ex mandato aliorum APOSTOLORVM; quia his non ſuberat Petrus, ſed præerat, Lucæ 6. v. 13. Nec denique ex beneplacito ſolius PETRI, (vt Sotus & alij quidam volunt,) quia veriſimile non eſt, id illius vnius arbitrio relictum. Et SS. Patres abſolutè dicunt, perfidiam non poſſe habere acceſſum ad Romanam Eccleſiam. Quod tunc non eſſet certum: nam aliquis Pontificum Romanorum (vtpotè pari poteſtate præditus quâ S. Petrus: neque enim eſt vicarius, ſed ſucceſſor S. Petri:) poſſet diuellere primatum à Romana Eccleſia; & adnectere Lugdunenſi vel Auenionenſi Eccleſiæ, &c.

Sotus in 4. diſt. 24. q. 2.

Num. 11. Sed immediatè ab ipſomet CHRISTO, ac proinde IVRE DIVINO. Ita docent SS. Patres, & Concilia definierunt, quæ vide apud Bellarminum. Si enim Petro modum & tempus mortis eius præſignificauit Chriſtus, 2. Petr. 1. v. 14. & Ioan. vlt. v. 19. multò magis quæ circa ſucceſſorem eius fieri vellet. Cur verò potiùs Romanæ quàm alteri Eccleſiæ annexum voluerit Chriſtus hũc primatum, congruens ratio fuiſſe videtur, quòd ex vrbe Roma, vtpotè quàm latiſſimè tunc imperante, & diutiſſimè adhuc imperatura, Euangelium faciliùs per omnes mundi partes propagari, & tota Eccleſia commodiùs gubernari poſſet. Rom. 1. v. 8. *Fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo.*

Bellar. l. 2. de Pont. c. 12. & 13.

Num. 12. Ex his patet priuilegium PRIMATVS ECCLESIÆ, etſi quoad primam ſui à Chriſto inſtitutionem Matth. 16. v. 18. & Ioannis vlt. v. 15. ſolùm fuerit PERSONALE, id eſt, conceſſum & annexum perſonæ Petri (non vt erat priuata perſona, ſed vt publica, id eſt, ipſi & ſucceſſoribus eius,) poſteà tamen nutu & iuſſu eiuſdem Chriſti factum eſſe etiam LOCALE, ſeu certi loci, putà Romanæ Eccleſiæ affixum, à qua non poſſit vlla humana poteſtate diuelli.

Num. 13. ROMANVM PONTIFICEM ex Vicario Chriſti iam à mille & pluribus annis degeneraſſe in ANTICHRISTVM cuius meminit Daniel c. 7. v. 8. c. 11. v. 36. Paulus 2. Theſſal. 2. v. 8. & Ioannes Apoc. 13. v. 1. &c. vna voce clamant omnes hæretici: ſed reclamant omnes Scripturæ, omneſque conditiones ac proprietates quæ Antichriſto ibidem adſcribuntur.

Primò, *Antichriſtus* ille non eſt niſi vnicus homo. Daniel. 7. v. 8. *cornu paruulum inter decem cornua quarta beſtiæ.* 2. Theſſ. 2. v. 3. & 8. *homo peccati, filius perditionis*, &c. *ille iniquus*, &c. Ioan. 5. v. 43. *Si alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* Atqui Pontifices Romani centenarium numerum à mille annis excedunt.

Quando autem 1. Ioan. 2. v. 22. *Antichriſtus* vocatur omnis *qui negat Ieſum eſſe Chriſtum*; id intelligitur non de perſona, ſed ſolùm de indole Antichriſti. Quo modo *Ioannes* Baptiſta Matth. 11. v. 14. vocatur *Elias*, & *Iudas* Ioan. 6. v. 71. *diabolus.*

Secundò, *Antichriſtus*, vt ex ipſo nomine proditur, ex profeſſo & palàm ſe opponet Chriſto, adeoque & ipſi Deo: Daniel. 11. v. 36. *eleuabitur aduerſus omnem Deum*, &c. & 2. Theſſ. 2. v. 4. *aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur 'Deus.* At Pontifex Romanus gloriatur ſe Dei ſeruum eſſe & vicarium Chriſti.

Tertiò, *Antichriſtus* ſe pro *Meſſia* venditabit, & pro tali à Iudæis admittetur. Ioan. 5. v. 42. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* 2. Theſſ. 2. v. 10. quia *charitatem veritatis non receperunt, mittet illis 'Deus operationem erroris, vt credant mendacio*, &c. Quando vnquam Pontifex Romanus *Meſſiam* ſe iactauit? aut pro tali à Iudæis admiſſus eſt?

Quartò, *Antichriſtus in templo Dei* Ieroſolymitano Apoc. 11. v. 3. ſedebit, *oſtendens ſe tanquam ſit Deus*, 2. Theſſ. 2. v. 4. Regiam ſuam habebit primò Babylone in Chaldæa, dein Ieroſolymis, Gen. 11. vers. 5.

verſ.5.& Apoc.9.v.14. & c.16.v.12. Quid horum cadit vel in vnum Pontificem Romanum?

Quintò, ex Iudæis orietur, & verſimiliter ex tribu Dan, Apoc.7.v.4.& Gen.49.v.17. Nec niſi tribus annis cum medio monarcha futurus, Dan.7. v.25.& cap.12.v.7. Apocal.12.v.6. Præcedet illius monarchiam euerſio & exuſtio vrbis Romæ, Apocal. 17. v.16. imò totius Romani Imperij, 2. Theſſ.2.v.6.

Sextò, *Antichriſtus* è medio tollet *iuge ſacrificium* Miſſæ,& omne aliud publicum officium cultus diuini, Dan.8.v.12.& 14.c.12.v.11.

Septimò, ipſius tempore è paradiſo in orbem redibunt Henoch & Elias, Geneſ.5.v.24. Eccli.44. v.16. Malach.4.v.5. & publicè opponent ſe Antichriſto ferè toto tempore monarchiæ ipſius, ac tandem ab ipſo interficiendi ſunt Ieroſolymæ, ſed triduo pòſt cunctis videntibus reſuſcrecturi & in cælum aſſumendi, Apoc.11.v.3.

Octauò, Antichriſtus econtrà è ſublimi aëre præcipitabitur, terra dehiſcente, in Abyſſum, Apoc.19. v.20. vt olim contigit *Dathan & Abiron* Num.16.v.31. Exercitus verò ipſius innumerabiles abſumentur igne cæleſti, Ezech.39.v.6. Apoc. 20.verſ.9.

Nonò, Antichriſto extincto ſequetur generalis conuerſio omnium Iudæorum ad Chriſtum, Rom.11.v.26. Pax item totius Eccleſiæ Chriſtianæ, 1.Theſſ.5.v.3. & paucis pòſt annis iudicium extremum, & excidium vniuerſi, Apoc.20.v.11. Dan.7. v.9. An hæc quadrant in Romanum Pontificem? idque à mille & pluribus annis?

Argumenta ex Dan.11.v.38.& 39. de Maozim: & c.7.v.25. de temporibus & legibus per Antichriſtum mutandis, Apoc.17. v.1. de vibe Roma, &c. ibidem diſſolui.

*Num.*14. Sicut princeps politicus habet in ſubditos ſuos omnem poteſtatem & iuriſdictionẽ ſæcularem, ita ROMANVS PONTIFEX (etſi cum hæreticis reclament etiam politici) HABET in omnes Chriſtianos OMNEM POTESTATEM & iuriſdictionem SPIRITVALEM. Patet ex clauibus & poteſtate ligandi ac ſoluendi Matth.16.v.19. & ex munere paſcendi, id eſt, regendi totum ouile Chriſti, Ioan. vlt.v.15. Paſcere enim deſignat omne regium officium, 2.Reg.5.v.2. *Tu paſces populum meum.* Iſaiæ 44.v.vlt. *Ego dixi Cyro, Paſtor meus es tu.* Et verò ſi in veteri lege, Deut.17.v.12. *qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio,* morte plectebatur, quid erit in noua lege? Extendit porrò ſeſe hæc poteſtas

Primò, ad omnem locum, vbicumque eſt ouile Chriſti;

Secundò, ad omnem ſtatum & conditionem hominum, nempe ad omnes qui ſe agnoſcunt ouiculas Chriſti;

Tertiò, ad omnes actus perfectæ iuriſdictionis & poteſtatis regiæ, vt ſunt, imperare, noxia prohibere, leges condere & excqui, tranſgreſſores punire, inſolentes compeſcere, lites decidere, cauſas iudicare, diſpenſare, &c.

*Num.*15. Ipſe eſt primarius INTERPRES germani ſenſus SCRIPTVRARVM, & ſupremus IVDEX omnium CONTROVERSIARVM FIDEI. Hæc enim poteſtas (velint nolint hæretici,) conceſſa ei vnà cum clauibus, quibus facultas ei datur remouẽdi omnia impedimenta quæ nos arcent à regno cælorum, Matth.16.v.19. Item cum munere paſtorali, Ioan.vlt.v.15. quo auctoritatem accepit docẽdi & inſtruendi totam Eccleſiam in fide & pietate, quæ ſunt pabulum ouicularum Chriſti. Hinc Luc.22.v.32. iubetur Petrus *confirmare fratres* ſuos in fide, &c. Eádem poteſtas colligitur etiam ex eo quòd ipſe ſit petra fundamentalis vniuerſæ Eccleſiæ. Vide etiam dicta contr.2.n.13.14.15.16.

*Num.*16. Et in hoc iudicio NVNQVAM ERRAVIT, NVNQVAM ERRARE POTEST, etſi SINE CONCILIO GENERALI definiat: (quod nolunt præter hæreticos & Græcos ſchiſmaticos, admittere Gerſon, Almainus, Alfonſus à Caſtro & quidam Sorboniſtæ:) eſt enim ex infallibili aſſiſtentia Spiritus ſancti in iudicio hoc ſuo prorſus infallibilis, dummodo iudicet vt Pontifex, & quæſtiones ſint non facti, ſed iuris; & non priuata, ſed publica Eccleſiæ negotia concernant. Neque enim Concilio vel cœtui plurium, ſed vni Petro dictum, Matth.16.v.18. *Tu es Petra. Tibi dabo claues regni cœlorum.* Ioan.vlt.v.15. *Simon Ioannis paſce agnos, paſce oues meas.* Lucæ 22.v.32. *Rogaui pro te* Simon, *vt non deficiat fides tua: & tu confirma fratres tuos.* Quòd ſi errare poſſet, iam non confirmaret, ſed deciperet fratres ſuos: nec paſceret, ſed intoxicaret oues Chriſti: nec cœlum ipſis ſed infernum aperiret: nec fulciret, ſed euerteret Eccleſiam Dei. Quę incommoda non ſequuntur ex errore in priuatis negotijs, vel in quęſtionibus facti, vel quando non definit *vt Pontifex* ex cathedra, ſed vt particularis *Doctor:* in his enim relinquitur ſibi ſuoque proprio naturali iudicio, & eſt, vt alius *omnis homo, mendax,* Pſal.115.v.2.

*Num.*17. Et quia penè eadem incommoda ſequerentur ex errore in quibuſdã maximi momẽti negotijs Eccleſiæ, etſi non ſint *iuris,* ſed *facti,* v.g. in *canonizatione* Sanctorum in *approbatione* particularium *Ordinum Religioſorum,* &c. hinc (etſi neget Melchior Canus,) cum S.Thoma certum puto, etiam in talibus errare non poſſe. Ioan.16. v.13. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Id tamen intellige, quando Pontifex ex cathedra, ſeu vt eſt Pontifex, definit. Quod tum facit cùm obligat fideles ad ſuam ſententiam ſequendam & amplexandam. *Canus l.5. c.6. S.Th. quodlib.9. q.vlt.*

*Num.*18. Vt PONTIFEX in quantum eſt PRIVATA PERSONA, fiat in animo HÆRETICVS vel INFIDELIS, etſi ab intrinſeco poſſit, ex extrinſeca tamen Spiritus ſancti aſſiſtentia, cum Alberto Pighio & quibuſdam alijs Doctoribus probabilius puto, non poſſe. Priuilegium enim Lucæ 22.v.32. *Vt non deficiat fides tua,* videtur accipiendum non de ſola publica & externa fide quam docet Petrus & ſucceſſor Petri, ſed etiam de priuata & interna fide: nam ideo id illis impetratum, vt fratres ſuos in fide confirmẽt. Sed quomodo confirmabunt ſi ſint ipſimet vel hæretici vel infideles? An in alijs eam ſtabilient, quam ipſimet animo execrantur & impugnant? Et certè ex tot Romanis Pontificibus, ſubinde moribus vtcumque dyſcolis, nemo vnquam repertus (etſi de quibuſdam id falsò confingant Magdeburgenſes,) qui in hæreſin vel apoſtaſiam fuerit prolapſus, vt fusè Bellarminus demonſtrat. *Pighius l.4. Hierarchiæ Eccleſ.c.8.* *Bellarm. de Pontif. lib.4. c.1.&c.14.*

CONTROVERSIA VII.

De Concilijs Generalibus.

*Num.*1. AD CONCILIA CONVOCANDI ſunt, non omnes & ſoli ſacrarum Scripturarum periti (vt aiunt Lutherus, Brentius, Molinæus, *Luth. l. de Conciliis p.2. Brent. in Confut. Tridentin. c. de Conciliis.*

Car. Molin. in consilio de Concilio Trid. non recipiendo, Magdebur. cent.1.l.2. c.9. Protest. l. cur non accedant ad Conc.Trid.

næus, Magdeburgenses & Protestantes, & alij hæretici;) sed DE IVRE cum suffragio decisiuo soli & OMNES EPISCOPI, & his maiores PRÆLATI Ecclesiæ: quia his solis & omnibus, vtpotè capitibus, principibus & pastoribus Ecclesiæ, ex officio incumbit pascere, regere, docere Ecclesiam, lites cognoscere ac diiudicare. Actor.20.v.28. *Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Sic Actor.15.v.6. *Conuenerunt Apostoli & seniores* (sic olim vocabantur Episcopi) *videre de verbo hoc.* In republica enim nemo, quantumuis doctus aut pius, si magistratu vel officio publico careat, potest sibi vsurpare iudicium decisiuum litium vel causarum.

EX PRIVILEGIO possunt à Pontifice admitti etiam cum suffragio decisiuo aliqui non Episcopi, v.g. Cardinales, Abbates, Generales Præpositi Ordinum Religiosorum. Vt non rarò videmus etiam in iudicio ciuili extraneos admitti.

Admittuntur quoque Doctores Theologi & sacrarum Litterarum periti & Iurisconsulti, ad ferendá suffragia non decisiua, sed solùm consultiua, vt admittuntur Aduocati in curia & Parlamento, nempe ad examinandas & excutiendas propositas difficultates. Sic Actor.15.v.7. dicitur facta *magna conquisitio*, seu examinatio propositæ quæstionis.

PRINCIPES politici vel illorum legati admittuntur, vt decretorum Concilij testes adsint & defensores & executores. Notarii, Custodes & alij ministri seruiunt ad alios necessarios vsus. De plebe siqui adesse velint, debent tacentes adesse, vt dicitur de multitudine Ierosolymitana, Actor.15. vers.12.

*Num.*2. CONVOCARE CONCILIVM GENERALE, & in eo PRÆSIDERE, non est IMPERATORIS, (vt ait Lutherus, Molinæus, Caluinus, Brentius, Magdeburgenses, Protestantes, & ante illos Nilus Thessalonicensis:) nam huius potestas non est spiritualis, neque in spiritualia, neque se extendit in vniuersum orbem: sed hoc spectat iure diuino ad solum supremum CAPVT, PRINCIPEM & PASTOREM TOTIVS ECCLESIÆ, id est, ad ROMANVM PONTIFICEM. Vnde is solus potest facere vt reliqua Ecclesiæ capita conueniant *in nomine* Domini, Matth.18.v.20. id est, auctoritate à Christo emanante. Et verò non Tiberio Imp. sed Petro piscatori tradidit Christus claues & regimen totius Ecclesiæ suæ, Matth.16. v.19. & Ioan. vlt.v.15. Et etiam in veteri testamento munia spiritualia omnia erant penes pontifices, non penes reges, vt patet 2.Paralip.19. v.vlt: nisi fortè vnus idemque simul esset princeps & pontifex, vt contigit in Moyse (*a*) & Machabæis. (*b*) vel princeps politicus simul & Propheta, vt fuerunt Dauid & Salomon, quando 3.Reg.2.v.27. Abiatharum à pontificatu submonuit. Aliàs grauissimè vt plurimùm punitos vidimus principes politicos, seu in veteri (v.g. Oziam 2.Paral.26.v.19.) seu in noua lege, quando munijs spiritualibus sese immiscere præsumpserunt.

Luth.Mol. & Protestantes sup. Calu.lib.4. Instit.c.7. Brent. in Proleg. contra Petr. à Soto. Magdebur. cent.4.c.7. Nilus l.de Primatu Papæ.

a Psal.98. v.6.

b 1.Mach. 2.v.1.

*Num.*3. CONCILIVM GENERALE, si Papam excludas, NON EST SVPRA PAPAM, (vt præter citatos hæreticos, senserunt aliquando Gerson, Almainus, Panormitanus, Abulensis, & multi Sorboniстæ, qui volunt Papam in Ecclesia non aliud esse quàm quod Præpositus Generalis est in suo Ordine Religioso, nempe caput singulorum, sed subditum simul omnium congregatorum:) sed Papa tam absolutè est supra Concilium & vniuersam Ecclesiam Christi, vt nullum sit in terris tribunal aut iudicium, cui se possit, etsi vellet, iuridicè subijcere: nam Papa, etiam solus, iure diuino est caput & princeps vniuersæ Ecclesiæ etiam simul congregatæ. Neque enim accepit ipse suam potestatem à Concilio vel ab Ecclesia, (vt rex à regno, Præpositus Generalis à Religione,) sed immediatè ab ipsomet Christo: & accepit illam pro se solo, & in sua persona residentem. Nam soli Petro eiusque successori (non autem Concilio vel alicui congregationi) dictum Matth.16.v.18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Tibi dabo claues*, &c Ioan.vlt.v.15. *Pasce Agnos, pasce oues meas*, etiam Episcopos in Concilio congregatos. Cùm ergo ius diuinum non possit seu à Papa, seu ab alijs hominibus tolli, minui, limitari vel immutari (*quod enim Deus coniunxit, homo non separet*, Matth.19. v.6.) non potest etiam Papa, etsi vellet, se Concilio iuridicè subijcere.

*Num.*4. Quin & CONCILIVM GENERALE definiens aliquid sine cõsensu Papæ, non est INFALLIBILIS AVCTORITATIS (etsi id sentiant iam citati Doctores Catholici,) priusquàm à Pontifice APPROBETVR. Huic enim soli promissa est à Christo infallibilitas, controu.6.nu.16. & ipse solus est supremum caput, princeps, præses & iudex totius Ecclesiæ, etiam in Concilio collectæ. ergo vt minimum requiritur eius consensus vel approbatio: & quamdiu hæc desunt, non est plenum aut perfectum iudicium Ecclesiæ, nec potest dici sententia Concilij generalis, cùm caput nondum annuerit. Nec vmquam rata habentur ab Ecclesia, decreta Conciliorum, priusquam à Papa confirmentur vel approbentur. Ampliùs dico, etsi vellet Pontifex, vt quæcumque se absente & inscio, sed consentientibus suis legatis, à Concilio statuentur, eo ipso rata ac fixa sint; non tamen erunt infallibilis veritatis, antequam ab ipsomet postmodum visa approbentur: quia infallibilitas hæc, vt iam dixi, ipsi soli à Christo concessa est, neque potest per ipsum alijs delegari vel communicari, vt rectè docent Melchior Canus & Turrecremata.

*Num.*5. CONCILIVM semel à Papa APPROBATVM, est prorsus INFALLIBILIS VERITATIS (quidquid obmurmurent hæretici;) quoad decreta quæ fidem & mores spectant, conformiter ijs quæ suprà dixi de Pontifice, controu.6.nu.16. Oritur autem hæc infallibilitas ex assistentia Spiritus sancti non ipsi soli Pontifici, sed etiam reliquo Concilio cum Pontifice in vnum collecto. *Spiritus* enim *veritatis docebit vos omnem veritatem.* Ioan. 16.v.13. Et si *vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum; si consenserint, de omni re quamcumque petierint, fiet illis*, Matth.18. v.19. & 20. multò magis quando tam multi *in nomine meo* conuenient, vt ait Concilium Chalcedonense. Vnde fidèliter pronuntiat primum Concilium Ierosolymitanum Actor.15.v.28. *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Denique Concilium generale totam Ecclesiam repræsentat, (sicut magistratus remp.) & includit Pontificem tanquam caput & præsidem suum. Cùm ergo neque Pontifex (controu.6.n.16.) neque Ecclesia (controu.5. num.3.) errare possit; sequitur, etiam tale Concilium errare non posse.

Conc. Chalcedon. posit act.3. in ep. ad Leonem Papam.

*Num.*6. QVOT & quænam CONCILIA GENERALIA sint vel ex toto, vel ex parte APPROBATA à Pontifice, dixi in Indice Auctorum §. *Concilia.* Vbi

lia. Vbi & egi de quibusdam particularibus Concilijs approbatis.

CONTROVERSIA VIII.

De Pastoribus Ecclesiæ.

Num. 1. VT quis euadat verus ac legitimus ECCLESIÆ PASTOR, non sufficit, etiam ex hæreticorum sententia, quòd ad id talenta habeat & doctrinam requisitam: sed neque quòd sit de CLERO (quo nomine, etsi improbet Lutherus & Caluinus, rectè designantur personæ cultui diuino & functionibus Ecclesiasticis consecratæ, 1. Petri 5. v. 3.) Sed tria necessariò requiruntur: Primum est ELECTIO, id est, legitima designatio personæ ad Ecclesiasticam præfecturam, v.g. ad episcopatum. Secundum, ORDINATIO, id est, sacra cæremonia quâ futurus Prælatus inungitur & consecratur. Actor. 13. v. 3. vbi per *manuum impositionem*, Apostoli Paulum & Barnabam ordinant Episcopos. Tertium, MISSIO seu vocatio, id est, collatio iurisdictionis, quæ reipsa Pastorem ac Præsulem facit. *Quomodo* enim *prædicabunt nisi mittantur?* Rom. 10. v. 15. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Hebr. 5. v. 4. *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro,* Ioan. 10. v. 1.

Luth. l. de Abroganda Missa priu. p. 1. Calu. lib. 4. Inst. c. 4. §. 9. & in 1. Petr. 5.

Num. 2. Sed non à solo DEO (vt voluit Wiclef, Hus & Anabaptistæ) sit hæc ELECTIO, MISSIO, &c. nisi rarissimè. v.g. in Moyse, (*a*) Aarone, (*b*) Iosue, (*c*) Elia (*d*) & alijs Prophetis, in Ioanne Baptista, (*e*) in Apostolis (*f*) & discipulis Christi, adeoque & in ipso Christo. (*g*) Sed quandocumque Deus ita extra ordinem aliquos eligit aut mittit, semper id Ecclesiæ manifestat certis signis ac miraculis quibus ipsorum missio populo innotescat & comprobetur. Ierem. 23. v. 21. *Ipsi currebant, & non mittebam eos.*

VVicles. & Hus apud Thom. VValdensem l. 2. Doct. fid. c. 39.

a *Exodi 4. v. 30.*
b *Num. 16. v. 28.*
c *Ios. 3. v. 7. & 16.*
d *3. Reg. 18. v. 36.*
e *Luc. 1. v. 66.*
f *Matth. 10. v. 1.*
g *Matth. 9. v. 6. Luc. 7. v. 21. &c.*

Num. 3. Neque iure diuino competit hoc POPVLO vel toti cœtui fidelium (vt contendit Lutherus, Brentius, Kemnitius, Illyricus, Caluinus, Beza & omnes Puritani:) neque enim ouibus debetur ius decernendi sibi Pastores. neque Christus ex populi suffragijs, sed suopte nutu elegit & misit 12. Apostolos Lucæ 6. v. 13. & 72. discipulos c. 10. v. 1. Atqui qua ratione Ecclesiam ipse dum nobis in terris adesset, gubernauit, eâdem voluit eamdem à suis vicarijs postea gubernari, Ioan. 20. v. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Vnde & Apostoli pro suo placito constituebant, & quocumque vellent, mittebant Episcopos & Archiepiscopos & Primates, qui Actor. 14. v. 22. *presbyteros* intelliguntur, quod commune erat olim nomen omnium Prælatorum Ecclesiæ, vt dixi Philipp. 1. v. 1. & nusquam populo, sed solis Episcopis, præcipiebant constituere alios inferiores Episcopos. ad Titum 1. v. 5. *Reliqui te Creta, vt constituas per ciuitates presbyteros,* etiam Episcopos, *sicut & ego disposui tibi.* Populo autem solùm concedebant vt de vita & moribus eligendorum testimonium ferret. 1. Timoth. 3. v. 7. *Oportet & testimonium habere bonum,* &c. Si quid aliud aliquando populus vsurpauit, ex sola conniuentia fuit, nec nisi ad tempus. Sicut Actor. 6. v. 5. elegerunt *septem Diaconos.* & cap. 1. v. 23. *Statuerũt Matthiam & Barsabam.*

Luth. l. de Potest. Pap. Brent. in Proleg. sup. Kemnit. in Exam. Trid. de Ordine, Illyr. cent. 1. l. 2. c. 4. Calu. sup. & c. 3. §. 15.

Num. 4. Neque hoc competit IMPERATORI vel alijs PRINCIPIBVS aut magistratibus SÆCVLARIBVS, (vt volunt Zwingliani, Anglocaluinistæ & Arminiani:) quia potestas & iurisdictio Ecclesiastica est supernaturalis & merè spiritualis, & proficiscitur à Spiritu sancto. Actor. 20. v. 28. *Spiritus sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Vnde longè superior est potestate ac iurisdictione politica, quæ solùm est naturalis, terrena & sæcularis. Ius tamen nominandi, seu præsentandi Episcopos aliosque Prælatos iam à multis sæculis defertur principibus sæcularibus tanquam patronis, fundatoribus, vel saltem eximijs benefactoribus Ecclesiarum. Ius autem eligendi, confirmandi vel inuestiendi Episcopos, non nisi vi subinde, vel ex mero Pontificis indulto ad aliquod tempus vsurparunt.

Num. 5. Sed iure diuino spectat hoc ad SVMMVM PONTIFICEM, cui Matth. 16. v. 18. & Ioan. vlt. v. 15. commissum est à Christo vniuersum eius ouile pascendum ac gubernandum. Non quòd ipsemet per se debeat omnes & singulos eligere, vel mittere: sed quia ipsius est constituere qui id facere possint, & modum præscribere quo id fieri debeat. Varijs autem temporibus concessit vel permisit varijs eligere Episcopos, idque varijs modis.

Primò, ipse solus Pontifex per se eligebat, exemplo S. Petri & aliorum Apostolorum, Actor. 14. v. 22. & ad Titum 1. v. 3. Et hic modus maximè seruari consueuit in nouis episcopatibus instituendis.

Secundò Episcopi omnes vnius prouinciæ, vel maior pars eligebant, postulato testimonio & consensu Cleri ac populi eius loci cui Episcopus dabatur. Et sic aliquot sæculis electus fuit etiam ipse Pontifex Romanus.

Tertiò, eligebat totus Clerus, & subinde etiam populus, vel Imperator, eiusve legati. Sic fiebat tempore S. Chrysost. August. & Gregorij Magni.

Quartò, solis primarijs Clericis, putà Canonicis, id concessum. Et hunc modum docuit experientia esse omnium optimum: & penè vbique in vsu est, ac nominatim Romæ in Summi Pontificis electione: nam Cardinales sunt primarij Clerici & Canonici Ecclesiæ Romanæ.

Num. 6. MITTERE verò seu iurisdictionem impertire censetur PONTIFEX, quando vel ipsemet aliquem constituit Episcopum, vel electum aut nominatum ab alijs approbat & confirmat.

Num. 7. Alij curam animarum habentes qui inferiores Episcopo sunt, ordinariè eliguntur ab ipso EPISCOPO vel CAPITVLO: vel nominantur à patronis, confirmantur & mittuntur ab Episcopo, ad Titum 1. v. 3.

Num. 8. Potestas ORDINANDI Pastores Ecclesiæ, seu maiores, seu minores, est penes solos EPISCOPOS, quia penes hos solos est Ordo Episcopalis. de quo in Sacramento Ordinis. Et fatetur Caluinus, hunc fuisse perpetuum, Apostolis vsum. Act. 13. v. 3. & 1. Tim. 4. v. 14. & hunc vsum debere nobis esse vice præcepti. Addere debuisset, ex his apertè constare, nec Caluinum, nec vllos alios extra Ecclesiam Catholicam Romanam Ministros, quos vocant, vel Superintendentes aut Seniores, censeri posse Pastores Ecclesiarum, cùm nec legitimè electi, nec missi, nec ordinati sint: & consequenter non esse penes illos Ecclesiam Christi, quæ semper vsque ad extremum iudicij diem suos habitura est legitimos *pastores, donec occurramus omnes,* &c. Ephes. 4. v. 31.

Calu. supra cap. 3. §. 16.

Num. 9.

Melanchth. in Confess. Augustana art.23. & Apolog. Kemnit. in Examin. Trid. p.3. Calu. lib.4. Instit.c.12. §.23.24.& 25.

*Num.*9. Omnibus EPISCOPIS, SACERDOTIBVS, DIACONIS ac SVBDIACONIS iam inde à temporibus Apostolorũ,(Melanchthon, Kemnitius & Caluinus dicunt post 400.demum annos) PROHIBITVM fuit DVCERE VXORES, vel vxoribus antea ductis vti post ordinationem: Neque hoc à solo Papa;contra decreta Conciliorum & placita SS. Patrum(vt ijdem fingunt)sed ab ipsismet Apostolis,quorum decretum Concilia omnia & SS.Patres postmodum comprobarunt. Ad Titum.1. v.8. *Oportet Episcopum* (quo nomine comprehenditur etiam Presbyter, Philipp.1. v.1.) *continentem esse*, etiam ab vxoris amplexu,inquit ibi S.Hieron. 1.Timoth.3. v.8. *Oportet Diaconos pudicos esse.*Et 2.Timoth.2.v.4.*Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus:* qualia nuptias esse, & quæ nuptias sequuntur,nemo prudens negare potest.

Obiectiones solui 1.Timoth.3. v.2.& 12. *Sint vnius vxoris viri.*& Philipp.vlt.v.3.*Germane compar.* 1.Corinth.9.v.5. *Ceteri Apostoli & fratres Domini,& Cephas sororem mulierem circumducunt.*

Maior in 4. dist 24.q.2. Medina l.5. de Continentia. Clichtou.l. de Continẽtia fac.c.4. Conc.Ancyran.can.10. S.Gregor. l. 1. Registri epist.42. a Cap. Cùm olim. Extran.de Clericis coniugatis.

Num. 10. NON est tamen LEGE DIVINA illis hoc prohibitum(vt vult Ioannes Maior,Michael Medina & Clicthouæus) cùm nusquam extet tale Dei præceptum: sed lege solùm Ecclesiastica ab Apostolis lata, vt plures alias tulerunt Actor.15. v.29.Vnde potuit vrgente necessitate dispensari à Pontifice in hac lege,vt cum *Diaconis* olim dispensatum fuisse constat ex Concilio Ancyrano & S.Greg.& circa annum Christi 700.etiam cum sacerdotibus Græcis, (a) vt vxoribus ante sacros Ordines ductis,pòst etiam vterentur.Et in Latina quoque Ecclesia subinde cum vno alteróve *sacerdote* dispensauit Pontifex vt vxorem ducere liceret, vrgente grauissima necessitate, v.g.ne regnum aliquod ad hæreticos deuolueretur,&c.

Luther. de Abrog. Missa privata. Pomeran. de Coniugio Episcoporum. Magdebur. in singulis centurijs c. 7.sed maximè cent.12. Melanch.& Calu. supr. Beza & Martyr.in 1.Cor.7.

Num. 11. NEQVE est hæc LEX obseruatu IMPOSSIBILIS,SACRILEGA aut PESTIFERA(vt fingit Lutherus,Pomeranus, Magdeburg.Melanchthon,Caluinus,Beza,Martyr, & alij hæretici,) sed æquissima, longeque vtilissima:ac proinde (licèt secùs suaserint Erasmus ac Panormitanus,)nullo modo relaxanda.Si enim Israelitæ Exodi 19.v.15. dum legem à Deo accepturi essent, vetabantur *appropinquare vxoribus*,& sacerdotes ac Leuitæ veteris testamenti iubebantur continere toto tempore vicis suæ seu ministerij in templo,1.Paralip. 24.v.3. & S. Paulus 1.Corinth.7. v. 5. præscribit coniugatis vt *ad tempus* vsu coniugij abstineant, vt diligentiùs *orationi* vacare possint; nónne æquissimum fuit vt Clericis noui testamenti, qui non per vices, sed continuò & quanta possunt diligentia debent orationi & seruitio diuino, & longè nobiliori sacrificio vacare, præciperetur perpetuò sese continere? Et quis neget,rectè prohiberi alicui Ordini, quod ministerio Ordinis est impedimento? 1.Corinth.7.v.33. *Qui cum vxore est,sollicitus est quæ sunt mundi,quomodo placeat vxori, & diuisus est.* Quòd autem dicunt impossibile, sacrilegum & pestiferum id esse,priusquam nobis persuadeant,oportet litẽ intentent S.Paulo,adeoque & ipsi Christo toties id suadentibus, laudantibus & ad id inuitantibus. Matth.19. v.12. *Qui potest capere,capiat.*v.29. *Centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.* 1.Cor.7. v.7. *Volo omnes vos esse sicut meipsum.* v.8. *Bonum est si sic permaneant, sicut & ego.* v.38. *Qui matrimonio iungit virginem suam,bene facit: & qui non iungit, melius facit.* v. 40. *Beatior erit si sic permanserit.* Fructus continentiæ nobilissimos recensui ex S. Paulo & alijs Scripturis, 1.Cor.7.v.34.

Obiectiones solui Genes.1. v.28. *Crescite & multiplicamini.*1.Cor.7.v.2.*Vnusquisque suam vxorem habeat.* v.9. *Melius est nubere, quàm vri.* v.7. *Vnusquisque proprium donum habet ex Deo.* 1.Timoth.4.v.3. hæretici vocantur qui *prohibent nubere.*& c.3.v.2.&ad Tit.1.v.6. requirit Apostolus ab Episcopis & Diaconis vt sint *vnius vxoris*, viri *filios habentes*,&c. Hebr.13. v.4. *Honorabile connubium in omnibus:*quid ni etiam in sacerdotibus?

Luth.l. de captiuit. Babyl.c.de Sacram.Ordinis. Magdeburg. cent.1.l.2. c.4. Calu in 1. Tim.3. & Tit.1.

Num. 12. DIGAMOS Apostolica lege à sacris Ordinibus arceri, (etsi neget Lutherus, Magdeburgenses & Caluinus) constat ex 1.Timoth.3. v.2.*Oportet Episcopum vnius vxoris esse virum.*v.8. *Diaconi sint vnius vxoris viri.* Digamia enim signum est incontinentiæ diuturnioris & firmiùs inhærentis.

*Num.*13. De TONSVRA & CORONA Clericorum vide quæ dixi ad illud Leuit.19.v.27. *Non attondebitis comam in rotundum, nec radetis barbam.* c.21.v.5. *Non radent caput, nec barbam.* Ierem.9. v.vlt. *Visitabo super omnes qui attonsi sunt in comam.* Ezech.44.v.20. *Comam non nutrient,caput non radent.*Et Baruch vlt.v.30. ridentur *sacerdotes habentes capita & barbam rasam,quorum capita nuda sunt.* Hæc enim,vt ibidem dixi,reprehenduntur vt fiebant ex superstitione Ethnica, non verò vt signum sunt pœnitentiæ, & abiectionis rerum superfluarum ac mundanarum,vt sic maneat vertex,id est,animus, vt liber & apertus diuinis illustrationibus, vt aiunt S.Isidorus, Rabanus & Hugo. Coma verò in coronam attonsa repræsentat tum regiam Clericorum dignitatem,inquiunt ijdem; nam seruire Deo,regnare est: tum spineam Christi coronam,inquit Beda.

Isid.l.2. de Officijs c.4. Raban.l.1. de Instit. Cleric.c.3. Hugo l.2.de Sacram.p.3. c.1.

*Num.*14. De exemptione Clericorum à potestate sæcularium,vide controu.10.num.7.

CONTROVERSIA IX.

De Monachis & alijs Religiosis.

Magdebur. cent.4.c.6.

*Num.*1. HOS QVARTO demum SÆCVLO post natum Christum EXORTOS fingunt Magdeburgenses,idque partim casu, vt persecutionem fugerent, partim errore circa doctrinam de iustificatione, partim praua æmulatione Essenorum; & quidem diabolo auctore, inquiebat Wicleff. Sed Scripturæ Christum auctorem faciunt,ex professo suadentem vt hac via (nempe per voluntariam paupertatem, continentiam & obedientiam) tendamus ad perfectionem vitæ Christianæ, quæ in excellentissima dilectione & cultu Dei consistit.Matth.19.v.21.*Si vis perfectus esse,vade,vende quæ habes,& veni sequere me*, mihique obedias in omnibus. v. 12. *Sunt eunuchi*, &c. *Qui potest capere,capiat.* vers.29.*Omnis qui reliquerit domum,vel fratres,aut sorores, aut patrem, aut matrem,aut vxorem,aut filios, aut agros,propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Lucæ 10.v.16.*Qui vos audit,me audit.*& Ierem.35.v.18.laudantur à Deo & præmium accipiunt *filij Ionadab* propter singularem suam obedientiam. Prou.3. v.5. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Hebr.13.v.17.*Obedite præpositis vestris.*

Vvicleff in Conc.Constant.

*Num.*2.Ex quibus sequitur,APOSTOLOS fuisse PRIMOS sub Christi disciplina RELIGIOSOS, vt-

potè secutos hæc consilia Christi, vt Matth.19. v.21.demonstraui;& tempore Apostolorum maximè floruisse hoc institutum,vt de vrbe Ierosolymitana testantur Acta Apostolorum cap,4.v.35. de Alexandria Ægypti Philo Iudæus,de alijs locis alij;vt dixi Actor.5.v.2. Et Actor.21.v,9.vni *Philippo erant quatuor filiæ* perpetuò *virgines*:quot putamus fuisse totalijs per vniuersum orbem?Sed & S.Ioannem Baptistam Monachorum,& cumprimis Eremitarum principem post Christum faciunt ferè omnes SS.Patres,& colligitur ex Matth. 3.v.1.& 4.Marc.1.v.4.& 6.Et fuit idem status iam olim etiam in veteri testamento adumbratus in *Nazaræis*, Numer.6.v.2.in *Samuele*,1.Reg.10.v.5. *Elia*,3.Reg.17.v.1.*Elisæo*,ibidem:alijsque Prophetis & filijs spiritualibus Prophetarũ,ibid.in *Rechabitis*, Ierem 35.v.18.& *Machabæis*,2.Machab.5.v. vlt.*Secesserat in desertum locum,ibiq;inter feras vitam in montibus Iudæ cum suis agebat,fœni cibo vescentes*, &c.*Essæi*,de quibus loquitur Philo,non erant Iudaicæ religionis, sed Christianæ, vt Epiphanius, Eusebius & Hieronymus docent.

Philo l.de Vita contemplatiua.

Epiph.hæresi 19.& 29. Euseb.l.2, hist.c.16. Hieron.de Viris illustribus. Melanchth in Apolog. pro art.27. Confess.Augustana. Calvin.l.4. Instit.c.13. §.10.

*Num.*3.Institutum RELIGIOSI STATVS, quod nunc viget in Ecclesia (etsi negent Melanchthon & Caluinus,) quoad omnia essentialia prorsus idem est cum eo quod primis Ecclesiæ initijs, floruit vsque ad tempora S. Basilij & Augustini. Nam & eumdem finem primarium spectat, scilicet perfectionem vitæ Christianæ,Matth.19.v.21. *Si vis perfectus esse*,&c. Et mediis ad id prorsus iisdem vtitur, putà tribus consiliis in Euangelio à Christo propositis,vltroneæ *paupertatis*, *castitatis* & *obedientiæ*,vt vidimus n.1.ad ea perpetuò obseruanda voto suos obstringens.Procul autem abesse ab illo schismatico studio 1.Cor.1.v.12. *Ego sum Pauli,ego Cephæ*,&c.ibidem ostendi.

*Num.*4.Neque verò illicitum,impium aut superstitiosum(vt fingit Lutherus, Caluinus & alij Sectarij,)sed laudabile esse,quædam NON PRÆCEPTA VOVERE in honorem Dei;patet ex psal.75. v.12.*Vouete & reddite Domino Deo vestro*.Eccles.5.v. 3.*Si quid vouisti Deo,ne moreris reddere*.Deut.23.v. 21.&c.*Si nolueris policeri, absque peccato eris:quod autem semel egressum est de labijs tuis,obseruabis & facies,sicut promisisti Domino Deo tuo,& propria voluntate & ore tuo locutus es*. Prou.20.v.25.*Ruina est homini deuotare sanctos,& post vota retractare*.Et an non laudatur Iacob,imò benedicitur à Deo,Genes.28.v.vlt.& c.31.v.13.cò quòd,cùm non teneretur,*decimas* ipsi vouisset?& Dauid psal.131.v.2. & 11.quòd *templum* vouisset?Anna 1.Reg.1.v.vlt. quòd *filium* suum?Denique nonne omnia vota de quibus agitur Leuit.27.Num.6.& Deut.12.& 23. sunt de rebus non præceptis à Deo?Et licet in nouo testamento non diserte exprimatur nomen voti,res tamen(vt mox videbimus)diserte exprimitur:& de Christianis noui testamenti prædixit Isaias cap.19.v.21.*Colent cum in hostijs,& vota vouebunt Domino & soluent*.

Luth.de Libertate Christiana. Calu sup.

*Num.*5.Quòd verò quæ vouere licet,liceat etiam IN HONOREM ET CVLTVM DEI vouere(etsi ijdem illi negent;) constat ex Coloss.3.v.17.vbi hortatur Apostolus,vt quæcumque facimus,faciamus *in nomine Domini*,& in honorem Dei.Et nonne omnes actus virtutis religionis (quales etiam teste Caluino sunt vota,)necessariò respiciunt cultum & honorem Dei?nam hoc est obiectum formale & scopus virtutis religionis:adeò vt implicet,fieri votum,& non animo colendi Deum saltem implicitè.

Calu. sup. §.2.

Non esse ἐθελοθρησκείαν,sed θεοθρησκείαν,ostendi ad Coloss. 2.v. vlt. neque repugnare *libertati Christianæ*, Rom.6.v.22.neque fieri *ex tristitia aut ex necessitate*,2.Cor.9.v.7.

*Num.*6.In specie,licitum esse,laudabile & sanctum, vouere PERPETVAM PAVPERTATEM,(etsi omnes hæretici reclament,) patet, quia est de re gratiore Deo si fiat,quàm si non fiat.Matth.5.v.3. *Beati pauperes spiritu*,&c.& quia singulariter seruit obtinendæ perfectioni,Matth.19.v.21.*Si vis perfectus esse*, &c.

*Num.*7.Idem dico de CASTITATE. Quam idcirco etiam Christus omnibus commendat,Matt. 19.v.12.*Qui potest capere,capiat*:& Apostolus omnibus suadet,1.Cor.7.v.7.& seq.vt dixi controu.8. num.11.Et nonne vouit illam B.Virgo Maria,Lucæ 1.v.34.*Virum non cognosco?* Et Isaiæ 56.v.5.virginibus promittitur *nomen melius* præ alijs: & Sap. 3.v.14.*sors* melior *in templo Dei*:& Apocal.14.v.3. peculiare ipsis cõceditur *canticum* & gloria.Quòd si licitum non fuisset vouere castitatem,cur 1.Timoth.5.v.12. reprehenduntur quæ irritato voto *nubere volunt*;Dicit quidem 1.Timoth.*5.v.14.Volo iuniores nubere*:sed loquitur de intemperantibus, & ante emissum votum.

*Num.*8.Idem de OBEDIENTIA:vt colligitur ex Matth.16.v.24.*Abneget semetipsum,& sequatur me*, id est,iudicium voluntatemque suam seponat,& alteri,vicario meo,pareat in omnibus.Lucæ 10. v.16.*Qui vos audit,me audit*.

Neque per hoc fimus *serui hominum*,quod prohibet Apostolus 1.Corinth.7.v.23.sed *serui iustitiæ*, quod Rom.6 v.18.laudat & commendat.

Luth.in Epithalamio, & de Votis monasticis. Melanchth. & Calvin. supr. Pet.Martyr l de Cœlibatu. Brent. in Conf. VVirtemberg.c. de votis monasticis.

*Num.*9. Et quis ferat impudentiam illam Lutheri,Melanchthonis,Martyris,Caluini,Brentij & aliorum Sectariorum,negantium,vllum esse CONSILIVM EVANGELICVM? An *vade,vende,veni,sequere me*,Matth.19.v.21.non sunt consulentis? *Qui potest capere capiat*.v.12.non est suadentis?Vin' verba clar.ora quàm illa Pauli 1.Cor.7.v.25.*Consilium autem do?* v.17.*Solutus es ab vxore,noli quærere vxorem*. v.40. *Beatior erit si sic permanserit secundùm meum consilium*.Sic Hebr.13.v.17.*Obedite præpositis vestris*. Et nonne 1.Cor.9. toto capite contendit Paulus,se gratis euangelizando,plus fecisse quàm sibi esset præceptum?

Obiectiones solui Lucæ 17.v.10. *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis,dicite,Serui inutiles sumus, quæ debuimus facere fecimus*. Deut.4.2.vbi iubet,*nihil addi præceptis*. 1.Cor,7.v.35.*Non vt laqueum vobis injiciam*.

Magdeburg. cent.4.c.5 & 10. Calv sup. §.16.

Num. 10. VICTVS & VESTITVS ASPERITATEM,aliasque corporis afflictiones vltroneas,non esse ridiculas aut fatuas,neque tentare Deum(vt fingunt Magdeburgenses,Caluinus & alij Nouantes) sed Deo gratissimas accidere; patet ex Elia, Isaia, & Ioanne Baptista, qui hoc nomine vehementer laudantur,4.Reg.1.v.8.*Vir pilosus,& Zona pellicea accinctus,Elias Thesbites est*.Isaiæ 20.v.2.*Solue saccum de lumbis tuis*. Lucæ 1. v.vlt. Ioannes à *puero erat in desertis*.Matth.3.v.1.*prædicans in desertis*.v.4.*Habebat vestimentum de pilis camelorum,esca eius locustæ & mel siluestre*.Idem repetitur Marci 1. v.6.vbi ostendi,vestem eius non fuisse vndulatam, sed cilicinam;neque locustas fuisse cancros marinos,&c.(vt somniat Melanchthon, Chytræus,Bucerus & Magdeburgenses,)sed cibum vilem & plebeium. Et nonne Anna quoque laudatur Lucæ 2.v.37.

Melanchth. Cruc. de Ioanne Baptista. Chytræus & Bucerus in c.3.Matt. Magd cent. 1.l.1.c.6.& 10.

2.v.37.quòd non *discederet de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte & die?* & an non Christus ipse monet omnes vt *pœnitentiã* agant, Matth. 4.v.17? An non Paulus præit suo exemplo, 1.Cor. 9.v.27. *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo?*

Obiectiones solui Coloss.2.v.23. *Habendum honorem corpori.* Matth.4.v.7. *Non tentabis Dominum.* Deut.15.v.4. *Non erit inter vos mendicus.* Eccli.27. v.1. *Propter inopiam multi deliquerunt.*

CONTROVERSIA X.

De Principibus politicis.

Transiluani Ministri in antithesibus anno 1568. Christi veri & falsi.

*Num.*1. TRinitarij in Transiluania & Anabaptistæ negant licere CHRISTIANIS gerere MAGISTRATVS, habere PRÆTORIA, TRIBVNALIA, IVDICIA, vsum GLADII vel BELLI, &c. Iudæis illa solùm permissa fuisse propter illorum imperfectionem. Sed, etiam inter Christianos futuros reges, & Christo deseruituros prædixerunt passim Prophetæ. Isaias c.49.v.23. *Erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ.* &c.c 60:v.3. *Ambulabunt reges in splendore ortus tui.* Psal.2.v. 10. Psal.71.v.11. Et Christus & Apostoli iubent pareamus etiam Ethnicis magistratibus, quantò magis Christianis; Matth.22.v.21. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Rom.13.v.1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo, Ministri Dei sunt,* &c. Tit.3.v.1. *Admone illos principibus & potestatibus subditos esse.* 1.Petr.2.v.17. *Regem honorificate.* An Christus Ioan.4.v.46. *regulo* iussit renuntiare suo principatui, & Paulus Proconsuli Sergio Paulo? Act.13.v.12. Et si reserat ex se mala, cur tot viri sancti se ad eam obeundam induci permiserunt? Quomodo Deus illam instituit? Prou.8. v.15. *Per me reges regnant, per me principes imperant.* Rom.13.v.2. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* An hoc non est euertere funditus respublicas? Prou.11.v.14. *Vbi non est gubernator, populus corruet.* Aut fortè homines in Ecclesia militante minùs egent gubernatore, quàm angeli in triumphante? Apoc.12.v.7. *Michael & angeli eius,* &c.

Obiectiones solui Ephes.4.v.5. *Vnus Dominus, vna fides,* &c. Matth.17.v.25. *Liberi sunt filij.* 1.Corinth.7.v.23. *Nolite fieri serui hominum.* Lucæ 22. v.25. *Reges gentium dominantur eorum, non sic erit inter vos.*

*Num.*2. DOMINIVM & PRINCIPATVM etiam in IMPIIS, etiam in INFIDELIBVS, esse posse (contra Armacanum; Wicleff & Hus) patet ex Sap.6.v. 4. *A Domino data est potestas vobis, & cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis.* Ierem.27.v.6 *Ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor serui Dei,* &c. Dan.2.v.37. *Tu es rex regum, & Deus cæli dedit regnum tibi.* Isaiæ 45.v.1. *Hæc dicit Dominus christo meo Cyro,* &c. Et Christus ipse, & Apostoli (vt vidimus n.1.) iubent obediri Cæsari & regibus, cùm tamen nulli tunc essent reges, nisi infideles.

Armacan. l.10. quæstionum Armenicarum c.4. Wicl. & Hus apud Valdensem & in Conc. Constantiensi

Obiectiones solui 1.Reg.12.v.17. *Videbitis, quia grande malum feceritis, petentes super vos regem.* Osee 8.v.4. *Ipsi regnauerunt, & non ex me.* Eccli.10.v. 8. *Regnum a gente in gentem transfertur propter iniustitias.*

*Num.*3. Licere autem Christiano magistratui LEGES CONDERE (contra Waldenses & Anabaptistas) quæ obligent (contra Caluinum) etiam IN CONSCIENTIA, constat ex Prou.8.v.15. *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Dei enim ministri sunt,* Rom.13.v.6. Obediendum porrò Superiori seu per se, seu per vicarium suum iubenti.v.2. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.*v.5. *Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Calu. lib.4. Instit. c.10. §.5.

*Num.*4. Ijsdem licere IVDICIA PVBLICA exercere, & GLADIO vel alijs pœnis pùnire perturbatores reip. vt omittam Scripturas exempla veteris testamenti, patet ex sententia Christi, Matth. 26.v.52. *Qui acceperint gladium, gladio peribunt.* & Rom.13.v.4. *Si malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est.* Et quomodo possent alioqui vel leges prodesse, vel pax & tranquillitas reip. conseruari. Prou. 20. v.8. *Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo.*

Neque his repugnat (vt ibidem ostendi) illud Matth.5.v.39. *Dico vobis, non resistere malo.*v.40. *Qui voluerit tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, da ei & pallium.* 1.Cor.6.v.7. *Delictum est in vobis, quòd iudicia habetis.*

Agrippa de Vanit. scientiarum cap. 79. Eras. in Luc. 3. & 21. Ferus in Matth.26.

*Num.*5. Item BELLA GERERE, (etsi id præter supradictos & Manichæos, neget Cornel. Agrippa, Erasmus, & Ioannes Ferus.) Nam si ex se malum sit, quomodo Deus id præcepit Moysi, Iosue, Sauli, Dauidi? Quomodo Ioannes Baptista Lucæ 3. v.14. rogantibus militibus, *Quid faciemus?* non præscribit vt militiam deserant? Quare Apostolus Rom.13.v.7. iubet *tributa præstari,* nisi ad milites in defensionem reip. alendos? Quomodo Christus Matth.8.v.9. Centurionem, dum dicit, *Habeo sub me milites,* &c. tam prolixè laudat? & Actor. 10.v.1. alter Centurio, *vir iustus* vocatur *& timens Deum:* neuter tamen iubetur valefacere militiæ. Et cui non iniuriæ patebunt Christiani si non liceat bello se suaque tueri? Hæc ratio mouit Lutherum, vt, licet aliquando (*a*) negasset licere bellum contra Turcas gerere, postea (*b*) tamen multis argumentis id persuadere suis conatus sit.

a Luth. art. 34. in bulla Leonis damnato.

b Luth. l. de Visitat. Saxonica.

Neque huic obstant illa Isaiæ 2.v.4. *Conflabunt gladios suos in vomeres,* &c. *nec exercebuntur vltrà ad prelium.* Rom.12.v.19. *Non vos defendentes. Mihi vindicta, & ego retribuam.* Matth.5.v.39. *Præbe illi & alteram maxillam.* Ioan 18.v.11. *Mitte gladium tuum in vaginam:* vt ijsdem locis ostendi.

Hus art.14. in Concil. Constant. Luth.ar.33. sup. Calvin.& Beza l.hac de re.

*Num.*6. Item HÆRETICOS ab Ecclesia damnatos, MORTE ET ALIIS POENIS mulctare, (vt contra Ioannem Hus, & Lutherum eiusque asseclas prolixè etiam docent Caluinus, Beza & alij,) patet, quia sunt *falsi Prophetæ,* qui Deut.13.v.5. & c. 18.v. 20. iubentur occidi. Sunt rebelles summi *sacerdotis imperio,* qui Deut.17. v.12. *ex sententia iudicis* morte plecti iubentur. Et iussioni obtemperarunt Elias, Iosias, Iehu, &c. 3.Reg.18.v.40. & 4.Reg.10.v.25. &c.23.v.20. Et Christus non solùm iubet tractari vt Ethnicos, Matth.18.v.17. sed insuper dicit esse *lupos rapaces,* Matth.7.v.15. & *fures ac latrones.* Ioan.10.v.8. Similia habes Actor.20.v. 29. Atqui tales omni iurè occidendi sunt, ergo.

Brent. in Proleg. sup. Martyr in Rom.13. Melanchth. in Locis, c. de magistratu. Calvin.l.4 Instit.c.11. §.15.

Neque his obstare docui illud Matth.13.v.20. *Sinite vtraque crescere.* Lucæ 9.v.55. *Nescitis cuius spiritus estis.* 1.Cor.11.19. *Oportet hæreses esse.* Ephes. 2.v.8. *Fides est donum Dei.* 1.Cor.5.v.12. *Quid mihi de ijs qui foris sunt iudicare?*

*Num.*7. A potestate PRINCIPVM & MAGISTRATVVM sæcularium EXEMPTI sunt CLERICI (etsi id negent Brentius, Petrus Martyr, Melanchthon & Caluinus;) in causis, quidem Ecclesiasticis

sticis IVRE DIVINO (nam in his regimen Ecclesiæ commissum est à Christo Apostolis eorumque successoribus, Matth.16.v.18.& c.18.v.18.)in politicis saltem IVRE CANONICO & CIVILI. Et sic faciendum dictabat IVS diuinum NATVRALE, seu rectaratio: quæ suadet, non debere pastorem subijci iudicio ouium, vel parentes rapi ad tribunal filiorum, vel iudices in causis nobilioribus, pendere à subditis quoad causas viliores. Et vilesceret alioqui status Ecclesiasticus, periret auctoritas, adimeretur libertas necessaria ad corripiendos politicos. Et nonne *vos dij estis* (inquiebat Magnus Constantinus) *à summo Deo constituti?* Psal.81.v.6. *Conueniens autem non est, vt homo iudicet deos.* Ægyptios sacerdotes exemptos fuisse à tributis, vidimus Genes.47. v.22. Et in noua lege ita fieri debere insinuat Christus Matth.17.v.25. *Ergo liberi sunt filij.*

Constant. apud Ruffinum l.10. hist.c.2.

Nec obstat, vt ibidem ostendi, quòd Christus. soluerit tributum, & quòd Apostoli id soluii iusserint ab *omni anima*, Rom.13.v.1.& 6.

*Num.*8. Sed nullus PRINCIPVM SÆCVLARIVM Christianorum (licet id valdè vrgeant penè omnes hæretici nostri.) exemptus est à potestate & legibus PRÆLATORVM ECCLESIÆ, in rebus & causis ECCLESIASTICIS. Patet ex dictis controu. 6.n.14. omnes enim sunt oues Christi, & membra Ecclesiæ, quam Christus Vicario suo totam commisit pascendam ac regendam, Ioan.vlt. v.15.

Non tamen subsunt illis in rebus & causis CIVILIBVS, vt colligitur ex Matth.22.v.21. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*: nam ibi iubet Christus, auctoritatem integram manere Cæsari Romano.

CONTROVERSIA XI.

De Statu primorum parentum, & de peccato Originali.

Pelag. apud S. Augustinum l. de hæresib. cap. 88. & epist. 106. ad Paulinum.

*Num.*1. ADAM ET EVA non sunt (vt vult Pelagius) initio conditi cum ista INFIRMITATE, IGNORANTIA, CONCVPISCENTIA & PROCLIVITATE naturæ IN MALVM, quam nunc in nobis experimur: sed plane integri, perfecti, iusti & immortales. Eccli.17.v.1. *Creauit Deus hominem, & secundùm se vestiuit eum virtute.* v.6. *Creauit illis scientiam spiritus, sensu implenit cor illorum.* Deinde Sap.1.v.13. *Deus mortem non fecit.* Sed Sap.2. v.23. *fecit Deus hominem inexterminabilem: inuidia autem diaboli mors introiit in orbem terrarum.* Idem colligunt SS. Patres ex illo Genes.1.v.26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et c.2.v.vlt. *Erant ambo nudi & non erubescebant.* & v. 17. *Quocumq; die comederis ex* ligno vetito, *morte morieris.* c.3.v.16. *In dolore paries*, &c.

*Num.*2. HÆC ORIGINALIS RECTITVDO seu integritas complectebatur

Primò, perfectam SVBIECTIONEM PARTIS INFERIORIS animæ ad superiorem, & huius ad Deum. Genes.2.v.vlt. *Non erubescebant.*

Secundò, IMMORTALITATEM & incorruptionem corporis. Ibid.v.17.& Sap.2.suprà. Rom.5. v.12. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.*

Tertiò, HABITVM GRATIÆ gratum facientis ac iustificantis, omnesque virtutes tum theologicas, tum morales infusas, quæ gratiam illam comitantur. Eccli.17.v.1. *Deus creauit de terra hominem, & secundùm se vestiuit eum virtute*, &c.

*Num.*3. Erat ergo NON CONNATVRALIS homini: neque in solo libero arbitrio sita, (vt vult Lutherus, Caluinus & reliqui Nouantes,) sed in donis planè supernaturalibus, ac proinde indebita fuit ac superaddita naturæ humanæ. Per lapsum enim non fuit homo spoliatus naturalibus, sed solis supernaturalibus perfectionibus. Genes.3.v.7. §.8. & 17. Singulis tamen Adami (si non peccasset) posteris à prima origine communicata fuissent omnia ista supernaturalia. Sed illo peccante, illis omnes excidimus, vt dixi Genes.2.v.17.& cap.3.v.7. spoliati omnibus supernaturalibus, & læsi in naturalibus, Lucæ 10.v.30.& 34. non quoad substantiam, sed quoad sola accidentia. De libero arbitrio vide controu.13.n.1.& seqq.

Luth. in c. 3. Genes. Calu. l.1. Instit.c.15.

*Num.*4. Quin imò PECCANTE ADAMO, capite & principe omnium nostrûm, eo ipso PECCAVIMVS etiam nos OMNES filij ac nepotes ipsius, quorum omnium voluntates erant in vno Adamo. Genes.2.v.17. Atque hoc est PECCATVM quod vocamus ORIGINALE, eò quòd non proprio seu personali actu, sed origine seu generatione, illud ex Adamo contrahamus, (etsi cum antiquis Carpocratianis, Pelagianis, Armenis & Albigensibus id negent nostri Anabaptistæ, Iacobus Faber Stabulensis, & Sacramentarij Zwinglius, Oecolampadius, &c.) Rom.5.v.12. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* v.19. *Per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* Iob 14.v.4. *Quis potest facere mundum de immundo cõceptum semine?* Quidni & de hoc dicamus illud Iosue 22. v.17. *Vsque in præsentem diem macula huius sceleris in nobis permanet?*

Anabaptistæ cum Petro Martyre in Rom.5. Faber Stabul. ibid.

*Num.*5. Neque ab eo immunes nascuntur etiam qui EX FIDELIBVS & pijs parentibus nascuntur (vt Caluinus, Bucerus Martyr & Beza contendunt,) nam prædictæ Scripturæ generaliter de omnibus loquuntur. Et Dauid ex pijssimis parentibus procreatus, tamen psalm.50.v.7. *In iniquitate* (sic est in Hebræo) *conceptus sum*, inquit, *& in peccato concepit me mater mea.* Et Paulus Ephes.2. v.3. *Eramus & nos natura filij iræ.* 2. Cor.5.v.14. *Omnes mortui sunt; & pro omnibus mortuus est Christus.* Alioqui cur pœna mortis plectantur filij fidelium, si non peccauerunt? quid opus fuit pro illis mori Christum?

Caluin. in Antidoto Tridentini, & l.4. Inst. c.16. Bucer. Martyr & Beza in 1. Cor.7.

Neque obstat, vt ibid. ostendi, quòd 1.Cor.7. v.14. *filij* fidelium vocentur *sancti.* & Rom.11.v. 16. *Si delibatio sancta, & massa: si radix sancta, & rami.*

*Num.*9. Cæue autem dixeris, PECCATVM ORIGINALE esse ipsos naturales nostros defectus, v.g. IGNORANTIAM in intellectu, CONCVPISCENTIAM vel PRONITATEM in malum in voluntate, (vt dicunt Spangembergius & Illyricus, qui volunt peccatum originale esse ipsam naturam seu SVBSTANTIAM hominis; vnde & *Substantiarij* vocantur: Selneccerus, Heshusius & alij, qui volunt esse accidens, *Accidentarij* inde dicti) quia hæc non sunt peccata: neque voluntaria seu in se, seu in causa. Rom.7.v.15. neque tollantur per baptismum, c.8.v.1. neque impediunt iustitiam, ibid.

*Num.*7. Sed dic, esse ipsum HABITVALE PECCATVM, seu MACVLAM peccati, quæ ex actuali inobedientia Adami, non ipsius tantùm sed & nostrûm)

strûm omnium nomine commissa, in omnibus reliqua manet, & morali æstimatione tamdiu perseuerat donec singulis remittatur. Iosue 22. v.17. *Vsque in præsentem diem macula huius sceleris in nobis permanet.* Est igitur eiusdem SPECIEI nostrum originale peccatum cum peccato Adami, scilicet inobedientiæ, seu transgressionis præcepti diuini per comestionem pomi vetiti Genes.3. v.6. & 7. CAVSA EFFICIENS vel auctor illius, Adam nomine omnium nostrûm. Rom.5.v.19. *Per vnius inobedientiam*, &c. Eius OBIECTVM materiale, *pomum* vetitum; Genes.2.v.17. CAVSA FORMALIS, inobedientia Adæ, filiorum nomine admissa, neque adhuc remissa. Rom.5. v.12. *In quo omnes peccauerunt*, &c. SVBIECTVM, voluntas vel anima cuiusque: nam singulis inest (suo modo inessendi, nempe habitualiter) suum cuique proprium peccatum. Rom.5. v.19. *Per vnius inobedientiam peccatores constituti sumus*, non denominatiuè tantùm vel extrinsecè, sed reuera, formaliter & intrinsecè. Multiplicatur enim habitualis Adæ inobedientia secundùm multitudinem filiorum ipsius. Et vnus idemque numero actus qui virtute est multiplex, potest multa habitualia entia producere numero distincta, vt videmus in consensu, & in contractu nomine plurium inito.

*Num.*8. TRADVCITVR autem in singulos PER naturalem GENERATIONEM EX ADAMO, nempe quæ fit vi seminis à parentibus præcisi. Sic enim fit quis *filius Adæ*, qui solorum filiorum nomine peccauit, vt dixi Genes. 2. v.17. Hinc Iob 14. v.4. *semen* vocatur *immundum*, non formaliter, sed causaliter, vel potiùs applicatiuè & sine quo non.

Num. 9. Vnde in CHRISTVM Dominum traduci non potuit, quia non per naturalem generationem ex Adamo, sed via planè extraordinaria per *Spiritus sancti obumbrationem* procreatus fuit, Lucæ 1v.35. vnde (2.Cor.5.v.21.) *nõ nouerat peccatum.* Virgo DEIPARA, quantû est ex vi suæ conceptionis, (quia naturalis fuit) obnoxia erat DEBITO contrahendi peccatum originale, & sic saltem in Adamo peccauit & mortua fuit: quia generaliter de omnibus filijs Adæ asseritur Rom.3.v.23. & c.5.v.12. *omnes* in Adamo *peccasse.* & 1.Cor.15. v.22. omnes *in Adamo mortuos esse*, & ideo omnes indigere redemptione & viuificatione Christi. & 2.Cor.5.v.14. *Vnus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Et Lucæ 1.v.47. ipsamet Deipara agnoscit Christum esse *salutare*, id est, saluatorem suum. Sed DE FACTO numquam obnoxia fuit ipsi PECCATO ORIGINALI, quia primo instanti temporis quo concepta est, donata fuit gratia sanctificante, quæ non compatitur secum peccatum mortale vel originale. Hinc Lucæ 1.v.28. salutatur *gratia plena, Dominus tecum, benedicta inter mulieres.* Cantic.2. v.2. *Sicut lilium inter spinas.* c. 4.v.7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* v.12. *Hortus conclusus, fons signatus.* c.6.v.9. *Quasi aurora consurgens*, nempe non obtenebrata nocte peccati. *porta clausa* Ezech. 44. vers.2. quæ diabolo numquam patuit. Prou.8.v.22. *Dominus possedit me* plena & perfecta possessione, *ab initio viarum suarum.* Psal.45.v.6. *Tabernaculum suum Altissimus sanctificauit manè diluculo.* Et nonne perpetuas *inimicitias* Genes.3.v.15. posuit Deus *inter te*, ô Satan, *& hanc mulierem*? nonne *ipsa conteret caput tuum*? Denique cùm gratia sanctificans collata fuerit primo creationis instanti omnibus angelis, Genes.1.v.2. itemque Adamo & Euæ; denegabimus hoc priuilegium matri Dei?

Obijcies: At sic non fuerit *redempta* per Christum. Resp. Fuit profectò, nempe ante lapsum, illam præseruando ne laberetur. qui modus redimendi nobilior est. Et sic Dauid psal.143.11. dicit se *redemptum de gladio maligno.* psal. 85. v.13. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, Psal.26.v. 3. *Eduxisti ab inferno animam meam*, &c. Psal.105. v. 10. cùm Pharao persequeretur Israelitas in mari rubro, *Saluauit eos* Deus *de manu odientium, & redemit eos de manu inimici*, non in quam inciderant, sed in quam incidissent nisi redempti fuissent.

Num. 10. POENA peccati originalis non est amissio liberi arbitrij (controu.13.n.3. & seqq.) & necessitas continuò peccandi (vt somniat Luherus, Caluinus & alij Sectarij;) sed PRIVATIO IVSTITIÆ & integritatis ORIGINALIS (de quan.2.) ac singularis prouidentiæ assistentiæque diuinæ felici innocentiæ statui coniunctæ: & consequenter, omnia mala quæ sublato hoc obice, ex vi & imperfectione naturæ, in humanum genus inundarunt, v.g. in anima ignorantia, infirmitas, concupiscentia, &c. in corpore morbi, mors, &c. Genes.3.v.7. & Rom.5.v.12. sup. In altera verò vita, peccatum originale, (v.g. in infantibus, qui illo in vita expediti non fuerunt,) æternùm punietur. Primò, tristi carentia non solùm societatis Sanctorum, sed & visionis ac fruitionis Dei, in qua consistit beatitudo nostra supernaturalis. Ioan.3. v.5. *Nisi quis renatus fuerit*, &c. Secundò, carentiæ etiam beatitudinis naturalis, quæ consistit in fruitione optimorum & iucundissimorum obiectorum quoad omnes animæ & corporis potentias. Neque enim infundentur à Deo ipsis irato scientiæ: sensuum verò ministerio & mutuo discursu quantillum addiscent in carcere, lucido quidem & amœno, sed tamen infernali, in quo sub potestate diaboli æternùm degent. Vel si, vt quidam volunt, in terris post diem iudicij degere permittendi sint, in statu commodiore quàm sit alicuius hominis mortalis in hac vita; non desinent tamen ex altera parte esse miseri ex viuaci sensu, cognitione & apprehensione infelicis status sui, præ illo ad quem se creatos fuisse, sed parentis culpa excidisse optimè nouerint. Tobiæ 5.v. 12. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris* naturalibus *sedeo, & lumen cæli*, seu gloriæ cælestis, *non video?*

CONTROVERSIA XII.

De peccatis Actualibus & Causa peccatorum.

*Num.*1. PECCATVM non est inanis & falsa malitiæ opinio (vt fingunt Libertini) sed est DEFICIENTIA A REGVLA MORVM, seu à lege quæ hîc & nunc obseruari debet. Iosue.7.v.11. *Peccauit Israel & preuaricatus est pactum meum.* Hanc deficientiam inseparabiliter comitantur

Primò, *dedecentia*, seu deformitas ipsius actus vel omissionis actus, maior vel minor pro ratione vel mensura deficientiæ. Hinc peccata Isaiæ 4. v.4. *sordes* vocantur, *immunditia*, Leu.15.v.51. Osee 5.v.11. &c.

Secundò, *iniuria*, offensa, contemptus *Dei*. Genes.39.v.9. *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?*

Ter-

Tertiò, in grauioribus peccatis, *auerſio* à fine vltimo ſeu *à Deo*. Iudic.10.v.10. *Peccauimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum noſtrum.*

Quartò, *conuerſio ad creaturas*. Lucæ 15.v.13. *Ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam, viuendo luxuriosè.*

Quintò, *dedecoratio creaturæ*, & agentis rationalis. Deut.32.v.5. *Peccauerunt ei, & non filij eius, in ſordibus.* Tobiæ.12.v.10. *Qui faciunt peccatum, hoſtes ſunt animæ ſuæ.*

Sextò, *ira, offenſio* & inimicitia *Dei* contra hominem, & ab illo auerſio, in grauiori delicto. Iudith 11.v.8. *Conſtat enim Deum noſtrum ſic peccatis offenſum*, &c. Iob 6.v.2. *Iram merui*, &c. Eccli.5.v.5. *In peccatores reſpicit ira illius.*

Septimò, *demeritum gloriæ* promiſſæ. Prou.14.v.34. *Iuſtitia eleuat gentem: miſeros facit populos peccatum.*

Octauò, *priuatio gratiæ & vitæ æternæ*. Prou.8.v.36. *Qui in me peccauerit, lædet animam ſuam.* Eccli.10.v.32. *Peccantem in animam ſuam quis iuſtificabit?*

Nonò, *meritum* ac reatus *pœnæ* non modò *temporalis* ſed & *æternæ*. Exodi 32.v.34. *In die vltionis viſitabo & hoc peccatum eorum.* Iudith 5.v.21. *Vſque dum non peccarent in conſpectu Dei ſui, erant cum illis bona.* c.7.v.17. *Vlciſcitur nos ſecundùm peccata noſtra.* Pſal.9. v.18. *Conuertantur peccatores in infernum.* Eccli.21.v.1. *In fine* viæ peccantium *inferi & tenebræ & pœnæ.* Rom.6.v.23. *Stipendium peccati mors.* Hebr.10.v.26. *Terribilis exſpectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt aduerſarios.*

Num. 2. NON omnia PECCATA PARIA eſſe, ſeu æqualis malitiæ, (vt dicebant Stoici, (*a*) Nouatianus, (*b*) Iouinianus, (*c*) & noſtro ſæculo Sebaſtianus Francus cum quibuſdam alijs hæreticis;) affirmat S.Ioannes 1.epiſt.c.5.v.16. quædam *peccata* ſunt *ad mortem*, quædam *non ad mortem*. Et Chriſtus Ioan.19.v.11. *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet*: & Matth.5. v.22. ſupplicia alia alijs grauiora aſſignat varijs peccatis: & c.12.v.31. *blaſphemiam in Spiritum ſanctum* dicit eſſe *irremiſſibilem, omne* aliud *peccatum* remiſſum iri. Sap. 6.v.7. *Potentes potenter tormenta patientur.*

Neque verum eſt, virtutes omnes inter ſe pares eſſe. 1.Cor.13.v.vlt. *Nunc manent fides, ſpes, charitas; maior autem horum eſt charitas.*

Quo ſenſu, *Qui in vno offendit*, omnium *ſit reus*, Iac.2.v.10. ibid.explicui.

*Num.*3. NON etiam OMNIA peccata natura ſua eſſe MORTALIA (vt docent Lutherus, Melanchthon, Magdeburgenſes, Caluinus, &c.) ſed quædam ex ſe leuia eſſe, nec mortem animæ, vel amiſſionem iuſtitiæ inducere; patet, quia etiam in eximijs iuſtis ſunt quædam peccata, ob quæ tamen non deſinunt eſſe iuſti. Prou.24.v.16. *Septies in die cadit iuſtus, & reſurgit.* Eccleſ.7.v.21. *Non eſt homo iuſtus in terra qui non peccet.* 1.Ioan.1.v.8. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.* Iac.3.v.2. *In multis offendimus omnes.*

Quo ſenſu Matth.5.v.vlt. omnes iubeantur eſſe *perfecti*: Deut.4.v.29. *ex toto corde Deum* quærere: & pſal. 14.v.2. *ingreds ſine macula*: & *qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis*, *minimum* fore *in regno cœlorum*, Matth.5.v.19. ibidem expoſui, vt & 1.Ioan.3.v.9. *Omnis qui natus eſt ex Deo peccatum non facit, & non poteſt peccare.*

*Num.*4. Porrò NON EX SOLA MISERICORDIA DEI, illa ſolùm vt leuia imputantis, leuia & venialia eſſe, ſed EX SE & ex natura ſua; (patet, quia etiam in impijs leuia reperiuntur, (quibus tamen nolunt hæretici aliter peccata imputari, quàm ſint ex ſe & natura ſua:) v.g. verba otioſa, riſus immoderatior, &c, quæ vt ex parte obiecti, fine & modo tendendi, omnibuſque circumſtantijs non grauiter offendunt Deum, ita non poſſunt dici digna odio Dei & ſupplicijs æternis. Alioqui non decerneret Chriſtus leuiores pœnas leuioribus peccatis, Matth.5.v.22. leuiter *irascenti* pœnam iudicij, dicenti verò *fatue*, pœnam gehennæ. Et nonne Scriptura paſſim comparat peccata venialia rebus natura ſua leuibus? v.g. 1.Cor.3.v.12. *ligno, fœno, ſtipulæ*. Lucæ.6.v.41. *feſtucæ*; Lucæ.7.v.41. *minuto* debito; Matth.23.v.24. *culici.*

Quid ſibi velit illud Ioan.13.v.8. *Si non lauero te, non habebis partem mecum*, ibid.expoſui.

Num. 5. Ergo NON OMNIA IMPIORVM, infidelium aut reproborum OPERA ſunt PECCATA, & quidem MORTALIA, (vt contendit Wicleff, Lutherus & Caluinus.) Neque enim ex natura rei, vt iam vidimus: neque ex imputatione Dei, quia grauiùs rem imputare quàm ex ſe mereatur, repugnat iuſtitiæ. Et nónne Lucæ 12.v.48. diſertè Chriſtus affirmat, leuiùs, vt par eſt, punitum iri cæteris paribus peccata infidelium, quàm fidelium? Nónne Paulus laudat Gentilium barbarorum *humanitatem* quam *naufragis* exhibebant, Actor.28.v.1? Et an Chriſtus improbat Ethnicorum fraternam charitatem? Matth.5.v.47.

Wicleff apud Waldenſem to. 2. de Sacrament. Luther. & Calvin. ſupra

Neque his repugnare illud Pauli Rom.14.v. vlt. *omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Hebr. 11.v.6. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Pſal.13. v.3. & Rom.3.v.12. *Omnes inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum: non eſt vſque ad vnum.* Tit.1.v. 15. *Coinquinatis & infidelibus nihil eſt mundum.* Vnde Iſaiæ 66. v.3. etiam *ſacrificium* impiorum dicitur eſſe *abominatio* coram *Deo*; vt ibidem oſtendi.

*Num.*6. NEQVE OMNIA peccata ELECTORVM, ſeu prædeſtinatorum, eſſe VENIALIA (vt ijdem volunt) ſed multa eſſe mortalia, & quidem grauiſſima; patet ex peccatis *Adami*, Geneſ.3.v.6. & 7. *Danidis* 2.Reg.12.v.7. *Magdalenæ*, Lucæ 8.v.2. *Latronis* crucifixi, Lucæ 23.v.40. *Petri*, Matth.26.v. 74. *Pauli*, Actor.9.v.1. & tot aliorum. Et an Paulus de ſolis reprobis ait 1.Cor.6.v.9. *Neque fornicarij, neque adulteri, neque fures, neque ebrioſi*, &c. *regnum Dei poſſidebunt?*

Num. 7. MOTVS CONCVPISCENTIÆ præuertentes aduertentiam rationis, conſenſumque voluntatis, fingunt ijdem hæretici eſſe propriè dicta peccata, & quidem mortalia ex natura ſua, ſed ſolis infidelibus ſeu impijs imputari vt mortalia, iuſtis verò ſeu fidelibus ſolùm vt venialia. Sed HÆC NVLLA prorſus PECCATA eſſe, ne quidem in infidelibus, conſtat ex eo quòd ſint actus purè naturales ac neceſſarij, non autem liberi vel in hominis poteſtate. Rom.7.v.16. *Quod nolo, facio: & iam non operor illud.* Atqui vt aliquid ſit peccatum, debet tale eſſe, vt homini poſſibile & liberum ſit ab eo abſtinere, vt docet S.Auguſt. Alioqui lex Dei eſſet planè impoſſibilis, cùm tamen ſit *iugum ſuaue & onus leue*, Matth.11.v.30. Nec vllus perfectè iuſtificaretur. Nec Apoſtolus dicere potuiſſet, 1.Cor. 4.v.4. *Nihil mihi conſcius ſum.* Item, *Nihil damnationis nunc eſt ijs qui ſunt in Chriſto Ieſu*, Roman. 8.v.1. Denique S.Iacobus cap.1.v.15. ſolùm dicit, *Concupiſcẽtiam parere peccatum.* Iam verò id quod gignit, diſtinguitur ab eo quod gignitur. Et nónne per

Aug. l. de Verb. ap. c.11. & l.1. de Ciuit. c. 15.

a *Cicerone teſte.*
b *Ambr. l.1. de Pœnit. c.1.*
c *Hieron. l. 2. contr. Iouinian.*
Sebaſtian. Franc. paradoxo 261.

Luth. Captiuit. Babyl. c. de baptiſmo.
Melanchth. Magdebur. Caluin. l.3. Inſtit. c.2. & 4.

Trid sess. 5. ne per baptismũ tollitur quidquid est peccatum, vt definit Tridentinum? & tamen motus concupiscentiæ manent etiam post baptismum.

Quando Paulus ad Rom. 7. v. 7. concupiscentiam vocat *peccatum*, & dicit *repugnare legi mentis*, & legi, *Non concupisces*, ac proinde se illam *odisse*. v. 15. &c. loquitur de solo materiali & impropriè dicto peccato: quod quia ex obiecto malum est, odisse debemus, (vt quæuis alia peccata proximi nostri) etsi prohibere non possimus. Porrò quòd *ex Deo non* sit, 1. Ioan. 2. vers. 16. non arguit esse peccatum, quia etiam *mortem*, & alia mala quæ peccatum Adami consecuta sunt, *Deus non fecit*, vt dixi controu. 11. num. 1.

Num. 8. Extremè verò blasphemum est, DEVM facere AVCTOREM & causam omnium PECCATORVM, (vt faciunt, si non expressis verbis, certè necessarijs argumentis, Lutherus, Caluinus, Zwinglius, Melanchthon, Beza, Libertini, & alij hæretici,) cùm hoc bonitati & perfectioni eius infinitæ sit impossibile. Habac. 1. v. 13. *Mundi sunt oculi tui, & respicere ad iniquitatem non potes.* Deut. 32. v. 4. *Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia.*

Luther. in assert. ar. 36. & l. de Seruo arbitrio. Caluin. l. 1. Instit. c. 18. & l. 3. c. 23. Zwingl. l. de Prouidentia Dei. Melanchth. in Locis, tit. de lib. arb. Beza in Aphorismis.

Neque huic repugnant, vt ibid. docui, illa Ioan. 1. v. 3. *Omnia per ipsum facta sunt.* Rom. 11. v. 36. *Ex ipso, per ipsum, & in ipso omnia.* Ephes. 1. v. 11. *Operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Prou. 16. v. 4. *Vniuersa propter semetipsum operatus est, impium quoque ad diem malum,* Amos 3. v. 6. *Si erit malum in ciuitate quod non fecerit Dominus.* Isaiæ 10. v. 15. *Sennacherib* vocatur *serra & securis in manu Dei.* Et Ierem. 51. v. 11. *Suscitauit Dominus spiritum regum Medorum,* &c.

Num. 9. Nec solùm non potest dici CAVSA PHYSICA, per se producens in nobis, seu per nos peccatum, sed neque dici potest CAVSA MORALIS, seu directa, seu indirecta, per se vel per accidens.

Nam Primò, non præcipit, non consulit, non inclinat, non prædeterminat, non impellit, non excitat vllo modo ad peccatum. Eccli. 15. v. 21. *Nemini mandauit impie agere.* Ieremiæ 19. v. 5. *Aedificauerunt excelsa Baalim, quæ non præcepi, neque locutus sum, neque ascenderunt in cor meum.* Et nonne Deus grauissimè ac seuerissimè prohibet vbique & punit peccata? Quomodo Gen. 22. v. 1. *tentarit* Abrahamum: 2. Reg. 16. v. 30. *præceperit* Semei *vt malediceret Dauid*: &c. 12. v. 11. dicat, *Ego suscitabo super te malum de domo tua*: 3. Reg. 22. v. 22. *Decipies & præualebis: egredere & fac ita*: & Iudæ proditori, Ioan. 13. v. 27. *Quod, facis fac citiùs.* Quomodo Exodi 7. 8. 9. *excæcarit & indurarit cor Pharaonis*; Rom. 1. vers. 28. tradiderit *in reprobum sensum*; Ierem. 20. v. 7. *seduxerit* Prophetam, &c. ibid. exposui.

Secundò, neque intendit, neque vult, neque apud se prædefinit aut prædecernit, vt quis faciat vllum vel minimum peccatum. Psal. 5. v. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Habacuc 1. v. 13. *Mundi sunt oculi tui,* &c. Ierem. 19. v. 5. supr. Quin è contrario, Sap. 14. v. 9. *odio sunt Deo impius & impietas eius. Neque* verò Eccli. 15. v. 12. *necessary sunt ei homines impy.*

Neque his (vt ibidem docui,) repugnant illa Genes. 45. v. 8. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Genes. 50. v. 19. *Num Dei possumus resistere voluntati?* Actor. 4. v. 27. *Conuenerunt Herodes & Pilatus cum Gentibus facere quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri.*

Tertiò, etsi verò præuideat, ex quibusdam rebus quas facit, subsecutura hominum peccata; nullo tamen modo est ideo horum causa, ne quidem indirecta vel per accidens, quia semper iustissimas habet causas faciendi omnia quæ facit, v.g. Isaiæ 13. v. 3. præcipiendi Medis & Persis, vt Babylonem inuadant: Ierem. 1. v. 15. &c. excitandi Nabuchodonosorem vt castigaret Iudæos & vicinas nationes: Ioan. 11. v. 51. suggerendi Caiphæ quòd expediret Christum mori: Ezech. 3. v. 20. ponendi *offendiculum coram peccatore:* Rom. 9. v. vlt. ponendi *in Sion lapidem offensionis,* &c.

Quartò, subtrahit quidem subinde peccatoribus multa, seu interna, seu externa, gratiæ auxilia & occasiones bene faciendi, sed numquam sic eos deserit, vt non possint, si voluerint, resistere tentationi, euitare peccata, conuerti & saluari, vt fusiùs infrà videbimus controu. 14. num. 11. & seqq. Eccli. 15. v. 11. *Ne dixeris, per Deum abest.*

Num. 10. Veram ac propriè dictam CAVSAM peccatorum, tam INTERNAM, quàm EXTERNAM suggerit nobis Deus Osee 13. v. 9. *Perditio ô Israel tua,* id est, ex te est: *tantummodo in me auxilium tuum.* & Ioan. 8. v. 44. *Vos ex patre diabolo estis:* ipse *cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater* mendacij. *Ille homicida erat ab initio.* Ille facit hominem *mutum.* Lucæ 11. vers. 14. & *cæcum,* Matth. 12. vers. 22. Iac. 1. vers. 14. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua,* quæ *cùm conceperit, parit peccatum.*

CONTROVERSIA XIII.

De libero Arbitrio hominis, & æterna Dei Præscientia, Prædefinitione, Prædestinatione ac Reprobatione.

Num. 1. LIBERVM ARBITRIVM est naturalis in homine vel angelo potentia, (nempe voluntas:) quæ, positis omnibus ad hîc & nunc agendum concurrentibus, possit priùs natura ipsa sua actione, quantum ex se est, agere & non agere. Sic Eccli. 15. v. 16. *Si volueris mandata seruare,* &c. soli voluntati tribuitur libertas, (vt & alibi semper.) Ibid. vt ostendatur v. 14. Deum *reliquisse* hominem *in manu consilij* seu arbitrij *sui,* subditur v. 16. *posse* hominem, *si velit seruare legem*; sin nolit, posse non seruare: (quæ est libertas contradictionis, seu ad contradictoria.) item v. 17. posse ex duobus contrarijs, *igne & aqua, vita & morte, bono & malo,* eligere vtrum voluerit: & hæc est libertas contrarietatis, seu ad contraria. Num. 30. v. 14. *In arbitrio viri erit, siue faciat, siue non faciat.* 2. Reg. 24. v. 12. *Trium tibi datur optio, elige vnum quod volueris,* &c.

Num. 2. Ex quibus (contra Lutherum, Caluinum & reliquos omnes Sectarios) patet, ad LIBERVM ARBITRIVM nullo modo sufficere LIBERTATEM A SERVITVTE, seu peccati, seu legis, vel A COACTIONE & violentia (quia sic etiam pecora haberent liberum arbitrium, cùm sine violentia ferantur sponte sua ad pabulum:) sed omninò requiri etiam LIBERTATEM A NECECSITATE, id est, vt voluntas à nullo absolutè præneccessitetur, sed indifferens relinquatur & ex se indeteminata, vt possit eligere contrarium, vel saltem contradictorium eius quod agit. 1. Cor. 7. v. 37. *Non necessitatem habens, sed potestatem suæ voluntatis.*

Luther. de Serno arbitrio. & in assert. ar. 36. Caluin. l. 2. Instit. c. 2.

*Num.*3. Patet item, tale LIBERVM ARBITRIVM non esse homini sublatum per Adami peccatum (vt somniant ijdem Sectarij,) sed etiam in STATV NATVRÆ LAPSÆ cum illo PERSEVERARE. Et ad hoc probandum, inquit S. Augustinus satis est, quòd constet peccatum ab hominibus: *Peccatum* enim *vsque adeò voluntarium*, (id est, liberum, vt ipsemet exponit,) *malum est, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Et hoc manifestum est adeò, vt nulla hîc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Rursum, *si non voluntate malè facimus, nemo obiurgandus est omnino, nemo monendus. Quibus sublatis*, Scriptura *omnis & lex Christiana, & disciplina religionis auferatur necesse est.* Porrò *seruos suos meliores esse Deus iudicauit si ei seruirent liberaliter. Quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate seruirent.*

Nec obstant, vt ibidem exposui, illa Prouerb. 16. v. 1. *Hominis est animam præparare, sed Domini gubernare linguam*, Ierem. 10. vers. 23. *Non est hominis via eius.* Isaiæ 26. v. 12. *Omnia opera nostra operatus es nobis.* 1. Corinth. 12. v. 6. *Omnia operatur in omnibus.*

Luth. in Visit. Saxonica. Melanchth. in Locis anno 1521.

*Num.*4. Neque solùm circa OPERA NATVRALIA (quod tandem Lutherus & Melanchthon retractantes concedunt,) sed & circa MORALIA, putà virtutes & peccata, habet homo hanc libertatem. Scripturæ enim (quin & ipsi quoque hæretici in libris & pulpitis suis) passim talia suadent, dissuadent, laudant, præcipiunt, prohibent, reprehendunt, deterrent, inuitant, &c. quæ alioqui frustra, nec nisi fictè fierent. Dicunt item, hominem posse multa facere moralia quæ non facit. Eccli. 31. v. 10. *Potuit transgredi, & non est transgressus.* Act. 5. v. 4. *Nónne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?* 3. Reg. 3. vers. 11. *Quia postulasti verbum hoc, & non diuitias*, &c. Rursum docent, per solum hominem stare quo minùs bene agat. Ierem. 32. v. 23. *Quia non obedierunt voci Domini*, &c. *omnia mala hæc euenerunt eis.* Eccli. 15. v. 17. *Appositi tibi bonum & malum*, &c. Gen. 4. v. 7. *Nónne si bene egeris, recipies? sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit. Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.*

Illud Isaiæ 41. v. 23. *Bene facite aut malè, si potestis*; non dirigitur ad homines (vt mentitur Lutherus,) sed ad idola & mortuas statuas. Istud Ioan. 15. v. 4. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso*, &c. tantùm arguit necessitatem gratiæ Christi, vt opus sit meritorium vitæ æternæ.

*Num.*5. Habet & circa OPERA SVPERNATVRALIA. Nam & talia suadent, laudant, & imperant nobis Scripturæ. Ioël. 2. v. 12. & Zach. 1. v. 3. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Isaiæ 1. v. 16. *Lauamini, mundi estote.* Ezech. 18. v. 31. *Facite vobis cor nouum & spiritum nouum.* Coloss. 3. v. 9. *Exuite veterem hominem, & induite nouum.* Dicunt, vocatos à Deo, posse venire si velint, non venire si nolint. Prouerb. 1. v. 24. *Vocaui & renuistis.* Matth. 23. v. 37. *Quoties volui congregare*, &c. *& noluisti.* Actorum 7. v. 51. *Vos semper Spiritui sancto resistitis*, &c. Licet enim *opera supernaturalia* tota sint à Deo & gratia Dei, non tamen totaliter: neque enim se solo producit illa Deus, sed vnà nobiscum, per gratiam nos suam excitans, adiuuans & roborans. Roman. 8. v. 26. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.* 1. Cor. 15. v. 10. *Abundantiùs omnibus laborauit, non ego, sed gratia Dei mecum.* Vnde 1. Cor. 3. v. 9. vocat nos *adiutores Dei.*

Neque his obstant, vt ibidem docui, Ezech. 36. v. 26. *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum: & faciam vt in præceptis meis ambuletis?* Psal. 50. v. 12. *Cor mundum crea in me Deus.* 1. Ioan. 3. v. 9. *Omnis qui natus est ex Deo, non potest peccare.*

*Num.*6. Neque LIBERTATI arbitrij humani officit (vt hæretici fingunt) absoluta DEI PRÆSCIENTIA, PRÆVISIO, PROPHETIA, seu prædictio.

Primò, quia hæc merè extrinseca est homini.

Secundò, quia ratione posterior est determinatione ipsius libera. Deut. 32. v. 19. *Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est.*

Tertiò, quia obiectiuè pendet ab effectu futuro. Vnde nihil mutat circa naturam vel conditionem, seu effectus, seu agentis liberi. Psal. 138. v. 4. *Omnes vias meas præuidisti*, &c. *mirabilis facta est scientia tua ex me*, &c.

Neque obstat, vt ibid. docui, Ioan. 12. v. 19. *Propterea non poterant credere, quia dixit Isaias: Excæcauit oculos eorum*, &c.

*Num.*7. Neque PRÆDEFINITIO Dei aut PRÆDETERMINATIO. Quia circa actiones causarum liberarum, vel nulla est prædefinitio: nam Eccli. 15. v. 14. *Reliquit*, hominem *in manu consilij sui.* Vel, si subinde circa aliqua, v. g. circa passionem & mortem Christi, Actor. 4. v. 28. *Manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri*; non tangit nisi substantiam actionum vel passionum, non verò etiam singulas circumstantias. Ioan. 10. v. 18. *Potestatem habeo ponendi animam meam*, &c.

*Num.*8. Neque PRÆDESTINATIO diuina vel REPROBATIO. Quia hæ, quatenus dicunt absolutam & efficacem destinationem nostri ad æternam gloriam, vel ad gehennam, positæ sunt in nostra singulorum potestate, cùm quoad ista à nostris meritis vel demeritis, & statu cuiusque mali bono vel malo ita dependeat, vt posterius sit (saltem ratione, & quasi causalitate obiectiua) nos ad illam sic destinari à Deo, quàm nos illam promeritos esse, &c. Matth. 25. v. 34. *Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*, quia esurienti *mihi dedistis manducare*, &c. 1. Corinth. 2. v. 9. *Præparauit Deus diligentibus se.* Etsi enim Deus pro suo solius arbitrio delegerit hunc in quo degimus mundum, & præsentem ordinem rerum quoad prima illius principia & ornamenta tam gratiæ, quàm gloriæ, statuerítque certas regulas diuinæ suæ prouidentiæ, quàs in gubernatione creaturarum toto temporis decursu, ordinariè vel extraordinariè, prout illi visum fuerit, seruaturus esset. Psalm. 113. v. 11. *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Rom. 11. v. 34. *Quis consiliarius eius fuit?* Non tamen pro suo solius arbitrio delegit & fieri voluit omnia & singula quæ in mundo à singulis longa serie fiunt: nam de multis horum testatur Ieremiæ 19. vers. 5. *Non præcepi, neque locutus sum, neque ascenderunt in cor meum.*

Neque sic ex totâ massâ hominum, seu ante (vt hæretici volunt) seu (vt quidam Catholici) post præuisum Adami peccatum, selegit pro suo solius arbitrio certum definitumque numerum personarum, quas omnes & solas, reliquis exclusis, saluare decreuerit, nullo habito respectu ad ea quæ quisque facturus esset. *Non* enim *est personarum acceptor Deus*, Actor. 10. v. 34. & Rom. 2. v. 11. Sed quantum ex se est, omnes omnino homines sincerè ac sincerè decreuit saluare; posita conditione, quòd in fine vitæ suæ reperiantur in statu gratiæ.

1.Tim.2.v.4. Deus *vult omnes homines saluos fieri.* Hinc omnibus indifferenter, nullo dempto, offert & in præmium promittit vitam æternam, omnes vocat & inuitat. Matth.11.v.28. *Venite ad me omnes,* &c. c.7.v.21.de omnibus dicit, *Qui facit voluntatem Patris mei, ipse intrabit in regnum cælorum.* cap.23.v.12. *Omnis qui se humiliat, exaltabitur.* Et cur alioqui docet omnes orare, Matth. 6.v.10. *Adueniat regnum tuum?* Cur Isaiæ 5.v.4. queritur, *Expectaui vt faceret vuas?* Cur succenset non venientibus? cur reprehendit, minatur, punit? Matth.22.v.3.& 7. Vt quid iubet Apostolus pro omnibus orari vt salui fiant? 1.Timoth. 2.v.2. *Pro regibus, pro ducibus,* &c. Et quomodo alioqui Christus erit *propitiatio pro peccatis totius mundi?* 1.Ioan.2.v.2. quomodo dederit *seipsum,* 1. Timoth.2.v.6. *redemptionem pro omnibus?* quomodo 2.Corinth.5. v.14. *mortuus pro omnibus?* qua fronte dixerit Paulus Rom.8.v.1. *Nihil nunc damnationis iis qui sunt in Christo Iesu?* si, etsi iam iusti, perpetuò tamen relinquantur in massa reproborum. Imò quomodo talibus possibilis est salus, cùm desit illis præuia Dei electio, seu voluntas illos saluandi? & an hoc non faceret Deum acceptorem personarum? Actor.10. vers.34. Rursum si à solo Dei arbitrio hæc electio penderet, quid causæ fingi poterit, cur ipse (*cuius natura bonitas, & miserationes eius super omnia opera eius,* Psalm.144.v.9.) tam paucos, & non potiùs (pari iure, pari ratione) omnes omnino tam angelos, quàm homines, sic ad gloriam selegerit? cur tam multos crearit quos absolutè nollet saluare? Denique sinceram voluntatem & ex parte Dei efficacem saluãdi omnes, certò colligimus ex eo, quòd omnibus promiscuè omnia auxilia ad salutem assequendam necessaria suo tempore procuret, vt infrà de omni hominum genere videbimus controu.14.num.11.& seq.

Obiectiones solui Lucæ 12. v.32. *Complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Matth.20. vers.23. *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Matth.24.v.24. *Ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi,* &c. Rom.8.v.29. *Quos præscinit, & prædestinauit,* &c. Rom.9.vers.18. *Cuius vult miseretur,* &c. Actor.13.v.48. *Crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam.* Ephes.1. v.4. *Elegit nos & prædestinauit secundùm propositum voluntatis suæ.* Vnde Rom.6.v.vlt. *vita æterna* vocatur *gratia Dei.*

Solùm hîc addo, ex eo quòd dicamus electionem efficacem & absolutam ad gloriam fieri ex præuisis meritis vel statu finali cuiusque, nullo modo sequi, totam prædestinationem à nobis pendere: quia prædestinatio præter efficacem & absolutam electionem ad gloriam, includit etiam præuiam hypotheticam & ex parte Dei destinationem omnium ad eamdem gloriam, item præparationem & collationem omnium mediorum necessariorum ad illam gloriam acquirendam; quæ vt gratuita sunt, ita à nostris meritis præuisis non pendent, vt mox videbimus. Ioan. 15. vers.16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos,* &c.

CONTROVERSIA XIV.

De Gratia Dei.

Num.1. GRATIA propriè dicta est DONVM SPIRITVALE, non ex ipsa natura vel naturalibus principijs profluens (vt volebat Pelagius;) sed superadditum naturæ, seu SVPERNATVRALE, à Deo immediatè collatum creaturæ rationali: Idque siue conferatur ANTE LAPSVM in peccatum, vt contigit angelis Genes.1. v.1. & Adamo & Euæ Genes.2. & humanæ naturæ Christi, quem Ioan.1.v.14. *vidimus plenum gratia & veritatis.* Siue POST LAPSVM, quæ duplici titulo *gratia* dici potest. Primò, quia indebita: Secundò, quia indignis collata, qualis est ea omnis quam nobis intuitu meritorum Christi largitur quotidie Deus, vnde & gratia Christi vocari consueuit. Rom.3.v.24. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu.*

Num.2. GRATIA, alia est GRATIS DATA tantùm, quæ primariò & principaliter confertur ad spiritualem Ecclesiæ vtilitatem, non verò in particulari ad vtilitatem eius qui illam accipit. Tales nouem recensет Apostolus 1.Cor.12.v.8.&c. Alia est gratia etiam GRATVM FACIENS hominem Deo, quæ primariò ac principaliter datur ad propriam ipsius spiritualem vtilitatem. Et hæc vel est HABITVALIS, seu permanens, v.g. fides, spes & aliæ virtutes, tam quæ præcedunt iustificationem, & inchoatè seu initialiter gratum faciunt; quàm quæ sequuntur, vt charitas, & virtutes morales, quæ vnà cum gratia iustificante infunduntur. Vel est ACTVALIS, seu transiens, nempè specialis, sed non permanens motio Dei interna ad actum vel opus bonum producendum. Ioan.15.v.5. *Sine me nihil potestis facere.*

Num.3. ACTVALIS gratia alia est EXCITANS animam ad actum pium, & vocari solet PRÆVENIENS, quia excitatio diuina prior est & præuenit operationem humanam. Apoc.3.v.20. *Ecce sto ad ostium, & pulso.* Sap.6. v.14. *Præoccupat* eos *qui se concupiscunt, vt se illis prior ostendat.* Et consistit partim in intellectus illuminatione. Ioan.1.v.9. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mũdum.* Partim in inspiratione voluntatis, seu in suaui motione, suasione, inuitatione eiusdem ad actum bonum. Cant.2.v.10. *Surge, propera amica mea, & veni,* &c. c.5.v.2. *Aperi mihi soror mea,* &c. Ioan.6. v.44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Alia est ADIVVANS siue COOPERANS, vel CONCOMITANS, quæ cõsistit partim in externa directione ac protectione Dei, qua & impedimenta remouet (dæmonem compescendo, carnis & mundi tentationes comprimendo, &c. 1.Cor. 10.v.13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Marci 1.v.25. *Obmutesce, & exi de homine.*) & varias occasiones ac motiua bonorum operum subministrari curat. Prou.9.v.9. *Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia.* Partim in interna cooperatione nobiscum, qua non solùm potentiam & vires agendi suppeditat, conseruat & confirmat, (vt Pelagius quoque concedebat,) sed insuper speciali influxu ac concursu nobiscum agendo, eumdem quem nos effectum supernaturalem nobiscum producit. *Dei enim sumus adiutores,* 1.Cor.3.v.9. *Deus incrementum dat;* v.7.& c.15.v.10. *Gratia Dei mecum.*

Num. 4. EXCITARI, TRAHI, INVITARI à Deo, NON est mihi LIBERVM: sunt enim motus à Deo solo immediatè nobis immissi, ferè vt solent turpes cogitationes & motus primò primi à dæmone vel corrupta natura in nobis excitari.

LIBERVM tamen mihi est CONSENTIRE vel NON CONSENTIRE excitanti, & trahẽtẽm, suadentem, inuitantem sequi, vel non sequi. Neque enim hæc prædeterminant aut necessitant voluntatem, sed tantùm suauiter alliciunt, & sine vi trahunt ad consentiendum vel cooperandum, sicut trahit sua quemque voluptas. Prou. 1. v. 24. *Vocaui, & renuistis.* Matth. 23. v. 37. *Quoties volui,* &c. *& noluisti?* Actor. 7. v. 51. *Semper Spiritui sancto resistitis.* Lucæ 14. v. 16. vocati *ad cœnam* quidam venerunt, quidam *noluerunt venire.*

Num. 5. ADIVVANS, CONCOMITANS & COOPERANS gratia etiam non nocet LIBERTATI nostræ, quia non se sola producit actum, sed solùm concurrit & cooperatur vnà cum nostro libero arbitrio, vt dixi controu. 13. num. 5. Neque verum est, voluntatem nostram, (vt fingit Lutherus) solùm passiuè se habere, instar luti in manu figuli: vel actiuè quidem, sed modo mortuo, (vt Caluinus,) quia 1. Corinth. 15. v. 10. dicit Paulus, se laborasse vnà cum gratia, & cap. 3. v. 9. nos *adiutores* esse *Dei.*

Luther. in ep. ad Gal. &c. Caluin. l. 2. Instit. c. 3. §. 10.

Obiectiones solui Rom. 9. v. 16. *Non* est *volentis, neque currentis.* Sapient. 4. v. 11. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum.* Rom. 11. v. 33. *O altitudo sapientiæ,* &c. & alia quæ controu. 13. num. 5. proposui.

Num. 6. Per peccatum non ita læsa vel debilitata est humana natura, vt (quod somniat Lutherus, Melanchthon, Kemnitius, &c.) citra specialem gratiam Christi suis solius viribus naturalibus NIHIL omnino BONI possit, seu NOSSE, seu AGERE. Nam experientia docet, etiã INFIDELES & ETHNICOS solo lumine naturali multa naturalia & moralia nosse, etiam (contra Caluinum & quosdam alios Sectarios,) (a) Deum esse, & esse vnum, esse infinitè perfectum, immensum, æternum, omniscium, omnipotentem, &c. esse colendum, amandum, sequendum, &c. multa item opera naturalia & moralia, prout decet, solis naturæ viribus exercere; cùm praxis proportionetur cognitioni. Roman. 2. v. 14. *Gentes naturaliter quæ legis sunt faciũt.* c. 1. v. 21. *Cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerũt.* Exodi 1. v. 21. obstetricibus Ægyptijs, *quia timuerũt Deum, ædificauit domos.* Ezech. 29. v. 18. exercitibus Nabuchodonosoris, propter Tyrũ iusto bello euersam, præmia decernuntur à Deo. Matth. 5. v. 46. diligere eos qui nos diligunt, dicit, pronum & connaturale esse homini, & etiam publicanos atque Ethnicos id facere.

Luth. assert. 6. & 36. Melanchth. in Locis, & Apologia. Kemnit. in Exam. Trid. Caluin. in Antidoto Trid.

(a) *Supr. controu. 1. n. 1.*

Num. 7. Ex quibus (contra eosdem hæreticos) colligo, POSSE hominem solis NATVRÆ viribus implere SINGVLA seorsim PRÆCEPTA naturalia & moralia, saltem faciliora, & quando non pulsatur grauiore aliqua tentatione. Posse etiam vno alteróve actu AMORIS NATVRALIS Deum vt auctorem naturæ DILIGERE SVPER OMNIA. Hæc enim omnia requiruntur, vt *Deus* prout par est *glorificetur.* quod Rom. 1. v. 21. etiam à Gentibus gratia Christi destitutis exigit S. Paulus. Colligo Secundò, falsissimum esse, quod ijdem hæretici contendunt, omnia hominum opera, seu fidelium, seu infidelium, esse peccata. de quo sup. controu. 12. num. 5.

Num. 8. Sed nemo sine GRATIA (quod volebat Pelagius) solis naturæ viribus potest longo tempore OMNIA PRÆCEPTA naturalia & moralia IMPLERE, quasuis tentationes constanter superare, omnia peccata deuitare, &c. idque propter innatam libero arbitrio mutabilitatem, instabilitatem, & quasi impotentiam (ferè qualis est in alea,) semper eodem modo agendi. Thren. 1. vers. 8. *Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est.* Et Rom. 8. v. 3. dicuntur hæc impossibilia fuisse legi Mosaicæ. & 1. Corinth. 10. v. 13. Christianis speciatim promittitur, Deum non permissurum eos tentari supra id quod possunt: quo insinuatur id aliorum respectu subinde permitti.

Num. 9. NEMO etiam SOLIS NATVRÆ VIRIBVS (quod volebant Pelagiani & Massilienses) potest quidquam circa SVPERNATVRALIA seu credenda, seu agenda. Ioan. 15. vers. 5. *Sine me nihil potestis facere.* Sunt enim altioris ordinis, nec proportionata naturæ. Vnde etiam factâ sufficienti propositione mysterij supernaturalis, & positis sufficientibus signis, miraculis, indicijs & argumentis quibus probetur illud posse & debere meritò credi; non potest voluntas (vt putauit Arminius; & Caluinus falsò impingit Doctoribus Scholasticis) sine alia speciali gratia Dei imperare intellectui vt fide Christiana mysterio illi assentiatur, seque *captiuet in obsequium* fidei, 2. Corinth. 10. v. 5. Patet, Ioan. 6. v. 29. non hominis, sed *Dei opus hoc est, vt credatis.* v. 66. *Nemo potest venire ad me,* (etiam primo initio seu accessu fidei) *nisi datum ei fuerit à Patre.* v. 44. *Nisi Pater meus traxerit eum.* Matth. 11. v. 27. *Nemo nouit Patrem, aut Filium, nisi cui voluerit Filius reuelare.* Ephes. 2. v. 8. *Fides donum Dei est.* 2. Corinth. 3. vers. 5. *Non quòd simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* 1. Corinth. 12. v. 3. *Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.*

Armin. in thesib. Caluin. l. 2. Instit. c. 2.

Ex quibus patet, longè minùs posse sine speciali gratia obtineri aliquid eorum quæ nobiliora sunt fide, v. g. spem, charitatem, actus meritorios, vel his proportionata initia, desideria vel prævias dispositiones.

Quomodo hæretici, Mahometani & dæmones credant & contremiscant, dixi Iac. 2. v. 19.

Num. 10. Nolim tamen negare (quod negant Lutherus & Caluinus) posse hominem SOLIS NATVRÆ VIRIBVS, aliquo modo sed impropriè dicto, SE DISPONERE ad gratiam prævenientem obtinendam à Deo. Si enim viribus naturæ fecerit aliquanto tempore quod in se est, Deus infallibiliter gratiam illam ipsi conferet. Si enim *illuminat omnem hominem* Ioan. 1. vers. 9. quantò magis eum qui facit quidquid in se est? Et quid amplius potest homo? Hinc Daniel cap. 4. v. 24. Nabuchodonosori suadet, *Peccata tua eleëmosynis redime.* Tob. 4. v. 11. *Eleëmosyna non patietur animam ire in tenebras.* & c. 12. v. 9. *Eleëmosyna a morte liberat, purgat peccata,* &c.

Luth. art. 36. Caluin. sup. c. 3.

Et verò multis alioquin impossibilis esset salus: & per Deum abesset, Eccli. 15. v. 11. quo minùs tales conuerterentur & saluarentur.

Sed hæc DISPOSITIO non est (vt Massilienses volebant) per se, propriè dicta, propinqua, & ex natura sua proportionata, vel ex se impetratoria aut meritoria gratiæ, ne de congruo quidem: sed solùm est PER ACCIDENS, impropriè dicta, impropor-

proportionata ac remota dispositio, & planè inferioris ordinis, cui non ex rei natura vel exigentia, sed ex mera Dei liberalitate, intuitu solorum meritorum Christi beneficium istud confertur. Lucæ 14.v.21. *Exi citò in plateas & vicos, & pauperes ac debiles & claudos & cæcos introduc huc.*

*Num.*11. Vnde concludo NVLLI prorsus adulto, etsi necdum fideli, DEESSE ex parte Dei AVXILIA GRATIÆ necessaria & sufficientia ad conuersionem & salutem. Nam talis faciens quod in se est, sensim à Deo iuuabitur, partim internis, partim externis auxilijs, vt ad fidem & iustitiam deueniat, vt docet S. Thomas. Exemplo sit *eunuchus Reginæ Candacis* Actor.8.v.27. *Cornelius centurio* c.10.v.1. & seniculus ille cuius mentio fit in gestis Iosephi Anchietæ Societatis Iesu in Brasilia. Et ideo Rom.1.v.20. dicit meritò S. Paulus, *Gentes inexcusabiles* esse, &c. *Quid* enim, Isaiæ 5.v.4. *vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci?* Matth.23.v.37. *Quoties volui*, &c. *& noluisti?*

S.Tho.v.14. de Veritate, art.11.ad 1.

*Num.*12. Etiam maximis PECCATORIBVS, IMPOENITENTIBVS, EXCÆCATIS & INDVRATIS, non desunt hæc auxilia durante hac vita. Rom. 2.v.4. *An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam*, quantum ex se est *te adducit? Tu verò secundùm duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram & indignationem.* Vnde & Pharao, Exodi 9.v.27. cap.10.v.16. apertè fatetur, se *peccasse* obdurando cor suum: & ideo etiam meritò punitur.

Quomodo Deus dicatur obdurare, ibid. exposui: vt & Eccles.7.v.14. quo sensu *nemo possit corrigere quem Deus despexit.*

*Num.*13. Sed neque de INFANTIBVS in vtero, vel AMENTIBVS in peccato mortali morientibus dici potest, *per Deum abesse* Eccli.15.v.11. quominùs iustificari & saluari possint: quia non per Deũ, (qui, quantum ex se est, non minùs hos, quàm reliquos *omnes homines vult saluos fieri*, 1.ad Tim.2. v.4.) sed per causas secundas stat, quòd ad requisitum statum in quo necessaria remedia ipsis applicari possint, non perueniant: & iustissimas rationes habet Deus cur illas causas secundas non impediat. Matth.20.v.15. *Aut non licet mihi, quod volo, facere?*

*Num.*14. Conuersus ad fidem, sed ob aliquod peccatum mortale cui inhæret, destitutus charitate & gratia iustificante, potest (etiam sine noua gratia præueniẽte) VI solius FIDEI & SPEI, multa BONA OPERA, non solùm MORALIA, sed & SVPERNATVRALIA exercere: cùm habitus FIDEI & SPEI ex se sint operatiui. Potest ergo vel metu gehennæ, vel fœditate peccati, vel bonitate Dei excitari ad attritionem, & dilectionem Dei, quidni & ad contritionem? Lucæ 15.v.18. *Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam, Pater peccaui*, &c. Potest enim Christianus, quantiscumque peccatis obnoxius, resurgere à peccatis quotiescumque vult, vt Tridentinum definit.

Trid.sess.6. cap.14. & can.29.

*Num.*15. Sed talis, si diu maneat in statu peccati mortalis, NON potest longo tempore OMNIA PRÆCEPTA implere, omnia noua peccata mortalia vitare, vel quasuis tentationes constanter superare, vt idem Tridentinum definit. Causa est instabilitas humana, de qua supr.num. 8. hæc enim citra copiosa gratiarum auxilia, (quæ filiorum sunt, non hostium Dei, Matth. 15.v.26.) facilè præcipitabit peccatorem in noua peccata.

Trid. sup. c.2.& 22.

*Num.*16. Potest hæc OMNIA qui est in statu gratiæ, atque ita perseuerare etiam potest vsque ad vitæ suæ finem, vt idem Tridentinum definit. Sic Zacharias & Elisabeth Lucæ 1.v.6. *erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.* Iob 1. vers. 8. *vir rectus & recedens à malo.* cap.29. v.6. *Non me reprehendit cor meum in omni vita mea.* Et Lucæ 17.v.10. *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis*, &c. *dicite, Quod debuimus facere fecimus.* Matth.19.v.17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

Trid. sup. c.11.& 18.

*Num.*17. Licet enim hæc longo tempore non possit continuare iustus sine nouo subinde, AVXILIO SPECIALIS GRATIÆ, (nam etiam in iusto manent infirmitas, ignorantia, concupiscentia, & alia vulnera animæ, Rom.7.v.15.) hoc tamen auxilium, (quia ex ordinatione Dei debetur iustis, vtpote amicis & filijs Dei, Lucæ 15.v.31. *Omnia mea, tua sunt,*) NVNQVAM petentibus DENEGABITVR. *Petite*, Matth.7.vers.7. *& dabitur vobis.* Sicut denegatur peccatoribus, nisi conuertantur; *Scimus enim*, Ioan.9.v.31. *quia peccatores Deus non exaudit.*

*Num.*18. Vt quis OMNIA peccata VENIALIA longo tempore vitare possit, NVLLI, quantumcumque iusto, in hac vita concessum (vt vidimus controu.12.num.3.) præterquam B. Virgini *Deiparæ*, vti de ea tenet Ecclesia, inquit Tridentinum, & colligitur ex Scripturis suprà citatis controu.11. num.9.

Trid. sess.6. c.11.& can. 23.

CONTROVERSIA XV.

De Iustificatione.

*Num.*1. NOmen IVSTIFICATIONIS in Sacra Scriptura aliquando significat solam externam declarationem seu imputationem iustitiæ, vt Prouerb.17. v.15. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, vterque abominabilis est apud Deum.* Lucæ 7.v.35. *Iustificata est sapientia ab omnibus filijs suis.* Sed hoc non est perpetuum, (vt volunt nostri hæretici:) nam sæpè significat veram productionem, acquisitionem vel augmentum iustitiæ. vt Rom. 4. v.5. *Credenti in eum qui iustificat impium.* Isaiæ 53.v.11. *In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.* Dan.12.v.3. *Qui ad iustitiam erudiunt*, (Hebraicè qui iustificant) *multos*, &c. Eccli.18.v.22. *Non verearis vsque ad mortem iustificari.* Apoc.22.v.11. *Qui iustus est, iustificetur adhuc.*

Num. 2. Neque CAVSA FORMALIS iustificationis nostræ est aliquid nobis extrinsecum (vt ijdem contendunt,) sed est DONVM REALE nobis INTRINSECE inhærens. Rom.3. v.24. *Iustificati gratis per gratiam* Dei, *per redemptionem* Christi. Ad Titum 3. v.5. per *Spiritum sanctum in nos* effusum *iustificati* dicimur *gratia* Christi, imò *renouati & regenerati.* Rom.8.v.11. *Spiritus sanctus habitat in vobis*, &c. & Ephes.5.v.14. dicimur fieri noua *creatura.* c.4.24. *induere nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia & sanctitate.* Atqui renouatio, regeneratio, &c. inducunt realem effectum formaliter inexistentem. Ibid. v.7. *cuique* nostrûm *datur gratia secundùm mensuram donationis Christi.* Roman.5. vers.5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui*

datus est nobis. v.15. vocatur *Gratia Dei & donum.* v. 17. *Abundantia gratiæ & donationis.* v.19. *Sicut per inobedientiam* Adami *peccatores constituti sunt multi* (vtique peccato & iniustitia verè ac reipsa animæ inexistente, vt ipsimet hæretici fatentur,) *ita per* Christi *obedientiam iusti constituentur multi*, iustitiâ verè ac reipsa inhærente. Matth.5.v.16. *iustitia* nostra comparatur *luci.* 2.Cor.1.v.22. *pignori* ac *sigillo.* 1.Ioan.2.vers.27. *unctioni.* c.3.v.9. *semini*, &c. Ioan.4.v.14. *aqua viua salienti in vitam æternam.* Rom.8,v.10. *Spiritus vivit propter iustificationem.* Atqui *vita* est nobis maximè intima, *semen, sigillum, unctio* sunt in ipso *agro, cera, uncto.*

*Num.*3. Hinc sequitur, CAVSAM FORMALEM nostræ iustificationis, seu TOTALEM, seu PARTIALEM, non posse dici solum extrinsecum FAVOREM DEI, seu NON-IMPVTATIONEM peccatorum, etsi (vt ijdem omnes fingunt,) hæc reuera in nobis permaneant non deleta non remissa, sed tantùm tecta pallio iustitiæ Christi. Nam præter iam dicta constat iustos non solùm æstimari, sed reuera etiam *esse rectos corde*, Psal.7.v.11. & *sanos* Marci 2.v.17. & Ioan.7.v.23. Constat, nos à peccatis *ablui*, 1.Cor.6.v.11. *mundari. dealbari, cor mundum* creari, *spiritum rectum innouari in visceribus*, Psal.50.v.9. & 12. *sanctitate veritatis*, Ephes.4.v. 24. toti pulchri esse, Cant.4.v.7. *deponere veterem hominem, induere nouum*, transferri *de morte ad vitam*, &c. Ephes.4.v.22. & 1.Ioan.3.v.14. Et quomodo possibile est, Deum aliter iudicare vel æstimare, quàm res in se ipsa verè & à parte rei est? Nónne impossibile est falli aut mentiri Deum? Hebr.6.v.18.

Dices, Psal.31.v.1. *Beati quorum tecta sunt peccata. Beatus cui non imputauit Dominus peccatum.* Psal.142.v.2. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Sed hæc ibidem expositi.

Num. 4. Neque etiam solam REMISSIONEM PECCATORVM, (quam videtur Caluinus subinde admittere.) Quia IVSTIFICATIO non solum tollit materiam odij (sic enim essemus omnes æqualiter iusti, infrà num.21.) sed etiam formaliter facit nos amicos, *domesticos* (Ephes.2.v.19.) & *filios Dei*, *hæredes* regni cælestis, (Rom.8. v.17.) imò *consortes diuinæ naturæ*, 2.Petri 1.v.4. Quæ omnia per solam remissionem peccatorum non possunt formaliter causari.

*Caluin. l.*3, *Instit.c.*11.

*Num.*5. Neque IVSTITIAM CHRISTI, seu actualem, seu habitualem, NOBIS gratuitò IMPVTATAM à Deo, & æstimatam quasi nostram, nos FORMALITER iustificare, (vt ijdem hæretici contendunt) patet: quia hæc & extrinseca nobis est, & (vt est vnica atque indiuisa,) esset æqualis in omnibus: faceretq; omnes æquè iustos atque est Christus. Et hæc non fuit saltem angelis imputata: per quid ergo illi iustificantur?

Illud 1.Corinth.1.v.30. *Christus factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio*; ibid. explicui.

*Num.*6. Multò minùs ipsa ESSENTIALIS Dei IVSTITIA, seu ipse Deus in nobis inhabitans, est per se CAVSA FORMALIS iustificationis nostræ, (vt somniat Lucas Osiander.) Nam præter iam dicta omnia, inde sequeretur, etiam peccatores, etiam dæmones, etiam lapides esse iustos, imò æquè iustos atque est Deus: quia essentialis iustitia Dei cùm sit vnica & indiuisibilis, habitat per essentiam & præsentiam suam æqualiter in omnibus creaturis. Psal.138. vers.8. *Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.*

Osiander ep. ad Melāchthonem.

*Num.*7. Neque SOLA FIDES (vt vult Lutherus & Melanchthon) cum IMPVTATIONE IVSTITIÆ CHRISTI. Nam Apostolus ad Galat.5. v.5. solam *spem* iustitiæ dicit ex *fide* exspectari, & v.6. *fidem per dilectionem operari.* & 1.Cor.13.v.1. *Si habuero omnem fidem*, &c. *charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* & Iacobus c.2.v.20. *Fides sine operibus mortua est.* Et nónne iustitia facit nos implere totam Dei legem? controu.14.nu.16. Atqui *plenitudo legis* Rom.13.v.10. non *est* fides (quæ consistere potest cum peccato mortali & iniustitia, 1. Cor.13. v.1.) sed *dilectio?* Rursus, nónne *iustitia* nos facit *conformes imagini Filij Dei?* Rom.8.v. 29. nónne per *iustitiam* gerimus *imaginem Christi?* 1.Cor.15.v.49. nónne *iustitia manet in sæculum sæculi?* Psal.111. v.3. Atqui fides in Christo nulla fuit. Ioan.3.v.11. *Quod vidimus, testamur:* & fides *euacuatur* cum morte, 1.Cor.13.v.10. *Luther. ad Galat.*2. *Melanchth. in Confess. August. art.* 4. & 20.

Quando fides ad Galat. 3. v.11. & Habacuc 2. vers.4. dicitur iustificare, accipitur non sola, sed prout coniuncta est charitati. Sic Ioan.3.v.15. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* Lucæ 8. v. 50. *Crede tantùm, & salua erit*, sed sanitate corporali.

Num. 8. Sed FORMALITER IVSTIFICAMVR per infusam animæ GRATIAM HABITVALEM, quæ est spiritualis lux ac splendor, fugans omnes peccatorum tenebras, & nos Dei filios atque hæredes regni cælestis constituens, & habiles ad omnia pietatis officia reddens, & ad esse quoddam diuinum, imò ad consortium diuinæ naturæ nos euehens, 2.Petr.1.v.4. (suprà num.4.) Hæc comites semper habet tres virtutes theologicas, FIDEM, SPEM, CHARITATEM, (vt vidimus num.7.) & insuper septem DONA SPIRITVS SANCTI, Isa. 11. v.2. & quatuor VIRTVTES CARDINALES & alias MORALES INFVSAS, quæ ideò subinde dicuntur nos iustificare, scilicet concomitanter, v.g. Habacuc 2.v.4. *Iustus ex fide vivit.* Rom.8.v.24. *Spe salui facti sumus.* Tobiæ 12.v.9. *Eleëmosyna à morte liberat.*

*Num.*9. Ad hanc acquirendam necessaria DISPOSITIO præuia in adultis est sine dubio FIDES. Hebr.11. v.6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Ioan.8.v.24. *Si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Sed SOLA non sufficit, (vt vult Lutherus, Caluinus & alij Sectarij:) nam requiritur insuper TIMOR diuinæ iustitiæ. Psal. 110. v.10. *Initium sapientiæ timor Domini.* Eccli.1. v.28. *Qui sine timore est, non poterit iustificari.* Tertiò, SPES veniæ, Rom.8.v.24. *Spe salui facti sumus.* Quartò, DILECTIO Dei, saltem quâ incipiat Deum vt fontem misericordiæ diligere, etsi necdum super omnia. Ioan.14. v.23. *Qui diligit me*, &c. Quintò, POENITENTIA, id est, dolor & detestatio peccatorum, vt sunt offensa Dei. Lucæ 13. v.3. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Sextò, PROPOSITVM suscipiendi Sacramenti BAPTISMI, si qui necdum baptizati sint (Ioan.3.v.3. *Nisi quis renatus fuerit*, &c.) vel Sacramenti POENITENTIÆ, Ioan.20.v.23. *Quorum remiseritis peccata*, &c. Septimò, PROPOSITVM INCHOANDI NOVAM VITAM, seu non ampliùs peccandi, & mandata Dei complendi. Ezech.18.v.31. *Facite vobis cor nouum*, &c. Accedunt & omnis generis bona opera, *ieiunium, oratio, eleëmosyna*, de quibus controu.17.

*Num.*10.

*Num.*10. Sed hæ DISPOSITIONES non semper actu explicito distinguuntur, sed subinde aliæ in alijs EMINENTER vel VIRTVTE continentur. Roman.13.vers.8. *Qui diligit proximum, legem implenit.* Nec omnes necessariæ sunt nisi ijs qui aliquod peccatum mortale commiserunt: nam qui solò originali peccato infectus esset, etsi adultus, non egeret POENITENTIA, sed huic sufficeret BAPTISMVS vel votum baptismi. Quum enim propria voluntate non se auerterit à Deo, non debet etiam actu proprio illam voluntatem retractare.

In INFANTIBVS autem, cùm vsu rationis careant, nullus actus proprius, seu fidei (qualem illis dum baptizantur, instillari somniant Lutherus, Caluinus & quidam alij Nouantes,) seu alius prærequiritur, sed sufficit ipsis nudus baptismus, quo renascuntur & sanctificantur, Ioan.3.v.3.

Obiectiones. Marci vlt.v.16. *Qui non crediderit condemnabitur.* & Hebr.11.v.6. *Accedentem ad Deum oportet credere,* &c. sermo est de solis adultis, vt docent adiuncta.

*Num.*11. Non QVACVMQVE quis VVLT (vt somniant Politici ac Libertini,) sed vnica FIDE IN CHRISTVM posse iustitiam & salutem acquiri, docet S. Paulus Ephes.4.v.5. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* & S. Petrus Actor. 4.v. 12. *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salnos fieri.* Sed nec sufficere (vt ijdem contendunt,) quòd quis credat in CHRISTVM, eumque pro peccatis nostris MORTVVM esse: sed insuper credenda reliqua omnia quæ Christus in salutem nostram instituit, & per Ecclesiam credenda proponit; patet

Primò, quia obiectum fidei est aggregatio omnium reuelatorum à Deo, Hebr.11.v.1. Vnde si vel vnum credere detrectes, æquè iniurius es in *primam & summam veritatem*, atque si centum. Sicut Iac.2.v.10. *Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus* Iniurius es etiam in *Christum*, qui nobis datus est à Patre non solùm redemptor, sed & *doctor* & *legislator* & *princeps*. Matth.17.v.5. *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.* Isaiæ 33.v.22. *Dominus iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse saluabit nos.* Iniurius denique es in *Ecclesiam Dei, columnam & firmamentum veritatis*, 1.Tim.v.15. & sponsam Christi.

Secundò, quia saltem media ad salutem necessaria, debent cognosci omnia & credi. v.g. Sacramenta *Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ*, &c. Debet ab ouiculis cognosci & agnosci Pastor ouilis Christi, eiusque Vicarius in terris. Ioan.10.v.14. *Cognoscunt me mea* oues. & cap.21.v.15. & 17. *dicit Simoni Petro*, ciusque successori, *Pasce oues meas, pasce agnos meos.*

Tertiò, quia veritas non potest esse nisi vna, sicut magister veritatis *Spiritus sanctus* (Ioan.16.v.13. *Ille docebit vos omnem veritatem,*) non est nisi vnus. Et quomodò essent alioquin hæreses in Ecclesia Christi? iuxta illud 2.Cor.11.v.19. *Nam oportet & hæreses esse.* Si enim libera sunt omnia, non est cur quis hæreseos accusetur. Quo iure S. Paulus 1.Tim. 4. v.3. hæresis accusat eos qui *prohibent nubere*, vel iubent *à* certis *cibis*, quasi immundis *abstinere*? Cur 2.Tim.2.v.17. *Hymenæum & Philetum* damnat non aliam ob causam, quàm quòd dicerent, *resurrectionem esse iam factam*? Cur 1.Ioan 4.v.3. qui diuplicem in Christo personam fingit, *Antichristus* vocatur, si non aliud credendum, quàm *Christum* pro nobis *mortuum* fuisse?

Obiectiones solui Rom.10.v.11. *Omnis qui credit in illum, non confundetur.* & Hebr.11.vers.6. *Credere oportet, quia Deus est, & remunerator sit.*

*Num.*12. FIDES porrò quæ ad adultos peccatores iustificandos prærequiritur, non est illa (quam hæretici volunt) specialis fiducia & infallibilis persuasio, qua credam mihi in particulari certo certiùs peccata remitti, meque iustificari à Deo, & ad æternam gloriam destinari, (quia talis persuasio nusquam exigitur in Scripturis aut Symbolis, sed improbatur. Lucæ 18. v.11. *Deus gratias tibi ago quod non sum sicut ceteri hominum*, &c. Imò citra reuelationem specialem est prorsus impossibilis, num.13. seq.) Sed est ASSENSVS, certus quidem & FIRMVS, tamen OBSCVRVS, quo omnibus à Deo reuelatis assentior propter eius infallibilem auctoritatem. Rom.10.v.8. *Hoc est verbum fidei quod predicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris quòd Deus eum suscitauit à mortuis, saluus eris.* Similia habes 1.Cor.15. v.3. & Hebr.11. v.6. *Accedentem ad Deum credere oportet, quia est*, &c.

*Num.*13. Non debere autem, imò nec posse, nos in hac vita citrà specialem reuelationem, (quæ rarissimè obtingit,) CREDERE fide diuina NOS ESSE IVSTOS; patet Eccles.9.v.1. *Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo vtrùm odio vel amore dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta.* v.12. *Nescit homo finem suum.* Eccli.11.v.29. *In fine hominis denudatio operum eius.* Iob 9.v.28. *Verebar omnia opera mea.* Et *si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Psal.18.v. 13. *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me*, &c. Et Paulus 1.Corinth.4. v.4. *Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum.* 1. Corinth. 9.v.27. *Castigo corpus meum.* &c. *ne forte cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Quando alicui obtingeret specialis reuelatio præsentis iustitiæ, teneretur fide diuina CREDERE se iustum esse pro illo tempore. v.g. *Moyses* Exodi 33.v.12. *Inuenisti gratiam coram me.* B. *Virgo* Lucæ 1.v.28. *Aue gratia plena, Dominus tecum*, &c. *Magdalena* Lucæ 7.v. 48. & *Paralyticus* Matth. 9. v.2. *Remittuntur tibi peccata tua. Zacheus* Lucæ 19.v.9. *Ipse est filius Abrahæ. Latro* Lucæ 23.v.43. *Hodie mecum eris*, &c.

*Num.*14. Sed neque CERTITVDINE FIDEI HVMANÆ moraliter INFALLIBILI potest quis de iustitia sua CERTVS esse citra speeialem reuelationem. Quia etiam talem certitudinem negat Scripturæ n.13. citatæ. Et aliæ monent ne simus nimis securi Eccli.5.v.5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Prou.18.v.14. *Beatus qui semper est pauidus.* Psal.2.v.11. *Seruite Domino in timore*, &c. Pilipp.2. v.12. *Cum metu & tremore*, &c. Isaiæ 55.v.8. *Neque enim vie vestre, vie mee, dicit Dominus*, &c.

Obiectiones solui 1.Ioan.3.v.14. *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* & 1.Ioan.4.v.13. *Quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* & c.5 v.10. *Qui credit in Filium, habet testimonium Dei in se.*

*Num.*15. Potest tamen quis ex varijs signis & coniecturis CERTVS reddi CERTITVDINE HVMANA, FALLIBILI quidem, sed quæ tollat anxietatem & actualem formidinem de opposito. Sic Paulus Rom.8. v.38. *Certus sum quia neque mors, neque vita,*

que vita, &c. *poterit nos separare à charitate.* v.16. *Ipse Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quòd sumus filij Dei.*

Eiusmodi signa sunt: Primum, si Deo diuinisq; rebus valdè delectemur. Secundum, si ex animo mundum & mundana omnia contemnamus. Talibus enim *centuplum* promissum Matth.19.v.29. Tertium, si multo tempore careamus remorsu & conscientia peccati mortalis, iuxta dicta controu.14.n.15. *Gloria nostra hac est, testimonium conscientiæ nostræ*, 2.Cor.1.v.12. Quartum, si sincerè diligimus inimicos. Roman.15.v.8. *Quid diligit, legem implenit.* Quintum, si feruenter diligimus Deum & Christum. Ioan. 14.v.23. *Si quis diligit me*, &c.

Num. 16. Quòd si non alia ratione certi esse possumus de præsenti nostra iustitia, (sed neque de fide aut spe, quòd sit supernaturalis, & qualis oportet, eò quòd res sint planè supernaturales, ac proinde non cadant sub sensum vel intellectum naturalem, sed sola reuelatione possint infallibiliter nobis innotescere. Rom.8.v.28. *Quid oremus, sicut oportet, nescimus:*) quomodo possibile erit (quod necessarium esse volunt hæretici) fide diuina credere NOS CERTO PRÆDESTINATOS & absolutè saluandos esse, & perseueraturos in iustitia? An ita credebat Paulus cùm diceret 1. Cor.9. v.27. *Castigo corpus meum*, &c. *ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.*

Num. 17. Nam veram IVSTITIAM semel obtentam, NON POSSE VLLO peccato rursus AMITTI (vt docuit olim Iouinianus, Manichæi, Pelagiani, Wicleff & Hus, & iam omnes Caluinistæ,) refellitur Ezech.18.v.24. *Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in illa.* 2.Petri 2.v.vlt. *canes reuersi ad vomitum suum.* Et an angeli, Adamus, Saul, Dauid, Petrus & tot alij per peccatum suum non exciderunt iustitia sua; Lucæ 8. v.13. *Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* 1.Cor.10.v.12. *Qui existimat se stare, videat ne cadat.* Rom.11.v.20. *Tu fide stas, time,* Matth.12. v.44. *Reuertar* (inquit diabolus) *in domum meam vnde exiui.*

S. Hieron. l. 2. contra Iouinianum.

Obiectiones solui 1.Ioan.3.v.9. *Omnis qui natus est ex Deo, non potest peccare.* Rom.8.v.28. *Nulla creatura poterit nos separare à charitate.* Cant.8.v.7. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*, &c. 1.Cor.13. v.8. *Charitas numquam excidit.* Ioan.4.v.14. *Saliet in vitam æternam.*

Num. 18. Neque solo ACTV INFIDELITATIS (vt volunt Lutherani,) sed quouis PECCATO MORTALI deperdi IVSTITIAM, patet ex ijsdem Scripturis & exemplis. Neque verò solis infidelibus, sed etiam adulteris, fornicarijs, ebriosis, furibus, &c. occludendum cœlum prædicit S. Paulus 1.Cor.6.v.9. & Scriptura passim alibi.

Num. 19. Veram autem FIDEM (contrà quàm omnes hæretici nostri censent) posse reipsa à CHARITATE ceterisque virtutibus separatam existere; patet Ioan.12.v.42. *Multi ex principibus crediderunt in eum, sed non confitebantur: dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei.* 1.Cor.13.v.1. *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Iac.2.v.14. *Quid proderit, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides saluare illum.*

Obiectiones solui ibid. v.17. vbi *fides* talis vocatur *mortua.* v.19. comparatur *fidei dæmonum.* & 1.Ioan.2.v.4. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, hic mendax est.* 1.Timot.5.v.8. *Qui suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.*

Num. 20. Ex dictis à n.11. hucusque patet, falsum esse Lutheranorum & Caluinistarum vulgatum dogma, veram IVSTITIAM & FIDEM non nisi in PRÆDESTINATIS reperiri: & PRÆDESTINATIONEM quoad rem idem prorsus esse cum IVSTIFICATIONE.

Num. 21. Quotquot iusti sunt, NON OMNES ÆQVE IVSTOS esse (vt cum Iouiniano alijsque antiquis hæreticis Lutherani iam contendunt,) colligitur ex Iob 1. v. 8. *Non est ei similis in terra.* 1. Reg. 9. v. 2. *Non erat vir de filijs Israel melior* Saule. Matth.11.v.11. *Non surrexit maior Ioanne*, 2. Corinth.9.v.10. *Augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Apocal.vlt.v.11. *Qui iustus est, iustificetur adhuc.*

Idem colligitur ex inæqualitate meritorum, infrà controu. 16. & 17. Item ex inæqualitate mercedis & gloriæ cælestis. 1. Cor.15.v.41. *Alia est claritas solis*, &c. *sic & resurrectio mortuorum.* Ioan.14. v.2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.*

Num. 22. Oritur autem INÆQVALITAS IVSTITIÆ & gratiæ sanctificantis non solùm ex diuersitate gratiarum præuenientium (controu.14. n.3.) & aliorum donorum, quæ Deus pro suo beneplacito (ad variegandam, psal.44.v.10. & diuersis officijs ac gradibus distinguendam Ecclesiam, tum militantem, tum triumphantem, Ioan.14. v.1.) varijs varia confert: sed etiam, & quidem vt plurimum; ex diuersitate nostræ dispositionis & cooperationis cum gratijs & donis Dei, licet id negent omnes nostri hæretici: qui volunt, bona opera nihil prorsus conferre ad iustitiam seu acquirendam, seu conseruandam, seu augendam, sed vt summum testimonia, vel signa esse veræ fidei in anima vigentis. Ita Caluinistæ & molles Lutherani seu Electorales. Rigidi verò Lutherani cum suo magistro Luthero dicunt, etiam noxia esse ac perniciosa ad iustitiam ac salutem.

Luther. de Captiuit. Babyl. c. de bapt. & sect. de nouo Testamento. Lutherani Saxonici in colloquio Altenburgensi.

Num. 23. Verùm BONA OPERA non modò VTILIA esse ad acquirendam, fouendam, augendamque iustitiam, sed etiam prorsus NECESSARIA, idque non tantùm VT SIGNA præsentis fidei, sed VT veras CAVSAS meritorias (& quasi efficientes in genere moris) iustitiæ ac salutis; patebit ex controu.16.num.5. & ex tot legibus ac præceptis, quæ Christus (vtpote non tantùm redemptor, sed & *legifer*, Isaiæ 33.v.22.) partim antiqua confirmauit, Matth.5. & 6. partim noua instituit, v.g. de *baptismo*, Ioan.3. vers.3. de *Eucharistia* sumenda, Ioan. 6. vers.54.

Et rigidissimè præcepit omnia obseruari sub comminatione grauissimarum pœnarum. Matth. 5.v.19. *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum.* & v.22. *Reus erit gehennæ ignis.* Ioan.6.v.54. *Non habebitis vitam in vobis.* Matth.18.v.3. *Non intrabitis in regnum cælorum.* Matth.19.v.17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Iac.2.v.21. *Abraham pater vester nonne ex operibus iustificatus est?* &c. 1.v.25. *Non auditor legis, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.* 2.Petr.1.v. 10. *Magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Matth.7.v.19. *Omnis arbor quæ non facit fructum*, &c. v. 21. *Non omnis qui* pro fidem *dicit mihi, Domine, Domine, sed qui*

facit

facit voluntatem Patris mei, &c. Et in extremo iudicio non ſoli fidei vel incredulitati præmium decernetur vel pœna, ſed maximè bonis vel malis operibus. Matth.25.v.35. *Quia dediſtis*, vel *non dediſtis mihi manducare*, &c.

Num. 24. Atque hactenus de iuſtitia & gratia ſanctificante, eiuſque SVBIECTO & conditionibus, itemque de cauſis, FORMALI, diſpoſitiua & EFFICIENTE MORALI ac MERITORIA, ſaltem ſecundaria. nam de reliquis cauſis, putà, EFFICIENTE phyſica DEO; morali & MERITORIA principali, CHRISTO; exemplari, IVSTITIA CHRISTI; finali, GLORIA DEI, Chriſti & noſtra; de quibus Rom. 3.v.27. nullæ cum hæreticis ſunt nobis controuerſiæ. De cauſa inſtrumentali, putà SACRAMENTIS & MINISTRIS Sacramentorum, agemus controu.18.& ſeqq.

Egimus etiam hîc de EFFECTV FORMALI gratiæ ſanctificantis, qui eſt quintuplex. Primus, naturam per peccatum debilitatam corroborare, (controu.14.num.8.9.15.& 16. Secundus, remittere peccata, (controu.15. num.3.) Tertius, iuſtum & ſanctum facere, (ibid.num.2.) Quartus, facere gratum, amicum & filium Dei, (num.4.) Quintus, dare ius ad vitam æternam & hereditatem cæleſtem. ibid. Reſtat ſolùm nunc vt de alio duplici eius effectu morali & quaſi in genere cauſæ efficientis, agamus, nempe de *ſatisfactione* (de qua in controu.23.num.8.) & *merito*, de quo nunc.

CONTROVERSIA XVI.

De Merito.

*Num.*1. VT opus aliquod ſit propriè, ſeu DE CONDIGNO MERITORIVM, cui præmium ex iuſtitia debeatur, SEX requiruntur CONDITIONES, nempe tres ex parte OPERIS, duæ ex parte OPERANTIS, & vna ex parte DEI.

Ex parte OPERIS requiritur

Primò, vt illud ſit LIBERVM (controu.13.num. 4.&c. Eccli.31.v.10. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus: malum facere, & non fecit. Ideo ſtabilita ſunt bona illius.* 1.Cor.9.v.17. *Si volens hoc ago, mercedem habeo.*

Secundò, vt opus ſit in ſe BONVM. Nam vt controu.12.num.9.dixi, *odio ſunt Deo impius & impietas eius.* Sap.14.v.9.

Tertiò, vt ſit SVPERNATVRALE, id eſt, elicitũ, vel ſaltem imperatum à virtute aliqua infuſa, ſiue hæc theologica fuerit, ſiue moralis. Rom.2.v.10. *Gloria & honor omni operanti bonum.* Matth.19.v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata:* ſed ex dilectione Dei, quæ primum eſt mandatum, reliqua omnia imperans. Alioqui ſi non niſi morale opus tuum fuerit, imperatum vel elicitum à virtute tantùm acquiſita; cùm hæc omnia ſint merè naturalia, nõ poſſunt vlla ratione cẽſeri proportionata gratiæ aut gloriæ, quæ ſunt entia ſupernaturalia. Vnde Chriſtus Matth.5.v.46. *Si diligitis eos qui vobis benefaciunt, quam mercedem habebitis?* aut *quæ vobis gratia eſt?* Lucæ 6.v.32. Et Apoſtolus paſſim ad Romanos, Galatas, Philippenſes & alibi, *iuſtitiam quæ ex lege eſt*, ſeu naturali, ſeu Moſaica, reijcit tamquam *inutilem*, tamquam *egena elementa*, imò tamquam *detrimenta*: & ſolam *iuſtitiam quæ ex fide Chriſti* eſt, vult iuſtificare & ſaluare. Nec Matth.5. v.4. & 7. alijs mitibus aut miſericordibus, nec Matth.25.v.35. in proximum beneficis, niſi ex amore Chriſti & Dei, promittitur aut offertur vita æterna.

Ex parte OPERANTIS requiritur Primò, vt ipſe vt viator. Gal.6. v.10. *Dum tempus habemus operemur bonum.* 2.Corinth.6.v.2. *Ecce nunc tempus acceptabile.* Ioan.9.v.4. *Venit nox quando nemo poteſt operari.* Eccleſ.9.v.5. *Non habent vltrà mercedem.* Secundò vt ſit amicus Dei, ſeu in ſtatu gratiæ. Geneſ.4.verſ.4. *Reſpexit Deus* priùs *ad* perſonam *Abel & Cain*; deinde *ad munera* vtriuſque. Ioan.15.v.1. & ſeqq. vt fructum proferat palmes, requiritur vt *viuat*, vt ſit *in vite*, vt ſit *vitis in ipſo*, &c. quæ non fiunt niſi per gratiam iuſtificantem.

Sextò, ex parte DEI requiritur, vt ipſe promiſerit, ſe talibus operibus daturum præmium vitam æternam. Iac.1.v.12. *Accipiet coronam vitæ quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Lucæ 12.v.32. *Complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Matth.20. v.13. *Nonne ex denario conueniſti mecum?* Et quo iure alioqui Deus, Dominus & creator omnium, obligaretur ex iuſtitia ſuis creaturis, niſi ſe ipſe ſua ſponte obligaſſet?

*Num.*2. Vt opus ſit DE CONGRVO MERITORIVM, cui nempe præmium non ex iuſtitia, ſed ſolùm ex congruitate, ſeu decentia debeatur, requiruntur vel ſolæ quinque priores conditiones iam dictæ: vel ſine quinta quatuor priores & ſexta. v.g. Iuſtus orans inſtanter pro peccatore, meretur ſed ſolùm de congruo, vt illi dentur gratiæ præuenientes neceſſariæ ad conuerſionem: nam deeſt hîc promiſſio Dei. Ierem.15.v.1. *Si ſteterint Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Sic peccator cooperans gratiæ Dei excitanti, ex fide & ſpe eliciens actum contritionis, meretur de congruo gratiam iuſtificantem: nam licet non fuerit amicus Dei, tamen hoc diuinitus promiſſum eſt, Ezech.18.v.30. *Conuertimini ad me, & agite pœnitentiam, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* cap.33.v.14. *Si egerit pœnitentiam impius, vita viuet, & non morietur.*

*Num.*3. OPERA iuſtorum etiam SVPERNATVRALIA, eſſe verè LIBERA, vidimus contiou.13.n.5. Eſſe etiam IN SE verè BONA, non extrinſeca imputatione Dei, (vt ſomniat Lutherus, Caluinus & alij Sectarij) ſed intrinſeca bonitate, colligitur ex controu.15.nu.2.& 3. Et quia à Chriſto vocantur ſimpliciter bona. Matth.5.v.16. *Vt videant opera veſtra bona.* Et tam ipſe ibid. quàm Apoſtoli conſulunt illa, imò præcipiunt, vt vidimus controu. 15.num.23.

Luther. in aſſert.art. 31.32 & 36. Caluin. in Inſtit. paſſim.

Obiectiones ſolui Eccleſ.7.v.21. *Non eſt homo iuſtus qui faciat bonum, & non peccet.* Pſal.142.v.2. *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Pſal.52.v. 4. *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Iſaiæ 64.v.6. *Facti ſumus velut immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ.* Denique impoſſibile videri *diligere Deum ex toto corde*, Deut.6.v.5. & Matth.22.v.36.

Num. 4. Habere quoque PROMISSAM ſibi à Deo MERCEDEM, vitam æternam, affirmat S. Paulus 1.ad Timoth.4. v.8. *Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ.* Iac. 1. v.12. *Repromiſit Deus coronam vitæ diligentibus ſe.* Matth.5.v.3. *Beati pauperes*, &c. Imò totum fœdus tam noui, quàm veteris teſtamenti in hoc promiſſo conſiſtit.

*Num.*5. Cùm ergo conſtet, reliquas etiam CONDITIONES adeſſe, conſtat quoque (velint, nolint, hære-

hæretici,) OPERA iuſtorum eſſe verè, propriè, ac DE CONDIGNO MERITORIA vitæ æternæ. Vnde & iuſti vocantur *digni regno Dei*, 2. Theſſal. 1. v. 5. & Apoc. 3. v. 4. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.* Quid autem eſt *dignum eſſe*, ſi non *mereri*. Alibi vita æterna vocatur *merces* bonorum operum. Apoc. vlt. v. 12. *Merces mea mecum eſt.* 1. Cor. 3. v. 8. *Vnuſquiſque ſecundùm ſuum laborem propriam mercedem accipiet. Merces* autem correlatiuum eſt *meriti*. Matth. 20. v. 2. non tantùm vocatur *merces*, ſed & *diurnus denarius*, & iubetur non otioſis gratuitò donari, ſed operarijs, & quidem ex conducto, ex conuento, quaſi debitum reddi: additurque *Tolle quod tuum eſt.* Alibi vocatur *brauium* 1. Cor. 9. v. 24. *Depoſitum* & *Corona*, 2. ad Tim. 1. v. 12. & c. 4. v. 8. Quæ omnia ſignificant meritum ex iuſtitia & de condigno. Et nonne nomen etiam ipſum *meriti* adeò exoſum Caluino ceteriſque hæreticis, exprimitur Eccli. 16. v. 15. *Omnis miſericordia faciet locum vnicuiq; ſecundùm meritum ſuorum operum.* & ad Hebr. 13. v. 16. *Talibus hoſtijs promeretur Deus.*

Et licet ex ſe *non* ſint *condignæ*, tamen ex vltronea conuentione Dei nobiſcum (n. 4. & 5.) dignæ factæ *ſunt paſſiones huius temporis ad futuram gloriam*, Rom. 8. v. 18. Neque fertilitas palmitum derogat virtuti vitis Ioan. 15. v. 5.

Num. 6. MERENTVR autem iuſti quouis actu SVPERNATVRALI ſeu elicito ſeu imperato, non ſolùm gloriam cæleſtem olim obuenturam, ſed etiam in hac vita, (& quidem ſtatim accipiunt hoc ipſo quo operantur momento) augmentum gratiæ iuſtificantis, vnà cum pari augmento charitatis & virtutis infuſæ, cuius fuit actus. Iac. 2. v. 24. *Ex operibus iuſtificatur homo.* Apoc. vlt. v. 11. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc.* Eccli. 18. v. 22. *Ne verearis vſque ad mortem iuſtificari.*

Num. 7. Speciale DONVM PERSEVERANTIÆ, cùm de eo nulla extet promiſſio, non poteſt iuſtus ſibi de condigno mereri: poteſt omnia AVXILIA gratiæ ad id NECESSARIA: non quidem vno actu totam illorum ſeriem, ſed varijs varia. Conſtat ex infinitis promiſſionibus Dei de non deſerendis iuſtis, niſi priùs ab eis deſeratur.

Num. 8. Vt REPARATIONEM GRATIÆ poſt lapſum in peccatum mortale Deus infallibiliter procuret, non poteſt dici, iuſtum promereri (nam Ezech. 18. v. 24. *Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, omnes iuſtitiæ eius non recordabuntur:*) idque ne quidem de congruo, niſi impropriè dicto, (vt congruum idem ſit quod, aliquo modo conueniens.) Nam conforme videtur diuinæ miſericordiæ, vt ſi antè crebrò id Deum rogarit, & non ex malitia, ſed infirmitate lapſus ſit, iuuetur extraordinem à Deo. Sic 2. Paral. 19. v. 2. intuitu præcedentium bonorum operum parcitur regi Ioſaphat, grauiſſimè alioqui delinquenti. & Dauid orabat Pſal. 70. v. 9. *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

Num. 9. BONA TEMPORALIA, cùm non extet promiſſio, nec ſint neceſſaria media ad vitam æternam conſequendam, non cadunt ſub meritum de condigno. Quando ad id vtilia eſſent, poſſunt cadere ſub meritum de congruo, ſed vel ipſa in ſe, vel alia bona ipſis vtiliora. Matth. 6. v. 33. *Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.* 1. ad Timoth. 4. v. 8. *Pietas ad omnia vtilis eſt*, &c.

Num. 10. ALIIS poſſunt iuſti PROMERERI, ſed ſolùm de congruo, (quia nulla extat certa promiſſio) gratias præuenientes, quibus ad iuſtitiam vel acquirendam, vel augendam diſponantur. Patet ex efficacia orationis, quam pro inuicem fundere monemur 1. Ioan. 3. v. 22. & Iac. vlt. v. 16. *Multùm valet deprecatio iuſti aſſidua*, &c. Nullo modo gratiam ſanctificantem, aut alia quæ ſupponunt liberam alterius cooperationem. Alioqui poſſent alij alios iuſtificare; quod ſoli Chriſto conceſſum: *Nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri*, Actor. 4. v. 12.

Num. 11. Ex ſuprà dictis patet, (contra Luthe- *Luther. §.*
rum, Caluinum, reliquoſque Sectarios) non ex ſola *Caluin. l.*
fide, ſed etiam EX MERITIS bonorum operum *Inſtit. c.*
noſtrorum NASCI FIDVCIAM quam in Deo ha- *§. vlt.*
bemus, quæ non eſt aliud ſecundùm S. Thomam, *S. Tho. 1. 2.*
quàm ſpes confirmata atque perfecta. Iob 11. v. *q. 129. art. 6.*
14. & 18. *Si iniquitatem abſtuleris*, &c. *habebis fiduciam.* Tob. 4. v. 12. *Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleëmoſyna.* Rom. 5. v. 4. *Probatio ſpem operatur.* 1. ad Timoth. 3. v. 13. *Qui benè miniſtrauerint, gradum bonum ſibi acquirent & multam fiduciam.* Hebr. 10. v. 35. *Nolite amittere confidentiam veſtram*, ex patientia conceptam. 1. Ioan. 3. v. 21. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.*

Num. 12. Patet Secundò, etiam IN ipſis bonis operibus ſeu MERITIS, cùm conſtiterit talia eſſe, FIDVCIAM collocari poſſe, exemplo Nehemiæ 2. Eſdr. 5. v. vlt. *Memento mei Domine in bonum, ſecundùm omnia quæ feci populo huic*, Et Dauidis Pſal. 17. v. 21. *Retribuet mihi Dominus ſecundùm iuſtitiam meam, quia cuſtodiui vias eius.* Et Ezechiæ, Iſaiæ cap. 38. v. 3. *Memento quomodo ambulauerim coram te in veritate*, &c. Et Eſtheræ c. 14. v. 16. *Tu ſcis*, &c. Denique & Apoſtoli, 2. Tim. 4. v. 7. *Bonum certamen certaui*, &c. Propter incertitudinem tamen propriæ iuſtitiæ, & periculum inanis gloriæ, tutius eſt, ſic meritis accumulandis ſtudere, vt tamen fiduciam totam in ſolo Deo collocemus, exemplo Danielis c. 9. v. 18. *Non in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras, ſed in miſerationibus tuis multis.* Lucæ 17. v. 10. *Cùm feceritis omnia, dicite, Serui inutiles ſumus.* Sic Eccleſia in Collectis, *Ex nulla noſtra actione confidimus.* (a) *Nulla ſuppetunt ſuffragia meritorum.* (b) *Non æſtimator meriti.* (c) *ſed veniæ largitor admitte.* Et S. Bernardus, *Pretendat alter meritum, &c. mihi adhærere Deo bonum, ponere in Domino ſpem meam.* Et S. Chryſoſt. *Minimum de ſe ſenſiſſe, tam magnum eſt, quàm maximas res feciſſe.*

a Collecta Dominica Sexageſimæ. b Coll. ſecreta Dominica ſecunda Aduentus. c In Canone poſt conſecrationem. Bern. ſer. 9. in pſal. Qui habitat. Chryſoſt. homil. 3 in Matth. ante.

Num. 13. Licere autem INTVITV MERCEDIS æternæ (etſi Caluinus id non probet) OPERARI bona opera, conſtat ex præcepto Chriſti Matth. 6. v. 33. *Primùm quærite regnum Dei*, &c. Lucæ 16. v. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt recipiant vos in æterna tabernacula.* & 1. Cor. 9. v. 10. *Debet in ſpe qui arat, arare*, &c. Sic Dauid Pſal. 118. v. 112. *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionem.* Et *Moyſes*, Hebr. 11. v. 26. *aſpiciebat in remunerationem.* Quin & S. Paulus Philippp. 3. v. 14. *Ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſuperna vocationis.* 1. Cor. 9. v. 24. *Sic currite vt comprehendatis.* Et nonne à ſpe regni cælorum ortus eſt prædicationem ſuam non modò Ioannes Baptiſta Matth. 3. v. 2. ſed & ipſe Chriſtus? Matth. 4. v. 17. Et Apoſtolis iuſſit c. 10. v. 7. vt & ſuam exordirentur, *Appropinquauit regnum cælorum?* Et verò ſi vita æterna eſt finis noſter & fidei & operum

Caluin. l. Inſtit. c. 3. §. 3. n. 8. §. 2. In antidote Trid. ſeſſ. 6. can. 31.

omnium

omnium nostrorum, cur illum spectare non liceat, non oporteat? 1. Petri 1. v. 9. *Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum.* Cauendum tantùm, ne instar mercenariorum, Ioan. 10. v. 12. vel solius mercedis intuitu, vel ob illam præcipuè operemur.

CONTROVERSIA XVII.

De Oratione, Ieiunio & Eleëmosyna.

Num. 1. ORANDI NECESSITATEM (etsi negent Politici, Pelagiani, Wicleff, & nescio quis Ioannes Monhemius Lutheranus Theologus,) ex eo colligimus, quòd cùm sine speciali auxilio diuino bene viuere, perseuerare & saluari non possimus, (vt vidimus controu. 14. n. 8. 9. 15. 17.) necessariò cogamur per orationem illud assiduò nobis deposcere. Lucæ 18. v. 1. *Oportet semper orare & non deficere.* c. 21. v. 36. *Vigilate omni tempore orantes.* 1. Thessal. vlt. v. 16. *Sine intermissione orate.* Eccli. 18. v. 22. *Non impediaris orare semper.*

Wicleff apud Thom. Waldensem tom. 3. c. 1. & 2. de Sacramentis.

Neque verum est, quod isti aiunt, auxilium Dei non defuturum, etsi non peteretur. Nam psal. 105. v. 23. *Dixit, vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione, in conspectu eius.* Matth. 17. v. 20. *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi per orationem & ieiunium.* Iac. 4. v. 2. *Non habetis, propter quod non postulatis.*

Num. 2. FRVCTVM ORATIONIS penè omnem tollunt Lutherus, Melanchthon, Brentius, Caluinus & alij Sectarij, dum negant, SATISFACTORIAM esse (sed cur minùs quàm alia opera bona laboriosa;) aut MERITORIAM (contra illud Christi Matth. 6. v. 6. *Clauso ostio ora Patrem, & reddet tibi* mercedem:) aut IMPETRATORIAM remissionis peccatorum seu iustificationis, contra illud v. 12. quo iubemur orare, *Dimitte nobis debita nostra.* & Lucæ 18. v. 13. *Publicanus orans, Deus propitius esto mihi peccatori, descendit iustificatus.* Aliarum quidem rerum impetratoriam esse fatentur, sed tum demum cùm innititur fidei speciali, quâ quisque credat se certo certiùs gratum esse Deo & iustum & prædestinatum. Quæ fides cùm reuerà haberi non possit, (vt vidimus controu. 16. n. 11.) sequitur, nihil omninò oratione, ex mente ipsorum, impetrari posse.

Luth. passim, vbi de Fide. Melanchth. in Locu c. de oratione. Brent. in Confess. Wirtemb. c. de orat. Caluin. l. 3. Instit. c. 20. §. 3.

Num. 3. Vt ORATIO sit SATISFACTORIA vel MERITORIA, requiritur vt fiat à iusto, sed viatore (controu. 16. num. 1.) IMPETRATORIA etiam esse potest quæ fit à Sanctis in cœlo, & à peccatoribus in terra. Sed vt INFALLIBILIS sit impetratio, requiritur

Primò, FIDES. Rom. 10. v. 14. *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?* Matth. 9. v. 28. *Creditis quia hoc possum facere vobis?*

Secundò, SPES & FIDVCIA impetrandi. Hebr. 4. v. vlt. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius.* Iac. 1. 6. *Postulet in fide nihil hæsitans,* &c. Marc. 11. v. 23. *Quicumque non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, Fiat, fiet ei.*

Tertiò, CHARITAS seu iustitia. Ioan. 9. v. 31. *Scimus quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.* Vno solo casu infallibilis est peccatoris oratio, nempe quâ pœnitens orat veniam & conteritur; vt vidimus controu. 16. num. 2. Alioqui solet Scriptura, quando de oratione peccatoris loquitur, addere particulam *fortè*, vel *quis scit*; vt Ioël 2. v. 14. *Quis scit si ignoscat?* &c. Idem Ionæ 3. v. 9. *Quis scit si conuertatur?* &c. Dan. 4. v. 24. *Forsitan ignoscet,* &c. Actor. 8. v. 22. *Si fortè remittatur tibi,* &c.

Quartò, HVMILITAS, Dan. 9. v. 19. sup. controu. 16. num. 12. & Iac. 4. v. 6. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Eccli. 35. v. 21. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit; & non discedet donec Altissimus aspiciat.*

Quintò, DEVOTIO, seu studium attentè, seriò & ardenter orandi. Isaiæ 29. v. 13. & Matth. 15. v. 8. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eius longè est à me.*

Sextò, PERSEVERANTIA, exemplo amici nocturni & viduæ illius Lucæ 11. v. 5. & c. 18. v. 3.

Septimò, si iustus PRO SE petat. Ioan. 16. v. 23. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* (a) Neque enim quicumque dignus est vt aliquid ipsi detur, necessariò quoque dignus habetur vt eius intuitu alijs etiam benefiat.

(a) *Aug. ser. 5. de Verbis Domini Ioan. 16.*

Octauò, si NECESSARIA vel VTILIA AD SALVTEM petantur. Alioqui non petuntur *in nomine* Christi, inquit S. Augustinus, & 1. Ioan. 2. v. 14. *Hæc est fiducia quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundùm voluntatem eius, audit nos. Hæc est* autem *voluntas eius, sanctificatio vestra,* 1. Thess. 4. v. 3.

Aug. ibid. & tract. 73. 81. & 102. in Ioan.

Num. 4. Circa PVBLICAS PRECES Ecclesiæ (quæ verè *domus orationis* est & *vocabitur cunctis populis,* Isaiæ 56. v. 7.) maximè autem circa *Horas Canonicas,* (seu ritum laudandi certis quotidie horis precandique Deum, mente simul ac voce, & conceptis verbis, iuxta canones ac regulas Præsulum Ecclesiæ distributis;) reprehendunt Lutherus, Caluinus, Brentius, Heshusius & alij Nouantes Primò, ipsum institutum seu inuentum, vt aiunt: & Magdeburgenses adcensent illud notis *Antichristi,* & Pelagio Papæ asscribunt. Sed quis tam imperitus est antiquitatis, tam peregrinus in Scripturis & historijs, qui nesciat, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, imò à Dauidis temporibus, à pijssimis sanctissimisque viris ex instinctu Spiritus sancti inductum hunc precandi ritum, perpetuoque vsurpatum fuisse? Nonne Dauid tantus rex ac Propheta, Psal. 118. v. 164. *Septies,* inquit, *in die laudem dixi tibi?* v. 62. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Psal. 5. v. 4. *Manè exaudies vocem meam, manè astabo tibi.* Psal. 54. v. 18. *Vesperè & manè & meridie.* &c. Et nonne Psalmos ipsemet inuenit & concinnauit? Nonne diuisiones munerum sacerdotalium, Leuiticorum, & cantorum in templo Domini ipse vice Dei constituit? 2. Paralip. 28. v. 13. & 19. *Omnia,* inquit, *venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuersa opera exemplaris.* Nonne Daniel c. 6. v. 10. *tribus temporibus in die flectebat genua & adorabat, confitebaturq; coram Deo?* & alij Iudæi 2. Esdr. 9. v. 3. *quater in die confitebantur & adorabant Deum?* Nonne Apostoli & reliqui 120. *hora tertia* orantes Actor. 2. v. 15. accipiunt *Spiritum sanctum?* Nonne Petrus hora sexta orationi vacat? Actor. 10. v. 9. & *ad templum* cum Ioanne ascendit *ad horam orationis nonam?* Actor. 3. v. 1. 1. Cor. 14. v. 26. *Cùm conuenitis, vnusquisque vestrùm psalmum habet.* & Coloss. 3. v. 16. & Ephes. 5. v. 19. *cantica* adiungit & *hymnos.*

Luther. de Abroganda Missa. l. vlt. Caluin. sup. Brent. sup. c. de Horis Canon. Heshus. de Errorib. Pontificior. tit. 24. num. 7. Magdeburg. cent. 6 c. 10. in Pelagio I. Papa.

Num. 5. Reprehendunt Secundò, quòd in ecclesijs non promiscuè totum VVLGVS, sed soli CLERICI vel RELIGIOSI horas Canonicas in ecclesijs decantent. Sed nonne in veteri quoque testamento

mento certum genus hominum, putà Leuitarum, ex officio deputatum erat ad psalmos & hymnos in templo decantandos? 1.Paral.15.v.16. & c.16. v.4. Nonne & in nouo testamento Actor.6.v.4 sibi suisque similibus idem munus Apostoli desumunt? *Nos orationi & verbo Dei instantes erimus.* Et cur minùs huic tam sacro muneri designentur certi & stati ministri, quàm seruitio mensarum, v. 2. vel alijs profanis in republica officijs?

*Num.*6. Carpunt Tertiò, quòd, LINGVA non vulgari, sed PLEBI IGNOTA celebretur officium diuinum. Verùm de hoc iam suprà controu.2. n.10.

Carpunt Quartò, quòd sine intermissione, DIV NOCTVQVE hoc officium persoluatur. Sed & hoc laude dignum probant quæ hîc dixi n.4. Et sic satisfit ex parte obligationi semper orandi, de qua n.1.

Carpunt Quintò, quòd finis eius sit, non vt *per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus*, Rom.15.v.4. sed vt merito orationis mitigemus iram Dei, & expiemus peccata coram Deo. Verùm vt prius membrum continet apertum mendacium (nam omnia penè desumpta sunt ex Scripturis:) ita posterius summè pium, sanctum & salutare esse, probant quæ dixi num. 2.&3.

*Num.*7. Circa IEIVNIVM Ecclesiasticum, (quo à certo ciborum genere abstinere, & vnica per diem refectione contenti esse iubemur) ceteraque exterma pœnitentiæ opera, eadem ferè quæ circa *orationem*, reprehendunt Lutherus, Melanchthon, Brentius, Caluinus, Kemnitius & alij Sectarij, nempe Primò, *ieiunium* aut aliud opus pœnale, non esse à Deo mandatum. Sed quid ergo sibi vult illud Ioël 1.v.13. *Plangite, vlulate, cubate in sacco, sanctificate ieiunium?* &c. quæ lex cùm sit moralis, etiam obligat Christianos. Et nonne Christus aliquando ieiunandum supponit cùm Matth.6.v.17. ait, *Tu autem cùm ieiunas, unge caput tuum?* & cap. 9.v.15. *Cùm auferetur ab eis sponsus, tunc ieiunabunt.* Et quid si quis alia ratione non possit commodè vincere tentationem, vel pro peccatis satisfacere? Matth.17.v.20. *Hoc genus non ejicitur nisi per orationem & ieiunium.*

Luther. sup. & de Libertate Christiana. Melanchth. in Confess. Augustana, & in Apologia art.15. Brent. sup. c.de Ieiunio. Caluin l.4. Instit.c.12. Kemnit.4.p. Exam.Trid.

*Num.*8. Reprehendunt Secundò, quòd dicimus, IEIVNIO COLI DEVM vel seruiri Deo: item IEIVNIVM esse SATISFACTORIVM, MERITORIVM & IMPETRATORIVM, quando adsunt conditiones requisitæ (controu.16.num.1.& controu.17.num. 3.) Sed primum nos docet Anna Prophetissa Lucæ 2.v.37. quæ *ieiunijs & obsecrationibus seruiebat* Deo *nocte ac die.* Reliqua verò nos docet exemplum Niniuitarum Ionæ 3.v.vlt. & regis Achab.3.Reg. 21.v.vlt. & Israelitarum 1.Reg.7.v.6.&.1. Mach.3. v.47. *Ieiunauerunt & induerunt se cilicijs, & cinerem imposuerunt capiti suo, & discinderunt vestimenta sua*, &c. Et quàm nobiles inde consecutæ victoriæ? vt & ad ieiunium Esther 4.v.1.& 16.& Iudith 4.v.12. Rursum Matth.6.v.17. *Cùm ieiunas*, &c. *Pater tuus reddet tibi* mercedem, putà gratiæ & gloriæ, de qua mox subdit, *Thesaurizate vobis thesauros in cælo.* Nonne Ieremiæ 35. v.18. Rechabitis ob abstinentiam merces luculenta promittitur? & Daniel.10.v.12. *Ex die primo quo posuisti cor vt te affligeres* (per *ieiunium* v.3.) *exaudita sunt verba tua.* Similia habes Tobiæ 12.v.8. *Bona est oratio cum ieiunio & eleëmosyna, magis quàm thesauros auri recondere.*

*Num.*9. Reprehendunt Tertiò quòd iciunetur QVIA id ab Ecclesia PRÆCIPITVR. Sed hoc nomine à Deo laudantur *Rechabitæ* quòd ex præcepto patris sui vino abstinuerint, Ieremiæ 35.v.18. & an Christus non iubet obediri Prælatis Ecclesiæ? Lucæ 10.v.16. *Qui vos audit, me audit.* Matth. 18.v.17. *Si Ecclesiam non audierit*, &c. Hebr.13.v.17. *Obedite Præpositis vestris*, &c. Rom.13.v.2. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Neque verò obligari legibus humanis quæ vel externum reipubl. vel internum animarum bonum promouent (quales sunt leges ciuiles & Ecclesiasticæ) spectat ad iugum seu seruitutem legis Iudaicæ (vt hæretici fingunt) sed ad iugum & seruitutem *iustitiæ*, cuius *seruos* vult S.Paulus esse omnes Christianos, Rom.6.v.18.

*Num.*10. Reprehendunt Quartò, quòd in iciunio seruetur DELECTVS CIBORVM, v.g. abstinentia à carnibus, & subinde etiam ab ouis & omnibus lacticinijs. Sed nonne Daniel cap.10. v.3. *Lugebam*, inquit, *trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem*, id est, cibum delicatiorem, *non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum!* Rechabitæ Ierem.35.v.6. ex paterno præceptoabstinebant *à vino*, &c. Nazaræi Num.6.vers.3. *ab omni eo quod inebriare* posset: Ioannes Baptista, Matth. 3.v.4 & Marc.1.v.6. ab omnibus delicijs, soio *melle siluestri & locustis* contentus. Et nonne Apostoli Actor.15.v.29. ad tempus iubent *abstinere a sanguine & suffocato?* Neque tamen (vt mentiuntur hæretici) abstinere iubemur carne vel lactinijs, quasi naturâ suâ sint immunda, (quod tamquam hæreticum, imò dæmoniacum, damnat Apostolus 1.Timoth.4.v.3.) vel quasi ex vi legis Mosaicæ nobis sint vetita, (quod vt Iudaicum reprehenditur ad Colos. 2. vers.16.& alibi,) vel quòd per se *coinquinent animam*, vt somniabant Pharisæi, Matt. 15.v.11. nam plerisque anni temporibus extra dies ieiunij vtimur etiam illis cibis, certi *omnem creaturam bonam & mundam esse*, 1.Timoth.4.v.4.& *quæ Deus purificauit, non esse communia* censenda vel immunda, Actor.10.v.5. Sed quòd certò tempore illis abstinemus, facimus ad carnis petulantiam faciliùs domandam. quòd prudens, pium & Christianum est, ac proinde meritò ab Ecclesia præscriptum; cui si quis contraueniat, iam non carnibus, sed sua inobedientia coinquinat animam, vt esu pomi vetiti Adamus & Eua, Genes. 3.v.7.

Obiect. ex Matth.15.v.11. *Quod intrat in os, non coinquinat* animam, ibid. dissolui.

*Num.*11. Denique reprehendunt quòd CERTIS anni DIEBVS adstringatur ieiunium. Sed nisi dies designentur, spes non est impetrandi vt sponte plerique ieiunent; quod tamen perneecssarium esse aliquando facere, vidimus num.7. Neque tamen vel ijdem diebus, quibus Iudæi, vel eadem ob causas, iciunant Christiani: sed vt ad præcipuas anni festiuitates decentiùs celebrandas, & mentem in Deum eleuandam mcliùs compositi sint, iubentur hac pœnali abstinentia corpus domare, & animum à peccatis expurgare, exemplo Apostoli 1.Cor.9.v.vlt. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*, &c.

*Num.*12. ELEEMOSYNAM seu opera misericordiæ tam corporalia, quàm spiritualia, ex præcepto obligare, quis dubitare possit, qui nouit præceptum charitatis, *Diliges proximum tuum sicut teipsum?* Leuit. 19. v.18. & Matth.22. v.39. 1.Corinth.13.

rinth.13. v.4. *Charitas benigna est*, &c.1.Ioan.3.v. 17. *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Et Tobiæ 4.v.7. *Ex substantia tua fac eleemosynam.* Isaiæ 58.v.7. *Frange esurienti panem tuum*, &c. Lucæ 3.v.11. *Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.* Matth.25.versf.41. *Ite maledicti*, &c. *esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*, &c. Iac.2.versf. 13. *Iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.*

Num. 13. Vim etiam habere tum SATISFACIENDI pro peccatis, tum PROMERENDI vitam æternam, tum quæuis alia IMPETRANDI, si adsint conditiones requisitæ controu.16.num.1.& controu.17.num.3. (etsi hæc omnia negent hæretici,) patet Dan.4. v. 24. *Peccata tua eleemosynis redime.* & Matth.25.v.34. *Possidete regnum*, &c. *Esurivi enim & dedistis mihi manducare.* Lucæ 16.v.9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt recipiant vos in æterna tabernacula.* Matth.10. v.41. *Qui recipit iustum, mercedem iusti accipiet.* Prou. 15.v.27. *Per misericordiam & fidem purgantur peccata.* Lucæ 11.v.41. *Quod superest, date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Lucæ 19.v.8. *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus*, &c. *Hodie huic domui salus facta est.* Actor. 10. v.4. *Eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*, &c. Eccli.3. v.33. *Aqua extinguit ardentem ignem, & eleemosyna resistit peccatis.* Tob.4.v.11. *Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras.* Sic de spirituali eleemosyna, Matth.6.v.14. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester delicta vestra.* Matth.5.v.19. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Denique 1.ad Tim. 4.v.8. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.*

CONTROVERSIA XVIII.

De Sacramentis & aliis Cæremoniis Ecclesiæ.

Num. 1. SACRAMENTVM est visibile signum ex ipsiusmet Dei institutione, non tantùm distinctiuum populi Christiani, vel significatiuum iustitiæ, vel obsignatiuum promissionum diuinarum, vt hæretici contendunt; sed etiam CAVSATIVVM seu effectiuum IVSTITIÆ ac sanctitatis, legalis, corporalis & externæ in veteri testamento; internæ, spiritualis & realis in nouo. Passim enim Scripturæ docent, SACRAMENTA esse res quasdam operantes iustificationem, nempe Sacramentis nouæ legis Ioan.3.v.5. *renati* dicimur, & 1.Cor.6.v.11. *Abluti & sanctificati estis.* & simili modo Ephes.5.v.26. Tit.3.v.5. & Actor.22. v.16. dicuntur nos *lauare, mundare, sanctificare, iustificare, regenerare.* Sacramenta veteris legis, vt circumcisio Gen.17.v.10. ritus agni paschalis Exod. 12.versf.3. sacrificia pro peccato Leuit. 4. (nam & hæc quoque erant Sacramenta, inquit S. Thomas) & ritus ordinationis Leuit. 8. saltem legaliter mundabant & sanctificabant; non verò absolutè vel coram Deo: nam (vt dicam num.7.) omnia antiquæ legis Sacramenta erant *egena elementa*, Galat.4.v.9. Neque ipsa causabant veram iustitiam, sed actus fidei in Christum & contritionis, qui illis adiungebantur, vt dixi Gen.4.v. 1.& cap.17.v.14. iustitiam tum temporis causabant.

Luth.de Captiu. Babylon. Kemn.2.p. Examin. Trid.de nũ. Sacram. Petr.Martyr in Rom. 4. Caluin.l.4. Instit.c.14. Brentius in Cõfess.VVirtemb. S.Tho.1.2. q.102.a.1.

Num. 2. VERBA, quæ in confectione Sacramentorum legis nouæ necessariò prout Christus ea expressit, non verò pro libito cuiusque adhibenda sunt, (vt constabit ex formulis singulorum,) non debent (vt Caluinus, Brentius & alij volunt) esse CONCIONATORIA seu instructiua circumstantium (nam talium nusquam meminit Scriptura) sed CONSECRATORIA clementi, vel expressiua effectus aut actionis Sacramentalis. Patebit ex formulis singulorum. Et Paulus 1.Cor. 1.v.17. cùm dicit, *Non misit me Christus baptizare, sed euangelizare*; expressè distinguit verbum Sacramentale à verbo concionatorio. Et inde sequeretur, paruulos, vt potè incapaces concionum, non posse baptizari. Eccli.32.v.6. *Vbi non est auditus, non effundas sermonem.*

Num. 3. MINISTER Sacramentorum non est ANGELVS seu bonus, seu malus, (vt voluit Lutherus) sed solus HOMO. Neque enim angelis, sed hominibus solis à Christo (qui vnicus auctor est Sacramentorum noui testamenti) dictum Matth.vlt.v.19. *Euntes docete*, &c. *baptizantes eos*, &c. Lucæ 22.v.19. *Hoc facite in meam commemorationem.* Ioan.20.v.23. *Quorum remiseritis peccata*, &c.

Luth.l.de Missa priuata & vnctione sacer: datum anno 1534.

Num. 4. Neque tamen quilibet homo (si BAPTISMVM & MATRIMONIVM excipias, de quibus suo loco,) sed is solus, qui ritè ad hoc ab Ecclesia ORDINATVS est. *Nec enim quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tàmquam Aaron*, Hebr.5. v.4. *Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt pontifex fieret*, &c. & 2.Paral.26.v.19. Ozias lepra punitur quia fungi voluit munere sacerdotali. Neque verò alijs, quàm Apostolis & Apostolorum successoribus dictum à Christo, Lucæ 22.v.19. *Hoc facite*, &c. & Ioan.20.v.23. *Quorum remiseritis peccata*, &c.

Obiectiones solui 1.Petr.2.v.9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium.* Apoc.5.v.10. *Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes.* Apoc.20.v.6. *Erunt sacerdotes Dei & Christi.*

Num. 5. Sed neque (vt volebant Donatiani, Albigenses, Waldenses, Wiclefistæ, & plerique Anabaptistæ) necessariò requiritur in ministro vera FIDES aut PROBITAS, vt Sacramenta quæ administrat, sint efficacia. Præcipuas enim partes hîc agit Christus, Ioan.1. v.33. *Hic est qui baptizat.* 1.Cor.3.v.6. hic est *qui incrementum dat.* Christus autem non minùs vti potest instrumento mortuo, quàm viuo. Et nonne vtebatur Iuda ad baptizandum? *Ipse* enim Iesus *non baptizabat, sed discipuli eius*, Ioan.4.v.2.

Sed quia hi ministri sunt instrumenta animata & ratione vtentia, quorum arbitrio relicta est actio Sacramentalis, Ioan.20.v.23. *Quorum remiseritis peccata*, &c. hinc (contra Lutherum, Caluinum, Heshusium & Kemnitium) requiritur in ministris saltem virtualis intentio faciendi quod Christus instituit, vel quod facit Ecclesia. Cùm enim rationalia instrumenta sint per voluntatem & intentionem, si hanc tollis, desinunt talia esse instrumenta.

Luther.de Captiuit. Calu.in Antidoto Trid.sess. 7. can.11. Hesbus.de Erroribus Pontif.loco 15. Kemn.sup.

Num. 6. Neque sola fides Sacramentis adiuncta iustificat, (vt fingunt ijdem hæretici, non aliam vim tribuentes Sacramentis nouæ, quàm veteris legis,) sed ipsamet SACRAMENTA sunt veræ & immediatæ CAVSÆ IVSTIFICATIONIS:

nam non ponentibus obicem conferunt gratiam sanctificantem, & quidem EX OPERE OPERATO, id est, independenter à fide ac deuotione operantis seu conficientis actum Sacramentalem; & etiam suscipientis Sacramentum. Etsi enim fides in adultis requiratur vt dispositio, non tamen concurrit vt causa. Patet Marci vlt. v.16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Ioan.3.v.5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,* &c. Etiam credentibus, Actor.2.v.38. dicitur, *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque in remissionem peccatorum.* & Actor.22.v.16. *Baptizare, & ablue peccata tua.* Sic Actor.8.v.17. *per impositionem manuum Apostolorum datur Spiritus sanctus* iam antè credentibus. Et similia habes Ephes. 5.v.26. vbi *lauacrum aquæ* dicitur *mundare,* ad Titum 3.vers.5. & 1. Petr.3.v.21. *regenerare* & *saluare.* Et quæ alioqui ratio vt fuisset Paulum Actor.19.v. 4. vt cogeret baptizari baptismo Christi, quos audierat iam baptizatos baptismo Ioannis? & quare ipse Ioannes in fidei paritate, tanto interuallo baptismum Christi præponit suo baptismo, Ioan.1.v.26. *Ego baptizo vos aqua, ille Spiritu sancto?* Nam etiam Ioannes prædicabat *baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum,* Lucæ 3.v.3. per fidem *in eum qui venturus erat,* Actor.19.v.4. Et quomodo alioqui baptismus prodesset infantibus? Ratio verò a priori est, quia Sacramenta, vt dixim.5. non solùm in institutione, sed etiam in vsu & applicatione procedunt à Christo vt principali agente, & efficaciam suam habent ex eius morte & meritis. Ioan.1.v.33. *Hic est qui baptizat,* &c. Et verò Lucæ 5.v.21. *quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?*

Num.7. Quia verò nullum Sacramentum veteris legis, seu naturæ, seu Mosaicæ, iustificabat EX OPERE OPERATO, sed solùm ratione FIDEI ET CONTRITIONIS adiunctæ; hinc longo interuallo (etsi id negent ijdem hæretici,) cedunt Sacramentis nouæ legis. Antecedens constat ex Rom. 3.v.20. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.* Neque Abraham per circumcisionem iustificatus fuit Rom.4. v.2. Imò 1. Cor.7. v.19. *Circumcisio nihil est, neque aliquid valet,* Galat.6.v.15. & c.4.v.9. vocat *infirma & egena elementa;* Philipp.3.v.8. *detrimentum,* &c. Colos.2.v. 17. *umbram futurorum.* Idcoque Hebr.7.v.18. *reprobata propter infirmitatem & inutilitatem.* c.9. v. 10. & 13. fuisse solùm *iustitias carnis* & *emundasse carnem* c.10.v.1. *non* potuisse *accedentes perfectos facere, neque auferre peccata* v. 4. *neque mundare conscientiam* v.2. Ideoque Deum psal.39.v.7. *sacrificium & oblationem noluisse, nec* ei in hunc modum *placuisse.*

Obiectiones solui Genes. 17. v.14. *Delebitur anima illa de populo suo.* Leuit. 4. v.vlt. *Rogabit* sacerdos *pro peccato eius, & dimittetur ei.* 1. Corinth.10.v.3. *Eamdem escam spiritualem manducarunt,* &c.

Num.8. Præter GRATIAM sanctificantem, VIRTVTESQVE huic annexas (de quibus controu.15. num.8.) & AVXILIA ACTVALIA, quæ ad finem cuiusque Sacramenti obtinendum necessaria sunt; imprimitur præterea animæ per tria Sacramenta, BAPTISMVM, CONFIRMATIONEM & ORDINEM, (etsi hæretici id rideant) CHARACTER indelebilis, qui est qualitas, & instar potentiæ, per quam ad cultum diuinum deputamur, & ab omnibus alijs æternùm distinguimur ac dignoscimur. Colligitur ex 2.Cor.1.v.21. *Vnxit & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* vbi præter gratiam sanctificantem, quâ vngitur anima, dicit eamdem signari seu obsignari, vt.que charactere de quo hic agimus. Idem dicit ad Ephes.1.v.13. & c.4.v.30. & alibi. Et quia hic character numquam deperditur, ideo tria hæc Sacramenta numquam iterari possunt, cùm in effectu hoc suo semper maneant.

Vsick apud Thom. Valdens. to.2. de Sacram. c. 109. Calu. in Antidoto Trid. sess.7. can 9. Kemnit. & Hesshus. sup.

Num.9. Porrò SEPTEM SACRAMENTA, (quot præcisè contra nostros hæreticos, SS. Patres & Concilia agnoscunt, & de singulis probabimus suo loco,) conueniunt quidem æqualiter in ratione Sacramenti, ac proinde sunt EIVSDEM GENERIS: sed SPECIE valdè DIFFERVNT, & secundùm varias rationes, (vt ex dicendis patebit contra Lutherum) alia aliis multùm præcellunt, sed EVCHARISTIA omnibus supereminet propter incomparabilem substantiæ ipsius dignitatem, Ioan.6.v.51.&c.

Luth. l. de Inuocatione Ministri, ad Praegens.

Num.10. Ad Sacramenta commodiùs, vtiliùs ac decentiùs administranda cùm paucos ritus ac CÆREMONIAS Christus ipse per se instituerit, reliquum sine dubio prouidentiæ Pastorum Ecclesiæ relictum voluit, vt docet S. Augustinus. Sic ritibus Eucharistiæ cùm pauçula decreuisset S. Paulus, 1.Cor.11.v.vlt. *Cetera,* inquit, *cùm venero, disponam.* & c.14.v.vlt. *Omnia honestè & secundùm ordinem fiant.* Act.15.v.29. nouam Gentibus cæremoniam Apostoli præscribunt, *abstinendi à sanguine & suffocato.* Et olim Abel, Gen.4.v.4. pro placito suo obtulit *sacrificium* Deo *de adipibus gregis sui.* Et Iacob Genes.28.v.18. etsi priuatus homo, *erigit lapidem in titulum,* &c. & Iudæi Iudith vlt.v. vlt. & Esther 9.v.21. & 1.Machab.4.v.59. noua festa instituunt. Quid ni possit similia Ecclesia Christi? (Vide contr.6. n.14. de auctoritate Prælatorum Ecclesiæ.) 2.Thessal.vlt.v.14. *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, vt confundatur.*

Aug epist. 118.c.6.

Num.11. Sunt verò CÆREMONIÆ actus externi impetrati à virtute religionis, vt per eos Deus colatur & honoretur. Vnde & instar reliquorum operum bonorum, (etsi rideant hæretici) sunt Deo grati, & vim habent satisfaciendi, merendi & impetrandi, cùm adsunt conditiones requisitæ controu.16.n.1. & controu.17.n.3. Neque enim solùm sunt distinctiua signa Catholicorum ab hæreticis, sed etiam excitant, fouent, augent deuotionem, & sunt externa fidei professio, & pars cultus diuini. *Qui* autèm *me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo,* Matth.10.v.32.

Num.12. Inter alias CÆREMONIAS in primis locum habet efformatio signi CRVCIS toties in administratione Sacramentorum adhiberi solita (quam auctor Apiarii Aldegondius solis muscis abigendis seruire vult, & Magdeburgenses mentiuntur inductam per Tertullianum in Ecclesiam.) Sed fuit hæc multis olim figuris in veteri testamento adumbrata, vt Genes.48.v.14. cancellatis Iacobi manibus: Ezech.9.v.4. signo *tau.* Et hoc signo signari iubentur illi Apoc.7.vers.3. *Signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* &c. 14.v.1. *Habentes nomen eius & nomen Patris eius in frontibus suis.* Et S. Chrysostomus dicit S. Paulum 1.Tim.4.v.5. docere Christianos vt signo crucis cibos suos consignent. Et tantum abest, Tertullianus hunc ritum primus induxerit, vt ipse-

Tertull. l. de Corona mil.

met

met tradat; cum ex Apostolica traditione promanasse.

Similia docent SS. Patres de AQVA lustrali, cuius figuram habes Num.8.v.7.& c.19.v.12. De LVCERNIS in templis Actor.20.vers.8. De CERA benedicta, de qua Isaiæ 53.v.7. De PANE ad Christi exemplum benedicto Matth.14.v.19. & Lucæ 9.vers.16.

*Num.*13. Et verò habent hæc suos quoque effectus spirituales, & specialem ENERGIAM seu efficaciam, non PHYSICAM vel NATVRALEM (vt nos fingere mentiuntur ijdem hæretici, sed MORALEM dumtaxat, v.g. Primò, sanctificandi ea quibus adhibentur, non sanctitate INTRINSECA (quod SACRAMENTIS est proprium) sed EXTRINSECA, quæ consistit in deputatione ad vsus sacros & cultum Dei. Quo modo S.Paulus 1. Tim.4.vers.5. docet, omnem creaturam Dei *sanctificari* per *verbum Dei & orationem.* Secundò, terrendi, coërcendi, fugandi dæmonem, magiam, veneficia, &c. Lucæ 9. vers.6. Tertiò, morbos & alia seu corporis seu animi mala curandi. Nam specialem potestatem in dæmones & morbos à Christo datam Ecclesiæ, constat ex Matth.10.vers. 1.& Marc.vlt.v. 17.&c.

*Num.*14. Et hos effectus operantur etiam quodammodò EX OPERE OPERATO, (nam & Iudæi & Ethnici sæpiùs eiusmodi cæremonijs adiuti sunt, teste Nazianzeno, Epiphanio, Augustino, Gregorio:) sed NON INFALLIBILITER: cùm de his non exstet alia promissio Dei, quàm quæ orationi adiuncta est, Ioan.16.v.23. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Nisi dixeris, infallibiliter hæc consequi, non simpliciter & absolutè, sed ex hypothesi, nempe si sic expediat ad nostram vel aliorum salutem: quo modo de Extrema vnctione dici solet, quòd ad sanitatem corporalem conferat. Certum enim videtur, Christum vt Ecclesiæ suæ promeruit, non solùm gratiam & gloriam, sed & alia omnia illi necessaria & vtilia: ita reliquisse etiam eidem potestatem instituendi certas cæremonias quibus Christi merita applicentur in ordine ad hos effectus minùs principales ex opere operato consequendos.

Nazian. orat.1.in Iulian. Epiph.hæresi 30. Gregor.l 3. Dialog.c.3. Aug.l.83. quæst.q.79.

CONTROVERSIA XIX.

De Baptismo.

*Num.*1. EST Sacramentum ablutionis cum inuocatione Sanctissimæ Trinitatis. Matth.vlt.vers.19. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* & Marc.vlt.v.16. additur promissio gratiæ, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Eius MATERIA non est quidquid balnei nomine potest nũcupari (vt ait Lutherus;) nam etiam ex lacte & vino balnea fiunt: sed sola & omnis aqua naturalis. Ioan.3.v.5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. Ephes.5. vers.26. *Lauacro aquæ in verbo vitæ.* 1.Ioan.5.v.6. *Hic est qui venit per aquam & sanguinem*, &c. Act.8.v.36. *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?*

Luth.in Colloq.Sympos.c. 17.

Luth.de Capt.Bab.c. de Baptismo Zuvingl.l. de Vera & falsa relig. c.de Bapt. Brent.in Catechismo suo c.de Bapt.

FORMA baptismi, non libera (vt vult Lutherus, Zwinglius & Brentius;) sed necessaria est, EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITVS SANCTI: vel verba æquiualentia. Hæc Matth.vlt. vers.19. ab ipsomet Christo præscribitur, & hanc ab Apostolis adhibitam semper fuisse docui Actor. 2. vers.38.

*Num.*2. Necessarium esse MEDIVM ad salutem, etiam INFANTIBVS FIDELIVM (quod negant cum Pelagianis Wiclef, Zwinglius, Bucerus, Petrus Martyr, Bullingerus, Caluinus, Beza & Anabaptistæ,) constat ex Ioan.3.v.5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* v.7. *Oportet vos nasci denuo.* Et an Dauid non erat filius hominis fidelis? 1.Reg.16.v.1. & tamen psal.50.v.7. dicit, *In iniquitatibus conceptus sum.* & Paulus 2.Cor.12.v.22. filium Sanctorum se vocat, & tamen Ephes.2.v.3. ait, *Eramus & nos naturâ filij iræ.* Vide & alia loca quæ citaui controuers.11.num.5.

VVicl.sup. c.96. Zuving.sup. Bucerus in c.3. Matth. Martyr, Bulling.& Beza in 1. Cor.7. Calu.in Antidoto Trid. sess.6.c.5.& l.4.Instit. c.16.§.24. & 25.

*Num.*3. Sed suppleri potest per MARTYRIVM, quod etiam ab ipsomet Christo vocatur *Baptismus*, nempe sanguinis. Marc.10.v.39. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? aut baptismo quo ego baptizor, baptizari?* Nam etiam martyrium (etsi neget Kemnitius & Magdeburgenses) remittit peccata tam originale, quàm actualia, & pœnas omnes peccatis debitas. Matth.10.v.32. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* v.39. *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam,* id est; saluam faciet eam, vt est Marci 8.v.35. & Lucæ 9.v.24. Et Ioan. 15.vers.13. *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat*, &c.

Kemn.2.p. Exam.Trid. Magdeburg.cent.5, c.4.

*Num.*4. Suppleri etiam potest in adultis (licet ijdem id negent) per POENITENTIAM, seu perfectam conuersionem, quæ includit veram contritionem, & desiderium seu votum baptismi aquæ. Nam & pœnitentia vocatur in Scripturis *Baptismus.* Lucæ 3. vers.3. *Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* & 1.Cor.15. vers. 29. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis?* Et pœnitentiæ promittitur certa remissio peccatorum. Ezech.18. v.27. *Cùm auerterit se impius ab impietate sua, & fecerit iustitiam, ipse animam suam viuificabit.* v.21. *Si impius egerit pœnitentiam à peccatis suis, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.*

*Num.*5. MINISTER BAPTISMI ordinarius, seu cui ex officio id conuenit, est SACERDOS; sed potest ab Episcopo committi etiam Diacono, vt solemniter baptizet. Sed in necessitate (licet id neget Caluinus) potest quiuis etiam laicus baptizare, siue femina sit, siue vir; siue Christianus sit, siue Paganus, dummodò adhibeat materiam, formam & intentionem debitam. ita definit Florentinum. Colligitur ex Matth.vlt. v.19. *Docete omnes Gentes, baptizantes eos*, &c. vbi facultatem baptizandi tradit omnibus quibus facultatem docendi. Et videntur adfuisse tunc non soli Apostoli (vt fingit Caluinus,) sed plusquam 500. fratres, 1. Corinth 15.v.6. Et an soli Apostoli baptizarunt vna die Pentecostes illa *tria millia?* Actor.2.vers.41. Nonne laicus Ananias Actor.9, vers.10. Paulum baptizauit? Et si Sephoræ licuit Exodi 4. v.25. filium circumcidere, cur non liceat feminæ in casu necessitatis baptizare? Nam quòd Caluinus stultam vocet, & temerè atque illicitè egisse clamet, gratis & immeritò facit.

Calu.l.4. Inst.c.15.§. 20.21.22.

Num. 6. INFANTES autem capaces esse baptismi, ac proinde POSSE AC DEBERE BAPTIZARI, contra Balth.Pacimontanum, Mich. Seruetum & Ministros Trãsiluanos & alios omnes Anabaptistas) colligi potest ex Matth. 19. vers.14. &

Ministri Transil. anno 1567. Cochlæus in Actis Lutheri anno 1527.& 1528. Et apud Calu.supr. c.16.§.29.

Lucæ 18.v.15. *Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum.* Et Marc.10. v.16. additur, Dominum *complexum fuisse* paruulos, eisque *benedixisse.* Quæ omnia signa sunt, posse paruulos iustificari & saluari: atqui non est aliud in eo statu ipsis remedium ad salutem quàm baptismus; & per hunc ingressus in Ecclesiã Christi, extra quam nulli est salus. Ioan.3.vers.5. *Nisi quis renatus fuerit,* &c. ergo baptismus ipsis applicari, & sic ianua Ecclesiæ & salutis aperiri potest. Deinde si in veteri lege iuuari poterant circumcisione, Gen.17.v.14. non poterunt vllo remedio expiari in noua lege? & minùs efficax erit gratia & meritum Christi, quàm peccatum Adami? Rom.5.v.15.& cùm toties dicantur integræ familiæ ab Apostolis baptizatæ fuisse, vt Actor.16.v.15.&33. Item 1.Cor.1.v. 16.an in ijs non etiam infantes baptizati? maximè cùm constans sit Ecclesiæ doctrina, paruulorum baptismum ex Apostolico vsu & traditione promanasse?

*Num.*7. Neque vt baptizentur opus est paruulis FIDE ACTVALI (quam Lutherus illis concedit) neque vllis nouis motibus aut inclinationibus, ferè quales fuerunt in Ioan. Baptista, Lucæ 1. v.44. quæ similes sint actibus fidei ac dilectionis Dei, (quas Melanchthon, Kemnitius & alij Lutherani paruulis concedunt:) cùm enim careant omni vsu rationis, sunt eiusmodi motus ipsis impossibiles. Sed INFANTIBVS in baptismo infunditur habitus fidei, spei & charitatis vnà cum gratia iustificante, vt colligunt Patres ex generalibus sententijs, Actor.15. v.9. *Fide purificans corda eorum.* Ephes.3.v.17. *Christum habitare per fidem in cordibus vestris.* Rom.3.v.28. *Arbitramur hominem iustificari per fidem.* Hebr.11.v.6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et ab hac fide infantes vocantur & verè sunt fideles & Christiani: quamquam etiam ab ipsa actuali receptione baptismi, quæ est vera fidei professio: sicut etiam martyrium in Innocentibus, Matth.2.v.16. de quibus Ecclesia dicit, quòd præconium Dei non loquendo, sed moriendo confessi sint.

Luther. de Capt. Babyl. c. de Baptismo anno 1520. & l. contra Cochlæum anno 1523. Melanchth. in Locis anno 1558. Kemn. sup. ad can.13. sess.7.

*Num.*8. Tollit BAPTISMVS quidquid habet veram rationem peccati, ita vt nihil prorsus in baptizato remaneat quod ab ingressu cœli remorari possit. Rom.8.v.1. *Nihil nunc damnationis iis qui sunt in Christo Iesu.* Delirum enim hæreticorum somnium de concupiscentia, quòd sit verè peccatum, sed non imputetur baptizatis, refutaui controu.12.num.7. Sicut & peccata non tegi solùm in iustis, sed reuerà deleri, probaui controu. 15.num.3.

*Num.*9. Sed efficacia BAPTISMI non se (vt vult Lutherus Caluinus, Kemnitius & alij Sectarij,) ita extendit in futurum, vt sola MEMORIA & FIDE suscepti baptismi, peccata remittantur quæ post baptismum patrantur: sed ad hęc abolenda necessariò confugiendum ad secundam post naufragium tabulam, nempe ad Pœnitentiam: de qua controu.23.num.2.

Luther. sup. Calvin. l.4. Inst. c.15. §.3. Kemn. sup. ad can.10.

*Num.*10. BAPTISMVS IOANNIS non fuit (vt omnes hæretici nostri volunt) Sacramentum idem cum BAPTISMO CHRISTI. Quia Primò, non erat propriè dictum Sacramentum: neque enim erat immediatè institutus à Deo, sed mediante Ioanne. Nam Ioan.1.v.33. *Qui misit me baptizare,* &c. solùm inspirarat vel præceperat Deus Ioanni in genere vt baptizaret, non verò in specie vt tali ritu, tali materia, tali forma: sed hæc Ioannes proprio arbitrio instituit, vndè passim vocatur *Baptismus Ioannis.* Matth.3.vers.7. *Videns Ioannes multos venientes ad baptismum suum.* Matth.21. vers.25. *Baptismus Ioannis de cœlo erat, an ex hominibus?* Similia habes Marci 11.v.30. Lucæ 20.v.4. Actor.1.v.5. cap.18. vers.25. & c.19.v. 3.&c.

Secundò, non fiebat inuocatione SS. Trinitatis, (etsi id fingant Magdeburgenses) sed vt summum, nomine Christi venturi, Actor.19.v.4. *Magdeburg. cent. 2.l.2.c.6.*

Tertiò, neque vi sua, seu ex opere operato remittebat peccata: neque gratiam sanctificantem dabat; sed solùm excitabat & inuitabat ad pœnitentiam, seu contritionem concipiendam, qua remitterentur peccata. Lucæ 3.vers.3. *Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Et sic Ioannes ipsemet distinguit suum baptismum à baptismo Christi, Marc.1.v.8. *Ego baptizaui vos in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu sancto.* Vnde sequitur

Quartò, baptizatos à Ioanne debuisse etiam baptizari baptismo Christi, vt iussit Paulus Actor. 19.v.5.

CONTROVERSIA XX.

De Confirmatione.

*Num.*1. ESse Sacramentum, (contra omnes nostros hæreticos) patet, quia est signum sensibile, nempe MANVVM IMPOSITIO (Act.8. vers.17. *Imponebant manus super eos*) coniuncta ORATIONI, (v.15. *Orauerunt pro ipsis,*) cum vnctione chrismatis & signo crucis, vt habemus ex Apostolica traditione. Confert infallibiliter abundantiam gratiæ Spiritus sancti, baptismali maiorem. v.16. *Nondum Spiritus sanctus in quemquam illorũ venerat, sed baptizati tantùm erant,* &c. *Tunc imponebant manus super illos,* (cum adiunctis cæremonijs consuetis) *& accipiebant Spiritum sanctum.* Et Ioan. 14.15. & 16. varios huius effectus promittit Christus; sponderque c.14. v.16. quòd nobiscum *in æternum permanebit.* Infallibile autem id fuisse ex eo colligitur, quòd cuicumque baptizato Apostoli manus imponebant, acciperent Spiritum sanctum, Actor.8.v.19. Iam verò institutio & mandatum Christi (vtisimiliter in vltima cœna, vt habet traditio,) à posteriori colligitur ex ipso facto Apostolorum: numquam enim Apostoli tam confidenter & ordinariè vsi fuissent tali cæremonia in ordine ad talem effectum, nisi Christus id ipsis præcepisset. Nam non ignorabant, non esse hominum instituere cæremonias ad quas consequeretur infallibiliter gratia Spiritus sancti, quod etiam Kemnitius & Caluinus admittunt. *Kemn. sup. pag.1 Calvin. sup. c.19.§.2.*

Porrò necessariam fuisse hanc cæremoniam, colligitur ex eo quòd primarij Apostoli, Petrus & Ioannes, tantum laboris & itineris susceperint, vt Ierosolymis irent Samariam, ad Spiritum sanctum impertiendum hoc ritu Samaritanis, quos Philippus diaconus baptizarat. Potuissent enim alioqui manentes Ierosolymæ orare pro ipsis &c. Act.8.v.14.

*Num.*2. Ex quo loco etiam colligimus ordinarium MINISTRVM huius Sacramenti esse Episcopum. neque enim opus alioqui fuisset Apostolos eò se transferre. Sic Actor.19.v.6. Paulus manus imponit ijs quos alij baptizarant. Et verò

proprium

proptium esse principis; adscribere militiæ milites, nemo est qui dubitet.

Num. 3. MATERIAM, quam ex traditione constat esse vnctionem, oleo (cui balsamum permixtum sit) in fronte factam in modum crucis, colligit S. Ambrosius, Anselmus & Theodoretus ex 2. Cor. 1. vers. 21. *Qui confirmat nos Deus, & vnxit nos, & signauit, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Cyrillus verò & Augustinus ex 1. Ioan. 2 vers. 27. *Vnctio quam accepistis ab eo, maneat in vobis.*

Ambros. l. de iis qui iniciantur mysterijs, c. 7. Anselm. & Theodor. in illum locũ. Cyrill. cateches. 3, mystag. August. tract. 3. in Epist. Ioannis.

Num. 4. FORMA, (vt est in Concilio Florentino,) *consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*, colligitur ex verbis S. Pauli iam citatis.

Cornelius Actor. 10. vers. 44. sicut & Apostoli Actor. 2. v. 4. Sacramenti effectum sine Sacramento acceperunt, ex speciali dispensatione Dei.

CONTROVERSIA XXI.

De Sacramento Eucharistiæ.

Num. 1. POSSE Deum efficere, vt idem numero CORPVS CHRISTI quod IN CÆLO est, sit eodem tempore vere, realiter ac substantialiter præsens IN EVCHARISTIA, (contra Wiclef, Caluinum, Petrum Martyrem & Bezam,) patet ex Matth. 19. v. 26. *Apud Deum omnia possibilia sunt.* Lucæ 1. vers. 37. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*, controu. 1. num. 3. Neque verò implicare (quod isti fingunt) contradictionem, vt vna eademque numero res pluribus simul locis existat, colligitur

Wiclef apud Thom. Waldensem to. 2. de Sacramentis c. 72. Caluin. l. 4. Instit. c. 17. §. 24 & 29. Martyr l. contra Gardinerum. Beza l. de Cœna Domini contra Westphalum.

Primò, ex ipsomet Deo, qui cùm sit vna ac simplicissima res, tamen simul est in infinitis locis. Ierem. 23. vers. 24. *Cœlum & terram ego impleo.*

Secundò, ex anima cuiusque hominis, quæ tota est in capite, tota in manibus, tota in pedibus, tota in omnibus reliquis membris.

Tertiò, quia de facto corpus Christi fuit in duobus locis quando apparuit Saulo, Actor. 9. v. 5. nempe in cœlis simul & in terra, vel in aëre terræ vicino, vt ibid. ostendi

Non etiam implicare (quod ijdem volunt) rem corpoream existere modo spirituali, id est, in indiuisibili & penetratiuè cum alijs corporibus, colligitur

Primò, ex Lucæ 18. v. 25. vbi dicit Christus, *camelum per foramen acus transire*, licet *impossibile* sit *apud homines, possibile tamen esse apud Deum.*

Secundò, quia corpus Christi de facto extitit aliquando tali modo, nempe cùm illæso matris vtero virginali natus est, Matth. 1. v. 25. cùm surrexit clauso sepulchro, Matth. 28. v. 2. cùm ad discipulos clausis ianuis bis ingressus est, Ioan. 20. vers. 19. & 26. denique cùm ad Patrem Actor. 1. v. 10. & Ephes. 4. v. 10. ascendens penetrauit omnes cœlos, qui alioqui *solidissimi* sunt, *quasi ære fusi*, Iob 37. v. 18.

Num. 2. Quod potuit Deus facere, etiam VOLVISSE, & de facto FECISSE, vt corpus Christi ita PRÆSENS sit in EVCHARISTIA, (contra eosdem & reliquos omnes Sacramentarios atque Anabaptistas) patet Primò, ex promissis Christi Ioan. 6. vers. 52. *Panis quem ego dabo, caro mea est.* v. 56. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* vers. 54. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*, &c.

Secundò, ex verbis quibus hoc Sacramentum instituit Matth. 26. v. 26. Marci 14. vers. 22. Lucæ 22. vers. 19. & 1. Corinth. 11. v. 24. *Accepit Iesus panem & benedixit, ac fregit, dedisque discipulis suis, dicens; Accipite & manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur.* Lucæ 22. vers. 20. in Græco est, *Hoc est poculum sanguinis mei pro vobis effusum*, vel *quod effundetur.*

Tertiò, ex verbis Pauli quibus hanc veritatem explicat & inculcat 1. Corinth. 10. v. 16. *Panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est? Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est?* & c. 11. v. 27. *Quicumque manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè; reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo*, &c. *Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.*

Quartò, ex figuris *Eucharistiæ*: nam si in hac (vt volunt prædicti omnes) non est nisi naturalis panis & vinum repræsentans mortem Christi, iam veteres figuræ Eucharistiæ, vig. *manna*, Exodi 16. v. 13. *agnus paschalis*, c. 12. v. 3. *sanguis vituli* aspersus, Exodi 24. v. 6. longè nobiliores tàm in essendo, quàm in repræsentando, fuerint ipso Sacramento Eucharistiæ, cuius (ex omnium Patrum sententia) figuræ fuerunt. Atque ita falsum erit quod S. Paulus ad Coloss. 2. v. 17. & ad Hebr. 9. ac 10. & alibi toties inculcat, vetus testamentum continuisse nudas *vmbras*, nouum autem *veritatem*: nam in præcipuo nouæ legis Sacramento id falsum deprehendetur.

Obiectiones pleraſque solui locis iam citatis: alias verò Ioan. 6. vers. 52. de manducatione per fidem: & v. 64. *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quidquam: verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* 1. Cor. 10. v. 3. *Patres nostri eamdem escam spiritualem manducauerunt*, &c.

Num. 3. CORPVS CHRISTI in Eucharistia NON COEXISTERE PANI (vt volunt Lutherani) sed omnem panis substantiam (etiam materiam primam, contra Durandum) per consecrationem prorsus tolli, patet ex verbis Christi Ioan. 6. v. 52. *Panis quem ego dabo, caro mea est.* & Matth. 26. vers. 26. *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur*: quæ prædicata non possunt vllo sano sensu tribui pani naturali, (vt ibidem demonstraui:) & tamen tribuerentur si panis substantia istic adesset: nam esset connaturale subiectum accidentium, & principalius per illa designaretur; vnde etsi concomitanter corpus Christi ibidem adesset, non de ipso, sed de pane naturali prædicarentur iam dicta. Desinit autem hæc substantia panis & vini per solam subtractionem concursus positiui Dei, quo substantia illa antè conseruabatur in suo Esse. Sap. 11. v. 26. *Quomodo posset aliquid permanere nisi tu voluisses, aut quod à te vocatum non est, conseruaretur?* Quo sensu 1. Cor. 10. v. 16. vocetur *panis*, & Matth. 26. v. 29. *genimen vitis*, ibidem exposui.

Durand. in 4. dist. 11.

Num. 4. ACCIDENTIA ergo panis & vini, quæ reliqua manent in Eucharistia, existunt ibidem SINE SVBIECTO, (vt Cõcilia Constantiense, Lateranense & Tridentinum contra hæreticos definiunt) solo concursu Dei conseruatiuo.

detinente ipsa in suo Esse: nam accidentia realia habent in se & per se sufficientem entitatem. Et licet naturaliter inclinent ad inhærendum substantiæ, ad quam ornandam ex se ordinantur, (accidentis enim esse est inesse:) tamen actualis vnio cum substantia, nõ est illis essentialiter necessaria. Sicut anima nostra licet ex se appetat informare corpus, potest tamen sine actuali informatione per se separata existere. Apoc. 6. v. 9. *Vidi animas interfectorum*, &c. Et hæc accidentia in hoc Sacramento signum sunt visibile, quo tegitur inuisibile corpus Christi, Deo vtrumque modo prorsus mirabili in vnum nobilissimum Sacramentum connectente. Vnde & primo instanti quo accidentia illa ita alterata sunt vt in aliud transmutentur, desinit illis subesse corpus Christi; desinente Deo illud ibidem conseruare. Cùm enim tunc non amplius possit per species illas seu accidentia demonstrari, in propositione, *Hoc est corpus meum*, non debet etiam diutiùs ibi adesse.

Num. 5. NEQVE tamen SVB SPECIEBVS panis est SOLVM CORPVS Christi, & sub speciebus vini solus sanguis: sed per concomitantiam etiam ANIMA AC DIVINITAS, adeoque (etsi rideant Sacramentarij) TOTVS CHRISTVS viuus & glorioſus est (vt eadem Concilia definiunt) sub VTRISQVE speciebus, imò sub qualibet earumdem particula & puncto. Ioan. 6. v. 51. *Ego sum panis viuus.* v. 58. *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Ergo qualis est in se Christus, talis est in Eucharistia. Rom. 6. v. 9. *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur.* Vnde Matth. 26. v. 27. etsi ex vno calice Apostoli omnes biberent, singuli tamen totum hauserunt Christum. Ratio verò est, quia Christus in Eucharistia non est modo quantitatiuo & coextenso loco, sed modo indiuisibili spiritibus proprio, quo totum vt est in toto, sic etiam est in singulis partibus totius.

Num. 6. Et hæc ratio est, cur corpus Christi in Eucharistia, licet possit loco moueri, videri ab angelo & anima separata, videre quoque & agere in alia adiacentia: (quia hæc non repugnant enti existenti in indiuisibili:) tamen NON possit ab vllo agente naturali CORRVMPI, lædi, vel vllo modo alterari; partim quia in se est glorioſum, & consequenter impassibile. Rom. 6. v. 9. *Iam non moritur: mors illi vltrà non dominabitur.* Partim quia (etsi in se esset passibile, vt erat ante resurrectionem,) existit in Eucharistia modo impassibili respectu agentis naturalis, quod non potest vllam qualitatem corpoream producere in subiecto existente in indiuisibili. In hoc enim qui sic existunt, *æquales angelis sunt*, Lucæ 20. v. 36.

Cochlæus l. 3. Miscellaneor. fr. 8.

Num. 7. NON consistit hoc Sacramentum IN SOLO VSV vel sumptione (vt Martinus Bucerus Luthero & reliquis omnibus tam Sacramentarijs quàm Lutheranis persuasit,) sed IN RE PERMANENTE, putà in ipsa hostia consecrata. Vnde & asseruari, & circumferri, & adorari illa potest. Priùs enim à Christo dictum fuit, *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, quàm fieret actio *manducandi* vel *bibendi*. Ideo enim iubentur manducare & bibere, eò quòd esset corpus & sanguis Christi, Matth. 26. v. 28. & Lucæ 22. v. 20. *calix* dicitur continere sanguinem, non verò solum *os bibentis*. Et in hoc distinguitur Eucharistia à reliquis Sacramentis. Sumptio tamen Eucharistiæ concurrit vt conditio sine qua non applicaretur nobis Sacramentum, neque in nos ageret diuinum hoc alimentum. Ioan. 6. vers. 54. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis*, &c.

Num. 8. Christum instituisse Eucharistiam decimaquarta die primi mensis, qua secundùm legem non erat vsus nisi azimi panis, ac consequenter IN AZYMO instituisse,) contra Græcos, quibus fauent Centuriatores, Kemnitius & Caluinus) conuincitur ex Marci 14. v. 12. *Primo die azymorum quando pascha immolabant.* Lucæ 22. vers. 7. *Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha.* Et etiam S. Ioannes, (quem Græci se profitentur sequi,) cap. 13. v. 1. diem Veneris, seu feriam sextam, qua passus est Christus, vocat *diem festum*, & c. 18. v. 39. vocat *Pascha*. Græcis tamen indulto Ecclesiæ permissus panis fermentatus in suis Ecclesijs Græciæ.

Centuriãt. c. 8. Kemn. 2. Exam. Trid. ad sess 22. c. 7. Caluin. l. 4 Instit. c. 17. §. 34.

Obiectiones solui Matth. 26. v. 5. *Non in die festo.* &c. Ioan. 18. v. 28. *Vt manducarent pascha.* c. 19. v. 31. *Erat parasceue.* Marc. 15. v. 46. *Ioseph mercatus est sindonem.* Lucæ 23. v. vlt. *Mulieres parauerunt aromata.*

Num. 9. AQVAM VINO, ex vsu regionis, ADMIXTAM habuisse Christum in calice Eucharistico, traditio est Ecclesiæ & constans SS. Patrum doctrina. Vnde sacrilegium non est, neque blasphemum, neque hæreticum id imitari, (vt vult ex suo Caluino Petrus Richerus & alij:) neque fatui sunt vel stolidi (vt vult Lutherus,) qui peccatum esse putant, sine aqua vino admixta celebrare: nam Ecclesia voluit, nos in hac re conformari exemplo Christi, etsi non præcepto eiusdem.

Richerus apud Nicol. Villagagnonium l. 1. contra articulos Caluinianos.

Num. 10. Vi verborum illorum, HOC EST CORPVS MEVM, HIC EST SANGVIS MEVS, vti Christus consecrauit, ita à nobis iam quoque consecrari (contra recentiores Græcos, & Bucerum, Caluinum, & alios quosdam Sacramentarios) patet partim ex vocula *Hoc facite*, quæ immediatè subnectitur: partim quia alioqui verba ista essent falsa, si differretur præsentia corporis & sanguinis Christi.

Luth. contr. regem Angliæ anno 1522. Bucer. in Matth 26. Caluin. sup. §. 19.

Num. 11. Non quemlibet CHRISTIANVM (vt voluit Wiclef & Lutherus) sed solos SACERDOTES validè consecrare Eucharistiam, constat ex ijsdem verbis, *Hoc facite*, Lucæ 22. v. 19. quia nullis nisi Apostolis dicta sunt à Christo: neque referuntur ad illa sola, *Manducate & bibite*, (quia Lucas ista verba non habet, sed solùm, *Accepto pane gratias egit & fregit. & dedit eis, dicens, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite*, &c.) sed ad omnia præcedentia facta Christi, quæ iubet Apostolos imitari.

Num. 12. Cùm verò constet ex num. 5. totum Christum SVB ALTERA specie non minùs quàm SVB VTRAQVE totum existere, & ex num. 7. rationem Sacramenti etiam sub vna specie totam reperiri; sequitur Primò, non maiorem vtilitatem sumi ex communione sub vtraque specie, quàm sub vna sola. Vnde & Christus subinde soli manducationi panis tribuit, quod alibi vtrique tribuere solet, vt Ioan. 6. v. 56. *Caro mea verè est cibus.* v. 59. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, v. 58. *Qui manducat me, viuet propter me.* v. 52. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* v. 50. *Hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducet, non moriatur.* Et verò pleræque figuræ Eucharistiæ, vt *lignum vitæ* Gen. 2. v. 9. & cap. 3. v. 22. *agnus Paschalis* Exodi 12. v. 3. *manna* cap. 16.

cap.16.vers.13. *panes propositionis* cap.25.v.30.&c. non prafigurarunt nisi manducationem sub vna specie.

Sequitur Secundò, nullam iniuriam fieri laicis cùm vsus calicis ipsis inhibetur, vt inhibet Ecclesia, ne (vt natum erat fieri) sanguis Domini irreuerenter effundatur sæpiùs in terram. 1. Cor.14. vers.vlt. *Omnia honestè & secundùm ordinem fiant.* Mendacia autem sunt hæreticorum, laicis Luc.22. v.19. vtramque speciem præcipi à Christo, nec olim aliter vnquam factitatum, &c. Nam & duobus discipulis in Emaus Lucæ 24.vers.30. sub sola panis specie porrectam à Christo Eucharistiam multi Patres docent: & Actor.2. v.42. dicuntur primi fideles *perseuerasse in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis*, (nulla vini factâ mentione) *& orationibus.* Et quomodo Nazaræi alioqui votum suum expleſſent? nu.6. quales in primitiua Ecclesia multos fuisse colligitur ex Actor. 21.v.23. Denique non sine causa S. Paulus 1. Cor. 10.v.16. cùm de calice agit, non dicit, se illum dare alijs bibendum, sicut de pane dicit, se illum *frangere* in esum, &c. sed solùm ait: *Calix benedictionis cui benedicimus*, consecrando, *nonne communicatio sanguinis Christi est?* Vtique ijs quibus communicatur, putà sacerdotibus necessariò ad integritatem sacrificij, laicis non necessariò ad integritatem Sacramenti: nam his sufficit *participatio panis quem frangimus* cuicumque volenti. Vnde & mox subdit, spiritalem vnionem fidelium inter se & cum Christo, (quæ ex Christi institutione significatur per hoc Sacramentum,) sufficienter designari sub vnica specie: *Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus.*

Illud Matth.26.v.27 *Bibite ex hoc omnes*, impletum ait Marcus cap.14.v.23. ab Apostolis, de quibus subdit, *Et biberunt ex eo omnes.*

CONTROVERSIA XXII.

De Sacrificio Eucharistico.

*Num.*1. PRopriè dictum SACRIFICIVM est externa oblatio facta Deo, qua ad testandum supremum illius dominium & nostram erga eum subiectionem, substantia aliqua sensibilis à sacerdote realiter transmutatur.

OBLATIONEM vocat Scriptura Psal.39. vers.7. *Sacrificium & oblationem noluisti*, &c. & Hebr.5.v. 1. *Pontifex constituitur*, &c. *vt offerat dona.*

EXTERNA sit oportet, in manifestum ac publicum vsum. de tali enim solo sacrificio iam agimus.

Et fit soli DEO. Exodi 22.v.20. *Qui immolat diis occidetur, præterquam Domino soli.* AD TESTANDVM ILLIVS DOMINIVM, &c. Est enim quasi tributum quod Deo pendimus in eum finem. Malach.1.v. vlt. *Quia rex magnus ego, dicit Dominus exercituum*, Et hic finis est sacrificio intrinsecus & essentialis: & facit, vt sit opus virtutis religionis.

Ex parte MATERIÆ requiritur SVBSTANTIA SENSIBILIS, vt excludantur actiones transeuntes, v.g. psalmodiæ, preces, genuflexiones, &c. factæ in honorem Dei.

Ex parte FORMÆ. vt substantia illa REALITER TRANSMVTETVR. Sic enim non solus vsus rei (vt fit in simplici consecratione) sed etiam substantia rei in Deum tranfertur, testatumque fit, etiam intimæ entitatis rerum habere dominium. Hæc transmutatio in sacrificijs antiquæ legis fiebat destructione hostiæ saltem secundùm aliquam sui partem, Leuit.1.2.3. &c. Sed in noua fit (vt mox videbimus num. 6.) per nouam hostiæ productionem, qua supremum Dei dominium in omnia, & nostri erga illum subiectio, commodiùs & expressiùs designatur, quàm per destructionem rei. Et vniuersim ab vno Deo pendet, quibus rebus, & quibus ritibus coli debeat, præscribere ac determinare. Deut.12.v.32. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.*

Ex parte offerentis, requiritur vt sit SACERDOS, seu minister publicus legitima auctoritate ad id munus deputatus. Sacrificium enim est *sacerdotis* (tamquam correlatiui sui) *sacrificium.* Hebr.5.v. 1. *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia.* v.4. *Nec quisquam sumit sibi* hunc *honorem*, &c. Vnde *Ozias* rex, cùm non esset sacerdos, & sacrificare vellet, lepra punitur à Deo, 2. Paral.26. v.19. Et *Saul* ob eamdem causam (ex non paucorum opinione) à Deo reiectus & regno priuatus est. 1.Reg.13.v.13.

Ex vsu quoque & praxi omnium gentium, requiritur locus specialis ab vsibus profanis segregatus, & huic muneri dedicatus, quem ARAM seu ALTARE vocamus. Sic apud Iudæos sacrificium offerri ordinariè non poterat nisi in ara tabernaculi, vel templi Ierosolymitani. Et suum Christianis *altare* esse testatur S.Paulus, Hebr.vlt.v.10.& 1.Cor.10.v.21.

Num. 2. Non igitur omne opus bonum (vt vult Melancthon & Kemnitius) nec omnis oblatio facta in honorem Dei (vt Caluinus cum alijs contendit,) est SACRIFICIVM propriè dictum. Tum quia multis desunt conditiones suprà requisitæ. Tum quia Scriptura passim condistinguit, & subinde præfert quædam bona opera sacrificio, vt 1.Reg.15. vers.22. *Melior est obedientia quàm victima.* Osee 6. vers.6. *Misericordiam volui, & non sacrificium.* Similimodo oblationem distinguit à sacrificio psalm.39.vers.7. *Sacrificium &* aliam *oblationem noluisti.* Psalm.50.v. vlt. *Oblationes & holocausta.* Et Exodi 25.35.& alibi multa offerri iubentur Deo, quæ tamen non possunt dici sacrificari, v.g. omnes primogeniti, omnes sacerdotes & Leuitæ, primitiæ variarum frugum, & decimæ, aurum, argentum, gemmæ, byssus, &c.

Melanchth. in Locis tit. de sacrif. Et in Apologia. Kemnit sup. de Sacrificio. Caluin sup. c.18.§.13. &c.

Quando Scriptura subinde *contritionem*, psal. 50.v.19. vel *eleemosynam*, Hebr.vlt.v.16. vel *opera iustitiæ*, psal.4.v.6. vocat *sacrificium*, tunc latiùs sumit nomen *sacrificij*, vt commune est tam impropriè, quàm propriè dicto.

*Num.*3. MORTEM CHRISTI propriè dictum SACRIFICIVM fuisse, nemo dubitat: MARTYRVM passiones non item. Et verò multùm interest. Nam Primò, Christus vt Deum placaret generi humano, (qui est finis veri sacrificij) mortem subiit, Coloss.1.v.20. *Pacificans per sanguinem crucis*, &c. Hebr.13.v.12. *Vt sanctificaret per suum sanguinem populum, passus est*, &c. Martyres pro fine habuerunt, testimonium perhibere veritati.

Secundò, Christus propriè seipsum sacrificauit, moriens quia, quando, vbi, quomodo voluit. Ioan.17.v.19. *Pro eis ego sanctifico meipsum*, Ioan. 10.v.18. *Ego pono animam meam: nemo tollit eam à me, sed*

me, sed ego pono eam. Isaiæ 53.v.7. *Oblatus est quia ipse voluit.* Nihil horum est in Martyribus.

Tertiò Christus verè ac propriè erat sacerdos, psal.109.v.4.imò *pontifex* summus, Hebr.10.v. 21. qui posset quamcumque vellet hostiam ritè offerre,atque ideo etiam seipsum,in sacrificium. Quod in Martyribus non reperitur.

*Num.*4. Sed præter hoc CRVENTVM Christi in cruce SACRIFICIVM,est præterea aliud in Ecclesia Christi,non solùm spirituale,internum,mysticum seu metaphoricum (quale hæretici facilè admittunt,) sed etiam reale,externum ac propriè dictum sacrificium INCRVENTVM. Hebr.13.v. 10. *Habemus altare, de quo edere potestatem non habent qui tabernaculo deseruunt.* 1.Cor.10.vers.21. *Non potestis mensæ Domini participes esse,*&c.Hebr. 7.v.12. non dicitur, sublatum ex orbe *sacerdotium,* sed *translatum* in Ecclesiam Christi. Nec enim debet nobiliori statui Eccl.siæ denegari, quòd ignobiliori concessum constat. Maximè cùm nullam in se imperfectionem includat sacrificium,nec minùs illo iam indigeat populus Christianus,quàm olim Iudaicus, tum ad colendum nobilissimo religionis actu Deum: tum ad illum placandum, & beneficia certò & infallibiliter ab illo impetranda.

*Num.*5. Hoc nouæ legis sacrificium,& quidem vnicum, est illud quod Christus in vltima cœna obtulit & instituit, & per vniuersam eius Ecclesiam (velint nolint hæretici,) adhuc quotidie in Missa offertur. Est enim *iuge sacrificium* Ecclesiæ Christi,Dan.8.v.11.& c.12.v.11. &c. præfiguratum sacrificio Melchisedechi Gen.14. v. 18. Neque Christo, quòd *sacerdos* sit *in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* psal.109.v.4. & Hebr.7. v.11. conuenit nisi ratione sacrificij Eucharistici,quod in cœna instituit,& quotidie per sacerdotes ministros suos offert in Missa, vt ibidem ostendi. Et hoc est nouum illud & omninò *munaum* sacrificium, quod Malachiæ 1.v.11 non amplùs à Iudaico, sed à Gentili populo,non in vno terræ angulo,sed per vniuersum orbem prædicitur offerendum Deo. & ab ipsomet Christo describitur Ioan.4.v.23. *Venit hora & nunc est,quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Vide ibi dicta. Instituitur autem ab eodem Christo Matth.26.v.26. vbi primus ipse illud offert, & Apostolis eorumque successoribus vt deinceps offerant,præcipit Lucæ 22.v.19. *Hoc facite,*&c.

Obiectiones solui locis ijsdem iam citatis.

*Num.*6. Huic vni & soli conueniunt omnes conditiones ad SACRIFICIVM propriè dictum suprà n. 1. requisitæ: nam in eo corpus Christi & sanguis sub sensibilibus speciebus panis & vini realiter reproducuntur per ministerium legitimi sacerdotis,ad protestandum supremum Dei dominium & nostri subiectionem. Porrò principalis & primarius offerens hîc est Christus,qui secundùm diuinitatem suam transsubstantiat panem & vinum in corpus & sanguinem suum, sacerdotibus tantùm vt instrumentis ad id concurrentibus: vnde non in sua,sed in Christi persona dicunt, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Quibus verbis essentialiter perficitur sacrificium, dum consecratione reproducitur corpus & sanguis Christi in honorem Dei. Licet enim consecratio non videatur exteriùs præ se ferre formam oblationis, non tamen propterea desinit habere perfectam rationem oblationis, quatenus subest intentioni offerentis. sicut sacrificium crucis nullam videbatur præ se ferre formam oblationis, cùm tamen esset perfectissima oblatio.

*Num.*7. Ad essentiam SACRIFICII nostri Eucharistici non sufficit consecratio sub vnica specie, sed iure diuino requiritur consecratio SVB VTRAQVE. Etsi enim Lucæ 22.v.19. *Hoc facite,*&c. referatur quasi dictum à Christo ante vini consecrationem;ex alijs tamen Euangelistis constat ad vtramque referendum: Marc.14.v.23. *Biberunt ex eo omnes.* & S.Paulus 1.Cor.11.v.25.narrat,*Hoc facite,*&c. dictum tam post vini, quàm post panis consecrationem. Ratio est voluntas Christi, cui placuit ea ratione sacrificium suum instituere vt perfectum conuiuium repræsentaret,in quo non minùs reperitur potus quàm cibus. Isaiæ 25.v.6. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc* Sion *conuiuium pinguium.conuiuium vindemiæ,pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Vide Leuit.1.v.2.

*Num.*8. Est porrò hoc MISSÆ SACRIFICIVM non modò EVCHARISTICVM, gratiarum actionis, & LATREVTICVM, ad cultum & honorem Dei, (vt facilè concedent hæretici,) sed est etiam verè PROPITIATORIVM & IMPERATORIVM. Quia Christus apud Euangelistas dicit, *corpus* suum in Eucharistia *dari* & frangi,& *calicem* sanguinis sui Eucharisticum *effundi*, id est, offerri (nam liquida sui effusione offerebantur,sicut solida fractione,) *in remissionem peccatorum*, non pro præsentibus tantùm,sed & *pro multis* alijs absentibus,Matth.26.v.28.Et verò decebat sacrificium nouæ legis non minoris esse efficaciæ quàm sacrificia veteris legis,quæ propitiatoria & impetratoria fuisse constat ex Leuit.1. v.2. Iob 1.v.5. & c.vlt.v.8.rursus 2.Reg.vlt.v.18.& 1. Esdræ 6. v.10.& 2.Mach.3.vers.32. Et Christiani non minùs egent remissione peccatorum & alijs beneficijs diuinis,quàm Iudæi. Denique omnis oratio est impetratoria, &c. controu.17.num.2.quantò magis sacrificium, quod est nobilissima oratio? Ioan.4.v.20.

Obiectiones solui Hebr.10.v.18. & 26. *Iam non relinquitur pro peccatis hostia.* Et v.14. Christus *vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos.*

Num. 9. Effectum hunc suum producit etiam EX OPERE OPERATO, infallibiliter & independenter à dispositione, seu sacrificantis, seu pro quo sacrificatur. Patet ex absoluta promissione Christi Matth.26.v.28. *Effundetur in remissionem peccatorum.* Et Christus ipsemet, vt in Sacramentis, sic & in sacrificio est principalis agens, à quo valor & dignitas actionis desumitur, non verò à ministro.Ioan.17.v.19.*Ego meipsum sanctifico pro eis.*

*Num.*10. Sed proprius & immediatus EFFECTVS sacrificij, (seu crucis,seu Eucharistici) EX OPERE OPERATO, non est,de facto remittere culpas peccatorum,iustificare, vel augmentum gratiæ sanctificantis conferre: (hoc enim proprium est Sacramentis, vt docet Tridentinum: neque Tol. in decere videtur,vt qui actu proprio & libero defe- *quæstio* xit à Deo, liberetur per applicationem remedij *17.* planè extrinseci sine vllo actu interno libero. Ezech.18.v.30.*Conuertimini & agite pœnitentiam,* &c.Sed effectus illius est

Primò,

Primò, CONFERRE homini tẽpore opportuno AVXILIA Dei ACTVALIA, seu gratias præuenientes, controu.14.nu.3. quibus ad peccatorum detestationem excitetur ac disponatur, imò & deducatur si velit: & sic saltem mediatè ad veniam ac *remissionem peccatorum* confert, Matth. 26.v.28.

Secundò, REMITTERE saltem ex parte POENAM TEMPORALEM, quæ peccatori, remissis culpis, adhuc persoluenda restabat in foro Dei, controu.23.num.8. Si enim vim satisfaciendi tribuamus sacrificiis antiquæ legis, Leuit.4.5.6.& 7.&c. quo iure negabimus illam longè efficaciori sacrificio nouæ legis? Et hi duo sunt effectus primarij & planè infallibiles. Secundarius est, quælibet beneficia, seu spiritualia, seu corporalia, mediatè vel immediatè, (sed via impetrationis, controu. 17.num.3.) obtinere à Deo, quatenus & quando ad salutem conducunt

*Num.*11. Tam PRO DEFVNCTIS in Purgatorio, quàm PRO VIVIS offerri & prodesse posse, dicemus controu.29.num.4. Posse & IN HONOREM Sanctorum offerri non Sanctis ipsis (vt calumniantur hæretici) sed DEO, (cui SOLI sacrificatur) in gratiarum actionem pro victoria aliisque beneficiis, Sancto illi & Ecclesiæ concessis, docebimus controu.30.n.7. An lingua vulgari celebrandum, dixi controu.2.num.11.

Num. 12. APOSTOLOS Missam celebrasse, vt certum est ex præcepto Christi, *Hoc facite*, &c. cui sine dubio paruerunt: ita colligitur ex Actor.2. v.42. *Erant perseuerantes in communicatione fractionis panis.* Actor.13.v.2. *Ministrantibus illis Domino*; Græcè, λειτουργούντων, id est, sacrificantibus, vt etiam Erasmus vertit. Actor.20.v.7. *Vna sabbati cùm conuenissemus ad frangendum panem.* 1. Cor. 10.v.16. *Panis quem frangimus*, &c. v.21. *Non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ dæmoniorum.* Hebr.13.v.10. *Habemus altare*, &c.

CONTROVERSIA XXIII.

De Pœnitentia.

*Num.*1. POENITENTIAM animi, signis externis declaratam, si accesserit verbum absolutionis sacerdotalis, SACRAMENTVM esse nouæ legis propriè dictũ, nunc concedunt, nunc negant Lutherus, Melanchthon & plerique Lutherani: negant Sacramentarij Zwinglius, Caluinus, Beza & alij. Sed probatur ex Ioan.20. v.22. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hîc habes Primò, *ritum externum* diuinitus institutum, nempe remissionem seu relaxationem peccatorum, quam vocamus *verbum absolutionis.* Et hoc concedunt Kemnitius, Caluinus & alij. Vt & istud, quòd hic ritus supponat alium in pœnitente ritum externum, nempe quo testetur se peccata habere venia digna, eaque sibi displicere: alioqui non constaret iudici, remittendane sint eius peccata an retinenda. Habes Secundò, *promissionem* diuinam *gratiæ* iustificantis certissimam atque apertissimam, *Remittuntur eis.* Habes ergo quidquid ad essentiam Sacramenti requiritur. Et de hoc ait S.Paulus 2.Cor.5.v.18. *Deus dedit nobis ministerium reconciliationis.* nam v.20. *Pro Christo legatione fungimur.*

Apud Bellarm.l.1.de Pœnit.c.9.

Kemn.2.p. Exam.Trid. diſp.1.de Pœnitentia. Calvin.l.3. Inſtit.c.4. §.12.

*Num.*2. POENITENTIÆ Sacramentum, quo peccata post baptismum admissa remittũtur, non est ipse baptismus sola memoria repetitus (vt fingunt Lutherus, Melanchthon & Caluinus:) nam huius nulla vspiam mentio in Scripturis aut Patribus; sed est dolor de offenso Deo cum adiuncta peccatorum confessione, &c. 1.Ioan.1.v.9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Et quando S.Petrus Simonem Magum iam baptizatum Actor.8.v.13. hortatur ad pœnitentiam v. 22. an remittit ad nudam baptismi susceptí memoriam? Et quando S.Paulus 1.Corinth.5. de incestuoso agit, meminitne vmquam baptismi?

Luther.de Capt.Babyl. c.de Bapt. & in fine l. Melanchth. in Locis anno 1521.tit. de Pœnitentia. Caluin. l.4. Inſtit.c.15. §.4.& c.19. §.17.

Num. 3. Sacramentum POENITENTIÆ pro MINISTRO requirit SACERDOTEM. Neque enim nisi Apostolis & horum successoribus dictum à Christo, Ioan.20. vers.23. *Quorum remiseritis peccata*, &c. Pro FORMA exigit VERBVM ABSOLVTIONIS, quod hæretici non negant; pro MATERIA tres actus pœnitentis, CONTRITIONEM, CONFESSIONEM & SATISFACTIONEM, quæ semper, etiam in antiqua lege, seu naturæ, seu Mosaica, necessariæ fuerunt ad remissionem peccatorum obtinendam. Ioel 2.v.12. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu.* 2. Reg.vlt.v.10. *Percussit cor Dauid eum, & dixit ad Dominum, Peccaui valdè in hoc facto,* &c. & v. vlt. offert sacrificium in satisfactionem. *Niniuitis* (quorum pœnitentiam laudat Christus Matth.12.v.41.) præcipitur Ionæ 3.v.8. *Conuertatur vir à via sua mala, & clament ad Dominum, & non gustent quidquam*, &c. Et *filijs Israel* Num.5.v.6. præcipitur. *Vir siue mulier, cùm fecerint ex omnibus peccatis quæ solent hominibus accidere, confitebuntur peccatum suum*, &c. Sic 2.Esdræ 9.v.1. *conuenerunt in ieiunio & in saccis, & confitebantur peccata sua.* & Matth.3.v.6. *baptizabantur à* Ioanne Baptista *in Iordane, confitentes peccata sua.* Similia habes in pœnitentia *publicani* Lucæ 18.v.13. & *filij prodigi* Lucæ 15.v.18. & Actor.19.v.18. *Multi credentium veniebant confitentes & annuntiantes actus suos.* Ex natura enim rei hæc requiruntur ex parte pœnitentis, si amicitiam cum offenso resarciri desideret.

*Num.*4. CONTRITIONEM aliquam, saltem imperfectam, in adultis omninò necessariam esse, necessitate medij, ad remissionem peccatorum & iustificationem obtinendam, patet Lucæ 13.v.3. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Et quid aliud Ezechiel toto c.18.&33. inculcat? Sed vt sola per se, sine Sacramento accedente, extinguat peccata, debet esse dolor de offenso Deo summus, non intensiuè sed apprætiatiuè (nempe quo nullum malum magis velimus cuitatum quàm peccatum; cùm peccatum sit maximum omnium malorum.) Neque enim possumus si minor dolor adsit, ad Deum conuerti ex toto corde, Ioel.2.v.12. suprà. neque Deum *diligere ex toto corde*: quod tamen, si saluari velimus, iubemur facere Deut.6.v.5.& Matth.22.v.37. & Lucæ 10. v.27. Sed talis dolor includit votum seu desiderium adhibendi remedium quodcumque institutum est à Deo ad veniam peccatorum obtinendam, v.g. in nouâ lege baptismum pro non baptizatis, confessionem & absolutionem Sacramentalem pro baptizatis. Includit enim dilectionem Dei super omnia, & hæc propositum seruandi omnia præcepta Dei.

Num.5. Tali CONTRITIONE sine vllâ mora obtinetur

tinetur statim venia peccatorum. Isaiæ 30. v.15. (secundùm versionem LXX.) *Si reuersus ingemueris, tunc saluus eris.* Ezech.33. v.12. *Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua.* Sic Dauidi mox vt dixit *Peccaui Domino* 2. Reg.12. v.13. subditur, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Idem videre est in filio prodigo, Lucæ 15. vers.20.

Neque vllum est peccatum quod per veram pœnitentiam non deleatur. Generales enim sunt promissiones. Ioël.2. v.12. *Conuertimini ad me,* &c. v.vlt. *Omnis quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Matth.11.v.28. *Venite ad me omnes,* &c. Ezech.18. & 33. *Nolo mortem peccatoris,* &c. Matth. 16.v.19. *Quodcumque solueris,* &c. c.18.v.18. *Quæcumque solueritis,* &c.

Obiectiones solui 1.Reg.2.v.25. *Si in Deum peccauerit vir, quis pro eo orabit?* Prou.1.v.28. *Inuocabunt me, & non exaudiam.* 2.Mach.9.v.13. *Orabat scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Et Esau Hebr.12.v.17. *non inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* 1.Ioan.5.v.16. *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis.* Denique Matth.12.v.32. Marc.3. v.29. *Peccatum in Spiritum sanctum* dicitur *irremissibile.* Similia Hebr.6.v.4. & c.10.v.26.

*Num.*6. ATTRITIO ex timore pœnæ orta, seu timor seruilis, non facit homines hypocritas magisque peccatores (vt sensit Lutherus) sed disponit ad CONTRITIONEM & solidam pœnitentiam. Psal. 110.v.10. & Prou.1.v.7. *Initium sapientiæ timor Domini.* Eccli.25.v.16. *Timor Domini initium dilectionis eius.* Isaiæ 26. v.18. A timore tuo *concepimus & peperimus spiritum salutis.* Matth.10.v.28. *Timete eum qui potest corpus & animam perdere in gehennam.* Et cur alioqui Christus Matth.3.13.24. & 25. & alibi toties minatur *ignem gehennæ, stridorem dentium, tenebras exteriores, vermes, & flammas inextinguibiles?*

Luth. serm. de Pœnitentia anno 1517. & lib. contra bullam Antichristi ad art.6.

Fateor, non sufficere per se ad iustificationem: sufficit tamen si accesserit absolutio Sacramentalis, hac supplente quod deest ex parte illius. Ioan. 20.v.23. *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis?*

*Num.*7. CONFESSIO peccatorum MORTALIVM in specie coram sacerdote facienda est IVRE DIVINO, (quidquid reclament hæretici:) Christus enim cõstituit sacerdotes in Ecclesia iudices cum ea potestate, vt sine ipsorum sententia nemo post baptismum lapsus, reconciliari possit Deo. Matth. 16.v.19. *Tibi dabo claues,* &c. c.18.v.18. *Quæcumque alligaueritis,* &c. Ioan.20.v.23. *Quorum remiseritis peccata,* &c. 2.Cor.5.v.18. *Dedit nobis ministerium reconciliationis. Pro Christo legatione fungimur.* Atqui sacerdotes non possunt rectè iudicare de peccatis, nisi illa cognoscant: cognoscere non possunt, nisi pœnitentes illa aperiant: ergo tenentur ipsi iure diuino sacerdotibus illa aperire. Et verò etiam in lege Mosaica præceptam fuisse à Deo confessionem coram sacerdote faciendam, constat ex dictis num.3. ac nominatim Num.5.v.6. *Vir siue mulier,* &c. Et nonne ex Act.19. v.18. ibid. citato, expressum habes exemplum confitentium Christianorum apud S.Paulum? & Iacobi 5.v.16. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Et nullo non tempore fuit hic vsus in Ecclesia. Qui nisi esset à Deo, quomodo potẽtissimi reges & Imperatores, adeoque & ipsimet Pontifices, tot iam sæculis finerent se tam difficili lege constringi? Actor.5.v. 38. *Si est ex hominibus consilium hoc, dissoluetur: si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere,* & Matth.15.v.13. *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur.*

*Num.*8. Instauratâ cùm Deo amicitiâ, & REMISSA CVLPA peccati, & pœnæ æternitate, sæpè adhuc REMANERE DEBITVM luendæ POENÆ TEMPORALIS seu in hac, seu in futura vita, negant Caluinus, Melanchthon, Kemnitius & quidam alij, sed probat mors filioli, & gladius Absalomi. quibus 2.Reg.12.v.14. Dauid puniendus dicitur etiam post impertitam veniam adulterij & homicidij admissi. rursum pestis illa, qua ob numeratum populum, etsi remissâ iam culpâ, punitur eius regnum 2.Reg.vlt. v.15. Et scelera Manassis punita adhuc diu post eius resipiscentiam, 4.Reg. 23.v.26. Rursus Exodi 32. vers.14. ob preces Moysis Deus peccatum idololatriæ remittit populo, & nihilominus v.27. promiscua cæde iubentur occidi tot millia. Num.14.v.29. in pœnam murmurationis ac rebellionis, etsi reconciliato iam Deo, omnes, exceptis duobus, morti addicuntur, ipse etiam Moyses & Aaron Num.20. v.12. Sic 1.Corinth.11.v.30. *Ideo inter vos,* ob indignam communionem, *multi imbecilles, & dormiunt multi:* quos tamen ante mortem resipuisse constat ex eo quod subditur, *A Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.*

Caluin. l. 3. Instit. c. 4. §. 31. Melanct. in Loc. tit. de satisfactione. Kemn. sup.

*Num.*9. REATVM POENÆ huius temporalis in hac vita luendæ, subinde non patitur vllo modo redimi Deus, vt iam vidimus in Moyse, Aarone, Dauide, &c. sicut à morte corporali, quam in pœnam peccati originalis inflixit, Gen.2.v.17. neminem vult eximi. Alias tamen pœnas posse vt plurimũ redimi, constat ex exemplo *Ninivitarum* Ionæ 3.v.vlt. *Nabuchodonosoris* Dan.4. vers. 24. & tam apertis Dei promissionibus 2.Paralip.7. vers.13. Ierem.18. vers.7. Tobiæ 4. vers.11. &c. Pœnas verò in altera vita luendas possumus semper redimere, vt videbimus controu. 29. num.1. & 4. Redimere, inquam, partim *bonis* operibus, & his vel *sponte susceptis*, exemplo Iobi c.vlt. vers.6. Dauidis 2.Reg.12. vers.16. Achabi 3.Reg.21. vers.27. & 29. imò & S. Pauli 1.Cor. 9. vers.vlt. *Castigo corpus meum,* &c. vel à sacerdote iniunctis, iuxta illud Matth.18. vers.18. *Quæcumque alligaueritis,* &c. Partim patienti tolerantia pœnarum & flagellorum nobis immissorum, 1.Reg.3.v.18. *Dominus est; quod bonum est in oculis suis, faciat.* Partim Indulgentijs, de quibus contr. sequent.

CONTROVERSIA. XXIV.

De Indulgentiis.

*Num.*1. INDVLGENTIAM (cuius nominis meminit Isaias c.61. v.1.) vocamus specialem remissionem pœnarum temporalium, pro peccatis alioqui debitarum, (*a*) quam Prælati Ecclesiæ, ex paterna in filios lenitate subinde concedunt. Hanc autem potestatem penes illos esse (licet omnes hæretici negent,) constat ex Matth. 16.v.19. *Tibi dabo claues regni cælorum, quodcumque solueris,* &c. cap.18.v.18. *Quæcumque solueritis,* &c. Ioan.20.v.23. *Quorum remiseritis peccata,* &c. Quibus locis datur Prælatis Ecclesiæ potestas omnis necessaria & vtilis ad ingressum cæli fidelibus plenè aperiendum: ergo etiam potestas soluendi à pœna temporali relicta post remissam culpam & pœnam

(*a*) Contra. 23 num 3.

pœnam æternam : nam & hæc quamdiu remissa non est remoratur nos ab ingressu cœli. Hac potestate vtens S. Paulus 2. Cor. 2. v.10. Indulgentiam impertiuit incestuoso iam seriò pœnitenti. Et Ecclesia semper hucusque vsum hunc continuauit. *Sic nos existimet homo vt dispensatores mysteriorum Dei.* 1. Cor. 4. v. 1.

Num. 2. THESAVRVS vnde Indulgentiæ depromuntur, conflatur ex meritis & satisfactionibus Christi. Ioan. 17. v. 19. *Ego pro eis sanctifico meipsum.* Cùm enim hæc sint maximo numero, & singula infinitæ virtutis seu efficaciæ, controu. 4. num. 14. hinc numquam adæquatè compensari, numquam exhauriri possunt: vnde semper remanent in diuina acceptatione (& hic est locus thesauri istius,) vt ex ijs tontinuò depromi possit quantum necesse vel vtile est fidelibus. Accedunt huc etiam bona opera Sanctorum. Nam quamuis hæc secundùm rationem merendi quam habebant, sint plenè compensata, non tamen quoad vim omnem satisfaciendi. Cùm plerique Sanctorum plurima bona fecerint, & plurima mala passi sint propter Deum: nec tamen nisi exigua satisfactione (v.g. Ioan. Baptista, Apostoli, & Martyres,) vel etiam nulla (vt Virgo Deipara) pro se egerint. Residuum ergo istud, vt æquum est non perire, ita certum est in diuina acceptatione remanere, vt in aliorum Ecclesiæ membrorum vsus, ex implicita saltem eorundem Sanctorum intentione, distribuatur.

Num. 3. VIVIS in statu gratiæ existentibus, & opera præscripta complentibus, applicatur INDVLGENTIA per modum ABSOLVTIONIS, seu iuridicæ relaxationis debiti factæ auctoritate clauium Ecclesiæ. Patet ex verbis Christi, quibus Ecclesiæ suæ suprà num. 1. concessit potestatem dandi Indulgẽtias. DEFVNCTIS verò in Purgatorio (quibus INDVLGENTIAM prodesse posse videbimus controu. 29. num. 4.) non applicatur nisi per modum SOLVTIONIS, seu oblationis lytri vel pretij, pro redemptione vel exsolutione debiti illorum requisiti. Cùm enim defuncti non ampliùs subdantur Prælatis Ecclesiæ, non potest etiam actus iurisdictionis (qualis est absolutio,) in illos exerceri. Neque Matth. 16. v. 19. datur Prælatis Ecclesiæ potestas nisi ligandi & soluendi super terram. Effectus tamen est æquè infallibilis: nam satisfactiones Christi, quæ dispensationi Ecclesiæ relictæ sunt, vt vidimus num. 1. & 2.) vtrisque tamquam pretium condignum applicantur.

Num. 4. INDVLGENTIA sine iusta seu rationabili causa concessa, valet quidem ad tollendam obligationem satisfaciendi in FORO FORI externo (vnde non tenereris soluere pœnitentias, seu per confessarium, seu per Canones iniunctas: hæ enim vti sunt iuris humani, ita pendent ab arbitrio Prælatorum seu principum Ecclesiæ:) sed non valet ad tollendam obligationem satisfaciendi Deo in FORO FORI interno. Quia pœna post culpam condonatam reliqua (controu. 23. n. 8.) debetur iure diuino naturali. In talibus verò Pontifex non est princeps vel dominus, sed solùm *dispensator.* 1. Cor. 4. v. 1.

CONTROVERSIA XXV.

De extrema vnctione.

Num. 1. SAcramentum esse nouæ legis (contra omnes nostros hæreticos) constat ex Iac. vlt. v. 14. vbi symbolum habes externum, VNCTIONEM OLEI cum ORATIONE: promissionem gratiæ, *Alleuiabit Dominus* infirmum, *& si in peccatis sit, remittentur ei.* Institutionem Christi (verisimiliter in vltima cœna, vel post resurrectionem Ioan. 20. v. 23. nam illa vnctio Marci 6. v. 13. non fuit nisi adumbratio huius Sacramenti, seu insinuatio, vt loquitur Tridentinum) colligimus ex constanti & absoluta promissione Apostoli, quam ipse numquam faceret, nisi sciret Christum sic instituisse. Ministrum, *Inducat sacerdotes.* *Trid. sess. 14. can. 1. de Ext. vnctione.*

Num. 2. MATERIA remota est OLEVM oliuarum, vel chrisma ab Episcopo benedictum: propinqua est VNCTIO. FORMA, *Per istam vnctionem indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum,* &c. Deprecatoriam debere esse colligitur ex verbo, *Orent super eum.*

Num. 3. EFFECTVS generalis, (& communis omnibus Sacramentis) est gratia sanctificans cum remissione peccatorum vel reliquiarum peccati, si quæ adsint. Specialis, ALLEVIARE INFIRMVM, id est, expellere torporem, mœrorem, anxietatem spiritus, excitare ad fiduciam, roborare luctantem, &c. Denique SALVARE, id est, sanare corpus infirmi, si ita expedit animæ saluti.

Num. 4. Capaces huius Sacramenti sunt soli infirmi, baptizati, & ratione aliquando vsi. *Infirmatur quis ex vobis, inducat,* &c. Iac. vlt. v. 14.

CONTROVERSIA XXVI.

De Ordinatione.

Num. 1. SAcramentum esse (negant Lutherus, Illyricus & Kemnitius, affirmant Melanchthon, Augustana Confessio & Caluinus:) probatur, quia Primò, RITVM & symbolum externum habes manuum presbyterij impositionem, 1. ad Timoth. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterij.* 2. Tim. 1. v. 6. *Resuscites gratiam quæ inte est per impositionem manuum mearum.* & epist. 1. c. 5. v. 22. *Manus nemini citò imposueris,* &c. Secundò, PROMISSIONEM & annexionem GRATIÆ habes ibid. *Noli negligere gratiam, Resuscites gratiam,* &c. Tertiò, MANDATVM & institutionem diuinam colligis ex Lucæ 22. v. 19. *Hoc facite,* &c. & Actor. 13. v. 2. *Segregate mihi Saulum & Barnabam,* &c. Actor. 20. v. 28. *Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos,* &c. Ephes. 4. v. 11. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios pastores,* &c. *Luther. de Capt. Babyl. c de Ordine. Illyric. in Confessione Antuerpiẽsi l. 11. Kemnit sup. disp. de Ordine. Melanchth. in Locis 1536. 52. 58. & Apologia August. Conf art. 13. Caluin. l. 4. Instit. c. 14. §. 20. & c. 19. §. 31.*

Num. 2. Et id quidem de ORDINE EPISCOPALI & SACERDOTALI, (quæ nomina initio Ecclesiæ sæpè pro ijsdem vsurpabantur: licet Episcopus iure diuino semper maior fuerit; ad Philip. 1. v. 1.) constat ex locis iam dictis num. 1.

De DIACONIS habes Actor. 6. v. 6. *Orantes imposuerunt eis manus.* Et 1. Tim. 3. v. 8. & Philipp. 1. v. 1. & ad Tit. 1. v. 7. semper Apostolus *Diaconos* coniun-

coniungit cum *Episcopis*. Et sub nomine *Diaconorum* comprehenduntur etiam *Subdiaconi*. De MINORIBVS ORDINIBVS nihil habemus ex Scripturis, sed ex traditione, vt & de *materia* & de *forma* singulorum.

Num. 3. EFFECTVS est duplex. Primus, potestas spiritualis perpetua, in cuius signum character imprimitur, de quo controu. 18. num. 8. Secundus, gratia gratum faciens, quâ possint ordinati ritè suo munere perfungi 2. Tim. 1. v. 6. *Resuscites gratiam*, &c. MINISTER est Episcopus ad Tit. 1. v. 5. *Reliqui te Cretæ, vt constituas per ciuitates presbyteros*, &c.

Num. 4. DE COELIBATV sacris Ordinibus annexo, non diuino, sed Ecclesiastico præcepto, dixi controu. 7. n. 9. & 10.

CONTROVERSIA XXVII.

De Matrimonio.

Num. 1. COntractum ciuilem viri cum femina ad propagandam & educandam prolem primitus institutum, euectum esse à Christo in SACRAMENTVM nouæ legis, seu in signum vel ritum externum cui sit annexa promissio gratiæ iustificantis, negant hæretici nostri; sed probatur ex Ephes. 5. v. 32. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Vbi *hoc*, id est, coniunctio viri cum femina vinculo adeò indissolubili, vt nulla de causa seiungi ab homine possint, dicitur esse græcè *mysterium*, latinè *Sacramentum*, id est, symbolum seu signum alterius nobilissimæ coniunctionis, nempe Christi cum Ecclesia, non solùm per naturæ conformitatem, (quomodo Christus toti humano generi iungitur;) sed etiam per spiritualem charitatem, qua vt sponsus sponsam complectitur. Talis autem coniunctionis signum esse non potest, nisi præter ciuilem contractum includat etiam vnionem spiritualem animorum, & consequenter gratiam, sine qua vnionem istam habere non potest. Habes ergo hîc signum externum à Christo institutum (Matth. 19. v. 6. *Quod Deus coniunxit, homo non separet*,) habens annexam infallibilem gratiam. Quam 1. ad Timoth. 2. v. vlt. distinctiùs explicat Apostolus, cùm quatuor bona enumerat matrimonij Christiani, contra quatuor mala, quæ sine gratia Dei in matrimonio cuitari non possunt: *Saluabitur*, inquit, etiam *per filiorum generationem* (id est, in statu matrimoniali, vbi filij procreantur) *si permanserit* in gratia, dum iungerentur, accepta, putà *in fide* mutuò data, *in dilectione, in sanctificatione, in sobrietate*: quibus tuti reddentur à perfidia, odio, immunditia & intemperantia.

Num. 2. MATERIA Sacramenti huius sunt personæ ipsæ contrahentes. Et hæ ipsæ sunt etiam MINISTER seu causa effectiua Sacramenti: Parochus assistit vt testis qualificatus. FORMA sunt externa quælibet signa consensus expressiua, vel consensus signis expressus.

Num. 3. POLYGAMIAM plurium simul vxorum, post sufficientem generis humani propagationem, non reliquit nobis liberam Deus (vt vult Lutherus & Anabaptistæ) sed prohibet lege naturæ, & Euangelica: nam dispensationem omnem reuocauit Christus Matth. 19. v. 5. & 9. *Quicumque dimiserit*, &c. *Erunt duo in carne vna*, &c. Et Apostolus Rom. 7. v. 3. 1. Cor. 7. v. 10. apertissimè dicit, vxorem viuente marito non posse alteri nubere: ergo nec maritus viuente coniuge, cùm in his par sit ius vtriusque 1. Cor. 7. v. 4.

Luth. in propositionibus de Bigamia Episcoporũ, anno 1528. propos. 65. & 66.

Num. 4. MATRIMONIVM INFIDELIVM, cùm non sit Sacramentum, solui potest etiam quoad vinculum, si qui ad fidem conuertitur, velit alteri iungi. 1. Cor. 7. v. 12. *Ceteris ego dico, non Dominus*, &c. MATRIMONIVM FIDELIVM consummatum solui non posse, ne quidem ob fornicationem seu adulterium (etsi id velint Græci & Lutherani, Caluinistæ & Anabaptistæ) patet ex Matth. 5. vers. 32. Marc. 10. vers. 11. & Lucæ 16. vers. 18. & Rom. 7. & 1. Cor. 7. v. 11. suprà.

Num. 5. MATRIMONII IMPEDIMENTVM DIRIMENS non est reclamatio parentum (*Dimittet* enim *homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ*, Matth. 19. v. 5.) Sed Primò, VOTVM CASTITATIS si fuerit solemniter emissum ante contractas nuptias. In tali enim voto non est simplex promissio, & quasi sponsalia inita cum Deo, (vt in voto simplici. quod proinde non dirimit, si vota Societatis Iesu excipias, sed impedit tantùm;) sed est insuper traditio sui ipsius de præsenti, à Christo per eius ministros acceptata, atque ita quasi coniugium de præsenti. Secundò, CVLTVS seu religionis DISPARITAS, nempe si alter coniugum sit infidelis. 1. Cor. 7. v. 39. *Cui vult nubat, tantùm in Domino*. 2. Cor. 6. v. 14. *Nolite iugum ducere cum infidelibus*. Tertiò, CONSANGVINITAS & AFFINITAS; non omnis aut sola in Leuitico c. 18. expressa (vt volunt hæretici,) sed vsque ad quartum gradum inclusiuè, vt ibid. ostendi. De cæteris impedimentis vide Sanchez.

CONTROVERSIA XXVIII.

De Animarum immortalitate, Corporum resurrectione, & extremo Iudicio.

Num. 1. ANIMARVM humanarum IMMORTALITATEM contra Sadducæos & Atheos probant

Primò, omnia Prophetarum oracula, omnis Christi & Apostolorum doctrina, omnes sacræ & profanæ historiæ.

Secundò, reditus & apparitio tot animarum, v.g. Samuelis, 1. Reg. 28. v. 15. & Eccli. 49. v. vlt. Oniæ pontificis & Ieremiæ Prophetæ, 2. Mach. 15. v. 12. Moysis vnà cum Elia, Matth. 17. v. 3. & Lucæ 9. v. 30. Et omnes historiæ, etiam Ethnicorum, scatent eiusmodi exemplis.

Tertiò, vis cognitiua & appetitiua in homine prorsus illimitata; & animi capacitas atque amplitudo tanta, vt nullis terrenis opibus, nullis dignitatibus, nullis voluptatibus in hac vita satiari possit. Psalm. 16. v. 15. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.*

Quartò, contemptus mortis, & facilis iactura vitæ præsentis. 1. Machab. 9. v. 10. & 2. Machab. 6. v. 26. & c. 7. v. 2. &c. Cùm, si moreretur anima vnà cum corpore, mortem extremè horreret ac defugeret.

Quintò, studium virtutum, & fuga sordidarum voluptatum etiam duce natura. Eccles. 1. v. 1. *Vanitas vanitatum*, &c. Cùm alioqui summum eius bonum in his consisteret, vt illi aiunt Sap. 2. v. 6. & Isaiæ 22. v. 13. *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.*

Sextò,

Sextò, appetitus laudis, magni nominis & bonæ famæ etiam post mortem fouendæ. Eccli. 41. v. 15. *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi & magni.* & 1. Mach. 9. v. 10. &c.

Septimò, afflictio piorum in hac vita, & à contrario prosperitas impiorum. Vnde multa scelera manerent inulta, & pietati ac iustitiæ non esset præmium vel fructus. Vnde vlteriùs sequeretur, nullam esse Numinis prouidentiam, nullum vniuersi rectorem, nullum Deum. Psal. 72. v. 11. *Quomodo scit Deus? & si est scientia in Excelso?* Vide totum Psalmum.

Octauò, resurrectio mortuorum, de qua n. 2.

Nonò, argumentum Christi, Matth. 22. v. 32. quo conuincit Sadducæos.

Num. 2. CORPORVM RESVRRECTIO contra eosdem probatur Iob 19. v. 26. *Rursum circumdabor pelle mea*, &c. Ezech. 37. vers. 3. de *ossibus aridis*, &c. Ioan. 5. v. 28. *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei, & qui audierint vivent.* Matth. 24. v. 31. *Mittet angelos suos cum tuba*, &c. 1. Thess. 4. v. 15. *Mortui qui in Christo sunt, resurgent*, &c. Apoc. 20. v. 13. *Mare dedit mortuos suos*, &c. Et plurimis argumentis eamdem probat Apostolus 1. Cor. 15. Et nonne cõstat, toties mortuos ad vitam reuocatos? *Filium viduæ Sareptanæ* per Eliam, 3. Reg. 17. v. 22. *filium Sunamitidis* per Eliseum, 4. Reg. 4. v. 35. & alium solo *ossium Elisei* contactu, c. 13. v. 21. & solo iussu Christi *filiam Iairi*, Marc. 2. v. 42. *filium viduæ Naim*, Lucæ 7. v. 13. & *Lazarum* quatriduanum, Ioan. 11. v. 44. *Tabitham* in Ioppe à Petro, Actor. 9. v. 40 & alium adolescentem à Paulo, c. 20. v. 9. Et *multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem* Christi, *venerunt in sanctam ciuitatem & apparuerunt multis*, Matth. 27. v. 52.

Num. 3. De extremo & VNIVERSALI IVDICIO habes Dan. 7. v. 9. Ioël. 3. v. 2. Matth. 24. v. 30. & c. 25. v. 31. 1. Thess. 4. v. 15. Rom. 14. v. 9. & Philipp. 2. v. 10. denique Apoc. 20. vers. 4. &c. Sap. 5. v. 1. &c.

Num. 4. De PARTICVLARI cuiusq; IVDICIO, quod in ipso loco mortis statim atque anima separata est à corpore, dum adhuc corpori præsens assistit, exercetur; Eccli. 11. v. 29. *In fine hominis denudatio operum eius*,) figuram habes Zach. 3. v. 1. exemplum autem Lucæ 16. v. 22. *Mortuus est dives, & sepultus in inferno.* Pœna autem non irrogatur ante latam sententiam. Porrò omnes iudicari à *Christo* non est dubium, cùm ipse *constitutus* sit *à Deo iudex viuorum & mortuorum*, Actor. 10. v. 42. & *Pater omne iudicium dedit Filio*, Ioan. 5. v. 22. Christus tamen verisimiliùs exercet iudicium hoc per *angelos*, vt dixi Zach. 3. v. 1

CONTROVERSIA XXIX.

De Purgatorio & Inferno.

Num. 1. PVRGATORIVM vocamus locum in quo animæ iustorum quæ in hac vita non plenè purgatæ sunt, post hanc vitam purgantur & satispatiuntur. Cùm enim certum sit, esse quædam peccata tantùm venialia, & sola temporali pœna digna (vt vidimus controu. 12. num. 3) quibus cùm omnes obnoxij simus (ibidem, & controu. 14. n. 18.) sæpè contingit, adhuc obnoxios ex hac vita demigrare vel subitò abripi. Cùm item certum sit, remissis peccatis, non semper omnem pœnam temporalem statim remitti (controu. 23. n. 8.) nec pro hac omnes in hac vita semper plenè satisfacere; sequitur, deberi in altera vita locum esse in quo ab his peccatorum ac pœnarum debitis expurgentur. Neque enim congruum est diuinæ iustitiæ vt aliquid *coinquinatum*, etsi minima labecula, intret regnum cœlorum, Apoc. 21. v. 27. Vel aliquis obnoxius alicui debito exeat è carcere, donec soluerit *nouissimum quadrantem*, Matth. 5. v. 26. Multò minùs congruit diuinæ misericordiæ, vt eiusmodi minutiæ plectantur pœnis æternis. Lucæ 12. v. 48. *Qui non cognouit*, &c. *& fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Igitur statuendus locus in quo temporaneis pœnis talia post hanc vitam plectantur & delcantur.

Et colligitur ex recepta Ecclesiæ consuetudine orandi pro mortuis. Tob. 4. v. 18. *Panem tuum & vinum super sepulturam iusti constitue*, &c. & 2. Mach. 12. v. 43. *Iudas* Machabæus *duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium.* Et additur v. 46. *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* 1. Cor. 15. v. 29. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis?* Et cur latro in cruce orabat Lucæ 23. vers. 42. *Memento mei cùm veneris in regnum tuum?* Nonne Matth. 12. v. 32. insinuat Christus quædam peccata remitti *in* altero *sæculo?* Et quãdo alioqui vel vbi reddemus *nouissimum quadrantem?* Matth. 5. v. 26. Nonne S. Paulus disertè affirmat 1. Cor. 3. v. 13. in *die Domini* arsura *igni* quorumdam opera, & ipsos *detrimentum* passuros, *saluandos* tamen sed *quasi per ignem?*

Num. 2. PVRGATORIVM, vt & INFERNVM damnatorum esse in visceribus terræ docui controu. 4. num. 16. Et quæ sunt *creaturæ sub terra*, quæ Apoc. 5. v. 13. *dicunt laudem Deo & Agno*, si non animæ in Purgatorio adhuc detentæ? Nam licet acerbissimis ignium tormentis pleræque torqueantur, 1. Cor. 3. v. 13. hæc tamen tormenta nec organa illis lædunt, nec rationem perturbant, nec mentem à iusto iudice alienant. Quin potiùs assiduè illud ingeminant animæ, *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum*, psal. 118. v. 137. & illud Mich. 7. v. 9. *Iram Domini portabo, quia peccaui*, &c. Nec fugiunt pœnas absolutè & efficaciter, sed solùm inefficaciter & ex hypothesi, ferè vt Christus in horto, Matth. 26. v. 39. Et omnes certæ sunt de sua salute. Eccli. 11. v. 29. *In fine hominis denudatio operum eius.*

Num. 3. Sed licet DEVM LAVDENT, aliosque frequentissimos ac nobilissimos virtutum, tam moralium, quàm theologicarum actus eliciant, tamen NIHIL per illos ibi MERENTVR: vti nec demereri possunt, aut peccare. Eccles. 9. v. 10. *Nec opus, nec ratio, nec scientia est apud inferos*, &c. *nec habent vltrà mercedem*, v. 5. Item c. 11. v. 3. *Vbicumque ceciderit lignum, ibi manebit.* Sap. 4. v. 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* Ioan. 9. v. 4. *Venit nox, in qua nemo potest operari.* Galat. 6. v. 8. *Qua seminauerit homo, hæc & metet*, scilicet *propria corporis prout gessit*, 2. Cor. 5. v. 10.

Num. 4. IVVARI posse à viuis Primò, per SACRIFICIVM Missæ; Secundò, per ORATIONEM; Tertiò, per IEIVNIA, ELEEMOSYNAS & corporis AFFLICTIONES, colligitur ex 1. Cor. 12. v. 12. vbi dicitur, inter *membra vnius corporis* esse communionem bonorum, & à se mutuò iuuari quotiescumque egent. Psal. 118. v. 63. *Particeps ego*

sum omnium timentium te. Quæ ratio etiam euincit, iuuari posse *Indulgentijs* per modum suffragij. Et hæc eadem etiam probantur ex suprà n. 1. recensitis exemplis S. Scripturæ, orantium, sacrificantium, & sese affligentium pro iuuandis defunctis. Quomodo dicantur *mortui non habere vltrà partem in hoc seculo*, &c. Eccles. 9. v. 10. ibidem explicui.

Etiam elatio funeris ac sepultura, quatenus est genus eleëmosynæ & opus misericordiæ & causa quòd pro illis oretur, non parum prodest defunctis. 2. Reg. 2. v. 5. & Tob. 12. v. 12.

Num. 5. Etiam IVVARI posse PRECIBVS SANCTORVM in cœlo existentium, vt est Ecclesiæ traditio, patebit ex dicendis controu. 30. n. 8.

Bucer. in Matth. 27. Caluin. in Psychopannychia. Beza l. contra Brentium p. 2. de Christi Maiest.

Num. 6. ANIMAS piè defunctorum ante Christi ascensionem non fuisse in cælo (vt vult Bucerus, Caluinus & Beza) sed in loco subterraneo, quem vocamus LIMBVM PATRVM, & SINVM ABRAHÆ, colligitur ex Genes. 37. v. 35. *Descendam ad filium meum in infernum.* & 1. Reg. 28. v. 15. anima Samuelis (vt dicitur Eccli. 46. v. vlt.) de terra ascendit. Lucæ 16. v. 23. *Dives* Epulo ex *inferno* vidit *Lazarum in sinu Abrahæ.* Zachar. 9. v. 11. *In sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* 1. Petr. 3. v. 19. *Ijs qui in carcere erant spiritibus prædicauit*, &c.

Num. 7. Idem dicendum de loco PVERORVM sine baptismo defunctorum, patet ex dictis controu. 4. n. 16. & controu. 11. n. 10.

Caluin. l. 3. Instit. c. vlt. & in Psychopannychia.

Num. 8. POENAS damnatorum IN INFERNO, non esse (vt vult Caluinus, Beza, & plures horum sequaces) nudum terrorem & anxietatem conscientiæ, cogitantis Deum sibi esse iratum & infestum; sed COMBVSTIONEM IN STAGNO IGNIS ET SVLPHVRIS, constat ex Isaiæ 30. v. vlt. *Præparata est ab heri Topheth, profunda & dilatata. Nutrimenta eius ignis & ligna multa, flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* c. 33. v. 14. *Quis poterit habitare cum igne deuorante? cum ardoribus sempiternis?* Deut. 32. v. 22. *Ignis succensus est*, &c. Psal. 10. v. 7. *Pluet super peccatores laqueos: ignis & sulphur*, &c. Psal. 20. v. 10. *Pones eos vt clibanum ignis*, &c. Psal. 139. v. 11. *Cadent super eos carbones, in ignem deijcies eos*, &c. Iudith 26. v. 21. *Dabit ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur & sentiant vsque in sempiternum.* Eccli. 7. v. 19. *Vindicta carnis impij, ignis & vermis.* Isaiæ vlt. v. vlt. *Vermis eorum non morietur*, &c. Iob 10. v. vlt. *Terra miseriæ & tenebrarum*, &c. Matth. 3. v. 12. *Paleas comburet igni inextinguibili.* c. 13. v. 42. *Mittent eos in caminum ignis.* Marci 9. v. 42. *In gehennam, in ignem inextinguibilem: vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Matth. 25. v. 41. *Ite maledicti in ignem æternum.* Lucæ 16. v. 24. *Crucior in hac flamma.* Apoc. 14. v. 10. *Cruciabitur igne & sulphure*, &c. c. 20. v. 9. *Missus est in stagnum ignis.* c. 21. v. 8. *Pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure.*

De amplitudine inferni vide Apoc. 14. v. vlt. *Stadia mille sexcenta.*

a S. Aug. de Hæresib. c. 43. b Bullinger. l. 2. contra Anabapt. c. 15.

Num. 9. ÆTERNVM DVRATVRAS has pœnas, contra Origenem (*a*) & sectas quasdam Anabaptistarum, (*b*) patet ex Iudith 16. Isaiæ vlt. Matth. 3. & 25. Marci 9. & Apoc. 14. iam citatis. Item Psal. 48. v. 20. *Vsque in æternum non videbit lumen.* Psal. 91. v. 9. *Vt intereant in sæculum sæculi.* Dan. 12. v. 2. *In opprobrium, vt videant* & sentiant *semper.* 2. Thess. 1. v. 9. *Pœnas dabunt in interitu æternas*, &c. Peccatum enim mortale cùm sit contemptus Dei saltem indirectus & interpretatiuus, ratione malitiæ suæ meretur puniri pœna quouis tempore finito longiore, ac proinde æterna; maximè cùm (vt in inferno) numquam retractetur.

CONTROVERSIA XXX.

De Cælo & Sanctis.

Num. 1. ANIMAS SANCTORVM simul ac corporibus exutæ & plenè purgatæ sunt, cœlum ingredi, Deum videre, & verè beatas esse, etiam ante vniuersale iudicium, negant Armeni & Græci, Corn. Agrippa, Lutherus, Caluinus & Anabaptistæ. Sed probatur ex 2. Cor. 5. v. 1. *Si terrestris domus nostra dissoluatur, habemus ex Deo domum non manufactam æternam in cœlis.* v. 8. *Voluntatem habemus peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.* Philipp. 1. v. 23. *Desiderium habens dissolui & esse cum Christo.* Lucæ 23. v. 43. *Hodie mecum eris in paradiso.* Apoc. 7. v. 15. *Sunt ante thronum Dei in templo eius.* Ephes. 4. v. 8. *Ascendens Christus in altum*, &c. Actor. 7. v. 55. *Ecce video cælos apertos*, &c. Hebr. 12. v. 22. *Accessistis ad Ecclesiam primitiuorum in cælis*, &c. Quod si vetet hominibus Leuit. 19. v. 13. *Non morabitur apud te opus mercenarij tui vsque manè*; cur ipse differat mercedem laboris Sanctorum suorum? Et nonne angeli mox à fine viæ suæ Gen. 1. v. 1. *semper vident faciem Patris.* Aut fortè promptior est Deus ad puniendum quàm ad remunerandum? nam impios statim à morte conijcit in ignem gehennæ Lucæ 16. v. 22. *Mortuus est diues & sepultus est inferno, in tormentis, in flamma.*

Agrippa. de Occult. philosoph. Lutherus in Gen. & alibi. Caluinus in Instit. c. 20. & 25.

Obiectiones solui Matth. 20. v. 8. vbi merces iubetur operarijs reddi simul omnibus ad vesperam. Hebr. 11. v. vlt. *Vt non sine nobis consummarentur.* Apoc. 6. vers. 9. *animæ* Martyrum sunt *sub altari.* Et quid alioquin opus iudicio vniuersali?

Num. 2. SANCTOS non supra conuexum cœli, sed IN ipso CÆLO EMPYREO cum Christo degere, docui Ephes. 4. v. 10. Psal. 10. v. 5. *Dominus in cælo sedes eius.* Psal. 102. v. 19. *In cælo paravit sedem suam.*

Delineationem & descriptionem cælestis palatij habes Apoc. 21. v. 2. & seqq. & c. 22. v. 1. &c.

Num. 3. Magnitudo GLORIÆ & deliciarum cælestium colligitur ex Isaiæ 64. v. 4. *Nec oculus vidit, nec auris.* &c. Rom. 8. v. 18. *Non sunt condignæ passiones*, &c. 2. Cor. 4. v. 17. *Momentaneum*, &c. Psal. 35. v. 9. *Inebriabuntur*, &c. Essentialis beatitudo Sanctorum sita est in clara visione ac fruitione Dei. Psal. 79. vers. 8. *Ostende faciem tuam, & salui erimus.* Psal. 15. v. vlt. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo*, &c. Psal. 35. v. 10. *In lumine tuo videbimus lumen.* Ioan. 14. v. 21. *Manifestabo ei meipsum.* Matth. 5. v. 8. *Ipsi Deum videbunt.* 1. Ioan. 3. v. 2. *Videbimus eum sicuti est.* 1. Cor. 13. v. 12. *Facie ad faciem.* Matth. 18. v. 10. *Angeli eorum semper vident faciem Patris* &c. Hinc consequitur amor quo plenè ac indiuulsè vniuntur Deo. Gal. 2. v. 20. *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Cant. 2. v. 5. *Amore langueo.* c. 5. v. 6. *Anima mea liquefacta est.* Psal. 118. v. 81. *Defecit in salutare tuum anima mea.* Inde perpetuæ Dei laudes, benedictio & glorificatio. Dan. 1. v. 57. *Benedicite omnia opera Domini Domino*, &c. Psal. 102. v. 1. *Benedic anima mea Domino*, &c. Apoc. 7. v. 12. *Benedictio & claritas*, &c. Inde satietas & gaudium & pax, & quies æterna. Matth. 25. v. 21. *Intra in gaudium Domini tui.* Psal. 15. v. vlt. *Adimplebis me lætitia*, &c.

tia,&c.Iſaiæ 35.v.10.*Lætitia ſempiterna*,&c. Apoc. 21.v.4.*Abſterget Deus*,&c.

*Num.*4.Acceſſoria BEATITVDINI)etſi rideant hæretici,)ſunt præmia quædam ſingularia excellentioribus quibuſdam virtutibus propoſita,quæ Doctores AVREOLAS vocant,vocabulo deſumpto ex Exodi 25.v.25.

Aureola Prima, eſt MARTYRVM. Apoc.2.v.10. *Eſto fidelis vſque ad mortem,& dabo tibi coronam vitæ.* Apoc.7.v.9.*Amicti ſtolis albis,& palmæ*,&c.Matth. 10.v.32.*Qui me confitebitur coram hominibus*, &c. Secunda,eſt VIRGINVM. Apoc.14.v.3.*Cantabant canticum*,&c. 1.Cor.7.v.34.Tertia, DOCTORVM. Dan.12.v.3.*Qui ad iuſtitiam*, &c. Matth.1.v.19. *Qui fecerit & docuerit*, &c.

*Num.*5. QVATVOR DOTES corporis glorioſi, habes 1. Corinth.15. verſ.42.*Seminatur*, &c. Et rurſum de IMPASSIBILITATE,Iſaiæ 49.verſ.20. & Apocal.7.verſ.16. *Non eſurient*, &c. Apoc.21. verſ.4.*Mors vltrà non erit*, &c. De CLARITATE, Sap.3.verſ.7.*Fulgebunt iuſti*,&c.Dan.12.v.3.*Fulgebunt tamquam ſplendor firmamenti*,&c. Matth.13.v. 43.*Sicut ſol*,&c.De AGILITATE.Sap.3.verſ.7.*Tamquam ſcintillæ diſcurrent*, &c. Iſaiæ40.v.vlt.*Aſſument pennas vt aquilæ*,&c.De SVBTILITATE,& vi penetrandi alia corpora, habes exempla in corpore Chriſti,ſuprà controu.21.num.1.*Erunt ſicut angeli Dei*,Matth.22.v.30.

*Num.*7. Cùm verò corpus humanum non ſit vtile animæ,niſi propter ſenſuum vſum,fruſtra illud reſumeretur,niſi etiam in altera vita foret eorumdem SENSVVM OBLECTATIO.VISVS paſcetur aſpectu corporum beatorum, & palatij cæleſtis amœniſſimi ac præſtantiſſimi,Apoc.20.&21. Et quando volent, etiam aſpectu horrendi damnatorum carceris & tormentorum infernalium. Iſai.vlt.v.vlt.*Vſque ad ſatietatem viſionis omni carni.* Apoc.14.v.10.*Cruciabitur igne & ſulphure in conſpectu angelorum ſanctorum,& ante conſpectum Agni*, &c.Multò magis patet Sanctis theatrum reliquum mundi & totius vniuerſi.1.Cor.4.v.9.*Spectaculum facti ſumus*,&c.

AVDITVS paſcetur ſuauiſſima melodia.Pſalm. 149. v.6. *Exaltationes Dei in gutture eorum*, &c. Apoc.14.v.3.*Cantabant canticum*,&c.

Suauiſſimum ODOREM ſpirabunt tum corpora Sanctorum,tum regio tota cæleſtis.Iſaiæ 35.v.1. *Florebit quaſi lilium*,&c.

PRO GVSTV ſeruiet menſa cæleſtis,Lucæ 12.v. 37.*Faciet illos diſcumbere*,&c.Lucæ 22.v.29.*Vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Item *fructus ligni vitæ* per *ſingulos menſes*, Apoc.vlt.v.2. Deinque Lucæ 14.v.15.*Beatus qui manducabit panem in regno Dei.*

Quoad TACTVM.Pſal.35.v.9.*Torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

*Num.*7.SANCTOS à nobis HONORANDOS,COLENDOS & ADORANDOS, omninò negant cum Gnoſticis,Eunomio, Vigilantio, Mahometo,& Wicleffo, omnes noſtri hæretici: ſed probat S. Scriptura, Rom.2.v.10. *Gloria & honor omni operanti bonum.*Cùm enim adoratio,cultus ſeu honoratio ſit ſubmiſſio ſui erga alterum ex recognitione excellentiæ illius, debetur,pro ratione diuerſæ excellentiæ diuerſa honoratio ſeu adoratio. Pro diuina, debetur adoratio ſupremi ordinis, quam LATRIAM vocamus.Pro naturali vel politica, ſeu ciuili, adoratio CIVILIS & naturalis. Sic adoramus ſeu honoramus eos qui de magiſtratu ſunt,qui nobilitate,fortitudine,ſapientia præcellunt,&c.Pro ſupernaturali excellentia in gratia & gloria,debetur adoratio ſeu cultus ſupernaturalis, quem vocamus DVLIAM,& eſt media inter *latriam* & adorationem *ciuilem*. Atqui hæc ſupernaturalis excellentia reperitur in Sanctis, ergo ſupernaturali *dulia* colendi à nobis ſunt.Sic *Abraham* Geneſ. 18.verſ.2. *Loth* Gen.19.v.1.*Ioſue* c.5.v.15. *Manue* Iudic.13.v.20. *Balaam* Num.22.v.31.*angelos* adorarunt;& *Saul* animam *Samuelis* 1.Reg.28.verſ.14. *Abdias* Eliam 3.Reg.18.v.7.& filij prophetarum Eliſeum 4. Reg.2.verſ.15.*Nathan* Propheta Prophetam Dauidem 3.Reg.1.v.23.Et licet Sancti nobis præſentes non adſint,ſciunt tamen n.6.& gratum habent ſibi exhiberi honorem,quòd hac via ſentiant,Dei dona à nobis magnifieri. Dein excellentia virtutis meretur etiam honorem in abſentia:nam & ad ſolam principum mentionem caput detegimus.

Qua ratione Matth.4.v.10.& Deut.6.verſ.13. Dominus Deus adorandus,& *illi ſoli* ſeruiendum, & 1.ad Tim.1.v.17.dicatur,*Soli Deo honor & gloria*, & Apoc.19.v.10.& c.22.v.9. angeli recuſent adorari, vt & S.Petrus à Cornelio Centurione Actor.10.v.26. ibid. expoſui, vt & Eſther 13.v.12. quare *Mardochæus* genua coram *Aman* flectere recuſarit.

*Num.*8.ANGELOS & SANCTOS in cœlis ORARE PRO NOBIS, noſtrique curam gerere etiam in particulari,negant omnes ijdem hæretici:ſed probatur:ac Primùm de angelis ex Tobiæ 12.verſ.12. *Obtuli orationem tuam Domino.*Zach.1.v.12.*Domine exercituum*(inquit angelus,)*vſquequo non miſereberis Ieruſalem? ecce iam ſeptuageſimus annus eſt*,&c. Pſal.90.v.11.*Angelis ſuis mandauit de te*,&c.Iob 33. v.23.*Si fuerit pro* homine *angelus loquens,miſerebitur eius* Deus.Similia habes Dan.10.v.20.Matth.18.v. 10.Apoc.8.v.3.& alibi ſæpiùs.

De hominibus ſanctis etiam prboatur.Quia in hoc,ſunt æquale angelis.Apoc.2.v.26.*Qui vicerit, dabo illi poteſtatem ſuper gentes*,&c.c.5.v.10.*Regnabimus ſuper terram.*Ierem.15.v.1.*Siſteterint Moyſes & Samuel coram me*,&c.2.Mach.vlt.v.12.&.14.Onias & Ieremias pridem defuncti, dicuntur *orare pro Iudæis.* Apoc.5.v.8.odoramenta 24.ſeniorum ſunt orationes Sanctorum.Et verò Sanctos etiam præeſſe hominibus, colligitur ex Apoc.2.v.26. *Qui vicerit & cuſtodierit opera mea vſque in finem,dabo illi poteſtatem ſuper gentes,& reget eas in virga ferrea. Sicut & ego accepi a Patre meo.*2.Petri 1.v.15.*Dabo operam,frequenter vos habere poſt obitum meum* commendatos.

*Num.*9.Idcircò meritò A NOBIS INVOCANDI ſunt. Gen.48.v.16.*Angelus qui eruit me de cunctis malis,benedicat pueris iſtis.* Et de angelis Cuſtodibus id libenter concedit Caluinus.Sed & de ſanctis hominibus idem colligitur ex Iob 5.verſ.1. *Ad aliquem Sanctorum conuertere.*Exodi 32.v.13.*Recordare Domine Abraham, Iſaac & Iacob ſeruorum tuorum.*Pſal.131.v.1.*Memento Domine Dauid*, &c. Et ſi viuentes licitè inuocantur.& inuocari iubentur à Deo.Iob vlt.v.8.*Ite ad ſeruum meum Iob,ipſe orabit pro vobis:faciem eius ſuſcipiam*,&c.Rom.15.v. 30. *Obſecro vos vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum.*Quid ni & vita functi?

Et verò norunt optimè & neceſſitates & preces orantium.Primò,per intuitum eſſentiæ diuinæ, in qua tamquam ſpeculo voluntario perfectiſſimè ipſis repræſentari poſſunt omnia quæ ad

quemque ſpectant. Ioan. 3. v. 11. *Quod vidimus, teſtamur*, &c. Secundò, per ſpecialem reuelationem, vt Dan. 10. v. 13. &c. Tertiò, per relationem angelorum vltrò citroque commeantium. Patet ex dictis ibid. & alibi paſſim. Quartò, per propriam ſubinde inſpectionem. Neque enim Sancti compedibus vinciuntur in cœlo, vti nec olim in limbo; vt vidimus in anima *Samuelis*, 1. Reg. 28. verſ. 15. *Oniæ* & *Ieremiæ*, 2. Machab. vlt. v. 12. Denique quo modo Sancti norunt conuerſionem peccatoris, Lucæ 15. v. 7. vt de ea gaudeant in cœlis, & *Abraham* Ioan. 8. v. 56. *vidit* è limbo *diem Chriſti & gauiſus eſt*: eodem modo norunt omnia ad ſe ſpectantia quæ hîc geruntur in terris.

Obiectiones ſolui Matth. 12. v. 48. *Quæ eſt mater mea?* Ioan. 2. v. 4. *Quid mihi & tibi mulier?* Matth. 11. v. 28. *Venite ad me omnes*, &c. & 1. Timoth. 2. v. 5. *Vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus.* Neque enim Sancti ſunt *primarij mediatores*, ſed ſolùm *ſecundarij*; quo modo Moyſes vocatur in Scriptura *mediator, medius, ſequeſter*, Deut. 5. v. 2. Et Othoniel & Aod Iudic. 3. v. 9. & 15. vocantur *ſaluatores*. De religioſo cultu angelorum vide dicta ad Coloſſ. 2. verſ. 18.

Num. 10. Neque ſolùm in propria perſona ſua HONORANDI ſunt Sancti, ſed & IN cadaueribus alijſque RELIQVIIS SVIS, (etſi id rideant hæretici:) fuerunt enim quaſi templa & inſtrumenta ſanctarum animarum ad omne opus bonum, & iterum cum ipſis conſortia erunt æternæ beatitudinis. Sic Moyſes Exodi 13. v. 19. honorificè ſecum aſportat oſſa Ioſephi, & veriſimiliter etiam aliorum Patriarcharum. Et Deuter. vlt. v. 6. Deus ipſe honorificè per angelos iubet ſepeliri corpus Moyſis. Item tactu *pallij Eliæ* 4. Reg. 2. verſ. 8. & 14. diuiduntur aquæ Iordanis. Et c. 13. v. 21. *attactu oſſium Eliſei* mortuus ad vitam reuocatur. Et Iſaias cap. 11. v. 10. *ſepulcrum* Chriſti prædicit futurum *glorioſum*. Et quanta veneratio deferebatur arcæ fœderis! 1. Reg. 6. v. 19. In nouo teſtamento Matth. 9. v. 20. hæmorrhoiſſa attactu *fimbriæ* Chriſti ſanatur. Act. 19. v. 12. *ſudarijs & ſemicinctijs Pauli* curantur ægri, dæmones fugantur, &c. vt & Act. 5. v. 16. contactu *vmbræ Petri*. Quæ verò reliquiæ viliores vmbra? Neque Matth. 23. v. 29. & Lucæ 11. verſ. 47. arguuntur Iudæi quòd ornarent ſepulcra Prophetarum, ſed quòd imitarentur cædes Prophetarum.

Num. 11. Denique etiam IN IMAGINIBVS SVIS. Nam honor imagini exhibitus redundat in prototypon, ſeu in eum cuius eſt imago. Pſal. 98. verſ. 5. *Adorate ſcabellum pedum eius.* Et *Cherubinos* arcæ Exodi 25. v. 18. adorari debuiſſe quoties arca adorabatur, docet S. Hieron. Et Num. 21. verſ. 8. *ſerpentem æneum* S. Auguſt. Nec hunc confregiſſet Ezechias 4. Reg. 18. verſ. 4. niſi cultus illius in idololatriam tranſiſſet. Nec vmquam inhibitum fuit à Deo facere vel habere imagines, ſiue in profanis, ſiue in ſacris locis, Nam & in tabernaculo Moyſis, & in templo Salomonis iuſſu Dei poſitæ ſunt *imagines Cherubim* obumbrantium arcam, Exod. 25. v. 18. Item *boum, leonum*, &c. 3. Reg. 6. & 7. Et *ſerpentis ænei*, ſupr. Et ipſe Deus artem ſculpendi infudit duobus viris Beſeleel & Ooliab, Exod. 31. v. 2. & c. 35. v. 31. Nec vmquam reprehenſi ſunt Iudæi quòd in nummis ſuis vterentur *imagine Cæſaris* Matth. 22. v. 21. Et ſi quæ fides ſacris hiſtorijs, (a) Chriſtus ipſe imaginem faciei ſuæ impreſſit linteo Veronicæ, Lucæ 23. verſ. 27. item linteo Abagari regis Edeſſæ: item linteamini ſepulchri, Ioan. 20. v. 5. Et hæmorrhoiſſa Matth. 9. v. 20. & Nicodemus & S. Lucas imagines Chriſti confecerunt, *multis exin miraculis nobilitatas.*

Quo ſenſu *ſculptilia* prohibita fuerint, Exodi 20. v. 4. Deut. 4. v. 15. & c. 5. v. 8. & Pſal. 113. v. 12. ibid. expoſui, & Actor. 17. v. 25.

Hieron. ad Marcellam. Auguſt. l. 3. de Trinit. c. 10.

(a) *Stephanum & Adrianum Papas, apud Iuuen. 4 parte hiſtoriæ c. 85. Niceph. l. 2. hiſt. c. 17. & c. 43. & l. 6. c. 16. Euſeb. lib. 7. hiſt. c. 14. Sept. Synodus act. 4. Metaphraſtes & alij paſſim.*

INDEX

Index Antilogiarum S. Scripturæ.

INDEX QVARTVS
QVI EST
ANTILOGIARVM
SEV
APPARENTIVM CONTRADICTIONVM,
QVÆ IN HOC COMMENTARIO
COMPONVNTVR ET CONCILIANTVR.

HVIVSMODI *ἀντιλογίας*, seu, vt alij vocant, *ἀντικείμενα* non pauca adnotauit & composuit S. Augustinus, sed ex solis quatuor Euangelistis. Plura ex vtroque Testamento collegit Richardus monachus Cluniacensis sub annum Christi 1160. plura Zeraphinus Cumiranus: & nescio quis alius sub falso nomine Saluiani Massiliensis. Andreas item Altamerus, qui anno 1531. Norinbergæ prodijt: & plures alij prolixè hæc talia prosequuntur. Ego paucis circiter 1450. *ἀντικείμενα* ex omnibus S. Scripturæ libris, eo ordine quo in Biblijs ponuntur, selecta, hîc in Indice propono, quæ in decursu Commentarij suis singula locis exposui. Non quòd vbique ex professo omnia proposuerim vel composuerim (hoc enim in plerisque superfluum & bonis ingenijs ex parte iniurium esset:) sed quòd expositio seu elucidatio, quæ in Commentario, locis in hoc Indice notatis, affertur vel insinuatur, talis sit, vt ex ea nullo negotio dissidium locorum in speciem pugnantium tolli & extingui possit. Inserui in eumdem hunc Indicem quasdam, si non oppositas, certè notabiliter variantes sententias, quæ aliter ab vno Hagiographo, aliter ab alijs citantur. Denique nonnulla etiam quasi paradoxa, & quæ ferè impossibilia vel absurda, atque ita saltem veritati contraria videntur. Sed omnia in Commentario suis, vt decuit, locis explicui, composui, stabiliui.

Ex libro Geneſis.

Gen.1.v.3. *Facta est lux* primo die, & eodem tempore. v.4. *Diuisit Deus lucem à tenebris: appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem.* At v.16. *tertio* demum *die fecit Deus luminaria* cœli: *luminare maius, vt præesset diei; & luminare minus, vt præesset nocti;* v.18. *vt diuiderent lucem ac tenebras.* vide v.1. in comment.

Gen.1.v.26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Isaiæ 40.v.18. *Quam imaginem ponetis* Deo? solus Filius Sap.7. v.26. & Hebr.1.v.3. vocatur *figura substantiæ, & speculum maiestatis, & imago bonitatis illius.*

Gen.1.v.28. *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Matth.19.v.10. *Non expedit nubere.* 1. Cor.7. v. 40. *Beatior erit si sic permanserit.*

Gen.2.v.2. *Complent Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere.* Ioan.5.v.7. *Pater meus vsque modo operatur.*

Gen.2.v.9. *Lignum scientiæ boni & mali.* Cap.3.v.7. non *scientiæ*, sed ignorantiæ & tenebrarum causa & origo fuit.

Gen.2.v.17. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Genes.5.v.5. *Omne tempus quod* supervixit *Adam, anni nongenti triginta* sunt.

Gen.2.v.18. *Non est bonum, esse hominem solum.* 1. Cor.7. v.26. *Bonum est homini sic esse.* Et nónne Sap.10. v.1. *Cùm solus esset creatus* Adam, sapientia *illum custodiuit* à delicto? quod mox incurrit cùm desijt esse solus.

Gen.3.v.5. *Aperientur oculi vestri.* v.7. *Aperti sunt oculi amborum.* An ergo antea cæci erant? nónne v.6. *vidit mulier lignum?*

Gen.3.v.14. Ait Deus ad serpentem: *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, terram comedes, & super pectus tuum gradieris.* *Serpens* non peccarat, sed dæmon, v.1. Et vt non fuisset dæmon vsus serpente, æque bene serpens *reptasset* super pectus suum Gen.1.v.35. & terram comedisset, &c.

Gen.4.v.26. *Enos cœpit inuocare nomen Domini.* An parens eius *Seth*, & auus *Adam* non inuocabant *nomen Domini?*

Gen.5.v.24. *Non apparuit* amplius Henoch, *quia tulit eum Deus.* Hebr.11.v.5. *Henoch translatus est ne videret mortẽ.* Eccli.44.v.16. *Trãslatus est in paradisum*

Index Antilogiarum S. Scripturæ.

Gen.5.v.26. *Mathusala, postquam genuit Lamech, vixit septingentis octoginta duobus annis,* Ergo vixit *vsque ad finem diluuij,* & tamen non fuit in arca. vide Chron.c.10.

Gen.6.v.1. & 4. *Ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt.* Iob 1.v.6. & c.38.v.7. *filij Dei* sunt angeli.

Gen.6.v.3. *Erunt dies* hominis *centum viginti annorum.* Diluuium non expectauit nisi *centum annos*, c.7. v.7. & plurimi hominum (si de his exponas) longè pluribus annis postea vixerunt, c.11.

Gen.7.v.2. *Ex omnibus animantibus mundis tolle septena, de immundis duo.* Distinctio *mundorum & immundorum* animalium præscribitur demum 887. pòst annis, Leuit.11.

Gen.9.v.13. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & terram.* At erat etiam ante diluuium arcus in nubibus.

Gen.9.v.25. *Maledictus Chanaan: seruus seruorũ erit fratribus.* Vers.22. pater eius *Cham* peccasse dicitur, non ipse *Chanaan.*

Genes.11. v.26. *Vixit Thare septuaginta annis, & genuit Abram, Nachor & Aran.* Thare fuisse non tantùm 70. sed 130. annorum quando genuit Abram, docui Chron.c.14.

Genes.12. v.13. *Dic, quòd soror mea sis, vt bene sit mihi propter te.* Vers.18. *Quare non indicasti, quòd vxor tua esset?*

Genes.15. v.13. *Peregrinum erit semen tuum*, &c. *quadringentis annis.* Gal.3.v.17. mentio fit 430. *annorum.*

Genes.17. v.14. *Masculus, cuius præputij caro circumcisa nõ fuerit* (debebat autem circumcidi *octauo die*, Leu.12.v.3.) *delebitur anima illa de populo suo.* Iosue 5.v.5. *Populus qui natus est in deserto per quadraginta annos, incircumcisus fuit.* v.7. *Sicut nati fuerant, in præputio erant.*

Gen.22.v.5. *Postquam adorauerimus, reuertemus ad vos.* Vers.2. *immolari* debebat *Isaac*: quomodo ergo dicit *reuersurum?*

Gen.25.v.6. *Filijs concubinarum.* V.1. *Cetura* erat *vxor* Abrahæ: vt & *Agar* c.16.v.3.

Genes.25. v.25. Quia *rufus, vocatum est nomen eius Esau.*

V.30. *A rufa coctione, vocatũ est nomen eius Edom.*

Genes.26. v.19. *Foderunt in torrente, & repererunt aquam viuam.* Quid mirum, reperiri *aquam viuam in torrente?*

Genes.27. v.19. *Ego sum primogenitus tuus Esau: feci sicut præcepisti.*

An licuit Iacobo sic fallere parentem? & præripere fratri benedictionem paternam?

Genes.31. v.19. *Rachel furata est idola patris sui.* Quomodo *furata*, cùm hac via compensarit acceptum à parente damnum? v.15.

Genes.32. v.24. *Vir luctabatur cum eo.* V.28. vocatur *Deus*, Osee 12.v.3. *angelus.*

Genes.33. v.10. *Vide faciem tuam, quasi viderim vultum Dei.* C.32.v.11. *Erue me de manu Esau, quia valdè eum timeo.*

Genes.34. v.30. *Turbastis me.* & cap.49.v.5. *maledicit* illis Iacob. Iudith 9.v.2. *Deus qui dedisti Simeonis gladium, in defensionem alienigenarum*, &c. v.3. *Zelauerunt Zelum Dei*, &c.

Gen.36.v.2. *Vxores Esau, Ada filia Elon Hethæi, & Basemath filia Ismael.* vide Chron. c.46.tab.2. C.29.v.34. *Vxores Esau, Iudith filia Beeri Hethæi, & Basemath filia Elon eiusdem loci.* Vide Prolegom. de Idiotismis Hebr.num.18.

Genes.37. v.10. *Num ego & mater tua adorabimus te super terram?*

Iam obierat *Rachel* mater Iosephi, c.35.v.19.

Genes.37. v.36. *Putiphari eunucho Pharaonis.* Cap. 39. v.7. & 16. dicitur vxorem habuisse: quomodo igitur eunuchus?

Genes.40. v.19. *Auferet Pharao caput tuum.* Proleg. de Idiotismis Hebr. nu.28. Atqui eod.v. dicitur: *Suspendet te in cruce.* & v.22. *Suspensus est.*

Genes.41. v.16. *Absque me, Deus respondebit prospera Pharaoni.* Vers.25. & seqq. *ipsemet* prolixè *respondet Pharaoni.*

Genes.42. v.16. *Per salutem Pharaonis, exploratores estis.* Cap. 45.v.16. *Venerũt fratres Ioseph, & gauisus est Pharao, atque omnis familia eius.*

Genes.43. v.16. *Occide victimas.* An Ioseph immolari iubet *victimas dijs Ægyptijs?*

Gen.44.v.5. *Ipse est scyphus in quo augurari solet dominus meus.* An magus, aut ariolus Ioseph? c.42.v.18. *Deum enim timeo.*

Gen.45.v.8. *Non vestro consilio, sed Dei volũtate huc missus sum*, c.50.v.19. *Num Dei possumus resistere voluntati?* Cap.50.v.20. *Vos cogitastis de me malum.*

Genes.46. v.26. *Cuncta anima, quæ ingressa sunt in Ægyptum, sexaginta sex.* Vers.27. dicuntur fuisse *septuaginta*: & Actor.7.v.14. *septuaginta quinque.*

Genes.47. v.31. *Adorauit Deum, conuersus ad lectuli caput.* Hebr.11.v.21. *Adorauit fastigium virgæ eius.*

Genes.48. v.22. *Partem quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Cap.33.v.19. & Iosue vlt.v.32. dicitur *Iacob* hanc partem *agri emisse à filijs Hemor centum agnis.*

Genes.49. v.7. Simeonem & Leui *diuidam in Iacob, & dispergam eos in Israel.* Iosue 19. v.1. & 8. *Simeoni*, perinde ac reliquis *tribubus*, sua obuenit possessio in terra Israel.

Genes.49. v.10. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est.* An non ablatum *sceptrum de Iuda* sub *Nabuchodonosore*. 4.Reg. vlt. sub *Machabæis*, 1.Machab.2. sub *Herode?* Cuius tamen extremis solùm annis natus est Christus, Matth.2.

Genes.49. v.26. *Donec veniret desiderium collium æternorum, benedictiones patrum* meorum *fiant in capite Ioseph, & in vertice nazarei. Ioseph* non fuit nazaræus, Genes.43.v.34. & posteri eius non durarunt vsque ad Christi aduentum, sed sub Ieroboamo defl. xerunt à cultu veri Dei, & à Salmanassare 4.Reg. 17. ante natum Christum annis 687. in perpetuum exilium abducti sunt.

Ex libro Exodi.

Exod. 6. v.3. *Nomen meum Adonai non indicaui Abrahæ, Isaaco & Iacobo.* Vbique in textu Geneseos Hebraico vocatur Deus *Adonai.*

Exod. 7. v.1. *Constitui te Deum Pharaonis: & Aaron erit Propheta tuus.* 4.Reg.19.v.15. *Tu es Deus solus regum omnium terræ.*

Exod.7. v.3. *Ego indurabo cor eius.* Cur ergo c.10.v.16. Pharao sibi culpam ascribit, *Peccaui in Dominum Deum?*

Exod.10. v.13. *Ventus vrens leuauit locustas super vniuersam terram Ægypti, innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant, nec postea futuræ sunt.* Quomodo ergo Ioel 1. vers.4. de suo tempore loquens, ait etiam tum *residuum eruca comedit locusta*, &c. & v.2. *Si factum est istud in diebus patrum vestrorum?*

Exod.10. v.21. *Tenebræ tam densæ, vt palpari queant.* Tenebræ nil sunt nisi priuatio luminis.

Exod.12. v.2. *Mensis iste* Nisan (qui ferè respondet Martio) *vobis primus erit in mensibus anni.* C.23. v.16. Exitus

Exitus anni, seu vltimus mensis, computatur, *quando congregaueris omnes fruges tuas*, id est, mense Tisri, qui ferè respondet Septembri. Chron. cap. 5.

Exod. 12. v. 3. & 6. *Tollet vnusquisque* paterfamilias *agnum per familias & domos suas: immolabitq; eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam decimaquarta diei* Nisan.

2. Paralip. 30. v. 17. & 18. & 1. Esdr. 6. v. 20. de solis *sacerdotibus & Leuitis* dicitur, quòd fuerint *purificati ad immolandum pascha vniuersis filijs transmigrationis.*

Exod. 12. v. 40. *Habitatio filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.* Vix media parte illius temporis habitarunt in Ægypto, vt docui in Chron. c. 17. in fine. à prædictione verò facta Abrahæ, Gen. 15. v. 13. tantùm dicuntur fluxuri *quadringenti anni* vsque ad finem seruitutis Israelitarum.

Exod. 12. v. 42. *Nox ista est obseruabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti.* V. 51. dicitur, *Dominus die* eduxisse *filios Israel.* Deut. 16. v. 6. *Vespere ad solis occasum.* Vide Prolegomena de Idiotismis Hebr. num. 56.

Exod. 14. v. 20. *Erat nubes tenebrosa.* Ibid. erat nubes *illuminans noctem.*

Exod. 15. v. 13. *Portasti* populum tuum *ad habitaculum sanctum tuum.* Ibid. v. 17. in futuro dicitur: *Introduces eos & plantabis in monte hæreditatis tuæ.* Et verò non nisi *post quadraginta annos* obtenta est terra Chanaan.

Exod. 16. v. 14. *Apparuit* manna *in similitudinem pruinæ*, nempe albi coloris. Num. 11. v. 7. *Erat man quasi semen coriandri, coloris bdellij*, flauescentis.

Exod. 18. v. 1. *Iethro cognatus Moysi*, id est, affinis. Exod. 3. v. 1. *Iethro socer Moysis.*

Exod. 19. v. 5. & 6. *Eritis mihi in peculium*, &c. *in regnum sacerdotale & gens sancta.* 1. Petr. 2. v. 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.*

Exod. 19. v. 12. *Cauete ne ascendatis in montem*, &c. Exod. 19. vers. 13. *Tunc ascendant in montem.* & cap. 24. v. 9. *Ascenderuntque Moyses & Aaron, Nadab & Abiu, & septuaginta de senioribus Israel: & viderunt Deum Israel.*

Exod. 20. v. 4. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo, in terra, in aquis.* Exod. 25. v. 18. *Duos Cherubim aureos & productiles facies.* Num. 18. v. 8. *Fac serpentem æneum*, &c.

Exod. 20. v. 5. *Ego Dominus visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum.* Ezech. 18. v. 20. *Filius non portabit iniquitatem patris.*

Exod. 21. v. 6. *Erit ei seruus in seculum.* Leuit. 25. v. 41. & 54. *Anno iubileo egredietur* liber.

Exod. 27. v. 1. *Altare* holocaustorum *habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine.* Exod. 30. v. 1. *Altare* thymiamatis *habebit cubitum longitudinis: & alterum latitudinis.*

Exod. 28. v. 36. & 38. *Lamina de auro purissimo in fronte* pontificis. Sapient. 18. v. 24. vocatur *diadema*: Eccli. 45. v. 14. *corona.*

Exod. 30. v. 12. *Quando tuleris summam filiorum Israel iuxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cùm fuerint recensiti.* 2. Reg. 24. v. 15. ob numeratum populum, *mortui sunt septuaginta millia virorum.*

Exod. 33. v. 7. *Moyses tollens tabernaculum fœderis, tetendit extra castra procul.* Nondum erat erectum tabernaculum fœderis: nam, vt constat ex Exod. 40. vers. 1. & 15. *Mense primo, prima die mensis* anni demum sequentis, *erigitur tabernaculum testimonij*, seu fœderis.

Exod. 33. v. 12. *Minister* Moysis *Iosue, puer.* Exod. 17. v. 9. iam tum agebat magistrum militiæ: & erat annorum 53. vt patet ex dictis in Chronico c. 20.

Exod. 33. v. 20. *Non poteris videre faciem meam*: nam *non videbit me homo & viuet.* Item Ioan. 1. v. 18. *Deum nemo vidit vnquam.* Num. 12. v. 8. *Ore ad os loquor* Moysi, *& palàm & non per figuras Dominum videt.* Exod. 33. v. 11. *Facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* & v. 19. *Ego ostendam omne bonum tibi.*

Exod. 34. v. 15. *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum: nec vxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis.* Deuter. 21. v. 11. &c. permittit, vt *è captis in bello mulieribus* vna ducatur *vxor.* & Deut. 20. vers. 10. iubet, *pacem* priùs *offerri*, quàm ciuitas expugnetur.

Exod. 34. v. 29. *Cornuta facies* Moysis. 2. Cor. 3. v. 7. *Gloria vultus* Moysis deprædicatur.

Exod. 35. v. 2. *Qui fecerit opus in sabbato, occidetur.* Matth. 12. vers. 5. *Non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt?* & v. 11. *Si ceciderit* ouis *sabbatis in foueam, nónne leuabit eam?* & 1. Machab. 2. v. 41. *Quicumque venerit ad nos in bello die sabbatorum, pugnemus aduersus eum.*

Exod. 37. v. 1. *Fecit arcam habentem duos semis cubitos in longitudine.* Exod. 25. v. 10. *Arcam compingite, cuius longitudo habeat duos & semis cubitos.*

Exod. 37. v. 14. *Contra coronam mensæ posuit quatuor circulos aureos.* Exod. 25. v. 27. *Subter coronam erunt circuli aurei.*

Ex Leuitico.

Leuit. 2. v. 1. *ANima cùm obtulerit oblationem sacrificij Domino, similæ erit eius oblatio.* Leuit. 3. 4. &c. multæ aliæ hostiæ, & valdè diuersæ præscribuntur.

Leuit. 2. v. 3. & 10. & c. 6. v. 17. & 25. & Exodi 40. v. 12. multa vocantur *Sancta sanctorum*: & cuiuis sacerdoti accessio conceditur. Leuit. 16. v. 2. & Hebr. 9. vers. 7. *soli* pontifici summo permittitur ac iubetur, *semel in anno* ingredi *Sanctum sanctorum.*

Leu. 10. v. 3. *Locutus est Moyses ad Aaron & ad filios eius: Capita vestra nolite nudare, & vestimenta nolite scindere, ne forte moriamini:* & Deuter. 14. v. 1. toti populo præscribitur: *Non facietis calùitium super mortuo.* Et de summo pontifice nominatim Leuit. 21. v. 10. *Caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet.* Ierem. 16. v. 6. insinuatur, solitos passim Iudæos *calùitium facere pro mortuis.* Et Matth. 26. v. 65. *Princeps sacerdotum scidit vestimenta sua.*

Leuit. 11. v. 34. *Omnis cibus, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit, & omne liquens quod bibitur de vniuerso vase, immundum erit.* Leuit. 11. v. 32. *Vas ligneum, & in quocumque sit opere, tingetur aqua, & sic postea mundabuntur.* & cap. 13. v. 58. *Lauabit aqua secundo, & munda erunt.*

Leu. 17. v. 3. *Homo si occiderit bouem aut ouem in castris vel extra castra, & non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit.* 1. Reg. 7. v. 9. Samuel sacrificauit *in Maspha*: Elias *in monte Carmelo*, 3. Reg. 18. v. 33. & alij passim in excelsis, 3. Reg. 3. v. 3. 4. &c.

Leuit. 18. v.16. *Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis.* Deut.25.v.5. *Quando vnus fratrum absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius.*

Leuit. 19. v.19. *Iumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus.* 2.Reg.13.v.29. *Omnes filij regis ascenderunt singuli mulas suas:* quarum ingens copia erat in Iudæa; sed vnde?

Leuit. 19. v.27. *Non radetis barbam.* & cap.21.v.5. de sacerdotibus dicitur: *Non radent caput, nec barbam.* Ezech. 44.v.20. *Caput suum non radent.* Leuit.14.v. 8.& 9. *Radet homo omnes pilos corporis,* etiam *capitis, & barbam & supercilia.* Num.8.v.7. *Radant* Leuitæ *omnes pilos carnis suæ.* Et exempla habes Ierem.41.v.5.& 1.Esdr.9.v.3.& Baruch 6.v.30.

Leuit. 19. v.27. *Neque in rotundum attondebitis comam.* Ierem.9. v.vlt. *Visitabo super omnes attonsos in comam.*

Ezech.44. v.20. *Tondentes attondent (non* autem *radent) capita sua.*

Leuit. 22. v.25. *De manu alienigenæ non offeretis panes Deo vestro, & quidquid aliud dare voluerit.* 1. Esdr.6. v.9. *rex Persarum Darius:* & 2.Machab.3.v.3. *rex Asiæ Seleucus de reditibus suis præstabat omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum necessarios.*

Leuit. 25. v.5. *Quæ* anno sabbatico *sponte gignet humus, non metes: & vuas non colliges quasi vindemiam.* Leu. 25.v.6. *Erunt vobis in cibum: tibi & seruo tuo, & aduenæ & iumentis tuis, omnia quæ* tunc *nascuntur, præbebunt cibum.*

Leuit. 25. v.13. *Anno iubilei redient omnes ad possessiones suas.* v.23. *Terra non vendetur in perpetuum.* Leuit. 27. v.16. *Si* quis *agrum possessionis suæ vouerit & consecrauerit Domino, & redimere voluerit,* etiam *cùm iubilæi venerit dies, sanctificatus* manebit *Domino,* v.21.

Leu.26.v.1. *Nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum.* Genes.28.v.18. Iacob *tulit lapidem & erexit in titulum.* Exod.24. v.4. *Moyses ædificauit duodecim titulos.* Idem fecit Iosue iubente Deo, cap.4.v.4. & Simon Machabæus, 1.Machab.13.v.27.

Ex libro Numerorum.

Numer.1. v.45. *Fuerunt omnis numerus filiorum Israel, &c. sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta: Leuitæ autem non sunt numerati cum eis.*

Exod.38.v.25. etiam non exclusis Leuitis, præcisè tot recensentur.

Numer.3. v.25. Leuitæ *habebunt excubias in tabernaculo fœderis,* v.28. *habebunt excubias sanctuarij.* Exod. 40.v.12.& Num.3.v.10.& cap.4.v.4. solis *sacerdotibus* conceditur seruire in *tabernaculo, illudque ingredi.*

Numer.3. v.39. *Omnes Leuitæ fuerunt viginti duo millia.* Collige calculos ex Num.3.v.22.28.&34. reperies *viginti duo millia & trecentos.*

Num.7.v.1. *In die qua complenit Moyses tabernaculum, obtulerunt principes munera,* &c. Num.7.v.11. *Singuli duces per singulos dies offerant munera.* Et mox seqq. versibus distinguuntur *duodecim dies.*

Num.9. v. 10.& 13. *Si quis mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecit phase tempore suo,* (id est, *quartadecima die mensis primi,* v.3.) *exterminabitur,* &c. 2.Paral. 30.v.2. *Ezechias & vniuersus cœtus Ierusalem decreuerunt* (longè alias ob causas) *vt facerent phase mense secundo.*

Num.10.v. 29.& 31. *Dicit Moyses Hobab filio Raguel,* &c. *Tu eris dux noster: tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus.* Exod.13.v.21. *Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore.*

Numer.11. v.14. *Non possum solus sustinere omnem hunc populum,* inquit Moyses. At iam pridem ex consilio soceri sui iunctos sibi habebat Moyses tot millenarios, centenarios, quinquagenarios & decanos, Exod.18.v.25.

Numer.11. v.31. *Ventus trans mare coturnices detulit in castra.* Psalm.77.v.27. *Pluit super eos sicut puluerem carnes,* &c. Sap.16.v.2. & c.19.v.12. *Ascendit illis in mari ortygometra.*

Numer.12. v.1. *Vxor Moysis Æthiopissa.* Exod.2.v.16.& 22. *Sephora* vxor Moysis, erat *Madianitis,* ex *Arabia.*

Numer.13. v.17. *Osee filium Nun vocauit* Moyses *Iosue,* cùm essent *in deserto Pharan,* v.1.& 4. Iam ab anno & ampliùs vocabatur *Iosue,* Exod.17.v.9.

Numer.13. v.31. *Caleb compescit murmur: alij verò qui fuerant cum eo, detraxerunt terræ,* &c. v.32.& 33. Ex Num.14.v.6.& Eccli.46.v.9. constat, *Calebo* adiunctum fuisse etiam *Iosue,* in murmure compescendo.

Numer.14. v.20. *Dimisi peccatum populi huius iuxta verbum tuum; dixit Dominus* Moysi. Num.14.v.22. vsque 38. ob hoc peccatum occiduntur armatorum sexcenta tria millia & 550. partim subitò, partim lento supplicio.

Numer.16. v.32. *Aperiens terra os, suum deuorauit* Core, Dathan, &c. *cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum.*

Num.26.v.10. *Factum est grande miraculum, vt, Core pereunte, filij illius non perierunt.*

Num.18,v. 8.& 20. *Dixit Dominus ad Aaron: In terra* filiorum Israel præter primitias, *nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos.* Num.35.v.7. designantur 48. vrbes propriæ sacerdotibus & Leuitis, itemq; suburbana, & in his agri, pascua, &c.

Numer.20. v,12. *Non credidistis mihi* (inquit *Dominus ad Moysen & Aaron,*) *vt sanctificaretis me coram filijs Israel.* & c.27.v,24. *Nec sanctificare me voluistis coram multitudine.*

Num.20.v.11. dicitur Moyses fecisse quæcumque præceperat Deus v.8.

Num.20.v. 25.& 29. dicitur *mortuus Aaron in supercilio montis Hor.* Deut.10.vers.6. *In Mosera mortuus ac sepultus est Aaron.*

Nu.21.v.5. *Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo.* vide Exodi 16. v.14. Sap.16.v.20. *Angelorum esca* vocatur, *omne delectamentum in se habens, & omnis saporis suauitatem.*

Nu.21.v.6. *Misit Dominus in populum ignitos serpentes.* Deut.8.v.15. dicitur fuisse *serpens flatu adurens & scorpio, ac dipsas.* Sap.16.v.5.& 10. *peruersi colubri & venenati dracones.*

Nu.22.v.5. *Balaam ariolus habitabat super flumen terræ filiorum Ammon.* Deut.23. vers.4. euocatus dicitur *de Mesopotamia Syriæ.* & quomodo *ariolus,* qui Num.22.v.18. & cap.24.v.13. & alibi passim inculcat, se nil posse proferre nisi ex ore *Domini Dei sui.*

Nu.22.v.5. & Iosue 24.v.9. *Balaam filius Beor.* 2.Petr.2.v.15. *Balaam ex Bosor.*

Numer.22. v.22. *Iratus est Deus.* & v.32. *Peruersa est via tua mihi & contraria;* inquit angelus ad Balaam.

Num.22.v.20. ait *Deus ad Balaam: Surge & vade cum eis:* quomodo ergo *via* eius *peruersa?*

Numer.23. v.20. *Ad benedicendum* Israeli *adductus sum.* Num. 23.v.11. *Vt malediceres inimicis meis, vocaui te.*

Numer.25. v.12. *Ecce do ei* (Phinees) *pacem fœderis mei: & erit tàm ipsi, quàm semini eius pactum sacerdotij sempiternum.*

Ex 1.Paral.24.v.3.& 1.Reg.2.v.30.constat,post pronepotem Phinees, translatum pontificatum ad *Heli*, eius filium ac nepotes, qui non erant de stirpe Phinees.

Numer.26. v.55. *Sors dumtaxat terram tribubus diuidat & familijs.*

Num.26.v.53. *Diuidetur terra iuxta numerum vocabulorum: pluribus maiorem partem dabis, & paucioribus minorem.*

Numer.27. v.12. *Dixit Dominus ad Moysen, Ascende in montem istum Abarim, & contemplare inde terram,*&c.

Deut.34.v.1. *Ascendit Moyses super montem Nebo, in verticem Phasga contra Iericho: ostenditq; ei Dominus omnem terram,*&c.

Numer.29. v.12. *Celebrabitis solemnitatem* (tabernaculorum) *Domino septem diebus.* Leuit.23.v.35.de solo primo die dicitur; *Omne opus seruile non facietis in eo.*

Nu.31. v.8. In Madianitide *Balaamum interfecerunt gladio.*

Num.24. v.vlt. *Balaam reuersus* erat *in locum suum*, an non in Mesopotamiam? vnde venerat, Deut.23.v.4.

Numer.32. v.21. *Omnis vir bellator armatus Iordanem transeat.*

Iosue 4.v.13.solùm *quadraginta millia* transisse indicantur.

Numer.34. v.2.& 3. *His finibus terminabitur possessio* filiorum Israel.

Iosue 15.vers.1.&c. aliter termini designantur. Aliter etiam Deut.1.v.7.

Nu.36.v.7. *Omnes viri ducent vxores de tribu & cognatione sua: & cuncta femina de eadem tribu maritos accipient.*

Deut.21. v.13. permittitur vt etiam ex altera gente vxores ducantur. Et Matth.1.v.5. *Salmon* princeps tribus Iuda duxit *Rahab* Chanaanitidem: *Dauid* 1.Reg.18.v.27.*filiam Saulis*; & 2.Reg. 3.v.3. *filiam regis Gessur*: *Salomon* 3.Reg.3. v.1. *filiam Pharaonis*: *Ioiada* pontifex 2.Paral.22.v.11.*filiam regis Ioram*, &c.

Ex Deuteronomio.

Deut.2.v.4. *Dixitq; Dominus: Transibitis per terminos filiorum Esau: & timebunt vos.* Num.20.v.18. *Respondit Edom: Non transibis per me.* v.20. *Statimq; egressus est obuius cum infinita multitudine, nec voluit acquiescere deprecanti. Quamobrem diuertit ab eo Israel.*

Deuter.3. v.11. *Solus Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum.*

Diu post, Iosue 15.v.14. *Deleuit Caleb tres filios Enac.* & 2.Reg.21.à v.16. vsque fin. mentio fit plurium *gigantum.* vt & 1. Paralipp.20. v.4. vsque fin.

Deuter. 3. v.26. *Iratus est mihi Dominus propter vos.* Deut. 32.v.51.& Num.20.vers.12. *Praeuaricatio & incredulitas* ipsiusmet *Moysis*, causa iræ diuinæ fuisse dicitur.

Deut.4.v.2. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor.* At quàm multa addiderunt postea Iosue, Iudices, Dauid, Salomon & omnes Prophetæ! & Deut.17. v.10. sub pœna mortis iubentur omnes obedire summi sacerdotis imperio in omnibus.

Deuter.4. v.48. *Mons Sion, qui est Hermon.* & Psalm.132. *Ros Hermon, qui descendit in montẽ Sion.* Mons *Sion* erat Ierosolymæ in medio terræ sanctæ. Psal.86. v.1.&c. *Hermon* verò trans Iordánem in finibus terræ sanctæ. Deut.4.v.49.

Deut.5.v.1. *Vocauit Moyses omnem Israelem, & dixit ad eum, Audi Israel caremonias,*&c. c.29.v.10. *Vos statis hodie cuncti coram Domino,* &c. *liberi & vxores vestræ, & aduena,* &c. Quomodo potuit vnus exaudiri à sexcentis millibus armatorum, omnibusque illorum vxoribus, liberis & aduenis?

Deut.5.v.3. *Deus non iniit pactum cum patribus nostris, sed nobiscum.* Genes.15.v.18. *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham.*

Deuter.7. v.10. *Deus reddit odientibus se statim, ita vt differat eos, & vltrà non differat.* Idem dicitur 2.Mach.6. vers.12.

Genes.15.vers.16. *Necdum completa sunt iniquitates Amorrhæorum.* 1.Reg.15. v.2. *Recensui quæcumque fecit Amalec Israeli.* Et 4.Reg.23.v.26. *peccata Manassis* diu post mortem eius punita sunt.

Deuter.7. v.14. *Non erit apud te sterilis vtriusque sexus.*

Iosue nullos liberos procreasse videtur, Ios.vlt. v.29.vt & *Daniel*,& tot alij: adeoque & ipse *Christus* cælibem vitam egit.

Deuter. 9. v.23. *Quãdo misit vos* Dominus *de Cadesbarne, dicens: Ascendite & possidete terram; contempsistis imperium Domini.* Deut.1.v.22. non detrectant, sed solùm petunt præmitti exploratores: quod ipsum iubet Deus vt fiat, Num.13.v.3.

Deuter.10. v.6. *Filij Israel mouerunt castra ex Beroth filiorum Iacan in Mosera. Inde venerunt in Gadgad.*

Num.33.v.30. *Profecti de Hesmona, venerunt in Moseroth*: inde *Beneiaacan*: inde *in montem Gadgad.*

Deuter.10. v.3. *Eo tempore* (an quo mortuus Aaron? v.6.) Deus *separauit tribum Leui, ut portaret arcam fœderis.*

Id factum ferè 40. annis ante mortem Aaron, nempe reuerso Moyse de monte Sinai, Num.3, v.6. & 39.

Deuter.11. v.10. In Ægypto, *aqua in hortorum morem ducuntur irrigua.* Exundatione Nili fœcundari Ægyptum constat ex dictis Genes.41.v.16.

Deuter. 11. v.24. *Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit.*

Eod.v.24.& Deut.c.1.v.7.& alibi, sat angustis terminis circumscribitur possessio Israelitarum.

Deute.12. v.12. *Leuites non habet aliam partem, neque possessionem inter vos.* Leuit.19. v.24. adhuc aliæ partes designantur: vt & Num.35.v.7.

Deuter.12. v.15. *Occide & comede, siue immundum fuerit, siue mundum.* Deut.14. v.3. *Ne comedatis qua immunda sunt.*

Deuter. 12. v.17. *Primogenita armentorum & pecorum,*&c. *comedes in loco quem elegerit Dominus, tu & filius, & seruus tuus,*&c. Deut.15.v.19. *De primogenitis, quæ nascuntur in armentis & in ouibus tuis, quidquid est sexus masculini, sanctificabis Domino.* Et illa sacerdotibus integrà cedebant, Num.3.v.41.

Deuter.15. v.4.& 7. *Omnino indigens & mendicus non erit inter vos.*

Deut.15.v.11. *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ.* Matth.26.v.11. *Pauperes semper habetis vobiscum.*

Deuter. 15. v.6. *Fœnerabis Gentibus multis.* & c.23.v.19. *Non fœnerabis fratri tuo, sed alieno.*

Psal.14. v.1.& 5. *Quis habitabit in tabernaculo tuo? qui pecuniam suam non dedit ad vsuram.* Item Prou.28.v.8.&c.

Deuter.16. v.2. *Immolabis phase de ouibus & de bobus.*

Exod.12.v.3.& 11. non nisi *agnus* pro *phase* immolari permittitur.

Deut.17. v.8. vsque 13. Iubentur sententiâ pontificis & sacerdotum decidi lites omnes & causæ ambiguæ, cuiuscumque demum generis.

2.Paral.19. v.10.& 11. solæ causæ Ecclesiasticæ ipsis demandãtur, politicis politico iudici relictis.

Prophe-

Deuter.18. v.15. *Prophetam de gente tua, sicut me,* (inquit Moyses) *suscitabit tibi Dominus.*

Deut.vlt.v.10. *Non surrexit vltrà Propheta in Israel sicut Moyses,* &c. Psalm.73.v.9. *Iam non est Propheta.* Dan.3.v.38. *Non est in tempore hoc Propheta.*

Deuter. 21. v.23. *Maledictus à Deo est qui pendet in ligno.*

Matth.27.v.35. Christus in cruce pendens non fuit maledictus à Deo: sed v.54. *Verè filius Dei erat iste.*

Deuter.23. v.1. *Non intrabit eunuchus Ecclesiam Domini.*

Actor.8.v.27. *Ecce vir Æthiops eunuchus, venerat adorare in Ierusalem.* Isaiæ 56. v.5. *Eunuchis qui tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea locum,* &c.

Deuter.23. v.2. *De scorto natus non ingredietur in Ecclesiam Domini, vsque ad decimam generationem.*

Iudic.11.v.1. *Iephte filius mulieris meretricis* eligitur ab Israelitis in *principem* v.6. Idem de filijs Rahab meretricis colligitur ex Iosue 6.v.25.

Deuter.23. v.3. *Ammonites & Moabites non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum.*

Iudith 14.v.6. *Achior dux omnium Ammonitarum* (c.5. v.5.) *appositus est ad populum Israel, & omnis successio generis eius vsque in hodiernum diem.* Idem de Ruth Moabitide constat ex Ruth 4. vers.13.

Deuter. 23. v.17. *Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator, de filys Israel.*

Iudic.11.v.1. *Iephte Galaadites, filius* erat *mulieris meretricis.* 3.Reg.3.v.16. *venerunt duæ mulieres meretrices ad regem* Salomonem.

Deuter. 29. v.4. *Non dedit nobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ possunt audire, vsque in præsentem diem.*

Eccli.15.v.11. *Non dixeris, Per Deum abest.* Isaiæ 5.v.4. *Quid est quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei.*

Deuter. 29. v.29. *Abscondita Domino Deo nostro, quæ manifesta sunt nobis & filijs nostris vsque in sempiternum.*

Psal.43. v.22. *Ipse novit abscondita cordis.* Eccli. 16.v.17. *Non dicas, A Deo abscondar,* &c. Dan.13. v.42. *Deus qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant.*

Deut.30.v. 11.& 14. *Mandatum hoc non supra, sed iuxta te est valdè,* &c.

Actor.15.v.10. *Iugum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus.* & Iosue 24.v.19. *Non poteritis servire Domino.*

Deuter. 31. v.14. *Moyses & Iosue steterunt in tabernaculo testimonij.*

Ex Leuitico & Exodo passim constat, non nisi *sacerdotibus* licuisse ingredi tabernaculum testimonij. Atqui *Iosue* non erat *sacerdos.*

Deuter. 31. v.25. *Præcepit Moyses Leuitis, qui portabant arcam fœderis Domini, dicens, Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ.*

Deut.31.v.9. dicitur Moyses, *sacerdotibus* tradidisse librum quia istis solis patebat accessus ad *arcam fœderis,* &c. Et sub Iosia rege repertus est liber legis non *in latere arcæ,* sed in gazophylacio templi. 4.Reg.22.v.8. &c.

Deuter.32. v.36. *Dominus miserebitur.*

2.Machab.7.v.6. *Dominus consolabitur.*

Deuter. 33. v.12. *Inter humeros* Beniamin *requiescet Dominus* in templo Ierosolymitano.

Templum & Ieroſolyma erant *tribus Iuda,* Iosue 15.vers.8. *Elegit tribum Iuda, montem Sion,* Psal. 77. vers. 68.

Deuter.33. v.22. *Dan fluet de Basan.*

Quomodo? cùm *Dan* fuerit eis: *Basan* verò trans Iordanem? Numer.21. vers.33. & Iosue 19: vers. 40.

Deuter.33. v.5. *Mortuus est Moyses in terra Moab, & sepultus in valle terræ Moab.*

Deuter.2.v.9. *Non dabo tibi quidquam de terra Moabitarum.*

Ex libro Iosue.

Ios.1. v.11. *POst diem tertium transibitis Iordanem.*

Quomodo? cùm exploratores missi cap.2. Iosue v.1. manserint in montanis toto triduo? v. 22. & postreditum illorum hæserint Israelitæ adhuc *tres dies* apud Iordanem? c.3.v.1.

Ios.7. v.25. *Lapidauitque eum omnis Israel.*

Iosue 7.v.15. *Comburetur igni cum omni substantia sua.*

Ios.7.v.25. *Filios quoque & filias eius.*

Ezech.18. v.20. *Filius non portabit iniquitatem patris.* Deuter.24.v.16. *Filij non occidentur pro patribus.*

Ios.10.v.42. *Vniversos reges & regiones eorum vno impetu cepit atque vastauit* Iosue.

Iosue 10.v.15.29.&c. indicatur, plures dies impensos huic negotio, & c.11.v.18. *Multo tempore pugnauit Iosue contra reges istos.*

Ios.15.v.14. *Ex Hebron deleuit Caleb tres filios Enac: cepitque Othoniel Dabir:* Iosue (c.13.v.1.) iam senio confecto, vel etiam mortuo, Iudic.1.v.10.

Atqui diu antè, Iosue 10. v.36. *Ascendit Iosue cum omni Israel in Hebron, cepitque eam, & percussit in ore gladij vniversas animas. Inde reversus in Dabir, cepit eam atque vastauit.* c.11.v.21. *Iosue interfecit Enacim de Hebron & Dabir. Non reliquit vllum de stirpe Enacim in terra filiorum Israel.*

Ios.15.v.17. *Othoniel filius Cenez, frater Caleb iunior.*

Num.32.v.12. *Caleb* vocatur *filius Iephone.* Et si Othoniel fuit frater Calebi, quomodo superuixit illi tot annis? Iud.3.v.11.

Ios.16.v.9. *Vrbes separatæ sunt filijs Ephraim in medio possessionis filiorum Manasse.*

Quomodo, cùm diu antè iussum sit, Iosue 13. v.7. *Divide terram in possessionem* reliquis *nouem tribubus?* c.14.v.2. *Sorte omnia diuidentes.*

Ios 18.v.1. *Tabernaculum testimonij fixerunt filij Israel in Silo.*

1.Reg.21.& 22. erat in vrbe *Nobe.*

Ios.18. v.2. *Septem remanserant tribus, quæ necdum acceperant possessiones suas.* c.13.v.1. *Terráque latissima derelicta est, quæ* (Iosue iam senè) *necdum sorte diuisa est.*

Iosue 15.16.17. admensa fuerunt possessiones tribui *Iudæ, Ephraim & Manasse.*

Ios.21.v.36. *Ciuitates refugij quatuor de tribu Ruben.*

Eodem versu numerantur *quinque* ciuitates. Et ex illis non nisi vna, *Bosor,* erat *ciuitas refugij,* cap. 20.v.8.

Ios.24. v.1. *Congregauit Iosue omnes tribus Israel in Sichem: steteruntque in conspectu Domini.* & v.26. *Posuit lapidem in sanctuario Domini.*

At sanctuarium Domini & arca non erat in Sichem, sed *in Silo,* Iosue 18.v.1.

Ios.24.v.26 *Posuit* Iosue *lapidem subter quercum, quæ erat in sanctuario Domini.*

Deut.16.v.21. *Non plantabis lucum & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui.*

Index Antilogiarum S. Scripturæ.

Ex libro Iudicum.

Iudic.1.v.8. CEperunt *filij Iuda Ieruſalem, tradentes cunctam incendio ciuitatem.*

2.Reg.5. v.6. &c. dicitur *Dauid* eam demum expugnaſſe, occiſis *Iebuſæis* inhabitatoribus terræ.

Iud.4.v.17. *Erat pax inter Iabin regem, & domum Haber Cinæi.*

Quo igitur iure *Iahel vxor Haber* occidit *Siſaram* principem militiæ regis Iabin? v.21.

Iud.6.v.26. *Dixit Dominus ad Gedeon: Tolles taurum, & offeres holocauſtum.* Vide v.17. Idem c.13.v.16. dicit angelus ad *Manue.*

At Gedeon non erat ſacerdos, neque ex *tribu Leui*, ſed *Manaſſe*, Iudic.6.v.15. Manue ex *tribu Dan*, c.13.v.2.

Iud.8.v.23. *Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus*, inquit Gedeon.

Iudic.8.v.28. *Quieuit terra per quadraginta annos quibus Gedeon præfuit.* Et eo mortuo filius eius *Abimelech* fecit ſe regem, c.9.v.6.

Iud.9.v.18. *Interfeciſtis filios* Gedeonis *ſeptuaginta viros.*

Ex Iudic.8.verſ.30. & toto cap.9. conſtat non niſi 68. occiſos. Prolegom. de Idiotiſm. Hebr. num. 26.

Iud.10.v.1. *Thola filius Phua patrui Abimelech*: ergo nepos *Gedeonis* ex fratre.

Eodem verſu dicitur fuiſſe *de Iſſachar*, & habitaſſe in *Samir* montis *Ephraim.* Gedeon autem erat de tribu *Manaſſe*, Iudic.6.v.15.

Iud.10.v.4. *Et nomine Iair* qui *Thola ſucceſſit*, triginta ciuitates in Galaaditide, *appellatæ ſunt oppida Iair.*

Num.32.verſ.41. dicuntur ſic appellatæ ab alio longè antiquiore *Iair, filio Manaſſe.*

Iudic. 11. v.26. *Habitauit* Iſrael in terris Amorrhæi *per trecentos annos.*

Tot annos non inuenimus, vt oſtendi in Chronico cap.24.

Iud.14.v.2. *Mulierem de filiabus Philiſthinorum, quaſo, vt mihi accipiatis vxorem*, inquit Samſon.

Exod.34. v. 16. *Nec vxorem de filiabus eorum accipies.*

Iudic. 16. v.30. *Moriatur anima mea cum Philiſthiim.*

Exod.20.v.13. *Non occides.*

Iud.17.v.1. *Fuit eo tempore Michas.*

Iudic.18.v.30. Viuebat tum adhuc *Ionathas filius Gerſam filij Moyſis.* Atqui inter *mortem Moyſis* & *mortem Samſonis* intercesſerunt 316. *anni* Chronico c.18.

Iud.18.v.1. *Vſque ad illum diem, tribus Dan non acceperat ſortem inter ceteras tribus.*

Ioſue 19. v.40. *Tribui filiorum Dan per familias ſuas egreſſa eſt ſors ſeptima:* quæ mox tota deſcribitur.

Iudic. 20. v.23. *Reſpondit Dominus: Aſcendite ad filios Beniamin, & inite certamen.*

Verſ.25. Aſcenderunt, & cæſi ac proſtrati ſunt *decem & octo millia.*

Iud.21.v.4. *Exſtruxerunt altare, obtuleruntque ibi holocauſta.*

Iam pridem à tempore Moyſis extructum erat altare, Exod.38.v.1.&c.

Iudic. 21.v. 7.& 18. *Filias noſtras filijs* Beniamin *dare non poſſumus, conſtricti iuramento & maledictione.*

Verſ.22. *Rogantibus* filijs Beniamin, *non dediſtis* filias veſtras: *à veſtra parte peccatum eſt.*

Ex libro Ruth.

Ruth 1.v.4. FIlij *Elimelechi & Noëmi, de Bethlehem Iuda, acceperunt vxores Moabitidas* etiam in idolatria perſeuerantes, v.15. Et alteram earum. *Rutham, accepit Booz vxorem*, c.4.v.7.& 13.

Exod.34.v.16. *Nec vxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis*, &c. Deuter.23.v.3. *Moabites non intrabit Eccleſiam Dei in æternum.*

Ruth 4.v.3. *Partem agri fratris noſtri Elimelech vendet Noëmi.*

Ruth 3.v.2. Non frater, ſed *propinquus* tantùm, ſeu cognatus vocatur: & erat *alius* ſanguine *propinquior*, verſ.12.

Ex primo libro Regum.

1 Reg 1.v.1. ELcana *Ephrateus.* 1.Paralip.6.v.33. *Elcana* erat Leuita, ſeu *de tribu Leui.*

1. Reg. 1. v.11. *Si dederis ſerua tua ſexum virilem, dabo eum Domino*, inquit Anna.

Num.3.v.45. *Erunt Leuitæ mei* (inquit *Dominus*,) *pro primogenitis filiorum Iſrael.* Quid ergo dat Anna Domino?

1. Reg. 2. v.25. *Si in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?*

Leuit.4.verſ.27. *Si peccauerit anima*, &c. *ſacerdos.* verſ. 35. *rogabit pro eo, & pro peccato eius, & dimittetur ei.*

1. Reg. 6. v.7. *Samuel necdum ſciebat Dominum.*

1.Reg.2.v.26. *Samuel proficiebat, & placebat tam Domino, quàm hominibus?*

1. Reg.6. v.14. *Erat ibi lapis magnus, & conciderunt ligna plauſtri, vaccaſque impoſuerunt Bethſamitæ ſuper eas holocauſtum Domino.*

Non niſi ſacerdotibus licebat holocauſtum offerre, nec niſi in altari holocauſti, nec licebat vmquam vaccas offerre, Leuit.1.v.3.& 5.

1. Reg.7. v.15. *Iudicabat Samuel Iſraelem cunctis diebus vitæ ſuæ.* Vide Chron.cap.26.

At ſucceſſit illi cap.10. *rex Saul*, idque diu ante mortem.

1. Reg.7. v.17. *Ædificauit* Samuel *etiam* in Ramatha *altare Domino.*

At ibi non erat *tabernaculum fœderis:* ſed vel in *Maſpha*, verſ.5. vel in vicina *Nobe*, cap.21.v.1. Atqui non licebat alibi extruere altare, Ioſue 22. v.10.&19.

1. Reg. 8. v.6. *Diſplicuit ſermo in oculis Samuelis, eò quòd dixiſſent Iſraelita, Da nobis regem, vt iudicet nos. Non te abiecerunt, ſed me* (inquit Dominus) *ne regnem ſuper eos.*

Deut.17.v.14. permittitur Iſraelitis *conſtituere ſuper ſe regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes.*

1.Reg.8.v. 9.& 11. *Hoc erit ius regis*, &c.

Deut.17.v.19. iubetur *cuſtodire regna in lege* Domini *præcepta ſunt*; quæ planè alia ſunt ab his hîc recenſitis.

1. Reg. 8. v.18. *Clamabitis in illa die*, &c. *& non exaudiet vos Dominus.*

1.Reg.9.v.16. *Reſpexi populum meum*, quia *venit clamor eorum ad me.*

1.Reg.10. v.12. *Propterea verſum eſt in prouerbium, Num & Saul inter Prophetas?*

1. Reg.19. v.24. adſcribitur hoc alteri occaſioni.

1.Reg.11. v.1. *Quaſi poſt menſem* (ab electione Saulis) *cæpit*

Naas pugnare aduersus Iabes Galaad.

1.Reg.12.v.12. ante electionem Saulis dicitur *Naas venisse aduersus* Israelitas.

1. Reg.13. v.1. *Filius vnius anni erat Saul cùm regnare cœpisset. Duobus autem annis regnauit super Israel.*

1.Reg.10. vers.23. Saul *altior fuit vniuerso populo ab humero & sursum:* & filium habebat chiliarchum, 1.Reg.13.v.2. & Actor.13.vers.20. *Dedit illis Saul annis quadraginta.* de quo vide Chronico cap.26.

1. Reg 13. v.13. *Si custodisses mandata Dei, iam nunc praparasset Dominus regnum tuum* (ô Saul) *super Israel in sempiternum.*

Genes. 49. vers. 10. *regnum Israel* promissum erat *tribui Iuda* iam inde à tempore Patriarchæ Iacob.

1.Reg.13. v.3. *Achias filius Achitob portabat ephod:* quod erat summi sacerdotis.

1.Reg.22. v.9. *filius Achitob* vocatur *Achimelech,* summus tum temporis *sacerdos.*

1 Reg.14. v.18. *Applica arcam Dei.*

Non *arca*, sed *ephod* applicabatur. 1.Reg.30. v.7. & Exod.28. v.15.

1. Reg 15. v.5. *Cùm venisset Saul ad ciuitatem Amalec, dixit Cinæo: Abite ab Amalec, ne involuam te cum eo: tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filijs Israel cùm ascenderent de Ægypto.*

Quam misericordiam fecit *Cinæus* Israelitis? Nisi sit ipse *Ietbro*, Num.10.v.29. Sed posteri Iethro non in *Amalec*, sed in *Iudea* morabantur, Iudic.1.v.16.& cap.4.vers.11.

1. Reg.15. v.28. *Scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo.*

Iam pridem cap.13.v.14.dixerat Samuel: *Quæsiuit Dominus sibi virum, & præcepit ei vt esset dux super populum suum.*

1. Reg.15. v 35. *Non vidit Samuel vltrà Saul vsque ad diem mortis sue.*

Iterum 1.Reg.19.v.24. *prophetauit* Saul *coram Samuele tota die.*

1 Reg 16. v.11. *Adhuc reliquus est* Dauid *paruulus.* & cap.17. vers.33. *Puer es.*

At mox v.18. Dauid vocatur *vir bellicosus & fortissimus robore.*& cap.17.v.38.*induitur Dauid vestimentis Saulis,* qui (1.Reg.10.v.23.) *altior erat vniuerso populo ab humero & sursum.*

1.Reg 16.v. 14.& 15. *Spiritus Dei malus exagitat te.*

Si *Spiritus Dei*, quomodo *malus?*

1.Reg.17.v. 55.& 56. *De qua stirpe* (ait Saul) *descendit hic adolescens* Dauid? *cuius filius* est *iste puer?*

At fuerat Dauid iam pridem psaltes, citharœdus & armiger Saulis, 1.Reg.16.v.21.& 23.

1. Reg 18. v.10. *Post diem alteram inuasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus sua.*

Prophetare est *boni spiritus Dei*, 1.Reg.10.v.5.

1.Reg 21.v. 1.& 6. *Achimelech sacerdos dedit* Dauidi *sanctificatum panem.*

Marc.2. v.26. id ascribitur *Abiathare principi sacerdotum.*

1 Reg.22.v. 3.& 4. *Maspha, quæ est Moab.*

Iudic.20. vers.1. *Maspha* erat in tribu *Beniamin.*

1. Reg 25. v.37. *Emortuum est cor* Nabal *intrinsecus, & factus est quasi lapis.*

Vers.sequenti 38.dicitur, decimo demum pòst die *percussus à* Deo Nabal *& mortuus.*

1. Reg.28. v.13. *Deos vidi ascendentes de terra.*

Seq. vers.14. non ait, Dij, sed: *Vir senex ascendit, amictus pallio.*

1. Reg.28. v.19. *Cras tu & filij tui mecum eritis,* inquit Samuel Sauli.

Ex 1.Paral.10.vers.13. & 14. colligitur damnatum esse Saulem: Samuel autem in limbo degebat.

1. Reg.29. v.3. *Dauid est apud me multis diebus vel annis.*

1 Reg.27. v. 7. solùm *quatuor mensibus* dicitur Dauid hæsisse *in regione Philisthinorum.*

1. Reg.30. v.7. *Applica ad me ephod,* ait Dauid Abiathare sacerdoti.

Exod.28.v.29.& 30.*soli pontifici* applicari iubetur *ephod.*

1. Reg.30. v.25. *Factum est hoc ex die illa, quasi lex in Israel.*

Num. 31. vers. 27. id iam pridem mandarat Deus.

1. Reg.31. v.4.& 5. *Cùm vidisset armiger, quòd* proprio gladio *mortuus esset Saul,* &c.

2.Reg.1.v.10. ait Amalecites *Stans super Saulem, occidi illum.*

1. Reg.31. v.6. *Mortuus est Saul, & vniuersi viri eius in die illa pariter.*

2.Reg.1.v.4. *Fugit populus ex prælio,* & non omnes, sed *multi corruentes è populo mortui sunt.*

Ex secundo libro Regum.

2.Reg.1. v. 8.& 9. *Abner constituit Isbosethum regem super Gessuri & Israel vniuersum.*

2.Reg.13.v.37. *Rex Gessur* erat *Tholomai.& viri Iuda* 2.Reg.2.v.4. *vnxerunt Dauid, vt regnaret super domum Iuda.* Vide etiam 1.Reg.27.v.8.

2. Reg.2. v.10. *Duobus annis regnauit Isboseth.*

Ex v.seq.& 2.Reg.5.v.5. constat regnasse *septem annis cum medio.*

2. Reg. 4. v.2. *Duo viri principes latronum erant filio Saul* regi Isbosetho.

Si regi suo aderant, ergo non erant *principes latronum.*

2. Reg. 6. v.3. *Tulerunt arcam de domo Abinadab in Gabaa.*

1.Paral.13.v.6. dicitur, delata arca ex *colle Cariathiarim, qui est in Iuda.* Gabaa verò erat in Beniamin patria Saulis, 1.Reg.11.v.4.

2. Reg.6. v.6. *Postquam venerunt ad aream Nachon.*

1. Paral.13. vers. 9. *Cùm peruenissent ad aream Chidon.*

2 Reg.6. v. 10.11.&c. *Obed-edom Gethæi,* ex ciuitate Philisthæorum.

Ex 1. Paral.15.v.18. & c.26.v. 4. constat, fuisse *Leuitam.*

2. Reg. 6. v.20. *Nudatus est* (Dauid) *quasi si nudetur vnus de scurris.*

Vers.14. *Dauid accinctus erat ephod lineo,* seu *stola byssina,* 1.Paral.18.v.27.

2. Reg. 8. v.1. *Tulit Dauid Frænum tributi de manu Philisthijm.*

1.Paral.18.v.1. *Dauid* tulit *Geth & filias eius de manu Philisthijm.*

2. Reg. 8. v.18. *Filij Dauid sacerdotes erant.*

1.Paral.18.v.17. *Filij Dauid, primi* erant *ad manum regis.* Et certum est, è tribu *Iuda* non potuisse desumi *sacerdotes.*

2.Reg.9.v. 10.& 12. *Miphiboseth comedet semper panem super mensam meam,* inquit rex Dauid.

Vers.11. seq. *Miphiboseth comedet super mensam meam,* inquit *Siba ad regem* Dauid.

2.Reg.10. v.18. *Occidit* Dauid *de Syris septingentos currus & quadraginta millia equitum.*

1.Paral.19. vers.18. *Interfecit Dauid de Syris septem millia curruum, & quadraginta millia peditum.*

2.Reg.12. v.8. *Dedi vxores domini tui* Saulis *in sinu tuo.*

Ex vxori-

Ex vxoribus Saulis nullam sibi Dauid assumpsit vxorem. 2 Reg. 3. v. 2. & c. 5. v. 13.

2. Reg. 13. v. 13. *Loquere ad regem & non negabit me tibi.*

Leuit. 18 vers. 9. prohibetur connubium fratris & sororis ex eodem patre, etsi ex diuersa matre.

2. Reg. 14. v. 26. *Ponderabat Absalom* quotannis *capillos capitis sui ducentis siclis*, id est, octo libris Romanis cum triente.

Capillis vnius hominis non potest anniuersaria tonsione tantum ponderis inesse.

2. Reg. 15. v. 7. *Post quadraginta annos dixit Absolom ad regem Dauid.*

2. Reg. 5. v. 4. *Dauid* vniuersim non *regnauit* nisi *quadraginta annis.*

2. Reg. 16. v. 10. *Dominus præcepit* Semei *vt maledicat Dauidi*, 3. Reg. 2. v. 8. *maledictione pessima.*

Eccli. 15. vers. 21. Deus *neminì mandauit impiè agere.*

2. Reg. 17. v. 25. *Ietra de Iesraeli*, pater erat *Amasæ*: mater verò *Abigail filia Naas.*

1. Paral. 2. v. 17. *Amasa pater fuit Iether Ismaelites*: & ibid. v. 13. & 16. *Abigail* mater *Amasæ* dicitur fuisse *filia Isai.*

2. Reg. 18. v. 6. *Factum est prælium in saltu Ephraim*: ergo cis Iordanem.

Ex cap. 17. v. 24. & c. 19. v. 15. constat, pugnatum fuisse *trans Iordanem*, in *Galaaditide.*

2. Reg. 18. v. 18. *Dixerat Absalom; Non habeo filium.*

2. Reg. 14. v. 27. *Nati sunt Absalom filij tres, & filia vna.*

2. Reg. 19. v. 20. *Primus* (inquit Semei) *veni de omni domo Ioseph.*

2. Reg. 16. v. 5. *Semei* erat *de cognatione domus Saul*: ergo de tribu *Beniamin.*

2. Reg. 19. v. 23. *Ait rex Semei, Non morieris.* & 3. Reg. 2. v. 8. *Iurauì ei per Dominum, Non te interficiam gladio.*

3. Reg. 2. vers. 9. ait rex Salomoni: *Tu noli pati eum esse innoxium.* & v. 46. *Iussit* Salomon *Banaia, qui percussit eum, & mortuus est.*

2. Reg. 20. v. 21. *Seba de monte Ephraim.*

Ex vers. 1. constat fuisse *virum Iemineum*, id est, de tribu Beniamin. 1. Reg. 9. v. 21. & Esther 11. vers. 2.

2. Reg. 21. v. 2. *Gabaonitæ erant reliquiæ Amorrhæorum.*

Iosue 11. v. 19. *Heuæus habitabat in Gabaon.*

2. Reg 21. v. 8. *Quinque filios Michol, quos genuerat Hadrieli, dedit rex in manus Gabaonitarum, qui crucifixerunt eos.*

2. Reg. 6. v. 23. *Michol non est natus filius vsque in diem mortis suæ.* Neque *Michol*, sed soror eius *Merob* iuncta fuit *Hadrieli*, 1. Reg. 18. v. 19. & cap. 25. v. 44.

2. Reg. 21. v. 19. *Adeodatus filius Saltus polymitarius percussit Goliath Gethæum, cuius hastile hastæ erat quasi liciatorium texentium.*

1. Reg. 17. vers. 4. & 50. id Dauidi adscribitur. & 1. Paralip. c. 20. non *Goliath*, sed *frater Goliath* dicitur occisus ab *Adeodato.*

2. Reg. 23. v. 1. *Hæc sunt verba Dauid nouissima.*

Cap. & libro sequ. multa adhuc alia subiunguntur.

2. Reg. 23. v. 8. *Sedens in cathedra sapientissimus*, &c. *octingentos interfecit impetu vno.*

1. Paral. 11. vers. 11. *Iesbaam filius Achamoni*, &c. *leuauit hastam suam super trecentos vulneratos vna vice.*

2. Reg. 23. v. 9. Quæ *vni Eleazaro* tribuuntur, *cùm ascendissent filij Israel*;

1. Paral. 11. v. 13. & 14. *duobus* tribuuntur, cùm *fugisset populus* Israel.

2. Reg. 24. v. 1. *Addidit furor Domini irasci contra Israel, commouitque Dauid, Vade, numera Israel.*

1. Paral. 21. v. 1. *Consurrexit satan contra Israel, & concitauit Dauid vt numeraret Israel.*

2. Reg. 24. v. 8. *Lustrata vniuersa terra*, &c. *inuenta sunt de Israel octingenta millia virorum: & de Iuda quingenta millia pugnatorum.*

1. Paral. 21. v. 5. *Inuentus est omnis numerus Israel, mille millia, & centum millia virorum educentium gladium: de Iuda autem quadringenta septuaginta millia bellatorum.* Et tamen *Leui & Beniamin non numeranit.*

2. Reg. 24. v. 23. *Omnia dedit Areuna rex regi* Dauidi.

Quis rex in regia vrbe Dauidis? Neque hoc nomine vocatur 1. Paral. 21. v. 18. sed simpliciter *Ornam Iebusæus.*

Ex tertio libro Regum.

3. Reg. 2. v. 9. *Vir sapiens es*, ô Salomon. 1. Paral. 29. v. 1. *Salomonem* iam *regem constitutum* (cap. 23. v. 1.) vocat *puerum adhuc & tenellum.*

3. Reg. 3. v. 12. *Dedi tibi cor sapiens, in tantum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.*

At non fuit sapientior *Adamo*, & multis *Prophetarum*: multò minùs B. Virgine *Deipara*, vel *Christo* Domino.

3 Reg. 3. v. 15. *Intellexit Salomon quod esset somnium.*

Vers. 5. *Apparuit Dominus Salomoni, dicens*, &c.

3. Reg. 4. v. 4. *Sadoc & Abiathar* erant summi *sacerdotes.*

3. Reg. 2. v. 17. Iam antè *eiecit Salomon Abiathar, vt non esset sacerdos Domini.*

3. Reg. 4. v. 11. *Benabinadab habebat vxorem Taphetb filiam Salomonis.* & vers. 15. *Achimaas habebat Basemath* alteram *filiam Salomonis.*

Vnde filiæ istæ Salomoni adhuc puero & tenello? 1. Paral. 29. v. 1.

3. Reg. 4. v. 21. *A flumine terræ Philisthijm.*

In terra Philisthijm nullus est fluuius, qui vmquam fuerit terminus regni Salomonici.

3. Reg. 4. v. 26. *Habebat Salomõ quadraginta millia præsepia equorum currilium, & duodecim millia equestrium.*

2. Paral. 1. v. 14. *Fuit ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum.* Deuter. 17. v. 16. *Rex non multiplicabit sibi equos.*

3 Reg. 5. v. 4. *Non est satan, neque occursus malus.*

At infrà c. 11. v. 25. *Erat* Adad *aduersarius Israeli cunctis diebus Salomonis.*

3 Reg. 5 v. 6. & 8. *Præcipe* (ô Hiram) *vt serui tui præcidant mihi cedros de Libano*, &c.

1. Paral. 22. v. 4. *Ligna cedrina non poterant æstimari, quæ Sidonij & Tyrij deportauerunt ad Dauid.* Vt quid iterum opus Salomoni nouis cedris?

3. Reg 5. v. 13. *Elegit Salomon operarios de omni Israel*, vers. 14. *triginta millia*, vers. 15. *septuaginta millia & octoginta millia*, &c.

3. Reg. 9. v. 22. *De filijs Israel non constituit Salomon seruire quemquam: sed erant viri bellatores & ministri eius, & præfecti.*

3. Reg. 6. v. 1. *Anno quadringentesimo & octogesimo egressionis filiorum Israel* ex Ægypto, *ædificari cœpit domus Domini, mense secundo anni quarti, regni Salomonis.*

Subduc calculos Iudicum & Regum, forsan longè plures annos intermedios reperies: sed hos extersi in Chronico cap. 18. 20. 23. 26.

3. Reg. 6. v. 2. *Domus habebat sexaginta cubitos in longitudine, viginti in latitudine*, &c.

Exod.26. Tabernaculo non præscribuntur nisi *triginta cubiti in longitudine, decem in latitudine*, &c.

3. Reg. 7. v. 13. *Hiram de Tyro, patre Tyrio, filium mulieris viduæ de tribu Nephthali.*

2. Paral. 2. v. 13. & 14. vocatur *pater* regis Tyri, & dicitur natus matre *de filiabus Dan.* & c. 4. v. 6. vocatur *Pater* Salomonis.

3. Reg 7. v. 15. *Finxit duas columnas æreas, octodecim cubitorum columnam vnam.*

2. Paral. 3. v. 15. dicuntur *triginta quinque cubitos altitudinis* habuisse.

3. Reg. 7. v. 20. *Malogranatorum ducenti ordines erant.* 2. Paralip. 4. v. 13. *malogranata quadringenta.*

Ierem. 52. vers. 23. *Fuerunt malogranata nonaginta sex.*

3. Reg. 7. v. 26. Grossitudo luteris, trium vnciarum erat.

2. Paral. 4. v. 5. *Vastitas maris* æneI *habebat mensuram palmi.*

3. Reg. 7. v. 26. *Duo millia batos* seu metretas *capiebat.*

2. Paral. 4. v. 5. *Capiebat tria millia metretas.*

3. Reg. 7. v. 45. *Omnia vasa in domo Domini, de aurichalco erant.*

2. Paral. 4. v. 16. *Omnia fecit Hiram ex ære mundissimo.* 1. Esdr. 8. vers. 27. *Vasa æris pulchra & aurum.*

3. Reg. 7. v. 48. *Fecit Salomon mensam auream, super quam ponerentur panes propositionis.*

2. Paralip. 4. vers. 8. *Fecit mensas decem, & posuit eas in templo, quinque à dextris, & quinque à sinistris.*

3. Reg. 7. v. 49. *Fecit candelabra aurea* decem, *contra oraculum, quinque ad dexteram, & quinque ad sinistram.* Vide etiam cap. 6. hîc.

Exodi 26. v. 35. *Pones mensam* vnam *extra velum: & contra mensam candelabrum* vnum, *in latere tabernaculi Meridionalis: mensa enim stabit in parte Aquilonis.*

3. Reg. 9. v. 11. & 13. *Dedit Salomon* regi *Hiram viginti oppida in terra Galilææ.*

Leuit. 25. v. 23. *Terra non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos coloni mei estis.*

3. Reg. 9. v. 25. *Offerebat Salomon tribus vicibus per annos singulos holocausta & pacificas victimas.*

2. Paral. 8. v. 13. *Obtulit*, &c. *vt per singulos dies offerretur in altari iuxta præceptum Moysi, in sabbatis & in Calendis*, &c.

3. Reg. 10. v. 1. *Regina Saba venit Ierusalem, tentare Salomonem.*

Matth. 12. v. 42. *Regina Austri venit à finibus terræ, audire sapientiam Salomonis.*

3. Reg. 11. v. 13. *Nec totum regnum auferam, sed tribum vnam dabo filio tuo.* cap. 12. v. 20. *Nec secutus est quisquam domum Dauid præter tribum Iudæ solùm.*

2. Reg. 12. v 21. & 23. dicitur etiam *tribus Beniamin vniuersa* adhæsisse *Roboamb* & domui Dauid. & 2. Paral. 11. v. 13. *Sacerdotes & Leuitæ* ex *vniuerso Israele, transierunt ad Iudam,*

3. Reg 12. v. 28. *Fecit* Ieroboam *duos vitulos aureos.*

Osee 10. v. 5. vocat *vaccas Bethauen*, non verò *vitulos.*

3. Reg 13. v. 11. *Prophetes quidam senex habitabat in Bethel.*

4. Reg. 23. v. 18. dicitur *venisse de Samaria.*

3. Reg 14. v. 20. *Dies quibus regnauit Ieroboam, viginti duo anni sunt.*

At in Chronico cap. 29. ostendi non regnasse Ieroboam nisi *viginti & vno annis.*

3. Reg 15. v. 2. *Maacha filia Abessalom* seu Absalom.

2. Reg. 14. v. 27. *filia Absalomi* vnicæ nomen erat *Thamar.*

3. Reg. 15. v. 5. *Eo quòd non declinasset Dauid ab omnibus quæ præceperat ei Deus cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Vriæ Hethæi.*

2. Reg. 24. v. 10. etiam ob numeratum populum dicit ipsemet Dauid, *Peccaui valdè in hoc facto.* Et peccauit etiam 1. Reg. 25. v. 34. neci destinando vniuersam familiam *Nabal:* & 2. Reg 12. v. vlt. sæuiendo nimis in *Ammonitas.*

3. Reg 15. v. 25. *Nadab regnauit duobus annis:* & Baasa v. 33. *viginti quatuor annis.*

In Chron. cap. 29. ostendi non nisi inchoasse secundum annum *Nadab.* & vigesimum quartum *Baasa.*

3. Reg. 16. v. 7. *Baasa occidit Iehu filium Hanani Prophetam.*

Quomodo ergo 2. Paral. 19. v. 2. post 40. annos *Iehu filius Hanani occurrit* regi Iosaphat?

3. Reg. 16. v. 8. *Ela regnauit duobus annis:* & v. 23. *Amri duodecim annis:* v. 29. Achab *viginti duobus annis.*

Chron. c. 29. ostendi, *Ela* solùm vno, *Amri* solùm 11. *Achab* solùm 20. annis integris regnasse.

3. Reg. 18. v. 1. *In anno tertio, vt dem pluuiam super faciem terræ.*

Iac. 5. v. 17. *Non pluit annos tres & menses sex.*

3. Reg. 19. v. 15. *Vnges* (ô Elia) *Hazael regem super Syriam: & Iehu, super Israel.*

Id factum non per *Eliam*, sed per *Elisæum.* 4. Reg. 8. v. 7. & c. 9. v. 1. per *discipulum Elisæi.*

3. Reg 20. v. 7. *Misit ad me* Benadad *pro vxoribus meis & filijs, & pro argento & auro: & non abnui*, inquit Achab.

Mox tamen v. 9. dicit: *Hanc rem facere non possum.*

3. Reg. 21. v. 9. & 13. *Benedixit Naboth Deum & regem: quam ob rem lapidibus interfecerunt eum.*

An benedixisse, causa mortis est?

3. Reg. 21. v. 24. *Si mortuus fuerit Achab in ciuitate, comedent eum canes: sin in agro, comedent eum volucres cæli.*

2. Reg. 22. v. 37. *Sepelierunt regem* Achab *in Samaria, & canes* solùm *linxerunt sanguinem eius.*

3. Reg. 22. v. 15. *Tradet Dominus* Ramoth Galaad *in manus regis*, inquit Propheta Michæas.

Mox v. 17. & seqq. contrarium prædicit.

3. Reg. 22. v. 42. *Iosaphat viginti quinque annis regnauit in Ierusalem.*

Chron. c. 29. ostendi, non fluxisse nisi 22. *annos* vsque ad initium regni *Ioram* filij *Iosaphat.*

3. Reg. 22. v. 48. *Nec erat tunc rex constitutus in Edom.*

Quis ergo ille *rex Edom*, qui 4. Reg. 3. v. 9. vnà cum *rege Iosaphat* ascendit contra *Moabitas?*

Ex quarto libro Regum.

4. Reg. 2. v. 11. *Elias per turbinem ascendit in cœlum.*

Apocal. 11. vers. 5. & 7. occidendus dicitur ab Antichristo.

4. Reg 5. v. 18. *Si adorauero* (inquit Naaman) *in templo Remmon, ignoscat mihi Dominus.* Respondit Elisæus, *Vade in pace.*

Sed quæ pax erit adoranti in templo idoli?

4. Reg. 6. v. 19. *Non est hæc via, neque ista est ciuitas.*

Ex v. 18. præcedente constat, illam fuisse.

4. Reg. 6. v. 23. *Vltrà non venerunt latrones Syriæ in terram Israel.*

Mox v. 24. seq. *Congregauit Benadad rex Syriæ vniuersum exercitum suum, & obsidebat Samariam.*

4. Reg. 8. v. 10. *Dic* regi Benadad, *Sanaberis.*

Ibid. *Porrò ostendit mihi Dominus, quia morte morietur.*

4. Reg. 8. v. 17. *Ioram octo annis regnauit in Ierusalem.*

Chron.

Chron.cap.29.ostendi non regnasse nisi *septem annis*; nec nisi *quatuor* à morte parentis.

4. Reg. 8. v.18. *Filia Achab* Athalia *erat uxor Ioram.*

Vers.26.dicitur fuisse *filia Amri* patris Achab, 3.Reg.16.vers.28.

4. Reg. 8. v.26. *Viginti duorum annorum erat Ochozias cùm regnare cœpisset.*

2.Paralip.22.v.2. *Quadraginta duorum annorum erat Ochozias cùm regnare cœpisset.*

4. Reg. 9. v.27. *Ochozias rex Iuda.* Ibidem. *Percusserunt eum in ascensu Gaver: qui fugit in Mageddo, & mortuus est ibi: & tulerunt eum servi in Ierusalem, sepelierunt-que*, &c.

2.Paral.21.v.17.non vocatur *Ochozias*, sed *Ioachaz*. & cap.22.v.9. dicitur *comprehensus latitans in Samaria, adductumque ad se occidit* Iehu, *& sepelierunt eum.*

4. Reg.10. v.12. *Ad cameram Pastorum invenit Iehu fratres Ochozie, quadraginta duos viros, & jugulaverunt eos.*

Atqui diu antè 2.Paral.22.vers.1. *omnes* fratres Ochoziæ *interfecerant latrones Arabum, qui irruerant in castra.*

4. Reg.10. v.18. *Achab coluit Baal parum: ego autem colam eum amplius*, inquit Iehu.

Vers.25.Iubente Iehu, *percusserunt omnes sacerdotes Baal in ore gladij.* & v.27. *Ex ede Baal fecerunt latrinas.* Hoccine est *colere Baal?*

4.Reg.13. v 3.& 22. *Tradidit Dominus* Israelitas *in manu Hazael regis Syriæ, cunctis diebus Ioachaz.*

Vers.4.5.& 23.dicitur Deus ad preces Ioachaz *misertus Israelis*, & *dedisse salvatorem Israeli.*

4. Reg.13. v.10. *Ioas filius Ioachaz regnavit super Israel in Samaria sexdecim annis.*

Ex locis in Chron.cap.25.citatis colligitur regnasse *novemdecim annis.*

4. Reg.13. v.19. *Si percussisses iaculo terram quinquies, percussisses Syriam usque ad consumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam.*

Vers.17.ait *Elisæus* regi Iosias, *Percuties Syriam donec consumas eam.*

4. Reg.14. v.3. *Fecit Amasias* rex Iuda *rectum coram Domino.*

2. Paral.25. vers.14. *Deos* Idumæorum *statuit* Amasias sibi *in deos, & adorabat eos, & illis adolebat incensum.*

4. Reg.14. v.7. *Ipse percussit Edom decem millia.*

2.Paral.25.v.12. adduntur *alia decem millia*, id est, viginti millia.

4.Reg.14. v.23. Ieroboam filius Ioas regnauit in Samaria 41. annis.

Ex locis in Chron.cap.29.citatis colligitur regnasse *quadraginta tribus annis.*

4.Reg 14. v.28. *Damascum & Emath restituit Iudæ in Israel.*

Quomodo vrbes *Syriæ* restituit *Iudæ* Ieroboam rex Israel? & si *Iudæ* restituit, quomodo *in Israel* restituit?

4 Reg.15. v.3. *Fecit Azarias quod erat placitum coram Domino, iuxta omnia quæ fecit Amasias pater eius.*

2.Paral.25.v.14. dicitur Amasias fœdus *idololatra* fuisse. Et de Azaria cap.26.v.16.dicitur, *Elevatum est cor eius in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum.*

4 Reg 15. v.7. *Sepelieruntque* Azariam *cum maioribus suis in civitate David.*

2.Paral.26.vers.vlt. *Sepelierunt eum in agro*, sed non in *sepulchro* communi maiorum suorum, *eò quòd esset leprosus.*

4.Reg.16. v.3. *Achaz filium suum consecravit* idolo, *transferens per ignem.*

2.Paral.28.v.3. *Lustravit filios suos in igne.*

4 Reg.16. v.5. *Rasin Syriæ, & Phacee rex Israel, cùm obsiderent Achaz, non valuerunt superare eum.*

At 2.Paral.28.v.5. *Rex Syriæ percussit eum, magnamque prædam cepit de eius imperio; & adduxit in Damascum: Phacee verò occidit de Iuda centum viginti millia bellatorum in die uno;* & vers.8. *captivorum ducenta millia.*

4. Reg.16. v.18. *Mulach sabbati*, &c. *convertit in templum Domini propter regem Assyriorum.*

2.Paral.28. v.24. *Direptis Achaz omnibus vasis templi, clausit ianuas* eius &c. Et quid *regi Assyriorum* cum *Mulach sabbati?*

4.Reg 18. v.1.& 6. *Anno nono Osee cepit rex Assyriorum Samariam, & transtulit Israel in Assyrios.*

In Chron.cap.29.ostendi, *Osee regnasse octodecim annis.*

4.Reg.18. v.2. *Ezechias viginti novem annis regnavit in Ierusalem.*

Ex Chron.cap.29.constat, à morte Achaz parentis Ezechiæ, vsque ad mortem Ezechiæ non fluxisse nisi 27. annos.

4.Reg.18. v.4. *Confregit* Ezechias *serpentem æneum, quem fecerat Moyses.*

At Moyses iubente Deo illum serpentem fecerat & erexerat, Num.21.v.8. *Qui percussus aspexerit eum, vivet.*

4.Reg.18. v.5. *In Deo confidit*, vers.7. *Rebellavit quoque contra regem Assyriorum, & non servivit ei.*

Cur ergo v. 14. *misit ei nuntios* supplices, *dicens: Peccavi omne quod imposueris mihi, feram?* Cui dat illi *trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri*, in tributum?

4. Reg.18. v.5. *Post eum non fuit similis ei de cunctis regibus Iuda, sed neque in his qui ante eum fuerunt.*

4.Reg.23. vers.25. idem prorsus de *Iosia* affirmatur.

4.Reg 20. v.12. *Berodach Baladan filius Baladan, misit litteras ad Ezechiam.*

Isaiæ 39.v.1. *Merodach Baladan filius Baladan, misit libros ad Ezechiam.*

4 Reg 23. v 3. *Stetit rex* Iosias *super gradum.*

2.Paral.34.v.31.dicitur stetisse *in tribunali suo.*

4.Reg 23. v.9. *Sacerdotes excelsorum comedebant azyma.*

Vers.20. *Occidit universos sacerdotes excelsorum.*

4.Reg 23. v.29. *Pharao ascendit contra regem Assyriorum ad flumen Euphratem.*

Cap.24.seq.v.7. vocatur non Assyriorum, sed *Babylonis rex.*

4. Reg.23. v.30. *Tulit populus terræ Ioachaz filium Iosiæ.*

Ierem.22.v.11.vocatur *Sellum.* 3.Esdr.1.vers.34. *Iechonias.*

4.Reg.24. v.1. *Ioakim factus est Nabuchodonosori servus tribus annis.*

2.Paral.36.v.6. *Nabuchodonosor Ioakimum vinctum catenis duxit in Babylonem.*

4. Reg 24. v.5. *Dormivit Ioakim cum patribus suis.*

Ierem.22.vers.19. *Sepultura asini sepelietur* Ioakim, *putrefactus & projectus extra portas Ierusalem*; cap.36.vers.30. *Ad æstum per diem, & ad gelu per noctem.*

4.Reg 24. v.13. *Ioachim filium Ioakimi transtulit* Nabuchodonosor *in Babylonem* & v.16. *cinsores, multos*, &c.

Ierem.24.v.1. *Transtulit Iechoniam filium Ioakim*, &c. *& fabrum & inclusorem*, &c.

4 Reg 25. v.2. *Clausa est civitas atque vallata, usque ad undecimum annum regis Sedeciæ.*

Ierem.37. v.4. Aduentante *exercitu regis Ægypti, Chaldæi qui obsidebant Ierusalem, recesserunt ab Ierusalem.*

4.Reg.25. v.7. *Vinxit* Sedeciam *catenis, & adduxit in Babylonem.*

Ezech. 12. v. 13. *Non videbit* Sedecias *terram Chaldæorum.*

4.Reg 25. v.27. *Euil-Merodach rex Babylonis.*

Daniel 5. v.1.2.&c. passim vocatur *Baltassar.* Vide Chron. cap.34.&35.

Ex primo libro Paralipomenon.

1.Paral.1. v.36. *Filij Eliphaz Theman,&c. Thamna, Amalec.*

Genes.36.v.12. *Thamna* dicitur fuisse *concubina Eliphaz,&* mater *Amalec.* & 1.Paral.1.v.39. vocatur *soror Lotan.*

1.Paral.1. v.38. *Filij Seir, Lotan, Sobal, Sebeon,&c.*

At v.35.& Genes.36.v.9. *filij Esau* (qui & ipse vocatur *Seir* v.8.& 1.Reg.14.vers.7.) longè alij assignantur.

1.Par.2.v.7. *Achar, qui turbauit Israel.*

Iosue 7.v.1.&c. vocatur *Achan.*

1.Par.2.v.9. *Ram & Calubi.*

Matth.1.vers.3. vocatur *Aram.* Iosue 15.v.13. *Caleb.*

1.Paral.2. v.13. *Septimum* Isai filium, *Dauid.*

1.Reg.16.v.10. dicuntur *octo* fuisse *filij Isai.*

1.Paral.2. v.55. *Cinæi venerunt de Calore patris domus Rechab.*

Ex 4.Reg.10.vers.15. constat, *Rechabitas* longè recentiores esse *Cineis,* quorum fit mentio Iudic.1.v.16.&c.

1.Paral.3. v.5. *Quatuor filij Dauid de Bethsabee filia Ammiel.*

2.Reg.11.v.3. vocatur *filia Eliam.* & Prouerb. 4. v. 3. *Salomon* dicit se *vnigenitum* fuisse *coram matre sua.*

1.Paral.3. v.14. *Filij Iechoniæ fuerunt Asir & Salathiel.*& Matth. 1.v.12. *Iechonias genuit Salathiel.*

1.Paral.3. v.19. Ierem.22.v.30. *Iechonias* vocatur *vir sterilis.*

De Phaldaia orti sunt Zorobabel & Semei.

Matth.1.v.12. *Salathiel genuit Zorobabelem.*

1.Paral.4. v.1. *Filij Iuda, Phares, Hesron & Charmi.*

Genes.46.v.12. *Hesron* fuit filius Phares, nepos Iudæ. *Charmi* pronepos.

1.Paral 4. v.22. *Qui stare fecit solem.*

An ergo quispiam præter *Iosue, stare fecit solem?*

1.Par.5.v.1. *Primogenita* Ruben *data sunt filijs Ioseph.*

At dignitas sacerdotalis cessit *Leui*, & ius regni, *Iudæ.*

1.Paral.5. v.11.& 12. *Filij Gad, Ioel, Iaphan,* &c.

Genes.46.vers.16. *filij Gad* prorsus alij consignantur.

1.Paral.6. v.5.& 6. *Ozi genuit Zaraiam.*

Post *Ozi* in pontificatu successit *Heli* ex alia stirpe, 1.Reg.2.v.31.

1.Paral 6. v.22. *Asir filius Core,* &c.

Num.16.vers.32. *Terra aperiens os suum deuorauit* Core, Dathan & Abiron *cum tabernaculis suis & vniuersa substantia.* vnde ergo nunc tot posteri Core?

1.Paral.6. v.28. *Filij Samuel, primogenitus Vasseni, & Abia.*

1.Reg.8. v.2. *Nomen filij eius primogeniti Ioël: secundi Abia.*

1.Paral.6. v.34. *Ieroham* vocatur *filius Eliel, filij Thohu.*

At vers.26.& 27. *Ieroham* vocatur *filius Eliab, filij Nahath,* &c.

1.Paral.7. v.6. *Filij Benjamin, Bela & Becher & Iadiel, tres.*

Cap.8. seq. v.1. & Num.26. v.38. *quinque* alij *filij,* & Genes. 46. vers. 21. multò plures recensentur.

1.Paral.7. v.18. *Regina peperit virum decorum.*

Quid hoc monstri?

1.Paral 7. v 24. *Filia Ephraim Sara ædificauit Beth-horon inferiorem & superiorem, & Ozen-Saram.*

Quomodo potuit in *Chanaan* ideo tres vrbes ædificare quæ habitabat cum parente in *Ægypto?* Porrò quod de *Sara* hic dicitur, 2.Paral.8. v.5. tribuitur regi *Salomoni.*

1.Paral 8. v.28. *Hi Patriarchæ* tribus Beniamin, *qui habitauerunt in Ierusalem.*

Iosue 15.v.8.& 63. *Ierusalem* censetur in *tribu Iuda.* vide Ios.18.v.28.

1.Paral.8. v.33. *Ner genuit Cis.*

Vers. 30. *Cis* dicitur fuisse *filius Abigabaon.* & cap.9.v.36.filius *Iehiel.*

1. Paral 8. v.33. *Saul genuit Ionathan & Isbaal: Ionathas* genuit *Meribbaal* patrem *Michæ.*

2.Reg.2.v.8. vocatur *Isboseth,* qui hic *Isbaal:* & 2.Reg.9.v.6.&c. filius *Ionathæ* & pater *Michæ* vocatur *Miphiboseth.*

1. Paral.9. v.11. *Azarias filius Helciæ, pontifex domus Dei.*

Ex 1.Esdræ 3.v.8.& Aggæi 1.v.1.constat, *Iosue,* seu *Iesum* à reditu Babylone, fuisse *summum* pontificem.

1.Paral.10. v.10. *Arma* Saülis *consecrauerunt in fano Dei sui.*

1.Reg.vlt. v.10. *Posuerunt arma eius in templo* deæ suæ *Astaroth,* vide 1.Reg.5.v.5.

1.Paral.12. v.32. *De Issachar viri eruditi, ad præcipiendum quid facere deberet Israel.*

Hoc erat munus *Leuitarum* (cap.26. vers.29. & 2.Paral.35. v.3.) & maximè *sacerdotum,* Deut.17. vers.9.

1. Paral.14. v.14. *Non ascendas post eos, recede ab eis, & venies contra eos,* &c.

2.Reg.5.v.23. *Non ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorum, & venies ad eos.*

1.Paral.15. v.13. *Quia non eratis præsentes* (ô Leuitæ) *percussit nos Dominus.*

2.Reg.6.v.6.& 1.Paral.13.v.9. Leuita *Oza,* qui cum fratre suo aderat, *percussus est à Deo, quod arcam tetigisset.*

1.Paral.15. v.27. *Dauid erat indutus stola byssina.*

2.Reg.6.v.14. *Erat accinctus ephod lineo.*

1.Paral.16. v.3. *Partem assæ carnis bubulæ.*

2.Reg.6.v.19. *Assaturam carnis bubulæ.*

1.Paral.17. v.9. *Vltrà non commouebitur populus Israel: nec filij iniquitatis atterent eos, sicut à principio.*

Quid ergo sibi volunt tot acceptæ posteà clades & deportationes in exilium, sub sequentibus regibus?

1.Paral.18. v.16. *Sadoc & Abimelec filius Abiathar, sacerdotes,* supple, *summi.*

Ex 3.Reg.2.v.27. constat, *Abiatharum* manisse summum sacerdotem vsque ad tempora Salomonis.

1.Paral 19. v.4. *Hanon decaluauit pueros Dauid.*

2.Reg.10. vers.4. *Rasit dimidium partem barbæ eorum.*

1.Paral.20. v.2. *Tulit Dauid coronam Melchom, auri pondo talentum, & pretiosissimas gemmas, fecitque sibi inde diadema.*

Deut.7.v.25. *Sculptilia igne combures, nec concupisces quidquam ex eis.* Et quis gestet *diuina* pondo 125. *librarum* Romanarum?

1.Paral.20. v.3. *Tribulas & trahas & ferrata carpenta fecit* Dauid *transire super* Ammonitas.

2.Reg.12.v.31. *Serrauit, dimisit in cæmis, & traduxit in typo laterum.*

1.Paral.21. v.12. *Elige, aut tribus annis famem,* &c.

2.Reg.24. vers.13. *Aut septem annis fames veniet tibi.*

Nolius

1.Paral.21. v.13. *Melius mihi est, vt incidam in manus Domini.* Dan.13.v.23. ait Susanna impijs iudicibus: *Melius mihi est incidere in manus vestras.* Idem innuitur Eccl.2.v.22.

1.Paral.21. v.18. *Area Ornan Iebusæi.* 3.Reg.vlt.v.19. *Area Areuna Iebusæi.*

1.Reg.21. v.25. *Dauid dedit Ornam pro loco areæ siclos auri iustissimi ponderis sexcentos.* 2.Reg.vlt.v.24. *Emit Dauid aream & boues, argenti siclis quinquaginta.*

1.Paral.23. v.24.& 27. *Filij Leui, à viginti annis & supra.* Vers.3.dicitur, *A triginta annis & supra.*

1.Paral.23. v.26. *Nec erit officij Leuitarum, vt vltrà portent tabernaculum & omnia vasa eius.* At debuerunt illa inferre in templum, 2.Paral. 5.v.4.& iterum sub Iosia, 2.Paral.35.v.3.

1.Paral.23. v.29. *Sacerdotes autem super panes propositionis & simila sacrificium, & ad lagana azyma,* &c. Hæc omnia etiam simplices *Leuitæ* parabant. Sed sacerdotum erat iam parata, immolare Deo in altari, vt patet ex Leuitico passim.

1.Paral.28. v.1. *Filios suos cum eunuchis conuocauit* rex *Dauid.* Deut.23. v. 1. *Eunuchus non intrabit Ecclesiam Domini.*

Ex secundo libro Paralipomenon.

2.Paral.1. v.13. *IN Ierusalem coram tabernaculo fœderis.* Vers.3. *Tabernaculum fœderis Dei, quod fecit Moyses, erat in Gabaon.*

2.Paral.2. v.2. *Præpositos* operarum templi, *tria millia sexcentos.*

3.Reg.5.vers.16. solùm dicuntur fuisse *tria millia trecenti.*

2.Paral.3. v.1. *Cœpit Salomon ædificare domum Domini in monte Moriæ.* Psal.77.dicitur ædificata in *monte Sion*, v.68.

2.Paral.3. v.3. *Cubitos in mensura prima sexaginta longitudinis & viginti latitudinis.* Exod. 26. *mensura prima* data cælitus Moysi, non excedebat *triginta cubitos* longitudinis, & *decem* latitudinis

2.Paral.4. v.13. *Malogranata quadringenta.* Cap.3.v.16. non nisi *centum malogranata* ponuntur: & 3.Reg.7.v.20. *malogranatorum ducenti ordines.*

2.Par.5.v.9. *Vectium capita parebant ante oraculum.* 3. Reg. 8.v.8. *Cùm vectium summitates apparerent foris sanctuarium.* At *murus & velum* interiecta inter *Sanctum* & *Sanctum sanctorum*, impediebant ne possent *vectes* arcæ videri.

2.Paral.5. v.10. *Nihil erat aliud in arca, nisi duæ tabulæ,* &c. Hebr.9. vers.4. dicitur, in arca fuisse etiam *vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat.*

2.Paral.5. v.11. *Nec adhuc in illo tempore* encæniorum, *vices & ordo inter* sacerdotes *diuisus erat.* Tamen cap.7.vers.6. dicitur: *Sacerdotes stabant* (hoc tempore encæniorum) *in officijs suis:* & 1.Paralipp.24, iam inde à tempore Dauidis, vices eorum & ordo omnis diuisus fuerat sorte, vt dicitur.v.3. & seqq.

2.Paral.6. v.41. *Sacerdotes tui induantur salutem.* Psal.113.v.9. *Induantur iustitiam.*

2.Paral.8. v.2. *Ciuitates quas Hiram dederat Salomoni,* &c. 3.Reg.9.v.11.& 13. non Hiram Salomoni, sed *Salomon dedit Hiramo viginti ciuitates.*

2.Paral.8. v.18. *Misit Hiram naues* Salomoni *in Asiongaber.* Vers. 17. *Asiongaber* est *ad oram maris Rubri.* Quomodo deuehentur eò *naues* è portu *Tyrio*, qui est ad *mare Mediterraneum?*

2.Paral.9. v.16. *Trecenta scuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur singula scuta, posuit rex in armamentario, quod erat consitum nemore.* 3.Reg.10. vers.17. Pro *scutis* habes *peltas:* pro trecentis *aureis* habes *trecentas minas auri:* pro *armamentario* & *nemore* habes *domum saltus Libani.*

2.Paral.9. v.21. *Naues regis ibant in Tharsis, & deferebant inde aurum & argentum & ebur,* &c. *Cilicia*, in qua *Tharsus* (Actor.21.v.39.) non est ferax *auri, argenti* vel *eboris.*

2.Paral.10. v.4. *Pater tuus durissimo iugo*, vtique tributi, *nos pressit.* Cap.9. præcedenti v.20. dicitur, *Argentum in diebus illis pro nihilo reputabatur.* v.27. *Tantam copiam argenti prabuit* Salomon, *quasi lapidum.*

2.Paral.12. v.14. *Non præparauit Roboam cor suum vt quæreret Dominum.* Vers.6. & 7. dicitur, tam *rex* quàm *principes, consternati sunt & humiliati:* ac proinde *non stillauit* amplius *furor Domini* super eos.

2.Paral.13. v.2. *Nomen matris* Abix, *Michaia filia Vriel de Gabaa.* 3.Reg.15.v.2. *Nomen matris eius, Maacha filia Abessalom.*

2.Paral.13. v.11. *Est apud nos candelabrum aureum, & mensa panum mundissima.* Cap.4. v.7.& 8. dicitur *Salomon* fecisse *candelabra aurea decem & decem mensas in templo.*

2.Paral.14. v.2. *Rex Asa subuertit excelsa.* Cap.15.v.17. *Excelsa derelicta sunt.* & 3.Reg.15. v.14. *Excelsa non abstulit* Asa.

2.Paral.15. v.17. *Cor Asa erat perfectum cum Domino cunctis diebus eius.* Cur ergo tam grauiter reprehenditur ab Hanani Propheta? cap.16.v.7. Et non peccauit compingendo *Prophetam in nervum, & plurimos de populo* citra causam iustam *occidendo?* v. 10. *Nec in infirmitate sua Dominum quæsiuit*, v.12.

2.Paral.15. v.19. *Bellum non fuit vsque ad trigesimum quintum annum regni Asa.* Iam antè *Zara Æthiops* cap.14.v.9. cæsus fuit ab *Asa, decies centena millia.*

2.Paral.16. v.1. *Anno trigesimo sexto regni Asa, ascendit Baasa rex Israel in Iudam,* &c. 3.Reg.16. v.6.& 8. *Baasa rex Israel* decennio antè, putà *vigesimosexto anno Asa regis Iuda* è viuis excesserat.

2.Paral.20. v.1. *Filij Moab, & filij Ammon, & cum eis de Ammonitis.* Legendum, *de Idumæis*, colligitur ex v.10.& 23.

2.Paral.21. v.12. *Allata sunt* Ioramo regi *litteræ ab Elia Propheta.* Elias à nouennio ex hominibus abreptus fuerat curru igneo, 4.Reg.2. v.11.

2.Paral.22. v.2. *Quadraginta duorum annorum erat Ochozias cùm regnare cœpisset.* Ergo *biennio senior* fuit *patre suo*, qui cùm moreretur, non erat nisi *quadraginta annorum*, cap. 21. vers.20.

2.Paral.26. v.22. *Reliqua sermonum Oziæ priorum & nouissimorum, scripsit Isaias filius Amos Propheta.* Isaias vix semel meminit *Oziæ*, rerumve ab illo gestarum.

2.Paral.28. v.20. *Thelgathphalnasar afflixit* regem Achaz, *& nullo resistente vastauit.*

Vers.16.& 4.Reg.16.vers.7.(vbi vocatur *Theglathphalasar*) vltrò *euocatus* fuerat à rege Achaz in *auxilium* ipsius.

2.Paral.34. v.3. *Duodecimo anno mundauit Iudam & Ierusalem.*
Vers.8.dicitur id perfectum *anno* demum *octauo decimo.*

2.Paral. 34. v.28. *Infereris in sepulchrum tuum in pace.*
Cap.35.v.22.*Perrexit Iosias vt contra* Nechaoregem Ægypti *dimicaret in campo Mageddo:*vbi *vulneratus a sagittarijs,& Ieroſolymam* relatus,ex vulnere *mortuus est.*

2.Paral.35. v.3. *Leuitis locutus est:Ponite arcam in sanctuario templi:neequaquam enim eam vltrà portabitis.*
Vbi ergo fuerat hucusque arca?& an licuit Leuitis *arcam* contingere, vel *sanctuarium* ingredi? & iam pridem 1.Paral.23. vers.26. dixerat Dauid: *Nec erit officij Leuitarum vt vltrà portent tabernaculum & omnia vasa eius.*

2.Paral. 36. v.9. *Octo annorum erat Ioachin cùm regnare cœpisset.*
4.Reg.24.vers.8. *Decem & octo annorum erat,* &c.

Ex primo libro Esdræ.

1. Esdr.1. v 8. *Assabasar principi Iuda.*
Tunc temporis princeps Iuda erat *Zorobabel,* c.2.v.2.&c.

1. Esdr. 2. v.12. *Mardochai cum Zorobabel* redijt è Babylonia in Iudæam.
Esther 2.v.5. *Mardochæus* degebat in Persidis ciuitate *Susan.*

1. Esdr.2. v.6. *Filij Phahath Moab,filiorum Iosue:Ioab,duo millia octingenti duodecim.*
Posteri *Iosue* vel *Ioab* non fuerunt *Moabitæ.*

1. Esdr.2. v.55. *Filij seruorum Salomonis, omnes Nathinæi,*v.58.
Cap.8.v.20.non Salomon,sed *Dauid* dicitur dedisse *Nathinæos ad ministeria Leuitarum.* Et iam olim dati erant à *Iosue,*Ios.9.v.27.

1. Esdr.2. v.63. *Atherſatha,*hic est *Nehemias.*
2.Esdr.1 v.vlt. *Nehemias, pincerna* erat *regis* Artaxerxis in *Perside.*

1. Esdr. 3. v.11. *Omnis populus* laudabat *Dominum,eò quòd fundatum esset templum Domini.*
Vers.seqq.12.*plurimi* dicuntur *fleuisse voce magna.* Et c.4.v.2. *cœperunt* demum *ædificare templum Dei.*

1.Esd.4.v.2. *Asor-Haddan rex Assur adduxit nos huc* in Samariam.
4.Reg.17.v.24.id asscribitur *Salmanassari,* auo *Asar-Haddonis.*

1.Esd.4.v.6. *In regno Assueri,*& v.7.*In diebus Artaxerxis.*
Imperabat tunc *Cambyses* filius *Cyri.* vide Chronic.c.37.

1. Esdr.4. v.10. *Quas transtulit Asenaphar magnus & gloriosus.*
4.Reg.17.v.24.*Salmanassari* adscribitur.

1.Esd.5.v.1. *Zacharias filius Addo.*
Ex Zach.1.v.1.constat, *Addonem* fuisse auum *Zachariæ.*

1 Esd 6.v.3. *Latitudinem cubitorum sexaginta.*
3.Reg.6.v.2. templum non habebat *in latitudine* nisi *viginti cubitos.*

1.Esd.6.v.5. *Vasa quæ tulerat Nabuchodonosor, posita sunt in templo Dei.*
At templum necdum erat constructum,vt hîc dicitur.

1. Esdr.6. v.15. *Compleuerunt domum Dei* die tertio *mensis Adar anni sexti regni Darij regis.*
At vers.14. præcedente, dicitur, protensa fabrica, vsque ad *Artaxerxen.*

1. Esdr.6. v.22. *Conuerterat Dominus cor regis Assur ad eos.*
Darius *Persarum* erat monarcha,c.9.v.9.excisâ iam ab 80.annis *monarchiâ Assyriorum,*vt videre est in Chron.c.33.&37.

Ex secundo libro Esdræ.

2. Esdr.1. v.3. *Murus Ierusalem dissipatus est, & portæ combustæ.*
A quo hoste?Si à *Nabuchodonosore*; an hocum primùm innotuit Nehemiæ?

2. Esdr.2. v.3. *Ciuitas* Ierusalem *deserta est.*
At iam à *sexto anno Darij regis* completum erat templum, 1. Esd.6.v.15. vtique& bona pars vrbis instaurata.vide 2.Esdr.7.v.4.

2. Esdr.2. v.16. *Reliqui qui faciebant opus.*
Opus nondum erat inchoatum, vt constat ex v.18.sequ.

2. Esdr.5. v.16. *In opere muri ædificaui,& omnes puerimei,*&c.
Cap.3.alijs distribuitur totum opus muri.

2. Esdr.7. v.7. *Azarias, Raamias, Nahamani, Mardochæus,* &c.
1.Esdr.2. vers.2. *Saraia, Raheliæ, Mardochai,*&c.

2. Esdr 9. v.7. *Eduxisti* Abrahamum *de igne Chaldæorum.*
Gen.11.v.31.*Eduxit* eum *de Vr Chaldæorum.*

2. Esdr 12. v.7. *Isti principes sacerdotum,in diebus Iosue.*
Quis hic Iosue?& an plures simul pontifices in Iudæa?

2. Esdr.12. v.22. *Eliasib & Ioiada & Iohanam,* &c. *in regno Darij Persæ.*
1.Esdr.5.v.2.*Iosue* seu Iesus erat pontifex tempore *Darij,*cap.6. v.1. *Eliasib* verò tempore *Artaxerxis,* 2. Esdr.3.v.1.

2.Esdr.12. v.27. *In dedicatione muri Ierusalem,*&c.
Non solius *muri,*sed& totius *ciuitatis* instauratæ.hæc est enim illa dedicatio, ex qua desumendum initium 70.hebdomadum Danielis c.9.v.25. de qua vide Chron.c.38.

2.Esdr.12. v.46. *Omnis Israel,*&c.*sanctificabant Leuitas,& Leuita sanctificabant filios Aaron.*
Minor non sanctificat *maiorem.*

2.Esdr.13. v.5. *Eliasib fecit sibi gazophylacium grande.*
Vers.7. *Fecit ei* (Tobiæ) *thesaurum in vestibulis domus Dei.*

Ex libro Tobiæ.

Tob. 2. v.15. *Beato Iob insultabant reges.*
Iob 2.v.11.tres *amici Iob* non *insultandi,*sed *consolandi* causa aduenerunt.

Tob. 3. v.17. *Numquam cum ludentibus misceri me,* inquit Sara.
Quis credat,puellam non lusisse vmquam cum alijs puellis?

Tob. 4. v.11. *Eleëmosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.*
1.Corinth.13.v.3.*Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas,charitatem autem non habuero,nihil mihi prodest.*

Tob. 4. v.18. *Panem tuum & vinum tuum super sepulturam iusti constitue.*
Quorsum?an vt edat mortuus? Eccli 30.v.18. *Bona abscondita in ore clauso,quasi super monumenta circumposita sepulchro.*

Tob. 5. v.10. *Ego* (inquit Raphael,)*sum Azarias Ananiæ magni filius.*

Quo-

Quomodo? cùm non sis homo? cap.12. v.15. *Ego sum angelus.*

Tob.6.v.8. *Cordis eius particulam si super cabones ponas, fumus eius extricat omne genus damoniorum.*

Vers. 19. *Incenso iecore pisces, fugabitur damonium.* Quid dæmonio cum fumo piscis?

Tob.7.v.4. *Nostis Tobiam fratrem meum?*

Vers.2. vocat eum *consobrinum* suum.

Tob.9.v.3. *Obsecro te, vt vadas in Rages ciuitatem Medorum.*

Cap.3.vers.7.dicitur *Sara* (cui iam aderat Tobias,) habitasse *in Rages ciuitate Medorum.* & Tobias cum Raphale cap.6. v.6. iam eò deuenerant: vt quid ergo rursus eòdem mittatur?

Tobiæ 13. v.12. *Reædificet in te tabernaculum suum,* (c.14. v.7. *Domum Dei quæ incensa est.*) *& reuocet ad te omnes captiuos,* &c.

Tempore *Tobiæ* necdum erat exustum *templum Ieroſolymitanum,* neque incolæ eius per *Nabuchodonosorem abducti in Babyloniam.*

Tobiæ 13. v.21. *Portæ Ierusalem ex sapphiro & smaragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius.*

An id vmquam factum hucusque?

Ex libro Iudith.

Iudith 1. v.1. *ARphaxad* seu Arbaces, *rex Medorum ædificauit Ecbatanis ciuitatem.*

Arbaces coæuus *Phul-Bel-Ocho*, plusquam 90.annis mortuus est ante *Iuditham:* & *Ecbatana* fuit ante *Arbacem* ferè 1300.annis. Vide Chronic. cap.33.

Iudith 1. v.5. *Nabuchodonosor rex Assyriorum, qui regnabat in Ninive.*

Nabuchodonosor non Assyrius, sed *Chaldæus* erat, & in *Babylonia* dominabatur, 4. Reg.24. vers. 1.

Iud.3.v.14. *Pertransiens Syriam venit ad Idumæos in terram Gabaa.*

Gabaa est in *tribu Beniamin*, procul ab *Idumæa*, 1.Reg.11.v.4.& *Idumæa* procul à *Syria.*

Iud.4.v.5. *Sacerdos Eliachim scripsit, vt obtinerent ascensus montium: & v.11. circuinit omnem Israel.*

Non *pontificis*, sed *regis* & *strategi* hoc munus est. Porrò qui hîc *Eliachim*, cap.15. v.9. *Ioacim* vocatur.

Iud.5.v.23. *Nuper reuersi ad Deum, ex dispersione qua dispersi fuerant, adunati sunt, & iterum possident Ierusalem.*

At *Ieroſolyma* nondum *Iudæis* erepta fuerat; vt constat ex cap.4.v.2.

Iud.7.v.2. *Equites viginti duo millia.*

Cap.2. vers.7. *Equitum sagittariorum duodecim millia.*

Iud.8.v.1. *Iudith filia Merari,* nepotis Patriarchæ *Simeon, filij Ruben.*

Simeon, non *filius*, sed *frater Rubeni* fuit, Genes.29. v.32.& 33.

Iud.9.v.2. *Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem*, id est, vltionem sumendam ex Sichemitis.

Cur ergo Patriarcha *Iacob* vltionem hanc à *Simeone* patratam adeò grauiter reprehendit & punit? Genes.34.v.30.& c.49.v.5.6.7.

Iud.9.v.17. *Exaudi me de tua misericordia præsumentem.* Simile cap.6.v.15.

Præsumere de misericordia Dei, peccatum est in Spiritum sanctum.

Iudith 10. v.12. *Fugi* ab Hebræis, *quoniam futurum agnoui, quòd dentur vobis in depradationem,* &c.

An non est istud mendacium?

Iud.11.v.6. *Indicatum est omni sæculo, quoniam tu* (Holofernes) *solus bonus & potens es in omni regno* Nabuchodonosor.

Nemo bonus, nisi vnus Deus, Marc.10.v.18.

Iudith 13. v.15. Bethulienses *sperabant*, Iuditham *iam non esse venturam.* Simile Sap.14.v.29.

Hoccine sperarint miseri obsessi? Timuerint potiùs.

Iudith 16. v.21. *Dabit ignem & vermes in carnes eorum.*

An vermes isti viuent in ignibus? & viuent æternùm?

Ex libro Esther.

Esther 1. v.1. *IN diebus Assueri.* Cap.11.v.2.& cap.vlt.v.1. vocatur *Artaxerxes maximus.*

Esther 2. v.16. *Ducta est Esther ad cubiculum regis Assueri.*

An licuit *Esthera* esse *concubina?* an coniungi sponso Gentili? Vide Exodi 34.v.16.

Esth.3.v.1. *Aman de stirpe Agag:* ergo Amalecites, 1. Reg.15.vers.8.

Esther 16.v.10.& 14. dicitur *Macedo* fuisse.

Esth.4.v.11. *Si quis atrium interius intrauerit, absque vlla cunctatione statim interficiatur.*

Cap.6.vers.4. *Aman interius atrium intrauit* impunè.

Esth.5.v.2. *Cùm rex vidisset Esther reginam, placuit oculis eius.*

Cap.15.v.9.&c. *rex* visâ Esthere, *terribilis aspectu, & ardentibus oculis furorem pectoris indicabat.*

Esth.6.v.3. *Nihil omninò mercedis accepit* Mardochæus.

Cap.12.v.5. dicitur, *Præcepit rex* Mardochæo, *vt in aula palatij moraretur, datis ei pro delatione muneribus.*

Esth.8.v.5. *Obsecro vt veteres Aman littera, quibus* Iudæos *in cunctis regis prouincijs perire præceperat, corrigantur.*

Cap.3.v.12. dicitur, non fuisse litteras *nomine Amanis*, sed *regis* missas. & v.15.vocatur, *regis imperium.* Et patet c.13.v.1.

Esther 9.v. 13.& 14. *Decem filij Aman in patibulis suspensi sunt* decimaquarta die *duodecimi mensis*, v.1.& 13.

Cap.16. v.18. litteris regijs, ante nouem menses datis (cap.8. v.9.) inseritur, *Amanem & omnem cognationem eius ante portas Susan pendere in patibulis.*

Esther 10. v.1. *Rex Assuerus omnem terram, & cunctas maris insulas fecit tributarias.*

Id si de toto orbe intelligas, falsum est: si de prouincijs ipsi subiectis, parergum ac tyrannicum.

Esther 12. v.2. Mardochæus insidias eunuchorum *nuntianit regi.*

Cap12. vers. 22. *Nuntiauit regina Esther, & illa regi.*

Esther 12. v.6. *Aman voluit nocere Mardochæo, pro duobus eunuchis regis qui fuerant interfecti.*

Cap.3. vers. 5. id tribuitur *negatæ* Amani *genuflexioni.*

Esther 13. v.6. *Deleantur quartadecima die.*

Cap.3.v.13. *Vt delerent decimoterrtio die.*

Esther 15. v.4. *Deposuit vestimenta ornatus sui.*

Cap.5.v.1. *Induta est regalibus vestimentis.*

Esther 15. v.13. *Non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.*

Si *pro omnibus*; quomodo non etiam pro ipsa?

Index Antilogiarum S. Scripturæ.

Esthet 16. v.14. *Vt regnum Persarum transferret in Macedonas.* *Macedones* non nisi 150. pòst annis videntur clarere cœpisse sub *Philippo* patre Alexandri Magni.

Ex libro Iob.

Iob 1.v.1. *Vir simplex, nomine Iob.* Ex v.3. & ex cap. 19. v. 9. item Genes. 36. v.31. & 33. constat, *regem* fuisse.

Iob 1.v.6. *Cùm filij Dei assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan.*

An ergo Satan interest choris angelicis, & assistit coram Deo?

Iob 2.v.8. *Testa saniem radebat, sedens in sterquilio.*

Hoccine regium Iobi palatium?

Iob 3.v.1. *Maledixit diei suo.* & cap.39.v.34. *Leuiter locutus sum.* vers.35. *Quod vtinàm non dixissem!* cap. 42.v.3. *Insipienter locutus sum*, &c. cap.8. vers.15. *Suspendium elegit anima mea & mortem.* v.16. *Desperani.* vers. 20. *Peccani.*

Cap.2. v.10. *In omnibus his non peccauit Iob labijs suis.* cap.42. v.7. *Non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob.*

Iob 19.v.17. *Orabam filios vteri mei.*

Cap.1.vers.18. *Omnes filij & filiæ* eius occisi dicuntur.

Iob 23.v.13. *Ipse* Deus *solus est.*

An ergo tot in vniuerso creaturæ nihil sunt?

Iob 25.v.3. *Nunquid est numerus militum eius?*

Psalm.146. v.4. *Numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.*

Iob 25.v.5. *Luna non splendet in conspectu eius.*

Genes. 1.v.17. *Posuit* eam *in firmamento cœli, vt luceret super terram.*

Iob 26.v.5. *Gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis.*

Prouerb.9.v.18.collocantur *gigantes in profundis inferni & conuiua eius.*

Iob 26.v.7. *Extendit Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum.*

At nullum est vacuum in rerum natura.

Iob 33.v.14 *Semel loquitur Deus, & secundo id ipsum non repetit.*

Quod Exodi 12.vers.15. de *azymis* dixerat, repetit vers.18.& 20. & Leuit.23.vers.6. Num.28. vers.17. &c.

Iob 37.v.7. *In manu omnium hominum signat, vt noverint singuli opera sua.*

Chiromantia inhibetur Leuit.19.v.31. & Prouerb. 23. vers.7.

Iob 37.v.18 Cœli *solidissimi quasi ære fusi sunt.*

Apocal.6.v.14. *Cœlum recessit sicut liber involutus.* Isaiæ 51.v.6. *Cœli sicut fumus liquescent.*

Iob 38.v.37 *Concentum cœli quis dormire faciet?*

De concentu cœlorum, somnia sunt Pythagoræ.

Iob 40.v.14 *Ipse elephas est principium viarum Dei.*

Ante *elephantem* multa creauit Deus, Genes. 1. vers. 1. & seqq.

Iob 41.v.16. *Cùm* cetus in altum *sublatus fuerit, timebunt angeli, & territi purgabuntur.*

Quasi verò *cetum* timeant, & aluum laxent *angeli.*

Ex Psalmis.

Psal.1.v.5. *Non resurgent impij in iudicio iustorum.* 2.Corinth.5. vers.10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Apoc.20. v.13. etiam *mors & infernus dederunt mortuos suos, & iudicatum est de singulis secundùm opera ipsorum.*

Psal.4.v.5. *Irascimini, & nolite peccare.*

Matth.5. v.22. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.*

Psal.6.v.6. *Non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?* Psalm.113. v.17. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.* Isa.38.v.18. *Non infernus confitebitur tibi*, &c.

Apocal.5.vers.13. *Omnem creaturam*, non tantùm *quæ in cœlo est & super terram*, sed etiam quæ *sub terra, omnes audiui dicentes: Sedenti in throno, & Agno benedictio & honor & gloria & potestas in sæcula sæculorum.* Philipp.2. vers.10. *In nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum.*

Psal.13.v.3. *Omnes* filij hominum *declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.*

Lucæ 1.v.6. *Erant* Zacharias & Elizabeth *iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis Domini sine querela,*

Psalm. 17. v.27. *Cum peruerso peruerteris.* ô Deus.

Malach.3.v.6. *Ego Dominus, & non mutor.*

Psal.18.v.6. *In sole posuit tabernaculum suum.*

Apoc.15.v.5. & c.21.v.3. *tabernaculum Dei* dicitur esse in cœlo empyreo.

Psal 31.v.3. *Tacui, dum clamarem tota die.*

Si *tacui*; quomodo *clamaui?*

Psalm.33. v.21. *Custodit Dominus omnia ossa* iustorum, *vnum ex his non conteretur.*

Hebr.11.v.37. *Lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt.* 2.Mach.7.v.5. *Iussit, adhuc spirantem torreri in sartagine.*

Psal.35.v.7. *Homines & iumenta saluabis Domine.*

An ergo & iumenta erunt in cœlo?

Psalm. 36. v.25. *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.* Prou.10.v.3. *Non affliget Dominus fame animam iusti.*

Lucæ 16.v.20. *Lazarus mendicus.* incdiâ absumptus est.

Psal.39.v.7. *Aures autem perfecisti mihi.*

Hebr.10.v.5. *Corpus autem aptasti mihi.*

Psalm.43. v.19. *Declinasti semitas nostras à via tua.*

Eccli.15.v.12. *Non dicas, Ille me implanauit*, &c.

Psal.49.v 8. *Non in sacrificijs tuis arguam te.*

Arguit tamen Malach.1.v.7.& seqq.

Psal.50.v.6. *Tibi soli peccaui.*

Non peccauit in *Vriam*, & in tot alios innocentes cum eo occisos? 2.Reg.11. vers.15. vide cap.12. v.13.

Psalm.58. v.12. *Ne occidas eos.*

Psal.68.v.29. *Deleantur de libro viuentium.* Psal. 136.vers.9. *Beatus qui allidet parvulos tuos ad petram*

Psalm.70. v.15. *Non cognoui litteraturam.*

Vers.17. *Deus docuisti me à iuventute mea.* Psal. 118.v.99. *Super omnes docentes me intellexi.*

Psal.73.v.9. *Iam non est Propheta.*

Tot aderant tum temporis *Prophetæ*, Nathan, Gad, &c.

Psalm.77. v.45. *Misit in eos cœnomyiam.* v.46. *Dedit aruginem fructus eius.*

Etus eorum. vers. 49. *Immissiones per angelos malos.*
Horum nulla mentio in Exodo.

Psal. 81. v. 5. *Mouebuntur omnia fundamenta terræ.*
Psal. 118. vers. 90. *Fundasti terram, & permanet.*
Psal. 103. vers. 5. *Fundasti terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in saculum seculi.*

Psalm. 94. v. 10. *Quadraginta annis offensus fui generationi illi.*
Ecclesia legit: *Quadraginta annis proximus fui generationi huic.*

Psalm. 106. v. 18. *Omnem, escam abominata est anima eorum.*
Psal. 105. vers. 14. propter concupiscentiam carnium puniuntur.

Psalm. 110. v. 10. *Initium sapientiæ timor Domini.*
Eccli. 1. v. 20. *Plenitudo sapientiæ est timere Deum.*

Psalm. 115. v. 2. *Ego dixi, Omnis homo mendax.*
An etiam Virgo *Deipara?* an etiam *Christus?*

Psalm. 118. v. 141. *Adolescentulus sum ego & contemptus.*
2. Reg. 7. v. 9. *Feci tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum qui sunt in terra.*

Psalm. 124. v. 3. *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum.*
Psal. 78. v. 1. *Deus venerunt Gentes in hereditatem tuam: polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt carnes sanctorum tuorum bestijs terræ.*

Psalm. 126. v. 2. *Vanum est vobis ante lucem surgere.*
Sap. 16. v. 28. *Oportet præuenire solem, ad benedictionem tuam.*

Psalm. 131. v. 6. *Audiuimus eam in Ephrata, inuenimus eam in campis silua.*
2. Reg. 24. vers. 18. designatur Ierosolymæ *area Areuna Iebusæi.*

Psalm. 132. v. 3. *Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.*
Longissimè distant hi duo montes à se mutuò.

Psalm. 135. v. 6. *Firmauit terram super aquas.*
Aquæ sunt in sinu & in visceribus terræ.

Psalm. 142. v. 2. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.*
Eccli. 18. v. 1. *Deus solus iustificabitur.*
Lucæ 1. v. 6. *Erant iusti ambo ante Deum,* &c. & Eccli. 18. vers. 22. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari.*

Psalm. 148. v. 4. *Aqua omnes quæ super cœlos sunt.*
Quomodo possunt aquæ esse super cælos? Nonne *aquas* vocauit *maria?* Genes. 1. v. 10.

Ex Prouerbijs.

Prou. 3. v. 4. *Disciplinam bonam coram Deo & hominibus.*
Rom. 12. v. 17. *Prouidentes bona coram Deo & omnibus hominibus.*

Prouerb. 3. v. 12. *Quasi pater in filio complacet sibi.*
Hebr. 12. v. 6. *Flagellat omnem filium, quem recipit.*

Prouerb. 3. v. 34. *Deludet illusores, & mansuetis dabit gratiam.*
1. Petr. 5. v. 5. & Iac. 4. v. 6. *Superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Prouerb. 6. v. 31. *Deprehensus fur reddet septuplum, & omnem substantiam domus suæ tradet.*
Vt quid istud? cùm v. 30. dicatur, *Non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit.* Et Exod. 22. non iubetur *redde nisi quadruplum,* vel subinde *quintuplum.*

Prou. 11. v. 31. *Si iustus in terra recipit, quantò magis impius & peccator?*
2. Pet. 4. v. 18. *Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?*

Prou. 14. v. 15. *Innocens credit omni verbo.*
Eccli. 19. v. 4. *Qui citò credit, leuis est corde.* 1. Ioan. 4. v. 1. *Nolite omni spiritui credere.*

Prou. 16. v. 4. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.*
Eccli. 13. v. 12. *Non necessarij sunt ei homines impij.* & v. 21. *Nemini mandauit impiè agere*

Prou. 16. v. 7. *Cùm placuerint Domino via hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.*
An non contrarium patet in tot myriadibus Martyrum?

Prou. 26. v. 4. *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.*
Vers. 5. *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.*

Prou. 29. v. 18. *Cùm prophetia defecerit, dissipabitur populus.*
1. Mach. 4. v. 46. deficiente prophetiâ, instauratus est populus.

Prou. 29. v. 20. *Vidisti hominem velocem ad loquendum? Stultitia magis speranda est quam correptio illius.*
Cap. 22. v. 29. *Vidisti virum velocem in opere suo? Coram regibus stabit.*

Prou. 30. v. 2. *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum.*
3. Reg. 3. v. 12. *Dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum, vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* Quin & post lapsum, Eccles. 2. v. 9. *Sapientia quoque perseuerauit mecum.*

Ex Ecclesiaste.

Eccles. 1. v. 4. *Terra in æternum stat.* Isaiæ 24. vers. 20. *Agitatione agitabitur terra sicut ebrius, & auferetur,* &c. & Lucæ 21. vers. 33. *Cælum & terra transibunt.*

Eccl. 1. v. 7. *Ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur.*
Genes. 2. v. 10. *Phison, Gehon, Tigris & Euphrates* scaturientes de paradiso, non cò *reuertuntur.*

Eccles. 1. v. 10. *Nihil sub sole nouum.*
Ierem. 31. v. 21. *Nouum creauit Dominus super terram: Femina circumdabit virum.* Apoc. 21. v. 5. *Ecce noua facio omnia.*

Eccles. 2. v. 14. *Sapientis & stulti vnus vtriusque* est *interitus*
Cap. 6. v. 8. At sapiens eò *pergit, vbi est vita.* Et Sap. 4. vers. 7. & seqq. magna assignatur differentia vtriusque.

Eccles. 3. v. 14. *Omnia opera quæ fecit Deus, perseuerant in perpetuum.*
Cap. 1. v. 4. *Generatio præterit,* &c. c. 2. v. 1. *Omnia tempus habent.*

Eccles. 3. v. 19. *Vnus interitus est hominis & iumentorum, & æqua vtriusque conditio. Nihil habet homo iumento amplius.*
Vers. 17. *Iustum & impium iudicabit Deus.* non autem iumenta. cap. 12. v. 7. *Spiritus* hominis *redit ad Deum, qui dedit illum.*

Eccl. 4. v. 3. *Felicior, qui necdum natus est.* cap. 6. vers. 3. *Melior* est *abortivus.*
Lucæ 14. v. 15. *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.*

Eccl. 7. v. 5. *Cor sapientium vbi tristitia est, & cor stultorum vbi lætitia.*
Psal. 99. v. 1. *Seruite Domino in lætitia.* Philip. 4. v. 4. *Gaudete in Domino semper,* &c.

Eccles. 7. v. 14. *Nemo* potest *corrigere quem* Deus *despexit.*
1. Tim. 2. vers. 1. iubemur orare *pro omnibus hominibus,* quia v. 4. Deus *omnes homines vult salvos fieri.*

Eccles. 7. v. 16. *Iustus perit in sua iustitia.*
Ezech. 18. v. 22. *In sua iustitia quam operatus est, viuet.*

Noli

Index Antilogiarum S. Scripturæ.

Eccles. 7. v.17. *Noli esse iustus multùm.* v.18. *Ne impiè agas multùm.*

Apoc.vlt.v.11. *Qui iustus est, iustificetur adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc.*

Eccles. 7. v.29. *Virum* sapientem *de mille vnum reperi: mulierem ex omnibus non inueni.*

At certè, inuenisse testatur caput vltimum Prouerbiorum v.10. de *muliere forti*, &c.

Eccl.9.v.1. *Nescit homo*, etsi iustus, *vtrùm amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.*

2.Tim.4.v.7. *Bonum certamen certaui*, &c. *reposita est mihi corona iustitiæ*, &c. Rom.8.vers.38. *Certus sum*, &c.

Eccl 9.v.5. & 10. *Mortui nihil nouerunt amplius: nec habent vltrà mercedem.*

At mortuus *Samuel* 1.Reg.28.v.17. contrarium docet: & Apoc.6.v.9. *Vidi animas interfectorum, & clamabant: Vsqueque Domine (sanctus & verus) non iudicas? &c. Et data sunt illis singulæ stolæ albæ*, &c.

Eccles. 9. v.11. *Vidi, casum esse in omnibus* rebus.

Prou.16.v.33. *Sortes mittentur in sinum, sed à Domino temperantur.* Eccles.5.v.5. *Ne dicas, Non est prouidentia.*

Ex Cantico Canticorum.

Cant.1.v.7. *Pulcherrima inter mulieres.* Vers.4. *Nigra sum.* v.5. *Fusca sum: decoloranit me sol.*

Cant.4.v.9. *Soror mea sponsa mea.*

Si *soror*, quo iure *sponsa*? Nuptiæ tales vetitæ Leuit.18.v.9.

Cant.6.v.4. *Auerte oculos tuos à me.*

Cap.2.v.14. *Ostende mihi faciem tuam.* c.4.vers. 9. *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.*

Cant.6.v.7. *Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ.*

3.Reg.11.v.3. *Fuerunt ei vxores, quasi reginæ, septingentæ, & concubinæ trecentæ.*

Cantic. 8. v.14. *Fuge dilecte mi.*

Cap.3.v.4. *Tenui eum, nec dimittam.*

Ex libro Sapientiæ.

Sap.1.v.13. *Deus mortem non fecit.* Ioan.1.v.3. *Omnia per ipsum facta sunt.* Iob 18.vers.13. *Primogenita mors.*

Sap.1.v.13. *Nec lætatur in perditione viuorum.*

Prou.1.vers.26. *Ego quoque in interitu vestro ridebo.*

Sap.1.v.15. *Iustitia perpetua est & immortalis.*

Ezech.18.v.24. *Si auerterit se iustus à iustitia sua omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur.*

Sap.2.v.1. *Non est qui agnitus sit reuersus ab inferis.*

1.Reg.28.v.15. *Dixit Samuel ad Saul: Quare inquietasti me vt suscitarer?*

Sap.3.v.1. *Non tanget* iustos *tormentum mortis.*

2.Reg.14.v.14. *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram.*

Sap.6.v.8. *Æqualiter cura est illi de omnibus.*

Actor.14.v.15. *In præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Tuos* verò, ò Ierusalem, *filios volui congregare, sicut congregat gallina pullos suos sub alas*, &c. Matth.13.v.37.

Sap.7.v.2. *Decem mensium tempore, in ventre matris coagulatus sum*, &c.

2.Mach.vers.27. *Nouem mensibus te in vtero portaui.*

Sap.8.v.20. *Cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.*

An ergo *anima* extitit ante *corpus?*

Sap.10. v.4. *Propter quem* Cain, *cùm aqua deleret terram*, &c.

Genes.6.v.3. & 4. sceleribus *gigantum* asscribitur *diluuium.*

Sapient.10. v.16. Moyses *stetit contra reges horrendos, in portentis.*

Psal.104.v.30. *In penetralibus regum ipsorum.*

Tota Exodo non fit mentio nisi vnius regis Ægypti.

Sapient.11. v.7. *Pro fonte sempiterni fluminis, humanum sanguinem dedisti* Ægyptijs.

Humanus sanguis non est nisi qui ex homine prodijt.

Sapient.11. v.14. *Cùm audirent* Ægyptij, *per sua tormenta bene secum agi.*

Si *per tormenta*, quomodo *benè?*

Naturalis est malitia ipsorum, & non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.

Cur ergo (vt ibidem additur) *dibus* ipsis, ô Deus, *locum pœnitentiæ?*

Sapient.12. v.10. *Nosse te, consummata iustitia est: & scire iustitiam, radix est immortalitatis.*

Nosse Deum & iustitiam, parum iuuat, si non etiam colueris, vt oportet, inquit S.Paulus Rom. 1.v.21. & S.Iacobus c.2.v.14.

Sapient.16. v.28. *Oportet præuenire solem, & ad ortum lucis te adorare.*

Iob 31.v.26. *Si vidi solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè: & osculatus sum manum meam; quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.*

Sapient.19. v.4. *Ducebat* Ægyptios *ad finem* exitij, *digna necessitas.*

Cur ergo v.3. reprehenduntur *inscientiæ?* & *impietatis?* c.18.v.4.

Ex Ecclesiastico.

Prologo. *In octauo & trigesimo anno temporibus Ptolemæi Euergetis regis Ægypti.*

Ptolemæus Euergetes non regnauit 38. sed solùm 26. annis. Vide Chron.c.39.

Eccli. 1. v.16. *Timor Domini cum fidelibus in vtero creatus est.*

Omnes nascimur *naturæ filij iræ.* Ephes.2.v.3.

Eccli. 3. v.16. *Pro peccato matris restituetur tibi bonum.*

Rom.6.v.23. *Stipendia peccati, mors.*

Eccli.5.v.5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* v.7. *Misericordia enim & ira à* Deo *cito proximant.*

At certa est promissio diuina Ezech.18.v.21. *Si impius egerit pœnitentiam, vita viuet & non morietur: Omnium iniquitatum eius non recordabor.* v. 30. *Non erit vobis in ruinam iniquitas.*

Eccli. 7. v.15. *Non iteres verbum in oratione tua.*

Matth.26.v.44. Christus *orauit tertiò, eundem sermonem dicens.*

Eccli.8.v.8. *Omnes morimur, & in gaudium nolumus venire.*

Matth.25.v.21. *Intra in gaudium Domini tui.*

Eccli. 8. v.13. *Non incendas carbones peccatorum ardentes.*

2.Tim.4.v.2. *Insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa.* Rom.12.v.20. *Carbones ignis congeres super caput* inimici tui.

Eccli. 11. v.4. *Absconsa & inuisa* sunt *opera Altissimi.*

Psal.18.v.1. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius. In omnem terram exiuit sonus eorum*, &c. v.5.

Eccli. 11. v.16. *Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt.* cap. 41.v.12. *In maledictione nascemini.*

Cap.15.vers.12. *Non dicas*, Deus *me implanauit.* v.14.

*xit.*v.14. *Reliquit hominem* ab initio *in manu consilij sui.*

Eccli. 11. v.30. *In filijs suis agnoscitur vir.*

Fefellit hoc in *Cham* respectu Noë, Genes.9. v.22.in *Ismaële* respectu Abrahami, cap.21.v.9.in *Esau* Isaaci, c.27.v.41. *Rubeno* Iacobi, c.35.v.22. filijs *Gedeonis*, Iudic.9.v.5.filijs *Samuelis*, 1.Reg.8. vers.3. *Absalomo* Dauidis,2.Reg.15.v.12. *Manàsse* Ezechiæ.4. Reg.21.v.2.& tam impijs filijs Iosiæ, c.23.&.24.

Eccli. 12. v.4. *Da* eleëmosynas *misericordi, & ne suscipias peccatorem.*

Matth.9.v.13.*Non veni vocare iustos, sed peccatores.*c.5.v.44.*Benefacite his qui oderunt vos, vt sitis filij Patris vestri qui solem suum oriri facit, & pluit super iustos & iniustos*

Eccli. 13. v.11. *Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris.*

Matth.11.vers. 29. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Rom.11.vers. 20. *Noli altum sapere.*

Eccli. 13. v.21. *Si communicabit lupus agno aliquando.*

Isaiæ 11.v.6.*Habitabit lupus cum agno.*& cap.65. v.25.& Ierem.5.v.6.

Eccli. 14. v.14. *Non defrauderis à die bono,& particula boni doni non te pratereat.*

Eccles.7.v.3.*Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij.*Ioan.16.v.20.*Mundus gaudebit, vos verò contristabimini.*

Eccli. 15. v.21. *Deus nemini dedit spatium peccandi.*

Vers.14. *Reliquit* hominem *in manu consilij sui.* v.17.*Ad quod volueris,porrige manum tuam.*

Eccli. 18. v.1. *Deus creauit omnia simul.*

Ex Genes.1.constat,impendisse *sex dies.*

Eccli. 20. v.29. *Sapiens in verbis producet seipsum.*

Prouerb.27. vers.2. *Laudet te alienus, & non os tuum.*

Eccli. 24. v.5. *Ego sapientia, primogenita ante omnem creaturam.*

Iob 18.v.13.*Mors* vocatur *primogenita.*

Eccli. 28. v.25. *Vtilis potius infernus, quàm lingua nequam.*

Iudith 16.v.21.in inferno *dabit ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur & sentiant vsque in sempiternum.*

Eccli. 29. v.28. *Initium vitæ hominis,aqua & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem.*

Cap.39.v.31.*Initium necessariæ res vitæ hominum, aqua,ignis,ferrum,sal,lac, panis similagineus,mel,botrus vua,oleum & vestimentum.*

Eccli. 35. v.1. *Qui conseruat legem,multiplicat oblationem.*

Psalm.39.vers.7. *Sacrificium & oblationem noluisti.*

Eccli. 36. v.23. *Omnem masculum excipiet mulier.*v.27.*Vbi non est mulier,ingemiscit egens.*v.28.*Quis credet ei qui non habet nidum?*

1.Cor.7.vers.8. *Non nuptis & viduis dico: Bonum est illis si sic permaneant.* vers. 26. *Quoniam bonum est homini sic esse.*vers.4.*Beatior erit,si sic permanserit.*

Eccli. 40. v.29. *Fili in tempore vitæ tuæ ne indigeas:melius est enim mori, quàm indigere.*

Matth.19.v.21.*Si vis perfectus esse,vende quæ habes & da pauperibus,*&c.

Eccli. 41. v.7. *Non est in inferno accusatio vitæ.*

Lucæ 16.v.25. *Recordare, quia recepisti bona in vita tua,*&c.Sap.5.v 4.*Nos insensati,*&c.v.6.*Errauimus à via,* &c.v.8.*Quid nobis profuit superbia?*&c. v.13.*Consumpti sumus,*&c.

Eccli. 42. v.34. *Melior est iniquitas viri,quàm mulier benefaciens.*

3.Ioan.v.11. *Qui benefacit, ex Deo est:qui malefacit,non vidit Deum.*

Eccli. 46. v.13. *Iudices singuli, quorum non est corruptum cor* &c.

An Iudic.9.v.1.*Abimelechi* cor non fuit *corruptum?*v.5.&c.Vide etiam c.2.v.16.

Eccli. 49. v.5. *Præter Dauid, Ezechiam, Iosiam, omnes peccatum commiserunt.*

Etiam *Dauidem* grauissimè peccasse, patet ex 2.Reg.11.Itemque *Ezechiam*,4.Reg.20.v.13. Vide 3.Reg.15.v.5.

Eccli. 49. v.16. *Nemo natus est in terra qualis Henoch.*v.17.*Neque vt Ioseph.*

Matth.11.v.11.*Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.*

Eccli. 50. v.2. *Templi altitudo fundata est à Simone Oniæ filio.*

Cap.49.v.13.& 14.*Zorobabel & Iesus adiscauerunt domum,& exaltauerunt templum,*&c.

Eccli. 50. v.28. *Tertia* Samaritanorum colluuies *non est gens.*

Vocantur tamen *gens* 4. Reg.17.v.26.29.41.& Ierem.31.vers.9.Ephraim (id est, Samaritanos qui successerunt Ephraimitis,)vocat Deus *primogenitum* suum.

Ex Isaia.

Isa.2. v.4. TEmpore Messiæ,*non leuabit gens contra gentem gladium,nec exercebuntur vltrà ad prælium.*cap. 9.v.7.*Pacis eius non erit finis.*

Matth.10.v.34.*Non veni pacem mittere in terram,sed gladium.Veni enim separare hominem aduersus patrem suum,*&c.

Isa.2. v.9. *Ne dimittas* Iudæis peccata sua.

Cap.63.v.16.*Tu pater noster, conuertere propter seruos tuos,tribus hereditatis tuæ.*c.64.v.9.*Ne vltrà memineris iniquitatis nostræ,*&c.

Isa.6. v.9. *Audite audientes,& nolite intelligere:& videte visionem,& nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua,& oculos eius claude.*

Matth.13.v.14. *Auditu audietis, & non intelligetis:& videntes videbitis & non videbitis.Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus graviter audierunt,& oculos suos clauserunt.*

Isa.7. v.8. *Adhuc sexaginta quinque anni,& desinet Ephraim esse populus.*

A *diebus Achaz* v.1.vsque *ad excidium Ephraimitici imperij,* vix intercesserunt *viginti anni.*

Isa.7. v.17. *Adducet Dominus super te dies,* &c. *cum rege Assyriorum,& radet caput & pilos pedum & barbam vniuersam.*

Rex Assyriorum *Teglatphalasar* dicitur *acquieuisse voluntati Achaz.*4.Reg.16.v.9.

Isa.8. v.3. *Accessi ad Prophetissam,* vxorem meam,*& concepit & peperit filium,*&c.

Matth.1. vers.22. non per vxorem Isaiæ, sed per *Virginem Deiparam* dicuntur hæc impleta fuisse.

Isa.9. v.1. *Alleuiata est terra Zabulon & Nephtali,*&c.v.11. *Eleuabit super eum,Syriam & Philisthim,*&c.*& deuorabunt Israel toto ore,*v.12.

Matth.4.vers.14. id in bonam partem accipitur, & per *Christum* dicitur confectum, quando primùm prædicauit in finibus *Zabulon & Nephthali.*

Isa.11.v.3. *Non arguet* Christus *secundùm auditum aurium:* neque *secundùm visionem oculorum iudicabit.*

Ioan.8.v.38.*Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor, &* v.26.*ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo.*c.5.v.30.*Sicut audio, iudico.*

Propè

Index Antilogiarum S. Scripturæ.

Isa.14. v.1. *Propè est tempus* excidij Babylonis.
Effluxeruntadhuc 166.anni,vt Chron.cap.29. patet.

Isa.14.v.12. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer?*
Vers.16. *Numquid iste est vir qui conturbauit terram?* &c.

Isa.16.v.1. *Emitte Agnum Domine de Petra deserti.*
Nazareth & Bethlehem non erat *Petra deserti.* Et si Christus est Agnus quomodo cap.2.vers.22. vocatur ab Isaia, *homo, cuius spiritus in naribus eius est.*

Isa.16.v.vlt. *In tribus annis, quasi anni mercenarij, auferetur gloria Moab,& relinquetur paruus,&c.*
Effluxerunt facilè adhuc 130.anni ab hoc tempore.

Isa.17. v.2. *Ciuitates Aroër derelictæ erunt gregibus.*
Arcer procul distat à *Damasco* Syriæ (de qua hîc agitur:) & est in tribu *Gad*,Ios.13.v.9.

Isa.18.v.2. *Mittit in mare legatos in vasis papyri.*
An nauibus *papyraceis* traijcitur *mare?*

Isa.19.v.2. *Concurrere faciam Ægyptios, regnum aduersus regnum.*
In Ægypto non est nisi vnum regnum.

Isa.20. v.1. *Sargon rex Assyriorum.*
4.Reg.18.v.13.&17.vocatur *Sennacherib.*

Isa 21.v.16. *Adhuc in vno anno, & auferetur omnis gloria Cedar.*
Plusquam 130. anni fluxerunt vsque ad excidium Arabum.

Isa.23.v.17. *Post septuaginta annos reducet Dominus Tyrum ad mercedes suas.*
Ezech.26.vers.14. dicitur Tyro, *Non ædificaberis vltrà.v.21. Requisita,non reperieris vltrà in sempiternum.*

Isa.26. v.13. *Domine possederunt nos domini absque te.*
Prou.8.v.15. *Per me reges regnant.* Osee 13.v.11. *Dabo tibi regem in furore meo.* Ierem.25. v.9. *Ego mittam & adducam Nabuchodonosor regem Babylonis seruum meum,*&c.

Isa.29.v.17. *Adhuc in modico & in breui conuertetur Libanus in Charmel,& Charmel in saltum.*
Id inchoatum post 180.annos,completum post 700.annos.

Isa 32.v 10. *Post dies & annum vos conturbabimini,*&c.
Nempe,post 180.vel 700.annos.

Isa.33. v.7. *Angeli pacis amarè flebunt.*
Apoc.31.vers.4.in cœlo *neque luctus,neque dolor erit,*&c.

Isa.35. v.2. *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron, ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri.*
An Transfiguratio Christi non contigit in monte *Thabor?*

Isa 39. v.7. *De filijs tuis tollent, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis.*
An post 120. annos vixerunt adhuc *filij Ezechiæ?*

Isa.41.v.24. *Vos estis ex nihilo, & opus vestrum ex eo quod non est.*
Psal.134.v.15. *Simulacra Gentium argentum & aurum,*&c. Vide etiam Isa.44.v.14.&c.

Isa.43.v.24. *Seruire me fecisti in peccatis tuis:præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.*v.28. *Contaminaui principes sanctos.*
Eccli.15. vers.21. Deus *nemini dedit spatium peccandi.*v.13. *Omne execramentum erroris odit Dominus.*

Isa.45.v.1. *Dicit Dominus christo meo Cyro.*v.4. *Vocaui te nomine tuo,accinxi te,& non cognouisti me,*v.5.

1.Esdr.1.v.2. *Hæc dicit Cyrus rex Persarum:Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipse præcepit mihi,vt ædificarem ei domum in Ierusalem.* Quomodo ergo *non cognouit Deum.*

Isa 45.v.13. *Ipse* (Cyrus) *ædificabit ciuitatem meam.*
Diu post mortem Cyri,2.Esdr.1. v.1. & 3.*anno vigesimo* Artaxerxis adhuc iacebat *dissipatus murus Ierusalem,& porta eius combusta:*& c.7.v.7. *non erant domus ædificatæ.*

Isa.46. v.2. *Anima* idolorum *in captiuitatem ibit.*
Baruch 6.v.24. *Spiritus non inest ipsis.*v.41. *Sursum non habent dij illorum.*v.38. *Lapidibus similes sunt dij Lapidei,lignei,aurei & argentei.*

Isa.48.v.21. *Non sitierunt in deserto, cum educeret eos.*
Exod.17.v.3. *Sitiuit ibi populus præ aquæ penuria.* Et iterum post 40.annos.Num.20.v.2. *Cum indigeret aqua populus,versi in seditionem dixerunt: Cur adduxisti nos in locum istum pessimum,*v.5. *qui aquam non habet ad bibendum?*

Isa.49.v.7. *Contemptibilem animam, abominatam gentem, seruum dominorum,* vocat Christum & Christianos.
Vers.23. *Erunt reges nutritij tui,& reginæ nutrices tuæ,vultu in terram demisso adorabunt te,& puluerem pedum tuorum lingent.*cap.60.v.15. *Ponam te in superbiam sæculorum,*&c.

Isa.52.v.1. *Non adijciet vltrà, vt per te* (ô Ierusalem) *pertranseat incircumcisus & immundus.*
1.Mach.1.v.22. *Antiochus illustris ascendit Ierosolymam, & intrauit in sanctificationem cum superbia,& vniuersa vasa comminuit,& fecit eadem hominum,*&c. Idem fecerunt *Romani.*

Isa.53. v.2. *Non est species ei,neque decor,*&c.
Psal.44. vers.3. *Speciosus formâ præ filijs hominum,*&c.

Isa.53. v.8. *Generationem eius quis enarrabit?*
Enarrat *humanam* eius generationem Matthæus c.1. *diuinam* Ioannes c.1.

Isa.65.v.20. *Non erit ibi amplius infans dierum:quoniam puer centum annorum morietur.*
Ergo omnes nascentur senes,& morientur infantes?

Isa.66. v.3. *Qui immolat bouem, quasi qui interficiat virum: qui mactat pecus,quasi qui excerebret canem,*&c.
Leuit.1. vers.3.10. 17. *Holocaustum de armento,vel de pecoribus, oblatio est suauissimi odoris Domino.*

Ex Ieremia.

Ierem. 3. v.18. *Ibit domus Iuda ad domum Israel,& venient [illegible] de terra Aquilonis,ad terram quam [illegible] vestris.*
Ex libro Esdræ primo constat non redijsse qui in Babyloniam abducti fuerant è Euphratis bubus.

Ierem. 4. v.10. *Domine Deus, ergóne decepisti populum istum & Ierusalem, dicens, Pax erit vobis: & ecce gladius pertingit [illegible] ad animam.*c.20.v.7. *Seduxisti me Domine,& seductus sum.*
Eccli.15.v.12. *Non dicas, Ille me impulit?*

Iere.5. v.1. *Quærite in plateis Ierusalem,an [illegible] virum facientem iudicium,& quærentem fidem,& propitius ero* toti vrbi.
Nonne aderat Ieroſolymæ *Ieremias* & *Baruch?* c.36.v.4. nonne aderant *Rechabitæ?* cap.35.vers.2. & seqq.

Iere.7.v.16. *Tu noli orare pro populo hoc,& non obsistas mihi: quia*

quid non exaudiam te. Exod.32.v.10. *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus.*

Ezech.22. v.30. *Quæſiui de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam.*

Ierem. 7. v.22. *Non ſum locutus cum patribus veſtris de verbo holocautomatum & victimarum.*

Leuitici ſeptem primis capitibus de nulla alia re loquitur.

Ierem. 9. v.26. *Omnes Gentes habent præputium.*

Ex dictis Geneſ.17.verſ.10. patet, plurimos ex *Gentibus* circumcidi ſolere.

Ierem.10. v.14. *Stultus factus eſt omnis homo à ſcientia.*

Prouerb.19.v.2. *Vbi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum.* Sapient.13.v.1. *Vani ſunt omnes homines in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.*

Ierem.10. v.23. *Non eſt hominis via eius: nec viri eſt vt ambulet, & dirigat greſſus ſuos.*

Eccli.15. v.14. *Deus reliquit hominem in manu conſilij ſui.* verſ.18. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.*

Ierem.13. v.21. *Tu docuiſti* Chaldæos *aduerſum te, & erudiſti in caput tuum.*

Cap.5. Chaldæos vocat *gentem antiquam*; v.15. gentem *robuſtam, cuius ignorabis linguam.* Quomodo ergo docuiſti illam?

Ierem.13. v.23. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, & pardus varietates ſuas; & vos poteritis bene facere.*

Eccli.15.ſuprà, & Ierem.21.v.8. *Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis.*

Ierem.15. v.4. *Dabo* Iudæos *in feruorem vniuerſis regnis terræ, propter Manaſſen, ſuper omnibus quæ fecit in Ieruſalem.*

Ezech.18. v.20. *Filius non portabit iniquitatem patris.* Et 2.Paralip.33.verſ.12. *Manaſſe egit pœnitentiam valdè.*

Ierem.15. v.15. *Noli Domine in patientia tua ſuſcipere me.*

Pſalm.85.v.15: *Patiens* Dominus, *& multæ miſericordiæ, & verax.*

Ierem.18. v.22. *Adduces latronem repentè.* Sic vocat Nabuchodonoſorem.

Cap.25. v.9. *Nabuchodonoſor regem Babylonis ſeruum meum.*

Ierem.18. v.23. *Tempore furoris tui abutere eis.*

Prou.16.v.4. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus: impium quoque ad diem malum.*

Ierem.20. v.14. *Maledicta dies in qua natus ſum*, &c. verſ.18. *Quare de vulua egreſſus ſum?*

Cap.1.v.5. *Antequam exires de vulua, ſanctificaui te, & Prophetam in Gentibus dedi te.*

Ierem. 25. v.9. Iudæam *& omnes nationes, quæ in circuitu eius ſunt, ponam in ſolitudines ſempiternas.*

Verſ.11. reſtringit ad *ſeptuaginta annos.*

Ierem.27. v.7. *Omnes gentes ſeruient Nabuchodonoſori, & filio eius, & filio filij eius.*

Baruch 1.v.12. *Vt viuamus ſub vmbra Nabuchodonoſor regis Babylonis, & ſub vmbra Baltaſſar filij eius.* Baltaſſari autem occiſo nullus filius eius ſucceſſit, ſed *Darius Medus*, Dan.5.v.31.

Ierem.29. v.22. *Sedeciam & Achab frixit rex Babylonis Nabuchodonoſor in igne.*

Si ſint iſti duo iudices *Suſannæ*, videntur alio ſupplicio affecti à populo Iudaico, Daniel. 13. verſ. 61.

Ierem.30. v.8. *In die illa conteram iugum de collo tuo*, &c. *& non dominabuntur ei amplius alieni.*

Ex 2. Eſdr.9. v.36. conſtat, etiam *reges Perſarum* dominatos fuiſſe *Iudæis* tanquam ſeruis, poſt reductam captiuitatem.

Ierem.30. v.12. *Inſanabilis fractura tua.* verſ.15. *Inſanabilis dolor tuus.*

Verſ.17. *A vulneribus tuis ſanabo te.*

Ierem.31. v.29. *Goatha.*

Matth.27.verſ.33. *Golgotha.*

Ierem.34. v.4. *Non morieris in gladio* (Sedecia rex) *ſed in pace morieris*, &c.

Nabuchodonoſor cap.39.verſ.7. *oculos Sedeciæ eruit, & vinxit eum compedibus, vt duceretur in Babylonem.* verſ. 6. *Occidit filios Sedeciæ in oculis eius*, &c.

Ierem.35. v.2. *Vade ad domum Rechabitarum.*

Ex verſ.7.& 9.conſtat, *Rechabitas non habitaſſe in domo*, ſed ſolùm *in tabernaculis.*

Ierem.36. v.30. *Non erit ex rege Ioakim qui ſedeat ſuper ſolium Dauid: & cadauer eius proijcietur ad æſtum & ad gelu.*

4.Reg.24.v.5.& 6. *Dormiuit Ioakim cum patribus ſuis, & regnauit Ioachin filius eius pro eo.*

Ierem. 41. v.5. *Munera & thus habebant in manu, vt offerrent in domo Domini.*

At paucis antè menſibus 4. Reg. vlt.v.9. *ſuccenſa* erat *domus Domini.*

Ierem.43.v. 7.& 8. *Taphnis* Ægypti.

Num.13.verſ.23.& Pſal.77.verſ.12.& 24. vocatur *Tanis.*

Ierem. 46. v.2. *Exercitum Pharaonis percuſſit Nabuchodonoſor in Charcamis.*

Verſ.12. *Fortis impegit in fortem, & ambo pariter ciderunt.*

Ierem.46. v.16. *Reuertamur*, &c. *à facie gladij columbæ*, ſeu *Nabuchodonoſoris* regis Babylonis.

Cap.4.verſ.7. vocatur *leo, & prædo gentium:* & cap.50.verſ.16. nomen *columbæ*, etiam *Perſis* tribuitur.

Ierem. 47. v.4. *Paleſtini, reliquiæ inſulæ Cappadociæ.*

An Cappadocia non eſt in Græcia? Vide Deuteron.2 verſ.23.

Ierem.48. v.1. *Nabo* vrbs *Moab.*

Iſaiæ 46. verſ.1. *Nabo* vocatur rex vel idolum *Babylonis.*

Ierem. 50. v.2. *Capta eſt Babylon, victus eſt Merodach.*

Dan.5.verſ.30. Vltimus *Chaldæorum rex* vocatur *Baltaſſar.*

Ierem. 50. v.33. *Calumniam* à Chaldæis *ſuſtinent filij Iſrael & filij Iuda ſimul*, id eſt, violentè & iniuſtè ab illis opprimuntur.

Ierem.25. v.9. *Ecce ego (ait Dominus) mittam & aſſumam vniuerſas cognationes Aquilonis, & Nabuchodonoſor regem Babylonis ſeruum meum, & adducam eos ſuper terram iſtam*, &c. Quomodo ergo *iniuſtè?*

Ierem.50. v.39. *Non inhabitabitur vltrà* Babylon *in ſempiternum.*

Ex Dan. 6.9.& 10. conſtat, adhuc inhabitatam fuiſſe.

Ierem. 51. v.25. *Mons peſtifer*, Babylon, v.36. *Deſertum faciam mare eius.* v.41. *Capta eſt Seſach.*

Non *mari*, ſed Euphrati adiacet Babylon; neque in monte, ſed in humili *campo Sennaar*, Geneſ. 11. verſ.2. Cur *Seſach* dicta, vide Ierem.25. verſ. 26.

Ierem. 51. v.59. *Cùm Saraias pergeret cum Sedecia rege in Babylonem, in anno quarto regni eius.*

Annus agebatur *vndecimus* regni *Sedeciæ*, quando abductus eſt *in Babylonem*; 4.Reg.25.v.2.& 7.

Ierem. 52. v.12. *Menſe quinto, decima menſis.*

4.Reg.vltim.verſ.8. *Menſe quinto, ſeptima die menſis.*

Ierem. 52. v.28. *Anno septimo Nabuchodonosor transtulit Iudæos tria millia & viginti tres.*

4.Reg 24. v.12. *Anno octauo regni sui transtulit omnem Ierusalem;* vers.14. *decem millia;* vers.16. *septem millia.*

Ex Threnis Ieremiæ.

Thren. 3. v.36. VT *peruerteret hominem in iudicio suo, Dominus ignorauit.*

Iob 34. vers.5. *Dixit Iob: Deus subuertit iudicium meum.*

Threu. 3. v.37. *Quis dixit, vt fieret Domino non iubente? ex ore Altissimi non egredientur nec bona, nec mala?* Isaiæ 45. vers.7. *Formans lucem, & creans tenebras & malum.*

Osee 13.v.9, *Perditio, tua* est *Israel:* tantummodò in me *auxilium tuum.* Tob.3. v.22. *Non delectaris in perditionibus nostris.* Habac.1.v.13. *Mundi sunt oculi tui ne videant malum.*

Thren. 4. v.22. *Completa est iniquitas tua filia Sion: non addet vltrà* Dominus *vt transmigret te.*

Matth.23. v.32. *Implete mensuram patrum vestrorum.* vers.38. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.*

Ex Baruch.

Baruch 2. v.17. MOrtui *non dabunt honorem & iustificationem Domino.*

Apocal.5.v.13. *Omnem creaturam quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, omnes audiui dicentes: Sedenti in throno & Agno benedictio & honor & gloria,* &c.

Baruch 6. v.2. *Ingressi Babylonem, eritis ibi vsque ad generationes septem.*

Captiuitati Iudaicæ non præfiguntur Ierem. 25. vers. 11. nisi *septuaginta anni.* Vide Chronic. cap. 35.

Ex Ezechiele.

Ezech. 1. v.9. VNumquodque animal *ante faciem suam gradiebatur.*

Vers.6. *Quatuor facies vni*cuique erant.vers.8. *Facies per quatuor partes habebant.*

Ezech. 1. v.14. *Animalia ibant & reuertebantur.*

Vers.9.& 12. *Non reuertebantur cùm incederent.*

Ezech. 4.v. 5.& 6. *Portabis iniquitatem domus Israel trecentos & nonaginta dies:* item *Iuda quadraginta dies. Diem pro anno dedi tibi.*

Regnum Israel ex quo seiunctum est à *regno Iuda,* non stetit 390.annis, sed solùm 256. Vide Chron.cap.29. regnum verò Iuda non peccauit solùm 40. annis, sed multò pluribus.

Ezech. 6. v.14. *Deblatha.* Ierem.39.v.5. *Reblatha.*

Ezech.13. v.19. *Vt interficerent animas, quæ non moriuntur; & viuificarent animas, quæ non viuunt.*

Si animæ *non moriuntur,* quomodo *non viuunt?*

Ezech.14. v.9. *Propheta cùm errauerit, ego Dominus decepi Prophetam illum.*

Eccli.15.v.12. *Non dicas: Ille me implanauit.*

Ezech.16. v.55. *Soror tua Sodoma & filiæ eius reuertentur ad antiquitatem suam. Et Samaria & filiæ eius reuertentur ad antiquitatem suam.*

Genes.19.v.24. *Igne* cæleſti absumpta est tota *Sodoma.* Mich.1.v.6. *Ponam Samariam quasi aceruum lapidum,* &c.

Ezech.20. v.25. *Ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent.*

Hîc v.11.& Leuit.18.v.5. *Dedi eis leges meas atque iudicia, quæ faciens homo, viuet in eis.*

Ezech.20. v.39. *Singuli post idola vestra ambulate, & seruite eis, dicit Dominus.*

Leuit.19.v.4. *Nolite conuerti ad idola.*

Ezech.29. v.12. *Dabo terram Ægypti desertã quadraginta annis.*

Vbi reperies illos 40. annos?

Ezech 30. v.14. *Faciam iudicia in Alexandria.*

Vix ducentis & triginta pòst annis exorta est *Alexandria.*

Ezech 32. v.27. *Fortes descenderunt ad infernum cum armis suis, & posuerunt gladios suos sub capitibus suis.*

Psal.48.v.18. *Cùm interierit homo, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.*

Ezech.32. v.31. *Vidit eos Pharao* in inferno, *& consolatus est,* &c.

Lucæ 16.v.25. *Nunc autem* Lazarus *consolatur: tu verò cruciaris.*

Ezech.36. v.11. *Vos* è Babylonia reductos *replebo hominibus & iumentis, bonisque donabo maioribus, quàm habuistis ab initio.*

Cap.20.v.34. *Educam vos de populis in quibus dispersi estis, & in furore effuso regnabo super vos.*

Ezech.39. v.28. *Scient, quòd non reliquerim quemquam ex* Iudæis in Chaldæa.

Ex Esther 3.4. & seqq. cap. constat, *plurimos* istic *remansisse.*

Ezech 39. v.29. *Non abscondam vltrà faciem meam ab eis.*

Non *abscondit* à tempore *Titi* huc vsque?

Ezech.40. v.49. *Latitudinem vestibuli mensus est vndecim cubitorum.*

3.Reg.6. v.3. *Porticus ante faciem templi habebat decem cubitos latitudinis.*

Ezech.41. v.5. *Latitudo lateris quatuor cubitorum vndique.*

Vers.11. & 3.Reg.6.vers.6. assignantur *quinque cubiti.*

Ezech.42. v.20. *Per quatuor ventos longitudinem quingentorum cubitorum.*

Quatuor versibus præcedentibus dicuntur fuisse *quingenti calami.*

Ezech.43. v.15. *Altare* holocaustorum vocatur *Ariel.*

Isaiæ 29. vers. 1. vrbs Ierosolymitana vocatur *Ariel.*& 1.Paralip.11.vers.22. *Banaias percussit duos Ariel Moab.*

Ezech. 44. v 2. *Porta hæc clausa erit principi.*

Vers.3. *Princeps ipse sedebit in ea: per viam eius ingredietur,* &c.

Ezech.44. v.19. *Sacerdotes cùm egredientur atrium exterius, exuent se vestimentis suis in quibus ministrauerant.*

1.Reg.22. vers.18. *Octoginta quinque* sacerdotes occidi iussit Saul in regia sua *vestitos ephod lineo.*

Ezech.48. v.1.&7. *Tribus Iuda* constituitur ad *Aquilonem: Benjamin* vers.23. ad *Austrum.*

Iosue 18.v.5. *Iudæ* ad *Austrum:* v.12. *Benjamin* ad *Aquilonem.* Vide ad v.31.

Ex Daniele.

Dan.1. v.1. ANno *tertio regni Ioakim venit Nabuchodonosor in Ierusalem.*

Ierem.25.v.1. dicitur *Nabuchodonosor* solùm inchoasse regnum suum *anno quarto Ioakim.*

Dan.2.v.1. *Anno secundo regni Nabuchodonosor vidit somnium,* &c.

Ex cap.1.v.5.& 18.& ex cap.2.v.13. colligitur, longè *plures* annos *Nabuchodonosoris* effluxisse.

Nos

Dan.3.v.38. *Non est in tempore hoc Propheta.*
Erat *Daniel, Ezechiel, Habacuc,* &c. Dan. vlt. vers.32.

Dan.3.v.88 *Eruit nos de inferno.*
Vers.50. *Non tetigit eos omnino ignis, nec quidquam molestiæ intulit.*

Dan.4.v.5. *Daniel collega* meus *habet Spiritum deorum sanctorum in semetipso.*
An Daniel collega tanti monarchæ? cap.2.v. vlt. dicitur fuisse *in foribus regis.* Et ibid.vers.47. non nisi *vnum*, nempe Iudæorum, *Deum* agnoscit *Nabuchodonosor.*

Dan.4.v.34 *Ego Nabuchodonosor glorifico regem cæli.*
Eâdem epistolâ v.5. *Belum* vocat *deum* suum.

Dan.5.v.11. *Est vir in regno tuo, Daniel.*
Cap.14.v.1. *Daniel erat conuiua regis* Baltassar: & cap.4.v.5. *collega* patris eius: quomodo potuit illi ignotus fuisse?

Dan.6.v.28. *Daniel perseueranit vsque ad regnum Darij.*
At hæc omnia præcedentia contigerunt *regnante Dario,* v.1.& seq.

Dan.7.v.10. *Fluuius igneus rapidusque egrediebatur à facie* iudicis.
Apocal.1.v.16. *De ore eius gladius vtraque parte acutus exibat.*

Dan.8.v.1. *In Susis castro in Aelam regione.*
Esther 1. v.2. *Susan ciuitas* erat & metropolis imperij Persici.

Dan.8.v.10. *Deiecit de stellis* cœli, *& conculcauit eas.*
Quomodo hoc possibile?

Dan.7.v.14 *Dies duo millia trecenti* faciunt ferè sex annos cum medio.
Cap.7.v.25. tantùm mentio fit *trium annorum cum medio.*

Dan.9.v.1. *Anno primo Darij filij Assueri.*
Assuerus 1.Esdr.4.v.6. & Estheræ cap.1.v.1. longè posterior fuit *Dario* Danielis: quomodo ergo potuit esse *pater* ipsius?

Dan.9.v.26 *Post hebdomadas sexaginta duas* à reædificata Ierosolyma, *occidetur Christus.*
Ex Chronici cap.38. longè plures effluxisse videntur.

Dan.9.v.27 *In medio hebdomadis* vltimæ *deficiet sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis,* quæ *ad consummationem & finem perseuerabit.*
Multis annis à morte Christi continuatum adhuc est *sacrificium in templo,* vt constat ex Actis Apostolorum. Et 2. Thessal.2. vers.4. dicitur *Antichristus* iterum *in templo* Ierosolymitano *sessurus.*

Dan. 10. v.13. *Princeps regni Persarum restitit mihi* (Gabrieli) *viginti & vno diebus. Et ecce Michael, vnus de principibus primis, venit in adiutorium meum.*
Isaiæ 33.v.7. vocantur *angeli pacis.* Psalm.102. v.20. *Omnes angeli eius, potentes* quidem *virtute,* sed *facientes verbum eius, ad audiendam vocem sermonum eius.*

Dan. 11. v.37. *Nec quemquam deorum curabit.*
Vers. 38. *Deum Maozim in loco suo venerabitur & colet.*

Dan. 11. v.41. *Saluabuntur de manu eius Edom, Moab & Ammon.*
Malach.1.vers.3. *Montes* Idumææ *posui solitudinem, in dracones deserti.* Abdiæ v.18. *Non erunt reliquiæ domus Esau.* Ierem.48.vers.42. *Cessabit Moab esse populus.* Simili modo dicitur *Ammon* excidendus, Sophon.2. v.9.

Dan. 12. v.2. *Multi de his qui dormiunt in terra puluere, euigilabunt.*

1.Corinth.15. v.22. *Omnes viuificabuntur.* v.51. *Omnes resurgemus.* Ioan.5. vers. 28. *Omnes qui in monumentis sunt, procedent in resurrectionem.*

Dan. 13. v.45. *Suscitauit Dominus Spiritum sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel.*
Vers.50. dicunt ei senes iudices: *Tibi* (Daniel) *dedit Deus honorem senectutis.*

Ex Osee.

Osee 4.v.15. *Neque iuraueritis, Viuit Dominus.*
Deut. 6. vers. 13. *Per nomen Domini Dei tui iurabis.*

Osee 5.v.6. *Vadent ad quarendum Dominum, & non inuenient: ablatus est ab eis.*
Ierem.29.v.13. *Quæretis me, & inuenietis.* Deut. 4.v. 29. *Cum quæsieris ibi Dominum, Deum tuum, inuenies eum.*

Osee 6.v.6. *Misericordiam volui, & non sacrificium.*
Cur ergo toto Leuitico præscribit tot genera sacrificiorum?

Osee 8.v.4. *Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui.*
Ieroboam & Iehu, & horum posteri, iussu diuino regnum capessiuerunt, 3.Reg.11.v.31.& 4.Reg. 9.v.6. cap.10. v.30. Et tu *Domine, habes omnium scientiam,* Esther 14.v.14.

Osee 10. v.5. *Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ.*
Eodem versu dicit in masculino, *Super eum luxit populus.* Et erant hi vituli positi *in Bethel & Dan.* 3.Reg.12.v.29.

Osee 13. v.12. *Absconditum est peccatum Ephraim.*
Cap.7.vers.4. *Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus.*

Osee 13. v.14. *Ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero inferne.*
1.Corinth.15.v.54. *Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus?*

Osee 14. v.1. *Pereat Samaria: in gladio pereant, parvuli elidantur, fœta discindantur.*
Cap.11.v.8. *Quomodo dabo te Ephraim sicut Adama? Conuersum est in me cor meum. Non faciam furorem iræ meæ, non disperdam Ephraim.*

Ex Ioël.

Ioël 2.v.14 *Quis scit si conuertatur, & ignoscat?* Dan.4.v. 24. *Forsitan ignoscet delictis tuis.*
Ezech.18.v.21. Non sub dubio, sed certò addicitur, *Si impius egerit pœnitentiam,* &c. *vita viuet, & non morietur: omnium iniquitatum eius non recordabor.*

Ioël 2.v.31. *Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem.*
Iob 37.v.38. *Cœli solidissimi, quasi ære fusi sunt.*

Ioël 3.v.14. *In valle concisionis.*
Vers.2. *In valle Iosaphat.*

Ioel 3.v.18. *Fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum.*
Ezech.47. v.1.& 5. *Torrentem, qui non potest transuadari.* Apocal.22.v.1. *procedentem de sede Dei & Agni.*

Ioel 3.v.20. *Iudæa in æternum habitabitur, & Ierusalem in generationem & generationem.* v,17. *Erit Ierusalem sancta, & alieni non transibunt per eam amplius.*
An *Romani* non fuerunt *alieni?* An *Turcæ,* qui Iudæam incolunt, sancti sunt? An etiam post diem iudicij *inhabitabitur?*

Index Antilogiarum S. Scripturæ.

Ex Amos.

Amos 2. v. 1. *MOab incendit ossa regis Idumæ vsque ad cinerem.*

4. Reg. v. 9. & 25. *rex Edom* non succumbit, sed prævalet *Moabitis.*

Amos 3. v. 2. *Tantummodò vos* (Israelitas) *cognoui ex omnibus cognationibus terræ.*

Esther 14. v. 14. *Domine*, tu *omnium habes scientiam.* Psalm. 138. v. 5. *Ecce Domine tu cognouisti omnia, nouissima & antiqua.*

Amos 3. v. 6. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.*

Habac. 1. v. 13. *Mundi sunt oculi tui ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non potes.* Sap. 1. vers. 13. *Deus mortem non fecit.*

Amos 5. v. 18. *Væ desiderantibus diem Domini. Ad quid eam vobis?*

Lucæ 21. v. 28. *Respicite & leuate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra.*

Amos 5. v. 25. *Numquid hostias & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis?*

Obtulerunt profectò Exodi 24. vers. 5. Leuit. 8. 9. 10. & seqq.

Amos 6. v. 8. *Odi domos Iacob.* Malach. 1. vers. 3. *Esau odio habui.*

Sapient. 11. vers. 25. *Nihil odisti eorum quæ fecisti.* Et verius est saluatum esse *Esau*, Genes. 36. post vers. 4.

Amos 6. v. 13. *Numquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis?*

Habac. 1. v. 8. *Leuiores pardis equi eius, & velociores lupis vespertinis. Equites eius volabunt quasi aquila*, &c. Nónne verò 3. Reg. 19. v. 19. *Eliseus arabat in duodecim iugis boum?*

Amos 7. v. 14. *Non sum Propheta.*

Vers. 15. *Dominus dixit ad me: Vade, propheta ad populum*, &c.

Amos 8. v. 2. *Venit finis super populum meum Israel.* cap. 9. v. 1. *Nouissimum eorum in gladio interficiam: non erit fuga eis.*

Cap. 9. v. 15. *Plantabo eos super humum suam, & non euellam eos vltrà.*

Ex Iona.

Ionæ 1. v. 3. IOnas, *vt fugeret in Tharsis, descendit in Ioppen.*

Naues regis Iosaphat, 2. Paralip. 20. v. 36. vt *irent in Tharsis*, soluerunt ex *Asiongaber* portu maris Rubri, non *ex Ioppe* portu maris Mediterranei. Quomodo ergo Ionas ex *Ioppe* tetendit in *Tharsis.*

Ex Michæa.

Mich. 2. v. 11. V*Tinam non essem vir habens spiritum, & mendacium potiùs loquerer!*

Prouerb. 12. vers. 22. *Abominatio Domino labia mendacia.*

Mich. 4. v. 3. *Non sumet gens aduersus gentem gladium, & non discent vltrà belligerare.*

Vers. 13. *Surge & tritura filia Sion, cornu tuum ponam ferreum, comminues populos multos, & interficies Domino*, &c.

Mich. 5. v. 2. *Tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda.*

Matth. 2. v. 6. *Tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda.*

Mich. 7. v. 2. *Periit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est.* vers. 4. *Qui optimus in eis est, quasi palurus & spina.*

Ex cap. 6. v. 6. colligere est, *plurimos* fuisse in populo Iudaico *pios* & *sanctos*, qui dicebant: *Curuabo genu Deo excelso*, &c.

Ex Nahum.

Nahum 1. v. 12. A*Flixi te, & non affligam te vltrà.* vers. 15. *Non adiiciet vltrà vt pertranseat in te Belial.*

An non *transiuit* iterum *Nabuchodonosor*, 4. Reg. vlt. *Antiochus*, 1. Machab. 1. *Vespasianus & Titus?* Lucæ 19. v. 43.

Nah. 3. v. 8. & 10. *Alexandria in transmigrationem ducta est.*

Non nisi *decimo septimo anno* post euersam *Ieroſolymam* ducta est in captiuitatem *metropolis Ægypti*, quæ duobus pòst sæculis vocata est *Alexandria.* Vide Chron. cap. 34. sub finem.

Nahum 3. v. 16. *Plures fecisti negotiationes tuas, quàm stellæ sunt cœli.*

Genes. 15. v. 5. *Suspice cœlum, & numera stellas, si potes.*

Ex Habacuc.

Habac. 1. v. 5. A*Spicite in Gentibus, & obstupescite.*

Actor. 13. vers. 41. *Videte contemptores, & disperdimini.*

Ex Sophonia.

Soph. 2. v. 9. MOab *vt Sodoma erit, & filij Ammon quasi Gomorrha: desertum vsque in æternum.*

Dicuntur tamen ibidem, *reſidui gentis* Iudaicæ *possessuri illos*: & Dan. 14. v. 41. *Saluabuntur Edom, Moab & Ammon.*

Sophon. 3. v. 13. *Reliquiæ Israel non facient iniquitatem.* vers. 17. *Gaudebit Dominus super te in lætitia, sicbit in dilectione sua*, &c. *cum conuertero captiuitatem vestram.* vers. 20.

Ezech. 20. vers. 34. *Educam vos de populis in quibus dispersi estis, & in furore effuso regnabo super vos.*

Ex Aggæo.

Aggæ. 2. v. 7 A*Dhuc vnum modicum est, & veniet desideratus cunctis gentibus.*

A *secundo anno Darij* Hystaspis, vsque ad *Christi* aduentum fluxerunt anni 515. Vide Chronic. cap. 36. & 37.

Ex Zacharia.

Zach. 1. v. 9. A*Ngelus qui loquebatur in me.*

Vers. 8. *Stabat inter myrteta quæ erant in profundo.*

Zachar. 1. v. 12. *Iste iam septuagesimus annus est.*

Imò *octogesimus*, & quod excurrit, vt dixi Chronic. cap. 35.

Zach. 2. v. 4. *Absque muro habitabitur Ierusalem.*

2. Esdr. 2. vers. 17. *Nehemias* instaurat *muros* Ierusalem.

Zach. 2. v. 6. *In quatuor ventos cœli dispersi vos.*

Ante *vndecim annos* reducti fuerant in patriam. 1. Esdr. 1. &c.

Zachar. 6. v. 10. *Holdai & Iosia.*

Vers. 14. vocantur *Helem & Hem.*

Ieremiam

Zachar. 8. v. 19. *Iciunium quarti, quinti, septimi & decimi* mensis *erit domui Iuda in gaudium, & in solemnitates præclaras.*

Certum est, iciunia mensibus istis omnibus apud Iudæos continuata fuisse hucusque.

Zach. 9. v. 9. *Exulta satis filia Sion: Ecce rex tuus veniet tibi iustus & saluator, ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.*

Matth. 21. v. 5. *Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis.*

Zachar. 11. v. 12. *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Proijce illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & proieci illos in domum Domini ad statuarium.*

Matth. 27. vers. 9. tribuuntur hæc *Ieremiæ* Prophetæ, *dicenti: Et acceperunt triginta argenteos: pretium appretiati quem appretiauerunt à filijs Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.*

Zachar. 11. v. 16. *Ecce ego suscitabo pastorem, qui derelicta non visitabit,* &c. v. 17. *O idolum! gladius super brachium eius.*

Osee 8. v. 4. *Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui.*

Zachar. 12. v. 2. *Sed & Iuda erit in obsidione contra Ierusalem.*

Ierusalem erat metropolis Iudææ: quomodo ergo hæc illam obsidebit?

Zachar. 14. v. 4. *Mons Oliuarum scindetur prærupto grandi valde.*

In tota Machabæorum aut reliqua sacra vel profana historia nusquam id legitur.

Ex Malachia.

Malach. 1. v. 5. *Oculi vestri videbunt.*

Nempe quæ *post quadringentos* demum *annos* cuenient.

Malach. 1. v. 11. *In omni loco sacrificatur nomini meo oblatio munda.*

Sed *post quadringentos* & plures *annos.*

Malach. 2. v. 6. *Iniquitas non est inuenta in labijs* Aaronis, *in æquitate ambulauit mecum.*

Exod. 32. v. 21. ob conflatum vitulum accusatur *peccati maximi:* propter quod Deut. 9. v. 20. *vehemẽter* illi *iratus Dominus voluit eum conterere.* Rursus ad *aquas contradictionis,* Num. 20. v. 12.

Malach. 3. v. 1. *Mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.*

Matth. 11. v. 10. *Mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.*

Malach. 4. v. 6. *Elias conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.*

Lucæ 1. v. 14. *Vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum.* Eccli. 48. v. 10. *Conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob.* Matth. 17. vers. 10. & Marc. 9. v. 11. ipse *restituet omnia.*

Ex primo libro Machabæorum.

1. Mach. 1. v. 1. *Alexander Philippi Macedo primus regnauit in Gracia.*

Ex Dan. 11. vers. 2. constat, longè antiquius esse *regnum Græcia.*

1. Mach. 1. v. 1. *Egressus de terra Cethim.*

Num. 24. v. 24. per *Cethim* intelligitur *Italia:* vnde non venit *Alexander,* sed è *Gracia.*

1. Mach. 4. v. 6. Viri Iudæ *tegumenta & gladios non habebant.*

Quomodo ergo v. 15. illorum *gladio ceciderunt tria millia virorum?*

1. Mach. 4. v. 52. *Die quinta & vigesima mensis Caslen anni centesimi quadragesimi octaui.* Ergo *triennio* postquam esset profanatum templum *anno* 145. Græcorum 1. Machab. 1. v. 57. & 62. & *anno vno ante mortem Antiochi,* qui obijt *anno centesimo quadragesimo nono,* vt dicitur cap. 6. vers. 16.

2. Mach. 10. v. 3. dicitur id factum, *post biennium:* & narratur *post mortem* Antiochi.

1. Mach. 4. v. 60. *Ædificauerunt* Iudæi *montem Sion, & per circuitum muros altos, & turres firmas: & collocauit illic* Iudas *exercitum vt seruarent eum.*

Arx Sion à Gentilibus incolebatur: nam v. 41. *pugnabant* Iudæi *aduersus* milites Antiochi *qui* iam inde à triennio 1. Mach. 1. v. 35. *erant in arce* Sion: & tenuerunt eam vsque ad tempora *Simonis* Machabæi cap. 13. v. 50.

1 Mach. 5. v. 26. *Baraſa.* Ierem. 48. v. 24. *Bosra.*

1. Mach. 5. v. 35. *Expugnauit Iudas Masphа, & succendit eam igni.* Et cap. 3. v. 46. constat, *Masphа* fuisse locum conuentus Iudæorum.

1. Mach. 6. v. 1. *Ciuitatem Elymaidem in Perside.*

2. Machab. 9. v. 2. vocat *Persepolin.*

1. Mach. 6. v. 42. *Ceciderunt de exercitu regis sexcenti viri.*

2. Machab. 13. v. 15. dicuntur occidisse *quatuor millia virorum.*

1. Mach. 6. v. 43. *Eleazar filius Saura.*

Cap. 2. vers. 5. vocatur *Eleazarus Aharon, filius Mathatia.*

1. Mach. 6. v. 62. *Intrauit rex montem Sion, & rupto iuramento mandauit destruere murum in gyro, & discessit festinanter.*

2. Mach. 13. v. 23. *Rex Iudæos deprecans, subditusq; eis, iurat de omnibus,* &c. *& reconciliatus obtulit sacrificium, honorauit templum, & munera posuit, Machabæum amplexatus est, & fecit eum à Ptolemaide ducem,* &c.

1. Mach. 7. v. 9. *Rex Demetrius impium Alcimum constituit in* summum *sacerdotium.*

2. Mach. 14. v. 3. dicitur *Alcimus* fuisse *summus sacerdos* ante aduentum regis Demetrij.

1. Mach. 8. v. 16. *Romani committunt vni homini magistratum suum per singulos annos.*

Quis nescit, *duos* quotannis *Romæ Consules* creatos?

1. Mach. 9. v. 7. *Iudas confractus est corde & dissolutus est.*

Quæ versibus seqq. enarrantur, docent, *constantissimum* fuisse.

1. Mach. 9. v. 33. & 34. *Desertum Thecua trans Iordanem.*

An credibile, *Ioabum* 2. Reg. 14. v. 2. misisse *trans Iordanem,* quando *Thecuitem* mulierem ad se euocauit?

1. Mach. 11. v. 34. *Statuimus* Iudæis *tres ciuitates Samariæ.*

Ibid. non enumerat nisi duas, *Lydan & Ramathan.*

1. Mach. 12. v. 7. Spartiatæ *estis fratres nostri, sicut rescriptum est.*

Vbi hæc Scriptura?

1. Mach 13. v. 13. *Simon applicuit in Addus contra faciem campi.*

Cap. 12. v. 38. vocat *Adiada in Sephela.*

1. Mach. 14. v. 25. *Cùm audisset populus Romanus.*

Omnia sequentia denotant, non fuisse *Romanum,* sed *Iudaicum* populum, qui tot beneficia contulit in *Simonem.*

1. Mach. 15. v. 11. *Doram.*

Cap. 13. vers. 20. vocat *Adoram.*

1. Mach. 16. v. 3. *Estote loco meo* (inquit Simon filijs suis) *& fratres mei.*

Quomodo *filij* erunt *fratres* eius?

Index Antilogiarum S. Scripturæ.

Ex secundo libro Machabæorum.

2.Mach.1. v.9.& 18. *Frequentate dies Scenopegiæ mensis Casleu.*
'*Dies Scenopegiæ* non celebrabantur mense nono (*Casleu*, sed mense septimo *Tisri*, Exod.23. & 24. & Leuit.23.

2.Mach.1. v.14. *Antiochus venit in templum Nanea* dex, *cum ea habitaturus* vt maritus.

2.Mach.1. v.19. *Vinus* cum *mortua*, vel *mortalis* cum *immortali?*

Cùm in Persidem ducerentur patres nostri.
4.Reg.vlt. constat, translatos fuisse *in Babyloniam.*

2.Mach.2. v.1. *Inuenitur in descriptionibus Ieremiæ Prophetæ.* & vers.13.*in Commentarijs Nehemiæ.*
Euolue singula capita; nil tale reperies.

2.Mach.3. v.3. *Seleucus Asiæ rex de redditibus suis præstabat omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes.*
Vers.7. Rex Seleucus *accitum Heliodorum* iubet expilare thesauros templi.

2.Mach.3. v.4. *Simon de tribu Beniamin præpositus templi.*
Si *de tribu Beniamin*, quomodo *præpositus templi?* & quomodo *frater* eius *Menelaus* cap.4.v.23. fit *summus sacerdos?*

2.Mach.5. v.27. *Iudas Machabæus decimus fuerat* inter Assidæos.
Cap.14. vers.6. dicitur *Iudas præfuisse* omnibus *Assidæis.*

2.Mach.8. v.9. *Armatis non minùs viginti millibus.*
1.Machab.3. vers.39. censentur *quadraginta septem millia.*

2.Mach.8. v.16. *Septem millibus.*
Ex vers.1.& 22. colligitur, non adfuisse *Machabæis* nisi *sex millia.*

2.Mach 8. v.22. *Iosephus* frater Iudæ.
1.Machab.2. vers.2. nullus *fratrum Iudæ* vocatur *Iosephus.*

2.Mach.9. v.13. *Orabat sceleſtus Dominum, à quo non esse misericordiam consecuturus.*
Ezech.18.vers.21. *Si impius egerit pœnitentiam,* &c. *vita viuet, & non morietur.*

2.Mach.10. v.15. *Iudæi.*
Vers.16. sequenti vocantur *Idumæi.*

2.Mach.11. v.21. 33. & 38. *Lysias*, rex *Antiochus* Eupator (mortuo iam *Epiphane* parente suo,) & *Romani* legati litteras suas consignant *anno* 148. Græcorum.
1.Machab.6.v.16. *mors Antiochi Epiphanis* (qui parens fuit *Eupatoris*) consignatur *anno* 149. quo Eupator nondum rex erat.

2.Mach.11. v.24. *Audiuimus Iudæos postulare à nobis concedi sibi legitima sua.*v.25.Statuimus, *restitui illis templum.*
Possederant illa iam pridem, vt patet ex 1.Machab.4. vers.52.

2.Mach.12. v.45. *Cum pietate dormitionem acceperant.*
Vers.40.*rei* aguntur transgressæ *legis diuinæ.*

2.Mach.13. v.2. *Lysias* habebat *centum & decem millia peditum, quinque millia equitum, & viginti duos elephantos.*
1.Mach.6.v.30.erant *centum millia peditum, viginti millia equitum, & elephanti triginta duo.*

2.Mach.14. v.16. *Ad castellum Dessau.*
1.Machab.7.v.31. *iuxta Capharsalama.*

2.Mach.14. v.42. *Nobiliter*, vers.43. *audacter & viriliter* seipsum occidit *Razias.*
An non *vilis*, abiecti & pusilli *animi* est *occisio sui ipsius?*

Ex Euangelio S. Matthæi.

Matth. 1. v.8. *Ioram genuit Oziam*, omissis tribus intermedijs.
4.Reg.8.v.24. *Ioram genuit Ochoziam:* Ochozias cap.11.v.2. genuit *Ioas:* Ioas cap.12.v.vlt. genuit *Amasiam:* Amasias cap.14. vers.21. genuit *Oziam* seu Azariam.

Matth. 1. v.11. *Iosias genuit Iechoniam in transmigratione Babylonis.*
4.Reg.23. v.34. *Iosias* genuit *Ioakim:* Ioakim genuit cap.24.v.6. *Ioachin* seu Iechoniam, multis annis *ante transmigrationem*, v.8.

Matth. 1. v.25. *Non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum.*
Ioseph nunquam cognouit *Mariam*, Lucæ 1. v.34.nec ipsa *plures* habuit *filios.*

Matth. 2. v.1. *Ecce Magi ab Oriente,* &c. *Vidimus stellam eius.*
Quid *Christo* cum *Magis* & *sagis?* Et vnde in cœlis noua *stella?*

Matth. 2. v.15. *Vt adimpleretur* illud Osee 11. *Ex Ægypto vocaui filium meum.*
Oseas ad litteram loquitur non de Christo, sed de toto populo Israelitico per Moysen educto ex Ægypto.

Matth. 2. v.22. *Audiens quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo.*
Archelaus nunquam *rex* fuit, sed solùm *tetrarcha.*

Matth. 2. v.23. *Nazaræus vocabitur.*
Lucæ 7.v.34. *Venit filius hominis manducans & bibens vinum:* ergo non fuit *Nazaræus:* nam his vinum erat inhibitum, Num.6.

Matth. 3. v.4. *Esca* Ioannis *erat locustæ & mel siluestre.*
Matth.11.v.18.*Venit Ioannes neque manducans, neque bibens.*

Matth. 3. v.11. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.*
Baptismus ignis non nisi paucorum fuit in Pentecoste, Actor.2.v.2.&c.

Matth. 4. v.13.& 18. *Mare Galilææ.*
Lucæ 5.v.1.vocatur *stagnum Genezareth:* Ioan. 6.v.1. *Mare Tiberiadis.*

Matth. 5. v.3. *Beati pauperes spiritu.*
Proverb.30.v.8.*Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi.*

Matth. 5. v.14. *Vos estis lux mundi.*
Ioan.1. vers.8. *Non erat ille* (Ioannes) *lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.*

Matth. 5. v. 17.& 18. *Non veni soluere legem, sed adimplere. Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege.*
Galat.3. v.13. *Christus nos redemit de maledicto legis.*Lucæ 16.v.16. *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem: ex eo regnum Dei euangelizatur.*

Matth. 5. v.34. *Ego autem dico vobis, non iurare omnino.*
Iurat tamen *Paulus* Rom.9.v.1. & 1.Corinth. 15.v.31. & 2.Corinth.12.v.19.

Matth. 5. v.39. *Dico vobis, non resistere malo.*
Rom.13. vers.4. *Non sine causa gladium fert: Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.*

Matth. 5. v.43. *Audistis quia dictum est: Odio habebis inimicum tuum.*
Exod.23.v.4. *Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum: iacentem sub onere subleuabis cum eo.*

Matth. 6. v.1. *Ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.*

Cap.5.

Index Antilogiarum S. Scripturæ.

Cap.5.v.16.*Sic luceat lux vestra coram hoc hominibus,ut videant opera vestra bona.*

Matth. 6. v.6. *Clauso ostio,ora Patrem tuum in abscondito.*

Act.1.v.14.& c.6.v.6.& c.13.v.3.*in publico* orant. & etiam psallunt 1.Cor.14.v.26.

Matth. 6. v.11. *Panem nostrum supersubstantialem.*

Lucæ 11.v.2.*Panem nostrum quotidianum.*

Matth. 6. v.23. *Si lumen quod in te est,tenebræ sunt.*

Priuatiuè oppositа sunt, *lumen* & *tenebræ*, nec possunt simul inesse.

Matth 6. v. 25.28.31.34 *Nolite solicitι esse in crastinum.*

Rom.12.v.8.*Qui præest,in solicitudine.*1. Cor.12. v.25.*Pro inuicem solicita sint membra.*

Matth. 7. v.14. *Pauci inueniunt* arctam *viam* vitæ.c.20.vers.16. *Pauci electi.*

Psal.138. v.18. *Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur amici tui.*

Matth. 7. v.17. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.*

Vers.11.*Vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris.*

Matth. 8. v.4. *Vide, nemini dixeris: sed vade, ostende te sacerdoti.*

Marc.1.v.43.& 44.*Ostende te principi sacerdotum Et comminatus est ei, statimq; eiecit illum. At ille cœpit diffamare sermonem,*&c.

Matth. 8. v.5. *Accessit ad eum centurio,rogans eum.*

Lucæ 7.v.3.*Misit ad eum seniores Iudæorum.*v.6. *Misit amicos.*

Matth. 8. v.17. *Ipse infirmitates nostras accepit,& ægrotationes nostras portauit.*

Haiæ 53.v.4.*Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros portauit.*1.Pet.2.v.24.*Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.*

Matth. 8. v.22. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.*

Eccli.38.v.16.*Contege corpus mortui, & ne despicias sepulturam illius.*

Matth. 8. v.28. *Duo habentes dæmonia.*

Marc.5.v.1. & Lucæ 8. vers.28. non meminerunt nisi *vnius.*

Matth. 9. v.9. *Matthæum nomine.*

Marc.2.v.14.& Lucæ 5.v.27.*nomine Leui,*filium *Alphæi.*

Matth. 9. v.13. *Non veni vocare iustos.sed peccatores.*

Matth.11.v.28.*Venite ad me omnes.*

Matth. 9. v.18. *Princeps vnus accessit.*

Marc.5.v.22. *De Archisynagogis quidam Iairus nomine.*Lucæ 8.v.4. *Iairus princeps Synagogæ.*

Matth. 9. v.18. *Filia mea modò defuncta est.*

Marc.5. v.23. solùm dicitur *in extremis* fuisse.

Matth. 9. v.24. *Non est mortua puella, sed dormit.*

Lucæ 8.v.49. *Venit quidam ad principem Synagogæ, dicens ei, Quia mortua est filia tua,noli vexare illum.*

Matth.10. v.3. *Iacobus Alphæi.*

Marc.2.v.14.*Matthæus* vocatur filius *Alphæi.*

Matth.10. v.4. *Simon Chananæus.*

Lucæ 6.v.16.*Simon Zelotes.*

Matth.10. v.5. *In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis.*

Matth.vlt.vers. 19. *Euntes docete omnes Gentes.*

Actor.1.v.8.*In omni Iudæa,& Samaria,& vsque ad vltimum terræ.*

Matth.10. v.10. *Non peram in via,neque duas tunicas,neque calceamenta,neque virgam.*

Marc.6.vers.8.*Præcepit ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm & sandalia.*Ioan.12.vers.6.*Iudas loculos habens,ea quæ mittebantur, portabat.* &c. 19.vers.23.indicatur, Christum *plures tunicas* habuisse.

Matth.10. v.13. *Tolerabilius erit terræ Sodomorum in die iudicij quàm illi ciuitati.*

An ergo *inhospitalitas* maius peccatum est *sodomia?*

Matth. 10. v.19. *Nolite cogitare quomodo aut quid loquimini.Non enim vos estis qui loquimini.*

Si *loquimur,*quomodo *nos non loquimur.*

Matth.10. v.34. *Non veni pacem mittere in terram.*

Ioan.20.v.19.21.& 26.tertiò repetit,*Pax vobis.* & cap.14.v.27.*Pacem relinquo vobis,pacem meam do vobis.*

Matth.11. v.11. *Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista.*

Luc.7. v.28. *Maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptista nemo est.*Ioan.1.v.21.*Propheta es tu? & respondit,Non*

Matth.11. v.14. *Ipse est Elias,qui venturus est.*

Ioan.1.v.21.*Elias es tu? & dixit,Non sum.*

Matth.11. v.25. *Respondens Iesus,dixit: Confiteor tibi Pater,*&c.

At nemo interrogarat.Et Luc.10.v.21.*Exultauit Spiritu sancto, & dixit:Confiteor tibi,*&c.

Matth.11. v.27. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.*

Luc.4.v.6.*Mihi* (inquit diabolus) *tradita sunt, & cui volo,do illa.*

Matth.12. v.30. *Qui non est mecum,contra me est.* Idem Luc.11. vers.23.

Marc.9. vers.39. *Qui non est aduersum vos, pro vobis est.*

Matth.12. v.31. *Spiritus blasphemiæ non remittetur,neque in hoc sæculo,neque in futuro.*

1.Tim.1.vers.13.*Blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus:* & tamen *misericordiam consecutus.*

Matth.12. v.39. *Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ.*

Ioan.12.v.37.*Cùm tanta signa fecisset coram eis, non credebant.*

Matth.12. v.40. *Erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.*

Vix fuit *duabus noctibus*, & particulis trium dierum.

Matth.12. v.46. *Mater eius & fratres,quærentes loqui ei.*

Christus nullos habuit germanos *fratres.*Marc. 3.vers.21.additur, venisse *vt tenerent eum:dicebant enim,In furorem versus est.*

Matth.13. v.28. *Inimicus homo hoc fecit.*

Vers.39. *Diabolus seminauit zizania.*

Matth.13. v.30. *Sinite vtraque crescere.*

Gal.5.vers.12.*Vtinam abscindantur qui vos conturbant!*

Matth.13. v.31. *Colligite primùm zizania ad comburendum.*

Matth.25.vers.34.priùs dicitur, *Venite benedicti;*quàm v.41.*Discedite maledicti.*

Matth.13. v.55. *Nonne hic est fabri filius.*Marc.6.v.3.*Nonne hic est faber?*

Matth,27.v.40.*Si filius Dei es,descende de cruce.* v.54.*Verè Filius Dei erat iste.*

Matth. 14. v. 3. *Herodes tenuit Ioannem.*

Cap.4.vers.14.dicitur *traditus* fuisse Herodi à Scribis.

Matth.15. v.9. *Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.*

Luc.10.vers.16.*Qui vos audit,me audit.* Matth. 23.vers.3.*Quæcumque dixerint vobis, seruate & facite.*

Matth. 15. v.11. *Non quod intrat in os,coinquinat hominem.*

Leuit 11. v.43. *Nolite contaminare animas vestras,nec tangatis quidquam* immundi, *ne immundi sitis.*

Index Antilogiarum S. Scripturæ.

Matth.15. v.22. *Mulier Chananæa.*
Marc.7.v.26. vocatur *Syrophœnissa.*

Matth.15. v.24. *Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.* Vide Proleg. de Idiotismis Hebr. num.24.

Isaiæ 49.vers.6. *Parum est vt sis mihi seruus ad faces Israel conuertendas: ecce dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* & Zach.2.vers.8.idem dicitur.

Matth.15. v.39. *Venit in fines Magedan.*
Marc.8.v.10.*Venit in partes Dalmanutha.*

Matth.16. v.18. *Tu es Petrus,& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Cap.21.v.41.ex varijs Scripturis ostendit Christus, se esse *lapidem fundamentalem* & angularem totius *Ecclesiæ.*

Matth.16. v.18. *Porta inferi non præualebunt aduersus eam.*

Vers.23.*Vade post me Satana*(ait Christus *Petro*) *scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ Dei sunt.* & cap.26.vers.70. ancillulâ *præualuit aduersus Petrum.*

Matth.16. v.20. *Præcepit discipulis suis vt nemini dicerent, quia ipse esset Christus.*

Cap.10.*Prædicate, dicentes:Quia appropinquauit regnum Dei.*v.32.*Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum,*&c.

Matth.17. v.1. *Post dies sex,*&c.v.3. *Apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes.*

Luc.9.v.28.*Ferè post dies octo,*&c.v.31.*Moyses & Elias visi in maiestate,& dicebant excessum eius,quem completurus erat in Ierusalem.*

Matth.17. v.11. *Elias venturus est,& restituet omnia.*

Vers.12. *Elias iam venit, & fecerunt in eo quæcumque voluerunt.*

Matth 18. v.7. *Necesse est vt veniant scandala.*

Cur ergo *væ homini illi per quem scandalum venit?*

Matth.18. v.19. *Si duo ex vobis consenserint super terram; de omni re quamcumque petierint,fiet illis à Patre meo.*

Marc.10. vers.35. *duobus filijs Zebedæi* primatum vnanimiter expetentibus, categoricè *negatur.*

Matth.18. v.22. *Vsque septuagies septies dimitte ei.*

Luc.17.v.4.*Si* toties *conuersus fuerit ad te,dicens, Pœnitet me; dimitte illi.*

Matth.19. v.9. *Quicumque dimiserit vxorem suam,nisi ob fornicationem,& aliam duxerit,mœchatur.*

Luc.16.v.18. *Omnis qui dimittit vxorem suam* (etsi ob fornicationem)*& alteram ducit, mœchatur.* Idem Marc.10.v.11.

Matth.19. v.11. *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.*

Cur ergo v.12. *Omnes* omnino inuitat?*Qui potest capere, capiat.*

Matth.19. v.24. *Facilius est, camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.*

Nonne diuites erant tres *Magi?*Matth.2.vers. 1.*Nicodemus?*Ioan.3.v.1.*Zachæus?*Luc.19.v.5.& tot alij?

Matth.19. v.29. *Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, aut vxorem,*&c.*centuplum accipet,*&c.

Marc.10.vers.30.*Centies tantum, nunc in tempore hoc, matres & filios,* &c. *cum persecutionibus,*&c.

Matth.20. v.10. Singuli operarij *acceperunt singulos denarios.*

1.Corinth.15.vers.41.*Alia claritas solis,alia lunæ, alia stellarum,stella* etiam *à stella differt in claritate; sic & resurrectio mortuorum.*Ioan.14.v.2.*Mansiones multæ sunt.*

Matth.20. v.21. *Dic vt sedeant hi duo filij mei,*&c.
Marc.10.vers.35.non *mater*, sed *filij* ipsi id postulant.

Matth.20. v.23. *Calicem meum bibetis.*
Ioan.21.v.22.de Ioanne dicit:*Sic eum volo manere,donec veniam.*

Matth.21. v.10. *Cùm* vectus asina *intrasset Ierosolymum*, eiecit *omnes vendentes & ementes in templo,*sexto die ante passionem suam.

Ioan.2.v.14.dicitur Christus illos *eiecisse* initio suæ prædicationis.

Matth.21. v.27. *Nec ego dico vobis,in qua potestate hæc facio.*
Ioan.10.v.24 30.33.& 36.clarissimè dixerat, se *Dei filium* esse.

Matth.21. v.37. *Verebuntur filium meum.*
Præsciebat Deus certò contrarium.

Matth.21. v.38. *Dixerunt,Hic est hæres:venite,occidamus eum.*
Actor.v.17.*Per ignorantiam fecistis,sicut & principes vestri.*& 1.Cor.2.v.8.*Si enim cognouissent,numquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Matth.22. v.21. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari.*
Lucæ 23.v.2.*Hunc inuenimus prohibentem tributa dare Cæsari.*

Matth.22. v.46. *Neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.*

At iterum rogant c.24. v.3. *Dic nobis, quando hæc erunt? & quod signum aduentus tui,& consummationis sæculi?*

Matth.23. v.3. *Omnia quæcumque dixerint vobis* Scribæ & Pharisæi,*seruate & facite.*

Vers.16.vsque 24. plurima in eorum *doctrina* reprehendit. Et Actor.5.v.28.seuerè *præcipientibus,detrectant obedire* Apostoli.

Matth.23. v.8. *Nolite vocari Rabbi:vnus est enim magister vester.*
Iac.3.v.1.*Nolite plures magistri fieri.*

1.Timot.2.v.7. Paulus se vocat *doctorem Gentium.*1.Cor.12.v.28.*Quosdam posuit Deus in Ecclesia doctores.*

Matth.23. v.9. *Vnus est pater vester,qui in cœlis est.*
Ioan.8.vers.56.*Abraham pater vester.* Matth. 19.vers.29. *Qui reliquerit patrem,* &c. *centuplum accipiet.*

Matth.23. v.13. *Claditis regnum cælorum ante homines,nec introeuntes finitis intrare.*

Apoc.3.v.7.Christus *aperit,& nemo claudit.* Et si *introeunt,* quomodo *non sinuntur intrare?*

Matth.23. v.32. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.*
Eccli.15.v.21.*Neminem mandauit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi.*

Matth.23. v.35. *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus,à sanguine Abel,vsque ad sanguinem Zachariæ.*

Ezech.18. v.20. *Filius non portabit iniquitatem patris.*

Matth 23. v.39. *Non me videbitis amodò,donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Iam suprà cap.21.v.9.id dixerunt:neque deinceps dixerunt.

Matth.24. v.24. *Vt in errorem inducantur (si fieri potest,) etiam electi.*

Atqui *posse fieri,*conuincit S.Paulus *exemplis.* Actor.9.v.15.*Ne forte, cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.*1.Cor.9.v.27.

Matth.24. v.29. *Statim post tribulationem dierum illorum,* &c. *videbunt filium hominis venientem in nubibus.*&c.

Ezech.39.v.9.insinuatur, plusquam septennium fore intermedium.

Matth.24. v.36. *De die illa nemo scit,nisi solus Pater.* Marc.13.v. 32.additur,*neque Filius.*

Ioan.10.v.30. *Ego & Pater vnum sumus.*

Vnicui-

Matth.25. v.15. *Vnicuique* dedit talenta *secundùm propriam virtutem.*

Rom.9.v.18.*Cuius vult miseretur,& quem vult indurat.*cap.11.vers.6.*Si autem gratia, iam non ex operibus* vel propria virtute: *alioquin gratia iam non est gratia.*

Matth.25. v.26. *Sciebas quia meto vbi non semino,& congrego vbi non sparsi.*

Cap.11.v.30.*Iugum meum suaue est,& onus meum leue.*

Matth.26. v.5. *Non in die festo.*

Ex v.17.57.&c.certum est,captum & occisum fuisse *die festo* Paschæ.

Matth.26. v.7. *Accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi,& effudit super caput recumbentis.*

Ioan.12.v.3.*Maria accepit libram vnguenti,nardi pistici,pretiosi, & vnxit pedes Iesu.*

Matth.26. v.17. *Prima die azymorum* dicunt, *Vbi vis paremus pascha?*

Prima dies azymorum tantùm inchoanda erat cum sequenti *vespera,*Exod.12.v.6.& 8.

Matth.26. v.25. *Numquid ego sum Rabbi? ait illi:Tu dixisti.*

Ioan. 13. vers. 28. *Nemo sciuit discumbentium,* &c.

Matth.26. v.28. *Hic est sanguis meus noui testamenti,qui pro multis effundetur.*

Lucæ 22.v.20.*Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo,qui pro vobis fundetur.*Simile 1.Cor. 11.vers.15.

Matth.26. v.29. *Non bibam amodò de hoc genimine vitis.* Luc.22. vers.16.*Ex hoc non manducabo illud donec impleatur in regno Dei.*

Vers.28.dixerat esse suum *sanguinem:* quomodo ergo *genimen vitis?* Et Lucæ 24. vers.43. & Actor.1.v.4.iterùm post resurrectionem *manducauit & bibit* cum Apostolis suis.

Matth.26. v.30. *Exierunt in montem Oliueti.Tunc dicit illis Iesus:Omnes vos scandalum patiemini in me,*&c.

Ex Luc.22. vers.31. & 39.constat,id dixisse *in ipso cœnaculo,*ante egressum vrbis.

Matth.26. v.34. *Antequam gallus cantet, ter me negabis.*

Marc.14.vers.30.*Hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.* Et ex vers.68. certum est, ante primum galli cantum, non nisi semel Petrum negasse Christum.

Matth.26. v.37. *Cœpit contristari & mœstus esse.*

Marc.14.v.33. *Cœpit pauere & tedere.*

Matth.26. v.39. *Si possibile est, transeat à me calix iste.*

Luc.22.v.42.*Si vis,transfer calicem istum à me.* *At* Matth.26.v.54.*quomodo implebuntur Scripturæ,* si calix transferatur?

Matth.26. v.47. *Ecce Iudas, & cum eo turba multa cum gladijs.*

Luc.22.v.52.*Venerant* etiam *principes sacerdotum,& magistratus templi,& seniores.*

Matth.26. v.49. *Osculatus est eum. tunc manus iniecerunt in Iesum.*

Ex Ioan.18.v.4.constat,priùs omnes resupinos humi collapsos esse: nec ad signum *osculi,* sed ad vltroneum Christi *consensum,*manus in eum iniecisse.

Matth.26. v.52. *Omnes qui acceperint gladium,gladio peribunt.*

Contrarium videre est in tot sicarijs & tyrannis.

Matth.26. v.57. *Tenentes Iesum,duxerunt ad Caipham.*

Ioan.18. v.13. *Adduxerunt eum ad Annam primùm.*

Matth.26. v.61. *Hic dixit: Possum destruere.* Marc.14.v.58. *Ego dissoluam templum hoc manufactum:& per triduum, aliud non manufactum edificabo.*

Ioan.2.v.19.solùm dixerat *Iesus:Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.*v.21.*Dicebat autem de templo corporis sui.*

Matth.26. v.64. *Amodò videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei,& venientem in nubibus cœli.*

Vbi & quando id viderunt,aut videbunt damnati? si in die & loco iudicij; an istud *amodò* factum?

Matth.26. v.74. *Cœpit detestari & iurare,quia non nouisset hominem.*

Luc.22.v.32.*Rogani pro te Petre, vt non deficiat fides tua.*

Matth.27. v.9. *Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam Prophetam,dicentem:Et acceperunt triginta argenteos.*

Non reperiuntur hæc in *Ieremia,* sed in *Zacharia* cap.11.v.12.

Matth.27. v.24. *Innocens ego sum à sanguine iusti huius.*

Sap.6.v.6.*Iudicium durissimum his qui præsunt, fiet.*Eccli.7.v.6.*Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.*

Matth.27. v.34. *Dederunt ei vinum bibere cum felle mistum.*

Marc.15. vers.23. *Dabant ei bibere myrrhatum vinum.*

Matth.27. v.44. *Et latrones,qui crucifixi erant cum eo,improperabant ei*

Luc.23.v.59.*Vnus blasphemabat eum: alter* verò blasphemantem *increpabat.*

Matth.27. v.56. *Maria Iacobi & Ioseph mater.*

Ioan.19.v.25.vocatur *Maria Cleophæ.*

Ibidem. *Mater filiorum Zebedæi.*

Marc.15.v.40.vocatur *Salome.*

Matth.28. v.1. *Vespere sabbati quæ lucescit in prima sabbati,venit Maria Magdalene & altera Maria,videre sepulchrum.*

Marc.16.vers.1.*Cùm transisset sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata.Et valdè manè vna sabbatorum veniunt ad monumentum,orto iam sole.*

Matth.28. v.2. *Angelus sedebat super* lapidem reuolutum.

Luc.24.v.4.*Ecce duo viri secus illas steterunt in veste fulgenti.*

Matth.28. v.16. *Vndecim discipuli abierunt in Galilæam,* &c. *& videntes eum adorauerunt: quidam autem dubitauerunt.*

Luc.24. Ioan.20. dicitur, apparuisse illis aliquoties in ipsa *Iudæa:*nec quisquam dubitasse narratur præter vnum Thomam.

Ex Euangelio S.Marci.

Marc.1.v.2. *Sicut scriptum est in Isaia: Ecce ego mitto angelum,* &c.

Verba ista non sunt *Isaiæ,* sed *Malachiæ* cap.3. vers.1.

Marc. 1. v.26. *Discerpens eum spiritus,exijt ab eo.*

Marc. 1. v.34. Lucæ 4. vers.35. *Exijt ab illo, nihilq; illum nocuit.*

*Dæmonia sciebant eum.*vers.24. *Scio qui sis, sanctus Dei.*& c.3.v.12.*Tu es Filius Dei.* c.5.v.7.*Dei altissimi.*

Marc. 3. v.3. Matth.4.v.3.&.6.ait *diabolus* dubitans,*Si filius Dei es,* &c.

Dicit eis:Licet sabbatis benefacere.

Marc. 6. v.5. Matth.12.v.10. Ipsi *interrogabant eum, Si licet sabbatis curare?*

Non poterat ibi virtutem vllam facere.

Lucæ 1

Index Antilogiarum S. Scripturæ.

Lucæ 1.v.37. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

Marc 8. v.23. *Eduxit eum extra vicum* Bethsaidam.
Ioan. 1.v.44. *Bethsaida* vocatur *ciuitas.*

Marc. 8. v 24. *Video homines velut arbores ambulantes.*
Arbores non *ambulant:*

Marc. 9. v.27. *Quare nos non potuimus eijcere eum?* v.28. *Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione & ieiunio.*

Lucæ 9. v.1. *Dedit illis potestatem super omnia dæmonia.* Et Christus nullo præuio ieiunio expulit spiritum hunc immundum.

Marc. 9. v.48. *Omnis* homo *igne salietur.*
Matth. 25. vers. 41. solis impijs decernitur *ignis.*

Marc. 14. v.22. *Manducantibus illis.* Matth. 26. vers. 26. *Cœnantibus eis.*
Lucæ 22.v.20. *Postquam cœnauit.*

Marc. 15. v.25. *Erat hora tertia, & crucifixerunt eum.*
Ioan. 19.v.14. *Erat hora quasi sexta,* antequam damnaretur ad crucem.

Marc. 15. v.36. *Dicens, Sinite, videamus si veniat Elias.*
Matth. 27. vers. 49. *Ceteri dicebant, Sine, videamus,* &c.

Marc. 16. v.5. *Introëuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem à dextris, coopertum stola candida.*
Lucæ 24.v.4. dicuntur *duo* illis *astitisse.* & Matth. 28. vers. 2. dicitur *tertius* angelus foris *sedisse super lapidem.*

Marc. 16. v.8. *Nemini quidquam dixerunt.*
Lucæ. 24. vers. 9. *Nuntiauerunt hæc omnia illis undecim.*

Marc. 16. v.9. *Surgens manè, apparuit primò Mariæ Magdalenæ.*
Nónne *primò matri* suæ? Nónne etiam Matth. 28. v. 9. *mulieribus in via?*

Marc. 16. v.14. *Nouissimè apparuit recumbentibus illis undecim.*
Aberat *Thomas,* Ioan. 20. v. 24. & præter Apostolos aderant quidam *alij discipuli,* Lucæ 24. v. 33. Et *postea sæpiùs* adhuc *apparuit,* Ioan. 21. & 1. Cor. 15. v. 6. Actor. 1. v. 3. &c.

Marc. 16. v.16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.*
Iac. 2. v. 14. *Quid proderit, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?*

Ibidem. *Qui verò non crediderit, condemnabitur.*
Ergóne condemnabuntur infantes, etsi baptizati?

Marc. 16. v.17. *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur,* &c.
Ex Actis Apolostorum constat, plurimos fideles nullum horum signorum fecisse: ergone non crediderunt in Christum?

Ex Euangelio S. Lucæ.

Luc. 1. v. 32. *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.*
Ioan. 18. v. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et Matth. 21. v. 43. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur* alteri *genti.*

Luc 1. v. 74. *Vt sine timore seruiamus illi, in sanctitate,* &c.
Eccli. 19. v. 18. *Omnis sapientia, timor Dei,* & c. 27. v. 4. *Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua.*

Luc. 1. v. 21. *Postquam consummati sunt dies octo,* &c.
Leuit. 12. vers. 3. *Die octauo circumcidetur infantulus.*

Luc. 2. v. 22. *Postquam impleti sunt dies purgationis eius, secundùm legem,* &c.
Purgari non poterat quæ *immunda* numquam fuit.

Luc. 2. v. 23. *Omne masculinum adaperiens vuluam.*
At Christus *vuluam* matris non reserarat.

Luc. 2. v. 33. & 48. *Ioseph* vocatur *pater* Christi.
Cap. 1. vers. 34. *Virum non cognosco.*

Luc. 2. v. 34. *Positus est hic in ruinam multorum,* & Isaiæ 8. v. 13. 14. 18. *in lapidem offensionis, in petram scandali, & in ruinam.*
Osee 13. v. 9. *Perditio* tui, ô *Israel,* non mea, sed *tua* est: *tantummodò in me auxilium tuum.*

Luc. 2. v. 52. *Proficiebat Iesus sapientia & gratia apud Deum & homines.*
Vers. 40. dicitur fuisse *plenus sapientia,* &c.

Luc. 3. v. 2. *Principibus sacerdotum Anna & Caipha.*
Ioan. 18. v. 13. solus *Caiphas erat pontifex anni illius.*

Luc. 3. v. 23. *Ioseph, qui fuit Heli.* vers. 27. *Salathiel, qui fuit Neri.*
Matth. 1. v. 16. *Iosephi* pater vocatur *Iacob.* v. 12. Salathielis *Iechonias.*

Luc. 3. v. 36. *Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad.* Vide Chron. c. 13.
Genes. 12. v. 12. *Arphaxat genuit,* non Cainan sed *Sale.*

Luc. 4 v. 22. *Omnes testimonium illi dabant.*
Cur ergo v. 29. volunt *illum è supercilio montis precipitem* dare?

Luc. 4. v. 39. *Stans super illam* nempe socrum Simonis.
An hoc non indecens?

Luc. 5. v. 4. *Duc in altum, & laxate retia,* &c. v. 6. *Concluserunt piscium multitudinem copiosam.*
Matth. 4. vers. 18. dicitur Iesus reperisse illos, *mittentes rete in mare,* nec mentio fit vllius miraculi.

Luc. 5. v. 8. *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.*
Ioan. 6. v. 69. *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æterna habes.*

Luc. 6. v. 1. *In sabbato secundo primo, cùm transiret per sata,* &c.
Marc. 2. v. 23. *Cùm Dominus sabbatis ambularet per sata,* &c.

Luc. 6. v. 17. *Descendens* de monte, *stetit in loco campestri.*
Matth. 5. vers. 1. *Ascendit in montem,* ibique *sedit.*

Luc. 7. v. 17. *Mulier in ciuitate* aliqua Galilææ *peccatrix,* &c. inde secuta Christum. Matth. 27. v. 55.
Maria Magdalena erat *Iudæa,* & habitabat in *Bethania* prope *Ierosolymam,* Ioan. 11. v. 1 & 18.

Luc. 7. v. 50. *Fides tua te saluam fecit.*
Vers. 47. *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multùm.*

Luc. 8. v. 31. *Rogabant* Christum dæmones, *ne imperaret illis vt in abyssum irent.*
Marc. 5. v. 7. *Adiuro te ne me torqueas.* v. 10. *Ne se expelleret extra regionem.*

Luc. 8. v. 39. *Per vniuersam ciuitatem* Geraseni.
Marc. 5. v. 20. *In Decapoli.*

Luc. 9. v. 51. *Dum complerentur dies assumptionis eius.*
Superuixit facilè totis adhuc sex *mensibus.* Chron. cap. 49.

Luc. 10. v. 4. *Neminem per viam salutaueritis.* Simile 4. Reg. 4. vers. 29.
An hoc non est inurbanum?

Lucæ 10. v. 20. *Nomina vestra scripta sunt in cœlis.*
An verisimile, omnes 72. discipulos saluatos esse?

Lucæ 10. v. 23. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Ioan. 20.

Index Antilogiarum S. Scripturæ.

Ioan.20.verſ.29.*Beati qui non viderunt & crediderunt.*

Lucæ 11. v.14. *Dæmonium mutum.*
Matth.12.verſ.22. *Cæcus & mutus.*

Lucæ 11. v.20. *In digito Dei eijcio dæmonia.*
Matth.12.verſ.28.*In ſpiritu Dei eijcio dæmones.*

Lucæ 11. v.41. *Quod ſupereſt, date eleëmoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.*
1.Cor.13.v.3.*Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

Lucæ 12. v.14. *Quis me conſtituit iudicem ſuper vos?*
Ioan.5. verſ.22. *Pater omne iudicium dedit Filio.*

Lucæ 13. v.32. *Eijcio dæmonia, &c. hodie & cras, & tertio die conſummor.*
Superuixit adhuc *aliquot menſibus.* Chron. cap.49.

Lucæ 14. v.12. *Cùm facis prandium, noli vocare amicos, neque fratres,&c.*
Prou.27. verſ.10. *Amicum tuum ne dimiſeris,* &c.

Lucæ 14. v.26. *Si quis non odit patrem ſuum & vxorem,& filios,* &c.*non poteſt meus eſſe diſcipulus.*
Ephcſ.5.v.25.*Viri diligite vxores veſtras.* Deut. 5.v.16.*Honora patrem tuum & matrem,* &c.

Lucæ 15. v.7. Maius *gaudium erit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis,* &c.
Matth.13.v.43. *Iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum.*

Lucæ 16. v.8. *Laudauit Dominus villicum iniquitatis, quòd prudenter feciſſet.*
Exod.20.v.15.*Non furtum facies.* Eccli.5.v.17. *Super furem eſt confuſio & pœnitentia.*

Lucæ 16. v.10. *Qui fidelis eſt in minimo, & in maiori fidelis eſt.*
Contrarium patuit in *Saule,* in *Hely,* in tot alijs.

Lucæ 16. v.19. *Diues, qui induebatur purpura & byſſo,& epulabatur quotidie ſplendidè,* v.22.*mortuus, ſepultus eſt in inferno.*
Eccleſ.5.v.17.*Viſum eſt mihi bonum.vt comedat quis & bibat,& fruatur lætitia,*&c.v.18.*Hoc eſt donum Dei.* Vide etiam c.11.v.9.&c.

Lucæ 17. v.10. *Dicite, Serui inutiles ſumus.*
Matth.25.v.21. *Euge ſerue bone & fidelis.*

Lucæ 17. v.20. *Non venit regnum Dei cum obſeruatione.*
Matth.16. verſ.4. & Lucæ 12. verſ. 56. reprehendit eos, quòd *non obſeruarent regnum Dei.* Et Lucæ 21.v.30.*ſigna* & indicia deſcribit.

Lucæ 17. v.21. *Regnum Dei intra vos eſt.*
Matth.5.verſ.14. vocatur *ciuitas ſupra montem poſita.*

Lucæ 17. v.34. *Illa nocte.*
Verſ.24. vocat *diem;* verſ.31.*horam.*

Luc.18.v.1. *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Eccli.18. verſ.22.*Non impediaris orare ſemper.*1.Theſſ.5.verſ. 17. *Sine intermiſſione orate.*
Matth.26.verſ.45.*Dormite iam & requieſcite.*

Lucæ 18. v.35. *Cùm appropinquaret Iericho, cæcus quidam ſedebat ſecus viam.*
Marc.10.verſ.46.*Proficiſcente eo de Iericho, Barthimæus cæcus ſedebat iuxta viam.* Matth.20.verſ. 30.*Ecce duo cæci ſedentes,*&c.

Lucæ 21. v.20. *Cùm videritis circumdari ab exercitu Ieruſalem.*
Matth.24. v.15. *Cùm videretis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto.*

Lucæ 21. v.31. *Cùm videritis hæc* horrenda ſigna fieri, ſcitote quia propè eſt regnum Dei.
Verùm iam pridem Matth.4. verſ.17. *Appropinquauit regnum cœlorum.*

Lucæ 22. v.3. *Intrauit ſatanas in Iudam, & abijt* vt *traderet* Ieſum Iudæis.
Ioan.13.v.27.*Poſt buccellam introiuit in eum ſatanas.* Et iam pridem, Ioan.6.verſ.71.dixerat Ieſus: *Nonne ex vobis vnus, diabolus eſt.*

Lucæ 22. v.37. *Quæ ſunt de me, finem habent.*
Reſtabant tum adhuc *complenda,* quæcumque *paſſionem* ſpectabant.

Lucæ 22. v.53. *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.*
Eccli.15.verſ.21.Deus *nemini dedit ſpatium peccandi.*

Lucæ 23. v.2. *Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem, ſe Chriſtum regem eſſe.*
Ante triduum (Chron.c.49.)dicebatis Matth. 22. v.16. *Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces.*& v.21.ex ore ipſius audiſtis, *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Et cùm vellent eum rapere & regem creare, nonne fugit ſolus in montem? Ioan.6.v.15.

Lucæ 23. v.34. *Non ſciunt quid faciunt.*
Ioan.15.v.22.*Excuſationem non habent de peccato ſuo.*

Lucæ 23. v.43. *Hodie mecum eris in paradiſo*
Vterque illa die non ad *paradiſum,* ſed ad *limbum* deſcendit.

Lucæ 23. v.54. *Sabbatum illuceſcebat.*
Ibid. dicitur, fuiſſe, *paraſceuen,* id eſt, pridie ſabbati.

Lucæ 24. v.10. *Maria Magdalene,& Ioanna, & Maria Iacobi, & cetera dicebant ad Apoſtolos hæc.*
Ioan.20.verſ.2. & 18.ſoli *Magdalenæ* id tribuitur.

Ex Euangelio S. Ioannis.

Ioan.1.v.1. IN *principio erat Verbum.*
Eccli.24.v.5.*Ego ex ore Altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* verſ.14.*Ab initio creata ſum.*

Ioan.1.v.3. *Omnia per ipſum facta ſunt.*
An ergo etiam *Spiritus ſanctus* factus eſt?

Ioan.1.v.8. *Non erat ille lux.*
Cap.5.v.35.*Ille erat lucerna ardens & lucens, & voluiſtis exultare in luce eius.*

Ioan.1.v.9. *Illuminat omnem hominem.*
Verſ.10.*Mundus eum non cognouit.*

Ioan.1.v.12. *Dedit poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.*
Iacob.2.verſ.19.*Etiam dæmones credunt,& contremiſcunt.*v.20.*Fides ſine operibus mortua eſt.*

Ioan.1.v.14. *Verbum caro factum eſt.*
Ioan.6. v.64. *Caro non prodeſt quidquam.*1.Cor. 15. v.50. *Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt.*

Ioan.1.v.15. *Poſt me venturus eſt.*
Ibidem.*Ante me factus eſt, quia prior me erat.*v. 26.*Medius veſtrûm ſtetit.*

Ioan.1.v.18. *Deum nemo vidit vnquam.*
Vidit *Moyſes* Exod.33. v.13. & 19.& *Paulus* 2. Corinth.12,v.2.&c.

Ioan.1.v.28 *In Bethania trans Iordanem.*
Cap.11. v.18. *Erat Bethania iuxta Ieroſolymam, cis Iordanem.*

Ioan.1. v. 31.& 33. *Ego neſciebam eum.*

Index Antilogiarum S. Scripturæ.

Luc.1.v.41. Præsente matre Christi, adhuc *infans exultabas in vtero* matris tuæ, & iam triginta natus annos *nescis* eum?

Ioan.1.v.51. *Videbitis cœlum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes supra Filium hominis.*

Vbi & quando hoc viderunt?

Ioan. 2. v.20. *Quadraginta sex annis ædificatum est templum hoc.*

Salomon 3.Reg.6.vers.37.non nisi *septem annos cum medio*: Zorobabel adhuc *pauciores annos* impendit.1. Esdr.6.v.15.

Ioan.3.v.13 *Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.*

An ergo nos non *ascendemus in cœlum*? aut *ascendit* cò Christus ante quadragesimum à resurrectione diem? Actor.1.vers.9.aut simul fuit *in cœlo & in terra?*

Ioan.3.v.18 *Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est.*

Iudæ v.15. *Venit Deus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes.* 2.Thess.2.v.11. *Vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati.*

Ioan.3.v.22 *Iesus baptizabat.*

Cap.4.v.2. *Iesus non baptizabat.*

Ioan.3.v.32 *Testimonium eius nemo accipit.*

Cap.2.v.11. *Crediderunt in eum discipuli eius.*

Ioan.3.v.34 *Non ad mensuram dat Deus spiritum.*

Sap.11.vers.21. *Omnia in mensura & numero & pondere disposuisti.*

Ioan.4.v.5. *Venit in ciuitatem Samariæ.*

Matth.10.v.5. *In ciuitates Samaritanorum ne intraueritis.*

Ioan.4.v.5. *Ciuitas Samariæ, quæ dicitur Sichar.*

Iosue 24.v.32. vocatur *Sichem.*

Ioan.4.v.9. *Non conuntur Iudæi Samaritanis.*

Consos aliquando colligo ex Iudith 4.v.3.& ex historia Samaritani, Luc.10.v.33. & Ezech.16.v.46.vbi *Samaria* vocatur *soror* Iudææ.

Ioan. 4. v.13. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.*

Eccli.24.v.29. *Qui bibunt me, adhuc sitient.*

Ioan. 4. v.24. *Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu oportet adorare.*

Atqui etiam Christus *voce corporea* toties *adorauit & sacrificauit* in vltima cœna; Luc.22.vers. 19.& nobis vt idem faciamus, præcepit. ibidem.

Ioan.5.v.2. *Piscina, hebraicè Bethsaida.*

Ioan.1.v.44. *Bethsaida* nomen est *ciuitatis Andreæ & Petri.*

Ioan. 5. v.31. *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.*

Cap.8.vers.14. *Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum.*

Ioan. 5. *Ego ab homine testimonium non accipio.*

v.34. Vers.33.Ioannes *testimonium perhibuit veritati.* cap.1.vers.34. *Ego testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.* Ioan.5.v.46. *Moyses de me scripsit.*

Ioan. 5. v.37. *Neque vocem* Patris *vmquam audistis.*

An non audiuerunt Matth.3. vers.17. *vocem* eius *de cœlo*, dicentis, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui?*

Ioan. 6. v.26. *Quæritis me, non quia vidistis signa.*

Vers.2. *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat.*

Ioan. 6. v.32. *Non Moyses dedit vobis panem de cœlo.*

Sap.16. v.20. manna vocatur *panis de cœlo.* & Psal.77.vers.24. *Panem cœli dedit eis;* & *panem Angelorum.*

Ioan.6.v.44 *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.*

Matth.23.vers.37. *Quoties volui congregare filios tuos,* &c. *& noluisti?* Et cur Matth.11.vers.28. *omnes inuitamur*, si non possint *venire* nisi qui *trahuntur?*

Ioan.6.v.50 *Hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit non moriatur.* cap.8.v.51. *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.*

Hebr.9. vers 27. *Statutum est hominibus semel mori*, nullo excepto.

Ioan.6.v.64 *Caro non prodest quidquam.*

Vers.55. *Qui manducat meam carnem*, & *bibit vitam æternam.*

Ioan.6.v.71 *Nónne ex vobis vnus diabolus est?*

Diu pòst, cap.13.v.27. *post buccellam* demum *introiit in eum Satanas.*

Ioan 7.v.8. *Ego non ascendo ad diem festum istum.*

Vers.10. *Tunc & ipse ascendit ad diem festum, sed quasi in occulto.*

Ioan.7.v.16 *Mea doctrina non est mea?*

Si *mea*; quomodo *non mea?*

Ioan. 7. v.27. *Christus cùm venerit, nemo scit vnde sit.*

Matth.2.vers.5. dicunt Christum è *Bethlehem Iudæ* prodituru: & Ioan. 7. vers. 42. *ex semine Dauid.*

Ioan. 7. v.34. *Vbi ego sum, vos non potestis venire.*

Cap.17.v.24. *Volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum.* cap. 12.v.26. *Vbi sum ego, illic & minister meus erit.*

Ioan.8.v.5. *In lege mandauit nobis Moyses* adulteram *lapidare.*

Leuit.20.v.10.& Deut.22.v.22. mandat *occidere*, sed non præscribit *lapidationem.*

Ioan. 8. v.15. *Ego non iudico quemquam.*

Cap.5.v.22. *Pater omne iudicium dedit Filio.*

Ioan. 8. v.19. *Neque me scitis.*

Ioan.7.v.28. *Et me scitis.*

Ioan. 8. v.43. *Non potestis audire sermonem meum.*

Quare ergo loquitur illis?

Ioan. 8. v.44. *Vos ex patre diabolo estis.*

Vers. 39. *Pater noster, Abraham est.*

Ioan 8. v.50. *Ego non quæro gloriam meam: est qui quærat, & iudicet.*

Cap.10. v.30. *Ego & Pater vnum sumus.* c.5.v. 22. *Pater non iudicat quemquam.*

Ioan. 8. v.56. *Abraham diem meum vidit, & gauisus est.*

Lucæ 10.vers.24. *Multi Prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.*

Ioan. 9. v.29. *Hunc autem nescimus vnde sit.*

Ioan.7.v.17 *Hunc scimus vnde sit.*

Ioan. 9. v.31. *Scimus quia peccatores Deus non audit.*

Isaiæ 1. vers.16. *Quiescite agere peruersè,* &c. *si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Actor.8.vers.22. *Roga Deum si forte remittatur tibi hæc cogitatio.*

Ioan.10. v.8. *Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones.*

Matth.23. v.2. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi.*

Ioan. 10. v.22. *Facta sunt encænia, & hiems erat.*

Dedicatio *Salomonis* facta est non *hieme*, sed *æquinoctio* autumnali, 3.Reg.8.vers.2. *Ambabelis* verò in *vere* paulò ante *Paschæ*, 1.Esd.6. vers. 15.&.19.

Ioan. 10. v.23. *Ambulabat Iesus in porticu Salomonis:* Eiusdem mentio fit Actor.3.11.

4.Reg.vlt.v.9. succensa fuit tota *domus Domini, & omnes* reliquæ *domus* cum porticibus, à *Nabuzardan.*

Infirmi-

Index Antilogiarum S. Scripturæ.

Ioan. 11. v.4. *Infirmitas hæc non est ad mortem.*
Vers.14. *Lazarus mortuus est.*

Ioan. 12. v.7. *Sinite illam; vt in diem sepulturæ meæ seruet illud.*
Quomodò *seruabit*, quod iam v.3. *effusum* erat in *pedes Iesu?*

Ioan. 12. v.8. *Me non semper habetis.*
Matth.vlt.vers.vlt. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.*

Ioan. 12. v.31. *Nunc iudicium est mundi.*
Vers.47. *Non veni vt iudicem mundum, ego non iudico*, &c. cap.3.v.17. *Non misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum.*

Ioan. 12. v.32. *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me.*
An etiam traxit *latronem* damnatum? an *Caipham?* an *Herodem?*

Ioan. 12. v.39. *Propterea non poterant credere, quia dixit Isaias: Excæcauit oculos eorum, & induravit cor eorum*, &c.
Sap.2.v.21. *Excæcauit illos malitia eorum.* Isaiæ 6.v.9. tantùm dicitur: *Excæca cor populi huius, & oculos eius claude*, &c. Actor.vlt. v.27. *Oculos suos compressérunt, ne videant*, &c.

Ioan. 12. v.41. *Hæc dixit Isaias quando vidit gloriam eius.*
Isaiæ 6.v.2.&c. mentio fit solius *Patris*: & Act. vlt. v.25. exponitur de *Spiritu sancto.* Quo iure igitur hîc *Christo* attribuitur?

Ioan. 12. v.44. *Qui credit in me, non credit in me, sed in* Patrem.
Si *in me*, quomodò *non in me?*

Ioan. 12. v.45. *Qui videt me, videt & Patrem.*
Videbat Philippus *Christum*, & tamen rogat cap.14.v.8. *Ostende nobis Patrem.*

Ioan. 13. v.8. *Non lauabis mihi pedes in æternum.*
Vers.9. *Non tantùm pedes, sed & manus & caput.*

Ioan. 13. v.18. *Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum.*
Psalm.40.v.10. *Qui manducat panes meos, magnificauit super me supplantationem.*

Ioan. 13. v.27. *Quod facis, fac citiùs.*
Eccli.15. vers.21. Deus *nemini mandauit impiè agere.*

Ioan. 13. v.34. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem.*
An *nouum*, quod *fuit ab initio* mundi, & est *legis natura?*

Ioan. 14. v.4. *Quò ego vado scitis, & viam scitis.*
Vers.5. *Domine, nescimus quò vadis: & quomodo possumus viam scire?*

Ioan. 15. v.15. *Omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.*
Cap.16.v.12. *Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modò.*

Ioan. 15. v.26. *Ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.*
An ergo *Spiritus sanctus* non etiam *procedit* à *Filio?* cap.16.v.13.

Ioan. 16. v.5. *Nemo ex vobis interrogat me, quò vadis?*
Cap.14.v.5. *Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quò vadis*, &c.

Ioan. 16. v.23. *In illo die me non rogabitis quidquam.*
Actor.1.v.6. *Qui conuenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel?*

Ioan. 17. v.9. *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi.*
Vers.20. *Non pro eis rogo tantùm, sed &* &c. *vt credat mundus, quia tu me misisti.*

Ioan. 17. v.11. *Iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt.*
Vers. 13. *Hæc loquor in mundo.* Et quomodo *crucifixus* est postridie in *Caluaria*, cap.19.v.18. si *non* erat *in mundo?*

Ioan. 18. v.15. *Discipulus ille erat notus pontifici, & introiuit in atrium pontificis, & introduxit Petrum.*
Omnes Christi *discipuli* iam pridem erant *excommunicati*, Ioan.9.22. & c.12.v.42.

Ioan. 18. v.20. *In occulto locutus sum nihil.*
Matth.10.v.27. *Quod dico vobis in tenebris, & in aure*, &c.

Ioan. 18. v.24. *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.*
Iam à v.15. & 19. dixit, *Iesum* adfuisse *pontifici*, qui v.13. erat *Caiphas.*

Ioan. 18. v.28. *Vt manducarent pascha.*
An ergo non *pridie vespere* manducarant *agnum paschalem* iuxta legem Exod.12.v.6.

Ioan. 18. v.31. *Nobis non licet interficere quemquam.*
Qui ergo *occiderunt Stephanum?* Actor.7.v.58. Vide Matth.27.v.2.

Ioan. 19. v.14. *Erat autem parasceue Pascha.*
Quin imò erat ipsum *festum Pascha.* Nam vespere præcedente comederant *agnum paschalem*, Matth.26.v.17. &c.

Ioan. 19. v.29. *Spongiam hyssopo circumponentes.*
Matth.27.vers.48. *Spongiam arundini.* Mar.15.v.36. *Calamo circumponens.*

Ioan. 19. v.36. *Vt Scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo.*
Exod.12.v.46. *Nec os illius confringetis*, de solo agno paschali præcipitur.

Ioan. 20. v.8. *Vidit* Ioannes, *& credidit.*
Mox tamen v.9. subditur, *Nondum sciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere.*

Ioan. 20. v.17. *Noli me tangere.*
Matth.28.v.9. *Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius*, &c.

Ioan. 20. v.22. *Accipite Spiritum sanctum*, hoc primo resurrectionis meæ die.
Quomodo ergo quadragesimo pòst die dicit Actor.1.v.5. *Baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies?*

Ioan. 20. v.29. *Quia vidisti me Thoma, credidisti.*
Hebr.11. vers.1. *Fides est rerum non apparentium.*

Ibidem. *Beati qui non viderunt & crediderunt.*
Lucæ.10.vers.23. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.*

Ioan. 21. v.14. *Hoc iam tertiò manifestatus est Iesus discipulis suis.*
Imò multò *sapiùs* se antè *manifestasse* docent alij Euangelistæ, vt dixi sub finem cap.49. Chronici.

Ioan. 21. v.25. *Alia multa fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.*
Actor.1. vers.1. dicit S. Lucas, se scripsisse *de omnibus, quæ cœpit Iesus facere & docere, vsque in diem qua assumptus est.*

Ex Actis Apostolorum.

Actor. 1. v.18. *Possedit* Iudas *agrum de mercede iniquitatis.*
Quomodo *possedit*, qui *suspensus crepuit medius?* Ibid.

Act.2.v.1. *Cùm complerentur dies Pentecostes.*
Festum *Pentecostes* non celebrabatur nisi *vnico die*, Leuit.23. vers.21. Neque *completus* erat iam dies, sed *inchoatus* tantùm, vtpotè *hora diei tertia.* vers.15.

Act.2.v.24. *Quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni.*
Psal.17.v.5. *Dolores inferni circumdederunt me.*

Osee 13.v.14. *Ero mors tua,ô mors: morsus tuus ero inferne.* Actor.2.v.24. *Impossibile erat,teneri illum ab* inferno.

Act.2.v.38. *Baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi.*

Matth.vlt.v.19. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.*

Act.2.v.44. *Omnes qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia.*

Quare ergo S.Paulus Hebr.vlt.vers.1.2.& 16. hortatur eos,ne *charitatis,beneficentiæ, hospitalitatis & communionis obliuiscantur?*

Act.3.v.21. *Oportet cælum suscipere Christum vsque in tempora restitutionis omnium.*

Cap.9.v.5.in terris apparens *Saulo,* ait:*Ego sum Iesus.*& Matth.vlt.v.vlt.*Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.*

Act.4.v.27. *Conuenerunt Herodes & Pilatus,* &c. *facere quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri.*

Quare ergo accusantur peccati,& quidem omnium grauissimi? Ioan.19.v.11.& c.15.v.22.*Excusationem non habent de peccato suo.*

Act.5.v.4. *Nónne manens tibi manebat, & venumdatum erat in tua potestate?*

Cap.2.v.44.*Omnes qui credebant, habebant omnia communia.*cap.4.v.34.*Quotquot possessores agrorum aut domorum erant,vendentes afferebant pretia, & ponebant ante pedes Apostolorum.*

Act.5.v.28. *Vultis inducere super nos sanguinem hominis istius.*

Sed an non vos ipsi inclamastis Matth.27.v.25. *Sanguis eius super nos & super filios nostros?*

Act.5.v.36. *Ante hos dies extitit Theodas,*&c.

Effluxerant circiter 40.anni.

Act.5.v.39. *Illi* de concilio *consenserunt* Gamalieli suadenti v.38.*Discedite ab hominibus istis, & sinite illos.*

Quomodo consenserunt, qui non nisi *cæsos dimiserunt?* v.40.

Act.7.v.2. *Deus apparuit Abrahæ cùm esset in Mesopotamia, priusquàm moraretur in Charan.*

Huius reuelationis nulla mentio Genes.12.v. 31.Neque ex *Mesopotamia,*sed ex *Vr Chaldæorum* eductus dicitur *in Haran.*

Act.7.v.5. *Non dedit illi hereditatem in* terra Chanaan, *nec passum pedis.*

Genes.23.vers.9.& 17. emit & *possedit* agrum, *quondam Ephronis,quadringentis siclis argenti.*

Act.7.v.16. *Sepulchrum emit Abraham pretio argenti à filijs Hemor filij Sichem.*

Genes.23.v.16.emit sepulchralem istum agrum ab *Ephron filio Seor.*A *filijs* autem *Sichem* emit Iacob alium agrum Genes.33.v.19.

Act.7.v.43. *Transferam vos trans Babylonem.*

Amos 5.v.27. *Migrare vos faciam trans Damascum.*

Act.7.v.48. *Excelsus non habitat in manufactis* templis.Idem cap.17.vers.24.

1.Paralip.29.vers.1. *Opus grande est: neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* 2.Paralip. 6. vers. 18. *Ergóne credibile est, vt habitet Deus cum hominibus super terram?* vt additur 3. Reg. 8. vers. 27.

Act.7.v.55. *Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.*

Marc.vlt.v.19.*Sedet* Iesus *à dextris Dei.*Et quomodo referantur cœli, qui Iob 37.v.18.*solidissimi quasi ære fusi sunt?*

Act.8.v.14. *Apostoli in Samariam miserunt Petrum,*&c.

An *subditi* mittunt *superiorem* suum? Matth.16. v.18.Ioan.vlt.v.15.

Act.9.v.2. *A principe sacerdotum petit* Saulus *epistolas in Damascum ad synagogas, vt* Christianos *vinctos inde perduceret in Ierusalem*

Quid iuris *principi sacerdotum* in alterius regni metropolim? vbi si qui rei,puniendi sunt in loco, nec in aliud regnum deuehendi.

Act.9.v.7. Comites Sauli *stabant stupefacti, audientes quidem vocem,neminem autem videntes.*

Cap.22.vers.9.*Qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt.*

Actor. 10. v.44. *Cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum.*

An ergo ante baptismum capax quis est Sacramenti *Confirmationis?*

Actor. 11. v.19. *Nemini loquentes verbum, nisi solis Iudæis.*

Vers.20.*Quidam loquebantur & ad Græcos,* seu Gentiles.

Act.12.v.8. *Calcea te caligas tuas.*

Quis *calceet caligas?*

Actor. 12. v.17. *Nuntiate Iacobo,* &c.

Vers.2.*Occisus* erat *Iacobus gladio.*

Actor. 13. v.14. *Antiochia Pisidiæ.*

Quis nescit,*Antiochiam* esse *Syriæ* metropolin?

Actor. 13. v.20. *Post quadringentos quinquaginta annos.*

Genes.15.v.13. non fit mentio nisi 400.annorum. Chron.cap.22.

Actor.13. v.33. *Ego hodie genui te*; exponit Paulus de Christi resurrectione.

Alibi, Hebr.1. vers.3. exponit de *æterna* Filij Dei *generatione* ex Patre: Hebr.5.v.5.de eiusdem *incarnatione.*

Actor.13. v.48. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.*

Cur vers.76.reprehenduntur Iudæi quòd *indignos se iudicarent vitæ æterna,*si ad illam non fuerint *præordinati?*

Act.15.v.1. *Nisi circumcidamini,non potestis saluari.*

Galat.5.vers.2. *Si circumcidamini,Christus vobis nihil proderit.*

Act.15.v.7. *Surgens Petrus,* &c. in consessu Ierosolymitano.

Si *Petrus* semper *Ierosolymis;* quando fuit *Antiochiæ?* quando *Romæ?* Vide Actor.12. v. 17. & Actor.15. vers.1.

Actor. 15. v.10. *Iugum* legis Mosaicæ *neque patres nostri, neque nos portare potuimus.*

Deut.30.v.11. *Mandatum,quod præcipio tibi non supra te est: sed* vers.14.*iuxta te est valde, in ore tuo, & in corde tuo,* &c.

Actor.15.v. 28.& 29. *Visum est, nihil vltrà imponere vobis, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum,à sanguine & suffocato,*&c.

An ergo non obligat totus *Decalogus?* Exod 20.v.3. & quomodo dicit S. Paulus Rom. 14. v. 14. *Nihil commune, nisi ei qui existimat quid commune esse?* & 1.Cor.8.v.4.*Nihil est idolum.*

Act.16.v.3. Paulus *circumcidit Timotheum.*

Cap.15. vers.28. Apostoli pleno concilio definierant, id non esse necessarium. Vide & cap. 20. vers.6.

Act.16.v.6. *Vetati sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia.*

Cap.19.vers.1.& 10.toti *Asiæ* promulgant verbum Dei.

Act.17.v.5. *Iason Thessalonicæ* in Macedonia.

Rom.16.vers.21. Iason *Corinthi* in Achaia reperitur.

Actor. 17. v.29. *Genus sumus Dei.*

Ioan.4.v.24. *Spiritus est Deus.*

Erasm

Index Antilogiarum S. Scripturæ.

Actor. 18. v. 3. *Erant ambo scenofactoriæ artis.*
Cap. 23. v. 6. *Ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum*, cap. 22. v. 3. *Eruditus circa pedes Gamaliel.*

Actor. 18. v. 18. *Totunderat sibi caput.*
Ibidem dicitur: *habebat votum* nazaræatus: qualibus veritum erat *tondere caput.*

Actor. 19. v. 9. *Quotidie disputans in schola tyranni per biennium.*
Cap. 20. vers. 31. Paulus numerat *triennium.* Sed quid *Paulo* cum *tyranno?* quid *tyranno* cum *schola?*

Actor. 20. v. 22. *Alligatus spiritu vado in Ierusalem.*
Cap. 21. v. 4. *Discipuli per spiritum dicebant Paulo, ne ascenderet Ierosolymam.*

Act. 21. v. 8. *Philippi Euangelistæ.*
Quis nobis hic quintus *Euangelista?*

Actor. 21. v. 27. *Dum septem dies consummarentur,*
Ex cap. 24. vers. 11. colligitur, *primo* septidui *die* captum Paulum.

Act. 23. v. 3. *Percutiet te Deus, paries dealbate.*
1. Corinth. 4. v. 12. *Maledicimur, & benedicimus.* Matth. 5. v. 39. *Si quis te percusserit in dextram maxillam, præbe illi & alteram.*

Actor. 25. v. 13. *Agrippa rex descendit Cæsaream.*
Iam pridem cap. 12. v. 23. *Herodes* Agrippa *rex* percussus *ab angelo, & consumptus à vermibus exspirauit.*

Actor. 27. v. 12. *Phœnicem portum Cretæ*, vt & *Asson* v. 13. *Phœnicia* Syriæ pars est, cuius portus vnus & metropolis *Tyrus. Asson*, verò Actor. 20. v. 13. vbs est *Macedoniæ* prope *Troadem.*

Actor. 27. v. 31. *Nisi hi in naui manserint, vos salui fieri non potestis.*
Atqui v. 24. dicebas, *donasse* tibi *Deum omnes qui nauigant tecum.*

Actor. 27. v. 33. *Quartadecima die hodie expectantes ieiuni permanetis, nihil accipientes.*
Quomodo hoc possibile?

Ex Epistola ad Romanos.

Rom. 1. v. 7. *Omnibus qui sunt Romæ, vocatis sanctis.*
Si *omnes* ad quos Paulus scribit, sint *sancti*, cur ab illo toties ob varia peccata reprehenduntur?

Roman. 1. v. 17. *Iustus ex fide vivit.*
Iacob. 2. v. 24. *Ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum.*

Roman. 1. v. 19. *Quod notum est Dei, manifestum est illis.*
Isaiæ 45. vers. 15. *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel saluator.*

Roman. 1. v. 24. *Tradidit illos in immunditiam*; vers. 26. *in passiones ignominiæ*; vers. 28. *in reprobum sensum.*
Eccli. 15. v. 12. *Non dicas, Ille me implanauit*, &c.

Roman. 1. v. 14. *Gentes naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt.*
Ioan. 15. v. 5. *Sine me nihil potestis facere.*

Roman. 2. v. 14. *Circumcisio tua præputium facta est.*
Quomodo id potest fieri?

Roman. 3. v. 20. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram* Domino c. 4. v. 2. *Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum.* c. 11. v. 6. *Si autem gratia, iam non ex operibus.*
Iacob. 2. vers. 21. *Abraham nónne ex operibus iustificatus est?* vers. 24. *Quoniam ex operibus iustificatur homo*, &c. Rom. 8. v. 4. *Vt iustificatio legis impleretur in nobis.*

Roman. 4. v. 18. *Contra spem in spem credidit* Abraham.
Si in spem; quomodo *contra spem?*

Roman. 4. v. 20. *In repromissione Dei non hæsitauit diffidentia.*
Quid ergo sibi vult istud Genes. 17. vers. 17. *Risit Abraham, dicens in corde suo: Putásne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet? vtinam Ismael viuat coram te!*

Roman. 4. v. 25. *Resurrexit propter iustificationem nostram.*
Cap. 5. vers. 9. *Iustificati in sanguine*, id est, morte, *ipsius.*

Rom. 5. v. 4. *Patientia probationem operatur.*
Iacob. 1. v. 3. *Probatio patientiam operatur.*

Rom. 5. v. 7. *Vix pro iusto quis moritur,*
Ibidem. *Pro bono forsitan quis audeat mori.*

Roman. 5. v. 12. *Per vnum hominem intrauit peccatum in mundum.*
An non etiam *per Euam*, & quidem primo loco? Genes. 3. v. 6. & Eccli. 25. v. 33. *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.*

Roman. 5. v. 20. *Lex subintrauit, vt abundaret delictum.*
Cap. 7. v. 12. *Lex sancta est, & mandatum sanctum, & iustum & bonum.*

Roman. 6. v. 14. *Peccatum vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia.*
Galat. 5. v. 14. *Omnis lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Hac lege omnes tenemur. Rom. 7. vers. vlt. *Ego ipse carne seruio legi peccati.*

Roman. 6. v. 23. *Gratia Dei vita æterna.*
2. Timoth. 4. v. 8. vocatur *corona iustitiæ.* alibi *merces*, &c.

Rom. 7. v. 7. *Peccatum non cognoui nisi per legem.*
An ergo ante legem nemo peccauit? cap. 2. vers. 12. *Quicumque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.*

Roman. 7. v. 15. *Non quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio.*
Genes. 4. vers. 7. *Sub te erit appetitus eius* (peccati) *& tu dominaberis illius.*

Roman 7. v. 17. *Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.*
Si *operor*, quomodo *non ego operor?*

Rom. 8. v. 6. *Prudentia carnis, mors est.* vers. 7. *Sapientia carnis inimica est Deo.*
Lucæ 16. v. 8. *Prudentiores filij tenebrarum filijs lucis in generatione sua sunt.*

Roman. 8. v. 16. *Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei.*
Eccles. 9. vers. 1. *Nescit homo, vtrùm amore, an odio dignus sit.*

Roman. 8. v. 26. *Quid oremus, sicut oportet, nescimus.*
Matth. 6. vers. 9. *Sic vos orabitis: Pater noster qui es in cœlis*, &c.

Roman. 8. v. 26. *Ipse spiritus orat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus.*
Spiritus est Deus. Ioan. 4. vers. 24.

Roman. 8. v. 38. *Certus sum, quia neque mors, neque vita*, &c. *poterit nos separare à charitate Dei.*
1. Cor. 9. v. 27. *Castigo corpus meum*, &c. *ne fortè cùm alys prædicauerim, ipse reprobus efficiar.*

Rom. 9. v. 3. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus*, &c.
Roman. 3. vers. 8. negat, facienda *mala, vt veniant bona.*

Roman. 9. v. 16. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*
Eccli. 15. vers. 14. *Deus reliquit* hominem *in manu consilij sui: adsecit mandata sua. Si volueris mandata seruare, seruabunt te.* 1. Corinth. 9. vers. 24. *Sic currite, vt comprehendatis.*

Roman. 9. v. 17. *In hoc ipsum excitaui te, ô Pharao, vt ostendam in te virtutem meam.*
Eccli. 15. vers. 12. *Non dicas, Ille me implanauit:*

non enim necessarij sunt ei homines impij.

Roman. 9. v. 18. *Cuius vult, miseretur: quem vult, indurat.*

Rom. 2. v. 11. *Non est personarum acceptio apud Deum.* & 1. Reg. 6. v. 6. non *Deo*, sed *Pharaoni* adscribitur eius induratio.

Roman. 10. v. 11. *Omnis qui credit in illum, non confundetur.*

Iacob. 2. vers. 19. *Et dæmones credunt, & contremiscunt.* vers. 14. *Numquid poterit fides* sine operibus *saluare eum?*

Roman. 11. v. 5. *Reliquiæ* Israelis *salua facta sunt secundùm electionem gratiæ.*

Cap. 10. vers. vlt. reiectionem aliorum non adscribit defectui *electionis*, sed defectui *voluntatis & consensus.*

Roman. 11. v. 8. *Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant,* &c.

Isaiæ 29. v. 19. *Miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros,* &c.

Roman. 11. v. 32. *Conclusit Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur.*

Eccli. 15. vers. 12. *Non dicas: Ille me implanauit:* nam *non necessarij sunt ei homines impij.* vers. 22. *Non concupiscit multitudinem filiorum infidelium & inutilium.*

Roman. 11. v. 34. *Quis enim cognouit sensum Domini?*

1. Corinth. 2. vers. 16. *Nos* (inquit Paulus,) *sensum Christi habemus.* 1. Ioan. 5. v. 20. *Filius Dei venit, & dedit nobis sensum,* &c.

Roman. 12. v. 19. *Non vosmetipsos defendentes.*

2. Timoth. 4. vers. 16. dicit Paulus, se *defendisse* seipsum.

Roman. 12. v. 20. *Carbones ignis congeres super caput* inimici tui.

Eccli. 8. vers. 13. *Non incendas carbones peccatorum, arguens eos.*

Roman. 13. v. 8. *Qui diligit proximum, legem impleuit.*

Etiam Matth. 22. v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum.*

Roman. 14. v. 5. *Vnusquisque in suo sensu abundet.*

2. Corinth. 10. v. 5. dicit se, *in captiuitatem redigere omnem intellectum in obsequium Christi.*

Roman. 14. v. 23. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.*

Actor. 28. vers. 1. *Barbari præstabant* Paulo eiusque socijs naufragis, *non modicam humanitatem.* An hæc *peccatum* erat?

Roman. 15. v. 14. *Certus sum, quoniam & ipsi pleni estis dilectione.*

Eccles. 9. vers. 1. *Nescit homo, vtrùm amore, an odio dignus sit.*

Roman. 15. v. 23. *Nunc vlteriùs locum non habens in his regionibus.*

An ergo locus Apostolo deesse potuit in tam vastis regionibus?

Roman. 16. v. 27. *Soli sapienti Deo.* 1. Corinth. 1. vers. 20. *Vbi nunc est sapiens?*

1. Corinth. 6. vers. 5. *Sic non est inter vos sapiens quisquam?* & cap. 2. vers. 6. *Sapientiam loquimur inter perfectos.*

1. Cor. 2. v. 15. *Spiritualis* homo *iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.*

Matth. 7. vers. 1. *Nolite iudicare, vt non iudicemini.* Iudæ vers. 15. *Venit Deus facere iudicium contra omnes.*

1. Cor. 3. v. 8. *Qui plantat, & qui rigat, vnum sunt.*

Vers. 6. *Ego plantaui, Apollo rigauit.*

1. Cor. 3. v. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus.*

Ephes. 2. v. 20. & Apoc. 21. v. 19. Apostoli eius *fundamenta* vocantur.

1. Cor. 4. v. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.*

1. Ioan. 3. v. 21. *Si cor nostrum non reprehendat nos, fiduciam habemus ad Deum.*

1. Cor. 6. v. 7. *Omninò delictum est in vobis, quòd iudicia habetis inter vos.*

Omnibus præcedentibus versibus permittit *iudicia.* Ioan. 7. v. 21. *Iustum iudicium iudicate.*

1. Cor. 6. v. 12. *Omnia mihi licent.*

Galat. 5. v. 21. *Qui* mala *agunt, regnum Dei non consequentur.*

1. Cor. 7. v. 18. *Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est.*

An *crapula* peccatum extra corpus est, magis quàm *fornicatio?* Et quàm multa, Galat. 5. v. 19. 20. 21. citantur *opera carnis?*

1. Cor. 7. v. 1. *Bonum est homini, mulierem non tangere.* vers. 26. *Bonum est homini sic esse.* vers. 40. *Beatior erit si sic permanserit.*

Genes. 2. v. 18. *Non est bonum, esse hominem solum.* 1. Corinth. 7. v. 2. *Vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum.* vers. 9. *Melius est nubere, quàm vri.*

1. Cor. 7. v. 7. & 8. *Volo omnes vos esse, sicut meipsum. Dico non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego.*

Ibid. *Vnusquisque proprium donum habet.* & cap. 9. v. 5. *Numquid non habemus potestatem, mulierem sororem circumducendi?*

1. Cor. 7. v. 12. *Si quis frater vxorem habet infidelem,* &c. *non dimittat illam.*

An *disparitas cultus* non est impedimentum dirimens?

1. Cor. 7. v. 14. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem.* Et *filij sancti sunt.*

Quæ *sanctitas* vbi *infidelitas?* Hebr. 11. v. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et nónne *omnes natura* sumus *filij iræ?*

1. Cor. 7. v. 23. *Nolite fieri serui hominum.*

Cap. 9. v. 19. *Cùm liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci.*

1. Cor. 10. v. 2. *Omnes in Moyse baptizati sunt in mari.*

Exod. 14. v. 22. *Ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris.*

1. Cor. 10. v. 3. *Omnes eandem escam & potum spiritualem hauserunt.*

Tunc nondum instituta erat *SS. Eucharistia* Matth. 26. v. 26.

1. Cor. 10. v. 4. *Petra erat Christus.*

Matth. 16. vers. 18. *Ego dico tibi* (ô Simon) *quia tu es Petrus* seu *petra.*

1. Cor. 10. v. 8. Fornicantium *ceciderunt vna die viginti tria millia.*

Numer. 25. vers. 9. *Occisi sunt viginti quatuor millia.*

1. Cor. 10. v. 25. *Omne quod in macello venit, manducate.* vers. 27. *Omne quod vobis apponitur* (etsi idolis immolatum fuerit) *manducate.*

Ex prima ad Corinthios.

1. Cor. 1. v. 17. NOn *misit me Christus baptizare.*

Matth. vlt. v. 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos,* &c.

1. Cor. 1. v. 21. *Non cognouit mundus per sapientiam Deum.*

Rom. 1. v. 19. *Quod notum est Dei, manifestum est illis.* vers. 20. *Ita vt sint inexcusabiles.*

1. Cor. 1. v. 30. *Christus factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio & redemptio.*

Coloss. 1. vers. 24. *Adimpleo quæ desunt passionum Christi.*

Actor. 15.

Index Antilogiarum S. Scripturæ.

Actor.25.v.29. *Visum est Spiritui sancto & nobis,&c. vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum.* Vide 1.Corinth.8.v.12.

1.Cor.10. v.33. *Per omnia omnibus placeo.* cap.9.v.22.*Omnibus omnia factus.*

Galat.1.v.10. *Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.*

1.Cor.11. v.14. *Vir si comam nutrierit,ignominia est illi.*

Samson Iudic.16.v.17. *Samuel* 1.Reg.1. vers.11. & omnes *nazarei* Numer.6. vers.5. *Christus*, & etiam *Paulus* comam nutriuerunt, Actor. 18. vers. 18.

1.Cor.13. v.7. *Charitas omnia credit.*

1.Ioan.4.v.1.*Nolite credere omni spiritui.* Eccli. 19.v.4.*Qui cito credit, leuis est corde.*

1.Cor.14. v.1. *Magis amulamini vt prophetetis.*

Cap.12. v.29. & 31. *Numquid omnes Prophetæ? &c. Æmulamini autem charismata meliora.*

1.Cor.14. v.14. *Si orem lingua, mens mea sine fructu est.*

Vers.2.& 4. *Qui loquitur lingua, Deo loquitur, & semetipsum ædificat.*

1.Cor.14. v.20. *Nolite pueri effici sensibus.*

Matth.18.v.3. *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.*

1.Cor.14. v.21. *In lege scriptum est, Quoniam in alijs linguis & labijs aliis loquar populo huic:& nec sic exaudient me.*

Non in *lege*, sed *Isaiæ* 28. v.11. id habetur: & quid ad scopum *Pauli* facere potest, quod de *Chaldæis* Propheta inducit?

1.Cor.14. v.31. *Potestis omnes prophetare per singulos.*

Cap.12.v.29.*Numquid omnes Prophetæ?*

1.Cor.14. v.32. *Ipsi spiritus Prophetarum Prophetis subiecti sunt.*

Quid ergo queritur *Michæas* quasi vim patiatur c.2.v.11. *Vtinam non essem vir habens spiritum?*

1.Cor.15. v.4. Christus *tertia die resurrexit secundum Scripturas.*

Vbi illæ *Scripturæ?*

1.Cor.15. v.20. *Christus resurrexit primitiæ dormientium.*

Ante *resurrectionem Christi* plures alij resurrexerunt,resuscitati ab *Elia*, 3.Reg.17.v.22. *Eliseo*, 4.Reg.4.v.35. adeoque ab ipso *Christo*, Matth.9. v.25.Lucæ 7.v.15.Ioan.11.v.44.& *Christo* moriente Matth.27.v.52. *multa corpora sanctorum surrexerunt,& apparuerunt multis.*

1.Cor.15.1 v.32. *Ad bestias pugnaui Ephesi.*

Actor.19.seditionem *Ephesi* mouet Demetrius: sed *bestiarum* nulla mentio.

1.Cor.15. v.44. *Seminatur corpus animale:surget corpus spirituale.*

Si *corpus*; quomodo spirituale? *Spiritus carnem & ossa non habet*, Lucæ 24.v.39.

1.Cor.15. v.15. *Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur.*

An ergo *corpora* impiorum non mutabuntur in *immortalia?*

Ex secunda ad Corinthios.

2.Cor.1.v.8. *IN Asia supra modum grauati sumus supra virtutem.*

1.Corinth.10.v.13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.*

2. Cor. 2. v.5. *Non me contristauit.*

Vnde ergo illa *angustia cordis & multæ lacrymæ?* vers.4.

2. Cor. 3. v.6. *Littera occidit*; vers.7. est *ministratio mortis*; v. 9. *ministratio damnationis.*

2.Tim.3.v.15.vocat *sacras litteras.*

2. Cor. 3. v.17. *Vbi spiritus Domini, ibi libertas.*

Rom.6.v.18. *Liberati à peccato,serui facti estis iustitiæ.*

2. Cor. 4. v.4. Diabolus vocatur *Deus sæculi*; Ioan.14. v.30. *princeps huius mundi*; Ephes.2.v.2.*princeps potestatis aëris huius.*

Psal.23.v.1.*Domini est terra & plenitudo eius.*

2. Cor. 4. v.12. *Mors in nobis operatur: vita autem in vobis.*

1.Corinth.15.v.54. *Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua?* 2.Cor.6.vers.9.*Quasi morientes,& ecce viuimus.*

2. Cor. 5. v.16. *Etsi cognouimus secundùm carnem Christum: sed nunc iam non nouimus.*

Ioan.6.vers.56. *Caro mea verè est cibus.* vers.54. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.*

2. Cor. 6. v.14. *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ pars fideli cum infideli?*

1. Cor.7. v.14. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem:& filij sancti sunt.*

2. Cor.10. v.12. *Non audemus comparare nos quibusdam, &c.*

Cap.11. vers.5. *Existimo, nihil me minus feciisse à magnis Apostolis.* vers.21. *In quo quis audet,audeo & ego.*

2.Cor.11. v.4. *Si alium Christum prædicat,quem non prædicauimus,aut aliud Euangelium,rectè pateremini.*

Galat.1.vers.8. *Sed licet nos aut angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis,anathema sit.*

2. Cor.11. v.18. *Quoniam multi gloriantur secundùm carnem, & ego gloriabor.*

1.Corinth.3.vers.21. *Nemo glorietur in hominibus.*Galat.6.vers.14. *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri.*

2. Cor.12. v.7. *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ.*

Osee 13.v.9.*Ex me tantummodò auxilium tuum.* Iacob.1.v.13.*Deus neminem tentat.*

2 Cor.12. v.10. *Placeo mihi in infirmitatibus meis:cùm enim infirmor, tunc potens sum.* Cap.13.vers.5. *Infirmi sumus in Christo.*

Cap.11. v.21. *Quasi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet, audeo & ego.*

2. Cor.13. v.7. *Oramus,&c. non vt nos probati appareamus. sed vt vos quod bonum est, faciatis; nos autem vt reprobi simus.*

1.Corinth.9. vers.27. *Castigo corpus meum: ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.*

Ex Epistola ad Galatas.

Galat.1.v.1. *PAulus Apostolus non ab hominibus,neque per hominem.* v.12. *Neque ab hominibus accepi Euangelium.*cap.2.v.6.*Mihi nihil contulerunt.*

Cap. 2. vers. 2. *Secundùm reuelationem ascendi Ierosolymam* ad Apostolos, *& contuli cum illis Euangelium quod prædico, ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem.*

Gal.1. v.17. *Neque veni Ierosolymam,sed abij in Arabiam.*

Actor.9. vers.22.23.& 26. dicitur *Ierosolymam* venisse.

Gal.2.v.7. *Creditum est mihi Euangelium præputij,sicut Petro circumcisionis.*

Ex Actor.10. constat, *Petrum* etiam *Gentilibus*, & cap.13.*Paulum* etiam *Iudæis* euangelizasse.

Gal.2.v.11. *Cùm Cephas venisset Antiochiam, in faciem ei restiti.*

An *subdito* licet resistere *superiori?* Ioan. vlt. vers.15. &c.

Gal.2. v.14. *Cùm vidissem, quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelij.*

Ambulabant secundùm *decreta Concilij* Ierosolymitani Actor. 15. v. 29.

Gal. 2. v. 20. *Viuo autem, iam non ego: viuit verò in me Christus.*

Si ego *viuo*, quomodo *non ego?*

Gal 3. v. 10. *Quicumque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.*

Deuter. 28. legem obseruantibus promittuntur innumeræ *benedictiones.*

Gal. 3. v. 11. *In lege nemo iustificatur apud Deum.*

Lucæ 1. v. 6. *Zacharias & Elisabeth erant iusti ambo ante Deum.*

Gal 3. v. 12. *Lex non est ex fide.*

Vers. 24. *Lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur.*

Gal. 4. v. 9. *Infirma & egena elementa.*

Cap. 3. v. 12. *Qui fecerit ea, viuet in illis.*

Gal. 4. v. 25. *Sina mons est in Arabia, qui coniunctus est ei quæ nunc est Ierusalem.*

Mons Sina & *Ierosolyma* toto cœlo dissident.

Gal. 5. v. 3. *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.*

An non profuit *Timotheo*, quem Actor. 16. v. 3. *circumcidit* Paulus?

Gal 5. v. 18. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.*

Cap. 4. vers. 4. *Misit Deus filium suum, factum sub lege.* Et nónne *lex spiritualis est?* vt dixit Roman. 7. vers. 14.

Ex Epistola ad Ephesios.

Ephes. 1. v. 11. IN *quo & nos sorte vocati sumus.*

Quomodo *sorte?* qui *prædestinati secundùm propositum eius*, &c.

Ephes. 2. v. 3. *Et nos omnes eramus natura filij iræ, sicut & ceteri.*

Eccli. 17. v. 1. & 2. *Deus creauit hominem, & secundùm se vestiuit eum virtute.* 1. Corinth. 7. v. 14. *Nunc autem filij vestri sancti sunt.*

Ephes. 3. v. 5. Mysterium vocationis Gentium *aliis generationibus non est agnitum filijs hominum*, &c. vers. 9. *absconditum à sæculis in Deo.*

Agnitum fuisse patet ex locis citatis Rom. 9. v. 25. & cap. 15. v. 9. vsque 13.

Ephes. 5. v. 5. *Auarus, quod est idolorum seruitus.*

Eccli. 40. v. 25. *Aurum & argentum est constitutio pedum.*

Ephes. 5. v. 18. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.*

Psal. 103. v. 15. *Vinum lætificat cor hominis.* Iudic. 9. v. 13. *Vinum lætificat Deum & homines.* Prouerb. 31. v. 6. *Date vinum his qui amaro sunt animo.*

Ephes. 5. v. 27. *Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi: sed vt sit sancta & immaculata.*

Matth. 22. v. 10. *Congregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos, & impleta sunt nuptiæ discumbentium.*

Ephes. 6. v. 12. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem.*

Matth. 10. v. 36. *Inimici hominis domestici eius.*

Ex Epistola ad Philippenses.

Philipp. 2. v. 7. IN *similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.*

Ioan. 1. vers. 14. etiam in veritate *Verbum caro factum est.*

Philipp. 2. v. 12. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.*

1. Ioan. 4. vers. 18. *Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem.*

Philipp. 2. v. 13. *Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate.*

Quare ergo queritur Paulus? Rom. 7. vers. 18. *Velle adiacet mihi: perficere autem bonum non inuenio.*

Phil. 3. v. 8. *Omnia* legalia *detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt inueniar non habens meam iustitiam quæ ex lege est.*

Galat. 3. vers. 12. *Qui fecerit ea, viuet in illis.* Et quare *circumcidit Timotheum?* Actor. 16. vers. 3. & nónne 1. Timoth. 1. vers. 8. *Lex bona est?* Rom. 7. v. 14. *Lex spiritualis est?*

Ex Epistola ad Colossenses.

Coloss. 1. v. 15. PRimogenitus *omnis creaturæ.*

Prou. 8. v. 23. *Ab æterno ordinata sum*, &c.

Coloss. 1. v. 24. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi.*

Sed quid deest, cùm dicat Christus Luc. 23. vers. 37. *Ea quæ sunt de me, finem habent?* Ioan. 17. vers. 4. *Opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam:* & cap. 19. v. 30. *Consummatum est.*

Coloss. 2. v. 8. *Ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam.*

Prouerb. 19. vers. 2. *Vbi non est scientia animæ, non est bonum.* Osee 4. vers. 5. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te.*

Coloss. 2. v. 9. *In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.*

Ioan. 4. v. 24. *Spiritus est Deus.*

Col. 2. v. 11. *Circumcisi estis circumcisione non manufacta in exspoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi.*

Lucæ 2. v. 21. *Christi circumcisio* fuit *manufacta in exspoliatione corporis carnis.*

Col. 2. v. 18. *Nemo vos seducat in humilitate & religione angelorum.*

Matth. 11. vers. 29. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Et nónne in vtroque testamento semper culti fuerunt *angeli?*

Col. 2. v. 21. *Ne tetigeritis, neque gustaueritis*, &c. *Quæ sunt omnia in interitum ipso vsu.*

1. Corinth. 8. vers. 8. *Neque si manducauerimus, abundabimus: neque si non manducauerimus, deficiemus.*

Ex prima ad Thessalonicenses.

1. Thess. 1. v. 1. S *Iluanus.*

Actor. 15. vers. 40. *Silas.*

1. Thess. 2. v. 16. *Peruenit ira Dei super* Iudæos *vsque in finem.*

Roman. 11. vers. 26. *Omnis Israel* aliquando *saluus fiet.*

1. Thess. 4. v. 14. *Nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentum Domini.* v. 16. *Qui relinquimur, simul cum aliis rapiemur in nubibus obuiam Christo.*

Hebr. 9. v. 27. *Statutum est hominibus semel mori: post hoc autem iudicium.* 2. Reg. 14. vers. 14. *Omnes morimur.*

1. Thess. 4. v. 15. *In tuba Dei.*

Ioan. 5. v. 28. vocatur *vox Filij Dei.* Matth. 24. vers. 31. *tuba angelorum.*

1. Thess. 5. v. 8. *Loricam fidei & charitatis, & galeam spem salutis.*

Ephes. 6. vers. 14. *Loricam iustitiæ;* & vers. 17. *Galeam salutis.*

Ex se-

Index Antilogiarum S. Scripturæ.

Ex secunda ad Thessalonicenses.

2.Thess.2. v.4. *Aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.*

Dan.11.v.38. *Deum Maozim venerabitur, & colet auro & argento,&c.*

2.Thess.2. v.8. *Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.*

Apoc.19. vers.20. *vivus* dicitur mittendus *in stagnum ignis.*

2.Thess.3. v.2. *Non omnium est fides.*

Ioan.1.vers.9. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Ex prima ad Timotheum.

1.Tim.1. v.9. *Lex iusto non est posita, sed iniustis.*

Matth.5.vers.17. *Nolite putare quoniam veni soluere legem aut Prophetas: non veni soluere, sed adimplere.* Ioan.13. vers.34. *Mandatum nouum do vobis,&c*

1.Tim.1. v.17. *Soli Deo honor & gloria*

Rom.2.vers.10. *Gloria & honor omni operanti bonum.*

1.Tim.2. v.1. *Obsecro orationes fieri pro omnibus hominibus.*

1.Ioan.5.v.16. *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, vt roget quis.*

1.Tim.2. v14. *Deus omnes homines vult saluos fieri,&c.*

Cur ergo non omnes *saluantur? Voluntati enim eius quis resistit?* Rom.9.v.19.

1.Tim.2. v.5. *Vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.*

Deut.5.v.5.& Galat.3.v.19.etiam *Moyses* vocatur *mediator* Dei & hominum.

1.Tim.2. v.12. *Docere mulieri non permitto.*

Ad Tit.2.v.3.& 4. *Anus bene docentes: vt prudentiam doceant adolescentulas.*

1.Tim.2. v.14.3 *Adam non est seductus.*

Quare minùs quàm Eua? Galat.6.vers.3. *Nam si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.*

1.Tim.3. v.2. *Oportet Episcopum, vnius vxoris virum esse;* vers.4. *filios habentem subditos cum omni castitate.* vers.12. *Diaconi sint vnius vxoris viri.*

Quare ergo ipsemet *Paulus* permansit cælebs? 1.Cor.7.v.7.& cap.9.vers.5.

1.Tim.4. v.3. *Abstinere à cibis, quos Deus creauit, doctrina* est *damoniorum.*

Actor.15.v.29. *Visum est Spiritui sancto, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine & suffocato.* Marc.1.v.6. *Venit Ioannes Baptista non manducans* nisi *locustas & mel siluestre.*

1.Tim.5. v.1. *Seniorem ne increpaueris.*

2.Tim.4.v.2. *Insta opportunè, importunè, argue, increpa,&c.*

1.Tim.5. v.8. *Qui suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.*

At pergit *credere in Deum & in Christum,* iuxta dicta 1.Cor.13.v.1. &c.

1.Tim.5. v.34. *Volo iuniores nubere, filios procreare,&c.*

1.Corinth.7.vers.7. *Volo omnes vos esse sicut meipsum.* vers.8. *Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego.* v.4. *Beatior erit si sic permanserit.*

Ex secunda ad Timotheum.

2.Tim.1. v.7. *Non dedit nobis Deus spiritum timoris.*

Isaiæ.11.v.3. *Et replebit eum spiritus timoris Domini.*

2.Tim.3. v.12. *Omnes qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.*

Prou.16.v.7. *Cùm placuerint Domino vie hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.*

2.Tim.4. v.9. *Demas me reliquit, diligens hoc seculum. Lucas solus mecum manet.*

Ad Philem. v.24. *Salutant te Demas & Lucas adiutores mei.*

Ex Epistola ad Titum.

Tit.1.v.15. *Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum.* v. 16. *Ad omne opus bonum reprobi.*

1.Ioan.1. v.8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, veritas in nobis non est.* Certum quoque, non omnia impiorum acta, esse peccata. Actor.28.vers.1. *Barbari præstabant non modicam humanitatem nobis.*

Ex Epistola ad Hebræos.

Hebr.2.v.11 *Qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes.*

Ioan.8.vers.23. *Vos de deorsum estis: ego de supernis sum.*

Hebr.2. v.14. *Diabolus habebat mortis imperium.*

At Christus illud sibi arrogat, Apoc.1.vers.18. *Ego habeo claues mortis & inferni,*

Hebr.2. v.16. *Nusquam angelos apprehendit.*

Colos.1. vers.20. *Placuit per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.*

Hebr.2. v.17. *Debuit per omnia fratribus similari.*

Cap.4.v.15. *Tentatus per omnia pro similitudine, absque peccato.*

Hebr.5.v.7. *Preces cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.*

Quare ergo clamat Matth.27.v.46. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?*

Hebr.5.v.8. *Ex ijs quæ passus est, didicit obedientiam.*

Christus à primo conceptionis instanti fuit *plenus gratia & veritatis,* Ioan.1.v.14.

Hebr.7.v.4.& 6. *Impossibile est, eos qui semel sunt illuminati & prolapsi, rursus renouari ad pœnitentiam.*

Ezech.18.v.27. *Cùm impius auerterit se ab impietate sua, animam suam viuificabit* vers.32. *Nolo mortem morientis.*

Hebr.7.v.3. *Melchisedech sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, manet sacerdos in perpetuum.*

Iob 14.vers.1. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore,&c.*

Hebr.7.v.8. *Ibi* Scriptura *contestatur, quia* Melchisedech adhuc *vivit.*

Alibi contestatur, quòd *omnes moriamur,* 2. Reg.14.v.14.& psalm.88.v.44. *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem?*

Hebr.7. v.27. *Non habet necessitatem quotidie hostias offerre: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo.*

Pro omni tamen tempore iubet Luc.22.vers. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.* 1.Corinth.10.

rinth.10. verſ.16. *Calix benedictionis cui benedicimus,&c.*

Heb 8.v.7. *Si illud prius* teſtamentum *culpa vacaſſet.*

1.Tim.1. verſ.8. *Lex bonaeſt.*

Hebr.9. v.23. *Ipſa caleſtia neceſſe eſt melioribus hoſtijs mundari.*

In Eccleſia militante non niſi vnam hoſtiam agnoſcimus hîc verſ.26.& Luc.22. verſ.19. *Hoc facite.*In Eccleſia triumphante,vti *nullum eſt templum,*Apoc.21.verſ.22.ita nulla *hoſtia.* Et *quid ibi mundandum?*

Hebr.10. v.18. *Iam non eſt oblatio pro peccato.*

Cur ergo iubet,*Hoc facite?*Luc.22.verſ.19.

Hebr.10. v.26. *Voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia.*

1.Ioan.2. verſ.2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis totius mundi.*

Hebr.11. v.1. *Fides eſt rerum ſperandarum, & non apparentium.*

Credimus. *Filium Dei incarnatum, paſſum,rediuiuum:*credimus *infernum,*&c.Et *quia vidiſti me, Thoma,credidiſti.*Ioan.20.verſ.29.

Hebr.11. v.6. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.*

Ioan.17.verſ.3.*Hec eſt vita aterna,vt cognoſcant te ſolum Deum verum,& quem miſiſti Ieſum Chriſtum.*

Hebr.11. v.39. Patres veteris teſtamenti *non acceperunt repromiſſionem,vt non ſine nobis conſummarentur.*

Luc.23. verſ.43. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Matth.27. verſ.52. *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant ſurrexerunt.*

Hebr.12. v.17. *Eſau cupiens hereditare benedictionem,reprobatus eſt: non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam.*

Gen.27.verſ.38. *Cùm eiulatu magno fleret, motus Iſaac,dixit ad eum;In pinguedine terræ,& in rore cœli deſuper erit benedictio tua.* Porrò *ſaluatum* eſſe *Eſau* veriſimilius eſt, Gen.36.v.4.

Hebr.13. v.11. *Quorum animalium infertur ſanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra.*

Leu.7.verſ.6.*Omnis maſculus de ſacerdotali genere, in loco ſancto veſcetur his carnibus, quia ſanctum ſanctorum eſt.*

Ex Epiſtola S Iacobi.

Iacob.1.v.2. *OMne gaudium exiſtimate, cùm in tentationes varias incideritis.*

Matth.6.v.9.& 13.*Sic orabitis; Et ne nos inducas in tentationem.* Matth.26. v.41. *Vigilate & orate vt non intretis in tentationem.*

Iac.1.v.13. *Deus neminem tentat.*

Geneſ.32.v.1. *Tentauit Deus Abraham.* Deut. 13.verſ.3. *Tentat vos Dominus Deus veſter.*

Iac.1. v.10. *Quicumque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno,factus eſt omnium reus.*

Cap.3.v.2.*In multis offendimus omnes.* Ergo *omnes* ſumus *omnium rei.*

Iac.4. v.4. *Amicitia huius mundi, inimica eſt Deo.*

Hebr.12. verſ.14. *Pacem ſequimini cum omnibus.*

Iacob.4.v.5 *Ad inuidiam concupiſcit ſpiritus, qui habitat in vobis.*

1.Cor.23.verſ.4.*Charitas non æmulatur,non quærit quæ ſua ſunt.*

Iac.4. v.9. *Miſeri eſtote & lugete.*

Cap.5. verſ.9. *Nolite ingemiſcere in alterutrum.*

Iac.5. v.10. *Exemplum exitus mali, Prophetæ.*

Hebr.11.verſ.39. *Hi omnes teſtimonio fidei probati.*

Iac.5. v.16. *Confitemini alterutrum peccata veſtra.*

Non niſi *Apoſtolis,*& Apoſtolorum *ſucceſſoribus* dictum Ioan.20.v.23. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

Ex prima Epiſtola S.Petri.

1.Pet.2.v 2. *SIcut modò geniti infantes,rationabile ſine dolo lac concupiſcite.*

Eccli.30.verſ.9.*Lacta filium tuum,& pauentem te faciet.*Iſaiæ 28.v.9.*Quem docebit ſcientiam? Ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus.*

1.Pet.2.v.5. *Ipſi tamquam lapides viui ſuperædificamini, domus ſpiritualis.*

Hebr.9.v.11.Eccleſia dicitur *non manufacta, id eſt, non huius creationis.*& cap.12.verſ.22.*Ieruſalem cæleſtis.*

1. Petr. 2. v.13. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ.*

An etiam *dominis ſeruis* ſuis.

1. Petr. 3. v.19. *His qui in carcere erant ſpiritibus, qui increduli fuerant in diebus Noë, veniens prædicauit* Chriſtus.

Vt quid *margaritas ante porcos?*Matth.7.v.6.

1. Petr. 3. v.21. *Similis forma baptiſma.*

Baptiſma tribuit *vitam ſpiritualem:* arca ſolùm *temporalem.*

1. Petr. 4. v.12. *Nolite peregrinari in feruore.*

Ipſe Paulus dicit ſe *peregrinari,* 2.Cor.8.v.19. & de ſanctis Prophetis dicit Hebr.11.v.13. quòd *peregrini fuerint ſuper terram.*

1. Petr. 5. v.13. *Salutat vos Eccleſia,quæ eſt in Babylone.*

Romæ ſcripſit hanc epiſtolam Petrus.Quid *Romæ* cum *Babylone?*

Ex ſecunda Epiſtola S.Petri.

2.Pet.1.v.4. *VT per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ.*

Iſaiæ 42. verſ. 8. *Gloriam meam alteri non dabo.*

2. Petr. 1. v.15. *Dabo operam, frequenter habere vos poſt obitum meum* in mente,&c.

Eccleſ. 9. verſ. 5. *Mortui nihil nouerunt amplius.*

2. Petr. 1. v.19. *Habemus firmiorem Propheticum ſermonem.*

Sicut Prophetæ ſua, ſic etiam Euangeliſtæ & ipſe quoque Petrus Apoſtolus, *Spiritu ſancto inſpirati,locuti ſunt* hæc de *Transfiguratione & Gloria* Chriſti.

2. Petr. 3. v.7. *Cæli qui nunc ſunt, & terra, verbo Dei noſtri ſunt,igni reſeruati in diem iudicij.*

An ergo *nunc* alij *ſunt cæli* vel *terra* quàm ante diluuium?& an *igni* abſumentur *in die iudicij?*Hic v.10.& 13.

2. Petr. 3. v.8. *Vnus dies apud Dominum ſicut mille anni.*

Ibid.*Mille anni ſicut dies vnus.*

2. Petr. 3. v.9. *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.*

Rom.9.v.18.*Cuius vult miſeretur,& quem vult indurat.*

Index Antilogiarum S. Scripturæ.

Ex prima Epistola S. Ioannis.

1.Ioan.2. *Non mandatum nouum, sed vetus.*

v.7. Vers. 8. vocat *mandatum nouum*, vti & Christus Ioan.13.v.23.

1.Ioan.2. *Non est ex Patre, sed ex mundo.*

v.16. Ioan.1.vers.3.*Omnia per ipsum facta sunt.* Rom. 11.vers.vlt.*Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

1.Ioan.2. *Ex nobis prodierunt.*

v.19. Ibid.*Sed non erant ex nobis.*

1.Ioan.2. *Hic est Antichristus.* cap.4.v.3.*Et iam nunc in*

v.22. *mundo est.*

2.Thess.2.v.3.&c.longè alius describitur *Antichristus*, nec nisi olim venturus.

1.Ioan.3, *Omnis qui in eo manet, non peccat.*& v.9.*Omnis*

v.6. *qui natus est ex Deo, peccatum non facit, & non potest peccare.*

Cap.1. vers.8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus ipsi nos seducimus.* Iac.3.v.2.*In multis enim offendimus omnes.*

1.Ioan.3. *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad*

v.14. *vitam.*

Eccles.9.vers.1.*Nescit homo*, etsi iustus, *vtrùm amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.*

1.Ioan.4. *Qui non diligit, non nouit Deum.*& cap.3.vers.6.

v.8. *Omnis qui peccat, non cognouit Deum.*

1.Cor.13.v.1.&c.docet Paulus, *fidem* sine *charitate* consistere posse.

1.Ioan.4. *Timor non est in charitate: sed perfecta charitas*

v.18. *foras mittit timorem.*

Psal.18.v.10.*Timor Domini sanctus, permanens in saculum saculi.* Eccli.1.v.11. *Timor Domini gloria & latitia,*&c.

1.Ioan.5. *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget*

v.16. *quis.*

Cap.2. vers.2. Christus *est propitiatio pro peccatis totius mundi.* & 2.Petr.3.v.6. *Non vult* Deus *aliquos perire*, &c.

Ex secunda Epistola S. Ioannis.

2.Ioan.v.10. *Nolite recipere in domum, nec Aue ei dixeritis.*

Matth.5.v.44.*Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Iudæ v.23.*Saluate illos, de igne rapientes.*

2.Ioan.v.13 *Salutant te filij sororis tuæ Electæ.*

Vers.1.Ipsa ad quam scribitur Epistola, vocatur *Electa domina.*

Ex Epistola S. Iudæ.

Iudæ v.4. *Solum dominatorem & Dominum nostrum Iesum Christum.*

Etiam *Pater* & *Spiritus sanctus* sunt *Dominator & Dominus* vniuersi.

Iudæ v.5. *Iesus populum de terra Ægypti saluans: secundo eos qui non crediderunt perdidit.*

Iesus 1457.annis post eductum ex Ægypto populum natus demum est, Lucæ 2.vers.7.& Chron. cap.47.

Iudæ v.9. *Michaël Archangelus non est ausus inferre* diabolo *iudicium blasphemiæ.*

Quid *princeps Angelorum* timeat diabolum?

Iudæ v.12. *Arbores bis mortuæ.*

Quomodo potest quid *bis mori?*

Iudæ v.13. *Sidera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternum.*

Vnde *sideribus tenebræ?* Baruch 3.v.34.*Stellæ dederunt lumen in custodijs suis: luxerunt ei qui fecit illas.*

Iudæ v.24. *Potens est* Deus *vos conseruare sine peccato, immaculatos,*&c.

1.Ioan.1.vers.8.*Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Ex Apocalypsi S. Ioannis.

Apoc.1.v.1. *Quæ oportet fieri citò.* vers.3.*Tempus enim propè est.*v.7. *Ecce venit cum nubibus.*&c.

Atqui iam lapsi sunt ferè 1600.anni: & quot adhuc sæcula labentur ante iudicium?

Apocal.1. v.13. *In medio septem candelabrorum aureorum* similis *filio hominis; caput eius & capilli candidi tamquam nix: oculi eius tamquam flamma ignis.* vers.15.*Pedes eius similes aurichalco in camino ardenti.*v.16.*De ore eius gladius exibat.*

Cant.2.v.16.*Dilectus meus pascitur inter lilia.*c. 5.v.11.*Caput eius aurum optimum, coma nigra quasi coruus: oculi sicut columbæ.* vers.15.*crura, columnæ marmoreæ.* v.13. *labia eius lilia distillantia myrrham primam.*

Apoc.2.v.7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ.*

An ergo adhuc extat *lignum vitæ?* Genes.2.v. 9.& c.5.v.24.

Apoc.2.v.9. *Scio paupertatem tuam, sed dives es. Dicunt se Iudæos esse, sed non sunt.*

Si *pauper*, quomodo *dives?* Si ex tribu *Iuda* prognati; quomodo non sunt *Iudæi?*

Apocal.2. v.13. *Habitas, vbi sedes est satanæ, vbi satanas habitat,* nempe *Pergami.*

Cap.20.v.1.*Angelus habens clauem abyssi & catenam, apprehendit satanam, & ligauit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit, & signauit super illum.*

Apocal.2. v.26. *Qui vicerit,*&c.*dabo illi potestatem super Gentes, & reget eas in virga ferrea,*&c.

Cap.6.v.9.*Animas interfectorum propter verbum Dei, vidi subtus altare, dicentes, Vsquequo Domine non vindicas sanguinem nostrum?*

Apocal.3. v.11. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.*

Ioan.6. vers.39. *Omne, quod dedit mihi* Pater, *non perdam ex eo.* cap.10. vers.28. *Non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.*

Apocal.3. v.12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei,*&c. *ciuitatis nouæ Ierusalem.* cap.11.v.19. *Apertum est templum Dei in cœlo.*

Cap. 21. vers. 22. *In ea* ciuitate *non vidi templum.*

Apocal.3. v.15. *Vtinam frigidus esses, aut calidus!*

Eccli.15.vers.13.*Omne execramentum erroris odit Dominus.*

Apocal.3. v.20. *Ecce sto ad ostiam & pulsa: si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.*

Cant.5.v.6.*Pessulum ostij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat atque transierat.*

Apoc.4.v.7. *Animal primum simile leoni, secundum simile vitulo,*

Index Antilogiarum S. Scripturæ.

vitulo, &c. *Singula habebant alas senas.*

Ezech.1.vers.6. *Quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni.* v.8. *Facies & pennas per quatuor partes habebant.*

Apocal 4. v.11. *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & virtutem.*

1.Cor.4.7. *Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?*

Apoc.5.v.3. & 4. *Nemo poterat respicere librum, nec videre eum.*

Vers.1.dicit Ioannes, se *vidisse librum.*

Apoc.5.v.5. *Leo de tribu Iuda.*

Vers.6.vocatur *Agnus.*

Apocal.5. v.12. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere diuinitatem*, &c.

Christus ab initio habuit diuinitatem. Ioan. 10.v.36. *Filius Dei sum.*

Apocal 5. v.13. *Omnem creaturam*, etiam *quæ sub terra* est, audiui *dicentem: Sedenti in throno & Agno benedictio & honor*, &c.

An ergo etiam blasphemi *damones* & *damnati* laudem dicunt *Deo & Christo?* Apoc.13.v.6. *Aperuit os suum in blasphemias*, &c.

Apoc.6.v.4 *Datum est ei vt sumeret pacem de terra.*

Ioan.14.v.27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.*

Apoc.6.v.9. *Vidi subtus altare animas interfectorum*, &c.

Cap.14.v.4. *Sequuntur Agnum quocumque ierit.* cap.7.v.15. *Sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte.*

Apocal.6. v.13. *Stellæ de cœlo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cùm à vento magno mouetur.*

Quomodo capiet *stellas terra*, quæ multò maiores sunt terra?

Apoc.7.v.4 *Centum quadraginta quatuor millia signat, ex omni tribu filiorum Israel.*

Nulli hîc signati ex *tribu Dan.*

Apoc.9.v.1. *Stellæ*, quæ *de cœlo cecidit, data est clauis putei abyssi, & aperuit puteum.*

An *stellæ* hæc animata? cap.1.v.18. *Ego* (inquit Christus) *habeo claues mortis & inferni.*

Apoc.9.v.7. *Locustæ similes equis, & facies tamquam facies hominum*, v.11. *Rex* earum, *angelus abyssi.*

Vers.19. *Cauda similes serpentibus, habentes capita, & in his nocent.*

Apocal.10. v.7. *Cùm septimus angelus cœperit tubâ canere, consummabitur mysterium Dei.*

Cap.11. v.15. *Septimus angelus tubâ cecinit.* Et tamen multa adhuc mysteria subsequuntur vndecim capitibus sequentibus.

Apocal. 10. v.11. *Oportet te iterum prophetare Gentibus & populis & linguis & regibus multis.*

Ioannes quadriennio pòst *mortuus est*, Chron.c. vlt. sub finem.

Apocal 11. v.2. *Mensibus quadraginta duobus.*

Vers.3. *Diebus mille ducentis sexaginta.*

Apocal. 12. v.1. *Signum magnum in cœlo, mulier clamabat parturiens & cruciabatur vt pariat. Et ecce draco magnus*, &c.

In cœlo, cap.21.v.4. *neque clamo, neque dolor erit vltrà:* multò minùs *draco*, &c.

Apocal.13. v.2. *Bestia similis erat pardo, & pedes eius sicut pedes vrsi, & os eius sicut os leonis.*

Dan.7.vers.3 &c. dicuntur fuisse *quatuor bestiæ grandes: Prima quasi leæna: alia similis vrso:* tertia *quasi pardus: quarta terribilis, mirabilis & fortis nimis.*

Apocal.13. v.8. *Agni, qui occisus est ab origine mundi.*

Agnus hic demum *natus est post quatuor millia annorum ob origine mundi.* Chron.c.47.

Apocal.14. v.4. *Hi centum quadraginta quatuor millia cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt: et sequuntur* promiscuè *ex hominibus* omnibus.

Cap.7.v.4. non modò *virgines*, verùm etiam coniugati hoc numero comprehenduntur, sed ex solis *Israelitis.*

Apocal.15. v.4. *Solus pius es Domine.*

2.Petr.2.v.9. *Nouit Dominus pios de tentatione eripere.* & Eccli.49.v.4. *Iosias*, 2.Mach.3.v.1. *Onias* à *pietate* commendantur.

Apocal.16. v.21. *Grando magna sicut talentum.*

Talentum Hebræum est *centum viginti quinque librarum* Romanarum.

Apocal.17. v.1. *Sedet super aquas multas.*

Vers.9. *Sedet super septem montes.*

Apocal.17. v.8. *Bestia fuit, & non est, & ascensura est de abysso.* v.11. *Ipsa octaua est, & de septem est.*

An ergo occisa reuiuiscet? sic futura octaua & *septima?*

Apocal. 17. v.12. *Decem reges potestatem vna hora accipient post bestiam.*

Vers.13. & 17. *Potestatem suam & regnum suum tradent bestiæ.* Quæ tres illorum *humiliabit* Dan.7. v.24. ceteris vltrò se illi dedentibus.

Apocal.19. v.9. *Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.*

Matth.22.vers.8. *Qui inuitati erant, non fuerunt digni.*

Apocal.19. v.10. *Cecidi ante pedes angeli, vt adorarem eum: & dicit mihi, Vide ne feceris.*

At iterum cap.22. vers.9. idem facit S. Ioannes.

Apocal.19. v.12. *Habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse.*

Vers. 19. *Habet in vestimento & in femore suo* omnibus conspicuum nomen *scriptum, Rex regum, & Dominus dominantium.*

Apocal.19. v.21. *Cæteri* clientes Antichristi, exercitus Gog & Magog. *occisi sunt in gladio sedentis super equum.*

Cap. 20. v.9. *Descendit ignis à Deo de cælo, & deuorauit eos.*

Apocal.20. v.1. *Angelus habens clauem abyssi, ligauit Satanam per annos mille, & clausit in abysso, vt non seducat amplius Gentes.*

1.Petr. 5.v.8. *Aduersarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.*

Apocal 20. v.5. *Cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima.*

Vers.12. *Vidi mortuos, magnos & pusillos, stantes in conspectu throni.* Et quæ est alia *resurrectio*, quàm vniuersalis omnium simul mortuorum? Matth. 24.vers.30.

Apocal.20. v.11. *Fugit terra & cœlum, & locus non est inuentus eis.* cap.21.vers.1. *Primum cœlum & primum mare abiit.*

Eccles.1.v.4. *Terra autem in æternum stat.* Isa. 66.vers.1. *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.*

Apocal 20. v.14. *Infernus & mors missi sunt in stagnum ignis.*

Stagnum ignis est in ipso *inferno.*

Apocal. 21. v.6. *Sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.*

Quomodo *gratis*, cùm addas v.7. *Qui vicerit, possidebit hæc?*

Apocal 21. v.11. *Lapis iaspidis sicut crystallus.*

Crystallus non est varicgati coloris, sicut est *iaspis.*

Apocal.21. v.16. *Ciuitas in quadro posita est: & longitudo & altitudo & latitudo eius æqualia sunt.*

Nonn:

Index Antilogiarum S. Scripturæ.

Nónne cœlum empyreum rotundum eſt? Nónne *longitudo* & *latitudo* eius verſ.16. aſcendit ad *ſtadia duodecim millia?* Altitudo verò muri non niſi ad *centum quadraginta quatuor cubitos?* verſ.17.qui vix tertiam partem vnius ſtadij exæquant.

Apocal. 21. v.18. *Aurum mundum ſimile vitro mundo.*

Aurum opacum eſt, *vitrum* pellucidum.

Apocal.21. v.24. *Reges terræ afferent gloriam ſuam & honorem in illam* ciuitatem cæleſtem.

Ioan.18. verſ.36. *Regnum meum non eſt de hoc mundo.*

Apocal.22. v.2. *Ex vtraque parte fluminis aquæ vitæ, oſtendit mihi lignum vitæ, afferens fructus duodecim per menſes ſingulos, & folia ligni ad ſanitatem Gentium.*

Apoc.7.v.16.*Non eſurient,neque ſitient amplius, nec cadet ſuper illos ſol,neque vllus æſtus:* multò minùs vulnera vel morbi.

Apocal. 22. v.11. *Qui nocet, noceat adhuc; & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc; & qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc.*

Eccli.15.v.21.*Deus nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit ſpatium peccandi.*

INDEX

INDEX QVINTVS
QVI EST
MATERIARVM vel CONCEPTVVM
PRO
EVANGELIIS TOTIVS ANNI,
IN GRATIAM
ET VSVM CONCIONATORVM.

PRÆMONITIO.

HIc *Index non indicat, vti in pleriſque Bibliis, initia tantùm & finem Euangeliorum, ſed inſuper loca quadam pulpitis apta, quaſi ſemina venaſq; Concionum, in ipſo Euangeliorum textu latentes, vel aliunde accerſitas. Indicat non rarò etiam introductiones, partitiones, ſeriemq; dicendorum. Quæ licet ipſa, vt iacent, non cuiuis placitura ſint, occaſionem tamen dabunt, alia & aptiora excogitandi.* Primò.

Circa quoduis Euangelium ferè triplicia proponuntur his titulis, FIDES, MORES, VARIA. *Fides loca deſignat controuerſa. Mores moralia. Illa firmandæ fidei, hæc formandis moribus. Quæ autem* VARIA *indigetamus, ita orationi illuſtrandæ, & animo oblectando ſeruient, vt ſimul etiam mores inſtruere, vel Fidem ſtabilire poſſint. Quales ferè ſunt Queſtiones chronologicæ, vel topologicæ, vel Theologicæ, ſed populariores & pulpitis aptiores. Nota tamen, non pauca ſubinde ſub titulo Mores, contentum iri, quæ Fidei ſeruiant, & è conuerſo. Neque enim ſemper poſſunt hæc commodè ſecerni: neque expedit, etiam inter dicendum, à ſe mutuò diuelli.* Secundò.

Remittet hic Index non tantùm ad Commentaria noſtra, indicando librum, caput & verſiculum S. Scripturæ: verùm etiam ad priores Indices, Controuerſiarum, & Alphabeticum *rerum. Interdum tamen indicato vel controuerſiæ vel morum argumento, non indicabitur aut coutrouerſiæ titulus vel numerus, aut Alphabeti moralis verbum: idq; vel quia ipſa ſe ſatis produnt: vel quia ad tam varias ſeu controuerſias, ſeu moralia verba referri poſſunt, vt ſatius videatur, eam indaginem Lectoris iudicio committere, cuius erit, eos titulos conſulere quos inſtituto ſuo viciniores iudicarit.* Tertiò.

Huius porrò Indicis vſus hic eſſe poſſit. Euangelium quæris de quo ſit dicendum? Initium tibi hic Index exhibebit, & finem. Senſum vis? Lege iunctum Commentarium, vt litteram probè calleas. Puncta deſideras populo proponenda. Vide quæ in Indice exhibentur ſeu Fidei, ſeu morum, ſeu alia documenta. Eſt quod tibi, ſapiat, & auditoribus tuis vtile credis? Adi vlteriùs vel Controuerſiarum Indicem, vel Alphabetum morale, & loca Scripturæ ibidem indicata, propiùs examina, volue animo & reuolue: mirer, ſi non alicunde fons optatus ſcaturiat ſitienti. Nulla fortaſſis ex deſignatis hoc Indice, Fidei morúmve argumentis ſapiunt? Alia ipſo tuo Marte excogita, ingenio & auditorio tuo congrua, & ab Euangelij littera non aliena. Tum, vt ſuprà, Indices illos duos excute, Scripturarumq; fontes ibidem indicatos. Mirum, quàm gratos ſapidoſq; ſenſus pariat, Deo duce, mixta oratione conſideratio, quæ auditores longè magis afficiant nutriantq;, quàm aliundè mutuati, frigidaq; memoria deprompti. Seruiet interim hic Index reminiſcentiæ, quam ſubinde ſegniorem experimur, promptiùs excitandæ, magno tuo commodo & compendio. Quartò.

Nec aliud promittit hic Index: &, vt promitteret, præſtare non poſſet. Indiculum teximus argumentorum; non homilias, non conciones ſcribimus. Nec Indicem damus omnium, ſed præcipuorum locorum, & litteræ magis inhærentium. Quintò.

Sunt qui librum optent qui ſit ipſis inſtar omnium, omnis ſcientia, omnis doctrina, omnium rerum compendium. Sed fruſtra. Et vt ſit qui nomen præferant, rem numquam dabunt. Scribantur Indiculi, conſarcinentur Regiſtra & Inuentarij, Dictionaria pauperum, Dormi ſecurè, Nuclei, Medullæ, & ſexcenta talia. Vt fatendum eſt, eorum nonnulla occupatis & properantibus aliquando prodeſſe; ſic legentium omnium famem ſitimq; adeò variam explere negabunt experti. Studio opus eſt & labore: nec panis hic niſi in ſudore vultus paratur, cui merces à Deo magna nimis. Nec hic ergo labor noſter, qualiſcumque, omni te labore eximet: iuuabit tamen, ni fallor, ſtudiumq; facilitabit ac promouebit. Sin minùs, tanti tamen nobis fuerit, tam ſacra vtilíq; ſtudio tuo prodeſſe voluiſſe.

INDEX VARIAR. MATER. ET CONCEPT.

THEMATA PRO DECVRSV ADVENTVS.

FIDES.

PRophetam *de gente tua, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus.* Deut.18.v.15. Nec *Adam*, id eſt, lex naturæ: nec *Maria*, id eſt, Prophetæ: nec *Aaron*, id eſt, ſacerdotes: nec *Moyſes*, id eſt, lex ſcripta: ſed ſolus *Ioſue*, id eſt, IESVS, nos inducere potuit in *terram promiſſam.* Num. 20, v.25.

Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de petra deſerti, &c. Iſaiæ 16.v.1. Ruth 1.v.4.

Tu verò repuliſti, & deſpexiſti Chriſtum tuum. Exprobrauerunt inimici tui Domine, exprobrauerunt commutationem Chriſti tui. Pſalm.88.v.39.& 52.

Domine exercituum vſquequo tu non miſereberis Ieruſalem & vrbium Iuda, quibus iratus es? Iſte iam ſeptuageſimus annus eſt. Zachar.1.verſ.12.

Adhuc vnum modicum, & ego commouebo cælum & terram, & mare & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus: & implebo domum iſtam gloriâ. Aggæi 2. verſ. 7. *Magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ plus quàm primæ.* verſ.10.

Propè eſt vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur. Iſai.14. v. 1.

Ego Dominus ſuſcitans verbum ſerui ſui, & conſilium nuntiorum ſuorum complent. Iſaiæ 44. v.26. vſque fin. & c.45. v.1. vſque 8.

Viuificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius. Oſee 6.v.3.

Dicite filiæ Sion, Ecce Saluator tuus venit, & merces eius cum eo, & opus eius coram illo. Iſaiæ 62.v.11. Zach.9.v.9. *Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus & Saluator, ipſe pauper,* &c.

Hæc dicit Dominus Domino meo, pro noſtri redemptione vrgenti & oranti: *In tempore placito exaudiui te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tui: & dedi te in fœdus populi, vt ſuſcitares terram, & poſſideres hereditates diſſipatas.* Iſai.49.v.8.

Lauda & lætare filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Zach.2.v.10.

Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti quem vos vultis. Malach.3. verſ.1. *Ecce venit: & quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim, quaſi ignis conflans,* &c. v.2.

Poſſet & pro themate in decurſu Aduentus aſſumi:

Primò, *Meſſiam* iam pridem *veniſſe*, vt probaui contr. 4.num.1 ex ablato *ſceptro Iudæ*, ex completis *hebdomadis Danielis*, & ex omnibus aliis prædictionibus, figuris & promiſſionibus de Meſſia ad amuſſim expletis, & aliis pluribus argumentis.

Secundò, *Meſſiam* hunc non alium eſſe quàm IESVM Mariæ filium, ibid.num.2.

Tertiò, hunc non eſſe nudum hominem, ſed ſimul naturalem, *filium Dei*, num.3.

Quartò, vtramque naturam in Chriſto manſiſſe integram, inconfuſam, & impermixtam, num.4.5.6.

Quintò, vnionem duarum naturarum in Chriſto non eſſe accidentalem, ſed ſubſtantialem & hypoſtaticam.n.7.

Sextò, qualis inde conſecuta ſit communicatio idiomatum ſeu proprietatum vtriuſque naturæ, n.8.9.10.

Septimò, ſecundùm quam naturam Chriſtus fuerit mediator ac redemptor noſter, num.11.

Octauò, an peccatum, an ignorantia, vel ſimiles defectus potuerint eſſe in Chriſto, num. 11. & 13.

Nonò, an & quomodo de rigore iuſtitiæ nos redemerit: & an etiam ſibi aliquid promeritus ſit, nu.14.15.17.

Decimò, variæ perfectiones & virtutes Chriſti, quas colliges ex Indice Rerum, verbo Chriſtus.

Vndecimò, encomia, & varia nomina Chriſti, quæ ibid. reperies.

Ecce ego adducam ſeruum meum Orientem. Quia ecce (hic eſt ille toties à Prophetis decantatus) *lapis: ſuper lapidem vnum ſeptem oculi ſunt. Ecce ego cælabo ſculpturam eius: & auferam iniquitatem terræ illius in die vna.* Zachar. 3. verſ.8. &c. *Ecce vir, Oriens nomen eius. Et ſubter eum orietur* innumera multitudo ramorum, è quibus ipſe *ædificabit templum Domino: & ipſe portabit gloriam, & ſedebit, & dominabitur ſuper ſolio ſuo*, & ſimul *erit ſacerdos ſuper ſolio ſuo. Et conſilium pacis erit inter illos duos* (ſupremos thronos:) Zachar.6. v.12.& 13.

Duodecimò, innumera bona quæ orbi obuenerunt cum aduentu Chriſti, verbi gratiâ: *Doctrinæ Euangelicæ* theſaurus, de Deo, de Sanctiſſima Trinitate, Verbi incarnatione, iuſtificatione, &c. controu. 1.3.4.& 15. *Eccleſiæ* inſtitutio tali *capite*, talibus *membris*, controu. 5 6.7. 8.9.10. *Mundi redemptio*, controu.4.11.12. Omne genus *gratiarum* ac beneficiorum cæleſtium, contr.13.14.16.17. Inſtitutio *Sacramentorum* tam nobilium, tam efficacium, controu. 18. vſque 28. Liberatio à *morte & inferno*, controu. 28.& 29. Cæli reſeratio, & cæleſtis gloriæ communicatio, controu. 30.

MORES.

Inſtar *Annæ*, matris *Tobiæ*, cap. 11. verſ.5. è ſupercilio montis quotidie proſpectantis, num filius adueniret, Synagoga per Prophetas proſpectabat Meſſiam ſuum: & nos proſpectare decet Dominum, ſaluatorem & ſponſum noſtrum.

Ego autem ad Dominum aſpiciam, exſpectabo Deum Saluatorem meum. Audiet me Deus meus. Michææ 7.v.7.

Apparebit in finem, & non mentietur. Si moram fecerit, exſpecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit. Iuſtus interim *in fide ſua viuet.* Habac.2. v.3.& 4.

Domine opus tuum, in medio annorum viuifica illud. c.3.v.2.

Rorate cæli, &c. Iſaiæ 45.v.8.

Non tacebo, non quieſcam, donec egrediatur Iuſtus eius. Iſaiæ 62.v.1.

Vtinam dirumperes cælos & deſcenderes! Deſcendiſti tandem, *& à facie tua montes defluxerunt.* v.3.

Duplex Chriſti aduentus, Primus cum *thau*, id eſt cum cruce, Ezech.9. v.2. Secundus cum *igne* iudicij, Ezech. 10. verſ. 2.

Primo aduentu *non miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Ioan.3. verſ.17.

De ſecundo aduentu vide Dominica prima Aduentus, & Dominica 24. poſt Pentec.

De multiplici Chriſti Aduentu in animam noſtram, Cant.2. v.8. *Ecce iſte venit ſaliens,* &c.

Propter peccata retardatur & impeditur Aduentus eius. Iſaiæ 59. verſ.11. *Vidit* Deus *quia non eſt vir,* &c. vſque verſ.21.

Reuertere, reuertere, &c. Cant.2. v. vlt.

Reuertar ad Ieruſalem in miſericordia. Zach.1.v.16.

Familiaritas Dei cum anima. *Oſculetur me oſculo oris ſui.*

sui. Cant.1. v.1. *Indica mihi vbi cubes.* v.6. *Dum esset Rex in accubitu suo.* v.11. & ferè toto Cantico.

Ne cum Israelitis dicamus Exod. 20. v.19. *Loquere tu nobis,* ô Moyses: *& non loquatur nobis Dominus,* ne fortè moriamur.

Dicamus cum Moyse Exod.34. v.9. *Obsecro, vt gradiaris nobiscum, & auferas iniquitates nostras atque peccata, nosq; possideas.* Ini nobiscum *pactum,* v.10. &c. *Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto.*

Quatuordecim *Saluatores* missi vicissim Israeli, Iudic. 2. v.16. & quidem sancti omnes. Sed quantillam illi salutem aduexerunt?

Qua via veniet in animam nostram Deus?

Psal.34. v.10. *Vniuersæ viæ Domini,* quibus ad nos graditur, *misericordia & veritas.* Quibus verò gradiemur nos ad Deum, *iudicium & iustitia.* Psalm.88. v.15.

Ergo *custodite iudicium, & facite iustitiam, quia iuxtà est salus mea vt veniat, & iustitia mea vt reueletur.* Isaiæ 56. vers.1.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. 2. Corinth.6. vers. 1.

Rom.13. vers. 12. *Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.*

Iam hiems transiit, &c. Cant.2. v.10. *Hiems* legis Mosaicæ, *hiems* timoris. Transibit & *hiems* persecutionum, & *hiems* mortalitatis. Sap.5.v.1.&c.

Iam *flores apparuerunt in terra nostra.* Cant.2.v.11.

Deserta florebit quasi lilium, &c.Isai.35.v.1.

VARIA.

Quoto anno mundi conditi, quoto Iuliano, quoto vrbis Romæ, quoto regni Herodis, quoto Cæsaris Augusti, quota Olympiade, quibus Consulibus Romanis, Christus conceptus & natus sit, vide in Chronico cap.47.

Quo Iudæorum Pontifice, ibid. cap.42. in fine classis secundæ.

Quo mense, quo die, quâ horâ conceptus & natus, cap.48.

Arbor genealogiæ Christi ab Adamo vsque ad Mariam & Ioseph um, cap.46.

Series annorum & gestorum Christi, à prima die quâ conceptus est, vsque ad vltimam quâ in cælum ascendit, cap. 49.

DOMINICA I. ADVENTVS.

Euangel. *Erunt signa in Sole & Luna.* Lucæ 21. vers.25. ad 34.

FIDES.

Præuia aduentui Christi ad iudicium, quibus prænonebimur ad nos tempori parandos. v.31. *Cùm videritis hæc fieri, scitote quoniam propè est regnum Dei.*

Primò. Lucæ 21. v. 25.

Erunt signa in Sole & Luna & Stellis] Matth.24.v.29. *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de cælo.* vide ibid.Isaiæ 13. v.10. *Stellæ cæli non expandent lumen suum: obtenebratus est Sol in ortu suo, & Luna non splendebit.* Apoc.6. v.12. *Sol factus est niger tamquam saccus cilicinus: & luna tota facta est sicut sanguis, & stellæ de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cùm à vento magno mouetur.*

Secùdò. v.25.

Confusio sonitus maris & fluctuum] Apoc.6.v.12. *Aperto sigillo sexto, ecce terræmotus magnus factus est. Et omnis mons & insulæ de locis suis motæ sunt.* Sap.16.v.17. *Quod mirabile erat; in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat: vindex est enim orbis iustorum.* Cap.19.v.6.& 17. *Omnis enim creatura* deseruit *tuis præceptis.* Et specificantur creaturæ Eccli.39.v.33.vsque 38.

In terris pressura gentium: arescentibus hominibus præ timore & expectatione, &c.] *Cùm aperuisset* (Agnus) *sigillum quartum, ecce equus pallidus, & qui sedebat super illum; nomen illi* Tertiò. v.25. *mors: & infernus sequebatur eum: & data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame & morte, & bestiis terræ.* Apoc.6.v.7.& 8.imò toto cap.

Pluet super peccatores laqueos: ignis & sulphur & spiritus procellarum, pars calicis eorum. Psalm.10.v.7.

Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Psal.89.v.11.

Hoc consilium quod cogitaui super omnem terram, & hæc est manus extenta super vniuersas gentes. Dominus enim exercituum decreuit, & quis poterit infirmare? & manus eius extenta, & quis auertet eam? Isai.14.v.26.& 27.

Accipiet armaturam zelus eius, &c. Sap.5.v.18.&c.

Dies succensa quasi caminus, &c. Malach.4. vers.1. *Magnus enim dies Domini, & terribilis valdè: & quis sustinebit eum?* Ioel. 2.v.11.

Quomodo cataclysmus aridam inebriauit, sic ira ipsius gentes, quæ non exquisierunt eum, hæreditabit? Eccli. 39. v.28.

Vlulate quia propè est dies Domini, &c. *Omne cor hominis contabescet & conteretur,* Isai.13.v.6.&c. *Facies combustæ vultus eorum,* v.8. *Ecce dies Domini veniet crudelis & indignationis plenus,* &c. v.9.

Iuxtà est dies Domini magnus, iuxtà est, & velox nimis: vox diei Domini amara. Dies iræ dies illa, &c. Sophon.1.v.14. vsque finem.

Tabescet caro vniuscuiusque stantis super pedes suos, & oculi eius contabescent in foraminibus suis, & lingua eorum contabescet in ore suo. Zach 14.v.12.

Et reges terræ & principes, &c. *absconderunt se in speluncis, & in petris montium, & dicunt montibus & petris, Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare?* Apoc.6.v.15.

Virtutes cælorum mouebuntur] Quomodo, explicui Quartò. Matth.24. v.29.vbi & de aliis huc spectantibus. Apoc.6. v. 26. v.13. *Cælum recessit sicut liber involutus.*

Tunc pluit de cælo ignem & sulphur. Psalm.96.v.3. *Ignis ante ipsum præcedet,* &c. Isai.66. v.15. *Ecce Dominus in igne veniet. Sicut subuertit Dominus Sodomam & Gomorrham,* Isai.13. v.19. *Non habitabitur* amplius terra *vsque in finem,* v.20. Plura de excidio totius orbis vide Isai.24. 25. 34.

Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate] De extremo iudicio, contr.28. v. 27. n.3. De forma iudicis. Apoc.1.v.13. c.4.v.2. Vbi tribunal Christi figendum, Matth.24.v.28. De forma iudicij vniuersalis vide Feria 2.post 1.Domin.Quadrag.

Isai.42.v.13.vsque 16. *Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir præliator,* &c. *Ardens furor eius,* &c. Isai.30.v.27.&c. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt: & plangent super eum omnes tribus terræ.* Apoc.1.v.7.

Non præteribit generatio hæc, donec omnia iam dicta *fiant*] v. 32. Ad extremum vsque mundi tempus supererunt Iudæi, & cadente Antichristo, conuertentur omnes ad Christum, *& sic omnis Israel saluus fiet.* Rom.11. v.29.

Cælum & terra transibunt (quomodo vide Matth. 24. v. 33. v.35. *verba autem mea non transibunt*] Matth.5.v.18. *Donec transeat cælum & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.*

Iudicium tum particulare (contr.28.n.4.)tum vniuersale(n.3.) prorsus infallibiliter futurum. *Eloquia Domini casta,* &c. Psalm.11.v.7.

Longè certiùs executioni mandanda, quàm omne *decretum Medorum* aut *Persarum, quod immutare* vel *præuaricari non licet,* Dan.6. v.8.

MORES.

Quid facietis in die visitationis & calamitatis de longè venientis? ad cuius confugietis auxilium? & vbi derelinquetis gloriam, (id est, opes, pompam, dignitatem) *vestram, ne incuruemini sub vinculo, & cum interfectis cadatis?* Isai. 10. 3.

Primò. Vitam viue, quæ non erubescat hunc diem, hunc consessum, hoc tribunal.

Causa excidij tum particularium regnorum & familiarium, tum vniuersi orbis, sunt innumera scelera impunè grassantia. Sap. 14. v. 22. &c. Ideo factum diluuium, Gen. 6. v. 2. & cap. 7. v. 11. *Putas fidem inueniet in terra?* Lucæ 18. v. 8. *Non est veritas, non est misericordia,* &c. Osee 4. vers. 1. & Isai. 59. v. 14. *Periit sanctus de terra,* &c. Michææ 7. v. 2. Ergo

Secundò. Siste te (per quotidianum examen) *tribunali,* de quo Paulus 1. Cor. 12. v. 31. *Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur.* 1. Ioan. 3. v. 21. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.*

Tertiò. Siste tè (per frequentem exomologesin) *tribunali,* de quo Christus Ioan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Quartò. Tempestiuè *dispone domui tuæ,* &c. Isaiæ 38. vers. 1. Quia *dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cùm enim dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habenti: & non effugient.* 1. Thessal. 5. v. 2. & 3. Similia habes 2. Petri 3. vers. 10. vsque 15. *Miluus cognouit tempus suum, turtur & hirundo & ciconia,* &c. Ierem. 8. vers. 7.

Quintò. Nolite contemnere, nolite ridere diem illum.

Væ desiderantibus (ex petulantia) *diem Domini. Ad quid eam vobis? dies Domini ista, tenebræ, & non lux: & caligo, & non splendor in ea. Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus, & mordeat eum coluber* (sic vobis continget.) Amos 5. v. 18. &c.

Iustis & piis grauissima accidet illa dies.

Lucæ 21. v. 28. *His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.*]

Si fuerit vir bonus, non cadet ne vnus quidem capillus eius in terram: sin autem malum inuentum fuerit in eo, morietur, inquit Salomon de Adonia 3. Reg. 1. v. 52.

Pluit igitur super Pentapolim, Genes. 19. v. 24. sed eductus *Loth cum filiabus Noë* in arca, &c. Gen. 6. v. 7. *Filij Core* pereunte parente, Num. 16. v. 33. & c. 26. vers. 10. Quomodo Hebræi in Ægypto immunes fuerint à 10. plagis Ægyptiorum, vide Exod. 8. v. 19. notabili 2.

Et erit dies vna, quæ nota est Domino, non dies, neque nox: & in tempore vespertino erit lux. Zach. 14. v. 7. *Et erit in die illa, exibunt aquæ viuæ de Ierusalem,* &c. v. 8. *Et erit Dominus Rex super omnem terram. Et erit Dominus vnus, & erit nomen eius vnum,* v. 9. *Et anathema non erit amplius, sed sedebit Ierusalem secura.* v. 11.

Sap. 16. v. 24. *Creatura enim tibi factori deseruiens, exardescit in tormentum aduersus iniustos: & leuior fit, ad benefaciendum pro his qui in te confidunt,* &c. *Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se.* Prou. 30. v. 5. *Merces mea mecum,* &c. Apoc. v. 12.

Quanto gaudio futurus sit eius aduentus, vide Isaiæ 30. v. 29. & 32.

Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum, &c. Sap. vlt. v. 18. vsque finem.

Glorificabor in Pharaone & in omni exercitu eius, scientq; Ægyptij, quia ego sum Dominus. Exod. 14. v. 4.

Vndè voces congratulatoriæ: *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes,* Apocalyp. 14. v. 8. & cap. 18. toto, & Isaiæ 21. v. 9. Ierem. 51. v. 8. &c.

Dexteram tuam sic notam fac, &c. Psalm. 89. v. 12. *Dicite in Gentibus, quia Dominus regnauit,* &c. *Lætentur cæli, & exultet terra,* &c. *quia venit iudicare terram,* &c. Psalm. 95. v. 10. vsque in finem, ita Psal. 96. v. 2. *Nubes & caligo in circuitu eius,* &c. vsque in finem. *Memor fui iudiciorum tuorum à sæculo Domine, & consolatus sum,* Psal. 118. v. 52.

VARIA.

Signa hæc instantis iudicij prædixit IESVS Apostolis triduo ante mortem suam, Chron. c. 49.

Nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, &c. 2. Thess. 2. v. 3. vsque 12.

Dixit Ieremias, quòd ignotus erit locus (in quo tabernaculum, arcam & altare incensi ipse reposuit) *donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat: & tunc Dominus ostendet hæc, & apparebit maiestas Domini, & nubes erit, sicut & Moysi manifestabatur & Salomoni.* 2. Machabæor. 2. vers. 7. & 8.

Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio. Matth. 24. v. 14.

Sed quid opus multis signis? *Sicut fulgur* neminem lætet, ita nec *aduentus filij hominis,* v. 27.

Vbi fiet iudicium extremum?

Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis ibi, &c. Ioel. 3. v. 2. *Consurgant & ascendant gentes in vallem Iosaphat: quia ibi sedebo vt iudicem omnes gentes in circuitu.* v. 12.

Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam, & mouebuntur cæli & terra, &c. Ioel. 3. v. 16.

Vbicumque fuerit corpus mortuum Christi, *illic congregabuntur & aquilæ:* an ergo in monte Caluariæ tribunal erit iudicantis? vide Matth. 24. v. 28.

An nocte veniet ad iudicium Christus?

Media nocte clamor factus est, Et ecce sponsus venit. Matth. 25, vers. 6.

Cùm quietum silentium contineret omnia, & nox, &c. omnipotens sermo tuus de cælo à regalibus sedibus, durus debellator in medium exterminij terram protulit, gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, & stans impleuit omnia morte, & vsque ad cælum attingebat stans in terra. Tunc continuò, &c. *alius aliò proiectus semiuiuus,* &c. Sap. 18. vers. 14. &c.

An post exactos præcisè sex mille annos, fiet iudicium? vide Apoc. 10. v. 6.

Forma & figura iudicis describitur Apoc. 1. v. 13. vsque 17. & c. 4. v. 2. vsque 7.

Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, &c. Dan. 7. v. 9. vsque 15.

DOMINICA II. ADVENTVS.

Euangel. *Cùm audisset Ioannes in vinculis opera Christi.* Matth. 11. v. 2. ad 11.

FIDES.

Tu es qui venturus es, an alium exspectamus] Iesum esse Messiam, contr. 4. v. 2. Id explicitè credere, necessarium ad salutem, S. Thom. 2. 2. qu. 2. a. 7. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Ioan. 17. v. 3. Matth. 11. v. 3.

Renuntiate quæ audistis & vidistis. vers. 5. *Cæci vident, claudi* v. 4. & *ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgent, pauperes euangelizantur*] Atqui hæc nobis prædicta sunt ab Isaia cap. 35. vers. 5. & cap. 61. vers. 1. indicia fore aduentus Messiæ. *Deus ipse veniet, & saluabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum,* &c. Quin & quoduis miraculum est infallibile signum eius veritatis ad quam probandam exhibetur, controu. 5, n. 6.

Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me] nec propter v. 6. communem victus vestitusque mei rationem, & carnis meæ vilitatem, denegat mihi diuinam, quæ Messiæ debetur, maiestatem, controu. 4. num. 3, &c.

Ad

An bona ſpiritualia relinquenda ſint propter ſcandalum, S. Thom. 2.2. qu. 43. a. 7.

v. 7. *Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam? hominem mollibus veſtitum?*] Anachoreticum & monachicum inſtitutum, atque eorundem paupertatem, & victus veſtituſque aſperitatem à Chriſto laudatam ac probatam, contr. 9. n. 1, 2. 6. 9. 10.

v. 9. *Plus quàm Prophetam*] Encomia S. Ioannis vide in Natiuitate eiuſdem. De inæqualitate meritorum, iuſtitiæ & ſanctitatis ac gloriæ, vide contr. 15. n. 21. & 22.

MORES.

Ioannes è carcere mortem præſagiens, in Chriſti diſciplinam ſuos tradit. Ita tu liberos probis magiſtris ac tutoribus maturè conſigna. *Si quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum, curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* 1. Tim. 5. v. 8.

Impediris quo minùs concioni vel Miſſæ interſis? mitte domeſticos vel familiares, qui & ſibi proſint audiendo, & tibi audita referendo.

Mittit duos.] His duobus curandis quantum operæ & ſtudij impendunt Ioannes & Chriſtus? Nete ergo pigeat paucorum ſaluti laborare.

Vt hi diſcipuli magiſtro ſuo Ioanni captiuo, ſic & vos, ô clientes & ſubditi, fidem dominis & amicis veſtris conſtanter, etiam in aduerſis, probate. *Eſt enim amicus ſecundùm tempus ſuum, & ſocius menſæ, & non permanebit in die tribulationis & neceſſitatis.* Eccli. 6. v. 8. &c. *Nuntius impij cadet in malum: legatus autem fidelis, ſanitas.* Prou. 13. v. 27.

Renuntiate quæ vidiſtis. Non verbis, ſed factis te commendes. Nec ſola doctrina, quam audiant, ſed & egregiarum virtutum exemplis, quæ videant, proba te tuis. *Vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Matth. 5. v. 16.

Cæci vident, ſurdi audiunt, &c.] *Manus* Chriſti *tornatiles, aureæ plenæ hyacinthis.* Cant. 5. v. 14. Pyxis eburnea, ibid. *Crura, &c.* v. 15.

Sed heus, quàm pauci Iudæorum, etſi cæci & ſurdi voluerunt curari à Chriſto! *Quis cæcus, niſi ſeruus meus? & ſurdus, niſi ad quem nuntios meos miſi?* &c. Iſai. 42. v. 19. & 20.

Miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis, claudet oculos veſtros, Prophetas & Principes veſtros, qui vident viſiones; operiet, &c. Iſai. 29. v. 10. vſque 16. Et *audient in die illa ſurdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt: & addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in ſancto Iſrael exultabunt.* v. 18. & 19.

Pauperes euangelizantur] Hoc quoque nomine beati, quòd ad Euangelium ſuſcipiendum careant iis impedimentis quibus tam multi diuites præpediuntur. Vide Dominica in ſexageſima, de ſpinis. Caue autem ſpernas pauperem, maximè in cauſa ſalutis animæ.

Quinam ſcandalizantur in Chriſto? Nónne qui doctrinam Euangelij, qui vſum Sacramentorum erubeſcunt? Luc. 9. v. 26. *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in maieſtate ſua.*

Illis abeuntibus] Optimè. Neminem facilè laudes coram, vel intimis eius audientibus. Vtrumque adulatorum eſt.

Hominem mollibus veſtitum?] Externa corporis ſæpè, non tamen ſemper, indicia ſunt internæ diſpoſitionis animæ.

Non laudes virum in ſpecie ſua, neque ſpernas hominem in viſu ſuo. Breuis in volatilibus eſt apis, & initium (ſeu principatum) *dulcoris habet fructus illius. In veſtitu ne glorieris vmquam, nec in die honoris tui extollaris*, &c. Eccli. 11. v. 2. & 3. *Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus. Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo.* Eccli. 19. v. 26. 27. *Fatuus in riſu exaltat vocem ſuam: vir autem ſapiens vix tacitè ridebit.* Eccli. 21. v. 23. *Stultus à feneſtra reſpiciet in domum: vir autem eruditus foris ſtabit*, &c. v. 26. vſque 31. *Aquitio vultus eorum reſpondit eis.* Iſai. 3. v. 9.

Qui mollibus veſtiuntur, & delicatè nutriuntur, *in domibus regum ſunt*] Eſther 4. verſ. 2. non licebat, *indutum ſacco aulam regis* Aſſueri *intrare*; ne quid triſte incurreret, in oculos molliculi regis. Non ſic agitur in aula regis cæleſtis.

Hoſtiis pro peccato numquam poterat admiſceri *oleum* vel *thus*, ſymbola deliciarum & iucunditatis, Leuit. 4. v. 3. & c. 5. v. 11.

Ioſeph, quâ erat prudentiâ, voluit fratres ſuos omnes procul ab aula degere, & in munere paſtoritio perſeuerare, Geneſ. 46. v. vlt. vnde nec primos, ſed ſolos extremos ſtitit Pharaoni, c. 47. v. 2.

Quis cibus Ioannis? an cancri marini? Leuit. 11. v. 22. *Locuſtas edebat & mel ſilueſtre.* Marc. 1. v. 6.

Quæ veſtis? Ibid. *Erat veſtitus pilis cameli, & zonâ pelliceâ circa lumbos.* vt alter *Elias* 4. Reg. 1. v. 8. *vir pilоſus, & zonâ pelliceâ accinctus renibus.*

Aulici *præcellant* oportet ſapientia, ſcientia & diſciplina, Dan. 1. v. 4.

In die hoſtiæ Domini, viſitabo ſuper principes, & ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrina: & viſitabo ſuper omnem qui arroganter ingreditur ſuper limen, qui complent domum Domini Dei ſui iniquitate & dolo. Sophon. 1. verſ. 8. *Pro eo quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant pedibus, & compoſito gradu incedebant, decaluabit Dominus verticem*, &c. Iſai. 3. verſ. 16. vſque fin.

VARIA.

Miſſa fuit hæc legatio ſub medium Iunij, anni ſecundi prædicationis Chriſti. Chron. c. 49.

Ioannes in vinculis, Herodes in epulis. *Mundus gaudebit: vos verò contriſtabimini: ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Ioan. 16. v. 20.

A Iebuſæis arcis Ieroſolymitanæ præſidiariis dictum Dauidi: *Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos & claudos*, 2. Regum 5. v. 6. Nec Chriſtum admiſiſſet Synagoga, niſi iuxta prophetiam Iſaiæ cap. 35. v. 5. &c. *cæcos* curaſſet & *claudos.*

An Eccleſiaſtici peccent vtendo pretioſis veſtibus in Eccleſia: & in miniſterio Altaris? Sanctus Thom. 2.2. qu. 169. a. 1.

De ornatu mulierum, de nudis capillis, de ceruſſa, &c. ibid. a. 2.

Non induetur mulier veſte virili, nec vir veſte feminea. Deuter. 22. v. 5.

DOMINICA III. ADVENTVS.

Euang. *Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis Sacerdotes.* Ioann. 1° v. 19. ad 29.

FIDES.

Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis ad Ioannem, qui *interrogarent eum, tu quis es?*] Quicumque extra ordinem mittitur à Deo, debet certis ſignis vel rationibus teſtatum facere Eccleſiæ, ſe miſſum à Deo, contr. 8. nu. 2. Signa miſſionis Ioannis vidimus in eius conceptione & Natiuitate. Rationem nunc profert ex Prophetia Iſaiæ cap. 40. v. 3. Ioan. 1 v. 19.

Ego vox clamantis in deſerto: dirigite viam Domini.] q. d. Sum (de quo prædixit Iſaias,) prodromus, præcurſor, prænuntius Chriſti. Verſ. 23.

Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, &c. cùm baptizationem Chriſto propriam faciant Prophetæ? vide comment. Verſ. 25.

v. 20. *Ego baptizo in aqua* nuda: sed longè nobilior est baptismus qui à Christo vsurpatur. Nam illo non solùm corpus abluetur, sed & anima: neque disponet tantùm ad pœnitentiam, sed & reipsa exhibebit plenam remissionem peccatorum & gratiam iustificantem. vide contr. 19. numer. 8. & 10.

v. 26. & 27. *Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis. Ipse est, qui* modo tempore *post me venturus est, qui* dignitate longè *ante me factus est.* De dignitate Messiæ, vide contr. 4. numer. 3. 7. 9. 11.

MORES.

Tu quis es?] Id multi multos alios rogant, vt plurimum infructuosè, non rarò etiam noxiè. Pauci seipsos. *Quis ego sum?*

Respondet Dauid Psalm. 21. v. 7. *Vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Psalm. 115. v. 2. *Omnis homo mendax.* Psalm. 8 v. 5. *Quid est homo?* &c. Psalm. 33. v. 6. *Vniuersa vanitas omnis homo viuens.* Iac. 3. vers. 6. *Vniuersitas iniquitatis.* Paulus 1. Corinth. 15. v. 9. *Ego sum minimus Apostolorum,* &c. Salomon Prou. 30. v. 2. *Stultissimus sum virorum.* Quid Deus? Genes. 3. v. 19. *Pulvis es, & in pulverem reuerteris.* Iob c. 14. v 1. *Homo natus de muliere, multis repletur miseriis, quasi flos egreditur,* &c. Ecclesiasticus, cap. 10. v. 11. *Cùm morietur homo, hereditabit serpentes,* &c. Isai. 14. v. 11. *Subter te sternetur tinea & vermes.* Prou. 23. v. 21. *Vermis eorum non morietur,* &c.

Confessus est, & non negauit. Non sum Christus, non sum Elias. De excellentia veracitatis & humilitatis, eiusque gradibus, S. Thom. 2. 2. q. 161. & 109. Caue composita verecundia dissimularis, multò minùs admiseris bonum quo cares, titulosque tibi indebitos. Nec maior vel melior, quàm coram Deo es, ab hominibus haberi vel dici velis. Satage potiùs celare quod habes.

Propheta es tu?] Non. Amos 7. v. 14. *Non sum Propheta sed armentarius, vellicans sycomoros.* Varia genera Prophetarum, Num. 12. v. 1.

Quid ergo baptizas?] Cui mox blandiebantur, delatis titulis Messiæ, nunc quasi sacrilego insultant. I nunc & mundi fide fauoribus. Proba te Deo, si sapis, hoc iudice stabis aut cades.

Ego vox clamantis] Vide in Natiuitate S. Ioannis. Vt vox tota est clamantis, sic ego quod sum, Dei sum. *Mea doctrina non est mea.* Ioan. 7. vers. 16. *Gratia Dei sum id quod sum.* 1. Corinth. 15. vers. 10. *Quid habes quod non accepisti?* 1. Cor. 4. v. 7. *Si quis loquitur, quasi sermones Dei.* 1. Petr. 4. v. 11. *Sine me nihil potestis facere.* Ioan 15. v. 5. *Ego dabo vobis os & sapientiam.* Luc. 21. v. 15.

Non sic superbi, non sic: Psal. 11. v. 5. *Labia nostra à nobis sunt: quis noster Dominus est?*

Clama, ne cesses, Isai. 58. v. 1. Clamet zelus animarum, ardor laborum, feruens oratio, sedula exhortatio; heroicum *exemplum, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate,* 1. Tim. 4. v. 12. Animet pigros, excitet dormitantes, reuocet aberrantes. *Lazare veni foras.* Ioan. 11. v 43. *Insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa.* 2. Tim 4. v. 2. *Potens sit exhortari.* Tit. 1. v 9.

Clamet autem non vindictam, non iram, non minas (nisi fortè cælestes,) sed pœnitentiam. *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Luc. 3. v 4.

Medius vestrûm stetit Messias, turbæ populi permixtus, iam totis 30. annis, & tu omnium capitibus inambulare affectas? Vide Superbia, Ambitio, Humilitas.

Cuius ego non sum dignus vt soluam eius corrigiam calceamenti, id est, vt ipsi pro famulo deseruiam, 4. Reg. 3. v. 11. Tu te humilias: Christus è contrario te exaltat: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Matth. 11. vers. 11. Christus *semetipsum exinaniuit,* &c. Philip. 2. v. 7. *Deus exaltauit illum,* &c. v. 9.

Te tuaque deprime: aliorum merita & virtutes sincero affectu admirare, deprædica, extolle, vt Petrus Pauli sapientiam, 2. Petr. 3. v. 15. suas reticens prærogatiuas.

VARIA.

Miserunt ad Ioannem] Quid ni potiùs ad *Iesum?* huius enim opera longè nobiliora, & doctrina multò sublimior. At Ioannes, inquient, viri nobilis & illustris, IESVS *fabri* est *filius.* O fallax mundi & dolosa statera! pòst paulò etiam Barabbæ latroni postponet IESVM, Matth. 27. v. 17. Sed benè habet. Quidquid agatis; IESVM *oportet crescere,* Ioannem *autem minui,* Ioan. 3. v. 30. Crediderim, & ex inuidia IESV; delatam Ioanni dignitatem Messiæ: cùm tamen probè nossent, nec patriam, nec stemma, nec matrem, nec opera Messiæ, vel à longè conuenire Ioanni. O affectatam legisperitorum & sacerdotum ignorantiam! ô inuidiam! ô nequitiam!

Non sum Propheta] Licetne humilitatis ergò mentiri, vel negando bonum quod habes, vel falsum crimen fatendo? S. Thom. 2. 2. qu. 110.

Quis Ioanni auctor fuit baptizationis? contr. 19. numer. 10.

De Bethania vide Commen.

Quando contigit hæc legatio? Respondeo, prima Martij, 56. die à baptizato Christo. Chron. c. 49.

FERIA IV. Quatuor temporum Aduentus, Euangelium est festi Annuntiationis beatissimæ Virginis, 25. Martij.

FERIA VI. Quatuor temporum Aduentus, Euangelium est festi Visitationis beatissimæ Virginis, 2. Iulij.

SABBATO Quatuor temporum Aduentus, Euangelium est Dominicæ quartæ in Aduentu.

DOMINICA IV. ADVENTVS.

Euangel. *Anno quintodecimo imperij Tiberij.* Lucæ 3. v. 1. vsque 7.

FIDES.

Anno quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris] inchoante iam septuagesima annorum hebdomada Danielis (cap. 9. vers. 25. vt ostendi in Chronico cap. 38.) quà prædixerat Archangelus Gabriel, Messiam publicè compariturum; mittitur præcursor Messiæ Ioannes, vt Dominum suum toti populo manifestet ac demonstret. Luc. 3. v. 1.

Factum est verbum, seu mandatum, *Domini super Ioannem Zachariæ filium, in deserto*] Nemo seipsum potest intrudere in munia Ecclesiastica: vocatione & missione opus est, contro. 8. n. 1. Et quidem quando à Deo immediatè quis mittitur, id signis seu miraculis probandum, vt probatum fuit in conceptione & natiuitate Ioannis, n. 2. Malach. 3. v. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam,* &c. v. 1.

Venit prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum] Audin' non solam fidem, sed & *baptismum pœnitentiæ?* contr. 15. num. 7. & 13. Quo sensu baptismus Ioannis vocetur *baptismus pœnitentiæ,* & an remiserit peccata, & in quo diuersus fuerit à baptismo Christi, contr. 19. num. 10. De Sacramento pœnitentiæ per Christum instituto, controu. 23. num. 1. & sequ., vbi de omnibus eò spectantibus. v. 3.

Parate viam Domini, rectas facite semitas eius] Libertas enim constat homini, etiam in supernaturalibus operibus, controu. 13. numer. 5. Quæ dispositiones ad iustitiam acquirendam necessariæ, controu. 15. num. 9. v. 4.

In

In quo formaliter consistat iustitia, numer. 2. vsque 9. Et an etiam bona opera ad illam requirantur, num. 23.

v. 6. *Videbit omnis caro salutare Dei*, seu saluatorem mundi à Deo submissum, vide in Festo Natiuitatis.

MORES.

Anno quintodecimo Tiberij] Agebat Ioannes annum vitæ 31. & amplius, (vt colligere est ex dictis c. 47. Chronici, de ætate Christi,) quam ætatem iussus est expectare, licet à pueritia prædicare potuisset; vt & Christus Dominus: vt doceamur non præpropere nos ingerere in munus tam sanctum, tam nobile, tam arduum.

Pontius Pilatus præerat Iudææ, primæ tetrarchiæ, quæ nuper Archelao cesserat Herodis Antipæ fratri, Chronici c. 45. Disce regnorum inconstantiam, vicissitudinem, breuitatem. *Omnis potentatus breuis vita*, Eccli. 10. v. 11.

Et hæc regni Iudaici in quatuor tetrarchias dissectio, nonne præsagium & præludium fuit instantis ruinæ & excidij eiusdem? *Non relinquent in te lapidem super lapidem*, &c. Lucæ 19. v. 44.

v. 3. *Factum est verbum Domini super Ioannem in deserto*] Multa & magna solitudinis commoda. Hîc *vox dilecti mei, aperi mihi*, &c. Cant. 5. v. 2. *Vox turturis audita est*, &c. c. 2. & 12. Hic diuini verbi susurros percipies. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Osee 2. v. 14. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Psalm. 75. v. 5.

Ibid. *Venit* Ioannes *in omnem regionem*, à contemplatione ad actionem: ab oratione ad prædicationem.

Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam: exalta, noli timere. Dic ciuitatibus Iuda: Ecce Deus vester. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur: ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit. Isa. 46. vers. 9. vsque 12. Exod. 19. vers. 10. *Sanctifica illos hodie & cras*, &c. Iosue 3. vers. 5. Ierem. 16. vers. 16. *Mittam eis venatores*, &c. Cant. 2. vers. 8. *Ecce iste venit saliens in montibus*, &c.

Ibid. *Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*] Hoc est Christi prædicationis primum thema fuit. Non mollia, non blanda, non carni placentia auditoribus inculcanda, non curiosa. Ezec. 13. vers. 18. *Væ* qui *consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas.*

Vis audire tonantem Ioannem? Matth. 3. vers. 7. *Progenies viperarum.* vers. 10. *Iam securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor*, &c.

Vin' & Isaiam? *Quærite Dominum, dum inueniri potest*, &c. *Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ, neque viæ vestræ viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Isaiæ 55. vers. 7. vsque 10. *Miluus in cœlo cognouit tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* Ierem. 8. vers. 7.

v. 4. *Parate viam Domini*, quâ & ipse ad nos, & nos ad ipsum decurramus. Vide de aduentu Dei in animam nostram, ante primam Dominicam Aduentus. *Hæc dicit Dominus: Ecce, ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis.* Ierem. 21. vers. 8. *Facite iudicium & iustitiam*, &c. c. 22. v. 3. vsque 6.

Ibid. *Rectas facite semitas eius*] Quænam illæ? Quæ Deum habent auctorem, Christum ducem, metam & præmium cœlum. Semitæ crucis, passionis, mortificationis, pœnitentiæ, omnisque virtutis.

Quales illæ semitæ? Primò, *rectæ*, non in circuitum ambages flexæ, *Impij in circuitu ambulant*, Psalm. 11. 9.

Secundò, *pulchræ, pacificæ*, tutæ. Prou. 3. vers. 17. *Viæ eius, viæ pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ.*

Tertiò planæ. *Omnis vallis implebitur*, Lucæ 3. vers. 5. Ignauia, pusillanimitas, vecordia valles sunt, implendæ fiducia in Deum, magnanimitate, fortitudine. *Omnis mons: & collis humiliabitur*] Lucæ 3. vers. 5. *Superbis Deus resistit humilibus autem dat gratiam*, Iacob. 4. vers. 6. *Humiliauit lignum sublime, & exaltauit humile*, &c. Ezech. 17. vers. 24. *Humilia respicit, & alta à longè cognoscit*, Psalm. 137. vers. 6.

Erunt prava in directa, & aspera in vias planas] Quæ v. 5. gratia, quæ horrida olim, nunc facilia, nunc dulcia per gratiam Christi. Nulla hîc præcipitia, nulli anfractus, nulli labyrinthi. *Constituit enim Deus humiliare omnem montem excelsum. & rupes perennes, & conualles replere in æqualitatem terræ, vt ambulet Israel diligenter in honorem Dei*, (è Babylone in patriam, &c.) Baruch 5. vers. 7. 8. 9. *Contriti sunt montes seculi*, Habac. 3. vers. 6.

Videbit omnis caro salutare Dei] *Qui ambulat in iustitijs*, v. 6. &c. Isai. 53. v. 15. vsque 18. *Iste in excelsis habitabit*, &c. *Regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram de longè.* Similia habes psalm. 14. vers. 2. &c.

VARIA.

De quarta orbis monarchia, & annis imperij Tiberij & quotus agebatur annus orbis, & Vrbis, & Olympiadis; & quartæ monarchiæ anno quintodecimo imperij Tiberij, vide Chronici cap. 43. & cap. 38. sub finem.

De procuratore seu præside Iudææ *Pontio Pilato*: quæ origo huius officij: quotus in ordine procuratorum fuerit Pilatus: qui & quot ante & post ipsum præsides fuerint: quoto anno Tiberij cœperit Pilatus, & quamdiu præses Iudææ fuerit, Chron. c. 45.

Qui & quales post historiam Regum fuerint duces & pontifices Iudæorum, colliges ex Chron. c. 42. classe 2. & 3.

De Herode Ascalonita, Antipa, & duobus Agrippis, ibid. & c. 45. Vbi & de Iudæa in tetrarchias ab Augusto diuisa, & quibus concessa.

Quoto anno pontificatus Caiphæ Christus baptizatus sit, c. 42. sub finem.

Et erat iam inchoata septuagesima annorum Danielis hebdomada, (vt dixi Chronici c. 38. sub finem) quâ prædixerat ei angelus Messiam publicè compariturum, Dan. 9. v. 25.

Quomodo Philippus frater fuerit Herodis Antipæ: Qualis, & vbi sita Ituræa & Trachonitis: Quis Lysanias, & ex qua stirpe: Quo iure Annas vocetur iam princeps sacerdotum, dixi in comment.

Bissextilis erat hic annus, & præfiguratus 366. tintinnabulis stolæ pontificiæ, Exod. 39. v. 24.

VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

Euangel. *Cùm esset desponsata mater Iesu.* Matth. 1. 2. vers. 18. vsque. 21.

FIDES.

Deiparam perpetuò virginem mansisse, etiam post partum, dixi contr. 2. n. 17.

Virum non cognosco] Lucæ 1. vers. 34. *Porta hæc clausa erit: non aperietur, & vir non transibit per eam.* Ezech. 44. vers. 2. *Quoniam Dominus Deus Israel, ingressus est per eam. Eritq; clausa principi.* ibidem. *Non cognoscebat eam* Ioseph *donec peperit filium suum primogenitum.* Matth. 1. vers. 25. Isa. 7. vers. 14. *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.*

Sine complexu virili. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Luc. 1. vers. 35.

MORES.

Math. 1. v. 18. *Cùm esset desponsata* (vide in festo Annuntiationis, 25. Martij,) *Maria Ioseph*o, non violaturo, sed custodituro Virginis integritatem. An non debebat marito detegere arcanum conceptus ex Spiritu sancto, vide comment. Et quid causæ putamus habuisse Iosephum, quòd totis 17. annis quibus fuit in Ægypto, nil de salute sua significarit parenti, quem tamen norat de se valdè anxium esse? vide Gen. 42. v. 25.

v. 19. *Ioseph voluit occultè dimittere eam*] Quàm vano, sæpè etiam nullo, fundamento nituntur suspiciones humanæ, & timores & terrores mortalium! Eccli. 3 v. 26, *Multos supplantauit suspicio illorum.* Iob 15. v. 21. *Cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur.* Psal. 90. v. 5. *Scuto circumdabit te veritas eius; non timebu à timore nocturno.*

Quantæ interim angustiæ etiam in animo Beatissimæ Virginis, cùm cerneret sponsum sibi dilectissimum sic angi, sic torqueri! Iam tum tangebat *animam* illius ille Simeonis *gladius*, Lucæ 2. v. 34.

Nigra sum, &c. *quia decolorauit me sol*, meis inclusus visceribus, Cant. 1. v. 4. & 5.

v. 20. *Ecce angelus Domini apparuit in somnis*] Gen. 18. v. 17. *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum?* Si tu te noris accommodare diuinæ prouidentiæ, deprehendes, illam tuis commodis & saluti promouendæ perpetuò inuigilantem. Psal. 120. v. 4. *Ecce non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel.*

Heroicas virtutes patriarchæ Iosephi vide Genes. 39. & compara cum illis heroicas virtutes nostri Iosephi Deiparæ sponsi. Fortè deprehendes, has longè præcellere.

VARIA.

In quo gradu contingerent se mutuo Maria & Ioseph, vide Chronici c. 46. in fine.

v. 19. *Ioseph voluit dimittere eam*] Causas vide in comment. *De libello repudij*, vide Deut. 24. v. 1.

v. 20. *Pariet autem filium*, etiam tibi, & tuum. Matth. 1. v. 16. §. *Dices.*

v. 21. *Vocabis nomen eius Iesum*] id est, saluatorem. Sæpè electis suis nomen indit vel mutat Deus. 2. Reg. 12. v. 25. *nomen* Salomonis *vocauit amabilis Domino.* Lucæ 1. v. 13. *Vocabis nomen eius Ioannem. Nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram, sed Abraham.* Gen. 17. v. 5. *Vxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram.* v. 15.

IN NATIVITATE DOMINI, 25. Decemb. AD I. ET II. MISSAM.

Euangel. *Exiit edictum à Cæsare Augusto*, Luc. 2. à v. 1. ad 21.

FIDES.

Luc. 2. v. 4. Quomodo Ioseph, & Maria, & consequenter Christus fuerit *de domo & familia Dauid*, vide in Conceptione B. Virginis 8. Decemb.

v. 5. De desponsatione Virginis cum Iosepho, vide in festo Annuntiationis, 25. Martij.

v. 7. *Peperit filium suum*] qui idem erat & *filius Dei*, controu. 4. n. 3. duabus naturis hypostaticè vnitis in vna persona. n. 7. manente vtraque natura integra & impermixta, n. 4. 5. 6. sed omnibus vtriusque proprietatibus communicatis eidem personæ, n. 8. 9. 10. *Multifariam multisq; modis Deus olim loquens patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio.* Hebr. 1. v. 1. *Ipse ego qui loquebar, ecce adsum*, Isa. 52. v. 6. *Terra nostra dedit fructum suum. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Ps. 66. v. 7.

Filium suum primogenitum & vnigenitum] Matt. 1. v. 25. *Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius peperit masculum. Quis audiuit vnquam tale? & quis vidit huic simile?* Isa. 66. v. 7.

Reclinauit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diuersorio] Habac. 3. v. 2. *In medio duorum animalium* (vt est apud LXX.) *cognosceris.* Isa. 1. v. 3. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. In propria venit, & sui eum non receperunt.* Ioan. 1. v. 11.

Ecce angelus Domini stetit iuxta pastores, *& claritas Dei circumfulsit illos*] De aliis prodigiis quæ contigerunt sub ortum Christi, vide Aggæi 2. v. 7. *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei*, Hebr. 1. v. 6. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt*, &c. Cant. 3. v. 7.

Ecce, euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus Dominus] Argumenta quibus probatur Messiam aduenisse, controu. 4. n. 1. Nec alium esse quàm Iesum Dei & Mariæ filium, n. 2.

Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus] Psalm. 71. v. 16. v. 7. *Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis.* Psal 84. v. 9. *Loquetur pacem in plebem suam*, &c. Vide Dominica in Albis, de *Pace.*

Venerunt pastores festinantes, & inuenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio] Psal. 131. v. 6. *Ecce audiuimus eam in Ephrata: inuenimus eam in campis silus. Introibimus, adorabimus*, &c. v. 16.

MORES.

Apparuit gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & sæcularia desideria, &c. Tit. 2. v. 11.

Ecce ad quem toties anhelabas. Cant. 8. v. 1. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te?* c. 1. v. 6. *Indica mihi vbi cubes, vbi pascas in meridie.* Ecce nunc adest *tamquam sponsus decoratus corona* &c. Isa. 61. v. 10. *De thalamo suo*, &c. Psal 18. v. 7. *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus & pauper*, Isa. 62. v. 11. & Zach. 9. v. 9. *Egredimini ergo nunc filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate*, &c. Cant. 3. v. 11. *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Saluator.* Isai. 45. v. 15. Sed v. 19. *non in abscondito locutus sum in loco terræ tenebroso*, in suburbiis Bethlehem, in stabulo, in loco terræ vilissimo. *Vulpes foueas habent*, &c. Lucæ 9. v. 58. Christo *non erat locus in diuersorio.* Lucæ 2. v. 7.

Nonne olim dedit Dominus gratiam populo suo coram Ægyptiis? Et non dedit hîc filio suo coram Iudæis? Exod. 11. v. 3. *Dedit*, inquam, *vt commodarent eis vasa aurea*, &c. Exod 12. v. 36. Et hîc cunæ denegantur filio Dei! *Iosue* typus Iesu, *delegit sibi vilissimum locum in Chanaanitide.* Iosue 19. v. 50. Hic antitypus Iosue, in stabulo Bethlehemitico.

Sed an hoc decet maiestatem tuam? *Quàm gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris.* 2. Reg. 6. v. 20. Sic mundus iudicat. Ego verò *ante Dominum ludam, & vilior fiam plus quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis gloriosior apparebo.* v. 22. *Numquid loquens locutus sum ad vnam de tribubus Israel, Quare non ædificastis mihi domum cedrinam?* 2. Reg. 7. v. 7. *Meus est orbis terræ & plenitudo eius.* Psal. 23. v. 1. *Cælum sedes mea, & terra scabellum pedum meorum.* Isa. 66. v. 1.

Sed altiore consilio amplector vltrò, quæ mundus horret & fugit, & fugio quæ mundus amplectitur. *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopiâ vos diuites essetis.* 2. Cor. 8. v. 9.

Ergo agedum anima mea, cùm vilissimum terræ locum ambiat Altissimus, tete offer ad nutum eius: dic cum sponsa: *Ecce lectulus noster floridus*, &c. Cant. 1. v. 15. Floridus, inquam, piis sanctisque desideriis ac propositis. Dum vox

est in

est in accubitu suo, Cant. 1. vers. 11. faxo *nardus mea* det *odorem* suauissimarum virtutum. Contemnam & ego mundum & mundana omnia: amplectar quæ video ipsum amplecti: dicam cum fideli Vria, 2. Reg. 11. vers. 11. *Arca Dei & Israel & Iuda habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & serui domini mei super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, vt comedam & bibam, & dormiam cum vxore meâ per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc.*

VARIA.

Quando & quomodo *sceptrum Iudæ*, Genes. 49. vers. 10. *translatum* sit ad alienigenas per Herodem, vide ibid. Alia quoque argumenta completi temporis aduentus Messiæ, vide contr. 4. num. 1. Nec hunc posse esse alium quàm Iesum Mariæ & Dei filium, ibid. n. 2.

Quoto anno mundi, quoto Vrbis, quoto Cæsaris Augusti, quoto Herodis, quota Olympiade, quibus Consulibus Romanis natus sit Christus, vide Chronici c. 47.

Quo mense, quo die, quâ horâ natus sit, ibid. cap. 48. & Sap. 18. v. 14. *Cùm quietum silentium contineret omnia*, &c.

Quot annis regnarit Augustus, quot Herodes, Chronici c. 43. 44. 45. Stemma & genealogia Christi, c. 46.

De *turre gregis*, vbi pastores excubabant, vide Gen. 35. vers. 21.

Moyses in fiscella expositus, Exod. 2. v. 3. typus est Christi in præsepio, & in fuga Ægypti.

IN NATIVITATE DOMINI AD TERTIAM MISSAM.

Euangel. *In principio erat Verbum.* Ioan. 1. vsque 15.

FIDES.

Ioan. 1 v. 1. *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum*] De Filij diuinitate, & æterna generatione ex Patre, contr. 3. num. 1. & 2. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* &c. Prouerb. 8. vers. 22. vsque fin. *ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam*, &c. Eccli. 24. vers. 5. vsque 31. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Item vers. 40. *Ego sapientiæ effudi flumina*, &c. vsque 47. *Omnibus nobilibus nobilior est sapientia: attingit autem vbique per suam munditiam. Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera*, &c. *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius*, &c. Sap. 7. vers. 24. vsque fin. Quàm pretiosa sit, vide vers. 8. vsque 15. & cap. 8. vsque vers. 19. Qui effusus, Sapientiæ cap. 9. vers. 14. vsque fin c. 10. toto. *Qui fecit vniuersa, nouit* (viam sapientiæ) *& adinuenit eam prudentia sua. Hic est Deus noster*, &c. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Baruch 3. vers. 32. 36. 38. *Christus est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ; quoniam in ipso condita sunt vniuersa*, &c. Colos. 1. vers. 15. vsque 21.

v. 2. *Omnia per ipsum facta sunt*] *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum*, &c. *Nec inferorum regnum erat initio in terra*, &c. *Impij autem manibus & verbis accersierunt mortem, æstimantes illam amicam*, &c. Sap. 1. vers. 13. vsque fin. *Deus creauit hominem inexterminabilem*, &c. *Inuidia autem diaboli mors introuit in orbem terrarum.* cap. 2. vers. 23.

v. 5. *Lux in tenebris lucet*] Posse rationibus naturalibus doceri, esse Deum, & vnum, & infinitè perfectum Deum. contr. 1. num. 1. 2. 3. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis*, &c. *Paruulus enim natus est nobis*, &c. Isa. 9. vers. 2. vsque 8. *& factus est principatus super humerum eius: & vocabitur nomen eius, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* v. 6.

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem] Nihil ex parte Dei deest cuipiam viuentium, quo ad fidem, iustitiam, salutem pertingere possit, si velit cooperari, contr. 14. num. 10. vsque 14. v. 9.

Quotquot fide *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui ex Deo nati sunt*] Act. 17. vers. 28. *Ipsius enim & genus sumus.* 2. Pet. 1. vers. 4. *consortes* facti *diuinæ naturæ. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus.* 1. Ioan. 3. vers. 1. *Cùm apparuerit, similes ei erimus.* vers. 2. *Si autem filij, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur* Rom. 8. v. 17. In quo formaliter consistat iustificatio. contr. 15. num. 1. vsque 9. Qualis fides prærequiratur, n. 12. vsque 14. Neque solam fidem prærequiri, num. 7. & 9. sed etiam opera, n. 23. v. 12.

Et Verbum caro factum est] Vide Euangelium ad primam Missam, vers. 7. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini* septuplex. Isai. 11. vers. 1. *Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium: & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Isa. 52. v. 10. v. 14.

Et habitauit in nobis, plenum gratiæ & veritatis] Nullum peccatum, nullam ignorantiam potuisse esse in anima Christi, contr. 4. num. 12. & 13. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscondidi.* Coloss. 2. vers. 3. *In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & est caput omnis principatus & potestatis* vers. 9. & 10. *Dedit* Abraham *cuncta quæ possederat Isaaco: filijs autem concubinarum largitus est munera.* Gen. 25. vers. 5. Sic Deus filio suo *non ad mensuram dat spiritum*, sed *omnia dedit in manu eius*, Ioann. 3. vers. 34. Nobis autem dat ad mensuram, &c.

MORES.

Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel. Isaiæ. 12. vers. 6. *Quod fuit ab initio, quod vidimus oculis nostris, quod manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ*, &c. *annuntiamus vobis* 1. Ioan. 1. vers. 1. &c. *Omnis sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante æuum.* Eccli. 1. vers. 1. *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis.* vers. 5. *Vnus est altissimus Creator omnipotens, & Rex potens & metuendus nimis, sedens super thronum illius & dominans Deus: ipse creauit illam in Spiritu sancto, & vidit, & dinumerauit, & mensus est: & effudit illam super omnia opera sua, & super omnem carnem secundum datum suum, & præbuit illam diligentibus se.* vers. 8. 9. 10.

Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt] *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum opera mala.* Ioan. 3. vers. 19. *Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.* Ioan. 12. vers. 46. *Misit Dominus verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.* Psalm. 106. vers. 20. *Ego sapientia habito in consilio*, &c. *vt ditem diligentes me.* Prouerb. 8. vers. 12. vsque 21. Ioan. 1 v. 5.

In propria venit, & sui eum non receperunt] *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ.* Psalm. 68. vers. 9. *Et tamen fratres ipse* (Ioseph) *cognoscens, non est cognitus ab eis.* Genes. 42. vers. 8. In Ægypto *vbicumque habitabant filij Israel, lux erat.* Exod. 10. vers. 23. etiam *in eadem domo. Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine: solis Ægyptiis superposita erat grauis nox, imago tenebrarum, quæ superuentura illis erat*, Sap. 17. vers. 19. Quantæ & quàm horribiles hæ tenebræ, vide vers. 2. vsque 19. *Sanctis autem tuis maxima erat lux.* Sap. 18. vers. 1. 3. 4. v. 11.

Verùm nonne totis 33. annis (inquit Christus) omni genere argumentorum ac miraculorum, palàm feci mundo,

mundo, me illius veram & vnicam lucem esse? *Es eis quasi carmen musicum, quod suaui dulciq; sono canitur: & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* Ezech. 33. v. 32. *Cui autem similem æstimabo generationem istam? similè est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentauimus, & non planxistis. Venit enim Ioannes neque manducans, neque bibens, & dicunt, Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt, Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.* Matth. 11. v. 16. vsque 20. *Veni; & non erat vir: vocaui, & non erat qui audiret.* Isa. 50. v. 2. *Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem serui sui* (Christi?) Populus Gentilis *qui ambulauit in tenebris, & non est lumen ei, speret in nomine Domini,* &c. v. 10. *Timenti Deum obuiabit sapientia quasi mater honorificata,* &c, *cibabit illum pane vitæ,* &c. *stolam gloriæ vestiet illum,* &c. *Homines stulti non apprehendent illam,* &c. Eccli 15. v. 2. vsque 11. *Non dixeris, per Deum abest,* &c. v. 11. vsque fin. Audin' Iudæe? *Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et Christus Iesus *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* 1. Tim. 2. v. 4. &c. *Perditio* quâ peris, *tua* est ô *Israel*; tua culpa, tua malitia peris: *tantummodo in me auxilium tuum.* Osee 13. v. 9. Oblatam lucem amplecti noluisti: in Messiam credere recusasti. *Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Hebr. 11. v. 6. Sed hoc non sufficit. Credere etiam oportet in eum *quem Pater sanctificauit & misit in mundum,* &c. Ioan. 3. v. 18.

Nec sufficit mortua fides sine bonis operibus: viua, viua requiritur. *Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur,* &c. 1. Ioan. 1. v. 6. *Si autem in luce ambulamus, societatem habemus ad inuicem; & sanguis Iesu Christi, filij eius, emundat nos ab omni peccato. v. 7.*

VARIA.

De hæreticis oppugnantibus *diuinitatem* Christi, contr. 4. n. 3. & seqq.

Cur Filius in diuinis potiùs vocetur *Verbum*, quàm *Ratio, Definitio, Sermo.* vide comment.

An Filius continuò adhuc generetur à Patre, contr. 3 num. 2.

Quot sint personæ in diuina natura, ibid. n. 1.

De Ioanne Baptista præcursore Christi, vide Dominica 2. 3. 4. in Aduentu, & in festo Natiuitatis ipsius, 24. Iunij, & Decollationis, 29. Augusti.

Verbum quando *caro factum est*, non desijt esse Verbum, sed vtraque natura mansit in Christo integra, inconfusa, impermixta, contr. 4. n. 6. & seqq.

Qui Christi gloriam viderunt in terris, non viderunt diuinam eius essentiam. Ioan. 1. v. 18. *Deum nemo vidit vnquam.* Viderunt tamen clarissima signa diuinæ ipsius dignitatis ac maiestatis, vide comment.

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS, 26. Decembr.

Euangel. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas.* Matth. 23. v. 34. ad finem cap.

FIDES.

Math. 3. v. 34 *Ecce ego mitto ad vos Prophetas & sapientes & Scribas*] Luc. 10. v. 16. *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* Missionem à se factam miraculis probat Deus, contr. 8. n. 2. *Propter hoc dolaui* (vos) *in Prophetis*: sed frustra; Nam *occidi eos in verbis oris mei,* &c. Osee 6. v. 5.

v. 35. Sed vos *ex illis occidetis* Stephanum, Iacobum vtrumque & tot alios: *vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ,* &c. Quo iure, dixi Exod. 20. v. 5. De *mensura* tum scelerum, tum vindictæ præfixa cuique, vide Gen. 15. v. 16. Matth. 23. v. 31.

Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?] De sincera Dei vocatione & inuitatione, quâ, quantum ex se est, studet omnes ad fidem, ad iustitiam, ad salutem pertrahere, vide contr. 13. n. 8. & contr. 14. n. 10. vsque 14. Semper tamen relicta nobis libertate, n. 4. & 5. & contr. 13. n. 5. & 6. *En ipse stat post parietem,* &c. Cant. 2. v. 9. De alis aquilæ Exod. 19. v. 4. *Expandi amictum meum super te, & facta es mihi,* &c. Ezech. 16. v. 8. *Sponsabo te mihi* &c. Osee. 2. v. 19. *Qui dilexit me, & tradidit,* &c. Gal. 2. v. 20. *Audite me domus Iacob,* &c. *qui portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vulua. Vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo: ego feci, & ego feram, ego portabo & saluabo.* Isa. 46. v. 3. & 4. *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non miseretur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui: ecce in manibus meis descripsi te.* Isa. 49. v. 15. *Ego quasi nutricius Ephraim: portabam eos in brachijs meis, & nescierunt quòd curarem eos.* Osee 11. v. 3. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis,* &c. v. 4. *Non faciam furorem iræ meæ, quoniam Deus ego, & non homo. v. 9. A sæculo confregisti iugum* &c. Ierem. 2. v. 16. & 20. *Audite cæli,* &c. *filios enutriui & exaltaui; ipsi autem spreuerunt me,* &c. Isaiæ 1. v. 2. vsque 11.

Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, à me, à Deo, v. 38. à diuino præsidio & fauore. Vide Dominica 9. post Pentecost.

MORES.

Patientia in tribulatione. *Propter te sustinui opprobrium,* &c. psalm. 68. v. 8. vsque 14. *Ego verò orationem meam ad te Domine. Hoc pro certo habet omnis qui te colit,* (inquit Sara, Tobiæ 3. v. 21.) *quòd vita eius si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris: quare post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymationem & fletum, exultationem infundis.*

A *filetiplici* commendatur Stephanus, Act 9. 6. 5.

A charitate erga proximos, etiam iuratos inimicos Act. 6. v. 15. *Intuentes eum omnes qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tamquam faciem angeli.* Verè angelica, imò diuina virtus, charitas erga inimicos. Porrò benefaciendum etiam inimicis, & persequentibus, docet expressè Christus, Matth. 5. v. 44. Et monet nos non solùm exemplum Christi, in cruce pro inimicis orantis, Lucæ 23. v. 34. *Pater dimitte illis,* &c. Sed & exemplum *Iosephi* erga fratres, Gen. 45. v. 4. &c. & c. vlt. v. 19. &c. Et Pauli, *Optabam ego anathema esse à Christo pro fratribus meis.* ad Rom. 9. v. 3. Et Moysis: *Aut dimitte* illis *hanc noxam, aut dele me de libro tuo.* Exod. 32. v. 32. *Habitabit lupus cum agno,* &c. Isa. 11. v. 6. Et Dauidis, qui *ingresso* speluncam Sauli solam *oram chlamydis* præscindit, 1. Reg. 24. v. 5. *Et confregit viros suos sermonibus, & non permisit eos vt consurgerent in Saul.* v. 8. *Iustior tu es, quàm ego: tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala.* v. 18. *Nunc scio quòd certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel.* v. 21. Pepercit & *Nabali*, 1. Reg. 25. v. 28. & 32. Et Absalomum 2. Reg. 18. v. 33. quantis lacrymis prosecutus est! *Fili mi Absalom, Absalom fili mi, quis mihi tribuat vt ego moriar pro te?* & c. 19. v. 6. *Diligis odientes te.* Quin & quotiescumque *surgerent testes iniqui, & quæ ignorabam interrogabant me: retribuebant mihi mala pro bonis; ego induebar cilicio,* &c. psal. 34. v. 11. vsque finem *Si reddidi retribuentibus mihi mala,* &c. Psal. 7. v. 5. *Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam.* Psal. 108. v. 4. *Principes persecuti sunt me gratis,* &c. Psal. 118. v. 161. *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus,* &c. Psal. 119. v. 7. *Ne dicas, Quomodo fecit mihi, sic faciam ei: reddam vnicuique secundum opus suum.* Prou. 24. v 29. *Si*

esurierit

esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere. Prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi. Prou. 25. v. 21. & Rom. 12. v. 20. Remedia compescendæ iræ, Eccli. 28. v. 13. vsque fin. vbi octo habes argumenta in hanc rem.

Zelus, magnitudo & fortitudo animi in Stephano. Act. 7. v. 51. *Dura ceruice*, &c. *vos semper Spiritui sancto resistitis*, &c. *proditores & homicidæ Iusti* Messiæ vestri.

Intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei] Act. 7. v. 55. Et *apertum est templum Dei in cælo, & visa est arca testamenti eius in templo eius.* Apoc. 11. v. 19.

Quid ad hæc Iudæi? Act. 7. v. 56. *Continuerunt aures suas, & impetum fecerunt in eum*, &c.] *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas*, &c. Psal. 57. v. 5.

Domine ne statuas illis hoc peccatum] Act. 7. v. 59. Efficacissima oratio, quæ pro inimicis funditur.

VARIA.

Lapidatus Stephanus initio decimi mensis à morte Christi. Chronici c. 50. initio.

Stephani typus & figura *Naboth*, iussu Iezabelis iniustè lapidatus, 3. Reg. 21. v. 8. &c. *Occidisti, insuper & possedisti: & post hæc addes, In hoc loco, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum*, v. 19. In loco in quo lapidastis Stephanum, etiam vos iugulabimini à Vespasiano & Tito. *Nolite tangere christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Psal. 104. v. 5.

Protomartyr fuit Stephanus. *Gad accinctus præliabitur ante eum*, (id est omnem Israelem) *& ipse accingetur retrorsum*, diues spolijs redux. Gen. 49. v. 19. & Iosue 22.

In hoc Leuita non maledicta, vt olim Gen. 49. v. 5. &c. tribus Leui, sed benedicta: ob causas planè contrarias quas etiam recenset Moyses, dum benediceret Leui, Deuter. 33. v. 8. *Perfectio tua & doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in tentatione ad aquas contradictionis*, &c. Quæ omnia in Stephanum quadrant. Sicut & illud de Dauide: *Egrediebatur Dauid ad omnia quæcumque misisset eum Saul, & prudenter se agebat. Posuitq; eum Saul super viros belli, & acceptus erat in oculis vniuersi populi*, 1. Reg. 18. v. 5. Antè *cithara* blandisuadelæ suæ *abigebat dæmonem*, &c. c. 12. v. 23.

De munere Diaconorum, tum Ierosolymæ, tum Romæ. vide Act. 6. v. 1. Ordinem esse sacrum & Sacramentum, contr. 26.

Diem martyrij S. Stephani publicè festum quotannis haberi iusserunt ipsimet Apostoli. Vide in comment. in fine cap. 7. Actor.

IN FESTO S. IOANNIS EVANGELISTÆ, 27. Decembr.

Euangel. *Dicit Iesus Petro, Sequere me.* Ioannis 22. à v. 19. ad 25.

FIDES.

vers. 19. *Dicit* Iesus Petro: *Sequere* & imitare *me*, tum in cura ouium, tum in modo martyrij: Iam enim v. 15. & 17. commiserat illi regendum totum suum ouile, designaueratque illum vicarium suum in terris, contr. 6. n. 5. Et v. 18. descripserat illi *qua morte clarificaturus esset Deum.*

v. 20. *Vidit Petrus discipulum quem* præ alijs tenerrimè *diligebat Iesus*] Causam dixi Ioan. 13. v. 23. *Qui & recubuit in cœna super pectus eius.* De tali accubitu vide Esther 1. v. 6.

v. 23. *Non dixit Iesus, Non moritur: sed sic eum volo manere donec veniam*] Ioannem verè mortuum esse, nec rediturum cum Henocho & Elia è paradiso in mundum, docui in fine Chronici.

MORES.

S. Ioannes Euangelista in fundamentis cælestis Ierosolymæ vidit se comparari pretioso lapidi *smaragdo*, Apoc. 21. v. 19. §. *Quartum.* Idque ob excellentem *castitatem*, & fraternam *charitatem*, & sublimem *contemplationem.* Etsi omnium Apostolorum iunior, tamen ob iam dictas virtutes Christo charior omnibus fuit, Ioan. 21. v. 20. *Discipulus quem diligebat Iesus.* In hunc quadrabat illud Pauli ad Timotheum: *Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate.* 1. Tim. 4. v. 12. Quàm difficile placere *regi*, simul & *aulicis*, patet ex Daniele c. 6. & vlt. Salomonis nomen vocauit Deus, *Amabilis Domino, eò quòd diligeret eum Dominus.* 2. Reg. 12. v. 25. *Anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam. Expoliauit se tunica*, &c. 1. Reg. 18. v. 1.

Quid mirum? seruabat illud Sapientis: *In omnibus operibus tuis præcellens esto.* Eccli. 33. v. 23. *Et ne dederis maculam in gloria tua.* v. 24.

Et quot quantasque alias virtutes suas insinuat nobis in Euangelio & Epistolis suis? *Sapiens in verbis producet seipsum* (& præclarè à se gesta; in exemplum) *& homo prudens placebit magnatis.* Eccli. 20. v. 29. *Qui verò placet magnatis, effugiet iniquitatem.* v. 30.

Præ omnibus fraternam charitatem prodit vbique in suis Epistolis.

Contemplationem & sublimem sapientiam colliges ex initio & decursu totius Euangelij eius, *In principio erat Verbum*, &c. *Eleuabitur aquila & in arduis ponet nidum suum: in petris manet, & in præruptis silicibus commoratur atque inaccessis rupibus. Inde contemplatur escam*, &c. *Pulli eius lambent sanguinem, & vbicumque cadauer fuerit, statim adest.* Iob 39. v. 27. &c.

Quid ad te? tu me sequere] Vt in hoc Euangelio præsentis festi dedocemur cum Petro vitium curiositatis. *De ea re quæ te non molestat, ne curaueris.* Eccli. 11. v. 9. *Fili ne in multis sint actus tui.* v. 10. ita in Ioanne alibi dedocemur ambitionem. Matth. 20. v. 21. *Dic, vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dextram, & alius ad sinistram in regno tuo.* Item zelum indiscretum, Lucæ 9. v. 54. *Vis dicimus, vt ignis de cælo descendat, & consumat illos?* Ioã. 21. v. 22.

VARIA.

Stemma S. Ioannis, & quoto gradu contigerit Christum, vide in Chronico c. 46. in fine. *Iuda* (ex hac tribu erat Ioannes, ibid.) *te laudabunt fratres tui, adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda*, &c. Gen. 49. v. 8. vsque 13. & Deut. 33. v. 7.

Typus eius *Eliseus.* Eccli. 48. v. 13. vsque 16. Item *Isaias Propheta magnus, & fidelis in conspectu Dei*, &c. v. 25. vsque fin. & in præfatione Isaiæ. Item *Ezechiel.* Eccli. 49. vers. 10. & 11. Item *Daniel*, vide præfat. Danielis. Item *Aggæus*, in præfat. *Nemo natus est in terra qualis Henoch: nam & ipse receptus est à terra.* Nequè vt *Ioseph, qui natus est homo, vt esset princeps fratrum, firmamentum gentis*, &c. Eccli. 49. vers. 16. 17. 18.

An Ioannes sponsus fuerit in nuptijs Canæ Galilææ, Ioan. 2. v. 1. habes in fine Chronici.

Ibidem, quòd anno à morte Christi 64. scripserit Apocalypsin: pòst paulò ternas Epistolas Canonicas:

anno 66. scripserit Euangelium:

anno 68. defunctus sit, 27. die Decembris, feria. 5. anno vitæ suæ 99.

IN FESTO SS. INNOCENTIVM. MARTYRVM, 28. Decembr.

Euangel. *Ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph.* Matth. 2. v. 13. vsque 19.

FIDES.

Angelus apparuit in somnis] An & quando possit somniis haberi fides? Gen. 40. v. 5. *Somnia extollunt imprudentes*, &c. Mat. 2. v. 13. Eccli. v. 15.

Eccli. 34. v. 1. vsque 6. *Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis* (somniis) *cor tuum. Multos enim errare fecerunt somnia.* v. 6. & 7.

Surge & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi] Prouidentia diuina rebus humánis perpetuò inuigilat. *Noli timere, descende in Ægyptum. Ego descendam tecum illuc*, &c. Genes. 46. v. 3. &c. Adhibenda nihilominus omnia humana remedia. *Ait Dauid in corde suo: Ali quando incidam vna die in manus Saul: nonne melius est vt fugiam & saluer in terra Philisthinorum?* 1. Reg. 27. v. 1. *In circuitu* iustorum *impij ambulant*: interim *secundùm altitudinem* iudiciorum tuorum *multiplicasti* tum numero, tum potentia *filios* non Dei, sed *hominum*. Psal. 11. vers. 9.

Futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum] Infallibilis rerum omnium præscientia in Deo ab æterno. Index 2. verbo, Præscientia, & contr. 1. num. 3. *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* Psalm. 87. vers. 16.

Frustra satagis, frustrà insanis Herodes. *Non coques hœdum in lacte matris suæ.* Allegoricè, id est, non occidetur Christus infans. Exod. 23. v. 19. *Iosaba furata est* (Ioas nepotem suum) *de medio filiorum regis Ochoziæ qui interficiebantur, & abscondit eum à facie Athaliæ, vt non interficeretur.* 4. *Reg.* 11. vers. 2. Quid ni diuina prouidentia inuigilet tutando Filio Dei?

MORES.

Vitula elegans atque formosa Ægyptus: stimulator ab Aquilone veniet ei. Ierem. 46. vers. 20. Quin potiùs è cælo, qui stimulis pulcherrimarum virtutum tum suarum, tum parentum suorum, excitet Ægyptios ad omnem pietatem. *Media nocte egrediar in Ægyptum & morietur omne primogenitum*, &c. Exod. 11. vers. 4. Sic tunc loquebar. Nunc *non* veni *vt iudicem mundum, sed vt saluetur mundus per* me. Ioan. 3. vers. 17. Præludam nunc solùm tragœdiæ *in* Iudæa olim peragendæ circa me meosque fideles, *Frames suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum, percute pastorem, & dispergentur oues: & conuertam* (nunc quidem) *manum meam ad paruulos.* Zach 13. vers. 7. Victimam paruulorum præmittam in limbum patrum, prænuntiam secuturæ breui liberationis omnium è carcere infernali. Et hos quidem pios atque innocentes paruulos in tuto mihi seponam. De adultis verò Iudæis prædixit Isaias c. 53. vers. 9. *Dabit impios pro sepultura sua*, instar Samsonis Iudic. 16. v. 30. Isa. 43. vers. 3. *Ægyptum, Æthiopiam & Saba dedi propitiationem tuam pro te.* Prou. 11. v. 8. *Tradetur impius pro* iusto.

Alias causas cædis infantium, vide in comment.

Insidiatur & dæmon cædi infantium nostrorum masculorum: vt olim Pharao cædi infantium Hebræorum per obstetrices & lictores Exodi 1. v. 16. 22. Sic enim dæmon per carnem & mundum masculos animos oppugnat & necare contendit. Debemus & nos inuigilare necandis paruulis peccatorum & tentationum nostrarum initijs. *Capite nobis vulpes paruulas*, &c. Cant. 2. v. 15. *Paruulos ad petram*, &c. Psal. 136. v. 9. Etiam hæreticorum, & aliorum sceleratorum filios tempestiuè capite. *Nam de radice colubri regulus*, &c. Isa. 14. v. 29. *Adolescens iuxta viam suam*, &c. Prou. 22. v. 6. *Vitia adolescentiæ*, &c. Iob 20. v. 11. Abige *coruos* à sacrificio. Gen. 15. v. 11. *Qui modica spernit, paulatim decidet.* Eccli. 19. v. 1. *Muscæ morientes*, &c. Eccles. 10. v. 1. Ex *scintilla* ignis, &c. Eccles. 11. v. 34. *Qui offendit in vno multa bona perdet.* Eccles. 9. v. 18.

Sed an permittet diuina prouidentia tua tot vnâ horâ iugulari innocentes? Ita puniam rebelles mihi parentes horum innocentium. Nam spreto me, adhæserunt hosti meo Herodi. I nunc Iudæa: *Dixisti*, (1. Reg. 8. v. 5.) *Da mihi regem. Dabo tibi regem in furore meo*: & licet mox eum *auferam in indignatione mea*, Osee. 13. v. 10. priùs tamen faxo sentias manum eius. Simul etiam curabo hac via, vt puniantur ingrati in me & inhospitales Bethlehemitæ, & illorum strage innotescat toti orbi aduentus & natiuitas mea. *Idcirco posuite*, ô Herodes, *vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra*, Exod. 9. v. 19. Vide etiam c. 7. v. 3.

Sed erras toto cælo, ô tyranne, si putes hac tam impia innocentium cæde regnum tibi tuisque filijs stabiliri. Non stabilies hac via, sed euertes. *Si delectamini sedibus & sceptris, ô reges populi, diligite sapientiam vt in perpetuum regnetis* Sap. 6. v. 22. Imbecillium est timere sibi ab alio, &c. v. g. Pharao Exod. 1. Athalia 4. Reg. 11. &c. *Cùm sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæua perturbata conscientia*, &c. Sap. 17. v. 10. vsque 13. Præ omnibus autem, *non pectes in multitudinem ciuitatis, nec te immittas in populum.* Eccli. 7. v. 7. Nulli hoc cessit impunè. Sed proprium hoc tyrannis. *Quid* verò *nequius quàm quod excogitauit caro & sanguis*; Eccli. 17. v. 30.

Sanguine suorum vult sibi consulere. *Ioram* rex Iuda *occidit omnes fratres suos gladio, & quosdam de principibus Israel.* 2. Paral. 21. v. 4. Pœnæ mox subsecutæ, similes Herodianis, v. 8. &c. Crudelis *Athalia interfecit omnem stirpem regiam domus Ioram*, vt ipsa sola dominaretur, c. 22. v. 10. Horum vestigijs insistit hìc Herodes.

Sed quis, visâ tantâ innocentium strage, temperet à lacrymis? *Conturbatus est Eliseus vsque ad suffusionem vultus, fleuitq; vir Dei.* Cui Hazael ait, *Quare dominus meus flet?* At ille dixit: *Quia scio quæ facturus sis filiis Israel mala. Ciuitates eorum munitas igne succendes, & iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos eorum elides, & prægnantes diuides.* dixitque Hazael: *Quid enim sum seruus tuus canis, vt faciam rem istam magnam?* 4. Reg. 8. v. 11. &c.

An non succurres è machina Deus? *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum*, &c. psal. 67. v. 31. *Quiescat vox tua* (ô Rachel) *à ploratu; dicit Dominus, & oculi tui à lacrymis, quia est merces operi tuo*, &c. *& spes nouissimis tuis.* Ierem. 31. v. 16. *Ex ore infantium & lactentium* horum, Psal. 8. v. 3. perficietur *laus* mea.

Nec abibit impunitus tyrannus. *Qui seminat iniquitatem, metet mala, & virga iræ suæ humiliabitur*, seu plenè punietur. Prou. 22. v. 8.

Nec diu differam vltionem. *Antequam sciat puer reprobare malum & eligere bonum, derelinquetur terra*, Ephraim & Syriæ, *à facie duorum regum suorum*, Herodis & Obodæ. Isa. 7. v. 15. *Velociter spolia detrahe, citò prælare*, ô Messia. Isa. 8. v. 1. Sic *voca nomen eius: Quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ, coram rege Assyriorum.* v. 3. & 4.

Et en tibi mox, *is qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus* (instar alterius Antiochi) *& montium altitudines in statera appenderet nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans, ita vt de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentis in doloribus carnes effluerent, adeo etiam illius ac fœtore exercitus grauaretur; & qui paulò antè sideraæli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare.* 2. Mach. 9. v. 8. vsque 11.

Adeò vt præ dolore & impatientia animi, conaretur violentas sibi manus inferre Herodes. Et verò *hominem* qui *calumniatur animæ sanguinem, si vsque ad lacum fugeris* (vt se præfocet) *nemo sustinet* aut detinebit. Prouerb. 28. vers. 17.

VARIA.

An Christo ingrediente Ægyptum, corruerint deorum simulacra, 1. Reg. 6. vers. 5. *Vt faceres magnalia & horribilia super terram Ægypti, super gentem & Deum eius* 2. Reg. 7. v. 23. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem & ingre-*

ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulacra Ægypti à facie eius, & cor Ægypti tabescet in medio eius, &c. Isa. 19. v. 1.

In Ægypto non hæsit Christus vltra sesquiannum, Chronici c. 49. sub initium.

Sustulit Herodes è medio tres proprios filios suos: sustulit & plurimos Pharisæorum, & alios è primis Iudæis. Et paulò post infanticidium infami morte moritur. ibid. in Chron. Moriuntur etiam alij *qui* vnà cum Herode *quærebant animam pueri*, Matth. 2. v. 21. Ibidem

Regnum verò Herodis, quod tanto sanguine stabilitum ibat filijs suis, dissectum à Cæsare Augusto in varia frusta, non diu cessit filijs, admodum discordibus inter se. ibid. & c. 45.

IN FESTO S. THOMÆ Episcopi & Martyris, 27. Decembr.

Euangelium idem est cum Euangelio Dominicæ secundæ post Pascha.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

Euangel. *Erant Ioseph & Maria mirantes.* Lucæ 2. vers. 33. vsque 41.

FIDES.

Luc. 2. v. 33. Ioseph quo iure vocetur *pater* Christi, vide Matth. 1. vers. 18.

v. 34. *Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel*] Non tamen ideo Deus vel Christus causa est peccati corruentium, contr. 12. n. 8. vsque fin. Tunica polymita, & amor paternus, causa odij fratrum in Ioseph, Gen. 37. v. 3. 4. Item somnia v. 6. 9. &c. *Filius accrescens Ioseph*, &c. Gen. 49. v. 22. Neque sola Iudæa, sed & reliquus totus mundus vim sensit huius lapidis, Zachar 12. v. 3. Vide etiam de statua quadrimateriata Nabuchodonosoris per lapillum hunc contrita, Dan. 2. vers. 34. & 45.

Portò sicut de Ismael dicitur, *Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.* Genes. 16. vers. 12. ita & noster *Iesus* (sed nobiliore modo) positus est *in signum cui contradicetur.* Etiam signo Christi, id est, cruci, contradicunt hæretici, contr. 18. num. 12. Sed cur hoc signum Christi minus ferunt, quàm signum Moysis, Num. 21. v. 9. *serpentem* iussu Dei in deserto exaltantis pro *signo*, *quem cùm percussi* à serpentibus *aspicerent, sanabantur?*

v. 35. *Et tuam ipsius animam* (ô Maria) *pertransibit gladius*] vtique compassionis & doloris. Compatitur & nobis filiis suis pia mater, etsi sine dolore, probè conscia miseriæ & egentiæ nostræ, contr. 30. n. 8 & 9.

v. 36. & 37. *Anna* post septimum coniugij annum *vidua vsque ad octoginta quatuor annos non discedebat de templo ieiuniis & obsecrationibus seruiens* Deo *nocte ac die.* Templum ergo non solius prædicationis, sed & *orationis domus* est. Luc. 19. v. 46. De publicis in templo precibus, contr. 17. n. 4. vsque 7. Quo modo etiam seruiatur Deo ieiuniis & orationibus, & similibus pœnalibus ac piis operibus sponte susceptis, vide contr. 17. n. 8.

v. 40. *Puer crescebat, plenus sapientiâ*, iam inde à primo conceptus sui exordio, *& gratia Dei erat in illo*] *Benedictiones* omnis generis *fiant in vertice Nazarei*, &c. Gen. 49. v. 26. Non potuisse in Christo esse ignorantiam vel peccatum, docui contr. 4. n. 12. & 13.

MORES.

Passim Christus audit fabri filius. Tu cur erubescis pauperes parentes, cognatos vel affines?

Luc. 2. v. 34. *Positus est hic in ruinam*] O ne Christianum esse, sit nobis in ruinam & maiorem damnationem! erit autem, si Christi nomine gaudentes, non secundum Christi legem & exemplum vixerimus. Lucæ 12. v. 47. *Seruus qui cognouit voluntatem domini sui, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis* plagis.

Positus est *& in resurrectionem*, maximè secundùm animam. Vin' hac frui? Christo iungere fide non mortua, sed viua per charitatem, Iac. 2. v. vlt. Ibid.

In signum cui contradicetur] Ne, ô Christiane, Christo contradicas, seu verbo seu facto. *Ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus.* Gal. 3. v. 1. Ibid.

Anna vidua ad annum vsque vitæ 84. *ieiuniis & obsecrationibus seruiens* Deo *nocte ac die*] Non lentescat temporis lapsu, nedum tædio dimittatur pietas, ieiunium, oratio, pœnitentia. De necessitate *orationis*, cont. 17. n. 1. *ieiunij*, n. 7. *eleëmosynæ*, num. 12. Ieiunium & pœnitentia præeat orationi, armet illam ac roboret. Tob. 12. v. 8. *Bona est oratio cum ieiunio & eleëmosyna magis quàm thesauros auri recondere.* Quanti meriti sint singula, contr. 17. num. 2. 8. 13. v. 36.

Non discedebat de templo] Templum vertit sibi in domicilium. O quàm multi in foro vel diuersorio inter aleas & pocula libentiùs frequentiusque quàm in templo! v. 37.

Vt perfecerunt omnia secundùm legem] Vt *Dei perfecta sunt opera*, Deuter. 32. v. 4. ita & tu *perfectus eris* in omni opere tuo, *& absque macula cum Domino Deo tuo*, cap. 18. vers. 13. Caue autem, priusè templo te proripias, quàm mysteria ritè peracta sint. v. 39.

VARIA.

Vide benedictionem *tribus Aser*, Gen. 49. v. 20. & Deut. 33. v. 24. ex ea enim orta est S. Anna.

De *Iudithæ* pietate, Iudith 8. v. 4. Laus viduitatis c. 15. v. 11. & cap. vlt. v. 26. Prope *templum erant* habitacula viduarum & virginum templo deseruientium. Exod. 38. vers. 8.

IN OCTAVA NATIVITATIS DOMINI

Euangelium desumptum est ex secunda Missa Natiuitatis Domini.

IN FESTO S. SYLVESTRI, 31. Decembr.

desumptum est ex prima Missa de Communi Confessoris non Pontificis.

IN CIRCVMCISIONE DOMINI, 1. Ianuarij.

Euangel. *Postquam consummati sunt dies octo.* Lucæ 2. à vers. 21. ad 22.

FIDES.

De circumcisionis institutione & causis, vide Gen. 17. v. 7. & 14.

Nec circumcisionem, nec vllum Sacramentum, vel sacrificium antiquæ legis, iustificasse ex opere operato, sed solùm ratione fidei & contritionis vel charitatis adiunctæ, contr. 18. n. 1. & 7. *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est: sed obseruatio mandatorum Dei.* 1. Cor. 7. v. 19. *Non enim qui in manifesto Iudæus est, neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio: sed qui in abscondito Iudæus est, & circumcisio cordis, in spiritu, non littera: cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Rom. 2. v. 28.

Imò valdè nocebit circumcisio, si putetur necessaria. *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Galat. 5. v. 2.

Iam cum reliquis cæremonijs Iudaicis planè vetita est & abolita circumcisio.

Non debuisse Christum circumcidi, nec baptizari, nulli dubium est. Cur ergo id voluit? *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege*: Primò, *vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Galat. 4. vers. 4. Secundò, vt diabolum falleret; *Iacob induit vestes Esau*, & sic fefellit

fefellit omnes, Gen. 27. v. 15. Tertiò, vt arrham mundo daret subsecuturæ mox redemptionis per profusionem totius sanguinis sui in cruce. *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Exod. 4. v. 25.

Lucæ 2. v. 21. *Vocatum est nomen eius Iesus*] id est saluator. *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit.* Isaiæ 62. v. 2.

Qui ratione Christus saluator fuerit, & mundum redemerit contr. 4. num. 11. 14 15. *Non est in aliquo alio salus: neque enim est aliud nomen sub cælo datum hominibus*, &c. Actor. 4. v. 12. *Nomen super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur.* Philipp. 2. v. 9. *Emmanuel*, id est, *nobiscum Deus.* Isa. 7. vers. 14. Alia nomina Christi vide Isa. 8. v. 3. & c. 9. v. 6. & c. 63. v. 1. *Sanctum Domino*, vel *sanctitas Domini* in aurea lamina pontificis, Exodi 28. v. 36. Ipse *vnctus* est *oleo lætitiæ præ consortibus* suis. Psalm. 44. v. 8. *In* quo *habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Colos. 2. v. 19. *Vngatur Sanctus sanctorum* Dan. 9. vers. 24. *Requieuit super eum spiritus Domini*, &c. Isaiæ 11. vers. 2. *Eò quòd vnxit me.* Isa. 6. v. 1. & Lucæ 4. v. 18. *Dedite in lucem Gentium, vsque ad extremum terræ.* Isaiæ 44. v. 6.

MORES.

Circumcisio spiritualis omninò necessaria. *Circumcidite præputium cordis vestri, & ceruicem vestram ne indureris amplius.* Deut. 10. v. 16. Cur transito Iordane circumcisi, Ios. 5. v. 2. *Hodie abstuli opprobrium Ægypti à vobis.* v. 9. *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum: ne fortè egrediatur vt ignis indignatio mea*, &c. Ierem. 4. vers. 4. *Ecce incircumcisæ aures eorum, & audire non possunt. Verbum Domini factum est eis in opprobrium.* Ierem. 6. vers. 10. *Visitabo super omnem, qui circumcisum habet præputium* (solum carnis) *sicut super omnes qui attonsi sunt in comam: quia* æquè vt hi *incircumcisi sunt corde.* Ierem. 9. v. vlt. *Ego incircumcisis labiis sum, quomodo audiet me Pharao?* Exodi 6. v. 12. & vlt. Ob dilatam circumcisionem filij; angelus *volebat occidere* Moysen. Exod. 4. v. 24. Putatio vitis quàm necessaria, Ioan. 15. v. 1. Renuntiandum omnibus, Luc. 14. v. 33. & Matth. 20. v. 37. *Leuitæ radent omnes pilos carnis suæ.* Num. 8. vers. 7. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*, &c. Cant. 1. vers. 12. *Messui myrrham meam*, &c. c. 6. v. 1.

Azylum omnibus nomen Iesu. *Turris fortissima nomen Domini*, &c. Prou. 18. v. 10. Non terrori, sed gaudio. *Oleum effusum nomen tuum.* Cant. 1. v. 2. Simul tamen etiam munimini. *Ego murus, & vbera mea sicut turris.* Cant. 8. v. 10.

Etiam tibi nomen idem obtinget, si non *saluantis*, certè *saluati. Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum: & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Apoc. 2. vers. 17. Dei & Agni nomen erit (in cælo) in frontibus Sanctorum, Apoc. 22. vers. 4. *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit.* Isa. 62. vers. 2. *Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* vers. 3. *Vocaberis, Voluntas mea in ea: quia complacuit Domino in te.* vers. 4. *Scribam super eum nomen Dei mei, & nomen meum nouum*, Apoc. 3. vers. 12. *Nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ*, &c. Isa. 26. vers. 8. &c. *Dic animæ meæ, Salus tua ego sum.* Psal. 34. vers. 3 *Sana me Domine & sanabor.* Ierem. 27. v. 14.

Etiam nomen *Christi*, id est, vncti, tibi communicat Iesus. *Seruos suos vocabit nomine alio*, &c. Isa. 65. vers. 5. *Qui vnxit nos Deus.* &c. 2. Corinth. 1. vers. 21. *Elegit nos in ipso, vt essemus sancti.* Ephes. 1. vers. 4. *Impinguasti in oleo caput meum.* Psalm. 22. v. 5.

Hæc vnctio fit per infusionem Spiritus sancti, qua *facit nos regnum & sacerdotes.* Apoc. 1. vers. 6. *Regale sacerdotium.* 1. Pet. 2. vers. 9. *Caro mea immutata est propter oleum.* Psalm. 108. vers. 24. *Computrescet iugum* diaboli *à facie olei*, id est ad præsentiam Christi vncti. Isa. 10. v. 27. Adeò vt toti orbi & inferno terrori simus. *Nolite tangere Christos meos.* Psalm. 104. vers. 5.

Cum nouo anno innouanda animi proposita *Sta in testamento* (seu pacto) *tuo* (quod cum Deo iniisti,) *& in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veterascre.* Eccli. 11. vers. 21. *& mane in loco tuo* vers. 22. *Renouamini spiritu mentis vestræ; & induite nouum hominem*, &c. Ephes. 4. v. 23. &c. & Colos. 3. vers. 9. vsque 18. *Admoneo te, vt resuscites gratiam quæ est in te*, &c. 2. Tim. 1. vers. 6. *Habeo aduersum te, quòd charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque vnde excideris, & prima opera fac*, &c. Apoc. 2. vers. 4. *Aperui os meum ad Dominum, & aliud facere non potero*, Iudic. 11. vers. 33. *Ecce breues anni transeunt, & semitam, per quam non reuertar, ambio.* Iob 16. vers. vlt. *Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum stat. Oritur sol & occidit*, &c. Eccles. 1. v. 4. &c.

VARIA.

Iosue typus Iesu, tam nomine quàm re. Numer. 13. vers. 17. *Fortis in bello Iesus Naue, qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in saluatem electorum Dei*, &c. Eccli. 46. v. 1. vsque 10. vbi eius encomia. Typus etiam fuit Salomon. *Vnxerunt* Salomonem *regem in Gihon.* 3. Reg. 1. v. 45. Imò & Cyrus Persarum monarcha. O Cyre, *assimilauit te mihi quoad nomen*, &c. Isa. 45. v. 1.

Cauendum à profanis epulis & superstitiosis hilarijs. *Qui* (initio anni) *ponitis Fortunæ mensam, & libatis super eam, numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis. Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis: ecce serui mei lætabuntur*, &c. Isaiæ 65. v. 11. &c.

IN VIGILIA EPIPHANIÆ.

Euang. *Defuncto Herode, ecce angelus Domini.* Matth. 2. v. 19. vsque fin. cap.

FIDES & MORES.

Prima figura Sexta. *Reuertere*, ô Iacob, *in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, ero* $\overline{q}$ *tecum.* Gen. 31. v. 3. *Vade* ô Moyses, *& reuertere in Ægyptum: mortui sunt enim omnes qui quærebant animam tuam.* Exod. 4. v. 19.

Ex his elucet Primò, prouidentia diuina, etiam circa minima. contr. 1. n. 4. Secundò, fidelitas in complendis promissis. Dixerat enim Matth. 2. v. 13. *Esto ibi vsque dum dicam tibi.* Debebat ergo statuo tempore significare Iosepho de reditu in patriam.

VARIA.

Quando *defunctus* sit *Herodes*: quanto tempore Christus manserit in Ægypto: & qui præter Herodem, *quæsierint animam pueri*, sed iam extincti essent, vide in comment. v. 19. & 20.

Timuit ire] *Timor Iacobi* propter *Esau fratrem* cum 400. armatis obuiam venientem, Gen. 32. & 33.

Timuit ire in Iudæam] Neque enim iusserat eò ire angelus, sed generaliter *in terram Israel*, quæ etiam Galilæam complectebatur. Quo modo istic tutus agere potuerit, dixi in comment. vers. 22. Vt &, vnde *Nazarius* sit dictus: quo nomine vocatur Isaiæ 11. v. 1.

Reliqua huc spectantia habes in die SS. Innocentium.

IN FESTO EPIPHANIÆ, 6. Ian.

Euangel. *Cùm natus esset Iesus.* Matth. 2. à v. 1. ad 13.

FIDES.

Natus Iesus in Bethlehem, in diebus Herodis regis] qui sceptrum abstulit de Iuda, Gen. 49. v. 10. Matth. 2. v. 1.

Alia signa impleti iam tum temporis, quo Messias adesse debebat, habes contr. 4. num. 1. Incipit *lapis abscissus de monte sine manibus*, Dan. 2. vers. 34. percutere *statuam* quadrimateriatam. *Factus est mons magnus, & implenit vniuersam terram.* vers. 37. & 44. Incipit propalari aduentus

aduentus Messiæ etiam remotioribus populis. *Surge, illaminare Ierusalem, qûia venit lumen tuum, & gloria Domini,* &c. Isai.60.v.1.vsque fin. *Qui sunt isti,* &c.v.8. *Argentum eorum,& aurum eorum cum eis,* &c.v.9. *Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi.* v.10. *Gens enim & regnum,quod non seruierit tibi,peribit.*v.12. *Sugesl ac Gentium,& mamilla regum lactaberis,* &c.v.16.

v.2. *Vidimus in Oriente stellam,* indicem natiuitatis eius, vide comment.*Orietur stella ex Iacob,* &c.Num.24.v.17.*Ego stella splendida,*&c.Apoc.22.v.16.*Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui.* Isai.60.v.3. *Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Isai.52.v.10. *Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob: dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Isai.49.v.6. *Inuentus sum à me non quærentibus me.* Isai.65. num.7. *Quibus non est narratum de eo, viderunt, & qui non audierunt, contemplati sunt.* Isaiæ 52.v.15.

v.4. *Congregans omnes Principes Sacerdotum & Scribas populi,sciscitabatur ab eis,vbi Christus nasceretur*] Si olim in omni dubio standum erat sacerdotum sententia.Deut.17.v.8. quantò magis nunc infallibili sententia Summi Pontificis & Ecclesiæ? controu.5.nu.5.& contr.6.num.16.

v.5. *Dixerunt: In Bethlehem Iuda*] iuxta prædictionem Michææ 5. v. 2.

v.9. *Ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vsque dum veniens staret supra, vbi erat puer*] Quibus ducibus, lignis vel notis, deducamur ad domum seu Ecclesiam Christi,controu.n.4.vsque 9.De gratia præueniente,excitante,concomitante,controu.14.tota,vbi & de necessitate & efficacia eiusdem.

v.11. *Et procidentes adorauerunt eum*] Vbicumque Deus est, adorari debet,etiam in Eucharistia,contr.21.n.7.Adorandus & in imagine sua,controu.30.n.11. *In illa die erit germen Domini in magnificentia & gloria,* &c. Isai.4.v.2. *Super ipsum continebunt reges os suum.* Isai.52.v.15.

Et obtulerunt ei munera,aurum,thus,myrrham] vtpote regi, Deo,homini. Sacrificio & muneribus, etsi non indigeat, honorandus tamen Deus, & in membris suis etiam iuuandus. Matth 25.v.40.& 45.

MORES.

Auditâ famâ natalis Christi *turbatur Herodes & omnis Ierosolyma cum illo.* Matth.2.vers.3. Sicut olim auditâ conspiratione Syriæ cum Samaria, *commotum est cor Achazæ* regis Iuda, *& cor populi eius, sicut mouentur ligna siluarum à facie venti.* Isai.7.v.2.

Gaudet è contrario populus Gentilis. *Lætare sterilis,*&c. Isai.54. vers.4. *Sed quale gaudium mihi erit, qui in tenebris* infidelitatis adhuc *sedeo, & lumen cæli non video?* Tobiæ 5.vers.11.Per *manus Iacob* decussatas,Gen.48.vers.14. *Crux* Christi intelligitur, quæ minorem natu populum Gentilem præposuit maiori Iudaico. *Dico enim Christum* IESVM *ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum. Gentes autem super misericordia honorare Deum,* &c. Rom.15.v.8.vsque 13.

Sed vbi quæremus Dominum? *in lectulo meo,* &c. Cant.3.vers.1.&c. Frustra. *Nemo nouit filium nisi Pater,* &c. Matth.11.v.27. Ergo ad opem Patris cælestis confugiendum: *Quis suscitauit iustum ab Oriente, & vocauit eum vt sequeretur?* Isai.41.v.2.

Idem ille Deus nos duci iubebit *columna nubis & ignis.* Exod.13.v.21.*Emitte lucem tuam,*&c. Psal.42.v.3. *In lumine tuo videbimus lumen.* Psal 35.v.10.

Hoc lumine cælesti ad Christum per fidem deducti Patriarchæ & Prophetæ. *Abraham fide obediuit exire,* &c. ad Hebr.11.v.8. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham,vnde vehementer eleuati sunt,* etiam quoad temporalia bona,Psal.n.46.v.10.

Et hoc præ omnibus negotiis curandum animo gene-

roso, nobili & cordato. *Princeps ea quæ sunt digna principe cogitabit, & ipse super duces stabit.* Isai.32.v 8.

Sed qualis & quàm glorioſus apparuit regibus hic infantulus in sinu & genibus matris suæ: *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo:*&c. Psalm.18.v.6. vsque 8. *Gloria eius quasi vnigeniti à Patre.* Ioan.1.v.14.

Potrò prima hæc sunt spolia Messiæ, & quasi arrha totius gentilitatis ipsi mox iungendæ ac subiicien.dæ. *Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi.* Isai.49.vers.18. *Omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis eos quasi sponsa.* Ibidem vsque v.25. *Erunt reges nutricij tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* vers.23. *Regina Saba* Æthiopissa (Ecclesia Gentium) accurrit ad Christum 3.Regum 10. vers. 1. *Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent. Reges Tharsis,* &c. *& adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei.* Psalm.71. vers.9. *Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum,* vers.8. *Et dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipso semper, tota die benedicens ei.* vers.15. *Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.* vers.17.

Sed ad quid hæc munera? *Cùm egrediemini Aegypto,non exibitis vacui,* &c. *spoliabitis Aegyptum.* Exod.3.v.22.

O quàm sunt alia munera quæ nobis impertit Messias! *Quoniam omnia nobis diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitam & pietatem donata sunt,per cognitionem eius qui vocauit nos,*&c. *per quem maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.* 2.Petr.1.v.3.&c.

VARIA.

O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna Bethlehem! 2.Reg.23.v.15.

Ex Arabia decimatertia ab ortu Christi die, sexta Ianuarij, appulerunt Magi ad stabulum Bethlehemiticum, Chron.c.49.*Quomodo* dicantur fuisse *reges* & quales. Gen. 14.v.9. Non erant *arioli,diuini,pythones.* &c. Deut.18. v.11. Domini quarumdam vrbium,Ios.12.vers.24.Prima *magiæ* origo à diabolo. Sap.12.v.4.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

Euangel. *Cùm factus esset* IESVS *annorum duodecim.* Lucæ 2. v. 42. ad fin. cap.

FIDES.

Ascendentibus Maria & Ioseph,cum puero IESV *Ierosolymam secundùm consuetudinem diei festi.* Si festa Iudaica in commemorationem beneficiorum cælitus acceptorum, religiosè colit Christus eiusque parentes; cur non colant Christiani festa Sanctorum, in memoriam beneficiorum cælitus ipsis Sanctis, & per Sanctos toti Ecclesiæ collatorum? Cur item peregrinationes Christianorum carpant aduersarij, cùm Christum videant cum parentibus suis ad locum templi peregrinantes? Luc.2 v.42. v.43.

Remansit puer IESVS *in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius*] Nulla hîc negligentia parentum: sed diuinâ sic factum prouidentiâ, ad varia mysteria indicanda. Iustitia per peccata deperditur, controu.15.num.17. *Quid dilecte mi,quid dilecte ueri mei, quid dilecte votorum meorum?* Prouerb.31.v.2. v.48.

Fili,quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te] Non expostulantis hæc sunt vel auctoritatem ingerentis: sed matris cum humilitate & fiducia vehementem doloris sui affectum & amorem exprimentis. Quibus viis quærenda iustitia, contr.15.num.9.

Quo iure *Iosephum* vocet *patrem* Christi, vide Matth.1. vers.18.

v. 49. *Quid est quòd me quærebatis?*] Non obiurgat, non reprehendit: sed in parentibus suis nos omnes docet, sectari præ omnibus cælestia.

Nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse occupatum? Secundùm duplicem in Christo naturam hypostaticè in Verbo vnitam, sed impermixtam, contr. 4. n. 5. 6. 7. erant varij generis opera in Christo: quædam merè diuina, quædam humana, quædam diuinohumana, quæ theandrica vocamus. vide comment.

v. 50. *Ipsi non intellexerunt* hoc *verbum*? sed successu temporis reipsa didicerunt quænam essent illa Patris cælestis negotia, de quibus hic Christus. Sed *mater* minimè curiosa, *conseruabat omnia verba hæc in corde suo.*

v. 51. *Erat subditus illis*] etsi ab illorum obedientia exemptus. En speculum pietatis in parentes, & obedientiæ erga Superiores

v. 52. *Proficiebat Iesus, vt ætate, sic & sapientia & gratia apud Deum & homines*] Nullius vmquam rei ignorantia fuit in anima Christi, contr. 4. n. 13. Solùm profecit quoad experimentalem scientiam. ibid. & in comment.

Quomodo gratiâ profecerit, cùm à primo conceptu suo fuerit plenus gratiâ, vide ibid. & in comment.

MORES.

Luc. 2. v. 42. *Ascendentibus illis*] Iosepho secundùm legem, Exod. 23. vers. 17. *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino:* Deipara verò & Christo *secundùm consuetudinem.* Si quid Deo debes (debes autem obseruationem mandatorum) punctim solue cum Iosepho. Si non debes (vt quæ sunt consilij) supereroga cum Iesu & Maria. contr. 9. num. 9. Noli anxiè quærere, an non tenearis: noli dicere; Nisi tenear, non faciam. Non sinet Deus se vinci liberalitate.

Et laudabile est, non sola præcepta, sed & pias consuetudines à maioribus traditas obseruari. Laudabile quoque, cùm primùm per ætatem licuerit, comitentur pueri parentes suos, non ad ludos, comœdias, tripudia, sed ad templum, ad cœnobia, ad loca pia. Etiam ad *Eliæi* cœnobium in *Carmelo* conueniebant pij, vt diuinis illic laudibus & exhortationibus interessent, 4. Reg. 4. v. 8.

Caue sis adeas excelsa idolorum, conuenticula vel consortia hæreticorum. *Ad locum quem elegerit Dominus venietis, & offeretis in loco illo holocausta & victimas vestras, decimas & primitias manuum vestrarum, & vota atque donaria, primogenita boum & ouium,* &c. Deut. 12. v. 5. & 17. Deus non apparuit *Salomoni* etsi multis *in excelsis* sacrificanti, sed solùm *in Gabaon*, 3. Reg. 3. v. 3. vbi erat *tabernaculum & altare* Mosaicum. *Cùm irent omnes ad vitulos aureos*, Tobias *solus pergebat in Ierusalem ad templum Dei*, &c. Tob. 1. v. 5. Vbi vide reliqua adolescentiæ eius encomia. Item virilis ætatis & coniugij. v. 10. Præmia etiam temporalia, v. 33. *Saræ* virtutes, c. 3. v. 26. *Numquam concupiui virum. Numquam cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in leuitate ambulant,* &c.

v. 43. *Remansit puer* Ierosolymis iam duodennis. Cùm in hac ætate plurimi aberrent, legibus tempestiuè frænetur, & vigili parentum custodiâ sepiatur. *Filij tibi sunt? Erudi illos, & curua eos à pueritia illorum,* Eccli. 7. v. 25. Probis magistris trade illos. *Alphabetum* Christianorum *lex Domini* Psal. 118. initio. *Beati qui scrutantur testimonia eius, beati qui ambulant in lege Domini.* v. 1. *Beatus vir qui non abyt,* &c. psal. 1. v. 1. *Fideli a omnia mandata eius,* &c. Psalm. 110. v. 8. *In quo corrigit adolescentior viam suam,* &c. Psalm. 118. v. 9. *Portio mea Domine, dixi, custodire legem tuam.* Psam. 118. v. 57. *Nisi quòd lex tua meditatio mea est, tunc fortè perissem in humilitate mea.* vers. 92. *Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.* vers. 96. Hac via *super omnes inimicos meos prudentem me fecisti, super omnes docentes me; super senes,* &c. v. 98. &c. *Hereditate acquisiui testimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei sunt.* vers. 111. *Os meum aperui & attraxi spiritum,* anhelans ad scientiam legis tuæ, vers. 131. *Ignitum eloquium tuum vehementer.* v. 140. *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.* v. 162.

Praua consortia vitanda. Prou. 1. v. 8. *Audi fili mi,* &c. vsque 19. *Relinquunt iter rectum,* &c. c. 2. v. 13. vsque 16. *Fuge à via malorum,* &c. c. 4. v. 14. vsque 20. *Ei qui reuelat mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commiscearis.* Prou. 20. vers. 19. Quibus commisceris, illidem assimilaberis. *Cum sancto sanctus eris, cum peruerso peruerteris.* Psalm. 17. v. 27. *Prouerbium est: adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Prou. 22. v. 6. Quàm benedicta *Ruth* quòd adhæserit piæ *Noemi* socrui suæ, Ruth 1. v. 16. *Ne aduersaris mihi vt relinquam te. Sola mors me & te separabit.* Lucæ 2. v. 46. *Inuenerunt illum audientem doctores, & interrogantem illos.* Quamdiu adolescens vel iuuenis es, *audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. Adolescens loquere in causa tua vix. Si vis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum,* &c. Eccli. 32. vers. 9. vsque 15. *Iunior sum tempore, vos autem antiquiores, idcirco demisso capite veritus sum vobis indicare meam sententiam,* &c. Iob 32. v. 6. vsque 13.

Quid facis in templo? *audi.* & quod minùs capis, *roga* suo tempore.

Erat subditus illis] Hoc curandum parentibus, vt filij in omnibus morigeri sint. Non sat erat quòd *Moyses* placeret Deo debebat quoq; curare vt tota *familia* placeret. Hinc angelus voluit eum occidere, quòd non sat citò circumcidisset filium suum, Exod. 4. v. 24. v. 51.

Prælato obediendum. Samuel Sauli, *Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non feciisses, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum.* 1. Reg. 14. vers. 13. *Vir obediens loquetur victoriam.* Prou. 21. v. 28.

Etiam malè præcipienti parenti vel marito iubet Deus filiam & vxorem parere, Num. 30. vers. 16. & plectitur Ionamas non obediens licet nescius patri. 1. Reg. 14. v. 19. Numquam tamen parendum in re quam constat per se malam esse. Vnde meritò Saulis præcipienti occidere *sacerdotes*, noluerunt serui parere, 1. Reg. 22. v. 17.

Remansit Iesus, &c.] Non est impium, etiam cum dolore parentum, se dare studio Euangelicæ perfectionis. Imò verò *qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Matth. 10. v. 37. v. 43.

Sed nonne dolendum, occasione festi, & lætæ fortunæ, adeoque & in ipso templo subinde deperdi Iesum?

Qua ratione deperdimus Iesum? per omne peccatum mortale. Quòd si quibusdam aliquod subinde peccatum videatur leue: non ita videtur Deo. Nonne Oza morte punitus, eò quòd arcam Dei curasset plaustro vehi, quæ proprijs Leuitarum humeris deferri debebat, 2. Reg. 6. v. 7. & 1. Paral. 15. v. 12?

Qua ratione iterum Iesus quærendus? Primò, solicitè. *Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius,* &c. Matth. 6. v. 33. Secundò, constanter. *Donec superest halitus in me,* &c. *iustificationem meam quam cœpi tenere, non deseram.* Iob 27. v. 3. & 6. Tertiò, cum dolore, confusione, confessione, satisfactione, &c. *Dolentes quærebamus te,* Lucæ 2. vers. 48. Quartò, in templo, nō in foro, non in poculis, non in ludis.

Quanto, patatis, dolore quæsiuit filium mater? *Porphyrio* venustissima auium, iugulato per herum gallo, sibi ipsi præ dolore mortem inediâ attulit, Deut. 14. v. 17. Et armiger Saulis noluit superuiuere domino suo, 1. Regum 31. v. 5.

Tam vilis animus non fuit Deiparæ, etsi teneriùs filium prosequeretur. *Sicut mater vnicum amat filium suum, ita ego te diligebam;* inquiebat Dauid Ionathæ, 2. Reg. 1. vers. 26. Lacrymis ergo prosequebatur Maria Iesum suum. *Baculum senectutis nostræ tulisti & transmisisti à nobis.*

Tob.

Tob.5.v.23. *Sufficiebat nobis paupertas nostra, vt diuitias computaremus hoc, quòd videbamus filium nostrum.* v.25. *Flebat mater eius irremediabilibus lacrymis? Heu, heu me, fili mi, vt quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ? Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.* cap.10.v.4.

Sed vbi quæremus & nos IESVM? *Impegimus in meridie, quasi in tenebris.* Isai.59.v.10. *In lectulo meo quæsiui,* &c. Cant. 3.v.1.vsque 5. *Indica mihi, vbi pascas, vbi cubes,* &c. Cant.1.v.6. *Caro & sanguis non reuelauit tibi,* &c. Matth.16.v.17.

VARIA.

Dum Iudæi ab vrbibus suis omnes ter quotannis abessent, non permittebat Deus vt quidquam interea periculi vrbibus obueniret ab hoste. Deut.16.v.7.

Quæ fuerint Iudæorum præcipua festa toto anni decursu, quæ festiuitates noui testamenti successerint festiuitatibus veteris testamenti, per se sat liquet.

Anno vitæ Christi vndecimo Archelaus (cuius metu non ausus fuerat Ioseph cum puero Ierosolymam ascendere. Matth.2.v.22.) iussu Augusti Cæsaris in exilium pulsus est, Coponio præside in locum eius suffecto, Chronici cap.45.& 49. Vnde licuit Christo iam tutò in templum cum parentibus ascendere.

Quid Christus in templo interrogarit doctores: an de tempore & signis aduentus Messiæ? habes illa contr. 4.num.1.

Vnde IESVS illo triduo vixerit Ierosolymis: an mendicarit. *Factus propter nos egenus.*

Quid totis 30. annis fecit IESVS? Quid totis 80. annis primis vitæ suæ fecit Moyses? Exod.2.v.10.&c. & cap.3. vers.1. &c.

Quàm volupe fuit Deiparæ & Iosepho, & affinibus, frui aspectu, consortio & conuictu dulcissimi IESV! *Beati viri tui, & beati serui tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* 3.Reg.10.v.8. *Magnificatus est Rex Salomon super omnes reges terræ, diuitiis & sapientia. Et vniuersa terra desiderabat vultum Salomonis,* &c. v.23.

IN OCTAVA EPIPHANIÆ.

Euangel. *Vidit Ioannes* IESVM *venientem ad se.* Ioan. 1. v.29. vsque 35.

FIDES.

Ioã.1. v.29. *Ecce Agnus Dei,* iussu Dei immolandus in ara crucis, vt *tollat peccata mundi,* tam originale, de quo contr.11.nu.4. vsque 9. quàm actualia, de quibus controu.12.nu.1. &c. Secundùm quam naturam Christus sit Redemptor mũdi, vide contr.4.n.11.& quo lytro.n.14. & 15.] *Hic est qui venit non in aqua solùm* (vt Ioannes Baptista) *sed in aqua & sanguine. Et Spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas. Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, & aqua, & sanguis, & hi tres vnum sunt.* 1.Ioan.5.v.6. vsque 10.

De differentia baptismi Ioannis & Christi, vide contr. 19. num. 10.

v.30. *Ante me factus est, quia prior me erat*] Duplex in Christo natura hypostaticè, controu.4. num.3. vsque 10. Secundùm vtramque dignior Ioanne, & omnibus Angelis. Ioan.1.vers.1. *In principio erat Verbum,* &c. Hebr.1.vers.4. *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit.*

v.31. Tuum verò, ô Ioannes, quodnam hîc munus? *Quid hic agis Elias?* 3.Reg.19.v.9. *Veni ego in aqua baptizans, vt* IESVS *manifestetur*] Malach. 3. vers 1. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem meam,* &c. Vide Dominica tertia Aduentus.

Vidi Spiritum sanctum quasi columbam super IESVM *descendentem de cælo*] Matth 3.v.16. *Aperti sunt cæli,* &c. Vbi & de baptismo Christi. v.32.

MORES.

In aliis laudandis liberales, in carpendis parcissimos nos exhibeamus exemplo Ioannis.

Qua ratione Spiritus sanctus in animam nostram descendat, & in ea maneat, & delicietur, vide in festo Pentecostes.

VARIA.

Quinquagesimaseptima à baptismo die hæc de Christo testatus est Ioannes, mensis Martij die secundâ, vide in Chron. cap.49.

DOMINICA II. POST EPIPHAN.

Euangel. *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.* Ioann. 2. vers. 1. ad 12.

FIDES.

Nuptiæ factæ sunt: & erat mater IESV *ibi,* adeoque & ipse IESVS] Matrimonij dignitatem commendant. Primò, auctoritas instituentis Dei, Gen.2.v.24. Secundò locus, paradisus. Tertiò, status innocentiæ, ibid. Quartò, præsentia IESV & MARIÆ, hic. Quintò, Sacramenti excellentia, controu.27.num.1.&c. Sextò, finis, bonum prolis. An, & quam gratiam, & quanta bona conferat Sacramentum matrimonij, controu.17.num.1. Ioã.2. v.1.

Dicit mater IESV *ad eum, Vinum non habent*] Quàm sit matri Dei, & Sanctis in cælo, bonum nostrum curæ & cordi nec ipsos latere nostras miserias, controu.30.nu.8. *Vestra angustia magis me premit.* Ruth 1. vers.13. *Adonias* ad Bethsabee, 3.Reg.2.v.17. *Precor vt dicas Salomoni regi (neque enim negare tibi quidquam potest) vt det mihi Abisag Sunamitidem vxorem.* v.3.

Quid mihi & tibi est mulier?] An excellentissima Virginis fides, spes, fiducia, modestia, resignatio, charitas in pauperes tale responsum merebantur? Sed nulla hîc reprehensio, vbi nulla culpa. Cur ergo sic loquatur Christus, vide comment. Multò minùs inhibetur inuocatio Sanctorum, controu.30.num.9. v.4.

Nondum venit hora mea] Vix adhibet Deus miraculum, nisi cum de præsenti necessitate palam constat, & humana auxilia desperantur: Nec tamen hinc sequitur, omnia ab æterno prædefinita à Deo citra respectum ad causas liberas, controu.13.nu.7.

Quodcumque dixerit vobis facite] En constantem Virginis fiduciam, mansuetudinem, prudentiam & animi magnitudinem incomparabilem. Et hæc requiruntur, vt oratio sit infallibiliter impetratoria, controu.17.nu.3. Sed an hæc verba indicant, obseruationem mandatorum Dei nobis impossibilem esse? controu.14.nu.7.14.16. v.5.

Implete hydrias aquâ] Vis diuina consequi beneficia, manum Dei auxiliatricem experiri? ne crede tantùm, sed & cooperare: fac quod in te est: de tuo confer quidquid potes, controu.14. num.10. v.7.

Haurite nunc, nempe v.9. *aquam vinum factam*] Si sola voluntate mutauit aquam in vinum, non erit dignus cui dicenti credamus, quòd panem in corpus, vinum in sanguinem suum transmutarit? contr.21.nu.2.&c. v.8.

Incipit hîc Christus frigidam & insipidam legis Mosaicæ aquam, cum suauissimo generosissimoque Euangelicæ legis vino commutare. Cyril. Ierosol catechesi mystag.4

Ferte architriclino] Subordinatio vbique laudanda. Sic Lucæ 17.v.14. *Ostendite vos Sacerdotibus.* Act.9.v.7. *Vade in ciuitatem* ad Ananiam, *ibi dicetur tibi,* &c.

Hoc fecit initium signorum IESVS, &c. *& crediderunt in eum discipuli eius*] Noua missio, noua doctrina miraculis neces- v.11.

necessariò comprobanda, contr. 8. num. 2. *Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel, vt sciant quòd sicut cum Moyse fui, ita & tecum sim.* Iosue 3. v. 7.

MORES.

Ioan. 2. v. 1. *Nuptiæ*] Quæ officia mutua mariti & vxoris. Tobiæ 10. v. 3. monent parentes Saram, *honorare soceros, diligere maritos, regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprehensibilem exhibere. Ostendam tibi qui sint* (coniuges) *quibus præualere potest dæmonium.* Tob. 6. v. 16. Quàm modestæ nuptiæ Tobiæ, c. 9. v. 8. & 12.

Erant ibi Iesus & Maria] Vt intelligant coniuges, Primò, quanta mentis & corporis puritate nuptiæ ineundæ sint, & quàm procul proscribenda sint luxus, lasciuia, ebrietas, &c. Secundò curandum ijs esse vt Christum habeant sanctificatorem, Mariam deprecatricem, ad subleuandas crebrò occurrentes coniugij necessitates.

Pro temperantia in conuiuijs nota illud Sapientis: *Quando sederis vt comedas cum principe*, &c. *Statue cultrum in gutture tuo*, &c. *Ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij*, &c. Prou. 23. v. 1. 2. 3. 6. 7. 8. 20. 21. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ?* &c. *nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* v. 29. vsque 33. *Et eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator, amisso clauo.* vers. 34. *Noli regibus dare vinum, quia nullum secretum vbi regnat ebrietas.* Prou. 31. vers. 4. *& ne forte bibant & obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis. Date siceram mœrentibus* &c. v. 5. & 6.

Temperantiæ præcepta super mensa tam in cibo, quàm in potu, Eccli 31. v. 12. vsque 27. Item à v. 30. vsque fin. Item cap. 37. vers. 32. &c. Nec nimis diu accumbendum, Eccli 32. v. 15. *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines* &c. Genes. 40. vers. 9. &c. In vite tres botri, tres calices: primus, *sanitatis*; secundus, *voluptatis*, tertius, *ebrietatis*, iniuriæ, insaniæ, inquit Anacharsis.

Memento & calicis iræ ac vindictæ diuinæ. *Potasti nos vino compunctionis*, &c. Psal. 59. v. 5.

Laudabilis musica in conuiuio. Eccli 32. v. 5. 7. 8.

Incommoda sæpè grauia ex nuptijs & conuiuijs. *Ecce tumultus & apparatus multus: & sponsus* (è filijs Iambri) *processit & amici eius*, &c. *cum tympanis & musicis, & armis multis. Et surrexerunt* (viri Ionathæ) *ex insidijs, & occiderunt eos*, &c. *& conuersæ sunt nuptiæ in luctum, & vox musicorum ipsorum in lamentum*, &c. *in vindictam sanguinis fratris sui* (Ioannis) 1. Mach. 9. v. 39. &c. *Simon Machabæus in conuiuio occisus in Doch*, 1. Mach. vlt. v. 15. &c. Amnon in mensa Absalomi, 2. Reg. 13. v. 28. Ela temulentus occisus, 3. Reg. 16. v. 9. Balthasar rex Chaldæus cum omnibus optimatibus suis, Dan. 5. v. 30.

v. 2. *Vocatus* venit *Iesus*, quando via legitima & pia intentione ineuntur nuptiæ. Caue autem ne vocatus, despicias pauperum amicorum conuiuia. Quin potiùs, si quid eis defuerit, submitte liberali manu. Caueant Ecclesiastici nuptiali conuiuio seipsos ingerere. Et si quàndo coguntur interesse, meminerint sua modestia, sobrietate & facundia temperare nuptiarum lasciuiam.

v. 3. *Deficiente vino*] Necessitas, cum omni resignatione Deo proposita, facilè illum exorat. Ioan. 11. v. 3. *Domine quem amas infirmatur.* Sed quomodo pateris, bone Iesu, te præsente vinum deficere? Imò cur te præsente citiùs deficit vinum? *Domine cur afflixisti populum istum? quare misisti me? Ex eo enim quo ingressus sum ad Pharaonem vt loquerer in nomine tuo, afflixit populum tuum, & non liberasti eos.* Exodi 5. v. 2.

Permittit id Deus tum alias ob causas, tum ad te probandum & meritis augendum. *Numquid Iob frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum?* &c. *Sed extende paululùm manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Iob 1. vers. 9. *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua. Alioqui mitte manum tuam, & tange os eius & carnem, & tunc videbis quòd in faciem benedicat tibi.* c. 2. v. 4. *Numquid rugiet onager cum habuerit herbam, aut mugiet bos, cùm ante præsepe plenum steterit?* c. 6. v. 5.

Quid mihi & tibi?] Miracula non facilè deposcenda. Ecclesiastici & Religiosi ne nimis angantur vel solicitè sint pro carnalibus propinquis. v. 4.

Nondum venit hora mea] Ne diffide. Quod differtur in bonum tuum, dabitur suo tempore ad maius bonum tuum. Sed *vinum* diuini amoris ac deuotionis non dabitur, nisi defecerit quod carnale est; neque *manna* nisi farina Ægypti defecerit, Exod. 16. vers. 3. nisi *expellatur ancilla & filius eius.* Gen. 21. v. 10. *Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* Ioan. 16. v. 7.

Implete hydrias aqua (tribulationis & aduersitatis) *vsque* v. 7. *ad summum. Nunc videbis quæ facturus sim Pharaoni.* Exodi 6. v. 1. Quando & quoties vult Deus *conuertit & transmutat in matutinum vmbram mortis.* Amos 5. v. 7. Non, vt olim per *lignum* dulcorans *amaras aquas*, Exodi 15. v. 25. nec manu *angelica confectum manna de cælo depluens*, Exodi 16. v. 4. &c. Sed solo iussu, solo nutu suo conuertens aquam in vinum: vt postea conuertet panem in corpus, vinum in sanguinem suum, Matth. 26. vers. 26. Porrò vinum spirituale non præbibit nobis exiguo poculo, vel modico hausu, sed integris dolijs. *Introduxit me rex in cellaria sua.* Cant. 1. v. 3. *In cellam vinariam.* Cant. 2. v. 4. Nempe vt possimus etiam proximo depromere. Idque tanta constantia ac soliditate subministrat, vt, si velimus, æternùm duraturum sit. *Ligans ad vineam pullum*, &c. Gen. 49. v. 11.

Seruasti bonum vinum vsque adhuc] Priscis patribus sub lege naturæ & Mosaica vinum dedit Deus: sed non quale nobis in lege & mensa Christi. Extrema luctus in obsequio Dei occupat gaudium, idque sempiternum. In obsequio mundi extrema breuis gaudij excipiet luctus & cruciatus æternus. v. 11.

Vinum *colore* charitatis splendens, *odore* discretionis fragrans, *sapore* deuotionis conditum offert, si sapis, Deo. *Vinum optimum dignum dilecto.* &c. Cant. 7. v. 9.

VARIA.

An matrimonium sit Sacramentum, contr. 27. num. 1. De bonis matrimonij, ibid.

Tres in arca (allegoricè, in Ecclesia,) ordines contignationum, quorum vnus altero sublimior, Genes. 6. Virginitas, viduitas, matrimonium. Semen Euangelicum Matt. 13. v. 8. aliud fert fructum *centesimum*, aliud *sexagesimum*, aliud *trigesimum*.

Si vsus aquæ purificationis & lustrationis Iudaicæ placuit Deo, Num. 8. v. 7. & c. 19. v. 12. cur in aquam lustralem Catholicorum tantis sannis inuehuntur Nouantes? contr. 18. n. 12.

Sex hydriæ Ecclesiæ Christi, sex alæ Seraphim, lectio sacrarum litterarum, verbi diuini auditio, oratio, meditatio vel contemplatio, Sacramenta, sacrificium.

Quinta die Martij, sexagesima à baptismo Christi, mutata est aqua in vinum. vide in comment. & Chron. c. 43.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Euangel. *de Leproso mundato, & seruo Centurionis curato.* Matth. 8. v. 1. vsque 14.

FIDES.

Adorabat eum adhuc in carne mortali nobiscum degentem: quid ni adoremus & nos ipsum immortalem in Eucharistia latitantem, contr. 21. n. 5. & 7. Matth. 8. v. 2.

Si vis, potes me mundare] Insignem, fidem, ac fiduciam cum omni indifferentia! Sic orandum si exaudiri velimus. contr. 17. n. 3. v. 2.

Extendens

v. 3. *Extendens* IESVS *manum, tetigit eum, dicens: Volo mundare*] Attactu, verum hominem, imperio & curatione verum Deum se esse designat. Et adhuc clament Nouantes, corporalem Christi in Eucharistia præsentiam non prodesse quidquam? controu. 11. num. 2. *Fiat terra: fiat lux: fiat firmamentum*, &c. Gen. 1. *Et facta sunt*: & dicenti, *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus*, fidem denegabimus?

v. 4. *Vade, ostende te sacerdoti*] *Si*, 2. Corinth. 3. vers. 9. *ministratio damnationis in gloria est*: & honoratur figura à Christo (nam *omnia in figura illis contingebant*;) nos Christiani nos honorabimus veritatem? Ioan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. contr. 23. nu. 1. &c.

Offer munus quod præcepit Moyses] duos passeres. Quantula res? At grati animi signum exigit Deus, 1. Thessal. 5. v. 17. *In omnibus gratias agite: hæc est enim voluntas Dei*. Sed & stipendia pastoribus non neganda. Nota. Vbicumque potest Christus, honorat Synagogam, & obseruat atque obseruari iubet legem veterem, etsi iam occumbentem: & nostri Nouantes contemnant leges Ecclesiæ Catholicæ non interituræ in æternum? contr. 6. n. 14.

v. 7. *Ego veniam, & curabo eum*] Non mittam seruos meos, sed *ego* ipse *veniam* ad seruum. Vide de aduentu Christi, ante primam Dominicam Aduentus. vide & in Natiuitate Domini.

v. 8. *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum*] Zacchæus Lucæ 19. v. 6. *festinans descendit, & excepit eum gaudens*. Vter Christum magis honorauit? Certè non displicuit Deo, quod Dauid ex humilitate recusarit præsentiam arcæ fœderis. *Reporta arcam Dei in vrbem*, (inquit Rex Dauid Pontifici Sadoco) *si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet eam mihi*. 2 Reg. 15. v. 25.

v. 9. *Ego* merus *homo*, *& sub* tribuni mei *potestate constitutus*, si quid militibus meis impero, mox obtineo: quantò magis tu, Filius Dei, sub nullius existens potestate, creator & Dominus omnium, poteris imperio tuo quidquid volueris? contr. 1. n. 3. & 4.

v. 10. *Iesus miratus est*] Quomodo mirari potuerit, vide comment.

v. 11. *Multi*, Gentiles, *venient ab Oriente & Occidente*, &c.] De vocatione Gentilium ad Ecclesiam Christi, vide in Epiphania Domini.

v. 12. *Filij autem regni*, Iudæi, (quia v. 10. in me credere noluerunt,) *eijcientur in tenebras exteriores*] Viden' filios adoptionis à iustitia, à gratia excidere posse? controu. 15. n 17. De duplici electione & prædestinatione Dei, contr. 13. nu. 8. Forma castrametationis Hebræorum typus extendendæ Ecclesiæ per vniuersum orbem, nu. 2. v. 3. Pro *duabus tubis* argenteis templi. Num. 10. vers. 2. fecit Salomon *duas myriadas*, ibidem, quibus totus orbis conuocetur ad Christum. *Venient legati ex Aegypto. Aethiopia præueniet manus eius Deo*. Psalm. 67. v. 32. *Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, Da: & Austro, Noli prohibere. Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ*. Isai. 43. vers. 5. & 6. *Et omnem qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum*, vers. 7.

MORES.

Matt. 8. v. 1. *Cùm descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ*] Attemperet se Superior infirmioribus, doctrinæ subiungat exempla bonorum operum, habebit subditos vt oues sibi obsequentes.

v. 2. *Ecce Leprosus*] Lepra peccati (quo separaris à Deo, & consortio Sanctorum,) infectus es? ad Christum accurre: Ille mediator est & medicus. Non differres vel ad horam, si quantum hæc lepra noceat, viuaciter sentires? Inflammat superbia, siti torquet auaritia, contagione inficit luxuria, humidum radicale depascitur inuidia, fœtido halitu cruciat gula, rancedine, ira eneruat accidia.

Si vis, potes] Breuis, sed neruosa oratio, fide & affectu plena: accedat humilis & resignatus animus; redibis exorator. Vsus iaculatoriarum orationum commendetur etiam exemplo Nehemiæ, 2. Esdræ 2. v. 4. *Et orauit Deum cæli*. v. 3.

Volo; mundare] Breui postulationi, breuis, sed efficax responsio. O iudices! ô magistratus! ô principes, expedite causas supplicantium. Et vos, ô diuites, pauperum de vobis spes & preces nolite differre. Bis dat, qui citò dat.

Vide, nemini dixeris] Benefac proximo, sed iactantiam & ostentationem caue, virtutis hostem, meritorum prædonem. Si vulgari expedit, à te tamen laudes in Deum deriua. v. 4.

Accessit Centurio] sed per internuntios & amicos, Lucæ 7. vers. 3. Et tu intercessores mitte ad Deum. Sed satage ne desit vnde te Deo commendent. Lucæ 7. vers. 5: *Ædificauit nobis Synagogam*. Sic Act. 9. vers. 39. viduæ exhibebant S. Petro vestes quas fecerat eis Dorcas. Inuoca etiam Sanctos, contr. 30. n. 10. v. 5.

Puer meus (id est, minister, Exod. 33 vers. 11.) *iacet in domo paralyticus*, &c. Satagant domini pro seruorum suorum incolumitate tum spirituali, tum corporali: nec ægros domo exturbent. 1. Timoth. 5. vers. 8. *Si quis suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior*. Sed quanta differentia seruorum sæculi, & seruorum Dei! Seruitus Dei lætitiam, seruitus hominum tristitiam parit, Psal. 99. v. 2. v. 6.

Dico huic, Vade, & vadit: & alij, Veni, & venit] Egredientibus ex Ægypto Hebræis, totoque decursu 40 annorum, *non erat in tribubus eorum infirmus*, cùm essent supra 3. milliones animarum, Psal. 104. v. 37. Cæca obedientia. *Percute me*. 3. Reg. 20. vers. 36. *Quia noluisti audire vocem Domini, ecce percutiet te leo*. vers. 36. Quomodo obedierit Aman, stratoris vice fungens in honorando Mardochæo. Esther 6. v. 10. v. 9.

Quales seruos optabat & curabat sibi rex Dauid, Psal. 100. v. 3. Pro officio boni serui, Nota punitum *Giezi* leprâ, quòd nomine Elisei pecuniam & vestes à Naamano accepit, 4. Reg. 5. vers. 27. *Ecce sicut oculi seruorum, in manibus dominorum suorum*. &c. Psalm. 122. vers. 2. *Ego os regis obseruo, & præcepta iuramenti Dei*, &c. Eccles. 8. v. 2. vsque 6. *Serui obedite dominis carnalibus*, &c. Ephes. 6. vers. 5. vsque 10. *Non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis*, &c. 1. Pet. 2. v. 18. Quomodo tractandi serui desides & rebelles, quomodo diligentes, Eccli 33. v. 25. vsque fin.

VARIA.

Duo hæc miracula edidit Christus anno 2. suæ prædicationis sub medium Maij. Chron. c. 49.

Cur per lepram, hæresis designetur, S. Thom. 1. 2. q. 102. a. 5. ad 4.

An hæretici ab Ecclesia repellendi, controu. 5. n. 9. &c. An pœnis coërcendi, contr. 10. num. 6. O si, qui cum publica viuunt aliorum offensione, proscribantur in solitudinem!

De tenebris exterioribus, vide Dominica 20. post Pentecost.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Euangel. *Ascendente Iesu in nauiculam*. Matth. 8. vers. 23. vsque 28.

FIDES.

Ascendente Iesu in nauiculam, ecce motus magnus, &c.] Matt. 8. v. 1. Eccli 2. v. 1. *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & prepara animam tuam ad tentationem*. Tob. 12. v. 13. 23. *Quia acceptus eras Deo*. &c.

Cur peccatores prosperè agant in hac vita, iusti contrà, vide S. Thom. 1. 2. q. 87. a. 7. ad 2. Signum hoc est, alteram vitam superesse, contr. 28. n. 1.

Nauicula Ecclesiæ fluctibus persecutionum operiri potest, submergi non potest, contr. 5. n. 2.

v. 24. *Ipse verò dormiebat*] Vt vera & mortali constabat carne, contr. 4. n. 4. ita conditionibus carnis mortalis obnoxius esse voluit, & Hebr. 4. v. 15. tentari *per omnia pro similitudine absque peccato.* Sed *ego dormio, & cor meum vigilat.* Cant. 5. v. 2. Non dormit diuinitas: non dormit æterna prouidentia. Psal. 120. v. 4. *Non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel. Custodit omnia ossa eorum*, &c. Psal. 33. v. 20. *Virgam vigilantem ego video.* Ierem. 1. v. 12. *Clamo ad te, & non exaudis*, &c. Iob 30. v. 20. *Excitatus est tamquam dormiens*, &c. Psal. 77. v. 71. Sap. 8. v. 1. *Attingit à fine vsque ad finem.* Sap. 6. v. 8. *Pusillum & magnum ipse fecit.*

v. 25. *Domine, salua nos, perimus*] Psal. 43. v. 24. *Exurge, quare obdormis Domine? Exurge, & ne repellas in finem.* Orationis necessitas, contr. 17. num. 1. etiam iustis, contr. 14. n. 17. *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsum currit iustus, & exaltabitur.* Prou. 18. vers. 10. *Mane mecum, ne timeas: si quis quæsierit animam meam, quæret & animam tuam, mecumque seruaberis.* 1. Reg. 22. v. 23.

v. 26. *Quid timidi estis modicæ fidei?*] & Matt. 14. v. 34. *Modicæ fidei quare dubitasti?* An fides nullos timoris vel dubitationis motus compatiatur, sed quisque credere debeat, se iustum esse, & prædestinatum, & se perseueraturum, & saluandum, contr. 15. n. 12. vsque 19. Fidem & iustitiam gradus admittere, & maiorem in vno quàm in alio reperiri, contr. 15. n. 15. 21. 22. Matth. 15. v. 22. *O mulier, magna est fides tua.* Matth. 8. vers. 10. *Non inueni tantam fidem in Israel.* Lucæ 17. vers. 5. *Domine, adauge nobis fidem. Abraham contra spem in spem credidit*, &c. *& non infirmatus est fide, nec consideranit corpus suum emortuum, & emortuam vuluam Saræ*, &c. Rom. 4. v. 18. &c.

Tunc surgens, imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna] Ita nunc quoque imperabit, quando ita expedit Ecclesiæ, vel animæ cuiusque iusti. *In sermone eius siluit ventus, & cogitatione sua placauit abyssum, & plantauit in illa Dominus insulas*, Eccli. 43. vers. 25. vsque 29. *Non est Domino difficile saluare vel in multis, vel in paucis*, inquit Ionathas, 1. Reg. 14. v. 6.

Quàm facilè mutet fortunæ vices Deus, Iob 5. vers. 8. 9. & vlt.

MORES.

Mat. 8 v. 23. *Ascendente Iesu in nauiculam, secuti sunt eum discipuli*] Ducit suos ad mare Iesus, vt mutuam in aduersis ostendat probetque amicitiam: vt item in pelago vitam Christiani hominis ad viuum suis depingat. Sed caue, locum tentationis adeas, nisi Christo duce & comite. ille clauum teneat in omnibus negotijs tuis.

v. 24. *Et ecce motus magnus*] Tribulatio à Deo semper permittitur, nonnumquam etiam immittitur. Eccli. 11. v. 14. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.* Eccles. 7. v. 15. *Sicut hanc* bonam diem, *sic & illam* malam *fecit Deus.* Decem plagas Ægypti accommodat Orosius l. 7. hist. c. 27. decem persecutionibus primitiuæ Ecclesiæ, & plagis immissis earumdem persecutionum auctoribus. *Draco misit ex ore suo aquam*, &c. Apoc. 12. v. 14. *Aquam intolerabilem*, &c. Psal. 123. v. 3.

Pericula nauigantibus creantur Primò, à tempestatibus passionum? Secundò, à syrtibus prauorum consortiorum; Tertiò, à piratis & hostibus, dæmone, mundo, carne. *Amalecitæ* occurrunt, &c. Exod. 17. v. 8. Insequitur Pharao, Exod. 14. v. 5. Quartò, à malacia prosperitatum? Quintò, à vecordia nauarchi vel nautarum; Sextò, à balenis. *Draco iste quem*, &c. Psal. 103. v. 26. Longa pace desierant apud Israelitas arma cudi & fabrilia exerceri, 1. Reg. 7. v. 14. vnde nulla arma ad manum pugnaturis, c. 13. v. 3. & 22. Fortè ob vnius Iudæ proditoris (vt olim Achan. Iosue 7.) præsentiam excitata hæc tempestas: & ob mea peccata affligitur tot cladibus Ecclesia Dei.

Et accesserunt ad eum discipuli] Hoc Deus intendit Osee 6. vers. 1. *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Psal. 31. vers. 4. *Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua*, &c. vers. 9. *In camo & freno*, &c. Psal. 77. vers. 34. *Cum occideret eos, quærebant eum.* Psal. 15. v. 4. *Multiplicatæ sunt infirmitates, postea accelerauerunt.*

Tribulationes optimum flabellum ad orationem, *Annæ* matri Samuelis, 1. Reg. 1. v. 10. *Tobiæ & Saræ*, Tob. 3. vers. 1. & 7. *Ionæ*, 2. vers. 3. *Manassi*, 2. Paral. 23. v. 32. *Imple facies ignominiâ*, &c. Psal. 82. vers. 17. *Misit de excelso ignem, & erudiuit me*, &c. Thren. 1. vers. 13. *Felle piscis aperuit oculos* Tobiæ, c. 11. v. 14. *Bonum mihi quia humiliasti me*, &c. Psalm. 118. v. 72. *Placeo mihi in* persecutionibus. &c. 2. Cor. 12. v. 10. Probant enim iustorum fidem, spem, charitatem. *Etiamsi occiderit me in ipso sperabo.* Iob 13. vers. 15. Et similia voluebat animo Ioseph venditus, incarceratus, *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Cant. 8. v. 7. Vide Euang. festi omnium Sanctorum, *Beati qui persecutionem*, &c.

v. 24. *Ipse verò dormiebat*] Quid mirum? quiescit innocentia: & vacare culpa somnum conciliat. *Iustus vt leo confidens.* Prou. 28. vers. 1. Illis dormit Christus quibus fides, spes, charitas dormit. Vnde piget orare, Sacramenta frequentare, dignos pœnitentiæ fructus facere; nisi quia non credis, non æstimas pœnas & præmia æterna, passionem & mortem Christi, &c. Matth. 8. v. 25. *Domine, salua nos perimus.*

v. 25. *Suscitauerunt eum*] *Tristatur aliquis vestrûm, oret.* Iac. 5. v. 13. Psal. 49. v. 15. *Inuoca me in die tribulationis*, &c. Phil. 4. v. 6. *Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione*, &c. Ierem. 3. v. 4. *Ergo saltem amodò voca me.* Quo successu? *Clamauit ad me, & ego exaudiam eum.* Psalm. 90. v. 12. *In tribulatione inuocasti me; exaudiui te in abscondito tempestatis.* Psalm. 80. v. 8. *Ad te Domine leuaui animam meam*, &c. Psal. 24. v. 1. vsque 5. *Oculi mei semper ad Dominum* v. 15. *Dominus illuminatio mea*; &c. psal. 26. toto. *Pater meus & mater mea dereliquerunt me*, &c. v. 10. *Anima mea in manibus meis semper.* Psal. 118. v. 109.

v. 25. *Domine perimus*] Hebr. 10. v. 35. Nolite *amittere confidentiam vestram*, & c. 6. vers. 19. *Confugiamus ad tenendam propositam spem*, etiam in extremis periculis. *Dominus mortificat & viuificat*, 1. Regum 2. vers. 6. *Si desperaueris lassus in die angustiæ, imminuetur fortitudo tua.* Prou. 24. vers. 10. & 12. *Eleuauerunt flumina vocem suam*, &c. *mirabiles elationes maris*, &c. Psal. 92. vers. 3. Timor inutilis. *Terra deuorat habitatores suos*, &c. Num. 13. v. 14. *Fugit impius nemine persequente: iustus autem quasi leo confidens, absque terrore erit.* Prouerb. 28. vers. 1. *Estne Dominus in nobis, an non?* Exod. 17. vers. 7. *Moyses & Aaron* dubitantes *ad aquas contradictionis.* Num. 30. vers. 12. addicuntur morti. *Qui timet Dominum, nihil trepidabit*, &c. Eccli. 34. vers. 16. vsque 21. vbi effectus & encomia timoris diuini. *Respicite filij nationes hominum, & scitote, quia nullus sperauit in Domino, & confusus est. Qui enim permansit in mandatis eius, & derelictus est? aut quis inuocauit eum, & despexit illum? quoniam pius & misericors est Deus*, &c. Eccli. 2. vers. 11. vsque 14. *Non dormiebat* oculus diuinus, qui liberauit ab Amanis tyrannide Iudæos, Esther 6. vers. 1. *Deus noster refugium & virtus*, &c. Psal 45. qui est filiorum Core. *Nisi quia Dominus erat in nobis*, &c. *fortè viuos deglutissent nos*, &c. Psalm. 123. toto. *Habe fiduciam in Domino in toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ*, &c. Prouerb. 3. v. 5. vsque 9. *Arcam* obumbrabant *Cherubini*, id est, illi imminebat *propitiatorium*, &c. Exod. 25 v. 16. *Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam*, &c. Iob 11. vers. 17. *Pone me iuxta te*, &c. Iob 17. v. 3. *Non timebis à timore nocturno*, &c. Psal. 90. v. 5. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te, amica mea.* Cant. 1. vers. 8. *Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare*, &c. Exod. 15. v. 3.

Viam feciſti in mari equis tuis, &c. Habacuc 3. v. 13. *Poſuit eos quaſi equum gloriæ ſuæ in bello.* Zach. 10. v. 3. *Exultat audaſter*, &c. Iob 39. v. 21. *Hi in curribus*, &c. Pſalm. 19. v. 8. *Currus Dei decem millibus multiplex*, &c. Pſalm. 67. verſ. 18. *Ecce mons plenus equorum & curruum*, &c. 4. Reg. 6. v. 15. *Immittet angelus Domini in circuitu*, &c. Pſal. 33. v. 8. *Sum princeps exercitus Domini*, &c. Ioſ. 5. v. 13. Etiam nauim, qua quis per mare nauigat, *tua, Pater, prouidentia gubernat*, &c. Sap. 14. v. 3. *Oſtendens quoniam potens es ex omnibus ſaluare, etiamſi ſine arte aliquis adeat mare.* v. 4. vſque 7. *Cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium.* Iſa. 7. v. 4. *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*, &c. Exod. 14. v. 13. *Equi eorum caro, & non ſpiritus: Ægyptus homo, & non Deus*, &c. Iſa. 31. v. 1. & 3. Ioſepho ad humana præſidia propenſiori, Geneſ. 40. v. 14. prorogatus carcer adhuc ad biennium, v. vlt. & c. ſeq. v. 1. Promiſſione Hebræis facta de egredienda Ægypto, duriùs à Pharaone opprimi ſinuntur Exod. 5. v. 21. &c. Typus vocationum & illuſtrationum Dei, quas comitatur mox tentatio. Quando duplicantur lateres, tunc venit liberator, aiebat Capnio apud Æneam Syluium in hiſtoria Boëmor. *Nunc videbis quæ facturus ſim Pharaoni.* Exod. 6. v. 1. 6. 8. *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicaui eis*, ſupple, ſicut tibi. Exod. 6. v. 2. In hoc ſperabimus, alio omni ſubſidio deſtituti. *Cùm enim ignoremus quid agere debeamus, ad te*, &c. 2. Paral. 20. verſ. 12. *Loquitur pacem in plebem ſuam*, &c. Pſalm. 84. v. 9.

v. 26. *Et facta eſt tranquillitas magna*] *Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ*, &c. Pſalm. 106. verſ. 25. &c. vbi pulchra deſcriptio tempeſtatis, vſque 31. *Propè es tu Domine*, &c. pſalm. 118. v. 151. *Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate, voluntatem timentium ſe faciet*, &c. Pſalm. 144. v. 18. &c. *Ecce, non dormitabit, neque dormiet qui cuſtodit Iſrael; & qui cuſtodit te.* Pſalm. 120. v. 3. vſque fin. *Saluaſti de neceſſitatibus animam meam; ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes meos*, &c. Pſal. 30. verſ. 8. Concluſis Hebræis inter rupes & mare & caſtra Ægyptiorum, & ob id murmurantibus, ait: *Nolite timere; ſtate & videte magnalia Domini quæ facturus eſt hodie.* Exod. 14. v. 13. *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* verſ. 14. Pſalm. 26. v. 3. *Si conſiſtant aduerſum me caſtra*, &c. Pſalm 4 v. 10. *In pace in idipſum.* Iob 13. v. 15. *Etſi occiderit me, in ipſo ſperabo.* Eccli. 2. v. 11. *Scitote quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt.* Habacuc 3. v. 18. *Ego autem in Domino gaudebo, & & exultabo in Deo Ieſu meo.* Iſa. 40. v. 31. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem*, &c. Baſis firmæ ſpei eſt bona conſcientia. *Quia ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo.* 1. Ioan. 3. v. 21. *Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo, meus es tu. Cùm tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te*, &c. Iſa. 43. 1. 2. 3. *Ex quo honorabilis factus es in oculis meis & glorioſus, ego dilexi te*, &c. v. 4. Quomodo exſiccarit terram poſt diluuium, Gen. 8. v. 1. Quomodo creârit & ornarit & fœcundarit terram & reliqua elementa, Gen. 1. 2. Quomodo ſiccarit Iordanem, Ioſue 3. v. 15. etiam in gratiam vnius *Eliæ*, vnius *Eliſei*, Ioſ. 4. verſ. 10. Obediuit Deo *mare* rubrum, Exod. 14. verſ. 21. *Iordanis* Ioſuæ, 3. verſ. 16. & *Eliæ*, 4. Reg. 2. verſ. 8. & *Eliſei*, ibid. v. 14. *Rupes Arnon*, Num. 21. v. 14. *Ignis* fornacis Babylonicæ, Dan. 3. v. 49. *Aquæ* diluuij, Gen. 7. v. 17. *Leones* Danieli, c. 6. v. 22. *Sol* Ioſuæ, 10. v. 13. *Tonitrua* Samuelis, 1. Reg. 12. v. 18. *Corui* Eliæ, 3. Reg. 17. v. 4. *Vrſi* Eliſeo, 3. Reg. 2. v. 24. Tot genera beſtiarum & omnia elementa Moyſi pro decem plagis Ægypti. *Mare* Petro ad inambulandum, & copiam piſcium dandam. *Terra* & *ſaxa* cùm in paſſione ſciſſa ſunt, Matth. 27. v. 51. *Stella* cùm tres Magos deduxit. Matt. 2. v. 9. *Saul & viri eius in modum coronæ cingebant Dauid & viros eius, vt caperent eos. Porrò Dauid deſperabat ſe poſſe euadere. Et nuntius venit ad Saul, dicens: Feſtina & veni, quoniam infuderunt ſe Philiſthiim ſuper terram.* Cura tantùm vt *malitia non inueniatur in te, & erit anima tua cuſtodita quaſi in faſciculo viuentium, apud Dominum Deum tuum: porrò inimicorum tuorum anima rotabitur, quaſi in impetu & circulo fundæ.* 1. Reg. 25. v. 28.

v. 28. *Et facta eſt tranquillitas magna*] *Hæc mutatio dextera Excelſi*, Pſalm. 76. v. 11. Ioan. 16. verſ. 20. *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Iſaiæ 54. v. 7. *Ad punctum in modico reliqui te*, Quid Iobo poſt plagas? quid Danieli? quid Ioſepho? quid Mardochæo? quid Machabæis?

VARIA.

Sedata hæc tempeſtas ſub initium Martij, anni ſecundi prædicationis Chriſti. Chron. c. 49.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Euangel. *De Zizaniis.* Matth. 13. à verſ. 24. ad 31.

FIDES.

Matt. 13. v. 24. *Seminauit bonum ſemen in agro ſuo*] Deus omni tempore, legis naturæ, Moſaicæ & Chriſtianæ, auctor ſanæ doctrinæ & iuſtitiæ: dæmon è contrario ſemper erroris ſator fuit & vitij. Ex bono doctrinæ & gratiarum diuinarum ſemine, contr. 14. num. 2. & 3. ô quam læti fructus ſperandi! ex zizaniis verò quid? *Seminate vobis in iuſtitia, & metite in ore miſericordiæ.* Oſee 10. v. 12. *Innouate vobis nouale.* ibid. *Ingredieris in abundantia ſepulchrum, ſicut aceruus tritici*, &c. Iob 5. v. 26. *vallatus liliis.* Cant. 7. v. 3.

v. 25. *Sed inimicus eius ſuperſeminauit zizania in medio tritici.* v. 39. *Inimicus eſt diabolus*] Epheſ. 6. verſ. 12. *Non eſt nobis colluctatio*, &c. Blaſphemum ergo aſſerere, Deum zizaniorum auctorem, contr. 12. n. 8. vſque fin. Ex vno peſtilenti ſemine *Eritis ſicut dij*, Gen. 3. v. 5. qualia & quanta zizania, v. 7. &c. O quanto Dei odio flagrat diabolus! Sed quia perſonæ eius nocere non poteſt, inſidiatur familiæ & agris illius.

v. 28. *Vis imus, & colligimus ea? & ait, Non*] An ergo non inquirendum in hæreſin? non puniendi, non exſtirpandi hæretici?

v. 30. *Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem.* verſ. 39. *Meſſis conſummatio ſæculi eſt*] Quæ ergo olim ſeminata eſt doctrina Euangelica, perpetuò manebit, perpetuò creſcet, numquam eradicanda, numquam zizaniis ſuffocanda. cont. 5. num. 2. & 8.

Colligite primùm zizania ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum] De igne infernali, & aliis ſupplicijs damnatorum, contr. 29. n. 8. De horreo cæleſti, & gaudiis Beatorum, contr. 30. n. 2. 3. &c.

MORES.

Matt. 13. v. 25. *Inimicus ſuperſeminauit zizania*] Ne putes id tuo ſæculo proprium eſſe. Nam à primis mundi initiis mali permixti fuerunt bonis. Cur iſtud? Primò, vt exerceatur bonus. Secundò, vt corrigatur malus, & cuadat triticum. Tertiò, vt Dei miſericordia clariùs eluceat, qua & bonos ſeruat incolumes inter tot malos: & propter bonos, etſi paucos, ſæpè innumeros tolerat malos. O quot ſteriſſent Sodomæ zizania, ſi ibi reperti fuiſſent vel dena grana tritici! Gen. 18. v. 32. Vnde vel ex hoc capite, tu quicumque malus es, cauc fugare bonos, vel ad peccatum illos pellicere, quorum virtute ſeruaris. *Quare fremuerunt Gentes?* &c. Pſalm. 2. v. 1.

Cùm dormirent homines] Vigilate principes, Epiſcopi, paſtores, patresfamilias. Et quiſque pro anima ſua. *Bonum ſemen* gratiæ diuinæ recepiſti? ne indormias. Culpamus dæmonis in nos inuidiam, & meritò: ſed ô culpanda magis noſtra & incuria & oſcitantia. Dormiebat Dina, cùm egrederetur *vt videret mulieres regionis* Chanaan Gen. 34. verſ. 1. Non dormiebat qui dicebat: *Deſcendi in hortum, vt viderem*, &c. Cant. 6. v. 10. & 11. *Meditatus ſum nocte cum corde meo*, &c. Pſal. 76. v. 7. Quam noceat otium, quod omnibus diaboli telis patet!

Seminat

Seminat zizania in medio tritici, aut intentionem, aut actionem, aut finem boni operis contaminando.

v.26. *Cum creuisset herba, apparuerunt zizania*] Hypocrisis facilè tegit initia prauæ doctrinæ, praui consilij? nempe vel exiguitate sua fallunt, vel specie veritatis aut virtutis incautis imponunt. Sed fructu tandem arguuntur. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Matth. 7. v. 16.

Verùm quis fructus zizaniorum? *Ventum seminabunt, & turbinem metent. Culmus stans non est in eo, germen non faciet farinam. Quod etsi fecerit, alieni comedent eam.* Osee 8. vers. 7. *Area & torcular non pascet eos, vinum mentietur eis.* Osee 9. vers. 2. *Desiderabile argentum eorum vrtica hereditabit, lappa in tabernaculis eorum. vers.* 6. *Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacij.* Osee 10. vers. 13. *Ephraim pascit ventum, & sequitur æstum: tota die mendacium & vastitatem multiplicat.* Osee 12. vers. 1. *Idcircò erunt quasi nubes matutina, & sicut ros matutinus prætereiens: sicut pulvis turbine raptus ex area, & sicut fumus de fumario.* Osee 13. v. 3.

Sed quàm triste, sic degenerare amicos & filios Dei! *In duobus contristatum est cor meum, & in tertio iracundia mihi aduenit. Vir bellator deficiens per inopiam: & vir sensatus contemptus: & qui transgreditur à iustitia ad peccatum; Deus parauit eum ad romphæam.* Eccli. 26. v. 25. & 26. & c. 37. v. 1. & 2. *Nonne tristitia est vsque ad mortem? sodalis & amicus ad inimicitiam conuertentur*, &c.

Præ omnibus cauenda familiaritas cum impiis & peruersis sodalibus. *Agrum tuum non seres diuerso semine.* Leu. 19. v. 19. Quàm noxia consortia infidelium & hæreticorum, Iosue 16. v. 10. Blanda facie promittunt salutem, sed *caudis* (vt *vulpes* Samsonis) *ignem* æternum trahunt, Iudic. 15. v. 4. Filij Israel abusi *serpente æneo*, 4. Reg. 18. v. 4. Ephod Gedeonis Iudic. 8. v. 27.

v. 27. *Vnde* ager tuus, Ecclesia tua, *habet zizania?*] Ex inimici solertia, & amicorum ignauia. Et nunc quidem ego Ecclesia, pro magna membrorum meorum parte *nigra sum*, pro reliqua *formosa.* Cant. 1. v. 4. *Sicut lilium inter spinas.* Cant. 2. v. 2. Sed veniet tempus quando *prauaricatores erunt quasi spina*, &c. *igne succensa*, &c. 2. Reg. 23. v. 6. *Ex patre diabolo*, &c. Ioan. 8. v. 44. *Oportet hæreses esse*, &c. 1. Cor. 11. v. 19. *Cum scorpionibus habito.* Ezech. 2. v. 6. *Frater draconum*, &c. Iob 30. v. 29. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Cant. 1. v. 5. Et hoc permittit Deus *vt erudiret Israelem*, &c. Iudic. 3. v. 2. & c. 2. v. 22. *Qui optimus, quasi paliurus & spina.* Micheæ 7. v. 4. Completâ verò messe, *quid paleis ad triticum?* Ierem. 23. vers. 28. In fasciculis colligentur ad comburendum.

Hæc cogita, ô peccator, vt ad mentem redeas. Hæc meditare, etiam qui nunc iustus es. *Si non in timore Domini tenueris te constanter, citò subuertetur domus tua.* Eccli. 27. v. 4. Et occurret subinde non leue periculum. *Vas figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* v. 6. Tu constans perseuera. *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol: nam stultus sicut luna mutatur*, v. 12.

v. 28. *Vis imus* (inquiunt angeli, Sancti, pij omnes,) *& colligimus ea?*] *Zelus domus tuæ comedit me.* Psal. 68. v. 10. *Dilexi decorem domus tuæ.* Psal. 25. v. 8. *Vidi prauaricantes, & tabescebam.* ps. 118. vers. 158. O si omnes hoc zelo arderent?

v. 29. *Et ait, Non*] Zelum non carpit, sed vult temperari prudentia & sale discretionis. Nam quidam *zelum* habent, sed non *secundum scientiam.*

v. 30. *Sinite vtraque crescere*] O patiens, ô mansuetum verbum! 2. Pet. 3. v. 9. *Patienter agit propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.*

Alligate ea in fasciculos, ad comburendum] Paribus pœnis socientur quos par culpa constringit. O duram sortem! Vide Feria secunda post primam Dominicam Quadragesimæ. Hucusque dissimulat diuina misericordia: sed exinceps grassabitur iustitia & furor diuinus. Intra *in sanctuarium Dei*, & intellige *in nouissimis eorum.* psal. 72. v. 17. Momento ludimus, æternùm vrimur.

VARIA.

Hæc dixit Iesus sub initium Iulij, anni secundi prædicationis suæ. Chron. c. 49.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

Euangel. *de Grano sinapis & Fermento.* Matth. 13. à vers. 31. ad 36.

FIDES.

Simile est regnum cælorum, Ecclesia Christi, doctrina vel Euangelica, gratia cælestis, inspiratio diuina (contr. 14. n. 3.) *grano sinapis*] In quibus sit similitudo, vide comment. Ecclesia Christi est Catholica, id est, per vniuersum orbem diffusa, contr. 5. n. 7. Memento lapilli totam Nabuchodonosoris statuam subuertentis, Dan. 2. v. 34. & mox in montem excrescentis, v. 35.

Simile est fermento, &c.] quo triplex mundi plaga, imò totus orbis alteratus & subactus est, contr. 5. n. 7. v. 33.

Sine parabolis (id est, doctis, sed obscuris sententijs) *non loquebatur eis*] An ergo Scriptura vbique tam facilis? contr. 2. n. 12. Sed mysteriorum & secretioris doctrinæ intelligentiam, Apostolis & eorum successoribus tradidit Christus, n. 16. non aliis, n. 13. 14. 15. v. 34.

MORES.

Grano sinapis] Quæ mundus æstimat vilia & abiecta, Mich. sæpè virtute & fructu maxima euadunt. Granum *Adam*, Gen. 5. v. 1, *Abraham*, Gen. 12. v. 1. & c. 13. v. 14. & c. 14. v. 14. *sicut stellæ cæli.* Genes. 13. v. 5. *Isaac*, Genes. 26. v. 13. *Iacob*, Gen. 32. v. 10. &c. Item *Noë & arca* Noë, Gen. 6. v. 14. & 19. Iacobi in Ægypto posteri quomodo multiplicati, Exodi 1. v. 7. Ruth paupercula, tot tantorumq; regũ mater effecta, typus Ecclesiæ, Ruth vlt. v. 17. *Quæ est ista quæ ascendit*; &c. ad modum incrementi virtutum, de quo Feria 3. Pentecostes, & in Natiuitate B. Virginis. Afflictionibus creuerunt Israelitæ in Ægypto, Exod 1. v. 7. & 12. *Paupercula conuulsa*, &c. Isa. 44. vers. 11. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*, &c. psal. 45. v. 5.

Mundus à magnis & mirabilibus incipit, sed in fumum desinit, in cineres, in vmbram, in nihil. Econtrario Christus, fides, Ecclesia, gratia, doctrina cælestis, à paupertate, à cruce, ab ærumnis perducit ad gaudia, ad honores, ad delicias æternas. Deliberas, Deóne seruias an mundo? ne granum, ne initia sola spectes, fructum & finem attende.

Tentaris, sed paruo insultu. Caue ne granum excrescat in arborem. *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* 1. Corinth. 5. v. 6. Diluuium ex guttis conflatum ex filis funes nautici; ex scintilla quantum læpè incendium!

Ad virtutum opera excitaris, prouocaris? Noli occasionem negligere. Etiam haustum aquæ frigidæ sua merces manet: & crescet paulatim granum in arborem.

Conditiones sinapis & fermenti, vide in commen. Alibi per *granum sinapis* docet Christus quanta debeat esse nostra in Deum fiducia. Lucæ 17. vers. 6. *Si fidem haberetis vt granum sinapis*; &c. Et verò indignum valdè Christiano diffidere, aut parum sperare de diuina omnipotentia, & infinita bonitate. Diffidentem ducem de diuina potentia, 4. Regum 7. v. 17. conculcat populus in porta Samariæ. *Ezechias* destruit serpentem æneum Moysis, & libros Salomonis de omni genere morborum curando, quia populus negligebat petere à Deo curationem. 4. Regum 18. v. 4.

VARIA.

Dicta hæc sub initium Iulij, anno secundo prædicationis Christi. Chron. c. 49.

INDEX VARIAR. MATER. ET CONCEPT.

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ.

Euangel. *De Operariis in vineam conductis.* Matth. 20. à vers. 1. ad 17.

FIDES.

Math. 20. v. 1 *Exijt conducere operarios.* vers. 2. *Conuentione facta ex denario diurno*] Non ergo sola fides requiritur, sed & opera contr. 15. n. 7. & 23. Conductio & conuentio meritum arguunt de condigno seu ex iustitia, contr. 16. num. 1. *Quod iustum fuerit dabo vobis.* hìc vers. 5. Sed non dabo nisi in vinea mea degentibus, in ea laborantibus, & vsque ad vesperam laborantibus. Excludentur ergo Primò, infideles, hæretici, schismatici, excommunicati, contr. 5. num. 8. Secundò, Christiani desides vel malè operantes; Tertiò, non perseuerantes.

v. 6. *Quid hìc statis tota die otiosi?*] Si vult Deus nos operarios esse, non ergo sumus tantùm ligones, rastra vel secures, sed liberò præditi arbitrio, &c. contr. 13. nu. 4. & 5. Et verò laborandum strenuè & constanter, si mercedem volumus, si fructum optamus. Sicut vitis, sic & anima, tum nostra, tum proximi, purganda, fodienda, plantanda, pastinanda, putanda, alliganda, pampinanda, sæpibus muniendа: ac tandem vindemianda & torculari subijcienda.

v. 7. *Quia nemo nos conduxit*] Bene operari, & iustè viuere propter mercedem æternam, non tantùm non est peccatum, sed & meritorium, contr. 16. nu. 13.

v. 8. *Cùm serò factum esset*] Sanctos etiam ante iudicium vniuersale beatitudine cælesti donari, contr. 30. n. 1.

v. 10. *Acceperunt & ipsi singulos denarios*, vers. 12. *Pares illos nobis feciſti*] Quis hic denarius? contr. 30. num. 3. & seqq. Non tamen ideo par est omnium Sanctorum gloria in cælo, sed vnus alio, vt sanctior, ita & beatior erit, ibid. n. 4. De aureolis, contr. 15. n. 21. & 22.

v. 13. *Amice non facio tibi iniuriam*, v. 15. *Aut non licet mihi, quod volo facere?*] An in collatione munerum gratiæ habeat locum acceptio personarum, controu. 14. numer. 1. &c. & contr. 15. nu. 22.

v. 16. *Primi* (Iudæi) *erunt nouissimi: & nouissimi* (Gentiles) *erunt primi*] Vide comment. Nónne hoc ad oculum iam videmus? *Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero, & absque sacerdote, & doctore, & absque lege*, 2. Paral. 15. v. 3.

Multi vocati, quia omnes, ex parte Dei & Christi: *pauci verò electi* absolutè ad gloriam æternam, contr. 13. num. 8. contr. 54. nu. 11. vsque 14. Neque verò omnes Christiani sunt saluandi.

MORES.

Summarium Euangelij, vocatio, operatio, merces. Dæmon vocat, mundus inuitat, caro allicit ad ludos, ad conuiuia, ad tripudia: Christus conducit in vineam suam; quem vis sequi? *Stipendia peccati mors.* Rom. 6. v. 23. Denarius Christi vita æterna.

Denario diurno] Æternæ gloriæ comparandæ non necessarius nisi labor vnius dici. Psal. 94. v. 8. *Hodie si vocem* Domini *audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

v. 1. *Exiit primo mane*] Quanta Dei solicitudo iam tum à mundi incunabulis, omnes vocantis, omnes inuitantis, omnis trahentis! per prospera, per aduersa: per monita Adami, Enos, Henoch, Noë, Abraham, reliquosque Patriarchas: per internas inspirationes, illuminationes & excitationes. Ioan. 1. v. 9. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Apoc. 3. v. 20. *Ecce sto ad ostium*, &c. *Surge qui dormis*, &c. Ephes. 5. v. 14. *Vsquequo piger*, &c. Prou. 6. v. 9. Insonat *vox Domini in virtute*, &c. Ps. 28. v. 3. &c. *Surge, propera, veni*, Cant. 2. v. 10. 11. &c. Non tamen vocat singulos omni hora. *Semel loquitur Deus, & secundò non repetit.* Iob 33. v. 14. *Nemo virorum istorum gustabit cœnam meam.* Lucæ 14. v. 14 *Curauimus Babylonem, & non est sanata*, &c. Ierem. 51. v. 9.

Illi autem abierunt] Felices, qui nullâ morâ interpositâ se- v. 5.
quuntur vocantem Deum, & operi se accingunt, *vt auis ad volatum*, Iob 5. v. 7. & Gen. 2. v. 15. Atque vtinam à teneris vnguiculis! *Sinite paruulos venire ad me*, &c. horâ primâ, Matth. 29. v. 14. *Vsquequo paruuli*, &c. Prou. 1. v. 10. & c. 8. v. 1. *Bonum est viro cùm tulerit iugum ab adolescentia sua.* Thren. 5. v. 27. Et verò quis non aduolet ad tanta præmia? an quis reperiatur tam vecors, tam insanus, vt negligat æternam salutem, & repudiet vocantem Deum? *Vult & non vult piger: anima autem operantium impinguabitur.* Prouerb. 13. v. 4. *Multi cibi in noualibus patrum* (si per filios excolantur,) *& aliis congregantur, absque iudicio.* Prou. 13. v. 23. *Dicit piger, Leo est foris: in medio platearum occidendus sum*, Prou. 22. v. 13. item c. 26. vers. 13. vsque 17. *Vade ad formicam, ô piger*, &c. Prou. 5. v. 6. vsque 12. *Sicut acetum dentibus & fumus oculis, sic piger his qui miserunt eum*, cap. 10. vers. 26. *Robusti habebunt diuitias. Impius facit opus instabile: seminanti autem iustitiam merces fidelis*, cap. 11. v. 16. & 18. *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, stultissimus est*, cap. 12. vers. 11. *Manus fortium dominabitur, quæ autem remissa est, tributis seruiet*, vers. 24. *Pigrum dejcit timor: animæ autem effeminatorum esurient*, Prouerb. 18. vers. 8. *Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.* vers. 9. *Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet.* cap. 19. vers. 15. *Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam*, vers. 24. *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.* c. 20. vers. 4. *Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat. Aperì oculos tuos, & saturare panibus*, vers. 13. *Cogitatio robusti semper in abundantia, omnis autem piger semper in egestate est.* Prou. 21. v. 5. *Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus eius operari. Tota die concupiscit & desiderat: qui autem iustus est, tribuet & non cessabit*, v. 25. *Vidisti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.* Prouerb. 22. v. vlt. *Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, vt postea ædifices domum tuam*; c. 24. v. 27. *Per agrum hominis pigri transiui*, &c. v. 30. vsque fin.

Quanto studio debeant agricolæ, mercatores, milites & magistratus sua munia obire, docet Salomon typis *formicæ, lepusculi, locustæ, & stellionis*, Prouerb. 30. vers. 24. vsque 29. *Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas, dicens: Melior est pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cum labore & afflictione animi.* Eccles. 4. v. 5. *De stercore bouum lapidatus est piger*, &c. Eccli. 22. v. 1. & 2. *In omnibus operibus tuis velox esto, & omnis infirmitas non occurret tibi.* Eccli. 31. v. 27. *Fili in tempore vitæ tuæ ne* (ex inertia) *indigeas: melius est enim mori, quàm indigere mensis alienis*, &c. Eccli. 40. v. 29. vsque fin. Et verò solent opes labore partæ, vt suauiores, sic & diuturniores esse. *Substantia festinata minuetur, quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur*, Prou. cap. 13. v. 11. Concludo cum S. Paulo: *Si quis non vult operari, nec manducet.* 2. Thessal. 3. v. 10.

Quid hìc statis tota die otiosi?] Steterunt vocati hora pri- v. 6.
ma, tertia, sexta, nona. Certè hora vndecima adhuc otiari prorsus indignum & intolerabile, quando in vesperam vergit dies. Et si otium reprehenditur, quid de furtis, vsuris, adulterijs, homicidijs dicetur?

Nemo nos conduxit] O vilem indolem! ô mercenarium! v. 7.
atque vtinam in solis plebeijs! *Quis est in vobis*, ô sacerdotes Domini, *qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò?* Malach. 1. vers. 10. Etsi nullam daret mercedem, nónne Dominus noster ipse est? *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius*, Psalm. 117. vers. 1. Dicite cum Dauide: *Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.* Psalm. 13. v. 8. Sinite Deum de mercede pro libito suo statuere: *Ego merces tua magna nimis.* Genes. 15. vers. 1. Quomodo verò deneget filijs mercedem, qui etiam hostibus suis illam liberalissimè tribuit? *Nabuchodonosor Rex Babylonis*

lonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersus Tyrum: & merces non est reddita ei. Ecce ego hanc illi *dabo in terra Ægypti, & diripiet spolia eius*, &c. Ezech. 29. v. 18. Sic de Mardochæo, Esther 4. v. 3.

v. 9. *Voca operarios*] Nemo denarium accipiet, quia nobilis, quia Theologus, quia diues, &c. sed quia operarius. Nempe qui cum rege Ezechia, 2. Paral. 3. v. 1. *operatus est bonum, rectum, verum,*

Redde illis mercedem hac eadem vespera. Et tu operarios tuos differes in menses & annos, & dilatos etiam defraudabis? Nota, quicumque vel rempublicam, vel familiam administras, exemplo huius patrisfamilias, curam & oculum vigilem adhibendum quæstoribus & aliis officialibus tuis: interis ipse rationibus: inspice, excute, examina omnia.

v. 11. *Murmurabant*] sed citra causam. *Murmuratores* puniti in Exodo passim, vt videre est Chronici cap. 19. & Num. 11. v. 4. Ob *Aethiopissam*, c. 12. *Per decem vices.* Num. 14. vers. 22. Imitare potius candorem Moysis, Num. 11. v. 29. *Quid, ô Iosue, æmularis pro me? quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum?* Gratulare alius, si quando bona ipsis obueniunt. *Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt*, &c. Cant. 6. v. 8. *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem*, &c. Sap. 2. vers. 24. *Parvulum occidit inuidia.* Iob 5. v. 2. *Charitas non æmulatur.* 1. Cor. 13. vers. 4. *Vir eius laudauit eam.* Prouerb. 31. v. 28. *Beata quæ credidisti*, &c. Lucæ 1. vers. 45. *Beatus venter*, &c. Luc. 11. v. 27. *Beatam me dicent.* &c. Luc. 1. v. 47.

Aduigila vineæ tibi commissæ, *Capite nobis vulpes*, &c. Cant. 2. v. 15. *Ne sicut serpens Euam seduxit*, &c. ex Genes. 3. v. 4. S. Paulus 2. Corinth. 11. v. 3. *Exterminauit eam aper*, &c. Psalm. 79. vers. 14. Seriùs deplorabis: *Vineam meam non custodiui*, &c. Cant. 1. v. 5. sicut *Adam* non custodiuit, Genes. 2. v. 3. Pro *vuis labruscas*, Isai. 5. v. 4. *Non est qui faciat bonum*, &c. Psalm. 13. v. 2. & tamen *quid potui facere vineæ meæ, & non feci?* Isai. 5. v. 1.

VARIA.

Hanc parabolam proposuit Christus sub finem Februarij vltimi ante mortem suam. Chron. c. 49.

Qua ratione possit quis ex nouissimo fieri primus, vide Dominica 16. post Pentecost. Ardua, humilia, magno affectu & amore operare. *Consummatus in breui* explebis *tempora multa.*

De paucitate electorum, vide Dominica Sexagesimæ in fine.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Euangel. *Exijt qui seminat*, &c. Lucæ 8. à v. 5. ad 16.

FIDES.

Luc. 8 v. 5. *Exijt qui seminat seminare semen suum.* De seminante & semine vide Dominin. 5. post Epiph. Gratiam ex parte Dei nullis denegari in hac vita, controu. 14. n. 11. vsque 14.

v. 5. vsque 9. *Aliud cecidit secus viam, aliud supra petram, aliud inter spinas, aliud in terram bonam*] Ergo diuersa fructificatio vel non fructificatio adscribatur diuersæ dispositioni terræ, seu diuersæ cooperationi liberi arbitrij, contr. 13. n. 4. & 5. & contr. 14. n. 4. & 5. & contr. 15. n. 21. & 22.

v. 8. *Quod cecidit in terram bonam, fecit fructum* aliud *trigesimũ*, aliud *sexagesimum*, aliud *centesimum.* Matth. 13. v. 8. Inæqualitas meritorum vnde? vide comment. & contr. 15. n. 22.

Qui habet aures audiendi, audiat] Fides est donum Dei, controu. 14. num. 9. Sed hoc nemini negatur ex parte Dei, num. 10. vsque 14.

v. 10. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: ceteris in parabolis*] Imperitis & irrisoribus non euulges mysteria. vide Dominica 6. post Epiph. ad v. 14. *Gloria Dei est celare verbum, & gloria regum inuestigare sermonem.* Prou. 25. v. 2. *Non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ possunt audire.* Deut. 29. v. 4.

Vt videntes non videant, sed sua sponte, sua culpa, contr. 13. de libero arbitrio, n. 4. & seqq. Nulla verò ratione Deo potest cæcitas hominum adscribi, contr. 12. n. 8. &c.

v. 12. *Venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum*] Etiam mundus, etiam propria concupiscentia nos tentat. Quando hæc sit peccatum, contr. 12. n. 7.

MORES.

Luc. 14 *Dixit per similitudinem*] Elementa & creaturæ omnes sint nobis magistri: ex omnibus piè ac prudenter allegorizando ad Deum conscendamus.

v. 5 *Exijt qui seminat*] Concionator ab oratione & tertio ex lo exeat in pulpitum: manu seminet, id est, opere & exemplo suo doceat & moueat auditores: loco seruiat & tempori, accommodans se captui & statui præsentium: clamet veniam, clamet vindictam cælestem. Et licet audientes quidam non audiant, id est, non afficiantur, non capiant, ipse tamen seminet cum Christo.

v. 11. *Semen est verbum Dei*] Primò, calor in eo viuificus. Prou. 30. v. 5. *Omnis sermo Dei ignitus.* Secundò, nutrit. Matth. 4. v. 4. *Non in solo pane viuit homo*, &c. Tertiò, gignit. Iacob. 1. v. 18. *Genuit nos verbo veritatis.* Vt ergo sine semine nullus fructus, ita nec sine verbo Dei vlla salus.

v. 12. *Secus viam*] Primò, caue sis via, otiosus, vagus, negligens, dormiens. *Cùm seuisset Israel, ascendebat Madian & Amalec, ceteriq; Orientalium nationum: & apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis cuncta vastabant*, &c. Iudic. 6. v. 3. Recondè non in solis auribus, sed & in animo & in manu. *Estote factores verbi, & non auditores tantùm*, &c. Iac. 1. v. 12. vtque 28.

Secundò, caue sit petrosa terra, obdurando cor peccandi consuetudine. *Nolite obdurare corda*, &c. Psal. 94. v. 8.

Tertiò, caue sis terra spinosa, & diuitiis, voluptatibus, curis & vanis occupationibus suffocêris. Nimis se occupantes citra necessitatem, non sunt capaces diuinæ sapientiæ. Eccli. 38. v. 25. vsque fin. Occupationes *sapientis* c. 39. vsque 16. *Suffocabatur* magister pistorum qui *tria canistra farinæ gestabat super caput*: prudentiot *pincerna calicem manu tenebat*, &c. Genes. 40. vers. 11. & 16. &c. Per *omne genus muscarum*, Exodi 8. vers. 24. accipe inquietas & insolentes curas mundanorum. Gregor. l. 18. Moral c. 28. Similiter philosophare de aliis omnibus Ægypti plagis. *Et faciam mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, vt non sint ibi muscæ.* Exod. 8. v. 22. nec aliæ plagæ, v. 19. in comment. & cap. 10. v. 23. *Vbicumque habitabant filij Israel, lux erat. Oleum* cælestis suauitatis 4. Reg. 4. v. 6. tum cessat influere, cùm *vas* animæ non est amplius *vacuum*, sed plenum vanis curis, &c. *Diuitiæ* (id est spinæ) *si affluant, nolite cor apponere.* Psal. 61. v. 11. *Iter pigrorum quasi sepes spinarum: via iustorum absque offendiculo.* Prou. 15. v. 19. *Ne inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus euomas illud*, &c. Prou. 25. v. 16. & 27. Sexcentas spinas diuitiarum vide Eccles 5. v. 9. vsque fin. & c. 6. vsque v. 10. *Creaturæ Dei in escam factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* Sap. 14. v. 11. *Bona est superbia, cui non est peccatum in conscientia.* Eccli. 13. v. 30. *Beatus diues, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt*, &c. Eccli. 31. v. 8. imò à v. 1. vsque 12.

v. 13. *Terra bona, cor bonum*] Quod? Primò, cupiditate vacuum; Secundò, fide plenum & fortitudine; Tertiò, charitate molescens; Quartò, patientiâ continuans. Quas non cæli iniurias patitur terra, patitur semen? & tu tace & patere, si fructum optas. Sed heus, quantula terræ seminatæ pars bona? taceo de optima. An forè quarta audientium, seu Christianorum pars seruabitur? *Pauci electi*, etsi *multi vocati.* Matth. 20. v. 16. Hæc animum ne deiiciant, sed solicitudinem augeant, industriam & diligentiam acuant.

VA-

INDEX VARIAR. MATER. ET CONCEPT.

VARIA.

Hæc de semente dixit Iesus sub initium Iulij, anno secundo prædicationis suæ Chron. c. 49.

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

Euangel. *Assumpsit Iesus duodecim.* Lucæ 18. à vers. 31. ad fin. cap.

FIDES.

Lucæ v. 31. *Consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis*] Vnde conuincitur hunc Filium hominis esse Messiam tot sæculis orbi promissum, controu. 4. num. 2.

v. 34. *Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis*] donec Lucæ 24. vers. 27. *aperuit eis sensum vt intelligerent Scripturas.* Quæ pluribus locis sanè indigent explicatione & interprete, controu. 2. n. 12. Sed quis hic interpres? num 13. vsque 17. Sine gratia Dei nemo potest credere, contr. 14. num. 9.

v. 35. *Cæcus secus viam mendicans*, genus est humanum per Adami peccatum lumine & gratia originali priuatum, contr. 11. num. 1. vsque 6.

v. 38. *Iesu fili Dauid miserere mei*] Quæ requirantur ad orationem, vt infallibiliter impetret, contr. 17. n. 3.

v. 41. *Quid tibi vis faciam?*] En diuinam munificentiam. Pete quod vis.

Domine vt videam] Fides initium iustificationis, & dispositio omnino necessaria adultis, controu. 15. n. 9. Qualis illa esse debeat, n. 11. vsque 17.

v. 42. *Fides tua te saluum fecit*] Verùm quæ fides? Quam oratio, quam fidei externa professio, quam perseuerantia, quam charitas comitabuntur, contr. 15. n. 7. 9. 23.

MORES.

Lucæ 18. v. 31. *Ecce*, toto mundo in Iericho descendente, nos *ascendimus Ierosolymam*] id est, ad visionem pacis. Gradum eò facimus, vitia nostra calcando, & prauos animi appetitus mortificando. Hoc est verè ascendere & solidè proficere. *Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Ierusalem; quæ in ea ventura sint mihi, ignorans: nisi quòd Spiritus sanctus*, &c. Actor. 20. vers. 23. Vin' nosse quid obuenturum sit?

v. 32. *Filius hominis tradetur Gentibus, & illudetur, & flagellabitur*, &c. & crucifigetur. *Suspendij supplicium*, omnium probrosissimum. Deut. 21. & 23. *Maledictus à Deo est qui pendet in ligno.* Bene habet. Cum Iesu meo etiam ego *vadam ad montem myrrhæ & collem thuris.* Cant. 4. v. 6. Sed

v. 33. *Tertia die resurget*] Hæc mundo paradoxa sunt, *Iudæis scandalum, Gentibus stultitia.* 1. Corinth. 1. vers. 24. Etiam ipsi Apostoli *nihil horum*, hoc quidem tempore, *intellexerunt. Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens: Absit à te Domine: non erit tibi hoc. Qui conuersus dixit Petro: Vade post me satana: scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.* Matth. 16. v. 22. &c.

v. 35. *Cæcus sedebat secus viam mendicans*] Tu ne oculos auertas à paupere & mendico. Vide eleemosyna. O quàm cæca subinde hominis anima! *Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt* (animam tuam) *omnes bestiæ siluæ, catuli leonum, rugientes vt rapiant.* Psalm. 103. vers. 20. vide etiam Psalm. 90. vers. 5. &c. De tenebris Ægyptiacis, quibus peccatores inuoluuntur, Exod. 10. v. 21. & Sap. 17. vers. vlt. & c. 18. v. 4. *Quale gaudium mihi erit qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Tob. 5. v. 12.

Ad quem medicum miser confugiam? an ad Christum? *Labia eius lilia*, sed *distillantia myrrham primam.* Cant. v. 13. Nil ibi nisi crux, claui & lancea. Mundi opem implorabo! *Meretricis labia fauus distillans*, &c. Prou. 5. vers. 3. An vt videam, manus extendam ad lignum scientiæ boni & mali? Verùm arbore scientiæ boni & mali non aperiuntur oculi, Genes. 3. vers. 5. nisi in malum nostrum, v. 7. Sed *spiraculo vitæ* aperiuntur. Gen. 2. vers. 7. *Fiat lux, fiant luminaria.* Gen. 1. vers. 3. & 14. *Quis mihi tribuat vt cognoscam & inueniam illum, & veniam vsque ad solium eius?* Iob 23. vers. 3. *Nosse enim te consummata iustitia est & scire iustitiam & virtutem tuam, radix est immortalitatis.* Sap. 15. v. 3. Ne tristeris, ne angaris. Ecce

Iesus transit, omnem vbique captans occasionem bene omnibus faciendi. Ipse *est lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Ioan. 1. v. 9. *Non glorietur sapiens in sapientia sua, neque fortis in fortitudine sua, neque diues in diuitiis suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, & iudicium & iustitiam in terra. Hæc enim placent mihi, ait Dominus*, Ierem. 9. v. 23. & 24. v. 37.

Et clamauit, dicens, Iesu fili Dauid miserere mei] Et tu clama in abscondito cordis. *Quid clamas ad me*; dixit Dominus ad Moysen submissè orantem. Exod. 14. v. 15. v. 38.

Qui præibant, increpabant eum] Orantem, communicantem, ardua virtutum opera molientem videt mundus, turbat dæmon, caro & sanguis increpat, auocat, absterret? *Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.* Non sint hæc tibi offendicula, sed stimuli. Virtutum reges sunt & nobilioris victoriæ occasio. Vt ignis validus vento, sic virtus crescit & inualescit obloquijs & aduersitatibus. v. 39.

Stans autem Iesus] opitulari promptus & gestiens. Psalm. 44. v. 18. *Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate.* v. 40.

Quid tibi vis faciam?] An tu te nobis aptabis, ô Deus? Nónne nostrum est, in omnibus obsequi tibi? Tu fac quod vis de me, de meis omnibus. *Iustum est*, hominem *subditum esse Deo.* 2. Machab. 9. vers. 12. Sine modò. *Quid tibi vis faciam?* Data Salomoni optione, 3 Reg. 3. v. 9. præ omnibus depoposcit à te sapientiam, eamdem & ego à te deposco. v. 41.

Domine vt videam] Quàm varia mentis lumina, tam variæ luminum priuationes. Lumen Primum, est fidei: Secundum. gratiæ: Tertium, excellentis sapientiæ. Primum, tollit hæreses: Secundum, quoduis mortale peccatum: Tertium, obnubilat sæpè etiam veniale peccatum si voluntarium & grauius fuerit. Curari vis? Primò, culpam agnosce. Secundò, veniam & sanitatem deposce feruenter orando. Tertiò, cooperare Deo gratiam offerenti.

Respice, fides tua te saluum fecit] O quàm *beati sumus Israel, quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis.* Baruch 4. vers. 4. *Ne tradas alteri gloriam tuam, & dignitatem tuam genti alienæ*, vers. 3. Tu verò, ô Iudæe! ô hæretice! *Quia scientiam repulisti, repellam te*, &c. Osee 4. vers. 6. *Populus non intelligens vapulabit.* v. 14. *Quia misericordiam volui, & non sacrificium: & scientiam Dei, plusquam holocausta.* Osee 6. vers. 6. v. 42.

Sequebatur Christum *magnificans Deum*] Quis optimè gratus exiitit beneficijs cælitus acceptis? Qui Christo adhæret, eiusque vestigia legit. v. 43.

VARIA PRO BACCHANALIBVS.

Scis quando hæc contigerint? sub initium Martij cùm Iesus proficisceretur ad mortem suam. Chron. c. 49.

En erecto crucis Christi vexillo Ecclesia præludit pugnæ in Bacchum, in voluptates, in sympolia, eia ergo qui Christi sunt, iam nunc seria saltem passionis recordatione *carnem suam* crucifigant *cum vitijs & concupiscentijs*, Gal. 5. v. 24. Sacerdotibus antiquæ legis quare in templo abstinendum à vino & sicera? Leuit. 10. v. 3. & 9. Non soli formidolosi & timidi, sed & intemperantiores electi à bello Gedeonis. Iudic. 7. v. 3. & 7.

Sed amici tractandi & exhilarandi. An ideo tantis opus excessibus? In conuiuio Assueri *non erat qui nolentes cogeret ad bibendum*, Esther 1. v. 8. Quàm benè compósita familia & castra Holofernis, Iudith 12. v. 9. Quin Iobum imitaris? *Cùm in orbem transissent dies conuiuij, mittebat Iob*

ad liberos suos, *& sanctificabat illos*, &c. Iob 1. vers. 5. Et putas solis epulis conciliare tibi vel fouere amicos? *Si possides amicum* (seu possidere paras) *in tentatione posside eum*, &c. *Est autem amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis*, &c. Eccli. 6. vers. 7. vsque 18. *Sobrietas* tam longæuos fecit primos parentes, Genes. 5. vers. 5. *Propter crapulam multi obierunt: abstinens adijciet vitam.* Eccli. 37. vers. 34. Propter quæ vitia perierit *Sodoma*, Genes. 13. v. 13. & Ezech. 16. vers. 49. Esau pro pulmento vendidit primogenita, Gen. 25. v. 31. Tria portenta *colubri, lepræ & sanguinis*, designabant statum Israelitarum in Ægypto, Primò, *felicem*: Secundò *horribilem*: Tertiò, rursus *felicem*. Exod. 4. v. 3. &c.

Hos colubros euolue in bacchanalibus. *Stulte hac nocte repetunt animam tuam à te*, &c. Lucæ 12. v. 20. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum*, &c. Isa. 5. v. 18. vsque fin. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.* v. 22. *Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum & pinguia, non ditabitur?* Prou. 21. v. 17. *Visio dura nuntiata est mihi. Ascende Ælam* (Cyrè Persa) *obside* Dari *Mede* Babylonem, *pone mensam* Balthasar, *contemplare in specula comedentes & bibentes. Surgite principes arripite clypeum.* Et ecce *currum duorum equitum, ascensorem asini, & ascensorem cameli*, &c. Cecidit, *cecidit Babylon*, &c. Isa. 12. v. 2. vsq; 11. *Vocabit Dominus Deus exercituum, in die illa ad fletum, & ad planctum, ad caluitium, & ad cingulum sacci. Et ecce* (tota Iudæa) *gaudium & lætitia, occidere vitulos*, &c *& bibere vinum. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur*, &c. Isa. 22. v. 12. vsque 15. *Præ vino nescierunt*, &c. *Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu sordium, ita vt non esset vltrà locus.* Isaiæ 28. v. 7. & 8. Turides & subsannas: *Manda, remanda; exspecta, reexspecta, modicum ibi*, &c. Dominus autem *in loquela labij & lingua altera loquetur ad populum istum: vt vadant & cadant retrorsum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur*, vers. 10. vsque 14. *Dixistis enim: Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cùm transierit, non veniet super nos: quia posuimus mendacium spem nostram & mendacio protecti sumus*, &c. v. 15. vsque 23. *Etenim quod factum est, cum illo qui fecit, tormenta patietur. Propter hoc & in idolis nationum non erit respectus: quoniam creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* Sap. 14. v. 10. & 11. *Filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere, luctum vnigeniti fac tibi, planctum amarum, quia repentè veniet vastator super nos.* Ierem. 6. v. 26. *Hæc dicit Dominus, Ne ingrediaris domum conuiuij, vt sedeas cum eis, & comedas, & bibas.* Ierem. 16. vers. 5. & 8. *Quia ecce ego auferam de loco isto in oculis vestris, & in diebus vestris, vocem gaudij & vocem lætitiæ, vocem sponsi, & vocem sponsæ.* vers. 9. *Et eiiciam vos de terra hac, in terram quam ignoratis vos & patres vestri.* vers. 13. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & mittam famem in terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum* Domini. Amos 8. vers. 11. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur.* Ionæ 3. v. 4. *Et surrexit rex de solio suo, & indutus est sacco, & sedit in cinere, & clamauit: Homines & iumenta non gustent quidquam, & operiantur saccis, & clament ad Dominum in fortitudine, & conuertantur à via sua mala*, &c. *Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus? Et vidit Deus, & misertus est*, &c. v. 6. vsque fin.

De varijs miserrimè in conuiuio occisis, vide Dominica 2. post Epiphan.

Omnibus ad vnum impendet ferale illud, *Mane, thekel, phares.* Dan. 5. & multis patibulum *Aman*, Esther 7. v. 8.

De 25. plagis hominis impij. vide Iob 18. v. 5. vsque fin. Et rursus de alijs, c. 20. v. 5. & seqq. c. 24. v. 2. & seqq.

Ne contemnas, ne rideas, ne negligas; vt olim ille *Hiel*, qui contra voluntatem Dei reædificauit *Iericho*, etsi cum iactura omnium prolium suarum. 3. Regum 16. vers. vlt.

FERIA QVARTA CINERVM.

Euangel. *Cùm ieiunatis, nolite*, &c. Matth. 6. vers. 16. vsque 22.

FIDES.

De ieiunio Ecclesiastico, certis diebus affixo, de delectu ciborum, & quòd sit meritorium, satisfactorium & impetratorium, vide contr. 17. n. 7. vsque 12.

Receperunt mercedem suam] De *merito* bonorum operum, vide contr. 16. num. 1. &c. Etiam in impijs, Luc. 16. v. 25. *Fili recordare quia recepisti bona in vita tua: nunc autem cruciaris.* Et idem in Romanis videre fuit, 1. Mach. 8. v. 1. & 16. & in Nabuchodonosore, Ezech. 29. v. 18. v. 11

Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi] Nullum opus, seu bonum, seu malum cuiuspiam neglectum ab Deo, contr. 1. n. 4. & contr. 28. n. 1. & 3. v. 18

MORES.

Expiatio vniuersalis apud Iudæos fiebat semel in anno, & quibus ritibus. Leuit. 16. v. 2. Ecce nunc tempus nostræ expiationis. *Tempus putationis aduenit*, &c. Cant. 2. v. 12. Tempus, *cùm auferetur ab eis sponsus*, &c. Matth. 9. v. 25. Et verò prouidendum tempestiuè. *Iam enim securis ad radicem*, &c. Matth. 3. v. 10. Lucæ 3. v. 9. *Succidere arborem*, &c. Dan. 4. v. 11. *Ne impiè agas multùm*, &c. Eccles. 7. v. 18. *Venit manè. Si quæritis, quærite, conuertimini & venite.* Isa. 21. v. 13. *Conuertimini in toto corde*, &c. Ioel. 2. v. 12. *Ne tardes*, &c. Eccles. 5. vers. 8. *Cogitaui dies antiquos*, &c. Psalm. 76. vers. 6. Memento homo, *quia puluis es, & in puluerem reuerteris*, Gen. 3. vers. 19. *Omnis caro fœnum*, &c. Isa. 40. vers. 6. *Loquar ad Dominum, cùm sim pulus & cinis*, Gen. 18. vers. 27. *Quæ est vita vestra? vapor est ad modicum parens.* Iac. 4. v. 15. Capta puella, priusquam potiri possit nuptijs Iudæi mariti, *radet cæsariem, flebit*, &c. Deuter. 21. v. 11. *Plangam sicut virgo accincta sacco*, &c. Ioel. 1. vers. 8. *Faciam planctum velut draconum, & luctum velut struthionum.* Mich. 1. v. 8. donec *filium* prodigum recipiat optimus pater, *drachmam* ancilla, *oniculam* pastor. Luctabor cum angelo, vt olim Iacob, Genes. 32. v. 25. *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* 2. Cor. 7. v. 10. *Dedit* peccatori *Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam: oculi autem Dei sunt in viis illius.* Iob 24. v. 23. *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum.* Eccli. 2. v. 22. *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* 3. Reg. 21. v. 29. Etiam vagi in *infamium* adhibebantur imminente publica calamitate, 2. Paral. 20. v. 13. *Hoc genus* dæmoniorum *in nullo potest exire nisi in oratione & ieiunio*, Marc. 9. v. 28.

Vt olim inhibuit Saul omnem refectionem, etiam difficillimo tempore. *Maledictus vir qui comederit panem ante vesperam, donec vlciscar* (inquit Saul) *de inimicis meis. Et non manducauit vniuersus populus panem.* 1. Reg. 14. vers. 24. Ionathas periclitatur, quia mel degustauit. v. 27. &c. Sic nunc inhibet Ecclesia ad paucos dies vsum certorum ciborum tempore anni commodissimo: quod sibi ad publicum luctum & pœnitentiam delegit. Hoc tempore, *foris nigra sum: sed* intus nitida reddor & *formosa*, &c. Cant. 1. v. 4. *Omnis gloria ab intus*, &c. Psalm. 44. v. 14. *Usque quo quod intrinsecus latet*, &c. Cant. 4. vers. 1. *Vsque quo parui diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi noxia sunt, capient?* Prou. 1. v. 32. Daniel & tres eius socij ieiunio reddiuntur & venustissimi, & sapientissimi, Dan. 1. v. 15. & 19.

Nec tamen sufficit, ab escis carnalibus abstinere: abstinendum & à consuetis vitij. *Dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei: cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testimonio eius.* Psalm. 77. vers. 36. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiu-*

mo & fletu,&c. Ioel.2.v.12. *Cùm ieiunaretis & plangeretis, numquid ieiunium ieiunastis mihi* (placando?) Zach.7. v.2. q.d. Minimè. Nam sic etiam à vitiis abstinuissetis. *Ieiunium quarti, quinti, septimi & decimi erit domui Iuda in gaudium, & lætitiam, & in solemnitates præclaras: veritatem tantùm & pacem diligite.* c.8. v.19.

Hoc tali ieiunio placabitur Dominus, & *ponet desertum tuum delicias*. &c. Isai,51.vers.3. Dabit,Isaiæ 61.v.3. *coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.*

VARIA.

Hæc docuit Christus in prolixiore sermone quem in monte instituit sub medium Maij, anno secundo prædicationis suæ. Chron.c.9.

De vnctione Iudæis & omnibus Orientalibus familiari, vide comment.

FERIA QVINTA post Cineres Euangelium est Dominicæ III. post Epiphaniam.

FERIA VI. POST CINERES.

Euangel. *Audistis, quia dictum est antiquis*, Matth.5. v.43. vsque fin. & c.6. v. 2. vsque 5.

FIDES.

Matt. 5.v.43 *Odio habebis inimicum tuum*] Erat peruersa glossa Scribarum. Nam lege diuina, & etiam Mosaica expressè vetabatur odium inimicorum, locis in comment. annotatis & in festo S. Stephani.

v.46. *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?*] Habebitis tamen, sed exiguam, respectu aliorum. Nam nec *calix aquæ frigidæ perdet mercedem suam*. Matth. 10. vers. 42.

Nónne & publicani & Ethnici hoc faciunt?] Vnde patet, non omnia impiorum vel infidelium opera esse peccata, controu.14. n.6.7.10.

v. 48. *Pater vester cælestis perfectus est*, & infinitus in tota latitudine entis, contr.1.n.3.

c.6. v.2. *Receperunt mercedem suam*] Vide Feria quarta Cinerum.

MORES.

De liberali eleëmosyna in pauperes & egenos, etsi inimicos. *Quomodo potueris, ita esto misericors*,&c. Tob.4.v.8. *Dimidium da pauperibus*, &c. Lucæ 19. vers.9. *Oculos eruisses & dedisses mihi*. Galat.4. vers.15. Sed non solis amicis: nam & *lamiæ nudauerunt mammam, & lactauerunt catulos suos*, Thren.4.v.3. *De duobus vberibus* sponsæ, Cant.4. vers. 5. Non sint *quasi nubes matutina, & ros pertransiens*. Osee 6.v.4. Constans sit beneficentia. De liberalitate Melitensium barbarorum in Paulum & comites eius naufragos, Act.28.v.1.&c.

Plura de diligendis inimicis, vide in festo S. Stephani. De causis, cur omnes diligendi sint, vide comment. Item, quia scheda Christi obligatoria seu campsoria, *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*, ad id obstringimur, Genes.50.vers.17. *Obsecro, vt obliuiscaris sceleru fratrum tuorum & peccati atque malitiæ, quam exercuerunt in te*. Luc.42.v.34. *Pater dimitte illis*, &c.

Quàm multi sunt hodie quibus inclamandum, Diligite amicos, cognatos, affines vestros? Mich.7.v.6. *Filius contumeliam facit patri, & filia consurget aduersus matrem suam, nurus aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius*. Lucæ 11. vers.17. *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur*.

VARIA.

Dixit hæc Iesus in prolixiore sermone quem in monte habuit, sub medium Maij anno secundo suæ prædicationis. Chron. cap.49.

SABBATO POST CINERES.

Euangel. *Cùm sero esset factum, erat nauis*, &c. Marc.6. vers. 47, vsque fin.

FIDES & MORES.

Vidit suos laborantes, nec tamen nisi *circa quartam*, id est, vltimam, *vigiliam*, seu partem, *noctu, venit ad eos ambulans supra mare: &* adhuc *volebat præterire eos*, nisi clamassent, &c. Quomodo nunc de cælo iactari videt amicos & filios suos, adeoque totam Petri nauiculam! Et nunc *graditur super fluctus maris*,Iob 9.v.8. *Vt quid Domine recessisti longè? despicis in opportunitatibus in tribulatione?* Psal.9. v. 22. *Magna est, velut mare, contritio tua, quis medebitur tui?* Thren.2.vers.13. Marc. 6. v.48.

Confidite, ego sum] *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8.v.31. *Ego sum qui sum*. Exod.3.v.14.contr.1.nu.2. *Vt ergo dixit eis; Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram*. Ioan.18.v.6. *Ego sum Ioseph, frater vester, quem vendidistis in Ægyptum. Nolite pauere: accedite ad me*. Gen.45.vers.4. *Nolite timere: ego sum qui præcipio vobis: roboramini & estote viri fortes*. 2 Reg.13.v.28. *Paupercula, tempestate commulsa, & absque vlla consolatione. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris*. Isai.54.v.11. v.50.

Plura vide Dominica quarta post Epiphaniam.

Quotquot tangebant eum, vel *simbriam vestimenti eius, salui fiebant*] *Omnis qui tetigerit victimam, sanctificabitur*. Leuit.6.vers.18. De tactu & cultu reliquiarum, contr. 30. num.10. v.56.

VARIA.

Contigit hoc, initio Aprilis, anno tertio prædicationis Christi. Chron. c.49.

DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMÆ.

Euangel. *Ductus est* IESVS *in desertum, vt tentaretur*. Matth.4. à v.1. ad 12.

FIDES.

Ductus est IESVS *in desertum à spiritu*, vtique sancto, *vt tentaretur à diabolo*] An ergo Deus causa tentationis, & peccati? controu.23.n.8. Tentat Deus, sed in bonum nostrum, vt probet fidem, fidelitatem, constantiam nostram. Sic tentauit Abrahamum, Genes.22.v.1. & Israelitas, per manna. Exod.16.vers.4. *Vt tentem eos*,&c. Sed numquam tentat ad malum seu ad peccatum. *Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur*, &c. *sed à sua concupiscentia*, &c. Iac.1.v.13.vsque 16. Mat.4 v. 1.

Cùm instar Moysis & Eliæ *ieiunasset quadraginta diebus & noctibus*] Tam dira esurie suppleuit omnem Moysis, Eliæ & Ioannis Baptistæ abstinentiam: gulamque expiauit & luit tum Adami, tum nostram. De ieiunio Ecclesiastico quæcumque controuertunt hæretici, vide controu.17.nu.7. vsque 12. v.2.

Si Filius Dei es] An Lucifer hoc ignorauit? vide comment. v.3.

Mittete deorsum] Diaboli vox. E sublimi iustitiæ vertice. v.6. controu.15.num.8. delabere in peccatum, contr.12.nu.1. è Romana Ecclesia, quæ *mons* est *in vertice montium*, Isa.2. vers.2. præcipita te in conuenticula Nouantium, contr.5. num.1.& seqq. è Monasterio relabere in mundum, controu.9.num.1.&c.

Scriptum est enim] Diaboli & eius filiorum mos, Scripturam mutilare, detorquere, peruertere. Tu ausculta quid dicat Ecclesia, quæ *columna & firmamentum est veritatis*, contr.5.nu.3. Quid dicat Christi Vicarius, qui in docendo errare non potest, contr.6.n.15.& seqq.

Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me] Quin potiùs conuersione ad creaturas, auertitur homo à summo & v.9.

& omni bono, contr. 12. num 1. Nónne Adam per peccatum delapsus in omnem miseriam cum omnibus posteris suis? contr. 11. n. 1. & seqq.

v. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*] Sed hoc non aduersatur cultui Sanctorum, contr. 30. n. 7.

MORES.

Dauid recèns inunctus rex à toto Israele, pro primo facinore aggreditur expugnationem arcis Ierosolymæ Iebusæorum, 2. Reg. 5. v. 6. Ita Christus statim à baptismo & inauguratione sua principem aggreditur dæmoniorum: sed non, vt Dauid, alienis manibus & armis. Nam ipsemet, & quidem solus, in arenam descendit, duellum init cum Lucifero. Qua lege? *Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen; si percusserit me, erimus vobis serui: si autem ego præualuero & percussero eum, vos serui eritis, & seruietis nobis.* 1. Reg. 17. v. 8. *Omnes autem Israelitæ, cùm vidissent virum, fugerunt à facie eius, timentes eum valdè*, v. 24. *Virum qui percusserit eum, ditabit rex diuitiis magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris eius faciet absq; tributo in Israel.* v. 25. *Non concidat cor cuiusquam in eo. Ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum.* v. 32. *Nunc vadam & auferam opprobrium populi.* v. 36. *Videntes autem Philisthæi, quòd mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt.* v. 51.

Sed quis hic Goliath? quis Christi antagonista? *Ipse de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt, ipse super omnem munitionem ridebit, & capiet eum.* Habac. 1 v. 10. *Cibus eius electus* v. 16. *Propter hoc ergo expandit sagenam suam, & semper interficere Gentes non parcet.* v. 17.

Tunc] Ipsa die baptismi, ipsa qua audierat. *Hic est filius meus dilectus.* Matth 3. v. 17. Ne turberis. Cælestes fauores Matt. 4. v. 1. & auxilia non dantur ad otiandum, sed ad certandum. Et vel inde collige quantum portes in vase fictili thesaurum, cui dæmon mox & tantopere inuideat.

Ductus est à spiritu] Nemo se vltrò præcipitet in tentationem. Eccli. 3. v. 27. *Qui amat periculum, in illo peribit.*

In desertum] En locum duelli, en palæstram. Totus mundus in maligno positus est. 1 Ioan. 2. v. 16. plenus *concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis, & superbia vitæ.* Spirituale *desertum* est secessus à curis externis ad vacandum Deo rebusque diuinis. *Moyses cùm minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb, ibi apparet ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Exod. 3. v. 1. *Elongauit fugiens, & mansit in solitudine.* Psal. 54. v. 8. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Osee 2. v. 14.

Vt tentaretur à diabolo] Cur istud? Primò, ob causam supradictam. Secundò, vt retractet & expiet consensum primorum parentum in gulæ, curiositatis & ambitionis tentationem. Genes. 3. v. 5. *Eritis sicut dij.* Tertiò, vt diabolum, nos olim tentatu um, enerues & exarmet, 1. Petr. 5. v. 8. *tam quam leo rugiens*, &c Quartò, vt doceat *manus nostras ad prælium & digitos nostros ad bellum.* Psalm. 143. vers. 1. Quintò, vt nobis gratulari possimus de *ponitisice per omnia probato.* Hebr. 4. v. 13.

v. 2. *Cum ieiunasset*, &c. Affectas cum Christo victoriam? Primò, ieiuna, & aliis pœnis corpus doma. Tob. 12. v. 8. *Bona est oratio cum ieunio & eleemosyna.* Secundò, secede & occasiones deuita. Eccli 3. vers. 27. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Tertiò, verbo Dei constanter inhære. *Galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Ephes. 6. v. 17.

Et accedens tentator, vt solertissimus ita & audacissimus initium facit à gula: v. 3. *Dic vt lapides isti fiant panes*] En fraudem dæmonis, sub specie boni, virtutis & necessitatis fallere incautos. Verùm quidni ô Christe, obsequeris postulanti? mox aquam conuertes in vinum, & vinum in sanguinem tuum: cur non lapides in panes? At nihil dæmoni vel tentationi indulgendum, ne quidem quod licitè possis. Gen. 3. v. 15. *Inimicitias ponam*, &c.

Non in solo pane, &c.] Sed & *manna* supra 3. milliones v. 4. hominum per annos 40. pauit, effecitque vt *sugeret mel de petra, oleumq; de saxo durissimo.* Deuter 32. v. 13. Eccli. 15. v. 13. *Cibauit illum pane vitæ & intellectus, & aquâ sapientiæ*, &c. Et nónne Moyses bis fuit quadraginta *diebus* ieiunus in monte? Exod. 24. v. 18. & c. 34. v. 28. & Elias 3. Reg. 19. v. 8. Nec vllis vmquam suorum necessitatibus defuit aut deerit prouidentia diuina. Psa. 22. v. 1. *Dominus regit me*, &c.

Statuit eum super pinnaculum templi] Nullus in repu- v. 5. blica, nullus in Ecclesia locus periculosior quàm magistratus & prælatura. Caue præcipitium. Dies & noctes insidiantur tibi æmuli & hostes tui, & concurrit diabolus.

Mitte te deorsum] Ipse semel se præcipitauit, Gen. 1. v. 1. v. 6 suoque exemplo suadet omnibus vt & ipsi se præcipitent. Sed suadere & hortari potest, impellere vel cogere non potest. *Alligatus* est canis, Marci 3. v. 27.

Non tentabis Dominum] Non expetas miracula, vbi v. 7. humana præstò sunt auxilia. Non cauere periculum cùm possis, potiùs est tentare Deum, quàm in illum sperare.

Ostendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum] Idque v. 8. *in momento*, Lucæ 4. vers. 5. Optimè. Nam omnis gloria mundi *momento* præterit & vt vmbra euanescit. 2. Cor. 4. vers. 17. *Momentaneum & leue*, &c. Sed Nota dæmonis astutiam. Ostendit regnorum gloriam, sed celat molestias: attollit coronas, sed occultat gladios: profert rosas, sed tegit spinas.

Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me] En auaritiæ, v. 9. ambitionis & gloriæ idolum. Heu quàm pauci repentè ditescunt, nisi malis artibus & adorato hoc idolo! De mammonâ vide Dominica 14. post Pentecost.

Vade Satana] Hoc verbo solues omnem tentationis v. 10. nodum, vndecumque obrepat. Et quidem moras nectere potes, si quando soli tibi tuoue nomini irrogatur iniuria. At cùm Deus impetitur, mox excute, nec audite, nec ferre sustineas. *Timui* (inquit Mardochæus Esther 13 v. 14.) *ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quem quam adorarem, excepto Deo meo.* Propheta, quantacumque signa ediderit, *si idololatriam suaserit, mox interficiatur.* Deut. 13. v. 1.

Tunc reliquit eum diabolus] sed *ad tempus*, Luc. 4. v. 13. v. 11. Neque enim finitum hoc bellum nisi cum morte Christi. Interea dæmon fugam simulat, vt pòst paulò securum & victoria insolescentem ex insidijs adoriatur imparatum. De aliis dæmonum astutissimorum fraudibus vide Dominica 3. Quadrag.

Et angeli accesserunt & ministrabant ei] Finem luctæ, coronas & triumphos attende, & facilè vinces. *Momentaneum & leue tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur.* 2. Cor. 4. v. 17. *Vincenti dabo manna absconditum*, &c. Apoc. 2. v. 17. vide etiam Apoc. 3. v. 5.

Eia ergo dicis, domini & sponsi nostri exemplo, etiam nos accingamur ad pugnam. *Quicumque* enim *pie viuere volunt in Christo, persecutionem* à dæmone, & dæmonis ministris *patientur.* 2. Tim. 3. v. 12. *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Eccli. 2. vers. 1. *Ne festines* (fugere) *in tempore obductionis.* v. 2. *Sustine sustentationes Dei: coniungere Deo, & sustine, vt crescat in nouissimo vita tua*, &c. v. 3. 4 5. & c. 4. v. 12. vsque 23. *Qui non est tentatus, quid scit:* Eccli. 34 v. 9. *Qui non est expertus, pauca recognoscit*, &c. vers. 10. *Aliquoties vsque ad mortem periclitatus sum horum causa, & liberatus sum gratia Dei.* vers. 13. *Behemoth* Iob 40. v. 10. typus diaboli. item *Leuiathan.* v. 20. &c. 41. v. 4. &c. vbi graphicè depingitur. Duellum afflictionum & tolerantiæ, naturæ & gratiæ, dæmonis & viri iusti, habes in Iobo c. 1. 2. &c. *Ecce in manu tua est*, c. 2. v. 6. *Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.*

Iob

Iob 17. v. 3. Agmina malorum immissa in Iob, cap. 19. v. 6. vsque 21.

Ne nimiùm præfidas viribus tuis. *Si cum peditibus currens laborasti, quomodo contendere poteris cum equis?* Ierem. 12. v. 15. *In Domino confido*, &c. Psalm. 10. v. 1. *Vsquequò exaltabitur inimicus meus super me? illumina oculos meos*, &c. Psalm. 12. v. 3. &c. *Quousque* (ô mali tentatores) *irruitis in hominem? interficitis vniuersi vos animam eius? tamquam parieti inclinato & maceriæ depulsæ?* Psalm 61. v. 4. & 5. *Non emigrabo. In Deo salutare meum*, &c. v. 7. & 8. *Vani filij hominum, mendaces in statera*, &c. v. 10. Sed *qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commouebitur in æternum*, &c. Psal. 124. v. 1. *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat nisi humana.* 1. Cor. 10. v. 12. & 13. *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione proventum, vt possitis sustinere.* 1. Cor. 10. v. 13.

Exemplum habes Susannæ. *Angustiæ mihi sunt vndique. Si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi, absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Dan. 13. v. 22. &c. Et patriarchæ Iacobi: *Ecce vir luctabatur cum eo vsque manè. Si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra hominem præualebis?* Genes. 32. v. 24. Et Moysis: *Ecce constitui te deum Pharaonis.* Exodi 7. v. 1.

Et quid aliud clamat tota Scriptura? *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Psalm. 90. v. 13. vide totum Psalm. Aude tantùm, & superasti. *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio*, &c. Ephes. 6. v. 11. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Iac. 4. vers. 7. *Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus*, &c. 1. Petr. 5. v. 8. Imitare Paulum: *Sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè*, &c. 1. Cor. 9. v. 26.

Non dormit aduersarius, sed noctes & dies *circuit, tamquam leo rugiens*, &c. 1. Petr. 5. v. 8. *Ingressus est fur spolians, & latrunculus foris.* Osee 7. vers. 1. Ipse etiam *satanas transfigurat se in angelum lucis. Non est ergo magnum*, nec mirum, *si ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiæ.* 2. Cor. 11. vers. 14. Blandis verbis contendit imponere: sed attende fructus, & fraudem deprehendes. *Vox quidem vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esau.* Gen. 27. v. 22.

O quàm glorioſus manet victorem triumphus! Apoc. 3. v. 5. *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro & grandi & forti, super Leuiathan serpentem vectem, & tortuosum.* Isaiæ 27. vers. 1.

VARIA.

Sexta Ianuarij, anni 15. Tiberij, cùm esset 31. annorum Christus, cœpit ieiunium suum 40. dierum in deserto: nempe eadem die quâ fuit baptizatus. Compleuit verò Quadragesimam suam 15. Februarij, quando reuersus in Galliæam, quindecim diebus mansit in Nazareth. Chron. c. 49.

De custodia angelica, vide in festo S. Michaelis, 29. Septembr.

Non potuit, his omnibus viis expiscari Satan (quod tamen vnicè optabat,) an Christus esset naturalis Filius Dei. Vide comment. hic v. 9.

FERIA SECVNDA POST PRIMAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Euangel. *Cùm venerit filius hominis*, &c. Matth. 25. vers. 31. vsque fin.

FIDES.

De extremo *iudicio* vniuersali, contr. 28. num. 3. *Deus deorum Dominus locutus est, & vocauit terram*, &c. Psalm. 49. vbi forma iudicij describitur. *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Psalm. 74. v. 3. vsque fin.

Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi] Matt. 25. v. 34. Contr. 13. num. 8. de prædestinatione diuina, & reprobatione. Duplici titulo *possidete*, nempe & iure hereditario, vt filij: & iure meriti, vt victores. vide comment.

Esuriui enim, & dedisti mihi manducare, &c.] Contr. 16. v. 35. de merito n. 5. & contr. 17. n. 12. & 13.

Discedite à me (en pœnam damni) *maledicti in ignem æternum*, (en pœnam sensus:) *qui* (Genes. 1. v. 1.) *paratus est diabolo & angelis eius*] contr. 13. n. 8. De vero igne infernali, contr. 29. n. 8. De æternitate pœnarum infernalium, ibid. n. 9. v. 41.

Esuriui enim, & non dedisti mihi manducare] Contr. 17. n. 11. de necessitate operum charitatis. Contr. 15. n. 23. de necessitate operum bonorum. Solam fidem non sufficere ad iustitiam vel salutem, contr. 15. num. 7. & 6. *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?* Iac. 2. vers. 14. *Fides, si non habeat opera, mortua est*, v. 27. vsque fin. Posse fidem à charitate seiungi, contr. 15. n. 19. v. 42.

Quamdiu fecistis vel *non fecistis, vni de minoribus his fratribus meis, mihi fecistis*, vel *non fecistis*] De membris Christi & Ecclesiæ, vide contr. 5. v. 45.

MORES.

Vt olim tempore Assueri regis *constituta est per omnes prouincias vna vltionis dies*, &c. Esther 8. v. 11. Ita & à Deo constituta decretoria vna dies, &c. *Duas sortes esse præcepit Deus, vnam populi Dei, & alteram cunctarum gentium.* Esther 10. v. 10. *Vt nefarij homines vna die ad inferos descendentes, reddant imperio nostro pacem quam turbauerant.* c. 13. v. 7.

Veniet *Filius hominis in sede maiestatis suæ*] *Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo.* Prou. 20. vers. 8. *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum*, Prouerb. 21. vers. 30. *Timuerunt omnes regem, videntes sapientiam Dei esse in eo*, &c. 3. Reg. 3. v. 16. *Scrutabor Ierusalem in lucernis.* Sophon. 1. vers. 12. Etiam *iustitias iudicabo.* Psalm. 74. vers. 3. Danielis 13. duo senes diiudicantur ex suomet ore, sic totus orbis propriæ conscientiæ testimonio conuincetur. Matt. 25. v. 31.

Scelera, quæ etiam probis exprobrari possunt, habes Iob 22. v. 6. vsque 11.

Schema iudicis Christi habes Apoc. 1. v. 13. & c. 4. v. 2. & c. 19. v. 11. *Et vidi sedes*, &c. Apoc. 20. vers. 4. *Et vidi thronum magnum candidum*, &c. v. 11. *Et libri aperti sunt*, &c. v. 12. Matth. 25. v. 32. *Congregabuntur ante eum omnes gentes. Et dedit mare mortuos qui in eo erant: & mors & infernus dederunt mortuos suos: & iudicatum est de singulis secundùm opera ipsorum.* Apoc. 20. v. 13. non autem secundùm solam fidem cuiusque, contr. 15. n. 7. & 9.

Esuriui enim, & dedisti mihi manducare, &c.] *Semel locutus est Deus, duo hæc audiui quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia: quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua.* Psalm. 61. v. 12. Matt. 25. v. 15.

Assessores Christi erunt Apostoli, & alij Apostolici viri. Matth. 19. v. 28. *Sedebitis & vos super sedes* &c. *An nescitis quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt? Nescitis quoniam angelos iudicabimus?* 1. Cor. 6. v. 2. & 3.

Horrendum fuit olim audire, vt *benedictiones*, ita & *maledictiones* in monte *Garizim* & *Hebal*, Deuter. 11. v. 29. &c. 27. v. 2. magis horrendum erit spectare supplicia de impijs sumpta, *Dauid mensus est Moabitas funiculo, coæquans terræ: mensus est autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum.* 2. Reg. 8. vers. 2. Sed quid hæc ad vindictam à toto orbe hîc sumendam? Tum discent reipsa quid interfit inter amicos & hostes Dei. *Iacob dilexi, Esau odio habui* Malach. 1. v. 2. Genes. 25. v. 23. Vt olim Syri *cæcitate percussi* per *Eliseum*, 4. Reg. 5. v. 18.

tum demum viderunt se seductos cùm starent in medio hostilis vrbis Samariæ. Ita impij, cùm coram tribunali Dei oculos aperient. *Tunc stabunt iusti in magna constantia*, &c. Sap. 5. vers. 1. vsque 18. *Videbunt reth & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os suum.* Psalm. 106. vers. 42. *Quid enim faciam cùm surrexerit ad iudicandum Deus? & cum quæsierit, quid respondebo ei?* Iob 31. v. 14. *Dixistis, Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Posuimus mendacium spem nostram*, &c Isa. 28. vers. 25. Sed tunc *subuertet grando spem mendacij*, &c. vers. 17. vsque 23. *Non proderunt diuitiæ in die vltionis: iustitia autem sola liberabit à morte.* Prou. 11. v. 4.

v. 41. *Discedite à me male licti in ignem æternum*] Domine, Domine, *nonne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus: tunc confitebor illis, Quia nunquam noui vos: discedite à me qui operamini iniquitatem.* Matth. 7. v. 22. *Væ vobis viri impij, qui dereliquistis legem Domini altissimi.* Et *si nati fueritis, in maledictione nascemini* (ob maledictos fructus quos profertis,) *& si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra. Impij à maledicto in perditionem conuertentur.* Eccli. 41. v. 11. vsque 14. *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? nolite errare: neque fornicarij, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces*, &c. *regnum Dei possidebunt.* 1. Corinth. 6. vers. 9. &c.

Neque enim putetis, solam in pauperes inclementiam ibi plectendam. Omnibus, omnibus *timidis, incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure: quod est mors secunda*, Apoc. 21. v. 8. *Foris canes & impudici*, Apoc. 22. v. 15. *Et omne maledictum non erit amplius* (in Ecclesia Dei) *sed sedes Dei & Agni in illa erunt* &c. *& nox vltrà non erit*, &c. v. 3.

Neque cuipiam imponat, quòd in hoc mundo diuitijs, gloria & delicijs affluant impij. *In diem perditionis, seruatur malus, & ad diem furoris ducetur.* Iob 21. vers. 30. Quantillo potuissent redimere hæc mala, si voluissent. *Viros seniores vrbis Soccoth & Phanuel*, quòd lassis militibus, Gedeonis panem denegassent, Iudic. 8. v. 5. *contriuit cum spinis deserti & tribulis*, &c. vers. 16. *Dixitq; ad Zebee & Salmana, Viri quos occidistis in Thabor, fratres mei fuerunt, filij matris meæ. viuit Dominus, quia si seruasset eos, non vos occiderem.* vers. 18. & 19. Sed tunc nullus erit amplius pœnitentiæ vel misericordiæ locus.

Discedite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius] *Præparata est enim ab heri Topheth, à rege præparata, profunda & dilatata. Nutrimenta eius ignis & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Isa. 30. vers. vlt. *Torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur, & terra in picem ardentem.* cap. 34. vers. 9. &c. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Isa. 33. vers. 14. *Et occurrent dæmonia onocentauris, & pilosus clamabit*, &c. Ibi *ericius, lamia, milui*, &c. Isa. 34. vers. 14. &c. Digna sceleribus consortia. *Stellæ de cælo* delapsæ *data est clauis putei abyssi: & aperuit puteum abyssi, & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est sol & aër de fumo putei: & de fumo putei exierunt*, &c. Apoc. 9. vers. 1. &c. Mox clamat *angelus voce magna: Si quis adorauerit bestiam*, &c. *hic bibet de vino iræ* Dei, *quod mistum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne & sulphure in conspectu angelorum sanctorum & ante conspectum Agni: & fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum. Nec habent requiem die ac nocte.* Apoc. 14. v. 9. vsque 12.

Et dicto citiùs, *vineam terræ misit angelus in lacum iræ Dei magnum.* Apoc. 14. vers. 19. *Et ipse* (Christus) *calcat torcular vini furoris iræ* Dei. cap. 19. vers. 15. *Et calcatus est lacus extra ciuitatem: & exiuit sanguis de lacu vsque ad frænos equorum per stadia* 1600. Apoc. 14. v. 20. *Propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino: & descendent fortes eius, & populus eius, & sublimes gloriosi eius, ad eum.* Isa. 5. vers. 14. *Et exaltabitur Dominus exercituum in iudicio & Deus sanctus sanctificabitur in iustitia.* vers. 16. *In illa die visitabit Dominus super reges terræ*, &c. *& congregabuntur congregatione vnius fasciis in lacum, & claudentur ibi multis diebus*, &c. Isa. 24. vers. 21. *In illa die visitabit Dominus in gladio suo, duro & grandi & forti super Leuiathan serpentem vectem & tortuosum.* cap. 27. v. 1. Et super omnem regem, Imperatorem, monarcham impium ac rebellem. *Quo pulchior es, cò altiùs descende, & dormi cum incircumcisis.* Ezech. 32. vers. 19. Quo loco & ordine dispositi reges in inferno, habes v. 21. vsque fin. *Quorum data sunt sepulchra in novissimis lacus.* v. 23. *Non dormient cum fortibus* (heroibus) *qui descenderunt ad infernum cum armis suis, & posuerunt gladios suos* (in feretro) *sub capitibus suis*, &c. vers. 27. *Sicut oues, in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Psalm. 48. v. 15. *Vsque in æternum non videbit lumen.* vers. 20. *Homo cùm in honore esset, non intellexit*, &c. vers. 21. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes.* Psal. 54. vers. 16. *Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus.* Prou. 19. vers. vlt. *Impius autem vsque in nouissimum sine misericordia ira superuenit.* Sap. 19. vers. 1. *Vindicta carnis impij, ignis & vermis.* Eccli. 7. vers. 19. *Et ignis quidem malis positus illis lumen præbere*, &c. Sap. 17. vers. 5. *Vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti*, &c. vers. 2. vsque fin. *Transeuntium & serpentium sibilatione commoti, tremebundi perierunt*, &c. vers. 9. *Personæ tristes illis apparentes passim eos prætabant.* vers. 4. Denique *& infernus & mors missi sunt in stagnum ignis. Et qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. Hæc est mors secunda.* Apoc. 20. vers. 14. & 15. item vers. 6.

Nec vllus compatitur miseris: sed insultatur ab omnibus. *Reddite* (Babyloni) *sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate duplicia secundum opera eius: in poculo quo miscuit, miscete illi duplum. Quantum glorificauit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Apoc. 18. vers. 6. & 7. *Omnia vasa eboris, & omnia vasa de lapide pretioso*, &c. & *poma desiderij animæ tuæ discesserunt à te: & omnia pinguia & præclara perierunt à te*, &c. v. 11. vsque 16. *Væ, væ ciuitas illa magna, quæ amicta erat bysso & purpura & cocco, & deaurata erat auro, lapide pretioso & margaritis*, &c. *una hora destituta sunt tanta diuitiæ*, &c. vers. 16. *Exulta super eam cælum, & sancti Apostoli & Prophetæ: quoniam iudicauit Deus iudicium vestrum de illa.* vers. 20. *Post hæc audiui quasi vocem turbarum multarum in cælo dicentium: Alleluia, salus & gloria & virtus Deo nostro est, qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua: & vindicauit sanguinem seruorum suorum de manibus eius: Alleluia.* Apoc. 19. vers. 1. vsque 4. Sed ô, quàm erit alius tunc iubilus Sanctorum de gloria & felicitate sua! *Et vox de throno exiuit dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes serui eius*, &c. *Alleluia. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni*, &c. v. 5. vsque 10.

De *iubilo* Beatorum, vide in festo omnium Sanctorum.

Potest concinnari iubilus & canticum Sanctorum ad instar cantici Moysis, Exodi 15. v. 1. *Cantemus Domino*, &c.

Priuilegia anni septimi Sabbatici, habes Exod. 23. v. 11. Item Iubilæi, Leuit. 25.

Interea pro libito subinde *egredientur* (electi mei) *& videbunt cadauera virorum qui prævaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt vsque ad satietatem visionis,* (spectaculo) *omni carni.* Isa. vlt. vers. vltim. *Ecce nos omnes accendentes ignem, accincti flammis ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas vobismet succendistis. De manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis.* Isa. 50. v. 11.

Et tu, infelix anima, quæ si voluisses, poteras esse sponsa Altissimi, nunc omni solatio & auxilio destituta, relinqueris sola (spoliata) *ab hereditate tua, quam dabitur*, &c.

Quoniam

Quoniam ignem succendisti in furore meo, vsque in æternum ardebit. Ierem. 7. vers. 4. *Ego vias tuas in capite tuo dedi, & (tamen) non feci adhuc iuxta scelera tua in omnibus abominationibus tuis.* Ezech. 16. v. 43. *Despexisti omne consilium meum, & increpationes meas neglexisti: ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id quod timebatis aduenerit.* Prou. 1. vers. 25. *Sicut antea lætatus est Dominus bene vobis faciens: sic lætabitur disperdens vos,* &c. Deuter. 28. vers. 63. *Sic pereant omnes inimici tui Domine. Qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent.* Iudici 5. vers. 31. Quis futurus cæli & totius vniuersi status post peractum iudicium, collige ex Apoc. 21. & 22. *Et erit nox luna sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum, in die qua alligauerit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ eius sanauerit.* Isa. 30. v. 26.

Conclusio sit fuga peccati, seria pœnitentia, studium innocentiæ. *Fugit ergo à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum gladius est, & scitote esse iudicium.* Iob 19. vers. vlt. *Memor fui iudiciorum tuorum à seculo Domine, & consolatus sum.* Psalm. 118. v. 52.

De igne & vermibus infernalibus, vide Iudith vltim. v. 21. & alijs locis ibidem citatis.

VARIA.

Proposuit hæc Christus triduo ante mortem suam. Chron. c. 49.

De iudicio in valle Iosaphat instituendo, vide Ioël. 3. vers. 2.

FERIA TERTIA POST PRIMAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Euangel. *Cùm intrasset Iesus Ieroſolymam.* Matth. 21. v. 10. vsque 18.

FIDES.

Matth. 21. 10. *Quis est hic?*] Matth. 12. v. 42. *Ecce plusquam Salomon hic.*

v. 11. *Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ*] Messias & redemptor mundi, controu. 4. n. 1. & 2. Hic est de quo Zach. 9. vers. 9. *Ecce rex tuus veniet tibi, iustus & saluator: ipse pauper, & ascendens super asinam,* &c. Act. 9. v. 5. *Quis es Domine? ego sum Iesus,* &c.

v. 13. *Domus mea domus orationis vocabitur*] 3. Reg. 9. vers. 3. *Erunt q; oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. Et non erit mercator vltrà in domo Domini exercituum in die illo.* Zach. 14. v. 21. Placet haud dubiè Deo oratio quocumque in loco profusa. *In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino.* Psalm. 102. vers. 22. Tamen de templo speciatim dixit Deus, 3. Regum 9. v. 3. *Sanctificaui domum hanc, vt ponerem nomen meum ibi in sempiternum; & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.*

MORES.

Fluuius igneus rapidusq; egrediebatur à facie eius. Dan. 7. vers. 10. Zelum hunc Dei conatur imitari rex Dauid. *Zelus domus tuæ comedit me.* Psal. 6. v. 8. Psalm. 100. vers. 8. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Psalm. 118. vers. 53. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* vers. 136. & 139. *Vidi prævaricantes, & tabescebam,* vers. 158. *Nonne qui oderunt te Domine oderam? & super inimicos tuos tabescebam. Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.* Psalm. 138. v. 21. Laudatur quoque zelus *Phinees*, Num. 25. vers. 6. & 13. & regis Iehu: *Veni mecum* (inquit Iehu Ionadabo. 4. Reg. 10. vers. 16.) *& vide zelum meum pro Domino.* Et in genere, *lætabitur iustus cùm viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris,* &c. Psalm. 57. v. 7. vsque fin.

Nonne zelus Mathathiæ causa fuit & initium salutis toti populo Iudaico? *Vidit Mathathias & doluit, & contremuerunt renes eius, & accensus est furor eius secundùm iudicium legis, & insiliens trucidauit* (idololatram) *super aram, & aram destruxit,* &c. 1. Mach. 2. vers. 24. *Nunc, ô filij, æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento patrum vestrorum, & mementote operum patrum quæ fecerunt in generationibus suis: & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum,* &c. v. 50. vsque 61.

Non repellet Dominus plebem suam, &c. quamdiu exercebitur iustitia. Psalm. 93. v. 14. &c. repellet autem, quando flaccescet iustitia. Ierem. 5. vers. 28. *Causam viduæ non iudicauerunt, causam pupilli non direxerunt, & iudicium pauperum non iudicauerunt. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus?* & vers. 30. *Stupor & mirabilia facta sunt in terra: Prophetæ prophetabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus suis: & populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in nouissimo eius?*

VARIA.

Expulit hæc secunda vice vendentes è templo, quatriduo ante mortem suam. Chron. c. 49.

FERIA QVARTA POST PRIMAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Euangel. *Magister volumus à te signum videre.* Matth. 12. v. 38. vsque fin.

FIDES.

Signum non dabitur ei, nisi Ionæ Prophetæ] Non negat *signum*: nam iure id peti potest ab eo qui se dicit missum immediatè à Deo, vt dixi controu. 8. n. 2. Sed negat signum *de cælo*, quale ex curiositate petebatur. Lucæ 9. v. 55. *Nescitis cuius spiritus estis.* Resurrectio post mortem triduanam, & tot prodigia mortem & resurrectionem meam concomitatura, pro signo sufficienti (omni exceptione maiore,) vobis esse debent. Matth. 27. v. 45. 51. &c. *Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc scietis quia ego sum.* Ioan. 8. v. 28. Matth. 12. 39.

Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus] postea resurget. Post crucem gaudium, post mortem resurrectio, post opprobrium gloria, nobis sit signum Ionæ. v. 40.

Ecce plus quàm Ionas, plus quàm Salomon hic] Contr. 4. num. 3. &c. Deus homo erat Christus. v. 41. 42.

Spiritus immundus (v. g. Asmodæus Tobiæ 3. v. 8. & c. 8. v. 3.) *ambulat per loca arida*] 1. Petr. 5. v. 8. *Tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* v. 43.

Reuertar in domum meam, vnde exiui] Iustitiam amitti posse, docui contr. 15. n. 17. & 18. v. 44.

Quæ est mater mea? & qui sunt fratres mei?] Sanctos patrocinari nobis apud Deum, docui contouers. 30. numer. 8. & 9. v. 48.

MORES.

Iudæi signa petunt: Græci sapientiam quærunt, &c. 1. Corinth. 1. v. 22. Verùm Deuter. 29. v. 2. *Vos vidistis vniuersa quæ fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti pharaoni, signa illa portentaq; ingentia.* Quid iuuerunt? *Non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ possunt audire, vsque in præsentem diem.* Nisi gratia interna accesserit, non sufficiunt externa signa, contr. 14. num. 9. Nonne Pharisæi & pontifices viderunt signa Christi? Ioan. 15. v. 24. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Ioan. 11. vers. 47. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Quid profuerunt ipsis signa? *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Ioan. 20. v. 29.

Vide de ſignis, Dominica 20. poſt Pentecoſt. vbi & de ſigno quod œconomus Abrahæ petiit ad dignoſcendam ſponſam Iſaaci. Gen. 24. verſ. 14. & Gedeon Iudic. 6. v. 17. & Ionathas 1. Reg. 14. v. 9.

Iris, Geneſ. 9. v. 13. ſignum eſt fœderis Dei nobiſcum, non modò de non inducendis ampliùs aquis diluuij ſuper vniuerſam terram, ſed etiam de conciliato nobis Deo. Iſai. 54. verſ. 9. *Sicut in diebus Noë iſtud mihi eſt, cui iurauí, ne inducerem aquas diluuij vltra ſuper terram, ſic iurauí, vt non iraſcar tibi, & non increpem te. Miſericordia mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur*, &c.

Multi cum Iona fugiunt à facie Domini. Sed *quò ibo à ſpiritu tuo? & quò fugiam à facie tua?* Pſalm. 138. verſ. 7. *Vadam poſt amatores meos, qui dant mihi panes.* Oſee 2. verſ. 5. Væ talibus, quos Pſalm. 80. verſ. 13. dimittit Dominus *ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.* Felices, quos flagellis inſequitur & retrahit ad ſe. Oſee 2. verſ. 6. *Ego ſepiam viam tuam ſpinis*, &c. donec dicas verſ. 7. *Vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia bene erat mihi tunc, magis quàm nunc.*

Alij cum Iona, etiam in mediis tempeſtatibus, altùm ſtertunt. Prouerb. 18. verſ. 3. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Epheſ. 5. verſ. 14. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis.* Vtinam cum Iona & Niniuitis omnes pœniteant! *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Ionæ 3. verſ. 4. *Video enim, quòd iniquitas eius finem dabit ei.* Tobiæ 14 verſ. 13. Sed ô diuinam clementiam! Antequam ferias, minaris; vt minis territi, reſipiſcant, & ferire volentem compeſcant. *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus.* Pſalm. 59. v. 6. *Indignatio non eſt mihi. Quis dabit me ſpinam & veprem in prælio? Gradiar ſuper eam? ſuccendam eam pariter? an potiùs tenebis fortitudinem meam?* Pacem (quod malo,) *faciet mihi: faciet pacem mihi*, Iſaiæ 27. verſ. 4. Pacem, ô peccator, fac cum Deo tuo. Hanc optat, hanc omnibus flagellis ſuis vrget Deus.

VARIA.

Dixit hæc IESVS initio Iulij, anno ſecundo ſuæ prædicationis Chron. cap. 49.

FERIA QVINTA POST PRIMAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Euangel. *Egreſſus* IESVS *ſeceſſit in partes Tyri.* Matth. 25. verſ. 21. vſque 19.

FIDES.

Matt. 15. v. 22. *Miſerere mei Domine fili Dauid*] Iob 19. v. 21. *Manus Domini tetigit me.*

Filia mea malè à dæmonio vexatur, Prou. 14. v. 34. *Iuſtitia eleuat gentem: miſeros autem facit populos peccatum.*

v. 23. *Non reſpondit ei* IESVS *verbum*] Iob 30. v. 20. *Sto, & non reſpicis: clamo, & non exaudis: mutatus es mihi in crudelem.* Eccli. 2. v. 11. Quis *ſperauit in eo, & confuſus eſt?* Iſai. 49. verſ. 23. *Ego Dominus, ſuper quo non confundentur, qui expectant eum.*

Diſcipuli rogabant: Dimitte eam, quia clamat poſt nos] Vide de amico nocturno. Lucæ 11. v. 5. De Sanctorum inuocatione, controu. 30. v. 8. & 9.

v. 24. *Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael*] Nulli, etiam maximo peccatori, etiam infideli, etiam obſtinato, deſunt gratiæ auxilia neceſſaria ad conuerſionem, controu. 13. n. 8. & contr. 14. n. 11. 12, 13. *Homines & iumenta ſaluabis Domine*, &c. Pſal. 35. v. 7.

v. 28. *O mulier, magna eſt fides tua, Fiat tibi ſicut vis*] & quidem Marc. 7. v. 29. *propter hunc ſermonem.* Oratio, vt infallibiliter impetret, debet ex magna fiducia & humilitate procedere, controu. 117. n. 3. *Oratio humiliantis ſe penetrabit nubes.* &c. Eccli. 35. v. 21.

MORES.

Væ qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium, & Dominum non requiſierunt. Iſaiæ 31. verſ. 1. *Numquid non eſt Deus in Iſrael, vt eatis ad conſulendum Beelzebub?* 4. Reg. 1. verſ. 3. *Non ſaluatur rex per multam virtutem*, &c. Pſalm. 32. v. 16. *Qui confidit in diuitiis ſuis, corruet.* Prou. 11. v. 28. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum.* Ierem. 17. v. 5.

Verùm *quæſiui eum, & non inueni. Surgam & circuibo*, &c. Cant. 3. v. 1. & c. 5. v. 6. *Oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri*, Pſal. 122. v. 2. *Altiſſimum poſuiſti refugium tuum*, &c. *Quoniam in me ſperauit liberabo eum*, &c. *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum*, &c. Pſalm. 90. v. 9. 10. 15. *Iacob in fortitudine ſua inualuit ad Angelum, fleuit & rogauit eum*, &c. Oſee 12. v. 4.

Filia mea malè à dæmonio vexatur] Prouerb. 30. v. 21. &c. *Per tria mouetur & turbatur terra, & quartum non poteſt ſuſtinere*: nempe *ancillam, cùm fuerit heres domina ſua*, id eſt, per ſenſualitatem, cùm rationem ab imperio deturbarit. *Vnde bella & lites in vobis? Nónne ex concupiſcentiis veſtris?* Iac. 4. v. 2. Cor *impij, quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt.* Iſai. 57. v. 20. Matt. 14. 21.

De cura quam parentes gerere debent circa proles ſuas, vide Dominica 1. poſt Epiphan. Cogita Reſpham Saulis 2. Reg. 21. v. 10. cadauera filiorum ſuorum noctu diuque tutantem. Memineris Iobi cap. 1. verſ. 5. pro incolumitate ſuorum ſacrificantis.

VARIA.

Sanata fuit Chananæa filia initio Maij, anni tertij prædicationis Chriſti. Chron. cap. 49.

FERIA SEXTA POST PRIMAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Euangel. *Eſt Ieroſolymis Probatica piſcina.* Ioan. 5. verſ. 2. vſque 16.

FIDES.

Qui prior deſcendebat in piſcinam poſt motionem aquæ per Angelum, *ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate*] Ioan. 5. v. 4. Typus baptiſmi & pœnitentiæ, controu. 19. num. 8. & contr. 23. num. 5. &c. Nam hoc antiquæ legis miraculum, non ſine fœnore demigrauit in Eccleſiam Chriſti. Pro vna, iam plures piſcinæ: quæ non vnum quotannis; ſed plurimos quotidie curant, neque temporaneam, ſed æternam afferunt ſalutem.

Hunc triginta octo annos, infirmum, nempe genus humanum, præteritis Angelis: (*nuſquam enim Angelos apprehendit*, Hebr. 2. v. 16.) *cùm vidiſſet* IESVS (nam *ſine me nihil poteſtis facere*, Ioan. 15. v. 5. contr. 14. nu. 9.) *dicit ei: Vis ſanus fieri?*] Liberum enim eſt homini conſentire vocanti vel trahenti Deo, ibid. num. 4. Et hoc differt ſanatio ſpiritus à ſanatione corporis, ſaltem in adultis. v. 6.

Hominem non habeo] Ierem. 4. v. 25. *Intuitus ſum, & non erat homo.* Nullus hominum, nullus angelorum poterat nos ſanare: ſed ſolus homo Deus, contr. 4. n. 11. & 14. *Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi.* Vis ſanus fieri? Ioan. 4. v. 10. Ipſe eſt qui ait, Iſaiæ 46. v. 3. *Portamini à meo vtero, & geſtamini à mea vulua: vſque ad ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos ego ipſe portabo: ego feci, ego feram, ego portabo atque ſaluabo* per crucem, & mortem, &c.

Surge, tolle grabatum tuum, & ambula] *Ipſe dixit & facta ſunt.* v. 8. Pſal. 148. v. 5. Nec vllum tam inueteratum malum, cui non poſſit facilè mederi Chriſtus & Eccleſia Chriſti. cõtr. 23 n 5.

Ecce ſanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat] Redibit alioqui diabolus cum ſeptem aliis ſpiritibus nequioribus, Matth. 12. verſ. 44. Poteſt autem iuſtitia, quantumcumque excellens, rurſus per peccatum amitti, controu. 15. num. 17. v. 14.

MO-

MORES.

Esau, Genes. 25. v. 27. & Hebr. 12. v. 17. & *Antiochus*, 1. Machab. 6. v. 12. & 2. Machab. 9. v. 11. *Iudas*, Matth. 27. v. 4. piscinam pœnitentiæ ingressi sunt; sed non eam quam angelus turbauerat, sed quam solus metus & horror pœnarum. Solidam contritionem para, si sapis, controu. 23. num. 5.

Ana inuenit aquas calidas in solitudine, Genes. 36. v. 24. Tu calidissimas & efficacissimas lacrymas compunctionis & amoris diuini haurias ex Christi passione.

Ioan. 5. v. 4. *Vis sanus fieri?*] Eccli. 15. vers. 18. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi. Vult & non vult piger.* Prouerb. 13. v. 4. Plura de pigritia, vide Dominica Septuagesimæ.

Tu cum Dauid dic Psal. 39. v. 9. *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Prouerb. 1. v. 24. *Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret.* v. 26. *Ego quoque in interitu vestro ridebo*, &c. Et hæc vnica est ratio, cur tam multi maneant spiritualiter ægri.

VARIA.

Curatus est hic paralyticus 10. Aprilis anni secundi prædicationis Christi Chron. c. 49.

De piscina Probatica, & portis vrbis Ierosolymitanæ, vide 2. Esd. 3. v. 1. &c.

Magister in Ecclesiastica historia dicit, hoc piscinæ miraculum cœpisse demum cum incarnatione Filij Dei. ita Hugo Cardinalis.

SABBATO IV. Temporum, post primam Dominicam Quadragesimæ, Euangelium est Dominicæ II. in Quadragesima.

DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMÆ.

Euangel. *de Transfiguratione.* Matth. 17. à vers. 1. ad 10.

FIDES.

Matt. 17. v. 1. *Assumit Iesus Petrum, Iacobum & Ioannem*] Beneficia diuina, & maximè gratis data, contr. 14. n. 2. pro placito vnius Dei distribui solita, vide in Dominica Septuagesimæ ad v. 13. & in festo S. Nicolai.

v. 2. *Transfiguratus est ante eos*] De dotibus corporis gloriosi, contr. 30. num. 5. Hunc corpori suo debitum splendorem perpetuo miraculo coërcuit Christus, vt & cæteras dotes: & nos pœnas peccatis nostris debitas, omnesque aduersitates, etiam miraculo arceri volemus?

v. 3. *Apparuerunt Moyses & Elias*] Cornuta facies Moysis Exod. 34. v. 29. sat illum prodidit. *Elias curru* suo *igneo* aduectus est in montem, &c. 4. Reg 2. v. 11. Cur hi potiùs appareant, quàm alij, vide in comment. An Elias cum Henoch è paradiso in orbem redibunt tempore Antichristi, controu. 6. num. 13. Et an Moyses cum illis; Deuter. vlt. v. 5.

v. 4. *Faciamus hic tria tabernacula*] Etsi *nesciret quid diceret*, Lucæ 9. vers. 33. non tamen peccauit Petrus, vt Magdeburgenses fingunt. Vide Bellarm. de Roman. Pontif lib. 1. cap. 18.

v. 5. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*, & propter quem solum, etiam in alijs mihi complacebo, si illi adhæserint. controu. 4. n. 3. & 11. & contr. 3. n. 1. Vide Matth. 3. v. 17.

Ipsum audite] Abeat Moyses, abscedat Elias cum vmbris antiquæ legis & Prophetarum: soli Christo, eiusque Euangelio & legatis aures præbeantur. Non ergo hic excluduntur Prælati Ecclesiæ Concilia, Patres, vel principes politici, nam hi sunt vicarij Christi. Luc. 10. vers. 16. *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* contr. 6. n. 14. & contr. 7. n. 5. & contr. 10. n. 3.

MORES.

Assumit Iesus Petrum, Iacobum & Ioannem] Ægrotant, an æquo animo id tulerunt cæteri? Noli huiusmodi prærogatiuas alijs inuidere: non sublimius orandi genus, non spirituales consolationes & delicias, non alias gratias gratis datas, *Æmulamini charismata meliora.* 1. Cor. 12. v. 31. *Altiora tene quæsieris*, &c. Eccli. 3. vers. 22. Solus Moyses vocatur in cacumen montis, ceteris exclusis sub pœna mortis, Exod. 19. vers. 12. 20. &c. Quàm terribilis ille mons. v. 16. 18. &c. Ex Dei ordinatione quidam non introducuntur in donum contemplationis. *Spiritus vbi vult spirat.* Ioan. 3. v. 8. Et *singulis diuidit prout vult.* 1. Cor. 12. v. 11. Quidam propriâ culpâ id non assequuntur. *Abscondisti hæc a sapientibus*, &c. Matth. 11. v. 25. *Neque audebunt eum contemplari, qui sibi videntur esse sapientes.* Iob 37. vers. 24. Calceamenta animalium mortuorum, Exodi 3. v. 3. exui iubentur: &c. 19. v. 33. bestiæ vetantur montem tangere. Quidam etiam post acceptum donum, ob elationem animi, ob strepitum passionum & curarum, ob curiositatem, ob segnitiem. &c. eo subinde priuantur, Exemplo Ezechias dum suas gazas ostentat, Isa. 39. v. 2. Philisthæi aliquando quietos conturbant. 1. Reg. 10. v. 5. Quosdam impedit curiositas. *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.* Prou. 25. v. 27. Alios retardat pigritia. *Vade piger ad formicam, & disce sapientiam.* Prou. 6. v. 6. Alios peccatum ineptos reddit. Sap. 1. v. 4. *In malevolam animam non introibit sapientia. Qui ambulat in iustitijs*, &c. *iste in excelsis habitabit* &c. *regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram de longè.* Isa. 33. vers. 15. vsque 18. Similia habes psal. 14. vers. 2. *Non doctas fabulas secuti*, &c. *sed speculatores facti illius magnitudinis*, &c. *in monte sancto*, &c. 2. Petr. 1. v. 16. vsque 19. Matt. 17. v. 1.

Hoc Dei exemplo, tu quoque, *non omni homini cor tuum manifestes*, maximè ne *extraneo*, ne *stulto*, &c. Eccli. 8. v. 20. 21. 22. *Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi vnus de mille.* c. 6. vers. 6. *In multitudine presbyterorum prudentium sta, & sapientia illorum ex corde coniungere, vt omnem narrationem Dei possis audire. Et si videris sensatum, euigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus.* v. 35. 36. *Virum de mille vnum reperi: mulierem ex omnibus non inueni.* Eccles. 7. v. 28. *Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, & confundaris.* Eccli. 9. v. 2. De mulieribus, vide in Decollatione S. Ioannis Baptistæ die 29. Augusti. *Non omnem hominem inducas in domum tuam*, &c. Eccli. 11. vers. 21. vsque fin. Item c. 12. vers. 8. vsque fin. Paribus, vt plurimùm sociare. *Pondus super se tollet, qui honestiori* (seu potentiori) *se communicat. Et ditiori te ne socium feueris. Quid communicabit cacabus ad ollam?* c. 13. v. 2. vsque 9. item 12. vsque 18. *Amicitia* sit inter pares moribus & opibus. *Omne animal diligit simile sibi*, &c. Eccli. 13. v. 19. vsque 22. *Quæ communicatio sancto homini ad canem?* &c. v. 22. vsque 30. De veris & fictis amicis ac consiliarijs, vide Eccli. 37. v. 1. vsque 28. *Cum viro sancto assiduus esto* &c. *cuius anima est secundùm animam tuam, & qui cùm titubaueris in tenebris, condolebit tibi. Cor boni consilij statue tecum* &c. v. 15. & 17.

Ducit illos in montem excelsum] Cur istud? An quia *dij montium sunt dij eorum?* 3. Reg. 20. v. 23. Absit: Sed vt nos inuitet ad sublimia, ad ardua, ad cælestia. Ferè omnia prodigia fuerunt Israelitis exhibita in *montibus*, ibid. Vis, oratio te transformet in alteruni hominem? montem *myrrhæ*, Cant. 4. v. 6. & mortificationis ascende. Veram affectas gloriam? in montem virtutum connitere.

Ibi *transfiguratus est ante eos.* Cur non etiam flammas ipsis ostentat inferni? nimirum impij metu propellendis piis acrior ad virtutem stimulus est spes gloriæ. Notâ, orationis effectus est transfiguratio, morum mutatio, bonorum operum splendor & fulgor. Expende qua specie apparuerit olim Deus Isaiæ 6. v. 1. Ezech. 1. v. 4. &c. *Auferetur* v. 2.

feretur velamen, &c. 2. Cor. 3. vers. 16. *Ostende mihi faciem tuam*, &c. Cant. 2. v. 14. *Exquisiuit te facies mea*, &c. Psalm. 26. v. 8. *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te* Iob 42. vers. 5. *Ostende mihi gloriam tuam.* Exod. 33. v. 18. *Ostendam omne bonum tibi* v. 16. *Ponam te in foramine petræ*, &c. v. 18. *Qualis est dilectus tuus*, &c. *Candidus & rubicundus*, &c. Cant. 5. v. 9. 10. &c. *Candor lucis æternæ*, &c. Sap. 7. v. 26. *Tinctis vestibus*, &c. Isa. 63. vers. 1. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus.* Cant. 1. v. 15. Imò solus *pulcher*, sicut solus *bonus.* Matth. 9 v. 17. & Luc. 18. vers. 19. *Pulchritudo agri mecum est.* Psal. 49. v. 11. *Speciosus formâ præ filijs hominum* &c. Psalm. 44. v. 3. *Vox tua dulcis, & facies tua decora.* Cant. 2. vers. 14. *Gloria quasi vnigeniti à Patre*, &c. Ioan. 1. v. 16. *Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius*, &c. Deut. 33. v. 17. *In quem desiderant angeli prospicere.* 1. Petr. 1. v. 12. *Si tamen gustastis quoniam suauis est Dominus.* 1. Petr. 2. v. 3.

De contemplatione vide in festo Assumptionis B. Virginis 15. Augusti.

v. 4. *Bonum est nos hic esse*] Si id humano dixit affectu: dissuade, intempestiuum & inordinatum amorem (vt in comment. dixi,) consolationum præsentium: neque enim hîc figenda tabernacula: multoque munùs in honoribus, in delicijs, in opibus terrenis. Sin diuino affectu; commenda amorem cælestium. Prælibatio futuræ vitæ omnia arbitrari cogit *vt stercora*, Phil 3. v. 8. Obliuionem inducit ærumnarum. *Date siceram mœrentibus*, &c. *bibant & obliuiscantur*, &c. Prouer. 31. v. 6. Excitat ad labores, &c. *Sic curro* &c. 1. Cor. 9. v. 26. Deterret à peccatis. *Quomodo possum peccare in Deum meum?* Genes. 39. v. 9. Obliuionem fastidium & nauseam inducit omnium rerum terrenarum. *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* Id experta est Esther, non ad aspectum regis terreni. *Vidi te Domine quasi angelum Dei; & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valdè enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.* Esther 15. vers. 16. Sed ad præsentiam regis cælestis. *Tu scis necessitatem meam, quòd abominor signum superbiæ & gloriæ meæ quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentij mei: & numquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum vsque in præsentem diem, nisi in te Domine Deus Abraham.* Esther 14. vers. 16. & 18. *Et quis satiabitur videns gloriam eius?* Eccli. 42. v. vlt. *Quàm desiderabilia omnia opera eius!* vers. 23. Quantò magis persona eius? Quòd si guttula vna hic Petrum sic inebriat, quid faciet *torrens* ille *voluptatis* æternæ? Psalm. 35. v. 5. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Psalm. 16. vers. 15. *Quemadmodum desiderat cervus.* &c. Psalm. 41. toto.

v. 5. *Adhuc eo loquente*] Quàm breuis, & penè momentanea est etiam cælestis in hac vita visitatio! Rara hora, breuis mora, inquit S. Bernard. *Visitas eum diluculo, & subitò probas illum.* Iob 7. vers. 18. *Spiritus vbi vult, spirat*, &c. Ioan. 3. v. 8. *Modicum, & videbitis me*, &c. Ioan. 16. v. 19. Non vult Deus, nos nimis inhærere his cupedijs, ne quæ maioris sunt momenti negligamus, & nobilioribus crucis thesauris priuemur. Vnde sapientissimè curat, vt post septem *annos fertilitatis* succedant septem alij *inopiæ*. Gen. 41. v. 26. &c. Hic opus Iosepho, id est, viro sapiente & industrio, qui sano consilio damna compenset. &c. v. 33.

Ecce nubes] *Videmus nunc per speculum*, &c. 1. Corinth. 13. v. 12. Quare Deus aquas supra firmamentum posuit? Nónne ad præuidendum nobis adhuc exulibus aspectum cæli empyrei sole ipso lucidioris? Genes. 1. v. 7. Quare *Cherubim cum gladio ante paradisum collocauit?* Nónne ad arcendos homines à ligno vitæ & paradiso? Genes. 3. v. 24. Nihilominus *nos omnes reuelatâ facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.* 2. Cor. 3. vers. 18. *Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei.* cap. 4. vers. 4. *Deus, qui dixit, de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis* v. 6. & 7.

Hic est filius meus] Christus non semetipsum clarificauit vt pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, *Filius meus es tu*, &c. Hebr. 5. v. 5.

In quo mihi complacui] tum alias ob causas, tum quia (vt ex colloquio cum Moyse & Elia audistis,) *proposito sibi gaudio, sustinuit*, seu sustinere delegit, *crucem*, Hebr. 12. vers. 2. cùm posset citra illam redimere mundum. *Salomon*, id est, pacificus, vocabatur alio nomine *Idediah*, id est, *amabilis Domino*. 2. Reg. 12. v. 24. & Prou. 31. v. 2. *Quid dilecte mi*, &c.

Ipsum audite] Non mundum, non carnem, non dæmonem, qui voluptates, qui opes, qui honores inculcant, qui præcipitia suadent, qui ad vindictam animant. &c. *Filij Sion exultate & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiæ: & descendere faciet ad vos imbrem matutinum & serotinum, sicut in principio; & implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo.* Ioël 2. v. 23.

Nemini dixeritis] Diuinos fauores caue iactes, ni frustrari velis; memineris Ezechiæ, Isa. 39. v. 2.

VARIA.

Transfiguratio contigit sexta Augusti, die Dominica, anni tertij prædicationis Christi. Chron. c. 49. In quo monte transfiguratus sit Christus, vide in comment. *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt. Tuum brachium cum potentia.* Psalm. 88. vers. 13. *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron: ipsi videbunt gloriam Domini,* Isa. 35. v. 2.

FERIA SECVNDA POST SECVNDAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Euangel. *Ego vado, & quæretis me.* Ioan. 8. vers. 21. vsque 30.

FIDES.

Quò ego vado, vos non potestis venire] Viæ nimis diuersæ, Ioã. 8. & termini nimis distiti. Luc. 16. vers. 26. *Chaos magnum* v. 23. *firmatum est inter nos & vos.*

Vos de deorsum estis, ego de supernis sum] In carne ambulo, v. 23. sed non secundùm carnem.

Vos de hoc mundo estis, ego non sum de hoc mundo] Christus homo-Deus, controu. 4. n. 3. &c. Ducant sibi laudis quibus id lubet, quòd de mundo sint: nos cum Christo gloriabimur, Ioan. 18. v. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo.*

Si non credideritis, quia ego sum, quem toties me esse v. 24 dixi, nempe Messias & Filius Dei, *moriemini in peccato vestro*] Fides in Christum planè necessaria ad iustificationem & salutem, controu. 15. num. 9. Qualis fides, num. 11. & 12.

Tu quis es? dicit ei Iesus: Principium, qui & loquor vobis] v. 25. Ioan. 1. vers. 1. *In principio erat Verbum*, &c. *Verbum caro factum*, contr. 4. num. 3.

Multa habeo de vobis loqui & iudicare] De iudicio particulari & vniuersali, contr. 28. n. 3. &. 4. v. 26.

Quæ audiui à Patre, hæc loquor in mundo. Sicut docuit me Pater, hæc loquor] Filius dum à Patre generatur, accipit ab eo omnem scientiam vnà cum natura diuina, contr. 3. num. 2. In Christo plenitudo omnis scientiæ, nulla ignorantia, contr. 4. n. 13. v. 27. v. 28.

Cùm exaltaueritis filium hominis in cruce, *tunc cognoscetis quia ego sum*] Vide comment.

Ego quæ placita sunt ei, facio semper] Nullum peccatum v. 29. potuit esse in Christo, contr. 4. n. 12.

Qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum] De communicatione idiomatum, contr. 4. n. 8. &c.

MORES.

Ioan. 8. v. 21. *In peccato vestro moriemini*] Quàm tristis accidit ægro decretoria medici sententia: *Dispone domui tuæ, quia morieris, & non viues!* Isa. 28. v. 1. Cùm Samuel hoc dixisset Sauli 1. Reg. 28. v. 20. *Saul cecidit porrectus in terram*, &c. Sed nônne tristior, duriorque multò hæc Christi sententia, *In peccato vestro*; id est, æternùm, *moriemini*; *Cor eius indurabitur tamquam lapis, & quasi malleatoris incus.* Iob 41. v. 15. Non cessat quidem Deus quotidianis pulsibus & ictibus percutere, excitare, illuminare *omnem*, etiam induratum *hominem*, Ioan. 1. v. 9. Sed eiusmodi *homines dilexerunt magis tenebras, quàm lucem.* Ioan. 3. v. 19. *Percussisti eos, & non doluerunt*, &c. Ierem. 5. vers. 3. *Eò quòd charitatem veritatis non receperunt, immisit illis Deus spiritum erroris, vt credant mendacio.* 2. Thessal. 2. vers. 10. *Sed cor durum malè habebit in nouissimo.* Eccli. 3. vers. 27. *Curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam.* Ierem. 51. vers. 9. Nulla quidem sunt peccata, quæ deleri pœnitentiâ non possint in hac vita, contr. 23. n. 5. *Eum qui venit ad me, non eiciam foras.* Ioan. 6. vers. 37. Sed sunt tamen quædam peccata, quæ viam ad pœnitentiam obstruunt, nempe peccata in Spiritum sanctum. Matth. 11. vers. 31. *Eò quòd exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, neque acquieuerint consilio meo.* Prou. 1. vers. 29.

v. 21. *Quæretis me*] Sed cum Esau, Hebr. 12. v. 17. cum Antiocho, 2. Machab. 9. v. 11. cum Iuda, Matth. 27. v. 4. cum stultis illis, Matth. 25. vers. 11. *Domine, Domine aperi nobis.* O *si cognouisses & tu, & quidem in die hac, quæ ad pacem tibi!* Lucæ 19. vers. 42. *Erudire, erudire Ierusalem, ne fortè recedat anima mea à te.* Ierem. 6. vers. 8. *Quærite Dominum*, vt oportet: & quærite *dum inueniri potest: inuocate eum dum propè est.* Isa. 55. v. 6.

VARIA.

Dixit hæc Iesus septima die Octobris, in Sabbato, anno tertio suæ prædicationis. Chron. c. 49.

FERIA TERTIA POST SECVNDAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Euangel. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ.* Matth. 23. v. 1. vique 13.

FIDES.

Matt. 23. v. 2. *Super cathedram Moysi sederunt*] Quænam requirantur ad legitimum pastorem Ecclesiæ. contr. 5. n. 8. & contr. 8. n. 1. vsque 9.

v. 3. *Omnia quæcumque dixerint vobis, seruate & facite*] Ecclesia Dei & Pontifex in docendo è cathedra, errare non potest, contr. 5. n. 2. & 3. & contr. 6. n. 15. vsque fin.

Aug. lib. de Pasto. c. 10. *Secundùm opera eorum nolite facere*] Vuam carpe, spinam caue, inquit S. Augustinus. Etiam Pontifex, vt priuata persona, errare potest, ibid.

v. 9. *Patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim pater vester qui in cœlis est*] nempe primarius, de quo contr. 1. num 2.

v. 10. *Nec vocemini magistri: quia magister vester vnus est Christus*] qui infallibilem habet omnium rerum scientiam, contr. 4. num. 8. 9. 13.

v. 12. *Qui se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur*] Prou. 29. v. 23. *Humilem spiritu suscipiet gloria: & superbum sequitur humilitas.*

MORES.

Cùm pastor ad præcipitia tendit, gregem totum in ruinam trahit. Vnde meritò iubet Deus Numer. 25. v. 4. *Tolle cunctos principes populi* (qui suo exemplo alios ad idololatriam prouocarunt) *& suspende eos contra solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israel.* Ipsi enim, quasi cæli superiores, rapiunt secum cælos inferiores.

Quantò prudentior ille Eleazarus? 2. Mach. 6. v. 24. *Non enim ætati nostræ dignum est fingere; vt multi adolescentes, arbitrantes Eleazarum nonagintà annorum transisse ad vitam alienigenarum, propter modicum corruptibilis vitæ.* Abiit, in gratiam hominum offendamus Deum. *Deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent; confusi sunt, quia Deus sprevit eos.* Psal. 52. vers. 6.

Porrò quàm turpe doctori cùm culpa redarguit ipsum? *Ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti*, &c. *nunc autem venit super te plaga, & defecisti: tetigit te, & conturbatus es.* Iob 4. v. 3.

Et hoc displicet valdè Deo. *Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas?* &c. Psalm. 49. v. 16. vsque 23. *Abominabile Domino cor prauum: & voluntas eius in iis qui simpliciter ambulant.* Prou. 11. v. 20.

Pulchram hypocritarum habes hypotyposin Prou. 6. vers. 12. vsque 16. *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore peruerso*, &c.

VARIA.

Hæc dicit Iesus triduo ante mortem suã. Chron. c. 49.

FERIA QVARTA POST SECVNDAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Euangel. *Ecce ascendimus Ierosolymam.* Matth. 20. vers. 18. vsque 20. habes initio Euangelij in Dominica Quinquagesimæ.

A v. verò 20. *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi*, vsque v. 24. habes in festo S. Iacobi 25. Iulij.

Propria huic feriæ sunt à v. 24. vsque 27.

FIDES.

Matt. 20. v. 25. & 26. *Principes Gentium dominantur eorum, & potestatem exercent in eos: non ita erit inter vos*] Etiam Christianis licere magistratum gerere, leges condere, iudicia, exercere, bella gerere, &c. contr. 10. n. 1. vsque 6.

v. 28. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis*] Controu. 4. num. 14. & 15.

MORES.

Vis schema tyrannici imperij in subditos? Habes Iezabelem calumnijs occidentem Naboth, & Achabo, quòd in hoc genere remissior esset, exprobrantem: *Grandis auctoritatis es, & bene regis regnum Israel; surge & comede panem, & æquo animo esto, ego dabo tibi vineam Naboth.* 3. Reg. 21. vers. 7. Quin & de alijs non impijs inquit Nehemias: *Duces primi qui fuerunt ante me, grauauerunt populum*, &c. 2. Esdr. 5. v. 15. Et quis nescit, reges semper vrgere extrema? *Hoc erit ius regis; filios vestros tollet*, &c. 1. Reg. 8. vers. 11.

Matt. 10. v. 28. *Filius hominis venit ministrare*, &c.] Quodnam hoc nouum in orbe officium, *Ministrare* omnibus, *& dare animam suam pro multis*? Lucæ 16. vers. 15. *Quod altum est hominibus, abominatio est apud Deum.* Psalm. 89. vers. 15. *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.* Iac. 1. vers. 2. *Omne gaudium existimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis*, &c. Vnde pro singulari munere, Philip. 1. v. 29. *Vobis donatum est pro Christo*,

sto, non solùm vt in eum credatus, sed vt etiam pro illo patiamini. Ideoq; Act. 5. vers. 41. *ibant gaudentes* Apostoli, &c. 2. Regum 11. v. 11. *Arca Dei in papilionibus habitat, & dominus meus Ioab*, &c.

VARIA.

Facta hæc sub initium mensis Martij vltimi ante mortem Christi. Chron. c. 49.

FERIA QVINTA POST SECVNDAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Euangel. *Homo quidam erat dives.* Lucæ 16. vers. 19. vsque fin.

FIDES.

Luc. 16. v. 22. Mortuus *mendicus Lazarus* portatur *ab angelis in sinum Abrahæ. Dives sepultus est in inferno*] De sinu Abrahæ & loco inferni, contr. 4. n. 16.

Iudicium particulare per *angelos* exerceri verisimilius, Zach. 3. v. 1. & contr. 28. n. 4.

v. 24. *Crucior in hac flamma*] De igne & alijs supplicijs infernalibus, contr. 29. n. 8.

v. 25. *Recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris*] Exiguum bonorum operum, quæ aliquando patrasti, (neque enim omnia impiorum opera sunt peccata, contr. 14. num. 6. & 7.) plenè tibi compensatum est bonis fortunæ in sæculo. Recepisti *mercedem tuam.* Matth. 6. v. 16. Vide de Nabuchodonosore, &c. Dominica Septuagesimæ. E contrario Lazarus, exigua peccata quæ fecit in vita (*neque enim est homo qui non peccet*, Eccles. 7. v. 21 contr. 12. n. 3.) expurgauit *camino paupertatis*, Isaiæ 48. vers. 10. & *camino humiliationis*, Eccli. 2. v. 5. Vnde nec iam supereſt quidquam mali metuendum, nec tibi quidquam boni sperandum.

v. 26. *Inter nos & vos chaos magnum firmatum est*] De loco limbi patrum, & inferni damnatorum, vide controu. 4. n. 16. & contr. 29. n. 6.

v. 28. Testetur Lazarus *fratribus meis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.*

v. 29. *Habent Moysen & Prophetas, audiant illos*] Esse aliquod verbum Dei: & non instinctu priuato, sed per Prophetas illud nobis innotuisse, docui contr. 2. n. 1. 2. 3. *Habemus firmiorem propheticum sermonem*, &c. 2. Petr. 1. v. 19. &c. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis*, &c. 2. Timoth. 3. vers. vlt.

v. 31. *Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent*] Quomodo enim fidem habebunt verbo hominis, qui credere nolunt verbo Dei? Nonne filiam Iairi. Lucæ 8. v. 54. filium viduæ Naim, Lucæ 7. v. 14. Lazarum, Ioan. 11. v. 44. & tot alios. Matth. 27. v. 52. cum Christo rediuiuos habuerunt & viderunt Iudæi? an ideo illis crediderunt?

MORES.

Inueniant pueri tui (ô Nabal) *gratiam in oculis tuis: in die enim bonâ venimus. Quodcumque inuenerit manus tua, da seruis tuis, & filio tuo Dauid.* 1. Reg. 25. vers. 8. *Quis est Dauid? & quis est filius Isai? hodie increuerunt serui qui fugiunt dominos suos. Tollam ergo panes meos & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris quos nescio vnde sint?* v. 10. & 11. *Et ecce erat ei conuiuium in domo eius, quasi conuiuium regis, & cor Nabal iucundum: erat enim ebrius nimis.* v. 36.

At lex diuina imperat, ô Epulo, succurrere pauperibus: *Omninò indigens & mendicus non erit inter vos, vt benedicat tibi Dominus.* Deut. 15. vers. 4. *Non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum*, &c. vers. 7. *Necages quippiam callidè in eius necessitatibus subleuandis.* v. 10. *In messe non tondebis superficiem terræ vsque ad solum, neque racemos decidentes congregabis, sed pauperibus dimittes.* Leuit. 19. v. 9. & c. 25. v. 5. De decimis multiplicibus, etiam in vsum pauperum, vide Leuit. 19. v. 24.

Sed surdo canitur fabula. *cum obsecrationibus loquitur pauper, & dives effabitur rigidè.* Prouer. 17. vers. 23. *Diuitiæ addunt amicos plurimos*, &c. c. 19. v. 4. 6. 7. Vtinam non arcerent amicos Dei pauperes! *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur*, c. 21. vers. 15. *Dives & pauper obuiauerunt sibi: vtriusque operator est Dominus.* Prouerb. 22. vers. 2. Quo iure ergo alter alterum contemnit? qua fronte denegat vel micas egenti? Esus carnium Deo immolatarum non poterat vltra *sequentem diem* differri, vtpote in *conuiuio diuino*, Leuit. 7. v. 13. & c. 19. v. 5.

An ciborum reliquias dabis canibus tuis, & denegabis fratri tuo? *Spiritus Dei fecit me, & spiraculum Omnipotentis viuificauit me. Ecce, & me, sicut & te fecit Deus, & de eodem luto ego quoque formatus sum.* Iob 33. vers. 4. Frustra omnia. *Coagulatum est sicut lac cor eorum*, nimijs delicijs. Psal. 118. vers. 70. *Sed & lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos: filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto. Adhæsit lingua lactentis ad palatum eius in siti. Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Thren 4. v. 3.

Nihilne ergo reliquum subleuando misero & moribundo fratri? *Iustus comedit, & replet animam suam: venter autem impiorum insaturabilis.* Prou. 13. v. vlt.

Sed quid nocuerit, vel vnum iam animam agentem admisisse in numerum non dico conuiuarum, sed canum? *Etiam proximo suo pauper odiosus erit: amici verò diuitum multi.* Prouer. 14. v. 20. *Corona sapientium diuitiæ eorum: fatuitas stultorum, imprudentia.* v. 24. Pro panibus saxa, pro micis iaciuntur minæ. *Qui calumniatur egentem, exprobrat factori eius: honorat autem eum, qui miseretur pauperis* v. 31.

Vt quid tantæ opes, nisi vt etiam pauperi succurratur? *Sanguisugæ duæ sunt filiæ*, &c. Prouerb. 30. vers. 15. *Quando euigilabo, & rursus vina reperiam?* Prouerb. 25. v. 35. *Quorum Deus venter est.* Philipp. 3. v. 19. Ventri ergo soli & Baccho sacrificant auari. *In pinguedine terræ, & in rore cæli desuper erit benedictio tua.* Sed audi quod sequitur: *Vives in gladio*: &c. Gen. 27. v. 39.

Vtinam gladij diuini ceruicibus impendentis, aliquando memineritis! Sed inuictos se putant diuites. *Substantia diuitis, vrbs fortitudinis eius: pauor pauperum, egestas eorum.* Proueib. 10. v. 15. Fallax fundamentum. *In die bonorum ne immemor sis malorum: & in die malorum ne immemor sis bonorum.* Eccli. 11. v. 27. *Memento iræ in die consummationis, & tempus retributionis in conuersatione* (seu conuersione) *faciei* (diuinæ:) *memento paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatum paupertatis in die diuitiarum.* Eccli. 18. v. 24. & 25. *A mane vsque ad vesperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei.* v. 26. *Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes: Quia ecce dies venient super vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis feruentibus.* Amos 4. vers. 1. & 2. *Idcirco pro eo quòd diripiebatis pauperem, & prædam electam tollebatis absque domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis: vineas plantabitis amantissimas, & non bibetis vinum earum* Amos 5. v. 11. *Væ qui opulenti estis*, &c. *optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè*, &c. *Qui* separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis (id est, vobis admodum aduersario) *qui* (interea securi) *dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris: qui canitis ad sonum psalterij, bibentes vinum in phialis, & optimo vngvento delibuti: & nihil patiebantur super contritione Ioseph*, &c. Amos 6. vers. 1. vsque 7. *Qui lætamini in nihilo: qui dicitis, Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua* vers. 14. *Et ecce vocabat Dominus iudicium* quasi ardorem suum, mittebatque *ad ignem. & deuorauit abyssum multam, & comedit simul partem.* Amos 7. vers. 4. *Ecce parvulum*

de li

dedite in Gentibus, contemptibilis tu es valdè. Superbia cordis extulit te, exaltantem solium tuum: Qui dicis in corde tuo, Quis detrahet me in terram? si exaltatus fueris vt aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum, inde detrahàm te, dicit Dominus. Quomodo (Chaldæi) *scrutati sunt Esau* (Idumæos armis suis?) *investigauerunt abscondita eius vsque ad terminum emiserunt te.* Nec hostes modò, sed & *omnes viri fœderis tui illuserunt tibi: inualuerunt aduersum te viri pacis tuæ: qui comedunt tecum, ponent insidias subter te*, &c. Abdiæ v. 2. vsque 8. *Sicut fecisti, fiet tibi: retributionem tuam conuertet in caput tuum. Quomodo enim bibistis super montem sanctum meum* (Sion à Chaldæis destructum,) *bibent* (vicissim super te destructo) *omnes gentes iugiter, & bibent & absorbebunt*, &c. *Et in monte Sion erit saluatio*, &c. v. 15. vsque fin.

Sed ridet minas omnes Epulo, prospera fortuna nimis ebrius. *Quomodo virum potantem decipit, sic erit vir superbus. Dilatauit quasi infernus animam suam: & ipse quasi mors, & non adimpletur.* Habac. 2. v. 5. *Væ ei, qui multiplicat non sua. Vsquequo & aggrauat contra se densum lutum? numquid non repentè consurgent* (Persæ & Medi) *qui mordeant te* (ô Chaldæe tyranne?) *quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te*, &c. v. 6. 7. 8. *Quia lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit.* v. 11. *Laborabunt enim populi* tibi, sed *in multo igne* tibi coaceruando. v. 13. Ex igneo hoc calice *bibe tu quoque, & consopire: circumdabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiæ super gloriam tuam.* v. 16.

Horrendum vel meminisse huius calicis. Epulo tamen labiis iam iam admouendum non horret, non curat, non credit. *Auaro nihil est scelestius.* Eccli. 10. v. 9. *Nihil est iniquius quàm amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet: quoniam in vita sua* (per nimias anxietates & curas) *proiecit intima* (viscera) *sua.* v. 10. *Esau* vendidit *primogenita* pro *pulmento.* Gen. 25. v. 31. *Semitæ omnium auari, animas possidentium rapiunt.* Prou. 1. v. 19. Nónne *Balaam auaritia excæcatus*, Num. 22. vers. 5. Nónne Adam & Eua Gen. 3. v. 6. vilis escæ appetitu & se & posteros omnes in mortem præcipites dederunt?

Sed quid interea Lazarus? *Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis? Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. Et ipse erit saluator meus.* Iob 13. v. 14. *Cur faciem tuam abscondis?* &c. v. 24. *Contra folium*, &c. v. 25. *Quare impij viuunt, sublenati sunt, confortatique diuitijs?* Iob 21. v. 7. vsque 21: vbi vsque ad finem probat tribus argumentis pœnas posthumas inferni. *In puncto ad inferna descendunt*, v. 13. *Iste moritur robustus & sanus, diues & felix. Alius verò moritur in amaritudine animæ absque vllis opibus. Et tamen simul in puluere dormient, & vermes operient eos.* v. 23.

Verùm cur defleam sortem meam? *Nónne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & heredes regni quod repromisit diligentibus se?* Iac. 2. v. 5. vsque 9. *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* 1. Tim. 6. v. 8. Nónne *mel* abesse debet ab omni *sacrificio?* Leuit. 2. v. 11. Quia symbolum voluptatis ac deliciarum. Si corpus spectes, *omnes dies pauperis, mali*: at si animam, *secura mens quasi iuge conuiuium*, &c. Prou. 15. v. 15. vsque 18. *Ad te, leuaui oculos meos*, ô Deus, ego *opprobrium abundantibus, & despectio superbis.* Psal. 122. toto.

Ad te confugio, qui electis tuis es *crater numquam indigens poculis*, &c. Cant. 7. v. 2. *Aceruus tritici*, &c. v. 3. *Ego alium cibum habeo*, &c. Ioan. 4. v. 32. *Non in sole pane*, &c. Matth. 4. v. 4.

Libès careo pane terreno, cùm fruar pane cælesti. Sic *sic est quasi diues, cùm nihil habeat: & est quasi pauper, cùm in multis diuitijs sit.* Prou. 13. v. 7. In sinum Abrahæ, ad delicias Sanctorum euocor. *Venite, comedite & inebriamini.* Cant. 5. v. 1. *Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.* Num. 23. v. 10.

Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno] Nam ex vna parte, *domus quæ nimis locuples est, annullabitur superbia.* Eccli. 21. v. 5. Ex altera verò *deprecatio pauperis ex ore vsque ad aures eius* (Dei) *perueniet, & iudicium festinatò aduenit illi.* vers. 6. Quid nunc prosunt diuitiæ & epulæ? *Incrassatus est dilectus & recalcitrauit*, &c. Deut. 32. v. 15. *Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo nouissima eorum*: v. 20. q. d. Calamitosissimos exitus eis immittam, & eorum interitu contemplando me pascam. Simile Isaiæ vlt. vers: vlt. *In seruis* autem *suis miserebitur.* v. 36. *Vidi stultum firmà radice, & maledixi pulchritudini eius statim*, &c. Iob 5. vers. 3. *Noli* ergo anima mea, *æmulari in malignantibus*, &c. Psalm. 36. v. 1. & seqq. *Adhuc pusillum, & non erit peccator*, &c. v. 10. *Vidi impium superexaltatum*, &c. *transiui, & ecce non erat*, &c. v. 25. *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Psalm. 54. v. 24. *Diues sicut flos fœni transibit: exortus est enim sol*, &c. Iac. 1. v. 10. Quamdiu viuitis, quasi *dij estis, & filij Excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis.* Psalm. 81. v. 6. *Dirupta est terra* sub pedibus Core, Dathan, Abiron & Hon, *& aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descenderuntq; viui in infernum, operti humo.* Num. 16. v. 31. Sed filij Core, eò quòd parenti restiterint, intacti permanserunt, v. 33. & Numer. 26. v. 10.

Nónne idem hic videmus in nostro Epulone? *Vbi* nũc *sunt principes*, &c. Baruch. 3. v. 16. &c. *Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt.* v. 19. Interim mortuo diuite plaudunt amici, ignari flammarum & miseriarum illius, vt olim vxores Sisaræ, Iudic. v. 30. *Forsitan nunc diuidit spolia*, &c. *Verumtamen vniuersa vanitas omnis homo viuens. In imagine pertransit homo*, &c. *thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea.* Psalm. 38. v. 8. *Tabescere fecisti sicut aranearn.* v. 12. *Memoria vestra*, ô diuites, *comparabitur cineri, & redigentur in lutum ceruices vestræ.* Iob 13. v. 12. *Lætus impiorum breuis*: sed plagæ auarorum multæ, c. 20. v. 5. & seqq. & c. 24. v. 2. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Psal. 75. v. 6. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miserijs vestris, quæ aduenient vobis*, &c. Iac. 5. vsque v. 7.

Ecce qualibus nunc ferculis delicietur; qualibus sociis & congerronibus oblectetur Epulo. Eccli. 39. v. 33. *Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmauerunt tormenta sua.* Infernus occurrit gratulabundus. Isaiæ 14. v. 9. *Infernus subter conturbatus est in occursum*, &c. *Et tu vulneratus es sicut & nos, nostri similis effectus es.* v. 10. *Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum: subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* v. 11. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer?* &c. v. 12. vsque 15. *Ad infernum detraheris in profundum laci.* &c. *Numquid iste est vir qui conturbauit terram?* &c. v. 16. vsque 28. Iungatur iis in pœna, quibus iungi voluit in culpa. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & filiarum eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant.* Ezech. 16. v. 49. Adonibezec 70. reges cogit sub mensa sua micas colligere, præcisis manuum pedumque supremis digitis. Iudic. 1. v. 7. sed illi vicissim hæc præciduntur; &c. v. 6.

Leue tormentum Grauius excreuit in rebelles suos Dauid, cùm Ammonitas *ferrauit, & circumegit super eos ferrata carpenta, diuisitq; cultris, & traduxit in typo laterum.* 2. Reg. 12. v. 32. & 1. Paral. 20. v. 3. An leuiora putatis Epulonem subire tormenta? *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium.* Iob 24. v. 19. *Obliuiscatur eius misericordia: dulcedo illius vermes.* v. 29. Alias pœnas impiorum

piorum, vide Iob 27. vers. 13. vsque fin. vbi de bombyce verme, v. 18.

v. 24. *Pater Abraham miserere mei*] *Cùm clamauerit* (respondebo) *Liberent te congregati* (amasij olim) *tui. Et omnes eos auferet ventus, tollet aura.* Isaiæ 57 v. 13. Dum viuerent, *verterunt ad tergum, & non faciem; & in tempore afflictionis suæ dicent, Surge & libera nos.* Vbi sunt *dij tui, quos fecisti tibi? surgant & liberent te.* Ierem. 2. v. 27. & 28. Micam negasti Lazaro: iam guttulam aquæ tibi Lazarus denegabit. Sic Deus *deludet irrisores, & mansuetu dabit gratiam. Gloriam sapientes possidebunt: stultorum exaltatio, ignominia.* Prouerb. 3. v. 34. *Eleuans allisisti me.* Psal. 101. v. 11. Quòd si vir sanctissimus *Iob maledixit diei suo natali*, Iob 3. toto, cùm solis corporalibus morbis ad breue tempus torqueretur; quid putas facit Epulo in flammis infernalibus æternis? *Maledicta dies in qua natus sum*, &c. Ierem. 20. v. 14. vsque fin.

Plura huc spectantia, vide in feria II. post I. Dominicam Quadragesimæ.

Hic pro coronide dicamus cum Ecclesiastico: *Auser à me ventru concupiscentias*, &c. Eccli. 23. v. 6. procul stultas epulas, procul auaritiam. *Non in comessationibus*, &c. Rom. 13. v. 13. Et verò *quot sunt dies annorum vitæ meæ, vt ascendam cum rege in Ierusalem? Octogenarius sum hodie. Numquid vigent sensus mei ad discernendum suaue aut amarum? aut delectare potest seruum tuum cibus & potus? vel audire possum vltrà vocem cantorum atque cantatricum? Quare seruus tuus sit oneri domino meo regi?* 2. Reg. 19. vers. 34. &c.

VARIA.

Hæc de Epulone proposuit Iesus mense Decembri vltimo ante mortem suam. Chron. c. 49.

De *purpura & byßo*, vide Exod. 25. v. 4. *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi*, &c. quare. Prouerb. 30. v. 7. vsque 10.

FERIA SEXTA POST SECVNDAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Euangel. *Homo quidam erat paterfamilias.* Matth. 21. v. 33. vsque fin. cap.

FIDES.

Matt. 21. v. 33. *Paterfamilias plantauit vineam*, &c.] Similem parabolam habet Isaias c. 5. v. 1. & seqq. Quanta differentia Synagogæ, & Ecclesiæ Christi! Quæ tamen & ipsa comparatur vineæ, *Vinea fuit pacifico*, &c. Cant. 8. v. 11.

v. 37. *Nouissimè misit ad eos filium suum*] Messiam venisse, nec alium esse quàm Iesum, & hunc esse Dei naturalem Filium, docui contr. 4. n. 1. vsque 4.

v. 38. *Dixerunt, Hic est heres*] Ergo sciuerunt, Iesum esse Messiam, cui iure naturæ deberetur dominium vineæ. De quo contr. 4. n. 7. 9. & 17.

v. 41. *Malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis*] Ecclesia, etsi sancta, contr. 5. nu. 6. constat tamen multis membris non sanctis, n. 11. vsque 14.

v. 42. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*] Psal. 117. v. 22. Christus est lapis angularis, contr. 4. n. 11. & primarius in fundamentis Ecclesiæ. Sed Petrus ex Christi indulto assumptus est in lapidem secundarium, controu. 6. n. 5. & etiam reliqui Apostoli, Ephes. 2. v. 14. & 20. & Apoc. 21. v. 14.

v. 43. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius*] Quando id factum? *Iapheth* habitabit *in tabernaculis Sem.* Gen. 9. v. 27. *Maior seruiet minori.* Genes. 25. v. 23.

MORES.

Anima tua, ô homo, vinea Domini est, *Ego plantaui te vineam electam*, &c. Ierem. 2. v. 21. *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei*, id est, loco fortissimo & pinguissimo. Isaiæ 5. toto. Cur Ecclesia, cur anima *vinea* comparetur, Ezech. 15. v. 7. &c. Rursus c. 19. v. 10. vsque finem. De *horto concluso fonte signato*, & fructibus vineæ nostræ, &c. Cant. 4. v. 12. *Quæ habitas in hortis, fac me audire vocem tuam* cap. 8. v. 13. Caue, vineam hanc des hostibus Dei. *Propitius sit mihi Dominus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi.* 3. Regum 21. v. 3. Dolo & fraude illam occupabunt, nisi sedulò inuigiles. *Posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodiui.* Cant. 1. v. 5. exemplo Adami & Euæ, Gen. 2. & 3. & Eccli. 15. v. 14. *Qui melius est & dissolutus in opere suo, frater est sua opera dissipantis.* Prou. 19. v. 9. *Exterminauit eam aper de silua*, &c. Psalm. 79. v. 14. *Totum repleuerant vrtice.* Prouerb. 24. v. 30. *Exspectaui vt faceret vuas*, &c. Isa. 5. v. 4. *De vinea Sodomorum vinea eorum*, &c. Deut. 32. v. 32.

Et vnde hæc mala? Primò, ex diuini cultus neglectu. *Cùm prophetia* (religio) *defecerit, dissipabitur populus: qui verò custodit legem, beatus est.* Prou. 29. v. 18. Secundò, ex contemptu piorum monitorum, & inspirationum internarum. *Mittebat Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum nuntiorum suorum, de nocte consurgens, & quotidie commonens, eò quòd parceret populo & habitaculo suo. At illi subsannabant nuntios Dei, & illudebant Prophetis, donec*, &c. 2. Paral. vlt. v. 15. Tertiò, ex propriorum commodorum affectu & studio. *Facta est mihi hereditas mea quasi leo in silua*, &c. Ierem. 12. v. 8. Quartò, ex pastorum seu incuria, seu nequitia. *Pastores multi demoliti sunt vineam meam*, &c. vers. 10. Exprobrat Deus Synagogæ, & cuique animæ, suam ingratitudinem, Ezech. 16. toto. Nónne ergo meritò *reliqui domum meam?* &c. Ierem. 12. v. 7. *Relinquetur vobis domus vestra deserta.* Matt. 23. v. 38. *Abominatus est hereditatem suam.* Psalm. 105. v. 37. *Posuit vineam meam in desertum*, &c. Ioël 1. v. 7. Hostes mei *vineam Sabama* Domini exciderunt, &c. Isaiæ 16. vers. 8. vsque 9. *Et auferetur lætitia & exultatio de Carmelo, & in vineis non exultabit neque iubilabit: vinum in torcularibus non calcabit qui calcare consueuerat: vocem calcantium abstuli.*

VARIA.

Hanc parabolam proposuit Christus Ierosolymis quatriduo ante mortem suam. Chron. c. 49.

SABBATO POST SECVNDAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Euangel. *de Filio prodigo.* Lucæ 15. v. 11. vsque fin. cap.

FIDES.

Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et diuisit illis substantiam] Et Deus subministret impijs instrumenta peccandi, non est tamen causa peccatorum, contr. 12. nu. 8. vsque fin. Relinquit etiam vnumquemque libero suo arbitrio. contr. 13. tota. Luc. 15. v. 12.

Peregrè profectus in regionem longinquam, dissipauit ibi substantiam suam viuendo luxuriosè] Non quòd liberum arbitrium in peccatore non valeat nisi ad peccandum, contr. 14. n. 6. 7. 10. sed quòd nihil possit vtile ad salutem citra gratiã Dei, n. 8. & 9. Hinc *mortuus* dicitur hic v. 24. v. 13.

Adhæsit vni ciuium, qui *misit illum in villam suam, vt pasceret porcos. Et nemo illi dabat*, vt vel *de siliquis ventrem impleret*] O quàm miserabilis & infamis est occupatio mancipiorum diaboli! v. 15.

In se reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei v. 17.

abundant panibus! ego autem hic fame pereo] Initium conuersionis, agnitio proprię miserię, ex gratia Dei excitante, contr. 14. n. 3. & 4. Deinde spes diuinæ misericordiæ, & alia de quibus contr. 15. n. 9. & 10.

v. 18. *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui*, &c.] Auertendus animus à creaturis, & conuertendus ad Creatorem. Agnoscendæ & confitendæ culpæ, cum omni humilitate, contritione, emendandi & satisfaciendi proposito, contr. 23. tota. Neque hic sufficit sola fides, contr. 15. n. 7.

v. 19. *Iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis*] An hic infallibiliter sibi persuadet aut præsumit (vt nostri Nouantes,) se esse habendum vt filium, sibique deberi hereditatem? controu. 15. n. 12. vsque 17.

v. 20. *Cùm adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus, accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum*] Diuinæ misericordiæ ac gratiæ primas vbique tribuamus necessum, controu. 14. n. 3. vsque 6. Et quid formaliter iustificemur, contr. 15. n. 8.

v. 22. *Citò proferte stolam primam*] qua antè vtebatur. Reuiuiscunt enim merita per peccatum antè demortua. Cetera iustificati ornamenta, vide in comment.

v. 29. *Ecce tot annis seruio tibi, & numquam dedisti mihi hœdum vt cum amicis meis epularer*] Multis enim amicorum suorum potiùs aduersa immittit Deus in hac vita.

v. 31. *Fili, (numquid non ego tibi melior sum quàm decem,* quàm mille amici tui? 1. Reg. 1. v. 8.) *tu semper mecum es. Et omnia mea tua sunt.* Et in me habes omnia, cont. 1. n. 3. & 4.

MORES.

Lu. 15. v. 12. *Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit*] *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia sua.* Prou. 30. v. 18. &c. Summorum quandoque virorum filij perditissimi, vt ostendi Iudic. 17. vers. 1. in fine. & in filiis Samuelis, 1. Reg. 8. v. 3.

Sed vnde tanta nequitia in domo tam sanctorum parentum? *Quid est quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Ierem. 11. v. 15.

v. 18. *Peregrè profectus est in regionem longinquam*] procul à patre, procul à pietate, procul à Deo. Verũ quid dulcius patriâ? quid optatius parentum præsentiâ? Et cur putas vetuisse *Abraham* abduci Isaacum in Chaldæam? Genes. 24. v. 5. & 8. Cur Isaac prohibet filio suo Iacobo ne inde ducat vxorem? Genes. 28. v. 1. Et *quare apud me indiges, vt quæras ire ad terram alienam? nulla, sed obsecro te vt dimittas me.* 3. Reg. 11. v. 22. Manè mecum: &, si vis, *te assumã, & regnabis super omnia quæ desiderat anima tua.* v. 37.

Neque his omnibus dimouebor à sententia. *Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est*, &c. Thren. 1. v. 8. vsque fin. & c. 2. v. 13. vsque fin. & c. 3. 4. 5. totis. *Vadam & affluam delicijs, & fruar bonis*, &c. *ædificaui mihi domos*, &c. *possedi seruos & ancillas*, &c. *nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur.* Etsi apertè *vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.* Eccles. 2. v. 1. vsque 12. An non Adam filius prodigus? Genes. 3. & Esau pro vili pulmento? Gen. 25. v. 29. nónne Samson pro meretricula spoliatus viribus, excæcatus, incarceratus, molæ affixus? Iudic. 16. v. 17. *Ephraim factus est subcinericius panis, qui non reuersatur. Comederunt alieni robur eius, & ipse nescivit: sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit. Et factus est quasi columba seducta, non habens cor.* Osee 7. v. 8. 9. 11. Sed heus miseri: *Nescitis, quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam?* Et hactenus quidem *fuistis serui peccati.* Nónne tempus est vt *liberati à peccato, serui* fiatis *iustitiæ?* &c. Rom. 6. v. 17. vsque fin.

At meretrices iam possident cor & corpus. Fraudes & nequitiæ meretricis describuntur. Prou. 5. v. 2. vsque fin. & c. 6. v. 26. *Pretium enim scorti vix est vnius panis*, &c. vsque fin. Item c. 7. v. 6. vsque fin. In quàm fœda scelera labatur homo qui relinquit Deum, vide Roman. 1. v. 21. vsque fin.

Litteris & monitis patris rependit scommata & conuitia, plagis ac verberibus nuntios excipiens. *Multa mala operatus est Dauid contra populum suum Israel: erit igitur mihi seruus sempiternus*, inquit Achis 1. Reg. 27. v. vlt.

Quousque dissimulas ô Deus! *Imple facies eorum ignominia.* Psal. 82. v. 17. Iuni profanum caput, vt olim tuos Iudæos ad idola deflectentes statim tradebas tyrannis puniendos, Iudic. 3. v. 8. 12. &c. Non nisi *fame* cogente, tota *Ægypti terra* cessit Pharaoni, Gen. 47. v. 13. &c. Non nisi oppressi operibus & tyrannide clamarunt Hebræi ad Dominum, Exod. 2. v. 23. *Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei, & septem tempora mutentur super eum*, &c. Dan. 4. v. 13.

Et ecce tibi subito morbo prosternitur miser, & *separatur conuiuium eorum* (fornicantium:) *dilexerunt afferre ignominiam protectores eius.* Osee 4. v. 18. *Ligauit eum spiritus* (turbo diuinæ vindictæ) *in alis suis*, &c. v. 19. *Et qui paulò antè sidera cœli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare.* 2. Machab. 9. v. 10. Mox insultant, qui antè applaudebant. Morbo remittente, cùm exhaustis loculis soluendo non esset, à creditoribus in seruitutem abripitur. *Linguam quam non nouerat audiuit: manus eius in cophino seruierunt*, &c. Psal. 80. v. 6. & 7.

v. 55. *Misit illum in villam suam, vt pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat*] Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Sap. 11. v. 16. Non per vrsos aut leones semper punit Deus, &c. *sed sine his vno spiritu poterant occidi, persecutionem passi ab ipsis factis sunt*, id est, sola conscientia, &c. v. 18. vsque 22. *O quàm bonus & suauis est Domine spiritus tuus in omnibus! Ideoq; eos qui exerrant, partibus* (seu per partes) *corripis, admones, alloqueris, vt relicta malitia credant in te Domine.* Sap. 12. v. 1. & 2. *Sed* per *vestras*, &c. c. 12. v. 8. 24. & seqq. *Ego dedi vobis stuporem dentium, & indigentiam panum: percussi vos in vento vrente & in aurugine: misi in vos mortem, percussi in gladio: subuerti vos, sicut subuerti Sodomam & Gomorrham, & facti estis quasi torris raptus ab incendio, & non rediistis ad me. Quapropter hæc* (quæ eloqui horreo,) *faciam tibi Israel. Postquam autem hæc fecero tibi*, (si sapis) *præparare in occursum Dei tui Israel.* Amos 4. vers. 6. vsque fin. *Dabo vobis panem artum, & aquam breuem.* Isaiæ 30. v. 20. Factum bonum! *Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui.* Psalm. 114. vers. 3. *Inuenerunt me custodes, percusserunt me*, &c. Cant. 5. v. 7. *Si virga percusserit eum*, &c. Prou. 23. v. 13. *me consolata sunt*, &c. Psalm. 22. v. 4. *Meritò hæc patimur*, inquiebant fratres Iosephi, Genes. 42. v. 21. Ita Manasses, 2. Paral. 33. v. 12. Nabuchodonosor, Dan. 4. v. 31. Antiochus, 1. Machab. 6. v. 12.

Sed parum iuuant flagella, nisi accesserit cælestis gratia. *Instar gelu à frigido Aquilone concreti, cor peccatoris*, &c. *medicina omnium in festinatione nebulæ: & vos obuians ab ardore*, &c. Eccli. 43. v. 21. vsque 25. En promptus obuio: *Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam*, &c. Ierem. 2. v. 2. *Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Apoc. 3. v. 20.

Audi pulsantis voces. *Vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Psalm. 4. v. 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ*, &c. Ierem. 2. vers. 13.

Viæ eorum tenebræ & labricum, &c. Psal. 34. v. 6. *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos, dixit Dominus exercituum.* Zach. 1. v. 3. *Reuertimini ad me, & reuertar ad vos.* Malach. 3. v. 7. Reuertar, mi Domine, reuertar ad te.

v. 17. *In se autem reuersus, dixit: Quanti mercenarij, &c.*] *In quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus tristitiæ in qua nunc sum, qui iucundus eram & dilectus in potestate mea.* 1. Mach. 6. v. 11. *Et ecce pereo tristitia magna in terra aliena.* v. 13. Nec solas attendo præsentes miserias. Etiam *cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui*, &c. Psalm. 76. v. 6. vsque fin. *Quid sic attenuaris macie fili regis per singulos dies? cur non indicas mihi?* 2. Reg. 13. v. 4. *Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam, infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Psalm. 68. v. 2. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes*, &c. Psalm. 41. v. 4. &c. *Quæ priùs nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia, cibi mei sunt.* Iob 6. v. 7. *Quis mihi tribuat vt sim iuxta menses pristinos?* &c. Iob 29. v. 2. vsque 11. *In latere & luto lassantur* viles animi, &c. Exod. 1. v. 11. & 14. *Lassati sumus*, &c. Sap. 5. v. 7. *Tu fornicata es cum amatoribus multis. Tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te.* Ierem. 3. v. 1. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Ierem. 3. v. 3.

Nunc cùm lassaris flagris, tædet pristinæ stultitiæ. *Ergo saltem amodo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* Ierem. 3. v. 4. *Quia ego vir vester, & assumam vos.* v. 14. *Conuertimini filij reuertentes, & sanabo auersiones vestras.* v. 22. Olim *dixisti, desperaui.* Ier. 2. v. 25. *Recessimus, non veniemus vltrà ad te.* v. 31. *Numquid obliuiscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? Populus verò meus oblitus est mei diebus innumeris.* v. 32. *Fili, in infirmitate tua ne despicias teipsum, nec desperes, sed da locum medico*, &c. Eccli. 38. v. 9. *Qui cadit, non resurget?* Ierem. 8. v. 4. & 22. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius*, &c. ad Hebr. 4. v. 12. Semei maledicus impetrat veniam à Dauide, 2. Reg. 19. v. 19. Expende scelera & pœnitentiam Manassis, 4. Reg. 22. v. 10. & 2. Paral. 33. v. 12. Omnibus lapsis, sed pœnitentibus, promittitur venia & liberatio à miseriis quibusuis. Deut. 30. v. 1. *Fili peccasti? non adijcias iterum: sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur. Quasi à facie colubri, fuge peccata: & si accesseris ad illa, suscipient te. Dentes leonis, dentes eius, interficientes animas hominum. Quasi rhomphæa bis acuta, omnis iniquitas: plagæ eius non est sanitas.* Eccli. 21. vers. 1. vsque 5. nisi à cælesti medico. *Filioli mei, si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: & non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi.* 1. Ioan. 2. v. 1. &c. *Remittuntur vobis peccata propter nomen eius.* v. 12. *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à vijs suis, & viuat?* Ezech. 18. vers. 23. *Conuertimini, & agite pœnitentiam, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* v. 30. *Nolo mortem morientis: reuertimini & viuite.* v. 32. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Isaiæ 1. v. 18. *Propterea exspectat Dominus vt misereatur vestri*, &c. *Beati omnes qui exspectant eum*, &c. *Plorans nequaquam plorabis, miserans miserebitur tui: ad vocem clamoris tui statim vt audierit, respondebit tibi.* Isaiæ 30. v. 18. & 19. *Dabit quidem vobis ad tempus panem arctum, & aquam breuem: sed non faciet auolare à te vltrà doctorem tuum, post tergum te monentem, hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* v. 20. & 21. *Hinc igitur cœpit ex graui superbia deductus, ad agnitionem sui venire, diuina admonitus plaga: & cùm nec ipse iam fœtorem suum ferre posset, ita ait, Iustum est, subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* 2. Mach. 9. v. 11. vsque 13. *O viam viri in adolescentia sua!* &c. Prouerb. 30. v. 18. *Frater sui draconum, & socius struthionum.* Iob 30. v. 29. Capræ & ceruæ difficillimi partus, facilitantur herba cesali & tonitru, Iob 39. v. 1. vsque 4. Sic & tu, ô Deus, facilitasti partum meum, heu quàm serum! *Conturbata sunt ossa mea, & anima mea turbata est valdè*, &c. Psalm. 6. vers. 3. &c. *Postquam percussisti me, egi pœnitentiam.* Ieremiæ 31. v. 19 *Castigasti me, & eruditus sum*, &c. Ierem. 31. v. 18. vsque 23. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas, & conuersus viuificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me!* Psal. 70. v. 20. *Adhæsit pauimento anima mea.* Psalm. 118. v. 25. *Dormitauit anima mea præ tædio.* v. 28. *Factus sum sicut vter in pruina.* v. 83. *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* v. 61. *Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua.* v. 59. *Paratus sum*, &c. v. 60. *Priusquam humiliarer, ego deliqui.* vers. 67. *Bonum mihi quia humiliasti me.* v. 71. *Cognoui Domine quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliasti me.* v. 75. *Erraui sicut ouis quæ perijt: quære seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.* Psalm. 118. v. vlt. *De profundis clamaui ad te Domine*, &c. Psam. 129. toto.

Surgam & ibo ad patrem meum] *Ecce audiuimus quòd reges domus Israel clementes sunt: ponamus itaque saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris, & egrediamur ad regem Israel: forsitan saluabit animas nostras.* 3. Reg. 20. v. 31. *Viuat, oro te, anima mea. Si adhuc viuit, frater meus est. Ite & adducite eum ad me. Leuauit eum in currum suum*, &c. v. 32. *Ecce nos venimus ad te: tu enim es Dominus Deus noster.* Ierem. 3. v. 22. *Ecce coram te sumus, sed in delicto nostro*, id est, rei grauis criminis. *Neque stari potest coram te super hoc.* 1. Esdr. 6. v. vlt. v. 18.

Pater peccaui in cælum, & coram te, &c.] *Peccaui valdè in hoc facto: sed precor Domine, vt transferas iniquitatem serui tui, quia stultè egimus.* 2. Reg. 14. v. 10. *Etenim si peccauerimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam*, &c. Sap. 15. v. 2. *Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit: & videbit faciem eius in iubilo, & reddet homini iustitiam suam. Respiciet homines, & dicet, Peccaui, & verè deliqui, & vt eram dignus, non recepi* Iob 33. v. 26. *Delicta iuuentutis meæ & ignorantias ne memineris.* Psal. 24. v. 7. *Propter nomen tuum propitiaberis peccato meo, multum est enim.* v. 11. *Peccaui Domino* 2. Reg. 12. v. 13. (*Tibi soli peccaui.* Psal. 50. v. 6.) *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris. Amplius lauame ab iniquitate mea.* Psal. 50. v. 4. v. 11.

Pater ipsius accurrens, cecidit super collum eius, & osculatus est eum] Sicut Dauid Absalomum, 2. Reg. 14. v. vltim. non sicut Ioab Abnerum, 2. Reg. 3. v. 27. & Amasam cap. 20. v. 9. & Iudas Christum, Matth. 26. v. 49. Sed vt sponsus sponsam: *Osculetur me osculo oris sui.* Cant. 1. v. 1. *Deleui vt nubem iniquitates tuas*, &c. Isa. 44. v. 22. *Quantum distat Ortus ab Occidente*, &c. Psalm. 102. v. 12. *Vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Rom. 5. v. 20. v. 20.

Citò proferte stolam primam, &c.] Puella alienigena iungenda marito Iudæo, quænam præstare cogebatur, vide Deut. 21. v. 12. v. 22.

Adducite vitulum saginatum, & epulemur] Ioseph aduentantibus *fratribus* iubet instrui *conuiuium*, Genes. 43. v. 16. Quàm miris modis pellexerit ad se Beniaminum, quem timebat non æquè carum ipsis, vide ibid. & c. 44. structis etiam ipsi calumniis, v. 2. 17. &c. *Adducite eum ad me, & ponam oculos meos super illum*, v. 21. Conuertentibus se cum Ezechia ad Deum per pœnitentiam, *sol retrocedit ad decem lineas*, id est, redduntur pristina merita & gratia, 4. Reg. 20. v. 9. *Et reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus & rubigo & eruca. Fortitudo mea magna, quam misi in vos.* Ioel 2. v. 25. *Leproso mundato* reddebantur pristinus vigor, color, odor & vita, Leuit. 14. v. 4. *Post finem dierum oculos meos ad cælum leuaui, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui & glorificaui.* Dan. 4. v. 31. *Et ad honorem regni*

regni mei, decoremq; perueni; & optimates mei & magistratus mei requisierunt me, & in regno meo restitutus sum, & magnificentia amplior addita est mihi. v. 33.

v. 29. In tantum honoratur à patre, vt frater senior quasi inuidus palàm obmurmuret, Memineris & murmuris contra innocentem Miphiboseth. *Quare non venisti mecum Miphibosebt?* 2. Reg. 19. v. 25. Quid verò ipse? *Etiam cuncta accipiat Siba* (proditor,) *postquam reuersus est dominus meus rex pacifice in domum suam.* v. 30.

v. 13. Sed pro filio respondet pater. *Oportebat epulari & gaudere, quia frater tuus reuixit*] *Ego quasi nutricius Ephraim, portabam eos in brachiis meis*, &c. Oseæ 12. v. 3. *Et sicut gallina pullos suos* &c. Matt. 23. v. 37. Velis, nolis. *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium. Qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum: misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul, quem amoui à facie mea* 2. Reg. 7. v. 14. *Oliuam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocauit Dominus nomen tuum.* Ierem. c. 11. v. 16. *Crescite & multiplicare in millia.* Gen. 11. v. 60.

Quos putas hic iubilos edidit filius sic redijuuus? *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*, &c. *quia eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Psal. 85 v. 12. *Nisi quia Dominus adiuuit me, paulò minùs habitasset in inferno anima mea.* Ps. 93. v. 17. *Duxit me de lacu miseriæ & de luto fæcis*, &c. Psal. 39. v. 3. *Domine eduxisti ab inferno animam meam.* &c. Ps. 29. v. 4. Totus Psalmus est Eucharisticus pro cõuersione. *Et quis ego sum Domine Deus*, &c. 2. Reg. 7. v. 18. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus.* 1. Ioan. 3. v. 1. *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem & transis peccatum?* &c. *Non immittet vltrà furorem suum, quoniam volens misericordiam est. Proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra* Michææ 7. v. 18. & 19. *Gratias Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ: in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum*, &c. Coloss. 1. v. 12.

VARIA.

Hanc parabolam de prodigo dixit Iesus vltimo mense Decembri ante mortem suam. Chron. c. 49.

DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMÆ.

Euangel. *De Dæmonio muto*, &c. Lucæ 11. à 14. ad 29.

FIDES.

Lu. 11. v. 14. *Dæmonium mutum*] Matthæus c. 12. v. 22. dicit etiam *cæcum* fuisse. Miseriæ ex Adami peccato suboriæ, contr. 11. n. 1. vsque 5. Non ergo Deus causa est cæcitatis hominum, &c. sed diabolus, &c. contr. 12. n. 8. vsque fin.

v. 15. *In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* v. 20. *In digito Dei eijcio dæmonia*] Qui & vnde dæmones? Gen. 1. v. 1. An inter illos sit prælatio, & inferiores superioribus obediant? S. Thom. 1. p. q. 109. a. 2. Quanta dæmonum potestas, Iob 40. & 41. Miracula quæ fiunt in Ecclesia, non possunt præstigiis dæmonum adscribi, contr. 5. nu. 6. Signo crucis & aliis cæremoniis Ecclesiæ vim inesse pellendi dæmones, contr. 18. n. 12. 13. 14. Qua ratione *fumus* exusti *iecoris* vel *cordis* piscis extricet omne genus dæmoniorum, vide Tob. 6 v. 8.

v. 17. *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur*] Vnitas, signum veræ Ecclesiæ Christi, cont. 5. n. 5.

v. 23. *Qui non est mecum, contra me est*] Omnes debent esse in ouili, id est Ecclesia Christi, qui volunt salui fieri, controu. 5. n. 1. Omnes debent subiici Vicario Christi & Pastori ouilis, contr. 6. n. 5. &c.

Immundus spiritus ambulat per loca inaquosa] Vide Tobiæ 8. v. 3. & Matth. 12. v. 43. v. 24.

Reuertar in domum meam vnde exiui] Iustitiam posse deperdi, contr. 15. n. 17.

Beatus venter qui te portauit] Quid ni & nos beatam prædicemus, & similibus vocibus extollamus Deiparam, & alios cælites? contr. 30. n. 7. 8. & 9. v. 27.

Quinimo etiàm *beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.*] Nam & ipsa quoque Deipara ex eo beatior fuit quòd mente Christum, quàm quòd ventre conceperit, & cooperata sit. Nam non sufficit credere, oportet & cooperari, contr. 15. n. 7. & 23. v. 28.

MORES.

Dæmonium mutum, & Matth. 12. v. 22. etiam *cæcum.* Quàm miseremur cæci, surdi, muti! Misereamur multò magis animæ, quæ peccatum excæcauit, & surdam fecit & mutam, Isaiæ 2. v. 19. *Quis cæcus nisi seruus meus?* &c. Quanta diaboli tyrannis in animas! Orationis & compunctionis spiritum extinguit: peccati persuadet silentium, vel mutilam balbamq; ac confessionem: conscientiæ stimulos obtundit. Lu. 11. v. 14.

Quæ peccata potissimùm merentur possessionem à dæmone? Primò, apostasia, vel blasphemia, de qua S. Iudas in sua epistola, & 2. Petr. 2. passim. Secundò Sacramentorum abusus, Actor. 8. v. 20. & c. 19. v. 16. Tertiò vehemens inuidia, ira, vel similis alia voluntaria animi perturbatio. *Spiritus Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam, à Domino.* 1. Reg. 16. v. 14. *Ecce spiritus Dei malus exagitat te. Prouidete mihi aliquem bene psallentem*, vers. 17. Quartò, effræni libido, 1. Corinth. 5. v. 5. Quintò, imprecationes & diræ parentum: vt fortè contigit in illo lunatico, Matt. 9. v. 20. Sextò, innocentum proditio. Ioan. 13. v. 27. *Post buccellam introiuit Satanas in Iudam.*

Cùm eiecisset dæmonium, locutus est mutus] *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die.* Psalm. 31. v. 3. *Dixi, Confitebor*, &c. *& tu remisisti impietatem peccati mei.* v. 5. *Sonet vox tua in auribus meis.* Cantic. 2. v. 14. *Si abscondi*, &c. Iob 31. v. 3. *Delictum meum cognitum tibi feci.* Psal. 31. v. 5. *Tibi soli peccaui*, &c. Psal. 50. v. 5. *Pater peccaui*, &c. Lucæ 14. v. 27. *Fili da gloriam Deo, & confitere*, &c. Ios. 7. v. 19. *Sicut vitta coccinea labia tua*, &c. Cant. 4. v. 3. *Fauus distillans.* v. 11. Hic age de effectibus & fructibus nobilissimis confessionis.

In Beelzebub eijcit dæmonia] De Beelzebub, vide Iudic. 2. v. 13. & 4. Reg. 1. v. 3. Nullum opus præclarum, quod non traducat inuidia. Execrare magiam, diuinationes, auguria, auspicia, incantationes, maleficia. Ex quo *Saul erasit magos & hariolos de terra*, 1. Reg. 28. v. 9. non legitur amplius à dæmone infestatus fuisse. v. 15.

Quanta hominum inuidorum cæcitas! quanta hæreticorum miracula eleuantium nequitia! *Excæca cor populi huius*, &c. Isaiæ 5. v. 9. vsque 12. q. d. Inhiatis aduentui Messiæ: sed cùm aderit, noletis recipere.

Ipse autem dixit] Ad tantas blasphemias quàm mansueta responsio! (de qua vide in Dominica Passionis.) v. 17.

Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur] Concordiâ res paruæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur: exemplo sagittarum Scythæ illius, cuius meminit Plutarchus in Apophthegm. *Turris Babel ex confusione linguarum dissipata.* Gen. 11. v. 7.

In digito Dei eijcio dæmonia] Bellum Christo & Ecclesiæ Dei cum idolis iam inde ab initio mundi Disceptationem Dei cum idolis quoad diuinitatem, vide Isaiæ 41. v. 21. vsque fin. & c. 44. v. 7. vsque fin. Vbi & de imbecillitate atque impotentia eorumdem, vt & Baruch c. 6. toto. Sicut Filius *brachium* est Patris, Exod. 6. v. 6. sic Spiritus sanctus est *digitus*, à corpore & brachio procedens, inquit S. Hieron. v. 20.

S. Hieron. in Isaiæ 52. Sic olim aiebant magi Pharaonis, *Digitus Dei est hic.* Exod. 8. v. 19. Vbi vide cur *culices* producere magi non potuerint, qui etiam *dracones* produxerant. Pugna nobis perpetua contra inuasores vineæ nobis commissæ, de qua Feria 6. hebdomadæ secundæ Quadragesimæ *Numquid custos fratris mei sum ego?* Gen. 4 v. 9. Primò, pro *fide* tuenda. *Certa bonum certamen fidei*, &c. 1. Timoth. 6. v. 12. Secundò pro *unitate & charitate* fouenda, Coloss. 3. v. 14. *Non sit iurgium inter me & te*, &c. Gen. 13. v. 3. Tertiò, pro *iustitia & lege* Domini. *Nec tu times Deum*, &c. Lucæ 23. v. 40. Sed omnium maximè pro *castitate* tutanda 1. Pet. 5. v. 8. *Tamquam leo rugiens circuit*, &c. De *Asmodæo* vide Tob. 3. v. 8. vbi de *curru luxuriæ*. &c. 8. v. 3. vbi ablegatur *Asmodæus* in *desertum* Thebaidos. *Da mihi animas, cetera tolle tibi.* Genes. 14. v. 21. Hæ sunt gemmæ quas quærit Satan. *Nemrod* primus à diluuio *venator hominum.* Genes. 10. v. 8. Lucifer primus ab orbe condito venator animarum. Gen. 3. v. 1. &c. Vnde bellum *Domini erit* nobis *contra* diabolicos *Amalecitas*, carnem & mundum, *in generatione & generationem.* Exo. 17. v. 14. Cum his *Amalecitis nulla* sancienda *pax*, Exod. 17. v. 14. & hi Chananæi fugandi vel excidendi: alioquin, &c. Numer. 33. v. 55.

v. 23. *Qui non est mecum*, &c.] *Numquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo?* inquit Iehu ad Ionadab. 4. Reg. 50. v. 15. *Si est, da manum tuam.* Est; & do manum. *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* Iob 17. v. 3. Displicet Deo opis impiorum inuocatio vel confœderatio vel consociatio armorum cum impiis, exemplo Asæ, 2. Paral. 16. v. 7. & Iosaphat, c. 19. v. 2. *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitiâ iungeris.* Item c. 20. v. vltim. *Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæq; sunt naues*, &c. Simile habes in *Achaz* c. 28. v. 16. & Isa. 7. v. 17. *Non quæratis pacem eorum & prosperitatem.* 1. Esdr. 9. v. 12. Sic Iudæi noluerunt iuuari à *Samaritanis* in restaurando templo Domini, 1. Esdr. 4. v. 3.

v. 25. *Fortiùs armatus*, (magna dæmonis potentia, Iob 40. & 41. sed maior malitia & inuidia:) *custodit atrium suum*] Et nobis nostrum custodiendum. Dormiente *ostiaria* dormiens confoditur rex *Isboseth*, 2. Reg. 4. v. 5. Vnde aduersus hostiles incursus *Salomon omnes vicos, qui ad se pertinebant, munuit*, &c. 3. Reg. 9. v. 19. *Gedeon*, cæsis 120. millibus bellatorum, *percussit* 300. viris reliqua *castra Madian* (in quibus adhuc 15. millia) *qui securi erant, & nihil aduersi suspicabantur.* Iudic. 8. v. 10. & 11.

Sed en alias millenas nocendi & fallendi artes. *Balaam* cùm maledicendo non posset nocere Israeli, pessimo fornicandi *consilio* nocuit illi, Num. 24. v. 14. *Simulatione fugæ* capta *Hai*, Ios. 8. v. 4. &c. Dolis & *mendaciis Gabaonitarum* delusi Israelitæ, Ios. 9. v. 3. *Astutia Iahel* occisus *Sisara. Intra ad me domine mi intra, ne timeas. Aperuit vtrem lactis & dedit ei bibere, & operuit eum.* Iudic. 4. vers. 18. *Dabo filiam meam Michol Dauidi vxorem, vt fiat ei in scandalum, & sit super eum manus Philisthinorum.* 1. Reg. 18. v. 21. *Simulando stultitiam* euasit *Dauid.* 1. Reg. 18. v. 13. *Abner* dum *incautiùs credit* reuocanti *Ioabo*, mortem incurrit, 2. Reg. 3. v. 27. Summus populi dux *Ionathas* dum nimis facilè obsequitur perfido *Tryphoni*, 1. Mach. 12. v. 46. capitur & occiditur. *Fragmine molæ* excerebratur *Abimelech.* Iudic. 9. v. 53.

Sed & transfugis non facilè fidendum. Iudith 6. v. 19.

Nocuit quoque non explorasse hostium consilia & conatus. *Nesciant & ignorent Iudæi* (inquiunt Samaritani) *donec veniamus in medium eorum, & interficiamus eos, & cessare faciamus opus.* 2. Esdr. 4. v. 11. Sed contra hos opportunè *ædificantium vnusquisque gladio erat accinctus renes* v. 18. Notandæ etiam *insidiæ illorum & doli quibus Nehemiam conabantur præpedire.* cap. 6. toto. Quàm fœdè *Antiochus* rex Asiæ *cecidit in templo* Nanææ, *consilio deceptus sacerdotum* profanæ deæ, &c. 2. Mach. 1. v. 13. vsque 17.

Maximè autem fallit hostis simulando pacem.

In pace sunt omnia quæ possidet] Et prætextu pacis tollit vsum & tractationem armorum. Et hoc consilio, *Philisthæi & Nabuchodonosor* vetant *cudi arma* in Iudæa 1. Reg. 13. v. 3. & 19. & 22. Verùm infelix impiorum pax! vbi nullus conscientiæ clamor, nullus cælestis tubæ clangor, nulla prælia, nulla aduersa. Apage, qui hæreticorum & viuentium & morientium pacem securitatem, quæ deprædicant.

Si autem fortior illo superueniat] O, quantò Christus potentior omnibus hostibus infernalibus! quantò & quàm iustus potentior! *Ciuitatem fortium ascendit sapiens, & destruxit robur fiduciæ eius.* Prou. 21. v. 22.

Vniuersa arma eius tollit] etiam peccati occasiones & instrumenta. Et insuper instruit nos armis necessariis ad resistendum. *Galea salutis*, &c. Ephes. 6. v. 13. &c. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium*, &c. Psal. 143. v. 1. & 2. Nec tamen spoliat solùm armis hunc fortem Christus, sed alligat etiam eumdem, teste Marco c. 3. v. 27. Vnde latrare potest ligatus canis; mordere, nisi accedentem, non potest. Sic vxor *Putiphar*is, id est, concupiscentia, infida marito suo, nempe rationi, inuitare & allicere potest Iosephum, id est, spiritum, sed cogere non potest ad scelus, Genes. 39. v. 12. *Sola funda prævalet Dauid Goliatho.* 1. Reg. 17. v. 49. *Tu venis ad me cum gladio & hasta & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum.* 1. Reg. 17. v. 45. Si tam facilè gigantes quadruplices olim debellati, Deut. 2. v. 10. quantò facilius reliqui hostes debellabuntur? Porrò in Iudithæ typum habes animæ de omnibus hostibus suis triumphabundæ. Præfat in lib. Iudith.

Reuertar in domum meam vnde exiui] Nec vmquam credas, otium tibi & ab hoste immunitatem fore in hac vita. Ex quo cœpit Israel ad libertatem aspirare, grauiùs afflixit eum Pharao, Exod. 5. v. 3. &c. *Præbuisti ei gladium vt occideret nos.* v. 21. Caue metuas. *Ecce quasi aquila ascendet* (Idumæa) *& auolabit, & expandet alas suas super Bosram: & erit cor fortium Idumææ in die illa, quasi cor mulieris parturientis.* Ierem. 49. v. 22. v. 14.

Assumit septem alios spiritus secum, nequiores se: & ingressi habitant ibi] Quale istud cor? *Requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus: & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi: & respondebunt ibi ululæ in ædibus eius, & Sirenes in delubris voluptatis.* Isa. 13. v. 21. Quare Chananæi aliqui relicti in Chanaanitide pro stimulo Israeli? Num. 33. v. 55. Hi sunt aduersarij, sunt passiones prauæ. *Disperdite cunctos habitatores terræ illius.* v. 52. *Sin nolueritis interficere, erunt vobis quasi clauus in oculis, & lanceæ in lateribus*, &c. v. 55. Vestra socordia crescent, vestra ignauia inualescent, & vos in seruitutem, in ruinam, in exitium abripient. v. 15.

Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus] Apostatantium schema Hebræi post tot accepta beneficia toties tam grauiter murmurantes contra Dominum Chronici c. 19. *Vtinam mortui essemus in Ægypto, super ollas carnium*, &c. Exod. 16. v. 3. Sed quis exitus?

VARIA.

Dixit hæc Christus initio Iulij, anno secundo suæ prædicationis Chron. c. 49.

De falsis diis Gentilium, vide Sap. 13. v. 2. & c. 14. v. 15. De origine idololatriæ. c. 14. v. 15. De obscuris sacrificiis, c. 14. v. 23. De adoratis crocodilis & serpentibus, c. 15. v. 18. De Apolline & Adonide, Ezech. 8. v. 14.

FERIA SECVNDA POST TERTIAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Euangel. *Quanta audiuimus facta in Capharnaum?* Lucæ 4. v. 23. vsque 31.

FIDES.

Lu. 4. v. 23. *Medice cura teipsum*] Hoc meritò inculcandum ministris Sacramentorum, si quando, vt physicè possunt (controu. 18. n. 5.) deuient à pietate, vel recta fide.

v. 25. *Multæ viduæ erant*, &c. & tamen v. 26. *ad nullam illarum missus est Elias, nisi ad* vnam *in Sareptæ Sidoniæ*] Etsi enim Deus gratias gratùm facientes nulli deneget ex parte sua, contr. 14. n. 10. vsque 14. imò in his sit admodum liberalis, n. 16. & 17. tamen in gratiis non gratum facientibus, sed gratis tantùm datis, contr. 14. n. 2. parcus esse solet, nec nisi in publicum Ecclesiæ bonum concedere consueuit.

v. 30. *Ipse autem transiens per medium illorum, ibat*] Non erat hic locus, non erat hæc hora mortis eius. De dote subtilitatis, & aliis corporum glorioſorum, vide controu. 30. num. 5.

MORES.

Luc. 4. v. 23. *Quanta facta in Capharnaum? fac & hic in patria tua*] Mundus spectat consanguinitatem, affinitatem, diuitias, gratias & talenta externa, Christus merita & virtutes singulorum. Luc. 8. v. 21. *Mater mea & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt & faciunt.* Nulla nobilitas apud Deum præter virtutem Psalm. 28. v. 5. *Confringet Dominus cedros Libani.* Ierem. 22. v. 24. *Si fuerit Iechonias rex annulus in manu dextera mea, inde euellam eum*, &c. Iustis etsi paupertimis, *paratum regnum à constitutione mundi*, Matt. 25. v. 34. *Pietas ad omnia vtilis est*, &c. 1. Tim. 4. v. 8.

v. 29. *Eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt vsque ad supercilium montis, vt præcipitarent eum*] Nónne mirum. Nazaretanos, apud quos conceptus & enutritus fuit Christus, tam ingratos & inhumanos in ipsum fuisse? *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Sap. 2. v. 24. Hæc euertit *Abelum*, Gen. 4. v. 8. afflixit *Ioſephum*, Gen. 37. v. 11. &c. *Dauidem.* 1. Reg. 18. v. 8.

Voluerunt eum præcipitare] Vtique peiores Herode, qui deneganti miracula solum illusit, Lucæ 23. v. 11. Imò peiores diabolo, Matth. 4. v. 6. qui solùm suasit præcipitium. At Nazaretani de facto præcipitare conantur; Quare? 3. Reg. 23. v. 8. *Ego odi eum, quia non prophetauit mihi bonum.* Isaiæ 30. v. 10. *Nolite videre nobis ea quæ recta sunt. Loquimini nobis placentia: videte nobis errores.* 2. Timoth. 4. v. 3. *Coacernabunt sibi magistros, prurientes auribus.* Prou. 15. v. 12. *Non amat pestilens, eum qui se corripit.*

Mare. 6. v. 5. *Non poterat ibi virtutem vllam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit: & mirabatur propter incredulitatem eorum*] O si habuissent fidem viduæ Sareptanæ! 3. Regum 17. v. 15. vel saltem Naamani Syri! 4. Regum 5. v. 14. *Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem serui sui? Qui ambulauit in tenebris, & non est lumen ei; speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum.* Isaiæ 50. v. 10. *Quoniam in me sperauit, liberabo eum*, &c. Psalm. 90. v. 14.

VARIA.

Contigerunt hæc sub initium secundi anni prædicationis Christi, Chron. c. 49.

Quomodo Elias & etiam Eliseus non ediderint miracula apud suos, sed solùm apud exteros, vide in comment.

FERIA TERTIA POST TERTIAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Euangel. *Si peccauerit in te frater tuus.* Matth. 18. v. 15. vsque 23.

FIDES.

Corripe eum inter te & ipsum solum] De ordine hic seruando, vide comment. Quàm obliget correptio fraterna, & quanti meriti sit hæc spiritualis eleëmosyna, vide contr. 17. n. 12. & 13. Matt. 18. v. 15.

Dic Ecclesiæ] Non toti congregationi fidelium, sed Pastori seu capiti congregationis. v. 17.

Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus] Publicè excommunicati desinunt esse membra Ecclesiæ, contr. 5. n. 1. & 10. De infallibili sententia Pontificis Romani, & Concilij Ecclesiæ, vide contr. 6. n. 16. & contr. 7. n. 5.

Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, &c.] Vide Matt. 16. v. 19. vbi de potestate clauium. De tribunali pœnitentiæ, contr. 23. tota. v. 18.

Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo] Quæ conditiones requirantur, vt sit infallibilis impetratio, dixi controu. 17. n. 3. v. 19.

Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum] Quis ergo dubitet de auctoritate integri Concilij? contr. 7. n. 5. v. 20.

Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septuagies septies] si toties pœnituerit. Sicut enim nullum est peccatum irremissibile, controu. 23. n. 5. ita nulli vnquam pœnitenti venia deneganda: licet pœnæ inflictio non semper sit omittenda. v. 21.

MORES.

Primùm, præscribitur fraterna correptio: *Si peccauerit in te frater tuus*, &c. Ita nempe charitas exigit. Eccli. 19. v. 13. *Corripe amicum, corripe proximum; ne fortè non intellexerit: aut*, si intelligit, *ne fortè iueret.* c. 17. v. 12. *Vnicuique Deus mandauit de proximo suo.* Vnde pro summo malo habendum, si quis peccans ab amico non corripiatur. *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum*, &c. Psalm. 8. v. 13. *Quos amo, arguo & castigo.* Apoc. 3. v. 19. *Corripe proximum antequam commineris*, &c. Eccli. 19. v. 17. *Beatus qui corripitur à Deo*, &c. Iob 5. v. 17. *Ego percutiam, & ego sanabo*, &c. Deut. 32. v. 39. Reddita Iobo *omnia duplicia*, &c. Iob 42. v. 10. *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* Prou. 27. v. 6. *Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine.* Ierem. 48. v. 10. *Si quis est Domini, iungatur mecum; ponat vir gladium super femur suum, & occidat vnusquisque fratrem suum.* Exod. 32. v. 26. & 27. *Si videris asinum proximi tui* (quantò magis, si ipsum proximum tuum?) *iacentem sub onere, non pertransibis.* Exod. 23. v. 5. *sed subleuabis cum eo.* Ierem. 1. v. 10. *Ego constitui te super gentes & regna, vt euellas & dissipes, ædifices & plantes.* Et hoc requirit munus veri Pastoris, Dominica secunda post Pascha. Sed adsit semper discretio & lenitas. Psalm. 140. v. 5. *Corripiet me iustus in misericordia.* &c. Isboseth dum imprudentiùs corripit Abnerem, regno exuitur, 2. Reg. 3. v. 8. Quantò prudentiùs differt Ioabi correptionem Dauid, 3. Reg. 2. v. 5. Matt. 18. v. 15.

Fructus inde consequens, Matth. 18. v. 15. *Lucratus eris fratrem tuum.* Psal. 102. v. 3. *Sanat omnes infirmitates tuas: redimit de interitu vitam tuam*, &c. Sicut qui *Ioanni.* Simonis filio denuntiabat structas ipsi *insidias*, 1. Machab. vlt. v. 21. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum*, etiam propriorum. Iac. 5. v. 20. Et hic est secun- Ibid.

dus fructus. Tertius, exhilarat Deum & angelos. Lucæ 15.v.7. *Gaudium erit in cælo super vno*,&c.

Secundum quod hic præscribitur, est confessio & absolutio pœnitentis proximi. *Omne iudicium* quod *Pater dedit Filio*, Ioan. 5. v. 22. Filius hic dat Apostolis suis. Eccli. 4. v. 31. *Non confundaris confiteri peccata tua*: sed *ne subijcias te omni homini propeccato*. Illi soli te subiice, qui nouit, instar periti medici, te curare. Eccli. 6. vers. 6. *Consiliarius sit tibi vnus de mille*. in huius sinum Thren. 2. v. 19. *effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini*.

Tertium est, orationis modus, de quo controu. 17. nu. 1. 2. 3. &c.

VARIA.

Dicta hęc sub initium Septembris anni tertij prędicationis Christi. Chron. c. 49.

Quo iure in quibusdam Religionibus, omissâ priuatâ correptione iubeatur delictum fratris immediatè ad Superiorem deferri, vide in comment.

FERIA QVARTA POST TERTIAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Euangel. *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones?* Matth. 15. v. 1. vsque 21.

FIDES.

Matt. 15. v. 3. *Quare transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?*] Non reprehendi, sed commendari à Scriptura traditiones diuinas & Apostolicas, & quantum hę differant à traditionibus humanis & Iudaicis, vide contr. 2. nu. 18. *Interroga generationem pristinam, & diligenter inuestiga patrum memoriam, & ipsi docebunt te.* Iob 8. v. 8.

v. 9. *Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata* non Dei, sed *hominum* Deo aduersantium. Vnde non reprehendit hic præcepta Ecclesię, vel principum, quę sunt Dei præcepta, per vicarios eius pronuntiata. Id de legibus Pontificis & Conciliorum, patet ex contr. 6. n. 14. & controu. 7. n. 5. de legibus verò principum politicorum, contr. 10. n. 3. de omnibus generaliter, contr. 17. n. 9.

v. 11. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem*] De delectu ciborum, contr. 17. n. 10.

v. 13. *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur*] Actor. 5. v. 38. *Si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissoluetur.* Hoc meritò adaptes stabiliendo canoni librorum S. Scripturę, contr. 2. nu. 3. præcepto confessionis Sacramentalis, controu. 23. n. 7. & aliis mysteriis Ecclesię ac traditionibus Apostolicis.

v. 17. *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur*] Sed non emittitur corpus Christi, quod est in Eucharistia, vt ostendi in comment.

MORES.

Matt. 15. v. 3. Præ omnibus Scribæ *irritum* faciebant quartum præceptum Decalogi de parentibus honorandis.

Munus ex me, tibi proderit] *Quomodo dicitis, sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est? verè mendacium operatus est stylus mendax Scribarum*, Ierem. 8. v. 8. *Verbum enim Domini proiecerunt, & sapientia nulla est in eis.* v. 9. *A minimo vsque ad maximum omnes auaritiam sequuntur.* v. 10. *Et sanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam, dicentes, Pax, pax, cùm non esset pax.* v. 11. *Seducunt populum meum, mordent dentibus suis, & prædicant pacem: & si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium. Propterea occumbet sol super Prophetas* (tales,) *& obtenebrabitur super illos dies.* Michææ 3. v. 5. &c. *Ne addas quidquam verbis illius, & arguaris inueniarisq; mendax.* Prouerb. 30. vers. 5.

De ingentibus diuitiis sacerdotum, vide Num. 18. v. 8. vt mirum sit, potuisse illos ad tantas sordes delabi. *Ad vos ô sacerdotes, qui despicitis nomen meum.* &c. Malach. 1. v. 6. *Offertis super altare meum panem pollutum*, &c. v. 7. *Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò? non est mihi voluntas in vobis.* v. 10. *Vos polluistis nomen meum magnum, in eo quòd dicitis, Mensa Domini contaminata est, accepta est: & quod superponitur, contemptibile est, cum igne qui illud deuorat.* vers. 12. *Et dixistis, Ecce de labore, & exsufflastis illud, & intulistis de rapina claudum & languidum, & intulistis munus.* vers. 13. *Maledictus dolosus*, &c. *quia rex magnus ego, & nomen meum horribile in Gentibus.* v. 14. (apud quos) *omni loco offertur* (mihi) *oblatio munda*, &c. v. 11. Certè numquam proderunt vobis sic extortæ opes. *Qui ædificat domum suam impendijs alienis, quasi qui colligit lapides suos in hiemę*, &c. Eccli. 21. vers. 9. usque 12.

Nec placent Deo tales victimæ. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Eccli. 34. v. 24. *Panis egentium, vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est.* v. 25. *Ego Dominus diligens iudicium; & odio habens rapinam in holocausto*, Isa. 61. v. 8. *Qui* (è vobis) *immolat bouem, quasi qui interficiat virum* (sic horrori est mihi:) *qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem*, &c. Isa. 66. v. 3. vsque v. 5. *Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mistum est aqua* (futilium traditionum) Isa. 1. v. 22. *Conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum.* v. 25. *Eò quòd appropinquat populus iste, ore suo & labijs suis glorificat me, cor autem eius longè est à me, & timuerunt me mandato hominum & doctrinis; ideo ecce ego addam vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo: peribit enim sapientia à sapientibus eius* &c. Isa. 29. v. 13. & 14. *Et audient surdi verba libri, & oculi cæcorum videbunt*, &c. *& pauperes in sancto Israel exultabunt*, v. 18. & 19. *Nonne conuertetur Libanus in Charmel, & Charmel in saltum reputabitur?* v. 17. *Qui maledicit patri suo & matri, extinguetur lucerna eius in medijs tenebris.* Prou. 20. v. 20. *Qui subtrahit aliquid à patre suo & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.* c. 28. v. 24. Hæc est *vna* è quatuor *pessimæ generationibus*, c. 30. v. 11. vsque 15. *Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* v. 17. *Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam*, &c. Eccli. 3. à v. 1. vsque 19. vbi habes 13. argumenta pro honorandis parentibus.

Sed hac occasione moneantur parentes, ne sua, dum adhuc viuunt & egent, omnia filiis largiantur, & pòst cogantur ex illorum manibus victitare. *Filio & muliori, fratri & amico ne des potestatem super te in vita tua, & ne dederis alij possessionem tuam*, &c. *dum adhuc superes & aspiras*, &c. *Melius est enim vt filij tui te rogent, quàm te respicere in manus filiorum tuorum.* Eccli. 33. v. 20. *In die consummationis dierum vitæ tuæ, & in tempore exitus tui distribue hereditatem tuam.* v. 24.

Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones vestras] v. 6. Primum, manuum lotione putatis ablui peccata, vel certè vos excusari à peccato, vt postea etiam Pilatus, Matth. 27. v. 24. *Innocens ego sum à sanguine iusti huius.* O quot palliis tegimus, quot peluibus detergere nitimur nos nostras sordes? Psalm. 140. v. 4. *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* Prouerb. 30. v. 12. *Generatio quæ sibi munda videtur, & non est lota à sordibus suis.* Eccli. 34 v. 4. *Ab immundo quid mundabitur?* Matth. 23. vers 27. *Sepulchra dealbata, exterius speciosa, intus plena ossibus* & omni spurcitia. Ierem. 2. vers. 22. *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam borith,*

maculata es in iniquitate tua.

Secundum, solis externis cęremoniis inhæretis, neglecto Dei cultu interno. *Hæc enim oportuit facere, & illa non omittere.* Matth. 23. v. 23. *Si nolueritis audire & ponere super cor, vt detis gloriam nomini meo, ecce ego proijciam vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum, stercus solemnitatum vestrarum.* Malach. 2. v. 1. &c. *Omnis gloria eius filiæ regis, ab intus,* &c. Psalm. 44. v. 14. Qualis illa sit regina, depingitur v. 10. & seqq.

Tertium, innumeros abusus amplectimini, quasi licitos, honestos & laude dignos. v. g. de odio & vindicta inimicorum, Matth. 5. v. 43. de primo loco in mensis & cathedris, Lucæ 14. v. 7. de splendido vestitu & luxu, Matth. 23. v. 5. de ludis & palæstra, *Ita vt iam sacerdotes non circa altaris officia dediti essent, sed contempto templo, & sacrificijs neglectis, festinarent participes fieri palæstræ, & præbitionis eius iniustæ, & in exercitijs disci*, &c. Machab. 4. v. 14. &c. O quàm luberet hîc exclamare in multò plures & grauiores abusus hodiernos, quibus læditur mandatum Dei propter vanas mundi traditiones & leges! de duellis, de aleis, de symposiis, de scurrilitatibus, de fœnore, de pauperum oppressione, stipendiorum dilatione, &c.

v. 8. *Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè est à me*] Psal. 77. v. 37. *Cor eorum non erat rectum.* Pro corde hominis tota est concertatio inter Deum & dæmonem. Prouerb. 23. v. 26. *Fili mi præbe cor tuum mihi.* Matth. 22. v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo*, &c. Sic dæmon Ioan. 13. v. 2. misit *in cor, vt traderet eum Iudæ.* Lucæ 8. v. 12. *Diabolus tollit verbum de corde eorum.* Et licet cum superbo Aman, Esther 5. v. 13. omnia alia hominis haberet, quamdiu cor non habet, *nihil* se *habere* reputaret. Vnde meritò Prou. 4. v. 23. *Omni custodia serua cor tuum, quia ab ipso vita procedit.* Psalm. 50. v. 12. *Cor mundum crea in me Deus.* In illo *nolite locum dare diabolo.* Ephes. 4. v. 27. Vide Dominica tertia in Quadragesimæ. *Saluator ponetur in ea murus & antemurale.* Isaiæ 26. vers. 1. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel*, &c. Cant. 3. v. 7. Sicut tabernaculum in deserto ambiebant vndique castra Israelitarum, Num. 2. v. 2. Excludantur hostes, præuertantur insidiæ, arceantur proditores. *Via tua*, Ierem. 4. v. 18. *& cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi.* vers. 14. *Laua à malitia cor tuum, Ierusalem, vt salua sis. Vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?*

v. 11. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem*] Cur olim in antiqua lege à quibusdam vt *immundis* abstinere iussi sint Iudæi, Leuit. 11. v. 39. Duplicis generis *immundi cibi*, Deut. 12. v. 15. Iam verò in lege noua, *quæ Deus mundauit, tu ne commune dixeris. Surge Petre, occide & manduca.* Act. 10. v. 13. & c. 11. v. 7. *Nihil commune, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est.* Rom. 14. v. 14. vsque fin. *Non est enim regnum Dei esca & potus: sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto.* v. 17. *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam*, &c. 1. Cor. 10. v. 25. vsque fin. *Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* 1. Tim. 4. v. 4. *Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinata sunt eorum & mens & conscientia.* Tit. 1. v. 15.

VARIA.

Contigerunt hæc sub medium Aprilis, anni tertij prędicationis Christi. Chron. c. 49.

Hydriæ semper in conuiuiis Iudæorum aqua plenæ. ad omnia vtensilia sæpe purificanda, in comment.

De aqua lustrationis, vide Num. 8. v. 7. & c. 19 v. 2.

FERIA QVARTA POST TERTIAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Euangel. *Surgens Iesus è Synagoga, introiuit in domum Simonis.* Lucæ 4. v. 38. vsque fin. cap.

FIDES.

Luc. 4. v. 38. *Socrus Simonis*] Iam Petrus reliquerat vxorem suam, bonâ illius veniâ, si adhuc erat superstes. Matth. 19. v. 27. *Ecce nos reliquimus omnia*: etiam v. 29. *vxorem.* De cælibatu clericorum, controu. 8 n. 9. vsque 12. & 1. Corinth. 9. v. 5.

Rogauerunt illum pro ea] Orant & Sancti in cælis pro nobis, & nostri curam gerunt, contr. 30. num. 8. Vnde & meritò à nobis honorandi & inuocandi, nu. 7. & 9. Vbi & de modo quo norunt quæ aguntur in terris.

v. 24. *Exibant dæmonia à multis*] De exorcismis, & aliis cęremoniis Ecclesiæ, quibus vtitur aduersus dęmones & veneficia, vide contr. 18. n. 12. vsque fin.

Increpans non sinebat ea loqui, vel euulgare, *ipsum esse Christum*] Causam dixi Matth. 16. v. 20. Veritatis & salutis nostræ iurato hosti, quantumcumque vera dicenti, vel bona suadenti, numquam auscultandum. Venenum in cauda, & anguis in herba latet.

MORES.

Miseriæ morbi & peccati describuntur. Psalmo 37. v. 3. vsque 14. *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*, &c. Ne dixeris, ô æger, *Dereliquit me Dominus, & oblitus est mei. Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego non obliuiscar tui.* Isaiæ 49. v. 14. &c.

Morbos immittit Primò, ad maius meritum electorum. 2. Corinth. 4. v. 17. *Momentaneum & leue tribulationis nostræ*, &c. Roman. 8. v. 18. *Non sunt condignæ passiones*, &c. Psalm. 89. v. 15. *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti*, &c. Secundò, *ne magnitudo reuelationum extollat me*, &c. 2. Cor. 12. v. 7. *Bonum mihi quia humiliasti me*, &c. Psalm. 118. v. 71. Tertiò, vt in hac vita purgentur & satisfaciant pro peccatis suis. *Ego, quos amo, arguo & castigo.* Apoc. 3. v. 19. *Ne deficias cùm à Domino corriperis. Quem enim diligit Dominus corripit, & quasi pater in filio complacet sibi.* Prouerb. 3. v. 11. Quartò, vt impij ad sanam mentem reuocentur. *Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet.* Osee 2. v. 6. *Sumam frumentum meum, & vinum, & lanam & linum meum*, &c. *& cessare faciam omne gaudium eius*, &c. *& corrumpam vineam & ficum eius.* &c. v. 9. vsque 13. *In tribulatione sua manè consurgent ad me. Venite & reuertamur ad Dominum, quia ipse cepit, & sanabit nos: percutiet, & curabit nos.* Osee 6. v. 1. &c. *Ecce ego mittam eam in in lectum: & qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam egerint*, &c. Apocal. 2. v. 22. Plura de his vide Dominica III. post Pascha. *Pœnitemini* ergo peccatores, & *patientes estote*, &c. Iac. 5. v. 7. vsque 12. *Adhuc manus eius extenta*, &c. Isaiæ 9. v. 17. *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris dum ab eo argueris*, &c. Prou. 3. v. 11. & Hebr. 12. v. 5. usque 12.

Sed quid si ne quidem flagellis corrigatur peccator? Isaiæ 1. v. 5. *Super quo percutiam vos vltrà? Requiescet indignatio mea in te: & auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius.* Ezech. 16. v. 42.

Conuertamur ad Dominum, & acceleremus ad thronum misericordiæ eius. *Quia ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras, disperdere paruulos de foris, iuuenes de plateis.* Ierem. 9. v. 21. *Væ mihi super contritione mea, pessima plaga mea. Ego autem dixi: Planè hæc infirmitas mea est* (mea culpa contracta) & ideo *portabo illam*,

Ierem.

Ierem.10.v.19.quamdiu Deo visum fuerit. *Castigasti me, & eruditus sum, quasi iuuencus indomitus. Conuerte me, & conuertar, quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam; & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ,* &c. Ierem. 31. v. 18. vsque 23.

Quod de morbis dixi, volo & de alijs omnibus plagis intellectum. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* Amos 3. v. 6. *Scio Domine quia non est hominis via eius, nec viri est vt ambulet, & dirigat gressus suos.* Ierem. 10.v.23. *Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me.* v.24.

Interea libens, imò, si possim, gaudens, *iram Domini portabo, quoniam peccaui ei, donec educet me in lucem.* Michææ 7.v.9. *Dominus lux mea est.* v. 8. *Confitebor tibi Domine quoniam iratus es mihi.* Isaiæ 12. v. 1. Verùm *numquid resina non est in Galaad? aut medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* Ierem. 8. v. vlt.

Id sæpe fit defectu instructionis vel opis exterræ.

Lu. 4. v.38. *Rogauerunt illum pro ea*] *Increpat* hominem *Deus per dolorem in lectulo,* &c. *Si fuerit pro eo angelus loquens,* &c. *miserebitur eius.* Iob 33.v.19. vsque 31. Vnde & Apostoli ipsi deposcunt fidelium preces. *Obsecro vos fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem sancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Rom.15.v.30. *Dixit, vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, vt auerteret iram eius.* Psalm.105.v.23. *Stetit Phinees, & placauit, & cessauit quassatio.* v. 30. *Onia sacerdoti gratias age,* (ô Holiodore) *nam propter eum Dominus tibi vitam donauit: tu autem à Deo flagellatus; nuntia omnibus magnalia Dei & potestatem.* 2. Machab. 3. v. 33.

Sed non sufficient alienæ preces, nisi & tu tollas peccata tua per pœnitentiam. *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum: eijce illos à facie mea,* &c. Ierem. 15.v.1. &c. Caue, differas morbi curationem, ne desparata fiat febris hectica, vt Ioramo regi contigit 2. Paral. 21.v.19. *Cùm diei succederet dies, & temporum spatia voluerentur, duorum annorum expletus est circulus: & sic longa consumptus tabe, ita vt egereret etiam viscera sua,* &c. Iob 19.v.20. *Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum,* &c.

VARIA.

Curata est socrus Petri sub medium Februarij, anni secundi prædicationis Christi. Chron. c. 49.

Socrum Petri fuisse Salomen, vxorem Zebedæi, quinam senserint, & alia eò spectantia, vide in comment. Quod nomen vxori Petri, &c. ibid.

FERIA SEXTA POST TERTIAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Euangel. *de Samaritana.* Ioan. 4. v. 5. vsque 43.

FIDES.

Ioa.4. v.6. *Iesus fatigatus ex itinere, sedebat,* &c.] Etsi enim esset verus Deus, erat nihilominùs etiam verus homo, & carne constabat simili nostræ, miserijs humanis obnoxia, contr. 4. n. 3. & 4. exceptis morbis, peccatis, & ignorantiâ, num. 12. & 13.

v.10. *Si scires donum Dei, & quis* quantusque sit, *qui dicit tibi, Da mihi bibere; tu petisses ab eo* bibere, *& dedisset tibi aquam viuam*] Si etiam Gentiles, præuenti, vel nondum præuenti, à Deo gratiis excitantibus, contr. 14. n. 3. facerent quod in se est, paulatim peruenirent ad fidem, ad iustitiam, ad salutem, n. 12. & seqq.

Omnis qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aternum ex indigentia vel defectu: *sed fiet in eo fons aquæ* perenniter in anima *salientis* vsque *in vitam æternam*] Cur Spiritus sanctus vocetur aqua, & aqua viua, & quomodo sitim animæ plenè restinguat & saliat è sinu, & in sinum Dei, vide comment. v. 10. 13. & 14.

Venit hora, quando neque in monte hoc Garizim, *neque in* templo *Ierosolymis adorabitis Patrem*: sed per orbem vniuersum, iuxta prophetiam Malachiæ 1. v. 11. substituto sacrificio nouæ legis Eucharistico in locum sacrificiorum veteris legis, controu. 22. nu. 4. & 5. Item *adorabitis* Deum, non tantùm vt est essentia vnus, sed etiam vt est *Pater & Filius & Spiritus sanctus*, controu. 3. n. 1.

v.22. *Salus ex Iudæis est*] quia ipsis à Deo traditæ sunt Scripturæ, quæ continent verbum Dei, contr. 2. n. 3.

v.24. *Spiritus est Deus*] contr. 1. n. 2. & 3.

Et eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare] Id est, non in falsitate, (vt vos Samaritani:) neque nudis corporeis sacrificiis & cæremoniis (vt Iudæi:) sed vero & spirituali sacrificio ac cultu, partim interno, fidei, spei, charitatis; partim externo, sacrificio Eucharistico, controu. 22. n. 5. & 6.

v.26. *Ego sum* Messias, *qui loquor tecum*] Quibus argumentis probetur, Iesum esse Messiam, vide cont. 4. n. 2.

v.32. & 34. *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius*] Quàm sunt aliæ deliciæ filiorum Dei & filiorum huius sæculi!

v.36. *Qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam*] De merito, contr. 16. n. 1. & seqq.

MORES.

Vnde nomen *Samariæ*, 3. Reg. 16. v. 24. Vnde conflatus ille populus, 4. Reg. 17. v. 24. *Non est gens, sed stultum populus.* Eccli. 50. v. 27. & 28. Ioan. 4. v. 4.

Da mihi bibere] 1. Ioan. 4. v. 10. *Ille prior dilexit nos.* Ioan. 15. v. 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Sap. 6. vers. 14. *Præoccupat eos qui se concupiscunt, vt se illis prior ostendat.* Ipse tamen non indiget. Psal. 15. v. 2. *Bonorum meorum non eges.* Iob 22. v. 3. *Quid* enim *prodest Deo, si iustus fueris? aut quid ei confers, si immaculata fuerit vita tua?* Sed petit à te, vt *reddat* tibi *gratiam pro gratia,* Ioan. 1. v. 16. sicut Isaac Genes. 27. v. 4. *Affer mihi* cibum de venatione tua, *vt benedicat tibi anima mea.* Matth. 25. v. 42. *Sitiui, & non dedistis mihi bibere.* Et cum clamarem Ioan. 19. v. 28. *Sitio*; potastis me aceto.

Non coutuntur Iudæi Samaritanis] Vt *Ægyptiis illicitum erat comedere cum Hebræis*, Genes. 43. v. 32. ita Iudæis vetabatur commercium cum Samaritanis. 2. Esdr. 2. v. vlt. *Vobis non est pars, & iustitia, & memoria in Ierusalem.*

Accedebat, quòd mulier hæc esset fornicaria. Eccli. 9. v. 10. *Omnis mulier fornicaria quasi stercus in via* à pertranseuntibus *conculcabitur.*

Et tamen hanc deperit Christus, longè nobiliora munera ipsi conferens, quàm olim Salomou reginæ Sabæ. *Venit regina Saba ad Salomonem.* 3. Reg. 10. v. 1. *Verus est sermo quem audiui,* &c. v. 6. *Beati viri tui, & beati serui tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* v. 8.

v.10. *Si scires donum Dei.* &c.] De fructibus & donis Spiritus sancti, vide Dominicam Pentecostes in Euang. *Fluuius aquæ viuæ*, Apoc. 22. v. 1. *Fons signatus, puteus aquarum viuentium.* Cant. 4. v. 12. *Ascendat puteus,* &c. Num. 1. v. 17. *Flumina aquæ viuæ,* &c. Ioan. 7. v. 38. *Fons sapientiæ verbum Dei,* &c. Eccli. 2. v. 5. & c. 24. v. 40. *Aqua munda,* &c. Ezech. 36. v. 25. *Fons patens,* &c. Zach. 13. v. 1. Fons paradisi Gen. 2. v. 8. *Fons paruus creuit.* &c. Esther 10. v. 6. *Lætificat ciuitatem Dei,* Psal. 45. v. 5. Fructus aquæ viuæ, Isa. 35. v. 1. & 6. &c. Aquæ *piscinæ Probaticæ*, Ioan. 5. v. 4.

Delitiæ

Deliciæ cælestis mannæ, Exod. 16. v. 14. Sed non est datum *manna* nisi deficiente post 30. dies farina Ægypti. Et iterum defecit, cùm frugibus terræ Chanaan vesci cœperunt. Iosue 5. v. 12. Num. 20. v. 6. *Aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ, vt satiati, cesset murmuratio eorum.* Isa. 12. v. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris. Omnes sitientes venite ad aquas*, &c. Isa. 55. v. 1. vsque 4. *Venite, emite absque argento*, &c. *Obstupescite cæli super hoc*, &c. *Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ & foderunt sibi cisternas; cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Ierem. 2. v. 12. & 13. *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam? & quid tibi cum via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis?* v. 18. *Scito & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te.* v. 19. *A sæculo confregisti iugum meum*, &c. v. 20. *Omnes qui te derelinquunt, confundentur: recedentes à te, in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum.* Ierem. 17. v. 13. *Numquid non meliores sunt fluuij Damasci omnibus aquis Israel?* 4. Reg. v. 11. *Gustate & videte*, &c. Psal. 33 v. 9. & Sap. 12. v. 10. *O quàm bonus & suauis est Domine spiritus tuus! Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine* &c. Psalm. 30. v. 20. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*, &c. Psalm. 45. v. 5. *Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum*, &c. Psal. 1. v. 3.

VARIA.

Colloquium cum Samaritana contigit sub initium Ianuarij, anni secundi prædicationis Christi, recèns ab incarceratione Ioannis Baptistæ. Chron. cap. 49.

De templo montis Garizim vide Chron. c. 39. in Philometore & c. 42. classe secunda in Manasse, & Eccli. 50. v. 28. & 2. Eldr. vlt. v. 28.

Cur extra templum Ierosolymitanum non licuerit sacrificare, vide Leuit. 17. v. 3. Neque iam extra Ecclesiam Christi.

Cur tot externis sacrificiis & cæremoniis in antiqua lege coli voluerit Deus, vide in præfat. Leuitici: & sacrificium Eucharisticum complecti in se vno virtutem & energiam omnium sacrificiorum veteris legis, Leuit. 1. v. 2. & contr. 22. n. 8.

SABBATO POST TERTIAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Euangel. *de Muliere in adulterio deprehensa.* Ioan. 8. v. 1. vsque 12.

FIDES.

Iesus inclinans se deorsum, digito scribebat in terram] Ioan. 8. v. 6. Phil. 2. v. 6. *Cùm in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens*, &c. *Digito*, id est Spiritu sancto, peregit in terra, quæcumque peregit. Lucæ 11. v. 20 *In digito Dei eiicio. damonia.*

Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat] v. 7. Reos plecti posse ac debere, controu. 10. num. 4. & 6.

Nemo te condemnauit? Nec ego te condemnabo] v. 11. Licere Christianis iudicia exercere, contr. 1. n. 1. & 4.

Vade, & iam amplius noli peccare] Iustitiam amitti posse, contr. 15. n. 17.

MORES.

Producite Thamar vt comburatur. Genes. 38. v. 24 Sententiam hanc fert Iudas in nurum suam. En rigorem legis veteris. Quin & ipse Deus Gen. 6. v. 6. *tactus dolore cordis intrinsecus*: *Delebo* (inquit) *hominem quem creaui, de superficie terræ.* Sed in lege gratiæ, ô Deus, *Mirifica misericordias tuas qui saluos facis sperantes in te.* Psalm. 16. v. 7. Ostende *diuitias gloriæ tuæ in vasa misericordiæ.* Roman. 9. v. 23. *Scio enim quia tu Deus clemens & misericors es, & patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia.* Ionæ 4. v. 2. Et verò operit Deus peccata hominum, quoad possest. 3. Reg. 15. v. 5. Auertit *faciem* suam, &c. Psal. 50. v. 11. *Quare respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio instiorem se?* Habac. 1. v. 13. Remittit *septuagies septies.* Matt. 18. v. 22.

Statim reconciliatur etiam maximis peccatoribus. 3. Reg. 21. v. 29. *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Non inducam in diebus eius mala.* Sententiam vltionis, nisi cogatur, ferè recusat. *Nec ego te condemnabo.* Ioan. 8. v. 11. Et dum cogitur punire, punit citrà condignum, etiam in inferno Ezech. 16 v. 43. *Nõ fecit adhuc iuxta scelera tua*, &c. Denique ne puniar, mortem ipsemet subiit pro nobis. Ioan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum*, &c. *Absalom fili mi, fili mi Absalom?* 2. Regum 18. v. 33. *quis mihi tribuat vt ego moriar pro te?* Ezech. 18. v. 22. *Omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.*

Digito scribebat in terra] Nempe significare voluit, accusatores hos ex numero eorum esse de quibus Ierem. 17. v. 13. *Recedentes à te in terra scribentur.* Neque enim amore iustitiæ illa in accusabant, cum ipsi longè grauiora crimina (de quibus Feria quarta præterita, admitterent. sed cacozelia, & vt Christo insidias struerent. Ierem. 22. v. 29. *Terra, terra, terra, scribe virum istum sterilem*, &c. Ierem. 3. v. 1. *Tu autem*, ô anima mea, *fornicata es cum amatoribus multis. Tamen reuertere ad me, dicit Dominus.* Vide caput 16. Ezech. totum. Isaiæ 62. v. 5. *Gaudebit sponsus super sponsam: & gaudebit super te Deus tuus.* Ioan. 8. v. 6.

VARIA.

Contigerunt hæc Ierosolymis, die septima mensis Octobris, anni tertij prædicationis Christi. Chron. cap. 49.

Modus detegendi adulterij per aquas maledictionis, Num. 5. v. 12.

DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMÆ.

Euangel: *de Panibus multiplicatis.* Ioan. 6. à v. 1. ad 16.

FIDES.

Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat. v. 14. *Hic est verè Propheta qui venturus est in mundum*] Inter alias veræ Ecclesiæ notas, etiam sunt miracula. contr. 5. n. 6. Et ex his signis probè collegerunt, Iesum esse Messiam. contr. 4 n. 2. Ioan. 6. v. 2.

Vnde ememus panes, vt manducent hi?] Remedia humana, quamdiu adsunt, adhibenda & tentanda. v. 5.

Hoc autem dicebat, tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus.] Sed differt superna auxilia, vt nostram probet constantiam, fiduciam, & alias virtutes. v. 6.

Accepit Iesus panes, & cùm gratias egisset] Matt. 14. v. 19. *aspiciens in cælum, benedixit & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem turbis.* Credimus hanc panum multiplicationem solo nutu Christi factam, & non credemus dicenti, *Hoc est corpus meum?* controu. 21. nu. 2. *Benedixit* autem, sed qua cæremonia? an signo crucis? controu. 18. num. 12. v. 11.

Cùm cognouisset quia venturi essent vt raperent eum, & facerent regem, fugit, &c.] Ergo non vult agnosci Messias, *Regnum meum non est de hoc mundo.* Ioan. 18. v. 36.

MORES.

MORES.

Ioan. 6. v. 1. & 2. *Trans mare sequebatur eum multitudo magna*] Vbi iam studium pœnitentiæ ? hoc tamen mare nobis enauigandum, si Christo propinqua e volumus. Vbi iam fames verbi Dei, etiam cum damno rei temporalis? Sed numquam destituet diuina prouidentia eos, qui vt Deum sequantur, sui curam abiiciunt.

v. 5. *Dixit ad Philippum*] Non erubescas, alios etiam imperitiores consulere.

Vnde ememus panes?] Necessitati suorum succurrit Deus, non semper voluptati. *Egeni & pauperes quærunt aquas, & non sunt: lingua eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Israel non derelinquam eos. Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum: dabo in solitudine cedrum & spinam & myrtum & lignum oliuæ: ponam in deserto abietem, vlmum & buxum simul.* Isa. 41. v. 17. vsque 20. *Et lætabor super eis, cùm bene eis fecero.* Ierem. 32. v. 41. *Non in solo pane viuit homo*, &c. Deut. 8. v. 3. & Exodi 16. v. 12. supra 3. milliones hominum pascuntur cælesti manna totis 40. annis.

Noli tua imbecillitate metiri diuinam omnipotentiam, cui *non erit impossibile omne verbum*, Luc. 1. v. 37. *Vespere comedetis carnes & manè saturabimini panibus.* Exod. 16. v. 12. *Corui* pascunt *Eliam*, & *vidua Sareptæ*, 3. Reg. 17. v. 6. & 14. inops & paupercula. *Quis præparat coruo escam, quando pulli eius clamant ad Deum, vagantes, eò quòd non habeant cibos?* Iob 38. v. 41. *Non est inopia timentibus eum, sed diuites eguerunt*, &c. Psalm. 33. v. 10. &c. *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.* Psalm. 36. v. 25. *Oculi omnium in te sperant Domine: & tu das escam illorum in tempore opportuno.* Psal. 144. v. 15. & 16. *Adipe frumenti satiat te. Dat niuem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit*, &c. Psalm. 147. v. 3. vsque fin. Quin & olim 20. panibus cibat *Eliseus* 100. viros, *Comedent & superabit.* 4. Regum 4. v. 42. Et protritis à Sennacheribo omnibus segetibus, alit nihilominùs Iudæos Deus, 4. Regum 19. v. 24. *Crescite & multiplicamini.* Gen. 1. v. 22. & 28. quod repetit iterum post diluuium, Genes. 9. v. 1. *Centenario Abrahamo* natus demum heres, Genes. 15. & 17. *Ismael* in deserto miraculosè protectus à Deo, Gen. 16. 17. & 21. *Loth* è Sodomis eductus, Gen. 19. *Isaac* subtractus gladio patris, Gen. 22. v. 2. 7. 11. 14. *Iacob* euasit manus Esau, Gen. 33. v. 4. & Labani, Gen. 31. v. 24. *Ioseph* morti toties subtractus Gen. 37. v. 27. c. 39. v. 30. c. 41. v. 40. item Moyses, Dauid, Tobias, Susanna, Daniel, Mardochæus, Machabæi, &c.

Vel nunc saltem fide Deo tot exemplis edoctus. *In Domino confido.* Psal. 10. v. 1. *In te Domine speraui, non confundar in æternum* Psal. 30. v. 1. *Trahe me; post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Cant. 1. v. 3. *Meliora sunt vbera tua vino.* vers. 1. *Introduxit me rex in cellaria sua.* vers. 3. Nolim tamen mihi opprobrari quod olim Capharnaitis: *Quæritis me quia manducastis ex panibus*, Ioan. 6. vers. 26. Te volo propter te, & non propter sola dona tua.

Matt. 14. v. 15. & 16. Verùm Domine *dimitte turbas, vt euntes in* vicina *castella, emant sibi escas. Non habent necesse ire: date vos illis manducare*] Lauda hospitalitatem Abrahæ, Gen. 18. v. 2. Loth, Gen. 19. v. 2.

Sed non adsunt nisi *quinque panes.* Ne dubita, elargire. Multiplicabit Deus panes, etiam in centuplum.

Ioa. 6 v. 10. *Facite homines discumbere*] *Et ita fecerunt*, Luc. 9. v. 14. Nimirum, cùm quis animi sui sensum aperuit, in ceteris diuino nutui ex Superiorum suorum consilio acquiescat. Iussit turbas discumbere super fœnum, secundùm contubernia quinquagenos, &c. In ordinem te redigi patiaris, & diuinis te legibus conforma: & frueris ope cælesti. Sed & ea epuli leges. Primò, modestiam, *super fœnum*; Secundò, ordinem, *quinquagenos* & per *contubernia*; Tertiò, temperantiam, *panes* apponuntur *& pisces*; Quartò, libertatem, *quantum volebant*: nemo cogebatur. Esther 1. v. 8. *Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum.*

v. 12. *Colligite fragmenta*, non tantùm vt sua sit miraculo fides, sed & *ne pereant*] Prodigalitas vitanda, quæ varia secum vitia trahit, ambitionem, superbiam, gulam, luxuriam, furta, rapinas, vel saltem munerum corruptelas.

v. 13. *Impleuerunt duodecim cophino*] An non ergo eleëmosyna (quod S. Chrysost. ait) ars est quæstuosissima?

v. 15. *Fugit in montem*] Vana gloria semper quidem vt tinea omnibus fugienda, sed iis potissimùm qui recenti adhuc & superstite præclari operis memoria, ab aliis suspiciuntur.

VARIA.

Hæc panum multiplicatio facta fuit vltima Martij, Feria VI. tertio anno prædicationis Christi. Chron. cap. 49. Et facta iuxta montem *Hermon*, Psalm. 88. v. 13.

Duodecim panibus propositionis testabantur 12. tribus Israel, se continuò ali à Deo, Exod. 25. v. 30. Sicut *candelabro aureo* septiramo designabant diuinam circa omnia prouidentiam, v. 31.

FERIA SECVNDA POST QVARTAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Euangel. *Prope erat Pascha.* Ioan. 2. vers. 13. vsque fin. cap.

FIDES.

Ioan. 6. vers. 30. *Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis*] Signis probanda missio cùm quis se dicit missum immediatè à Deo, vid. contr. 8. n. 2.

v. 19. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* v. 21. *Ille autem dicebat de templo corporis sui*] Neque imperat, sed prædicit illos sic facturos.

v. 23. *Multi crediderunt in nomine eius, videntes signa quæ faciebat*] Quid ni omnes Iudæi & hæretici & Mahometani se iungunt fidei & Ecclesiæ Christi, tot miraculis illustri? contr. 5. n. 6.

v. 25. *Ipse sciebat quid esset in homine.* v. 24. *Eò quòd ipse nosset omnes*] Contr. 4. n. 13.

MORES.

Ioan. 8. v. 3. *Cùm feciset quasi flagellum de funiculis* quod apud propolas istos inuenit. Psalm. 138. vers. 3. *Semitam meam & funiculum meum inuestigasti* id est studia, conatus & omnes gyrationes meas. Psal. 98. v. 8. *Vleiscens in omnes adinuentiones eorum.* Vnde Isaiæ 5. v. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculo vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.* Nam Prou. 1. v. 31. *Comedent fructus viæ suæ, suisq; consilijs saturabuntur.* Psalm. 31. v. 10. *Multa flagella peccatoru.*

v. 11. *Auferte istà hinc*] Quantillum terræ spatium Deus sibi suoque cultui reseruat! cùm *Domini* sit *terra & plenitudo eius.* Psalm. 23. v. 1. Et tamen quàm auarè tribuit illud homo Deo! Lucæ 19. v. 46. *Fecistis* domum meam *speluncam latronum.* Amos 2. v. 8. *Super vestimenta pignorata accubuerunt iuxta omne altare, & vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui.* 1. Cor. 11. v. 22. *Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis?*

v. 17. *Zelus domus tuæ comedit me*] *Accendetur velut ignis zelus tuus.* Psalm. 78. vers. 5. *Indutus est vestibus zeli vt, operti-*

tui est

pertus est quasi pallio zeli, indutus est iustitia vt lorica, galea salutis in capite eius. Isaiæ 59.v.17.

De officio iusti iudicis, vide Iob 36.v.18.vsque 23.& 2.Paralip.19.v.6.Nec dissimulandum in apertis sceleribus. Omnia *idola*,& etiam *inaures idolorum*, defodit Iacob in terra,Gen.35.v.2.& 4. Vitulum aureum contriuit Moyses vsque ad puluerem,Exod.32. v. 20. Et licet ipse Num.12.v.3. *Mitissimus esset super omnes homines qui morabantur in terra*:tamen Exod.32.v.27.præcipit Leuitis : *Occidat vnusquisque fratrem & amicum & proximum suum* idololatram.

v. 21. *Dicebat de templo corporis sui*] Quomodo corpus Christi dicatur templum,dixi Exod.26. v.1. in fine. Sed & nostrum corpus templum est Dei.1.Cor.6.v.19. *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis habitat,& non estis vestri?*

VARIA.

Hæc prima vendentium è templo expulsio contigit in Paschate primi anni prædicationis Christi. Chronic. cap.49.

Quomodo 46. annis ædificatum fuerit templum Herodianum, & quando illi exspirarint, vide in comment.

FERIA TERTIA POST QVARTAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Euangel.*Iam die festo mediante*,Ioan.7. vers.14. ferè vsque 32.

FIDES.

Ioa.7. v.15. *Quomodo hic litteras scit,cùm non didicerit ?*] *Non cognoui litteraturam;introibo in potentias Domini*,&c.Psalm.70. v. 15. & seq. Infusa Christi animæ omnigena scientia, contr.4.n.13.Et per communicationem idiomatum diuinorum erat Christus omniscius, n.9.

v.16. *Mea doctrina non est mea,sed eius qui misit me*] Vnà cum natura diuina, etiam omnem scientiam & doctrinam haurit Filius continuò à Patre,contr.3.n.2.

v.19. *Nemo ex vobis facit legem*] Non ob illius impossibilitatem,controu.14.num.16. sed ob vestram malitiam.nu. 7.8.15.

v. 22. *Propterea in sabbato* licitè *circumciditis hominem*,vt animam eius expediatis à peccato originali. Cur ergo *mihi indignamini quia totum hominem*, tam secundùm corpus, quàm secundùm animam,*sanum feci in sabbato?*] Neque circumcisio,neque vllum Sacramentum veteris legis iustificabat ex opere operato,contr.18.n.7.

v.27. *Christus cùm venerit,nemo scit vnde sit*] Quia patrè carebit in terris,Matt.1.v.18. *Generationem eius quis enarrabit?* Isaiæ 23.v.8.

v.28. *A meipso non veni*, instar vulgaris hominis,t sed *misit me* Pater cælestis,qui *verus est*]Contr.4.n.2.& 3.

v. 29. *Ab ipso sum* & genitus & missus.Contr.3. n.2.

MORES.

Ioa 7. v.19. Apocal.5.v.3.*Nemo poterat neque in cælo,neque in terrâ, neque subtus terram aperire librum* viæ vitæ & cæli., id est, librum legis diuinæ. Iam ecce v.5. *vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & soluere septem signacula eius.* Et tamen

Nemo ex vobis facit legem] Mauultis insistere legibus mundi & carnis.Psalm.118.v.85. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes,sed non vt lex tua.* Psalm.147.v.9.*Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* 4. Reg.5.v.13.*Si rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras, quantò magis quia nunc dixit tibi, Lauare & mundaberis?* 1. Ioan. 5.v.5. *Mandata eius grauia non sunt.* Hebr.12.v.4.*Nondum vsque ad sanguinem restitistis,aduersus peccatum repugnantes.*

VARIA.

Contigerunt hæc secunda Octobris, 18. Tisri, anni tertij prædicationis Christi,Chron.c.49.

De sabbati obligatione, vide Deut. 5.v.15.Sed de nimis scrupulosa sabbati obseruatione,Exod.35.v.3.

FEIRA QVARTA POST QVARTAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Euangel.*de Cæco nato.* Ioan.9.v.1.vsque 39.

FIDES.

Ioa.9. v.3. *Neque hic peccauit, neque parentes eius*:id est,peccatum illius originale,(cui omnes filij Adæ obnoxij sunt,contr. 11.nu.4.& 5.)vel actualia peccata parentum illius, non fuerunt proxima causa cæcitatis huius. *Sed* diuina prouidentia id factum,*vt manifestentur opera* diuinæ bonitatis ac misericordiæ in illo curando, &c. sicut in *Iobo, Tobia, Susanna*,& tot aliis.Alioqui peccata sæpissimè causa sunt morborum & aliarum miseriarum,vt dixi in filio prodigo ; Sabbato post secundam Dominicam Quadragesimæ.Et in socru Simonis,Feria V. post tertiam Dominicam Quadragesimæ.

v.4. *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari*] Spatium præsentis vitæ præstitutum est à Deo meritis & demeritis cuiusque,contr. 16. n.1.

v. 5. *Lux sum mundi*]Vide Ioan.1. v.4. & 9.

v. 6. *Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo*] Diuina Verbi persona coniuncta humanę naturæ,medicinam fecit generi humano,contr.4.n.11. per peccatum Adami excæcato,contr.11.n.1.& 4.

Liniuit lutum super oculos eius]Typus erat Sacramentorum,controu.18. nu.1. & 6. Et quid non poterit corpus Christi in Eucharistia, cuius sola saliua tantæ est efficaciæ?

v. 7. *Vade, lauain natatoriâ Siloë. Abiit,lauit, & venit videns*] Typus baptismi,contr.19.n.1. & 8.

v.16. *Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit*] Sed curatione ægrorum non soluitur præceptum sabbati, Ioan.7. v. 22. Et *Filius hominis, dominus est etiam sabbati.* Marc.2.v.28.

v.29. *Nos scimus,quia Moysi locutus est Deus*] Cur ergo Moysi de Christo vos edocenti,vt vidimus Ioan.5.vers.46.non creditis?

v.31. *Scimus quia peccatores Deus non audit*] Nempe ad sanctitatem illorum vel aliud mendacium miraculo comprobandum.Miracula enim sunt quasi sigilla Dei, controu.5.nu.6.vnde appendi non possunt nisi veritati. Potest ergo peccator impetrare à Deo miraculum quo vera ipsius doctrina manifesta fiat,vt vidimus Matth.7. v. 22. non verò quo sanctitas illius, vel aliud mendacium comprobetur.

v.35.*Tu credis in Filium Dei?* v. 36. *Quis est Domine,vt credam in eum?* v.37.*Qui loquitur tecum,ipse est.* v.38.*Credo Domine.Et procidens adorauit eum*] Qualis fides requiratur ad iustitiam adipiscendam & fouendam, vide contr.15. n.7.9.11. 12.23.

MORES.

Act.10. v.38. *Qui transiit benefaciendo & sanando omnes oppressos*,iam quoque Ioa.9. v. 1.

Præteriens Iesus vidit hominem cæcum à natiuitate] Nemo queratur de vitio corpori adnato. *Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus,ipse fecit nos,& non ipsi nos.* Psalm.99. v. 3.*Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* Prouerb.16. v. 4. *Et omnem*

qui inuo..at nomen meum,in gloriam meam creaui eum, formaui eum,& feci eum. Isaiæ 43.v.7. *Nihil in terra sine causa fit,& de humo non oritur dolor.* Iob 5.v.6. *Homo nascitur ad laborem & auis ad volandum.* v.7.

Subinde tamen propter scelera parentum castigantur etiam filij, Exod.20. vers. 5. Propter *Cham* maledictus *Chanaan* & *Chananæi*, Gen.9.v.25.

Non soli peccatores, (vt amici Iob contendebant) sed etiam iusti affliguntur à Deo in hac vita vide præfationem Iobi.

Sed *quis* spiritualiter *cæcus*, Isiæ 42. v. 19. *nisi seruus meus? Quis cæcus, nisi qui venumdatus est* in malum? *Quis cæcus, nisi seruus Domini? Qui vides multa nonne custodies?* Exod. 10. v. 22. *Factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti tribus diebus nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco in quo erat.* Sap.17.v.4. & 17. horribiles voces audiebant, sed fugere non poterant. *Vna enim catena tenebrarum omnes erant colligati. Sodomitæ* percussi cæcitate, Gen.19.v.11.& Sap.vlt.vers. 16. *Dauid* 9. mensibus cæcus, 2.Regum 12.v.14. *Salomon*, 3.Regum 11. vers. 4. *Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt: qui autem exultant in malis, consenescunt in malo.* Eccli.11,v.16. *Ne manseris in operibus peccatorum.* vers. 22. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Tob 5. v. 12.

Sed en remedium. Primò, gratiam Dei præuenientem, illuminantem & excitantem cor hominis, à Iesu nos quotidie prætereunte & vidente, & nostri miserante. *Fiat lux.* Gen. 1.v.3. *Fiant luminaria,* &c. v.14. *Ipse dixit, & facta sunt.* Psal.148. v.5. Non fructu arboris *scientiæ boni & mali aperientur oculi vestri,* Genes.3.vers.5.&c. Sed Secundò, obseruantia eorum quæ Deus præscripsit ad sanitatem recuperandam. Sinas te inungi saliua Sacramentali,& lauare lauacro pœnitentiæ. Etiam vilissimo instrumento potest & solet Deus maxima quæque patrare, neque vmquam deest in necessariis. v. g. *mandibula asini.* Iudic.15.v.16. *coma Samsonis,* v. 17. Raphael ad fumum exusti *cordis piscis* alligat *dæmonium.* Tob. 6. v.8.

Contactu aquæ curatur lepra. *Vade & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis,* inquit Eliseus Naamano,4.Regum 5.v.10. Verùm vno cæco curato,quàm multi manent cæci, nec volunt curari!

v.34. *Tu doces nos?*] Quid ni? nónne & *Iethro* docuit Moysen? Exodi 18.v.14.&c.

VARIA.

Cæcus hic curatus est 7.Octobr.23.Tisri, sexto mense ante mortem Christi. Chron.c.49.

De natatoria Siloë, vide comment.

FERIA V. post quartam Dominicam Quadragesimæ, Euangelium idem est cum Euangelio Dominicæ XV. post Pentecosten.

FERIA SEXTA POST QVARTAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Euangel. *de Lazaro resuscitato.* Ioan. 11. v. 1. vsque 46.

FIDES.

Ioan. 11. v. 4. *Infirmitas hæc* Lazari *non est ad mortem* diu duraturam, *sed pro gloria Dei*, per resuscitationem defuncti collustranda. Mors corporis, somnus potiùs in iustis quàm mors. v.11. *Lazarus amicus noster dormit.*

v.9. *Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem videt: si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo*] Quid quis possit in gratia & cum gratia Dei, & quid citra gratiam, vide contr. 14.n.6.vsque fin. Neque vlli, quantum ex parte Dei est, gratiam deesse, num. 10. vsque 14.

v.11. *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*] At qui etiam absens, poterat, si voluisset, ipsum in viuis conseruare, *Tantùm dic verbo,* Matth.8.vers.8. Tantùm *relu.* v.2.& 3.

v.22. *Sed & nunc scio, quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus*] Idque propter infinitam dignitatem personæ tuæ, contr.4.n.7. & 14.

v.24. *Scio, quia resurget in resurrectione in nouissimo die*] Quibus argumentis comprobetur resurrectio corporum, contr.28.n.2.

v.25. *Ego sum resurrectio & vita*] scilicet causalis, vtpote Deus, contr.1.n.3.& 4.

Qui credit in me, (nec tamen sufficit credere, sed debent & bona opera adesse, contr.15.nu.7. & 23. *(etiamsi mortuus fuerit, viuet.*

v.26. *Omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum*] Id est, non manebit in morte. Sicut Ioan.6. vers.50. *Vt si quis manducauerit ex hoc pane, non moriatur.* Qualis requiratur fides, contr.15.n.11.& seqq.

v.27. *Tu es Christus filius Dei viui*] Vide Matth.16.v.16. & probatur contr.4. n.2.

v.33. *Infremuit spiritu, & turbauit seipsum.* v.35. *Et lacrymatus est Iesus*] Sic verum hominem se comprobans, contr. 4.n.4.

v.43. *Voce magna clamauit, Lazare veni foras*] De necessitate gratiæ excitantis, contr.14.n.3.& seqq.

MORES.

Ioan. 11. v. 3. *Miserunt sorores* Lazari, Maria & Martha *ad* Iesum litteras & nuntium. Quæ publica fuerat peccatrix, iam etiam pro aliis intercedit, Christum in Iudæam retrahit, plorare facit, & fratrem etiam quatriduo mortuum suscitare cogit. Ezech.18.v.22. *Si auerteret se à peccatu suo, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.*

v.4. *Ecce quem amas, infirmatur*] Tot affectæ beneficiis à Christo, audetis nouum rursus deposcere beneficium? Hoc summæ gratitudinis est, noua & plura deposcere à Deo. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Psalm.49.v.15. Sed quomodo possibile est, infirmari vel aduersis premi quem Deus amat? Vide in *socru Simonis.* Feria quinta post III. Dominicam Quadragesimæ. Vbi & de intercessione Sanctorum, seu viuorum, seu mortuorum, pro nobis, vt & contr.30.n.8. & 9.

Ex hac sororum Lazari formula precandi, disce cum omni resignatione preces tuas offerre Deo: & æquè sis hilaris si negetur, ac si donaretur quod expostcis. Vide Dominica III. post Epiph.

v.4. *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei*] Psal. 36.v.24. *Cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* & Psal.90. toto. *Non rapiet eos quisquam de manu mea.* Ioan.10.v.28. Et cui volupe non sit, pati & infirmari, cùm per hæc glorificetur Deus? audi Paulum 2.Cor.12.v.9. *Gloriabor in infirmitatibus meis,* &c.

v.6. *Et mansit duobus diebus in eodem loco*] Habac. 2. v.3. *Si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.*

v.16. *Eamus & nos, & moriamur cum eo*] Ruth 1. v.17. ait socrui suæ Noëmi: *Me & te sola mors separauerit.* 2.Reg.1. vers.23. *Amabiles & decori in vita sua; in morte quoque non sunt diuisi.* 2.Mach.6.v.19. Eleazarus *glorioßissimam mortem complectens, voluntariè præibat ad supplicium.* Rom.8. v.35. *Quis nos separabit à charitate Christi?* &c.

v.35. *Lacrymatus est Iesus.* v.33. *Infremuit spiritu, & turbauit seipsum,* &c.] Nullum quantumuis ingens malum solet lacrymas excutere viro forti & cordato. Quænam ergo mala Deo lacrymas excutient, imò fremere, ac seipsum turbare

turbare facient? vtique malitia peccati, quæ adumbrabatur in Lazaro. Sic *fleuit videns ciuitatem*, Luc. 19. v. 41. *O si cognouisses & tu!* &c. Gen. 6. v. 6. *Videns Deus, quòd multa malitia hominum esset in terra, pœnituit eum quòd fecisset hominem, & tactus dolore cordis intrinsecus, Delebo*, inquit, *hominem quem creaui.*

Sed si peccata turbant Deum, multò magis turbant mundum (vt colliges ex vnico peccato Adami, Genes. 3. v. 7.) & animam tuam. Ierem. 9. v. 21. *Ingressa est mors per fenestras vestras, ingressa est domos vestras.*

Porrò nostri causa flet Christus: & *oculi nostri*, Ierem. 9. v. 18. non *deducant lacrymas? & palpebræ nostræ* non *defluant aquis?* Vidit Dauid & qui cum eo erant, 1. Regum 30. v. 4. vrbem *Siceleg* dirutam ab Amalecitis: *& leuauerunt voces suas, & planxerunt, donec deficerent in eis lacrymæ.* Psal. 37. v. 9. *Rugiebam à gemitu cordis mei.* Psal. 6. v. 7. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.*

v. 43. *Lazare veni foras*] *Non me inuocasti Iacob, neque laborasti in me Israel*, &c. *Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me.* Iliæ 42. vers. 22. Ephes. 5. v. 14. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.*

Quàm facile est Deo etiam subitò extollere paupertem! Eccli. 11. v. 12. *Est homo marcidus.* &c. *abundans paupertate. Et oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltauit caput eius. Et mirati sunt in illo multi, & honorauerunt Deum.* Pro exemplo sit Ioseph, Moyses, Iosue, Samuel, Saul, Dauid, Daniel, Mardochæus, Machabæi, &c.

VARIA.

Resuscitatus est Lazarus initio vltimi Martij ante mortem Christi. Chron. c. 49.

De Didymo, de quindecim stadiis, de fremitu Christi, de spirituali sulcitatione peccatoris, vide in comment.

SABBATO POST QVARTAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

Euangel. *Ego sum lux mundi.* 2. Ioan. 8. v. 12. vsque 31.

FIDES.

Ioa 8. v. 12. *Ego sum lux mundi, & lumen vitæ*] Vide Ioan. 1. v. 4. & in III. Missa Natiuit. Domini.

v. 14. *Etsi ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum, quia scio vnde veni*, &c.] Nempe ex sinu Patris, æterna Sapientia & veritas infallibilis, contr. 1. n. 3. & contrà. 3. n. 2. Deo quomodocumque loquenti vel monenti, credendum & obsequendum, v. g. per S. Scripturam, per Pontificem, per Concilia: dummodo adsint sufficientia indicia quæ reddant rem credibilem, de quibus contr. 14. n. 9.

v. 15. *Ego non iudico quemquam*] Iudiciariam potestatem inter alia promeritus est Christus, contr. 4. n. 17.

v. 16. *Ego solus non sum, sed ego & qui misit me Pater*] Filius continuò gignitur à Patre, contr. 3. nu. 2. Diuina persona Filij inseparabiliter connexa humanæ naturæ, contr. 4. n. 7. & seqq.

v. 19. *Si me scireris*, meamque conditionem, etiam *Patrem meum scireris*] quia *Filius* est *Patris filius.*

MORES.

Ioa. 8. v. 12. *Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris*] Isaiæ 60. v. 1. *Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum.* Ioan. 1. v. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Inuitante mundo, statim sequimur, Prouerb. 7. v. 6. vsque fin. inuitante Sapientia cap. 8. & 9. quàm pauci. 4. Regum 2. v. 2. ait Eliseus ad Eliam: *Viuit Dominus, quia non derelinquam te.* Vide plura Feria sexta huius hebdomadæ.

De tenebris Ægypti, vide Feria IV. huius hebdomadæ.

Sed habebit lumen vitæ] Ioan. 6. v. 69. *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Num. 20. v. 17. *Via publica gradiemur, non declinantes neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Psalm. 75. v. 5. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis: turbati sunt omnes insipientes corde.* Ioan. 3. v. 19. *Hoc est iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum malaopera; & omnis qui male agit, odit lucem.* 2. Petr. 2. vs. 21. *Melius erat illis, non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti.* Lucæ 12. v. 47. *Seruus qui scit voluntatem domini, & non facit, plagis vapulabit multis.* Matth. 26. v. 24. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.*

VARIA.

Hæc dixit Christus septima Octobris, sabbato, 23. Tisri, anni tertij suę prædicationis, eodem die quo adulteram liberarat, & cæcum à natiuitate curaturus ibat. Chron. c. 49.

DOMINICA PASSIONIS.

Euangel. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ioan. 8. à v. 46. vsque fin. cap.

FIDES.

Ioa. 8. v. 46. *Quis arguet me de peccato*] Cur peccatum in Christo nullum esse potuit? contr. 4. n. 12.

v. 46. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi*] Liberum est homini assentiri, vel non assentiri vocanti & excitanti Deo, contr. 14. nu. 4. Quomodo fides sit donum Dei, num. 9.

v. 47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit*] vtique & legatorum Dei. Luc. 10. v. 16. *Qui vos audit: me audit.* 1. Ioan. 4. v. 6. *Qui nouit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis & spiritum erroris.* Manifestum salutis & filiationis Dei signum, audire & amplecti verbum Dei.

v. 49. *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, non autem quæro gloriam meam*] En signa certissima spiritus non dæmoniaci, sed sancti v. 54. *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.* Hebr. 5. v. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret*, &c. Vocatio & missio necessaria, contr. 8. n. 1.

v. 51. *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum*] Audin' *seruauerit?* neque enim sufficit audisse vel credidisse, contr. 15. nu. 7. & 23. De meritis bonorum operum, contr. 16. n. 1. & seqq.

v. 53. *Tune maior es patre nostro Abraham?*] Vtique: nam Dominus est Abrahæ, & Deus eius. contr. 4. n. 3.

v. 54. *Pater meus glorificat me*] primò æterna generatione, contr. 3. nu. 2. Secundò vnione hypostatica cum omnibus beneficiis annexis, contr. 4. num. 7. &c. Tertiò, gloria resurrectionis, & aliis hanc consecutis, n. 17.

v. 56. *Abraham* è limbo *vidit diem meum, & gauisus est*] Quo iure ergo denegabimus Sanctis, quod norint quæ geruntur in terris? contr. 30. n. 8. & 9.

v. 58. *Antequam Abraham fieret, ego sum*] De æternitate Christi, & communicatione etiam aliarum proprietatum diuinarum, contr. 4. n. 7. vsque 11.

MORES.

Ioa. 8. v. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato*] *Deus stetit in synagoga deorum: in medio autem deos dijudicat*, &c. Psalm. 81. toto. Et verò, constare debebat orbi, Christum omnis

peccati expertem esse. Sed & cuiuis verbi diuini præconi necessaria est Primò, vitæ innocentia tanta, vt dicere possit, *Quis me arguet?* Secundò, soliditas doctrinæ *Veritatem dico vobis.* Denique etiam quemuis nostrùm dedecet peccatum, quòd vel vnum sufficit toti vitæ maculandæ, nobisque perdendis.

Expende hic sigillatim mala peccati. Primò, *nudat* hominem præsidio diuino. Exod. 32. v. 25. *Quòd si perseueraueritis in malitia, & vos & rex vester pariter peribitis.* 1. Reg. 12. v. 25. *Anathema in medio tui est Israel: non poteris stare coram hostibus tuis. Non ero vltrà vobiscum, donec conteratis eum qui huius sceleris reus est.* Iosue 7. v. 13. *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas.* v. 19. *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac,* &c. v. 25. Secundò, tradit hominem potestati dæmonis, Tob. 9. v. 16. Alia peccati mala vide contr. 12. nu. 1. Igitur *quasi à facie colubri fuge peccatum.* Eccli. 21. v. 2.

Si veritatem dico, quare non creditis mihi] Ænigma: Mulieris pulcherrimæ turpissima proles: *Veritas odium parit.* Sed & pluuia incultam terram rigans, tribulos & lolium gignit. *Exacuerunt vt gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram,* &c. Psal. 63. v. 4.

v. 48. *Samaritanus es tu, & dæmonium habes*] *Quid venit insanus iste* (Propheta) *ad te?* 4. Reg. 9. v. 11.

Sed quid Christus tantis impetitus calumnijs? *Vis dicimus, vt ignis descendat de cælo,* & absumat maledicas linguas? Lucæ 9. v. 54. *Nescitis cuius spiritus estis,* vers. 55. Pueri Eliseo acclamantes, *Ascende calue,* ab vrsis dilacerantur, 4. Regum 2. vers. 23. Iezabel regem Iehu comparans tyranno Zambri, præcipitatur è fenestra, 4. Regum 9. v. 31. Et ecce plusquam Iehu plusquam Eliseus hic.

v. 49. *Ego dæmonium non habeo*] *Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem,* &c. Prouerb. 15. v. 1. & 2. *Lingua placabilis, lignum vitæ: quæ autem immoderata est, conteret spiritum.* v. 4. *Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius.* Eccles. 7. v. 8. Sed aduersus omnes calumnias roborat nos diuina sapientia. Qualis fuit in *Moyse,* viro *mitissimo super omnes homines qui morabantur in terra.* Num. 16. v. 3. Testes sunt 14. murmurationes Israelitarum contra ipsum in deserto Chron. c. 19. Qualis etiam fuit in *Dauide* cùm tot sannis & maledictis impeteretur à Semei. *Dimittite,* inquit, *eum vt maledicat: Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid. Dimittite eum vt maledicat iuxta præceptum Domini: si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna,* 2. Regum 16. v. 10. Qualis item in *Tobia,* cùm etiam ab vxore rideretur, c. 2. v. 15. & *Sara,* ab ancilla sua, c. 3. v. 9.

Et verò conuenit omnino, molli responso iram frangere & calumniam elidere. Primò, vt proximus sic corrigatur. Secundò, ne oleum addas camino. Tertiò, vt alios ædifices & instruas. Quartò, ne teipsum lædas, alioqui *duo eritis mali,* inquit S. Augustin. Quintò, quia maledicus commiseratione magis indiget, quàm talione. Sextò, ne insignem meriti occasionem negligas. Septimò, vt Christo conformeris, *qui cùm malediceretur, non maledicebat.* 1. Pet. 2. v. 23. Octauò, vt martyrio præludas. Nam *si cum peditibus currens laborasti, quomodo contendere poteris cum equis?* Iere. 12. v. 15. Et ob has causas proponit Ecclesia nobis hodie Christi, sic passioni suæ præludentis, exemplum.

Augn. in psa. 54.

Samaritanum se esse non negat Christus. Et tu quæ in benignam partem accipi possunt, ita interpretare.

v. 50. *Ego gloriam meam non quæro*] Propriæ laudis & gloriæ fuga signum filiorum Dei. Saul potitus victoria, non Deo (vt antè 1. Regum 14. v. 35.) sed sibi erigit *fornicem triumphalem,* cap. 15. v. 12. vbi & describitur indoles animi Deo rebellis. Dauid dum nomini suo celebrando, suoque in omnes dominio ostendendo iubet numerari populum, 2. Regum 24. v. 2. grauissimè affligitur, v. 12.

Nunc cognouimus, &c.] Temerarium iudicium omnia in sinistram partem rapit. 48

Abscondit se] Iniurias dissimulaturas declina: persecutores deuita, nisi Dei gloria vel animarum salus aliud deposcant. 59

VARIA.

Hanc lapidationem attentarunt Iudæi ipso die sabbati, 7. Octobris, 23. Tisri, anno tertio prædicationis Christi, immediatè post liberatam adulteram, & ante curatum cæcum à natiuitate. Chron. c. 49.

Quinam fuerint Samaritani, & quàm exosi Iudæis, vide 4. Reg. 17. v. 24. & in Euangelio de Samaritana, Feria VI. post tertiam Dominicam Quadragesimæ.

Abscondit se Iesus vi dotis subtilitatis, de qua contr. 30. num. 5.

FERIA SECVNDA POST DOMINICAM PASSIONIS.

Euangel. *Miserunt principes & Pharisæi ministros.* Ioan. 7. v. 32. ferè vsque 40.

FIDES.

Adhuc modicum tempus, circiter medij anni, *vobiscum sum,* nec ante id tempus elapsum *vado* per mortem, *ad eum qui misit me*] c. 10. v. 18. *Nemo tollit* animam meam *à me, sed ego pono eam à meipso.* Omnium momenta temporum in manu Dei. Ioan 7. v. 33.

Quæretis me, seu vestrum Messiam, ad finem vsque mundi, *sed non inuenietis* alium Messiam. Contr. 4. nu. 1. ostenditur Messiam venisse iam pridem: nec alium esse quàm Iesum Mariæ filium, n. 2. v. 34.

Vbi ego sum, in sinu Patris, & in cælo, *vos quamdiu tales, non potestis venire.*

Si quis sitit cœlestem doctrinam, gratiam, spiritum, beatitudinem, *veniat ad me, & bibat*] hauriat credendo, bibat sperando, delicietur amando. v. 37.

Qui credit in me, non mortua, sed viua fide (contr. 15. n. 7. 19. 23.) *flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*] quæ etiam in alios deriuare poterit. Plura vide in Euangelio de Samaritana, Feria VI. post III. Dominicam Quadragesimæ. vide & in Pentecoste. v. 38.

MORES.

Si quis sitit, &c.] Et quis non sitit? *Abyssus & cor hominum* inuestigabile. Eccli. 42. vers. 18. *Venter impiorum insaturabilis,* Prou. 13. v. 25. Et quomodo laboratur ab hominibus in satianda, vel extinguenda, vel sedanda, vel sopienda hac siti! Num. 20. vers. 6. *Aperi* illis *Domine thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ.* Psalm. 41. v. 1. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes,* &c. Psalm. 35. v. 10. *Quoniam apud te est fons vitæ.* Prou. 13. v. 27. *Timor Domini fons vitæ.* Hic item fons compunctio est cordis. Ierem. 9. v. 1. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum?*

Hos fontes obturat ante omnia dæmon, vt Holofernes fontes Betuliæ, Iudith 7. v. 6. Thren. 5. v. 4. *Aquam nostram pecunia bibimus.* E contrario Deus, Isa. 51. vers. 3. *ponet desertum eius quasi delicias, & solitudinem eius quasi hortum Domini. Quia* c. 35. v. 6. *scissa sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine.* Vnde c. 12. v. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* & c. 58. vers. 11. *Et requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit: & eris quasi hortus irriguus,*

riguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ. Et *aquæ eius fideles sunt*, cùm mundi aquæ sint *infideles & mendaces*: in quibus Isa. 50. v. 2. *computrescent pisces, & siti* enecantur. v. g. *Ninive* (de cuius origine & magnitudine vide Gen. 10. v. 8.) *quasi piscina aquarum aquæ eius*, id est, incolæ & præsidiarij vrbis. Sed quales hæ aquæ? qualis piscina? *Ipsi verò fugerunt. State, state; & non est qui reuertatur* ad hostes arcendos. Nahum 2. v. 8. *Quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam?* Ierem. 2. v. 18. Si autem ad me adcurrant, Ezech. 32. v. 14. ego *purissimas tunc reddam aquas eorum*. Psal. 22. v. 2. *Super aquam refectionis* educabo illos. Ierem. 2. v. 12. *Obstupescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.*

Absit hoc à nobis. *Domine da mihi* tuam *aquam* viuam, Ioan. 4. v. 15. vbi plura habes huc facientia, de quibus Feria VI. post III. Dominicam Quadragesimæ.

VARIA.

Contigerunt hæc sexta Octobris, 22. Tisi, anni tertij prædicationis Christi Chron. c. 49.

FERIA TERTIA POST DOMINICAM PASSIONIS.

Euangel. *Ambulabat Iesus in Galilæam.* Ioan. 7. vers. 1. vsque 14.

FIDES.

Manifesta teipsum mundo] Nam Isa. 45. v. 15. *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel saluator.* Potest tamen ratione naturali intellectus humanus conuinci, esse Deum, & vnum Deum, & infinitè perfectum Deum, contra Ioa. 7. v. 4. n. 1. 2. 3.

Tempus meum, mihi commodum & placitum, *nondum aduenit*] vide Feria secunda præced. ad v. 33. v. 6.

Ego non ascendo ad diem festum istum: quia tempus meum nondum impletum est] Mox tamen v. 10. *ascendit.* Vnde patet, licere, vrgente causâ, vti restrictione mentali: vt olim toties vsi sunt Sancti. Nam Abraham vocat *Saram sororem* suam, Genes. 12. v. 13. & c. 29. v. 2. *Postquam adorauerimus, reuertemur ad vos*, Genes. 21. v. 5. Rebecca *soror mea est*, Genes. 26. v. 7. *Ego sum primogenitus tuus Esau*, Genes. 27. v. 19. &c. *Ego sum Azarias.* Tobiæ 5. v. 18. *Ipse est Elias.* Matth. 11. v. 14. *Exploratores estis.* Genes. 42. v. 9. *Non est similis mei in augurandi scientia.* Genes. 44. v. 15. *Pecuniam quam dedistis mihi, probatam ego habeo.* Gen. 43. v. 23. *Postulent sibi commodato vasa*, &c. Exod. 11. v. 2. *Dauid* fingit stultitiam, 1. Reg. 21. v. 13. Et Christus Luc. 24. v. 28. *finxit se longiùs ire.* Et nónne meritem restrinxit Deus cùm Ionæ 3. v. 4. per os Ionæ clamat, *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur*? Imò & Exodi 33. v. 1. *Vade & ascende de loco isto tu & populus tuus ad terram quam* promisi, &c. Vnde & Moyses detractat, vers. 15. v. 8.

Nemo palam loquebatur de illo] Professionem publicam fidei requiri, vt quis sit de Ecclesia Christi, contr. 5. n. 1. & 11.

MORES.

Manifesta teipsum mundo, etiam tu. Non inanis gloriæ tibi captandæ causa, vt faciunt mundi mancipia. Esther 1. v. 4. *Vt ostenderet diuitias gloriæ regni sui, & magnitudinem atque iactantiam potentiæ sux.* Sed diuinę gloriæ propagandæ gratia, *vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Matth. 5. vers. 16. Vide in Dominica Passionis. Ioa. 7. v. 4.

Quidam dicebant, Quia bonus est: alij dicebant, Non, sed seducit turbas] Osee 7. v. 13. *Væ eis quoniam recesserunt à me: ego redemi eos: & ipsi locuti sunt contra me mendacia.* Matth. 27. v. 63. *Dixit seductor iste adhuc viuens*, &c. Ioan. 8. v. 48. *Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* vide ibi dicta, in Dominica Passionis. *In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia*, Luc. 11. v. 15. vide & ibi dicta, in Dominica tertia Quadragesimæ. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem.* Isa. 5. v. 20. *Vos autem accedite huc filij augurátricis, semen adulteri & fornicariæ. Super quem lusistis? super quem dilatastis os, & eecistis linguam? nunquid non vos filij scelesti, semen mendax.* Isa. 57. v. 3. Sed *si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius?* 1. Cor. 4. v. 3. *Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Qui autem iudicat me Dominus est.* Nempe quando ouibus suis dicet, Matth. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei*, &c. *hædis in infernum* detrusis, v. 41. *Tunc stabunt iusti*, &c. Sap. 5. v. 1. &c. v. 12.

VARIA.

Contigerunt hęc sub medium mensis Septembris, anno tertij prædicationis Christi. Chron. c. 49.

De Scenopegia, & aliis festis Iudæorum; vide Leuit. 23. & Num. 29. v. 12.

FERIA QVARTA POST DOMINICAM PASSIONIS.

Euangel. *Facta sunt encænia in Ierosolymis.* Ioan. 10. v. 22. vsque 39.

FIDES.

Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus dic nobis palàm] Atqui iam sæpius *dixi* v. 36. *Quia filius Dei sum.* Argumenta quibus ostenditur, Messiam venisse, habes contr. 4. n. 1. Nec alium esse quàm Iesum Mariæ filium, n. 2. Ioan 10. v. 24.

Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, testimonium perhibent de me] Miracula certò comprobant veritatem cui probandæ adhibentur, contr. 5. nu. 6. Quæcumque miracula Prophetæ prædixerunt, Messiam patraturum, Isaiæ 35. v. 5. c. 61. vers. 1. Christum patrasse constat ex Matt. 11. v. 5. *Cæci vident, claudi ambulant*, &c. Dominica secunda in Aduentu. Ioan. 10. v. 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.* v. 25.

Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis] Quænam requirantur vt quis sit ouicula Christi & membrum Ecclesiæ, contr. 5. n. 1. 11. & seqq. v. 26.

Oues mex vocem meam audiunt & sequuntur me] De quo latiùs Dominica II. post Pascha. Etiam impij, etiam occulti hæretici vel infideles, si se publicè gerant vt Catholicos sunt de ouili Christi, & membra Ecclesiæ, sed mortua. contr. 5. n. 11. 12. 13. v. 27.

Ego cognosco eas, & vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea] Possunt tamen illę vltrò fugere si velint, contr. 13. nu. 5. & seqq. Neque verum est, solos vel omnes prędestinatos semper esse de Ecclesia Dei, contr. 5. n. 13. & 14. v. 27. & 28.

Quod dedit mihi Pater meus, nempe diuinitas, *maius* & potentius *omnibus est*] Ac proinde nemo potest seu mihi, seu Patri pręualere. Contr. 3. nu. 2. de continua generatione Filij ex Patre. v. 29.

Ego & Pater, etsi distinguamur personis, contr. 3. n. 1. quoad naturam tamen, & quę naturę propria sunt, non distinguimur, sed *vnum* quid *sumus*] Ibid. & controu. 1. num. 2. v. 30.

Pater in me est, & ego in Patre] Non accidentali (vt in Sanctis) sed essentiali inhabitatione. vide comment. v. 38.

MORES.

Ioan. 10. v. 27. *Oues meæ vocem meam audiunt & etiam sequuntur*] Neque enim sufficit credere, oportet etiam opere complere. 1. Thessal. 2. v. 13. *Cùm accepisset à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non vt verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei.* Prouerb. 6. v. 20. *Conserua fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. Liga eam in corde tuo iugiter, & circumda gutturi tuo*, &c. *quia mandatum lucerna est, & lex lux; & via vitæ, increpatio disciplinæ.* E contrario hœdi obsurdescunt ad vocem & clamorem Christi. Zach. 7. v. 12. *Cor suum vt adamantem posuerunt*, instar Pharaonis Exodi 7. vsque 12. Sed obedire cogentur semel voci Christi, Matth. 25. v. 41. *Discedite à me maledicti*, &c. Psal. 48. v. 15. *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.* & v. 9. *Laborabit in æternum* in tormentis, *& viuet adhuc in finem.* Plura de ouibus & pastore, & officio singulorum; vide Dominica II. post Pascha.

v. 32. *Multa bona opera ostendi vobis: propter quod horum me lapidatis?*] Deuter. 32. v. 6. *Hæccine reddis Domino populo stulte & insipiens?* De vitio ingratitudinis, vide Dominica XIII. post Pentec. De execrabili obstinatione, Dominica IX. Emolliuit ferum Labanis cor recordatio sola seruitiorum Iacobi, Gen. 31. v. 38. *Viginti annis seruiui tibi, die noctuq; æstu vrebar & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis.* Item Saulis iram, 1. Regum 19. v. 4. *Quare peccas in sanguine innoxio* Dauidis? *opera eius bona sunt tibi valdè: & posuit animam suam in manu sua, & percussit Philisthæum.* Quid verò hæc, si conferas cum iis quæ Christus nobis præstitit & præstat in dies?

v. 34. *Ego dixi, Dij estis*] *Dixit Dominus ad Moysen, Ecce constitui te Deum Pharaonis* Exodi 7. v. 1. c. 21. v. 6. *Offeret eum dijs.* Cur sic vocentur iudices, ibid. Exod. 22. v. 28. *Dijs non detrahes.* Psal. 81. v. 1. *Deus stetit in synagoga deorum.* & v. 6. *Ego dixi, Dij estis.* Neque solum nomen communicat, sed & *omnia nobis diuinæ virtutis suæ, vt efficiamur diuinæ consortes naturæ*, 2. Pet. 1. v. 3. & 4. Et adhuc erimus Deo rebelles?

VARIA.

Contigerunt hæc 7. Decembris ante mortem Christi. Chron. c. 49.

De sex generibus *festorum* apud Iudæos, Leuit. 23. v. 2. &c. De Encæniis, 2. Esdr. 12. v. 27.

FERIA V. post Dominicam passionis, Euangelium desumitur ex festo B. Mariæ Magdalenæ, 22. Iulij.

FERIA SEXTA POST DOMINICAM PASSIONIS.

Euangel. *Collegerunt pontifices & Pharisæi concilium.* Ioan. 11. v. 47. vsque 55.

FIDES.

Ioan. 11. v. 47. *Concilium*, non quod à *Pharisæis & pontificibus* Iudæorum, sed quod à Prælatis Ecclesiæ Christi in nomine eiusdem Christi colligitur, errare non posse, docui controu. 7. tota.

v. 48. *Si dimittimus eum sic omnes credent in eum*] Quid ni iure merito? cùm sit ipse Messias, & tot tantisque miraculis conuincat se illum esse, contr. 4. n. 2.

v. 50. Sed *venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem*] Venient profectò, si in hunc vestrum Messiam non credideritis, vt ipse venturos prædixit Dominica IX. post Pentecosten. Non venient, si credideritis in ipsum.

v. 51. *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*] Et sic conuenerat ab initio inter Patrem & Filium in Sanctissimæ Trinitatis consistorio contr. 4. num. 15.

Hoc à semetipso non dixit, nec dicere intendit de mundo per Christi mortem redimendo: *sed cùm esset pontifex anni illius, prophetauit*] Potest enim Spiritus sanctus quouis vti instrumento, vt olim asina Balaam, Num. 22. v. 28, *Aperuit Dominus os asinæ, & locuta est.*

Si impio & infideli *pontifici anni*, id est, temporis, *illius* conceditur vt organum sit Spiritus sancti; quis audebit id vero ac legitimo Pontifici Ecclesiæ & Vicario Christi denegare? contr. 6. n. 16.

MORES.

Domine, cõuenerunt in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israel, facere quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri. Act. 4. v. 27.

Triplex hominum genus mortem Christo machinatur. Primò, ambitiosi, vt Herodes, Matth. 2. v. 13. cuius figura fuit *Aman*, Esther 3. v. 8. Secundò, auari, vt Iudas, Matth. 26. v. 15. cuius figura fuit Achab. 3. Regum 21. v. 15. qui Naboth interfecit vt eius vineà potiretur. *Auaro nihil scelestius*, &c. Eccli 10. v. 6. Tertiò, inuidi, vt hi sacerdotes & Pharisæi, quorum figuram expressit Cain Genes. 4. v. 5. & fratres Iosephi, Genes. 37. v. 33. *Fera pessima deuorauit filium meum* Ioseph. *Cùm hæc omnia habeam* (inquit Aman) *nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias.* Esther 5. v. 13. *Contemplatus sum omnes labores hominũ, & industrias animaduerti patere inuidiæ proximi* Eccles. 4. vers. 4. Sic iam pontifices Iudæorum: *Hic est hæres, venite occidamus eum, & nostra erit hæreditas.* Matth. 21. v. 38. *Venite & cogitemus contra Ieremiam cogitationes: non enim peribit lex à sacerdote*, &c. Ierem. 18. v. 18. vsque fin. *Circumueniamus iustum quia inutilis est nobis*, &c. *filium Dei se nominat*, &c. *grauis est nobis ad videndum*, &c. *Morte turpissima condemnemus eum*, &c. Sap. 2. v. 12. vsque 25.

Sed quam mortis causam præ cæteris? *Scrutati sunt iniquitates: sed defecerunt scrutantes scrutinio.* Psalm. 63. v. 11. *Non inueniemus Danieli huic aliquam occasionem* mortis, *nisi forte in lege Dei sui.* Daniel, 6. v. 5. Pro omni causa fit voluntas nostra. *Eijce derisorem, & exibit cum eo iurgium, cessabuntq; causæ & contumeliæ.* Prou. 22. v. 10.

Ioan. 11. v. 50. *Expedit vt vnus moriatur homo pro populo* &c.] Vnius Sebæ capite præseruata fuit ciuitas Abela, 2. Regum 20. v. 21. *Ecce caput eius mittetur ad te per murum. Omnibus diebus quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilietur, neque regnum tuum. Itaque mitte iam, & adduc eum ad me, quia filius mortis est.* 1. Regum 20. v. 31. Sed heus, quomodo id diuinæ iustitiæ probari facietis? An nescitis quòd ante currum triumphalem diuinæ iustitiæ captiui in triumphum agantur toti mundo ridendi; Primò, superbi consiliarij; Secundò, iniusti iudices; Tertiò, impij reges; Quartò, inglorij sacerdotes & optimates, Iob 12. v. 13. *Quare fremuerunt Gentes.* Psalm. 2. v. 1. *Ecce parturijt iniustitiam, concepit dolorem, peperit*, &c. Psalm. 7. v. 15. *Sepulchrum patens est guttur eorum; linguis suis dolose agebant, venenum*, &c. Psalm. 13. v. 3. *Trepidauerunt timore vbi non erat timor.* v. 5. Quàm vanæ minæ Sennacherib & Rabsacis, 4. Regum 18. v. 19. &c. *In eo dum conuenirent simul aduersus me, accipere animam meam consiliati sunt.* Psal. 30. v. 14.

Et quàm facile esset Deo si vellet, omnes vestras technas dissoluere! *Infatua, quæso, Domine consilium Achitophel.* 2. Regum 15. v. 31. *Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel vtile; vt induceret Dominus super Absalom malum.* c. 17. v. 14. *Dissipat* (Deus) *cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant. Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium*

lium prauorum dissipat. Iob 5. v. 13. *Dominus dissipat consilia Gentium, reprobat consilia principum*, &c. Psalm. 32. v. 10.

Et an hæc consilia & decreta sunt in rem vestram? an non potiùs exitio vobis erunt æterno? *Ecce auferet Dominus à Ierusalem & à Iuda validum & fortem, & virum bellatorem, & iudicem, & Prophetam, & senem, & honorabilem vultu, & consiliarium & sapientem*, &c. *& dabo pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur eis.* Isaiæ 3. vers. 1. vsque 6. *Stulti principes Taneos, sapientes consiliarij Pharaonis dederunt consilium insipiens. Quomodo dicetis Pharaoni: Filius sapientium ego, filius regum antiquorum? Vbi nunc sunt sapientes tui? annuntient tibi & indicent quid cogitauerit Dominus exercituum super Ægyptum. Stulti facti sunt, emarcuerunt, deceperunt Ægyptum, angulum populorum eius. Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomens.* Isaiæ 19. v. 11. vsque 18.

v. 48. *Venient Romani, & tollent nostrum locum*] *Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem. Oua aspidum ruperunt, & telas aranea texuerunt.* Isaiæ 59. v. 4. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Erit enim quasi myrica*, &c. *Benedictus vir, qui confidit in Domino*, &c. Ierem. 17. v. 5. &c. Isaiæ 30. v. 2. & c. 31. v. 1. psalm. 1. toto. *Quia ventum seminabunt, & turbinem metent.* Osee 8. v. 7. *Ecce ego cibabo eos* (Prophetas Ierusalem) *absinthio, & potabo eos felle. Facti sunt mihi omnes vt Sodoma*, &c. (ab illis) *egressa est pollutio super omnem terram.* Ierem. 23. v. 14. & 15. Nonne consilium *Pharaonis* de infantibus Hebræorum necandis, de multiplicandis oneribus, &c. Exodi 1. &c. ipsimet occasio ruinæ fuit? An non consilium *Balaam* exitio illi fuit? Num. 31. v. 8. Consilium *Ieroboami* de vitulis aureis erigendis, nónne euertit regnum ipsius? 3. Regum 12. 13. 14. 15. Nónne malum consilium consultori *Amani* pessimum? Esther 7. v. 10. & Eccli. 27. v. 28. vsque 21.

Regemne vestrum occidetis? Nónne hic est *currus Israel & auriga eius?* 4. Regum 13. v. 14. *Venient dies, in quibus desideretis videre vnum diem Filij hominis, & non videbitis.* Lucæ 17. v. 22. *Non* haberetis *potestatem in me vllam, nisi datum* vobis *esset desuper.* Ioan. 19. v. 11. *Propter scelus populi mei percussi eum.* Isaiæ 53. vers. 8. Ergo mei causâ occisus est Christus. *Ego sum reus omnium animarum patris tui.* 1. Regum 22. v. 12. ait Dauid Abiatharo. *In me* (inquit Abigail) *sit, domine mi, hæc iniquitas.* 1. Regum 25. v. 22. *Aufer iniquitatem famulæ tuæ.* v. 28. Bene habet: hoc volebam: *Vade pacificè in domum tuam: ecce audiui vocem tuam, & honorani faciem tuam.* v. 35.

VARIA.

Concilium hoc collectum Ierosolymis sub initium mensis Martij, paulò ante mortem Christi. Chron. c. 49.

Quis Caiphas, quot annis pontifex fuerit, & quoto pontificatus eius anno mortuus sit Christus, vide Chron. c. 42. sub finem, & Lucæ 3. v. 1.

Quàm aptè quadrant in Caipham, quæ de eius olim antecessore legimus? *Nihil quidem habens dignum sacerdotio* (Menelaus:) *animos verò crudelis tyranni, & feræ belluæ iram gerens.* 2. Mach. 4. v. 25. *Et amotus est à sacerdotio*, &c. v. 29. *Menelaus autem, propter eorum, qui in potentia erant, auaritiam, permanebat in potestate* (pontificia) *crescens in malitia ad insidias ciuium.* v. 50. Fœda eius & infamis mors c. 13. v. 3. vsque 9.

Violentas manus sibi ipsi infert Caiphas. Chronic. c. 50. anno 5. à morte Christi. Vbi & de Annæ interitu, & Pilati exilio.

SABBATO POST DOMINICAM PASSIONIS.

Euangel. *Cogitauerunt principes sacerdotum, vt & Lazarum interficerent.* Ioan. 12. v. 10. vsque 37.

FIDES.

Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel] Vide in Dominica Palmarum. Ioan. 12. v. 13.

Nihil proficimus opponendo nos Christo. Ipse enim est lapis ponderis Zach. 12. v. 3. *Super quem ceciderit, conteret eum.* Matth. 21. v. 44. v. 19.

Domine, volumus Iesum videre] Facienti quod in se est, numquam Deus deerit, contr. 14. n. 10. & seqq. v. 21.

Venit hora, vt clarificetur Filius hominis, nempe per mortem, & per euulgationem Euangelij in vniuerso mundo. Martyrio clarificatur & Martyr, & Deus per Martyrem. Ioan. 21. v. 19. *significans qua morte clarificaturus esset Deum.* v. 23.

De grano frumenti, & duobus seqq. versiculis, vide in Festo S. Laurentij, 10. Augusti. v. 24.

Nunc anima mea turbata est. Pater, salurifica me ex hac hora] Vide in passione Christi, Feria III. hebdomadæ sanctæ. v. 27.

Nunc iudicium est mundi. & reliqua vsque ad v. 37. habes in Festo Exaltationis S. Crucis, 14. Septembr. v. 31.

VARIA.

Cogitauerunt principes, vt & Lazarum interficerent] Si tanto studio contendit mundus nocere Christo & discipulis Christi, Psalm. 2. v. 1. *Quare fremuerunt Gentes*, &c. quanto par est nos studio contendere vt honorem promoueamus Christi? Psalm. 131. v. 3. *Si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis*, &c. Genes. 21. v. 9. dicitur Ismael *lusisse* cum Isaaco. Sed hunc *lusum* S. Paulus vocat *persecutionem.* Gal. 4. v. 29. *Quomodo tunc is qui secundùm carnem, persequebatur eum qui secundùm spiritum, ita & nunc.* Ioan. 16. v. 2. *Omnis qui interficit vos, arbitrabitur obsequium se præstare Deo. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur.* Cant. 1. v. 12. *Recogitate eum, qui talem aduersus semetipsum à peccatoribus sustinuit contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes.* Hebr. 12. v. 3. Ioan. 12. v. 10.

VARIA.

Contigerunt hæc sub initium Martij, paucis diebus ante mortem Christi. Chron. c. 49. Ioan. 12. v. 19.

Nihil proficimus] Politica consilia sæpe euertere rempublicam, nec quidquam posse sine consensu Dei, vide Feria VI. hesterna.

DOMINICA PALMARVM.

Euangel. *Cùm appropinquasset Iesus Ierosolymis.* Matth. 21. à v. 1. vsque 10.

FIDES.

Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi] Aduenisse Messiam, nec alium esse quàm Iesum, controu. 4. num. 1. & 2. Matt. 12. v. 5.

Venit tibi mansuetus, non curru aureo, non equis inuectus, discordiæ & belli insigniis; sed *sedens super asinam*, pacis amicam, laboris patientem. Vide comment. etiam v. 2.

Imposuerunt super eos vestimenta sua: alij ramos sternebant in via] Quid ni placeant etiam Christo templorum & altarium ornamenta, & cæremoniæ Ecclesiasticæ? contr. 18. n. 10. v. 7. & 8.

Hosanna filio Dauid &c.] Clamant non soli adulti, sed & pueri v. 15. & clamant etiam *in templo*, & laudantur à Christo, vers. 16. Quid ni etiam laudentur qui psalmos & alias preces in templo decantant, etsi lingua subinde non sat ab ipsis intellecta? contr. 17. nu. 6. & contr. 2. n. 10.

Etiam inanima inuitat Dauid ad laudandum Deum psal. 148. toto.

MORES.

Christus voluit solemni ritu inuehi in regiam vrbem suam Ierusalem, & sic quasi inaugurari in regem Israel: sicut olim eius proauus & figura Dauid à senioribus Israel inunctus fuit in regem. 2. Reg. 5. v. 2. & defert *arcam* summo honore *in Ierusalem*, c. 6. v. 1. *Attollite portas principes vestras*, &c. Psalm. 23. v. 7. *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: Ecce rex tuus veniet tibi iustus & saluator: ipse pauper, & ascendens super asinam & super pullum filium asinæ, & dissipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus, & potestas eius vsque ad fines terræ.* Zach. 9. v. 9. &c. *O, Domine saluum me fac, ô Domine. benè prosperare. Benedictus qui venit in nomine Domini.* Psalm. 117. v. 25. Osanna. *Serua me rex.* 2. Reg. 14. v. 4. *Viuat dominus meus Dauid in æternum.* 3. Reg. 1. v. 31. Ibid. habes inunctionem Salomonis. *Viuat rex Salomon. Quomodo fuit Dominus cum domino meo rege, sic sit cum Salomone, & sublimius faciat solium eius à solio domini mei regis Dauid*, v. 37. *Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum, & magnificet thronum eius super thronum tuum.* v. 47.

Sed cur iam prodit palàm, qui paulò antè quærebat latebras? Ioan. 11. v. 54. *Nondum venerat hora eius*, Ioan. 7. v. 39. Mutatis ergo circumstantiis prudenter mutantur consilia.

Cur asinâ inuectus? vide Zach. 9. v. 9. Humilitas & animi demissio, propria Christiano homini, vel maximè seruanda inter honores, vbi maximè periclitatur.

Cur asinâ alienâ? Primò, vt se pauperem probet. Secundò, vt significet, oblectari se spontaneis amicorum obsequiis. Vis & tu iumenti instar gestare Christum, qui te ouem perditam in humeros sublatam ouili restituit? vltrò offer operam proximo tuo: nec aliam quære causam vel stimulum vel motiuum, quàm quia *Dominus* in membris suis *opus hic habet. Ecce*, non leo, non tyrannus, sed *rex venit*: & *rex tuus*: & *venit* vltrò, venit vt agnus mansuetus & venit *tibi*, in vsum & commodum tuum: & venit ad mortem, *mortem autem crucis*, Phil. 2. v. 8. Veniet aliàs vt leo aduersus impios ac sibi rebelles.

Discipuli & turbæ *vestimenta sua* substernunt Christo. Tu carnem & passiones animi subiuga nutui Christi. *Ramos cædebant.* Tu pauperibus superflua elargire. *Palmas manibus* gestabant. Tu læta tuimet & totius mundi victoria Christum exhilara. *Hosanna* acclamabant. Tu læto cordis iubilo excipe & recrea Deum: cura etiam vt ab omni sexu, statu & ætate laudetur Deus, Psal. 148. toto.

Hic optimus apparatus excipiendo in animam tuam Deo & Christo. Memineris autem, non solo animo, sed externo etiam opere, gestuque coporis coli & honorari Deum. Et quò abiectora sunt, quę in obsequium Christi, vel membrorum eius poscuntur, eò alacriùs & hilariùs amore ipsius solius amplectere.

Sed ô mundi inconstantiam! *Hosanna* iam Christo acclamant, qui post quinque dies clamabunt, *Crucifige, crucifige*, Ioan. 19. v. 6. Et est qui mundo credat, omni euripo inconstantiori? Et mirabimur fleuisse Christum in hoc suo triumpho? Luc. 19. v. 41. *Videns ciuitatem fleuit super eam, dicens: Quia si cognouisses & tu!* Dominica IX. post Pentecost. *Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus.* Psal. 117. v. 8.

VARIA.

Inuectus est Iesus Ierosolymam Martij 18. mensis Nisan die 10. id est, quinque diebus ante mortem suam. Chron. cap. 49. Vbi etiam ordine recensui quæcumque ex eo die Christus egit aut dixit vsque ad horam mortis suæ.

De ramis quos *hosannas* vocabant, vide Leuit. 23. in Sceuopegia.

FERIA II. MAIORIS HEBDOMADÆ.

Euangel. *Ante diem Paschæ.* Ioan. 12. v. 1. vsque 10. Magdalena lauat pedes Christi. & c. 13. v. 1. vsque 16. lauat Christus pedes suorum Apostolorum. Matth. 26. v. 26. vsque 30. SS. Eucharistiam instituit. Denique instantem proditionem Iudæ, & fugam suorum prænuntiat.

FIDES & MORES.

Maria accepit libram vnguenti pistici pretiosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit capillis capitis sui] Vide in Festo Mariæ Magdalenæ, 22. Iulij ad v. 37. & 38. Ioan. 12. v. 3.

Quare vnguentum hoc non venit trecentis denarijs, & datum est egenis?] Prætextu succurrendi egenis vult Iudas Christo detracta obsequia, & suam palliatam auaritiam ac furta. Quando tempus & nummos teris inutilibus ludis & poculis, vel vestibus superfluis, cur tunc non clamas, *Vt quid perditio hæc?* Matt. 26. v. 8. v. 5.

Iudas Iscariotes, vnus ex discipulis, imò Apostolis Iesu, *fur erat*] Quid mirum, in magna communitate reperiri subinde quosdam peruersos? Etiam magni peccatores, etiam reprobi, quamdiu tolerantur, sunt de Ecclesia & familia Dei, contr. 5. n. 12. & 13. v. 6.

Loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat] Non solùm Clerici, sed & Religiosi, possunt exemplo Christi & Apostolorum in communi bona possidere, contr. 9. nu. 2. Sed Iudæ exitio fuit, quod saluti esse debebat. Auarum animum volebat Christus hac via sibi demereri; *sed ipse* obstinatior euasit. Sap. 14. v. 11. *Quoniam creatura Dei in odium facta, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.*

Sinite illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud. Opus *enim bonum operata est in me*, Matth. 26. v. 10. Etiam ad Deum colendum, & Christum in Eucharistia honorandum, controu. 21. num. 7. rectè impenduntur opes terrenæ. Prou. 3. v. 27. *Noli prohibere benefacere eum qui potest. Sed si vales, & ipse benefac.* v. 7.

Cùm Iesus semper *dilexisset suos, in finem dilexit eos*] Mundus serò inchoat, citò desinit, parum donat. At Deus numquam sinet quidquam ex sua parte deesse suis, contr. 14. n. 16. & 17. & quanta donat! *Pedes* & conscientias mundat: corpore & sanguine suo nos pascit: cæleste doctrina & gratia illuminat, roborat, protegit, in cælum deducit. c. 13. v. 1.

Sciens Primò, *quia omnia dedit ei Pater in manus*, contr. 14. 4. num. 3. & 17. Secundò, *quia à Deo exiuit*, controu. 3. num. 2. Tertiò, quia iam *ad Deum vadit*, &c. Quo potentior, quo nobilior, quo morti vicinior; eo sis ad exemplum Christi liberalior, eo humilior, eo virtutis studiosior.

Surgit à cœna, ex sinu cæleste Patris: *ponit vestimenta sua* regalia *præcingit se linteo* seruilis naturæ: *minus aquam*; imò sanguinem suum, *in peluim* crucis & Sacratorum, *& cœpit lauare pedes discipulorum*, controu. 4. nu. 11. & 15. *Et vos debetis alter alterius lauare pedes*, Ioan. 13. v. 14. v. 5.

Domine, tu lauas pedes? & lauas *mihi?* Deus homini? v. 6.

Dominus

Dominus seruo? Sanctissimus peccatori? *A sæculo non est auditum hoc.* Ioan. 9. v. 32.

v. 7. *Quod ego facio, tu nescis modò: scies autem postea*] Diuinæ prouidentiæ nos in omnibus committamus. Illâ deducemur ad æternam beatitudinem.

v. 8. *Si non lauero te, non habebis partem mecum*] Quantillares nos subinde præpedit ab obsequio diuino, & diuellit à Deo! De lauacro baptismi, & pœnitentiæ, contr. 19. & 23.

Matt. 26. v. 26. & 28. *Accepit Iesus panem, & fregit, deditq; discipulis suis* (etiam Iudæ,) *& ait: Accipite & comedite: Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* De vera ac reali præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, de transsubstantiatione panis & vini, de accidentibus sine subiecto, vide comment. hîc & Marci 14. vers. 23. & controu. 21. num. 1. vsque 5. Christum in azymo consecrasse, num. 8. Aquam vino admiscuisse, num. 9. Dum mundus crucem Christo parat, ipse nobilissima in eum dona profundit.

v. 27. *Bibite ex hoc omnes*] Sufficere laicis alteram speciem, docui Lucæ 22. v. 20. & contr. 21. n. 12. & totum Christum sub vtrauis specie contineri, n. 5. & 7.

v. 28. *Pro multis effundetur in remissionem peccatorum*] In Eucharistia offerri corpus & sanguinem Christi in verum ac propriè dictum sacrificium, etiam propitiatorium atque impetratorium, docui controu. 22. num. 4. vsque 9. Essentiam illius & effectus, nu. 7. 10. 11. Nec à Christo solo oblatum, sed & ab Apostolis. n. 12. & Apostolorum successoribus, nempe sacerdotibus. Lucæ 22. v. 19. *Hoc facite.* &c.

Ioan. 13. v. 27. *Ego scio quos elegerim*] Et ab æterno sciui, Iudam meproditurum. Volui tamen, illum mihi habere Apostolum. De electione Dei & prædestinatione, controu. 3. num. 8

Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille, Matth. 26. v. 24. Si innocens Iob c. 3. id optat, & Salomon Eccles. 4. v. 2. id etiam præfert vitæ; quanto potiori iure id quadrabit in peccatores infernalibus supplicijs æternùm addictos? de quibus vide in Feria secunda post primam Dominicam Quadragesimæ, & in Feria quinta post secundam Dominicam Quadragesimæ.

Cur ergo ô Christe illum delegisti in Apostolum? *Vt adimpleatur Scriptura*, Psalm. 40. v. 10. *Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum.* Sed hoc non officit libertati Iudæ, contr. 13. n. 6. & 7. neque excusat eius peccatum. Neque facit Deum causam peccati, contr. 12. n. 8. 9. 10. Vti nec quod sequitur:

v. 27. *Quod facis, fac citiùs*] Neque enim est iubentis, sed solùm permittentis.

v. 38. *Non cantabit* hodie *gallus* bis (Marci 14. vers. 30.) *donec ter me neges*] Nondum erat Petrus petra fundamentalis Ecclesiæ, Matth. 16. vers. 16. Nec tamen hac negatione, quæ solo ore fiebat, amisit fidem Petrus, (nam Lucæ 22. vers. 32. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*) sed solùm peccauit contra præceptum externæ confessionis fidei, Matth. 26. vers. 34. & controu. 6. num. 5. Mox prolixo sermone (quem describit S. Ioannes cap. 13. 14. 15. 16. 17.) suorum animos, vtpote tristitia obrutos, roborat & solatur: quod Superior debet subditis suis.

VARIA.

Fluebat vltima Danielis hebdomada, putà septuagesima: & in huius hebdomadæ medio (vt prædixerat c. 9. v. 26.) occisus est Christus.

De agno paschali, & quibus cæremoniis immolandus esset, vide Exodi 12. v. 5.

Etiam Iudam Dominici corporis participem fuisse, vide Matth. 26. v. 26.

Sermonem Christi in vltima cœna, qui est quasi testamentum eius, variis locis per partes explicui. Nempe Ioan. 14. v. 1. vsque 14. in Festo SS. Apostolorum Philippi & Iacobi, 1. Maij. à v. 15. vsque finem, in Vigilia & in Festo Pentecostes. Ioan. 15. v. 1. vsque 8. *in* communi vnius Martyris tempore Paschali. ab 8. vsque 12. in communi plurium Martyrum tempore Paschalis. à v. 12. vsque 17. in Vigilia vnius Apostoli à v. 17. vsque 26. in Festo SS. Apostolorum Simonis & Iudæ 28. Octob. à v. 26. vsque finem, & cap. 16. v. 1. vsque 5. in Dominica infra octauam Ascensionis. à v. 5. vsque 15. in Dominica quarta post Pascha. à v. 16. vsque 31. Dominica III. & V. post Pascha.

FERIA III. MAIORIS HEBDOMADÆ.

Orat & agonizat in horto, & capitur à Iudæis.

FIDES & MORES.

Et hymno dicto, exierunt in montem Oliueti] Vt olim *egressus fuerat Isaac ad meditandum in agro, inclinata iam die,* cùm instarent nuptiæ, &c. Gen. 24. v. 63. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Cant. 4. v. 6. Dauid *operto capite*, nudipes, *flens, orans* transit *torrentem Cedron.* 2. Reg. 15. v. 14. &c. Matt. 26. v. 30.

Cœpit contristari & mœstus esse. addit Marcus cap. 14. v. 33. *pauere & tedere.* v. 33.

Tristis est anima mea vsque ad mortem] Vltrò permittebat in se has excitari passiones, vt omnibus sui partibus pateretur, & verum ac passibilem hominem se declararet, contr. 4. num. 4. neque vllum in hoc fuit peccatum nu. 12. v. 34.

Quare *flectit genua*, quare cernuus orat in horto, vide 3. Reg. 17. v. 21. & c. 20. v. 32.

Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu] Duæ erant in Christo, vt naturæ, sic & voluntates, contr. 4. nu. 5. & 6. *Maledixit* Iob secundùm partem inferiorem *diei natali suo* Iob 3. v. 1. Et quàm aptè possunt eius verba appropriari Christo! *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera! quasi arena maris hæc grauior appareret: vnde & verba mea dolore sunt plena: quia sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.* Iob 6. vers. 2. vsque 16. Sed quid agimus? Iob 16. vers. 7. *Si locutus fuero, non quiescet dolor meus: & si tacuero non recedet à me. Ego ille quondam opulentus,* &c. *Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ,* &c. *Ad Deum stillat oculus meus,* &c. v. 13. 18. 21. Sed memineris victoriæ & triumphi instantis. *Appellaberis Israel, quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis?* Genes. 32. v. 28. v. 39.

Et factus in agonia, prolixiùs orabat. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram] Idque ex vius apprehensione instantis passionis: forsan & exigui fructus inde defacto obuenturi: non verò ex perpessione tormentorum infernalium, contr. 4. n. 14. *Circumdederunt me mala quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates* (meorum,) iam *meæ, & non potui vt viderem. multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me.* Psalm. 39. v. 13. *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me,* &c. *Quis dabit mihi pennas?* &c. Psalm. 54. v. 5. &c. *Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam,* &c. *Quæ non rapui, tunc exsoluebam.* Psalm. 68. v. 2. vsque 6. Luc. 22. v. 43. & 44.

Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat] *Paratum cor meum,* &c. Psal. 56. v. Atque ita *proposito sibi gaudio,* (quod amplecti potuisset, si voluisset, vide Dominicam secundam Quadrag.) *sustinuit crucem.* Hebr. 12. v. 2. v. 42.

Simon, Simon, ecce Satanas, vt olim Iobum c. 1. v. 11. sic v. 31.

nunc

nunc *experiuit vos, vt cribraret sicut triticum*] 1. Pet. 5. v. 8. *Aduersarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit, quærens quem deuoret.* Sed sine speciali Dei venia nihil potest.

v. 32. *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat* vmquam *fides tua*, vel successoris tui. Idque ne vmquam gregi meo desit qui in omni dubio possit illum sine erroris periculo docere, confirmare, stabilire, controu. 6. n. 6. vsque fin. Quare *& tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Quod autem tibi dico, omnibus successoribus tuis dictum volo: *quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite.* Iudith 8. v. 21.

Matt. 16. v. 41. *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem*] *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi per orationem & ieiunium.* Matth. 17. v. 20. De necessitate orationis, controu. 17. nu. 1.

Spiritus quidem promptus est: sed hoc non sufficit, quia *caro infirma* est: quæ nisi speciali gratia & auxilio supernò stabiliatur, succumbet tentationi. Gratia autem, etsi ex parte Dei semper in promptu sit, debet tamen oratione à Deo deposci, contr. 14. n. 17.

v. 42. *Iterum secundò abiit, & orauit*] *Properans enim homo sine querela deprecari pro populis, &c. restitit iræ*, &c. Sap. 18. v. 21. vsque fin. Pro tua enim salute, ô quisquis es, orabat etiam Christus. *Vsquequo Domine clamabo, & non exaudies? vociferabor, ad te vim patiens, & non saluabis?* Habacuc 1. vers. 2. *Si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Exod. 32. v. 32. & Rom. 9. v. 3. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.*

v. 44. *Orauit tertiò, eumdem sermonem dicens*] Quid & nos in Litaniis & Rosario sæpiùs eamdem rem deposcamus?

Pater fiat voluntas tua] *Pater, venit hora clarifica filium tuum*, &c. Ioan. 17. toto. *Pro eis ego sanctifico meipsum*, &c. v. 19. *Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesq; ad eum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Hebr. 5. v. 7.

Ioan. 18. v. 4. 5. & 6. *Quem quæritis? Iesum Nazarenum. Ego sum. Vt ergo dixit eis, Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram*] Quid inuito Christo veleat mundus, qui ne nomen quidem eius potest sustinere? De vi vocis, *Ego sum*, vide Exod. 3. vers. 14. Sic spiritu oris sui sternet Antichristum, 2. Thess. 2. vers. 8. & omnes impios in die iudicij, Matth. 25. v. 41. *Oblatus est* igitur, *quia ipse voluit*; Isa. 53. v. 7.

v. 8. *Si ergo me quæritis, sinite hos abire*] Citra nutum Dei nil potest omnis humana vel diabolica nequitia. *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis. Scio enim ego, quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos.* Ionæ 1. v. 12. *Non pugnabitis contra quemquam, nisi contra regem Israel solum.* 3. Reg. 22. v. 31.

Luc. 22. v. 53. *Hæc est hora vestra*, quâ vobis à Deo permittitur agere in me quod libet: *& potestas* est *tenebrarum*, seu tenebrionibus, etiam infernalibus concessa, ad lucem pro tempore premendam, & ad me pro libito diu exandum. Ecce *venit princeps huius mundi*, ad vltimum duellum, *sed in me non habet quidquam.* Ioan. 14. v. 30. *Nunc iudicium est mundi. Nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Ioan. 12. v. 31. *Venit hora, vt clarificetur Filius hominis.* v. 23.

Matt. 26. v. 50. *Amice, ad quid venisti?*] Lucæ 22. v. 48. *Iuda, osculo filium hominis tradis? Ioab* dum *Amasam osculatur* confodit illum, 2. Reg. 20. v. 9. *Diuisi sunt ab ira* blandi *vultus eius, & appropinquauit* hostiliter *cor illius.* Psal. 54. v. 22. *Quando morietur & peribit nomen eius?* Psalm. 40. v. 6. vsque 10. *Homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos*, &c. *Si inimicus meus maledixisset mihi*, &c. *Tu verò*, &c. Psalm. 54. v. 13. *Quid gloriaris in malitia*, &c. Psalm. 51. toto 30. maledictiones pro 30. argenteis Iudæ, vide Psal. 108. v. 6. vsque fin.

Conuerte gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt] Vsus gladij non inhibetur Christianis magistratibus aut principibus, contr. 10. num. 1. 4. 5. 6. quin imò commendatur ab Apostolo, Rom. 13. v. 4.

Discipuli omnes relicto eo fugerunt] Vbi nunc promissa fides? *Etiamsi oportuerit* nos *mori tecum, non te negabimus.* v. 35. Quanto constantior Iudas Machabæus! *Absit istam rem facere, vt fugiamus ab eis. Et si appropiauit tempus nostrum, moriamur in virtute, & non inferamus crimen gloriæ nostræ.* 1. Mach. 9. v. 10. Et Ethai, amicus Dauidis! *Viuit Dominus, & viuit dominus meus rex, quoniam in quocumque loco fueris domine mi rex, siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus.* 2. Reg. 15. v. 21. Sed discipulorum promissa vix vltra labia sunt progressa. *Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum, in fugam conuersi sunt in die belli.* Psal. 77. v. 9. *Venerunt filij vsque ad partum, & vires non habet parturiens.* 4. Reg. 19. v. 3.

Quid verò tu, ô anima mea; quid ages in hac palæstra? Ecce *spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus, In vmbra tua viuemus in Gentibus.* Thren. 4. vers. 20. *Defecit gaudium cordis nostri: cecidit corona capitis nostri. Væ nobis, quia peccauimus.* Thren. 5. v. 15.

Verùm capto Christo, quis (putatis,) fuit luctus B. Virginis? *Ne voceris me Noëmi*, id est pulchram, *sed voca me Mara*, id est, amaram. Ruth 1. v. 20. Iob 2. v. 11. &c. *Arca Dei capta est.* 1. Reg. 4. vers. 17. *Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei.* v. 21. *Cui comparabo te*, &c. *filia Ierusalem? magna est enim velut mare contritio tua, quis medebitur tui?* Thren. 2. vers. 13. *Iam verò qui videbat summi sacerdotis* (Oniæ) *vultum, mente vulnerabatur: facies enim & color immutatus & horror corporis, declarabat internum animi dolorem.* 2. Mach. 3. v. 16. *Erat enim misera magni sacerdotis in agone constituti expectatio.* v. 21.

Et quæ fuerit magnæ Matris, in tanti filij casu tristitia & agonia! Sed memineris gladij Simonis, qui nunc è vagina exeritur. *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Lucæ 2. v. 34.

VARIA.

Quibus psalmis soliti sint Iudæi post esum agni paschalis, gratias dicere Deo:

An sudor sanguineus possit naturaliter erumpere:

Quomodo Christi anima, quæ vt Dei visione fruebatur, erat in continuo & summo gaudio, potuerit simul contristari & tædere:

Cur à domestico se prodi permiserit: & quomodo Iudas sperare potuerit se posse Christum fallere:

Quot milites complecteretur legio, &c. vide in comment.

FERIA QVARTA MAIORIS HEBDOMADÆ.

A Iudæis damnatur, cæditur, illuditur: à Petro negatur: à Pilato examinatur: Iuda interim laqueo gulam sibi precludente.

MORES & FIDES.

Ego palàm locutus sum mundo, & in occulto nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt] Sic & tu viue, vt possis ad publicum orbis testimonium prouocare. Ecclesia

Ioan. 18. v. 19. 20.

ecclesia Christi, contr. 5. nu. 1. & 7. & omnis eius doctrina palàm nota est toti mundo. Et *sanctam* per omnia illam esse, n. 6. etiam *inimici* Deuter. 32. v. 31.) *sunt iudices*, ad quorum testimonium hic prouocat Christus.

Sic respondes pontifici] An non potuisset Christus respondere, non Caipham, sed se verum esse Pontificem Ecclesiæ Dei? Psal. 109. v. 4. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secùndùm ordinem Melchisedech.* Hebr. 7. v. 26. *Talis decebat vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus.* Quia tamen Caiphas passim pro pontifice habebatur, non declinat eius cognitionem Christus. Prælati Ecclesiæ, quantumuis impij, quantumuis occulti hæretici & infideles, quamdiu tolerantur ab Ecclesia, pro talibus habendi & agnoscendi sunt, contr. 5. nu. 11. 12. 13. Nónne saltem potuisset cum Paulo dicere? *Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu sedens iudicas me secundùm legem, & contra legem iubes me percuti?* &c. Act. 23. v. 3. Verùm Paulus correxit sua dicta: *Nesciebam fratres, quia princeps est sacerdotum.* v. 5. *Scriptum est enim: Principem populi tui non maledices.* ibid.

Matt. 26. v. 59. *Quærebant falsum testimonium contra Iesum*] *Defecerunt scrutantes scrutinio. Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus,* &c. Ps. 6. v. 7. & 8. *Surgentes testes iniqui;* &c. Ps. 34. v. 11. vsque fin. *Ego autem tanquam surdus non audiebam.* Psal. 37. v. 14. *Obmutui & silui* etiam *à bonis.* Psalm. 38. v. 3. Cogita iniustam accusationem Naboth, 3. Regum 19. v. 13.

Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christus Filius Dei. vers. 64. *Dixit illi Iesus, Tu dixisti;* Marci 14. vers. 62. *Ego sum.* Hoc debebat toti mundo clarè innotescere. Argumenta quibus probatur, habes controu. 4. num. 2. & 3.

Matt. 26. v. 63. & 64. *Blasphemauit. Ecce nunc audistis blasphemiam: quid vobis videtur? reus est mortis*] Qualis pontifex, talis sententia; quale cõcilium, tale decretum. Veritas censetur blasphemia: Dominus à seruis, vita à morte damnatur. *Iudicium mortis est viro huic, quia prophetauit aduersus ciuitatem istam, sicut audistis auribus vestris.* Ierem. 26. v. 11. *Ego autem ecce in manibus vestris sum: facite mihi quod bonum & rectum est in oculis vestris. Verumtamen scitote,* &c. v. 14. Summus Pontifex Ecclesiæ Christi, & Concilium legitimum generale non potest in sui iuris sententia à vero deuiare, contr. 6. n. 16. & contr. 7. nu. 5.

v. 65. *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?*] Nil dubitetis; responsum *amodo* habebitis certissimum, quando vers. 64. *videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.* Nullius rei ignorantiam fuisse in Christo, vide contr. 4. nu. 12. Si *erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra,* Numer. 10. v. 3. quid de Christi mansuetudine credendum? *Deglutiamus eum sicut infernus viuentem,* &c. Prou. 1. v. 12.

v. 68. Et verò instigante inferno iaciebantur hæc scommata in Christum. Sed debebant impleri Scripturæ. Et etiam hic calix erat Christo exsorbendus. *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me,* &c. Isaiæ 50. v. 6. & 7. *Inglorius erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum.* Isaiæ 52. v. 14.

Sed & infernalis Lucifer per impios ministros suos *tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ. Factus sum in derisum omni populo meo,* &c. Thren. 3. v. 12. vsque 38. *In me psallebant qui bibebant vinum.* Psal. 68. v. 13. *Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, & non inueni.* v. 21. *Et dederunt in escam meam fel,* &c. v. 22. Quis credat, posse sic in sultari Filio Dei? *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui, sibilauerunt & fremuerunt dentibus, & dixerunt, Deuorabimus. En ista est dies quam exspectabamus: inuenimus, vidimus.* Thren. 2. v. 16. *Quis mihi tribuat vt sim iuxta menses priscos,* &c. Iob 29. v. 2. *Nunc autem deridebant me, quorum non dignabar partes ponere cum canibus gregis mei.* c. 30. v. 1. *Filij stultorum, & ignobilium, & vitâ ipsâ indigni,* &c. *Abominantur me, & faciem meam conspuere non verentur,* vers. 2. 8. 10. Et aspicis hæc, ô Pater? & mutatus es mihi in crudelem, vers. 21. vide totum caput. Filij hominum, si sapitis, *quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius est; quia excelsus reputatus est ipse.* Isa. 2. v. vlt.

Numquid & tu, Petre, *ex discipulis es hominis istius?* v. 26. *Nónne ego te vidi in horto cum illo?* v. 27. *Negauit Petrus,* & quidem tertiò. & Matth. 26. v. 72. *cum iuramento negauit.* & v. 74. *cœpit detestari & iurare, quia non nouisset hominem.* Ex quàm fragili arundine, quàm solida pòst paulò edasit petra! contr. 6. nu. 5. & 16. Ex vno peccato quàm pronus lapsus in alia peccata, nisi mox resipiscas! contr. 14. n. 15. Vbi nunc Petre, tam ampla promissa? *Tecum in mortem* ibo, &c. *Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli.* Psalm. 77. v. 9. *Filij venerunt ad partum, & vires pariendi non habet parturiens.* 4. Regum 19. v. 3. Ioan. 18. v. 17. & 25.

Adhuc Petro *loquente, gallus* secundò *cantauit*: necdum tamen resipuit Petrus. Sed tum demum, cùm *conuersus* ad eum *Dominus* Iesus *respexit Petrum, recordatus est Petrus verbi Dominj; &* v. 62. *egressus* (en citam pœnitentiam) *foras* (en prudentem) *fleuit amarè!* (en vehementem.) Sed parum iuuerint omnia externa monita, nisi ab intus accesserit diuina gratia. contr. 14. n. 3. & 9. Luc. 22. v. 60.

O quàm prudens! quàm felix Petrus præ Iuda!

Matt. 27. v. 3. *Videns Iudas, qui* Iesum *tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit* (*decorum pretium quo appretiatus sum ab eis,* &c. Zach. 11. vers. 13.) *triginta argenteos principibus sacerdotum, dicens: Peccaui tradens sanguinem iustum*] O Iuda si hoc Christo dixisses! Quænam requirantur ad solidam conuersionem, vide contr. 15. nu. 9. & 10. Hîc defuit *spes veniæ*: nam mox v. 5. *abiens laqueo se suspendit: &* Actor. 1. vers. 18. *suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius.* Exemplo præierat Saul 1. Regum vlt. v. 4. & Achitophel 2. Regum 17. vers. 22. O quàm *bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille!* Matth. 26. v. 24. Nullum esse tam enorme peccatum, quod pœnitentiâ remitti non possit, docui contr. 23. n. 5.

v. 11. *Iesus autem stetit ante præsidem*] Rex regum, & Dominus dominantium ante vilissimum mancipium. Simul memineris alterius Iesu, qui Zachar. 3. v. 1. sordidis vestibus stetit ante tribunal Archangeli, & de Lucifero feliciter triumphauit. *Inuenimus hunc* (Paulum) *hominẽ pestiferum & concitantem seditiones omnibus Iudæis in vniuerso orbe, & auctorem seditionis sectæ Nazarenorum, qui etiam templum violare conatus est,* &c. Actor. 24. v. 5. *Prouisorem ciuitatis* (totiusque orbis) *ac defensorem gentis suæ, & æmulatorem legis Dei* (Oniam) *aulebat* (impius Simon) *insidiatorem regni dicere,* 2. Mach. 4. v. 2.

Ioan. 18. v. 35. *Gens tua & pontifices tui* (adde, & tu ipse, & Pater tuus) *tradiderunt te mihi: quid fecisti?*] Nam quòd illi te læsæ maiestatis reum multis nominibus faciunt, Lucæ 23. v. 2. mihi constat ex vano haustum esse. Ex te audire volo, quid feceris? & an *tu* sis *rex Iudæorum?*

v. 36. *Rex sum ego*, imò regum omnium Rex: sed *regnum meum non est de hoc mundo*] Nobilius tamen, excellentius, & sublimius omni regno mundi. contr. 4. n. 17.

v. 38. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati*] Et huic cum primis, quòd totius mundi Rex sim, & Messias.

Ego nullam inuenio in eo causam mortis. Luc. 23. v. 4.

Nihil inuenio causæ in hoc homine: ideò *quòd* (Isa. 53. v. 9.) *iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius.* contr. 4. n. 12. Sed Isa. 53. v. 6. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm* & v. 12. *ipse peccata multorum tulit*, & ideo debet mori.

VARIA.

Vt petulantissimè insultarunt Iudæi Christo, ita regi iplorum Herodi Agrippæ pæne simili modo insultatum postea fuit in imagine ab Alexandrinis in publica scena. Chron. c. 50. anno 8. à morte Christi.

Quantam summam faciant 30. argentei: & an fortè intelligantur minæ, vel certè libræ argenteæ, vide Zach. 11. v. 13.

Quomodo verò Ieremiæ hîc adscribantur, quæ sunt Zachariæ, dixi Matt. 27. v. 9. vbi & alia huc spectantia.

FERIA QVINTA MAIORIS HEBDOMADÆ.

A Pilato ad Herodem mittitur: ab Herode illuditur, & ad Pilatum remittitur: Barabbæ postponitur: flagellatur, spinis coronatur, & sic publicè spectandus proponitur: vxore Pilati maritum frustra dehortante, ne se tam iniustæ causæ immisceat.

FIDES & MORES.

Luc. 23. v. 8. *Herodes viso Iesu, gauisus est valdè: & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri*] Et curiositati obsequatur Christus? Lucæ 16. v. 29. *Habent Moysen & Prophetas, audiant illos.* Signa *non fidelibus, sed infidelibus.* 1. Corinth. 14. v. 22.

Verùm quàm facilè potuisset Christus hac via se è manibus Iudæorum expedire, si voluisset! *Sicut diuisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quòcumque voluerit, inclinabit illud.* Prou. 21. v. 1. Sed charior ipsi fuit nostra salus, quàm propria vita.

v. 11. *Spreuit illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum*] En æternam Sapientiam spretam vt fatuam: diuinam maiestatem illusam vt affectatæ & læsæ maiestatis ream. *Ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini: & Iesus erat indutus vestibus sordidis.* Zachar. 3. vers. 1. *Vidimus eum, & non erat aspectus*, &c. Isa. 53. v. 2. *Repleuit me amaritudinibus, & inebriauit me absinthio*, &c. Thren. 3. v. 15. & 19.

v. 12. *Facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die*] Item angeli & homines: Creator & creaturæ, contr. 4. n. 15.

Ioan. 18. v. 38. *Est consuetudo vobis, vt vnum* vinctorum *dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis regem Iudæorum?*] Quid ni præ Barabba latrone, & tot sceleribus infami? *Christus* & *Barabbas*, duo capri, alter emissarius, alter noxæ datus, Leu. 16. v. 20.

40. *Non hunc, sed Barabbam.* Lucæ 23. v. 18. *Tolle hunc* v. 21. *Crucifige, crucifige eum.* Et *Menelaum quidem* (pseudopontificem) *vniuersæ malitiæ reum criminibus absoluit* (Antiochus Rex:) *miseros autem* (eius accusatores) *qui etiamsi apud Scythas causam dixissent, innocentes iudicarentur, hos morte damnauit.* 2. Mach. 4. v. 47. *Ergóne Ionathas morietur qui fecit salutem hanc magnam in Israel? hoc nefas est. Viuit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius, in terram, quia cum Deo operatus est hodie.* 1. Reg. 14. v. 44.

Lu. 23. v. 22. *Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis inuenio in eo*] Caue sis ergo obsequaris iniusto postulato Iudæorum.

Matt. 27. v. 19. *Sedente* Pilato *pro tribunali misit ad eum vxor eius dicens: Nihil tibi & iusto illi. Multa enim passa sum hodie per visum propter eum* malè à te exceptum. Non monitis tantùm, sed & minis solet Deus deterrere nos à scelere.

Corripiam ergo illum, & dimittam] Sed *non* sunt *facienda mala, vt eueniant bona.* Rom. 3. v. 8. Lut.

Tunc apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit] Figura præcessit Isaias incedens *nudus & discalceatus.* Isa. 20. v. 2. *Non est species ei; neque decor*, &c. Isa. 53. v. 2. &c. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Isa. 63. v. 1. *Dilectus meus candidus & rubicundus.* Cant. 5. v. 10. *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Exod. 4. v. 25. *Ego in flagella paratus sum.* Psalm. 37. v. 18. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores*, &c. Psalm. 128. v. 3. *Copiosa apud eum redemptio.* Psal. 129. v. 7.

v. 1. *Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius. Et veste purpurea circumdederunt eum.* & v. 3. *dabant ei alapas.* Matth. 27. vers. 26. Et posuerunt *arundinem in dextera eius. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes, Aue rex Iudæorum.* & v. 30. *exspuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius*] Hiccine est princeps *perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ?* Thren. 2. vers. 15. *Vide Domine & considera, quem vindemiaueris ita.* vers. 20. *Quare non comburitur rubus?* Exod. 3. vers. 2. Quare caro Christi inflammata igne diuinitatis, adhuc retinet integras spinas paupertatis, doloris, ignominiæ, &c. In causa est *ignis* charitatis, quæ valdè distantia solet aliquando coniungere, & coniuncta aliquando separare.

v. 5. *Exiuit ergo Iesus*, foras ad populum protractus, *portans coronam spineam, & purpureum vestimentum* corpore toto flagellis concilo. *Et dicit eis* Pilatus, *Ecce homo*] Egredimini *filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate*, &c. Cant. 3. v. 11.

v. 6. *Crucifige, crucifige eum. Accipite eum vos, & crucifigite. Ego enim non inuenio in eo causam*, c. 18. v. 31. *Accipite eum vos, & secundùm legem vestram iudicate eum. Dixerunt Iudæi, Nobis non licet interficere quemquam*] nempe crucis supplicio.

v. 7. *Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia Filium Dei se fecit*] Christus non semetipsum clarificauit, *sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hebr. 5. v. 5. Sed an esse Filium Dei, causa est mortis? O stulta mundi iudicia!

VARIA.

Cur soleret in Paschate liber è vinculis dimitti vnus captiuus?

Quid passa sit vxor Pilati propter Christum malè à marito acceptum; quod nomen illi, & quæ pœnæ tam ipsam, quàm maritum consecutæ?

Qua lege Iudaica prætexuerint pontifices Christum debere mori?

Quomodo Iudæis non licuerit interficere quemquam, cùm interfecerint Stephanum, vide in comment. vt & de flagellatione & spinea coronatione.

FERIA VI. IN PARASCEVE.

Vltimùm à Pilato examinatur, ac tandem cruci addicitur, cui affigitur: & septem illustribus verbis in cruce prolatis, constantissimè moritur.

FIDES & MORES.

Pilatus *iterum ingressus prætorium*, dicit *ad Iesum: Vnde tu?*] Id si, Pilate, scires, quomodo contremisceres? Isa. 53. v. 8. *Generationem eius quis enarrabit?* v. 19.

Iesus autem responsum non dedit ei] Neque enim voluit moram morti suæ inijcere.

Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, vel *dimittere te?* Tuo te damnas calculo, Pilate: Si enim potes, cur non dimittis innocentem?

Non

v.11. *Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper*] *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum,* &c. Gen. 45. v. 8. *Vos cogitastis de me malum.* Gen. 50. v. 20. &c.

Propterea qui me tradidit tibi, meamque dignitatem melius, quàm tu, perspectam habet, nempe grex sacerdotum & Pharisæorum, *maius peccatum habet*] Tu enim me non nisi vt purum hominem nosti : ipsi verò sciunt me esse *Filium Dei.* Ioan. 15. v. 22. *Excusationem non habent de peccato suo.*

v. 12. Pilate *si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*] Hoc demum potentissimo ariete deiicitur Pilati animus, in Christum hucusque propensior.

v.13. *Pilatus cùm audisset hos sermones*, vt erat ambitiosissimus, & fortunæ suæ & honoris amantissimus, *adduxit foras Iesum, & sedit pro tribunali*] Axioma politicorum, omnia, etiam salutem æternam, honori posthabere.

v.14. *Ecce rex vester* v. 15. *Regem vestrum crucifigam ?* Tibi, ô anima mea, hæc dicta accipe.

Non habemus regem, nisi Cæsarem] *Inuiderunt* Iosepho *habentes iacula,* &c. Gen. 46. v. 25. *Hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse Iesum,* (inquiunt Iudæi Thessalonicæ.) Act. 17. v. 7.

Matt. 27. v. 24. *Accepta aqua, lauit manus coram populo, dicens : Innocens ego sum à sanguine iusti huius : vos videritis*] Non sic Pilate, sanguis abluitur innocentis ; *clamabit* vindictam in cælum, Genes. 4. v. 10. Prudentiùs Dauid : *Mundus*, inquit, *ego sum & regnum meum, apud Dominum, vsque in sempiternum, à sanguine Abner filij Ner. Et veniat super caput Ioab, & super omnem domum patris eius. Nec deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens, & leprosus, & tenens fusum, & cadens gladio & indigens pane.* 2. Reg. 3. v. 28.

v.25. *Sanguis eius super nos ; & super filios nostros*] Etiam *super nos* Christianos ; sed in redemptionem & salutem, non verò in vltionem, vt fuit super Iudæos.

v.26. *Tunc dimisit eis Barabbam : Iesum autem flagellatum tradidit eis vt crucifigeretur*] *Pro iusto datur* (noxæ) *impius, & pro recto iniquus*, in expiationem, &c. Prouerb. 21. v. 18. At hic datur iustus pro impiis.

Ioan. 19. v. 17. *Baiulans sibi crucem* Iesus, *exiuit in Caluariæ locum*] *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Cantic. 4. vers. 6. *Factus est principatus eius super humerum eius.* Isaiæ 9. v. 6. *Languores nostros ipse tulit,* &c. Isaiæ 53. vers. 4. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* 1. Petr. 2. v. 24.

Lu. 23. v. 28. & 31. *Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quia si in viridi ligno* (in me, omnis peccati experte, contr. 4. n. 12.) *hæc faciunt ; in arido* & ignibus aptissimo (populo Iudaico, omnium succo virtutum destituto) *quid fiet*] Ecce tibi hic *Agnus Dei. Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrùm,* &c. *Sicut ouis ad occisionem ducetur,* &c. Isa. 53. v. 6. vsque fin. *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam*, &c. Ierem. 11. v. 19. *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium,* &c. v. 19.

v. 33. *Postquam venerunt in locum* Caluariæ, *ibi crucifixerunt eum, & latrones, vnum à dextris, & alterum à sinistris*] *Sicut Moyses exaltauit serpentem,* &c. Ioan. 3. v. 14. *Si affliget homo Deum, quia vos configitis me ? me vos configitis gens tota.* Malach. 3. vers. 8. & 9. *Isaac* immolandus à parente, in monte Caluariæ, Genes. 22. v. 8. *Filia Iephte* reuera immolata, Iudic. 11. v. 30. Alia figura fuit *Ioseph*, Genes. 37. &c. In quibus *Iob* typum gesserit Christi, Iob vlt. post finem cap. Typus per omnia *Samson*, cap. 19. v. 30.

Matt. 27. v. 34. Antequam crucifigerent, *dederunt ei vinum bibere cum felle mistum.* (Marcus cap. 15. v. 23. vocat *myrrhatum vinum :*) ad gustum, cui vni parcitum hactenus, amarissimo hausto cruciandum. Sed *cùm gustasset, noluit bibere*, nc tam insano potù videretur velle sibi mortem vltrò accelerare.

v. 37. *Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam : Hic est Iesus Nazarenus,* (Ioan. 19. vers. 19.) *Rex Iudæorum*] Nec alia causa mortis allegabatur. Tu adde : *Tui causa crucifixus.*

Ioan. 19. v. 20. *Noli* Pilate *scribere*, Hic est *rex Iudæorum : sed, quia ipse dixit. Rex sum Iudæorum*] Nolebant, à manu iudicis tam apertum dignitatis Christi testimonium, v. 22. *Respondit Pilatus. Quod scripsi, scripsi* vt decuit, nec decreui mutare. Nolebat enim Deus retractari solemne veritatis testimonium à tali manu profectum.

v. 23. *Milites cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem.* De *tunica* verò *inconsutili*, v. 24. *dixerunt : Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cuius sit*, iuxta illud Psalmi 21. v. 19. *Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Sic insultant adhuc viuenti, & venti, quasi iam de vita eius, velit, nolit, conclamatum sit. Sed mysticè adumbrabatur, spoliis crucifixi Christi ditandas quatuor orbis partes ; sed fidem & iustitiam & salutem, quæ vnica est & inconsutilis, non simul omnibus, sed variis vario tempore & variis modis, quasi sorte obuenturam.

Matt. 27. v. 39. *Prætereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes, Vah, qui destruis templum Dei,* &c. *Salua temetipsum : si Filius Dei es, descende de cruce.* vers. 43. *Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei*] Instar Noë, Christus amore vineæ suæ inebriatus, id cruce nudatus & irrisus est, &c. Genes. 9. v. 22. *Erit vita tua quasi pendens ante te.* Deuter. 28. v. 66 Num & tu, ô peccator, sceleribus tuis perges maledicere & blasphemare Christum ? *Populo meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi ? responde mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti,* &c. Michææ 6. vers. 3. &c. *Labia eius sicut lilia stillantia myrrham primam.* Cant. 5. v. 17. Audi septem Christi verba in cruce.

Lu. 23. v. 34. *Iesus autem dicebat : Pater dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt*] Hic fungitur munere mediatoris apud Deum. *Semel per annum pontifex deprecabitur super cornua altaris thymiamatis, in sanguine oblato pro peccato.* Exodi 30. v. 10.

v. 39. *Vnus de* duobus *latronibus blasphemabat dicens, Si tu es Christus, salua temetipsum, & nos. Alter autem increpabat eum, dicens : Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es ?*] Lucæ 17. v. 34. *Erunt duo in lecto vno ; vnus assumetur, & alter relinquetur.* An non intolerandum, etiam imminente certâ morte & terribili iudicio, quosdam nolle resipiscere ?

v. 41. *Et nos quidem iustè : nam digna factis recipimus : hic verò nihil mali gessit*]. Et vnde hoc nosti tu latro ? vita, verba, mores clamant.

v. 42. *Domine, memento mei cùm veneris in regnum tuum*] Crux non adimit, sed stabilit nobis ius regni, parati electis *à constitutione mundi*, Matth. 25. v. 34.

v. 43. *Amen dico tibi, Hodie mecum eris in paradiso*] Vt olim Iosephus inter *pincernam & pistorem* Pharaonis, Gen. 40. sic Christus in medio latronum, vni exitium, alteri salutem æternam prædicit.

v. 44. *Et tenebræ factæ sunt in vniuersam terram*, ab hora sexta, *vsque in horam nonam. Et obscuratus est sol.* Indicia erant tenebrarum spiritualium in cordibus hominum. *Et erit in die illa, dicit Dominus Deus, occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.* Amos 8. v. 9. Iosue pugnante cap. 10. v. 12. sistitur sol : at Iesu pugnante, obscuratur.

v. 49. *Stabant autem omnes notiei eius à longè*, non ausi clara luce propiùs accedere. Sed ingruentibus tenebris, Ioan. 19. v. 25. paulò propiùs accedentes *stabant iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius, Maria Cleophæ, & Maria*

Magdalene. Sed quid hîc agant? *Tres amici Iob visis illius miserijs, exclamantes plorauerunt: scissisq; vestibus sparserunt puluerem super caput suum in cælum, & sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem.* Iob 2. v. 12.

Ioan. 19. v. 26. *Dicit* Iesus *matri suæ: Mulier ecce* Ioannes *filius tuus. Deinde dicit* Ioanni. *Ecce mater tua*] Nónne & matri dixit? *Vide an* hæc *tunica filij tui sit.* Gen. 37. v. 32. *Cui comparabo te filia Ierusalem?* &c. Thren. 2. v. 13. *Ne vocetis me pulchram, sed Mara.* Ruth 1. v. 20.

v. 28. *Vt consummaretur Scriptura,* (Psal. 68. v. 22. *In siti mea potauerunt me aceto? dixit: Sitio*] *O si quis daret mihi aquam de cisterna Bethlehem, quæ est in porta!* 1. Paral. 11. v. 17. *Absit vt in conspectu Dei mei hoc faciam, & sanguinem istorum virorum bibam,* v. 19. Alia siti crucior: siti animarum populi mei. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.* Rom. 10. vers. vlt. ex Isa. 65. v. 2.

Matt. 27. v. 46. *Circa horam nonam clamauit Iesus voce magna: Eli, Eli, lamma sabacthani? hoc est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?*] An passus sit Christus tormenta infernalia. controu. 4. n. 14. vt blasphemat Caluinus, vide comment. *Ego autem sum vermis,* &c. Psal. 21. v. 7. vsque 23. *Ossa mea sicut cremium aruerunt,* &c. Psal. 101. v. 4. vsque 12. vbi & de pellicano, v. 7. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus,* &c. Thren. 1. v. 12. *Vide Domine quoniam tribulor,* &c. v. 20. vsque fin.

Ioan. 19. v. 30. *Cùm accepisset Iesus acetum,* spongia sibi oblatum, *dixit, Consummatum est*] Hebr. 10. v. 14. *Hac vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos.* controu. 4. nu. 15. Crux Christi & Christus *altare* nostrum, Exod. 27. v. 1. *Cithara* Dauidis, 1. Reg. 16 v. 23. crux Christi. Item *funda,* c. 17. v. 49. Moyses tamdiu *manus* extendit, Exod. 17. & Iosue *clypeum* attollit, Iosue 8. v. 18. quoad victoria plena obtenta esset.

Matt. 27. v. 50. & Lu. 23. v. 49. *Iterum clamans Iesus voce magna, Pater in manus tuas commendo spiritum meum, exspirauit*] Ioan. 19. v. 30. *Inclinato capite tradidit spiritum* in manus & in sinum Patris, obtenta iam plenâ victoriâ. *Venit enim princeps huius mundi,* & fecit in me quidquid voluit: *& in me non habet quidquam.* Ioan. 14. v. 30. Quàm pulchro stratagemate pellexit Deus Pharaonem ad transitum maris rubri, &c. Exod. 14. v. 2. &c. sic iam diabolum Christus. *Egredimini* nunc animæ Christianæ, *& videte regem in diademate,* &c. Cant. 3. v. 11. non spineo quo mater eius Synagoga eum coronauit: sed aureo, quo cælestis Pater Filium victorem condecorauit. *Spiritus oris nostri Christus captus in peccatis nostris,* &c. Thren. 4. v. 20. iam captiuos habet dæmones omnes qui ipsum ceperant. *Cornua in manibus eius.* Habacuc 3. v. 4. *Super aspidem,* &c. Psalm. 90. v. 13. *Fortium diuidet spolia,* &c. Isa. 53. v. 10. Hominibus autem lætam salutem adgratulatur. *Verumtamen seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me & peccatorum tuorum non recordabor.* Isa. 43. vers. 24. & 25. *Pater tuus primus peccauit in me,* &c. vers. 2. *Deleui vt nubem, iniquitates tuas; & quasi nebulam, peccata tua: reuertere ad me, quoniam redemi te.* Isa. 44. vers. 22. Reuertimur vtique ad te, ô Christe. *Ad quem* enim alium *ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Ioan. 6. vers. 69. *Deus autem rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ.* Psalm. 73. v. 12. *Tu enim pater noster, & Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos: tu Domine pater noster, redemptor noster, à sæculo nomen tuum.* Isa. 63. v. 16.

Quòd si nolint obstinati Iudæi salute iam parta frui; saltem accurant Christiani. Iudæi cum rubore *aspicient ad me, quem confixerunt.* Zach. 12. v. 10. *& plangent terra,* v. 11. & 12. Christianis autem *in die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Zach. 13. v. 1. *Et dicetur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet, Hu plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.* v. 6. (An hoc Deus permittet?) *Framea suscitare super pastorem meum* (Christum) *& super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum,* v. 5. *Percute pastorem, & dispergentur oues. Et conuertam manum meam* (etiam) *ad paruulos* (cædendos & dispergendos) ibid. *Dominus regnauit* à ligno. Psal. 95. v. 10. Sic *correxit orbem terræ.* v. 11. *Sion in iudicio* (rigore iustitiæ) *redimetur.* Isaiæ 1. v. 27. *Idcirco super hoc dimittetur iniquitas domui Iacob. Et iste omnis fructus, vt auferatur peccatum eius.* Isa. 27. v. 9.

Hîc iam reuolue animo tuo, quæ & quanta pro te tulerit Christus tuus. Et memineris, ipsum esse patrem, sponsum, Deum tuum. O, si ignarus tragœdiæ, subitò ad tantum strepitum accurrisses, & talia spectans reclamasses esse patrem, esse sponsum tuum, nec nisi tui causâ hæc omnia pati! *Humiliauit semetipsum vsque ad mortem,* &c. ad Philipp. 2. v. 8. *Ego vermis, & non homo,* &c. Psalm. 21. v. 7. *Sicut aqua effusus sum,* &c. v. 15. *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Ioan. 12. v. 32. Sicut *Samaritanus* imposuit ægrum *iumento* suo, id est corpori; Lucæ 10. v. 34. *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me,* &c. Genes. 22. v. 16. *Delens chirographum decreti,* &c. Colos. 2. v. 14. & ad Ephes. 2. v. 16. *Recogitate eum qui* talia *sustinuit,* &c. Hebr. 12. v. 3. Tingite *postes* vestros *sanguine agni.* Exodi 12. v. 22. *Mihi absit gloriari,* &c. ad Gal. 6. v. 14. & Luc. 14. *Nisi Iesum, & hunc crucifixum,* &c. 1. Cor. 2. v. 2. *Semper mortificationem Iesu,* &c. 2. Cor. 4. vers. 10. *Qui vult venire post me,* &c. Matth. 16. v. 14. & Lucæ 14. v. 27. *Lilium inter spinas.* Cant. 2. v. 2. *Aries inter vepres.* Gen. 22. v. 17. *Adimpleo quæ desunt passionum Christi in carne mea,* &c. Colos. 1. v. 24. *Dixi, Ascendam in palmam,* &c. Cant. 7. v. 7. *Sub vmbra eius sedi.* c. 2. v. 2. *Recordare paupertatis meæ; absinthij & fellis.* Thren. 3. v. 19. *Propter te mortificamur,* &c. Ps. 43. v. 22. *Gloriamur in tribulationibus.* Rom. 5. v. 3. Gal. 6. v. 14. *Adorabo fastigium virgæ eius.* Gen. 47. v. 31. Hebr. 11. v. 21. *Veni anima mea, columba mea in foraminibus petræ,* &c. Cant. 2. v. 14. Simile Ierem. 48. v. 28. & Isa. 50. v. 1. *Vulneratus est propter peccata nostra,* &c. Isa. 53. v. 8. *Foderunt manus,* &c. Ps. 21. v. 17. *Et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Act. 4. v. 12. *Elephantis ostenderunt sanguinem suum & mori, ad acuendos in prælium.* 1. Machab. 6. v. 34.

Etiam sanguis Christi te acuat in hostes tuos. *Vide omnia facito secundùm exemplar quod tibi ostensum est in monte.* Exod. 25. v. 40. & Hebr. 8. v. 5. *Christus assistens pontifex futurorum bonorum,* &c. *per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta,* &c. Hebr. 9. v. 11. vsque fin. *Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes.* Hebr. 13. v. 13. *Scientes, quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi,* &c. 1. Petr. 1. v. 18. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius: qui peccatum non fecit,* &c. 1. Petr. 2. v. 21. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo,* &c. 1. Petr. 3. v. 18. *Beati qui lauant stolas suas in sanguine Agni,* &c. Apoc. 22. v. 14.

Sit probro quibus libuerit, crucifigi cum Christo nos id summo nobis honori ducimus & gloriæ. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum; Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus,* &c. 1. Corinth. 1. vers. 23:

&c. De-

&c. *Benedictum est lignum per quod fit iustitia.* Sap. 14. v. 7.

In gratiarum verò actionem *quid dignum offeram Domino? Curuabo genu Deo excelso? Numquid offeram ei holocaustomata? Numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo? fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo.* Michææ 6. vers. 6. vsque 9. Sic agam: sic ambulabo. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi,* &c. Cant. 1. v. 12. *Messui myrrham meam*, cap. 6. v. 1. *Dum esset rex in accubitu suo,* &c. Cant. 1. v. 11. *Sub vmbra illius sedi,* &c. Cantic. 2. v. 3. Cogita Respham quæ tanto tempore strauit sibi sub patibulo, vt adesset cadaueribus filiorum suorum, 2. Reg. 21. v. 10. Et tu, mi Iesu, *indica mihi, vbi cubes in meridie.* Cant. 1. v. 6. *Det vobis* Deus *secundùm diuitias gloriæ suæ,* &c. *vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum: scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Ephes. 3. v. 18. &c. *Hoc autem sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cùm in forma Dei esset,* &c. *semetipsum exinaniuit,* &c. Phil. 2. v. 5. &c. *Cùm mortui essetis in delictis, conuiuificauit vos cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso.* Colos. 2. vers. 13. vsque 16.

O me felicem! *Christo confixus sum cruci. Viuo autem, iam non ego: viuit verò in me Christus* Gal. 2. v. 19. O *insensati* peccatores *quis vos fascinauit non obedire veritati; ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus!* Galat. 3. v. 1. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est; Maledictus omnis qui pendet in ligno.* vers. 13. Quid æquum est vicissim nos facere? *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Galat. 5. vers. 24. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce D. N. Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Galat. 6. vers. 14. *Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* v. 17.

Post tot tantaque beneficia per Christum accepta, *si quis nondum amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, maranatha.* 1. Cor. vlt. v. 22.

VARIA.

Cur præ omni supplicio vrserint Iudæi crucem; & cur Deus hanc potiùs delegerit; Quomodo hora tertia dicat Marcus crucifixum, cùm Ioannes dixerit, quasi sextam fuisse; An Pilatus metu seditionis potuerit damnare innocentem; Quaternis clauis Christum cruci affixum fuisse; dorso vrbi obuerso, facie Occidenti respectante; Quid sit deseri à Deo, &c. vide in comment.

Sub nomine Aman solebant Iudæi quotannis Christo petulantissimè insultare, Esther 9. v. 31.

Mortuus est Christus 23. Martij, Feria sexta, hora post meridiem tertia. Chron. cap. 48. concluſ. 5. Eâdem die & feria, & hora, qua Adam eiectus fuerat de paradiso. Sicut crucem ascendit eadem meridiei hora, forsan & puncto horæ, quo Adam ad pomum ligni vetiti manum extenderat, ibid. Eadem quoque qua Isaac à parente pene immolatus fuerat; Eadem denique, qua egressi sunt filij Israel ex Ægypto. ibid.

SABBATO SANCTO IN VIGILIA PASCHÆ.

Prodigia in morte Christi, eiusq; descensus ad inferos secundùm animam, secundùm cadauer in sepulchrum.

FIDES & MORES.

Exspirante Iesu, *ecce velum templi scissum est in duas partes a summo vsque deorsum*] En templum, more Iudaico, vestem suam, in signum extremi luctus, discindit: & cor tuum, ô peccator, non discindes? Et iam velamen tollitur legalium mysticorum, aditu patefacto etiam Gentili populo in Ecclesiam Dei. Denique aperitur morte Christi via in cœlum, hactenus obseratum, Heb. 9. v. 8. *Nobis discissum velamen*, non *Iudæo* obstinato. 2. Corinth. 3. v. 13. vsque fin. *Iudæis scandalum, Gentibus stultitia, nobis Dei virtus & sapientia.* Roman. 10. v. 10. Iam *velamen à facie Moysis sublatum.* Exod. 34. v. 29. & cap. 40. vers. 32. Cum *Iosue* nulla amplius fuit *columna nubis* sed *arca* (Christus) viam patefecit & demonstrauit per Iordanem, Iosue 3. v. 4. Matt. 27. v. 51.

Et terra mota est, & petræ scissæ sunt, animâ Christi, prostrato iam Lucifero, deuicta morte & inferno (Osee 13. v. 14. O *mors, ero mors tua, morsus tuus ero inferne.* 1. Cor. 15. v. 54. *Absorpta est mors in victoria.* ib. v. 55. *Vbi est hîc mors, victoria tua? vbi est mors stimulus tuus?*) summo triumpho, summa gloria ad inferos, vt eorum dominium, adeat descendente, contr. 4. num. 16. vbi etiam dicitur, quænam partes inferni adierit, & quid istic egerit. Sed nihil passus istic, n. 14. Totam terram contremuisse vidimus Iob 9. v. 6. *Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur.* v. 7. *Præcipit soli, & non oritur: & stellas claudit quasi sub signaculo.* Etiam dum sepeliretur *Iosue*, (figura Christi) *terræmotus factus est*, pæne eodem die eiusdem mensis Nisan. Iosue vlt. v. 29.

Centurio, & qui cum eo erant, custodientes Iesum, viso terræmotu & his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes: Verè filius Dei erat iste] Luc. 23. v. 48. *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, percutientes pectora sua reuertebantur.* En fructus passionis & mortis Christi, etiam in Iudæis. Matt. 27. v. 54.

Vt viderunt Iesum *iam mortuum, non fregerunt eius crura, vt Scriptura impleretur*, Exod. 12. v. 46. *Os non comminuetis ex eo*] Quod maximè de hoc nostro paschali agno intellectum voluit Spiritus sanctus. Et prognosticon erat, in corpore mystico Christi, id est, in Ecclesia, nihil necessarij roboris vnquam comminuendum. Ioan. 19. v. 33. & 36.

Sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua] Mysticè Baptismus & Eucharistia. Vt impleretur Scriptura, *Viderunt in quem transfixerunt*, seu *aspicient ad me, quem confixerunt*, Zach. 12. v. 10. v. 34.

Permissu Pilati *Ioseph ab Arimathea, & Nicodemus* v. 38. 40. *acceperunt corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus: & posuerunt* in vicino *horto*, v. 41. in *monumento nouo* (*quod* Ioseph sibimet *exciderat in* viua *petra*, Matth. 27. v. 60.) *in quo nondum quisquam positus fuerat*] Et hæc omnia palàm, videntibus & consentientibus Iudæis. Sic Deo permittente, ne quod dubium moueri posset de vero Christi cadauere, *Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.* Thren. 3. v. 53.

Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, reuertentes in vrbem parauerunt aromata & vnguenta, vt post elapsum sabbatum vngerent corpus Iesu. Hoc vnicum supererat obsequium quod defuncto impendere poterant. Luc. 23. v. 55. & 56.

Altera die, nempe sabbato, *principes sacerdotum & Pharisæi* dixerunt Pilato: *Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam: iube ergo* Matt. 27. v. 62. & 64.

ergo custodiri sepulchrum vsque in diem tertium, ne cadauer eius à discipulis furto tollatur. Quàm solicitè tutatur fortis armatus atrium suum! Sed frustra: fortior eo supervenit, & tulit eius spolia, Lucæ 11. v. 22. vt mox videbimus.

Ait Pilatus: *Habetis custodiam* militarem: *ite, custodite* [illegible] *vt* Sed vanus erit omnis labor, si sepulto facultas sit resurgendi. *Illi autem munierunt cum custodibus sepulchrum, signantes* publico sigillo *lapidem* sepulchralem quo os pelancæ claudebatur. Sed an signando lapidem, & sepulchro custodias apponendo potentiam Christo adimitis resurgendi, & hæc omnia dispellendi?

Verùm signent Iudæi lapidem: nos animam Christi iam victricem & mortali corpore exsolutam comitemur. *Homo cùm mortuus fuerit, & nudatus atque consumptus, vbi quæso est?* Iob 14. v. 7. vsque 16.

De sabbati institutione & causis, Gen. 2. v. 2. & Exod. 31. v. 16. & c. 35. v. 3.

In figuram mortis Christi triduanæ. *Et præparauit Dominus piscem grandem vt deglutiret Ionam. Et erat Ionas in ventre piscis tribus diebus & tribus noctibus.* Ionæ 2. v. 1. *Et orauit Ionas ad Dominum Deum suum de ventre piscis: Proiecisti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me*, &c. *Verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum*, &c. vers. 2. &c. *Et dixit Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam.* vers. 11. Ecce plus quàm Ionas hic.

Vin' etiam figuram diuini iudicij, in quo Christus de Lucifero, totoque inferno triumphauit? *Ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini, & satan stabat à dextris eius vt aduersaretur ei. Et dixit Dominus ad satan: Increpet Dominus in te satan. Numquid non iste torris est erutus de igne? auferte vestimenta sordida ab eo: ponite cidarim mundam super caput eius. Tu iudicabis domum meam, & custodies atria mea.* Zachar. 3. vsque v. 8. Mox sub figura Zorobabelis, Zach. 4. v. 6. de Christo pronuntiat: *Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo* (excitabit Ecclesiam meam) *dicit Dominus exercituum. Quis tu mons magne* (Lucifer) *coram Zorobabel?* (Apage) *in planum* (descende) *& educet* (ipse in altum) *lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius: manus Zorobabel fundauerunt domum istam, & manus eius perficient eam.* vers. 7. vsque 10. *Quid sunt duæ oliuæ istæ, ad dextram candelabri, & ad sinistram eius? Isti sunt duo filij olei, qui assistunt dominatori vniuersæ terræ.* vers. 11. & 14. (Diuinitas Christi & humanitas: vel dignitas eius regia & pontificia.) *In sex*, id est omnibus huius vitæ, *tribulationibus liberabit te, & in septima* vitæ futuræ *non tanget te malum.* Iob 5. vers. 19. Verùm *si iustus in terra* tam dura tormenta *recipit, quanto magis impius & peccator* recipiet in futuro! Prouerb. 11. v. vlt. *Reddidit iusto mercedem laborum suorum, & deduxit eos in via mirabili, & fuit illis in velamento diei*, &c. *ab altitudine inferorum eduxit illos*, &c. Sap. 10. vers. 17. &c. *Confitebor tibi Domine rex*, &c. *quoniam liberasti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ*, &c. *de altitudine ventris inferi*, &c. Eccli. 51. vers. 1. vsque 18.

Ne metuas anima. Si Deo tuo ad mortem vsque fidelis inhæseris, *ingredieris in abundantia sepulchrum*, &c. Iob 6. v. 26. *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Psal. 4. v. 9. *Et caro mea requiescet in spe*, &c. Psalm. 14. vers. 3. *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt*, &c. Cant. 3. v. 7. *Lectulus noster floridus.* &c. Can. 1. v. 15. *Custodit Dominus omnia ossa* (Sanctorum,) *vnum ex eis non conteretur.* Psal. 33. v. 21.

Pro typo glorioſi sepulchri Christi, habes magnificum sepulchrum Simonis Machabæi, 1. Mach. 13. v. 25. vsque 31. *Ædificium altum visu, lapide polito antè & retrò: & statuit septem pyramidas, & his circumposuit columnas magnas & super columnas arma, & iuxta arma naues sculptas, quæ viderentur ab omnibus nauigantibus mare.*

Congratulatur Moyses tribui Gad, Deut. 33. vers. 21. quòd *in parte* sua *doctor* (Moyses mortuus) esset *repositus.* Et nos tibi ô Ioseph, non adgratulabimur, quòd in sepulchro tibi parato Christi cadauer exceperis? *In die illa; radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius glorioſum.* Isaiæ 11. v. 10. *Et leuabit signum in nationes, & congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ. Et auferetur zelus Ephraim*, &c. v. 12. & 13.

Relicto ad tempus cadauere, animam Christi prosequamur ad inferos descendentem. *Iuda te laudabunt fratres tui*, &c. Gen. 49. v. 8. *Requiescens accubuisti vt leo*, &c. v. 9. *Ligans ad vineam pullum suum*, v. 11. *Deus Patris tui benedicet tibi benedictionibus cæli & abyssi*, &c. v. 25. *Desiderium collium æternorum*, v. 26.

Ante currum victoris triumphalem, vincti trahuntur hostes. *Ante faciem eius ibit mors: egredietur diabolus ante pedes eius.* Habacuc 3. v. 4.

Insignia victoriæ, & potentiæ regiæ, *cornua in manibus eius. Ibi abscondita est fortitudo eius:* Habacuc 3. v. 4. *Numquid aperta sunt tibi portæ mortis, & ostia tenebrosa vidisti?* Iob 38. v. 17. *Attollite portas principes vestras*, &c. Psalm. 23. v. 7.

Adfuit mox *angelus* cum *claue abyssi*, Apoc. 20. v. 1. & alligauit Luciferum *ad mille annos*, v. 2. Nec solas dæmonum cauernas, sed & *penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Eccli. 24. v. 45. *Et his, qui in carcere erant, spiritibus prædicauit*, &c. *deglutiens mortem; vt vitæ æternæ heredes efficeremur*, &c. 1. Petr. 3. vers. 19. & 22. *Et mortuis euangelizatum est, vt vidant secundùm Deum in spiritu*, &c. 1. Petr. 4. v. 6. Mox *exortum est in tenebris lumen rectis: misericors & miserator & iustus.* Psal. 111. v. 4.

Hîc Ioannes Baptista exclamat; *Ecce Agnus Dei*, &c. Ioan. 1. v. 29. Vin' figuram? *Ioseph*, id est, Christus, à Iuda & hero compactus in carcerem mortis, inter mortuos à Deo liber effectus, omnium victorum, totiusque inferni imperium accepit, inquit Prosper & Rupert. Gen. 39. v. vlt. Pòst glorioſus resurrexit cap. 41. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Zach. 9. v. 11.

An vt è limbo patrum, sic etiam è Purgatorio omnes tunc liberarit Christus, vide Eccli. 24. v. 45. Hoc certum quòd *ante mortem summi pontificis*, nemo quantumuis innocens declaratus, educi potuerit è loco azyli, Numer. 35. v. 6.

O quàm lætum ibi conuiuium fecit noster Assuerus cunctis pueris suis, fortissimis Persarum & Medorum inclytis, & præfectis prouinciarum! Esther 1. v. 3. Neque tamen hîc hærendum Christo. Terra repetenda, dein cælum. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ*, &c. Matth. 12. v. 40. *Non derelinques animam meam in inferno*, &c. Psal. 15. v. 9. vsque fin. *Viuificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos*; &c. Osee. 6. v. 3. *Exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ, in futurum. Quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno.* Sophon. 3. v. 8. & 9.

Quid interim apud viuos in terra? gaudium, plausus & triumphus apud impios. Sed *ne lætetur inimica mea super me quia cecidi: consurgam, cùm sedero in tenebris: Dominus lux mea est. Educet me in lucem, videbo iustitiam eius. Et aspiciet inimica mea, & operietur confusione, quæ dicit ad me, Vbi est Dominus Deus tuus? oculi mei videbunt eam, nunc erit in conculcationem vt lutum platearum.* Micheæ 7. vers. 8. vsque 12. *Ne lætetur Philisthæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui. De radice enim colubri*

egre-

egredietur regulus,& semen eius absorbens volucrem. Isa.14. v.29. *Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo,* &c. *Venit pax,requiescat in cubili suo,* &c. Isa.57. vers.1.& 2. *Super quem lusistu? super quem dilatastis os & eiecistis linguam? numquid non vos filij scelesti,* &c. v.3. & 4. *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum,factus sum sicut homo sine adiutorio,inter mortuos* sed *liber;sicut vulnerati,*&c. Psalm. 87.vers.5. vsque 8. *Abscissus est de terra viuentium,* (sed instar Samsonis) *dabit impios pro sepultura, & diuitem pro morte sua.* Isa.53.v.8. & 9. Nonne totam Iudæam quadraginta pòst annis sic dedit? & dabit aliquando totum orbem?

Apud pios omnes luctus erat & mœror & squalor. *Et plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum,vt doleri solet in morte primogeniti.* Zach. 12.v. 10. *In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon* (super occiso Iosia) v. 11. Quid verò Iosias præ Christo? *Num ignoratis quoniam princeps & maximus cecidit hodie in Israel?* 2.Reg.3.v.28. *Nequaquam vt mori solent ignaui, mortuus est Abner, Manus eius ligatæ non sunt, & pedes tui non sunt compedibus aggrauati: sed sicut solent cadere coram filijs iniquitatis, sic corruisti.* v.33.& 34. Expende etiam planctum Dauidis super occiso Saule & Ionatha.2.Reg.1.v.11.&c. & super filio suo Absalomo: *Fili mi Absalom,Absalom fili mi,quis mihi tribuat vt ego moriar pro te?* 2.Reg.18.v.vlt.

Sed sicut Dauid quando comperit quòd mortuus esset infantulus, *surrexit de terra,& lotus vnctusq; est* &c.2. Reg.12.v.20.Ita discipuli Christi, cùm recogitarent, ex nutu Dei facta omnia,temperabant ex parte dolorem,& conformabant se voluntati & ordinationi diuinæ. *Consolamini, consolamini populo meus,dicit Deus vester. Loquimini ad cor Ierusalem,& aduocate eam:quoniam completa est malitia eius,dimissa est iniquitas illius; suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* Isa. 40. v. 1. *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Psalm.29.v.6. vsque fin.

Nec verò sic indulgent dolori ac luctui, vt obliuiscantur officij sui erga sanctum cadaueri:

Marc. 16.v.1 *Emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum*] Fuit semper maxima cura *sepulturæ* apud omnes gentes, 2. Esdr.2.v.3.Cur? Tob.2.v.10.Idque vt altiùs inculcaretur viuentibus spes resurrectionis. *Scio quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea,*&c. Iob 19.v.25.Saræ sepeliendæ *emit speluncam duplicem Abraham* ab Ephrone, Genes.33.v.10.&c.Et quæ alia fuit causa cur tantâ curâ voluerint omnes Patriarchæ sepeliri in terra Chanaan? Genes.47.v.30.Viris *Iabes Galaad,* qui sepelierant *Saulem,* 1. Reg.vlt.v.11.renuntiat Dauid, *Benedicti vos à Domino qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro.* 2.Reg.2. v. 5. *Retribuet vobis Dominus misericordiam & veritatem: sed & ego reddam gratiam. Respha* crucifixis eius filiis *substrauit sibi supra petram, & non dimisit aues lacerare eos per diem,neque bestias per noctem.* 2.Reg.21.v.10. Quin & erga impios id subinde seruari iussum. *Ite,videte maledictam illam Iezabel, & sepelite eam, quia filia regis est.* 4. Reg. 9. v.34.

Sed tempus est, ex inferis victor emergat gloriosus,& fortis armati,nunc alligati,spolia producat in lucem *Dedi te in* (seu ad complendum) *fœdus populi* (seu cum populo Iudaico initum,) sed & *in lucem Gentium, vt aperires oculos cæcorum,& educeres de conclusione vinctum, & de domo carceris sedentes in tenebris.* Isa.42.v.6.&7. *Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent. Expergiscimini & laudate qui habitatis in puluere: quia ros lucis,ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam.* Isa.26. v.19. *Vade populus meus, intra in cubicula tua,claude ostia super te, abscondere modicum ad momentum,donec pertranseat indignatio.* v.20. *Multi de his qui dormiunt in terra pulueris,euigilabunt: alij in vitam æternam,& alij in opprobrium vt videant semper.* Dan. 12. v.2. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: Ero mors tua ô mors,morsus tuus ero inferne.* Osee 13. v.14. *Quia ipse* (internus) *inter fratres diuidet. Adducet Vrentem ventum Dominus de deserto ascendentem, & siccabit venas eius,& desolabit fontem eius, & ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis.* v.15.

Cum reliquis SS. patribus etiam *Adam,* etsi fortè non in Caluaria sepultus tamen rediuiuus cum Christo,Gen. 5.v.5.& Matth.27. vers.33. Et quanto putamus iubilo! *Cantate Deo, iter facite ei qui ascendit super occasum,* &c. *Qui educit vinctos in fortitudine,* &c. Ps.67.v.5. & 7.Ipse verò *ascender pandens iter ante eos: diuident, & transibunt portam,& ingredientur per eam: & transibit rex eorum coram eis,& Dominus in capite eorum.* Michææ 2.v.13.

DIE SANCTO PASCHÆ.

FIDES & MORES.

Dies sanctificatus est Domino Deo nostro, nolite lugere, & nolite flere. Ite,comedite pinguia,& bibite mulsum, quia sanctus dies Domini est, & nolite contristari: gaudium etenim Domini est fortitudo nostra. 2.Esdr.8. v.9.

Christum, etiam sibi resurrectionis & ascensionis triumphum promeruisse,vide controu.4 nu.17. *Ecce vicit leo de tribu Iuda,radix Dauid,* &c. Apoc.5.v.5. *Et vidi, & ecce Agnum stantem tamquam occisum, habentem cornua septem,& oculos septem,* &c. *Occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo,*&c.Apocal.5. v.6. & 9. *Omnes Gentes circuierunt me,& in nomine Domini, quia vltus sum in eos,* &c. Ps.117.v.10.vsque 24. *Hæc est dies quã fecit Dominus,*&c.

Hîc oculis animæ contemplare glorioſum animæ Christi reditum ab inferis initio tertij diei à morte. *Hæc* (diuina Sapientia) *venditum iustum non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum, descenditq; cum illo in foueam.* &c.*donec afferret illi sceptrum,*&c.Sap.10.v.13.*Constituens eum ad dexteram suam in cælestibus supra omnem principatum,*&c.ad Ephes.1.v.20. Cui propterea cœlites omnes meritò applaudant:*Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem,& diuinitatem,* &c.Apoc.5.v.12.*Potestatem habeo iterum sumendi animam meam,*&c.Ioan.10.v.18.Non aliena ope vel virtute,sed propria.

Igitur Christi anima subingressa corpus, dotauit illud quatuor dotibus corporũ glorioſorum,contr.30.n.5. Et ecce, nouo tursus modo, inquit Pater, *ego hodie genui te.* Psal.2.v.7.Hebr.5.v.5.& Act.13. v.13. *Et cùm* ex inferis reducem *iterum introducit primogenitum in orbem terræ,dicit,Et adorent eum omnes angeli Dei.* ad Hebr. 1.v.6. *Ego dormiui & soporatus sum, & exsurrexi, quia Dominus suscepit me.* Psal.3.v.5. *Conuertisti planctum meum in gaudium mihi:conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.* Psalm.29.v.12. *In seruum venum datus est Ioseph: humiliauerunt in compedibus pedes eius,* &c.*misit rex & soluit eum,*&c.*constituit eum dominum domus suæ,* &c. Psal.104. v.17.&c. Vide quomodo prodit *Ioseph* è tarcere ad solium,Gen.41.v.14.40. &c. Quomodo & *Iechonias* post 37. annos captiuitatis extollitur in thronum regium, 4. Reg.vlt.vers.27.Item *Agrippa,*Chron.cap.vlt. anno 7.à morte Christi. *Daniel* bis quasi rediuiuus è lacu leonum, c.6.v.vlt.*Mardochæus* de palatio & de *conspectu regis egrediens,fulgebat vestibus regijs,hyacinthinis & aëreis, coronam auream portans in capite, & amictus serico pallio atque purpureo,Omniq; ciuitas exultauit atque lætata est: Iudæis autem noua lux oriri visa est,gaudium,honor, & tripudium.* Esther 8.v.15.Denique *Iob,*cap.1.2. & vlt.

Multi cum Christo resurgente, simul resurrexerunt, Matth.27.vers.52.*Monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt: & exeuntes de mo-*

de monumento post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum: ideo dispertiam illi plurimos, & fortium diuidet spolia. Isa. 53. v. 10. *Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti,* &c. Gen. 49. v. 9.

Euangel. *Maria Magdalene, & Maria Iacobi,* &c. Marc. 16. v. 1. vsque 8.

Marc. 16. v. 1 *Emerunt aromata, vt vngerent* corpus *Iesu*] Excita pietatem in mortuos, ad obsequia sepulturæ & preces adhortare. Si placuit cultus & obsequia delata cadaueri; displicebunt delata corpori viuo in Eucharistia? contr. 21. nu. 2. 5. 7. delata etiam Sanctis & reliquiis Sanctorum? controu. 30. n. 7. & 10. Vnius solitaria pietas facilè tepescit: plurium simul in vnum conspirantium inualescit mutuis cohortationibus & exemplis. *Væ soli,* &c. Eccles. 4. v. 10.

Quid? quòd latitantibus Apostolis, & negligentibus, discipulis, solæ mulieres audent, solæ nec sumptibus parcunt, nec laboribus, nec periculo vitæ? Idque vt cadaueri obsequium impendant non necessarium. Et nos, vt viuis Christi membris, sed ægris, sed afflictis, & subinde de æterna salute periclitantibus succurramus, leuia incommoda defugiemus?

v. 4 *Viderunt reuolutum lapidem*] Cùm quod ex nostra parte possumus, perfecerimus, supplebit Deus quod ex sua parte nouit requiri, controu. 14. n. 10. Nec vmquam vlli deerit in necessariis, num. 11. & seqq. Alioqui certum, nulli virtuti, nulli operi heroico suum deesse lapidem. Apoc. 13. v. 4. *Quis similis bestiæ? aut quis poterit pugnare cum ea? Hæc est patientia, & fides iustorum.*

v. 6. *Iesum quæritis Nazarenum, crucifixum: surrexit, non est hic*] Non quærendus Christus inter mortuos; nec inter mortuorum negotia. *Non est hîc. Quæ sursum sunt quærite, & sapite, non quæ super terram.* Colos. 3. v. 1.

v. 7. *Dicite discipulis eius, &* præ omnibus, (etsi mè fœdè negarit) discipulorum capiti ac principi *Petro* (controu. 6. n. 5.) *quia præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis*] Sed priùs viderunt ipsum hac ipsa prima resurrectionis die, aliquotics in Iudæa, vt ostendi in Chronico sub finem cap. 49. *Non rectè facimus: hæc enim dies boni nuntij est. Si tacuerimus, & noluerimus nuntiare vsque manè, sceleris arguemur.* 4. Reg. 7. v. 9.

Dicite discipulis eius & Petro] Dauid vltrò ad pacem inuitat rebellesantè sibi de tribu Iuda, & principem militiæ *Amasam*, 2. Regum 19. v. 11. *Fratres mei vos, os meum & caro mea vos, quare nouissimi reducitis regem?* v. 13. *Amasæ dicite, Nónne os meum & caro mea es? hæc faciat mihi Deus & hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Ioab.*

Sed & te, ô anima mea, inuitat ad se sponsus tuus: *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate,* &c. Cant. 3. v. 11.

Primo loco reuisit matrem suam, quæ gemitibus inenarrabilibus complecti optabat rediuiuum Filium: *Reuertere, similis esto capreæ,* &c. Cantic. 2. vers. 17. Cùm subitò audit: *Ioseph filius tuus viuit, & ipse dominatur in omni terra Ægypti.* Genes. 45. vers. 26. *Sufficit mihi si viuit.* v. 28. *Ecce* mulier ecce *filius tuus*, ô mater. Quem Rachel moriens vocarat *Benoni*, id est filium doloris mei, pater appellauit *Beniamin*, id est, filium dextræ, Gen. 35. v. 18.

De nostra in die iudicij resurrectione, controu. 28. nu. 2.

De animarum immortalitate, ibid. n. 1.

Anni Iubilæi priuilegia, Leuit. 25. v. 8. typus integræ restitutionis omnium in resurrectione. *Reformabit corpus humilitatis nostræ,* &c. Philip. 3. v. 20. *Putásne viuent ossa ista?* Ezech. 37. v. 3. *Ossa arida audite verbum Domini,* &c. v. 4. *Steterúntq; super pedes suos, exercitus grandis nimis valdè.* v. 10. Argumenta S. Pauli stabiliendæ resurrectioni mortuorum, vide 1. Cor. 15. v. 13. vsque fin.

De spirituali nostra resurrectione.

Pascha, seu phase, id est trãsitus, triplex est. Primò, angeli vastatoris, Exod. 12. 12. Secundò, Hebræorum ex Ægypto in Chanaan, vers. vlt. Tertiò, eorumdem per mare rubrum, Exod. 14. Allegoricè Christus, & per Christum nos transimus de morte ad vitam, de peccato ad gratiam, de terra in cælum, de inferno in gloriam. *Deus qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam quâ dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo* (cuius gratia estis saluati,) *& conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Iesu.* Ephes. 2. v. 4.

Hic solue Samsonis ænigma: *De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Nam *quid dulcius melle* redemptionis humanæ, quid dulcius examine apum seu Christianorum, & Sacramento Eucharistiæ? *Quia fortius leone* Christo? Iudic. 14. v. 14. & 18. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite,* &c. Coloss. 3. v. 1. *Quemodò Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Rom. 6. v. 4.

Qua nouitate? *Beati pauperes spiritu,* &c. Matth. 5. v. 3. *Propter quod & Deus exaltauit illum,* &c. ad Philip. 2. v. 8. *Beati qui lugent,* &c. Matth. 5. vers. 5. *Conuertisti planctum meum in gaudium,* &c. Psal. 29. v. 6. & 12.

Neque indormiendum negotio. *Valdè manè*] *Qui manè vigilant ad me, inuenient me.* Prou. 8. v. 17. *Præueni in maturitate, & clamaui: Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua,* Ps. 118. v. 147. & 148. *Septies in die laudem,* &c. v. 164. *Etiam in noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* Psalm. 133. v. 2. *Oportet præuenire solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.* Sap. 16. vers. 27. *Hora surgendi non tertrices.* Eccli. 32. v. 15. *Cor suum dabit* sapiens *ad vigilandum diluculo;* &c. Eccli. 39. v. 6. vsque 13. *Anima mea desideranit te in nocte; sed & spiritu meo in præcordijs meis de manè vigilabo ad te.* Isa. 26. v. 9.

VARIA.

Resurrexit Christus die 25. Martij, feria prima (quæ inde dicta fuit Dominica dies) cum aurora diei. Eadem qua fuerat conceptus in vterò Virginis? Et putatur, eâdem die & puncto diei, etiam futuram corporum resurrectionem & vltimum iudicium. Chron. cap. 48. in initio & fine.

Sexies apparuit suis Christus illa prima die. Chron. cap. 49. in fine.

FERIA SECVNDA POST PASCHA.

Euangel. *de Duobus euntibus in Emaus.* Lucæ 24. vers. 13. vsque 36.

FIDES.

Dum confabularentur, ipse Iesus appropinquans ibat cum illis] Præsens nobis vbique Deus, controu. 1. num. 3. sed abscónditus. Luc. 24. v. 15.

Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent] Deũ esse, & vnicum esse, & infinitè perfectum esse, etiam naturali ratione conuinci potest, contr. 1. tota. Sed quæ de Christo sunt, non nisi per reuelationem & speciale gratiam innotescere possunt, contr. 14. n. 9. v. 16.

O stulti & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ!] Quibus signis innotescerent, dispositi, libris S. Scripturæ contineri verbum Dei, contr. 2. nu. 3. Nec vlli denegari lumen à Deo necessarium ad fi- v. 25.

dem,

dem, iustitiam vel salutem, contr. 14. n. 11. & seqq. Quomodo illud intelligendum, *Ego indurabo cor Pharaonis*, vide Exod. 7. v. 3.

v. 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?*] Christum ex pacto, debuisse pati, contr. 4. num. 15. Et multa sibi quoque promeruisse, nu. 17. *Dominus regnauit*, sed à ligno. Psalm. 85. v. 10. vt erat in antiquis exemplaribus.

v. 27. *Incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant*] Non est ergo Scriptura vbique tam clara, vt interprete nullo indigeat, contr. 2. n. 12. Et quis sit eius interpres infallibilis, nu. 13. vsque 17. & contr. 6. n. 15. & 16.

v. 30. & 31. *Dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et* mox *aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum.* En exemplum communionis sub vna specie, controu. 21. nu. 12. Quinam sint fructus Eucharistiæ & Missæ, contr. 22. n. 8. 9. 10.

v. 31. *Et ipse* mox *euanuit ex oculis eorum*] Miracula vel alia externa fidei excitamenta non multiplicat Deus citra necessitatem. *Beati* enim *qui non viderunt, & crediderunt.* Ioan. 20. v. 29.

MORES.

Luc. 24. v. 18. *Tu solus peregrinus es in Ierusalem?*] Luc. 9. v. 58. *Vulpes foueas habent & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Genes. 32. vers. 10. *In baculo meo transiui Iordanem istum.* Isa. 4. v. 6. *Tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & absconsionem à turbine & à pluuia.* Via peregrini fuit. Ioan. 16. v. 28. *Exiui à Patre, & veni in mundum. Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Ephes. 4. v. 10. *Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos.* Hospitium vterus Virginis, patibulum, sepulchrum & limbus. Cantic. 1. v. 6. *Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Pericula quæ incurrit. Ioan. 19. v. 23. *Milites acceperunt vestimenta eius,* &c. Zachar. 13. v. 6. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Et retinet adhuc cicatrices. Ioan. 20. v. 29.

v. 12. *Nos sperabamus,* &c.] *Considerate semitas,* &c. Iob 6. v. 19.

v. 16. *Nonne hæc oportuit pati Christum?*] *Iustus quidem tu es Domine, si disputem tecum: verumtamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur?* &c. Ierem. 12. v. 1. &c. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te.* Tob. 12. v. 13. Alias rationes vide Feria V. post tertiam Dominicam Quadragesimæ.

v. 29. *Mane nobiscum Domine*] Tu *sol* noster es. Malach. 4. v. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum, sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Es *pater* noster. Eccli. 13. v. 20. *Omnis caro ad similem sibi coniungetur, & omnis homo simili sibi sociabitur.* *Rex* noster. Psalm. 73. vers. 12. *Deus autem rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ.* *Redemptor* noster. Isaiæ 53. v. 4. *Verè languores nostros ipse tulit,* &c.

Est quidem secundùm essentiam, præsentiam & potentiam vbique. Psalm. 138. vers. 7. *Quò ibo à spiritu tuo?* &c. *Cum ipso sum in tribulatione.* Psalm. 90. vers. 15. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* 1. Ioan. 4. v. 16.

Coegerunt eum, &c.] Quàm fœda res inhospitalitas. Eccli. 29. v. 31. vsque fin. Remedium parsimonia, v. 28. vsque 31.

v. 31. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?*] Matth. 12. v. 25. *Bonus homo de bono thesauro* cordis sui *profert bona: malus homo de malo thesauro* cordis sui *profert mala.*

VARIA.

Quota fuerit hæc apparitio, & quoties prima die fuit apparuerit Christus, vide Chron. c. 49. in fine.

FERIA TERTIA POST PASCHA.

Euangel. *Stetit Iesus in medio,* Lucæ 24. v. 36. vsque 48.

FIDES.

Iesu clausis ianuis ingressus, *stetit in medio eorum, & dicit eis, Pax vobis: ego sum*] De dote *subtilitatis*, controu. 30. nu. 5. De præsentia Christi *in medio* suorum. Matth. 18. vers. 20. De *pace*, Dominica in Albis. De vi vocis, *Ego sum*, Feria III. Maioris hebdomadæ. Luc. 24. v. 36.

Quid turbati estis? Videte & palpate manus meas & pedes, quia ego ipse sum, & non *spiritus*, seu phantasma. De vulnerum cicatricibus in corpore Christi, vide Dominica in Albis. Quomodo corpus glorioſum, subtile & penetrabile, palpari possit; & an hæc palpatio sit infallibile signum corporis rediuiui, vide in comment. v. 38. & 39.

Adhuc illis non credentibus.] Quantiscumque visis miraculis, non potest credi sine interna speciali gratia Dei, contr. 14. n. 9. *Aspicite in Gentibus, & videte, & admiramini & obstupescite: quia opus factum est* (passionis & resurrectionis Christi,) *in diebus vestris, quod nemo credet cùm narrabitur.* Habac. 1. v. 5. v. 41.

Necesse fuit *impleri omnia, quæ scripta sunt de me*] Vide Feria II. ad v. 26. v. 44.

Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas] ibid. v. 27. *Quis credidit auditui nostro?* Isa. 53. v. 1. Articulus resurrectionis vnus est ex difficillimis: vnde Act. 17. v. 32. ridebatur Paulus in Areopago, quòd resurrectionem mortuorum inculcaret. Argumenta ad eam comprobandam habes contr. 28. n. 2. v. 45.

Et Christus non solùm intellectum suorum illustrauit, vt intelligerent Scripturas quæ id demonstrabant: sed etiam quinque sensibus illorum exterioribus signa dedit quæ id euincerent. Auditui; *Pax vobis, ego sum.* Luc. 24. v. 36. Visui; *Videte manus meas & pedes meos,* &c. v. 39. Tactui; *Palpate & videte.* ibid. Gustui; *Habetis hic aliquid quod manducetur?* v. 41. *Et cùm manducasset, reliquias dedit eis.* v. 43. Olfactui; *Insufflauit* spiritum odoriferum, &c. Ioan. 20. v. 22.

MORES.

Luc. 24. v. 41. *Adhuc illis non credentibus*] Carnali & mundano homini quàm obscura sunt omnia diuina! *Legè* librum *istum: & respondebit, Non possum, signatus est enim* Isa. 29. v. 11. & quidem *sigillis septem.* Apoc. 5. v. 2. *Ne fleueris; ecce vicit leo de tribu Iuda, aperire librum, & soluere septem signacula eius.* v. 5. Roga ergo Deum, vt ipse tibi quoque librum reseret. *Exspectabo Dominum, qui abscondit faciem suam à Iacob.* Isa. 8. v. 17. Sed & reseranti Deo tu cooperare. *Si quasi thesauros effoderis illam* (sapientiam) *tunc scientiam Dei inuenies.* Prou. 2. v. 4.

v. 45. *Aperuit illis sensum,* &c.] Scriptura est instar virgæ Aaron, quæ mortua repentè floruit & protulit amygdalas, duri corticis, sed suaui medulla, Num. 17. v. 8. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.* Psalm. 118. v. 130. *Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum,* &c. Psal. 15. v. 7.

Etiam sensus animæ præuenit Deus. Primò, auditum. *Pax vobis, ego sum.* Luc. 24. v. 36. *Ego sum Ioseph.* Gen. 45. v. 3. Et verò Cant. 5. v. 6. *anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est.* Michææ 2. v. 7. *Nonne verba mea bona sunt cum eo, qui rectè graditur?* Secundò visum: *Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam.* Exod. 33. v. 13. *Ego ostendam tibi omne bonum.* v. 19. *Videbunt*

omnes fines terræ salutare Dei nostri. Isa. 52. v. 10. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Luc. 11. v. 23. Tertiò, tactum, *Si tetigero tantùm fimbriam vestimenti eius, salua ero.* Matt. 9. v. 21. *Quotquot tangebant eum, salui fiebant.* Marc. 6. v. 56. Quartò gustum. Iudic. 14. vers. 14. *De comedente exiuit cibus & de forti egressa est dulcedo.* Ioan. 6. v. 56. *Caro mea verè est cibus*, &c. Quintò, olfactum. Gen. 27. v. 27. *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Deus.* Cant. 5. v. 1. *Veniat dilectus meus in hortum suum*, &c.

VARIA.

Est hæc sexta apparitio Christi, primo resurrectionis suæ die. Chron. c. 49. in fine.

FERIA QVARTA POST PASCHA.

Euangel. *Manifestauit se iterum Iesus.* Ioan. 21. v. 1. vsque 15.

FIDES.

Ioan. 21. v. 4 — *Stetit Iesus in littore: non tamen cognouerunt discipuli quia Iesus est*] Vide Feria II. ad vers. 16. & Feria III. ad v. 41.

v. 6. — *Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis* pisces. *Miserunt, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium*] En quid sit, Deo obedire, eiusque nutibus & consiliis obsequi. Vide Dominica quarta post Pentec. Matth. 13. v. 47. *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare*, &c.

v. 7. — *Dixit discipulus ille quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est*] O quàm facilè innotescit Deus dilectis filiis suis! *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Matth. 5. v. 8.

v. 8. — *Simon Petrus cùm audisset quia Dominus est, misit se in mare*] Fructus fiduciæ in Deum, vide in Indice Rerum, & Dominica IV. post Epiphan.

v. 9. & 12. — *Vt descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem. Dicit eis Iesus, venite, prandete.* Vide Dominica IV. in Quadragesima.

MORES.

Ioan. 21. v. 3 — *Vado piscari. Venimus & nos tecum*] *Quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? & dixerunt, Nihil.* Lucæ 22. vers. 35. Vnde ergo iam egent piscatione? Vtique calumnijs Iudæorum prosciisso nomine Christi, tamquam pseudomessiæ & seductoris, cessabant consuetæ eleemosynæ, Christo suo ad tempus sic probante. Quamquam Paulus etiam diù pòst, suismet ipse manibus victum sibi suisque parârit ad maiorem fidelium ædificationem, Act. 20. vers. 34. Et alios vt idem faciant, monet 1. Thessal. 4. v. 11.

Nocte nihil prendiderunt] Lucæ 5. v. 5. *Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus.* In nocte infidelitatis & peccati nil possumus facere meritorum vitæ æternæ, contr. 16. nu. 1. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Ioan. 6. v. 27.

v. 4. — *Mittite in dexteram nauigij rete*] Psalm. 9. v. 35. tu solus *laborem & dolorem consideras.* Delicias & prosperitates iustorum, vide Iob 22. v. 19. vsque fin. *Læua eius, sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Cant. 2. v. 6. Noli sinistræ seu actioni seu intentioni inhærere. Matth. 6. v. 3. *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.*

v. 12. — *Venite, prandete*] *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. 11. v. 28. *Ecce prandium meum paratum, tauri mei & altilia occisa sunt, venite ad nuptias.* Matth. 22. vers. 4. *Ego dispono vobis, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Lucæ 22. v. 29. Nónne cum hoc mercatore, cum hoc peregrino (Feria II. post Pascha) cũ hoc hortulano (Feria V.) mauultis negotium habere, quàm cum auaris & dolosis mundi mancipijs?

VARIA.

Quando contigerit hæc apparitio, & quota fuerit, vide in Chron. c. 49. in fine.

Confer, hanc piscationem cum altera initio prædicationis Christi Dominica IV. post Pentecosten.

FERIA QVINTA POST PASCHA.

Euangel. *Maria stabat ad monumentum.* Ioan. 20. v. 11. vsque 19.

VARIA.

Maria Magdalene, abeuntibus sociabus & Apostolis, Ioa. constans *stabat ad monumentum foris florans*] De fructibus perseuerantiæ in oratione & lacrymis, vide in Indice Rerum, & contr. 17. n. 1. & in die Paschæ. 20. 11.

Mulier quid ploras? Quem quæris?] Interest enim, quas ob causas quis ploret, & quid quærat. *Anna cur fles & quam ob rem affligitur cor tuum? Numquid non ego melior tibi sum, quàm decem filij?* 1. Reg. 1. v. 9. v. 15. & 16.

Quia tulerunt Dominum meum: & nescio vbi posuerunt eum] Non inutiles lacrymæ, ob Deum amissum, vel offensum profusæ. *Arca Dei capta est.* 1. Reg. 4. v. 17. *Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei.* v. 21. *Num quem diligit anima mea vidistis?* Cant. 3. v. 3. &c. 5. v. 8. &c. v. 14. & 15.

Conuersa retrorsum, vidit Iesum stantem: & non sciebat quia Iesus est; existimans quia hortulanus esset] Non desinit esse Iesus, etsi subinde personam induat vel increpantis, vel punientis patris, vel hortulani hortum suum purgantis, superflua resecantis, fimum inuehentis. Vide etiam Feria II. ad v. 16. & Feria III. ad v. 41.

Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam] En animi magnitudinem ac latitudinem, *sicut arena quæ est in littore maris.* 3. Reg. 4. v. 29. *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Marc. 9. v. 22. v. 15.

Dicit ei Iesus, Maria. Illa; Rabboni, id est mi magister. *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ei ad cor.* Osee 2. v. 14. Vox Domini ad cor, est interna illuminatio & excitatio, controu. 14. num. 3. Quàm facile amantibus, mutuas nosse voces! v. 16.

Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum, & Patrem vestrum] *Meum* per æternam ex illo generationem (contr. 3; num. 2.) *vestrum* per adoptionem. *Deum meum* per essentiæ vnitatem: *Deum vestrum* per creationis beneficium. Facile autem fuit diuellere Mariam à corporali complexu, cùm sat ipsi esset, iam scire rediuiuum esse quem quærebat. Sicut olim aiebat Miphiboseth de perfido Siba: *Cuncta accipiat, postquam reuersus est dominus meus rex pacificè in domum suam.* 2. Reg. 19. v. 30. v. 17.

VARIA.

Est hæc tertia apparitio Christi, prima resurrectioni suæ die. Chron. c. 49. in fine.

FERIA SEXTA POST PASCHA.

Euangel. *Vndecim discipuli abierunt in Galilæam.* Matth. 28. v. 16. vsque fin.

FIDES.

Adorauerunt eum] vt Dominum, Messiam, & Deum suum. An non simili modo in Eucharistia adorandus? contr. 21. n. 5. & 7. Matt. 28. v. 17.

Quidam autem dubitauerunt] Horum dux fuit Thomas.

mas. Sed huic dubium exemptum Dominica in Albis.

18. *Data est mihi*, merito passionis & mortis meæ, *omnis potestas in cælo & in terra*] Controu. 4. num. 17. & in Festo SS. Trinitatis.

19. *Euntes ergo*, tamquam legati mei, & festinantes (vt celeriùs toti orbi innotescam, *docete omnes Gentes*] Ecclesia Christi etiam inde agnoscitur, quòd sit *Catholica*, seu per vniuersum orbem diffusa, contr. 5. n. 7.

Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti] Contr. 19. de Baptismo, n. 1. &c.

20. *Docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui* vel mandabo *vobis*, seu per me, seu per vicarios meos. Neque enim sufficit sola fides ad iustitiam vel salutem, sed necessaria sunt etiam bona opera, controu. 15. num. 9. & 23. Et obediendum legibus principum, tum Ecclesiasticorum, contr. 6. num. 14. tum politicorum, contr. 10. n. 1. & 3.

Et ecce ego tum quà Deus, tum quà homo *vobiscum sum*, sed inuisibiliter, *omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi*] Vt Deus, est vbique, controu. 1. n. 3. vt homo, præsens est seipso in Eucharistia, contr. 21. num. 2. &c. & ope sua in tota Ecclesia, contr. 5. n. 2. & 3.

MORES.

Humiliauit semetipsum, Phil. 2. v. 8. Non modò sub angelis, sinens se regi illorum iussu & ministerio in natiuitate, fuga in Ægyptum, in deserto, in horto Gethsemani. Sed etiam sub diabolo, sinens se ab illo tentari & per aera rapi, Matth. 4. v. 1. Item sub hominibus, non modò piis & sanctis. v. g. Maria & Ioseph. Luc. 2. v. 51. sed etiam impiis ac tyrannis, in passione sua. Denique etiam sub elementis & aliis creaturis inanimatis, subiiciens se calori, frigori & iniuriis aëris, &c. Vnde meritò data est ei potestas in hâc omnes creaturas, vt ad nutum eius obediant statim: *& omne genu illi flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum*, &c. Phil. 2. v. 10. Quin & nobis, si volumus, omnis data est potestas in cælo & in terra. 1. Cor. 3. v. 22. *Omnia vestra sunt.*

Plura huc spectantia habes in festo SS. Trinitatis, vbi idem Euangelium recurrit.

SABBATO POST PASCHA, IN ALBIS.

Euangel. *Vna sabbati Maria Magdalene.* Ioan. 20. v. 1. vsque 10.

FIDES.

Ioan. 20. v. 2. *Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum*] Quàm deplorabile damnum, spoliari Dominum præsentia vel gratia! Vide Feria V. ad v. 13.

v. 4. *Currebant duo simul*; Petrus & Ioannes. Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, Roman. 9. v. 16. Sine Dei gratia nil potest natura quoad ea quæ sunt fidei, iustitiæ vel salutis, controu. 14. num. 9. &c. Alioqui plurimùm profuisse cursum matutinum ad vngendum Christum, patet ex dictis in Paschate & Feria V. post Pascha.

v. 9. *Nondum sciebant Scripturam, quia oportebat* Iesum *à mortuis resurgere*] Sed neque sufficit sola Scriptura, vel etiam adiecta miracula, nisi simul ab intus accurrat gratia mentem illuminans, & voluntatem excitans, contr. 14. n. 9. Sed hæc nullis deest quantum est ex parte Dei, nu. 10. vsque 14.

MORES.

Vidit monumentum apertum & vacuum; *& credidit*] Inspice & tuum conscientiæ monumentum, si claue pœnitentiæ apertum, si sceleribus vacuum sit, &c. & signum habebis resurrectionis spiritualis animæ tuæ. Alioquin Matth. 23. v. 27. *Væ vobis hypocritæ, similes sepulchris dealbatis, quæ à foris parent speciosa: intus verò plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia. sicut & vos.* In hoc tali monumento iacet anima quasi sopita & sepulta. Neque etiam nisi *viuens, viuens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie.* Isaiæ 38. v. 19. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea; misericordiam consequetur.* Prou. 28. v. 13. Vin' & aliud signum? Habes angelorum testimonium, *qui dicunt eum viuere*, Lucæ 24. v. 23. *Scio quòd Iesum*, qui crucifixus est, *quæritis: non est hic, surrexit*, &c. Matt. 28. v. 5. Sacerdos, Malach. 2. vers. 7. *angelus Domini exercituum est*: vnde *legem requirent ex ore eius.* Cùm ergo hic dixerit, *Ego te absoluo*, vel *absolui*: crede audacter te reuixisse. Quali fide id credi possit, vide contr. 15. n. 12. vsque 16. Vin' plura signa? vide in Feria III. post Paschæ, circa omnes sensus.

DOMINICA IN ALBIS.

Euangel. *Cùm esset serò die illa.* Ioan. 20. à v. 19. ad fin. cap.

FIDES.

Ioan. 20. v. 19. *Cùm fores essent clausæ* & manerent clausæ, *venit Iesus & stetit in medio*] Quatuor dotes corporum gloriosorum, contr. 30. num. 5. Sic nec iam in Eucharistia corpus Christi adstringitur legibus corporis mortalis, contr. 21. n. 1.

Pax vobis] Quæ bona nobis obuenerint per mortem Christi, contr. n. 11. Putà reconciliatio cum Deo. Abolitio, & non solùm occultatio peccatorum, cont. 15. nu. 3. & 4. Plena & vera iustificatio. n. 8. Spiritus sancti infusio, contr. 20. n. 1. Cælorum reseratio, controu. 30. nu. 1. Corporum resurrectio, contr. 28. n. 2.

v. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*] Missio prorsus necessaria, contr. 8. nu. 1. & 2. Cui conueniat ius mittendi, nu. 2. vsque 8. Ius etiam legum condendarum hîc transcribitur Apostolis, contr. 6. n. 14. & 7 n. 5.

v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*] En vera & iudiciaria potestas remittendi peccata, datur Apostolis & eorum successoribus, contr. 23. num. 1. Vide in Festo SS. Petri & Pauli, 29. Iunij.

v. 25. *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum*, &c. *non credam*] Ioan. 4. v. 48. *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis*] Nônne prudenter peti possunt signa ad fidem rei nouæ conciliandam? contr. 5. n. 6. & contr. 8. nu. 2.

v. 27. *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas*, &c. *& noli deinceps esse incredulus, sed fidelis*] An contactus corporis Christi fuerit infallibile signum veri corporis eius rediuiui, vide Lucæ vlt. v. 39. Etiam post accepta sufficientia signa, manet voluntati libertas assentiendi, vel non assentiendi articulo fidei, controu. 14. n. 4. & 5. Et ad id eget adhuc speciali gratia Dei, n. 9.

v. 29. *Quia vidisti me Thoma, credidisti*] An ergo credi potest quod oculis videtur? vide comment.

Beati qui non viderunt, nec tot ad credendum adminicula habuerunt, & tamen *crediderunt*] Quò enim quid difficilius, eò maioris est meriti. Sed cur ergo Dominus toties se præbuit suis videndum? vt infirmitati illorum & posterorum sese accommodaret. S. Thom. 3. p. q. 55. art. 5.

v. 30. *Multa alia signa fecit Iesus, quæ non scripta*, &c.] De traditionibus, vide contr. 2. n. 17. 18. 19.

v. 31. *Hæc scripta sunt, vt credentes, vitam habeatis in nomine eius*] Præter fidem, etiam adhibenda Sacramenta & bona opera, contr. 15 n. 7. & 23. & contr. 19. nu. 2. & contr. seqq. de aliis Sacramentis.

MORES.

MORES.

Ioan. 12. v. 19. *Cùm esset serò*] Spem & fiduciam in Deum nec in extremis cautos abiecteris. *Si moram fecerit, expectа illum.* Habac. 2. v. 3.

Stetit in medio] Vt olim Ioseph in medio fratrum suorum, Gen. 45. vers. 3. *Ego sum Ioseph.* Pastor suis adsit, & omnes curet æqualiter absque personarum acceptione.

Pax vobis] Idque tertiò repetit, in signum triplicis pacis quam offert. Prima, est amicitia cum Deo: Secunda, conscientiæ quies: Tertia, pax cum proximo. *Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis, donec auferatur luna.* Psalm. 71. v. 7. *Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam,* &c. v. 3. 4. 12. 13. 14. 16. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum,* &c. Ephes. 2. vers. 14. *Ergo iam non estis hospites,* &c. v. 19. *Pacificans per sanguinem crucis eius omnia,* &c. Coloss. 1. v. 20. *Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Iesu, qui non secundùm carnem ambulant.* Rom. 8. v. 1.

Et sequitur etiam subinde pax ab hostibus externis. *Cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius convertet ad pacem.* Prou. 16. v. 7. *Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per D. N. Iesum Christum, per quem,* &c. Rom. 5. v. 1. &c. *Lætamini cum Ierusalem,* &c. *vt repleamini ab vbere consolationis eius,* &c. *Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam Gentium, quam sugetis: ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis,* &c. Isaiæ 66. vers. 10. vsque fin.

Impiis verò quid? *Non est pax impiis, dicit Dominus.* Isaiæ 48. v. 22. *Vtinam attendisses mandata mea; facta fuisset sicut flumen pax tua.* vers. 18. Audi quæ pax fuerit ambitioso Aman. *Cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias.* Esther 5. v. 13. *Pax est Iehu?* rogat rex Ioram, 4. Regum 9. v. 22. At ille respondit. *Quæ pax? adhuc fornicationes Iezabel matris tuæ, & venefitia eius multa vigent.*

v. 23. Pax hæc Christi maximè acquiritur per absolutionem Sacramentalem. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*] Vt ad vnicam angeli vocem solutæ sunt *catenæ* Petri, Actor. 12. v. 7. sic peccata omnia ad vnicam sacerdotis absolutionem.

Ad hoc tribunal sæpissimè frequentandum excitent nos Primò, necessitas. *Quorum retinueritis, retenta sunt;* Secundò, multiplex vtilitas; Tertiò, maior securitas, ob recentem gestorum memoriam; Quartò, clariùs agnosces, veriùs æstimabis, certiùs ponderabis molem peccatorum; Quintò, confessarij precibus, consilio & directione faciliùs iuuaberis; Sextò, tentationes intidiæque dæmonis citiùs patefient, Septimò, altiùs radicabuntur bona vitæ melioris proposita; Octauò, inde maior conscientiæ teneritudo, accuratior custodia, & diuinorum luminum cælestiumque deliciarum scaturigo; Nonò, mors tranquillior: Purgatorij pœna vel nulla, vel breuis, vel leuis: vberior gratia & gloria, &c.

Quorum retinueritis] Non audiat confessarius pœnitentes obiter, cursim vel negligim. Non absoluat indignos. Vide in Festo SS. Petri & Pauli. 29. Iunij.

v. 24. *Thomas non erat cum eis*] Res periculi plena, à piorum cœtu, à Parthenia Sodalitate, à concionibus deficere. Quid ergo impiorum cœtibus misceri? 2. Paral. 18. v. 2. *Impio prabes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris. Et ideirco iram Domini merebaris,* &c.

VARIA.

Quoties & quo ordine Christus suis apparuerit, vide Chron. c. 49. in fine.

Cur plagarum cicatrices in corpore suo glorioso retinuerit, vide S. Thom. 3. p. q. 54. a. 4. Nempe Primò, vt veritatem adstruant resurrectionis; Secundò, in crucifixi memoriam & gloriam; Tertiò, in monimentum pro victoriæ, in pacis testimonia; Quartò, vt sint obedientiæ signa, nostræ causæ patrocinia, charitatis incendia, humilitatis argumenta.

Qua ratione retineantur vel ligentur peccata, vide Matt. 16. v. 19.

DOMINICA SECVNDA POST PASCHA.

Euangel. *Ego sum pastor bonus.* Ioan. 10. à v. 11. ad 17.

FIDES.

Ego sum pastor bonus per essentiam, Exod. 3. v. 8. Vicarij Ioan. eius, pastores sunt per communicationem & mutuum 10. ab hoc primo & supremo pastore. Ioan. 21. v. 17. *Pasce 21. oues meas.*

Bonus pastor animam, seu vitam, *suam dat pro ouibus suis*] Reliqua signa boni & veri pastoris vide Feria III. post Pentecosten.

Mercenarius viso lupo, *dimittit oues & fugit*] An liceat Epiſcopo deserere gregem? S. Thom. 2. 2. q. 185. ar. 5.

Cognosco meas oues, *& cognoscunt me meæ*] qua scientia, vide comment. Subditi tenentur obedire suis Superioribus.

Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili] Quænam sint membra Ecclesiæ, seu oues Christi, contr. 5. nu. 9. vsque fin.

Vocem meam & meorum legatorum *audient*] Luc. 10. v. 16. *Qui vos audit, me audit.*

Fiet vnum ouile] *Vna est columba mea,* &c. *sexaginta reginæ,* &c. Cant. 6. v. 7. & 8. Vnitas signum veræ Ecclesiæ Christi, contr. 5. n. 5

Et vnus pastor] nempe Summus: monarchicum enim regimen voluit Christus esse in sua Ecclesia, controu. 6. n. 1. & seqq. vbi de supremo Pastore Ecclesiæ.

MORES.

O quàm bonus pastor Deus Christus, angelus Custos! *Dominus regit me,* &c. Psalm. 22. toto. Quomodo alliciat & foueat auiculas suas, vide de Communi Doctorum. *Homines & iumenta saluabis Domine,* &c. Psalm. 35. v. 8.

De duplici virga, *decore* & *funiculo*, quo Deus pascit gregem suum, & vult etiam nos pascere. vide Zach. 11. v. 7. & 14. Quàm volupe est pasci à tali pastore? Sed habet ipse suos in terra vicarios, de quibus ait: *Suscitabo super eas pastorem vnum.* &c. Ezech. 34. v. 23. Porrò pastor est quisquis aliis præest, princeps politicus, Prælatus, paterfamilias: quisque horum exemplo Dei & Christi, alimat pedum clementiæ, & pedum iustitiæ. *Assume tibi duas virgas,* &c. Zach. 11. v. 4. &c. Cuiuscumque generis *pastores* (gregis sui Dominus) *posuit quasi equum gloriæ suæ in bello.* Zach. 10. v. 3.

De regibus & aliis principibus Politicis.

Vnctio regum designat, etiam *reges* debere esse Deo sacros, & cælestium donorum vnctione plenos, 1. Reg. 10. v. 1. Defectu regum mala omnia in remp. inundant. *In diebus illis non erat rex in Israel: sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Iudic. vlt. v. vlt. *Secundum iudicem populi, sic & ministri eius: & qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea. Rex insipiens perdet populum suum,* &c. Eccli. 20. v. 2. & 3. *Concupiscentia speciosum* (seu custodis gynæcei) *deuirginabit iuuenculum: sic qui facit per vim iudicium iniquum.* Eccli. 20. v. 2.

An ergo regibus quod libet, non licet, iuxta illud

Regi

Reg.8.v.11.à Samuele promulgatum? nequaquam:neque enim verum,sed vsurpatitium ius regis est quod ibi describitur.*Leo rugiens & vrsus esuriens, princeps impius super populum pauperem.* Prou. 28. v. 15. *Qui fortiter premit vbera ad eliciendum lac,exprimit butyrum: & qui vehementer emungit,elicit sanguinem.*c.30.v.33. *Rectorem te posuerunt? noli extolli:esto in illis quasi vnus ex ipsis. Curam illorum habe,& sic conside,&c.vt leteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam, & dignationem consequaris.* Eccli, 32.v.1.vsque 4.

Ne fuges subditos nimiis exactionibus aut aliis oneribus.*In multitudine populi,dignitas regis:& in paucitate plebis ignominia principis.* Prou. 14.v. 28. Quàm displiceant Deo peccata Superiorum etiam leuiora, patet in Moyse & Aaron ad aquas contradictionis, Num. 20. v.12. *Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis,vt auertatur furor meus ab Israel.* Num. 25. v.4. Memineris & *Adami*,Gen.3.v. 17. & *Saulis*, 1.Regum 13. v.13.

De Prælatis & aliis Pastoribus Ecclesiæ.

Nomina filiorum Israel iubetur *Aaron portare* non solum *in pectore*,sed & *in humeris*,Exod.28. vers. 4. Debet & in pontifice reperiri *Vrim & Tummim*,id est,doctrina & veritas, v.30. cum *corona aurea* puræ intentionis cui inscriptum nomen *Iehoua*,v. 38.& *veste poderis*,qua repræsentabatur totus orbis,Sap.18. v.24. *Tu Aaron & filij tui portabitis iniquitatem sanctuarij.* Num.18.v.1. *Diligenter agnoste vultum pecoris tui,tuosq; greges considera.*Prou.27. v.23. vsque fin.Cognosce autem vti reuera in se sunt, v. 19.

Per teipsum inspice & explora mores subditorum: delatoribus ne plus æquo credas. Tù ipse *vade & vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos & pecora, & renuntia mihi quid agatur.*Gen. 37. v. 14. *Fili mi, si sponderu pro amico tuo,&c.illaqueatus es verbis oris tui.* Prou.6.v.1. vsque 6. *Custodi virum istum, qui si elapsus fuerit, erit anima tua pro anima eius.*3.Reg. 20. vers. 39. *Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.* v. 42. *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel,* &c. *Si dicente me ad impium, Morte morieris,non annuntiaueris ei,* &c. *sanguinem eius de manu tua requiram,* &c.Ezech.3.vers. 17. vsque 22. Vide & Prouerb.6.

De patribus familias.

Si quis autem suorum, & maximè domesticorum, curam non habet,fidem negauit,& est infideli deterior. 1.Timot.5. v.8. De erudiendis sedulò filiis,Eccli.30. v.1. vsque 14. *Erudi filium tuum,ne desperes: ad interfectionem autem eius ne ponas animam tuam.*c.19.v.18. (exemplum *Absalom fili mi.*) *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.*Prou.22.v.15.item.c.23.v. 13. & 14. *Qui parcit virgæ,odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.*Prou.13. v.24.

De malis Pastoribus.

Adhuc sume tibi vasa(& indue personam) *pastoris stulti* (v.g.pro pedo gladium,pro esca laqueum,&c.)Zachar. 11.v.15.*O pastor,& idolum,derelinquens gregem:gladius super brachium eius* &c. v.17.Talis erat Cain. *Numquid custos fratris mei sum ego?* Gen.4.v.9. *Pecora occidebant, & non dolebant,& vendebant ea,dicentes, Benedictus Dominus, diuites facti sumus.*Zachar.11.v.5.*Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum subleuabunt animas eorum. Et erit sicut populus, sic sacerdos: & visitabo super eum vias eius,*&c.Osee 4.v.8. *Fornicatio,& vinum, & ebrietas auferunt cor.* v.11. *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia,dicentes, Pax, pax, & non erat pax.* Ierem. 6. v 14.*Dicunt: non prophetabis in nomine Domini, & non moriemur in manibus nostris.* Ierem.11.vers.21.*Speculatores eius cæci omnes,nescierunt vniuersi:canes muti non valentes latrare,videntes vana,dormientes, & amantes somnia. Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem: ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam;* &c. Isa. 56. vers. 11. vsque fin. *Non ascendisti ex aduerso, neque opposuisti murum pro domo Israel,vt staretu in prælio in die Domini.*Ezech.13.v.5. *Deceperunt populum meum,dicentes, Pax; & non est pax.Et ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis.*v.10. *Ecce cecidit paries. Vbi est litura quam linisti?* v.12.*Væ* prophetissis, *quæ consuunt puluillos sub omni cubito manus,& faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis, ad capiendas animas:propter pugillum hordei, & fragmen panis, vt interficerent animas quæ non moriuntur, & viuificarent animas quæ non viuunt, mentientes populo meo credenti mendacijs.* v. 18. *Et quæsiui de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam: & non inueni.* Ezech.22. vers. 30.*Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nónne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis; gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod abiectum est non reduxistis,& quod perierat non quæsistis.* Ezech. 34.v.2. vsque 10.*Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum,*&c.*Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas,sicut visitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum,*&c.v.11.vsque fin. *Suscitabo super eas pastorem vnum, seruum meum, Dauid* (Messiam)v.23.

De bonis Pastoribus.

Clama,ne cesses quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum &c.Isa.58. vers. 1. *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt.*Isa. 62. vers. 6. *Dabo vobis pastores iuxta cor meum & pascent vos scientia & doctrina.* Ierem.3. v.15.*Et clamauit leo*(speculator:) *Super speculam Domini, ego sum stans iugiter per diem: & super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus.*Isa.21.vers.8.*Ecce videntes hostem, clamabunt foris,angeli pacis amarè flebunt.* Isa. 33. vers. 7. *Pascite,qui in vobis est gregem Dei,*&c.*neque turpis lucri gratia neque vt dominantes in clero,*&c. 1. Petr. 5. v.2.vsque 5.*Non ero vobis grauis* (inquit S. Paulus Corinthiis:) *non enim quæro quæ vestra sunt,sed vos. Nec enim debent filij parentibus thesaurizare,sed parentes filijs. Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris: licet plus diligens, minùs diligar.* 2. Corint.12. v.14. Vox boni pastoris est.*Da mihi animas,cetera tolle tibi,* Gen. 14. v. 21.

Bonus pastor animam suam dat pro ouibus] *Anima nostra sit pro vobis in mortem,si tamen non prodideris nos.* Iosue 2. v. 14.*Cunctorum sanguis qui tecum in domo fuerint, redundabit in caput nostrum, si eos aliquis tetigerit. Qui ostium domus tuæ egressus fuerit,sanguis ipsius erit in caput eius, & nos erimus alieni.*v.29. *Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi? isti oues sunt, quid fecerunt? vertatur obsecro manus tua contra me,& contra domum patris mei.* 2.Reg.24.v.17. *Nónne ego sum qui iussi, vt numeraretur populus? ego qui peccaui: ego qui malum feci:iste grex quid commeruit? Domine Deus meus vertatur obsecro manus tua in me, & in domum patris mei: populus autem tuus non percutiatur.* 1.Paral. 26. vers.17. Exod.32.v.32. *Si non facis,dele me de libro tuo.* Rom.10. v.3. *Optabam anathema esse pro fratribus meis.* Ioan. 10.v. 11.

Quantis technis curauit fratres suos Ioseph? quali dolo sibi optauit Beniaminum? Genesis 41.42.43. Sed & zelum Iudæ expende: *Mitte puerum mecum. Ego suscipio puerum: de manu mea require illum,nisi reduxero & reddidero eum*

to enim tibi, ero peccati reus in te omni tempore. Gen. 43. v. 8. Item Ruben: *Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi,* &c. Genes. 42. v. 37. *Iudas* quoque *se pro* Beniamino *seruum* offert, vnde sceptro potitur. Genes. 44. vers. 32. & c. 49. v. 10. *Pater tuus & fratres tui venerunt ad te. Terra Ægypti in conspectu tuo est; in optimo loco fac eos habitare.* Gen. 47. v. 5. Ita fecit Ioseph, v. 11. &c. *Inde pastor egressus est, lapis Israel.* Gen. 49. v. 24.

Et quanto luctu conficiebatur Ruben perdito Iosepho! *Puer non comparet, & ego quò ibo?* Gen. 37. v. 30. *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante D. N. Iesum Christum estis in aduentu eius? vos enim estis gloria nostra & gaudium.* 1. Thess. 2. v. 19. Sed & *ab* impio *ne subtrahas manum tuam: quia qui timet Deum, nihil negligit.* Eccles. 7. v. 19.

Officium ouium erga Pastores suos.

Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis. Hebr. 13. vers. 17. *Et ego non sum turbatus, te pastorem sequens.* Ierem. 17. v. 16. *Pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Cant. 1. v. 7. *Aures tuæ audient verba post tergum monentis: hæc est via, ambulate in ea,* Isa. 30. v. 21. *Quod me videtis facere, citò facite.* Iudic. 9. v. 48. *Ego ante te ibo: portas æreas conteram,* &c. Isa. 45. v. 2. *Vestigia eius secutus est pes meus,* &c. Iob 23. v. 11. *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Psal. 22. v. 4.

VARIA.

Dixit hæc Iesus sub initium Decembris, anni tertij prædicationis suæ Chron. c. 49.

De centesima ouicula erratica, vide Dominica III. post Pentecost.

DOMINICA TERTIA POST PASCHA.

Euangel. *Modicum, & iam non videbitis me.* Ioan. 16. à v. 16. vsque 23.

FIDES.

Ioan. 16 v. 16. *Iam non videbitis me, quia vado ad Patrem*] Inuisibilis tamen vobiscum manebo, partim per præsentiam corporalem in Eucharistia, contr. 21. nu. 1. & seqq. partim per præsentiam moralem per opem & auxilium de cælo, Matth. vlt. v. vlt. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.*

v. 18. *Quid est hoc quod dicit, Modicum,* &c. *Nescimus quid loquitur*] Si Apostolis obscurum, quomodo ergo omnibus clarum & perspicuum vbique (vt volunt Nouantes,) est verbum Dei? contr. 2. n. 12.

v. 19. *Cognouit Iesus,* &c.] Nullam fuisse in Christo ignorantiam, contr. 4. n. 13.

De hoc quæritis inter vos] Quis sit infallibilis interpres dubiorum S. Scripturæ, & supremus iudex controuersiarum fidei, contr. 2. n. 13. vsque 17.

v. 20. *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini*] En legatum nobis factum à Christo. Sed cur istud? Ierem. 12. v. 1. *Quare via impiorum prosperatur?* &c.

Sed tristitia vestra post modicum *vertetur in gaudium*] Vestra, inquam, quæ ex mei absentia & morte instante nascitur: non item quæ ex rerum terrenarum iactura. Multò minùs quæ ex inuidia vel odio nasceretur.

v. 22. *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum*] Non obliuiscar muneris mei, etsi iam immortalis. In quo gaudendum, & quot modis in Deo gaudendum, & an gaudium spirituale possit plenum esse in nobis, & an patiatur secum aliquam tristitiam, vide S. Thom. 2. 2. q. 28.

MORES.

Cognouit Iesus, quia volebant eum interrogare] Qui vltrò defert nondum petentibus (Psalm. 144. v. 19. *Voluntatem timentium se faciet,* &c.) non dabit obnixè solicitéque rogantibus viam veritatis, scientiam salutis, & gratiam? Ioan. 16. v. 19.

Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit] Itáne, mi Christe, moriens amicis tristitiam, hostibus tuis gaudium legas? *Mei autem pæne moti sunt pedes,* &c. *pacem peccatorum videns,* &c. Psalm. 72. toto. *Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus qui prævaricantur & iniquè agunt?* &c. Ierem. 12. v. 1. &c. *Omnis plaga, tristitia cordis est, & omnem plagam videbit* (id est feret) homo, (dummodo) *non plagam cordis.* Eccli. 25. v. 17. 18.

Quænam illa tristitia? quodnam hoc gaudium? Cur illa tristitia bona? hoc gaudium malum? Est quædã bona, quædam mala tristitia: vtriusque causas recense; sed huius damna & remedia: illius commoda & simul incentiua propone. Psalm. 33. v. 20. *Multæ tribulationes iustorum,* &c. Tribulatio fastum animi contrahit: peccata præterita purgat, præsentia arcet, futura præcauet: torporem excutit: ad omnem virtutem exercet: humanarum rerum vilitatem aperit, &c. vt dixi de socru Simonis Feria V. post III. Dominicam Quadragesimæ. Hac via magis innotescit virtus Dei. 2. Cor. 12. v. 9. *Virtus in infirmitate perficitur.* Cor sursum ad cælum cogitur. Et veri amici ab adulterinis discernuntur. Ioan. 6. v. 26. *Quæritis me quia ex panibus* meis *manducastis & saturati estis.*

Mundus gaudebit] Sed quo gaudio? heu quàm modico, quàm fallaci, quàm noxio! *Noli æmulari,* &c. Psal. 36. v. 1. Dæmoni & mundo familiare est, blandos congressus funesto fine claudere: e contrario Spiritus sanctus tristibus initiis lætos exitus subiungit. Mundanus *risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Prouerb. 14. v. 13.

Sed tristitia vestra vertetur in gaudium] Et quale gaudium? Primo, *plenum.* vers. 24. *Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum,* cui nihil desit vlla ex parte. Secundò, immutabile & æternum. v. 22. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Vnde gaudium emergat Sanctorum in cælis? contr. 30. n. 3. Vbi & de gaudio accessorio n. 4. 5. 6. Matt. 25. v. 21. *Intra in gaudium Domini tui.* Qui non sub tanti gaudij promissione libens hîc militet? 2. Tim. 4. v. 7. *Bonum certamen certaui,* &c. Psalm. 125. v. 6. *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua,* &c. Hîc dilige coronam spineam, ibi auream reperies. Contemne vappam mundi, & Christi bonum vinum in fine accipies; Dominica III. post Epiphaniam, Epulonis hîc spernе quisquilias, & æterna cum Lazaro gaudia hereditabis; Feria V. post II. Dominicam Quadragesimæ.

Vis hîc vtiliter tristari? Cogita & expende peccata tua, & totius mundi; Christi passionem; Ecclesiæ militantis afflictiones, purgantis dolores, triumphantis gaudia; exilium tuum, &c. *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Psal. 41. v. 3.

Vis fructuosè semper gaudere? De Deo & bonis Dei gaude, de gloria Christi, Sanctorum, & tua. *Quid mihi est in cælo?* &c. Psal. 72. v. 25.

VARIA.

Hæc & sequentia Dominicæ IV & V. dixit Christus in vltima sua cœna, cùm testamentum suum prolixo sermone conderet.

Quàm modicum est quidquid temporaneum est! Psalm. 89. v. 4. *Mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna quæ præterijt.*

De acedia, quæ gaudio spiritus opponitur, vide S. Thom. 2. 2. q. 35.

INDEX VARIAR. MATER. ET CONCEPT.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Euangel. *Vado ad eum qui misit me* Ioan. 16. à v. 5. ad 15.

FIDES.

Ioan. 16. v. 7. *Expedit vobis vt ego vadam* ad eum qui misit me. Mansurus tamen inuisibiliter vobiscum semper, Dominica III. post Pascha ad v. 16. Neque hæc præsentia Christi (vt vult Caluinus) inutilis vel noxia est Ecclesiæ.

Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos] Neque enim, nisi morte mea, redimetur mundus, contr. 4. n. 15. Et vos carnali præsentiæ meæ & sensibili solatio etiamnum addicti estis.

v. 8. *Ille arguet mundum*, conuincendo tam Iudæos, quàm Gentiles. Primò, *de peccato*: nempe, omnes esse in peccato originali, & multiplici actuali, contr. 11. nu. 4. &c. Secundò, *de iustitia*: nempe, omnes egere gratia & redemptione Christi ad veram iustificationem, contr. 14. n. 1. 8. 9. & contr. 15. n. 8. &c. Tertiò, *de iudicio*: nempe, omnes damnandos nisi in Christum crediderint, & illi seruierint, contr. 15. n. 9. & 11.

v. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere*] Quæ tamen nec postea quidem dixisse legimus. Multa ergo reliquit Spiritui sancto supplenda futuris tẽporibus, contr. 2. n. 17. & 18.

v. 13. *Ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*] Ergo iudicium Ecclesiæ, & maximè capitis Ecclesiæ, est infallibile, seu de fide, seu de morũ præceptis agatur, contr. 6. u. 16. & contr. 7 n. 5. Priuatorum verò (quia non promittitur singulis assistentia hæc infallibilis Spiritus sancti) iudicium est fallibile, contr. 2. n. 14.

v. 14. *De meo accipiet*] Nempe per processionem ex me. Neque enim minùs ex Filio, quàm ex Patre procedit Spiritus sanctus, contr. 3. n. 3.

MORES.

Ioan. 16. v. 5. *Vado ad eum qui misit me*] Vado: non vadam. *Paratum cor meum Deus.* Psal. 56. v. 8. Seriùs fortè parabo. Boni vltrò vadunt ad mortem: mali trahuntur. Quia hi neglexerunt voluntatem eius qui misit eos: illi verò eam compleuerunt. Illi audient, *Euge serue bone*, &c. Matth. 25. v. 21. hi *plagis* vapulabunt *multis*. Luc. 12. v. 47.

v. 6. *Tristitia impleuit cor vestrum*] *Quæ secundùm Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem operatur.* 2. Cor. 7. v. 10. Est enim vel ob admissam culpam: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia*, &c. Psal. 118. v. 136. Vel ob exilium. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est*, Psalm. 119. v. 5. Vel ob internæ consolationis penuriam. *Fuerunt mihi lacryme mee panes*, &c. Psal. 41. v. 4. Quæ secundum mundum est *tristitia*, nocet corpori & animæ familiæ, &c. *Caue des animæ tuæ* talem *tristitiam*, Eccli. 30. v. 22.

Remedium. *Tristatur quis in vobis, oret.* Iac. 5. v. 13. Aduersis oppone animi robur. Potuerũt hoc Gentiles: nec poterunt Christiani qui sperant vitam futuri sæculi? Moyses manuum extensione ad Deum deuicit Amalec, Exod. 17. v. 11. *Omnia tempus habent*, &c. Eccles. 3. v. 1. vsque 12. *Et cognoui quòd non esset melius nisi lætari, & facere bene in vita sua.*

v. 7. *Sed ego veritatem dico*] Etiam molesta & carni odiosa subinde denuntianda: & semper vtilia iucundis præferenda.

Expedit vobis] Triplici argumento solatur suos Christus. Primò, modica absentia. *Modicum & videbitis me.* v. 16. Secundo, vtilitate discessus. *Expedit vobis vt ego vadam.* Tertiò, substitutione alterius consolatoris, doctoris & curatoris. *Nisi ego abiero*, &c. Triplex officium Spiritus sancti. Primò, docebit; Secundò, consolabitur; Tertiò, arguet. In idem incumbat concionator: doceat rudes: soletur afflictos: arguat obstinatos: Instruat, delectet, moueat.

Nisi ego abiero] Tria impediunt abundantiam Spiritus sancti, & gustum internum. Primò, affectus humanus; Secundò duritia cordis; Tertiò, perturbatio mentis. Singula fatetur amoliri Christus. Primò, *Nisi ego abiero*, Secundò, *Exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam*; Tertiò, *Non turbetur cor vestrum.*

Sed an etiam affectus in Christum, isque honestissimus, impedit influxum spiritualis torrentis? *Nisi ego abiero*, &c. Quantò iustius? Nisi abierit tua pellex, tua auaritia, tua crapula, &c. *Paraclitus non veniet ad te.*

v. 8. *Arguet mundum de peccato*] Putas, & fortè etiam iactas te innocentem? O si irradiet animo tuo lux cælestis! Non vnius te peccati reum videbis, dolebisque.

De peccato: quia non crediderunt in me] De infidelibus iam taceo. Quid causæ habes, ô Christiane, cur fidei, quam profiteris, opera non exequaris?

De iustitia] A Spiritu sancto syndéresis illa est quæ conscientiam arguit de tot iustitiæ virtutisque occasionibus neglectis.

De iudicio] *Memor esto iudicij mei: sic enim erit & tuum.* Eccli. 38. v. 23. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*, c. 7. v. 40. De quo vide in Feria II. post I. Dominicam Quadragesimæ.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Euangel. *Si quid petieritis Patrem.* Ioan. 16. à v. 23. ad 31.

FIDES.

Ioan. 16. v. 23. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*] Quæ conditiones requirãtur vt oratio infallibiliter impetret, controu. 17. n. 3. An à Sanctis aliquid deposcere, sit iniurium Deo vel Christo, controu. 30. n. 8. & 9.

v. 24. *Vt gaudium vestrum sit plenum*] An potest in hac vita plenum nobis gaudium obtingere? in cælo erit plenissimum, controu. 30. n. 3. vsque 7.

v. 25. *Hæc in prouerbiis*, id est, subobscurè, *locutus sum vobis*] Neque enim verbum Dei vbique clarum omnibus ac perspicuum, controu. 2. n. 12.

v. 26. *Ego rogabo Patrem de vobis*, tamquam mediator inter vos & Patrem, controu. 4. n. 11.

v. 28. *Exiui à Patre*, secundùm diuinitatem ab æterno, controu. 3. n. 2. secundùm humanitatem, à primo conceptionis momento, quo *veni in mundum* Messias & redemptor vniuersi, controu. 4. n. 2.

Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem] vide Dominica III. post Pascha, ad v. 16.

v. 30. *Scimus quia scis omnia*] Controu. 4. n. 13.

MORES.

Ioan. 16. v. 23. *Si quid petieritis*, &c.] *Orationis* quanta *dignitas!* præsentem Deo assistere! cũ illo miscere colloquia! optare quidquid velis! impetrare quidquid optes! Quanta *necessitas!* Mala quæ nos vndique premunt, ad Deum ire compellunt. *Sine me nihil potestis facere.* Ioan. 15. v. 5. Quanta *vtilitas!* *Si quid petieritis*, &c. Aquæductus est omnium beneficiorum diuinorum: clauis thesaurorum cælestium.

Petite & accipietis] *Pete à me quod vis, & dabo tibi: licet dimidium regni mei*, &c. Marc. 6. v. 22.

Sed pete quod vtile est. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est*, &c. Iac. 1. v. 17. *Orate* etiã *pro inuicem, vt saluemini: multùm enim valet deprecatio iusti assidua. Elias homo erat*, &c. Iac. 5. v. 16. vsque fin. *Iob* pro amicis suis, &c. Iob 42. v. 8. *Currus Israel & auriga eius*, erat Elias oratione sua. 4. Reg. 2. v. 12.

Et gaudet rogari Deus, vt possit gratiam impertire. *Repentè propinabo* vineæ meæ, *ne fortè visitetur contra eam: nocte & die seruo eam. Indignatio non est mihi. Quis dabit me spi-*

meſpinam & veprem in prælio ? gradiar ſuper eam, ſuccendam eam pariter ? an potius tenebit fortitudinem meam, faciet pacem mihi, pacem faciet mihi ? Iſa. 27. v. 3. vſque 6. *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exſurgam.* Pſalm. 11. v. 6. Quis credat? etiam impios ſæpè iuuat Deus præter omne illorum meritum, v.g. Achabū 3 Reg. 20 v. 13. & 28. Ioramum 4. Reg 3. v. 17. Ioachaz c. 13 v. 4. Et quàm facilè *iudicabit Dominus populum ſuum* (puniendo,) tam facilè *in ſeruis ſuis deprecabitur.* Pſal. 134, v. 14.

Idque etiam in rebus maximis: *Sol contra Gabaon ne moueatur*, &c. Ioſue 10. v. 12. *Si erit his annis ros & pluuia*, &c. 3. Reg. 17. v. 1. & c. 18. v. 45. *Daniel* bis effugit *ora leonū*, c. 6. & 13. *Tres pueri* ignem, Dan. 3. *Ionas* cetum, ca. 2. v. 1. *Moyſes* manus Dei ligat, Exod. 32. v. 10. *Anna* Samuelem impetrat, 1. Reg. 1. v. 10. 1. Reg. 12. v. 16. *Nunc ſtate & videte rem iſtam grandem quam facturus eſt Dominus in conſpectu veſtro. Numquid non meſſis tritici eſt hodie? inuocabo Dominum, & dabit voces & pluuias : & ſcietis & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conſpectu Domini, petentes ſuper vos regē.* Nónne *Eliæ* poſtulanti dantur claues cæli ad puniendos fame idololatras? 3. Reg. 17, v. 1. Nec niſi occiſis 400. Prophetis Baal reddita terræ pluuia, c. 18. v. 40. & 41. *Dic Ezechiæ, Audiui orationem tuā, & vidi lacrymas tuas: & ecce ſanaui te. Et addam diebus tuis quindecim annos: ſed & de manu regis Aſſyriorum liberabo te & ciuitatem hanc, propter me, & propter Dauid ſeruum meum.* 4. Reg. 20. v. 5. *Robertus* Francorum rex *Auallonem* precibus expugnat, ſicut olim *Iericho*, Ioſue 6. v. 3. *Ioſue* ſaxis *grandinum* cælitus impetratis proſternit Chananæos reges, Ioſue 10. v. 11. *Quia oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum.* 1. Pet. 3. v. 12.

Et quid ni promptus ſit ad exaudiendum, qui vltrò excitat ad petendum? *Ego ſto ad oſtium, & pulſo*, &c. Apoc. 8. v. 20. *Aperi mihi ſoror mea*, &c. Cant. 5. v. 2. & Cant. 2. v. 3. vide Domin. XI. poſt Pentec. *Adaperire*, *Oſculetur me*, &c. Cant. 1. v. 1. *Sonet vox tua in auribus meis*, &c. Cant. 2. v. 14. *Quodcunque petierimus ſecundùm voluntatem eius, audit nos.* 1. Ioan. 5. v. 14. *Exquiſiui Dominum, & exaudiuit me*, &c. Pſal. 33. v. 5. Ecce *adſum.* Iſa. 58. v. 9, *Voluntatem timentium ſe faciet*, &c. Pſal. 144. v. 18. *Ecce, quem amas infirmatur.* Ioan. 11. v. 3 *Peto, vt de vinculo impropery huius abſoluas me*, &c. Tob. 3. v. 15. *Vinum non habent*, &c. Joan. 2. v. 4, *Omnia ſuperabundanter quàm petimus aut intelligimus.* Epheſ. 3. v. 20. Eliæ bis. 3. Reg. 16. v. 9. & 13. Abrahæ. Gen. 18. v. 14. *Ecce iſte venit ſaliens*, &c. Cant. 2. v. 8. *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus.* Pſalm. 9. v. 7. *Præparationem cordis eorum audiuit.* v. 17. *Eritq; antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Iſa. 65. v. 24.

Verùm, toties hæc & hæc petij, & nondum exaudior.

v. 24. *Vſque modò non petiſtis* Patrem *quidquam in nomine meo*] Audin? Primò, *Petiſtis?* Diligentiam poſtulat in orante & ſedulitatem; Secūdò, *Patrem?* an tu filius per gratiam? *Scimus* enim *quia peccatores Deus non audit.* Joan. 9. v. 31. Tertiò, *quidquam?* terrena enim quaſi nihil ſunt, Matth. 6. v. 33. *Primùm quærite regnum Dei*, &c. Quartò, *in nomine* Chriſti? per merita Chriſti. Sed de his fuſiùs in Rogationibus, die craſtina.

Petite] Sed tu, ô Deus, omnium optimè noſti neceſſitates noſtras, & potes & vis nobis ſuccurrere: vt quid ergo roganduses? Primò, delectatur petitionibus noſtris, & frequentium virtutum quæ ibi concurrunt exercitio. Secundò, impetrata pluris fiunt. Matth. 28. v. 32. *Omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me.* Tertiò, vult frequenti congreſſu & colloquio mutuum amorē foueri, creſcere, ſtabiliri. Quartò, præcepit vt ſic illum colamus & honoremus. *Inuoca me in die tribulationis; eruam te, & honorificabis me.* Pſal. 49. v. 15.

v. 28. *Exiui à Patre, iterum vado ad Patrem*] En vt Chriſtus totus eſt in negotio noſtrę ſalutis. Et nos quoque ſimus perpetuò *in his quæ Patris* noſtri *ſunt*, Luc 2. v. 49.

IN ROGATIONIBVS: FERIA II. ET III.

Euangel. *Quis veſtrûm habebit amicum?* Lucæ 11. v. 5 vſque 14.

FIDES.

Ego (cui Matth. vlt. v. 18. *data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra*) *dico* & addico *vobis: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis.* Matt. 7. v. 7 Quænam requirantur, vt oratio infallibiliter impetret, controu. 17. n. 3. De publicis Eccleſiæ precibus, n. 4. & ſeqq. Luc. 11. n. 5.

Quis ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut pro piſce ſerpentem? aut pro *ouo* ſcorpionem? Abſit: ſed dabit quod ſalubre eſt & vtile. Sic pro ſeſſione ad dexteram Chriſti in terris, dabit calicem paſſionis. Vide Feſtum S. Jacobi, 25. Iulij. Luc. 11. n. 11.

Si vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris; quāto magis Pater veſter de cælo (cuius natura bonitas, contr. 1. n. 3.) *dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?*] Quàm liberalis ſit Deus, in Spiritu ſancto eiuſque donis in nos profundendis, vide in Feſto Pentecoſtes. v. 13.

MORES.

Amice, commoda mihi tres panes] *Clamabo per diem, & non exaudies; & nocte, & non ad inſipientiam mihi* Pſal. 21. v. 3. Luc. 11. v. 5.

Noli moleſtus eſſe] *Tu ergo noli orare pro populo hoc, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.* Ierem 7 v. 16. *Dimitte me vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos* Exod. 31. v. 10. *Aperui dilecto meo, at ille declinauerat*, &c. Cant 5 v. 5. & 6. *Dixi, Sapiens efficiar; & ipſa longiùs receſſit à me.* Eccleſ. 7. v. 24. Nempe, non properat Deus, ne dona eius vileſcant: & vt magis magiſque inflammemur ad maiore cum fiducia petendum. Hunc Dei genium norat Moyſes, vnde. *Iacui coram Domino quadraginta diebus ac noctibus, quibus eum ſupplex deprecabar, ne deleret vos, vt fecerat comminatus.* Deut. 9. v. 25. Secū dò percuſſæ aquæ Iordanis, diſſiliunt. &c Ioſ. 3. v. 14. *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.* Gen. 32. v. 26. v. 7.

Impedimenta quo minùs impetremus. Primum, Nō petimus *quidquam*, quod ad ſalutem conducat æternam. *Quodcumque petierimus ſecundùm voluntatem eius, audit nos.* 1. Joan. 5. v. 14 Petitis ſæpè quæ vobis nocitura ſunt, lapides & ſcorpiones. *Clamabitis in die illa à facie regis veſtri, quem elegiſtis vobis : & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petiſtis vobis regem.* 1. Regum 8. v. 18. & ca 9. v. 16.

Secundum. Non petimus *Patrem*, quia non ſumus filij, ſed hoſtes Dei. *Non exaudiam, quia manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine.* Iſaiæ 1. v. 15. *Qui declinat aures ſuas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Prouerb. 28. v. 9. *Quare inquietaſti me vt ſuſcitarer?* ait Samuel Sauli, 1. Regum 28. v. 15. & ait Saul: *Coarctor nimis. Siquidem Philiſthiim pugnant aduerſum me, & Deus receſſit à me, & exaudire me noluit, neque in manu Prophetarum, neque per ſomnia: vocaui ergo te, vt ſignifideres mihi quid faciam. Et ait Samuel: Quid interrogas me, cùm Dominus receſſerit à te?*

In vna tamen re certò exaudietur peccator, ſi peccati pœnitens, veniam illius depoſcat. Ezech. 18 v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Etiam ſubinde quoad relaxationem pœnarum temporalium. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieunio & in fletu & in planctu, & ſcindite corda veſtra*, &c. *Quia benignus & miſericors eſt*, &c *Quis ſcit ſi conuertatur*, &c. *Canite tuba in Sion, ſanctificate ieiunium, vocate cœtum*, &c. *Parce Domine, parce populo tuo*, &c. Ioël. 2. v. 12. &c. Seu pro te, ſeu pro alio vt exaudiaris, cura pœ-

niteas priùs de peccatis tuis; tunc ora & sacrifica pro alienis, exemplo Iobi ca. vlt. v. 9. & 10. Gedeon primò sibi tamquam vili vellere poscit rorem gratiæ & opis cælestis, deinde eundem poscit & reliquæ terræ, commilitonibus suis Iudic. 6. v. 37.

Tertium. Non petimus *in nomine* Christi. *Nec tamen est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Act. 4. v. 12. *Cineres vaccæ rufæ*, Num. 19. v. 12. sunt figura meritorum Christi, quibus omnes sanctificamur. Item *petra*, ex qua aqua Num. 20. v. 12. *Non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in Gentibus*, &c. Ezech. 36. v. 22. Merita Christi sunt annulus regius, quo omnia nostra obsignari debent, vt valida & rata habeantur. Hæc enim consuetudo erat, vt epistolis quę ex regis nomine mittebantur, & illius annulo signatæ erant, nemo auderet contradicere, Esther. 8. v. 8.

Quartum. Subinde etiam non *petimus*. Nempe non debita attentione ac reuerentia. *Sicut parturientis cor tuũ phantasias patitur, nisi*, &c. Eccli. 34. v. 6. *Cogitationes meæ dissipatæ sunt*, &c. Iob 17. v. 11. *Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente.* 1. Corinth. 14. v. 15. & 26. *Quoniam rex omnis terræ Deus, psallite sapienter.* Psal. 46. v. 8. *In conspectu angelorum psallam tibi*, &c. Psal. 137. v. 1. *Tunc multiplicabis in anima mea virtutem.* v. 3.

Vel non petimus sat magna fiducia. Vnde sæpè non exaudimur. Iob 35. v. 9. vsque 16. *Si quis vestrûm indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter*, &c. *Postulet autem in fide, nihil hæsitans*, &c. Iac. 1. v. 5. vsque 9.

Vel non sat pura intentione & animi resignatione. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Eccli. 18. v. 23. *Vnus ædificans, & vnus destruens, quid prodest illis nisi labor? Vnus orans, & vnus maledicens, cuius vocem exaudiet Deus? Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius? Sic homo qui ieunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet?* Eccli. 34. v. 28. vsque fin. *Qui adorat Deum in oblectatione, (id est gaudio, & consequenter serió) suscipietur, & deprecatio illius vsque ad nubes propinquabit.* Eccli. 35. v. 20. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit*, &c. v. 21. vsque fin. *Non despiciet Dominus preces pupilli, nec viduam*, &c. v. 17. vsque 20. Insignem animi puri resignationem habemus in Dauide. *Reporta arcam Dei in vrbem. Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet eam mihi. Si autem dixerit mihi, Non places; præsto sum, faciat quod bonum est coram se.* 2. Reg. 15. v. 25.

Vel quia sine sociis orationis, ieiunio & eleëmosyna. *Et posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare & deprecari in ieiuniis, sacco & cinere.* Dan. 9. v. 3. *Lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, sed neque vnguento vnctus sum.* c. 10. v. 2. *Bona est oratio cum ieunio & eleemosyna magis quàm thesauros auri recondere.* Tob. 12. v. 8.

Vel quia deest perseuerantia. *Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in ieiuniis & orationibus in conspectu Domini.* Iudith 4. v. 12. vide etiam orationem Esthęræ c. 14. v. 2. &c. Quia *Saul* non pergit in orando & consulendo Deo, quot enata incommodali! 1. Regum 14. 19. *Non relinquet Dominus populum suum, propter nomen suum magnum, quia iurauit Dominus facere vos sibi populum. Absit autem à me hoc peccatum in Dominum, vt cessem orare pro vobis*, &c. 1. Regum 12. v. 22. *Cùm leuaret Moyses manus, vincebat Israel*, &c. Exod. 17. v. 11. *Manu pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, occiderunt triginta quinque millia*, &c. 2. Machab. 15. v. 26. *Non impediaris orare semper.* Eccli. 18. v. 22. *Oportet semper orare.* 1. Tim. 2. v. 1. & 8. *Ne temerè quid loquaris, coram Deo*, &c. *sed sint pauci sermones tui.* Eccles. 5. v. 1. *Non iteres verbum in oratione tua.* Eccli. 7. v. 15.

Omnibus commendatur vsus orationis iaculatoriæ, exemplo. *Nehemiæ* 2. Esdr. 2. v. 4. & *Iudith* 13. v. 6. *Confirma me Domine Deus in hac hora. Oportet prauenire solẽ ad benedictionẽ tuam, & ad ortum lucis te adorare.* Sap. 16. v. 28. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, & eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Psal. 140. v. 2. *Effundo in conspectu eius orationem meam*, &c. Psal. 141. v. 3. & Psalm. 61. v. 9. *In nocte*: &c. Thren. 2. v. 19. *Phialas aureas plenas odoramentorum.* Apoc. 5. v. 8.

VARIA.

Hæc dixit Christus mense Nouembri; anno 3. suæ prædicationis. Chron. c. 49.

Cur hoc tempore triduum Rogationum? Primò, vt caro nostra, quæ verno tempore, propter noui sanguinis ebullitionem, plusculum insolescit, ieiunio & oratione coërceatur. Secundò, vt animorum motus, & bella, quæ sub hoc tempus increbrescunt, comprimantur. *Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro, ne fortè accidat nobis pestis aut gladius.* Exod. 5. v. 3. Tertiò, vt frugibus terræ cælum propitium & maturitatem impetremus. Quartò, vt ad recipiendum Spiritum sanctũ corda nostra præparemus. Actor. 1. v. 14. *Erant vnanimiter perseuerantes in oratione.*

Vnde origo aurei velleris, Iudic. 6. v. 37.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Euangel. *Recumbentibus vndecim discipulis.* Marc. 16. à v. 14. ad finem cap.

FIDES & MORES.

Exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiã cordis, quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt] Luc. 24. v. 25. *O stulti & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ!* Marc. 16. v. 14.

Argumenta quibus probatur futuram resurrectionem mortuorum, habes controu. 28. n. 2.

Euntes non in solam Judæam, sed *in mundum vniuersũ, predicate Euangelium omni creaturæ*] *Egrediamur in agrum*, &c. Cant. 7. v. 11. *Glorificabit me bestia agri*, &c. Isa. 43. v. 20. Deus ex sua parte omnes inuitat & vocat ad cælũ, contr. 13. n. 8. Omnibus offert omnia ad id necessaria, contr. 14. n. 10. vsque 14. Scholam hîc instituit Christus non scientiæ, sed fidei. Magistris auctoritatem Primò, dat legitimè & absque vsurpatione docendi. Secundò, etiam donum & potestatem impertit rectè atque infallibiliter fidei dogmata tradendi. Docere autem iubet, non tam probando vel disputando, quàm testificando atque explicando. Vnde inculcandum hîc magisterium Ecclesię infallibile quoad fidei doctrinam, contr. 5. n. 3. Ac proinde meritò illi ab omnibus credendum & obediendũ. v. 15.

Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit] Non sufficere solam fidem, contr. 15. n. 7. sed opera bona iungẽda, n. 23. Qualis fides in adulto requiratur, n. 11. vsque 17. Et sufficere baptismum in voto, vel martyrium, quando baptismus aquæ adhiberi non potest, contr. 19. n. 3. & 4. v. 16.

Qui non crediderit, vel, cùm possit, baptizatus non fuerit, vel vitam suam iuxta fidei præscriptum non instituerit vsque in finem, *condemnabitur.*

De necessitate baptismi, etiam infantibus, vide contr. 19. num. 1. De necessitate bonorum operum in adultis, contro. 15. n. 7. & 23.

Signa eos qui crediderint, hæc sequentur, &c.] vbi opus fuerit. Nam, vt contr. 5. nu. 6. docetur, semper & in sola Ecclesia Dei, (quæ nunc est Romana,) reperiuntur vera miracula. v. 17.

Serpentes tollent, &c.] *Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis*, &c. Isa. 11. v. 8. *Obstetricante manu eius eductus est coluber tortuosus*. Iob 26. v. 13. *Super serpentes & scorpiones*, &c. *Videbam satanam cadentem*, & Luc. 10. v. 18. & 19. & Apocal. 12. v. 7. *De cubilibus draconũ*, &c. Cant. 4. v. 8.

v.19. *Dominus Iesus* perfunctus omni sua legatione, *assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei*] Christum etiã sibi promeritum esse, non solùm resurrectionem & gloriã corporis, sed etiam triumphum ascensionis, sessionem ad dexteram Patris, exaltationem nominis, imperium in omnia & iudiciariam potestatem docui contr. 4. nu. 17. Sed per ascensionem non esse adeptum vbiquitatem Lutheranicam, probaui n. 10.

Ascensio Christi in cælum.

Relinquo mundum, & vado ad Patrem. Ioan. 16. v. 28. *Reuertere, reuertere*. Cant. 2. v. vlt. *Fuge super montes*, &c. c. 8. v. vlt. *Ponis nubem ascensum tuum*. Psal. 103. v. 3. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ*. Psal. 131. v. 8. *Ecce currus igneus & equi ignei diuiserunt vtrumque*. 4. Reg. 2. v. 11. *Et ascendit Elias per turbinem in cælum. Pater mi, pater mi, currus Israel, & auriga eius*. v. 12. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis in Sina in sancto. Ascendisti in altum*. &c. Psal. 67. v. 18. & seqq. *Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli ad Orientem*, &c. v. 34. *Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ*. Psalm. 46. v. 1. *Deus sedet super sedem sanctam suam*. v. 9. *Cantate Deo, iter facite ei qui ascendit super occasum*, &c. Psal. 67. v. 5. *Qui educit vinctos in fortitudine, qui habitant in sepulchris*. v. 7. *Aperite portas, & ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem. Vetus error abiit*, &c. Isa. 26. v. 2. vsque 9. *Ascendit ennm pandens iter ante eos: dnident & transibunt portam*, &c. Michææ 2. v. 13. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua*, &c. *Torcular calcaui solus*, &c. Isa. 63. v. 1. *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quòd autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ? qui descendit, ipse est & qui est ascendit super omnes cælos vt impleret omnia*. Ephes. 4. v. 8. &c. *Ecce iste venit saliens in montibus*, &c. Cant. 2. v. 8. *vt gigas*. Psal. 18. v. 3. *Ascendit super cælum cæli*, &c. Psal. 67. v. 5. & 36.

Vsque ad solium Patris. *Ego te* Pater, *clarificaui super terram, opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam: & nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate quam habui priùs, quàm mundus esset, apud te. Manifestaui nomen tuum hominibus*, &c. Ioan. 17. v. 4. &c. *Bonum certamen certaui*, &c. 2. ad Tim. 4. v. 8. *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis*, &c. Psal. 109. v. 1. *Ecce constitui te hodie super Gentes*, &c. Ierem. 1. v. 10. *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet: vno tantùm regni solio te præcedam*. Gen. 41. v. 40. *Absque tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti, & vocauit eum saluatorem mundi*. v. 44. 45. *Dignus est Agnus accipere virtutem*, &c. Apoc. 5. v. 12. *Egredimini filiæ Sion, & videte regem in diademate*, &c. Cant. 3. v. 11. *Operationem potentiæ virtutis suæ operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus, supra omnem principatum*, &c. Ephes. 1. v. 20. &c. *Festinemus ergo & nos ingredi in illam requiem*, &c. Hebr. 4. v. 11. *Habentes pontificem magnum qui penetrauit cælos*, &c. *tentatum per omnia absque peccato*, &c. v. 14. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ*, &c. v. 16. *Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione cõtempta, atque in dextera sedet Dei sedet. Recogitate eum, qui talem sustinuit*, &c. Hebr. 12. v. 1. vsque 5. De triplici curru S. Scripturæ, Primo, *superbiæ*, Pharaonis, Exod. 14. v. 7. & aliorum vitiorum; Secundo, *modestiæ* & omnium virtutum, eunuchi Candacis, Act. 8. v. 28. Tertio, celsitudinis *contemplationis & gratiæ*, Eliæ 4. Reg. 2. v. 11. *Quemadmodum desiderat cervus*, &c. Psal. 41. v. 1. *Nostra aut. in conuersatio in cælis est*, &c. Phil. 3. v. 20. & 21. *Non relinquam vos orphanos*. Ioan. 14. v. 18. *Noli timere ego sum primus & nouissimus, & viuus, & fui mortuus: & ecce sum viuens in sæcula sæculorum, & habeo claues mortis & inferni*. Apoc. 1. v. 17. &c.

VARIA.

Die 25. mensis Iiar, tertia Maij, feria V. quadragesima die à resurrectione sua ascendit Christus in cælum, postquam nouies vt minimum suis apparuisset Chron. cap. 49. in fine.

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

Euangel. *Cùm venerit Paraclitus*, &c. Ioan. 15. à v. 26. vsque v. 5. capitis 16.

FIDES.

Paraclitum mittam vobis à Patre; quia non à solo *Patre*, sed & à me *procedit*, contr. 3. n. 3. Ioan. 15. v.

Spiritum veritatis] Vide Dominica IV. post Pascha, ad v. 13. 26.

Ille testimonium perhibebit de me stupendis signis & miraculis, quæ notæ & certa signa sunt veritatis, contr. 5. num. 6.

Et vos quoque *testimonium perhibebitis* de me. Ergo non v. 27. interno cuiusque instinctui, contr. 2. num. 14. sed externo Ecclesiæ testimonio credendum, contr. 5. num. 3. contr. 6. n. 16. & contr. 7. n. 5.

Absque Synagogis facient vos] De virtute excommuni- c. 16. cationis, contr. 5. n. 10. v. 2.

Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo[Sed hæc ignorantia, quia affectata, non excusat à grauissimo peccato. Quæ sit causa martyrij vide S. Thom. 2. 2. q. 124. a. 5.

Hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me] v. 3. Contemptus Sanctorum redundat in ipsum Deum contr. 30. nu. 7. *Non te*, ô Samuel, *abiecerunt, sed me*. 1. Regum 8. v. 7.

MORES.

Cùm venerit Paraclitus] Ecclesia, vt ostendat quàm charus, quàm gratus, quàm necessarius nobis sit Spiritus sanctus, vt Natalitiis præmittit Aduentum, Quadragesimam Paschati, sic Pentecostæ præmittit 10. dies quasi parasceuen, & præcones, Parate viam Spiritui sancto. Nam & totidem diebus etiam discipuli se ad illum excipiendum præpararunt, Actor. 1. v. 3. & c. 2. v. 1. Quomodo Iudæi iussi sint se præparare ad legem quinquagesima die post exitum ex Ægypto, recipiendam in Sinai, vide Exodi 19. v. 10. 15. & 5. Ioan. 15. v. 26.

Vin' nosse quibus viis obtineatur Spiritus sanctus? Primò, *oratione. Dabit spiritum bonum petentibus se*. Lucæ 11. v. 13. Secundò, *vigilia* & diligenti studio. *Vigilate in orationibus*. 1. Pet. 4. v. 7. Vide in Paschate in fine. Tertiò, *pœnitentia. In malevolam animam non introibit sapientia*. Sap. 1. v. 3. Quartò, *auditione verbi Dei*, & exercitio bonorum operum, exemplo Cornelij, Act. 10. v. 4.

Ille testimonium perhibebit de me] Quot quantique decipiuntur à spiritu mendacij & errorum tam in fide, quã in moribus? *Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius*. 3. Reg. 22. v. 22. Hunc præoccupat vel expellit Spiritus veritatis.

Quoties impetimur à spiritu timoris & pusillanimitatis!

tatis! Nunc, ne mundo displiceamus: nunc, ne non saluemur, &c. Huic se opponit Paraclitus, qui tristes solatur, & solando roborat.

Perhibet autem testimonium veritatis etiám hodie non singulis immediatè circa singula credenda, vt quidam fanatici iactant, contr. 2. nu. 2. Sed perhibet Ecclesiæ suæ per Prophetas, per Scripturas, n. 3. per miracula, contr. 5. n. 6. per os Vicarij sui, contr. 6. n. 15. Quid ribi, Dubitantie, cum controuersus singulis? Ecclesiam quære, & filum inueniſti, quo te omnibus errorum labyrinthis expedias, contr. 5. n. 3.

v. 27. *Et vos testimonium perhibebitis*] Sed præmisso testimonio Spiritus sancti, sine quo inualidum & enerue est omne externum testimonium ac studium, contr. 14. n. 9.

Quatuor autē ferè occurrunt impedimenta. Primum, vilitas officij, de crucifixo testari. *Iudæis scandalum, Gentibus stultitiá.* 1. Corinth. 1. v. 2. Secundum, difficultas. Quibus enim argumentis mundo persuadebitur; hunc esse Deum. Tertium, pericula quę inde emergunt. *Tradet enim frater fratrem in mortem*, &c. Matth. 10. vers. 21. Quartò, ignorantia crassa totius mundi, & etiam ipsorum met discipulorum.

Omnia hæc removet Spiritus sanctus. Nam Primò, ipse præit suo testimonio. Secundò. donum impertit *sapientiæ, scientiæ, consilij*, &c. Isaiæ 11. v. 2. mentes illuminat, &c. Ioan. 1. v. 9. Tertiò, *foras mittit timorem*. 1. Ioan. 4. v. 18. Quartò, *illuminat*, quantum ex se est, *omnem hominem*. Joan. 1. v. 9. Exemplo sit Paulus. Primò, *Non erubesco Euangelium*. Roman. 1. v. 6. Secundò, *Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis*. 1. Corinth. 2. v. 4. Tertiò, *Placeo mihi, & glorior in infirmitatibus*. 2. Cor. 12. v. 9. & 10. *Omnia possum in eo qui me confortat*. Phil. 4. v. 13. Quartò, *Repleti omni scientia, ita vt*, &c. Rom. 15. v. 14.

Conare & tu Christiane, Christo perhibere testimonium, non solo verbo, sed & opere & vita tua exemplari. Remoue hæc omnia impedimenta per Spiritum sanctum.

Sed nónnē mirum, post tot tantaq; Spiritus sancti & Apostolorum testimonia tam certa, tam clara, multos tamen non tantū non velle credere, sed & testantes persequi & occidere? Et quid causæ, obsecro, tanti in ipsos odij? Si officium eorum spectes, *legatione* funguntur *pro Christo*. 2. Cor. 5. v. 20. Si legationis finem; pacem afferunt & salutem: *Pax huic domui*. Matt. 10. v. 12. Si modum; veniunt inermes, vt *oues*. v. 16. & *columbæ*, ibid. Si fructum; non animas modò, sed & *curate infirmos*. Lucæ 10. v. 9. Si expensas & onera; *Gratis accepistis, gratis date*. Matth. 10. v. 8. *Manducate quæ apponuntur vobis*. Lucæ 10. v. 8. Si vitā, si mores; plerique innocentes. Quoad alios. *Quæcumque dixerint, seruate & facite: secundùm opera eorum nolite facere*. Matt. 23. v. 3. Nempe *fortis armatus custodit atrium suum*: sed si *fortior* ei *superueniat* Spiritus sanctus, mox *vniuersa eius spolia & arma* auferet. Lucæ 11. v. 21.

Ioan. 16. v. 2. *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini*] An non *suffitit dici malitia sua*? Matth. 6. v. vlt. Quid opus, præmonere de malis obuenturis? Præscientia & præmeditatio malorum Primò, mitigat mala. Paupertatem, exilium, morbos, mortem seriò & sæpè meditare; senties curari istos leones. Secundò, à scandalo præseruat. Expende quale legatum nobis à Christo relictum, Ioan. 16. v. 20. *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini*. & 2. Timot. 3. 12. *Omnes qui piè*, &c. Hebr. 11. v. 36. *Ludibria & verbera experti*, &c.

v. 4. *Eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis*] Idne solatio sit inter tot ærumnas? Maximo. *quia ego dixi*, ego decreui. *Ego*, qui omnia præscio abæterno, & prohibere possem si expediret: *Ego*, qui plura pro vobis passus: *Ego*, quem vt veracem experiemini in horum denuntiatione malorum, sic fidelē etiám credere debetis in præstandis promissis. Qui dixi, *Persecutionem patiemini*, idem dixi, *Vestrum est regnum cælorum*, Matth. 5. v. 10.

VARIA.

Hæc dixit Christus in prolixiore sermone vltimæ cœnæ, Ioan. 15. v. 26. &c.

IN VIGILIA PENTECOSTES.

Euangel. *Si diligitis me*. Ioan. 14. v. 15. vsque 22.

FIDES & MORES.

Ioan. 14. v. 15. & 21. *Si diligitis me, mandata mea seruate. Qui seruat mandata mea, ille est qui diligit me*] Neque enim sufficit sola fides ad iustitiam vel salutem, sed & bona opera requiruntur, quæ Deus seu per se, seu per vicarios suos præcepit, contr. 15. n. 7. & 23. Iam verò, *qui diligit me*, v. 21. *diligetur à Patre meo: & ego diligam eum*.

v. 16. *Ego rogabo Patrem, & dabit vobis*, &c. v. 19. *Quia ego viuo, & vos viuetis*] Neque enim, nisi intuitu meritorum Christi, quidquam nobis cælitus obtinget, cùm ipse caput sit & Messias & mediator noster, contr. 4. n. 2. & 11. Portò Christum etiam in cælis pro nobis orare, docet S. Joannes 1. epist. c. 2. v. 1. *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum*.

Alium à me *Paraclitum dabit vobis* Pater. En omnes tres personas SS. Trinitatis, contr. 3. n. 1. *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Rom. 8 v. 26.

Vt maneat vobiscum in æternum: sicut & *ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*. Matth. vlt. v. vlt. *Non* enim *relinquam vos orphanos*. Hic v. 18.

v. 17. *Spiritum veritatis*, non vanitatis, *dabit vobis*] Et hic *docebit vos omnem veritatem*. ca. 16. v. 13. Hic Spiritus perpetuò assistit Ecclesiæ, eiusque capiti, Romano Pontifici & Concilio generali, necubi in docendo errare possit, contr. 5. n. 3. contr. 6. n. 16. contr. 7. nu. 5. Est & in singulis Ecclesię membris viuis. *Apud vos manebit, & in vobis erit*, vos animans, vegetans, & ad omne opus bonū promouens. Accipitur autem in Baptismo, & quouis alio Sacramento, contr. 18. n. 8. Sed notabiliter augetur in Cōfirmatione, contr. 20. n. 1. *Mundus*, quamdiu talis, *non potest* eum *accipere, quia non videt eum*, non credit; non nouit, nec curat *eum*. Sed *neque me videt* aut curat, v. 18.

v. 20. *In illo die*, quo replebimini Spiritu sancto, *vos cognoscetis; quia ego* per essentiæ identitatē *sum in Patre meo; & vos in me*, tamquam membra in corpore; *& ego in vobis*, tamquā anima in membris. En mysterium, in primo, Sanctissimæ *Trinitatis*: in secundo, *incarnationis* Filij: in tertio, *sanctificationis* Spiritus sancti per merita Christi. 1. Joan. 4. v. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. c. 3. v. 24. *Qui mandata eius seruat, in illo manet, & ipse in eo*. Ioan. 14. v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*.

VARIA.

Hæc dixit Christus in prolixiore illo sermone vltimæ cœnæ suæ, Ioan. 14. v. 15.

DOMINICA PENTECOSTES.

Euangelium *Si quis diligit me*, &c. Joan. 14. à v. 23. ad fin. cap.

FIDES.

De abundanti dono Spiritus sancti, quod confertur

Sacramento Confirmationis, vide controu.20.nu.1.& seqq.

Ioan. 14 v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit*] Act.13.v.22. *Inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Dilectionis certum indicium obseruatio mandatorum, non sola fides, non fiducia in promissiones, non iustitia imputatiua.contr. 15.n.5.7. 23. Et hic est primus fructus charitatis. Secundus est:

Et Pater meus diliget eum]Per gratiam habitualem infusam, quæ semper charitati sociatur, formaliter iustificamur, contr.15.n.8. Et quanta nobis bona ex Patris dilectione. *Quidquid petieritis, dabit vobis.* Ioan.15.v.16. *Cùm ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Psal.90. v. 15. *Non patietur vos tentari supra quàm potestis.*1.Corint.11.v.4. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*Roman.8.v.28. *Expoliauit se* Ionathas *tunica qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua vsque ad gladium & arcum & baltheum,* 1. Regum 18. v. 4.

Tertius fructus charitatis. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*]Exod.17.v.7.*Estne Dominus in nobis? an non?* Quomodo tota Trinitas ad nos veniat, & in nobis mansionem faciat, vide S. Thom. 1.p.qu.43.a.4.ad 2. Stabile vult domicilium, non diuersorium. Venit non motu locali, sed affectu amoris. *Et Pater meus diliget eum.* Gen.29.v.18. *Seruiuit Iacob pro Rachel septem annis, & videbantur illi dies pauci, pra amoris magnitudine.* Psal. 131.v.13. *Elegit Dominus Sion elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in seculum seculi; hic habitabo, quoniam elegi eam.* Isaiæ 12.v.6 *Exulta & lauda habitatio Sion; quia magnus in medio tui sanctus Israel.*

v.26. *Paraclitus Spiritus sanctus*]De aliis nominibus Spiritus sancti, vide S.Thom.1.p.q.32.38.39.

Quem mittet Pater in nomine meo]Et c.15.v.26. *Quem ego mittam vobis à Patre.* Nam ab vtroque procedit & mittitur Spiritus sanctus, contr.3.n.3.

Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæ dixi quidem *vobis*, sed non satis assecuti estis. Isa.54.v.13. *Ponã vniuersos filios tuos doctos à Domino.* Ezech.36.v.26. *Spiritum nouum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis.* Nam absque interna Spiritus sancti illuminatione & excitatione nihil prodesset externa adhortatio, argumenta, miracula, &c. contr.14.n.9. Spiritu sancto assistente Pontifici, Concilio, Ecclesiæ, errare illa non possunt, contr.6.n.16.contr.7.n.5.contr.5.nu.3.

v.27. *Pacem meam do vobis*]Vide Dominica in Albis, & cõment. hîc. Quàm multi morientes, posteris testamento relinquunt non pacem, sed iurgia, lites, odia! 2.Regum 18.v.29. *Estne pax puero Absalom?* Phil.4.v.7. *Pax Dei, quæ exuperat ὀmnem sensum, custodiat corda vestra*, &c.

v.28. *Si diligeretis me, gauderetis vtique* de meo discessu, & consecutura inde gloria, tum mihi, tum vobis. Distinctio amoris, amicitiæ, & concupiscentiæ.

Pater maior me est]Contr.3.n.1.& 2.& contr.4.n.6.

v.30. *Venit princeps mundi huius* Lucifer. Ioan.12.v.31. ad vltimum euocans me duellum: *sed in me non habet quidquã*] Vtinam nec in nobis! Sed quid ipsi in illis quorum tota vita peccatum, rara pœnitentia, exilis iustitia? Ioan.8.v. 34. *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* 2. Tim. 2. v.26. à diabolo *captiui tenentur ad ipsius voluntatem.* Ierem. 16. vers.13. *Seruietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte.*

MORES.

*Vt tempus affuit, quo sol refulsit, qui priùs erat in nubilo, accensus est ignis magnus.*2.Mach.1.v.22. Hic ignis, typus fuit Spiritus sancti.

Primò, quis, vel quid Spiritus sanctus? Tertia in Trinitate persona, ex Patre Filioque procedens contr.3.n. 3. Quàm nobilis quàm potens, colliges ex eius effectis infrà.

Secundò, à quibus mittitur? A Patre & Filio, & ob merita Filij. Ioan.7.v.39. *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.*

Tertiò, quando? Die quinquagesima à resurrectione Christi. 3.Reg.18.v.1. *Ascende, comede & bibe, quia* peracto cruento sacrificio, *sonus multæ pluuiæ* cælestium donorum iam imminet. Sic & olim lex lata est in Sinai quinquagesima die ab egressu ex Ægypto. Exod.19.v. 1.& c.40.v.2.

Quartò, quibus mittitur? Initio discipulis 120. pòst paulò multis etiam aliis maximo numero. Act.4.v.31. c.8.v.17. &c. Sicut olim spiritus Moysis communicatus fuit 72.senioribus, Num.11.v.14.

Quintò quomodo præparatis mittitur? *Erant omnes pariter in eodem loco.* Act.2.v.1. vtique orantes & extremè anhelantes. Psal.132.v.1. *Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum?* Requiritur ergo Primò oratio. *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* Psal.118.v.131. Secundò, vnanimis postulatio. *Vbi duo vel tres congregati fuerint*, &c. Matth.18.v.20. Tertiò, perseuerans pulsatio. Vide in Rogationibus, post Dominicam V. post Pascha. Quartò, ardens desiderium. *Optaui, & venit in me spiritus sapientiæ.* Sap.7.v.7.

Sextò, quibus signis præuiis & comitantibus mittitur? Primò, *Factus est de cælo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis. Vox Domini in virtute*, &c. Psalm.28.v.3. Erit oratio tua tonitru, si vita sit fulgur. *Surge Aquilo, veni Auster, perfla hortum meum*, &c. Cant.4.v.16. *A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super istos*, &c. Ezech.37.v.9. Secundò, *lingua quasi ignis, dispertitæ. Ignem veni mittere in terram*, &c. Lucæ 12.v.49. *Luceat & lux* tua *coram hominibus*, &c. Matt.5.v.16. *Lingua* tua *calamus* sit *scribæ velociter scribentis.* Psal.44.v.2. Exulent ab ore *colloquia praua*, quæ *bonos mores corrumpunt.*1.Corinth.15.v. 33. *Omnis sermo sale sit conditus.* Coloss.4.v.6. Sint & dispertitæ linguæ, & singulorum capacitati ac necessitati adaptatæ.

Septimò, quare tanto strepitu & solemnitate? Primò, vt pluris fieret. Secundò, vt sic toti orbi innotesceret noua lex Christi, quæ promulgata est hoc die 50. à Christi resurrectione, sicut olim 50. die lata lex in Sinai, Exodi 19.v.1.& c.40.v.2. Ferè enim pari modo iam *de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Isaiæ 2.v.3. Tertiò, vt innotesceret etiam nouum fœdus, eâdem operâ nunc publicatum: sed ô quanto nobilius fœdere Mosaico! Quintuplex differentia inter fœdus antiquum & nouum. Ierem.31.v.31.& ad Hebr.8.v.8.& c.10.v.16.

Octauò, an cùm solis Judæis initum hoc fœdus? & an his solis missus sit Spiritus sanctus? Minimè gentium. *Et erit post hæc: Effundam spiritum meum super omnem carnem*, &c. Ioel 2.v.28.&c. *Quia in monte Sion & in Ierusalem erit saluatio, & in residuis, quos Dominus vocauerit.* v.32. Similia Michææ c.4.toto. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum*, &c. Sap.1.v.7. *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Phil.2.v.11. *In die illa suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius, & ea quæ corruerant instaurabo*, &c. Amos 9. v.11. vsque finem.

Sed heu! post tragicam cum Deo luctam claudicant Iudæi, parte vna credente & sursum eunte; altera incredula, deorsum, Gen.32.v.11. Vbi senserunt se coccineo Christi sanguine inquinatos, resilierunt à Deo. Gen.38. v.29. Hac occasione communicatur Gentilibus gratia, quam Judæi repulerant. Nempe *vos* cælestis doctrinæ, electionis & gratiæ, quæ priùs solum *vellus* Judaicæ Synagogæ humectarat, iam fœcundat vniuersam terram. Iudic.6.vers.37. *Moyses*, id est, Christum, in *fisellæ* quasi

quasi alienum mater *Synagoga* exposuit aquis passionis, sed hunc *Ægyptia* suscepit *videns eius elegantiam*, Exodi 2.v.3.vsque 10. Sub finem tamen mundi *reliquiæ Iudæorum conuertentur; reliquiæ*, inquam, *Iacob ad Deum fortem*, &c. Isa.10.v.21.vsque 24. Interea *relinquitur in eo sicut racemus, & sicut excussio olea duarum vel trium oliuarum in summitate rami*, &c. Isa.17.v.6. *Modò non confundetur Iacob, nec modo vultus eius erubescet: sed cùm viderit filios suos in medio sui sanctificantes nomen meum*, &c. Isa.29.v.22. *Quomodo sieruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ: sic eruentur filij Israel, qui habitant in Samaria in plaga lectuli, & in Damasci grabato* (id est, pauperes & ægri.) Amos 3.v. 12.

Act.2. v.9. *Parthi, Medi & Ælamitæ*] O quantam hodie prolem ex gentilitate peperit Ecclesia Deo! *Antequam* (Ecclesia Christi) *parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit masculum. Quis audiuit vmquam tale? numquid parturiet terra in die vna? aut parietur gens simul; quia parturiuit & peperit Sion filios suos? numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam?* Isa.66.v.9. *Mittam ex eis qui saluati fuerint, ad Gentes in mare, in Africam & Lydiam, in Italiam & Græciam, ad insulas longè: & annuntiabunt gloriam meam Gentibus, & adducent omnes fratres vestros de cunctis Gentibus donum Domino, in equis & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem sanctum meum Ierusalem.* v.19.vsque 23. *In nouissimis diebus reuerti faciam captiuos Ælam, dicit Dominus.* Ierem.49.v.vlt. *Venient filij Israel* (de Babylone) *& apponentur ad Dominum fœdere sempiterno, quod nulla obliuione delebitur.* Ierem.50.v.5. *Recedite de medio Babylonis*, &c.v.8. *Confusa est mater vestra nimis, & adequata puluerі*, &c.v.12.

Nonò, quinam effectus & fructus Spiritus sancti. Primus, vitæ in melius mutatio. Psal.103.v.30. *Emittes spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ*, 1.Reg. 10.v.6. *Mutaberis in virum alterum.* Secundus, fœcundatio animi. *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Genes.1.v.2. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Gen.2.v.7. Tertius, facilitatio rerum arduarum. *Irruit in Samsonem spiritus Domini*, & discerpsit, &c. Iudic.14.v.6. Quartus, zelus & feruor animi. Eccli.48.v.1. *Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat. In Saul* antea mitissimum 1. Reg.10.v.vlt. *insiliuit spiritus Domini* cùm audisset verba tyranni Naas, c.11.v.2.& 6. *& iratus est furor eius nimis. Factus est super eum spiritus Domini, & prophetabat cum ceteris coram Samuele*, c.19.v.23. Quintus, facilitatio ad obseruanda omnia mandata Dei. *Dabo eis cor vnum, & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent; & sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum*, Ezech.11.v.19.&c.& cap.36.v.22.vsque fin. Sextus, interna consolatio, gaudium & pax. *Alium Paraclitum, vt maneat vobiscum in æternum.* Ioan.14.v.16. *Sub vmbra illius quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant.2.v.3. Septimus, tenebrarum depulsio, & omnium bonorum introductio. *Tenebræ & palpatio facta sunt super speluncas*, &c. *donec effundatur super nos spiritus de excelso. Et erit desertum in Charmel, & Charmel in saltum reputabitur*, &c. Isaiæ 32.v.14.&c. *Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* v.18. Octauus, tribulationum facilitatio. *Ignis* in aquam crassam conuersus, 2.Machab.1.v.20. sole refulgente, rursus *accenditur.* v.22. & *absumit flammam* aliam: &c. v. 32. Nonus, ardor orandi, & cum Deo conuersandi. *Et effundam super domum Dauid, super habitatores Ierusalem, spiritū gratiæ & precum: & aspicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctu quasi super vnigenitum*, &c. Zach.12.v.10. *Et spiritum immundum auferam de terra.* ca. 13.v.2. Decimus, thesauri virtutum ac meritorum adductio. *Visitasti terram, & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam. Flumen Dei repletum est aquis*, &c. Psal.64.v. 10.vsque fin. *Ego sapientia effudi flumina*, &c. *& ecce factus est mihi trames abundans, & fluuius meus appropinquauit ad mare*, &c. Eccli.24.v.40.vsque fin.

Sedit supra singulos] Quomodo Spiritus sanctus animabus iustis intimè vniatur, vide Cant.1.v.1. *Osculetur me. Trahe me*, v.3. Vide etiam v.8.& seqq. Quanta inde homini dignitas, ibid. Anima *paradisus voluptatis* Deo, *Fons* in ea, & *ex eo* quatuor flumina. *Lignum vitæ, & suētis*, &c. Genes.2.v.6.8.&c. *Columna ignis & nubis* Exodi 13.v.21. *Deduxit eos in via mirabili, & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem.* Sap.10.v.17. Ignis cælo delapsus, in altari perpetuò fouendus, symbolum est gratiæ Spiritus sancti, Leuit.9.v.23. Contrarius igni terreno amoris proprii, c.10.v.1. Delapsu ignis de cælo in victimam, testabatur Deus sibi placere sacrificium & sacrificantes. 3.Regum 8. vers.54. Simili modo cap. 18.vers.34. per ignem approbabat Deus cælitus, sibi placere holocaustum, &c. Ergo *nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* Ephes.4. vers. 30.

Et cœperunt loqui] An *potest homo abscondere ignem in sinu?* &c Prou.6.v.27. *Sic luceat lux vestra*, &c. Matth 5. v.16. Luc 12.v.35. Animalia ardentia, Ezech.1.v.5. Si *adulterium ignis est vsque ad perditionem deuorans*, &c. Iob 31.vers.12. *Dura sicut infernus æmulatio*, &c. Cant.8.v. 6. Non debent gelu corda *concrescere.* Eccli.43.v.22. *Lampades eius lampades ignis*, &c. Cant.8.v.6. *Flabit spiritus tuus & fluent aquæ.* Psalm.147.v.18. De his aquis vide Feria VI. post Dominicam III. Quadragesimæ de Samaritana.

Stans Petrus, leuauit vocem suam] Ioan. 4. v. 18. *Perfecta charitas foras mittit timorem. Væ mihi, quia tacui* &c. *& volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Isaiæ 6. vers. 5. vsque 8. Vox Moysis se extendit ad 600. millia pugnatorum Deuter.5.v.1. Sed hæc Spiritus sancti gratia & vox per Apostolos delata est per vniuersum orbem. *Aquæ* Ezech.47.v.1. *ex solio* diuino per *altare* (Christum) *prorumpentes*, sunt Spiritus sancti charismata, doctrina Euangelica, Sacramenta, &c. primò in Sion, dein in vniuersum orbem defluentia *Viuent omnia, ad quæ venerit torrens*, &c.vers.8.vsque 13. *Et super torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum*, &c.v.12. *in cibum, & folia in medicinam*, ibid.

De fructibus & donis Spiritus sancti, vide Cant. 1.v. 1. *Meliora sunt vbera tua vino.* v.2. *Effusum oleum.* v.3. *Cellaria regis.* & à v.8. vsque fin. De cella vinaria, de vexillo charitatis, Cant.2.v.4. *Fontes duodecim & septuaginta palmæ*, Exodi 15.vers.23. Epitheta Spiritus sancti 24. vide Sap.7.v.22 & 23.

VARIA.

Verba huius Euangelij excerpta sunt ex prolixiore illo Christi sermone in vltima cœna, Ioan.14.v.23.

Act.1. v.15. *Erant simul centum viginti*] Totidem annos præfixerat olim Deus mundo adhuc duraturo ante diluuium, Gen.6.v.3. Totidem annos vixit Moyses, Deut.vlt.v.7. Totidem cubitos ascendebat turris templi, 2.Paral.3.v. 4. Totidem auri talenta dedit regina Saba regi Salomoni.3.Regum 10.v.10.

FERIA II. POST PENTECOSTEN.

Euangel. *Dixit Iesus Nicodemo : Sic Deus dilexit mundum.* Ioan. 3. v. 16. vsque 22.

FIDES.

Ioan. 3. v. 16. *Si Deus dilexit mundum, vt* Primò, *Filium suum vnigenitum daret*]& sic daret, vt vidimus in Maiori hebdomada. Secundò, etiam *Spiritum* sanctum, & omnia eius dona daret, vt heri audiuimus, Ephes. 2. v. 4. *Deus qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem qua dilexit nos; & conuiuificauit nos in Christo*, &c. Osee 3. v. 1. *Vade, dilige mulierem adulteram*, &c.

Vt omnis qui credit in eum, & (vt fides docet) eũ amat, eique seruit, *non pereat, sed habeat vitam aternam*]Neque enim ad id sufficit sola fides. contr. 15. n. 7. & 23. De prædestinatione. vide contr. 13. n. 8.

v. 17. *Non misit Deus Filium suum, vt* primo aduentu suo *iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*]Vide ante primam Dominicam in Aduentu. Mittet autem secundò, vt iudicet mundum, Feria II. post primam Dominicam Quadragesimæ. *Orietur vobis Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Malach 4. v. 2. *Non est qui se abscondat à calore eius.* Psal. 18 v. 7. *Mensuram bonam & confertam & coagitatam & superefluentem dabunt in sinum vestrum.* Luc. 6. v. 38.

v. 18. *Qui* viua fide (contr. 15. n. 7. & 23.) *credit in eum, non iudicatur*]id est, non est obnoxius condemnationi iudicis. *Cognouit enim Dominus qui sunt eius.* 2. Tim. 2. v. 19.

Qui autem non credit, iam iudicatus & cõdemnatus *est* in Dei præscientia & reprobationis decreto, vide Dominicam XXI. post Pentecosten. Sic Adamo dictum Genes. 2. v. 17. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris. Non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum* Psal. 1. v. 5.

v. 19. *Hoc est autem iudicium*]seu iusta condemnationis causa, quòd oblatam à Deo lucem tanta copia, tanta cura, (controu. 14. nu. 11 & 12.) neglexerint homines, *tenebris* ignorantiæ, ignauiæ, & nequitiæ pertinaciter inhærentes. Neque enim tollitur ipsis vmquam facultas vel libertas conuertendi se ad bonam frugem, contr. 13. nu. 3. vsque 8. *Oculus adulteri obseruat caliginem, dicens, Non me videbit oculus. Si subitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis. Et sic in tenebris quasi in luce ambulant.* Job 24. v. 15. & 17. Cõfitentur, *se nosse Deum, factis autem negant.* Tit. 1. v. 16. *Sic luceat Lux vestra coram hominibus*, &c. Matth. 5. v. 16. *Hæccine reddis Domino, populestulte & insipiens ? numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit & creauit te?* Deut. 32. v. 6.

MORES.

Ioan. 3. v. 16. *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Psal. 67. v. 19. & Ephes. 4. v. 8. Verè *maxima & pretiosa nobis promissa donauit.* 2. Petr. 1. v. 4.

Sic Deus dilexit mundum] Cant. 1. v. 1. *Osculetur me.* & 3. *Trahe me* in thalamum sponsalem. Deut. 4. v. 36. *Dilexit patres tuos, & elegit eos, de cælo audire fecit vocem suam, vt erudiret te: & in terra ostendit tibi ignem suum maximum*, &c. *Beati sumus, Israel, quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis.* Baruch 4. v. 4. *Quid est homo quòd memor es eius ?* Psal. 8. v. 5. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Gen. 2. v. 7.

Sèd cur adeò diligit hominem Deus ? *Vulnerasti cor meum in vno oculorum*, &c. Cant. 4. v. 9. *Filius meus primogenitus Israel. Noluisti dimittere eum vt seruiat mihi, ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.* Exod. 4. v. 22.

Quàm nobilia dona Deus nobis impertiat, collige ex septem donis Spiritus sancti, Isa. 11. v. 2. & ex fructibus Spiritus sancti, de quibus heri in Pentecoste. 2. Cor 9. v. 15. *Gratias Deo super inenarrabili dono eius.* Ephes. 4. v. 7. *Vnicuique nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.* Luc. 6. v 38. *Mensuram bonam & confertam & coagitatam & superefluentem.*

Quòd finat suos hîc subinde affligi variis tribulationibus, non minuit, sed auget affectum ipsius erga illos. *Certamen forte dedit illi, sed vt vinceret.* Sap. 10. v. 12. exemplo Iob, Tobiæ, Dauidis, Pauli, &c. Abrahæ, Jacob, Iosephi, &c.

O miseros qui se subtrahunt huic diuino amori! *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen spiritus Dei habitet in vobis. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Rom. 8. v. 8. *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* v. 13. Ceterùm *si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus.* Gal. 5. v. 25.

Qui malè agit, odit lucem] *Adam* post peccatum *se abscondit.* Gen. 3. v. 8. v. 10.

VARIA.

Hæc dixit Iesus Nicodemo Ierosolymis in fine Martij, anni primi prædicationis suæ, trimestri post baptismum suum. Chron. c. 49.

FERIA III. POST PENTECOSTEN.

Euangelium *Qui non intrat per ostium.* Ioan. 10. v. 1. vsque 11.

FIDES & MORES.

Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro] De legitima electione & missione Pastorum Ecclesiæ, contr. 8. n. 1. vsque 8. Ioan. 10. v. 1.

Intranti per ostium *aperit ostiarius* Spiritus sanctus, v. 3. Hic solus est verus *ouium pastor*, cuius *vocem ouis* audire debent: *ab alieno* autem, v. 5. fugere debent: v. g. à concione, à libris, à consortiis hæreticorum & perditorum sodalium.

Verus *pastor proprias oues vocat nominatim*] Cant. 5. v 6. *Anima mea liquefacta est, vt locutus est.* Isaiæ 50. v. 5. *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij.*

Educit eas ad pascua. Psal. 22. v. 1. *Dominus regit me*, &c. v. 4.

Ante eas vadit probo exemplo. Ierem. 17. v. 16. *Et ego non sum turbatus, te pastorem sequens.* v. 7.

Ego sum ostium ouium, summus Pastor & caput totius gregis & Ecclesiæ Dei, Messias & Dominus vniuersi, cõtrou. 4. n. 2. 3. &c. *Omnes quotquot* alia via *venerunt fures sunt & latrones*, etiam moderni Scribæ, Pharisæi, pontifices Iudæorum, quia mihi, vero Messiæ & supremo Ecclesiæ Pastori, credere & adhærere detrectant. v. 8.

Per me (per fidem in me, per obseruationem mandatorum meorum, per Sacramenta à me constituta) *si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet*] Actor. 4. v. 12. *Et non est in alio aliquo salus: nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri.* Contr. 4. n. 11. & 15. v. 9.

Ego veni, vt vitam habeant oues, *& abundantiùs habeant*] per copiosissima dona Spiritus sancti, de quibus in Pentecoste. *Charitas Dei diffusa est*, &c. *per Spiritum sanctum.* Rom. 5. v. 5. De continuo profectu spirituali, de in Festo Natiuitatis B. Virginis. Primò, *sicut virgula fumi.* Cant. 3. v. 6. dein vt *luna*, &c. c. 6. v. 9. denique *diluuio affluens*, c. 8. v. 5. *Ibunt de virtute in virtutem*, &c. Psalm. 83. v. 6. v. 10.

Huius continui profectus origo & fons est Spiritus sanctus, qui vt cõtinuò in nobis manet, ita & continuò ope-

operatur,& promouet salutem nostram. Ioan.14.v.16. *Alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in aternum.* Per *alium Paraclitum*,intelligitur,dari etiam ipsam personam Spiritus sancti:per *maneat*, stabilitas præsentiæ, amoris & donorum eius:per *aternum*,insinuatur,numquã Apostolos peccasse mortaliter ab accepto Spiritu sãcto.

Vt vitam habeant] Quanta differentia inter cadauer,& viuum corpus! Inter ossa arida Ezech. 37. & exercitum ordinatum! Rom.8.v.11 *Qui suscitauit Iesum à mortuis,viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis.* Dat porrò vitam quadruplicem : Primò, vitam corpori temporaneam.Iob 10.v.12. *Vitam & misericordiam tribuisti mihi*, &c.Secundò, animæ vitam spiritualem,per gratiam iustificantem,sine qua mortua est anima.Filius meus *mortuus erat,& reuixit*, Lucæ 15.v. 32.Tertiò,vitam corpori æternam,in resurrectione.Sicut enim damnatio infernalis vocatur *mors secunda*, Apoc.20.v.6.ita cęlestis beatitudo,*vita secunda*. Quartò, animæ vitam beatificam,per lumen gloriæ,qua viuet & triumphabit in æternum.Psal.35.v.10.*In lumine tuo videbimus lumen.* Isaiæ 66.v.52. *Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis. Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis.*Sophon. 3.v. 16. *Noli timere Sion , Dominus Deus tuus in medio tui fortis,ipse saluauit*, &c. *Gaudium Domini est fortitudo nostra.*2.Esdr.8.v.10.

VARIA.

Hæc dixit Jesus sub initium Decembris vltimi ante mortem suam.Chron.c.49.

Plura de bono Pastore, vide Dominica II. post Pascha.

FERIA IV. QVATVOR TEMPORVM PENTECOSTES.

Euangel.*Nemo potest venire ad me.* Joan.6.v.44. vsque 53.

FIDES.

Ioan. 6. v. 44. *Nemo potest* per veram fidem & fidele obsequium *venire ad me,nisi Pater traxerit eum* per internã gratiam , qua & obscurum intellectum illuminet,& pigram voluntatem excitet, contr.14.nu.9.& suauiter trahat, non necessitando,sed inuitando,contr.13.n. 5. Omnes autem trahuntur quantũ est ex parte Dei,contr.14.n.11.& 12.

Et ego sic credentem in me , *resuscitabo in nouissimo die*] De resurrectione mortuorum,quomodo probetur,vide contr.28.n.2.

v.45. *Erunt omnes docibiles Dei,* quantum est ex parte Dei & Christi, *qui illuminat omnem hominem*, Ioan.1.v.9.Sed inde non sequitur, priuatum cuiusque spiritum seu instinctum, iudicem esse omnium dubiorum S.Scripturæ & fidei,contr.2.n.14.Quia hoc proprium est supremo Ecclesiæ Pastori,n.16.

Omnis qui sic *audiuit* seu edoctus est *à Patre*, vt simul *didicerit*,id est doctrinam auditam admiserit,consentiẽdo internæ inspirationi,hic *venit ad me.* Possumus enim internæ gratiæ,vt consentire,sic & dissentire, controu. 14.n.4.& 5.

v.47. *Qui credit* viua fide *in me;habet vitam aternam* sibi certò repositam,contr.15.n.7.& 23.

v.48. *Ego sum panis vitæ.* v.51 *Ego sum panis viuus* & viuificans, *vt si quis* v.50.*ex ipso manducauerit , non moriatur.* Vide in Festo Ven.Sacramenti.

v.50. *Hic est panis de cælo descendens.* v.52. *Si quis manducauerit, ex hoc pane, viuet in aternum. Panis , quem ego dabo pro totius mundi vita, caro mea est.*vide ibid.

MORES.

Spiritus sanctus non in iis solis operatur quorum corda iam possidet,vt vidimus triduo præcedenti: sed exerit se etiam ad eos quos nondum possidet, vt possit sibi adiungere Ierem. 31.v.3. *Charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.*

Quosdam trahit timore inferni,mortis,iudicij, &c. Psal.118.v.120.*Confige timore tuo carnes meas:à iudiciis enim tuis timui.* Vide Feria II.post primam Dominicam Quadragesimæ de iudicio,& Feria V.post II. Dominicam, de diuite Epulone. Quosdam dolore temporali. Osee 11.v.5.*Ego quasi nutricius Ephraim , portabam eos in brachiis meis,& nescierunt quòd curarem eos, In funiculis Adam traham eos,in vinculis charitatis.* Vide de socru Simonis, Feria V. post III.Dominicam Quadragesimæ,& in Filio prodigo, Sabbato post II. Dominicam Quadragesimæ. *Imple facies eorum ignominia*, &c. Psal.82.v.17. Quosdam beneficiis temporalibus,spiritualibus. Psal.17.v.1.*Diligam te Domine fortitudo mea, firmamentum meum, refugium meum, & liberator meus*, &c.Psal.102.v.1.*Benedic anima mea Domino*, &c. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis:qui sanat omnes infirmitates tuas:qui redimit de interitu vitam tuam:qui coronat te in misericordia & miserationibus:qui replet in bonis desiderium tuum*, &c.Ioan.12.v.32.*Et ego,si exaltatus fuero à terra,omnia traham ad meipsum. Si quis est paruulus,veniat ad me. Venite comedite panem meum*, &c.Prouerb.9.v.4.Quosdã amore futurorum bonorum cælestium.1.Cor.2.v.9.*Oculus non vidit*, &c. O quales ibi nuptiæ! Matth.22.v.2.

Omnes quorquot adulti in cælum venerunt, tracti sunt aliquo horum modorum.De aliis variis trahendi modis,vide in Communi Doctorum. Neque enim seruat Deus semper vnam eamdemque rationem trahendi. *Miserebor cui voluero*, &c.Exodi 33.v.19.Quibus funibus retractus fuerit Ioseph ne contra castitatem peccaret,vide Gen.39.v.8.9.&c.

Verùm quàm multi resistunt trahenti Deo! Lucæ 14. v.18.& Matt.22.v.2.de inuitatis ad nuptias. *Nolite fieri sicut equus*, &c.Psal.31.v.9.*Quia vocaui & renuistis,ego quoque in interitu vestro ridebo*, &c.Prou.1.v.24.

VARIA.

Dixit hæc Jesus prima Aprilis,anni tertij suæ prædicationis , postridie quàm quinque panibus satiasset quinque virorum millia. Chron.c.49.

Euangelium FERIÆ V. post Pentecosten respondet Euangelio Festi S. Marci,25.Aprilis.

Euangelium FERIÆ VI.Quatuor temporum, Euangelio Dominicæ XVIII.post Pentecosten.

Euangelium SABBATI Quatuor temporum , Euangelio Feriæ V.post III. Dominicam Quadragesimæ.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

Euangel.*Data est mihi omnis potestas.*Matth.vlt.à v. 18. vsque fin.

FIDES.

Data est mihi vt homini *omnis potestas*] Etsi enim vt Deus hanc habuerit ab æterno, & vt homo, à primo conceptus instanti:quia tamen Christus hanc sibi,& multa alia promeruit etiam sua passione, contr.4.nu.17. hinc meritò etiam in præmium sibi datam affirmat.Apocal. 6.v.2.*Ecce equus albus,& qui sedebat super illum, habebat arcũ: & data est ei corona: & exiuit vincens vt vinceret.*Habac. c.3. v.8.*Quadriga tua saluatio*, &c. Post illum, Abdiæ v.vlt. Matt. vlt.v. 18.

ascen-

ascendent emissarij eius *saluatores*, primò *in montem Sion*: dein *iudicare montem Esau*, id est, populum Gentilem. *Donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est.* 1. Reg. 2. v. 5.

v. 19. *Euntes docete omnes Gentes*] Vide in Festo Ascensionis, ad v. 15. *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus*, &c. Ierem. 16. v. 16. *Constitues eos principes super omnem terram.* Psal. 44. v. 17.

Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti] De baptismo, & omnibus eò spectantibus, vide contr. 19. In vnica natura diuina tres esse personas realiter distinctas, contr. 3. n. 1. Quænam mysteria primo loco catechumenis explicanda, vide comment. An fides SS. Trinitatis sit ad salutem necessaria? S. Thom. 2. 2. qu. 2. a. 8.

v. 20. *Docentes eos* non solùm credere, contr. 15. nu. 7. & 9. sed & *seruare omnia* mandata, seu per me vobis data, seu per vicarios meos danda, n. 23. & contr. 6. nu. 14. Nam illud inter alia mandaui, *Qui vos audit, me audit.* Luc. 10. v. 16. Defectu baptismi & fidei pereunt Ethnici, Iudæi, & hæretici: sed defectu impletionis mandatorum Dei, ô quot pereunt Christiani! Id ne fiat, Christi imperio docemus *vos seruare omnia*. Porrò vt circumcisus, debitor fiebat vniuersæ legis Mosaicæ, Gal. 5. v. 3. sic baptizatus, legis & mandatorum Christi. Vnde & transgressores vel desertores meritò ab Ecclesia puniri possunt, contr. 10. nu. 6.

Et ecce ego, licet visibili præsentia mea vos destituam, semper tamen inuisibilis adero *vobis*, (non sola ope & auxilio, sed etiam præsentia corporali, non vbique, sed certis hinc inde locis, putà in Eucharistia,) *vsque ad consummationem sæculi*] Contr. 21. nu. 2. Non aderit diutiùs? imò in æternum præsentissimus aderit in cælo. At non ampliùs, vt certantes iuuet, sed vt victores coronet. *Bonum certamen*, &c. 2. Tim. 4. v. 7.

MORES.

Cognitio & cultus Dei ac SS. Trinitatis prorsus necessaria ad salutem. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te*, &c. Ioan. 17. v. 2.

Et quanta hinc bona! *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum. Et ad eum veniemus*, &c. Ioan. 14. v. 21. & 23. *Ecce præcipio tibi, confortare & esto robustus. Noli metuere & noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris.* Iosue 1. v 9. *Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitæ tuæ. Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum: non dimittam nec derelinquam te.* vers. 5. *Tu autem Salomon fili mi, scito Deum patris tui, & seruito ei corde perfecto, & animo voluntario. Omnia enim corda scrutatur Dominus, & vniuersas mentium cogitationes intelligit. Si quæsieris eum, inuenies: si autem dereliqueris eum, proiciet te in æternum.* 1. Paral. 28. v. 9.

Quis es Domine, vt credam, amem & colam te? *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Iacob.* Exod. 3. v. 6. *Non est Deus mortuorum, sed viuentium*, inquit Christus Matth. 22 v. 32. *Abscondit Moyses faciem suam: non enim audebat contra Dominum respicere.* v. 7. *Quis est Dominus, vt audiam eum? Nescio Dominum*, aiebat Phatao. Exod. 5. v. 2. *Ego sum qui sum.* Exod. 3. v. 14. *Hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum.* vers. 15. *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob, in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicaui eis.* Exod. 6. vers. 2. *Mihi curuabitur omne genu.* Isa. 45. vers. 24. *Dominus: hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus.* Isa. 42. vers 8. *Vos testes mei, dicit Dominus, & seruus meus, quem elegi: vt sciatis & credatis mihi, & intelligatis quia ego ipse sum. Ante me non est formatus Deus, & post me non erit*, &c. Isa. 43. vers. 10. *Ego sum α & ω, principium & finis; dicit, Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est, omnipotens.* Apoc. 1. vers. 8. *Domine non est similis tui, non est alius Deus absque te, ex omnibus quos audiuimus auribus nostris.* 1. Paral. 17. vers. 20. *Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis?* &c. Exod. 15 vers. 11. *Tanquam momentum statera, sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani quæ descendit in terram.* Sap. 11. vers. 23. *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur?* vers. 26. *Ecce Gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum statera reputatæ sunt: ecce insulæ quasi puluis exiguus.* Isa. 40. vers. 15. *Omnes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputata sunt ei.* vers. 17. *Qui sedet super gyrum terræ, & habitatores eius sunt quasi locustæ, qui extendit velut nihilum cælos, & expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum:* vers. 22. *Ipse solus est, & nemo auertere potest cogitationem eius, & anima eius quodcumque voluit, hoc fecit.* Job 23. vers. 13. c. 37. toto cap. 38. toto. *Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Rom. 4. vers. 17. *Dominus regnauit, decorem indutus est*, &c. Psal. 92. toto. *Species eius vt Libani*, &c. Cant. 5. vers. 16. *Excelsior cælo est, quid facies?* &c. Job 11. vers. 8. *Magnitudinis eius non est finis.* Psalm. 144. vers. 3. *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. Magnus Dominus noster & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus.* Psal. 146. vers. 4. *Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum eius, & cùm vix parvam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intuere?* Iob 26. vers. vlt. *Non est inuenire magnalia Dei. Cùm consummauerit homo, tunc incipiet; & cùm quieuerit, aporiabitur.* Eccli. 18. vers. 5. & 6. *Maior enim est omni laude*, &c. Eccli. 43. vers. 29. vsque fin.

Hinc collige quanta tibi esse debeat fiducia à tanto opitulatore, qui vt est omniporens, ita est & omniscius, & tui amantissimus. Collige Secundò, quanto vicissim amore & cultu ipsum prosequi debeas. Saltem exaltate *illum quantum potestis.* Eccli. 43. v. 32.

Et licet obscura sit Dei cognitio in hac vita, Gen. 15. vers. 11. & 13. sat tamen nobis per lumen fidei innotescit. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in sæcula. Amen.* Rom. 11. vers. 33. &c. Quàm sit incomprehensibilis Deus, vide Job 11. vers. 7. Eccles. 7. v. 24. & cap. 8. vers. 16. Prouer. 30. vers. 2. *In principio erat Verbum*, &c. Ioan. 1. vers. 1. *Mota sunt superliminaria cardinum, & domus impleta est fumo.* Isa. 6. vers. 4. *Quis similis tui in fortibus Domine?* &c. Exod. 15. v. 11. *Deus* quidem ex se *lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.* 1. Ioan. 1. v. 5. tamen ad nostram deprimendam superbiam, *posuit tenebras Latibulum suum.* Psal. 17. v. 12. *Dominus dixit, vt inhabitaret in nebula.* 3. Regum 8. v. 12. *Verè tu es Deus absconditus Deus Israel saluator.* Isaiæ 45. v. 15. Sed *non in abscondito locutus sum in loco terræ tenebroso.* v. 19. Petenti Moysi, Exodi 33 v. 13. *Ostende mihi faciem tuam, vt sciam te*; respondet, *Ego ostendam tibi omne bonum.* Sed nunc *non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet. Est locus apud me*, &c. *& protegam te dextera mea*, &c. *& videbis posteriora mea*, &c. nempe perfectiones meas in effectibus & operibus meis, maximè in humana natura à me assumenda. *Omnes homines vident eum, vnusquisque intuetur procul* Iob 36. v. 25. *Interroga iumenta*, &c. Iob 12. v. 7. *Deum nemo vidit vnquam.* Ioan. 1. v. 18. *Vtinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia sua tibi, vt ostenderet tibi secreta sapientiæ, & quòd multiplex esset lex eius!* Iob 11. v. 5. *Excelsior cælo est*, &c. vers. 8. *Ecce gigantes gemunt sub aquis*, &c. c. 26. v. 5. & seqq. *Veniam ad te in caligine nubis.* Exodi 19. v. 9. *Cauete ne ascendatis in montem*, &c. v. 12. *Cœperunt audiri tonitrua, ac micare*

care fulgura, &c. v.16. *Ardente monte*, v.18. *vsque ad celum*, Deut.4.v.11. *Terra mota est*, &c. Psal.67. v.9. cum *pluuia & procella*. Hebr.12.v.18. *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram, numerus annorum eius inæstimabilis*, &c. Job 36.v.25. *Si quis non vocatus intrauerit atrium interius regis* Assueri, *absque vlla cunctatione statim interficiatur*, Esther 4.v.11. (ne vilior fieret ex visu publicæ visionis,) *nisi forte rex auream virgam ad eum tetenderit pro signo clementiæ, atque ita poterit viuere.* Thronus Dei *sapphirinus* describitur Exodi 24. v.10. *quasi ignis ardens*, v.17. Sapientia & potentia eius graphicè describitur Iob 9. v.4. & seqq. *Solium Dei* quatuor virtutibus innixum, *iustitia, iudicio, misericordia, veritate*, Psal.88.v.15.

Per hæc, & horum effecta sat innotescit Deus toti orbi. *Non longè* (est) *ab vnoquoque nostrûm: in ipso enim viuimus, mouemur & sumus. Ipsius enim & genus sumus.* Actor.17. v.27. *Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium.* Psal.21.v.28. *Date magnificentiam Deo nostro: Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia. Deus fidelis & absque vlla iniquitate, iustus & rectus*, &c. Deuter. 32. v. 3. &c. *Numquid non ipse est pater tuus*, &c.v.6. *Mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua.* Isaiæ 45.v.24.

Trinas personas in Deo esse prorsus necessarium est. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam?* Isaiæ 66. v. 9. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo*, &c. 1. Ioan. 5.v.7. *Tres* angelos excipit *Abraham, vnum adorat.* Gen. 18.v.2. & 3. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum*, &c. *Sanctus, sanctus, sanctus*, &c. Isaiæ 6.v.1. vsque 5. vidit enim omnes tres personas diuinas. Qua specie Deus apparuerit Isaiæ, c.6.v.1. & Ezechieli, c.1.v.4. &c. & aliis, ibid.v.27. *Quis ascendit in cælum atque descendit?* &c. *Quod nomen est eius, quod nomen filij eius, si nosti?* Prou. 30. v. 4. *Vnus est altissimus Creator omnipotens, & rex metuendus nimis; ipse creauit sapientiam in Spiritu sancto*, &c. Eccli. 1.v.8. & 9. *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.* Prouer. 25. v.27. *Scrutari* ergo temeritas, *credere* pietas, *nosse* vita, & vitæ æterna est.

Adora, Admirare, Profitere, Benedic, Lauda, Glorifica. *Benedictus es Domine*, &c. 1. Paral. 29. v. 10. & seqq. Gratias age, quia *fecit nobiscum misericordiam suam*: *Pater* vnigenito *filio suo non pepercit.* Roman. 8. v. 32. *Filius* pro nobis *mortuus est.* v. 34. *Spiritus sanctus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* v. 26.

VARIA.

De signo crucis, contr. 18. n. 12. Etiam olim in sacrificio agitationis efformabatur crux, Leuit. 7. v. 30. Doceantur & fideles, à crucis efformatione, quæ est inuocatio Sanctissimæ Trinitatis, omnia sua, more prisco Christianorum inchoare, omnia etiam finire per doxologiam, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.*

De æterna & continua generatione Filij ex Patre: de processione Spiritus sancti ex vtroque, vide contro. 3. num. 3. & 4.

DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.

Euangelium *Estote misericordes*, &c. Lucæ 6. à v. 36. ad 43.

FIDES.

Luc 6. v. 36. *Estote misericordes sicut*, &c.] Sæpè obligant opera misericordiæ, tum spiritualia, tum corporalia, contr. 17. num. 12.

v. 37. *Nolite iudicare*] At Petrus iudicauit & damnauit Ananiam, Actor. 5. v. 3. Paulus incestuosum, 1. Corinth. 5. v. 3.

Respondeo non prohibeti Primò, iudicium publicę auctoritatis, contr 10. nu. 4. Secundò, iudicium discretionis de peccatis manifestis. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Matt. 7. v. 16. Sic hæreticos in hæresi mortuos possumus iudicare condemnatos esse. *Qui non credit, iam iudicatus est.* Ioan. 3. v. 18. Tertiò, fraternæ correptionis. *Vade, & corripe eum.* Matth. 18. v. 15. Quartò, priuatum de re ipsa iudicium. *Si nos ipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.* 1. Cor. 11. v. 31.

Sed prohibetur Primò, iudicium temerarium. *Nolite secundùm faciem iudicare.* Ioan. 7. v. 24. Secundò, vsurpatum iudicium. *Tu quis es qui iudicas alienum seruum?* Rom. 14. v. 4. Tertiò, hypocriticum. *Quid vides festucam?* Matth. 7. v. 3.

Mensuram bonam ex iustitia dabit Deus operi bono: v. 38. sed mensura *conferta, coagitata & superefluens* nonne innuit, Deum etiam vltra condignum bona opera remuneraturum? vide Bellar. l. 5. de Iustif. c. 19.

Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis] Probabilius tamen, mala opera citra condignum in inferno punitum iri, vide ibid. v. 41.

Quid videsfestucam?] Quædam peccata ex natura sua leuia & venialia esse, contr. 12. n. 3. Cuius sit corripere; & quos, & quomodo, vide Matth. 18. v. 15.

MORES.

Estote misericordes] En scalam qua ad Sanctissimæ Trinitatis fruitionem ascendas. Huius varij sunt gradus, nempe septem opera misericordiæ corporalia, septem spiritualia. Luc. 6. v. 36.

Sicut & Pater vester misericors est] Qualem, quantamque optas Dei erga te misericordiam? Nónne Primò, longanimem & exspectantem ad emendationẽ? 2. Petr. 3. v. 9. Nónne Secundò, liberalem in ignoscendo? *Pater peccaui in cælum*, &c. Lucę 15. v. 21. Nónne Tertiò, beneficã in largiendo? Lucæ 6. v. 38. Hanc tu proximo tuo exhibe, Primò, ne præcipites sententiã; *Nolite iudicare. Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Matt. 18, v. 26. Vide Domin. XXI. post Pentecosten. Secundò, *Dimitte* & ignosce. *Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.* ibid. Tertiò, adde beneficia: *Date & dabitur vobis. Proferte stolam primam, vitulum saginatum*, &c. Lucæ 15, v. 22. &c.

Sicut Pater vester] Non vrgeo vt *potentiam* eius imitemini. *Ascendam super altitudinem nubium.* Isaiæ 14. v. 14. Neque vt *sapientiam. Eritis sicut dij.* Gen. 3. v. 5. Sed bonitatem. *Estote misericordes.*

Nolite iudicare] Sit actus primus misericordiæ, cauete ne sitis curiosi & seueri in cernendis carpendisq; vitiis proximi. *Ne insidieris, & quæras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius: septies enim cadet iustus, & resurget*, &c. Prou. 24. v. 15. vsque 19. *Cum detractoribus non commiscearis*, &c. v. 21. & 22. *Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in turgio citò: ne postea emendare non possis, cùm dehonestaueris amicum tuum.* c. 25. v. 8. v. 37.

Quæcumque dubia sunt, noli in peiorem partem flectere. Exẽplo sit Christus, qui cùm *Samaritanus* vocaretur, dissimulauit, quia in sanum sensũ trahi poterat. Vide Dominicam Passionis. Noli æstimare defectũ proximi quasi inemendabilem. Neque ex vnico lapsu colligе perpetuam consuetudinem. *Quare cum publicanis manducat magister vester?* Matth. 9. v. 11. Nec quia semel lapsus est, adhuc in luto perseuerare. Denique noli ex incertis indiciis statuere de certo peccati auctore.

Remedia vis temerario iudicio? Primò, scias certissimum esse impedimentũ profectus spiritualis. Quia cõtra charitatem. Secundò, suspende iudicium de lepra diebus septem, Leuit. 13. v. 4. Tertiò, habe in promptu excusationes ab infirmitate, ignorantia, inaduertẽtia, intentione, &c. *Non enim sciunt quid faciunt.* Luc. 23. v. 34.

Quartò,

Quartò, ad teipsum oculos reflecte, & ad *trabem* oculi tui. Quintò, ama proximum. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. Pet. 4. v. 8. Sextò, præmium sanè maximum: *Et non iudicabimini.*

Dimittite & dimittemini] Vide in Festo S. Stephani 26. Decembr.

v. 38. *Date, & dabitur vobis*] Primò, mensura *bona*, bonorum temporalium. Cogita *centuplum*, Matt. 19. v. 29. Secundò, *conferta*, bonorum naturæ. Tertiò, *coagitata*, bonorum gratię. Quartò, *superefluens*, bonorum gloriæ. *In sinum*, plena & secura possessione.

VARIA.

Dixit hæc Christus sub medium Maij anni secundi suæ prædicationis. Chron. cap. 49.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Euangelium *Caro mea verè est cibus*, Joan. 6. à v. 56. ad 60.

FIDES.

Ioan. 6. v. 56. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus* animæ. Corpus & sanguinem Christi verè, realiter ac substantialiter præsentia esse in Eucharistia, patet ex dictis in comment. v. 52. & controu. 21. nu. 1. & 2. Item Matth. 26. v. 26. *Hoc est corpus meum*, &c. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est?* 1. Cor. 10. v. 6.

v. 57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo, vt* v. 50. *non moriatur:* sed v. 55. *habeat vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Cùm sederis, vt comedas cum principe, diligenter attende*, &c. Prou. 23. v. 1.

v. 58. *Qui manducat* in Eucharistia non panem, sed *me, viuet propter me*] Neque enim coëxistit ibi panis corpori Christi, vt docui controu. 21. n. 3. sed sublatâ omni panis substantiâ, remanent sola accidentia sine subiecto, n. 4. Neque solum corpus, vel solus sanguis Christi est in Eucharistia, sed totus Christus, nu. 5. Neque in transitorio tantùm vsu, sed permanenter, n. 7. Vnde & obseruari & adorari potest hostia, ibid. & laicis sub vnica specie dari communio, n. 12. Quæ materia, quæ forma, quis minister huius Sacramenti, ibid. n. 8. 9. 10. 11.

v. 59. *Hic est panis qui de cælo descendit*] Quo sensu, dixi Joan. 3. v. 13. *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi*, &c. Ioan. 6. v. 41.

Oblationem S Eucharistiæ non modò Sacramentum esse, sed & sacrificium nouæ legis, quod Christus in vltima cœna instituit, & quotidie in Missa per sacerdotes, vt secundarios ministros suos innouat, fusè docui contr. 21. n. 1. vsque 8. Vbi & de eiusdem efficacia & effectibus, à n. 8. vsque 12. *Sacrificium Melchisedech*, Gen. 14. v. 18. *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Psal. 109. v. 4. & Hebr. 7. v. 11. & 17. vsque fin. *Christus vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei*, &c. Hebr. 10. v. 12. vsque 15. *Ab ortu enim solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Malac. 1. 11. *Agnus* paschalis figura Eucharistiæ, Exod. 12. v. 5. Item *iuge sacrificium* Exod. 29. v. 38.

MORES.

Expende hîc ineffabilem Dei potentiam, sapientiam, bonitatem. *Memoriam fecit mirabilium suorum*, &c. Psal. 110. v. 4. *Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnem saporis suauitatem.* Sap. 16. v. 20. & 21. *De comedente exiuit cibus*, &c. Iudic. 14. v. 5. *Vt educas panem de terra, & vinum*, &c. Psal. 103. v. 16. *Mensa propositionis panum aurea*, Exod. 25. v. 30. *A fructu frumenti, vini & olei sui multiplicati sunt.* Psal. 4. v. 8. *Si non dixerunt viri tabernaculi mei, Quis det de carnibus eius vt saturemur?* Iob 31. v. 31. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Zach. 9. v. 17.

De osculo diuinæ vnionis in hoc Sacramento, Cant. 1. v. 1. De *vberibus* sponsi, ibid. De *oleo effuso*, v. 2. De *cellario* regis, v. 3. De regis *accubitu*, v. 11. *Fasciculo myrrhæ & botro Cypri*, & *lectulo florido*, v. 12. 13. 15. & *arbore mali*, Cant. 2. v. 3. & *cella vinaria*, v. 4. Sap. 19. v. 20. vocatur *ambrosia* in Græco. *Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus.* Genes. 49. v. 20. *Panis subcinericius Eliæ*, 3. Reg. 19. v. 8. vi cuius Elias ambulat *quadraginta diebus vsque ad montem Dei Horeb.* 3. Reg. 19. v. 8. Farina depellitur amarities *colocynthidarum*, 4. Reg. 4. v. 39. *Lignum dulcorans aquas*, Exod. 15. v. 25. *Parasti mensam aduersus eos qui tribulant me*, &c. Psal. 22. v. 5. *Non claua qui perit*, &c. Ioan. 6. v. 27. *Subcinericius panis* Gedeonis, Iudic. 7. v. 13. *Lignum vitæ*, Gen. 2. v. 9.

Cur omnia tabernaculi instrumenta nitidissimo & artificiosissimo modo iussa fuerint confici, vide Exodi 25. & ipsa etiam emunctoria de auro purissimo, ibidem v. 38. confici iubeantur; cur *altare* Exod. 20. v. 24. iubeatur construi ex *rudi terra*, vel *lapidibus misectis?* Respondeo, Vt significetur, sacrificium Eucharisticum *ex opere operato* communicare fructus suos, sicut & Sacramenta.

Ad hoc epulum continuò vocaris & inuitaris à Christo: *Sapientia ædificauit sibi domum, miscuit vinum*, &c. Prou. 9 v. 2.

Vt dignè accedas, Primò requiritur fides. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt*, Hebr. 13. v. 10. Et solida fides. Ante arcam *demittes velum*, intra *quod pones arcam testimonij*. Exod. 26. v. 33. & c. 40. v. 2. *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel saluator.* Isa. 45. v. 15. Pollicitus est Dominus, vt *habitaret in caligine*, &c. 2. Paral. 6. v. 1. & 3. Reg. 8. v. 11.

Secundò, requiritur status gratiæ. *Itaque quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini: probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diudicans corpus Domini.* 1. Corinth. 11. v. 27. vsque 32. *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* 1. Cor. 10. v. 20. Quanta mundities requisita olim in iis qui de victimis participarent, vide Leuit. 22. v. 21. *Parasti in conspectu meo mensam*, &c. Psal. 22. v. 5. *Calicem salutaris accipiam*, &c. Psal. 115. v. 4. *Quando sederis vt comedas cum principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam*, &c. Prou. 23. v. 1.

Tertiò enim requiritur deuotio. *Angelorum esca nutriuisti populum tuum*, &c. Sap. 16. v. 20. *Panem cæli dedit eis: panem angelorum manducauit homo.* Psalm. 77. v. 24. Manna Exod. 16. *omne delectamentum suauitatis in se* habebat. Sap. 16. v. 20. Et tamen *anima nostra* iam *nauseat super cibo isto leuissimo*, Num. 11. v. 6. & c. 21. v. 5. *Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes*, &c. c. 21. v. 6. Defecit manna postquam *comederunt de frugibus terræ.* Chanaan. Jos. 5. v. 12. *Edent pauperes & saturabuntur*, &c. Psal. 21. v. 27. *Cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos.* Ps. 80. v. 17.

Quartò, solicita gratiarum actio. *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* Psal. 49. v. 14. *Et iter quo ostendam illi salutare Dei.* v. 23.

VARIA.

Dicta hæc à Christo sub initium Aprilis anni tertij prædicationis Christi. Chron. c. 49.

DOMI-

DOMINICA INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

Euangel. *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Lucæ 14. v.16. ad 25.

FIDES.

Lu.14. v.16. *De cœna magna*, de *multis vocatis*, de fœculis *omnibus paratis*, de inuitatis *venire* recusantibus, de *pauperibus* ac *debilibus* in locum eorum substitutis, vide Dominica XIX. post Pentecosten.

v.23. *Exi in vias & sepes, & compelle intrare*] Compellit subinde Deus acriori stimulo, vt Saulum, Act.9.v.4. Compellit etiam Ecclesia suis legibus, contr.6.n.14. Et principes politici variis modis, contr.10.nu 3 4.5. apostatas etiam pœna capitali, nu.6. licitè prosequuntur. Sed an & infideles cogendi, qui numquam in Ecclesia fuerunt, vide S. Thom.2.2. q.10.a.8.

v. 24. *Nemo virorum illorum qui vocati sunt*, & venire noluerunt, *gustabit cœnam meam*] Tamen sub finem mundi, quando se delusos sentient ab Antichristo, venient tandem omnes Iudæi ad Christum, Rom. 11.v.26. *Et sic omnis Israel saluus fiet*; & cœlesti cœna æternùm fruetur. De cœna magna Eucharistica, vide contr.21. de Sacramento Eucharistiæ & contr.22. de Sacrificio Missæ.

MORES.

Luc. 14.v. 16. *Fecit cœnam magnam, & vocauit multos*] A cœlestibus cum Agno nuptiis, & præambula mensa doctrinæ Christianæ & Sacramentorum Ecclesiæ, & cum primis SS. Eucharistiæ, quis prudens patiatur se excludi? De epulo *Assueri*, Esther 1.v.3. *Vt ostenderet diuitias gloriæ regni sui*, &c.v.4. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ, defœcatæ*, &c. Isa.25.v.6. vsque 11. *Frumentum electorum, & vinum germinans virgines*, &c. Zach. 9.v.17. *Comedite, bibite, inebriamini*, &c. Cant. 5. v.1. De differentia mensæ sacrificiorum veteris legis & nouæ, vide Leu.1.v.2. & contr.22.nu.5. &c.

v.18. *Cœperunt simul omnes excusare se*] Inuitat *voluptas*, & statim totus mundus sequitur. Prou 7.v.6. vsque fin. & c. 9.v.13. Inuitat *sapientia diuina*, c.8. & 9. vsque v. 13. & paucissimi sequuntur. Tres hominum ordines à *prælio* submouendi. Deut.20.v.5. Sed nemo vsquam à cœlesti cœna submoueri iubetur, præter rebelles & repugnantes, & venire negligentes. Nocuit differre paratis, *Constitue mihi quando deprecer pro te*, &c. *Cras*, inquit Pharao, Exodi 8.v.9.

Primi, qui se excusant, sunt ambitiosi. *Villam emi*] At pro villa sex iugerum terræ, perdes regnum cælorum? *O Israel, quàm magna est domus Dei!* &c. Baruch 3.v.24.

Secundi qui se excusant, sunt auari. *Iuga boum emi quinque*] *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.* Psal.118.v.36. *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.* v.37.

Tertij sunt luxuriosi. *Vxorem duxi*] Vtique si sit legitima non erit impedimento. *Faciamus Adæ adiutorium.* Gen. 2.v.18. At quia illegitima, *ideo non possum venire.* O quàm saluti propior virginum status! Cùm *filij Dei filias hominum accipiunt vxores*, Gen.6. v.2. increbrescunt mala super terram. *Auerterunt mulieres cor Salomonis*, 3. Regum 11.v.3. *cùm iam esset senex*, &c. Quomodo *Adam* se excusauit, & *Eua*, Genes. 3.v.10. &c. Ad quantos vocati honores, delicias, opes! Sed noluerunt. v.7. Pro *stola innocentiæ folia ficus*, & vestes *pelliceas* ibid. v.21. Pro *ligno vitæ*, herbas terræ, v.18. Pro *paradiso*, exilium, v.23. *Homo cùm in honore esset, non intellexit*, &c. Psal.48.v.13. *Coruus à Noë* emissus manet super cadaueribus in vndis: *columba reuer-*

titur in arcam, Gen.8.vers.7. &c. Siliquas manducatis porcorum, quàm delicias paradisi? Lucæ 15.v.16.

Sunt & alij, qui etsi non talibus præpediti, tamen alias ob causas nolunt venire. Primi, qui non credunt. Et cur non credas? *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Psal. 92.vers.5. S. Eucharistia ad lumen fidei manducanda, sicut panes propositionis ad septiceps candelabrum, Exodi 26.v.35. Secundi, etsi credant, non debitè colunt Christum in SS. Eucharistia: cum nausea intersunt tremendis mysteriis. Recogita quid præmij obuenerit Obededom arcam colenti? 2. Regum 6. v. 11. Tertij, ex mera accedia ac desidia negligunt sæpiùs vti. Dic quid causæ referam heroi tuo?

Exi in vias & sepes, &c.] Vade Xaueri, vade Barzæe in Iaponiam, in Sinam, ad exteros Indos. v.23.

Nemo illorum gustabit cœnam meam] O durum verbum! Quibus dictum? nolentibus venire. v.24.

VARIA.

Hanc parabolam dixit Iesus sub initium vltimi mensis Decembris ante mortem suam. Chron.c.49.

Adhuc locus est] An sit certus prædestinatorum numerus ante præuisa singulorum merita, vide S. Thom.1.p. q.23.a.7. Lu.14. v.22.

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN.

Euangel. *Erant appropinquantes ei publicani.* Lucæ 15.à v.1. ad 11.

FIDES.

Erant appropinquantes ei publicani & peccatores] Nullum peccatum irremissibile, contr.23.nu.5. Nulli quantumuis magno peccatori, denegatur gratia necessaria ad conuersionem, contr.14.n.11. vsque 14. Lu.15. v.1.

Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente] Qua via id norunt in cœlo? Eâdem viâ norunt etiam Sancti nostras ne essitates & preces: ac proinde possunt à nobis coli & inuocari. contr.30.n.7 8.9. Quid pœnitentia, quotuplex eius necessitas, quæ eius partes & effectus, contr.23. tota. v. 7.

Malus *quàm super nonaginta nouem iustis*] Vide comment. Neque enim ceteris paribus, nobilior est pœnitentia, quàm innocentia.

MORES.

Erant appropinquantes ei] Sacerdos Pharos sit, omnibus errantibus securum portum ostentans, & vitæ illustrioris exemplo omnes eò alliciens, Iudith 8.v.21. *Ex vobis pendet anima* populi, &c. Sit verbo tam potens, vt etiam publicos peccatores, Matthæos, Magdalenas, Zachæos trahat. Lu.15. v.1.

Peccatores recipit] Inuehere in boni operis detractores, in iniquam maledicam, &c. *Ne despicias hominem auertentem se à peccato, neque improperes ei: memento quoniam omnes in correptione sumus.* Eccli. 8. v. 6. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Iac. 5.v.vlt. v.1.

Manducat cum illis] Iusta querela, si ex consortio malorum nulla spes frugis, vel si tibi peruersionis inde periculum. His catibus fuge, & *nec cibum* cum illis sumpseris, 1. Cor. 5.v.12. Sed quis conuiuia reprehendat quæ vel conuertendis peccatoribus, vel charitati conciliandæ deseruiunt? v.2.

Si perdiderit vnam] Christus nec vnum quidem vult perire. Sed væ pastoribus, væ magistratibus, væ parentibus, quorum culpâ vel vna perit ouicula. *Fili mi Absalom, Absalom fili mi*, &c. 2. Regum 18. v. 33. *Diligis odien-* v.4.

tes te,&c.c.19.v.6. *Verè cognoui quòd, quia si Absalom reuiueret, & omnes occubuissemus, tunc placeret tibi.* ibid.

Dimittit nonaginta nouem in deserto] sed non destitutas opportunis subsidiis ac præsidiis. Singulos innocentes obtestare, per quidquid ipsis charum est, ne vmquam aberrent. *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Ioan.8. v.34. Et quæ pœnæ manent peccatum? *Quomodo possum peccare in Deum meum?* Gen. 39. v.9.

Vadit ad illam quæ perierat] Noli, ô pastor, ô paterfamilias dicere, *Quid ad* me? ipse viderit. Clama seriò: *Reuertere, reuertere Sulamitis*, &c. Cantic.6. v.12. Omnis mora reditum difficiliorem reddet, Deum magis alienabit, salutis periculum augebit; &c. Vide in filio Prodigo; Sabbato post II. Dominicam Quadragesimæ.

v. 5. Inuentam non increpat, non flagellat, sed *in* proprios *humeros suos imponit*] Omni cura inuigilat Primò, vt expiet admissa peccata. Secundò, ne rursus aberret. Id caue per Deum. Fortè tam ingratum rursus non quæret, vel quæsitum fortè non inueniet. Notandum enim illud Matt.18.v.13. *Si contigerit vt inueniat eam.* Nam Saul, Iudas & Iudæi plerique, sunt quæsiti à Christo, sed non inuenti. *In peccato vestro moriemini.* Ioan.8.v.21.

v. 7. *Gaudium erit*] Pusillanimior es, ô peccator? Erigat te Christi cura in quærendo, charitas in suscipiendo, gaudium & congratulatio in complexando. Pro talibus seruit hoc Euangelium. Pro obstinatis & incunis, seruiant alia de morte, de iudicio, de inferno. At vnicum, *Peccaui*, sufficiet vel in extremo agone, vt patuit in Dauide, Manasse, Saulo, latrone, &c. Sufficiet profectò! sed quis tibi, illud te tum ex animo dicturum, addixit? Nónne & Antiochus dicebat, Peccaui? Nónne & Iudas? Matt.27. v.4. Et quid profuit? Absit cum blasphemis istis, de quibus Paulus, dicamus: *Faciamus mala, vt eueniant bona: Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? Non, sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere, Faciamus mala vt eueniant bona. Quorum damnatio iusta est*, &c. Rom.3.v.5. & 8.

VARIA.

Dixit hæc Iesus vltimo mense Decembri ante mortem suam. Chron. c.49.

An numerus saluandorum sit pars centesima, vel saltem decima hominum creatorum? vide in fine Dominicæ præcedentis.

DOMINICA QVARTA POST PENTECOSTEN.

Euangel. *Cum turba irruerent.* Lucæ 5.à v. 1. vsque 12.

FIDES.

Lu. 5. v.4. *Duc in altum, & laxate retia vestra.* v.6. *Et concluserunt piscium multitudinem copiosam.* Psal.148.v.5. *Ipse dixit & facta sunt.*

v.5. *Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus*] *Sine fide impossibile est placere Deo.* Hebr.11,v.6. Citra gratiam Christi quàm parum potest homo, contr. 14. nu.8.9.15. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt.* Psal.75.v.6. Extra statum gratiæ iustificantis, nihil meritorium, contr. 16.n.1.& 8. & tamen, *lassati sumus in via iniquitatis*, Sap. 5.v.7.

v.8. *Exi à me, quia homo peccator sum*] Quin potiùs Psal.33. v.6. *accedite ad eum, & illuminamini; & facies vestræ non confundentur.* Matth.11.v.28. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Lucæ 19.v.10. *Venit Filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.* Vide Dominica III. post Pentecosten. Qualis peccatorum confessio requiratur ad integritatem Sacramenti pœnitentiæ, contr.23.n.7.

Ex hoc iam homines eris capiens. Relictis retibus secuti sunt eum] Vide in Festo S. Andreæ. v.10 & 11.

MORES.

Cùm turba irruerent] Nostram in templo ignauiam & nauseam condemnat ingens harum turbarum, etiam in littore maris, feruor, sitis & inexplebilis fames verbi Dei. Crebra & prolixa conuiuia, ludi & confabulationes nos non fatigant, fatigat breuis Missa, concio, communio. *Operamini cibum qui permanet*, &c. Ioan.6.v.27. Arcebat olim Deus Israelitas à pede montis Sinai, Exodi 19.v. 12. nunc permittit, vt etiam in se irruant. Nec tu, concionator, indignare, si quid turbæ nonnunquam sub concionem oriatur. Exacerbat hoc & alienat auditores. v.1.

Piscatores ascenderant & lauabant retia] Et tu, si vis piscationem vtiliter continuare, ascende sæpiùs ad Deum, & doctrinæ ac morum retia excute, refice, repurga. Huius defectu, ô quàm multi pisces retia tua manusque fugiunt! v.2.

Ascendit in vnam nauim, quæ erat Simonis] Ex vnica naui, cui præest Simonis successor, hauritur veritas, contr. 5.n.1.& 3. v.3.

Rogauit] cùm posset imperare. Caue despotica imperia *Hilarem datorem diligit Deus.* 2.Cor.9.v.7.

A terra reducere pusillum] Apud plebem ne nimis alta de cælestibus, nec tamen terrena pertractes, sed littus lege. Doctiores & prouectiores *duc in altum.*

Laxate retia] Omnes piscatores estis. Vultis feliciter piscari? Primò, nauim Christo commodate. *Qui vos recipit, me recipit.* Matth.10.v.40. Quàm bene hoc cessit hic Petro! Quàm bene viduæ Sareptanæ! 3.Regum.17.v.16. Quàm bene alteri viduæ! 4.Regum 4. v.6. Quàm bene Rahab! Iosue 6.v.23. Quàm bene Zachæo, &c. Secundò, *Laxate rete in verbo* Christi. *Quærite primùm regnum Dei*, &c. Matt.6.v.33. v.4.

Concluserunt piscium multitudinem copiosam] Compara hanc Lucæ 5. piscationem, cum altera Ioan.21. Vtraque miraculosa, vtraque per Christum, & per manus Petri. Sed illa ante resurrectionem Christi, hæc post. Illa typus colligendorum fidelium in hac vita: hæc Beatorum in altera vitâ. Ibi illa laxantur retia quaquauersus, & colliguntur incerto numero parui & magni, boni & mali, & rumpuntur retia & periclitatur nauis: in hac ad solam dexteram nauigij concluduntur 150. pisces magni, & ad littus trahuntur intacto reti. *Animalia* omnia, Dei instinctu, *venerunt ad Adam*, Gen.2.vers.19. & *in arcam* Noë, Gen.6.v.19.& c.7.v.2. v.6.

Petrus procidit ad genua Iesu, & ait, *Exi à me Domine*] Est Petri cum Christo certamen. Primò, Petrus Christo nauim commodat: Christus vinci nescius, ambas naviculas piscibus implet. Secundò, Petrus se humiliat: Christus eum exaltat: *Eris homines capiens*, eris piscatorum omnium princeps. Tertiò, Petrus, *Exi*, inquit, *à me Domine*: Christus fit ei familiarior & propinquior. Sic sponsa, Cant.8.v.14. *Fuge dilecte mi*, &c. *Quis suscitauit ab Oriente iustum, vocauit eum vt sequeretur se? Dabit in conspectu eius Gentes, & reges obtinebit: dabit quasi puluerem gladio eius.* &c. *Quis hæc operatus est & fecit? Ego Dominus, primus & nouissimus ego sum.* Isaiæ 41. v. 2. *Et tu Israel serue meus*, &c. *In quo apprehendi te ab extremis terræ, & à longinquis eius vocaui te, & dixi tibi, Seruus meus es tu, elegi te, & non abieci te. Ne timeas, quia ego tecum sum: ne declines, quia ego Deus tuus: confortaui te, & auxiliatus sum tibi: & suscepit te dextera iusti mei.* v.8. 9. 10. *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos: & post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum.* Ieremi.16. v.16. *Ad te Gentes venient ab extremis terræ, & dicent: Verè mendacium possederunt patres nostri, vanitatem quæ eis non profuit.* v.19. v.8.

Ex humilitate indignum se reputare diuinis mysteriis, pium est ac laudabile; sed valdè vituperandum si ex pigritia vel pusillanimitate proueniat, vel inutili timore. *Ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.* Exodi 4. v. 20. *Non maneat arca Dei Israel apud nos, quoniam dura est manus eius super nos, & super Dagon deum nostrum.* 1. Regum 5. v. 7. *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius? & ad quem ascendet à nobis?* 1. Regum 6. v. 20. Percusso Oza 2. Regum 6. v. 7. *Extimuit Dauid Dominum in die illa, dicens: Quomodo ingredietur ad me arca Domini? & noluit diuertere ad se arcam Domini in ciuitatem Dauid.* v. 9. *Quid mihi & tibi vir Dei? ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?* 3. Regum 17. v. 18. *Posuit tenebras latibulum suum,* &c. Psalm. 17. v. 10. vt eo magis eum reuereamur & studiosiùs quæramus: non verò vt terreamur, vel negligamus.

VARIA.

Hæc quatuor Apostolorum horum vocatio contigit initio Februarij, anni secundi prædicationis Christi. Chronic. cap. 49. postquam captus esset Ioannes Baptista. ibid. Et est eadem cum illa Matth. 4. v. 18. de qua in Festo S. Andreæ, 30. Nouembr.

DOMINICA QVINTA POST PENTECOSTEN.

Euangel. *Nisi abundauerit iustitia vestra.* Matth. 5. à 20. vsque 25.

FIDES.

Matt. 5. v. 20. *Nisi abundauerit iustitia vestra, plus quàm Scribarum*] In quo formaliter sita sit vera iustitia, contr. 15. nu. 2. vsque 9. Quænam prærequirantur, n. 9. Non omnes æquè iustos esse, nu. 21. Vnde inæqualitas, nu. 22. In quo excedere debeat nostra iustitia iustitiam Scribarum, vide comment.

Non intrabitis in regnum cælorum] Nos iustis operibus verè promereri regnum cælorum, contr. 16. n. 1. vsque 7.

v. 22. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui dixerit, Raca, reus erit concilio. Qui dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis*] Ex pœnæ inæqualitate colligimus peccatorum inæqualitatem, contr. 12. nu. 2. *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Matth. 12. v. 36.

v. 24. *Vade priùs reconciliari fratri tuo,* (quod est præcepti diuini positiui & naturalis) *& tunc veniens ad altare offeres munus tuum,* quod solùm est consilij, & sine altero non potest placere Deo, vide comment. Sine interna contritione nil iuuabant antiquæ legis sacrificia vel Sacramenta, contr. 18. n. 7.

MORES.

Matt. 5. v. 20. *Non intrabitis in regnum cælorum*] Quàm terrebat fratres Ioseph, illud Gen. 43. v. 3. *Non videbitis faciem meam, nisi,* &c. & Absalomum illud Dauidis, 2. Reg. 14. v. 24. *Faciem meam non videat,* Nónne plus quàm Ioseph, plus quàm Dauid, hic?

Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum] Pharisæi crebrò ieiunabant, Deo gratias agebant, orabant, decimas dabant omnium suorum, &c. An tua iustitia, ô Christiane, hanc superat? Sed Primò, erat hypocritica & simulata. Matth. 23. v. 27. *Similes sepulchris dealbatis,* &c. 2. Tim. 3. v. 4. *Voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes quidem speciem,* &c. Secundò, erat mutila. Luc. 11. v. 42. *Decimatis mentham & rutam,* &c. *Reliquistis quæ grauiora sunt legis,* Matth. 23. v. 23. v. g. præceptum de *honorandis parentibus*, Matth. 15. v. 3. &c. Tertiò verbalis, non realis, Matth. 23. v. 3. *Dicunt, & non faciunt.* Gen. 27. v. 22. *Vox Iacob, sed manus Esau.* Quartò, ad oculum seruiens, Matth. 23. v. 5. *Vt videantur ab hominibus.* An ab his omnibus sit tibi cautum? *Initium viæ bonæ, facere iustitiam. Accepta est autem apud Deum magis, quàm immolare hostias.* Prou. 16. v. 5. *In abundanti iustitia virtus maxima est: cogitationes autem impiorum eradicabuntur.* Prou. 15. v. 5. *Victimæ impiorum abominabiles Domino: vota iustorum placabilia. Abominatio est Domino via impij: qui sequitur iustitiam diligitur ab eo.* v. 8. & 9. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Eccli. 18. v. 22.

Sed cauendum à scrupulosa iustitia. *Noli esse iustus multum; neque plus sapias quàm necesse est, ne obstupescas.* Eccles. 7. v. 17. *Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* v. 21. *Cuncta tentaui in sapientia. Dixi, Sapiens efficiar: & ipsa longiùs recessit à me,* v. 24.

Præceptis attende & consilijs diuinis. *Lex Domini immaculata, conuertens animas,* &c. Psalm. 18. v. 8. vsque 13. *Omnis æstimatio sicli sanctuarij ponderetur,* Leuit. 27. vers. 25. & *mensura templi,* Exod. 30. v. 13. seu *pondere sanctuarij,* vers. 24. Quàm grauiter puniat Deus peccata etiam leuia iustorum, vide 3. Reg. 13. v. 21. Maximè tamen quæ officiunt concordiæ vel charitati. *In tribu placitum Deo,* &c. Eccli. 25. v. 1. *Sint vnum, sicut nos vnum sumus.* Ioan. 17. v. 11. & 21. *Hoc præceptum meum*: inde dignoscemini, &c. Ioan. 13. v. 34. *Vnus moris in domo.* Psalm. 67. v. 7. *Ecce quàm bonum & quàm iucundum,* &c. Psal. 132. v. 1. *Sed odit Dominus,* &c. seminantem discordias, &c. Prou. 6. v. 16. *Numquid non vnus pater omnium?* &c. Malach. 2. v. 10. *Ne quæso sit iurgium,* &c. Gen. 13. v. 9. *Vita carnium sanitas cordis* (à passionibus) *putredo ossium, inuidia.* Prou. 14. v. 30.

v. 22. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*] Sed distingue iustam iram ab iniusta. Iusta est quę causam habet, quæ modum seruat, quæ fructum sperat. Sic Paulus Gal. 3. v. 1. *O insensati Galatæ.* Et Christus Luc. 24. v. 25. *O stulti & tardi corde!* Matth. 23. v. 13. *Scribæ & Phariszi hypocritæ.* v. 16. *Duces cæci & stulti.* v. 33. *Serpentes, genimina viperarum,* &c. Ioan. 8. v. 44. *Vos ex patre diabolo estis.* Talis erat ira *Moysis,* Exod. 32. v. 27. *Phinees,* Num. 25. v. 7. *Eliæ,* 3. Reg. 18. vers. 40. quum occideret 450. *Prophetas Baal.* Iniusta est cui aliquid horum deest.

De iusta ira dicitur Psal. 4. v. 5. *Irascimini, & nolite peccare. Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis. Cor sapientium vbi tristitia est, & cor stultorum vbi lætitia.* Eccles. 7. v. 4. vsque 8. De iniusta verò: *Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit.* v. 10. *Putásne bene irasceris tu* (ô Iona) super hedera? *Bene irascor ego vsque ad mortem.* Ionæ 4. toto. *Tu autem Domine cum tranquillitate iudicas.* Sap. 12. v. 18. *Fatuus statim indicat iram suam: qui autem dissimulat iniuriam, callidus est.* Prou. 12. v. 16. vide & v. 13. vsque 20. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim viri iustitiam Dei non operatur.* Iac. 1. v. 19. *Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Iob 38. v. 11. *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* Prou. 16. v. 32. *Melior est buccella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio.* Prou. 17. v. 1. *Semper iurgia quærit malus: angelus autem crudelis mittetur contra eum.* v. 11. *Expedit magis vrsæ occurrere, quàm fatuo confidenti in stultitia sua,* &c. v. 12. vsque 16. item 20. & 28. *Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam: spiritum verò ad irascendum facilem quis poterit sustinere?* c. 18. v. 14. *Mors & vita in manibus linguæ: qui diligunt eam, comedent fructus eius.* v. 21.

Vin' remedia? caue Primò, à præcipitantia. *Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est,*

quàm illius correptio. Prou.29.v.20. *Totum spiritum suum* (iræ) *profert stultus: sapiens differt, & reseruat in posterum.* v.11. *Turbatus sum, & non sum locutus,* Psalm.76.v.5. *Date locum iræ.* Rom.12.v.19.

Secundò, caue ne quid non sat prǽmeditatum ore excidat. *Anima laborantis laborat sibi* (seu sua culpa affligitur) *quia* (ad illa patienda) *compulit eam* (imprudens) *os suum.* Prou.16.v.26. *Vir impius fodit malum, & in labijs eius ignis ardescit,* &c. vers.27. &c. *Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Prou.c.13.v.3. *De fructu oris sui homo satiabitur bonis.* v.2. *Qui custodit os suum & linguam suam, custodit ab angustijs animam suam.* Prou. 21.v. 23. *Sicut vrbs patens & absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* c.25. v.vltim.

Tertiò, expende quæ commòda, quæ incommodâ sequentur. *Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum,* &c. 1.Petr.3.v.10. *Vir iracundus prouocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas.* Prou.15.v.18. *Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, huius vana est religio.* Iac.1.v.26. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir,* &c. c.3.v.2. vsque 13. *Lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis.* v.6. *Responde stulto; & ne respondeas stulto,* &c. Prou.26.v.3.4.5. *Iudicium determinat causas,* &c. v.10. & 20. vsque fin. *Doctrina viri per patientiam noscitur, & gloria eius est iniqua pretergredi.* Prou.19.v.11. *Honor est homini, qui separat se à contentionibus: omnes autem stulti miscentur contumelijs.* c.20. v.3. *Noli contendere verbis: ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium.* 2.Tim.2. v.14. *Stultas, & sine disciplina quæstiones deuita, sciens quia generant lites. Seruum autem Domini non oportet litigare: sed mansuetum esse ad omnes, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati,* &c. 23. vsque fin. *Terribilis est in ciuitate sua homo linguosus, & temerarius in verbo suo odibilis erit.* Eccli. 9. vers.vlt. *Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, vt non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me?* Eccli.22.v.vlt. Psalm.140.v.3. *Ibant gaudentes* (Apostoli) *à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Act.5.v.41.

v.23. *Si ergo offers munus tuum*] Omnes vos hîc sacerdotes estis. 1.Petr.2.v.9 *Regale sacerdotium.* Hebr.13.v.16. *Talibus hostijs promeretur Deus,* oratione, ieiunio, eleëmosyna. Sed & propriè dictum sacrificium Missæ differendum, si *frater tuus habet aliquid aduersum te.* At, inquies, ideo differo, & sepono omnia, etiam ad annos. Sed audi: qui dixit, *Relinque ibi munus tuum,* idem etiam dixit, *Vade reconciliari fratri tuo.* Sacrifica Deo priùs *iram,* tum sacrificabis illi bona opera tua. Si differs reconciliari, differs amicitiam cum Deo instaurare: manes hostis Dei, & omnia tua opera nil tibi prosunt ad vitam æternam. Modum reconciliandi offensum offendenti habes in epist.ad Philemonem. *Facere misericordiam & iudicium, magis placet Domino quàm victimæ.* Prouerb.21.v.3. *Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere.* v.27. *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? plenus sum,* &c. *Nolui,* &c. *abominatio est mihi,* &c. Isaiæ 1.v.11. vsque 16. *Lauamini, mundi estote, auferte malum,* &c. v.16. vsque 21. *Oratio eius fiat in peccatum,* Psal.108. v.7. Esau non placuit Deo, nisi priùs reconciliatus cum fratre suo, tunc audire meruit: *Sic vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei.* Gen.33.v.10. & verisimilius, sanctè deinceps vixisse, Gen.36.v.4.

VARIA.

Hæc dixit Iesus sub initium prolixioris sermonis in monte, circa medium Maij, anni secundi prædicationis suæ, Chron. c.49.

Quid sit Racha, quæ pœna consilij, quę gehennæ, vide in comment. Vnde dicta gehenna, 4.Reg.23.v.10.

Qui tam rigidè plectendum dicit verbum iratum, quid dicet de iuramento vano vel falso? Non iurandum, &c. Eccli.23.v.9. vsque 21. *Loquela multùm iurans, horripilationem capiti statuet,* &c. Eccli.27.v.15.

Quid de homicidio? qui etiam cæsorum animalium sanguinem vetuit hauriri, Genes.9. v.3: Quanta cura & quo ritu expianda cædes incerto auctore patrata, Deut. 21.v.1.

Quid de adulterio? *Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis: ego autem dico vobis, quia omnis qui videt mulierem, ad concupiscendum eam,* &c. Matth.5. vers.27. vsque fin.

DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN.

Euangel. *Cùm turba multa esset.* &c. Marc. 8. à vers.1. ad 10.

FIDES & MORES.

Misereor super turbam] *Aspice in me, & miserere mei, secundùm iudicium diligentium nomen tuum.* Psalm. 118. v. 132. *Faciem tuam illumina super seruum tuum.* v. 135. Ex fonte diuinæ misericordiæ bona omnia scaturiùt, contr. 1.nu.4. Gratiæ prævenientes & excitantes vltrò suggeruntur à Deo, contr.14, nu.1. 3.4. *Quomodo miseretur pater filiorum,* &c. Psalm.102.v.13. Sit ergo cum Susanna, Dan.13.v.35. *cor* tuum *habens fiduciam in Domino.* Nónne filios Israel per 40.annos manna pauit in deserto? Exodi 16. v. 14. Nónne Samsoni è mandibula asini, sontem subministrauit? Iudic.15.v.19. Eliæ per coruos, &c. 3. Regum 17.v.4. Si hæc corpori, quid non animæ? Et si hæc non rogatus, quid quando rogabitur? Marc. 8.v.2.

Ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent: & quidam ex eis de longè venerunt] Quantula quanti estimat! Nota pro meritis bonorum operum, quàm accuratè calculos subducat Deus, contr.16.nu.1. &c. Sic fiet in die iudicij, Feria II. post I. Dominicam Quadragesimæ. Nota & pro confirmatione diuinæ prouidentiæ, Eccli.5. v.5. *Ne dicas coram angelo, Non est prouidentia, ne fortè iratus Deus,* &c. Malach.3. vers.14. *Dixistis, Vanus est qui seruit Deo: & quod emolumentum quia custodiuimus præcepta eius?* Etiam minima quæque magni facit. Iob 14.v.5. *Numerus mensium eius apud te est.* v.16. *Gressus meos dinumerasti.* Lucæ 12.v.7. *Capillus de capite vestro non peribit:* neque Matth.10.v.42. haustus aquæ frigidæ: neque cap.26.vers.7. *Magdalena vnguentum.* Lucæ 22.v.28. *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Iob 2. v.3. *Adhuc retinens innocentiam,* &c. Iob 14. vers.16. *Tu gressus meos dinumerasti,* c.7. v.1. *Sicut mercenarij dies eius.* Ezech.29.v.18. *Nabuchonosor seruire fecit exercitum suum seruitute magnâ aduersus Tyrum, & merces non est reddita ei.* Simili modo diuina iustitia rationem deposcet etiam *de omni verbo otioso,* Matth.12. v.36. de omni vana cogitatione & intentione. Prou.16.v.2. *Spirituum ponderator est Dominus.* Vnde multò magis *verebar omnia opera mea, sciens quia non* parcet *delinquenti,* Iob 9. v. 28. Vtinam & principes & domini numerent suorum famulorum & militum saltem menses & annos, exemplo Assueri, Esther 6.v.3. *Quid pro hac fide, honorù ac præmij Mardochæus consecutus est?*

Iam triduo sustinent me] Perseuera & tu in oratione & bono opere; & audies: *Ego dispono vobis,* &c. Lucæ 22. v. 28. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Matt.20.v.8.

Septem panes habemus, & v.7. *Piscsiculos paucos*] Christi & Apostolorum sobrietas. Væ annonæ flagellatoribus. *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis.* Prouerb.11. v.26. v.5.

Appo-

v. 6. *Apposuerunt turbæ* omnem victum suum. *Necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes.* Rom. 12. v. 13. Abrahæ exemplo, Genes. 18. v. 3. *Si inueni gratiam in conspectu tuo, ne transeas seruum tuum.* O si *ab infantia* crescat nobiscum *miseratio!* Iob 31. v. 18. Quàm malè cessit illiberalitas Nabali! 1. Regum 25. v. 38. Quàm malè *viris Socoth!* Iudic. 8. v. 15.

v. 8. *Et saturati sunt*] Nullæ terrenæ, solæ cælestes epulæ satiant. Vide de Samaritana, Feria VI. post III. Dominicam Quadragesimæ. Sequentibus Christum delicię non denegantur, sed siliquę porcorum mutantur in vitulum saginatum, Lucæ 15. v. 16. v. 23. & *alias in manna*, in lac & mel, Exodi 16. v. 3. & 14. *Introducet vos Deus in terram* quæ fluit *lacte & melle*. Exodi 3. vers. 8. Magi visâ stellâ *gauisi sunt gaudio magno valdè*, Matth. 2. v. 10.

Reliqua huius Euangelij respondent Euangelio Dominicæ quartæ in Quadragesima.

Solùm hîc nota, hæc contigisse sub medium Maij, anno tertio prædicationis Christi, sex septimanis post saturatos 5000. Chon. c. 49.

DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

Euangel. *Attendite à falsis prophetis.* Matth. 7. à vers. 17. ad 22.

FIDES.

Matt. 7. v. 15. *Attendite à falsis prophetis*] Quinam hi vide comment. 2. Corinth. 11. v. 14. *Ipse satanas transfigurat se in angelum lucis. Non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiæ.* Vocatio, missio, ordinatio prorsus necessariæ sunt ad pastorem Ecclesiæ constituendum, contr. 8. num. 1. & Dominica II. post Pascha. Permittit pseudoprophetas Deus, *vt qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* 1. Cor. 11. v. 19. *Tentat vos Deus vester, vt palàm fiat, vtrùm diligatis eum, an non, in toto corde & in tota anima vestra.* Deut. 13. v. 3. Causa hæreseos, superbia, & vt plurimum mala vita. 1. Tim. 1. v. 19. *Repellentes conscientiam naufragauerunt à fide.*

Extende ad eos omnes qui peruersa suadent, Genes. 3. v. 4. *Nequaquam morte moriemini.* Quàm læta prophetabat Amano mundus! Esther 3. v. 1. &c. & suspensus est in ligno, c. 7. v. 10. Quàm blanda promittebat caro Epulonis! & sepultus est in inferno, Luc. 16. v. 22. *Habes multa bona posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare. Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te.* Lucæ 12. v. 19. *Ne intuearis vinum quando flauescit.* Prouerb. 23. v. 31.

v. 18. *Non potest arbor mala*, quamdiu manet mala, *bonos fructus* diu & constanter *facere*, & qui prosint ad vitam æternam, contr. 14. num. 8. 9. 15. Neque tamen verum est, hominem nihil omnino boni naturalis vel moralis posse, n. 6. 7. 10. Absit, careat homo libero arbitrio, contr. 13. n. 3. &c. nec valeat nisi ad peccandum mortaliter, contr. 12. n. 5. Potest etiam arbor mala desinere esse mala per conuersionem, & fieri bona, contr. 13. n. 5. & contr. 14. n. 10. vsque 15.

Non potest arbor bona malos fructus facere] quamdiu manet bona. Potest enim desinere esse bona, contr. 15. n. 15. Neque per malos fructus intelliguntur hîc peccata solùm venialia: (nam ab his nemo nostrùm eximitur, contr. 12. nu. 3. & contr. 14. num. 18.) sed mortalia. Psalm. 1. vers. 3. *Erit tamquam lignum, quod plantatum est secùs decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*, &c.

v. 19. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur*] De suppliciis infernalibus, contr. 29. num. 8. E contrario, omnis arbor quæ facit fructum bonum, reseruabitur in vitam æternam. De meritis bonorum operum, contr. 16. n. 1. & seqq.

v. 21. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine*, id est, qui credit in me, vel qui orat aut adorat me, *intrabit in regnum cælorum*] Sed præter *fidem*, præter orationem, debet etiam impleri *voluntas Patris mei*, id est mandata Dei: contr. 15. n. 7. 9. 23. *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus: & mandata eius grauia non sunt.* 1. Ioan. 5. v. 3. *Tunc non confundar, cùm perspexero in omnibus mandatis tuis.* Psal. 118. v. 6.

MORES.

Quibus signis dignoscantur falsi Prophetæ, vide Matt. 7. v. 15. Deut. 13. v. 1. & c. 18. v. 22. Certè non ex vestibus. Vestes, communes ouibus & lupis, sunt publicæ orationes, discursus ex Scripturis & de rebus diuinis, ieiunia, eleëmosynæ, humilis gestus, &c. *Est qui nequiter se humiliat.* Eccli. 16. v. 23. Et *ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis.* 2. Cor. 11. v. 14. Sed vestes sunt quasi folia, quæ subinde in malis arboribus magis luxuriant. Vox ouis est, Iesum prædicamus: Scripturam vrgemus: Christi meritis nitendum docemus, &c.

v. 16. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*] Fructus, non imitabilis lupis, constans promotio gloriæ & honoris diuini, & salutionis animarum. Ioan. 8. v. 49. *Ego honorifico patrem meum, & vos inhonoratis me.* Roman. 6. v. 22. *Liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Quales fructus requirantur ex nostro *horto*, &c. Cantic. 4. v. 12. &c. *Fructus carnis sunt*, &c. Galat. 5. v. 19. *Erubescetis super hortis*, &c. Isaiæ 1. v. 29. & Rom. 6. v. 2. Quales fructus optet cælestis sponsus, Cantic. 5. v. 1. & c. 6. v. 1. & c. 7. v. 13. *Intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum.* Apoc. 3. v. 20.

Non tolerentur falsi doctores. *Capite nobis vulpes*, &c. Cantic. 2. v. 15. *Comederunt alieni robur eius*, &c. Oseæ 7. v. 9. *Simulatores & callidi*, &c. Iob 36. v. 13. *Lamiæ & hericij*, &c. Isaiæ 54. v. 14. *Hypocritæ aliena rapientes*, &c. Iob 17. v. 8. *Seipsos amantes, cupidi, elati*, &c. 2. Timoth. 3. v. 2. *Susurro, bilinguis, maledictus*, &c. Eccli. 28. v. 15. *Qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* Isaiæ 3. v. 12. Similes locustis Ægypti, Exodi 10. v. 22. *Voces Dei, & non hominis.* Act. 12. v. 22. *Expandit rete greßibus*, &c. Prouerb. 29. v. 5. *Lætificat regem mendacijs*, &c. Oseæ 7. v. 3. *Ne acquiescas*, Prou. 1. v. 10. *Facie tristi*, &c. Prou. 15. v. 23. *Persequere*, &c. Psalm. 100. v. 5. *Dolo vos cepi*, &c. 2. Cor. 12. v. 16. *In astutia eorum*, &c. 2. Cor. 3. v. 19. *Arma militiæ nostræ* &c. 2. Cor. 10. v. 4. *Vsque ad internecionem*, &c. Deuter. 7. v. 2. *Quid paleis ad triticum? dicit Dominus. Numquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram?* Ierem. 23. v. 28. & 29. *Seduxerunt populum meum in mendacio suo, & in miraculis suis, cùm ego non misissem eos, nec mandassem eis*, &c. v. 32.

At docent etiam aliqua vera. Ita quidem, sed vt efficacius fallant, exemplo Balaam; Num. 24. v. 5. *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob*, &c. Interea v. 14. dabat nequissimum consilium *edere & fornicari*, &c. Apoc. 2. v. 14. *In hypocrisi* loquuntur *mendacium, cauteriatam* habentes *suam conscientiam*, &c. 1. Tim. 4. v. 2. *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint*, &c. 1. Ioan. 4. v. 1. vsque 6. Depingit pseudoprophetas S. Petrus 2. epistolæ c. 2. toto. & c. 3. v. 3. & 4. & S. Iudas à v. 4. vsque 20. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert: nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit ille Aue, communicat operibus eius malignis.* 2. Ioan. 2. v. 10. Et *hos quidem* (pseudoprophetas) *arguite iudicatos: illos verò* (ab ipsis seductos) *saluate, de igne rapientes. Alijs autem* (pæne seductis) *miseremini in timore: odientes & eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.* S. Iudas v. 23.

Quales fructus bonos debeant edere pueri, adolescentes, iuuenes, viri, senes, decrepiti; puellæ, matronæ, anus; vide 1. Timoth. 5. & Tit. 2. *Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum ex hac ficulnea, & non inuenio. Succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat?* Lucæ 13. v. 7. *Iam securis ad radicem arborum posita est.* Matth. 3. v. 10.

VARIA.

Dixit hæc Christus in prolixiore sermone, quem habuit in monte sub medium Maij, anno secundo prædicationis suæ. Chron. c. 49.

DOMINICA OCTAVA POST. PENTECOSTEN.

Euangel. *de Villico iniquo.* Lucæ 16. à v. 1. ad 10.

FIDES.

Lu. 16. v. 1. *Diues* Deus, quemque nostrum habet *villicum*] Psalm. 22. v. 1. *Domini est terra, & plenitudo eius. Terra non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos aduenæ & coloni mei estis.* Leuit. 25. v. 23. & 3. Regum 9. v. 13. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi & dispensatores,* &c. 1. Corint. 4. v. 1.

v. 2. *Quid hoc audio de te?*] Sanguis Abel, Gen. 4. v. 10. peccata Sodomorum, c. 18. v. 20. viduarum, pupillorum & pauperum oppressio, Eccli. 35. v. 18. & *merces operariorum* defaudata, Iac. 5. v. 4. clamant ad Deum in cælum.

Redde rationem villicationis tuæ] Singularum actionum à nobis quotidie deposcit rationem Deus. Dan. 5. v. 25. *Mane, thekel, phares.* Sed totius vitæ rationem deposcet simul in die particularis & generalis iudicij, contr. 28. n. 3. & 4.

Iam non poteris villicare] Expellam te de statione tua. Isa. 22. v. 19. & Apoc. 2. v. 5. *Mouebo candelabrum tuum de loco suo.* Psalm. 103. v. 23. *Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperum.* Iob 14. v. 5. *Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Ioan. 9. v. 4. *Venit nox, quando nemo potest operari.* Tempus merendi clauditur hac vita, contr. 16. n. 1.

Quid faciam?] Sap. 5. v. 8. *Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam vmbra,* &c. Eccli. 11. v. 29. *Malitia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ.*

v. 4. *Scio quid faciam*] Ex ipsiusmet domini mei bonis amicos mihi coëmam, bona mihi à Deo credita in pauperes erogabo.

v. 8. *Filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt*] Nam illi norunt ex alieno sibi consulere, cùm hi nolint ex proprio. *Gens absque consilio est, & sine prudentia, vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent!* Deut. 32. v. 28.

v. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*] Ad eleemosynas non rarò nos ex præcepto obligari, contr. 17. n. 12. & esse satisfactorias ac meritorias vitæ æternæ, num. 15. Alias 20. prærogatiuas eleëmosynæ, vide apud Barrad.

MORES.

Luc. 12. v. 42. *Quis putas est fidelis dispensator & prudens?* Quàm fideliter *Ioseph* administrarit res *Putiphari*, Gen. 39. v. 2. & aurum *Pharaonis*, Gen. 47. v. 14. Quàm verò infideliter is qui *habens multa bona posita?* &c. Lucæ 12. v. 19. Vnde audiit, *Stulte hac nocte repetunt animam tuam à te.* v. 20.

Lu. 16. v. 2. *Redde rationem villicationis tuæ*] *Homo cùm in honore esset,* &c. Psal. 48. v. 13. *Ducunt in bonis dies suos,* &c. Iob 21. v. 13. *Ego dixi in abundantia mea, Non mouebor in æternum,* &c. Psal. 29. v. 7. Et Iob 30. v. 22. *Eleuasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me validè: scio quia morti trades me. De lectulo super quem ascendisti,* (inquit Elias) *non descendes, sed morte morieris*, ô rex Ochozia. 4. Reg. 1. v. 16. *Præcipe domui tuæ*, ô Ezechia, *morieris enim tu & non viues*, inquit Isaias, 4. Reg. 20. v. 1. *Væ qui prædaris, nónne & ipse prædaberis? & qui spernis, nónne & ipse sperneris? cùm consummaueris depredationem, deprædaberis: cùm fatigatus desieris contemnere, contemneris.* Isa. 33. v. 1. Esther c. 5. v. 8. Amanem coram & in præsentia accusat, non à tergo, vt solent detractores. Eccles. 12. v. 14. *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum, siue malum sit.* Matth. 12. v. 36. *De omni verbo otioso,* &c. Psalm. 74. v. 3. *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo.*

Quid faciam] Semper *in Deo*, numquam in creaturis fi- v. 3.
dendum. Iob 31. v. 23. vsque 29. *Nescio enim quamdiu subsistam, & si post modicum tollat me factor meus.* c. 32. v. vlt. *Vnusquisque pro se rationem reddet Deo.* Rom. 14. v. 12. *Testimonium reddente illis* propria *conscientia*, c. 2. v. 15. *Porrò iudicium durissimum his qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.* Sap. 6. v. 6. *Rationem pro animabus* subditorum *reddituri.* Hebr. vlt. v. 17.

Mendicare erubesco] De quibus rebus meritò erubescendum. Eccli. 41. v. 19. vsque fin. & cap. 42. v. 1. De quibus non erubescendum, c. 42. v. 2. vsque 9. Omnis adhibendus labor & industria (exemplo Ruthę c. 2. v. 2.) ad vitę necessaria conquirenda, priusquam ad mendicandum se quis accingat.

Fodere non valeo] *Ini consilium, coge concilium.* & si melius nullum occurrat, meum accipe: *pone quasi noctem umbram tuam in meridie*: ibi *absconde fugientes profugos meos: habitabunt apud te: esto latibulum eorum à facie vastatoris.* Isa. 16. v. 3. & 4.

Scio quid faciam] *Perde pecuniam propter fratrem &* v. 4.
amicum tuum; & non abscondas illam sub lapide in perditionem: pone thesaurum tuum in præceptu Altissimi (in eleëmosynam) *& proderit tibi magis quàm aurum. Conclude eleëmosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit.* Eccli. 29. v. 13. &c. *Da mutuum,* &c. Sed tu mutuatarie vicissim *serua* datum mutuanti *verbum*, &c. Eccli. 29. v. 1. vsque 13. *Fideiube pro pròximo,* &c. vers. 19. Sed tu vicissim *gratiam* fideiussoris *ne obliuiscaris,* &c. v. 20. vsque 28. *Quam ob rem, rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleëmosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis.* Dan. 4. vers. 24. Eccli. 3. v. 33.

Vt cùm defeceritis, recipiant vos] *Ecce intelliget seruus* v. 9.
meus; & exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valdè. Isa. 52. v. 13. *Impulsus, euersus sum vt caderem, & Dominus suscepit me.* Psalm. 117. v. 13. Suscepit, inquam, tum per se, tum per allos quibus beneficia prestita. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa inuenies illum,* &c. Eccles. 11. v. 1. vsque 7. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis,* &c. *Deus prospector est eius qui reddit gratiam: meminit eius in posterum, & in tempore casus sui inueniet firmamentum.* Eccli. 3. v. vlt. Item c. 4 v. 1. vsque 12. vbi modos miserendi pauperum prescribit. *Benefac iusto, & inuenies retributionem magnam: & si non ab ipso, certè à Domino.* Eccli. 12. v. 1. 2. vsque v. 8. *Non est enim ei bene qui assiduus est in malis, & eleemosynas non danti.* Habes decem argumenta contra auarittam, Eccli. 14. v. 3. vsque 22. *Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundùm meritum operum suorum.* Eccli. 26. v. 15. *Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit, & postea resurget, & retribuet illis retributionem, vnicuique in caput ipsorum.* Eccli. 17. v. 18. Sicut enim *xenia & dona* excæcant

oculos

oculos iudicum, & quasi mutus in ore auertit correptiones eorum. Eccli. 20. v. 31. *Munus absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam.* Prou. 21. v. 14. *Victoriam & honorem acquiret qui dat munera: animam autem aufert accipientium.* c. 22. v. 9. Ita & apud Deum, *Donum* (eleemosyna) *hominis dilatat viam eius, & ante principes spatium ei facit.* Prou. 18. v. 16. *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis; & vicissitudinem suam reddet ei.* c. 19. v. 17. *Gratia* (id est, beneficium in egenos) *est sient paradisus in benedictionibus* (id est à Deo benedictus.) Eccli. 40. v. 17. *Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis.* Hebr. 6. v. 10. *Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.* Hebr. 13. v. 16. *Corneli, orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Act. 10. v. 4.

Sed Primò, sit liberale donum. Isaiæ 60. v. 5. *Tunc videbis & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum. Hoc autem dico, qui parcè seminat, parcè & metet,* &c. 2. Cor. 9. v. 6. &c. Secundò; constans & stabile. *Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda? misericordia vestra* (qua vultis me vobis reconciliare, modica est) *quasi nubes matutina, & quasi ros manè pertransiens.* Osex 6. v. 4. (cùm interim nequitia vestra maneat solida instar adamantis) Tertiò, lætum. *Fili in bonis non des querelam, & in omni dato non des tristitiam verbi mali,* &c. Eccli. 18. v. 15. vsque 19. & c. 20. v. 13. vsque 17.

Porrò hæc non vt aliena expende, sed vt tibi propria. *Memor esto iudicij mei, sic enim erit & tuum,* &c. Eccli. 38. v. 23.

Denique quàm certa sit spes auxilij ab amicis Dei simul & tuis, tua ope aduutis; obtinendi, collige ex dictis angeli, ad euertendam Sodomam properantis, *Propter decem* iustos *non delebo* Sodomam, Gen. 18. v. 32. En integræ vrbi, imò prouinciæ, parcitum fuisset, intuitu paucorum iustorum quibus ipsa forsan non benefecerat: quantò magis vni particulari personæ, intuitu plurimorum quibus illa benefecerit?

VARIA.

Hæc de villico dixit Iesus mense Decembri vltimo ante mortem suam. Chron. c. 49.

DOMINICA NONA POST PENTECOSTEN.

Euangel. *Videns ciuitatem fleuit.* Lucæ 19. à v. 41. ferè vsque 48.

FIDES & MORES.

Videns ciuitatem fleuit super illam, ex seria compassione, & iuuandi affectu, contr. 13. n. 8. Quid facit videns conscientiam tuam?

Si cognouisses & tu] Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Eccli. 7. v. 40. Flet *Elisæus* viso *Hazaele,* tyranno futuro. 4. Regum 8. v. 11. Quàm nobilis, excellens & antiqua vrbs *Ierosolyma,* Iosue 18. v. 28.

Sed quæ hîc vrbi applicantur, tu applica animæ tuæ. *Si ignoras te!* Cant. 1. v. 7. *Tantummodo vos cognoui ex omnibus nationibus terræ.* Amos 3. v. 2. *Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera mea,* &c. Psal. 136. v. 5. *Intellexisti cogitationes meas de longè, semitam meam & funiculum meum inuestigasti,* &c. Psal. 138. v. 2. vsque 17. *Ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens,* &c. Cant. 8. v. 12. *In manibus meis descripsi te, & muri tui coram oculis meis semper.* Isaiæ 49. v. 16. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum.* Isaiæ 65. v. 1. Alis *aquilæ* se comparat Exodi 19. v. 4. Israelem peculio v. 5. & regno sacerdotali, v. 6. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra,* &c. Ps. 94. v. 6. *Expectat Dominus vt misereatur vestri,* &c. Isaiæ 30. v. 18. *Miserationum Domini recordabor,* &c. Isaiæ 63. v. 7. *Irasci, alienum* à Deo, &c. Isaiæ 28. v. 21. *Non est voluntas mea mors peccatoris,* &c. Ezech. 18. v. 23. *Quis dabit capiti meo aquam?* &c. Ieiem. 9. v. 1. *Dies multos exspectabo me,* &c. Oseæ 3. v. 3. *Oculi tui sicut piscinæ,* &c. Cant. 7. v. 4. *Sicut columbæ,* &c. Cant. 5. v. 12. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam,* &c. Prou. 1. v. 20. vsque finem: *Ego quoque in interitu vestro ridebo,* &c. v. 26. Item c. 8. v. 1. vsque 12. inuitat omnes homines sapientia, sicut mundus cap. 7. v. 6. & seqq. *Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam,* &c. v. 22. &c. inuitat rursum c. 9. toto. Nec tamen vult cogere. Cant. 5. v. 2. *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea,* &c. Simili modo de peccato ait Gen. 4. v. 7. *Sub te erit appetitus eius,* etsi cogitatio *in malum prona.* Gen. 8. v. 21.

Sed vbi frustra omnis inuitatio adhibita, subinde profilit ad acriora remedia. *Sedisti super thronum qui iudicas iustitiam increpasti Gentes,* &c. Psal. 9. v. 5. &c. *Audite cæli,* &c. *Filios enutriui & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum,* &c. Isaiæ 5. v. 2. vsque 11. *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis?* &c. v. 21. vsque fin. *Excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum.* v. 25. *Proiecisti enim populum tuum, domum Iacob,* &c. Isaiæ 2. v. 6. vsque 22. vbi sex causæ excidij enumerantur. Item cap. 3. toto; vbi omnia præsidia reipublicæ tollenda prædicit, & cap. 4. v. 1. *Vinea* facta est *dilecto meo in cornu filio olei,* &c. *Quid est quod debui vltrà facere vineæ meæ & non feci ei? auferam sepem;* &c. c. 5. totò. Ioseph *pincernæ & pistori* prædicit sortem cuique obuenturam, Genes. 40. v. 12. &c. *Pharaoni* sterilitatem in Ægypto; &c. Gen. 41. Quibus figuris adumbrarit Deus *Abrahæ* aduersa quæ posteris eius obuentura erant. Gen. 15. v. 9. Quomodo *Sodomæ* excidium, Gen. 18. v. 17. &c. non excidendæ si *decem* istic fuissent *iusti,* v. 32.

Cùm verò non reperirentur; quasi remotò omni obstaculo, *Deus vltionum Dominus, Deus vltionum liberè egit.* Psalm. 93. v. 2. vsque 11. *Quis consurget mihi aduersus malignantes?* &c. v. 15. *Surge, & descende in domum figuli,* &c. Ierem. 18. v. 2. &c. *Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel! Repente loquar aduersus gentem,* &c. v. 7. vsque 11. Item Isaiæ 45. vers. 9. & Roman. 9. v. 20. *Locutus sum ad te in abundantia tua: & dixisti, Non audiam. Hæc est via tua ab adolescentia tua,* &c. Ierem. 22. v. 21. &c.

At si non curas te, nec te miseret tui, saltem compatere filiis tuis: 3. Regum 3. v. 26. *Dixit mulier, cuius filius erat viuus, ad regem, (commota sunt quippe viscera eius super filio suo,) Obsecro domine, date illi infantem viuum, & nolite interficere eum: è contrario illa dicebat: Nec mihi, nec tibi sit, sed diuidatur.*

Et ego adhuc differam debitas sceleribus tuis pœnas? *Quis est hic liber repudij matris vestræ; quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram.* Isaiæ 50. v. 1. *Pro eo quod abiecit populus iste Iudaicus aquas Siloe quæ vadunt cum silentio* (imperium Christi,) *propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes & multas, regem Assyriorum,* &c. Isaiæ 8. v. 6. vsque 16. *Quia oblita es Dei saluatoris tui, & fortis adiutoris tui non es recordata. propterea;* &c. Isaiæ 17. v. 9. vsque finem. *Non suspexistis ad eum qui fecerat* vrbem, *& operationem eius de longè non vidistis.* Isaiæ 22. vers. 11. *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum & ad planctum, ad caluitium & ad cingulum sacci. Et ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos & iugulare arietes, comedere carnes & bibere vinum. Comedamus & bibamus, crastenim moriemur.* Isaiæ 22. v. 12. vsque 15. *Ecce ego ponam*

(Christum, Regem) *Ierusalem superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu*, &c. Zachar. 12. v. 2. &c. *& lapidem oneris: omnes qui leuabunt eam, concisione lacerabuntur.* v. 3. &c. *Præcipita Domine, dissipa de linguas eorum*, &c. Psalm. 54. v. 10. *Conuertentur ad vesperam, & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem*, &c. Psal. 58. v. 7. & 9. *Disperge eos, & ne occidas eos* subitò, &c. v. 12. vsque 17. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*, &c. Psal. 68. v. 23. vsque 30.

At ô magnam Dei misericordiam ac patientiam! *Partilus* (id est per partes) *iudicans, dabas locum pœnitentiæ, non ignorans, quoniam nequam est natio eorum* (Chananæorum.) *& naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. Semen enim erat maledictum ab initio.* Sap. 12. vers. 10. Quin & infinitam sapientiam hîc obstupesco, dum pœnas cerno tam aptè proportionatas culpis. Quàm pulchra proportione scelera Ægyptiorum vltus sit Deus 10. plagis Ægypti, vide Exodi 11. v. 5. Quàm horrenda *fame* torti aliquando fuerint Iudæi. Leuit. 26. v. 26. & 4. Reg. 6. v. 28. *Venerunt Gentes in hereditatem tuam*, &c. Psalm. 78. toto. *Residuum eruca comedit locusta, bruchus, rubigo* Ioel. 1. v. 4. *Gens ascendit fortis & innumerabilis*, &c. v. 6. &c. *Omnes mercedes* (id est fructus & fruges) *eius comburentur igne*, &c. *Super hoc plangam & vlulabo, vadam spoliatus & nudus, faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum.* Michææ 1. v. 7. & 8. *Vtinam mendacium potiùs loquerer?* cap. 2. v. 11. Neque enim iratcerer cum Iona, Ionæ vlt. v. 1. &c. *Ecce ego polluam sanctuarium meum, superbiam imperij vestri, & desiderabile oculorum vestrorum, & super quo pauet anima vestra.* Ezech. 24. v. 21. &c. Vmbratica obsidio Ezech. 3. v. 24. vsque fin. & cap. 4. & 5. toto. *Contigit autem per vniuersam Ierosolymorum ciuitatem videri diebus quadraginta per aëra equites discurrentes*, &c. 2. Mach. 5. v. 2. &c.

Sed an euertetur Ierosolyma, quæ instar matris est toti Israeli? 2. Reg. 20. v. 19. An templum toti orbi venerandum? *Quid facies magno nomini tuo?* Ios. 7. v. 9. *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes, Templum Domini est*, &c. Ierem. 7. v. 4. *Numquid ergo spelunca latronum facta est domus ista?* v. 11. *Faciam* (ergo) *domui huic, sicut feci Silo: & proijciam vos à facie mea.* v. 14. *Habes fiduciam in pulchritudine tua*, &c. Ezech. 16. v. 15. & 25.

Hæc omnia nihili facit Deus. Familiam regiam Ieroboami comparat *fimo* Deus 3. Reg. 14. v. 10.

v. 43. *Circumdabunt te inimici tui vallo*] *Væ Ariel, Ariel ciuitas, quam expugnauit Dauid. Additus est annus ad annum, solemnitates euolutæ sunt.* Isa. 29. v. 1. *Circumuallabo Ariel*, &c. *& circumdabo quasi sphæram in circuitu tuo, & iaciam contra te aggerem*, &c. v. 3. vsque 11. *Murus Babylonis ille latissimus sussossione suffodietur, & portæ eius excelsæ igni comburentur, & labores populorum ad nihilum, & in ignem erunt, & defficient.* Ierem. 51. v. 58. *Quid tu vides Ieremia? virgam vigilantem ego video. Quid tu vides Ieremia? ollam succensam ego video, & faciem eius à facie Aquilonis.* Ierem. 1. v. 11. & 13. *Ascendit leo de cubili suo, prædo Gentium se leuauit, egressus est de loco suo, vt ponat terram tuam in solitudinem*, &c. *Ecce peruenit gladius vsque ad animam.* Ierem. 4. v. 7. vsque 11. *Væ vobis quoniam vastati sumus.* v. 13. *Laua à malitia cor tuum Ierusalem, vt salua fias. Vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* v. 14. *Viæ tuæ & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi. Ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum.* v. 18.

Verùm frustra etiam omnes minæ. *Homo cuius obturatus est oculus.* Num. 24. v. 3. *Qui cadit, & sic aperiuntur oculi eius.* v. 4. & vlt. *Gens absque consilio est & sine prudentia. Vtinam saperent*, &c. Deut. 32. vers. 28. Iam subsannant & exsibilant omnia. *Hæc est lebes, nos autem carnes.* Ezech. 11. v. 3. *In longum differentur dies*, & (interim) *peribit omnis visio*, cap. 12. v. 22. *Si clanget tuba in ciuitate, & populus non expauescit?* Amos 3. v. 6. *Leo rugiet, quis non timebit?* v. 8. *Pro eo quòd non audistis verba mea, ecce ego mittam, & assumam vniuersas cognationes Aquilonis*, &c. Ierem. 25. vers. 8. vsque fin. *Sume calicem vini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus*, &c. v. 15. *Accepi, & propinaui.* vers. 17. *Calix in manu Domini, vini meri plenus mixto*, &c. Psalm. 74. v. 9. *Bibite & inebriamini, & vomite, & cadite, neque surgatis*, &c. Ierem. 15. v. 27. *Curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam*, &c. *quoniam peruenit vsque ad cælos iudicium eius.* Ierem. 51. v. 9. *Adducet Dominus super te*, &c. *dies qui non venerunt à diebus separationis Ephraim à Iuda, cum rege Assyriorum. In die illa sibilabit Dominus musca Ægyptiæ, & api Assyriæ: & venient, & requiescent omnes in torrentibus*, &c. *In illa die radet Dominus in nouacula conducta, in rege Assyriorum, caput & pilos pedum, & barbam vniuersam*, &c. Isa. 7. v. 17. vsque fin. *Circuite vias Ierusalem, & aspicite & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis* (vel vnum) *virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei* (vbi toti, vt olim Sodomæ &c. Genes. 18. v. 32.) Ierem. 5. v. 1. (frustra) c. 6. v. 10. vsque fin. Ergo *ascendite* (ô hostes) *muros eius, & dissipate: auferte propagines eius, quia non sunt Domini*, &c. cap. 5. v. 10. vsque fin. *Consurgite, & ascendamus*, &c. *& dissipemus domos eius*, &c. c. 6. v. 4. &c. *Aperi Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas. Vlula abies*, &c. Zachar. 11. vers. 1. *Et eligent magis mortem, quàm vitam, omnes qui residui fuerint de cognatione hac pessima, in vniuersis locis ad quæ eieci eos.* Ierem. 8. vers. 3. *Quia ecce ego mittam vobis serpentes regulos* (Chaldæos & Romanos,) *quibus non est incantatio, & mordebunt vos*, &c. vers. 17. *Ecce ego facio verbum in Israel, quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures eius.* 1. Regum 3. v. 11. *Ecce ego inducam afflictionem super locum istum, ita vt omnis qui audierit illam, tinniant aures eius*, &c. *eò quòd dereliquerint*, &c. Ierem. 19. vers. 3. &c. *Ponam ciuitatem hanc in stuporem & in sibilum*, &c. vers. 8. vsque fin. *Ego vias tuas in capite tuo dedi, & (tamen) non fecisti iuxta scelera tua in omnibus abominationibus tuis.* Ezech. 16. v. 43.

Et necdum pudet, nec pœnitet facti? *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum.* Ierem. 17. v. 1. *Delebit Dominus ciuitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui.* Gen. 19. v. 14. Simile de *Noë*, Gen. 6. &c. *En pluam ego hac ipsa hora grandinem*, &c. *Ergo congrega iumenta tua*, &c. *Qui neglexit sermonem Domini*, &c. Exod. 9. v. 18. &c. Obstinati in malo *Cain*, Gen. 4. v. 18. *filij Heli*, 1. Reg. 2. v. 22. *Saul*, 1. Reg. 17. v. 18. *Sedecias*, 2. Paral. 36. v. 13. *Iudæi*, Ierem. 2. v. 20. *principes sacerdotum*, Matth. 27. v. 4.

Proprietates duri cordis. Primò, nolunt *intelligere vt bene* agant. Ps. 35. v. 4. Dixerunt Deo, *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Iob 21. v. 14. *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius? nescio Dominum.* Exod. 5. v. 2. *Rebelles lumini.* Iob 24. v. 13. Secundò, relinquuntur vicissim & despiciuntur à Deo. *Despexisti omne consilium meum, & increpationes meas neglexisti: ego quoque in interitu vestro ridebo.* Prou. 1. v. 25. Tertiò, *lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis.* Prou. 2. v. 14. *Quasi perrisum stultus operatur scelus.* Prou. 10. v. 23. Quartò, Deum & homines contemnunt, in profundum malorum delapsi. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit: sed sequitur eum ignominia & opprobrium.* Prou. 8. v. 13. Quintò non pudet etiam scelerum turpissimorum *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Ierc. 3. v. 3. Sextò, tales sunt pæne incorrigibiles. *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere quem ille despexerit:* Eccles. 7. v. 14. *Non poterat mutari*, &c. Sap. 12. v. 10. Septimò peccatum eorum dicitur indelebile, *scriptum stylo ferreo in*

vngue adamantino. Ierem. 17. v. 1. *Insanabilis fractura tua.* Ierem. 30. v. 12. Octauò non sentiunt stimulos conscientiæ; *Domine percussisti eos, & non doluerunt.* Ierem. 5. v. 3. Nonò, propter inueteratam peccandi consuetudinem fit istis quasi impossibile bene agere. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas; & vos poteritis bene facere, cùm didiceritis malum.* Ierem. 13. v. 23. Decimò, peccata peccatis accumulant. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc,* Apoc. 22. v. 11. Vndecimò, *thesaurizant sibi iram,* traduntur *in reprobum sensum, filij perditionis, vasa in interitum,* &c. Rom. 1. & 2.

Quomodo Deus tractat obduratos? Primò, *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* Psal. 80. v. 13. *Transierunt in affectum cordis.* Psalm. 72. v. 7. Secundò, *prodijt quasi ex adipe* (id est, rerum omnium affluentia) *iniquitas eorum.* ibid. Tertiò, *in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* vers. 5. Vel si cum Pharaone; in vanum 10. plagis. Exod. 4. &c. Quartò, spoliat eos bonis monitoribus, confessariis, doctoribus, angelis, &c. *Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus* ergo *eam, quia peruenit vsque ad cælum iudicium eius.* Ierem. 51. v. 9. *Emittam famem in terram, non famem panis, sed audiendi verbum Dei.* Amos 8. v. 11. Quintò, *si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Ierem. 15. v. 1. *Tu noli orare pro populo hoc, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te.* Ierem. 7. vers. 16. Sextò, per malos consiliarios permittit illos pertrahi in ruinam, exemplo Absalomi, Roboam, Sedeciæ, &c. Septimò, permittit seduci per falsos Prophetas & doctores, vt Pharaonem per magos, Exod. 7. v. 11. Octauò laxat ampliores dæmoni habenas, vt testatur visio Michææ, 3. Reg. 22. v. 19. Nonò, aufert illis bonos principes, Præsules, socios, &c. testis *vinea.* Isaiæ 5. v. 5. Decimò denique, præcipitat desperatos in abyssum, Matth. 25. v. 41. *Perditio, tua* (est) *Israel: tantummodo in me auxilium tuum.* Osee 13. v. 9. *Ex me fructus tuus inuentus est.* Osee 14. v. 9.

Quàm horrendum peccatum, quod tam grauiter punitur! Iosue 6. v. 3. de Iericho anathemate perpetuò extincta. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei,* &c. Ierem. 9. v. 1. &c. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei,* &c. Psal. 118. v. 136. *Lauabo per singulas noctes lectum meum,* &c. Psal. 6. v. 7. *Nasus tuus sicut turris,* &c. Cant. 7. v. 4. *Fuge dilecte mi,* &c. Cant. 8. v. 14. *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum.* Psal. 124. v. 3. Reliquis Israelitis ob peccata sua grauissimè afflictis ob pietatem *Haber Cinæi, pax erat inter Iabin regem, & domum Haber,* Iudic. 4. v. 17.

Conclusio sit: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra,* &c. Psalm. 94. v. 8. & Hebr. 3. v. 7. &c. *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. In camo & fræno,* &c. Psal. 31. v. 9. *Dixi iniquis, Nolite iniquè agere,* &c. *quia calix in manu Domini, vini mei plenus mixto,* &c. Psal. 74. vers. 5. vsque fin. Cum prodigo resipiscite: *Quanti mercenarij,* &c. Lucæ 15. v. 17. &c. *Ibo ad patrem meum,* v. 18.

VARIA.

Fleuit Dominus super ciuitatem dum triumphabundus in illam inueheretur, sexto die ante mortem suam. Chron. c. 49.

Excisa est per Titum Ierosolyma xl. anno à morte Christi, obsessa & cõclusa à 14. Aprilis vsque ad IV. Augusti, qua captum est templum, & sequenti die exustum, nempe eâdem fatali die, qua olim conflagarat sub Nabuchodonosore, 4. Reg. vlt. v. 8. cantoribus de vice Ioiarib, vtriusque cladis tempore liturgiam finientibus cum hoc versiculo, Et *reddet illis iniquitatem ipsorum,* &c. Psal. 93. v. 23. Chronici c. 50. post mortem Christi anno 40.

Proximo pòst anno etiam templum Iudæorum in Ægypto ὁμοίως, iussu Vespasiani funditus excisum est.

Post hanc Iudæę excisiònem per Vespasianum & Titum, adhuc in ea decimatio fiet per Adrianum, &c. Isa. 6. v. 13.

De vendentibus templo iam secunda vice expulsis, vide Feria III. post primam Dominicam Quadragesimæ, vbi de prima expulsione agitur.

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN.

Euangel. *de Pharisæo & publicano.* Lucæ 18. à vers. 19. ad 15.

FIDES.

In se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur ceteros] De speciali Nouantium fiducia, qua certò credunt se iustos & prædestinatos esse, contr. 15. n. 12. vsque 16. An aliqua moralis certitudo haberi possit, nu. 15, An fiducia in & ex meritis? contr. 16. n. 11. Luc. 18. v. 9.

Ascenderunt in templum vt orarent] Laudabili sanè consuetudine. nam *domus mea, domus orationis est,* Lucæ 19. v. 49. Quæ conditiones requirantur ad bonam & efficacem orationem, vide contr. 17. n. 3. v. 10.

Non sum sicut ceteri hominum] Humilitas in oratione prorsus necessaria, cum aliis requisitis, contr. 17. n. 3. v. 11.

Ieiuno bis in sabbato] Ieiunia, etiam repetita & continuata, placent Deo, contr. 17. n. 7. &c. Et in meritis confidere licet, contr. 16. nu. 12. sed inaniter gloriari non licet, ibid. v. 12.

Publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare: sed percutiebat pectus suum, dicens, Deus propitius esto mihi peccatori] En schema veri pœnitentis. En laudabilem orantis compositionem & gestum. En dispositiones ad pœnitentiam præuias, contr. 15. num. 9. Quænam partes Sacramenti pœnitentiæ, contr. 23. à n. 3. vsque fin. v. 13.

Descendit hic iustificatus] Quomodo fiat iustificatio, & in quo formaliter consistat, contr. 15. nu. 1. vsque 10. v. 14.

Omnis qui se exaltat, humiliabitur, &c.] Vide Dominica XVI. post Pentecosten.

MORES.

Duo ascenderunt in templum] *Spectaculum* hic exhibetur Deo, angelis, & hominibus. *Cain & Abel* ascenderunt ad sacrificandum, &c. Gen. 4. v. 3. &c. Primam scenam instruit Pharisæus stipatus virtutum operibus, oratione, ieiunio, eleëmosyna, iustitia. Secundam publicanus, sociatus vitiis innumeris. Tertiam, Christi de vtroque sententia. Luc. 18. v. 10.

Ascenderunt in templum vt orarent] *Domus mea, domus orationis vocabitur,* Lucæ 19. v. 46. Ecclesia laudantium Deum primò colligi cœpta per *Enos,* Gen. 4. v. vlt. Post diluuium, per *Abraham,* Gen. 21. v. 33. Per *Isaac,* Gen. 25. vers. 22. &c. *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei; & appropinqua vt audias.* Eccles. 4. v. 17. non vt te laudes, &c.

Non sum sicut ceteri hominum] Deo & hominibus displicet vana sui complacentia, sed longè magis contemptus aliorum. Licet seipsum laudare Primò, ad famæ seu conseruationem seu restaurationem, vt fecit *Samuel*, 1. Regum 12. v. 3. Secundò, ad Dei gloriam & proximi ædificationem, vt *Paulus,* 2. Corint. 11. & 12. Tertiò, ad mercedis impetrationem, etiam à Deo, vt fecit *Ezechias* rex, Isaiæ 38. v. 3. *Qui autem gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* 2. Cor. 10. v. 17. *Nam si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. Opus autem suum probet vnusquisque,* &c. Gal. 9. v. 3. v. 11.

Decimas

v. 12 *Decimas do*] Rectè etiam *decimas* dat *Abraham* Melchisedecho. Gen. 14. v. 20. & Hebr. 7. v. 3. &c. & *Iacob* vouet Deo, Gen. 28. v. vlt. *Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua*, &c. Prou. 27. v. 2. *Ne captes laudes hominum*, &c. Prou. 27. v. 14. *Melior est manifesta correptio. &c. meliora vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis*, v. 5. & 6. Erat porrò Pharisæus hic de numero eorum quorum meminit Isaias *Qui dicunt, Recede à me, ne appropinques mihi, quia immundus es.* Isaiæ 65. v. 5.

v. 11. *Velut etiam hic publicanus*] Egregiam sanè laudem! Si vis videri aliquid esse, saltem ne cum solis deterioribus te compares. *Laua inter innocentes manus tuas.* Psal. 25. v. 6. Et cur, quæso, suspicaris malum de fratre tuo? Exemplo tibi sit Hanon rex Ammon, qui ex praua suspicione causam dedit euersioni totius regni sui, 2. Regum 10. v. 3. &c. Et quid iuuat non furari, non adulterari: si pergas superbire, seu super Deum ire? Tobiæ 4. v. 14. Ad iustitiam necessarium est, omnia simul vitia calcare. *Quid niteris bonam ostendere viam tuam ad quærendam dilectionem* (meam?) &c. *& dixisti, Absque peccato & innocens ego sum: & propterea auertatur furor tuus à me.* Ierem. 2. v. 33. & 35. *Ecce ego iudicio contendam tecum*, &c. *Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas!* v. 36. *Dicis, quia diues sum & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser & miserabilis & pauper & cæcus & nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos, vt videas.* Apoc. 3. v. 17. &c. *Numquid viuere potest scirpus absque humore? aut crescere carectum sine aqua? Cùm adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit. Sic viæ omnium qui obliuiscuntur Deum, & spes hypocritæ peribit.* Iob 8. v. 11. *Sicut tela aranearum fiducia eius*, &c. v. 14. *Nescit homo, vtrùm amore an odio dignus sit*, &c. Eccles. 9. v. 1. *Si iustificare me voluerò*, &c. Iob 9. v. 20. *Quis potest dicere, mundus sum?* &c. Prou. 20. v. 9. *Nihil mihi conscius sum*, &c. 1. Cor. 4. v. 4. *Ne forte, ipse reprobus efficiar.* 1. Cor. 9. v. 27.

An sanctior tu es Iobo? *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, prauum me comprobabit.* Iob 9. v. 20. *Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.* vers. 28. *Si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea.* v. 30. *Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam.* v. 11. *Quid te eleuat cor tuum?* &c. *Etiam cæli non sunt mundi in conspectu eius*, &c. Iob 15. v. 12. vsque 17. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est, & mendacem facimus Deum*, &c. 1. Ioan. 1. v. 8. vsque 10. *Facti sumus vt immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ, vniuersæ iustitiæ nostræ*, &c. Isaiæ 64. v. 6.

Et vt esses omni ex parte purissimus, iustissimus, sanctissimus, deberes eo minùs gloriari: absit possis aliis insultare. *Ne vnus aduersus alterum insurgat præ alio. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* 1. Cor. 4. v. 6. &c. *Abominatio Domini est omnis arrogans: etiamsi manus ad manum fuerit, non erit innocens.* Prouerb. 16. v. 5. *Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus.* v. 18. *Melius est humiliari cum mitibus, quàm diuidere spolia cum superbis.* v. 19. *Qui altam facit domum suam, quærit ruinam. Qui exaltat ostium, quærit ruinam.* Prou. 17. v. 16. & & 19. *Vidisti hominem sapientem sibi videri? Magis illo spem habebit insipiens.* Prou. 26. v. 12. *Lætatus Ezechias* super legatis Merodach, *ostendit eis vniuersa quæ inuenta sunt in thesauris eius*, &c. *Ecce auferentur hæc omnia in Babylonem.* Isaiæ 39. toto.

In nulla re *gloriari* potest *securis*, &c. Isaiæ 10. v. 5. *Væ Assur, virga furoris mei & baculus ipse est*, &c. *Numquid gloriatur securis contra eum qui secat in ea?* v. 15. Superbia *turrim Babel* euertit, linguam confudit, prostrauit *Goliath*, suspendit *Aman*, interfecit *Nicanorem*, peremit *Antiochum*, *Pharaonem* submersit, *Sennacherib* interemit, inquit Innocent. III. lib. de Vilitate hominis. *Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Dan. 4. v. 27. *Cumq; sermo adhuc esset in ore regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex, Regnum tuum transibit à te*, &c. v. 28. &c. *Existimans* (Antiochus) *se præ superbia terram ad nauigandum, pelagus verò ad iter agendum, deducturum propter mentis elationem.* 2. Machab. 5. v. 21. mox fœdè prosternitur, &c.

v. 13. Ad secundam scenam veniamus. *Publicanus à longè stans nolebat nec oculos ad cælum attollere*] Agnosce, ò peccator, quantum sit chaos inter te & Deum. *Deus meus confundor & erubesco leuare faciem meam ad te*, &c. 1. Esd. æ 9. v. 6. *Montes excelsi cerui; petra refugium herinaceis.* Psalm. 103. v. 18.

Percutiebat pectus suum] Et tu ex intimo corde contererere, ac teipsum reprehende, castiga & vlciscere.

Deus propitius esto mihi peccatori, nec aliud allegauit, quàm quia *peccator* sum, & tuæ diuinæ misericordiæ obiectum. Erumpat libera confessio, sine ambagibus, sine excusationibus. Me, me adsum qui feci. *Iustus, prior est accusator sui: venit amicus eius, & inuestigabit eum.* Prou. 18. v. 17. *Deus non proiiciet simplicem, donec impleatur risu os tuum, & labia tua iubilo.* Iob 8. v. 20. *Fel* pœnitentiæ detersit *albuginem* ab oculis Tobiæ, c. 11. v. 15.

v. 14. Tertiam scenam occupat Christi de vtroque sententia: *Descendit hic iustificatus*] Et vt talem amplexantur Deus, angeli & Sancti. Vide de Prodigo, Sabbato post II. Dominicam Quadragesimæ. *Nigra sum, sed formosa*, &c. Cant. 1. v. 4. Cur cadit Pharisæus, triumphat Publicanus? Quia illius virtutes ducem habent *superbiam*: huius vitia aduocatam *humilitatem*. *Vbi superbia, ibi erit & contumelia: vbi autem est humilitas, ibi & sapientia.* Prou. 11. v. 2.

VARIA.

Hæc dixit Iesus vltimo Februario ante mortem suam. Chron. c. 49.

De vitio iactantiæ, vide S. Thom. 2. 2. q. 112. a. 1. De vitio singularitatis, q. 162. a. 4. Ænigma; *Cæci & claudi non intrabunt in templum.* 2. Regum 5. v. 6. & 8.

DOMINICA VNDECIMA POST PENTECOSTEN.

Euangel. *de Surdo & muto curato.* Marc. 7. à v. 31. ad fin. cap.

FIDES.

Marc. 8. v. 22. *Deprecabantur eum, vt imponat illi manum*] Ad quid istud? (dicent Nouantes:) nam Ioan. 6. v. 64. *Caro non prodest quidquam.* Conuersio peccatoris, opus est manuum Dei. Cùm totus orbis pendeat à digito Dei. Isaiæ 40. v. 12. *Appendit tribus digitis molem terræ.*

v. 33. *Misit digitos in auriculas eius, & expuens, tetigit* digito saliuâ humectato *linguam eius, & suspiciens in cælum, ingemuit, & ait, Ephetha*] Cur tanto molimine? vt ostendatur peccati grauitas, & quàm difficilis sit peccatoris curatio. Simul Nota hæc pro cæremoniis Ecclesiasticis, contr. 18. n. 10. vsque fin. Quòd si saliua Christi tantæ est efficaciæ, itemque fimbria vestimenti. Matth. 9. v. 21. reliquiæ Sanctorum nulli erunt vsui? contr. 30 n. 10.

v. 37. *Bene omnia fecit* Facile dictu, quando *surdos fecit audire & mutos loqui*] Sed quid quando audientes fecit surdescere, & loquentes obmutescere?

MORES.

MORES.

Marc. 7.v.32 *Adducunt ei surdum & mutum*] En luctuosum peccatoris longa consuetudine obdurati statum. Et tu satage, tales peccatores offerre Christo eiusque ministris, spiritualiter curandos. *Qui conuerti fecerit peccatorem, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Iac.5.v.vlt. O quot sanarentur à languoribus suis si hominem haberent! Ioan.5.v.7. *Surdi & muti* Gentiles audiunt verbum Dei, Isaiæ 29.v.18. &c.

v.33. *Apprehendens eum de turba*] vt olim angelus *Lotum* apprehendit & Sodomâ eduxit. Gen.19.v.16. Nota efficaciam diuinæ gratiæ, simul & initium spiritualis curationis, fugam esse occasionum, & consortij ac morum vulgi.

Seorsim tracta occultiora mysteria, ne *margaritas* porcis obijcias, Matth.7.vers.6. Non publicè, sed *seorsim* & priuatim mone & instrue personas grauiores & adultas, ne nimio rubore suffundas.

Misit digitos suos in auriculam eius] vt doceat promptè obedire. Sic aurium iniunctio in baptismo, in consecratione sacerdotum, &c. symbolum sunt obedientiæ, Leu. 8.v.6. Item *digiti*, Spiritus sancti dona sunt, quibus surdi mens diuinis monitis reseratur & panditur. Exod.8. v.19. *Digitus Dei est hic.*

Exspuens tetigit linguam] Tu qui terrena sapis, ora & insta vt diuinæ tibi affluat sapientiæ saliua, quæ doceat sapere *quæ sursum sunt*, & gustare *quàm suauis* sit *Dominus*. Psal.99.v.5.

v.34. *Suspiciens in cælum*] Vt diuinæ gloriæ ampliandæ opus suum offerat, & non nisi inde auxilium obuenturum indicet, Psal.120.v.1. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi à Domino.*

Ingemuit] Non sæuiat, sed ingemiscat & pœnitenti condoleat confessarius.

Ephpheta, id est, adaperire] *Aperi mihi soror mea*, &c. Cant.5.v.2. *Surge, propera*, &c. cap.2.v.8. *Puella surge, adolescens surge.* Luc.7.v.15. & c.8.v.54. *Lazare*, Ioan.11.v. 43. *Mortui audient, & viuent.* Ioan.6. v.25. Matthæe *sequere me.* Matth.9.v.9. *Exspectat vt misereatur vestri*; &c. Isa.30.v.18. *An contemnis*, &c. Rom.2.v.4. *Non tardes conuerti*; &c. Eccli.5.v.8. *Surge qui dormis*, &c. Ephes.5.v. 14. *Audiam, quid loquatur in me Dominus*, &c. Psal.84.v.9. *Cùm venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei.* Luc.12. v.36. *Quid me vis facere?* Act.9. v.5. *Domine aperi nobis.* Matth.25.v.11. Dic cum fideli Vria: *Arca Dei, & Ioab*, &c. 2.Reg.11.v.11.

v.35. *Et loquebatur rectè*] Rectè loqueris, si etiam vita & mores verbis consentiant.

v.36. *Præcepit illis ne cui dicerent*] non animo obligandi, sed studio propriæ gloriæ & existimationis fugiendæ. *Sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem Dei reuelare & confiteri honorificum est.* Tob.12.v.7.

Quantò magis *præcipiebat, tantò magis plus prædicabant*] Gloria fugientem sequitur, sequentem fugit.

v.37. *Benè omnia fecit; & surdos fecit audire, & mutos loqui*] Maxima sanè beneficia, si spiritualia intelligas: laudandus tamen æquè Deus in aduersis atque in prosperis, etsi nollet surdos facere audientes, imò etsi loquentes redderet mutos & audientes faceret obsurdescere. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius*, &c. Psal. 110. v.2. & 4. *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Iob 1.v. 21. *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* c.2.v.10. *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei*, &c. Thren.3.v.26. vsque 39. *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa.* Psalm.18.v.10. *Numquid homo, Dei comparatione iustificabitur? aut factore suo purior erit vir?* Iob 4.v.17. *Vere scio, quod non iustificetur homo compositus Deo: si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille. Sapiens corde est, & fortis robore; quis restitit ei, & pacem habuit?* Iob 9.v.2. *Etiam si habuero quidpiam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor.* v.15. *Quis mihi det vt veniat petitio mea, & quod exspecto tribuat mihi Deus? Et qui cœpit, ipse conterat: soluat manum suam, & succidat me? Et hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore, non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti,* Iob 6. v. 8. *Si iniquitates nostræ responderint nobis; Domine fac propter nomen tuum, quoniam multæ sunt auersiones nostræ, tibi peccauimus, exspectatio Israel, saluator eius*, &c. Ierem. 14. v.7. & vsque 10. *Factum est mihi verbum tuum* (quantumuis durum) *in gaudium, & in lætitiam cordis mei, quoniam inuocatum est nomen tuum super me Domine Deus exercituum* Ierem.15.v.16. *Domino Deo nostro iustitia; nobis autem confusio faciei, sicut est dies hæc.* Baruch 2.v.6. & Dan.9.v. 7. *Manus eius tornatiles, plenæ hiacinthis.* Cantic. 5. v.14. *Cuncta quæ fecerat, erant valdè bona.* Gen.1.v.vlt. *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat.* 1.Reg.3. v.18. & c. 4.v.13. *Bonus sermo Domini; sit pax & veritas in diebus meis.* 4.Reg.20.v.19. *Bonum est verbum Domini quod locutus est. Fiat tantùm pax*, &c. Isa.39.v.8. *Sicut autem fuerit voluntas in cælo, sic fiat.* 1.Mach.3.v.60. *Iustus Dominus Deus noster in omnibus operibus suis quæ fecit.* Dan.9.v.15.

Bonus *surdus & mutus* Dauid. Psal.37. v.15. *Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.* Et quisquis iniurias contumeliasque nouit dissimulare; exemplo Saulis, 1.Reg.10. v. vlt. Malus *surdus; ad quem* mitto *nuntios meos*, nec eos audit, Isa.42.v.19. Instat *aspidis surdæ & obturantis aures suas.* Psal. 57. v.5. Malus *mutus, canis non valens latrare.* Isa.56.v.10.

VARIA.

Contigerunt hæc sub initium Maij, anno tertio prædicationis Christi. Chron.c.49.

De *Tyro & Sidone* amplissimis olim & potentissimis vrbibus, nunc vix busta supersunt. Isa.23.

De *strumis* contactu regis Christianissimi curari solitis.

DOMINICA DVODECIMA POST PENTECOSTEN.

Euangel. *Beati oculi qui vident*, &c. Lucæ 10. à vers. 23. ad 38.

FIDES.

Beati oculi, qui vident quæ vos videtis] Nempe Dei Filium incarnatum, doctorem ac redemptorem vniuersi. Lu.10. v.23. *Beati* nihilominus *qui non viderunt & crediderunt*, Ioan. 20.v.29. iuxta illud 1.Petr.1.v.8. *Quem cùm non videritis, diligitis; in quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili.*

Magister quid faciendo (non dicit solùm, Quid credendo, v.25. contr.15.num.7.& 23.) *vitam æternam possidebo?*] An & quomodo mereri possimus vitam æternam? contr.16.n. 1.vsque 7.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c.] Vide v.27. Deut.6.v.5. vbi & docui, posse hoc præceptum à nobis impleri in hac vita, controu.14.n.16. Quas ob causas sic diligendus Deus? *Excellit, condit, cur, lex, crux, præmia, pactum.*

Diliges proximum tuum sicut teipsum] De operibus misericordiæ spiritualibus & corporalibus, quæ proximo exhibere tenemur, vide controu.17.n.13. Quas ob causas? vide Feria secunda post primam Dominicam Quadragesimæ.

Hoc fac & viues] V.37. *Vade & tu fac similiter.* An ergo v.28. doctrina de sola fide iustificante, non repugnat doctrinæ Christi? contr.15.n.9.& 23.

Homo

v.30. *Homo quidam*, Adam cum omni posteritate, *incidit in latrones, qui* descendentem è statu innocentiæ in statum peccati, *spoliauerunt* donis supernaturalibus, & vulneraucrunt in naturalibus. *Deus ab initio constituit hominem* (sed non infectum peccatis,) *& reliquit illum in manu consilij sui*, &c. *apposuit tibi aquam & ignem*, &c. Eccli. 15. v. 11. vsque fin. Similia Eccli. 17. v. 1. vsque 18. Sed diabolus *insidiatus* est ei *in abscondito, sicut leo in spelunca sua.* Psal. 9. v. 9.

v.31. Nec *sacerdos*, nec *Leuita*, seu lex vetus, potuit aut voluit iuuare miserum, contr. 18. num. 7. *Matribus suis dixerunt, Vbi est triticum & vinum? cùm deficerent quasi vulnerati*, &c. Thren. 2. vers. 12. *Paruuli petierunt panem*, &c. Thren. 4. v. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo.* &c. 1. Ioan. 3. v. 17.

v.33. Soli *Samaritano* Christo id reseruatum; qui non *vino* tantùm & *oleo*, sed & sanguine suo curauit ęgrum, contr. 4. n. 15. Vnde *oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.* Psal. 24. v. 15.

v.35. Curà eiusdem vlteriore commissâ *stabulario* & Vicario suo Petro eiusque successoribus, contr. 6. n. 5.

Quodcumque supererogaueris, reddam tibi] An sint aliqua supererogatoria, v.g. consilia Euangelica? contr. 9. nu. 9. *Date, & dabitur vobis. Mensuram bonam & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum*; non pe li & vos talem mensuram dederitis in sinum pauperum. *Eâdem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Lucæ. 6. v. 38.

MORES.

Lu.10. v.23. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis*] Prærogatiuæ legis nouæ præ veteri; clarior & amplior Dei diuinarumquerum cognitio, & auxilia maiora & expeditiora. *Videbo eum, sed non modò intuebor illum, sed non propè.* Num. 24. v. 17. *Heu, quis victurus est, quando ista faciet Deus?* v. 23. *Beati viri tui, & beati serui tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* 3. Regum 10. v. 8. *Vniuersa terra desiderabat vultum Salomonis, vt audiret sapientiam eius.* v. 24.

v.25. *Ecce quidam legisperitus, tentans eum*] *Scientia inflat, charitas ædificat.* 1. Cor. 8. v. 1. Infelices, qui sibi sic sapiunt, vt conciones spernant vel subterfugiant, vel accedunt tantùm vt tentent, vt sugillent, &c.

Magister quid faciendo, vitam æternam possidebo?] O si esset hęc vel Christianorum cura & solicitudo! Nunc, quid faciendo, diuitias, voluptates, gloriam, dignitates, præstantem formam, sanũ corpus adipiscar? Si medicus expertissimus promitteret pharmacum, quo ad 100. annos vita prorogaretur, quanti vndique ad eum accursus! quãto silentio, quanta attentione audiretur! *Hæc dicit Dominus: State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea: & inuenietis refrigerium animabus vestris.* Ierem. 6. v. 16.

v.26. *In lege quid scriptum est?*] Sciolos ad S. Scripturam, ad propriam conscientiam remitte. Ambitiosè, auare, adulter *quid scriptum est?* Putásne Deum quæ necessaria sunt saluti, non iam ab olim docuisse palàm & in publico? Res tanti momenti tot sæculis latuerit? *Vir qui errauerit à via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur*, id est, acerrimè punietur. Prou. 21. v. 16. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* c. 22. v. 28.

v.29. *Ille volens seipsum iustificare*] De hypocritis, vide in Pharisæo, Dominica X. post Pentecosten.

Quis est meus proximus?] Quibusnam patuerit ius ciuium apud Iudæos, vide Deut. 23. v. 1.

v.33. *Samaritanus autem*] *Sunamitis* 3. Regum 1. v. 4. typus *sapientiæ*, quia vbi omnia alia naturæ adiumenta deficiunt, comitatur, recreat, solatur & fouet senectutem, 3. Regum 1. v. 4.

Imitare Primò, non rogat faucium, Cuias es? Græcus; an Barbarus? Secundò, non excutit onus in alios: Iuuet te Leuita, sacerdos propinqui tui. Tertiò, non prætexit imperitiam medendi. Amor musicam docet. Quartò, vinum disciplinæ admiscet oleo misericordiæ. Quintò, non horret pericula, si loco tam infami latrocinus subsistat diutiùs. Sextò, non parcit oleo, vino, nummis, &c.

Dilectio Dei Primò, naturæ & rationi consentanea est. 1. Ioan. 2. v. 17. *Quoniam ille animam suam pro nobis posuit.* Secundò, vtilis. 1. Ioan. 4. v. 18. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Tertiò, tot beneficiis debita. 1. Ioan. 3. v. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus.* Quartò, facilis ac delectabilis. Cant. 2. v. 5. *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem*, Quintò, necessaria ad salutem. 1. Cor 13. v. 1. *Si linguis hominum loquar*, &c.

Quomodo ergo à tam multis non amatur? Respondeo, Quia non satis cognoscitur. *Ostendam tibi omne bonum.* Exodi 33. vers. 19. Incipientes discant, *audiendo* in concionibus, monitionibus, &c. Isaiæ 55. v. 2. *Audite audientes me*, &c. Proficientes, *videndo*. Psal. 45. v. 11. *Vacate & videte.* libros pios excutite. Perfecti, etiam *gustando.* Psal. 33. v. 9, *Gustate, & videte*, meditando, contemplando, &c.

Charitatis conditiones. Primò sit inseparabilis, Rom. 8. v. 35 *Quis nos separabit?* Secundò, insatiabilis. Prou. 30. v. 16. *Ignis numquam dicit, Sufficit.* Tertiò, inuicta. Cant. 8. v. 6. *Fortis vt mors dilectio.* Quartò, dulcis. Cantic. 2. v. 5. *Introduxit me in cellam vinariam*, ibi *ordinauit in me charitatem.* Quintò, *ex toto corde*, &c. Deut. 6. v. 5. De dilectione proximi, vide Dominica XVII. post Pentecosten.

VARIA.

Hæc acciderunt sub finem Octobris anni tertij prædicationis Christi. Chron. c. 49.

Quomodo & in quibus differat status innocentię primorum parentum, à nostro lapsorum statu? De iustitia & peccato originali, & pœnis eiusdem, vide controu. 11. tota.

DOMINICA DECIMATERTIA POST PENTECOSTEN.

Euangel. *de Decem leprosis.* Lucæ 17. à v. 11. vsque 20.

FIDES.

Decem viri leprosi] Leuit. 13. & 14. describitur triplex lepra. Prima *carnis* (libido & gula:) secunda *vestium* (profusio superflua:) tertia lepra *domus* (negligentia salutis domesticorum.) item distinguitur *lepra persecutoris* à lepra *volatili* seu *vaga*, c. 13. v. 12. Luc. 17. v. 11.

Seterunt à longè, & leuauerunt vocem, dicentes, Iesu præceptor miserere nostri] Quænam requirantur vt oratio infallibiliter impetret? contr. 17. n. 3. Vide etiam de publicani oratione, Dominica X. post Pentecost. v. 13

Ite, ostendite vos sacerdotibus] In Ecclesia Christi penes sacerdotes potestas est, non examinandi & declarandi tantùm, sed & mundandi lepram, controu. 23. n. 1. Vide Dominica III. post Epiph. v. 14

Dum irent, mundati sunt] En præmium obedientiæ, ac fiduciæ in Deum. v. 19. *Fides tua te saluum fecit.*

Nónne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt?] Quam multi vocàti, quàm pauci electi! contr. 13. nu. 8. v. 17.

Fides tua in Christum, non verò fides Samaritanorum *te saluum fecit?*] Ne putes posse hominem in quauis religione vel fide saluari, contr. 15. n. 11.

MORES.

MORES.

Occurrerunt ei] Et tu, ô peccator, occurre medico, toties per fines tuos tui causa, transeunti. Quærit quem erraticam, drachmam perditam, filiũ prodigum, Luc. 15. Expende miserum statum in quo versaris. Olim *tria immundorum* genera excludi iussa vrbibus, Leu. 12. v. 5. & Numer. 5. v. 1. Pręaliis autem *leprosi* vrbibus expellendi, 2. Paral. 26. v. 22. Varię species *leprę* & malum multiplex, Leuit. 13. & 14. *Lepra* & aliis plagis subinde mulctat electos suos Deus, vt confundantur & sapere discant, Nu. 12. v. 14. *Asiana*, id est, caro, *flagellata*, sæpè *Balaamo*, id est, menti, *Deum* ostendit Num. 22. v. 18.

Steterunt à longè] Vide publicanum, Dominica X. post Pentecost. Magis fuge prauorũ sodalium, & cum primis hæreticorum, cõsortia. *Si frater* fuerit *fornicarius aut ebriosus*, &c. *cum* eo *nec cibum* quidem *sume*. 1. Corint. 5. v. 11.

13. *Leuauerunt* simul omnes *vocem*] Publicæ preces efficacissimæ. Matt. 18. v. 19. *Si duo ex vobis consenserint*, &c.

Iesu præceptor, miserere nostri] Dei misericordia salus vnica peccatricis animæ. Psal. 102. v. 3. *Sanat omnes infirmitates tuas*, &c. Caue decurras ad illicita remedia. 1. Reg. 28. v. 7.

14. *Ite, ostendite vos sacerdotibus*] q. d. Etiam vos ex parte vestra manum admouete. Sic implora diuinum auxilium, vt nihilominùs & tu facias quod potes & quod debes. Supinos noluit Deus, & ideo non totum ipse operatur. Noluit superbos, & ideo non totum nobis concessit, inquit S. Chrysost.

Ostendite vos sacerdotibus] Aperi vlcus tuum, & sanaberis. Sed & ordini Ecclesiastico debitum refer honorem, obsequium, obedientiam. *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, morietur*. Deut. 7. v. 8. Etiam in antiqua lege iubebantur peccatores sacerdotibus sua peccata confiteri, etiam sigillatim, contr. 23. n. 3. *Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu iniquitatem meam*. Iob 31. v. 33. Quomodo confessio facienda fuerit sacerdoti in antiqua lege, Leuit. 5. v. 5. & c. 13. v. 6. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur*. Prou. 28 v. 13. *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra*, &c. Iac. 5. v. 16. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt nobis remittat*, &c. 1. Ioa. 1. v. 19.

Dum irent mundati sunt] Eunt, nihil reponentes. Naamani caue superbiam, leue remediũ exsibilantis, 4. Regum 5. v. 10. *Vir obediens loquetur victoriam*. Prou. 21. v. 28.

15. *Vnus regressus est*] Gratitudo locum primum occupet: sed ampla; *Magnificans Deum*: etiam publica; *Magna voce*, nil morata Iudęorum inuidiam & obloquia: & humilis; *Cadit in faciem ante pedes Iesu*. Gratitudinis actus. Primò, æstima beneficium; Secundò gratias habe; Tertiò, gratam habe memoriam, & cõmemora opportunè; Quartò, cooperare pro virili, Quintò, repende pro posse. Sic *habenti dabitur*: at *non habenti, etiam quod habet*, *auferetur ab eo*. Lucæ 19. v. 26.

17. *Nónne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt?*] *Adam vbi es?* Gen. 3. v. 9. Abia rex Iuda propter ingratitudinem cæsus à Deo, 2. Paral. 13. v. 20. Exprobrat Deus Synagogæ ingratitudinem, Ezech 16. toto. *Numquid deficiet de petra agri nix Libani? aut euelli possunt aquæ erumpentes frigidæ, & defluentes? quia oblitus est mei populus meus. Quis audiuit talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Israel?* Ierem. 18. v. 13. vsque 15. Ingratorum indoles graphicè describitur Esther vlt. v. 2. vsque 15.

18. *Non est inuentus*, &c. *nisi hic alienigena*] Ita feruor neophytorum & nouitiorum damnat sæpè; vtinam exstimulet veteranos tum Catholicos, tum Religiosos! Quã triste in portu naufragium! Christum quęsiuisti, inuenisti, inuocasti, exauditus es, &c. *In finem, ne corrumpas*. (Tulus est Psalmi 74.) Non corrumpes, si gratus fueris. Dic cum casto Iosepho, *Dominus meus omnia mihi tradidit præter te, quæ es vxor eius: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?* Gen. 39. v. 8. *Dixit Raphael ad Tobiam: Vbi introieris domum tuam, statim adora Dominum Deum tuum, & gratias agens ei, accede ad patrem tuum, & osculare eum*. Tobiæ 11. v. 7. Transito mari rubro *Moses* & Hebræi laudant Deum lætissimo cantico, Exodi 15. Ita *Debora* cæso Sisara, Iudicum 5. *Anna* nato Samuele, 1. Regum 2. *Iudith* trucidato Holoferne, ca. vlt. *Zacharias* nato Ioanne, Lucæ 1. v. 68. *Beata virgo* concepto Christo, ibid. v. 46. *Simeon* viso Christo, Lucæ 2. v. 29. *Dauid in omni opere dedit confessionem Sancto & Excelso in verbo gloriæ: de omni corde suo laudauit Dominum*, &c. etiam publicis laudibus. Eccli. 47. v. 9 vsque 13. *Quis sum ego Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque?* 2. Regum. 7. v 18. *Ideo adolescentulæ dilexerunt te*. Cant. 1. v. 2. *Quid retribuam Domino?* &c. Psal. 115. v. 2. *Benedicam Dominum in omni tempore*, &c. Psal. 33. v. 1. *Venite, audite, & narrabo*, &c. Psal. 65. v. 16. *Ecce tu pulcher es*, &c. Cant. 1. v. 15 &c. *Diligam te Domine*, Primò, quia *fortitudo mea*; Secundò, *firmamentum meum*; Tertiò, *refugium*, &c. Psal. 17. v. 1. vsque fin. *Benedic anima mea Domino*, &c. ob sex genera beneficiorum Psal. 102. v. 1. vsque 6. *Non secundùm peccata nostra fecit nobis, sed*, &c. v. 10. vsque 17.

VARIA.

Hi leprosi curati sunt post medium Septembris, anni tertij prædicationis Christi. Chron. c. 49. Lepra notabiliter in Occidente accreuit post reditum Christianorum ex Oriente & Palæstina. Leuit. 13. v. 6.

Iesu præceptor] De vi nominis Iesu., vide in Circumcisione. Luc. 17. v.

Nónne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt?] An tantùm decima Christianorum pars saluanda? 13. v. 17.

De Samaritanis, eorumq; origine, vide 4. Reg. 17. v. 24.

DOMINICA DECIMAQVARTA POST PENTECOSTEN.

Euangel. *Nemo potestis duobus dominis seruire*. Matt. 6. à v. 24. ad 34.

FIDES.

Non potestis Deo seruire & mammonæ] Justitia non compatitur secum peccatum mortale, contr. 15. n. 2. & 8. Nõ vetamur curare temporalia, sed illis seruire tamquam dominis, & anxiè studere. quod septem argumentis dissuadet Christus, vide comment. Matt. 6. v. 24.

Modicæ fidei vos] Vide Dominica IV. post Epiph. v. 30.

Scit Pater vester, quia his omnibus indigetis, ac proinde vobis, vtpote filiis sibi charissimis, numquam deerit. Etiam auxilia gratiæ numquam patietur vlli ex sua parte deesse, contr. 14. n. 11. vsque fin. Sed si *scit Pater* omnem nostram necessitatem, cur preces illi porrigimus? Vide Dominica V. post Pascha, ad v. 24. v. 31.

Quærite primùm regnum Dei, id est, *iustitiam*, seu implectionem mandatorum, *eius*, (contr. 15. n. 23.) *& hæc omnia* vitæ fouendæ necessaria, *adiicientur vobis*] non mercedis, sed auctarij loco. An bona temporalia cadant sub meritum, contr. 16. n. 9. 3. Reg. 3. v. 13. *Sed & hæc quæ non postulasti, dedi tibi, diuitias scilicet & gloriam*, &c. v. 33.

MORES.

Non potestis Deo seruire & mammonæ, seu idolo diuitiarum. Sed sub hoc intellige etiam carnis delicias, mundi fastum, Matt. 6. v. 24.

faſtum,& omnia terrena.*Hi ſunt dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Exod.32.v.4. *Et ſedit populus manducare & bibere,& ſurrexerunt ludere.* verſ. 6. Cur vetita Iudæis *connubia cum alienigenis*, Exodi 34.v.15.*Ego*, inquit Deus, ſolus *inibo pactum tecum*, &c.v.10. *Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam*, &c. *eſto firmus in via Domini*.Eccli.5.v.11.& 12.

At volo vtrique ſeruire, ſicut Gentiles non rarò vnà cum idolis ſuis, ſeruiebant etiam vero Deo,3.Regum 5. v.7. & 2 Machab.3.v. 4. & ſicut *Samaritani* cùm *Dominum* colerent,*diis* quoque ſuis *ſeruiebant*, 4. Regum 17. v. 33. Rachel furata eſt idola patris ſui, vt haberet etiam ipſa pro tutelaribus,Gen.31.v.19.

Vni in iuuentute ſeruiam, alteri in ſenectute. *Et vidi quòd hoc quoque eſſet vanitas.*Eccleſ.2.v.1.Quo ſucceſſu?*Salomon* voluit *ſapientiam* cum *voluptatibus* coneiliare.*Vadam & affluam deliciis, & fruar bonis.* Saltem tentabo. *Nolite declinare poſt vana,qua non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana ſunt.*1.Regum 12.v.21.

Nemo poteſt] Sed quare non poſſum? *Deus noſter Deus zelotes eſt.* Exodi 34.v.14. nullum fert corriualem. *Arca Dei* non fert conſortium *Dagon*,1.Regum 5.v.2.*Quæ ſocietas luci ad tenebras?* 2.Corinth. 6. verſ. 14. *Coanguſtatum eſt enim ſtratum* (amoris,) *ita vt alter decidat : & pallium breue vtrumque* (riualem) *operire non poteſt.* Iſaiæ 28.v.20.

Et qua fronte dabimus mammonę quod Dei eſt? *Propitius ſit mihi Dominus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi.* 3.Regum 21.v.3.*Si adhuc hominibus placerem*, *Chriſti ſeruus non eſſem.* Gal.1.v.10.

At ſaltem vna ex parte ſeruiam vtrique. *Vtinam frigidus eſſes aut calidus! ſed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Apocal. 3. verſ. 15. &c. Cogita *benedictiones & maledictiones* in monte *Garizim* & *Hebal.* Deut. 11. v.29. & c.27.v.2.

Verùm didici reipſa vtile mihi eſſe,ſeruire mammonæ. *Chanaan, in manu eius ſtatera doloſa, calumniam dilexit.* Et *dixit Ephraim: Verumtamen diues effectus ſum* (talibus doliș,) *inueni idolum* (mammonam) *mihi: omnes labores mei non inuenient mihi iniquitatem, quam peccaui.* Oſee 12. v. 7. *Væ duplici corde, & peccatori terram ingredienti duabus viis.* Eccli. 2.v.14. *Cor ingrediens duas vias non habebit ſucceſſus, & prauus corde in illis ſcandalizabitur.* cap. 3. v. 28.

Vtri ergo totus ſeruiam? vter Dominus tuus eſt? vter nobilior,iuſtior,liberalior, humanior? *Stipendia peccati mors: gratia autem Dei vita æterna*, Rom.6.verſ.23. Quomodo mundus & dæmon ſuos occupet *paleis* quærendis & *luto* formando, vide Exodi 5.v.7.&c. *Confregi catenas ceruicum veſtrarum, vt incederetis erecti.* Leuit. 26.verſ. 13. Quàm blandè pellexit Pharon Iſraelitas in Ægyptum! Gen.45.v.18. *Venite ad me, & ego dabo vobis omnia bona Ægypti* &c.Sed quàm amaro ſucceſſu! Exodi 1.v.8. &c. Quibus *oneribus* eos grauat, v.11.14.16.22. Cùm euiſceraueris te in ſeruitio mundi, cùm à *fame* præſeruaueris, Geneſ. 41. v. 33. cùm *quintam partem prouentibus regiis* adieceris, Gen.47.v.26. ſurget *rex nouus qui ignorabit Ioſeph.* Exodi 1. v.8. & *aſtutia* v.10. & *dolo* v.16.& aperta *vi* v.22.*opprimet te.* Naas tyrannus, 1.Regum 11. v.2. *In hoc*, inquit, *feriam vobiſcum fœdus, vt eruam omnium veſtrûm oculos dextros* (ad cæleſtia contuenda) *ponamq; vos opprobrium in vniuerſo Iſrael. Mimimus digitus meus groſſior eſt dorſo patris mei. Pater meus cecidit vos flagellis, ego cædam vos ſcorpionibus.* 3.Reg.12.v.10.

v.24. *Non poteſtis ſeruire*] Habere poteſtis nummos, imperare illis poteſtis: ſeruire non poteſtis. Non ſeruit qui *duas* habens *tunicas*, alteram dat *non habenti*, Lucæ 3.v.11. Qui *ducit huic* burſæ. *Vade* in ſubſidium pauperum, in ornamentum Eccleſiæ, *& vadit*, Lucæ 7.v.8.

Seruit, qui opum corradendarum cauſa negligit res diuinas, & præcipitat ſe in periculà animæ, in artes Chriſtiano indignas. *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus: vt ei placeat cui ſe probauit.* 2.Tim.2.v.4.

Seruit, qui nimia cura & anxietate illis incumbit Eccli.31.v.1.vſque 12. *Martha, ſolicita es*, &c.Lucæ 10.v.41. *Nihil ſolliciti ſitis: ſed in omni oratione & obſecratione, cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.* Phil.4. v.6.Natura quàm paucis contenta, Eccli.29.v.28.& c. 39 v.31.

Et verò fruſtra ſatagis ſine Deo. *Niſi Dominus ædificauerit domum*, &c.Pſalm.126.toto. *Cùm dederit dilecto ſuo ſomnum, ecce filij*, &c.v.2. *Labores manuum tuarum manducabis*, &c. Pſalm. 127. v. 2. vſque fin. *Omnem ſollicitudinem veſtram proiicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.* 1. Pet. 5.v. 7. *Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet: & educet quaſi lumen iuſtitiam tuam*, &c. Pſalm 36.verſ.5. *Iacta ſuper Dominum curam tuam; & ipſe te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem iuſto.* Pſalm.54.v.23. An *Iudas Machabæus*; einſque fratres & alij ſimiles peccarint, opem ab infidelibus depoſcendo, eiſq; ſe confœderando, vide 1.Mach.9. v.18. *Ne gloneris in craſtinum, ignorans quid ſuperuentura pariat dies.* Prou. 27.v.1. *Eſt homo laborans, & feſtinans, & dolens impius, & tanto magis non abundabit. Eſt homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate: & oculus Dei reſpexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipſius, & exaltauit caput eius: & mirati ſunt in illo multi, & honorauerunt Deum.* v.g. Ioſeph, Mardochæus, Dauid, &c. Eccli. 11. v 11.12.13. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt*, &c.verſ.14.& 15. *Facile eſt enim in oculo Dei ſubitò honeſtare pauperem.* v. 23. *Benedictio Dei in mercedem iuſti feſtinat, & in hora veloci proceſſus illius fructificat.* v.24. *Dabitur pluuia ſeminituo*, &c. Iſa 30.verſ.23. vſque 26. *Nam corporalis exercitatio, ad modicum vtilis eſt: pietas autem ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ.* 1. Tim. 4.verſ.8. *Eſt autem quæſtus magnus, pietas cum ſufficientia.* cap.5.verſ.6. *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.* verſ.8. *Nam qui volunt diuites fieri*, &c.verſ.9. *Deficient pueri* (mundani) *& laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent. Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ: current, non laborabunt; ambulabunt, & non deficient.* Iſa.40.verſ.30. & 31. *Tabeſcere feciſti ſicut araneam animam eius*, &c. Pſalm.38. v. 12. *Ego plui ſuper vnam ciuitatem, & ſuper alteram ciuitatem non plui: pars vna compluta, & pars ſuper quam non plui, aruit.* Amos 4. v.7. Quatuor claues ſoli Deo reſeruatæ, vitæ, alimoniæ, pluuiæ, ſepulchri, Gen.30.v.2. *Moyſi*, cùm vehementer afficeretur terræ promiſſæ. Deuter.3.v.25. ſolùm conceſſum vt ſuperne eam contemplaretur, ibid. & Numer. 27.v.12.*Tua, Pater, prouidentia cuncta gubernat.* Sap.13.v.3. *Reſpicite nationes hominum*, &c. Eccli.5.v.11. *In te profectus ſum ex vtero.* Pſalm.21.v.10. *Ipſi cura eſt de vobis.* 1.Pet.5. v.7. *Dominus ſollicitus eſt mei.* Pſalm. 39.v.18. *Si vos cùm ſitis mali*, &c. Matth 7.v.7. Tantùm *petite & accipietis.* ibid. *Qui habitat in adiutorio*, &c. Pſalm. 91. *Me ſuſcepit dextera tua.* Pſalm.62.v.8. *In pace in idipſum*, &c. Pſalm. 4. v.9. De *Nili* exundatione & ſtercoratione Ægypti, Exod 9. v.24.item Gen.41.v.16.& Deut.11.v.10. Quomodo intacta ſeruata ſit *Sara* in Ægypto. Gen.12.v.17. & Gen. 20.v.vlt. *Ne deſcendas in Ægyptum, ſed quieſce.* &c. Gen.26 v. 2. *Et inuenit centuplum.* v.12. *Noli timere quia ego tecum ſum.* v. 24. *Scala* Jacob, diuina prouidentia, Gen.28.v 12. Virgultis populeis ditatus Iacob, Gen.30.v.39.&c. Iabitus Laban ne noceat Jacobo, Gen.31.v.24.& 29. Habiti Palæſtini ne vlciſcerentur cædem Sichem, Geneſ.35.v.5. Quomodo per Joſephũ proſpexit inopiæ Ægypti. Gen. 41.v.29. De eductione Hebræorum ex Ægypto, traductione

ctione per *mare rubrum*, Exod. 14. de *coturnicibus*; Exod. 16. v. 13. & iterum Numer. 11. v. 31. de *manna*, vers. 14. *aqua* ex petra, Exod. 17. v. 6. & Numer. 20. v. 8. & 11. *Vestimentum tuum nequaquam vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus.* Deut. 8. v. 4. & cap. 29. v. 5. *Dixit angelus Domini ad Habacuc: Fer prandium quod habes, in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum.* Dan. 14. v. 33. vsque fin. De *columna ignis & nubis*, Exod. 13. v. 21. & Sap. 10. v. 17. & Psal. 104. v. 39. tenebrosa Ægyptiis, Exod. 14. v. 20. *Quis præparat coruo escam suam?* Iob 38. v. 41. Vide totum caput. Bis subito miraculo liberat Deus *Samariam* ab obsidione *Syrorum*. 4. Reg 6. v. 17. & c. 7. v. 6. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Psal. 22. v. 1. De *vberibus* sponsi, & *cellario* regis, Cant. 1. v. 1. & 3. *Omnium nutrix sapientia.* Sap. 16. v. 25. *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Prou. 8. v. 30. *Dilectus meus mihi*, &c. Cant. 2. v. 16. De *pullis coruorum*, Psalm. 146. vers. 9. *Interroga iumenta*, &c. Job 12. vers. 7. *Non in solo pane.* Deuter. 8. vers. 3. De *manna*, ibid. *Omnis homo primò bonum vinum ponit.* Joan. 2. v. 5. De *lecytho olei*, & *pugillo farinæ.* 3. Reg. 17. v. 12. Et *corui* pauerunt *Eliam*, ibid. v. 14. *Ipse te enutriet.* Psalm. 54. v. 23. Vide etiam Dominicam *Lætare.* & de nuptiis in Cana, Dominica II. post Epiphaniam.

De *capillis*, vide Euang. de communi Martyrum tempore Paschali. *Ioseph* eductum de carcere *totonderunt*, Genes. 41. v. 14. & Dan 3. v. 94. *Ita vt capillus capitis eorum non esset adustus. Non est Deus quasi homo, vt mentiatur: nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus est, & non implebit?* Numer. 13. v. 29. *Cuius fortitudo similis est rhinocerotis.* v. 22. Pulcherrimæ victoriæ, Ios. 10. v. 42. etiam in noua lege, ibid.

Quod si subinde patiatur aliquid suis deesse, tum gratiam dat nobiliorem, qua cum maiori merito id patientissimè ferant. *Ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse. Scio & humiliari, scio & abundare, & satiari, & esurire; & abundare, & penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat.* Phil. 4. v. 11. &c.

Cur ergo tam multis tam multa desunt? Respondeo, Non implent contractum quem Deus cum ipsis iniit. Quis hic contractus? *Primùm quærite regnum Dei & iustitiam eius.* Hoc impleto, exhibeant Deo catalogum suarum necessitatum. Quantum compendium! Vnum quærite, & omnia accipietis.

v. 33. *Quærite ergo primùm regnum Dei*] *Quia postulasti verbum hoc*, &c. *dedi tibi cor sapiens*, &c. 3. Reg. 3. v. 11. *Sed & hæc quæ non postulasti dedi tibi, diuitias, gloriam*, &c. v. 13. *Et nunc Israel quid Dominus tuus petit à te? nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum ac seruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua, custodiasq; mandata Domini, vt bene sit tibi.* Deut. 10. v. 12. *Lætetur cor quærentium Dominum*, &c. Psal. 104. v. 4. *Regnum Dei non est esca*, &c. 1. ad Timoth. 4. v. 8. & ad Rom. 14. v. 17. *In lectulo meo quæsiui*, in *vicis & plateis*, &c. *& non inueni.* Cant. 3. v. 1. Non in *mollibus*, Prou. 18. v. 9. non in *pigritia*, Prou. 26. v. 13. *Sapientia vbi inuenitur?* Job 28. v. 11. & 20. *Si quæsieris sapientiam quasi pecuniam*, &c. Prou. 2. v. 4. *Reuelasti paruulis*, &c. Matt. 11. v. 25.

VARIA.

Dixit hæc Christus in illo prolixiore sermone, quem sub medium Maij, anni secundi prædicationis suæ, in monte instituit. Chron. 49.

DOMINICA DECIMAQVINTA POST PENTECOSTEN.

Euangel. *de Vidua Naim.* Luc. 7. à v. 11. ad 17.

FIDES.

Luc. 7. v. 13. *Cùm viduam filio suo vnico, qui ad sepulchrum efferebatur, orbatam & flentem vidisset Dominus, misericordia motus est super eam*] Et tu orbatus longè nobiliori thesauro gratia Dei iustificante, dele miseriam tuam, & cum animi pœnitudine manifesta illam vicario Christi, citò experieris solatium & auxilium, contr. 23. n. 1. &c.

Dixit illi, Noli flere] Primò quia iam peracta est diuinæ sententiæ executio. 2. Regum 12. v. 23. *Nunc autem quia mortuus est, quare ieiunem? numquid potero reuocare eum? Et consolatus est Bethsabee vxorem suam.* Iob 1. v. 21. *Dominus dedit, Dominus abstulit*, &c. Secundò, vetat flere, quia statuerat accepta damna statim compensare. v. 14. *Accessit, tetigit loculum*, resuscitauit mortuum filium, *& dedit illum matri suæ.* Compensabit & nobis. Sed ô quando! Prou. 16. v. 7. *Cùm placuerint Domino vie hominis, etiam inimicos illius conuertet ad pacem.* Eccli. 11. v. 23. *Facile est Domino subitò honestare pauperem*, Josephum, Mardochæum, Susannam, &c. Psal. 11. v. 6. *Nunc exsurgam, dicit Dominus.* Paulatim impletur mensura, Genes. 15. v. 16. Etsi differat vsque ad mortem. Psalm. 89. v. 4. *Mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna*, &c.

Adolescens, tibi dico, Surge. Et resedit qui erat mortuus] Psal. 148. v. 5. *Ipse dixit, & facta sunt.* v. 14.

Propheta magnus, nempe Messias, *surrexit in nobis, &* v. 16. *Deus visitauit plebem suam*] De aduentu Messiæ, & quibus argumentis comprobetur, contr. 4. n. 1. & 2.

MORES.

Luc. 7. v. 11. *Cùm appropinquaret porta ciuitatis*] Non casu, sed destinato consilio. O salutaris semper occursus Christi! Petro & sociis piscantibus, Matth. 4. v. 18. Matthæo & Zachæo publicanis, Matt. 9. v. 9. & Lucæ 19. v. 5. paralytico 38. annorum, Ioan. 5. v. 5. cæco à natiuitate, Ioan. 9. v. 1. dæmoniacis, Matt. 8. v. 16. & 28. O quoties in Sacro, in oratione mihi occurrit! Arripiam occasionem: sanabor *quacumque infirmitate* detinear, Ioan. 5. v. 4.

Ecce defunctus] *Ecce*, digitus rem grandem notans. Manus in pariete, *Mane, thekel, phares*, Dan. 5. v. 25. Ecce *adolescens* effertur, filius vnicus matri, viduæ, opulentæ, &c. O mors, vnicum orbæ matri solatium subtrahes? Genes. 4. v. 8. mortuus Abel ante Adam. *Ecce qui seruiunt ei* (angeli) *non sunt stabiles*, &c. *quantò magis hi, qui habitant domos luteas?* &c. Iob 4. v. 18. Miseriarum huius vitæ pulchra descriptio, Iob 7. *Militia est vita hominis*, &c. vbi de mortis desiderio: de breuitate vitæ, c. 9. v. 25. de corporis fragilitate, c. 10. v. 8. *Homo natus de muliere*, &c. c. 14. v. 1.

Ex quo morsu pomi mortuus Adam, Gen. 2. v. 17. & Gen. 3. v. 1. &c. omnes etiam maximè longæui, tandem mortui. Genes. 5. v. 4. &c. Quid vita, nisi vapor? *Memento Domine, quia ventus est vita mea*, Iob. 7. v. 7. & Psal. 101. v. 12. *Dies mei sicut vmbra declinauerunt.* Aui, cursori, naui, sagittæ, &c. comparantur, Sap. 5. v. 9. Coronabimus ergo *nos rosis?* Sap. 2. v. 8. Absit. Impendamus hoc breue tempus amando & colendo Deo. Atque vtinam ab æterno id licuisset! & iam saltem liceret eo zelo quo S. Paulus, Ignatius, Xauerius, &c. *Particula boni doni non te pretereat.* Sap. 14. v. 14. Sic *consummatus in breui*, &c. cap. 4. v. 13. Præuenit diem qui præuenire consueuit. Esto similis *seruo exspectanti dominum suum*, Lucæ 12. v. 36. similis *virginibus prudentibus*, Matth. 25. v. 4. exspectanti *furem* quauis *hora* noctis. Lucæ 12. v. 39.

Si peccatum caueris, mortem non timebis, sed optabis, saltem secundùm rationalem partem. Iam nunc morere prauis appetitibus: nerum cogaris petere inducias, & frustra. Et iis datis, quid velles facere? Mortuũ aliquem roga. Quid ille factum vellet? Vellem tot tantasque erogasse eleëmosynas: vellem inimicis condonasse, &c. hæc nunc fac, & moriens viues.

v.13. *Cùm vidisset Dominus*] Si te videat basiliscus, petisti; saltem periculum incurris. Psal.90.v.13. E contrario *tharadrion* si ictericum fixis oculis intueatur, sanitatem prænuntiat: mortem verò, si oculos auertat, Deuteronom. 14.v.18.

Misericordia motus super eam] Triplex miserendi causa, *Adolescens, vnigenitus, vidua.*

Noli flere] Fide Patri *misericordiarum & Deo totius consolationis.* Mille remedia sunt illi ad manum. *Flebant igitur sui, & omnes qui nouerant* (Susannam:) Dan. 13. v. 33. *Cumq; duceretur ad mortem, suscitauit Dominus spiritum sanctum pueri iunioris*, &c. v. 45. Luctus nimius prohibitus olim sacerdotibus & laicis, Leuit. 10 v. 6. & c. 19. v. 29. maximè verò summo pontifici, ibid. & c. 21. v. 1.

De viuificatione spirituali, vide Cant. 1. v. 1. *Osculetur me.* Sicut *Eliseus* osculo suo suscitauit puerum viduæ, 4. Regum 4. v. 20. *Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Ephes. 5. v. 14.

De spiraculo vitæ, vide Gen. 2. v. 7.

VARIA.

Suscitatus hic adolescens sub finem Maij, anni secundi prædicationis Christi. Chron. c. 49. De vrbe Naim, & vbi sita, vide comment.

DOMINICA DECIMASEXTA POST PENTECOSTEN.

Euangel. *Cùm intraret in domum cuiusdam principis.* Lucæ 14. à v. 1. ad 11.

FIDES & MORES.

Luc. 14. v. 1. *Ipsi obseruabant eum*] Vtinam seipsos! En mundi stultitiam. Bona omnia prætereunt, misericordiam humanitatem, miracula: solùm indagant numquid reprehendere possint. O quàm multi laudanda in aliis carpunt? confessionem, communionem, modestiam, frugalitatem, simplicitatem, &c. Obseruemus nos in Christo stupendam patientiam, longanimitatem, philanthropiam. Quisquis præes; exemplo aliis præluce, in mensa maximè & congressibus publicis. *Nemini dantes vllam offensionem*, 2. Cor. 6. v 3.

v.2. *Hydropicus ante illum*] Hydrops ambitio, auaritia, libido, &c. Compara morbum morbo, indicia, causas, remedia, seu præseruantia, seu curantia.

v.5. *Si licet sabbato curare*] Responsum vide Ioan. 7. v. 21. O quàm multi *culicem* colant, *camelum* deglutiunt! Matt. 23. v. 24. Bona opera fac, sed quàm minima potes malorum offensione. Superstitiosam festorum celebrationem & præposteram carpe, legitimam & religiosam commenda.

v.7. *Primos accubitus eligere*, & primum locum ambire non in terris, sed in cælo, licitum & laude dignum.

v.10. Viam vis nosse rectissimam, certissimam, facillimam? *Vade, recumbe in nouissimo loco*, hîc in terris. Sympositarcha cælestis conuiuij est humilitas. Psal. 118. v. 17. *Bonum mihi quia humiliasti me.* Psal. 89. v. 15. *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti.* Digredere ad ea quæ in conuiuiis vel obseruanda, vel fugienda.

v.11. *Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur*] Lucifer, Adam. Nabuchodonosor, Antiochus, Agrippa, &c. *Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria.* Prou. 29. v. 23. *Ne glorioßus appareas coram rege, & in loco magnorum ne steteris. Melius est enim vt dicatur tibi, Ascende huc, quàm vt humilieris coram principe.* Prou. 25. v. 6.

Et qui se humiliat, exaltabitur] Abraham, *Puluis* sum & *cinis* Gen. 18. v. 27. fit *pater* omnium *credentium.* Ioannes Baptista, *Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti*, Ioan. 1. v. 27. audit ab ipsomet Christo, Matt. 11. v. 11. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Deipara Lucæ 1 v. 38. *Ecce ancilla Domini*: sed mox v. 43. *Benedicta tu inter mulieres.* Christus Philipp. 2. v. 8. *Humiliauit semetipsum*, &c. *Propter quod*, v 9 & *Deus exaltauit illum*, &c. Sed *est qui nequiter se humiliat*, Eccli. 19. v. 23.

VARIA.

Hæc dixit Christus in Galilæa, sub initium vltimi mensis Decembr. ante mortem suam. Chron. c. 49.

DOMINICA DECIMASEPTIMA POST PENTECOSTEN.

Euangel. *de Maximo mandato.* Matt. 22. à v. 34. ad fin. c.

FIDES.

Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait Iesus: Diliges Deum ex toto corde tuo, &c.] Nouantes hoc mandatum tam magnum faciunt, vt dicant, impleri non posse in hac vita. Sed hoc blasphemum esse docui Deut. 6. v. 5. & contr. 14. n. 16. Potiùs Gen. 39. v. 9. *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Sed vocatur *maximum*, Primò, quia est de re omnium maxima; Secundò, quia compendium est omnium mandatorũ; Tertiò, quia absque charitate, nihil sunt omnia reliqua, 1. Cor. 13. v. 1. &c. Quartò, quia efficacissima omnium virtutum est charitas. 1. Petr. 4. v. 8. *Operit multitudinem peccatorum*: facit filios & heredes Dei, &c. Calicem aquæ frigidæ facit cæli pretium. Fons est & origo omnium meritorum, contr. 16. n. 1. Matt. 22. v. 36.

Falluntur etiam Nouantes cùm dicunt, *omne peccatum esse ex natura sua mortale*, vtpote contra hoc præceptum. Vide contr. 12. n. 3.

Falluntur Tertiò, cùm somniant, nulla dari opera supererogationis, cùm omnia cadant sub hoc præceptum. Vide Bellarm. l. 2. de Monach. cap. 13. & nostram contr. 9. nu. 9.

Denique falluntur, cùm dicunt, Christum ab huius legis obseruatione nos liberasse *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Matt. 5. v. 17.

Cuius filius est Christus? *dicunt ei, Dauid*] Matt. 1. v. 1. &c. Sed an solius Dauidis? An non etiam *Filius* est Dei? contr. 4. n. 3. & 7. v. 16.

Dixit Dominus Domino meo, Messiæ: *Sede à dextris meis*] etiam secundùm humanam naturam. Quomodo hoc & alia promeritus sit, contr. 4. n. 17. v. 44.

MORES.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde] Explica quomodo hoc fiat. Non tantùm possibile esse hoc præceptũ, sed & facile & iucundum. *Mandata eius grauia non sunt.* 1. Ioan. 5. v. 3. *Iugum meum suaue & onus meum leue.* Matt. 11. v. vlt. *Ordinauit in me charitatem.* Cant. 2. v. 4. *Ego vnxi in regem*, &c. 2. Reg. 12. v. 7. *Sic Deus dilexit mundum*, &c. Joan. 3. v. 16. *Quid Deus petit à te?* &c. Deuter. 10 v. 12. & Iosue vlt. v. 14. *Quomodo ergo possum hoc malum facere* &c. Genes. 39. v. 9. *Quis nos separabit à charitate.* Roman. 8. v. 35. Charitas aciem instruit omnium virtutum. Matt. 22. v. 37.

Omnia

Omnia suffert, omnia credit, &c. 1. Cor. 13. v. 7. *Pone me vt signaculum super cor.* Cant. 8. v. 6. Vbi de signis & legibus perfectæ charitatis. De quibus etiam Ioan. 15. vers. 12. Non *stigmata* Antichristi, Ezech. 9. v. 4. & Apoca. 13. v. 16. sed *Iesu in corpore meo porto* Gal. 6. v. 17. *Nemo potest duobus dominis seruire.* Matth. 6. v. 24. *Scribe eam in tabulis cordis tui.* Prou. 3. v. 3 & c. 7. v. 2. *Signum in manu tua*, &c. Exod. 13. v. 9. & Deut. 6. v. 6. *In manu omnium signat*, &c. Job 37. v. 7.

Primò, iustitia amorem hunc exigit. Isaiæ 64. v. 8. *Pater noster es tu, nos verò lutum*, &c. Secundò, beneficia accepta (quæ?) idem deposcunt Ierem. 32. v. 4. *Feriam tibi pactum sempiternum, & non desinam eis benefacere.* Tertiò, attributa eius (quæ?) prouocant: Excellit, condit, cur, lex, crux, præmia, pactum. Quartò, exigit reciprocum amorem. Ioan. 3. v. 16. *Deus dilexit mundum*, &c. Vide etiam Eccli. 7. v. 31. vsque 36. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cant. 2. v. 16.

An non ipse te ex toto corde dilexit, tanta pro te agendo & patiendo? Numera, si potes, tormenta, dolores, &c. Et tu dilige eum ex toto corde, *dulciter*; cõtra fallacem carnis dulcedinem. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua!* Psal. 118. v. 103. Ex tota anima, *sapienter*, contra fraudes dæmonum. 1. Pet. 5. v. 8. *Tamquam leo rugiens circuit.* Psal. 90. v. 6. *A negotio perambulante in tenebris*, &c. Ex tota virtute, (Marc. 12. v. 30.) *fortiter*, contra mundi minas & machinas. *Quis nos separabit?* Roman. 8. v. 35. *Deus charitas est.* 1. Joan. 4. v. 16. Quid ergo melius, quid nobilius charitate? *Qui manet in charitate, in Deo manet.* Quid charitate securius? *Et Deus in eo.* Quid iucundius? *Henoch ambulauit cum Deo.* Gen. 5. v. 22. *Ambula coram me, & esto perfectus.* Gen. 17. v. 1. Et in hoc summa rei consistit. *Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo.* Eccles. 12. v. 13. *Det vobis (Deus) cor omnibus vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem corde magno & animo volenti adaperiat cor vestrum*, &c. 2. Machab. 1. v. 3.

Sed quia personæ ipsius, vtpote nullius indigæ (Psal. 15. v. 2. *Bonorum meorum non eges,*) nihil possumus conferre, substituit sui loco proximum nostrum, vt in ipsum quæ vellemus Deo collata, amore Dei conferamus. Sic Berzellai petit filio suo Chamaam præstari, quæ rex Dauid offerebat parenti. 2. Regum 19. v. 37. *Numquid superest aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam Dei, propter Ionathan?* 2. Regum 9. v. 1. & 3. *Si tamen legem perficitis regalem, Diliges proximum*, &c. Iac. 2. v. 8.

Et quis est meus proximus] Circa omne genus domesticorum exercenda charitas, Eccli. 7. v. 20. vsque 31.

Et qua mensura diligam? *Sicut teipsum*] Non sicut amicum, non sicut filium, non sicut patrem (quia hæc interdum fallunt, vt in Absalomo & aliis patuit:) sed sicut teipsum, sincerè; suauiter, fortiter, indissolubiliter.

Et quare sic illum amem? Propter Deum, Primò, quia ad Dei imaginem creatus est. Secundò, quia emptus Christi sanguine. Tertiò, quia *multi vnum corpus sumus.* Rom. 12. v. 5. Denique, quia loco Dei traditus tibi, vt in eum charitatem exerceas. *Ipse meus frater & soror & mater est.* Matth. 12. vers. 50. *Saule, Saule, quid me persequeris?* Actor. 9. v. 3. *Viscera sanctorum requieuerunt per te, frater* (Philemon.) Philem. v. 7. *Refice, viscera mea in Domino.* v. 20. *Mandatum nouum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Ioan. 13. vers. 34. & cap. 15. vers. 12. *Quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Matth. 7. vers. 12. *Qui diligit proximum, legem impleuit.* Rom. 13. vers. 8. Aliàs *mendax est.* 1. Ioan. 4. vers. 19. *Non verbo & lingua*, &c. 1. Ioan. 3. v. 18. *Quis infirmatur, & ego non?* &c. 2. Cor. 11. v. 29. *Volebamus vobis tradere etiam animas nostras.* 1. Thessal. 2. vers. 8. *Tabescere me fecit zelus*, &c. Psalm. 118. v. 139. *Zelus domus tuæ comedit me.* Psalm. 68. v. 10. *Quis scandalizatur?* &c. 2. Cor. 11. v. 29. *Optabam anathemà esse*, &c. Rom. 9. v. 2. *Dele me de libro tuo*, &c. Exodi 32. v. 32. *Et mandauit illis, vnicuique de proximo suo.* Eccli. 17. v. 12. *Soror nostra es, crescas in mille millia.* Genes. 24. v. 60. *Soror nostra parua, vbera non habet*, &c. Cant. 8. v. 8. *Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus.* Sap. 6. v. 8. *Quis genuit mihi istos* &c. Isaiæ, 49. v. 21. Quàm prompte *Rebecca* obtulerit hospitium œconomo Abrahę, Gen. 24. v. 25. & potum, v. 18. Quàm prompte *Laban* eumdem exceperit, v. 31. Quibus viis succurrerit *Iob* proximo suo, Iob. 29. v. 11. vsque fin. & cap. 31. v. 13. vsque 23. *Estote misericordes, sicut & pater vester.* Lucæ 6. v. 36. *Sicut ego dilexi vos.* Ioan. 13. v. 34. & c. 15. v. 12. *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.* Rom. 12. v. 15. Sicut faciebat *Iob*, c. 30. v. 25. & 31. v. 16. & 18. *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* 1. Joan. 4. v. 21. *Ab infantia creuit mecum miseratio*, &c. Iob 31. v. 18. *Restituam tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes panem in mensa mea semper.* 2. Reg. 9. v. 7. *Beatus qui intelligit super egenum*, &c. Psal. 40. v. 1. vsque 3.

Etiam inimicis benefaciendum, vide Festum S. Stephani. *Omnia membra vnum corpus sunt.* 1. Cor. 12. v. 12. *Adimpleo quæ desunt passionum.* Coloss. 1. v. 24. *Donantes vobis met ipsis.* c. 3. v. 12. *Nam percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* 1. Cor. 8. v. 11. *Ne quæso sit iurgium*, &c. *fratres enim sumus.* Genes. 13. v. 8. Abraham orat pro Sodomis, Genes. 18. v. 23. Loth offert etiã filias suas ad redimendum scelus, Gen. 19. v. 8. *Princeps Dei es apud nos*, &c. Gen. 23. v. 6. *Ego propriè seruus tuus sim*, pro Beniamino, inquit Iudas, Gen. 44. v. 32. *Nouit iustus iumentorum suorum animas: viscera autem impiorum crudelia.* Prou. 12. v. 10. *Qui negligit damnum propter amicum, iustus est: iter autem impiorum decipiet eos.* v. 26.

Misericordia etiam in bestias proximi exercenda, Deuter. 22. v. 1. *Non accipies loco pignoris* quidquid volueris, &c. Deut. 24. v. 6.

Miramur subinde, nescio quæ aduersa nobis obuenire. Sed an non *meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus? idcirco venit super nos illa tribulatio.* Genes. 41. vers. 21. *Numquid non dixi vobis, Nolite peccare in pueros, & non audistis me? en sanguis eius exquiritur.* v. 22. *Qui despicit amicum suum, indigens corde est*, &c. Prou. 11. v. 12. 13. & 17. *Benefacit animæ suæ vir misericors: qui autem crudelis est, etiam proximos abiicit.* v. 17. *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt*, &c. v. 24. vsque 27. *Misericordia & veritas te non deserant, circumda eas gutturi tuo*, &c. Prou. 3. v. 3. *Noli prohibere benefacere*, &c. v. 27. vsque 31. *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum* (seminationem discordiarum) *detestatur anima eius.* cap. 6. v. 16. vsque 20. *Odium suscitat rixas, & vniuersa delicta operit charitas.* cap. 10. v. 12. *Omnis iniuria proximi ne memineris: & nihil agas in operibus iniuriæ.* Eccli. 10. v. 6. *Audisti verbum aduersus proximum tuum? commoriatur in te; fidens quoniam non te dirumpet*, &c. Eccli. 19. vers. 10. vsque 19. *Pungens oculum, deducit lacrymas, & qui pungit* (dicteriis proximi) *cor, profert sensum.* Eccli. 22. v. 24. *Ad amicum etsi produxeris gladium, non desperes: est enim regressus. Ad amicum si aperueris os triste, non timeas est enim concordatio; excepto conuitio, & improperio, & superbia, & mysterij reuelatione, & plaga dolosa. In his omnibus effugiet amicus.* v. 26. & 27. & cap. 27. v. 17. vsque 25. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.* Eccles. 10. v. 11. *In cogitatione tua ne detrahas regi*, &c. v. 20. *Non appelleris susurro*, &c. Eccli. 5. v. 16. & 17. vbi de pœnis susurronum.

Sed præ omnibus obseruanda hæc fratribus, seu corporalibus, seu spiritualibus. Nam *frater qui adiuuatur à*

fratre, quasi ciuitas firma: & iudicia, quasi vectes vrbium. Prou. 18.v.19. *Melius est duos esse simul, &c funiculus triplex difficilè rumpitur.* Eccles.4.v. 8. vsque 13. *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.* Osee 10.v.2.

Item marito & vxori. *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus, concordia fratrum, amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes.* Eccli.25.vers.1. & 2. *Tecta iugiter perstillantia, mulier rixosa.* Prou.19.v. 13. *Melius est sedere in angulo domatis, quàm cum muliere luxuriosa, & in domo communi.* c.21.v.9. Neque vllus hîc excipiendus. *Quicúmque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Iac.2.v.10.

VARIA.

Hæc dixit Iesus triduo ante mortem suam. Chron. cap. 49.

FERIA IV. QVATVOR TEMPORVM SEPTEMBRIS.

Euangel. *Magister attuli filium meum.* Marci 9.v.16.vsque 29.

FIDES & MORES.

Marc. 9.v. 18. *O generatio incredula, quamdiu apud vos ero,* tempus, tot signis edendis, frustra terés? Diffidentia impedit effectũ orationis; contr.17.n.5. Nónne turpe est, Christianum de Deo, de Christo diffidere? Psal.90.v.9. *Altissimum posuisti refugium tuum? Non accedet ad te malum,* &c.

v.22. *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti*] Patuit in sterili Abrahamo, Gen.15.v.6. & Rom.4.v.3. *Credidit Abraham Deo,* &c. Qualis fiducia sit necessaria ad salutem, contr.15.nu.12.vsque 17. Quàm potens sit fiducia in Deum, vide Dominica IV. post Epiphan.

v.27. *Quare nos non potuimus eicere eum*] Cęremoniæ quibus vtitur Ecclesia ad pellendos dæmones vel veneficia, operantur etiam ex opere operato, sed non habent sempèr infallibilem effectum, contr.18.n.12.13.14.

v.28. *Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione & ieiunio*] Ergo oratio & ieiunium sunt impetratoria, tum aliorum beneficiorum, tum etiam expulsionis dæmonum, non tantùm ex corporibus, sed etiam ex animabus, contr.17. n.2.38. De vi & efficacia orationis, vide Dominica V. post Paschæ, & in Rogationibus. De ieiunio. vide Feria IV. Cinerum.

Euangel. FERIÆ VI. quatuor Temporum Septembr. idem est cum Euangelio festi S. Mariæ Magdalenæ 22. Iuhj.

SABBATO QVATVOR TEMPORVM SEPTEMBRIS.

Euangel. *Arborem fici habebat quidam* Lucæ 13. v. 6. vsque 18.

FIDES & MORES.

Luc. 13.v.6. *Venit quærens fructum, & non inuenit*] *Ficus protulit grossos suos.* Cant. 2. v. 13. Sed hèu quales! Scilsne, Dominũ quotidie fructum ex te quærere. *Non est bonus racemus ad comedendum,* &c. Michææ 7.v.1. *Mane, thekel, phares.* Dan. 5.v.25. De *arbore scientiæ boni & mali, & ligno vitæ,* vide Gen.2.v.9. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur.* Jonæ 3.v.4.

v.7. *Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio*] Opera bona necessariò requiri ad salutem, contr.15.n.23. *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam.* Iob 24.v.23. Simile est Rom.1. v.4. *Implete mensuram patrum,* &c. Matt.23.v.32.

Succide ergo illam] *Stulte, hâc nocte repetunt animam tuam à te.* Luc.12.v.20. *Suauis est homini panis mendacij* (peccati,) *& postea implebitur os eius calculo.* Prou.20.v.17.

Domine, dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa v.t. illam, & mittam stercora] Orationem, ieiunium, aliasque austeritates, & eleëmosynam esse meritoria, satisfactoria & impetratoria, contr. 17. tota. Victus & vestitus asperitatem, & similes corporis afflictiones Deo gratissimas accidere, contr.9.n.10. *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, vt roget quis.* 1.Ioan.5.v.16.

Sin autem, succides eam] 2.Petr.3.v.9. *Patienter agit Do-v.9. minus propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Non dabo vlteriores mundo inducias quàm 120.annos Gen.6.v.3. *Voca nomen eius* (filiæ tuæ, ô Osee) *Absque misericordia. Quia non addam vltrà misereri domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum.* Osee 1.v.6. *Terra sæpè venientem super se bibens imbrem,* &c. Hebr.6.à.v.4.vsque 9.& c.10.v.26. *Voluntariè peccantibus,* &c.vsque 32. *Profanus Esau cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est: non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* Hebr.12.v.16. *Melius erat illis non cognoscere viã iustitiæ, quàm post agnitionem, retrorsum conuerti,* &c.2. Petr. 2.v.21. *Contigit enim eis illud veri prouerbij: Canis reuersus ad suum vomitum: & sus lota, in volutabro luti.*v.22.

Mulier habebat spiritum infirmitatis, & erat inclinata, nec v.11. omnino poterat sursum respicere] Infirmitas hominis gratia & charitate destituti, contr.14.num.8.9.15. Hoc vnum conatur dæmon, vt mancipia sua sursum non aspiciant. Psalm.72.v.25. *Quid mihi est in cælo? & à te quid volui super terram?*

Dimissa ab infirmitate sua, confestim erecta est, & glorifica-v.13. bat Deum] Per gratiam & cum gratia Dei quiduis potest & ij. homo, contr.14.n.14.16.17.

Sex dies sunt, (inquit *Archisynagogus,*) *in quibus oportet ope-v.14. rari: in his venite, & curamini, & non in die sabbati*] An non potiùs animæ curandæ maximè incumbendum die festo? v.16. *Hanc, quam alligauit satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die sabbati?*

VARIA.

Hanc parabolam proposuit Iesus mense Nouembri vltimo ante mortem suam. Chron.c.49.

DOMINICA DECIMAOCTAVA POST PENTECOSTEN.

Euangel. *de Curato paralytico.* Matt.9.à v.1.ad 9.

FIDES.

Offerebant ei paralyticum] Qualis paralysis peccatum Matt. mortale, maximè accediæ vel corporis, vide Dominica 9.v.2. VII. post Penteconsten, ad v. 18. & contr. 16. nu. 1. Solùm potest gemitibus & lacrymis suam deplorare miseriam, & veniam deposcere, controu. 14. num. 10. 14. 15. Nullum gratius Deo munus, quàm peccatorem talem offerre curandum. Vt patet ex centesima oue, Dominica III. post Pentecosten, & ex filio prodigo, Sabbato post II. Dominicam Quadragesimæ. Offerre, inquam, seu verbo, seu vitæ exemplo, seu frequenti prece. Paruulorum baptismum procurate, infirmos in fide suscipite, pro infidelibus & hæreticis orate. Psalm. 28.v.1. *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum.* Exod.23.v.5. *Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo.*

Videns

Videns Iesus fidem illorum & fiduciam. Hæc duo præ omnibus necessaria sunt, contr. 15. n. 9. Qualia esse debeant, n. 7. 11. & 12. &c. Nempe non nuda, non otiosa, non præsumptuosa, sed humilis sit fiducia, & verecunda, & timore, spe, amore mixta. Nota, etiam aliorū pietatem ac fidem plurimùm nobis prodesse. Patuit in *seruo centurionis*, Matt. 8. v. 13. in *filia Chananæa*, Matt. 15. v. 27. *filia Iairi*, Marc. 5. v. 22. *sororibus Lazari*, Joan. 11. v. 3. *sociis Pauli* naufragis, Actor. 27. v. 24. Ergo opem aliorum solicitus ambi 4. Regum 20. v. 6. *Protegam vrbem istam propter me, & propter Dauid seruum meum.* Et *Sodoma* pepercisset si *decem* ibi *iustos* reperisset, Genes. 18. v. 32.

Dixit paralytico] Vtique iam pœnitenti. Nam citra dolorem de peccatis numquam remittuntur adultis peccata, controu. 23. num. 4. *Fili in infirmitate tua ne despicias teipsum, sed ora Dominum, & ipse sanabit te. Auerte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum.* Eccli. 38. v. 8.

Remittuntur tibi peccata tua] Plus dat quàm petitur, preces supplicum excedens & vota. (*Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, Joan. 1. v. 29.) Sed hoc verbo simul innuit, Primò, fontem & causam omnium plagarū esse peccatum, si nō proprium, certè alienum (quod addo, propter Tobiam, Job, cæcum natum, Ioan. 9. v. 1. & Martyres) *Quia peccauimus tibi, & mandatis tuis non obediuimus, idcirco*, &c. Esther 14. v. 5. Secundò, nos magis satagere debere de curanda paralysi animæ, quàm corporis. *Iustitia eleuat gentem: miseros autem facit populos peccatum*, Prou. 14. v. 34. Tertiò, *Primùm* quærendum nobis *regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur nobis*, Matth. 6. v. 33. Quartò, vicissim debere nos proximo remittere saltem *centum denarios*, cùm Christus vltrò nobis remittat *decem millia talenta*, Dominica XXXI. post Pentecost.

Sed cur, remissis peccatis, non etiam statim liberatur à paralysi? Vt indicetur, non semper, remissâ culpâ, remitti statim & pœnam omnem temporalem, contr. 23. n. 8. Ad hanc quoque relaxandam, monet, augere fiduciam, *Confide fili*: non iam ampliùs hostis, sed *filius*. Et quis vmquam Apostolorum tam blandè compellatus à Christo? Quæ causa? an quia pauper? quia afflictus? quia peccator resipiscens? Tit. 3. v. 2. *Ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, &c. Psal. 31. v. 1. &c.

v. 3. *Hic blasphemat*] Marc. 2. v. 7. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Et quibus Deus hanc *potestatem dedit*, v. 8. hîc contr. 23. n. 1. *Constitui te Deum Pharaonis.* Exodi 7. v. 1. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas, propter me.* Isaiæ 43. v. 25.

v. 4. *Vidit Iesus cogitationes eorum*] Nihil occultum Christo, contr. 4. n. 13. Et tu disce Dei præsentiam, oculosque solle lucidiores reuereri. Disce & hoc fræno coërcere cogitationes vindictæ, luxuriæ, gulæ, &c. *Vt quid cogitas mala*, maximè vidente & irascente Deo? *Infernus & perditio coram Domino: quanto magis corda filiorum hominum?* Prou. 15. v. 11. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos*, v. 3. *Tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam*, &c. Psal. 138. v. 1. &c.

v. 6. *Vt sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata; surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*] Hanc potestatem communicauit Christus Apostolis suis, & illorum successoribus, contr. 23. nu. 1. &c. Obloquium hostium sæpè causa extraordinarij auxilij diuini. 3. Regum 20. v. 28. *Quia dixerunt Syri, Deus montium est Dominus, & non est Deus vallium*, &c. Miracula, infallibile sunt signum veritatis eius cui probandæ adhibentur, contr. 5. n. 6.

MORES.

Offerebant ei paralyticum] Supple historiam ex Marci 2. & Luc. 5. En Primò, patientiam & zelum patrisfamilias. Terrent te incommoda, pericula, damna, obloquia; soletur fructus & præmia. *Qui susceperit vnum ex*, &c. *me suscipit.* Matt. 18. v. 5. Secundò, baiulorum fidem, charitatem. Turbam cùm nequeunt perrumpere, conscendunt tectum. Caue, te remorentur obloquia vulgi. Quatuor nouissima sint tui portatores: non spes lucri, famæ, laudis & alij socij Charontis infernalis. Tertiò, paralytici diligentem cooperationem. Si reipsum non iuuas, saltem cura per alios iuuēris, & medicam manum sustine patienter. Absit, indigneris iis qui operam suam spōte offerunt. Quartò, Christi benignitatem, non indignantis, non obiurgantis, sed animantis & excitantis illos. Quintò, Pharisæorum nequissimam indolem, omnia in malam partem rapientium: sed mox à Christo retectam, *Munda quod intus est calicis.* Matt. 23. v. 26. Sextò, turbæ studium laudandi & glorificandi Deum. Et tu Deum honorifica in vicariis eius, sacerdotibus. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, 1. Cor. 4. v. 1. Matt. 9. v. 2.

Surge] Voluptatibus illecebrisque mundi renuntia. v. 6.

Tolle lectum tuum] & peccatorum recordationem, olim (instar lecti anserini) mollem ac iucundam, nunc onerosam ac molestam habe. Psal. 37. v. 5. *Sicut onus graue, grauate sunt super me.*

Vade in domum tuam] ad patrem cum prodigo recurre: *Non in manufacta Sancta*, &c. Hebr. 9. v. 24. Abi, inquā, per viam regiam mandatorum & consiliorum Dei. Sic *ibit homo in domum æternitatis suæ.* Eccles. 12. v. 5. *Stultus illudet peccatum, & inter iustos morabitur gratia.* Prouerb. 14. v. 9. *Cor quod nouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius non miscebitur extraneus.* v. 10. *Sapiens timet & declinat à malo: stultus transilit & confidit.* v. 16. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit: sed sequitur eum ignominia & opprobrium.* Prou. 18. v. 3.

VARIA.

Curatus hic paralyticus sub medium Martij, anni secundi prædicationis Christi. Chron. c. 49.

Si contritio delet omne peccatum, quid opus confessione, sacerdotis absolutione, & satisfactione? vide in Supplemento S. Thom. q. 6. & 12.

Angeli vi solius naturæ suæ non possunt nosse cogitationes vel intentiones aliorum. S. Tho. 1. p. q. 57. a. 4.

DOMINICA DECIMANONA POST PENTECOSTEN.

Euangel. *de Rege qui fecit nuptias filio suo.* Matt. 22. v. 2. vsque 15.

FIDES.

Rex fecit nuptias filio suo, qui sponsus est Ecclesiæ, & animæ cuiusque, si singulæ velint. In tertis celebrantur sponsalia, & osculis fidei, spei, charitatis adglutinatur anima sponso suo Christo, cont. 15. n. 7. & 8. Sed perfectum matrimonium consummabitur demum in cælo, plena & æterna sponsi fruitione, contr. 30. n. 3. *Sponsabo te mihi*, Oseæ 2. v. 19. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, Ioan. 1. v. 12. Ecclesia militans est atrium in quo ornantur sponsæ & comuntur, (Assuero) Christo sistendæ: triumphans, thalamus regius est, Ehster 2. v. 3. Matt. 22. v. 2.

Misit Deus *seruos suos*, Patriarchas, Prophetas, Ioannem Baptistam, adeoque & Filium suum vnigenitum, eiusq; Apostolos, vt Hebræos seu Iudæos ex toto orbe v. 3.

electos, & à tot sæculis *inuitatos* vocarent *ad* paratas iam *nuptias*. Sed *noluerunt venire*.

v.4. *Tauri & altilia occisa sunt, & omnia parata*] Reseratum iã cælum, contr.30.n.1. Quàm nobilis mẽsa doctrinæ Euangelicę! quàm sapida fercula Sacramentorum, & gratiarum diuinarum, ac præ omnibus epuli Eucharistici! Sanguine Christi omnia nobis parata, contr.4.n.15.

v.5. *Illi autem neglexerunt, & abierunt; alius in villam suam, alius ad negotiationem suam*, studio rerum terrenarum postponentes curam spiritualium ac cælestium bonorum: imò adiumenta salutis à Deo accepta, sponte in impedimẽta conuertentes. *Creatura Dei in odium facta sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium*, Sap.14.v.11.

v.6. *Reliqui tenuerunt seruos*, adeoque & ipsum *filium regis*.

v.7. *Rex iratus, missis* paulò pòst *exercitibus suis*, duce Vespasiano & Tito, *perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit*] Chronic.c.50. post mortem Christi anno 40.

v.9. *Ite* interim *ad exitus viarum*, ad extrema mundi, ad gẽtes toto orbe diffusas, ad Indos, ad Iapones, ad Sinas, *& quoscumque inueneritis* volentes, *vocate ad nuptias*] Deus quærit, vocat, inuitat omnes ad fidem, ad iustitiam, ad salutem, contr.13.n.8. & contr.14.n.11. vsque 14.

v.10. *Egressi serui, congregauerunt omnes quos* volentes *inuenerunt, malos & bonos*] Liberum enim vocatis venire vel non venire, contr.14.n.4. & 5. Et in Ecclesia Christi sunt etiam impij multi ac reprobi, contr.5.n.11.12.13.

v.11. *Intrauit autem rex* in die iudicij, primò particularis cuiusque, deinde & generalis omnium simul collectorum, contr.28.n.3. & 4. *Et vidit ibi hominem* (sub vno reliquos intellige) *non vestitum veste nuptiali*] nempe munda conscientia, monilibus virtutum omnium ornata ac resplendente, contr.15.n.8. Neque enim sufficit, per fidem intrasse Ecclesiam, debent & opera fidei, & quæcumque fides docet facienda, accedere, contr.15.n.7. & 23. Quòd si calamitas vnius adeò nos facit exhorrescere, quid fieret si audiremus maiorem conuiuantium partem iisdem calamitatibus inuoluendam? *Angusta est porta, & arcta est via, & pauci inueniunt eam*, pauci tenent eam, Matth.7.v.14.

v.13. *Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores*] Nulla resistendi, nulla defectum compensandi facultas istic reliqua, vt nec obloquendi, v.12. *Obmutuit*. De pœnis infernalibus, vide contr.26.n.8.

v.14. *Multi sunt vocati*, imò omnes, quantum est ex parte Dei: tamen *pauci electi*] quia pauci eligi voluerunt, controu.13.n.8. de prædestinatione Dei & vocatione ad salutem.

MORES.

Matt. 22 v. 2. *Rex mittit seruos*, sed frustra, &c. Paradoxa sunt hæc omnia, nec nata fieri. Ideo tamen affert Christus, vt Primò, ineffabilem palpemus Dei liberalitatem; Secundò, incredibilem hominum ingratitudinem; Tertiò, imminentem Dei iustitiam & vindictam.

Quoad Primum, de nuptiis Filij Dei cum humana natura in Christo, & cum anima nostra. Cant. 1. v. 1. &c. Vide de Incarnatione in Annuntiatione B. Virginis 25. Martij. *Beatus qui manducabit panem*, &c. Lucę 14.v.15. *Vocati ad nuptias Agni*, &c. Apoc.19.v.9. *Panem cæli dedit eis, panem angelorum*, &c. Psalm.77.v.13. *Comedite panem, & vinum*, &c. Prou.9.v.5. *De comedente exiuit cibus, & de forti dulcedo*, Iudic.14.v.8. & 14. *Calix meus inebrians*, &c. Psal. 22 v.5. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ*, &c. Apoc.2.v.7. *Vobis dispono vt edatis super mensam meam*, &c. Lucæ 22.v.28. *Regnum Dei non est esca & potus*, &c. Rom.14.v.17. *Quando apparebo ante faciem Dei?* Psal.41.v.1. *Inebriabuntur ab vbertate*, &c. Lucæ 12.v.37.

Quoad Secundum. *Nolebant venire*] *Comedite amici bibite & inebriamini*, &c. sed recusant. Cant.5.v.2. *In propria venit & sui*, &c. Ioan.1.v.11. Nónne indignamini? sed vide ne cum Dauide audias, *Tu es ille vir*. 2. Reg.12.v.7. Nónne toties vocatus ad pœnitentiam, recusasti venire? & quid non prætexis? Fortè mauis *calicem ira Dei*, Apoc.14.v.9. *vini meri plenum mixto*. Psalm.74.v.9. Excusationes. *Exspoliauit me tunica mea*, &c. Cantic.5.v.3. *Abscondit piger manum sub ascella*, &c. Prou.19.v.24. & cap. 26.v.15. *Leo est fortis*. cap.22.v.13. *Quia tepidus es, euomam te*. Apocal.3.v.15. *Qui timet pruinam, irruet super eum nix*. Iob 6.v.16. *Tetigit iustos tentatio mortis in eremo*, &c. Sap. 18.v.20. Sed *cùm occideret eos, quærebant eum*, &c. Psalm. 106.

Quomodo vocat Ethnicos? variis modis, olim manifestandis in iudicio: Nabuchodonosorem somnio, Dan. 4.v.1. &c. Baltassarem manu ad parietem scribente, c.5.v.5. Amanem per exaltationem æmulei eius Mardochæi, Esther 6.v.10. Sardanapalum & Ninuen, per Ionam, c.1. & 3.

Quomodo hæretici vocantur? ô quot miraculis! quot libri! quanta sanguinis Martyrum profusione!

Quomodo alij peccatores? ô quàm frequentibus, quàm potentibus conscientiæ stimulis! quàm efficacibus, quàm opportunis cohortationibus, monitis, exemplis! Adeste, accumbite, saturamini. Ni feceritis, ipse ego vos accusabo aliquando.

Quoties volui congregare filios tuos, &c. Matth.23.v.37. *Impple facies eorum ignominia*, &c Psal.82.v.17.

v.5. *Illi autem neglexerunt*] Maledicta villa, maledicta negotiatio quæ cælo nos spoliat *Rogamus vos fratres, vt negotium vestrum agatis*. 1. Thessal.4.v.11.

Vos *beatos, qui ad Agni nuptias vocati*, Apocal. 19.v.9. venistis, accubuistis. Restat, epulemini, saturemini, impinguemini frequenti ferculorum vsu & iteratione. Vestis etiam nuptialis indies nouis margaritis exornanda magis magisque. Omnibus offert Christus materiam huic vesti parandæ. Si lanam vis, *Ecce Agnus Dei*, Ioan. 1. v.29. Si byssum seu sericum, *Ego vermis sum*, Psal.21.v.7. insta operi, ne priùs quàm ordiaris vel absolueris, succidat te, Isaiæ 38.v.12.

v.7. Quoad Tertium. *Iratus rex*, mittit exercitus *suos*. Sufficerit vnus angelus delendis integris exercitibus, 4 Regum 19.v.34. *Orbis terrarum pugnabit cum eo contra insensatos*. Sap.5.v.21. *Sicut fremitus leonis, ita & regis ira: & sicut ros super herbam, ita & hilaritas eius*. Prou.19.v.12 & c. 20.v.2. *Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo*, &c. Prou.20.v.8.26. & 28. De *tenebris exterioribus*, vide tenebras Ægyptiacas, Exodi 10. v. 21. & Sap. 17. maximè v.vlt. & c.18.v.4.

VARIA.

Hanc parabolam Ierosolymis proposuit Christus quatriduo ante mortem suam. Chron.c.49.

De excisis per Titum Ierosolymis, vide Chron. c. 50. à morte Christi anno 40.

DOMINICA VIGESIMA POST PENTECOSTEN.

Euangelium *de Filio reguli curato*. Joan. 4. à vers. 46. ad 54.

FIDES & MORES.

Regulus abiit ad Iesum. Hoc nouum & prorsus insolitum Iac. 2.v. 5. *Nónne pauperes elegit Deus in hoc mundo?* Ioan. 4.v. 47. Sed causa erat, quia *filius* eius *infirmabatur & morie-bat mori*] Osee 6. v. 1. *In tribulatione sua manè consurgent ad*

me: Venite & reuertamur ad Dominum quia ipse cœpit, & sanabit nos, percutiet, & curabit nos, Psalm. 31. v. 4. *Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Isa. 28. v. 19. *Vexatio dabit intellectum.* Exemplo sit *Nabuchodonosor*, Dan. 4. v. 31. *Antiochus*, 2. Mach. 9. v. 11. Sic venit *Ioab* ad Absalom. 2. Reg. 14. v. 30. exustis segetibus. Isa. 26. v. 15. *Indulsisti genti, numquid glorificatus es? in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris, doctrinæ tuæ eis.* Prou. 1. v. 32. *Prosperitas stultorum perdet illos*: v. g. *Saulem*, 1. Reg. 15. v. 7. *Dauidem*. 2. Reg. 24. v. 1. *Oziam* 2. Paral. 26. v. 16. *Ioas*, c. 24. v. 18. *Salomonem*: 3. Reg. 11. v. 4. *Adamum*, Gen. 3. v. 6. *Lucifetum*, Gen. 1. v. 1. Quid te, ô Iona, reduxit ad mentem? nónne naufragium? Ionæ 2. v. 1. Quid te, ô Dauid? nónne gladius? 2 Reg. 12. v. 10. & c. 24. v. 16.

Rogabat eum vt descenderet, & sanaret filium eius] Maior cura parentibus sit oportet salutis filiorum spiritualis, exemplo Tobiæ 1. v. 10. qui *filium suum docuit à pueritia timere Deum*. & Iobi 1. v. 5. qui *consurgens diluculo offerebat holocausta pro singulis filiis suis*. Et 1. Reg. 2. v. 27. punitur Heli ob neglectam correptionem filiorum. *Qui suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior*. 1. Tim. 5. v. 8.

v. 48. *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis*] Quot, quantæque imperfectiones permixtæ sunt virtutibus & operibus nostris, & nos latent! vtinam *imperfectum meum* videant *oculi* mei! Psalm. 138. v. 16. 1. Cor. 1. v. 22. *Iudæi signa petunt, Græci sapientiam quærunt*. Gratum haud dubiè Deo, signa peti quando res non sat certò proponitur. Sic Abraham Gen. 15. v. 8. *Vnde scire possum, quòd possessurus sum eam?* Et œconomus Abrahæ, Quomodo sciam, Gen. 24. v. 14. quã sponsam optet Deus accipi Isaaco? Moyses, Exod. 4. v. 4. *Non credent mihi filij Israel*. Sic Gedeon, Iudic. 6. v. 15. Sic Ezechias, 4. Regum 20. v. 8. Sic Isaias ad Achaz, *Pete tibi signum à Domino*. Isa. 7. v. 11.

Sed re sat certò comprobatâ, non est gratum Deo, signa peti. Ioan. 20. v. 29. *Beati qui non viderunt, & crediderunt*. Ita hic, Jesum esse Messiam & Filium Dei, tot aliis signis comprobatum, & ex Scripturis adeò manifestum erat, (contr. 4. n. 1. & 2.) & nominatim in hac reguli vrbe Capharnaum (Luc. 4. v. 22. *Quanta audiuimus facta tua in Capharnaum?*) vt temerarium esset, sine vlterioribus nouis signis id nolle credere. *Mala & adultera generatio signum quærit, & non dabitur*, &c. Matth. 12. v. 39.

Accommoda hęc missioni pastorum Ecclesiæ, & intrusioni pseudoprophetarum, Lutheri, Caluini, Mennonis, &c. contr. 8. n. 1. & 2.

v. 49. *Domine, descende priusquam moriatur filius meus*] Quanto meliùs Centurio Matth. 8. v. 8. *Tantùm dic verbo*, &c. Etsi fide admodum imperfecta, quia tamen importunè vrget regulus, (exemplo illius Lucæ 11. v. 5. qui *nocte* amicum interpellat, & *vidua* c. 18. v. 3. quæ iudici molesta accidit:) impetrat quod optabat.

Quænam requirantur, vt infallibiliter oratio impetret, contr. 17. n. 3. Ne modum, ne tempus, ne mensuram præscribas Deo. Iudith 8. v. 12. *Non est iste sermo, qui misericordiam Dei prouocet, sed potiùs iram*. Psal. 36. v. 5. *Revela Domino viam tuam: spera in eo, & ipse faciet*.

v. 50. *Vade, filius tuus viuit*] Verbo vno, è nihilo omnia creauit. *Ipse dixit, & facta sunt*. Psal. 148. v. 5. Verbo transubstantiat quotidie panem & vinum in corpus & sanguinem suum, contr. 21. n. 2. &c. Quàm facilè condescendit infirmitati nostræ Deus in concedendis terrenis & naturalibus beneficiis! Deut. 28. v. 1. vsque 15. Sed debemus tunc illa conuertere in bonum nostrum spirituale.

v. 53. *Credidit ipse, & domus eius tota*] Iethro visis signis quæ fecerat Deus, Exod. 18. v. 10. ait, *Nunc cognoui, quia magnus Dominus*. En fidei gradationem: Primò, credit regulus Christum posse sanare, sed non nisi præsentem. Secundò, credit posse etiam absentem, v. 50. Tertiò, absolutè credit sicut oportet, in Christum tanquam Messiã. v. 53. Dicamus & nos Lucæ 17. v. 5. *Domine adauge nobis fidem*. Cur et pater familias vt, sicut ipse credit, & virtutem colit, credat & colat etiam vniuersa familia. Eccli. 10. v. 2. *Qualis rector ciuitatis, tales*, &c. *Lydia baptizatur, & domus eius tota*, Actor. 16. v. 14. Item *custos carceris*, v. 33. *& omnis domus eius*. Sic centurio cum omni sua familia, Actor. 10. v. 24. &c.

Magni reges futuri eramus in statu innocentiæ, & domini rerum omnium, etiam mortis & morborum, Gen. 1. v. 28. & c. 2. v. 17. nunc vix reguli. Rom. 7. v. 15. *Non quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi, malum*. Reguli tamen; retento libero arbitrio, contr. 13. n. 2. &c.

Infirmatur sæpè appetitus inferior, passione nimis exorbitante. Adhibe mox medicinam: *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*. Eccli. 7. v. 40. Si infructuosa remedia alia, ad orationem te confer: in ea perseuera etsi repulsus, memor importuni amici, Luc. 11. v. 5. & viduæ importunæ, c. 18. v. 3. & Chanahææ. Matt. 15. v. 27. & Iacobi, Gen. 32. v. 26. *Non dimittam te*, &c. Sed caue sis, modum præscribas Deo. 1. Reg. 3. v. 18. *Dominus est, quod bonum*, &c. Et si, vt olim Paulo, respondeat, 2. Cor. 12. v. 9. *Sufficit tibi gratia mea*, &c. patientiam habe. Cùm tibi expedierit, sanabit filium tuum. *Etiamsi occiderit me, sperabo in eum*. Iob 13. v. 15. *Deus potentes non abiicit, cùm & ipse sit potens, sed*, &c. Job 36. v. 5. vsque 17.

Aduentari tamen regulo non statim obsequitur Christus, nec abblanditur. Primò, vt ipsum doceat, personæ suæ dignitatem, vtpote qui Apoc. 19. v. 16. *Rex regum est, & Dominus dominantium*, contr. 4. n. 3. Secundò, vt nos dedoceat acceptionem personarum, Iac. 2. v. 1. Tertiò, vt ipsius patris morbum eadem operâ sanet: nam is præter fidei imperfectionem, nimis confidebat in potentia sua & opibus. *Descende*, inquit, nempe itinere diei vnius, è Galilæa in Capharnaum. Itáne, putas tuæ potentię vel opibus obnoxium Christum? quin potiùs cum centurione dicis? *Domine non sum dignus*, Matt. 8. v. 8. Nempe deferri sibi volobat, vt olim Naaman Syrus, 4. Regum 5. v. 11.

VARIA.

Filium reguli curauit Iesus initio Februarij, anni secundi prædicationis suæ. Chron. c. 49.

Qualis hîc regulus, vide comment.

DOMINICA VIGESIMAPRIMA POST PENTECOSTEN.

Euangel. *de Rege rationem ponente cum seruis suis*. Matth. 18. à v. 23. ad fin. cap.

FIDES.

Voluit rex rationem ponere cum seruis suis] *Deus deorum Dominus vocauit terram, à solis ortu vsque ad occasum*, &c. Psal. 49. v. 1. vbi rationem init cum omnibus. *Quis enim similis mei? & quis sustinebit me? & quis est iste pastor* (seu rex) *qui resistat vultui meo?* Ierem. 49. v. 19. *Quis enim dicet tibi, Quid fecisti? aut quis stabit contra iudicium tuum?* &c. Sap. 12. v. 12. vsque fin. *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis*. Hebr. 10. v. 31. *Etenim Deus noster, ignis consumens est*. Hebr. 12. v. 29. Matt. 18. v. 23.

Vnus debebat ei decem millia talenta, nec habebat vnde redderet] Quasi immensam peccati malitiam hinc æstima. Zach. 5. v. 6. *Ecce talentum plumbi portabatur*, &c. *Hæc est impietas*. Sed an vnus solus tanta debet Domino? milleni sunt, ac penè innumeri. Sed vnius meminit, vt scias neminem effugere, & accuratissimam ineundam cum singu- v. 24.

singulis rationem, perinde ac si cum vnico negotium esset. Quid verò fiet huic tantæ summæ debitori, cùm qui vnicum talentum, non iam dico prodegerat, sed lucro non exposuerat, præcipitatus sit in tenebras exteriores? Matt. 25. v. 30. Et quæ causa non procidit ille domino suo ad genua, non se humiliat? culpam non agnoscit, non spondet solutionem, &c. vt hic noster facit.

v. 26. 27. *Procidens ille seruus, orabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus dominus, debitum dimisit ei.* Contritione delentur omnia, quantumcumque enormia & numerosa peccata, contr. 23. n. 5. Coloss. 2. v. 14. *Delens quod aduersum nos erat chirographum decreti,* &c. Ephes. 3. v. 20. *Potens abundanter facere quàm petimus aut intelligimus.* Ionæ 4. v. 2. *Tu Deus clemens & misericors, & ignoscens super malitia.* Isaiæ 1. v. 18. *Si fuerint peccata tua vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Sap. 11. v. 24. *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiã. Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorũ quæ fecisti. Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.* Salomoni, sapientiam poscenti adiecit etiam *diuitias & gloriam.* 3. Reg. 3. v. 13. Prodigo *annulus* & *stola* nobilior redditur. Luc. 15. v. 22. *Quem persequeris rex Israel? quem persequeris? canem mortuum persequeris, & pulicem vnum.* 1. Reg. 24. v. 15.

v. 30. Conseruo suo, qui non nisi centum denarios debebat, *noluit* quantumuis humillimè supplicanti, ignoscere: *sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum*] Quæ hæc inclementia! quæ barbaries! quæ ingratitudo! ô quàm fides non sufficit sine charitate, contr. 15. n. 7. & 33. Eccli. 4. v. 36. *Non sis porrecta manus tua ad recipiendum, & ad dandum contracta. Noli prauaricari in amicum pecuniam differentem, neque fratrem charissimum auro* (seu propter aurum) *spreueris.* Eccli. 7. v. 20.

v. 31. *Videntes conserui eius quæ fiebant, narrauerunt omnia domino suo*] Matt. 18. v. 10. *Nolite contemnere vnum de pusillis istis,* &c. *quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei.* Psalm. 118. v. 158. *Vidi prauaricantes, & tabescebam.* Quin & Habac. 2. v. 11. *Lapis de pariete clamabit.*

v. 33. *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi* sine vllo tuo merito, sed ob hoc solùm, *quoniam rogasti me* (remissio peccatorum fit gratuitò, contr. 16. nu. 2.) *Nonne oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?*] Eccli. 28. v. 1. *Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit. Homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam? in hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? quis exorabit pro delictis illius?* Quid si, ô ingrate, & tu repulsam passus fuisses à domino tuo, quo animo tum fuisses?

v. 34 *Et iratus tradidit eum tortoribus*] De suppliciis infernalibus, contr. 26. n. 8. *In quo iudicio* (Matt. 7. v. 2.) *iudicaueritis, iudicabimini: & qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis,* & Jac. 2. v. 13. *Iudicium sine misericordia illi qui non facit misericordiam.* Gen. 42. v. 21. *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, & non audiuimus vocem eius, dum deprecaretur nos.* Iudic. 1. v. 7. *Septuaginta reges, amputatis manuum & pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias. Sicut feci, ita reddidit mihi Dominus.* 1. Regum 15. v. 33. *Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic,* &c.

v. 35. *Nisi remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris*] Apage oscula Iudæ, Matt. 26. v. 49. & melleas voces Ioab, 2. Regum 20. v. 9. *Salue mi frater.* Apage simulatas amicitias, palliatas reconciliationes, occulta odia: Frustra est omnis iniuriæ remissio, si non sit de corde bono & charitate non ficta; 2. Cor. 6. v. 6.

MORES.

Non agitur hîc de extremo iudicio, seu particulari, seu vniuersali: quia in istis nullus est locus pœnitentiæ vel veniæ, (multò minùs recidiuæ), sed de iudicio quod Deus quotidie in causa cuiusque exercet. Sed quàm diuersum est hoc Dei iudicium à iudicio seu tribunali humano! Ibi reus confitens damnatur, hîc absoluitur. Psal. 31. v. 5. *Dixi, confitebor,* &c.

Quis hic iudex? *Ego sum α & ω, primus & nouissimus, principium & finis.* Apocal. 22. v. 13 *Throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, & libri aperti sunt.* Dan. 7. v. 9. &c. vsque 15. *Ego video volumen volans. Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ. Quia omnis fur, omnis iurans,* (omnis alius peccator) *ex hoc iudicabitur.* Zach. 5. v. 2. vsque 5. Adde, & punietur. *Talentum plumbi missum in os amplius,* &c. v. 6. vindicta est diuina singulis incumbens.

Forma tribunalis, & concilij cælestis describitur. Apocal. 4. v. 2. vsque fin. *Et vidi in dextera sedentis super thronum, librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem.* cap. 5. v. 1. Forma iudicis cap. 1. v. 13 cap. 19. v. 11. *Et attendit Dominus* (dicta & cogitata & facta singulorum, fluente vita,) *& audiuit: & scriptus est liber monumenti coram eo.* Malachi. 3. v. 16.

Liber hic est memoria diuina. Neque opus coniecturis vel testibus, vel causidicorum allegatis. *Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet: sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ, & percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius.* Isaiæ 11. vers. 3. 4. 5. *Prauum est cor omnium & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes: qui do vnicuique iuxta viam suam, & iuxta fructum adinuentionum suarum.* Ierem. 17. vers. 9 & 10. *Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens,* &c. Hebr. 4. vers. 12. &c. *Diuinatio in labiis regis, in iudicio non errabit os eius. Pondus & statera iudicia Domini sunt, & opera eius omnes lapides sacculi,* &c. Prouer. 16. vers. 10. vsque 16. *Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.* Malach. 3. v. 5.

Nec tamen desunt etiam hostes nostri officio suo. *Quadam die cùm venissent filij Dei vt assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan,* &c. Job 1. v. 6.

Posito tribunali, expeditis libris, iudice sedente, *Accedant,* inquit, *ad me insulæ, & Gentes mutent fortitudinem: accedant, & tunc loquantur, simul ad iudicium propinquabimus.* Isaiæ 41. vers. 1. *Viderunt insulæ, & timuerunt, extrema terræ obstupuerunt, appropinquauerunt & accesserunt.* vers. 5. *Propè facite iudicium vestrum, dicit Dominus: afferte, si quid forte habetis,* vers. 21. quo scelera vestra pallietis. *Stat ad iudicandum Dominus, & stat ad iudicandos populos. Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui, & principibus eius. Vos enim* (incipit expostulatio,) *depasti estis vineam, & rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis?* Isaiæ 3. vers. 13. vsque 16. Nec viros tantùm, sed & femellas, &c. vers. 16. vsque fin. *Iudicium Domino cum habitatoribus terræ. Non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra,* &c. Osee 4. v. 1. &c.

Audi sententiam: *Et corrues hodie,* &c. v. 5. *Conticuit populus meus, eò quòd non habuerit scientiam,* &c. vers. 6. Neque soli plebeii hîc tanguntur. *Audite hoc sacerdotes, & domus regis auscultate, quia* etiam *vobis iudicium est quoniam laqueus factus estis speculationi, & rete expansum*

super

super Thabor, & victimas declinastis in profundum, &c. Osee 5.v.1.&c. *Ego quasi leæna, & quasi catulus leonis domui Iudæ: ego ego capiam, & vadam: tollam, & non est qui eruat.* vers. 13.

Cum singulis verò, instar Danielis, expostulat *Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua* (in palam) *quæ operabaris priùs*, &c. Dan. 13. vers. 52. *Rectè mentitus es in caput tuum: Ecce enim angelus Dei, accepta sententia ab eo, scindet te medium.* vers. 55. *Semen Chanaan, & non Iuda, species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum.* vers. 56. *Manet enim angelus Domini, gladium habens, vt secet te medium*, &c. vers. 59. Et tu Iechonia rex, *Numquid regnabis, quia confers te cedro?* &c. Enimuam sententiam: *Sepultura asini sepelietur, putrefactus & proiectus extrà portas Ierusalem.* Ierem. 22. vers. 15. 19. *Viuo ego, dicit Dominus; quia si fuerit Iechonias annulus in manu dextera mea, inde euellam eum: & dabo te in manu quærentium animam tuam, & in manu quorum tu formidas faciem*, &c. vers. 24. *Numquid vas fictile atque contritum vir iste Iechonias? Numquid vas absque omni voluptate?* vers. 28. *Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur*, &c. vers. 30. *Tu autem profane, impie dux Israel* (Sedecia,) *cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinitæ: aufer cidarim, tolle coronam. Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam. Et hoc non* (plenè) *factum est, donec veniret* (Messias) *cuius est iudicium, & tradam ei.* Ezech. 21 v. 25.

Mox venundatur hic seruus & filij, &c. imò traditur tortoribus. *Nabuchodonosor locutus est ad Sedeciam iudicia: & occidit filios eius in Reblatha, in oculis eius, & omnes nobiles Iudæ. Oculos quoq; Sedeciæ eruit, & vinxit eum compedibus, vt duceretur in Babylonem*, &c. Ierem. 39. v. 5. &c.

Nobis tortores sunt morbi, damna, infamia, &c. Exprobratio seuerissima beneficiorum Synagogæ collatorum est Ezech. 16. toto capite.

Nunc vide effectum diuini iudicij v. g. circa Achab. *Quis decipiet Achab regem Israel?* 3. Reg. 22. vers. 20. *Vir quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit regem Israel inter pulmonem & stomachum*, v. 34.

Circa particulares vrbes, *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethzaida*, &c. Matth. 11. v. 21. Et varia genera peccatorum. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi*, &c. Matth. 23. v. 13. &c. *Væ vobis diuitibus*, &c. *Væ vobis qui saturati estis, qui ridetis*, &c. Lucæ 6. v. 24. &c. Et tu quoque de throno sublimi *descende, sede in puluere virgo filia Babylon, sede in terra*, &c. Isaiæ 47. v. 1. &c. *Sede tacens, & intra in tenebras*, &c. v. 5. &c. *Audiuimus superbiam Moab, superbus est valdè. Ego scio, ait Dominus, iactantiam eius*, &c. Ierem. 48. v. 29. &c. *Propterea*, &c. *omne caput caluitium, & omnis barba rasa erit: in cunctis manibus colligatio, & super omne dorsum cilicium.* v. 37. *Quia contriui Moab sicut vas inutile.* v. 38. *Eritq; Moab in derisum, & in exemplum omnibus in circuitu.* v. 39. *Quid gloriaris* (ô Ammon) *in vallibus? defluxit vallis tua, filia delicata, quæ confidebas in thesauris tuis, & dicebas, Quis veniet ad me?* Ierem. 49. v. 4. *Ecce ego inducam super te terrorem, & dispergemini singuli*, &c. v. 5. *Arrogantia tua decepit te*, ô Edom, *qui habitas in cauernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis. Cùm exaltaueris quasi aquila nidum tuum, inde detrahamte*, &c. vers. 16. &c.

Sed & simili sententia quasi sideratus tyrannus Antiochus *inhonestè reuertebatur de Perside, cælesti eum iudicio perurgente. eò quòd ita superbè locutus esset, se venturum Ierosolymam; & congeriem sepulchri Iudæorum eam facturum. Sed qui vniuersa conspicit Dominus Deus Israel, percussit eum insanabili & inuisibili plaga, vt finiuit hunc ipsum sermonem*, &c. 2. Mach. 9. v. 1. 4. 5. &c. *Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* v. 13. Nempe pœnam deprecabatur, non culpam. *Igitur homicida & blasphemus pessimè percussus, peregrè in montibus miserabili obitu vitâ functus est.* v. 28.

Idem iudicium nostris quoque singulorum capitibus impendet. *Mulieres opulentæ*, iuuenes petulantes, viri procaces, *surgite & audite vocem meam: post dies enim & annum vos conturbabimini quantumcumque nunc confidentes*, &c. Isa. 32. v. 9. De mala administratione bonorum Domini nostri, vide Villicum iniquitatis, Dominica VIII. post Pentecost.

Omnibus commune est terribile illud, *Mane, thekel, phares*, Dan 5. toto. & infame *patibulum Aman*, Esther 7. v. 8. nisi citò pœniteamus & culpam deprecemur. Iudicia tua, Domine, *omnia in mensura & numero & pondere dispositisti.* Sap. 11. v. 21. *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium, pro omni errato, siue bonum, siue malum illud sit.* Eccles. 12. v. vlt. *Renum illius testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus, & linguæ eius auditor*, &c. Sap. 1. v. 6. vsque 12.

Nec cum reprobis tantùm, sed & cum electis suis simili modo expostulat Deus. v. g. cum Dauide: *Ego tulisti cùm in pascuis sequereris gregem, vt esses dux populi mei Israel. Et fui tecum quocumque perrexisti, & interfeci omnes inimicos tuos coram te, feciq; tibi nomen*, &c. 1 Paral. 17. v. 7. &c. Iã audi sententiam: *Tria tibi datur optio*, &c. 2. Regum 24. v. 12. *Iram quidem Domini merebaris*, ô Josaphat: *sed bona opera inuenta sunt in te.* 2. Paral. 19. v. 2. Mardochæus, Esther. 6. v. 6. qui pro fide sua nihil omnino mercedis accepit, exaltetur; Aman verò suspendatur in patibulo quod Mardochæo parauerat, c. 7. v. 10.

Neque enim puniuntur tantùm peccata, sed & virtutibus sua præmia decernuntur. *Tolle* (Ieremiam) *& pone super eum oculos tuos, nihilq; ei mali facias, sed vt voluerit, sic facias ei.* v. 12.

Tantùm hîc notandum, prima primorum Superiorum peccata grauiùs puniri solere, ad sequentium terrorem, vt dixi 1. Regum 13. v. 13. Nec quidquam obliuioni traditur. *Recensui, quæcumque fecit Amalec Israeli, quomodo restitit ei in via cùm ascenderet de Ægypto*, &c. *Nunc ergo vade & percute Amalec*, &c. 1. Regum 15. v. 2. & 5. Et sæpè eodem quo peccatur momento pœna decernitur. *Scidit Dominus*, ô Saul, *regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te*, 1. Regum 15. v. 28. Et ni pœniteas, irreuocabiliter: *Porrò Triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo est vt agat pœnitentiam.* v. 29. *Ego enim Dominus, & non mutor.* Malach. 3. v. 6.

Et hæc quisque in rem suam vertat, si sapit. *Memor esto iudicij mei: sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie.* Eccli. 39. v. 23.

Nec pures, quia formam iudicij non vides, sententiæ verba non audis, ideo non exerceri iudicium. Te dormiente, te ludente, te peccãte illud peragitur certissimò. Et pœnæ reipsa tibi inflictæ fatè clarè loquuntur, quænam in caput tuum lata sit sententia. Prouidentiam diuinam & mitam vicissitudinem in administratione vniuersi pulchrè describit Anna, 1. Regum 2. v. 3. qui effectus sunt huius tribunalis, & quasi realis suppuratio. Et quid aliud clamant tòt in orbe flagella, publica, priuata? *propter peccata terræ* (impunita) *multi principes eius*, &c. Prou. 28. v. 2. Fateor, *Viri mali non cogitant* hoc *iudicium*: sed qui sapiunt & qui *inquirunt Dominum*, ipsi continuò *animaduertunt omnia.* v. 5.

Vt hoc nobis sit solatio, si quãdo denegatur iustitia in terreno tribunali, recursum patêre ad hoc cæleste tribunal. *Si videris calumnias egenorum & violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia* (per inferiores iudices,) *non mireris* (nec turberis) *super hoc negotio; quia excelso excelsior est alius* (ad quem semper patet recursus,) *& super*

per hos quoque eminentiores sunt alij: & insuper (saltem) vniuersa terra rex (Deus) imperat seruienti. Eccles. 5. v. 7.

Et licet sæpè occultæ sint causæ, cur sic iudicet & disponat, Deus; scias tamen semper esse iustissimas. *Sunt iusti quibus malà proueniunt, quasi opera egerint impiorum: & sunt impij, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant.* Eccles. 8. v. 14. *Et intellexi, quòd omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem*, &c. vers. 17. Nempe *modò nescis: scies autem postea.* Ioan. 13. vers. 7. *Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, vtrùm amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta.* Eccles. 9. vers. 1. *Quia eadem cunctis obueniunt*, &c. vers. 3. *Et vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam; sed tempus casúmque in omnibus.* vers. 11. Casum, respectu hominum: sed respectu tribunalis diuini, certam & liquidam sententiam. *Terra data est in manus impij* (Satanæ, eiusque ministrorum) *hic operit vultum iudicum: terræ. Quòd si non ille est, quis ergo est?* Iob 9. v. 24. *Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum, cum ipse dederit omnia in manus eorum.* c. 12. v. 6.

Sed eripiet statò tempore. *Ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor serui mei*, &c. *& seruient ei omnes gentes*, &c. *donec veniat tempus terræ eius & ipsius. Regnum quod non seruierit Nabuchodonosori regi Babylonis, in gladio, & in fame, & in peste visitabo super illud.* Ierem. 27. v. 6. vsque 9. Ecce *duo calathi* pleni *ficis*, positi *ante templum Domini*, &c. Ierem. 24. toto c.

Subinde parentum scelera punit etiam in filiis, similium scelerum reis. *Quid est quòd parabolam vertitis inter vos: Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt?* Ezech. 18. v. 2. &c. Sed numquam cura meritum *Numquid Deus supplantat iudicium? aut Omnipotens subuertit quod iustum est?* Iob 8. v. 3.

Quia tamen differtur subinde pœna, hinc non rarò contemnitur. *Etenim quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala.* Eccles. 8. v. 11. Proferetur tamen haud dubiè: & fortè dum minimè cogitabis. *Quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cùm enim dixerint, Pax & securitas; tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habenti, & non effugient.* 1. Thessal. 5. vers. 2. & 3. Et vt differatur ad tempus, quantilla hæc dilatio? *Filioli, nouissima hora est.* 1. Ioan. 2. vers. 18. *Milvus cognouit tempus suum, turtur & hirundo, & ciconia*, &c. Ierem. 8. vers. 7. Inuigila & tu tuo rempori Matth. 26. vers. 18. *Tempus propè est.* Permittit interim Deus, vt *qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Et permittit hoc subinde in gratiam iustorum, *vt & qui iustus est iustificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc.* Apocal. 22. vers. 10. & 11. Alioquin *ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua.* vers. 12. *Non dicas, A Deo abscondar, & ex summo quis mei memorabitur? in populo magno non agnoscar: quæ est enim anima mea in tam immensa creatura?* Eccli. 16. vers. 16. respondet vers. 18. vsque 23. & cap. 17. vers. 13. vsque 18. Quid stulte, *Putasne Deus è vicino ego sum? & non Deus de longè? si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum? nunquid non cælum & terram ego impleo?* Ierem. 23. v. 23. *Quis me videt?* (inquit peccator,) *tenebræ circumdant me*, &c. *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem*, &c. Eccli. 23. v. 25. vsque 32. Sunt alij non minùs nequam qui dicunt: *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Psal. 113. v. 16. Sed frustra, vide verbo Prouidentia & controu. 1. nu. 4. *Audite ergo reges & intelligite, discite iudices finium terræ*, &c. Sap. 6. v. 2. vsque 12. Nemo effugiet. Quin potiùs, plebeio & *exiguo conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.* vers. 7. *Fortioribus autem fortior instat cruciatio.* v. 9. *Existimas autem hoc, ô homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei?* Rom. 2. v. 3. Cur differtur tam diu? *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.* Rom. 2. v. 4. &c. *Deus iudex vt iustus, & fortis*, ita etiam *patiens*, &c. Psal. 7. v. 12. vsque 15.

Sed si hoc tibi scandalo est, & ob hoc insultas Deo; senties citò pœnam. *Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa & linguam magniloquam: qui dixerunt: Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt: quis noster Dominus est?* Psal. 11. v. 4. *Ne dixeris, Peccaui, & quid mihi accidit triste* &c. quin-& *de propitiato peccato noli esse sine metu, neque adiicias peccatum super peccatum. Et ne dicas, Misericordia Domini magna est*, &c. *Non tardes conuerti ad Dominum*, &c. Eccli. 5. v. 4. vsque 10.

Neque nimiùm præfidas tuę, vt putas, innocentiæ. *Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est:* 1. Corinth. 4. v. 4. *Qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo.* vers. 5. Quàm *iusta* omnia Dei *iudicia*, vide Iob 34. vers. 10. vsque 31.

Vin' certum solidumque remedium? Quotidiano examine conscientiam excute. *Iudicium eligamus nobis, & inter nos videamus quid sit melius.* Iob 34. v. 4. Apud te *iudicare coram illo, & exspecta eum. Nunc enim non infert furorem suum, nec vltiscitur scelus valdè.* c. 35. v. 14.

Quidquid pateris aduersi, iunge passioni Christi, & sic offer Deo in satisfactionem. *Omnia reddam tibi. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris & totius mundi.* 1. Joan. 2. v. 2. *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera!* Iob 6. v. 2. Age hîc pœnitentiam, & pœnitebit etiam Deum asperioris sententiæ. Ierem. 18. v. 8. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam*, &c. *Ante iudicium para iustitiam tibi, & antequam loquaris disce. Ante languorem adhibe medicinam, & ante iudicium interroga teipsum, & in conspectu Dei inuenies propitiationem. Ante iudicium humilia te, & in tempore infirmitatis ostende conuersionem tuam.* Eccli. 18. v. 19. vsque 22. Siste te tribunali sacerdotum, quibus dictum à Christo: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ioan. 20. v. 23. Fer patienti, &, si potes, hilari animo, flagella quibus affligeris à Deo. *In nouissimis diebus intelligetis consilium eius.* Ierem. 23. vers. 20. *Memento nouissimorum, & desine inimicari.* Eccli. 28. v. 7. *Quis sapiens, & intelliget ista? intelligens, & sciet hæc? quia rectæ viæ Domini, & iusti ambulabunt in eis: prævaricatores verò corruent in eis.* Osee 14. v. 10. Numquam obloquaris sententiæ diuinæ. *Sapiens corde est, & fortis robore.* Iob 9. v. 4. *Si fortitudo quæritur, robustissimus est: si æquitas iudicij, nemo audet pro me testimonium dicere. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, prauum me comprobabit: etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea*, v. 19. &c. Humillima solùm prece *dicam Deo: Noli me condemnare*, &c. Iob 10. v. 2. *Non iudicat Deus vt iudices* vel carpas lictores eius, putà homines *mortales.* v. 3. per quos puniris.

Quot & quanta in homine sint *delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me*, &c. Psal. 18. v. 13. & 14.

Et subinde expiata nondum sunt, quæ tu obliuioni tradidisti. *Dauid moriturus iubet plecti Ioab & Semei*, ob olim admissa peccata, 3. Reg. 2. v. 15. &c. Subinde & pœna minuitur ob adiuncta merita. *Equidem vir mortes.* (inquit Salomon Abiatharo pontifici) *sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini Dei tui coram David patre meo, & sustinuisti laborem in omnibus, in quibus laborauit*

rauit pater meus. 3.Reg. v.26. Ob noua demerita sæpè augetur pœna. *Semei* cui pepercerat *Dauid*, punitur à *Salomone.* 3.Reg.2.v.36. & 44. *Tu nosti omne malum, cuius tibi conscium est cor tuum, quod fecisti Dauid patri meo: reddidit tibi Dominus malitiam in caput tuum.*

Augent & pœnam peccata aliena, vt patet exemplo *Heli*, 1.Reg.3. v.12. licet taliter qualiter reprehendisset filios, c.2.v.23. Quàm inculpatam vitæ totius rationem posuit *Samuel!* 1.Reg.12.v.3. Sed quid de filijs eius peruertentibus iudiciũ? c.8.v.2. Quem parentes non castigant, castigat Deus. Filios *Heli*, 1.Reg.2.v.34. Filios *Samuelis*, c.8.v.3. *Amnon*, 2.Reg.13.v.21.& 28. Quia *Saul* occidit *Gabaonitas*, facta est in diebus *Dauidis* fames triennalis, 2.Reg.21. v.1. nec nisi cæde *filiorũ Saul* restincta.

Porrò diuino diuini tribunalis exemplo discite etiam vos iudices, non impunita relinquere scelera reipublicæ. *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris: quia* hæc asperior *curatio faciet cessare peccata maxima.* Eccles.10.v.4. Sint iudices, Exod. 18. v.21. *selecti ex omni plebe, viri potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam.* Intrepidus sit rex, oportet, instar leonis, qui *ad nullius pauebit occursum*, Prou.30.v.29.vsque 32. vide etiam 2.Paral. 19. v.6

Non sinatis imponi vobis à partibus, ab adulatoribus, &c. *Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios.* Ne personas accipiatis. *Pauper & creditor obuiauerunt sibi; vtriusque illuminator est Dominus. Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur.* Prouerb.29. v.12.13.14. *Denique vt multi requirunt* placare *faciem principis* terreni, vt fauentem accipiant sententiam: conemur & nos placare faciem Domini: quia *& iudicium à Domino egreditur singulorum*, v.26. & qui de illo placando tempestiuè sategerit, *inueniet misericordiam.*

Quales debeant populo præfici iudices, vide Exodi 18.v.21.& Deuter.1.v.13.

De vi pœnitentiæ & orationis, contr.23.n.5.& contr.17.n.3.

Serue nequam] De vitio ingratitudinis, vide Dominicâ XIII post Pentecosten.

De charitate in proximum Dominica XVII. Etiam in inimicos, in Festo S.Stephani, 26.Decembr.

De carcere infernali, contr.29.nu.8. *Pones eos vt clibanum ignis*, &c.Psal 20,v.10.vsque 14.

VARIA.

Hanc parabolam proposuit Christus sub initium Ianuarij, anni vltimi prædicationis suæ. Chron.c.49.

Centum denarii vix sunt 25. floreni Belgici, seu decem imperiales. Decem millia talenta, si sint argenti, & Attica, faciunt 60. vasa auri, seu sex milliones scutorum: Hebræa duplum faciunt. Duodecuplum verò, si auri talenta accipias.

Cortex parabolæ seruiat corripiendis quæstoribus, qui dominorum pecunias, quasi suas prodigunt, & ita seipsos, vxorem, proles & familiam euertunt. Corripiendis item vxoribus & filiabus & filiis, qui superfluo vestium luxu, & mensarum impensis sæpè parentes & maritos exhauriunt.

Olim creditores solebant tollere filios debitorum, 4.Regum 4.v.1. Quando hic mos cessarit, vide hîc in comment.

Numquam retrahi peccata semel remissa Rom.11.v. 29. *Sine pœnitentia sunt dona Dei.*

DOMINICA VIGESIMASECVNDA POST PENTECOSTEN.

Euangel. *de Numismate census.* Matth.22. à v.15. ad 22.

FIDES.

Consilium inierunt, vt caperent eum in sermone] Sciebant enim quòd facillimè delinqueret homo in verbis. Iac.3. v.7. *Omnis natura bestiarum domatur à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest; inquietum malum, plena veneno mortifero.* v.2. *Qui non offendit verbo, hic perfectus est vir.* Matth.22. v.15.

Magister, scimus quia verax es] imò ipsa veritas prima, summa, infinita, contr.4.n.3. v.16.

Et viam Dei in veritate doces] Ioan. 18. v.37. *Ego in hoc natus sum, vt testimonium perhibeam veritati.* v.17.

Et non respicis personam hominum] Hæ dotes sinceri doctoris. *Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito.* Ezech.13. v.18. *Qui ædificant parietem, & luto liniunt absque paleis.* v.10. Non sic Nathan ad Dauid, 2.Regum 12. v.7. Azarias ad regem Oziam, 2.Paral. 18. v.18. Elias ad Achab. 3.Regum 18.v.18. Ioannes ad Herodem, Marc. 6. v.18. v.18.

Licet censum dare Cæsari, an non?] Institutio *census*, Exodi 30.v.12.& vsus eiusdem, 4.Regum 12.v.4. v.20.

Cognita Iesus nequitia eorum] Psalm. 61. v. 5. *Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.* psalm. 34.v.20. *Mihi quidem pacificè loquebantur.* Ioan.21.v.17. *Domine tu omnia nosti.* controu. 4. num.13. *Si te lactauerint peccatores,* &c. Prouerb.1.v.10. Lac tibi propinat Iahel, vt sopitum trucidet, Iudic. 4.v.19. *Populo meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* Isaiæ.3.v.12. v.21.

Cuius est imago hæc & superscriptio? Cæsaris] Non ergo erant Iudæis vetitæ imagines contr.30.n.11. & Exodi 20.v.4 & c.26.v.1. Num 2.v.3. in fin. Iosue 22.v.24.& 1.Regum 12.v.21.

Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari] Rom. 13.v.7. *Reddite omnibus debita: cui honorem, honorem: cui tributum, tributum.* Dominium & principatum etiam impijs, etiam infidelibus conuenire, & legibus eorumdem parendum, contr. 10. n.2. Christianis quoque principibus licere leges condere, iudicia exercere, &c. n.1.3.4.

Sed sicut ex nuda imagine & inscriptione Cęsaris conuincimini, illud numisma deberi Cæsari: sic etiam agnoscatis oportet, vos debere vos ipsos Deo, quia imago Dei in vobis est, Gen. 1.v.26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Psal.118. v.94. *Tuus sum ego.*

Reddite ergo *quæ sunt Dei, Deo*] Hæc imago in anima hominis duplex est. Vna naturalis: nam anima, instar Dei, est incorporea, indiuisibilis, tota in toto corpore, & tota in singulis partibus, indepẽdens à corpore, immortalis, dans corpori moueri & operari, vna in essentia, trina in potentiis nobilissimis, libero arbitrio prædita, & dominio in res omnes corporeas, quarum est compendiũ, μικρόκοσμος & finis vltimus, capax scientię, virtutis, gratię, glorię, visionis Dei & fruitionis eiusdem. Et hęc imago perdi nequit. Altera est supernaturalis; sita in gratia Dei iustificante & virtutibus infusis (contr. 15. nu. 8.) per quam diuinæ sit consors naturæ (2.Petr.1.v.4.) & filius Dei. Hæc inchoatur in hac vita, in altera perficietur. Homine peccante perditur, contr.15.num.17. sed per pœnitentiam recuperatur; contr.23.nu.1.& 3. In inferioribus creaturis solùm posuit Deus vestigium aliquod suæ existentiæ, suæ vitę, suę operationis: in homine & angelo plenam imaginem sui. S. Thom. 1.p.q.93. Cumq; omnes inferiores creaturę, vix vestigio gaudentes, numquam discessionem faciant à Deo Iudith 16. v. 17. *Tibi*

17. *Tibi seruit omnis creatura, & non est qui resistat voci tuæ.* homo tamen infignitus nobilissima imagine Dei, vix Deam agnescere dignatur. Insignitus, inquam, Primò, in creatione? Secundò, in regeneratione, seu Baptismo; Tertiò, in Confirmatione, contr.20.n.1.

Sed in quem finem reddemus nos Deo? Respondeo, vt cœptam imaginem omninò perficiat. Philip.1.v.6. *Qui cœpit in vobis bonum opus perficiet.* Col.3.v.9. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, secundùm imaginem eius qui creauit illum.* Psalm.83. v.8. *Ibunt de virtute in virtutem*, donec videatur *Deus deorum in Sion.* Valdè inæqualem esse iustitiam Sanctorum, controu.15.num.21. Vnde ne conformemur *huic sæculo*, Rom.12.v.2. Ne inducamus imagines bestiarum. *Nolite fieri sicut equus & mulus*, &c. Psalm.31.v.9. Apoc.14. v.9. *Si quis adorauerit bestiam, aut imaginem eius, & acceperit characterem eius in fronte vel in manu sua, hic bibet de vino iræ Dei.*

MORES.

Matt. 22. v.15. *Miserunt, vt caperent eum in sermone*] Idque Lucæ 20.v. 20. *vt traderent illum principatui & potestati præsidis.* Primò, quàm noxium sit mundo, destitui viris iustis, non attendit, non curat, Gen 18.v.32. imò expellit à se, imò occidit. Secundò, vnicũ mundi studium, fallere ac decipere; Tertiò, hypocritam agere, speciosa promittere, & contraria præstare. *Simeon & Leui* quàm fœdè blandis verbis impositerunt *Hemor & Sichem!* Gen.34.v.15.&c.& Ioab, Amasæ, 2.Regum 20.v.9. & Alcimus Assidæis, 1.Machab.7.v.12. Quartò, scienter & volenter à vero aberrare. *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces*: & tamen nolumus sequi, volumus aberrare, & alios in errorem pertrahere. Sed cui bono? *Quid detur tibi, aut quid* (emolumenti) *apponatur tibi* (ô maledice) *ad linguam dolosam? sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs.* Psalm.119. v.3. *Acuerunt linguas suas sicut serpentis, venenum aspidum sub labijs eorum.* Psal.139.v.4. *Cogitauerunt supplantare gressus*, &c.vers.5. vsque fin. *Verba bilinguis quasi simplicia, & ipsa* (nocendo) *perueniunt vsque ad interiora ventris.* Prouerb.18.v.8. *Os stulti, contritio eius: & labia eius, ruina animæ eius.* vers.7. nempe quando *labia stulti miscent se rixis, & os eius iurgia prouocat.* vers.6. *Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri: sed homo sapiens exhauriet illud.* Prouerb.20.v.5. *Sicut noxius est qui mittit sagittas & lanceas in mortem; ita vir qui fraudulenter nocet amico suo: & cùm fuerit deprehensus, dicit, Ludens feci.* cap.26. vers.18. *Qui corripit hominem, gratiam postea inueniet apud eum, magis quàm ille qui per linguæ blandimenta decipit.* cap.28.vers.23. *Homo qui blandis fictisq; sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius.* cap.29. vers.5. sed auctorem *inuoluet laqueus*, &c. vers.6. *Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Psalm.56.vers.5. *Laqueum parauerunt pedibus*, &c. *foderunt ante faciem meam foueam; & inciderunt in eam.* Psalm.56. vers.7. *In ore stulti virga superbiæ: labia autem sapientium custodiunt eos.* Prouerb.14. vers.3. Iactantia in loquendo, Iob 32.vers.17. vsque fin. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*, &c. Psalm.82.vers.17.18.19.

Si difficile est cauere sibi à malis linguis; difficilius adhuc multò non labi propriâ linguâ. *Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo.* Eccli.14.vers.1. Iob ipse, quantus vir! tamen cap.42.vers.3. *Insipienter locutus sum. Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam. Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius.* Prouerb.16.vers.1.& 9. *Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est, & pretiosi spiritus vir eruditus.* cap.17. vers.27. *Quis dabit*, &c. *& super labia mea signaculum certum, vt non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me?* Eccli. 22.vers.33. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis. Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas*, &c. Psalm.140.vers.3. vsque 5. *Custodi me à laqueo quem statuerunt mihi, & à scandalis operantium iniquitatem.* vers. 9. & 10. *Dixi, Custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam.* Psalm.38.vers.1. nempe qualem potui: sed tuæ tua quoque parte *pone custodiam ori meo*, &c. Psalm.140. vers.3. & Eccli.22. vers.33. *Frænos oris & statheram verbo*, &c. Eccli.28.vers.28. talis *prudentissimus est*, Prouerb.10. vers.19. *Custos iustitiæ silentium est.* Isaiæ 32.vers.17. *Os iusti meditabitur sapientiam*, &c. Psalm.36. vers.20. Similia Prouerb.16. vers.21. & cap.29. vers.20. Eccli.6. vers.6. Iac.3.vers.10.&c. *Fauus distillans*, &c. Cant.4.vers.11.

Et hoc facile est Deo. *Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum & surdum, videntem & cæcum, nonne ego? perge igitur, & ego ero in ore tuo, docebo te quid loquaris.* Exod.4. vers.11. *Domini enim est gubernare linguam.* Prou 16.v.1. Vnde Esther 14.v.13. *Tribue sermonem compositum in ore meo.* Apostolus Ephes.6.v.19. *Orate, vt detur mihi sermo in apertione oris mei.*

Magister scimus quia verax es] Genius filiorum Dei est, ut Primò, veraces esse; Secundò, viam Dei in veritate docere; Tertiò, non accipere personam; Quartò, non rependere malum pro malo, sed vincere in bono malum. Non respondet Christus vt olim Elias, *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & deuoret te & quinquaginta tuos.* 4.Reg.1.v.10.

Sed, *quid me tentatis hypocritæ?*] Non me falletis, sed vt ipsi fallemini. Et quis ferat hanc hypocrisin? de denario tricari, & sanguinis innocentis profusi nullo scrupulo tangi?

De hæresi Iudæ Galilæi vide cõment. Cur Christus & Apostoli omnem huiusce hæresis suspicionem contraria doctrina & scriptis semper amoliti sint? ibid.

Etiã impijs, imò infidelibus, principibus parendum in ijs quæ Deo non repugnant. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* &c. Rom.13.v.1. vsque 7. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Et verò Iudæis olim spes omnis securitatis & prosperitatis præcepta, nisi *si dormiatis inter medios cleros, penna columbæ*, &c. Psal.67. v.14. *Quærite pacem* (Babylonis) *ad quam transmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum: quia in pace illius erit pax vobis.* Ierem.29. v.7. *Ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor regis Babylonis servi mei*, &c.c.27.v.6. *Gens & regnum quod* (illi) *non seruierit*, &c. *in gladio, & in fame, & in peste visitabo super gentem illam*, &c.v.8. *Orate pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis, & pro vita Balthassar filij eius, vt sint dies eorum sicut dies cæli super terram: vt habitemus sub umbra* (eorum) *& seruiamus eis multis diebus, & inueniamus gratiam in conspectu eorum.* Baruch 1. v.11.

Et quid minus exigi poterat in recognitionem subiectionis, quàm denarius?

Laudes Romanorum.1.Machab.8.vsque.17.

De imagine vide suprà ad v.21. *Faciamus hominem ad imaginem* &c. Genes. 1. v.26. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia*, &c. Ezech 28. v.12. *Gloria & honore coronasti*, &c. Psal.8.v.5. *Cùm apparuerit, similes ei erimus*, &c. 1.Ioan.3. v.3. *Si ignoras te, ô pulcherrima.* Cantic.1.v.7.

VARIA.

Hæc dixit Iesus triduo ante mortem suam. Chronic. cap.49.

Quinam fuerint Herodiani, vide comment.

De vulpibus Samsonis, Iudic.15. v.4. Et nos non conspiremus vnanimiter in bonum?

Qui

Quid si Cæsar, aut alius Superior imperet Deo contraria? Tum, *non obedio præcepto regis, sed præcepto legis.* 2.Mach.7.v.30. *Si iustum est, vos potiùs audire, quàm Deum.* Actor.4.v.19. *Obedire oportet Deo magis.* Actor.5. v.29. Tu, Cæsar, carcerem, Deus mihi gehennam minatur. Quod fidei vel virtuti obest, non *Cæsaris*, sed *diaboli* tributum est, inquit S.Augustinus.

DOMINICA VIGESIMA TERTIA POST PENTECOSTEN.

Euangel. *de Filia principis resuscitata, & hæmorrhoissa curata.* Matth.9.à v.18.ad 27.

FIDES & MORES.

Ecce princeps vnus adorabat eum] Rara in viro principe humilitas, rara deuotio. Vtramque vides in hoc Iairo. Vide Dominica XX. post Pentecost.ad v.47.Ad principis filiam, id est, Synagogam Iudæorum, suscitandam Christus properat: sed hæmorrhoissa, id est, Gentilis populus, paratum alijs beneficium præripit. *Æthiopia præueniet manus eius Deo.* Psal. 67. v. 32. *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret.* Rom.11.v.25.

Et surgens Iesus, sequebatur eum] Cur, potiùs hunc principem, quàm regulum istum ciusdē Dominicæ XX? Felix mors filiæ, quæ vitam animæ & huic, & parentibus, & vniuersæ familiæ dedit. Vide de socru Simonis, Feria V. post III. Dominicam Quadragesimæ. Nondum *duodennis* erat filia Iairi, Lucæ 8.v.42. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, quasi flos egreditur*, Iob. 14.v.1.&c. *Tamquam vas figuli confringes eos.* Psal.2.v.9.

Et ecce mulier hæmorrhoissa, *tetigit fimbriam vestimenti eius:* dicens *intra se: Si tetigero tantùm vestimentum eius, salua ero*] Quid ad hoc Nouantes? superstitio est, idololatria est fidere contactui reliquiarum, controu.30 n.10. *Omne quod tetigerit hostiam Deo immolatam, sanctificabitur.* Leu.6. v.18. Cùm cadauer tetigisset *ossa Elisei, reuixit homo & stetit super pedes suos.* 4.Reg.13.v.21.

At Iesus conuersus, dixit, Confide filia, fides tua te saluam fecit] *Tua*, inquam, sic exercita fides, amore, veneratione & cultu mei comitata: non verò nuda illa & specialis Nouantium, controu. 15. num. 7.12.23. De fiducia in Deum, vide Feria IV. Quatuor temporum Septembris, post Dominica IV. post Epiph. Saltem Deo fide & experimentum fallaciæ mundanæ.

Fuerat multa perpessa à compluribus medicis, & erogauerat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat. Marc. 5.v. 26. De *medico* honorando & adhibendo, Eccli.38.v.1.vsque 16. *Honora medicum propter necessitatem.* O quàm serò ad diuina auxilia confugimus! saltem seriò confugiamus exemplo Manassis, 2.Paral.33.v. 12.&c. Fluxui sanguinis, vitijs, passionibus domandis ieiunia, cilicia, eleemosynas, &c. adhibes, nec malè, sed sæpè nec his iuuaris, vt scias Christū esse verum animæ medicum. Hunc ergo adi, frequentando Eucharistiam. Si fimbria tacta sanat, quid ni corpus & sanguis Christi? omnia quæ Christi sunt, sanant? *oculi* Zachæum & Petrum: *vox* Lazarum: *digiti* surdum & mutum: *saliua* cæcum natum: *fimbria* hæmorrhoissam, &c.

Non est mortua puella; sed dormit] Vide in Lazaro, Feria VI. post IV. Dominicā Quadragesimę. *Somnus*, est *mors.* 1.Thess.4.v.14. Quid ergo eam formidas? quid mortuos immoderatè plangis? *Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia super te*, &c. Isaiæ 26.v.20. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*, &c. Apoc.14.v.13.

Deridebunt eum] *Vitam illorum æstimabamus insaniam*, &c. Sap.5.v.4. Iobū & Tobiā ridēt vxores, Iob 2.v.9. Tob. 2.v.16.& 22. *Viuit Dominus, quia ludam & vilior fiam*, &c. 2.Reg.6.v.22. Irrisi à Samaritanis Iudæi tamen cœptō incumbunt operi, vnā manu arma tenentes, altera ædificantes, 2. Esdr. 4.v.17. *Cùm consisteret peccator aduersum me, obmutui & silui* etiam *à bonis.* Psal. 38.v.2. Tace, contemne, & vicisti.

Tenuit manum eius, & surrexit puella] Si contactus fimbriæ sanat morbos, v.20. quid mirum, contactu manus suscitari mortuos? An hîc iterum Nouantes solemne hoc suum ingerent, Ioan. 6. v. 64. *Caro non prodest quidquam?* At contactum & sumptionem corporis Christi in Eucharistia plurimum prodesse, ibidem demonstraui. v.25.

Exijt fama hac in vniuersam terram illam] Tamen Marc. v.26. 5. v. vlt. *præcepit illis vehementer vt nemo id sciret.* Et tu quidem facti auctor, gloriam facti fuge, quantum potes, sed tu qui beneficium accepisti, deprædica. *Venite & audite omnes, & narrabo quanta fecit anima mea.* Psalm. 65. v.16. Vide Cantica *Moysis*, Exod.14. Deut.31. *Deborę*, Iudic.1. *Annæ*, 1.Reg.2. *Isaiæ*, c.12. *Ezechiæ*, Isa.38. *Tobiæ*, c.13. *Iudith*, c.16. *Azariæ*, Dan.3. *Habacuc*, c.3. *Zachariæ*, Luc.1.v.68. *Mariæ*, v.47. &c. Sic hæmorrhoissam quæ beneficium acceptum occultabat, etiam cum rubore ipsius in apertum trahit, vt doceat, gloriam Dei manifestandam etsi cum aliqua nostra infamia, & crimina quantumuis occulta, saltem in tribunali confessionis aperienda.

VARIA.

Duo hæc miracula contigerunt post medium Martij anni secundi prædicationis Christi. Chron.c.49.

De *fimbrijs* chlamydum Iudaicarum, vide Numer. 15.v.38.

Alia huc facientia habes Dominica XV. post Pentec. de resuscitato filio viduæ Naim; & Feria VI. post IV. Dominicam Quadragesimæ de Lazaro rediuiuo.

DOMINICA VIGESIMA QVARTA POST PENTECOSTEN.

Euang. *Cùm videritis abominationem.* Mat.24.à v.15.ad 36.

FIDES & MORES.

Abominationem desolationis (Daniel.9.v.vlt.) *stantē in loco sancto*, non posse esse Romanum Pontificem, docui contr.6.nu.13. *Ædificauit rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei.* 1.Machab. 1.v.54. *Gog* typus primarii ducis *Antichristi*, Ezech.38.totō.& c.39. *Cornu* (antè) *paruulum*, &c. Antichristus, Dan.7.v. 8. qui etiam describitur v. 20. vsque 27. *Cornu modicum*, &c. Dan.8.v.9. vsque 13. & à v.23. vsque 26. Item cap. 11. v.21.vsque fin. Item Apoc.13.v.1.vsque 9. Matt. 24.v. 15.

Nisi breuiati fuissent dies illi calamitosi, *non fieret salua omnis caro*] Nullius rei ignorantia in Christo, ne quidem rerum sub conditione numquam ponenda futurarum, controu.4.num.13. Nulla tentatio tam vehemens, cui cum gratia Dei resistendo non simus, controu.14.num. 16.& 17. v.22.

Propter electos, seu eximiè sanctos. *breuiabuntur dies illi*] intuitu electorum, si vel deni fuissent, Sodomę peperciisset Deus, Genes.18.v.32. Propter *Abraham, Isaac & Iacob*, quoties parcitum Israelitis! Exodi 32.v.13. Ob vnius *Moysis* preces placatur toti populo Deus, Exodi 32.v.14. Et negabimus, Sanctos in cælo posse aliquid apud Deum in bonum nostrum? contr.30.n.8.& 9.

Pseudochristi, & pseudoprophetæ dabunt signa magna & prodigia, non tamen vera miracula, controu 5. nu. 6.& Exodi 7.v.11.& 22. Vbi Cornelius à Lapide profert signa v.12. quibus mera miracula possint à falsis discerni: vide etiā c.8.v.19. Hos *pseudoprophetas* graphicè depingit v.24.

S.Petrus 2.epistolæ 2.cap.toto, & Iudas à 4.vsque 20. *Illusores*, &c. *dicentes: Vbi est promissio, aut aduentus eius? Omnia enim sic perseuerant ab initio creaturæ*, &c. *Non tardat Dominus promissionem suam, sed patienter agit propter vos; nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Vnus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus.* 2.Pet.3.v.3.vsque 10. *Seduxerunt populum meum in mendacio suo & in miraculis suis, cùm ego non misissem eos.* Ierem.23. v.32. *Et fecit* (bestia) *signa magna, vt* etiam *ignem faceret de cælo descendere in terram in conspectu hominum.* Apocal.13. v.1. *Et vt loquatur imago bestiæ.* v.15. *Et curata est plaga mortis* (bestiæ) v.3.

Ita vt in errorem inducantur (si fieri potest,) etiam electi] Electi possunt, si velint, apostatare (controu.13.n.5.vsq; fin.) sed nolentes, seduci non poterunt: numquam enim deerit Deus in necessariis, contr.14.num.16.& 17. Et fraudes eorum etiam detegent, qui submittentur è paradiso, vt nos instruant & corroborent, *Henoch & Elias*, Genes.5.vers.24.Eccli.44.v.16.& cap.48.v.10. *Et dabo duobus testibus meis* (Henoch & Eliæ) *& prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ oliuæ*, &c. Apocal.11.vers.3.vsque 13. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis: & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* Malach.4. vers.5. &c. Sed en & alia subsidia. *In tempore illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui*, &c. Dan.12. vers.1.vsque 4. *Et egredietur Dominus, & præliabitur contra gentes*, &c. Zachar.14. vers.3. *Et fugietis, sicut fugistis à facie terræmotus in diebus Oziæ regis Iudæ: & veniet Dominus Deus meus omnesq; Sancti cum eo. Et erit in die illa, Non erit lux; sed frigus & gelu.* vers.5.& 6. *Et apprehensa est bestia, & cum ea pseudopropheta. Vtri missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.* Apocal.19. vers.20. (In quod etiam) *diabolus qui seducebat* (populos) *missus est*: vbi *cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.* Apocalyp.20.vers. 9.&c.

v.29. *Sol obscurabitur*, &c.] De hoc & de alijs signis præuiis iudicio, vide Dominica I. Aduentus.

v.30. *Tunc parebit signum Filij hominis in cælo*] Nempe crux, tam inuisa nunc plerisque mortalium, contr.18.n.12. *Omnem super quem videritis thau, ne occidatis.* Ezech.9. vers.4.& 7. & Apocal.7.vers.3. *Mittite falces, quoniam maturauit messis. Venite & descendite, quia plenum est torcular: exuberant torcularia: quia multiplicata est malitia eorum.* Ioël.3.v.13.

Tunc plangent omnes tribus terræ] Cur plangant Nouantes, cùm certissimò norint fide sua speciali, se esse electos, & prædestinatos, & saluandos? contr.15.nu 12. & 16. *Et dicent montibus, Operite nos: & collibus, Cadite super nos.* Osee 10.vers.8.

Videbunt Filium hominis venientem in nubibus, &c.] Vide Dominica prima Aduentus ad v.27. Sed antè conflagrabit vniuersus mundus. Psal.96.v.3. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*, &c. Etiam *nos* amici & discipuli Christi, *qui* sub id tempus *viuimus* & in terris *relinquimur*, 1. Thessal.4. v.16. illo igne, vel alia morte extinguemur ad vnum omnes. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur: vnusquisque autem in suo ordine*, &c. 1.Cor.15. vers.22.&c. *Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi*, &c. vers.51.&c. *Ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet*, &c. 1.Thessal.3.vers.15. &c. Ioël.2. vers.11. *Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui: quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia, & facientia verbum eius.*

Mittet paulò pòst iudex *angelos suos cum tuba, & voce magna*, (*canet enim tuba*, 1.Cor.15.vers.51.) *& congregabunt electos à quatuor ventis*] Et Ioan.5.v.25. *Mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint, viuent. Audient* autem v.28. *omnes qui in monumentis sunt. Omnes stabimus ante tribunal Christi, quia scriptum est* (Isaiæ 45. v.24.) *Mihi curuabitur omne genu*, &c. ad Rom.14.v.14.

VARIA.

Dixit hæc Christus vltima Feria tertia ante mortem suam. Chron.c.49.

Non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Vide in S. Dominica prima Aduentus, vbi & reliqua habes huc spectantia.

PROPRIA SANCTORVM.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI. 30. Nouembr.

Euangel. *Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ.* Matth.4. à v.18. ad 23.

FIDES.

Matt. 4.v.18. *Vidit* Iesus *duos fratres*, non aulicos, non academicos, sed piscatores. 1. Reg. 17. v. 7. *Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ*, &c. sed assume *paruulum* istum *sequentem greges.* v.11. *Charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans.* Ierem.31.v.3.

De prædestinationis mysterio, controu.13. n.8. *Ecce nubecula parua, quasi vestigium hominis, ascendebat de mari.* 3.Reg.18.v.44. quæ maximam pluuiam aduexit. Etiam Antichristus *de mari* ascendet, Apoc.13.v.1.

v.19. *Venite post me*] Necessitas gratiæ diuinæ, sed sequendi libertas, controu.14.tota. Nulli ad salutem vel conuersionem deest quidquam ex parte Dei, ibid.n.11.&c. De vocatione & missione Pastorum Ecclesiæ, contr.8. num.1. vsque 8.

MORES.

Dilectus meus descendit in hortum suum, vt lilia colligat. Cant.6.vers.1. & 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea.* Cant.2. v.2. *In viis iustitiæ ambulo*, &c. *vt dotem diligentes me*, &c. Prou.8.v.20. Præoccupat, irruit, occurrit, &c. Sap.6.v.14.& 17. *Prior dilexit nos.* 1.Ioan.4.v.19. Imperator duces quærit copiarum suarum. Et cùm *corda omnium in manu* sua habeat, Prou.21.v.1. & tot ad manum sint nobiles, docti, potentes, diuites, cur eligit vilissimos piscatores? Psal.137.v.6. *Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Et hoc solemne Deo, quoties ipse per se delectum facit. Angeli ceciderant, & homines; solos homines suscipit redimendos, Hebr.2.v. 16. Creaturam induere vult; non angelicam, sed humanam naturam assumit. In caput populi sui, non regem aliquem Assyriorum, sed Abrahamum deligit. Non Esau, sed Iacob, Gen.25. v.23. non principem Heliopoleos, sed Iosephum captiuum, Gen.41.v.14. Moysen, Iosue, Gedeon, Samuel, Saul, Dauid, Daniel, Esther, Machabæos, &c. Vrbem Nazareth, sponsam fabri, &c.

Cur istud? Respondeo Primò. An *non licet mihi quod volo facere?* Matth.20.v.15. *Abscondisti hæc à sapientibus & prudenti-*

prudentibus, &c. *quia sic placitum est coram te.* c.11.v.25. Secundò, quia diuina potentia, sapientia & misericordia magis elucent quando ex ineptissima materia facit vasa nobilissima. *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem*, &c 1.Cor.1.v.26. Tertiò, quia *quod stultum est Dei, sapientius est hominibus*, &c. & contrà, v.25. Quartò, *quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes*; &c. Ibid. v.27. & Eccli.23.v.28. *Oculi Domini multò plus lucidiores super solem.* Iob 10.v.4. *Numquid oculi carnei tibi sunt? aut sicut videt homo, & tu videbis?* Quintò, *vt non glorietur in conspectu eius omnis caro.* 1.Cor.1.v.29. *Transiens per te, vidi te*, prô quàm miseram! Ezech.v.6. *Est homo marcidus & abundans paupertate, & oculus Domini respexit illum in bono, & exaltauit caput eius: & mirati sunt in illo multi, & honorauerunt Deum.* Eccli. 11.v.12. *Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem.* Psal. 112.v.7.

Relictis omnibus secuti sunt eum] Nónne hoc stupendum? nos tot annis vocamur, inuitamur, trahimur ad hanc vel illam prauam consuetudinem abrumpendam; nec tamen sequimur. At hi vnico verbulo trahuntur, & mox vniuersum mundum excutiunt.

Vnde istud? dicite mihi, vnde vos tàm facilè pertrahimini à dæmone ad obsequendũ nutui ipsius? vel quomodo Adam à serpente in peccatũ attractus est? dæmon enim simia est Dei. Primò, ostentat pulchritudinem obiecti, *Pomum pulchrum oculis, & aspectu delectabile*, Gen. 3. v.6. Secundò, remouet metum mali obuenturi, *Non moriemini*, v.4. Tertiò, multa inde commoda promittit, *Eritis sicut dij*, v. 5. Sed ô quàm alio diuiniore penicillo describit sua Deus in hominis intellectu per internas illuminationes, & externas instructiones! Vtere similitudine proci sponsam depereuntis.

18. *Venite post me*] Linquite vana, vilia & molesta lucra piscationis corporalis, & mihi Messiæ vestro vos iungite. Et ne terreamini, ego vbique vobis adero, imò præibo, tantùm *venite post me*. Nihil vobis imponam quod non prior ipse tulerim.

Et faciam vos fieri piscatores hominum] Pro vilibus piscibus capietis animas regum & Imperatorum. *Centuplum* accipietis, *& vitam æternam.* Matth. 19.v.29.

An mauis, ô sponsa, adhærere adultero diabolo; vel riuali pleno sordibus, carni? vel tyranno, mundo, præ Filio Dei? *Gloria magna est sequi Dominum: longitudo enim dierum assumetur ab eo.* Eccli.23.v.vlt. An animus est tibi, hunc sequi? Iosue 24. v. 19. *Non poteritis seruire Domino: Deus enim sanctus, fortis & amulator est*, &c. *Reuertimini filiæ*, &c. Ruth 1.v.11. Quàm facile est Deo, è paupercula & obscurissima Moabitide *Ruth* tot tantosque reges, & ipsum quoque Regem regum procreare? Ruth 4.v.17. *Mutaberis in virum alterum. Insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis.* 1. Reg. 10. v.6. *Quænam res accidit filio Cis? num & Saul inter prophetas?* v.11. *Et quis pater eorum.* v.12. Infelix, qui cum *Iona* c.1.v.3. subtrahit se vocanti Deo. *Et ego non sum turbatus, te pastorem sequens: & diem hominis non desideraui, tu scis*, &c. Ierem. 17.v.16. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*, Psal. 94. v.8.

An non & tu vocaris? Matt. 11.v.28. *Venite ad me omnes.* Apoc. 3.v.20. *Ecce sto ad ostium.* Rom. 10.v.21. *Tota die expandi manus meas*, &c. Ioan. 1.v.5. *Illuminat omnem hominem*, &c. non ponentem obicem; sicut sol vniuersum, controu. 14.n.11. & seqq. Aperi cum centurione, Act. 10. v.2. rimulam eleëmosynæ: cum eunucho regint Candacis, rimulam lectionis libri pij. Act. 8. v.28. aperi fenestram cum Magdalena, cum prodigo, &c. subintrabit mox radius solaris, & illuminabit omnia abscondita. *Ecce ego, vocasti enim me.* 1. Reg 3.v.9. *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* ibid. Ne cum Pharaone, Exod. 8.v.9. procrastines: *eras* ora vt ranæ abigantur. *Non acquieui*

carni & sanguini. Gal. 1. v.16. *Domine quid me vis facere?* Act. 9.v.6. *Vt iumentum factus sum apud te*, &c. Psalm. 72. v.23. vsque fin. *Veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum.* &c. Exod. 3.v.10. *Quis sum ego*; &c. v.11. *Ego ero tecum*, v.12. Manus eius leprosa. c.4. v.6. *Impeditioris & tardioris linguæ sum*, v.10. *Quis fecit os hominis?* v. 11. *Ego ero in ore tuo*, &c. v.12. Simili modo Saul se quasi indignum excusauit à regno, 1. Reg. 9. v.21. & Ieremias à prædicatione. c.1. v.6. *Dominus tecum virorum fortissime, vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian. Scito quòd miserim te. Ego ero tecum.* &c. Iudic. 6.v. 12.14.16. *Abraham* vocanti Deo quàm obsequens! Gen. 12.v.1. &c. Hebr. 11. v.8. Etiam in filio immolando; Gen. 22. *Benedicentur in te omnes gentes, quia obedisti voci meæ.* v.18. Item *Noë*, Gen. 6.7.8. Quàm seuerè punitus *Adam*! Gen. 3. & *vxor Loth*! Gen. 19.v.17. & 26.

At forsan ducet me Christus ad crucem, quam horreo. Id certissimum habeto. Matth. 16.v.24. *Si quis vult venire post me*, &c. Luc. 9.v.23. *tollat crucem suam quotidie*, &c. 2. Tim. 3. v.12. *Omnes qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patientur.* Sed præiuit Christus, & calicem ebibit, vix guttulà tibi relictâ, qua possis præbibenti respondere. De *cherem*, & *Nazaræis*, vide Leuit. 27.v.2. De Leuitarum consecratione, Numer. 8.v.7. item sacerdotum, Leuit. 8.v.6. *Carens aure* victima, vel alijs *maculis* fœdata, non poterat ex voto offerri Deo, Leuit. 22.v. 21. Quanta igitur mundities & perfectio requiretur à Religiosis! ibid.

Sed cùm ad apostolatum me vocares, non indicasti mihi me ad crucẽ vocari. *Seduxisti me Domine, & seductus sum: fortior me fuisti, & inualuisti.* Iam *factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me.* Ierem. 20.v.7. *Sed esto, cùm essem astutus, dolo vos cepi.* 2. Cor. 12.v.16. Timet crucem; tremitque Christus: Matth. 26.v.37. Andreas lætatur & gaudet: *O bona crux*, &c. Et Paulus. Gal. 6. v.14. *Absit mihi gloriari, nisi in cruce.* Act. 5.v.41. *Ibant* Apostoli *gaudentes*, &c. Iac. 1.v.2. *Omne gaudium existimate, cùm in varias tentationes incideritis. Centuplum* in & cum *persecutionibus.* Marc. 10. v.30. *Posuit me quasi in prouerbium vulgi, & exemplum sum coram eis.* Iob 17. v.6. *Stupebunt iustisti super hoc*, &c. v.8. Verùm *beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint*, &c. Matth. 5.v.11. *Ponam te in superbiam populorum, gaudium in generationem & generationem.* Isa. 60. v.15.

VARIA.

Andreas & ætate & vocatione prior fuit Petro. Ioan. 1.v.40. Isaiæ 9. v.1. *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon & Nephthali*, &c. vnde hi quatuor Apostoli oriundi, Matt. 4.v.13. &c. *Populos vocabunt ad montem* Deut. 33.v. 19. & Gen. 49.v.13. *Zabulon* benedicitur ante alios 7. seniores se fratres. Quin & *Nazareth* in sorte est *Zabulon*. *Nephthali*, id est, colluctans, *ceruus emissus*, formosus, elegans, agilis, *& dans eloquia pulchritudinis* per facundiam, Genes. 49.v.21. Vide benedictionem Nephthali, Deut. 33.v.23. Elogiũ *Baraci* Nephthalitæ. Judic. 4.v.6 & c.5. v.15. *Ruben nutabat*, v.16. *Galaad quiescebat, & Dan vacabat nauibus*, v.17. *De cælo dimicatum est*, &c. v.20. *Maledicite terræ Meroz, dixit angelus Domini, quia non venit ad auxilium Domini*, v.23.

S. Andreas comparatur lapidi iaspidi, Apoc. 21. v.19. §. Secundum fundamentum.

De *vellere aureo*, sub patrono S. Andrea Apostolo, vide Iudic. 16. v.37.

S. Andreas anno 30. à morte Christi crucifixus est Patris in Achaia. Chron. c.50.

INDEX VARIAR. MATERIARVM ET CONCEPTVVM.

IN FESTOS. FRANCISCI XAVERII. 2. Decembr.

Euangel. *Homo quidam nobilis.* vel aliud ex Communi Confess. non Pontificis, post secundam Missam.

Applicari possunt sancto Xauerio : *Dilectus Deo & hominibus Moyses, cuius memoria in benedictione est : similem illum fecit in gloria sanctorum*, &c. Eccli. 45. v. 1. vsque 7. *Non surrexit vltrà Propheta in Israel sicut Moyses*, &c. Deuter. 34 v. 10. *Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passiones.* 2. Timot. 3. v. 10. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò.* Gen. 49. v. 17. Samsoni similis Xauerius. Principis *regni Persarum* contentio cum *Gabriele*, super reductione Iudæorum, Dan. 10. v. 13. & Indorum. *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Thren. 4. v. 4. *Qui sunt hi qui vt nubes volant?* &c. Isaiæ 60. v. 9. *Ecce mittam piscatores multos, & piscabuntur eos: & post hæc mittam eis multos venatores*, &c. Ierem. 16. v. 16. *Et volabunt in humeros Philisthiim per mare, simul prædabuntur filios Orientis.* &c. Isaiæ 11. v. 14. vsque 17. *Ite angeli veloces ad gentem conuulsam & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius, ad gentem exspectantem & conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius.* Isaiæ 18. v. 2. *In tempore illo deferetur munus Domino exercituum ab* illo *populo.* &c. v. 7. *Beati qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bouis & asini.* Isaiæ 32. v. 20. O quàm lætos fructus colligetis! *Ecce isti de longè venient, & ecce illi ab Aquilone & mari, & isti de terra Australi* (hebraicè, *de terra Senim*, id est Sinarum.) Isaiæ 49. v. 12. *Regina Saba* (India hortatu Xauerij, *venit ad Salomonem*, &c. 3. Regum 10. v. 1. *Dedit regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretiosas.* v. 10. *Omnes isti congregati sunt, venerunt tibi*, &c. Isaiæ 49. v. 18. *In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior.* Gen. 32. v. 10.

Non vi vel armis è cœno vitiorum collectis, sed pio virtutum heroicarum exemplo, & blandiloquentia attractis. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Ioan. 5. v. 4. *Si hodie obedieris populo huic & seruieris, & petitioni eorum cesseris, locutusq; fueris ad eos verba lenia, erunt tibi serui cunctis diebus.* 3. Regum 12. v. 7. Sic sic euertit aras idolorum, & regnum cacodæmonum. *Numquid vltores estis Baal, vt pugnetis pro eo? Si Deus est Baal, vlciscatur se de eo qui suffodit aram eius.* Iudicum 6. v. 31.

Mortuus est S. Xauerius in deserto promontorio, è regione regni Sinarum anno Christi 1552. *Veni, coronaberis de capite Amana, de cubilibus leonum*, &c. Cant. 4 v. 8.

IN FESTO S. NICOLAI. 6. Decembr.

Euangel. *Homo quidam peregrè proficiscens.* Matth. 25. à v. 14. ad 24.

FIDES.

Matth 25. v. 15. *Dedit talenta vnicuique secundùm propriam virtutem*, seu vices, sed non secundùm merita naturæ cuiusque. Iam enim *gratia, non esset gratia.* Roman. 11. v. 6. Quid gratia? contr. 14. n. 1. vsque 4. Nulli hominum generi deest ex parte Dei. n. 10. vsque 14.

v. 16. *Peregrè profectus est statim*] plenam cuique pro libito negotiandi potestatem relinquens, contr. 14. n. 4. & 5.

Qui quinque acceperat, operatus est in eis (controu. 14. n. 5.) *& lucratus est alia quinque*] De merito bonorum operum, contr. 16. nu. 1. vsque 6. De incremento gratiarum, ibid. n. 6.

Post multum temporis, cum fine vitæ, *venit dominus, & posuit rationem cum eis*] De qua vide Dominicam XXI. post Pentecosten. v. 19

Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Ait illi dominus eius: Euge serue bone & fidelis, &c.] controu. 16. de merito, n. 3. &c. Innuitur tandem, ex merito actionum nostrarum supernaturalium, habitus earumdem supernaturales intendi, (ibidem num. 6.) licet actiones habitum à quo promanant, non excesserint. v. 21 & 23

MORES.

Dedit talenta] *Diuisiones verò gratiarum sunt: idem autem spiritus. Vnicuique autem datur ad vtilitatem. Alij datur sermo sapientiæ*, &c. 1. Cor. 12. v. 4. 7. 8. *Qui infinitus est thesaurus.* Sap. 7. v. 14. Matt. 25. v. 15.

Sed *quis* in administratione horum talentorum *est fidelis seruus & prudens?* Matt. 24. v. 45. *Sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis ei qui misit eum: animam ipsius requiescere facit.* Prouer. 25. v. 13. Et verò quis audeat se præstare infidelem Deo? *Fui tecum in omnibus vbicumque ambulasti*, &c. 2. Regum 7. v. 9. *Et si parua sunt ista, adiiciam tibi multò maiora.* c. 12. v. 8. *Beatus vir qui in sensu suo cogitabit circumspectionem Dei.* Eccli. 14. v. 22. & accepta de manu eius tot tantaque beneficia. *Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque?* c. 7. v. 18.

Ecce alia quinque superlucratus sum] *Mille tui pacifici*, &c. Can. 6. v. 12. *Væ mihi, quia tacui.* Isaiæ 6. v. 5. *Portabit Aaron nomina filiorum Israel super vtrumque humerum*, &c. *& super pectus*, &c. Exodi 28. v. 9. 21. 29. *Omnis namque pontifex*, &c. Hebr. 5. v. 1. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Actor. 20. v. 28. v. 10.

Monendi omnes vt dicto audientes sint suis pastoribus. *Obedite præpositis vestris*, &c. Hebr. 13. v. 17. Noë *seculum* obedientiæ, Gen. 6. 7. 8.

Euge serue bone & fidelis] Cogita quanto gaudio Ioseph è carcere eductus sit, & Pharaoni præsentatus, Gen. 41. v. 14. Agrippa è carcere ad regnum eductus, Chron. c. 50. à morte Christi anno 7. Matthias item Coruinus, cùm captus esset, in regem Hungariæ electus. Lucæ 22. v. 29. *Ego dispono vobis regnum*, &c. De osculo felicitatis æternæ, vide Cant. 1. v. 1. *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Psal. 41. v. 2. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Psal. 38. v. 1. *Sicut audiuimus, sic vidimus*, Psalm. 47. v. 9. *Videbimus eum sicuti est.* 1. Ioan. 5. v. 2. *Maior est sapientia, & opera tua, quàm rumor quem audiui* 3. Regum 10. v. 6. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Psalm. 16. v. 15. *Inebriabuntur.* Psal. 35. v. 9. *Calix meus inebrians* Psalm. 22. v. 5. *Bonum est nos hic esse.* Lucæ 9. v. 33. *Educ de custodia animam meam.* Psalm. 141. v. 10. *Quid mihi est in cælo?* &c. Psalm. 72. v. 21. *Mensuram bonam & confertam*, &c. Lucæ 6. v. 38. v. 11.

VARIA.

Hanc parabolam proposuit Iesus triduo ante mortem suam. Chron. c. 49.

De S. Nicolao speciatim appropriari potest illud 1. Regum 10. v. 24. *Certè videtis quem elegit Dominus: quoniam non est similis illi in omni populo.* &c. 9. v. 2. *Saul electus & bonus, & non erat vir de filijs Israel melior illo, ab humero & sursum eminebat super omnem populum.*

Quo sensu dicatur, *Non est iuuentus similis illi*, &c. vide 4. Regum 18. v. 5.

Petit

Potest cuiuis Episcopo aptari encomium *Moysis*, Eccli.45.v.1. vel *Aaronis*, v.7. vel *Iosue*, c.46.v.1. vel *Samuelis*, v.16. vel Dauidis, c.49.v.1.

IN FESTO S. AMBROSII. 7. Decemb.

Euangel. desumitur ex Communi Doctorum.

Ex quo Iudas defunctus est, vir similis ei non est, qui exeat contra inimicos nostros. Nunc itaque te hodie elegimus esse pro eo nobis in principem & ducem, ad bellandum bellum nostrum. 1.Machab.9.v.29.

Figura S. Episcopi Ambrosij *Banaias vir magnorum operum: ipse percussit duos leones Moab, & ipse descendit, & percussit leonem in media cisterna in diebus niuis.* 2.Regum 23.v.20. *Et ipse percussit virum Ægyptium, cuius statura erat quinque cubitorum, & habebat lanceam vt liciatorium. Descendit igitur ad eum cum virga, & rapuit hastam quam tenebat manu, & interfecit eum hasta sua.* 1.Paral.11.v.23.

IN CONCEPTIONE B. MARIÆ. 8. Decembr.

Euang. *Liber generationis Iesu Christi.* Matth.1.à.v.1.ad 17.

FIDES.

Matt. 1.v.1. *Liber generationis Iesu Christi*] *Generationem eius quis enarrabit?* Isa.53.v.8.

Iesus Christus *filius Dauid*] vide Matth.22.v.42.

v.16. *Ioseph virum Mariæ*] At *virum non cognosco.* Luc.1.v.34. Eamdem esse stirpem Iosephi & Mariæ, docui in comm. De Maria, non de Iosepho, *natus est Iesus, qui vocatur Christus*] Iosephus tamen rectè vocatur pater Christi, Matth.1.v.16. Messiam iam pridem aduenisse, nec alium esse quàm Iesum Mariæ filium, docui controu.4.n.1.& 2. Iesum hominem esse simul & filium Dei naturalem, vtrâque naturâ vnitâ hypostaticè in vna persona, ibid. num.3.vsque 10.

MORES.

Scala Iacob (inquit Rupertus) est genealogia Christi, Gen.28.v.12. Sunt montes, (inquit Bernardus serm. 1.de Aduentu) per quos *venit saliens* Christus, Cant 2.v.8. Item *paradisus voluptatis*, Genes.2.v.8. (inquit idem Bernard.serm.3. in Cant.) Alij nouilunio & plenilunio & eclipsi comparant. Tandem *egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Isa.11.v.1. Absque hoc flore, absque hac virga quæ orbi debebatur, fuisset iam pridem arbor stirpitus excisa. *Succidite arborem, & praecidite ramos eius, excutite folia, dispergite fructus eius, fugiant bestiæ quæ subter eam sunt, & volucres de ramis eius. Verumtamen germen radicum eius in terra finite.* Dan.4.v.11.&c. Ferè excisâ *cedro*, id est, domo Dauid per aquilam Babylonicam, Ezech.17.v.3.&c. *sumam ego de medulla cedri sublimis, de vertice ramorum eius tenerum distringam, & plantabo super montem excelsum & eminentem*, &c. vers.22. vsque fin. Adiurat *Abrahæ* procuratorem suum, vt *Isaaco* non aliam vxorem, & consequenter *Messiæ* non aliam matrem, quàm ex sua *cognatione* accipiat, Genes.24.v.2. Idem præcipit *Isaac* Iacobo, Genes.28.v.1. *Non interibit de Dauid vir, qui sedeat super thronum domus Israel.* Ierem.33.vers.17. *Ex te, ô Bethlehem Ephrata, mihi egredietur qui sit dominator in Israel. & egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis. Propter hoc dabit* Deus, *eos* (qui de familia sunt Dauidis in viuis semper aliquos manere *vsque ad tempus, in quo* (virgo mater) *parturiens pariet* (hunc Messiam.) Porrò edito hoc partu, sinet illam domũ collabi, adeoque & totam Synagogam, nisi quòd *reliquiæ fratrum eius conuertentur ad* (veros & genuinos) *filios Israel.* Hic verò rex *stabit* æternum, &c. Michææ 5.v.2. vsque fin.

Vnde factum quòd non nisi insignes peccatrices inserantur genealogiæ Christi, dixi Matth.1.v.3.&c. Conceptâ B. Virgine cœpit aurora mundo illucescere. *Custos quid de nocte? custos quid de nocte? dixit custos, Venit manè & nox. Si quæritis, quærite, conuertimini, venite*, &c. Isa. 21.v.11. & 12.

De pulchritudine Beatissimæ Virginis.

Innumeris similitudinibus vtitur Scriptura, ad hanc nobis aliqua ex parte adumbrandam. De Esthere dicit, c.2.v.15. *Incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur. Ferculum fecit sibi rex Salomon.*&c. Cant. 3.v.9. Constructio *palatij filiæ Pharaonis*, 3.Reg.7. v.8.9. &c. *Arcæ* constructio, Exod.25.v.16. *Solium gloriæ altitudinis à principio, locus sanctificationis nostræ.* Ierem.17.v.12. *Grande opus est*: verùm *non homini præparatur habitatio, sed Deo.* 1.Paral.29. v.1. *Domus cùm ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est: & malleus & securis, & omne ferramentum, non sunt audita in domo cùm ædificaretur.* 3.Reg.6.v.7. *Cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur: nec omnino lapis apparere poterat in pariete.* v.18. *Operuit domum totam auro purissimo, & affixit laminas clauis aureis: sed & pauimentum domus texit auro.*v.31. *Ipsa est mulier, quam præparauit Dominus filio domini mei.* Gen.24.v.44. *Fecit mihi magna qui potens est.* Luc.1.v.49. Et quid defuit ei *de qua natus est Iesus?* Hic titulus infinitam quamdam dignitatem continet: inquit S. Thomas & S. Bonauentura. Sanct. Tho 1. p.q.25. a.6 ad. 4. S. Bona. in Speculo c.8.

De immaculata Conceptione Deiparæ, vide contr.11. n.8. *Dominus possedit me in initio viarũ suarum.* Prou.8.v.22. *Ipsa conteret caput tuum*, &c. Genes.3. v.15. *Iahel* Sisaræ caput clauo transfixit, Iudic.4.v.21. Iudith *Holofernis caput* præcidit, Iudith 13.vers.9. & in præfatione. Item c.14.v.16. *Vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor: ecce enim Holofernes iacet in terra, & caput eius non est in illo. Initium sapientiæ timor Domini, & cum fidelibus in vtero creatus est, cum electis feminis graditur*, &c. Eccli.1.vers.16. Ezech.43.vers.12. *Ista est lex domus in summitate montis, omnis finis eius in circuitu Sanctum sanctorum est.* Et profectò *domum tuam decet sanctitudo*, &c. Psalm.92. vers.5. *Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.* Psalm.64. vers.6. *Assyrius non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi sagittam*, &c. Isaiæ, 37. v.33. Psal. 131.vers.14. *Hic habitabo, quoniam elegi eam.* Esther 2. v.9. *Placuit regi* Assuero Esther, *& præcepit eunucho, vt acceleraret mundum muliebrem*, &c.

Si enim etiam infantibus non petentibus tribuit Deus *osculum* reconciliationis in baptismo; quanto putamus, affectu matrem, vnigeniti filij sui osculatus est, etiam primo instanti conceptionis? *Osculetur me.* Cant.1. v.1. Vtique à primo instanti *induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ, quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Isaiæ 61.vers.10. *Tota pulchra es*, &c. Cant.4.vers.7. *Ecce tu pulchra es*, &c. Cant. 1.vers.14. *Quàm pulchra es*, &c.cap.4.vers.1. *Perfecta in decore meo*, &c. Ezech.16.v.14. *Omnis gloria eius ab intus*, &c. Psalm 44. vers.14. *Quasi aurora consurgens*, &c. Cant.6. vers.6. *Lilium inter spinas.* Cant.2.vers.2.

At lex originalis culpæ communis est omnibus filiis Adæ. Roman.5. vers.12. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiit: in quo omnes peccauerunt.* Sit ita. Verùm *ego sum frater tuus, nolis metuere: non morieris. Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Tulit ergo aureum virgam, & posuit super collum eius, & osculatus est eam.* Esther 13.vers.12.& 15.

Exempta es à lege virginitatem in partu amittendi, à lege ex viro concipiendi, à lege cum dolore pariendi, à lege in cinerem reuertendi, à lege peccata venialia non effugiendi; &c. cur non & à lege peccati originalis incurrendi? Tu es *femina* illa quæ vtero *circumdabit virum*, &c. Ierem. 31. v. 22. & virum auctorem omnis gratiæ ac iustitiæ: An deerit ille aliquando matri suæ? Tu *signum magnum, mulier amicta sole*, Apoc. 12. v. 1.

O quot & qualibus gemmis ornata fuit conceptio Beatissimæ Virginis! *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.* Psal. 86. v. 3. Primò, vt sterilitate, ita & eximia castitate, non concupiscentia parentum suorum. *orationis*, non *Veneris* filia fuit Maria, vt olim Samuel, 1. Regum 1. v. 11. Secundò, angelica futuri partus denuntiatione, testibus Epiphanio, Damasceno, & Pantaleone apud Metaphrasten. Tertiò, vsu rationis ipsi concesso in vtero matris. Hebr. 1. v. 4. *Tantò melior angelis* effecta, *quantò differentius præ illis nomen hæreditauit.* Igitur & Quartò, iustificatione in vtero. Si enim hæc omnia angelis concessa, & Ioanni Baptistæ, præcursori Christi, quantò magis matri? Quintò, immunitate à peccato originali, vt suprà. & infusione iustitiæ originalis, vt loquitur Ioannes Maior. Nicolaus Cusanus, Faber Stapulensis, Corduba, &c. Sextò, fomitis extinctione. Psalm. 147. v. 3. *Posuit fines tuos pacem.* Psalm. 45. v. 10. *Auferens bella vsque ad fines terræ.* Septimò, eximio amoris actu erga Deum. Fuit enim iam inde à primo instanti *hortus*, etsi adhuc intra materna viscera *conclusus*, Cant. 4. v. 12. Octauò, voto perpetuæ castitatis. Cant. 2. v. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec*, &c. Nonò, confirmatione in gratia & sanctitate. Cant. 8. v. 5. *Innixa super dilectum suum.* Prouer. 9. v. 1. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem*, quæ illam stabiliuerunt, ne vel in leuissimum peccatum vmquam laberetur. Iudith 8. v. 8. *Non erat qui loqueretur de illa verbum malum.* Decimò, absoluta prædestinatione ad supremum gratiæ & gloriæ gradum post filium suum. Prou. 8. v. 23. *Ab æterno ordinata sum*, &c. Vndecimò, dominio in totum vniuersum. *Data est* tibi *omnis potestas in cælo & in terra*, inquit Cardinalis Petrus Damianus, Rupertus, &c. Duodecimò, designatione in matrem Filij Dei. Lucæ 1. v. 30. *Inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies*, &c.

Ioan. Maior Luc. 2. Cusanus lib. 8. Exercitationū. Stapu. in Rō. 5. Corduba l. 1. q. 46.

Damian. ser. de Natiuit. Deiparæ. Ruper. can. 4.

In Festo S. DAMASI, 11. Decembr. Euangelium desumitur ex secunda Missa de Communi Confess. Pont.

In Festo S. LVCIÆ, 13. Decembr. ex secunda Missa de Communi Virginis Martyris

IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI. 21. Decembr.

Euangel. *Thomas vnus ex duodecim*: Ioan. 20. à v. 24. ad 30. Habet illud Dominica in Albis.

Hoc peculiare sancti Thomæ sit elogium. Ioann. 11. v. 16. *Eamus & nos, & moriamur cum illo.* 2. Reg. 15. v. 12. *Viuit Dominus*, &c. *quia in quocumque loco fueris, siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus.* Huic etiam applica quæ SS. Simoni & Iudæ; 28. Octobr. accommodantur, quoad Indorum conuersionem. Item S. Matthæo, 21. Septembr. Explicetur quoque cur in fundamentis cælestis Ierosolymę, S. Thomas pretioso lapidi beryllo assimiletur Apoc. 21. v. 19. §. Octauum. Huic etiam debetur illud Ioan. 14. v. 5. *Dicit ei Thomas, Domine nescimus quò vadis: & quomodo possumus viam scire? Dicit ei Iesus: Ego sum via, veritas & vita.* Et istud Ioan. 20. v. 27. *Infer digitum tuum huc.* Psal. 76. v. 3. *Deum exquisiui manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus.* Psal. 36. v. 24. *Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.*

Etiam centesimam ouem erraticam quærit Christus, Dominica III. post Pentecost. exemplo tibi, ne dicas cum Cain, Genes. 4. v. 9. *Num custos fratris mei ego sum?* Vel cum principibus sacerdotum, Matth. 27. v. 4. *Quid ad nos? tu videris.* Ideo inter alias causas, Christus vulnera retinuit, vt infirmitati Thomæ succurreret. Zach. 3. v. 9. *Ecce ego calabo sculpturam eius.* Cant. 2. v. 14. *Surge, veni columba mea in foraminibus petræ, in cauerna macerię.*

Beati qui non viderunt & crediderunt. 1. Petr. 1. vers. 8. *Quem cùm non videritis, diligitis; in quem nunc quoque non videntes creditis.* 2. Cor. 4. v. 18. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.* Occisus est S. Thomas apud Indos, anno 43. post mortem Christi. Chron. c. 50. Ioa. 20. v. 29.

In Festo S. PAVLI PRIMI EREMITÆ, 15. Ianuarij, Euangelium est Festi S. Matthiæ Apostoli, 24. Febr.

In CATHEDRA S. PETRI ROMÆ, 18. Ianuarij, Euangelium est Festi SS. Petri & Pauli, 29. Iunij.

In Festo SS. Martyrum FABIANI & SEBASTIANI, 20. Ianuarij, Euangelij pars prior eadem est cum fine Euangelij in Festo S. Bartholomæi, 24. August. Posterior cum Euangelio Festi omnium Sanctorum, 1. Nouembr.

In Festo S. AGNETIS Virg. & Mart. 21. Januar. Euangelium est idem cum S. Catharinæ 25. Nouembr.

In Festo S. TIMOTHEI, 24. Januar. Euangelium desumitur ex prima Missa de Communi Martyris Pontificis.

IN CONVERSIONE S. PAVLI, 25. Januar.

Euangel. *Ecce nos reliquimus omnia.* Matth. 19. à v. 27. ad 30. Habes in Communi de Abbatibus: sed in Epistola describitur historia conuersionis S. Pauli, Actor. 9. usque v. 23.

Saulus adhuc spirans minarum & cædis] Cur talem vult Christus sibi habere Apostolum? v. 15. *Vas electionis est mihi iste*, Sed *videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt, destrueret: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* 1. Corint. 1. v. 26. &c. Nunc tamen en tibi nobilem, en sapientem, en potentē Saulū sibi vindicat Christus. Vtique *Deus potentes non abiicit, cùm & ipse sit potens.* Iob 36. v. 5. vsque 17. Sed cur Saulum præ tot aliis Iudæis? *Nonne frater erat Esau* (& quidem primogenitus *Iacob? & dilexi Iacob, Esau autem odio habui: & posui montes eius in solitudinem, & hereditatem eius in dracones deserti.* Malach. 1. v. 2. & 3. *Et vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus est Dominus vsque in æternum* v. 4. *& vos dicetis, Magnificetur Dominus super terminum Israel.* v. 5. Act. 9. v. 1.

Circumfulsit eum lux de cælo] En, anima mea, cælestem procum tuum. Non *abiit vir via longissima*, &c. Prou. 7. v. 14. *Per fenestras*, per quas *mors ascendit*, Ierem. 9. v. 21. respicit etiam *sponsus*, Cant. 2. v. 9. *Hodie si vocem eius audieritis*, &c. Psalm. 94. v. 8. *Nubes latibulum eius*, &c. Iob 22. v. 14. *Dixerunt, Non videbit Dominus*, &c. Psalm 93. v. 9. Sed *in omni loco oculi Domini contemplantes bonos & malos.* Prouerb. 15. v. 5. *Vsquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini eum* 3. Regum 18. v. 21. *Deus qui exaudiet per ignem, ipse*

ipse sit Deus. v. 24. Ecce tibi hîc *ignem*, sed intus vrentem magis quàm foris. *Intellectum tibi dabo*, &c. Psalm. 31. v. 8. *Luto vilior est vita eius*, &c. Sap. 15. v. 10. *Obscuratum cor*, &c. Rom. 1. v. 11. 26. 28. & Oseæ 4. v. 1. *Quid tibi cum via Ægypti?* &c. Ierem. 2. v. 18. *Columba seducta non habens cor.* &c. Oseæ 7. v. 11. *Cor impij, quasi mare feruens*, &c. Isaiæ 57. v. 20. *Ferculum fecit sibi rex Salomon*, &c. Cant. 3. v. 9. *In te gloriabor*, &c. Isaiæ 49. v. 3. *Ponam te in superbiam seculorum*, &c. Isaiæ 60. v. 25.

Et quidem posset Deus vnico momento sic accendere & rapere corda omnium mortalium. *Cor* omnium, etiam *regum, in manu Dei.* Prou. 21. v. 1. Exemplum Cyrus 1. Esdr. 1. v. 1. Sed non vult inuitos aut nolentes. Pulsat; si aperis, intrabit. *Ego sto ad ostium*, &c. Apoc. 3. v. 20. *Aperi mihi soror mea*, &c. Cant. 5. v. 1. Neque semper magno impetu vel strepitu pulsat: sed vt plurimùm leui flatu. *Non in spiritu Dominus, non in commotione, non in igne, sed in sibilo aurae tenui*, 3. Reg. 19. v. 11. Subinde tamen acriùs instat & vrget. *Dilectus meus misit manum suam*, &c. Cant. 5. v. 4. Ita olim omnes *currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare*, &c. Exodi 14. & 15. & superbissimus *rex Antiochus è rhedra lapsus*, &c. Mach. 29. v. 8. &c. Ita Heliodorus prostratus. *Apparuit quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus: isq; cum impetu Heliodoro priores calces elisit: qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea. Alij etiam apparuerunt duo iuuenes virtute decori, optimi gloria, speciosiq; amictu, qui circumsteterunt eum, & ex vtraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes. Subitò autem Heliodorus concidit in terram, eumque multa caligine circumfusum rapuerunt, & eiecerunt. Iacebat mutus, atque omni spe & salute priuatus*, &c. 2. Mach. 3. v. 25. &c.

v. 5. Et ita noster iam Saulus humi prostratus audit: *Saule, Saule quid me persequeris?*] An nescis, quòd *quae fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis?* Matth. 25. v. 40. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Zach. 2. v. 8.

Quis es Domine? Ego sum Iesus] Non obstinat animum, instar cautis vel incudis. *Corpus* Leuiathan *scuta fusilia*, &c. *ne spiraculum* quidem admittens, Iob. 41. v. 6.

v. 6. *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*] De gratia excitante & exstimulante, vide contr. 14. n. 3. & 4. sed libertatem non tollente, ibid & contr. 13 n. 5. & 6.

v. 7. *Domine quid me vis facere?*] *Pharao* non obediuit Deo, nisi post tot tantasque plagas, Exodi 12. v. 30. *Nabuchodonosor* post 7. annos bestiales, Daniel. 4. v. 31. At Saulus ad primum ictum. Verùm quàm multi mallent cum cæco audire à Christo, *Quid vis vt faciam tibi?* Lucæ 18. v. 41

v. 8. *Surge & ingredere ciuitatem.* Consule Ecclesiam & Prælatos Ecclesiæ. Ibi *dicetur tibi, quid te oporteat facere*] *Qui enim vos audit, me audit*, Lucæ 10. v. 16. Et quidem Christi Ecclesia, eiusque caput Pontifex Romanus, in docendo è cathedra, errare non potest, contr. 5. nu. 2. & 3. & controu. 6. n. 15. vsque fin. Et hæc Ecclesia semper est visibilis, & facilè reperibilis, controu. 5. n. 14. & seqq.

Surrexit autem Saulus] Ita decet cordatos. *Et erit qui offenderit ex eis, in die quasi Dauid* (resipiscens) *& domus Dauid* (tutum omnibus azylum) *quasi* (domus) *Dei, sicut angelus Domini in conspectu eorum.* Zachar. 12. v. 8. O lætum, ô optatum casum! *Ait Dauid ad Abigail*, 1. Regum 25. v. 32. *Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit hodie te in occursum meum, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quae prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, & vlciscerer me manu mea.*

Quantas mox gratias pro cælesti beneficio egit Saulus Deo! *Reputent ea quae acciderunt, non ad interitū, sed ad correptionem esse generis nostri. Etenim multo tempore nō sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij est indicium*, &c. 2. Machab. 6. v. 12. &c. *A Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* 1. Cor. 11. v. 32.

Vas electionis est mihi iste] &c. Vide comment. v. 15.

Ego ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati] Act. 20. v. 23. *Spiritus sanctus per omnes ciuitates*, &c. Colos. 1. v. 24. *Nunc gaudeo in passionibus*, 2. Tim. 4. v. 5. *Tu verò vigila, in omnibus labora*, &c. Apoc. 12. v. 2. *Mulier in vtero habens*, &c. v. 16.

Iesu qui apparuit tibi in via] Ergo Christus simul tunc secundùm corpus erat in cælo, & in via Damasci, vt de Eucharistia dixi, controu. 21. n. 1. v. 17.

Saulus autem multò magis conualescebat, & confundebat Iudaeos] *Sicut fuit sensus vester vt erraretis à Deo; decies tantum iterum conuertentes requiretis eum.* Baruch 4. v. 28. *Beniamin lupus rapax, manè comedet praedam, & vespere diuidet spolia*, Gen. 49. v. 27. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum haedo*, &c. Isa. 11. v. 6. vsque 10. *Beniamin amantissimus Domini, habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet*, Deuter. 33. v. 12. vt *Beniamin quinque partibus*, Gen. 43. v. 34. *fratres excedebat*: ita S. Paulus præ alijs Apostolis, sapientia, gratia, facundia, efficacia & zelo dotatur; inquit S. Ambros. & S. Prosper. *Quem mittam* ad populum Gentilem? *& quis ibit nobis? & dixi, Ecce ego, mitte me*, Isa. 5. v. 8. *Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu.* Psalm. 67. v. 28. *Cuius est terra? fac mecum amicitias, & erit manus mea tecum, & reducam ad te vniuersum Israel.* 2. Reg. 3. v. 12. v. 22.

VARIA.

Conuersio Sauli accidit anno vno & decem mensibus à morte Christi. Chron. c. 50. sub init. vbi tota Pauli peregrinatio & labores sequentibus 35. annis ordine describuntur.

Damascus vnde nomen, vide Gen. 15. v. 2. *Nasus tuus sicut turris Libani, respiciens contra Damascum.* Cant. 7. v. 4.

In Festo S. POLYCARPI, 26. Ianuar. Euangelium desumitur ex secunda Missa de Communi Martyris Pontificis.

In Festo S. IOANNIS CHRYSOSTOMI, 27. Ianuar. Euangelium desumitur ex Communi Doctorum.

In Festo S. IGNATII Episcopi & Martyris, 1. Februarij, Euangelium desumitur ex Festo S. Laurentij.

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. MARIÆ, 2. Februarij.

Euangel. *Postquam impleti sunt dies purgationis eius*, Lucæ 2. v. 22. vsque 33.

FIDES.

Lege *purgationis*, Leu. 12. v. 6. non tenebatur *Maria*, vt ibi ostendi. Nec *Christus* lege *adaperientium vuluam.* vide Comment. Sed vterque nobis exemplo esse voluit vltroneæ humiliationis.

Omne masculinum, &c. *sanctum Domino vocabitur*] Exodi 13. v. 12. Num. 8. v. 16. Cur ergo etiam tuus primogenitus non offertur Domino, cum Annæ istius Samuele? 1. Reg. 1. v. 28. Cur, cùm ad Dei obsequium vocatur, aut à Deo per mortẽ accersitur, obmurmurant parentes? Luc. 2. v. 23.

Homo iste (Simeon) *iustus*, non extrinseca, non imputata solùm iustitia, sed vera & intrinseca, controu. 15. n. 2. vsque 9. Nam *Spiritus sanctus erat in eo.* v. 25.

Nunc dimittis seruum tuum Domine in pace] An certi simus de nostra iustitia. controu. 15. n. 12. vsque 17. Vbi & de signis è quibus id certò sperari possit. v. 29.

Viderunt oculi mei salutare tuum] Isa. 40. v. 5. *Et videbit omnis caro salutare Dei*, vt citatur Luc. 3. v. 6. *Beati oculi qui vident quae vos videtis.* Luc. 10. v. 23. Sed magis *beati* v. 30.

qui

qui non viderunt & crediderunt. Ioan. 20. v. 29.

v. 31. *Parasti ante faciem omnium populorum*, etiam *Gentium*, controu. 13. n. 8 & gratiam nulli deesse sinit ex sua parte, controu. 14. n. 10. vsque 14.

MORES.

Luc 2. v. 22. *Dies purgationis*] Cur puerperæ exclusæ fuerint templo, vide Leu. 12. v. 5. Et iam quoque laudabiliter id seruatur. Sed ne nuda sit & inutilis cęremonia, accedat Primò, humilis confessio; Secundò, gratiarum actio, Tertiò, prolis oblatio ad omne Dei obsequium. Et quidem vacuis manibus aut sine xenio non accedendum ad regem, 1. Reg. 9. v. 7. Magnificentiora dona & nobilior oblatio numquam facta in templo. *Maiestas Domini impleuit domum.* 2. Paral. 7. v. 1. *Sacrificium & oblationem noluisti: aures autem perfeciſti mihi*, &c *Ecce venio. In capite libri*, &c. Psal. 39. v. 7. *Voluntaria oris mei* (vota) *beneplacita fac Domine*, Psal. 118. v. 108. Non mundo, non idolo Moloch, Leuit. 18. v. 21. sed vero Deo consecrandi filij. De omnibus *primitijs* Exod. 35. v. 5. & c. 36. v. 3. Deo offerendis. Etiam *Neomeniæ* Deo sacræ. Num. 28. v. 11. De *primogenitis omnibus*, etiam bestiis, Deo offerendis, vide Exodi 13. v. 2. *Mea sunt enim omnia* ibid. Idem præcipitur, Num. 3. v. 10. &c. & c. 18. v. 16. *Pretio redimes primogenitum*, &c. Exod. 13. v. 13.

Sed Nota, ex ijs quæ Deo sepositа vel oblata semel fuerant, non licebat quidquam in rem profanam expendere, Deut. 26. v. 13.

Tulerunt illum in Ierusalem] Zach. 13. v. 1. *Erit fons patens domui Dauid & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Iam incipit hic fons patere: sed totus reserabitur in cruce. Iam verò quàm præclarè in amplissimo hoc theatro partes suas agunt Iesus, Maria, Simeon & Anna! quid Iesus. Etsi exemptus à lege, vltrò tamen sistit & offert se Patri in plenum holocaustum. Et vos, ô Superiores, vestris quas fertis, legibus viuite. Matt. 23. v. 4. *Alligant onera grauia*, &c.

Quid Maria, & Ioseph? Primò *tulerunt Iesum*, &c. Et vos, ô parentes, à teneris liberos vestros instituite & Deo consecrate: exemplo matris Samuelis, 1. Reg. 1. v. 24. & Tobiæ 1. v. 10. Thren. 3. v. 27. *Bonum est viro cùm tulerit iugum ab adolescentia sua.* Eccli. 30. v. 12. *Curua ceruicem eius.* Secundò, purgatur Maria, cùm non fuerit immunda. Cant. 4. v. 7 *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Luc. 1. v. 28. *Gratia plena*, &c. Lauda eius excellentem obediętiam, humilitatem, prudentiam & charitatem. *Iabel* decepit *Sisaram*, Iudic. 4. v. 18. & c. 5. v. 24. Sic B. Virgo dæmonē ritibus purificationis suæ, &c. *Benedicta inter mulieres Iabel, & benedicatur in tabernaculo suo.*

Quid Simeon? Primò, vir *timoratus.* Et vos timete, sed Deum: & timore filiali sancto timete. hic *permanet in sæculum sæculi.* Psal. 18. v. 10. Secundò *exspectans consolationem*, non suam solius, sed totius *Israel* Et vos anhelate ad *bona Domini in terra viuentium.* Psal. 26. v. 13. *Exspectantes beatam spem*, &c. Tit. 2. v. 13. *Renuit consolari anima mea.* Psal. 76. v. 4. Quanto desiderio aduentus Christi flagrarint SS. Prophetæ, vide Cant. 1. v. 1. *Osculetur me.* & ante primam Dominicam Aduentus. Isaiæ 45. v. 8. *Rorate cæli.* & c. 63. v. 15. *Vbi est zelus tuus*, &c. Isaac expetit osculum filij sui, Gen. 27. v. 26. *In lectulo meo per noctem quæsiui.* &c. Cant. 3. v. 1 *Beati oculi qui vident quæ vos*, &c. Lucæ 10. v. 24. Tertiò, *accepit* Simeon puerum in *vlnas suas.* Et vos exercitijs bonorum operum, non nuda fide, non nudis propositis, Christum stringite, *qui dedit semetipsum pro nobis*, &c. *sectatorem bonorum operum.* Tit. 2. v. 14. Quartò, *nunc dimittis seruum tuum in pace. Cupio dissolui.* Phil. 1. v. 23. *Infelix ego homo*, &c. Roman. 7. v. 24. *Lignum vitæ desiderium veniens.* Prou. 13. v. 12. *Nato Ioseph, dixit Iacob* socero suo, *Dimitte me vt reuertar in patriam, & ad terram meam.* Genes. 46. v. 25. *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo.* Gen. 46. v. 30. *Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.* Gen. 32. v. 30. *In pace in idipsum dormiam*, &c.

Quid Anna egerit, vide in Dominica infra Octauam Natiuitatis Domini.

VARIA.

Purificatio Virginis & oblatio Christi in templo contigit quadragesimo ab ortu ipsius die. Chron. cap. 49. sub initium.

Speciem hîc habes publicę supplicationis seu processionis, de qua vide Cottonum, Gretserum, &c. De cereis seu luminaribus, vide eosdem †. Cot: ton. l. 2 Instruct. Cath. c. 54. Gret. in append. † Cotton. sup c. 55.

Cur à Virgine non *agnus*, sed *par turturum* offertur? quia pauperes erant Maria & Ioseph. Cur tantam paupertatem elegit Christus? S. Thom. 3. p. q. 40. a. 3.

IN FESTO S. AGATHÆ VIRGINIS ET MART. 5. Februarij.

Euangel. *Si licet homini dimittere vxorem*, Matt. 19. v. 3. vsque 13.

Quod Deus coniunxit, homo non separet] Matrimonium esse Sacramentum, & indissolubile, controu. 27. n. 1. De infidelibus, n. 4. Repudium concessum Iudæis, sicut & pluralitas vxorum, fœneratio Gentilibus, &c. Deut. 23. v. 19 & 24. v. 1. Sed iam *libellus repudij* non est amplius licitus: nec polygamia, contr. 27. n. 3. nec vlla fœneratio, vt dixi in Deut. supr. De impedimentis dirimentibus, contr. 27. n 7. Matt. 19. v. 6. v. 7.

Dicunt discipuli: Non expedit nubere] Contr. 9. n. 7. v. 10.

Non omnes capiunt verbum istud. Sed sunt eunuchi qui seipsos castrauerunt] De voto perpetuæ castitatis, contr. 9. n. 4. 5. 7. Legem cælibatus non esse impossibilem, neque sacrilegam, &c. contr. 8. n. 9. vsque 12. v. 11.

Qui potest capere, capiat] De consilijs Euangelicis contr. 9. n. 9. *Non dicat eunuchus, Ecce ego lignum aridum*, &c. *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum & nomen melius à filijs & filiabus: nomen sempiternum dabo eis*, &c. Isaiæ 56. v. 4. &c. *Noë* vixit cælebs 450. vltimis vitæ annis, Gen. 9. v. 28. item *Melchisedec* 5. virgo, Gen. 14. v. 17. De laudibus & fructibus cælibatus, vide 1. Cor. 7. v. 34. & c. 9. v. 4. v. 12.

Interim ex occasione monendi mariti ne contemnant vel exasperent vxores suas. *Operiebatis lacrymis* vxorum à vobis malè habitarum) *altare Domini, fletu & mugitu*, &c. Malach. 2. v. 13. vsque 17. vbi septem rationibus probat id periniquum esse.

VARIA.

Dixit hæc Iesus mense Decembri vltimo ante mortem suam. Chron. c. 49.

IN FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI, 24. Febr.

Euangel. *Confiteor tibi Pater, Domine cæli.* Matth. 11. à v. 25. ad finem cap.

FIDES & MORES.

Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus huius sæculi; *& reuelasti ea paruulis.* Isaiæ 5. v. 21. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Matth. 16. v. 17. *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus.* Ierem. 8. v. 8. *Verè mendacium operatus est stylus mendax Scribarum.* *Hæc est vita æterna*, vt cognoscant te, &c. Ioan. 17. v. 3. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ* Matt. 11. v. 25.

Domi-

Domine, quam abscondisti timentibus te! Psal. 30. v. 20. Qualis sit Deus, & qualis Christus, Cant. 5. v. 9. vsque finem Vbi inuenietur, v. 17. & c. 6. v. 1. *Nosse te consummata iustitia est*, &c. Sap. 15. v. 3. *Non glorietur* nisi, *nosse me*. Ierem. 9. v. 23. *Inuentus sum à non quærentibus me*, &c. Roman. 10. v. 20. & Isaiæ 65. v. 1. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis*. Psal. 147. v. vlt.

6. *Ita, Pater*, factum: *quoniam sic placitum fuit ante te*] Psal. 35. v. 7. *Iustitia tua sicut montes Dei: iudicia tua abyssus multa*. Rom. 11. v. 33. *O altitudo*, &c. Isaiæ 55. v. 9. *Sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris*, &c. Rom. 9. v. 31. *An non habet potestatem figulus luti?* Matth. 20. v. 15. *Aut non licet mihi quod volo facere?* Quænam Deus pro suo solius placito decreuerit in causa nostra, vide contr. 13. nu. 8. Sic in delectu officiorum præposuit Moysen Aaroni, Exodi 3. v. 10. Iacobum Esau, Roman. 9. v. 11. Isaacum Ismaeli, v. 7. Saulem Samueli, 1. Regum 9. v. 16. Dauidem tot fratribus senioribus, cap. 16. v. 16. Dauidem tot fratribus senioribus, 1. v. 23. & 26.

7. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*] Nempe vnà cum naturâ diuina per generationem ab æterno, contr. 3. n. 2. & contr. 4. n. 3. &c.

Mihi, non dæmoni, etsi id sibi arroget, Lucæ 4. v. 6.

Nemo nouit Filium nisi Pater: neq; Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare] Mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis Verbi, & redemptionis mundi, nemo solius naturæ viribus assequetur, controu. 14. num. 9.

8. *Venite ad me omnes, & ego reficiam vos, & inuenietis requiem*] Liberum cuique vocato relinquit, sequi vel non sequi, controu. 14. n. 4. *Sapientia proposuit mensam suam, misit ancillas suas vt vocarent*, &c. *Si quis est paruulus, veniat ad me: & insipientibus locuta est, Venite, comedite panem meum*, &c. Prou. 9. v. 2. &c. Neque tamen per hæc excluditur confugium ad Sanctos, controu. 30. n. 9. *Columba* ex arca emissa Gen. 8 v. 8. *cùm non inuenisset, vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad* Noë *in arcam*. Cant. 1. v. 6. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam*, &c.

9. *Mitis sum & humilis corde*] *Genæ tuæ*, id est mansuetudo & humilitas tua, *sunt areolæ aromatum*, &c. Cantic. 5. v. 13.

10. *Iugum meum*, non intolerabile, vt Mosaicum, Act. 15. v. 10. vel iugum mundi, carnis dæmonis: sed *suaue est, & onus meum leue*; Deus non præcipit impossibilia, controu. 14. n. 16. *Mandatum hoc non supra te est*, &c. Deut. 30 v. 11. *Collum vestrum subijcite iugo*, &c. Eccli. 51. v. 34. *Bonum est viro cùm tulerit iugum ab adolescentia sua*. Thren. 3. v. 27. *Injice pedem tuum in compedes illius*, &c. Eccli 6. v. 25. *Circumda gutturi tuo*, &c. Prouer. 6 v. 20 & c. 7. v 3. *solue vincula colli tui captiua filia Sion*. Isaiæ 52. v. 2. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*. Cant. 1. v. 12.

VARIA.

S. Matthias putatur fuisse vnus ex 72. discipulis Christi, Lucæ 10. v. 1. Sed sorte postea ad apostolatum electus, inter duodecim pretiosos lapides fundamentales cælestis Ierosolymæ, Apoc. 21. v. 19. ipse *amethystum* constituit. §. *Duodecimum*. Mathathias typus nostri Matthiæ. 1. Machab. 2. toto. Occisus est S. Matthias anno 33. post mortem Christi. Chron c. 50.

Hæc sors tua, pars & mensura tua à me, dicit Dominus, quia oblita es mei. &c. Ierem. 13. v. 25. *Funes ceciderunt mihi in præclaris*, &c. Psal. 15. v. 6. De sortibus vide Ios. 7. v. 14. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur*. Prou. 16. v. 33. Interuenit sæpè Deus sortibus & diuinationibus, etiam impiorum, vt dixi Ionæ 1. v. 7. 1. Regum 28. v. 14. *In quo etiam & nos forte vocati sumus*, &c. Ephes. 1. v. 11.

IN FESTO S. THOMÆ AQVINATIS, 7. Martij.

Euangel. *Vos estis sal terræ*, &c. de Communi Doctorum.

Pro castitate eius seruiat exemplũ *Iosephi*, Gen. 39. v. 12. *Susannæ*, Dan. 13. v. 23. *Pauli*, Roman. 8. v. 38. & aliorum à Corn. à Lapide citatorum, qui mori maluerunt quàm peccare.

Pro sapientia: *Sedens in cathedrâ sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno*, 2. Regum 23. v. 8. Typus eius, Salomon. Eccli. 47. v 14. vsque 22. *Impletus es, quasi flumen, sapientia, & terram retexit anima tua*. v. 16. *Cùm adhuc iunior essem, priusquam oberrarem, quæsiui sapientiam palàm in oratione mea*, &c. *excepi illam*, &c. *possedi cum ipsa cor ab initio*, &c. Eccli. 51. v 18. vsque 31. *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum, qui lassus est, verbo: erigit manè, manè erigit mihi aurem, vt audiam quasi magistrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij*, Isaiæ 50. v. 4. *Posui verba mea in ore tuo, & in vmbra manus meæ protexi te, vt plantes* in terra nouos *cælos, &* (in cælis) *fundes* nouam *terram*. Isaiæ 51. v. 16. *Bonitatem & disciplinam, & scientiam doce me*. Psal. 118. v. 66.

In Festo S. GREGORII Papæ, 12. Martij, Euangelium desumitur ex Communi Doctorum,

In Festo S. IOSEPH Confess. 19. Martij, ex Vigilia Natiuitatis Domini.

In Festo S. IOACHIM Confess. 20. Martij, ex Festo Conceptionis B. Virginis 8. Decemb.

In Festo S. BENEDICTI Abbatis, 21. Martij, ex Communi Abbatum.

IN FESTO ANNVNTIATIONIS B. MARIÆ, 25. Martij.

Euangel. *Missus est angelus Gabriel.* Lucæ 1. à v. 26. ad 39.

FIDES & MORES.

Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui: & sciens dolorem eius, descendi vt liberem eum, &c. Exodi 4. v. 7. &c. *Abraham* mittit *œconomum* suum pro *sponsa* quærenda *filio suo Isaac*, Gen. 24. *Vade, sume tibi vxorem fornicationum*. Osee 1. v. 2. *Missus est angelus Domini* S. Raphael, *vt curaret Tobiam & Saram, quorum vno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ*. Tobiæ 3. v. vlt.

Angelus Gabriel, qui olim Danieli c. 9. v. 21. prædixerat tempus venturi Messiæ, idem nunc pro paranympho *missus est à Deo in ciuitatem*, non maximam totius Iudææ, sed penè minimam *Galilææ*, *ad Virginem* Spiritui sancto desponsandam, è qua Messias nasceretur. Sed quæ sponsa digna tanto sponso? quæ virgo tanto partu? *Summo pontifici* non licebat in *vxorem* ducere nisi *virginem & nobilem*. Leuit. 21. v. 1. & 13. Luc. 1. v. 26.

Ad Virginem desponsatam iam recèns mortali *viro*, matrimonio rato ac perfecto, sed numquam consummato, Matth. 1. v. 18. *Virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu*. 1. Cor. 7. v. 34. *Gabriel, fac intelligere istum* (Danielem) *visionem*. Daniel. 8. v 16. *Dixitq; mihi: Ego ostendam tibi quæ futura sunt in nouissimo maledictionis: quoniam habet tempus finem suum*. v. 19. Mox explicat mysterium *quatuor monarchiarum*, & 70. *hebdomadum* præambula incarnationi Verbi diuini. Prouer. 25. v. 25. *Aqua frigida animæ sitienti, nuntius bonus de terra longinqua*,

Iudic.

Iudic.13.v.6. *Vir Dei venit ad me habens vultum angelicum, terribilis nimis.*

v.28. *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*] Et quidem à primo cõceptionis instanti, contr.11.n.). Sed quantis incrementis toto reliquo vitæ decursu, vsque ad plenam senectam. Mortua putatur (vt dixi in Chronico c.vlt.) à passione Christi anno 22. *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.* Iudith 15. v.10. *Multa filiæ congregauerunt diuitias: tu supergressa es vniuersas*, Prou. 31. v. 29. *Impleui splendoribus animam tuam.* Isaiæ 58. v. 11. *Esther non quæsiuit muliebrem cultum, sed quæcumque voluit Egeus eunuchus custos virginum, hæc ei ad ornatum dedit. Erat enim formosa valdè & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur. Et adamauit eam rex plus quàm omnes mulieres, habuitq; gratiam & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & posuit diadema regni in capite eius, fecitq; eam regnare in loco Vasthi.* Esther 2.v.vlt.

v.29. *Turbata est*, &c.] *Pulchra sum gena tua*; &c. Cant.1. v.9. &c. *Sicut cortex mali punici*, &c.c.6.v.6. *Descendente angelo turbabatur aqua.* Ioan.5.v.4.

v.30. *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum*] An & nos de gratia apud Deum certi esse possimus? contr. 15. nu. 12. vsque 17. vbi & de signis. De Maria sorore Moysis prophetissa, Exodi 15. v. 20. *Cuius erunt optima quæque Israel nónne tibi & omni domui patris tui?* 1. Regum 9.v.20. *Numquid non filius Iemini ego sum?* &c.v.21.

v.31. *Ecce concipies in vtero, & paries filium, Iesum*, id est Saluatorem vniuersi, conformiter prophetiæ Isaiæ 7. v.14. *Ecce virgo concipiet*, &c.

v.32. *Hic erit magnus*, vtpotè *filius Altissimi*, Deus verus de Deo vero. De vnione hypostatica duarum naturarum in Christo, contr.4.n.3.& seqq.

Dabit illi Deus sedem Dauid patris eius (an iure illa ad Christum deuoluta per Iosephum, vide Matth. 1.v.16. *& regnabit in domo Iacob in æternum*] Hoc explicui Isaiæ 9. v.7. *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: super solium Dauid sedebit*, &c.

v.34. *Virum non cognosco*] Hinc colligo, vòtum perpetuæ castitatis in hac Virgine, vide comment.

v.35. *Virtus Altissimi*, loco virilis complexus, *obumbrabit tibi*] Deus se solo ex tuo solius sanguine producet in vtero tuo corpusculum Filii tui.

Ideoq;, cùm nõ sit hęc generatio naturalis, *quod nascetur ex te* erit omni ex parte *sanctum*, sine vlla macula vel peccato seu originali, seu actuali. contr.4.nu 12.& cõtr.11. nu.9. *Non dominetur mei omnis iniustitia.* Psal.118. v.133.

v 37. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*] controu. 1.num.3.

v.38. *Ecce ancilla Domini*, &c.] Non magnum est esse humilem in abiectione: magna prorsus & rara virtus, humilitas honorata, inquit S. Pernardus. *Ecce famula tua* (inquit Abigail ad Dauid, 1.Regum 25. v. 41.) *sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum domini mei.* Et Dauid ipse: *Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel, vt fiam gener regis? Ego autem sum vir pauper & tenuis.* 1.Regum 18.v. 18.& 83. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Eccli.3.v.30.

S.Bernard. super Missus hom. 4.

De incarnato Verbo Dei.

Quis mihi det te fratrem meũ? &c. Cant.8.v.1. *Tenui eum, nec dimittam.* &c.c. 3.v.4. *Aquila grandis tulit medullam cedri, & transportauit eam in terram Chanaan, in vrbe negotiatorum posuit illam*, Ezech.17.v.3. *Ecce iste venit saliens*, &c. Cant. 2.v.8. *vt gigas*, Psal.18.v.6. *Lauda & lætare filia Sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus*, Zachar.2.v.10 *Exiui à Patre, & veni in mundum*, &c. Ioan. 16.vers.28. *Ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* Prouerb. 8. vers.31. De *osculo* incarnationis, vide Cant.1.v.1.& *accubitu regis* in vtero Virginis, v 6. *Vnicornua* in sinu virginis, Num 23.v.22.& Psalm.28.v.6. & Iob 39.v.9. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Eccli. 24. v. 11. *Ego flos campi & lilium.* Cant.2.v.1. *Germen Domini*, &c. Isaiæ 4.v.2. *Arca* constructio. Exodi 25. v.16. humana natura Christi. *Tabernaculi* forma & ornatus. Exodi 26. vers 1. Sol retrogressus *decem lineis*, 4.Regum 20.v.9. stetit, Iosue 10. v. 14. *Formam serui accipiens*, &c. Philipp. 2.v.7. *Quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eidem: vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium*, id est diabolum, &c. Hebr. 2. v. 14. vsque fin. *Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum* (Filius Dei copulatus humanæ naturæ) *& ipse stabat inter* fragrantia Deiparæ *myrtetа, quæ erant in profundo: & post eum equi rufi, varij & albi.* Zachar. 1. v.8. *Iosephum* adorant *manipuli fratrum, & sol, luna, stellæ.* Gen.37. v.6.& 9. *Adorent eum omnes angeli Dei.* Hebr. 1. v.6. *Speciosus formâ præ filijs hominum*, &c. Psalm.44.v.3. vsque 10. *Astitit regina*, &c. v. 10. vsque 17. *Quatuor* Christi *stemmata* in quatuor *animalibus* Ezechielis c. 1. v. 6. *Elias contracto corpore suo super corpus pueruli, illud vm sicat.* 3. Regum 14.v.21. *Ecce virgo concipiet*, &c. Isaiæ 7. v.14. *Virga Aaron* absque humano opere floruit, Num. 17. v.2. *Ros in vellere*, Iudic. 6. v.37. Christus in vtero Virginis. *Permanebit cum sole, & ante lunam, in generatione & generationem: descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* Psalm. 71. v.5. *Rubus ardens incombustus*, Exodi 3.v.2. *Verbum caro factum*, & in Virgine conceptum illæsa virginitate. *Princeps* ingressus est per *portam Orientalem* omni alteri clausam, Ezech.44.v. 2.& 3. *Porta hæc clausa est, vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritq; clausa principi, princeps ipse sedebit in ea*, &c.

Prærogatiuæ conceptionis Christi. Prima, absque viri opera. *Spiritus sanctus superueniet in te*, &c. Lucæ 1.v.35. Secunda, corpusculum primo temporis puncto omnibus membris ac lineamentis absolutum, & cum anima copulatum fuit. *Creauit Dominus nouum super terram: fœmina circumdabit virum.* Ierem. 31. v. 22. Tertia eodem puncto corpus & anima diuino Verbo, in vna eademque hypostasi sunt coniuncta, vt esset Deus-homo *Verbum caro factum est.* &c. Ioan. 1.v.14. *Erunt duo in carne vna.* Genes. 1.v.24. Quarta, infans ætate, plenum rationis vsum habuit. *Plenus gratia & veritatis.* Ioan. 1.v.14. Expers omnis peccati originalis. Quinta statim à primo instanti non solùm plenus fuit gratiâ & scientiâ, sed & lumine gloriæ, videns perfectè Deum, comprehensor simul ac viator. *Quod vidimus testamur.* Ioan. 3.v.11. *Filius hominis qui est in cælo.* v.13. Sexta, à primo instanti cœpit mereri, summo cum amore pro humano genere cruci suffigendum se offerens. *In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam: Deus meus volui*, &c. Psal.39.v.9.

VARIA.

Incarnatus est Dei Filius completis verisimiliter 4. millibus annorum præcisè à condito mũdo. Chro.c.4. Pet. Dam. ser.1. de Nat.

Eodem die 25. Martii creatus mundus, incarnatus Dei Filius, resurrexit, & venturus ad iudicium, Exodi 12.v.40.

Incarnatus est ea nocte seu vespera quæ lucem primæ feriæ (quam Dominicam diem vocamus) est consecuta, verisimiliter sub medium noctis. Chron. cap. 48. subinit. An præcisè in puncto æquinoctii, vide ibid. conc. Virg. Pan. Caath. in 2. dist 11. q. 2.

Gabrielem Archangelum Beatissimæ Virginis custodem perpetuum fuisse, docent Petrus Damianus, Vualricus apud Carthusianum, Abulensis & Barradius. Olim emenda erat sponsa, 1. Regum. 18. v.21. Quare dote emptam putamus? Abulen. in Matth. 18. q. 60.

In Te-

In Festo S. LEONIS, 11. Aprilis, Euangelium desumitur ex Festo SS. Petri & Pauli, 29. Iunij.

In Festo S. GEORGII, 23. April. ex Communi Martyrum tempore Paschali.

IN FESTO S. MARCI EVANGELISTÆ, 25. Aprilis.

Euangel. *Designauit Dominus & alios.* Luc. 10. à v. 1. ad 10.

FIDES & MORES.

Iudith 2. v. 2. *Vocauit rex* Nabuchodonosor *omnes maiores natu, omnesq; duces ac bellatores suos, & habuit cum eis mysterium consilij sui, dixitq; cogitationem suam in eo esse, vt omnem terram suo subiugaret imperio.*

Designauit Dominus pro suo placito, (vide in Festo S. Matthiæ 24. Febr.) *septuaginta duos*] &c. Vide comment. 1
Elegit rex Salomon operarios de omni Israel, mittebátq; eos in Libanum. 3. Reg. 5. v. 13. Quales debeant à Superioribus designari officiales, & cur tam multi? Exod. 18. v. 14. & 21. &c. *Stulto labore consumeris*, &c. Onus Moysis dispertitum in 71. seniores, Numer. 11. vers. 14. *Quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum?* vers. 29.

Et misit illos] *Quomodo* enim *predicabunt nisi mittantur?* Rom. 10. vers. 15. *Quem mittam? & quis ibit nobis?* Isa. 6. v. 8. Quàm missio necessaria Pastoribus Ecclesiæ, & à quo petenda, controu. 8. n. 1. vsque 8. *Ipsi currebant, & ego non mittebam eos.* Ierem. 23. v. 21. *Precepit Iudas Ioseph & Azaria, ducibus populi, dicens, Praestote populo huic, & nolite bellum committere aduersus Gentes, donec reuertamur.* 1. Machab. 5. v. 19. Sed ipsi vt audierunt *res bene gestas* Iudæ & Simonis, *& prelia quæ facta sunt; dixerunt: Faciamus & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare aduersus gentes, quæ in circuitu nostro sunt. Et fugati sunt vsque in fines Iudæ, & ceciderunt ad duo millia viri, & facta est fuga magna in populo: quia non audierunt Iudam, existimantes fortiter se facturos. Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel.* v. 56. vsque 63. *In die illa ceciderunt sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in prælium.* vers. 67. Noluit Deus à *Dauide bellatore* construi sibi templum, sed à *pacifico Salomone*, non vi vel armis, sed agnina mansuetudine, 2. Reg. 7 v. 3.

Ecce ego mitto vos] *Ite angeli veloces ad gentem conuulsam & dilaceratam*, &c. Isa. 18. vers. 2. *Ego sum* (inquit Absalom, 2. Reg. 13. vers. 28.) *qui præcipio vobis: roboramini, & estote viri fortes.* vide Matth. 10. v. 16. *Ite ad exitus viarum, & quoscumque inueneritis, vocate ad nuptias.* Matth. 22. v. 9. *Iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.* Psalm. 67. v. 5. *Egressi sunt veredarij celeres nuntia perferentes.* Esther 8. v. 14. *Sicut sagitta in manu potentis, ita filij excussorum.* Psalm. 126. v. 4.

Mitto autem, non vt lupos inter agnos, sed *sicut agnos inter lupos*] *Neque vt dominantes in clerò, sed forma facti gregis ex animo* 1. Petr. 5. v. 3. *Et hos quidem arguite iudicatos, illos verò saluate de igne rapientes: alij autem miseremini in timore.* Iudæ v. 22. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit*, &c. Psal. 7. v. 13.

Nolite portare sacculum, neque peram] &c. Vide Matth. 10. v. 9. & 10. *Numquid aliquid defuit vobis?* Luc. 22. v. 35. Quadraginta annis *non sunt* attrita *calceamenta*, &c. Deuter. 29. v. 5. *Perfecit pedes meos tamquam ceruorum.* Psal. 17. v. 34. *Super petram*, &c. Psal. 39. v. 3. Vetuit olim Deus etiam regibus multiplicare equos, Deut. 17. v. 16. & 3. Reg. 4. v. 26. Quantis opibus ditarit olim Deus sacerdotes veteris legis, vide Num. 18.

Dicite: Pax huic domui. Si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra] Quàm efficax sit benedictio sa- 5.

cerdotalis, collige etiam ex dictis controu. 18. num. 13. de cæremonijs Ecclesiæ. Deut. 20. v. 10. *Quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primùm pacem.* Psalm. 71. v. 7. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.* Psalm. 118. v. 165. *Pax multa diligentibus legem tuam.* Isa. 66. v. 12. *Declinabo super eam quasi fluuium pacis.*

Pro themate, dicite illis: *Appropinquauit in vos regnum* v. 9. *Dei*] Expletum iam tempus aduentui Messiæ designatum à Deo, contr. 4. n. 1. Neque alium esse Messiam, quàm Iesum Mariæ filium, ibid. n. 2. *Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis & predicantis pacem; annuntiantis bonum, predicantis salutem, dicentis Sion, Regnabit Deus tuus!* &c. Isa. 52. vers. 7. & 8. *Quàm pulchri sunt gressus tui!* &c. Cant. 7. vers. 1. *Crura columnæ marmoreæ*, &c. cap. 5. vers. 15. *Calceati pedes*, &c. Ephes. 6. v. 15. *Princeps ea quæ digna sunt principe cogitabit.* Isa. 32. v. 8. *Ferrum & æs calceamentum eius*, &c. Deut. 33. v. 24. *Tingat in oleo pedem.* ibid. Meretricis, *vagi sunt gressus*, &c. Prou. 5. v. 6. & c. 17. v. 11. *Pulchras frustra habet claudus tibias.* Prou. 26. v. 7.

Delegit Christus discipulos non ex Rabbinis aut principibus, sed ex infima sorte. *Conuenerunt ad Dauidem omnes qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum princeps.* 1. Reg. 22. vers. 2. *Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Matth. 10. vers. 16. *Sed volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo.* Rom. 16. vers. 19. *Solicitè cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis.* 2. Tim. 2. vers. 15. *Nubes lustrant per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit*, &c. Iob 37. vers. 12.

Spiritus sanctus dabat ipsis sapientiam necessariam. *Eructauit*, &c. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Psal. 44. v. 1. & 2. *Ex ore suo loquebatur* (Ieremias) *quasi legens, ai me, omnes sermones istos, & ego* (inquit Baruch) *scribebam in volumine atramento.* Ierem. 36. v. 18.

Quod munus horum discipulorum? vide in comment. *Deus separauit tribum Leui, vt portaret arcam fœderis Domini, & staret coram eo in ministerio, ac benediceret in nomine illius.* Deut. 10. v. 8. *Caathita* proprijs humeris *deferre* debebant instrumenta *sanctuarij*, Num. 10. v. 21. sicut *sacerdotes arcam.* Vnde punitus *Oza*, 2. Reg. 6. v. 7.

VARIA.

Hi 72. discipuli à Christo designati sunt sub medium Octobris, anni tertij prædicationis Christi. Chro. c. 49.

In Elim erant 12. fontes aquarum, & 70. *palmæ*, Exodi 15. vers. 27. Qualis arbor *palma*, vide Cantic. 7. v. 7. & psalm. 91. v. 13. Quatuor *monarchiæ* per quadruplices Zachariæ *quadrigas* designatæ, typus quatuor *Euangelistarum*, vel quadruplicium præconum Euangelij. Zachar. 6. v. 1. vsque 9. Ex quatuor animalibus Apoc. 4 vers. 7. *leo* appropriatur *S. Marco. Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pauebit occursum.* Prou. 30. v. 30. *Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti.* Gen. 49. v. 9. Ad quam prædam? *Dereliquit quasi leo vmbraculum suum, à facie iræ columbæ.* Ierem. 25. v. vlt. *In die illa erunt quinque ciuitates in terra Ægypti, loquentes linguâ Chanaan, & iurantes per Dominum exercituum: Ciuitas solis vocabitur vna. In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti*, &c. Isa. 19. v. 18. vsque 21. *& cognoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscent Ægyptij Dominum in die illa, & colent eum in hostijs & in muneribus*, &c. v. 21. vsque fin.

Hæc accepta ferre debent Ægyptij S. Marco, primo suo Apostolo & Euangelistæ, à S. Petro in Ægyptum transmisso. *Salutat vos Marcus filius meus*, inquit S. Petrus 1. epistolæ c. 5. v. 13. Quis, qualis, quantæque sanctitatis & nominis fuerit S. Marcus, vide in præfatione Euãgelij ipsius, quod latinè scripsit Romæ anno 13. à morte Christi. Et post 18. annos Alexandriæ occisus est, nempe

anno 31. à morte Christi, 25. Aprilis, Dominica in Albis, Chron c. 50.

Quid sibi velit istud, *Neminem per viam salutaueritis*, vide 4. Reg. 4. v. 29.

IN FESTO SS. APOSTOLORVM PHILIPPI ET IACOBI, 1. Maij.

Euang. *Non turbetur cor vestrum.* Ioannis 14. à v. 1. vsque 14.

FIDES & MORES.

Joan. 14. v. 1. *Non turbetur cor vestrum*] At mittis *agnos in medium luporum*, Luc. 10. v. 3. Et turbatur vir ille bellator, Ps. 37. v. 11. *Cor meum conturbatum est in me*, &c. Respondeo, Hæc est virtus Christi. 2. Cor. 4. v. 8. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur.* Psal. 26. v. 3. *Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.* Psal. 4. v. 9. *In pace in idipsum dormiam & requiescam.*

Creditis in Deum, & in me credite] Nam & ego Deus sum, controu. 4. n. 3. Mementote scalæ Iacob, Genes. 28. v. 12. & ligni vitæ, Apoc. 22. v. 2. *Modicæ fidei quare dubitasti?* Matth. 14. v. 31. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Roman. 8. v. 31. *Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo, portas æreas conteram*, &c. Isa. 45. v. 2. *Fide Moyses reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis: inuisibilem enim tamquam videns sustinuit.* Hebr. 11. v. 27. & 33. *Sancti per fidem vicerunt regna*, &c. *circuierunt in melotis*, &c.

v. 2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*] Diuersitatem præmiorum collige ex inæqualitate iustitiæ, contr. 15. n. 21. & 22. *Parvus & magnus tibi sunt.* Iob 3. v. 19. *Alia claritas solis, alia lunæ, alia stellarum.* 1. Cor. 15. v. 41. Conuiuæ omnis generis vocantur Lucæ 14. v. 21.

Vado parare vobis, per mortem meam, *locum* in domo Patris mei, controu. 4. n. 15. *Pro nobis præcursor introiuit Iesus, secundùm ordinem Melchisedech, pontifex factus in æternum.* Hebr. 6. v. 20. *Introiuit per proprium sanguinem*, &c. c. 9. v. 12.

v. 3. *Iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum*, sigillatim in morte cuiusque, collectim in die iudicij. Matth. 25. v. 34. *Venite benedicti*, &c. *Vt vbi sum ego, & vos sitis.* Ioan. 14. v. 3. Christus enim à primo conceptus sui instanti vidit clarè Deum, vt dixi controu. 4. n. 12. *Intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25. v. 21. *Et sic semper cum Domino erimus.* 1. Thess. 4. v. 16.

v. 6. *Ego sum via, veritas & vita*] *Ego sum ostium*, &c. Ioan. 10. v. 9. Non ergo excludendus Christus etiam à suprema contemplatione. *Pater amat vos*, sed *quia vos me amastis.* Ioan. 16. v. 27. *Deliciis affluens ascendit*, sed *innixa super dilectum suum.* Cant. 8. v. 5.

v. 7. *Si cognouissetis me, & patrem meum vtique cognouissetis*] Quia Filius perfectè cognosci non potest sine Patre, controu. 3. n. 1. & 2.

Amodò vidistis eum] Nam *qui videt me, videt & Patrem*, non in se, sed in operibus suis, vtpote per me operantem tam stupenda opera.

v. 8. *Dicit ei Philippus: Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*] Quemadmodum *ignis*, ita & humana cupiditas, *numquam dicit*, *Sufficit.* Prou. 30. v. 16. *Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.* Sufficit vnicus Deus. Psal. 16. v. 15. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.*

v. 10. *Ego in Patre, & Pater in me est*] Nam in vnica natura diuina subsistimus vterque, controu. 3. n. 1. & 2.

v. 12. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet*] Miracula vera signa esse veræ doctrinæ, etsi non semper vitæ, dixi controu. 5. n. 6.

v. 13. *Quodcumque petieritis* seu *Patrem*, seu *me*, dummodò *in nomine meo, hoc faciam*] *Non* enim *est in alio aliquo salus. Nec aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Act. 4. v. 12. controu. 4. n. 11. Quot & quæ requirantur vt oratio infallibiliter impetret, dixi controu. 17. n. 3.

VARIA.

S. Philippo in fundamentis Ierosolymæ cælestis appropriatur lapis *sardonyx*; S. Iacobo Alphæi *topazius*, Apoc. 21. v. 20 § *Quintum*, & § *Nonum.*

Duæ columnæ ante templum, *Iachin & Booz.* 3. Reg. 7. v. 15. Clemens Alexandrinus dictum vult Philippo, *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, Matth. 8. v. 2. Dictum eidem Philippo, *Vnde ememus panes vt manducent hi?* Ioan. 6. v. 5. Iacobo autem benedictiones Iudæ, Genes. 49. v. 8 & Deut. 33. v. 7. Nam Iacobus ex Iuda oriundus erat, & *frater*, id est, cognatus Domini, Gal. 1. v. 19. primus Ierosolymorum Episcopus. *Iosue filius Nun repletus est spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas. Et obedierunt ei filij Israel.* Deuter. 34. v. 9. Clem. Alex. lib. 1. Strom.

Philippus Euangelio per Asiam superiorē sparso, tandem Hierapoli Asiæ ciuitate, anno ætatis suæ 87. Olympiadis 207. anno 4. Claudij Imper. anno 11. à morte Christi 22. cruci affixus, lapidibus obruitur, inquit Eusebius in Chron. Iacobus Ierosolymis in Paschate à Iudæis è pinna templi deiectus, fullonis pecte occiditur anno 30. à morte Christi completo, Chron. c. 50.

Quare Arcturo comparentur Apostoli, vide Iob 9. v. 9. *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus, in signum & in portentum Israel, à Domino exercituum.* Isa. 8. v. 18.

In Festo S. ATHANASII, 2. Maij. Euangelium desumitur ex secunda Missa de Communi Martyris non Pontificis.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRVCIS, 3. Maij.

Euangel. *Erat homo Nicodemus nomine*, Ioan. 3. à v. 1. ad 16.

FIDES & MORES.

De signo *Tau*, vide Ezech. 9. v. 4. De *signo Filij hominis.* Matth. 24. v. 30. De *signatis in fronte*, Apoc. 7. v. 3.

Venit ad Iesum nocte] Duodecim *portas* in cælesti regia vidit S. Ioannes Apoc. 21. v. 12. sed ex iis ne vnam quidem vidit occlusam. Quin potiùs Matth. 11. v. 28. *Venite ad me omnes*, &c. Thren. 2. 19. *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum, effunde sicut aqua cor tuum ante conspectum Domini.* Ioan. 3. v. 1.

Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister totius orbis. *Ipsum audite.* Matt. 17. v. 5. *Regina Saba venit à finibus terræ, audire sapientiam Salomonis.* 3. Reg. 10. v. 1. Matth. 12. v. 42. v. 1.

Nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo] Ita docui contr. 5. n. 6. & Exodi 8. v. 19. & docet S. Paulus 2. Thessal. 2. v. 9.

Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto; non potest introire in regnum Dei] Gen. 1. v. 20. *Producant aquæ reptile animæ viuentis & volatile.* De necessitate baptismi vel aquæ, vel sanguinis, vel flaminis, egi contr. 19. n. 2. vbi de infantibus: num. 3. vbi de martyrio: & num. 4. vbi de voto baptismi. Quomodo expiabantur infantuli à peccato originali ante circumcisionem. vide Gen. 4. v. 1. & Gen. 29. v. 32. *Circumcidetis omne masculinum*, &c. Genes. 17. v. 10. 14. &c. *Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei*, &c. *saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*, &c. Tit. 3. v. 4. &c. v. 5.

Natum ex carne caro est] Vide totum c. 8. ad Rom. item 6. Gal. 5. v. 13. & 16. vsque fin. vbi de *operibus carnis*, & *fructibus spiritus.*

Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis: sed nescis vnde veniat, aut quò vadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu] Origo & operatio & effectus Sacramentorum (de quibus contr. 18. n. 6. & 8.) non percipiuntur sensu, vel v. 8.

naturali scientia, sed sola reuelatione & fide.

Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur] Nam & secundùm animam Christus videbat clarè Deum à primo conceptus sui instanti: vnde nulla ratione potuit vel falli, vel fallere. contr. 4. n. 12. & 13. *Deum nemo vidit vnquam; vnigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Ioan. 1. v. 18.

Nemo hactenus *ascendit in cælum, nisi qui* (quà Deus metaphoricè) *descendit de cælo. Filius hominis, qui* (adhuc continuò, etiam quà homo, per communicationem idiomatum) *est in cælo*] Vnde nulli alteri hominum potestis, sed mihi debetis indubitatam habere fidem etsi sublimia & cælestia & rationem naturalem excedentia proponam, contr. 4. n. 3. De communicatione idiomatum, vide ibidem nu. 8. & 9. *Quis ascendit in cælum, atque descendit? Quis continuit spiritum in manibus suis?* Prou. 30. v. 4. *In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscondisi.* Colos. 2. v. 3. *Ego effudi flumina. Ego sicut aqueductus exiui de paradiso, Rigabo hortum meum, & ecce factus est mihi trames abundans, & fluuius meus appropinquauit ad mare.* Eccli. 24. v. 40. vsque 44.

Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita in Caluaria *exaltari oportet Filium hominis. Vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*] Oportet, inquam, ex pacto inter Patrem & Filium conuento, contr. 4. n. 15. Non sufficere nudam seu mortuam fidem, sed insuper requiri opera fidei ad iustitiam & salutem, docui contra nu. 15. n. 7. 8. & 9. Et qualis illa debeat esse fides, nu. 11. 12. 13.

De cruce Christi.

Scala Iacob, Gen. 28. v. 12. *Sicut malus inter ligna silvarum*, &c. Cant. 2. v. 3. De *vmbra Ægypti*, Isaiæ 30. v. 3. *Hedera*, Ionæ 4. v. 6. *Terebinthi*, Oseæ 4. v. 14. Vmbra *veteris testamenti*, Hebr. 10. v. 1. *Vmbra sæculi*, 4. Esdræ 2. v. 26. De *vmbra* Christi, Isaiæ 51. v. 16. & c. 32. v. 1. & 17. & cap. 25. v. 3. *Vbi cubas in meridie?* Cant. 1. v. 6. *Donec transeat iniquitas.* Psalm. 56. v. 2. *Fructus* crucis *dulcis gutturi meo.* Cant. 2. v. 3. Fructus 12. Spiritus sancti, Gal. 4. v. 22. *Ligni vitæ*, Apoc. 22. v. 2. *Ascendam in palmam*, &c. Cant. 7. v. 8. *Sub arbore malo suscitaui te*, &c. Cant. 8. v. 5. *Transiens*, &c. *vidi te.* &c. Ezech. 16. v. 3. *Virga Moysis* thaumatúrga, crux Christi, Exodi 4. v. 2. 20. &c. *Sanguis agni* in postibus domorum, Exodi 12. v. 13. *Lignum* Moysi à Deo ostensum, quo dulcoratæ sunt aquæ amaræ, Exodi 15. v. 25. Aqua per virgam excussa ex petra Horeb, Exodi 17. v. 6. & Num. 20. v. 8. 11.

De signo crucis.

De charactere Antichristi, vide Apoc. 13. v. 16. vsque fin. De Christi verò charactere. Ezech. 9. v. 4. *Transi per mediam ciuitatem, & signa tau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Apoc. 7. v. 3. *Locustis* (infernalibus, Apoc. 9. v. 3. & 7. &c.) præceptum est, *ne læderent, nisi tantùm homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis.* v. 4. *Tunc apparebit signum Filij hominis in cælo.* Matth. 24. v. 30. Dominica XXIV. post Pentecost. Cruce signari debemus non in *sinu* (vt Nicodemus, Ioan. 3. v. 1.) sed in *fronte*, Apoc 7. v. 3. Quot hodie Nicodemi, quos pudet publicè bene agere! Rom. 3. v. 16. *Non erubesco Euangelium: virtus enim Dei in salutem omni credenti.* Tobiæ 1. v. 5. *Dum irent omnes*, &c. Matth. 5. v. 16. *Sic luceat lux vestra*, non solùm coram Deo, sed & *coram* omnibus *hominibus.* Lucæ 9. v. 26. *Qui me erubuerit*, &c. Ephes. 3. v. 18. *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit altitudo & latitudo, longitudo & profundum.*

De cruce metaphorica.

Iob c. 1. v. 21. *Dominus dedit, Dominus abstulit*, &c. Tobiæ cap. 3. v. 2. *Iustus es Domine*, &c. Ecce par dignum Deo Antonius & dæmon. Gaudium S. Andreæ ob conspectum crucis.

VARIA.

Accessit ad Iesum Nicodemus Ierosolymæ, in fine Martij, anno primo prædicationis Christi. Chron. c. 49. *In die illa erit quod super frænum equi est, sanctum Domino.* Zachar. 14. v. 20.

In Festo S. MONICÆ, 4. Maij, Euangelium desumitur ex Dominica XV. post Pentecosten.

In Festo S. IOANNIS ANTE PORTAM LAT. in feruens oleum anno 62. post Christi mortem sub Domitiano immissi, 6. Maij, Euangelium desumitur ex Festo S. Iacobi, 25. Iulij.

In Festo S. MICHAELIS Archangeli, 8. Maij, Euangelium desumitur ex Dedicatione 2. Michaelis, 29. Septembr.

IN FESTO S. BARNABÆ APOSTOLI. 11. Iunij.

Euangelium idem est cum Communi in Vigilia Apostolorum.

Appropriari ipsi potest benedictio Leui, Deut. 33. v. 8. & Gen. 49. v. 5. &c. *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos.* Act. 13. v. 2. *Dij similes facti hominibus, descenderunt ad nos. Et vocabant* (Lystrenses) *Barnabam Iouem, Paulum verò Mercurium.* Act. 14. v. 10. Occisus est S. Barnabas in Cypro, anno à morte Christi 31. Chron. c. 50.

In Festo S. BASILII, 14. Iunii. Euangelium desumitur ex prima Missa de Communi Martyris Pontificis.

In Festo S. SILVERII. 20. Iunij, Euangelium desumitur ex prima Missa de Communi Mart. Pontificis.

IN FESTO B. ALOYSII GONZAGÆ, 21. Iunij.

Euangelium desumitur ex secunda Missa in Communi Confessoris non Pontificis.

Sed appropriari ipsi possunt *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius*, Sap. 4. v. 11. *Aser, pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus*, Gen. 49. v. 20. *Tinget in oleo pedem suum: ferrum & es calceamentum eius.* Deut. 33. v. 24. *Iustus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*, &c. Sap. 4. v. 7. *vsque* 17. *Iustum deduxit* sapientia *per vias rectas*, &c. Sap. 10. v. 10. vsque 13. *Cum adhuc iunior essem, priusquam oberrarem, quæsiui sapientiam palàm in oratione*, &c. Eccli. 51. v. 18. vsque 31. *Beatus diues, qui inuentus est sine macula*, &c. Eccli. 31. v. 8.

IN FESTO S. PAVLINI EPISCOPI, 22. Iunij.

Euang. *Nolite timere pusillus grex.* in Communi Confessoris non Pontificis.

Iudas pro Beniamino *seruum se offert* Iosepho, Gen. 44. v. 32. vnde *sceptro* potitur, Genes. 49. v. 10. Ita & noster Paulinus. Vide de bono pastore, Dominica II. post Pasc.

IN VIGILIA S. IOANNIS BAPTISTÆ, 23. Junij.

Euangel. *Fuit in diebus Herodis regis Iudææ.* Lucæ. 1. v. 5. vsque 18.

INDEX VARIAR. MATERIARVM ET CONCEPTVVM.

FIDES & MORES.

Luc.1. *Vxor* Zachariæ, *de filiabus Aaron*] Quomodo ergo cognata Deiparæ? v.36. *Leuitica* tribus connubio permiscebatur tribui *Iudæ*, quia Christus non *rex* tantùm, sed & *pontifex* erat futurus, Iosue 21.v.39.

v.6. *Zacharias & Elisabeth erant ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini, sine querela*] Psal. 118.v.102. *A iudicijs tuis non declinaui, quia tu legem posuisti mihi.* Non est ergo lex diuina impossibilis, contr. 14. nu. 16. Qui non nisi partem mandatorum obseruant, similes sunt legatis Dauid, quibus Hanon rex Ammon præscidit mediam partem barbæ & vestium, 2. Regum 10.v.4. *Erant viri confusi turpiter valdè*, v.5.

v.7. *Non erat illis filius.* v.13. *Exaudita est deprecatio tua*] *Deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua, eò quòd esset sterilis.* Gen.25. v.21. & *Sara sterilis*, Gen. 18. v.10. & c.21.v. 1. & *Anna* mater Samuelis, 1. Regum 1.v.2.

v.15. *Ioannes erit magnus coram Domino*] Quam magnus? *Maior inter natos mulierum* nemo est Lucæ 7.v.28.

Vinum & siceram non bibet] Ergo victus austeritas non displicet Deo, contr.9.n.10. De *Nazaræis*, Leuit.vlt.v. 2.& Num. 6. De *Samsone*, eiusque matre nazaræa, Iudic.13.v.4. De *Rechabitis* & *Essenis*. Num.10.v.29.

Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ] Non accidit hoc omnibus filijs fidelium, contr.11.n.5. Nonne mirum, natum in montanis. enutritum in deserto, vix comedentem, vix bibentem, &c. stupori esse toti orbi & cælo? Præconia eius celebrant Isaias c.40.v.3. Malachias c.3.v.1. Zacharias pater eius. Lucæ 1.v.76. Adcurrit Deipara, v.39. adcurrit ipse Dei Filius, c.3.v.21.& præconem agit laudum Ioannis c.7.v.26.

v.17. *Præcedet ante* Dominum *in spiritu & virtute Eliæ, parare Domino plebem perfectam.*

v.20. *Ecce eris tacens*, &c.] Meministin' vxoris Lot? Gen.19 v.27. *Incredibilis anima memoria stans figmentum salis.* Sap. 10.v.7. *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.* Marc.9.v.22. *Credidi, propter quod locutus sum.* Psal.115.v.1.

IN NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTÆ, 24. Iunij.

Euangel. *Elisabeth impletum est tempus.* Lucæ 1. à v. 57. ad 69.

FIDES & MORES.

Luc.1. v.57. *Elisabeth peperit filium*] *Risum fecit mihi Deus: quicumque audierit corridebit mihi.* Gen. 21.v.6.

v.58. *Congratulabantur ei*] *Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum, in terra cui maledixit Dominus.* Gen. 5. v.29. *Sicut Absalom, vir non erat pulcher in omni Israel, & decorus nimis: à vestigio pedis vsque ad verticem non erat in eo vlla macula.* 2. Reg. 14. v. 25. Talis secundùm spiritum erat Ioannes Baptista. *Paraui lucernam Christo meo.* Psal. 131.v.17. *Ille erat lucerna ardens & lucens.* Ioan. 5.v.35. *Paruus fons creuit in fluuium, & in lucem, solemq;*, &c. Esther 10. v.10. Alter Elias: 4. Reg.1.v.8. *Vir pilosus, zona pellicea*, &c. *Surrexit Elias Propheta tamquam ignis, & verbum ipsius tamquam facula ardebat.* Eccli.48. v.1. vsque 13. Item alter *Eliseus*, v.13. *Vox clamantis*, &c. Ioan.1.v.23. *Vox dilecti mei*, &c. Cant.2.v.8. *Vox Domini in virtute*, &c. Psal.28.v.3. *Pœnitentiam agite*, &c. Matth. 3. v.2. *Ecce mitto angelum.* Malac.3. v.1. *Genimina viperarum*, &c. Luc.3.v.7.& 18. *Securis ad radicem arboris*, &c.v.9. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui* Marc.6.v.18. Alter item *Ieremias*, Eccli. 49.v.8.& 9.& Ierem.1.v.5. *Priusquam te formarem in vtero, noui te*, &c.

v.67. *Quis putas puer iste erit?*] *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*, Matth.10.v.11.

Hic est de quo Malach. 3.v.1. *scriptum est: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te*] De inæqualitate iustitiæ, controu.25.n.21.& causa illius, n.22. *Quid debet fieri viro, quem rex honorare desiderat?* Esther 6.v.6.

Manus Domini erat cum illo] potentiâ diuinâ per stupenda miracula mirabiliter se manifestante. Signis debet probari missio, quando fit immediatè à Deo, controu. 8.num.2. *Qui* hominum opinione *minor est in regno Dei*, nempe Christus, longè *maior est illo.* Luc.7.v.28. *Sit spatium bis mille cubitorum inter vos & arcam.* Iosue 3. v.4. Quàm procul à Christi perfectione distamus nos homuli & peccatores! *Illum oportet crescere, me autem minui.* Ioan.3.v.30.

Pater eius repletus Spiritu sancto prophetauit] Non cuiuis v.67. interno priuati spiritus instinctui credendum, controu. 2.n.2. sed spiritui prophetico, n.3.

Visitauit plebem suam *Deus, oriens ex alto*] Zach.3.v.8. v.78. *Adducam seruum meum Orientem.* c. 6. v.12. *Ecce vir Oriens &c. nomen eius.*

Puer erat in desertis, &c. Psal.54.v.7. *Quis dabit mihi pen-* v.80. *nas sicut columbæ? &c. ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Tob. 1. v.5. *Cùm irent omnes ad vitulos aureos*, &c. *Moyses* in deserto videt Deum in rubo, Exod.3.v.2. *Elias* in sibilo auræ tenuis, 3.Reg.19.v.12. At Ioannes videt Deum in carne nostra. Ioan.1. v.14. *Vidimus gloriam eius*, &c. *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.* v.7.

Tunc exibat ad eum Ierosolyma, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo, confitentes peccata sua. Matth. 3. v.5. *Lex & Prophetæ omnes vsque ad Ioannem prophetauerunt. A diebus autem Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matth.11.v.12. Prærogatiuas S. Ioannis 28. recensет Barradius tomo 1.l.8.c.3.& 4.

VARIA.

Natus est Ioannes in æstiuo solstitio. Chron. c.47. *in* secunda sententia, & c.49. initio.

IN VIGILIA SS. PETRI ET PAVLI, 28. Iunij.

Euangel. *Simon Ioannis diligis me plus his?* Ioan. 21. v.15. ferè vsque 20.

Num. 27. v.16. *Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc*, &c.

Simon Ioannis, diligis me plus his?] Pontifex etsi in docendo è cathedra errare non possit, potest tamen improbis esse moribus, contr. 6. n.16. vsque fin. Et principatus potest etiam in impijs esse, contr.10.n.2. Ioan. 21. v.15.

Pasce agnos meos, pasce oues meas] Hoc verbo constituitur Petrus, eiusque successor, vniuersalis Pastor totius ouilis Christi, contr.5. nu.5. & seqq. *Tu pasces populum meum Israel, & tu eris dux super Israel.* 2. Regum 5.v.2. *Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ*, &c. Cant 4.v.10. vsque finem. *Vbera tua*, &c. v.5. *Soror nostra parua, vbera non habet*, &c. Cant. 8. v.8. *Vbera tua intumuerunt*, &c. Ezech. 16.v.7. & 13. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus*, &c. Matth. 5. v.15. *Vbera sicut botri.* Cant. 7. v.8. *Non dominantes in cleris, sed forma facti gregis.* 1. Petr. 5. v.3. *Reges Gentium dominantur eorum: vos autem non sic.* Lucæ 23.v.25. *Bonus pastor animam dat pro ouibus suis.* Ioan. 10.v.11. Vide Dominica II. post Pascha. v.16. & 17.

Cùm senueris, extendes manus tuas in cruce, *& alius te* v.18. *cinget, & ducet quò tu non vis*] Id Romæ factum, controu. 5.n.6. Motus primò primos non esse peccata, contr.12. n.7. Porrò hac manuum in cruce extensione, comprobabis ipso facto, quòd me diligas plus his. *Maiorem enim hac*

hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Ioan. 15. v. 13.

v. 19. Ergo *Sequere me*, vt in amore & cura pastorali, ita & in crucifixionis priuilegio. Atque ita complebitur quod Ioan. 13. v. 36. dixi *Quò ego vado, non potes me modò sequi: sequeris autem postea.*

IN FESTO SS. APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI, 29. Iunij.

Euangel. *Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi.* Matth. 16. à v. 13. ad 20.

FIDES.

Mat. 16. De Cæsarea Philippi, vide Iudic. 18. v. 7.

v. 13. *Quem dicunt homines*, &c.] *Curam habe de bono nomine: hoc autem magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi & magni.* Eccli. 41. v. 15. *Nomen impiorum delebitur.* v. 4. *Bonum autem nomen permanebit in æuum* v. 16.

v. 15. *Vos autem quem me esse dicitis? Tu es Christus filius Dei viui*] Contr. 4. n. 3. & seqq.

v. 17. *Beatus es Simon Bar-Iona*] Ioan. 17. v. 3. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Lucæ 10. v. 23. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.*

Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est] Humana sapientia vel sagacitas totis viribus suis eò pertingere non posset, contr. 14. n. 9. *Omnia venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuersa opera exemplaris.* 1. Paral. 28. v. 19. *Si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissoluetur: si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere illud.* Act. 5. v. 38.

v. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*] De primatu, & monarchia spirituali Petri, eiusque successorum, contr. 6 num. 1. vsque 9. Hunc primatum iure diuino annexum Romanæ Sedi, num. 9. vsque 13. nec Romanum Pontificem degenerasse in Antichristum num. 13.

Portæ inferi non præualebunt aduersus eam] Numquam interire, numquam errare posse Ecclesiam, neque caput Ecclesiæ Romanum Pontificem, controu. 5. n. 2. & 5. & controu. 6. n. 15. vsque fin.

v. 19. *Tibi dabo claues regni cælorum. Quodcumque ligaueris*, &c.] De amplitudine potestatis Pontificiæ, tam iurisdictionis, quàm Ordinis, vide controu. 6. n. 14. & 15. *Tulit rex annulum de manu sua, & dedit eum Amano.* Esther 3. v. 10.

MORES.

Prima post Christum fundamenta Ecclesiæ Petrus & Paulus. *Crura illius columnæ marmoreæ*, &c. Cant. 5. v. 15. Duo crura Ecclesiæ Petrus & Paulus. *Terribilis vt castrorum acies*, &c. Cant. 6. v. 3. & 4.

Typi & figuræ. *Et ecce currum duorum equitum, ascensorem asini, & ascensorem camelı*, &c. Isaiæ 21. v. 7. *Quid sunt duæ oliuæ istæ, ad dexteram candelabri, & ad sinistram eius? Isti sunt duo filij olei, qui assistunt dominatori vniuersæ terræ.* Zachar. 4. v. 11. & 14. *Iste est Aaron & Moyses, quibus præcepit Dominus vt educerent filios Israel de terra Ægypti per turmas suas. Hi sunt qui loquuntur ad Pharaonem regem Ægypti, vt ducant filios Israel de Ægypto. Iste est Moyses & Aaron, in die qua locutus est Dominus ad Moysen, in terra Ægypti* Exodi 6. v. 26. 27. 28. *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, &c. Exodi 7. v. 1. Si hæc Nazianzeno oratione 2. licuit adaptare duobus fratribus S. Basilio & Gregorio Nysseno; cur mihi, &c. Ambo 10. *plagis* peccatum affecerunt, *mare* vitiorum sciderunt, hæreticos & dæmones depresserunt, Iulianum typica crucis manuum extensione fugarunt, Israelitas pane cælesti, & aqua cælestis doctrinæ pauerunt, atque ad regnum cæleste perduxerunt. Ita Nazianzenus. *Tuttq; Moyses vir magnus valde in terra Ægypti, coram seruis Pharaonis & omni populo.* Exodi 11. v. 3. *Dilectus Deo & hominibus Moyses*, &c. Eccli. 45. v. 1. vsque 7. *Excelsum fecit Aaronem* fratrem Moysis, & *similem illi: statuit ei testamentum æternum, & dedit illi sacerdotium gentis, & beatificauit illum in gloria*, &c. Eccli. 45. v. 7. vsque 28. *Dilectus à Domino Deo suo Samuel Propheta Domini, renouauit imperium, & vnxit principes in gente sua*, &c. Eccli. 46. v. 16. vsque fin. *Quomodo amplificemus Zorobabel? nam & ipse quasi signum in dextera manu: & Iesum filium Iosedec: qui in diebus suis ædificauerunt domum, & exaltauerunt templum sanctum Domino paratum in gloriam sempiternam.* Eccli. 49. v. 13. & 14. *Simon Onie filius, sacerdos magnus, qui in diebus suis suffulsit domum*, &c. Eccli. 50. v. 1. vsque 24. *Quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso.* v. 10. *quasi lucifer, luna, sol, iris, rosa, lilium, thus, ignis, oliua, cypressus*, &c. à v. 6. vsque 12. *Quæsiuit* (Simon Machabæus) *bona genti suæ, & placuit illis potestas eius & gloria eius, omnibus diebus. Et cum omni gloria sua accepit Ioppen in portum,* (vti etiam fecit Simon Petrus, Actor. 9. v. 36. *& fecit introitum in insulis maris: & dilatauit fines gentis suæ, & obtinuit regionem*, &c. 1. Machab. 14. v. 4. vsque 16. *Nephthali* (vnde erat Petrus,) *abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini, mare & meridiem possidebit.* Deut. 33. v. 23. *Ioseph natus est homo, vt esset princeps fratrum, firmamentum gentis*, &c. Eccli. 49. v. 16. 17. 18. *Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum. Manus enim mea auxiliabitur ei*, &c. Psal. 88. v. 21. vsque 39. Spoliato *Sobna* (Caipha) sufficitur *Eliacim* (Petrus) Isaiæ 22. v. 15. vsque fin. *Quid tu hic? aut quasi quis hic* &c. *Facta est longa concertatio inter domum Saul* (Synagogam) *& domum Dauid* (Ecclesiam Christi;) *Dauid proficiens, & semper seipso robustior domus autem Saul decrescens quotidie*, 2. Regum 3. v. 1. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum* Isaiæ 28. v. 16.

Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam] *Ecce constitui te hodie super Gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes* Ierem. 1. v. 13. *Dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum*, &c. v. 18. & 19. *Hæc dicit Sanctus & verus, qui habet clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere. Ecce dabo de Synagoga satanæ, qui dicunt se Iudæos esse, & non sunt, sed mentiuntur. Ecce faciam illos vt veniant, & adorent ante pedes tuos: & scient quia ego dilexi te.* Apocal. 3. v. 7. vsque 10. *In petra exaltauit me*, &c. Psal. 26. v. 6. *Eleuauerunt flumina Domine vocem suam*, &c. *Mirabiles elationes maris*, &c. Psalm. 92. v. 3. *Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea. Ego confirmaui columnas eius.* Psalm. 74. v. 4. Vin' videre, quàm firmæ fuerint hæ columnæ? Audi quid dicant principibus Iudæorum: *Si iustum est in conspectu Dei, vos potiùs audire, quàm Deum, iudicate.* Actor. 4. v. 19. *Quis populus iste qui montana obsidet?* Iudith 5. v. 3. *Quis est iste Achior, qui filios Israel posse dicat resistere regi Nabuchodonosor & exercitibus eius, homines inermes, & sine virtute, & sine peritia artis pugnæ?* v. 27. v. 18.

Synagoga corruente, magis magisque effloruit indies ouile Christi, cuius pastor Petrus. *Vinea facta est dilecto meo*, &c. Isa. 5. v. 1. &c. *Auferam sepem eius*, &c. *& ponam eam desertam*, &c. v. 5. Sed in nouis his pratis Ecclesiæ Christi *pascentur agni iuxta ordinem suum, & deserta in vbertatem versa aduenæ comedent.* v. 17. *Semen sanctum erit id quod steterit in ea.* Isa. 6. v. 13. *Reppulit* Deus *tabernaculum Ioseph* (Synagogam) *& tribum Ephraim non elegit: sed elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit: & ædificauit sicut vnicornium, sanctificium suum in terra quam fundauit in sæ-*

in ſæcula. Pſalm. 77. v.67. vſque fin. *Plantaſti radices eius, & impleuit terram: operuit montes vmbra eius, & arbuſta eius cedres Dei: extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius,* Pſalm.79.v.10. &c. *Homò & homo natus eſt in ea,* &c. Pſalm.86.v.5.&c. *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam: non inclinabitur in ſæculum ſæculi.* Pſal. 103. v. 5. vſque 19. *Lauda Ieruſalem Dominum,* &c. Pſalm. 147. toto. *Reſpice, ô Sion, ciuitatem ſolemnitatis noſtræ* (Chriſtianæ) *oculi tui videbunt Ieruſalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur claui eius in ſempiternum,* Iſaiæ, 33. v 20. vſque fin. *Lætabitur deſerta & inuia,* &c. Iſa. 35. toto. *Lauda ſterilis,* &c. Iſa. 54. v. 1. vſque fin. *Fundabo te in ſapphiris,* &c. v. 11. &c. *Habitabit Iſrael confidenter & ſolus* (ſine idolo;) *oculus Iacob in terra frumenti & vini, cæli-que caligabunt rore. Beatus es tu Iſrael: quis ſimilis tui populo, qui ſaluaris in Domino? ſcutum auxilij tui, & gladius gloriæ tuæ. Negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis.* Deut. 33. v. 28. *Et erunt reliquiæ Iacob in Gentibus, in médio populorum multorum, quaſi leo in iumentis ſiluarum, & quaſi catulus leonis in gregibus pecorum: qui cum tranſierit & conculcauerit, & ceperit, non eſt qui eruat. Exaltabitur manus tua ſuper hoſtes tuos, & omnes inimici tui interibunt.* Michææ 5. v. 8. & 9. *Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes,* &c. Iſa. 2. v. 2. vſque 6. *In illa die erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ ſublimis,* &c. c. 4. v. 2. vſque fin. *Caput tuum ſicut Carmelus,* &c. Cant. 7. v. 5. *Lateres* Synagogæ *ceciderunt, ſed quadris lapidibus ædificabimus* Eccleſiam Chriſti: *ſycomoros ſuccideruut, ſed cedros immutabimus.* Iſa. 9. v. 10. *Porta Ieruſalem ex ſapphiro & ſmaragdo,* &c. Tob. 13. v. 21. & Apoc. 21. v. 18. *Templum* Ezech. c. 40. & ſeqq. typus *Eccleſiæ Chriſti,* cui proprijſſimè conuenit nomen, *Dominus ibidem.* c. vlt. v. vlt. *Rex vnus erit omnibus imperans: & non erunt vltrà duæ gentes, nec diuidentur ampliùs in duo regna,* Ezech. 31. v. 22. *Et ſeruus meus Dauid* (Meſſias) *rex ſuper eos, & paſtor vnus erit omnium eorum.* v. 24. *in perpetuum.* v. 25. vſque fin.

Typi Eccleſiæ Chriſti, & encomia eiuſdem.

Ferculum fecit ſibi rex Salomon, &c. Cant. 3. v. 9. *Ex lapide candido omnes platea,* &c. Tobiæ 13. v. 22. *Currus Ezechielis,* capite 2. v. 5. *Quæ eſt iſta?* &c. Cant. 5. v. 6. rurſus cap. 6. v. 9. denique c. 8. v. 5. *Iuſtorum ſemita quaſi lux,* &c. Prou. 4. v. 18. *Vt gigas ad currendam,* &c. Pſalm. 18. v. 6. *Species cæli, gloria ſtellarum,* &c. Eccli. 43. v. 9. *Mulier amicta ſole,* Apoc. 12. v. 1. *Currus Iſrael & auriga eius.* 4. Regum 2. v. 12. Laudes aliæ, Cant. 7. v. 1. &c. *Habitabit lupus cum agno,* &c. Iſaiæ 11. v. 6. *Ego murus & turris,* &c. Cant. 8. v. 12. *Non oppoſuiſtis murum, & ſepem,* &c. Ezech. 13. v. 5. &c. 22. v. 30. *Turris Dauid cum mille clypeis,* &c. Cant. 4. v. 4. *Ego ero ei murus ignis,* &c. Zachar. 2. v. 4. *Et antemurale.* Iſaiæ 26. v. 11. *Signum magnum apparuit in cælo: mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim: & in vtero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur vt pariat,* &c. Apoc. 12. v. 1. &c. *Et ecce draco magnus rufus, habens capita ſeptem, & cornua decem,* &c. v. 3. &c. Sed

Porta inferi non præualebunt aduerſus eam] Date operam ſinguli, vt nec aduerſum vos præualeant, qui eſtis membra Eccleſiæ Chriſti. *Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum, & ipſi tamquam lapides viui ſuperædificamini, domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum.* 1. Pet. 2. v. 4. *Vos genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis,* &c. v. 9. &c. *Vt exhiberet ipſe ſibi gloriоſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata.* Epheſ. 5. v. 27. *Thronus eius* (regnum Chriſti) *ſicut ſol in conſpectu meo,* &c. Pſal. 88. v. 38. Homo ſanctus *in ſapientia manet ſicut ſol; ſtultus vt luna mutatur.* Eccli. 27. v. 12. *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion, ciuitas regis magni.* Pſal. 47. v. 3. *Sicut audiuimus, ſic vidimus,* &c. v. 9 *Ecce reges terræ* aduerſus eam *congregati ſunt,* &c. v. 5. Congregati & hæretici, & tot alii hoſtes, ſed fruſtra: *Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.* 1. Tim. 3. v. 15.

Etiam Gentilibus reſerauit hanc Eccleſiam Petrus *Surge Petre, occide & manduca.* Act. 10. v. 13. Occidit & manducauit ſua blandiloquentia, verſ. 34. &c. *Tubarum clangore* proſtrata mœnia *Iericho,* Ioſ. 6. v. 3. Occidit etiam zelo iuſtitiæ ac diſciplinæ: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Act. 8. v. 20. *Anania, cur tentauit ſatanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto & fraudare de pretio agri* &c. Act. 5. v. 3. Occidit prodigioſis ſignis ac miraculis. *Argentum & aurum non eſt mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula.* Act. 3. v. 6. *Ænea, ſanet te Dominus Ieſus Chriſtus. Surge & ſterne tibi.* Act 9. v. 38. *Tabitha ſurge.* v. 40.

VARIA.

Dicta hæc à Chriſto 29. Iulij, anni tertij prædicationis Chriſti, Chron. c. 49.

Petrus Antiochię ſedem fixit ſeptennio: inde Romę 25. annis. ibidemque mortem crucis obijt, vnà cum Paulo decollato, Neronis anno 14. à morte Chriſti anno 37. Chron. c. 50. *Conſidera Iſrael, pro hîs qui mortui ſunt ſuper excelſa tua vulnerati. Inclyti Iſrael ſuper montes tuos interfecti ſunt. Quomodo ceciderunt fortes? Sagitta Ionathæ numquam rediit retrorſum, & gladius Saul non eſt reuerſus inanis. Saul & Ionathas amabiles, & decori in vita ſua, in morte quoque non ſunt diuiſi: aquilis velociores, leonibus fortiores. Doleo ſuper te frater mi Ionatha decore nimis, & amabilis ſuamorem mulierum. Filiæ Iſrael ſuper Saul flete, qui veſtiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro.* 2. Reg. 1. v. 18. &c. *Dabo autem operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum.* &c. 2. Petr. 1. v. 15. Nam & Sancti in cælo norunt neceſſitates noſtras, & precibus ſuis nobis opitulantur, controu. 30. n. 8. & 9.

An expediat, Eccleſiam ſtabiliri etiam opibus temporalibus? *Vtilior eſt ſapientia cum diuitijs, & magis prodeſt videntibus ſolem: Sicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia. Hoc autem plus habet eruditio & ſapientia, quòd vitam tribuunt poſſeſſori ſuo.* Eccleſ. 7. v. 13. *Qui autem gloriatur in ſanctitate* (exiſtens,) *quantò magis* glorificaretur *in ſanctitate?* Eccli. 10. v. 34.

IN COMMEMORATIONE S. PAVLI, 30. Iunij.

Euangel. *Ecce ego mitto vos ſicut oues.* Matth. 10. v. 16. vſque 23.

FIDES.

Ecce ego mitto vos, ſicut oues, &c.] Vide in Feſto S. Marci 25. April. ad v. 3. De miſſione Paſtorum Eccleſiæ. ibid. ad v. 1. Mat. 10. v. 16.

Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ] Licere Chriſtianis principibus bella gerere, iudicia exercere, hæreticos etiam morte & alijs pœnis mulctare, controu. 10. n. 1. vſque 7.

Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini, &c.] Coeperat eremi & libertatem noſtram non tolli per gratiam, &c. contr. 13. n. 3. vſque fin. & contr. 14. n. 3. 4. 5. v. 19.

Qui

v.22. *Qui perseuerauerit vsque in finem. hic saluus erit*] Iustitiam amitti posse, contr.15.nu.17.18.19. An perseuerantia cadat sub meritum, contr.16. num.7. & 8. Omnia ad perseuerandum necessaria iustis non deesse,contr.14.nu. 16.& 17.

MORES.

Quanti nominis fuerit S.Paulus. *Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos.Et vocabant Barnabam Iouem: Paulum verò Mercurium, quoniam ipse erat dux verbi.* Actor.14. v.11. *Hi sunt duo filij olei* splendoris, *qui assistunt Dominatori vniuersæ terræ.* Zachar.4.v.3.& 14.

Iudæis extremè exosus,ob ingentia damna quæ inferebat Synagogæ. *Inuenimus hunc hominem pestiferum, & concitantem seditiones omnibus Iudæis in vniuerso orbe, & auctorem seditionis sectæ Nazarenorum, qui etiam templum violare conatus est,* &c. Act.24.v.5.

Sed tantò charior erat Christo. *Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos.* Actor.13.v.2. *Vas electionis est mihi iste,* &c. Actor.9.v.15.

Vas ornatum gratia miraculorum omnis generis: *Elymam magum* cæcitate percutit, Actor 13.v.11. *Claudum* sanat, Actor.14 v.9 Puellam à *pythone* liberat, Actor.16. v.18. *Sudarys & semicinctys* suis curat ægros, Act.19.v.12. & c.28.v.8.&c.*Eutychum* Troade à *mortuis* suscitat, Act. 20.v.9.*Viperam* excutit.c.28.v.3.*Ecce,donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum.* Act.27.v.24. *Eramus ducenti septuaginta sex.* v 37. Item insigni gratia scribendi ac dicendi. *Non in spiritu Dominus, non in commotione, non in igne, sed in sibilo auræ tenuis.* 3. Reg.19. v.12. *In modico suades me Christianum fieri,* (inquit rex Agrippa Paulo) Actor.26.v 28. *Apprehendent decem homines,* ex omnibus linguis Gentium, *fimbriam viri Iudæi, dicentes: Ibimus vobiscum: audiuimus enim quoniam Deus vobiscum est.* Zach.8.v.28. Labores suos ipsemet describit 2.Cor 11.& 12.& Roman.15. v.23. &c. *Vbi non sunt boues, præsepe vacuum est: vbi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis.* Prou.14.v.4. *In omni opere erit abundantia: vbi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.* v.23.

Et in his omnibus ô quanta excelluit humilitate! *Ego autem minimus sum Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus,* &c. 1.Cor.15.v.9. *Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc,* &c. Ephes.3.vers 8. *Christus Iesus venit peccatores saluos facere, quorum primus ego sum,* &c.1. Timoth.1.v.15.

Quanta mansuetudine & comitate! *Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* 1.Cor.9.v.22. Erant olim Leuitæ à militia exempti, si vellent, Num.1.v.49. Machabæi tamen & complures alij vltrò labores illos subibant.Poterat & Paulus à manuum labore, quo victum sibi suisque comparabat Actor.20.v.34.) se eximere si voluisset, & stipendia à fidelibus exigere: sed noluit: *Bonum est enim mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet,* &c. *vt sine sumptu ponam Euangelium.* 1.Corinth. 9.v.15.& 18.

Quanto zelo promouendæ gloriæ Dei! *Vobis* Iudæis *oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus.* Actor.13. vers.46. *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Rom.9.vers.3. *Nunc verò vlterius locum non habens in his regionibus,* &c. *per vos* (Romanos) *profisciscar in Hispaniam* Rom.15.v.23.& 28.

Quanto ardore patiendi pro Christo? *Quid facitis flentes & affligentes cor meum,* (ô Cæsareenses?) *ego enim non solùm alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu.* Actor.21.v.13. *Domini voluntas fiat.* v.14. *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo.*2.Cor. 12.v.10. *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* v.9. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Gal.6.v.14. *Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* v.17. *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Coloss. 1.v.24. *Aperto* cælitus *cæcutire,* non vult egredi, Actor.16.v.26.

Quanta cum Deo familiaritate! *Nostra conuersatio in cælis est,* &c. Phil.3.v.20.

Talem vitam qualis, putas, consecuta est mors? *Ego iam delibor,* &c. *bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona,* &c 2.Tim. 4.v.6. *Quomodo cecidit potens* (Iudas) *qui saluum faciebat populum Israel!* 1.Mach.9.v.21.

VARIA.

Totam vitę S.Pauli periodum,quo tempore,quo loco singula egerit,singula scripserit,habes in Chron.c.50.

Gladio Neronis occubuit, anno imperij eius 14. à morte Christi 37.

IN FESTO VISITATIONIS B.MARIÆ,2.Iulij.

Euangel. *Exurgens Maria abyt in montana.* Lucæ 1.à v.39. ad 48.

FIDES.

Abijt in montana] *Ne fles in omni circum regione, sed in monte saluum te fac,* aiebat angelus ad Loth, Genes.19. v.17. *Erit in nouissimis diebus præparatus mons,* &c. Isaiæ 2. v.1. *Mons myrrhæ & collis thuris.* Cant.4.v.6. *Surge, propera amica mea,* &c. Cant.2.v.10. *Ecce, iste venit saliens in montibus,* &c. Cantic.2.v.8. *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Ioan.7.v.38. Luc.1. v.39.

Vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, repleta est Spiritu sancto, Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?] v.41. & 43.

Ad præsentiam *arcæ* benedicitur *Obedebom,* 2.Regum 6. v.11. Ad præsentiam *Iacobi* benedicitur *Laban,* Gen.30. v.27. Et si *decem* iusti *Sodomis* reperti fuissent, pepercisset Deus ciuitati, Gen.18.v.32. Quid dicemus de præsentia & ope Deiparæ & aliorum Sanctorum? contr.30. n.8. Quis ergo opem illorum non inuocet? ibid.n 9.

Benedicta tu inter mulieres] Vide in Festo *Annuntiationis,* ad vers.28. *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Lucæ 11.vers.27. *Soror nostra es, crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum.* Gen. 24.v 60. v.42.

Ecce vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo] Si talia causat præsentia corporalis, quid facict clara visio? quid complexus beatificus? De gloria cælesti tum animæ, tum corporis, & omnium sensuum oblectamentis, contr.30.nu.3. vsque 7. De sanctificatione Ioannis in vtero. *Femina circumdabit virum* Ierem 31.v 22. *Vocа nomen eius, Accelera spolia detrahere,* &c. Isaiæ 8.v.3. *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Lucæ 1. v.14. *Priusquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te.* Ierem.1.v.5. *Dauid* cithara sonante *spiritum malum* à *Saule* depulit. 1. Regum 16. v.23. Christus virginis matre loquente, peccatum à Ioanne eiecit. v.44.

Exultauit spiritus meus] Non ita in aliqua re creata, (licet fecerit *mihi magna qui potens est* quàm *in* ipsomet Deo, fonte & causa omnium donorum: & cum primis in Filio Dei iam incarnato in vtero meo, *salutari* seu Saluatori *meo.* Essentialis beatitudo consistit in fruitione Dei,contr.30.n.3. Pro *magnificat* habes reciprocas laudes

desponsi & sponsæ, Cant.1. v.14. vsque ad medium capitis secundi. Habes & canticum *Mariæ* Prophetissæ Exodi 15.v.20.2. *Fauus distillans labia tua*, &c. Cant.4. v.11.

MORES.

Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum, Iudith 11. v.19. *Quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Cant.6.v.9.

De fragrantissimis Deiparæ vberibus erga omnes fideles, maximè ei deuotos, collige ex Cant.1.v.1. *Meliora sunt vbera vino*, &c. & Cant.4.v.5. *Duo vbera tua sunt sicut duo hinnuli.* Cant.7.v.8. *Vbera tua botri vineæ.* c.8.v.10. *Vbera mea sicut turres. Hic est fratrum amator*, &c. Ierem.2. Machab.15.v.14. *Vinum non habent.* Ioan.2.v.3. *In electis meis mitte radices. In plenitudine sanctorum.* Eccli.24.vers.15.16. *Vbera eius inebrient te omni tempore.* Prou.5.v.19. *Ego sicut aqua ductus exiui de paradiso: dixi, Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum.* Eccli.24.v.41. *Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, diuidebatq; vnicuique prout poterat de facultatibus suis.* Tobiæ 1.v.19.

O quàm læta, quàm vtilis Mariæ præsentia! *Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostrum, vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum.* 1.Reg.4.v.3. *Habitauit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus. Et benedixit Dominus Obededom, & omnem domum eius, & omnia eius, propter arcam Dei.* 2.Reg.6.vers.11.& 12. *Maria* quoque *mansit cum* Elisabetha *quasi mensibus tribus.* Lucæ 1.v.56. *Ibo* ergo *& reducam arcam Dei cum benedictione in domum meam.* 2.Reg.6.v.12. vt est in quibusdam Bibliis. Ozias princeps populi Israel *dixit* ad Iudith c.13.vers.25: *Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram, Benedictus Dominus qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum: quia hodie nomen tuum ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum.* Similia v.vlt. & c.15.v.10. *Tu gloria Ierusalem, tu latitia Israel, tu honorificentia populi nostri: quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eò quòd castitatem amaueris*, &c. *& ideo eris benedicta in æternum.*

v.43. *Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?*] *Vnde mihi hoc, vt inuenirem gratiam ante oculos tuos, & nosse me dignareris peregrinam mulierem?* Ruth 2.v.10. *Quid ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, vt præstares mihi talia?* 1.Paral.17.v.16.

Infra OCTAVAM SS. APOSTOLORVM PETRI & PAVLI, Euangel. ex Communi Abbatum.

In OCTAVA SS. PETRI & PAVLI, 6. Julij, prior Euangelij pars eadem est cum Euangelio Sabbati post diem Cinerum. Posterior similis est Euangelio quartæ Dominicæ post Epiphaniam. Reliqua petenda ex ipso Festo SS. Petri & Pauli.

In Festo S. ALEXII, 17. Iulij, Euangelium ex Communi Abbatum.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ, 22. Iulij.

Euangel. *Rogabat Iesum quidam Pharisæus.* Lucæ 7. à v.36. ad finem cap.

FIDES.

Luc.7 v.37. *Attulit* Maria Magdalene *alabastrum vnguenti, & vngebat pedes* Iesu. In cultum Christi & templorum meritò quiduis impendendum. Cant.3.v.6. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?*

Stans retrò secus pedes eius, lacrymis cæpit eos rigare, capillis tergere, ore *osculari*, &c.] Signa solidæ & feruentis conuersionis ac pœnitentiæ. Psal.73.v.13. *Contribulasti capita draconum in aquis*, Psal.38.v.3. *Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis, & dolor meus renouatus est. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.*

v.39. *Hic si esset Propheta, sciret vtique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.*] Quàm fallibile mundi iudicium! quàm infallibile diuinum! ô Magdalena, *caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est*, Matth.16.v.17. *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.* Thren.1.vers.13. *Ordinauit in me charitatem.* Cant.2.vers.4. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Cant.8.v.7.

v.47. *Remittuntur ei peccata* omnia, quantumuis *multa*, (non solùm quoad culpam, sed & quoad pœnam,) *quoniam dilexit multùm*] De vi & efficacia *contritionis*, controu.23. n.4.& 5. De *attritione*, nu.6. Relinqui, vt plurimum, reatum pœnæ temporalis, ibid. num.8. & 9. De diligendo Deo super omnia, vide Dominica XVII. post Pentecost.

v.49. *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?*] Matth.9.v.6. *Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata; tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum*, &c. Sacerdotibus, tamquam vicariis Christi, communicatam eamdem potestatem, controu.23.n.1.3.7. vbi de necessitate confessionis.

v.50. *Fides tua te saluam fecit*, non nuda, sed contritioni & charitati mihi exhibitæ coniuncta, contr.15.n.7. Vide Dominica Quinquagesimæ ad v.42.

Vade in pace] An, & quibus signis probabiliter scire possimus, nos esse iustos, controu.15.n.12. vsque 17.

MORES.

Quoad pleraque huc facientia, vide de filio prodigo, Sabbato II. hebdomadæ Quadragesimæ. *Mulierem fortem quis inueniet?* &c. Prou.31.vers.1. *Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ*, &c. *Et mulier erat circumdata purpura & coccino, & inaurata auro & lapide pretioso & margaritis.* Apoc.17.vers.1. & 4. *Vsquequo delicij dissolues filia vaga?* Ierem.31.vers.22. *Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filijs Israel. Non offeres mercedem prostituli, nec pretium canis, in domo Domini Dei tui, quidquid illud est quod voueris: quia abominatio est vtrumque apud Dominum.* Deut.23.vers.17. *Columba* à Noë emissa, *cum non inuenisset vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcam: extenditq; manum suam, & apprehensam intulit in arcam.* Gen.8. vers.9. *Vade, sume tibi vxorem fornicationum.* Osee 1.v.2. *Vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quàm nunc.* Osee 2.v.7. *Nolite me considerare quòd fusca sim, quia decolorauit me sol:* Cant.1. vers.5. *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius: & canet ibi iuxta dies iuuentutis suæ.* Osee 2.vers.14.&c. *& sponsabo te mihi in sempiternum*, &c. *in iustitia & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus: & sponsabo te mihi in fide: & scies quia ego Dominus.* v.19.&c.

Quanta differentia peccatricis animæ, & iustæ! *Denigrata est facies eorum super carbones.* Thren.4.vers.7. *Facies combustæ vultus eorum.* Isa.13.vers.8. *In tenebris, quasi cæci, sine oculis.* Isa.59.vers.9. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum*, &c. Isa.1.v.18. *Nigra sum, sed formosa*, &c. Cant.1.v.4. *Radix tua de Chanaan*, &c. Ezech.16. vers.3. *Qui fuit blasphemus, & persecutor, & contumeliosus*, &c. 1.ad Timoth. 2.v.13. Sic *Iob*, sic *Dauid*, sic *Salomon*, sic *Manasses*. *Numquid non vt filij Æthiopum vos estis mihi filij Israel?* Amos 9.v.7. *Numquid qui cadit, non adiiciet vt resurgat?* Ierem.8. vers.4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semen?*

semine? nonne tu, qui solus es? Iob 14.v.4. *Quia contriui cor eorum fornicans & recedens à me, & oculos eorum fornicantes post idola sua: & displiceb unt sibimet super malis quæ fecerunt in vniuersis abominationibus suis.* Ezech.6.v.9. *In fortitudine illius* (Dei) *repentè maria congregata sunt, & prudentia eius percussit superbum. Spiritus eius ornauit cælos, & obstetricante manu eius, eductus est coluber tortuosus.* Iob 26.v.12. Contra fornicationem vide Eccli.9. & 1.Cor.6.v.9 & 13. vsque fin. Lugendi ritus *Esthere*, vide Esther 14. v.2.&c.

Zelus & æstus Magdalenæ. *Quemadmodum desiderat cerous ad fontes*, &c. Psal.41.v.1. *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos*, &c. Psal.76.v.7. *In lectulo meo quæsiui*, &c. Cant.3.v.1.vsque 5. *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Cant.1. v.11. *Maria* ad pedes Domini, *Ioannes* in pectore, *Thomas* in latere, *Petrus* in sinu Patris, *Paulus* in tertio cælo, secreti diuini gratiam assecuti sunt. *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Isa.38. v.17. *Emittet verbum suum, & liquefaciet ea*, &c. Psal.147. v.8. *Fulcite me floribus*, &c. Cant.2.v.5. *Sagitta salutis.* 4.Reg.13.v.17. Ipse *vulnerat & medetur.* Iob 15. v.17. *Sagittas suas ardentibus effecit.* Psalm.7.v.14. *Emarcui, nec habui quidquam virium.* Dan.7.vers.28. *Tamquam mortuus.* Apocal.1.vers.17. *Læua eius sub capite*, &c. Cant.2. v.6. *Longitudo dierum in dextera eius*, &c. Prou.3.v.6. *Dixi, Nunc cœpi: hæc mutatio dextera Excelsi.* Psal.76.vers.11. *Quid vis Esther regina?* Esther 5.v.3. *Da mihi animam meam pro qua rogo.* c.7.v.3. *Osculetur me.* Cant.1.v.1. *Meliora sunt vbera tua vino.* ibid. *Hoc vno tantùm indigeo, vt inueniam gratiam in conspectu tuo, domine mi.* Gen.33.v.15. *Inueniam gratiam coram vobis, & quæcumque statueritis dabo: augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam quod petieritis: tantùm date mihi puellam hanc vxorem.* Gen.34.v.12. *Gaudebit sponsus super sponsam: & gaudebit super te Deus tuus.* Isa.62. v.5. *Sustinet in multa patientia vasa iræ apta in interitum, & miseretur omnium, quia omnia potest, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam.* Roman.9.v.22.& Sap.11.v.24. Tam *Saul* 1.Reg.15.v.24. quàm *Dauid*, 2.Reg.12.v.13. dixit, *peccaui.* Huic parcitur, non illi, vide causam c.13. v.13. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu: & scindite corda vestra*, &c. Ioel 2.v.12. &c. *Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, & præparate corda vestra Domino, & seruite ei soli, & eruet vos de manu Philisthiim.* 1.Reg.7. v.3. *Et conuenerunt in Maspha, hauseruntq; aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa atque dixerunt ibi, Peccauimus Domino.* vers.6. *Intonuit Dominus* (Samuele sacrificante) *fragore magno, & exterruit Philisthiim, & casi sunt.* v.10. *Nec apposuerunt vltrà vt venirent in terminos Israel cunctis diebus Samuelis, & reddita sunt vrbes*, &c. vers.13. *In tempore illo, ait Dominus, quæretur iniquitas Israel, & non erit: & peccatum Iuda, & non inuenietur: quoniam propitius ero eis.* Ierem.50.vers.20. *Proijciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Michææ 7.v.19. *In cubilibus, in quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami & iunci: & erit ibi semita & via sancta, scissæ sunt in deserto aquæ*, &c. Isaiæ 35. vers.6. &c. *Vbi autem abundauit delictum, superabundauit gratia.* Roman.5. v.20. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem*, &c. Roman.6. v.19. vsque fin. *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.* Exemplo Saræ, &c. 1.Petr.3.v.3. *Absalom sedens mulo cùm ingressus fuisset mulus subter condensam quercum & magnam, adhæsit caput eius quercui*, &c.2.Reg.18.v.9.

Vnicæ deliciæ Magdalenæ, esse cum Christo. *Quid ploras? quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum.* Ioan 20.v.13. *Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam.* v.15.

VARIA.

Contigit hæc lotio sub medium Iunij, anni secundi prædicationis Christi. Chron.c.49.

In thoris discumbere veteribus familiare, calceos exuere, pedes lauare, patet Iudic.19.v.21. Tobiæ 2.v.3. Esther 1.v.6.

Secundo anno à morte Christi discessit Ierosolymis Magdalena cum Martha, Lazaro, & Ioseph o ab Arimathia, & Massiliam appellunt, paulò post lapidatum Stephanum. Chron.c.50.

IN FESTO S. IACOBI APOSTOLI, 25. Iulij.

Euang. *Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi.* Matth.20. à v.20. ad 24.

FIDES.

Quid vis?] Esther 5.v.3. *Quid vis Esther regina? Quæ est petitio tua? Etiamsi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.* Marc.6.vers.22. *Rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi. Et iurauit illi, quia quidquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei. Postula quod vis vt dem tibi.* 3.Reg. 3.v.5. inquit Deus Salomoni. Ioan.14.v.13. *Quodcumque petieritis* seu *Patrem meum*, seu *me, in nomine meo, hoc faciam.* Quæ conditiones requirantur, vt oratio infallibiliter impetret, contr.17.n.3. Matt. 20. v.21.

Nescitis quid petatis] Rom.17.v.17. *Non est enim regnum Dei, esca & potus: sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto.* Quænam cadant sub meritum? contr.16.nu.6. vsque 11. Scribæ & Pharisæi, Matt.23.v.6. *amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis.* Et Lucifer. Isa.14.v.14. *Ascendam super altitudinem nubium, sedebo in monte testamenti, similis ero Altissimo.* Non sic Christus, qui Philipp.2.v.7. *humiliauit & exinaniuit semetipsum*, &c. *Regnum meum non est de hoc mundo* Ioan.18.v.36. *Vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Psalm.4.v.3. *Vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient?* Prou.1.v.22. *Calix meus inebrians, quàm præclarus est!* Psal.22.v.5. *Potum dabis nobis in lacrymis, in mensura.* Psal.79.v.6. v.22.

Calicem quidem meum bibetis, & in eo vobis gratificabor: *sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram*, eo modo quo vos id petitis, *non* decet me *dare vobis* præ aliis: sed solis primo loco mecum & pro me certantibus ac *vincentibus*, Apoc.3.v.21. Qualibus id *paratum est* ab æterno, controu.13.n.8. de prædestinatione. Paratùs est primus ille locus matri Domini. 3.Reg.2.v.19. *Positus est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram eius.* Psalm.44. v.10. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* v.23.

MORES.

Dic vt sedeant, &c.] Quanta dignitas hîc petatur, collige ex Ephes.1.v.20. *Constituens illum ad dexteram suam in cælestibus, supra omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro.* Ambitio inter quatuor *insaturabilia*, pessimum Prou.30.v.15.& 16. *Noli quærere à Domino ducatum, neque à rege cathedram honoris*, &c. *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua*, &c. Eccli.7. vers.4. vsque 10. *Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Matt. 20. v.21.

dituri. Hebr.13. verſ.17. *Cuſtodi virum iſtum, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima illius,* &c. 3.Reg.20. v.39. *Si cum peditibus currens*, adeò *laboraſti* (priuatus exiſtens,) *quomodo* (ad altiora euectus) *contendere poteris cum equis? Cùm autem in terra pacis* (domi tuæ, vix) *ſecurus fueris, quid facies in ſuperbia Iordanis?* in aula? &c. Ierem.12.verſ.5. *Eſt malum quod vidi ſub ſole, quaſi per errorem egrediens à facie principis; poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & diuites ſedere deorſum. Vidi ſeruos in equis, & principes ambulantes ſuper terram quaſi ſeruos.* Eccleſ.10. verſ.5. vſque 8. *Qui tribuit inſipienti honorem* (ſeu magiſtratum) *quaſi qui lapidem mittit in aceruum Mercurij.* Prouerb.26.v.8. *Eſt qui* tum demum *ſtultus apparuit, poſtquam eleuatus eſt in ſublime. Si enim intellexiſſet, oris ſuo impoſuiſſet manum.* Prouerb.30.v.32.

v. 21. *Neſcitis quid petatis*] Et tamen ſubinde dat petentibus Deus etiam quæ minùs profutura nouit, v.g. *coturnices* Iſraelitis. Num.11.verſ.31. Vt mittantur *exploratores terræ promiſſæ*, cap.13.verſ.3. Petentibus regem, 1.Reg. 8.verſ.7.dat Saulem: Balaamo, vt eat ad regem Moab, Num.22. verſ.20. *Pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes*, &c. *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos*, &c. Pſalm.77.verſ.27.30. &c. *Pax erit mihi* (inquit ſtultus cùm voti ſui compos fit;) *& ambulabo in prauitate cordis mei, & abſumat ebria ſitientem.* Deuter.29.v.19. Quod fit quando quod quis appetit, illi cauſa fit ruinæ. *Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.* Pſalm.80.verſ.13. *Interdum dominatur homo homini in malum ſuum.* Eccleſ.8.verſ.9. *Per me reges regnant.* Prouer.8.v.15. Etiam impij. *Si eſt malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus?* Amos 3.v.6. Fruſtra *Saul* conatus eſt prærípere regnum *Dauidi*, 1.Reg.20.vſque 27. *Nunc ſcio quòd certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſrael.* cap.24.v.21. Fruſtra Abſalom tentauit ſceptrum præripere parenti, 2.Reg.17. fruſtra Adonias Salomoni, 3.Reg.1.v.5. *Elegit Dominus de filijs meis Salomonem filium meum, vt ſederet in throno regni.* 1.Paral.28.v.5. *Contra animam ſuam locutus eſt Adonias verbum hoc Hodie occidetur.* cap.2.verſ.23. *Verumtamen domine mi rex, in te oculi reſpiciunt totius Iſrael, vt indices eis, quis ſedere debeat in ſolio tuo poſt te.* 3.Reg.1. verſ.20. *Sic loquatur Dominus Deus domini mei regis* verſ.36. *Neſcit* homo *præuidere quòd de carcere exeniſq; interdum quis egrediatur ad regnum, & alius natus in regno; inopia conſumatur.* Eccleſ.4. verſ.13. & 14. Sic contigit noſtro huic *Agrippæ*, & Herodi *Antipæ*, vide Chron. c.50. in anno à morte Chriſti 7. & 8. *Deus* pro ſuo libito *quos vult exaltat, quos vult deprimit*, &c. Eccli. 33. verſ.7. vſque 16. *Non eſt currentis, neque volentis*, &c. Rom.9. verſ.16. *Vende mihi primogenita tua.* Geneſ.25. v.31, aiebat Iacob; ſed *vt ſecundùm propoſitum electio Dei maneret*, quo dixerat, *Maior ſeruiet minori*: &, *Iacob dilexi, Eſau odio habui.* v.13. Sic præ omnibus fratribus *Ioſeph* deligitur: item *Aaron* præ Moyſe, & aliis Iſraelitis, Num.17.v.4. Rurſum *Vocaui ex nomine Beſeleel*, Exodi 31. verſ.2. & *Ooliab*, v.6. *Saulem* bubulcum, 1.Reg.9.v.17. *Dauidem* opilionem, c.16.v.12. Quid ni Domine ipſummet Samuelem, nihilo *Saule* ſeniorem, euchis in regem? Chron. c.26. quid ni ſaltem primogenitum Iſai, vt ætate, ita & robore, & forma imperio digna reliquis fratribus ſuis præcellentem? *Ne reſpicias vultum eius, neque altitudinem ſtaturæ eius, quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominum ego iudico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* 1.Reg.16. v.7. *Adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues; rufus & pulcher aſpectu, decoraq; facie. Vnge eum, ipſe eſt enim.* v.12. *Mirabilia opera Altiſſimi ſolius, & gloriosa & abſconſa, & inuiſa operum illius; multi tyranni ſederunt in throno, & inſuſpicabilis portauit diadema.* Eccli.11. verſ.4. & 5. v.g. Saul, Dauid, Ioſeph, Mardochæus, Machabæi. *Multi potentes oppreſſi ſunt valdè, & glorioſi traditi ſunt in manus alterorum.* verſ.6.v.g. Abſalom, Aman, &c. *Ecce quos ædificaui, ego deſtruo; & quos plantaui, ego euello, & vniuerſam terram hanc. Et tu quæris tibi grandia* (ô Baruch?) *Noli quærere, & dabo tibi animam tuam in ſalutem.* Ierem.45.v.4. Cacozeliæ malum expertus *Ephraim* ſub *Iephte*, cæſis 42. millibus, Iudic. 12.verſ.1. Item *Saul*, 1.Reg.18.verſ.8. E contrario ſceptrum regni *Ionathas* optat *Dauidi*, 1.Reg.18.v.1.& c.20. v.8. *Tu regnabis ſuper Iſrael, & ego ero tibi ſecundus.* cap.23. v.17. Imperium etiam detrectat Moyſes. *Quis ſum ego vt vadam ad Pharaonem?* &c. Exodi 3.v.11. Quàm glorioſo animo detrectarit *Gedeon* dominium in *Iſraelitas*, vltrò oblatum, vide Iudic.8. v.23. & apologum de *rhamno, oliua, ficu* & *vite*, Iudic.9.v.8. Ita fecit & *Saul*, 1.Reg.9. v.21.& c.10.v.21. *Quæſierunt eum, & non eſt inuentus, nec abſconditus eſt domi.* cap.11.v.5. *Sequitur boues in agro* iam vnctus rex. Item *Dauid*, 1.Reg.17 v.15. *reuerſus eſt à Saule, vt paſceret gregem patris ſui in Bethlehem.*

Deo relinquendum, vt de nobis pro placito ſuo diſponat. *In manibus tuis ſortes meæ.* Pſalm.30. v.16. *Paratum cor meum Deus*, &c. Pſalm.55.v.8. *Paratus ſum & non ſum turbatus.* Pſal.118.v.60. *Tuus ſum ego, ſaluum me fac.* v.94. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron. Sic & Chriſtus*, &c. Hebr.5.v.4.

Etſi verò Iacobus & Ioannes ambitioni pluſculum hic indulſerint, mox tamen correpti reſipiſcunt.

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei, v.39. *Poſſumus*] *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraucrunt. Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei. Funes ceciderunt mihi in præclaris*, &c. Pſal.15.v.4.&c. *Impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians; quàm præclarus eſt!* Pſal.22.v.5. *Quid retribuam Domino*, &c. *Calicem ſalutaris accipiam*, &c. Pſal.115. v.3.

Calicem meum bibetis] Solæ *maſculæ* hoſtiæ poterant offerri Deo in holocauſtum. Leuit.1.v.3.& c.3. verſ.1. O quàm maſculo ac generoſo animo ceruicem Herodiano gladio primus omnium Apoſtolorum præbuit *Iacobus*! Cur ſanctiſſimos quoſque permittat Deus tot calamitatibus affici, vide Iudic.20.v.21. *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum*, Pſal.118.v.137. Vide in feſto omnium Sanctorum, § *Beati qui perſecutionem patiuntur*, &c. Quibus ſymbolis adumbrarit Deus aduerſa poſteris Abrahæ obuentura, Gen.15.v.9.

VARIA.

Mater filiorum Zebedæi ſupplex facta eſt Chriſto ſub initium Martij, in vltimo itinere Ieroſolymitano, paulò ante mortem eius. Chron.49.

S.Iacobo Zebedæi in fundamentis ſuperni Ieroſolymæ appropriatur lapis pretioſus ſapphirus. Apoc.21.v. 19. §. *Tertium.* Cur, vide ibid. Appropriari poteſt S.Iacobo benedictio Iudæ, Gen.49.v.8. & Deut.33.v.7. Nam ipſe erat ex Iuda oriundus. Quoto conſanguinitatis gradu contigerit S. Joſephum, & S.Iacobum Alphæi, vide in Chron.c.46. in fine 1ſt. tabulæ. *Educens nubes ab extremis terræ, fulgura in pluuiam fecit.* Pſal.134.v.7. *Boanerges* Marc. 3.v.17. Vide de effectibus tonitrui, Pſal.28.v.3.vſque 11. De tribus fortibus Dauidis primi ordinis, 2.Reg.23.v. 8. & 19. quibus alij omnes, quantumuis fortiſſimi, cedebant: *Verumtamen ad tres primos non peruenit.* Graue ſupplicium, à *Romanis* inuectum in *Iudæam*, Leuit.20.v.9. Gado Ieroſolymis occidit *S.Iacobum* rex *Agrippa* anno à morte Chriſti 12. pridiè Paſchæ Iudæorum, pridie Calend. Aprilis, eadem die 14. menſis Niſan, & eadem hora, a Chriſtus fuit crucifixus. Sequenti verò anno percuſſit hunc Herodem Agrippam *angelus Domini, eo quòd non dediſſet honorem Deo, & conſumptus à vermibus expirauit.* Act. 12.v.23. & Chron. c.50. *Non vocabitur vltra Iacob, ſed Iſrael erit nomen tuum.* Gen.35.v.10.

Ia

In Festo S. ANNÆ, 26. Iulij, Euangelium desumitur ex Assumptionis B. Virginis, 15. Augusti.
Item in Festo S. MARTHÆ, 29. Iulij.

IN FESTO S. IGNATII DE LOIOLA, 31. Iulij.

Euangelium desumitur ex Communi Confessoris non Pontificis.

Accommodari illi possunt, *Laudemus viros gloriosos & parentes nostros. Multam gloriam fecit Dominus in eis*, &c. Eccli. 44. v. 1. *Inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Actor. 13. v. 22. *Iudas Machabæus*, 1. Mach. 3. vers. 3. *dilatauit gloriam populo suo, & induit se loricam sicut gigas, & succinxit se arma bellica sua in prælijs, & protegebat castra gladio suo. Similis factus est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venatione sua. Filius accrescens, Ioseph*, &c. Genes. 49. vers. 22. & Deut. 33. vers. 13. *Num inuenire poterimus talem virum, qui sapientia Dei plenus sit?* inquit Pharao de Iosepho, Gen. 41. vers. 38. quia ex abundantia septem annorum succurrit inopiæ aliorum. *Omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, seruetur q; in vrbibus.* vers. 35. *Tu eris super domum meam, & super vniuersam terram Ægypti* v. 40. & 41. *Ite ad Ioseph, & quidquid ipse vobis dixerit, facite*, v. 55.

Matura demum ætate conuersus est Ignatius. *Tobias sexagenarius lumen oculorum recepit, Reliquum verò vitæ suæ in gaudio fuit, & cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace.* Tob. vlt. vers. 3. *Omnis autem cognatio eius, & omnis generatio eius, in bona vita & in sancta conuersatione permansit, ita vt accepti essent tam Deo quàm hominibus, & cunctis habitantibus in terra.* Tob. vlt. v. vlt.

Potest & Moysi comparari, Hebr. 11. v. 23. vsque 30. *Abraham magnus pater multitudinis gentium, & non est inuentus similis illi in gloria*, &c. Eccli. 44. vers. 20. vsque 24. *Esto perfectus, & ambula coram me, & faciam te crescere vehementissimè.* Gen. 17. vers. 1. & 6. *Quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam* (blandisuadelæ,) *& percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuiùs habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus.* 1. Reg. 16. v. 23. *At ille dilexit eum nimis.* v. 21.

S. Ignatius similis *pani hordeaceo* Gedeonis, Iudic. 7. vers. 14. cùm solis *tubis & lampadibus* coopertis, victoria est potitus, *hostibus* mutua se cæde truncantibus, vers. 22. *Ecce vocaui ex nomine Beseleel, & impleui eum spiritu Dei, sapientia & intelligentia, & scientia in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diuersitate lignorum.* Exodi 31. vers. 2. Quatuor virtutes seu conditiones in duce exercitus necessariæ recensentur Iudith 11. vers. 6. *Elias* vt filium viduæ suscitaret, contracto corpore suo ad mensuram corpusculi pueralis totus illi molliendo & calefaciendo incubuit, 3. Reg. 17. vers. 21. *Nihil minus feci ab his qui sunt supra modum Apostoli: tametsi nihil sum. Signa autem apostolatus mei in omni patientia, in signis & prodigijs & virtutibus.* 2. Corinth. 12. vers. 11. *Ego nouissimus euigilaui, & quasi qui colligit racinos post vindemiatores. In benedictione Domini & ipse speraui: & quasi qui vindemiat, repleui torcular. Non mihi soli laboraui, sed omnibus exquirentibus disciplinam.* Eccli. 33. vers. 16. *Quintus angelus tuba cecinit, & vidi stellam* (Lutherum) *de cælo cecidisse in terram, & aperuit puteum abyssi*, &c. Apocalip. 9. vers. 1. *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Si autem fortior superueniens vicerit eum*, omnia spolia *eius auferet.* Lucæ 11. vers. 22. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi Domini nostri.* 1. Corinth. 1. vers. 9. *Et ponam in eis signum* (vexillum obedientiæ & charitatis) *& mittam ad Gentes in mare, in Africam & Lydiam, in Italiam & Græciam, ad insulas longè: & annuntiabunt gloriam meam Gentibus*, &c. Isa. 66. vers. 19. *Ite angeli veloces*, &c. Isa. 18. vers. 2. *Hæc dicit Dominus: Pro eo quòd obedistis præcepto Ionadab patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, & feceritis vniuersa quæ præcepit vobis: propterea non deficiet vir de stirpe Ionadab, stans in conspectu meo cunctis diebus.* Ierem. 35. vers. 18.

Felicissimè obijt S. Ignatius Romæ anno Christi 1556. *Mortuus est pater eius; & quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se.* Eccli. 38. vers. 4. Exemplo sancti Patris tui, tu quoque *certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in quam vocatus es, confessus bonam confessionem coram multis testibus.* 1. Tim. 6. v. 16. *Attende tibi, & doctrinæ, insta in illis: hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.* 1. Tim. 4. v. 16. *Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus.* 2. Tim. 2. v. 4. *Attendite ad petram vnde excisi estis, attendite ad Abraham patrem vestrum.* Isa. 51. v. 1. *Obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus.* 4. Reg. 2. v. 9. *Ego vobis Roma propitius ero.* Certè opus manuum mearum es tu Israel, *plantatio Domini ad glorificandum.* Isa. 61. v. 4. *Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.* v. 9.

In Festo S. PETRI AD VINCVLA, 1. August.
Euangelium est Festi SS. Petri & Pauli, 29. Iunij.
In Festo S. STEPHANI PAPÆ, Mart. 2. August. Euangelium est secundæ Missæ de Communi Mart. Pontificis.
In Festo S. DOMINICI Confessoris, 4. August. Euangelium est primæ Missæ de Communi Confess. non Pontificis.
In Festo S. MARIÆ AD NIVES, 5. Aug. Euangeliũ est Missæ votiuæ de B. Virgine Maria post Pentecost.
In Festo TRANSFIGVRATIONIS DOMINI, 6. August. Euangelium est Dominicę II. in Quadrag.
In Festo SS. Martyrum CYRIACI, LARGI & SMARAGDI, 8. August. Euang. est Ascensionis Domini.
In Vigilia S. LAVRENTII Martyris, 9. August. Euangel. est secundæ Missæ de Communi Mart. Pontificis.

IN FESTO S. LAVRENTII MART. 10. Aug.

Euangel. *Nisi granum frumenti.* Ioannis 12. à v. 24. ad 27.

FIDES.

Si granum frumenti (quale ego sum, *in terram* per Incarnationem coniectum) *mortuum fuerit, multum fructum affert*] Apoc. 7. vers. 9. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & populis*, &c. En fructum nostri grani. De fructu passionis Christi, controu. 4. nu. 11. 15. & 17. Neque ad id opus perpessione tormentorum infernalium, ibid. num. 14. licet ad inferna descenderit, n. 16. *Si posuerit pro peccato animam*, id est, vitam, *suam, videbit semen longæuum.* Isaiæ 53. v. 10. *In baculo meo transiui Iordanem, & nunc cum duabus turmis regredior.* Gen. 32. v. 10. Ioan. 12. v. 25.

Qui amat animam suam, perdet eam] *Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine.* Ierem. 48. v. 10.

Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam] Sap. 3. vers. 2. *Visi sunt oculis insipientium mori: illi autem sunt in pace.* vers. 4. *Etsi coram hominibus tormenta passi sunt*, &c. Gal. 6. vers. 14. *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Propter te mortificamur tota die.* Psal. 43. vers. 22. *Viuo autem iam non ego: viuit verò in me Christus.* Gal. 2. v. 20.

Si quis mihi ministrat, non suos nutus, sed *me sequatur.* v. 26. *Et vbi sum ego, illic & minister meus erit.*] In Festo SS. Philippi & Iacobi, 1. Maij v. 3. De gloria cælesti, contr. 30 n. 3. & seqq. *Vbi fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.*

la. Matth.24.v.28. *Quos præscinit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui.* Rom.8.v.29. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Phil.3.v.21. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Apoc.3.v.21.

Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus] De merito bonorum operum, controu.16. nu.1. vsque 6. *Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* 1.Reg.2.v.30. *Sic honorabitur, quemcumque rex voluerit honorare.* Esther 6.v.9.

MORES.

S. Laurentius in craticula. *Spectaculum facti sumus mundo, angelis & hominibus.* 1.Corin.4.vers.9. *Proba me Domine, & tenta me; ure renes meos & cor meum.* Psalm. 25.vers.2. *Memor fui Dei, & delectatus sum*, &c. Psal.76. vers.4. Ipse Iesus *proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta.* Hebr.12.v.2. *Ipse verò scit viam meam, & probauit me quasi aurum quod per ignem transit.* Iob 23. vers.10.vsque fin. *Viuit Deus, qui abstulit iudicium meum. Quia donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.* Iob 27. vers.2. *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.* vers.5. *Iustificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram. Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* vers.6. *Domine probasti me, & cognouisti me*, &c. Psalm.138.vers.1. Ampliùs *proba me Deus, & scito cor meum*, &c. vers.23. *& vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna.* vers.24. *Probasti cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti*, &c. Psalm.16. vers.3. *Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud.* Psalm.118. vers.140. *Cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te.* Isaiæ 43.vers. 2. Torquet quidem, sed non nocet ignis persecutionis, quia potentiori igne charitatis superatur. *Moyses grandis factus negauit se filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans improperium Christi thesauro Ægyptiorum.* Hebr.11. vers.24. *Angelus Domini descendit cum Azaria & sociis eius, in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem: & non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit, nec quidquam molestiæ intulit. Tunc hi tres quasi ex vno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace.* Dan.3. v.49. *Rubus ardens incombustus*; pij in tribulationibus splendidiores, Exod.3.v.2. *Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus?* Ibidem. Ignis persecutionis non absumit Sanctos, sed illustrat & splendidiores reddit: sicut persecutio Pharaonis Hebræos; quod hoc hieroglyphico repræsentabatur. *Dominus opem ferret illi super lectum doloris eius, vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.* Psal.40.v.3. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* 2.Cor.7.v.4. *Sicut igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Dominus.* Prouerb.17.v.3. *Messui myrrham cum aromatibus meis*, &c. Cant.5.v.2. *Probaui te apud aquas contradictionis.* Psal.80.v.8. *Omnes qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patientur.* 2.Timoth.3.v.12. Quomodo Ioseph mortificarit fratres suos, priusquam solaretur, vide Genes.42.v.6.&c. *Non dabit in æternum fluctuationem iusto.* Psalm.54.v.23. *Mirabilis Deus in sanctis suis: Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ. Benedictus Deus.* Psalm.67. vers.36. *Eligentur & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi. Et impij agent impiè: neque intelligent omnes impij: porrò docti intelligent.* Dan.12. vers.10. *Versa est mihi domus Israel in scoriam: omnes isti æs & stannum & ferrum & plumbum in medio fornacis: scoria argenti facti sunt.* Ezech.22. vers.18. *Propterea congregabo vos, & succendam vos in igne furoris mei, & conflabimini*, &c.v.21. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem*, &c. Ephes.6.vers.12. *Vobis donatum est non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.* Philip 1.vers.29. *Probatorem dedit te* (ô Ieremia) *in populo meo robustum: & scies, & probabis viam eorum. Omnes isti principes declinantes, ambulantes fraudulenter*: nihil in eis argenti: totum æs *& ferrum: vniuersi corrupti sunt. Defecit sufflatorium*, &c. *Argentum reprobum vocate eos.* Ierem.6.v.27.&c.

VARIA.

S. Laurentius craticulæ impositus est anno Domini 261. Valeriano & Gallieno Impp.

Plura huc facientia desume ex Euangelio de Communi Martyrum, *Cùm audieritis prælia.*

Dispersit, dedit pauperibus, &c. Psal.111.v.9.vsque fin. *Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem.* Gal.6.v.8. vsque 11.

In Vigilia ASSVMPTIONIS B. MARIÆ, 14. Augusti, Euangelium est Missæ votiuæ de B. Maria post Pentecosten.

IN FESTO ASSVMPTIONIS B.MARIÆ, 15.Aug.

Euangel. *Intrauit Iesus in quoddam castellum.* Lucæ 10.à v.38. ad finem cap.

FIDES & MORES.

Martha excepit Iesum *in domum suam* & v.40. *Satagebat circa frequens ministerium*] De merito operum charitatis, Luc. 10. controu.16.n.3.& controu.17. n.12. & 13. *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Matth.25.v.40. Quomodo Abraham exceperit hospites, Gen.18.v.2. Loth etiã compulit, Gen.19.v.3. Quanto studio Iacob seruierit pro vxoribus suis, Gen.31.v.38.&c. *Et videbantur illi dies pauci, præ amoris magnitudine.* Gen.29.v.20. Quàm feliciter acciderit *Obededom* 2.Reg.6.v.11. excepisse domi *arcam* fœderis! Quàm lætum *Zachæo* excepisse *Christum* Lucæ 19.v.7. *Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?* 1.Cor.3.v.16. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ioan.14.v.23.

Soror eius *Maria sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius*] 1.Cor.7.v.34. *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt. Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Lucæ 10 v.21. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Act.6.v.2. *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Ioan.6.v.69. *Mihi adhærere Deo bonum est.* Psal.72.v.28. *Non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium.* Sap.8.v.16. *Fauus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua. Emissiones tuæ paradisus, fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Cant.4.v. 11.13.15. *Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Cant.2.v.14. Luc. 10. v. 39.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea] Lucæ 19.vers.9. *Hodie salus domui huic facta est. Magnificata est hodie anima mea præ omnibus diebus vitæ meæ.* Iudith 12.vers.18.

Porrò vnum est necessarium] putà studium rerum diuinarum: quod suauissimum est animæ ferculum, critque tota æternitate. 1.Timoth.4.v.8.&c.6.v.6. *Est quæstus magnus pietas cum sufficientia, promissionem habens vitæ quæ nunc est* pariter *& futuræ.*

Studium hoc multiplex est. *In viis iustitiæ ambulo, & in medio semitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Prou.8. vers.20. Incipiens *alteget* se-

metipſum, &c. Matth. 16. v. 24 Proficiens *in lumine vultus tui ambulabit*, &c. Pſalm. 88. v. 16. *Aſcenſiones in corde ſuo* diſponet, &c. ibit *de virtute in virtutem*. Pſalm. 83. v. 6. A perfectis *videbitur Deus deorum in Sion*. Pſal. 83. v. 7. *Vnam petij à Domino* &c. Pſal. 26. v. 4. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ*, &c. Apoc. 2. v. 7. *Intra in gaudium Domini tui*. Matth. 25. v. 21. *Vbi ego ſum*, &c. Ioan. 12. v. 26.

De vita actiua.

Non negligenda actiua. Cant. 1. v. 7. *Si ignoras te*, &c. v. 12. *Faſciculus myrrhæ*. v. 14. *Ecce tu pulchra es*. *Lia* priùs ducenda, quàm *Rachel*. Gen. 28. v. 26. Sis vir *ſimplex*, tecum habita, vxorem ne quæras niſi in domo *Bathuel*, id eſt filiæ Dei, ſeu diuinæ Sapientiæ. Seruias annis 14. imò 20. Luctare cum Deo, &c. *Exerce agrum tuum, poſtea ædifices domum tuam*. Prou. 24. v. 27. *Mulier fortis*, Prou. 31. v. 13. *quæſiuit lanam & linum, & operata eſt*, &c. *Concluſit me Dominus ne parerem; ingredere ad ancillam meam*. Gen. 16. v. 2. Sed ne fœcunda ancilla *deſpiciat* dominã, v. 4. v. 9. *Humiliare*, v. 9. *Aperuit* Dominus *vuluam Liæ* deſpectę, *ſorore ſterili permanente*. Geneſ. 29. v. 31. *Da mihi liberos, alioqui moriar*. Geneſ. 30. v. 1. Non id *mandragoris* curandum, ſed à Deo exſpectandum, v. 14. *Mandragoris* tamen conduci poteſt. v. 16. Sed immoderatæ occupationes noxiæ. Cant. 3. v. 2. *Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt*. Oſee 10. v. 2. Eccli. 11. v. 10. *Fili, ne in multis ſint actus tui*. Prou. 23. v. 4. *Noli laborare vt diteris, ſed prudentiæ tuæ pone modum*, Exod. 18. v. 17. *Non bonam rem facis, ſtulto labore conſumeris*, &c. Num. 11. v. 14. *Non poſſum ſolus ſuſtinere*.

De vita contemplatiua.

Eſt locus apud me, & ſtabis ſupra petram, & videbis poſteriora mea. Exod. 33. v. 21. *Ibi oſtendam tibi omne bonum*. v. 19. Cant. 1. v. 1. *Oſculetur me*. v. 3. *Trahe me*. v. 6. *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie*. v. 13. *Botrus Cypri*. v. 3. *Introduxit me in cellaria ſua*: ſicut Adamum in paradiſum, Gen. 2. v. 8. *Sub vmbra illius quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*. Cant. 2. v. 3. *Nato Ioſeph, dixit Iacob ſocero ſuo, Dimitte me vt reuertar in patriam, & ad terram meam*. Gen. 30. v. 35. *Ego ſum Ioſeph*. Gen. 45. v. 3. *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum* Pſal. 30. v. 21. *Filia mea, quaram tibi requiem, & prouidebo vt bene ſit tibi*. Ruth 3. v. 1. Non ampliùs ſpicilegio victites, ſed ſponſa fias, &c. *Quemadmodum* (quantopere) *multiplicaſti miſericordiam tuam Deus*: *Inebriabuntur ab vbertate*, &c. Pſal. 35. v. 8. &c. *Salomon*, id eſt, pacificus, etiam vocabatur *Idediath*, id eſt, *amabilis Domino*. 2. Reg. 12. v. 24. & Prou. 31. v. 2. *Quid dilecte mi?* &c. *In opere ipſius modicum laborabis, & citò edes de generationibus illius*. Eccli. 6. v. 20. *Veni mecum vt requieſcas ſecurus mecum in Ieruſalem*. 2. Reg. 19. v. 33. *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ; ibi me docebis: & dabo tibi poculum ex vino condito*. Cant. 8. v. 2. *Beniamin amantiſſimus Domini, habitabit confidenter in eo, quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet*. Deut. 33. v. 12. *Oſtende mihi faciem tuam*. Exod. 33. v. 13. *Gloriam tuam*, v. 18. *Ego oſtendam omne bonum tibi*. v. 19. *Vidi Deum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea*. Gen. 32. v. 30. *Factum eſt ſilentium in cælo, quaſi media hora*. Apocal. 8. v. 1. *Dilectus meus mihi, & ego illi*, &c. Cant. 2. v. 16. & c. 7. v. 10. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo*. cap. 2. v. 5. *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. v. 6. *Ego quaſi nutricius Ephraim, portabam eos in brachiis meis*. Oſee 11. v. 3. *Tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudinem terræ, & cibabo te hereditate Iacob patris tui*. Iſaiæ 58. v. vlt. *Et tu exultabis in Domino, in ſancto Iſrael lætaberis* c. 41. v. 16.

O quantæ hîc deliciæ! *Nemo ſcit, niſi qui accepit*. Apoc. 2. v. 17. *Dauid & omnis domus Iſrael ducebant arcam teſtamenti Domini in iubilo & in clangore buccinæ*. 2. Reg. 6. v. 15. *& partitus eſt Dauid vniuerſæ multitudini, ſingulis collyridam panis vnam, & aſſaturam bubulæ carnis vnam, & ſimilam frixam oleo*. v. 9. Sed alius hîc clangor, alius iubilus, aliæ epulæ. *Regnum Dei non eſt eſca & potus, ſed iuſtitia & pax & gaudium in Spiritu ſancto*. Rom. 14. v. 17. *Bibenunc & accumbe in iucunditate, quia inueniſti gratiam coram me*. Iudith 12. v. 17. *Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt, & nihilo minus iuſtitia tua exultabunt*. Pſal. 144. v. 7. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine!* &c. Pſal. 30. v. 20 *Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum*, &c. Cant. 1. v. 3. *Beatus populus qui ſcit iubilationem*. Pſalm. 88. verſ. 16. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, &c. Prou. 3. v. 16. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & requie opulenta*. Iſaiæ 32. v. 18. *Iacob* prævertens venationem *Eſau* præripuit *benedictionem* paternam Gen. 27. v. 9. &c. *Accede ad me & da mihi oſculum, fili mi*. v. 26. Neque ſterilis eſt hæc benedictio, *Det tibi Deus*, &c. v. 28. *Si acceperit Iacob vxorem de ſtirpe huius terræ, nolo viuere*. v. vlt. *Cùm leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael*. Exod. 17. v. 11. *Irriguum ſuperius* eſt oratio & contemplatio: *inferius*, humiliatio & mortificatio, Ioſ. 15. v. 19. *Æqualis erit portio proficiſcentium ad bellum, & remanentium ad ſarcinas*. 1. Reg. 30. v. 24. item Num 31. verſ. 27. Ioſ. 22. verſ. 8. Sed caue à temeraria inquiſitione & curioſitate. Exodi 19. v. 21. *Conteſtare populum, ne fortè velit tranſcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo*. cap. 20. v. 18. *Steterunt procul*, &c. c. 20. v. 21. *Moyſes autem acceſſit ad caliginem in qua erat Deus. Altiora te ne quæſieris*, &c. Eccli. 3. v 22. *Thymiama* vetitum profanis, Exod. 30. verſ. 33. & 38. Item *attonſio comæ in rotundum*. Leu. 19. v. 27. Ob inſpectam *arcam cæſi* 50700. 1. Reg. 6. v. 19.

Alia impedimenta contemplationis vide in Euangelio Dominicæ II. Quadrageſimæ. *Quis aſcendet in montem Domini?* &c. Pſal. 23. v. 3. *Innocens manibus & mundo corde*, &c. v. 4. De *cella vinaria* inebriante. Cant. 2. verſ. 4. *Exardeſcet ignis*, Pſal. 38. v. 3. *Renuit conſolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus ſum*. Pſalm. 76. v. 4. *Tibi dixit cor meum, Faciem tuam requiram*. Pſal. 26. v. 8. *Beatus homo, qui audit me*, &c. Prou. 8. v. 34. *Domine, bonum eſt nos hîc eſſe*. Matth. 17. v. 4. *Adiuro vos*, &c. *ne euigilare faciatis dilectam*, &c. Cant. 2. verſ. 7. *Ibi Beniamin adoleſcentulus*, &c. Pſal. 67. v. 28. *Sedebit ſolitarius*, &c. Thren. 3. v. 26. *Sibilus aura tenuis*, &c. 3. Reg. 19. v. 11. *Aura lenis*, Iob 4. v. 14. *Quis dabit mihi pennas?* &c. Pſal. 54. v. 7. *Hæc ſcala Iacob*, Gen. 28. v. 12.

Stato tamẽ tẽpore repetenda vita actiua Cherubini Ezech. 1. v. 8. *ſub pennis manus* habent. Et ſic mixta vita eſt nobiliſſima. Sicut enim maius eſt, *illuminare*, quàm ſolùm *lucere*: ita maius eſt, contemplata aliis tradere, quàm ſolùm contemplari, inquit S. Thom. Explica quomodo in vtraque vita excelluerit Deipara toto vitæ ſuę decurſu. Sanct. Tho. 2. 2 q. 183. a. 6.

De glorioſa Aſſumptione Diuæ Virginis in cælum.

Principes Ægypti nuntiauerunt Pharaoni de Sara, *& laudauerunt eam apud illum: & ſublata eſt mulier in domum Pharaonis*. Geneſ. 12. v. 15. *Non eſt talis mulier ſuper terram in aſpectu, in pulchritudine, & in ſenſu verborum* Iudith 11. v. 19. *Veni de Libano, veni, coronaberis*, &c. Cant. 4. v. 8. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* Cant. 8. v. 5. *Venit Bethſabee ad regem* Salomonem, &c. quo honore excepta, vide 3. Reg. 2. v. 19. *Quid debet fieri viro, quem rex honorare deſiderat?* Eſther 6. v. 6. *Signum magnum apparuit in cælo: mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim*, &c. Apocal. 12. v. 1. &c. *Non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis*. 3. Reg. 10. v. 20. *Ingreſſo*

est regina Saba Ierusalem cum diuitiis, aromatibus, & auro infinito nimis, &c. v.2. & 10. & 2. Paral.9.v.1. & 9. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Prou,31.v. 29. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te.* Cant.1. v.8. Cetera virtutum Deiparæ Virginis & animæ deuotæ incrementa, vide in Festo Natiuitatis B. Virginis.

VARIA.

Exceptus est Iesus à Martha mense Nouembri vltimo ante mortem suam. Chron.c.49.

Assumpta putatur in cælum B. Virgo anno post mortem Christi 22. cùm vixisset ferè 72. annos. Chron.c.50. & Baron. ad annum Christi 48.

In Festo S. BERNARDI, 20. Augusti, Euangelium desumitur ex Communi Abbatum.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI, 24. Augusti.

Euangel. *Exijt Iesus in montem orare.* Lucæ 6. à v. 12. ad 20.

FIDES.

luc 6 v.12. *Erat pernoctans in oratione Dei*] De necessitate orationis, contr.17.n.1. De fructu, nu.2. Quæ conditiones requirantur, vt infallibiliter impetret, num.3. De Horis Canonicis diu noctuque continuatis, num.4. per Clericos, n.5. lingua plebi ignota, n.6.

v.13. *Elegit* ex discipulis suis *duodecim Apostolos*] Quale horũ munus & dignitas, vide commen. De electione, missione & ordinatione Pastorum Ecclesiæ, contr.8.n.1. vsquè 9.

Simonem, quem cognominauit Petrum] Hic à Matthæo c.10.v.2. dicitur *primus* electus, & ab alijs Euangelistis semper *primo* loco collocatur; quia *princeps* reliquorum Apostolorum. De *primatu* eius & Romani Pontificis, vide controu.6.n.5.& 8. *Vnxit te Deus super hereditatem suam in principem, & liberabis populum suum de manu inimicorum eius qui in circuitu sunt*, inquit Samuel Sauli, 1.Regum 10. v.1. & potest accommodari singulis Apostolis.

v.16. *Iudas Iscarioth fuit proditor*] In Ecclesia reperiri quoque impios ac reprobos, docui contr.5.n.6.11.12.13.

v.19. *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes*] De virtute Sacramentorum, contr.18.n.1.& 5.vsque 9.

MORES.

S. Bartholomæo appropriatur lapis pretiosus *sardius* in fundamentis Ierosolymæ cælestis, Apocal.21.v.20. §. *Sextum*. Quare, vide ibid.

v.13. *Elegit duodecim*] Nabuchodonosor Iudith 2.v.2. *vocauit omnes maiores natu, omnesq; duces & bellatores suos, & habuit cum eis mysterium consilij sui, dixitq; cogitationẽ suam in eo esse, vt omnem terrã suo subiugaret imperio.* Nonne hoc in Christum quadrat? *Amoue reges singulos* (delicatiùs assuetos) *ab exercitu tuo, & pone principes* (re bellica præstantes) *pro eis.* 3.Reg.20.v.24.

Sed quare *piscatores* deligit Christus? *Stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes.* 1.Cor.1.v.27. *Humilia respicit in cælo & in terra, suscitans à terra inopem*, &c. Psalm. 112.vers.6. vsque 9. Hos sibi vicarios in terris designat. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij*, &c. Psalm.44. v.17. *Moyses* ante mortem inaugurat Iosue, & *partem gloriæ suæ* illi consignat, Num.27. v.20. Et mutatur ipse *in virum alium*, sicut Saul 1.Reg. 10. v.6. & *pallio Eliæ* mutatur animus *Elisei.* 3.Reg.19.v.19. Sed quare seligit præcisè duodecim? 12. erant *tribus Israel*: per *12. Zodiaci signa*, per 12. *menses* anni sol mundo lucem impertit. Et Christus singulis orbis plagis, *Orienti, Occidenti, Septentrioni* & *Austro*, tres destinat verbi diuini duces. Posuerat *mare æneum* super 12. *bobus*, 3.Reg.7.v.23. *Thronus Salomonis* cinctus 12. *leunculis*, c.10.v.18. *De medio Iordanis aluco* 12. *durissimos lapides* tolli iubet Dominus, & *poni in loco castrorum*, *in monumentum filiorum Israel in æternum* Iosue 4.v.3. *Duodecim Prophetæ* minores *corroborauerunt Iacob, & redemerunt se in fide virtutis. Ossa eorum pullulent de loco suo.* Eccli.49.v.12. *Sapientia ædificauit sibi domum: excidit columnas septem*, id est multas: *misit ancillas suas vt vocarent ad arcem.* Prou.9.v.1.&c. *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Psalm 86.v.1. *Præcepit Salomon, vt tollerent lapides grandes, lapides pretiosos, in fundamentum templi, & quadrarent eos.* 3.Reg.5.v.17. De *sortibus* Dauid, vide 2.Reg.23.v.8.& 1.Paral.11.v.11. & 2.Esdr.3. v.16. *Nos ipsi primitias spiritus habentes.* Rom.8.v.23. *Primitiæ frugum eius*, Ierem.2.v.3. *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.* 2.Cor.5.v.20. Exhortante, non pugnante, non cogente. *Ili in curribus*, &c. Psal.19.v.8. Cur omnes *currus falcatos* exuri, *equos subneruari* præceperit Deus, vide Iosue 11.v.6. *Nouas bella elegit Dominus: portas inimicorum ipse* vi occulta *subuertit. Clypeus & hasta si apparuerunt in quadraginta millibus Israel.* Iudic.5.v.8. *Ego dabo vobis os & sapientiam*, &c. Lucæ 21. vers.15. *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa.* Psalm.67.v.12. Adeò vt *rex virtutum*, &c. v.13. Ecce *dabit voci suæ vocem virtutis.* vers 34. Quasi *cæli enarrant gloriam Dei*, &c. Psal.18.vers.1.vsque 6. *Annuntiaui & locutus sum, multiplicati sunt* (fideles) *super numerum.* Psal.39.v.6.

Oratione vires impetramus & victorias. Et præit exemplo Christus:

v.12. *Erat pernoctans in oratione*] De oratione matutina, vide in die Paschæ, §. *Valdè manè.* De oratione continuanda, vide Euangelium Dominicæ V. post Pascha. *Vsquedum renuntiem vobis, nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum*, inquit Iudith c.8.v.33. *Vox Domini in virtute*, &c. Psal.28.v.3. &c. Hic gladius noster & *artus*: Gen.48. vers.22. *Dominum cordibus orantes prostrauerunt triginta quoque millia.* 2.Machab.15.v.26. *Isaac egressus ad meditandum in agro*, &c. Gen.24.v.63. *Anima mea desideraui te in nocte*, &c. Isaiæ 16.v.9. & Thren.2.vers.19. *Quis dabit mihi pennas?* &c. Psalm.54.vers.8. Sic, sic ad proximum descendendum. *Egrediamur in agrum*, &c. Cantic.7.v.11. *Abi post vestigia gregum*, &c. c.1.vers.7. Sic instrues duplex prandium, primum *sponsi*, Cant.5. vers.1. alterum *sponsæ*, Cant.7. vers. vltim. *Quis mihi det, vt inueniam te foris?* &c. Cant.8.vers.1.

VARIA.

Hic Apostolorum delectus contigit sub medium Maij, anni secundi prædicationis Christi. Chron.c.49.

S. Bartholomæus anno 41. post Christi mortem apud Persas excoriatus, capite plectitur. Chron.c.50.

Virga Iacobi *decorticata*, & ouibus obiecta. Gen.30. v.37. typus S. Bartholomæi excoriati, &c. Sed caue, pellem proximo tuo detrahas. Michææ 3.v.2. *Violenter tollitis pelles* hominum *desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum. Comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt*, &c.

IN FESTO S. LVDOVICI REGIS, 25. Augusti.

Euangelium est tertium de Communi Confessoris non Pontificis.

Quàm egregiis monitis *mater* Salomonis filium instruxerit, vide Prou.31.v 1.&c. Typus eius *Dauid*, Eccli.47.v.1. vsque 14. Item *Iosias*, Eccli.49.v.1. vsque 5. Item *Iudas Machabæus*, 1.Machab.3. vsque v.10. *Absit fugiamus*, &c. *moriamur*, &c. *& non inferamus crimen gloriæ nostræ.*

nostra. 1.Machab.9.v.10. *Mirabilis Deus in sanctis suis.* Psal. 67.v.36. *Tamquam prodigium factus sum multis.* Psalm.70. v.7. Quomodo interea *desiderium cordis eius tribuisti ei?* &c. Psal.20.v.3.vsque 9.

In Festo S. AVGVSTINI, 28.Aug.Euangelium est ex Communi Doctorum.

In DECOLLATIONE S. IOANNIS BAPTISTÆ, 29. Augusti.

Euangel. *Misit Herodes, ac tenuit Ioannem.* Marci 6.v.17. vsque 30.

FIDES.

Non licet tibi habere vxorem fratris tui] De insolubilitate matrimonij, contr.27.num.1.Qui gradus olim & nunc prohibiti.Leu.18.v 6.&c. De correptione fraterna vide Matth.18. v.15. & 2.Thess 3.v.13 & 14. & 1.Cor.5. de fornicario. 1.Tim.1. v.vlt. & 2.Tim.2.v.24.& c.3.v. 16.Tit.2.v.vlt.& c.3.v.10.

Iurauit illi, quia quidquid petieris dabo tibi] Non obligat iuramentum, quod sine Dei offensa compleri nequit.

Misso spiculatore, præcepit afferri caput Ioannis *in disco*] De Martyrio, vide controu.19.num.3.

Discipuli eius tulerunt corpus eius, & posuerunt illud in monumento] Cura sepulchri quanta olim habita, & quare? 2.Reg.2. v.5. & Tob.12.vers.12. Etiam apud Gentiles, 2.Esdr.2.v.3.Opus esse misericordiæ, controu.29.n.4.

MORES.

Eliæ similis Ioannes. *Vir pilosus & zona pellicea accinctus renibus.* 4.Reg.1. v.8. *Ipse præcedet ante illum in virtute & spiritu Eliæ.* Luc.1.v.17. Fuit & *Ieremias*, typus *Ioannis Baptistæ*, vt dixi præfat.in Ieremiam. *Priusquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te, & Prophetam in Gentibus dedi te.* Ierem.1. v.5. *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna,* &c. v.10.vsque 20.*Crescebat & confortabatur spiritu.*Luc.1.v.vlt.*Dedit quoque Deus sapientiam illi* vt olim *Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam quæ est in littore maris.* 3.Reg.4.v.29. *Vade in Niniue,* &c. Ionæ 1.v.2. vade in aulam Herodis regis. *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus illorum,* &c. *vt adamantem & vt silicem dedi faciem tuam, ne timeas eos.* Ezech.3.v 8.& 17. Silent Scribæ, timent Pharisæi: nullus audet regem increpare. *Væ mihi* (inquiebat Isaias) *quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & regem Dominum exercituum vidi oculis meis.* Isaiæ 6.v.5. *Fili conserua tempus,* &c.*Pro anima tua ne confundaris dicere verum,* &c. Eccli.4.v.23.vsque 34. Reliquis *exploratoribus* falsa nuntiantibus, soli *Iosue & Caleb* animarunt populum, Num.13.v.31.& c.14.v.6. Animauit & Ioan.Baptista. *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar.* Psalm.118 v.46. *Ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque.*v.43.Verùm *tange montes, & fumigabunt.* Psalm.103.v.32. *Accubans dormiuit vt leo, & quasi læna, quam suscitare nullus audebit.* Num.24.v.9.

18. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*] An ergo regibus non licet quidquid lubet? *Non est tui officij Ozia, vt adoleas incensum Domino: egredere de sanctuario.* 2.Paralip.26. vers.18. Officium regis describitur Deut.17.v. 14 & seqq. Quod verò 1.Reg.8.v.11. dicitur fore *ius regis*, non intelligitur de licito, sed de vsurpato iure. *Væ qui ædificat domum suam in iniustitia,* &c. *Numquid regnabis, quia conferis te cedro?* &c. *Sepultura asini sepelietur,* &c. Ierem.22.v.13.

Quàm multi conabantur dissuadere Ioanni, ne importunis monitis suis adulterum regem in se concitaret! *Dixit Amasias* (sacerdos idololatricus) *ad Amos: Qui vides, gradere, fuge in terram Iuda, & comede ibi panem, & prophetabis ibi, & in Bethel non adiicies vltrà vt prophetes, quia sanctificatio regis est, & domus regni est. Respondit Amos, Non sum Propheta, & non sum filius Prophetæ, sed armentarius ego sum vellicans sycomoros: & dixit Dominus ad me; Vade propheta ad populum meum Israel,* &c. *Vxor tua in ciuitate fornicabitur & filij tui & filiæ in gladio cadent, & humus tua funiculo metietur, & tu in terra polluta morieris, & Israel captiuus migrabit de terra sua.* Amos 7. vers.12. vsque fin. Sed Ioannes non erat *arundo.* Luc.7. vers.24. *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero præterire sermonem domini Dei mei. Quidquid Dominus dixerit, hoc loquar.* Num.24.vers.13. *Filij mendaces, nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus, Nolite videre, nolite aspicere ea nobis quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores,* &c. Isaiæ 30. vers.9. vsque 15. *Non amat pestilens eum qui se corripit, nec ad sapientes graditur.* Prou.15. vers.12. *Numquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, sed semper malum?* 3. Reg. 22. vers. 18.

Herodes metuebat Ioannem] Sed quid nocere potest regi homo priuatus? 1.Reg.18.vers.12. *Timebat Saul Dauid,* quoniam *Dominus recessisset à se, & esset cum illo. Tyrannorum* perpetui metus & anxietates describuntur Iob 15.v.20.vsque finem.*Moysen* adoptatum in filium & successorem regni, Exod.2.v.10. post paulò quærit *Pharao* occidere, v.15. *Tunc* (Elia) *es ille qui conturbas Israel? non ego turbaui Israel, sed tu* (Achab) *& domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim.* 3.Reg. 18.v.18. *Irati principes contra Ieremiam, casum eum miserunt in carcerem, in domum laci & in ergastulum: & sedit ibi Ieremias diebus multis.* Ierem.37.v.14. *Et dixerunt principes regi: Rogamus vt occidatur homo iste. De industria enim dissolut manus virorum bellantium. homo iste non quærit pacem populo huic, sed malum. Et dixit rex Sedecias: Ecce ipse in manibus vestris est: nec enim fas est, regem vobis quidquam negare.* c.38.v.4.&c. v.20.

Herodes natalis sui cœnam fecit principibus, &c.] *Dies regis nostri* (hæc est:) *Cœperunt principes furere à vino: applicuerunt quasi clibanum cor suum,* &c. Osee 7. v.5. &c. *Pereat dies in qua natus sum.* Iob 3.v.3. *Melior est dies mortis die natiuitatis.* Eccles.7.v.2. *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit sapiens.* Prou.20.v.1. v.21.

Cùm saltasset filia Herodiadis, &c.] *Iezabel* introitu *Iehu* audito, *depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum, & respexit per fenestram ingredientem Iehu per portam,* &c. 4.Reg.c.9.v.30. v.22.

Volo vt protinus des mihi in disco caput Ioan. Baptistæ] Impietas *Iezabelis* in *Naboth* describitur 3.Reg.21. v.9. *Venumdatus est vt faceret malum in conspectu Domini: concitauit enim eum Iezabel vxor sua.* vers.25. *Forte est vinum: fortior est rex: fortiores sunt mulieres: super omnia autem vincit veritas.* 3.Esdræ 3.vers.10.&c. *Mulieres dominata sunt eis.* Isaiæ 3. vers.12. O quàm sunt alia Sanctorum vota! *Postula, quod vis vt faciam tibi, antequam tollar à te. Dixitq; Eliseus: Obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus.* 4.Regum 2.vers.9. Mulieris bonæ encomia habes Eccli.26. vers.1. vsque 5. & vers.16. vsque 25. Item cap.36. vers.23. vsque fin. & Prouerb.31. vers.10. vsque fin. *Virum de mille vnum reperi: mulierem ex omnibus non inueni,* per omnia probam & prudentem. Eccles. 7. vers. 29. *In medio mulierum noli commorari. De vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Eccli.42. vers.12. *Melior est enim iniquitas viri, quàm mulier benefaciens, & mulier confundens in opprobrium.* vers.14. v.25.

Non est caput nequius super caput colubri: & non est ira super iram mulieris. Commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam. Eccli.25 v.22. imò à v.17. vsque fin. Item c.26.v.5 vsque 16. *Ne des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam* (tibique prævaleat) *& confundaris. Ne respicias mulierem multivolam* (id est, multos amantem & optantem,) *ne fortè incidas in laqueos illius. Cùm saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne fortè pereas in efficacia illius.* Eccli. 9.v.2.3.4. *Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius.* v.5. vsque 14. *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguent sensatos.* Eccli. 19.v.2. *Qui se iungit fornicarijs, erit nequam: putredo & vermes hereditabunt illum, & extolletur in exemplum maius, & tolletur de numero anima eius* v.3.

De malo adulterij, & nequitiis adulterorum, vide Iob 24.v 15. *Hoc enim nefas est & iniquitas maxima: ignis est vsque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.* Iob 31. v.11. *Vt eruaris à muliere aliena*, &c. Prou.2. v.16.vsque 20. *Non dormiunt* (inuidæ) *nisi malefecerint*, &c. Prou. 4. vers. 16. & 17. *Ne attendas fallacia mulieris*, &c. Prou. 5. v.2. vsque 21. *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua.* Prou.11.v.22. Adulteria & stupra quot vrbes, quòt regna euerterunt, vide Gen.34. de stupro *Dinæ. Auser à me ventris concupiscentias.* &c Eccli. 23. v.6. Item v.21.vsque 37. Quanta custodia adhibenda filiæ necdum nuptæ, vide Eccli.42.v.9.vsque 15.

Missio speculatore præcepit rex *asserri caput* Ioannis *in disco*] *Pharao* die suo natalitio *pincernam* è carcere eductum restituit loco pristino: *pistorem* suspendit in patibulo, Genes. 40.v.20.&c. *Nunquid scitis* (ait Eliseus 4.Reg.5.v. 32.) *quod miserit filius homicidæ hic* (Ioram rex Israel) *vt præcidatur caput meum? Abstulit Zabdiel Arabs caput Alexandri* (regis Asiæ ad se profugi,) *& misit Ptolemæo regi Ægypti*, socero, sed hosti Alexandri: & *rex Ptolemæus mortuus est in die tertia*, &c.1.Mach.11.vers.16. Rege & Aman celebrante conuiuium, contra Iudæos ferale edictum cuditur. Esther 3. vers.7. & vlt. Hic nempe lusus est mundi. *Non hunc, sed Barabbam.* Ioan.18. vers. 40. *Fons turbatus pede, & vena corrupta, iustus cadens coram impio.* Prou.25.v.26.

v.26. *Contristatus est rex*] scilicet. Vah mulierosum regem! Quamquam nil mirum contristari ob resectum tam sanctum caput. *Contristatus animo Antiochus rex propter Oniam, & flexus ad misericordiam lacrymas fudit; recordatus defuncti sobrietatem & modestiam: accensisq; animis, Andronicum* (qui Oniam perfidè occiderat) *purpura exutum, per totam ciuitatem iubet circumduci, & in eodem loco, in quo in Oniam impietatem commiserat, sacrilegum vita priuari, Domino illi condignam retribuente pœnam.* 2.Mach.4.v. 37.&c. Vt retribuit etiam huic tyranno Herodi & Herodiadi: nam, vt mox dicam, vterque punitus est infami exilio, &c. vt alter *Iason*, 2.Machab.5 v.6.vsque 11.

v.28. *Et attulit in disco caput Ioannis*] Horrendum ferculum! ferale spectaculum! Vbi nunc *lucerna* Israel *ardens, & lucens?* Ioan.5.v.35. Vbi nunc ille, quo *nullus maior inter natos mulierum?* Luc. 7. v.28. *Non est ira super iram mulieris.* Eccli.13. v.20.& Eccli.25.v.22. *Vxor Putipharis* compegit innocentem *Iosephum* in carcerem, Gen.39. v.20. *Athalia interfecit* nepotes suos 4.Reg.11.v.1.& *Iezabel* Naboth, 3.Reg.21.v.9.

VARIA.

Captus est Ioannes sub finem Decembris, anni primi, decollatus est 29. Augusti, anni secundi prædicationis Christi. Chron.c.49.

Herodes Antipa ab Agrippa nepote suo ex fratre Aristobulo, apud Caium Imp. accusatus, regno priuatur, & Lugdunum Galliæ exulatum mittitur vnà cum sua Herodiade, anno à morte Christi 8. Chron.c.50. Erat autem Herodias soror istius Agrippæ, vt dixi Marci 6. v.17.& Chron.c.45.

IN FESTO NATIVITATIS B. MARIÆ, 8. Septembr.

Euangel. *Liber generationis Iesu Christi.* Matth.1.à v.1.ad 17. Idem est cum Euangelio Festi Conceptionis, 8.Dece. vbi vide de stirpe & genealogia B. Virginis & Christi.

Hîc adde: *Orietur stella ex Iacob*, &c.Num. 24.v.17. Excellentia familiæ *Dauidicæ* describitur 2.Reg.7.v.12. & c.23.v.5. Natâ Deiparâ *flores apparuerunt in terra nostra*, &c. Cant. 2.v.12. *Custos quid de nocte? Et dixit custos, Venit mane.* Isa. 21. v.11. *Iste nos consolabitur*, &c.Gen 5.v. 29. iste *Noë*, iste *Ioseph*, iste *Moyses*, iste *Iosue*, iste *Gedeon*, iste *Dauid*, iste *Machabæus*, &c. ista *Maria. Quasi nauis institoris, de longè portans panem suum.* Prou.31.v.14. *Desiderium collium æternorum.* Gen. 49. v.26. *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* Cant.2. v. 10. *Iam hiems transiit*, &c. v. 11. *Paruus fons, qui crescit in fluuium, & in lucem solemq; conuersus est, & in aquas plurimas redundauit, Esther est*, &c. c.10.v.6. *Duo autem dracones, ego sum & Aman.* v.7. vide etiam c. 11.v.5. vsque 12. Præparatio *puellarum* regiarum pro *Assuero*, Esther 2. v.12. *Adducentur regi virgines post eam.* Psalm. 44.v.16. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum?* &c.Cant. 3.v.6. *Quæ est ista quæ progreditur?* &c. Cant.6.v.9. *Quæ ascendit delicijs affluens*, c. 8. v.5. *Pulchra es*, &c. Cant.6.v.3. *Nigra sum, sed formosa.* c.1.v.4.8.9.10.14.c.2. v.1.10.14. *Lectulus Salomonis & ferculum*, c.3. v.7.9.&c. *Quàm pulchra es*, &c.c.4.v. 1. per singula membra, vsque v.6.& à v.9.vsque fin.& cap.6.v.3.vsque v.9.& c.7.v. 1. vsque v.8. *Pulchra sunt gena tua sicut turturis, collum tuum sicut monilia.* Cant.1.v.9. *Murenulas aureas*, &c. v. 10. *Pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Cant. 6. v.9. *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* c.7.v.1. *Quieuerunt semita*, &c. *cessauerunt fortes in Israel, donec surgeret Debbora, surgeret mater in Israel. Noua bella elegit Dominus.* Iudic. 5. v.6. *Surge, surge Debbora: surge, surge, & loquere canticum.* v.12. *Quæ est mater mea? Ecce mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater & soror & mater est.* Matth.12.v. 48.&c.

IN FESTO EXALTATIONIS S. CRVCIS, 14 Septemb.

Euang. *Nunc iudicium est mundi.* Ioan.12.v.31. ferè vsque 37.

FIDES & MORES.

Nunc iudicium est mundi] Psal. 44. v. 4. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Christi cruce redemptum mundum à tyrannide peccati, diaboli, & mortis æternæ. contr. 4. nu. 11.14.15. *Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino: vt filij lucis ambulate.* Ephes.5.v.8. *Aduersarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit*, &c. 1. Pet.5.v.8. *Absumpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus:* 1.Cor.15. v.54. *Dicite in Gentibus, quia Dominus regnauit à ligno*, Psal.95.v.10.vt olim legerunt SS.Patres. Ioan. 12. v.31.

Nunc princeps huius mundi ejicietur foras] Isaiæ 27.v.1. *Visitauit Dominus in gladio suo duro & grandi & forti super Leuiathan serpentem tortuosum.* Christo ad inferos descendente, contr. 4.nu.16. vinctus Satanas ad mille annos, Apoc. 20.v.2. Moyses percusso *Ægyptio* liberat *Hebræum*, Exodi 2. vers.12. *Et in cunctis dijs Ægyptiorum faciam iudicia, ego Dominus.* Exodi 12.v.12. Ab *arca* Dei deiectus *Dagon*, 1. Reg. 5.v.3. *Obstetricante manu eius, eductus est coluber tortuosus.* Iob 26.v.13. *Sicut Moyses exaltauit*

tuit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis. Ioan.3.v.14.

v.32. *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*] De modo trahendi Christi, vide in Communi Doctorum. Omnes trahi ad fidem, iustitiam, salutem, quantum est ex parte Dei & Christi, contr.13. n.8. Et nihil ad illa necessarium cuiquam deesse ex parte eiusdem Dei, contr.14.num.11.vsque 14. Traxit *latronem*, traxit Longinum; traxit *percutientes pectora sua*; traxit *Ioseph um & Nicodemum*; traxit *Gentilem* populum, non iam *stella*, vt in cunis: sed *sanguine suo* illis transmisso, & corpore suo mortuo, tamquam *linteo*, complexus est omnia *quadrupedia terra*. Act.10.v.11. *Nemo potest vasa fortis, ingressus in domum, diripere, nisi prius fortem alliget, & tunc domum eius diripiet.* Marc.3.v.27. *Expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos*, &c. Coloss.2.v.15. *Iugum oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian.* Isaiæ 9.v.4. *Quomodo cessauit exactor! quieuit tributum! Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cedentem in indignatione populos plaga insanabili! Conquieuit & siluit omnis terra, gauisa est & exultauit.* Isaiæ 14. v.4.&c.

v.34. *Christus manet in æternum.* Rex, & *princeps*, Psal.2.v.6. & Ezech.37.v.25. *Sacerdos*, Psalm.109.v.4. *Veritas*, Psal. 116.v.3. *Verbum Dei*, Isaiæ 40.v.8. Sed nonne Scriptura testatur etiam moriturum Christum? Isaiæ 53.v.10. *Si posuerit pro peccato animam suam.* Dan.9.v.26. *Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus.*

De S. cruce.

Leuauit Dominus signum in nationes, & congregabit profugos de Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ. Isaiæ 11.vers.12. Figura crucis Christi *lignum vitæ*, Genes.2.v.9. non inaccessum, vt illud Gen.9.v.24. sed omnibus expositum. Item *arca* Noë, Gen.7. v.13. *Iris* Noë, Gen.9.v.13. *Ligna holocausti* humeris Isaac imposita, Gen.22.v.6. *Baculus Iacob*, Gen.32. v.10. quo contritum est *caput* serpentis, Genes.3.v.15. *Virga* Moysis, Exodi 4.v.2.&c. *Columna ignis & nubis*, Exodi 13. vers. 21. *Lignum* dulcorans aquas, Exodi 15.vers.25. *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est: ijs autem qui salui fiunt, id est nobis, Dei virtus est.* 1.Cor.1.v.18. *Mihi absit gloriari nisi in cruce.* Galat.6.v.24. *Non glorietur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec diues in diuitijs suis. Sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus.* Ierem.9.v.23.

De cruce metaphorica.

Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs. Gal.5.v.24. Plura vide in S.Crucis Inuentione, 3. Maij.

IN FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI, 21. Sept.

Euangel. *Vidit Iesus hominem sedentem in telonio.* Matt. 9.à. v.9.ad 14.

FIDES & MORES.

Respice in me, & miserere mei. Psal.24.v.16. De necessitate gratiæ præuenientis, vide contr.14.n.9.

Matt. 9. v.9. *Vidit hominem. Et ait: Sequere me.* Vide in Festo S.Andreę, 29. Nouembr. *Matthæus* non parcit nomini suo proprio, (vt parcit Marcus, qui ipsum vocat *Leui* c.2.v.14. vt & Lucas c.5.v.27.) quia *iustus prior accusator est sui*, Prou. 18.v.17. Cur in genealogia Christi, non fiat mulierum mentio, nisi turpitudine insignium, vide Iosue 2.v.1. & Matt.1.v.3. *Risum fecit mihi Deus: quicumque audierit, corri-*

debit mihi. Gen.21.v.6. *Eduxit me de lacu miseriæ & de luto fæcis, & statuit supra petram pedes meos.* Psal.39.v.3.

v.11. *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester?*] Quia mediator & redemptor generis humani, contr.4. n.11. Nec minùs est *lumen ad reuelationem Gentium*, quàm *gloria plebis* suæ *Israel*, Luc.2.v.32. Cur ergo contrarium apud Tobiam suadetur? *Panem tuum & vinum tuum super sepulturam iusti constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.* Tob.4.v.18. Respondeo, Peste infectos fugiunt (idque prudenter) socij, sed medicus non fugit.

v.11. *Misericordiam volo, & non sacrificium*] Vide Osee 6.v.6. Beneficentia enim in egenos, omni lege præcipitur: non item sacrificium, contr.17.n.12.

Non veni vocare iustos, sed peccatores] De *drachma* perdita, Lucæ 15.v.8. de *oue* centesima, v.4. de *filio* prodigo, v. 12. *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.* Rom.3.v.23.

VARIA.

Vocatio S.Matthæi contigit sub medium Martij, anni secundi prædicationis Christi. Chron.c.49.

S.Matthæus Euangelium suum hebraicè conscripsit fluente anno octauo à morte Christi. Chronic.cap.50.& præfat.in eius Euangelium. Cur S. Matthæo approprietur lapis *chrysolithus* in fundamentis supernæ Ierosolymæ, Apoc.21.v.20.§. *Septimum.* vide ibid. Iam non ampliùs *ve terræ, cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ*, &c. Isaiæ 18.vers.1. Quia psalm.67.v.32. *Æthiopia præueniet manus eius Deo.* Patuit in *eunucho Candacis reginæ.* Act.8.v.27. & tot millibus Æthiopum ope S.Matthæi ad Deum conuersis. Isaiæ 18.v.7. *In tempore illo deferetur munus Domino exercituum à populo* (Æthiopico) *diuulso & dilacerato, à populo terribili, post quem non fuit alius, cuius diripuerunt flumina terram eius, ad locum nominis Domini exercituum, montem Sion. Ite* ergo nunc *angeli veloces ad gentem* illam, v.2. *Perdix* (raptis & exclusis alienis ouis,) *fouit quæ non peperit* (mundus Matthæum, & alios suos clientes,) *fecit diuitias, & non in iudicio: in dimidio dierum suorum derelinquet eas, & in nouissimo suo erit insipiens.* Ierem.17.v.11. nempe quando reuolabunt pulli ad naturalem matrem suam.

IN FESTO S.MICHAELIS, 29. Septemb.

Euangel. *Quis putas maior est in regno cælorum?* Matth.18. à v.1.ad 11.

FIDES & MORES.

Matt. 18. v.3. *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum* | *Segor*, quia *parua* vrbecula, euasit flammas Sodomæ, Gen.19.v.20.&c.

v.4. Quò quisque humilior hîc fuerit, *eò maior* erit *in regno cælorum*, vide Dominica XVI. post Pentecosten.

v.5. De obsequio charitatis præstando proximis *in nomine* Christi, vide Matth.25. v.40.& Dominica XVII. post Pentecost. *Nonne pater vnus omnium?* Malach.2. vers.10. *Rogate quæ ad pacem*, &c. Psal.121.v.6. *Alter alterius onera portate*, &c. Gal.6.v.2. *Maiorem charitatem nemo habet*, &c. Ioan.15.v.13.

v.6. De *scandalo pusillorum. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Rom.14.v.15. *Cùm ædificaueris domum nouam, facies murum per circuitum, ne fis reus labente alio & in præceps ruente.* Deut.22.v.8. Vti corruit Ochozias rex, 4.Reg.1.v.2.

v.7. *Væ mundo*, &c.] Exod.32.v.21. *Quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum?* Deut.9.v.20. *Iratus vehementer Deus aduersum Aaron voluit eum conterere.* Matth.11.v.6. *Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.*

Necesse est veniant scandala] De inconstantia humani ingenij, controu. 14.n.8.15.18. *Oportet hæreses esse*,&c.1. Cor.11.v.19. *Sex sunt quæ odi*, &c.Prou.6.v.16. *In tribus*, &c.Eccli 25.v.1. *Vtinam abscindantur*, &c.Galat.5.v.12. *Quis turbasti nos*, &c.Iosue 7.v.25. *Core, Dathan, Abiron*, Num.16.v.37.

Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei qui in cælis est] Deus vbique præsens, controu.1.n 3.vbique videtur ab angelis & Beatis.Sed & angeli,etsi nostri custodes, frequentissimè tamen remeant ad cælos.Meritò igitur à nobis honorandi & inuocandi sunt, contr. 30.n.8. & 9.

Pro nobilitate angelica rudi modo cognoscenda,seruire poterit descriptio Cherubim Ezech.1.v.5.&c.c.9. v.2. &c.c.10.v.1.vsque fin. item Dan.10.v.5.& 6. vide etiam de principe regni Persarum, v.13. *Vidi angelum descendentem de cælo, habentem potestatem magnam, & terra illuminata est à gloria eius.* Apocal. 18.v.1. *Species quarti* (ambulantis cum tribus Danielis socijs in medio ignis) *similis* (est) *filio Dei.* Dan.3.v.92.

Virtutes angelicæ. *Sicut angelus Dei, sic est dominus meus rex, vt nec benedictione nec maledictione moueatur: vnde & Dominus Deus tuus est tecum*, 2.Reg.14.v.17. *Tu autem Domine mi rex, sapiens es, sicut habet sapientiam angelus Dei vt intelligas omnia super terram*,v.20.

Septem angeli primarij. *Ego sum Raphael angelus, vnus ex septem qui astamus ante Dominum.* Tob. 12. v.15. *Gratia vobis & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est: & à septem spiritibus qui in conspectu throni eius sunt, & à Iesu Christo*,&c.Apoc.1.v.4. Iidem vocantur *septem stellæ*,Apoc. 1.v.16. *Septem lampades ardentes ante thronum Dei.* c.4.v.5.

Officium angelorum. *Vbi eras cùm astra matutina simul me laudarent, & iubilarent omnes filij Dei?* Iob 38.v.7. *Et vidi, & audiui vocem angelorum multorum in circuitu throni: & erat numerus eorum, millia millium, dicentium voce magna: Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum. Amen.* Apoc. 5. v.11. vsque fin. *Requiem non habebant die ac nocte, dicentia Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est.* Apoc.4.v.8.

Descriptio diaboli,ac cum primis Luciferi, Ezech. 28.v.2.vsque 20. *Deus ego sum, in cathedra Dei sedi*, &c. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore: in deliciis paradisi Dei fuisti; omnis lapis pretiosus operimentum tuum*, &c.v.12. *Tu cherub extentus & protegens, & posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti: perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te.* v.14. &c. *Eleuatum est cor tuum in decore tuo, perdidisti sapientiam tuam in decore tuo: eieci te de monte Dei, in terram proieci te.* &c.v.17. *Producam ignem de medio tui, qui comedat te.* v.18. *Nihil factus es, & non eris in perpetuum.* v.19. *Cui similis factus es in magnitudine Dei? ecce Assur quasi cedrus in Libano*, &c. Ezech.31.v.2.vsque fin. *Leoni gentium assimilatus es, & draconi*, &c. Ezech. 32.v.2.vsque 11. *Qui est rex super omnes filios superbiæ, & non est potestas super terram quæ comparetur ei.* Iob 41.v.24.& 25. *Quomodo*, & quare *cecidisti Lucifer?* Isaiæ 14.v.12.&c. *Fluuius meus est; ego feci memetipsum.* Ezech. 29. vers. 3. *Quia proiecisti sermonem Domini, proiecit te Dominus ne sis rex super Israel.*1.Reg.15.v.26. *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari.* 2.Petr. 2. vers. 4. *Angelos qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Iudas v.6. De *lapsu* angelorum, vide Gen.1.v.1.Iob 4. v.12.& 18. & 2.Petr. 2.v.4. *Michael Archangelus cum diabolo disputans altercatur de Moysi corpore.* Iudas v.9.Nolebat enim S. Michael, illud innotescere. *Non cognouit homo sepulchrum Moysis vsque in præsentem diem.* Deut. vltim.vers.6. ne daretur ansa idololatriæ. Esse vnum Deum etiam *dæmones credunt, & contremiscunt.* Iac.2.v.19. Sed hoc ipsos nihil iuuat, quia Deo rebelles. Habes *Michaelis prælium cum dracone* Dan. 12. v.1. & Apoc.12. *Et ecce draco magnus rufus, habens capita septem & cornua decem: & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram*,&c.Apoc. 12.v.3.&c. *Et factum est prælium magnum in cælo: Michael & angeli eius præliabantur cum dracone: & draco pugnabat & angeli eius: & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cælo. Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & satanas, qui seducit vniuersum orbem: & proiectus est draco in terram, & angeli eius cum illo missi sunt.* v.7. vsque fin. *Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet.* v.12. *Et dedit draco bestiæ* (Antichristo) *virtutem suam & potestatem magnam.* c. 13.v.2.&c. *Et adorauerunt draconem & bestiam omnes qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ.* v.4. & 8. *Et vidi de ore draconis & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum. Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa, & procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium, ad diem magnum omnipotentis Dei.* Apoc.16.v.13. De *locustis*, vide cap. 9.v.3. vsque 12.De *equis & equitibus*, v.16. vsque fin. *Super aspidem & basiliscum ambulabis*, &c. Psal. 90. v.13. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem.* Luc.10. v.19. *Deus pacis conteret satanam sub pedibus vestris.* Rom. 16. v. 20. (Felices) *qui non cognouerunt altitudines satanæ, quemadmodum dicunt* (de abstrusis mysteriis & doctrinis absurdis) Apoc.2.v.24.

De angelis Custodibus. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te*, &c. Psal.90.v.11. *Omnes angeli eius potentes virtute*, &c. Psal. 102.v.20.vsque fin, *Facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.* Psalm.103.v.4. *Angelus faciei eius saluauit eos*, &c. Isaiæ 63. v. 9. *Angelus enim meus vobiscum est. Ipse autem exquiram animas vestras* Baruch 6. vers.6. *Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis?* Hebr.2.v.14. Etiam ipse omnium angelorum princeps Michael, Dan.10.v.13. Qui Abrahæ prædixit conceptum Isaac, & excidium Sodomæ, Michael fuisse putatur, Gen.18.v.10.& 20. Ipse semper pro Ecclesia Dei pugnauit. *Quis similis tui in fortibus Domine?* &c.Exod.15. v. 11. quo eodem insigni vsos Machabæos tradunt Hebræi. Michael per *os asinæ* locutus *Balaamo*, Numer.22. v.28. Sub ipso sunt angeli præsides, vt regnorum, sic etiam virtutum singularum, vti dæmones sunt vitiorum, Tob. 3. v. 8. De *angelo aquarum*, vide Apoc.16.v.5. De *habente clauem abyssi*, c. 20. v. 1. De *angelis* cædentibus *Heliodorum*, 2.Mach.3.v.25.vsque fin. De iuuantibus *Iudam* in bello, cap.10.v.29.vsque 32.& c.11.v.8. *Maledicite terræ Meroz, dixit angelus Domini.* Iudic.5.v.23. Excitat *Gedeonem*, contra *Madian*, c.6.v.11. *Samsonis* ortum præ-nuntiat, Iudic.13.v.3.& 16.&c. *Cùm audieris, ô Dauid, sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc egredieris ad bellum: egressus est Deus ante te, vt percutiat castra Philisthiim.* 1. Par. 14. v.15. *Vidit Dauid angelum Domini stantem inter cælum & terram, & euaginatum gladium in manu eius, & versum contra Ierusalem.*1.Paral.21.v.16. *Immittet* (hebraicè, castrametabitur) *angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Psal. 33. v.8. *Deus meus misit angelum suum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* Dan.6. v.22. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt*, &c. Cant. 3. vers. 7. *Si pro* ægro homine *fuerit angelus loquens, vnus de millibus, vt annuntiet hominis æquitatem; miserebitur eius, & dicet, Libera eum, vt non descendat in corruptionem: inueni in quo ei propitier*, &c. Iob 33.v.23.vsque 31.

Ego Raphael *obtuli orationem tuam Domino.* Tob.12.v.12. *Viuit Dominus, quoniam custodiuit me angelus eius & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem: & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati reuocauit me vobis, gaudentem in victoria sua, in euasione mea, & in liberatione vestra.* Iudith 13.v.20. Decuplex munus angelorum, maximè custodum nostrorum, vide Tob.12.v.15. *Ite angeli veloces ad gentem conuulsam, & dilaceratam: ad populum terribilem* (Æthiopum) *post quem non est alius, ad gentem exspectantem & conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius.* Isaiæ 18.vers.2. *In tempore illo deferetur munus Domino exercituum à populo* illo *diuulso*, &c.vers.7. *Noster es, an aduersariorum? sum princeps exercitus Domini, & nunc venio.* Iosue 5. vers. 13. Exprobrat Israelitis collata beneficia, Iudic.2.vers.1. *Noli timere, plures nobiscum sunt, quàm cum illis.* 4.Reg.5.v.16. *Et ecce mons plenus equorum & curruum igneorum, in circuitu Elisæi.* vers. 17. Quare *vigiles* vocentur, vide Dan. 4. v.10. *Inuenerunt me vigiles*, &c. Cant. 3.v.3.&.c.5.v.6. *Super muros Ierusalem*, &c.Isa.62. v.6. *Ecce ego mitto angelum meum*, &c. Exod.23.vers.20. Elia *surge, comede*, &c. 3.Reg.19.v.5. Angelus *percussit omnia primogenita Ægypti*, Exod.11.v.5.& c.12.v.12.& 29. & Sapientiæ 18. *è castris Sennacherib* 185000.4.Reg.19. vers. 35. In *scala* Iacob *angeli ascendebant & descendebant*, Genes. 28. v.12. *Castra* angelorum duce *Michaele*, occurrunt *Iacobo*, Genes.32.v.1. Lucta *angeli cum Iacobo*, v. 24.&c. *Columna nubis & ignis* in deserto, dux Hebræorum, Exod. 13. v.21. Cur ita excanduit Deus in Amalec, vt funditus exscindi iusserit? Exod.17.v.14.& 16.& Deuteronomij 25. v.18.quia innoxios & teneros adhuc Hebræos armis arcere voluerunt à terra sancta. *Ne dicas coram angelo, Non est prouidentia: ne fortè iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarũ.* Eccles.5.v.5.

IN FESTO B.FRANCISCI DE BORGIA, 1.Octo.

Euangelium ex Missa de Communi Confessoris non Pontificis.

Ipsi applicari possint. *Issachar asinus fortis, accubans inter terminos, vidit requiem quòd esset bona, & terram quòd optima: & supposuit humerum*, &c.Gen.49.v.14. *Moyses* puer regio more educatus est *in omni sapientia Ægyptiorũ*, Actor.7.v.22.& Exodi 2.v.10. *Moyses*, id est, ex aquis eductus. *Sapientia* diuina *in consensu nequitiæ, cùm se nationes contulissent, sciuit iustum, & conseruauit sine querela Deo, & in filij misericordia fortem custodiuit.* Sap.10.v.5.

IN FESTO S.FRANCISCI, 4. Octobr.

Euangel. *Confiteor tibi Pater*, &c. quod habes in Festo S. S.Matthiæ 24.Febr.

Accommodari ipsi possunt: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer*, propter superbiam & arrogantiam tuam? Isaiæ 14.v.12.

In Luciferi locum surrogatus Franciscus, propter eximiam humilitatem suam, *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* 1.Reg. 2. v.30. *Nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Gal. 6.v.17. *Noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* Tobiæ 4.v.vlt. *Ego pars & hereditas tua in medio filiorum Israel.* Num. 18.v.20. *Hereditas mea praclara est mihi.* Psal. 15. vers.6. *Melius est nomen bonum quàm diuitiæ multæ, super argentum & aurum gratia bona.* Prou. 22. v.1. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & veni, sequere me.* Matth. 19. v. 21. *Anima viri sancti enuntiat vera*, &c. Eccli. 37. v.18. *Modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem.* Eccli. 51. v. 31. *Centies tantum cum persecutionibus*, &c. Marc.10.v.30.& Matth.19.v.29. *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis.* Prouer. 30. v.28. *Ionathas manibus & pedibus reptans ascendit.* 1. Reg. 3. v.14. *Simon Onia filius, sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroborauit templum.* Eccli. 50.v.1.&c.Ita Franciscus spirituale templum, &c, *Ædificabuntur in te deserta sæculorum, fundamenta generationis & generationis suscitabis, & vocaberis ædificator sepium, auertens semitas in quietem.* Isaiæ 58.v.12.

IN FESTO S.TERESIÆ, 5. Octobr.

Euangelium ex Communi Virginis non Martyris.

De origine Ordinis Carmelitarum, vide 3.Reg.17. v.1. *Animaduerto quòd vir Dei sanctus est iste. Faciamus ergo ei cœnaculum paruum, & in eo lectulum, & mensam, & sellam & candelabrum.* 4.Reg.4.v.9.

IN FESTO S.LVCÆ EVANGELISTÆ, 18.Octo.

Euangel. *Designauit Dominus & alios septuaginta duos.* &c. Lucæ 10.v.1.vsque 10.Idem est cum Euangelio Festi S.Marci.25.Aprilis.

S. Lucæ typus fuit Baruch, præfatione in Baruch. De vita & gestis S.Lucę, vide prefationem in eius Euangelium. *Cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias.* 2.Corinth. 8. v. 18. *Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid*, &c. *Et vidi, & ecce Agnum stantem, tamquam occisum*, &c. Apocal. 5.v.5.& 6. Ex quatuor animalibus Ezechielis 1.v.5. quæ mysticè sunt typus quatuor Euangelistarum, vitulus appropriatur S. Lucæ. Fons *egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde diuidebatur in quatuor capita.* Gen. 2.v.10. Cælebs anno 84.ætatis, (vt dixi in Chron. cap. 50. anno 29. à morte Christi) apud Patras vrbem Achaiæ nobili martyrio coronatur.

IN FESTO SS. APOSTOLORVM SIMONIS ET IVDÆ, 28.Octobr.

Euangel. *Hæc mando vobis vt diligatis inuicem.* Ioan.15.à v. 17.ad 26.

FIDES.

Diligatis inuicem] Vide Dominica XVII.post Pentecosten,& in Communi de Vigilia Apostolorum. Ioan. 15.

Quia de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. v.16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*] Contr. 14.n. 3. 4.9.10:de necessitate gratiæ præuenientis, libero tamen nostro consensu. v.17. v.19.

Si non venissem, & locutus fuissem eis. & v.24 *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*]. Signa necessaria, quando quis dicit se missum immediatè à Deo, contr.8.n.2. v. 21.

Nunc autem excusationem non habent de peccato suo] Miracula enim sunt quasi sigilla diuina, contr. 5.n.6.

MORES.

Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem] Deuter.33.v.2. *In dextera eius ignea lex.* Hoc legatum speciatim facit Apostolis suis, dum testamentum suum condit in vltima cæna. Quare istud? Primò, quia nobilissima est gemma totius thesauri Christiani. 1.Cor.13.v.1.&c. Sed Nota, requiri dilectionem, non qualem qualem, sed *sicut dilexi vos*: de quo vide comment. Ioan.13.v.34. Secundò, quia Ioan. 15. v.17.

alioqui non essent inuicti, sed paterent omnium hostium libidini. Similitudine sagittarum illius Scythę, de quo Plutarchus in Apophtheg.

Quomodo satisfecerunt Apostoli huic legato? Primò, honore inuicem præueniunt, alter alteri pótiores defert. *Petrus* laudat *Paulum*, 2. Pet. 3. v. 15. *Paulus* honorat *Petrum*, Galat. 1. v. 18. Quòd c. 2. v. 11. eumdem corripiat, etiam hoc amoris est. Secundò, quantos subeunt labores pro proximo conuertendo, conseruando, promouendo! 2. Corint. 11. & 12. neque enim immeritò, Iob 9. v. 9. Apostoli comparantur *Arcturo*. Tertiò, mortem ipsius causa subeundo. 1. Ioan. 3. v. 16. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere. Maiorem charitatem nemo habet*, &c. Ioan 15. v. 13.

Quomodo Simon & Iudas satisfecerunt? Ilic Christi cognatus, Chron. cap. 46. in fine. Ille an sponsus in Cana? Ioan. 2. vers. 1. De primo quàm solicitus fuerit S. Iudas, patet ex v. 21. &c. *Vosmetipsos in dilectione Dei seruate*, &c. *Et hos quidem arguite iudicatos, illos verò saluate de igne rapientes: alijs autem miseremini in timore: odientes & eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.* Secundò *Simon* Ægyptum, *Iudas* Mesopotamiam & Babyloniam ad Christum conuertere conatus est. *Populos vocabunt ad montem: ibi immolabunt victimas iustitiæ. Inundationem maris quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum.* Deut. 33. v. 19.

Per *Simonem* & *Iudam* impletur illud Isaiæ c. 19. v. 22. *Percutiet Dominus Ægyptum plaga, & sanabit eam, & reuertentur ad Dominum, & placabitur eis, & sanabit eos. In die illa intrabit Assyrius Ægyptum, & Ægyptius in Assyrios. Et erit Israel tertius Ægyptio & Assyrio, benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus dicens: Benedictus populus meus Ægypti, & opus manuum mearum Assyrio, hereditas autem mea Israel.* Ex quibus regionibus lætissimos vberrimosque fructus, sed incredibili labore simul ac patientia & charitate retulerunt.

Vnde iure optimo, S. Simoni in fundamentis supernæ Ierosolymæ appropriatur lapis *hyachinthus*, Apocal. 21. v. 20. §. *Vndecimum*: S. Iudæ verò *chrysophrasus*, §. *Decimum*: ob proprietates ibi explicatas.

Sed clariùs adumbratur *Simonis* virtus in encomijs alterius *Simonis*, cuius meminit Ecclesiasticus. *Simon Onia filius, sacerdos magnus*, &c. *quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso*, &c. Eccli. 50. v. 1. vsque 24. *quasi lucifer, luna, sol, iris, rosa, lilium, ignis, thus, oliua, cypressus*, à vers. 6. vsque 12. Iudæ verò virtus elucescet ex illo Zachariæ: *Extendam mihi Iudam quasi arcum, impleui Ephraim: & suscitabo filios tuos, Sion, super filios tuos, Græcia, & ponam te quasi gladium fortium: & exibit vt fulgur, iaculum*, &c. Zach. 9. v. 13. vsque 17. Laboribus & virtutibus omnibus corona additur martyrii in *Persida*, vbi ambo conuenerant, teste Onuphrio, anno 31. post mortem Christi Chron. c. 50.

VARIA.

Isaiæ 21. v. 7. Ecce *currum duorum equitum, ascensorem asini, & ascensorem cameli*, &c. quorum virtute v. 9. *cecidit, cecidit Babylon*, &c. *Et ecce Simon frater vester, scio quòd vir consilij est, ipsum audite semper, & ipse erit vobis pater. Et Iudas Machabæus fortis viribus à iuuentute sua sit vobis princeps militiæ, & ipse aget bellum populi*, 1. Machab. 2. v. 65.

Vide encomia Iudæ 1. Machab. 3. v. 1. vsque 10. *Simonis*, c. 13. & seqq. *Dixitq; Iudas Simoni fratri suo: Elige tibi viros & vade, & libera fratres tuos in Galilæa: ego autem & frater meus Ionathas ibimus in Galaaditim.* 1. Machab. 5. v. 17. *Quamdiu supereſt Iudas, impossibile est pacem esse negotijs*, (inquit Impius *Alcimus* regi Asiæ *Demetrio*:) 2. Machab. 14. v. 10.

In Euangelio vnicam Iudæ vocem habemus, Ioan. 14. v. 22. *Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo?*

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM, 1. Nouem.

Euangel. *Videns Iesus turbas.* Matth. 5. à v. 1. ad 13.

FIDES.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Mat. 5 v. 3
vers. 12. *Quoniam merces vestra copiosa est in cælo.* De merito bonorum operum, & quę ad illud requirantur, controu. 16. n. 1. vsque 10. De inæqualitate iustitiæ, controu. 15. nu. 21. & 22. Et licere operari intuitu mercedis æternæ, contr. 16. n. 13. & fiduciam in meritis collocare, num. 11. & 12. De paupertate Religiosorum, eorumque voto, controu. 9. nu. 6. & Apostoli fuere Religiosi, n. 2.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur] Non sola fide parari iustitiam vel salutem, controu. 15. num. 7. & 23. vbi de necessitate bonorum operum. v. 7.

De *animarum immortalitate & corporum resurrectione* contr. 28. n. 1. & 2. *Animas* simul ac corporibus exutæ & plenè purgatæ sunt, *cælum ingredi, & Deum videre*, controu. 30. num. 1. In quo consistat *essentialis gloria animæ*, in quo *accidentalis*, nu. 2. & 3. vbi de tribus aureolis, *Martyrum, Virginum, Doctorum*. De *quatuor dotibus* corporis gloriosi, & oblectamentis omnium sensuum, n. 5. & 6.

Angelos & Sanctos in cælo nosse quæ circa nos & à nobis geruntur in terris, ac pro nobis orare, nostrique curam gerere, num. 8. ac proinde meritò à nobis non solùm honorandos, sed & inuocandos esse, n. 7. & 9.

MORES.

Ecce video cælos apertos, & filium hominis, &c. Actor. 7. v. 55. *O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius! magnus est & non habet finem, excelsus & immensus.* Baruch 3. vers. 24. *Exurge Ierusalem, & sta in excelso, & circumspice ad Orientem, & vide collectos filios tuos*, &c. Baruch 5. v. 5. *Vide iucunditatem tibi à Deo venientem.* cap. 4. v. 36. *Ecce enim veniunt filij tui collecti ab Oriente vsque ad Occidentem, in verbo sancti gaudentes in honorem Dei.* v. 37. *Adducet enim Deus Israelem cum iucunditate, in lumine maiestatis suæ, cum misericordia & iustitia, quæ est ex ipso.* c. 5. v. 9. *A sæculo, non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te.* Isaiæ 63. v. 4. *Erit lux lunæ sicut lux solis.* Isaiæ 30. vers. 26. *Ibi erit mensis ex mense*, &c. Isaiæ 66. v. 23. *Ecce ego creo cælos nouos*, &c. cap. 65. v. 17. &c. cap. 66. v. 22. *Et vidi cælum nouum, & terram nouam.* Apoc. 21. v. 1.

Gloriam cælestem adumbrat Scriptura Primò, similitudine pulcherrimæ ciuitatis instar sponsæ omnibus ornamentis instructę. *Et vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam*, &c. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*, &c. *& absterget Deus omnem lacrymam*, &c. Apoc. 21. vers. 2. vsque v. 6. *Factum est. Ego sum α & ω, initium & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ, gratis. Veni, & ostendam tibi sponsam, vxorem Agni. Ostendit mihi ciuitatem sanctam Ierusalem*, &c. Apoc. 21. v. 9. vsque fin. vbi mœnia describuntur & duodecim portæ, & amplitudo cælestis paradisi. *Et erat structura muri eius ex lapide iaspide: ipsa verò ciuitas aurum mundum simile vitro mundo. Et fundamenta muri, omni lapide pretioso ornata.* v. 18. & 19. *Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt, per singulas*, &c. v. 21. *Dominus Deus omnipotens templum illius est, & Agnus.* v. 22. *Et ciuitas non eget sole, neque luna. Nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est Agnus.* v. 23. *Et ostendit*

mihi

mihi fluuium aquæ vitæ, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni. Apoc. 22. v. 1. *In medio platea eius, & ex vtraque parte fluminis, lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum: & folia ligni ad sanitatem Gentium.* v. 2.

Secundò, similitudine regni. *Et videbunt* serui eius *faciem Dei & Agni: & nomen eius in frontibus eorum: & regnabunt in secula seculorum.* Apoc. 22. v. 4. & 5. *Dominus de Sinai venit, & cum eo sanctorum millia. In dextera eius ignea lex.* Deut. 33. vers. 2. *Dilexit populos: omnes sancti in manu illius sunt,* &c. v. 3.

Post Deum primus ibi regnat *Agnus* cum suo *virginum* grege. *Astitit regina à dextris tuis,* &c. Psal. 44. v. 10. *Ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia,* &c. *& nemo poterat dicere canticum nisi illa centum quadraginta quatuor millia. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati,* &c. Apoc. 14. v. 1. vsque 6. Pro *sole & luna* erit *Deus & Agnus*: pro *stellis* omnes *Sancti. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.* Isaiæ 60. v. 19. vsque 21. *Minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortissimam,* &c. v. 22.

Post virgines habebis *obuium gregem Prophetarum,* &c. 1. Reg. 10. v. 5. & Patriarcharum, & auorum ac parentum cuiusque. Quàm lætus erit hic occursus! *Et nunc qui redempti sunt à Domino, reuertentur, & venient in Sion laudantes, & lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & lætitiam tenebunt, fugiet dolor & gemitus. Ego, ego ipse consolabor vos.* Isaiæ 51. v. 11. & 12. Quàm lætum putatis canticum canunt Sancti sub ipsum cæli introitum! vide de gratiarum actione Dominica XIII. post Pentecost. *Vox de throno exiuit dicens, Laudem dicite Deo nostro omnes serui eius, pusilli & magni.* Apoc. 19. v. 5. Id faciunt *viginti quatuor seniores,* Apoc. 4. v. 10.

Succedunt mox SS. Martyres. *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei: & clamabant, Vsquequo Domine, sanctus & verus, non iudicas & non vindicas sanguinem nostrum. Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ: & dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum,* &c. Apoc. 6. v. 9. &c. *In paucis vexati, in multis benè disponentur.* Sap. 3. v. 5. *Momentaneum & leue,* &c. 2. Cor. 4. v. 17.

Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores, capta præda, quando diuidunt spolia. Isa. 9. v. 3. *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat,* &c. *amicti stolis albis, & palma in manibus eorum, & clamabant. Salus Deo nostro qui sedet super thronum, & Agno.* Apoc. 7. v. 9. & 10. *Benedictio & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor & virtus & fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen.* v. 12. *Hi sunt qui venerunt de magna tribulatione,* &c. v. 14. vsque fin. Denique (vidi) *in circuitu sedis sedibilia viginti quatuor: & super thronos viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum corone aureæ.* Apocal. 4. v. 4. *Et procidebant ante sedentem in throno, & adorabant,* &c. *& mittebant coronas suas ante thronum,* &c. v. 10. *Et ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum,* &c. cap. 5. v. 8. *Et cantabant canticum nouum,* &c. v. 9.

Tertiò similitudine opipari conuiuij nuptialis. *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium,* &c. *præcipitabit mortem in sempiternum, & auferet lacrymam ab omni facie,* &c. Isa. 25. v. 6. vsque 11. *Canticum beatorum,* Isaiæ 26. vers. 1. vsque 9. *Lætitia sempiterna super capita eorum. Gaudium & lætitiam obtinebunt: & fugiet dolor & gemitus.* Isaiæ 35. vers. 10. *In illa die* (æternitatis) *stillabunt montes* (SS. Trinitatis) *dulcedinem, & colles* (angelici) *fluent lacte, & per omnes riuos Iuda ibunt aquæ. Et fons* (deliciarum) *de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem* (olim) *spinarum.* Ioël. 3. v. 18. *Iudea* (cælestis) *in æternum habitabitur,* &c. *& Dominus commorabitur in Sion.* v. 20. (in omnem æternitatem.)

Quænam istic fercula? *Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod est in paradiso Dei mei.* Apoc. 2. v. 7. Sed pluribus aliis nominibus ac titulis gloriam cælestem adumbrat cap. 3. v. 5. Quanta copia huius ferculi? *Lignum vitæ ex vtraque parte fluminis,* &c. Apoc. 22. v. 3. *Mensuram bonam & confertam,* &c. Lucæ 14. v. 38.

Quis instruet, quis administrabit hoc epulum? ipsemet Deus & Agnus *præcinget se, & faciet illos discumbere,* &c. Lucæ 12. vers. 37. O verè *mirabilis Deus in sanctis suis.* Psal. 67. v. 36. *Mirificauit Dominus sanctum suum.* Psalm. 4. vers. 4. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus.* Psalm. 138. v. 17. Si tantus fuit *regina Saba* stupor, 3. Reg. 10. v. 7. ex aspectu terrenæ gloriæ Salomonis; quid erit in fruitione cælestis Salomonis! *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem,* &c. 1. Corinth. 13. v. 12. *Vidi te domine* (inquiebat Esther marito suo Assuero,) *quasi angelum Dei, & conturbatum est cor meum pra timore gloriæ tuæ. Valdè enim mirabilis es domine, & facies tua plena est gratiarum.* Esther 15. v. 16. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum,* &c. Isa 6. v. 1.

Nec personam suam solam ostentat Deus, sed & omnes suos thesauros communicat. *Introduxit me rex in cellaria sua.* Cant. 1. v. 3. *Dum esset rex in accubitu suo,* &c. v. 11. *Recti diligunt te.* v. 3. Ezechias legatis regis Babylonici *ostendit cellam aromatum, & argenti & auri,* &c. Isa. 39. v. 9. Sed quid hæc ad thesauros cælestes?

Iam verò quantis honoribus condecoret Sanctos suos, adumbratum habes in Mardochæo. *Sic honorabitur quemcumque voluerit rex honorare.* Esther 6. v. 9. Vltrò enim, nec cogitante Sancto, cùm primùm subintrat cæleste palatium, *præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* &c. Psal. 20. v. 4. vsque 9. Purpura & stola regia omnes ibi *fulgebunt iusti, & tamquam scintillæ,* &c. Sap. 3. v. 7. & 8. *Iusti autem in perpetuum viuent, & accipient regnum decoris,* &c. c. 15. v. 16. &c. Non momentaneum, sed æternum. *Regnum tuum, regnum omnium seculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem.* Psal. 144. v. 13.

Et licet non omnes æquali fulgeant gloria; omnes tamen pleno fruentur gaudio, singuli sua sorte non solùm contenti, sed & saturi & lætantes. *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum: stella enim à stella differt in claritate. Sic & resurrectio mortuorum.* 1. Cor. 15. v. 41. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Ioan. 14. v. 2. *Lauda* igitur *Ierusalem Dominum,* &c. Psal. 147. toto. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur;* &c. Psal. 149. v. 5. vsque fin. Ibi perpetuum canent *alleluia: quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus & exultemus & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit se. Et datum est illi vt cooperiat se byssino splendenti & candido. Byssinum enim, iustificationes sunt Sanctorum. Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* Apoc. 19. v. 6. vsque 10.

Mihi nimis honorificati sunt amici tui Deus, &c. Nec putes paucos esse numero: nam *super arenam multiplicabuntur.* Psal. 138. v. 17. *Numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat,* &c. Psal. 146. v. 4. Nec officiet multitudo, non magis quàm mihi officiat, quòd sol etiam alijs luceat.

Verùm quos sic videmus à Deo honoratos, non honorabimus etiá nos? Psal. 49. v. 15. *Inuoca me in die tribulationis, & honorificabis me.* Pro inuocatione Sanctorũ vide defuncti Samuelis verba ad Saul, 1. Reg. 28. v. 15. &c. *Propter Dauid patrem tuum, seruum meum,* 3. Reg. 11. v. 12. & 13. parcam tibi & posteris tuis etsi pessima quæque promeritis. Et si *Elias* nouennio postquam ex hominibus

abre-

abreptus fuit,per litteras increpauit regem Ioramum,2. Paral. 21. v.12.quomodo audebimus dicere Sanctos in cælo suorum obliuisci clientum? Ait Dauid ad Ioab. *Ecce placatus feci verbum tuum: vade ergo & reuoca puerum Absalom.* 2.Reg.14.v.21. Et nihil tribuet Deus precibus Sanctorum! *Orabit pro te* Abraham,*& viues* Gen.20.v.7. *Multiplicabo semen tuum*, &c.*eò quòd obedierit Abraham voci meæ.* Gen. 26. v.4. &c. *Experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.* Genes. 30.v.27. *Voca, si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere.* Iob 5.v.1. *Hic est fratrum amator & populi Israel: hic est qui multùm orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate, Ieremias propheta Dei?* 2. Mach. 15. vers. 14. Et vnde *incensa* nisi de *orationibus sanctorum super altare* cælestè? Apoc.8.v.3.

Sed hæ preces Sanctorum nil tibi patrocinabuntur, nisi & mores illorum imiteris, pœnitendo & iustitiam colendo,&c. *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum: ejce illos à facie mea*, &c.Ierem.15.v.1.&c. Similia de *Noë, Daniele & Iob*,habes Ezech.14. Plura de cultu & inuocatione Sanctorum,vide controu.30.n.7.8.9.

Et quis ferat impudentes hæreticorum in Sanctos blasphemias & calumnias? *Quomodo maledicam cui non maledixit Deus? Qua ratione detester,quem Dominus non detestatur? De summis silicibus videbo eum, & de collibus considerabo illum. Populus solus habitabit, & inter gentes non reputabitur. Quis dinumerare possit puluerem Iacob, & nosse numerum stirpis Israel? Moriatur anima mea morte iustorùm, & fiant nouissima mea horum similia.* Num. 23.v.8.&c. *Non est idolum in Iacob*, &c.v.21. *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob!* &c. c.24.v.5.

Sed de imitatione Sanctorum maximè decet nos solicitos esse: nam nostra res agitur. *Filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus quam Deus daturus est his, qui fidem suam numquam mutant ab eo.* Tob.2.v.28. *Attendite ad petram vnde excisi estis, & ad cauernam laci,de qua præcisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos.* Isaiæ 51.v.1. *Laudemus viros gloriosos,& parentes nostros in generatione sua*, &c. Eccli.44.v.1. vsque 14. *Corpora eorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum viuit in generatione & generationem. Quàm dilecta tabernacula tua*,&c.Psal.83.v.1.

Huc huc summis votis, summis studiis omnes contendamus. *Trahe me, post te curremus*, &c. *exultabimus & lætabimur in te*, &c. Cant.1. vers.3. Vis modum nosse? *In partes vade sæculi sancti, cum viuis & dantibus confessionem Deo.* Eccli. 17.v.25.nempe, *nimis odito execrationem,& cognosce iustitias & iudicia Dei, & sta in sorte propositionis, & prationis altissimi Dei.* vers. 23. & 24. Falleris si putas, viam quam mundus laudat & init,ad cælestia deducere. *Populo meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* Isaiæ 3.v.12. *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt*, &c. *beatus populus cuius Dominus Deus eius.* Psal.143.vers.12.vsque fin. Quinam ergo verè *beati* vide Psalm. 1. v. 1. *Quis est homo, qui vult vitam?* Psal. 33.vers.13.&c. sequatur non Moysen per mare rubrum, Exod.14. v.22. sed Christum per mare virtutum. Quæ recta *via* in cælum? Psal. 14.v.1. *Qui ingreditur sine macula*, &c.Psal.23.vers.3. *Quis ascendet in montem Domini?* Gen. 3. v.24. *Collocauit* Deus *ante paradisum Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.*

Sed en tibi octo claues: en gradus octo in Euangelio hodierno.

Beati pauperes spiritu] Exemplo Salomonis iam pœnitentis; *Stultissimus sum virorum, & sapientia non est mecum*, &c. Prou.30.v.2.& 3. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam*, &c.Eccli.3. vers. 20.vsque 27. *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus; ne fortè elidatur virtus tua per stultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo.* Eccli. 6. v.2. & 3. *Odibile coram Deo est & hominibus superbia*, &c. Eccli.10.v.7. vsque 23.vbi vndecim argumentis reprobat superbiam & fastum. *Noli extollere te in faciendo opere tuo.*v.29. *Dicis, quia diues sum & nullius egeo, & nescis quia miser es & miserabilis,& cæcus, & nudus, & pauper.* Apoc.3.v.17. *Attende ne seductus in stultitiam, humilieris. Noli esse humilis*(seu vili animo) *in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris.* Eccli.13.v.10.& 11. *Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo*, &c. Eccli.19.vers.23.vsque 26. & cap. 20. v.23. vsque 26. *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Isa. 66.v.2. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Matth. 8. v.20. *Quis dimisit onagrum liberum, & vincula eius quis soluit?* Iob 39.v.5. *Contemnit multitudinem ciuitatis,clamorem exactoris non audit.*v.7. *Est quasi diues, cùm nihil habeat;& est quasi pauper,cùm in multis diuitijs sit.* Prou. 13.v.7. *Tu scis quòd abominer signum superbiæ & gloriæ meæ*, &c.Esther 14.v.16.

Beati mites] duce Christo: *Ecce seruus meus, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum super eum, iudicium Gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: non erit tristis, neque turbulentus.* Isa. 42. vers. 1. vsque 5. *Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.* Eccli.10.v.17. *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo,expugnatore vrbium.* Prou.16.v.32. *Ira in sinu stulti requiescit.* Eccles. 7. v.10. *Irascimini & nolite peccare.* Psal. 4. v.5. *Nolite* irascendo *locum dare diabolo.* Ephes.4.v.5. *Viscera impiorum crudelia.* Prou. 12.v.10. Exemplo sit *Dauid* cùm esset in peccato suo,1.Paral.20. v.3. Pii verò semper mansuetudini student.Exemplo *Isaac*,Gen.26.v.24.&c,Iacob,Gen.27.v.42.&c.Item Gen. 33. v.3. *Esau* quoque v. 4. vnde audiit v.10. *Sic vidi faciem tuam, quasi viderim vultum* Dei. Ioseph *blandè ac lenè est locutus*, &c.Gen.vlt.v.21. Gedeon miti responso placat iratos *Ephraimitas*,Iudic.8.v.2. Et Saul: *Num saluare nos poterit iste* bubulcus? *Et despexerunt eum, & non attulerunt ei munera. Ille verò dissimulabat se audire.* 1.Reg. 10.v.27. *Memento Domine mansuetudinis Dauid.* Psal. 131.v.1.& 1.Reg.18.v.16.Magnificentius sibi trophæum erexit parcendo Sauli in spelunca, 1.Regum 24.v.7. quàm occidendo Goliath.c. 17. v.49. *Mansueti autem hereditabunt terram*, &c.*& delectabuntur in multitudine pacis.* Psalm. 36. v.11. *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.* Num.12.v.3. *Vir amabilis ad societatem, magis amicus erit, quàm frater.* Prou.18. v.24. *Finis modestiæ, timor Domini, diuitiæ & gloria & vita.* Prou. 22.v.4. *Sapientia hominis lucet in vultu eius, & potentissimus faciem illius commutabit.* Eccles. 8.v.1. *Fili in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diliges.* Eccli.3.v.19. *Noli esse sicut leo in domo tua, euertens domesticos tuos, & opprimens subiectos tibi.* cap. 4. v.35. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua eucharis in bono homine abundat.* Eccli.6.v.5.*Fili in mansuetudine serua animam tuam, & da illi honorem secundum meritum suum.* Eccli.10.v.31.

Beati qui lugent] Eccles.7. v.5. *Cor sapientum vbi tristitia est: & cor stultorum vbi lætitia.* c. 2.v.2. *Risum reputaui errorem,& gaudio dixi, Quid frustra deciperis?* 2. Esdr. 1.v. 4.*Sedi* (inquit Nehemias) *& flebam, & luxi diebus multis ieiunabam & orabam ante faciem Dei cæli* Iob 30.v.31. *Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.* Psalm. 34. v.14. *Quasi lugens & contristatus, sic humiliabar. Quæ* secundum Deum *est tristitia, pœnitentiam*

itiam in ſalutem ſtabilem operatur: ſeculi autem triſtitia mortem operatur. 2. Cor. 7. v. 10. Hanc ſæculi *triſtitiam non des animæ tuæ, & non affligas temetipſum in conſilio tuo. Incunditas cordis hæc eſt vita hominis.* Eccli. 30. v. 22. *Triſtitiam longè repelle à te: multos enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa.* v. 24. & 25. Vti nec in lætitia ſæculi Prouer. 14. v. 13. *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Baruch. 4. v. 9. *Adduxit enim mihi Deus luctum magnum.* Pſal. 6. v. 7. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum lacrymis meis.* Pſalm. 136. v. 1. *Super flumina Babylonis,* &c. 1. Reg. 30. v. 4. Viri Dauid *planxerunt donec deficerent in eis lacrymæ.* Pſal. 93. v. 19. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Dabo eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris.* Iſaiæ 61. v. 3.

Beati qui eſuriunt iuſtitiam] Pſal. 118. v. 20. *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas omni in tempore.* Zelus *Phinees*, Num. 25. v. 12. Zelus *omnium tribuum* ad vlciſcendum facinus Beniaminiorum, Iudic. 20. v. 2. & 8. *Eliæ*, 3. Reg. 19. v. 10. *Iehu*, 4. Reg. 10. v. 16. 25. &c. *Ioſiæ* regis, c. 23. v. 3. *Eſdræ*, 1. Eſd. 9. v. 2. *Nehemiæ*, 2. Eſdr. 13. v. 8. & 21. *Iudith*, c. 4. v. 2. & c. 9. v. 3. *Dauidis*, Pſal. 118. v. 139. *Tabeſcere me fecit zelus meus.* Denique cuiuſuis iuſti. Prou. 21. v. 12. *Excogitat iuſtus de domo impij, vt detrahat impios à malo.* Pſal. 16. v. 15. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Eccli. 24. v. 29. *Qui edunt me, adhuc eſurient,* &c.

Beati miſericordes] Vide Feria ſecunda poſt primam Dominicam Quadrageſimæ, & Dominica XVII. poſt Pentecoſt. *Seuit Iſaac in terra* Gerarim, *& inuenit in ipſo anno centuplum* Geneſ. 26. v. 12. *In baculo meo*, inquit Iacob, *tranſiui Iordanem iſtum: & nunc cum duabus turmis regredior.* Gen. 32. v. 10.

Beati mundo corde] *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum ſuorum habebit amicum regem.* Prou. 22. v. 11. *Quis aſcendet in montem Domini? &c. innocens manibus & mundo corde.* Pſal. 23. v. 3. *Sed quis poteſt dicere: Mundum eſt cor meum? purus ſum à peccato?* Prou. 20. v. 9. *Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.* Pſal. 50. v. 9. *Munda prius quod intus eſt calicis, vt fiat quod deforis eſt mundum.* Matth. 23. v. 26. *Si charitatem non habuero, nihil ſum.* 1. Cor. 13. v. 2. *Omnis gloria eius ab intus.* Pſal. 44. v. 14. *Regnum Dei intra vos eſt.* Luc. 17. v. 21.

Beati pacifici] *Qui pacis ineunt conſilia, ſequitur eos gaudium. Non contriſtabit iuſtum quidquid ei acciderit: impij autem replebuntur malo.* Prou. 12. v. 21. *Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt. Qui autem agunt omnia cum conſilio, reguntur ſapientia.* c. 13. v. 10. *Impij, quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt.* Iſa. 57. v. 10. *Fratres* Ioſeph *oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* Gen. 37. v. 4. *Benedicta tu* Abigail, *quæ prohibuiſti me hodie ne irem ad ſanguinem.* 1. Reg. 25. v. 33. Sicut pacifici ſunt filij Dei, ſic qui pacem turbant, *filij diaboli* ſunt. Ioan. 8. v. 44. *Vos ex patre diabolo eſtis. Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.* Pſalm. 118. v. 165. *Inquire pacem, & perſequere eam.* Pſal. 33. v. 25. *Quæ deſurſum eſt ſapientia, pudica eſt, pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens,* &c. Iac. 3. v. 17. *Angeli pacis amarè flebunt.* Iſa 33. v. 7. *In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt concordia fratrum, amor proximorum, & conſenſus* coniugum Eccli. 25. v. 1. *Si fieri poteſt quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Rom. 12. v. 18. *Pax Dei exultet in cordibus veſtris.* Coloſſ. 3. v. 15.

Beati qui perſecutionem patiuntur, &c. ſed *propter iuſtitiam*] 1. Petr. 4. v. 15. *Nemo veſtrûm patiatur vt homicida, aut vt fur, aut maledicus,* &c. *ſi autem vt Chriſtianus, non erubeſcat,* &c. *Nigra ſum, ſed formoſa,* &c. Cant. 1. verſ. 4. *In multa patientia, in tribulationibus,* &c. 2. Cor. 6. v. 4. *Ibant gaudentes Apoſtoli,* Act. 5. v. 41. *Gloriamur in tribulationibus,* &c. Rom. 5. v. 3. *Libenter gloriabor in infirmitatibus,* &c. 1. Cor. 12. v. 9. Patimur autem Primò, propter peccata propria. *Digna factis recipimus* Lucæ. 23. v. 41. Secundò, ſine culpa ad probationem & virtutis exercitium, vt *Iob.* Tertiò, propter iuſtitiam, vt *Martyres. Decolorauit me ſol.* Cant. 1. v. 5. *Detrahebant mihi quoniam ſequebar bonitatem.* Pſal. 37. v. 21. Vndecumque paſſio veniat, *beati eritis,* &c. 1. Petr. 2. v. 19. & c. 3. v. 14. & c. 4. v. 14. *Surge Aquilo, & perfla hortum meum.* &c. Cant. 4. v. 16. *Non vltra quàm poteſtis.* 1. Cor. 10. v. 13. *Proba me Domine,* &c. Pſal. 25. v. 2. *Non parcat,* &c. Iob 6. v. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Cant. 8. v. 4. *Veni in altitudinem maris,* &c. Pſalm. 68. v. 1. *Omnium peripſema,* &c. 2. Cor. 4. v. 13. *In camino humiliationis.* &c. Eccli. 2. v. 4. Cur Deus iuſtis tot calamitates immittat. Tob. 2. v. 11. *Meſſui myrrham cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* Cant. 5. v. 1. *Ego ſtigmata Domini mei in corpore meo porto.* Gal. 6. v. 17. *Gloria magna eſt, ſequi Dominum.* Eccli. 23. v. 38. *Omne gaudium exiſtimate,* &c. Iac. 1. v. 2. *Beatus homo qui corripitur à Deo; increpationem ergo Domini ne reprobes.* Iob 5. v. 17. *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te.* Iſa. 54. v. 7. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo,* &c. Apoc. 3. v. 21. *Sancti per fidem vicerunt regna,* &c. Hebr. 11. v. 33. Concludo. *Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt eius ſpiritus, ſuper vos requieſcit.* 1. Petr. 4. v. 14.

VARIA.

Hæc dicta ſunt à Ieſu ſub medium Maij, anni ſecundi prædicationis eius. Chron. c. 49.

IN DIE COMMEMORATIONIS FIDELIVM ANIMARVM, 1. Nouembr.

Euangel. *Amen, amen dico vobis, quia venit hora & nunc eſt.* Ioan. 5. à v. 25. ad 30.

FIDES & MORES.

Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, (controu. 1. nu. 2) *ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo*] Controu. 3. num. 2. Ioan. 5. v. 26.

Et poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis eſt] De iudicio particulari & vniuerſali, controu. 28. num. 3 & 4. Chriſtum iudiciariam poteſtatem & dominium in omnia promeritum eſſe, controu. 4. n. 17. v. 27.

Venit hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei: & v. 25. *qui audierint viuent*] De reſurrectione corporum, controu. 28. n. 2. v. 28.

Qui bona fecerunt, procedent in reſurrectionem vitæ; qui verò mala, in reſurrectionem iudicij] Matth. 25. verſ. 34. & ſeqq. v. 29.

Purgatorium eſſe probatur controu. 28. nu. 1. & eſſe in viſceribus terræ, vti eſt & infernus, & controu. 4. num. 16. Item limbus puerorum ſine baptiſmo decedentium, ibid. & controu. 11. num. 10. Item limbus olim ſanctorum patrum, ſeu ſinus Abrahæ. controu. 28. n. 6.

Quis ſtatus animarum in Purgatorio, ibidem num. 2. & 3. *Si ſuſtinuero, infernus domus mea eſt,* &c. Iob 17. v. 13. *In profundiſſimum infernum deſcendent omnia mea; putaſne ſaltem ibi erit requies mihi?* v. 16. *Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei.* c. 19. v. 21.

Iuuari poſſe ſacrificio Miſſæ, Indulgentiis, orationibus, eleëmoſynis & alijs ſuffragiis viuorum, controu. 28. n. 4. & 5. Et ad hos ſedulò iuuandos excitandi omnes.

De pæ-

INDEX VARIAR. MATERIARVM ET CONCEPTVVM.

De pœnis Purgatorij.

Omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui illud operatur, ibit cum illo. Eccli. 14. v.20. *Vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit.* 1. Cor. 3. v.13. *Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* v.15. Locus azyli multiplex in hac vita, & poſt vitam in Purgatorio. Ioſ. 20.v.2. *Omnis enim igne ſalietur & omnis victima ſale ſalietur.* Marc. 9. v. 48. Nam remiſsâ culpâ, non ſemper remitti omnem pœnam temporalem, docui controu. 23.n.8. *Reuertatur Abſalom in domum ſuam, & faciem meam non videat.* 2. Reg.14.v.24. *Quare veni de Geſſur? melius mihi erat ibi eſſe. Obſecro ergo vt videam faciem regis. Quòd ſi memor eſt iniquitatis meæ, interficiat me.* v.32.

Si tam grauis eſt pœna damni; quid erit pœna ſenſus? *Quis poterit de vobis habitare cum igne deuorante?* Iſaiæ 33.v.14. de quo vide Feriam II. poſt I. Dominicam Quadrageſimæ. *Eſto igitur conſentiens aduerſario tuo citò, dum es in via cum eo: ne forte tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas nouiſſimum quadrantem,* Matth.5. v.25. Clariùs Lucæ 12.verſ.58. Quòd ſi differas, cogeris ſatiſpati, pro rata debiti tui. *Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Apoc. 18.v.7. *Probauit me quaſi aurum, quod per ignem tranſit.* Iob 23. verſ.10. *Nihil* enim *inquinatum incurrit in* regnum cælorum. Sap.7.v.25. *Memor eſto iudicij mei: ſic enim erit & tuum. Mihi heri, & tibi hodie.* Eccli.38.v.23.

IN FESTO S. MARTINI EPISCOPI ET CONFESSORIS, 11. Nouembr.

Euangel. *Nemo lucernam accendit.* Lucæ 11.à v.33. ad 37.

FIDES & MORES.

Luc.11 v 33. *Nemo lucernam accendit, & in abſcondito ponit,* &c] vide Matth. 5.v.15. Eccleſiam Dei ſemper eſſe viſibilem ac conſpicuam, contr.5.n.1. Quibus notis deprehendi poſſit, num. 4.vſque 9. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.* Ioan. 3.v.19. *Mandatum lucerna eſt, & lex lux, & via vitæ increpatio diſciplinæ.* Prou. 6. v.23. *Quando ſplendebat lucerna eius ſuper caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris.* Iob 29. v.3. *Lex veritatis fuit in ore eius* (Aaronis,) *& iniquitas non eſt inuenta in labijs eius: in pace & in aquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate.* Malach.2.v.6. *Labia autem ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum eſt* verſ.7. *Chriſti bonus odor ſumus Deo, in ijs qui ſalui fiunt, & in ijs qui pereunt. Alijs quidem odor mortis in mortem: alijs autem odor vitæ in vitam.* 2. Cor. 2. v.16.

v.34. *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus.* Vide Matt.6.v.22. *Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, non habens aliquam partem tenebrarum*] De motibus concupiſcentiæ, & aliis primò primis, contr.12. nu.7. *Ergo erauimus, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Sap.5.v.6. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Pſal.118. v.105. *Prauum eſt cor omnium & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes,* &c. Ierem.17.v.9. *Stultus populus meus non cognouit: filij inſipientes ſunt. Sapientes ſunt vt faciant mala, bene autem facere neſciuerunt.* Ierem. 4. v.22. *Simplicitas iuſtorum diriget eos: & ſupplantatio peruerſorum vaſtabit illos.* Prou.11. v.3. *Deſiderium iuſtorum omne bonum eſt, præſtolatio impiorum furor.* v.23. *Labor ſtultorum affligit eos, qui neſciunt in vrbem pergere.* Eccleſ. 10. v.15. *Quia populus meus non habuit ſcientiam, captiuus ductus eſt,* &c. Iſaiæ 5. verſ.13. *Filii Heli, filij Belial, neſcientes Dominum, nec officium ſacerdotum.* 1. Reg. 2. verſ.12. Vos autem *in medio nationis praue, lucetis tamquam luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.* Phil. 2. v.15. Sed *deridetur iuſti ſimplicitas,* Iob 12. v.4 Iuſtus *lampas* eſt ardens & lucens, ſed *contempta apud cogitationes diuitum: parata* tamen *ad tempus ſtatutum.* v. 5. *Oculi tui recta videant,* &c. Prou. 4. v.25. vſque fin. *Omni cuſtodia cuſtodi cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.* v.23. *Oculus meus depradatus eſt animam meam.* Thren. 3.v.51. *Pepigi fœdus cum oculis meis,* &c. Iob 31. verſ.1. *Si ſecutum eſt oculos meos cor meum, & ſi manibus adhæſit macula,* v. 7. *Oculi tui columbarum.* Cant. 1. v.14. & c.4.v.1. & c. 5. v.12. *Simplices ſicut columbæ.* Matth.10. v.16. *Dent vobis,* &c. Epheſ 1.verſ. 8. *Non plus ſapere quàm oportet,* &c. Rom.12.v.3. *Scrutator maieſtatis opprimetur,* &c. Prou. 25. v.27. Oculi columbini ſeptem dona Spiritus ſancti, Iſaiæ 11. verſ.2. *Recti diligunt te.* Cant. 1. v.3. *Stultorum oculi in finibus terræ.* Prou. 17. v.24. & in *amphoram iniquitatis.* Zach. 5. v.6. *Oculus meus depradatus eſt animam meam.* Thren 3.v.51. *Ex riſu ſuo cognoſcitur vir,* &c. Eccli.19. v.26. & Eccleſ. 8. v.1. *Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum.* Cant. 4. v.9. *Caput tuum vt Carmelus,* &c. c. 7.v.5. Neceſſaria pontificibus talenta adumbrata in *Rationali* ſummi ſacerdotis, Exod.28. in *oculo & naſo.* Cant. 7.verſ.2.& 4. *Procul odoratur bellum,* &c. Iob 39.v. 25. *Animalia plena oculis,* &c. Ezech. 1. v.10. *Vtinam ſaperent,* &c. Deut. 32. v.29. *Ibi Syri in inſidijs ſunt.* 4.Reg. 6.v.9. *Vinum optimum, dignum dilecto,* &c. Cant. 7.v.9. *Omnia ſeruaui tibi,* &c.v.13. Caue decerpas inde aliquid tibi *Libamina* ſacrificiorum (id eſt intentio) *integra* Deo *libari* vel *cremari* debebant, Num.15 v.3. Item *primitiæ.* etiam ciborum, offerendæ Domino, v.19.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS B. VIRGINIS, 21. Nouembr.

Bonum eſt viro cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua ſedebit ſolitarius & tacebit, quia leuauit ſuper ſe. Thren.3.v. 27. *Ex Anna genuit filium* Tobias, *quem ab infantia ſua timere Deum docuit, & abſtinere ab omni peccato.* Tob.1. v.9. *Nam & ego* (Salomon) *filius fui tenellus, & vnigenitus coram matre mea: & docebat me, atque dicebat, Poſſide ſapientiam, poſſide prudentiam,* &c. Prou. 4. v.3. Quo ritu Anna offerat Samuelem Domino, vide 1.Reg.1.v. 24. Fecit Abraham *grande conuiuium in die ablactationis* filij ſui Iſaac, Gen.21.v.8.

Monendi parentes (iuxta mentem Tridentini ſeſſ.25. c.18. ſub anathemate id prohibentis,) ne proleſſas diuino ſeruitio ſe mancipare volentes præpediant: Vide de Communi Mart.Pontif.

Qualibus virginibus cohabitarit B. Virgo in infantia & pueritia ſua, vide Exod.38.v.8. *Excubabant & obſeruabant ad oſtium tabernaculi.* 5. Reg. 2. v.22. *Anna filia Phanuel* prophetiſſa *non diſcedebat de templo, ieiunijs & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die.* Luc. 2. v.37. *Ioſaba filia regis Ioram,* vxor Ioiadæ pontificis, abſcondit *Ioas à facie Athalia, vt non interficeretur, eratq; cum ea ſex annis clàm in domo Domini.* 4. Reg. 11. verſ. 3. *Columba à Noë emiſſa, cùm non inueniſſet vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt ad eum in arcam.* Gen. 8. verſ.9. *portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore ſuo.* v.11. Hic quotidie pſal. 44. v.10. *aſtitit regina* hæc cæli *à dextris tuis,* ô Deus, *in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* & cum *regina Saba,* 2.Paral.9.v.9. offerebat cæleſti *Salomoni centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretioſiſſimas. Non fuerunt* vmquam tot ac tales *aromata,* &c. Ibi Cant. 2.v.16. *Dilectus meus mihi, & ego illi. Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia principis.*

cipis, Cant.7.v.1. *Iustorum semita quasi lux splendens, procedit & crescit vsque ad perfectam diem.* Prou.4.v.18. *Ecce odor filij mei, quasi odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Gen.27.27.

De Virginis desponsatione & marito eius Ioseph, vide pridie Natiuitatis Domini. *Soror nostra es, crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum.* Gen.24.v.60.

IN FESTO S. CATHARINÆ VIRG. ET MART. 25. Nouemb.

Euangel. *Simile erit regnum cœlorum decem virginibus.* Matth.25. à v.1. ad.14.

FIDES.

Matth. 25.v.1. & 2. *Regnum cœlorum simile erit decem virginibus*, &c. *Quinque ex eis erant fatuæ.*] Ecclesia Christi in terris, etsi sancta & immaculata, controu.5. num.6. constat tamen etiam membris impijs & corruptis, num.11.& 12.& etiam reprobis, n.13.

v.3. *Fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum*, vnde v.8. *Lampades nostra extinguuntur*] Fides non sufficit ad iustitiam vel salutem, neque sola iustitia Christi nobis imputata, controu.15.n.5.& 7. Sed necessariò requiruntur etiam bona opera, n.23. Sic *non extinguetur in nocte lucerna eius.* Prou.31.v.18. *Ignis in altari meo semper ardebit*, &c. Leuit.6.v.12. *Dilectus meus mihi*, &c. *donec aspiret dies*, &c. Cant.2.v.15. *Donec supereſt halitus*, &c. Iob 17.v.3. *Quis nos separabit à charitate*, &c. Roman.8.v.35. *Oro, vt charitas magis abundet*, &c. Philipp.1.v.9. Charitas, instar *olei Elisei*, 4.Reg.4. v.6. crescit dum alijs erogat, stat quando non erogat. *Deridetur iusti simplicitas: lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum.* Iob 12.v.4. v.g. Dauid, 1.Reg.16.v.11. *Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues.*

Ecce sponsus venit, exite obuiam ei] De resurrectione corporum, & iudicio particulari & vniuersali, contr. 28.n.2.3.4. Vocatio omnium ad nuptias, controu.13. n.8. Omnia media ad id necessaria, quantum est ex parte Dei, donantur omnibus, controu.14.nu.11.12. 13. *Veni de Libano, soror mea sponsa, veni, coronaberis*, &c. Cant.4.v.8. *Venerunt nuptiæ Agni*, &c. Apoc.19.v.7. Esther 2, c.7.v.17.

v.8. *Date nobis de oleo vestro*] *Iacebunt mali ante bonos, & impij ante portas iustorum.* Prou.14.v.19. *Ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum.* Eccli.14.v.17.

v.10. *Quæ parata erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua*] Matth.35.v.34. *Venite benedicti Patris mei*, &c. *Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare*, &c. Eccles.9.v.10. De breuitate huius vitæ, & incertitudine horæ mortis, vide infrà, titulo, *Pro infirmis.*

v.12. *Nescio vos*] *Ite maledicti in ignem æternum.* Matth. 25.v.41. De supplicijs infernalibus, contr.29. n.8. De reprobatione æterna, & prædestinatione, vide controu.13.n.8. De damnatione impiorum, vide Feria secunda post primam Dominicam Quadragesimæ. *Vbi sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam? surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.* Deut. 32.v.37.

MORES.

Audi filia, & vide, &c. *obliuiscere populum tuum*, &c. *& concupiuit rex speciem tuam.* Psalm.44.vers.11. *Sexaginta sunt regina, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus.* Sed *vna est columba mea, perfecta mea*, &c. Cant.6.v.7. *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate!* &c. Sap.4. v.1. *Æquales angelis & filij Dei*, &c. Luc.20. v.35. *Despondi vos vni viro*, &c. 2.Cor.11.v.2. *Sequuntur Agnum*, &c. Apoc. 14.v.4. *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ*, &c. Eccli.26.v.19. *Felix incoinquinata*, &c. Sap.3. v.13. *Sancta sit corpore & spiritu.* 1.Cor.7. v.34. Sicut *arca* ex *ligno setim* incorruptibili, sed *deaurata* intus & foris, &c. Exod.25.v.10. *Hortus conclusus, fons signatus*, &c. Cant.4. v.12. Quanto suo damno *egressa est* Dina *vt videret mulieres regionis illius!* Gen.34.v.1. *Thamar se* incautiùs *exponens*, 2. Reg.13.v.8. *Dauid in solario*, 2.Reg.11.v.2. *Fallax gratia & pulchritudo*, &c. Prou.31.v.30. *Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra & fatua.* Prou.11.v.22. *Absalom pulcher & decorus nimis*, 2.Reg.14.v.25. Ioseph us *pulchra facie, & decorus aspectu*, Gen.39.v.6. Attende tibi. Eccli.36. v.27. *Vbi non est sepes, diripietur possessio.* Isaiæ 21. v.8. *Super speculam Domini ego sum, stans iugiter per diem & super custodiam meam stans totis noctibus*, vt conseruem pretiosum hunc thesaurum. *Qui non iungit virginem suam matrimonio, melius facit.* 1.Cor.7.v.38.&c. vbi vide fructus & laudes cælibatus. *Qui potest capere, capiat.* Matth.19.v.12.

Virginum erat, solemni cantu celebrare, seu læta & festa, seu tristia, 1.Reg.18.v.6. Prophetissas penè omnes virgines fuisse, vel saltem toro maritali abstinuisse, docui 4.Reg.22.v.14. Virgo Martyr duplici titulo beata. *Sicut fragmen mali punici*, &c. Cant.4.v. 3. *Rosa super riuos*, &c. Eccli.39.v.17. Susannæ exemplo, Dan.13.v.23. *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate!* Sap.4.v.1. *Gratia super gratiam* &c. Eccli.26. v.19. *Certamen fortè dedit ei*, sed *vt vinceret.* Sap.10. vers.12. *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Exod. 4.v.25.

VARIA.

Hanc de Virginibus parabolam dixit Iesus triduo ante mortem suam. Chron.c.49. Quomodo intelligendum, *Non erit apud te sterilis vtriusque sexus, tam in hominibus, quàm in gregibus tuis*, expositi. Deut.7.v.14. Potest S.Catharinæ aptari, *Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum.* Iudith 11.v.19.

DE COMMVNI SANCTORVM.

IN VIGILIA VNIVS APOSTOLI.

Euangel. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Ioan. 15. v. 12. vsque 17. ex prolixiore sermone quem habuit in vltima cœna.

FIDES & MORES.

Ioan. 15 v. 12. *Hoc est præceptum* (nouum, cap. 13. v. 34.) & peculiariter *meum, vt diligatis inuicem*, non tali quali modo, sed *sicut dilexi vos*] Vide c. 13. v. 34. & Matth. 5. v. 43. &c. Neque hoc est impossibile, vel admodum difficile, contra. 14. num. 16. & 17. *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, cùm omni humilitate & mansuetudine, cum patientia, supportantes inuicem in charitate, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis*, &c. Ephes. 4. v. 1. vsque 7. *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum!* &c. Psalm. 132. toto. *Obsecro*, &c. *vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.* 1. Corinth. 1. v. 10. &c. vsque 17. & c. 3. v. 3. vsque 10. *Non enim est dissensionis Deus, sed pacis.* 1. Corint. 14. v. 33. *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* c. 12. v. 31. *Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, vt idem sapiatis*, &c. Phil. 2. v. 1. vsque 9. *Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum* &c. 1. Pet. 4. v. 8. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Galat. 6. v. 2. *Non* solo *verbo, neque lingua, sed opere & veritate. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere*, &c. 1. Ioan. 3. vers. 16. vsque 20. *Si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere*, &c. cap. 4. v. 7. vsque 12. & à v. 20. vsque fin. *Qui diligit proximum, legem implenit.* Roman. 13. v. 8.

v. 14. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis*] Neque enim omnis *qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum*, &c. Matth. 7. v. 21. Vnde non sufficit sola fides ad iustificationem, contr. 15. n. 7. & 23.

v. 15. *Iam non dicam vos seruos*, sed *amicos.*] Hoc requiritur, vt quis mereri possit, & alia plura, contr. 16. num. 1. &c. Quomodo amicitia possit esse inter Deum & hominem, vide S. Thom. 2. 2. q. 23. *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum?* Gen. 18. v. 17. *Occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Psalm. 50. v. 8. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Psal. 147. v. vlt.

v. 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*] Ierem. 31. v. 3. *Charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miserans.* Vocatio & electio diuina est gratuita, contr. 13. num. 8. & contr. 14. n. 3. & 4. Sed mihi liberum, sequi vel non sequi, ibid. & contr. 13. n. 5. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate.* Ephes. 1. v. 4. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni?* Iac. 2. v. 5. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Psal. 8. v. 3.

Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis] Vt oratio infallibiliter impetret, varia requiruntur, contr. 17. n. 3. Plura de perfecta charitate, vide Dominica XVII. post Pentecosten.

IN PRIMA MISSA DE COMMVNI MARTYRIS PONTIFICIS.

Euangel. *Si quis venit ad me.* Lucæ 14. vers. 26. vsque 34.

FIDES & MORES

Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, &c. *non potest meus esse discipulus*] Matth. 10. v. 37. *Qui amat patrem plus quàm me*, &c. Deus *super* omnia diligendus. Vide Dominica XVII. post Pentecosten. Hoc eximiè præstant Martyres, contr. 19. n. 3. & Religiosi, contr. 9. num. 1. & seqq. *Ecce nos reliquimus omnia*, &c. Vide de Communi Abbatum. Luc. 14. v. 26.

Qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus] Matth. 10. v. 38. Sua cuique crux in hac vita contra. 11. n. 10. Crux est *scala Iacob*, & via ad cœlum, Gen. 28. v. 12. v. 27.

Qui volens turrim ædificare? &c.] vt olim isti, Gen. 11. v. 4. *Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen nostrum.* Huius nostræ turris *fundamentum*, est fides & humilitas: *parietes*, reliquæ virtutes: celsissimum *tectum*, charitas: *sumptus* ad perficiendum *necessarius*, strenuus mentis conatus est, (inquit S. Bonauentura,) vnà cum gratia Dei 1. Esd. 6. v. 4. *Sumptus de domo regis dabuntur.* Psal. 126. v. 1. *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.* 1. Cor. 3. v. 12. *Si quis super fundamentum hoc super ædificat aurum, argentum, lapides pretiosos*, &c. felicem illum. Sed adsit constantia & perseuerantia. Gen. 11. v. 6. *Cœperunt hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant.* v. 11.

Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus] Apostolos fuisse veros Religiosos, docui contr. 9. n. 1. & 2. De votis perpetuæ castitatis, paupertatis & obedientiæ, n. 4. vsque 9. De consilijs Euangelicis, n. 9. v. 33.

De iusta aduersus parentes.

Qui dixit patri suo & matri suæ, Nescio vos; & fratribus suis, Ignoro vos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum, &c. Deuter. 33. v. 9. Ad immolandum agnum paschalem (seipsum, vel filium, in holocaustum Domino per Religionem, mortificationem vel martyrium) quiuis paterfamilias erat sacerdos, Exodi 12. v. 3. & 2. *Hæc dicit Dominus; Filius meus primogenitus Israel. Dixi tibi, Dimitte filium meum vt seruiat mihi; & noluisti dimittere eum: ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.* Exodi 4. v. 22. *Ite & sacrificate Deo vestro in terra hac.* Exodi 8. v. 25. *Non potest ita fieri: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino*, &c. v. 26. putà pietatem, iustitiam, pœnitentiam, mortificationem carnis & appetitum, &c. *Ite tantùm viri, & sacrificate Domino.* Exodi 10. v. 11. *Cum parvulis nostris & senioribus pergemus, cum filiis & filiabus, cum ouibus & armentis: est enim solemnitas Domini Dei nostri.* v. 9. *Non remanebit ex eis vngula.* vers. 26. *Hostias quoque & holocausta dabis nobis, quæ*

bis, quæ offeramus Domino Deo nostro. vers. 25. *Egredere tu, & omnis populus,* &c. Exodi 11. v. 8. & c. 12. vers. 31. Si postea persequi volucrint egressos, demergentur in mari, Exodi 14. v. 24. *Audi filia,* &c. *obliuiscere populum tuum,* &c. Psalm. 44. v. 11. *Quòd reliqueris parentes tuos, & terram in qua nata es, & veneris ad populum quem antea nesciebas, reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à Domino Deo Israel, ad quem venisti, & sub cuius confugisti alas.* Ruth 3. vers. 11. *Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem: maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem.* Hebr. 11. v. 24. &c.

Aduersus hostes fidei vel tyrannos.

v. 13. *Sedens priùs cogitat, num possit occurrere,* &c.] *Scito* (ô Godolia) *quòd Baalis rex filiorum Ammon misit Ismael filium Nathaniæ percutere animam tuam. Et ait Godolias: Falsum tu loqueris de Ismael* Ierem. 40. v. 14. vsquè fin. & c. 41. v. 1. &c. *Percusserunt Godoliam gladio,* &c. *Ionathas* fraude *Tryphonis* persuasus *dimittit* copias suas, 1. Mach. 12. v. 44. & *comprehenditur Ptolemaide,* v. 48. & *occidetur,* c. 13. v. 23. *Nos autem fratres, secundùm Isaac promissionis filij sumus. Sed quomodo tunc is, qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundùm spiritum, ita & nunc.* Galat. 5. v. 29. *Sicut turris Dauid collum tuum,* &c. Cant. 4. v. 4. *cum propugnaculis argenteis,* &c. c. 8. v. 9. Non sicut *turris Babel,* Gen. 11.

Quantiscumque obtentis victorijs ne indormias. *Ne glorietur accinctus æquè vt discinctus.* 3. Reg. 20. v. 11. *Impius Nicanor* elatus victoriis *Iudæos* priùs quàm cominus veniret *vendiderat,* 2. Machab. 8. v. 14. *nonaginta mancipia talento vno se distracturum promittens, non respiciens ad vindictam, quæ eum ab Omnipotente esset consecutura.* v. 11. vt consecuta est, v. 34. &c. *Percutiens inualuisti super Edom, & sublenauit te cor tuum: contentus esto gloriâ, & sede in domo tua. Quare prouocas malum vt cadas tu & Iudas tecum?* inquit Ioas rex Israel, Amasiæ regi Iudæ prouocanti se ad bellum, 4. Reg. 14. v. 10. & 2. Paral. 25. v. 18. Citò pœnituit *Ezechiam* rebellionis contra regem Assyriorum, 4. Reg. 18. v. 7. *Venerunt filij vsque ad partum, & vires non habet parturiens.* c. 19. v. 3. Peiùs successit *Sedecia,* 4. Reg. 24. v. 17. & c. 25. v. 6. Denique victorijs plusculum elati *Amasias,* 4. Reg. 24. v. 8. & *Azarias,* c. 15. v. 3. fœdissimè impingunt.

Aduersus mundi vanitates.

Ierusalem *cùm vidisset viros depictos,* &c. *insaniuit post eos,* &c. Ezech. 23. v. 14. *Abijcite deos alienos qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra,* &c. inquit Iacob Gen. 35. v. 2. *Toto corde vniuersus Israel sequitur Absalom.* 2. Reg. 15. vers. 13. heu quàm tristi successu! c. 18. v. 14. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt,* &c. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est,* &c. 1. Ioan. 2. vers. 15. &c. *Mundus totus in maligno positus est.* 1. Ioan. 5. v. 19. Pulchra mundi descriptio, Apocal. 17. toto. *Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit.* Prouer. 20. vers. 21. *Trahe me, post te curremus,* &c. Cant. 1. v. 3. *Seruitui sumus, quæcumque iusseris faciemus. Si mei estis, & obedistis mihi, tollite capita filiorum domini vestri* (Achab) *& venite ad me,* &c. 4. Reg. 10. v. 5. *Salua animam tuam. Noli respicere post tergum,* &c. Genes. 19. vers. 17. cum vxore *Loth,* vers. 16. *Filium meum ne reducas illuc,* in Chaldæam, Genes. 14. v. 5. 8.

Aduersus proprios appetitus.

Fili in vita tua tenta animam (id est, indolem) *tuam: & si fuerit nequam, non des illi potestatem. Non enim omnia omnibus expediunt.* Eccli. 37. v. 30. *Aquam* è Bethlemitica cisterna tanto periculo hausta *noluit bibere* Dauid, 2. Reg. 23. v. 17. *Ibant* vaccæ *in directum,* &c. *pergentes & mugientes, & non declinabant,* &c. 1. Regum 6. v. 12. *Siue manducatis,* &c. *omnia in gloriam Dei.* 1. Corinth. 10. v. 31. *Porrò vnum est necessarium.* Lucæ 10. v. 42. *Voluntariè sacrificabo tibi,* &c. *quoniam bonum est.* Psal. 53. v. 8. *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Eccli. 18. v. 30. Quomodo tractandus seruus deses & rebellis, vide Eccli. 33. v. 25. vsque 31. *Non decent stultum delicia: nec seruum dominari principibus* (appetitum rationi.) Prou. 19. v. 10. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.* Prou. 29. v. 21. *Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere. Per seruum cùm regnauerit: per stultum cùm saturatus fuerit cibo: per odiosam mulierem cùm in matrimonio fuerit assumpta: & per ancillam cùm fuerit hæres domina suæ.* Prou. 30. v. 21. &c. *Si sic necesse est, fratrem vestrum tollite, & ite ad virum,* &c. Genes. 43. v. 11. & 13. Sic recuperat suum Iosephum, alioqui numquam reuisurus. *Non potest puer relinquere patrem suum: si enim illum dimiserit, morietur.* Gen. 44. v. 22. *Anima illius ex huius anima pendet.* v. 30. *Nisi venerit, non videbitis amplius faciem meam.* v. 23. Exemplo Orphæ & Ruth, cap. 1. v. 16. *Quocumque perrexeris, pergam,* &c. *Quò abijt dilectus?* Cant. 5. v. 16. & c. 6. v. 1. *Vbi cubas in meridie?* c. 1. v. 6.

Sequatur me] Quò? *Vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris.* Cant. 4. vers. 6. *Descendit cum illo* (Iosepho) *in foueam,* &c. Sap. 10. vers. 13. *Si murus est,* &c. *si ostium,* &c. Cant. 8. vers. 11. *Dedi coram te ostium,* &c. Apocal. 3. vers. 8. *Vbera mea quasi turris,* &c. Cant. 8. vers. 12. *Dedi te in ciuitatem munitam,* &c. Ierem. 1. vers. 18. *Fortis vt mors dilectio,* &c. Cant. 8. vers. 6. *Mortui enim estis,* &c. Coloss. 3. vers. 3. *Mihi mundus crucifixus est,* &c. Gal. 6. vers. 14. *Nostra conuersatio in cœlis est.* Phil. 3. vers. 20. *Quotidie morior,* &c. 1. Cor. 15. v. 31. *Hostiam viuentem,* &c. Rom. 12. v. 1. *Si facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Rom. 8. vers. 12. *Persequar inimicos meos, & non conuertar donec deficiant.* Psal. 17. v. 38.

Vin' exempla fortitudinis & constantiæ? Habes ad Hebr. 11. v. 36. *Alij ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt,* &c. *Non enim ætati nostræ dignum est* (inquit Eleazarus) *fingere: vt multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum; & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur: & per hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram. Nam etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar: sed manum Omnipotentis nec viuus, nec defunctus effugiam.* 2. Machab. 6. vers. 24. &c. *Domine, qui habes sanctam scientiam, manifestè tu scis, quia cùm à morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores. Secundum animam verò, propter timorem tuum, libenter hæc patior.* vers. 30. *Quid quæris, & quid vis discere à nobis? parati sumus mori, magis quàm patrias leges prænaricari.* 2. Mach. 7. v. 2. *Tu quidem, scelestissime, in præsenti vitam nos perdis: sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æterna*

vitæ resurrectione suscitabit. v.9. *E cœlo* (membra) *ista possideo: sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso mea recepturum spero.* v.11. *Peto, iuste, vt aspicias ad cœlum,* &c. *ita fiet, vt non timeas carnificem ipsum* &c. v.28. *Quem sustinetur non obedio præcepto regis, sed præcepto legis,* &c. v.30. &c. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* 2. Cor.7.v.4. *Nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugnæ, intus timores. Sed qui consolatur humiles consolatus est nos Deus,* &c. v.5. &c. *Sed & si immolor super sacrificium,* &c. *gaudeo & congratulor omnibus vobis. Idipsum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi.* Phil.2.v.17. *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me,* &c. Gen.22.v.16.

VARIA.

Hæc dixit Iesus sub initium vltimi (ante mortem suam mensis Decembris. Chron.c.49.

Non forti, sed imbelli atque impotenti animo seipsos totamque familiam exusserunt *Zambri rex Israel.* 3. Reg.16. v.18. & *Sardanapalus* Assyriorum vltimus *monarcha.* 4.Regum 15.v.14.

IN SECVNDA MISSA DE COMMVNI MARTYRIS PONTIFICIS.

Euangel. *Si quis vult venire post me, abneget,* &c. Matt. 16.v.24.vsque 28.

FIDES & MORES.

Ierosolymis apparuit præcedens Iudæos angelus *eques, in veste candida, armis aureis, hastam vibrans. Tuncomnes simul benedixerunt misericordem Dominum, & confortauerunt animis, non solum homines, sed & bestias ferocissimas, & muros ferreos paratis penetrare.* 2.Mach.11.v.8. & nos torpebimus præeunte cum cruce Christo? *Quod me videritis facere, citò facite,* inquit Abimelech sequacibus suis, Iudic.9.v.48. *Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis ab ea, nec ad dexteram, nec ad sinistram.* Isa.30.v.21. *Cœpit tædere populum itineris ac laboris.* Numer.21.vers.4. E contrario Christus *exultauit vt gigas,* &c. Psal.18.v.6. Ex Ægypto in terram promissam ituris quàm ardua calcanda via! Exod.14.&c. sed duce Deo, v.14. *Cùm ingressus fueris semitas æquitatis, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum.* Prou.4.12. *Viam mandatorum tuorum cucurri,* &c. Psalm.118.v.16. *Iustorum autem semita quasi splendens, procedit, & crescit vsque ad perfectam diem. Via impiorum tenebrosa: nesciunt vbi corruant.* Prou. 4.v.18.

Matth. 16. v. 25. *Qui voluerit animam suam,* (à Deo vel Christo, metu hostium, delectando,) *saluam facere, perdet eam*] Neque enim sufficit fides interna, sed requiritur etiam externa professio. *Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem.* Rom.10.v.10. Porrò iustitiam amitti posse, & fidem sine charitate posse subsistere docui contr.15.n.17.vsque 21. Sed non sufficere sine bonis operibus, n.7. & 23. Qualis verò esse debeat, n.11.vsque 14. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs,* Gal.5.v.24. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* cap.6.vers.14. *Faciamus hominem,* &c. *& præsit bestijs,* Genes.1.v.26. id est, belluinis affectibus, inquit S. Basilius & S. Augustinus. 1.Petr.2. v.11. *Obsecro vos, tamquam aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam.* Vt olim Gen.21. vers.9. *Ismael* aduersus *Isaac*: & cap.16.v.4. *Agar* aduersus *Saram.* Vnde c.21.v.10. *Eijce ancillam hanc & filium eius.* Iac.4.vers.1. *Vnde bella & lites? Nónne ex concupiscentijs vestris?*

Qui perdiderit animam suam moriendo, vel aliam crucem tolerando, *propter me, inuenier eam*] Rom.8.v 13. *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* De merito, & omnibus ad id requisitis, controu.16.nu.1.&c. & licere intuitu mercedis æternæ operari, num.13. Quàm indignum, exiguo aquæ haustu regnum deperdere? Iudith 7. v.17.&18. *Fecit Abraham grande conuiuium in die ablactationis* Isaac. Gen.21. vers.8. *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus.* Isaiæ 28.v.9. *Abnegantes impietatem & sæcularia desideria.* Tit.2. v.12. *Propter te mortificamur tota die,* &c. Psal.43.v.22. *Noli negligere gratiam quæ in te est,* &c. *Attende tibi & doctrinæ: insta in illis. Hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.* 1.Tim.4.v.14.&16.

Filius hominis in die iudicij reddet vnicuique secundùm opera eius] De merito, vide controu.16.num.1. &c. De iudiciaria Christi potestate, controu.4. nu. vlt. De iudicio particulari & vniuersali, controu.28. num.3. & 4. De pœnis damnatorum, controu.29. num.8. De gloria Beatorum, controu.30. num.3.vsque 7. *Ecce video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Actor.7. v.55. *Hodie mecum eris in paradiso.* Lucæ 23.vers.43. *Anima nostra, sicut passer, erepta est de laqueo,* &c. Psalm.123.vers.7. Cetera huc spectantia desume ex præcedenti Euangelio primæ Missæ. v.27.

VARIA.

Hæc de cruce tollenda dixit Iesus sub finem Iulij, anno tertiæ suæ prædicationis, immediatè post promissas Petro claues regni cœlorum. Chron.c.49.

IN PRIMA MISSA DE COMMVNI MARTYRIS NON PONTIFICIS.

Euangel. *Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere.* Matth.10.v.34.vsque fin. cap.

FIDES & MORES

Non veni pacem mittere in terram, *sed gladium*] Zach. 13.v.9. *Tertiam partem ducam per ignem, & vram eos sicut vritur argentum, & probabo eos, sicut probatur aurum.* Nullo tamen modo dici potest Deus causa subsequentium peccatorum, controu.12.nu.8.9.10. *Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium* (λατρειαν, id est, cultum diuinum) *se præstare Deo.* Ioan. 16.v.2. *Labia* sponsi *lilia distillantia myrrham primam.* Cant.5.vers.13. Cum *angelo*, imò cum Deo luctatur *Iacob*, Genes.32.v.24. *Multi qui persequuntur me, & tribulant me:* sed ego *à testimonijs tuis non declinaui.* Psal. 118.v.157. *Certamen forte dedit illi,* sed *vt vinceret.* Sap. 10.v.12. *Bonum certamen certaui,* &c. 2.Tim.4.v.7. *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Psal.65.v.12. *In mundo pressuram habebitis.* Ioan. 16.v.33. *Fecit angelus medium fornacis quasi ventum roris flantem.* Dan.3.v.50. *Mirabiles elationes maris; mirabilis in altis Dominus.* Psal.92.v.4. Matth. 10. v. 34.

De patre & matre deserendis propter Christum, & de cruce baiulanda, vide in prima Missa de Martyre Pontifice. v.37.

De ani-

v. 39. De anima sua perdenda, vel non perdenda, vide in secunda Missa, ibid. v. 25. *Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.* Phil. 1. v. 29. *Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. v. 17. *Mulier cum parit, tristitiam habet,* &c. Ioan. 16. vers. 21. vide Dominica III. post Pascha. *Confidite, quia ego vici mundum.* Ioan. 16. v. 33.

v. 40. *Qui recipit vos, me recipit,* &c.] Vide etiam Matth. 22. v. 40.

v. 42. *Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, non perdet mercedem suam*] Quot & quæ conditiones requirantur ad meritum, controu. 16. num. 1. & 2. Et opera iustorum, etiam minima, esse meritoria, n. 3. vsque 6. Quid, seu quam mercedem mereantur, n. 6. vsque 11. Fiduciam ex meritis etiam nasci, & in ijs collocari posse, n. 11. & 12.

VARIA.

Dixit hæc Christus sub medium Maij, anno secundo suæ prædicationis. Chron. c. 49.

IN SECVNDA MISSA DE COMMVNI MARTYRIS NON PONTIFICIS.

Euangel. *Nihil opertum quod non reuelabitur.* Matth. 10. v. 26. vsque 34.

Matth. 10. v. 26. *Nihil opertum, quod non reuelabitur*] De homine rege rationem ineunte cum seruis suis, vide Dominicam XXI. post Pentecosten. *Struthio* typus hypocrisis, Iob 39. v. 13. *Equus* symbolum Spiritus sancti, & generositatis Martyrum, v. 20. *Accipiter*, sagacitatis, v. 26. *Aquila*, contemplationis simul & curæ proximi, v. 30.

v. 28. *Animam non possunt occidere*] De animæ immortalitate, controu. 28. n. 1. *Vsque huc venies,* ô mare, *& non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Iob 38. v. 11. *Quis tu, vt timeres ab homine mortali, qui quasi fœnum ita arescet?* Isaiæ 51. v. 12. *A verbis viri peccatoris,* regis Antiochi, *ne timueritis: quia gloria eius, stercus & vermis: hodie extollitur, & cras non inuenietur,* 1. Mach. 2. v. 62.

Potest Deus *& animam & corpus perdere in gehennam*] De tormentis infernalibus, controu. 29. num. 8. *Si ad hominem potestatem habentem occidendi accesseris, nolis aliquid committere, ne forte auferat vitam tuam. Communionem mortis scito: quoniam in medio laqueorum ingredieris, & super dolentium arma ambulabis.* Eccli. 9. v. 19. & 20. Per solam *arcam* tutus nobis in cœlum transitus, etsi per innumera tela, vndas & ignes, &c. Ios. 4. v. 10.

v. 30. *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt*] Luc. 21. v. 18. *Capillus de capite vestro non peribit.* De diuina prouidentia, controu. 11. num. 4. Sancti *per fidem vicerunt regna,* &c. *Alij autem distenti sunt,* &c. *alij ludibria & verbera experti,* &c. Hebr. 11. vers. 33. vsque fin.

v. 32. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*] Martyrium æquiparari baptismo, & tollere omnem reatum culpæ ac pœnæ, controu. 19. num. 3. *Virum qui percusserit* hunc gigantem, *ditabit rex diuitiis magnis,* &c. 1. Reg. 17. vers. 25. *Ecce missus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt tentemini: & habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Apoc. 2. vers. 10. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Matth. 20. vers. 22. *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Exod. 4. vers. 25. *Calicem salutaris accipiam.* Psalm. 115. vers. 4.

VARIA.

Etiam hæc dixit Iesus anno secundo suæ prædicationis, sub medium Maij. Chron. c. 49.

Tertium Euangelium DE COMMVNI MARTYRIS NON PONTIFICIS, *Nisi granum frumenti,* &c. idem est cum Euangelio in Festo S. Laurentij, 10. Augusti.

IN COMMVNI VNIVS MARTYRIS, TEMPORE PASCHALI.

Euangel. *Ego sum vitis vera.* Ioan. 15. v. 1. vsque 8. ex sermone vltimæ cœnæ.

FIDES & MORES.

Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est] Adamus *vitis* spuria euasit, Gen. 3. v. 6. Qualis vitis Christus fuerit secundùm diuinam naturam, vide controu. 3. num. 2. qualis secundùm humanam naturam hypostaticè vnitam Verbo diuino, controu. 4. num. 3. & seqq. *Plantauite vineam electam. Quomodo conuersa es mihi in prauum vinea aliena?* Ierem. 2. vers. 21. *Quid fiet de* hoc *ligno vitis?* Ezech. 15. v. 2. vsque 7. vbi &, cur Ecclesia comparetur vineæ. *Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus,* &c. Cant. 2. v. 3. *Oliua pulchra, fructifera, speciosa.* Ierem. 11. v. 16. *Exultabunt omnia ligna siluarum à facie Domini,* &c. Psal. 95. v. 12. *Rhamnus* ambit imperium inter ligna, &c. Iudic. 9. v. 8. *Iustus vt palma,* &c. Psal. 91. v. 13. & Cant. 7. v. 7. *Quasi cedrus,* &c. Eccli. 24. v. 17. In templo vbique *palmæ* figura. Ezech. 41. v. 18. Hæc vitis vera, Christus, *extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius.* Psal. 97. v. 12. Ioan. 15. v. 1.

v. 4. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis*] Nullus enim potest aliquod opus facere meritorium vitæ æternæ, nisi sit amicus Dei, controu. 16. numer. 1. Peccatoribus enim, vtpote hostibus Dei, nil nisi pœnæ debentur. *Euanuerunt in cogitationibus suis,* &c. ad Rom. 1. v. 21. *Manus nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia.* Deut. 32. vers. 37. *In fortitudine manus meæ feci, & in sapientia mea,* &c. Isaiæ 10. v. 13. *Nonne hæc est Babylon?* &c. Dan. 4. v. 27. *Erat quasi leæna, alas habens aquilæ,* &c. Dan. 7. v. 4. *Ficus maledicta.* Matth. 21. v. 19. *Dines sum, & nullius egeo,* &c. *Nescis quia miser es,* &c. Apoc. 3. v. 17. *Quid habes quod non accepisti?* 1. Cor. 4. v. 7. *Numquid gloriabitur securis?* &c. Isaiæ 10. vers. 15. De *Antiocho Epiphane* humiliato, 2. Mach. 9. v. 8. & 12. *Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ,* &c. Isaiæ 40. v. 31.

v. 5. *Quia sine me nihil potestis facere,* quod vitæ sit ad salutem, controu. 14. n. 6. vsque 11. vbi de viribus naturæ, & necessitate gratiæ diuinæ. Ioan. 1. v. 16. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Quàm nihil possit homo sine gratia diuina, colligere ex trepidatione & fuga Eliæ, 3. Reg. 19. v. 3. *Perditio, ô Israel, tua est, tantummodo in me auxilium tuum.* Osee 13. v. 9. *Non est auxilium mihi in me,* &c. Iob 6. v. 13. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* 2. Cor. 3. v. 5. *Omnia possum in eo qui me confortat,* Philip. 4. vers. 13. *Manus regis*

Ios ſuperponit Eliſæus manus ſuas quæ opem cæleſtem præfigurabant, 4. Reg. 13. v. 16. *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam*, id eſt, tibi acceptam feram. Pſal. 58. v. 10. *Adiuua me ſolitariam, cuius præter te nullus eſt auxiliator alius.* Eſther 14. verſ. 3. *Domini eſt ſalus.* Pſalm. 3. v. 9. *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit*, &c. Pſal. 83. v. 6.

Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum] Iſaiæ 9. verſ. 3. *Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe.* Opera iuſtorum meritoria ſunt maximorum & plurimorum bonorum, controu. 16. n. 5. vſque 11. Item cuiuſuis rei impetratoria, & pro pœnis ſatisfactoria, controu. 17. n. 2. 8. & 13. Quænam requirantur, vt quod promittitur hîc verſ. 7. *Quodcumque voluerit is, petetis, & fiet vobis*; infallibiliter eueniat, ibidem expoſui num. 2. *Hæc eſt fiducia quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus, ſecundùm voluntatem eius, audit nos.* 1. Ioan. 5. v. 14.

Si quis in me non manſerit, mittetur foras, ſicut palmes à vite reciſus *& areſcet & in ignem mittent, & ardet*] Pſal. 20. v. 10. *Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui, & deuorabit eos ignis.* Iuſtitiam amitti poſſe, non ſola infidelitate, ſed quouis peccato mortali, controu. 15. nu. 17. vſque 21. Bonis operibus fouendam ac ſtabiliendam, num. 23. De igne & aliis ſuppliciis infernalibus, controu. 29. num. 8.

IN COMMVNI PLVRIVM MARTYRVM, TEMPORE PASCHALI.

Euangel. *Ego ſum vitis, vos palmites.* Ioan. 15. v. 5. vſque 8. idem eſt cum præcedenti Euangelio de vno Martyre, tempore Paſchali. Propria huic loco ſunt à v. 8. vſque 12.

FIDES & MORES.

Ioan. 15 v. 8. *In hoc clarificatus eſt Pater meus, vt fructum plurimum afferatis*] Non omnes æquè iuſtos eſſe, controu. 15. n. 21. Vnde oriatur hæc inæqualitas, n. 22.

v. 9. *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos*] Pater naturam meam humanam gratis euexit ad hypoſtaticam vnionem cum Verbo diuino, & tot tantiſque donorum theſauris illam locupletauit, controu. 4. num. 3. vſque 14. Et ego vos pari modo ad apoſtolatum euexi. controu. 5. num. 5. & controu. 8. num. 2. & tot tantiſque gratiis ditaui, controu. 13. n. 8. & controu. 14. num. 3.

v. 10. *Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in mea dilectione*] Non ſufficit ergo ſola fides, contr. 55. n. 23. Qualis debeat eſſe hæc dilectio tum Dei, tum proximi, vide Dominicam XVII. poſt Pentecoſten.

v. 13. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*] Id Martyribus conceſſum. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini.* Phil. 1. verſ. 29. *Omne gaudium exiſtimate, fratres, cùm in tentationes varias incideritis*, &c. Iac. 1. v. 2. vſque 5. *Beatus vir qui ſuffert tentationem*, &c. verſ. 12. *Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſtè. Qua enim eſt gloria, ſi peccantes & colaphizati ſuffertis? Sed ſi benefacientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum* (exemplo Chriſti, &c.) 1. Petr. 2. v. 19. *Et quis vobis noceat, ſi boni æmulatores ſueritis? Sed & ſi quid patimini propter iuſtitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini. Dominum autem Chriſtum ſanctificate*, &c. 1. Petr. 3. v. 13. &c. *Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.* 1. Petr. 4. v. 13. *Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt eius ſpiritus, ſuper vos requieſcit.* verſ. 14. Qui eſtis Deo proximi ac ſimillimi. *Coma eius ſicut elatæ palmarum.* Cant. 5. verſ. 11. *Sicut purpura.* c. 7. verſ. 5. *Capilli tui ſicut greges caprarum*, &c. Cant. 4. v. 1. & cap. 6. v. 4. *Vulneraſti cor meum in vno crine*, &c. Cant. 4. v. 9. Tonſor raſit ſeptem *crines Samſonis*, Iudic. 16. v. 19. *Capilli Abſalom*, 2. Reg. 18. v. 9. & c. 14. v. 26. *Sicut adhæret lumbare ad lumbos*, &c. Ierem. 13. v. 1. 12. &c. *Si dixero puero, Ecce ſagittæ intra te ſunt, tolle eas; tu veni ad me, quia pax tibi eſt, & nihil eſt mali. Si autem dixero. Ecce ſagittæ vltra te ſunt; vade in pace, quia dimiſit te Dominus.* 1. Reg. 20. verſ. 22. Optimum omen, ſi ſagittæ intra te ſunt. *Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuam.* Pſal. 37. v. 3. Signum iræ, ſi procul à te ſint. *Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum*, &c. Pſal. 80. v. 13.

Alterum Euangelium DE MARTYRIBVS TEMPORE PASCHALI, *Plorabitis & flebitis vos*, &c. deſumptum eſt ex III. Dominica poſt Paſcha.

IN PRIMA MISSA DE COMMVNI PLVRIVM MARTYRVM, EXTRA TEMPVS PASCHALE.

Euangel. *Cùm audieritis prælia.* Lucæ 21. v. 9. vſque 20.

FIDES.

Luc. 21 v. 9. *Oportet primùm hæc fieri*, nempe *prælia & ſeditiones*, &c. v. 11. *Terroreſq; de cælo*, &c. Quantæ ſeditiones & prælia præceſſerint euerſionem Ieroſolymæ, dixi in Chron. c. vlt. Vbi & de terroribus de cœlo; de quibus etiam vide hîc in comment.

De iis quæ erunt tempore Antichriſti, vide controu. 5. n. 13. Ex quibus ibidem oſtendi, Romanum Pontificem non poſſe dici Antichriſtum. De horribili *terræmotu* habes Apoc. 6. v. 12. & cap. 11. v. 12. & cap. 16. v. 18. De aliis ſignis, de peſtilentia, &c. in Apocalypſi paſſim.

v. 14. *Ponite in cordibus veſtris, non præmeditari quemadmodum reſpondeatis.* Vide in Commemoratione S. Pauli, 30. Iunij ad v. 19. *Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri*] Patuit in S. Petro, Act. 4. v. 19. & reliquis Apoſtolis, Act. 5. v. 29. S. Stephano, Act. 6. v. 10. S. Paulo, Act. 24. v. 25. & c. 26. v. 28.

v. 17. *Eritis odio omnibus propter nomen meum.* ſed v. 18. *capillus de capite veſtro non peribit*] De prouidentia diuina, contr. 1. n. 4.

v. 19. *In patientia veſtra*, non verò gladiis vel conuiciis ſuperabitis hoſtes, & *poſſidebitis animas veſtras*] *Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum.* Matth. 10. v. 16. vide in Commemoratione S. Pauli, 30. Iunij, v. 16.

MORES.

Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Ioan. 15. v. 20. *Framea ſuſcitare*, &c. *Percute paſtorem, & dispergentur oues: & conuertam manum meam* (etiam *ad paruulos*, &c. Zach. 13. v. 7. *Ducam tertiam partem per ignem, & vram eos ſicut vritur argentum, & probabo eos ſicut probatur aurum.* v. 9. *Tetendit arcum ſuum, & poſuit me* (Sebaſtianum) *quaſi ſignum ad ſagittam: venerit in renibus meis filias pharetræ ſuæ.* Thren. 3. verſ. 12.

Spectia-

Spectaculum facti sumus mundo & angelis & hominibus. 1.Cor.4. v.4. *Statua aurea.* Nabuchodonosoris Dan. 3. mundana est felicitas & pompa. *Tres pueri,* Martyres Christiani. *Verè ne deos meos non colitis, & statuam auream, quam constitui, non adoratis?* v.14. *Quod si non adoraueritis, eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis. Et quis est Deus qui eripiet vos de manu mea?* v. 15. vsque 25. *Angelus autem Domini excussit flammam ignis de fornace,* &c. v.49. &c. *Dixit rex Danieli, Quare non adoras Bel? qui ait: Quia non colo idola manufacta, sed viuentem Deum qui creauit cœlum & terram, & habet potestatem omnis carnis.* Dan.14. v.3. &c. *Et erat draco magnus in loco illo, & colebant eum Babylonij,* &c. v.22. &c. *Adora ergo eum.* v.23. &c. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Cant.1. v.5. eiusdem matris, sed non eiusdem patris, quia *vos ex patre diabolo estis,* &c. Ioan.4. vers.44. *Sæpè expugnauerunt me,* &c. Psal.128. v. 2. Cœpit *Cain,* Genes.4. v.8. Prosecuti sunt Cainitæ & *gigantes,* posteri *Cham & Ismael,* & *Moab,* & *Ammon,* & *Esau,* Genes.25. v.22. & *filij Iacob* aduersus *Ioseph,* Genes.41. v.8. & c.50. v.20. Alij *ludibria & verbera experti,* &c. Hebr.11. v.36. *Tradet frater fratrem in mortem,* &c. Marc.15. v.12. Lucæ 21. v.16. *Vens de cubilibus draconum, & de montibus pardorum,* &c. Cant.4. v.8. *Sicut crassitudo terræ* (aratio) *erupta est super terram.* ita *dissipata sunt ossa nostra secus infernum.* Psal.140. v.7. *Carnes & sanguinem sanctorum tuorum effuderunt in circuitu Ierusalem. & non erat qui sepeliret.* 1. Mach.7. v. 17. & Psalm.78. v.1. &c. *Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* 2. Tim.3. v.12. *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.* Rom.8. v. 28. *Quis ergo nos separabit à charitate Christi?* &c. v.35. *In dolore sustine, & patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum,* &c. Eccli.2. v.4. *Tamquam aurum in fornace,* &c. Sap.3. v.6. *Et à verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius stercus & vermis.* 1. Mach.2. vers.62. *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* Prou.16. vers.32. *In tempore nouissimo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in varijs tentationibus,* &c. 1. Petri 1. vers.4. vsque 10. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Apocal.2. vers 7. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* vers.10. *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit.* vers. 17. *Dabo illi potestatem super Gentes,* &c. vers.26. *& dabo illi stellam matutinam.* vers.28. *Qui vicerit, vestietur vestimentis albis. & non delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram angelis eius.* Apocal.3. vers. 15. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei,* &c. vers. 12. *Dabo ei sedere mecum in throno meo,* &c. vers. 21. *Quoniam seruasti verbum patientiæ meæ, & ego seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem vniuersum tentare habitantes in terra. Ecce venio citò. Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Apocal.3. vers. 10. *Mathathias & filij eius constanter steterunt. Etsi omnes gentes regi Antiocho obediunt, ego & filij & fratres mei obediemus legi patrum nostrorum. Propitius sit nobis Deus; non est nobis vtile relinquere legem & iustitias Dei.* 1. Machab.2. vers. 16. 19. 20. 21. *Et multi de populo Israel definierunt apud se, vt non manducarent immunda: & elegerunt magis mori, quàm cibis coinquinari immundis: & noluerunt infringere legem Dei sanctam, & trucidati sunt.* 1. Machab.1. vers. 65. *Moriamur omnes in simplicitate nostra: & testes erunt super nos cœlum & terra, quòd iniustè perditis nos. Et intulerunt illis bellum sabbatis. Et mortui sunt vsque ad mille animas homi-*

num. 1. Machab.2. vers.37. Erant autem toto triduo *octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minùs autem venumdati.* 2. Mach.5. vers.14. Sic *Eleazarus scriba,* 2. Mach.6. vers.18. & *septem Machabæi,* c.7. toto. Quanta patientia *sacerdotes octoginta quinque* permiserint se iugulari ab vno *Doëg,* vide 1. Reg.22. vers.18. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: deijcimur, sed non perimus,* &c. 2. Corinth.4. vers.8. vsque fin. *Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* Roman.8. vers.37. *Certus sum enim, quia neque mors,* &c. vers.38. *Non solùm autem gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei: sed & gloriamur in tribulationibus, scientes,* &c. Rom.5. vers.3. *Non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Roman.8. vers.18. *In animo contrito & spiritu humilitatis suscipiamur: sicut in holocausto arietum & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, vt placeat tibi.* Dan.3. v.39.

Neque solorum virorum est hæc constantia: etiam in pueris & puellis illam reperies. *Et mihi est cor, sicut & vobis: nec inferior vestri sum.* Iob 12. vers.3. *Fasciculus myrrhæ,* &c. Cant.1. vers. 12. *Messui myrrham meam,* &c. c.5. vers.1. *Pone me vt signaculum super cor tuum,* c.8. vers.6.

VARIA.

Hæc dixit Iesus Ierosolymis triduo ante mortem suam. Chronic.49.

In secunda Missa de iisdem PLVRIBVS MARTYRIBVS, Euangelium *Descendens Iesus de monte,* &c. respondet ex parte, vers. 19. Euangelij S. Bartholomæi, 24. Augusti, ex parte Euangelio Festi omnium Sanctorum, 1. Nouembris.

In tertia Missa Euangelium, *Sedente Iesu super montem,* &c. coincidit cum Euangelio in prima Missa.

Primum Euangelium post tertiam Missam, *Videns Iesus turbas,* &c. idem est cum Euangelio Festi omnium Sanctorum, 1. Nouembris.

Secundum Euangelium, *Confiteor tibi Pater Domine cœli,* &c. idem est cum Euangelio S. Matthiæ, 24. Februarij.

Tertium Euangelium, *Væ vobis qui ædificatis,* &c. respondet Euangelio S. Stephani, 26. Decembris.

QVARTVM EVANGELIVM POST MISSAS DE COMMVNI PLVRIVM MARTYRVM, EXTRA TEMPVS PASCHALE.

Qui vos audit, me audit. Lucæ 10. v.16. vsque 21.

FIDES & MORES.

Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit] *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus?* Matth.18. v.17. De potestate Prælatorum Ecclesiæ, vide controu.5. num.14. & 15. & controu.6. nu.5. *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* 1. Regum 8. vers.7. Adquæ & quanta gradatim peccata deuoluatur inobediens, vide 1. Reg.15. v.12. *Numquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam victima,* &c. v.22. Luc.10. v.16.

v.17. *Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.* vers. 19. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit*] Psalm.90. vers.13. *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* De Cęremoniis ab Ecclesia institutis ad fugandos dæmones & veneficia,&c.contr.18.n.12.vsque fin.

v. 18. *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*] Gen. 1.v.1. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer?* &c.Isaiæ 14.v. 12.& Ezech.28.v.17.

v. 20. *In hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur*] De gratiis gratis datis,vide contr.14.n.2.

Gaudete autem quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis] De duplici libro vitæ,& duplici libro mortis,vide comment. hîc & Exodi 32. vers.32. Interea *propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis.* Psal.43.v.21. De prædestinatione & reprobatione diuina,contr.13.n.8.

VARIA.

Dixit hæc Christus sub medium Octobris,anni tertij suæ prædicationis.Chron.c.49.

Quintum Euangelium post Missas DE COMMVNI PLVRIVM MARTYRVM, *Attendite à fermento Pharisæorum*, &c. idem est cum Euangelio secundæ Missæ de Communi vnius Martyrs non Pontificis,extra tempus Paschale.

In prima Missa DE COMMVNI CONFESSORIS PONTIFICIS, Euangelium, *Homo quidam peregrè proficiscens*, &c. idem est cum Euangelio S. Nicolai, 6. Decembris.

IN SECVNDA MISSA DE COMMVNI CONFESSORIS PONTIFICIS.

Euangel. *Vigilate,quia nescitis qua hora.* Matth.24. v. 42.vsque 48.

FIDES & MORES.

Matth. 24.v. 42. *Nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit*] Sapientia & prudentia diuina in quibus differat à mundana,Iac.3.v.14.vsque fin.& c.4.vsque v.3.

v.45. *Quis putas est fidelis seruus & prudens?*] Exemplo Ioseph Gen.41.v.40. *Neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* 1.Petri 5.v.3. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* 1.Cor.4.v.1. *Sed hic quæritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur.* Non quòd impossibile sit, vt fingunt hæretici, (contra quos docui, reperiri verè iustos & sanctos.contr.14.n.16.non sola imputatione extrinseca Dei,sed intrinseca & reali iustitia, controu. 15.num.1.vsque 9.) sed quòd rarum sit,reperire omni ex parte fideles. *Multi homines misericordes vocantur: virum autem fidelem quis inueniet?* Prou. 20. v.6. Vin' fidelem! en *Paulum*, 1.Cor.9.v.19. *Cùm essem liber ex omnibus,omnium me seruum feci, vt omnes lucrifacerem. Scio opera tua,quia nomen habes quòd viuas, & mortuus es. Esto vigilans, & confirma cetera, quæ moritura erant. Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo. Si ergo non vigilaueris,veniam ad te tamquam fur, & nescies qua hora.* Apoc.3.v.1.vsque 4.

v. 46. *Quem inuenerit Dominus sic facientem, super omnia bona sua constituet eum*] 1. Petri 5. vers.4. *Cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* Opera iustorum esse meritoria, & de conditionibus ad meritum requisitis, vide contr.16.n. 1.vsque 6. *Candelabrum aureum*, Exod.25.v.31.Ecclesia & Doctores Ecclesiæ. Tria sacerdotum officia quotidiana,Exod.30.v.8. *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* 1.Tim.3.v.1. *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse,*&c. v.2.&c. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.* Malach.2.vers.7. *Tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent.* Exod.4.vers.16. Volo, ipse tibi quasi Deo obediat. Vrim & Tummim, id est, *doctrinam & veritatem, pones in Rationali*, super *pectore Aaron.* Exod.28.v.30. *Vt potens sit exhortari in doctrina sana, & contradicentes reuincere.* Tit.1.v.8. De Eliacim dicit Dominus,Isa.22.v.23. *Figam illum paxillum in loco fideli, & suspendent super eum omnem gloriam domus patris eius,*&c.

VARIA.

Hæc monuit Christus feria tertia ante mortem suam.Chron.c.49.

Primum Euangelium post Missas de COMMVNI PONT. CONFESS. *Nemo accendit lucernam,* &c. idem est cum Euangelio S.Martini,11.Nouemb.

Secundum Euangelium, *Videte, vigilate & orate,*&c. coincidit cum Euangelio Missæ secundæ de Pontifice Confessore.

IN COMMVNI DOCTORVM.

Euangel. *Vos estis sal terræ.* Matt.5.v.13.vsque 20.

FIDES.

Matth. 5.v.13. & 14. *Vos estis sal terræ. Vos estis lux mundi*] Ecclesiæ doctrina infallibilis, controu.5.n.3. Nam neque caput eius, Summus Pontifex,errare potest,controu.6.n.16.neque Concilia,quæ totum corpus repræsentant, controu.7.num.5.

Omnibus sacrificijs adhibendum erat sal, Leuit.2. v.1. sed cum oleo & thure, sine fermento & melle, ibid.Sale sanatæ aquæ Iericho,4.Reg.2.v.19. *Ecce habitatio ciuitatis huius optima est, sed aquæ pessimæ sunt. An poterit comedi insulsum, quod non est sale condimentum?* Iob 6.v.6.

v. 14. *Ciuitas supra montem posita, & lucerna super candelabrum,* est Ecclesia Dei, semper conspicua, numquam inuisibilis,numquam interiens, contr.5.n.1.& 2.Quibus notis conspicua,n.4.vsque 9.Quænam eius membra,n.9.vsque finem. *Spectaculum facti sumus mundo & angelis & hominibus.* 1.Cor.4.v.9. *Sint lucernæ ardentes in manibus vestris.* Luc.12.v.35. *Sacerdotes tui induantur iustitiam.* Psal.131.v.9. *Ambulat* Christus *in medio septem candelabrorum aureorum.* Apoc.1.v.13. *Ad speciem animalium, quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum.* Ezech.1.v.13.

v. 17. *Non veni soluere* legem aut Prophetas, *sed adimplere*] vide comment. De veritate & soliditate diuinorum librorum,vide controu.2.n.3.Etiam Christianos legibus externis teneri,contr.10.n.1.& 3. *Misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* Gal.4. v.4. *Ministrum circumcisionis,*&c. Rom.15.v.8.*Facilius est, cælum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere.* Luc.16.v.17.

v. 19. *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum*] Iustitia enim constatur ex aggregato omnium virtutum, non ex sola fide, controu.15.n.7.& 8. *Quisquis vno peccauerit, multa bona perdet.*

perdet.Eccles.9.v.vlt.*Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti*.c.10. v.1.Et in æstimatione vulgi *pretiosior*,seu potior, est *parua & ad tempus stultitia, quàm* omnis eius prolixa *sapientia & gloria*,ibid.*Non impinget autem cor sapientis* si sit *in dextera eius*,sicut *cor stulti* est *in sinistra illius*.v.2.

Qui fecerit omnia mandata, & sic *docuerit* homines, *hic magnus vocabitur in regno cœlorum*] De inæqualitate iustitiæ,conti ou.15.n.21. Et vnde hæc? n.22. Neque sola fide, sed bonis operibus augeri & foueri iustitiam,n.23.*Dicunt,& non faciunt*. Matth.23.v.3. De merito bonorum operum,controu.16. n.1. vsque 10. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*.Dan.12.v.3.*Qui doces alium, teipsum non doces?* Rom.2. v.21. *Medice cura te ipsum*. Luc.4.v.23.

MORES.

Quàm vtiles orbi, quàm necessarij Doctores?

Doctores Ecclesiæ *candelabrum* orbis, Exod.25.v. 31.Ecclesia & quæuis anima fidelis *templum Dei* c.26. v.1.& *altare*,c.27.v.1.Binæ *turres*, Can.4.v.4 *cum propugnaculis*,& *eburneæ*, c.7.v.4. De *vberibus* sponsi & sponsæ,Cant.1.v.1.c.4.v.10.c.7.v.7,c.8.v.8.*Mittet fulgura & ibunt*,&c.Iob 38.v.35. *Vt nubes volant,& quasi columbæ ad fenestras suas*.Isa.60.v.8. *In foraminibus petræ,in cauerna maceriæ*.Cant.2.v.14.Hi sunt *sexaginta fortes* illi,Cant.3.v.7.Quia futuri doctores, ideo Apostoli tres assumpti *in montem excelsum*. Matth.17.v.1. *Ioannes* applicitus pectori Christi, Ioan.13. v.23.& sinui Patris,Ioan.1.v.1.Et *Paulus* raptus in tertium cœlum,2.Cor.11.v.2.*Num celare potero Abraham quæ gesturus sum?* &c. *scio enim quòd præceperit filijs suis*, &c.Gen.18.v.17.*Oculi Domini custodiunt scientiam* (id est, singulari ope prosperat prudentia consilia,) *& supplantantur verba iniqui*. Prou.22 vers.12. Timenti Deum *obuiabit* sapientia *quasi mater honorificata*, &c. *cibabit illum pane vitæ*, &c. *in medio Ecclesiæ aperiet os eius*,&c. *iucunditatem & exultationem thesaurizabit super eum*,&c.Eccli.15.v.2.vsque 7.

Officia sapientis, eiusque occupationes habes Eccli.39.v.1.vsque 17.*Sapientiam omnium antiquorum exquiret*,&c. *Sapientis oculi in capite eius: stultus in tenebris ambulat*.Eccles.2.v.14.*Sapientia confortauit sapientem super decem principes ciuitatis*.c.7.v.20.*Ciuitas parua,& pauci in ea viri: venit contra eam rex magnus*, &c. *inuentusque est in ea vir pauper & sapiens, & liberauit vrbem per sapientiam suam, & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis*. Eccles.9.v.14. *Melior est sapientia quàm arma bellica*. v.18. *Sapientia ædificabitur domus & prudentia roborabitur: in doctrina replebuntur cellaria vniuersa substantia pretiosa & pulcherrima. Vir sapiens, fortis est*, &c. Prou.24.v.3.vsque 7. *Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum, & rex sapiens stabilimentum populi est*.Sap.6.v.26. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo*,&c.Prou.25.v.11.& 12.*Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi* (etiam) *pessimo*.(q.d. præsentissimum remedium etiam desperatis.) Prou.25. v.20. *Trahe me, post te curremus in odorem vnguentorum tuorum*. Cant.1.v.3.*Funiculus triplex*.Eccles.14.v.12. *In funiculis Adæ, in vinculis charitatis*. Osee 11.v.4. *Venite ad me omnes, ego reficiam vos*. Matth.11.v.28.en primum funem,promissionem præmij. *Discite à me*,&c. en secundum, exemplum sanctitatis. *Iugum meum suaue*, &c.en tertium,præcellentiam & suauitatem doctrinæ. *Accingere gladio tuo*, &c. en alium trahendi modum. Psal.44.v.4.*Cùm occideret eos, quærebant eum*,&c. Psal. 77.v.34.

Adde funem eloquentiæ. *Numquam sic locutus est homo*,Ioan.7.v.46. *Erat docens tamquam potestatem habens*.Matth.7.v.29.*Verba sapientum stimuli*,&c.Eccles. 12.v.12. *Labia tua, lilia* sunt *distillantia myrrham primam*. Cant.5. vers. 13. *Etsi rem grandem dixisset tibi Propheta*,&c. 4.Reg.5. vers.10. Ne flagellis quidem trahi volenti dicit,*Auferetur zelus meus à te, & quiescam,& non irascar amplius*.Ezech.16.v.42.*Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos*,&c. Deut.32.v.11. *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos*. 1. Corinth. 9. v.22. *Sicut pastor gregem suum pascet. In brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit*.Isa.40.v.11. *Forma facti gregis ex animo*. 1.Petr.5.v.3. *Rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores*.Thren.4.v.7.*Dentes* Ecclesiæ, Cant.4.v.2. *Labia*, v.3.*Vigiles & custodes ciuitatis*, Cant.3.v.3.& c.5. v.6.*Super muros Ierusalem constitui custodes*,&c. Isa.62. v.6. *Palma & botri*,&c. Cant.7.v.7.*Vena vitæ, os iusti: os impiorum operit* (seu includit) *iniquitatem*; &c. Prou.10.v.11.vsque 15. Item v.20.21.31.32. *Fructus iusti, lignum vitæ: & qui suscipit animas, sapiens est*.Prou. 11.v.30. *Lux iustorum* (quæ est instar solis) *lætificat, lucerna autem impiorum extinguetur*.Prou.13.v.9. *Lex sapientis fons vitæ, vt declinet à ruina mortis*; &c. Prou. 13.v.14. vsque 17. item v.18. 20.24. *Doctrina prudentium facilis*.c.14.vers.6. *Sapientia callidi est intelligere viam suam,& imprudentia stultorum errans*.v.8.*Cor sapientis quærit doctrinam: & os stultorum pascitur imperitia*.c.15.v.14.*Dulcis eloquio, maiora percipiet*,&c. cap. 16.v.21.vsque 25.*Aqua profunda, verba ex ore viri: & torrens redundans, fons sapientiæ*. cap.18. vers.4. *Est aurum & multitudo gemmarum, & vas pretiosum labia scientiæ*.cap.20.ver.15.

Quales debeant esse Doctores. Primò,sinceri. *Sapientia ficta*,quæ & qualis.Eccli.21.v.15.

Secundò,sancti. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum*.Tit.2.v.7. *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*, &c. Sap.1.v.4. vsque 7. *Vos recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis*. Malach.2.v.8.

Tertiò,liberales in docendo. *Sapientia absconsa & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque?* Eccli.20.v.32. & c.41.v.17.*Da eis vuluam sine liberis, & vbera arentia*. Osee 9.v.14. *Clamabat parturiens, & cruciabatur vt pareret*. Apoc.12. v.2. *Sed & lamiæ nudauerunt mammam*,&c.Thren.4.v.3.*Egrediamur in agrum*,&c.Cant. 7.vers.11.*Factus est mihi sermo Domini in opprobrium & in derisum tota die. Et dixi. Non loquar vltrà in nomine illius. Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis; & defeci, ferre non sustinens*. Ierem.20.v.8.& 9. *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*. Thren.4.v.4. *Posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodiui*. Cant.1.v.5. *Diligis me plus his? pasce*, &c. Ioan.21.v.15. *Zelus domus tuæ comedit me*.Psalm.68.v.10. *Ego libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris*.2. Cor. 12.v.15.*Optabam anathema esse pro fratribus meis*.Rom. 9.v.3.

Quartò,casti & angelici. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar*. 1.Corinth.9. vers.27. Doctores impuri similes seminifluis. Leuit.15. v.9. *O pastor,& idolum!* Zach.11.v.17.*Odor oris tui sicut malorum*. Cant. 7.v.7. *Sicut eructant præcordia fœtentium*,&c. *sic & cor super-*

Superborum. Eccli.11.v.32.*Et erit pro suauiodore fœtor.* Isa.3.v.24. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Eccli.19.v.1. *Qui credit cito, leuis cordeest, & immorabitur* v.4.

Quintò strenui ac diligentes.*Predica verbum,insta oportunè,importunè,argue,obsecra,increpa,*&c. 2. Tim. 4.v.1.vsque 6.*Sicut hi qui preparant conuiuium,& quærunt aliorum voluntati parere propter multorum gratiam, libenter Laborem sustinemus.* 2.Mach.2.v.28. *Negotium plenum vigiliarum & sudoris.v.27.*

Sextò, à negotijs alienis abstinentes. *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.* 2.Tim.2.v.4. *Non enim misit me Christus baptizare,sed euangelizare.*1. Cor.1.v.17.*Non est æquum,nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Act.6.v.2.

Septimò, propriæ saluti ante omnia inuigilantes. *Bibe aquam de cisterna tua,* tum *deriuentur fontes tui foras,*&c.Prou.5.v.15.*Attende tibi & doctrinæ; insta in illis: hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.*1.Tim.4.v.16.*Comede fili mi,mel,quia bonum est,& fauum dulcissimum gutturi tuo: sic & doctrina sapientiæ anima tuæ: quam cum inueneris, habebis in nouissimis spem,*&c.Prou.24.v.13.

VARIA.

Hæc monuit Christus sub initium sermonis in monte, anno secundo suæ prædicationis, circa medium Maij Chron.c.49.

IN PRIMA MISSA DE COMMVNI CONFESSORIS NON PONTIFICIS.

Euangel. *Sint lumbi vestri præcincti.* Lucæ 12.v.35. vsque 41.

FIDES.

Luc. 12.v.35 *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus*] Non sufficere solam fidem, sed bona opera etiam requiri, controu.15.num.7.9.23.*Fides sine operibus mortua est.* Iac.2. v.26. Etiam votis lumbos præcingi,controu.9.num.4.vsque 9.De cælibatu clericorum,controu.8.nu.9.vsque 12.*Sobriè,piè & iustè viuamus in hoc sæculo,exspectantes beatam spem,& aduentum gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi.* Tit. 2.v.12.

v.37. *Præcinget se* Dominus,*& faciet illos* (seruos suos tam vigilantes,*) discumbere, & transiens ministrabit illis*] De præmiis meritorum,contr.16.nu.6.vsque 11. De gloria cælesti tum animæ, tum corporis Beatorum, contr.30.n.3. vsque 7. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis,& in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Isaiæ 32. v.18. De quo vide in Festo omnium Sanctorum,1.Nouembris.

v.40. *Qua hora non putatis, Filius hominis veniet*] Matth. 24.vers.45. & Apoc.3.vers.3. *Veniam ad te tamquam fur.*De iudicio vniuersali & particulari,contr.28.num. 3.& 4.*Quomodo scrutati sunt Esau,inuestigauerunt abscondita eius!* Abdiæ v.6. *Qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea.*Iob 4.v.19.*Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo,& aues laqueo, sic capiuntur homines in tempore malo,cùm eis extemplò superuenerit.* Eccles.9.v.12.

MORES.

Beatus dives, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt,&c.Eccli.31.v.8.vsque 12. *Spiritus sapientiæ* infusus *Beseleel*, Exodi 31.v.2. *Inualuerunt super me verba vestra. Dixistis, Vanus est qui seruit Deo:& quod emolumentum quia custodiuimus præcepta eius?* &c. Malach.3.v.13.vsque 18. *Et videbitis; quid sit inter iustum & impium;& inter seruientem Dei, & non seruientem ei. Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus:& erunt omnes superbi:& omnes facientes impietatem, stipula, & inflammabit eos dies veniens, quæ non derelinquet vis radicem & germen. Vobis* (autem) *timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ,& sanitas in pennis eius,& calcabitis impios*, &c. Malach.4.v.1.2.3. *In leges* enim *diuinas impiè agere, impunè non cedit.* 2. Machab.4. vers.17.

Sint lumbi vestri præcincti] *Venter tuus vallatus lilijs.* Cant.7.v.3. *Sustine* aduersa, *& abstine* à vitiis & Luc. 12.v. voluptatibus; dictum est Epicteti, cuius tanta erat 35. æstimatio, vt lucerna eius fictilis tribus drachmarum millibus veniret,teste Gellio.Exodi 39.v.1.& 5.fece- Gell.l. runt cingulum *de byssoretorta, hyacintho, purpura &* 17.c. *vermiculo*, distinctum *arte plumaria, sicut præceperat* 19. *Dominus Moysi.*Isaiæ 11.v.5.*Erit iustitia cingulum lumborum eius.* Prou.31.v.17. *Accinxit fortitudine lumbos suos.* Ephes.6.v.14. *State succincti lumbos vestros in veritate.*Nam vt est psalm.37.v.8.*Lumbi mei impleti sunt illusionibus.* Lucta hæc est *carnis* & appetitus sensitiui contra *spiritum.*Sicut & lucta *Esau* contra *Iacob* in vtero matris,Genes.25.v.22.*Vnde lites & bella inter vos? Ex concupiscentijs vestris,*&c. Iac.4.v.1.*Venite fruamur bonis,*&c.Sap.2.v.6.*Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere ancillam, cùm fuerit hæres domina sua.* Prou.30.v.21.*Debitores sumus non carni,*&c.Rom.8.v. 12.*Qui sunt Christi,carnem suam crucifixerunt,*&c.Galat.5.v.24.*Cibaria & virga & onus asino,*&c. Eccli.33. v.25.*Esto dominus fratrum tuorum, & incurruentur tibi filij matris tuæ,*&c. Gen.27.v.29.*Amba* vxores Esau *offenderant animum Isaac & Rebeccæ.*Gen.26.v.vlt. *Vives in gladio,& fratri tuo seruies.*Gen.27.v.40. *Amen,amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.Si ergo vos Filius liberauerit,verè liberi eritis.* Ioan.8.vers. 34. *Quidquid est in mundo, est concupiscentia carnis,* &c. 1. Ioan.2. v.6. Lapsus Dauidis conspecta vxore Vriæ,2.Reg.11.v.2.*Manasses* post innumera scelera locum inuenit pœnitentiæ: filius eius Amon non item, 4. Reg.21. v.12. *Ferculum fecit sibi rex Salomon,*&c. Cant.3.v.9.

VARIA.

Huius & sequentis Euangelij verba dixit Iesus anno tertio suæ prædicationis sub medium Octobris. Chronici cap.49.

IN SECVNDA MISSA DE COMMVNI CONFESSORIS NON PONTIFICIS.

Euangel. *Noli timere pupillus grex.* Lucæ 12. v.32.vsque 35.

FIDES & MORES.

Pusillus grex Ecclesia Christi, lupis vndique vallatur, sed numquam interibit, controu.5.num.2. Potiùs crescet in dies. *Iustus vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur,* &c. Psalm.91. vers. 13. Compli-

Complacuit Patri vestro dare vobis regnum, sed certantibus, sed vincentibus, & sic promerentibus, vide in Festo S. Iacobi, 25. Iulij. De diuina prædestinatione, vide controu. 13. nu. 8. De conditionibus ad meritum requisitis, controu. 16. nu. 1. *Ego disponam vobis regnum*, &c. Luc. 22. vers. 29. *Vos eritis mihi in regnum sacerdotale, in peculium*, &c. Exod. 19. v. 4. &c. *Tantummodo esto vir fortis, & præliare bella Domini.* 1. Reg. 18. v. 17. *Si percussisses iaculo terram quinquies aut sexies, percussisses Syriam vsque ad consumptionem.* 4. Reg. 13. vers. 19.

v. 33. *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam*] De consiliis Euangelicis, controu. 9. n. 9. De voto paupertatis nu. 6. De eleemosyna, vide in Indice secundo. *Facile* autem *est in oculis Dei subitò honestare pauperem.* Eccli. 11. v. 23. *Multus tecum est populus, nec trădetur Madian in manus eius: ne glorietur contra me Israel, & dicat: Meis viribus liberatus sum. In trecentis viris qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian.* Iudic. 7. v. 2. & 7.

Facite vobis thesaurum non deficientem in cœlis] Iustitiam, quantamcumque, in hac vita posse amitti, controu. 15. num. 17. vsque 21. Qua via augeatur & stabiliatur, nu. 23. Quantus thesaurus sit meritorum, controu. 16. n. 6. & 7. pro hac vita: pro altera, controu. 30. nu. 3. &c. Imò & ex nunc *conuersatio nostra in cœlis est.* Philip. 3. v. 20.

POST MISSAS DE COMMVNI CONFESSORIS NON PONTIFICIS.

Euangel. *Homo quidam nobilis abijt.* Lucæ 19. v. 12. vsque 27.

FIDES & MORES.

Luc. 19. v. 12. De Domini abitu *in regionem longinquam*: de *negotiatione* seruorum: de *ratione* cum illis posita: de laudatis diligentibus & præmio affectis, vide in Festo S. Nicolai, 6. Decemb.

v. 14. *Nolumus hunc regnare super nos*] non obstantibus tot ipsius in nos meritis ac beneficiis. De libertate humani arbitrij, controu. 13. tota. *Non habemus regem, nisi Cæsarem.* Ioan. 19. v. 15. *Et viderunt, & oderunt & me & Patrem meum.* Ioan. 15. v. 24. Nempe maluntillum *qui rex est super vniuersos filios superbiæ.* Iob 41. v. 25. *Reuertere, reuertere*, &c. Cant. 6. v. vlt. *Sicut fuit sensus vester vt erraretis à Deo, decies tantum iterum conuertentes requiretis eum.* Baruch 4. v. 18.

v. 16. *Domine, mina tua decem mnas acquisiuit.* vers. 18. *Alter venit dicens, Domine, mna tua fecit quinque mnas* & v. 20. *Alter* dixit, *Ecce mna tua, quam habui repositam in sudario*] Nam par gratia dispares fert fructus, pro dispari voluntatis cooperatione, controu. 14. n. 4. & 5. & controu. 15. nu. 22. *Adiuuantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* 2. Cor. 6. v. 1. *Gratia eius in me vacua non fuit: sed abundantiùs illis omnibus laborauit. Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* 1. Cor. 15. v. 10. De diligentia in laborando, vide Dominicam Septuagesimæ. *Factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor.* Osee 7. v. 11. *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem, retrorsum conuerti.* 2. Petri 2. v. 21.

v. 22. *De ore tuo te iudico serue nequam*] *Dominus Deus tuus, ipse est Deus, fortis & fidelis, custodiens pactum & misericordiam diligentibus se, in mille generationes: & reddens odientibus se statim, ita vt differat eos, & vltrà non differat, protinus eis restituens quo merentur.* Deut. 7. vers. 9. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.* 1. Corinth. 3: vers. 8.

Auferte ab illo mnam, & date illi qui decem mnas habet. Ab eo qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo] Apoc. 3. vers. 11. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Nahum 3. v. 16. *Plures fecisti negotiationes tuas* (ô Niniue) *quàm stellæ sint cœli.* Sed *quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Matth. 16. vers. 26. *Quid nobis profuit superbia? & diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? Ergo errauimus*, &c. Sap. 5. vers. 6. & 8. E contrario, *omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.* Hebr. 12. vers. 11. *Propter quod remissas manus, & soluta genua erigite.* v. 12. *Mensuram bonam & confertam & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Luc. 6. v. 38. v. 24 & 26.

v. 26. *Omni habenti dabitur, & abundabit*] Quantis incrementis proficere possumus si velimus? Controu. 16. num. 6. & controu. 15. num. 22. & 23. *Gens, absque consilio est, & sine prudentia. Vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent?* Deut. 32 vers. 28. *Vnam petij a Domino, hanc requiram, vt habitem in domo Domini.* &c. Psal. 26. v. 4. *De vnoc essatio*, vide in Festo Assumpt. B. Virg. 15. Augusti.

VARIA.

Hæc dixit Iesus in Iericho post initium mensis Martij, paulò ante passionem suam. Chronic. c. 49.

An licuerit *Iudæis ad vsuram* dare Gentilibus, vide Deuter. 15. v. 6. & c. 23.

DE COMMVNI ABBATVM.

Euangel. *Ecce nos reliquimus omnia.* Matth. 19. v. 27. vsque 30.

FIDES.

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te] Apostoli verè Religiosi fuere, controu. 9. num. 2. De votis paupertatis, castitatis & obedientiæ, ibid. numer. 4. vsque 9. vbi de consilijs euangelicis. *Omnes erant pariter, & habebant omnia communia: possessiones & substantias vendebant*, &c. Actor. 2. vers. 44. *Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna: nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*, &c. Actor. 4. vers. 32. 34. 35 *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Iesu Christi.* Phil. 2. vers. 21. *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta*, &c. Philipp. 3. vers. 7. &c. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam*, Cant. 8. vers. 7. Matth. 19. v. 27.

Quid ergo erit nobis?] De meritis bonorum operum, controu. 19. num. 1. vsque 10. De gloria cælesti contr. 30. nu. 3 vsque 7. *Num parum vobis videtur generum esse regis? Ego autem sum vir pauper & tenuis.* 1. Reg. 18. v. 23. *Num quia frater meus es, gratis seruies mihi? dic quid mercedis accipias?* Gen. 29. v. 15. *Seruiam tibi pro Rachel septem annis*, v. 18. *Videbantur illi dies pauci præ amoris magnitudine.* v. 20.

Sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel] Vide Commentar. *Quàm terribilis est locus iste?* Gen. 28. vers. 17. In v. 28.

antiqua

antiqua lege promittebat pijs Deus primò longitudinem vitæ; Secundò, amplam & claram posteritatem; Tertiò, opulentiam; Quartò, potentiam & dominium; Quintò, victoriam inimiçorum. Vitæ æternæ promissio & regni cælestis, propria est noui testamenti. inquit S. Hier. epist. ad Dardanum.

v. 19. *Centuplum*] Marci 10. v. 30. *Nunc in tempore hoc*, idque *cum persecutionibus*, vide comment. Sed cetera ad omne meritum requisita (contr. 16. n. 1.) abesse non debent. *Sit ciuitas hæc* Iericho, *anathema & omnia quæ in eis sunt, Domino. Quidquid auri & argenti fuerit* &c. *Domino consecretur* Iosue 6. v. 17. & 19. *Isaaco* volenti descendere *in Ægyptum* suadet Deus maneat in Palæstina, & *inuenit centuplum.* Gen. 26. v. 2. & 12. quòd si centuplum promittitur deserentibus amore Christi res externas, quid dabitur abnegantibus carnis cõcupiscentias, & internas delicias? *Hi centum quadraginta quatuor millia sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati virgines enim sunt, & sequuntur Agnum quocumque ierit.* Apoc. 14. v. 1. vsque 6. *O quàm pulcra est casta generatio cum claritate!* Sap. 4. v. 1. Obedientię voto perforatur Religiosis spiritualiter auris, Exodi 21. v. 6. Secundùm *impetum spiritus* mouebantur, Ezech. 1. v. 12. *Vt iumentum factus sum apud te.* Psal. 72. v. 23. *Vir obediens loquetur victoriam.* Prou. 21. v. 28. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Isaiæ 5. v. 24. *O Domine, quia ego seruus tuus.* Psal. 115. v. 6.

MORES.

O Religio, *quàm pulchra es in delicijs!* Cant. 7. v. 6. *fructus Spiritus, charitas,* &c. Gal. 5. v. 22. *Regnum Dei iustitia, pax,* &c. Rom. 14. v. 17. *In exitu Israel de Ægypto,* &c. Psal. 113. v. 1. *Eduxit populum suum in exultatione, & electos suos in latitia.* Psal. 114. v. 43. *Iubilate,* &c. Psal. 99. v. 2. *Gaudete in Domino semper,* &c. Phil. 4. v. 4. *Delectare in Domino,* &c. Psal. 36. v. 4. *Secura mens, iuge conuiuium.* Prou. 17. v. 15. *Non cõtristabit iustum quidquid ei acciderit.* Prou. 12. v. 21. *Hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore, non parcas,* Iob 6. v. 16. *Latamini cum Ierusalem,* &c. Isaiæ 66. v. 10. *Tunc super Omnipotentem delicijs afflues,* &c. Iob 22. v. 26. *Innixa super dilectum,* &c. Cant. 8. v. 5. *Renuit consolari anima mea,* &c. Psal. 76. v. 4. *esse sub sentibus delicias putant,* &c. Iob 30. v. 7. *Luna sub pedibus eius,* Apoc. 12. v. 1. *Non habet amaritudinem conuersatio eius,* &c. Sap. 8. v. 16. *Quàm magna multitudo dulcedinis!* &c. Psal. 30. v. 20. *Prouidebam Dominum,* &c. Psal. 15. v. 8. *Sicut abundant passiones Christi in nobis ita & cõsolatio.* 2. Cor. 1. v. 5. *In tribulatione dilatasti mihi.* Psal. 4. v. 2. *Vsquequò graui corde,* &c. v. 3. *Mirificauit Dominus sanctum suum,* v. 4. *Candidiores Nazarai eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphyro pulchriores,* Thren. 4. v. 7. *Denigrata est super carbones facies eorum,* &c. v. 8. *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.* Cant. 4. v. 2. *Iudas Machabæus secesserat in desertum locum, ibique inter feras vitam in montibus cum suis agebat; & fœni cibo vescentes, demorabantur, ne participes essent coinquinationis* 2. Mach. 5. v. vlt. *Cùm autem placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam,* &c. *continuò non acquieui carni & sanguini,* &c. Gal. 1. v. 15. *Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, vt prosequerer te cum gaudio?* &c. Gen. 31. v. 27. Quàm sincerè, patet v. 36. &c. Quanto consultius facient parentes, vt habetur v. 43. 44. 54. & 55. vt dixi in prima Missa de Communi Martyris Pontificis.

In Apostatantes.

Ruina est homini deuorare sanctum & post vota retractare. Prou. 20. v. 25. *Sic stulti estis, vt, cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? Tanta passi estis sine causa?* Gal. 3. v. 3. *Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.* 1. Corinth. 15. vers. 58. *Bonum facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus, non deficientes.* Gal. 6. v. 9.

VARIA.

Hęc promisit Christus Februario vltimo ante mortem suam. Chron. c. 49.

Pro exemptione Cleri & Religiosorum, à vectigalibus, tributis, &c. vide Gen. 47. v. 22. & 26.

In prima Missa DE COMMVNI VIRGINIS, item & VIRGINIS NON MARTYRIS, Euangelium de *decem virginibus*, habes in festo S. Catharinæ, 25. Nouemb.

IN SECVNDA MISSA DE COMMVNI VIRGINIS MARTYRIS : vel VIRGINIS NON MARTYRIS : vel MARTYRIS NON VIRGINIS : vel NEC VIRGINIS, NEC MARTYRIS.

Euangel. *Simile est regnum cœlorum thesauro.* Matth. 13. v. 44. vsque 53.

FIDES.

Thesaurus inuentus, castitas, Religio, Martyrium. De castitate, contr. 9. v. 7. etiam *simila, panum, & sticarum* sacrificia instituit Deus, ne quid vot. s paupe- Mat. 13. v. 44
rum deesset, Leu. 2. v. 1. De religione Catholica, vide contr. 5. n. 1. & 3. quibus notis inueniatur, n. 4. vsque 9. De martyrio contr. 19. n. 3.

Pretiosa margarita cuiuis *negotiatori* quærenda, v. 46.
charitas, sapientia, & *vita æterna.* De *charitate,* 1. Cor. 13. v. 1. *Si linguis hominum loquar,* &c. De *sapientia,* Prou. 8. v. 11. & 19. *Encomia sapientiæ,* Prou. 3. v. 13. *Beatus homo,* &c. vsque 27. *Secretum meum mihi,* Isaiæ 24. v. 16. quàm *abscondita* hominibus sapientia, graphicè describitur Iob c. 28. toto. *Sapientia verò vbi inuenitur? Trahitur de occultis. Ecce timor Domini, ipse est sapientia, & recedere à malo intelligentia.* v. 12. 18 28. Primo loco necessaria castitas. *Pepigi fœdus,* &c. Iob 31. v. 1. quantus thesaurus sapientiæ, vide Sap. 7. v. 7. vsque 14 *Infinitus enim thesaurus est hominibus,* &c. Item toto c. 8. & Eccli. 6. v. 18. vsque 35. & c. 14. v. 12 vsque fin. c. 15. v. 1. vsque v. 12. *Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate ee, mite.* &c. *absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate?* Isaiæ 55. v. 1. &c. Vidè in Communi Abbatum. *Ecce nos reliquimus omnia.* De *vita æterna* vidè contr. 30. n 3. & c.

Sagena ex omni genere piscium congreganti, adsimulatur Ecclesia Christi, contr. 5. n. 12. vsque finem. De sagena omnium piscum Gen. 7. v. 2. arca Noë. Gen. 6. v. 16. & 19. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Act. 10. v. 34. *Ad te omnis caro veniet.* Psal. 64. v. 3. v. 47.

Exibunt Angeli & separabunt malos de medio iustorum, v. 48.

rum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & stridor dentium] vide feria II. post .I Dominicam Quadrag.

MORES.

Qua est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? Cant.3. vers. 6. *Adducentur regi virgines post eam*, Psalm.44.vers.15. *Felix est sterilis & coinquinata, quia nescinit thorum in delicto*,&c. Sap.3. vers. 13. vsque ad fin. vbi de præmijs castitatis. *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate*, seu splendore virtutum? *Immortalis est enim memoria illius*, &c. c.4.vers.1. 2.& 3. Virgines, *qui cum mulieribus non sunt coinquinati, sine macula ante thronum Dei* assistunt; *nouum* cantant *canticum coram Deo & Agno*, & ipsum *Agnum* tamquam sponsæ *sequuntur quocumque ierit*.Apoc.14.v.8.&c. *Æmulor enim vos Dei æmulatione: despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo*.2.Cor.11.v.2. *Philippo Euangelistæ*, qui erat vnus de septem Diaconis *erant quatuor filiæ virgines prophetantes*, Act.21.vers.8. *Erit hoc memoriale nominis mei, dum manus fœminæ deiecerit eum.* Iudith 9.v.11.Castitas vincit leones,Dan.6.v.22.Vincit ignes, Dan.3.v.49. *Vincit omnia tyrannorum tormenta*,2.Mach.7.

Ornamenta virginum non *capillatura* & *vestes* curiosæ, *vel circumdatio auri*, &c. 1.Petr.3.vers.3. *Carnem suam crucifixerunt*,&c.Gal.2.vers.6. *Auferet Deus ornamenta calceamentorum, & torques*, &c.Isaiæ 3.vers. 18. Sed virtutes. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus.* Psalm.44.vers.14. *Induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsam amatam in curruibus suis.*Isai.61.vers.10.*Obaudite me diuini fructus, & quasi rosa plantata super riuos aquarum sanctificate. Quasi Libanus, odorem suauitatis habete. Florete flores quasi lilium, & date odorem*, &c. Eccli.39. v.17.18.&19. Cogita filiam Iephte,quæ se holocaustum obtulit Domino manu paterna,Iudic.11.vers.39. De virginum encomiis plura vide 1.Cor. 7.v.7. 31. 34.& 38.

De Viduis.

Officium probæ viduæ, vide 1.Tim.5.vers.4.vsque 17. *Gustauit & vidit quia bona est negotiatio eius.* Prou.31. vers. 18. *Omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam*, Phil.3. vers.8. *Impia Iezabel vidua* depinxit oculos suos *stibio*,&c. sed præceps data,&c. 4. Reg.9.vers. 30. Encomia mulieris sanctæ, Prou.31. vers.10. *Mulierem fortem*, &c. Eccli.26.vers.16.vsque 25. *Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata*, vers.19. *Sicut sol oriens mundo*, &c. *sicut lucernà splendens super candelabrum sanctum*,&c. *sicut columnæ aureæ super bases argenteas*,&c. vers.21.22. & 23.Iudith 8.vers.5. *Fecit sibi secretum cubiculum*,&c. & c.9.vers.2. *Induens se cilicio*, &c. *lacrymæ viduæ à maxilla ascendunt vsque ad cœlum*, &c. Eccli.35.vers.17. *Speret in Deum, & instet orationibus nocte & die*, 1. Timoth.5. vers.5.sicut *Anna Prophetissa*, Luc.2.vers.37. Heroicum *animum matris Machabæorum* vide 2.Mach.7. vers.20. *Supra modum mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub vnius diei tempore conspicieris,bono animo ferebat; singulos illorum hortabatur voce patria fortiter,repleta sapientia, & feminea cogitationi masculinum animum inferens*,&c. De viduitate vide quæ docet S.Paulus 1.Cor.7.v.8.39.& 40.

De Coniugatis.

Si in vxore *est lingua curationis & mitigationis & misericordiæ non est vir illius secundùm filios hominum.* Eccli. 36. vers.25. *Mulieres quæ circumcidebant filios suos trucidabantur secundùm iussum regis Antiochi: & suspendebant pueros à ceruicibus per vniuersas domos eorum: & eos qui circumciderant illos, trucidabant.* 1.Machab.1.vers.62.& 2.Machab.6.vers. 9.&c.De coniugibus vide quæ S.Paulus docet 1.Cor. 7.v.2.10.&c.

VARIA.

Dixit hæc Iesus sub initium Iulij anni secundi prædicationis suæ.Chron.cap.49.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Euangel. *Ingressus Iesus perambulabat Iericho.* Lucæ 19.v.1.vsque 11.

FIDES.

Zacheus, publicanorum (de quibus Matth. 9. Luc. vers. 9.) *princeps, quærebat videre Iesum*] Dan. 9. 19. v.3. vers.23. *Vir desideriorum.* Nemini salutem quærenti, etsi solis naturæ viribus, Deum defuturum, docui controu.14. num.10. vsque 14. Vbi etiam vide de non quærentibus. *Vniuersa terra desiderabat vultum Salomonis, vt audiret sapientiam eius.* 3.Reg. 10. vers.24. *Facilè videtur* sapientia *ab his qui diligunt eam, & inuenitur ab his qui quærunt illam: præoccupat qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat.* Sap.6. vers.13.

Suspiciens Iesus vidit illum] De electione diuina & v. 5. prædestinatione,vide contr.13.num.8.

Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere] De gratia præueniente & excitante, controu.14.n.3.vsque 6.Allicit & inuitat,non cogit, num.4.

Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus] v. 8. De eleemosynæ obligatione, eiusque fructibus,controu.17.num.12.& 13. De consilio paupertatis Religiosæ, controu.9. num.9. De voto eiusdem, num. 4.5.6.

Venit filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Vide Dominicam III. post Pentec.de centesima *one* & *drachma* perdita. Et Sabbatum post II. Dominicam Quadragesi. de *filio* prodigo. Deum honorari constructione & ornatu templorum, patet ex amplissimis hoc nomine promissis à Deo factis *Dauidi* 2.Reg.7. vers.11.& 16.*Salomoni*, 3.Reg.9. v.3. *Zorobabeli* & alijs Iudæis, Aggæi 1.vers.7.& c.2.vers.7. vsque finem. v. 10.

De templo.

Scala Iacob, *terribilis locus*, &c. Gen.18. vers.12. 17.&c. *Locus solij mei* (hic est) *& locus vestigiorum pedum meorum, vbi habito in medio filiorum Israel in æternum.* Ezech.43. vers.7. *Dominus autem in templo sancto suo: sileat à facie eius omnis terra.* Habac.2. vers.20. *Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est.* Exodi 3. vers.5. Idem Iosue 5. vers.15. *Dominè dilexi decorem domus tuæ*, &c. Psalm.25.vers.8. *Beatus quem elegisti & assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis. Replebimur in bonis domus tuæ*

sanctum est templum tuum, mirabile in aquitate. Psalm. 64. vers. 5. & seqq. *Mons Dei mons pinguis*, &c. Psal. 67. vers. 16. & 17. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum*, &c. Psal. 83. toto. *Domum tuam Domine decet sanctitudo in longitudine dierum.* Psalm. 92. v. 5. *Ecce ego habito in domo cedrina: arca autem fœderis Domini sub pellibus est.* 1. Paral. 17. vers. 1. *Votum vouit* Dauid *Deo Iacob, Si introiero in tabernaculum domus meæ*, &c. *donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Psalm. 131. vers. 2. &c. *Elegit Dominus Sion in habitationem sibi. Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam*, &c. v. 13. vsque fin. Hostes suos *possidebit domus Israel in seruos & ancillas, & erunt capientes eos qui se ceperant, & subjecient exactores suos*, &c. Isa. 14. v. 2. vsque 8. *Opus grande est: neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* 1. Paral. 29. v. 1. *Maiestatis Domini implent domum.* 2. Paral. 7. vers. 1. *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum: quæ est ista domus quam ædificabitis mihi? & quis est iste locus quietis meæ?* Isa. 66. v. 1. *Ergóne credibile est vt habitet Deus cum hominibus super terram? Si cœlum & cœli cœlorum non te capiunt, quantò magis domus ista quam ædificaui? Sed ad hoc tantùm facta est, vt respicias orationem serui tui.* 2. Paral. 6. v. 18. *Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erecta adorationem eius qui in loco isto orauerit. Elegi enim & sanctificaui locum istum.* c. 7. vers. 15. Tu Domino vis *ædificare domum* ad habitandum. *Prædicit tibi Dominus, quòd domum faciat tibi Dominus.* 2. Reg. 7. vers. 11. *Populus iste dicit, Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ.* Aggæi 1. vers. 2. *Numquid tempus vobis est vt habitetis in domibus laqueatis? & domus ista deserta?* vers. 4. *Propter hoc super vos prohibiti sunt cœli ne darent rorem, & terra, ne daret germen suum*, &c. vsque v. 12. & c. 2. vers. 16. vsque 21.

De templi dedicatione.

Prima per *Moysen* facta, Exodi 40. v. 15. &c. Numer. 7. vers. 1. &c. Secunda dedicatio templi per *Salomonem*, 3. Reg. 8. *Sanctificaui domum hanc, vt ponerem nomen meum ibi in sempiternum: & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* cap. 9. v. 3. & 7. Tertia, per *Esdram*, 1. Esdr. 6. v. 16. &c. In positione primi lapidis adhibita olim *benedictio, sacrificium, preces.* 2. Esdr. 3. v. 1. & c. 12. v. 30. Quarta dedicatio templi per *Iudam* repurgati, 1. Mach. 4. v. 54. &c. *& facta est lætitia in populo magna valdè, & auersum est opprobrium Gentium.* v. 58.

MORES.

Violatores templi, à Deo puniti.

Præcepit Alcimus (pseudopontifex) *destrui muros domus sanctæ interioris, & destrui opera Prophetarum, & cæpit destruere. In tempore illo percussus est, & occlusum est os eius, & dissolutus est paralysi, nec vltrà potuit loqui verbum*, &c. 1. Mach. 9. v. 54. *& mortuus est cum tormento magno.* v. 56. *Si quem* (ô rex) *habes hostem, aut regni tui insidiatorem, mitte Ierosolymam* (ad expilandum templum) *& flagellatum eum recipies, sitamen euaserit: eò quòd in loco sit verè Dei quædam virtus. Nam ipse qui habet in cœlis habitationem, visitator & adiutor est loci illius, & venientes ad malefaciendum percutit ac perdit.* 2. Mach. 3. v. 38. & 39.

Templum propter peccata Iudæorum desertum à Deo.

Propter peccata habitantium ciuitatem, accidit ei ea locum despectio (expilatio & euersio:) *aliquando sicut Heliodorus, sic etiam hic* (Antiochus) *statim aduenientes, flagellatus, & repulsus vtique fuisset ab audacia.* 2. Machab. 5. vers. 17. &c. *Verum non propter locum gentem; sed propter gentem, locum Deus elegit.* vers. 19. *Quietur in domibus eius sima, & vitices, & palmites*, &c. Isaiæ 34. vers. 13. *Lamitetur super domum suam, & non stabit*, &c. Iob 8. vers. 13. & c. 4. vers. 19. *Tu autem vade domus Israel templum, & confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam, & erubescant ex omnibus quæ fecerunt.* Ezech. 43. vers. 10. *Flebant qui videbant*, &c. 1. Esdr. 3. vers. 12. *Cùm leges optimè custodirentur*, &c. *fiebat vt & ipsi* (exteri) *reges & principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent: ita vt Seleucus Asiæ rex de redditibus suis omnes sumptus præstaret ad sacrificia.* 2. Machab. 3. vers. 1. &c. *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes, Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Ierem. 7. vers. 4. *Numquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum, in oculis vestris? Ego, ego sum, ego vidi, dicit Dominus.* vers. 11. *Faciam domui huic, sicut feci Silo: & proiciam vos a facie mea.* 1. v. 14. 15. &c. *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, dilectam* (quasi) *animam meam in manu inimicorum eius.* c. 12. v. 7. *Numquid non Dominus in medio nostrum? Et non venient super nos mala. Propter hoc, causa vestri, Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi acervus lapidum erit, & mons templi in excelsa silvarum.* Micheæ 3. v. 11. & 12. *Sanctificatio eius desolata est sicut solitudo: dies festi eius conuersi sunt in luctum: sabbata eius in opprobrium: honores eius in nihilum. Secundùm gloriam eius multiplicata est ignominia eius, & sublimitas eius conuersa est in luctum.* 1. Mach. 1. v. 41.

De templo spirituali in anima cuiusque.

Pars animæ superior sit *Sanctum sanctorum*, in quo arca propitiatorij, volumẽ legis, virga manna, & virga Aaron. Pars inferior sit *Sanctum*, in quo mensa thymiamatis, & propositio panum, & candelabrum. Exterior compositio membrorum, assimiletur *atrio sacerdotum*, in quo altare holocausti, mare æneum, &c. vide Baral. tom. 1. l. 6. c. 5. *Ego murus, & turres*, &c. Cant. 8. v. 12. *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol, nam stultus vt luna mutatur.* Eccli. 27. v. 12. *Donec deficiam non recedam* &c. Iob 27. v. 5. *Humanum dico. Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Rom. 6. v. 19.

Satage cum Dauide, 2. Reg. 7. v. 8 & c. 12. v. 7. locum Deo dignum parare in anima tua. *Si dedero somnum oculis meis*, &c. *donec inueniam locum Domino*, &c. Psal. 131. v. 4. *Regnum Dei intra vos est.* Lucæ 17. v. 21. *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia cypressina.* Cant. 1. v. 16. *Dilexi decorem domus tuæ*, &c. Psal. 25. v. 8. *Quæ summus nos*, &c. Hebr. 3. v. 6. *Templum Dei estis*, &c. 1. Cor. 3. v. 16. & c. 6. v. 19. *Sapientia ædificauit sibi domum*, &c. Prou. 9. v. 1. *Ferculum fecit sibi rex Salomon*, &c. Cant. 3. v. 9. *Si cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis hæc domus*, &c. 3. Reg. 8. v. 27. *Confessio & pulchritudo in conspectu eius, sanctitas & magnificentia in sanctificatione eius.* Psal. 95. v. 6. *Veniat dilectus meus in hortum suum*, &c. Quale conuiuium optet Deus Cant. 5. v. 1. *Descendit in hortũ suum*, &c. Cant. 6. v. 1. *Pulchra es* &c. *sicut Ierusalem: terribilis vt castrorum acies*, &c. Cant. 6. v. 3. & 4. *Exulta & lauda*, &c. *quia magnus in medio tui sanctus Israël.*

Israel. Isaiæ 12. v.6. *Fundabo te in sapphiris*, &c. Isaiæ 54.v.11. *Saluator ponetur in ea murus*, &c. cap.26.v.1. *Equitatui meo in curribus*, &c. Cant.1.v.8. Laudes aliæ cap.7.toto.

De templo cæleſti.

De *Ieruſalem* cæleſti, Apocal.21. verſ.2. & Hebr. 12.v. 22. *Fili hominis, oſtende domui Iſrael templum*, &c. Ezech.43. verſ.10. *Lia* typus Eccleſiæ militantis, *Rachel* triumphantis. Gen.29. verſ.27. *Porta Ieruſalem ex ſapphiro & ſmaragdo edificabuntur, & ex lapide pretioſo omnis circuitus murorum eius. Ex lapide candido & mundo omnes platea eius ſternentur, & per vicos eius Alleluia cantabitur.* Tob.v.21.& Apoc. 21.v.18.

VARIA.

Excepit Zachæus Chriſtum ſub initium menſis Martii, paulò ante mortem eius. Chron.c.49.

In Miſſis votiuis DE SS. TRINITATE, DE ANGELIS, DE APOSTOLIS. DE SPIRITV SANCTO, DE CRVCE, DE PASSIONE, DE B. VIRGINE, Euangelia deſumuntur ex Feſtis eorumdem.

In Miſſa PRO QVACVMQVE NECESSITATE, Euangelium eſt Feſti S. Gregorij Thaumaturgi, 17. Nouembr.

In MIſſa PRO PECCATIS, item in Miſſa CONTRA PAGANOS; Euangelium deſumitur ex Miſſa in Rogationibus, propridie Aſcenſionis Domini.

TEMPORE BELLI.

Euangelium reſpondet Euangelio primæ Miſſæ de Communi plurium Martyrum, extra tempus Paſchale.

FIDES.

Chriſtianis licere publica iudicia exercere, gladium in reos ſtringere, bella gerere, docui controu. 10. num. 4.& 5.

MORES.

Cauſſa bellorum peccata.

Non eſt pax impijs, dicit Dominus. Iſa.48. v.22. Malach.1.v.6. *Filius honorat patrem, & ſeruus dominum ſuum. Si ergo pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus?* Simulac *peccant* Iſraelitæ, puniuntur, 2. Paral.12. verſ. 1.&c. ſimulac *pœnitent*, ſubleuantur, v.7. & c.13.v.17.& c.14.verſ.12. *Ecce, non eſt abbreuiata manus Domini vt ſaluare nequeat, neque aggrauata eſt auris eius vt non exaudiat: ſed iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum*, &c. Iſa.39.verſ.1.vſque 10. *Non addam vt vltrà vos liberem. Ite & inuocate deos quos elegiſtis, ipſi vos liberent in tempore angustiæ.* Iudic.10. verſ.13. *Cùm permodicus veniſſet numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum infinitam* Iudæorum *multitudinem, eò quòd dereliquiſſent Dominum Deum patrum ſuorum.* 2. Paral. 24. v.24. *Nunc ergo mi domine, perquire ſi eſt aliqua iniquitas eorum in conſpectu Dei eorum*, (Deus enim illorum odit iniquitatem:) *aſcendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, & ſubiugati erunt ſub iugo potentiæ tuæ. Si verò non eſt offenſio populi huius coram Deo ſuo, non poterimus reſiſtere illis: quoniam Deus eorum defendet illos, & erimus in opprobrium vniuerſæ terræ.* Iudith 5.v.24.

Et ſolet præmonere Deus.

Surge & vade in Niniuen ciuitatem magnam, & prædica in ea, &c. Ionæ 3. verſ. 2. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubuertetur.* verſ. 4. *Ecce ego inducam malum ſuper Ieruſalem & Iudam, vt quicumque audierit, tinniant ambæ aures eius, & extendam ſuper Ieruſalem funiculum Samariæ, & pondus domus Achab: & delebo Ieruſalem, ſicut deleri ſolent tabulæ, & delens vertam & ducam crebriùs ſtylum ſuper faciem eius* 4. Reg.21.verſ.12. *Ecce ego ad te, & eiciam gladium meum de vagina ſua, & occidam in te iuſtum & impium*, &c. Ezech. 21. verſ. 3. &c. *Quatuor iudicia mea peſſima, gladius, fames, beſtiæ malæ & peſtilentia.* Ezech. 14. verſ.21.

Ante omnia ergo opus pœnitentia. *Quid murmurauit homo viuens?* &c. *Scrutemur vias noſtras, & reuertamur ad Dominum*, &c. Thren.3.v.39.&c. Secundò, opus ſpe & patientia. *Ne lateris inimica mea ſuper me, quia cecidi: conſurgam cùm ſedero in tenebris: Dominus lux mea eſt. Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei, donec cauſam meam iudicet*, &c. Michæx 7. v.8.vſque 11.

Cauendum Primò, à diffidentia. Ne dixeris: *Longè Dominus apparuit mihi.* (Reſpondet, Imò) *in charitate perpetua dilexi te; ideo attraxi te miſerans. rurſumq; ædificabo te*, &c. Ierem.31. verſ.3.&c. Secundò, à prauis conſilijs. *Ne dederis mulieribus ſubſtantiam tuam, & diuitias tuas ad delendos* (vicinos tibi) *reges.* Prou.31.verſ.3. Tertiò, à temerariis remedijs. *Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt: ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum; conſilia deſtruentes*, &c. 2. Corinth.10. verſ.4. *Vide vt ſileas: noli timere, & cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium iſtorum iræ furoris*, &c. Iſa.7.verſ.4. *Non dicatis, Coniuratio* nobis ineunda. *Timorem eius ne timeatis, neque paueatis. Dominum exercituum ipſum ſanctificate: ipſe pauor veſter, & ipſe terror veſter. Et erit vobis in ſanctificationem. In lapidem autem offenſionis & in petram ſcandali* rebellibus, &c. Iſa.8. verſ. 12. vſque 16. De confœderatione cum impijs cauenda, vide Dominicam III. Quadrageſimæ, *Qui non eſt mecum*, &c. *Si reuertamini & quieſcatis, ſalui eritis: in ſilentio & in ſpe erit fortitudo veſtra.* Iſa.30.verſ.15. *Væ qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis ſperantes, & habentes fiduciam ſuper quadrigis, quia multæ ſunt, & ſuper equitibus quia præualidi nimis: & non ſunt conſiſi ſuper ſanctum Iſrael, & Dominum non requiſierunt.* Iſa.31. v.1. *Ægyptus homo, & non Deus: & equi eorum, caro & non ſpiritus*, &c. v.3.vſque 7. *Achaz* rex Iuda a *Teglat phalaſſare* rege Aſſyriorum, quem euocarat in auxilium, *vaſtatur*, 4.Reg.16. v.5. &7. *Ochozias* quia mittit qui conſulant *Beelzebub, moriturus* prædicitur ab *Elia*, 4. Reg.1.v.16. *Oſee* rex Iſrael, inuocata ope regis Ægypti *Sua*, funditus *euertitur à Salmanaſſare*, 4. Reg.17. v.3; *O rex* (Amaſia) *ne egrediatur tecum exercitus ex Iſrael: centum talentis argenti conduxi; non eſt enim Dominus cum Iſrael; Quòd ſi putas in robore exercitus bella conſiſtere, ſuperari te faciet Deus ab hoſtibus: Deus quippe eſt adiuuare & in fugam conuertere.* 2.Paral.25.v.7. *Arma & gladij in via pernersi: cuſtos autem animæ ſuæ longè recedit ab eis.* Prouerb.22.v.5.

Incumbendum pietati & bonis operibus. *Ioſaphat* regis

regis Iuda *cor sumit audaciam propter viam Domini.* 2. Paral. 17. v. 6. *Creuit ergo, & magnificatus est vsque in sublime.* v. 12.

Nitendum fiduciæ in Deum. Qualis debeat esse fiducia, controu. 15. num. 12. vsque 17. *Si habueritis fidem vt granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc; & transibit.* Matth. 17. vers. 19. Vide Dominica IV. post Epiphan. *In nobis non est tanta fortitudo, vt possimus huic multitudini resistere qua irruit super nos. Sed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* 2. Paral. 20. vers. 12. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibijs viri* (pedestris) *beneplacitum erit ei:* sed *super timentes eum*, &c. Psalm. 146. vers. 10. & 11. *Equus paratur ad diem belli, Dominus autem salutem tribuit.* Prouerb. 21. vers. vltim. *Nam illi quidem armis confidunt, simul & audacia: nos autem in omnipotente Domino, qui potest & venientes aduersum nos, & vniuersum mundum vno nutu delere, confidimus*, &c. 2. Mach. 8. vers. 18. vsque 21. *Confortare ô Abisai* (inquit Ioab 1. Paral. 19. vers. 13.) *& agamus viriliter pro populo nostro: Dominus autem quod in conspectu suo bonum est, faciet. Persequar inimicos meos, & comprehendam illos*, &c. Psalm. 17. vers. 38. vsque 49. *Hi in curribus, & hi in equis*, &c. Psalm. 19. vers. 8. *Non saluatur rex per multam virtutem, & gigas*, &c. *fallax equus*, &c. Psal. 32. vers. 16. *Qua est ista fiducia qua niteris? in quo confidis, vt audeas rebellare* regi Assyriorum, ô Ezechia? 4. Reg. 18. vers. 19. *An speras in baculo arundineo atque confracto Ægypto? Quòd si dixeritis mihi, In Domino Deo nostro habemus fiduciam: nónne iste est*, &c. vers. 22. *Quinam illi sunt in vniuersis dijs terrarum, qui eruerunt regionem suam de manu mea, vt possit eruere Dominus Ierusalem de manu mea?* vers. 35. *Noli timere*, &c. c. 19. vers. 6. & 21. vsque 29. item 32. vsque 37. *Vehementissimè confortati sunt filij Iuda* (cæsis 500. millibus Israelitarum) *eò quòd sperassent in Domino Deo patrum suorum.* 2. Paral. 13. v. 18. Rex *Asa* cæditad internecionem *decies centena millia Æthiopum*; c. 14. v. 9. &c. *Domine non est apud te vlla distantia, vtrùm in paucis auxilieris, an in pluribus. Non preualeat contra te homo. In te & in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem.* vers. 11. *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo.* c. 15. vers. 2. *Oculi Domini contemplantur vniuersam terram, & præbent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum.* c. 16. vers. 9. *Accingimini & estote viri potentes, & estote parati in manè, vt pugnetis aduersus nationes has, quæ conuenerunt disperdere nos & sancta nostra. Quoniam melius est nos mori in bello, quàm videre mala gentis nostræ & sanctorum. Sicut autem fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.* 1. Mach. 3. v. 58. *Mementote qualiter salui facti sunt patres nostri in mari rubro*, &c. *Et nunc clamemus in cœlum, & miserebitur nostri Dominus.* 1. Machab. 4. vers. 9. *Domini magni & terribilis mementote & pugnate pro fratribus vestris, filijs vestris & filiabus & vxoribus & domibus vestris.* 2. Esdr. 4. v. 14.

Maximè verò incumbendum orationi. *Et nunc orate Deum omnium*, &c. *det nobis iucunditatem cordis, & fieri pacem in diebus nostris in Israel per dies sempiternos*, &c. Eccli. 50. vers. 24. vsque 27. Marc. 11. v. 24. *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* Quænam requirantur vt oratio infallibiliter impetret, controu. 17. numer. 3. *Moyse* orante *vincit Israel*, Exodi 17. vers. 16. *Quare fremuerunt Gentes?* &c. Psalm. 2. toto. *Iustus es Domine, & omnia iudicia tua iusta sunt, & omnes viæ tuæ misericordia & veritas & iudicium. Quoniam non obediuimus præceptis tuis; ideo traditi sumus in direptionem & captiuitatem & mortem, & in fabulam & in improperium omnibus nationibus.* Tob. 3. vers. 2. & 4. *Nos enim pro peccatis nostris hæc patimur*, &c. 2. Mach. 7. vers. 32. vsque 39. *Digna factis recipimus*, &c. Lucæ 23. vers. 41. *Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Matth. 11. vers. 26. *Sicut Domino placuit, ita factum est*, &c. Iob 1. vers. 21. Sed *recordare Domine quid acciderit nobis*, &c. Thren. 5. toto. Item Baruch 2. vers. 11. vsque fin. Item c. 3. vsque vers. 9. Et c. 4 vers. 5. vsque fin. & cap. 5. toto. Dan. 9. vers. 3. vsque 20. *Probasti nos Deus, igne nos examinasti*, &c. Psalm. 65. vers. 10. & seqq. *Exurge Deus, iudica causam tuam*, &c. Psalm. 73. vers. 22. *Deus venerunt Gentes in hæreditatem tuam*, &c. Psalm. 78. toto. *Quousque cibabis nos pane lacrymarum?* &c. Psalm. 79. vers. 6. vsque fin. *Ecce inimici tui sonuerunt*, &c. Psalm. 82. toto. *Tu verò repulisti & despexisti*, &c. Psalm. 88. vers. 39. vsque fin. *Deus repulisti nos, & destruxisti nos*, &c. Psalm. 59. toto. *Nunc autem repulisti & confudisti nos, & non egredieris Deus in virtutibus nostris.* Psalm. 43. vers. 10. & seqq. *Vtquid Deus repulisti in finem? iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ?* Psalm. 73. toto. *Heu, heu, heu Domine Deus, consummationem tu facis reliquiarum Israel?* Ezech. 11. vers. 13. &c. *In his omnibus non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.* Isai. 5. vers. 25. vsque fin. Quod c. 9 ter repetitur vers. 12. 17. 21. *Væ mihi, vt quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis sanctæ?* &c. 1. Machab. 2. vers. 7. vsque 14. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris. Quare respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorem se?* Habacuc 1. vers. 13. *Memor esto Domine filiorum Edom, qui dicunt, Exinanite*, &c. Psalm. 136. vers. 7. vsque 9. *Domine inclina cœlos tuos & descende: tange montes, & fumigabunt*, &c. *Emitte manum tuam de alto*, &c. Psal. 143. vers. 5. vsque fin. *Iudica Domine nocentes me*, &c. *apprehende arma, & scutum*, &c. Psalm. 34. toto. *Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum suum*, &c. Psalm. 36. v. 14. & seqq. *Disperge superbos in furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos, & confunde eos, & contere impios in loco suo. Absconde eos in puluere simul, & facies eorum demerge in foueam.* Iob 40. vers. 6. *Eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.* &c. Psalm. 16. vers. 13. *Immitte timorem tuum super Gentes*, &c. *vt enarrent mirabilia tua*, &c. *Innoua signa*, &c. *excita furorem*, &c. Eccli. 36. vers. 2. vsque 20. *Cùm feceris iudicia tua in terra, iustitiam discent habitatores orbis. Misereamur impio, & non discet iustitiam.* Isaiæ 26. vers. 9. vsque 19. *Indulsisti genti Deus, indulsisti genti; numquid glorificatus es? Domine in angustia requisierunt te*, &c. vers. 15. & 16. *Sola vexatio intellectum dabit auditui.* c. 28. vers. 19. *Vbi est Deus Elia, etiam nunc?* 4. Reg. 2. vers. 14. *Non in perpetuum ira tua permansit: sed ad correptionem in breui turbati sunt, signum habentes salutis* (æneum serpentem, Num. 21.) *ad commemorationem mandati legis tuæ.* Sap. 16. vers. 6. *Qui habitat in adiutorio Altissimi*, &c. Psalm. 90. tot. *Quando consolaberis me? Quot sunt dies serui tui, quando facies de persequentibus me iudicium?* Psalm. 118. v. 82. & 84. *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.* Psalm. 124. vers. 3. *Vsquequo finis horum mirabilium* (bellorum?) &c. Dan. 12. vers. 6. &c. *Vade Daniel, quia clausi sunt signatiq; sermones, vsque ad præfinitum tempus.* vers. 9. ad dies 1290. vers. 11. *Quia humiliati sunt, non disperdam eos, deinde eis auxilium auxilij; & non stillabit furor meus super Ierusalem per manum Sesac. Verumtamen seruient ei, vt sciant* distan-

distantiam seruitutis meæ, & seruitutis regni terrarum. 2.Paralip.12.vers.7. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius*,&c. Psalm.67.vers.1.& seqq.*Consurge, consurge,induere fortitudinem brachium Domini: consurge sicut in diebus antiquis. Numquid non tu percussisti superbum, vulneraſti draconem, siccaſti mare?* &c. Isaiæ 51. v.9.&c.

Sic, sic exorabitur, & certò ac citò succurret Deus. *Excitatus est tamquam dormiens Dominus,tamquam potens crapulatus à vino;& percussit inimicos suos in posteriora,opprobrium sempiternum dedit illis.* Psalm. 77.v. 65. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam,dicit Dominus.*Psalm.11.v.6.*Eloquia Domini,eloquia casta,* &c.v.7. *Indutus est Dominus iustitiâ vt lorica, & galea salutis in capite eius*, &c. Isaiæ 39. v.17.&c. Similia Ephes.6.v.17. & 1.Thessal.5. vers.8. *Currum* belli, victoriæ ac triumphi *Dei*, vide Ezech. 1,vers. 5. vsque fin. *Currus Dei decem millibus multiplex*, &c. Psalm. 67. vers.18. *Dissipa gentes quæ bella volunt.* vers.31. *Feras arundinis*, &c. *Et vidi, & ecce quatuor cornua,quæ ventilauerunt Iudam & Israel & Ierusalem. Et ostendit mihi Dominus quatuor fabros, qui venerunt deterrere ea, vt deijciant cornua Gentium.*Zachar. 1. vers. 18. vsque fin. *Hæc dicit Dominus: Post gloriam* (redditam populo meo) *misit me ad* pessumdandas omnes *gentes, quæ spoliauerunt vos. Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Zachar. 2. vers. 8. *Lauda & lætare filia Sion,quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus.* vers. 10. *Sileat omnis caro à facie Domini: quia consurrexit de habitaculo sancto suo.* vers.13. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me.* Psalm.22. v.5. *Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis, & sciens sperantes in se.* Nahum 1.vers.7. *Non consurget duplex tribulatio. Afflixi te, & non affligam te vltrà.* vers.12. *Et nunc conteram virgam eius de dorso tuo,& vincula tua disrumpam.* vers. 13. *Ecce super montes pedes euangelizantis & annuntiantis pacem. Celebra Iuda festiuitates tuas,& redde vota tua: quia non adijciet vltrà vt pertranseat in te Belial: vniuersus* (Assur) *interijt.* vers.15. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum.*1.Cor.15. vers.57. *Non dicent vltrà: Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. Sed vnusquisque in iniquitate sua morietur: omnis homo, qui comederit vuam acerbam, obstupescent dentes eius.* Ierem.31. vers. 29. *Propter nomen meum longè faciam furorem meum: & laude mea infrænabo te, ne intereas.* Isaiæ. 48.vers.9. *Propter me, propter me, faciam, vt non blasphemer: & gloriam meam alteri non dabo.* vers.11. *Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis.* vers. 10. *Sicut eratis maledictio in Gentibus, sic saluabo vos, & eritis benedictio. Sicut cogitaui vt affligerem vos, sic conuersus cogitaui vt benefaciam domui Iuda & Ierusalem:* Zach.8.vers. 13.vsque 16. *Ego te cum ero,& percuties Madian quasi virum vnum.* Iudic.6. v.16. *Iam placatus sum super malo quod feci vobis. Nolite timere à facie regis Babylonis*, &c. *quia vobiscum sum ego*, &c. Ierem. 42. v.10. &c. *Et tu noli timere serue meus Iacob, quia tecum ego sum: quia ego consumam cunctas gentes ad quas eiecit te: te verò non consumam, sed castigabo te in iudicio, nec quasi innocenti parcam tibi.* Ierem.46.vers.vlt. *Extendit autem Ieremias dexteram, & dedit Iuda gladium aureum,dicens: Accipe sanctum gladium, munus à Deo in quo dejcies aduersarios.* 2. Machab.15. vers.15.&c. *Non saluabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus:* Osée 11 vers. 7. (sed) *saluabo eos in Domino Deo suo* (id est, vi occulta cælitus immissa, qua cæli vna nocte 185.*millia Assyriorum*, 4.Reg.19.vers.35.)

Benedic anima mea Domino, &c. Psal.102.v.1.&c.*Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est*,&c. Exod. 15.v.1.*Eleuare, eleuare, consurge Ierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius*,&c. Isa.51.v.17. vsque 21. *Audi paupercula: Ecce tuli de manu tua calicem soporis*, &c. *& ponam illum in manu eorum qui te humiliauerunt*, &c.v.21.vsque fin.

Bella & clades retorquebit in hostes tuos. *Omnes qui comedunt te, deuorabuntur; & vniuersi hostes tui in captiuitatem ducentur; & qui te vastant, vastabuntur, cunctosque prædatores tuos dabo in prædam.* Ierem.30.v. 16. & c.31.vers.28.&c. *Sume calicem vini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te*, &c. *Et accepi* &c. *& propinaui*, &c. Ierem.25.vers.15. vsque 20.Psalm.74.vers.9. *Calix in manu Domini* &c. *Bibite & inebriamini, & vomite, & cadite, neque surgatis à facie gladij*, &c. Ierem.25.vers.27. *A facie iræ columbæ.* vers.38. *Fac tibi vincula & catenas*, &c. *& mitte eas ad regem Moab*, &c. Ierem.27.vers. 2.&c. *Ecce ego super te Tyre, & ascendere ad te faciam gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans, & dissipabunt muros Tyri, & destruent turres eius, & radam puluerem eius de ea, & dabo eam in limpidissimam petram: siccatio sagenarum erit in medio maris.* Ezech.26.v.3. &c. *Quomodo peristi vrbs inclyta, quæ fuisti fortis in mari, cum habitatoribus tuis, quos formidabant vniuersi? Nunc stupebunt naues*, &c. vers.17.&c. & toto c.27. & 28. *O mucro Domini, vsquequo non quiesces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & sile. Quomodo quiescet, cum Dominus præceperit ei aduersus maritimas regiones, ibiq; condixerit illi?* Ierem.47.vers.vlt. *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter: & maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine.* Ierem.48. vers.10. *Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum. Disperdam te*, &c. *Et erit funiculus maris,requies pastorum, & caula pecorum.* Sophon.2. vers.5. &c. *Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Nolitimere populus meus, habitator Sion, ab Assur. In virga percutiet te, & baculum suum leuabit super te,in via Ægypti* (id est, eo successu quo solet rex Ægypti: *) adhuc enim paululum modicumq;, & consummabitur indignatio & furor meus super scelus eorum*, &c. Isaiæ 10.v.24.vsque fin.*Cadet Assur* (Sennacherib) *in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum*, &c. *Dixit Dominus, cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Ierusalem.*Isaiæ 31.vers.8. *Nunc consurgam, dicit Dominus, nunc exaltabor, nunc sublevabor. Concipietis ardorem, paretis stipulam. Spiritus vester vt ignis* sæuiens *vorabit* non populum meum, sed *vos*met, Isaiæ 33.vers.10.& 11. *Confractus est Bel, contritus est Nabo*,&c. Isaiæ 46.vers.1. *Comedit me*, (dicit habitatio Sion,) *deuorauit me Nabuchodonosor rex Babylonis: reddidit me quasi vas inane: absorbuit me quasi draco:repleuit ventrem suum teneritudine mea, & eiecit me* (in Chaldæam.) Ierem.51.vers.34. *Propterea ecce ego iudicabo causam tuam, & vlciscar vltionem tuam, & desertum faciam mare eius*, &c. *& erit Babylon in tumulos, habitatio draconum, stupor & sibilus*,&c.vers.36.*Inebriabo eos, vt sopiantur, & dormiant somnum sempiternum.* vers.39. *Nunc vastaberis filia latronis*, &c. Michææ 4. vers.1. *Capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach, confusa sunt sculptilia eius, superata sunt idola eorum.* Ierem.50. vers.2. *Quomodo confractus est & contritus malleus vniuersæ terræ? Quomodo versa est in desertum Babylon in Gentibus?* vers.23. *Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram: de vino eius biberunt Gentes, & ideo commota sunt. Subitò cecidit Babylon & contrita est.* Ierem. 51. vers.7. *Infelix* (Nicanor) *interrogauit, si est potens in cælo, qui imperauit*

rauit .igi diem ſabbatorum ? Et reſpondentibus (Iudæis) *Et Dominus vnus. At ille ait : Et ego potens ſum ſuper terram, qui impero ſumi arma, & negotia regis impleri.* 2.Machab.15. verſ.3.&c. *Quis tu, vt timeres ab homine mortali, qui quaſi fœnum ſtaa areſcet? & formidaſti iugiter tota die a facie furoris eius qui te tribulabat, & parauerat ad perdendum ? Vbi nunc eſt furor tribulantis?* Iſaiæ 51.v.12.&13. *Multiplicaſti gentem* hoſtilem, *ſed non magnificaſti lætitiam. Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti, ſicut in die* cladis *Madian.* Iſaiæ 9.verſ.3.& 4. *Quomodo confracta eſt virga fortis, baculus glorioſus?* Ierem. 48.verſ.17. *Confregi potentias arcuum, ſcutum, gladium & bellum*, &c. Pſalm.75. toto. *Subiecit populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris*, &c. Pſalm.47.verſ.4. *Venite & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram: auferens bella vſque ab finem terræ: arcum conteret*, &c. Pſal.45.v.9.

In Miſſa pro PACE OBTINENDA vel FOVENDA, Euangelium deſumitur ex Dominica in Albis.

In Miſſa pro VITANDA MORTALITATE, Euangelium deſumitur ex Feria quinta poſt tertiam Dominicam Quadrageſimæ.

In Miſſa pro INFIRMIS CVRANDIS, Euangelium deſumitur ex Dominica tertia poſt Epiphaniam.

In Miſſa pro SPONSO ET SPONSA, Euangelium deſumitur ex Feſto S.Agathæ, 5. Februarij.

PRO INFIRMIS.

Euangel. *de Seruo centurionis*, idem eſt cum Euangelio tertiæ Dominicæ poſt Epiphaniam.

Ad ægros ſolandos.

Vide quæ de *ſocru Simonis* dixi Feria V. poſt III. Dominicam Quadrageſimæ. *Non te pigeat viſitare infirmum*, &c. *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Eccli.7. verſ.39. & 40. *Ecce anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: ſuccide ergo illam: vt quid etiam terram occupat ? Domine, dimitte illam & hoc anno, vſque dum fodiam circa illam*, &c. Lucæ 13. verſ.7.

De mortis certitudine.

Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues. Iſaiæ 38.v.1. *Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi*, &c. verſ. 10. *Non aſpiciam hominem vltrà.* verſ. 11. *Quid dicam cùm ipſe fecerit ?* verſ. 15. *Recogitabo tibi omnes annos meos*, &c. ibid. *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.* verſ.17. *Iam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt.* &c. Matth.3. verſ.10. &c. *Tu es enim Domine qui vitæ & mortis habes poteſtatem, & deducis ad portas mortis, & reducis. Sed tuam manum effugere impoſſibile eſt.* Sap.16.verſ.13.& 15. *Vanitas vanitatum*, &c. *quid habet amplius homo* (quàm vanitatem) *de vniuerſo labore ſuo quo laborat ſub ſole?* Eccleſ. 1.v. 2.& 3. *Si vnus & ſtulti & ſapientis occaſus eſt, quid mihi prodeſt quòd maiorem ſapientiæ dedi operam ?* cap. 2. v.15. *Moritur doctus ſimiliter vt id doctus: & idcirco tæduit me vitæ meæ*, &c. *habiturus hæredem poſt me, quem ignoro vtrùm ſapiens an ſtultus futurus ſit*, &c. v. 16. vſque fin. *Vnus interitus eſt hominis & iumentorum, & æqua vtriuſque conditio*, &c. verſ.19. vſque 22. *Et dixi in corde meo, Iuſtum & impium iudicabit Deus, & tempus omnis rei* (cognoſcendæ, diſcernendæ, fruendæ) *tunc erit.* v.17. *Et laudaui magis mortuos, quam viuentes: & feliciorem vtroque iudicaui, qui necdum natus eſt, nec vidit mala quæ ſub ſole fiunt.* Eccleſ.4.v.2. Cui ſas nouem reddit c.6.v.3. *Vidi ſtultum firma radice: & maledixi pulchritudini eius ſtatim.* Iob 5.v.5. *Non eſt in hominis poteſtate prohibere ſpiritum* (vitalem, quo minùs exeat è corpore) *nec habet poteſtatem in die mortis, nec ſinitur quieſcere ingruente bello* (mortis) *neque ſaluabit impietas impium.* Eccleſ.8. verſ.8. *Si direxerit ad hominem cor ſuum Deus, ſpiritum illius & flatum ad ſe trahet. Deficiet omnis caro ſimul, & homo in cinerem reuertetur.* Iob 34.verſ.14. *Neque enim vltrà in hominis poteſtate eſt, vt veniat ad Deum in iudicium.* verſ.23. *Conteret multos & innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis.* verſ.24. *Mons cadens defluit, & ſaxum transfertur*, &c. *& hominem ergo ſimiliter perdes.* Iob 14.verſ.18. Iſque 22. *Nec enim omnia poſſunt eſſe in hominibus, quoniam non eſt immortalis filius hominis, & in vanitate malitia placuerunt.* Eccli.17.v.29. *Quid lucidius ſole? & hic deficiet.* Quid mirum ſi *& omnes homines terra & cinis?* v.30.& 31.

De vita huius vanitate ac miſeriis.

Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & iugum graue ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium. Eccli.40.v.1. mox ſpecificantur miſeriæ vſque verſ.19. *Vox dicentis. Clama. Et dixi, Quid clamabo ? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri. Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, quia ſpiritus Domini ſufflauit in eo. Verbum autem Domini noſtri manet in æternum.* Iſa.40.v.6.vſque 9. *Puluis ſumus. Homo ſicut fœnum dies eius*, &c. Pſalm.102.v.14.vſque 17. *Domine quid eſt homo*, &c. *quia reputas eum ? homo vanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut vmbra prætereunt.* Pſalm. 143.verſ.3. *Quæ eſt enim vita veſtra? vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Iac.4.verſ.15. *Deus ductor tuus fuit in ſolitudine magna atque terribili, in qua erat ſerpens flatu adurens, ſcorpio, dipſas*, &c. Deut.8.v.15.

De breuitate vitæ.

Ecce breues anni tranſeunt, & ſemitam per quam non reuertar, ambulo. Iob 16. verſ.23. *Quid eſt homo, & quæ eſt gratia illius? & quid eſt bonum, aut quid nequam illius? numerus dierum hominum, vt multum, centum annni: quaſi gutta aquæ maris deputati ſunt) & ſicut calculus arenæ, ſic exigui anni in* (ſeu præ) *die qui.* Eccli.18.v.7.& 8. *Dies annorum noſtrorum ſeptuaginta anni*, &c. *& amplius eorum labor & dolor.* Pſal.89.v.10. *Puer centum annorum* (ſapientia cæluſti plenus) *morietur. Et peccator centum annorum maledictus erit.* Iſa.65.verſ.20. *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt, parui & mali, & non peruenerunt vſque ad dies patrum meorum.* Gen.47.v.9. *Defecerunt ſicut fumus dies mei, & oſſa mea ſicut cremium, aruerunt*, &c. Pſal.101.v.4.vſque 13. *Pone citatem dierum meorum nuntia mihi. Ne reuoces me in dimidio dierum meorum.* v.24.

De incertitudine horæ mortis.

Neſcit homo finem ſuum, ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & aues laqueo, ſic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplo ſuperuenerit. Eccleſ.9. verſ.12. *Qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Luc.12.verſ. 40. *Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus veſter*

ventarus sit. Matth.24.v.42. *Ecce venio sicut fur. Beatus qui vigilat*,&c. Apoc.16.v.15.

De acceleratione mortis.

Certus, quòd velox est depositio tabernaculi mei. 2. Petr.1.v.14. *Dies mei velociores fuerunt cursore: fugerunt & non viderunt bonum. Pertransierunt quasi naues poma portantes, sicut aquila volans ad escam.* Iob 9.vers. 15. *Tædet animam meam vitæ meæ*, &c. Iob 10.vers.1. *Memento, quaso, quòd sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me.* v.9. *Dicebam, In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies meos. Gloria mea semper innouabitur.* Iob 29.v.18.& 20. *Memor esto quoniam mors non tardat, & testamentum inferorum quia demonstratum est tibi. Testamentum enim huius mundi est. Morte morietur*, Eccli.14.vers.12. *Mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna*, &c. Psalm.89.vers.4. *Mane sicut herba transeat* &c.vers.6. *Anni nostri quasi aranea*, &c. vers.9.

Senectus certus nuntius instantis mortis.

Dulce lumen, & delectabile est videre solem. Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum (senectutis) *qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita. Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua*, &c. *& scito quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.* Eccles.11.v.7.vsque 10. *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis*, &c. in senectute quam cap.12 graphicè depingit vsque v.7. *Quæ in iuuentute tua non congregasti, quomodo in senectute tua inuenies?* Eccli.25.vers.5. *Quam speciosum canitiei iudicium & sapientia? corona senum multa peritia, & gloria illorum timor Dei*, v.6. vsque 9. Decem res maximè recreantes senium vide v.9. vsque 17. *Ne spernas hominem in sua senectute: etenim ex nobis senescunt.* Eccli.8.v.7. *Corona dignitatis senectus, quæ in viis iustitiæ reperietur.* Prou.16.v.31. *Ne proijcias me in tempore senectutis: cùm defecerit virtus mea ne derelinquas me.* Psal.70.v.9.vsque 15. *qui habitat in adiutorio Altissimi*,&c. Psal.90.toto. *Iustus vt palma florebit*, &c. *etiam in senecta uberi.* Psal.91.v.13.vsque 15.

Præparatio ad bonam mortem.

In die bona fruere bonis, & malam (infortunatam) *diem præcaue: sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus.* Eccles.7.v.15. *Est via quæ videtur homini iusta; nouissima autem eius ducunt ad mortem. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Prou.14.vers.12. *Viis suis replebitur stultus.* vers. 14. *Etenim quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrent mala.* Eccles.8.vers.11. *Dicit: Inueni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis solus. Et nescit quòd tempus præteriet, & mors appropinquet, & reliquit omnia alijs, & morietur.* Eccli.11.vers.19.& 20. *Nedicas, Peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus est enim patiens redditor*, &c. Eccli. 5. vers. 4. vsque 10. *Æstimauerunt esse lusum vitam nostram; & conuersationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere vndecumque, etiam ex malo, acquirere.* Sap. 15. vers. 12. *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi & tenebræ & pœna.* Eccli. 21. vers. 11. *Si impius fuero væ mihi est. Si iustus, non leuabo caput, saturatus afflictione & miseria.* Iob 10.vers.15. vsque 18. *Ante obitum tuum operare iustitiam, quia non est apud infe-*

ros inuenire cibum. Eccl.14.vers.14. *Omnis caro sicut fœnum veterascet, & sicut folium fructificans in arbore viridi.* vers. 18. *Omne opus corruptibile in fine deficiet: & qui illud operatur, ibit cum illo.* vers. 20. *Et omne opus electum iustificabitur: & qui operatur illud, honorabitur in illo.* vers. 21. *Si iniquitatem quæ est in manu tua, abstuleris à te, tunc leuare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis, & non timebis. Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam & cùm te consumptum putaueris, orieris vt lucifer. Et habebis fiduciam, proposita tibi spe, & defessus securus dormies. Requiesces, & non erit qui te exterreat.* Iob 11. vers. 14. &c. *Magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum*, &c. 2.Petr.1.vers.10.&c. *Dominus opem feret illi super lectum doloris eius: vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.* Psalm.40.vers. 4. *Notum fac mihi finem meum, & numerum dierum meorum quis est, vt sciam quid desit mihi.* Psalm. 38.vers.5.

Mortis desiderium.

Exspectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum, gaudentq; vehementer cum inuenerint sepulchrum. Iob 3.vers.21. *Incola ego sum in terra.* Psal. 118. vers.19. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar.* Psalm. 119. vers.5. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Beatus vir cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum in loco, quem posuit. Ibunt de virtute in virtutem. Videbitur Deus deorum in Sion.* Psalm.83. vers.5.vsque 9. *Melior est dies vna in atrijs tuis super millia. Elegi abiectus esse*, &c. vers.11. *Licet is qui foris est, noster homo corrumpitur; tamen is qui intus est, renouatur de die in diem.* 2. Corinth.4.vers.16. *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis*, &c. 2.Corinth.5.vers.1. vsque 12. *Quantò tempore hæres parvulus est, nihil differt à seruo*, &c. Galat.4. vers.1. *Iam non est seruus, sed filius. Quòd si filius, & hæres per Deum.* vers. 7. *Magnificauit Dominus facere nobiscum*, &c. *Conuerte Domine captiuitatem nostram*, &c. *Qui seminant in lacrymis*, &c. Psalm.125. vers.3. vsque fin. *Super flumina Babylonis, illic sedimus & flevimus, cùm recordaremur Sion*, &c. Psalm.136. toto. *Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* Hebr. 13. vers. 14. *Nemo enim nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Rom.14. vers. 7. *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi* vers.10.

PRO MORIENTIBVS.

Si fortè nolint se bene disponere.

De lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. 4.Reg. 1.vers.4. *Cras tu & filij tui mecum eritis* 1.Reg.28.vers.19. *Scindet regnum tuum Dominus de manu tua*, &c. vers.17. *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te; quæ autem parasti, cuius erunt?* Luc.12. vers.20. *Quare perdis animam tuam in furore tuo?* Iob 18.vers.4. *Mane thekel phares.* Dan.5.vers. 25. *Recessit somnus ab oculis meis, & concidi, & corrui*

præ sollicitudine. In quantam tribulationem deueni! & in quos fluctus tristitiæ, qui iucundus eram, & dilectus in potestate mea. Et ecce pereo tristitia magna in terra aliena. 1. Machab. 6. vers. 10. &c. *Spoliauit me gloria mea & abstulit coronam de capite meo: destruxit me vndique & pereo, & quasi arbori euulsæ abstulit spem meam.* Iob 19. vers. 9. *Suspendium elegit anima mea, & mortem ossa mea. Desperaui, nequaquam vltrà iam viuam.* Iob 7. vers. 15. *Appropinquauit finis noster: completi sunt dies nostri, quia venit finis noster.* Thren. 4. vers. 18. Item Zach. 7. vers. 2. &c. *Finis venit, finis venit super te, & immittam furorem meum in te, & iudicabo te iuxta vias tuas, & ponam contra te omnes abominationes tuas. Et non parcet oculus meus super te, & non miserebor,* &c. vsque finem. Sceleribus tuis *appropinquare fecisti dies tuos* (tuæ vltioni destinatos à Deo) *& adduxisti* (seu accelerare fecisti) *tempus annorum tuorum,* (alioqui prorogandum) Ezech. 22. vers. 4. *Quid facietis in die visitationis? ad cuius confugietis auxilium?* Isaiæ 10. vers. 3. *Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente,* &c. *quoniam Deus iudex est.* Psalm. 74. vers. 7. *Cor durum malè habebit in nouissimo; & qui amat periculum, in illo peribit.* Eccli. 3. vers. 27. *Iudicium enim sine misericordia illi, qui non facit misericordiam: superexaltat autem misericordia iudicium.* Iac. 2. vers. 13. *Defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum festinatione.* Psalm. 77. vers. 33. *Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquauerunt vsque ad portas mortis.* Psalm. 106. vers. 18. *Ascendit mors per fenestras, ingressa est domos nostras, disperdere paruulos deforis, iuuenes de plateis.* Ierem. 9. vers. 21. *Quis ex vobis poterit habitare cum igne deuorante? quis habitabit cum ardoribus sempiternis?* Isai. 33. vers. 14. *Circumdederunt me dolores mortis, torrentes iniquitatis, dolores inferni, laquei mortis.* Psalm. 17. vers. 5. *Vita mea inferno appropinquauit,* &c. Psalm. 87. vers. 4. vsque 14. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Iob 1. vers. 21. *Nihil enim intulimus in hunc mundum,* &c. 1. Timoth. 6. vers. 7. *Sicut vmbra cùm declinat, ablatus sum, & excussus sum, sicut locustæ,* &c. Psalm. 108. vers. 23. Dij boni (inquit, teste Plutarcho, Lysimachus) quàm breuis voluptatis causâ magnam depositi felicitatem! *Spoliauit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo. Destruxit me vndique, & pereo, & quasi arbori euulsæ, abstulit spem meam.* Iob 19. vers. 9. *Vadam, & non reuertar, ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis,* &c. Iob 10. vers. 21. Pro tenebris exterioribus vide tenebras Ægypti, Exod. 10. vers. 21. *Homo cùm in honore esset, non intellexit,* &c. Psalm. 48. vers. 13. *Nunc ergo, fili mi, audi me, ne gemas in nouissimis, quando consumpseris carnes tuas, & corpus tuum,* &c. Prou. 5. vers. 7. & 11. Per seriam contritionem & humilem confessionem *solue vincula colli tui captiua filia Sion.* Isaiæ 52. vers. 2. *Custodi legem,* &c. *eritq; vita animæ tuæ. Si dormieris, non timebis: quiescet, & suauis erit somnus tuus, nec paue-bis: Dominus enim erit in latere tuo.* Prouerb. 3. vers. 21. &c.

Iis qui se benè componunt.

Timor Domini delectabit cor., & dabit latitiam & gaudium & longitudinem dierum. Timenti Dominum benè erit in nouissimo, & in die defunctionis suæ benedicetur. Eccli. 1. vers. 12. & 13. Proponantur exempla piè mortuorum. *Deficiens* Abraham *mortuus est in senectute bona, prouectæq; ætatis, & plenus dierum, congregatusq; est ad populum suum.* Genes. 25. vers. 8. *Coram cunctis fratribus suis obiit* Ismael, vers. 18. Item *Isaac* Genes. 35. vers. vltim. Domesticis suis monita dent salutis. *Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista ad terram quam iurauit Abraham, Isaac, & Iacob.* Gen. vltim. vers. 23. Similia morientium pia monita habes, *Moysis,* Deuter. 31. & 32. *Iosue,* c. vltim. *Dauidis,* 2. Reg. 22. & 23. *Elisæi,* 4. Reg. 13. *Mathathiæ,* 1. Machab. 2. *Ego ingredior viam vniuersæ terræ,* inquit Dauid *Salomoni,* 3. Reg. 2. vers. 2. *Confortare & esto vir, & obserua custodias Domini,* &c. Testamenta & codicilli tempestiuè expediantur, quale fuerit testamentum Christi, vide Ioan. 17. toto. Sacramento Confessionis, Eucharistiæ & Extremæ vnctionis tempestiuè muniantur, de quibus controu. 21. 23. & 25. *Infirmatur quis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo;* &c. Iac. 5. vers. 14. *Ante mortem confitere: non demoreris in errore impiorum. A mortuo quasi nihil, perit confessio. Confiteberis viuens, viuus & sanus confiteberis; & laudabis Deum, & gloriaberis in miserationibus illius.* Eccli. 17. vers. 26. & 27.

Roborentur contra metum mortis, iudicij, &c.

Formido mortis cecidit super me. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Et dixi: quis dabit mihi pennas? &c. Psalm. 54. vers. 5. *Magnus dies Domini, & terribilis valdè, & quis sustinebit eum?* Ioel 2. vers. 11. *De omni verbo otioso rationem reddent.* Matth. 12. vers. 36. *Numquid in æternum proiciet Deus, aut obliuiscetur misereri,* &c. Psalm. 76. toto. *Quid faciam cùm surrexerit ad iudicandum Deus?* Iob 31. vers. 14. *Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Psalm. 142. v. 2. vsque finem.

Contra pusillanimitatem, diffidentiam, scrupulos, &c.

Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me. Psalm. 48. vers. 6. *Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me? Spera in Deo,* &c. Psalm. 42. vers. 5. *In te Domine speraui, non confundar in æternum. In manus tuas commendo spiritum meum.* &c. Psalm. 30. vers. 1. & 6. *Credo videre bona Domini in terra viuentium. Exspecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum,* Psalm. 26. vers. 13. *Quem timebo? à quo trepidabo?* v. 1. *Si consistant aduersùm me castra,* &c. v. 3. *Vnam petij,* &c. v. 4. *In petra exaltauit me,* &c. vers. 6. *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem.* 2. Timoth. 1. vers. 12. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis, & sinceritate Dei conuersati sumus in hoc mundo.* 2. Cor. 1. vers. 12. *Qui patiuntur secundùm voluntatem Dei, fideli creatori commendent animas suas in benefactis.* 1. Petr. 4. vers. 19. Nam posse etiam in meritis & bonis operibus fiduciam collocari, docui controu. 16. num. 11. & 12.

Contra dolores & alias morbi molestias.

Multæ tribulationes iustorum, &c. Psalm. 33. vers. 20. vsque fin. *Vniuersum stratum eius versasti,* &c. Psal. 40. v. 4. *Confitebor tibi Domine rex,* &c. *de-*

liuratio-

bulationum eruisti me,&c. Eccli.51.v.1. vsque 18. *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti.* Psalm. 89. vers.15.

Contra dæmonis insultus.

Venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quidquam. Ioan.14. vers.30. *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, Præualui aduersus eum.* Psalm.12. vers. 4.&c.

Compositio ad mortem.

Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum: Deus noster, Deus saluos faciendi, & Domini, Domini exitus mortis. Psal.67.vers.20.& seqq. Frequenter eliciantur actus fidei, fiduciæ, contritionis, charitatis. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia: vt integer spiritus vester, & anima, & corpus, sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur.* 1. Thess.5.v.23.

Desiderium aduentus Domini.

Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est? Psal. 119.vers.5. *Tolle Domine animam meam?* 3.Reg.19.vers. 4. *Quia melior est mihi mors quàm vita.* Ionæ 4.vers.3. *Et nunc Domine fac mecum secundùm voluntatem tuam, & præcipe in pace recipi spiritum meum: expedit enim mihi mori magis quàm viuere.* Tob. 3. vers. 6. *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitiuit in te anima mea.* Psalm. 62. toto. *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo.* Phil.1.vers.23. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes,* &c. Psalm. 41. toto. *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Psalm.83. vers. 3. *Ego dixi in excessu mentis meæ, Proiectus sum à facie oculorum tuorum. Ideo exaudisti vocem orationis meæ.* Psalm.30.vers.23. *Spes quæ differtur, affligit, animam: lignum vitæ desiderium veniens.* Prouerb.13. vers.12. *Desiderium si compleatur, delectat animam,* v.19. &c.17.v.8.

Mittuntur obuiam cælites.

Ite in terram Chanaan, & tollite inde patrem vestrum, & cognationem, & venite ad me, & ego dabo omnia bona Ægypti, &c. Gen. 45. vers. 17. &c. *Ioseph filius tuus viuit, & ipse dominatur in omni terra Ægypti.* Gen.45.vers. 26. *Sufficit mihi si viuit.* vers. 28. *Vidensq; eum, irruit super collum eius, & inter amplexus fleuit.* Gen. 46. vers. 29. *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo.* vers. 30. *Ecce filius tuus Ioseph venit ad te.* Genes.48.vers. 2. *Colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus sum super locum istum.* 4. Reg.22. vers.20. *Surge, & egredere de terra hac, reuertens in terram natiuitatis tuæ, & patrum tuorum.* Gen.31. vers.3. & 13. vide etiam vers.5. &c. & 15. *Non enim accessistis ad tractabilem montem* (Sinai) &c. *Sed ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem, & multorum millium angelorum frequentiam,* &c. *& iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem quàm Abel.* Hebr. 12.vers. 18. vsque 25. *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus Dominus.* Isaiæ 54. vers. 7. & 8. *Quia in lætitia egrediemini, & in pace deducemini: montes & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu.* Isaiæ 55.vers.12. *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Psal. 29.vers.5. *Veni de Libano, sponsa mea, veni coronaberis,* &c. Cant.4.vers.8. *Fac me audire vocem tuam* nuptialem. Cant.8. vers.13. *Scio quia in nullo confundar, sed sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem. Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum. Et quid eligam ignoro. Coarctor autem è duobus: desiderium habens dissolui & esse cum Christo, multò magis melius. Permanere autem in carne, necessarium propter vos.* Phil.1,vers.20.&c. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus,* &c. Psalm.121. toto. *Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui,* &c. 2.Tim.4.vers.6.vsque 9. *Liberauit me Dominus ab omni opere malo: & saluum faciet in regnum suum cæleste, cui gloria,* &c. vers. 18. Ante tot annos *veni in mundum:* nunc *relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Ioan.16.vers.28. *Te decet hymnus Deus in Sion,*&c. *ad te omnis caro veniet.* Psal.64.vers.1. *Beatus quem elegisti & assumpsisti, inhabitabit,* &c. vers.5. *Posuit animam meam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos.* Psalm.65.vers.9. *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti,* &c. vers.12. *In deficiendo ex me spiritum meum,* &c. *periit fuga à me,* &c. *Tu es spes mea, portio mea in terra viuentium,* &c. *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me exspectant iusti, donec retribuas mihi.* Psalm.141.vers.4. vsque fin. His verbis vitam finiebat S. Franciscus. *Nunc dimittis seruum tuum, Domine, in pace,* &c. Lucæ 2.vers. 29. *Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* Psalm.114.vers.7. iniquiebat Babylas Martyr cùm ceruicem feriendam præberet, Euseb.l.4.c.16. *Et ego ad te venio.* Ioan.17.vers.11. *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Psalm.4.vers.9. *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis.* Psalm. 148. inquiebat Gerardus S. Bernardi frater moriens. *Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.* Actor.7.vers.55. *Domine Iesu suscipe spiritum meum.* vers.58. *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* vers.59. *Et spiritus, & sponsa dicunt, Veni: & qui audit, dicat, Veni. Et qui sitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Apoc.22.vers.17. *Ego sum radix, & genus Dauid, stella splendida & matutina.* vers.16. *Etsam venio citò, Amen. Veni Domine Iesu.* vers.20. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Lucæ 23. vers.46. *Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum.* vers.42. *Amen dico tibi, Hodie mecum eris in paradiso.* vers.43.

DE DEFVNCTIS.

Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ sunt vuæ eius. Apocal.18.vers. 14. *Arcum suum tetendit, & parauit illum, & in eo paranit vasa mortis.* Psalm.7.vers.13. *Succidite arborem, præcidite ramos,* &c. Dan.4.vers.11. *Sic & rex hodie est, & cras morietur.* Eccli.10.vers.12. *Et quare moriemini domus Israel? quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, reuertimini & viuite.* Ezech.18. vers.31. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.* Sed *impij manibus & verbis accersierunt illam.* Sap.1.vers. 13.&16. *Æstimantes illam amicam defluxerunt & sponsiones posuerunt ad illam.* ver.16. *Per vnum hominem peccatum,*

catum,& per peccatum mors. Rom.5.v.12. *Siccine separat amara mors?* 1.Reg.15.vers.32. *Omnes morimur,& quasi aquæ dilabimur in terram quæ non reuertuntur.* 2.Reg. 14.vers.14. *Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Psalm. 145.v.4. *Dominus soluit compeditos,* &c. vers.8. *Adam vbi es?* Genes.3.v.9. *Homo mortuus vbi quæso est?* Iob 14. vers.10. Quadruplex status post hanc vitam,&c. vide à vers.7.vsque 13. *Iustorum anima in manu Dei sunt,* &c. *visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.* Sap.3.vers.1.&c. *Qui paulò antè de terra factus fuerat, post pusillum reducit se vnde acceptus est, repetitus anima debitum quam habebat.* Sap.15.vers.8. *Cùm enim morietur homo, hereditabit serpentes & bestias & vermes.* Eccli.10. vers.13. An *tunica hæc filij mei est: fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph. Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Gen.37.v.33.& 35. *Ibit homo in diem æternitatis suæ. Reuertatur pulvis in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Eccles.12. vers.7. vbi & pulchra morientis hominis descriptio. *Vbi* nunc *sunt principes gentium, & qui dominantur super bestias? qui in auibus cœli ludunt,* &c. *Exterminati sunt,& ad inferos descenderunt, & alij loco illorum surrexerunt.* Baruch 3.vers.16.vsque 20. *Facile est coram Deo, in die obitus retribuere vnicuique secundùm vias suas.* Eccli.11.vers.28. *Malitia horæ oblivionem facit luxuria magna, & in fine hominis denudatio operum eius.* vers.29. *Ante mortem ne laudes hominem quemquam.* vers.30. *Noli de mortuo inimico tuo gaudere: sciens quoniam omnes morimur.& in gaudium* (inimicorum) *nolumus venire.* Eccli. 8. vers.8. *O mors quàm amara est memoria tua homini habenti pacem in substantijs suis!* Eccli. 41.vers.1. *O mors, bonum est iudicium tuum homini indigenti.* vers.3. &c. *Nolis metuere iudicium mortis,* &c. vers. 5.vsque 11. *Væ vobis viri impij,* &c. *in maledictione erit pars vestra.* vers.11. *Omnia quæ de terra sunt, in terram conuertentur: sic impij à maledicto in perditionem.* v.13.

De impijs.

Mortuo impio homine, nulla erit vltrà spes, & exspectatio sollicitorum peribit. Iustus de angustia liberatus est, &c. *in bonis iustorum exultabit ciuitas: & in perditione impiorum, erit laudatio.* Prou.11. vers.7.& 10. *Ecce gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis.* Iob 26. vers. 5. *Fel draconum vinum eorum,* &c. Deuter.32.vers.33. *Corda filiorum hominum implentur malitia & contemptu in vita sua, & post hæc ad inferos deducentur.* Eccles.9. vers.3. *Morientur, & non in sapientia. Et quia nullus intelligit, in æternum peribunt:* Iob 4. vers. 20.& 21. *Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus.* Sap. 7.vers.6. *Iustus perit in iustitia sua: & impius multo viuit tempore in malitia sua.* Eccles.7. vers. 16. *Non est qui agnitus sit reuersus ab inferis.* Sap.2.vers.1. vbi vide reliqua atheorum axiomata vsque vers. 12. Nonne *Samuel* reuersus est ab *inferis?* 1. Reg. 28. vers.14. *Labor est ante me, donec intelligam in nouissimis eorum.* Psalm. 72. vers.17. *In nouissimis diebus intelligetis consilium eius.* Ierem.23.vers. 20. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt in manibus suis.* Psalm.75.vers.6. *Numquid aperta sunt tibi porta mortis, & ostia tenebrosa vidisti?* Iob 38.vers.17. *Sepulchra eorum, domus illorum in æternum.* Psalm.48.vers.11. *Vocauerunt nomina sua in terris suis,* &c. vers.12. *Sicut oues, in inferno positi sunt, mors depascet eos.* vers. 15. *Non habent futurorum spem mali, & lucerna impiorum extinguetur.* Prou.24. vers.20. *Sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo.* Eccles.5. vers.14.

De piè defunctis.

Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet. Væ impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei. Isa.3. vers.10.& 11. *Nequaquam, vt mori solent ignani, mortuus est Abner. Manus tuæ ligatæ non sunt* (vinculis peccatorum) *& pedes tui non sunt compedibus aggrauati: sed sicut solent cadere coram filijs iniquitatis, sic corruisti.* 2. Regum 3.vers.33. *Quid habet amplius sapiens à stulto? nisi vt pergat illuc, vbi est vita?* Eccles.6.vers.8. *Abstulit sicut oues populum suum, & perduxit eos tamquam gregem in deserto, & eduxit eos in spe, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare. Et induxit eos in montem sanctificationis suæ, montem quem acquisiuit dextera eius.* Psalm. 77.vers.52. *Cùm dederit dilectis suis somnum: ecce hereditas Domini,* &c. Psalm.126.v.2. Vide etiam Sap.3.v. 1.vsque 13. *Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit,* &c. Sap.4. vers.7. vsque fin. *Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicùm ad momentum, donec pertranseat indignatio.* Isa.26.vers.20. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur: vt requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.* Apoc.14.vers.13. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos,* &c. Osee 13. vers.14. Sex diebus hebdomadæ laborandum, septima *requies sabbati sanctificata est Domino.* Exod. 16. vers.23. *Pax, honor & gloria omni operanti bonum.* Roman.2.vers.10. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Psalm.115. vers.6. *Ingrederis in abundantia sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo.* Iob 5.vers.26. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque dolor,* &c. Apoc.21.v.4. *Extendisti manum tuam, & deuorauit eos terra.* Exod.15.v.12. *Populum verò tuum portasti in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum.* v. 13. *Ingrediatur putredo in ossibus meis,& subter me scatet: vt requiescam in die tribulationis: vt ascendam* (in cœlum) *ad populum accinctum nostrum.* Habac.3.v.16. *Melior est dies mortis die natiuitatis. Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit.* Eccles.7.v.2.&3. *Melior est finis orationis quàm principium.* v.9. *Nemo est qui semper viuat,* &c. v.4. vsque 10. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Eccles.9.v.10. *Venit nox, quando nemo potest operari.* Ioan.9.v.4. *Ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum.* Eccli.14.v.17.

De tribunali Iudicis.

Vide Dominica XXI. post Pentecost.& Feria II. post I. Dominicam Quadragesimæ. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium.* Hebr.9.vers.27. *Memor esto iudicij mei; sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie.* Eccli.38.v.23. *Et si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* 1.Petr.4.vers.18.ex Prou. 11.vers.31. *In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Matth. 7.vers.2. *In fletu venient, & in misericordia reducam eos* (ab exilio in patriam:) *& adducam eos per torrentes aquarum in via recta, & non impingent in ea: quia factus sum Israeli pater, & Ephraim primogenitus meus est.* Ierem.31.vers.9. *Et venient, & laudabunt in monte Sion,*

& confluent ad bona Domini; &c. verſ. 12. vſque 15. *Secundum dies ligni* (vitæ) *erunt dies populi mei, & opera manuum eorum inueterabunt: electi mei non laborabunt fruſtra*, &c. Iſaiæ 65. verſ. 22. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto ſicut virgula fumi?* &c. Cant. 3. verſ. 6. *Lectulus & ferculum Salomonis.* verſ. 8. &c. *Delicijs affluens.* &c. c. 8. verſ. 5. *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna*, &c. Apoc. 7. verſ. 13. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum*, &c. Matth. 25. verſ. 34. *Euge ſerue bone & fidelis*, &c. verſ. 21. *Noli timere vermis Iacob; qui mortui eſtis ex Iſrael: ego auxiliatus ſum tibi, dicit Dominus, & redemptor tuus ſanctus Iſrael. Ego poſui te, quaſi plauſtrum triturans nouum, habens roſtra ſerrantia: triturabis montes & comminues, & colles quaſi puluerem pones. Ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo diſperget eos: & tu exultabis in Domino, in ſancto Iſrael lætaberis.* Iſaiæ 41. verſ. 14. vſque 17. *Dominus Deus auxiliator meus, ideo non ſum confuſus. Iuxta eſt qui iuſtificat me, quis contradicet mihi? Stemus ſimul, quis eſt aduerſarius meus? accedat ad me*, &c. Iſaiæ 50. verſ. 7. vſque 10. *Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat: quis eſt qui condemnet?* Rom. 8. verſ. 33. *Tu autem* (Daniel) *vade ad præfinitum* (omnibus mortalibus locum, ſcilicet in limbum, ibi *(requieſces* (ad tempus; & poſtea) *ſtabis in ſorte tua* (& gradu tuo in cœlo, vſque) *in finem dierum* (æternitatis.) Dan. 12. v. vlt.

Congratulatur ſibi anima beata.

Quaſi morientes, & ecce viuimus. 2. Cor. 6. verſ. 9. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit*, &c. 1. Corinth. 2. verſ. 9. *Obliuiſci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei*, inquit Ioſeph, Geneſ. 41. v. 11. *Creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* verſ. 52. *Anima noſtra, ſicut paſſer, erepta eſt de laqueo venantium: laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.* Pſalm. 123. v. 7. *Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara eſt mihi. Dominus pars hæreditatis meæ.* Pſalm. 15. verſ. 5. & 6. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Pſal. 93. v. 19. *Niſi quia Dominus adiuuit me, paulò minùs habitaſſet in inferno anima mea.* v. 17. *Deſiderium cordis eius tribuiſti ei*, &c. *Præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo.* Pſalm. 20. v. 3. *Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouiſſimo.* Prou. 31. verſ. 25. *Beati qui habitant in domo tua Domine*, &c. Pſalm. 83. v. 5. *Gaudium in ea, gratiarum actio & vox laudis, & Alleluia.* Iſaiæ 51. v. 3. & Tobiæ 13. v. 22. *Benedictio & claritas & ſapientia*, &c. Apoc. 7. v. 12. & c. 5. v. 12. De gaudiis Sanctorum, vide Dominica ſecunda Quadrageſimæ & in Feſto omnium Sanctorum, prima Nouembr.

DE EXEQVIIS.

Iuſtus perit, & non eſt qui recogitet, &c. Iſaiæ 57. verſ. 1. *Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo*, &c. verſ. 2. *Super quem luſiſtis? ſuper quem dilataſtis os?* &c. verſ. 3. & 4. *Num ignoratis, quoniam princeps & maximus cecidit hodie in Iſrael?* 2. Reg. 3. verſ. 39. *Abrahamum centum ſeptuaginta quinque* annorum *ſepelierunt Iſaac & Iſmael filij ſui in ſpelunca duplici, è regione Mambre. Ibi ſepultus eſt ipſe, & Sara vxor eius.* Gen. 25. verſ. 9. *Iſaac centum octoginta annorum, conſumptuſque ætate mortuus eſt: & appoſitus eſt populo ſuo ſenex & plenus dierum: & ſepelierunt eum Eſau & Iacob filij ſui.* Gen. 35. v. 28. Iacob 147. annorum, Gen. 47. v. 28. mortuum & *aromatibus conditum*, Gen. 50. verſ. 2. *flenit Ægyptus ſeptuaginta diebus*, v. 3. mox in terram Chanaan deuectum, ſepelierunt in eadem ſpelunca Abrahami, v. 13. & *celebrantes exequias planctu magno atque vehementi, impleuerunt ſeptem dies.* Gen. vlt. v. 10. Vbi vide ſolemnia in funeribus antiquorum. De tanta cura ſepulchri, vide infrà, §. *De ſepulchro.* item Sabbat. Hebdomadæ ſanctæ, ſeu pridie Paſchæ.

De luctu.

Ne *contriſtemini de dormientibus, ſicut cæteri qui ſpem non habent.* 1. Theſſ. 4. verſ. 12. *Supra mortuum plora, defecit enim lux eius. Modicum plora ſupra mortuum, quoniam requieuit: nequiſſimi enim nequiſſima vita ſuper mortem fatui. Luctus mortui ſeptem dies: fatui autem & impij, omnes dies vitæ illorum.* Eccli. 22. verſ. 10. vſque 14. *Fili in mortuum produc lacrymas*, &c. Eccli. 38. verſ. 16. vſque 19. Verùm *ne dederis in* nimia *triſtitia cor tuum*, ſed *repelle eam à te* verſ. 21. *A triſtitia enim feſtinat mors, & cooperit virtutem, & flectit cervicem.* verſ. 19. *Memento nouiſſimorum, & noli obliuiſci: neque enim eſt conuerſio: & huic nihil proderis, & te ipſum peſſimabis.* verſ. 22. *Memor eſto iudicij mei: ſic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie.* verſ. 23. *In requie mortui requieſcere fac memoriam eius, & conſolare illum in exitu ſpiritus ſui.* verſ. 24. *Nolite flere mortuum* (Ioſiam pium regem,) *neque lugeatis ſuper eum fletu. Plangite eum qui egreditur* (filium eius Ioachaz impium qui transfertur à Phãraone in Ægyptum:) *quia non reuertetur vltrà* (in patriam, in regnum ſuum) *ſed in* (Ægypto) *morietur, & terram iſtam non videbit amplius*, &c. Ierem. 22. verſ. 10. vſque 20. *Propter infantem dum adhuc viueret, ieiunauit & fleuit: dicebam enim, Quis ſcit ſi forte donet eum mihi Dominus, & viuat infans? Nunc autem quia mortuus eſt, quare ieiunem? numquid potero reuocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum, ille verò non reuertetur ad me.* 2. Reg. 12. v. 22.

De ſepulchro.

Solum mihi, ſeu cadaueri meo, *ſupereſt ſepulchrum.* Iob 17. verſ. 1. *Secundum iudicium contege corpus illius, & non deſpicias ſepulturam illius.* Eccli. 38. verſ. 16. Iura mihi, quòd *non ſepelies me in Ægypto, ſed in ſepulchro maiorum meorum*, &c. Cur iſtud? Gen. 47. verſ. 29. & c. vlt. verſ. 24. *Tulit quoque Moyſes oſſa Ioſeph ſecum.* Exod. 13. verſ. 19. Moyſen *ſepelunt* Dominus *in valle terræ Moab contra Phogor: & non cognouit homo ſepulchrum eius.* Deuter. 34. verſ. 6. De ſepulchro *Ioſephi*, vide Ioſue 24. verſ. 32. De ſepulchro *Ioſue*, verſ. 30. *Eleazari*, verſ. 33. *Samſonis*, Iudic. 16. verſ. 31. *Saulis*, 1. Reg. vlt. verſ. vltim. *Samuelis*, c. 25. verſ. 1. *Abner*, 2. Reg. 3. verſ. 32. *Dauidis*, 3. Regum 2. verſ. 10. *Eliſæi*, in quo reuiuiſcit cadauer, 4. Regum 13. verſ. 21. *Iezabel. Sepelite eam, quia filia regis eſt.* 4. Regum 9. verſ. 34. Regis *Aſa*, 2. Paral. 16. v. 14. *Ioſiæ*, 4. Reg. 23. v. 30. *Quare non mœreat vultus meus, quia ciuitas domus ſepulchrorum patris mei deſerta eſt?* 2. Eſdr. 2. v. 3. Tobias *mortuis atque occiſis ſepulturam ſollicitus exhibebat.* Tobiæ 1. v. 20. *Simon* Machab. *ſuper ſepulchrum patris ſui & fratrum ſuorum ædificauit ædificium altum viſu, lapide polito retrò & axitè: & ſtatuit ſeptem pyramidas, & his circumpoſuit columnas magnas, & ſuper columnas arma, ad memoriam æternam, & iuxta arma naues ſculptas, quæ viderentur ab omnibus nauigantibus mare.* 1. Machab. 13. verſ. 27. &c. *Corpora eorum in pace ſepulta ſunt.* Eccli. 44. verſ. 34. *Tyrij quoque indignati, erga ſepulturam eorum liberaliſſimi extiterunt.* 2. Mach.

2. Machab.4. vers.49. Sicut Ioseph ab Arimathia & Nicodemus erga sepulturam Christi, Ioan.19.vers. 38. & 39. *Et erit sepulchrum eius gloriosum.* Isaiæ 11. vers.10.

De sepultura impiorum.

Sepelient eos *in Topheth,* id est, inferno. Ierem.7. vers.32. *Mortuus est dives, & sepultus in inferno.* Lucæ 19.vers.22. *Ibi Assur, & omnis multitudo eius: in circuitu illius sepulchra eius.* Ezech.32.vers.22. *Non sepelientur: in sterquilinium super faciem terræ erunt.* Ierem.8.vers.2. *Erunt proiecti in vijs Ierusalem præ fame & gladio, & non erit qui sepeliat eos.*c.14.vers.16. *Mortibus agrotationum morientur: non plangentur, & non sepelientur.* c.16.vers.4. *Absalom* loco superbi mausolxi, quod sibi pararat, infami *lapidum acervo* tegitur, 2.Reg.19.vers.18. *Sepultura asini sepelietur* Ioakim, *putrefactus & proiectus extra portas Ierusalem,* Ierem.22. vers.19. *Tu autem,* Baltasar, *proiectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis, pollutus, & obvolutus cum his qui interfecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta laci, quasi cadaver putridum.* Isaiæ 14.vers.19. *Quid tu hic,* Sobna? *aut quasi quis hic? Quia excidisti tibi hic sepulchrum, excidisti in excelso memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi. Ecce Dominus aspertari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus.* Isaiæ 22.vers. 16. Iason, *qui insepultos multos abiecerat, ipse & illamentatus & insepultus abijcetur, sepultura neque peregrina usus, neque patrio sepulchro participans.* 2.Machab. 5.vers.10.

Magis curandum vt precibus, sacrificijs.eleemosynis, & alijs suffragijs iuuentur defuncti.

Sunt enim eiusdem *corporis membra* nobiscum. *Etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus.*1. Cor.12. v.13. *Gratia dati,* seu muneris, *in conspectu omnis viuentis* accidit grata: *& mortuo non prohibeas gratiam. Non desit plorantibus in consolatione,* &c. Eccl..7.vers.37. *Panem tuum & vinum tuum super sepulturam iusti constitue,* &c. Tob.4. vers. 18. De baptismo *pro mortuis,* vide 1.Corinth.15.vers.29. *Iudas Machabæus duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium,* &c. 2.Machab.10.vers.43. *Sancta & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* vers.46.

FINIS.

EPILOGVS.

EX horum duorum tomorum decurſu didiciſti, ni fallor, optime Lector, veriſſimum eſſe, quod Timotheo ſuo Paulus inculcabat: *Omnem Scripturam diuinitus inſpiratam, vtilem eſſe ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus:* vt meritò inſcribi poſſit, *liber omnis ſcientiæ, omniſq; doctrinæ*; ſic tamen vt ad vſum accurata indigeat interpretatione: quam adeptus, neſcio quid vltrà deſideret, ſeu qui fidei doctrinam in ſcholis, ſeu qui morum inſtitutionem profitetur in templis, ſeu qui ambidexter nunc diſputando, nunc conuerſando lucris animarum ſtudet, ſeu qui ad animæ ſuæ conſolationem & fructum cæleſtes hîc delicias quærit, & piarum conſiderationum argumenta. 2. Tim. v. 16.

Vt verò ex ampliſſimo hoc cultiſſimoque viridario optatos fructus tantò promptiùs, tantò luculentiùs decerpas, optem, mi Lector, velis ante omnia meminiſſe eorum quæ in præfationibus admonui de certa lectionis ſtudijque methodo ſibi præfigenda: de ſtatis etiam horis tam vtili labori impendendis. Atque vtinam nulla vmquam dies ſaltem Sacerdoti abeat, quin ex hoc ſacerdotali libro aliquid hauriat! Poteris quotannis totum euoluere, ſi quotidie quatuor capita perlegeris: biennio, ſi duo, vel aliquantò minus. Hoc verò quàm facile eſt homini mediocriter occupato, captatis vacui temporis interuallis!

Optem Secundò, vt inter legendum, ſicut Doctores anatomici corporis humani partes, ita tu illuſtriores Scripturæ locos accuratè ſeligas, expendas, ſeponas & recondas, ſuo loco & tempore depromendos. Quem in finem Indicibus noſtris non inutiliter inſeres chartam virginem. Et ne tomus ille nimis excreſcat, poteris hos Indices ſolitarios compingi iubere, quo & commodior ſit vſus. In hanc chartam referas quæcumque inter legendum notatu digna occurrerint, ſi eadem illa in Commentario vel Indicibus non deprehenderis. v.g. Occurrent ſententiæ illuſtriores, quæ fidei dogma aliquod confirment, quarum Index noſter tertius non meminit, (neque enim omnium potuimus in breui Indice meminiſſe:) has in triginta controuerſiarum aliquam conijcias, ad quas puto pleraſque omnes ævi noſtri reduci poſſe. Conijcias eaſdem, ſi lubet, in aliquam Dominicam vel Feſtum quinti Indicis, ſub titulo, *Fides*. Occurrent quæ mores ſpectant, vitiorum, inquam, deteſtationem, virtutum exercitia, pœnæ gloriæque vtriſque debitæ commonitionem. Horum alia, quæ Prothei inſtar, variam formam induere, pluribuſque poſſunt argumentis congruere, vtiliùs referes in Alphabetum morale, quod ſecundus Index exhibet. Alia breuioribus circumſcripta terminis, & vni maximè argumento nata, in Dominicas vel Feſta, ſub titulo *Mores*. Denique occurret quod hiſtoriã explanet, quod tempora, quod loca, quod alia parerga deſcribat, quod Scholaſticam quæſtionem aliquam à pulpitis non alienam vel ſtabiliat, vel elucidet: item axioma aliquod medium fidem inter & mores, aut aliud quiduis de quo non inutiliter diſſeri poſſit; eodem hæc referas, ſub titulo *Varia*.

Tertiò, ſelectiores allegoriæ, propheticæ viſiones, antiquæ figuræ, illuſtriores hiſtoriæ, adagia, ænigmata, nemo neſcit quàm apta orationi vel initia dent vel progreſſus, robur item & ornamentum: quin imò non rarò ordinem ſuggerant & diſcurſum. Hæc ergo non legas modò, ſed vigili præterea oculo ſcruteris, & iam nunc expendas in quod argumentum deriuari poſſint. Poterunt autem ad Euangeliorum Indicem referri, rarò quidem ſub *Fides*, ſæpiùs ſub *Varia*, ſæpiſſimè ſub *Mores*. Sed erit qui adagia maximè & ænigmata in indicem alium ſingularem deputet. Quod valdè laudarim: vt & ſi hiſtorias, & viſiones, & allegorias ſeorſim adnotet, ſequendo ordinem librorum & capitum, vti in Indice Antilogiarum factum videt. Et ſubſidio eſſe poterunt Adagia Martini Del Rio & Andreæ Schorti, & Loci Morales Antonij Balingem, Concordantiæ Petri Eulard, eiuſdemque Appendix Allegoriarum.

Quartò,

Quartò, loca Scripturæ ab aduersariis deprauata sat multa dabit Plagiarius Cottoni Et hæc quoque breui indice excepisse plurimùm iuuerit, eos potissimùm quibus cum aduersariis negotium est.

Quintò, iuuerit quoque, & magno compendio fuerit, non quibuslibet passim libris aut commentariis, ad ampliorem Scripturæ notitiam comparandam, euoluendis tempus tribuisse, sed optimos tantùm delegisse. Quo consilio noster Auctorum Index non nudum præfert Auctoris nomen, sed insuper ætatem, qualitates, & scriptorum cuiusque argumenta: vnde facilè conijcias, quantæ singuli sint auctoritatis, & quibus de rebus consulendi. Quòd si & alios adhibere volueris, suadeo, vt in eodem Indice, loco debito, eius qui arriserit nomen, ætatem, conditionem & scriptionis argumentum pari modo annotes, vt, si opus aliquando fuerit, ad eumdem postea recurras.

Hæc si obseruentur, mirum quantam rerum optimarum affluentiam, vnius alteriusque anni labor tibi non omninò oscitanti pariturus sit, seu in fidei aduersarios, seu in deprauatos mores stringendus sit gladius verbi Dei: maximè si quæ pararis, meditationi identidem subiecceris, tibique ipsi applicaris quod alteri persuasum volueris.

Hæc autem argumentorum diuinorum copia, dicendi vbertatem tibi gignet, non tam ornatam verbis, quàm armatam sententijs: hæc neruos dabit & robur orationi: hæc succum aspergetsanguinemque elocutioni: hæc & in memorię præsens subsidium dicendorum seriem non rarò subministrabit: hinc mira exuberabit grataque varietas, quæ Auditores delectet, non semper tritis Scripturæ sententiis & eâdem chordâ oberrans: hinc denique solida doctrina subnascetur, quæ menti veritatis lumen inferat, & voluntatem piorum affectuum flammis incendat Nec improbo tamen, etiam profanorum scriptorum, atque adeò Ethnicorum subinde (nam & talium quoque meminit noster Index) seu dicta, seu exempla tamquam Ægypti spolia vel caprarum pilos, in tabernaculi vsum conuerti. Præposteram eorum curam damno, qui his pilis spoliisque plus æquo intenti, nobilissimas Ecclesiæ sponsæ margaritas aut negligunt, aut postremo loco ducunt: cùm tamen sine hoc apparatu nulla sit, & euanida ac penè puerilis; sine illo autem firma adhuc & vegeta consistat, imò & floreat, Christiani oratoris eloquentia.

His epulis pasti sanctissimi quique Ecclesiæ Patres & Doctores, quàm grata, quàm suauia, quàm valida eructant eloquia! his fontibus ebrij, quàm sapidis fluunt sensibus! quanto non tam verborum, quàm sententiarum torrente, legentium inundant pectora ad omnem frugem! Et cuiuscumque demum ea fuerit; erit sine his exsucca & ieiuna oratio, non erudita satis quæ doceat, nec robusta quæ arguat, nec valida quæ conuincat, nec viuida quæ inflammet.

Ad hos igitur inexhaustos fontes potiùs quàm ad Homiliographorum riuulos aut cisternas, te, amicissime Lector, inuito: ex his auditorio tuo sanam solidamque fidei ac morum doctrinam propina: ex his doce, argue, obsecra, increpa; erudi in omni iustitia animas tibi commissas, vt eas olim Christo sistas virgines, fide incorruptas, moribus integras, sine macula, sine ruga. Et tu, qui verbo vitæ ad iustitiam erudieris multos, vbi iustitiæ suprema dies illuxerit, pro præmio laborum tuorum, in sublimi solio, Prophetas inter & Doctores fulgeas aliquando, tamquam stella firmamenti in perpetuas æternitates. Ita opto, ita voueo, & me sanctissimis tuis laboribus ac precibus enixè commendo. Vale.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

FINIS.

ANTVERPIÆ,
Apud HENRICVM AERTSSENS.
M. DC. XLV.

Titid 16 K.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Tirinus, Jacobus,

Commentarius in vetus et novum Testamentum tomis duobus comprehensus

Antverpiæ 1645
2 Exeg. 576 m
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10327451-0